420

420-VIII
1.

2.352

CONCILIA

GENERALIA,
ET
PROVINCIALIA, QVÆ-
CVNQVE REPERIRI
POTVERVNT;

ITEM EPISTOLÆ DECRETALES,
Et Romanor. Pontific. Vitæ.

OMNIA STVDIO ET INDVSTRIA

REVER. D. SEVERINI BINII, SS. THEOlogiæ Licentiati, & B. Mariæ Virginis ad Gradus Coloniæ Canonici,

Ex Manuscriptis, alijsq; emendatioribus Codicibus aucta, eorundemq; collatione recognita, Notis vtilissimis illustrata, historica methodo dispo-sita, & in Tomos quatuor di-stributa.

TOMVS SECVNDVS.

QVO QVID CONTINEATVR, VIDE
Lector Pagina sequenti.

ADDITI SVNT INDICES DVO; VNVS RERVM ET VERBORVM; ALTER LOCORVM S. SCRIPTVRÆ FVSE explicatorum.


PERMISSV SVPERIORVM.



BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Gymnicum, & Antonium Hierat.
Anno M.DC.VI.

Cum Gratia & Priuilegio Sacr. Cæsar. Maiestat.



SERIES EORVM, QVAE HOC SECVNDO CONCILIORVM TOMO CONTINENTVR, NON QVIDEM OMNIVM, SED PRÆCIPVORVM, ET QVÆ COMMODE HVC REFERRI POtuerunt: Cætera Lector in Indice Alphabetico offendet.

Epistolæ præambulares Concilij Chalcedonensis.

Concilium Chalcedonense, Oecumenicum seu Vniuersale IV. sub Leone Papa I. habitum anno Dom. 451. pag. 1. &c.

Epistolæ illustrium personarum pro Concilio Chalcedonensi, pag 143. &c.

Notæ in Concilium Chalcedonense Oecumenicum seu generale. pag. 179. &c.

Synodus Alexandrina, à Proterio Alexandrino Episcopo, in causa Eutychianorum sub Leone Pap I. 190

Concilium Andegauense sub Leone Anno Domini 451. 190. &c

Concilium Venet icum sub Leone an. 453. 191 &c

Concilium Constantinopolitanum an. 459. sub Leone 193 &c

Hilari Papæ Vita, Epistolæ & decreta. 194. &c.

Concilium Romanum sub Hilaro Pap. an. Dom. 467. pag. 201

Simplicij Papæ Vita, Epistolæ & Decreta. 203. &c.

Concilium Turonicum I. sub Simplicio Pap. an. Dom. 482. p. 212. &c.

Felicis Papæ II. Epistolæ & Decreta. 214. &c.

Concilium Romanum I. sub Felice III. an. Dom. 483. contra Acacium Constantinopolitan. & Pet. Fullonem. 223. &c.

Concilium Constantinopolitan. sub Felice Papa III. in causa Petri Fullonis Antiocheni Episcopi. An. Dom. 483. pag. 226.

Antheonis Episcopi Arsinois & aliorum Epistolæ ad Pet. Fullonem Episco. Antiochen. quod non oportet additionem crucis in trisagio addere. pag. 227. &c.

Concilium Romanum II. contra Acacium Constantinop. & Petrum Moggum Alexandrin. sub Felice III. pag. 229. &c.

Concilium Roman. III. sub Felice III. de lapsis Ecclesiæ Africanæ recipiendis, Anno Dom. 487. pag. 230.

Gelasij Papæ I. Vitæ, Epistolæ & Decreta. pag. 231. &c.

Concilium Romanum I sub Gelasio Pap. I. de libris sacris & authenticis ab Apocryphis discernendis. An. Dom. 494. pag. 64. &c.

Concilium Roman. II. sub Gelas Pap. I de absolutione Miseni, Legati sedis Apostol. An. Dom. 495. pag. 266. &c.

Anastasij Papæ II. Vita, Epistolæ & Decreta. pag. 269. &c.

Symmachi Papæ Vita, Epistolæ & Decreta. pagin. 272. &c.

Concilium Roman. I. sub Symmacho Pap. An. Domini 499. de tollendo ambitu in Comitijs Pontificijs. pag. 282. &c.

Concilium Roman. II. sub Symmacho Pap. An. Dom. 500. contra Petrum Altinensem Episcopum pro Symmacho. pag. 284. &c.

Concilium Roman. III. sub Symmacho Pap. An. Dom. 501. in eadem causa habitum. pag. 284

Concilium Roman. IV. sub Symmacho. Anno Dom. 502. Palmare dictum pro confirmatione electionis Symmachi & abrogatione legis Regis Odoacris. p. 288. &c.

Ennodij Diaconi Libellus apologeticus pro defensione Symmachi Papæ, & IV. Concil. Roman. conscriptus. pag. 290. &c.

Concilium Roman. V. sub Symmacho Pap. An. Dom. 503. habitum, p. 298

Concilium Roman. VI. sub Symmacho Pap. de inuasoribus rerum Ecclesiasticarum, pag. 299 &c.

Concilium Byzacenum Africæ de surrogandis nouis Episcopis sub persecutione à Trasamundo Rege excitata. Anno Dom. 504. habitum. p. 303. &c

Concilium Agathense tempore Symmachi Pap. An Dom. 500. habitum, p. 304. &c.

Concilium Aurelianense I. tempore Symmachi Pap. An. Dom 507. p. 309. &c.

Concilium Epaunense sub Symmacho Pap. An. Dom. 509 celebratum, p 312. &c.

Pseudosynodus Sidonia Palestinæ de damnãdo Concil. Oecum. Chalcedonensi, &c. An. Dom. 512 habita sub Symmacho Pap. p. 313. &c.

Hormisdæ Papæ Vita, Epistolæ & Decreta p. 313. &c.

Concilium Rhemense sub Hormisda Pap. de Ecclesiastica disciplina in Gallia reformãda, An. Dom. 514. p 369

Concilium Veteris Epiri in causa Ioan. Nicopolitani Episcopi & Metropolitani sub Hormisda, An. 510. p. 69

Concil. Tarraconense Hispaniæ tempore Hormisdæ Pap. An. Dom. 517. sub duplici editione: vulgata nimirum, & Garsiæ Loaisæ *(sic legendũ, & non Ioan. Garsiæ tam hic, quàm in omnibus Toletan. & Hispan. Concilijs, quod per errorem factum est.)* p. 369. &c.

Concil. Gerundense, sub duplici editione tempore Hormisdæ Papæ. Anno Domini 517. pag. 372. &c.

Concil. Constantinop. sub Hormisda Pap. Anno Dom. 518. p. 374

Concil. Hierosolymitan. de restitutione Concilij Chalcedonensis, &c. tempore Hormisdæ Papæ. An. 518. p. 375

Concilium Tyrium sub Hormisda. Anno 518. p. 375

Concilium Romanum ſub Hormiſda. Anno Dom.518 de Acacij & aliorum nominibus è ſacris Diptychis expung ndis. pag.375.
Concilium Conſtantinopolitanum ab Epiphanio Epiſcopo collectũ, ex quo legatio ad Hormiſdam Papam miſſa fuit. Anno Dom. 520. pag 375.
Ioannis Papæ I Vita, Epiſtolæ & Decreta. pag.376.
Concilium Aterdenſe tempore Ioan.Pap.I. Anno Dom.524 ſub duplici editione. pag.379.
Concilium Valentinum Hiſpaniæ tempore Ioan.Pap.I. Anno Dom. 2[illegible] ſub duplici editione. pag.382.&c.
Concilium Arelatenſe III. tempore Ioan.Papæ I. an. 24. pag.385.&c.
Felicis Papæ IV. Vita, Epiſtolæ & Decreta. pagin. 388.&c.
Concilium Arauſicanum II. tempore Felicis Papæ IV.an.529. contra Pelagianos & Maſſileenſes. pag 391.&c.
Concilium Vaſenſe alias Vaſionenſe nomine II. reipſa verò III. ſub Felice IV. Pap.habitum,an. 529. pag.394
Concilium Carpentoractenſe circa tempora Felicis Pap IV habitum pag.395.&c.
Bonifacij Papæ II. Vita, Epiſtolæ & Decreta. pag. 396.&c.
Concilium Roman. I. quo Bonifacius Pap. Vigilium Diaconum ſibi ſucceſſorem delegit, & quod idem Bonifacius paulò poſt reprobauit, an.530. pag 398
Concilium Roma. II. de reprobatione ſucceſſor. Bonifacij. ibid.
Concilium Toletanum II. tempore Bonifac.II. an.531. ſub dupl edit. p.399
Ioannis Papæ II. Vita, Epiſtolæ & Decreta. pagin. 402.&c.
Concilium Romanum ſub Ioanne Pap. II. quo contra Acœmetas definitum eſt, catholicè & piè dici poſſe, vnum de Trinitate paſſum eſſe in carne,&c. p.409
Collatio Catholicorum cum Seuerianis habita Cõſtantinopoli an. Dom.532. tempore Iuſtiniani Imperat. pag 409.
Concilium African ſub Ioan.Pap.II. p 415
Agapeti Papæ Vita, Epiſtolæ & Decreta. p.415
Concilium Conſtantinopolitan. poſt obitum Agapeti, tempore interregni Pontificij ſub Menna anno Dom.536 celebratum, contra Anthimum, Seuerum, alioſq; Acephalorum principes, p.422.&c.
Notæ in idem Concilium. p.470 &c.
Concil. Hieroſolymitan. poſt obitum Agapeti contra Seuerum, Petrum & Zoaram hæreticos celebratum an.Dom.536 p.472
Siluerij Papæ Vita, Epiſtolæ & Decreta. p.474
Concilium Aurelianenſe I. ſub Siluer.Pap an 536. p.477
Vigilij Papæ Vita, Epiſtolæ & Decreta. p.478.&c.
Iuſtiniani Imperatoris fides. p.492.&c.
Concilium Aurelianenſe III. tempore Vigilij Papæ,an.540. p 504
Concilium Byzacen. in Africa ſub Vigilio Pap. an.541. p.508
Concilium Aruernenſe ſub Vigilio Pap. an. 541. ibid.
Concilium Aurelianenſe IV. ſub Vigil. Pap.an. 545. p 511
Concilium Conſtantinopolitan. ſub eod.an.547. de ſententia 3.Capitulor. vſque ad Concil. Generale protrahenda, p.514
Concilium Mopſueſtenum contra Theodorum Epiſcopum Mopſueſtenum an.550. ſub Vigil. Pap. p.514
Concilium Aurelianenſe V. ſub eod. An.Dom. 552. p.514.&c.

Concilium Conſtantinopolitanum, Vniuerſale ſiue Oecumenicum V. approbatum, in quo 165 epiſcopi Theodorum Mopſueſtenum quondam Epiſcopum, Epiſtolam Ibæ, & ſcripta Theodori Cyrenſis aduerſus Cyrillum (quę ſunt tria illa Capitula dānationis, quorum gratia hæc Synodus congregata fuit) & Origenē cum ſuis erroribus & ſectarijs Origeniſtis condemnarunt, An. Dom.553. ſub Vigil. Pap. & imperio Iuſtiniani celebratum, pag.517.&c.

Fragmenta quædam huius Concilij, &c. pag 591.
Notæ in idem Concilium. pag.606.&c.
Concilium Hieroſolym tanum ſub Vig. Pap. an. 553. in quo V. Concil. Oecumen. approbatur, pag.610
Concilium ſiue pſeudoſynodus Aquilei nſis cõtra V. Concil. Oecumen. p.610.&c.
Liberati Archidiaconi Carthaginenſis Breuiarium cauſæ Neſtorianorum & Eutychianorum. pag. 610 &c.
Pelagij Papæ I Vita, Epiſtolæ & Decreta. p.626.&c.
Concil. Pariſienſe II ſub Pelagio Pap. I. in cauſa Saphoraci Pariſienſis Epiſcopi, p.634
Ioannis Pap. III. Vita, Epiſtolæ & Decreta. p.635
Concil. Pariſienſe III. contra ſacrilegos & ambitioſos, tempore Ioan.Pap.III. p.638.&c.
Concil. Bracarenſe I. tempore Ioan.Pap.III. anno Dom.563. ſub duplici edit. p.640
Series Sueuorum Regum, ſub quibus Bracarenſia Concilia habita ſunt, ex Garſia Loaiſa deſumpta. pag. 646.&c.
Concil. Santonenſe, ſub Ioan.III. an.Chr 566. in quo Emerius Santonēſis Epiſcopus à Clothario in ſedem intruſus, deponitur à Leontio Burdegalenſi Epiſcopo. p.646
Concilium apud Lucum à Theodomiro Principe habitum tempore Ioannis Papæ III. pag. 646.
Diuiſio Prouinciar. Hiſpan. ex Garſia Loaiſa deſumpta, pag 647.&c.

Concilium Turonense II. in causa Ecclesiasticæ disciplinæ reformandæ tempore Ioan. Pap. III. anno Chr. 570. pag. 656
Concilium Lugdunense I. Anno Dom. 570. tempore Ioan. Pap. III. p. 661
Concilium Bracarense II. sub Ariamiro Sueuorũ Rege post obitum Ioan. Pap. III. tempore interregni Pontificij celebratum anno Chr. 672. sub duplici edit. p. 663
Concilium Lucense II. post obit. Ioan. Pap. III. an. 572. celebrat. p. 667
Sancti Martini Dumiensis Monasterij Abbatis, postea Episcopi Bracarensis, Collectio Orientalium Canonum ad Lucense Concilium missa, ex duplici editione. *p. 668*
Benedicti Papæ I. Vita, Epistolæ & Decreta. *p. 676*
Concilium Parisiense IV. sub Benedict. Pap. I. an. Chr. 576. p. 677
Pelagij Papæ II. Vita, Epistolæ & Decreta. *p. 677.*
Concilium Parisiense V. in causa Prętextati Rhotomagensis Episcopi celebratum an. Chr. 580. p. 696
Concilium Cabilonense I. in causa Sagittarij & Salonij Episcoporum. an. Chr. 782. tempore Pelagij Pap. II.
Concilium Matisconense I. sub Pelag. Pap. II. an. Chr. 582. p. 698
Concilium Brennacense in Gallia sub eod. anno Chr. 583. in causa Gregor. Turonensis Episcopi. p. 700
Concilium Constantinopolit. sub eod. an. Dom. 587. in causa Gregor. Antiocheni Episcopi. p. 700
Concilium Lugdunense II. sub Pelag. Papa II. an. 587. p. 700
Concilium Matisconense II. sub eodem. an. 588. p. 701
Concilium Valentin. Galliæ II. sub eod. an. 589. p. 705
Concilium Toletanum III. sub Pelagio II. an. 589. in quo Gothi in Hispania Arianismum abiurant, & Orthodoxam fidem profitentur, ex duplici edit. p. 706
Concil. Roman. sub eod. p. 722
Concilium Narbonen. sub Reccaredo Rege Sueuorum, an. 589. ibid.
Gregorij Papæ I Vita, Epistolæ & Decreta *p. 723. & deinceps vsque ad p. 952*
Concilium Hispalense I. sub Gregor. Pap. I ex duplici edit. p. 952
Concilium Romanum I. sub Gregor. Pap. I. anno 590. pro vnione schismaticorum. p. 954
Concilium Antisiodorense sub Grego. Pap. I an. 590. ibid.
Concil. Cæsaraugustanum 2. tempore Gregor. Pap. I & Reccaredi Regis, an. 592 p. 956
Conciliabulum Numidiæ à Gregor. Pap. I. reprobatum, p. 957
Concil. Pictauiense sub Gregor. Pap. I. & Childeberto Rege, an. 593. celebratum, in causa duarũ regiarum monialiũ vniuersam ferè Galliam commouentium, p. 957
Concil. Metense in Gallia an. 594. in causa Aegid. Rhemens. Episcopi, p. 958
Concil. Roman. II. sub Greg. I. an. 595. ibid.
Concil. Toletan. sub Reccardo Rege & tempore Gregor. Papæ I. anno Dom. 597. pag. 959
Concilium Oscense an. 598. habitum tempore eiusd. Gregor. Pap I & Reccaredi Regis, ibid.
Concilium Constantinopolit. sub eod. Greg. Pap. an. 599. ibid.
Concilium Barcinonen. Anno 14. Reccaredi Regis & Chr. 599. habitum, p. 960
Concil Roman. III. sub Greg. Pap. I. pro Monachis an. 601. p. 960
Concil. Roman. IV. sub eod. in causa Andreæ monachi impostoris & falsarij, an. 601. p. 961
Concil. Byzacenum in causa Clementij Primatis prouinciæ Byzacenæ, an. Dom. 602. habit. ibid.
Concil. Numidiæ in causa Donadei Diaconi & Paulini Regen. Episcopi iussu S. Gregor. Pap. I. celebratum, ibid.
Sabiniani Papæ Vita. *p. 961*
Bonifacij III. Papæ Vita. *p. 962*
Concil. Roman. de modo eligendi Roman. Pontificem, habitum sub Bonifac 3. an. 606. ibid.
Bonifacij IV. Papæ Vita. *p. 963*
Concil. Roman. sub Bonifacio IV. in causa Anglicanæ Eccles. habitum, an. Chr. 610. p 963
Concil. Toletan. sub Gundemaro, an. Dom. 610. tempore Bonifacij Pap. IV. p. 963
Decretum Gundemari, ex Garsia Loaisa desumptum, cum notis eiusdem Loaisæ, *p. 965. &c.*
Concilium Tarraconense siue Egarense sub Sisibuto Rege tempore Bonifac IV. an. Dom. 614. habitum per eundem Garsiam Loaisam.
Deusdedit Papæ Vita & Epistolæ. *p. 978.*
Bonifacij V. Pap. Vita, & Epistolæ, *p. 978. &c.*
Concilium Matisconen. III. pro Regula Columbani celebratum, an. 617. tempore Bonifac. V. & Clothar. Reg. Franc. p. 980
Concilium Hispalense II. tempore Sisebuti Regis & Bonifac. V. an. Chr. 619. habitum, sub duplici edit. p. 981
Honorij Papæ I. Vita & Epistola. *p. 991. &c.*
Concilium Alexandrin. à Cyro Monothelita coactum sub Honorio an Dom. 633
Concilium Toletanum IV. sub Honor. Pap. an. Chr. 633. sub duplici edit. p. 996
Concil. Toletan. V. sub eodem an. Chr. 636. sub dupl. quoque edit. p. 1016
Concil. Toletan. VI. sub eod. an Chr 638. duplicis etiam edit. p. 1019
Seuerini Papæ I. Vita. *p. 1027*
Conciliabulum Constantinopol. quo per Sergiũ Episcop. Constantinopolitan. Heraclij Echtesis confirmata fuit, habitum an. Chr. 639. sub Seuerin. Pap. p. 1028
Ioannis Papæ IV. Vita. *p. 1028*
Concil. Roman. sub Ioan. IV. habitum an. Chr. 640. quo Echtesis Heraclij & Monothelitar. hæreses condemnantur, p. 1029
Theodori Papæ vita, *p. 1029*
Disputatio Maximi cum Pyrrho Constantinopolitano Episcopo habita in Africa sub Theodor. Pap. an. Chr. 645. *p. 1031*
Concil. Numidiæ in Africa contra Monothelitas in Africa celebratum, tempore Theodor. Pap. p. 1040
Concilium Toletanum VII. sub Chindasuindo Rege, & Theodor. Pap. habitum an. 646. sub duplici editione, p. 1040 &c.

Concilium Romanum anno Chr. 648. habitum, in quo Paulus Constantinopolit. Episcopus, & Pyrrhus in hæresin Monothelitarum relapsi, condemnati sunt, pag. 1046
Martini Papæ I. Vita, Epistolæ & Decreta. pagin. 1046. &c.
Concil. Lateranense Roman. in quo 105. Episcopi Typo Constant. Imperator. proscripto, Monothelitar. hæresin, eiusque promotores, Cyrum, Alexandr. Sergium, Paulum, & Pyrrhum Constantinop. cõdemnarunt an. Chr. 642. sub Martin. Pap. I. p. 1062. &c.
Concilium Aurelianense, in quo hæreticus quidam transmarinus, à Salino Episcopo damnatus eiectus fuit an Do. 650. sub Martino Pap. I. habitum, p. 1124
Concilium Toletanum VIII. tempore Martini Pap. I. an. Chr. 653. celebratum ex duplici edit. pag. 1124.
Eugenij Papæ I Vita. p. 1149
Vitaliani Pap. Vita, & Epistolæ. p. 1149. &c.
Concilium Toletan. IX. tempore Vitaliani Pap. & Recesuinthi Regis an. Chr. 655. habitum, duplicis edit. vulgatæ nimirum & Garsiæ Loaisæ. p. 1167.
Concil. Toletan. X. eodem tempore ferè, nempe anno 656. habitum ex duplici quoque editione p. 1167.
Concil. Clypiacense à Clodoueo Galliæ Rege celebratum anno Dom. 662. sub Vitaliano Pap. p. 1175.
Concil. Cabilonense sub eodem Clodoueo habitum tempore Vitalian. Pap. p. 1176
Collatio Anglicana de Paschate celebrando tempore eiusd. Vitaliani Papæ habita. an. Chr. 664. p. 1178.
Concilium Emeritense sub Vitaliano Pap. & Recesuintho Rege celebratum anno Chr. 666. p. 1180.
Concil. Roman. in causa Lappensis Episcopi habitum an. 667. p. 1188
Adeodati Papæ Vita & Epistolæ. ibid.
Concil. Toletanum XI. in quo sedium Episcopalium diuisio facta est, tempore VVambani Regis & Adeodati Papæ, an. Chr 675. ex duplici edit. Vulgata nimirum & recentior. Garsiæ Loaisæ.
Concil. Bracarense III. sub VVambano Rege & Adeodato Pap. an. Chr. 675. habitum sub duplici quoque editione, p. 1202.
Doni Papæ Vita. pag. 1207.

Typographus ad Lectorem.

Scias beneuole Lector nos Concilia Hispanica; Toletana nimirum, Bracarensia & alia sub duplici editione huic Conciliorum impressioni inseruisse, errore autem factum esse, vt pro Garsia Loaisa vbiq; ferè fuerit positum Ioan. Garsias, quod te admonitum volui, ne hæreres.

CONCILIVM CHALCEDONENSE, OECVMENICVM SIVE VNIVERSALE IV. APPROBATVM, IN QVO SEXCENTI TRIGINTA EPISCOPI OMNES HÆRESES, MAXIME EVTYCHETIS ET DIOSCORI condemnarunt, Anno Dom. 451. Marciano & Adelphio Coss. Æra 489.

IN CHALCEDONENSE CONcilium sub Leone Papa I. præambula.

EPISTOLAE PRAEAMBVLARES, CONCERnentes Concilia Ephesinum secundum prophanum, & Chalcedonense sanctum.

EPISTOLA FLAVIANI ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani, ad Theodosium Imperatorem de fide.

Rescriptum de fide, factum manu propria Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitani, datum ab eo poscenti Imperatori.

FLAVIANVS *Episcopus Constantinopolitanus pijssimo & amatori Christi Imperatori nostro Theodosio salutem.* Nihil ita conuenit sacerdoti Dei & dogmatibus erudito diuinis, quàm paratum esse ad satisfactionẽ omni poscenti eum rationem de spe, quæ in nobis est, & gratia. *Non enim erubesco Euangelium Dei. Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti.* Quia igitur & nos misericordia regis omnium Christi Dei, sacerdotium tale Euangelij sortiti sumus, sapimus rectè atque inculpabiliter, semper scripturas diuinas sequentes, & expositiones sanctorum patrum, qui in Nicæa conuenerunt, & 150. qui hic congregati sunt, & qui in Epheso sub sanctæ memoriæ Cyrillo, qui fuit Alexandrinus Episcopus: Et prædicamus Dominum nostrum Iesum Christum, ante secula quidem ex Deo patre sine principio natum secũdùm diuinitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem, ex Maria Virgine secundùm humanitatem, Deum perfectum & hominem perfectum eundem in assumptione animæ rationalis & corporis, consubstantialem patri secundũ diuinitatem, & consubstantialem matri eundẽ secundùm humanitatem, ex duab. vtique naturis confitẽtes Christum post incarnationem ex sancta Virgine, & inhumanatũ in vna subsistantia, & in vna persona vnum Christum, vnũ filium, vnum Dominum cõfitemur. Et vnam quidem verbi Dei naturam, incarnatam tamen & inhumanatam, dicere non negamus, eò quòd ex ambobus vnus atque idem sit Dominus noster Iesus Christus. Eos verò qui aut duos filios, aut duas subsistentias, aut duas personas annunciant, & non vnum eundem Dominum Iesum Christum, filium Dei viui prædicant, anathematizamus, & alienos esse ab Ecclesia iudicamus. Et ante omnes Nestorium impium anathematizamus, & sapientes quæ eius sunt ac loquentes ea, vt abscindantur huiusmodi à filiorum adoptione, promissa rectè credentibus. Et post hæc adiecit & in annotationibus scripsit: Domine Christe, adiuua nos Deus. Et iterum: Hæc scripsi mea manu ad satisfactionẽ vestræ potestatis, & vt confundantur calumniam facientes nostræ bonę & simplici in Christo conuersationi.

2. Pet. 3.

Rom. 1.

EPISTOLA LEONIS ARCHIEPISCOPI Romæ, ad Eutychem Constantinopolitanum abbatem.

Dilectissimo filio Eutycheti presbytero Leo Episcopus. Ad notitiam nostram tuæ dilectionis literis, &c. *Quære reliqua epistola sexta in epistolis Leonis Papæ.*

EPISTOLA PETRI RAVENNATIS Episcopi ad Eutychem abbatem.

*Dilectissimo & *meritò honorabili filio Eutycheti presbytero, Petrus Episcopus Rauennæ.* Tristis legi tristes literas tuas, & scripta mœsta mœrore debito percurri: quia sicut nos pax Ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis, gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit & deijcit fraterna dissensio, præsertim cùm talibus oriatur ex causis, Triginta annis humanæ leges humanas adimunt quæstiones: & Christi generatio, quæ diuina lege scribitur inenarrabilis, post tot secula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Iesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur: & sacerdotes, quis sit qui virginali partu de Spiritu sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt? Cùm vagitus daret Iesus in cunis, Gloria in excelsis Deo, clamat cœlestis exercitus: & modò, quando in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & infernorum, originis eius quæstio commouetur? Nos frater charissime vnà cum Apostolo dicimus: *Et si nouimus Iesum secundùm carnem, sed nunc tam non nouimus.* Nec possumus *curiosè perscrutari, qui iubemur honorem dare & timorem reddere, expectare, non discutere quem iudicem confitemur. Hæc breuiter respondi, frater literis tuis, plura rescripturus, si ad me frater & coepiscopus noster Flauianus aliqua de hac causa scripta misisset. Si enim tibi displiceat, quoniam scripsisti electum iudicium, nos quomodo de his iudicare poterimus, quos neque vidimus propter absentiam, & quid intellexerunt, eorum taciturnitate nescimus? Iustus mediator non est, qui sic vnam partem audit, vt nihil alteri parti reseruet. In omnibus autem hortamur te frater honorabilis, vt his quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria sede & viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ ciuitatis Episcopi, causas audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conseruare dignetur, charissime & honoratissime fili.

Hic est Petrus ille propter diuinam eloquentiã Chrysologus dictus, & propter sanctitatẽ diuorum numero asscriptus. *honore digno filio Esa. 53. Matt. 2.

Luc. 2.

Phil. 2.

2. Cor. 5. iniuriosè

Authoritas summi Pontificis vrbis Ro.

EPISTOLA LEONIS PAPÆ AD FLAuianum Constantinop. archiepiscopum, in qua quærit, cur Eutyches à communione Ecclesiæ fuerit separatus.

Dilectissimo fratri Flauiano, Leo Episcopus. Cùm Christianissimus & clementissimus Imperator sancta & laudabili fide, &c. *Quære reliqua in epistolis Leonis Papæ, epist. 8.*

EPISTOLA FLAVIANI ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani, siue rescriptum ad Leonem Papam vrbis Romæ.

Domino beatissimo & Deo amabili patri Leoni, Flauianus in Deo æternam salutem. Nulla res Diaboli venena compescit, &c. *Quære reliqua in epistolis Leonis Papæ, in epistola quæ epistolam 6. sequitur.*

EPISTOLA SANCTISSIMI ARCHIEPIscopi Romæ Leonis ad Faustum presbyterum.

Dilectissimo Fausto presbytero Leo Episcopus. Gratum semper est mihi, tuam alloqui charitatem, & affectum, &c. *vt supra inter epistolas Leonis. epist. 98.*

EPISTOLA EIVSDEM SYNODICA ad Flauianum Constantinopolitanum Archiepiscopum.

OMnem quidem fraternitatem, &c.
Hæc epistola, quæ in numero proœmialium epistolarum septima habenda est, hoc loco intermittitur. Est enim in epistolis Leonis Papæ, epist. 61. supra tomo 1 excusa.

EPISTOLA LEONIS PAPÆ AD IVLIANUM Episcopum Coensem.

Dilectissimo fratri Iuliano. Licèt per eos, quos ab vrbe pro fidei causa direximus, &c. *Quære reliqua in epistolis Leonis Papæ, epist. 11.*

EPISTOLA FLAVIANI ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani, ad Leonem Papam vrbis senioris Romæ.

Sanctissimo & beatissimo patri & consacerdoti Leoni, Flauianus in Domino salutem. Pietate & recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius sacerdotibus, sicut nostri Deo amatissimi. Omnis enim nostra spes atque salus, & retributio promissorum bonorum in his est. Propterea omnia facienda à nobis sunt, & laborandum pro vera fide, & expositionibus dogmatibusque sanctorum patrum, quatenus per omnia & inter omnes concussiones rerum integra hæc & inuiolata saluentur atque custodiantur. Necessarium itaque fuit nunc, etiam nos videntes lædi orthodoxam fidem, & renouari Apollinaris & Valentini hæreses ab Eutyche monacho, non hoc dispicere, sed in aperto hoc pro cautela populi reuelare. Iste enim Eutyches absconditum in se languorem malæ sectæ retinens, insiliens nostræ mansuetudini, inuerecundè & impudenter in multos impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens ante inhumanationem quidem Saluatoris nostri Iesu Christi duas naturas esse diuinitatis & humanitatis, post vnitatem verò, vnam naturam factam, neque sciens quod dicit, neque de quibus affirmat. Neque enim vnitas conuenientium in Christo duarum naturarum sic vt vna re proprietates suas in vnitate confudit, sed manèt in vnitate perfectę naturarum proprietates. Adiecit autem & aliam impietatem, dicens corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ consperſionis, sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici eius secundùm carnem. Et hæc aiebat, cùm in gestis Ephesi habitis & sancto & vniuersali concilio, in epistola scripta ad impium damnatumque Nestorium, apertè sic habeatur: Quia diuersę quidem ad vnitatem veram concurrêre naturæ, vnus autem ex ambobus Christus Dei filius, non tamquam naturarum differentia sit perempta propter vnitatem, sed potiùs effecerit nobis vnum Dominũ Iesum Christum, diuinitatis & humanitatis per ineffabilem & in intelligibilem ad vnitatem concursionem. Et hoc non latet tuam sanctitatem, dum omninò legerit gesta, quæ Ephesi sunt confecta. Quæ pro nihilo ponens idem Eutyches, arbitratur non se daturum pœnam præfinitam à sancto illo & vniuersali concilio, quoniam per hæc multi simpliciores ex eius eloquijs in fidei sermone lædentur. Accusatum verò eum à reuerendissimo Eusebio, & occurrentem in sanctum Concilium, & voce sua sectã propriam *retegentem, alienumq; existentem à recta fide, damnauimus, sicut docebunt vestram sanctitatem omnia, quæ supra eo sunt gesta, quæq; direximus cum nostris his literis. Iustum autem est, & hoc vobis (sicut arbitror) intimari, quia idem Eutyches passus iustam canonicam damnationem, cùm debuisset secundis saluare priora, & per pœnitentiam perfectam multasque lachrymas placare Deum, nostrumque cor vehementer contristatum in eius ruina, per veram sanare pœnitentiam: non solùm hoc non fecit, sed etiam per omnia conturbare sanctam, quæ apud nos est, Ecclesiam festinauit, propositiones iniuriarum publicè ponens, & maledictionib. plenas, super hæc & preces offerens pissimo & Christi amantissimo nostro Imperatori, & eadem arrogãtia & petulantia plenas, per omnia diuinas regulas conculcare conatus est. Sed his ita gestis, literæ nobis datæ sunt vestræ sanctitatis per admirabilem comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate, dicens, Iudicij tempore libellos se dedisse appellationis & nobis & hic conuenienti sancto concilio, & appellasse vestram sanctitatem, quod nequaquam ab eodem factum est. Sed etiam & in hac parte mentitus est, tanquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque sanctissime pater in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea quæ in nos & sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atq; fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundùm quod sacerdotiò competit: propriamque faciens communem causam, & sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersus eum regulariter factam, & per propria scripta dignare, confortare autem & pissimi & Christo dedissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodò vestro solatio atq; defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eum factæ sunt, facilimè destruentur, Deo cooperante per vestras sacratissimas literas. Remouebitur autem & concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.* Omnium quæ vobiscum est, fraternitatem ego, & qui mecum sunt, salutamus. Incolumis in Domino, & orans pro vobis, doneris Ecclesiæ & nobis, religiosissime & sanctissime pater.

Prima Eutychetis impietas.

Secunda Eutychetis impietas.

*detegentem

*retexentem

Ephesina s. prophanura.

*Omnem

EPISTOLA LEONIS PAPÆ I. AD FAVstum, Martianum & reliquos archimandritas Constantinopolitanos.

Dilectissimis filijs Fausto & Martiano & reliquis archimandritis, Leo Episcopus. Cùm propter causam fidei, quam Eutyches perturbare tentauit, de latere meo mitterem, &c. *extat supra inter epist. Leonis, ordine XIV.*

EPISTOLA EIVSDEM AD IMPERAtorem Theodosium.

Glorioſissimo & clementissimo Theodosio Augusto, Leo Episcopus. Quantum rebus humanis consulere prouidentia diuina dignetur &c. *Quære reliqua in epistola Leonis Papæ, epist. 12.*

EPISTOLA EIVSDEM, AD PVLCHEriam Augustam.

QVantum sibi fiduciæ de fide vestræ clementiæ, &c. *Quærantur reliqua in epist. Leonis Papæ, epist. 18.*

EPISTOLA EIVSDEM AD EPHESINAM synodum secundam, in qua prouocat congregatos Episcopos Eutychetis blasphemias condemnare.

Et hæc quidem epistola licèt sit missa, est tamen occultata, nec concessum vt publicaretur Episcopis.

Leo Episcopus sanctæ synodo quæ apud Ephesum conuenit. Religiosa clementissimi principis fides, sciés ad suam gloriam &c. *Quærantur reliqua in epistolis Leonis Papæ epist. 15.*

EPISTOLA EIVSDEM AD THEOdosium Augustum, qua rogat illum, speciale concilium in Italia fieri, & in nullo alio loco, eò quòd contraria canonibus facta sit synodus Ephesina, & in ea acta, iudicantur illegitima nec ritè facta.

Glorioſissimo & clementissimo Theodosio Augusto, Leo Episcopus. Olim & ab initio in concilijs celebratis tantam nos percepimus à B. Petro Apostolorum principe fiduciam, &c. *vt supra inter epist. Leon. Pap. I. ord. XXIV.*

EPISTOLA EIVSDEM, AD THEODOsium Augustum, in qua culpat secundam Ephesinam synodum.

Glorioſissimo & clementissimo Theodosio Augusto, Leo Episcopus, & sancta synodus, quæ in vrbe Roma conuenit. Literis clementiæ vestræ, quas dudum ad B. Petri Apostoli sedem &c. *Quærantur reliqua in epistolis Leonis Papæ, epist. 26.*

EPISTOLA EIVSDEM, ET SANCTI Concilij, quod Romæ collectum erat, ad Pulcheriam Augustam.

Glorioſiſſimæ & clementiſſimæ filiæ Pulcheriæ Auguſtæ, Leo Epiſcopus, & ſanctum Concilium Romæ collectum. Si epiſtolæ quæ pro fidei cauſa per noſtros clericos directę ſunt, &c. *Quærantur reliqua in epiſtolis Leonis Papæ, epiſtola 26.*

EPISTOLA HILARII DIACONI ROMANI ad Pulcheriam Auguſtam.

Glorioſiſſimæ atque pijſſimæ Auguſtæ, Hilarius diaconus. Studiũ mihi fuiſſe, poſt ſynodum aduenire Conſtãtinopolim, dicere non debeo: quoniam manifeſta neceſſitas erat, quæ me literas beatiſſimi Papæ ad veſtram clemẽtiam directas offerre compelleret, vt pariter & veſtræ pietati, ac inuictiſſimo & Chriſtianiſſimo principi officium, quod debebam, venerationis exoluerem. Sed huic congruo meo propoſito illud impedimentum euenit, quod omnium bonorum inimicum eſt, & Chriſtianorum ingemiſcit affectus, hoc eſt, Alexandrinus Epiſcopus, in damnatione virorum inculpabilium potentiſſimus. Nam poſtea quàm iniuſtæ eius voluntati atque ſententiæ excommunicare non potuit, ad aliud concilium terroribus atque inſidijs me euocare conatus eſt: quatenus me (quod abſit) aut ſeductionibus faceret conſentire ad condemnandum ſanctiſſimum Flauianum Epiſcopum, aut reſiſtẽtem teneret, vt mihi non eſſet licentia ad pietatem veſtram Conſtantinopolim percurrere, aut ad Romanam Eccleſiam remeare. Veruntamen confidens de auxilio Chriſti, quòd attinet ad damnationem reuerendiſſimi & ſanctiſſimi viri, innocentem me integrumq; ſeruaui, licèt nuulla flagella, nulla tormenta me poſſent facere eius conſentire ſententiæ, ſed omnibus derelictis, exinde diſceſſi, per incognita & inuia loca Romam veniens, vt reuerendiſſimo Papæ, omnium quæ in Epheſo geſta ſunt, idoneus nunciator exiſterem. Veſtra itaque veneranda clementia cognoſcat, à præfato Papa cum omni Occidentali concilio reprobari omnia, quæ in Epheſo contra canones per tumultus & odia ſecularia à Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt, & nulla ratione hæc in his partibus ſuſcipi poſſe, quę per potentiam prædicti, non ſine læſione fidei & prejudicio ſanctiſſimi viri innoxijque, commiſſa ſunt. Quæ verò conſtanti ac forti authoritate pro fide à me nũciata ſunt, ſuperfluum credo narrare. Nam hæc ex literis beatiſſimi Papæ poteritis agnoſcere. Vnde domina ſplendidiſſima atque clementiſſima Auguſta, adoranda veſtra pietas, in quibus libenter fecit initium, relinquere non debet, ſed hæc zelo religioſo fidei, cõſtanti voluntate ſeruare.

EPISTOLA GALLÆ PLACIDIÆ AD PVLcheriam Auguſtam, qua acta concilij Epheſini ſecundi deteſtantur & petuntur annullari.

Galla Placidia pijſſima ſemper Auguſta, Aeliæ Pulcheriæ pijſſimæ ſemper Auguſtæ filiæ. Vt Romam frequẽtibus concurſionibus adæquè deſideramus inſpicere, cauſa nobis eſt amplectẽdæ religionis, vt terminis ſanctorũ noſtram exhiberemus præſentiam, quos certum eſt, pro ſua virtute in cœleſtib. conſtitutos, neq; inferiora deſpicere. Nos itaq; ſacrilegũ eſſe credimus, ſi ſolennium ordinem denegemus. Cùm igitur beato Apoſtolo Petro noſtram præſentiam dediſſemus, illic multitudine ſacerdotũ reuerendiſſimus Leo Papa circundatus, pro dignitate ſui loci nos primus adijt, qui propter interpoſitam gemitus ſui triſtitiam, deſiderium plenè ſuum verbis inſinuare non poterat. Vicit tamen conſtãtia ſapientiæ ſacerdotis, vt lachrymas paululum retineret, & cauſam violatæ fidei, tanquam huius vindex, manifeſto ſermone proferret. In quo ſermone cognouimus, noſtris temporibus catholicam fidem eſſe turbatam, quam à diuo patre noſtro Conſtãtino noſtri generis parentes hactenus ſeruauerunt. Secundùm voluntatem namq; eiuſdem, prauum aliquid aduerſus ſacerdotem Conſtantinopolitanum excitatum dicitur. Nos itaq; in Epheſino cõcilio, in quo nullus ordinem ſacerdotũ cuſtodiuit, neque menſuram, ſine conſideratione diuinitatis omnia eſſe geſta cognouimus, quatenus præſumptio & iniuſtitia in quorũdam damnationem vim obtinere dicatur, quæ noſtris temporibus terribilia eſſe videntur. Debet itaq; fides propriè valere ſanctiſſima atq; venerabilis filia Auguſta. Igitur tua clementia ſecundùm catholicam fidem, quod ſemper nobiſcum fecit, & nunc ſimiliter conſpirare dignetur: vt quicquid in illo tumultuoſo miſerrimoq; concilio cõſtitutum eſt, omni virtute remoueatur, vt omnibus integris permanentibus, ad Apoſtolicæ ſedis, in qua primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam claues regni cœleſtis ſuſcipiens, ſacerdotij principatum tenuit, epiſcopatus cauſa mittatur. Debemus enim primatum in omnibus immortali conuerſationi tribuere, quæ totum mũdum propriæ virtutis dominatione compleuit, & noſtro imperio orbem gubernandum ſeruandumq; commiſit.

SACRÆ LITERÆ TAM A DOMINO NOſtro Valentiniano, quàm à diuæ memoriæ Placidia, necnon & Eudoxia Auguſtis, ad Theodoſium diuæ memoriæ, vt iuberet in partibus Italiæ concilium celebrari, in qua quoque Romani Pontificis authoritas commendatur.

Domino meo Theodoſio, glorioſiſſimo victori & triumphatori perpetuo Imperatori & Patri, Valentinianus glorioſus victor ac triumphator ſemper Auguſtus & filius. Cùm adueniſſem in vrbem Romam ad diuinitatem placandam, ſequenti die ad baſilicam Apoſtoli Petri proceſſi, & illic poſt venerabilem noctem diei Apoſtoli, & à Romano Epiſcopo & ab alijs cum eo ex diuerſis prouincijs cõgregatis, rogatus ſum ſcribere veſtræ manſuetudini de fide, quæ cùm ſit conſeruatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata, quam nos à noſtris Maioribus traditam, debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apoſtolo Petro intemeratam & in noſtris temporibus conſeruare: quatenus beatiſſimus Romanæ ciuitatis Epiſcopus, cui principatũ ſacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & ſacerdotibus iudicare, Domine ſanctiſſime pater & venerabilis Imperator. Hac enim gratia ſecundũ ſolennitatem Conciliorum & Conſtantinopolitanus Epiſcopus eum per libellos appellauit, propter contentionem, quæ orta eſt de fide. Huic itaque poſtulanti & coniuranti ſalutem noſtram communem, annuere non negaui, quatenus ad tuam manſuetudinem meam petitionem ingererem, vt prædictus ſacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis ſacerdotibus, intra Italiam, omni præiudicio ſubmoto, à principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſolicita probatione cognoſcens, ſententiam ferat, quam fides & ratio veræ diuinitatis expoſtulat. Non debet enim noſtris temporibus contra religionem turbarum petulantia prevalere, dum incommota fides hactenus fuerit conſeruata. Ad perfectiorem verò agnitionem veſtræ dignitatis, direximus etiam geſta, per quæ & deſideria & exclamationes omnium pietas veſtra cognoſcat.

EPISTOLA GALLÆ PLACIDIÆ AVGVSTÆ ad Theodoſium Imperat. filium illius, data in fauorem Rom. Pontificis, & Flauiani Conſtantinopolitani.

Domino victori Theodoſio triumphatori, ſemper Auguſto filio, Galla Placidia pijſſima & perpetua Auguſta mater. Dum in ipſo ingreſſu ciuitatis antiquæ hanc curam habuiſſemus, vt cultum beato Petro Apoſtolo redderemus, in ipſo adorando altari martyris reuerendiſſimus Leo Epiſcopus paululum ſe poſt orationem retinens, propter catholicam fidem apud nos defleuit, ipſum ſimiliter ſummum Apoſtolorum, quem nuper adieramus, teſtem obijciens, Epiſcoporum multitudine circunſeptus, quos ex innumerabilibus ciuitatibus Italiæ, pro principatu proprij loci ſeu dignitate collegit: & verbis permiſcens lachrymas, ad communionem ſui fletus, noſtros quoque gemitus prouocauit. Non modicum detrimentum eſt ex his, quæ geſta ſunt, vt fides quæ tantis temporibus regulariter cuſtodita eſt à ſacratiſſimo patre noſtro Conſtantino, qui primus imperio ſplenduit Chriſtianus, perturbata ſit ad arbitrium vnius hominis, qui in ſynodo Epheſinæ ciuitatis, odium & contentiones potiùs exercuiſſe narratur, militum præſentia & metu impetens Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum Flauianum, eò quòd libellum ad Apoſtolicam ſedem miſerit & ad omnes Epiſcopos harum partiũ, per eos, qui directi fuerunt in concilio à reuerẽdiſſimo Epiſcopo

Romæ, qui secundùm diffinitiones Nicæni Concilij consueti sunt interesse, domine sacratissime fili venerabilis Imperator. Hac itaque gratia, tua mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem immaculatam fidei catholicæ religionis seruari præcipiat, vt secundùm formam & diffinitionem Apostolicæ sedis, quam & nos tanquam præcellentem similiter veneramur in statu sacerdotij illæso manente per omnia Flauiano, ad cõcilij & Apostolicæ Sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes claues dignus fuit accipere, principatum episcopatus ordinauit, quando scilicet decet nos huic maximè ciuitati, quæ domina omnium est ciuitatum tuarum, in omnibus reuerentiam conseruare. Diligentiùs autem etiam in hoc prouidete, ne quod priscis temporibus nostra generatio custodiuit, sub nobis imminui videatur, & per præsens exemplum schismata generentur inter Episcopos ac sanctas Ecclesias.

EPISTOLA LICINIÆ EVDOXIÆ AVgustæ ad Theodosium, de Ecclesiæ turbatione, ac Flauiani Constantinopolitani depositione.

DOmino Theodosio inclyto semper Augusto & patri, Licinia Eudoxia pijssima & perpetua Augusta. Omnibus notum est, tuam mãsuetudinem curam atq; solicitudinem habere Christianorum & catholicæ fidei in tantùm, vt iuberetis ad iniuriã eius nihil omninò faciendum. Cùm igitur feliciter Romam fuissemus ingressi, & in liminibus basilicæ sanctissimi Petri venissemus, Leo beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, etiam cum alijs plurimis Episcopis postulationem nobis obtulit, dicens omne dogma religionis per Orientem fuisse turbatum, & accidisse, quatenus tota Christianorum fides ad confusionem omnem perduceretur. Nam Flauianum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, propter inimicitias Alexandrini Episcopi ingemiscebat expulsum, & hoc cum alijs Episcopis postulauit, protestans & ipsorum venerabilium locorum cultum, & mansuetudinis nostræ salutem, quatenus ad tuam clementiam ex hac causa eas literas destinarem, domine sanctissime pater & adorabilis Imperator. Salutans igitur iusta posco, quatenus his literis curam vestra tranquillitas præbere dignetur, & quæ malè gesta sunt, emendari præcipiat, donec omnib. quæ etiam diffinita sunt, reuocatis ex integro, causa fidei & Christianæ religionis, quæ mota est, in partibus Italiæ congregato concilio, perquiratur. Scriptum est enim, hinc omnem contentionem motam, quatenus Flauianus Episcopus ex Ecclesiasticis rebus potuisset auferri.

EPISTOLA THEODOSII IMPERATORIS ad Valentinianum Imperat.

In qua, licèt iniustè atque indebitè, commendantur, & Ephesina synodus secunda prophana, & Flauiani archiepiscopi Constantinopol. depositio.

DOmino meo Valentiniano Augusto Theodosius. Et Romam peruenisse tuam mansuetudinem, & petitionẽ oblatam à Leone reuerendissimo patriarcha, in ipso principio literarũ ex tua maiestate significatum est. Et de tua quidem incolumi in Romanam vrbem reuersione gratias competentes diuinæ maiestati reddimus, domine sanctissime fili & venerabilis Imperator. De his autem quæ dixit memoratus reuerendissimus vir, indicatum est ad eundem latius atque plenius, (sicut arbitrati sumus) & cognouit nos in nulla parte à paterna religione & Maiorũ traditione resilijsse. Nihil aliud volumus, quàm sacramenta paterna per successionem nobis tradita, inuiolabiliter custodire. Propter hanc igitur causam, quoniam quosdam cognouimus sanctissimas Ecclesias nobili nouitate turbare, synodum decreuimus Ephesi fieri. In præsentia quippe reuerendissimorum Episcoporum, cum multa libertate & integra veritate, & indigni sacerdotio remoti sunt, & qui iudicati sunt esse digni, suscepti sunt. Nihil igitur ab his cõtrarium regulæ fidei aut iustitiæ factum esse cognouimus. Omnis igitur contentio sacro iudicio examinata est. Flauianus autem, qui reus inuentus est læsibilis nouitatis, debitum recepit. Et hoc remoto, omnis pax & omnis concordia regnat in Ecclesijs, & nihil aliud quàm veritas viget.

EPISTOLA EIVSDEM AD GALLAM Placidiam Augustam.

Eadem scribens vel tractans, quæ & prior.

DOminæ meæ Placidiæ venerabili Augustæ Theodosius. Ex literis tuæ mansuetudinis nostra cognouit serenitas, quid reuerendissimus patriarcha Leo à tua serenitate popposcerit. His itaque literis indicamus, quoniam de his, quæ dicta à reuerendissimo Episcopo, plenius atque apertius sæpius scriptũ est: ex quibus sine dubitatione manifestum est, nihil nos præter paternam fidem aut dogmata diuina vel diffinitiones reuerendissimorum Episcoporum, qui tam sub diuæ memoriæ Constãtino in Nicea ciuitate, quam dudum nostro præcepto in Epheso congregati sunt, definisse, aut decreuisse, aut intellexisse: sed hoc solum in Epheso constitui iussimus, vt omnes qui nocibili læsione Ecclesias sanctas turbauerunt, dignè remouerentur. Hæc sunt, quæ non ad refragationem, sed ad concordiam & pacis vinculum adorandæ religionis à reuerendissimis presbyteris sunt decreta. Flauianus autem princeps contentionis huius, sacra sententia ab Ecclesiasticis rebus expulsus est. Hæc igitur sciens tua mansuetudo, domina sacratissima mater & venerabilis Augusta, nihil nos aliquando contrarium à tradita fide sentire (sicut à quibusdam dicitur) suspicemini, aut cogitetis.

EPISTOLA EIVSDEM AD EVdoxiam Augustam.

Eiusdem tenoris est, cuius duæ priores.

DOminæ meæ Eudoxiæ venerabili Augustæ Theodosius. Semper equidem tui desiderij literis delectamur, ac tota animę suauitate complectimur, & omnibus tuis petitionibus consueuimus gratanter annuere, domina sacratissima filia venerabilis Augusta: sed de præsenti causa, hoc est, de Flauiano, qui fuit Episcopus, quæ in hac causa subsecuta sint, reuerendissimo archiepiscopo Leoni perfectè nostra mansuetudo significauit. Tuæ verò dulcedini hoc solum approbauimus intimãdum, quia memoratus Flauianus sacro iudicio ab Ecclesiasticis rebus ablatus est, quatenus totius dubietatis contentio à sacris remoueretur Ecclesijs, & nihil vlterius post hæc definire possibile est, cùm iam ista semel decisa sint.

EPISTOLA LEONIS PAPÆ ET ROmani Concilij, ad clericos & honorabiles, & omnem populum Constantinopolitanum.

LEo Episcopus & sancta synodus, quæ in vrbe Roma conuenit, clero, honoratis, & plebi consistenti apud Constantinopolim dilectissimis filijs, in Domino salutem. In notitiã nostram &c. *Quærantur reliqua in epistolis Leonis Papæ, epistola 22.*

EPISTOLA EIVSDEM ET ROMANI Concilij ad archimandritas Constantinopoleos.

LEo Episcopus & sancta synodus, quæ in Romana ciuitate collecta est, Fausto, Martino, Petro, Magno & Aeliæ, presbyteris & archimandritis monasteriorum Constantinopolitanorum dilectissimis filijs in Domino salutem. Quamuis ea, quæ ad Constantinopolinam Ecclesiam &c. *Quærantur reliqua in epistolis Leonis Papæ, epistola 28.*

EPISTOLA VALENTINIANI ET MARtiani ad archiepiscopum Romæ Leonem, & est inuitatoria pro Chalcedonensis concilij celebratione ad bonum fidei & pacis.

VIctores Valentinianus & Martianus, glorioſi triumphatores semper Augusti, Leoni reuerendissimo archiepiscopo gloriosæ ciuitatis Romæ. Ad hoc maximum imperium venimus Dei prouidentia & electione senatus excellentissimi, cunctæque militiæ. Vnde pro reuerenda & catholica religione * Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam sanctitatem principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem, sacris literis in principio iustum credimus alloquendum, inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate &

* Christianorum, cuius

statu nostri imperij, æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur, vt & tale propositum atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato per celebrandam synodum te authore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei catholicæ fiat, ab omni scelere pura & intemerata consistens. Actum Constantinopoli, consulatu domini Valentiniani perpetui Augusti.

EPISTOLA PIISSIMI IMPERAT. MARTIANI ad archiepiscopum Romæ Leonem, qua excitat illum, vt deliberet de concilio futuro, & de conuenienti loco.

Leoni reuerendissimo Episcopo Ecclesiæ gloriosissimæ ciuitatis Romæ, Martianus. De studio & oratione nostra, sanctitas tua non dubitat: quoniam veram Christianorum religionem & Apostolicam fidem firmam volumus permanere, & ab omni populo pia mente seruari. Denique solicitudinem nostræ potentiæ, ex recta religione & propiciatione Saluatoris nostri consistere, non ambigimus. Quapropter reuerendissimos viros, quos ad nostram pietatem sanctitas tua direxit, libenter & sicut decebat, animo grato suscepimus. Superest, vt si placuerit tuæ beatitudini in has partes aduenire, & synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: nostris vtiquè desiderijs vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni quæ vtilia sunt, decernet. Si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias: hoc ipsum nobis proprijs literis tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Oriẽtem & in ipsam Thraciam & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, vt ad quendam diffinitum locum, vbi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum religioni atq; catholicæ fidei prosint, sicut sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas diffiniuerit, sua dispositione declarent.

Missæ sunt etiam diuinæ syllabæ à diuæ memoriæ Pulcheria ad eundem virum sanctissimum, nunciantes Deo amicissimum archiepiscopum Constantinopolitanum Anatolium, omni errore sepolito, epistolæ nuper missæ ad sanctę memoriæ Flauianum, absq; vlla mora subscripsisse, & sustinere iam, vt quædam synodus fieret in partibus Orientis: corpus verò eiusdem sanctæ memoriæ Flauiani, Constantinopoli m fuisse perductum, vt in Basilica Apostolorum sepeliretur. Episcopi etiam qui vnanimes erant sanctæ memoriæ Flauiano, & ad exilium fuerant destinati, & hos reuocandos fore, vt ad recipiendas Ecclesias suas, synodi sententiam sustinerent.

EPISTOLA PVLCHERIÆ AVGVSTÆ AD sanctissimum Archiepiscopum Romæ Leonem, qua Anatolij Episcopi probitas commendatur, & admonet fieri concilium maturum ac catholicum: & sepultura corporis S. Episcopi Flauiani, condecens facta significatur.

Leoni reuerendissimo Episcopo Ecclesiæ gloriosæ ciuitatis Romæ, Pulcheria Augusta. Literas tuæ beatitudinis cum omni decenti omnem Episcopum veneratione suscepimus, per quas tuam fidem puram & talem cognouimus, qualis debet cum sanctitate sacro præberi templo. Ego verò similiter ac meus dominus tranquillissimus Imperator meus cõiunx, in eadem semper & mansimus & manemus, omnem prauitatem atque pollutionem & maleficium declinantes. Sanctissimus igitur glorioſi Constãtinopolis Episcopus Anatolius, in eadem fide permansit atq; religione, & tuarum literarum Apostolicam confessionem complectitur, illo errore sublato, qui ab aliquibus nunc ortus est, sicut ex eius quoq; literis clarius tua sanctitas agnoscere poterit. Et epistolæ similiter catholicæ fidei, quam ad sanctæ memorię Flauianum Episcopum tua beatitudo direxit, sine aliqua dilatione subscripsit. Et propterea tua reuerentia quocunq; modo * prospexerit, significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ atque Illyrici (sicut etiam nostro domino pijssimo Imperatori meo coniungi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalib. partibus valeant conuenire, & illic facto concilio, & de catholica cõfessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te authore decernãt. Super hæc autem sciat tua sanctitas, quoniam præcepto nostri domini & tranquillissimi principis mei coniugis, in glorios. ciuitate Constantinopoli sanctæ memoriæ Episcopi Flauiani corpus allatum est, & in basilica Apostolorum, in qua cõsueuerunt præcessores Episcopi sepeliri, cõpetenter est positum. Et hos similiter Episcopos, qui propter eandem causam, quoniam cum sanctissimo Flauiano ad concordiam fidei catholicæ concurrerant, exilio deportati sunt, reuerti debere, robore pragmatici sui præcepit, quatenus per approbationem synodi atque sententiam omnium Episcoporum conuenientium, Episcopatum & Ecclesias proprias recipere decernantur.

* perspexerit.

SACRÆ LITERÆ MISSÆ A VALENTINIANO & Martiano vbiquè ad religiosos Episcopos, quatenus omnes in Nicæam conuenirent.

Imperatores Cæsares Valentinianus & Martianus, victores & Triumphatores maximi, semper Augusti, ad omnes vbique reuerendissimos Episcopos. Omnia ad veram fidem & Christianam orthodoxam religionem tendentia, præponenda alijs rebus existimamus. Deo enim propicio existente, & nostrum imperium & communes causas meliores fore confidimus. Quia igitur dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ sunt, sicut indicant & literæ sanctissimi Archiepiscopi felicissimæ Romæ Leonis, placuit nobis propriè, sanctum concilium fieri in Nicea Bithyniæ ciuitate: quatenus cunctis concordãtibus, veritate examinata, & vacante omnium studio, quo quidam iam abusi, religionem turbauerunt orthodoxam, vera ac saluberrima fides sic omni mundo manifestetur, vt decæterò omnis quæstio & dubitatio auferatur. Vnde tua sanctitas cum quantis approbauerit reuerẽdissimis Episcopis sub suo sacerdotio constitutis sanctarum Ecclesiarum, expertas habentibus diuinas scripturas, & in scientia & doctrina orthodoxæ & veræ fidei præ cunctis eminentibus, ad memoratam Nicænam ciuitatem proximis Calend. Septemb. aduenire festinet. Quisquis enim generalem & omni mundo vtilem futuram synodum refutauerit, peccet equidem & circa diuinitatem ipsam, & pietatem nostram offendat. Agnoscat autem & tua sanctitas, quoniam nostra pietas aderit in ipso concilio, nisi quædam publicæ & ineuitabiles curæ nos in expeditione fecerint occupari.

SIMILITER ALIÆ SACRÆ LITERÆ EOrundem pijssimorum Imperatorum ad Anatolium Episcopum Constantinop.

Victores Valentinianus & Martianus inclyti triumphatores, Imperatores semper Augusti, Anatolio Episcopo Constantinopolitano. Omnibus negocijs diuinæ res præponendę sunt, Deo enim omnipotente propicio, Remp. conseruandam & meliorandam esse confidimus. Quia igitur dubitationes quædam in orthodoxa religione nostra videntur esse commissæ, sicut etiam Epistolæ viri reuerẽdissimi Episcopi almæ vrbis Romæ Leonis testantur, id specialiter clementiæ nostræ placuit, vt venerabilis Synodus in Nicæna ciuitate prouinciæ Bithyniæ celebretur, quatenus conuenientibus animis & omni veritate discussa, cessantibus etiam studijs, quibus antehac vsi quidam, sacrosanctam orthodoxam religionem conturbasse noscuntur, vera fides nostra cuncto seculo manifestius innotescat, vt deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia. Qua de re sanctitas tua cum quibus placuerit reuerendissimis Episcopis, quos de Ecclesijs sub sui sacerdotij cura constitutis idoneos & instructos orthodoxæ religionis esse probauerit, ad prædictam Niceam ciuitatem intra die Kalend. Septembr. ire deproperet. Sciat autem religio tua etiam serenitatẽ nostram venerabili synodo interfuturam, nisi fortè publicæ necessitates in expeditionib. detinuerint. Diuinitas te seruet per multos annos sancte ac venerabilis pater. Dat. x. Kalen. Iun. Constantinopoli, consulatu domini Martiani perpetui Augusti primo, & qui fuerit nunciatus.

SACRAE LITERAE MISSAE AD SYNOdum in Nicæa à Valentiniano & Martiano Imperatoribus.

STudij nostri est, congruenter decerni ea, quæ sanctæ & orthodoxę religionis existũt, quatenus omnis ambiguitas perimatur, & decẽs pax sanctissimis & catholicis reddatur Ecclesijs.

Nicæna synodus tẽpore Leonis Papæ.

clesijs. Hoc enim omnibus rebus præmonendum exaſtimamus. Quia igitur voluimus intereſſe ſancto Concilio, retinēt verò nos publicæ & neceſſariæ vtilitates in expeditione: dignetur veſtra religio non arbitrari graue, noſtræ tranquillitatis abſentiam ſuſtinere: ſed orare, quatenus ea quæ inter manus habemus, Deo auxiliante benè diſponentes, illuc venire poſſimus, vt noſtra pietate præſente decernantur, quæ omnem diſcordiam quæſtionemque ſubmoueant, & confirment veram & venerandam orthodoxorum fidem.

SACRÆ LITERÆ MISSÆ A PIISSIMA ET Chriſtianiſſima Auguſta Pulcheria ad conſularem Bithyniæ Strategum, vt curam haberet circa diſciplinam ſynodi perhibendam, antequam placuiſſet de Nicæa ad Chalcedonem mutari Concilium.

INtentio noſtræ trāquillitatis eſt, antè ciuiles cauſas, ſanctas Chriſti Eccleſias, eiſq; dicatos, in pace conſiſtere, & orthodoxam fidem, quam continere iudicamus imperium, imperturbatam & immotam ab omni hominum genere cuſtodiri. Vnde dudum praua quadam emergente diſcordia, multam curam habuimus, vt vndique multitudo ſanctorum Epiſcoporum ſimul cōgregaretur in Nicæa, quatenus vniuerſorum concordia, omnis turba de medio tolleretur, & in futuro firma & immobilis fides venerabilis præualeret. Quia ergò ſecundùm noſtram ſanctionem reuerendiſſimi quidē Epiſcopi vniuerſi conuenerunt,* ſuſtinentes poteſtatis noſtræ præſentiam, quæ non poſt multum Deo cooperante aderit: quidam autem, ſicut agnouimus, cùm ſint ſoliti conturbare & confundere Deo placitam diſciplinam, ſuperuenientes in Nicæa clerici ac monachi atque laici, tumultus facere tentant, contendentes abſque his, quæ nobis placuerunt: neceſſariè has pias literas ad tuam direximus claritatem, quatenus cum omni virtute eos, ſi propter noſtram euocationem aut permiſſionem ſuorum Epiſcoporum ibidem commorantur, clericos, ſiue intra hunc ordinem conſtitutos, ſiue alicui eorum à proprijs Epiſcopis ſunt remoti, vel monachos atque laicos, quos nulla ratio ad concilium vocat, omnimodò debeas de ciuitate & ipſis locis expellere, vt cum omni diſciplina conſidēte ſancta ſynodo, ſine aliqua commotione atque contentione, quæ à Domino Chriſto reuelata fuerint, communiter ab omnib. confirmentur. Scito enim, quia ſi quis decæterò inuentus fuerit tumultuoſus ibidem commorari, aut antè præſentiam noſtræ tranquillitatis, aut certè poſt præſentiam, non fortuitum ſibi imminere periculum.

* expectantes.

SACRAE LITERAE MISSAE SANCTO Concilio, quod in Nicæa ſecundò concurrerat, vt deberet Chalcedonem migrare.

VIctores Valentinianus, & Martianus glorioſi ac triumphatores maximi ſemper Auguſti, Deo amabili ſynodo. * Feſtinantes ad ſanctum venire concilium, retinuit nos cauſa publicarū & nimis neceſſariarum rerum. Cognouimus autem ex his, quæ ex veſtra ſanctitate ſcripta ſunt, quoniam plurimi veſtrū propter corporis infirmitatem, aliaſque diuerſas cauſas laborant. Vnde licèt plurimarum publicarum cauſarum nobis ſit hic remorandi neceſſitas, tamen præponendam omnibus curam ſanctæ & orthodoxæ fidei iudicamus. A reuerendiſſimo namque Leone archiepiſcopo felicißimæ vrbis Romæ, reuerendi Epiſcopi & presbyteri venerunt, & popoſcerunt à noſtra tranquillitate, quatenus omnimodò nos adeſſe debeamus ſancto concilio, affirmantes, quoniam non paterentur illi, abſente noſtra pietate, venire. Secundùm petitionem verò veſtræ ſanctitatis, nos ipſi valdè quærentes velociter ſanctiſſimum veſtrum concilium celebrari, feſtinamus ad vos citiùs aduenire. Vnde ſi perſpicit veſtra religio, in Chalcedonēſium ciuitatem venire dignemini: illic enim præcurremus, licèt hic nos publicæ cauſæ retineant: quoniam quę proſint verę & orthodoxæ fidei, & paci & diſciplinæ ſanctarum catholicarum Eccleſiarum, omnibus arbitramur eſſe præponenda, nec dubitamus quin etiam veſtræ ſanctitati hoc placebit. Ne etiam anguſtia ciuitatis ampliùs vos faciat laborare, & abſente noſtra tranquillitate, ſanctum concilium longiùs protrahatur: orare ergò dignemini pro noſtro Imperio, quatenus & hoſtes ſubditi nobis efficiantur, & pax in vniuerſo orbe firmetur, & Romanæ res ſecurè conſiſtant, quod etiam nunc vos facere iudicamus. Deus vos cuſtodiat per multos annos ſanctiſſimi.

* Cùm feſtinaremus ad.

EXEMPLAR SIMILITER IMPERIALIVM literarum, quæ Nicæam miſſæ ſunt ſancto concilio, dum adhuc pijſſimus Imperator in Thracia reſideret, vt deberet indilatè Chalcedonem migrare.

IMperatores Valentinianus & Martianus victores ſemper Auguſti, ſancto concilio quod Nicææ per Dei voluntatem noſtra ſanctione collectum eſt. Dudum quidem & per alias diuinas noſtras literas indicauimus veſtræ religioni, quatenus in Chalcedonenſium ciuitatem veniretis, vt ea quæ de ſancta & orthodoxa fide à ſanctis patribus noſtris ſunt diffinita, confirmaretis, ne diutiùs orthodoxorum multitudo diuerſis modis errando ſeduceretur, ſed vt omnes Dominum noſtrum & Saluatorem Chriſtum (ſicut cōgruit, & ſicut ſanctiſſimi patres noſtri decreuerunt) confiteantur. Nos enim propter feruentiſſimum fidei zelum, publicarum rerum neceſſarias vtilitates in præſenti diſtulimus, multùm deſiderantes ea, quę orthodoxę & veræ ſunt fidei, tranquillitatis noſtræ præſentia confirmari. Nam ea quæ in Illyrico contigerūt, & ad veſtras aures peruenißſe confidimus, quæ licèt Dei voluntate competenti vindicta contigerunt, tamen publicarum rerum vtilitas exigebat ad Illyricum noſtræ tranquillitatis proſectionem. Sed quoniam (ſicut prædictū eſt) nihil orthodoxæ fidei, & vt hæc roboretur, præponēdum eſſe iudicamus, propterea huic quidem expeditioni interim ſuperſedemus. Et nunc propriè veſtram venerationem per has noſtras ſacratiſſimas literas adhortamur, quatenus ſine vlla dilatione accedatis Chalcedonenſium ciuitatem: quoniam Attico diacono regiæ ciuitatis ſanctißimæ & catholicæ Eccleſiæ referente noſtræ tranquillitati, cognouimus veſtram ſanctitatem formidare, ne fortè Eutychetis ſectatores, aut alter aliquis, ſeditiones aut tumultus aliquos præparare pertentent. Qua gratia ſignificamus vobis, vt prędictam cauſam nullatenus formidantes, aduenia-tis in Chalcedonenſium ciuitatem. Speramus enim de Dei clementia, quia præter aliquam turbam atque tumultum, omnibus ſecundùm orthodoxam & veram fidem iuſtè & Deo placitè conſtitutis, vnuſquiſque veſtrūm ad propria ſub celeritate reuertetur. Feſtinate itaque aduenire, & nullam dilationem negocio facere, ne per veſtram ſegnitiem dilationem habeat inuentio veritatis. Nobis enim ſtudium eſt, Diuinitate propicia, proſperum finem accipiente cauſa, velociter iterum ad expeditionem feliciſſimam remeare. Deus vos cuſtodiat per multos annos, ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi patres. Datum 10. Calend. Octobr. Heraclææ.

Finis eorum, quæ ante Chalcedonenſe Concilium geſta ſunt.

CONCILIVM CHALCEDONENSE OECVMENICVM, SEV VNIVERSALE;

SEXCENTORVM TRIGINTA EPISCOPORVM, HABITVM CONTRA OMNES HÆRESES, MAXIME CONTRA EVTYCHEM ET DIOSCORVM,

Valentiniano septies & Auieno viris clarissimis consulibus, æra 488.

SYNODI CHALCEDONENSIS

ACTIO PRIMA.

Anno Domini 451.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, consulatu pijssimi & amatoris Christi Imperatoris Flauij Martiani perpetuò Augusti, & qui fuerit nunciatus, sub die octauo Idus Octob. indictione quarta, in Chalcedonens. ciuitate metropoli prouinciæ Bithyniæ, facta est synodus ex decreto pijssimorum & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani & Martiani, congregatis in Ecclesia sanctæ actriumphatricis martyris Euphemiæ glorioſissimis iudicibus, id est, magnificentissimo & glorioſissimo magistro militum & exconsule ordinario ac patricio Anatolio, & magnificentissimo & glorioſissimo præfecto sacrorum prætoriorum, Palladio, & magnificentissimo & glorioſissimo præfecto vrbis Tatiano, & magnificentissimo & glorioſissimo magistro sacrorum officiorum Vincomalo, & magnificentissimo & glorioſissimo exmagistro Martiali, & magnificentissimo comite deuotissimorum domesticorum Sporatio, & magnificentissimo comite *sacrorum priuatorum Genethlio. Appositis etiam ex glorioso & amplissimo senatu, id est, magnificentissimo & glorioſissimo ex præfecto prætorij sexies, & exconsule ordinario ac patricio Florentio, & magnificentissimo & glorioſissimo exconsule ordinario & patricio Senatore, & magnificentissimo & glorioſissimo exmagistro officiorum, & exconsule ordinario ac patricio Nonio, & magnificentissimo & glorioſissimo expræfecto & exconsule ordinario ac patricio Protogene, & magnificentissimo & glorioſissimo expræfecto Zoilo, & magnificentissimo & glorioſissimo expræfecto vrbis Theodoro, & magnificentissimo & glorioſissimo expræfecto vrbis Apollonio, & magnificentissimo & glorioſissimo expræpositio sacri cubiculi Romano, & magnificentissimo & glorioſissimo expræfecto Illyrici Theodoro, & magnificentissimo & glorioſissimo expræfecto prætoriorum Constantino, & magnificentissimo & glorioſissimo expræpositio sacri cubiculi Artaxerxe, & magnificentissimo & glorioſissimo expræfecto Illyrici Eulogio. Conueniente etiam sancto & vniuersali concilio secundum sacram præceptionem in Chalcedonensi vrbe cõgregato, id est, Paschasino & Lucentio reuerendissimis Episcopis, & Bonifacio religioſissimo presbytero, tenentibus locum sanctissimi & reuerendissimi archiepiscopi almæ vrbis Romæ Leonis: & Anatolio reuerendissimo Episcopo inclytæ vrbis Constantinopolitanæ nouæ Romæ, & Dioscoro reuerendissimo episcopo magnæ Alexandrinæ ciuitatis, & reliquis sanctissimis & religioſissimis episcopis, id est,

*rerũ priuatarum.

Maximo Antiochiæ Syriæ:
Iuuenali Hierosolymæ,
Quintillo Heracleæ Macedoniæ; agente vices Anastasij episcopi Thessalonicensis;
Thalassio Cæsareæ Cappadociæ,
Stephano Ephesi;
Luciano Byziæ, & agente vices Cyriaci episcopi Heracleæ Thraciæ;
Eusebio Ancyræ Galatiæ;
Diogene Cyzici;
Elutherio Chalcedonæ:
Petro Corinthi:
Basilio Seleuciæ metropolis Isauriæ prouinciæ,
Florentio Sardeorum Lydiæ metropolis,
Amphilochio Sidenæ ciuitatis metropolis Pamphyliæ prouinciæ.
Eunomio Nicomediæ metropolitanæ ciuitatis.
Theodoro Tarsẽ ciuitatis metropolis Ciliciæ prouinciæ,
Eusebio & Constantino presbytero, agentibus vicem Anastasij episcopi Nicææ,
Iuliano ciuitatis Coënsis, & ipso agente vicem sedis Apostolicæ priscæ vrbis Romæ Leonis,
Meletio ciuitatis Lariſſenæ sanctæ Ecclesiæ & agente vicem Domini episcopi Apamcæ metropolis Syriæ secundæ,
Cyro Anazarbi ciuitatis metropolis Ciliciæ secundæ,
Constantino Bostrenæ ciuitatis metropolis Arabiæ,
*Photio Tyri ciuitatis metropolis Phœnices maritimæ,
Theodoro Damascenæ ciuitatis Metropolis,
Stephano Hierapolis ciuitatis primæ Syriæ,
*Nomio Edessæ ciuitatis primæ Syriæ,
Simeone Almedenæ ciuitatis Metropolis Mesopotamiæ,
Epiphanio Episcopo & agente vices Olympij episcopi Constantiæ *Mesopotamiæ,
Ioanne Sebastiæ ciuitatis Metropolis primæ Armeniæ,
Seleuco Amasiæ ciuitatis Metropolitanæ,
Constantino Melitenæ ciuitatis Metropolis Armeniæ,
Patricio Tyanæ ciuitatis Metropolis Cappadociæ secundæ,
Petro Gangræ ciuitatis Metropolis Galatiæ secundæ,
Ioanne *Chrysopolis, Apragmonio Tij ciuitatis, agente vices Calogeri Episcopi ciuitatis Metropolis Claudiopolis Ponticæ Honoriadis.
Atarbio Trapezuntis ciuitatis agente vices Theoctisti episcopi Pessinuntis ciuitatis Metropolis Ponti Galatiæ secundæ,
Romano Myreñ ciuitatis Metropolis Lyciæ prouinciæ,
Critoniano Aphrodisiadis ciuitatis Metropolis Cariæ,
Nunechio Laodiceæ ciuitatis Metropolis Phrygię Pacatianæ Trimitariæ,
Marmiano Synnadæ ciuitatis Metropolis Phrygiæ Pacatianæ,
Onesiphoro Iconij ciuitatis Metropolis Lycaoniæ,
Pergamio Antiochiæ ciuit. Metropolis Pisidiæ Phrygiæ salutariæ prouinciæ,
Epiphanio Pergæ ciuitatis Metropolis Pamphyliæ prouinciæ,
Iordano Abilæ Syriæ, Attico Nicopolis ciuitatis Metropolis veteris Epiri,
Martyrio *Gortynæ ciuitatis Cretæ insulæ, Luca Dyrrhachij ciuitatis Metropolis nouæ Epiri,
Francione Philippopolis ciuitatis Metropolis Thraciæ prouinciæ,
Constantino Demetriadis Thessaliæ, agente vices Vigilantij episcopi Lariſſæ ciuitatis Thessaliæ,
Sebastiano *Beroeæ ciuitatis,
Basilio Traianopolis sanctæ Ecclesiæ ciuitatis Metropolis Rhodopæ prouinciæ,
Tryphone Chij insulæ ciuitatis, agente vices Ioannis episcopi Metropolis insulæ Rhodi,
Theoctisto *Berrhoæ ciuitatis Syriæ,

* Nonno

* ciuitatis Metropolis insulæ Cypri, Ioanne.

*Cyropolis.

*Cortyna

* Beroeæ
* Berrhoeę

* Berthoeæ

Eusebio Dorylei ciuitatis Phrygiæ Salutariæ prouinciæ,
Gerontio Seleuciæ ciuitatis Syriæ,
Saba Paltos ciuitatis primæ Syriæ,
Eusebio presbytero, agente vices Macarij episcopi Laodiceæ ciuitatis Syriæ,
Olympio Aratopolis Phœniciæ prouinciæ,
Peto Gabalæ ciuitatis Syriæ,
Sophronio Constantiæ ciuitatis,
Patricio Neocæsareæ ciuitatis Augustæ,
Euphrateſiæ prouinciæ,
Mara Anasarthæ ciuitatis,
Romulo Chalcidis ciuitatis,
Eustathio Beryti ciuitatis Phœnices maritimæ,
Leontio Ascalonæ ciuitatis Palæstinæ,
Aniano Capitoliadis ciuitatis,
Zebenno Pellæ ciuitatis,
Ioanne Tiberiadis ciuitatis,
Antiocho Archelaidis ciuitatis Palæstinæ,
Allæ — Beryllo * Alalæ ciuitatis,
Areta Elusæ ciuitatis Palæstinæ secundæ,
* Sigor Segor Sigartæ — Musonio * Zoaræ Palæstinæ secundæ,
Rufino Bibli ciuitatis Phœnices maritimæ,
Pancratio Libyadis ciuitatis,
Zosimo Minoidis ciuitatis,
Polychronio Antipatridis ciuitatis,
Ioanne Gadaræ ciuitatis Palestinæ secundæ,
Paulo Anthedonis ciuitatis,
Photio Lyddæ ciuitatis,
Heraclio Azoti ciuitatis,
Glycone Cæsareensi per Zosimum Minoideũ,
* Marciano — * Martiano Gerrhæ ciuitatis,
Stephano Iamniæ ciuitatis Palæstinæ,
Epicteto Diocletianopolis ciuitatis,
Romano Eudoxiupolis, id est, Selymbrię ciuitatis Thraciæ prouinciæ,
Theodoro Claudiupolis ciuitatis Isauriæ prouinciæ,
Iuliano Calendiritis ciuitatis Isauriæ,
* Tyranno Germanicopolis ciuitatis Isauriæ,
Ioanne Diocæsareæ ciuitatis,
Acacio Antiochiæ ciuitatis,
Æliano Selenuntis ciuitatis,
Epiphanio Cestriæ ciuitatis,
Gaio Ægæorum ciuitatis,
Ammonio Iotapæ ciuitatis,
Megalo Philadelphiæ ciuitatis,
Marco Arethusæ ciuitatis Syriæ secundæ,
Timotheo Balaneorum ciuitatis Syriæ secundæ,
*Seleucoualle — Eusebio * Seleucobeli ciuitatis,
* Mariamnæ — Eutychiano Epiphaniæ ciuitatis Syriæ secundæ,
* Mariamniæ — Paulo * Mariammæ ciuitatis Syriæ secundæ,
Lampadio Raphaneorum ciuitatis Syriæ secundæ,
Alexandro Sebastæ ciuitatis sanctæ Ecclesiæ Tarsi Ciliciæ,
Philippo Adanæ ciuitatis,
Hypatio Zephyrij ciuitatis,
Theodoro Augustæ ciuitatis,
Chrysippo Malli ciuitatis,
Iuliano * Rhosi ciuitatis,
Polychronio Epiphaniæ ciuitatis Ciliciæ secundæ,
Ioanne Flauiadis ciuitatis Ciliciæ,
* Irenopolis — Indimo * Hirinupolis ciuitatis Ciliciæ secundæ,
Proclo Adranæ ciuitatis,
* Hirmupolis — Sophronio chorepiscopo, agente vices Bassiani * Mopsuestiæ ciuitatis,
* Mopsuestiæ — Leomandito Antiochiæ Ciliciæ vel Isauriæ,
Eulogio Philadelphiæ ciuitatis Metropolis Arabiæ prouinciæ,
Theodosio Cauothæi ciuitatis,
Hormisda Philippopoijs Arabiæ,
Damiano Sidonis ciuitatis,
Theodoro Tripolis ciuitatis Phœniciæ primæ prouinciæ,
Olympio Paneadis ciuitatis,
Paulo Ptolemaidis ciuitatis,
Paulo Aradi ciuitatis,

Thoma Porphyrionis ciuitatis,
Porphyrio Botrorum ciuitatis,
Phosphoro Orthosiadis ciuitatis Syriæ,
Ioseph Heliopolis ciuitatis Phœnices Libani,
Porphyrio Archidiacono agente vices Vranij episcopi Emisæ ciuitatis Phœnices Libani, Mara Vrimorum ciuitatis,
Valerio Laodiceæ ciuitatis Phœnices,
Thoma Euromæ ciuitatis Phœnices,
Rufino Samosatæ ciuitatis,
Ioanne Germaniciæ ciuitatis,
* Euphrate Idis ciuitat. — * Eupho
Thimotheo * Dolichis insulæ ciuit. — * Dolyches
Euoltio Zeugmatis ciuit.
Athanasio Pari insulæ ciuitatis,
Zebenno Martyropolis ciuitatis,
Ioanne Carthæ ciuitatis,
Abraamio * Castricircensis, — for. * Castri Cornelien.
Ioanne Saracenorum gentis,
Noe * Cephacastelli * Insulæ,
Hieraco Asinæ ciuitatis,
Sabino Deli insulæ ciuitatis,
Apollonio Taneæ ciuitatis,
Irone * Teniſſæ ciuitatis, — * Thenæ * Teniæ for. * Cephalenecæ
Athanasio Busiridis ciuitatis Tripolis Ægypti prouinciæ,
Pasmeio Pralai ciuitatis,
Isidoro Sethroiorum ciuitatis,
Theophilo Cleopatridis (quæ & Arsinoe,) ciuitatis,
Theodulo Ticeliæ Pentapolis ciuitatis,
Ianuario Leontos ciuitatis,
Ioanne Pselchis ciuitatis,
Auxonio Sebennitæ ciuitatis,
Eulogio Athribis ciuitatis,
Esaia * Herinupolis minoris ciuitatis, — * Hermopolis
Nestorio Phanagoriæ ciuitatis,
Theophilo Erythræ ciuitatis,
Macario Cabassenæ ciuitatis,
Callinico Apameæ Bithyniæ ciuitatis,
Leuchadio * Thinnientis insulæ ciuitatis, — * Ptiusæ ciuitatis,
Ioanne Polemonij ciuitatis,
Gratidiano Cerassuntis ciuitatis,
Iuliano, * Tabiæ ciuitatis, — for. * Dablis.
Meliphthongo Iuliopolis ciuitatis,
Hypericio Asponensis ciuitatis,
Acacio * Cinos ciuitatis, — *Cynnæ
Euphrasio Laganiæ ciuitatis,
Cecropio Sebastopolis ciuitatis,
Ioanne Nicopolis ciuitatis Armeniæ primæ,
Attico Zelorum ciuitatis,
Dorotheo presbytero, tenente locum Anatolij episcopi Satalorum ciuitatis,
Daniele Macedonopolis,
Antiocho Sinopæ ciuitatis,
Heraclio Comanorum ciuitatis,
Euchario diacono tenente locum Paralij episcopi Andrapæ ciuitatis Hellesponti,
Damiano Callinicopolis,
Paulo presbytero agente vices Vranij episcopi Himerorum ciuitatis,
Olympio Prusiadensi,
Adelphio chorepiscopo agente vices Adoli episcopi Arabissi ciuitatis,
Martiano Stephanorum,
Euphronio presbytero agente vices Domini episcopi Cocusi ciuitatis,
* Marciano Iluæ,
Otreio presbytero agente vices Ioannis episcopi Arcæ ciuitatis,
Musonio * Brimenæ, — * Belminę
Theodosio Nazianzi ciuitatis Cappadociæ secundæ,
Aristomacho Colonæ ciuitatis Cappadociæ secundæ prouinciæ,
Rheno Iunopolis ciuitatis,

Theodoro Heracleæ ciuitatis Ponti Prouinciæ,
Epiphanio presbytero agente vices Ætherici episcopi Pompeiopolis ciuitatis,
Philotimo presbytero agente vices Themistij episcopi Amastridis ciuitatis Ponti prouinciæ,
Eulogio presbytero, agente vices Genethlij Gratiæ ciuitatis,
Pelagio presbytero agente vices Theophili episcopi Adrianupolis ciuitatis,
Helpidio Thermensis mansionis,
Aquila Eudoxiadis ciuitatis,
Chrysippo presbytero agente vices Cyriaci episcopi Trogmadorum ciuitatis sanctæ Ecclesiæ Dei,
Longino * Orchisti ciuitatis,
*Orestен. Docimasio Maroneæ ciuitatis Rhodopæ Thracię sanctæ Ecclesiæ Dei,
Sereno Maximianopolis ciuitatis Rhodopæ,
Ætherico Smyrnæ ciuitatis Asiæ,
Eusebio Clazomenæ ciuitatis,
* Ægeæ Cyriaco * Egaræ ciuitatis Asiæ,
* Anti-moen. Mama * Amnitensis ciuitatis,
* Itona-nens. Leontio Magnesiæ Mæandri ciuitatis,
Quinto Phociensis ciuitatis,
Proclo Argissæ ciuitatis,
Thoma Alalcomenæ ciuitatis,
Olympio Theodusiopolis ciuitatis,
Philippo Nouæ aulæ vel Theodosiupolis ciuitatis,
Rufino Brullenæ ciuitatis,
Marcellino Metropolis ciuitatis,
* Eleæ Esaia * Elaitanæ ciuitatis,
Paulino Theodosiupolis Asiæ prouinciæ,
Iuliano Hypepæ ciuitatis,
Hesperio Pitanæ ciuitatis,
Proterio Myrrhenæ ciuitatis Asiæ prouinciæ,
* Palesce-psis Basilico * Palæaspolis ciuitatis,
Meonio Nysæ ciuitatis Asiæ prouinciæ,
Petro Dardani ciuitatis Hellesponti prouinciæ,
Thalassio Parij ciuitatis Hellesponti prouinciæ,
* Anderæ Dauid * Andrianæ ciuitatis Hellesponti,
Eulalio Pioniæ ciuitatis Hellesponti prouinciæ,
Pionio Troadæ ciuitatis Hellesponti prouinciæ,
Stephano Prymnesiæ ciuitatis Hellesponti prouinciæ,
Theosebio Ilij Hellesponti prouinciæ,
Hermia Abydi ciuitatis sanctæ Ecclesiæ Dei Hellesponti,
Daniele Lampsaci ciuitatis,
Patricio Adrianuterorum sanctæ Ecclesiæ Dei Hellesponti prouinciæ,
Menecrate Carysiorum ciuitatis Lydiæ prouinciæ,
Paulo Tlosorum ciuitatis,
Cossinio Hierocæsareæ ciuitatis Lydiæ, agente vices Andreæ episcopi Sectoriorum,
Lydiæ prouinciæ,
Helia Bleandri ciuitatis,
Polycarpo Cabalæ ciuitatis Lydiæ prouinciæ,
Patricio Cressen. ciuitatis,
Paulo Tripolis ciuit. Lydiæ prouinciæ,
Amacchio Septoriorum ciuitatis Lydiæ prouinciæ,
Leucio Apri[illegible]nis fani vel templi ciuit.
Gemello Stratonicæ ciuit.
* Chalni-dæ Lyciæ prouinciæ Alchimede * Silandi ciuit. Lydiæ prouinciæ,
* Lyciæ Dionysio Attaliæ ciuitatis, * Lydiæ, Nicolao Aciassenæ ciuitatis agente vices Stephani episcopi Lymiræ ciuitatis Lyciæ,
Zenodoto Telmessenæ ciuit. & Eniandos ciuit. ac Ioanniæ sanctæ Ecclesiæ Dei,
Frontone Phaselidis ciuit.
for. * Lyt-nesi Philippo * Liburnæ ciuit.
Natriniano Pompeiopolis Ciliciæ,
Mampreto Titiopolis Ciliciæ secundæ vel Isauriæ,
* Cyro-polis Ioanne * Chrysopolis Arabiæ,

Theodoro Antiphelli ciuit.
Leontio Araxi ciuit. Lyciæ,
Antipatro Cauni ciuit. Lyciæ,
Andrea * Dædalorum ciuitatis,
Romano Buboneorum ciuit. * Ceœorũ
Nicæa Megaræ ciuit. Helladis prouinciæ,
Athanasio Opuntenæ ciuit. Achaiæ & Helladis,
Donnino Plateæ ciuit. Helladis prouinciæ,
Onesimo Argorum ciuit. Helladis,
Marco * Euriæ ciuit. * Euiæ
Peregrino Phœnicæ ciuit. Helladis,
Eutychio Adrianopolis ciuit. veteris Epiri,
Claudio Anchiaxi veteris Epiri ciuit.
Soterico Corcyræ ciuit. veteris Epiri,
Dionysio Antiochiæ ciuitatis Gariæ Pisidiæ prouinciæ,
Ioanne Alnidenæ ciuit. Cariæ prouinciæ,
Flacillo Assi ciuit.
Papiæ * Erezorum ciuitatis,
Dionysio Heracleæ ciuit. Lyncestidum, * Eresſorũ
Menandro * Heracleæ ciuit.
Latmos, Eupythio Stratonicæ ciuitatis * Cariæ, (*fortè* * *Macedoniæ, alias tamen in vno loco huius Concilij additur, Lydiæ,*) * Salma-ciæ Cariç.
Ioanne Amyzonis ciuitatis Cariæ,
Tynchanio Apolloniadis ciuit. Cariæ,
Theodoreto Alabandorum ciuit. Cariæ,
Ioanne * Cnidi ciuitatis Cariæ, * Gnidi.
Daniele Cadi ciuit. Ecclesiæ sanctæ Dei,
Iuliano presbytero agente vices Calendionis Episcopi ciuitatis Halycarnassi,
Macario Enos Thraciæ,
Paulo Aristij ciuitatis,
Eulalio Silbij ciuitatis,
Charitone Dionysiopolis ciuit.
Ioanne Trapezopolis ciuitatis,
Gennadio * Acmoniorum ciuitatis Phrygiæ Pacatianæ prouinciæ,
Thoma Theodosiopolis ciuita. Phrygiæ Pacatianæ prouinciæ,
Gennadio Mosinnorum ciuitatis,
Euandro Diocliæ ciuitatis,
Gerontio Basilianupolis ciuit.
Alphio Myndi ciuitatis Cariæ,
Theoctisto presbytero agente vices Diogenis Episcopi Orthosiæ ciuit. Cariæ,
Theoctisto presbytero agente vices Zotici Episcopi Arpasæ ciuitatis,
Miro Euladræ ciuitatis,
Luciano * Ipsensis ciuit. Phrygiæ, * Ispens.
Philippo Lysiadis ciuit.
Epiphanio Midañ. ciuitatis,
Albertio Hierapolis ciuit. Phrygiæ,
Cyriaco Eucarpiæ ciuitatis,
Eustochio Docimei ciuitatis Phrygiæ,
Aquila Androsiorum ciuitatis,
Basilio Nacoliæ ciuitatis,
Strategio Polydororum ciuit. Phrygiæ,
Neoptolemo Cornen. ciuitatis,
Paulo Derbæ ciuitatis Phrygiæ,
Plutarcho * Lystris ciuitatis, * Lystræ.
Rufo Hydæ ciuitatis,
Eugenio Cannorum ciuitatis,
Tyranno Homonadorum ciuit.
Achollio Larandæ ciuitatis,
Eutropio Adadæ ciuitatis,
Paulo Philomelij ciuitatis,
Paulino Apameæ ciuit. Pisidiæ prouinciæ,
Theotecno Tyri ciuitatis,
Eorticio Nicopolis Metropolis ciuitatis Pisidiæ prouinciæ,
Cyro Syniandi ciuitatis,
Libanio * Parij ciuitatis,
Alexandro Seleuciæ ciuitatis Pisidiæ, * Parily-caoniæ.

Olympio Sozopolis Hemimontis ciuitatis Pisidiæ prouinciæ,

Fonteiano Sagalassi ciuitatis,

Bassona Neapolis ciuitatis,

* Adilo Chorepiscopo tenente locum Messalin. Episcopi Laodiceæ ciuit.

Florentio Adrianopolis ciuit.

*Maiano. * Musonio Lymerorum ciuit.

*Lycorũ Euelpisto Chorepiscopo, agente vices Florentij Episcopi ciuitatis Insulæ Tenedi emporij Hellesponti & *Lydorum,

Sotere Theodosianæ ciuit. agente vices Heliodori Episcopi Amathuntis ciuit. & pro Echio Episcopo Arsinoæ ciuitatis,

Epaphrodito Tamassij ciuitat. Episcopo, agente vices & Didymi episcopi Lapethos ciuit.

Dionysio diacono agente vices Photini episcopi Chrytrorum ciuit.

Ioanne Messenæ ciuitatis prouinciæ Achaiæ & Helladis,

Ophelimo Tegeæ ciuit. Helladis,

Irenæo Naupacti ciuit. Helladis,

Cyrillo Subriti ciuit.

Gennadio Gnosi ciuit.

Demetrio Lappæ ciuitatis,

Euphrate Eleuthernæ ciuit. Cretæ prouinciæ, agente vices & Pauli episcopi * Cantari ciuit.

Chameræ Candæ. Zozonte Philippi ciuit. Macedoniæ,

Eusebio Topiris ciuitatis Macedoniæ primæ prouinciæ,

* Scyros. * Derres. Maximino * Serres ciuitatis primæ Macedoniæ prouinciæ,

Nicolao Stoborum ciuitatis Macedoniæ secundæ prouinciæ,

* Bargylæ Dardanio * Bargalæ ciuit.

Ioanne Parthenopolis ciuitatis Macedoniæ primæ prouinciæ,

Honorato Thassos ciuitatis insulæ Helladis prouinciæ,

* Atiasi. Theophilo * Orei ciuit.

Neone ciuit. Psyllij.

*Lysimiæ. Diodoto * Lysimachiorum ciuit.

Mara Cordilusorum ciuit.

* Isundis. Marcellino * Isidis ciuit.

* Cochenonum. Eugenio * Cotenorum ciuit.

Macedonio Magidis ciuit.

Eudoxio Etennorum ciuit.

Marcellino Cărisiorum,

Obrimo Coracesij ciuit.

Petro Echineorum ciuit.

Eustathio gentis Saracenorum,

Aurelio Adrumetino,

Rustico Aphro,

Trecentis sanctissimis & reuerendissimis Episcopis,

Ecce aduenientibus omnibus ante cancellos sancti altaris, cum magnificentissimo & eximio senatu, adueniente etiam pijssimo Imperatore Martiano in supradicta sanctissima Basilica, præsente etiam zelo diuino & calore fidei accensa pijssima & fidelissima regina Augusta Pulcheria, sanctam Synodum allocutus est hæc:

Oratio Martiani Imperatoris. Cùm primum per electionem in regnum de secreto Dei prouecti sumus, inter tantas publicas vtilitates nullum magis nos constrinxit negocium, quàm rectam & veram fidem Christianorum, quæ sancta & veneranda consistit, indubitatam omnibus declarare. Manifestum est enim, quòd ex auaritia vel vano studio hi, qui præcedentibus temporibus diuersa sapuerunt, & docuerunt populum, prout eis placuit, non prout conuenit, neque quod veritas aut doctrina patruum exquirit, multi ad errorem seducti sunt. Vnde, vt sanctam Synodum ad istam ferre perfectionem properemus, laborem vobis arbitrati sumus imponere, vt omni errore caliginis detersa, secundum quod ipsa diuinitas hominibus se fieri manifestam esse voluit, vt patrum demonstrauit doctrina, sic fides nostra, quæ pura & sancta consistit in omnium ingrediens animas, propriæ veritatis effulgeat luce. Decæterò audeat nemo de natiuitate Domini & saluatoris nostri Iesu Christi aliud disputare, præter quod Apostolicum procemium CCCXVIII. sanctorum Patrum consonans huic doctrinæ, tradidisse noscitur, sicut sanctissimi Papæ Leonis, qui Apostolicum gubernat thronum, ad sanctæ memoriæ Flauianum regiæ vrbis Constantinopolitanæ quondam Episcopum, testantur literæ. Nos enim ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo Imperatoris Constantini adesse Synodo excogitauimus, ne in posterum multitudo populi institutionibus prauis attracta, inueniatur dissentiens. Facilè enim simplicitas quorundam comminentis, ceu locuti sumus, vsque nunc delusa est: quoniam manifestæ diuersorum prauis doctrinis discordiæ & hæreses ostensæ sunt.

Ad quod Imperator se adesse Concilio protestetur.

Nobis autem omne studium adhibendum est, vt populum propter veram sanctamque doctrinam idipsum sentientem, vni rectæ applicare Ecclesiæ: & ideo veram fidem Catholicamque etiam exponere secundum patrum doctrinam, concordantibus animis vestris, vestra properet reuerentia, vt qualiter in Nicæna Synodo vsque in hoc * tempore, abscisso errore, vera fides est hominibus cognita: sic & nunc per hanc sanctam Synodum deposita nebula, quæ in eis paucis annis (vt superius diximus) ex prauitate & auaritia quorundam visa est exoriri, semper seruentur, quæ statuta sunt. Erit quidem diuinæ prouidentiæ, quod pie fieri volumus, in secula hoc conseruare firmissimè. Et post regis hæc verba, omnes Episcopi clamauerunt: Martiano nouo Constantino, multi anni Regi, multi anni Reginæ, Orthodoxis multi anni, Martiani amatoris Christi regnum in secula permaneat, digni orthodoxæ fidei amatoris Christi. Sit à nobis procul inuidia. Et post hæc residentib. magnificentissimis & gloriosissimis iudicibus, & amplissimo senatu in medio ante cancellos sanctissimi altaris, & ex læua quidem parte sedentibus sanctissimis & reuerendissimis Episcopis, & vicarijs Deo amicissimis sanctissimi & reuerendissimi Leonis antistitis priscæ vrbis Romæ, & Anatolio religiosissimo Archiepiscopo Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis, & Maximo religiosissimo Episcopo Antiochiæ, & Thalassio religiosissimo Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, & Stephano religiosissimo Episcopo Ephesi, & cæteris religiosissimis Episcopis Orientis & Ponti, & Asianæ & Thraciæ regionum, exceptis Palæstinis. Ex dextera verò parte similiter considentibus, Dioscoro religiosissimo Archiepiscopo Alexandriæ, & Iuuenali religiosissimo Episcopo Hierosolymorum, & Quintillo religiosissimo Episcopo Heracleæ primæ Macedoniæ, & agẽte vices Anastasij religiosissimi episcopi Thessalonicensis, & Petro religiosissimo episcopo Corinti, & reliquis Ægyptiacæ diœcesis & Illyrici, insuper etiam & Palæstinis religiosissimis Episcopis, antepositis in medio sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs: Paschasinus verò reuerendissimus Episcopus & vicarius sedis Apostolicæ, cùm in medio vna cum his viris reuerendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi, atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. * Hoc nos obseruare necesse est. Si ergo præcipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus. Quibus in Græco interpretatis per Beronicianum virũ deuotissimum & secretarium sacri Consistorij, gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Quid enim specialiter ingeritur Dioscoro reuerendissimo Episcopo? Paschasinus verò reuerendissimus Episcopus & Vicarius sedis Apostolicæ, dixit: Cùm intromissus fuerit, necesse est, vt illi obijciatur, Gloriosissimi iudices, & amplissimus senatus dixerunt: Vt iam interfati sumus, causa quæ obijcitur, specialiter manifestetur. Lucentius reuerendissimus Episcopus & Vicarius sedis Apostolicæ, dixit: Iudicij sui necesse est eum dare rationem, quia cùm personam iudicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Paschasinus verò reuerend. Episcopus, & Vicarius sedis Apostolicæ, dixit: Nos contra præcepta beatissimi, atque Apostolici Papæ gubernatoris sedis Apostolicæ, venire

* tempus.

Primus locus in Cõcilio, datus Legatis Papæ.

Ecclesiam Ro. caput omnium Ecclesiarum.

Vide Euagriũ historiæ Ecclesiasticæ lib. 2.

* Quod

non

non possumus, nec contra Ecclesiasticas regulas, vel contra patrum instituta. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Conuenit, vos specialiter, quid errauerit, exponere. Lucentius vir venerandus Episcopus & Vicarius sedis Apostolicæ, dixit: Non patimur tantam iniuriam nec vobis fieri, nec nobis, vt iste sedeat, qui iudicandus aduenit. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Si iudicis obtines personam, non vt accusator debes prosequi. Et Dioscoro religiosissimo episcopo Alexandriæ, secundum iussionem gloriosissimorum iudicum & amplissimi senatus, residente in medio, & residentibus Romanis & reuerendissimis Episcopis in proprijs locis, & tacentibus, Eusebius religiosissimus episcopus Dorylei ciuitatis, transiens in medium, dixit: Per salutem vos dominorum vniuersi mundi, iubete preces meas legi, sicut placuit pijssimo Imperatori. Læsus sum à Dioscoro. Læsa est fides. Occisus est Flauianus sanctus Episcopus. Lachrymis impleor. simul mecum iniustè ab eo damnatus est. Iubete preces meas perlegi. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerũt: Preces legantur. Et residente in medio eorum, iussione omnium, Eusebio reuerendissimo episcopo, Beronicianus vir deuotus, à secretis sacri Consistorij, accipiens preces ab eo, recitauit.

Quæ cursuis characteribus adijciuntur, ex Acumicensium codice Græco desumpta sunt.

Per sanctam Trinitatem vos adiuro, quæ custos est principum, quamque colitis, & in qua baptizati estis, & cuius inuocatione saluamini, iubete preces meas relegi. Clementiss mi iudices, per salutem vos adiuro imperatorum. Flauianus iniquè occisus est. Clementissimi iudices miseremini & adestote fidei, quæ violata est à Dioscoro.

EPISTOLA EVSEBII EPISCOPI DORYlei, ad imperatores Valentinianum & Martianum.

AMatoribus Christi religiosissimis, & pijssimis Imperatoribus nostris Flauijs Valentiniano & Martiano perpetuis Augustis, ab Eusebio humilimo Episcopo Dorylei, faciente verba pro se & pro orthodoxa fide, & sanctæ memoriæ quondam Flauiano Episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis.

Intentio & propositum est clementiæ vestræ, vniuersis quidem sibi subditis prouidere, & manum porrigere omnibus iniustè oppressis, præcipuè tamen sungentibus sacerdotio: in hoc diuinitati placentes, à qua vobis imperare & dominari sub hoc sole donatum est. Ergo quoniam multa & dira & contra omnem consequentiam, fides (quæ in Christo est) & nos sumus perpessi à reuerendissimo Dioscoro Episcopo Alexandriæ magnæ ciuitatis, adimus vestram pietatem, supplicantes iustitiam promereri. Causa autem in his est: In nuper facto Concilio in Ephesiorum Metropoli, quod vtile fuit non fieri, vt non malis & perturbationibus vniuersum mundum replesset, suauis iste Dioscorus, pro nihilo ponens iustitiæ rationem & Dei timorem, similis constitutus & consentaneus Eutychi vaniloquo & hæretico, occultus autem multis sicut postea seipsum manifestauit, inueniens tempus ex facta à me aduersus Eutychen eius similem accusatione, & sententia in eum à sanctæ memoriæ Flauiano episcopo prolata, multitudinem seditiosorum populorum congregans, & potentiam sibi pecunijs acquirens, piam religionem Catholiorum (quantum ad ipsum pertinet) violauit, & perfidiam Eutychis monachi, quæ olim à sanctis patribus reprobata est, confirmauit. Quoniam igitur non modica sunt, quæ ab ipso vsurpata sunt aduersus Christi fidem, & aduersus nos, prouoluti precamur vestram clementiam, vt præcipiatis reuerendissimum episcopum Dioscorum respondere de his, quæ à nobis ei ingeruntur, relectis sine dubio in hoc Concilio monimentis, ab eo contra nos gestis, per quæ possumus ostendere, eum & alienum esse à Catholica fide, & impietate repletam hæresim roborantem, & iniustè nos damnantem, & grauia in nobis operatum, sacrum & venerabile vestrum mandatum dirigentes sanctæ & vniuersali Synodo religiosissimorum Episcoporum, quo possit inter nos & præfatum Dioscorum audire & perferre ad scientiam vestræ pietatis omnia quæ geruntur, ad quod placuerit vestræ clementiæ: quod consecuti, incessanter offeramus Deo preces pro vestro æterno imperio * sacratissimi Imperatores. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Soluantur, quæ ingeruntur. Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ, dixit: Præcepit pijssimus Imperator Synodum celebrari, quæ secundum sacrum nutum pijssimi Imperatoris nostri congregata est. De his autem, quæ gesta sunt propter Cõstantinopolitanæ sanctæ Ecclesiæ quondam episcopum Flauianum, monimenta sunt facta in sancto Concilio, & ea postulo recenseri. Eusebius religiosissimus episcopus Dorylei, dixit: Hæc & nos postulamus. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Omnia, quæ in hoc negocio subsecuta sunt, per ordinem recitentur. Et antequam legerentur, Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ, dixit: Supplico per vestram magnificentiam, imprimis, quæ de fide sunt, examinari. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Interim aduersus accusationem te conuenit respondere. Ergo subsistine actorum fieri lectionem, quod & ipse fieri postulasti. Constantinus deuotissimus à secretis sacri Consistorij, dixit: Habentur sacræ literæ, sæpius directæ pro Synodo pridem facta, præ manibus ad legendum. Et ex codice recitauit:

* diuinissimi

EPHESI ACTA.

EPISTOLA DIVAE MEMORIAE Theodosij & Valentiniani Imperatorum, ad Dioscorum Alexandriæ Episcopum.

IMperatores *Cæsares Theodosius & Valentinianus, victores, ac triumphatores maximi, semper venerabiles Augusti, Dioscoro.* Cunctis constitit manifestum, quia nostræ reipublicæ status & omnia humana, diuina pietate moderantur, atque firmantur. Deo enim propitio constituto, prosperè & secundum vota nostra gubernari res, & proficere solent. Imperium ergo diuino nutu sortiti, subditis pro pietate & mansuetudine similiter necessario plurimam solicitudinem impartimus, quatenus & vera religio, & nostra respublica cultu Dei purissimo & pietate firma, præfulgeat. Quoniam igitur in præsenti subita emergente dubitatione ad Catholicæ & Apostolicæ doctrinæ ac nostræ fidei custodiam, quæ (vt fit) diuersis sententijs impugnata, conturbat, & confundit hominum sensus & animas: intolerabile duximus, huiusmodi delictum contemnere, ne per talem negligentiam ipsi Deo inferre contumelias videremur. Ideoque sancimus, in vnum sanctissimos & Deo placitos conuenire viros, quibus pro pietate Catholica atque vera fide plurimus sermo est, vt vniuersa quidem talis vana dubitatio, subtili proposita inquisitione soluatur, vera autem & Deo * amica Catholica fides firmetur. Igitur & tua sanctitas, sumptis secum decem reuerendissimis Metropolitanis Episcopis, qui sub tua degunt diœcesi, & alijs similiter decẽ sanctis Episcopis, sermone & vita ornatis, qui in doctrina & scientia rectæ & immaculatæ fidei præ cunctis apud cunctos eminent, proximis Kalendis Augustis Ephesum Metropolim Asiæ conuenire absque vlla dilatione * festinet, nullo scilicet alio præter prædictos viros sanctam Synodum molestante, quatenus vniuersis sanctissimis & beatissimis Episcopis, quos conuenire per sacras nostras epistolas sancimus, ad prædictam concurrentibus ciuitatem, & subtilissimè inuestigantibus & quærentibus, omnis de medio error contrarius auferatur, Catholica autem doctrina & orthodoxæ fidei Saluatoris nostri Christi amicissima solidetur, & consuetè effulgeat, quod vniuersi in posterum inconcussum Deo propicio & intemeratum custodiant. Si quis verò tam necessariam & verè Deo * amicam Synodum prætermiserit, & non omni virtute secundum prædictum tempus ad præfinitum locum peruenerit, nullam excusationem, neque apud Deum, neque apud nostram inueniet pietatem. Sacerdotalem enim conuentum non, nisi quis mala propria conscientia sauciatus, euitat. Theodoretum sanè Episcopum Cyri ciuiaatis, quem pridem iussimus suæ soli vacare Ecclesiæ, sancimus non prius ad sanctam Synodum conuenire, nisi vniuerso sancto placuerit conuenienti Concilio & ipsum concurrere, & pariter interesse. Si verò aliqua discordia de eo emerserit, absque illo sanctam Synodum conuenire,

* charã

* festinent

* charam

Cyrus oppidum est in Syria situm à Iudæis è captiuitate

dimissis, in gratiam Cyri Regis Persarum conditum. Vide Procopium, anno Domini 448.

uenire, & quæ iussa sunt ordinare, præcipimus. Datum 3. Kalendas Aprilis, Constantinopoli, Zenone & Posthumiano viris charissimis consulibus.

CHALCEDONE ACTA.

Constantinus deuotiss. à secretis sacri consistorij, dixit: Eodem tenore scriptum est, & alijs reuerendissimis Episcopis, vt in Synodum conuenirent. Glorioſissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Ingrediatur & reuerendissimus episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & * sacratissimus & pijssimus Imperator sanxit eum adesse sanctæ Synodo, Et ingresso Theodoreto reuerendissimo Episcopo, Aegyptij & Illyriciani & Palæstini reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Miseremini, Fides perit, istum canones eijciunt, hunc foras mittite, magistrum Nestorij foras mittite. Orientales & Pontici, & Asiani, & Thraces reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Nos in pura charta subscripsimus. Cæsi sumus, & ita subscripsimus. Manichæos foras mittite, inimicos Flauiani foras mittite, aduersarios fidei foras mittite. Dioscorus reuerendissimus Episcopus Alexandriæ, dixit: Cyrillus cur eijcitur, qui ab isto est anathematizatus? Orientales & Pontici, & Asiani, & Thraces reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Dioscorum homicidam foras mittite, Dioscori acta quis ignorat? Aegyptij & Illyriciani, & Palestini reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Multos annos Augustæ. Orientales & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Homicidas foras mittite. Aegyptij & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Augusta Nestorium eijcit. Multos annos Catholicæ Augustæ: Synodus orthodoxa Theodoretum non suscepit. Theodoretus reuerendissimus Episcopus transiens in medium, dixit: Preces obtuli * sacratissimis & pijssimis & Christianissimis mundi dominis, & enarraui quæ in me acta sunt funera, & precor has perlegi. Glorioſissimi iudices, & amplissimus senatus dixerunt: Theodoretus reuerendissimus Episcopus proprium recipiens locum à sanctissimo Episcopo inclytæ vrbis Romæ, in locum nunc accusatoris ingressus est. Vnde patiamini ea, quæ inchoata sunt, finiri: * vt ne aliqua confusio adiutorio fiat. Præiudicium enim ex * persona reuerendissimi Theodoreti episcopi nulli generabitur, reseruata, videlicet post hæc omni accusatione & vobis & illi, & quæ inuicem exercere volueritis, quia rectam tenent fidem, maximè cùm & sine scriptis appareat, & testimonium Catholicæ fidei perhibens reuerendissimus Episcopus Antiochiæ magnæ ciuitatis. Et postquam sedit in medio reuerendissimus Episcopus Theodoretus, Orientales & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Dignus, dignus. Aegyptij & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi, clamauerunt: Nolite eum dicere Episcopum, Non est Episcopus, Impugnatorē Dei foras mittite, Iudæum foras mittite. Orientales & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Orthodoxum Synodo, seditiosos foras mittite, Homicidas foras mittite. Aegyptij & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Impugnatorem Dei foras mittite. Qui iniuriam dixit in Christum, foras mittite. Multos annos Augustæ, Multos annos Imperatori, Catholico Imperatori multos annos, Cyrillum iste anathematizauit. Orientales & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Homicidam Dioscorum foras mittite Aegyptij & qui cũ ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Multos annos senatui. Vocem non habet. Coram vniuersa Synodo damnatus est. Basilius reuerend. Episcopus Traianopolis prouinciæ Rhodopę exurgens, dixit: Et à nobis Theodoretus damnatus est. Aegyptij & qui cum ipsis reueren. Episcopi clamauerunt: Et Cyrillum Theodoretus accusauit. Cyrillum eijcimus, si Theodoretum acceperimus. Canones istum eijciũt. Hũc Deus auersatus est. Glorioſissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Acclamationes istæ populares neq; Episcopos decent, neque partes iuuant. Patiamini ergo vniuersorum fieri lectionem. Aegyptij & qui cum ipsis reuerend. Episcopi clamauerũt: Vnum eijcite, & omnes audimus. Pro pietate clamamus, pro Catholica fide hęc dicimus. Glorioſissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Magis acquiescite secundum ordinem audientiam fieri, & * permittite omnia secundum ordinem recenseri. Et quiescentibus cunctis, Constantinus deuotissimus agens in rebus, & à secretis sacri consistorij, ex eodem codice recitauit. EPHESI ACTA CHALCEDONE LECTA.

* iuinissimus.

* diuinissimis.

* vt sine aliqua cõfusione audiatorium.

* prẽsentia

* patimini

EPISTOLA IMPERATORIS AD Dioscorum Alexandrinum.

Sacræ literæ scriptæ venerandissimo Episcopo Alexandriæ Dioscoro. Peruenit ad nostræ serenitatis auditum, quia multi reuerend. Orientalium Archimandritæ, simul cum Catholicis populis aduersus quosdam Episcopos, qui Nestoriana impietate ægrotare dicuntur, in quibusdam Orientaliũ ciuitatibus constituti, laborarent, & pro Catholica fide contenderent. Hac ergo de causa nostræ serenitati cõplacuit, religios. presbyterum & archimandritam Barsumam, puritate vitæ & Catholica fide probatissimum, adesse Ephesinæ ciuitati, & tenẽtem locum cunctorum Orientalium archimandritarũ, consedere tam tuæ sanctitati, quam vniuersis sanctissimis Patrib. ibidem conuenientibus, quatenus Deo placita de omnib. sententia proferatur. Dignetur proinde tua religio prouidens, quia omnis nobis est pro Catholica fide solicitudo, affectuose & prædictum reuerend. archimandritam susscipere, & operam dare, vestræ eum sanctæ Synodi participem fieri. Data Idibus Maij, Protogene viro clarissimo consule, & qui fuerit nunciatus. Eodem tenore Iuuenali reuerend. Episcopo Hierosolymorum, idem ipse de eodem codice recitauit. Sacræ literæ, Barsumæ reuerendo archimandritæ, destinatæ.

Anno Domini 449.

EPISTOLA IMPERATORIS AD Barsumam archimandriten.

NOSTRAM pietatem latere nõ potuit, in quali sint certamine constituti per Orientem religiosissimi & sanctissimi archimãdritæ, pro fide laborantes Catholica, & quosdam Episcopos in ciuitatibus Orientis constitutos. Nestorianę hæreseos participes auersantes, collaborante etiam orthodoxo populo eisdem religioſissimis archimãdritis. Quoniam igitur & tua sanctitas pro Catholica fide tantum laborem sustinuit, vt ad nostram peruenire tuetatem: iustum esse duximus, tuam sanctitatem puritate vitæ & Catholica fide probabilem, ad Ephesinam pergere ciuitatem, & locum tenentem omnium religioſissimorum archimãdritarum Orientalium, considere sanctæ Synodo, quæ ibidem disposita est conuenire, & cum alijs sanctis Patribus & Episcopis, quæ sunt Domino placita, ordinare. Datum pridie idus Maij, in Alexandria. Et postquam legit, Beronicianus deuotissimus secretarius sacri Consistorij, ex eodem codice recitauit: Sacrum commonitorium datum Elpidio viro spectabili comiti sacri Consistorij.

In nomine Alexandrię, videtur subesse mendũ, nec enim Imperator erat Alexandriæ.

IMPERATORIS COMMONITORIUM, ad Elpidium comitem sacri Consistorij.

SANCTAE quidem Synodi pridem apud Ephesum factæ, Nestorij impij contra Deum blasphemia, extitit causa: & ideo à sanctis Patribus, qui ibidem cõuenerunt, dignam susscepit sententiam. Quoniam igitur & nunc altera iterum contra diuinam fidem excitata est dubitatio, secundam hanc Ephesi fieri Synodum sancimus, mali radicem omnino excidere festinantes, quo vndiquè conturbationem dogmatis eijcientes, mundam orationis iustitiam in cordibus reseruemus, & sit hoc reipublicæ munimen, & humanitatis vtilitas. Ideo igitur tam tuam claritatem, quàm Eulogium virum spectabilem tribunum & notarium, ad ministerium elegimus fidei, sicut probatos, * tam in alijs rebus rectissimos, quam circa Dei cultum opinatissimos, & valentes nostris diligenter iussionibus ministrare, de his, quæ in Epheso à sancta Synodo fuerint constituta, & nullum fieri tumultum permittere: sed & si quem videritis conturbationibus & tumultui studentem, ad læsionem sanctæ fidei, hunc custodię mancipare, & ad nostram perferre notitiam, & causam quidem ordine prouenire: interesse autem iudicio, &

* rectè & mundè ea quæ ad Deum pertinent, colentes, quam etiam quæ.

operam

operam dare, celerem & circunſpectam probationem à ſancta Synodo fieri, & nobis cognitam facere, his, qui pridem Eutychetis religioſiſſ. archimandritæ iudices extiterũt, præſentibus quidem & tacentibus, nullum tamen iudicantium habentibus locum, ſed communem aliorum omnium ſanctorum patrum ſententiam expectantibus: quoniam ea, quæ dudùm ab ipſis iudicata ſunt, nunc retractentur. Non licere autem vllum aliquid mouere ex pecuniarijs* capitulis, antequàm ea, quæ de fide ſunt catholica, effectui mancipentur. Ideo nanque & ciuile per literas, quas ad virum ſpectabilem proconſulem, ac reliquos ſcripſimus, & militare vobis auxilium delegauimus, quatenùs & vos ſuper proprium ſtudium his fulti auxilijs, ſufficere poſſitis ad ea, quæ præcepimus, adimplenda: quę tanto alijs omnibus bonis meliora ſunt, quanto ſolent humanis diuina præcellere: & quæ in hac cauſa fuerint conſtituta, ad noſtram perferre notitiam. Eodem tenore, Eulogio viro ſpectabili tribuno notario, Beronicianus vir deuotus à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex ipſo codice recitauit. Et ſimiliter ſacras literas directas Proclo viro ſpectabili proconſuli Aſiæ.

IMPERATORIS EPISTOLA AD PROCLVM Proconſulem Aſiæ.

SANCTAE quidem Synodi pridem apud Epheſum factæ, Neſtorij impij contra Deum blaſphemia, extitit cauſa: & ideò à ſanctis Patribus ibidem conuenientibus, dignam ſuſcepit ſententiam. Quoniam igitur altera iterùm contra diuinam fidem excitata eſt dubitatio, ſecundam hanc in Epheſo fieri Synodum ſancimus, mali radicem omninò excidere cupientes, quò vndique conturbationes dogmatis eijcientes, mundam orationis iuſtitiam in cordibus referuemus, & ſit hoc reipublicæ munimen, & humanitatis vtilitas. Ideò igitur & Elpidium virum ſpectabilem comitem noſtri ſacri cõſiſtorij, & Eulogium virum ſpectabilem tribunum & notarium, ad hãc cauſam elegimus, ſicut dignos hoc adminiſtrare negocium, & idoneos multorum teſtimonio comprobatos: quibus volumus neceſſariũ à te conferri præſidium, per quod omnis ab his, quæ aguntur, conturbatio repellatur, & ex noſtræ ſerenitatis iuſſione nullus tumultus fieri permittatur: à quibus ſi fuerimus edocti, noſtræ & à te manſuetudinis præcepta neglecta, & non in omnibus, quibus voluerint, obſecutum, tuam læhonẽ ex tua negligentia fieri decernemus. Idem deuotiſſ. Beronicianus à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex eodem codice recitauit.

IMPERATORIS EPISTOLA AD SYNOdum Epheſinam ſecundam.

SANCTAE *Synodo Epheſinæ.* Vellemus quidem abſque vlla conturbatione ſanctas eccleſias Dei perſiſtere, & vos ſanctis imminentes Eccleſijs, conſuetè ea quæ ad diuinitatis placationem pertinent celebrare, & non tantum vobis laborem & afflictionem fieri. Sed quoniam* beatiſſimus Epiſcopus Flauianus aliqua de ſancta fide mouere voluit aduerſus reueren. archimandritam Eutychen, & concilium congregans, aliqua cœpit agere: nos quidem ſæpiùs dirigentes ad eundem beatiſſimum Epiſcopum, voluimus, quæ mota eſt, conturbationem compeſcere, perſuaſi ſufficere nobis traditam à ſanctis patribus in Nicæa Synodo catholicam fidem, quam & ſancta Synodus, quæ in Epheſo facta eſt, confirmauit. Sed quoniam ſæpiùs à nobis rogatus idem beatiſſimus Epiſcopus, deſiſtere à tali quæſtione, ne conturbatio vniuerſitati fieret, minimè acquieuit: cogitantes non eſſe tutum, abſq; veſtra ſancta Synodo & vbique ſanctarum Eccleſiarum præſulibus huiuſmodi quæſtionem de fide renouari, neceſſarium duximus, veſtram conuenire ſanctitatem, quatenùs vos, quæ hic acta ſunt, cognoſcentes, & quæſtionem motam, & omnem diabolicam ſtirpem poſsitis euellere, & eos, qui Neſtorij impij blaſphemiam ſectantur, aut retinent, à ſanctis Eccleſijs repellere, catholicam verò fidem firmiſsimam & inconcuſſam cuſtodiri diſponere: quoniam noſtra omnis ſpes & noſtri imperij firmitas, ex catholica fide & veſtris ſanctis orationibus pendet. Idem deuotiſsimus Beronicianus à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex eodem codice recitauit.

*religioſiſſimus.

IMPERATORIS EPISTOLA AD DIOSCOrum Alexandrinum.

DIOSCORO *reuerendo Epiſcopo Alexandriæ.* Ante hoc quidem Theodoretum Epiſcopum Cyri ciuitatis præcepimus in ſanctam Synodum minimè conuenire, donec de eo, quæ placuerit, Synodus ſancta conſtituat, auerſati eum, quia aſſumpſit proferre contraria his, quæ conſcripſit de fide ſanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinæ quondam ciuitatis Epiſcopus. Quoniam verò ſuſpicamur, aliquos ſectatores Neſtorij aſſumere ſtudium & conferre, vt omnimodò interſit ſancto Concilio: hac de cauſa neceſſarium duximus, his ſacris literis vti ad tuam reuerentiam, per quas manifeſtum facimus tuæ beatitudini, & vniuerſæ ſanctæ Synodo, quod nos regulas ſanctorum patrum ſequentes, non ſolùm propter Theodoretum, ſed alios omnes, qui ad cõgregatam ſanctam Synodum pertinent, authoritatem & primatum tuæ præbemus beatitudini, ſcientes diligentiùs, quod & reuerendiſſimus Archiepiſcopus Hieroſolymorum Iuuenalis, & beatiſſimus archiepiſcopus Thalaſsius, & omnis talis feruens amator & æmulator orthodoxæ fidei, conſentanei erunt tuæ ſanctitati radianti per DEI gratiam honeſtate vitæ & catholica fide. Eos namque, qui aliquid per additamentum aliquod aut imminutionem conati ſunt dicere, præter quæ ſunt expoſita de fide catholica à ſanctis Patribus, qui in Nicæa, & poſtmodùm qui in Epheſo congregati ſant, nullam omninò fiduciam in ſancta ſynodo habere patimur: ſed & ſub veſtro iudicio eſſe volumus, quia hac de re & nunc ſanctam Synodum diſpoſuimus conuenire. Eodem tenore Iuuenali reuerendiſsimo Epiſcopo Hieroſolymorum.

Theodoſius dat, quod non habet, niſi ex vſurpata poteſtate; idq; ex imperitia Eccleſiaſtici Canonis.

CHALCEDONE ACTA.

Dioſcorus reuerendiſsimus Epiſcopus Alexandriæ, dixit: Comperit veſtra clementia, quia non mihi ſoli ſacratiſſimus noſter Imperator commiſit iudicium, ſed & beatiſsimo Iuuenali, & ſanctiſsimo Epiſcopo Thalaſsio authoritatem Synodi dedit. Nos ergò iudicauimus, quæ iudicata ſunt. Conſentit nobis & vniuerſa Synodus. Quare in me ſolum iſta extenduntur, quando authoritas executionibus data eſt, & iudicatis à nobis conſenſit (vt dixi) vniuerſa ſynodus, & confeſſa eſt proprijs vocibus, & ſubſcripſit, & relatum eſt pijſsimo Imperatori diuæ memoriæ Theodoſio, & confirmauit omnia, quæ iudicata ſunt à ſancta & vniuerſali ſynodo, generali lege? Orientales & qui cum ipſis reuerendiſsimi omnes Epiſcopi dixerunt: In damnationem beati Flauiani Conſtantinopolitani archiepiſcopi & Euſebij Epiſcopi, nullus voluntariè conſenſit. Violẽta facta eſt vis cum plagis, in pura charta ſubſcripſimus. Minabatur nobis damnatio, minæ exilij tendebantur, milites cum fuſtibus & gladijs inſtabant. Timebamus & fuſtes & gladios. Vbi gladij & fuſtes, qualis ſynodus eſt? Milites propter hoc accepit Dioſcorus, vt nos terreret. Nam milites eos magis depoſuerũt, quàm nos: quia quicquid egimus, terrore compulſi fecimus. Homicidam foras mitte, Flauianum milites depoſuerunt.

Hic Dioſcorus, dũ omnia Epheſi per ſe geſta, firma eſſe deſiderat, inuidiam facti à ſe in alios deriuat.

Aegyptij & qui cum ipſis reuerendiſsimi epiſcopi, clamauerunt: Ipſi primi ſubſcripſerunt clerici, nunc quare clamant? Synodus Epiſcoporum eſt, non clericorum. Superfluos foras mitte. Qui ſubſcripſerunt, in* medio veniant. Poſt vos nos ſubſcripſimus. Stephanus reuerendiſsimus epiſcopus Epheſi, dixit: Quia violentia & neceſsitas facta eſt in hoc quod actum eſt, Deus teſtis eſt, & quia nolentes, in damnationem beati Flauiani ſubſcripſimus, Deus teſtis eſt: Etenim omnes clericos eius in Epheſiorum metropolim venientes, vt epiſcopus ſuſcepi, & communicaui eis, & omnem affectum in eis oſtendi.

Synodus Epiſcoporum eſt, non clericorum. * medium

Glorioſiſſimi iudices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Quis vobis vim intulit? Stephanus reuerẽdiſſimus epiſcopus Epheſi, dixit: Cùm ſuſcepiſſem in communionem Elpidium presbyterum, & alios diaconos, & epiſcopum Euſebium, (ſcit enim & ipſe epiſcopus Euſebius, quia ſuſcepi eos) ſuperuenerunt mihi in epiſcopio Elpidius & Eulogius, & milites & monachi Eutychis vſque trecenti numero, & voluerunt me

interficere, dicentes: Quia aduersarios Imperatoris suscepisti, aduersarius IMPERATORIS es. Dico ego, Ego* xenodochus sum, in nullo communico causæ. Ego non potui excommunicare communicatores venientes, & ita vi & necessitate omnia facta sunt. Glorioſissimi iudices & ampliſsimus senatus dixerunt: Dioscorus reuerendiſsimus violentias tibi fecit? Stephanus reuerendiſsimus Episcopus Ephesiorum ciuitatis, dixit: Per homines eius & comites non sum permissus egredi de ecclesiæ secretario, vsquequò subscripsi sententiæ Dioscori & Iuuenalis & domini Thalassij & aliorum Episcoporum, à quibus scriptum fuerat. Thalassius reuerendissimus Episcopus Cæsareæ, dixit: In secretario fueram positus. Ego autem nescij, quomodo sum positus, tamen cùm fierent aliqua, ego prohibui, & volui differre, & festinaui, & sunt testes. Theodorus reuerendissimus Episcopus Claudiupolis Isaurię dixit: Dioscorus & Iuuenalis, & quicunque primitùs subscripserunt, quibus præceperat dominus orbis terræ, sicut orthodoxos, dijudicare de fide, meditantes apud semetipsos dolos ac consilia, nos simpliciter sedentes introduxerunt,* quomodò homines iudices ignorâtes causam. Et legebamus quidem actorũ series, & laudabatur beatæ memoriæ Flauianus. Cùm laudaretur autem, nos tacebamus, sicut benè gestis, quæ acta sunt. Post hæc verò, vt nos exterrerent, exclamauerunt, de vicina Nestoriana hæresi infamantes nos: In duo separate eos, qui dicunt duas naturas. Qui dicunt duas, diuidite, interficite, eijcite, vt terrore Nestorianæ hæreseos, non sicut catholici iudicaremur, sed vt hæretici damnaremur. Et vnusquisque verens, nè vt hæreticus deiectus perderet quos baptizauerat, & non ei esset periculum, sed baptizatis & fidelibus Christi, & his, qui in Christo crediderunt, & non oportuit quidem nos tunc tacere. Postmodùm & aliud fecerunt. Iussum est à domino orbis terræ, vt synodus de Flauiano priùs iudicaret. Isti multas synodos* in hoc ipso facientes, & neque subscribentes, neque perscribentes statuta, neque legentes alicui, neque sciente aliquo, obtulerunt nobis puras chartas Dioscorus & Iuuenalis, multitudinem habentes seditiosorum hominum, clamantium & conturbantium, & commouentium synodũ. Centum trigintaquinque eramus omnes in* Constantinopolitana synodo, Quadragintaduo iussi sumus tacere, reliqui erant Dioscorus & Iuuenalis, & multitudo seditiosorũ. Iam quindecim tantùm homines remanseramus. Quid essemus facturi? In sanguine nostro ludebant isti hæretici constituti, vna voce dicebant. omnes nos terruerunt. hæreticos nos deiecerunt, & electi sumus vt hæretici. Orientales & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Omnes eadem dicimus, hæc ita se habent. Ægyptij & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi, clamauerunt: Christianus neminem timet, catholicus neminem formidat, ignis ponatur, & discimus. si homines timerentur, martyres non fierent.

Dioscorus reuerendissimus Episcopus Alexandriæ, dixit: Quia asserunt se non audisse quæ iudicata sunt vel disposita, sed simpliciter in oblata sibi pura charta subscripsisse eos, maximè quidem non oportuit eos subscribere, quibus satisfactum non erat de his, quæ dixit synodus, quia de fide erat sermo. Sed quia causantur in oblata sibi pura charta subscripsisse, interlocutiones eorum quis ordinârit, supplico, dicere eos præcipiat magnificentia vestra. Glorioſissimi iudices & ampliſsimus senatus dixerunt: Quæ acta sunt, recitentur. Constantinus deuotissimus agens in rebus, & adiutor sacri secretarij, ex scheda data sibi ab AEtio archidiacono regiæ vrbis sanctæ Ecclesię, legit sacras literas directas Dioscoro religioſissimo Episcopo, vt conueniret ad Ephesinam synodũ, quæ superiùs iam comprehensæ sunt, & ex codice relectæ. Idem ex eadem scheda recitauit, EPHESI ACTA.

Tempore Zenonis & Posthumiani venerabilium consulum, sub quarto Idus Augusti, quæ est secundùm AEgyptios, Mesori quintadecima, indictione tertia, synodo congregata in Epheso metropoli, ex præceptione religioſissimorum & Christianissimorum, Deo amicissimorum amantium Christum Imperatorum, & residentibus in sancta ecclesia, quæ vocatur Maria, reuerendiſsimis & sanctiſsimis Episcopis, Dioscoro Alexandriæ, & Iuliano Episcopo agente vices & tenente locum sanctiſsimi & beatiſsimi Episcopi Romanæ Ecclesiæ Leonis. Et cùm legerentur,

CHALCEDONE ACTA.

Orientales & qui cum ipsis reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Iectus est, nullus suscepit nomen Leonis. Constantinus deuotiſsimus à secretis, ex eadem scheda recitauit subsequentia: EPHESI ACTA.

Et Iuuenale Hierosolymorum, & Domno Antiochiæ, & Flauiano Constantinopolis. Et cùm legerentur,

CHALCEDONE ACTA.

Orientales & qui cum ipsis reuerendiſsimi Episcopi, clamauerunt: Flauianus vt adiudicatus, ingressus est. Hæc manifesta calumnia. Flauianus in proprio loco quare non sedit: Constantinopolitanum Episcopum quare quintum posuerunt? Paschasinus reuerendiſsimus Episcopus dixit: Ecce nos, Deo volente, dominum Anatolium primum habemus. Hi quintum posuerunt beatum Flauianum. Diogenes reuerendiſsimus Episcopus ecclesiæ Cizyci, dixit: Quoniam vos regulas scitis. AEgyptij & qui cum ipsis reuerendiſs. Episcopi, clamauerunt: Petimus, superfluos foràs mitte. Imperator Episcopos vocauit, synodus Episcoporum est. superflui quare clamantur? Theodorus Episcopus Claudiupolis Isauriæ, dixit: Dioscori notarij clamant. Dioscorus reuerendiſsimus Episcopus Alexandriæ, dixit: Duos solùm habeo notarios, duo tumultum quomodò faciunt? Glorioſissimi iudices & ampliſsimus senatus dixerunt: Sequentia percurrãtur. Constantinus deuotiſsimus à secretis sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit sequentia: EPHESI ACTA.

Et Stephano Ephesi, & Thalasio Cæsareæ Cappadociæ primæ, & Eusebio Ancyræ Galatiæ primæ, & Ioanne Sebastiæ Armeniæ primæ, & Cyro Aphrodisiadæ Cariæ, & Erasistrato Corinthi Helladis, & Quintillo Heracleæ, agente etiam vices reuerendiſsimi Episcopi Anastasij Thessalonicensis, & Meletio Lariſsæ Syriæ, agente etiam vices reuerendiſsimi Episcopi Domni Apameæ. & Cyriaco Episcopo Trogmadorum, agente vices reuerendiſsimi Episcopi Theoctisti Pessinuntis Galatiæ secundæ, & Diogene Cizici, & Basilio Seleuciæ Isauriæ, & Ioanne Rhodi, & Theodoro Tarsi, & Romano Myrorum Lyciæ, & Photio Tyri, & Theodoro Damasci, & Iuliano Tabiæ, & Florentio Lydiæ, & Mariniano Synnadorum, & Musonio Nysæ, & Constantio Bostræ, & Ioanne Nicopolis Armeniæ primæ, & Acacio Ariarathiræ Armeniæ secundæ, agente vices Constantini reuerendiſsimi Episcopi Melitenæ: & Stephano Hierapolis, & Attico Nicopolis Epiri veteris, & Eustathio Beryti, & Nunechio Laodiceæ Trimitariæ, & Olympio Constantiæ Cypri, & Candidiano Antiochiæ Pisidiæ, & Stephano Anazarbi, & Gerontio Seleuciæ Syriæ, & Rufino Samosatæ, & Indimo Irenupolis, & Timotheo Balaneæ, & Theodosio Canothæ, & Eutychio Adrianupolis veteris Epiri, & Claudio Anchiaxi Epiri veteris, & Helia Adrianupolis Asiæ, & Seleuco Amasiæ, & Petro Gangræ, & Luca Dyrrhachij, & Antonio Lychnidi, & Marco* Euriæ, & Vigilantio Lariſsæ Macedoniæ, & Basilio Traianupolis Rhodopæ prouinciæ, & Docimasio Maroneæ Rhodopæ prouinciæ, & Constantino Demetriadis Thessaliæ, & Alexandro Sebastæ Tarsi, & Sozonte Philippi, & Eusebio Topiritano Macedoniæ primæ, & Maximo* Derrensi Macedoniæ primæ, & Hermogene Cassandriæ primæ Macedoniæ prouinciæ, & Luca* Beroeæ primæ Macedoniæ, & Diogeniano* Remisianensi Daciæ, & Vranio* Himerorum ciuitatis prouinciæ* Osroenæ, & Ioanne Messenæ ciuitatis Achaiæ, & Theodoro ciuitatis Claudiupolis Isauriæ, & Athanasio* Opuntinæ ciuitatis Achaiæ, & Leontio Ascalonæ ciuitatis, & Photino Lyddæ ciuitatis, & Theodosio Amathuntis ciuitatis, & *Paulo* Maiumensis ciuitatis, & Zosimo Minoidæ ciuitatis, & Epiphanio* Pergis ciuitatis, & Baruchio Oruzæ Palæstinæ ciuitatis, & Heraclio Azoti ciuitatis, & Ioanne Tiberiadis ciuitatis, & Musonio Zoaræ ciuitatis, & Dionysio Sycacinonensis ciuitatis, & Caiuma Phaenensis ciuitatis, & Aetherico Smyrnæ ciuitatis, & Constantio Sebastæ ciuitatis, & Zebenno Pellensis ciuitatis, & Alypio* Bachtrensis ciuitatis, & Polychronio Antipatridis ciuitatis, & Pancratio Libyadis ciuitatis, & Auxilao Hippodion gentis Saracenorum fœderatorum, & Domnino Plateæ ciuitatis Helladis, & Theodosio Mastauræ ciuitatis, & Cyriaco* Aegensis ciuitatis, & Flauiano Adramytinæ ciuitatis, & Cyriaco Lebedi ciuitatis, & Leontio Magnesiæ Mæandri ciuitatis, & Eutropio

id est, hospitalis.

*veluti.

* pro prædictis facientes.

recti* for. *Ephesina

Mesoris Aegyptiace dicitur nensis Iulius.

Contra Nicænos canones Antiochenum posteapposuerunt Hierosolymitano inconuenienter & irregulariter.

Catalogus Episcoporum prophani Concilij Ephesini.

* Euiæ

*Serren.
*Beroeæ
*Rhuessien.
*Hymiræ
*Osroenæ

* Paulino
*Mamen.

*Bachaten.

*Ægeatæ

Pergami ciuitatis Asiæ, & Gennadio *Tiensis ciuitatis, & Olympio *Ebaganésis ciuitatis, & Iuliano Hypepenę, & Chrysanto Balcenæ ciuitatis, & Polycarpo Gabilæ ciuitatis, & Paulo Tripolis ciuitatis Lydiæ, & Meliphthongo Iuliopolis, & Onesiphoro Iconię ciuitatis, & Docimasio Maroneę Thraciæ, & Longino *Chersonesi ciuitatis, & Eudoxio Bosphori ciuitatis, & Timotheo *Primopolis ciuitatis Pamphyliæ, & Theopempto Cabassæ ciuitatis, & Calosirio Arsinoitensis ciuitatis, & Heraclide Heracleæ ciuitatis, & Ioanne *Hephestij ciuitatis, & Isaac *Elearchiensis ciuitatis, & Gemellino Erythrææ ciuitatis, & Apollonio Tauiensis ciuitatis, & Gennadio *Herinupolis maioris ciuitatis, & Cyro Babulinæ ciuitatis, & Athanasio Busiridis ciuitatis, & Theophyto Cleopatridis ciuitatis, & Pasmcio Paralaiorum ciuitatis, & Photino Tentyrenæ ciuitatis, & Sosia Sozusæ ciuitatis, & Theodulo Ticeliæ ciuitatis, & Theodoro *Barcis ciuitatis, & *Rufino Cyrenensis ciuitatis, & Zenone Rhinocorurensis ciuitatis, & Lucio Zigrensis ciuitatis, & Iuliano Mostenæ ciuitatis, & *Auxonio Scbennitensis ciuitatis, & Isaac Tauensis ciuitatis, & Pihlocalo Zagylensis ciuitatis, & Esaia *Herinupolis minoris ciuitatis, & Barsuna presbytero, & archimandrita, & Longino presbytero agente vices Dorothei episcopi Noecæsareæ ciuitatis, & Anthimo presbytero agente vices Patricij episcopi Tyanorum ciuitatis Cappadociæ secundæ, & Aristone presbytero agente vices Eunomij episcopi Nicomediæ ciuitatis, & Olympio presbytero, agente vices Calogeri episcopi Claudiopolis ciuitatis Ponticæ, & Hilario diacono Romano, & Dulcitio notario Romano, Ioannes presbyter & primicerius notariorum dixit: Placuit & nunc pijssimis & Christianissimis Imperatoribus nostris sancire, sanctam & magnam vestram Synodum huc concurrere, quatenùs, quæ nuper emerserũt de catholica & immaculata nostra fide, quærantur, & ea radicitùs euellantur: vt nè fortè trahentia & retrahentia, simplicissimos aliquos in foueam perfidiæ & erroris impingant, quia tanta eis est de pietate solicitudo: & vt ea custodiantur in perpetuum inconcussa & immaculata, quæ de orthodoxa religione nostra pridem quidem à beatissimis patribus, qui in Nicæa conuenerunt, sunt expolita: confirmata autem nuper à patribus, qui in hac ciuitate congregati sunt, qui tantùm sibimet inuicem consenserunt, & consonuerunt, vt nihil omninò, aut saperent, aut diffinirẽt diuersum. Et præmanibus nostris sunt venerabiles literæ, & hæc ipsa intimamus ad id quod placuerit vestræ sanctitati.

Dioscorus reuerendissimus Episcopus Alexandriæ, dixit: Legantur pijssimæ & religiosissimæ Christianissimorum Imperatorum literæ, redditæ vnicuique Metropolitano, & præfulgeant in actorum serie. Ioannes presbyter & primicerius notariorum recitauit:

THEODOSII, ET VALENTINIANI Imperatorum epistola ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum.

IMPERATORES *Cæsares Theodosius & Valentinianus, victores triumphatores maximi semper venerabiles Augusti, Dioscoro.* Omnibus constat manifestum, quia nostræ reip. dispositio & vniuersa humana per pietatem circa Deum continentur & confirmantur, *& rel. quæ superiùs numero 16. tametsi aliter versa, habentur.* Iulianus Episcopus agens vices sanctissimi archiepiscopi Romanæ ecclesiæ Leonis, & interpretante eum Florentio episcopo Lydiæ, dixit: Eodem tenore à pijssimis & Christianissimis Imperatoribus sanctissimus noster Papa Romanæ Ecclesiæ præpositus Leo, vocatus est. Hilarius diaconus Romanus, interpretante eum Florentio Episcopo, dixit: Gloriosissimi & Christianissimi Imperatores, charitatem circa catholicam fidem & affectum tenentes, beatissimum episcopum nostrum Leonem Apostolicæ Sedis præsulem, vt huic venerabili & sancto Concilio adesset, dirigentes venerabiles epistolas, supplicârunt, cuius pietati placere potuit, si in hac re teneretur aliqua similitudo. Nam meliùs vestra potest cognoscere sanctitas, quia neque in Nicæa, neque in Ephesina sancta synodo, neque in alio tali sancto Concilio Papa perpetuæ sanctissimæ sedis adfuit. Pro quare, huius formæ sequens consuetudinem, nos direxit. Qui sanctissimus non dubitans se in nobis hic adesse, quos præcipuè cognoscit, omnia, quæ ad fidei catholicæ syncritatem, & quæ ad sancti Petri Apostoli pertinent reuerentiam, agere, qui etiam per nos ad vestram beatitudinem congruas sanctorum patrum cõcilijs direxit epistolas, quas susscipere & recenseri præcipite. Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ, dixit: Suscipiantur quæ scripta sunt ad hanc sanctam & vniuersalem synodum à sanctissimo fratre nostro & coepiscopo Leone. Et porrectis eis, Ioannes presbyter & primicerius notariorum, dixit: Aliæ diuinæ literæ redditæ sunt reuerendissimo & sanctissimo archiepiscopo nostro Dioscoro, quæ præ manibus nostris sunt, ad id quod placuerit vestræ sanctitati. Iuuenalis episcopus Hierosolymæ, dixit: Legantur, & videantur fidei monimenta. Et cùm legerentur,

Chalcedone Acta.

Ætius archidiaconus Constantinopolitanus dixit: Neque susscepta est epistola sanctissimi Episcopi Leonis, neque lecta est. Orientales & qui cum ipsis sanctissimi Episcopi, clamauerunt: Non est nobis lecta epistola. Si enim fuisset lecta epistola per omnia, & contineretur per omnia.

Eusebius Episcopus Dorylei, dixit: Non est lecta, sed retenta ab eo epistola synodica. Aetius archidiaconus Constantinopolis, dixit: Neque susscepta est epistola, neque lecta est. Et septies iurauit ante omnes facere eam recitari, & non est lecta. Et peierauit, quia iurauit. Theodorus reuerendissimus episcopus Claudiopolis Isauriæ, dixit: Quia iurauit, omnes scimus: & quia non est lecta, confitemur. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Reuerendissimi episcopi, quibus authoritas tunc eorum, quæ agebantur, ab imperiali data est clementia, dicant, pro qua re epistola sanctissimi archiepiscopi Leonis non est recitata, præcipuè procedente interlocutione, vbi eam iussum est recitari. Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ dixit: Gesta demonstrant, quia secundò interlocutus sum, recitari epistolam reuerendissimi episcopi Romani.

Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Ob quam ergo causam post tuam interlocutionem lectio epistolæ non est facta? Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ, dixit: Interrogentur & alij episcopi, quibus fuerat causa commissa, cuius rei gratia non est recitata. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Quos maximè vis interrogari, apertiùs dicito. Dioscorus reuerendus episcopus Alexandriæ, dixit: Beatissimum, Deo colendissimum (quod vbique religiosissimum posui) Episcopum Iuuenalem & beatissimum Episcopum Thalassium. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: in primo loco ipse responde, quam ob causam lectio non est facta. Consequenter enim & ipsi interrogabuntur. Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ, dixit: Semel dixi, quia secundò interlocutus sum recenseri eam. Eusebius episcopus Dorylei, dixit: Mentitur. Gloriosissimi iudices & ampliss. senatus dixerunt: Dicat *beatissimus episcopus Iuuenalis, cur interloquente reuerend. episcopo Dioscoro, ob recitandam epistolam sanctiss. Romani archiepiscopi, lectio eius non est facta. Iuuenalis reuerend. episcopus Hierosolymæ, dixit: Statim respondit presbyter & primicerius notariorum Ioannes, habere se præmanibus sacras literas religiosissimorum & pijssimorum Imperatorum, & responderi, & imperiales literas relegi. Gloriosissimi iudices & ampliss. senatus dixerunt: Post lectionem ergò sacrarum literarum & reuerendiss. archiepiscopi Leonis epistola recitata est? Iuuenalis reuerendiss. episcopus Hierosolymæ, dixit: Decæterò neque primicerius notariorum, neque alter quis dixit, habere se præ manibus reuerend. episcopi Romani literas. Gloriosissimi iudices & ampliss. senatus dixerunt: Nunc & reuerendiss. Thalassius episcopus dicat, quam ob rem non est recitata epistola sanctissimi archiepiscopi Leonis. Thalassius reuerend. Episcopus Cæsarææ Cappadociæ, dixit: Vnum scio ego, quia neq; prohibui: neque enim tantam authoritatem habebam, vt ego solus possem disponere fieri lectionem. Gloriosissimi iudices & ampliss. senatus dixerunt: Actorum sequentia percurrantur.

*Deo amicissimus

Constan-

*Thicn. *Dien. *Euagan.

*Vranopolis

*Ephestij *Libarchiæ

*Hermupolis

*Rufo!

*Ausonio

*Irenupolis

Constantinus deuotus à secretis sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit: EPHESI ACTA.

Ioannes presbyter & primicerius notariorum recitauit *sacras literas scriptas reuerend. Episcopo Dioscoro, vt in Concilio Barsumas conueniret, sicut superiùs continetur relectæ ex codice. Iuuenalis Episcopus Hierosolymæ, dixit: Hæc eadem & mihi scripta sunt de reuerend. presbytero & archimandrita Barsuma à pijssimis Imperatoribus. vnde*decenter visum est sanctæ synodo. Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Si qui habent quod doceant, quibus iniunctum est de hoc negotio, viri spectabiles, Elpidius comes simul & Eulogius tribunus & notarius, dicant. Elpidius venerandus comes dixit: Neque malorum princeps dæmon aliquando negligit aduersus sanctas ecclesias prælia concitare; & pijssimus Imperator semper ei non iustè pugnanti resistit, rectè cogitans, quia habebit Deum propugnatorem sui imperij, si ad certamen & ipse pro pietate armetur, & in nullo se reprehendit, sic sentiens. Desursum namque omnia ei magis quàm armis reguntur. Ideoque & aduersus Nestorij arrogantiam protulit vnam vobiscum communem sententiam, quoniam ad Dei seruitium ordinatus, impij dogmatis extitit pater & doctor, vtpotè à dæmonibus sacerdotium, & non magis à diuina pietate, susciens. Sed ille quidem cõdecenti sibi loco interim condemnatus, ad inexcusabilem pœnam in futura vita seruatur, qui ad tam maximam impietatem tam ipse effusus est, quàm etiam plures secum fallendo pertraxit. Eam verò, quæ nunc orta est dubitatio, pijssimus Imperator ad vos, sicut ad patres & iudices, perducit, à vobis desiderans inuenire propositæ quæstionis solutionem, communem tam sibi quàm suis subditis credens fore tutelam. Qualia autem sunt, quæ pijssimus Imperator & nobis mandauit, & vobis dignatus est scribere, ilicò faciam manifesta, tantùm antè dicturus, quantum vnus ex *his constitutus, qui à vobis pro pietate rectè imbuti sunt. Hodiè cunctorum Dominus & Deus, *verbum, Saluator, vobis se ad iudicandum tradit, & patitur iudicantes, & honorat *potestate decreti, innuens vt vos de se iusta iudicantes, & hic honorificet, & coram patre rursus confiteatur. Si verò aliquos repererit de suis cordibus synceritatem pietatis eijcientes, & ea, quæ creduntur, arte verborum, in dubium perducentes, præter expositionem sanctorum patrum, væ illis ab vtraq; sententia, & Dei & Imperatoris. Bonum erat illis, sicut ait scriptura, si non fuissent nati, quia post latronem, & publicanũ, & meretricem, & Chananæam, syncerè non confitentur eum in gloriã Dei, qui propter nos se sponte humiliauit. Recensean etiam, quæ & nobis commissa sunt à sacratissimo & pijssimo nostro Imperatore. Elpidius venerandus comes recitauit sacrum commonitorium, *quod ei & Eulogio viro spectabili tribuno & notario datum est, quod superiùs continetur, relectum ex codice. Elpidius venerandus comes dixit: Nunc iubete susciri & recenseri & ea, quæ ad vos scripta sunt à diuino apice. Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Suscipiatur venerabilis epistola Christianissimorum Imperatorum, scripta ad sanctam synodum, & legatur. Ioannes presbyter & primicerius notariorum, recitauit. Sacræ literæ in Epheso scriptæ synodo de sanctæ memoriæ Flauiano, vtpotè innouante aliqua de fide contra Eutychen, quæ superiùs continentur perlectæ ex codice. Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Pijssimus & Christianissimus Imperator desiderans fidem, quæ hactenùs est, inconcussam manere, præcepit, nihil aliud neque dicere, neque agere in sancta synodo, nisi priùs de fide statuatur. Vnde omnia vacent, quæ sunt autem de fide, proueniant. Iulianus Episcopus agens vices sanctissimi Episcopi Romanæ ecclesiæ Leonis, interpretante eum Florentio Episcopo Lydiæ, dixit: Neque enim aliud præceptum est. Elpidius venerandus comes dixit: Quoniam ergo nunc fundamentum fidei est hęc fides, pro qua & congregati estis, dignamini annuente vobis Deo, quæ de fide sunt terminare, quatenùs secundo in loco secundùm ordinem tempus oriatur ad legendum ea, quæ in regia vrbe aduersus reuerendum Eutychen archimandritam acta sunt. Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Manifestæ nobis factæ sunt pijssimæ literæ Christianissimorum Imperatorum, & quia aliquibus in Constantinopolim motis, synodum præceperunt fieri: quæcunque ergò nunc mota sunt, primitùs aperiantur, & ita inferantur, quæ superiore tempore iure acta sunt in sanctis concilijs: aliqua enim statuerunt canones, aliqua verò sunt ordinata in synodis. Hæc transgredi non debemus. Pijssimus & Christianissimus noster Imperator pro aliquibus, quæ emerserunt, iussit hanc congregari synodũ, non vt fidem nostram exponamus, quam expositerunt iam patres nostri: sed vt inquiramus, quæ emerserunt, si conueniant sanctorum patrum nostrorum statutis. Oportet ergò ea, quæ contigerunt, primitùs inquirere, & nos probare, si consonantia sint statutis à sanctis patribus. *aut vultis fidem sanctorum patrum innouare? Sancta synodus dixit: Si quis innouat, anathema sit: Si quis discutit, anathema sit. Sanctorum patrum fidem seruemus. Et cùm legerentur,

CHALCEDONE ACTA.

Orientales & qui cum ipsis reuerendiss. Episcopi clamauerunt: Ista non diximus. Ista quis dixit? Theodorus reuerend. Episcopus Claudiopolis Isaurię, dixit: Deducat notarios suos. Eijciens enim omnium notarios, suos fecit scribere. Veniant notarij, & dicant, si ista scripta sunt, aut nobis præsentibus lecta sunt, aut quis cognouit & subscripsit. Glorioss. iudices & amplissimus senatus dixerunt: Monimenta gestorum cuius manu perscripta sunt? Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Vnusquisque per suos notarios scripsit, mei mea: religiosissimi Episcopi Iuuenalis, sui: religiosissimi Episcopi Thalassij, sui. Erant autem & aliorum reuerendissimorum Episcoporum multi notarij excipientes. sic non est meorum notariorum litera, quia vnusquisque proprium habet. Iuuenalis reuerendiss. Episcopus Hierosolymæ, dixit: Vnus notarius meus erat excipiens cum aliorum notarijs. Thalassius reuerend. Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Et meus vnus erat, qui excipiebat. Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Ecce notarius Episcopi Iuuenalis excepit, & notarius Episcopi Thalassij & Corinthi excepit, nunquid mei tantummodò? Eusebius reuerendus Episcopus Dorylei, dixit: Supplico beatissimum Episcopum Stephanum Ephesinum perquiri, si non exceperunt acta sanctæ synodi notarij ipsius, & qualia perpessi sunt à notarijs religiosissimi episcopi Alexandriæ Dioscori. Glorioss. iudices & amplissimus senatus dixerunt: Quid ad hæc dicit reuerend. Episcopus Stephanus? Stephanus reuerend. Episcopus Ephesi, dixit: Excipiebant notarij mei Iulianus, qui nunc est reuerend. Episcopus LEBEDI, & Crispinus diaconus: & venerunt notarij reuerendiss. Episcopi Dioscori, & deleuerunt tabulas eorum, & digitos eorum penè fregerunt, volentes tollere & thecas eorum. Et neque eorum actorum exemplaria accepi, neque noui decæterò, quid actum sit. Sed & in eadem die, in qua facta examinatio, subscripsimus in charta, & si qui Episcoporum non subscripserunt, ego eos in fide mea suscepi, & alio die subscripserunt. Eusebius reuerendissimus Episcopus Dorylei, dixit: Peto religiosissimũ Episcopum Ephesi Stephanum dicere, in quam chartam subscripserunt. Stephanus reuerendissimus Episcopus dixit: In pura charta, in eadem enim hora, in qua damnatio facta est, mox & subscriptio secuta est. Dioscorus reuerendissimus Episcopus Alexandriæ, dixit: Legatur professio reuerendissimi Episcopi Stephani. Putasne ego eum compuli talia profiteri? Acacius reuerendus Episcopus Ariarathiræ, dixit: Puræ chartæ subscripsimus compulsi & violenter, & multa mala perpessi nolentes, sed & per potentiam oppressi, subnotauimus. vsque enim vesperam tenuerunt nos, recludentes in Ecclesia. Et ægrotantes nos neque quiescere permiserunt, neque recedere, vt aliquantulum recolligeremur, sed milites nobis & monachos cum fustibus & gladijs imposuerunt, & sic nos fecerunt subnotare. Glorioss. iudices & amplissimus senatus dixerunt: Reliqua percurrantur. Constantinus deuotus à secrrtis sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit: Et cùm veniisset ad locum, vbi dicit,

EPHESI ACTA.

Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Ego pro satisfactione cunctorum & firmitate fidei, & pro euersione eorum, quæ emerserunt, patrum statuta scrutor, qui in Nicæa & in Epheso conuenerunt. Sancta synodus dixit: Hoc mundum saluat, hoc fidem saluat. Et cùm legeretur,

CHALCEDONE ACTA.

Eusebius reuerend. Episcopus Dorylei, dixit: Ecce,

scrutor,

*diuinas

*consequenter intersit sanctæ.

*an

*hic cõstitutis, qui for. * omnium saluator, * potestatibus decretorum.

Marc. 14. Luc. 23. Luc. 18. Matt. 21. Matt. 15.

scrutor, dixit. Et ego hoc feci. Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Scrutor, dixi; non innouo. Nam & Saluator præcepit nobis, dicens: Scrutamini scripturas. Qui enim Ioan. 5. scrutatur, non innouat. Eusebius reuerend. Episcopus Dorylei, dixit: Saluator dixit: Quærite, & inuenietis. Constantinus Matth. 7. deuotus à secretis sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit:

EPHESI LECTA.

Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Etsi duæ dicuntur synodi, tamen ad vnam pertinent fidem. Sancta synodus dixit: Plenè omnia statuerunt patres. Anathema præuaricanti ea, Nemo addat, nemo minuat. Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Quoniam voces vestras & Deus suscepit, & vos ipsi firmas eas esse acquiescitis, & placabiles Deo, si quis præter ea, quæ acta sunt, aut præter ea quæ placuerũt patribus, qui in Nicæam conuenerunt, & qui hic cõgregati sunt, aut inquirit, aut discutit, aut retractat, anathema sit. Sancta synodus dixit: Magnus custos fidei Dioscorus archiepiscopus. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Et aliud dico, quod 1. Reg. 2. est terribile & formidabile: Si, inquit, peccans peccauerit vir in virum, & orabunt pro illo ad Dominum: si autem in *Domino peccauerit, quis orabit pro eo? Si ergò sanctus Spiritus consedit patribus, sicut & manifestè cõsedit, & ordinauit quæ ordinata sunt, qui retractat ea, Spiritũ cassat gratiam. Sancta Synodus dixit: Omnes hæc dicimus. Anathema sit, qui retractat. Eijciatur retractãs. Dioscorus reuerẽdissimus Episcopus Alexandriæ, dixit: Nemo ordinat ordinata. Sancta Synodus dixit: Hæ voces sancti spiritus. Custos regularum. Pater te viuent patres, custos fidei. Et cùm legerentur:

CHALCEDONE ACTA.

Theodorus reuerend. Episcopus Claudiopolis, dixit: Hæc nullus dixit: Dioscorus reuendiss. Episcopus Alexandriæ, dixit: Ex confessis omnia negare volunt. Dicant & hæc, quia nec præsentes fuimus. Constantinus deuotus à secretis sacri consistorij, ex eadem sceda recitauit: EPHESI ACTA.

Elpidius venerabilis comes dixit: Patefactum est, quod vobis visum est de sancta fide, & cunctorum vocibus consentientium & laudantium vestrum, qui præsidetis, decretum. Iubete religiosissimum archimãdritam Eutychem, super quo iudicata sunt, quæ iudicata sunt, & qui est author totius actionis, & cuius gratia præcipuè scriptum est vobis sacris literis adesse, & quæ ei visa fuerint, docere vestram religiositatem. *Consequenter. Sancta synodus dixit: * Consequens est. Iuuenalis Episcopus Hierosolymæ, dixit: Rationabile est adesse religiosissimum archimandritam Eutychen, & suis vti documentis. Et cùm ingressus fuisset, Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Quod iustum fore suæ vtilitati putat reuerendus archimandrita Eutyches, insinuet sanctæ huic atque magnæ Synodo. Eutyches archimandrita dixit. Ego commendaui meipsum patri, & filio, & Sancto spiritui, & verbo veritatis vestrę iustitiæ, & testes vos habeo meæ fidei, pro qua & laboraui cum sancta Synodo, quæ ante vos * hic congregata est, sicut & vestra sanctitas testis est. Habeo autem præ manibus & libellum fidei meæ, & iubete eum recitari, & confessionem fidei, quæ in eo continetur. Stephanus Episcopus Ephesi, dixit: Iustum est, confessionem & libellos reuerendissimi archimandritæ Eutychis susceptos inserere fidei monimẽtorum. Et cũ porrecti fuissent, Ioannes presbyter & primicerius notariorum recitauit.

*Constantionopoli. for. *Ephesi

LIBELLVS CONFESSIONIS Eutychetis.

SANCTISSIMAE & *Domino amantissimæ vniuersali synodo congregatæ in Epheso metropoli, ab Eutyche archimandrita.* Gratias ago per omnia sancto Deo præsenti die, in qua per vos pietas recepit fiduciam, & edoceo vestram sanctam Synodum, quæ in me, magis autem contra rectam fidem, commissa sunt. Propositum quidem mihi fuerat à pueritia, in silentio absque vllo negotio vsque ad decrepitam senectutem degere, & absque conturbatione * consistere. Non sum autem permissus tali frui proposito, sed & pessimis periculis insidiantium circundatus sum, eò quòd secundùm diffinitionem prioris vestri * hic congregati sancti Concilij, non acquieui contra eam quæ in Nicæa à sanctis patribus fides est exposita, sapere. Necessarium verò arbitror, antequàm ea, quæ in me commissa sunt, doceam ad satisfactionem vestræ sanctitatis, quam habeam de sancto dogmate confessionem, ierùm facere manifestam, attestante mihi tam Deo, quàm vestra sanctitate, cum qua & ipse semper iuxta virtutem meam pro catholica fide aduersum hæreticos steti. Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem, & *vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei, natum de patre vnigenitum, id est, de substantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero, natum, non factum, homousion patri, id est, vnius cum patre essentiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terra, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, & passus, & resurrexit tertia die, ascendit in cælos, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, erat quando non erat, & antequàm nasceretur, non erat, & quia ex nullis extantibus factus est, aut ex alia subsistentia vel essentia dicentes esse, aut conuertibilem, aut mutabilem filium DEI, hos anathematizat catholica & Apostolica Ecclesia. Sic ab initio à progenitoribus meis accipiens credidi: in hac autem & genitus sum, & statim consecratus sum Deo, & suscepit me ipius misericordia. Et in hac fide baptizatus, signatus sum, & vsque hodiè vixi in ea, & opto mori. Hanc fidem & memorata hæc anterior sancta & vniuersalis synodus confirmauit, cuius præsul fuit beatæ & sanctæ recordationis pater noster & episcopus Cyrillus, & diffinitionem protulit, eum, qui præter ista addiderit aliquid, aut minuerit, aut docuerit, damnationibus, quæ tunc scriptæ sunt, subiacere. Quorum exemplaria in codice destinauit mihi memoratus pater noster & episcopus Cyrillus, quæ & præ manibus habeo. Subijciens igitur meipsum sanctæ synodo, & diffinitionem eius vsque nunc custodiui. Et cùm legerentur,

for. * & in

CHALCEDONE ACTA. Eusebius reuerend. episcopus Dorylei, dixit: Mentitus est. Non est diffinitio talis, non est regula hoc præcipiens. Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ, dixit: Quatuor codices sunt, qui hanc diffinitionem cõtinent. Quod diffinierũt episcopi, nõ est diffinitio? Nũquid habet q.a regula est, nõ est regula? Aliud est regula, & aliud est diffinitio. Accusa quinque synodicos codices, & ego habeo, & ille & ille habẽt, proferãt omnes codices. Diogenes reuerendissimus episcopus Cyzici dixit: Dolosè præposuit synodum sanctorum patrum, quæ in Nicæa facta est. Accepit nanque *additamenta à sanctis patribus, propter peruersum intellectum *Apollinaris & Valentini & Macedonij*, & qui eis similes sunt. Et additum est in symbolo sanctorum patrum, Qui descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Hoc nanque prætermisit Eutyches, sicut Apollinarista. Nam Apollinaris suscepit sanctam synodum, quæ in Nicæa facta est, secundùm propriam peruersitatem intelligens verba, Effugit de *Circa illud, Effugit de sancto spiritu & Maria virgine:* Spũsancto *in exemplari prius scripto habebatur, Ex Maria Vir-* & MARIA *gine. Quo accipitur argumentum, eam mutationem* Virgine, vt *non carere singulari intellectu.* nè omninò vnionem carnis confiteretur.

*Etenim sancti patres, qui in Nicæa cõuenerunt, quòd incarnatus est, dixerunt. sancti autem patres qui post ipsos fuerunt, explanauerunt dicentes, de Spiritu sancto & Maria Virgine. Aegyptij & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi, clamauerũt: Nemo suscepit adiectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa constituta sunt, teneant. Catholicus Imperator hoc iusit. Oriẽtales, & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi clamauerunt: Hæc Eutyches dixit. Aegyptij & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi, clamauerunt: Adiectionem nullus suscipit: Teneant, quæ patrum sunt, teneant quæ in Nicæa constituta sunt, tenẽt quæ de Spiritu sancto sunt, catholicus Imperator hoc iusit. Constãtinus deuotissimus magistrianus, & à secretis sacri cõsistorij, ex eadem scheda recitauit: EPHESI ACTA, Et omnes enim sanctos patres, sicut & vestra sanctitas, catholicos habui, & fideles, & doctores meos posui, anathematizans Manichæum, Valentinum, Apollinarium, & Nestorium, & omnes hæreticos vsque ad Simonem Magum, & eos, qui dicunt carnem

In Græco propriè it à est. Sancti enim patres qui postea fuerunt, id quod est, incarnatus est, quod dixerunt sancti patres in Nicæa.

Hic Ægyptij & qui cum ipsis excludunt synodum, locum faciendo hæreticis.

*persistere

Ephesi c. cõtra Nestorium.

Domini & DEI noſtri IESV CHRISTI de cælo deſcendiſſe. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA.

Euſebius reuerend. epiſcopus Dorylei, dixit: Fugit quidem quod de cælo. Vnde autem, quod non addidit. Diogenes reuerendus epiſcopus Cyzici, dixit: vndè ergò, dic: Per poteſtatem veſtram rogauimus eum, dicentes: Domine Eutyche, vnde ergo? dic. & non conceſſit. Baſilius reuerend. epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ, dixit: Rogauimus eum tunc, ſicut memorat Dominus Euſebius, & Sozon Philippenſis, vt diceret modum incarnationis & humanæ aſſumptionis, ſi ſecùdùm aſſumptionem carnis ſcit DEVM Verbum factum hominem. Et iuſſerunt non inueſtigatum dimitti iſtud, & non ſuſceperunt proſequutionem noſtram. Dioſcorus reuerend. epiſcopus Alexandriæ, dixit: Religioſiſsimus epiſcopus Baſilius reprehendit in geſtis ſuam vocem, dicens quia ſic non dixi, ſed falsè ſcriptum eſt: Si verò Eutyches præter dogmata Eccleſiæ ſapit, nõ ſolùm pœna dignus eſt, ſed & igne. Ego verò fidei Catholicæ & Apoſtolicæ ſollicitudinem gero, & non alicuius hominis. Ad ipſam nanque diuinitatem mentem intentam habeo, & ad perſonam non attendo, neque pro quolibet curo, niſi pro mea anima & recta & ſyncera fide. Baſilius reuerend. epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ, dixit: Dum legerentur geſta, quæ in Eutyche acta ſunt, mea interloquutio lecta eſt, & in medio prolata eſt, quam feci ſequens patres, qui in Epheſo primitùs conuenerunt, laudans epiſtolam beatiſſimi Cyrilli illius beatæ ſynodi præſulis, per quam inſanum Neſtorium arguit, malè interpretantem trecẽtorum decem & octo patrum fidem. Habebat autem interlocutio mea, ſicut & hactenùs habet: Adoro Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM filium DEI vnigenitum, DEVM verbum, poſt incarnationem & inhumanationem in duabus naturis cognitum. Ægyptij & qui cum ipſis reuerendiſſimi epiſcopi clamauerunt: Impartibilem nemo ſeparet. Vnum filium nemo dicit duo. Orientales & qui cum ipſis reuerendiſsimi epiſcopi clamauerunt: Anathema diuidenti, anathema partienti: Baſilius reuerend. epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ, dixit: Anathema partienti, anathema diuidenti duas naturas poſt adunationem. Anathema autem, & qui non cognoſcit* naturarum proprietatem. Aegyptij & qui cum ipſis reuerend. epiſcopi, clamauerunt: Sicut natus eſt, ſic paſſus eſt. Voces noſtras Imperatori. Vnus Dominus, vna fides, vnum Dominum, nemo dicit duo. Hęc Neſtorius ſapit, Hæc Neſtorius clamat. Orientales & qui cum ipſis reuerendiſsimi epiſcopi, clamauerunt: Anathema Neſtorio & Eutychi.

Aegyptij & qui cum ipſis reuerendiſsimi epiſcopi, clamauerunt: Dominum gloriæ nolite partiri, impartibilem nolite partiri.

Baſilius reuerend. Epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ, dixit: Quod dicebam, in duabus naturis cognoſcẽdum poſt adunationem deitate perfecta & humanitate perfecta. Nanque vnam habebat ex patre ante ſecula, alteram verò ex matre ſecundùm carnem ſuſcipiens, idem ipſe vnijt ſibi ſecundùm ſubſiſtentiam, & vocatus eſt filius DEI filius hominis. Hac lecta interlocutione, vnus quidem neſcio quis (etenim caligo cauſarum, & animæ oculum confundebat & corporis) proiecit ſeipſum in medio, & dicere cœpit: Quia hæc vox eccleſias conturbauit. Et ſurrexerunt poſt modùm omnes Aegyptij, & monachi qui ſequebantur, Barſumas & omnis turba, & cœperunt dicere: Eum, qui dicit duas naturas, in duo incidite. Qui dicit duas naturas, Neſtorianus eſt. Poſt hæc recitata eſt iterum mea vox, poſt impiam & peruerſam Eutychis vocem. Interrogatus nanque à reuerendiſſ. epiſcopo Euſebio, dicis duas naturas in Chriſto: dicit, ex duabus quidem naturis ſcire Chriſtum ante adunationem, poſt verò adunationem, vnam. Ego verò tunc, ſicut nunc, intuens moniméta, recordatus ſum, & dixi: Si non poſt adunationem inſeparatas & inconfuſas duas naturas dixeris, confuſionem dicis & commixtionem. Lecta autem hac voce, tantus ab illis factus eſt plauſus, vt omnium noſtrorum commouerentur animæ, & maximè noſtrę, qui iudicabamur, & qui iuſſi ſumus ſynodi expectare ſententiam. Caligine repletus dixi, quia ego non recordor his verbis iſta dixiſſe. Scio quidem dixiſſe: quod ſi vnam naturam dicas abſolutè poſt adunationem, confuſionem dicis & commixtionem. Si verò addideris incarnatã & inhumanatã, & intellexeris iuxta beatum Cyrillum incarnationem & inhumanationem, eadem nobiſcum dicis. Manifeſtum enim, quia aliud eſt diuinitas eius, quæ ex patre: aliud verò humanitas, quæ ex matre eſt: Et qui priùs reprehenderunt, poſteà approbauerunt me iſta dixiſſe. Glorioſiſsimi iudices & ampliſsimus ſenatus dixerunt: Et ſic catholicè docens, pro qua re in damnatione ſanctæ recordationis Flauiani ſubſcripſiſti? Baſilius reuerend. Epiſcopus Seleuciæ Iſaurię, dixit: Quoniã in iudicium centum viginti aut triginta epiſcoporum traditus, neceſsitatem habui parere his, quæ ab illis ordinabantur. Dioſcorus reuerend. epiſcopus Alexandriæ, dixit: Nunc completum eſt, quod ſcriptum eſt: Ex ore tuo condemnaberis. Erubeſcens homines, præuaricatus es quod bonum eſt, & fidem ſprecuiſti. Non* audiſti quod ſcriptum eſt, Non erubeſcas in ruinam tuam?

Baſilius reuerendiſsimus epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ, dixit: Si apud iudices habuiſſem martyrium, ſuſtinuiſſem. etenim apud Conſtantinopolim oſtendi fiduciam meam. A patre autem, qui iudicatur, iuſtis non vtitur: Filius enim patri etiam iuſta dicens, moriatur. Orientales, & qui cum ipſis reuerendiſsimi epiſcopi clamauerunt: Omnes peccauimus, omnes veniam poſtulamus. Glorioſiſsimi iudices & ampliſsimus ſenatus dixerunt: Et quidem vos primitùs docuiſtis, quia per vim & neceſsitatem in pura charta coacti eſtis ſubſcribere ad damnationem ſanctæ memoriæ Flauiani. Orientales & qui cum ipſis reuerendiſsimi epiſcopi, clamauerunt: Omnes peccauimus, omnes veniam poſtulamus. Thalaſius & Euſebius & Euſtathius reuerendiſsimi epiſcopi, dixerunt: Omnes peccauimus, omnes veniam poſtulamus. Beronicianus deuotiſſimus magiſtrianus & à ſecretis ſacri cõſiſtorij, ex eadem ſchedà recitauit: EPHESI ACTA, SED CHALCEDONE LECTA. Sed ſecundùm hanc fidem & viuens, & permanens in orationibus, accuſationem ex inſidijs Euſebij Epiſcopi Dorylei ſuſtinui, libellos porrigentis aduersùm me reuerendiſſimo epiſcopo Flauiano, & diuerſis alijs epiſcopis, qui tunc pro priuatis cauſis in vrbe degebant regia, hæreticum me iniuriosè in eis vocantis, nullam autem ſpeciem hæreſeos libellis inſerentis. Vt ſubitò in altercationibus quæſtionum lapſum linguæ (ſicut aſſolet) ex tumultu & nouitate vocum perpeſſus, irruerem in peccatum, me quidem aduerſus libellos accuſationis memoratus reuerend. epiſcopus occurrere ad ſatisfactionem accuſatoris præcipiebat. Ipſe tamen in multis cum accuſatore degebat, & penè inſeparabilis erat ab ipſo, putans me (ſicut ſolebam) ſemper in monaſterio perdurare, non meam exhibere præſentiam, & idcò quaſi non occurrentem damnare. Sed ſubitò poſtquàm peruenì in regiam ciuitatem de monaſterio meo, diſcens à viro laudabili magno ſilentiario, quem mihi pijſsimus & fideliſsimus noſter Imperator delegauit, ad non concedendum, me comminatum periculum ſalutis ſuſtinere, qui ſuperfluam de cæterò meam eſſe præſentiam reſpondit, vt iam ante diſcuſsionem damnati, ſicut & poſteà facta à viro laudabili ſilentiario proſequutio docet: ſed quoniam etiam ſic in iudicium ad ſatisfaciẽdum occurri, cauſa quidem, quæ pro diuina cõfeſsione à me facta eſt & ſubſcripta doctrina, ſecundùm eam, quæ expoſita eſt à ſanctis patribus in Nicæa fidem, & poſteà confirmata eſt à priore ſancta ſynodo Epheſina, neque ſuſcipere dignabatur, neque permittebat recitari: & tumultu & conturbatione ſecretarium replebatur, multis inordinatè ſuperuenientibus, & vndique clamoribus me perturbantibus, ſicut poſteà prolatæ interloquutiones iudicum, quæ ſcriptis tenentur, de tali facto tumultum deſignant. Et cùm iuſſus fuiſſem per meipſum confeſsionem fidei dicere, & dixiſſem ſapere ſicut trecenti decem & octo patres, qui in Nicæa ſanxerunt, & quæ in Epheſo ſancta ſynodus confirmauit, exigebat me alia aliqua, *præter quæ expoſita ſunt in Nicæa & in Epheſo priùs, dicere. Ego verò timens præuaricati, prolatam definitionem à ſancta ſynodo, quæ hic Dei voluntate priùs congregata eſt, & ea, quæ diffinita erant de fide à ſanctis patribus, qui in Nicæa conuenerunt rogebam innoteſcere veſtro ſancto Concilio, vt his, quæ à vobis approbarentur, acquieſcerem, præparatus in his manere. Et hæc dicenti, ſubitò contra me longè antè ſcripta (vt ipſi videbatur) damnatio legebatur, & ſecretò iam poſteà aliquæ ipſorum voces ac profeſsiones meæ, & aliæ allegationes, & maximè vbi ego ſecundùm ſanctos patres in Nicæa, & poſteà in Epheſo congregatos, ſapere confitebar, in monimentorum ſeriem mutabantur, ſicut poſteà ſcriptis acta ex mea ſupplica-

tione

Initium certaminis de duabus naturis Chriſti

*quod eſt proprium naturarũ.

Imperita & impia Barſumæ dicta.

Matt. 12.

*attendiſti

Continuatio confeſſionis Eutychetis, paulo antè interruptæ.

*præterquam Epheſi. ſ. cõtra Neſtorium.

tione & iussione piissimi & Christianissimi Imperatoris, ostendunt, nullum verbum faciẽte de appellatione mea ad vestram sanctitatem reuerendissimo episcopo Flauiano, neque meos erubescente canos, in prælijs contra hæreticos & pietatis confessione senescentis: sed sicut potestatem habens omnia de fide solus agere, & nihil vestræ sanctitati de tali æquitate tanti iudicij reseruare, condemnauit me, & ab ecclesia (vt putabat) abscidit, & sacerdotio (vt arbitratus est) priuauit, & à diuinorum ac canonum communione prohibuit, & præesse monasterio consequenter impediuit, & tradidit multitudini ab eodem præparatæ, vt per episcopium & per publicum, sicut hæreticum ac blasphemum, Manichæumque, protraherent, nisi diuina me prouidentia conseruans vsque in præsentem diem, vestræ beatitudini custodiret. Sed & in diuersis oratorijs memorijsque sanctorum, post appellationem fecit in me prolatam legi sententiam. Et anathematizabat me, & eos, qui conueniebant ad me, & colloquebantur mecum, alienos faciens à sancta communione, non expectans vestræ sanctitatis iudicium: sed & subscribere dictatam aduersus me sententiam monasteria compellebat, nunquàm (sicut & vestra nouit reuerentia) tali habita consuetudine, nec contra apertos hæreticos. Et in Oriente & per alia diuersa loca chartas destinauit, vt etiam & ab alijs religiosis episcopis & monachis, & hoc, qui non iudicauerunt, subscriberentur, cùm magis oportuerit antè omnibus pontificibus subscribere, quos & appellaueram.

Tunc ergò vix saluatus, per libellos manifesta feci vestræ sanctitati, quæ subsequuta sunt, & pijssimo & fidelissimo Imperatori supplicaui, vos sanctos & Deo dignos, atque omnem iniustitiam & factionem abominantes, iudices fieri eorum, quæ iudicata sunt. Rogo igitur nunc vestram sanctitatem, considerate compositam mihi calumniam & factionem, & ex hac causa factam vbique sanctis ecclesijs perturbationem, & ex hoc pullulans plurimis scandalum: & per insitam vobis Christianissimam sapientiam, eos, qui huius mali occasio facti sunt, ecclesiasticis regulis subdite. Omnem verò radicem blasphemiæ & impietatis abscinde. Ego enim vestræ beatitudinis iudicium ab initio proclamaui, & iterum contestor coram IESV CHRISTO, qui testimonium perhibuit sub Pontio Pilato bonam confessionem, quia sic sapio, & cogito, & intelligo, sicut tradiderunt nobis fidem sancti patres in Nicæa conuenientes, quam & in *Epheso secundo Concilio sancti patres roborauerunt: *Et si quis præter istam fidem glorificat, hunc anathematizo* secundùm diffinitionem eorum. Eutiches archimandrita sic credo, sicut suprà scriptum est, & subscripsi manu mea, & tradidi libellos. Flauianus episcopus Constantinopolitanus, dixit: Iste accusatorem habuit Eusebium, iubete eum adesse. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Eusebius reuerend. episcopus Dorylei, dixit: Accusatus à me Eutyches, dans libellos in sancta synodo, commemorauit, quia accusator ipsius sum. Quo autem modo, cum sanctæ memoriæ Flauianus, qui iudicauerat, postularet me accusatorem eius ingredi, & consequentia ac regulis ita volentibus, prohibitus sum ingredi, rogo perquiri. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Postulante Flauiano sanctæ memoriæ Eusebium accusatorem Eutychis ingredi, quapropter secundùm regulas vos, quibus potestas iudicandi data fuerat, hoc fieri non præcepistis? Dioscorus reuerend. Episcopus Alexandriæ dixit: Postulo recitari prosequutionem Elpidij. Non enim habui prohibere, nisi commonitorium detulisset Elpidius, confirmans quia Imperator eum iusserat non ingredi. Iuuenalis reuerend. episcopus Hierosolymorum, dixit: Venerand. comes Elpidius non iussit eum ingredi. Thalassius reuerend. episcopus Cęsareæ Cappadociæ, dixit: Ego non eram author. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: In iudicio fidei non est ista defensio. Dioscorus reuerendus episcopus Alexandriæ, dixit: Quoniam igitur nunc culpatis me, sicut qui transgressus sum regulas, & audissem Elpidium: nunc quæ custodiuntur regulæ, vt Theodoretus ingrederetur? Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Theodoretus episcopus, vt accusator ingressus est, sicut ex voce eius audistis. Dioscorus reuerendus episcopus Alexandriæ dixit: Et quamobrem in ordine episcopi sedet? Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Et episcopus Eusebius & episcopus Theodoretus in ordine accusantium sedent, sicut & vos in loco *accusatorum sedetis. Vndè reliqua relegantur. Constantinus deuotus à secretis sacri consistorij, ex eadem schedula recitauit:

EPHESI ACTA. Elpidius venerandus comes dixit: *Sacratissimus Imperator implẽs ipse primùm ordinem legum, quarum est & inuentor & custos, præcepit eos, qui dudùm iudices fuerant, in loco eorum esse, qui iudicandi sunt, neque habere tempus docendi, neque fiduciam à vobis accipere. Ad ea ergò, quæ nunc ab archiepiscopo Flauiano dicta sunt, & hoc doceo, quia accusator quidem suam accusationem impleuit: & vt arbitratus est, vicit: & iudex accusatoris causam iam in semetipso transtulit, sicut & in publicis sententijs custoditur. Nunc igitur vos conueniatis, vt eos, qui iudicauerant, iudicetis: non vt iterum accusatoris personam suscipiatis, & perturbationis iterum initium alterum fiat. Iubete ergò (sicut placet) secundùm ordinem reliqua omnia, quæ in causa acta sunt, relegi ad id quod vobis visum fuerit. Dioscorus reuerendus episcopus Alexandriæ, dixit: *Consequenter docuit venerandus comes Elpidius. Vnde porrecto libello & relecto, legantur & ea, quæ in regia vrbe de hoc negotio, quod mouetur, gesta sunt. Dicant etiam & præsentes reuerendissimi episcopi, si hoc eis placet. Iuuenalis episcopus Hierosolymorum dixit: Consequens est sententia tuæ sanctitatis. Vnde rationis est gesta recitari. Stephanus episcopus Ephesi dixit: Iusta constituta interlocutione sanctissimi & beatissimi patris nostri Dioscori & archiepiscopi, hoc fiat. Cyrus episcopus Aphrodisiadis dixit: Iusta est & consequens interlocutio sanctissimi & DEO amantissimi archiepiscopi Dioscori, ad recitanda, quæ super hac causa acta sunt in regia vrbe. Thalassius episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Consequens est, ea quæ interlocuta est vestra sanctitas, effectui mancipari. Pro qua re proferantur chartæ, quæ recitari debent in hoc sancto Concilio. Eusebius Ancyræ Galatiæ dixit: Et mihi similia placent, vt secundùm sententiam sanctorum patrum fiat gestorum lectio. Diogenes episcopus Cyzici dixit: Et ego ad hæc eadem consentio, quatenus secundùm sententiam sanctæ & magnæ synodi percurratur actorum series, quæ in regia vrbe facta sunt. Florentius episcopus Lydiæ dixit: Concors sum propositi benè inquirentium lectionem actorum. Theodorus episcopus Tarsi dixit: Secundùm quod peruisum est sanctissimis archiepiscopis, iustum est recitari, quæ acta sunt in regia vrbe. Ioannes episcopus Sebastiæ dixit: Secundùm decretum sanctissimorum & Deo dignissimorum episcoporum, necessaria est, quæ in regia vrbe gesta sunt, monimentorum lectio. Romanus Episcopus Miron dixit: Iustum puto, recitari gestorum seriem, quæ in regia vrbe sunt acta, sicut & sanctissimi patres interlocuti sunt. Nunechius episcopus Laodiceæ Trimitariæ dixit: Secundùm interlocutionem sanctissimorum patrum, consequens & mihi visum est actorum fieri lectionem. Marinianus episcopus Sinnadæ dixit: Sicut interlocuti sunt sanctissimi patres, recitentur gesta, quæ facta sunt propter Eutychen in regia vrbe. Eustathius episcopus Berytius dixit: Necessaria est actorum lectio ad notionem eorum, qui cognitioni minimè interfuerunt. Quintillus episcopus Heracleæ, agens vices reuerendissimi episcopi Anastasij Thessalonicensium dixit: Consequens est recitari quæ acta sunt apud magnificentissimam vrbem Constantinopolim, sanctæ synodo pro perfectiore negotij notione. Atticus episcopus Nicopolitanus veteris Epiri dixit: Consequens est interlocutioni sanctissimi archiepiscopi nostri Dioscori, & acta recitari vniuerso sancto Concilio ad subtilem inquisitionis notionem. Sozon episcopus Philippensis primæ Macedoniæ dixit: Necessaria est lectio eorum, quæ in regia vrbe acta sunt, in hoc negotio. Ita enim possunt diligentius intelligi, quæ ibi mota sunt. Vranius episcopus Himeriæ prouinciæ *Osrœnæ, interpretante se Eulogio presbytero Edessenæ ciuitatis dixit: Consequenter iudicauit sanctissimus & Deo dignissimus archiepiscopus Dioscorus, vt ea priùs, quæ in vrbe regia de præsenti negotio acta sunt, recitentur. Sancta synodus dixit: Omnes volumus acta recitari. Legantur quæ gesta sunt. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Dicat & beatissimus Iulianus episcopus, vicarius sanctissimi episcopi Romanæ ecclesię Leonis, si congruit huic sanctæ synodo, & vult & ipse relegi, quę de hoc negotio

* Ephesio

Dioscorus vafrè à propositis ad alia vergit.

* eorsi qui accusantur

* diuinissimus

id est, rationabiliter.

gotio acta sunt in Constantinopoli. Iulianus episcopus agens vices sanctissimi episcopi Romanæ Ecclesiæ Leonis, interpretante se Florentio episcopo Lydiorum dixit: Hac ratione volumus gesta relegi, vt priùs Papæ legatur epistola. Hilarius diaconus Romanæ Ecclesiæ, interpretante se Florentio episcopo Lydiorum dixit: Quoniam & sanctissimus episcopus Romanæ Ecclesiæ, relectis sibi istis monimentis, quorum nunc quæritis lectionem, transmisit epistolam, eam legi iubete. Quo dicente, Eutyches archimandrita dixit: Directi religiosissimi viri à sanctissimo & Deo amantissimo Leone archiepiscopo Romanæ Ecclesiæ in sanctam vestram synodum suspecti mihi facti sunt. Manserunt enim apud religiosissimum Flauianum episcopum, & * prandiderunt apud eum, & numerati sunt, & omne obsequium eis prębuit. Postulo ergò sanctitatem vestram, si quid iniustè ab eis factum fuerit contra me, id præiudicium mihi non generare. Dioscorus reuerend. episcopus Alexandriæ, dixit: Consequens & rationabile est, primitùs quæ in hoc negotio acta sunt, relegi, & ita epistolam beatissimi episcopi Romani. Vnde secundùm quod placuit sancto Concilio, acta percurrantur. Ioannes presbyter & primicerius notariorum, dixit: Præcepit sancta vestra & magna synodus, quæ acta sunt in regia vrbe Constantinopoli, legi de negotio, quod præ manibus habemus. Sed quia obtulit ea religiosissimus episcopus Constantinopolitanus Flauianus, porrexit etiam & similia reuerendus archimandrita Eutyches, recitabimus sicut præcepistis.

*pransi sunt

ACTIO PRIMA CONSTANTINOPOLI habita de Eutychete, lecta in Ephesino secundo Concilio, relecta in Chalcedonensi.

COnsulibus Flauijs Zenone & Posthumiano viris clarissimis, sub die sexto idus Nouembris, in Christianissima & regia vrbe Constantinopoli noua Roma, congregata sancta & magna synodo reperta, in prædicta magnificentissima vrbe in secretario episcopij, præsente sanctissimo & beatissimo archiepiscopo Flauiano, & recitantibus relationem directam à Florentio beatissimo episcopo Sardis metropolis prouinciæ Lydiorum, aduersùs sub eo constitutos reuerendissimos episcopos Ioannem & Cosinium, præsentibus etiam clericis his, qui easdem relationes detulerunt. Et data forma de aliquibus, quæ lecta sunt, exurgens Eusebius reuerendissimus episcopus Dorylei, vnus constitutus de considentibus, libellos obtulit sancto Concilio, coniurans eos relegi, & inferri monimenta actorum: instante verò eo, sanctissimus archiepiscopus Flauianus dixit: Susceptus libellus legatur, ad cognoscendam causam, quæ in eo continetur. Et susciens Asterius notarius legit.

EPISTOLA EVSEBII EPISCOPI DORILEI ad Flauianum Constantinopolitanum archiepiscopum.

EXemplar libelli Eusebij reuerendissimi episcopi Dorylei. Sanctissimo & beatissimo archiepiscopo Flauiano, & præsenti magno & sancto Concilio, in hac regia vrbe religiosissimorum episcoporum ab Eusebio episcopo Dorylei. Optaueram quidem non sic præfocatum sensum & ebrium cogitatione & excessu mentis capi Eutychen presbyterum & archimandritam, vt oblitus quidem timoris Dei, sperneret etiam terribile tribunal Christi, saluatoris omnium nostrum, & iustum eius iudicium & retributionem, qui venturus est iudicare orbem terræ in æquitate, & reddere vnicuique secundùm opera sua: nec vt ita auderet aduersùs saluatorem omnium nostrũ Christum blasphemam linguam mouere, & patres, qui inter sanctos connumerantur, hæreticos nominare, & nos, qui eorum sumus fidei sectatores. Quoniam verò non cessat, inobseratum habens os & infrenem linguam, negans pijssimam rectæ religionis doctrinam, derogans autem & sanctissimis patribus, * & me qui nunquam hæreticus suspicatus sum, sed econtrariò magis semper hæreticis repugnantem, & orthodoxam fidem secundùm meas vires defendentem, permanentemque in fide sanctorum patrum trecentorum decem & octo in Nicæa congregatorum, & omnibus quæ in Ephesia metropoli à sancta & magna synodo acta sunt, & his, quæ sapuit & exposuit beatissimus Cyrillus, Alexandriæ magnæ ciuitatis quondam episcopus, EPHESI LECTA. Et clamans sancta synodus dixit: Semper memoria Cyrilli, Dioscorus & Cyrillus vnam fidem habent. Sic sapit omnis synodus, Cyrillo æterna memoria. Si quis retractat, anathema sit: si quis super ista inquirit, anathema sit. Maledictus qui addit, maledictus qui aufert, maledictus qui innouat. Voces nostras Imperatori. Iulianus episcopus agens vices sanctissimi episcopi Romanæ Ecclesiæ Leonis, interpretante se Florentio episcopo Lydiorum, dixit: Apostolica sedes sic sapit. CHALCEDONE ACTA. Sancta synodus dixit: Et hæc vniuersalis synodus sic sapit. Et post has voces sequentia libelli Eusebij.

Psal. 95. Matt. 16.

for. * & hæreticos me accusans, qui

CONSTANTINOPOLI ACTIONE PRIMA ACTA, LECTA EPHESI, RELECTA CHALCEDONE. & magnus Athanasius, & Gregorius, & Atticus, & Proclus sancti episcopi, supplico & peto, vestram sanctitatem minimè despicere hanc meam supplicationem: sed iubere Eutychen presbyterum & Archimandritam occurrere in sanctum vestrum concilium, & respondere his, quæ à me ingeruntur. Paratus enim sum eum conuincere, falsò habere catholicum nomen, & alienum omninò à recta fide. Et coniuro vos per sanctam & homousion Trinitatem, quæ saluat Christianissimos nostros imperatores, & per salutem & per reuerentiam pijssimorum nostrorum Imperatorum Theodosij & Valentiniani perpetuorum Augustorum, prædictum Eutychen iubere occurrere in vestram sanctam synodum, & satisfacere his à me ei obiectis: quatenus hoc ita conuicto à me, & qui ab eo subuersi sunt, erigantur: & catholica fides vincens & nunc, appareat omnes mundi terminos circumplexa: quo proueniente, gratias semper vestræ confitear sanctitati. Eusebius episcopus Dorylei sanctæ Dei ecclesiæ, offerens hos libellos meos, subscripsi manu mea. Sanctissimus Flauianus archiepiscopus, dixit: Stupefaciunt quidem nos, quæ lecta sunt, eò quòd talis ingeritur repræhensio reuerendo presbytero & archimandritæ Eutychi. Tamen dignetur tua reuerentia conuenire ad eum, & disputare cum eo de recta fide: & si inuenietur pro vero non recta sentiens, tunc vocabitur in * sancto concilio, & aderit sibi. Eusebius reuerendissimus episcopus Dorylei, dixit: Ego quidem amicus illi eram priùs. Non semel autem nec secundò, sed sæpiùs conueni ad eum pro hac causa, ex qua læsus est, & locutus sum cum eo, & inueni eum non recta sapere, & monui, & docui: sed instabat, dicens ea, quæ aliena sunt à recta nostra fide. Et hoc possum ostendere per multos testes, qui præsentes fuerunt & audierunt. Coniuro igitur vos, & iterum per Dominum nostrum Iesum Christum, quatenus destinetis ad eum, vt veniat, & respondeat. Et postquam victus à me fuerit, cesset à peruersa doctrina: quia multi ab eo læsi sunt.

for. * sanctum concilium.

Sanctissimus archiepiscopus Flauianus, dixit: Patiatur nos tua reuerentia. & mox fatigationem sustineat vsque monasterium, & quæ condecent, loquatur ei, & quæ ad pacem pertinent, vt non commotio, cursus & conturbatio oriatur sanctis ecclesijs Christi. Eusebius episcopus Dorylei, dixit: Impossibile est, me iam postquàm perrexi frequenter, & non persuasi, iterum ad eum accedere, & blasphema verba audire. Sed dignetur vestra sanctitas dirigere ad ipsum, vt occurrat: nec enim permitto, inexaminatum tantum negotium relinqui. Sancta synodus dixit: Oportuerat quidem tuam reuerentiam acquiescere suasionibus sanctissimi & beatissimi archiepiscopi nostri. Sed quia perstantem te videmus, fiet quod postulasti. Nunc ergò primitùs à te datos libellos fides teneat monimentorum, ad diligentem agendorum examinationem. Ioannes autem religiosissimus presbyter & defensor, simul cum religioso diacono Andrea, pergẽtes ad religiosissimũ presbyterum & archimandritam Eutychen, porrectum aduersùs eum libellum ei relegant & commoneant occurrere ad hoc sanctum concilium, & sibi adesse. Non enim in leui accusatur causa. Et cùm legerentur,

CHALCEDONE ACTA.

Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Cùm Eusebius reuerendissimus episcopus apud Constantinopolim accusaret Eutychen, considerate, quia ipse postulauit, vt præsens Eutyches discuteretur: quomodo igitur in

Epheſo ſimiliter non eſt obſeruatum, neque ſuſceptus eſt Euſebius reuerendiſsimus epiſcopus? Et omnibus tacentibus, Glorioſiſsimi iudices, & ampliſsimus ſenatus dixerunt: Reliqua percurrantur. Beronicianus deuotiſsimus à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex eadem ſcheda recitauit:

ACTIO CONSTANTINOPOLITANA ſecunda de Eutychete, lecta in Epheſina Synodo prophana, relecta in Chalcedonenſi.

Anno Domini 448. CONSVLATV Flauij Zenonis & Poſthumiani virorum clariſsimorum, ſub die pridiè Idus Nouembris, in Chriſtiana regia apud Conſtantinopolim noua Roma, congregata ſancta & magna Synodo, cõuerſante in prædicta magna vrbe, præſidente ſanctiſsimo & beatiſsimo Archiepiſcopo Flauiano in ſecretario epiſcopij, Euſebius epiſcopus Dorylei dixit: Interpellans veſtram ſanctitatem, dudùm libellos obtuli, accuſans Eutychen presbyterum & archimandritam huius ciuitatis, ſicut doctrinas orthodoxæ Eccleſiæ corrumpentem, tam per diſputationes quàm per admonitiones ad ſe conuenientium, per quos poſsibile eſt (poſtquàm idem aduenerit) probationes me in certamen præſentare, & eum palàm ex multis conuincere probationibus. Quoniam igitur paratus ſum hunc talẽ probare, rogaui veſtram ſanctitatem, vt eum regulariter commonitum, peruenire ad ſanctum Concilium iuberetis. Et hoc fieri præcepiſtis per quoſdam reuerendiſsimos clericos. Suggero autem, vt perfectiùs veſtra doceatur ſanctitas, quoniam ſanctæ & beatæ memoriæ quondam Alexandriæ magnæ ciuitatis ſanctiſsimæ Eccleſiæ Archiepiſcopus Cyrillus, Neſtorium peruerſam introducentem doctrinam & prædicantem in Eccleſia, habens amorem DEI & zelum fidei, cognoſcens de eo, ſuaſorias ad eum literas deſtinauit, continentes expoſitiones ſanctorum patrum, qui in Nicæa congregati ſunt, & quemadmodum oporteat illam ſpiritalem expoſitionem & intelligere, & ſãpere. Hanc ſuſcipiens Neſtorius epiſtolam, reſcripſit ad eundem beatæ memoriæ Cyrillum, peruerſã ſua & prophana dogmata manifeſtans, pro quibus ſecundùm præceptionem Chriſtianiſsimorum Imperatorum noſtrorum ſynodus in Epheſo Metropoli congregata eſt. Et primo loco poſtulauit beatæ memoriæ Cyrillus, relegi ſanctæ & magnæ ſynodo epiſtolam à ſe Neſtorio deſtinatam, vt approbaretur ab ea, vtrùm conſonans eſſet expoſitioni ſanctorum Patrum, an aliter haberet. Et interloquente igitur ſancta illa & magna & vniuerſali ſynodo, lecta eſt ipſa epiſtola. Et omnes, qui in illa magna & vniuerſali ſynodo conſederunt, decreuerunt eam conſonam eſſe expoſitioni ſanctorum patrum & ſanctarum ſcripturarum, & in nullo ab eis diſſonare, conſentire verò ſe his, quæ in eadem continebantur epiſtola. Hanc & nunc, veſtram deprecor ſanctitatem, vt iubeat recenſeri, & omnibus fieri manifeſtam, quia ſecundùm expoſitiones, quæ in memorata epiſtola continentur, ſic ſapimus, & ſic credimus. Eſt enim & ſecunda epiſtola memorati ſanctæ recordationis Cyrilli, ſcripta ad ſanctam Orientalem ſynodum, quando inter eos concordia facta eſt, quomodo habent de incarnatione ſaluatoris noſtri Chriſti, & quomodo oportet vbiquè ſanctas Dei eccleſias ſapere & prædicare. Et has ſupplico ſub fide monimentorum lectas inſeri, vt manifeſta ſint omnibus Eccleſiæ dogmata. Sanctiſsimus archiepiſcopus Flauianus dixit: Etſi hæc omnibus fidelibus nota ſunt, qui nutriuntur, & meditantur in libris ſanctorum patrum, propter profectum & robur, quod ex eorum lectione quotidiè inſitę nobis fidei procreatur: nihil tamen prohibet pro tua poſtulatione, etiam nunc relegi, ad inferenda omnia, quæ aguntur, fidei monimentorum.

RESCRIPTVM EPISTOLAE RELIGIOSISSIMI Cyrilli Alexandriæ epiſcopi, ad Neſtorium menſe Mechir, indictione XIIII.

EDITIO VNA.

Mechira Ægyptij Februrriũ vocãt, qui apud illos tunc inchoatur, quando apud nos habet mẽſis Ianuarius dies 23. OBloquuntur quidem (ſicut audio) quidam æſtimationi meæ apud tuam religioſitatem, & hoc frequenter, proceſsionum vel conuentuum tempora maximè obſeruantes: & eo magis forſitan arbitrantes delectare ſe aures tuas, & inconſideratas aduerſum nos voces emittunt, læſi quidem nihil, obiurgati autem & hoc leuiter, vnus quidem eorũ, quod cæcos & pauperes vexabat iniurijs: alter autem, quòd contra matrem euaginauerat gladium: tertius verò, quia cum ancilla aurum furatus eſt alienum, & qui talem ſemper habuerit exiſtimationem, qualem nullus ſaltem prouenire grauiſsimis inimicis optauerit. Verùm non multus mihi de talibus ſermo eſt, vt neque ſupra Dominum & magiſtrum, neque ſupra patres, puſillitatis quæ mihi ineſt, modus creſcat. Non enim facile eſt cuiquam, (quamlibèt vitam ſuam habeat circunſpectam) nequam hominum maledicta vitare: ſed illi quidem maledictione & amaritudine plenum os habentes, reddent quandoq; omnium iudici rationem. Conuertar autem nunc ego ad id quod me maximè decet, & commonebo etiam nũc te, tanquàm fratrem in Chriſto, doctrinæ ratione & ſenſu fidei cum omni cautela plebibus prædicãdæ. Exhortabor quoque cogitare debere, quia ſi offendatur ſolùm vnus de puſillis qui credunt in Chriſtum, quàm ſit intolerabilis indignatio Dei. Si verò tãta fuerit multitudo læſorum, quomodo (quæſo) non omni arte ſtudendum eſt, vt prudenter auferatur huiuſmodi offenſio, & ſanæ fidei ratio inſinuetur expoſcentibus veritatem? Erit autem hoc * rectè faciendum, ſi ſanctorum patrum libros legentes, magni eos momenti * habere ſtudeamus, & probantes noſmetipſos, ſi ſumus in fide, ſecundùm quod ſcriptum eſt illorum * rectis & irreprehenſibilibus definitis, noſtros ſenſus benè atque optimè roboremus. Ait ergò ſanctum illud & magnum Concilium patrum, ipſum de Deo patre genitum ſecundùm naturam vnicũ filium, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem omnia creauit pater, deſcendiſſe, incarnatum eſſe, atque inhumanatum,

Pſalm. 13.

Matth. 18.

* & omninò rectè * titè * facere feſtinemus, & * dictis

EPISTOLA CYRILLI ALEXANDRINI ad Neſtorium hæreticum.

EDITIO ALTERA.

Cyrillus Neſtorio. Comperi quoſdam exiſtimationi meæ detrahentes apud reuerentiam tuam multa garrire, & id crebrò frequenterque agere, & maximè tunc, cùm virorum illuſtrium atque prudentium, præſtò eſſe plurimos vident, & fortaſsè opinantes tuas aures delectari, non adeò ex voluntate tales aduerſum nos voces emittunt homines, nulla quidem in re à me prorſus offenſi, nec læſi, ſed modeſtè à nobis clementerque conuicti: vnus, quia cæcis vim egentibuſque faciebat: alter, quia ſupra matrem ſuam erexit gladium: alius, quia cum ancilla aurum rapuit alienum, & hac ſemper exiſtimatione vixit, quam nullus inimiciſſimo ſuo optat euenire. Cæterùm talium hominum nullam omninò habeo curam, ne videar ſupra Dominum aut magiſtrum vel ſupra patres noſtros menſuram meæ mediocritatis extendere. Neque enim fieri poteſt, vt aliquis, maledicorum virus & moleſtiam vitare poſſit, quamuis rectiſsimè viuat. Sed illi maledictionis & amaritudinis os plenum habentes, rationem iudici omnium reddituri ſunt. Ego autem me conuerto ad id, quod me maximè decet: & te nunc quoq; admonebo quaſi fratrem in Domino, vt doctrinam verbi, & ſenſum fidei cautè & cum omni obſeruatione facias ſemper ad populos, ſciens planè, quòd ſi quis ex his, qui in Chriſtum credunt, vnum duntaxàt ſcandalizauerit, indignationi ſubiacebit ingenti. Sin verò non vnus ſit, ſed multitudo decepta, tunc omni arte nobis vtendum eſt, vt circuncidamus ſcandala, & illis, qui quærunt veritatem, ſanam rectamq; fidei dirigamus rationem. Id autem facilè fiet, ſi patrum recenſentes ſcripta ſanctorum, eos plurimi faciamus. Et noſmetipſos conſulentes, ſi in fide conſiſtimus, ſecundùm quod ſcriptũ eſt, tùm demùm rectis illorum atq; irreprehẽſibilibus inſtitutis, ſenſus noſtros animoſq; firmemus. Ait igitur ſancta & magna ſynodus, ipſum (qui eſt ex Deo patre naturaliter natus) filiũ vnigenitũ, Deum verũ de Deo vero, lumen de lumine, per quẽ & cum quo omnia fecit pater, hunc deſcendiſſe, incarnatũ eſſe, & hominem factum,

2. Cor. 13.

passum,mortuum resurrexisse tertia die,& in cœlum ascendisse.Hæc etiam nos sequi oportet,& verba atque doctrinas, cogitantes quid significet,incarnari &* inhumanari Dei verbum.Non enim dicimus, quia Dei verbi natura transformata,facta est caro:sed nec, quia in totum hominem (qui est ex anima & cõrpore)commutata est : sed illud potiùs sentiendum,quia carnem animatam , anima videlicet rationali, viniens sibimet secundùm* subsistentiam Deus verbum, inenarrabiliter atque inscrutabiliter factus est homo,& appellatus est filius hominis,non tantùm secundùm voluntatem aut bonum placitum, nec sicut in personæ tantummodò susceptione,sed quia diuersæ quidem ad veram vnitionem conuenére naturæ. Vnus autem ex vtrisque naturis Christus & filius non quasi naturarum earum per vnitatem diuersitate cõsumpta,sed magis ijsdem naturis, id est, perficientibus nobis diuinitate & humanitate,vnum Dominum & Christum & filium,per inenarrabilem & inscrutabilem concursum ad vnitatem.Et sic dicitur certè(dum sit ante omnia secula subsistẽtiam habens,& natus ex patre)generari etiam secundùm carnem ex muliere:non quòd diuina eius natura (in qua consubstantiuus.al. *Consubstantialis vel coessentialis*, id est, homousios est patri)in sancta virgine initium,vt esset, acceperit : neque quia ex necessitate propter seipsum,secunda eguerit natiuitate post patrem(est enim hoc vanum simul &imperitum,hunc existentem ante omnia secula,& coæternum patri, dicere,indiguisse secundo,vt esset,initio) sed quoniam propter nos & propter nostram salutem, viniens sibi* secundùm subsistentiam humanitatem,processit ex fœmina , propterea dicitur * secundùm carnem natus. Non enim priùs homo communis ex sancta est *genitus virgine, & sic postea verbum superuenit in eo:sed*ex ipsa vulua cum carne vnitus,natiuitatem carnalem creditur & dicitur pertulisse , tanquam natiuitatem propriæ carnis suam faciens. Sic eum dicimus & passum esse, & resurrexisse,non quia Dei verbum in sua natura passum est aut plagas, aut perforationes clauorum aut reliqua vulnera pertulerit:(impassibilis est nanque diuinitas, quoniam & incorporea) sed quia quod factum est proprium eius corpus, pertulit*,ipse mortem pro nobis dicitur pertulisse.erat enim hic impassibilis in carne passibili. Simili autem modo & de morte eius sentimus.Immortalis enim secundùm naturam & incorruptibilis & vita,& viuificans est Deus Dei verbum,sed quia iterum proprium eius corpus gratia Dei(sicut dicit Paulus Apostolus)pro omnibus gustauit mortem, ideò dicitur mortem pro nobis ipse perferre : & non quod in experimentum venerit mortis,quod attinet ad eius naturam (summa enim dementia est,hoc sentire vel dicere)sed quia (sicut nuper dixi)caro eius gustauit mortem. Sic etiam resurgente eius carne,rursus eius resurrectio dicitur,non quasi ipso ad corruptionem(quod absit)delapso, sed quia eius iterùm corpus surrexit.Sic vnum Christum Dominumque * fatebimur non vt hominem coadorantes verbo,nè *diuisionis imaginatio præsentetur vel inducatur, lum dicitur,eò:sed sicut vnum atque eundem adorantes,quia non alienum est corpus eius à verbo, sed eius magis proprium est,cum quo ipsi considet patri:non iterùm sicut duobus rursus filijs confidentibus, sed sicut vno cum carne secundùm vnitionem. Si verò * secundùm subsistentiam vnitionem,aut vt inconuenientem, aut vt indecentem recusamus,irruimus in id,vt duos filios prædicemus.Necessè est enim omnia diuidere, & dicere hominem quidem specialiter filij honoratum vocabulo:& rursus, specialiter Deum verbum filiationis nomen atque appellationis naturaliter habere. Non ergò in duos filios vnus Dominus Iesus Christus diuidẽdus est. Nullo enim modo oportet rationem rectæ fidei sic habere:sed nec personarum vnitionem,sicut aliqui opinãtur.Non enim dixit scriptura, quia Deus verbum personam hominis vniuit sibi , sed quia caro factum est verbum. Verbum verò carnem fieri , nihil est aliud,nisi quia iuxta nos participatus est carni &sanguini.Nostrum autem corpus fecit proprium, & processit homo ex muliere. Deus esse non desinens,& ex Deo patre progenitus, sed & in assumptione carnis quod fuerat,perseuerans.Istud allegat vbiquè subtilis fidei ratio:sic sanctos patres sensisse comperimus, sic ausi sunt Dei genitricem sanctam virginem dicere , non quia natura verbi vel deitas eius ex sancta virgine initium, vt esset, accepit: sed quia quod ex ea genitũ est sanctum corpus rationabiliter passum esse,resurrexisse tertia die, & ascendisse rursus in cælos.Hæc nos sequi verba debemus, his non conuenit obtemperare dogmatibus,considerantes quid sit incarnatum esse,& hominem factum Dei verbum.Non enim dicimus,quod Dei natura conuersa vel immutata,facta sit caro : nec quod in totum hominem,qui est ex anima & corpore, transformata sit: sed illud magis,quòd carnem animatam anima rationali, sibi copulauerit verbum substantialiter , & ineffabiliter & indeprehensibiliter factus sit homo,& nuncupatus sit etiam filius hominis non nuda tantummodò voluntate,sed nec assumptione sola personæ, sed quòd diuersæ quidem naturæ in vnum conuenerint. Vnus tamen ex ambabus Christus & filius, non euacuata aut sublata diuersitate naturarum per coniunctionem,sed quia simul nobis effecerunt vnum Dominũ & Christum & filiũ,id est, diuinitas & humanitas per arcanam illam ineffabilemque copulationem ad vnitatem. Itaque is,qui ante secula omnia est natus ex patre,etiam ex muliere, carnaliter dicitur procreatus, non quia diuina ipsius natura de sacra virgine sumpsit exordium, nec quod propter seipsam opus habuit secundò nasci post illam natiuitatem, quam habebat ex patre.Est enim ineptum & stultum hoc dicere,quod is,qui ante omnia secula est consempiternus patri, secundæ generationis eguerit vt esse inciperet : sed quia propter nos,& propter nostram salutem naturam sibi copulauit humanam, & processit ex muliere,idcircò dicitur natus esse carnaliter.Neque enim primùm natus est homo communis de sancta virgine,& tũc demùm inhabitauit in eo verbum : sed in ipsa vulua vteroque virginali se cum carne coniunxit,& sustinuit generationem carnalem, carnis suæ natiuitatem , suam faciens. Sic illum dicimus & passum esse,& resurrexisse:non quia Deus verbum in sua natura passus sit aut plagas , aut clauorum transfixiones,aut alia vulnera,Deus nanque incorporalis, extra pasionẽ est : sed quia corpus illud,quod ipsius proprium factum est,passum est,ideò hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile est naturaliter,& vita,& viuificans Dei verbum. Sed quia corpus ipsius proprium gratia Dei,iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem gustauit, idcircò ipse dicitur mortem passus esse pro nobis. Non quod ipse mortem esset expertus,quantùm ad ipsius naturam pertinet,(insania est enim, hoc vel sentire vel dicere) sed quòd(vt suprà diximus) vera caro ipsius mortem gustauit.Ita & resurgente carne, ipsius rursus resurrectionem dicimus:non quia in corruptionẽ ceciderat,(quod absit) sed quia eius resurrexit corpus. Ita Christum vnũ & Dominum confitemur,non tanquàm hominem cum verbo coadorantes,nè diuisionis quædam species inducatur , sed vnum iam & eundem adorantes : quia non est alienum à verbo corpus suum, cum quo ipsi etiam adsidet patri. Nec hoc ita dicimus,quasi duobus filijs adsidentibus, sed vno cum carne per vnitatem: quia si talem copulationem factam per substantiam, aut quasi impossibilem,aut quasi parùm decoram noluerimus accipere,in id incidimus, vt duos filios esse dicamus. Necesse enim est discernere, & dicere, hominem separatum fuisse sola filij appellatione honoratum:& rursus verbum, quod est ex Deo & nomine & veritate,filiũ Dei, sed discernere in duos filios non debemus vnum Dominum Iesum Christum. Neque enim id adiuuat rectam fidei rationem, licèt nonnulli copulationem(nescio quam)perhibeant personarum. Non dixit enim scriptura,verbum Dei personam sibi hominis assumpsisse,sed carnem factum esse.Id autem est,ostẽdere Dei verbum similiter nec nos participatum habuisse carnis & sanguinis, & corpus nostrum propriè suum fecisse, & hominem ex muliere processisse,non abiecta nec deposita Deitate, aut generatione illa,quam habebat ex patre, sed mansisse etiam in assumptione carnis Deum,quod erat. Hoc vbique rectæ fidei ratio protestatur. In tali sensu sanctos patres fuisse cõperimus. Ideò illi non dubitarunt sanctam virginem dicere theotocon,non quòd verbi natura Deitasque in sancta virgine sumpsit exordium, sed quòd ex ea natum sit sacrum illud corpus animatum anima rationali , cui substantialiter adunatum DEI verbum,carnaliter natum esse dicitur. Hæc igitur pro charitate in Christo scribo, quærens te tanquàm fratrem, & contestans coram Christo & electis angelis,vt hæc nobiscum & sentias

*hominẽ fieri

* subsisten tialiter

Istud parenthesi clausum, non est in Græco.

* subsisten tialiter

*carnaliter

*generatus

*in

*ita,aut ob hoc ipse it erũ

Hebr.2.

*nõ quòd experimẽtum terrenæ mortis diuina eius natura pertulerit.

*fateamur

*incisionis

*ineffabilem

Ioan.1.

Hebr.2.

Ioan.1.

Ioan.1.

nabiliter animatum, cui est subsistentialiter vnitum verbum, secundùm carnem dicitur natum. Hæc etiam nunc ex charitate, quæ in Christo est, scribo, rogans vt fratrem, & contestans sicut in conspectu Christi & electorum angelorum, hęc nobiscum sentire, pariter & docere, vt ecclesiarum pax persistet incolumis, & sacerdotibus Dei indiscissum concordiæ, atque charitatis vinculum perseueret.

& sentias simul & doceas, vt ecclesiarum pax salua seruetur, & concordiæ charitatisque vinculum indissolubile maneat sacerdotibus Dei.

Qvae Sequvntvr, Acta Svnt In Prima Synodo Ephesina.

Acta in prima synodo Ephesina, secta Constantinopoli, recta Ephesi & Chalcedone.

Cyrillus episcopus Alexandriæ dixit: Audiuit hæc sancta & magna synodus, quæ scripsi reuerendissimo Nestorio, defendens rectam fidē. Arbitror aūt, quia nullo modo trāsgressus inuenior rectæ fidei rationem, vel in aliquo præteriens expositum symbolum à sancta & magna synodo, quæ suo in tempore in Nicæa collecta est. Et peto vestram sanctitatem dicere, vtrùm rectè & irreprehensibiliter & consonè illi sancto Concilio scripserim, necne. Iuuenalis episcopus Hierosolymorum dixit: Relecta sancta fide, quæ in Nicæa exposita est, & epistola sanctissimi & beatissimi episcopi Cyrilli, & quę à sancta synodo edita sunt, consona inueniuntur. Et istis pijs dogmatibus consentio, & acquiesco.

Firmus episcopus Cæsareæ Cappadocię, dixit: Quæ in breui & capitulatim à sancta Nicæna synodo dicta sunt, exponēs tua religiositas, subtiliter, & gradatim manifestam nobis & efficaciorem reuelationem editæ sanctæ fidei fecit, vt sit nihil in his, quæ dicta sunt ambiguum, omnibus inuicem consonantibus & confirmantibus fidem. His ergò diligenter & immutabiliter se habentibus, ac nullam nouitatem inferentibus, & ego consentio, eandem doctrinam à sanctis patribus, & episcopis meis suscipiens. Memnon episcopus Ephesiorum metropolis, dixit: Expositæ fidei à sanctis trecentis decem & octo patribus in Nicæa conuenientibus, consona & in epistola relecta sanctissimi & beatissimi patris nostri & episcopi Cyrilli continentur, quibus & acquiescimus, & consentimus, nihil minus neque dissonum inuenientes. Interlocutum est autem eadem & omne sanctum magnumque Concilium.

EPISTOLA SCRIPTA DEO AMANTISSIMO Episcopo Antiochiæ Ioanni à Sanctissimo Episcopo Alexandriæ Cyrillo de pace.

Editio Vna.

EXultent cœli, & lætetur terra. Solutus est enim medius paries maceriæ, & quod contristabat, quieuit: atque dissensionis omnis modus abscissus est, omnium nostrùm saluatore Christo pacem suis ecclesijs tribuente, conuocantibus autem nos ad hoc & pijssimis ac Deo amantissimis atq; Christianissimis Imperatoribus, qui originalis pietatis facti imitatores egregij, tutam quidem & inconcussam in proprijs animis rectam fidem custodiunt, maximam verò curam impendunt pro sanctis ecclesijs, vt *opinabilem habeant in secula gloriam, & præclarissimum proprium ostendant imperium. Quibus & ipse Dominus virtutum diuite manu bona *impertit, & tribuit subiugare quidem aduersarios, donat autem & victoriam. Neque enim mentitur, dicens: *Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo.* Veniente igitur in Alexandria domino meo religiosissimo & consacerdote fratre Paulo, impleti sumus omni lætitia, & nimis dignè, tanquàm tanto viro mediante, & supra vires in laboribus acquiescente versari, vt diaboli superaret inuidiam, & coniungeret separata, & interiecta scandala circuncidens, consensu & pace coronet ecclesias, quæ apud nos & apud vos sunt. Quo enim modo diuisæ sunt, superfluum arbitror dicere. Oportere autem reor ea, quæ pacis tempori conuenientia sunt, & sapere & effari. Delectati ergò sumus colloquijs memorati reuerendissimi viri, qui fortè & certamina se non parua habiturum suspicabatur ad persuadendum nobis, quoniam oportet ad pacem coniungere ecclesias, & hæreticorum risum abolere, sed & hebetem facere super his aculeum diabolicæ malignitatis. Paratos autem ita in hoc nos inuenit, vt nullum laborem penitùs sustineret. Recordamur enim saluatoris dicentis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Edocti autem sumus & in orationibus nostris dicere: Domine Deus noster, pacem da nobis: omnia enim reddidisti nobis, intantùm, vt si quis particeps fuerit pacis, quæ à Deo datur, non indigebit omni bono. Quoniam verò omninò superflua & inopportuna ecclesiarum diuisio facta est, nunc magis nobis est satisfactum, domino meo religiosissimo Paulo Episcopo chartam nobis proferente, quæ irreprehensibilem continet fidei confessionem, & affirmante hanc à tua sanctitate & ab alijs Deo amantissimis ibidem constitutis episcopis esse compositam. Habet autem scriptura ita, & ipsis verbis inserta est huic epistolæ meæ: De genitrice autem Dei virgine, quemadmodùm & sapimus & dicimus, & de modo incarnationis vnigeniti filij Dei necessariò, non quasi in additamenti parte, sed in specie satisfactionis, sicut ab initio tam ex diuinis scripturis,

*inenarrabilem

*partitur

1. Reg. 2.

Ioan. 14.

Esaiæ 26.

EPISTOLA CYRILLI AD IOANNEM Antiochenum, de partu diuinæ genitricis virginis, & vnigeniti filij Dei humanitatis assumptione.

Editio Altera.

LAETENTVR cœli, & exultet terra. Solutus est enim medius paries sepis, & cessauit illud, quod afferebat tristitiam, & totius dissensionis sublata est via, omnium nostrùm Saluatore Christo suis Ecclesijs pacem præstante, prouocantibus nos & adhortantibus ad hoc ipsum pijssimis & Deo amantissimis principibus nostris, qui patrum suorum religionis æmuli existentes, veracem & inconcussam & rectam in suis animis conseruant fidem, egregiam autem faciunt solicitudinem pro sanctis Ecclesijs, vt inenarrabilem habeant sempiternam gloriam, & suum imperium dignū omni laude conseruent. Quibus & ipse omnium virtutum Dominus, ditissima manu distribuit bona, & præstat obtinere resistentes, & donat victoriam: Nec enim mentitur, dicens: *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam eos, qui me glorificant, glorificabo.* Aduenientę igitur nūc Alexandriam domino meo venerabili fratre Paulo, lætitia repleti sumus, & valdè necessariè, vtpote tali viro mediatore, & de his laboribus & causis (quæ vires excedunt) animosè volenti disputare, vt diaboli vincat inuidiam, & coniungat diuisa: & quæ in medio fuerāt inter hæc adsperſa scandala, auferat, & coronet concordia & pace Ecclesias, quæ sunt & apud nos, & apud vos constitutæ. Quemadmodùm enim diuisæ sunt, superfluum est dicere. Oportere autem arbitror ea loqui & sentire, quæ decent pacis tempora. Gauisi sumus igitur occursu & notitia memorati religiosi viri, qui ferè non leuiter se laborare putauit, vt persuadeat nobis ecclesias oportere coniungere, & adunare ad pacem, & eorum qui aduersa nobis sentiunt, disipare ridicula, obscurare autem & hebetare adhuc diaboli malignitatis stimulū. Inuenit autem nos ita paratos ad hoc, vt omninò nullū laborem sustineamus. Meminimus enim saluatoris nostri, dicentis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Docti etiam sumus dicere in orationibus nostris: Domine Deus noster, pacem da nobis, omnia enim reddidisti nobis. Si quis igitur particeps fiat à Deo pacis huius tributæ, inops non erit omnis boni. Quoniam ergo superflua & nullis ex causis ecclesiarum dissensio facta est, nunc maximè pleniùs docti sumus & cognouimus, domino meo venerabili Paulo Episcopo chartam nobis proferente, irreprehensibilem habentem fidei confessionem, & hanc ipsam chartam confectam esse adstruens & cōfirmans à tua sanctitate, & à venerabilibus illarum partium episcopis: quę conscriptio ita continetur, & ipsis verbis apponetur in hac epistola nostra: De partu autē diuinæ genitricis virginis, quemadmodùm & sentiamus & dicamus, & de humanitatis assumptione vnigeniti filij Dei, *necessarij, non partem aliquam

1. Reg. 2.

Ioan. 14.

*necessaria

quàm ex traditione sanctorum patrum susçipientes, habuimus: breuiter dicimus, nihil penitùs addentes sanctæ fidei, quæ à patribus in Nicæa est exposita. Sicut enim anticipando diximus, sufficit ad omnem pietatis cognitionem, & abdicationem totius hæreticæ prauitatis. Dicimus autem, non quasi audentes aliquid contra ineffabilia, sed confessione propriæ infirmitatis, pro excludendis his, qui contra nos tentant assurgere, in quibus ea, quæ sunt supra hominem, cogitamus. Confitemur etenim Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum ex anima rationali & corpore, ante secula quidem ex patre natum secundùm deitatem, * qui fuit verò dierum, eundem propter nos & propter nostram salutem de Maria virgine secundùm humanitatem, consubstantialem patri secundùm deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Duarum enim naturarum vnio facta est. Propter quod vnum Christum, vnum filium, vnum Dominum cõfitemur. Secundùm hunc inconfusę vnitionis intellectum, confitemur sanctam virginem Dei genitricem, propter quod Deus verbum incarnatus est, * & homo factus est, & ex ipsa conceptione sibimet vnierit templum, quod ex ipsa susçepit. Euangelicas verò & Apostolicas de Domino voces, sçimus Deiloquos viros quasdam quidem * vnificantes, tanquàm in vna persona: quasdam verò diuidentes, tanquam in duabus naturis: & diuinitatem quidem decentes, secundùm deitatem Christi: humiles autem, secundùm humanitatem eius tradentes. His vestris relectis sacris vocibus, & ita vt nos quoque sapere inuenientes, (vnus enim Deus, vna fides, vnum baptisma) glorificauimus omnium saluatorem Deum, alterutrùm congaudentes, quoniam scripturis diuinitùs inspiratis, & traditioni sanctorum patrum nostrorum consonantem fidem habent & nostræ & vestræ ecclesiæ. Quoniam verò comperi quosdam, vituperare amantes, vesparum agrestium modo circũsonare, & malignos contra me sermones eructare, tanquam ex cœlo depositum, & non ex sancta virgine sanctum corpus Christi esse confitear, consideraui, pauca pro hoc ad eos * dicere oportere. O insensati, & tãtùm calumniari docti, quemadmodum in hoc estis sensu lapsi, & hac tanta stultitia languistis? Oportebat enim apertè intelligere, quoniam nobis penè omne certamen de fide prouenit, confirmantibus quoniam sancta virgo Dei genitrix est. Sed si de cœlo, & non ex ipsa, sanctum corpus omnium nostrũm saluatoris Christi factum esse dicamus, quomodò iam intelligatur DEI genitrix esse? Quem enim omninò peperit, nisi est verum, quod peperit secundùm carnem, Emmanuel est? Rideantur, hæc de me garrientes. Nec enim beatus Propheta Esaias mentitus est, dicens: *Eccè virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* * Verè autem omninò & sanctus Gabriel ad beatam Mariam virginem dicit: *Noli timere Maria, inuenisti enim gratiam apud DEVM. Et eccò, concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluabit populum suum à peccatis eorum.* Quando autem dicimus de cœlo, & desursum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, non quasi desursum & de cœlo, deposita eius sancta carne, talia dicimus, sed magis sequentes diuinum Paulum, apertè clamantem: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis.* Meminimus autem & ipsum saluatorem, dicentem: *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit filius hominis*, qui vtique & secundùm carnem (sicut nuper dixi) ex sancta virgine natus est. Quoniam verò desursum, & de cœlo descendens DEVS verbum, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: & nuncupatus est filius hominis, permanens id quod erat, id est, DEVS: (Inconuertibilis enim & immutabilis est secundùm propriam naturam, * tantùm quia vt vnus iam intelligitur cum propria carne, de cœlo dicitur descendisse) nuncupatus est verò & homo de cœlo, perfectus in deitate, & perfectus idem ipse in humanitate, & tanquàm in vna persona intelligendus: vnus enim Dominus IESVS CHRISTVS, quamuis non ignoretur differentia naturarum, ex quibus inenarrabilem vnitionem factam esse dicimus. Eos autem, qui dicunt, quia commixtio vel confusio aut fermentatio Dei verbi facta est ad carnem, dignetur tua sanctitas refrenare. Suspicor enim & hoc de me aliquos diuulgare, quasi * aut tali multiloquio vsus sim, aut talia dixerim. Ego autem tantùm addentes, sed plenissima satisfactione & ratiõe speciali, à principio & de diuinis scripturis, & traditione sanctorum patrum susçipientes & docti, breuiter dicimus, nihil prorsus addentes in sanctorum patrum conuentu & synodo Nicæni concilij expositæ & expressæ fidei. Sicut enim prædiximus, ad omnem sufficit pietatis scientiam, & vniuersæ hæreticæ & prauæ doctrinæ abdicationem. Dicimus autem non temerè audentes se incomprehensibilibus, sed confessione proprię infirmitatis, excludentes eos qui oboriri volunt, in quibus ea cogitamus, quæ sunt vltra hominem. Cõfitemur igitur Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei vnigenitũ, Deum perfectum & hominem perfectum ex anima & corpore rationali, ante secula quidem de patre natum secundùm deitatem, in nouissimis verò temporibus eundem ipsum propter nos & propter nostram salutem de Maria virgine secundùm humanitatem, consubstantiuum vel consubstantialem patri secundùm deitatem, consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Duarum enim naturarũ vnitio facta est. Propter quod vnum Christum, vnum Dominum confitemur. Secundùm hanc incomparabilis vnitatis fidem, confitemur sanctam & diuinam genitricem Dei virginem, propter hoc quòd Dei verbum incarnatum est, & humanitatem assumpsisse, & ex ipso conceptu adunasse sibi templum, quod ex ipsa assumpsit. Euangelicas autem & Apostolicas de Domino nostro voces, nouimus * viros aliquas quidem communes facientes, tanquam in vna persona: aliquas autem diuidentes, tanquàm ex duabus naturis: & illas quidem, quæ Deo conueniunt, secundùm deitatem Christi: humiles verò, secundùm humanitatem ipsius tradentes. His ergò cognitis sacris vocibus vestris, & sic vos sentientes cùm cognouissemus, (vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma) glorificamus omnium Dominum saluatorem Deum, inuicem congaudentes, quoniam scripturis, quæ à Deo inspiratæ sunt, & traditioni sanctorum patrum conuenientem habent fidem, quæ apud nos & apud vos sunt ecclesiæ. Quoniam igitur * interrogaui quosdam, qui amant ex more suo vituperare, velut crabrones agrestes circunstrepere, & molesta eructare cõtra me verba, eò quòd dixerim de cœlo aduenisse, & non de sancta virgine sanctum corpus Christi, oportere arbitratus sum, pauca super hoc ad eos dicere: O stulti, & solùm calumnias mouere scientes, quomodò ad hoc consilium deducti estis, & tanta stultitia ægrotastis? Oportebat enim, & valdè oportebat, apertè vos intelligere, quoniam penè omne nobis quod pro fide est, luctamẽ aduenit, adfirmantibus, quoniam sancta virgo diuini partus est genitrix. Sed si dixerimus, de cœlo, & non ex ipsa sancta, natum esse corpus omnium nostrũ saluatoris Domini, quomodò enim dicemus genitricem Dei, quæ eum omnimodò peperit, nisi est verum illud, quod peperit secundùm carnem, qui est Emmanuel? Derideantur ergò, qui de me ista garrierunt. Non enim mentitur beatus Esaias propheta, dicens: *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum* DEVS. Verùm quoque testatur & sanctus Gabriel, ad eandem beatam virginem dicens: *Noli timere Maria, inuenisti enim gratiam apud* DEVM: *Eccè concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius* IESVM. *Ipse enim saluabit populum suum à peccatis eorum.* Quandò autem dicimus, de cœlo, & de supernis Dominũ nostrum Iesum Christum, nõ tanquàm de cœlo deposita sancta eius carne, talia dicimus, sed sequimur magis mirabilem Paulum, clamantem apertè: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis.* Meminimus autem & ipsum saluatorem dicentem: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis.* Natus est enim secundùm carnem (sicut pauloantè prædixi) de sancta virgine: & quoniam qui de cœlo & de superioribus aduenit Deus verbum, exinaniuit seipsum, formam serui accipiens, appellatus est fillus hominis, manens quod erat, hoc est, Deus: (Immutabilis enim & inconuertibilis secundùm naturam est) tanquàm vnus iam intellectus cum propria carne, de cœlo dicitur descendisse: appellatus est etiam & homo de cœlo perfectus, cùm esset etiam in Deitate perfectus, idem ipse in eadem humanitate perfectus, & tanquàm in vna persona intelligendus. Vnus enim Dominus Iesus Christus, etsi naturarum differentia non ignoretur, de quibus inenarrabilem vnitionem factam fuisse sentimus & dicimus. Eos autem qui dicunt, quoniam temperamentum, aut con-

*for. in fine verò

*inhumanatus, & ex

*coniungentes *communificantes

*dici debere

Esa. 7. Matt. 1. * Verum Luc. 1.

Phil. 2.

*tanquàm *tamen

*ita sapuerim aut dixerim.

*veras

Ephes. 5.

*intellexi

Esa. 7.

Luc. 1.

Matth. 1.

1. Cor. 15.

Ioan. 3.

ſum ab huiuſmodi ſenſu, vt & furere arbitrer eos, qui vel ſuſ-
ſpicati ſunt omnino, quia mutationis adumbratio circa na-
turam Dei verbi poteſt contingere. Manet enim, quod eſt,
ſemper, & non eſt mutatus: ſed neque mutabitur aliquando,
vel conuerſionis eſt capax. Impaſſibile autem ſuper hæc Dei
verbum omnes confitemur, licet ipſe ſapientiſſimè diſpo-
nens myſterium, ſibimet applicans videatur accedentes car-
ni propriæ paſſiones. Ideo vtique & ſapientiſſimè Petrus
1.Petr.4. inquit, Chriſto paſſo pro nobis carne, & non natura inenar-
rabilis Deitatis. Vt enim ipſe ſaluator eſſe omnium crede-
retur, ſecundum proprietatem diſpenſatiuam ad ſemetip-
ſum (vt dixi) carnis ſuæ refert paſſiones, quale eſt illud quod
* prædi- per prophetæ vocem tanquam ab ipſo * prædicitur: *Dorſum*
catur. *meum dedi ad verbera, & maxillas meas ad palmas, faciem au-*
Eſai.50. *tem meam non auerti à fœditate ſputorum.* Quoniam verò vbi-
que ſequimur ſanctorum patrum ſententias, maximè autem
patris beatiſſimi & * opinabilis Athanaſij, omnino in aliquo
ab eo deuiare metuentes, tua quidem ſanctitas credat, alio-
rum verò ambigat nemo. Appoſuiſſem vtique & teſtimo-
nia multa eorum, ex ipſis mea verba confirmans, niſi pro-
lixitatem meæ epiſtolæ timuiſſem, ne fortè per hoc faſti-
dium legentibus generetur. Nullo verò modo moueri ab
aliquibus patimur fidem, aut ipſum fidei ſymbolum, quod à
ſanctis patribus noſtris in Nicæa conuenientibus, illo tem-
pore diffinitum eſt: ſed neque permittimus nobiſmetipſis,
* vnum aut alijs, vel * verbum mutare ibidem poſitorum, vel vnam
mutare ſaltem ſyllabam præterire. Meminimus enim & dicentis:
dictorum. *Noli tranſgredi terminos æternos, quos poſuerunt patres tui.*
Prou.22. Neque enim ipſi erant, qui loquebantur, ſed ſpiritus Dei & pa-
Matth.10. tris, qui procedit quidem ex ipſo. Eſt autem & à filio non
alienus ſecundum vnius eſſentiæ rationem, & ad hoc ipſum
nos * ſanctarum arcana docentium verba confirmant. In Ac-
Act.16. tibus namque Apoſtolorum ſcriptum eſt: *Venientes autem*
in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos ſpiritus
Ieſu. Scribit autem & admirabilis Paulus: *Qui autem in carne*
Rom.8. *ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem non eſtis in carne, ſed in*
ſpiritu, ſi quidem ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiri-
tum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Quando autem quidam
eorum, qui recta peruertere ſolent, meas voces in ſibimet
placitum vertunt: non admiretur hoc tua ſanctitas, ſciens,
quoniam & omnes hæretici de ſcriptura diuinitus inſpirata,
ſui colligunt erroris occaſiones, ea quæ à ſancto ſpiritu rectè
dicta ſunt, ſua malitia corrumpentes, & ſuper ſua capita flam-
mam inextinguibilem hauriẽtes. Quoniam verò didici-
mus, quod epiſtolam * opinatiſſimi patris noſtri Athanaſij ad
beatum Epictetum deſtinatam, rectè habentem, corrumpen-
tes quidam ediderunt, vt per hoc plurimis noceatur: prop-
terea vtile aliquid & neceſſarium fratribus prouidentes, ex
antiquis exemplaribus, quæ apud nos ſunt, & nullum erro-
rem habentibus, tuæ ſanctitati paria deſtinauimus.

Finit.

fuſio, aut conſperſio facta eſt Dei verbi ad carnem, dignetur
tua ſanctitas refrenare. Forſitan enim eſſe quoſdam non am-
bigo, qui hæc me iactitent, tanquam garrientem aut dicẽtem.
Ego autem in tantum ab his longè ſum, vt nihil tale ſentiam,
vſqueadeò, vt inſanire putem, qui hoc de me ſuſpicati ſunt,
quòd omnino mutationis adumbratio accidere poteſt circa
diuini verbi naturam. Manet enim id quod ſemper eſt, & non
mutatur, nec vnquam mutabitur, nec ſuſcipiet mutationem.
Impaſſibile enim ad hoc Dei verbum eſſe cõfitemur vniuer-
ſi, tametſi ſapientiſſimè ipſe diſponens myſterium,* video in for. * ſibi
propria carne paſſiones, quæ acciderunt. Eadem & ſapientiſ- tribuat in
ſimus Petrus: Chriſto, inquit, pro nobis paſſo in carne, & non 1.Petr.4.
natura inenarrabilis Deitatis. Vt enim ipſe omnium ſaluator
eſſe credatur, ſecundum diſpoſitionẽ propriam in ſe (vt dixi)
propriæ carnis reuocat paſſiones. Quale eſt illud ſecundum
prophetæ vocem prædictum, tanquam ex ipſo intelligẽdum:
Dorſum meum dedi ad flagella, & maxillas meas ad verbera, faciem Eſai. 50.
autem meam non auerti à confuſionibus ſputorum. Quoniam au-
tem ſanctorum patrum doctrinis obtemperãtes vbique, ma-
ximè autem beati & per omnia laudabilis patris noſtri Atha-
naſij pręcepta, omnino de his aliquid foras eijcere recuſantes,
diſcat quidem tua ſanctitas, & nullus alius ſocietur. Poſuiſſem
autem etiam illorum plura verba, quibus meis dictis fidem
adhiberem, ſi non prolixitatem ſcriptorum reuererer, ne ex
hoc ipſo fieret horribile. Nullo autem modo patimur à qui-
buſdam concuti definitam fidem, ſiue fidei ſymbolum à ſan-
ctis patribus noſtris, qui apud Nicæam conuenerunt illis tem-
poribus. Nec permittitur aut nobis aut alijs, mutare aliquod
verbum ex his, quæ ibidem continentur, aut vnam ſyllabam
immutare, memores eius dicentis: Ne tranſferas terminos æ-
ternos, quos poſuerunt pãtres tui. Non enim erant ipſi lo-
quentes, ſed ſpiritus Dei & patris, qui procedit quidem ex ip-
ſo: non eſt autem alienus à filio ſecundum eſſentiæ rationem,
& ad hoc nos eorum ſanctorum, quæ myſteria tradiderunt,
dicta cõfirmant. In actibus enim Apoſtolorum ſcriptum eſt:
Venientes autem circa Myſiam, tentabant in Bithyniam ire, & non
eos permiſit ſpiritus Ieſu. Scribit etiam & venerabis Paulus: *Qui*
autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem non eſtis in
carne. ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis au-
tem ſpiritum Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. Quando autem qui-
dam qui conſueti ſunt, quæ recta ſunt peruertere, meas voces
deuiare & abſtrahere æſtimant ad id, quod eis videtur: non
miretur hoc ſanctitas tua, ſciens, quoniam qui ſunt ab omni
hæreſi, ex diuinis ſcripturis erroris ſui colligunt cauſas, & ea
quæ per Spiritum ſanctum rectè dicta ſunt, malignitatibus
mentis ſuæ corrumpentes, proprijs capitibus ſuis ignis inex-
tinguibilis exhauriunt flammam. Et quoniam cognouimus,
& ad beatum Epictetum epiſtolam per omnia laudabilis pa-
tris noſtri Athanaſij rectam fidem habentem, quòd immu-
tantes eam ediderint, & hinc quaſi lędi plurimos: propter hoc
neceſſariũ, & vtile intelleximus, & fratribus noſtris de exem-
plaribus antiquis edere, quæ apud nos ſunt benè explanata, &
ſimilia tuæ venerabilitati dirigere.

Explicit.

Et cùm legeretur epiſtola ſanctæ memoriæ Cyrilli reue-
rendiſſimi Epiſcopi, CHALCEDONE ACTA. Il-
lyriciani clamauerunt: Sic credimus, ſicut & Cyrillus: Cy-
rilli æterna memoria. Theodoretus epiſcopus dixit: Ana-
thema ei, qui dicit duos filios. Vnum enim filium adoramus
Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnigenitum. Omnes
reueren. epiſcopi clamauerũt: Nos ſicut Cyrillus credimus, ſic
credimus, ſic credimus, anathema, qui ſic non credit. Orien-
tales, & qui cum ipſis reuerendiſſimi epiſcopi, clamauerunt: Fla-
uianus ſic credebat, Flauianus iſta vindicabat, pro his Flauia-
nus damnatus eſt, Euſebius Neſtorium depoſuit, Dioſcorus
fidem corrumpit. Ægyptii, & qui cum ipſis reuerendiſſimi
epiſcopi, clamauerunt: Neſtorium Deus depoſuit. Orien-
tales, & qui cum ipſis reuerendiſſimi epiſcopi, clamauerunt;
Leo ſic ſapit, Leo ſic credit, Anatolius ſic ſapit. Ægyptij, & qui
cum ipſis reuerendiſſimi epiſcopi clamauerunt: Omnes ſic
credimus, omnes ſic ſapimus, Satanas locum non habeat, Sa-
tanas occaſionem non inueniat. Orientales, & qui cum ipſis
reuerendiſſimi epiſcopi, clamauerunt: Et Imperator & ſena-
tus & omnes ita ſapiunt. Glorioſiſſimi iudices, & ampliſſ. ſe-
natus, & vniuerſa ſynodus reuerend. epiſcoporum clamaue-
runt: Imperator ſic ſapit, Auguſta ſic ſapit, Omnes ſic ſapi-
mus. Ægyptij, & qui cum ipſis reuerendiſſimi epiſcopi, cla-
mauerunt: Sic ſapit vniuerſus mundus. Statuta patrum benè
habent. Orientales, & qui cum ipſis reuerendiſſimi epiſcopi,
clamauerunt: Interfectorem Flauiani foras mittite, temera-
torem Patrum foras mittite. Ægyptij, & qui cum ipſis reue-
rendiſſimi epiſcopi clamauerũt: Vniuerſi ſic credimus. Mul-
tos annos ſenatui, multos annos Imperatoribus, multos an-
nos Catholicis. Vniuerſi ſic credimus. Per vos pax fiat. Om-
nes rectè glorificamus. Glorioſiſſimi iudices & ampliſſ. ſe-
natus dixerunt: Et qua ratione Eutychen quidem his contra-
ria dicentem, in communionem ſuſcepiſtis: Flauianum ve-
rò ſanctæ memoriæ, & Euſebium reuerendum epiſcopum
his vſos, depoſuiſtis? Dioſcorus reuerẽdiſſimus epiſcopus A-
lexandriæ, dixit: Monimenta ipſa veritatẽ docebunt. Beroni-

cianus deuotus à secretis sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit: EPHESI ACTA. Eustathius Episcopus Beryti, dixit: Postquam lectæ sunt epistolæ, necessarium est manifestum facere vestræ sanctitati, quia præstitit Deus beatæ & sanctæ memoriæ patri nostro & archiepiscopo Alexandriæ Cyrillo, in vita ipsius dubitari de aliquibus, quæ ab eo scripta sunt, ab his, qui benè dicta non rectè intelligunt, quatenus ipse per sapientissimam & doctissimam suam linguam manifestum faceret, volentibus peruertere scripta benè composita, & sequi suum pium dogma omnibus persuasit: sed alijs quibusdam præparantibus de epistolis in præsenti perlectis beatissimi & sanctissimi viri dubiam facere sententiam, rursus necessitatem habuit, magis autem audaciam. Omne autem suum tempus hoc pio labore consumpsit, vt seipsum interpretaretur, suamque intentionem ostenderet, & palam omnibus faceret per ea, quæ scripsit ad beatæ & sanctæ memoriæ quòdam episcopos Acacium Meletinæ, & Valerianũ Iconij, & Successum Diocæsareæ Isauriæ prouinciæ, quomodò oportet intelligi & nuper lectas epistolas, & cultũ aduentus Saluatoris nostri. Adiacet enim & hoc inter alia in his epistolis, quas ad illos beatos viros direxit: Non oportet igitur intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei verbi incarnatam. Et hanc suam vocem, testimonio beatissimi viri Athanasij confirmauit.

Allegatio Eustathij pessima & hæretica.

CHALCEDONE ACTA. Orientales, & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi, clamauerunt: Ista Eutyches dixit, hæc Dioscorus dicit. Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ, dixit: Neque confusionem dicimus, neque diuisionem, neque conuersionem. Anathema dicenti aut confusionem, aut conuersionem, aut commixtionem. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Dicat sancta Synodus, si canonicis epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli, quæ in synodo publicatæ & hic lectæ sunt, consonat interloquutio Eustathij reuerendissimi Episcopi. Et antequam responderet sancta synodus, Eustathius reuerendissimus Beryti transiens in medium, & gestans librum, dixit: Si malè dixi, ecce codex, liber Cyrilli anathematizetur, & anathematizer. Aegyptij, & qui cum ipsis, reuerendissimi episcopi clamauerunt: Eustathius episcopus benè dixit, orthodoxus benè dixit. Probatissimi venerabilis Cyrilli æterna memoria. Eustathius reuerendissimus episcopus Beryti, dixit: Epistolæ sanctæ memoriæ Cyrilli sic habent. Et memoriter recitauit tenorem epistolæ, inter cætera sic continentem: Non oportet igitur intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei verbi incarnatam. Et post pronunciationem prædictæ epistolæ idem reuerend. episcopus Eustathius Beryti, dixit: Et qui dicit vnam naturam ad negationem carnis Christi, quæ & consubstantialis est nobis, anathema sit. Et qui dicit duas naturas ad diuisionem filij Dei, Anathema sit. Et pro beato Flauiano dicere volo, ipsa nuda accepit beatus Flauianus, & porrexit pijssimo Imperatori, & iubete recitari manum ipsius, vt dicat vniuersa synodus, quia iustè susceptus est. Gloriosiss. iudices, & amplissimus senatus dixerunt: Cur ergo Flauianum reuerendæ memorię depositis? Eusthatius reuerendissimus episcopus Beryti, dixit: Erraui. Beronicianus deuotissimus à secretis sacri consistorij, ex eadẽ scheda recitauit: Est postquam lecta sunt,

ACTIO SECVNDA CONSTANTINOPOLI HABITA, LECTA EPHESI RELECTA CHALCEDONE.

Eusebius reuerendissimus episcopus Dorylei, dixit: Hæc meipsum sapere sciens, & de his salsare rectum dogma volentibus existens aduersarius, ad vestram perueni sanctam synodum: & peto vestram sanctitatem, consentaneam his quæ lecta sunt, fieri, quatenus omnes sciant, quia si quis has expositiones soluerit, inimicus sit Catholicæ Ecclesiæ, & à sacerdotali conuentu alienus. Sacratissimus archiepiscopus Flauianus dixit: Necessarium & pium est, consentire nos rectæ fidei placitis. Quis enim sancti spiritus verbis resistere potest? Lectæ namque sunt epistolæ sanctæ memoriæ inter sanctos patris nostri Cyrilli, quondam episcopi Alexandrinæ sanctæ Ecclesiæ, diligenter sanctorum patrum, qui in Nicæa eo tempore conuenerunt, sensum interpretantis: docentis ea, quæ nos sapimus semper, quia Dominus noster Iesus Christus filius Dei vnigenitus, Deus perfectus, & homo perfectus est ex anima rationali & corpore, ante omnia quidem secula ex patre sine initio genitus secũdum Deitatem, in fine autem & in nouissimis temporibus, idem ipse propter nos & propter nostram salutem, de Maria virgine natus secundum humanitatem, consubstantialis patri secundum Deitatem, & consubstantialis matri secundum humanitatem. Etenim ex duabus naturis confitemur Christum esse post incarnationem in vna subsistentia, & in vna persona vnum Christum, vnum Dominum, vnum filium confitentes. Volentes autem præter hæc sapere, abdicamus à sancta sacerdotali synodo & Ecclesiæ plenitudine. Singuli autem præsentes reuerend. Episcopi, suam voluntatem & fidem in actorum deponant monimentis. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Quid dicunt venerand. episcopi præsentis sanctæ synodi? Itane exponens fidem sanctæ memoriæ Flauianus, orthodoxam & Catholicam religionem saluauit, an errauit in ea? Paschasinus reuerendissimus episcopus, vicarius sedis Apostolicæ, dixit: Sanctè & integrè & Catholicè exposuit beatæ recordationis Flauianus. Siquidem eius fidei expositio cum beatissimi atque Apostolici viri Papæ Romani epistola concordat. Qua voce Græcè interpretata per virum deuotissimum Constantinũ secretarium sacri consistorij, Anatolius venerand. Archiepiscopus Constantinopolitanæ ciuitatis, dixit: Beatus Flauianus benè & orthodoxè sanctorum patrum nostrorum fidem exposuit. Lucentius reuerend. Episcopus, Vicarius sedis Apostolicæ, dixit: Quoniam sanctæ memoriæ Flauiani fides concordat cum Apostolica sede & patrũ traditione, sententiam, qua illum ab hæreticis constat damnatum, ipsam in eos retorqueri à sancta synodo necesse est. Qua voce Græcè interpretata per Constantinum venerandum secretarium sacri consistorij, Maximus reuerendissimus episcopus Antiochiæ Syriæ, dixit: Orthodoxè sanctæ memoriæ Archiepiscopus Flauianus & consonanter beatissimo & sanctissimo archiepiscopo Leoni fidem exposuit, & omnes eam promptè suscepimus. Thalassius reuerendissimus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Beatæ memoriæ Flauianus consonanter locutus est sanctæ memoriæ Cyrillo, Eusebius reuerendissimus episcopus Ancyræ Galatiæ, dixit: Consentimus, & approbamus sanctissimi Flauiani pro Catholica fide interlocutionem. Eustathius reuerendissimus episcopus Beryti, dixit: Secutus est beatæ memorię archiepiscopus regię vrbis quondam Flauianus, doctrinam beatissimi & sanctissimi patris nostri & quondam episcopi Alexandrię Cyrilli. Orientales & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi, clamauerunt: Martyr Flauianus fidem benè exposuit, Archiepiscopus Flauianus fidem benè exposuit. Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandrię, dixit: Legantur reliqua eius verba & sic respõdebo. In sequentibus enim inuenitur se impugnans, & dicens post adunationem duas naturas. Iuuenalis reuerendissimus episcopus Hierosolymæ, dixit: Consona dictis beatæ memoriæ Cyrilli & sanctissimus episcopus Flauianus dixit, Supplicamus verò sequentia recitari, vt sensus eius manifestior fiat. Reuerendissimi episcopi Palæstini dixerunt: Eadem dicimus, quæ & sanctissimus archiepiscopus Iuuenalis. Exurgens reuerendissimus episcopus Iuuenalis simul cum ipsis, transijt in alteram partem, & clamauerunt Orientales, & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi: Deus benè adduxit te orthodoxè, benè venisti. Petrus reuerẽdissimus episcopus Corinthi, dixit: Ego quidem tunc non affui in Ephesina synodo: (necdum enim eram *gratia Christi ordinatus Episcopus) ex his verò, quæ lecta repperi dicta à beatæ memoriæ Flauiano zelum habentia pro expositionibus sanctæ memoriæ Cyrilli, & piget me reprehendere. Reliqua verò, cùm lecta fuerint, perfectius me edocebunt. Et exurgens & ipse, transijt in alteram partem. Et acclamauerunt Orientales, & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi: Petrus ea, quæ Petri sunt, sapit. Benè venisti orthodoxe. Irenæus reuerendissimus episcopus Naupacti Helladis prouinciæ, dixit: Nec ego quidem præsens fueram * sanctæ Ephesinæ nuper factæ synodo. Ex his verò expositionibus, quæ nunc nobis lectæ sunt, sanctæ memoriæ Flauiani, piget me eam reprehendere. Reliqua verò petimus recitari. Cæteri venerand. episcopi Helladis, dixerunt: Hæc eadem & nos super his, quæ lecta sunt, docemus. Et omnes in alteram partem transierunt.

Hanc interlocutionem Latinis literis habẽt codices Græci Acumicenſ. pro vt hic iacet.

Acumicẽſe non habet *gratia Chriſti.

Sanctam dixit nefandam Epheſinã ſynodum ſecundam idq; conſuete magis quam verè.

Quintillus & Sozon, & cæteri reuerendissimi episcopi Macedoniæ & Cretę, dixerunt: In recitata interlocutione sanctæ

memoriæ Flauiani, nihil inconsequens inuenimus. Petimus autem reliqua recitari. Nicolaus reuerend. Episcopus Stobenus secundæ Macedoniæ prouinciæ, dixit: In præscripta quidem Synodo non affui. De his verò, quæ lecta sunt, nihil inuenio contrarium definitis à beatis patribus, & à beato Cyrillo, dixisse sanctæ memoriæ Flauianum. Athanasius reuerendissimus Episcopus Bustreus Tripolis Ægypti prouinciæ, dixit: Secutus est epistolas sanctissimi Cyrilli & sanctus Archiepiscopus Flauianus. Etenim benè exposuit fidem. Ausonius reuerendissimus episcopus Sebennitenus, dixit: Consona his, quæ exposita sunt à sanctæ memoriæ Cyrillo, interlocutus est & sapuit sanctissimus & venerandus Episcopus Flauianus, sicut & quæ lectæ sunt, epistolæ sanctissimi Cyrilli continent. Nestorius venerandus episcopus Flauoneus, dixit: Consequentia his, quæ lecta sunt ex fide monimentorum, & expositione, quam exposuit beatæ memoriæ Cyrillus, & beatæ memoriæ Flauianus exposuit. Macarius venerandus Episcopus Cabassi, dixit: Ego hæc eadem dico. Bene enim exposuit sanctissimus episcopus Flauianus, secutus fidem sanctissimi Cyrilli. Constantinus venerandus Episcopus Demetriadis Thessaliæ, dixit: Metropolita quidem meus ægritudine detentus, adhuc in Helenopoli est. Ego tamen secundum fidem trecentorum decem & octo sapio, & consentio his, quæ nuper lecta sunt beatissimi Cyrilli. Et si sapio aliter, aut aliquando aliter sapui, anathema mihi. Et consentio eis, sicut consensit beato Cyrillo & beatæ memoriæ Flauianus. Eutychius venerandus episcopus Adrianopolis veteris Epiri, Claudius episcopus Anchiaxi, Marcus reuerendissimus episcopus * Euriæ, Peregrinus reuerendissimus episcopus Phœniciæ, & Sotericus reuerend. episcopus Coreyræ, dixerunt: Sanctissimus quidem pater noster Atticus metropolita episcopus Nicopolis, ante paululum recessit, durè ægrotans. Nos verò tantum confitemur, quia lectis epistolis beatissimi & sanctissimi patris nostri Cyrilli consona & beatissimus Flauianus interloquutus est, & petimus sequentia omnium gestorum relegi. Et omnes in alteram partem transierunt. Dioscorus reuerend. episcopus Alexandriæ, dixit: Manifestè ideo damnatus est Flauianus, quoniam post adunationem duas dixit naturas. Ego autem testimonia habeo sanctorum patrum, Athanasij, Gregorij, Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem duas naturas, sed vnam naturam Dei verbi incarnatam. Ego cum patribus cijcior, ego defendo patrum dogmata, non transgredior in aliquo, & horum testimonia non simpliciter neque transitoriè, sed in libris habeo. Vt verò omnes petierunt, & ego rogo reliqua recenseri. Religiosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Sequentia relegantur: Beronicianus deuotissimus à secretis sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit.

* Euiæ

Hæretica Dioscori responsio contra catholicam fidem.

ACTIONE II. CONSTANTINOPOLI Habita de Eutyche, lecta in Ephesino Concilio, relecta in Chalcedone.

REVERENDVS Episcopus Basilius Metropolis Seleuciæ Isauriæ, dixit: Quis poterit beatissimi patris nostri Cyrilli reprehendere voces, qui impietatē Nestorij futuram mundum inundare, compescuit per propriam sapientiam? Et illo quidem diuidēte in duas personas & duos filios vnum Dominum nostrum & Deum saluatorem Christum, ipse ostendit in vna persona & filij & Domini & dominatoris creaturæ Deitatem cognoscendam perfectam, & humanitatem perfectam. Approbamus igitur omnia ab eo scripta & directa, sicut vera & pia continentia, & adoramus vnum Dominum Iesum Christum in duabus naturis agnoscendum. Vnam enim habebat in semetipso ante omnia secula, sicut splendor gloriæ patris: alteram autem, sicut ex matre natus, propter nos accipiens ex ea, sibi vniuit secundum subsistentiam. Et vocatus est perfectus Deus & filius Dei, & perfectus homo & filius hominis, omnes nos volens saluare in eo, quòd factus est per omnia nobis similis absque peccato. Contrarios verò his doctrinis, inimicos Catholicæ Ecclesiæ esse asserimus. Reuerend. episcopus Seleucus Metropolis Amasiæ, dixit: Repleuerunt corda nostra lætitia, quæ nuper sunt nobis lectæ doctrinæ sancti patris nostri & quondam episcopi Cyrilli, & prudentia sanctissimi archiepiscopi Flauiani, & præsens professio sanctissimi episcopi Basilij. Vnde cùm recta & apostolica & pia sint talia dogmata, & ego consentio & confiteor: & qui ita non sapit, anathematizo, & alienum esse iudico ab Ecclesiastica & Catholica vnitate. Credimus enim & nos in vnum Deum Dominum nostrum Iesum Christum, ex Deo verbum, lumen ex lumine, de vita vitam, in duabus naturis post incarnationem, & ex sancta Maria assumptionem prædicari. Et eum qui præter hæc sapit, sicut alienum ab Ecclesia abdicamus.

Apertius dictū hic, quā à Basilio, in duabus naturis. Locus, ni fallor, corruptus.

EPHESI ACTA. Sancta Synodus dixit: Nemo duo dicit Dominum post vnitionem. Non erat Amasiæ episcopus. Indiuisum noli diuidere. Hæc Nestorius sapuit, sic Nestorius sapuit. Non erat Amasiæ episcopus, non erat Amasiæ, Sinopis est. Dioscopus reuerend. episcopus Alexandriæ, dixit: Tacete modicum. Audiamus alias blasphemias. Quid culpamus Nestorium solum? Multi sunt Nestorij, Ioannes presbyter & primicerius notariorum, dixit: Ex his quæ lecta sunt, illud annotemus, quia alteram fidem præter eam, quæ in Nicæa exposita, & hic prius confirmata est, exposuerunt, qui ista dixerunt. Olympius episcopus * Euazon, dixit: Si initium fides habet ex gestis, qui dederunt initium, sint anathema. CONSTANTINOPOLI ACTIONE SECVNDA GESTA, SED CHALCEDONE RELECTA. Deo amantissimus Episcopus Saturninus Martianopolis metropolis, dixit: Si quis aliter sapit, præter ea quæ nuper lecta sunt in hac sancta Synodo, hic secundum formam sanctorum patrum alienus sit & excommunicatus à nobis, sicut non permanens in his, quæ benè à sanctis Patribus definita sunt. Deo amantissimus Episcopus Æthericus ciuitatis Smyrnæ, dixit: Sicut præsentes patres consenserunt, & ego consentio & concordo, & ante & nunc, & in futuro seculo. EPHESI ACTA. Æthericus Episcopus Smyrnæ dixit: Ego ista non dixi. Dioscorus Episcopus Alexandriæ dixit: Quid dicit? Ioannes presbyter & primicerius notariorum dixit: falsum reprehendit. Dioscorus episcopus Alexandriæ dixit: Doceat reuerend. episcopus Æthericus, quę voluerit. Æthericus episcopus Smyrnæ dixit: Subito vt ingressus sum Constantinopolim, accedebant ad me auersores, ducentes hunc ipsum monachum cum ipsis, qui dixit: Domine subscribe. Dico & ego: Interim sine videamus, si, quæ audiuim⁹ iniqua de eo, certa sint. Postea dicit: Expone. Ego verò dixi: Exponere non possum. Verè quidem scio, sed non possum dicere. Tamen dico, si quis non credit, sicut trecenti decem & octo, & qui in Epheso, anathema sit & hic, & in illo futuro seculo. Dioscorus Episcopus Alexandriæ dixit: Hæc ergo quæ lecta sunt, falsa sunt? Æthericus episcopus Smyrnæ dixit: Ego nescio. Dioscorus episcopus Alexandriæ dixit: Aliud his amplius non dixisti? Æthericus episcopus Smyrnæ dixit: Non. Dioscorus episcopus Alexandriæ dixit: Audiuisti autem, quæ tunc* si à te dicta sunt? Æthericus Smyrnæ episcopus dixit: Audiui. Dioscorus episcopus Alexandriæ dixit: Et non ea dixisti? Aethericus episcopus Smyrnæ dixit: Non. Dioscorus episcopus Alexandriæ dixit: Manifesta sunt, quæ à præsente viro deposita sunt. Vnde reliqua percurrantur. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Aethericus reuerend. episcopus Smyrnæ, exurgens dixit: Prius quidem consensi & subscripsi, tandem abij Ephesum. Statim adhæsit mihi Dioscorus veneran. episcopus, & dixit: Quare subscripsisti contra Eutychen? Dico, Ego subscripsi, sicut omnes patres nostri. Si verò aliud est, dicite mihi. Dixit: Quid subscripsisti? Dico: Sicut obtulerunt mihi, subscripsi. Anathema, si quis non credit, sicut trecenti decem & octo, & sicut qui in Epheso, ille anathema sit. Postea: Quid scripserunt? Nescio, præsentibus omnibus dixi. Dioscorus venerand. episcopus Alexandriæ dixit: Deducat duos testes. Aethericus venerand. episcopus Smyrnæ dixit: Sicut Cyrillus credo. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Quo præsente, hæc tibi dixit Dioscorus reuerend. episcopus? Athericus venerand. episcopus Smyrnæ dixit: Coram omnibus dixit. Thalassius reuerend. episcopus Cæsareæ Cappadociæ dixit: Hæc quæ scripta sunt, dixisti sine vlla necessitate, quid vis ea modò destruere? Dioscorus venerand. episcopus Alexandriæ dixit: Calumniatus nihil patitur. Si, ego essem reprehensus, non paticbar? Beronicia-

* Ebagen.

nus deuotiſſ. à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex eàdem ſcheda recitauit: CONSTANTINOPOLI ACTIONE II. ACTA SED CHALCEDONE RELECTA. Reuerend. epiſcopus Valerianus dixit: Ego confiteor duas naturas in Chriſto, diuinitatis & carnis. Diuinitatis ex patre, carnis ex matre, vnum tamen filiũm Dei, quemadmodum vniuerſi patres conſtituerunt duas naturas in vna perſona. Sic ergo confiteor, ſicut patres trecenti decem & octo, congregati in Nicæa ciuitate, & vt ſancta ſynodus Epheſi decreuit, & beatæ memoriæ Cyrillus Alexandrinæ vrbis epiſcopus ante ſtatuit, ſic credo atque confiteor, Deo *amantiſſ. epiſcopus Longinus* Cherſonenſium ciuitatis dixit: Sanctam & magnam ſynodum trecentorum decem & octo congregatam in Nicæa, ſequens & ſanctus pater noſter Cyrillus epiſcopus, doctrinam *in epiſtola cum omni diligentia expoſuit. Vnde & ego beatiſſimi archiepiſcopi Flauiani conſenſui & beatiſſimorum Epiſcoporum concordo, ſciens poſt inhumanationem ex duabus naturis adorare diuinitatem vnigeniti filij DEI & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Contrarios autem huiuſmodi fidei, alienos exiſtimamus à fide pia ſanctæ Eccleſiæ. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Dioſcorus veneran. epiſcopus Alexandriæ dixit: Ex duabus ſuſcipio, duas non ſuſcipio: Cogor & impudenter agere, de anima eſt mihi ſermo. Euſebius veneran. epiſcopus Dorylei dixit: Tu enim dudum occidiſti ſanctiſſimum archiepiſcopum Flauianum, mihi autem vitæ intuliſti diſcrimen. Dioſcorus reuerendus epiſcopus Alexandriæ dixit: Satisfacio Deo hic & tibi. Euſebius reuerend. epiſcopus Dorylei dixit: Sed & legibus, ſicut dicis. Ergo quare interpellaui? Vtique, vt pœnas de te exigam. Nunquid ad ſalutandum huc ingreſſus es? Paſchaſinus venerandus epiſcopus dixit: Licuit Flauiano epiſcopo, ſto audiente, tantum loqui quantum iſte loquitur? Glorioſiſſimi iudices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Sed in* præſentia ſynodus cum iuſtitia celebratur. Lucentius reuerend. epiſcopus, vicarius Sedis Apoſtolicæ dixit: Iuſta eſt ſynodus. Detur ergo in illa iuſta ſententia. Beronicianus deuotiſſimus à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex eadem ſcheda recitauit: CONSTANTINOPOLI ACTIONE II. ACTA ET CHALCEDONE LECTA. Deo* amantiſſimus epiſcopus Meliphthongus Iuliopolis ciuitatis, dixit: Secundum diuinum Apoſtolum, ſi Angelus de cœlo euangelizauerit vobis aliud quid, præter ea, quæ nuper lecta ſunt, ſanctorum qui in Nicæa & in Epheſo patrum, anathema ſit. Et qui non confitentur ad veram vnitatem coniunctas duas naturas in vnum eundemque filium Dei, Deum verum de Deo vero, Chriſtum Ieſum, ſint anathema. Qui verò innouant aliquid, præter expoſitiones Apoſtolorum & ſanctorum patrum, & conturbantes Dei Eccleſiam, portent iudicium, quicunque illi fuerint. Deo amantiſſimus epiſcopus Iulianus Coenſis, dixit: Nullus ſapientum contraire poteſt expoſitæ fidei à ſanctis patribus, qui in Nicæa, & iterum à ſancta & magna ſynodo in Epheſo metropoli congregata. Confitemur igitur duas naturas in vna perſona, propter quod vnum filium, vnum Dominum Ieſum Chriſtum. Et ſi quis diabolica inſania agitatus, & propriam cogitationem (ſicut putat) ſequens, aliud quid ſapit, præter ea quæ à prædeceſſoribus ſanctiſſimis patribus accepimus, ſit ab Eccleſia alienus. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Dioſcorus reuerendiſſimus epiſcopus Alexandriæ dixit: Ecce hoc reprehendo, quia poſt vnitionem non ſunt duæ naturæ. Beronicianus deuotiſſimus à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex eadem ſcheda recitauit: CONSTANTINOPOLI ACTIONE II. ACTA, SED CHALCEDONE LECTA. Deo amantiſſimus epiſcopus Sabas Paltos ciuitatis, dixit: Didicimus ſanctos patres ſequi. Et enim patres noſtri, qui in Nicæa conuenerant, non à ſemetipſis locuti ſunt, ſed quod Spiritus ſanctus dictauit. Similiter & ſanctiſſimus & Deo amicus beatus Cyrillus ex Spiritu ſancto, quę ſunt ſanctorum patrum, loquutus eſt & docuit. Secutus eſt autem eum & princeps Orientis Deo amantiſſimus Ioannes quondam epiſcopus Antiochiæ. Hunc etiam, & qui ſuperius interlocutus eſt, Deo dignus epiſcopus Baſilius eſt ſecutus. Hoc & ego ſapio & confiteor. Et ſi quis in vniuerſo mundo hanc fidem non ſapit, non ſolùm mihi eſt alienus, ſed & omnibus rectè credẽtibus. Rogo verò veſtram ſanctitatem, hunc tomum & in Orientem dirigere, & liberare nos à blaſphemijs. Et ſi quis non ſubſcripſerit in hoc tomo, ſit nobis alienus. Deo amantiſſimus epiſcopus Thomas Valentinianopolis, dixit: Cùm vtilia ſint animæ pietatis dogmata, expoſita à ſancta ſynodo, quæ in Nicæa congregata eſt, & in Epheſo metropoli, ſic & credimus, & populos, qui ſub nobis ſunt, docemus: & eum, quia ita non ſapit, alienum decernimus eſſe à Catholica Eccleſia. Deo amantiſſimus epiſcopus Thryphon ciuitatis inſulæ Chij, dixit: Secundum expoſitionem patrum ſanctorum in Nicæa, & beatiſſimi & ſanctiſſimi archiepiſcopi Cyrilli, ſic & credidimus & credimus. Et qui nõ credunt ſanctorum patrum doctrinis, anathematizamus, & alienos eos à ſancta Eccleſia iudicamus. Deo amantiſſimus epiſcopus Timotheus Primopolitanus, dixit: Piè & rectè ſtatuta à ſanctis patribus, qui in Nicęa conuenerunt, & beatę memoriæ pater noſter Cyrillus quondãm Alexandriæ epiſcopus ea ſecutus, digna Deo dogmata nobis tradidit, his & concordamus & conſentimus. Vnde ſi quis hæc non ſequitur, alienus ſit à ſanctis Dei Eccleſijs. Deo amantiſſimus epiſcopus Boſphori, dixit: Ter beatiſſimus pater noſter Cyrillus ſecutus Nicænam ſanctam & magnam ſynodum, manifeſtum nobis fecit de Chriſti & ſaluatoris noſtri præſentia, quia qui ante ſecula eſt Deus, & filius eſt patris, in nouiſſimis temporibus inhumanatus eſt, vt diſrumperet contra nos ſcriptum chirographum, & hominẽ perfectum aſſumpſit propter noſtram ſalutem. Omnis ergo, qui non conſentit expoſitionibus ſanctorum patrum, ſeipſum alienat ab omni ſacerdotali communione, & à Chriſti præſentia. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Euſtathius reuerendiſſimus epiſcopus Beryti, dixit: Hominem non aſſumpſit, ſed homo factus eſt, carnem autem aſſumpſit. Beronicianus deuotus à ſecretis ſacri conſiſtorij, ex eadem ſcheda recitauit. CONSTANTINOPOLI ACTIONE SECVNDA ACTA, SED CHALCEDONE LECTA. *Euſtathius Deo amantiſſimus epiſcopus Docimei ciuitatis, dixit: Factam à ſynodo in Nicæa ſanctorum patrum expoſitionem, & lectas nobis epiſtolas ſanctiſſimi & Deo digni quondam epiſcopi Cyrilli, & expoſitas regulas, & fidem à ſancta & magna Epheſina ſynodo, conſona omnia ad inuicem comperimus. Igitur & ego ſic credo, & confiteor. Et qui præter hæc ſapit, alienum iudico à ſancta Catholica Eccleſia, & à fide rectè credentium.

Iulianus Deo amantiſſimus epiſcopus ciuitatis Moſtenæ, dixit: Cùm ſint certa & vtilia animę lecta nobis canonica ſcripta, expoſita à beatiſſimo & ſanctiſſimo Cyrillo, & & Nicæno & Epheſino ſanctis Concilijs, ita & ego ſapio, & credo. Et ſi quis præter hæc ſapit, *ſit alienus à ſanctæ Eccleſiæ recta fide.

Coſſinius Deo amantiſſimus epiſcopus ciuitatis Hierocæſareę, dixit: Audiens has ſanctorum patrum noſtrorum lectas epiſtolas, & quæ in Epheſo metropoli acta ſunt, ſecundũ ſanctas regulas in Nicæa ciuitate expoſitas, ita ſapimus, & credimus, & docemus populum, qui ſub nobis eſt. Et ſi quis aliud ſapit, alienus ſit à ſancta Catholica Eccleſia.

Ioannes Deo amantiſſimus epiſcopus ciuitatis Hyrcaniorum, dixit: Nuper lectis, & pridem expoſitis à ſanctis patribus in Nicæa congregatis, & orthodoxè prædicatis à ſanctis epiſcopis, conſentio, & acquieſco. Aliter autem ſapientem, ſicut inſipientem & auerſor, & alienum iudico à fide recta, per gratiam Chriſti cum omnibus patribus ſtabilitus. Euſebius epiſcopus Dorylei, dixit: Quoniam quidam venerandiſſimorum epiſcoporum in hac regia vrbe degentium, quòd aut propter infirmitatem, aut ignorantes ad conuocationem ſanctæ ſynodi non conuenerunt, peto abſentes per reuerendiſſimum presbyterum & notarium Aſterium, & per religioſiſſimos diaconos & notarios commoneri, quatenus & ipſi agnoſcentes, quę acta ſunt, ſuam manifeſtam faciant voluntatem. Sanctiſſimus Flauianus archiepiſcopus, dixit: Reuerendiſſimi notarij abſentes Deo amantiſſimos epiſcopos cõmoneſaciant, perlegentes eis, quæ acta ſunt, quatenus vnuſquiſque propriam voluntatem exponat. ACTIONE TERTIA CONSTANTINOPOLI ACTA, SED CHALCEDONE LECTA. Præſidente ſanctiſſimo & beatiſſimo archiepiſcopo noſtro Flauiano, & cõſidente ei ſancta ſynodo, rurſus in ſecretario epiſcopi ſecunda feria xv. die menſis Nouem. conſulatu ſuprafcripto, Euſeb. reuerend. epiſcopus Dorylei, dixit: Quartus hodie exceſſit dies, ex quo veſtrã inter-

pellaui

*amiciſſimus.

* eorũ in

Dogma Dioſcori

Coloſſ. 2.

* præſenti

* Euſtochius.

*amiciſſimus.

Galat. 1.

* ſit.

Hic Dioſcorus ſuũ dogma rurſum occidit.

Sabæ petitio.

pellaui ſanctitatem, poſtulans Eutychen presbyterum & archimandritam in ſanctam veſtram ſynodum occurrere, arguendum à me, pro eo quòd orthodoxa dogmata corrupit, & aliter ſapit, quam credit Catholica Eccleſia. Et peto tunc directos à ſanctitate veſtra interrogatos dicere, qualia ab eo acceperunt reſponſa. Flauianus ſanctiſſimus archiepiſcopus, dixit: Dicant notarij, qui ſunt dudum directi. Notarij dixerunt: Ante hoc veſtra iuſſerat ſanctitas, religioſiſſimum presbyterum & defenſorem Ioannem, & reuerendiſſimum diaconum Andream, pergere ad venerandiſſimum presbyterum & archimandritam Eutychen, & vtrique præſto ſunt. Flauianus ſanctiſſimus archiepiſcopus, dixit: Adſtent ſanctæ ſynodo, & dicat prius religioſiſſimus presbyter & defenſor Ioannes, ſi abijt ad vocandum presbyterum, & archimandritam Eutychen, & ſi vidit eum, & quid ab eo audierit.

Religioſiſſimus Ioannes presbyter & defenſor, dixit: Pridem venerandiſſimo epiſcopo Euſebio interpellante in conuentu veſtram ſanctitatem, & accuſante venerandiſſimum presbyterum & archimandritam Eutychen, & libellum ſcriptis porrigente, in quo manifeſtabat eum hæreticis paſſionibus egrotare, & poſtulante, euocatum eum apud veſtram ſanctitatem ſatisfacere pro his, quæ obijciebantur: prouidens veſtra indeclinabilis ſapientia præcepit, pergere tam me, quàm reliquum diaconum Andream ad eum in eius monaſterium, & ad ſatisfaciendum, eum vocare. Quo facto, cùm peruenijſſemus ad eum in eius monaſterium, libellos ei legimus, & exemplaria ei dedimus, & accuſatorem ei manifeſtauimus, & vocationem ei denunciauimus, & ſatisfactionem apud veſtram ſanctitatem: Ipſe autem occurrere quidem & ſatisfacere penitus abnegauit, dicens, hoc apud ſe eſſe decretum, & diffinitione quadam ab initio teneri, vt nuſquam alibi egrediatur à ſua fraternitate: quodammodò enim tanquam in ſepulchro, degere in monaſterio. Innoteſcere autem veſtræ ſanctitati per nos poſtulauit, eo quòd reuerendiſſimus epiſcopus Euſebius inimicus ei iamdudum exiſtens, detractionis & iniuriæ cauſa hanc accuſationem aduerſus eum confecerit. Paratum enim ſe eſſe aſſerebat, expoſitioni ſanctorum patrum, qui in Nicæa & Epheſo congregati ſunt, conſentire, & ſubſcribere interpretationibus eorum confitebatur. Si verò aliquid contigit eos in aliquibus dictis aut falli, aut erraſſe, hoc neque reprehendere, neque ſubſcribere: ſolas autem ſcripturas ſcrutari, tanquam firmiores ſanctorum patrum expoſitionibus. Poſt incarnationem verò Dei verbi, hoc eſt, poſt natiuitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnam naturam adorare, & hanc Dei incarnati, & inhumanati. Et librum aliquem huiuſmodi proferens perlegebat. Adijciebat verò derogationes aliquas aduerſus ſe ab aliquibus dictas, quaſi quòd dixerit, quia Deus verbum carnem ſecum de cœlo deduxerit: ſe innoxium ab huiuſmodi derogatione eſſe: ex duabus autem naturis vnitis ſecundum ſubſiſtentiam, factum fuiſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, neque didiciſſe in expoſitionibus ſanctorum patrum, neque ſuſcipere, ſi contigerit ab aliquo ei tale aliquid legi, quia diuinæ ſcripturæ (vt dicebat) meliores ſunt patrum doctrinis. Et hæc dicens, confitebatur perfectũ Deum eſſe & perfectum hominem, qui natus eſt de Maria virgine, non habentem conſubſtantialem nobis carnem. Hoc autem mecum colloquens, dixit. Flauianus ſanctiſſimus archiepiſcopus, dixit: Hæc ipſa tu ſolus audiſti, an & qui pariter tecum directus eſt, Andreas diaconus? Ioannes presbyter & defenſor, dixit: Dum hæc mihi mandaret ad inſinuandum veſtræ ſanctitati, præſens erat & venerandus Andreas diaconus. Flauianus archiepiſcopus dixit: Dicat & venerandus Andreas diaconus, ſi hæc à venerando presbytero & archimandrita Eutyche dicta audiuit.

Reuerendus diaconus Andreas dixit: Iuxta veſtræ ſanctitatis iuſſionem, perreximus ad venerandum presbyterum & archimandritam Eutychem: & colloquentes ei, hæc ab eo audiuimus, quæ reuerendus presbyter & defenſor Ioannes iam expoſuit. Ioannes religioſiſſ. presbyter & defenſor dixit: Ipſo collocutionis tempore reuerend. presbyteri & archimandritæ Eutychis, quando hæc nobis mandabat veſtræ ſanctitati referre, & religioſiſſimus diaconus reuerend. epiſcopi Baſilij ibi præſens fuit, & quæ dicta ſunt, audiuit. Quapropter peto vocatum eum interrogari, ſi horum aliquid audiuit. Flauianus ſanctiſſimus Archiepiſcopus dixit: Dicant religioſiſſimi notarij, ſi diaconus, qui adeſſe ſolet venerãdo epiſcopo Baſilio, qui & à reuerendo presbytero & defenſore Ioanne commemoratus eſt, hic præſens eſt. Notarij dixerunt: Adeſt diaconus, qui adeſſe ſolet reuerendo epiſcopo Baſilio, qui & veſtræ conſidet ſanctitati. Flauianus ſanctiſſimus archiepiſcopus dixit: Stet in medio. Et cùm ſtetiſſet, ſanctiſſimus archiepiſcopus dixit: Quis vocaris? Et ait: Athanaſius. Sanctiſſimus archiepiſcopus dixit: Quo gradu fungeris Eccleſiaſtico? Athanaſius dixit: Diaconus ſum. Flauianus ſanctiſſimus archiepiſcopus dixit: Cuius ciuitatis? Athanaſius diaconus dixit: Seleuciæ ſub ſanctiſſimo epiſcopo Baſilio. Flauianus ſanctiſſimus archiepiſcopus dixit: Dic, quæ audiſti, præſentibus reuerend. Ioanne presbytero & defenſore, & Andrea diacono, à reuerend. presbytero & archimandrita Eutyche de fide.

Athanaſius diaconus dixit: Hæc audiui, quæ & DEO amantiſſimus presbyter, & defenſor Ioannes expoſuit, & reuerend. diaconus Andreas. Euſebius Deo amantiſſimus epiſcopus dixit: Sufficiunt quidem, quæ prolata ſunt à reuerendo presbytero & defenſore Ioãne, & reuerend. diacono Andrea, & quę facta eſt profeſſio ab Athanaſio reuerend. diacono ſanctæ Eccleſiæ Seleuciæ, ad manifeſtandum quem habeat impium ſenſum, & contrarium expoſitionibus ſanctorum patrum. Tamen ſupplico veſtræ ſanctitati, & iterum ſecundò eum vocari. Paratus enim ſum arguere eum multorum teſtimonijs malè ſapuiſſe, & ſapere, & docere. Flauianus ſanctiſſimus Archiepiſcopus dixit: Vtinam veniens, & agnoſcens ſuum delictum, ad pœnitentiam reſpiciat, quoniam Dominus noſter Chriſtus lætatur de ſalute perditorum, & circumiens ipſe prior ouem errantem requirit. Quapropter & nunc directi, Mamas & Theophilus reuerend. presbyteri commoneant eum, reddentes ei à nobis tranſmiſſa vocationis ſcripta, quatenus ad noſtram ſanctam perueniat ſynodum, ſcandalizatam non ſolùm ex accuſatorijs libellis aduerſus eum porrectis ab Euſebio Deo amantiſſimo epiſcopo, ſed etiam ex facta profeſſione, quaſi malè ſentiente eo, & permanente, vt dictum eſt à religioſiſſimo Ioanne presbytero & defenſore, & Andrea, & Athanaſio reuerendis diaconibus, ſi quando veniens & euomens priorem ſuam impietatem, & cognoſcens rectam fidẽ & expoſitionem ſanctorum patrum noſtrorum, veniam mereatur, quam decet dari à nobis his, qui ad pœnitentiam reſpiciunt. Euſebius Deo amantiſſimus epiſcopus dixit: Dignetur veſtra ſanctitas, iubere prius recitari & dictata à ſancta ſynodo vocationis ſcripta, vt & ipſa inſerantur monimentis. Flauianus ſanctiſſimus archiepiſcopus dixit: Legantur & inſerantur fidei monimentorum. Lucæ 15.

EPISTOLA CONSTANTINOPOlitani concilij ad Eutychen archimandriten.

SAncta & magna ſynodus ſecundum Dei gratiam degens in Chriſtianiſſima & regia Conſtantinopoli * Roma, reuerendo presbytero & archimandritæ Eutychi. Et nunc ſecunda iſta te vocatione vocamus per Mamam & Theophylum reuerendos presbyteros, vt occurras abſq; dilatione, ad ſatisfaciendum ſancto concilio, incuſatus à Deo amantiſſimo epiſcopo Euſebio, ſicut qui aliena à fide ſapuiſti, & ſapis, & ad aliquos ex eis locutus es. Veni ergo in conuentum nihil differens, ne vt ſubterfugiens in faciem conuinci, ſubiaceas diuinarum regularum ſeueritati. Nec enim rationabilis eſt ſatisfactio, dicere, te decreuiſſe non procedere de monaſterio, qui de talibus accuſatus es. * for. *noua Roma.

Adhuc ſedente ſancta ſynodo, & expectante Mamam, & Theophilum reuerend. presbyteros, qui miſſi ſunt vocare reuerend. Euthychen presbyterum & archimandritam, dum legerentur eis expoſitiones de fide ſanctorum patrum, exurgens in medio Euſebius Deo amantiſſimus epiſcopus dixit: Nihil * intemeratum relinquitur adeo impiè agenti, & aliena à recta fide ſapienti, audacter pergit omnia facere. Comperi enim, quia Eutyches presbyter & archimandrita volumen direxit per monaſteria, & ad ſeditionem excitat monachos. Et quia hoc ipſum ad tutelam Eccleſiaſticam & ſanctæ ſynodi pertinet inquirere hoc & cognoſcere, qualia conficit & machinatur * intentatum

chinatur tumultum faciens, postulo, hic præsentem presbyterum *Martyrij, quod est in *Septimo, dicere, si destinauit volumen, & fecit fieri subscriptiones. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Hic præsens est, de quo talia professus est? Notarij dixerunt: Adest.

Martyrij nomine templum honori martyris extructũ cape.

Septimũ, vnum est, ex suburbijs Constantinopolis Procopius.

Sanctissimus archiepiscopus dixit: Sistatur in medio. Et cùm stetisset, archiepiscopus dixit: Quis vocaris? Ille respondit: Abrahamus. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Quo gradu fungeris honoris? Abrahamus dixit: Presbyter sum in septimo sub tua sanctitate.

Flauianus archiepiscopus dixit: Audisti, quæ exposuit reuerend. episcopus Eusebius?

Abrahamus dixit: Etiam per vestigia tua.

Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Dic, quæ ista? Abrahamus dixit: Emmanuel presbyter & archimandrita, direxit me ad Asterium presbyterum, hæc ei denunciare, quæ Eutyches presbyter & archimandrita direxit ei, tomum de fide, & suadebat ei in eo subscribere. Et hæc mandauit, vt prædictus presbyter Asterius vestræ suggerat sanctitati.

Eusebius Deo amantissimus dixit: Quoniam non solùm in monasterio Emmanuelis presbyteri hoc ausus est facere, peto te dirigere & in alia monasteria, & addiscere, vtrum & illic direxerit tomum ad subscribendum, quasi fides contempta sit, nec ne. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Iuxta postulationes religiosissimi Eusebij episcopi, pergant ad monasteria ciuitatis quidem Petrus reuerendus presbyter, & Patricius reuerend. diaconus, trans verò in Sycas, Rhetorius presbyter & Eutropius diaconus, in Chalcedonem autem Paulus & Ioannes presbyter, ad cognoscendum ab eis, si directus est eis tomus ab Eutyche presbytero & archimandrita, suadente eis subscribere. Et cùm hæc à sanct. episcopo dicerentur, Ætius diaconus & notarius dixit: Qui hodie directi sunt à sanctitate vestra venerandi presbyteri Mamas & Theophilus ad Eutychen reuerendum presbyterum & archimandritam, præsto sunt. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Dicant reuerendiss. presbyteri, qui mandata sancti concilij pertulerunt, quid audierunt ab Eutyche reuerend. presbytero & archimandrita. Et si paratus est conuentui sanctæ huius synodi præsentari. Mamas reuerend. presbyter dixit: Peruenientes ad monasterium Eutychis reuerend. presbyteri & archimandritæ, reperimus ante ianuas monachos stantes. Et ingressi cum eis monasterium, diximus: Nunciate, Loqui enim habemus archimandritæ, directi à sanctissimo archiepiscopo & præsente sancta synodo. Et dicebant nobis, quia dominus archimandrita ægrotat, & videre vos non potest. Quid ergo vobis placet, aut pro qua re estis directi, dicite nobis. Nos autem non acquieuimus, dicentes eis, quia nos ad illum ipsum sumus directi, & scriptam iussionem complemus, & præ manibus habemus, quæ ad eum scripta sunt à sancta synodo. Qui ingressi, iterum regressi sunt, & deduxerunt secum Eleusinium quendam monachum, dicentes: Quoniam archimandrita noster ægrotat, hunc loco suo direxit, vt huic, quæ sunt mandata, dicatis. Nec sic acquieuimus dicere ei, sed diximus, si susceptit nos missos à sanctissimo & beatissimo archiepiscopo & à sancta & magna synodo, dicite nobis. Deinde vidimus eos turbatos, & ad alterutrum susurrantes, & dicentes aliqua. Et cùm non acciperemus responsum, conturbatis eis, eo quòd in scriptis esset mandatum, diximus eis: Quid conturbamini? Nihil est durum. Quæ scripta sunt, non sunt occulta, sed dicimus & nos, quid scriptura contineat. Commonuit eum ecce hoc secundò sancta synodus, quatenus occurrat, & in his, in quibus accusatus est à Deo amantissimo Eusebio episcopo, se sistat, & satisfaciat inclamatus. Tunc ingressi nunciauerunt, & susceptit nos prædictus reuerend. presbyter & archimandrita Eutyches. Ingressi porreximus ei missam chartulam, & fecit eam nobis præsentibus legi. Et postquam lecta est, dixit: Ego apud me definitum habeo, citra mortis necessitatem non egredi monasterium. Peruidet autem & sancta synodus, & Deo amantissimus archiepiscopus, quoniam & senex sum, & effœtus. Diximus & nos: Dignare venire, & in his, quibus accusaris, satisfacere apud sanctam synodum. Qui respondit: Ego non egredior de monasterio meo, quia sic habeo definitum. Si autem voluerit beatissimus archiepiscopus & sancta synodus aliquid agere, quod eis placet, agant. Hoc vnum peto, nullum huc alteram vice fatigari. Definitum enim mihi est, non egredi monasterium. Ne ergo & iterum dirigant. Quod volunt, & ante tertiam vocationem meam faciant. Mihi enim, ac si vocassent, sunt. Petijt autem nos dicere sanctitati domini hæc. Compellebat autem nos & chartulam aliquam scriptam deportare, & non acquieuimus suscipere dicentes: Si quid volueris, perueniens doce. Ita nobis talia ad eum dicentibus, delata est charta, & voluit eam nobis legere. Et nec sic acquieuimus audire: sed accipiens, subscripsit eam. Et nos valefacientes, egressi sumus, dicente eo: Quia dirigo sanctæ synodo hanc chartulam cum subscriptione mea. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Dicat & reuerend. presbyter Theophilus, quæ pergens ad reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen pariter cum religiosissimo presbytero Mama, audiuit. Theophylus reuerend. presbyter dixit: Peruenientes pariter cum Mama presbytero in monasterium Eutychis presbyteri & archimandritæ, hæc eum audiui dicentem: Nisi forte mors ejiciat me de hoc monasterio, quia definitum mihi est, & impossibile mihi est egredi. Et alia omnia, quæ dicta sunt à reuerend. presbytero Eutyche, exposuit religiosissimus presbyter Mamas, quæ ego audiui. Eusebius Deo amantissimus episcopus dixit: Excogitatio est semper & occasio obnoxijs, vt delationibus vtantur. Nec enim in arbitrio eorum, qui accusantur, est recusare, aut loco seipsos circunscribere. Sed peto & nunc regularum sanctarum inuigilare potentiam aduersus accusatum, & iubete eum etiam inuitum huc aduenire. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Audiens sancta synodus, quæ mandata sunt ab Eutyche reuerend. presbytero & archimandrita per reuerend. presbyteros, qui ad eum directi fuerant, quod placet, declaret. Sancta synodus dixit: Rationis est, & tertio à sancta & magna hac synodo reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen commoneri, vt ad hanc sanctam synodum occurrat. Quòd si hoc minimè fecerit, seipsum culpabit. Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Religiosissimi presbyteri, Memnon sacrorum vasorum custos, & Epiphanius, & Germanus diaconus, euntes ad reuerend. presbyterum Eutychen & archimandritam, tertiæ euocationis scripta, à sancta synodo ei directa, insinuent: quatenus veniens, satisfaciat super his, quę ei irrogantur. Continebat verò directa à sancta synodo vocationi chartula, sic:

Pertinacia Eutychetis.

EPISTOLA CONSTANTINOPOlitanæ synodi actionis 3. ad Eutychen presbyterum.

SANCTA & magna synodus per Dei gratiam degens in Christianissima & regia Constantinopoli * Roma, Eutycheti reuerẽdiss. presbytero & archimandritæ. Arbitramur te nõ ignorare, quæ à sanctis regulis diffinita sunt aduersus minimè obedientes, & nolentes ad satisfaciendum occurrere, cum & tertia ad eos facta vocatio fuerit. Ne ergo teipsum his, quæ piè ab eis statuta sunt, configas, vel nunc etiam tertiò à nobis vocatus per reuerendiss. presbyteros, id est, Memnonem custodem sacrorum vasorum, & Epiphanium, & reuerend. Germanum diaconum in sanctum cõcilium, acquiesce præsens esse in subsequenti die maturè, hoc est, die, quarta feria, decimaseptima mensis Nouembris.

for. *noua Roma.

ACTIO CONSTANTINOPOlitanæ synodi 4. sed Chalcedone lecta.

ET sequenti die tertia feria, quæ est decimasext. mensis Nouembris, præsidente sanctiss. archiepiscopo sanctæ synodo, & disputante de diuinis dogmatibus eodem ipso sanctissimo Archiepiscopo, Asclepiades diaconus & notarius nunciauit, dicens: Quidam monachi à presbytero & archimandrita Eutyche directi, & Abrahamus reuerend. presbyter & archimandrita, foris sunt, & postulant ingredi. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Ingrediantur. Et cùm ingressi fuissent Abrahamus reuerend. presbyter & archimandrita, &

Eleusinius, & Constantinus, & Constantius diaconi monasterij reuerend. presbyteri & archimandritæ Eutychis, sanctissimus archiepiscopus dixit: Quid est fatigata ad nos reuerentia vestra? Abrahamus reuerend. presbyter & archimandrita, dixit: Directi sumus. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Quis vos direxit? Abrahamus reuerend. presbyter & archimandrita, dixit: Archimandrita. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Quis archimandrita? Abrahamus reuerend. presbyter & archimandrita, dixit: Eutyches. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Quid maximè? Abrahamus reuerend. presbyter & archimandrita, dixit: Direxit me ægrotans. Per orationes enim tuas, totam noctem dormire non potuit, gemens. Nec ego verò dormiui, eo gemente. A vespere enim propter hoc me vocauit. Dixit autem mihi, vt aliqua dicerem domino. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Et intermittimus,* non imminemus. DEI enim est dare sanitatem, nostrum autem expectare sospitatem ipsius. Nec enim in abscisionem inspicimus, sed ad incrementum. Nec enim delectatur Deus in perditione viuorum: nec sumus alij inhumanitatis, sed clementiæ Dei. Si enim propter nos, qui dives erat, pauper factus est, & nos excelsam eius sequi paupertatem debemus. Ad misericordiæ enim opera à Deo facti sumus. Abrahamus reuerend. presbyter dixit: Mihi per vestigia tua, & alia aliqua mandauit, quæ si interrogatus fuero, dico. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Quomodo (rogo te) est possibile, altero accusato, pro eo alterum dicere? Sed magis intermittimus, & non imminemus. Adueniat huc ad patres, veniat & ad fratres, non ad ignorantes eum, immò hactenus in amicitia permanentes, multi audierunt, & scandalizati sunt. Nam accusator eius instat, & debet satisfacere. Si enim tunc, Nestorio aduersante veritati, pro veritate iste ingressus est: quanto magis nunc debet pro veritate, & pro semetipso ingredi? Homines sumus: multi & magni scandalizati sunt, & per imprudentiam, & imperitiam decepti sunt, putantes se recta sapere. Pœnitentia non affert confusionem: sed permanere in peccato, opprobrium est. Sicut enim vermis consumit lignum ex quo nascitur, ita & peccatum permanens in faciente illud. Sed magis adueniat, & confitenti ei delictum, & anathematizanti, dabimus pro præcedentibus veniam, & de futuris nos & sanctam synodum muniat, quòd similia expositionibus sanctorum patrum sapiat, & præter has postmodum neque doceat aliquos, neque in aliquorum præsentia disputet. sic oportet, obsecro te. Nam & antequam tu eum scires, scio eum: & antequam te ille cognosceret, me cognouit.

Abrahamus reuerend. presbyter & archimandrita, dixit: Ita habet per vestigia vestra. Et postquàm surrexerunt, Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Cognoscitis zelum accusatoris, quoniam & ipse ignis, frigidus illi videtur propter pietatis zelum, Et Deus scit. Et monui, & rogaui, dicens: Noli, obsecro, intermittere. Cùm autem immineret, quid eram facturus? Nunquid ergo dispersionem vestram volo? Absit & non magis congregari vos? Inimicorum est dispergere, patrum autem conseruare.

ACTIO QVINTA CONSTANTINOPOLITANI CONCILIJ, LECTA EPHESI, SED RELECTA CHALCEDONE.

SEquenti die, id est, septimadecima mensis Nouembris, rursus congregata sancta synodo in secretario episcopij Aetius diaconus & notarius dixit: Qui directi sunt hesterno die, qui erat sextus decimus dies mensis Nouembris, religiosissimi presbyteri Memnon sacrorum vasorum custos, & Epiphanius, & Germanus diaconus in tertiam vocationem ad reuerend. Eutychen presbyterum & archimandritam, adsunt, volentes intimare, quæ à memorato viro audierunt* ministrantes literis vestræ sanctitatis. Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Priore loco dicat Memnon reuerend. presbyter, quale responsum accepit ab Eutyche presbytero & archimandrita super his, pro quibus directus est à sancta synodo. Memnon presbyter & sacrorum vasorum custos, dixit: Secundùm iussionem vestræ sanctitatis & vestræ sanctæ congregationis, peruenientes vsque ad reuerend. presbyterum Eutychen & archimandritam, reddidimus ei scripta, quæ à vestra sancta synodo transmissa sunt ei. Et accipiens autem, & perlegens, dixit nobis: Quia direxi reuerend. presbyterum & archimandritam Abrahamum ad sanctum & beatissimum archiepiscopum nostrum, necnon & sanctum concilium, quatenùs ex persona mea consentiat omnibus, quæ dicta sunt à sanctis patribus in Nicæa, vel in Epheso congregatis, & omnibus, quæ à Beato Cyrillo. Et adhuc eo dicente, Eusebius reuerend. episcopus dixit: Nũc venit consentire. Ego non de futuris eum, sed de præteritis accusaui. Nunquid modò, si ei quidam ediderunt aliquam expositionem, dicentes, Propter necessitatem consenti & subscribe, propterea ego iam victus sum? Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Nullus neque tibi concedet recedere ab accusatione, neque illi, vt non satisfaciat de præteritis. Eusebius Deo amantiss. episcopus dixit: Postulo hanc vocem mihi non præiudicare. Ego enim fidelissimos testes habeo, sub quorum præsentia peruersa docebat, & admonebat, & contentionem expertus est, non semel, non bis, sed & sæpius admonitus à me, vt recta saperet, nec ita acquieuit. Nam si dicas his, qui in carcere sunt, Ex hodiè non latrocinemini, & omnes promittunt. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Nullum præiudicium generatur tuæ sanctitati in accusatione à te proposita, etsi millies spoponderit subscribere expositionibus sanctorum patrum. Sicut enim sæpiùs iam à nobis dictum est, oportet eum, priùs conuictum in quibus accusatus est, & satisfacere. Et cùm adhuc dicerentur, adiecit reuerend. presbyter & vasorum custos Memnon: Dicebat verò: Eo quod in infirmitate constitutus sum, hac de causa direxi presbyterum & archimandritam Abrahamum. Cùm verò seruentius ei imminerem, quia debes peruenire, & præsentare te in sancta synodo, & satisfacere de his, quibus impeteris, hoc ait: Quia sustineo Papam Abrahamum, fortè supplicat domino & sanctæ synodo. Dico ei: Quid ergò? Nos manemus hic, donec venias? Respondit: Peto supplicare Domino archiepiscopo & sanctæ synodo, quatenus inducias mihi tribuant præsentis septimanæ, & secunda feria, volente Deo, ingredior, & satisfacio & domino & sanctæ synodo. Flauianus reuerend. archiepiscopus dixit: Dicat & reuerend. presbyter Epiphanius, quid audierit à reuerend. presbytero & archimandrita Eutyche. Religiosissimus presbyter Epiphanius dixit: Secundùm iussionem vestræ sanctitatis perueniens ego & reuerend. presbyter sacrorum vasorum Memnon, pariter cum reuerendo Germano diacono, reddidimus reuerend. presbytero & archimandritæ Eutychi commonitorium scriptum à vestra synodo. Et perlegens ipsum, illa dixit, quæ reuerend. presbyter Memnon prosequutus est. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Dicat & religiosiss. Germanus diaconus, quæ audierit. Religiosiss. diaconus Germanus dixit: Secundùm iussionem vestræ sanctitatis & sancti concilij, peruenimus ad reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen. Et hæc eadem nobis dixit, quæ & reuerend. presbyteri prosequuti sunt. Eusebius Deo amantissimus episcopus dixit: Iam & pridem postulaui vestram sanctitatem pro seditione ab eo meditata, quoniam conturbationes immittit, etiam monasterijs, quatenus dirigatur ad monasteria ad cognoscendum: quia omnes commonet, debere eos alicui chartulæ ab ipso conscriptæ, aut (nescio quomodo) ad eum perductæ subscribere. Pro quo vestra sanctitas præcepit certos reuerendos clericos pergere ad monasteria. Iubete ergo eos adesse, & sub fide monimentorum ea, quæ à monachis audierint, profiteri. Sanctiss. archiepiscopus dixit: Dicant notarij, qui sunt directi ad monasteria ciuitatis. Notarij dixerunt: Reuerendus Petrus presbyter & Patricius diaconus, & hic præsentes sunt. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Dicant quid audierint ab vnoquoque reuerend. archimandritarum. Reuerendus Petrus presbyter dixit: Secundùm iussionem vestræ sanctitatis & sanctæ synodi, peruenientes ad monasterium reuerendi presbyteri & archimandritæ Martini, requisiuimus, si aliquam* chartulam directam à reuerendo presbytero & archimandrita Eutyche susceperit. Qui respondit, directam ad se quidem fuisse præterita sexta feria, quæ est duodecima mensis Nouembris, per aliquem Constantinum diaconum,* petens, vt subscriberem, & non acquieui, dicens: Non est meum subscribere. Episcoporum tantùm est, & eorum, qui

* suspendimus cognitionẽ negocij do nec conualescat, non vigemus ægrotantem, vt viuat Sapien. 1. 2. Cor. 8.

* ministratis.

* comum

* qua patebatur, vt

digni sunt. Dicebat: Si nunc mihi conspirare nolueritis, & humiliauerit me episcopus, postmodum & vobis impositurus est. Exinde egressi, venimus ad reuerend. presbyterum & archimandritam Faustum. Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Quid enim continere reuerend. presbyter & archimandrita Martinus dicebat tomum, quem subscribere noluit?

Petrus presbyter dixit: Vt dicebat, quæ in Epheso acta sunt. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Legerat & cognouerat? *aut tantummodò audiens, hæc illi respondit? Petrus reuerend. presbyter dixit: Non legerat quidem. Dicebat vero, quia ista sunt beati Cyrilli, & eorum quæ in Epheso. Subscriptus verò erat & tomus, & occultabat subscriptionem. Similia verò & reuerend. presbyter & archimandrites Faustus dicebat, directum ad se tomum per Constantinum & Eleusinium, quasi deberet à se subscribi: Et exigebat virtutem chartulæ. Dicebant illi: Trecentorum decem & octo est expositio, & in Epheso congregatorum beatissimorum episcoporum. Et respondi eis: Nunquid exemplaria eorum saluantur apud nos? Et date nobis ad pertractandum, ne fortè aliquod additamentum habeat. Et non acquieuerunt, sed recesserunt, dicentes: Nos verò & Ecclesiæ filij sumus, & vnum patrem post Deum habemus archiepiscopum. Et dominus Iob dixit: Tomum quidem non direxit ad nos. Dicebant verò, quia in his diebus tomum ad te directurus est episcopus, vt subscribas, & ne persuadearis ab eo. Perreximus verò & ad Emmanuelem. Et dixit, non ad se directum. Similiter ad Abrahamum: Et ipse dicebat, neque tomum, neque aliquod responsum ad se fuisse directum.

Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Dicat & Patricius reuerend. diaconus, quid à reuerend. presbyteris & archimandritis audierit. Patricius reuerend. diaconus dixit: Directus à vestra sanctitate, & à vestra sancta synodo, vnà cum reuerend. presbytero Petro, audiui illa, quæ & memoratus reuerend. presbyter professus est. Eusebius Deo amantissimus episcopus dixit: Peruidet vestra sanctitas, quæ ab Eutyche archimandrita commissa sunt, & quia aliena à fide sapiebat. Talia enim & reuerend. presbyter & defensor Ioannes prosequutus est, & cum eo directus Andreas reuerend. diaconus, & Athanasius reuerend. diaconus reuerendissimi Basilij episcopi, qualia & nunc responsa reuerendi archimandritæ per directos ad se reuerend. clericos innotuerunt vestræ sanctitati. Qualis ergò adhuc ei satisfactionis locus relinquitur? Pro quo peto, quæ præcipiunt sanctæ regulæ, ad præsens in eum iam exerceri. Qui enim conturbationes emittit, & aliena à fide sapit, qua sorte dignus est inter Dei sacerdotes & archimandritas connumerari? Perspicitis verò, quia & de periurio arguitur. Qui enim dixit, quia definitum est mihi non egredi, & sepulcrum mihi est monasterium, ipse promittit venire, ad dilationem respiciens, & alia aliqua machinans, quatenus fugiat comprobationes, & non sustineat pœnam. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Sufficiunt quidem vniuersa, quæ aduersus Eutychen presbyterum & archimandritam proposita sunt, ad ostendendum nobis, quia aliena à recta fide sapit, & conturbare festinauit Ecclesiam, quatenus amodò iam vindictæ canonicæ subiaceret, & alienaretur & à sacerdotali, qua fungitur, dignitate, & à principatu monasterij. Propter pleniorem verò examinationem, & postulatas ab eo præstamus inducias: sic enim occurrens, & in faciem conuincetur. Si verò secundùm propriam promissionem Eutyches presbyter & archimandrita minimè occurrerit proxima secunda feria, id est, vicesimosecundo die præsentis mensis Nouembr. priuabitur omnino & presbyterij dignitate, & alienabitur *præesse monasterio. ACTIO VI. CONSTANTINOPOL. LECTA EPHESI, SED RELECTA CHALCEDONE. Considente sancta & magna synodo in secretario episcopij, Eusebius Deo amantissimus episcopus dixit: In quibus scripto accusaui Eutychen presbyterum & archimandritam, supplicio vestram sanctitatem, necessarios inibi, propter motum à me aduersus eum negocium, præcipere in vestram venire sanctam synodum die proxima secunda feria, in qua & ille se venire promisit. Sunt autem qui à me quæruntur, Narses presbyter, & *syncellus eius Maximus archimandrita & amicus eius, & Constantinus diaconus & apocrisarius eiusdem Eutychis, & Eleusinius diaconus eiusdem monasterij, vt eis præsentibus facta cognitione, veritas manifestetur.

Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Inquisiti à reuerend. Eusebio episcopo, vocentur ad occurrendum præfinito die. Eusebius Deo amantiss. episcopus dixit: A quibusdam comperi, quia secunda facta vocatione à sancta vestra synodo, directi à vobis religiosissimi presbyteri Mamas & Theophilus, aliqua ab Eutyche presbytero & archimandrita audierint, quæ sub fide monimentorum non sunt professi. Et hæc si manifesta fuerint, comprobatio est certa quid sapiat. Peto igitur, vocatos Mamam & Theophilum presbyteros, propositis sanctis euangelijs, dicere quæ audierunt ab Eutyche presbytero & archimandrita. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Dicant notarij, si supradicti reuerendissimi presbyteri in præsenti sunt. Notarij dixerunt: Adest quidem reuerend. Theophilus presbyter, reuerendus verò Mamas presbyter abscessit.

Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Audisti, quæ à Deo amantissimo episcopo Eusebio dicta sunt. Propter quod timorem Dei præ oculis habens, omnia cum veritate profitere, quæ ab Eutyche presbytero dicente audisti, cùm ad vocandum eum, à nobis & à sancta synodo directus est. Theophilus religiosissimus presbyter dixit: Secundùm iussionem sanctitatis vestræ, ego & religiosissimus presbyter Mamas peruenimus ad monasterium reuerend. presbyteri & archimandritæ Eutychis, & porreximus ei à vestra sancta synodo directum commonitorium euocationis eius. Cœpit velle disputare nobiscum. Reuerendo autem presbytero Mama dicente ei, quia non pro hoc venimus, vt cum tua reuerentia disputemus, sed euocare te ad occurrendum in sancta synodo, cœpit idem reuerend. presbyter & archimandrita, præsente Narsete presbytero & Maximo archimandrita, & alijs monachis, dicere: In qua scriptura iacent duæ naturæ? Deinde vero; quis sanctorum patrum exposuit Deum verbum habere duas naturas? Ad hæc nobis respondentibus, & tu ostende nobis vbi continetur homousion, aut quæ scriptura hæc dicit, respondit idem reuerend. presbyter Eutyches: Non continetur in scripturis, in expositione vero patrum iacet. Ad hæc reuerend. presbyter Mamas respondens, dixit: Eo modo, sicut homousion in sanctis scripturis non iacet, sed à sanctis patribus expositum est, ita & de duabus naturis idem sancti patres exposuerunt. dixi ad hæc & ego: Perfectus est Deus verbum, *aut non? Dixit idem presbyter: perfectus. Dixi ego: perfectus & homo incarnatus an non? Dixit idem presbyter: perfectus. Dixi: Si ergò Deus perfectus & homo perfectus, duo perfecta vnum perficiunt filium. Quid igitur prohibet nobis dicere, ex duabus naturis vnum filium? Et ad hæc respondit reuerend. presbyter & archimandrita Eutyches. Absit à me, dicere ex duabus naturis esse CHRISTVM, aut de natura loqui seu disputare Dei mei. Si ergò volunt deponere me, aut si desiderant facere aliquid aduersum me, secundùm permissum Dei faciant. Ego enim in fide, quam accepi, in ipsa steti, & consummari desidero. Hæc sunt, quæ ab eo audiui. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Dic nobis, qua de re talia de fide à reuerendissimo EUTYCHE audiens, hæc ipsa aduenienti priùs tacueras? Theophilus reuerendissimus presbyter, dixit: Scit & vestra beatitudo, quia non pro hac causa sumus directi, sed tantummodò vocare presbyterum EUTYCHEN. Propter quòd minimè interrogati, superfluum putauimus hæc dicere, de quibus mandatum non accepimus.

Notarij dixerunt: Aduenit & Mamas presbyter, *quem memoratus est EUSEBIUS Deo amantissimus episcopus. Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Relegatur reuerendo presbytero Mamæ prosequutio reuerendi Theophili presbyteri. ET postquam lecta est, Mamas religiosissimus presbyter dixit: Si de homine esset, quod inquireretur, quum nomen clerici habeam, nop mentirer. De fide autem loquendo, absit vt negem aut mentiar. Quoniam directi nihil aliud à sancta synodo in mandatis accepimus, nisi tantummodò commonitorium dare, & responsum accipere, si venit, aut non: pro hoc in prima prosequutione, quæ voluit ille loqui, superflua putaui profiteri. Sed quia interrogauit reueren-

*an

*an

*nopræsit

*id est, cohabitator.

Lepida & syncerè catholica legatorum cum Eutyche disputatiuncula

*de quo loquu.us est.

dissimus Eusebius episcopus, & quæ loquuti sumus profiteri, hæc eadem & ego profiteor, quæ etiam reuerend. presbyter Theophilus professus est. Nam nobis tacentibus & minimè ei volentibus de vlla causa loqui, ipse certabat, dicens de dogmate, sicut sapiebat. Et leniter reprehendimus eum. Dicebat enim, quia Deus verbum incarnatus, humanam naturam, quæ ceciderat, venit erigere. Statim respondens dixi: Qualem? Dixit iterùm ille: Quia humanam naturam. Dico ego: Fige in memoriam, quia humanam naturam, & à qua natura hæc susceptа est? Dicebat: Quia ego à sanctis scripturis non didici de duabus naturis. Dixi ego: Quia neque de homousion à sanctis scripturis edocti sumus, sed à sanctis patribus, qui scripturas & piè intellexerunt, & exposuerunt fideliter: sic ergò accepimus & de homousion, & de ex duabus naturis esse Christum filium DEI. Ait ad hæc: Quia ego deitatem non possum asserere naturam, neque dico duas naturas. Absit. Et hic sum, & si damnatus fuero, sepulcrum mihi sit monasterium: & si permiserit Deus pati me aliquid, libenter patior. Ego tamen duas naturas non confiteor. Pro ea ergò causa, quam dixeram, quia non ad conquærendum missi sumus, sed tantummodò responsum dare, & accipere, ideò hæc priùs minimè sumus prosequuti. Flauianus archiepiscopus sanctissimus dixit: Manifesta sunt ab vtrisque reuerendissimis presbyteris exposita, vnde hæc gestorum fides accipiat.

Lepida alia conflictatiuncula.

ACTIO VII. CONSTANTINOPOLI, LECTA EPHESI, RELECTA CHALCEDONE.

Congregata rursus sancta & magna synodo, prolatis sanctis & tremendis euangelijs, & præsidente sancto & venerabili archiepiscopo nostro Flauiano in secretario episcopij, statuto tempore, secunda feria, quæ est 10. Calen. Decembris, Asterius presbyter & primicerius dixit: Aduenit statutus dies, & Deo amantissimus Eusebius episcopus præ foribus stans petit se intromitti.

Flauianus sanctissimus Archiepiscopus dixit: Ingrediatur. Cumque ingressus fuisset, Flauianus sanctissimus Archiepiscopus, dixit: Eant Philadelphius & Cyrillus diacones, & requirant reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen circa episcopium, si occurrerit secundùm promissionem suam, & vocent eum ad concilium. Et paulo post redeuntes prædicti, dixerunt, quæsitum quidem illum per vniuersam ecclesiam, sed non inuentum, nec ipsum, nec quenquam ipsius. Flauianus sanctiss. episcopus dixit: Et rursus Crispinus & Diogenianus diaconi euntes, requirant eum circa ecclesiam, & vbicunque esse didicerint, euocent eum. Et cùm abijssent, & reuertissent, dixerunt, ipsum quidem non repertum, sed didicisse, quòd cum maxima multitudine militum & monachorum ac præfectianorum apparitorum esset venturus. Et cùm ista dicerentur, & expectaret sancta synodus, Ioannes venerabilis presbyter & defensor dixit: Occurrit reuerendus presbyter & archimandrites Eutyches cum magna multitudine militum & monachorum, & præfectianorum apparitorum sublimissimæ potestatis præfectorum prætorio, & non aliter eum volunt dimittere, vt ingrediatur in vestrum sanctum concilium, nisi eis promiserimus, restituturos eius personam. Est verò pariter & magnus & mirandiss. Silentiarius & ipse vnà cum eo præ foribus cupiens ingredi, vtpotè directus à pijssimo & amante CHRISTVM Imperatore nostro. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Ingrediantur. Cumque ingressi fuissent, mirandiss. magnus Silentiarius dixit: Per vestigia sanctitatis vestræ, si iubetis suscipere responsum domini Imperatoris? Certa enim quædam scripto mandauit, quæ (si placet) relegam.

Sancta synodus dixit: Relege, quæ à pijssimo & religiosissimo nostro Imperatore præcepta sunt*, fili. Et legit mirificentiss. magnus Silentiarius ita: Nos pacem cogitamus sanctarum ecclesiarum & catholicæ fidei, & custodiri volumus rectam & Deo inspirante prædicatam fidem à sanctis patribus nostris, qui in Nicea congregati sunt, trecentis decem & octo, & ab his qui Epheſi interfuerunt damnationi Nestorij. Hoc ergò volumus, ne scandalum in prædicta catholica fide immittatur. Et quoniam scimus magnificentissimum Patricium Florentium esse fidelem, & testimonijs probatum in recta fide, volumus ipsum interesse audientiæ synodi, quoniam sermo de fide est. Adhuc cùm hæc legerentur: sancta synodus dixit: Multos annos Imperatori, Magna fides Imperatorum, Custodibus fidei multos annos, Orthodoxis Imperatoribus multos annos. Pio & orthodoxo, pio Imperatori, pontifici Imperatori. Audite sancti patres, Gratias agimus orthodoxis Imperatoribus. Flauianus sanctissimus episcopus dixit: Dominum Florentium fidelem omnes scimus, & testificationibus probatum in catholica fide, & volumus eum interesse. Discamus autem & ab Eutyche presbytero, si vult & ipse eum interesse. Eutyches presbyter & archimandrita dixit: Quod vult Deus & sanctitas vestra, facite, ego me vobis commendo. Flauianus sanctiss. episcopus dixit: Veniat & Magnificentissimus Patricius Florentius. Dignare ergò fili Silentiarie, fatigari ad eum.

Vir laudabilis magnus Silentiarius dixit: Iubete & aliquem clericorum mecum mitti, ne fortè dubitet, quòd vestra sanctitas miserit. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Si iussisset pijssimus Imperator noster nos mittere, misissemus. Quoniam verò non iussit, ipse solus perge ad eius amplitudinem. Et cùm venisset magnificentissimus & gloriosissimus ex præfectis & ex consulibus & patricius Florentius, sancta synodus dixit, Stent in medio accusator & accusatus, & legantur ab initio, quæ acta sunt de negocio, quod vertitur inter Deo amantissimum episcopum Eusebium & venerabilem presbyterum & archimandritam Eutychen, vt instructi ex his, quæ gesta sunt, congruentem æquitati & sanctis canonibus, terminum demus his quæ mota sunt. Et transiens in medium Aetius diaconus & notarius, legebat factam cognitionem gestorum. Et cum legeret, peruenit ad partem secundæ epistolæ sanctæ memoriæ Cyrilli, scriptæ ad Deo amantissimos episcopos Orientales, in qua hæc continebantur: Confitemur itaque Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum ex anima rationali & corpore, ante secula quidem ex patre natum secundum diuinitatem, in vltimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem de Maria virgine secundum humanitatem, consubstantialem patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum vnitio facta est. Propter quod vnum Christum, vnum Dominum confitemur secundum gratiam inconfusæ vnitionis. Confitemur sanctam virginem theotocon, propter incarnationem Dei verbi & hominis assumptionem, & quia ex eius conceptione vnijt sibi templum, quod accepit ex ipsa. Eusebius Deo amantissimus episcopus dixit: Iste per vestigia vestra hoc non confitetur, nec his aliquandò consensit, sed contraria illis sensit, & locutus est ad vnumquemque ad se venientem, & docuit. Magnificentissimus & gloriosissimus Florentius ex præfectis & ex consulibus & patricius, dixit: Si placet vestræ sanctitati, interrogetur Papa Eutyches, vtrum his consentiat. Eusebius Deo amantissimus episcopus dixit: patimini igitur, vt legatur omnis actio gestorum. Sufficiunt enim mihi priùs acta ad eum conuincendum: nam mihi iam manifestatus est. Neque enim si modò consenserit, sumens alicundè documentum, debeo pati præiudicium. Nam ego demonstraui eum & per sanctiones, quæ ad eum missæ sunt à sancta synodo, & per testes episcopos sanctissim. eadem possum rursus ostendere, si negauerit. Est enim dominus Meliphthongus, & dominus Iouinus, & dominus Iulianus scientes certissimè. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Nemo neque tibi concedit, Eusebi episcope eum non conuincere, neque presbyterum Eutychen continuò suscipiet aliquis consentiente, nisi conuincatur quid antè senserit.

Eusebius Deo amantissimus episcopus dixit: Metuo ipsius concussionem. Ego pauper sum, nihil possidens. Minatur mihi exilium. Diuitias habet. Nam designat mihi iam nunc eas in loco exilij. Flauianus sanctissimus archiepiscopus dixit: Licèt millies ista perseueres dicendo, nos tamen nihil præponimus veritati. Eusebius episcopus dixit: Si conuictus fuero calumniæ, amittam dignitatem. Magnificentissimus & gloriosissimus ex præfectis patricius Florentius dixit: Spatium offeratur Eutychi presbytero, vt exponat, quemadmodum credit, & tunc rursus interrogetur, cur modò ista asserens, antè aliter asserebat. Eusebius episcopus dixit: Sicut prædixi, præiudicium mihi non fiat ex eius repentina consensione, & interrogetur. Ego enim ex his, quæ antè acta sunt, do-

cumentis conuici eum non rectè sentientem. Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Non erit tibi præiudicium, si modò consenserit. Nam quæ antè acta sunt, habent propriam firmitatem. Eusebius episcopus dixit: consentit istis, quæ modò lecta sunt beatæ memoriæ Cyrilli, & confitetur duarum naturarum * nitionem factam in vna persona, & in vna subsistentia, an non? Flauianus sanctiss. archiepiscopus dixit: Audisti presbyter Eutyches, quid accusator tuus dicit? Edicito nunc, si ex duabus naturis vnitionem confiteris. Eutyches presbyter dixit: Etiam ex duabus naturis. Eusebius episcopus dixit: Confiteris duas naturas domine archimãdrita post *incarnationem, & consubstantialem nobis esse Christum dicis secundùm carnem, an non? EPHESI ACTA.

*incorporationem

Sancta synodus dixit: Tolle, incende Eusebium. Iste viuus ardeat, iste in duo fiat. Sicut partitus est, partiatur. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Tolerabilis est vobis iste sermo, post inhumanationem duas naturas dicere? Sancta synodus dixit: Anathema, qui dixerit. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Quoniam & voces vestras necessarias habeo & manus, si quis non potest clamare, manum extendat, Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Orientales, & qui cùm ipsis reuerendiss. episcopi, clamauerunt. Nullus dixit ista, Dioscorus dixit, Ista Aegyptij dixerunt. Aegyptij reuerendiss. episcopi clamauerunt: Ista tunc diximus, & nunc dicimus. Constantinus deuotissimus à secretis sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit: CONSTANTINOPOLI ACTIONE VII. ACTA, CHALCEDONE AVTEM LECTA. Eutyches presbyter dixit: Ego non veni disputare, sed veni suggerere sanctitati vestræ, quid sentiam. Scriptum est autem in hac chartula, quid sentiam: iubete eam legi. Sanctiss. archiepiscopus dixit: Ipse lege. Eutyches presbyter dixit: Non possum. Sanctiss. archiepiscopus dixit: Quare? Tu non exposuisti? aut alterius est expositio? Si tua est, lege ipse. Eutyches presbyter dixit: Mea quidem est dictatio, quæ dictatio æqualis est expositioni sanctorum patrum. Sanctiss. archiepiscopus dixit: Dic, quorum patrum? Dic per te ipsum. Quid opus habes charta? Et cùm legerentur, EPHESI ACTA. Ioannes reuerendiss. episcopus Ephesi, dixit: Quandoquidem abfuit, & in concilio venire minimè sperabatur, omnis ei quasi promitti clementia videbatur. Quando verò aduenit, in omnem tentationem inhumanitatis inducitur. CONSTANTINOPOLI ACTIONE VII. ACTA, SED CHALCEDONE LECTA. Eutyches presbyter dixit: Sic credo: adoro patrem cum filio, & filium cum patre, & spiritum sanctum vnà cum patre & filio. Confiteor autem factam eius in carne *præsentiam ex carne sanctæ virginis, & incorporatum eum perfectè propter nostram salutem. Sic confiteor coram patre & filio & spiritu sancto, & vestra sanctitate. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Admittimus hanc vocem. EPHESI ACTA. Sancta synodus dixit: Hæc fides patrum. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Quoniam dicit religiositas vestra, hæc est fides patrum, quæ fides? quam quis exposuit? Sancta synodus dixit: Eutyches. Nam Eusebius impius est. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Audistis fidem Eutychis archimandritæ. Ecce omnibus vobis manifesta est eius intentio. Ioannes presbyter, & primicerius notariorum, reliqua recitauit: CONSTANTINOPOLI VII. ACTIONE, ACTA, CHALCEDONE VERO LECTA. Flauianus archiepiscopus dixit: Confiteris consubstantialem patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem matri secundùm humanitatem, eundem ipsum vnum filium Dominum nostrum Iesum Christum? Eutyches presbyter dixit: Ego quoniam commendaui me sanctitati vestræ, dixi, quid sentiam de ipso patre & filio & spiritu sancto, nihil vlteriùs me interrogetis. sanctiss. archiepiscopus dixit: Num Christum confiteris ex duabus naturis? Eutyches presbyter dixit: Quoniam confiteor Deum meum, Dominum cæli & terræ, hactenùs de eius natura disputare non mihi persuadebam. Consubstantialem autem nobis, hactenus nunquam me dixisse confiteor. Sanctiss. archiepiscopus dixit: Nõ dicis consubstantialem patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem secundùm humanitatem? Eutyches presbyter dixit: Vsque ad hodiernum diem non dixi corpus Domini & Dei nostri consubstantiale nobis. Sanctam autem virginem confiteor nobis esse consubstantialem, & quoniam ex ipsa incarnatus est Deus noster. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Consubstantialis ergò nobis est virgo, ex qua incarnatus est dominator Christus? Eutyches presbyter dixit: Dixi, quia virgo consubstantialis est nobis. Basilius reuerend. episcopus dixit: Si mater est nobis consubstantialis, & ipse: quoniam filius hominis vocatus est. Si ergò mater eius consubstantialis est nobis, & ipse secundùm carnem consubstantialis est nobis. Eutyches presbyter dixit: quoniam modò dicitis, omnibus consentio. Magnificentissimus atque gloriosiss. ex præfectis & consulibus Florentius Patricius dixit: Cũ mater nobis consubstantialis sit, sine dubio & filius consubstantialis est nobis. Eutyches presbyter dixit: Hactenus non dixi, quoniam ipsum corpus Dei confiteor. animaduertis, non dixi corpus humanum corpus Dei: humanum autem corpus, & quoniam ex ipsa virgine incarnatus est Dominus. Si autem oportet, vt dicatur ex virgine consubstantialis nobis, & hoc dico domine: tamen filium Dei vnigenitum, dominum cæli & terræ, condominantem & conregnantem patri, cui considet, & collaudatur. Neque enim dico consubstantialem negasse, eo quòd ipse sit filius Dei, ante quidem non dicebam: dico quidem modò tibi: puto, quod in exordio dixi. Nunc autem, quia vestra sanctitas hoc dicit, dico, Sanctiss. archiepiscopus dixit: Ergò per necessitatem, non per voluntatem, veram fidem confiteris. Eutyches presbyter dixit: Nunc domine ita habet. Vsque ad hanc horam metuebam dicere, quoniam scio Dominum nostrum Deum, & de eius natura disputare mihi non persuadebam. Quoniam autem vestra sanctitas permittit & docet, dico. Sanctiss. archiepiscopus dixit: Non nos nouitatem inducimus, sed patres nostri exposuerunt. Et sicut exposita ab eis fides habet, sic credentes, in his perseuerare omnes volumus, & nullum aliquid innouare. Magnificentiss. Florentius Patricius dixit: Consubstantialem & ex duabus naturis post incarnationem Dominum nostrum, qui ex virgine est, dicis, an non? Eutyches presbyter dixit: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem, vnam naturam confiteor. EPHESI ACTA. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Consentimus *hic & nos omnes. Sancta synodus dixit: Consentimus. Et cùm legerentur, CHALCEDONE ACTA. Orientales & qui cum ipsis reuerend. episcopi, dixerunt: Ista nemo dixit. Anathema ei qui dixit ista, Homicida dixit, Aegyptij dixerunt, Ista Pharaonis sunt, Anathema qui ista dixerunt. Hæc Dioscori sunt. Hæc homicidæ sunt. Post hæc quid quærimus? Voces nostras Imperatori, Multos annos Imperatori, Multos annos Augustæ, Multos annos senatui. Eustathius reuerend. Episcopus dixit: Et intentio pijssimi Imperatoris, & intentio pijssimæ Augustæ, & intentio vestra vult vnire ecclesias. Ergo ne, postquam hinc fuerimus egressi, incipiant aliqui dicere, quoniam docuerunt duas naturas dicere post adunationem diuisas: Et cùm hæc diceret, Basilius reuerend. episcopus Seleuciæ Isauriæ, dixit: Cognoscimus duas naturas, non diuidimus: neque diuisas, neque confusas dicimus.

*præsentationem

*huic

Gloriossimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Percurre reliqua. Constantinus deuotissimus à secretis sacri consistorij, recitauit ex eadem scheda: CONSTANTINOPOLI ACTIONE VII. ACTA, EPHESI AVTEM LECTA, SED IN CHALCEDONE RELECTA. Sancta synodus dixit: Oportet te clarè confiteri, & anathematizare omne dogma, quod contrarium est his, quæ modò lecta sunt. Eutyches dixit: Dixi sanctitati vestræ, quoniam ante hoc non dicebam. Nunc autem quoniam hoc docet sanctitas vestra, dico, & sequor patres. Neque autem in scripturis inueni manifestè hoc explanatum, neque omnes patres dixerunt. Si verò anathematizauero, væ mihi est, quòd patres meos anathematizo. Exurgens sancta synodus, clamauit dicens: Anathema ipsi. Et post hæc sanctissimus archiepiscopus dixit: Dicat sancta synodus, quid meretur iste præsens, neque confitens rectam fidem, neque consentire volens his, quæ hæc sancta synodus sentit, sed in sua peruersa & iniqua malignitate perstistens. Seleucus Deo amantissimus episcopus Amasiæ, dixit: Dignus est quidem damnatione iste, in vestræ tamen sanctitatis humanitate consistit.

Sanctissimus archiepiscopus dixit: Si quidem confitens proprium peccatum, persuaderetur anathematizare propriã

Hic error Eutychis, & sequacium eius prodit ad lucem.

doctrinam,& consentiret nobis sequentibus traditiones sanctorum patrum,meritò dignus esset venia.Sed quoniam permanet in sua malignitate,subiacebit vindictis canonum. Eutyches presbyter dixit: Dico quidem ista, quoniam & vos nunc iussistis,non autem anathematizo.Quod enim dico, in veritate dico.Magnificentissimus & glorioſissimus ex præfectis & consulibus Florentius patricius dixit:Duas naturas dicis,& consubstantialem nobis esse? Eutyches presbyter dixit:Ego sequor legem beati Cyrilli,& sanctorum patrum,& sancti Athanasij, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem, post autem adunationem & incarnationem,non iam duas naturas , sed vnam naturam dixerunt. Magnificentissimus & glorioſissimus ex præfectis & consulibus Florentius Patricius,dixit: Confiteris duas naturas post adunationem?dic.Si non dixeris,damnaberis. Eutyches presbyter dixit: Legi iubete sancti Athanasij scripta,vt aduertatis quoniam nihil tale dicit. Basilius Deo amantissimus episcopus dixit: Si non duas naturas post adunationem dixeris,commixtionem & confusionem dicis. EPHESI ACTA. Exurgens Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ,dixit: Hanc vocem, quam dicunt me dixisse, ego non dixi his verbis,neque scio ista.Dicente verò monacho, ex duabus naturis dico Dominum Iesum Christum, post verò adunationem vnam naturam, & non addente incarnatam & inhumanatam,scio dixisse. Quia si dixeris, ex duabus naturis, post verò adunationem vnam, & non addideris incarnatam & inhumanatam , putaberis confusionem dicere & commixtionem. * Si autem addideris incarnatam & inhumanatam, similia patrum nostrorum dicis manifestè: quia secundùm expositionem patrum, aliud quidem est diuinitas eius , id est , vnius Domini IESV CHRISTI, & aliud caro eius, quæ ex matre est.Iuuenalis episcopus Hierosolymæ, dixit: Hæc ergò vox adulterata est?Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ,dixit : Non sum memor,neque scio dixisse. CONSTANTINOPOLI ACTIONE VII. ACTA, EPHESI LECTA, CHALCEDONE AVTEM RELECTA. Magnificentissimus & glorioſissimus Florentius dixit: Qui non dicit,ex duabus naturis,&duas naturas,non credit rectè. Exurgens vniuersa sancta synodus,exclamauit: Quæ ex necessitate est, fides non est.Multi anni Imperatorum catholicorum,Imperatorum multi anni.Florentius vir illustris dixit:Fides vestra semper vincit.Synodus dixit: Non consentit. Quid illi persuades? Sanctissimus archiepiscopus dixit: Per omnia Eutyches quondam presbyter & archimandrita, & ex his,quæ anteà acta sunt,& proprijs eius confessionibus, Valentini & Appollinaris peruersitate repertus est ęgrotare, & eorum blasphemias incommutabiliter sequi, qui nec nostram reuerens persuasionem atque doctrinam,rectis noluit consentire dogmatibus. Vnde lachrymantes & gementes perfectam eius perditionem,decreuimus per Dominum nostrum Iesum Christum ab eo blasphematum,extraneum eũ esse ab omni officio sacerdotali,& à nostra communione, & primatu monasterij,scientibus hoc omnibus,qui posteà colloquentur ei,& ad eum conuenerint,quoniam rei erunt & ipsi pœnæ excommunicationis, sicut qui non declinauerunt consabulationes eius.

Flauianus episcopus Constantinopolitanus nouæ Romæ iudicans subscripsi.

Saturninus episcopus Martianopolis,iudicans subscripsi.

Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ,iudicans subscripsi.

Seleucus Dei gratia episcopus Amasiæ Hellesponti,iudicans subscripsi.

Eulalius episcopus Chalcedo.iudi.subscripsi.

Timotheus episcopus*,iud.subscripsi.

Dorotheus episcopus misericordia Dei Neocæsareæ, consensi & subscripsi.

Aethericus episcopus Smyrnæ,iud.subscripsi & definiui, si quis aliud sapit de fide,præter ea,quæ in Nicæa ab omni sancta synodo diffinita sunt,anathema sit.Callinicus Apameæ, quæ est in Bithynia,iud.subscripsi.

Cecropius misericorda DEI episcopus Sebastopolis, iudi.subscripsi.

Meliphthongus misericordia Dei episcopus sanctæ Dei ecclesiæ,quæ est Iuliopolis,iud.subscripsi. (subscripsi

Longinus misericordia Dei episcopus.Chersonen.iudi.

Tryphon episcopus Chij ciuitatis insulæ sanctæ Dei ecclesiæ,iud.subscripsi manu mea.

Paulus episcopus Appolloniadæ ciuitatis sanctæ ecclesię, iud.subscripsi.

Sabas episcopus Palti primæ Syriæ,iudi.subscripsi manu mea.

Iouinus episcopus Deuelten.iud.subscripsi.

Iulianus minimus episcopus Coen.iudicio subscripsi.

Sauinianus episcopus Thelmisli,& Eniandos, & Ioniæ sanctæ Dei ecclesiæ,iud.subscripsi.

Eustochius misericordia Dei episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Docimei Phrygiæ,iud.subscripsi.

Pionius minimus episcopus Troadis ciuitatis sanctæ Dei ecclesiæ,iud.subscripsi.

Cosinius episcopus Hierocæsareæ,iud.subscripsi.

Ioannes minimus episcopus Hyrcaniorum ciuitatis,iud. subscripsi.

Diapherentius episcopus ciuitatis Olbæ,iudicio subscripsi.

Romanus episcopus Eudoxiupolis,iudicio subscripsi.

Iulianus episcopus ciuitatis Mostenæ,iud.subscripsi.

Eudoxius episcopus ciuitatis Bosphori, iudicans & definiens per presbyterum meum Basilium subscripsi.

Thomas minimus episcopus Valentinianupolis, iudicio subscripsi.

Amelius episcopus Opotanæ ciuitatis,subscripsi.

Secundinus episcopus*Noselanen.his gestis subscripsi. for * Nocentianus

Ianuarius episcopus ciuitatis*Macrianæ,subscripsi. *Mariane

Timotheus episcopus Primopolis,iudicans subscripsi. *Maceri populi.

Genethlius episcopus Argos,iud.subscripsi.

Andreas presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis,per presbyterum Timotheum. Subscriptio archimandritarum.

Faustus presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis quondam presbyteri & archimandritæ.

Martinus presbyter & archimandrita monasterij Beati Dionysij,subscripsi in depositione Eutychis quondam presbyteri & archimandritæ,per fratrem Philippum.

Manuelius presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis.

Petrus presbyter & archimandrita monasterij B. Thalassij,subscripsi in damnatione Eutychis, quondam presbyteri & archimandritæ,per Theodorum monachum.

Iob presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis per diaconum meum Andream.

Antiochus presbyter & archimandrita monasterij Beati Theotecni,subscripsi in depositione Eutychis.

Abramius presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis.

Theodorus monachus & archimandrita,subscripsi in depositione Eutychis.

Theodorus presbyter & archimandrita monasterij Aegyptiorum,subscripsi in depositione Eutychis.

Pientius presbyter & archimandrita Basilicæ paruulorum,subscripsi in depositione Eutychis.

*Flauianus archimandrita monasterij sancti Hermilli, subscripsi in depositione Eutychis. *Claud.

Eusebius presbyter & archimandrita monasterij Heliæ, subscripsi in depositione Eutychis.

Eusebius presbyter & archimandrita monasterij sancti Eulogij,subscripsi per Theodulum diaconum meum, in depositione Eutychis.

Tryphon archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis.

Iacobus diaconus & archimandrita Syrorum, subscripsi per Zotum monachum meum,in depositione Eutychis.

Elpidius presbyter & archimandrita subscripsi in depositione Eutychis.

Paulus presbyter & archimandrita *Ethij, subscripsi in depositione Eutychis.

Carosus presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis.

Asterius presbyter & archimandrita monasterij beatæ memoriæ Laurentij, subscripsi in depositione Eutychis.

*Callinicus monachus & archimandrita monasterij Theodoti,in Eutychis depositione subscripsi.

Germanus presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis per Glycerium diaconum.

Marcellus exiguus presbyter & archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis manu mea.

*53. qui subscripserunt.

*Omnes quinquaginta tres subscripserunt. Cumq; lecta fuissent, EPHESI ACTA. Eutyches archimandrita dixit: Certa ex gestis, quæ lecta sunt, adulterata sunt. Et sunt, quæ in hoc negocio acta sunt, & peto ea recenseri.

Iuuenalis episcopus Hierosolymæ dixit: Suscepta percurrantur, & fidei inserantur monimentorum. Ioannes presbyter & primicerius notariorum, legit exempla gestorum habitorum idibus Aprilis: CONSTANTINOPOLITANA ACTIO IN EPHESO LECTA, ET IN CHALCEDONE RELECTA.

Flauio Protogene, & qui fuerit nunciatus, consulibus, cũ sediſſent ex sacro mandato in maiore porticu sanctæ Ecclesiæ.

Flauianus reuerend. episcopus huius inclytæ vrbis.

Florentius magnificentissimus & gloriosissimus ex præfectis vrbis, & præfectus prætorij sexies, & exconsul & Patricius.

Thalassius reuerend. episcopus Cæsareæ ciuitatis prouinciæ Cappadociæ.

Eusebius reuerendissimus episcopus Ancyranorum ciuitatis.

Seleucus reuerendus episcopus ciuitatis Amasiæ.

Basilius reuerend. episcopus Seleuciæ ciuitatis Isauriæ.

Alexander reuerend. episcopus Tomitanorum ciuitatis prouinciæ Scythiæ.

Marinianus reuerend. episcopus Synnadorum.

Meliphthongus reuerend. episcopus Iuliopolitanorum ciuitatis.

Acacius reuerend. episcopus Ariarathiræ ciuitatis.

Proculus reuerend. episcopus Adrianopolitanus.

Daniel reuerend. episcopus ciuitatis Cadenæ.

Sabas reuerend. episcopus ciuitatis Paltenæ.

Longinus reuerend. episcopus Chersonen. ciuitatis.

*episcop.

Ioannes reuerendissimus *presbyter Parthenopolitanus prouinciæ Cariæ.

Paulinus reuerend. episcopus Theodosiopolitanus prouinciæ Asiæ.

Thomas reuerend. episcopus Theodosiopol. prouinciæ Phrygiæ Pacatianæ.

Timotheus reuerendissimus episcopus Saracenorum ciuitatis prouinciæ Palestinæ.

Eusebius reuerendissimus episcopus Dorylei ciuitatis prouinciæ Phrygiæ Salutariæ.

Paulus reuerend. episcopus Apolloniadis ciuitatis prouinciæ Bithyniæ.

Eudoxius reuerendissimus episcopus Bosphorenæ ciuitatis.

*Eustath.

*Eustochius reuerendissimus episcopus Docimenæ ciuitatis.

Timotheus reuerendissimus episcopus Primopolitanæ ciuitatis.

Petrus reuerendiss. episcopus Theodosiopolis ciuitatis prouinciæ Armeniæ.

*Nosaleæ

Secundinus reuerendissimus episcopus *Nocentianæ ciuitatis.

Candidianus reuerendiss. episcopus Antiochiæ ciuitatis prouinciæ Pisidiæ.

Iulianus reuerend. episcopus Coensis.

*Menedunen.

Longinus reuerendiss. episcopus *Talbondanæ ciuitatis prouinciæ Pisidiæ.

Gerasitius reuerendus episcopus Basiliopolitanus.

*Phrygiæ Salutariæ

Pergamius reuerendissimus episcopus Antiochiæ prouinciæ *Pisidiæ.

Paulus reuerendiss. episcopus ciuitatis Anthedoneñ.

*Natyra

*Natira reuerendiss. episcopus Gazene ciuitatis.

Euphrates reuerendiss. episcopus Eleutheropolitanus prouinciæ Cretæ.

Tryphon reuerendiss. episcopus ciuitatis Chij.

Aurelius reuerendissimus episcopus ciuitatis Adramytine, presente Mama viro spectabili comite, & proximo sacri scrinij libellorum sacrarumque cognitionum.

Macedonius reuerendissimus tribunus, notarius & referendarius dixit: Sub die sexto iduum Aprilium, ex sacro mandato iussus sum, reuerendissimos episcopos fidem pridem factorum monimentorum de accusatione, quæ inter Flauianum reuerendiss. episcopum, & Eutychen archimandritam mouetur, perquirere, quod & in præsenti identidem fieri Imperialis præcepit authoritas. Flauius Florentius magnificentiss. ex præfectis vrbis, & præfectus prætorij sexies, & exconsul, & patricius, dixit: quæ acta sunt in prosecutione viri spectabilis Macedonij referendarij, presente sancta synodo, lectione pandantur. Cumque prolata fuisset scheda à sacro scrinio libellorum & sacrarum cognitionum, à Ioanne deuotissimo exceptore eiusdem sacri scrinij recitata est: CONSTANTINOPOLITANA ACTIO, EPHESI IN CONCILIO LECTA, CHALCEDONE AVTEM RELECTA. Flauio Protogene viro clarissimo, & qui fuerit nunciatus, consulibus, sub die quinto Iduum Aprilium in Constantinopoli, cùm sediſſent ex sacra iussione in sanctissimo baptisterio catholicæ ecclesiæ.

Thalassius reuerend. episcopus Cæsareæ ciuitatis Cappadociæ.

Eusebius reuerend. episcopus Ancyræ ciuitatis Galatiæ.

Constantinus reuerendus episcopus Meletinæ ciuitatis.

Basilius reuerend. episcopus Seleuciæ ciuitatis Isauriæ.

Saturninus reuerend. episcopus Martianopolitanus.

Marinianus reuerendiss. episcopus Synnadæ ciuitatis.

Patricius reuerend. episcopus ciuitatis Chij.

Seleucus reuerend. episcopus Amasiæ ciuitatis.

Candidianus reuerend. episcopus Antiochiæ ciuitatis prouinciæ Pisidiæ.

Timotheus reuerend. episcopus Saracenæ ciuitatis.

*Natira reuerend. episcopus Gazenæ ciuitatis. *Natyra

Eustathius reuerend. episcopus Pharnacię ciuitatis.

Paulus reuerend. episcopus Anthedoneñ. ciuitatis.

Thomas reuerend. episcop. Theodusiopolitanę ciuitatis.

Eustachius reuerend. episcopus ciuitatis Docimenę.

Gerontius reuerend. episcopus Basiliopolitanus.

Aquilas reuerend. episcopus ciuitatis *Aurocyrorum. *Arioceraniorum vel Acrotonorum, vel *Acreceranniorũ.

Secundinus reuerend. episcopus *Nouensenę ciuitatis. *Nosalenæ

Acacius reuerendus episcopus Ariarathirenę ciuitatis.

Iulianus reuerendus episcopus Coensis ciuitatis.

Proclus reuerendus episcopus ciuitatis Adraorum.

Eudoxius reuerendus Episcopus Bosphori.

Sabas reuerend. episcopus ciuitatis Paltenę.

Timotheus reuerend. episcopus Primopolitanus.

Paulinus reuerend. episcopus Theodosiupolis ciuitatis prouincię Asię.

Paulus reuerend. episcopus Apolloniadæ ciuitatis.

Longinus reuerend. episcopus *Madinæ ciuitatis. *Mantinę

Macedonius vir spectabilis tribunus, notarius & referendarius dixit: Eutyche reuerend. archimandrita, oblatis precibus sacratissimo Imperatori, suggessit pridem se reperisse & reliqua, quæ in sacris scrinijs continentur.

Magnificentissimus Patricius dixit: Oblatæ preces reuerendi Eutychis monachi, perlegantur, & venerabilis tribunus & notarius & referendarius doceat, si qui obseruant pro persona agentes eiusdem reuerendi monachi. Et antequàm legerentur, Macedonius tribunus, notarius & referendarius, dixit: Obseruant, qui pro persona monachi possint dicere magnificentissimus Patricius dixit: Quid pro hoc placet reuerendiss. episcopis? Eusebius reuerendissimus episcopus Dorylei ciuitatis, dixit: Si per procuratorem dicit, me iubete recedere. Magnificentissimus Patricius dixit: Quod Imperialis præcepit authoritas, omnibus modis obseruandum est. Vnde si consentiunt reuerendissimi episcopi, vt suscipiantur hi, qui pro persona reuerendi monachi agere parati sunt, dicant. Meliphthongus reuerendissimus episcopus dixit: Tali facta accusatione, consequens est, adesse eum, qui accusatur, præsertim quia huiusmodi accusationes non sine periculo fiunt. Nec enim leue est ac transitorium, quod vertitur, & ideò alterum pro altero decertare non licet. Quoniam igitur pijssimus Imperator ex auita traditione consueuit orthodoxam continere fidem, & in nullo sanctas regulas irrumpere, postulamus eius referri clementiæ. Et si iusserit criminali causa alterum pro altero decretare, &

hoc ſuſcipimus, præcipuè quia vniuerſalem præcepit fieri Synodum. Et neceſſe eſt, maiores cauſas in *eum reſeruare concilium. Et vocati ſunt multi, & iuſtum eſt, quæ à pijſſimo principe præcepta ſunt, effectui mancipari. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Quod ſibi de hoc venerabilis tribunus notariorum & referendarius mandatum eſſe cognoſcit, exponat. Macedonius venerabilis tribunus notariorū & referendarius, dixit: Pijſſimus DOMINVS noſter cognoſcens damnatum eſſe prædictum virum, iuſſit pro eo omnibus modis directos ingredi, vt cognoſcant in relectione chartarum, quæ ab epiſcopo ad eum dicta ſunt, & quæ ab eo ad ſanctiſſimum epiſcopum. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Simplex eſt quod poſtulatur. Et propter hoc illi ingrediantur, & ſub eorum præſentia preces recitentur. Et cùm ingreſſi fuiſſent, & ſtetiſſent in medio Conſtantinus, Eleuſinius, & Conſtantius reuerendi monachi, Macedonius venerabilis tribunus, notarius & referendarius, proferens ſanctum Euangelium, dixit: Oportet omnia, quæ mandata ſunt ab eorum pietate, dicere me. Iuſſit igitur eos, qui dudum præſentes fuerunt, ſacratiſſimos epiſcopos, ſub ſacramento dicere, ſi veræ ſunt legendorum monimentorum profeſſiones ab vtraque parte illatæ. Baſilius reuerendiſſimus epiſcopus Seleucienſium Eccleſiæ, dixit: Hactenus iuramentum epiſcopis neſcimus oblatum, Sed & præceptum eſt nobis à Domino Chriſto, non iurandum, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum pedum Dei eſt: neque per caput ſuum, quemquam iurare, quid nullus poteſt vnum capillum, qui à Deo creati ſunt, ipſe facere. Vnuſquiſque verò ſicut ante altare ſtans, Dei timorem habens præ oculis, & propriam conſcientiam mundam ſeruans Deo, quod in memoriam retinet, nullatenus habet intermittere. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Sicut ſemel dictum eſt, precum lectio ſequatur. Et per eundem deuotiſſimum exceptorem recitatum eſt: Pijſſimis & fideliſſimis amicis Chriſti, Imperatoribus noſtris, Theodoſio & Valentiniano patribus patriæ Auguſtis, Eutyches archimandrita: In omnibus mihi poſt Deum & ſalutis & veritatis manifeſtatio facta eſt vera pietas, in nulla re prætermittens inquiſitionem facere eorum, quę vel de fide, vel aduerſus me calumniosè mota ſunt. Geſta enim, quæ ſunt compoſita à reuerendiſſimo Archiepiſcopo Flauiano aduerſum me, legi heſterno die, & reperi contraria his, quæ acta ſunt, contineri in chartis. Nec enim quæ ipſe ad me locutus eſt, iacebant in eis: neque, quæ ego locutus ſum, inſeruerunt eidem monimento. Supplico igitur veſtræ ſerenitati, confuetè orthodoxę fidei patrocinanti, & meæ paruitatis opinioni, vt dignetur præcipere beatiſſimos epiſcopos, qui in hac cauſa tunc reſederunt, & notarios reuerendiſſimi epiſcopi Flauiani, & reuerendiſſ. clericos, qui ad me directi fuerant, vocantes vt occurrerem, & reuerendiſſ. diaconum Athanaſium reuerendiſſ. epiſcopi Baſilij. conuenire in præſentia ſanctiſſimi epiſcopi Thalaſſij, quatenus interrogati dicant, omni cum veritate *ſcriptis, quid nouerint: vt hoc conſecutus, more ſolito laudans gratias agam Domino & Deo omnium Chriſto & veſtræ ſemper pietati. Idem deuotiſsimus exceptor dixit: Eſt in recitata prece etiam diuina annotatio *ſacratiſsimi & pijſsimi Imperatoris noſtri. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Summa cum veneratione percurratur. Et per eundem deuotiſſimum exceptorem recitatum eſt: Deponant apud reuerendiſſ. epiſcopos non ſolum, qui dudum cóueuerant, verùmetiam & reuerendiſsimum epiſcopum Thalaſſium, vt omnibus his præſentibus, quos ſupplicatio loquitur, negocij veritas inquiratur. Flauianus reuerendiſſ. epiſcopus dixit: Reuerendi diaconi & notarij, Aſterius & Ætius, Nonnus, Aſclepiades, Procopius, præſtò ſint. Cumque in medio ſtetiſſent, Aſterius, Ætius, Nonnus, Aſclepiades, Procopius, notarij Flauiani reuerend. epiſcopi magnificentiſsimus Patricius dixit: Præſentibus omnibus monimenta ex ordine relegantur. Et prius quàm offerentur, Ætius reuerend. diaconus & notarius dixit: Neſcimus per veſtigia veſtra, cur vocati ſumus.

Magnificentiſſ. Patricius dixit: Religioſiſſ. diaconi & notarij reuerendiſſ. epiſcopi Flauiani, monimenta in hoc negocio celebrata offerent relegenda. Ætius diaconus & notarius dixit: Neque cauſam ſcimus, pro qua hic aſſiſtimus, neque pro quo geſtorum exiguntur monimenta. Hac de re differimus, & ſupplicamus ſcire, pro quo adſtamus, & reſpondere debemus, Magnificentiſſimus Patricius dixit: Geſta quæ in cauſa Eutychis monachi acta ſunt: inquirimus publicari. Ætius diaconus & notarius dixit: Accuſatio enim aliqua aliquando talis aduerſum nos emerſit. Magnific. Patricius dixit: Cauſam requirere iuſſus ſum, & propter hoc neceſſaria eſt geſtorum oblatio. Cur ergò dilatione & calliditate vteris? Ætius diaconus & notarius dixit: Qui exordium inquiſitionis negotio præſtitit & originem, det nobis tempus reſpondendi, vtrùm proferamus, aut non proferamus. Magnificentiſſ. Patricius dixit: Vos geſta excepiſtis, à vobis ergò offerenda ſunt. Ætius diaconus & notarius dixit: Quis eſt accuſator? Seleucus reueuerend. epiſcopus dixit Preces Eutychis archimandritæ lectæ ſunt nobis, continentes, quod peruiderit geſta, & deprehenderit in eis non contineri, quæ in ſancta ſynodo acta ſunt. Iuſtum ergo nobis hoc videtur, vt proferantur illa monimẽta, quæ legiſſe ſe aſſeruit, & ex eis cauſæ fieri examinationem.

Magnificentiſsimus Patricius ad Ætium dixit: Authenticis monimentis opus eſt, in quibus ſubſcriptiones epiſcoporum continentur. Propter quod (vt ſæpe interlocutus ſum) hæc à notarijs proferantur. Ætius diaconus & notarius dixit: Dignetur magna & ſancta ſynodus, & veſtra magnificentia tempus nobis dare, de quibus volumus dicere. Nec enim ſinè periculo nobis eſt. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Monimenta prius conuenit publicare. Poſtmodum enim, ſi quid docere deſideras, facultas tibi præſtabitur. Ætius diaconus & notarius dixit: Nihil incongruum, neque iniuſtum poſtulamus. Et præ omnibus magnificentia veſtra cognoſcit, & ſicut dixi, quia non de paruo nobis eſt periculum. Audiuimus autem, quia interpellatio aduerſum nos facta eſt à quodam apud pijſſimum & Chriſto amantiſsimum (& qui à Domino DEO conſeruatur) Imperatorem. Supplicamus has nobis declarari abiectiones, & cauſas agnoſcere, & perſonam ſtatui, & manifeſtam accuſationem aduerſus certas perſonas fieri, atque ita reſpondebimus, & nos defendemus, præſumentes de veſtra iuſtitia. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Aduerſus vos interim nihil depoſitum eſt, ſed geſta quæruntur, quæ ſic (vt ſæpius dictum eſt) à vobis offerenda ſunt.

Iniuſtæ interpellationes. Iuſtæ petitiones.

Ætius diaconus & notarius dixit: Monimentorum acta nos deducunt in medium. Neq; enim ab alijs ſcripta ſunt. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Ne aliqua ſuſpicione percuſſus; hæc proferre formides. Ætius diaconus & notarius dixit: A me tale aliquid nec dictum, nec geſtum eſt. Magnificentiſsimus Patricius dixit: Monimenta proferantur. Et priuſquàm offerrentur, reuerendiſsimus epiſcopus huius inclytæ ciuitatis, dixit: Cognoſcitis, quia tunc ſancta Synodo congregata, & voces ab vtraque parte vos excepiſtis? Et ſubtiliter cognoſcitis, quæ à vobis ſcripta ſunt. Et ſi hæc vera ſunt, expreſſim & cum DEI timore dicite. Sin verò aliqua falſa ſunt, quaſi ante tribunal CHRISTI nolite mentiri, & falſarium non taceatis. Hæc ita interloquente reuerendiſſimo epiſcopo, magnificentiſſimus Patricius dixit: Propoſitum reuerendiſſimi epiſcopi nouimus, quia propria conſcientia fiſus, interfatus eſt religioſiſſ. notarios geſta proferre, & docere de omnibus veritatem. Quia propter geſta (ſicut ſæpius dictum eſt) offerantur. Ætius diaconus & notarius dixit: Admonitio ſanctiſſimi & beatiſſimi archiepiſcopi noſtri, noſtræ tribuit voluntati, quatenus inter acta veritatem dicamus. Si ergò * nobis dicentibus digni fide conſtabimus, & confitebimur & proferemus, & veritatem dicemus. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Monimentorum lectio celebretur, Ætius diaconus, & notarius dixit: & ſanctam ſynodum, quæ tunc fuit præſens, præcipere nobis proferre monimentorum ſeriem. Reuerendiſſimus epiſcopus Seleuciæ dixit: Semel ſanctiſſimo archiepiſcopo noſtro iubente proferri monimentorum geſta, nullam dilationem in proferrendis actis conuenit fieri. Et, quaſi ſi à reuerendiſſ. epiſcopis dictum ſit, hæc eadem omnes dicimus. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Dum ſingula capitula releguntur, quid in his reprehenſibile probat pars reuerendi monachi, proſequatur: & reſcripta, quæ penes ſe habet pars prædicti reuerendi monachi, oblata lectione, cũ geſtis authenticis conferantur. Et cùm vtraq; pars obtuliſſet monimenta, Ætius diaconus & notarius dixit: Si iubet magnificẽtia veſtra, habemus aliquid dicere: Didicimus, quod per ſupplicationem docuit reuerend. Eutyches, ſe geſta recenſuiſſe, & exinde

causas pro suis assertionibus reperisse, hæc acta petimus. Quo dicente, magnificentissimus Patricius dixit : Propter hoc, conferri authenticis gestis rescripta diximus. Ætius diaconus & notarius dixit: Petimus agnoscere, vtrùm authentica sint, an exemplaria, aut si quid tale ab aliquo ei est præstitum. Magnific. Patricius dixit : Reuerend. Constantinus, si hæc quæ profert, exemplaria sunt aut authentica, doceat. * Ætius diaconus & notarius dixit: Exemplaria sunt. Magnificentissimus Patricius dixit : Nunc lectio subsequatur. Et priusquàm legerentur, Ætius diaconus & notarius dixit: Petimus considerare seriem gestorum, quæ ab eis offertur, vt cognoscamus, cuius manus sit, vel à quo data sit, aut si à notarijs sit edita. Suscipite nostras petitiones , quæ non sunt incongruæ. Magnificentissimus Patricius dixit: Si authenticis gestis schedæ non concordant, hæc iustè posteà requirentur.

Ætius diaconus & notarius dixit: Nihil prohibet. Semper iudicastis, & iudicando claruistis.

Magnificentissimus Patricius dixit: Superfluis prætermissis, lectio celebretur. Et relecta per Asterium deuotissimum exceptorem authentica scheda, à notarijs oblata, & ab alio collatis exemplaribus, prolatis à parte Eutychis reuerend. presbyteri & archimandritæ, relecta sunt, & ab exordio recensita sunt prima & secunda acta, quæ & in monimentis ita inserta sunt: Consulatu Flauiorum Zenonis & Posthumiani venerabilium consulum , sub die sexto Idus Nouembris in amica Christi & regia vrbe Constantinopoli * Roma. Et reliqua. Et postquam lecta sunt prima & secunda actorum series , & suppletis depositionibus reuerend. episcoporum, Ætius diaconus & notarius dixit : Petimus sanctam & magnam synodum interrogari, auditis proprijs vocibus & gestorum serie, ne aliquid falsatum sit vel corruptum. Magnificentissimus patricius dixit: in hoc ipso quod facent, consentire monstrantur. Vnde conuenit & reliqua recenseri. Et per eundem deuotiss. exceptorem tertia gestorum series est relecta, quæ est & monimentis inserta. Et relecta prosecutione viri religiosis. Ioannis presbyteri & defensoris , Constantinus diaconus & monachus dixit: Ita non est dictum per vestigia vestra, vt cõtinet. Idem deuotiss. exceptor, repetita eadem lectione, relegit: Et si alicubi contigit, aliqua ab eis in aliquibus verbis falli, aut errari, hoc neque accusare, neque suscipere, solas autem scripturas scrutari, vt firmiores sanctorum patrum expositionibus. Dum lectum fuisset, Constantinus reuerendiss. diaconus & monachus, dixit : quoniam diuersis modis locuti sunt sancti patres, & omnia suscipio. In regula autem fidei non suscipio, & quando perturbatio & inusitatio facta est. Constantinus reuerend. diaconus & monachus, dixit : Hoc rogo, vt qui egressi sunt , & audierunt ab archimandrita cum integra conscientia, quasi in præsentia Domini, quæ audierunt, cum veritate dicant, præiudicio minimè generato archimandritę. Et ex mea prosecutione rogo reuerend. clericos, qui interfuerunt, deponere, quæ ab eo audierint, vt religiosum diaconum Athanasium. Seleucus reuerend. episcopus dixit: Ante prosecutionem fratris Constantini, qui in persona directi sunt ipsius, qui precem porrexit, promiserunt omnia, quæ ipsi dixerunt, rata habere eorum archimandritam, & petimus vocem præiudicantem non facere præiudicium monimentis actorum. Constantinus diaconus & monachus dixit: Supplico illud auferri, quod est in regula fidei, quia in perturbatione nesciens sum locutus. Seleucus reuerendus episcopus dixit: Quia, cum quies esset ante perturbationem, hanc vocem frater Constantinus depposuit, attestantur & sanctissimi episcopi, necnon & ipsorum potestas. Magnificentissimus Patricius dixit: De postulatione vtriusque partis, quid considerandum putant, reuerendissimi episcopi Thalassius & Eusebius dignentur dicere. Reuerendus episcopus Thalassius dixit: Non potest directus à reuerendissimo monacho certa quidem de his, quæ ipse voce sua confitetur, suscipere, incerta autem minime suscipere. Reuerendus episcopus Eusebius Ancyranorum ciuitatis, dixit: Et mihi similiter placet, vt qui personam religiosi archimandritæ susceperit, omnia ei firma consistant, quæ ex eius voce prolata sunt: & non in parte velle ea teneri, in parte verò quæ dicta sunt, improbare. Magnificent. Patricius dixit: Reuerend. Ioannes presbyter & Andreas, qui cognoscunt se ab Eutyche monacho audisse, memores suæ opinionis, exponant. Et cum in medio stetissent Ioannes reuerendissimus presbyter & defensor sanctæ ecclesiæ huius gloriosæ ciuitatis , & Andreas reuerendissimus diaconus, Constantinus diaconus & monachus dixit: Non diximus, quia complacent omnia archimandritæ, quæ dico. Magnificentissimus Patricius dixit: Voces tuæ in monimentis continentur. Seleucus reuerendiss. episcopus dixit: Veniens magnificentissimus referendarius, directus à pijssimo & Christi amico Imperatore nostro, deposuit in propria persona archimandritæ Eutychis directos Constantinum , & qui cum eo sunt, susceperuros omnia, quæ in eum inferuntur. Magnificentissimus Patricius dixit : Verba similiter tua eisdem monimentis continentur. Et adiecit Religiosus presbyter Ioannes, quæ ab Eutyche reuerendissimo monacho audiuit, exponat. Et priusquam exponeret, Meliphthongus reuerendissimus episcopus dixit: Ex prouidentia quadam in exordio statim, accusatione instante, commemoraui , & dixi, quia non de qualibetcunque re accusatio commouetur, neque per procuratorem tam periculosa causa tentari aut fieri debet: sed necessaria est & accusati præsentia, legibus hoc præcipientibus. Si verò fortè videtur pijssimo principi, per procuratorem ventilari criminale negocium, & accusare sine periculo, & hoc constituerit, innotescat ipsi. Et necesse nos erit in omnibus Imperatoris CHRISTI amici cedere iussioni. Reuerendissimus episcopus Seleucus dixit : Firmitatem tenentibus etiam his, quæ & hodie acta sunt , ex prosecutione magnifici referendarij, & consensu sanctorum episcoporum, & magnificentissimi , & gloriosissimi ex consulis & patricij Florentij exponant & reuerendissimus Ioannes presbyter & Andreas diaconus, quæ nouerunt. Ioannes reuerendissimus presbyter & defensor, dixit: Ea quidem, quæ professus sum, & sanctissimo & DEO amabili concilio sunt relecta, præsente & magnificentissimo, & per omnia gloriosissimo excõsule ac patricio Florentio , quoniam hæc veritate subsistunt, hoc & religiosissimus diaconus. Quo dicente, Constantinus diaconus, dixit: Non omnia sunt relecta. Idem Ioannes reuerendissimus presbyter & defensor, dixit: Etiam, eccè hoc dico. Constantinus reuerendissimus diaconus, dixit: Ego vnum vetbum dixi perturbatus, & scriptum est. Quo dicente, reuerendissimus episcopus Thalassius dixit: Sufficiebat quidem & opinio Ioannis presbyteri. Quoniam verò Euangelium nobis omnibus est ante positum , rationabile est, & ipsum super his, quæ dicit, coram Euangelio roborare. Idem Ioannes reuerendissimus presbyter & defensor subiungens, dixit: Quoniam verò hæc veritate subsistunt, & ex eo quod placuit aduersario dubitare , maiore ea vinculo veritatis obstrinxit, & hoc agnouit DEO amabile sanctumque concilium ex eo, quod postea verba propria refutare tentauit. Sed quoniam oportet perfici lectionem, & satisfieri mihi & consequentibus, quatenus cognoscam ea , quæ dicta sunt à reuerendiss. Archimandrita Eutyche, & si conuenientia dixi his, quæ tunc à me dicta sunt, aut denegem , si à me non cognosci contigerit, peto vestram Deo amabilitatem, & plenissimam fieri lectionem, vt & cuncta perspiciam propter reuerentiam sancti Euangelij , quod vestra Deo amabilitas proposuit, & verbum consequar veritatis. Magnificentissimus Patricius dixit: Rursus Ioannis presbyteri voces ex monimentis repetantur, vbi aliqua ab Eutyche se audisse confessus est. Et per eundem deuotissimum exceptorem denuò voces Ioannis presbyteri recitatę sunt. Religiosus Ioannes presbyter & defensor, dixit: Ante hoc reuerend. Eusebio episcopo interpellante vestram sanctitatem in synodo, & accusante reuerendiss. Eutychen presbyterum & archimandritam, & libellum scriptis porrigente, declarantę ægrotare eum hæreticorũ passione, & postulante euocari eum ad vestram sanctitatem, & satisfacere pro his, quæ ei ab eo ingerebãtur, prouidẽs vestra incircumscripta sapientia præcepit, peruenire me & reuerendiss. Andream diaconum ad monasterium ipsius, & euocare eum ad satisfaciendum. Quo facto, peruenientes ad eum in monasterio ipsius libellos ei legimus , & exemplaria eorum dedimus, & accusatorem manifestauimus, & nunciauimus ei, vestræ sanctitatis euocationem, pro satisfactione apud beatitudinem vestram. Qui occurrere quidem, & satisfacere modis omnibus abnegauit , dicens , hoc apud se decretum ex diffinitione quadam ab initio contineri, vt nullo modo alibi à sua congregatione discederet, sed quoddammodò

eum

for. * Constantinus.

Satis prudenter Ætius manus proprietatem quærebat agnoscere, vt videret, an aliquis notariorũ Eutychis dementiæ consentiret.

Sequentia ante habẽtur post tertię actionis initiũ.

eum velut in sepulcro degere in monasterio. Cognitum vero per nos sanctitati vestræ fieri postulauit, quia Deo amantissimꝰ episcopus Eusebiꝰ olim inimicus eius existens, detractionis atque iniuriæ gratia, hanc accusationem aduersus eum conflauerit. Paratum enim se esse dicebat expositionibus sanctorum Patrũ, qui in Nicæno & Ephesino cõcilio congregati sunt, cõsentire & subscribere eorũ interpretationibꝰ fatebatur. Si vero alicubi contigerit, ab ipsis in aliquibus verbis vel falli, vel errasse, hoc neque accusare, neque suscipere, solas autem scripturas inquirere, sicut patrum expositionibus firmiores. Post inhumanationem verò Dei verbi, id est, post Natiuitatem Domini nostri Iesu Christi, vnam naturam adorare, & hanc Dei incarnati & inhumanati. Et de huiusmodi codicem proferens, legebat. Addebat autem detractionem quandam contra se vbique diffusam, quasi ipse dixerit, quòd de cælo carnem Deus verbum deduxerit, se verò liberum esse ab huiusmodi detractione. Ex duabus verò naturis adunatis secundùm subsistentiam factum Dominum nostrum Iesum Christum, neque didicisse in expositionibus sanctorum patrum, neque suscipere, si contigerit ei aliquid huiusmodi à quolibet relegi, quoniam diuinæ scripturæ, sicut dicebat, meliores sunt sanctorum patrum doctrinis. Et hæc dicens, confitebatur perfectum Deum esse, & perfectum hominem, qui natus est ex Maria virgine, non habentem carnem consubstantialem nobis. Hoc autem mihi colloquens, dixit. Sanctiss. Archiepiscopus dixit: Hæc eadem solus audisti, an & qui tecum directus est, Andreas diaconus: Reuerendiss. Ioannes presbyter & defensor dixit: Cùm ista mihi mandaret vestræ suggerere sanctitati præsens erat & reuerendiss. diacon. Andreas. Et postquam lectum est, Ioannes reuerend. presbyter, & defensor, dixit: Scit & vestra magnificentia, & Deo amabilis & sancta synodus, quoniam impossibile est, eisdem verbis vti eum, qui dirigitur enunciationem aliquibus intimare. Nec enim hoc vel probatissimorum rhetorum aliquis forsan efficit, aliena verba deferre, & aliquibus deportare. Verum tamen quandò hæc à reueren. archimandrita Eutyche inquirebam, præsens fuit & reuer. Andreas diaconus, & insuper reuerend. Athanasius diaconus. Ego autem eo tempore commemoratorium faciens apud meipsum, vt putabam, quæ ille dixit, custodio, atque apud me habeo. Oportuit autem eundem reuerendiss. archimandritam Eutychen esse præsentem his, quæ hodiè peraguntur præ confusione mea. Hoc enim & à vestra incircunscriptibili prudentia credidi comprobari, vt ipse, qui dixerat mihi, præsens hic, quæ à me dicebantur, audiret: & interrogatus, contradiceret sermonibus meis, aut consentiret eis. Nec enim puto religiosum virum propositis sanctis euangelijs verba mea destruere, quæ tunc ipse locutus est, maximè cùm & præsens reuerendissimus Diaconus Constantinus aliquando quidem consentit his, quæ à me dicuntur, aliquando autem & suspicatur, & aduersatur his, quæ à me dicta sunt. Et rogo, ne satis à me expressius verba quærantur, quæ ille locutus est. Nec enim hoc quisquam facere potuit, ipsis prorsus verbis redintegrare alicuius eloquia. Conscriptos autem à me sermones tunc in *commemoratorio iubete relegi. Magnificentissimus Patricius dixit: *Commemoratoriũ, quod postulat, relegatur, & conferatur professioni quæ gestis continetur, vt si quid ex sensu vel ex verbis dissonat, agnoscatur. Et priusquam legeretur, Ioannes reuerend. presbyter & defensor, dixit: Rogo primum, vtrum diaconus Andreas, & reuerend. diaconus Thalassius præsentes dicant, si consonant his, quæ iam lecta sunt, & à me iam pridem exposita. Magnificentissimus Patricius dixit: Interim lectio subsequatur. Et cùm protulisset *commentarium reuerend. Ioannes presbyter & defensor, per eundem deuotissimum exceptorem relectum est: Ante hæc religioso Eusebio episcopo in concilio vestræ beatitudinis interpellante, & accusante Eutychen reuerend. presbyterum & archimandritam, & libellum contra eum dante, quo indicatur hæretica eum ægrotare perfidia, ac postulante eundem reuerendiss. archimandritam accersitum, satisfacere de ijs, q̃ ei ab ipso impingebãtur, prouidens catholicæ fidei incircunscriptibilis vestra prouidentia, abire ad illum præcepit me & reuerend. diaconum Andream, & vocare eũ satisfacturum. Hoc autem facto, nobisq; ei in suo monasterio præsentatis, relectaque ei accusatione conscripta, atque exemplaribus traditis, accusatoreque etiam declarato, & euocatione ad satisfactionem apud vestrum Deo amabile sanctumque concilium memorata, huc quidem venire, & his, de quibus inclamatur, occurrere, modis omnibus distulit, dicens decretũ sibi, & diffinitione quadã ab exordio conseruatum, vt nusquã alibi à sua cõgregatione discedat, propterea q; velut in sepulcro quodam in monasterio degat: innotescere verò per nos vestræ sanctitati postulauit, quòd olim inimicus eius existens Deo amantissimus Eusebius iniuriæ & derogationis gratia hanc contra eum accusationem instituit: ipse enim sequi se expositiones sanctorum & beatissimorum patrum, qui in Nicæno atque Ephesino concilio fuerunt, & subscribere eas paratum esse promittit. Si verò fortè alicubi (vt dicebat) circa aliqua verba vel errauerunt patres nostri, vel falli potuerunt, ea se (quod ad ipsum attinet) neque accusare, neque suscipere, sed solas diuinas scripturas scrutari de huiusmodi, vtpotè firmiores. Diccbat autem memoratis aliquibus, vanas contra se derogationes dispersas, quasi Deus verbum carnem de cœlo deduxerit, alienum se autem ab huiusmodi derogatione. Nam post incarnationem Dei verbi, hoc est, post natiuitatem Domini nostri Iesu Christi, vnam naturam adorare, & hanc Dei incarnati atque inhumanati, & de hoc codicem proferens, relegebat. Duabus enim de naturis post vnitionem Domini nostri Iesu Christi disputare, neque didicisse in expositionibus patrum, neque suscipere, si contingat ei fortè tale aliquid relegi, eo quod diuinæ scripturæ (vt dixit) nullam de naturis faciant mentionem, & meliores sint expositionibus magistrorum. Et hæc dicens, addebat quoniam Deus perfectus, & homo perfectus est natus ex virgine. Magnificentissimus Patricius ad Constantinum monachum dixit: Secundum narrationem *commemoratorij, an secundum monimentorum seriem locutum fuisse reuerendissimum monachum Eutychen clericis dicis? Constantinus reuerend. diacon. & monachus, dixit: Quicquid allegauerint, qui audierunt, hoc susceptit archimandrita cum veritate. Magnificentissimus Patricius dixit: Andreas, quæ ab ipso monacho audiuit, edicat, relictis prius eius vocibus ex monimentis gestorum. Et priusquam legerentur, Eleusinius reuerend. monachus dixit: Non habentem carnem consubstantialem nobis, hoc mihi in locutione dixit, sed in prolato ab eo *commentario non continetur. Magnificentissimus Patricius dixit: Quid ad hęc dicit religiosus Ioannes? Ioannes reuerend. presbyter & defensor, dixit: Sanctas scripturas proposuit nobis humilibus vestra beatitudo & vestra magnificentia: & quę habet *commemoratorium meum, ista & confessio in gestis: & si contigit in sermonibus ea dissonare, non scio quid dicere. Magnificentiss. Patricius dixit: Sed non est modicum, quod dicitur immutatum. Ioannes presbyter & defensor, dixit: Et quis potest aliena verba red integrare cuilibet, sed magis ipsum intellectum, quem dixit? Quo dicente, Magnific. Patricius dixit: Quid ergo istum in hac parte dixisse confirmas? Ioannes relig. presbyter & defensor dixit: Quid enim extat ambiguum de consubstantiali? Dixit, quia matri consubstantialis est, non dixit, nobis hominibus. Aut vbi vultis, iuro quia dixit, consubstantialis matri est, non nobis consubstantialem habet carnem. Magnific. Patricius dixit: Rursus hęc pars tam de monimentis, quam de *commemoratorio relegatur, & reuerend. Ioannes specialiter fateatur, quid in hoc ab eo audierit. Quo facto, Ioannes reuerен. presbyter & defensor, dixit: Istud mihi soli disputans dixit, quoniam consubstantialem nobis carnem non habet, sed matri. Magnificent. Patricius dixit: Oblitus es, quę audisti, & propterea hęc *commemoratorio non indidisti? Ioannes religio. presbyter & defensor, dixit: Quoniam prędentes mecũ viri reuerend. diaconi non audierunt, quę mihi seorsum dicta sunt, propterea hęc non indidi *commemoratorio. Constantinus diaconus & monachus dixit: Et hoc rogamus, vt reuerend. diaconi veniant, & cum veritate profiteantur, quę audierunt ab archimandrita: &, si semotim illi locutus est. Magnific. Patricius dixit: Sicut superius interlocutus sum, prędente Andrea voces ipsius publicentur. Et per eundem virum deuotissimum exceptorem ex eisdem gestis relecta sunt: Sanctiss. Archiepiscopus dixit: Dicat reuerendiss. diaconus Andreas, si hæc audiuit à reuerend. presbytero & archimandrita Eutyche dicta. Reuerendiss. diaconus Andreas dixit: Secundum præceptum vestræ sanctitatis iuimus ad reuer. presbyterum & archimandritam Eutychen, & locuti illi, hæc ab ipso audi-

*commentario *Commẽtarium

*commemoratorium.

*Commẽtarii.

*commemoratorio

*commentarium.

*commentario.

*commentario.

*commentario.

uimus, quæ & reuerendiſſ. presbyter & defensor Ioannes iam profeſſus est. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Andreas reuerendiſſimus diaconus quid ab Eutyche audiuit, referat. Andreas reuerend. diaconus dixit: Quoniam Deus considet vobis & timor & tremor sensum meum detinet, non possum à veritate excedere. Primitius etenim directus à DOMINO meo sanctiſſimo archiepiscopo Flauiano, & sanctiſſimo cum ipso conuentu ad reuerendiſſ. archimandritam Eutychen, ea quidem, quęcunque de euocatione edocuit reuerendiſſ. presbyter & defensor Ioannes, hęc & comproſeſſus sum, & conscius sum. De consubstantiali autem cùm interrogationem faceret reuerend. presbyter & defensor Ioannes reuerendiſſ. archimandritæ Eutychi, vtrum dicat consubstantialem patri Deum verbum secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem, inquit archimandrita Eutyches, dicens: Symbolum quemadmodum habet? Dicit Dominus Ioannes, quia anathema consubstantialem patri habet tantùm. Oppoſuit archimandrita Eutyches, dicens: Ita ergò habe & tu, quoniam & ego ita teneo. Aliud quid nescio in hoc negocio. Magnificentiſſ. Patricius dixit: Semotim tamen aliquid Ioannes cum Eutyche monacho & absente locutus est? Andreas diaconus dixit: Quædam locutus est per vestigia vestra, quæ ego non audiui. Magnificentiſſ. Patricius dixit: Nunc reuerendiſſ. diaconus Athanasius adueniat. Et cùm stetisset in medio Athanasius diaconus, magnificentiſſ. Patricius ad eum dixit: Propoſitum tuum considerans, cum veritate dic, quid monachum Eutychen Ioanni viro reuerendiſſ. vel Andreæ dixisse cognoscis? Athanasius reuerendiſſimus diaconus dixit: Quoniam de anima est sermo, & non est absque periculo, non proferenti veritatem, quæ cóperi, hæc & dico. Non sum directus ego pro hac causa cum DEO amantiſſimo presbytero Ioanne, vel Andrea reuerendiſſ. diacono. vocatus tamen à prædicto Deo amātiſſimo presbytero & defensore Ioanne, tanquam eo sibi præsente & audiente, quæ ab eo dicta sunt, & requisitus à sanctiſſimis episcopis, profeſſus sum, quia hæc & ego præsens ibi audiui, quæcunque & ipse profeſſus est. Sed & nunc hoc commemoratorio relecto, quod tenebat prædictus DEO amantiſſimus vir, cognoui omnes alios sermones, solùm verò de consubstantiali non agnoui. Sed tunc eodem presbytero interrogante archimandritam, ac dicente, quia confiteris Dominum consubstantialem quidem patri secundum diuinitatem, consubstantialem verò nobis secundum humanitatem, idem archimandrita dixit: Symbolum quemadmodum habet? Deinde respondens presbyter, ait: Consubstantialem patri. Dicit ille: Ita habeto, quia & ego ita habeo. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Sermocinationes tamen quasdam inter se priuatim Eutyches reuerendiſſ. monachus & Ioannes reuerend. presbyter habuerunt? Athanasius reuer. diaconus dixit: Non intendi per vestigia vestra. Eleusinius reuerend. monachus dixit: Precamur virum reuerend. Athanasium diaconum, requisitum, profiteri de ijs, quibus in secunda interrogatione repræhendit virum reuerend. presbyterum Ioannem. Docuit nanque, quòd post primam professionem alia iterum legebantur, & reprehendit, protestans quòd non sunt scripta hæc, quæ profeſſus est, prius quando venit de monasterio, siue hæc siue alia: sed postea congregatione habita, & iubente sanctiſſimo archiepiscopo acta gestorum proferri, in quibus profeſſus est Deo amantiſſimus Ioannes presbyter, relectis eis, reprehendit reuerendiſſ. diaconus Athanasius, dicens: quia hæc non audiui. Magnific. Patricius dixit: Ioannis voces ex monimentis relegantur: & quod amplius de ijs Athanasius paratus est docere, prosequatur. Et cùm iterùm recitatæ fuissent, idem Ioannes reuerend. presbyter & defensor dixit: Præcedens reuerendiſſ. diaconus Andreas, nec non & reuerend. Athanasius diaconus, omnibus, quæ à me dicta sunt in commemoratorio, consenserunt, præter consubstantialem, vt dixerunt: & hoc profitentes, qualiter dictum est à reuerend. archimandrita, & poterit intelligere & venerabile sanctumque hoc concilium & vestra magnificentia, quia hoc ipsum, quod dixerim, quoniam scis Deum consubstantialem patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem, quia hoc ipsum quod econtrario interrogauit, dubitationis erat signum. Et precor vocem reuerendiſſimorum diaconorum, quæ confirmat omnem professionem meam factam in *commemoratorio, iam nullatenus euerti debere. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Athanasius, quod requisitus est, dicat. Athanasius reuerendiſſ. diaconus dixit: In tertia discussione hæc professio, quæ nunc deposita est à presbytero, relegebatur in secretario, & nouum hunc sermonem accepi, qui in fine positus est, vbi dicit, non habentem carnem consubstantialem nobis, & contradixi. Dixit enim idem presbyter Ioannes: Hoc mihi soli locutus est. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Absente te tamen, singulatim aliquid cum illo sermocinatus est? Athanasius reuerendiſſ. diacon. dixit: Non vidi: Ioannes reuerendiſſ. presbyter & defensor, dixit: Quoniam quidem omnia, quæ à me dicta sunt, & secundò & tertio requisiti reuerend. diacones confirmauerunt proprijs vocibus, & vester Deo amabilis sanctus conuentus à vestra magnificentia & audiuit, & cognoscit. De consubstantiali autem, quoniam vir reuerendiſſ. diacon. Athanasius dixit, nouum se comperisse sermonem, sed & conturbationem etiam quandam concitasse, hoc etiam ego confiteor: semotim enim hoc dixi eum retulisse mihi, quod quidem & dixit. Quia verò & ipsi exparte audierint me ei dicentem, quia scis eum patri consubstantialem secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem, etiam ipsi proprijs vocibus affirmauerunt. Completis autem primis gestis, Marinus lector & notarius Cæsareensis ecclesiæ Cappadociæ primæ, relegit. Magnificentiſſimus Patricius dixit: Pars gestorum reliqua relegatur. Et per eundem virum deuotum exceptorem relectum est. Reueren. presbyter & defensor Ioannes, dixit: In eodem tempore collocutionis nostræ. Et reliqua tertiæ cognitionis. Et cùm relectum fuisset, Constantinus diacon. & monachus ait: Hoc non dixit, quod nisi conspiraueritis mihi, & humiliauerit me episcopus, postmodum etiam vobis imponet. Hoc non dixit per vestigia vestra. Constantinus diacon. & monachus ait: Quoniam neque, qui directi sunt, hic sunt, neque presbyter archimandrita in præsente reperitur, si iubetis, hoc transeat. Magnificent. Patricius dixit: Patricius, qui simul cum Petro ad monachum iuit, hic esse dicitur. Dicite ergo: Vultis istum interrogari, an reuerend. Martinum? Eleusinius reuerend. diacon. & monachus, dixit: Necessaria pertractate per vestigia vestra. Magnificent. Patricius dixit: Ne forte aliter gesta continent, quam ipsa veritas. de hac parte non dicitis? Constantinus diacon. & monachus dixit: Non habent aliter per vestigia vestra in hac parte. Magnificent. Patricius dixit: Sequentia relegantur. Et per eundem virum deuotum exceptorem de eadem scheda relectum est: Sanctus archiepiscopus dixit: Quod autem contineretur, reuerend. presbyter & archimandrita Martinus in tomo retulit. Et reliqua. Et postquam lecta sunt, Aetius diacon. & nota. dixit: Precamur præsentem sanctum conuentum, sed & vestram magnificentiam, interrogationem adhiberi viris reuerend. clericis, quorum nobis mentionem præsens lectio gestorum continuit, & profiteri, ne quid dubitent super his, quæ relecta sunt, & ab eis tunc exposita, id est Mamæ presbytero, Theophilo, Memnoni, & Ioanni presbytero & defensori, Andreæ & Athanasio diaconis. Magnificēt. Patricius dixit: Nunquid ambigentibus illis, præsens requisitio proponitur viro reuerend. Eutychi monacho cuius & homines in præsenti stant? Et addidit. Reliqua relegantur. Et per eundem virum deuotum exceptorem relectum est: Die sabbati, quæ est 20. mensis Nouembris. Et reliqua. Et cum lecta fuissent, Constantinus diacon. dixit: Rogamus interrogari eos, si hæc audierunt. Magnificentiſſ. Patricius dixit Theophilus, professionibus suis publicatis, si hæc eum audisse vel dixisse scit, dicat. Et cùm in medio stetisset Theophilus vir reuerend. presbyter, dixit: Directus ego & presbyter Mamas à sanctiſſ. Archiepiscopo & à sancto conuentu, peruenimus ad monasterium viri reuerend. archimandritæ Eutychis. Et primum quidem hæc, quæ nuper relecta sunt. cœpit dicere. Postea verò noluimus cum ipso certare, sicut coram Christo compulit nos, & propria voce dixit: Quoniam impossibile est, dicere me Christum ex duabus naturis. Neque enim de natura disputo Domini mei. hæc ergo ipsa quæ relecta sunt, audientes ex ore viri reueren. Eutyches, professi sumus. Et neque additamentum, neque ablationem aliquam fecimus. Constantinus monachus dixit: Aliud nihil audiuit?

Magnific. Patricius dixit: Extra hæc, quæ confeſſus es, nihil aliud

Plene habetur istud supra, actione quinta Constantinopolitanę synodi, recitatum in Chalcedonen.

*commentatio.

hil aliud audisti? Theophilus vir reuerend. presbyter dixit: Dicebat, quia & partum expositiones sequor. Ista dixit. Magnific. Patricius ad monachos dixit: Quid amplius requiritis? Constantinus monachus & diaconus dixit: Supplicamus & dominum Mamam dicere. Magnific. Patricius dixit: Similiter & reuerend. Mamas, quæ cognoscit, profiteatur. Et antequam profiteretur, Eleusynius diaconus & monachus, dixit: Ipse confessus est, quoniam dicebat, & patrum expositiones sequor. Et non est insertum in gestis. Magnificentiss. Patricius ad Theophilum dixit: Quare in gestis nullo modo continetur, quod ab Eutyche dictum est, in tua professione, quam postea addidisti? Theophilus reuerendiss. presbyter dixit: Et alia dixit per vestigia vestra, quæ in memoria non habeo. Quæ autem in mentem venerunt, confessus sum. Magnificentiss. Patricius dixit: Quare hoc in gestis illo tempore non inseruisti? Eleusinius monachus dixit: Certè superius dixit, neque additamentum, neque detractionem se fecisse. Theophilus presbyter dixit: Quæ audiui ex ore archimandritæ, hæc dixi. Si autem volunt, vt ampliora dicam, quæ non audiui ab eo? Quo dicente, magnificent. Patricius dixit: Mamas presbyter (sicut dictum est) prosequatur. Mamas reuerend. presbyter dixit: Relegatur per vestigia vestra professio, quæ tunc habita est, quoniam oblitus sum. Magnificentiss. Patricius dixit: Voces illius ex gestis publicentur, vt relectis his, quæ se audisse cognoscit, dicæ. Et per eundem virũ deuotum exceptorem ex gestis voces eius relectæ sunt: Sanctiss. Archiepiscopus dixit: Dic nobis cuius gratia. Et cætera. Quæ postquàm relecta sunt, Mamas presbyter dixit: Ita est, per vestigia vestra. Hæc professus sum, quæ mihi relecta sunt, & nihil amplius prosecutus sum. Constantinus diac. & monachus dixit: Arbitror, quia contraria sunt sibimet, quæ dixit dominus presbyter, quantũ ex relectis professionibus Theophili & Mamæ. Magnificentiss. Patricius dixit: Ne forte aliter habent gesta. Eleusinius monachus dixit: non habent aliter per vestigia vestra. Magnificent. Patricius dixit: Si quid aliud est, relegatur. Et per eundem virum deuotum exceptorem, relectum est: CONSTANTINOPOL. SYNODI ACTIONIS (VT VIDETVR) VII. ACTA, LECTA EPHESI, RELECTA CHALCEDONE. Congregato rursus sanctissimo & magno conuentu, propositis sacris ac venerabilibus Euangelijs, & præsidente sancto Archiepiscopo nostro Flauiano in secretario episcopij, diffinita dilatione, id est, secunda feria, quæ est 22. mensis Nouembris. Et cętera. Et post quàm relecta sunt, magnificentissimus Patricius dixit: Interlocutio mea posita est, continens, quoniam requisitio oblata est presbytero Eutychi, quemadmodum credit, & quid dicit, vsque hoc dixi. Addiderunt verò, quod non est dictum, quod & insensatum est. Et nunc igitur interrogetur, cur nunc hoc dicens, primum aliter sapiebat. Et addidit: Quomodo hoc potui dicere, necdum aliquid reuerend. archimandrita Eutyche dicente? Reuerendiss. Episcopus huius gloriosæ ciuitatis, ad notarios dixit: Quemadmodum hæc, quæ nunc est interlocutus magnificentiss. Patricius, gestis inserta sunt? Aetius reuerend. diaconus & notarius dixit: Habemus quid de his dicere. Reuerendiss. Episcopus huius gloriosæ ciuitatis, dixit: Quis vobis hæc dictauit? Ego vobis aliquid addere dixi, aut à vobis, vel certe ab alijs hæc audientes, fecistis? Aetius diacon. dixit: Iam quasi persuasa sanctitas vestra, quod additamentum factum est, hæc interrogat. Magnificentiss. Patricius dixit: Relegantur sequentia. Similiter per eundem virum deuotum exceptorem relectum est. Eusebius Episcopus dixit: Sicut & anteà dixi, nullo mihi præiudicio generato ex moderna huius professione. Et cætera. Et postquam relectum est, Eleusinius diaconus dixit: Non sunt secundum ordinem posita. Prius libellum porrigebat, in quo fides trecentorum decem & octo patrum continebatur, sicut & in Epheso sanctus conuentus confirmauit. Et hunc offerentem libellum non suscepit Deo amantiss. Episcopus. Sed & magnificentia vestra dicente, quoniam suscipi oportet, nec tunc auditus est. Reuerend. Archiepiscopus huius gloriosæ ciuitatis dixit: Et vnde hoc certum est, quia trecentorum decem & octo patrum fidem, illa chartula continebat? Eleusinius reuerend. diacon. dixit: Oportuerat ergo suscipi eum. Eusebius reuerendiss. Episcopus Dorylei, dixit: Coniuro vos per sanctam & homousion Trinitatem, futuro conuentui secundum sanctionem Christi amicorum principum hoc negotium reseruari, vt ibi cum omni diligentia ostendatur Eutyches iam abdicatus sicut hæreticus, quia hæretica & sapiebat, & sapere non quiescit. Actius reuerend. diacon. & not. dixit: Rogamus magnificentiam vestram & præsentem sanctum conuentũ. Quo dicente, magnificent. Patricius dixit: Neque Deo amantiss. archiepiscopus Flauianus de hoc ambigit, quoniam offerente libellum reueren. archimandrita Eutyche, noluit suscipere, sed vt per semetipsum responderet, interlocutus est. Reuerend. Episcopus Seleucus dixit: Anticipans reuerend. diacon. Eleusinius, dixit libellum obtulisse sancto conuentui reuerend. archimandritam Eutychen, in quo dicebat expositionem fidei contineri. Quoniam verò ante paucos dies literæ sanctiss. archiepiscopi Romanorum Leonis insinuatæ sunt nobis, continentes, quia accusauit reuerend. archimandrita Eutyches, & appellauit in tempore examinationis vestram audientiam per dationem libelli, & ideo post damnationem eum archimandritam renominauerunt quemadmodùm nunc stans & dicens de fide esse libellum, dicit illum quem tunc apud Rom. sanctiss. Episcopum appellationem eum nominauit. Et hinc doceri debetis, quoniam non in eisdem permanet reuerendiss. archimandrita. Et postulo epistolam prolatam relegi. Magnificentiss. Patricius dixit: Postquam quieuit conuentus reuerend. Episcoporum obtulit mihi reuerend. Eutyches exemplum libelli, quem dicebat se obtulisse sancto conuentui. Et cùm legeretur, idem vt exceptor subiunxit: Eutyches presbyter dixit: Ego non veni disputare, sed satisfacere sanctitati vestræ, quemadmodum sapio. Scriptum autem est in hac charta, quemadmodum credo, & iubete eam relegi. Sanctiss. Archiepiscopus dixit: Tu relege. Eutyches presbyter dixit: Non possum. Sanctiss. Archiepiscopus dixit: Quare? Tu non exposuisti? An alterius est hæc expositio? Si tua, ipse relege. Eutyches presbyter dixit: Dictatio quidem mea est, dictatio verò hæc, sanctorum patrum est. Sanctiss. Archiepiscopus dixit: Quorum patrum? Dic per te, Quid opus habes charta? Eutyches presbyter dixit: Ita credo, Adoro patrem cum filio, & filium cum patre: & spiritum sanctum cum patre & filio, Confiteor verò & incarnatam eius præsentiam factam ex carne virginis & inhumanatum eum perfectè propter salutem nostram. Ita confiteor coram patre & filio & sancto spiritu & vestra sanctitate. Et postquam relecta sunt, Eleusinius diacon. dixit: Vt coactus est per se fidem confiteri, dicit quod stans in conspectu patris & filij & spiritussancti, quem adorauí, & adoro, & adoraturus sum: quia ita sapio quemadmodum sancti patres trecenti decem & octo sanxerunt, qui in Nicæa, sed & sanctiss. conuentus confirmauit in Epheso, & hęc in gestis inserta non sunt. Aetius diaconus & notarius dixit: Precamur sanctitatem vestram, sed & vestram magnificentiam, interrogationem adhiberi tunc præsentibus sanctiss. Episcopis, qui & interlocuti sunt ea, quæ produxit lingua ipsorũ, & hæc manu propria confirmauerunt, si ea, quæ nunc ab his dicta sunt, eo tempore à reuerend. Eutyche dicta sunt, & si aliquid immutatum est in his, quæ gesta continent. Basilius Episcopus dixit: Vt verè dicam, ego memoriam eorum diligenter non habeo. Seleucus Episcopus dixit: Relegantur mihi voces, quibus reuerend. diaconus Eleusinius ministrauit. Et cũ de tabulis voces Eleusinij relegerentur, Seleucus reuerend. Episcopus dixit: Neque ego commemoror hæc dicta à reuer. archimandrita Eutyche. Tryphon episcopus dixit: Sicut sub Dei veritate, sicut in gestis continetur, ita hęc locutus est ille. Longinus episcopus dixit: Sicut gesta relecta continent, ita & ego commemoror Eutychen archimandritam dixisse. Quod autem dicitur modo ab Eleusinio reuerendissimo, quoniam dixit, vt trecenti decem & octo, qui in Nicęa & Epheso confirmarunt, ita ab eo ostenditur, & ex vltimis, vbi noluit confiteri DOMINVM nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis secundum carnem factum, & sicut coram DEO ita hæc dico. Meliphthongus reuerendiss. Episcopus dixit: Vt coram DEO dico, quia nihil aliter comperi tunc factum, quàm nunc relectum est. Quod verò dixit diaconus Eleusinius, quia tales emisit voces Eutyches, ipse scit, qui corda hominum scrutatur DEVS, quia non audiui, non commemoror. Iulianus reuerendiss. episcopus dixit: Et ante verba mea arguet & infidelitatem Eutychis gestorum series. Nos enim ea quæ nunc professa sunt ab Eleusinio diacono, ignoramus.

Locus obscurus.

1. Par. 28. Rom. 8.

Neque

Neque enim aliquid tale dictum est ab Eutyche. Paulus Reuerend. Episcopus dixit: In veritate dico, quasi nouam sum audiens vocem, cùm hæc ab Eleusinio diacono audio. Scio autem quia quæ continentur in gestis, vera sunt omnia, & neque vel vnius syllabæ aut additio est, aut detractio. Eudoxius Reuerend. Episcopus dixit: Coram Deo dico, obstupesco nunc audiens hæc ab Eleusinio diacono. Tunc enim non est dictum tale aliquid à reuerend. archimand. Eutyche, sed tantùm quæ gestis inserta sunt. Eustochius reuerend. Episcopus dixit. Sicut coram Deo, quæ dixerunt, qui ante me sunt, hæc & ego dico. Quoniam illa tantum scio, quæ gestis inserta sunt. Timotheus reuerend. Episcopus dixit: Quia audiui dicentem ea, quoniam ita credo, sicut patres nostri. Scit tamen & vestra magnificentia, quia siue sursum, siue deorsum, audiui eum dicentem, ita sapio, sicut patres nostri. Valerianus reuerend. Episcopus dixit: Hæc & ego dico. Sabas reuerend. Episcopus dixit: Testis mihi est Deus, cui in die iudicij pro his ipsis reddituri sumus rationem, quoniam, quæ in gestis inserta sunt, hæc locutus est archimand. Et laboraui ego, supplicans ei, vt confiteretur consubstantialem nobis, & nullo modo eum persuaderi potui. Secundinus reuerend. Episcopus dixit: Extra ea, quæ gestis inserta sunt nihil audiui, nihil dictum est. Aurelius reuerend. Episcopus dixit: Hæc quæ nunc nobis relecta sunt, prius & illo tempore ab archimand. dicta esse commemoror. Constantinus diaconus dixit: Rogo sanctum conuentum vestrum, interrogari Dominum Episcopum Basilium, quid est, quod dixit, quando dominus Eusebius Episcopus insurrexit contra eũ, & obiurgauit sicut coram Deo? Quid est, q̃ dixit? Surrexit dicens, quoniã libellos cõtra eum daturus sum. Et ita eũ corripuit. Magnif. Patricius dixit: Interim acquiescefieri lectionẽ. Et si inferius hæc̃ non continẽtur, tunc istis allegationibus vtere. Et per eundem virum deuotum exceptorem relectum est: Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Confiteris consubstantialem patri secundum Deitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem eundem vnum filium? Et cætera. Et postquam relecta sunt, Constantinus diacon. dixit: Quandò dixit archimand. vnam naturam, tunc dominus Episcopus ita dixit. Quo dicente, Eleusinius diacon. dixit: Sicut coram Deo. Nunquid anathematizatus est tunc à religiositate vestra quia dicit, exurgens sancta synodus anathematizauit eum? Magnifi. Patricius dixit: Tunc nihil tale dictum est? Seleucus reuerend. Episcopus dixit: Ego non audiui. Iulianus reuerend. Episcopus dixit: Verè hoc nec ego audiui. Basilius reuerend. Episcopus dixit: Verè frater, ex lingua mea talis vox non est egressa. Meliphthongus reuerend. Episcopus dixit: Ego in illa hora à quibusdam iniuriatus sum, tanquam indignus conuentui, quia dilationem clamaui, & nescio. Sabas reuerend. Episcopus dixit: Ante iudices quandò introierit martyr ad martyrium, & loqui non potuerit, annuit capite suo, & habet coronam martyrum. Omnes ergò nos subscribentes manibus nostris, quæ & confessi sumus scriptis, quomodò negare possumus? Tryphon reuerend. Episcopus dixit: Sicut semel impia eo verba locuto, & extra expositionem sanctorum patrum trecentorum decem & octo, & S. Ephesinæ synodi, omnes anathematizauerunt eum præsentes clerici. Aetius diaco. & notarius dixit: In talibus sanctissimis concilijs contingit frequenter, vnum ex præsentibus reuerend. Episcopis aliquid dicere, & quod ab vno dictum est, tanquam ab omnibus simul dicatur, & scribitur & intelligitur. Hoc ab exordio subsecutum est, in tantum, vt vno dicente, scribamus, Sancta synodus dixit. Si ergò inuentus fuerit nunc vn⁹ aut secundus, dicens, quia & professi sunt Deo amantissimi Episcopi, & consonauerunt, & acclamauerunt tunc sanctissimi clerici, petimus nullatenus hanc vocem excludi, aut submoueri de gestis, quoniam videntur omnes sancti Episcopi subscripsisse. Quo dicente, Magnific. Patricius dixit: Quæ vnusquisque professus est, firma sunt. Quæ veritas continet, nullatenus dubitantur. Aetius diacon. & notar. dixit: Rogamus de hoc professionem nunc reuerend. Episcopi Sabæ, & reuerend. Episcopi Tryphonis fieri manifestam præsente sanctitate vestra, sed & Pauli reuerend. Episcopi. Magnific. Patricius dixit: Manifesta sunt, gestis inserta sunt. Vnde reliqua relegantur. Similiter per eundem virum deuotum exceptorem relectum est. Et post hæc sanctiss. Archiepiscopus dixit: Dicat sanctus conuentus, quid meretur præsens, neque apertè rectam fidem confitens, neque volens doctrinæ præsentis sancti concilij cõsentire, sed permanens in peruersa ac maligna sua sententia. Deo amantiss. Episcopus Seleucus dixit: Dignus est iste quidem damnari. In humanitate autem sola vestræ sanctitatis positum est. Sanctiss. Archiepiscopus dixit: Siquidem confitens proprium peccatum, acquieuisset condemnare suam doctrinam, & consentiret nobis, sequentibus traditiones sanctorum patrum, consequenter dignus erat venia. Sed quoniam permanet in malignitate sua, subiacebit canonum vindictis. Eutyches presbyter dixit: Dico quidem ista, quoniam & vos nunc iussistis, non autem anathematizo. Quod enim dico, cum veritate dico. Magnificentiss. & glorioi ssimus ex præfectis & consulibus & Patricius Florentius, dixit: Duas naturas dicis, & consubstantialem nobis? dic. Et postquàm recitatum est, magnificentissimus Patricius dixit. Quod dixi, dic, non quasi interloquens dixi, sed exhortans eum, vt consentiret his, quæ à sancta synodo dicebantur. Constantinus diaconus dixit: Propter quæ damnatus est Archimandrita? Nonne quia religiosissimus & sanctissimus Archiepiscopus noster interrogabat eum, dicis duas naturas post adunationem, & anathematizas eos, qui non dicunt? Et quoniam non acquieuit anathematizare, pro hoc condemnatus est, & voces eius non continentur in gestis. Magnific. Patricius dixit: Reliqua relegantur, vt si nullatenus in gestis posita sunt, quæ Constantinus confirmauit, sciamus. Statim simul per eundem deuotissimum exceptorem recitatum est: Eutyches presbyter dixit: Ego legi scripta beati Cyrilli & sanctorum patrum & sancti Athanasij, qm̃ ex duabus quidẽ naturis dixerunt ante adunationẽ, post adunationẽ verò & incarnationẽ, iã non dixerunt duas naturas, sed vnam. Magnificentiss. & glorioſissimus ex præfectis & cõsulib us & Patricius Florentius, dixit: Confiteris duas naturas post aduſtationem? dic. Si non dixeris, damnaberis. Et cùm recitarentur, magnificentissimus Patricius dixit: Istud, dic, Si non dixeris, damnaberis: non quasi interloquens dixi, sed quia videbam instantes ei omnes, hortabar eum consentire. Similiter & per eundem virum deuotum exceptorem relectum est: Eutyches presbyter dixit: Legi iubete sancti Athanasij scripta, vt aduertatis, quoniam nihil tale dicit. Deo amantissimus Basilius dixit: Si non duas naturas & post adunationem dicis, commixtionem quandam & confusionem dicis. Magnificentissimus & glorioſissimus Patricius Florentius dixit: Qui non dicit, ex duabus naturis, & duas naturas, non credit rectè. Et cùm legerentur, magnificentissimus Patricius dixit: Hanc interlocutionem non dixi. Neque enim idoneus eram dicere. Religiosissimus & glorioſissimus Episcopus huius gloriosæ ciuitatis, dixit: Quæ dicuntur non fuisse tunc dicta, gestorum tamen serie continentur, Annotate vos notarij. Contra vos enim de hoc certamen est, & opportuno tempore requirenda sunt hæc diligentius. Aetius diaconus & notarius dixit: Nunc est tempus, & conuinci, & non conuinci. Hic etenim sunt & præsentes sanctissimi Episcopi, qui & audierunt. Sed & magnitudo ipsorum audiuit sæpè gesta, & his etiam qui in præcelsis dignitatibus sunt, præsentibus & multis sanctissimis Episcopis. Et nunquid magnificentia ipsorum nos vnquam reprehendit? Quo dicente, magnificentissimus Patricius dixit: Quando enim mihi relecta sunt gesta, vt quid reprehenderem? quippe dum quærenti mihi relegere, non dederunt. Aetius diaconus & notarius dixit: nemo nobis dixit. Similiter per eundem virum deuotum exceptorem relectum est: Exurgens sancta synodus, exclamauit: Ex necessitate fides non est. Multi anni Imperatorum catholicorum, Imperatorum multi anni, Fides vestra semper vincit. Non consentit. Quid illi persuades? Et postquam relectum est, reuerendissimus diaconus Constantinus dixit: Hæc synodus dixit. Aetius reuerendissimus diaconus dixit: Interrogetur sancta synodus. Sabas reuerendissimus Episcopus dixit: In omnibus Ecclesiis anathematizatus est, & in vno angulo non habuit anathematizari? Tryphon reuerendissimus Episcopus dixit: Et ego hæc eadem dico. Constantinus reuerendissimus diaconus dixit: Propter quid damnatus est archimandrita? Vox non est posita. Dominus enim Archiepiscopus noster exegit eum, dicens, quoniam dic duas naturas post adunationem, & anathematiza eos, qui non dicunt. Et quoniam noluit anathematizare, dicens, Vę mihi est, si sanctos patres anathematizauero, tunc fecit damnationem eius, & hæc vox non est posita. Et

Hic locus est vbi anathematizmus dict⁹ Eutychi ab aliquibus negabatur

Optima ratio & sancta.

tunc relectum est. Et Dominus Basilius Episcopus nouit, quandò interrogatus est archimandrita, quia dicis duas naturas? Et dixit : Ego vnam confiteor. Et subiunxit mox Dominus Basilius Episcopus, dicens, quia & à sancto Athanasio dictum est, vna natura Dei verbi incarnati. Et nec hoc positum est. Sed & Dominus Episcopus Seleucus interlocutus est, quia relegantur confessiones nostræ: & si consentit his archimandrita, videamus. Et iubente DOMINO archiepiscopo nostro relegi, surrexit subitò religiosus presbyter Asterius, & damnationem relegit. Et hoc non est positum. Magnificentissimus Patricius dixit: Iuxta me sedens religiosissimus Seleucus, dixit: Iubeat sanctitas vestra expositiones nostrum omnium, quas de fide fecimus, relegi, & dicere virum Eutychem, si consentit eis. His ita dictis, dixi sancto Episcopo Flauiano, vt præciperet fieri lectionem. Et interlocutus est relegi debere expositiones. Et nihil ex his factum est, sed subitò damnationes relectæ. Sciunt autem hoc & Deo amantissimi episcopi Seleucus & Basilius. Seleucus reuerendissimus episcopus dixit: Memini me interlocutum. Basilius reuerendissimus Episcopus dixit: Sicut in veritate dico, ipsa verba quæ tunc interlocutus sum, rememorari non possum, quia & multum tempus transiuit. DOMINO autem & concilio dicente, dicis cognosci duas naturas in DOMINO Deitatem & humanitatẽ, archimandrita autem dicente, ex duabus quidẽ naturis dico Dominum nostrum Iesum Christũ ante adunationem: post autem vnitionem, vnam dico naturam: scio & ego talẽ me quandã sententiam protulisse, si ex duabus naturis dicis ante vnitionẽ, post vuitionẽ autẽ vnam dixeris absolutè confusionem putaberis inducere & commixtionem. Posthæc autem scio, quia conuersus sum, & dicens in mente mea, qualem scit CHRISTVS, quippe & DOMINVM Archiepiscopum placans, & ipsum archimandritam trahens sensim, vt consentiret nobis, dixi: Si autem dixeris vnam naturam, Dei verbi incarnatam & humanatam, eadẽ dicis nobis & patribus. Manifestum est enim, quòd aliud quidem est quiddam Deitas, quæ ex patre est: aliud verò quiddam caro, quæ ex matre est, qua se incarnauit. Aetius diaconus & notarius dixit; Multa sæpius tanquam in collocutione communi, & in parte concilij in conuentu, à præsentibus sanctissimis Episcopis dicuntur, quæ scribi non præcipiuntur. Longinus reuerendissimus Episcopus dixit: Et dictum est, & positum est, & relectũ est. Constantinus religiosus diaconus dixit: Quia damnatio, quæ relecta est, non eadem hora dictata est, sed antequam veniret archimandrita, in Episcopio dictata est. Aetius diaconus & notarius dixit: Precamur, confiteri eum, vndè hæc didicit, & ostendere, si vera sunt, quæ dicit. Seleucus Episcopus dixit: Siquidem nunc regulariter esset inquisitio facienda, aptum erat religiosissimo diacono Constantino accusare sententiã & nos & notarios, & debere nos de hac purificare. Quoniam verò nunc iussit pijssimus noster Imperator fieri inquisitionem, si falsata sunt gesta, nunc arbitror non conuenire de hoc loqui. Constantinus reuerendissimus diaconus dixit: Hæc in gestis non iacent. Basilius reuerendissimus Episcopus dixit: Quoniam commemorauit meam religiosus diaconus Constantinus vocem, ne fortè negans, noceam propriam animam: propter hoc dixit, hæc autem dixi tunc disputans, non diffiniens. Vnde & reuerendissimus Episcopus Eusebius suspicans, quòd archimandritæ suaderem, visus est exasperari cõtra me. Aetius diaconus, & notarius dixit: Supplicamus etiam sanctissimũ episcopum Seleucum dicere, si ea, quæ dixit se tunc interlocutum, quia oportet legi professiones, ista sic dicta sunt, vt gestis inserrentur. Magnificentissimus Patricius dixit: Quid enim dicebat S. Episcopus Seleucus, vel alter aliquis, quæ deberent scribi, quæ autem non? Aetius diac. & notarius dixit: Quoniam audiuimus ab ipso dictum, Digremini. Quo dicente, Constantinus reuerend. diac. dixit: Archimandrita audiuit, & vos non audistis? Seleucus reuerend. episcopus dixit: In mente habeo, tales me dixisse voces. Euenit tamen, excrescente tumultu, vocem meam omninò non scribi. Constantinus reuerend. diacon. dixit: Etiam dixi, quia dominus archiepiscopus noster interrogauit archimandritam: Dicis duas naturas post adunationem, & anathematizas eos, qui non dicunt duas naturas? Et hic sermo non est insertus in gestis. Pro his enim & damnatus est, quia eos, qui post vnitionem duas naturas negant, anathematizare noluit. Reuerend. episcopus Thalassius dixit: Audiuit sancta synodus ea, quæ dicta sunt à Constantino reuerend. diacon. Dignetur ergò sancta synodus, si scit hæc dixisse Deo amantiss. & sanctiss. archiepiscopum Flauianum, facere manifesta præsenti conuentui. Basilius reuerend. episcopus dixit: Quia Eusebius reuerendus episcopus dixit, & semel & secundò accusauit eum tanquàm non dicentem duas naturas post adunationem, recolimus: & quoniam ipse dixit, quia audis quid tibi dicit, & quid tibi proponit, quid dicis ad hæc? reminiscimur. Constantinus reuerend. diacon. dixit: Ipsos ergò sermones à domino nostro archiepiscopo non audisti? Basilius reuerend. episcopus dixit: In principio quartæ examinationis & reuerend. Eusebius episcopus dixit ad monachum: Dicis duas naturas post adunationem, & consubstantialem nobis Dominum nostrum Iesum Christum secundum carnem? Et dixit: Anathematizas eos, qui non ita sapiunt? Et dominus archiepiscopus obtulit ei interrogationem: Si dicis hæc, quæ proponit ei accusator? In postremis autem turba maxima facta, verè non recordor, si talem ei episcopus sanctiss. fecerit obiectionem. Constantinus reuerend. diaco. dixit: Hoc rogo sanctum conuentum vestrum. Audistis à domino meo archiepiscopo dicente, quia dicis duas naturas? Quo dicente, Seleucus reuerendiss. episcopus dixit: Quoniam quidem dictum est in interrogatione, siue à Deo amantiss. Eusebio; siue à Deo amantiss. & sanct. nostro Archiepiscopo Flauiano dictum est. Quali autem tempore dictum est, non recordor, de duabus naturis. Magnificentissimus Patricius dixit: Recolo & ego, tunc quia dictum est hoc à sanctissimo Episcopo, quia confiteris duas naturas & post adunationem? Et respondit ille, dicens: Quoniam codex est sancti Athanasij, & aliorum Episcoporum, qui non habet ita, & piget me dicere. Aetius religiosus diaconus & notarius dixit: Talis interrogatio à Deo amantiss. episcopo Eusebio, dum gesta fierent, dicta est. Timotheus Episcopus dixit: Ita audiui quomodo reuerend. Episcopus Basilius dixit. Iulianus reuerond. Episcopus dixit: Dum turba esset, non recolo, à quo dicta est. Eudoxius reuerend. episcopus dixit: Recordor quidem sanctissimum episcopum Eusebium dixisse, & Archiepiscopum consentientem ei, & compellentem archimandritam consentire his, quæ ab Eusebio dicebantur. Longinus reueren diss. Episcopus dixit: Coram Domino dico, quia ista non possum rememorari, quia confusio iam orta erat: & quæ ante agebantur, nos qui retrò eramus, non cognouimus. Sabas reuerendiss. Episcopus dixit: Recordor ego, quia dixi ad ipsum archimandritam, quia nisi confitearis ex duabus naturis vnũ vnigenitum, aut dispensationem negas, aut Deitatem. Constantinus reuerendiss. diacon. dixit: Eutyches, dum legeretur damnatio, appellauit sanctum concilium Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis. Et hæc in gestis non sunt inserta. Magnificentissimus Patricius dixit: Turba facta & dissoluto conuentu, dixit ad me silenter, appellans Romanum, & Aegyptium, & Hierosolymitanum concilium. Et ego arbitratus indecens esse, latere hoc sanctissimum & reuerendiss. Archiepiscopum Flauianum, ascendẽs, dixi ei. Basilius reuerend. Episcopus dixit: Iam in veritate dico. Adhuc ipso conuentu sedente, & proponente sancta synodo, vt diceret iste duas naturas inseparabiles & inconfusas in vno Domino, & post adunationem, scio quia dixit religiosus archimandrita Eutyches: Si præceperint mihi patres Romanus & Alexandrinus, dico hoc ipsum. Hoc autem non quasi appellans, dixit, sed dicens, non sum ausus dicere propter patres sanctiss. Archiepiscopus huius gloriosæ ciuitatis, dixit: Non audiui ego ab illo, sed à viro magnificentissimo & glorio sissimo exconsule & Patricio, assidente* me in hospitium superiora domus post solutam synodum.

Magnificentissimus Patricius dixit: Si cognouerunt appellantem virum religiosum monachum cæteri sanctissimi Episcopi, dicant: Iulianus reuerend. Episcopus dixit: Coram Deo dico. Nihil tale ab Eutyche monacho audiui in confessu. Seleucus reuerendiss. Episcopus dixit: Dum esset concilium, & interrogatio proueniret, nihil tale cognouimus dictum ab archimandrita Eutyche. De appellatione à reuerend. Episcopis dictum est, & nos eadem confitemur. Similiter per eundem deuotissimum exceptorem relectum est. Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Per omnia apparet Eutyches quondam

for. * ad me in hospitio.

ter & archimandrita, tam ex his, quæ ante acta sunt, & proprijs eius confessionibus, Valentini & Appollinaris ægrotare perfidia, & eorum blasphemias incommutabiliter sequi. Qui nec nostram reuerens persuasionem & doctrinam, rectis noluit consentire dogmatibus. Vnde lachrymantes & gementes propter perfectam eius perditionem, decreuimus, per Dominum nostrum Iesum Christum ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra communione, & primatu monasterij, scientibus illud omnibus, qui posteà cum eo colloquentur, & ad eum conuenerint, quoniam rei erunt & ipsi pœnæ excommunicationis, sicut qui nõ declinauerunt confabulationes eius. Subscriptiones: Flauianus Episcopus Constantinopolitanæ Romæ, iudicans subscripsi. Et reliqui omnes Episcopi subscripserunt & archimandritæ: Magnificentiss. Patricius dixit: Omnia referantur ad cognitionem clementiæ Imperialis. Aetius reuerend. diacon. dixit: Vsque ad præsens approbauimus nosmetipsos, in quibus potuimus, & quia sæpè lectione facta nemo nos reprehendit: quoniam verò ante multum tempus, dum chartæ prius apud nos essent, Asterius, qui nobiscum est presbyter, & notarius nobiscum constitutus, & agens, descendit, & omnes chartas nostras abstulit & schedas authenticas, & est duorum aut trium mensium tempus, & nihil ex his habemus. Si ergò in posterum, aliquid aut mouetur, aut agitur, aut dicitur de præsenti negocio, nos liberos esse decet.

Florentius magnificentissimus ex præfectis vrbis prætoriorum sexies, & ex consule Patricius, dixit: Et hoc præsentibus inseratur monimentis, vt ad imperialem veniat notionem. CONSTANTINOPOLI ACTA, LECTA EPHESI, RELECTA CHALCEDONE. Consulatu Flauij Protogenis viri clarissimi, & qui fuerit nunciatus, sub die 5. Kalend. Maij, in Constantinopoli, ex sacra iussione cognoscente, Martiali magnificentissimo comite & magistro sacrorum officiorum, præsente Castorio viro spectabili comite, & proximo sacri scrinij libellorum sacrarumque cognitionum, ingressis Macedonio viro spectabili, tribuno, notario & referendario, & magno viro deuoto Silentiario cum Constantino reuerend. monacho & diacono, Constantinus reuerend. diacon. dixit: Preces obtulit Eutyches archimandrita pijssimo Domino nostro certa continentes, & has eius pietas subnotauit. Suscepit verò eas vir spectabilis tribunus & referendarius. Supplico, vt hæc eadem ipse profiteatur, & preces relegantur, & quæ eius pietati placuerunt, manifesta fiant. Flauius Ariouindus Martialis magnificentissimus comes, & magister sacrorum officiorum, dixit: Quæ diffiniuit principalis clementia per virum spectabilem, tribunum, notarium & referendarium, nostris mentibus intimentur. Macedonius reuerend. tribunus, & notarius referendarius, dixit: Eutyches archimandrita, oblatis precibus principali serenitati, certa quædam edocuit, & dignata est præcipere eius tranquillitas in iudicio vestræ magnificentiæ, relectis precibus, magnum virum deuotum Silentiarium profiteri, quid in eo negocio subsecutum esse cognoscit. Magnificentissimus comes, & magister sacrorum officiorum, dixit: Preces, quæ à reuerend. Eutyche presbytero inuictissimis principibus porrectæ sunt susceptæ, lectione pandantur. Et per Euithium virum deuotum exceptorem sacri scrinij libellorum, sacrarumque cognitionum, relectæ sunt: Pijssimis & fidelissimis, ac CHRISTI amatoribus principibus nostris Flauio Theodosio & Valentiniano perpetuis Augustis, ab Eutyche archimandrita. Vestra pietas superius & à principio non ignorans circa rectam fidem, religionem mundam & irreprehensibilem fidem meam, pro calumnia mihi composita, & meditatis insidijs ab Eusebio Episcopo Dorylei, quasi rectè non sapiam, sancire dignata est, ingrediente me in Concilium, adesse mihi virum *laudabilem magnum Silentiarium custodiæ causa. Qui vadens ad Episcopum, & præsentiam meam nuncians, quædam audiuit à religiosissimo Episcopo Flauiano de damnatione mea, & vidit. Precor igitur vestram tranquilitatem, dignetur sancire apud quem placuerit vestræ pietati, eundem virum mirandissimũ* laudabilem magnum Silentiarium cum veritate scriptis profiteri ea, quæ audiuit (vt superius dixi) vt vidit, quo his impetratis, solitas orationes Deo semper pro vestra salute referam, pijssimi & fidelissimi Imperatores. Magnificentissimus comes & Magister sacrorum officiorum, dixit: Sacra subnotatio recitetur. Et per eundem virum deuotum exceptorem relecta est: Profiteatur vir deuotus Silentiarius omnia, quæ super hoc negocio subsecuta cognouit. Magnificentissimus comes & Magister sacrorum officiorum, dixit: Necessarium est, quæ sanxit clementia principalis, effectui mancipari. Vndè vener. magnus Silentiarius, si qua cognouit, secundum sacram præceptionem profiteatur. Magnus deuotissimus Silentiarius dixit: Sæpè directus sum à sacratissimo & pijssimo domino nostro ad archiepiscopum Flauianum, vt adesset magnificentiss. & gloriosiss. ex præfectis & consulibus & patricius Florentius Synodo, quæ futura erat in Episcopio Constantinopolitanę huius regię ciuitatis, & distulit Archiepiscopus, dicens: Quia non oportet hic fatigari eundem virum magnificentissimum & glorioſissimum ex præfectis & consulibus & patricium Florentium, quia iam de hoc forma data est, & damnatus est Eutyches monachus, quoniam secundo vocatus, non obediuit. Postmodum verò obtulerunt mihi chartam quandam, habentem damnationem eius. Magnificentissimus comes & magistratus sacrorum officiorum, dixit: Prosecutio magni viri deuoti Silentiarij monimentis publicis inseratur. Constantinus diaconus & monachus dixit: Postulo & hoc, vt profiteatur DOMINVS magnus Silentiarius, quia ante synodum damnatio facta est. Magnificentissimus comes & *magistratus sacrorum officiorum, dixit: Quæ cognoscit, profiteatur. Magnus deuotus Silentiarius dixit: Et prius dixi eo quòd ante synodum damnationem Eutychis mihi ostenderunt. Magnificentissimus comes & magistratus sacrorum officiorum, dixit: Et hæc professio gestis inseratur. Constantinus monachus & diaconus dixit: Precor & hoc, vt reuerend. tribunus & referendarius prõsequatur ea, quæ audiuit ab Asterio viro reuerendo presbytero & monacho. Magnificentissimus comes & magistratus sacrorum officiorum, dixit: Quamuis in precibus hæc petitionis pars minimè contineatur, attamen propria voluntate, si voluerit reuerend. tribunus, notarius & referendarius, quæ cognouit, profiteatur. Macedonius reuerendiss. tribunus, notarius & referendarius dixit: Ante hoc sacratiss. & pijssimus noster Imperator præcepit colligi tam Episcopos, quam magnificentissimum ex præfectis & consulibus & patricium Florentium, precibus datis ab Eutyche reuerendiss. archimandrita, & accusante gesta, quæ acta sunt, tanquam maligne à notarijs immutata, & certa subsecuta sunt in facta synodo. Cùm verò recederem obuius mihi factus est Asterius presbyter & notarius, coniurans me audire ab ipso, quæ valebat effari. Accusabat autem reuerendissimum Abraamium & notarios tanquam immutantes in gestis quædam capitula. Et quia necessitatem habet, ipse metuens huiusmodi malignitatem, illos quidem ostenderet alia, sed sine eius scientia, commisisse. Flauius Ariouindus Martialis vir magnificus, comes & *magistratus dixit: Et hæc similiter professio gestis inseratur. Edantur. Flauius Charisius venerabilis comes & proximus sacri scrinij, libellorum sacrarumque cognitionum gesta edi præcepi. Flauius Euithius vir deuotus, exceptor sacri scrinij, libellorum sacrarumque cognitionum gesta edidi. Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ, dixit: Consentio fidei sanctorum patrum, qui in Nicæa fuerunt, & qui in Epheso eadem iterum confirmauerunt. Eos verò, qui contraria sentiunt in aliquo, vel his quæ in Nicæa, vel his quæ in Epheso ordinata sunt, auersor, anathematizans diuidentes post vnitionem in duas naturas, vel *substantias vel personas vnum Dominum nostrum Iesum CHRISTVM, accusans & reprehendens propriam vocem, quam de duabus naturis professus sum, in gestis habitis apud regiam ciuitatem, & adoro vnam naturam Deitatis vnigeniti inhumanati & incarnati. Et cum legerentur, CHALCEDONE ACTA. Basilius reuerendiss. episcopus Seleuciæ Isauriæ, dixit: Non vtor alijs testibus. Per beatum Ioannem episcopum rogaui emendari interlocutionem meam, timens ac metuens te reuerend. Dioscorum. Magnam enim nobis necessitatem imposuisti tunc, tam quidem ab his, qui foris erant, quam ex lingua tua. Irruebant enim in ecclesiam milites cum armis, instabant monachi, qui cum Barsuma, & qui Parabolani nuncupantur, & multitudo alia grandis. Coniurentur omnes. Coniuretur Aunoxius episcopus Aegyptius, coniuretur Athanasius, quia dicebat, Noli Domine, soluisti totius orbis opinionem. Dioscorus reuerendiss.

que subscripsit.

* mirãdissimum. Sententia Theodosii pro Eutyche contra S. Flauianum data, quæ vno teste tantã causam examinari assensit, at

Episcopus Alexandrię, dixit: Ego te coegi? Basilius reueren. Episcopus Seleuciæ Isauriæ, dixit: In tale nos homicidium tu compulisti per minas multitudinis post damnationem beatiss. Flauiani. Conijcite, quantam tunc intulit violentiam, omnium rerum potestatem adeptus & iudicij, quum etiam & nunc omne conturbet concilium. Sex illi tantum relicti sunt, & omnes nos conturbat. Dioscorus reuerend. episcopus Alexandriæ, dixit. Et meus notarius Demetrianus paratus est approbare, quia clam ab ipso rogatus est vocem suam immutare. Basilius reuerend. Episcopus Seleuciæ Isauriæ, dixit: Precor magnificentiam vestram, singulos metropolitanos episcopos & Lycaoniæ & Phrygiæ, & Pergensem, & cæteros venire huc, & præsentibus sacrosanctis euangelijs dicere, si non post damnationem beati Flauiani omnibus nobis tristibus effectis, & aliquantis quidem nolentibus emittere vocem, aliquantis autem fugientibus, exurgens ipse, & stans in alto, designabat, & dicebat: Videte qui non vult subscribere ad me, abeat. Coniuretur Dominus Eusebius? nisi periclitatus sit ipse damnare, quia parum distulit vocem. Dioscorus reueren. episcopus Alexandriæ, dixit: Necdum disceptatis his, quæ contra Flauianum agebantur, vocem suam reprehendit, & rogauit auferri. Basilius reuerend. episcopus Seleuciæ Isauriæ, dixit: Quicquid professus est contra me, iubete manifestum mihi fieri, vt aduersus eum respondeam. Onesiphorus reuerend. episcopus Iconij, dixit: Postquam lecta sunt hæc omnia, quæ nunc relecta sunt, regula legebatur, in qua continebatur, nullum debere iam de fide quærere aliquid, neque episcopum, neque clericum, alioquin esse eum condemnatum. Si autem laicus est, vt excommunicatus existeret. Dico his, qui iuxta me considebant, episcopis sub silentio: Regula ista propter nihil aliud legitur, nisi vt Flauianus damnetur episcopus. Erat autem mecum Episcopus Synnadæ Marinianus reuerendiss. & Pergensis Dominus Epiphanius. Dicit mihi Pergeñ: Absit. Sed si aliqua fortè indignatio procedat, contra Eusebium vtique futura est. Nam contra Flauianum nemo erit insanus, vt frustra tale aliquid faciat. Post lectam hanc regulam, confestim dicit: Da hic notarios. Et allata & relecta est damnatio beatiss. Flauiani. Tollens ergo ego alios episcopos, surrexi, & tenui genua ipsius, dicens: Noli per vestigia reuerentiæ vestræ. Nihil dignum damnatione egit. Si autem & reprehensione dignus est, reprehendatur. Et exurgens de throno, stans super scabellum suum, dixit: Seditionem mihi mouetis? Da comites. Et ita timentes, subscripsimus.

Superbia Dioscori.

Dioscorus reuerendiss. episcopus Alexandriæ, dixit: Mentitur. Pœnas sustineat. Non dixi, da comites. Da, qui dicant: Et exurgenti Mariniano reuerendiss. episcopo Synnadeñ. dixit ad eum Dioscorus reuerend. episcopus: Interminatus dixi, adhuc comites intus? Marinianus reuerend. episcopus Synnadeñ, dixit: Dum vellet proferre sententiam, surrexi ego, & Dominus Onesiphorus, & Dominus Nunechius Laodiceñ, & alij, & tenuimus pedes eius, dicentes: Quia & tu presbyteros habes, non debet propter presbyterum damnari Dominus episcopus. Deinde ipse dicit: Etiam si lingua mihi præcidatur aliam vocem non emitto. Sic corruit multitudo, & permanebamus nos, tenentes genua eius, & rogantes eum. Et tunc emisit hanc vocem: Vbi sunt comites? Amans veritatem dico. Ingressi sunt comites, introduxerunt proconsulem cum multitudine magna & catenis. Post hoc vnusquisque nostrum subscripsit. Dioscorus reuerend. episcopus dixit: Non erant decem, aut viginti, aut triginta, aut centum soli ex ipsis. Ego adduco testes, quia ex ijs, quæ dixit, nihil verum est. Quoniam verò laborauit magnificentia vestra, si placet, differatur: & iterum quicquid tractaueritis, facimus. Glorioßissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Cætera relegantur. Beronicianus secretarius sacri consistorij, ex eadem scheda recitauit: EPHESI ACTA. Seleucus episcopus dixit: Congruo & consentio ijs, quę in Nicæa à sanctis patribus exposita sunt, & in Epheso confirmata sunt. Et reprehendo vocem meam, quam dixi in glorioßissima Constantinopoli habentem, quia oportet in duabus naturis DOMINVM nostrum Iesum CHRISTVM post adunationem prædicari, anathematizans eos, qui in duas naturas, vel in duas substantias, aut in duas personas post adunationem diuidunt Dominum nostrum Iesum Christum, & alienos arbitror ab ecclesiastica communione.

Eutyches archimandrita dixit: Peruidet & vestra reuerentia, quia relectorum actio ostendit, gesta priora esse falsata. Habemus verò & nunc professionem viri laudabilis magni Silentiarij, factam sub viro magnifico magistro, & postulamus hanc relegi. Flauianus episcopus Constantinopolitanę vrbis, dixit: Falsa sunt. Dioscorus episcopus Alexandrię, dixit: Si quid scit DEO amantiss. episcopus Flauianus suę opinioni congruum, in scriptis dicat. Flauianus episcopus Constantinopolitanę vrbis, dixit: Occlusisti mihi omnem iustam allegationem. Dioscorus episcopus Alexandrię, dixit: Scit præsens sancta synodus, si tibi aliquid occlusi. Si quid ergo scis congruum tibi, dic. Flauianus episcopus Constantinopolitanę vrbis, dixit: Non mihi permissum est loqui. Dioscorus episcopus Alexandriæ dixit: Nemo te prohibuit. Scit & hęc sancta synodus. Flauianus Constantinopolitanę vrbis episcopus, dixit: Secunda acta nihil habent falsum, scit & Dominus Thalassius, & Dominus Eusebius.

Thalassius episcopus Cæsareę Cappadocię, dixit: Nemo prohibuit loqui sanctitatem vestram. Si quid ergo tibi speras congruere, Dic. Dioscorus episcopus Alexandrię, dixit: DOMINE Eusebi, dicas, prohibui eum loqui? Eusebius episcopus Ancyrę Galatię, dixit: Sicut nouit Deus, optamus te loqui. Iuuenalis episcopus Hierosolymę, dixit: Sed & nunc, quicquid vult, dicat. Flauianus episcopus Constantinopolis, dixit: Coram Domino Thalassio & Domino Eusebio, prędente etiam magno Silentiario, gesta facta sunt, & examinata sunt, & nihil tale approbatum est. Singuli qui tunc prędentes fuerunt episcopi, vt coram DEO, quę audierunt, dixerunt: & nihil falsi dictum est. Dioscorus episcopus Alexandrię, dixit: DOMINE episcope Stephane, dic, si prohibui eum. Stephanus episcopus Ephesi, dixit: Ecce ibi est. Si prohibuisti eum, dicat. Dioscorus episcopus Alexandrię, dixit: Dicite omnes, si prohibuistis eum.

Sancta synodus dixit: Non eum prohibuimus. Flauianus episcopus Constantinopolis, dixit: Me acta illa nihil terrent propter Deum. Neque enim aliter glorificaui, aut sapui aliquando, vel sapio.

Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Manifestis factis, quæ relecta sunt, dicant singuli præsentes sancti episcopi, quomodò sciunt archimandritam Eutychen credere, & quid de eo ordinant.

Iuuenalis Hierosolymæ episcopus dixit: Dum frequenter confiteatur, eo quod sequatur expositionem fidei synodi, q̃ in Nicæa habita est, & ea qua priùs in magno concilio apud Ephesum gesta sunt, orthodoxum summè eum esse in his, quę locutus est, comperi. Ei ego autem decerno, & volo eum in in suo monasterio degere, & in proprio gradu. Sancta synodus dixit: Hoc iustum iudicium.

Dominus episcopus Antiochiæ, dixit: Quoniam dudum ex transmissa mihi epistola à sancta synodo in Constantinopoli congregata, in damnationem viri religiosi Eutychis archimandritæ subscripsi, ex nuper autem oblatis ab ipso libellis sanctæ synodo in hac Ephesina metropoli congregatæ, confessus est se acquiescere & fidei sanctorum trecentorum decem & octo patrum, qui in Nicæa conuenerunt, sed & priori concilio, quod in hac eadem vrbe Ephesina similiter conuenit, comprobaui & ego ipse cum vestra sanctitate, recipere eum & presbyterij dignitatem, & primatum sub eo degentiũ reuerendissimorum fratrum.

Stephanus episcopus Ephesi, dixit: Ex ijs, quæ relecta sunt, & ex oblatis libellis à viro reuerendo presbytero & archimandrita Eutyche, ostenditur, quia & rectè glorificat, & orthodoxam habet fidem. Vnde & ego sequens sententiam sanctissimi ac DEO amantissimi episcopi Iuuenalis, consentio, & concordo, esse eum presbyterum & archimandritam.

Thalassius episcopus Cæsareę Cappadocię primę, dixit: Laudo, & approbo virum reuerendiss. presbyterum & archimandritam Eutychen, nil extra Nicænam synodum sapientem, neque expositam fidem in sancta synodo in aliquo corrumpentem: sed & approbans, volo eum habere gradum presbyterij.

Eusebius episcopus Ancyræ Galatiæ, dixit: Et reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen, & omnem hominem consona sapientem, sanctiss. conuentui Niceno, & sanctissimo

ctissimo Ephesino concilio, quod & confirmauit ea, quæ in Nicæa facta sunt, orthodoxum arbitror, & à catholica fide nó alienum. Rationabile autem suspicor, & in doctrina fidei irrepræhensibilem, id est, prædictum virum reuerendiss. presbyterum & archimandritam Eutychen, non priuari sacerdotali dignitate & primatu monachorum.

Cyrus episcopus Aphrodisiadæ Cariæ, dixit: Ex oblatis libellis à viro reuerendiss. Eutyche presbytero & archimandrita, & relectis, apparet ipsum ei, quod fides sanctorum patrum habet, qui in Nicæa & hic congregati sunt, consonasse. Vnde & ego consentio sententiæ sanctorum patrũ, vt & presbyterij habeat dignitatem, & præsit monasterio.

Erasistratus episcopus Corinthi in Hellade dixit: Ostendit per libellos suos reuerendiss. archimandrita Eutyches, quod semper ea sapuit, quæ orthodoxa fides continet, & sequutus est expositiones sanctorum patrum, qui in Nicæa congregati sunt, quæ confirmata sunt in hac etiam metropoli, per pridem collectam sanctissimam synodum. Vndè & ego consonè decerno, vt fruatur & dignitate presbyterij, & præsit monasterio, vbi à principio ordinatus est.

Quintillus episcopus Heracleæ, agens vices Anastasij episcopi Thessalonicensis dixit: Ex nuper oblatis libellis sanctæ & magnæ huic synodo à viro reuerendiss. archimandrita Eutyche, reperi eum rectè credentem expositæ fidei à sanctis trecentis decem & octo patribus, qui in Nicæa congregati sunt, sed & ijs, quæ acta sunt à sancta synodo hic collecta ad impij Nestorij damnationem. Necessariè ergo suscipiens hanc eius fidem, dignum eum iudico & presbyterio, & primatu monasterij.

Meletius episcopus Lariss enæ ciuitatis, & agens vices Domini reuerendiss. episcopi Apameæ, dixit: Consono & ego sententijs sanctorum patrum. Conspexi enim ex ijs, quæ lecta sunt, orthodoxè eum credere. Vnde dignum eum iudico priore sacerdotio, & monasterij gubernaculo.

Cyriacus episcopus Trogmadensium, locum tenens & Theoctisti reuerendiss. episcopi Pessinuntis Galatiæ secundæ, dixit: Sanctissimo presbytero & archimandrita Eutyche interpellante sanctum conuentum per libellos, & docente ita eum colere fidem, sicut sancti trecenti decem & octo, & sequi sanctam Ephesinam synodum, orthodoxum eum inuenimus, & volumus eum habere gradum presbyterij, sed & principatum monachorum. Dixi autem hæc, & pro me, & pro prædicto metropolitano, eo quòd ille graui infirmitate deprimatur.

Diogenes episcopus Cyzici, dixit: Ex ijs, quæ nunc professus est reuerendiss. presbyter & archimandrita Eutyches, cognouimus, eo quod & ipse consensit expositæ fidei à sanctis patribus, qui in Nicæa conuenerunt, & qui posteà in hac Ephesia vrbe congregati sunt. Et propter hoc iudico eum, tanquam ista sapientem, & sacerdotali dignitate frui, & monasterium procurare secundum priorem consuetudinem.

Ioannes episcopus Sebastiæ Armeniæ primæ, dixit: Hoc est rectè credere, sequi sanctos patres. Et reuerendiss. igitur presbyter & archimandrita Eutyches, sequens expositam fidem à sanctis patribus apud Niceam, & consonantia sanctorum patrum apud Ephesum, orthodoxus est, & dignus vt præsit monasterio, & secundum priorem consuetudinem fungatur sacerdotio.

Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ, dixit: Ex oblatis libellis à reuerendo Eutyche presbytero & archimandrita nunc sancto congregato conuentui, secundum sancti spiritus inspirationem, cognoscens eum consona patribus, qui in Nicæa & in Epheso ante hoc conuenerunt, sapere, restituo ei iuxta præcedentes patres & presbyterij gradum, & primatum monasterij.

Theodorus episcopus Tarsenæ ciuitatis, dixit: Cognouimus reuerendissimum presbyterum & archimandritam, tam ex oblatis ab eo libellis, quàm ex confessione ipsius, quæ in gestis continetur, sequentem fidem sanctorum patrum, quæ in Nicæa est expositæ, & confirmata ab ijs, qui dudum in Epheso conuenerunt. Et iustum est habere eum sacerdotium, & præesse monasterio, quoniam hoc omni sancto complacuit concilio.

Romanus episcopus Myrorum ciuitatis prouinciæ Lyciæ, dixit: Reuerendiss. presbyter & archimandrita Eutyches sequens fidem sanctorum patrum, fruatur & honore presbyterij, & præsit reuerendo monasterio.

Photius episcopus Tyri, dixit: Condecens, & omni consequentia dignum est, ita sequenti catholicam fidem, quæ exposita est à sanctis patribus in Nicæa, & quæ confirmata est à sancta synodo ante hoc in Epheso congregata sacerdotali eum frui dignitate, & curam consuetè sui gerere monasterij decernimus. Eum enim, qui recta fide & vitæ claritate decoratus est, omni honore, qui ei à diuina collatus est gratia, secundum anteriora frui, iustum est.

Theodorus episcopus Damascenæ ciuitatis, dixit: Per nuper porrectos libellos à viro reuerendiss. presbytero & archimandrita Eutyche peruidimus, quoniam expositionibus sanctorum patrum, qui in Nicæa, & synodo, quæ in hac clara vrbe Epheso postea congregata est, consentit. Et propter hoc consona etiam & ego sanctis patribus decernens, iustum arbitror, eum & sacerdotium haberi presbyterij, & monasterij principatum.

Iulianus episcopus Tabiæ, dixit: Sanctorum patrum trecentorum decem & octo concordiam inspiratam à gratia Dei, in Nicæna vrbe congregatorum, quæ exposuit dogmatum diligentiam, manifestè esse sancti spiritus vocem omnes confitentur, qui pietatis iura non negant. Et quæ in hac splendida metropoli non ante multa tempora concurrens synodus confirmauit, sicut illi priores in initio scripserunt per spiritũ, hoc & qui post ipsos colentes ea quæ illorum sunt, diligentissimam horum decreuerunt cautelam. Reuerendum igitur presbyterum & archimandritam Eutychen, ea, quæ in Nicæa à patribus sunt exposita, & ab ijs, qui in Epheso fuerunt confirmata, clara voce pronunciantem, iustum est & pietatis gratia, & sacerdotali frui dignitate, & sacrum habere promittentium meliorem viam primatum.

Florentius episcopus Lydiæ, dixit: Porrigente libellos viro reuerendiss. archimandrita Eutyche, in quibus spondet se coniunctum fidei sancti conuentus Nicæni, & nuper congregati in Ephesina metropoli, addente etiam super hæc, eo quod omnem hæresim inscriptam libello anathematizet, & tanquam sub Deo patre & filio & sancto spiritu ex animo proferat ea, quæ in libello credens indidit, & ego similia præcedentibus decerno, decorari quidem eum nomine presbyterij, præesse autem secundum præcedentem consuetudinem fraternitati.

Marinianus episcopus Synnadensis dixit: Eutyches reuerendiss. archimandrita, spondens per libellos ptoprios sequi sanctam synodum Nicænam, & ea, quæ tunc in Epheso de ijs diffinita sunt à beatissimo & sanctissimo Cyrillo & cum ipso sancto conuentu, fruatur presbyterio & cõmunione nostra, ac præsit secundum Deum decenter monasterio.

*Mulonius episcopus Nyssenæ ciuitatis, dixit: Custodem fidei trecentorum decem & octo, & definitionum sanctorum patrum, qui apud Ephesum, ostendit virum religiosum presbyterum & archimandritam Eutychen porrectus ab ipso libellus, nec non & professiones, quas gestis inseruit. Vndè & habere eum sacerdotium, & præesse viris reuerendiss. monachis iustum arbitror, propter rectam eius fidem. *Meonius

Constantinus episcopus Bostrenæ ciuitatis, dixit: Manifestum effectum est, & ex relectis gestis, & ex oblatis libellis à viro reuerendiss. presbytero & archimandrita Eutyche, eo quod cõsequentia sapit expositæ orthodoxæ fidei in Nicæa à sanctis patribus, id est, trecentis decem & octo, & ijs, qui in Epheso congregati sunt sanctis patribus. Vndè & ego iustum reor, habere eum & sacerdotium presbyterij, & primatum monasterij.

Ioannes episcopus Nicopolitanæ ciuitatis Armeniæ primæ, dixit: Ex porrectis libellis sanctissimo conuẽtui à viro reuerendissimo presbytero Eutyche cognoscentes eum rectè glorificare, secundum expositionem sanctorum patrum, qui in Nicæa, & qui pridem in Epheso congregati sunt, & nos eadem, quæ sanctiss. synodus, decernimus, dignum eum esse iudicantes & sacerdotio fungi, & præesse monasterio.

Acacius episcopus Ariarathirensis secundæ Armenię, & agens vices Constantini viri religiosissimi episcopi Melitenę, dixit: Religiosissimus & sanctissimus presbyter Eutyches, &

per por-

per porrectos libellos, & per ea, quæ nunc professus est, ostendit se rectè sapere, sicut & ij, qui in Nicæa trecenti decem & octo patres nostri, & qui post in Epheso congregati sunt. Dignus ergò est recipi in sacerdotium, & primatum habere monasterij.

Stephanus episcopus Hierapolitanæ ciuitatis dixit: His, quæ benè complacita sunt sanctis patribus nostris de viro religiosiss. presbytero & archimandrita Eutyche, & ego consentiens sum, propterea quod ex relectis persuasus sum, eum esse orthodoxum. Vndè habere eum & gradum sacerdotij, & primatu monasterij dignum iudico.

Atticus episcopus Nicopolitanæ ciuitatis Epiri veteris, dixit: Oportebat quidem sufficere promissiones sanctorum atque eximiorum patrum nostrorum, in quibus concordes & nunc inueniuntur immutabilibus factis sanctorum pridem habitis patrum decretis, qui in illis temporibus in Nicæna ciuitate, & qui in hac Ephesiorum Deo amica metropoli, cuius princeps atque magister factus est omni laude dignissimus, & ter beatus inter angelos, qui olim pater noster erat Cyrillus, qui vbique terrarum illustrauit sanctum nostræ fidei mysterium. Condecet enim verè, viros religiosos ac fideles sanctorum patrum fidei conuiuere. Intantum igitur etiam ego profiteor, eo quod consonantem inuenimus virum reuerendissimum presbyterum & archimandritam Eutychen, præsertim ex nuper nobis lectis gestis, & ex oblatis per manus ipsius libellis, sancto huic & vniuersali Concilio, expositionibus sanctorum patrum, & est rationabile secundum sententiam sanctorum patrum, quæ & vera est, esse eum presbyterum, & primatum habere à Deo illi traditi monasterij.

Eustathius episcopus Beryti, dixit: Sicpiè doctrinam fidei exposuit exactus reuerendissimus archimandrita Eutyches, vt cogeret præsentem sanctum conuentum omnem sacris & consonis vti vocibus, & collaudare, quia hæc est fides patrum. Quis ergò ita alienus est à pietate, qui hunc talem patiatur non frui & sacerdotij gradu, & monasterij primatu?

Phrygiæ Pacatianę. Nunechius episcopus Laodiceæ * Trimitariæ, dixit: Iustum est & consequens, & humanissimæ huic synodo conueniens, Eutychem virum reuerendissimum presbyterum & archimandritam, sequentem expositionem fidei sanctorum patrum, qui in Nicæa, & sanctissimorum qui pridem in hac splendida vrbe congregati sunt, sicut ab ipso porrecti libelli continent, frui & sacerdotali dignitate, & regere monasterium, sicut placuit & sanctis patribus.

Olympius episcopus Constantiæ Cypri insulæ, dixit: Ego consentio definitis à sanctitate vestra, in restitutione viri reuerendissimi presbyteri & archimandritæ Eutychis.

Candidianus episcopus Antiochiæ Pisidiæ, dixit: Piè & canonicè decretis à sanctiss. & religiosiss. patribus de Eutyche viro reuerendissimo presbytero & archimandrita, etiam ego consentio.

Stephanus episcopus Anazarbi dixit: Manifestè monstratum est ex nuper relectis, eo quod nihil extra sanctos patres sapuit reuerendiss. presbyter & archimandrita Eutyches, sed sæpè confessus est, sequentia se sapere sanctis patribus trecentis decem & octo in Nicæa, sed & in hac posteà ciuitate congregatis episcopis sanctissimis. Vndè ego similem sanctis patribus profero sententiam, vt habeat & presbyterij dignitatem, & sacerdotium, & curam monasterij.

Gerontius episcopus Seleucię Syriæ, dixit: Ex porrectis libellis à viro religiosiss. presbytero & archimandrita Eutyche, inuenimus eum consentientem & sanctæ synodo, quæ in Nicæa, & quæ in Epheso. Et volumus eum habere presbyterij dignitatem, sed & præesse solitè ijs, qui sub ipso erant, religiosissimis monachis.

Rufinus episcopus Samosatenæ ciuitatis, dixit: Ex relectis libellis coram sancta synodo, qui porrecti sunt à viro religiosissimo presbytero & archimandrita Eutyche, reperi eum * consonè sanctæ synodo Nicenæ & Ephesinæ sapere. Et consentio vnà cum sanctis patribus, & volo eum habere presbyterij dignitatem, & præesse solitè sub se constitutis monachis.

Indimus episcopus Irenopolitanus dixit: Per omnia, quæ nunc relecta sunt, omnibus satisfecit professio viri religiosiss. presbyteri & archimandritæ Eutychis, eo quod sequentia sanctis patribus in Nicæa congregatis trecentis decem & octo, sed & ijs, qui apud hanc metropolim sapuit, & nihil extra diuinos canones: ideo & ego eandem profero sententiam, quam & sancti patres, & definiui habere eum & presbyterij dignitatem, & monasterij principatum.

Timotheus episcopus Balaneensis dixit: Libellis porrectis à reuerendissimo presbytero & archimandrita Eutyche, in quibus profitetur se acquiescere & permanere in fide, quæ pro tempore exposita est à sanctis patribus in Niceą congregatis, & nuper in Ephesina vrbe, & ego profiteor, sicut sancti patres probauerunt, habere eum & dignitatem presbyterij, & archimandritæ.

Theodosius episcopus Canothenæ ciuitatis, dixit: Sequor & amplector iussionē sanctorum patrum, in restitutione reuerendiss. presbyteri & archimandritæ Eutychis. (Hoc enim decretum, à DEO prolatum est per sanctum Concilium.) Simul & decerno esse eundem loco suo presbyterum & archimandritam.

Eutychius episcopus Adrianopolitanus veteris Epiri, dixit: Sanctis approbantibus patribus, & reperiens ex gestis in vrbe regia Constantinopoli habitis, & ex oblatis libellis à DEO amantissimo presbytero & archimandrita Eutyche, quòd extranea non sentit ijs, quæ à sanctis patribus apud Nicæam, & in DEO amantissima Epheso confirmata sunt & mea humilitas concors fit sententiæ, in habendo per eum presbyterio, & præesse monasterio sicut & pridem. Nam & sanctiss. pater meus & episcopus Atticus Nicopolitanus, similia sanctis patribus de prædicto reueren. presbytero & archimandrita professus est.

Claudius episcopus Anchiaxi veteris Epiri, dixit: Profitente DEO amantissimo & sanctissimo metropolitano Episcopo nostro Attico consequentia huic sanctæ & magnæ synodo, & ego hæc sequens profiteor, sicut eius sanctitas est professa pro reuerendissimo presbytero & archimandrita Eutyche.

Simeon episcopus Amidenę ciuitatis Mesopotamiæ prouinciæ, dixit: Ex ijs, quæ nuper lecta sunt, & subtiliter approbata in hac sancta synodo, quibus placuerunt omnia, quę gesta sunt in negocio religiosiss. presbyteri & archimandritę Eutychis, & ego sequor, quę ab eorum sanctitate sunt ordinata, esse eundem religiosissimum presbyterum Eutychen in antiquo presbyterij ordine, & tenere eum primatum proprij monasterij.

Seleucus Amasię episcopus, dixit: Consentiente reuerendiss. presbytero & archimandrita Eutyche sequi, quę exposita sunt à sanctis patribus apud Niceam, & quę in Epheso confirmata sunt, iustum iudico, habere eundem reuerendissimū presbyterum sacerdotale ministerium, & monachorum principatum.

Petrus episcopus Gangrenæ ciuitatis, dixit: Et ego concors sum sententiæ ordinatæ à sanctis Patribus, in iudicio reuerendissimi presbyteri & archimandritæ Eutychis.

Lucas episcopus Dyrrhachenus, dixit: Reuerendiss. presbyter & archimandrita Eutyches, per oblationes libellorum & gestorum docuit sanctam & magnam Synodum, sobrium se esse in CHRISTO & confiteri decenter expositam fidem, tam à sanctis Pātribus, & Doctoribus, quàm à sancto Nicæno Concilio expositam & confirmatam in Ephesina vrbe congregata magna & vniuersali Synodo, & à collectis nunc in eadem metropoli sanctissimis & beatissimis episcopis, & per probationem reddentibus memorato reuerendissimo presbytero & archimandritæ sanctam presbyterij communionem, & primatum monasterij. Et ego hæc eadem profiteor, & paria definio.

Antoninus episcopus Lychnidensis, dixit: Et ego consona ijs, quæ ante me sanctissimus episcopus Lucas Metropolitanus confessus est, & adæquè sapiens, approbaui.

Marcus episcopus Euriæ, dixit: Et ego consentaneus sum ijs, quæ professa sunt à sancto Episcopo metropolitano meo Attico, propter reuerendissimum presbyterum & archimandritam Eutychen.

Vigilantius episcopus Lariſſenæ ciuitatis, dixit: Ex lectis nobis monimentis & porrectis libellis à reuerendissimo presbytero Eutyche, considerantes sapere eum sicut & nos, secun-

dum expositam in Nicæa à sanctis patribus fidem, quæ & super signata est à facta in Epheso sancta Synodo, concordes sumus etiam nos in sententia nunc congregatorum sanctorum Patrum & consacerdotum, secundum iussionem pijssimorum Imperatorum, pro restitutione presbyterij prædicti Eutychis ad monachorum suorum primatum.

Basilius episcopus Traianopolitanus Rhodopæ prouinciæ, dixit: Consona sanctis Patribus & mea paruitas, pro persona viri religiosi presbyteri & archimandritæ Eutychis decernit.

Constantinus episcopus Demetriadis, dixit: Omnibus consentio, quę à sanctis Patribus sunt definita in sancto Ephesino Concilio quatenus habeat reuerendissimus presbyter Eutyches sacerdotium & primatum monasterij, qui confessus est consentaneum se esse Nicænę fidei, & omnibus, quæ à sanctis Patribus sunt exposita in catholica fide.

Alexander episcopus Sebastenæ ciuitatis sub Tarso positæ, dixit: Reuerendissimo & glorioſissimo presbytero & archimandrita Eutyche consentiente fidei trecentorum decem & octo, qui in Nicæa fuerunt, & fidei beatæ memoriæ sanctissimi & religiosissimi Cyrilli, confirmatæ in Epheso, iustum arbitror habere presbyterium eundem reuerendissimum presbyterum & archimandritam, & principatum monasterij tenere.

Zozon episcopus Philippensium, dixit: Libelli, qui nunc dati sunt à reuerendissimo presbytero & archimandrita Eutyche, consonant ijs, quæ à sanctis Patribus in Nicæa sunt exposita, & ijs, qui statuta sanctorum Patrum in hac vrbe consignauerunt. Talem ergo eum habentem fidem, decerno secundum omnium iudicium, & sacerdotalem eum honorem habere, & monachorum principatum.

Eusebius episcopus Topiritanus Macedoniæ primę, dixit: Hæc eadem & mihi placent de reuerend. presbytero & archimandrita Eutyche.

Maximus episcopus Derrensis Macedoniæ primæ, dixit: Hæc eadem & mihi placent de reuerendissimo presbytero & archimandrita Eutyche.

Hermogenes Episcopus Cassandriæ Macedoniæ primæ, dixit: Hæc eadem & mihi videntur de reuerendissimo presbytero & archimandrita Eutyche.

*Beroeæ. Lucas episcopus *Beroæ Macedoniæ primæ ciuitatis, dixit: Monachorum principē, & in multitudine piorum primatem reuerendissimo & Deo amantissimum Eutychen in nullo reprehensibilem inueniens, sed sectatorem sanctorum Patrum apud Nicæam, & in hac vrbe conuenientium catholicæ fidei, volo eum priorem honorem habere presbyterij, & præsulatus monachorum.

Ioannes episcopus Messenæ ciuitatis prouinciæ Achaiæ, dixit: In nullo delinquens reuerendissimus presbyter & archimandrita Eutyches, eorum quæ pie decreta sunt in Nicæa à sanctis Patribus, & ab ijs, qui conuenerunt in Epheso, fruatur sacerdotali dignitate, & præsit secundum pristinam consuetudinem honesto habitaculo fratrum.

*Himiræ. Vranius episcopus *Himeriæ Osroenæ prouinciæ, interpretante eum Eulogio presbytero Edessæno, dixit: Ex ijs, quæ lecta sunt, agnitus est reuerend. presbyter & archimandrita Eutyches rectè sapere, & sectari fidem trecentorum decem & octo, qui in Nicæa congregati sunt, quam & in Epheso sancta Synodus confirmauit. Et iustum est, recipere eum presbyterij dignitatem, & esse presbyterum & monasterij primatum habere.

Athanasius episcopus Opuntinæ ciuitatis prouinciæ Achaiæ dixit: Rectè & irreprehensibiliter inuestigans semitas sanctorum Patrum, qui pro tempore collecti sunt sancto spiritu in Nicæa, & in Epheso, sicut docuit per libellos & confessiones suas, quas intra gestorum seriem deposuit reuerendissimus presbyter & archimandrita Eutyches, iustum iudicamus, vt fruatur sacerdotali ordine, & præsit monachis secundum præcedentem consuetudinem.

Thedorus episcopus Claudiopolitanus prouinciæ Isauriæ, dixit: Secundum relectam institutionem Deo amantissimi presbyteri & archimandritæ Eutychis, & ex eius voce & scriptis prolata professione, manifestum est, rectè eum sapere. Vndè & ego concors sententiæ constitutus sancti conuentus, confirmo habere eum presbyterij honorem & præsulatum sancti sui monasterij.

Leontius episcopus Ascalonensis, dixit: Laudo diuinitus datam sententiam per sanctos & religiosissimos nostros antistites. Vndè & ego sequens optimam eorum sententiam, supplicio recipi reuerendiss. Eutychen in sacerdotio, quod pridem habebat: & retinere eum monachorum principatum.

Photinus episcopus Lyddensis dixit: Apparuit per omnia, & per proprias in scriptis probatas voces religiosiss. archimandrita Eutyches rectè credere, & consequentia sapere sanctis Patribus Nicæni Concilij, & qui post eos hic collecti sunt. Propter quod sanctos Patres sequens, consensi, & simul decreui, habere eum presbyterij locum & sacerdotij dignitatem, & secundum consuetudinem prospicere proprio monasterio.

Paulus episcopus *Maiumensis, dixit: Reuerendissimum presbyterum & archimandritam Eutychen, sequutum canones sanctorum Patrum nostrorum, qui in Nicæa, & qui in Epheso conuenerunt, & ego iustum iudico, gradum eum presbyterij & archimandritæ recipere. for. *Mamugensis, vel Maniēn.

*Minoēn. Zosimus episcopus *Minoidenæ ciuitatis dixit: Quoniam per omnia repertus est religiosus presbyter & archimandrita Eutyches sapere rectam fidem, quæ à sanctis Patribus in Nicæa & hic est exposita, decerno & ego eum sacerdotij perfrui dignitate, & præesse sanctæ fraternitati.

Epiphanius episcopus Pergensis, dixit: Secundum ea, quæ bene placita sunt sancto Concilio, & ego omnibus consentio, quæ sancti Patres professi sunt.

Baruchius episcopus Oruzæ Palestinæ prouinciæ, dixit: Secundum veram vocem religiosissimi & sanctissimi archiepiscopi Iuuenalis, consonam constitutam ijs, quæ à nostro Domino Saluatore CHRISTO & sanctis Apostolis dicta sunt, & à sanctis Patribus, qui in Nicæa, & qui in Epheso conuenerunt, & ego similiter decerno, reuerendissimum presbyterum & archimandritam Eutychen recipere proprium presbyterij gradum, & præesse solitè sancto suo monasterio, ac clarè & per omnia manifestum catholicum.

Heraclius episcopus Azotensis, dixit: His, qui rectè de fide sapiunt, omnes consentire iustum est. Vndè & ego religiosum presbyterum & archimandritam Eutychen, sequutum canones sanctorum Patrum, qui in Nicæa, & qui in Epheso conuenerunt, iustum iudico, recipere presbyterij dignitatem, & ptæesse fraternitati, quæ sub eo est.

Ioannes episcopus Tiberiadis dixit: Audiui confessiones religiosi presbyteri & archimandritæ Eutychis, ex ijs, quæ in vrbe felicissima Constantinopoli, & hic gesta sunt, & in nullo eum inueni reprehensibilem, sed secundum expositam sanctam fidem trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, qui in Nicæa, & qui hic conuenerunt, & volo eum, sicut sancti Patres probauerunt, habere dignitatem presbyterij, & principatum detinere sancti sui monasterij.

Musonius episcopus Zoarensis dixit: Custodem fidei trecentorum decem & octo, & diffinitionis sanctorum Patrum, qui in Epheso congregati sunt, manifestauit religiosissimum presbyterum & archimandritam porrectus ab eo libellus, & professiones, quæ ab eo in monimentis factæ sunt. Propter quod, detinere eum sacerdotium, & præesse reuerendissimis monachis propter eius catholicam fidem, iustum existimo.

Dionysius episcopus Sycacinonensis, dixit: Ex omnibus gestis præsens religiosissimus presbyter & archimandrita Eutyches *manifestus est integerrimè ea, quæ à catholicis pro- *manifestatus. bata sunt, sapere. Neque enim prætermisit, nec aliquid violauit eorum, quæ in Nicæa à sanctis trecentis decem & octo Patribus ordinata sunt de catholica fide, nec non quæ in Epheso confirmata sunt. Vnde & ego similiter decerno, sicut & sancti patres, & volo hunc suo monasterio consuetè præesse, & presbyterij honore perfrui.

*Phæniccensis. Caiumas episcopus *Phaneensis, dixit: Nihil errantem reperiens reuerend. archimandritam Eutychen, sequutus & ego quæ bene sunt placita sanctissimo nostro Archiepiscopo, consentio & ego restitui ei pristinum gradum presbyteratus, & præesse eum secundum consuetudinem suo proprio monasterio.

Aethericus Episcopus Smyrnensis, dixit: Reperiens Deo amantissimum presbyterum & archymandritam Eutychen consentientem sancto Concilio, quod in Nicæa conuenit, & sanctæ Synodo, quæ hic priùs collecta est, & nunc firmata à sancto vestro conuentu, & ego in hoc consentiens, & confiteor catholicum prædictum religiosum virum esse, & habere presbyteratus dignitatem, & præesse monasterio.

Zebennus Episcopus Pellen. dixit: Ex porrectis libellis, per quos catholicam fidem planè exposuit reuerend. presbyter & archimandrita Eutyches secutus canones, & ex gestis verò manifestata est eius recta fides. Vndè & ego iustum iudico, per omnia catholicum demonstratum, recipere sacerdotalem gradum & primatum archimandritarum.

Pancratius Episcopus Libyadis dixit: Iustum est, religiosissimum presbyterum & archimandritam Eutychen secutum regulas sanctorum Patrum, qui in Nicæa, & in Epheso conuenerunt, & ob hoc recipientem à sanctissimo Archiepiscopo nostro Iuuenali gradum presbyteratus & archimandri. quippè pleniùs rectam fidem sapientem, consona decernere de eo decet & meam paruitatem.

*Auxilaus *Auxolaus Episcopus Hippodion gentis Sarracenorum fœderatorum, dixit: Annuo & consentio omnibus benè placitis de Eutyche reuerendissimo archimandrita, & iustum iudico, restitui ei presbyterij gradum, & præesse eum proprio monasterio.

Olympius Episcopus Vazaten. dixit: Ex relectorum nobis gestorum serie, necnon etiam ex porrectis libellis à religiosissimo presbytero & archimandrita Eutyche, cognoscens diligenter concordem eum esse sanctæ fidei, quæ exposita est à trecentis decem & octo sanctis Episcopis, tam in Nicæa, quàm qui in Epheso conuenerunt, secundùm iustum decretum sanctissimi Archiepiscopi nostri Iuuenalis, & reliqui sancti Concilij, & ego consentio eum esse presbyterum & archimandritam.

Polychronius Episcopus Antipatridæ, dixit: Sequor & consentio ea, quæ benè placita sunt sanctissimo archiepiscopo Iuuenali, & sacro huic Concilio: & iudicaui restitui ministerio reuerendissimum Eutychem archimandritam, & præesse eum solenniter proprio monasterio.

Domninus Episcopus Plateæ ciuitatis prouinciæ Helladis, dixit: In omnibus declaratus benè peragens pietatis verbum religiosus presbyter & archimandrita Eutyches, dignus est gradum presbyterij decorare, & præesse secundùm consuetudinem fratribus.

Theodosius Episcopus Mastaurensis, dixit: Consequens est discipulos sectari doctores, & eos, qui probauerunt ex præcedentibus religiositatem reuerendissimi presbyteri Eutychis circa sanctorum Patrum regulas & custodiam eorum, qui in Nicæa, & in hac splendidissima Metropoli conuenerũt: Et ego igitur comprobo iustum esse, eum perfrui & presbyterij dignitate & monasterij principatu.

Cyriacus Episcopus Aegeensis, dixit: Consequenter sancti Patres definierunt in persona religiosissimi & reuerendissimi presbyteri & archimandritæ Eutychis, reperientes eum orthodoxè sapere, quæ à sanctis Patribus statuta sunt, qui in Nicæa, & in Epheso Metropoli conuenerunt. Quem reuerendissimum virum & mea decreuit paruitas tenere eum & presbyterij gradum, & dignitatem archimandritæ.

Flauianus Episcopus Adramytinus, dixit: Reuerendissimus presbyter & Archimandrita ostendit propriam voluntatem, quoniam consentit & confitetur sancto Concilio sanctorum Patrum, qui in Nicæa congregati sunt, & eorum confirmationi, quæ facta est in Ephesina Metropoli. Vnde quemadmodum sancti Patres definierunt, qui in hac eadem Metropoli conuenerunt, dignus est in sacerdotali presbyterij ordine connumerari reuerendissimus archimandrita Eutyches, & præesse monasterio reuerendiss. monachorum, qui sub ipso sunt constituti.

Leontius Episcopus Magnesiensis, dixit: Et in dogmaticis doctrinis, & in spiritalibus fungentes sacerdotio magisterijs patres, nos filios conuenit sequi. Quoniam igitur iudicatum est ab hoc honestissimo & diuino collegio, reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen, recipere & gradum presbyterij, & primatum monasterij, quod ei nuper ablatum est, vnde & mea concordat paruitas, ad perfruendum eum & presbyterij dignitate, & principatu monasterij.

Eutropius Episcopus Pergamenus Asiæ prouinciæ dixit: Reuerendissimo presbytero & monacho Eutyche probato per libellos ab eo sanctæ Synodo porrectos, credere rectè secundùm expositionem sanctorum Patrum Nicæni & Ephesini Concilij & ego sanctorum Patrum sententiæ sanctæ & magnæ Synodi, quæ secundùm diuinam iussionem in Ephesina Metropoli collecta est, consentio, quatenus dignus habeatur fungi sacerdotio, & præesse monachis.

Maximus Episcopus Trallen. dixit: Et ego interlocutiones sanctorum & Deo amantissimorum Patrum nostrorum sequens, propter quod probatus est Deo amantissimus presbyter & archimandrita Eutyches custodire catholicam fidem, decerno tenere eum sacerdotium, & monasterium quod antè sortitus est.

Onesiphorus Episcopus Iconiensis, dixit: Et ego approbo iustum esse, religiosissimum presbyterum & archimandritam, Eutychen, & in ordine esse sacerdotij, & præesse eũ proprio monasterio.

Ioannes Episcopus Rhodi insulæ, dixit: Ex porrectis libellis ab Eutyche reuerendissimo archimandrita, demonstratum est, quia & rectè sapit, & dignus est tenere dignitatem presbyterij, & principatum monasterij. Vndè & ego consentio his, quæ à sancta vestra & magna Synodo in eo sunt ordinata.

Diogenes Episcopus ciuitatis *Remessanensis, dixit: Secundùm consensum Patrum Eutyches presbyter habeat cõmunionem & sacerdotium, & habitaculum proprij monasterij. for *Rhussiensis.

Theodosius Episcopus Amathuntenæ ciuitatis dixit: Auditor factus lectionis monimentorum, quæ de reuerendissimo archimandrita Eutyche gesta sunt, & inueniens eum rectè sapere, & vnitum tam sancto Nicæno concilio, quàm ei quod pridem hic & nunc gratia Dei collectum est, consentio (sicut placuit sanctis patribus) tenere eum & gradum sacerdotij, & primatum monasterij.

Cyriacus Episcopus Lebedensis, dixit: Et ego *concors prolatæ sententiæ sanctorum patrum in persona reuerendissimi archimandritæ Eutychis. Vndè iustum iudico, tenere eum gradum presbyterij, & primatum monasterij. for.* concordo

Gennadius Episcopus Thien. prouinciæ Helladis, dixit: Ex lectione monimentorum, & datis libellis, cognoui catholicum esse reuerendissimum archimãdritam Eutychen. Vndè & ego consentaneus factus sententiæ sanctorum patrum, iustum iudico, tenere eum gradum presbyterij, & principatum monasterij.

Olympius Episcopus *Euazensis, dixit: Reuerendissimum archimandritam Eutychen cognoui tàm ex lectione monimentorum, quàm per propria manu conscriptos & porrectos libellos, & ex proprijs vocibus, quas professus est præsente vniuersali Concilio, (cui præsul & primus est sanctissimus pater noster & vniuersalis archiepiscopus Dioscorus magnæ Alexandriæ ciuitatis) catholicum, & similia sapientem, & concordem constitutum sanctis trecentis decem & octo patribus in Nicæa conuenientibus, in recta & vera fide, quæ est ab eis exposita, & quæ in Ephesino Concilio dudum confirmata est. Concors & ego existens sanctorum patrum prolatæ sententiæ, iustum iudico, reuerendissimum archimandritam Eutychen tenere pristinum sacerdotium, & præesse reuerendissimis fratribus, quos sub sua manu iam pridem habebat. *Ebagine

Iulianus Episcopus Hypepenæ ciuitatis, dixit: Et ego ita decerno sicut definijt sancta & vniuersalis Synodus, quæ secundùm Dei gratiam, & iuxta sanctionem pijssimorum & Christi amicorum nostrorum Imperatorum, in Ephesina metropoli collecta est, quatenùs reuerendissimus archimandrita Eutyches teneat presbyterij gradum, & fruatur sancto ministerio Domini nostri Christi, & præsit procurationi reuerendissimorum fratrum eius (quod sub eo est) monasterij.

Theopemptus Episcopus Cabassenus, dixit: Sicut videtur, etiam nunc iudaizant, perscrutantes Saluatorem omniũ Christum. Ignorantes enim ipsius cum carne dispensa-

2. Timo. 3. tionis mysterium, hactenus perdurarunt errantes, & decipientes, sicut beatus Paulus dixit. Eutychen igitur reuerendissimum & Deo amantissimum presbyterum & archimandritam, pridem & ab exordio scientes non solùm catholicum, verùm etiam sceleratis Nestorij dogmatibus fortiter repugnantem cognouimus, & nunc ex lectione monimentorum iniustè, & contra leges damnationem perpessum. Et quia nunc per oblationem libellorum manifestam fecit huic sancto & magno concilio rectam suam & immaculatam fidem, hunc & nos habeamus communicatorem, & inter presbyteros numerandum & præsulem sui monasterij secundùm sanctorum patrum sententias.

Calosirius Episcopus Arsinoitæ ciuitatis, interpretante eum Helia diacono suo, dixit: Comperi ex facta hodiè chartarum lectione, reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen rectè sapere de fide catholica. Quapropter sicut semper eum communicatorem habuimus, secundùm decreta huius sanctæ Synodi & dignum eum existimo recipere presbyterij ordinem, & præsulatum proprij monasterij.

*Hephestiæ vel Ephestii. Ioannes Episcopus *Ephesiæ ciuitatis, dixit: Religiosiss. presbyter & archimand. Eutyches (qui neque minis inimicissimi iudicis, neque varietate accusatoris victus, sed in tanta tempestate insidiarum influctuosam suam animam conseruauit, & aduersus omnimodos conturbantes eum & impugnantes fluctus restitit. hæc enim nuper facta lectio, eorum, quæ in persona eius contra leges gesta sunt, demonstrauerunt) fruatur presbyterij dignitate, & præsulatu sub ipso degentium reuerendissimorum monachorum, circa rectam & immaculatam fidem piè & indeclinabiliter demonstrans custodiam, quæ ei facta est scutum in tempore tanti belli, tantis vndique inimicitiarum & impietatum iaculato sagittis.

Heraclides Episcopus Heracleensis, dixit: Ex gestis & libellis Eutychis reuerendissimi presbyteri & archimandritæ hodiè lectis, cognouimus eum, sicut semper recta sapere, & ei sanctam communionem dedimus, quatenus & recipiat presbyterij gradum, & primatum proprij monasterij secundùm decreta sanctæ synodi.

*Libyarchien. Isaac Episcopus *Elearchiensis, dixit: Ex libellis porrectis & monimentis, quæ & hodiè lecta sunt, inuentus est reuerend. presbyter & archimandrita Eutyches sequens fidem sanctorum patrum, quæ in Nicæa est exposita, & in hac Ephesia ciuitate ante hoc confirmata. Et concors existo sanctis patribus, quatenus habeat presbyterij ordinem, & archimandritæ honorem.

Gemellinus Episcopus Erythræen, dixit: Ex lectione monimentorum, quæ in magnifica & Christianissima Constantinopoli acta sunt, de quibus accusabatur reuerendissimus & Deo amantissimus Eutyches & presbyter & archimandrita, per eadem agnoscétes, quoniam ipse quidem semper catholicè & sapuit, & sapit: quia verò eum (sicut arbitrati sunt) depositurunt, inuenti sunt contraria sapere Nicæno & Ephesino Concilio, iustum iudicauit sancta hæc & magna Synodus, quatenùs idem sit & presbyter, & archimandrita secundùm priorem consuetudinem. Vnde & ego his consentio.

Apollonius Episcopus Taneen. dixit: Rectè repertus est sapere & credere reuerendissimus presbyter & archimandrita Eutyches. propter quod consentio his, quæ à sanctis patribus in eo diffinita sunt, in recipiendo honore presbyteratus, & vt teneat gubernationem, sicut & pridem, proprij monasterij.

*Irenopolitanæ. Gennadius Episcopus magnæ * Herinopolitanæ ciuitatis, dixit: Ex oblatis libellis huic sanctæ Synodo, lectione hodierna facta monimentorum, cognouimus Eutychen reuerendissimum presbyterum & archimandritam rectè sapuisse, & sapere. Et propter hoc consentio, quatenùs recipiat presbyterij gradum & honorem archimandritæ.

Cyrus Episcopus Babyloniæ, dixit: Quantùm constat ex oblatione libellorum & lectione monimentorum, consensi & ego præcessoribus sanctis, reperiens catholicum & fidem tenentem inconcussibilem reuerendissimum presbyterum & archimandritam Eutychen, ad tenendam presbyterij dignitatem & monachorum procurationem.

Athanasius Episcopus Busiriten. dixit: Cùm ostensus sit reuerendissimus presbyter & archimandrita Eutyches sapere & credere, sicut & sancta Synodus continet, quæ eo tempore in Nicæa congregata est, confirmata verò & à sancta Synodo, quæ paulo ante in hac ciuitate facta est, acquiesco & ego, & consentio (sicut & hæc sancta Synodus decreuit) recipere eum presbyterij dignitatem, habere etiam & sui monasterij principatum.

Photinus Episcopus Teuchiren. dixit: Quantùm ex oblatis à reuerendissimo presbytero & archimandrita libellis, & lectione monimentorum, rationabile & iustum est, restituere in sacerdotio, necnon & procuratione secundùm consuetudinem proprij monasterij.

Theophilus Episcopus Cleopatridis dixit: Et vita, & mores, & ab exordio conuersatio perhibent testimonium fidei reuerendissimi presbyteri & archimandritæ Eutychis, qui & tantùm laborem iam pridem sustinuit aduersus Nestorij insanias, ex quibus apud omnes extitit laudabilis. Et nunc verò nihilominus sequentem eum expositiones sanctorum patrũ in Nicæa congregatorum, & in Ephesina ciuitate confirmatas, (cui præfuit ter beatus archiepiscopus quondam noster Cyrillus) & ego consentio, quatenùs permaneat in quibus pridem permanebat, id est, in presbyterij & archimandritæ honore.

Pasmeius Episcopus Paralaiorum, dixit: Ex porrectis à reuerend. presbytero & archimandrita Eutyche libellis cognouimus eum irreprehensibiliter rectam nostram & immaculatam fidem tenere. Propter quod & ego consentio, & concordo his, quæ à sanctis patribus terminata sunt.

*Zoscen. Sosias Episcopus *Sozusensis, dixit: Bona & iusta sanctorum patrum & pietatem in se habens sententia, quam proferre dignati sunt pro restitutione reuerendiss. presbyteri & archimandritæ Eutychis, respicientes integra subtilitate hæc quæ hodiè lecta sunt, quibus & ego concordo, iustum arbitrans, reddi ei tam locum presbyteratus, quàm primatum honestissimi monasterij.

Theodorus Episcopus Ticeliæ ciuitatis, dixit: Libellis à religiosissimo presbytero & archimandrita Eutyche porrectis huic sanctæ Synodo, & lectione monimentorum, in omnibus cognouimus eum rectè sapere, & sapuisse. Et ego iustum existimo, reddi ei presbyterij locum & honorem archimandritæ.

Theodorus Episcopus Barcensis, dixit: Rectè hodie chartæ quæstionis gratia aduersus religiosissimum presbyterum & archimandritam Eutychen factæ, probauerunt eum recta sapere, & sapuisse. Et in hoc concors existo, ob restituendum ei & gradum presbyterij, & principatum proprij monasterij.

Rufinus Episcopus Cyreneñ. dixit: Rationabiliter & iustè sacerdotium & principatum monasterij restituit hæc sancta & magna Synodus reuerendo presbyt. & archimandritæ Eutychi. Pium enim eum & fidelem acta monimentorum, & qui porrectus est ab eo libellus, monstrauit. Et huic ego concordo sententiæ.

Zenon Episcopus Rhinocoruren. dixit: Planè approbatum est, tam ex nunc facta lectione gestorum, quàm ex porrectis irreprehensibilibus libellis à sanctissimo presbytero & archimandrita Eutyche, quia diligens est circa piam religionem, & quia sequutus est catholicam fidem, quæ ante hoc est exposita à ter beatis patribus nostris Episcopis in Nicæa conuenientibus, & circa hæc, quæ hic paulò antè statuta sunt à sanctæ memoriæ & inter sanctos constituto Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis antistite, & confirmata à sancta & vniuersali synodo. Vndè & mea humilitas consentanea fit sancto & magno huic Concilio, quatenus * memoratus sanctissimus Presbyter & Archimandrita Eutyches, non sit extra sacerdotalem dignitatem, sed & presbyterij gradum & principatum religiosissimorum teneat monachorum.

*Miserabilis.

Lucius Episcopus Zygrensis, dixit: Ex porrectis à reuerend. presbytero & archimandrita Eutyche libellis, cognouimus eum recta sapere in catholica fide. Et ob hoc & ego consentio cunctorum sententiæ, quatenus ei restituatur & dignitas presbyterij, & honor archimandritæ.

*Auson. *Auxonius Episcopus Scbennitenæ ciuitatis, dixit: Ex lectione, actorum monimentorum, & ex porrectis libellis,

reuerend. archimandrita Eutyches approbatus est sapere & dicere & credere, sicut expositio fidei continet, quæ facta est à sanctis patribus olim in Nicæa congregatis, quæ & confirmata est à synodo paulò antè in hac ciuitate facta, cui præsuit ter beatus & omninò laudabilis memoriæ antistes noster Cyrillus. Et iustum est, vt memoratus vir reuerendus (sicut & sancta synodus decreuit) recipiat presbyterij dignitatem, & permaneat, in quibus degebat priùs, habere verò eum & patrocinium proprij monasterij.

Isaac Episcopus *Tanien. dixit: Lectis hodiè monimentis, & porrecto libello à reuerendissimo Eutyche, consona prosequuti sunt Deo dignissimi patres, qui nunc in hoc sancto & vniuersali concilio congregati sunt. Et ego igitur consentaneus factus sum his, quæ acta sunt, & peto eum tenere presbyteratum, & præesse proprio monasterio.

Philocalus Episcopus Zagylensis, dixit: Ex libellis sanctæ Synodo à reuerendissimo presbytero & archimandrita Eutyche porrectis, docentibus de catholica fide, cognouimus, quia irreprehensibiliter sapit, quæ à sancto Nicæno concilio definita sunt, insuper etiam in Ephesina Synodo confirmata. Propter quod & nos cognoscentes eum sic sapere, decernimus restitui ei presbyterij dignitatem, & archimandritæ honorem.

Esaias Episcopus *Herinopoleos minoris, dixit: Sancta hac & magna Synodo iudicio & decreto gestorum suscipiente religiosum & Deo dignum presbyterum & archimandritam Eutychen, sicut consona priori & magnæ Synodo Nicænæ & Ephesiæ credentem, necessariè & ego consentio, & decerno, tenere eum & presbyteratus honorem, & principatum monasterij.

Barsumas presbyter & archimandrita, per interpretem Eusebium monachum, dixit: Et ego vt filius sequor proprios patres, & testimonium perhibens catholicæ fidei sanctissimi & Deo amantiss. archimandritæ Eutychis, consentio, & concordo, & gratulor, quoniam restituitis ei sacerdotij gradum, & principatum sancti sui monasterij.

Impias interlocutiones Dioscorus impiè confirmat.

Dioscorus Episcopus Alexandriæ dixit: Omnes sancti huius & vniuersalis Concilij sententias super reuerendiss. archimandrita Eutyche confirmans, & meam ipsius simul introduco voluntatem, quatenùs numeretur in ordine presbyterij, præsit etiam & proprio monasterio sicut anteà.

Ioannes presbyter & primicerius notariorum, dixit: Clerici & monachi monasterij, quod sub reuerendissimo presbytero & archimandrita Eutyche est vel degit, libellum obtulerunt sancto vestro Concilio, quem legemus, si præceperit vestra sanctitas.

Eusebius Episcopus Ancyræ Galatiæ, dixit: Susceptus libellus recitetur. Ioannes presbyter & primicerius notariorum, recitauit:

EPISTOLA MONACHORVM, QVI SVB Eutyche, ad Concilium Ephesinum secundum,

SANCTAE huic & Deo amantissimæ vniuersali Synodo, congregatæ in Ephesia metropoli, à Narsete presbytero, & Timotheo, & Eusebio, & Constantino, & cæteris diaconibus, subdiaconibus, & omnibus monachis sub religiosissimo archimandrita constitutis. Promissa à misericorde Deo in eum credentibus dona, ex diuinis edocti eloquijs, & cognationes & pecunias, & quibus vnusquisque nostrum decorabatur, dignitates & diuersas militias, & *semel omnia, quæ videntur bona humana despicientes, quibus fruebamur, fruique adhuc sperabamus, in vnam omnes monachorum conuersationem & continentiam concurrimus, trecentorum numerum iam complentes gratia Domini Christi, & sub præposito reuerendissimo archimandrita Eutyche pietatis & iustitiæ doctrinis obedientes, & tricesimo anno plus minusve plures ex nobis in hac *continentia perdurantes: sed reuerendissimus Episcopus regiæ Constantinopolitanæ ciuitatis Flauianus, cùm oporteret eum & præsentia laudare, & ad meliora cohortari, & omni prouidentia continere eos, qui humana derelinquentes, ad Deum confugimus, contrà quàm decuit, operatus est, nostrum quidem pastorem calumnijs & blasphemijs circunueniens, & non veram occasionem damnationis eius, veluti ex pietate, simulans, eo quòd non blasphemat cum ipso, præter diffinitionem fidei, quam exposuit quidem sanctum Nicænum Concilium, confirmauit autem & quæ priùs in hac Epheso congregata est Synodus. nobis autem præcipiebat per directum ab eo Theodotum presbyterum, & cum eo præsentibus alijs clericis, recedere à pastore, & neque loqui cum eo decæterò, sed & res monasterij aduersus ipsum custodiri, (hoc ipsum enim negociabatur sub nomine pauperum) aut hoc non facientes, prohiberi & nos cum nostro magistro à communione diuinorum ministeriorum. Et sanctum quidem altare, quod ipse ante sex menses, quàm insidias meditaretur, * consecrauit, vacuum diuino remansit sacrificio. Permansimus autem nos hactenus, vsque ad hanc sanctam vestram Synodum, iniquis eius sententijs alligati. Aliquanti autem ex fratribus nostris obierunt sub eodem iniquo penè *schemate, & alia quidem conuersationis monasterialis solenniter celebramus secundùm monasteriorum regulas. Alieni verò extitimus, sicut pro impietate damnati. Et in hac infidelitate lachrymantes nos inuenit salutaris dies natalis Saluatoris nostri Dei & Domini Iesu Christi, & quæ omnibus Christianis est in lætitia, eam nos in luctu peregimus, pro orationibus diuini ministerij lamentationes ex lingua nostra persundentes. In his nos & sancta Epiphaniorum dies suscepit. Et sicut morti propinquantes, & animam suam diligentes, finem suum deflent, ita nos in sacri ministerij oblatione lugentes, peregimus. Superuenit & salutaris passionis dies, & sacra nox, & resurrectionis festiuitas, in qua quidem & plurimis peccatoribus à sanctis patribus nostris damnationes soluuntur: verùm & ab Imperatoribus, reis criminalia vincula rèlaxantur: iusta verò lætitia omnis domus, & omne forum repletur: nos verò iniustis detenti sententiæ vinculis, nullam clementiam nostri vidimus damnatoris, sed vsque in præsenti perseuerauit indeclinabilis, iam nouem penè transactis mensibus, talem vtiquè * super se à vobis sententiam ordinans, vt pro suo iniquo contra nos prolato iudicio, dignum inueniat fructum, iusta aduersum se à vobis prolata sententia, vt secundùm sanctas scripturas iudicetur, quemadmodùm iudicauit & fruatur, sicut insidiatus est. Propter quod supplicamus vestræ sanctæ Synodo, condolere nobis quidem pro tanto tamque iniquo cruciatu, quem pro pietate sufferimus à sacerdote, reddere verò nobis quidem communionem iniustè ablatam, illi verò talia perpetranti vicissitudinem eorum, quæ iudicauit iniustè.

*inunxit

*vestram contra se.

Narses presbyter manu mea subscripsi.
Timotheus diaconus manu mea subscripsi.
Eusebius diaconus manu mea subscripsi.
Constantinus diaconus manu mea subscripsi.
Eustathius diaconus manu mea subscripsi.
Zenobius diaconus manu mea subscripsi.
Auxentius diaconus manu mea subscripsi.
Zenobius diaconus manu mea subscripsi.
Smaragdus diaconus manu mea subscripsi.
Eleusinius diaconus manu mea subscripsi.
Constantinus diaconus manu mea subscripsi.
Theodorus subdiaconus manu mea subscripsi.
Gerontius subdiaconus manu mea subscripsi.
*Prosphorius subdiaconus manu mea subscripsi.
Martyrius monachus manu mea subscripsi.
Pancharius monachus manu mea subscripsi.
Paulonas monachus manu mea subscripsi.
Philinius monachus manu mea subscripsi.
Abraamius monachus manu mea subscripsi.
Iulianus monachus manu mea subscripsi.
Antoninus monachus manu mea subscripsi.
Macedonius monachus manu mea subscripsi.
Timotheus monachus manu mea subscripsi.
Ioannes monachus manu mea subscripsi.
Euprepius monachus manu mea subscripsi.
Dorotheus monachus manu mea subscripsi.
Cortasius monachus manu mea subscripsi.
Timotheus monachus manu mea subscripsi.
Eugenius monachus manu mea subscripsi.
*Theotinus monachus manu mea subscripsi.

*Phosphorius.
*Bosphorius.

*Theotinus.

Matt. 19. *simul

*instantia

Iulianus monachus manu mea subscripsi.
Malchus monachus manu mea subscripsi.
Eubulus monachus manu mea subscripsi.
Gymnasius monachus manu mea subscripsi.
Hypatius monachus manu mea subscripsi.

Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Quoniam excommunicatos vos dixistis factos esse, ignoratis verò culpam, & conijcimus & nos pro qua re, dicite manifestè, propriam fidem quomodò habeatis. Hæc enim est vestra fruitio, confessio fidei. Eleusinius monachus & diaconus dixit: Sicut per libellum Deo* dignus archimandrita noster edocuit vestram sanctitatem, sic sapimus sicut trecenti decem & octo sancti Patres in Nicæa sanxerunt, & sicut hic congregata sancta Synodus confirmauit. Et præter istam fidem nunquàm neque intelleximus, neque sapuimus aliquid. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: De incarnati Saluatoris nostri præsentia sic sapitis, sicut beatus Athanasius, & beatus Cyrillus, & beatus Gregorius, & omnes catholici Episcopi? Eleusinius diaconus & monachus, dixit: Omnes sic sapimus, & sicut qui in Nicæa conuenerunt, & qui hic congregati sunt sancti Patres. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Quoniam dedit libellos reuerendissimus presbyter & archimandrita Eutyches, acquiescitis his, quæ ille scripsit? Sequimini fidem eius? Eleusinius diaconus & monachus, dixit: Etiam.

*Religiosissimus.

Dioscorus hic anathematizat seipsum. Nam sancta Synodus Ephesina duas Christi naturas prædicat.

Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Ne præuaricemini. Eleusinius diaconus & monachus, dixit: Non. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Hæc eadem sapitis? His contenti estis? Anathematizatis, qui sic non sapiunt? Eleusinius diaconus & monachus, dixit: Etiam per vestigia vestra. Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum, dixit: Consequens est, sic eos rectam fidem confitentes in Nicæa expositam, & in Epheso confirmatam, participes existere & sanctæ communionis, & propriorum graduum. Sancta Synodus dixit: Omnes consentimus his verbis, omnes hæc dicimus. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Placet ergo religiositati vestræ, in interlocutione & hoc inseri, quia cum reuerend. archimandrita Eutyche, absoluimus & qui cum eo sunt, clericos siue monachos? Sancta Synodus dixit: Absoluimus eos. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Communicamus eos & dignitate & mysterijs? Sancta Synodus: Etiam hoc iustum iudicium. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Manifestis constitutis gestis, & omni sancto hoc Concilio consentiente, & restituente communionem reuerend. archimandritæ Eutychi, verùm etiam & presbyterij dignitatem, super his verò absoluente omnes, qui cum ipso sunt, tam clericos eius, quàm monachos, iustum est de cæterò & consequens, ea quæ de recta fide nostra acta sunt in congregata pridem in hac ciuitate beatiss. Synodo, recitari. Quæ proferens reuerend. presbyter & primicerius notariorum Ioannes, relegat, si hoc & vniuerso Concilio placuerit.

Dominus Episcopus Antiochiæ, dixit: Si placuerit recitari, recenseatur. Thalassius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Necessarium nobis est, relegi fidem sanctorum Patrum trecentorum decem & octo, & qui apud Ephesum, quatenùs nos audientes, plus aliquid imbuamur. Eusebius Episcopus Ancyræ Galatiæ, dixit: Vtilis sanctorum Conciliorum lectio & confirmatio. Illic enim habemus tutelam nostræ catholicæ fidei. Stephanus Episcopus Ephesi, dixit: Legatur expositio, quæ facta est à sanctis trecentis decem & octo Patribus in Nicæa, & confirmata in Epheso ad cautelam catholicæ fidei. Sancta Synodus dixit: Omnes hoc volumus. Ioannes presbyt. & primicerius notariorum, recitauit:

EPHESINAE PRIMAE SYNODI ACTA QVAEDAM, RECENSITA EPHESI IN SYNODO PROPHANA, RVRSVS RELECTA IN HAC CHALCEDONENSI SYNODO, CVM SVBSCRIPTIONIBVS.

Ephesinum Concilium primum.

Post consulatum dominorum nostrorum, Flauij Theodosij terdecies, & Valentiniani tertio perpetuorum Augustorum, sub die XI. Kalendarum Augusti, qui est secundùm Aegyptios vicesimus octauus dies, congregata Synodo in Ephesina Metropoli, ex sanctione religiosissimorum, & amantium Christum Imperatorum nostrorum, & sedentibus in episcopio Deo amantissimi Memnonis Episcopi, Deo amantissimis & religiosissimis Episcopis,

Cyrillo Alexandriæ, & agente vices sanctissimi & beatissimi Archiepiscopi Romanæ Ecclesiæ Cœlestini.
Iuuenali Hierosolymorum.
Memnone Ephesino.
Flauiano Philippensi, & agente vices Rufi reueren. Episcopi Thessalonicen. *Firmo
*Firino Cæsareæ Cappadociæ primæ.
Theodoto Ancyræ Galatiæ primæ.
Acacio Meletinæ Armeniæ.
Iconio*Gortynæ Cretæ. *Cortyn.
Peregrino Corinthi Helladis.
Cyro Aphrodisiadis prouinciæ Cariæ.
Valeriano Iconij.
Palladio Amasiæ Hellesponti.
Hesychio Parij. Hellanico Rhodi.
Dynato Nicopolitano veteris Epiri.
Euchario Dyrrhacheno nouæ Epiri.
Perrhebio*Pharmachi. *Pharmacien.
Eudoxio Chomatis Lyciæ.
Syluano*Cheratapen. Phrygiæ. *Hierocepien.
Beriniano Pergensi prouinciæ Pamphyliæ.
Amphilochio Sidensi.
Epiphanio Cratiensi prouinciæ Honoriadis.
Gregorio Ponti Polemoniaci.
Senecione Scodrensi.
Dalmatio Cyziceno.
Docimasio Maroneensi Thraciæ.
Ioanne Insulæ*Præconnensi.
Daniele Colonensi secundæ Cappadociæ.
Romano Rhaphiensi.
Puliniano*Maiumensi.
Paulo Anthedoneñ, Fido Ioppensi. *Manien.
Ioanne*Sycomazensi. *Sycacinonen. vel Sycaminen.
Theodoro Gadarensi.
*Letogio Libyadensi. Apelle Eleusij.
Theodoro*Ariddelensi. *Aruden.
Petro Parempolensi.
Ioanne Augustopolitano. Saida Phœnicensi.
Rufino Thabeensi. Anysio Thebensi.
Callicrate Naupactensi.
Domnino Opuntensi. Nicæa Megarensi.
Agathocle*Colonensi Achaiæ vel Coromen. *Coronē.
Felice Apollonieñ. ac Bellidensi. *Dodonen.
Theodoro Toroneñ.
Andrea*Cherſoneñ. Cretæ. *Chylen.
Prothymio*Conanensi. Paulo Lampensi. *Comaneñ.
Zenobio Gnosensi.
Luciano Topirensi Thraciæ.
Nepio Maximianopolitano.
Secundiano Lamiensi.
Dione Thebensi Thessaliæ.
Theodoro Echinensi.
Martyrio*Helectrensi.
Thoma Derbensi. Athanasio Parosen.
Themistio Iassensi. Aptonito Heracleensi.
Philippo Amyzonensi. Apelle Cebyrensi.
Spudasio Ceramensi. Archelao Myndensi.
Phania Arpasensi. Promaxio Alindensi.
*Philippo Pergamensi Asiæ. *Phileto
Maximo Assuensi. Dorotheo Myrinensi.
Maximo Cymensi. Ephoro Hypepensi.
Alexandro Archadiupolitano.
Eutyche Theodosiupolitano.
Rhodone Palescepselitano.
Eutropio*Euasensi. Aphobio Chologensi.
Nestorio Cionensi. Eradione Tralleñ. *Ebaginen.
Theodoto Nysensi. Theodoro Alyddensi.
Timotheo*Briulensi. Theodosio Mastaurensi.
*Tychico Erythrensi. *Brullitē.
Eusebio Clazomenensi.
*Eulalio Colophonensi.

Modesto Athenienſi. Theoſebio Prienenſi.
Euſebio Magnæſienſi Sipyli.
Sapritio Paphenſi inſulæ Cypri.
Zenone Curienſi. Rhegino Conſtantienſi.
Euagrio Silonenſi.
Cæſario Chorepiſcopo Arceſcenæ.
Tribuniano Aſpendenſi Pamphyliæ.
Nunechio Selgenſi. Soſone Corydalenſi.
*Cottia-len. Acacio*Cottianenſi. Pauiſco Apollianenſi.
Anyſio*Colibraſſenſi.
Matidiano Coraceſienſi.
Eutropio Etonienſi. Tariano Lyrbenſi.
Euſebio Aſponenſi Galatiæ.
Philomeno Cinnenſi.
Strategio & Euſebio Heracleæ Honoriadis.
Palladio Andraponenſi Helleſponti.
Hermogene Rhinocorurenſi.
Euoptio Ptolemaidæ Pentapolis.
Euſebio Peluſienſi. Adelphio Oniphenſi.
Paulo Pharbeteñ. Phibañione Coptenſi.
Macario Metelenſi. Adelphio Saenſi.
Macedonio Xoetenſi.
*Hermu-pelitano. Marino*Herinupolitano.
*Trémin-ten. Eulogio*Teremitenſi. Metrodoro Leontenſi.
Macario Anteeñ. Petro Oxyrinchitano.
Strategio Athribiteñ. Athanaſio Paralieñ.
Syluano Corpidateñ. Ioanne Epheſtenſi.
Ariſtobulo Thinithiñ. Theone Sethroienſi.
*Diſteen. Lampetio*Biſienſi, Cyro Archieñ.
Publio Olbieñ. Samuele*Diſtenſi.
Zenobio Barcenſi. Zenone Centyrenſi.
Soſipatro Septimiaceñ.
*Daniel o Darneenſi.
Euſebio Iuliopolitano.
Heraclide Heracleeñ.
Chryſaorio Aphroditano.
*Hermu-polis. Andrea*Herinopolis maioris,
Sauino Panenſi, Abraamio Oſtracinenſi.
Heriaco Aſanienſi. Alypio Selinuntenſi.
Alexandro Cleopatridenſi.
Theopempto Cabaſſenſi. Iſaac Vauienſi.
Ammonio Butenſi. Hetaclio Ptenethenſi
*Libyar-chien. Iſaac*Hlearchienſi.
Heraclio Thamatudeñ.
Theona Pſinchenſi,
Ammonio Panephyſeñ.
Beſſula diacono Carthagineñ:
Archadio & Proiecto Epiſcopis & Legatis.
Philippo religioſiſſimo presbytero Apoſtolicæ Romanæ ſedis & Legato.

Petrus presbyter Alexandriæ & primicerius notariorum, dixit: Sancta & magna veſtra Synodus omnem faciens prouidentiam rectæ & Apoſtolicæ fidei, & veritati dogmatum, prouidens verò & ſtatui & diſciplinæ ſanctarũ Eccleſiarum, terminum promulgauit, quem præmanibus habentes (ſi præceperit veſtra ſanctitas) legimus. Sancta Synodus dixit: Promulgata ſententia à ſancto & vniuerſali hoc Concilio recitetur, & geſtis inſeratur. Quæ in Nicæa congregata eſt e Synodus, fidem hanc expoſuit:

NICENAE SYNODI FIDES.

CREDIMVS in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inuiſibilium factorem. Et in vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium Dei, natum *ex patre vnigenitum, hoc eſt, de ſubſtantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum, homouſion patri, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & inhumanatus eſt, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, aſcendit in cœlos, venturus inde iudicare viuos & mortuos. Et in ſanctum Spiritum. Eos autem qui dicunt, Erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur, non erat, & quia ex non exiſtentibus factus eſt, vel ex altera ſubſiſtentia, aut eſſentia dicentes eſſe, aut mutabilem aut conuertibilem filium DEI, hos anathematizat catholica & Apoſtolica Eccleſia. Huic quidem ſanctæ fidei omnes conuenit conſentire. Habet enim piè & ſufficienter ad vtilitatem ijs, qui ſub cœlo ſunt. Quoniam verò quidam ſimulant quidem confiteri eam, & conſentire ei, falsè verò interpretantur ad id, quod eis placet, intellectus virtute, & circunueniunt veritatem, erroris & perditionis filij conſtituti: neceſſarium viſum eſt, ſanctorum & catholicorum patrum proferre teſtimonia, quæ poſſunt ſatisfacere quemadmodum eam intellexerunt, & prædicare confiſi ſunt, quatenùs ex manifeſto, & omnes rectam & immaculatam fidem habentes, ſic & intelligant, & interpretentur, & prædicent eam. Petrus presbyter Alexandriæ & primicerius notariorum, dixit: Quoniam præmanibus habentes libros ſanctorum & beatiſſimorum patrum & Epiſcoporum & diuerſorum martyrum, elegimus verò ex his pauca capitula, qnæ (ſi præcipitis) recitamus. Flauianus Epiſcopus Philippenſis, dixit: Et hæc recitata monimentis inſerantur. Et lectum eſt ita: Petri ſanctiſſimi Epiſcopi & martyris Alexandriæ, ex libro de diuinitate: Quoniam & verè gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, vnde & gratia eius ſalui ſumus, ſecundùm Apoſtolicum dictum: & hoc, inquit, non ex vobis, (Dei enim donum eſt, non ex operibus) vt ne quis glorietur. Voluntate Dei Verbum caro factum eſt, & habitu inuentus, vt homo, non deſtitit à diuinitate. Neque enim vt à virtutis ſuæ, aut gloriæ perfectione recederet, pauper factus eſt, cùm dives eſſet, ſed vt & mortem pro nobis peccatoribus ſuſciperet iuſtus pro iniuſtis, quatenus nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus verò ſpiritu. Et poſt aliquanta: Vndè & Euangeliſta veraciter dicit: *Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Tunc vtiquè, ex quo angelus ſalutauit Virginem, dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Quòd enim ait, Dominus tecum: nunc eſt audire Gabrielem, hoc eſt, Deus verbum tecum. Significat enim ipſum natum in vulua, & carnem factum, ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & id, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Et iterùm poſt alia: Deus autem verbum, abſque viri præſentia, ſecundùm voluntatem Dei, qui omnia operari poteſt, factus in vulua Virginis caro, non indiguit viri operatione, aut præſentia. Efficaciùs enim viro inoperata eſt Dei virtus, obumbrans Virginem cum ſuperueniente Spiritu ſancto.

Petrus presbyter Alexandriæ & primicerius notariorum, dixit — Petrus Alexandrinus martyr.
Ioan. 1.
Epheſ. 2.
Ioan. 1.
Philip. 2.
2. Cor. 8.
1. Pet. 3.
Idem. II.
Ioan. 1.
Luc. 1.
Ibid.
Ibidem.
III.

Sancti Athanaſij quondam Epiſcopi Alexandriæ, de libro contra Arianos: Multi igitur ſanctificati ſunt, & mundi ab omni peccato. Hieremias verò & ex vtero ſanctificatus eſt, & Ioannes adhuc conſtitutus in vtero, exilijt in exultatione, in voce Dei genitricis Mariæ. Et tamen regnauit mors ab Adam vſque ad Moſen, & ſuper eos, qui non peccauerunt, & in ſimilitudine præuaricationis Adæ: & ita manebant nihilominus homines mortales & corruptibiles, capaces ſuæ naturæ paſſionum. Nunc verbo facto homine, & ſua faciente, quæ carnis ſunt, vltrà hæc corpus non tangunt, propter verbum quod in eo factum eſt, ſed ab ipſo quidem conſumpta ſunt: Decæterò verò homines nullatenùs ſecundum ſuas paſſiones peccatores permanent & corruptibiles, ſed ſecundùm verbi virtutem reſurgentes, immortales & incorruptibiles ſemper permanent. Vndè & carne naſcente ex Dei genitrice Maria, ipſe dicitur eſſe natus, qui alijs geniturам, quò ſint, præſtat, vt noſtram in ſemetipſum transferret natiuitatem, vti ne decæterò ſicut terra tantùm conſtituti, in terram eamus, ſed ſicut cœlo verbo coniuncti, in cœlum ab eo perducamur. Ergò ſic & reliquas corporis paſſiones non indecenter in ſeipſum tranſtulit, vt non iam ſicut homines, ſed ſicut proprij verbi æternæ vitæ efficiamur participes. Nec vltrà enim ſecundùm priorem natiuitatem in Adam morimur, ſed iam natiuitate noſtra & omni carnali infirmitate translatis in verbo, reſurgimus à terra, ſoluta maledictione peccati, propter eum, qui in nobis pro nobis factus eſt maledictum. Eiuſdem ex epiſtola ad Epictetum: Quomodò autem addubitare auſi ſunt, qui dicuntur Chriſtiani, ſi is, qui ex Maria proceſſit Dominus filius quidem eſt Dei eſſentia & natura: id verò, quod eſt ſecundùm carnem, ex ſemine eſt Dauid, carne autem ſanctæ Mariæ? Qui autem (putas) iſti tam temerarij Athanaſ. contr. Arianos. IV. Hier. 1. Luc. 1. Rom. 5. Idem. V.

ſunt

sunt, vt dicerent Christum (qui carne passus est & crucifixus) non esse Dominum, & Saluatorem, & Deum, & filium patris? Aut quomodò Christiani volunt nominari, qui dicunt, in hominem sanctum, sicut in vnum de prophetis, superuenisse verbũ, & non ipsum hominẽ factũ, accipientẽ ex Maria corpꝰ, sed alterum esse Christum, & alterũ Dei verbũ, qui ante Mariã, & ante secula filius est patris? Aut quomodò Christiani esse possunt, dicentes alterum esse filium, & alterum esse DEI verbum? Et post aliquanta iterum: Non appositiuè autem hæc facta sunt, (absit) sicut quidam iterum arbitrati sunt: sed propriè in veritate homine facto Saluatore, totius hominis salus factus est. Si enim appositiuè fuit in corpore verbum secundùm eos, (quod autem positiue dicitur, imaginatio est) inuenitur putatiua & salus & resurrectio hominum dici secundùm impium Manichæum. Sed vera, non phantastica, est salus nostra: neque corporis solius, sed totius hominis, animæ & corporis veraciter salus facta est. Humanum ergò corpus natura id quod ex Maria, secundùm diuinas scripturas & verum fuit Domini Saluatoris. Ex epistola sanctissimi Julij quondam Episcopi Romani ad *Prosdocium: Prædicatur verò ad supplementum fidei & incarnatus ex Maria virgine Dei filius, & habitans in hominibus, non in homine operatus. Hoc enim in Prophetis præfatus fuerat & Apostolis. Perfectus Deus in carne, & homo perfectus in spiritu, non duo filij, vnus quidem proprius filius assumens hominem, alter verò mortalis susceptus à Deo: sed vnus vnigenitus in cœlo, vnigenitus DEVS in terra. Ex epistola Felicis Episcopi Romani & martyris ad Maximianum Episcopum & clericos Alexandriæ: De incarnatione verò verbi & fide, credimus in Dominum nostrum Iesum Christum, ex Maria virgine natum, quoniam ipse est æternus Dei filius, & verbũ, & non homo à Deo susceptus, vt alter esset præter ipsum: nec enim hominem assumpsit Dei filius, vt esset alter præter ipsum: sed DEVS existens perfectus, factus est simul & homo perfectus, incarnatus ex Virgine. Sanctissimi Theophili Episcopi Alexandriæ, ex quinta epistola paschali: Sunt enim & nunc, tunc factorum miraculorum reliquiæ. Non sint increduli, quoniam virtus DEI potens est facere, virginem parere, in qua factus est viuens DEI verbum, vt nobis fieret similis. Aliter enim nobiscum colloqui eum propinquiùs impossibile fuit, vt non ex *voluptate & somno (sicut in alijs habetur hominibus) susciperet corpus, quod in similitudinem huius accepit ex Virgine genitus homo, apparens quidem sicut nos secundùm seruilem formam, ex operibus verò approbatus, quoniam vniuersorum factor & dominus est, agens opera DEI. Item eiusdem ex paschali epistola: Sicut enim artifices optimi non in preciosis solis materijs artem ostendentes, mirandi sunt, sed qui ex vili luto & cera solibuli, sæpè suæ disciplinæ operando demonstrant virtutem, multo magis sunt laudabiles: ita omnium optimus artifex, viuus & efficax Dei verbum, decorans conuenientia ordinis vniuersa, non quasi accepta corporis preciosa materia, ad nos peruenit, sed in luto maiestatem suæ artis ostendit, reformans hominem, qui de limo plasmatus est: ipse ex Virgine, non decoris homo, procedens, modum quidem natiuitatis immutans, per omnia verò nostram secundùm nos, absque peccato, similitudinem non iudicans fugiendam, nascens pannis inuolutus est, nutritus est infans in præsepio positus, naturæ nostræ infirmitatem propter præcedentes causas excipiens. Sed dum adhuc infans esset, simul & inimicum & eius cuneum cõturbauit, magos attrahens ad pœnitentiam, & imperans eis contemnere regem, à quo fuerant destinati.

Sanct. Cypriani Episcopi & martyris, ex libro de pietatis opere & eleemosynis: Multa & magna sunt, fratres dilectissimi, beneficia diuina, quibus in salutem nostram Dei patris & Christi larga & copiosa clementia & operata sit, & semper operetur: quòd conseruandis ac viuificandis nobis pater filium misit, vt reparare nos posset: quodque filius missus est, & hominis filius dici voluit, vt nos Dei filios faceret. Humiliauit se, vt populum, qui priùs iacebat, erigeret. Vulneratus est, vt vulnera nostra *curaret. Seruiuit, vt ad libertatem seruientes extraheret. Mori sustinuit, vt moriens, immortalitatem mortalibus exhiberet. Sanctissimi Ambrosij Episcopi quondam Mediolanensis de libro ad Gratianum: Si mihi nõ credunt, credant Apostolo dicenti: Postquam verò venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Filium (inquit) suum, non vnum de multis, non communem, sed suum. Suum cùm dicit, generationis æternæ proprietatem signauit. Hunc postea factum ex muliere asseruit, vt factura non diuinitati, sed assumptioni corporis asscriberetur, factum ex muliere per carnis susceptionem, factum sub lege per obseruantiam legis. Generatio autem illa cœlestis ante legem, ista post legem.

Eiusdem de libro secundo: Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quia regnum DEI (sicut scriptum est) non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis. Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis: vnus in vtroque loquitur Dei filius, quia in eodem vtraque natura est. Et si idem loquitur, tamen non vno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur, quæ sunt diuina, quia verbum est: quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur: Hic est panis* viuus, qui descendit de cælo. Panis hic caro est, sicut ipse dixit: Hic panis, quem ego dabo, caro mea est. Hic est, qui descẽdit, hic est, quem pater sanctificauit, & misit in hunc mundum: Hæc ipsa litera nos docet, sanctificationem non diuinitatem eguisse, sed carnem. Sanctissimi Gregorij maioris Episcopi Nazianzeni, ex Epistola ad *Celidonium: Nec decipiant homines, neque decipiantur, hominem sinè mente susscipientes Dominum, cùm ipsi dicunt, magis autem Dominum nostrum & Deum. neque enim hominem separamus à deitate, sed vnum eundemque prædicamus, priùs quidem non hominem, sed Deum, & filium Dei tantum modò, & ante secula absq; commixtione corporis, & omnibus quæ corporis sunt: in finem verò, & hominem assumptum pro nostra salute: passibilem carne, impassibilem deitate: circunscriptum corpore, incircunscriptum diuinitate, eundem terrenum & cælestem, visibilem & *intelligibilem, comprehensibilem & incomprehensibilem, vt toto homine eodemque & Deo, totus homo reformaretur, qui cecidit sub peccato. Si quis Dei genitricem, Mariam non æstimat, alienus est à deitate. Si quis quasi per fistulam, ita per virginem transcurrisse, & non potius in ipsa plasmatum plasma esse dicit diuinè pariter & humanè: Diuinè quidem, quia sine viro: humanè autem, quia iure nascendi. Si quis plasmatum dicit esse hominem, deinde subintrasse Deum, damnandus est. Neque enim Dei natiuitas hæc est, sed fuga natiuitatis. Si quis introducit duos filios, vnum quidem ex Deo patre, secundum verò ex matre, sed non vnum eundemque, ab adoptione *excidat, quæ promissa est rectè credentibus. Naturæ quidem duæ, Deus & homo, quemadmodum & anima & corpus: filij verò non duo, neque dij. Neque enim hic duo homines, etsi ita Paulus id, quod intus est, hominis, & id quod foris est, nominauit. Et si oportet breuiter dicere, aliud quidem & aliud* ea ex quibus constat saluator, quoniam non idem est illud inuisibile huic visibili, & id quod sine tempore, ei quod sub tempore: non alius verò, & alius. Absit. Nam vtraque vnum sunt propter temperamẽtum, DEO quidem humanato, homine verò deificato, siue quocunq; modo quis nominauerit. Dico aút aliud & aliud ecõuerso, quàm in Trinitate habetur. Ibi enim alius & alius est, vt nõ subsistentias confundamus, non aliud verò & aliud. Vnum enim idemque sunt tria & idipsum diuinitate. Si quis velut in Propheta dicit secundum gratiam operatum, & non secundũ essentiam coniunctum & confirmatum esse, sit vacuus melioris* operationis, magis autem plenus nugis. Econtrariò, si quis non adorat eum, qui crucifixus est, anathema sit, & connumeretur* cum deicidis. Si quis ex operibus perfectum aut post baptisma, aut post resurrectionem ex mortuis, adoptionem meruisse dicit, sicut pagani eos fictos subintroducunt, anathema sit. Quod enim cœpit, & proficit aut perficitur, non est Deus, etsi per modicum augmentum ita dicitur. Sanctissimi Basilij quondam Episcopi Cæsareæ primæ Cappadociæ: Non enim tantum cœlum & terra, & magnitudines pelagorum & in aquis degentia, & terrena animalia, & arbores, & stellæ, & aër, & horæ, & varia vniuersitatis decoratio excellentiam sortitudinis demonstrant, quantùm est quòd possibile fuit Deo incomprehensibili impassibiliter per carnem cum morte cõfligere, vt nobis propria passione impassibilitatem donaret. Sanctissimi Gregorij Episcopi Nysseni: Hoc enim *sapite (inquit) in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma

Gal. 4.

Idem. VI.

Idem lib. 2. cap. 4. XIII.

1. Cor. 2.

Iulius Papa. VII.

Ioan. 6. *verus. Ioan. 6. Ioan. 10.

Greg. Naz XIV.

Felix Papa VIII.

Theophil. Alexandrinus. IX.

* inuisibilem.

* volũtate & semine.

*excidit.

Idem ibidem. X.

2. Cor. 4.

*est.

Luc. 2.

Matt. 2.

*opinionis.

Cyprianus XI.

*inter theoctonos.

*sanaret.

Basilius. XV.

Ambr. ad Grat. lib. 1. cap. 6. XII.

Gregorius Nyssenus. XVI.

*sentire. Philip. 2.

Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo sed semetipsum exinaniuit, formam serui susciens. Quid pauperius in Deo, quàm forma serui? Quid humilius in rege vniuersorum, quàm in communionem pauperis nostra naturæ voluntariè peruenire? Rex Regum & Dominus Dominantium, forma seruitutis induitur: iudex omnium, fit sub tributo potentium: creaturæ Dominus, in spelunca diuertit: & qui omnia palmo tenet, non inuenit locũ in diuersorio, sed in præsepio animalium proijcitur. Mundus & *incontaminabilis, humanæ naturæ susciпere dignatur sordes: & per omnem paupertatem nostram pertransiens, vsque ad mortis processit experimentum. Videte voluntariæ paupertatis mensuram. Vita mortem gustat, iudex in iudicium adducitur: vitæ vniuersorum Dominus, fit sub sententia iudicantis: omnium cælestium potestatum rex, carnificum manus non repulit: ad hoc tibi, inquit, exemplum respiciat humilitatis mensura. Attici Episcopi Constantinopolitani: Hodiè Christus Dominus* clementiæ natiuitatem susceрit. Natiuitas enim diuinæ maiestatis iam præexistebat. Deindè post hæc iterùm subiungit: Misericordiæ verbum exinanitur, qui natura exinaniri nõ potest. Seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, incorporeus propter te incarnatus: verbũ enim caro factum est. Palpatur, qui propter incorpoream naturam tactui nõ subiacet: qui sine initio, est sub corporeo initio. Qui perfectus est, crescit: incommutabilis, proficit. Qui dies est, intrat in diuersorio: qui operit cælum nubibus, pannis inuoluitur, rex in præsepio ponitur. Amphilochij Episcopi Iconij: Quoniam enim idem ipse, est & rex & Deus, mortem propter dispensationem passionis gustauit. Dona mysterij sunt indicia. Offerunt aurum, agnoscunt enim eum esse regem. Offerunt & thus sicut Deo, offerẽtes & myrrham, propter mortem in mysterio passionis. Item eiusdem: Nisi enim ille nasceretur carnaliter, nunquam tu natus fuisses spiritualiter. Nisi ille dignatus fuisset formam serui susciрere, nunquam tu gloriam adoptionis lucrareris. Propter hoc venit in terram cælestis, vt tu terrenus eleuareris in cælum. Propter hoc Christus semetipsum exinaniuit, vt nos omnes de plenitudine eius acciperemus. Illius mors, nostra facta est immortalitas. Domini passio, seruo facta est exaltatio. Tu verò beneficium accipis ad occasionem blasphemiæ. Attici Episcopi Constantinopolitani: Si quem discernit incarnatio vnigeniti, & partus virginis, & passionum communio, & crux, & passio, atque mors, discens cognoscat, prouisoria hæc vniuersalis salutis, sed non indigna diuinæ clementiæ. Si enim turpe est Deo, habitare in virgine: turpius est omninò, creare. Si autem creans non sustinuit contumeliam, neque habitare in creatura, dignum verecundia iudicauit. Et si pati malum est, quale est à passionibus liberare? Ideò & mortuus est, vt immortali morte mortẽ mortificaret: & resurrexit, nostram disponens resurrectionem. Et omnia hæc susceрit, non natura diuinitatis, sed susceрtione carnis, illa quidem in inuiolabilitate propriæ impassibilitatis permanens, hac verò omnes passiones sustinens, quatenùs optimæ conuersationis fieret legislator & princeps. EPHESINÆ PRIMÆ SYNODI ACTA ALIQVA, CHALCEDONE RELECTA. Secundùm sanctionem pijssimorum & amicorum Christi Imperatorum Theodosij & Valentiniani, congregata in Ephesia metropoli ex omni (sicut dicitur) mundo sancta hac Synodo religiosissimorum omnium sanctarum ecclesiarũ Episcoporum, & considente, & definiente obtinere ac firmam esse fidem, quæ exposita est per sanctum spiritum à sanctis patribus, pro tempore in Nicæa ciuitate congregatis numero trecentis decem & octo, & ordinante de his, quemadmodum oportebat, Charisius quidam nomine presbyter, qui fuit & œconomus sanctæ ecclesiæ Philadelphenæ ciuitatis, docuit, quia quidam de Lydia prouincia descendentes hæretici, voluerunt suum quidem errorem relinquere, ad veritatis verò lumen conuerti, & imbui catholicæ Ecclesiæ recto & pio dogmate. Et cùm oporteret eos in veritatem perduci, amplius decepti sunt, & quasi ex fouea in deteriorem foueam ceciderunt. Docuit enim, quoniam Antoninus & Iacòbus presbyterorum nomen habentes, descenderunt de Constantinopoli, commendatitias portantes epistolas à quodam Anastasio & *Photino, illo tempore cum hæretico Nestorio constitutis, & ijsdem verò presbyterorum habentibus nomina. Et cùm oporteret Apostolicam atque euãgelicam traditionem fidei, quam exposuerunt pro tempore patres, qui in Nicæa ciuitate congregati sunt, tradere ijs, qui ex errore ad veritatem conuertebantur, & à tenebris venire ad lucem desiderabant: protulerunt expositionem aliquam impiorum dogmatum, sub obtentu symboli compositam, & huic fecerunt subscribere miseros illos, omnem modum impietatis superantes in ijs. Pro manifestissima verò explanatione eorum, quæ dicta sunt, insertus est, qui porrectus est libellus à memorato presbytero Charisio, & impiæ illius hæreseos expositio de inhumanatione vnigeniti filij Dei, cum subscriptione eorum, qui decepti sunt, sanctissimo & vniuersali concilio Deo amabili congregato in Ephesina ciuitate metropoli à Charisio presbytero & œconomo Philadelphiæ:

Oratio quidem est omnium, qui benè sapiunt, honorem semper & decentem reuerentiam spiritualibus, maximè patribus & doctoribus, exhibere. Si verò alicubi contigerit eos, qui docere debent talia subiectos, de fide insonare, quæ omnium *aures nocent & * corda: necessarium est, ordinem commutari, & eos, qui malè docere conantur, à minoribus redargui. Igitur quia vnus ex his Nestorius est, suæ carens perfidiæ fructu, qui pessimè de fide (quæ in Christo est) sapiens, & docens multa sæpius, quæ non oportebat, omnem omninò, qui sub sole est, orbem pariter conturbauit, vt & * Christi amantissimos Imperatores cogeret sancire vestram sanctitatem hic congregatam, ea, quæ catholicæ sunt fidei, dogmata confirmare. Et hoc propter suam clementiam Dominus Deus præstans, omnes vos sanctos patres hic propterea congregauit. Huius gratia ego prouolutus vestræ sanctitati, doceo, quia non solus iste, sed & qui cum eo sunt impietatis eius participes Anastasius & *Photius presbyteri, eandem hæresim & in alijs ciuitatibus volentes dispergere, Iacobum quendam similia ijs sapientem continuerunt, & hactenus continent, immensam fiduciam ei pręstantes, quem & per literas iamdudum sicut orthodoxum commendauerunt reuerendissimis episcopis Lydiæ. Talia verò ab isto temerata sunt, quæ cùm sanctitas vestra cognouerit, omnibus modis mouebitur ad regularem aduersus eum pœnam, & aduersus eos, qui eum continent. In Philadelphiam enim ciuitatẽ prouinciæ Lydiæ perueniens, & quosdam simplices decipiens, (clerici autem sunt isti) sanctorum patrum Nicænorum expositionem fidei spernens, alterius expositionem fidei, magis autem perfidiæ, subscribere fecit. Et hoc fecerunt, sicut simpliciores, subscribentes: quia hic orthodoxæ fidei acquiescimus, quæ expositio hæreticis blasphemijs plena, & habens subscriptiones eorum, quibus subrepsit, salua est. Quam rogo coram vestra sanctitate relegi, vt manifesta sit, quæ ab ijs meditata sit contra catholicam fidem subuersio. Non solùm verò hoc, sed & literæ prædictorum, vbi Iacobo quidem hæretico constituto, qui talia commisit, testimonium catholicæ fidei perhibent: me autem, sicut hæreticum, ministerio & communione priuauerunt, piè sapientem, sicut subnexum est. His enim lectis, docebitur omnibus modis vestra reuerentia, quæ aduersus catholicam fidem ab eis commissa sunt, quæ Dominus per vestram sanctitatem vsq; ad finem destruat.

Charisij fidei professio catholica.

Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem, & in vnum Dominum Iesum Christum filium eius vnigenitũ, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo verò, homousion patri, qui propter nos & propter nostram salutem descendit de cælo, incarnatus est, natus ex sancta Virgine: & in humanatus, crucifixus est, propter nos mortuus, & resurrexit tertia die, ascendit in cælos, & iterum venit iudicare viuos & mortuos: & in sanctum spiritum veritatis paracletum, consubstantialem Patri & Filio: & sanctam catholicam Ecclesiam, resurrectionem mortuorum, & vitam æternam. Ego Charisius hos libellos dedi, sicut superius scriptum est, subscribens manu mea.

Luc. 2. *inuiolabilis.

Atticus Episcopus. XVII.

Philip. 2.

Ioan. 1.

Psal. 146. Luc. 2. Amphilochius. XVIII.

Matth. 2.

Ibidem. XIX.

Philip. 2. Ioan. 1.

Atticus Episcopus. XX.

*Photio

*auribus *Cordib*

*Photino

Exemplar expositionis falsati symboli, quod eos, qui nunc in primis imbuuntur ecclesiastici dogmatis diligentia, aut ex aliquo volunt hæretico errore ad veritatem conuerti, doceri & confiteri oportet.

Quia credimus in vnum Deum, patrem sempiternum, neque postea incipientem vt esset, sed qui est ab æternitate sempiternus Deus, neque verò postea factum patrem, quoniam vtique semper Deus erat & pater. Credimus verò & in vnum Deum filium vnigenitum, de substantia existentem patris sicut verè filium, & eiusdem substantiæ existentem illi, cuius est & creditur filius: & in spiritum verè sanctum, qui ex Dei est substantia, non filium, Deum verò, sicut eiusdem existentem substantiæ, cuius est Deus pater, ex
1. Cor. 2. quo secundum essentiam est. Nos enim (inquit) non spiritum mundi accipimus, sed spiritum, qui ex Deo est, à creatura quidem eum vniuersa separans, Deo verò cõiungens, ex quo essentialiter est speciali modo præter omnem creaturam, quam non secundum substantiam, sed secundum causam creationis ex Deo esse arbitramur, sed neque filium æstimantes, neque per filium sumpsisse substantiam. Confitemur verò patrem perfectum persona, & filium similiter, & sanctum spiritum identidem, salua nobis pietatis ratione: id est, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, non tres aliquas diuersas substantias æstimari, sed vnam identitate deitatis cognoscendam. Oportet verò & de dispensatione, quam pro nostra salute in Deum, ea, quæ est secundum Christum, dispensatione Dominus Deus perfecit, scire quoniam Deus verbum, hominem perfectum assumpsit ex semine Abrahæ & Dauid, secundum pronunciationem diuinarum scripturarum, hoc existentem natura, quod erant illi, ex quorum erat semine, hominem perfectum natura ex anima intellectuali & carne humana constantem, quem hominem existentem secundum nos per
Galat. 4. naturam, spiritus sancti virtute in virginis vulua formatum, factum ex muliere & factum sub lege, vt omnes nos à seruitute legis redimeret, antè iam prædestinatam adoptionem accipientes inenarrabiliter sibimet vniens, mortem quidem eum secundum legem humanam experiri constituens, suscitans verò ex mortuis, & perducens in cælum, & considere faciens ad dexteram Dei: vndè super omnes cõstitutus principatus, & potestates, & dominationes, & virtutes, & omne quod nominatur nomen non solùm in hoc seculo, verùm etiam & in futuro, ab omni creatura accepit adorationem, sicut inseparabilem ad diuinam naturam habens copulationẽ relationeDei & intelligentia, omni creatura ei adorationem exhibente. Et neque duos filios dicimus, neque duos dominos: quoniam vnus filius secũdum substantiam, Deus verbum, vnigenitus filius patris, cui iste coniunctus & participans filiatione, communicat nomine filij & honore, & Dominus secundum essentiam, Deus verbum, cui iste coniunctus honore communicat: & ideò neque duos filios dicimus, neque duos dominos: quia manifesto constituto secundum substantiam Domino, & filio, inseparabilem tenet ad eum copulationem, qui causa nostræ salutis assumptus, conrefertur nomine & honore filio & Domino. non sicut vnusquisque nostrum, & secundum seipsum constitutus est filius: vnde & multi, secundum beatum Paulum, dicimur filij: sed solus præcipuũ habens hoc, quòd in ea, quæ est ad Deum Verbum, copulatione, filiatione
Galat. 4. & diuinatione participans, aufert quidem omnem suspicionem dualitatis filiorum & dominorum, præstat verò nobis in copulatione ad Deum verbum, omnem habere ipsius fidem & intelligentiam & speculationem, pro quibus & adorationem pro relatione Dei ab omni susceptit creatura. Vnum igitur filium dicimus, & Dominum nostrum Iesum Christum, per quẽ omnia facta sunt, principaliter quidem Deum verbum intelligentes, substantialiter filiũ Dei & Dominum: cointelligentes autem assumptum Iesum à
Acto. 10. Nazareth, quem vnxit Deus spiritu & virtute, sicut in verbi Dei copulatione filiationis participantem & dominationis, qui & secundus Adam, (secundum beatum dicitur Paulum)
1. Cor. 15. sicut eiusdem naturæ constitutus cuius Adam, demõstrans verò nobis futurum statum, & tantam habens ab illo differentiam, quantam quippè esse oportet inter eum, qui inenarrabilia ministrat in futuro seculo bona, & inter eum, qui præsentium tribulationum dedit initium. Simili verò modo & secundus Adam vocatur, sicut secundum statum demonstrans: quoniam primi quidem exordij factus est Adam mortalis, & passibilis, & multis plenus doloribus, cuius & nos suscepimus similitudinem: secundum verò ostendit Dominus Christus, qui de cælo in futuro apparens, omnes nos ad suam perducet cõmunionem. Primus enim (inquit) homo ex terra terrenus, secundus homo Dominus de cælo, id est, exinde appariturus, vt omnes ad imitationem perducat suam. Vnde subiunxit: Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. Et sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. In eo verò apparente, & ab omnibus videndo, qui in futuro iudicãdi sunt, inuisibiliter existens, faciet iudicium diuina natura. Tempora enim ignorantiæ nostræ prætermittens Deus, nunc præcepit omnibus hominibus vbique pœnitentiam agere, quoniam statuit diem, in qua iudicaturus est vniuersum orbem in iustitia, in viro quem prædestinauit, fidem præstans, resuscitans eum à mortuis. Hæc est ecclesiasticorum dogmatum doctrina, & omnis, qui his cõtraria sapit, anathema sit. Omnis qui salutarem pœnitentiam non suscipit, anathema sit. Omnis, qui non celebrat sanctum diem paschæ secundum sanctæ catholicæ Ecclesię statuta, anathema sit. Budius iunior Philadelphiensis Quartodecimanus, cognoscens veram & catholicã fidem, & postulans sanctissimum episcopum Theophanium, accessi ad sanctam & catholicam Ecclesiam. Et anathematizo omnem hæresim, præcipuè Quartodecimanorum, in qua prius erraueram, & consentio suprascriptę expositioni catholicæ fidei, anathematizans & eos, qui nõ celebrant sanctum diem paschæ, sicut sancta catholica & apostolica Ecclesia celebrat, iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & pietatem & victoriam dominorũ orbis terræ, Flauij Theodosij & Flauij Valentiniani perpetuorum Augustorum: si verò aliquid eorum quandoque transgressus fuero, subiacere me legis seueritati. Et relecta mihi expositione, subscripsi per Flauium * Esychiũ Philadelphiæ principalem, propterea quòd literas ignorem. Flauius Esychius * Cerdanepensis principalis Quartodecimanus, cognoscens veram & sanctam & catholicam Ecclesiam. Et anathematizo omnẽ hæresim, præcipuè verò Quartodecimanorum, consentio autem suprascripæ expositioni catholicæ fidei, anathematizans & eos, qui non celebrant sanctum diem paschæ, sicut sancta & catholica Ecclesia celebrat, iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & pietatem & victoriã religiosissimorũ & Christi amicorum Imperatorum, Flauij Theodosij & Flauij Valentiniani perpetuorum Augustornm. Si verò aliquid de his quandoque transgressus fuero, subiacere me legis seueritati. Et subscripsi manu mea. * Rufinus secundæ Philadelphiæ Quartodecimanus, cognoscens veram catholicam fidem, supplicaui, exorans sanctam & catholicam Ecclesiam. Et anathematizo omnem hæresim, præcipuè verò Quartodecimanorum. Consentio verò cum omni domo mea suprascriptæ expositioni rectæ fidei, anathematizans & eos, qui non celebrant sanctum diem paschæ, sicut sancta & Catholica & Apostolica Ecclesia celebrat, iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & pietatem & victoriam Christi amicorum Imperatorum, Flauij Theodosij & Flauij Valentiniani perpetuorum Augustorum: si verò de his aliquid aliquando transgressus fuero, subiacere me cum omni domo mea legis seueritati. Et relecta mihi expositione, & placente, subscripsi propria mea voluntate & proposito. Eugenius secũdæ Philadelphiæ Quatodecimanus, cognoscens cum omni domo mea rectã & catholicam fidem, obsecrans sanctiss. episcopum Theophanium, accessi ad sanctam & catholicam Ecclesiam. Et anathematizo omnem hæresim, præcipuè verò Quartodemanorum, & eos, qui non celebrant sanctum diem paschę, sicut sancta & catholica & apostolica Ecclesia. Consentio verò cum omni domo mea præscriptæ expositioni catholicæ fidei, iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & pietatem & victoriam & diuturnitatem, Christianissimorum Imperatorum, Flauij Theodosij & Flauij Valentiniani perpetuorum Augustorum. Si verò aliquid eorum

Ibidem.

Acto. 17.

Theophanius episcopus vnus fuit ex his, qui erant cum Orientalibus.

* Hesychium *Cardanensis.

* Rufinus Diffilius.

præua-

præuaricatus fuero quandoq; ſubiacere me cum omni domo mea legis ſeueritati. Et relicta mihi expoſitione, & placita, ſubſcripſi manu mea. *Fauſtinus laicus ſecundæ Philadelphiæ Quartodecimanus, cognoſcens veram & catholicam fidem, obſecrans ſanctiſſimum Epiſcopum Theophanium, acceſſi ad catholicam Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè verò Quartodecimanorum, in qua prius errauerам. Et conſentio præſcriptæ expoſitioni catholicæ fidei, anathematizans & eos, qui nõ celebrant diem ſanctum paſchæ, quemadmodum ſanctæ & catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ celebrant, iurans per ſanctam & homouſion Trinitatem, & pietatem & victoriam dominorum orbis terræ, Flauij Theodoſij & Flauij Valentinani perpetuorum Auguſtorum. ſi verò aliquid horum præuaricatus fuero quandoque, ſubiacere me legum ſeueritati. Et relecta mihi expoſitione, accedens cũ omni domo mea, ſubſcripſi manu mea. * Damalius & Alexander manu vſi Eutropij filij Theodori reuerendiſſimi diaconi, cognoſcentes catholicam fidem, & obſecrantes ſanctiſſimum epiſcopum Theophanium, acceſſimus ad catholicam Eccleſiam, anathematizantes omnem hæreſim, præcipuè verò Quartodecimanorum, in qua errauerамus, & eos, qui non celebrant ſanctum diem paſchæ, quemadmodum catholici. Et relecta nobis expoſitione, iurantes venerabili iuramento ſanctæ Trinitatis, & per victoriam & ſalutem dominorum orbis terræ, Flauij Theodoſij & Flauij Valentiniani perpetuorum Auguſtorum, non tranſgredi aliquid præſcriptorum, & credentes cùm domibus noſtris ſubſcripſimus. Flauius Nymphidianus ſecundæ Philadelphiæ ſcholaſticus, omnibus dogmatibus & conſuetudinibus Quartodecimanorum, hæreſim non ſuſcipiens, conſentiens verò his, quæ ſunt orthodoxæ fidei, abrenuncio, confitens quoque communicare huic rectę fidei in omnibus, & hanc ſuſcipere. *Polychronius Taciani Philadelphienſ. manu vtens Flauij, Eſychij & Daniëlis Philadelphenorũ principalium, propterea quòd tardè ſcriberem, cognoſcens cath. fidem & obſecrans S. Epiſcopum Theophanium, acceſſi catholicæ fidei, anathematizans omnem hæreſim, præcipuè verò Quartodecimanorum, in qua errauerам, & eos, qui nõ celebrant ſanctum diem paſchæ, quemadmodum & orthodoxi. Et lecta mihi hac expoſitione, iuraui venerabili iuramento ſanctę Trinitatis, & per victoriam & ſalutem dominorum orbis terræ, Flauij Theodoſij & Flauij Valentiniani perpetuorum Auguſtorum, non tranſgredi aliquid præſcriptorum & credens cum omni domo mea, & quia conſtant mihi omnia præſcripta, Polychronius mutuatus ſum manum Euſtathij. Flauius Marcellus aurifex Quartodecimanus, cognoſcens catholicam fidem, & obſecrans ſanctiſſimum epiſcopum Theophanium, acceſſi propria mea volũtate & propoſito ad ſanctam Dei & catholicam Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè verò Quartodecimanorum, & eorum, qui non celebrant ſanctum diem paſchæ, quemadmodum catholici. Et iuraui per ſanctam Trinitatem, & pietatem Chriſtianiſſimorum Imperatorũ Flauij Theodoſij & Flauij Valentiniani perpetuorum Auguſtorum: ſi autem aliquid tranſgreſſus fuero horum præſcriptorum, reum me eſſe legũ ſeueritati. Et ſubſcripſi manu mea. *Eutychius ſecundæ Philadelphiæ cognoſcens catholicam fidem, & obſecrans ſanctiſſimum epiſcopũ Theophanium, acceſſi propria mea volũtate & propoſito ad ſanctam Dei catholicam Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè verò Quartodecimanorum, & qui non celebrant ſanctum diem paſchæ, ſicut catholici. Et iurans per ſanctam Trinitatem, & pietatem Chriſtianiſſimorum Imperatorum, Flauij Theodoſij & Flauij Valentiniani perpetuorum Auguſtorum: ſi verò tranſgreſſus fuero aliquid de his, quæ præſcripta ſunt, ſubiacere me legum ſeueritati. ſubſcripſi manu mea. *Stratonicus Ammonij Philadelphię Quartodecimanus, cognoſcens catholicam fidem, & obſecrans ſanctiſſ. epiſcopum Theophanium, acceſſi ad ſanctam Dei catholicam Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè verò Quartodecimanorum, & qui non celebrant ſanctum diem Paſchæ, ſicut catholici. Et iuraui per ſanctam Trinitatem, & pietatem Chriſtianiſſimorum Imperatorum noſtrorum Flauij Theodoſij & Flauij Valentiniani perpetuorum Auguſtorum: ſi autem tranſgreſſus fuero de his omnibus, quæ præſcripta ſunt, ſubiacere me legum ſeueritati. Et ſubſcripſi per nepotem meum Alexandrum ob id, quòd literas ignorarem. * Theodorus, & Alexander, & *Philadelphus ſcribentes per vnum ex nobis, id eſt, Alexandrum, cognoſcentes catholicam fidem, & obſecrantes ſanctiſſimum epiſcopum Theophanium, acceſſimus ad ſanctam Dei catholicam & Apoſtolicam orthodoxam Eccleſiam. Et anathematizamus omnem hæreſim, præcipuè quæ dicitur Catharon, & qui non faciunt ſanctum diem paſchæ, ſicut catholici. Et iuramus per ſanctam Trinitatem, & pietatem & victoriam dominorum orbis terræ, Flauij Theodoſij & Flauij Valentiniani perpetuorum Auguſtorum: ſi autem tranſgreſſi fuerimus quid de his omnibus, quæ præſcripta ſunt, ſubiacere nos legum ſeueritati. Et relectæ nobis huic expoſitioni ſubſcripſimus. Marinianus Euithij, manu vtens Neotorij lectoris catholicæ fidei, cognoſcens catholicam fidem, & obſecrans ſanctiſſimum epiſcopum Theophanium, acceſſi ad ſanctam Dei catholicam & apoſtolicam Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè autem Quartodecimanorum, qui non celebrant ſanctum diem paſchæ, ſicut catholici. Et iuraui venerabili ſacramento, ſi tranſgreſſus fuero quid de his omnibus, quæ præſcripta ſunt, ſubiacere me legum ſeueritati. Et ſubſcripſi. * Pacidius Philadelphianus ſubſcripſi manu mea, cognoſcens catholicam fidem, & obſecrans ſanctiſſimum epiſcopum Theophanium, acceſſi ad ſanctam catholicam & Apoſtolicam catholicorum Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè Quartodecimanorum, & qui non celebrant ſanctum diem paſchæ, ſicut catholici, iurans venerabili ſacramento, ſi quid trãſgreſſus fuero de his omnibus, quæ præſcripta ſunt, ſubiacere me legum ſeueritati. Et perlecta mihi expoſitione, ſubſcripſi manu mea.

Cyriacus Philadelphenus Nouatianæ hæreſeos, cognoſcens orthodoxam fidem, & obſecrans ſanctiſſimum Epiſcopum Theophanium, acceſſi ad ſanctam Dei catholicam & orthodoxorum Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè verò Catharon, & iurans venerabili ſacramento, ſi quid prę uaricatus fuero de his omnibus, quæ prę ſcripta ſunt, ſubiacere me legum ſeueritati. Et relecta mihi expoſitione, ſubſcripſi per Euſebium Syrum Calliopium. * Auxonius Philadelphenus Nouatianus cognoſcens catholicam fidem, & obſecrans ſanctiſſimum Epiſcopum Theophanium, acceſſi ad ſanctam Dei catholicam & orthodoxorum Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè autem Nouatianorum. Et conſentio cum omni domo mea præſcriptæ expoſitioni catholicæ fidei, iurans venerabili ſacramento per ſanctam & homouſion Trinitatem, & pietatem & victoriam dominorum Imperatorum Flauij Theodoſij & Flauij Valentiniani perpetuorum Auguſtorum: ſi autem aliquid horum præuaricatus fuero, ſubiacere me cum omni domo mea legum ſeueritati. Et perlecta expoſitione, & complacens ſubſcripſi manu mea. Diomedes habitans in vico Caccaba, cognoſcens catholicam fidem, & obſecrans ſanctiſſimum Theophanium epiſcopum, acceſſi propria mea voluntate & ſpontaneo propoſito ad ſanctam Dei catholicam & apoſtolicam orthodoxorum Eccleſiam. Et anathematizo omnem hæreſim, præcipuè verò Tetraditorum, in qua prius errauerам. Et iuro per ſanctã & homouſion Trinitatem, & victoriam & pietatem dominorum orbis terræ, permanere me in his, quæ præſcripta ſunt, & in nullo tranſgredi, ſed in omnibus cuſtodire permanentem catholicam fidem. Si verò inuentus fuero vnquam præuaricari aliquid eorum, quæ mihi placent, ſubiacere me legum ſeueritati. Et audiens expoſitionem, ſubſcripſi manu mea. Iulianus ſecundæ Philadelphiæ, cognoſcens catholicam fidem, acceſſi ad ſanctam Dei catholicorum Eccleſiam. Et anathematizo omnem hęreſim, præcipuè autem Quartodecimanorum, & iuro per venerabile ſacramentum, ſi quid tranſgreſſus fuero de his omnibus, quæ præſcripta ſunt, ſubiacere me legum ſeueritati. Et complacens, per Martyrium lectorem ſubſcripſi. Eutychius Chorepiſcopus * Aulacæ, princeps Quartodecimanorum hæreſeos, cognoſcens veram catholicorum fidẽ, & obſecrans ſanctiſſi-

*Fauſtinus laicus Diffilius.

*Damalius

*Polycrates Taſciani filius.

*Eutychius Marcellini filius aurificis.

*Stratonicus Eunomij filius.

* Theodorus. *Philadelphenus.

*Placidus.

*Euxonius.

*Auladis

sanctissimum episcopum Theophanium, & reuerendissimum Chorepiscopum Iacobum, & reuerendissimum presbyterum & œconomum Charisium, accessi ad sanctam & catholicam Ecclesiam. Et anathematizo omnem hæresim, præcipuè verò Quartodecimanorum, in qua priùs erraueram. Et consentio præscriptæ expositioni catholicæ fidei, anathematizans & eos, qui non celebrant sanctum diem paschæ, sicut & sancta catholica & apostolica Ecclesia celebrat, iurans per sanctam & homousion Trinitatem, & pietatem & victoriã dominorum orbis terræ, Flauij Theodosij & Flauij Valentiniani perpetuorum Augustorum: si verò aliquid de his præuaricatus vnquàm fuero, subiacere me legum seueritati. Et subscripsi manu mea. Patricius presbyter de vico Paradioxilo, manu vtens Maximi compresbyteri, ob hoc quòd literas ignorarem, cognoscens veram fidem catholicorum, & obsecrans sanctissimũ & Deo amantissimum episcopum Theophanium, & reuerendissimum presbyterum Iacobum, & reuerendissimum presbyterum & œconomum Charisium, & obsecrans, accessi communicare in sancta Dei catholica & apostolica Ecclesia catholicorum fidei & orthodoxæ. Et anathematizo omnem hæresim, præcipuè verò Quartodecimanorum, & eos, qui non celebrant sanctum diem paschæ, sicut sancta Dei & catholica Ecclesia, iurans per sanctam & viuificatricem Trinitatem, & pietatem & victoriam dominorum orbis terræ, Flauij Theodosij & Flauij Valentiniani perpetuorum Augustorum: si verò de his aliquid præuaricatus fuero, subiacere me legum seueritati. Et lecta mihi expositione, & complacens, subscripsi manu mea. Zenon Chorepiscopus Quartodecimanorum hæresẽos, cognoscens veram fidem catholicorum, & obsecrans sanctissimum episcopum Theophanium, & reuerendissimum Iacobum Chorepiscopum, & reuerendissimum presbyterum & œconomum Charisium, accessi ad sanctam Dei & catholicam Ecclesiam. Et anathematizo omnem hæresim, præcipuè verò Quartodecimanorum, in qua prius erraueram. Et consentio præscriptæ expositioni orthodoxæ fidei, anathematizans & eos, qui non celebrant sanctum diem paschæ, sicut sancta catholica Ecclesia celebrat, iurans per sanctum & homousion Trinitatem, & pietatem & victoriam dominorum orbis terræ, Flauij Theodosij & Flauij Valentiniani perpetuorum Augustorum: si verò de his aliquid præuaricatus fuero vnquàm, subiacere me legum seueritati. Manum verò accommodaui pro eo ego Flauius Palladius, ob hoc, quòd præsens diceret literas se ignorare. His igitur perlectis, statuit sancta synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere præter diffinitam à sanctis patribus, qui in Nicæa cum spiritu sancto congregati sunt. Qui verò ausi fuerint, aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre conuerti volentibus in agnitionem veritatis, siue ex gentilitate, siue ex Iudaismo, siue ex qualicunque hæresi, hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, & clericos à clericatu iudicamus. Si verò laici fuerint, anathema esse. Secundùm similem verò modum, si inuenti fuerint siue Episcopi, vel clerici, aut laici, siue sapere, siue docere ea, quæ sunt in oblata expositione à Charisio presbytero de inhumanatione vnigeniti filij Dei, siue scelerata & peruersa Nestorij dogmata: quæ & subnexa sunt sunt, subiacebant sententiæ sanctæ huius & vniuersalis synodi, quatenus manifestum sit, quia episcopus quidem priuabitur ab episcopatu, & erit damnatus, clericum verò similiter cadere à clericatu. Si verò laicus quis sit, & ipse anathematizetur, sicut superius dictum est.

Ex codice Nestorij, quaternione xvij. de dogmatibus.

Quoties igitur diuina scriptura dictura est aut natiuitatem Christi ex virgine Maria, aut mortem: nusquam videtur ponere, Deus, sed aut Christus, aut filius, aut Dominus: quoniam hæc tria duarum naturarum sunt significationes, aliquandò quidem huius, aliquandò illius, aliquandò verò & huius & illius. Est autem tale quod dico. Quandò ex virgine natiuitatem nobis scriptura narrat, quid dicit? *Misit Deus filium suum.* Et non dixit, misit Deus Deum verbum: sed profert nomen, quod significat duas naturas. Quoniam enim filius homo est & Deus, dicit, misit Deus filium suũ, factum ex muliere: vt cùm audis, factum ex muliere, deinde videas nomen præpositum, quod indicat duas naturas, vt natiuitatem ex beata virgine factam, filium quidem voces. Filium enim genuit Dei, & quæ peperit Christum virgo. Sed quoniam filius Dei duplex est secundum naturas, non genuit quidem filium Dei, sed genuit humanitatem, quæ est filius propter coniunctum filium.

Galat. 4.

Similiter eiusdem de quaternione xxi.

Vide quid contingat, hęretice. Non inuideo voci dicenti, Christi genetricem virginem, sed scio venerabilem, quæ susceptit Deum, per quam processit omniũ dominator, per quam illuxit iustitię sol. Iterum suspectum habeo plausum, quomodo quod dixi, processit, intellexistis? Non est dictũ à me, processisse, quasi genitus est: nec enim ità citò obliuiscor meorum. Nam procedere Deum ex Christi genetrice virgine, à sanctis scripturis didici: nasci verò Deum ex ipsa, nusquàm didici. Et post alia: Nusquàm igitur diuina scriptura Deum de Christi matre virgine dicit natum, sed Iesum Christum filium Dominum. Hæc omnes confitemur. Quæ enim docuit diuina scriptura, infelix qui non continuò suscipit. Surgens, accipe infantem & matrem eius. Matth. 2.
Hæc angelorum vox est. Fortasse verò meliùs te (quæ pertinent ad natiuitatem) sciebant archangeli. Surgens, tolle infantem & matrem eius. Non dixit: Surge, tolle Deum & matrem eius.

Similiter eiusdem quaternione xxiiij.

Quod igitur dicebamus, Noli timere tollere Mariam Matth. 1.
coniugem tuam: quod enim in ea natum est, (quod Græce dicitur γεννηθὲν: quod siue per vnam n literam, siue per duas scribatur, sensui nihil præiudicat: quoniam si duas posueris n literas, apud Græcos natus intelligitur: si verò vnam, factus) de spiritu sancto est. Si verò dixerimus, quia Deus verbum natus est in vtero: aliud enim, coesse illi, qui natus est: & aliud, nasci. quod enim (inquit) in ea natum est, de spiritu sancto est, id est, spiritus sanctus creauit, quod in ipsa est. Viderunt ergò patres, sicut docti in diuinis scripturis, quòd si pro incarnato posuerimus natum, inuenietur aut filius spiritus sanctus, aut Deus verbum duos patres habens, aut (per vnam n literam, sicut apud Græcos inuenitur) Deus verbum, creatura esse spiritus sancti. Fugientes igitur natiuitatis sermonem, posuerunt, descendisse propter nos homines & propter nostram salutem, & incarnatum esse. Quid est incarnatum esse? Non mutatum à diuinitate in carnem. Incarnatum enim ex sancto spiritu, secuti sunt euangelistam. Nam & euangelista veniens ad incarnationem, fugit natiuitatem dicere in verbum, & posuit incarnationem. Vbi * audi, Et verbum caro factum est. Non dixit, * audis
Verbum per carnem natum est. Namq; vbi commemorant apostoli & euangelistę filium, ponunt, quia natus est ex muliere. Intende quod dicitur, obsecro. Vbi dicunt nomen filij, & quoniam natus est ex muliere, ponunt, quia natus est. Vbi verò commemorant verbum, nullus eorum ausus est dicere natiuitatem per humanitatem. Audi: Beatus Ioannes euangelista veniens ad verbum, & ad incarnationem eius, audi, qualia dicit: *Verbum caro factum est*, hoc est, suscepit Ioan. 1.
carnem, & habitauit in nobis, id est, nostram naturam indutus est. *Et habitauit in nobis, & vidimus gloriam ipsius filij.* Non dixit, Vidimus natiuitatem verbi.

Similiter eiusdem ex quaternione xv. de dogmate.

Ita & secundum carnem Christum Deum nominamus propter coniunctionem Dei verbi, hoc, quod videtur, scientes vt hominem. Audi itaque Paulum prædicantem. *Ex Iudæis* (inquit) *Christus secundum carnem qui est, super omnia* Roma. 9.
Deus. Confitetur hominem prius, & tunc propter coniunctionem Dei, Deũ prædicat, quod videtur, vt nullus Christianissimum hominem colere suspicetur.

Similiter eiusdem ex quaternione xxvij.

Non autem sicut dicebamus Deum omniũ creatorem, & Deum Mosen. Deum enim (inquit) posui te Pharaoni, & filium Dei Israël. Filius enim (inquit) primogenitus meus Israël. Et sicut dicebamus Christum Saul. Non enim (inquit) mittam manum meam super eum, quoniam Christus Domini est. & Cyrum identidem. Hæc enim (inquit) ait Dominus Christo meo Cyro, & Babylonium sanctum. Ego enim (inquit) impero eis: sanctificati sunt, & ego adduco eos, ita dicimus Dominum Christum, & Deum, & filium, & sanctum, & Christum. Sed communio quidem nominum similis, non eadem verò dignitas.

Exodi 4.

1. Reg. 26.

Esaiæ 45.

Similiter eiusdem de quaternione xv.

Hoc sentiatur in vobis, quod & in Christo Iesu. Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Non dixit, Hoc sentiatur in vobis, quod & in Deo verbo. Qui cùm in forma Dei esset, formam serui accepit: sed dicens, Christus, (tanquàm vocem duas naturas significantem) sine periculo eum & formam serui, quam accepit, & Deum nominat: quia ea, quæ dicuntur in naturarum duplicitatem, irrepræhensibiliter diuiduntur.

Philip. 2.

Similiter eiusdem ex quaternione xiij.

Vt in nomine Iesu (inquit) *omne genu flectatur cælestium, & terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus.* † Propter induentem, veneror eum, quem induit indumento. Pro occulto adoro visibile. Inseparabilis enim à visibili Deus, ideoque inseparabilis honorem non separo. Separo naturas, sed adorationem vnio.

Ibidem.

Similiter eiusdem ex quaternione xvij. de Deo.

Erat quidem Deus verbum & ante inhumanationem filius, & Deus, & ens cum patre. Suscepit verò in vltimis tẽporibus serui formam, sed ante hoc filius constitutus & vocatus. Post susceptionem non potest vocari separatus filius, vt ne duos filios doceamus: sed quoniam illi filio copulatus est, qui in principio erat, qui ad eum copulatus est secũdum filiationis dignitatem, diuisionem suscepisse secundum dignitatem: dixi filiationis, non secundum naturas. Propterea & Deus verbum Christus nuncupatur, quoniam habet copulationem cum Christo perpetuam.

Similiter eiusdem ex quaternione xij. de dogmate.

Inconfusibilem igitur naturarum seruemus copulationem. Confiteamur in nomine Domini, veneremur eum, q̃ diuina copulatione omnipotẽti Deo coadoratur homo.

Similiter eiusdem de quaternione vi.

Attende & hoc confestim coniunctum. Vt misericors (inquit) fiat, & fidelis sacerdos apud Deum. In quo enim passus est ipse & tentatus, potens est hos, qui tentantur, adiuuare. Ergò qui passus est, sacerdos est misericos: passibile autem est templum, non ille qui passibilem viuificat Deus.

Hebr. 2.

Similiter eiusdem ex quaternione xxvij.

Et discatis (inquit) quoniam nimia erat aliqua copulatio deitatis, quæ & in infantia carnis Dominicæ videbatur. Erat enim ipse & infans, & infantis Dominus. Laudastis vocem, sed nec propter eam sine examinatione plaudatis. Dixi enim, quia ipse erat infans, & infantis habitator.

Similiter eiusdem ex quaternione j.

Communes igitur sunt operationes Trinitatis, & tantummodò subsistentijs diuisionem habentes. Gloria ergò vnigeniti aliquandò ad patrem refertur. *Est enim* (inquit) *pater, qui me glorificat.* Aliquando verò ad spiritum: *Spiritus ei-*

Ioan. 8.

um (inquit) *veritatis me glorificat.* Aliquando verò ad Christi potestatem.

Ioan. 15.

Similiter eiusdem ex quaternione xiij. de filio dicens:

Iste qui dicit, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Iste qui triduanã sustinuit mortem. Adora verò eum cum deitate, sicut diuinæ authoritatis cooperatorem.

Matth. 27. & Psal. 21.

Et post aliquanta.

Propter eum qui indutus est, eum quem induit, colo. Propter absconditum, adoro visibilem. Inseparabilis à visibili Deus: ideoque eius qui non separatur, honorem non separo. Separo naturas, sed vnio adorationem. Non secundum se Deus, quod in vulua plasmatum est. Non secũdum se Deus, quod creatum est de spiritu. Non secundum se Deus, quod in sepulcro sepultum est: sic enim erimus hominicolæ, & mortuorum cultores aperti: sed quoniam in illo suscepto Deus à suscipiente, qui susceptus est, sicut suscipienti copulatus, connuncupatur Deus.

Similiter eiusdem ex quaternione iij. contra hæreticos de spiritu dicens:

Quomodò enim seruus sit, (inquit) qui cum filio & patre operatur? Et si requirat quis actiones spiritus, inueniet filij & patris in nullo minores: Non quia vna partitur deitas, sed quia sancta Scriptura ea, quæ vnius virtutis sunt, & in singulas partitur subsistẽtias in approbatione similitudinis Trinitatis. Et attende mihi hanc similitudinem, ex maioribus operibus incipientem. DEVS verbum factus est caro, & habitauit in nobis. Considere fecit sibi pater susceptam humanitatem. *Dixit enim* (inquit) *Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam.* Eius, qui susceptus est, gloriam, descendens spiritus sustentauit. Quando enim (inquit) veniet spiritus veritatis, ipse me glorificabit.

Ioan. 1.

Psal. 109.

Ioan. 15.

Eiusdem ex quaternione vi. de Christo dicens:

Quia missus est prædicare captiuis remissionem, sicut Apostolus subiungit, & dicit: *Hic fidelis Deo factus pontifex.* Factus est enim iste, qui non priùs erat æternus: iste qui paulatim in pontificis ô hæretice proficit dignitate. Et audi manifestiore tibi hoc voce clamantem: *In diebus* (ait) *carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui poterat illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Et quidem cùm esset* filius, didicit ex his quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Cõsummatur verò, quod paulatim ô hæretice proficit: De quo & Lucas in Euangelijs clamat: IESVS *proficiebat ætate & sapientia & gratia.* Quibus consona & Paulus loquitur: Consummatus, inquit, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à DEO pontifex iuxta ordinem Melchisedech. Et post alia: Pontifex vocatus: Quid ergò econtrariò interpretaris Paulo, impassibilem DEVM verbum terrenæ commiscens similitudini, & passibilem pontificem faciens?

Hebr. 2.

Hebr. 5.

*filiꝰ Dei.

Luc. 2.

Hebr. 5.

Hebr. 3.

Et iterùm eiusdem ex quaternione vij.

Vndè fratres sancti, vocationis cælestis participes, considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui * fecit illum.

*præfecit

Et post alia:

Existente ergò nobis hoc solo pontifice compatiente, & cognato, & firmo, ab eius fide ne recedatis. Ipse est enim nobis promissæ benedictionis destinatus ex semine Abrahæ, pro se & genere suo sacrificium corporis offerens. Attendendum est hic, quia confitens omnem pontificem egere sacrificio, & excipiens Christum, vt qui nõ indiguit, hic dixit, & pro seipso offerre, & pro genere sacrificium.

Hebr. 5.

Similiter eiusdem ex quaternione iiij.

Ioan. 6. Audite igitur attendentes verba: Qui manducauerit (inquit) carnem meam. Memorate, quia de carne est, quod dicitur, & quia non à me additum est carnis nomen, vt non videar illis malè interpretari, Qui manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum. Nunquid dixit, Qui mãducauerit Deitatem meam, & biberit Deitatem meam? Qui manducauerit carnem meam, & biberit sanguinẽ meum, in me manet, & ego in eo. Commemoramini, quia de carne dicitur: Sicut misit me, qui viuus est pater, me, qui visibilis sum. Si fortè malè interpretor, ex his quæ sequuntur, audiamus: Sicut misit me, qui viuus est pater. Ille dicit Deitatem, ego humanitatem. Videamus quis est, qui malè interpretatur, sicut misit me, qui viuus est pater. Dicit hæreticus, hic diuinitatẽ dicit, misit me Deum verbum, sicut misit me viuus pater, secundum illos, & ego viuo Deus verbũ propter patrem. Deindè quod post hæc est, & qui me manducat, & ipse viuet. Quem manducamus? Deitatem, aut carnem?

Similiter eiusdem ex quaternione xvi.

Et omninò (inquit) si omnem simul nouam scripturam effoderis, nusquàm inuenies in ipsa mortem ad Deum pertinentem, sed aut ad Christum, aut ad filium, aut ad Dominum. Christus enim, & filius, & Dominus in vnigenito à diuina scriptura positum, duarum naturarum significatiuum est, & aliquandò quidem designans Deitatem, aliquando verò humanitatem, aliquandò etiam vtraque, vt est illud, Rom. 5. cùm Paulus in epistola prædicat: *Si etiam cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius*, humanitatem clamat filij. Heb. 1. Cùm verò iterùm idem ad Hebræos dicit, *Deus locutus est nobis in filio, per quem fecit & secula*, diuinitatem significat filij. Galat. 1. 1. Cor. 11. Neque enim caro creatrix est seculorum, quæ post multa creata est secula. Et post alia: Non Deitas fratrem Iacobum habuit, nec Dei verbi mortem nos annunciamus, cùm Dominico corpore & sanguine pascimur.

Similiter eiusdem ex quaternione xxiij.

Considero (inquit) nostros populos multam reuerentiam possidentes & feruentissimam pietatem, per ignorantiam verò diuinæ scientiæ lubricantes. Hoc verò non crimen est populi, sed (vt decenter dicam) eò quòd nõ habuerint doctores tempus, quo possint aliquid de doctrina nobis commendare subtiliùs. Petrus presbyter Alexandriæ & primicerius notariorum, dixit: Ecce manifestè in his dicit, quoniam eorum, qui ante eum fuerunt doctorum, nullus hæc loquutus est populis.

Cyrillus episcopus Alexandriæ, subscripsi.

Archadius episcopus legatus sedis Apostolicæ, subscripsi.

Iuuenalis episcopus Hierosolymæ, subscrip.

Proiectus episcopus legatus sedis Apostolicæ, subscripsi.

Philippus presbyter sedis Apostolicæ atque legatus, subscripsi.

Firmus episcopus Cæsarienſis, subscripsi.

Theodorus episcopus Ancyritanus, subscrip.

*Berinianus episcopus Pergens. metropolitanus, per Timotheum episcopum subscrip.

Maripianus episcopus Synnadens. subscripsi.

Peregrinus episcopus Corinthi, subscripsi.

Iconius Gortynens. Cretæ, subscripsi.

Memnon episcopus Ephesi, subscripsi.

Rheginus episcopus Constantiæ Cypri, subsc.

Acacius episcopus Melitenus, subscripsi.

Palladius episcopus Amasenus, subscripsi.

*Herenianus episcopus Myrens. subscripsi.

Valerianus episcopus Iconiens. subscripsi.

*Pionius. *Pius episcopus metropolis Pessinuntis, subscripsi.

Cyrus humilis episcopus Aphrodisiens. subscr.

Amphilochius episcopus Sidens. metropolis, subscripsi.

*Serdens. Meonius episcopus *Sardens. subscripsi.

Hellanicus episcopus Rhodiens. subscripsi.

Dalmatius episcopus Cyzicenus, subscripsi.

Flauianus episcopus Philippens. subscripsi.

Aristonicus episcopus Laodicensis, subscripsi.

Paralius misericordia Christi episcopus Chij, subscripsi.

Idduas episcopus Smyrnensis, subscripsi.

Olympius Episcopus Claudiupolitanus, per episcopum Epiphanium, & Eusebium subscripsi.

Domnus episcopus *Cartheanensis, subscripsi. *Catanẽs.

Eustathius episcopus Docimeensis, subscripsi. *Catinẽs.

Epiphanius episcopus Cratiensis, subscripsi.

Gregorius episcopus Cerassuntinus, subscripsi.

Elladius episcopus Adramytenus, subscripsi.

Anysius episcopus ciuitatis Thebanæ Helladis, subscripsi.

Domninus episcopus Opuntinus, subscripsi.

Callicrates episcopus Naupactenus, subscripsi.

*Nicæas episcopus Megarensis, subscripsi.

Callinicus episcopus Apamenus Bithyniæ, subscripsi.

Petrus humilimus episcopus Prusensis, subscripsi.

Euprepius episcopus Byzensis, subscripsi.

Dion episcopus Thebeus, subscripsi.

Perrhenius episcopus Thessalonicensis Sardorum, subscripsi.

Paulus episcopus *Anthedonensis, subscripsi.

Theodorus episcopus Magnesiæ ciuitatis subscripsi.

Eusebius episcopus Heracleensis, subscripsi.

Ioannes episcopus Lesbos & Tenedi emporij Hellesponti & Lyciorum, subscripsi.

Thomas episcopus Derbens. subscripsi.

*Senecion episcopus Scodrenæ ciuitatis, subscripsi. *Senetiõ.

Tribunianus episcopus Primopolitanæ sanctæ ecclesiæ, subscripsi.

Martyrius episcopus *Electrens. subscripsi. *Heleclt.

Anysius episcopus Colobrassenæ ciuitatis, subscripsi.

Acacius episcopus *Cotiaiens. ciuitatis. subscripsi.

Ablabius episcopus *Amoriens. subscripsi. *Amuriẽs.

Philippus episcopus Pergamens. subscripsi.

Heraclion & Theophilus episcopi Trallens. ciuitatis subscripsi.

Daphnus episcopus Magnesiæ Mæandri, subscripsi.

Eusebius episcopus Magnesiæ Sipyli ciuitatis, subscripsi.

Andreas humilis episcopus Chersonens. subscripsi.

Paulus humilis episcopus Lampenæ ciuitatis, subscr.

Eutropius humilimus episcopus *Euazenens. subscripsi. *Ebagi-nens.

Seuerus minimus episcopus Sozopolis prouinciæ Pisidiæ, subscripsi.

Siluanus episcopus *Cheratapens. subscripsi. *Hieroce-pien sis.

Commodus minimus episcopus Tripolis, subscripsi.

Constantinus episcopus Diocletianopolis, subscripsi.

Nestorius episcopus *Cionens. subscripsi.

Aphobius minimus episcopus Chologens. subscripsi.

Dioscus episcopus Entetenæ ciuitatis, subscripsi.

Paulus episcopus Dedicanæ ciuitatis, subscripsi.

Limenius *Heptenæ ciuitatis, subscripsi.

Dorotheus episcopus Smyrnens. subscrip.

Theodorus episcopus Atalien. subscripsi.

*Aptonitus minimus episcopus Heracleotanæ ciuitatis, subscripsi. *Aphthonius.

Spudasius minimus episcopus Ceramens. subscripsi.

*Philetus minimus episcopus Amyzonis, subscripsi. *Philipp.

Docimasius episcopus Maroneæ, subscripsi.

Ennepius episcopus Maximianopolitanus, subscripsi.

*Eulalius episcopus Colophonens. subscripsi. *Eutalius.

Lucianus episcopus Topiren. subscripsi.

Rufinus episcopus Tabeens. ciuitatis, subscripsi.

Romanus episcopus Rhaphiæ ciuitatis, subscripsi.

*Fidus episcopus Ioppis, subscripsi.

Hesychius episcopus Parij ciuitatis, subscripsi.

Timotheus episcopus Telmissi, & Eniandos ac Ioniæ, subscripsi.

Eucharius episcopus Dyrrhachenæ ciuitatis, subscripsi.

Euagrius Episcopus Solonens. ciuitatis insulæ Cypri, subscripsi.

Nectarius Episcopus *Casoneñ.ciuitatis subscripsi.
Agathocles Episcopus * Coroniæ ciuitatis, subscripsi.
Azanus episcopus * Sycamazonen.subscripsi.
Edesius episcopus Posidonen.subscripsi.
Secundinus Episcopus Lamien.subscripsi.
Nunechius Episcopus Selgenen.subscripsi.
Matidianus, Coracesien.subscripsi.
Cyrillus Episcopus Celeñ.per manus Hellesponti presbyteri subscripsi.
Sapritius Episcopus Paphi Cypri insulæ, subscripsi.
Themistius minimus episcopus Iasseñ.subscripsi.
Promaxius Episcopus Alindinen.ciuitatis, subscripsi.
Eudoxius episcopus Chomateñ.ciuitatis subscripsi.
Libanius episcopus Veteris ciuitatis, subscripsi.
* Tarianus Episcopus Lyrbensenæ ciuitatis, subscripsi.
Alexander Episcopus Archadiupolis, subscripsi.
Theodotus episcopus Nyseñ.subscripsi.
Rhodon episcopus veteris ciuitatis, subscripsi.
Tychicus minimus episcopus Erythrææ ciuitatis, subscripsi.
Eugenius episcopus Apolloniadæ, ciuitatis, subscripsi.
Ætius Episcopus Peonien.Hellesponti, subscripsi.
Archelaus minimus episcopus Myndeñ.subsceipsi.
Apelles humilis Episcopus Cyberitæ ciuitatis, subscripsi.
Philadelphus minimus Episcopus Traianupolis, subscripsi.
*Eutherius humilis episcopus Stratonicæ Lydiæ prouinciæ, subscripsi.
Ioannes minimus Episcopus Aureliupolis ciuitatis, subscripsi.
Maximus Episcopus Cymen.subscripsi.
Modestus Episcopus * Anathenæ ciuitatis, subscripsi.
Theodosius humilis episcopus Mastauren.subscr.
Thomas Episcopus Valentiniapolitanus, subscripsi.
Eusebius Episcopus Clazomenen.subscripsi.
Eusebius episcopus Asponeñ.Galatiæ subscripsi.
Euporus episcopus Hypepenen.subscr.
Sadus episcopus, subscripsi.
Dõninus episcopus * Orcellen.subscripsi.
Ioannes episcopus Augustopolitanus, subsc.
Petrus episcopus Parembol.subscripsi.
Natiras episcopus Gazæ, subscripsi.
Zenon episcopus Curieñ.ciuitatis, subscr.
Euoptius Episcopus Ptolemaidæ Pentapolis prouinciæ, subscripsi.
Macarius episcopus Meteleñ.subsc.
Eusebius episcopus Pelusien.subscr.
Hermogenes episcopus Rhinocoruren.subscripsi.
Marinus episcopus * Herinupolitanus, subsc.
Ioannes episcopus Ephestien.subscripsi.
Heraclius episcopus Thamatudeñ.subscripsi.
Strategius Episcopus Athribiteñ.subscr.
Aristobulus episcopus Thiniteñ.subscr.
Theon episcopus Heracleæ, subscr.
Heraclius episcopus Sethroieñ.subscr.
Solon episcopus ciuitatis Corallieñ.subscripsi.
Alypius episcopus Selinuntensis, subscripsi.
Macedonius episcopus Zoeteñ.subscr.
Petrus episcopus Oxyrincheñ.subsc.
Metrodorus episcopus Meonteñ.subscripsi.
Paulus episcopus * Pharbeten.subscripsi.
Ammonius episcopus Panephyseñ.subscri.
Publius episcopus Olbieñ.subscr.
Hieracus episcopus Asapheñ.subscr.
Samuel episcopus Distceñ.subscr.
Sopatrus Episcopus Lybiæ Septimiacæ prouinciæ, subscripsi.
Isaac episcopus * Elearchieñ.subscripsi.
Isaac episcopus * Tauateñ.subscripsi.
Heraclides episcopus Heracleæ, subscr.
Theonas episcopus Singeñ.subscr.
Cyrus episcopus Acheen.subsc.
Eulogius episcopus * Tremminteñ.subscripsi.
Syluanus episcopus Corpidatenen. consensit. Ego verò Heraclius Episcopus pro eo subscripsi, eo quod infirmabatur.
Adelphius Episcopus Onupheñ.subscripsi.
Abraham episcopus Ostracinen.subsc.
Athanasius Parali episcopus subscripsi.
Adelphius episcopus Saeñ.subsc.
Lampetius episcopus Casiæ ciuitatis, subsc.
Chrysaorius episcopus Aphroditeñ.subscr.
Ammonius Episcopus Buteñ.subscripsi.
Eutychius episcopus Theodosiupolitanus.
Venantius episcopus Hierapolitanæ ciuitatis, subsc.
Subscripsi verò per notarium meum Theodosium.
Zenobius episcopus Barcenæ ciuitatis, subsc.
Zenon episcopus Tentyriteñ.subsc.
Eusebius episcopus Iuliopolitanæ ciuitatis, subscr.
Heraclides episcopus Heracleæ superioris, subscripsi.
Macarius episcopus Anteeñ.ciuitatis, subscripsi.
Sauinus Episcopus subscripsi.
Athanasius episcopus Scepsię, subsc.
Philumenus episcopus Cinnensis, subscr.
Felix episcopus, agens vices sedis Apostolicæ ciuitatis.
* Apollinensium & Bellidensium, subscripsi.
Timotheus Episcopus Tomitanæ ciuitatis, prouincię Scythiæ, subscripsi.
*Paulianus episcopus Maiumæ, subsc.
* Phibamon episcopus Coptensis, subsc.
Zenobius Episcopus Gnosensis ciuitat.subsc.
Pauiscus episcopus Apollianensis, subsc.
Andreas episcopus Herinupolitanus, subsc.
Phanias minimus episcopus Arpasensis, subsc.
Theosebius episcopus Prieneñ.ciuitatis, subscripsi.
Maximus episcopus Assueñ.subscripsi.
Theoctistus Phoceñ.episcopus, subscr.
Hermolaus minimus episcopus * Attusensis, subsc.
Theodorus episcopus Gadarensis per alterius manum, id est, * Etherij archidiaconi, subscripsi.
Athanasius episcopus Pari insulæ, subscripsi.
Paulus * Orymeñ.episcopus, subscr.
Timotheus episcopus Briulensis, subscr.
Daniel Episcopus Colonæ Cappadociæ secundæ, subscripsi.
Asclepiades episcopus Trapezopolitanus, subsc.
Theodorus episcopus Echineñ.subscripsi.
Bessula diaconus ecclesiæ Carthagineñ.subscripsi.
Stephanus Episcopus Theopolitanus Asiæ prouinciæ, subscripsi.
Cæsarius chorepiscopus Arcesenæ ciuitatis, subscripsi.
Theodulus episcopus Eleuseñ.subsc.
Theodorus episcopus * Ariddeleñ.subscripsi.
* Letoius episcopus Libyadis, subscr.
Aristocritus episcopus Olympi, subscripsi.
Timotheus Thermeñ.Hellesponti episcopus, subscr.
Alexander Episcopus Cleopatridis, subscripsi.

*Cassen.
*Coronæ *Sycacinonẽ. vel, Sycaminensis.
*Anithenæ
*Oresteñ.
*Phacuseñ.
*Libyarchieñ.
*Tremituatenen.
*Paulinus vel Paulus
*Atubeñ.
*Vrimen.
*Aruden.

EPHESINI CONCILII ACTA QVAEDAM, hic interpositа pro instructione prius dictorum, & ad ea plurimum conducentia.

¶ Nestorij blasphemiarum capitula, quibus, epistolis ad eum missis à sancto Cælestino Romanæ vrbis archiepiscopo, & Cyrillo Alexandrino episcopo, contradicit, & disputatione breuissima resoluendo 12. capitula fidei, quæ ad illũ missa fuerant, refellit. Et primum quidem Cyrilli capitula ponuntur, quæ ecclesia approbauit: & deinde Nestorij responsa, è Græco in Latinum versa.

Cap. 1. Cyrillus dixit: Si quis non confitetur Deum esse secundum veritatem, eum qui est Emmanuel, & ob hoc ipsum Dei genitricem sanctam virginem, peperit enim carnaliter verbum, quod ex Deo est, carnem factum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est, anathema sit. Ioan. 1.

Nestorius respondit: Si quis, eum qui est Emmanuel, Deum verbum esse dixerit, & nõ potius, Nobiscum Deus, hoc est, inhabitare eam, quæ secundum nos est, naturam, per id, quòd vnitus est massæ nostræ, quam de Maria

virgine, ſuſcepit, matrem etiam Dei verbi, & non potius eius, qui Emanuel eſt, nuncupauerit, ipſumque Dei verbũ in carnem verſum eſſe quam accepit ad oſtenſionem deitatis ſuæ, vt habitu inueniretur vt homo, anathema ſit.

2 Cyrillus dixit: Si quis non confitetur carni ſecundum ſubſiſtentiam vnitum eſſe verbum patris, vnitum quoque eſſe Chriſtum cum propria carne, eundem ipſum ſine dubio Deum & hominem, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis in verbo Dei coniunctionem, quæ carne facta eſt, de loco in locum mutatione diuinæ eſſentiæ dixerit factam, eiusque diuinæ naturæ carnẽ capacem eſſe dixerit, ac ſpecialiter vnitam carni, aut iterum in infinitum incircumſcriptæ diuinæ naturæ, quod extenderit carnem, accipiendum Deum dicat & homiuem, anathema ſit.

3 Cyrillus dixit: Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt vnitatem, ſola eos ſocietate connectens ſecundum dignitatem, aut authoritatem, aut potentiam, & nõ magis conuentu ad vnitatem naturalem, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis non ſecundum coniunctionem vnum dixerit Chriſtum qui eſt etiam Emmanuel, ſed ſecundum naturam, ex vtraque etiam ſubſtantia, tam Dei verbi, quàm etiam ab eo hominis ſuſcepti, in vnam filij cõnexionem, quam etiam nunc inconfusè ſeruamus, minimè confiteatur, anathema ſit.

4 Cyrillus dixit: Si quis in duabus perſonis aut ſubſiſtẽtijs diſcernit eas voces, quæ tam in euangelijs, quàm in apoſtolicis ſcriptis continentur, aut etiam eas, quæ à ſanctis dicuntur, vel ab ipſo Chriſto de ſeipſo, & aliquas quidem ex his tanquam homini, qui præter Dei verbum quaſi ſpecialiter intelligatur, applicandas crediderit, aliquas verò tanquam Deo decẽtes, ſoli verbo Dei patris deputauerit, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis eas voces, quæ tam euangelicis, quàm epiſtolis apoſtolicis de Chriſto, qui eſt ex vtroque, conſcriptæ ſunt accipiat tanquam de vna natura, ipſique Dei verbo tentat paſſiones tribuere, tam carne, quàm etiam dignitate, anathema ſit.

5 Cyrillus dixit: Si quis audet dicere, hominem Deo vtentem Chriſtum, & non potius Deum eſſe ſecundum veritatem, tanquam vnum filium, qui naturaliter ſecundum quod verbum caro factum eſt, participauerit ſimiliter nobiſcum carni & ſanguini, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis vnum eſſe poſt aſſumptionem hominis naturaliter Dei filium audet dicere, cùm ſit Emmanuel, anathema ſit.

6 Cyrillus dixit: Si quis dicit Deum vel Dominum eſſe Chriſti verbum patris, & non magis eundem ipſum confitetur Deum & hominem ſimul, tanquam verbum carnem ſecundum ſcripturas, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis poſt incarnationem Deum verbum, alterum quempiam præter Chriſtum nominauerit, ſerui ſanè formam initium non habere cum Deo verbo, & increatam, vt ipſe eſt, dicere tentauerit eſſe, & nõ magis ab ipſo creatam confiteatur tanquam naturam & creaturam ex Deo, quam & ſuſcitare propria virtute promiſit, Ioan. 2. Soluite, dicens ad Iudæos, templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud, anathema ſit.

7 Cyrillus dixit: Si quis dicit tanquam in homine Ieſum Deum verbum fuiſſe inoperatum, & vnigeniti dignitatẽ, tanquam alteri præter ipſum exiſtenti, tributam eſſe, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis hominem, qui de virgine creatus eſt in virgine, hunc eſſe dixerit vnigenitum, qui ex vtero patris ante luciferum natus eſt, & non magis propter vnitionem eum, qui eſt naturaliter vnigenitus patris, vnigeniti appellatione confiteatur eum participem factum, Ieſum quoque alterum quempiam præter Emmanuel dicat, anathema ſit.

8 Cyrillus dixit: Si quis audet dicere, aſſumptum hominem coadorari cum Deo verbo oportere, & conglorificari, & connuncupari Deum, tanquam alterum alteri (adiectio enim vnius ſyllabæ, hoc eſt, co, hoc cogit intelligi) & non magis vna reuerentia veneratur Emmanuel, vnamq; ei glorificationem dependit, ſecundum quod verbum factum eſt caro, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis ſerui formam per ſeipſam, hoc eſt, ſecundum proprię naturæ rationem, colendam eſſe dixerit, & omnium dominam, & non potius propter ſocietatem, quã beatæ & ex ſe naturaliter dominæ vnigeniti naturæ coniuncta eſt, veneratur, anathema ſit.

9 Cyrillus dixit: Si quis eum, qui eſt vnus, Dominum Ieſum Chriſtum glorificatum dicit eſſe à ſpiritu ſancto, tanquam aliena potentia, qua per eum vteretur, ab eoque meruiſſe inoperari poſſe aduerſus immundos ſpiritus, & per eum implere diuina ſigna, & non magis proprium eius ſpiritum dicat, per quem ſigna operatus eſt, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit, Si quis formæ ſerui conſubſtantialem dixerit ſpiritum ſanctum, & non potius per illius mediationem, quæ eſt ad Deum verbum, ex ipſa conceptione habuiſſe dixerit coniunctionem, per quã communes nonnunquam & in homines mirandas curationes exercuit, & ex hoc fugandorum ſpirituum euenìebat ei eſſe poteſtatẽ, anathema ſit.

10 Cyrillus dixit: pontificem & apoſtolum confeſſionis Heb. 3. noſtræ Chriſtũ factum eſſe, ſancta ſcriptura deſignat. Obtulit autem ſeipſum pro nobis Deo patri in odorem ſuauitatis. Si quis ergo pontificem noſtrum & apoſtolum dixerit eſſe factum, non ipſum Dei verbum (quando factum eſt caro, & ſecundum nos homo) ſed quaſi alterũ præter ipſum ſpecialiter hominem ex muliere, & ſi quis dicit, quia pro ſe obtulit ſeipſum oblationem, & non magis pro nobis ſolis, (non enim indiguit oblatione, qui peccatum neſcit) anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis illud in principio verbum pontificem & apoſtolum confeſſionis noſtræ factum eſſe, ſeque ipſum obtuliſſe pro nobis dicat, & non Emmanuelis eſſe apoſtolum dixerit, oblationemque ſecundum eandem diuidat rationem, ei qui vniuit, & ei qui vnitur, ad vnam communitatem filij, hoc eſt, Deo quæ Dei, & homini quę hominis, deputans, anathema ſit.

11 Cyrillus dixit: Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricẽ eſſe, tanquam propriam ipſius Dei verbi patris, ſed quaſi alterius cuiuſpiam præter ipſum, coniuncti quidem ei ſecundum dignitatem, aut tanquam ſecundum quod ſolam diuinam habitationem habuerit, & non potius (ſicut dixi) viuificatricem eſſe, quia facta eſt propria verbi Dei, cui omnia viuificare poſſibile eſt, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis vnitam Deo carnem, ex naturæ proprietate poſſibilitate viuificatricẽ eſſe dixerit, ipſo Domino & Deo pronunciante, Spiritus eſt qui viuificat, Ioan. 6. caro nihil prodeſt, anathema ſit. Spiritus Deus eſt, per quẽ hoc à Deo pronunciatũ eſt. Si quis ergo Deum verbum carnaliter ſecundum ſubſtantiam carnem factum eſſe dicat, hoc autem modo & ſpecialiter cuſtoditè, maximè Domino Chriſto poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis dicente: Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, anathema ſit. Luc. 24.

12 Cyrillus dixit: Si quis non confitetur Deum verbũ paſſum eſſe carne, & crucifixũ carne, & mortem carne guſtaſſe, factumq; primogenitum ex mortuis, ſecundũ quod eſt viuificator & vita tanquam Deus, anathema ſit.

Neſtorius reſpondit: Si quis confitens paſſiones carnis, & has quoque tanquam verbo Dei tribuerit, quaſi etiam carni, in qua factus eſt adhibuerit, non * decernens dignitatem naturarum, anathema ſit.

¶ His igitur recitatis, decreuit ſancta & magna ſynodus, aliam fidem nulli licere proferre, vel conſcribere, vel componere, præter illam, quæ conſtituta eſt à ſanctis patribus, qui in Nicæa cum ſancto ſpiritu conuenerunt. Illos autem qui audeant fidem aliam componere vel proferre volentibus ſe conuertere ad agnitionem veritatis ex paganitate, ſiue ex Iudaiſmo, ſiue ex alia qualibet hæreſi, eos, ſi epiſcopi ſint aut clerici, alienos eſſe epiſcopos ab epiſcopatu, clericos à clericatu. Sin verò laici ſint, anathema eſſe ſimili modo. Si qui verò deprehẽſi fuerint, ſiue epiſcopi ſiue laici vel crẽdentes, vel docẽtes ea, quæ ſcripta ſunt in expoſitione à Chariſio presbytero prolata de incarnatione vnigeniti filij

Dei, aut certè scelerata & peruersa Nestorij dogmata, quæ etiam supra scripta sunt, eos subiacere sanctæ & magnæ synodo, sit perspicuum, & episcopus quidem sciat se alienum futurum ab episcopatu, & fore depositum, clericus verò à clericatu se submouendum. Si verò laicus sit, eum fore anathema, sicut suprà dictum est.

Et subscripserunt. Cyrillus Episcopus Alexandriæ subscripsit. Archadius episcopus legatus Sedis Apostolicę, subscripsit. Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus subscripsit. Et cæteri episcopi subscripserunt, qui in eodem concilio fuerunt, numero centum nonagintaquatuor.

Et cum legerentur, CHALCEDONE ACTA. accensis cereis Constantinus deuotissimus secretarius sacri consistorij, ex eadé scheda recitauit ita: EPHESI GESTA. Dioscorus Episcopus Alexandriæ, dixit: Existimo omnibus placere, quæ sunt exposita à sanctis patribus, qui in Nicæa olim congregati sunt, quæ & confirmauit & sola tenere diffiniuit, quæ hic pridem sancta synodus collecta est, Deo amabilia & sufficienter habentia. Audiuimus autem diffinientes eos ita: Si quis præter hæc dixerit, aut sapuerit, aut retractauerit, aut quælierit, subiaceat sententiæ. Quid vobis videtur? Vnusquisque qualem habet voluntatem subscriptis dicat. Non enim possumus hæc aut quærere, aut retractare. Si verò aliquis inquisiuit vltra ista, quæ dicta sunt, & ordinata sunt, & placuerunt, nonne iustè subiacebit patrum sententiæ? Dicat igitur vnusquisque vestrum, si eius est voluntatis. Thalassius episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Trecentorum decem & octo patrum in editione fidei laudem illis temporibus diuina gratia demonstrauit, cui illi accommodantes linguas, prædicauerunt. Confirmauit verò maximè, & quæ in hac splendida metropoli conuenit sanctorum concordia, quam tenere omninò est necessarium sine aliquo additamento aut detrimento, quia hæc similiter nocere solent regulæ pietatis sancitæ à sanctis patribus, qui in Nicæa congregati sunt, & cõfirmatæ ab his, qui hic ante hoc conuenerunt. Eos autem, qui contraria ijs sapiunt, abominabor, sicut soluentes rectam fidem. Sozon episcopus Philippensis, dixit: A trecẽtis decem & octo sanctis patribus, qui in Nicæa conuenerunt, expositam fidem & credidi, & credo, & in hac vrbe congregatæ synodo consensimus. Et eos, qui præter hæc sapiunt, aut docent, minimè esse catholicos credidi.

Ioannes episcopus ciuitatis Sebastiæ primę Armeniæ, dixit: Morbum in veritate introducere, nihil est aliud quàm audere impietatem fidei commiscere. Qui enim spernit fidem, quæ in se firmitatem possidet, præ multitudine & tempore & authoritate eorum, qui exposuerunt, nullum habet stabilitatis terminum, mutabili voluntatis impietate ægrotans. Vnde & ego omnem hæresim & nouitatem abominans, colo solam hanc fidem, quæ à sanctis patribus est exposita, quia omnis pietatis nostræ est subsidium.

Theodorus episcopus Tarsensis ciuitatis prouinciæ Ciliciæ primæ, dixit: Et fidei, quæ exposita est à sanctis patribus, qui in Nicæa conuenerunt, & qui pridem in Epheso congregati sunt, similia & ego ipse sapiẽs permaneo, & eos, qui præter hæc sapiunt, non iudico catholicè sapere. Basilius episcopus ciuitatis Seleuciæ prouinciæ Isauriæ, dixit: Et expositam fidem à sanctis patribus, qui in Nicæa conuenerunt, & quæ sunt lecta sanctorum patrum dogmata, & quæ pridem in hac ciuitate à sanctis patribus congregatis ordinata sunt, eiusdem sancti spiritus operationis esse credo. Et eos, qui præter hæc aut sapiunt, aut docent, inimicos orthodoxorum ecclesiæ existimo. Stephanus episcopus ciuitatis Ephesinæ, dixit: Manifesta sunt, quæ à sanctis patribus sancita & diffinita sunt trecentis decem & octo, qui in Nicæa ciuitate congregati sunt, & confirmata sunt à sancta & vniuersali synodo, collecta in hac Ephesia metropoli. Vnde si quis præter ea, quæ sancita sunt, dixerit, anathema sit, quoniam hæc est vera & catholica fides.

Vranius Episcopus ciuitatis Himeriæ prouinciæ Osroënæ, interpretante se Eulogio presbytero Edesseno, dixit: In his, quæ exposita sunt à sancto Concilio in Nicæa congregato, & sententia, quæ diffinita est in hac metropoli de eadem fide aduersus præuaricatores eius, permaneo. Et qui præter hæc ausi fuerint aut dicere, aut inquirere, anathematizo, & alienos esse à recta fide diffinio.

Theodorus Episcopus Damasci, dixit: Qui istis, quæ nuper lecta sunt, non obtemperat, alienus est à catholica fide, & dignus anathemate, quod à sanctis patribus diffinitum est. Iulianus Episcopus tenens locum Leonis sanctissimi Episcopi Romanæ Ecclesiæ, interpretante se Florentio Episcopo Lydiæ, dixit: Hæc tenet Apostolica sedes.

Stephanus episcopus Hierapolitanus, dixit: His & nos consentimus, & præter hæc neq; sapuimus, neq; sapiemus, & vsque ad vltimum suspirium nostrum hæc sequemur, & nullis præter hæc conantibus docere permittimus. Meletius episcopus Lariss enæ ciuitatis, faciẽs verbum pro sanctissimo episcopo Domno Apamenæ ciuitatis secundæ Syriæ, dixit: Semper ab infantia his credidi, & nunc hanc eãdem teneo fidem, & amplector eam, quæ nuper nobis lecta est, sanctorum patrum expositionem.

Cyrus Episcopus Aphrodisiæ ciuitatis prouinciæ Carię, dixit: Et ego non solum à puerili ac monachali mea vita, sed etiam ex paterna doctrina hanc fidem possideo. Florentius episcopus ciuitatis Lydiæ, dixit: Et ego huic adhæreo fidei, quæ nuper lecta est, & dudum à sanctis patribus cum sancto spiritu diffinita est, & tutelam meæ spei esse confiteor, & placent mihi, quæ sancita sunt.

Candidianus episcopus ciuitatis Antiochiæ prouinciæ Pisidiæ, dixit: Et à pueritia nutritus sum in catholica fide, & archidiaconus regiæ ciuitatis fui, & gratia Dei & Christi sine querela hactenus (sicut arbitror) conuersatus sum, & vsque hodie sanctorum patrum trecentorum decem & octo qui in Nicæa, & eorum, qui in hac metropoli congregati sunt, inconcussibiles expositiones custodio, & vsque in finem hæc eadem & sapui, & sapio. Hilarius diaconus Romanæ ecclesiæ, interpretante se Florentio episcopo Lydiensi dixit: Quæ nuper lecta sunt de fide prolata, tam quæ in Nicæa est exposita, q̃ à sancta synodo, quæ in hac Ephesia ciuitate à sanctis patribus confirmata est, Apostolica sedes & docet, & veneratur. Hæc ergo scio sanctorum patrum consonare dogmatibus, hæc & proprijs, ô vos sanctissimi, literis, quas ad vos destinauit, Apostolica sedes inseruit. Quas si iusseritis recitari, cognoscetis consonas esse veritati.

Basilius Episcopus Traianopolitanus, dixit: Et mea paruitas in hac sancta fide nutrita est, & in ipsa oro vitam finire. Polychronius episcopus Antipatridis ciuitatis, dixit: Diuinas & veras constitutiones sanctorum patrum, & tenemus gratia Dei apud nosmetipsos, & in hac nos fide semper custodiri oramus. Sancta synodus dixit: Omnes eiusdem sumus voluntatis & fidei. Dioscorus episcopus Alexandrię, dixit: Quoniam sancta & magna synodus, quæ iam dudum in Nicæa congregata est per voluntatem Dei, rectam nostram & immaculatam fidem exposuit, quam & nuper hic congregata sancta synodus confirmauit, & hanc solam teneri, & in Ecclesia tradi diffiniuit, ordinans & hoc, quatenus nulli liceat alteram fidem præter hãc vel exponere vel inquirere, vel innouare, aut penitùs commonere de nostra venerabili religione: eos autem, qui præter hæc tentant aut sapere aut quærere, aut componere, aut omninò quæ ordinata sunt, retractare, certis subiecit damnationibus, ita vt si episcopi sint, alieni sint ab episcopatu, & clerici à clericatu: si verò laici, priuentur communione. Hæc namque ex nuper lectis monimentis didicimus. Apparent verò, sicut omnis vestra sancta & vniuersalis synodus peruidet, omnia penè renouantes & immutantes. Flauianus ecclesiæ quondam Constantinopolitanæ vrbis episcopus, & Eusebius Dorylei, & scandali & cõturbationis facti occasio sanctissimis ecclesijs, & vbique catholicis populis, certum est, hos ex semetipsis synodicis olim à sanctis patribus diffinitis damnationibus subiacere. Vnde & nos, quæ eorũ sunt confirmantes, memoratos, id est, Flauianum & Eusebium, ab omni sacerdotali & episcopali dignitate esse iudicauimus alienos. Confiteatur vero & vnusquisque religiosissimorũ episcoporum suam propriam voluntatem, & manifestam hanc faciat sub fide monimentorum. Vniuersa autem, quæ acta sunt hodie, innotescant pijssimis & Christianissimis Imperatoribus. Flauianus dixit: Appello à te.

Hilarius diaconus Romanæ Ecclesiæ, dixit: Contradicitur. Et cum legerentur,

CHALCEDONE ACTA. Orientales, & qui cum ipsis, reuerendissimi episcopi clamauerunt: Anathema Dioscoro. Hac hora damnauit, hac hora damnetur. Sancte domine, tu illum vindica. Domine domine, tu illum vindica: Catholice Imperator, tu illum vindica. Leoni multos annos. Patriarchæ multos annos. Constantinus deuotissimus secretarius sacri consistorij, recitauit:

EPHESI ACTA. Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus dixit: Sese alienos à sacerdotio & gradu episcopali monstrauerunt Flauianus & Eusebius qui conati sunt addere & minuere aliquid de sancta fide, quæ in Nicæa à sancto concilio exposita est, quam & confirmauit sancta & vniuersalis synodus, in hac Ephesia ciuitate pridem collecta. Quapropter iustum est, eos, qui audent addere aliquid fidei, aut minuere, alienos esse à sacerdotio, & maximè, qui tantam fecerunt confusionem. Vnde & ego consona decerno in sancta & vniuersali synodo, & sanctissimo archiepiscopo Dioscoro, alienans eos ab episcopatus dignitate. Domnus Episcopus Antiochiæ, dixit: Consors sum & ego sanctæ vestræ synodo, damnanti Flauianum & Eusebium, tanquã non permanentes sancto Nicæno concilio, & quod pridẽ hic congregatum est. Et consentio in eos à vobis prolatæ iustæ sententiæ.

Thalassius episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Quotquot præter constitutiones patrum quas de fide decreuerunt, agere conantur, sibimet inducunt correptiones canonicas. Vnde Flauianus & Eusebius, qui transgressi sunt constituta, quæ in Nicæa & in Epheso à sanctis patribus exposita sunt, secundum decretum vestræ religiositatis & nostrum, episcopali gradu priuati sunt.

Eusebius episcopus Ancyræ Galatiæ, dixit: Mihi quidẽ amabilis est semper misericordia. Sed quoniam religionis ratio mouet sanctos patres ad prolatam iusto iudicio sententiam aduersus Flauianum & Eusebium, & ego consentio.

Stephanus episcopus Ephesiæ ciuitatis, dixit: Iusta est, quæ est prolata sententia contra Flauianum quondam episcopum & Eusebium. Vnde consentio vtrorumque depositioni, & subscribo.

Cyrus episcopus Aphrodisiadę ciuitatis, dixit: Nemo ita insipiens, aut Deo inimicus existit, qui diffinitionibus & sententijs patrum audeat contraire. Vnde & ego concors præcedentibus sententijs sanctorum patrum factus sum in damnatione Flauiani & Eusebij quondam episcoporum.

Erasistratus episcopus Corinthi Helladis, dixit: Præsens, & cognoscens ab his, quæ lecta sunt, non consona sapere Catholicæ fidei Flauianum & Eusebium, neque obtẽperare Nicæno sancto concilio, necnon & Ephesio, quod paulò antè est collectum, & ego consentio sanctis patribus, & alienos hos omni episcopali dignitate esse existimo, id est, Flauianum & Eusebium.

Quintillus episcopus Heracleæ, vicarius Anastasij reuerendissimi episcopi Thessalonicensis, dixit: Quæ paulò ante in hac ciuitate collecta est sancta & magna synodus, in damnationem impij Nestorij diffinijt, nulli licere alteram quandoque proferre fidem, quàm quæ in Nicæa exposita est à sanctis trecentis decem & octo patribus.

Sequens igitur & ego ipse illam diffinitionem, omnes quidem, qui permanent in prædicta fide, catholicos esse iudico: Hos verò, qui aliquid peruerterunt, anathematizo, & alienos esse catholicæ fidei decerno.

Meletius episcopus Larissenæ ciuitatis, & agẽs vices Domni reuerendissimi episcopi Apamenæ ecclesiæ, dixit: Cõsentio & ego vestræ sanctitati, quæ iusta & legitima est in depositione Flauiani & Eusebij quondam episcoporum, quoniam demonstrati sunt præuaricari cõstituta, quæ tradita sunt à sanctis & magnis concilijs, quæ in Nicæa & in Epheso cõgregata sunt, & alienos eos esse episcopali dignitate vna vobiscum existimo.

Diogenes episcopus Cyzicenæ ciuitatis, dixit: Hæc cadẽ & ego consentio sanctis nostris patribus in ijs, quæ aduersus Flauianum & Eusebium ordinata sunt, alienans eos ab episcopali dignitate.

Ioannes episcopus Sebastiæ primæ Armeniæ dixit: Omnis innouatio, quæ contra iustitiam ab aliquibus committitur, super se trahit regularem sententiam. Quoniam igitur & Flauianus & Eusebius conuicti sunt præuaricari, & innouationem fecisse in ea fide, quę a sanctis patribus apud Nicæam constituta est, & apud Ephesum confirmata, iusto iudicio sacerdotio priuati sunt, secundum formam reuerẽdissimi & sanctissimi Alexandrini archiepiscopi, & sancti & vniuersalis concilij, & ego eisdem consentio.

Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ dixit: Sequor ea, quæ à sanctitate vestra aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos ordinata sunt, & consentio omnibus diffinitis à vestra beatitudine. Etenim ipsi sequuti estis ea, quæ pridem sancti patres sanxerunt, & iusserunt aduersus præuaricatores fidei, si quidẽ sacerdotes sunt, alienos esse à sacerdotio: si verò laici sint, hos fieri sub anathemate.

Theodorus episcopus Tarsen. ciuitatis, dixit: Prolatæ aduersus Flauianum & Eusebium sententiæ à sancta synodo, sicut iustæ & canonicè promulgatæ, & ego consentio.

Romanus episcopus Myren. ciuitatis prouinciæ Lyciæ, dixit: Et ego concors sum ijs, quæ à sanctis patribus sancita sunt aduersus Flauianum & Eusebium, iustè aduersus eos prolatæ sententiæ.

Photius episcopus Tyri ciuitatis, dixit: Consona & mea profitetur paruitas sententiæ sancti huius & vniuersalis cõcilij, alienos facienti Flauianum & pessimum Eusebium à sacerdotio, tanquã contraria sapientes sancto Nicęno concilio, & quod paulò antè in hac splendida Ephesina metropoli congregatum est.

Iulianus episcopus Tabiæ ciuitatis, dixit: Doleo quidem, ad hanc tristem vocem veniens. Talis enim prudentium lex est. Sed quoniam pro pietatis assertione magni vniuersalis concilij præsules, Flauianum & Eusebium diffinitioni patrum subiecerunt, his quæ legitimè facta sunt, consentio.

Florentius episcopus Lyddeñ. ciuitatis, dixit: Quoniam hoc sanctæ & magnæ synodo placuit, eos, qui diuinas leges præuaricãtur, ex eius sancto ore damnari, aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos, similia & ego vestræ sanctitati decerno.

Marinianus episcopus Synnadẽsis, dixit: Sequor in omnibus, quæ sunt ordinata à sancta synodo, quæ & meam supereminent paruitatem, aduersus Flauianum & valdè pessimum Eusebium. Et consentio eorum damnationi.

Musonius episcopus Nysenæ ciuitatis, dixit: Quoniam spernere reperti sunt sanctam synodum, ante hoc in Ephesia metropoli congregatam, Flauianus & Eusebius quondam episcopi, ideo & ego in regulari eorum facta damnatione consentio.

Constantinus episcopus Bostrenæ ciuitatis, dixit: Consentio & ego iustæ depositioni, quæ aduersum Flauianum & Eusebium quondam episcopos à sancta synodo prolata est, & concors sum sententiæ, benè ab ipsa diffinitæ.

Stephanus episcopus Hierapolitanæ ciuitatis dixit: Sequor & ego à vestra sanctitate aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos prolatam sententiam, tanquam præuaricantes sanctos canones, qui in Nicæa, & hic pridẽ cõstituti sunt, & alienos eos esse consequẽter vestrę diffinitioni consentio.

Atticus episcopus Nicopolitanæ ciuitatis veteris Epiri, dixit: Sequor & ego, quæ à sanctis patribus diffinita sunt in sententia, quæ aduersus Flauianum & Eusebium prolata est, alienans eos, sicut iudicauit sanctorum sententia ab episcopatus dignitate.

Eustathius episcopus Beryti, dixit: Manifesta omnibus facta est forma diffinita à nostris sanctis patribus, qui hic pridem ex iussione pijssimorum & Christianissimorũ nostrorum Imperatorum congregati sunt, apertè iubens eos, qui conantur aliquid inquirere aut scrutari, aut addere fidei sanctorum patrum, qui in Nicæa conuenerunt, & hos proprio gradu priuari. Flauianus ergo quondam Constantinopolitanus episcopus, & Eusebius olim Dorylei præsulatum habens, contraria his sapientes, seipsos illi omninò terribili subiecerunt sententiæ.

Nunechius Episcopus Laodiceæ Trimitariæ, dixit: Cõsentio & ego ipse prolatæ sententiæ à sanctis patribus aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos.

Olympius Episcopus Constantiæ ciuitatis Cypri insulę, dixit: Concors & ego sum vestro sancto & glorioso concilio, damnanti Flauianum & Eusebium tanquam præuaricatores eorum, quæ placita sunt in sancta Nicæna synodo, & in ea, quæ hic sub ter beato & sanctæ memoriæ patre nostro & episcopo Cyrillo congregata est, & consentio iustè diffinitis à vestro magno & sancto concilio.

Ioannes Episcopus insulæ Rhodi dixit: Cõsentio & ego ipse his, quæ diffinita sunt à sancta & magna vestra synodo in alienatione Flauiani & Eusebij, eo quod præuaricati sunt, quę in sancta & magna Nicæna synodo diffinita sunt, & quæ sub reuerendo & sanctæ memoriæ patre nostro & episcopo Cyrillo in hac Ephesia metropoli ordinata sunt.

Candidianus Episcopus ciuitatis Antiochiæ prouinciæ Pisidiæ dixit: Omnibus regulariter ordinatis ab omni sancta synodo sanctorum patrum aduersus Flauianum & Eusebium & ego consentio.

Stephanus Episcopus Anazarbenæ ciuitatis, dixit: Consentio & ego iustè prolatæ sententiæ à vestra sanctitate aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos, & alienos eos de cætero existimo ab huiusmodi dignitate, eo quod præuaricati sunt prolata statuta à sancta & magna in Nicæa congregata synodo, necnon & quæ consequenter in hac ciuitate collecta est.

Gerontius Episcopus Seleuciæ Syriæ, dixit: Et ego ipse consentio sancto vestro concilio, & alienos decerno Flauianum & Eusebium ab episcopatus dignitate, tanquam præuaricatores eorum, quæ sancita sunt à sanctis patribus, qui in Nicæa, & qui in Ephesia ciuitate collecti sunt.

Rufinus Episcopus Samosatenæ ciuitatis, dixit: Consentio omnibus, quæ iustè prolata sunt aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos, & alienos esse existimo à sacerdotij dignitate, tanquam præuaricatores eorum, quæ à sanctis patribus statuta sunt Nicææ & Ephesi congregatis.

Indimus episcopus Irenupolitanæ ciuitatis, dixit: Iustè promulgato iudicio à vestra sanctitate in damnatione Flauiani & Eusebij quondam episcoporum, qui præuaricati sunt prolata statuta à sancta & magna synodo sanctorum patrum, qui in Nicæa ciuitate collecti sunt, necnon etiam qui paulo antè in hac Ephesia ciuitate, consentio, & alienos eos de cæterò ab episcopali dignitate existimo.

Timotheus episcopus Balaneensis, dixit: Consentio & ego prolatæ iustæ sententiæ à vestra sancta synodo in damnationem Flauiani & Eusebij quondam Episcoporum, in quibus transgredi ausi sunt ea, quæ placita sunt synodo, quæ in Nicæa ciuitate, & quæ nuper in Epheso collecta est.

Theodosius Episcopus Canothæ ciuitatis, dixit: Permaneo in omnibus diffinitis à sancta synodo de Flauiano & Eusebio quondam episcopis, & alienos eos existimo ab episcopatus dignitate, tanquam præuaricatores statutorũ patrum, qui in Nicæa, & qui in Epheso conuenerunt.

Seleucus episcopus Amasiæ, dixit: His quæ legitimè & regulariter de Flauiano & Eusebio à sancta synodo definita sunt, & ego ipse concors efficior, & consentio alienos eos ab omni sacerdotali ministerio.

Petrus episcopus Gangrenæ ciuitatis, dixit: Et ego concors sum sententiæ sanctorum patrum in damnatione Flauiani & Eusebij.

Ab hoc signo vsque ad signum quod paulò post sequitur, quæ sunt intermedia, non habentur in aliquibus exemplaribus.

Eutychius episcopus Adrianupolis veteris Epiri, dixit similiter.

Claudiùs episcopus ciuitatis Anchiaxi veteris Epiri, dixit similiter.

Simeon Episcopus * Amydæ, dixit similiter.

Helias Episcopus Adrianupolitanus, dixit similiter.

Lucas episcopus Dyrrhachenæ ciuitatis, dixit similiter.

Basilius episcopus Traianupolitanus Rhodopenæ prouinciæ, dixit: Sententiæ huius magnæ & sanctæ synodi, & mea consentit paruitas aduersus Flauianum & Eusebium.

Docimasius episcopus Maroneæ, dixit: Prolatæ sententiæ à sancta & magna synodo aduersus Flauianum & Eusebium, consentit & mea humilitas.

Alexander Episcopus ciuitatis Sebastiæ, dixit: Quæ prolata est sententia à sanctis patribus aduersus Flauianum & Eusebium, & ego similiter consentio.

Vranius episcopus Himerorum ciuitatis prouincię Osroënæ, interpretante se Eulogio presbytero Edesseno, dixit: Quotquot ausi sunt præuaricari sententiam sanctorum patrum, qui in Nicæa, & qui in Epheso conuenerunt, hi non solum ab ecclesiastica dignitate debent expelli, verum etiam gladio submitti. Oportebat enim, videntes eos, qui ante se fuerunt, quali subiacuerunt pœnæ, recedere ab huiusmodi conatibus. Quoniam igitur Flauianus & Eusebius præuaricatores eorum extiterunt, hos & ego alienos ab episcopatus dignitate, & dignos multis millibus malis esse diffinio.

Athanasius Episcopus Opuntenæ ciuitatis, dixit: Et ego concors effectus prolatæ sentẽtiæ à sancta synodo in damnatione Flauiani & Eusebij, eadem profiteor.

Theodorus Episcopus Claudiupolitanus, dixit: Consentio his, quæ à sancta synodo iudicata sunt in damnatione Flauiani & Eusebij, vt qui non permanserunt in regulis trecentorum decem & octo patrum, & statutis sancti concilij, quod dudum in hac Ephesia ciuitate collectũ est, & similia decerno eorum, quæ iustè à vestra sancta synodo dicta sunt.

Leontius Episcopus Ascalonensis, dixit: Consentio omnibus, quæ à sanctis patribus aduersus Flauianum & Eusebium decreta sunt, quatenùs alieni sint ab omni sacerdotali dignitate.

Photinus Episcopus * Lyddæ, dixit: Rectè & iustè, quod hic pridem conuenit sanctum concilium, definiuit nihil ab aliquo mutilari eorum, quæ in Nicæa, vel in eo ordinata sunt. Propter quod consentio his, quæ nunc à sanctis patribus statuta sunt, & alieno ab episcopatus gradu Flauianum & Eusebium, qui ausi sunt præuaricari ea, quæ in sancta ordinata sunt synodo. * Lydæ.

Anastasius episcopus * Areopolitanorum, dixit: Audiens cognitionem, quæ inter reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen, & Eusebium & Flauianum habita est, & ex prolatis monimentis & porrectis libellis reprehendens eorum perfidiam, concors effectus & ego sanctis patribus, alienos eos feci ab omni sacerdotali dignitate, id est, Flauianum & Eusebium. * Aureliopolitanorum.

Theodosius episcopus Amathuntenæ ciuitatis, dixit: Flauianus & Eusebius, qui sanctorum patrum, qui in Nicæa, & qui in hac pridẽ ciuitate collecti sunt, definitiones non custodierunt, & à sanctis patribus damnati sunt, etiam alieni ab episcopali dignitate facti sunt. Sequor enim ea, quæ à sanctis patribus decreta sunt.

Paulus episcopus Maiumenæ ciuitatis, dixit: Flauianum & Eusebium, qui sanctorum patrum, qui in Nicæa, & qui pridẽ in Epheso conuenerunt statuta præuaricati sunt, & propter hoc damnati sunt à nunc collecta sancta synodo, decreui & ego alienos esse ab episcopali dignitate.

Zosimus episcopus Minoidæ ciuitatis, dixit: Flauianus & Eusebius, quoniam in sanctorum patrum, eorum qui in Nicæa, & qui in Epheso conuenerunt, diffinitionibus minimè permanserunt, & præuaricati sunt, & mutilârunt, & propter hoc damnati sunt sententia huius præsentis sanctę synodi, & à me episcopali priuati dignitate.

Epiphanius episcopus Pergenæ ciuitatis, dixit: Execrabile quidem erat hoc mihi, lachrymans verò anima, concors & ego efficior in damnatione Flauiani quondã Constantinopolitani episcopi, & Eusebij qui olim Dorylenæ ciuitatis tenuit præsulatum.

Baruchius episcopus * Sozusenæ ciuitatis, dixit: Custodes fidei sacerdotes semper spiritus sanctus producit. Qui ergò contraria committunt, quàm peragere debuerunt, damnandi sunt. Inter quos Flauianus, necnon & Eusebius canonicis expositionibus sanctorũ patrum, qui in Nicęa, & qui in Epheso conuenerunt, audacter rebelles inuenti, episcopatus decident gradu, propriæ temeritatis iustum luentes iudicium. * Oruzenę

Heraclius Episcopus Azoti ciuitatis, dixit: Eos, qui conturbare conantur & mutilare semper, & quæ à sanctis patribus benè statuta sunt, sancta hæc & magna synodus benè fecit * abscindere Flauianum & Eusebium ab omni sacerdotali ministerio. Vnde & ego iustè diffinita sequens, consentio.

Ioannes episcopus Tiberiadis, dixit: Iusta est & legitima, quæ aduersus Flauianum & Eusebium à sancta synodo est prolata sententia. Vnde & ego hæc eadem profiteor.

Musonius episcopus Zoarensis, dixit: Non aduersantur hominibus, sed Deo, qui, quæ à trecentis decem & octo sanctis patribus in Nicæa, à sancto spiritu congregatis, & post ipsos iterum in hac magna Ephesia metropoli sancita sunt, existunt contraria. Vnde Flauianus & Eusebius contraria sancto spiritui loquentes & peragentes, episcopatus vtrique decident gradu, sibimetipsis causam ruinæ, nō nobis, qui ab eorum impietate recessimus, scribentes.

*Syeaēnonenſ vel Syeaminenſis. Dionysius * Sycamazonensis episcopus, dixit: Iusta & Deo amabilia, à patribus diffinita sunt aduersus Flauianū & Eusebium quondam episcopos, qui rectè de fide non sapuerunt. Vnde & ego hæc eadem decerno, quæ & sancta synodus.

*Phœniceñ. Caiumas episcopus * Phaneensis, dixit: Et ego iusta reperiens, quæ à sanctis patribus aduersus Flauianum & Eusebium quondam Episcopos decreta sunt, abscidi eos à sacerdotio, consentientes sanctæ synodo.

Æthericus episcopus Smyrmensis, dixit: Nullus audet contraire statutis sanctorum & magnorum conciliorum, quæ diuinitùs definiêrunt, eos, qui prǫuaricati sunt Catholicam religionem, regulari reprehensioni subiacere. Vnde * ego concors sententiæ vestræ sanctitatis factus, Flauianum & Eusebium quondam episcopos, sacerdotali nudaui dignitate.

*& ego

Constantius episcopus Sebastæ ciuitatis, dixit: Flauianus & Eusebius, quia ad acerbissimum bellum, eorum quæ in Nicæa olim, & postmodum in Epheso de fide sunt regulariter exposita, seipsos armauerunt, episcopali decidant gradu, per propriam ruinam vniuersum orbem ab scandalo, quod operati sunt, liberantes.

Zebennus Episcopus Pellensis, dixit: Deo amabilia & vtilia à sanctis patribus decreta sunt aduersus Flauianum & Eusebium, qui non sequuti sunt sanctum & vniuersale Nicænum concilium, & quæ in hac Ephesia ciuitate aduersus temeratores Ecclesiasticorum terminorum confirmata sunt. Vnde & ego concors sententiæ effectus, alienos feci ab omni sacerdotali dignitate Flauianum & Eusebium.

Alypius Episcopus Bachatensis, dixit: Præsens & audiens examinata cognitione, quæ inter reuerendissimum presbytetum & archimandritam Eutychen, interque Flauianum & Eusebium facta est, & ego cognoscens, & ex relectis nobis monimentis & porrectis libellis esse reprehensibiles eosdem Flauianum & Eusebium, & reos perfidiæ apparuisse, concors effectus sanctissimis patribus, alienos eos feci, id est, Flauianum & Eusebium, à sacerdotali dignitate.

Polychronius Episcopus ciuitatis Antipatridis, dixit: Secundum sententiā sanctorum patrum, quæ aduersus Flauianum & Eusebium prolata est, vt extranei sint à sacerdotio & dignitate episcopatus, & ego consentio.

Pancratius Episcopus Libyadis ciuitatis, dixit: Flauianus & Eusebius, episcopatus ruina sui orbe ab scandalo liberato, docent omnes oportere perseuerare in regulis, quę à sanctis patribus in Nicæa & in Epheso promulgata sunt, & non se amare ad manifestissimum prælium, quemadmodum hi.

*Auxilaus * Auxolaus Episcopus gentis Sarracenorum fœderatorum, dixit: Iustum est, ea quæ à sanctis patribus diffinita sunt, sequi. Vnde & ego consentio prolatis diffinitionibus aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos.

Domninus Episcopus Plateæ ciuitatis, dixit: Cùm manifesta sit interloquutio sanctorum patrum, & prolata diffinitio aduersus Flauianum & Eusebium, & ego concors effectus sententiæ, hæc eadem profiteor.

Theodosius Episcopus Mastaurensis, dixit: Iusto constante decreto sanctorum patrum in damnatione Flauiani & Eusebij, & ego concors sententiæ factus sum.

*Aegeenſ. Cyriacus Episcopus * Eglensis, dixit: Etsi præter nostras orationes factum est, non obedire Flauianum & Eusebium regulari expositioni sanctorū patrum apud Nicæam prolatæ, & in hac Ephesia metropoli confirmatæ, & propter hoc iusta aduersus eos à sancta synodo est prolata sententia, cui & ego concors effectus sum, in damnatione memoratorum.

Flauianus Episcopus Adramytenæ ciuitatis, dixit: Et ego consentio diffinitioni, quæ à sanctis pontificibus prolata est Dioscoro, Iuuenali, Domno, & Stephano, & Thalassio, & ab omni simul collecto vnà cum ipsis sancto concilio, Flauiani & Eusebij causa, & alienos istos iudico ab omni simul sacerdotio.

Cyriacus Episcopus Lebedensis, dixit: Concors & ego factus sum sanctorum patrum decreto. Vnde consentio in damnationem Flauiani & Eusebij, qui veritatem contempserunt.

Leontius Episcopus Magnesiæ Mæandri ciuitatis, dixit: Non optabam quidem, neque ea quæ aduersus sanctiss. & reuerend. presbyterum & archimandritam Eutychen audacter commissa sunt, fieri: neque Flauianum & Eusebium quondam episcopos, extra catholicam fidem conuinci sapere: sed quoniam quæ facta sunt, regulari integritate calcata sunt, prædictus quidem religiosissimus archimandrita iustam promeruit ab hoc sancto & vniuersali concilio clementiam, recipiens & gradum, & communionem, & principatum proprij monasterij, Flauianus verò & Eusebius sibimetipsis adscribant ex propria blasphemia acquisitam perditionem. Propter quod & ego consentio his, quæ aduersus eos ab omni ac Deo amabili & vniuersali synodo diffinita sunt.

Eutropius Episcopus Pergamensis, dixit: Concors & ego factus sum sanctorum patrum sententiæ, in damnatione Flauiani & Eusebij.

*Diennēſ. Gennadius Episcopus * Thiennen. ciuitatis prouinciæ Achaiæ, dixit: Et ego similiter cōcors efficior sanctis patribus, quatenùs alieni sint Flauianus & Eusebius à participatione sacerdotalis gradus.

*Euazenenſ. vel Ebagenēſ. Olympius episcopus * Euazonensis, dixit: Secundùm præcedentem sententiam sanctorum patrum vniuersalis synodi Ephesi congregatæ, decerno & ego, lachrymās multum apud memetipsum, Flauianum & Eusebium alienos esse ab omni sacerdotali collegio.

Maximus episcopus Trallensis, dixit: Consentio & ego in damnatione Flauiani & Eusebij quondam episcoporū, iuxta terminum à sanctis patribus datum.

Iulianus episcopus Hypepeñ. dixit: Et ego concors efficior diffinitioni à sanctis patribus prolatæ, qui secundum gratiam Dei in Ephesia metropoli collecti sunt, quatenus Flauianus & Eusebius alieni sint ab episcopatus dignitate, & non fruantur sancto & arcano mysterio Domini Christi & Dei nostri, tanquam contraria sapientes sanctæ fidei, quæ exposita est à sanctis patribus, qui in Nicæa ciuitate collecti sunt, & qui postmodum in Ephesia ciuitate congregati sunt.

Theopemptus episcopus Cabassenus, dixit: Graue prælium quidem, quod à manifestissimis inimicis est: à fictis verò & deceptoribus amicis, durius: nocent enim per simulationes, & quàm maximè simpliciores & à pietate abstrahunt, & longè ab ecclesiasticis seducunt dogmatibus. Reuerendissimus igitur Flauianus magnæ Constantinopolitanæ vrbis quondam episcopus, confirmare desiderās pernicioſi Nestorij dogmata, per multa ostensus est hæreticus, necnon & Dorylei ciuitatis malè factus quondam Eusebius episcopus, similia Flauiano sapiens, deprehēsus est. Quoniam ergo & sancta hæc & magna synodus, quia non permanserunt ijdem in sanctorum patrum doctrinis, iustam damnationis aduersus eos sententiam protulit, concors & ego sum his omnibus, quæ à sancto concilio super his statuta sunt, quatenùs manifestum sit, alienos eos esse ab episcopatus dignitate, & omni sacerdotali ministerio.

Calosirius episcopus Arsinoensis, interpretāte se Helia diacono suo, dixit: Et ego hæc eadem, quæ & præcedentes

sanctiſ-

sanctissimi episcopi in damnatione Flauiani & Eusebij quondam episcoporum confiteor. Et consentio in omnibus, quæ definita sunt à sancta synodo.

* Hephestien. Matth. 18. Ioannes episcopus *Ephestiens. ciuitatis, dixit: Si eum qui scandalizauerit vnum de pusillis reum amarissimæ pœnæ diuina salutaris definiuit sententia: quid patientur dignum sua impietate, qui omnem ferè orbem terræ in præsenti conturbauerunt, & fiduciam his (qui scelerata Nestorij dogmata colunt, quantum ad ipsos pertinet) præstiterunt? Insuper etiam paganis & Iudæis ad deridendum & detrahendum Christianæ fidei dederunt licentiam, quasi vsque in hodiernum diem recta & immaculata nostra fides ignorata sit, quæ à sanctis patribus per sanctum spiritum in Nicæa est exposita, consignata verò paulò antè in hac metropoli, & hoc sanctissimo concedente collegio sancta & iusta præcipiente sententia abscidi à sacerdotio eum, qui ausus fuerit nouam aliquam inquisitionem, aut expositionem superintroducere his, quę plenissimè per sanctum spiritum (sicut dixi) sunt exposita. Sed hoc quidem iustum decretum supra memorati contemnentes, quod sibi placuit, peregerunt. Occasio verò fuerat inimicitiarum aduersus prædictum presbyterum Eutychen, illa circa Catholicam fidem tuitio, quam vsque in finem idem religiosissimus vir immutabilem conseruauit. Et hoc damnationis eius crimen inuentum est: abominatio est enim peccatori Dei cultus. Flauianus igitur & Eusebius decenter sanctorum patrum nostrorum subiacent sententiæ à sancto hoc concilio sacerdotio expulsi, innouare fidem volentes, & Nestorij imprudenter dogmatibus congruere, quatenus decæterò nulla innouatio perpetretur aduersus piam & rectam religionem.

Eccl. 1.

* Heracleens. Heraclides episcopus *Heracleapolitanę ciuitatis, dixit: Secundum ea, quæ diffinita sunt à sancta vestra synodo, concors & ego sum, & consentio in damnatione Flauiani & Eusebij quondam Episcoporum.

* Libyarchien. Isaac Episcopus *Elearchiensis ciuitatis, dixit: Hæc eadem & ego profiteor, quemadmodum & ante me sanctissimi patres & episcopi in damnatione Flauiani & Eusebij quondam episcoporum.

Gemellinus episcopus Erythrænæ ciuitatis, dixit: Qui sanctorum patrum doctrinis benè expositis & habentibus non obtemperant, seipsos Ecclesiasticis subijciunt sententijs. Hoc & in præsenti est inuenire. Quoniam ergo aliqua displicentia spiritualibus nostris patribus, qui venerabilem illum trecentorum decem & octo episcoporum numerum compleuerũt, & his, qui dudum in Ephesia metropoli eorum acta confirmauerunt, inquisitio facta est ab Eusebio Doryleiorum episcopo, & Flauiano Constantinopolitano iudicante, & acquiescente retractari aliquid eorum, quæ non continentur in prædictis doctrinis: necessarium est, subijcere eos diffinitæ sententiæ à sanctis patribus, pridem in Ephesia metropoli hoc approbantibus, & deponendos esse, & ab omni Ecclesiastico agmine effici alienos.

Apollonius episcopus Taneos, dixit: His quæ à sanctis patribus eo tempore in Nicæa congregatis, exposita sunt pro Catholica fide, quę in Christo est, & nuper confirmatis in hac Ephesia metropoli, quia contraria sapientes & gerentes Eusebius & Flauianus inuenti sunt, & increpationibus quæ ibi cõtinentur, subiacuerunt, & à sancta hac & vniuersali synodo sunt dãnati, & alieni ab omni sacerdotali agmine facti. Ideoque & ego concordo & consentio.

* Irenupolitanæ. * Hermopolitanæ. Gennadius episcopus maioris *Herinopolitanæ ciuitatis, dixit: Hæc eadem & ego quæ prædecessores mei sancti patres super damnatione Flauiani & Eusebij quõdam episcoporum statuerunt, profiteor, & damnandos hos esse decerno.

*Chrestus *Christus episcopus Babulinus, dixit: Et ego consentio his, quæ à sanctis patribus super damnatione Flauiani & Eusebj quondam episcoporum definita sunt.

* eis Athanasius episcopus Busiridis ciuitatis, dixit: Sequens & ego iustè promulgatam sentẽtiam aduersus Flauianum & Eusebium, profiteor & consentio decretis, quæ super * eos definita sunt.

Photinus episcopus Tentyrenæ ciuitatis, dixit: Secundum ea, quæ constituta sunt à sanctis patribus, & ego decerno, confirmãs ab eis factam damnationem Flauiani & Eusebij quondam episcoporum, & consentio decretis omnibus, quæ contra eos defixa sunt.

Theophilus episcopus Cleopatridis ciuitatis, dixit: Concordo & consentio his, quæ sancta hæc, & vniuersalis synodus diffiniuit aduersus Flauianum & Eusebium quondam episcopos, & concors efficior in omnibus quæ aduersus eos statuta sunt.

Pasmeius episcopus Parali, dixit: Concors & egõ efficior his, quę placuerunt sancto & magno huic concilio super damnatione Flauiani & Eusebij quondam episcoporum.

* Oruzæ. Sosias episcopus *Sozusę ciuitatis, dixit: Quæ diffinita sunt à sanctis patribus, super damnatione Flauiani & Eusebij quõdam episcoporum, iusta cognoscens, his & ego concors efficior.

Matth. 18. Theodulus episcopus Ticelienſ. ciuitatis, dixit: Expedisset Flauiano & Eusebio quondam episcopis, si nati non fuissent, sed mola asinaria suspendi circa colla eorum, & in mare proiici, quoniam scandalizauerunt animas simplices. Et propter hoc cõcors efficior in damnatione eorum, tanquam qui præuaricati sunt diffinitiones sanctorum patrum in Nicæa & in Epheso ante hoc congregatorum.

Theodorus episcopus Barcenæ ciuitatis, dixit: Hæc eadem & ego habeo dicere, & agere, & sapere, quæ placuerunt sancto huic conuentui. Et in his consentio & concordo super damnatione Flauiani & Eusebij quondam episcoporum.

Rufus episcopus Cyrenen. dixit: Flauianus & Euseb. quondam episcopi, sibimetipsis causa damnationis effecti sunt, qui sanctorum patrum dogmata ausi sunt retractare. Et ego igitur consentio & concordo in eorum damnatione, quæ à sancta & magna hac synodo promulgata est.

Zenon episcopus Rhinocorurens. ciuitatis, dixit: Licet seuera, & omni tristitia plena, & amarissimis lachrymis digna, aduersus quondam episcopos & sancta & magna synodo sententia prolata sit, verumtamen propter multam iniquitatem & impietatem impij Eusebij, & seducti eius insania & cæcitate Flauiani, sicut hæc monimentorum lectio manifestat, sequentes compassionis & fraternæ charitatis iura, congemiscentes consentimus aduersus eos promulgato iusto iudicio.

Lucius episcopus Zygrenæ ciuitatis, dixit: Flauianum & Eusebium quondam episcopos, conuictos in præuaricatione eorum, quæ in Nicæa, & quæ in Epheso à sanctis patribus pridem congregatis diffinita sunt, condẽno & ego secundum statuta totius huius sancti concilij.

Auxonius episcopus Sebennitenæ ciuitatis, dixit: Licet lacrymis digna sit, quæ aduersus Flauianum & Eusebium sentẽtia prolata est, (oportet enim nos iuxta compassionis legem contristari, & repleri mœstitia) attamen sequens & ego sanctum hoc & vniuersale concilium, consentio his, quæ aduersus eos diffinita sunt.

* cæ Isaac episcopus *Tauenę ciuitatis, dixit: Contra semetipsos Flauianus & Eusebius quondam episcopi elicuerunt sententiam quantum * in gestis, quæ in Nicæno & in hac ciuitate collecto concilio acta sunt, intelligitur tantorum congregatorũ episcoporum, præsente eis & sancto Spiritu, ex eo quòd præuaricati sunt ea, quæ illo tempore gesta sunt. Consequens ergo, secundum voces religiosissimorum patrum, alienos eos esse ab omni sacerdotali ordine.

Videnum desit contradixisse: aut restitisse: aut simile aliquid. Philocalus Episcopus Zagylens. ciuitatis dixit: Rectis synodalibus formis, quę à sanctis Patribus de Catholica fide statuta sunt, cognouimus ex his, quę nunc prolata & relecta sunt, monimentis, Flauianum & Eusebium quondam Episcopos, * retractantes ea, quæ benè sunt placita à sanctis Patribus: ideo & ego cõsentio in eorũ damnationem, & secundum ea, quę ab hac sancta Synodo ordinata sunt.

Esaias Episcopus * Herinopolis minoris ciuitatis, dixit: Aduersus seipsos Eusebius & Flauianus, secundum quod ex gestorum serie ostenditur, protulerunt sententiam: quia post diffinitionem sancti & vniuersalis (id est) Nicæni Concilij & Ephesij, alteram fidem exponere ausi sunt, inferentes sibimetipsis increpationes, quæ in præcedentibus sanctis Concilijs diffinitæ sunt, & præsenti hac sancta & vniuersali Synodo eos damnante, sanctis diffinitionibus eorum concors efficior.

Barsumas presbyter & archimandrita, interpretante Eusebio monacho, dixit: Et ego sequens sanctos Patres, qui in Nicæa cõuenerunt, & qui in Epheso prius, nunc verò vestram sanctitatem, Flauianum quondam Constantinopolitanæ ci-

uitatis Episcopum, & Eusebium, damnatos à vobis, condemnabo, sciens, quæ à vestra sanctitate acta sunt, secundum Dei timorem esse confecta.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM EPHESINÆ SINODI SECVNDAE, RECENSITAE IN HAC SYNODO CHALCEDONENSI.

Dioscorus Episcopus Alexandriæ, diffiniens subscripsi.

Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum, diffiniens, subscripsi.

Domnus episcopus Antiochenæ ciuitatis, diffiniens subscripsi.

Stephanus Ephesi episcopus, diffiniens, subscripsi.

Thalassius episcopus Cæsareæ Cappadociæ, diffiniens subscripsi.

Eusebius misericordia Dei episcopus Metropolis Ancyræ, diffiniens subscripsi.

Ioannes episcopus Sebastiæ, diffiniens subscripsi.

Cyrus minimus episcopus Aphrodisiadis Metropolis sanctæ Dei Ecclesiæ, diffiniens subscripsi.

Quintillus episcopus Heracleæ, & agens vices sanctissimi Archiepiscopi Thessalonicensis Anastasij, diffiniens subscripsi.

Meletius episcopus Lariss̨, agens vices Domini reuerendissimi episcopi Apameæ & pro meipso, diffiniens subscripsi.

Diogenes episcopus Cyzici, def. subscr.

Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ, diffiniens subscr.

Theodorus episcopus Tarsi, diffiniens subscripsi.

Romanus episcopus Myrorum, diff. subscr.

Photius episcopus Tyrens. diff. subscr.

Theodorus episcopus Damasci, diff. subscr.

Iulianus episcopus Tabeæ, def. subscr.

Florentius episcopus Sardiorum Lydiæ metropolis, diffiniens subscripsi.

Marinianus episcopus Synnadæ, diff. subscr.

Musonius episcopus Nysæ, diff. subscr.

Constantinus episcopus Bostrenorum, diff. subscr.

Ioannes gratia Dei episcopus Nicopolitanus primæ Armeniæ, diff. subscr.

Acacius episcopus *Ariarathyræ secundæ Armeniæ, diff. subscripsi.

Stephanus Episcopus Hierapolitanus, definiens subscripsi.

Atticus episcopus Nicopolis, quæ est metropolis veteris Epiri decernens cum sanctis patribus ac def. subscr.

Meletius episcopus Lariss̨enæ sanctæ Ecclesię, faciens sermonem tam pro episcopo Domno Apamenorum, quam etiam pro me, def. subscr.

Quintillus episcopus Heracleæ, tenens locum sanctissimi archiepiscopi Thessalonicensis Anastasij, definiens subscripsi.

Eustathius episcopus Beryti, def. subscr.

Nunechius humilis episcopus Laodiceæ metropolis, def. subscripsi.

Candidianus episcopus Antiochiæ metropolis, def. subscripsi.

Stephanus episcopus Anazarbi, decernens subscripsi.

Gerontius episcopus Seleuciæ Syriæ, def. subscr.

Rufinus episcopus Samosatenus, def. subscr.

Indimus episcopus * Hieronupolitanus, definiens subscripsi.

Timotheus episcopus ciuitatis Balaneorum, definiens subscripsi.

Theodosius episcopus Canothæ, def. subscr.

Eutychius episcopus Adrianopolis veteris Epiri, defin. subscripsi.

Claudius episcopus ciuitatis Anchiaxi veteris Epiri, defi. subscripsi.

* Amycle

*Simeon episcopus *Amidæ metropolis Mesopotamiæ, def. subscr.

Helias episcopus Hadrianupolitanus, definiens subscr.

Per Romanum episcopum Myrorum, eo quòd nesciam literas. Seleucus gratia Christi episcopus metropolis Amasiæ, definiens subscr.

Petrus episcopus Gangrenæ ciuitatis, def. subscr.

Lucas episcopus Dyrrhachij, def. subscr.

Antonius episcopus Lychnidensis, def. subscr.

Marcus episcopus * Euriæ ciuitatis, definiens subscripsi. * Euiæ

Vigilantius episcopus ciuitatis Lariss̨æ, definiens subscripsi.

Basilius episcopus sanctæ Ecclesiæ Traianopolis prouinciæ Rhodopæ, def. subscr.

Docimasius episcopus sanctæ Ecclesiæ, quæ est Maroneæ prouinciæ Rhodopæ, def. subscr.

Constantinus episcopus Demetriadis, definiens subscripsi.

Alexander episcopus Ecclesiæ, quæ est Sebastæ Tarsensis, def. subscripsi.

Zozon episcopus Philippensis, def. subscr.

Eusebius episcopus Topiritanus primæ Macedoniæ, def. subscripsi.

Maximianus episcopus * Derrensis ciuitatis Macedoniæ, def. subscr. * Cerrens.

Hermogenes episcopus Cassandriæ primæ Macedoniæ, def. subscr.

Diogenianus episcopus * Remessianens. Daciæ mediterraneæ, def. subscr. * Rhuessens.

Lucas episcopus * Beroeæ Macedoniæ primæ, def. subscripsi. * Beroeæ

Cyriacus episcopus Trogmadorum ciuitatis, & agens vices Theoctisti reueren. episcopi Pessinuntens. metrop. secundæ Galatiæ def. subscr.

Ioannes episcopus Messenæ, quæ est Achaiæ, defin. subscripsi.

Athanasius episcopus Opuntis, quæ est Achaiæ, definiens subscripsi.

Theodorus episcopus Claudiopolis Isauriæ, defin. subscripsi.

Olympius episcopus metropol. Constantiæ Cypri, def. subscripsi.

Leontius episcopus Ascalonæ, def. subscr.

Photinus episcopus Lyddæ, def. subscr.

Anastasius episcopus Archeopolis, def. subscr.

Theodosius episcopus Amathuntenus, def. subscr.

Paulus episcopus * Maiumæ, def. subscr. * Maniæ

Baruchius episcopus Ecclesiæ * Oruzæ, def. subscr. *Sozusæ

Heraclius episcopus Azoti, def. subscr.

Ioannes episcopus ciuitatis Tiberiadis, def. subscr.

Musonius minimus episcopus Zoarensis, definiens subscripsi.

Dionysius episcopus * Sycamazonensis, definiens subscripsi. * Sycasinonens. vel Sycaminens.

Caiumas episcopus ciuitatis *Phœnicensis, def. subscripsi. per coepiscopum meum Dionysium, propterea quod literas ignorem. Constantius episcopus Sebastiæ, definiens subscripsi. *Phanusens. vel Phaneens.

Zebennus episcopus Pellensis ciuitatis, definiens, subscripsi.

Alypius episcopus Bachatens. def. subscr.

Polychronius episcopus Antipatridæ, definiens subscripsi.

Pancratius episcopus Libyadæ, def. subscr.

* Auxolaus episcopus *Hypopodiongētis Saracenorum fœderatorum, def. subscr.

Domninus episcopus Plateæ, def. subscr.

Theodosius episcopus Mastaurensis, def. subscr.

Cyriacus minimus episcopus *Egaræ, defin. subscr.

Flauianus minimus episcopus Adramytenus, defin. subscripsi.

Cyriac. reuerendissimus episcopus Lebedi, def. subscr.

Leontius minimus episcopus Magnesiæ Mæandri, defin. subscripsi.

Eutropius episcopus Pergami, definiens subscripsi.

Gennadius humilis episcopus ciuit. Thiens. def. subscr.

Olympius minimus episcopus ciuitatis * Ebagens. definiens subscripsi. *Euacens.

Maximus minimus episcopus Trallensis, definiens subscripsi.

Iulianus humilis episcopus Hypepens.def.subscr.

Chrysanthus minimus episcopus Balcenus, definiens subscripsi.

Polycarpus minimus episcopus Gabalenus, definiens subscripsi.

Paulus humilis episcopus Tripolis, def.subscr.

Epiphanius humilis episcopus Perges Pamphyliæ, defin. subscripsi.

Petrus episcopus Chersonensis, faciens verba & pro Cyriaco episcopo Heracleæ Thraciæ, def.subscr.

Olympius episcopus Sozopolis prouincię, Pisidiæ, defin. subscripsi.

Florentius episcopus Lesbos & Tenedi emporij Hellesponti *Etlicorum, subscripsi.

Æthericus episcopus Smyrnensis, def.subscr.

Bassus episcopus ciuitatis Chij, def.subscr.

Daniel minimus episcopus ciuitatis, quondam Cadoniæ sanctæ Dei Ecclesiæ, def.subscr.

Symmachus minimus episcopus Attaliæ sanctæ Dei Ecclesiæ, def.subscr.

Philetus episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est Hierocepiæ, def.subscr.

Zosimus episcopus Minoidis, def.subscr.

Maras episcopus ciuitatis Dionysiæ, def.subscr.

Eulogius presbyter hortatu Vranij episcopi ciuit. Himerorum prouinciæ Syriæ Osroenę subscripsi pro eo, definiente cum synodo.

Erasistratus episcopus Corinthi sanctæ Dei Ecclesiæ, definiens subscr.

Theopemptus episcopus, Cabassenæ ciuitatis, definiens suscripsi.

Calosirius episcopus Arsinoensis ciuitatis def.subscr. per Heliam primum diaconum meum.

Ioannes episcopus ciuitatis Hephestiensis, definiens subscripsi.

Heraclides episcopus Heraclenæ ciuitatis, definiens subscripsi.

Gemellinus episcopus Erythræen. def.subscr.

Apollonius episcopus Taneæ ciuitatis, definiens subscripsi.

Gennadius episcopus *Herinupolis maioris ciuitatis, definiens subscripsi.

Cyrus episcopus ciuitatis Babulinæ, def.subscr.

Athanasius episcopus ciuitatis Busiridis, definiens subscripsi.

Photinus episcopus ciuitatis Tentyrenæ, definiens subscrip.

Theophilus episcopus Cleopatridis, defin.subscr.

Pasmeius episcopus Paralaiorum ciuitatis, definiens subscripsi.

*Ozuzæ Sosias episcopus *Sozusæ, defin.subscr.

Theodorus episcopus Ticelien. def.subscr.

Theodulus episcopus Barcenus, defin.subscr.

Rusus episcopus ciuitatis Cyrenens. defin.subscr.

Zenon episcopus ciuitatis Rhinocorurensium, defi.subscripsi.

Lucius episcopus Zygren. defin.subscr.

Auxonius episcopus Sebennitensis, defin.subscr.

Isaac episcopus ciuitatis Tauanensium definiens subscripsi.

Philocalus episcopus Zagylenorum, definiens subscripsi.

Esaias episcopus Herinupolis minoris, definiens subscripsi.

Marinianus episcopus Gazæ, defin.subscr.

Martyrius episcopus Gortynæ Cretæ, defin.subscr.

Gennadius episcopus ciuitatis Gnidi, definiens subscripsi.

Barsumas presbyter & archimand. defin. subscr.

Longinus presbyter agens vices Dorothei reuerend. episcopi Neocæsareæ, defin.subscr.

Antemius presbyter, agens vices Patricij episcopi Tyanens. prouinciæ Cappadociæ secundæ, def.subscripsi.

Ariston presbyter, agens vices Eunomij reuerend. episcopi Nicomediæ, def.subscr.

Olympius presbyter, agens vices Calogeri reuerendissimi episcopi Claudiopolis prouinciæ Ponti, definiens subscripsi.

CHALCEDONE ACTA. Glorioſiſſimi iudices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: De recta quidem & Catholica fide perfectius ſequenti die conuenienti concilio, diligentiorem examinationem fieri oportere perſpicimus. Quoniam verò Flauianus religioſæ memoriæ, & Euſebius reuerend. epiſcopus ex geſtorum & cognitionum ſcrutatione, & ipſa voce quorundam, qui tunc ſynodo præfuerunt, confitentium ſe erraſſe, & fruſtra eos damnaſſe, quia nihil circa fidem monſtrantur erraſſe, oſtenduntur iniuſtè depoſiti, videtur nobis (ſecundum quod Deo placitum eſt) iuſtum eſſe (ſi placuerit diuiniſſimo & pijſſimo domino noſtro) eidem pœnæ Dioſcorum reuerend. epiſcopum Alexandriæ, & Iuuenalem reuerend. epiſcopum Hieroſolymorum, & Thalaſſium reuerend. epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, & Euſebium reuerend. epiſcopum Ancyræ, & Euſtathium reuerend, epiſcopum Beryti, & Baſilium reuerend. epiſcopum Seleuciæ Iſauriæ, qui poteſtatem & principatum tunc ſynodi tenuerunt, ſubiacere, & à ſancto concilio ſecundum regulas ab epiſcopali dignitate fieri alienos, omnibus quæ acta ſunt, ad ſacrum apicem referendis. Orientales, & qui cum ipſis reuerend. epiſcopi clamauerunt: Hoc iuſtum iudicium. Illyriciani reuerend. epiſcopi dixerunt: Omnes errauimus, omnes veniam mereamur. Orientales, & qui cum ipſis reuerend. epiſcopi dixerunt: Multos annos ſenatui. Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis. Multos annos Imperatoribus. Impius ſemper fugit. Dioſcorum Chriſtus depoſuit. Homicidam Chriſtus depoſuit. Hæc iuſta ſentẽtia, hoc iuſtum concilium, hoc ſanctum concilium. Iuſtus ſenatus, iuſtum concilium, Martyres Deus vindicauit. Glorioſiſſimi iudices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Vnuſquiſque reuerend. epiſcoporum præſentis ſancti cõcilij, quomodò credit, in ſcriptis ſine vllo metu, Dei timorẽ ante oculos ſuos ponens, exponere feſtinet, cognoſcens, quoniam diuiniſſimus & pijſſimus dominus noſter ſecundum expoſitionem in Nicæa congregatorum trecentorum decem & octo ſanctorum patrum epiſcoporum, & ſecundum expoſitionem, qui poſt eos fuerunt, centũ quinquaginta, & ſecũdum canonicas epiſtolas & expoſitiones ſanctorum patrum, Gregorij, Baſilij, Hilarij, Athanaſij, Ambroſij, & Cyrilli, duas canonicas epiſtolas in Epheſina prima ſynodo publicatas & confirmatas, credit, nullo modo ab earum fide recedens. Etenim reuerend. archiepiſcopus ſenioris vrbis Romæ Leo, aduerſus Eutychis infidelem & contrariam Catholicæ religioni emergentem dubitationem, viſus eſt ad reuerendæ memoriæ Flauianum miſiſſe epiſtolam. Legi, legimus. Ætius archidiaconus regnantis Conſtantinopolitanæ nouæ Romæ, & primicerius notariorum, dixit: Completum eſt. Lib. 2. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Euagrij.

Finis primæ cognitionis Chalcedonenſis Concilij, quæ finita, emendata, & collata eſt anno Domini *417. feria 4. Indiction. 13. Kalend. Aprilis 12. Ruſticus, per gratiam Dei diaconus ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, contuli, annotaui, diſtinxi. *Deo gratias.* *454.

COGNITIO SECVNDA SANCTI Chalcedonenſis Concilij.

CONSVLATV domini noſtri Martiani perpetui Auguſti, & qui fuerit nunciatus, ſub die ſexto Idus Octobris, Chalcedone ſecundum iuſſionem diuiniſſimi & pijſſimi domini noſtri Martiani perpetui Auguſti, conuenientibus in ſancta Eccleſia ſanctæ martyris Euphemiæ glorioſiſſimis iudicibus, id eſt, magnificentiſſimo & glorioſiſſimo magiſtro militum, & exconſule ordinario ac patricio Anatolio, & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo præfecto ſacrorum prætoriorum Palladio, & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo præfecto vrbis Tatiano, & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo magiſtro ſacrorum officiorum Vincomalo, & magnificentiſſimo & glorioſiſſimo ex magiſtro Martiali, & magnificentiſſimo comite deuotiſſimorum domeſticorum Sporatio, & magnifi-

magnificentissimo comite sacrorum priuatorum Genethlio, insuper & gloriosissimo & amplissimo senatu, id est, magnificentissimo & gloriosis. ex præfecto Prætoriorum, & exconsule ordinario ac patricio Florentio, & magnificentissimo & gloriosissimo exconsule ordinario & patricio Senatore, & magnificentissimo & gloriosissimo ex magistro officiorum, & exconsule ordinario, ac patricio Nomo, & magnificentissimo & gloriosissimo expræfecto & exconsule ordinario, ac patricio Protogene, & magnificentissimo gloriosissimo expræfecto Zoilo, & magnificētissimo & gloriosissimo expræfecto vrbis Theodoro, & magnificentiss. & gloriosiss. expræfecto Apollonio, & magnificentissimo, & gloriosissimo expræposito sacri cubiculi Romano, & magnificentissimo expræfecto Illyrici Theodoro, & gloriosiss. expræfecto prætoriorum Constantino, & magnificentissimo & gloriosissimo expræposito Artaxerxe. Conueniente verò & sancto & vniuersali Concilio, secundum sacram sanctionem in Chalcedonensi ciuitate congregato, id est, Paschasino & Lucentio reuerendissimis Episcopis, & Bonifacio reuerendissimo presbytero, agentibus vices sanctissimi & Deo amantissimi Archiepiscopi senioris Romæ sancti Leonis, & Anatolio sanctissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopolitanæ ciuitatis nouæ Romæ, & cætero sancto Concilio, & consedentibus ante cancellos sanctissimi altaris, Magnificentissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Priore conuentu de damnatione sanctæ memoriæ Flauiani & Eusebij reuerendissimorum episcoporum inquisitio facta est, & omnibus vobis manifestum cōstitutum, quàm iustè & secundum consequentiam prouenit examinatio. Et ostensi sunt, tunc crudeliter & non decenter damnati. Quæ nobis igitur visa sunt super hoc capitulo fieri oportere, tunc per interlocutiones vobis manifesta facta sunt. Nunc autem hoc quærendum, & studendum & iudicandum est, vt vera fides contineatur, pro qua maximè & concilium factum est. Scientes igitur quia & Deo rationem reddituri estis, tam pro proprijs animabus singuli vestrum, quàm & pro nostris omnibus, qui & decori, quæ ad religionem pertinent, rectè desideramus, & omnem ambiguitatem auferri, ex omnium sanctorum patrum concordia, & consensu, & consona expositione, & doctrina: festinate igitur sine vllo timore & gratia atque inimicitia fidem puram exponere, ita vt, qui videntur non eadem cum omnibus sapere, per veritatis agnitionem ad concordiam reuocentur. Scire enim vos volumus, quia tam diuinissimus & pijssimus orbis terræ dominus, quàm nos, Catholicam fidem à sanctis trecentis decem & octo, & à sanctis centum quinquaginta, necnon etiam & à cæteris sanctissimis & gloriosissimis patribus traditam, custodimus, & secundum ipsam credimus. Reuerendissimi episcopi clamauerunt: Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audemus exponere. Docuerunt enim patres, & in scriptis custodiuntur, quæ ab eis sunt exposita, & citra ea dicere non possumus. Cecropius reuerēdissimus episcopus Sebastopolitanus, dixit: Emerserunt, quæ ad Eutychen pertinebant, & super ijs forma data est à sanctissimo archiepiscopo Romanę vrbis, & constat nobis, & epistolæ omnes subscripsimus. Reuerendissimi episcopi clamauerunt: Ista omnes dicimus, sufficiunt, quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Si placet vestræ reuerentiæ, sanctissimi patriarchæ, singularum prouinciarum eligentes singulos aut binos suæ propriæ quisque prouinciæ, in medio transeuntes, & communiter de fide tractantes, quæ complacita fuerint, omnibus manifesta constituantur: quatenus si (sicut optamus) omnes consenserint, soluatur omnis ambiguitas: sin verò aliqui contraria (quod non putamus) sapuerint, ita fiat, vt & eorum voluntates manifestæ constituantur. Reuerendissimi episcopi clamauerunt: In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere, quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea, quæ sunt patrum, teneantur. Florentius episcopus reuerend. Sardæorum, dixit: Quoniam non est possibile, subitò dictare de fide eos, qui docti sunt sequi Nicænam sanctam synodum, & quæ in Epheso rectè & piè roborata est, secundum fidem sanctorum patrum Cyrilli & Cœlestini, & epistolæ sanctissimi Leonis, precamur vestram magnificentiam, præstari nobis inducias, quatenus vt decenti tractatu accedere ad veritatis causam possimus, quamuis in nostra persona (qui epistolæ sanctissimi Leonis subscripsimus) non indigeamus correctione. Cecropius reuerendissimus episcopus Sebastopolitanæ ciuitatis, dixit: Fides benè disceptata est à trecentis decem & octo sanctis patribus, & firmata à sanctis patribus Athanasio, Cyrillo, Cœlestino, Hilario, Basilio, Gregorio, & nunc iterum per sanctissimum Leonem. Et precamur, vt ea, quæ sanctorum patrum trecentorum decem & octo sunt, & quæ sanctissimi Leonis, recitentur. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Recitentur, quæ exposita sunt à sanctis trecentis decem & octo patribus in Nicæa congregatis. Eunomius reuerendissimus episcopus Nicomediæ ciuitatis, ex codice recitauit symbolum trecentorum decem & octo patrum.

EXPOSITIO FIDEI CONCILII habiti in Nicæa.

CONSVLATV Paulini & Iuliani virorum clarissimorum coss. anno post Alexandrum sexcentesimo tricesimosexto, mensis (secundum Græcos) Desij die nonodecimo, quod est tertio decimo Kalend. Iuliarum, in Nicæa metropoli prouinciæ Bithyniæ. Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibiliū & inuisibilium creatorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei, de patre natum vnigenitum, hoc est, de substantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terris. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & inhumanatus, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat aliquando quando non erat, & antequam nasceretur, non erat, & quia ex nullis extantibus factus est, aut ex alia substistentia vel substantia dicunt esse, aut conuertibilem aut mutabilem filium Dei, anathematizat sancta Ecclesia Catholica & Apostolica. Reuerendissimi episcopi clamauerunt: Hæc Catholicorum fides. Huic omnes credimus. In hac baptizati sumus, in hac baptizamus. Beatus Cyrillus sic docuit. Hæc vera fides, hæc sancta fides, hæc sempiterna fides. In hac baptizati sumus, in hac baptizamus. Omnes ita credimus. Papa Leo sic credit. Cyrillus ita credit. Papa Leo ita interpretatus est. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Recitentur & quæ à sanctis centum quinquaginta patribus exposita sunt. Ætius reuerend. archidiaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ex codice recitauit symbolum centum quinquaginta patrum: Sancta fides, quam exposuerunt sancti centum quinquaginta patres, consona est sanctæ & magnę synodo.

SYMBOLVM SYNODI CONstantinopolitanæ.

CREDIMVS in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, nō factum, homousion patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & nostram salutem descendit, & incarnatus est de spiritu sancto & Maria Virgine, humanatus est, & crucifixus pro nobis sub Pontio Pilato, & sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cœlos, & sedet ad dexterā patris, & iterum venturus cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in spiritum sanctum, Dominum & viuificatorem, ex patre procedentem, cum patre & filio coadorandum & conglorificandum, qui loquutus est per prophetas. * In vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum, & expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi, Amen. Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt: Hæc omnium fides, hæc orthodoxorum fides. Omnes sic credimus. Ætius

reuerend. archidiaconus dixit: Est & epistola sanctæ & beatæ memoriæ Cyrilli Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopi, scripta ad Nestorium, quæ ab omnibus sanctissimis episcopis prius in Epheso in damnationem eiusdem Nestorij congregatis & approbata est, & subscriptione omnium confirmata. Est autem & altera epistola eiusdem sanctæ memoriæ Cyrilli, ad beatæ memoriæ Ioannem Antiochenæ magnę ciuitatis quondam episcopum scripta, quæ similiter & confirmata est, & si placuerit, eas recitabo. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Recensеantur epistolæ sanctæ memoriæ Cyrilli. Ætius archidiaconus regiæ Constantinopolitanæ ciuitatis, legit: Reuerendissimo & religiosissimo consacerdoti Nestorio Cyrillus. Obloquuntur, &c. *supra actione prima præsentis concilij plenè habita sub biformi interpretatione.* Similiter idem archidiaconus Ætius recitauit: Domino meo dilectissimo fratri & consacerdoti Ioanni, Cyrillus in Domino salutem. Exultent cœli, &c. *quæ similiter habita est in prima huius concilij actione sub duplici translatione.* Et cùm legerentur, reuerendissimi episcopi clamauerunt: Omnes sic credimus. Papa Leo sic credit. Anathema ei, qui partit, & ei qui audiuit. Hæc fides Leonis archiepiscopi. Leo sic credit. Leo & Anatolius ita credunt. Omnes sic credimus. Sicut Cyrillus, ita credimus. Æterna memoria Cyrilli. Sicut epistolæ Cyrilli habent, ita sapimus, sic credimus, sic credimus. Leo archiepiscopus sic sapit, ita credit, ita scripsit. Gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Recitetur & epistola Deo dignissimi archiepiscopi regię & senioris Romę Leonis. Beronicianus deuotissimus secretarius sacri consistorij, recitauit ex codice porrecto sibi ab Ætio archidiacono Constantinopolitanæ Ecclesiæ.

EPISTOLA LEONIS PAPAE VRBIS Romæ scripta ad Flauianum episcopum.

De hæresi Eutychianorum, siue propriè de ipso Eutyche.

Dilectissimo fratri Flauiano Leo.

LECTIS dilectionis tuæ literis, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuisset, agnouimus, & quæ prius videbantur occulta, nunc nobis referata. *Et reliqua, quæ in epistola Leonis Papa decima habentur.* Post lectionem autem prædictæ epistolæ, reuerendissimi episcopi clamauerunt, Hæc patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credimus, anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita loquutus est, Apostoli ita docuerunt. Piè & verè Leo docuit, Cyrillus ita docuit, Cyrilli ęterna memoria, Leo & Cyrillus similiter docuerunt, anthema qui sic non credit. Hæc vera fides. Catholici ita facimus. Hæc patrum fides. Hæc in Epheso cur lecta non sunt? Hæc Dioscorus occultauit. Et cum legeretur pars prædictæ epistolæ, quę continet, Et ad resoluendum çonditionis nostræ debitum, natura inuiolabilis, naturæ est vnita passibili, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, & mori posset ex vno, & mori non posset ex altero: dubitãtibus Illyricianis & Palæstinis reuerendissimis episcopis, Actius reuerend. archidiac. sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ ciuitatis, legit Cyrilli sanctæ memoriæ Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopi capitulum, ita continens: Quoniam verò iterum proprium eius corpus gratia Dei (sicut ait Paulus) pro omnibus gustauit mortem, ideo dicitur ipse passus propter nos mortem, non tanquam in experimentum veniens mortis, quod ad suam pertinebat naturam, dementię est enim, hoc dicere aut sapere) sed quia (secundũ quod nuper dixi) caro eius gustauit mortem. Similiter, cùm legeretur ex epistola pars, quæ continet, Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est: & carne exequente, quod carnis est: vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs: dubitantibus Illyricianis & Palæstinis reuerend. episcopis, Ætius archidiaconus sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, legit sanctæ memoriæ Cyrilli capitulum continens ita: Quædam sunt voces quàm maximè Deum decentes, quędam verò decentes humanitatem, quædam verò medium tenentes ordinem, insinuantes filium Dei, Deum esse & hominem simul. In eisdem similiter cum legeretur ex eadem epistola pars, quæ ita continet, Quamuis in Domino Iesu Christo Dei & hominis vna persona sit, aliud tamen est, vnde in vtroque communis est contumelia, aliud vnde communis est gloria: De nostro enim illi est minor patre humanitas, de patre illi est æqualis cum patre diuinitas: dubitantibus Illyricianis & Palæstinis reuerend. episcopis, Theodoretus reuerend. episcopus Cyri, dixit. Est similiter exemplum beatiss. Cyrilli ita habens: Et factum hominem, non mutantem quod proprium est. Permansit enim id quod erat, intelligitur verò omnino & aliud in alio quod habitat, id est, diuina natura in humanitate. Magnificentissimi Iudices & amplissimus senatus dixerunt: Post hæc omnia adhuc quis dubitat? Reuerendissimi episcopi clamauerunt: Nemo dubitat. Atticus reuerendissimus episcopus Nicopolitanæ ciuitatis, dixit: Quoniam præstitit magnificentia vestra suarum aurium facilitatem cum patientia, precamur (si iubetis) inducias dari nobis, vt intra paucos dies trãquilla mente, & non turbato animo, quæ Deo placent, à sanctis patribus ordinentur. Quoniam verò nunc Domini nostri & sanctissimi patris & archiepiscopi Leonis, adornantis Apostolicam sedem, lecta est epistola, oportet verò & beatæ memoriæ Cyrilli epistolam scriptam ad Nestorium, (in qua iubet eum consentire duodecim capitulis) & hanc dari nobis, vt in tempore disceptationis parati inueniamur. Reuerend. episcopi clamauerunt: Si iubetis dari nobis inducias, petimus patres perscrutari. Magnificentiss. Iudices & amplissimus senatus dixerunt: Differatur audientia vsque ad quinque dies, vt inter hos conueniat vestra sanctitas ad sanctissimum Archiepiscopum Anatolium, & communiter de fide tractetis, vt qui dubitant, doceantur. Omnes reuerend. episcopi clamauerunt: Nos ita credimus. Omnes ita credimus. Sicut Leo, ita credimus. Nostrum nullus dubitat. Nos iam subscripsimus. Magnificentissimi & glorioſissimi Iudices & amplissimus senatus dixerunt: Non est necessarium omnes vos conuenire. Sed quia conueniens est, dubitantibus persuadere, reuerendissimus archiepiscopus Anatolius eligat de his, qui subscripserunt, quos putauerit idoneos esse ad docendum eos qui dubitant. Reuerendissimi episcopi clamauerunt: Pro patribus petimus, patres synodo reddite, consentaneos Leoni in synodo, patribus in synodo. Has voces Imperatori, Has preces Catholico, Has preces Augustæ. Omnes peccauimus, omnibus indulgeatur. Clerici Constantinopolitani clamauerunt: Pauci clamant, Non tota dicit synodus. Orientales, & qui cum ipsis reuerend. episcopi, clamauerunt: Ægyptium in exilio. Illyriciani, & qui cum ipsis reuerendissimi episcopi, clamauerunt: Precamur, omnibus miseremini. Orientales, & qui cum ipsis reuerend. episcopi, clamauerunt: Ægyptium in exilio. Illyriciani & qui cum ipsis reuerend. episcopi, clamauerunt: Omnes peccauimus, omnium miseremini. Has voces Catholico Imperatori. Ecclesiæ scinduntur. Clerici Constantinopolitani clamauerunt: Dioscorum in exilio. Hæreticum in exilio. Dioscorum Christus damnauit. Illyriciani, & qui cum ipsis reuerend. episcopi, clamauerunt. Omnes peccauimus, omnibus indulgete. Dioscorum in synodo, Dioscorum in Ecclesijs. Sub vobis malum non fiat. Sub imperio vestro malum non fiat. Sub imperio vestro diſſidium non fiat. Clerici Constantinopolitani clamauerũt: Qui communicat Dioscoro, Iudæus est. Orientales, & qui cum ipsis reuerend. episcopi, clamauerunt: Ægyptium in exilio. Hęreticũ in exilio. Illyriciani, & qui cũ ipsis reuerendissimi episcopi, clamauerunt: Patres in synodo. Magnificentissimi & glorioſissimi Iudices, & amplissimus senatus dixerunt: Quæ interloquuta sunt, effectui mancipentur.

Hebr. 2.

TERTIA COGNITIO CONCILII Chalcedonensis.

CONSVLATV pijssimi & Christianiss. Imperatoris nostri Martiani primo, & qui fuerit nunciatus, sub die tertio Idus Octob. in Chalcedonensi ciuitate Bithyniæ pro-

uinciæ, secundum Dei gratiam ex sanctione pijssimorum & fidelissimor. Imperatorum, congregato vniuersali Concilio, & considentibus in sancta Basilica sanctæ & bonæ victricis martyris Euphemiæ omnibus sanctiss. & reuerendiss. episcopis, Ærius archidiaconus regiæ Constantinopolitanæ nouæ vrbis Romæ, & primicerius notariorum, dixit: Retinet vestra sanctitas, quoniam pridem lectis precibus, quæ & pijssimis & Christianissimis Imperatoribus nostris à religiosissimo episcopo Dorylitanæ ciuitatis Eusebio, aduersus religiosiss. episcopum Alexandriæ Dioscorum porrectæ sunt: certa gesta monimentorum subsecuta sunt, præsente hoc sancto Concilio, & gloriosiss. & magnificentiss. Iudicibus & ampliss. & gloriosiss. senatu examinantib. inter vtrosque causam vsque * profundasse ad vltimam vesperam. Quoniam igitur idem religiosissimus episcopus Eusebius & nunc alios libellos vestræ sanctitati obtulit, aduersus memoratum sanctissimum episcopum Dioscorum, hos præ manibus habentes, intimamus ad id faciendum, quod vobis placuerit. Paschasinus episcopum Lilybæi prouinciæ Siliciæ, agens vices sanctissimi episcopi senioris vrbis Romæ Leonis, per interpretem dixit: Notum est nempe huic Deo amabili Concilio, & ad beatum & Apostolicum & Catholicum Papam Leonem sacras esse literas destinatas, quatenus huic sancto Concilio se præsentare dignaretur. Sed quoniam neque antiqua hoc tenuit consuetudo, neque generalis temporis necessitas permittere videbatur, nostrã paruitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit. Ideoque necessarium est, hæc quæ in medium proferuntur, per nostram interlocutionem disceptari. Propter hoc igitur porrectus libellus à religiosissimo fratre nostro & coepiscopo Eusebio, susceptus à religiosissimo archidiacono & primicerio notariorum, recitetur, & suscipiens Ærius archidiaconus & primicerius notariorum, recitauit: ¶Sanctæ & vniuersali Synodo, ex sanctione pijssimorum Imperatorum nostrorũ congregatæ in Chalcedonensium ciuitate prouinciæ Bithyniæ, ab Eusebio Coryletanæ ciuitatis episcopo, faciente verba tam pro se, quam etiam pro sanctæ memoriæ Flauiano quondam episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis, & pro Catholica fide.] Scientes vestræ sanctitatis mores Deo amabiles, & contrarios malitiæ, & circa iniqua passos iustam compassionem vestram, multa & dira & contra omnem consequentiam perpessi à reuerendissimo episcopo Dioscoro Alexandriæ magnæ ciuitatis, adimus vestram reuerentiam, iustitiam impetrare deprecantes, causam verò in his contentam. Pridem congregata vestra sancta synodus pariter cum gloriosissimis & excellentissimis iudicibus, & ampliss. senatu in hac sancta Ecclesia, audiuit ex precibus nostris, quas obtulimus pijssimis nostris Imperatoribus aduersus Dioscorum reuerendissimum Alexandriæ magnæ ciuitatis episcopum, & propositum nobis certamen discussit inter nos, & arguit, quæ audacter commissa sunt à Dioscoro aduersus me, & sanctæ memoriæ Flauianum, & orthodoxam fidem. Accusauimus enim prædictum Dioscorum, tanquam consentaneum Eutychi hæretico constitutum, & damnato, & anathematizato, & quia volens perfidiam confirmare in nuper facto in Ephesia metropoli Concilio, multitudine seditiosæ turbæ collecta, potentiam sibimet acquirens per suas diuitias, rectam fidem (quantum ad ipsum pertinet) contaminauit, & fermentum hæreseos insolitæ in Catholica Ecclesia introduxit, & nos sacerdotali dignitate priuauit. Quia ergò cognitione facta, sicut nouit vestra reuerentia, prædictus Dioscorus aliena sapere à Catholica fide, à nobis demonstratus est, & me non permisit ingredi, facto in Ephesina metropoli Concilio, & adesse meis allegationibus, insuper verò & Flauianum sanctæ memoriæ quondam Constantinopolitanæ vrbis episcopum, pro quo & sermonem feci, pro tempore suis allegationibus vti * non sinit, prætereà verò voces, quæ à synodo tunc dictæ non sunt, monimentis indidit, & in puris chartis compulit eos subscribere, & omnem iniquitatem operatus est contra ipsam pietatem, & contra diuinas regulas, & contra legum consequentiam: precor & supplico vestræ sanctitati, misereminì nostri sancti patres. Et dum adhuc in memoria retinetis, quæ antea inter nos & præfatum Dioscorum acta sunt, decernite omnia, quæ aduersus nos gesta sunt, viribus carere, & nihil nobis ea monimenta, quæ iniustè contra nos facta sunt, nocere. Habere verò nos & sacerdotalem dignitatem, anathematizare autem eius sceleratum dogma, pietatis autem verbum corroborare, & illum, eorum quæ audacter commisit, luere pœnas, quatenus exemplum factus, in reliqua vita omnes corrigat, similia actis eius agere conantes. Quod impetrantes, incessanter gratias agamus vestræ sanctitati. Eusebius episcopus Doryletanæ ciuitatis prouinciæ Phrygiæ Salutariæ, hos libellos manu mea subscribens, porrexi. Et cum lecti fuissent, Eusebius episcopus dixit: Supplico aduersarium meum euocari. Ætius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Dudum (sicut iussisti) pergentib. Domnino & Cyriaco diaconibus, quemadmodum ad alios sanctissimos episcopos, & ad Dioscorum sanctissimum episcopum maturius pro eo, vt hic vobis consideret, & hortantibus eum, vt conueniret & ipse in hoc Concilio, nunciauit se quidem velle venire, non autem permitti à custodientibus se, sicut dicebat. Paschasinus episcopus dixit: Quoniam non videmus præsentem esse Dioscorum sanctissimum episcopum, egredientes reuerendissimi clerici inquirant eum, si præ foribus Concilij inuenitur. Ætius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Quemadmodum iussistis, Epiphanius & Helpidius presbyteri circumeuntes sanctam hanc Basilicam, quæsierunt religiosissimum episcopum Alexandriæ Dioscorum & (si placuerit) præsentati interrogentur. Anatolius episcopus Constantinopolitanæ ciuitatis nouæ Romæ, dixit: Dicant reuerendissimi Epiphanius & Helpidius presbyteri, si quæsierunt reuerendissimum episcopum Dioscorum. Epiphanius & Helpidius dixerunt: Peragrantes atria sancti huius loci, quæsiuimus, & non eum inuenimus. Anatolius episcopus Constantinopolitanæ vrbis nouæ Romæ, dixit: Si complacet vestræ sanctitati, aliquos ex Deo amantissimis fratribus & coepiscopis nostris destinare ad eum in domum, in qua manet, & commonefacere eum, vt in hoc sanctum Concilium aduenìat? Maximus episcopus magnæ Antiochiæ ciuitatis, dixit: Benè placuit sanctissimo archiepiscopo Anatolio, dirigi Deo amantissimos episcopos ad accersendum rursus Deo amantissimum Dioscorum magnæ Alexandrinæ ciuitatis episcopum, & manifestum ei facere, quæ aduersus eum facta est accusatio. Sancta Synodus dixit: Consequens est, mandare Deo amantissimo episcopo Alexandriæ ciuitatis Dioscoro. Vnde Deo amantissimi episcopi, Constantinus Metropolitanus Bostrensis, & Acacius Ariarathirensis, & Atticus Zelensis pergentes, commoneant Deo amantissimum episcopum Alexandriæ Dioscorum occurrere ad sanctum hoc Concilium. Et cùm abissent reuerendissimi episcopi Constantinus & Acacius, & Atticus cum Himerio lectore, & notario, & reuersi fuissent, Ætius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Qui paulò antè destinati sunt sanctissimi episcopi Constantinus Metropolitanus Bostrensis, & Acacius Ariarathirensis, & Atticus Zelensis, ad Deo amantissimum episcopum Alexandriæ Dioscorum à vestra sanctitate, aduenerunt. Et hoc ipsum suggerimus ad notitiam vestræ sanctitatis. Anatolius episcopus Constantinopolitanæ ciuitatis nouæ Romæ, dixit: Dignentur DEO amantissimi reuerendi episcopi docere hanc sanctam Synodum, quale acceperunt responsum à Deo amantissimo Dioscoro episcopo. Constantinus episcopus Metropolitanus Bostrensis, dixit: Secundum præceptum vestræ sanctitatis pergentes ad reuerendissimum episcopum Alexandriæ Dioscorum, in scriptis ei, quæ nobis mandata sunt, diximus. Et postulamus, vt quæ Himerius lector & notarius, qui pariter nobiscum directus est, accepit, dicat, quæ sunt quę à nobis dicta sunt, & quale nobis dedit responsum. Paschasinus episcopus dixit: Præsens Himerius notarius secundum prosecutionem Deo amantissimi fratris nostri & coepiscopi, ea quæ respondit episcopus Dioscorus, reciter, vt possit hæc beatissima Synodus communi consilio tractare, quid debeat agere. Himerius lector & notarius recitauit. Et lectum est ita: Constantinus episcopus Metropolis Bostrẽsis, ad episcopum Dioscorum dixit: Sancta Synodus tuam obsecrat sanctitatem, vsque ad ipsam occurrere, quæ congregata est in Basilica sanctæ & bonæ victricis martyris Euphemiæ. Dioscorus reuerendissimus episcopus Alexandriæ, dixit: Custodior ego. Si verò permittunt me descendere, dicant magistriani. Aca-

fort. * profundè.

Oratio seu Epistola Eusebij Dorylei contra Dioscorum.

* fuit.

cius Episcopus Ariarathirensis, dixit: Nos ad deuotissimos magistrianos non sumus directi, sed ad tuam sanctitatem, quatenùs digneris fatigare te, & peruenire ad sanctum Concilium, congregatum in Basilica sanctæ martyris Euphemiæ. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit: Paratus sum aduenire ad sanctum & vniuersale Concilium: sed prohibeor. Atticus episcopus Zelensis, dixit: Libelli porrecti sunt & nunc ab Eusebio Deo amantissimo episcopo, sancto & vniuersali Concilio aduersus tuam sanctitatem, & per nos saucta & magna Synodus tuæ sanctitati mandauit, quatenùs peruenias, & satisfacias super his, quibus accusaris. Dioscorus episcopus Alexandriæ, dixit. Semel dixi, & ego paratus sum venire ad sanctum & vniuersale Concilium: sed, vt videt vestra religiositas, prohibeor à deuotissimis magistrianis & scholaribus. Et cùm hæc lecta fuissent, Humerius lector notariorum dixit: Sed postquàm descendi cum Deo amantissimis episcopis, occurrit Eleusinius venerandus adiutor magnificentissimi & glorioßissimi magistri sacrorum officiorum, & reuersi iterùm Deo amantissimi episcopi ad eundem Deo amantissimum episcopum Dioscorum, & ascendentes, rursus commonuerunt eum occurrere, & certa locuti sunt, quæ in exceptis habeo. Si placet vestræ sanctitati, & hæc recenseo. Sancta Synodus dixit: Relege. Humerius lector & notarius legit. Dioscorus Alexandriæ episcopus, dixit: Tractans apud memetipsum, & cognoscens quid expedit mihi, hæc respondeo: Quoniam ante hæc in congregatione sedentes magnificentissimi iudices, certa diffinierunt post multam vniuscuiusq; interlocutionem, nunc verò in prædictorum infirmatione, secundò me euocat cõgregatio: obsecro, vt qui pridem ad hoc sanctum Concilium glorioßissimi iudices & amplissimus senatus conuenerunt, & nunc sint præsentes, vt iterum sub eorum præsentia hæc eadem examinentur. Acacius episcopus Ariarathirensis, dixit: Non ita sancta & magna Synodus vestram sanctitatem euocauit, ad subuertẽdum ea, quæ sub magnificentissimorum & glorioßissimorum iudicum & sacri senatus præsentia acta sunt: sed mandata destinauit, quatenùs ad Concilium peruenias, & non absit ab eo tua sanctitas.

Dioscorus episcopus dixit: Dixistis mihi nunc, eo quod libellos porrexerit Eusebius aduersus *tuam religiositatem, postulo iterum præsentibus iudicibus & glorioso senatu approbari, quæ ab ipso dicuntur. Atticus episcopus Zelentis, dixit: Nos ad tuam directi sumus sanctitatem, ad cohortandum. Et interrumpens ei Dioscorus episcopus, dixit: Respondi iam, quia sub præsentia magnificentissimorum iudicum & sacri senatus iterum, quæ de me sunt, volo discuti. Constantinus episcopus Metropolitanus Bostrensis, dixit: Statim, vt venimus, respondit nobis tua sanctitas: Quoniam si permissus fuero à me custodientibus, peruenio ad sanctum Concilium. Quoniam igitur adueniente viro clarissimo adiutore glorioßissimi magistri officiorum, permissus es (si volueris) ad sanctam Synodum peruenire, de hoc (si placet) da nobis responsum. Dioscorus episcopus dixit: Nunc didici, quia non sunt præsentes magnificentissimi & glorioßissimi iudices, & sanctus senatus, & ideò nunc ita respondi. Et cùm lectum fuisset, Eusebius episcopus Dorylenæ ciuitatis, dixit: Precor sanctitatem vestram, quæ nunc à destinato notario cum Deo amantissimis episcopis ad reuerendissimum episcopum Dioscorum lecta sunt, iubet indi præsentibus monimentis. Maximus episcopus magnæ Antiochenæ ciuitatis, dixit: Ea quidem, quæ nunc ab Himerio notario lecta sunt, actis inferentur monimentorum. Consequens tamen est, secundùm regulas sanctorum Patrum, & rursus dirigi ad Deo amãtissimum episcopum Dioscorum Deo amantissimos episcopos, ad vocandum eum secũdò, vt adueniat in hoc vniuersale sanctumque Concilium.

Eusebius episcopus Dorylenæ ciuitatis dixit: Deo amantissimus episcopus Dioscorus dissimulationes & occasiones emittit, ne ad hanc sanctam perueniat Synodum. Super certis enim capitulis iam conuictus est, tam sub vestræ sanctitatis, quàm sub magnificentissimorum iudicum & sacri senatus præsentia. Et sunt alia capitula, quæ debent coram vestra sanctitate ventilari & approbari, & iubete eum adesse. Neque enim subuertimus aliquid eorum, quæ dudum acta sunt. Ætius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Quid videtur vestræ sanctitati de interloquutione secundæ vocationis? Sancta Synodus dixit: Consequens & regulare est, & secundò eum euocare. Eant igitur ad Dioscorum sanctissimum Alexandrinorum episcopum Deo amantissimi episcopi Pergamius & Cecropius & Rufinus, ad cohortandum eum, vt ad nos veniat. Aetius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Placet ergò sanctitati vestræ, *scriptis ad eum ex persona totius sancti Concilij destinare? Amphilochius episcopus Metropolitanus Sidensis, dixit: Vno aut duobus diebus causa differatur. Menecrates Episcopus Cyrassen. prouinciæ Lydiæ, dixit: Vnus homo vniuersum orbem desolauit, & tres menses assidemus ei. Et destinatum est secundò ita.

*scriptos

LITERAE DIRECTAE A CONCILIO Dioscoro Episcopo, ad vocandum eum secundò.

SANCTA *& vniuersalis Synodus Deo amantißimo Episcopo Alexandrinorum Dioscoro.* Priùs placuit sacratissimis dominis orbis terræ, tam sub magnificentiss. & glorioßiss. iudicibus, quàm etiam sub sacratissimo & amplissimo senatu, inter tuam religiositatem, atque reuerendissimum episcopum Eusebium, & à nobis causam examinari, & nunc placuit, quatenùs confidente sancta & magna Synodo, habente regularem authoritatem, nihil de prioribus, quæ de te seu coram te acta sunt in illo sacro Concilio retractari: sed de alijs quibusdam, de quibus nunc idem Deo amantissimus episcopus Eusebius per libellos accusans tuam religiositatem, à nobis petit fieri examinationem. Sine vlla igitur excusatione tua religiositas perueniat ad nos, satisfactura, sicut ordo expetit regularum. Ecce enim & secundam regularem vocationem ad tuam fecimus religiositatem, dirigentes Pergamium & Cecropium & Rufinum, Deo amantissimos fratres & coepiscopos nostros, debentes commonefacere tuam religiositatem, quatenùs ipse ad nos indubitanter peruenias, & satisfacias de his, quæ tibi ingeruntur. Et his remeantibus, Aetius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Qui secundæ ministrauerunt vocationi sanctissimi episcopi, Pergamius & Cecropius & Rufinus, aduenerunt, & hoc ipsum suggerimus. Stephanus episcopus Ephesi, dixit: Dicant Deo amantissimi episcopi, si quid à beatissimo episcopo Alexandrinæ magnæ ciuitatis Dioscoro audierunt, & sanctæ Synodo, quæ audierunt, cum veritate denuncient. Pergamius episcopus Metropolitanus Antiochiæ Pisidiæ, dixit: Consequenter his, quæ præcepta sunt à vestra sanctitate de secunda regulari vocatione, commonefecimus Deo amantissimum episcopum Alexandrinorum Dioscorum, & super hæc, quæ ei in scriptis mandata sunt, certum fecit responsum: quod si placuerit vestræ sanctitati, à lectore & notario Hypatio, qui nobiscum directus fuerat & exceperat, recitentur.

Diogenes Episcopus Metropolitanus Cyzici, dixit: Lector Hypatius, quæ à Deo amantissimo episcopo Dioscoro excepit, huic sanctæ & magnæ & vniuersali recenseat Synodo. Hypatius lector & notarius relegit ita: Pergamius Episcopus Metropolitanus Antiochiæ Pisidiæ, dixit: Congregata in Basilica sanctæ martyris Euphemiæ vniuersalis sancta Synodus, secũdam vocationem faciens ad tuam sanctitatem, paruitatem nostram direxit, facientem commonitionem in scriptis denuncians, quæ nunc tuæ sanctitati relegentur. Et cùm episcopo Dioscoro, quæ à sancta Synodo per Deo amantissimos episcopos ei mandata sunt, lecta fuissent, Dioscorus episcopus dixit: Iamdudùm perueniens demandaui vestræ religiositati, quia & infirmitate detineor, & postulo & magnificentissimos iudices & sacrum senatum esse præsentem, in eorum, quæ nunc examinanda sunt, audientia. Quoniam verò ampliùs mihi ægritudo inualuit, huius gratia feci dilationem. Cecropius episcopus Sebastopolitanus, dixit: Pauloantè tua sanctitas non se asserebat infirmari, sed postulauit sacratissimum senatum & magnificentissimos iudices esse præsentes, nunc verò hoc addidit. Dignare ergò (sicut te decet) agere, & regulis satisfaciens, obedire sanctæ & vniuersali Synodo, quatenùs, quæ negotio competunt, cõsequenter & secundùm regulas proueniant. Dioscorus episcopus dixit:

*meam

Semel dixi, quia postulaui gloriosissimos & magnificentissimos iudices, & sacratissimum senatum adesse his, quæ nunc debent examinari. Rufinus Samosatenus episcopus, dixit: Canonica sunt, quæ mouentur. Potest & nunc tua proueniens sanctitas, quæ vult, postulare à sancto Concilio. Dioscorus episcopus dixit: Venerũt religiosiss. Episcopi ad sanctũ Cõcilium Iuuenalis & Thalassius, Eusebius, Basilius, & Eustathius? Pergamius episcopus dixit: De hac interrogatione à tua reuerentia facta, responsum nunc facere, non præcepit nobis sancta & vniuersalis Synodus. Vt verò satisfacias regulari secũdę vocationi, sufficienter commonefecimus. Tuæ igitur sanctitatis est, & sanctissimam & vniuersalem Synodum (prout decet) per obedientiam honorare, & tuæ reuerentiæ cognitas regulares formas similiter in honore habere, consequenter illis obtemperando. Dioscorus Episcopus, dixit: Et nunc eadem dico. Petij pijssimum & Christianissimum nostrum Imperatorem, quatenùs & nunc, ante hoc constituti in sancta synodo magnificentissimi & gloriosissimi iudices, vnà cum sacro senatu præsentes sint his, quæ examinanda sunt, præsentibus etiam & religiosissimis Episcopis, qui simul mecum *ferũtur in accusatione, quæ nobis ingeritur ab Eusebio. Cecropius Episcopus dixit: Tuam tantummodò religiosissimus Eusebius sanctitatem accusat, & hæc societas necessaria non est. Sed vt consequenter & regulariter impleatur obedientia, & quę canonica sunt, ventilentur. Quando enim quędam regularia examinantur, neque iudices, neque alios aliquos laicos interesse oportet, nisi tantummodò tuam sanctitatem, quæ in propria accusatur persona. Non est igitur opus ista tarditate aut dilatione, si quidem volueris & DEO & canonibus obedire, & non per dilationes confirmare ea, quæ ab accusatore dicuntur. Dioscorus Episcopus dixit: Semel precatus sum pijssimum & amicum Christi nostrum Imperatorem, quatenùs & alij Episcopi vnà mecum interssint. Neque enim aduersus me specialem causam habet Eusebius, sed potiùs de quibus omnes pariter egimus. Pergamius Episcopus dixit: Secundùm quod Deo amantissimus episcopus Cecropius tuam commonuit reuerentiam, religiosissimi Eusebij episcopi accusatio, sicut aduersus tuam reuerẽtiam facta, tuam quærit personam. Ideoque tuam sanctitatem consequenter & regulariter vocauit, & vocat sanctissima & Catholica Synodus. Dioscorus Episcopus dixit: Semel dixi, quæ dixi, & vltra hæc compendiosiùs quod dicam, non habeo. Et cùm prædicta relecta fuissent, Eusebius Episcopus Doryletanæ ciuitatis, dixit: Et per preces, quas victoribus & triumphatoribus dominis nostris obtuli, aduersus solum religiosissimum Episcopum Dioscorum accusationem institui, tanquàm ab eo passus iniqua, vnà cũ sanctæ memoriæ patre nostro & quondàm archiepiscopo Flauiano. Et nunc sub fide monimentorum profiteor, quoniam aduersus nullum alterum facio accusationem, nisi tantummodò aduersus Dioscorum magnæ Alexandriæ ciuitatis Episcopum. Non ergò fingat occasiones Dioscorus, neque compellat me alijs, quibus nolo accusationem ingerere. Quippe & si ab alijs læsus essem, licebat mihi, aduersus vnum, quem vellem, accusationem deponere. Cùm verò non profiteor, quia neque ab altero læsus sum, supplico vestræ sanctitati, & tertia eum accersitum vocatione, adesse vestro sancto Concilio, & meas contra eum factas conuentiones suscipere. Et cùm diceret, AEtius Archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Ante hoc, aliqui dicentes se esse clericos, vnà cum alijs laicis ab Alexandria orti, aduersus Dioscorum sanctissimum Episcopum libellos porrexerunt. Hi ante sanctum constituti Concilium vestrum, clamoribus vsi sunt, & obsecrant, coniurantes vos per sanctam & homousion Trinitatem, & salutem & victoriam pijssimorum & Christi amicorum nostrorum Imperatorum, introitum impetrare. Et hoc ipsum ad id (quod placuerit) suggerimus. Sancta Synodus dixit: Ingrediantur, qui libellos porrexerunt. Et cùm ingressi fuissent, Athanasius dicens se esse presbyterum magnæ Alexandriæ ciuitatis, dixit: Multa, & dira, & omninò sæuissima, & omni plena impietate & auaritia, perpessus sum à reuerendissimo Episcopo Dioscoro. Preces obtuli pijssimis & Christi amicis nostri Imperatoribus, docens, quas ab eo sustinui circunuentiones pariter & insidias, necnon & huic vniuersali Concilio eadem preces obtuli. Et precor sanctissimos & Deo amantissimos Episcopos, & patres nostros, quatenùs & mei misereamini, & clementer me susciptatis, docentem, quæ ad meipsum pertinent. Et post ipsum Ischyrion, dicens se esse magnæ Alexandriæ ciuitatis diaconum, dixit: Vt non putet reuerend. Episcopus Dioscorus, solum reuerendissimum episcopum Eusebium accusationem aduersus eum instituisse, sed vt sciat & alios, & qui sint, qui eu accusant, & quæ sunt, quæ ei ingerũtur, obsecramus libellos recitari. Lucentius Episcopus dixit: Libelli, qui aduersus reuerendissimum Episcopum Dioscorum à diuersis nobis oblati sunt susscepti, ab Actio Archidiacono & primicerio notariorum recensentur, quatenùs omnis hęc sancta Synodus scire possit, quid continent. Et susciens Aetius archidiaconus & primicerius notariorum libellũ Theodori, legit. Et cùm lectum fuisset, Paschasinus reuerend. Episcopus dixit: Quid ad hæc dicit præsens accusator Theodorus? Si confidit approbare ea, quæ ingerit aduersus reuerendissimum episcopum Dioscorum, proprio ore cõfiteatur, si non vult aduersus se regularem conuerti sententiam. Theodorus diaconus dixit: Supplico porrectum libellum monimentis inseri, paratus enim sum mihijpsi adesse. Paschasinus Episcopus dixit: Perlectus libellus monimentis Ecclesiasticis societur, reliqua verò dicat Theodorus, adueniente eius aduersario, quæ ei competunt.

*fuerunt

Optima & canonica ratio contra Dioscorum.

LIBELLVS THEODORI DIACONI, ad Leonem Papam & Chalcedonen. Concilium.

SANCTISSIMO *& Deo amantissimo & vniuersali archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sanctæ & vniuersali Chalcedonen. Synodo, quæ voluntate diuina Dei præceptione congregata est, à Theodoro ecclesiæ Alexandrinæ diacono.* Quæ à reuerendissimo Dioscoro Alexandriæ magnæ ciuitatis commissa sunt, lingua quidem egent antiqua, quæ possit docere singula, quæ ab ipso perpetrata sunt * tam in sanctorum patrum regulas, necnon etiam & in diuersos & plurimos illius prouinciæ. Quæ enim in ipsa deuotione ab eo confecta sunt gesta, sub diuersis iudicibus habita, vestram sanctitatem docebunt. Tamen vt omnia compendiosè dicam, quæ ab eo in nostram pusillitatem perpetrata sunt, adsum vestram deprecans sanctitatem: Viginti & duos plùs minùs annos in schola deuotiss. magistrianorum militans, conuersatus sum, nullam aduersus memetipsum dans aliquandò reprehensionem aut querelam, sperans magnæ illius scholæ mereri priuilegium. Sed sanctæ & beatæ memoriæ Cyrillus, qui nominatissimæ Alexandriæ ciuitatis triginta & duos annos fuit archiepiscopus, rectæ & immaculatæ fidei aduocatus, deputatum me habuit, & maximè in tempore quo facta est sub eo in Epheso Synodus, & sine vlla querela ministrans sancto illi, & per Deum facto Concilio, ita vt pro synceritate & studio meo, magnæ Alexandrinæ ciuitatis, clericatum ab ipso mererer. Siquidem videbar fructu multorum annorum fraudari militiæ meæ: maiorem tamen honorem existimans diuini & venerabilis mysterij ministerium, quindecim annos in clero permansi, sperans & maiorem honorem mereri. Sed inter hæc sancto & beatæ memoriæ Cyrillo de hac humana vita migrante, succedens ei (quod vtinàm nunquam contigisset) memoratus reuerend. Episcopus Dioscorus, nulla aduersus me accusatione per scripturam, vel sine scriptura facta, sed neque simplici querela in principio Episcopatus sui, (quem, nescio quo ordine, sortitus est) statim me clericatu priuauit, comminans & à magna illa ciuitate fugare, propter nihil aliud, nisi ob id, quòd familiaritate & continentia sanctæ memoriæ Cyrilli vtebar. Intentio enim eius talis est, non solùm parentes eius ex illa ciuitate exagitare seu vita priuare, verùm etiam & familiares ipsius. Exercens inimicitias aduersus eius rectam fidem, hæreticus constitutus, & semper quæ Origenis sunt sapiens, & hic homo neque à sanctæ Trinitatis blasphemia abstinens, neque homicidij expers, neque alienas parcens excidere arbores, neque incendia facere, neque domos destruere, sed * enim & turpiter semper viuens, quę sum paratus ostendere. Quoniam igitur vestra Deo amabilitas peruidet, quia nõ leuem iniquitatem sustinui, militiam

tam in diuinitate, quàm in sanctis Patrum regulis, *in sancto rum & diuinorum Patrum regulas.

Cyrillo Dioscorus successit.

for. *etiã

tantorum

tantorum annorum contemnés, maiorem ſacerdotalem ordinem arbitrans, ſupplicio permittere mihi in ſancto veſtro Concilio adeſſe, & meis allegationibus vti, vt nè ex vtraque parte videar cadere, qui & in militia (ſicut dixi) irreprehenſibiliter conuerſatus ſum, & in venerabili clero (quantùm ad me pertinuit) cum modeſtia memoratis temporibus miniſtraui. Oſtendam enim, eum omnia quæ dicta ſunt, perpetrâſſe, necnon etiam & contra geſtum in metropoli Nicæna Concilio, temerarium extitiſſe. Hic namq; ſanctiſſimus, magis aũt circa omnia feroçiſſimus, in cõſuetudine habens leges præuaricari, nihil arbitrans, quod ab ipſo in ſanctæ & ſacræ memoriæ Flauiano commiſſum eſt, inſupèr ad mala maiora ſe vertit. Excommunicationem namque faciens contra ſanctiſſimum & beatiſſimum apoſtolicæ ſedis magnæ Romæ Epiſcopum, ſuaſit ſubſcribere eis, qui cum ipſo de AEgypto exierunt ſanctiſſimis Epiſcopis plùs minùs numero decem, (neq; enim ampliores auſi ſunt, exire cum ipſo, propter* quæ ab ipſo in Epheſo contra leges peracta ſunt) aliquoties comminans, aliquoties nolentes decipiens. Vndè lachrymantes atque gementes, nefandæ illi chartæ ſubſcripſerunt. Conſiderate igitur ſanctiſſimi & reuerendiſſimi patres, quod neque Deo placita ſint, quæ ab eo commiſſa ſunt, neque hominibus toleranda. Et obſecro veſtram ſanctitatem præcipere (ſi placet) eos, qui ſubtèr deſignati ſunt, ſub cuſtodia fieri, quatenùs quæ veritatis ſunt, oſtendantur. Sunt autem Agoraſtus, Dorotheus, Euſebius, Ioannes notarius. Tempore namque opportuno* vacante, offero veſtro angelico choro, & ſanctiſſimos viros, & reuerentia & rectitudine adornatos, qui ſuper ſingulis capitulis poſſint teſtimoniũ perhibere. Et ipſe ego hanc accuſationem propria ſubſcripſi manu. Similiter & reliqui accuſatores ſuas accuſatiões ſinguli per ſingula ſe probare ſpoponderunt, & ſingulos accuſationis libellos propria manu ſubſcripſerunt. Theodorus diaconus ſanctę & catholicæ Eccleſiæ magnæ Alexandrinæ ciuitatis ſupraſcriptus, ſancto & vniuerſali Concilio hos libellos obtuli. Et poſt hoc idem ipſe Theodorus dixit: Paratus ſum, adueniente reueren. epiſcopo Dioſcoro, in hoc veſtrum ſanctum Cõcilium meis adeſſe accuſationibus. Bonifacius presbyter Romanæ Eccleſiæ, vicarius & ipſe beatiſſimi Papæ Leonis, dixit: Et proclamantis præſentis Iſchyrionis iuſtum eſt recitari libellos.

Romanus Epiſcopus Metropolitanus Myrenſis prouinciæ Lyciæ, dixit: Secundùm interlocutionem religioſiſſimi presbyteri Bonifacij, oblati libelli ab Iſchyrione recenſeantur. Et ſuſcipiens Aſclepiades diaconus & notarius, legit. Et poſtquàm lectum eſt, Petrus epiſcopus Metropolitanus Corinthi, dixit: Et ab Iſchyrione reuerendiſſimo porrectus libellus, ex lectione notus factus ſancto huic & vniuerſali Concilio, præſentibus inſeratur monimentis.

LIBELLVS ISCHYRIONIS DIACONI, ad Leonem Papam & Chalcedonen. Concilium.

SANCTISSIMO & beatiſſimo vniuerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & ſanctæ & vniuerſali Chalcedonenſi Synodo, voluntate Dei & diuina præceptione congregatæ, libellus ab Iſchyrione magnæ Alexandrinæ ciuitatis diacono. Nunc quandò liberam vocem vnuſquiſque, qui malè paſſus eſt, recipit, & iuſti patroni humano generi præſunt, & perijt decæterò omnis circunuentio & auaritia, & quæ erant quaſi in dira tyrannide tunc, & ego auſus ſum hunc libellum veſtræ ſanctitati offerre, & docere, quanta aduerſus me & aduerſus multos alios commiſſa ſunt à reuerendiſſimo mãgnæ Alexandrinorum ciuitatis epiſcopo Dioſcoro, ſi mihi lingua dicere & pro illis ſufficeret. Neque enim quiſquam fuit expers illius crudelitatis & inhumanitatis. Aliquorum enim vaſtata ſunt prædia exciſione arborum perpetrata, aliorum verò domus deſtructæ ſunt, alij in exilium pulſi ſunt, alij verò mulctatione vexati ſunt, quidam verò & ab Alexandrina magna ciuitate, ſicut de propria eius poſſeſſione, excluſi ſunt: Quoniam quidem impia deuotione non intermiſit maxima peccare, hoc magni & clari viri ſciunt, necnon etiam & omnis illa magna ciuitas Alexandria, ſicut & acta habita ſub diuerſis iudicibus manifeſtant. Quæ enim contra ſanctam & homouſion Trinitatem ab ipſo ſæpè contumelioſè dicta ſunt, omnia nominatiſſimo illius ciuitatis populo, necnon etiam venerabili clero reuerendiſſimis quoque monachis nota ſunt. Tanta autem contra omnes (non ſicut decebat epiſcopum, & maximè tantæ ciuitatis, & euangelicæ illius ſedis præſulem conſtitutum) perpetrare auſus eſt, vt etiam & frumentum, quod à pijſſimis noſtris Imperatoribus Eccleſijs Libyæ (propter ariditatem illius prouinciæ, & quia ibi omninò triticum non naſcitur) præſtitum eſt, in primis quidem vt incruenta ex ipſo hoſtia offeratur, deinde vt & peregrini, necnon etiam & prouinciales pauperes aliquod mereantur ſolatium, non permitteret ſuſcipere ſanctiſſimos epiſcopos illius prouincię, ſed æſtimaret memoratum frumentum largiſſimis precijs, ipſum verò in tempore famis amariſſimis æſtimationibus venundaret. Et ex hoc neque terribile & incruentum ſacrificium celebratum eſt, neque (ſicut dixi) peregrini aut prouinciales hoc ſolatio fruiti ſunt. Cæterùm clariſſimæ memoriæ Periſteriæ negotium nullus ignorauit, maximè eorum, qui in hac regia vrbe noua Roma habitare noſcuntur. Illa namque pro ſuæ animæ ſalute teſtamentum condens, iuſſit multam quantitatem pecuniarum præſtari monaſterijs, necnon etiam Xenodochijs & parochijs, & alijs pauperijs AEgyptiacæ prouinciæ. Quod moleſte ferens idem reuerendiſſimus vir, ob id quòd in perſona eius hæc minimè ſunt dimiſſa, fecit eaſdem pecunias pro eleemoſyna ſcortis & alijs theatricis diſpartiri perſonis, vt neque incenſum ex oblatione illius clariſſimæ memoriæ Periſteriæ (quantùm ad eum pertinuit) Deo offerretur, ſed illius quidem manifeſtum propoſitum demonſtratum eſt. Quoniam verò & vita prædicti reuerend. viri, & luxuria omni illi prouinciæ non ignorata eſt, (impudicis mulieribus frequenter in epiſcopio, & in balneo eius apertè deliciantibus, præcipuè famoſiſſima Panſophia, quæ cognominatur Orini, de qua & numeroſus Alexandriæ populus frequentiſſimas voces emiſit, tam ipſius, quàm amatores eius faciens mentionem) veſtro angelico choro manifeſtabitur. Non ſolùm verò hæc, ſed etiam homicidia per occaſionem iſtius admirabilis doctoris perpetrata ſunt. Quoniam verò, & quæ in me miſerabili ab ipſo commiſſa ſunt, tolerabilia non ſunt: accedo, & precor veſtram ſanctitatem, miſereri mei, hominis qui multis temporibus in ſancta illa magnæ ciuitatis Eccleſia laborauì, & hac de cauſa clericatum eius merui, ſæpiùs deſtinatus in peregrinationes ſub ſanctæ memoriæ Cyrillo, qui ipſam euangelicam ſedem ornauit, & maximè ad hanc regiam nouam Romam, aliquandò quidem in hyemis tempore cum animalibus iter omne perficiens, aliquandò verò & pro commiſſis mihi à ſanctæ memoriæ Cyrillo neceſſarijs cauſis, per mare omne nauigio tranſmeans, aliquandò per Lyciam, aliquandò per Pamphyliam, ita vt debile mihi corpus laborum faceret magnitudo, ſicut & ipſis adſpectibus intuetur veſtra beatitudo. Obtinui enim dignus fieri & familiaritate, & gratia ſanctæ memoriæ archiepiſcopi Cyrilli, quod reuerend. epiſcopum Dioſcorum contriſtabat. Quippe mox, vt migrauit ſanctæ & beatæ memoriæ Cyrillus in cœlos, iſte (quod vtinam nunquam contigiſſet) ſucceſſit, qui prohibuit me in ſancto & venerabili miniſterio obſequium facere. Nihilominùs etiam aduerſùs noſtras vilißimas poſſeſſiones, monachos & alios aliquos deſtinauit, & tradidit eas incendio, ita vt & ipſa in eiſdem poſſeſſionibus ædificia (ex quibus nutrimenti mei haberem ſolatium, pauper conſtitutus, & ſolutus corpore) pleniùs ignis conſumeret, diuerſas quoque arbores ibi ſuccideret, atque ipſam incenderet terram, & mihi vltra inutilem faceret, & in reliquum mendicans, nec victus neceſſarios haberem. Sed neque his contentus ſummittit aduerſùs miſerabilem me eccleſiaſticorum cateruam (vt veriùs autem dicam, latronum (pariter cum Petro & Arpocratione diaconibus, & Mena presbytero, vt me de humanis rebus auferrent, mandans corpus meum mortuum ſibi deportari. Quod niſi per miſericordiam DEI ante punctum temporis mihi innotuiſſet, & fugiſſem, (ſicut priùs dixeram) iam tunc ab humanis rebus eſticerer alienus. Poſtquàm verò ſaluari per miſericordiam DEI potui ex inſenſibilitate facta

diuinitùs

ea quæ

*vocato mein Synodo.

Nota in his libellis Leonem vocari vniuerſalẽ Archiepiſcopum & Patriarcham.

Lybiæ cur opus ſit tritico externo.

Contra offores ſacrificij Miſſæ.

diuinitùs corporis mei, & quia multùm meorum obsequio indigebam, præcipuè verò quia & ex ea essem ciuitate ego & mei maiores, & quia domum in ea haberem, iratus super his, quasi nihil factum esset, in ipsis paschalibus diebus iterùm me iubet, raptum per Arpocrationem diaconum, rapi (semper enim eius ministrauit furori) pariter cum prædicto Petro diacono, sicut demonstrant, quæ apud Ephesum gesta sunt aduersus sanctæ memoriæ Flauianum quondam archiepiscopum huius nouæ Romæ, & contra multos eius, insuper etiam & contra reuerendissimum, nunc quidem Episcopum, tunc verò presbyterum, & œconomum constitutum magnæ Alexandrinæ ciuitatis ecclesiæ Neorium: & recludor in vno xenodochio tabidorum, nullo modo alicui obnoxius constitutus. Neque (sicut docui) accusatione aliquandò aduersus me facta, immittit iterum & in eodem Xenodochio aliquos, qui me occiderent, sicut & omnibus, qui in ipso xenodochio sunt, manifestatum est, intantùm, vt horrentes malitiam, iuuáre me dignarentur: propter quod & viuo hactenùs. Nec priùs me ab illis iniquissimis absoluit vinculis, nisi & à magna Alexandria alienum me fieri promitterem in tali corporis statu, & alia aliqua, quæ illi erant desiderabilia, agerem. Quoniam igitur considerati sanctiss. & beatissimi, quia omnia quæ ab eo commissa sunt, neque DEO placita, neque legibus toleranda sunt, sed neque vlli homini: peto, & deprecor vestigia angelicæ vestræ militiæ, misereri mei, & præcipere, me sanctum & vniuersale vestrum intrare concilium, hæc omnia probaturum, quatenùs & ex omni iniquitate in me illæsus effectus, proprio gradui (si vestræ placuerit sanctitati) restituar, homo, qui multis temporibus syncerè iussionibus sanctæ memoriæ & catholicæ fidei aduocati Cyrilli ministraui, debilis factus, & non habens aliundè necessaria vitæ nutrimenta, quatenùs hæc iustè promeritus, solitas orationes & gratias referam omnium nostrum Saluatori Christo pro vestro angelico choro. Et supplico, pro documento eorum, quæ à me dicta sunt, in tuto collocari Agoraftum & Dorotheum, Eusebium, Didionem, Arpocrationem, Petrum, Gaianum, & Mediastinum Episcopalis balinei, nunc eum comitantem, qui *est imperitus, & qui potest omnia subtiliter dicere. Paratus enim sum, tempore cognitionis & sanctiss. viros, vita & fide probabiles, producere, ex iussione vestræ sanctitatis, qui de his omnibus, quæ in libellis accusationis sunt inserta, testificari valeant. Ischyrion diaconus hos libellos obtuli, factos secundùm meam voluntatem & dictatos, & manu mea subscriptos. Et cùm recitatus fuisset libellus, Paschasinus Episcopus dixit: Et libellus præsentis Athanasij, qui nobis oblatus est, recenseatur. Et suscipiens eum Procopius *lector & notarius, legit. Et cùm lectus esset, Lucentius Episcopus dixit: Quæ per libellum docuisti aduersus Deo amantissimum Dioscorum Episcopum, hæc considera, & si confidis, per te notum nobis facito, & proprio ore manifesta. Athanasius dixit: Paratus sum, & mihi confido, aduenientem eum in vestro sancto concilio, in omnibus, de quibus eum accusaui, conuincere. Et post ipsum Ischyrion dixit: Si deductus fuerit in hac sancta & vniuersali Synodo Dioscorus reueren. Alexandriæ Episcopus, paratus sum per euidentissimas approbationes demonstrare hæc omnia, quę vestrum angelicum chorum docui, nihilominùs & per nominatos à me testes, *syncellos eius constitutos, qui hactenùs cum ipso degere & manere videntur, cùm producti fuerint, quatenùs & ex domesticis eius veritas ostendatur. Per orationes enim vestras quidam in honore promoti sunt, pro eo quòd illis homicidijs, quæ in Epheso facta sunt, ministrâssent, & hic cum ipso sunt. Et cùm lecti fuissent libelli, Marinianus Episcopus Metropolitanus Synnadæ, dixit: Oblatus libellus aduersus Deo amantiss. Dioscorum Episcopum ab Athanasio viro reuerend. fidei monimentorum cum alijs *misceatur. Pergamius Episcopus Metropolitanus Antiochiæ Pisidiæ dixit: Lectum libellum, quem obtulit Athanasius reuerend. in quo DEO amantiss. Dioscorum Alexandriæ ciuitatis Episcopum accusauit, oportet monimentis, quæ nunc aguntur, inseri.

Dicat verò idem Athanasius propria voce, si suis accusationibus aderit.

*non est

*diaconus

i. cohabitatores, vel conuictores.

*inseratur

LIBELLVS ATHANASII PRESBYTERI, ad Leonem Papam & ad Chalcedonen. Concilium.

SANCTISSIMO *& beatiss. vniuersali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & sancto & vniuersali Concilio, secundum Dei voluntatem & diuinum nutum congregato in Chalcedonensi ciuitate, à miserabili Athanasio quondam presbytero magnæ Alexandrinæ ciuitatis, & filio sororis sanctæ & beatæ memoriæ Episcopi Cyrilli.* Sanctæ & beatæ memoriæ Cyrillus, magnæ Alexandriæ ciuitatis quondàm triginta & duobus annis archiepiscopus, irreprehensibiliter & cum recta fide viuens, mihi quidem Athanasio & clariss. memoriæ Paulo fratri meo auunculus fuerat, meæ verò matris Isidoræ germanus. Hic moriturus testamentum condens, honorauit eum, quicunque ille post eum fuisset ordinatus archiepiscopus, plurimis & magnis legatis de sua substantia, coniurans eum in scriptis per venerabilia & terribilia mysteria, vt ipsius foueret genus, & in nullo eis laborem incuteret. Sed reuerendiss. Dioscorus, qui malo non solùm nostro, sed etiam totius illius diœceseos, succedens throno, inimicitias exercens, contra eius rectam fidem hæreticus constitutus, non solùm non fouet, sed pro nihilo ducens eius terribiles adiurationes, cõtraria in nos operatur, omnes aduersus nos exquirens insidias: & in principio quidem episcopatus (quem, nescio qua ratione, sortitus est) mihi & fratri meo adhuc tunc superstiti, mortem minitans, à nominatissima Alexandria quadam nos intentione exclusit, vt persequutionem passi, exinde ad feliciss. Constantinopolitanam vrbem peruenirem, sperantes mereri auxilium. Sed intentio reuerend. viri talis erat, quatenùs hic teneremur, & affligeremur tam ab iniquæ memoriæ Chrysaphio, quàm etiam & à magnificentissimo & gloriosissimo Nomo, tunc res totius orbis habenti, quæ manifesta sunt præ manibus. Hoc enim mandauit per literas, quasi magnum aliquid prouidens memoratis, vt nos quidem ab eis consumeremur, ipsis verò nostræ captionis gratiam se debere confiteretur. Quippe ilicò cùm in regiam vrbem peruenirem, sperantes mereri auxilium, sub custodia habiti, diuersis sumus pœnis subiecti, quousquè omnia, quæ in mobilibus habebamus, daremus, ita vt, cùm tormentis non sufficeremus, quasi pro remedio cogeremur cum grauissimis vsuris multos fœneratores inquirere, ita vt noster quidem frater clarissimæ memoriæ Paulus, non sustinens cruciatus & iniurias, humanis rebus excederet. Ego autem Athanasius, & nostra matertera, & vxor & filij fratris mei, malo nostro in humanis rebus permansimus, nihil aliud quàm fœneratores habentes sub grauissimis (sicut dixi) vsuris, vt de cæterò nec procedendi haberemus licentiam, pro frequentissima fœneratorum contra nos interpellatione, cùm non haberemus, vndè absolueremus debitum. Infinitam namque, & excedentem non solùm nostram virtutem, sed etiam diuitum insignium, pecuniam exacti sumus, ita vt nihil nobis relinqueretur. Super hæc autem, vt neque habitationem aliquam haberemus, nostras domos præparauit ecclesias fieri, meam Athanasij quarto tecto superiacentem, & quæ pro sui positione fieri non posset ecclesia, quia complectitur cum prædictis domibus, alias etiam vicinos domos & redditus tenens. Sed neque his contentus, me presbyterio priuauit, & alienum ab ecclesiastico fecit collegio, nulla aduersus me facta accusatione. Etiam agimus annum iam septimum errantes de loco in locum, aliquando quidem à creditoribus fugientes, aliquando & ab ipso neque in ecclesijs, neque in monasterijs habitare permissi. Sic ergò perueniente me Athanasio in metanœa, (id est, huius nominis suburbano magnæ Alexandriæ ciuitatis, quod aliquandò Canopos vocabatur, quod suburbanum ab initio & ex antiqua consuetudine, ad refrigerium confugientium constitutum est. Totum enim videtur esse sub tutela venerabilis monasterij Tabennensium) verùm etiam & intra fines sanctæ Dei ecclesiæ, habens & publicum balneum, in quo & reficere nostrum miserabile corpus, & tutelam ab insidiantibus sperabamus habere: intantùm autem ad impietatem memoratus reuerendiss. Episcopus declinauit, vt misericordioribus omni miseria nobis effectis, neque misereretur, neque aliquandò aliquod mandatum Christi præciperet impendi. Nam præcepit, neque

publicum balneum exhiberi, neque panem transmitti, aut alterum aliquem cibum ibidem venundari, ad hoc vnum respiciens, quatenùs sub angustia non lauandi & famis, periremus. Vnde ex multa angustia & penuria *paulominùs de humanis reb. excesserã, quod mihi quidẽ optabile erat, vt à tantis malis liberarer. Non autem contigit mihi per Dei misericordiam. Pecuniæ itaque, quas exacti sumus, quædam quidem de propria nostra substantia, aliæ verò sub grauissimis vsuris (sicut diximus) accommodatæ, vsque ad mille quadringentas plùs minùs auri libras extenduntur, quas à nobis magnificentissimus & glorioſissimus Nomus, per virum deuotum Seuerum magistrianum, & quondàm subadiutorem eiusdem deuotissimæ magistrianorum scholæ, accepit. Nec enim faciem illius barbari Chrysaphij vidimus. Has verò nostras & huiusmodi calamitates pro nihilo ducens, in possessionem relictarum mihi Athanasio rerum *mittitur, ita vt vndique mihi & necessarius victus deficeret, & posteà mendicando ab his qui misereri piè consueuerunt, mihi & reliquis duobus aut tribus mancipijs victum colligerem. Post has autem omnes pecunias exegit à nostris materteris, sororibus verò sanctæ & beatæ memoriæ Cyrilli, vsque ad ipsam animam, extremamque expugnationem afflictis metu mortis, impositis auri pondo octogintaquinque, nihilominùs & filios clarissimæ memoriæ mei fratris orbitate infelices, & eius vxorem, mortem mariti sui plangentem, auri pondo quadraginta. Considerate igitur omnia, Deo amantissimi, quia nec barbari aliquandò aduersus subiectos sibi talia commiserunt, qualia iste mirabilis doctor, qui alijs prædicare debuit obliuiſci malitiam. Talia autem ipse non solùm contra nos, sed etiam contra multos alios perpetrauit, & precamur vestram sanctitatem, vt vel nunc mereamur auxilium, & cognitione vobis proposita, quæ iniustè à magnificentiss. & glorioſiss. Nomo exacti sumus, recipiamus, vt reddamus fœneratoribus. Parati enim sumus, ostendere hunc magnificentiss. virum, qui nos illam quãtitatem exegit, & reuerendissimum Episcopum Dioscorum, & in ipsum Christum contumelias perpetrâsse, & multa alia commisisse, quæ non solùm legibus abdicata sunt, sed etiam immanissimis & ferocissimis Barbaris. Istius enim commissa, illorum credulitatem, & omnem circa Deum impietatem vicerunt. Et precamur, sicut & anteà obsecrauimus, vestrum mereri auxilium, quatenùs gratias agentes Deo & vestræ religiositati sanctæ, solitas orationes pro vestra sanctitate Christo omnium nostrum Saluatori fundamus. Rogamus verò, neque testes abesse, qui possunt tempore cognitionis de omnibus, quæ à nobis dicta sunt, testimonium perhibere. Miserabilis Athanasius presbyter nominatissimæ Alexandrinæ ciuitatis, hos libellos porrexi sanctissimo & vniuersali archiepiscopo & Patriarchæ Leoni, & sanctissimo & vniuersali Concilio sanctissimorum patrum Episcoporum. Et post hæc Athanasius dixit: Possum adesse meæ voci & opinioni, & per manifestissimas approbationes ostendere, omnia hæc aduersus meà reuerend. & Deo amantissimo Dioscoro perpetrata, in totis octo hodiè annis eo circumueniente me, & insidias faciente vsque ad ipsam salutem mihi, & omni nostro generi, & meis materteris, & ter beatissimo fratri meo, & vxori eius & orphanis infantibus. Ioannes Episcopus Metropolis Sebastiæ primæ Armeniæ, dixit: Quid etiam adstans desiderat, manifestiùs doceat. Sophronius dixit: Multa iniqua perpessus & ego à Dioscoro reuerendiss. Alexandrinæ ciuitatis Episcopo, ad sanctum hoc perueni Concilium. Et interpellans, dudùm libellos porrexi, & iubete eos relegi. Ioannes Episcopus Metropolitanus Sebastiæ, dixit: Et libelli præsentis Sophronij recitentur. Et accipiens Asclepiades diaconus & notarius, recitauit. Et cùm lecti fuissent, Sophronius dixit: Peto & meos libellos inseri monimentis. Patricius Episcopus Metropolitanus Tyanensis, dixit: Lecti libelli secundùm postulationem Sophronij, monimentorum seriei socientur.

id est, ferè

mittor vel mittimur.

LIBELLVS SOPHRONII CHRISTIANI, ad Leonem Papam & ad Chalcedonen. Concilium.

Sanctissimo & beatiss. vniuersali archiepiscopo & Patriarchæ magnæ vrbis Romæ Leoni, & sanctissimo Concilio secundùm voluntatem Dei & diuina mandata in Chalcedonensi ciuitate congregato, à Sophronio Christiano. Orationis meæ opus fuit, non solum * verò mihi minimo, verùm etiam omnibus, qui à Dioscoro Episcopo læsi sunt, vt secundùm volũtatem Dei, & sanctionem sanctissimorum dominorum orbis terræ, sanctum vestrum & euangelicum congregaretur Concilium, quatenùs interpellans edocerem, quantam tyrannidem & violentiam à memorato reuerend. Episcopo sustinui. Precor igitur vestram sanctam Synodum, suas mihi aures accommodare, vt, quæ in me commissa sunt, pro meis viribus doceam, licèt maiore sermone, quia magna sunt, egeant. Læsus enim sum maximè, & ego in paupertatem deductus, per diuersas circumuentiones reuerend. Dioscori magnæ Alexandrinæ ciuitatis Episcopi, per quas sæpiùs aduersus me pauperem malignè operatus est. Adiens doceo, diuersos habens obnoxios, necnon etiã & iniqua passus à Macario magnę Alexandrinæ ciuitatis curiali. Hic enim coniugem meam nomine Theodotem, ex qua & filios suscepi, neque repudio consequente, neque tristi aliquo commisso, sed in communi connubio constitutam, desiderio iniquo captus, raptam apud se habuit, ad hoc concitatus, quod neque Barbari vnquàm facilè perpetrauerunt. Vix tandèm perueniens ad dominos orbis terræ, & magnificentissimos & excellentissimos præfectos, accusaui memoratum Macarium, & certa super his acta sunt. Et præcepi, eum, qui cõtra iura perpetrare præsumpsit, repræsentari vnà cum mea coniuge Theodote, quatenùs legitima examinatio cognitionis proueniret, nominans & alios, qui mihi in scriptis vel sine scriptis probationibus obnoxij sunt. Habens itaque diuina decreta, sed & maximas sententias magnificentiss. & glorioſiss. præfectorum, necessariè verò & eorum executorem, id est, virum strenuum Theodorum ex amplissimo officio, reuersus sum in magnam Alexandrinam ciuitatem, quatenùs hæc executioni traderentur. Sed reuerend. Episcopus Dioscorus omnia indeuotè agens, arbitratusque se super omnes esse, neque immobilia decreta, neque magnificas concessit exequi sententias, suam magis prouinciam quàm Imperatorum esse dicens. Quippe immittit aduersus me Isidorum, nomen quidem habentem diaconi, sui verò furoris ministrum, cum latrocinantium agmine tam rusticorum quàm quorundam aliorum, vt me de rebus humanis facerent alienum: exequutorem verò mihi ab amplissimo officio delegatum, sine vlla accusatione abigerent: quod & factum est. Qui diaconus, secundùm præceptionem memorati reuerend. Episcopi Dioscori, non contentus ijs, insuper omnes meas abstulit facultates, quas in nauibus & multis rebus alijs possidebam, ex quibus cum nostris infantibus victum habebam. Ex inspirato enim ista cognoscens, aliquo mihi memorati insaniam nunciante, fugiens, saluatus sum. Quoniam igitur, quæ perpetrata sunt à reuerend. Episcopo Dioscoro, neque à Barbaris aliquando sunt commissa, ideò & deprecor vestram angelicam militiam, miseremini mei, & præcipite per Dei prouidentiam, hic comprehensum tyrannum mihi facere responsum. Præparatus enim sum ostendere, reuetend. Episcopum Dioscorum & aduersus sanctam homousion Trinitatem sæpius blasphemas emisisse voces, necnon etiam adulteria perpetrâsse, & in ipsam deuotionem peccâsse. Nam & sacra laureata, cùm pro felicitate orbis terræ & in Alexandrinam ciuitatem introissent, non recusauit agere, multas dispergens pecunias per Agoraſtum & Timotheum & alios quosdam, vt ea de ciuitate depelleret. Molestè enim ferebat, eò quòd talis orbis terræ dominus prædicaretur. Sepiùs enim magis AEgyptiacæ * diœceseos imperare volebat, sicut & gesta apud diuersos iudices confecta, demonstrant.

*verè

*diœcesi

Nam & vir spectabilis, tribunus & notarius Ioannes, testimonium perhibet, & nisi quia ex diuina prouidentia contigisset magnificentissimum & glorioſissimum Theodorum AEgyptiacæ prouinciæ gubernare negotia, fortem legum patronum, olim à prædicto tyranno magna Alexandrinorum ciuitas fuisset deleta. Quia enim non ego solus, sed etiam multi sunt alij experti insaniam prædicti reuerendissimi Dioscori, manifestum est, licèt qui pertulerunt, siue pro paupertate, siue pro timore eius tyrannidis, non sunt ausi, ad vestram sanctitatem peruenientes, eum accusare: peto ergò, & deprecor vestrum Angelicum Chorum,

Agoraſtum, hìc compræhenſum, vnum ex cooperatoribus eius inſaniæ, & ſyncellum eius exiſtentem, adduci, & iubete me apud veſtrum ſanctum & vniuerſale Concilium ingredientem, omnia probare quæ docui: Paratus enim ſum, ſi meruero à ſanctis veſtris auribus audientiam, oſtendere, reuerendiſſimum epiſcopum Dioſcorum hæc omnia perpetraſſe. Supraſcriptus Sophronius Chriſtianus hunc libellum obtuli ſancto & vniuerſali Concilio, ſicut præſcripta ſunt. Et poſt hæc ſancta ſynodus dixit: Omnes hi libelli geſtis inſerantur. Oportet enim eos rurſus recitari, adueniente ſanctiſſ. Dioſcoro, & querelam ſuſcipiente. Florentius epiſcopus metropolitanus Sardenſis dixit: Certis conſtitutis quæ lecta ſunt, & tertiò vocetur religioſiſ. Alexandrinorum epiſcopus Dioſcorus: quoniam hoc vult eccleſiaſtici ordinis conſequentia, vt ſi & poſt hanc tertiam euocationem venire recuſauerit, regulæ ſuo itinere gradiãtur. Paſchaſinus epiſcopus dixit: Conſequenter Deo amantiſſimus epiſcopus Florentius proſecutus eſt vt tertiò commoneatur per ſanctiſſimos fratres noſtros, quatenùs venire nõ differat, ad reſpondendum ſe accuſantibus. Et pro hoc (ſi placet ſanctæ & vniuerſali ſynodo) & tertiò vocetur reuerend. epiſcopus Dioſcorus. AEtius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Quoniam tertiam vocationem à ſancta ſynodo ad religioſiſſimum epiſcopum Dioſcorum fieri iudicatis, ſi placet, iubete aliquos ſanctiſſimos epiſcopos pergere, & commonefacere eum, vt occurrat vel nunc in ſacratiſſimum veſtrum Concilium. Sancta ſynodus dixit. Deo amantiſſimi epiſcopi Francion, Lucianus & Ioannes, pergẽtes ad ſanctiſſimum epiſcopum Dioſcorum, manifeſtam ei tertiam conſtituant vocationem, eum fraternè monentes.

LITERAE DIRECTAE A CONCILIO ad Dioſcorum, quibus iam tertiò vocatus eſt.

SANCTA & magna vniuerſalis ſynodus ſanctiſſimo epiſcopo Dioſcoro. Quæ à tua religioſitate mandantur, multam & diuerſam habent varietatem. Aliquandò enim teneri te à deuotiſſimis magiſtrianis atque ſcholaribus ſignificant. Deinde poſt eorum permiſſionem oportere confingunt, præſentes eſſe debere magnificentiſſimos & glorioſiſſimos Iudices. Rurſus ægritudinem proferunt, & iterùm magnificentiſſimorum & glorioſiſſimorum iudicum conſeſſionem ſimulant expectare. Inſuper poſtulaſſe etiam à pijſſimo & Chriſti amico noſtro Imperatore, & Deo amantiſſim. epiſcopos Iuuenalem, Thalaſſium, Euſebium, Baſilium, & Euſtathium vnà tecum adeſſe in ijs, quæ contra te dicta ſunt, ſignificant. Quorum ſingula nullo modo veritati concordant, quoniam vnumquodque dictorum tuorum repellit ex differentia veritatem. Quoniam igitur neque pijſſimus & Chriſti amicus Imperator noſter, ea quæ dixiſti, decreuit, ſed permiſit ſancto huic & vniuerſali Concilio audientiam, neque aliud aliquid à præſenti regulari examinatione nos prohibet omni depoſita occaſione, dignare aduenire in ſacrum hoc Concilium, ad ſatisfaciendum ſimul & reuerendo Euſebio epiſcopo, & ijs quæ tibi nunc ingeruntur, reſponſurus, & qui in præſenti aduerſus te alios accuſatorios dederunt libellos, non paucis conſtitutis, & qui ab Alexandria orti ſunt, clericis & laicis, quorum nomina ſunt, Athanaſius, Theodorus, Iſchyrion, Sophronius, & Theodorus, ſciens quòd ſi poſt tertiam hanc regularem vocationem, ex omni parte nullam habentem ſuſpicionem, ad veniendum diſtuleris, præſens ſancta & magna & vniuerſalis ſynodus ad illum veniet modum, qui contra pertinaces & contemptores ſynodalis vocationis ſcit mouere pœnam à canonibus conſtitutam. Direximus verò ad te & nunc tertiæ euocationis gratia, DEO amantiſſimos coepiſcopos noſtros Francionem metropolitanum Philippipoleos, & Lucianum Byzenum prouinciæ Thraciæ, & Ioannem Germaniciæ ciuitatis Orientalis.

Anatolius Deo amantiſſimus archiepiſcopus dixit: Dignentur Francion & Lucianus & Ioannes Deo amantiſſimi epiſcopi, ſicut complacuit, pergere ad DEO amantiſſimum epiſcopum Dioſcorum, rogare eum, vt vel nunc adſit huic ſancto Concilio.

Francion epiſcopus metropolitanus Philippipoleos, dixit: Vnum de excipientibus notarijs iubete nobiſcum venire, ad perlegenda Deo amantiſſimo Dioſcoro epiſcopo, quæ ei mandata ſunt à veſtro ſancto Concilio.

Sancta ſynodus dixit: Pergat Palladius diaconus & notarius Deo amantiſſimi epiſcopi, Patricij, & quæ à nobis ei dicta ſunt, ex exceptis ſuis Deo amantiſſimo epiſcopo Dioſcoro, præſentibus directis * cum Deo amantiſſimis epiſcopis, relegat. Et redeuntibus rurſus ijs reuerendiſſimis epiſcopis, AEtius archidiaconus & primicerius notariorum, dixit: Qui deſtinati ſunt ſanctiſſimi epiſcopi, ad Deo amantiſſimum epiſcopum Dioſcorum, ob faciendam ad eum ſecundùm diuinas regulas tertiam vocationem, adſunt. Et hoc ipſum ſuggero. * cum eo, Deo

Anatolius epiſcopus Conſtantinopolitanus nouæ Romæ, dixit: Dignemini referre nobis, quale & ipſi nunc pro tertia vocatione à Deo amantiſſimo epiſcopo Dioſcoro accepiſtis reſponſum.

Maximus epiſcopus Antiochiæ magnę ciuitatis, dixit: Relegantur ea, quæ à Deo amãtiſſimo epiſcopo Dioſcoro in tertia euocatione mandata ſunt.

Francion epiſcopus metropolitanus Philippipoleos, dixit: Sicut præcipere dignata eſt veſtra ſanctitas, pergere nos ad Deo amantiſſimum Dioſcorum epiſcopum, peruenimus, & quæ mandata fuerant, verbis ei nunciauimus, & tertiam vocationem in ſcriptis directã, perlegi fecimus, & petimus, tam quæ à nobis ad eum dicta, quàm quæ ab ipſo reſponſa ſunt relegi ſancto Concilio.

Maximus epiſc. magnæ ciuitatis Antiochiæ, dixit: Legantur, quæ à reuerẽd. epiſc. Dioſcoro pro tertia vocatione mandata ſunt.

Palladius diaconus & notarius Patricij DEO amantiſſimi Epiſcopi Tyanenſis, recitauit ita: Francion epiſcopus Philippipolitanus, ad Dioſcorum Alexandriæ ciuitatis Epiſcopum dixit: Sancta & vniuerſalis ſynodus congregata in baſilica ſanctæ martyris Euphemiæ, noſtram humilitatem ad tuam religioſitatem deſtinauit, tertiam iam hanc vocationem faciens, ſecundùm conſequentiam ſanctorum canonum. Et hanc vocationem, quam in ſcriptis fecit, iubeat tua reuerentia recitari, vt digneris aduenire in ſanctam eorum congregationem, ob reſpondendum ad ea quæ ingeruntur.

Dioſcorus epiſcopus dixit: Sufficienter docui veſtram religioſitatem, quibus addere aliquid nõ poſſum, illa enim ſufficiunt mihi.

Lucianus epiſcopus Byzetanus, dicit: Decet tuam ſanctitatem, obedire ſancto & magno & vniuerſali Concilio, & confidentia ſuæ cõſcientiæ aduenire ad ſatisfaciendum ſuper ijs, quæ ſibi ingeruntur, ne ampliùs contradicens, regulari increpatione ſuccumbat, præcipuè iam tertia hac ad te à ſancta & magna ſynodo facta vocatione.

Dioſcorus epiſcopus dixit: Quæ dixi, dixi: quibus addere aliquid non poſſum.

Ioannes Epiſcopus Germaniciæ, dixit: Ante tres dies ſecũdùm præceptionem pijſſimi & Chriſti amici noſtri Imperatoris, magnificentiſſimi & glorioſiſſimi iudices, & ſacratiſſimus ſenatus, vnà cum ſancta & magna ſynodo examinationem de ijs peccatis, quæ ingerebantur tuæ religioſitati à religioſiſſimo epiſcopo Euſebio, fecit, & decernẽs aduerſus tuam reuerentiam, promulgauit ſentẽtiam, ſi hoc placuiſſet ſanctiſſimis epiſcopis, quibus hãc inferre à Domino Deo creditum eſt. Sed quod ipſam decet, ſancta & magna ſynodus mente cõcipiens, hactenus tuæ religioſitati dedit inducias. Dignare igitur (ſi conſcientia veteris munda) aduenire, & ſanctæ & magnæ ſynodo reſpondere. Dioſcorus epiſcopus dixit: Et tertiò hæc eadem dico, quòd addere aliquid ijs, quæ iam dicta ſunt, non habeo.

Francion epiſcopus dixit: Sed neceſſarium ducimus, ad ſanctam ſynodum tuam religioſitatem aduenire, & reſpondere, vt quæ DEO placuerint, ordinentur. Dioſcorus epiſcopus dixit: Iterùm hæc eadem dico, & nihil ampliùs addere habeo ijs, quæ dicta ſunt.

Lucianus epiſcopus dixit: Non parua neque læuia inferun-

tur in libellis, qui aduersus tuam reuerentiam sancto & vniuersali Concilio oblati sunt. Si ergò tibijpsi cõfidis, quasi potens adesse super ijs, quæ ingeruntur, petimus te adesse, vt ostendas, quia per omnia ab ijs, in quibus reprehenderis, innocens & alienus existis.

Dioscori, immò hæreticorum omnium pertinaciæ specimen.

Dioscorus episcopus dixit: Quid me compellis alia dicere? Hæc eadem, quæ priùs dico.

Ioannes episcopus dixit: Non est violentiæ causa. Magna & vniuersalis & sancta est Synodus. Et credimus, quia sicut placitum est Deo, ita iudicat. Si igitur scit tua sanctitas, posse destruere querimonias, quæ sibi ingeruntur tam à Deo amantiss. episcopo Eusebio, quàm ab ijs, qui hodiè interpellantes obtulerunt libellos, adesto, & à macula libera sanctam DEI Ecclesiam. Dioscorus episcopus dixit: Maculam non habet Ecclesia. Absit. Ego enim scio, quomodo occurri responsionibus.

Ioannes episcopus dixit: Delicta sacerdotum, communis est turpitudo. Si igitur scit tua sanctitas calumniam se ab aliquibus pati, non est longè sancta Synodus. Fatigare, vt conuincas mendacium.

Dioscorus episcopus dixit: Quæ dixi, dixi: & hæc mihi sufficiunt. Et postquàm recitatum est, Paschasinus episcopus dixit: Cognouit Deo amabilis & beatissima Synodus, quoniã tertiò vocatus per Deo amantiss. episcopos, Francionem, Lucianum & Ioannem, Dioscorus episcopus ad respondendum suis accusationibus, sciens se esse obnoxium, venire contempsit. Quo igitur dignus est ita contemnens vestra sanctitas ore proprio faciat manifestum.

Sancta Synodus dixit: Indignatione quæ contra inobedientes à sanctis regulis constituta est.

Stephanus episcopus Ephesi metropolis, dixit: Hoc consequens est, vt qui secũdùm sanctos canones vocatus, eosdem canones conculcauit, eorum sententiæ subiaceat.

Paschasinus episcopus dixit: iterum rogamus vestram beatitudinem. Ecce tertiò à sanctis fratribus & coepiscopis nostris vocatus, & contemnens, & non veniens, quo dignus est? Quid placeat vestræ sanctitati, volumus discere. Sancta Synodus dixit, Quæ placita sunt Canonibus. Lucianus episcopus dixit: A beatiss. patre nostro & episcopo Cyrillo in sancta Ephesia Synodo contra Nestorium quædam acta sunt: ipsa inspicientes, formam, quæ placuerit, date. Paschasinus episcopus dixit: Iubet religiositas vestra, vt vltione ecclesiastica contra eum vtamur? Consentitis? Sancta Synodus dixit: Omnes consentimus, quæ regulis sunt placita, in eo fieri. Paschasinus episcopus dixit: Iubet religiositas vestra, vt ecclesiastica sententia aduersus eum vtamur? Sancta Synodus dixit: Etiam consentimus. Quintus episcopus Phocensis dixit: Quandò sanctum virum Flauianum Catholicæ fidei custodem interfecit, neque Canones protulit, neque lecti sunt, neque aliquo ecclesiastico ordine vsus est, sed propria vtens authoritate, eum damnauit. Nunc verò omnia canonicè placuerunt, & non debent iterùm dilationibus protrahi. Proterius episcopus Smyrnensis dixit: Quandò interfectus est sanctus Flauianus, nihil cõsequenter super eum actum est. Nunc verò tanti sunt patres, & nunc iterum protractiones tentatis exquirere, omnibus piè in sancto Concilio congestis? Iulianus episcopus Hypepensis, dixit: Sancti patres audite: Quandò in Ephesia metropoli primatum habebat Dioscorus, ad iudicandum inter sanctum Flauianum & religiosissimum Eusebium episcopum, inter quæ Eutyches, ex omni parte iniquam proferens sententiam, ipse priùs prosequutus est iniustum iudicium, & omnes *cum necessitate sequuti sunt. Nunc vestra sanctitas primatum tenet sanctissimi Leonis, & cognouit vestra sanctitas & omne sanctum Concilium, quòd secundùm Dei gratiam & sanctionem pijssimorum nostrorum Imperatorum congregatum est, & cognouit singula, quæ in Epheso iniustè facta sunt, & omnia quæ ibi gesta sunt, vestræ sanctitati innotuerunt. Et semel, & secundò, & tertiò vocauit Dioscorum, & nullatenùs voluit obedire. Petimus vestram sanctitatem, qui habes, magis autem qui habetis locum sanctiss. Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. Omnis enim & tota vniuersalis Synodus concors efficitur vestræ sanctitatis sententiæ. Paschasinus episcopus dixit: Iterum dico: Quid placet beatitudini vestræ? Maximus episcopus magnæ Antiochenæ ciuitatis, dixit: Quod videtur sanctitati vestræ, & nos cõcordes efficimur. Paschasinus episcopus Lilybætanus prouinciæ Siciliæ, & cum ipso Lucentius episcopus Siculanen. & Bonifacius presbyter magnæ Romanæ Ecclesiæ, tenentes locum sanctiss. & beatiss. archiepiscopi Apostolicæ sedis magnæ & senioris Romæ Leonis, pronunciauerunt: Manifesta facta sunt, quæ à Dioscoro quondàm Alexandriæ magnæ ciuitatis episcopo commissa sunt, aduersus sanctarum regularum ordinem, & ecclesiasticam disciplinam, tam ex ijs quæ dudum examinata sunt in priori confessu, quàm ex ijs, quæ hodiè acta sunt. Hic enim (vt plurima intermittamus) Eutychen similia sibi sapientem, & regulariter à proprio damnatum episcopo (id est, sanctissimo patre nostro & archiepiscopo quondàm Flauiano) præsumens sibi primatum, irregulariter in communione suscepit, priusquàm consideret in Epheso cum Deo amantissimis episcopis. Sed illa quidem Apostolica sedes veniam præstitit de ijs, quæ ibi non voluntariè ab eis gesta sunt, qui & hactenus permanserunt obedientes sanctissimo archiepiscopo Leoni, & omni sancto & vniuersali Concilio. Huius gratia, & in sua communione eos sicut confideles suscepit. Hic autem & hactenùs permanent glorians in eis, pro quibus eum oportebat gemere, & se terræ prosternere. Super hæc verò, neq; epistolam legi permisit beatiss. Papæ Leonis, scriptam ad sanctæ memoriæ Flauianum, & hoc frequenter rogatus à portitoribus recitari eam, & cum iuramento fieri lectionem promittens. Qua non lecta, scandalum & læsionem sanctæ Dei ecclesiæ per totum orbem terræ pertulerunt. Sed tamen talibus ab eo audacter commissis, deliberabamus, vt de priore sua pessima actione aliqua ei præstaretur clementia, sicut & cæteris reuerend. episcopis, & ijs, qui neque similem ei authoritatem iudicandi habuerunt. Sed quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valdè transcendit, (præsumpsit enim & excommunicationem dictare aduersus sanctiss. & beatiss. archiepiscopum magnæ Romæ Leonem, insuper etiam & multi libelli multis eius pleni iniquitatibus, contra eum in sancto & magno Concilio oblati sunt, & semel, & secundò, & tertiò per Deo amantiss. episcopos regulariter vocatus, minimè voluit obedire, propria vtiquè conscientia stimulatus, & hos, qui à diuersis Concilijs regulariter damnati sunt, contra diuinas leges suscepit) ideò ipse contra se elicuit sententiam, sæpius ecclesiasticos conculcans Canones. Vnde sanctiss. & beatiss. archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo, per nos & per præsentem sanctam Synodum, vnà cum ter beatiss. & omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido catholicæ Ecclesiæ, & ille, qui est rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam episcopatûs dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienauit ministerio. Igitur sancta hæc & magna Synodus, quæ placent regulis, super memorato Dioscoro decernat.

De periurio notatur Dioscorus.

Dioscorus pro sua intoleranda superbia ausus excommunicare Papam Rom. ob id maximè damnatus est.

Sententia dãnationis in Dioscorum primi, pronunciãt legati Leonis.

Anatolius archiepiscopus regiæ Constantinopolis nouæ Romæ, dixit: Hæc eadem Apostolicæ sedis per omnia sapiens, concors sententiæ efficior super damnatione Dioscori quondàm Alexandrinæ magnæ ciuitatis episcopi, qui seipsum ab omni sacerdotali ministerio ostendit alienum, eò quòd in omnibus sanctorum patrum regulis extitit inobediens, & tertiò canonicè vocatus, noluit obtemperare.

Maximus episcopus magnæ Antiochiæ ciuitatis, dixit: Optabam quidem, nullum ex fratribus & consacerdotibus quondàm meis, talibus peccatis *irruere, vt etiam regulis subiaceret. Quoniam verò Dioscorus quondàm Alexandrinæ magnæ ciuitatis episcopus, super alia & tertiò ad se facta regulari vocatione, inobediens visus est, non occurrens: ideò eum ecclesiasticæ sententiæ subijcio, sicut & sanctiss. & beatiss. archiepiscopus & pater noster Leo regiæ senioris vrbis Romæ, per vicarios suos sanctissimos episcopos Paschasinum & Lucentium, & religiosissimum presbyterum eiusdem magnæ Romæ Bonifacium, & sanctissimus & beatissimus regiæ nouæ Romæ archiepiscopus Anatolius interlocuti sunt. Et ego his concors efficiens, alienum eum iudico ab omni episcopali siue sacerdotali dignitate & ministerio.

*cum Primatus Romani Põtificis, cõfessione Vniuersalis Concilij.

*for. irret fi.

Stephanus episcopus Ephesi metropolis, dixit: Et ego his, quæ dicta sunt à religiosiss. & sanctiss. Leone & Anatolio super damnatione Dioscori quondàm Alexandrinæ magnæ

ciuitatis episcopi, concors efficior, & alienum eum ab omni sacerdotali dignitate esse definio. Lucianus episcopus Byziæ ciuitatis, agens vices Deo amantissimi episcopi Cyriaci metropolitani Heracleæ, pro ipso dixit: His quæ secundùm Deum, & magno Concilio super damnatione Dioscori quondàm magnæ Alexandrinæ ciuitatis episcopi benè placuerunt, consentio, alienans eum ab omni sacerdotali ministerio & dignitate.

Diogenes episc. metropolis Cyzici ciuitatis dixit: Dioscorus quondàm magnæ Alexandrinæ ciuitatis episcopus, aduersus eum oblatis libellis, tertiò regulariter per religiosissimos episcopos vocatus, & non obediens, semetipsum huiusmodi increpationibus fecit obnoxium. Vnde & ego consentio his, quæ aduersus eum sunt definita, alienans eum ab omni sacerdotali ministerio, consentiens his, quæ statuta sunt à sanctissimo & beatissimo archiepiscopo Romano Leone, & his quæ à sanctissimo & beatissimo regiæ nouæ Romæ Anatolio, & præsente sancto & vniuersali Concilio.

Iulianus episcopus Coensis & legatus Romanæ Ecclesiæ, dixit: Mihi quidem lachrymarum fontes distillant, & tenet linguam ad explanationem communis compassio: sed quoniam præter meum votum Dioscorus magnæ Alexandrinæ ciuitatis episcopus, tot seipsum per inobedientiam criminibus monstrauit obnoxium, accusatus à diuersis in multis delictis, & tertiò vocatus, regulariter occurrere minimè voluit, debilitate conscientiæ tentus, dolens & gemens dico, alienus est ab episcopatus dignitate & omni sacerdotali ministerio.

Eunomius episcopus Nicomediæ ciuitatis metropolitanus, dixit: His, quæ sub diligentia sancti huius & vniuersalis concilij examinationibus super Dioscoro, qui fuit magnæ Alexandrinæ ciuitatis episcopus, cum legitima cautela gesta sunt, & ego consequenter decerno, alienum eum iudicans à sede sacerdotali.

Petrus episcopus metropolitanus Corinthi Achaiæ prouinciæ, dixit: Consentio & ego his interloquutionibus, tam vicariorum sanctissimi & beatissimi archiepiscopi maximæ Romæ Leonis, & sanctissimi & Deo amantissimi & * omni laude supergressi Anatolij, super damnatione Dioscori, & alienum eum ab omni sacerdotali ministerio esse decerno.

*omnem laudem

Eleutherius episcopus Chalcedonensis, dixit: Omnibus iustè definitis à sancta hac & vniuersali Synodo aduersus Dioscorum, quondàm magnæ Alexandrinæ ciuit. episcopum, concors effectus, alienum eum esse iudico ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Theodorus episcopus metropolitanus Tarsensis, dixit: Seipsum alienum fecit à sacerdotali dignitate Dioscorus, Eutychen, damnatum à sanctæ memoriæ Flauiano, in communionem suam irregulariter susciplens, super criminibus verò grauissimis accusatus, & vocatus à sancto & vniuersali Concilio, non obtemperans: vnde & à maximis sedibus tam magnæ Romæ, quàm nouæ Romæ sanctissimarum ecclesiarum archiepiscopis, Leone & Anatolio iustè damnatus est. Quibus & ego concors effectus, interlocutus sum, alienum eum iudicans ab omni pontificali ministerio.

Romanus episcopus metropolitanus Myrenæ ciuitatis, dixit: Dioscorum accusatum per oblationem libellorum à religiosissimo episcopo Eusebio, insuper etiam & à diuersis clericis in sancta & vniuersali Synodo, congregata secundùm sanctionem pijssimorum & Christianissimorum nostrorum Imperatorum, in Chalcedonensi ciuitate, tertia ad eum regulariter facta vocatione per reuerend. episcopos, vt veniret, & de his, quæ ab eis ingerebantur, sibi adesset, & minimè obedientem, consono & ego, sequens sanctissimum & Deo amantissimum Leonem senioris Romæ, & sanctiss. & Deo amantissimum archiepiscopum nouæ Romę Constantinopolitanum Anatolium, & omne sanctum & vniuersale Concilium profiteor prædictum Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum, contemnentem, & nō obedientem, alienum esse tam ab episcopatus dignitate, quàm ab omni sacerdotali ministerio.

Cyrus episcopus metropolitanus Anazarbenæ ciuitatis, dixit: Lamentatione quidem dignum est, aliquem patrem quondàm nostrorum huiusmodi incidisse delicta, quę sacerdotali eum alienarent dignitate. Quoniam verò ea, quæ super Dioscoro quondàm episcopo magnæ Alexandrinæ ciuitatis subsecuta sunt, & tres, quæ ad eum factæ sunt vocationes, quibus noluit obedire, compulerunt sanctos & beatissimos nostros patres regulariter, & consequenter eum ab episcopali dignitate & ministerio exterum constituere: hæc & ego, quæ ab eis rectè & iustè iudicata sunt, sequens, eadem decerno, alienum eum iudicans ab episcopali dignitate & ministerio.

Constantinus episcopus metropolis Melitenæ ciuitatis, dixit: Ploro quidem, & plango per suos actus ruentem de episcopali gradu Dioscorum, quondàm Alexandrinæ magnæ ciuitatis episcopum. Tamen quoniam consequenter & canonicè & iustè aduersus eum à sancto & beatissimo archiepiscopo Leone, & beatissimo Anatolio archiepiscopo nouę Romę Constantinopolitano, & sancto & magno & vniuersali Chalcedonensi Concilio est prolata sententia, concors efficior his quæ super prędicto definita sunt, alienum eum iudicans ab omni sacerdotali ministerio.

Seleucus Episcopus metropolitanus Sebastiæ Armeniæ primæ ciuitatis, dixit: His, quæ legitime & canonicè nuper prolata sunt ab Apostolica Romana Sede, per sanctissimos episcopos, qui in eius loco aduenerunt, & à sanctissimo & Deo amantissimo archiepiscopo nouæ Romæ Anatolio, & ab omni sancto Concilio super Dioscoro magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopo, & ipse consentio & concordo, & ab omni eum alienum iudico pontificatus ministerio.

Ioannes episcopus Metropolitanus Sebastiæ ciuitatis dixit: Iusta & regularis prolata sententia est à Deo amantissimo & sanctissimo patre nostro & archiepiscopo Romano Leone, & Deo amantiss. & sanctiss. archiepiscopo Anatolio nouæ Romæ Constantinopolitano, & à sancto hoc & vniuersali Concilio super Dioscoro Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopo. Et ego omnibus, quæ super eum sunt placita, consentiens, alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Constantinus episcopus metropolitanus Bostrenæ ciuitatis, dixit: Consentio & ego his, quæ definita aduersus Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum à vicarijs sanctissimi Leonis, Deo amantiss. episcopis, & à sancto & beatiss. archiepiscopo regiæ Constanop. ciuit. nouæ Romæ Anatolio, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Calogerus episcopus Claudiopolis ciuitatis metropolitanus dixit: Consentio his, quæ regulariter & iustè super Dioscoro Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopo facta sunt, decernens eum alienum esse ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Patricius episcopus Tyanæ ciuitatis metropolitanus, dixit: Ego quidem optabam, non interesse audaciæ Dioscori, ita contemnentis tam diuinos Canones, quàm etiam sanctissimos patres & archiepiscopos magnæ Romæ Leonem, & nouæ Romæ Anatolium, & omne sanctum & vniuersale Cōcilium. Quoniam verò, quæ commissa sunt, omnem repulerunt regularem consequentiam, concors sum omnibus his, quæ super eo à maximè Deo amabili Synodo ordinata sunt, alienum eum iudicans ab omni pontificali ministerio.

Amphilochius episcopus Metropolitanus Pamphyliæ prouinciæ Sidenæ ciuitatis, dixit: Votum quidem mihi erat, nec qualecunque quidem, maximè autem honoratum ecclesiæ membrum, abscindere. Quoniam verò Dioscorus Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopus, super quibus accusatus est à quibusdam, tertiò vocatus à sancto & vniuersali Concilio, minimè occurrit, & super seipsum sanctæ Synodi attraxit sententiam, sibimet hoc ipsum iustè reputet.

Epiphanius episcopus Metropolitanus prouinciæ Pamphyliæ Pergenæ ciuit. dixit: Optabam quidem ex nulla parte, neque super minores talem proferre sententiam, qualem aduersus Dioscorum magnæ Alexandrinæ ciuit. quondàm episcopum. Sed quoniam seipsum obnoxium constituit, nolens tertiò à sancto & vniuersali Concilio vocatus, aduenire, & satisfacere de his, quæ ei ingerebantur, consentio cum omnibus his, quæ super eo iudicata sunt.

Theodorus episcopus Metropolitanus Damascenæ ciuitatis, dixit: Rectè & iustè, & secundùm sanctorum Canonum normam, sancta & magna synodus diffiniuit, quatenùs Dioscorus sit alienus à sacerdotali & episcopali dignitate. Propter quod & ego alienum eum ab omni sacerdotali ministerio iudico, concors effectus his, quæ placita sunt (sicut prædixi) sanctæ & magnæ synodo.

Atticus episcopus metropolis veteris Epiri Nicopolitanæ ciuitatis, dixit: Regularem fidem sanctorum patrum decernentium damnationem Dioscori, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondam episcopi, & ego sequens, concors efficior.

Onesiphorus episcopus metropolis Iconij ciuitatis, dixit: Oportebat quidem, reuerendissimum Dioscorum, & scientem regulas, & consuetudinem minimè ignorantem, obtemperare his, quæ à sancto & vniuersali Concilio præcepta fuerant, & tertiò vocatum eum per Deo amantissimos episcopos, aduenire in sanctum concilium, ad satisfaciendum de his, quæ ei ingerebantur.

Basilius episcopus metropolitanus Traianupolis ciuitatis, dixit: His quæ placuerunt sancto Concilio super Dioscoro, consentit & mea paruitas.

Florentius episcopus metropolis Sardenæ ciuitatis, dixit: Sequens & ego hæc, quæ decreta sunt à sanctiss. & beatiss. Papa Leone, per eius beatitudinis hic inter gesta vicarios, & per alios sanctos episcopos, Dioscorum magnæ Alexandrinæ ciuitatis episcopum, alienum à sacerdotio & communione ecclesiastica decerno, propter suprascriptas culpas.

Francion episcopus metropolitanus Philippipolis ciuitatis, dixit: Concors & ego efficior Apostolicæ sedi, & sanctiss. & Deo amantiss. archiepiscopo Anatolio nouæ Romæ Constantinopolitanæ ciuitatis: & præsenti sancto & vniuersali concilio, de damnatione Dioscori Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, & iudico alienum eum esse tam à dignitate sacerdotali, quàm etiam communione terribilis mysterij.

Ioannes episcopus metropolitanus *Rhodi insulæ, dixit: Omnibus iustè & regulariter de his, à sancta hac & vniuersali synodo aduersus Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum, concors & ego effectus, alienum eum iudico ab omni sacerdotali, siue etiam episcopali dignitate & ministerio.

Petrus episcopus metropolitanus Gangrenæ ciuitatis, dixit: Quæ placuerunt Apostolicę sedi, & sanctis patribus super damnatione Dioscori, his & ego consensi.

Photius episcopus metropolitanę ciuitatis Tyri, dixit: Iustæ & regulari sententiæ, quæ facta est in Dioscorum magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum, à sanctissimo & beatissimo archiepiscop. Leone, & sanctiss. & beatiss. archiep. huius regiæ vrbis Anatolio, & à sancto & vniuersali Concilio, quod secundùm decretum DEI & imperialem sanctionẽ in Chalcedonensi ciuitate factum est, consentio, & decerno ea, quæ super eo sunt placita, & alienum eum habeo ab omni sacerdotali dignitate.

Nunechius episcopus metropolitanus Laodicææ ciuitatis, dixit: Secundùm ea, quæ definita sunt à Deo amantissimo & sanctissimo patre nostro & archiepiscopo senioris Romæ Leone, per directos ab eo DEO amantissimos episcopos, & Deo amantissimum presbyterũ Bonifacium, & à Deo amantissimo & sanctissimo Anatolio archiepiscopo nouæ Romæ Constantinopolitanæ ciuitatis, & omni præsenti Concilio, iudico & ipse Dioscorũ Alexandrinæ magnæ ciuitatis, quondàm episcopum, alienum esse ab omni sacerdotali ministerio.

Pergamius episcopus metropolitanus Pisidiæ prouinciæ Antiochenæ ciuitatis, dixit: Plurimam olim confusionem contra diuinos Canones operantem Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum, & post multa aduersus eum à diuersis personis in sancta & magna synodo in scriptis depositа, vocatum eum probabiliter non semel, neque secundò, sed tertiò, & aduenire minimè passum, sed aliqua inconsequenter & indecenter responsa facientem, & propter hoc iustè damnatum ab vniuersali hoc sancto Concilio, alienum eum esse à sacerdotali ministerio, & dignitate, similiter & ego prædictis increpationibus subiacere eum decerno.

Meletius episcopus Larissenæ ciuitatis, faciens verba pro Domno sanctissimo episcopo metropolitano Apameæ ciuitatis, dixit: Hæc eadem & ego decerno, concors effectus sanctis patribus aduersus Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum, & eum alienum facio ab omni sacerdotali ministerio & dignitate.

Critonianus episcopus metropolitanus Aphrodisiadæ ciuitatis, dixit: Secundùm prolatam sententiam aduersus Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum, à sanctissimis & Deo amantissimis archiepiscopis & patribus nostris magnarum & regalium vrbium, secundò & tertiò regulariter vocatum, & minimè obedientem, & ego concors effectus eidem sententię, alienum eum definio ab omni sacerdotali ordine & ministerio.

*Simeon episcopus metropolitanus *Amidenæ ciuitatis, dixit: Concors & ego sum regulariter gestis super damnatione Dioscori, quondàm episcopi Alexandrinæ magnæ ciuitatis, à sanctissimo & Deo amãtissimo archiepiscopo nouæ Romæ Constantinopolitanæ ciuitatis Anatolio, & sanctissimis & Deo amantissimis episcopis in sancto hoc Concilio cõgregatis, alienum iudicans eundem Dioscorum ab omni episcopali dignitate & ministerio. *Simeonius *Amydenæ

Theoctistus episcopus metropolitanus Pessinuntenæ ciuitatis, dixit: Consentio & ego omnibus, quæ aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopum, ordinata sunt à sancto & vniuersali Concilio, per Photinum religiosissimum archidiaconum meum alienans eum ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

*Phontennus episcopus Sagalessenæ ciuitatis, dixit: Concors efficior his, quæ statuta sunt à sanctissimis patribus super damnatione Dioscori, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi, & alienum eum existimo ab omni sacerdotali ecclesiastico ordine. *Fonteianus hucusque dictus.

Neoptolemus episcopus Cornensis, dixit: Necessarium est & nos sequi, quæ regulariter aduersus Dioscorum sanctis patribus & metropolitanis episcopis sunt placita. Vnde & ipse consentio factæ super eo damnationi.

Acholius episcopus Larandanæ ciuitatis, dixit: Iustè & regulariter iudicatis, à sanctis patribus aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopum, cõcors & ego effectus sum in eius damnatione.

Iulianus episcopus Hypepæ, dixit: Et ego consentio omnibus, quæ interloquuti sunt sanctissimi episcopi Paschasinus & Lucentius, & Bonifacius reuerend. presbyter, vicarij sanctissimi & beatissimi archiepiscopi Romani, & sanctissimus & beatissimus archiepiscopus regiæ Constantinopolitanæ ciuitatis nouæ Romæ Anatolius, & omnibus quæ definiuit sancta & vniuersalis synodus super Dioscoro, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopo, & iudico eum esse alienùm ab omni sacerdotali dignitate, & à fruitione sancti & inenarrabilis mysterij Dei nostri.

Leontius episcopus Magnesiæ ciuitatis dixit: Lex est pia, patribus obedire, & eorum sequi iudicia. Hanc legem & in præsenti custodiens, eis quæ ordinata sunt super Dioscoro, concors & ego efficior, alienans eum ab omni sacerdotali dignitate.

Eudoxius episcopus *Chomatenæ ciuitatis, dixit. Secundùm ea, quæ à sanctis patribus approbata sunt super damnatione Dioscori, quondàm Alexandrinæ magnæ ciuitatis episcopi, & ego consentio, & alienum eum ab omni sacerdotio iudico.

Stephanus episcopus Lymiræ ciuitatis, dixit: Consentio regulariter factæ Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, damnationi. Propter quod & ego minimus definio, eum esse ab omni sacerdotio alienum.

Fronto episcopus Phaselidenæ ciuitatis, dixit: Concors sum & ipse damnationi factæ super Dioscoro magnę Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopo, & alienum eum ab omni episcopali & sacerdotali ministerio esse approbaui; sicut & sancti patres, & sanctum decreuit Concilium.

Theodorus episcopus Antiophellenę ciuitatis, dixit: Cõsentio damnationi Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, sicut sanctis regulis placuit, alienum eum existimans ab omni sacerdotali dignitate.

Leontius episcopus Zarenæ ciuitatis, dixit: Secundùm

prolatam sententiam à sanctis per omnia patribus aduersus Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondam episcopum, concors efficior in eius damnatione, ab omni sacerdotali dignitate, alienum eum existimans.

Antipater episcopus Cauninæ ciuitatis, dixit: Consentio in Dioscori Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, damnatione, & ab omni sacerdotali ministerio alienum eum iudico.

Philippus episcopus *Liburnæ ciuitatis, dixit: Concors efficior confessionibus sanctorum patrum, factis super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, & approbo & ego alienum eum esse ab episcopatus dignitate & omni sacerdotali ministerio.

*Lyrnensis

Cratianus episcopus Panormensis, dixit: Concors & ego efficior in damnatione Dioscori, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi, facta à sanctis patribus, & alienũ eum existimo ab omni sacerdotali dignitate.

Andreas episcopus *Coensis dixit: His, quæ definita sunt à præcedentibus sanctis patribus de damnatione Dioscori Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, in omnibus concors efficior, & ab omni eum honore sacerdotali alienum iudico.

*Coensis

Nicolaus episcopus Acrassenus, dixit: Consentio damnationi Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, factæ à sanctis patribus & à sancta synodo alienum eum iudicans ab omni sacerdotali dignitate.

Romanus episcopus Bubonensis, dixit: Hæc eadem & ego profiteor, quæ & ante me sanctiss. patres & concors ego sum in damnatione Dioscori, Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi, ab omni sacerdotali honore alienum eum iudicans.

Atticus episcopus Zelensis, dixit: Lachrymor equidem de his, quæ contigerunt ob ea, quod frater noster aliquandò & consacerdos, in talibus ruerit delictis. Quoniam verò consequens est & iustum, regulariter memorata eadem aduersus eum definire, huius rei gratia consentaneus & ego super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, sanctis patribus efficior, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali dignitate.

Paulus episcopus Philomelienſis, dixit: Concors & ego efficior tam sanctissimo archiepiscopo Leoni, quàm regulari & iustæ sententiæ, factæ super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnę ciuitatis quondàm episcopi, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Florentius episcopus Adrianopolitanus, dixit: Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopus Dioscorus, super *quibus gessit inique, fuit supplicium. Igitur & ego his, quæ à sanctis patribus & archiepiscopis, & omni sancto Concilio super eum definita sunt, consentio, ab omni ecclesiastico ministerio cessare eum decernens.

*for. ijs quæ

Messalinus Laodicensis episcopus, dixit: Ostendit diuinitas, quia non protractione temporum solent magnitudines delictorum obliuionem suscipere: sed diuinorum ac sanctorum patrum regulæ apprehenderunt iniqua gerentem, & per nos iudicant, Dioscorum magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm Episcopum, foris abijci ab ecclesiastico ordine, & diuina sacerdotali operatione.

Helpidius Episcopus mansionis Thermensis, dixit: Concors efficior prolatæ sententiæ à sanctis Patribus contrà Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quõdàm Episcopum, & ab omni sacerdotali ministerio alienum eum esse iudico.

Longinus Episcopus Orchistensis ciuitatis, dixit: Concors efficior sanctis Patribus in damnatione Dioscori, quondàm Alexandrinæ magnæ ciuitatis Episcopi, & ab omni sacerdotali ministerio alienum eum esse iudico.

Mysterius Episcopus Amorij ciuitatis, dixit: Prolatæ à sanctissimis & DEO amantissimis Patribus & Episcopis nostris aduersus Dioscorum quondam magnæ ciuitatis Alexandriæ Episcopum, sententiæ & ego minimus consentio, alienum eum ab omni sacerdotali ministerio esse existimans.

Petrus Episcopus Dardani ciuitatis, dixit: Definitionibus sanctorum Patrum aduersus Dioscorum promulgatis, & ego concors efficior, alienans eum ab omni sacerdotali ministerio.

Iouinus Episcopus Debeltensis, dixit: Dioscorum magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm Episcopum, in multis & diuersis accusatum criminibus, insuper & perfidiam Eutychis secutum, & iustè à sancta & magna Synodo damnatum, concors & ego effectus, ab omni eum episcopali ministerio existimo alienum.

Hermupolitanus

Indimus *Herinupolitanus secundæ Ciliciæ, dixit: Consentio prolatæ sententiæ aduersus Dioscorum, magnæ Alexandrinę ciuitatis quondàm episcopum, à sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo Romano Leone, per eos, qui ab ipso directi sunt, sanctissimos & beatissimos episcopos, necnon etiam & à sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo regiæ Constantinopolitanæ vrbis nouæ Romæ Anatolio, & à cæteris sanctissimis patribus, & alienum eum existimo ab omni episcopali dignitate & ministerio.

Aquilas episcopus Eudoxiadæ ciuitatis, dixit: Agnosco iustè damnatum Dioscorum in hac sancta Synodo à sanctis Patribus, * qui præter regulas, beatæ memoriæ episcopum Flauianum damnauit, hunc & cum omni Synodo damnatum habeo.

for.* & qui

Eutropius episcopus Adadeñ. dixit: Factæ damnationi Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, à sanctissimis & beatissimis archiepiscopis Leone & Anatolio antiquæ Romæ & nouæ, & à sancto & vniuersali hoc Cõcilio consentio & concors sum, ab omni eum Ecclesiastico ministerio alienum iudicans.

Marcus episcopus *Arethusinæ ciuitatis, dixit: Ad hæc eadem & ego consentio sanctis Patribus aduersus Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopum, & alieno eum ab omni sacerdotali ministerio.

Proterius episcopus *Myrrhinæ ciuitatis, dixit: Cum omnibus sanctis patribus & ego concors efficior in damnatione Dioscori, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi.

Olympius episcopus Theodosiupolitanus, dixit: Cõsentio & ego sanctissimis & Deo amantiss. patribus, in damnatione Dioscori, Alexandrinorum quondàm episcopi.

Marcellinus episcopus Metropolitanus ciuitatis, * dixit: Consentio & ego sanctis patribus vniuersalis & sancti Concilij in damnatione Dioscori, iustè suscipientis damnationem.

Eusebius episcopus Clazomenæ ciuitatis, dixit: Et ego concors efficior sanctiss. & Deo amantiss. patribus, in damnatione Dioscori magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi.

Mamas episcopus *Aninitenæ ciuitatis, dixit: Prolato termino à sanctis patribus super damnatione Dioscori, Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi, & ego consentio.

*Amnitenæ

Gerontius episcopus Seleuciæ ciuitatis dixit: Et ego consentio factæ damnationi à sanctis patribus super Dioscoro, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopo.

Iulianus episcopus Rhosi ciuitatis, dixit: Consentio damnationi factæ à sanctis patribus super Dioscoro, Alexandrinę magnæ ciuit. quondàm episc. & alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Hypatius episcopus Cephyrij, & Alexander episcopus Sebastæ secundæ Ciliciæ, & Theodorus episcopus Augustæ, & Chrysippus episcopus Malli, dixerunt: Consentimus omnibus regulariter & iustè iudicatis, super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopi, à sancta & vniuersali Synodo, & alienum eum habemus ab omni sacerdotali ministerio.

Chrysippus presbyter, verba faciens pro Deo amantiss. & sanctiss. Cyriaco episcopo Trogmadenæ sanctæ Dei ecclesiæ, dixit: Concors & ego efficior his, quæ determinata sunt à sanctis patribus super damnatione Dioscori, magnæ Alexandrinæ ciuit. quondàm episcopi, quatenùs alienus sit à sacerdotali ministerio & episcopali dignitate.

Daniel minimus episcopus Cadenæ ciuit. dixit: Secundùm ea, quæ ordinata sunt ab Apostolica sede senioris & regiæ Romæ, & ab omni præsente sancto Concilio, & ipse iudico alienum esse Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuit. quondàm episcopum, ab omni ecclesiastico ministerio & sancta communione.

Thomas episcopus Theodosiunopolitanæ ciuitatis, dixit: Et ipse concors efficior tam Apostolicæ sedi, quàm vniuersæ sanctæ Synodo, aduersus Dioscorum, Alexandrinæ ciuitatis

uitatis quondàm episcopum, quatenùs alienus sit ab ecclesiastico ministerio & sancta communione.

Ioannes episcopus Trapezuntis, dixit: Concors efficior & ego omnibus præcedẽtibus sanctis patribus aduersus Dioscorum, & alienum iudico eum ab omni sacerdotali ministerio & dignitate.

*Mossynon

Athanasius episcopus *Mossynorum, dixit: Et ego cõcors efficior omni sancto Cõcilio, & alienum iudico Dioscorum ab omni sacerdotali dignitate & sancta communione.

Patricius episcopus Neocæsareæ Augustæ prouinciæ Euphratesiæ, dixit. Consentio sancto & vniuersali Concilio, & iudico Dioscorum ab omni sacerdotali dignitate & ministerio alienum.

Epictetus episcopus Diocletianopolis, dixit: Vestigia sequens & ego sanctorum patrum, cum sanctis viris alienum iudico Dioscorum ab episcopali honore & dignitate.

Alexander episcopus Seleuciæ Pisidiæ prouinciæ, dixit: Concors & ego in omnibus efficior his, quæ iudicata sunt ab angelico vestro confessu aduersus Dioscorum, Alexandrinę magnæ ciuitatis quondàm episcopum.

*Natyras episcopus Gazæ, dixit: Consentio beatiss. & sanctiss. patribus nostris aduersus Dioscorum, Alexandrinę magnæ ciuitatis quondàm episcopum, & iudico eum alienum esse ab omni episcopali dignitate & ministerio, contemnentem vocationes sanctorum patrum.

*Phœniciæ *Phœnices

Valerius episcopus Laodiceæ *Phœnicis, dixit: Consona & ipse sancto Concilio aduersus Dioscorum quondàm episcopum, decerno, iudicans eum ab omni ecclesiastico ministerio & episcopali dignitate alienum.

Cyrinus episcopus ciuitatis Pataræ, dixit: His, quæ iudicata sunt à sanctissimis patribus & archiepiscopis, concors & ego efficior, & consentio aduersus Dioscorum quondàm episcopum, & alienum eum existimo à sacerdotali dignitate & ministerio.

Theophilus episcopus ciuit. Orei, dixit: In omnibus, quæ ordinata sunt à sancta & vniuersali synodo aduersus Dioscorum, quondàm episcopum, consentio & cõcordo his, quæ super eo gesta sunt.

Neon episc. ciuit. Sylbij, dixit: Omnibus, quæ prolata sunt vel decreta à sancta & vniuersali synodo aduersus Dioscorũ quondàm episcopum, consentio, & concordo omnibus, quæ aduersus eum facta sunt.

Eudoxius episc. ciuit. Etennorum, dixit: Sicut præcedentes sancti patres, & ego concors efficior ad damnationem Dioscori quondàm episcopi.

Martianus episcopus Stephanorum, dixit: Sicut præcedentes sancti patres, & ego cõcors efficior ad damnationem Dioscori quondàm episcopi.

Diodorus episcopus ciuit. Lysimachiorum, dixit: Et ego consentio omnibus decretis super damnatione Dioscori, qui fuit episcopus.

Ioannes episcopus Flauiadis prouinciæ Ciliciæ, dixit: Cõsentio prolatæ à sanctis patribus sententiæ aduersus Dioscorum quondàm episcopum, & alieno eum ab omni sacerdotali ministerio.

Tryphon episcopus insulæ Chij, dixit: Concors efficior sanctis patribus aduersus Dioscorum quondàm episcopum, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Paulus episcopus Ptolemaidis ciuitatis, dixit: In omnibus, quæ ordinata sunt à sancto & vniuersali Concilio super Dioscoro quondàm episcopo, & ego consentio, & alienum eum adiudico ab omni episcopali dignitate & ministerio.

Dionysius episc. Heracleotanæ ciuit. dixit: Prolatę sententiæ à sanctissimis & beatissimis archiepiscopis & patribus magnarum & regalium vrbium, super Dioscoro quondàm episcopo, vocato secundò & tertiò, & non obediente, & ego cõcors efficior, alienum eum existimans ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Ioannes episc. ciuit. Alyndæ, dixit: Concors & ego efficior sanctis patribus senioris & nouæ Romæ, & cæteris sanctis patribus aduersus Dioscorum quondàm episcopum, & alienum eum existimo ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Eustathius episc. Stratonicæ ciuit. dixit: Secundùm prolatam sententiam à sanctis archiepiscopis & patribus aduersus Dioscorum quondàm episcopum, vocatum secundò & tertiò, & ego concors eis efficior, & alienum eum existimo ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Ioannes episcopus ciuitatis *Amyzonum, dixit: Et ego in omnibus concors efficior his, quæ super Dioscoro quondàm episcopo, acta sunt, alienum eum iudicans ab omni episcopali dignitate & ministerio.

Papias episc. ciuitatis Eresiorum, dixit: Secundùm prolatam sententiam à sanctis patribus aduersus Dioscorum quõdàm episcopum, concors & ipse efficior eis, & alienum eum iudico ab omni episcopali ministerio.

Dionysius episc. Antiochiæ ciuit. prouinciæ Cariæ, dixit: Et ipse concors efficior omnibus sanctis patribus, & alienum iudico Dioscorum quondàm episcopum, ab omni sacerdotali dignitate & operatione.

Tynchanius episc. Apolloniadę ciuit. dixit: Et ego similia sanctiss. & Deo amantiss. archiepiscopis & patribus nostris decerno super damnatione Dioscori episcopi.

Theodoretus episcopus ciuitatis Alabandenæ, dixit: Et ego similia decerno Deo amantiss. & sanctiss. archiepiscopis & patribus nostris super damnatione Dioscori quondàm episcopi, alienum eum iudicans ab omni sacerdotali dignitate & operatione.

Menander episcopus Heracleæ ciuit. dixit: Similia & ego decerno ijs, quæ sancti archiepiscopi & patres nostri super Dioscoro quondàm episcopo, alienans eum ab omni sacerdotali dignitate & operatione.

Flacillus episcopus ciuit. Assi, dixit: Secundùm prolatum decretum à sanctiss. archiepiscopis & patribus super Dioscoro quondàm episcopo, vocato secundò & tertio & minimè obediente, & ego alienum eum existimo ab omni sacerdotali dignitate & operatione.

Ioannes episcopus ciuit. * Gnidi, dixit: Concors & ego efficior sanctis patribus, & alienum iudico Dioscorum quondàm episcopum, ab omni sacerdotali dignitate & ministerio. * Gnidi

Iulianus presbyter, & agens vices Calandionis episcopi *Alycarnassenæ ciuit. dixit: Secundùm prolatam iustam sententiam à sanctis archiepiscopis & patribus aduersus Dioscorum quondàm episcopum, vocatum & secundò & tertiò, & minimè obedientem, & ego eum alienum existimo ab omni sacerdotali dignitate & ministerio. *Halycarnassenæ

Theotecnus episcopus Theręs, dixit: Omnibus, quę à sanctis patribus secundùm Dei timorem, & secundùm diligentiam sanctorum canonũ ordinata sunt super Dioscoro quondam episcopo, & ego consentio, alienans eum ab omni episcopali ministerio.

Eorticius episcopus Nicopolitanæ ciuit. prouinciæ Pisidiæ, dixit: Concors & ego efficior sanctis patribus senioris & nouæ Romæ, & cæteris omnibus sanctis patribus aduersus Dioscorum quondàm episcopum, & alienum eum existimo ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Æthericus episcopus Smyrnæ ciuit. dixit: Decreto sanctorum patrum, super damnatione Dioscori quondàm episcopi facto, & ego consentio, alienum eum existimans ab episcopali dignitate & sanctorum communione, secundùm quod placuit sanctiss. archiepiscopo Leoni & sanctiss. archiepiscopo Anatolio, & sancto concilio.

Florentius episcopus Tenedi insulæ, dixit: Seipsum nudans pontificatus dignitate Dioscorus quondàm episcopus, pro eo quod vocatus secundùm ecclesiasticas regulas tertio per diuersos sanctiss. episcopos, obaudire, minime passus est, inordinatis vsus occasionibus, dignus est alienus esse à sacerdotali ordine & omni ministerio & cõmunione. secundùm quod placuit præcedentibus sanctiss. patribus & episcopis.

Zenodotus episcopus ciuit. Telmessi, dixit: Non debet indignari Dioscorus, iusto succumbens iudicio, qui sanctæ memoriæ quondam episcopum Flauianum, nullo modo damnatione ostensum dignum, iniquè damnauit, sicut lecta monimenta ante hac in hoc sancto Concilio ostenderunt, & in præsenti vocatus à sancta synodo per sanctiss. patres semel & secundò & tertiò, secundùm diuinorum Canonum ordinem occurrere, & accusatoribus respondere minimè passus est. Iustè igitur auferatur ab episcopali sede & omni ecclesiastico statu.

Sabas episcopus ciuitatis Palti, dixit: Iustè & sanctè sancti patres damnauerunt nouum Cain Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondàm episcopum. Hunc & ego damno, & alienum ab omni Ecclesiastico ministerio esse decerno.

quòd sicut Abelem ille, sic Flauianũ iste occiderit.

Theoctistus episcopus ciuitatis *Beroæ, dixit: Consentio omnibus, quæ decreta sunt à sanctis patribus super damnatione Dioscori, & alienum eum duco ab omni sacerdotali ministerio & communione.

Macarius episcopus Enos ciuitatis, dixit: Cõsentio omnibus decretis præcedentium sanctorum patrum super damnatione Dios.

Cyriacus episcopus ciuitatis Aegeæ, dixit: Consentio omnibus, quę regulariter & legitimè à sanctis patribus super Dioscoro Alexandrinæ magnæ ciuit. quondàm episcopo terminata sunt, alienum eum faciens ab omni sacerdotali honore & episcopali dignitate.

Eulogius presbyter agens vices reuerend. episc. Genethlij Cratiæ ciuit. dixit: Consentiens subscrip. his, quę definita sunt à sancta synodo.

Philippus episcopus ciuit. Theodosiupolis siue Nouæ aulæ, dixit: Et ego concors efficior sanctis patribus aduersus Dioscorum, quondàm episcopum Alexandrinorum, alienum eum faciens ab episcopali dignitate & omni sacerdotali ministerio.

*Basilicus

*Basilius episcopus ciuit. Palæaspoleos, dixit: Secundùm terminum sanctorum patrum, quem sanxerunt aduersus Dioscorum quondàm episcopum Alexandrinorum, regulariter super eo proferentes sententiam, & ego concors eis efficior, vt sit extraneus tam à sacerdotali dignitate, quàm à communione.

Paulinus episcopus ciuitatis Apameæ Pisidiæ, dixit: Consona & ego profitens patribus veteris & nouæ Romæ in ijs, quibus Dioscorus (qui intolerabiliter in diuinitate deliquit) mala operatus est, super eius dignè facta damnatione concors efficior.

Basilius episcopus ciuitatis Nacoliæ, dixit: Et ego similia decerno, sicut & sancta patrum synodus aduersus Dioscorum Alexandriæ quondàm episcopum, & extraneum eum existimo ab omni sacerdotali ministerio, regulis minimè obtemperantem.

Ioannes episcopus Germaniciæ ciuitatis, dixit: Manifestus est Dioscorus Alexandrinæ ciuit. quondàm episcopus, quia mala vsus conscientia, pro his, quæ ei crimina ingerebantur, occurrere ad hoc sanctum & vniuersale Concilium minimè voluit. Vnde regulariter aduersus eum prolatæ sententiæ & ego consentio.

Cecropius episcopus Sebastopolitanæ ciuitatis, dixit: Concors sum ego Apostolicæ sedi & magnæ huic synodo, in his quæ regulariter ordinata sunt aduersus Dios. & consentio alienum eum esse à sacerdotali ministerio.

Acacius episcopus Ariarathirenæ ciuitatis, dixit: Iusto & recto iudicio tam Apostolicæ sedis, quàm sanctæ & vniuersalis synodi, & ego consentio super Dioscoro inobediente regulis & alienum esse profiteor ab omni sacerdotali ministerio.

Ioannes episcopus Nicopolitanus, dixit: Boni consilij bonus est finis. Sed quoniam non rectè cogitans Dioscorus, Alexandrinæ magnæ ciuit. quondàm episcopus, & secundùm regulas tertiò vocatus, minimè obediens, vltimam super se traxit sententiam: inde & ego concors sum omnibus, & alienum eum ab omni sacerdotali ministerio esse iudico.

Rufinus episcopus Samosatenæ ciuitatis, dixit: Sequens sanctos archiepiscopos & patres, concors & ego efficior his, quæ iustè secundùm regulas ordinata sunt, & super damnatione Dioscori, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi, & alienum eum ab omni ministerio sacerdotali esse existimo.

Lucianus episc. Byzien. dixit: Sequẽs & ego sanctos patres, concors efficior iustæ secundùm regulas prolatæ sententiæ aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuit. quondàm episcopum, & alienum eum ab omni dignitate & sacerdotali ministerio esse existimo.

*Beroeen.

Sebastianus episc. *Beroen. Macedoniæ, dixit: Dioscorus regularibus laqueis compeditus, alienus sit ab episcopali sede. Vnde omnibus sanctis patribus concors aduersus eum efficior, secundùm apostolicæ scripturæ eloquium, dicentis: Tollite malum, ex vobismetipsis.

1. Cor. 5.

Menecrates episcopus *Cyrassorum ciuitatis, dixit: Hæc eadem & ego profiteor, quæ & metropolita meus & sancta synodus, concors effectus in damnatione Dioscori, Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi, alienans eum esse ab omni sacerdotali dignitate.

*Nacrasæ

Cossinius episcopus ciuitatis *Hierocæsareæ Lydiæ prouinciæ, dixit: Concors & ego efficior huic sancto & magno Concilio super factam damnationem Dioscori, & alienum eum decreui ab omni sacerdotali ordine & ministerio.

*Hieracæsareæ

Patricius episcopus Acamasenæ ciuitatis, dixit: Cõsentio in facta damnatione ab omni sancto Concilio aduersus Dioscorum, Alexandrinum quondàm episcopum, alienum eum iudicans ab omni sacerdotali ministerio.

Domninus episcopus Plateæ, dixit: Cõsentio iustæ & regulariter factæ damnationi super Dioscorum Alexandrinorum quondàm episcopum, à sancto & vniuersali Concilio, & alienum eum existimo ab omni sacerdotali ministerio.

Dionysius episcopus Attaliæ Lydiorum ciuitatis, dixit: Consentio iustæ & regulari damnationi, quę facta est in Dioscorum, qui fuit episcopus Alexandriæ, à sancta & vniuersali synodo, & alienum eum existimo ab omni ecclesiastico ministerio.

Paulus episcopus Tripolitanus dixit: Consentio & ego iustæ & regulariter à sancta hac & vniuersali synodo aduersus Dioscorum Alexandrinorum quondàm episcopum factæ damnationi, & alieno eum ab omni sacerdotali ministerio.

Gemellius episcopus Stratonicæ ciuitatis, dixit: Consentio in damnatione Dioscori, Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopi, ab hac sancta & magna synodo facta, & extraneum eum esse iudico ab omni episcopali sede.

*Musonius
*Mæonius

*Meonius episcopus Nysæ ciuitatis prouinciæ Asiæ, dixit: Non parua, neq; leuia aduersus diuinos Canones deliquit Dioscorus, Alexandrinorum quondàm episcopus, sicut pridem ante excellentissimos iudices & sacratissimum senatum ostensum est, sicut diuersæ accusationes, à diuersis hodiè factæ, ostendunt. Vnde & ego sequens sanctos patres, decerno, nudum eum esse ab omni sacerdotali dignitate.

*Elaitanæ

Esaias episcopus *Eleitanæ ciuitatis, dixit: Iusta prolata forma à sanctis patribus, contra se Dioscorus Alexandrinæ ciuitatis quondàm episcopus, super his, quæ ab eo perpetrata sunt in sanctæ memoriæ episc. Flauiano, audiat Domini per meam paruitatem vocem: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Proiectus est igitur à sancto & vniuersali hoc Concilio, cui & ego concors efficior.

Matth. 7.

Hesperus episcopus Pitanensis, dixit: Iustè sanctis patribus iudicantibus secundùm sanctas regulas, super damnatione Dioscori, Alexandrinæ vrbis quondàm episcopi, alieno eum & ego cum omnibus ab omni ecclesiastico ministerio.

Quintus episcopus Phocæ ciuitatis, dixit: Iuste & sanctè à sanctis patribus determinatis super damnatione Dioscori quondàm episcopi consentio.

Eustochius episcopus Docimeorum, dixit: Dioscorum quondàm Alexandrinorum episcopum, damnatum regulariter à sanctis & beatissimis patribus, alienum esse & ipse existimo ab omni sacerdotali consequentia.

Musonius episcopus Nyssenus Lyciæ, dixit: Eiusdem sum & ego sententiæ, quæ à sanctis patribus promulgata est super damnatione Dioscori Alexandrinorum quondàm episcopi, & alieno eum ab omni sacerdotali dignitate.

Zenus episcopus Iunopolitanus, dixit: His, quæ Apostolica sedes & sanctum Concilium in Chalcedona congregatum, terminauit aduersus Dioscorum, Alexandrinorũ quondàm episcopum, & ego consentio.

Paulus episcopus *Mariamniæ ciuitatis, dixit: Omnibus sanctis patribus consentio, & condemno Dioscorum quondàm episcopum, & alieno eum ab omni sacerdotali ministerio.

Eustathius episcopus gentis Saracenorum, dixit: Omnibus, quæ placita sunt sanctis regulis, & sanctis patribus, consentio.

Thalassius episcopus Parij ciuitatis, dixit: Quæ à sancta

synodo

synodo iustè definita sunt aduersus Dioscorum, Alexandrinorum quòdam episcopum, & ego decerno, & alienũ eum iudico ab omni episcopali dignitate.

Athanasius episcopus Parien sis, dixit: Consentio omnibus, quæ sancto placuerunt Concilio super damnatione Dioscori, Alexandrinæ ciuitatis quondam episcopi, & alienum eum iudico ab omni episcopali dignitate.

Sub isto Vranio & ab ipsius monachis fertur caput S. Ioãnis inuentum, & loco, vbi oportuit collocatum.

Vranius episcopus Emisenus, dixit: Eadem & ego, quæ sancti patres, decerno de Dioscoro, Alexandrinorum quondam episcopo, & volo eum esse alienum ab omni episcopali ministerio.

Damianus episcopus ciuitatis Sidoniorum, dixit: Hæc eadem & ego, quę & sancta synodus, decerno, & iudico Dioscorum Alexandrinorum quondam episcopum, alienum esse ab omni sacerdotali ministerio.

Noe episcopus *Cephacastelli, dixit: Et ego concors sum in omnibus, quæ placita sunt sancto Concilio super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopi.

* Cephaleniæ insulæ.

Paulus presbyter, agens vices Deo amantissimi Vranij episcopi Himerorum ciuitatis, dixit: Dioscorus aliquando Alexandrinæ magnæ ciuitatis Episcopus, ipsum concilium condemnans, alienauit se à sacerdotali dignitate. Vnde & ego talia accipiens à Deo amantissimo Vranio episcopo mandata, concors efficior sanctissimis & DEO amantissimis episcopis, qui iustam super eo protulerunt sententiam.

Polychronius episcopus Epiphaniæ ciuitatis, dixit: Consentio sanctis patribus super facta damnatione iusta & regulari aduersus Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondam episcopum constitutum, iudicans eum alienum esse ab omni sacerdotali dignitate.

Theodorus episcopus Tripolitanæ ciuitatis prouinciæ primæ Phœniciæ, dixit: Miratus sum huius sancti & magni Concilij sapientiam, compassionem atque magnanimitatem circa Dioscorum, magnæ Alexandrinæ ciuitatis quondam episcopum, huius verò memorati viri duritiam cordis. Namque tertiò euocatus à sancta hac & magna synodo, vt in Deo amantissimam congregationem veniret, atque accusationibus criminalibus satisfaceret, non acquieuit, mala conscientia vulneratus. Vnde & ipse ijs, & quæ rectè & regulariter à sancta hac & beata Synodo aduersus eum decreta sunt, & consentio & concordo, alienans eum ab omni sacerdotali ministerio.

Lucianus episcopus * Ipsensis ciuitatis, dixit: Audiens hæc, quæ gesta sunt & decreta à sanctis Patribus, & omni sancto Concilio de Dioscoro quondam Alexandriæ episcopo, vt minimè obtemperante sanctis Canonibus, & ego alienum eum iudico ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

* euocatione

Cyrus episcopus ciuit. Syniandi, dixit: Dioscorum aduersus sanctos Canones agentem, & super sceleratis & nefandis actibus accusatum, & tertia * clamatione vocatum, & minimè obedientem, secundum præcedentes sanctos patres, & ego alienum eum iudico à Pontificatus collegio, & ab omni sacerdotali dignitate.

Proclus episcopus ciuitatis Adranorum, dixit: Hæc eadem & ego, quæ placuerunt Deo amantissimis & sanctissimis Archiepiscopis & sanctæ Synodo, decerno, alienum esse iudicans Dioscorum ab omni episcopali & sacerdotali dignitate.

Amachius episcopus Septenæ ciuitatis prouinciæ Lydiæ, dixit: Et ego hæc eadem decerno, quæ regulariter à sancto & vniuersali Concilio ordinata sunt super damnatione Dioscori, magnę Alexandrinæ ciuitatis quondam Episcopi, ab omni eum alienans sacerdotali dignitate.

Alchimedes episcopus Silandi ciuitatis prouinciæ Lydię, dixit: His, quæ consequenter & secundum diligentiam meam memini à sancto hoc & vniuersali Concilio super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnę ciuitatis quondam Episcopi ordinata, consentio, alienum eum esse iudicans ab omni sacerdotali ministerio.

Polycarpus episcopus Gabalenæ ciuitatis prouinciæ Lydiæ, dixit: Et hęc eadem decerno, quæ & sancta & vniuersalis Synodus secundum prolatam sententiam super damnatione Dioscori Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam Episcopi, alienans eum ab omni sacerdotali dignitate & ab Ecclesiastico ministerio.

Eleusinius episcopus ciuitat. Phani Apollinis prouinciæ Lydiæ, dixit: Eadem & ego profiteor, quæcunq; & sancta Synodus super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam Episcopi, & alieno eum ab omni sacerdotali ministerio & Episcopatus dignitate.

Patricius episcopus Ecclesiæ Adramyteorum prouinciæ Hellespóti, dixit: Concors & ego efficior huic sanctæ & beatissimæ Synodo, & Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis quondam Episcopum, in plurimis & in magnis delictis accusatum, & damnatum à sanctis Archiepiscopis, damno, & ab omni eum Ecclesiastica communione alienum decernens.

Helias episcopus Bleandrenæ ciuitatis, dixit: Consentio & ego, quæ à synodo super Dioscori damnatione ordinata sunt, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

*Seleucoualiæ

Eusebius episcopus * Seleucobeli ciuitatis, dixit: Rectum & iustum & regulare iudicium sanctę huius & magnę vniuersalis synodi sequens, & his, quæ ab ea aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum, definita sunt, concors effectus, alienum eum definio ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Theodosius episcopus Conathæ, dixit: Concors efficior sanctæ & vniuersali huic synodo aduersus Dioscorũ, quondam Alexandrinæ ciuitatis episcopum, & alieno eum ab omni episcopali dignitate & omni ministerio.

Hermias episcopus Abydi sanctę Ecclesię, dixit: Concors efficior sanctis patribus super damnatione Dioscori Alexandriæ quondam episcopi, & alienum eum esse iudico ab omni Ecclesiastico ministerio.

Gennadius episcopus ciuitatis Acmoniorum Phrygiæ Pacatianæ, dixit: Concors efficior sanctis patribus, ac his quæ placent sancto magnoque Concilio super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis episcopi, & alienum eum esse & ego iudico ab omni Ecclesiastico ministerio.

Eulalius episcopus Pionitanorum ciuitatis prouinciæ Hellespónti, dixit: Secundum quæ determinata sunt à sanctis patribus, consentio, & alienum dico ab omni sacerdotali ministerio Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quòdam episcopum.

Theosebius episcopus Ilij Hellespónti, dixit: His, quæ determinata sunt aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum, à sancto & vniuersali Concilio, concors efficior, & alienum eum esse iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Pionius episcopus ciuitatis Troadæ, dixit: Omnibus quæ definita sunt à sanctis patribus aduersus Dioscorum, quòdam Alexandrinæ magnæ ciuitatis episcopum, consentio, alienum eum esse existimans ab episcopali honore, & omni sacerdotali ministerio.

Stephanus episcopus ciuitatis Iamnæorum, dixit: His, quę determinata sunt à sanctissimis patribus super Dioscoro Alexandrinorum quondam episcopo, consentio, & alienũ eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Callinicus episcopus Apameæ, dixit: Tribus vocationibus à sancto & vniuersali Concilio regulariter factis, inobediens Dioscorus, semetipsum alienum à sacerdotali dignitate ostendit, regulis contraria perpetrans. Igitur & ego ipse sequens sententiam tam Romani sanctissimi archiepiscopi Leonis, quâ aduersus eum protulit per eos, qui ab eo directi sunt, quàm etiam magnæ Constantinopolitanæ ciuitatis sanctissimi archiepiscopi Anatolij, & Antiochiæ, hæc eadem & ego de eo decerno.

Romanus episcopus Eudoxiupolis Thraciæ, prouinciæ dixit: Sequês fidem & decretum sanctorum patrum, Dioscorum alienum iudicaui ab omni ministerio sacerdortali & Ecclesiastica dignitate.

Andreas episcopus ciuitatis Sectorienſis prouinciæ Lydiæ, dixit: Hæc eadem ego profiteor, & consentio factæ damnationi super Dioscorum à sanctissimo & vniuersali Concilio, & alienum eum facio ab omni sacerdotali ministerio & episcopali dignitate.

Sophronius episcopus Constantiæ ciuitatis, dixit: Consentio his, quę à sanctissimis & Deo amantissimis archiepisco-

pis definita sunt, insuper etiam & à considentibus eis sanctissimi patribus aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnę ciuitatis quondam episcopum, decernens eum alienum esse ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Hormisda episcopus Philippipolitanus prouinciæ Arabiæ, dixit: Consentio his, quæ regulariter & iustè à sancto & vniuersali Concilio aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum, facta sunt, & alienum eum iudico ab omni Ecclesiastico ministerio.

Paulus episcopus Aradensis, dixit: Dioscorus Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopus, ostensus est, quia mala compunctus conscientia, vocatus à vestra hac sancta & vniuersali synodo, in Deo amantissimum hoc Concilium aduenire minimè voluit, & de his, quæ ei criminaliter ingerebantur, satisfacere. Vnde legitimè aduersus eum facta damnatione à sanctis patribus, & ipse concors sum, alienans eũ ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

Timotheus episcopus Balanensium, dixit: Et mea concors constituta est paruitas prolatæ canonicæ interloquutioni aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum, à sancto hoc & vniuersali Concilio, & alienum eum esse existimo ab omni sacerdotali dignitate & ministerio.

* Theodosius. *Theodotus episcopus Nazianzenus prouinciæ secundæ Cappadociæ, dixit: Concors efficior sanctis patribus ad damnationem prolatam aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum, & alienum eum esse iudico ab omni sacerdotali ministerio & episcopali dignitate.

Aristomachus episcopus Colonę prouincię Cappadociæ secundæ, dixit: Similia sanctis patribus & regulis sapiens & iudicans, alienum esse cognosco Dioscorum ab omni sacerdotali ministerio.

Petrus episcopus Gabalenus, dixit: Consentio omnibus, quæ definita sunt à sancto & vniuersali Concilio super damnatione Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopi, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Rufinus episcopus *Briullenus, dixit: Consentio & ego damnationi Dioscori, Alexandrinæ magnæ ciuitatis, quondam episcopi, sicut & sancta & vniuersalis synodus determinauit, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerioi

Olympius episcopus Sozopolitanus, dixit: Consentio sanctis patrib. super damnatione Dioscori Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopi, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Euphratas episcopus Eleuthernæ, dixit: Consentio sanctis patribus super damnatione Dioscori Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopi, & alienum eum esse iudico ab omni sacerdotali ministerio. Caiumas Marcopolitanus. *

* Charrensis *Ioannes episcopus *Carensis, dixit: Hæc eadem, quæ sancti patres, decerno aduersus Dioscorum Alexandrinorum quondam episcopum, & alienum eum iudico ab omni sacerdotali ministerio.

* Castri Cornelienſ. Abraamius episcopus *Castricircensis, dixit: Hæc, eadem quæ & sancti patres, aduersus Dioscorum Alexandrinorum quondam episcopum, decerno, & alieno eum ab omni Ecclesiastico ministerio.

Demetrius episcopus ciuitatis Lappæ, dixit: Consentio sanctis patrib. super damnatione Dioscori, Alexandrinorum quondam episcopi, & alienum eum esse iudico ab omni sacerdotali ministerio.

Bassonas episcopus Neapolitanus, dixit: Concors efficior professionibus sanctorum patrũ super damnatione Dioscori, Alexandrinorum quondam episcopi magnæ ciuitatis, alienum eum existimans ab omni sacerdotali & Ecclesiastico ministerio.

Musonius episcopus Brimenensis, dixit: Concors & ego efficior super damnatione Dioscori, magnæ Alexandrinorum ciuitatis quõdam episcopi, & alienum eum esse iudico ab omni sacerdotali & Ecclesiastico ministerio.

Antiochus episcopus Sinopensis, dixit: His, quæ legitimè & iustè & regulariter definita sunt à Deo amantiſi. & sanctiſſ. archiepiscopo Romano Leone, & à sanctiſi. archiepiscopo regiæ ciuitatis Anatolio, super Dioscoto Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopo, & ipse concors efficior, alienans eum ab omni sacerdotali ministerio.

Helpidius presbyter, agens vices Deo amantiſſ. episcopi Paralij Adrapenensis, dixit: His, quæ legitimè ab archiepiscopis & ab vniuersali Concilio aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum, decreta sunt, concors efficior.

Euphronius presbyter, verba faciens pro Domno, Deo amantiſſ. episcopo Cocusenorum, dixit: * Iustè prolatæ à sancto hoc & vniuersali Concilio aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum, sententiæ consentio & concordo, alienans eum ab omni sacerdotali ministerio & dignitate. * Iustæ

Helpidius presbyter, agens vices Deo amantiſſimi episcopi Antonini * Amiſſenorum, dixit: Legitimè & regulariter à sanctiſſimis archiepiscopis, & à sancto & vniuersali Concilio aduersus Dioscorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis quondam episcopum prolatæ sententiæ, & ipse concors efficior.

Theodorus episcopus Claudiopolitanus prouinciæ Isauriæ, dixit: Consentio ijs, quæ iustè decreta sunt à sanctiſſimo archiepiscopo regiæ vrbis Romę Leone, per Paschasinum & Lucentium D E O amantiſſimum presbyterum, vicarios eiusdem D E O amantiſſimi archiepiscopi Leonis, & sanctiſſimo archiepiscopo regiæ vrbis nouæ Romæ Constantinopolitano Anatolio, & ab omni sancta Synodo super Dioscoro Alexandriæ sanctæ Ecclesiæ quondam episcopo, probans eum alienum esse ab episcopatus dignitate.

Legati Papæ præsident Concilio, & primi subscribunt. Leo vniuersalis Ecclesię Papa pronunciatur audiente & probante vniuersali Synodo. Quare B. Gregorius postea scripsit Vniuersalis nomen à Concilio Chalcedonen. Beat. Leoni oblatũ fuisse libro 4. Epiſt. 76. & 78. & lib. 7. Epiſt. 30.

Paschasinus episcopus Ecclesiæ Lilybætanæ, vice beatiſſimi atq; Apolici vniuersalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ Leone, sanctæ synodo præsidens, in Dioscori damnatione cõsensi vniuersalis Concilij subscripsi.

Lucentius episcopus Esculanæ Ecclesiæ, similiter.

Cælius Bonifacius presbyter sanctæ Ecclesiæ Romanæ, similiter.

Anatolius episcopus Constantinopolis Nouæ Romæ, definiens pariter cum sancta Synodo in damnatione Dioscori subscripsi.

Maximus episcopus Antiochen. similiter.

Stephanus Episcopus Metropolitanus Ephesi, subscripsi.

Quintillus episcopus Heracleæ Macedoniæ, subscr.

Andreas presbyter Thessalonicensis, pro Anastasio episcopo meo, subscripsi.

Lucianus episcopus Byziæ, pro Cyriaco reueren. episcopo Heracleæ, Thraciæ, subscr.

Diogenes episcopus Metropolitanus Cyzici, subscripsi.

Iulianus episcopus in Coo, & legatus Ecclesiæ Romanæ, subscripsi.

Petrus episcopus Corinthi prouinciæ Achaiæ, subscr.

Eunomius episcopus Metropolitanus ciuitatis Nicomediæ, subscr.

Theodorus episcopus Tarsensis Metropolitanus, subscripsi.

Ioannes episcopus *Ephestij, subscr.

Romanus episcopus Metropolitanus Myrenæ ciuitatis, subscripsi.

Eleutherius episcopus Chalcedonensis, subscr.

Seleucus episcopus Amasiæ, subscr.

Constantinus episcopus Metropolitanus Melitenæ ciuit. subscripsi.

Eustathius episcopus Beryti, subscripsi.

Cyrus episcopus Metropolitanus Anazarbenæ ciuitatis, subscripsi.

Ioannes episcopus Metropolitanus Sebastię ciuitatis, subscripsi.

Constantinus episcopus Metropolitanus Bostrenæ ciuit. subscripsi.

Patricius episcopus Tyanæ, subscr.

Theodosius episcopus ciuitatis Damascenæ, subscripsi.

Petrus episcopus Gangrenæ ciuitatis, subscr.

Basilius episcopus metropolitanus Traianupolitanæ ciuitatis, subscripsi.

Calogerus episcopus metropolitanus Claudiopolitanæ ciuitatis, subscripsi.

Amphilochius episcopus metropolitanus Sidenæ ciuitatis prouinciæ Pamphyliæ, subscr.

Epiphanius episcopus metropolitanus Pergenæ ciuitatis prouinciæ Pamphyliæ, subscr.

Atticus episcopus metropolitanus Nicopolitanæ ciuitatis veteris Epiri, subscr.

Onesiphorus episcopus metropolitanus ciuitatis Iconij, subscripsi.

Ioannes episcopus metropolitanus insulæ Rhodi, subscripsi.

Florentius episcopus metropolitanus Sardenæ ciuitatis prouinciæ Lydiæ, subscr.

Photius episcopus metropolitanus ciuitatis Tyri, subscripsi.

Francion episcopus metropolitanus Philippupolis ciuitatis, subscripsi.

Tryphon episcopus insulæ Chij, subscr.

Nunechius episcopus metropolitanus Laodiceæ, subscripsi.

Pergamius episcopus metropolitanus Antiochenę ciuitatis, pro me & pro Domno reuerendissimo episcopo metropolitano Apamenæ ciuit. subscr.

Eulogius episcopus Philadelphiæ ciuitatis metropolitanus, subscr.

Proclus episcopus ciuitatis Adraon, subscr.

Critonianus episcopus metropolitanus, Aphrodisiadæ ciuitatis, subscripsi.

Simeon episcopus metropolitanus Amidenæ ciuitatis, subscripsi.

Stephanus episcopus Hierapolis, subscr.

Theoctistus episcopus metropolitanus Pessinuntenæ ciuitatis, subscr.

Fonteianus episcopus Sagalassenæ ciuit. subscr.

Lucas episcopus Dyrrhachenæ ciuitatis, metropolitanus prouinciæ nouæ Epiri, subscr.

Marinianus episcopus Synadæ, subscr.

Ioannes episcopus Germaniciæ, subscr.

Theodorus episcopus ciuitatis Claudiopolis, subscr.

* Nomius * Edessæ — * Nonnus episcopus ciuitatis * Edessæ, subscr.

Sebastianus episcopus Beroetanæ ciuit. subscr.

Paulus episcopus Ptolemaidæ, subscr.

Ioannes episcopus Nicopolis Armeniæ prouinciæ, subscripsi.

Cecropius episcopus Sebastopolitanæ ciuitatis, subscripsi.

Aristomachus episcopus ciuitatis Colonæ, subscr.

Thalassius episcopus ciuitatis Parij, subscr.

Acacius episcopus Ariarathiræ ciuit. subscr.

Heraclius episcopus ciuitatis Camanon. subscr.

Meletius episcopus Larissę, faciens sermonem pro Domno episcopo Apameæ Syriæ, subscr.

Meletius episcopus Larissæ, subscr.

Marcus episcopus Arethusæ ciuit. subscr.

Callinicus episcopus Apameæ ciuit. subscr.

Paulus episcopus Anthedonis ciuit. subscr.

Sabas episcopus Paltenæ ciuit. subscr.

* Theodotus — * Theodosius episcopus Nazianzenæ ciuitatis, subscripsi.

Philippus episcopus ciuitatis Adanæ, subscr.

Euoltius episcopus Zeugmatis, subscr.

Polychronius episcopus Epiphaniæ, subscr.

Neoptolemus episcopus Cornæ, subscr.

Acholius episcopus Larandenæ ciuit. subscr.

Iulianus episcopus Hypepæ, subscr.

Gerontius episcopus Seleuciæ, subscr.

Theoctistus episcopus ciuitatis Hypepæ, subscr.

Zenodotus episcopus Telmessenæ ciuit. subscr.

Gratianus episcopus Panormensis, subscr.

Leontius episcopus ciuitatis Magnesiæ, subscr.

Eudoxius episcopus Chomatenę ciuit. subscr.

Vranius episcopus Emisenæ ciuit. subscr.

Epictetus episcopus Diocletianupolitanæ ciuitatis, subscripsi.

Timotheus episcopus Balaneon, subscripsi.

Theotecnus episcopus ciuitatis Theræ, subscr.

Paulus episcopus ciuitatis Philomeliensis, subscr.

Paulinus episcopus ciuitatis Apameæ Pisidiæ, subscr.

Bassonas episcopus Neapolitanæ ciuit. subscr.

Theophilus episcopus ciuitatis Orei, subscr.

Cyrus episcopus ciuitatis Synandi, subscr.

Macarius episcopus ciuitatis Laodiceæ, subscr.

Indimus episcopus * Herinupolis ciuitatis prouinciæ * Hermopolis secundæ Ciliciæ, subscr.

Hypatius episcopus ciuitatis Zephyrij, subscr.

Æthericus episcopus Smyrnæ ciuitatis, subscr.

Antiochus episcopus ciuitatis Sinopæ, subscr.

Lucianus episcopus ciuit. Ipsinorum, subscr.

Basilius episcopus ciuit. Nacoliæ, subscr.

Eustochius episcopus ciuit. Docimeorum subscr.

Apragmonius episcopus ciuit. Tij, subscr.

Eorticius episcopus Nicopolitanæ ciuit. prouinciæ Pisidiæ, subscr.

Alexander episcopus Seleuciæ ciuit. prouinciæ Pisidiæ, subscripsi.

Timotheus episcopus Dolychenæ ciuit. subscr.

Gratidianus episcopus Cerassuntenæ ciuit. subscr.

* Rhenus episcopus Iunopoleos, subscr.

Patricius episcopus ciuitatis Neocæsareæ & Augustę prouinciæ Euphrateiæ, subscr.

Sophronius episcopus ciuit. Constantiæ, subscr.

Ioannnes episcopus ciuit. Flauiadis, subscr.

Theodorus episcopus Augustæ, subscr.

Cyrinus episcopus Pataræ ciuit. subscr.

Ioannes episcopus Gadaræ ciuit. subscr.

Cyriacus episcopus Eucarpiæ, subscr.

Abertius episcopus Hierapolis, subscr.

Paulus episcopus Mariamnensis ciuit. subscr.

Eusebius episcopus Clazomenæ ciuit. subscr.

* Mirus episcopus Euladrenæ ciuit. subscr. — * Myrus

Paulus episcopus Tripolitanæ ciuit. subscr.

Eutropius episcopus Adadæ, subscr.

Olympius episcopus Sozopolis ciuit. subscr.

Leontius episcopus Zarenus, subscr.

Mamas episcopus * Aninitenæ ciuit. subscr.

Proterius episcopus ciuit. Myrrhinę, subscr.

Marcellinus episcopus * Metropolis ciuit. subscr.

Esaias episcopus Elaitanæ ciuit. subscr.

Hesperius episcopus Pitanæ ciuit. subscr.

Abraamius episcopus * Circensis, subscr. — * Castri Circens.

* Meonius episcopus Nysenæ ciuit. subscr.

Caiumas episcopus Marcopolitanæ ciuit. subscr.

Ioannes episcopus Carrhenæ ciuit. subscr.

Theodorus episcopus Antiphellenæ ciuit. subscr.

Quintus episcopus Phociæ subscr.

Mutianus episcopus ciuitatis * Lymerorum, subscripsi. — * Musonius.

Iulianus episcopus ciuit. Rhosi, subscr.

Valerius episcopus ciuit. Laodiceæ, subscr.

Philippus episcopus Lysiadis ciuit. subscr.

Alchimedes episcopus, ciuit. Silandi prouinciæ Lydiæ, subscripsi.

Amachius episcopus ciuit. Septenæ, subscr.

Polycarpus episcopus ciuitatis Gabalenæ prouinciæ Lydiæ, subscripsi.

Eleusinius episcopus Phani Apollinis, subscr.

Dionysius episcopus Ataliæ ciuit. subscr.

Gemellus episcopus Stratonicæ ciuitatis subscripsi.

Niceas episcopus Megaren. ciuit. subscr.

Athanasius episcopus Opuntenæ ciuit. subscripsi.

Philippus episcopus * Nouæ aulæ ciuit. subscr. — * Theodosiupolis

Atarbius episcopus ciuit. Trapezuntis, subscr.

Irenæus episcopus ciuit. Naupacti, subscr.

Ophelimus episcopus Tegeæ ciuit. subscr.

Domninus episcopus ciuit. Plateæ, subscr.

Stephanus episcopus * Lymiræ ciuit. subscr.

Fronton episcopus Phaselidenæ ciuit. subscr.

Philippus episcopus Liburnæ ciuit. subscr.

* Antipatrus episcopus Cauninæ ciuitatis, subscripsi. — * Antipater.

Nicolaus episcopus Acarassenæ ciuitatis subscripsi.
Leontius episcopus Araxenæ ciuitatis, subscripsi.
Andreas episcopus Sectoriorum ciuitatis subscripsi.
Romanus episcopus Bubonensis ciuitatis subscripsi.
Alexander episcopus Sebastiæ, subscripsi.
Stephanus episcopus Prymnesiæ ciuit. subscripsi.
Hermias episcopus Abydi sanctæ Dei Ecclesię, subscripsi.
Cossinius episcopus ciuit.* Hierocæsareæ prouinciæ Lydiæ, subscripsi.
Patricius episcopus Adramyteorum sanctæ Dei Ecclesiæ prouinciæ Hellesponti, subscr.
Polidorę Strategius episcopus Polybotis ciuit. subscr.
Olympius episcopus Theodosiupolis ciuit. subscr.
Damianus episcopus ciuit. Sidonis, subscr.
Theodosius episcopus ciuitatis Canothæ, subscr.
Docimasius episcopus Maroneæ, subscr.
Thomas episcopus Porphyrionis, subscr.
Epiphanius episcopus Cestriæ ciuit. subscr.
Megalus episcopus Philadelphiæ, subscri.
Helianus episcopus ciuitatis Selenuntis, subscr.
Euandrus episcopus Diocliæ, subscr.
Eulogius presbyter, pro Genethlio reueren. meo episcopo Gratiæ ciuit. subscr.
Pelagius presbyter, pro Theophilo reuerendissimo episcopo meo Adrianupolis, subscr.
Modestus presbyter, pro episcopo meo Prusiadis ciuitatis Olympio, subscr.
Serenus episcopus Maximianupolis ciuitatis, subscr.
Ioannes episcopus Polemonij, subscr.
Soter episcopus Theodosianæ ciuit. subscr.
Epaphroditus episcopus Tamassij, subscr.
Leontius episcopus ciuit. Ascalonæ, subscr.
Patricius episcopus Acamassenæ ciuit. subscr.
Sebennus episcopus Pellensis, subscr.
Ibas episcopus Edessenæ ciuit. subscr.
Ætherius episcopus Sardonæ ciuit. subscr.
Alexander episcopus Tomitanorum prouinciæ Scythię, subscripsi.
Photinus episcopus Lyddæ ciuit. subscr.
Anianus episcopus ciuitatis Capitoliadis, subscr.
Theophilus episcopus Ariaci ciuit. subscr.
Martyrius episcopus Gortynæ ciuit. subscr.
Nicolaus Stobenæ episcopus subscripsi.
Cyrillus episcopus Apoloniæ Cretæ ciuitatis * Subriti, subscripsi.
* Phœniciæ Eusebius episcopus* Topiris ciuitatis, subscr.
* Phœnices Peregrinus episcopus* Phœnicis, subscr.
Claudius episcopus Anchiaxi, subscr.
Euphrates episcopus ciuitatis Eleuthernæ, subscripsi.
Gennadius episcopus ciuitatis Acmoniorum prouinciæ Phrygiæ, subscr.
Demetrius episcopus Lappenæ ciuitatis, subscr.
Paulus episcopus ciuit. Derbæ, subscr.
Plutarchus episcopus Listrenæ ciuit. subscr.
Eugenius episcopus ciuit. Cannorum subscr.
Rufus episcopus ciuit. Hydæ, subscr.
* Tyrannus episcopus Homonadorum ciuitatis, subscripsi.
Petrus episcopus Gabalenæ ciuit. subscr.
Noë episcopus Cephacastelli, subscr.
Maras episcopus Anasarthenæ ciuitatis, pro Romulo episcopo Chalcidensis ciuit. subscr.
Eulalius episcopus Silbij ciuit. subscr.
Petrus episcopus Echineorum, subscr.
Theosebius episcopus ciuit. Ilij, subscr.
Dionysius episcopus Heracleæ ciuit. subscr.
Ioannes episcopus ciuit. Alindenæ, subscr.
Eupythius episcopus Stratonicæ, subscr.
Papias episcopus Erezorum, subscr.
Theodoretus episcopus Alabandenæ ciuitatis, subscripsi.
Ioannes episcopus ciuitatis Amyzonis, subscr.
Tynchanius episcopus Apolloniadæ, subscr.
Dionysius episcopus Antiochiæ Pisidiæ, subscr.
Florentius episcopus Adrianupolitanæ ciuitatis, subscr.
Atticus episcopus Zelensis ciuit. subscr.
Messalinus episcopus Laodicensis, subscr.
Helpidius monasterij mansionis Thermens. subscr.
Menander episcopus Heracleæ, subscr.
Flacillus episcopus ciuitatis Assi, subscr.
Ioannes episcopus Gnidi, subscripsi.
Aquilas episcopus Eudoxiadis ciuit. subscr.
Romanus episcopus Eudoxiupolis ciuitatis, id est, Selymbriæ prouinciæ Thraciæ, subscr.
Theodorus episcopus Heracleæ ciuit. subscr.
Ruffinus episcopus Samosatenæ ciuit. subscr.
Athanasius episcopus Pari insulæ ciuitatis, subscripsi.
Rufinus episcopus* Briulenæ ciuit. subscr. *Brullenę
Pionius episcopus ciuit. Troadæ, subscr.
Hormisda episcopus Philippopolis ciuit. prouinciæ Arabiæ, subscripsi.
Iulianus episcopus Celenderitis ciuit. subscr.
*Tyrannus episcopus Germanicopolis ciuitatis, subscripsi.
Acacius episcopus Antiochiæ, subscr.
Ammonius episcopus Iotapenæ ciuit. subscr.
Gennadius episcopus * Mossynnorum ciuitatis, subscripsi.
Paulinus episcopus Theodosiupolis ciuitatis, subscripsi.
Ioannes episcopus Trapezupolitanæ ciuitatis subscripsi.
Florentius episcopus Lesbos Tenedi, subscr.
Daniel episcopus Lampsaci, subscr.
Antiochius episcopus Arcæ, subscr.
Aquilas* Aurocyron episcopus, subscr. * Acroceraunotũ.
Ioannes episcopus Diocæsareæ, subscr.
Eulalius episcopus Pioniæ ciuitatis prouincię Hellesponti, subscripsi.
Rufinus episcopus ciuit. Bibli, subscr.
Alexander episcopus Antaradi, subscr.
Iouinus episcopus Debaltenæ ciuit. subscr.
Ioannes episcopus Tiberiadis ciuit. subscr.
Theodorus episcopus Tripolitanæ ciuit. subscr.
Paulus episcopus ciuit. Aristhi, subscr.
Zozon episcopus Philippensis, subscr.
Cyriacus episcopus Trogmadorum ciuit. subscr.
Diodotus episcopus Lysimachiorum ciuitatis, subscripsi.
Macedon episcopus Magidenæ ciuit. subscr.
Neon episcopus ciuit. Psyllenæ, subscr.
Mysterius episcopus ciuit. Amorij, subscr.
Longinus episcopus Orchistenæ ciuit. subscr.
Petrus episcopus ciuit. Dardani, subscr.
Chrysippus episcopus ciuit. Malli, subscr.
Daniel episcopus Cadenæ ciuit. subscr.
Thomas episcopus Theodosiupolis ciuit. subscr.
Athanasius episcopus* Mossynorum, subscr.
Dauid episcopus Adrianæ ciuit. subscr.
Cyriacus episcopus ciuit.* Egaræ, subscr. * Ægæ
Paulus Tlosorum episcopus, subscr.
Iulianus presbyter agens vices Calandionis episcopi,* Alicarnasenæ ciuit. subscr.
Iuuenalis episcopus Hierosolymæ, subscr.
Thalassius episcopus Cæsareæ, subscrr.
Nyteras episcopus ciuitatis Gazæ, subscr.
Eusebius episcopus Ancyræ, subscr.
Eudoxius episcopus ciuit. Etennorum, subscr.
Martianus episcopus Stephanæ ciuit. subscr.
Macarius episcopus ciuit. Enos, subscr.
Cyriacus episcopus ciuit. Eucarpiæ, subscr. *Basilicus
Basilius episcopus Palæ aspoleos, subscr. * Paleiscepsis.
Patricius episcopus Acamassenæ ciuit. subscr.
Eutychius episcopus Adrianupolis veteris Epiri ciuitatis, subscripsi.
Eustathius episcopus gentis Sarracenorum, subscr.
Paulus presbyter, agens vices Vranij reueren. episcopi Himerorum ciuit. subscr.

Helias episcopus Bleandrenæ ciuitatis, subscripsi.
Eusebius episcopus ciuit. Seleucouallæ, subscripsi.
Patricius episcopus Adramyteorum, subscripsi.
Iulianus episcopus Tabiæ, subscripsi.
Meliphthongus episcopus Iuliopolis, subscr.
Stephanus episcopus ciuit. Iamniæ, subscr.
Acacius episcopus ciuit. Cynnæ subscr.
Andreas episcopus ciuit. Sectoriorum, subscr.
Paulus episcopus Aradi, subscripsi.
Leucadius episcopus * Tynnienſ. ciuit. subscr.
Euphrasius episcoptis * Laganiæ ciuit. subscr.
Musonius episcopus Brimenæ ciuit. subscr.
Antiochus episcopus ciuit. Synopi, subscr.
Helpidius presbyter, agens vices reuerend. episcopi Paradrapenæ ciuitatis, subscripsi.
Euphronius presbyter, agens vices Domni reuerend. episcopi Cocusenæ ciuitatis, subscripsi.
Helpidius presbyter, agens vices reuerend. Antonini episcopi ciuit. Amissinorum. subscr.

* Laganiæ vel Lagiæ

EPISTOLA CONCILII CHALCEDONENsis, ad Valentinianum & Martianum Imperatores.

PIISSIMIS & fidelissimis & Christianissimis Imperatoribus ac triumphatoribus, Valentiniano, & Martiano semper Augustis, sancta & magna Synodus secũdum Dei gratiam & sanctionẽ vestræ pietatis congregata in Chalcedonensium ciuitate.

Magnæ ægritudines & medicamine sorti, & medico indigent sapiente. Propter hoc igitur omnium Dominus, passionibus orbis terrę sicut medicum optimum vestram superinstituit pietatem, vt has congruentibus sanetis medicaminibus. Vos verò Christianissimi Diuinum susçipientes decretum præ alijs hominibus, competentem diligentiam adhibuistis Ecclesijs, pontificibus concordiæ medicinam machinantes. Vndique enim nos congregantes, omnes commodastis auxilium, quatenus vt factæ interimantur discordię, & paternæ fidei doctrina roboretur. Nos igitur * considentes, & vniuerso orbi factę tempestatis causam inquirentes, huius rei authorem comperimus Dioscorum quondam Alexandrinorum Episcopum. Primum quidem, quia epistolam à sanctissimo archiepiscopo senioris Romæ Leone directam, ad sanctæ memoriæ Flauianum, quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, recitari prohibuit reuerendissimis episcopis Ephesi congregatis, & hæc post promissiones suas & iuramenta plurima, sicut nos præsentes nouimus. Secundò verò, quia Eutychi ægrotanti impietate Manichæi, & legitimè abdicato, tam sacerdotium quàm monachorum principatum, ante decretum Synodale irregulariter reddidit. Et hæc cùm sanctissimus & beatissimus magnæ Romæ archiepiscopus Leo per easdem literas conuenientia decreuisset, & scelestam Eutychis in scriptis damnasset perfidiam, dicẽtis: Confiteor quidem ante adunationẽ ex duabus naturis Dominum nostrum Iesum Christum, post verò vnitionem vnam esse naturam: & quia in Deo amantissimũ Episcopum Eusebium iniqua commisit, adhuc autem & quosdam à diuersis Concilijs ritè damnatos, in communionem propria authoritate susçepit, sanctis regulis præcipientibus, excommunicatos ab alijs, in communionem alios non debere susçipere. Et fortè super tantis ac talibus iniquitatibus veniam adipisci potuisset, si per dignam pœnitentiam adscisceret medicinam ab hoc vniuersali Concilio. Sed quoniam super alias suas nequitias & aduersus ipsam Apostolicam sedem latrauit, & excommunicationis literas aduersus sanctissimum & beatissimum Papam Leonem facere conatus est, & in prioribus arroganter perstitit iniquitatibus, & aduersus præsentem sanctam vniuersalem & magnam Synodum procax existens, atque diuersis contra se factis accusationibus, omnino cõtemnens, respondere non passus est, semel quoque ac secundò & tertiò secundum sanctas regulas euocatus, despexit occurrere: decenter ab vniuersali Concilio sacerdotio est nudatus, & ab episcopali dignitate pronunciatus est alienus, vt his similia perpetrare tentantibus, disciplinæ fieret & sobretatis exemplum. Quoniam quidem & diuinæ præcipiunt leges, apertè dicentes: Expellite malum à vobismetipsis.

* considerantes,

Regula sique decretum de excommunicatione.

Deut. 13. & 19. 1. Cor. 5.

Quid autem peius est tantis in rebus delinquente, & ita diuinos canones cõculcante, & vniuersum orbem terræ fluctutione & tempestate replente, & membra Ecclesiæ dissipante, & hæc eadem aduersus se inuicem armante? Quoniam verò inueniet aliquis & medicum (quando viderit membrum teneri incurabili passione, & corpus omne pestiferum) ferro vtentem, & abscindentem malè se habentia, vt alijs corporis partibus conferat sanitatem, hæc verè pium vestrum docemus imperium, vt illius malitiam, & in eum prolatæ (quod Deo teste dicimus) iustæ sententiæ synceritatem consideretis. Credimus enim consonos nobis fieri & vos pijssimos & Christianissimos Imperatores, scientes vestri venerabilis imperij circa malos horrorem, & quantam pacis Ecclesiasticæ geritis prouidentiã, experimento edocti. Cuius gratia & omnium Deum petimus, vestrum amplius custodire imperium, & pietatem solito more protegens, & tranquille vniuersum orbem terræ regens, & iustitiam singulis subditis iudicans, & resistentes manus hostium subiugans, & vestris sceptris obtemperare compellens. Vt autem, quæ benè & secundum Deum cum sanctis regulis definita sunt, manifestius cognoscat Christianissimum vestrum imperium, & ipsa, quæ subsecuta sunt monimẽtorum gesta, cum omnium nostrorum subscriptione huic relationi sociauimus.

PROPOSITIO EDICTI CHALCEdonensis Concilij contra Dioscorum.

SANCTA & magna & vniuersalis synodus, quæ per gratiam Dei secundum sanctionem pijssimorum & Deo amantissimorum Imperatorum nostrorum in Chalcedonensi prouinciæ Bithyniæ ciuitate collecta est, in Ecclesia sanctissima & decore ornata victricis sanctissimæ martyris Euphemiæ, omni dilecto in Christo Constantinopolitanæ ciuitatis populo simul & Chalcedonensis. Peruenit ad sanctum magnumq; concilium, quod post sacerdotij ablationem ex diuinis regulis descendẽrem, Dioscorus, qui fuit Alexandrinorum magnæ ciuitatis episcopus, diffamare præsumit, rursus se fore sacerdotium recepturum, quod prius habuit: & nõ ad placandum largitorẽ Christum, sed ad iniquitatem, corruptionemque canonum diuinorum, Ecclesiastico est ordine hoc abusus. Vt igitur cuncti, qui sanæ fidei sunt alumni, certum & indubitatum teneatis, quod iusta sit super eum à sancto vniuersali concilio decreta deiectio, iustum iudicauimus has literas promulgare, signãtes, quòd qui talia perpetrauit, quæ ab omnium dominatore Deo, & à tanta episcoporum multitudine ignoscí non debeant, sacerdotali gratia denudatus, omnino nullã restaurationis spem poterit obtinere: quippe quo proiecto, vna quieuit & scandalum.

DAMNATIO MISSA DIOSCORO A sancto concilio Chalcedonens.

SANCTA & magna & vniuersalis synodus, quæ gratia Dei secũdum constitutum pijssimorum & Deo amantissimorum principum nostrorum collecta est in Chalcedonensium ciuitate Bithyniæ, * in Basilica sanctissimæ & bonæ victricis martyris Euphemiæ, Dioscoro. Cognosce teipsum, propterea quod diuinos canones despexisti, & inobediens extitisti huic sancto & vniuersali concilio, super quæ hæc, præter alia tua commissa, in quibus inuentus es reus, etiam tertiò euocatus ab hac sancta & magna synodo secundum diuinas regulas, vt accusationibus responderes, minimè occurristi, Octobris mensis præsentis tertiodecimo die, à sancto & vniuersali concilio esse ab episcopatu depositum, & ab omni Ecclesiastica functione submotum.

Contumacia Dioscori in Rom. Pontificem grauissimum crimen reputatur à Concilio.

ITEM CLERICIS ALEXANDRINIS, qui erant Chalcedone, de damnatione Dioscori.

SAncta & magna & vniuersalis synodus, quæ gratia Dei secundum sanctionem pijssimorum & amantium Christum Imperatorum

*torum nostrorum collecta est in Chalcedonens. ciuitate Bithyniæ regionis, in martyris sanctissimæ & bonæ victricis Euphemiæ Ecclesia, Charmosino presbytero & dispensatori, & * Euthalio diacono reuerendissimis, & cæteris clericis, qui hic sunt.* Cognoscat reuerentia vestra, Dioscorum (qui fuit vester episcopus) multis modis deprehensum in diuinarum regularum læsione & Ecclesiastici ordinis, insuper verò & huic sanctæ & vniuersali synodo contumelias irrogantem, & quod tertiò euocatus secundum diuinos canones, contempsit occurrere, hesterno die, qui est præsentis Octobris mensis tertiusdecimus dies sabbathi, à sancta & vniuersali synodo, secundum quod placuit Ecclesiasticæ disciplinæ, tam ab episcopatu esse depositum, quam & ab omni Ecclesiastico gradu factum extraneum. Custodite igitur res Ecclesiasticas vniuersas, tanquam qui reddituri estis rationem ei, qui secundum Dei voluntatem, & nutum pijssimorum & Deo amantissimorum Imperatorum nostrorum, Alexandrinæ magnæ ciuitatis sanctissimæ Ecclesiæ est ordinandus episcopus.

EX CODICE ACVMICENSI GRAECO. Relatio sanctæ synodi Chalcedonens. ad sanctæ memoriæ Pulcheriam Augustam de damnatione Dioscori.

Piissimæ & Christum diligenti, Deoq; dilectissimæ Reginæ & Augustæ, custodi Catholicæ & orthodoxæ fidei filiæ Pulcheriæ, sancta & magna synodus, quæ secundum Dei gratiam & vestri imperij sanctionem, in Chalcedonensium Metropoli congregata est.

Multa tibi bona præstentur, quæ donante digna sunt saluatore, quæ amas Christum filia & Augusta. Loquentes enim nos ad alumnam fidei, oportet ab orationibus inchoare, atq; hinc Deo laudes offerre, quia iuxta ipsam Domini euangelicam vocem, lucet lux meritorum vestrorum coram cunctis hominibus, & bona opera vestra cernētes, glorificant patrem nostrum, qui est in cœlis. Ecce enim cunctis pietatis vestræ fulgor irradiat, impletus est per vos doctrinæ Apostolicæ cursus, & zelo vestri amoris in Deum, ignorantiæ caligo perculsa est, & fidei declarata concordia, nec vltra hæreticæ pestilentiæ nobis sunt importuna zizania. Consonamus vniuersis magisterijs pietatis, vestris id adiuti laboribus impetrantes. Per vos enim nobis fidelium gregibus caulæ replentur: per vos nunc, qui olim fuerant dispersi, concurrunt: suntq; pastores ouibus restituti, & magistri discipulis. Qui enim dissipergebat, extinctus est: sopitus est persecutor, princeps tempestatis explosus est, ipsiq; naues suas in cursu repetiere rectores, Christo ad intelligentiam prosperè dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem, quia sicut sapiente Petro, ita & isto vtitur assertore. Et nos quidem desiderauimus, vt omne membrū nobiscum pariter fraterna concordia chorum gaudij celebraret: sed quia solus ille qui Alexandrinorum tenuit præsulatum, vltro semetipsum à tantorum bonorum collegio pepulit, & nos ei cum tristitia & lachrymis denegauimus communionis nostræ consortium: quia & saluator noster, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, illum quem sordida indutum veste cōspexit, regali aula competenter excluſit. Cui quia similem comperimus esse Dioscorum, ob hoc eum à sacerdotij dignitate contra vota nostra defiximus alienum. Fratribus enim scandala ponebat, vt nequam in ore suo abundauit nequitia, fallacia sua literarum Romani pontificis abnuens lectionem. Vnde quia semetipsum non exhibuit bonis exemplum, remansit sicut statua salis, vt terreat delinquentes, dum per illa, quæ gessit, pro nobis suis aduocatoribus satisfaciat, eo quòd ex nulla duritia, quinimmò nec quanta adhuc exigebat iustitia, sententiæ aduersus eum decreta protulimus. Vnde præsumentes ea, quæ placuerunt, vestro insinuamus imperio, vt illum pro suis erroribus execretur, nostram verò sententiam probet, à quibus pro totius corporis prouidentia, quod computruerat, est abscissum. Estote igitur incolumium protectores, & sicut pij roborate fideles, & diuinæ in vobis prouidentiæ largitori hanc vicissitudinem repensate, vt tali precio illum obtineatis honorem, qui nulla successione finietur, & imperiali corona coronam immarcescibilem comparetis. His enim, qui piè dispensationem rerum peragunt terrenarum, necessariò cœlestia rependuntur, & maximè vobis, ô fidelissimi, quibus & inter tanti onera principatus, in orationibus tota vita consistit, quorum conuersatio est in psalmis, * & apud quos dignitate videntur ornati, qui se humiliant propter Deum: quibus religionis est, vt ad eos facilè accedatur: & zelus ille cœlestis, quatenus omnibus qui ad vestrum pertinent principatum, fructum prouideant veritatis.

* qui dum dignitatē gentis, e. itis tamen humiles propter Deum.

Matth. 5.

1. Tim. 2.

Matth. 22.

Gen. 19.

EDICTVM SIVE LEGES SANCTAE Memoriæ Valentiniani, & Martiani Imperatorum, quas quidem leges beatissimus Papa Leo in suis confirmauit epistolis, quibus interdicunaur prohibenturque disputationes de fide coram vulgo, & confirmantur Chalcedonens. Concilij decreta atque statuta.

IMPERATORES Cæsares, Flauius Valentinianus pontifex inclytus, Germanicus inclytus, Alamanicus inclytus, Sarmaticus inclytus, tribunitiæ potestatis vicies septies, Imperator vicies septies, consul septies: & Flauius Martianus pōtifex inclytus, Germanicus inclytus, Sarmaticus inclytus, Alamanicus inclytus, Francus inclytus, tribunitiæ potestatis vicies septies, Imperator, * consul semel, de prohibitis disputationibus à Christianis ciuibus nostris Constantinopolitanis. Tandem aliquando, quod summis votis atque studijs optabamus, euenit. Remota est de orthodoxa Christianorum lege contentio, tandem remedia culpabilis erroris inuēta sunt, & discors populorum sententia in vnum consensum, concordiamque conuenit. E diuersis enim prouincijs religiosissimi sacerdotes Chalcedonam venerunt iuxta nostra præcepta, & quid obseruari in religione debeat, perspicua definitione docuerunt. Cesset igitur iam prophana cōtentio. Nam verè impius atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum reliquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die comentitium lumen inquirere, Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vlterius discutit, mendaciū quærit. Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet cōditionis, de fide Christiana publicè turbis adunatis & audiētib. tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirēs. Nam iniuriam facit iudiciò religiosissimæ synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita, reuoluere & publicè disputare contendit, cùm ea, quæ nunc de Christiana fide statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & statuta sanctorum patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta, definita esse nosc untur. Nam in contemptores huius legis pœna non decrit, quia non solùm contra fidem benè compositam veniunt, sed etiam Iudæis & Paganis ex huiusce modi certamine prophanant veneranda mysteria. Igitur si clericus erit, qui publicè tractare de religione ausus fuerit, à consortio clericorum remouebitur: Si verò militia præditus sit, cingulo spoliabitur. Cæteri etiam huius criminis rei, de hac sanctissima vrbe pellentur, pro vigore iudiciario etiam competentibus supplicijs subiugandi. Constat enim, hinc hæreticæ insaniæ exordia, fomitemq; præberi, dum publicè quidam disputant atque contendunt. Vniuersi ergo, quæ à sancta synodo Chalcedonensi statuta sunt, custodire debebunt, nihil postea dubitaturi. Hoc itaque nostræ commoniti serenitatis edicto, abstinete à prophanis vocibus, & vlterius definite de diuinis disputare, quod nefas est. Quia nō solùm diuino iudicio peccatum hoc (prout credimus) punietur, verum etiam legum & iudicum authoritate coercebitur. Datum Constantinopoli, VII. Kalendas Februarij, Sporatio viro clarissimo, & qui fuerit nunciatus, consulibus.

* qui dum

I. Nemo C. de sum. tri. & fide Cath.

Iniuriam facit synodo qui de semel iudicatis audet disputare.

Anno Domini 452

MARTIANI IMPERATORIS EDICTVM ad Constantinopolitanos ciues, de confirmatione gestorum Chalcedonens. synodi, & eorum obseruatione.

VEnerabilem Catholicæ orthodoxorum fidei sanctitatem, manifestam & indubitatam vniuersis constituere cupiens nostra serenitas, vt maior erga diuinitatis obsequia

hominibus religio traderetur, tantam atque talem synodum ex omnibus penè prouincijs coadunatis episcopis, in Chalcedonensi ciuitate colligi iussit, atque ibi plurimis de ebus tractatu habito, quod verum & infucatum Christianæ fidei esset, inuenit. Votis etenim & orationibus plurimis exorauêre diuinitatem, quatenus sancta & plena eos veritas non lateret. Secutique sunt statuta venerabilium patrum, ea videlicet, quæ apud Nicæam trecentorum decem & octo sanctorum episcoporum sunt sententia definita, similiter & quæ centum quinquaginta in hac amplissima coadunati vrbe constituerunt, atque ea quæ apud Ephesum pridem statuta sunt, cùm beatissimæ recordationis Cœlestinus Romanæ vrbis, & Cyrillus Alexandrinæ ciuitatis episcopi, inuenêre veritatem. Quo tempore etiam Nestorianus error exclusus est, eius authore damnato. Quibus ita ritè & venerabiliter apud Chalcedonam inquisitis, Eutyches, qui plura affirmabat illicita, cum sua assertione deiectus est, ne decipiendorum vlterius ei hominum præberetur facultas. Ordinatis itaque religiosè & fideliter, quæ venerandam orthodoxorum fidem fundasse noscuntur, ita vt nulla in posterum dubitatio, vel illis, qui calumniari diuinitatem assolent, relinqueretur: sacro nostræ serenitatis edicto venerandam synodum confirmantes, admonuimus vniuersos, vt de religione disputare desinerent, quoniam vnus & alter tanta secreta inuenire non posset, maximè cùm summo labore & amplissimis orationibus tot venerabiles sacerdotes, nisi Deo (vt credendum est) authore, ad indaginem veritatis non potuerint peruenire. Verùm sicut manifesta ratione cognouimus, non desinunt quidam in eadem peruersitatis insania permanere, & publicè de religione contendere populis coadunatis, & mysteria diuina, Iudæorum Paganorumque sub obtutibus, publicare & prophanare, quæ rectius volenda sunt, quàm inquirenda. Oportuerat itaque in eadem pertinacia consistentes, statuta dudum animaduersione compesci, vt pœna corrigeret, quos reuerentia iussionum emendare non potuit. Verùm in hoc secuti consuetudinem nostram, noscentes præ omnibus, quòd diuinitas pietate lætetur, pœnam nocentium credidimus differendam, iterata hac sancientes nostræ clementiæ iussione, vt in futurum à prohibitis omnes abstineant, nec conuenticula colligant super religione certantes: quia in huiusmodi peruersitate & vanitate detecti, & statutas dudum suscipient pœnas, & iudiciario motu (prout religiosis temporibus conuenit) punientur. Oportet enim Chalcedonen. synodum sequi, in qua, omnibus diligenter quæsitis, ea definita sunt, quæ pridem tres prædicti cœtus apostolicam fidem secuti, omnibus obseruanda tradiderunt ciuibus Constantinopolitanis. Datum 3. Idus Martij, Constantinopoli, Sporatio viro clarissimo, & qui fuerit nunciatus, consulibus. Et eodem exemplo scriptum Palladio viro illustri prætori Orientis, Valentiniano viro illustri prætori Illyrici, Tatiano viro illustri præfecto vrbis, Vincomalo viro illustri, magistro officiorum & consuli designato.

INTERPRETATIO LEGIS THEODOSII iuntoris, quam pro Eutyche, seductus à Chrysaphio, promulgauit. Quæ nunc ideò ponitur, vt quia beatæ memoriæ principis Martiani lex hanc subsecuta destruxit, etiam tali collatione noscatur, quid amplectendum, quidq; euitandum sit.

De hæreticis Nestorianis, & fide catholica.

OLim quidem prius Nestorius, qui fuit Constantinopolitanus episcopus, noua & pestifera (præter illa, quæ tradita sunt, tentans inducere) dogmatum Christianorum puræ & orthodoxæ fidei contraria, à sancta synodo est eiectus, quæ Ephesi ex vniuerso orbe principali sanctione conuenit. Quæ sancta synodus pariter confirmauit etiam catholicam fidem, ab episcopis, qui Niceæ congregati sunt, traditam. Et nos confirmantes, quæ salubriter definita sunt ab eodem sancto concilio, quod Ephesi congregatum est generalem promulgauimus legem, quæ tam prædictum Nestorium, quam eos, qui ei similia sapiunt, damnat, præcipientes, ne Christiano saltem nomine censerentur, sed vt Simoniani potius vocarentur, quoniam blasphemiam Simonis dilexerunt. Difiniuimus enim, cæteris eos debere vltionibus subiacere, quas continet præfata præceptio. Quoniam verò præsenti tempore, dum post illa iam pridem quietæ essent ecclesiæ, Flauianus Constantinopolitanus Episcopus & Eusebius alter episcopus, pernicioſas seductiones sequendo, Nestorij *schismata ecclesijs iniecerunt, præcepimus rursus in eiusdem ciuitatis Ephesiæ sanctiss. ecclesiam vtiquè denuò conuenire concilium, vt cum omni subtilitate vera fide firmata à sanctis ecclesijs, iniecta per eos hæresis auferretur. Hæc ipsa igitur sancta synodus definiuit, obtinere quidem fidem, quæ Niceæ à trecentis decem & octo patribus tradita est, excludi vero ab episcopatu non solùm Flauianum & Eusebium, sed & Domnum, qui fuit Antiochenus episcopus, & Theodoretum, & alios quosdam, qui in eadem præfatæ hæreseos cæcitate participant, & ob hoc sacerdotalibus indigni sunt sedibus. Et nos igitur eiusdem sanctæ synodi decreta laudamus, atque firmamus, hanc orthodoxam fidem putantes atque nominantes, quæ à trecentis decem & octo patribus exposita est, & firmata in sanctis concilijs, quæ Ephesi congregata sunt. Vt verò & in reliquum tempus perfectissima fiat totius solutio quæstionis, iubemus, vt in omni orbe terrarum, huic ipsi fidei, quæ in Nicæa prolata est, vndique episcopi vniuersi subscribant per metropolitanos singulorum locorum, & hoc ipsum nobis per proprias eorum literas intimetur. Omninò autem nullus, qui Nestorij ac Flauiani, & eorum, qui eiusdem sententia hæreseos detinentur, vllo modo episcopus ordinetur: sed & si quis iam maligno præuentu est ordinatus, aut si quis decæterò per concursum fuerit simulationemque prouectus, hic orthodoxorum proijciatur decreto pontificum, & nec vsque ad verbum eidem sanctæ fidei vel adijciatur aliquid, vel demat ur. Sed nec habeat aliquid aut legat, aut transcribat, proferatve Nestorium vel terminos eius, aut codices noxios, & maximè, quos contra solas Porphyrius edidit Christianas literas, neque Theodoreti scripta: sed quicunque huiusmodi codices habet, publicè illos proferat, & cunctis videntibus igni tradantur. Et eos, qui hanc religionem colunt, vel doctores eorum, nullus neque in ciuitate, neque in agro, neque in suburbio suscipiat, neque eos secum patiatur habere confessum: alioquin rebus eius publicatis, ipse perpetuo exilio relegabitur, quisquis hoc egerit, vel qualislibet extiterit, vel quisquis codices habuerit, iuterdictam fidem Nestorij ac Theodoreti continentes, vt interpretationes eorum, vel qui vocantur sermones allocutorij, siue traditiones, ijsdem tormentis subiaceat, vel si ea, quæ sunt ab illis composita, alterius nomine fuerint prænotata.

Mala definitio Theodosij, fraude decepit *lectiones

Hæc lex in Nestorium rectè promulgata est, contra orthodoxos verò non benè. Sed pro illa nihilominus vtilitate inserta est, vt sciat lector, quia sequens lex principis Martiani, ideò nominatim de Iba nil dixit, quoniam nec in ista sic legitur: sed specialiter ab ista damnatos, specialiter soluit: generaliter verò, & illa generaliter attingit. Sicubi autem de Iba in huius legis (quæ sequitur) exemplaribus inuenitur, vt superfluum deputetur: quia & nos, ita nos alicubi posuisse, recolimus, quod ex verioribus Acumicen. exemplaribus duximus emendandum.

Hæc sunt D. Petri Crabbæ.

DE INFIRMANDIS IIS, QVAE CONtra sanctæ memoriæ Flauianum episcopum Constantinopolitanæ vrbis sunt iniustè prolata, & confirmandis ijs, quæ meliori tractatu posteà de eo sunt prolata à sancta synodo Chalcedonensi; ijdem Augusti, id est, Valentinianus & Martianus, Palladio præfecto prætoriorum Orientis.

GLORIA nunquàm gloriosa morte perimitur: nec pereunt, cùm deficient, virtutes. Immò etiam obitu existimatio augetur bonorum, quia omnis aduersum mortuos euanescit inuidia. Indè tanto studio ac præconijs Maiorum facta laudantur: inde optimorum maxima cum veneratione memoria celebratur: inde magnorum animi virorum, exitus appetiue, verò glorioſos: quia compertum erat, eos solummodò perpetuè mori, quorum de vita ac morte taceretur. Iudicia vel inuidiam esse, etiam præsenti in tempore diui-

Locus obscurus.

num ostendit, humanumque iudicium. Cùm enim falsa inuidia & improbè concinnata calumnia, religiosæ ac venerabilis recordationis Flauianus huius almæ vrbis episcopatu fuisset expulsus, (quamuis hoc fuit plenius retinere sacerdotium, fidem, quam acceperat, conseruare: is enim solus est, qui esse meretur episcopus) tamen ita eius reliquias & expetijt hęc sacratissima ciuitas, & recepit, vt beatior omni viuenti videretur: vt exitus ille, qui putabatur acerbus, optandus credatur fuisse, quo illam immortalem mercatus est laudem: sequutumque est illud, quod meritis eius diuinitas præstitit, vt venerabilis synodus innumerabilium penè sacerdotum Chalcedone conueniret: quæ dum fidem diligenter inquirit, authoritate beatissimi Leonis episcopi æternæ vrbis Romæ & religionis fundamenta constituit sanctæ ciuitati, & Flauiano palmam mortis tribuit gloriosæ. Ergò quoniam venerabilis recordationis Flauianus, tanto ac tali decoratus est testimonio, vt Eutyches, qui contra senserat, cum sceleratis dictis suis ab omnibus vno ore damnaretur, aboleatur ille à constitutione, quæ subreptione sceleratorum, post obitum sanctæ memoriæ Flauiani aduersus eum lata cognoscitur, cessetque in totum, cuius initium fuit iniquum & iniusta sententia. Nihil obsit Eusebio quoque & Theodoreto religionis episcopis, qui eadem lege continentur: quoniam non possunt sacerdotes constitutione damnari, quos synodicum ornat super conseruanda religione decretum. Expulsa itaque illa sanctione, retineat vitæ gloriæque Flauianus, quam meretur, perpetuam laudem, cæteris constantiæ erga fidem futurus exemplum. Illa igitur & magnifica authoritas tua hanc saluberrimam legem, edictis propositis, ad omnium notitiam faciat peruenire. Datum Constantinopoli pridiè Nonas , Sporatio viro clarissimo, & qui fuerit nunciatus, consulibus, Palladio præfecto prætorij.

DE CONFIRMANDIS, QVAE A SYNODO Chalcedonen. contra Eutychen & eius monachos constituta sunt, ijdem, Augusti Palladio præfecto prætorij. Et eodem exemplo Valentiniano præfecto Illyrici. Tatiano præfecto vrbis, Vincomalo magistro officiorum & consuli designato.

AMplae omnipotenti Deo referendæ ac tribuendæ sunt gratiæ, quod scelera nec latere concedit, nec durare impunita permittit. Horum enim alterum, lædendi habet plurimam facultatem: alterum, peccandi cæteris præstat exemplum. Curæ igitur esse diuinitati hominum actus, & maximè reuerentiam religionis, proximè in confirmanda catholica fide euidenter apparuit, cùm Eutychen sceleratorum dogmatum sectatorem, nec latere, vt diu lateret, fuit: nec, patefacto scelere, passa est pœnam sceleris euitare. Sententijs itaque diuinis humanisque damnatus, synodicum decretum (vt merebatur) excepit, reus diuinitati, cui faciebat iniuriam: reus hominibus, quos dècipere conabatur. Proximè etenim innumerabiles ex toto penè orbe beatissimi episcopi Chalcedone congregati, improba prædicti Eutychis, vnà cum synodo eius causa habita, expulère commenta, sequuti sanctorum definita Maiorum, quæ vel apud Nicæam à trecentis decem & octo constituta sunt, vel in hac posteà alma vrbe à centum quinquaginta, sunt episcopis *decreta, vel apud Ephesum, cùm Nestorij est error exclusus, præsidentibus Cœlestino Romanæ vrbis, & Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis episcopis. Ea igitur, quæ sunt iuxta pristinam disciplinam à reuerenda synodo Chalcedone definita, illa fide, qua Deum colimus, per omnia seruanda censuimus atque censemus: quia valdè consequens est, *quingentorum viginti sacerdotum, pura mente Deum colentium, definita, quæ pro orthodoxorum fide sacrosancta secundùm patrum regulas processerunt, summa cum veneratione seruare. Verùm quoniam principalis prouidentiæ est, omne malum inter initia opprimere, & serpentem morbum, legum medicina resecare: hac lege decernimus, eos, qui Eutychetis decipiuntur errore, ad exemplum Apollinariorum, quos Eutyches sequutus est, quosque venerabiles parentum regulæ, id est, ecclesiastici canones, & principum diuorum sacratissima scita condemnant, nullum episcopum, nullum habere presbyterum, nullos *habere vel appellare clericos, ipsumque Eutychen nomine presbyteri (quo & indignus, & spoliatus est) in totum carcere. Si qui tamen contra definita nostra episcopos, presbyteros, cæterosque clericos ausi fuerint creare, tam factos, quàm facientes, vel præsumentes sibi clericorum gradum, bonorum amissione perculsos, exilio perpetuo præcipimus contineri: coëundi, vel colligendi, vel congregandi monachos, aut ædificandi monasteria, nullam eos iubemus habere licentiam, locaque ipsa (in quæ fortè conuenire aliquando tentauerint) confiscari, si tamen domino loci sciente conuenerint: Quòd si ignaro actore, conductorem loci fustibus cæsum, deportationem subire censemus. Ipsos præterea nihil ex testamento cuiusquam capere, nihil eis, qui eiusdem erroris sunt, relinquere testamento, ad nullam eos patimur adspirare militiam, nisi fortè ad *cohortaliciam vel limitaneam. Si quis etiam extra prædictam militiam inuentus fuerit militare, vel quia ignorabatur eius in religione peruersitas, vel quia post adeptum cingulum ad hunc deuenerit errorem: solutus militia, infidelitatis suæ fructum hunc habeat, vt optimorũ hominum & palatij communione priuetur. Nec alibi, quàm in quo natus est vico vel ciuitate versetur. Quod si qui eorum in hac alma vrbe (quod credi nefas est) geniti sunt, tam hac ciuitate venerabili, quàm sacratissimo comitatu, & omni excludatur metropolitana ciuitate. Et hæc quidem generaliter circa omnes constituimus, qui tali labe polluti sunt, vel polluentur. Eos autem, qui ante hac *clerici orthodoxorum fidei & monachi, qui quondam Eutychis habitauêre diuersorium, (neque enim monasterium dicendum est, quod religionis habuit inimicos) qui ad hoc vsque insaniæ processerunt, vt relicto venerabilis religionis cultu, & synodico decreto, quod totius penè orbis Chalcedone coadunati *decreuere sacerdotes, infaustam Eutychetis sequantur assertionem: quia vera luce deserta, tenebras eligendas esse crediderunt, omnibus pœnis, quæ vel hac, vel præcedentibus legibus aduersus hæreticos definitæ sunt, iubemus teneri: immò extra Romanum expelli solum, sicut præcedentes religiosissimæ constitutiones de Manichæis constituere, ne eorum venenatis fraudibus, sceleratisque commentis, innocentum & infirmorum animi decipiantur. Comperimus præterea, quædam eos in contumeliam religionis & inuidiam venerabilis synodicæ definitionis fuisse mentitos, conscriptisque libris & chartarum tomis plura finxisse, quæ eorum insaniam aduersus veram fidem apertè signarent: atque ideò præcipimus, vbicunque huiusmodi scripta reperta fuerint, ignibus concremari. Eos verò, qui vel scripserint, vel alijs legenda tradiderint docendi studio vel discendi, censemus deportatione puniri. Docendi etenim hanc infaustam hæresim, sicut pridem edictis serenitatis nostræ continetur, omnibus adimimus facultatem: quia vltimo supplicio coercebitur, qui illicita docere tentauerit: Eos verò, qui discendi studio audierint sceleratà differentem, decem librarum auri mulcta compescimus. Ita enim materia subtrahetur erroris, si peccatorum & doctor defuerit, & auditor, Palladi parens chariſſime. Illustris itaque & magnifica authoritas tua, edictis propositis, omnibus faciat nota, quæ iussimus, cognoscentibus moderatoribus prouinciarum, eorumque officijs, defensoribus etiam ciuitatum. Quòd si ea, quæ *mera fide & sancto proposito custodienda censuimus, aut neglexerint, aut permiserint temerari: denarum librarũ auri mulcta perculti, vt religionis legumque proditores, etiam existimatione laborabunt.

Datum 15. Kalend. Augusti, Constantinopoli, Sporatio, & qui fuerit nunciatus, consulibus. Legi. Eodem exemplo scripta Valentiniano viro illustri præfecto Illyrici, & Taciano præfecto vrbis, & Vincomalo magistro officiorum, & consuli designato. Datum 15. Kalend. Augusti, Constantinopoli, Sporatio viro clarissimo, & qui fuerit nunciatus, consulibus.

ACTIO QVARTA CHALCEDOnensis concilij.

CONSVLATV domini nostri Martiani perpetui Augusti, & qui fuerit nunciatus, 16. Kalend. Nouembr.

*creare

for. *habiti quidem sunt clerici.

*definire

Hæreticorum scripta comburenda.

* declarata

*630

Chalcedone ſecundum iuſſionem ſanctiſſimi & pijſſimi domini Martiani perpetui Auguſti, congregatis in ſanctiſſima eccleſia ſanctæ martyris Euphemiæ, glorioſiſſimis iudicibus, hoc eſt, magnificentiſſimo & glorioſiſſimo præfecto ſacrorum prætoriorum Palladio, & magnif. & glorioſiſſ. præfecto vrbis Tatiano, & magnif. & glorioſiſſ. magiſtro ſacrorum officiorum Vincomalo, & magnific. & gloriotiſſ. ex magiſtro Martiali, & magnif. comite deuotiſſimorum domeſticorum Sporatio, & magnif. comite ſacrorum priuatorum Genethlio: ad hæc & glorioſiſſimo ſenatu, hoc eſt, magnif. & glorioſ. ex præfecto & exconſule ac patricio Florentio, & magnif. & glorioſ. exconſule ac patricio Senatore, & magnif. & glorioſ. ex magiſtro & *conſule & patricio Nomo, & magnif. & glorioſ. expręfecto & exconſule & patricio Protogene, & magnif. & glorioſ. expræfecto vrbis Zoïlo, & magnif. & glorioſ. ex præfecto vrbis Theodoro, & magnif. & glorioſ. ex præfecto Apollonio, & magnif. & glorioſ. expræpoſito ſacri cubiculi Romano, & magnif. & glorioſ. ex præfecto Illyrici Theodoro, & magnif. & glorioſ. ex præfecto prætoriorum Conſtantino, & magnif. & glorioſ. ex præpoſito ſacri cubiculi Artaxerxe. Congregato autem & ſancto vniuerſalique concilio, quod ſecundum diuinam ſanctionem in Chalcedonenſium ciuitate collectum eſt, Paſchaſino & Lucentio reuerend. epiſcopis, & Bonifacio reuerend. presbytero, habentibus locum ſanctiſſ. & Deo dilectiſſ. epiſcopi ſenioris Romæ Leonis, & Anatolio magni nominis Conſtantinopolis nouæ Romæ epiſcopi, & reliquis ſanctiſſ. & reuerend. epiſcopis, id eſt, Maximo Antiochiæ Syriæ, Quintillo Heracleæ Macedoniæ, habente locum Anaſtaſij epiſcopi Theſſalonicenſ. Stephano epiſcopo Epheſi, Luciano Byziæ, habente locum Cyriaci epiſcopi Heracleæ Thraciæ, Diogene Cyzici, Petro Corinthi, Florentio Sardeorum, Eunumio Nicomediæ, Euſebio & Conſtantino presbyteris, habentibus locum Anaſtaſij epiſcopi Niceæ, Eleutherio Chalcedonæ, Meletio Lariſſę, habente locum Domni epiſcopi Apameæ Syriæ ſecundæ, Amphilochio Sidæ, Iuliano Coenſis ciuitatis, habente locum & ipſo ſedis Apoſtolicæ Romæ, Theodoro Tarſi, Cyro Anazarbi, Conſtantino Boſtrorum, Photio Tyri, Theodoro Damaſci, Nonno *Edeſæ, Simeone Amidæ, Ioanne Sebaſtiæ, Seleuco Amaſiæ, & reliqua ſynodo. Et reſidentibus omnibus ante altaris ſanctiſſimi cancellos, propoſitis in medio ſacroſanctis euangelijs, Glorioſiſſimi iudices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Vt ſciamus, quæ gerenda ſint, relegantur ea, quæ in præcedentibus ſunt audientijs cõſtituta. Conſtantinus vir deuotus magiſtrianus, & ſecretarius, ex ſcheda geſtorum ſub conſulatu domini noſtri Martiani perpetui Auguſti, & qui fuerit nunciatus, octauo Idus Octobris Chalcedone inter alia legit: Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi iudices, & ampliſſimus ſenatus dixerunt: De orthodoxa quidem & catholica fide integrius & ſubtiliùs in concilio poſt hunc diem inquiſitionem neri oportere perpendimus. Quoniam autem Flauianus reuerendæ memoriæ, & Euſebius reuerend. epiſcopi, ex geſtorum & cognitionum perſcrutatione, & ipſa voce aliquorum, qui priores fuerant in illo concilio, & ſe erraſſe dicentium confeſſione, quòd vanè fuerint condemnati, qui nihil in fide peccauerant, probantur iniuſtè damnati, videtur nobis ſecundum hoc, quod Deo eſt, placitum, iuſtum eſſe, ſi viſum fuerit ſacratiſſ. & pijſſ. *domino noſtro, increpationi ſimili ſubiacere Dioſcorum Alexandriæ, & Iuuenalem reuerend. epiſcopum Hieroſolymorum, & Thalaſſium reueren. epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, & Euſebium reuerend. epiſcopum Ancyræ, & Euſtathium reuerend. epiſcopum Beryti, & Baſilium reuerend. epiſcopum Seleuciæ Iſauriæ, qui poteſtatem habuerunt, & principes tunc fuere concilij, & cadere ſecundum canones de ſancta ſynodo, vt alieni à dignitate epiſcopatus exiſtant, omnibus quæ ſubſequuta ſunt, à ſacro vertice cognoſcendis. Poſt aliqua magnificentiſſimi & glorioſiſſ. iudices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Vnuſquiſque reuerendiſſ. epiſcoporum huius præſentis ſancti concilij, quomodò credit, per ſcripturam ſine aliquo metu, ſolius Dei timorem præ oculis habens, feſtinet exponere, ſciens quia ſacratiſſimus & pijſſ. dominus noſter Imperator ſecundum Nicænam expoſitionem ſanctorum patrum trecentorum decem & octo, & ſecundum expoſitionem ſanctorum patrum centum quinquaginta, qui poſt hæc collecti ſunt, & ſecundu canonicas epiſtolas & expoſitiones ſanctorum patrum, Gregorij, Baſilij, Hilarij, Athanaſij, Ambroſij, & Cyrilli canonicas duas epiſtolas, quæ ſunt in primo Epheſino publicatæ concilio atque firmatæ, credit, nullo modo ab eorum fide recedens. Nam & reuerend. archiepiſcopus ſenioris Romæ Leo pro contentione, quæ ab Eutyche infideliter & contra catholicam religionem facta eſt, videtur ad reuerendiſſimæ memoriæ Flauianum epiſtolam direxiſſe. Beronicianus vir deuotus ſecretarius, ex alia ſcheda geſtorum, recitauit ea, quæ acta ſunt: Conſulatu domini noſtri Martiani perpetui Auguſti, & eius qui fuerit nunciatus, ſexto Idus Octobr. Chalcedonæ. Et poſt alia legit: Magnificentiſſimi & glorioſ. iudices & ampliſſ. ſenatus dixerunt: Differatur auditio vſque ad dies quinque, vt inter hæc veſtra ſanctitas congregetur ad ſanctiſſ. archiepiſcopum Anatolium, & de fide communiter cogitetis, vt ij, qui dubitant, doceantur. Et poſt reliqua, magnific. & glorioſ. iudices & ampliſſ. ſenatus dixerunt: Neceſſarium non eſt, omnes vos conuenire. Sed quoniam conſequẽs eſt credere dubitantes, reuerend. epiſcopus Anatolius eligat ex ijs, qui ſubſcripſerunt, quos putauerit eſſe dignos, vt doceant dubitantes. Poſt reliqua, magnif. & glorioſ. iudices, & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Interloquutio, quæ præceſſit, tradatur effectui. Magnificentiſſimi & glorioſ. iudices & ampliſſ. ſenatus dixerunt. Manifeſtatis ijs, quæ iam pridem conſtituta ſunt, quod placuit reuerendo Concilio de ſancta fide, ipſum nos doceat. Paſchaſinus & Lucentius reuerendiſſimi epiſcopi, & Bonifacius reuerend. presbyter, vicarii ſedis Apoſtolicæ, per Paſchaſinum virum reuerendiſſ. epiſcopum dixerunt: Sancta & beatiſſima ſynodus fidei regulam, quæ apud Niceam à patribus eſt conſtituta, ſequitur & tenet, ſed etiam & centum quinquaginta apud Conſtantinopolim, ſub ſanctæ recordationis Theodoſio maiore congregata ſynodus, ipſam fidem confirmauit, cuius ſymboli expoſitionem à beatæ recordationis viro Cyrillo apud Epheſum expoſitam (quando Neſtorius eſt pro ſui calliditate damnatus) ſimiliter amplectitur. Tertiò verò beatiſſimi & apoſtolici viri vniuerſalis eccleſiæ Papæ Leonis, Neſtorij & Eutychetis hæreſim damnantis, directa ſcripta, quid vera fides habeat, expoſuerunt. Similiter verò & ſancta ſynodus hanc fidem tenet, hanc ſequitur, nihil ampliùs nec addere poteſt, nec minuere. Qua expoſitione interpretata græcè per Beronicianum, videlicet ſecretarium diuini conſiſtorij, reuerend. epiſcopi clamauerunt: Omnes ſic credimus, Sic baptizati ſumus. Sic baptizamus, ſic credimus. Glorioſiſſimi iudices & ampliſſimus ſenatus dixerunt: Quoniam ſacra euangelia poſita à reuerentia veſtra perſpicimus, ſinguli reuerend. epiſcopi, qui conuenerunt, doceant, ſi expoſitio trecentorum decem & octo ſanctorum patrum, qui olim in Nicæa collecti ſunt, & poſt hæc centum quinquaginta, qui in regia congregati ſunt ciuitate, conſonant epiſtolæ reuerend. Papæ Leonis. Anatolius reuerend. epiſcopus regiæ Conſtantinopolis, dixit: Epiſtola ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi archiepiſcopi Leonis, conſonat ſymbolo trecentorum decem & octo ſanctorum patrum, qui apud Nicæam, & centum quinquaginta, qui apud Conſtantinopolim poſteà ſunt collecti, qui eandem fidem confirmauerunt: ſed & ijs, quæ in Epheſo ſub beatiſſimo & ſanctiſſimo Cyrillo geſta ſunt ab vniuerſali & ſancto Concilio, quando maledictum Neſtorium condemnauit. Quapropter conſenſi, & eidem epiſtolæ libenter ſubſcripſi.

Habentur actione huius Cõcilij prima

Epiſt. 8.

Paſchaſinus & Lucentius reuerend. epiſcopi, & Boniſacius presbyter, vicarij ſedis Apoſtolicæ, per virum reuerend. Paſchaſinum dixerunt: Manifeſtum eſt, nec poterit dubitari, vnam fidem beatiſſimi Papæ ſedis Apoſtolicæ rectoris Leonis, cum trecentorum decem & octo apud Nicæam patrum concordare atque detineri, centum quoque quinquaginta apud Conſtantinopolim congregatorum ſacerdotum, qui eãdem fidem firmauerunt: ſed & Cyrilli ſanctæ recordationis viri apud Epheſum (quando Neſtorius pro ſuo errore damnatus eſt) ſtatuta in nullo penitùs diſcordare. Ideoque etiam beatiſſ. Papæ epiſtolam, quæ illam fidem expoſuiſſe, cauſa erroris Eutychis, eſt viſa, vno ſenſu, vno quoque ſpiritu videtur illi fidei eſſe coniuncta.

Maximus reuerend. epiſcopus Antiochiæ Syriæ, dixit: concordat epiſtola ſanctiſſ. archiepiſcopi regiæ Romæ Leonis, expoſitionibus trecentorum decem & octo apud Nicæã

Subſcriptiones Patrum Concilij Chalcedon. epiſtolæ Leonis Papæ.

*Edeſſæ

*concilio

sanctorum patrum, & centum quinquaginta apud Constantinopolim nouam Romam, & in Epheso à sanctiss. episcopo Cyrillo expositæ fidei. Et subscripsi.

Stephanus reuerend. episcopus Ephesi, dixit: Concordat, & subscripsi.

Diogenes reueren. episcopus Cyzici, dixit: Consonat, & subscripsi.

Cyrus episcopus Anazarbi, dixit similiter: Consonat, & subscripsi.

Constantinus reuerend. episcopus Bostrorum Arabiæ, dixit: Consonat, & subscripsi.

Ioannes reuerend. episcopus Sebastiæ Armeniæ primæ, dixit: Secundùm intellectum meum intentio epistolæ sanctiss. archiepiscopi Romæ Leonis, consonat fidei trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta, qui post hæc apud Constantinopolim congregati sunt, & expositioni, quæ in Epheso in damnatione impij Nestorij facta est, cui beatiss. Cyrillus præsidebat. Et in ea epistola subscribit.

Constantin. episcopus Meletinæ, similiter.
Seleucius episcopus Amasiæ similiter.
Patricius episcopus Tyanorum, similiter.
Theodorus episcopus Damasci, similiter.
Photius episcopus Tyri, similiter.
Simeonius episcopus Amidæ, similiter.
Pergamius episcopus Antiochiæ Pisidiæ, similiter.
Theodorus episcopus Tarsi, similiter.
Francion episcopus Philippopolis, similiter.
Eusebius episcopus Dorylei, similiter.
Florentius episcopus Sardeorum, similiter.
Amphilochius episcopus Sidæ, similiter.
Marinianus episcopus Synnadorum, similiter.
Epiphanius episcopus Pergæ, similiter.
Onesiphorus episcopus Iconii, similiter.
Petrus episcopus Gangrorum, similiter.
Theodosius episcopus Canothæ, similiter.
Sabas episcopus Palti, similiter.
Epiphanius presbyter, habens locum *Aetherici episcopi Pompeiopoleos, similiter.
*Themistij Philotimus presbyter, habens locũ *Thermestij episcopi Amastridis, similiter.
Abraamius episcopus Castri Circen. similiter.
Eudoxius episcopus Etennorum, similiter.
Eugenius episcopus Cotenorum, similiter.
Obrimus episcopus Coracesij, similiter.
Neon episcopus Psyllij, similiter.
Theophilus episcopus Orei, similiter.
Verus presbyter, obtinens locum Maræ episcopi Cordilusorum, similiter.
*Beroeæ Sebastianus episcopus *Beroeæ, similiter.
Aristomachus episcopus Colonæ, similiter.
Iulianus episcopus Coensis, similiter.
Theodoretus episcopus Cyri, similiter.
Cecropius episcopus Sebastopolis, similiter.
Acacius episcopus Ariarathiræ, similiter.
Atticus episcopus Zelorum, similiter.
Heraclius episcopus Comanorum, similiter.
Meletius episcopus Lariſſæ, similiter.
Olympius episcopus Paneadis, similiter.
Timotheus episcopus Balaneorum, similiter.
Iulianus episcopus Rhosi, similiter.
Paulus episcopus Mariamniæ, similiter.
Atarbius episcopus Trapezuntis, similiter.
Photinus diaconus, vicarius Dorothei, episcopus Neocæsareæ, similiter.
Ioannes episcopus Polemonij, similiter.
Gratidianus episcopus Ceraſſuntis, similiter.
Ioannes episcopus Carthæ, similiter.
Rhenus episcopus Iunopolis, similiter.
Caiumas episcopus Marcopolis, similiter.
Athanasius episcopus Pari insulæ, similiter.
Basilius episcopus Traianopolis, similiter.
Docimasius episcopus Maroneæ, similiter.
Serenus episcopus Maximianupolis, similiter.
Eusebius episcopus Seleucobeli, similiter.
Eusebius & Constantinus presbyteri & vicarij Anastasii Nicææ, similiter.
Porphyrius archidiaconus, locum tenens Vranij episcopi Emisæ similiter.
Theodorus episcopus Claudianupolis, similiter.
Ioannes episcopus Germaniciæ, similiter.
Euoltius episcopus Zeugmatis, similiter.

Quintillus episcopus Heracleæ, tenens locum Anastasij Thessalonicen. & Petrus episcopus Corinthi, & Atticus episcopus Nicopolis, & Lucas episcopus Dyrrhachij, & Martyrius episcopus Gortynæ, & Constantinus episcopus Demetriadis, tenens locum Vigilantij episcopi Lariſſæ, & reuerend. Macedoniæ primæ episcopus, id est, zosson Philipporum episcopus, & Eusebius episcopus Topiri, & Maximus episcopus Chersonesi, & Nicolaus episcopus Stoborum, & Ioannes episcopus Parthenopolis, & Dardanius episcopus Bargylæ, & Honoratus episcopus Thassi, & Nicæas episcopus Megaræ Helladis, & Ioannes episcopus Messenæ, & Ophelimus episcopus Tegeæ, & Athanasius episcopus Opuntis, & Irenæus episcopus Naupacti, & Domninus episcopus Plateæ, & Onesimus episcopus Argorum, & Marcus episcopus Euriæ veteris Epiri, & Peregrinus episcopus Phœniciæ, & Eutychius episcopus Adrianupolis, & Claudius episcopus Anchiaxi, & Sotericus episcopus Corcyræ, & Petrus episcopus Echineorum nouæ Epiri, & Eusebius episcopus Apolloniæ cretæ, & cyrillus episcopus *Subritis cretæ, & Gennadius episcopus Gnosi, & Demetrius episcopus Lappæ, & Euphrates episcopus Eleuthernæ, tenens locum Pauli episcopi candiæ, ex charta dictauerunt notis per zosontem episcopum Philipporum: Nos sanctorum patrum trecentorum decem & octo fidem, quæ est salus nostra, & seruamus, & cum ipsa vitam nostram complere oramus. Necnon & centum quinquaginta, per nullum modum antedictæ fidei dissonat, quam & seruantes exequimur, & omnia quæ acta sunt & decreta in prima Ephesiaca synodo, cuius præsides fuerunt beatiss. cœlestinus apostolicæ sedis præsul, & beatiss. Cyrillus episcopus magnæ ciuitatis Alexandriæ, & summè orthodoxum esse sanctissimum patrem nostrum archiepiscopum Leonem, perfectissimè nouimus. Factum est autem nobis certum, de epistola missa ab ipsius beatitudine sanctiss. episcopis Paschasino & Lucentio, qui locum continent Apostolicæ sedis, qui nobis dilucidauerunt, quæ linguæ obscuritas secernere subsannabat. Quando enim secundum iussionem potestatis vestræ, ad sanctiss. archiepiscopum constantinopolis magnæ ciuitatis Anatolium, & ad considentem ei sanctiss. synodum, peruenimus, volentes, de quibus paulò antè dubitabamus, doceri, inuenimus ipsorum sanctitatem paratissimam ad expellendam omnem dubitationem: Omnem enim hominem anathematizabant separantem à diuinitate carnem Domini & Dei saluatoris nostri Iesu Christi, quam sibi adunauit de sancta virgine Maria genitrice Dei, & non dicentem, quæ Deum decent, & quæ conueniunt ipsius essentiæ inconfusè, & indiuisè, & sinè conuersione. Et per hoc nobis satisfactum est. Et per omnia consonare æstimantes præscriptis sanctis patribus, huic epistolæ consensimus & subscripsimus omnes antedicti reuerend. episcopi. Omnes de Illyrico eandem vocem dedimus, cui omnes consentimus. Leontius episcopus Ascalonis, & Photinus episcopus Lyddæ, & Paulus episcopus Anthedonis, & Heraclius episcopus Azoti, & Stephanus episcopus Iamniæ, & Polychronius episcopus Antipatridis, & Pancratius episcopus Libyadis, & zosimus episcopus Minoidis, & Anianus episcopus capitoliadis, & zebennus episcopus Pellæ, & Ioannes episcopus Tiberiadis, & Ioannes episcopus Gadaron, & Beryllus episcopus *Aialæ, & Aretas episcopus Elusæ, & Musonius episcopus zoaræ, & Marcianus episcopus *Ili, ex charta dictauerunt per Anianum episcopum capitoliadis: Nos sanctorum patrum trecentorum decem & octo, qui in Nicæa ciuitate conuenerunt, fidem semper seruauimus, & seruamus, & cum ea vitæ nostræ finem complere oramus. Sequimur autem & centum quinquaginta nullo modo dissonantem. Consentimus autem actis & constitutis in prima Ephesina synodo à beatiss. & sanctissimæ memoriæ cyrillo, qui fuit episcopus Alexandriæ magnæ ciuitatis. Sed & lecta est nobis epistola beatiss. & Deo amantissimi archiepiscopi Romani Leonis, in plurimis rectè habens & prædictis

*Subritii

*Aliæ

*Ilij.

conso-

consonans, & consentimus. Aliqua autem nobis ex ipsa apparuerunt verba, vt partitionem & separationem aliquam demonstrantia sic volentibus sapere. De quibus & ab initio ante vestram clementiam certabamus, & tunc à vestra iussi exire magnificentia, audiebamus à sanctissimis patribus & episcopis & presbyteris locum continentibus sanctissimi & DEI amatoris præcipui archiepiscopi Leonis, quia nullam dicunt partitionem in Domino & saluatore nostro Iesu Christo, sed vnum eundemque Dominum filium Dei. Propter quod consensimus, & tomo subscripsimus. Existimauimus autem & nunc ipsos, quia si inuitati fuerint à vestra magnitudine, eadem *confitebuntur. Pro vtilitate totius mundi omnes prædicti reuerendissimi episcopi eadem diximus, & his consentimus. Nunechius episcopus Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ, dixit: Epistola beatissimi Leonis, in qua & subscripti, consonat expositioni fidei sanctorum patrum, qui in Nicæa, & centum quinquaginta, qui congregati sunt in Constantinopoli, & synodo Ephesina, cuius præsidens fuit beatissimus Cyrillus.
Nonnus reuerend. episcopus *Edessæ, similiter.
Polychronius episcopus Epiphaniæ, similiter.
Alexander Sebastiæ episcopus, similiter.
Eunomius episcopus Nicomediæ, similiter.
Callinicus episcopus Apameæ Bithyniæ, similiter.
Theodorus episcopus Tripolis, similiter.
Apragmonius episcopus Chij, similiter.
Cosinius episcopus *Hierocæsareæ, similiter.
Eulogius episcopus Philadelphiæ, similiter.
Epiphanius episcopus Cestriæ, similiter.
Andreas episcopus Sectoriorum, similiter.
Iulianus episcopus Celendritis, similiter.
Patricius episcopus Acamasæ, similiter.
Dionysius episcopus Attaliæ, similiter.
Helias episcopus Bleandri, similiter.
Romanus episcopus Myron, similiter.
Neoptolemus episcopus Carnon, similiter.
Florentius episcopus Adrianupolis Galatiæ, similiter.
Paulus episcopus Derbæ, similiter.
Acholius episcopus Larandon, similiter.
*Myrus Mirus episcopus Euladron, similiter.
Lucianus episcopus Ipsi, similiter.
Philippus episcopus Lysiadis, similiter.
Eustochius episcopus Docimei, similiter.
Basilius episcopus Nacoliæ, similiter.
Cyriacus episcopus Eucarpias, similiter.
Abertius episcopus Hierapolis, similiter.
Strategius episcopus Polybotis, similiter.
Epiphanius episcopus Midaii, similiter.
Critonianus episcopus Aphrodisiadis, similiter.
*Amyzonum Ioannes episcopus *Amyzonis, similiter.
Dionysius episcopus Antiochiæ, similiter.
Papias episcopus Eressorum, similiter.
Eupytius episcopus Stratonicæ, similiter.
Theodoretus episcopus Alabandorum, similiter.
Menander episcopus Heracleæ, similiter.
Ioannes episcopus Gnidi, similiter.
Tynchanius episcopus Apolloniadis, similiter.
Dionysius episcopus Heracleæ, similiter.
Gemellus episcopus Stratonicæ, similiter.
Leucius episcopus Apollinis Phani, similiter.
Polycarpius episcopus Gabalon, similiter.
Ioannes episcopus Alyndæ, similiter.
Iulianus presbyter continens locum Calandionis episcopi *Alicarnassi, similiter.
*Halycarnassi. Magnificentiss. & glorioss. iudices & ampliss. senatus dixerunt: Et si reliqui omnes reuerend. episcopi, qui non specialiter sunt confessi, consentiunt dictis eorum, qui iam confessi sunt sanctorum patrum propria voce doceant. Omnes reuerend. episcopi clamauerunt: Omnes acquiescimus, omnes consentimus, omnes similiter credimus, omnes eadem sapimus. Sic sapimus, sic credimus: patres ad synodum, concredentes ad synodum, qui subscripserunt, ad synodum. Multi anni Imperatoribus, multi anni Augustæ. Patres ad synodum, concredentes ad synodum. Multi anni Imperatoribus, consapientes ad synodum. Multi anni Imperatoribus. Ipsi quinque episcopi fidei subscripserunt. Sicut Leo, sic sapiunt. Magnificentissimi & glorioss. iudices, & ampliss. senatus dixerunt: Suggessimus diuo & pijssimo domino nostro Imperatori propter ipsos, & expectamus pietatis eius mandata. Vestra autem reuerentia & de Dioscoro, qui à vobis damnatus est, ignorante diuo vertice & nobis, & de ipsis quinque, pro quibus petitionem facitis, & de omnibus actis in sancta Synodo dabit rationem Deo. Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt: Dioscorum Deus deposuit, Dioscorus iustè damnatus est, Dioscorum Christus deposuit. Et paucis horis transactis, dum expectabatur diui & pijssimi domini nostri Imperatoris mandatum, Magnificentissimi & glorioss. Iudices & ampliss. senatus dixerunt: Pijssimus noster Imperator addiscens vestras preces, sententiæ vestræ permisit de Iuuenale deliberare, & de Thalassio, & de Eusebio, & de Basilio, & de Eustathio reuerendissimis episcopis, quæ vobis placuerint. Ergò vestra religiositas cognoscens, quia Deo de his, quæ fiunt, dabit rationem, quid fieri de ipsis debeat, cogitate. Anatolius reuerend. episcopus Constantinopolis, dixit: Petimus eos intrare, Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt. Rogamus eos intrare. Qui credunt similiter ad synodum, qui eadem sapiunt synodo. Absint, qui subscripserunt epistolæ Leonis, ad synodum. Magnificentissimi & glorioss. iudices & ampliss. senatus dixerunt: Intrent. Et postquàm intrauerunt præfati reuerendissimi episcopi, & consederunt omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt: Vnus Deus qui hoc fecit. Multi anni Imperatorum. Magnorum Imperatorum multi anni. Multi anni senatus. Multi anni iudicum. Orthodoxorum multi anni. Hæc integra adunatio, hæc pax ecclesiarum. Magnificentissimi & glorioss. iudices, & ampliss. senatus dixerunt: Pridiè certi episcopi Aegyptiacæ regionis petitiones porrexerunt diuinissimo & pijssimo Imperatori domino nostro, propriam fidem exponentes, & placuit pietati eius ante vestram sanctam synodum eas recitari. Ergò obedientes decretis diui & victoris apicis, & intrare eos præcipimus, & petitiones ipsis præsentibus recitari, & vestram reuerentiam docere, quod de eis placuerit. Vt intrauerunt Hieracus, Sabinus, Apollonius, Parmius, Ianuarius, Eulogius, Ioannes, Isaac, Iron, Stephanus, Theophilus, Isidorus, reuerendissimi Aegyptiorum episcopi, & iussione omnium consederunt, magnificentiss. & glorioss. iudices & ampliss. senatus dixerunt: Vos petitiones porrexistis? Reuerendiss. Aegyptiorum episcopi dixerunt: Etiam per vestigia vestra. Magnificentiss. & glorioss. iudices, & ampliss. senatus dixerunt: Et subscripsistis eis? Et conspexerunt ijdem reuerend. Aegyptiorum episcopi subscriptionem petitionum, & dixerunt: Etiam per vestigia vestra cognoscimus subscriptiones. Nos subscripsimus, nostræ sunt literæ. Magnificentissimi & glorioss. iudices & ampliss. senatus dixerunt: Recitetur petitiones. Constantinus deuotiss. secretarius sacri consistorij, recitauit: Pijssimis & Christi amatoribus nostris Imperatoribus, Flauio Valentiniano, & Flauio Martiano, victoribus ac triumphatoribus semper Augustis, ab omnibus episcopis Aegyptiacæ vestræ regionis. Quæ à principio tradita est nobis à sanctiss. & spiritualibus patribus orthodoxa fides, à sancto Euangelista Marco, & vbiquè audito episcopo & martyre Petro, & sanctis patribus nostris, & Athanasio, & Theophilo, & sanctissimæ memoriæ Cyrillo, & nos seruamus, & confessionis eorum sumus discipuli. Eam colimus, & secundum eam sapimus, sicuti & trecenti decem & octo, qui in Nicæa, & beatus Athanasius, & qui sanctis connumeratur Cyrillus exposuerunt, anathematizantes omnes hæreses, & Arij, & Eunomij, & Manichæi, & Nestorij, & illos, qui dicunt è cœlo carnem Domini nostri fuisse, & non ex sancta Dei genitrice virgine Maria ad similitudinem omnium nostrum sine peccato, super hæc & omnes hæreses, quæ extra Ecclesiam catholicam sapiunt & docent, Et subscriptiones:
Hieracus episcopus *Asuitorum porrexi.
Sabinus episcopus *Doctitorum, porrexi.
Ianuarius episcopus Leonton, porrexi.
Apollonius episcopus Taneorum, porrexi.
Ioannes episcopus Pselchis, porrexi.
Isaac episcopus *Taneorum, porrexi.
Pasmeius episcopus *Paralteorum, porrexi.
Eulogius episcopus Athribitorum, porrexi.

rectius for. * confessuros.

* Oassotũ *Tuccitorum

Iron episcopus Teniſſæ, porrexi.
Stephanus episcopus Geriſorum, porrexi.
Theophilus episcopus Erythræ, porrexi.
Theophilus episcopus Cleopatridis, porrexi.
Iſidorus episcopus Sethroitorum, porrexi.
Omnes reuerendiſſimi episcopi clamauerunt: Dogma Eutychis quare non anathematizauerunt?

Cum impoſtura petitiones porrexerunt. Epiſtolæ Leonis ſubſcribant, anathematizantes Eutychen & dogma eius. Conſentiant epiſtolæ Leonis, Eludere nos volunt, & diſcedere. Diogenes reuerend. episcopus Cyzici, dixit: Synodus propter Eutychen facta eſt, non propter alterum aliquem. Romanus Episcopus propter ipſum ſcripſit. Omnes conſenſimus epiſtolæ conſequenter, habenti expoſitioni ſanctorum patrum. Conſentiant & iſti epiſtolæ ſanctiſſ. Leonis. Paſchaſinus & Lucentius viri reuerendiſſ. episcopi, & Bonifacius presbyter, vicarij ſedis apoſtolicæ, per Paſchaſinum, dixerunt: Dicant, ſi conſentiunt epiſtolæ Apoſtolicæ ſedis, & ſi anathema dicunt Eutycheti. Acacius reuerendiſſ. episcopus Ariarathiræ, dixit: Suggerimus anathematizare eos Eutychen, qui dixit ante incarnationem duas naturas ſaluatoris noſtri, & poſt incarnationem, vnam. Cecropius reuerend. episcopus Sebaſtopolis, dixit: Subſcribant epiſtolæ beatiſſimi Papæ Leonis, & Eutychen anathematizent & dogma eius. Hieracus reuerendiſſimus episcopus Ægypti, & cæteri reuerend. episcopi Ægyptij, per eundem. Hieracum dixerunt: Si quis præter iſta, quæ à nobis in petitionibus porrecta ſunt, ſapit, ſiue Eutyches, ſiue alter aliquis, anathema ſit. De epiſtola autem ſanctiſſ. & DEO amantiſſ. archiepiſcopi Romani Leonis, ſciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri, quia in nobis expectamus ſententiam beatiſſimi noſtri archiepiſcopi, & petimus veſtram clementiam expectare præſidis noſtri ſententiam: quia eum in omnibus ſequimur. Et ſanctiſſimi patres, qui in Nicæa congregati ſunt trecenti decem & octo, regulam dederunt, vt ſequatur omnis Ægyptiaca regio archiepiſcopum magni nominis ciuitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubiacente episcopo.

Euſebius reuerendiſſimus episcopus Dorylei, dixit: Mentiuntur. Florentius reuerendiſſimus Epiſcopus Sardeorum, dixit: Oſtendant, quod dicunt. Omnes reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerũt: Manifeſtè anathematizate dogma Eutychis. Qui non ſubſcribit epiſtolæ, cui omnis ſancta ſynodus conſenſit, hæreticus eſt. Anathema Dioſcoro, & amantibus eum. Si non rectè ſapiunt, quomodò poſſunt eligere Epiſcopum? Reuerendiſſimi episcopi Ægyptij clamauerunt: De fide eſt certamen. Cecropius reuerendiſſimus episcopus Sebaſtopolis, dixit: Non nouerunt iſti, quomodo credunt, & nunc volunt diſcere, Photius reuerendiſſimus episcopus Tyri, dixit: Conſentitis epiſtolæ beatiſſimi & ſanctiſſimi archiepiſcopi Romæ Leonis, ſicut & vniuerſalis ſynodus conſenſit, & ſubſcripſit, *aut non? Paſchaſinus & Lucentius viri reuerendiſſimi episcopi, & Bonifacius presbyter, vicarij ſedis Apoſtolicæ, per Paſchaſinum virum reuerendiſſimum epiſcopum dixerunt: Tot annorum episcopi in Eccleſia ſeneſcentes, vſque ad hoc tempus fidem rectam & catholicam ignorant, & expectant adhuc alienam ſententiam? Et interpretata in Græcam linguam prædicta interloquutione, Omnes reuerendiſſimi episcopi clamauerunt: Qui non conſentit epiſtolæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Leonis, hæreticus eſt. Diogenes reuerendiſſimus episcopus Cyzici, dixit: Qui necdum cognoſcunt, quod credunt iſti ordinare habent epiſcopum? Omnes reuerendiſſimi episcopi clamauerunt: Qui non anathematizat Eutychen, hæreticus eſt reuerendiſſimi episcopi Ægyptij clamauerunt: Anathema Eutychi, & credentibus ei. Reuerendiſſimi episcopi clamauerunt, & dixerunt: Subſcribat epiſtolæ Leonis. Qui non ei ſubſcribit, hæreticus eſt. Reuerendiſſimi episcopi Ægyptij clamauerunt: Extra voluntatem archiepiſcopi noſtri non poſſumus ſubſcribere. Acacius reuerendiſſimus episcopus Ariarathiæ, dixit: Incongruum eſt, vniuerſalem ſynodum prætermittere, & in vna perſona attendere, quæ ſuſceptura eſt episcopatum Alexandriæ magnæ ciuitatis. Intentio enim his eſt, ſicut in Epheſo perturbauerunt omnia, & ſcandalis compleuerunt vniuerſum mundum. & nunc iſtam ſanctam & magnam ſynodum perturbare. Petimus, vt non eis concedatur: ſed aut conſentiant epiſtolæ, aut regularem damnationem ſuſcipiant, & cognoſcant quia excommunicati ſunt. Photius reuerendiſſimus episcopus Tyri, dixit: Quomodò conantur ordinationem facere, non eadem ſapientes huic ſanctæ & vniuerſali ſynodo? Si enim recta ſapiunt, oſtendant propriam intentionem qualis eſt circa fidem, & ſuſcipiant epiſtolam ſanctiſſimi archiepiſcopi Leonis. Si enim nolunt, excommunicati ſunt. Omnes reuerendiſſimi episcopi clamauerunt: Hæc omnes dicimus. Omnes ſic ſapimus. Reuerendiſſimi episcopi Aegyptiorum per vnum ipſorum, Hieracum ſcilicet, dixerunt: Iam per petitiones noſtram fidem manifeſtam fecimus, & non extra catholicam fidem credentes apparuimus. Quia verò episcopi noſtræ regionis nimis multi ſunt, nos pauci, non poſſumus pauci numero, illorum perſonas ſuſcipere. Petimus autem veſtram ſublimitatem, & hanc ſanctam & magnam ſynodum, vt miſereamini nobis, & expectetis noſtrum archiepiſcopum, vt ſecundum antiquam conſuetudinem illius ſequamur ſententiam. Quia ſi extra voluntatem præſidis noſtri aliquid facimus, ſicut præſumptores, & non ſeruantes ſecundum canones antiquam conſuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones inſurgent in nos. Ergò miſeremini noſtræ ſenectutis. Miſeremini, & non nos faciatis in peregrinatione noſtram vitam conſumere. Et ijdem reuerendiſſimi episcopi iactauerunt ſe in terra, & dixerunt: Clementes eſtis, miſeremini noſtri. Cecropius reuerendiſſimus episcopus Sebaſtopolis, dixit: Vniuerſalis hæc ſynodus, Ægyptiaca regione maior eſt, & fide dignior. Et non eſt iuſtum, decem hæreticos audiri, & prætermitti mille ducentos episcopos. Non enim eos exigimus, vt pro alijs ſuam fidem oſtendant, ſed dicimus, ipſi pro ſua perſona rectæ fidei conſentiant. Reuerendiſſimi episcopi Ægyptiorum clamauerunt. Iam non poſſumus habitare in prouincia. Miſeremini noſtri. Euſebius reuerend. epiſc. Dorylei, dixit: Procuratores ſunt iſti omnium Ægyptiorum, & debent vniuerſalem ſynodum ſequi. Lucentius reuerendiſſimus episcopus, vicarius ſedis Apoſtolicæ, dixit, Si errant, doceantur per veſtigiorum veſtrorum magnificentiam, quia non poſſunt decem homines præiudicium facere ſynodum ſexcentorum episcoporum, nec catholicæ fidei. Reuerend. episcopi Ægyptij clamauerunt: Occidimur, Miſeremini noſtri. Omnes reuerendiſſ. episcopi clamauerunt: Videtis, quomodò teſtimonium perhibent ſuis epiſcopis, dicentes, quia occidimur? Ægyptij reuerendiſſ. episcopi dixerunt: Morimur per veſtigia veſtra, miſeremini noſtri. Moriamur à vobis, & non illic. Fiat hic archiepiſcopus, & ſubſcribimus, & conſentimus. Miſeremini canorum noſtrorum. Detur hic archiepiſcopus. Nouit Deo amantiſſimus archiepiſcopus Anatolius, quia talis conſuetudo Ægyptiacam regionem obtinuit, vt omnes episcopi obediant archiepiſcopo Alexandriæ. NON quia non obtemperamus ſynodo, ſed occidimur in patria. Miſeremini noſtri, poteſtatem habetis. Subditi ſumus, non recuſamus. Libentius eſt nos mori à domino mundi, & à veſtra magnificentia, vel ab hac ſancta ſynodo, quam illic. Propter Deum miſeremini iſtorum canorum, parcite decem hominibus. Omnes episcopi reuerendiſſimi clamauerunt: Iſti hæretici ſunt. Reuerendiſſimi episcopi Aegyptij dixerunt: Poteſtatem habetis in animam noſtram, parcite decem hominibus. Morimur illic. Melius eſt hic mori. Miſericordes ſunt domini. Nouit conſuetudiuem Anatolius archiepiſcopus. Hic ſumus, vſque dum fiat archiepiſcopus. Sedes noſtras volunt, tollant. Nolumus eſſe episcopi. Solummodò non moriamur. Date archiepiſcopum, & ſi contra dixerimus, punite nos. Conſentimus his, quæ decreuerit poteſtas veſtra. Non contradicimus, ſed eligite archiepiſcopum. Hic expectamus, vſque dum ordinetur. Omnes reuerendiſſ. episcopi clamauerunt: Subſcribant damnationi Dioſcori. Magnificentiſſimi & glorioſiſſimi iudices & ampliſſ. ſenatus dixerunt: Quoniam reuerendiſſimi episcopi Ægyptiorum, non vt repugnantes catholicæ fidei, ſubſcribere in præſenti diſtulerunt epiſtolæ ſanctiſſimi archiepiſcopi Leonis, ſed dicentes conſuetudinem eſſe in Aegyptiaca regione, extra ſententiam & iuſſionem archiepiſcopi nihil tale ſe poſſe (poſcunt autem ſuſtineri ſe, donec conſecretur episcopus, qui ordinandus eſt magnæ ciuitatis Alexandriæ) rationabile nobis & clemens eſſe apparuit, vt in eodem habitu expectent in regia ciuitate, & dilationem habe-

Mille ducenti Episcop. in Chalced. Concilio videntur affuiſſe, mox tamẽ aſſeruntur ſexcenti.

*an

Hic Aegyptij episcopi anathematizant Eutychen

ant vsque ad ordinationem archiepiscopi magnæ ciuitatis Alexandriæ. Paschasinus vir reuerendissimus episcopus, vicarius sedis apostolicæ, dixit: Si præceperit gloria vestra, & iubetis, illis aliquid præstari humanitatis, fideiussoribus datis, non exeant de ista ciuitate, quàm diu Alexandriæ episcopum accipiat.

Magnificentiss. & gloriosiss. iudices & amplissimus senatus dixerunt: Sanctiss. Paschasini sit firmum iudicium. Vndè permanentes in proprio habitu reuerendiss. Episcopi Ægyptiorum, aut dent fideiussores, si hoc illis est possibile: aut per sacramenta eis credatur, quia expectant ordinationem futuri episcopi magnæ ciuitatis Alexandriæ.

Per iussionem gloriosissimorum iudicum & amplissimi senatus, & sanctæ synodi intrantibus Fausto, Martino, Petro, Manuele, Abraamio, Iob, Antiocho, Theodoro, Paulo, Iacobo, Eusebio, Tryphone, Marcello, Timotheo, Pergamio, Petro, Asterio, Ioannes, reuerendiss. presbyteris & archimandritis, & considentibus, magnificentiss. & gloriosiss. iudices & amplissimus senatus dixerunt: Petitiones porrectæ sunt diuinissimo & pijssimo nostro Imperatori, ex nomine Caroli & Dorothei reuerendissimorum archimandritarum, & *alterutrum aliquorum. Nomina autem illorum, qui eas porrexerunt, manifesta fiant his, qui introierunt reuerendiss. viris, vt dicant, si omnes nouerunt esse archimandritas. Et audientes reuerend. archimandritæ nomina eorum, qui petitiones porrexerunt, per Faustum reuerend. archimandritam dixerunt: Carosus & Dorotheus archimandritæ sunt. Helpidius monimentorum *procupientium custos est. Photinus autem quis est, non nouimus. Eutychius de Basilica Cælestinæ est, quia monasterium non habet. Theodorus in monimentis habitat. Moysen non nouimus. Maximus, archimandrita est, magister Eutychis. Gerontium non nouimus. Nemesimum non nouimus, sed non eius miramur. Theophili & nomen miramur. Thomam similiter non nouimus. Leontius ex Vrsario est. Hipsius in monumentis habitat, habens duo vel tria nomina in Xylocerco. Calinicus habet decem nomina in memoria in Xylocerco. Paulus de Bithynia est, habitans in monumento. Gaudentius in monumentis habitat. Habet quinque nomina in Philippianis. Eugnomenem non nouimus. Rogamus aliquos mitti à vestra magnificentia, & à vestra sancta synodo, vt ambulent, vt videant monasteria eorum, & dicant, si habent monasteria, an deludant, & noceant honoribus archimandritarum, & an modò debent accipere disciplinam, vt non se dicant archimandritas, qui in monumentis habitant. Petimus etiam, vt & illi, qui se dicunt esse monachos, & non agnoscuntur, nec à vestra magnificentia, nec à sanctissimo archiepiscopo, nec à nobis, vt exeant à ciuitate, sicut impostores propter scãdalum, q̃ conati sunt facere.

Xylocercus nomen loci est, vbi duo vel tres monachi habitant.

Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Intrent reuerendissimi monachi, qui petitiones porrexerunt. Et intrauerunt Carosus & Dorotheus, & Helpidius, & Photinus, & Eutychius, & reliqui reuerend. monachi, & Barsumas monachus, insuper etiam & Calopodius Eunuchus.

Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Petitiones olim reuerentia vestra victori summo porrexit. Ergò respicientes, quæ vobis proferuntur, dicite, si eas agnoscitis à vobis porrectas. Carosus & Dorotheus reuerendissimi Archimandritæ, & reliqui respicientes petitiones, dixerunt: Istæ sunt petitiones, quas nos porreximus. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Recitentur petitiones. Et antequam recitarentur, Anatolius reuerendissimus archiepiscopus Constantinopolis, dixit: Calopodius & Gerontius, qui inter eos presbyteri sunt, olim damnati sunt, & non illis licet intrare. Calopodius & Gerontius dixerunt: Nemo nobis dixit quia damnati sumus. Modo nobis dixerunt. Ætius archidiaconus sanctæ ecclesiæ Constantinopolitanæ, vadens ad Calopodiũ eunuchum, dixit ei: Archiepiscopus per me archidiaconum dicit tibi, quia damnatus es. Et exi. Calopodius dixit: Pro qua causa? Aetus archidiaconus dixit: Vt hæreticus. Calopodius dixit: Suggero, vt legãtur petitiones nostræ. Gloriosissimi & magnificentissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Recitentur. Beronicianus deuotissimus magistrianus & secretarius sacri consistorij, recitauit.

DIVERSORVM ARCHIMANDRITARUM epistolium ad Martianum Augustum.

Pijssimo & Christi amantissimo Imperatori nostro nouo Constantino Martiano, à Caroso, Dorotheo, Helpidio, Photino, Eutychio, Theodoro, Moyse, Maximo, Gerontio, Nemesino, Theophilo, Thoma, Leontio, Hipsio, Callinico, Paulo, Gaudentio, Eugnomene, viris archimandritis, & ab omnibus in CHRISTO *comitibus suis, & reliquis clericis & monachis & laicis.* Semper Imperium Romanorum, & præsertim à Theodosio maximo & beato, vniuersum mundum pacis bono compleuit, laborans pro recta fide. Sed quoniam quisque suũ quærit, non etiam proximi, (sicut sancit sancta scriptura) omnia soluta sunt, Apostolorũ fides turbata est, & ea quidem, quæ sunt inimicorum, Iudæorum dicimus & Paganorum, quanuis pessima, tamen in pace constituta sunt. Nostra autem in bello irreconciliabili persistunt, Hæc autem correctio seruabatur vestro amico CHRISTI Imperio, vt non in recta fide fiat schisma, sed vt fides firmaretur à diuinitate vestra. Omnis enim iustitia omnem quidem iudicem decet, sed præcipuè Imperatorem, & maximè pium, Vnde ad ipsum pertinet, ius promulgare legitimum. Suggerimus ergo pietati vestræ, vt præcipiat vniuersalem fieri synodum, quam vestra pietas prouidentiam faciens, nostrum omnium saluti iam conuenire sanciuit. Vacent autem turbationes & subscriptiones, quæ per violentiam fiunt, & persecutiones, quæ semper à clericis contra nos meditantur, & quas conantur facere latentes vestram pietatem. Et petimus diuinitatem vestram, iam neminem iactare, nec à monasterio, nec ab Ecclesia, neque à Basilica martyris, vsque ad iustum sanctæ Synodi iudicium, nec canonicis regulis obuiare videamur, & ne forte aliqui, alijs seditionem facientibus, hæc pietati vestræ putent asscribenda, quam pacem diligere, & pro ipsa pro omnibus nouimus cogitare, vt iterum per sanctos patres, sancta fide confirmata, possimus reliquum tempus vitæ nostræ castè & pie viuere, & in pace incessanter consuetas orationes offerre Domino nostro CHRISTO pro diuturnitate æterni vestri Imperij, qui & sua bona voluntate inuisibiliter nobis donauit imperium diuinissimi Augusti. Diogenes reuerendiss. episcopus Cyzici, dixit: Barsumas, qui inter illos intrauit, occidit beatum Flauianum. Ipse instabat, & dicebat: Occide. Et non est positus in petitionibus, quare introiuit? Omnes reuerend. episcopi clamauerunt: Omnem Syriam Barsumas euertit, Duxit super nos mille monachos. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus, ad monachos dixerunt: Secundum vestram petitionem, quam per suggestiones dedistis, diuus & pijssimus Imperator & sanctam synodum conuenire, & vos introire præcepit. Ergò postquã intrastis, sustinete discere, quo ab ipsa sancta synodo de fide formantur. Carosus & Dorotheus reuerend. archimandritæ, & cæteri monachi, dixerunt: Rogamus vt recitetur libellus, qui à nobis offertur. Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt: Homicidam Barsumam mitte foras, Homicidam in arena, Anathema Barsumæ, Barsumam in exilium. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Reciteturlibellus, qui à reuerendis monachis porrectus est. Constantinus deuotissimus secretarius diuini consistorij, accipiens ab eis, recitauit,

Philip. 2.

EPISTOLA ARCHIMANDRITARUM ad Chalcedonense Concilium, pro Dioscori rehabilitatione.

*Sanctæ synodo, quæ hic modo * profecta est ab archimandritis & omni in Christo fraternitate.* Ad primam vocationem conuenire habuimus ad vestram sanctitatem: sed quia pijssimus Imperator, sanctiss. archimandritæ & presbytero Caroso mandauit non venire, nisi & ipsius pietas præsens fuerit, nos autem sine ipso intrare superuacuum putauimus, quia pater est noster, sicut & vestræ sanctitati per rescripta mandauimus, ob hoc non venimus. Nunc autem ad vos venientes, petimus vestram sanctitatem, vt omnia consequenter procedãt & ad hoc Concilium conueniant sanctiss. Archiepiscopus

Dioscorus,& qui cum ipso sunt sanctissimi episcopi. Et cum legerentur,Omnes reuerend.episcopi clamauerunt: Anathema Dioscoro, Dioscorum Christus deposuit.Istos mitte foras.Tolle iniuriam à synodo,Voces Imperatori. Tolle violentiam à synodo, tolle iniuriam à synodo, tolle notam à synodo. Faustus reuerendus & qui cum ipso reuerendi archimandritæ, dixerunt: Tolle iniuriam à monasterijs. Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt: Petitiones istas synodum audire non licet. Illum, qui damnatus est ab omni synodo,episcopum nominare non licet.Episcopum nominare ausi sunt. Regulæ quare calcantur? Magnificentissimi & glorioßissimi iudices & ampliss.senatus dixerunt: Sinè præiudicio recitetur libellus.Constantinus deuotiss. secretarius sacri consistorij,libelli reliqua recitauit: Namque & ipse pijssimus noster Imperator,ex quo congregare hanc synodum constituit,pollicitus est nobis,confirmare tantùm expositionem fidei trecentorum decem & octo sanctorum patrum, & nihil aliud ante hoc moueri vel fieri. Isto autem placito vtique irrationabilis est facta damnatio contra sanctissimum Archiepiscopum Dioscorum,quia nec sine eo & sanctissimis episcopis,qui cum ipso sunt,possumus aliquid de fide aut dicere,aut facere. Ergo præcipite venire eundem sanctissimum Archiepiscopum Dioscorum, & omnes Episcopos, qni cum ipso sunt,vt & scandala, quæ facta sunt de fide, incidantur, & orthodoxi populi non habeant inter se discordiam. Debebat enim in hac parte vobis esse studium ante omnia vitæ necessaria.Si autem contra hæc, quæ nos tam consequenter requirimus,vestra nititur reuerentia, & velit authoritate vti, quæ contraria est vtilitatibus: testamur Dominum CHRISTVM,& pijssimum Imperatorem, & manificentissimos iudices & ampliss̃imum senatum,& vestram conscientiam,& vestes nostras excutimos, & extra communicationem vestram nosmetipsos efficimus. Non enim patimur (symbolo fidei trecentorum decem & octo recusato) cõmunicatores fieri eorum,qui hunc respuunt.Ad integriorem autem probationem,quod nihil nos contrarium simbolo fidei sapiamus,neq; locum habeat aliqua calumnia, quæ aduersum nos facta est, subdidimus & ipsum symbolum,& diffinitionem, quæ hoc supersignauit, prolatã à sancta & vniuersali synodo,quæ Nestorium condemnauit. Ætius Archidiaconus Constantinopolis sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ,dicit: Regula est hæc cum alijs posita à sanctis patribus,quam custodientes sanctissimi patres episcopi,docent & clericos, & monachos,& omnes CHRISTVM colentes. Si autem inueniant aut insultantes, aut acquiescere non volentes,hac vtuntur regula. Et ex codice relegit hæc: De clericis & monachis, qui semetipsos à communione suspendunt: Si quis presbyter aut diaconus suum contemnens episcopum,à communione semetipsum suspendit Ecclesiæ, & secretius collectam fecerit,& altare constituerit,& noluerit euocanti episcopo consentire,& noluerit eidem acquiescere,neque obedire & prius & secundò vocanti,hunc omninò damnari, nec vnquam hunc curationem mereri,nec recipere eum posse honorem ordinamus. Si autem permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ, per extraneam potestatem,tanquam seditiosum debere* conuerti. Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt: Hæc iusta regula, Hæc regula patrum. Magnificentissimi & glorioßissimi iudices,& ampliss̃imus senatus dixerunt: Secundum vestram petitionem (& contradicentibus reuerendissimis episcopis) oblati à vobis libelli,relecti sunt. Dicite igitur,si vultis dogmatibus totius sanctissimæ Synodi consentire. Carosus reuer.archimandrita dixit: Fidẽm trecentorum decem & octo patrum,qui conuenerũt apud Nicæã,in qua &baptizatus sum, noui. Nam ego aliam fidem nescio.Episcopi sunt. Potestatem habent,& excommunicare & damnare, & quicquid volunt,potestatem habent amplius. Ab hoc ego aliud nescio. Me sanctus Timotheus in Tomis baptizauit. Iusit mihi nihil aliud sapere. Dorotheus reuerendus archimandrita dixit: Permaneo in fide sanctorum patrum trecentorum decem & octo , qui apud Nicæam conuenerunt , in qua baptizatus sum, & constituta eorum , qui apud Ephesum Nestorium damnauerunt. Et sic credo,& præter hanc non noui aliam fidem.

Barsumas reuerendus monachus per proprium hominem,interpretãtem eum Syricè loquentem, dixit: Sic credo quomodo trecenti decem & octo. Et sic baptizatus sum in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti, sicut Dominus docuit Apostolos.Helpidius monachus dixit: Ego credo sicut trecenti decem & octo patres, qui apud Nicæam,& qui in Epheso Nestorium damnauerunt, & permaneo in constitutis, sicut exposuerunt. Alij monachi, qui cum ipsis erant,dixerunt: Et nos eadem dicimus. Ætius Archidiaconus Constantinopolitanæ sanctissimæ Ecclesiæ, vadens ad eos,dixit eis: Sanctum hoc magnumque concilium sic credit sicut trecenti decem & octo sancti patres,qui apud Nicæam tunc congregati sunt,& exposuerunt hoc symbolum,& ipsi custodiunt, & omnes aduenientes edocent. Quoniam autem inter hæc discordiæ sunt per aliquos generatæ, & aduersus has repugnantes sancti patres Cyrillus & Cælestinus, & nunc sanctissimus & beatissimus Papa Leo,epistolas interpretãtes Symbolum, non fidem aut dogma exponentes, dederant, quas veneratur omne concilium vniuersale,& consentit,& interpretationem earum tradit cupientibus edoceri: & vestra dilectio huic sententiæ totius sanctæ synodi conquiescit,& anathematizat Nestorium & Eutychen, tanquam nouas voces introducentes, aut non?

Carosus reuerendissimus monachus dixit: Ego quid habeo anathematizare Nestorium,qui & semel, & secundo, & tertio, & multoties anathematizaui & damnaui eum? Ætius archidiaconus Constantinopolis sanctissimæ Ecclesiæ, dixit: Et Eutychen igitur modò anathematizas,sicut sancta synodus,* aut non?

Carosus reuerendissimus monachus dixit: Non est scriptum tibi,non iudices,ne iudiceris? Episcopi sedent, & tu cur loqueris?

Ætius reuerendus Archidiaconus Constantinopolitanæ sanctæ Ecclesiæ,dixit: A dea,quæ per me interrogatus es à sancto concilio,dic. Acquiescis sanctissimo & vniuersali concilio,an no?

Carosus reuerendissimus monachus dixit: Ego secundum expositionem trecentorum decem & octo sanctorum patrũ sic credo sic baptizatus sum: aliud quid mihi dicis,nescio.Potestatem habetis,Episcopi estis. Vultis in exilium mittere? Vultis damnare? Quidquid vultis, suscipio à vobis. Sanctus Apostolus dicit: Si Angelus de cœlo annunciauerit vobis,præterquam quod accepistis, anathema sit.Quid habeo facere? Si non credit Eutyches,sicut credit vniuersalis Ecclesia,anathema sit.Magnificentissimi & glorioßissimi iudices & ampliss̃imus senatus dixerunt: Relegantur preces,quæ à Fausto reuerendissimo,& ab alijs archimandritis oblatæ sunt. Beronicianus deuotissimus secretarius sacri consistorij legit.

FAVSTI, MARTINI, PETRI, ET ALIORum archimandritarum literæ ad Martianum Imperatorem.

A Diuina semper manu protecto pijssimo & Christianissimo dominatori & Imperatori Martiano perpetuo Augusto , preces & supplicationes à Fausto,Martino, Petro, Manuele,Abraamio,Iob, Antiocho,Theodoro,Paulo,Iacobo,Eusebio , Tryphone,Marcello , Timotheo,Germano, Petro, Asterio & Ioanne,presbyteris & archimãdritis. Christianissimum & pium vestrum Imperium sanctam orthodoxorum religionem augere , atque continere meditans,sanctarum Ecclesiarum expulit turbationem. Eutychen enim , qui pollutas & prophanas aduersus omnium Saluatorem Christum voces euomuit, & seminare Christi Ecclesiæ multa zizania machinatus est,proiecit Christianissima vestra potentia. Qui autem ab illo edocti sunt,nolunt piæ & orthodoxæ fidei subscribere,& sequi sanctorum patrum pijssima dogmata, sed dura ceruice manserunt, resultantes atque aduersantes rectæ patrum confessioni. Multa vero admonitione eis illata à Deo amantissimo archiepiscopo Anatolio, & his,qui cum eo sunt, sanctissimis Episcopis & presbyteris, & diuinis dogmatibus eis relectis, sicut hi,qui à nobis directi sunt,vobis hoc declararunt. Hac causa rogamus vestram sancire potentiam , quatenus non amplius eorum augeatur impietas. Præcepit autem nobis , vt monachorum spiritualibus constitutis subdantur, qui sic inuerecunde à nostra fide recta recesserunt:aut si emendati fuerint,(quod oramus) cum his qui saluantur , hos quoque partem habere.

Si autem

Mat.vlt.

Pontifices Symbolũ exponunt non condunt.

*an.

Matt.7.

Hæretico rũ consuetudo , in peruersitate hæresis, nec timore concuti. Gal.1.

Petitio Catholicorũ archimandritarum cõtra pseudo archimandritas hæreticos.

7.q.Si quis presbyter. Et in Cõc. Antiocheno,cap. 5.

*corripi.

Si autem ampliùs in sua mala fide permanserint, decentem eos susscipere disciplinam. De spelunca autem, vbi digni bestijs habitant, & quotidiè blasphemant saluatorem omnium Christum, disponi nobis præcipiat Christianissimum vestrum imperium, sacra vestra subnotatione transmissa ad nostram personam.

Dorotheus reuerendissimus monachus dixit: quoniam Eutychen dicunt, quia ante vnitionem duas naturas dixit, & post vnitionem vnam naturam, & anathematizant eum sicut hæreticum: vbique propositiones posuit Eutyches, & vestra magnificentia audiuit, quæ sunt ab eo proposita, quia orthodoxus est homo, & fit ei calumnia. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Eutyches ait, quòd corpus saluatoris nostri Christi non fuit nostrę substantiæ. tu de hoc quomodò confiteris? Dorotheus reuerendus monachus dixit: In nomine patris, & filij, & spiritus sancti cuncti baptizati sumus, confitentes saluatorem nostrum Iesum Christum, qui descendit, & incarnatus est ex sancta Virgine Maria, qui inhumanatus est, & crucifixus est pro nobis temporibus Pontij Pilati. Sustine autem, & si quid me transit, corrigar. Hunc ex trinitate esse fatemur. Nam & ipse Dominus noster, in cuius faciem expuerunt, & telo percussus est, alapam accepit, cùm surrexisset à mortuis, dixit sanctis suis discipulis: Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ergò credimus illum passum, Trinitatis esse, & aliam fidem non nouimus, Omnes reuerendissimi episcopi dixerunt: Subscribit epistolæ, *aut non? Dorotheus reuerendus monachus dixit: Ego in baptismate credo, epistolæ autem non subscribo. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Cùm diuinissimus noster Imperator & magnificentissimos iudices, & amplissimum senatum ad vos destinauit, promisistis non contradicere his, qnæ à sancta synodo promulgantur: quare igitur in præsenti non consentitis decretis sanctæ Synodi? Dorotheus reuerendus monachus dixit: Tunc nos locuti sumus iudicibus & senatui. Et intus intrantes, rogauimus Imperatorem, vt hæc synodus, quæ præsens est, fidem confirmaret trecentorum decem & octo patrum, in qua baptizati sumus, vnà cum definitione, quæ ab ipsis patribus definita est. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Quia diuinissimus Imperator noster pius est, & nos intentionem eius sequimur, si vultis, inducias duorum aut trium dierum ad cogitandum accipite. Hoc enim, vt vobis concedatur, nos petimus sanctam synodum, vt recogitantes, confessionem fidei sanctorum patrum sequamini. Carosus reuerendissimus archimandrita, dixit: Hic sum. Quid opus habetis duos aut tres sustinere? Ecce modò, si vultis aliquid facere, potestatem habetis. Dorotheus reuerendus monachus dixit: in fide permaneo trecentorum decem & octo patrum, in qua & baptizatus sum, & in definitione Ephesia, & aliud aliquid non dico. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: A sancta synodo formula dabitur.

ACTIO QVINTA CHALCEDONEN. Concilij.

CONSVLATV domini nostri Martiani perpetui Augusti, & qui fuerit nunciatus, sub die 11. Kalend. Nouembris in Chalcedone, secundùm iussionem diuinissimi & pijssimi domini nostri Martiani perpetui Augusti, conuenientibus in sanctissima Ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ, magnificentissimo & gloriosissimo magistro militum exconsule ac Patricio Anatolio, & magnificentissimo & gloriosissimo præfecto sacrorum prætoriorum Palladio, & magnificentissimo & gloriosissimo magistro sacrorum officiorum Vincomalo: conuenientibus etiam Paschasino & Lucentio reuerendissimis episcopis, & Bonifacio reuerendissimo presbytero, agentibus vices sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Leonis, & Anatolio reuerendissimo archiepiscopo magni nominis Constantinopolis, & Maximo reuerend. episcopo Antiochiæ Syriæ, & Iuuenali reuerendissimo episcopo Hierosolymorum, & Quintillo reuerendissimo episcopo Heracleæ Macedoniæ, agente vices sanctissimi episcopi Anastasij Thessalonicensis, & Thalassio reuerendiss. episcopo Cæsareæ Cappadociæ, & Stephano reuerendissimo episcopo Ephesi, & Luciano reuerendissimo episcopo Byziæ, agente vices Deo amantissimi Cyriaci episcopi Heracleæ Thraciæ, & Eusebio reuerendissimo episcopo Ancyre Galatiæ, & Diogene reuerendissimo episcopo Cyzici, & Petro reuerendissimo episcopo Corinthi, & Florentio reuerendissimo episcopo Sardeorum. & Eunomio reuerendissimo episcopo Nicomediæ, & Anastasio reuerendissimo episcopo Niceæ, & Iuliano reuerendissimo episcopo Coensi, & eodem agente vices sedis Apostolicæ senioris Romæ, & Eleutherio reuerendissimo episcopo Chalcedonæ, & Basilio reuerendissimo episcopo Seleuciæ Isauriæ, & Meletio reuerendissimo episcopo Lariss æ, agente vices reuerendissimi episcopi Apameæ Syriæ Domni, & Amphilochio reuerendissimo episcopo Side, & Theodoro reuerendissimo episcopo Tarsi, & Cyro reuerendissimo EPISCOPO Anazarbi, & Constantino reuerendissimo episcopo Bostrorum, & Photio reuerendissimo episcopo Tyri, & Theodoro reuerendissimo episcopo Damasci, & Stephano reuerendissimo episcopo Hierapolis, & Nonno reuerendissimo episcopo Edesæ, & Simeone reuerendissimo episcopo Amidæ, & Epiphanio reuerendissimo episcopo agente vices reuerendissimi episcopi Olympij Constantiæ, & Ioanne reuerendissimo episcopo Sebastiæ, & Seleucio reuerendissimo EPISCOPO Amasiæ & Constantino reuerendissimo Episcopo Melitenæ, & Patricio reuerendissimo episcopo Tyanensi, & Petro reuerendissimo episcopo Gangrorum, & Eustathio reuerendiss. episcopo Beryti, & Apragmonio reuerendiss. episcopo Tij, agente vices reuerendiss. episcopi Calogeri Claudiupulis, & Atarbio reuerendiss. episcopo Trapezuntis, agente vices Theoctisti reuerend episcopi Pessinuntis, & Romano reuerend. episcopo Myrorum, & Critoniano reuerend. episcopo Aphrodisiadis Cariæ, & Nunechio reuerendiss. episcopo Laodiceæ Phrygiæ, & Mariniano reuerendiss. episcopo Synnadorum, & Onesiphoro reuerend. episcopo Iconij, & Pergamio reuerend. episcopo Antiochiæ Pisidiæ, & Epiphanio reuerendiss. episcopo Pergami, & Attico reuerendiss. episcopo Nicopolis Epiri, & Martyrio reuerendissimo episcopo Cortynæ, & Luca reueren. episco. Dyrrhachij, & Vigilantio reuer. episcopo Lariss æ Thessaliæ, & Francione reuer. episcopo Philipporũ, & Sebastiano reuer. episc. Beroæ, & Basilio reuer. episcopo Gratianupolis, & Tryphone reuerend. episcopo Chij, & Theoctisto reuer. episcopo Beroæ, & Gerontio reuerendiss. episcopo Seleuciæ Syriæ, & Eusebio presbytero agente vices Macarij reuerend. episcopi Laodiceæ Syriæ, & Eusebio reuerendiss. episcopo Dorylei & reliqua sancta & vniuersali Synodo, secundum præcepta diuinissimi & pijssimi domini nostri congregata in Chalcedone ciuitate. Et consedentibus omnibus ante cancellos sanctissimi altaris, Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Hæc, quæ decreta sunt de fide, manifesta nobis iubete perfici. Asclepiades diaconus magni nominis sanctissimæ ecclesiæ Cõstantinopoli, recitauit diffinitionem, quam non placuit ijs gestis inserere. Et post lectionem dubitãtibus aliquibus, Ioannes reuerendiss. episcopus Cemaniciæ, transiens in medio, dixit: Non benè habet diffinitio, sed debet integre fieri. Anatolio Deo amantissimus Archiepiscopus nominatissimæ Constantinopolis, ad sanctam synodum dixit: Placet vobis diffinitio? Omnes reuerendissimi episcopi, præter Romanos & aliquos Orientales, clamauerunt: Diffinitio omnibus placet. Hæc fides patrum. Qui præter ista sapit, hæreticus est. Qui aliter sapit, anathema sit. Nestorianos mitte foras. Hæc diffinitio omnibus placet. Qui non anathematizat Nestorium, excat. Anatolius Deo amantissimus Archiepiscopus regiæ vrbis Constantinopolis, dixit: Heri omnibus diffinitio fidei placuit? Prædicti reuerendissimi episcopi clamauerunt: Diffinitio omtibus placuit. Aliter non credimus. Anathema illi, qui aliter credit. Ista fides patrum. Diffinitio DEO placuit. Ista fides orthodoxorum. Fides fraudem non patitur. Sancta Maria theotocos scribatur. In symbolo sic addatur. Paschasinus & Lucentius viri reuerendissimi episcopi, & Bonifacius presbyter, vicarij sedis Apostolicæ, dixerunt: Si non consentiunt epistolæ Apostolicæ, & beatissimi viri Papæ Leonis, iubete nobis rescriptam dari, vt reuertamur, & ibi Synodus celebretur. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt:

Matt. vlt.

*an.

Hic non sedit senatus

Minantur Vicarii Papæ se recessuros ex Concilio.

Si pla-

Si placet,ab Orientalibus reuerendissimis episcopis sex,& ab Asiana regione tres, & ab Illyrico tres,& à Pontica tres,& à Thracia tres,præsentibus etiam sanctissimo archiepiscopo Anatolio,& reuerendiss.Romanis, conueniamus intrò in oratorio sanctæ martyris,& omnibus ab ijsdem consequenter requisitis,quæ placuerunt de sancta fide, manifesta nobis fiant. Prædicti reuerend.episcopi clamauerunt: Omnibus diffinitio placuit.Has voces Imperatori.Ista diffinitio orthodoxorum est.Et iterum Ioanne reuerendissimo episcopo Germanicæ veniente ad glorioſissimos iudices,reuerendiss.episcopi clamauerunt: Nestorianos mitte foras. Inimicos Dei mitte foras.Qui sunt,vix apparent.Vniuersus mundus orthodoxus est.Heri diffinitio omnibus placuit, Imperator orthodoxus est, Augusta orthodoxa est, Iudices orthodoxi sunt. Multi anni Augustæ. Multi anni Imperatori. Heri diffinitio omnibus placuit.Multi anni iudicibus. Petimus vt diffinitio subscribatur coram euangelijs.Omnibus placuit. Iubete subscribi diffinitionem. Contra fidem fraus non fiat. Qui non subscribit diffinitioni,hæreticus est.Sancta Maria Theotocos est.Qui non sic sapit,hæreticus est. Orthodoxi iudices, fidem custodite orthodoxorum Imperatorum.Orthodoxi iudices, à diffinitione nullus abscedit. Spiritus sanctus diffinitionem dictauit.Diffinitio orthodoxa est. Diffinitio modò subscribatur.Qui non subscribit,hæreticus est. Hæreticos foras mitte.Virgo Maria Theotocos est. Hæreticum mitte foras.Maria Theotocos diffinitioni addita est.Nestorianos mitte foras. Christus Deus est. Magnificent. & glorioſiſ.iudices dixerunt: Dioscorus dicebat, propter hoc se damnasse Flauianum, quia duas naturas aicbat esse. Diffinitio autem,ex duabus habet naturis. Anatolius reuerend. archiepiscopus Constantinopolis,dixit : Propter fidem non est damnatus Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit domino archiepiscopo Leoni,& tertio vocatus est,& non venit , & ideò damnatus est. Magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt : Epistolam sanctissimi Leonis susceipitis? Prædicti reuerendissimi episcopi clamauerunt:Etiam suscepimus,& subscripsimus.Magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt: Ergò quæ in ea inseruntur,inserantur diffinitioni. Prædicti reuerend. episcopi clamauerunt: Altera diffinitio non sit. Nihil deest diffinitioni.Eusebius reuerendiss.episcopus Dorylei,dixit: Alia diffinitio non sit. Prædicti reuerend.episcopi clamauerunt: Epistolam diffinitio firmauit. Archiepiscopus Leo,vt credimus,sic credit.Diffinitio subscribatur. Diffinitio habet omnia.Diffinitio fidem habet.Leo eadem dixit,quæ & Cyrillus. Cœlestinus,quæ & Cyrillus dixit,firmauit. Christus roborauit,quæ Cyrillus dixit: vnum baptisma,vnus Dominus, vna fides.Tolle fraudem à diffinitione.Magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt: Suggerentur diuinissimo, & pijssimo domino nostro Imperatori clamores isti.Et per iussionem glorioſissimorum iudicum vadens in diuinum palatium Beronicianus deuotissimus secretarius sacri consistorij , & post paululum rediens, ista sanctæ synodo interlocutus est: Præcepit diuinissimus & pijssimus DOMINVS noster Imperator,sicut placuit magnificentissimis & glorioſissimis iudicibus, sex reuerendissimos episcopos ab Orientali regione, & tres ex Pontica , & tres ab Asiana , & tres à Thraciensi,& tres ab Illyrico , præsentibus etiam Archiepiscopo Anatolio,& reuerendissimis Romanis.& conuenientibus in oratorio sanctæ martyris,de fide rectè & irreprehensibiliter constituatur,quibus omnes consentiant , & nihil dubium relinquatur.Si enim vobis hoc non placet, singuli fidem suam per suum metropolitam manifestam constituant, vt nulla similiter dubietas aut discordia relinquatur. Si autem neque hoc vestra velit sanctitas cognoscite,quia in partibus occidentalibus fieri habet synodus,eo quod religiositas vestra hic noluit de vera & orthodoxa fide indubitanter diffinire. Reuerendissimi episcopi clamauerunt : Multi anni Imperatori: Aut diffinitio persistat,aut vnus intereat.Multi anni Imperatoribus.

Dioscorus damnatus est,quia ausus est excommunicare Papã.

Cecropius reuerendissimus episcopus Sebastopolis,dixit: Petimus recitari diffinitionem,& ij,qui contradicunt, & non subscribunt,ipsi ambulent,quia nos consentimus benè decretis,& in nullo contradicimus.

Reuerendissimi episcopi Illyrici dixerunt: Qui contradicunt,manifesti fiant.Qui contradicunt,Nestoriani sunt. Qui contradicunt, Romam ambulent. Magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt: Dioscorus dicebat,Quòd ex duabus naturis est, suscipio.Sanctiſ. aũt archiepiscopus Leo duas naturas dicit esse in Christo vnitas incõfusè, incõuertibiliter & indiuisibiliter in vno vnigenito filio saluatore nostro.Quẽ autem sequimini? sanctissimum Leonem,*aut Dioscorum? reuerendissimi episcopi clamauerunt: Vt Leo, sic credimus. Qui contradicunt,Eutychianistæ sunt. Leo rectè exposuit. Magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt : Ergò addite diffinitioni secundum iudicium sanctissimi Patris nostri Leonis,duas esse naturas, vnitas in Christo inconuertibiliter,inseparabiliter,& inconfusè. Et rogati ab omnibus glorioſissimi iudices,intrauerunt in oratorio sanctissimæ martyris Euphemiæ,vnà cum Anatolio reuerend. Archiepiscopo Constantinopolitano,& Paschasino,& Lucentio reuerendissimis episcopis,& Bonifacio presbytero, & Iuliano reuerendiss. Episcopo Coensi, vicario Apostolicæ sedis Romanæ magnæ ciuitatis,necnon & Maximo reuerend.Episcopo Antiochiæ Syriæ,& Iuuenale reuerend.Episcopo Hierosolymitano,& Thalasio reuerendissimo episcopo Cæsareæ Cappadociæ,& Eusebio reuerend.Episcopo Ancyræ Galatiæ , & Quintillo,& Attico,& Zozonte reuerendissimis episcopis Illyricis,& Diogene reuerend.Episcopo Cyzici,& Leontio reuerend.Episcopo Magnesiæ, & Florentio reuerend. Episcopo Sardeorum,& Eusebio,reuerend. Episcopo Dorylei , & Theodoro reuerend.Episcopo Tarsi,& Cyro reuerendiss.Episcopo Anazarbi,& Constantino reuerendiss.Episcopo Bostrorum, & Theodoro reuerend. Episcopo Claudiupolis Isauriæ,& Francione,& Sebastino,& Basilio reuerend.Episcopis Thracibus.Et postquam tractauerunt de sancta fide, & exierunt,& sederunt omnes, magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt: Dignetur sancta synodus fidem continens, cum taciturnitate audire,quæ decreta sunt in præsentia nostra à congregatis sanctissimis Patribus,qui & diffinitionẽ fidei interpretati sunt.Ætius archidiacon' sanctæ Ecclesiæ magnę ciuitatis Constantinopolis,recitauit : Sancta & magna & vniuersalis Synodus,quæ per gratiam Dei,& præcepto pijssimorum & Christianissimorum Imperatorum, Valentiniani & Marciani Augustorum , congregata est in Chalcedone Metropoli prouinciæ Bithyniorum,in Ecclesia sanctæ & victricis martyris Euphemiæ,hęc diffiniuit,quæ subter scripta sunt.

*an.

DIFFINITIO CONCILII CHALCEDONENSIS, SVB QVADRVPLICI EDITIONE:

EDITIO I.

DOminus noſter & Saluator IESVS Chriſtus, notitiam fidei diſcipulis ſuis firmans, dixit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: vt nullus diſſonet à proximo circa dogmata pietatis, ſed vt pariter veritatis oſtenderent prædicationem. Quia verò non deſinit per zizania ſua diabolus contra ſemina pietatis inſurgere, & ſemper aliquid nouũ contra veritatem inuenire: propter hoc Dominus (vt conſueuit) prouidens humano generi, pĩßimum & fideliſſimum ad æmulationem erexit Imperatorem, & vndique ſacerdotij præſides ad ſe conuocauit, vt gratia Domini omnium noſtrum Chriſti operante, omnem quidem mendacij à Chriſti ouibus peſtilentiam remoueret, floribus autem veritatis eas pingueſcere faciat. Quod & perfecimus, communi iudicio dogmata expellentes erroris, & inenarrabilem patrum renouauimus fidem, ſymbolum trecentorum decem & octo omnibus prædicantes. Et eos, vt proprios patres etiam aſſeribimus, qui poſteà in magna Conſtantinopoli congregati ſunt centum quinquaginta, & eandem fidem ipſi quoque confirmauerunt. Diffinimus igitur ordinem & omnes formulas cuſtodientes, quæ de fide ſunt conſtitutæ, & nos ſynodo quondam in Epheſo facta, cuius præſides fuerũt ſanctiſſimæ memoriæ Cæleſtinus Romanorum, & Cyrillus Alexandrinorum, præfulgere quidem rectæ & immaculatæ fidei expoſitionem ſanctorum & beatiſſimorum trecentorum decem & octo patrum, qui in Nicæa temporibus piæ memoriæ Conſtantini Imperatoris congregati ſunt, ſeruari autem & ea, quæ apud Conſtantinopolim à ſanctis quinquaginta Patribus decreta ſunt, ad expellendas quidem omnes germinantes hæreſes, & ad confirmationem eiuſdem catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei.

EDITIO II.

DOminus & Saluator noſter IESVS Chriſtus, fidei agnitione proprios confirmans diſcipulos, ait: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: vt nulla fidei diſſenſio in proximos oriatur, ſed ex æquo veritatis prædicatio oſtendatur. Sed quia non deſinit malignus in ipſis pietatis ſeminibus zizania ſua inſerere, & noui aliquid aduerſus veritatem ſemper excogitare: idcirco Dominus noſter humano generi ſolitè cupiens prouidere, pĩßimum hũc & fideliſßimum Imperatorem erexit ad zelum, qui vndique ſacerdotum Pontifices ad ſe conuocauit, vt gratia Domini noſtri cooperante, omnem mendacij peſtilentiam ab ouibus Chriſti remoueat: quod & fecimus communi decreto, peregrinas erroris quidẽ ſectas abijcientes, & patrum rectam fidem renouantes, trecentorum decem & octo ſymbolũ omnibus prædicantes, & velut horũ domeſticos centum quinquaginta Patres qui Conſtantinopolim conuenerunt, huic pĩßimo titulo aſſcripſimus, quomodò & ipſi eandem fidem ſubſignauerunt. Statuimus igitur ordinem & omnes fidei formulas cuſtodientes, etiam ſanctam ſynodum Epheſi factam, cuius fuerunt authores venerabilis memoriæ Cæleſtinus Romanæ vrbis, & Cyrillus Alexandrinæ Eccleſiæ ſacerdotes, vt præfulgeat quidem rectæ & inculpabilis fidei expoſitio trecentorum decem & octo ſanctorum, qui in Nicæa ſub Conſtantino piæ memoriæ Imperatore conuenerunt. Contineatur & centum quinquaginta Patrum ſanctorum in vrbe Conſtantinopolitana decretum, ad peremptionem quidem ſectarum tunc pullulantium, confirmationem verò ipſius catholicæ atque Apoſtolicæ noſtræ fidei.

EDITIO III.

DOminus noſter & Saluator IESVS Chriſtus, notitiam fidei confirmans diſcipulis ſuis, ait: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: vt nullus à proximo ſuo diſſonet in doctrina pietatis, ſed æqualiter prædicatione veritatis oſtendatur. Quoniam verò non quieſcit nequiſſimus per ſua zizania inſurgẽs ſationibus pietatis inſpergere, & noui aliquid cõtra veritatem ſemper inueniens: ob hoc conſuetè Dominus noſter prouidens humano generi, pyßimum hunc & fideliſßimum Principem ad zelum fidei ſuſcitauit, & vndique ſacerdotij principes ad ſe conuocauit, quatenus gratia Domini omnium noſtrum Chriſti operante, ab ouibus Chriſti omnẽ peſtem quidem mendacij ſubmoueret, germinibus autem veritatis pingues efficeret. Quod quidẽ & fecimus, communi decreto dogmata fugantes erroris, & inenarrabilem verò patrum renouauimus fidem trecentorum decem & octo ſymbolum omnibus prædicantes, & tanquàm domeſticos, qui pietatis huius compoſitionem receperunt, patres aſcribentes, qui poſteà apud Conſtantinopolim conuenerunt centum quinquaginta, qui & ipſi eandem fidem ſubſignauerunt. Diffiniuimus igitur, ordinem & omnes formulas fidei conſeruantes, nos quoq; eius, quæ apud Epheſum olim facta eſt ſynodus, cuius præſides fuerunt ſanctæ memoriæ Cæleſtinus Romanorum vrbis antiſtes, & Cyrillus Alexandrinæ Eccleſiæ, præfulgere rectæ quidem & immaculatæ fidei expoſitionem trecentorum decem & octo ſanctorum & beatißimorum patrum, apud Nicæam ſub piæ recordationis Conſtantino principe congregatorum, obtinere autem et iam centum quinquaginta ſanctorum patrum apud Conſtantinopolim definitam, ad interemptionem tunc exhortarum hæreſeon, confirmationem verò eiuſdem Catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei.

EDITIO IIII.

DOminus & Saluator IESVS Chriſtus, fidei intellectu diſcipulos confirmari præcipiens, ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: vt nulla diſſenſio inter nos ex religioſitate venerabili oriatur, ſed de æquo veritatis oſtendatur præconium. Et quoniam non deſinit per ſordiculas quaſdam malignus inſidiari pietatis ſeminibus, ſed ſemper noui quiddã aduerſus veritatem indagat: ob hoc habens Dominus noſter prouidentiam humani generis, hunc clementiſſimũ & fidelem aduerſus æmulum nobis, conceßit Principem, qui vndique ſacerdotes ad ſe conuocauit, vt gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cooperante, totam falſitatis noxam à grege ſuo abyciat, & veritatis eam corroboret germinibus, quod & fecimus, communi decreto vel iudicio erroris perſequentes & ſectas: ſed & perfectißimorum patrum innouauimus fidem trecentorum decem & octo ſymbolum omnibus prædicantes, & quod ſyncera agnitione animo concepiſſe cognoſcimus ſacerdotes, attitulantes notauimus, qui poſt hæc conuenerunt in vrbe Conſtantinopolitana numero centum quinquaginta, etiam hi hanc confirmantes fidẽ. Nos verò nunc ordinem & omnes fidei formulas cuſtodientes, decernimus, ſanctum Epheſianorum Concilium, cuius authores fuerunt venerabiles Cæleſtinus vrbis Romæ, & Cyrillus Alexandrinæ Epiſcopi, vnaniniter ſentientes, iuſtè præcellere inculpabilis fidei expoſitionem trecentorum decem & octo venerabilium & beatiſſimorum Patrum, qui in Nicæam temporibus due memoriæ Conſtantini Imperatoris conuenerunt, obtinere etiam centum quinquaginta venerabilium Epiſcoporum apud Conſtantinopolim decreta aduerſus interemptionem ſectarum pullulantium & creſcentium, & manifeſtationem huius Catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei.

ALIA DIFFINITIO CHALCEDONENSIS SYNODI, SIMILITER SVB QVADRVPLICI EDITIONE:

COMPRAEHENDENS EORVM, QVAE IN CONCILIIS, NICAENO PRIMO, Constantinopolitano primo, Ephesino primo, decreta sunt, approbationem, & duarum naturarum in vna CHRISTI *persona assertionem.*

EDITIO I.

AD cognoscendam quidem confirmandamque perfectissime pietatem, consultissimum satis hoc diuinæ gratiæ symbolum, saluberrimumque sufficeret. De patre nanque, & filio, ac Spiritu sancto, quod plenissimæ fuerat institutionis, edocuit, & incarnationem Domini fideliter excipientibus euidenter insinuat. Verum quoniàm quidam ea quæ syncera veritas prædicat, deprauare conati, nouas auditu suas hæreticas perfidias ediderunt: & alij quidē dispensationis Dominicæ sacramentum, quod nostri causa est celebratum, ausi fuere corrumpere, dum à sancta virgine partum processisse diuinum, vocis abnegatione dissimulant: alij confusionem siue permixtionem rursus inducunt, vt vnam esse naturam diuinitatis & carnis stultè confingāt, ac per hoc vnigeniti confusione portentuosa, diuinam naturam passibilem esse significant: Ea propter ab vniuersa contra veritatē machinatione veniente, volens eos excludere, quamodò præstò est, sancta & magna hac synodus, quod antiquitus in fide prædicatur, immobile semper hoc dicens, ante omnia statuit, vt trecentorum decem & octo patrum venerabilium fides illibata permaneat. Et propter eos quidem, qui sancto spiritui obuiare nituntur, eam traditionem, quæ in augustissima Constantinopolitana vrbe posteà, congregatis centum, & quinquaginta patribus, de substantia sanctiſſpiritus fuerat decreta, confirmat. Hanc enim cunctis innotescere memorati fecerunt, nō quasi aliquid deesset præcedentibus ducentes, sed de spiritu sancto, quid ipsi sentirent, contra illos, qui eius potestati refragari conati sunt, sanctorum scripturarum testimonijs illustrantes. Propter eos aūt, qui dispensationis Dominicæ tentauere peruertere sacramētum, & hominem solum de sancta Maria Virgine procreatum esse vani loquijs suis autumant impudenter, sancti Cyrilli, qui Alexandrinæ pastor Ecclesiæ, synodales epistolas ad Nestorium scriptas atq; Orientales, vtique sibi conuenientes, amplexa est, ad arguendum quidem Nestorianam dementiā,

EDITIO II.

SVfficiebat quidem ergò ad perfectam pietatis cognitionem & confirmationem, sapiens & salutare hoc diuinæ gratiæ symbolum (de patre enim & filio ac spiritu sancto edocet perfectè, & Domini humanationem) fideliter suscipientibus ad probationem. Verum quia veritatis prædicationem reprobare conantes, per proprias hæreses varias voces parturierunt, hi quidem Domini propter nos dispensationis mysterium vitiare conati sunt, & vocem theotocos, id est, Dei genitrix, in virgine abnegant. Alij autem confusionem & comixtionē introducentes, vnamq; esse naturam carnis & deitatis insensatè fingētes, passibilem vnigeniti naturam diuinam confusione monstruantur. Propter hoc omnem ipsis claudi contra veritatem machinam volens præsens nunc ipsa sancta magna & œcumenica synodus, illud prædicationis superiùs immotum edocens diffiniuit, præcipuè trecentorum decem & octo sanctorum patrum fidem immutilatam manere. Propter spiritus sancti quidem impugnatores, posterioribus temporibus doctrinam de spiritus sancti substantia, à centum quinquaginta patribus in regia vrbe traditam, authorizat, quam illi omnibus notificarunt, non tanquàm aliquid deficiens præcedentibus introducentes, sed de spiritu sancto ipsorum cogitationem vel intellectum, cōtra attentantes ipsius dominationem reprobare, scripturarum testimonijs expresserunt. Propter autem dispensationis mysterium vitiare conantes, & tenuem hominem esse ex sancta Virgine Maria natum impudice maledicentes, beati Cyrilli Alexandrinorū ecclesiæ pastoris synodicas epistolas ad Nestorium & ad ipsos Orientales, conuenientes existentes suscepit, in redargutionem quidem mēte captionis Nestorij, in interpretationē autem salutaris symboli pio zelo desiderantiū intellectum. Quibus & epistolam magnæ & antiquæ Romæ præcedentis sancti & beati Leonis, scriptam sanctissimo episcopo Flauiano, ad extinctionem quidem praua intelligentiæ Eutychis, ma-

EDITIO III.

SVfficeret quidem ad plenissimam pietatis agnitionem & confirmationem, sanctissimum & salutare diuinæ gratiæ symbolū, De patre enim & filio & spiritu sancto doctrinam perfectam edocet, & incarnationem Dominicā fideliter suscipientibus manifestat. Sed quoniam hi, qui prædicationem veritatis destruere conantur, quasdam propriæ hæreseos nouitates parturiunt: (quidam enim mysterium pro nobis actum diuinæ dispensationis, audent corrumpere, & vocem illam diuini patris factam ad virginem denegant, alij temperamentum confusionemq; inducentes, & vnam esse naturam carnis & deitatis insensate componentes, passibilem vnigeniti diuinam naturam tali confusione prodigiose diuulgant) idcirco omnem aduersus veritatem opponendam ab ipsis machinationem volens excludere sancta & magna vniuersalis synodus, hanc prædicationem immobilem docens, statuit, præcipue trecentorum decem & octo sanctorum patrum fidem inconta minatam manere. Et propter eos, qui Spiritui sancto aduersantur, centum quinquaginta patrū paulò posteriore tempore in vrbe Cōstantinopolitana conuenientium de substantia spiritus sancti traditam doctrinam corroborat, quā etiam illi omnibus insinuauerunt, non quod in præcedentibus deesset aliquid, adijcientes, sed de spiritu eorundem intellectum aduersum eos, qui deitatis eius dominationem nituntur demergere, scripturarum testimonijs plenius manifestantes. Propter eos sanè, qui dispensationis mysteriū tentant corrumpere, & purum hominem esse, qui ex sancta Maria Virgine natus est, impudenter diuulgant, beatissimi quondam Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotis synodicas epistolas, tam ad Nestorium, quam ad cæteros per orientem, congruas & sibi cōsentientes suscepit, ad confutationem quidem Nestorianæ amētiæ, interpretationem verò eorū, qui religioso zelo salutaris symboli cupiunt intellectum. Quibus & epistolam sancti ac beatissimi primæ sedis Archiepiscopi Leonis,

EDITIO IIII.

SVfficeret quidem ad plenitudinem cognoscendam pietatis & confirmationem prudens hoc & salutare per Dei gratiam symbolum. De patre autem & filio & spiritu sancto plenitudinem docet, & Domini inhumanationem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniam lædere prædicationem veritatis conantes, propriys hæresibus nouas voces proferunt, hi quidem mysterium Domini propter nos diuinæ dispensationis audentes corrumpere, & matris Dei virginis appellationem recusant, alij verò confusionem permixtionemque introducunt, & vnam naturam carnis & Deitatis stultè confingunt, passibilem vnigeniti diuinam esse naturam confusione portentosa dicentes: Ob hoc illis omnem aditum contra fidem volens claudere præsens nunc sancta & magna atque vniuersalis synodus, prædicationē hanc ab initio inconcussam docēs, constituit præcæteris trecentorū decem & octo sanctorum patrum fidem manere illæsam: & propter illos, qui aduersum spiritum sanctum pugnāt, Macedonianos, posterioribus temporbus à patribus ad Constantinopolim centum quinquaginta congregatis, de essentia spiritus corroborat traditam disciplinam, quam illi omnibus notam fecerunt, non, quasi de esset aliquid præcedentibus, inferentes, sed de sancto spiritu suam sententiam promulgantes, aduersum eos, qui veritatem lædere tētauerunt, scripturarum testimonijs roborantes. At verò propter illos, qui mysterium dispensationis violare conantur, & purum hominem esse, qui ex sancta Virgine Maria natus est, impudentius delirantes, epistolas B. Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ præsulis synodicas vtique literas ad Nestorium, & ad alios per Orientem, acceptissimas habet ad conuincendas Nestorij blasphemias, & ad interpretationem, syncieroremsalutaris symboli, his, qui nosse illud desiderant. Quibus etiam subiunxit epistolā magnæ & senioris vrbis præsulis beatissimi sancti episcopi Leonis, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ Archiepiscopū Flauianum, & ad sensus pessimos

interpretationem verò desiderantium pio zelo concipere saluberrimi sacramenti sententiam. Quibus epistolam quoque beatiss. Romanæ antiquioris vrbis antistitis, ac venerabilis Papæ Leonis, Flauiano sanctæ memoriæ Archiepiscopo scriptam, ad expugnandam prauitatis Eutychianæ perfidiam, vipotè maximi PETRI confessioni satis conuenientem, & velut monimentum cuiusdam statuæ communis extantem, contra cunctos hæreticos meritò copulauit, vt recto dogmati sua firmitas inconcussa permaneat. Nam & in duos filios dispensationis tentantibus diuidere sacramentum resistit hostiliter, & eos, qui passibilis audent diuinitatis vnigenitum dicere, collegio sacerdotali detrudit, & confusionem siue commixtionem in duabus CHRISTI naturis excogitantibus reluctatur, & cœlestem vel alterius cuiusdam substantiæ esse, quam de nobis assumpsit sibi formam seruilem delirantes, exterminat: necnon & eos, qui duas quidem ante vnitionem, vnam verò post vnitionem, naturas in Christo fabulosè confingunt, anathematizare non cessat. Beatiss. igitur sequendo patres, vnum & eundem filium confiteri DOMINVM Iesum Christum, concordantibus, omnes institutionibus, edocemus eundem in deitate perfectum, eundem in humanatione perfectum, Deum verè & verè hominem eundem ex anima rationali & corpore, & consubstantialem patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, in humanitate per omnia similem nobis sine sorde peccati, ante secula quidem à patre progenitum secundum deitatem, in vltimis verò diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem ex Maria Virgine, quæ DEVM peperit, secundum incarnationem vnum & eundem Christum IESVM filium, Dominum, vnigenitum, quem in duabus naturis inconfusè & incommutabiliter, indiuisè atque inseparabiliter omnes agnoscimus, nunquam sublata differentia naturarum propter vnitionem, sed potius vtriusque naturæ proprietate seruata, & in vnam concurrente personam, non in duas deductum diuisumue personas, sed vnum & eundem filium vnigenitum, Deum verbum, Dominum IESVM CHRISTVM, sicuti nos ab initio prophetæ de eo, & ipse nos IESVS Christus instituit, & paternum nobis tradidit symbolum. His igitur à nobis vndique cum omni deliberatione ac diligentia pariter ordinatis, decreuit sancta atque vniuersalis hæc synodus, aliam fidem nemini licere proferre vel componere, vel sapere, vel docere aliter. Audentes autem vel componere fidem alteram, vel producere, vel docere, vel tradere aliud SYMBOLVM volentibus conuerti ex gentilitate, vel Iudaismo vel hæresi quacunque hos, si quidem EPISCOPI fuerint, vel clerici, alienos esse episcopos episcopatu, & clericos clericatu: si autem monachi

gni PETRI professioni conuenientem, ac communem quendam cippum columnam existentem cõtra malè opinantes meritò adnexuit ad orthodoxorum dogmatum confirmationem. Conantibus enim in filij diuinitate dispensationis diuellere mysterium obuiat, & passionem vnigeniti deitatis dicere audentes, sacrorum colloquio repellit, & excogitantibus commixtionem vel confusionem in duabus naturis CHRISTI obsistit, & eos, qui insaniunt, dicentes cœlestem vel alicuius alterius essentiæ substantiam, ex nobis assumptam impij serui formam existere, exagitat: & confabulantes duas quidem ante vnionem naturas DOMINI, vnam autem post vnionem autumantes, anathematizat. Sequentes igitur sanctos patres, vnum & ipsum confiteri filium Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, perfectum ipsum in Deitate, & perfectum ipsum in humanitate, DEVM verè, & verè hominem, ipsum ex anima rationali & corpore consubstantialem patri secundum deitatem, nouissimis autem diebus ipsum propter nos & consubstantialem nobis ipsum secundum humanitatem, per omnia similem nobis sinè peccato, ante secula quidem ex patre natum secundum deitatem nouissimis autem diebus ipsum propter nos & nostram salutem, ex MARIA Virgine natum secundum humanitatem, vnum & ipsum IESVM CHRISTVM Dominum vnigenitum, in duabus naturis inconfusibiliter, inconuersibiliter, indiuisibiliter, inseparabiliter cognoscendum, nulla naturarum differentia sublata propter vnionem, sed salua magis vtriusque naturæ proprietate, & in vnam personam & in vnam subsistentiam concurrente, non in duas personas distributum vel diuisum, sed vnum & ipsum vnigenitum filium, Deum verbum IESVM CHRISTVM, sicut superius prophetæ de ipso, & ipse IESVS CHRISTVS nos edocuit, & patrum symbolum nobis tradidit. His igitur cum omni vndique diligentia & solicitudine à nobis formatis, diffinuit sancta & œcumenica Synodus, aliam fidem neminí licere proferre vel componere, vel conscribere, vel componere, vel sapere, vel docere aliter. Audentes autem vel componere fidem alteram, vel producere, vel docere, vel tradere aliud SYMBOLVM volentibus conuerti ex gentilitate, vel Iudaismo vel hæresi quacunque hos, si quidem EPISCOPI fuerint, vel clerici, alienos esse episcopos episcopatu, & clericos clericatu: si autem monachi

scriptam ad Flauianum sanctæ recordationis Archiepiscopum, ad perimendam Eutychetis malignitatem, atque magni Petri confessioni concordantem, & communem quandam paginam consistentem contra eos, qui non rectè glorificant, ad confirmationem catholicæ religionis euidenter subiunxit. Nam eos, qui in duos filios dispensationis Dominicæ mysterium scindere moliuntur, execratur: & eos, qui passibilem diuinitatem vnigeniti filij audent asserere, de concilio sacerdotum repellit: & eis, qui in duabus naturis CHRISTI permixtionem vel confusionem argumentantur, aduersatur. Et qui cœlestem aut alterius cuiusque substantiam existere formam serui, quam ex nobis assumpsit, insaniendo asserũt, procul abijcit. Et eos, qui duas ante adunationem naturas Domini deliramt, vnam verò post adunationem confingunt, anathematizat. Consentientes ergò sanctis patribus, vnum eundemque filium confiteri Dominum nostrum IESVM CHRISTVM consona voce pariter edocemus, perfectum eundem in diuinitate, perfectum eundem in humanitate, Deum verum & hominem verum eundem ex anima rationali & corpore, secundum diuinitatem vnius cum patre naturæ, secundum humanitatem eundem vnius naturæ nobiscum, per omnia similem nobis absque peccato, ante secula quidem ex patre natum secundum diuinitatem, in nouissimis verò diebus eundem propter nos & propter nostram salutem hominem factum, hunc vnum, eundemque Christum filium, Dominum, vnigenitum in duas naturas inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter cognoscendum, in nullo naturarum differentias propter vnitatem perimendas, magis autem salua vtriusque naturæ proprietate, & in vna coeunte persona, vnoque statu concurrente, non in duabus personis partiendum vel diuidendum, sed vnum eundemque filium, vnigenitum, Deum verbum, Dominum Iesum Christum, sicut ab exordio prophetæ de eo, & ipse nos erudiuit, & nobis tradidit symbolum. His itaque cum omni vndique subtilitate & diligentia à nobis ordinatis, statuit sancta & vniuersalis synodus, aliam fidem nulli licere profiteri, aut scribere, aut docere, aut dicere aliter. Qui autem audent exponere aliam fidem, aut proferre, aut docere aliud symbolum, volentibus conuerti ad scientiam veritatis ex gentilibus, ex Iudæis, vel hæreticis quibuscunque si quidem Episcopi aut clerici fuerint, alienos esse episcopos ab episcopatu, & clericos à clero

Eutychis auferendos, quippe magni illius PETRI confessionibus congruentem, & quandam colũnam nobis aduersum praua dogmata iure coniunctam, ad confirmationem recti dogmatis. His enim, qui in dualitate filiorum dispensatione conuellere mysteriũ nituntur, præcipit & illos, qui passibilem deitatem vnigeniti ausi sunt dicere, sacerdotali numero submoueri: & his, qui in duabus naturis CHRISTI permixtionem aut confusionem dici æstimant, repugnandum, vel eos, qui cœlestem, aut alterius esse substantiæ carnem, quæ illi est assumpta de nobis, formam serui abijcit: & qui duas quidem ante vnionem naturas DOMINI fabulantur, vnam verò post vnionem confingunt, anathematizat. Sequentes igitur sanctos patres, vnum eundemque confiteri filium, & Dominum nostrum Iesum Christum consona voce omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deum verè & hominem verè eundem ex anima rationali & corpore, coessentialem patri secundum deitatem, coessentialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante secula quidem de patre genitum secundum deitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter salutem nostram ex MARIA Virgine theotoco secundum humanitatem, vnum, eundem Christum filium, Dominum, vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata essentia naturarum propter vnionem, magisque salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atque existentiam cõcurrente, non in duas personas partitum atque diuisum, neque disiunctum, sed vnum, & eundem filium, vnigenitum Deum verbum Iesum CHRISTVM, sicut antè prophetæ de eo, & ipse nos IESVS CHRISTVS erudiuit, & patrum nobis symbolum tradidit. His igitur cum omni vndique veritate, diligentia & solicitudine à nobis definitis, statuit sancta & vniuersalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, vel conscribere, aut componere, aut sentire, aut docere aliter. Eos autem, qui ausi sunt componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum symbolum volenti vel conuerti, vel ex gentilibus ad cognitionem veritatis venire, vel ex Iudæis, vel hæresi quacunque hos, si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, & clericos à clero: si verò mo-

proferre, siue conscribere, aut exponere, vel sentire, vel aliter tradere. Sed eos, qui audẽt vel componere aliam fidem, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud symbolum volentibus ad cognoscendam se conuertere veritatem ex ritu pagano siue Iudaico vel qualicunque hæretico: eos, si quidem Episcopi siue clerici sunt, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, & clericos à clero: Quod si monachi vel laici fuerint, anathematizari.

nachi vel laici fuerint, anathematizari.

clero: si verò monachi vel laici fuerint, anathemafieri.

nachi aut laici fuerint, anathematizari.

Et post lectionem diffinitionis, omnes reuerendi episcopi clamauerunt: Hæc fides patrum. Metropolitani modo subscribant. Quæ benè diffinita sunt, dilationem non suscipiant. Hæc fides Apostolorum. Huic omnes consentimus. Omnes ita sapimus. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Quæ à sanctis patribus statuta sunt, & omnibus placuerunt, manifesta fiant diuino vertici.

Finis actionis quintæ Chacedonensis Concilij.

CHALCEDONENSIS CONCILII. ACTIO SEXTA.

CONSVLATV Domini nostri Martiani perpetui Augusti, & qui fuerit nunciatus, octauo Kalend. Nouemb. in Chalcedona secundum iussionem diuini & pijssimi nostri Domini Martiani perpetui Augusti, conueniente in sanctissima Ecclesia sanctæ & bonæ victricis martyris Euphemiæ sancta & vniuersali synodo, quæ secundum diuinam sanctionem in Chalcedonensium ciuitate congregata est, id est, Paschasino & Lucentio reuerendissimis Episcopis, & Bonifacio reuerendo presbytero, locũ tenentibus sanctissimi & Deo amantissimi Archiepiscopi senioris Romæ Leonis, & Anatolio sanctissimo Archiepiscopo splendidissim. Constantinopolis nouæ Romæ, & reliquis sanctissimis & reuerendissimis Episcopis, id est.

Maximo Antiochiæ Syriæ, Iuuenale Hierosolymorum.
Quintillo Heracleæ Macedoniæ, tuente locum Anastasij episcopi Thessalonicensis.
Thalassio Cæsareæ Cappadociæ.
Stephano Ephesi.
Luciano Byziæ, tuente locum Cyriaci Heracleæ Thraciæ.
Eusebio Ancyræ Galatiæ. Diogene Cyzici.
Petro Corinthi.
Florentio Sardensium.
Eunomio Nicomediæ. Anastasio Niceæ.
Eleutherio Chalcedonensi.
Iuliano ciuitatis Co, tuente & ipso locum Apostolicæ sedis senioris Romæ Leonis.
Basilio Seleuciæ Isauriæ.
Meletio Lariss æ, tuente locum Domni episcopi Apameæ Syriæ.
Amphilochio Sidis, Theodoro Tarsi.
Cyro Anazarbi. Constantino Bostrensi.
Photio Tyri. Theodoro Damasci.
*Nomio. Stephano Hierapoleos. *Nonno Edessæ.
Simeone Amidæ.
Epiphanio episcopo Perge, tuente locum Olympij episcopi Constantiæ.
Ioanne Sebastiæ. Seleuco Amasiæ.
Constantino Melitenæ, Patricio Tyanensi.
Petro Gangrensi.
Apragmonio Tij, tuente locum Calogeri episcopi Claudiupolis.
Atarbio Trapezuntis, tuente locum Dorothei episcopi Neocæsareæ.
Photino archidiacono, tuente locum Theoctisti Episcopi Pessinuntis.
Romano Myrensi.
Critoniano Aphrodisiadis Cariæ.
Nunechio Laodiceæ Phrygiæ.
Mariniano Synnadæ. Onesiphoro Iconij.
Pergamio Antiochiæ Pisidiæ.
Epiphanio Pergensi.
Attico Nicopolis veteris Epiri.
Martyrio Gortynæ. Luca Dyrrhachij.
Vigilantio Lariss æ Thessaliæ.
Francione Philippopolis. Sebastiano Beroæ.
Basilio Traianopolis. Tryphone Chij.
Theoctisto Berrhoæ Syriæ. Gerontio Seleuciæ.
Eusebio presbytero, tuente locum Macarij Laodiceæ Syriæ.
Eusebio Dorylei. Saba Palti. Petro Gabalæ.
Sophronio Constantiæ. Patricio Neocæsareæ.
Mara Anazarthæ. Rhomulo Chalcidæ.
Eustathio Beryti. Leontio Ascalonæ.
Aniano Capitoliadis. Zebenno Pellæ.
Ioanne Tiberiadis. Antiocho Archelaidis.
Beryllo *Ailæ. Areta Elusæ. Musonio Zoaræ.
Rufino Bybli. Pancratio Libyadis.
Zosimo Minoidis. *Natyra Gazæ.
Polychronio Antipatridis. Ioanne Gadaræ.
Paulo Anthedonis. Photino Lyddæ.
Heraclio Azoti. Martiano Gerræ.
Stephano Ianniæ. Epicteto Diocletianupolis.
Romano Eudoxiupolis.
Theodoro Claudiupolis Isauriæ.
Iuliano Celendereos.
Tyranno Germanicopolis.
Ioanne Diocæsareæ.
Acacio Antiochiæ. Epiphanio Cestriæ.
Æliano Selenuntis. Ammonio Iotapis.
Megalo Philadelphiæ. Marco Arethusæ.
Timotheo Balaneorum.
Eusebio Seleucobeli.
Eutychiano Epiphaniæ.
Paulo *Mariamniæ.
Lampadio Raphaneorum.
Alexandro Sebastiæ.
Philippo Adanæ. Hypatio Zephyrij.
Theodoro Augustæ. Chrysippo Malli.
Iuliano Rhosi.
Polychronio Epiphaniæ.
Ioanne Flauiadis.
Indimo *Hermupolis.
Sophronio Chorepiscopo, tuente locum Bassiani Episcopi Mopsuestiæ.
Proclo Adranæ.
Eulogio Philadelphiæ Arabiæ.
Theodosio Canothæ.
Hormisda Philippopolis.
Damiano Sidonis. Theodoro Tripolis.
Olympio Paneadis.
Paulo Ptolemaidis.
Paulo Aradi. Thoma Porphyrionis.
Porphyrio Botrorum.
Phosphoro Orthosiadis.
Porphyrio archidiacono, tuente locum Vranij Emisæ.
Ioseph Heliopolis Phœniciæ.
Iordanæ Abilæ.
Valerio Laodiceæ Phœniciæ.
Theona *Europi Phœniciæ.
Theodoreto Cyri. Rufino Samosateno.
Ioanne Germaniciæ. Thimotheo Dolychis.
Euoltio Zeugmatis. Athanasio Pari insulæ.
Zebenno martyropolis.
Caiuma Marcopolis.
Ioanne Carrensium.
Abraamio Circensi. Ioanne Saraceno.
Noe Cephacastelli.
Callinico Apameæ Bithyniæ.
Leucadio Tinniensis. Ioanne Polemonij.
Gratidiano Cerassuntis. Iuliano Tabiæ.
Meliphthongo Iuliopolis.
Hypericio Asponensium.
Acacio *Cynnæ, Euphrasio Lacinicnsis Laganiæ.

Cecropio Sebastopolis.
Ioanne Nicopolis Armeniæ.
Dorotheo presbytero, tuente locum Anatolij Satalorum.
Attico Zelorum. Antiocho Sinopis.
Euchario diacono, tuente locum Paralij Andraponensis.
Paulo presbytero, tuente locum Vranij Episcopi Himerorum.
Acacio Ariarathiræ.
Heraclio Comanorum.
Adelphio chorepiscopo tuente locum Adolij Episcopi Arabissi.
Euphronio presbytero, tenente locum Domni episcopi Cocusi.
Otreio presbytero, tenente locum Ioannis episcopi *Arcis.
*arcæ. Theodosio Nazianzeno.
Aristomacho Colonæ, Rheno Iunopolis.
Epiphanio presbytero, tenente locum Ætherici episcopi Pompeiopolis.
Photino tenente locum Ætherici episcopi Pompeiopolis.
Photino tenente locum Themestij Amastriæ.
Thodoro Heracleæ, Eulogio presbytero, tenente locum Genethlij Cratiæ episcop.
Pelagio presbytero, tenente locum Theophili episcopi Adrinopolis.
Helpidio *Thermensis.
Aquila Eudoxiadis, Mysterio Amorij.
Longino Orchistij. Docimasio Maroneæ.
Sereno Maximianopolis.
Ætherico Smyrnensis.
Eusebio Clazomenensis. Cyriaco Ægensis.
*Amniten. Mamo *Aninitensis.
Leontio Magnesiæ Mæandri.
Quinto Phoceæ. Proclo Argissæ.
Thoma Alalcomenæ.
Olympio Theodosiupoleos.
*Briullen. Philippo Nouæ aulæ. Rufino *Brueleno.
Marcellino metropolis. Esaia Elaitano.
Paulino Theodosiupolis Asiæ.
Iuliano Hypepæ. Hesperio Pitanæ.
Proterio Myrrhinæ. Basilico Palæscepsis.
Meonio Nysæ. Petro Dardani.
Thalasio Parij. Dauidæ Adrianæ.
Eulalio Pioniæ. Pionio Troadis.
Stephano Prymnesiæ. Theoscbio Ilij.
Hermia Abydi. Daniele Lampsac.
Patricio Adramyteorum.
Menecrate *Cyrassorum.
*Caryslorum. Cosinio Hierocæsareæ, & tuente locum Andreæ episcopi Sardeorum Bleaddri.
Polycarpo Gabalon. Patricio Acamassæ.
Paulo Tripolis. Amachio Septenorum.
Leucio Apollinis Phani.
Gemello Stratonicæ. Alchimede Silandi.
Dionysio Attaliæ.
*Arcoseno Nicolao *Acrasseno, & tuente locum Stephani episcopi *Limiræ.
Zenodoro Thelmessi. Frontone Phaselidis.
Philippo Liburnæ. Theodoro Antiphelli.
Leontio Araxi. Antipatro Cauni.
Andrea Sectoriorum. Paulo Tlosorum.
Romano Buboniorum. Nicæa Megaron.
Athanasio Opuntis. Domnino Plateæ.
Onesimo Argos. Marco Euriæ.
Peregrino Phœnices.
Eutychio Adrianupoleos.
Claudio Anchiaxi. Soterico Corcyræ.
Dionysio Antiochiæ. Ioanne Alindæ.
Flacillo Tarsi. Papia Eressorum.
Dionysio Heracleæ Lynchestidum.
*Saluacis. Menandro Heracleæ *Latmos.
Eupythio Stratonicæ. Ioanne Amizonis.
Tynchanio Apolloniadis.
Theodoreto Alabandorum.
Ioanne Gnidi.
Iuliano presbytero, tuente locum Calandionis Episcopi *Alycarnassi. *Halicarnassi.
Daniele Cadi. Modesto Sebastæ.
Paulo Aristij. Eulalio *Sibij.
Charitone Dionysiopolis.
Ioanne Trapezopolis.
Gennadio *Agmonios. *Agmonitorum.
Thoma Theodosiopoleos.
Gennadio *Mosiunorum. *Mosinnorum.
Euandro Dioclias.
Gerontio Basilinopoleos. Alphio Myndi.
Theoctisto presbytero, tuente locum Diogenis episcopi Orthosiæ.
Philotheo presbytero tuente locum Zotici episcopi Arpasensis
Miro Euladrensis. Luciano Ipsensis.
Philippo Lysiadis. Epiphanio Midaij.
Albertio Hierapoleos. Cyriaco Eucarpias.
Eustochio Docimeensis, Aquila *Aurochron. *Acroceraunon, vel Achrotonorum.
Basilio Nacoliæ. Strategio Polybotis.
Neoptolemo Cornensis. Paulo Derbensis.
Plutarcha Lystrensis. Eugenio Canorum.
Ruso Hydæ. Tyranno Homonadon.
Acholio Larandæ. Eutropio Adadon.
Paulo, Philomelij. Paulino Apameensi.
Theotecno Teræ. Eorticio *Metropoleos. *Nicopolis Pisidiæ.
Cyro Syniandi. Libanio Parilycaoniæ.
Alexandro Seleuciæ.
Olympio Sozopoleos.
Fonteiano Sagalassi.
Adilo Chorepiscopo, tuente Messalini episcopi Laodiceæ.
Bassona *Neapoleos. *Neapolis
Florentio Adrianopoleos.
*Maiano Limerorum. *Musonio
Euelpisto chorepiscopo tuente locum Florentij episcopi Tenedi.
Sotero Theodosiæ, tuente locum Heliodori episcopi Amathuntis, & pro Echio Arsinoæ, Epaphrodito Thamasij tuente locum & Didymi episcopi ciuitatis Lapethon.
Dionysio diacono, tuente locum Photini episcopi Chitrorum.
Ioanne Messenæ, Ophelimo Tegeæ.
Irenæo Naupacti, Cyrillo *Subritos. *Subriti.
Gennadio Gnosi. Eusebio Apollonienſi.
Demetrio Lappensi.
Euphrate Eleuthernensi, tuente locum Pauli Episcopi Candiæ.
Zozonte Philipporum.
Constantino Demetriados.
Eusebio Topiris. Maximino *Serres. *Derres.
Nicolao Stoborum. Dardanio Bargylæ.
Ioanne *Partecopoleos. Honorato Thasi. *Parthenopolis.
Theophylo Orei. Neone *Pſyllij. *Pſylleno.
Diodoto Lysimachiorum.
Mara Cordiluſorum. Marcellino *Isundis.
Macedone Magidon. Eudoxio Etennon.
Eugenio Contennon.
Marcellino Corydallorum.
Obrimo Coracesij. Petro Echineorum.
Eustathio gentis Saracenorum. *Rustico.

Aurelio Aphoro, &*Restituano Afro. Et reliqua sancta synodo. Adueniens in eadem sanctiss. Ecclesia diuinisſ. & pijssimus dominus noster Martianus perpetuus Augustus, sub die sanctissimorum martyrum sancti Callinici & Euphemiæ, præsente ex diuino zelo & feruore fidei etiam pijssi. & Christianissi. regina Augusta Pulcheria, vna cum magnificentiss. & glorioſiſſ. iudicibus, id est, glorioſiſſ. magisto militum, & exconsule ac patricio Anatolio, & glorioſiſſ. præfecto sacrorum prætoriorum Palladio, & magnificent. præfecto regiæ Constantinopolitanæ vrbis nouæ Romæ Taciano, & glorioſiſſ. magist. sacrorum officiorum Vincomalo, & viris magnificis ex magistris Martiali & Placito, & viro magnific. comite domesticorum Sporatio, & viro magnific. comite sacrorum priuatorum Genethlio, & viro magnif. comite domesticorum & sacrorum stabulorum *Ætio, & viro magnific. primicerio clarorum tribunorum & notariorum Leontio. Super

ijs etiam amplissimo senatu, id est, glorioſiſſ. expræfecto & conſule ac patricio Florentio, & glorioſiſſimo exconſule & patricio Senatore, & glorioſiſſimo ex magiſtro & exconſule & patricio Nomo, & glorioſiſſimo expræfecto & exconſule ac patricio Protogene, & viro Magnificentiſſimo expræfecto & patricio Antiocho, & viro Magnificentiſſimo expræpoſito Romano, & Magnific. expræfecto Zoilo, & viro magnificent. expræfecto vrbis Theodoro, & viro magnificentiſſ. Apollonio, & viro magnificentiſſ. expræfecto vrbis Antiocho, & viro magnificentiſſ. expræfecto vrbis Anyſio, & viro magnificentiſſ. expræfecto Illyrici Theodoro, & viro magnific. expræpoſito Artaxerxe, & viro magnificentiſſ. expræfecto Conſtantino, & viro magnificentiſſ. Artaxio * Parmaſio. & viro magnificentiſſ. expræfecto Illyrici Eulogio, & viris magnificentiſſ. exquæſtoribus, Apollodoro, Theodoro & Mena, & viro magnificentiſſ. excomite priuatorum Seuero, & viro magnific. excomite largitionum Baſilio, & viro magnif. excomite priuatorum Iuliano, & viro magnific. expræfecto Tryphone, & viro magnific. exquæſtore Polychronio, & viro magnific. excomite Cõſtantino, & viro magnific. excomite Seueriano, & viro magnific. excomite Heracliano, ſuper ijs etiam ſpectabilibus comitibus & tribunis notarijs, alioquutus eſt, quæ ſubſequuntur:

Dominus noſter Martianus perpetuus Auguſtus alloquutus eſt ſanctam ſynodum primum Latinè, & poſtmodum græcè, cuius alloquutionis virtus eſt iſta:

Oratio Martiani Latina, ad Conciliũ.

¶ Vbi primum diuino iudicio ad imperium ſumus electi, inter tantas neceſsitates Reip. nulla nos magis cauſa conſtrinxit, quam vt orthodoxa & vera fides Chriſtiana, quæ ſancta atque pura eſt, indubitata omnium animis inſideret. Conſtat autem, auaritia vel ſtudijs quorundam per media tempora nonnullis diuerſa ſentientibus, & pro voluntate ſua (non prout veritas atque doctrina patrum poſtulat) populos ſeducentibus, in errorem quàm plurimos eſſe deductos. Qua de re ſanctam ſynodum hoc videlicet propoſito fieri ſtuduimus, & vobis laborem indixiſſe videmur, quatenus omni errore atque caligine deterſa, prout ſe diuinitas hominibus manifeſtare voluit, & doctrina patrum oſtendit: religio noſtra, quæ pura atque ſancta eſt, vniuerſorum mentibus inſinuata, ſuę veritatis luce fulgeſcat. Nec in poſterum quiſquam audeat de natiuitate Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti aliter diſputare, quam apoſtolica prædicatio, & inſtituta trecentorum decem & octo ſanctorum patrum, eidem conuenientia, poſteritati tradidiſſe noſcuntur, ſicut etiam ſancti Leonis Papæ vrbis Romæ, qui ſedem Apoſtolicam gubernat, miſſa ad ſanctę memoriæ Flauianum Conſtantinopolitanę vrbis epiſcopum, ſcripta teſtantur. Remotis itaque ſtudijs, ablatis patrocinijs, ceſſante auaritia, cunctis veritas innoteſcat. Nos enim ad fidẽ confirmandam: non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religioſi principis Conſtantini, ſynodo intereſſe voluimus, ne vel vlterius populi prauis perſuaſionibus ſeparentur. Facilè enim ſimplicitas quorundam, hactenus nonnullorum ingenijs atque ſuperflua verboſitate decepta eſt: & conſtat, diuerſorum prauis inſinuationibus diſſenſiones & hæreſes natas. Studium aũt noſtrũ eſt, vt omnis populus per veram & ſanctam doctrinam vnum ſentiens, in eandem religionem redeat, & veram fidem catholicam colat, quam ſecundum inſtitutiones patrum exponere concordantibus æquè animis religio veſtra feſtinet, quatenus ſicut à Nicæna ſynodo vſque ad proximum tempus, erroribus amputatis, vera fides cunctis innotuit, ita & nunc per hanc ſanctam ſynodum remotis caliginibus, quæ in his paucis annis (ſicut ſuperius dictum eſt) prauitate atque auaritia quorundam emerſiſſe videntur, perpetuò, quæ ſtatuta fuerint, conſeruentur. Erit autem diuinæ maieſtatis, id quod ſancto animo fieri deſideramus, in æternum firmiter cuſtodire. Omnes clamauerunt: Multi anni Imperatori, multi anni Auguſtæ, orthodoxis multos annos. Vnus filius Conſtantinus Martiano nouo Conſtantino.

Ad quid Imperator in Concilio.

Diuiniſsimus & pijſsimus Dominus noſter Martianus perpetuus Auguſtus virtutem præſcriptæ alloquutionis & græcę alloquutus eſt ità:

Otatio Martiani habita ad Synodum græcè. * conſilio

¶ Vbi primum diuino iudicio ad imperium ſumus electi, ante alias omnes publicas & ſummè neceſſarias cauſas, nihil ſic & * concilio & ſtudio dignum putauimus, niſi vt circa orthodoxam fidem, quæ ſancta & vera eſt, omnes vnius eſſent ſententiæ, & nihil de ea dubitãbile in animabus hominum inſideret. Repertum eſt enim, medio tempore quoſdam tam pecuniarum cupiditatibus, quam prauiſsimus ſtudijs diuerſa ſentiſſe, & præter ſanctorum patrum fidem multitudini doctrinæ expoſitionem plenam erroribus edidiſſe. Huic rei remedium volentes imponere, ſanctam veſtram collegimus ſynodum, laboribus, quos ex itinere ſuſcepiſtis, cuentum maximum fore credentes, vt vera religio firmaretur, quatenus omnis interiectus error caligo auferretur ab intelligentijs ſeductorum. Et prout ſe diuinitas hominibus propria voluntate manifeſtauit, & vt ſanctorum patrum doctrina puriſsimam & veriſsimam animis omnium prę fulgentem expoſuit fidem, ſic humanum genus incolere, & de reliquo omnem auferri audientibus præſumptionem, de natiuitate DOMINI & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti aliter ſapere aut diſputare, præter hæc, quæ prædicta quidem ſunt à ſanctis apoſtolis, & tradita autem conſonè à trecentis decem & octo ſanctis patribus noſtris, ſicut etiam Deo amantiſsimi Leonis Papæ vrbis Romæ, qui ſedem Apoſtolicam gubernat, miſſa ad ſanctæ memoriæ Flauianum nouæ regiæ Romanæ vrbis epiſcopum ſcripta teſtantur. Amputato igitur omni inconuenienti ſtudio, & electo omni patrocinio, & locum nullum habente auaritia, cunctis veritas veſtris expoſitionibus innoteſcat. Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam, exemplo religioſi principis Conſtantini ſynodo intereſſe voluimus, vt inuenta veritate, non vltra multitudo, prauis doctrinis attracta, diſcordet. Multi enim mentis ſimplicitate, à quibuſdam perterriti, ſuperflua & callida introducere conantibus, meritò decepti ſunt. Non eſt enim dubium, quod imperfectis & prauis diuerſorum expoſitionibus, tam diſſenſiones, quam multæ exortæ ſunt hæreſes. Noſtræ autem tranquillitati operæ precium eſt, omnes populos, vnam eandemque circa diuinitatem habentes ſententiam, veram & Catholicam religionem fidemque colere, quam, ſecundum tradita à ſanctis patribus dogmata, exponetis. Hoc ergò operis ſit ſanctitatis veſtræ, vt conſentienti animo, ſicut in Nicæno ſanctiſſimorum patrum concilio manifeſtata fides, ab errore quidem homines liberauit, ad lucem autem prolata, omnibus cognita eſt: ſimiliter & nunc per veſtrum concilium, omnis quidem ambiguitas, in hoc paruo medio tempore nata (ſicut diximus) prauitate atque auaritia quorundam, amputetur. In perpetuum autem, quæ à vobis terminata fuerint, ſeruentur. Erit autem hoc diuinæ prouidentiæ, vt id, quod pio propoſito fieri feſtinamus, ſemper ad vtilitatem, quæ per vos orta eſt, firmiter conſeruetur. Omnes clamauerunt: Martiano nouo Conſtantino multos annos. Imperatori multos annos. Auguſtæ orthodoxæ multos annos. Martiane amator Chriſti, veſtrum nobis duret Imperium, ſemper nobis imperetis, digni ex orthodoxa fide. Ab amatoribus Chriſti procul inuidia ſit. Et poſt has voces Ætius archidiaconus Conſtantinopolitanæ vrbis nouæ Romæ, & primicerius notariorum, dixit: Quoniam nutu ſupernæ gratiæ & diuino zelo ſerenitatis veſtræ pijſsimæ & fideliſsimæ omnibus imperare à Deo vobis datum eſt, hæc magna & ſancta & vniuerſalis ſynodus, quæ per præceptum veſtrum congregata eſt, cum nimio ſtudio, & diuina diligentia per multos dies omnem diſcordiam, quæ in præterito * quoquo modo aduerſus rectam & immaculatam Catholicam noſtram fidem exorta eſt, expelli fecit, per verbum veritatis omnem nouam vocem abijciens, ſicut in ſcriptis monimentis ſingula, quæ contigerunt, manifeſtant. Diffinitionem autem nunc ab omni errore alienam prædicauit, diuinarum ſcripturarum virtute munitam, ſeruata in hanc ſanctorum & beatorum patrum ſententia, ad certam quidem ſcientiam ſyncere legentium, & ad perpetuam coronam veſtri pij imperij. Hanc præ manibus habens, ſi placet, annuente veſtra ſerenitate, recitabo. Diuiniſsimus & pijſsimus Dominus Imperator dixit: Lege. Ætius Archidiaconus Conſtantinopolis nouæ Romæ, legit: Sancta & magna * vniuerſalis Synodus, quæ ſecundum Dei gratiam & ſanctionem pijſsimorum Chriſtianiſsimorumque Imperatorum noſtrorum Valentiniani & Martiani Auguſtorum, congregata eſt apud Chalcedonam metropolim Bithyniæ prouinciæ, in Baſilica ſanctæ & venerabilis martyris Euphemiæ, diffiniuit ſubter annexa: DOMINVS noſter & ſaluator IESVS CHRISTVS

*vel quæ modo.

*venerabilis.

notita

notitiam, &c. *ſicut habetur in actione quinta huius Chalcedonenſis concilij, vna cum tractatu fidei, cuius initium eſt, Sufficeret quidem, &c. vſque ad paſſum excluſiue, vbi legitur,* Et poſt lectionem diffinitionis, *ad quem continuentur, quæ hic ſequuntur.* Paſchaſinus Epiſcopus, vice Domini mei beatiſſimi atque Apoſtolici vniuerſalis Eccleſiæ Papæ vrbis Romæ Leonis, ſynodo præſidens, ſtatui, conſenſi, & ſubſcripſi.

Subſcriptiones epiſcoporum definitioni fidei in Cõcil. Chal.

Lucentius Epiſcopus ciuitatis Eccleſiæ Eſculanæ, vicarius Domini mei beatiſſimi atque Apoſtolici viri vniuerſalis Eccleſiæ Papæ vrbis Romæ Leonis, in ſynodo Græcè relecta ſubſcripſi.

Bonifacius presbyter vrbis Romæ, vicarius DOMINI mei beatiſſimi & Apoſtolici viri vniuerſalis Eccleſiæ Papæ vrbis Romæ Leonis, cum vniuerſa ſynodo conſenſi & ſubſcripſi.

Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolis nouæ Romæ, definiens ſubſcripſi.

Maximus Epiſcopus Antiochiæ, ſtatuens ſubſcripſi.

Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymorum, ſtatuens ſubſcripſi.

Quintillus Epiſcopus Heracleæ, obtinens locum Anaſtaſij epiſcopi Theſſalonicenſium, ſtatuens ſubſcripſi.

Thalaſſius Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, ſimiliter.

Stephanus Epiſcopus Epheſi, ſimiliter.

Lucianus Epiſcopus Byziæ, habens locum Cyriaci Epiſcopi Heracleæ, ſimiliter.

Euſebius Epiſcopus Ancyræ, ſimiliter.

Diogenes Epiſcopus Cyzici, ſimiliter.

Petrus Epiſcopus Corinthi, ſimiliter.

Florentius Epiſcopus Sardeorum, ſimiliter.

Eunomius Epiſcopus Nicomediæ, ſimiliter.

Anaſtaſius epiſcopus Nicææ, ſimiliter.

Iulianus Epiſcopus, & Legatus ſedis Apoſtolicæ, ſimiliter.

Eleutherius epiſcopus Chalcedonenſis, ſimiliter.

Baſilius epiſcopus Seleuciæ, ſimiliter.

Meletius epiſcopus Lariſſæ, ſermonem faciens & pro Domno Epiſcopo Apameæ Syriæ, ſimiliter.

Amphilochius epiſcopus Sidæ, ſimiliter.

Theodorus epiſcopus Tarſi, ſimiliter.

Cyrus epiſcopus Anazarbi, ſimiliter.

Conſtantinus epiſcopus Boſtrenſium, ſimiliter.

Photinus epiſcopus Tyri, ſimiliter.

Theodorus epiſcopus Damaſci, ſimiliter.

Stephanus epiſcopus Hierapolis, ſimiliter.

*Nomius *Edeſſæ.

*Nonnus epiſcopus *Edeſæ ſimiliter.

Simeon Epiſcopus Amidæ, per Petrum presbyterum, ſimiliter.

Olympius epiſcopus Conſtantiæ, ſimiliter.

Ioannes epiſcopus Sebaſtiæ, ſimiliter.

Seleucius epiſcopus Amaſiæ, ſimiliter.

Conſtantinus epiſcopus Melitenæ, ſimiliter.

Patricius epiſcopus Tyanorum, ſimiliter.

Petrus epiſcopus Gangrorum, ſimiliter.

Calogerus epiſcopus Claudiopolis, per Apragmonium epiſcopum Tij, ſimiliter.

Dorotheus epiſcopus Neocæſareæ, per Atarbium epiſcopum Trapezuntis, ſimiliter.

Theoctiſtus epiſcopus Peſsinuntis, per Photinum archidiaconum, ſimiliter.

Romanus epiſcopus Myrorum, ſimiliter.

Critonianus epiſcopus Aphrodiſiadis, ſimiliter.

Nunechius epiſcopus Laodiceæ, ſimiliter.

Marinianus epiſcopus Synnadæ, ſimiliter.

Oneſiphorus epiſcopus Iconij, ſimiliter.

Epiphanius epiſcopus Pergæ, ſimiliter.

Pergamius epiſcopus Antiochiæ, ſimiliter.

Atticus epiſcopus Nicopolis, ſimiliter.

Martyrius epiſcopus Gortynæ, ſimiliter.

Lucas epiſcopus Dyrrhachij, ſimiliter.

Vigilantius epiſcopus Lariſſæ, ſimiliter.

Francion epiſcopus Philippopolis, ſimiliter.

Sebaſtianus epiſcopus *Beroæ, ſimiliter.

Baſilius epiſcopus Traianopolis, ſimiliter.

Tryphon epiſcopus Chij, pro Ioanne Epiſcopo Rhodi, ſimiliter.

Theoctiſtus epiſcopus *Berroeæ, ſimiliter.

Gerontius epiſcopus Seleuciæ, ſimiliter.

Macarius epiſcopus Laodiceæ Syriæ, per Euſebium presbyterum Antiochiæ, ſimiliter.

Euſebius epiſcopus Dorylei, ſimiliter.

Sabas Epiſcopus Palti, per Thalaſſium diaconum ſimiliter.

Lucianus epiſcopus Byziæ, ſimiliter.

Lucianus iſte paulo ante pro alio, nunc idem pro ſe ſubſcribit.

Petrus epiſcopus Gabalæ, ſimiliter.

Sophronius epiſcopus Conſtantię, ſimiliter.

Patricius epiſcopus Neocæſareæ, ſimiliter.

Maras epiſcopus Anaſarthæ, ſimiliter.

Romulus epiſcopus Chalcidis, per manum Maræ coepiſcopi Anaſarthæ, ſimiliter.

Euſtathius epiſcopus Beryti, ſimiliter.

Leontius epiſcopus Aſcalonis, ſimiliter.

Anianus Epiſcopus Capitoliadis, ſimiliter.

Zebennus epiſcopus Pellæ, ſimiliter.

Ioannes epiſcopus Tiberiadis, ſimiliter.

Antiochus epiſcopus Archelaidis, ſimiliter.

Beryllus epiſcopus *Ailæ, ſimiliter.

Aretas epiſcopus Eluſæ, ſimiliter.

Muſonius epiſcopus *Segor, ſimiliter.

Ruſinus epiſcopus Bybli, ſimiliter.

Pancratius epiſcopus Libyadis, ſimiliter.

*Natyras.

*Natiras epiſcopus Gazæ, ſimiliter.

Polychronius epiſcopus Antipatridis, ſimiliter.

Ioannes epiſcopus Gadarenſium, ſimiliter.

Paulus epiſcopus Anthedonis, ſimiliter.

Photinus epiſcopus Lyddæ, ſimiliter.

Heraclius epiſcopus Azoti, ſimiliter.

Martianus epiſcopus Gerræ, ſimiliter.

Stephanus epiſcopus Iamniæ, ſimiliter.

Epictetus epiſcopus Diocletianopolis, ſimiliter.

Romanus epiſcopus Eudoxiopolis, ſimiliter.

Ibas epiſcopus Edeſſæ, ſimiliter.

Theodorus epiſcopus Claudiopolis, ſimiliter.

Iulianus epiſcopus Celendirion, ſimiliter.

Tyrannus epiſcopus Germanicopolis, ſimiliter.

Ioannes epiſcopus Diocæſareæ, per lectorem meum Iulium, ſimiliter.

*Ælianus

*Helianus epiſcopus Seleuntis, per ſubdiaconum meum Paulum, ſimiliter.

Acacius epiſcopus Antiochiæ, ſimiliter.

Epiphanius epiſcopus Ceſtrię, ſimiliter.

Ammonius epiſcopus Iotapæ, ſimiliter.

Megalus epiſcopus Philadelphię, ſimiliter.

Marcus epiſcopus Arethuſę, per Timotheum epiſcopum Balaneorum, ſimiliter.

Euſebius epiſcopus Seleucobeli, per Paulum epiſcopum Mariamnę, ſimiliter.

Eutychianus Epiſcopus epiphaniæ, per Meletium epiſcopum Lariſſę, ſimiliter.

Paulus epiſcopus Mariamnę, ſimiliter.

Lampadius epiſcopus Rhaphaneorum, per Ianuarium diaconum meum, ſimiliter.

Alexander epiſcopus Sebaſtę, ſimiliter.

Philippus epiſcopus Adanę, ſimiliter.

Hyptius epiſcopus Zephyrij, ſimiliter.

Theodorus epiſcopus Auguſtę, ſimiliter.

Chryſippus epiſcopus Malli, ſimiliter.

Polychronius epiſcopus Epiphanię, ſimiliter.

Ioannes epiſcopus Flauiadis, ſimiliter.

Indimus epiſcopus Irenopolis, ſimiliter.

Iulianus epiſcopus Rhoſi, ſimiliter.

Sophronius Chorepiſcopus ſermonem faciens pro Baſſiano epiſcopo Mopſueſtienſi, ſimiliter.

Eulogius epiſcopus Philadelphię, ſimiliter.

Proclus epiſcopus Adranorum, ſimiliter.

Theodoſius epiſcopus Canothæ ſimiliter.

Hormiſda epiſcopus Pilippopolis, ſimiliter.

Damianus epiſcopus Sidonis, ſimiliter.

Theodorus epiſcopus Tripoleos, ſimiliter.

Olympius epiſcopus Paneadis, ſimiliter.

Paulus epiſcopus Ptolemaidis, ſimiliter.

Paulus Epiſcopus Aridi ſimiliter.
Thomas Epiſcopus Porphyrionis, ſimiliter.
Porphyrius Epiſcopus Botrorum, per Timotheum diaconum, ſimiliter.
Phoſphorus Epiſcopus Orthoſiadis, ſimiliter per Timotheum diaconum.
Ioſeph Epiſcopus Heliopolis, ſimiliter.
Vranius Epiſcopus Emiſæ, ſimiliter.
Valerius Epiſcopus Laodiceæ, ſimiliter.
Iordanus Epiſcopus Abilæ, ſimiliter.
*Cyri. Theodoretus Epiſcopus *Cyrrhi, ſimiliter.
*Cyrij. Theonas Epiſcopus *Euariæ Phœnicis, ſimiliter.
*Europi. Rufinus Epiſcopus Samaſatenorum, ſimiliter.
Ioannes epiſcopus Germaniciæ, ſimiliter.
Timotheus Epiſcopus Dolychis, ſimiliter.
Euoltius Epiſcopus Zeugmatis, ſimiliter.
Athanaſius Epiſcopus Pari, ſimiliter.
Zebennus epiſcopus Martyropolis, ſimiliter.
Callinicus Epiſcopus Apamcæ, ſimiliter.
Caiumas epiſcopus Marcopolis, ſimiliter.
Ioannes epiſcopus Carrhenſium, ſimiliter.
*Caſtricir cenſis. Abraamius epiſcopus *Circenſis, ſimiliter.
Leucadius epiſcopus *Tinnieñ. ſimiliter.
Noë epiſcopus Cephacaſtelli, ſimiliter.
Atarbius Epiſcopus Trapezuntis, ſimiliter.
Ioannes epiſcopus Polemonij, ſimiliter.
Gratidianus epiſcopus Ceraſſuntis, ſimiliter.
*Ptiuſæ. Iulianus epiſcopus *Tabiæ, ſimiliter.
Melipthongus epiſcopus Iuliopolis, ſimiliter.
Hypericius epiſcopus Aſponenſium, ſimiliter.
Acacius epiſcopus Cynnæ, ſimiliter.
Euphraſius epiſcopus Laganiæ, ſimiliter.
Cecropius epiſcopus Sebaſtopolis, ſimiliter.
Ioannes Epiſcopus Nicopolis, ſimiliter.
Anatolius epiſcopus Satalorum, per Dorotheum presbyterum, ſimiliter.
Paralius epiſcopus Andrapeneñ. per Eucharium diaconum, ſimiliter.
Atticus epiſcopus Zelorum, ſimiliter.
Antiochus epiſcopus Sinopis, ſimiliter.
Vranius epiſcopus Himerorum, per Paulum presbyterum, ſimiliter.
Acacius epiſcopus Ariarathyræ, ſimiliter.
Heraclius epiſcopus Comanorum, ſimiliter.
Adolius Epiſcopus Arabiſſi, per Adelphium Chorepiſcopum ſimiliter.
Domnus epiſcopus Cocuſi, per Euphronium presbyterum, ſimiliter.
Ioannes epiſcopus Arcæ, per Otreium presbyterum, ſimiliter.
Ariſtomachus epiſcopus Colonæ, ſimiliter.
Theodoſius epiſcopus Nazianzi, ſimiliter.
Rhenus epiſcopus Iunopolis, ſimiliter.
Apragmonius Epiſcopus Tij, ſimiliter.
Æthericus epiſcopus Pompeiopolis, per Epiphanium presbyterum, ſimiliter.
Themiſtius epiſcopus Amaſtridis, per Philotinum presbyterum, ſimiliter.
Theodorus epiſcopus Heracleæ, ſimiliter.
Genethlius epiſcopus Cratiæ, per Eulogium presbyterum, ſimiliter.
Theophilus epiſcopus Adrianopolis, per Pelagium epiſcop. ſimiliter.
Helpidius epiſcopus Thermarum, ſimiliter.
Aquilas epiſcopus Eudoxiadis, ſimiliter.
Myſterius epiſcopus Amorij, ſimiliter.
Cyriacus Epiſcopus Trogmadorum, per Chryſippum preſbyterum, ſimiliter.
Serenus epiſcopus Maximianupolis, ſimiliter.
Longinus epiſcopus Orchiſti, ſimiliter.
*Daclio- rum. Petrus epiſcopus Gangrorum, pro Polychronio epiſc. *Dabliorum, & Theodoro epiſc. *Salorum, ſimiliter.
*Siopolis. Æthericus epiſcopus Smyrnæ per Paulum diac. ſimiliter.
Euſebius epiſcopus Clazomeneñ. ſimiliter.
Cyriacus epiſcopus Ægeæ, ſimiliter.

Mamas epiſcopus Aniniteñ. ſimiliter.
Leontius epiſcopus Magneſiæ Mæandri, ſimiliter.
Quintus epiſcopus Phocieñ. ſimiliter.
Proclus epiſcopus Argiſſæ, ſimiliter.
Thomas epiſcopus Alalcomenus, ſimiliter.
Philippus epiſcopus *Nouæ aulæ, ſimiliter. *Theodoſiopolis.
Rufinus epiſcopus Briullenus, ſimiliter.
Marcellinus epiſcopus *Metropolis, ſimiliter.
Eſaias epiſcopus Elaitanus, ſimiliter.
Paulinus epiſcopus Theodoſiopolis, ſimiliter.
Iulianus epiſcopus Hypepenus, ſimiliter.
Heſperius epiſcopus Pitanæ, ſimiliter.
Proterius epiſcopus *Myrrhinæ, ſimiliter. *Myrrhinæ.
Baſilicus epiſcopus *Palæaſpolis, ſimiliter. *Paleſcepſis.
Meonius epiſcopus Nyſæ, ſimiliter.
Petrus epiſcopus Dardaniorum, ſimiliter.
Thalaſſius Epiſcopus Parij, ſimiliter.
Dauid epiſcopus Adrianorum, ſimiliter.
Eulalius epiſcopus Hioniorum, ſimiliter.
Pionius epiſcopus Troadis, ſimiliter.
Stephanus epiſcopus Prymneſiæ, ſimiliter.
Theoſebius epiſcopus Ilij, ſimiliter.
Hermias epiſcopus Abydi, ſimiliter.
Daniel epiſcopus Lampſaci, ſimiliter.
Patricius epiſcopus Adramyteorum, ſimiliter.
Menecrates epiſcopus Cyraſſorum, ſimiliter.
Coſſinius epiſcopus Hierocæſareæ, ſimiliter.
Andreas epiſcopus Dadalorum, per Coſſinium epiſcopum, ſimiliter.
Helias epiſcopus Bleandri, ſimiliter.
Polycarpus epiſcopus Gabalorum, ſimiliter.
Patricius epiſcopus Acamaſſenus, ſimiliter.
Paulus epiſcopus Tripolis, ſimiliter.
Amachius epiſcopus Septenorum, ſimiliter.
Leucius epiſcopus templi vel phani Apollinis, ſimiliter.
Gemellus epiſcopus Stratonicæ, ſimiliter.
Alchimedes epiſcopus Silandi, ſimiliter.
Dionyſius epiſcopus Attaliæ Lydiæ, ſimiliter.
Stephanus epiſcopus *Lymerienſium, per Nicolaum epiſcopum Acraſſenum, ſimiliter.
Zenodotus epiſcopus Telmeſſi, & *Micræ inſulæ, ſimiliter. *Miniæ.
Fronton epiſcopus Phaſelidorum, ſimiliter.
Philippus epiſcopus Liburnenſium, ſimiliter.
Theodorus epiſcopus Antiphelli, ſimiliter.
Leontius epiſcopus Araxi, ſimiliter.
Antipater epiſcopus Cauni ſimiliter.
Andreas epiſcopus Tloeñ. ſimiliter.
Nicolaus epiſcopus Acraſſi, ſimiliter.
Romanus epiſcopus Bubonenſium, ſimiliter.
Docimaſius epiſcopus *Burenſium, ſimiliter. *Buteñ.
Niceas epiſcopus Megarenſium, ſimiliter.
Athanaſius epiſcopus Opuntis, ſimiliter.
Domninus epiſcopus Plateenſium, ſimiliter.
Oneſimus epiſcopus Argorum, ſimiliter.
Marcus epiſcopus *Euriæ, ſimiliter. *Euiæ.
Peregrinus epiſcopus *Phœnicis, ſimiliter.
Eutychius epiſcopus Adrianopolis, ſimiliter.
Claudius epiſcopus Anchiaxi, ſimiliter.
Sotericus epiſcopus Corcyræ, ſimiliter.
Dionyſius epiſcopus Antiochiæ, ſimiliter.
Ioannes epiſcopus Alindorum, ſimiliter.
Flacillus epiſcopus Aſsi, ſimiliter.
Papias epiſcopus *Erezorum, ſimiliter. *Ereſſor.
Dionyſius Epiſcopus Heracleæ *Latmi, ſimiliter. *Lynceſtide.
Menander epiſcopus Heracleæ Salmacis, ſimiliter.
Eupythius epiſcopus Stratonicæ ſimiliter.
Ioannes epiſcopus Amyzonis, ſimiliter.
Tynchanius epiſcopus Apolloniadis, ſimiliter.
Theodoretus epiſcopus Alabandorum, ſimiliter.
Ioannes epiſcopus Gnidi, ſimiliter.
Calandion epiſcopus *Alyrcarnaſſi, ſimiliter per Iulianum presbyterum.
Daniel epiſcopus Cadorum, ſimiliter.
Modeſtus Epiſcopus Sebaſtæ, ſimiliter.
Paulus epiſcopus Ariſtij, ſimiliter.

Eulalius episcopus Silbij, similiter.
Chariton episcopus Dionysionopolis, similiter.
*Agmoniorum Ioannes episcopus Trapezopolis, similiter.
*Mosinorum Gennadius episcopus *Acmoneorum, similiter.
Thomas episcopus Theodosiopolis, similiter.
*Gerdio episcopus *Cliadalma, similiter.
Gennadius episcopus *Mosiunorum, similiter.
Euandus episcopus Diocliæ, similiter.
Gerontius episcopus Basilianopolis, similiter.
Alphius episcopus Myndi, similiter.
Diogenes episcop. Orthosiæ, per Theoctistum presbyterũ, similiter.
Zoticus episcopus Arpasienſium, per Philotheum presbyterum, similiter.
*Ipsensis *Mirus episcopus *Euladrus, similiter.
*Ispen. Lucianus episcopus *Hipsensis, similiter.
Philippus episcopus Lysiadis, similiter.
Epiphanius episcopus Madanen. similiter.
Abertius episcopus Hierapolis, similiter.
Cyriacus episcopus Eucarpiæ, similiter.
Eustathius episcopus Docimei, similiter.
Aquilas episcopus Aurocyrorum, similiter.
Basilius episcopus Nacoliæ, similiter.
Strategius episcopus Polybotis, similiter.
Neoptolemus episcopus Cornen. similiter.
Paulus episcopus Derbæ, similiter.
Plutarchus episcopus Lystrorum, similiter.
Eugenius episcopus Cannorum, similiter.
Rufus episcopus Hydæ, similiter.
Tyrannus episcopus Homonadorum, similiter.
Acholius episcopus Larandorum, similiter.
Eutropius episcopus Adadorum, similiter.
Paulus episcopus Philomenij, similiter.
Paulinus episcopus Apameæ, similiter.
*Theræ Theoctistus episcopus *Tyrij, similiter.
Eorticius episcopus Metropolis, similiter.
Cyrus episcopus Siniandi, similiter.
*Syniandi Libanius episcopus Parilycaoniæ, similiter.
Alexander episcopus Seleuciæ, similiter.
Olympius episcopus Sozopolis, similiter.
Fonteianus episcopus Sagalassi, similiter.
Messalinus episcopus Laodiceæ, per *Adilum Chorepiscopum, similiter.
Bassonas episcopus Neapolis, similiter.
Florentius episcopus Adrianopolis, similiter.
*Musonius. *Musianus episcopus *Limerorum, similiter.
Manasses episcopus Theodosiopolis, similiter.
Ioannes episcopus Bargylæ, similiter.
Florentius episcopus Lesbi, per Euelpistum chorepiscopum, similiter.
Epaphrodinus episcopus Tamassij, similiter.
Soteres episcopus Theodosianus, similiter.
Heliodorus episcopus Amathuntis, per Soterem episcopum Theodosian. similiter.
Didymus episcopus Lapethos, per Epaphroditum Tamassij, similiter.
Echius episcopus Arsinoę, per Soterem episcopum Theodosian. similiter.
Photinus episcopus Chytrorum, per Dionysium diaconum, similiter.
Epiphanius episcopus Salorum, per Soterem episcopũ Theodosian. similiter.
Ioannes episcopus Messenæ, similiter.
Ophelimus episcopus Vegeæ, similiter.
Irenæus episcopus Naupacti, similiter.
Cyrillus episcopus Subritis, similiter.
Gennadius episcopus Gnosi, similiter.
Eusebius episcopus ciuitatis Apolloniæ, similiter.
Demetrius episcopus Lappæ, similiter.
Euphrates episcopus Eleuthernæ, similiter.
Paulus episcopus Candiæ, per Chrysogonum presbyterum, similiter.
Zoron episcopus Philippensium, similiter.
Eusebius episcopus Topirensium, similiter.
Maximinus episcopus *Serrensium, similiter.
Nicolaus episcopus Stoborum, similiter.
Dardanius episcopus *Bargylæ, similiter.
*Parthenopolis. Ioannes episcopus *Partitupolis, per Cyriacum presbyterũ, similiter.
*Orei Honoratus episcopus Thassi, similiter.
Theophilus episcopus *Ariassi, similiter.
Neon episcopus Psyllenus, similiter.
Diodotus episcopus Lysimachorum, similiter.
Maras episcopus Cordilusorum, similiter per Marcellinum episcopum *Isidorum.
*Isiden Paulus episcopus Tlosorum, similiter.
*Isunden. Marcellinus *Isidorum, similiter.
Macedon episcopus Magidis, similiter.
Eudoxius episcopus Etennorum, similiter.
Aurelius episcopus Adrumetinus, similiter.
Marcellinus episcopus *Corydallorum, similiter.
Eugenius episcopus Cotennorum, similiter.
Obrimus episcopus Coracesij, similiter.
Petrus Episcopus Echineorum, per manum Sophronij coëpiscopi, similiter.
Eustathius Episcopus gentis Sarracenorum, similiter.
Constantinus Episcopus Demetriadis, similiter.
*Restituanus Episcopus Africanus, similiter.
Sauinianus Episcopus Perrhæ, similiter.
Eudoxius Episcopus Chomatis, similiter.
Palladius Episcopus Corydallorum, per Eudoxium episcopum Chomatis, similiter.

Diogenes Episcopus Cyzici, & pro absentibus Episcopis sub me constitutis, hoc est, Alexandro ciuitatis Oceę, Gemello Melitopolis, Eustorgio Scepsiæ, Eutychiano Bareñ. Acacio Proconnesi, Timotheo Germæ, consentiens subscripsi.

Theodorus Episcopus Tarsi, & pro absentibus Episcopis sub me constitutis, Salustio Coryceñ. Matroniano Pompeiopolis, subscripsi.

Marinianus Episcopus Synnadorũ, & pro absentibus Episcopis, qui sub me sunt, Helladio Thyatiræ, Paulo Gammausæ, Auxianonte Prepenissæ Ottreio Cynnabarij Auxianonte *Bysenorum, Iacobo Primessæ insulę, Basilio Orei, consentiens subscripsi.

Cyrus Episcopus Anazarbi, & pro absentibus Episcopis sub me constitutis, Paregorio Castabalæ, Iuliano Alexandriæ miñ. Eustathio *Rhisorum, Alexandro Egæorum, consentiẽs subscripsi.

*Gandarenorum. Onesiphorus Episcopus Iconij, & pro absentibus episcopis sub me constitutis, Eugenio Aranæ, Diomede Ablaten. * Aetio Isauriopolis Eustathio Ebagenorum, Hegemonio * Gadarenorum, Canone *Pertæ, Armatio Mystij, Onosimo Cyzistrorum, Olympio Sadagenorum, consentiens subscripsi.

Olbia Basilius Episcopus Seleuciæ Isauriæ, & pro absentibus Episcopis sub me constitutis, Antonino Nephelidis, Iacobo Anemurij, Nunechio Charadrorum, Diapherentio *Olbassæ, Antonio Domitiopolis, Stephano Dalisandi, Paulo Seropolis, Minodoro Irenopolis, Cynone Isidis, consentiens subscripsi.

Nunechius Episcopus Laodiceæ, & pro absentibus episcopis sub me constitutis, Symmacho antiquorum *Bendos, Phileto Hierocepieñ. Epiphanio Chologen. Euagora Ielissorum, Zosimo Themisonij, Antiocho ciuitatis Neæ, Philadelphio ciuitatis Anthemusiæ, Arabio ciuitatis Simæ, Heraclio ciuitatis Cydissorum, Gaio *Egarorum, Matthia Trimenothuritorum, Philippo ciuitatis Peltorum, Taciano ciuitatis Philippupolis, consentiens subscripsi.

Olympius Episcopus Cypri, per Epaphroditum episcopum Tamassi, & pro absentibus Episcopis sub me constitutis, Hermolao ciuitatis Catheriæ, *Aristoclides, Tiberio Nicopolis, consentiens subscripsi.

Simeonius Episcopus Amidæ, & pro absentibus episcopis sub me constitutis, Eusebio, Maronio, Caiuma, Gualara, Tyricio, per Petrum presbyterum, consentiens subscripsi.

Pergamius episcopus Antiochiæ Pisidiæ, & pro absentibus episcopis sub me constitutis, Apellino, Protogene, Marcellino, Maximo, Timotheo, Eutropio, Armenio, Musonio, consentiens subscripsi.

Stephanus episcopus Ephesi, & pro absentibus episcopis, Eutropio Pergami, Flauiano Andriaceorum, Maximo Assi, *Aroetiano Antandri, Chrysogono Cimæ, Alexandro Magnesiæ apud Sipylum, Eustathio* Timbriæ, Dracocio Hydræ, Gennadio Therorum, Iuliano Lebedi, Alexandro Colophonis, *Zitico Neæ, Isidoro Prienæ, Maximo Trallorum, Sabatio Mastaurorum, Eustorgio* templi Iouis, Gerontio Archadiupolis, Thoma Aulij, Rufo* Ilij, Ioanne* Bargasorũ, Basilio Teorum, Alexandro Naulochi, per Hesperium episcopum Pitanæ, consentiens subscripsi.

*Zetico *Zotico *phani *Timi *Varectorum.

Constantinus episcopus Bostrorum, & pro episcopis absentibus sub me constitutis, Placo Gerassæ, Zosio Ebodorũ, Malcho Auaræ, Gantone Elanorum, Nonno Saracen. Chilone Neapolis, *Erreiobio ciuitatis Necę, Caineo ciuitatis Medinæ, Seuero ciuitatis Maximianupolis, Anastasio Anithæ, * Solemo Constantiæ, Mara Dionysiadis, consentiens subscr.

Theodorus episcopus Damasci, & pro episcopis absentibus sub me constitutis, Ioanne* Palmyrę, Cochena Dadachorum, Eusebio Iabrudorum, Theodoro Dananio, Abraamio Alalorum, Petro Coarorum, consentiens subscripsi.

*Ogdamo

Stephanus episcopus Hierapolis, & pro DEO amantissimis Episcopis sub me constitutis, Vranio Surorũ, Mara Vrimorum, Dauid Europi, Cosma Marino, consentiens subscripsi.

Diuinissimus & pijssimus dominus noster Imperator ad sanctam synodum dixit: Dicat sancta synodus, si secundum omnium sanctorum episcoporum expositionem, diffinitio nunc relecta, prolata est. Omnes clamauerunt: Omnes sic credimus: Vna fides, vna voluntas. Omnes idipsum sapimus, omnes consentientes subscripsimus, omnes orthodoxi sumus. Hæc fides patrum, hæc fides Apostolorum, hæc fides Orthodoxorum. Hæc fides orbem terræ saluauit. Martiano nouo Constantino, nouo Paulo, nouo Dauid multos annos. Dauid Imperatori pio domino vitam ei. Nouo Constantino, nouo Martiano. Vos estis pax orbis, pie domine. Dominus vitam ei conseruet. Vos fides nostra. Christus, quem honoras, ipse te custodiet. Orthodoxam fidem tu roborasti. Sicut apostolici, ita creditis. Augustæ multos annos. Vos lumina orthodoxæ fidei. Propter hæc vbique pax est. Lumina pacis, Domine, tu custodi. Luminaria mundi, Domine, tu custodi. Perpetua memoria nouo Constantino: Quæ ex genere orthodoxa est, Deus eam custodiat. Custodem fidei Deus custodiat. Eam, quæ semper pia est, Deus custodiat. Pia orthodoxa, quæ contraria est hæreticis, Deus eam custodiat. Omnes hæreticos tu fugasti. Nestorium & Eutychen tu persecutaes. Absit inuidia à vestro imperio. Fideles Imperatores sic honorantur. Deus custodiat potestatem vestram, Deus pacificet imperium vestrum. Martianus nouus Constantinus. Pulcheria noua Helena. Zelum Helenæ tu sectaris. Vestra vita, munimen cunctorum est: vestra fides, ecclesiarum gloria est. Et post has voces, diuinissimus & pijssimus noster dominus Imperator ad sanctam synodum dixit: Licèt laborem vestræ reuerentiæ satigationemque fecerimus, tamen maximas gratias agimus omnium saluatori DEO, qui multorum errantium circa fidem amputata discordia, in vnam eandemque religionem omnes nunc vna voluntate conuenimus, sperantes celerrimam, vestris ad diuinitatem precibus, & circa omnia pacem nobis à Deo donari. Omnes clamauerunt: Hæc digna vestro imperio. Hæc propria vestri regni. Hæc correctio vestri imperij digni fide, digne Christo, digne imperio, digne fide & religione. Propter hoc pacificatur orbis terrarum. Hæc digna vestro imperio. Per te orthodoxa fides firmata est. Per te hæresis non est. Cælestis rex, terrenum custodi. Per te firmata fides est. Cælestis rex, Augustam custodi. Per te fides firmata est. Vnus Deus, qui hoc fecit. Rex cælestis Augustam custodi, dignam paci. Hæreticos tu fugasti. Nestorio & Eutychi anathema. Anathema & Dioscoro. Per vos fides, per vos pax. Hæc oratio ecclesiarum, hæc oratio pastorum. Nestorio & Eutychi & Dioscoro anathema. Et post has voces diuinissimus & pijssimus dominus noster Imperator ad sanctam synodum dixit: Pia & Catholica fide à sancta & vniuersali synodo secundùm patrum expositionem declarata, iustum simul & expediens esse nostra tranquillitas approbauit, omnem decæterò contentionis occasionem de sanctæ fidei religione penitus amputari. Si quis igitur idiota, vel militaris, seu clericus, publice de fide turbam congregans, sub obtentu disputationis tumultum fecerit, sciat, quia si quidem idiota sit, ab vrbe regia expelletur: militaris verò & clericus, gradus sui periculum sustinebunt, & pœnis alijs subiacebunt. Omnes clamauerunt: Multos annos Imperatori, multos annos Augusto pio & Christiano. Ecclesias tu correxisti, orthodoxam fidem tu confirmasti. Augustæ orthodoxæ multi anni. Multos annos piæ & amatrici Christi. Imperium vestrum Deus custodiat. Vos hæreticos expulistis. Nestorio & Eutychi & Dioscoro anathema. Trinitas hos tres damnauit. In perpetuum maneat vestrum imperium. Diuinissimus & pijssimus noster Imperator ad sanctam synodum dixit: Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reuerentiæ vobis seruauimus, decorum esse iudicantes, à vobis hæc regulariter potiùs formari per synodum, quàm nostra lege sanciri. Et iubente diuinissimo & pijssimo principe, Beronicianus vir deuotus secretarius diuini consistorij, capitula relegit.

Quædam per synodum melius est sanciri quam per Imperatorem, affirmatis ipsemet Imperator.

Edictum Martiani contra populares de fide disputationes.

PRIMVM CAPITVLVM.

Eos, qui verè & syncerè solitariam arripiunt vitam, debito honore dignos efficimus. Quoniam verò quidam, sub prætextu solitariæ vitæ, & ecclesias & communes perturbant causas, placuit, nullum quidem ædificare monasterium præter voluntatem episcopi ciuitatis, neque in possessionem præter volũtatem domini possessionis. Eos verò monachos, qui per singulas ciuitates sunt atque prouincias, subijce episcopo, & quietem amplecti, & intendere solùm ieiunio & orationi, & neque ecclesiasticis, neque publicis importunos rebus existere, nisi fortè iubeatur eis propter necessariam causam ab episcopo ciuitatis. Sed neque potestatem habere monachos, suscipere in monasterijs suis seruos aut inscriptitios, præter voluntatem dominorum.

Conci. Chalced. cap. 4.

CAPITVLVM SECVNDVM.

Quoniam verò aliqui clericorum & monachorum pecuniæ amore languentes, curis mundanarum rerum semetipsos subijciunt, aut possessionum conductores aut procuratores constituti, aut in domibus secularium obuersantes, tanquam dispensatores effecti: placuit huic sancto & magno concilio, nullum clericum conducere possessiones, aut procurationem suscipere, nisi fortè ei à proprio episcopo iubeatur, ecclesiasticarum possessionum habere solicitudinem: Si quis autem post hunc terminum aut ipse conducere præsumpserit, aut per alium quemlibet hanc curam susscipere, hunc ecclesiastico subdi supplicio: quòd si in contentione perstiterit, dignitate priuetur.

CAPITVLVM TERTIVM.

Clericos in ecclesia constitutos, non licere alterius ciuitatis ecclesiæ deputari, sed permanere illic, in qua ministrare ab initio deputati sunt, extra illos scilicet, qui amissis proprijs prouincijs, ex necessitate in alienam ecclesiã transierunt. Si quis verò post hanc definitionem, clericum alij episcopo competentem susscepit, placuit extra communionem fieri & eum, qui susceptus est, & qui susscepit, donec clericus, qui excessit, ad propriam reuertatur ecclesiam. Et post hanc lectionem capitulorum à diuinissimo & pijssimo domino nostro, religiosissimo episcopo regiæ Cõstantinopolis Anatolio, Omnes clamauerunt: Multos annos Imperatori pio Christiano. Christus, quem colis, ipse te seruet. Hæc fide digna sunt sacerdoti. Imperatori multos annos. Ecclesias tu erexisti, victor libellorum, doctor fidei. Multos annos Augustæ piæ amatrici Christi. Orthodoxæ multos annos. Vestrum imperium Deus conseruet. Hæreticos vos destruxistis, fidem vos custodistis. Inuidia ab imperio vestro procul sit. Imperium vestrũ per seculum sit. Et post hæc diuinissimus & pijssimus noster dominus Imperator ad sanctam synodum dixit: Ad honorem sanctæ martyris Euphemiæ, & vestræ pariter sanctitatis, Chalcedonensium ciuitatem, in qua sanctæ fidei concilium gestum est, metropolis priuilegia habere sancimus, nomine tantùm hanc honorantes, salua videlicet Nicomediensium ciuitati propria dignitate. Omnes clamauerunt: Iustum iudicium Imperatoris digni sancta martyre. Vnum pascha orbi terrarum. Circumuentiones episcoporum vos cohibetis.

Hæc ſancta te cuſtodiat, ſupplicamus: Dimitte nos, pie Imperator dimitte nos. Diuiniſſ. & pijſſimus dominus noſter Martianus perpetuus Auguſtus, ad ſanctum concilium dixit: Multum quidem eſtis itinere fatigati, laborem perferentes. Veruntamen ſuſtinete tres adhuc aut quatuor dies, & præſentibus magnificentiſſimis noſtris iudicibus, quæcunque vultis mouete, competens adepturi ſolatium. Nullus veſtrum, antequam pericti termini ex omnibus proferantur, à ſancto concilio diſcedat.

CONCILII CHALCEDONEN. ACTIO VII.

CONSVLATV domini noſtri Martiani, patris patriæ, perpetui Auguſt. 4. Kalend. Nouembris Chalcedone ſecundum iuſſionem pijſſ. noſtri domini Imperatoris, conuenientibus in eccleſia ſanctiſſ. beatæ martyris Euphemiæ glorioſiſſ. iudicibus & ſancto & vniuerſali concilio, per ſanctionem ſereniſſ. & pijſſ. noſtri domini in Chalcedonenſiũ ciuitate congregato, & reſidentibus cunctis ante cancellos altaris, glorioſiſſ. iudices dixerunt: Diuiniſſ. & pijſſ. noſter dominus Imperator rogatus à MAXIMO & Iuuenale ſanctiſſimis epiſcopis, præcepit nos agnoſcere, de motis inter eos capitulis. Vnde conuenientes ſanctiſſ. viri, quidam adinuicem inter ſe ex non ſcripto conſtituerunt, quæ etiam nobis manifeſta fecerunt, & videntur ex conſenſu iuſtè diſpoſita. Hoc igitur neceſſarium iudicauimus, etiam coram ſancta ſynodo vnumquemque eorum edocere, quatenùs & ex veſtra ſententia, & ex noſtra allocutione, quæ fuerint placita, confirmentur. MAXIMUS reuerend. epiſcopus Antiochiæ Syriæ, dixit: Placuit mihi & reuerend. epiſcopo Iuuenali, propter multam contentionem per conſenſum, vt ſedes quidem Antiochenum maximæ ciuitatis beati Petri, habeat duas Phœnicas & Arabiam, ſedes autem Hieroſolymorum habeat tres Palæſtinas. Et rogamus, ex decreto veſtræ magnificentiæ, & ſancti Concilij, hæc ſcripto firmari. Iuuenalis ſanctiſſimus Hieroſolymorum ciuitatis epiſcopus, dixit: Hæc etiam mihi complacuerunt, vt ſancta quidem Chriſti reſurrectio tres Palæſtinas habeat, ſedes autem Antiochenſium duas Phœnicas & Arabiam. Et rogo, quatenùs ex decreto veſtræ magnificentiæ & ſancti Concilij iſta firmentur.

Contentiones inter Antiochenum & Hieroſolymitanũ patriarchas.

Paſchaſinus & Lucentius reuerend. epiſcopi, & Boniſacius presbyter, tenentes locum Apoſtolicæ ſedis, per Paſchaſinum reuerendiſſ. epiſc. dixerunt. Hæc, concordantibus fratribus noſtris, MAXIMO reuerend. Antiochenſium ciuitatis epiſcopo, & Iuuenale reuerendiſſ. & ſanctiſſ. Hieroſolymorum epiſcopo, probono pacis dicta noſcuntur, hoc eſt, vt Antiochenum eccleſia duas Phœnicas & Arabiam habeat, Hieroſolymorum verò tres Palæſtinas poſſideat. Ad hoc autem & noſtræ humilitatis interloquutione firmantur, vt nulla in poſterum de hac cauſa prædictis eccleſijs contentio relinquatur. Anatolius reuerendiſſimus archiepiſcopus glorioſæ Conſtantinopolis nouæ Romæ, dixit: Quæ placuerunt inter Deo amantiſſimum Epiſcopum Antiochenſium MAXIMUM, & Deo amantiſſimum Hieroſolymorum epiſcopum Iuuenalem, & ex mea interlocutione firma conſtant, vt ſanctiſſima quidem Eccleſia Antiochenſium magnæ ciuitatis habeat duas Phœnicas, & Arabiam, ſanctiſſ. verò Eccleſia Hieroſolymorum tres Palæſtinas obtineat, quatenùs decæterò vtrique Eccleſiæ huius rei cauſa nullius contentionis relinquatur occaſio. Thalaſſius reueren. epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, dixit: His, quæ per conſenſum ordinata ſunt inter amantiſſimos epiſcopos Maximum & Iuuenalem, & nos conſentimus. Stephanus reuerend. epiſcopus Epheſi, dixit: Sicut placuit reuerend. epiſcopis, Antiochenſium ciuitatis Maximo & Deo amantiſſimo Iuuenali Hieroſolymorum, vt ſanctiſſima quidem Antiochenſium ciuitatis eccleſia habeat duas Phœnicas & Arabiam, ſanctiſſima verò Hieroſolymorum Eccleſia tres habeat Palæſtinas, quæ inter eos placuerunt, confirmo, quatenus vtraque Eccleſia decæterò nullius habeat contentionis occaſionem. Euſebius reuerend. Epiſcopus Ancyræ Galatiæ, dixit: Gratias agimus Domino Deo, in quibus duorum patrum contentio amicabili placito terminata eſt. Obtinere igitur volumus ea, quæ vtriſque partibus placuerunt. Petrus reuerend. Epiſcopus Corinthi, dixit: Circa pacem & concordiam vtrorumque patrum gaudentes placitis conſentimus. Iulianus reuerend. epiſcopus Coenſium, dixit: Sicut complacuit vtrique parti, hoc eſt, Maximo reuerend. Epiſcopo Antiochenſium, & Iuuenali Epiſcopo Hieroſolymorum, vt ſanctiſſima quidem Eccleſia Antiochenſium maximæ ciuitatis habeat duas Phœnicas & Arabiam, ſanctiſſima verò Eccleſia Hieroſolymorum tres Palæſtinas obtineat, & ego, quæ inter eos placuerunt, mediante Chriſti charitate, vtriſque ad vnitatem firma eſſe decerno. Diogenes reuerend. Epiſcopus Cyzici, dixit: conſentio his, quæ à patribus facta ſunt. Amphilochius reuerend. epiſcopus Sidenſis, dixit: Apertè diuina diſpenſatione ad amicabilem conſenſum contentionem Deo amantiſſimorum epiſcoporum Maximi & Iuuenalis venire iubente, gratias ago & ego Saluatori Chriſto de eorum pace, conſentiens his, quæ ſunt benè diſpoſita. Omnes reuerend. Epiſcopi clamauerunt: Nos ita dicimus, & conſentimus his, quæ à patribus dicta ſunt. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Et hoc efficacia eſt ſanctæ Trinitatis, & propoſiti diuiniſſimi & pijſſimi Principis noſtri, quatenus ea, quæ in lite erant apud eos, qui contendere videbantur, concordi propoſito deciderentur. Per placitum igitur Maximi ſanctiſſimi Antiochenſium ciuitatis epiſcopi, & Iuuenalis Hieroſolymorum factis conſentio, ſicut vtriuſque atteſtatio declarauit. Firma etiam per noſtrum decretum & ſententiam ſancti Concilij in omni tempore permanebit, hoc eſt, vt Maximus quidem ſanctiſſimus epiſcopus, ſeu Antiochenſium ſanctiſſima Eccleſia, duas Phœnicas & Arabiam ſub propria habeat poteſtate, Iuuenalis autem ſanctiſſ. Hieroſolymorum epiſcopus, ſiue ſanctiſſ. Eccleſia quæ ſub eo eſt, tres Palæſtinas itidem ſub propria habeat poteſtate, vacantibus ſcilicet, ſecundum iuſſionem diuiniſſimi & pijſſimi Principis, omnibus rebus, & quocunque modo ſacris ab vtraque parte literis impetratis, inſuper & mulctatione, quæ in eis huius rei cauſa noſcitur contineri. Datum Kalendis Aprilis, feria quarta, indictione decimaquarta.

ACTIO DE DOMNO ANTIOCHENO, *quæ inuenta eſt in codice patrum Iuliæ membranaceo, tranſcripta ex codice vetuſto chartaceo, & dicitur ipſa fuiſſe Proculi & Albini Germanorum ſcholaſticorum.*

CONSVLATV Domini Martiani, perpetui Auguſti, & qui nunciatus fuerit, ſexto Kalendarum Nouembrium, Chalcedone ſecundum præceptum diuiniſſ. & clementiſſ. domini noſtri Imperatoris, conuenientibus in ſancta Eccleſia ſanctæ martyris Euphemiæ, magnificentiſſimo & glorioſiſſimo magiſtro militum & exconſule ordinario & patricio Anatolio, magnificentiſſimo & glorioſiſſimo præfecto ſacri Conſiſtorij Palladio, & magnificentiſſimo & glorioſiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro Vincomalo, conuenientibus etiam & Paſchaſino & Lucentio viris reuerend. epiſcopis, & Bonifacio viro reuerendiſſ. presbytero, vicarijs ſancti archiepiſcopi ſenioris Romæ Leonis, & Anatolio reuerendiſſimo archiepiſcopo maximi nominis Conſtantinopolis, & Maximo reuerendiſſimo archiepiſcopo Antiochiæ Syriæ, & Iuuenale reuerendiſſimo epiſcopo Hieroſolymitano, & cætera ſancta Synodo, quæ ex ſanctione diuiniſſimi & clementiſſimi domini noſtri Imperatoris in Chalcedonenſi ciuitate congregata eſt, quorum nomina infrà ſunt ſcripta. Et reſidentibus vniuerſis ante cancellos ſancti altaris, Maximus reuerendiſſ. Epiſcopus Antiochiæ, dixit: Deprecor magnificentiſſimos & glorioſiſſimos iudices, ſanctam hanc & vniuerſalem Synodum, humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Epiſcopus. dignemini & ſtatuere ei certos ſumptus de Eccleſia, quæ ſub me eſt.

Paſchaſinus & Lucentius viri reuerendiſſ. epiſcopi, & Boniſacius presbyter, Vicarij ſedis Apoſtolicæ, per Paſchaſinum reuerend. epiſcopum dixerunt: Sanctus ac beatiſſimus Papa, qui epiſcopatum ſancti, ac venerabilis Maximi epiſcopi Antiochenæ Eccleſiæ confirmauit, iuſto ſatis iudicio eiu

meritum approbasse videtur. Siquidem memoratus vir episcopus Maximus sub arbitrio Domno voluerit esse consultum, vt sumptus ei de sua ecclesia (miserationis intuitu, prout æstimauerit) largiatur, vt contentus alimonijs, quiescat in posterum. Quæ confessio Græcè per Beronicianum virum deuotissimum, secretarium sacri consistorij, translata est. Anatolius reuerend. episcopus dixit: Laudo & ego condolentiam beatissimi episcopi Antiochiæ Maximi, in quibus spontanea voluntate ipse tales precatorias obtulit, vt sumptus præstaret Domno, qui fuit episcopus ecclesiæ sanctæ, quæ sub eo est, præter hoc prædicto nihil requirente. Iuuenalis episcopus Hierosolymitanus, dixit: Amplector & ego consilium sancti episcopi Antiochiæ Maximi.

Vniuersa sancta Synodus vociferata est: Laudabiles meritò sunt benevolentię Archiepiscopi. Omnes cogitatum eius laudabimus. Hic decet eius existimationem humanus cogitatus Pontificis. Magnificentissimi iudices dixerunt: Amplectente sancta Synodo arbitrium Maximi viri religiosi Episcopi Antiochensium, quod de Domno probauit, & nos eidem consentimus, quæ sunt, eius arbitrio derelinquentes, de Domni honorificentia. Et alia manu edantur.

ACTIO OCTAVA, DE COMPOSITIONE Maximi & Iuuenalis, quàm inter se fecisse leguntur, de quibusdam parochijs.

CONSVLATV domini nostri Martiani perpetui Augusti, & qui fuerit nunciatus, sub die octauo Kalend. Nouembr. Chalcedone, secundùm iussionem sacram diuinissimi & pijssimi Domini nostri Imperatoris congregatis in sanctissima Ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ, magnificentissimo & gloriossimo magistro militum & exconsule ordinario & patricio Anatolio,

Et magnificentiss. & glorioss. præfecto sacrorum prætoriorum Palladio.

Et magnificentiss. & glorioss. magistro sacrorum officiorum Vincomalo: congregatis autem & Paschasino & Lucentio reuerendiss. episcopis, & Bonifacio reuerendissimo presbytero, habentibus locum sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Leonis.

Et Anatolio reuerend. archiepiscopo magni nominis Constantinopolis.

Et Maximo reuerend. episcopo Antiocheno.

Et Iuuenali reuerend. episcopo Hierosolymorum.

Et Quintillo reuerend. episcopo Heracleæ Macedoniæ, habente locum sanctiss. archiepiscopi Anastasij Thessalonicensis.

Et Thalassio reuerend. episcopo Cæsareæ Cappadociæ.

Et Stephano reuerend. episcopo Ephesi.

Et Luciano reuerend. episcop. Byziæ, habente locum reuerend. episc. Cyriaci Heracleæ Thraciæ.

Et Eusebio reuerend. episcopo Ancyræ.

Et Diogene reuerend. episcopo Cyzici.

Et Petro reuerend. episcopo Corinthi.

Et Florentio reuerend. episcopo Sardeorum.

Et Eunomio reuerend. episcopo Nicomediæ.

Et Anastasio reuerend. episcopo Nicææ.

Et Iuliano reuerendiss. episcopi Coensi. habente locum & ipso Apostolicæ sedis seniores Romæ Leonis.

Et Eleutherio reuerend. episcopo Chalcedonos.

Et Basilio reuerend. episcopo Seleuciæ Isauriæ.

Et Meletio reuerend. episc. Lariss æ. habente locum reuerend. episc. Apameæ Syriæ Domni.

Et Amphilochio reuerend. episcopo Sidis.

Et Theodoro reuerend. episcopo Tarsi.

Et Cyro reuerend. episcopo Anazarbi.

Et Constantino reuerendiss. episcopo Bostrorum.

Et Photio reuerend. episc. Tyri.

Et Theodoro reuerend. episcopo Damasci.

Et Stephano episc. Hierapolis.

Et Nunechio reuerend. episc. Laodiceæ, habente locum reuerendiss. episcopi Constantiæ Olympij.

Et Ioanne reuerend. episcopo Sebastiæ.

Et Seleuco reuerend. episc. Amatiæ.

Et Constantino reuerend. episcopo Melitenæ.

Et Patricio reuerend. episc. Tyanorum.

Et Petro episcopo Gangrorum.

Et Apragmonio reuerend. episc. Tij, habente locum reuerend. episcopi Calogeri Claudiopolis.

Et Atarbio reuerend. episc. Trapezuntis, habente locum reuerend. episc. Dorothei Neocæsareæ.

Et Photino archidiacono, habente locum reueren. episc. Theoctisti Pessinuntis.

Et Romano episcopo Myrorum, & Critoniano reueren. episcopo Aphrodisiadis Cariæ.

Et Nunechio reuerend. episco. Laodiceæ Phrygiæ.

Et Mariniano reuerend. episcopo Synnadorum.

Et Onesiphoro reuerend. Episcopo Iconij.

Et Pergamio episc. Antiochiæ Pisidiæ.

Et Epiphanio reuerend. episcopo Pergæ.

Et Attico reuerend. episc. Nicopolis Epiri.

Et Martyrio reuerend. episc. Gortynæ.

Et Luca reuerend. episcopo Dyrrhachenorum.

Et Vigilantio reuerend. episc. Lariss æ Thessaliæ.

Et Francione reuerendissimo episcopo Philippopolis.

Et Sebastiano reuerend. episcopo Beroæ.

Et Basilio reuerend. episcopo Traianopolis.

Et Tryphone reuerend. episcopo Chij.

Et Theoctisto reuerend. Episcopo *Beroæ.

Et Gerontio episcopo Seleuciæ Isauriæ.

Et Eusebio presbytero habente locum Macarij reuerendissimi episcopi Laodiceæ Syriæ.

Et Eusebio reuerendissimo Episcopo Dorylei, & reliqua sancta & vniuersali Synodo, quæ secundùm sanctionem diuinissimi & pijssimi domini nostri Imperatoris in Chalcedonensium ciuitate collecta est. Et residentibus omnibus ante cancellos sanctiss. altaris, reuerend. episcopi clamauerunt: Theodoretus modò anathematizet Nestorium.

Theodoretus reuerend. Episcopus transiens in medio, dixit: Preces obtuli diuinissimo & pijssimo Imperatori, & libellos obtuli reuerendissimis Episcopis, agentibus locum archiepiscoui Leonis. Et si vobis videtur, legantur coram vobis, vt (sicut sapio) cognoscatis. Reuerendissimi episcopi clamauerunt: Nihil relegi volumus, modò anathematiza Nestorium. Theodoretus reuerend. Episcopus dixit: Ego per Dei gratiam ab orthodoxis sum nutritus, & orthodoxè docui, & orthodoxè sum edoctus, & orthodoxè prædicaui. Et non solùm Nestorium & Eutychen, sed & omnem hominem, qui rectè non sapit, auersor & alienum existimo. Et dum diceret, reuerend. Episcopi clamauerunt: Clarè dic, anathema Nestorio & dogmatibus eius, anathema Nestorio & amantibus eum. Theodoretus reuerend. episcopus dixit: Verè non dico, nisi quomodò noui Deo placere. Priùs satisfacio vobis, quia neque de ciuitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc aduenj. Sed quia calumniam passus sum, veni satisfacere me esse orthodoxum, & omnem hæreticum, qui conuerti noluerit, anathematizo, & quia Nestorium, & Eutychen, & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, anathematizo. Et cùm diceret, Reuerend. episcopi clamauerunt: Dic apertè, anathema Nestorio, & qui ea, quæ eius sunt, sapiunt. Theodoretus reuerend. episcopus dixit: Ego, nisi exposuero, quomodò credo, non dico: Credo autem. Et cùm diceret, Reuerend. episcopi clamauerunt: Iste hæreticus est, iste Nestorianus est. Hæreticum foras mitte. Theodoretus reuerend. episc. dixit: Anathema Nestorio, & ei, qui non dicit Dei genitricem virginem Mariam, & qui in duos filios partitur vnum filium vnigenitum. Ego autem & fidei diffinitioni subscripsi, & Epistolæ sanctiss. & Deo amantiss. archiepiscopi domini Leonis, & sic sapio. Et post omnia hæc dixit: Saluete. Glorioss. iudices dixerunt: Omnis iam dubitatio de Theodoreto reuerend. est soluta, quippe & Nestorium coram nobis anathematizauit, & à sanctiss. & Deo amantiss. archiepisc. senioris vrbis Romæ Leone susceptus est, & diffinitionem fidei à religiositate vestra prolatam libenter susceperit, & insuper epistolæ memorati sanctissimi archiepiscopi Leonis subscripsit. Deest igitur vt sententia proferatur à Deo* amabilitate vestra, vt ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctissimus Leo archiepiscopus

for. *amabili sanctitate.

iudica-

iudicauit. Legi. Legimus. Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt: Theodoretus dignus est sede Ecclesiæ. Orthodoxum Ecclesia pastorem recipiat, orthodoxum doctorem Ecclesia recipiat. Theodoretus dignus est sede. Archiepiscopo Leoni multos annos. Post Deum Leo iudicauit. Populus orthodoxum recipiat dignum sua sede. Theodoreto catholico doctori reddatur Ecclesia. Paschasinus & Lucentius reuerendiss. episcopi, & Bonifacius reuerend. presbyter, insuper & Iulianus reuerend. episcopus Coensis, habentes locum Apostolicæ sedis, dixerunt: Sanctissimum & venerandum Episcopum Theodoretum, sanctiss. & beatiss. vniuersæ Ecclesiæ Episcopus vrbis Romæ Leo, dudum in communionem susceptit ita, sicut litteræ ab eo ad nostram humilitatem directæ, testantur. Si igitur fidem catholicam promittit, sicut secundùm prædictum beatum episcopum subscriptionem in proprio libello direxit, & nostræ insuper humilitati, alio dato libello, monstrauit, quoniam & Nestorium & Eutychen non solùm scripto, sed & sub præsentia totius consessus ore proprio anathematizauit, hoc iudicio sanctissima & venerandissima Synodus, insuper verò & nostra humilitas reddi ei ecclesiam propriam definiuit. Anatolius reuerendissimus Episcopus Constantinopolis, dixit: Reuerendiss. Episcop. Theodoretus per omnia quidem est orthodoxus demonstratus, & ob hoc verò, quòd anathematizauit Nestorium & Eutychen, eiusque malè placiti hæresim, & suam igitur ecclesiam iustè recipiet. Maximus reuerendiss. episcopus Antiochiæ, dixit: Dudum quidem, & à principio reuerend. episcopum Theodoretum noui catholicum, audiens doctrinas eius in sanctiss. ecclesiam, multo autem magis nunc eius recipio sanctitatem, quia modò anathematizauit Nestorium & Eutychen, & sapit secundum definitionem expositam ab hoc sancto Concilio. Vnde & ego decerno esse eum consuetè Episcopum ciuitatis Cyri. Iuuenalis reuerend. episcopus Hierosolymorum dixit: Et ego eisdem consentio, quæ decreuit Anatolius Deo amantissimus Constantinopolitanus Episcopus. Thalassius reuerend. episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Et ego decerno his similia, quæ patres sanctiss. Deo amantiss. Episcopo Theodoreto firmauerunt. Eusebius reuerend. Episco. Ancyræ, dixit: His, quæ firmata sunt à sanctiss. patribus nostris & archiepiscopis, consona definio de reuerend. episcopo Theodoreto.

Constantinus reuerend. episc. Bostrorum Arabiæ, dixit: Et ego consentio his, quæ de sanctiss. episcopo Theodoreto rectè & iustè decreta sunt. Omnes reuerend. episcopi clamauerunt: Hoc iustum iudicium, hæc iusta sententia, hoc Christi iudicium. His & nos consentimus. Hæc omnes dicimus. Gloriosiss. iudices dixerunt: Secundùm decretum sancti Concilij Theodoretus sanctiss. Episcopus ecclesiam ciuitatis Cyri recipiet. Relegi. Relegimus. Reueren. episcopi clamauerunt: Anathematizet & Sophronius.

Sophronius reuerend. Episcopus Constantiæ, dixit: Anathema Nestorio & Eutychi, & omnibus, qui orthodoxè non sapiunt. Reuerend. episco. clamauerunt: Et Ioannes modò anathematizet. Ioannes reuerend. episcopus Germaniciæ, dixit: Anathema Nestorio & Eutychi, & omnibus praua sapientibus. Reuerend. Episcopi clamauerunt: Amphilochius modò anathematizet. Amphilochius reuerendiss. Episcopus Sidæ, dixit: Anathema maledicto Eutychi, & qui ea, quæ eius sunt, sapiunt. Gloriosiss. iudices dixerunt: Curata per omnia sancta Synodo, tempus est omnes seruare concordiam. Legi. Legimus Legi.

*viii. Contuli die supradicta, sexto Kalendas Aprilis, Indictione *xiij.

CHALCEDONEN. CONCILII ACT. IX.

CONSVLATV domini nostri Martiani perpetui Augusti, vij. Kalendas Nouemb. in Chalcedone secundùm iussionem diuiniss. & pijssimi nostri domini Imperatoris, conuenientibus in sanctissima ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ gloriossimis proceribus, & sancta & vniuersali Synodo, quæ per decretum diuiniss. & pijssimi nostri domini Imperatoris in Chalcedone ciuitate collecta est. Et residentibus ante cancellos sanctiss. altaris, ingressus Ibas reuerend. qui fuit Edessenæ ciuitatis episcopus, dixit: Iniustitiam ab Eutyche & falsa figmenta perpessus, absens à quadraginta mansionibus & condemnatus, huc aduenj impetrare clementiam, adij sacrum & immortalem verticem, & iussit vestram magnificentiam, cum sancta hac & vniuersali Synodo, quæ aduersum me sunt gesta, perquirere. Deprecor igitur vos, vt cognoscatis, quoniam falsam accusationem pertuli, & calumniam à quibusdam clericis. Iubete ea, quæ iudicata sunt à Photio & Eustathio reuerend. Episcopis, legi. Vranius Episcopus Himerorum, pro gratia Eutychis omnia agens, præparauit quosdam clericos accusare me, & iudicium sibi prædictis qui transmitti. Et inuentus sum innocens à blasphemijs, quæ mihi illatæ sunt, & iudicatum datum est à præfatis reuerend. Episcopis, accusationes quidem aduersum me per calumniam iactas arguens, testificans autem meæ rectæ fidei. Iubete omnia, quæ per absentiam meam in Epheso sub Dioscoro gesta sunt, euacuari, & iustitiam mihi seruari, qui sum in nullo culpabilis, & reddi mihi episcopatum pariter & ecclesiam. Nam & omnes clerici Edesseni, per quæ scripserunt præfatis episcopis, testantur me esse catholicum, & alienus sum à nefaria blasphemia, quæ mihi infertur. Magnificentissimi & gloriossimi iudices dixerunt: Postulatione Ibæ reuerendiss. declarata sanctæ Synodo, quid videtur? Paschasinus & Lucentius, & Iulianus reuerendissimi Episcopi, & Bonifacius presbyter, vicarij sedis Apostolicæ, per Paschasinum dixerunt: Ea, quæ gesta sunt, quorum memoriam fecit reuerend. Ibas, & semetipsum mundum ab omni accusatione in episcoporum significauit iudicio, proferantur in medio, vt eorum lectione, aut quid iudicandum sit, aut quid diffiniri oporteat, cognoscamus. Et porrecta ea sententia ab Iba reuerendissimo, Beronicianus vir deuotus, secretarius diuini Consistorij, relegit.

Ibæ Edessenæ episcopi libellus querulosus.

POST consulatum Flauij Zenonis & Posthumiani venerandorum virorum consulum, sub die quinto Kalend. Martiarum in Colonia Tyro clarissima Metropoli consulari, anno quingentesimo septuagesimo quarto, mensis* Perithu die decima, secundùm Romanos autem Februarij quinta & vicesima, indictione prima, Photius Episcopus Tyriorum Metropolis, & Eustathius Berytiorum pulchræ ciuitatis, interlocuti sumus ea, quæ sunt subiecta. Magnificentiss. & gloriossimus tribunus & Notarius Damascius, aduenies in Phœnicum prouincia, pias literas nobis dedit, per omnia pijssimi & amatoris Christi Imperatoris nostri, quæ iuberent auditores nos esse cum religiossimo Vranio Episcopo ciuitatis Himeriæ capitulorum eorum, quæ mouentur aduersus Deo amantiss. Ibam Edessenæ ciuitatis Episcopum, à Samuele, & Cyro, & Mara, & Eulogio reuerend. & formam, quę nobis videtur, iustissimam proferre. His ergo, quæ piè sancita sunt, satisfacientes: audientiam proposuimus: & partibus nobis adductis, per præfatum strenuissimum & spectabilem tribunum & notarium Damascium, ab eodem strenuiss. viro depositione facta, manifestante Imperatoris nostri pijssimi sanctionem, necessariè hortabamur, accusatorum personam habentes docere, quæ vellent. His ergò dantibus capitula quædam, & rogantibus, vt horum fieret subtilis inquisitio, incumbentes nos capitulis, & inuenientes in his accusationem quandam aduersus Ibam religioss. episcopum quasi non rectè saperet, sed alia præter piam doctrinam doceret, necessariè ex hoc priùs inquisitionem cum magna diligentia facere sumus impulsi. Præcepimus igitur accusatoribus dicere, quæ essent, quæ à religiossimo Episcopo Iba dicta essent, (sicut ipsi dicebant) à pijs dogmatibus aliena. Dixerunt verò eorum ipsorum quædam. Et cùm multa mota fuissent, quæ in actis inserta sunt, nos audientium ordinem ad modicum relinquentes, & ad sanctarum ecclesiarum communem vtilitatem respicientes, pro iudicibus pacis mediatores eis partibus nosmetipsos effecimus: & multis vsi consilijs, pietatem vbique præponentes & inquirentes, præparauimus religioss. Ibam episcopum, quòd & ipse amplexus est, ad satisfactionem eorum, qui ipsi dicebantur, ex scripto dare quod sentit, vel sapit de pia nostra fide: quod & fecit. Ex abundanti autem prædictus religioss. vir promisit, & in suę alloqui ciuitatis Ecclesia, & manifestè anathematizare mali-

gnę impeditis principem Nestorium, & eos qui, sicut ille, sapiunt, & qui vel libris vel codicibus eius vtuntur. Confessus autem sic se credere, sicut continent literæ, quæ conuenerunt inter Deo amantiss. & sanctiss. memoriæ viros Ioannem maximæ Antiochenæ ciuitatis Episcopum, & Cyrillum maximæ Alexandrinorum ciuitatis Episcopum, quibus ministrauit beatæ memoriæ Paulus Emisenorum ciuitatis Episcopus, ex quibus vniuersalis concordia facta est: consentire autem & omnibus, quæ nuper gesta sunt à sancta Synodo, quæ conuenit in regia & Constantinopoli ciuitate: habere autem omnia, quæ placuerunt in Ephesina Metropoli, vt à Concilio, quod à Spiritu sancto mouebatur: æqualem autem eam iudicare his, quæ in Nicæa sunt constituta, & nullam differentiam arbitrari eius ad illam. Et valdè eius religiositatem laudauimus, quod anticipauerit curare eos, qui vel suspicione, vel alio quolibet modo læsi erant de opinione eius doctrinæ. His ergò placitis & promissis & medium parietem inimicitiarum cum Deo soluentes, necessarium fuit congregare nos, & coniungere ad pacem & concordiam & dilectionem capiti membra diuisa. Dicentes igitur quæcunque dicebant, persuasimus reuerend. Episcopo Ibæ, vt præfatos, sicut filios proprios, haberet & foueret & contineret, omni iniuriarũ obliuione præuia, Dei iudicium ei proponentes. Persuasimus autem, & eosdem prædictos conuenire sicut patri eidem religiosissimo episcopo Ibæ, & omnem præbere benignitatem pariter & affectum, omnibus quæ tristitiam commouerunt, Deo iuuante cessantibus. Super hæc nos exegimus sacramentum à religiosissimo Episcopo Iba, vt omnibus, qui eum in præsenti negocio contristassent, vel visi fuissent aliquid aduersus eum egisse, obliuionem donaret, & nullum penitùs contristaret, neque gradu fraudaret, neque minores maioribus propter præfatam contristationem præferret: sed omnes, siue clerici, siue monachi, vel laici essent, tanquàm propriosfilios haberet, nullã differentiam vniuscuiusque ad alium faciendo, sed omnibus seruaret iustitiam in honoribus, & consuetudinibus, & gradibus. De ecclesiastico verò reditu, & ex quacunque causa quæstionibus sanctissimæ Ecclesiæ motis, aliquibus placuit eidem religiosissimo Ibæ ex propria voluntate promittere, quia decæterò secundùm formam Antiochenæ maximæ ecclesiæ gubernarentur res per œconomos, ex clero ordinatos ab eius religiositate. Placuit autem, etsi aliquandò iustè visus contristari religiosissimus Ibas episcopus voluerit corripere aliquẽ præfatorum reuerend. Samuelis, Cyri, Maræ, Eulogij, non ex authoritate propria corripiat eos, sed ex sententia reuerendissimi & Deo amantiss. & sanctiss. patris & Archiepiscopi Domni hoc faciat, propter præcedentem, quæ in eis pusillanimitas est effecta & excitata. Sunt autem & alia quædam ex non subscripto capitula, quæ & dispositasunt, & rata ambæ partes habuerunt, quæ à nobis sunt probata. Et subscriptiones: Photius Episcopus Tyri decreui. Eustathius episcopus Berytiorum pulchræ ciuitatis, decreui. Samuel presbyter, Rata habeo, quæ decreta sunt. Maras presbyter, Rata habeo, quæ decreta sunt. Cyrus presbyter, Rata habeo, quæ decreta sunt. Eulogius presbyter, Rata habeo, quæ decreta sunt. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Audiuit sancta Synodus, quæ relecta sunt: quid igitur ei videatur, edicat. Paschasinus & reliqui reuerendissimi Episcopi, per Bonifacium presbyterum Apostolicę sedis, dixerunt: Sanctiss. episcopi, qui decreto proprio inculpabilem, & ab omni accusatione liberum Ibam reuerendissimum declararunt, si propriam sententiam recognoscant, edicant. Photius reuerendissimus Episcopus Tyri, dixit: Etiam nostrum est iudicatum. Eustathius reuerendissimus Episcopus Beryti, dixit: Mea est & dictatio. Paschasinus & reliqui episcopi sedis Apostolicæ dixerunt: Audiuit vestra beatitudo, quid contineat & sanctissimorum episcoporum decretum: similiter & vestræ puritati de statu Ibæ quid videtur, declarare dignamini. Et tacentibus omnibus reuerendissimis Episcopis, Magnificentissimi iudices dixerunt: Subsequenti die suam sententiam sanctissima Synodus efficiat manifestam.

ἀμνησία, est, obliuio iniuriarum.

CHALCEDONEN. CONCILII.

ACTIO X.

SIMILITER sexto Kalendas Nouembris eodem consulatu, in eadem sanctissima ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ, præsidentibus eisdem magnificentissimis & gloriosissimis iudicibus, & eadem sancta & vniuersali Synodo secundùm iussionem diuinissimi & pijssimi domini nostri Martiani perpetui Augusti, ingressus prædictus Ibas reuerendissimus Episcopus, dixit: Deprecor magnificentiam vestram, & hanc vniuersalem sanctissimam Synodum. Eutyches aduersus me pro fide quædam falsa confinxit, nec me in Synodum introire permisit, per quadraginta mansiones per diuersos adinuicem succedentes ordines direxit me, viginti amplius carceres mutaui, tanquàm non esset carcer in Antiochia in ordine *commicianorum, dicunt mihi, quia damnatus es. Si videtur ergò magnificentiæ vestræ, & sanctæ vestræ Synodo, quæ sine iudicio in absentia mea aduersum me gesta sunt, infringere, in vestra erit potestate. Ob hoc etenim (sicut iam edocui) adij sacrum & immortalem verticem. Et iussit vestrã magnificentiam, & sanctam Synodum audire, quæ aduersum me gesta sunt. Et cognouistis ex decreto, quia in nullo culpabilis sum repertus. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Pridem dilatione facta, vt sancta Synodus, quæ ei viderentur, ediceret: de Iba reuerendo, quæ placeant, manifestè declaret. Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Absentem nemo condemnat. Locus obscurus.

Ibas reuerend. dixit: Exoro vos. Absens condemnatus sum, non aderam. Non obtinui, non merui satisfactionis *licentia facere verbum. Reuerendissimi Episcopi clamauerũt: Malè fecerunt, qui eum præter Canones dudum damnauerunt. Quæ aduersus absentem facta sunt, vacuentur. Hæc omnes dicimus. Nullus condemnat absentem, Patricius reueren. Episcopus Tyanensis, dixit: Pridem relecta est sententia eorum, qui tunc iudices fuerunt deputati, (Dico enim Photij & Eustathij reuerendissimorum Episcoporum) & decreuerunt eum sacerdotem esse. Omnes ergò eorum definitioni consentimus, & eum esse volumus sacerdotem. Orientales reuerend. Episcopi clamauerunt: Iustum est hoc decretum. Quidam reuerend. Episcoporum clamauerunt: Contradicitur. Sunt accusatores eius foris, & iubeantur ingredi. Magnificentissimi & gloriosiss. iudices dixerunt: Ingrediantur, qui Ibam reuerendum accusare voluerunt: Et ingressus Theophilo diacono, & Euphrasio, & Abraamio, & Antiocho. Theophilus dixit: Rogamus, quæ super Ibam in Beryto gesta sunt, relegi, vt addiscatis, quia iustè damnatus est. Magnificentiss. & gloriosissimi iudices dixerunt Theophilo: Accusaturus Ibam reuerendum aduenisti, an pro fide certaturus, gesta relegi quæris? Theophilus diaconus dixit: Accusatores manifesti sunt, & hic non sunt. Ego diaconus sum, & scio violentiam ciuitatis. Et si accuso, & testes non assunt, denegas. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Scriptas probationes de re aliqua præstare potes? Theophilus diaconus dixit: Habeo monimenta, quæ super hoc gesta sunt in Beryto, & quæ in Epheso. Ecce & dominus Thalassius religiosissimus Episcopus nouit ipse, qui suscepit relationes. Adest. Interrogetur ipse, ob quam causam damnationem fecit. Et dominus Eusebius adest, & nouit. Eusebius reuerend. Episcopus Ancyræ, dixit: Ego relationem non suscepi. Dum autem in Epheso relegeretur, audiui. Et est versuum charta multotum, & multorum hominum depositiones habens: si autem habet monimenta, tanquam ad petitionem gesta, eius est probare. Ego enim cum multitudine auditor fui. Thalassius reuerend. Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Cum omnibus audiebamus. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Aderat tunc reuerend. Ibas in vestra audientia? Thalassius reuerend episcopus Cæsareæ Cappadociæ, & Eusebius reuerend. episcopus Ancyræ Galatiæ, dixerunt: Non aderat, Orientales & Pontici reuerendi Episcopi clamauerunt: Absentem nullus abijcit. Theophilus diaconus dixit: Veritas in sancta Synodo demonstretur. Et dominus Eustathius dixit, quia introduxerunt tres, & sex, & duodecim testes propter dictionem quam dixit, Non inuideo christo facto DEO. Hic est Photius episcopus: Proponatur ei euangelium. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Expertus reuerendissimus Episcopus Photius sententiam Synodi, iustitiam, quam in propria causa inueniet, custodire nunc quoque festinet, narrans nobis, quomodò se habuit Ibæ negocium. Photius reuerendissimus episcopus Tyri, dixit: *gratia

Verè dico. Neque enim decet in quacunque causa mentiri, multo magis in tali & tanta, & quæ à vestra potestate requiritur. Et ab vniuersali Synodo quæstione quadam de eo mota, venientes presbyteri & monachi à Mesopotamia, dicebant aduersus eum de semetipso, iste verò negabat. Nos tanquam mediatores, & pro timore blasphemiarum, & pro importunitate monachorum & presbyterorum, iussimus egredi eos à Tyro. Scandalizabatur enim ciuitas, quæ nunquam tale aliquid vel intellexerat, vel audierat. Post hæc, eo iurante nihil tale à se dictum, occasionem percepimus, vt pacificaremus ambos, & communicarent sibi, (aderat, puto, & Domnus diaconus, * Eulogius Constantinopolitanus) & nos amicos eos fecimus. Glorioſissimi iudices dixerunt: Ibas igitur reuerendissimus à suis accusatoribus est conuictus? Photius reuerendissimus Episcopus Tyri, dixit: Non. Dicebat autem: Venerunt quidem tres cohabitantes ipsis clericis iniuriantibus, & litigantibus cõtra eum. Nos diximus, quia non possunt cohabitãtes inimicis, susceptibiles ad testimonium comprobari. Fecimus ergo eos amicos. Sancta munera rursum in episcopio communicauerunt inuicem presbyteri & ipse. Theophilus diaconus dixit: Per salutem Imperatorum, eorumque victoriam, legantur, quæ super hæc gesta sunt. Magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt: Relegantur ea, quæ super Ibam reuerend. in Tyro gesta dicuntur. Et his oblatis, Cõstantinus vir deuotus, magistrianus & adiutor sacri Consistorij, relegit commonitorium.

* & Eulogius

COMMONITORIVM PRO CAVSA Ibæ Edesseni Episcopi.

Damascio viro spectabili, & notario prætorianorum. Scientes admirationis tuæ propositum, & cognoscentes quantum habeas studium, vt teipsum Deo & nostræ pietati commendes, visum nobis est, vt tu pergas cum Vranio reuerend. Episcopo Himerorum ciuitatis ad partes Orientales, & cooperantibus per singula loca iudicibus, inducas reuerend. Ibam Edessenæ ciuitatis Episcopum, & Danielem reuerend. Carrhenorum ciuitatis Episcopum, & Ioannem reuerend. Theodosiopolitanum Episcopum, in Phœnicum properare prouinciam, & ibi inquiri, quæ mouentur à reuerend. prædictarum clericis ciuitatum, tam apud prædictum religioſissimum Vranium, & Photium reuerend. Episcopum Tyri Metropolis, quàm Eustathium reuerend. Berytiorum ciuitatis, aduersus suprà memoratos religioſissimos Episcopos. Festina igitur secundum ea, quæ nostræ diuinitatis iussa sunt, pergere ad partes Orientales, & inducere præfatos reuerend. Episcopos, in Phœniciam aduenire, & ibi omnia, quæ mouentur à venerabilibus clericis Edessenæ, & Carrhensis, & Theodosiopolitanę ciuitatum, inquiri subtiliter apud memoratos religioſissimos Episcopos, & quæ ab ijs fuerint definita, effectui mancipare. Datum Constantinopoli. sexto Kalendas Nouembris.

BERITEN. SYNODVS HABITA IN causa Ibæ Edesseni Episcopi, relecta Chalcedone.

SVB consulatu Flauij Zenonis & Posthumiani virorum clarissimorum, sub die Kalendas Septembris, indictione secunda, in Colonia Christi amica Beryto, considẽtibus Photio & Eustathio & Vranio religioſissimis episcopis in nouo episcopio Beryti sanctissimæ nouæ Ecclesiæ, præsidente & Damascio viro spectabili, tribuno & notario diuini palatij, & Eulogio religioſissimo diacono Christi amantissimæ Constantinopolis sanctissimæ Ecclesiæ, præsentibus religioſissimis Episcopis Iba, Ioanne, Daniele: stantibus autem Samuele, & Cyro, & Eulogio, & Mara, & Ablabio, & Ioanne, & Anatolio, & Caiuma, & Abibo, reuerend. Damascius dixit: Cùm præsentes reuerendi clerici adissent pijssimum, & diuinissimum dominum nostrum Imperatorem, & accusassent reuerendissimum & Deo amantissimum Ibam Episcopum, & reuerend. Ioannem Episcopum, & reuerend. Danielem Episcopum, pietas eius sanxit, (sicut continent & piæ & sacræ literæ, quæ ad vestrã datæ sunt sanctitatem) vt ij, qui accusati sunt, à * Bostroena ad Phœniciam aduenirent, & ad ea, quæ ijs iuferuntur, apud vestram religiositatem redderent rationem. Et deputatus sum eos deducere, & quæ à vobis fuerint definita, executioni mandare. Adsunt ambæ partes ad hoc, quod vobis placuerit. Reuerend. Episcopi Photius & Eustathius & Vranius, dixerunt: Pium commonitorium dignetur tua magnificentia demonstrare, vt per omnia intentionem piissimi & Christianissimi Imperatoris nostri sequamur: præfulgere etenim debet ijs gestis. Quo facto, Eulogius diaconus Constantinopolis dixit: Adeuntibus reuerendiss. clericis, Samuele, Cyro, Eulogio, Mara, Ablabio, Ioanne, & Anatolio, & Caiuma, & Abibo, Deo amantissimum Episcopum nostrum in sanctissima Ecclesia regiæ ciuitatis Constantinopolis nouæ Romæ, & accusantibus Ibam, Ioannem & Danielem reueren dissimos Episcopos, approbauit eius sanctitas vestram religiositatem audire negocium, & ex hoc literas detuli vestræ sanctitati. Et adsunt partes ad hoc, quod vobis videtur. Reuerendiss. Episcopi dixerũt: Quoniam dubitamus, quomodo proferre interrogationes aut responsiones debeamus his, qui personam accusatorum obtinent, Deo amantissimus Episco. Ibas nos doceat, si quid aduersus eos actum est in sancta & magna Synodo, quæ in Antiochena pridem facta est ciuitate. Samuel dixit: Rogamus, vt ea, quæ dicuntur, dicantur Syra lingua propter sanctissimum Episcopum Vranium, quoniam integrè nouit ea, quæ scripta sunt Deo amantissimo Archiepiscopo Flauiano, à Deo amantiss. reuerend. & sanctiss. archiepiscopo Domno de nobis. Affuit enim apud Constantinopolim. Deo amantiss. Episcopi dixerunt: Assit vnus eorum, qui possit interpretari Deo amantiss. Episco. Vranio. Notarij dixerunt: Adest Maras, qui possit interpretari Deo amantiss. Episcopo Vranio. Deo amantiss. Episcopi dixerunt: Iam interrogationem intulimus tibi religioſissimo Episcopo Ibæ; quatenus nos doceres, si quid de præsentibus actum est in sancto magnoque Concilio, quod est pridem in Antiochia Christo amantiss. congregatum, vt congruè eis nos inferamus interrogationes siue responsa. Religioſissimus episcop. Ibas dixit: Isti quatuor qui stant, libellos obtulerunt religioſiss. episcopo Domno, & dignata est eius sanctitas mandare nobis, vt occurreremus. Et quoniam quadragesima erat, post diem nos iussit occurrere. Qui scripsit mihi, vt ab excommunicatione eos absoluerem. Erant enim à me excommunicati. Ego omnia sententiæ archiepiscopi dereliqui. Qui archiepiscopus propter festiuitatem ab excommunicatione eos absoluit, sub ea tamen definitione, vt non excederent Antiochiam, donec sententiam causa perciperet. Si autem exirent, antequam finẽ causa perciperet, maiori pœnæ essent damnationis obnoxij. Samuel & Cyrus, antequã aduenirem in ciuitatem, deserentes in comitatu profecti sunt. Maras autem & Eulogius remanserunt. Deinde dum continuaretur sancta Synodus, (erant enim illic non pauci episcopi) iussit libellos relegi. Relecti libelli sunt. Referebantur nomina quatuor accusatorum. Stabant autem duo. Interrogauit autem eos: Vbi sunt vestri sodales, qui vobiscum obtulerunt libellos? Illi autem dixerunt, Nescimus. Tamen sicut audiuimus, in Constantinopolim perrexerunt. Religioſiss. episc. dixerunt: Tua religiositas, quæ tunc præsens fuit, debet scire intentionem sancti illius & magni Concilij, vtrum integrè damnasset, an in dubio hanc sententiam protulisset. Manifestum enim est, quia non patitur tua sanctitas, quæ à sancto illo non sunt gesta Cõcilio, dicere quasi gesta. Nam & facilè percipitur veritas. Religioſiss. episc. Ibas dixit: Occulta nosse non possum. Ego puto, quia perfectam horum damnationem fecit. Si autem videtur vobis ex sententia eorum, damnationem eorum non feciſſe, potest postea iudicari. Reuerendiss. episc. dixerunt: Ea, quæ gesta sunt in sancto illo conuentu, tua sanctitas præ manibus habet? Religioſiss. episcopus Ibas dixit: Habeo, & adiacent: Reuerend. episc. dixerunt: Suscipientes notarij, illam partem gestorum percurrant, quæ continet de his, qui se subtraxerunt, vt quæ de his gesta sunt, agnosca-

* Osroena

mus. Samuel dixit: Omnem allegationem nobis congruam aduersus depositionem reuerend. Episcopi Ibæ, & aduersus ea, quæ iussa sunt relegi, reseruari (sicut iustum est, vestram sanctitatem nostræ parti statuere) quæsumus. Deo amantiss. Episcopi dixerunt: Ad præiudicium tuum non diximus: * nunc fieri lectionem. Samuel dixit: Quoniam ea, quæ aguntur, consequenter aguntur, & fortè imminet vobis, vt non hæc, sed alia moueantur. Rogauimus autem reseruari nobis allegationem, & ob hoc certamus, & ostendimus, quia non subiacemus damnationi, neque excommunicationi: sed hoc, quod factum est, sine ordine & præter regulas à reuerend. episcopo nostro Iba factum est. Deo amantiss. episcopi dixerunt: Relegatur pars illa gestorum, quæ de his, qui se de audientia subtraxerunt, pridem in maxima Antiochia sunt confecta. Sanctum Concilium dixit: Vbi sunt, qui vobiscum obtulerunt libellos?

* hanc

Maras & Eulogius presbyteri dixerunt: Eius calumnias cognoscentes, (sicut & nos dicimus) nescimus, quomodo illi discesserint. Sanctum Concilium dixit: Nunc autem vbi sunt? Maras presbyter dixit: Nescimus integrè. Sicut autem audiuimus, in Constantinopolim sunt profecti. Neque verò literas eorum suscepimus, neque scimus integrè. Sanctissimus Domnus archiepiscopus dixit: Quas calumnias metuebant, cùm ego vtique scripsissem religiosissimo Ibæ ob hoc, & rescripserit, relinquens mihi omnia, & absoluti vobiscum sunt ab excommunicationis pœna, sub hac definitione, vt vos quidem haberetis communionem, si quis autem vestrum causam desereret ante finem, ecclesiasticæ disciplinæ subiaceret? Manifesti sunt igitur desertores, & excommunicationem & Apostolicum hunc thronum contemnentes, & semetipsos submittentes maiori damnationis supplicio. Samuel dixit: Rogo subscriptiones eorum episcoporum, qui ibidem reperti sunt, vt subscripserunt, relegi, & inseri monimentis. Reuerendissimi episcopi dixerunt: Relegantur subscriptiones religiosissimorum & sanctissimorum episcoporum, qui in his inserti sunt monimentis pariter, & subdantur. Domnus episcopus Antiochiæ, interlocutus sum. Simeonius episcopus Amidæ, hæc eadem interloquutus sum. Stephanus episcopus Hierapolitanus, hæc eadem interloquutus sum. Constantinus Bostræ Episcopus sanctissimæ ecclesiæ, hæc eadem interlocutus sum. Theoctistus episcopus Beroæ, hæc eadem interloquutus sum. Thomas Episcopus Mopsuestiæ, hæc eadem interloquutus sum. Placus episcopus Gerassenæ sanctæ ecclesiæ, hæc eadem decreui. Euoltius Episcopus Zeugmatis, hæc eadem interloquutus sum. Daniel Episcopus Carrhensium, hæc eadem interloquutus sum. Dadas Episcopus Batenorum, hæc eadem interloquutus sum. Deo amantissimi Episcopi dixerunt: Manifesta est interloquutio Deo amantissimi, reuerendissimi & sanctissimi patris nostri & archiepiscopi Domni. Libelli igitur, qui heri oblati sunt, relegantur, & gestis indantur.

LIBELLVS SAMVELIS ET ALIORVM presbyterorum Edessæ, ad Photium & ad reliquos Episcopos contra Ibam.

SANCTISSIMIS per omnia & Deo amantissimis episcopis Photio & Eustathio & Vranio petitio oblata à Samuele, Cyro, Eulogio, Mara, presbyteris sanctissimæ ecclesiæ Edessenæ. Nos equidem optabamus per omne tempus vitæ sine litigio viuere. Quoniam autem ea, quæ audacter gesta sunt aduersus nostram ecclesiam, & sanctorum nostrorum patrum fidem, à venerabili episcopo nostro Iba per summam iniustitiam, compulerunt nos ad hanc accusationem descendere tam eius quàm eius fratris Danielis, qui idem episcopus est Carrhensium ciuitatis, consequenter & secundum Canones adeuntes Concilium tam Orientale quàm Occidentale, oportuit nos & pijssimum atque Christianissimum pro ijs Principem deprecari. Ex hoc ergo & sanctissimo archiepiscopo Flauiano nostro pariter decernente, & cum pijssimo nostro Principe disponente, à vestra sanctitate nostrum exerceri negocium, aduenimus, paratos nosmetipsos habentes, probare, quæ diximus. Adsumus igitur, per hos nostros deprecates libellos, vt iubeatur à vestra sanctitate inchoari negocium. Samuel presbyter, Libellos obtuli cum collegis. Cyrus presbyter, Porrexi libellos cũ collegis. Eulogius presbyter, Obtuli hos libellos cũ socijs. Maras presbyter, Obtuli libellos socijs. Samuel dixit: Rogamus hoc nobis licitum existere à vestra iustitia, vt hæc eadem Syra lingua dicãtur Deo amantissimo & sanctissimo episcopo Vranio, quoniam aderat apud Constantinopolim, quando literæ de hoc scriptæ ab archiepiscopo Domno ad archiepiscopum Flauianum, lectæ sunt. Et iterum adfuit in Antiochia, quãdo ex hoc moturi eramus sermonem. Et de hoc alia ei locutus est. Et quid ei dixit, rogamus, vt dicat. Reuerend. episcopi Photius & Eustathius dixerunt: Omnia, quæ expetistis, is, qui adest, religiosissimo episcopo Vranio propria interpretabitur lingua. Et postquàm interpretata sunt, Deo amantissimi Photius & Eustathius episcopi dixerunt: Edoceat nos venerabilis Maras, quæ religiosissimus episcopus Vranius propria voce locutus est. Maras dixit: Hæc dixit, Relectæ sunt literæ coram patricijs, & quoniam confundebant cõfessum, fecimus eos excommunicari. Tamen ego iudex datus sum, & non possum testari. Religiosissimus Episcopus Ibas dixit: Non fecit illorum mentionem dominus Domnus in epistola, quã scripsit ad sanctissimum archiepiscopum Flauianum, qui fuerunt semel damnati? Religiosissimi & sanctissimi Episcopi dixerunt: Diximus, Clara est interlocutio Deo amantissimi & sanctissimi patris nostri & archiepiscopi Domni, relegantur igitur rursus libelli. Et postquam relecti sunt, Deo amantissimi episcopi dixerunt: Libelli, qui à vobis oblati sunt, generalem quandam continent accusationem. In scriptis igitur vnusquisque vestrum deponat, & quid accusare habet, & quibus deliberauit instare capitulis. Samuel dixit: Per ordinem ex ore capitula coram vestra sanctitate proferimus. Incipimus autem ab isto capitulo. Deo amantiss. Episcopi dixerunt: Singuli propria voce deponant, si accusationi persistunt de ijs capitulis, quæ dederunt. Samuel dixit: Persisto. Maras dixit: Persisto. Eulogius dixit: Persisto. Cyrus dxit: Persisto. Deo amãtissimi episcopi dixerunt: Relegantur omnia capitula, & sic vnusquisque inquisitionem faciemus. Samuel dixit: Et ea deprecamur inseri monimentis. Deo amantiss. Episcopi dixerunt: Inserantur.

Ciuitate conferente ad redemptionem captiuorum vsque ad mille & quingentos solidos, & positis apud custodẽ sacrorum ministeriorum vsque ad sex millia solidorum & amplius, præter redditus, suscepit ipsius frater, habẽs in vasis argenti sacri vsq; ad libras ducentas, & vendidit pro mille solidis solum, (sicut nos cognouimus, non direxit) in semetipsum reliqua conferens.

Rursum calicem gemmarum magni precij, oblatũ nostræ ecclesiæ à sancto viro ante annos vndecim, inter vasa sanctæ ecclesiæ non reposuit, & nescimus, quid factum sit de eo.

Tertiò adhuc & de ordinationibus accepit.

Quartò Abrahamius quidam diaconus nostri cleri fuit. Hic Ioannis alicuius malefici deprehensi amicus erat, & conscius. Coram reuerendissimo Episcopo nostro & omni clero conuocato ad audientiam Abrahamio diacono, monstratum est eodem confitente conscium esse, vt pœnam sustineret excommunicationis, & ab omnibus odiretur, & in persecutione esset multo tempore. Post hæc (nescimus quomodo persuasus) satisfactione ab eo nullatenus proueniente, tentauit eum Batenorum ordinare ciuitatis episcopum. Et prohibitus ab eo, qui tunc archidiaconus erat, indignatus est. Et hunc quidem, qui morti erat obnoxius, apud semetipsum decreuit esse episcopum. Illum verò, qui turbam incitauerat ciuitatis, & dixit iustum non esse hoc fieri, remouit de proprio loco, & excommunicauit, & expulit ab ecclesia. Et quoniam non potuit intentionem suam explere, compulsus est eum facere xenodochum. Et retinet chartã magicarum incantationũ reuerend. noster episcopus, qui debuit iudici prouincię hunc, qui ita execrabilis est, offerre secundum consequentiam legum.

Quintò Balleum nomine quendam virum,(de quo omnes,qui in eodem vico habitant,clamauerunt &in ſcriptis, & ſine ſcriptura,adulterum & maſculorum cõcubitorem) ordinauit preſbyterum,& procuratorem in cuſtodiam retrudens,& iudici tradens hos, qui clamauerunt, & hæc innoteſcentibus ei literis Deo amantiſſ. reuerend. archiepiſcopi Domni.

Sextò,quia ordinauit Danielem filium ſui fratris epiſcopum paganorum ciuitati,dum oportebat patrem ſanctum fieri,cuius poſſent opera reuerentiam facere, & perſuadere,vt vel nunc ad cognitionem veritatis accederent, iſte illic ordinauit inquietum,& iuuenem exiſtẽtem, & luxurioſiſſimum.Neque enim paſſus aut dignatus eſt aliquãdo latere,ſed penè ſemper in noſtram aduenientes ciuitatem,propter Challoam quandam maritatam, circumducens eã per loca diuerſa,& in delicijs cũ ea verſabatur : quia omnes eccleſiaſticos redditus multos exiſtentes, & in infinitam tendentes quantitatem,confert ſuo fratri vel conſobrinis. Et rogamus, vt rationem faciat coram veſtra ſanctitate, quia hæreditates & munera,& quæ vndecunque offeruntur, & cruces poſitas aureas & argenteas,collecta dirigit ſuo fratri vel conſobrinis: quia quæ ex definita menſura in expenſas captiuorum eroganda fuerant,in domibus ſuorum erogat cognatorum.

Septimò , quia dum memoria fieret ſanctorum martyrum,non eſt datum vinum ad ſacrificium altaris, ad ſanctificationem & populi diſtributionem , niſi omninò paululum,& hoc infectum atque lutoſum,& tempore, quo fuerat vindemiatum:vt ex hoc cogerentur, qui deputati fuerant miniſtrare,de tabernis & omninò infectos comparare ſextarios,qui nec ſufficerent,intantum,vt hi, qui ſanctum corpus diſtribuebant,innuerent ingredi eos , quia ſanguis non inueniretur,illis bibentibus & tunc ac ſemper habentibus diuerſum & mirabile vinum. Et hæc acta ſunt,conſcio & admonito eo , qui poteſtatem miniſteriorum habebat.Cui & dictum eſt, vt & ipſe admoneret Epiſcopum cũ fiducia. Et cum nihil feciſſet,illo tempore coacti ſumus nos , & ipſum reuerendiſſimum epiſcopum rurſus admonere.Et cum didiciſſet,permotus non eſt , ſed contempſit, ita vt multi noſtræ ciuitatis,hinc ſcandalizarentur.

Octauò,quia Neſtorianus eſt,& B.Cyrillum hæreticum appellat.

Nonò,quia Epiſcopus Daniel quoſdam ex ſua clericos ordinauit.

Decimò,Pirozo presbytero benè teſtante,& ſua propria diſponente,& res,quas habuit,eccleſijs relinquente redditus nullos habentibus,accenſus noſter epiſcopus Ibas cautionem eius ſe habere dixit *mille ducentorum ſolidorũ. Et mandauit ei,volens eius infringere voluntatem, & eum per triſtitiam deperire.

*Græcè trium millium.

Vndecimò, Daniele autem epiſcopo teſtante, & relinquente,quam habuit locupletem facultatem , & prædia ex eccleſiaſticis rebus nepotibus ſuæ amitę & ipſi Challoæ,neque indignatus,neque increpauit eum,quia Challoa amita Danielis epiſcopi,quæ prius nihil habuit, multis rebus eccleſiaſticis abutens,quæ apud ipſam ſunt, ducẽtenos & trecentenos ſolidos fœneratur:vt ex hoc manifeſtum fiat, vnde ſit harum rerum collectio.

Duodecimò, Abrahamius fuit quidam diaconus. Hic Apantita erat noſtræ eccleſiæ, diuerſis negociabatur temporibus.Primitus pauper & nihil ferè habens,ex noſtra eccleſia multas & innumeras res habuit, quæ pro veritate erant noſtræ eccleſiæ. Suadet huic Daniel epiſcopus,vt ſcripto teſtamento , in eum ſuam tranſmitteret hæreditatem, iurans ei,hæc ſe poſt eius mortem pauperibus erogare.Hoc enim & teſtamento continetur. Et poſtquam hæc Daniel eſt adeptus,non ſolum (ſicut oportebat,vel ſicut iurauerat)non diſpoſuit,ſed luxuriæ eius ſeruiunt. Challoæ enim mulieri dedit ea.

Tertiodecimò,quia à paganis incidẽtibus in peccatum ſacrificiorum,accipiens Daniel epiſcopus ſportulam,relinquit crimen,negocians & hinc ſibimet lucrum.

Decimoquartò,quia & eccleſiæ Edeſſenæ prædiola fargaritas ſyluas cædentes,portauerunt ad prædia Challoæ amitæ Danielis epiſcopi , & ædificauerunt, quæ voluerunt.

Deo amantiſſimi epiſcopi dixerunt : Quando redargutio capituli ſequitur,animæ periculum ferens, ſuperfluam iudicamus inquiſitionem loci fieri cæterorumque. Quæ igitur manifeſtè interdicta ſunt & canonibus & legibus , & ſunt apertè odioſa Deum timentibus,hęc eligite primitùs, & his inſtate. Videntur autem nobis hæc eſſe principalia. Primum quidem, rectæ eſſe oportere fidei, qui ſacerdotio fungitur. Deindè,eſſe eum totius luxuriæ liberum,ſed nec prodere pietatem,maximè pecuniarum cauſa. Ex quibus ſi alicuius probare poteſtis præuaricationem, proprio ore deponite. Samuel dixit: Sicut iam poſtulauimus,rogamus fieri inquiſitionem capituli vniuſcuiuſque per ordinem.Et ſi quidem primum pridem capitulum increpationem talem habeat,vt eo ſolo ſufficiat, & nihil aliud ſit mouẽdum, benè id iudicabit veſtra ſanctitas , & nos *his ſeruiemus. Deo amantiſſ.epiſcopi dixerunt:Ex capitulis ita vobis oblatis,tria ſunt maximè peſſima, cùm ſoleant talia obiurgari facilimè.Hæc igitur ſi probare poteſtis,vt diximus,propria lingua teſtamini. Maras dixit : De fide mouemus prius,& alia capitula poſt mouemus. Deo amantiſſimi epiſcopi dixerunt:Si propoſuimus vobis, vt horum trium capitulorũ probatio ſubſequatur, nõ ex hoc inquiſitionẽ negauimus reliquorũ.Maras dixit:De fide mouemus priùs.Deo amantiſſ.epiſcopi dixerũt:Quid habes de fide mouere?Maras dixit:Alloquẽs dixit:Nõ inuideo Chriſto facto Deo:inquantũ enim ipſe factus eſt,& ego factus ſum. Deo amãtiſſ. epiſcopi dixerunt:Confiteatur priùs religioſiſſimus epiſcopus Ibas,ſi hæc ita dicta ſunt. Religioſiſſ. epiſcopus Ibas dixit: Anathema ei,qui dixit, & ei,qui calumniatur. Ego enim non dixi. Abſit. Samuel dixit:Teſtes nobis exiſtunt huius rei,ex quibus hic ſunt. Rogamus hos à vobis vocatos,ſuſcipi,& propria voce teſtari, ſi eum non audierunt hæc dicentem.

*hæc ſeruemus.

Religioſiſſimus Epiſcopus Ibas dixit: Decies millies ego ſecari patior,quam dicere hoc verbum.Abſit à me,hoc verbum vel cogitare. Sed ſcio ego, quia vnuſquiſque ex confeſſione ſaluatur. Deo amantiſſimi Epiſcopi dixerunt : In Eccleſia dicis, Deo amantiſſimum Ibam epiſcopum hæc dixiſſe?Samuel dixit:Conſuetudo eſt,in die ſancto Paſchæ, aut ante diem,dare eum de manu clericis quædam pro feſtiuitate. Hæc daturus, alloquitur primitùs,& ſic dat. Eloquutus eſt autem hoc, & coram omnibus præſentibus clericis,vt acciperent ea,quæ pro feſtiuitate dantur. Et conuincitur ab aliquibus ex his clericis hic ſtantibus, qui hoc ab iſto audierunt dictum. Deo amantiſſimi epiſcopi dixerunt:Ante quantum tempus hæc dixiſſe Deo amantiſſimũ reuerendiſſimum Ibam epiſcopum profiteri?Samuel dixit: Sunt tres anni plus minùs. Dicta ſunt autem & alia. Hæc autem (ſi videtur)comprobamus.Si autem & alia nos coniungere iubetis,& alia quoque deponimus. Deo amantiſſimi epiſcopi dixerunt : Qui ſunt, qui hoc poſſint interim atteſtari? Samuel dixit: Sunt quidẽ multi.Coram omni.n. clero dixit:Ex his ſunt hic tres,& tres,quos Canones legesque ſuſcipiunt.Si autem pluribus opus eſt, & videtur, & aliorum dabimus nomina, & ſecundum veſtrã aderunt iuſſionem. Religioſiſſimus Ibas dixit : Eſt clerus noſter plus minus nominum ducentorum & plurimorum.(Neque enim retineo numerum.)Omnes clerici teſtati ſunt,ſiue orthodoxus ſiue hæreticus ſum, & per confeſſiones ſcriptas, quæ directæ ſunt ſanctiſſimo epiſcopo Domno, & ad veſtram reuerentiam ſcripſerunt. Si conſonat tantorum teſtimonium clericorum tribus (ſicut ipſe dicit)teſtibus, qui cum ipſis venerunt ad accuſandum in Conſtantinopolim, & nunc verò cum ipſis exiſtunt,veſtrum eſt iudicare.

Samuel dixit : Noſtrum eſt , qui attendimus de hoc capitulo,& accuſantium (quas diximus) probationes oſtendere,non religioſiſſimi epiſcopi noſtri Ibæ, aut per ſemetipſum,aut per alium ſibi teſtari.Negationis enim rationem nullus exigit.Dixi,quia factum eſt,meum eſt probare.Deo amantiſſimi Epiſcopi dixerunt:Eos,qui teſtes à te adducti ſunt,declara nominatim, quaſi audiſſent Ibam religioſiſſimum epiſcopum hoc dixiſſe. Samuel dixit: Eſt Dauid diaconus ex cuſtode ſacrorum vaſorum,& Maras diaconus,& Sabas diaconus,qui conſtituta beati Effrẽm per loca ſingula profert, vir inter Syros ſapientiſſimus. Religioſiſſimus

Episcopus Ibas dixit:Et Maras cum ipsis in Antiochia adiit,& libellos cum ipsis porrexit, & ascendit Constantinopolim cum eis.

Maras autem secundum veritatem excommunicatus est à proprio Archidiacono, (non enim à me excommunicatus est) quoniam iniuriam fecit presbytero, ob hoc eum à communione suspendit. Deinde inuenerunt eum tristem,& susceperunt eum ad accusationem. Illos qui ascenderunt aduersus me, & contra me adierunt principem, quomodo isti ad testimonium producere poterunt? Tu quando dixisti,vita mortua est,non tibi dixi repentè,Amice,si quidem hoc dicis,quia caro Domini viuificans est, & Christus noster vita est,& ego confiteor: Si autem de diuinitate sensisti,non recipio: & ex eo tempore communicasti mihi annis decem.Samuel dixit: Si vocauit me secretiùs vel increpauit, vel ex hoc si mihi locutus est, sum his, quæ dicit, obnoxius, nisi quia ex illo me alloqui non præcepit.

Deo amantissimi Episcopi dixerunt: Religiosissimus Episcopus Ibas edocuit,quia te vocasset,& alia monuisset, tu denegas. Coram testimonijs verò nullus ex omnibus est,qui vel doceat,vel moneat. Hoc ergo tanquam superuacuum relinquentes,ad præsens redite negotium. Samuel dixit: Sufficit mihi, quòd coram vestra confessus est sanctitate,quoniam me increpauit ex hoc religiosissimus Ibas Episcopus.Religiosiss. episcopus dixit: Non increpaui,sed interrogaui: Amice,quomodo dixisti vitam fuisse mortuam?Diuinitatem dicis,an carnem Dei viuificantem dicis? Etenim vita est & viuificans. Et sic credo, & confiteor ore meo,sicut iussit & ipse Deus, quia ore fit confessio ad salu-
Rom. 10. tem. Deo amantissimi episcopi dixerunt: Interrogamus vos,si in Ecclesia religiosissimus episcopus Ibas hoc, quod dicitur à vobis docuit: & dicitis, quia in triclinio episcopij, omni clero præsente,hoc dogmatizauit. Quoniam igitur & Canones & leges propter indigentiam certum numerum testium deduci ex omnibus decreuerunt,& in præsenti negocio indigentia testium non est, sed abundantia magis, sicut ipsi testamini: necessarium est, non solum his, qui à vobis adducti sunt,credi,quoniam reuerend. episcopus Ibas tanquam accusatores vobiscum hic asserit existentes:sed penè omnes interrogandos, qui illo tempore benedictiones ab eo (sicut narratis)acceperant. Maras dixit: Forte sunt quidam, neque scientes se audire: sed qui integrè nouerunt talia, manifesti sunt, & hos nominaturi sumus. Deo amantissimi Episcopi dixerunt: Quanti aderant ibi tunc presbyteri?Maras dixit:Nescimus. Deo amantissimi episcopi dixerunt: Dum benedictiones præberentur,verisimile est,omne reuerendum clericorum Concilium affuisse. Eulogius dixit: Maximè quidem,& si venire & dicere aliqui voluissent, eius concinnatione pauescentes, non venerunt. Multi enim eligunt hunc non offendere, ne moriantur. Cuidam enim presbytero nolenti subscribere in eius laudibus, cùm accusationem in Antiochia aduersus eum instituissemus, postquam exinde est reuersus, calumniatus est & viro ante annos quinquaginta catholico,nec labanti aliquandò ex quo conuersus est, cui tota ciuitas testabatur, accusationem intulit per proprios dispensatores,quam nec ad exitum perducere valuit, quamuis iudex in eius gratia ageret, illo stante & clamante, Ostendatur, quæ aduersus me calumnia instituta est, aut absoluar. Et omnis ciuitas suscepit cum cereis & lucernis. Et ob hoc omnes clerici metuentes, aduersus eum testari non volunt. Deo amantissimi episcopi dixerunt: Non arbitramur, timorem Dei ante oculos habentes, & fidei causa proposita, pro gratia hominum, salutem propriam aliquem posse contemnere. Vnde quoniam ipse narrasti, collectam reuerendissimorum multitudinem clericorum, quando hæc religiosissimus Ibas edocuit, non suscipimus trium testium, qui à vobis deducti sunt, voces, & maximè cum suspecti sunt eidem religiosissimo Episcopo,sicut deposuit. Samuel dixit: Quomodo possibile est, totum clerum ad testimonium euocari? Eulogius dixit:Dum essemus in Antiochia, fecerunt dictationem laudum,& hanc circumferebant clericis, vt subscriberent. Quidam clericorum, aut quindecim aut decem & octo subscribere noluerunt, dicentes: Fortè interrogamur aliquid, & nescimus quid dicere, & mentiri non possumus. Hos deducens in Ecclesia,violenter inclamari fecit,quasi qui deberent foris mitti,quoniam minimè subscripsissent. Et excommunicauit eos corã omni ecclesia, & misit eos foras, & ex hoc venerunt in Antiochia. Ex quo autem viderunt, quia oppressi sumus,& non sunt nostræ allegationes susceptæ,& quia descendit homo, qui quasi contra nos præualuerat, timuerunt descendere in ciuitatem,& necesse habuimus, vsque hodiè eos pro testimonio pascere.Religiosissimus episcopus Ibas dixit:Sanctissimus archiepiscopus noster aduenit in Hierapolim, vt dominum Stephanum inthronizaret religiosissimum episcopum.Nos volumus,quæ consuetudinis sunt implere,& ire,& salutare eos in Hierapolim. Dum egredimur,audio quia Samuel & Cyrus profecti erant ad accusandum nos, subscriptiones nonnullorum clericorum accipientes.Cõfiteor,quia conuocaui clerum, & dixi, quia Samuel & Cyrus ierunt ad accusandum nos. Sed & vobis dico, si quis in scriptis communicauerit eis in libellis,(donec videat, quẽ finem causa suscipiet)non communicet. Excommunicauerunt semetipsos reliqui,sua conscientia vulnerati. Religiosissimi episcopi dixerunt: Quot erant, qui semetipsos excommũnicauerunt? Religiosiss.episco. Ibas dixit: Sunt plus minus quindecim,qui semetipsos à communione suspenderunt. Nam ego eos non excommunicaui. Maras dixit:Nullus excommunicauit semetipsum, nisi ego solus, & presbyter Samuel. Quoniam nos quatuor libellos dederamus aduersus eum,ego,& Cyrus,& Samuel,& Eulogius. Duo tulerunt libellos,& profecti sunt Hierapolim, vt sustinerent archiepiscopum. Dominus autem Samuel iam malè habebat. Deinde conuocauit omnes in secretario, & dixit: Quoniam audiui, quia Cyrus & Eulogius profecti sunt, vt me accusarent. Hos à communione suspendi,vt cognoscatis,quia excommunicati sunt. Si quis autem eis in libellis cooperatus est,vel conscius est, (quoniam audio quòd triginta sunt clerici,qui eis consenserunt) eorum dimitto sententiæ. Nullusque egressus est, nisi ego solus & ipse, quia non nobis consenserant, sed remanserunt communicantes ei. Deo amantiss.episcopi dixerunt: Dicat religiosiss.Episcopus Ibas,si verè ab eo dicta sunt, quæ isti dixerunt.Religiosiss.episcopus Ibas dixit: Ego nec dixi, & anathematizo,qui dixit: Ego enim nec à dæmone audiui hoc verbum. Maras dixit:Sunt testes,qui testantur nobis, hic tres,quorum nomina dedimus. Sunt autem & alij nobis in Edessa.Deo amantiss.episcopi dixerunt:Necessarium est adijci & horum quoque vocabula, quoniam non est de re modica quæstio.Eulogius dixit:Dabimus. Maras dixit: Beatum Cyrillum non vocasti hæreticum? Religiosiss. episcopus Ibas dixit:Cum veritate dico,non sum memor. Et si vocaui eum,quando Orientale Concilium eum quasi hæreticum anathematizauit,sequutus sum primatem meum. Maras dixit: Non dixisti, quia nisi anathematizasset capitula sua,non reciperemus eum? Religiosissimus Episcopus Ibas dixit: Dixi quia nisi semetipsum interpretatus fuisset, & suscepisset eum Orientale Concilium, & ego eum, cum meo principe & Orientali Concilio, abnegabam.Maras dixit:An non dixisti,(quando flagitatum est in secreto) bonæ memoriæ Cyrillum tanquam hæreticum habui, & donec anathematizasset sua capitula,non recepi eum? Religiosiss.episcopus Ibas dixit: Verè non sum memor. Si autem dixi,dixi verè,quia Orientale Concilium recepit eum sua capitula retractantem, alioquin hæreticum eum haberem.Religiosiss.episcopi dixerunt: Probare potestis, quia post factam Ecclesiarum vnitionem,(quæ facta est cũ beatissimæ & sanctissimæ memoriæ Ioanne, & religiosissimæ & sanctiss.memoriæ Cyrillo Episcopo) eum sua confessione hæreticum nominauit religiosiss. Episcopus Ibas? Maras dixit: Hoc dixit, quia habuimus eum hæreticum,donec sua anathematizasset capitula. Religiosissimus Episcopus Ibas dixit: Ego, postquam sua capitula interpretatus est, tantum absteneo ab anathemate viri, quòd & literas ab eo susceperi, & literas ei direxi,& communicatorem me habuit, & communicatorem eum habui. Deo amantiss.Episcopi dixerunt: Postquam communicastis

adinuicem,dixisti aliquid? Maras dixit : Anno hoc dixit, quia hæreticus fuit, donec anathematizasset : Religiosiss. Episcopus Ibas dixit : Donec semetipsum interpretatus fuisset,(quia Orientale Concilium eum vocabat hæreticum,& vt hæreticum eum coudemnauit) hæreticum eũ & ego putabam. Postquam verò adunatæ sunt Ecclesiæ, & beatus Paulus perrexit Alexandriam, Orientalium fide portata,& suscepit ab eo capitulorum interpretationẽ,omnes eum communicatorem habuimus & orthodoxum, & nullus eum appellat hæreticum. Religiosiss. episcopi dixerunt: Maximè quidem sufficit ad pietatem, hæresium abnegatio. veruntamen religiosissimus Ibas episcopus causam edocuit, pro qua putauit hæreticum cum omni Orientali Concilio sanctiss. memoriæ Cyrillum: Vos autem dicitis, hoc anno eum nominauit hæreticum. Hoc vobis est necessarium comprobare. Maras dixit: Anno dixit, hæreticum eum habui, donec anathematizasset sua cap. Religiosiss. Episcopus Ibas dixit: Donec secretiùs ad aurem Ioannis beatiss. loqueretur, & suscepisset ab eo scriptam de fide confessionem, quam per Paulum beatiss. destinauit, hæreticum eum omnes habuimus: postquàm verò suscepit eũ, communicauimus ei,& communicauit nobis,& nos ei. Samuel dixit: Hæc modò reuerendissimus episcopus Ibas dicit, suum volens corrigere vitium: nostrum verò est probare, quia Cyrillum dixit hæreticum. Et post hæc emendans semetipsum, ait: Donec sua anathematizasset capitula, fuit hæreticus. Religiosiss. episcopus Ibas dixit: Ego anathematis non feci mentionem. Ego secutus sum Orientale Concilium. Vultis in scriptis proferre, quæ scripta *sunt? Vultis non scripta proferre, an scripta? Deo amantiss. episcopi dixerunt: Si post mortem beatiss. Cyrilli religiosiss. Ibas episcopus eum visus est hæreticum nominasse, monstrate. Maras dixit: Probamus. Idem vir deuotissimus secretarius similiter relegit: Interpretatio epistolæ, quæ scripta est à reuerendo Iba episcopo Mari Persi post procœmia.

*nõ sunt?

FRAGMENTVM EPISTOLAE IBAE episcopi Edessẽni, ad Marim Persam contra Cyrillum Alexandrinum.

IN breui autem clarè tuæ prudentiæ, quæ in paucis multa cognoscit, indicare, quæ pridem & nunc hic acta sunt, festinauimus, scientes quia, quæ vestræ sanctitati à nobis scripta sunt, vestro studio illic omnibus innotescent. Et quia nullam permutationem scripturæ à Deo traditæ susceperunt, facio huius argumenti principium ex sermonibus, quos & ipse edoctus es: Contentio facta est, ex quo hic tua religiositas fuit, his duobus hominibus Nestorio & Cyrillo, & conscripserunt aduersum se nociuos vel pernicioſos libros, quia audientibus fuerunt scandalum. Nestorius enim dixit in suis libris, (sicut & religiositas tua nouit) quia beata Maria Dei genitrix non est, ita vt multi putarẽt, ex hæresi Pauli Samosateni hunc esse, qui dixit hominem purum esse Christum. Cyrillus autem libros Nestorij volens destruere, lapsus est, & inuentus est in Apollinarij dogma incidens. Conscripsit enim & iste illi similiter, quia ipse Deus verbum homo factus est, vt non esset differentia inter templum & habitantem in eo. Conscripsit enim duodecim capitula, quæ puto & tuam cognouisse religiositatem, quia vna natura est diuinitatis & humanitatis Domini nostri Iesu Christi, & quia (sicut dicit) non oportet diuidere voces dictas, quas vel ipse Dominus de semetipso dixit, vel euangelistæ de eo. Hæc omni impietate plena sunt. Et antequàm nos dicamus, sicut sanctitas tua nouit, quomodò accipi potest hoc, quod est in principio verbum, de templo, quod factum est ex Maria? aut illud, Minuisti eum paulo minùs ab angelis, de diuinitate vnigeniti dictum? Ecclesia enim sic dicit, sicut & tua religiositas nouit, & à principio est edocta, atque firmata diuina doctrina ex libris beatissimorum patrum, duæ naturæ, vna virtus, vna persona, quod est vnus filius Dominus noster Iesus Christus. Ob hanc contentionem victores & triumphatores iusserunt, episcoporum primores in Ephesina congregari ciuitate, & coram omnibus libros Nestorij & Cyrilli iudicari. Priùs autem quàm omnes episcopi, qui iussi fuerant congregari, venissent in Ephesum: præcedens idem Cyrillus, aures omnium quodam medicamine, quod solet sapientium oculos obcæcare, præoccupauit. Inuenit autem causam odio, quod habuit circa Nestorium. Et antequam in Synodum aduenirent sanctissimus & Deo amantissimus archiepiscopus Ioannes, Nestorium ex episcopatu deposuerunt, iudicio & inquisitione non facta. Post duos autem dies damnationis huius, venimus in Ephesum. Et cognoscentibus nobis, quia in damnationem Nestorij, quæ ab eis facta est, duodecim capitula, quæ à Cyrillo conscripta sunt (cùm essent contraria veræ fidei) posuerunt & firmauerunt, & consenserunt eis, tanquam veræ fidei consonis, omnes Orientales Episcopi, eundem Cyrillum damnauerunt, & excommunicationem aduersus alios episcopos, qui consenserunt eius capitulis, protulerunt. Et post hanc perturbationem vnusquisque in suam ciuitatem reuersus est. Nestorius autem, quia in suæ erat odio ciuitatis, & virorum, qui in ea sunt, maximorum, in eam reuerti non potuit. Et remansit Orientale Concilium, non communicans episcopis, qui communicauerunt Cyrillo. Et ob hoc multa tristitia inter eos facta est, & in contentione erant episcopi aduersus episcopos, & populi aduersus populos. Et completum est opere, quod scriptum est, quia erunt inimici hominis domestici eius. Et ex hoc detractiones multæ aduersus nos factæ sunt Paganorum & hæreticorum. Non enim audebat aliquis de ciuitate ad ciuitatem, aut ad prouinciam de prouincia proficisci, sed tanquam inimicum suum, vnusquisque proximum suum persequebatur. Multi autem ante oculos non habentes Dei timorem, occasione ecclesiastici zeli, aduersitatem, quam occultam in cordibus suis habuerant, ad effectum perducere festinabant. Ex quibus vnus existit nostræ tyrannus ciuitatis, quem & ipse non nescis, qui occasione fidei non solum conuiuentes punit, sed & hos etiam, qui olim ad Dominum migrauerunt. Quorum vnus est beatus Theodorus veritatis prædicator & doctor Ecclesiæ, qui non solum in vita sua colaphis cecidit hæreticos pro veritate suæ fidei, sed & post mortem spiritualia arma in opusculis suis Ecclesiæ filijs dereliquit, sicut & tua sanctitas, ad eum conueniens, agnouit, & ex his, quæ ipse conscripsit, credidit. Hunc ausus est, qui omnia in ecclesijs præsumit, clarè anathematizare. Qui propter zelum Dei, non solum propriam ciuitatem ab errore ad veritatem conuertit, sed & longè existentes ecclesias sua doctrina perdocuit, & de libris quidem eius multa vbique perscrutatio facta est, non quia à vera fide existerent alieni. Vidi enim eum, (adhuc illo viuò) frequenter eum laudantem, & in libris eius legebat, sed & propter aduersitatem latentem, quam aduersus eum habuit, quoniam manifestè eum conuicit in Synodo. His ergo malis inter eos gestis, & vnoquoque sicut volebat (sicut scriptum est) ambulante, adorandus Deus noster, qui semper sua clementia curam pro suis gerit ecclesijs, erexit cor fidelissimi atque victoris principis, vt dirigeret virum magnum, & in suo palatio notum, qui cogeret reuerendum atque sanctissimum archiepiscopum Orientis dominum Ioannem, vt reconciliaretur Cyrillo. Ab eo enim fuerat de episcopatu depositus. Et postquam literas Imperatoris accepit, sanctissimum & religiosissimum Paulum Emisenum episcopum direxit, per eum veram fidem scribens & denuncians ei, quia si huic fidei Cyrillus consentiret, & anathematizaret eos, qui dicunt, quia diuinitas passa est, qui dicunt, quia vna natura est diuinitatis & humanitatis, vt ei communicaret. Voluit autem Dominus, qui semper suæ curam gerit Ecclesiæ, quam sanguine suo proprio redemit, vt & cor Ægyptij subigeret, & sine fatigatione fidei consentiret, eamque susciperet, & omnes, qui absque hac crederent, anathematizaret. Et communicantibus inuicem, contentio de medio est ablata, & pax in Ecclesia facta est, & non est in ea iam schisma, sed pax, sicut pridem est. Quæ autem verba sunt, quæ à sanctiss. & Deo amantiss. archiepiscopo Ioanne scripta sunt, & quæ à Cyrillo rescripta susceperit, ipsas epistolas huic, quam ad tuam direxi religiositatem,

Matth. 10.

Iudic. 17. & 21.

Psal. 2.

coniunxi, vt relegens tua sanctitas, agnoscat, & omnibus amantibus pacem denunciet, quia contentio iam quieuit, & medius inimicitiæ paries est ablatus, & qui seditiosè aduersus viuos & mortuos irruerant, in confusione sunt, satisfacientes pro suis excessibus, & contraria docentes suæ priori doctrinæ. Non enim quisquam audet dicere, quia vna est natura diuinitatis & humanitatis, sed confitentur in templum, & in eum, qui in hoc habitat, qui est vnus filius Iesus Christus. Hæc autem scripsi tuæ religiositati ex magno affectu, quem circa te habeo, sciens quia tua sanctitas nocte & die in doctrina Dei semetipsum exercet, vt multis sit vtilis. Ibas reuerend. episcopus dixit: Iubeat vestra clementia, relegi & literas clericorum Edessenorum, vt cognoscatis, quia & ab his, quæ mihi illata sunt, alienus existo, & violentiam sum perpessus. Magnificentiss. & gloriosissimi iudices dixerunt: Relegantur ea, quæ scripta sunt à venerabilibus clericis Edessenis. Et oblatis his, Beronicianus vir deuotus sacri consistorij legit:

CLERICORVM EDESSENAE CIuitatis ad Photium, & Eustathium episcopos literæ.

INSTRVCTIO & deprecatio Deo amantissimis atque sanctissimis Episcopis Photio & Eustathio, ab omni clero Edessenæ ciuitatis. A multis atque diuersis de Phœnice aduenientibus ad nos, cognouimus ea, quæ ab his, qui insurrexerunt in Deo amantissimum & sanctissimum episcopum nostrum Ibam, gesta sunt, perterriti in eo, quod dictum est, (Transcendunt enim & illos, qui sine Deo sunt, & infideles, & hæreticos, & Iudæos, & paganos ea, quę dicta nobis sunt) quia nobis præsentibus dixisset, id est, Deo amantissimus episcopus: Non inuideo Christo facto Deo, quoniam & ego, si volo, possum fieri secundum illum. Et omnes nos, quos dicunt audisse ea, quę dicunt, manifestum facimus vestræ Deo amabilitati coram Dei clementia, quia neque ab eo, neque ab alio vllo tale dictum aliquando audiuimus, neque in aures nostras ingressum est tale aliquid aliquando anathematizantes nosmetipsos, & terribili gehennæ nosmetipsos obnoxios facientes, si nouimus aliquid tale dictum ab eo, aut aliud aliquid contrarium catholicæ fidei. Si enim aliquo tali dicto acquiescerемus, aut communicare ei qui dixit, aut comministrare ei in sacrificio, vltimo supplicio fuissemus obnoxij, tanquam communicantes tali execrationi. Rogamus autem & deprecamur vestram sapientiam, vt eidem Deo amantissimo suadeatis episcopo, quatenùs velociter ad suum gregem reuerti festinet, qui periclitatur ab omnibus lacerari, cùm nullus sit, qui ei adesse præualeat, & maximè festiuitate salutifera sancti diei paschalis imminente, in qua & propter catechismos, & propter eos, qui digni sint sancto baptismate, opus est eius præsentia. Et petimus, hanc institutionem nostram coram vestra sapientia gestis innecti, vt nullum hæc lateant. Et subscriptiones: Fecidas presbyter feci hanc suggestionem cum socijs.

Vrsicinus presbyter feci hanc suggestionem cum socijs.

Eulogius presbyter feci hanc suggestionem cum socijs. Et subscriptione Syra.

Libanius primus presbyter feci hanc petitionem cum socijs.

Rhodon presbyter similiter, & subscriptione Syra.

Leontius presbyter, similiter.

Miochalus presbyter, similiter.

Eusebius presbyter, similiter.

Basilius presbyter, similiter.

Abraamius presbyter, similiter.

Patroinius presbyter, similiter.

Arsenius presbyter, similiter.

Bassus presbyter, similiter.

Strategius presbyter, similiter & subscriptione Syra.

Leontius presbyter, similiter.

Sabbatius diaconus, similiter.

Nicæas diaconus, similiter.

Martyrius diaconus, similiter.

Eulogius diaconus, similiter.

Sabas diaconus, similiter.

Iacobus diaconus, similiter.

Cyrus Leontij diaconus, similitet.

Aphremus diaconus, similiter.

Patricius diaconus, similiter.

Acacius diaconns, similiter.

Sanctius diaconus, similiter.

Sabas episcopus, qui dicitur medicus, similiter, & subscriptione Syra.

Eusebius diaconus, similiter.

Cyrus diaconus, similiter.

Abraamius diaconus, similiter.

Lucianus diaconus, similiter.

Anisius diaconus, similiter, & subscriptione Syra.

Abibus diaconus, similiter.

Andreas diaconus, similiter.

Arbius diaconus, similiter, rogatus subscripsi pro viro reuerend. Hypatio diacono, qui confessus est, se fecisse hanc institutionem cum socijs.

Dadeos diaconus feci hanc institutionem cum socijs, stans pro ea vsque ad mortem.

Abraamius diaconus feci hanc institutionem.

Abibus diaconus similiter rogatus subscripsi pro viro reuerendissimo Valentino diacono, ob hoc quod non poterat. & subscriptione Syra.

Eusebius diaconus feci hanc subscriptionem cum socijs.

Eulogius diaconus feci hanc petitionem cum socijs, & instio pro ea vsque ad mortem.

* Abraamius diaconus, similiter.

Romanus diaconus, similiter.

Paulus diaconus, similiter.

Item Paulus diaconus rogatus subscripsi pro Marea diacono, qui hanc fecit petitionem cum socijs.

Cæsarius diaconus, similiter.

Apeneus diaconus, similiter.

Maronius diaconus, similiter.

Fecidas diaconus, similiter, & subscriptione Syra.

Ioannes diaconus, similiter.

Gerontius diaconus, similiter.

Agapius diaconus, similiter.

Adelphius diaconus, similiter.

Sabas subdiaconus, similiter.

Bassus subdiaconus, similiter, & subscriptione Syra.

Restitutus subdiaconus feci hanc institutionem cum socijs, instans pro ea vsque ad mortem.

Cyrus subdiaconus feci hanc institutionem cum socijs.

Restitutus subdiaconus rogatus subscripsi pro Abibo subdiacono, qui hanc petitionem fecit cum socijs.

Thomas subdiac. similiter, & subscriptione Syra.

Bassus subdiaconus subscripsi pro Abibo lectore, qui se confessus est hanc petitionem fecisse, & subscriptione Syra.

Euphrasius subdiaconus similiter, & subscriptione Syra.

Romulus subdiaconus similiter, & subscriptione Syra.

Eusebius subdiaconus similiter, & subscriptione Syra.

Pœmenius subdiaconus similiter, & subscriptione Syra.

Adelphius lector, feci hanc petitionem cum socijs, & subscriptione Syra.

Euphrasius subdiaconus similiter.

Romillus subdiaconus similiter.

Eusebius subdiaconus similiter.

Pœmenius subdiaconus similiter.

Theophilus lector similiter, & subscriptione Syra.

Ioannes diaconus similiter.

Theophilus diaconus similiter.

Deprecor vos, qui detulit hanc ipsam (nescio quomodo dicitur diaconus, qui eam deportauit) postquam inde proiectus est, si non confessus est coram omnibus clericis, quia ego mutaui verbum illud, vt placerem Episcopo. Et post hæc relatio facta est ab omni ciuitate, & est verbum

Locus obscur⁹, qualis hic & superius cõplures.

in re-

in relatione positum. Iubete quæri, si non confessus est diaconus, quia ego mutaui verbum: misit enim eum à Beryto. Magnificentissimi & glorios. iudices dixerunt: Ea quidem, quę relecta sunt, clarent. Vt autem nihil desit iustè iudicare debentibus, relegantur, quæ in Epheso in vltimum de Iba gesta sunt.

Paschasinus & Lucentius & Iulianus reuerend. episcopi, & Bonifacius reuerend. presbyter vicarij sedis Apostolicæ, per Paschasinum dixerunt: Synodus proferri non potest, in qua illa nefaria delicta relecta sunt, & ob hoc ad lectionem videntur esse superflua ea, quæ ibi sunt acta. Si ergò & à beatissimo Apostolico Romanæ vrbis episcopo omnia, quæ ibi gesta sunt, vana sunt habita: claret, quia & sanctissimus episcopus Antiochenæ ciuitatis extra hæc est, qui post hæc beatissimus episcopus in propria communione susceptit. Necessarium est enim, vt rursus eundem tranquillissimum & Christianissimum principem adeamus, quatenùs illud conciliū sacra & pia lege neq; nominari præcipiat.

Ergo Φ in quolibet Concilio Papa ratum habet, id validum iudicatur, etiā si reliqua omnia fuerint irrita.

Anatolius reuerendus archiepiscopus Constantinopolis nouæ Romæ, dixit: Hinc destructionē ea, quæ in Epheso gesta sunt, habuerunt, ex quo maximè hæc optimè sunt & Deo amabiliter emēdata. Igitur definimus, nihil horum valere, quæ in illa (quæ synodus dicitur) sunt confecta, nisi circa sanctissimum episcopum Maximum maximæ Antiochenæ ciuitatis episcopum, quoniam & sanctissimus Leo Romanus archiepiscopus in cōmunionem eum recipiens, præesse eum Antiochensium iudicauit ecclesiæ, in qua forma sequente ipse consensi. Et præsens omne sanctum Concilium deprecatur pijssimum & Christi amantissimum nostrum Imperatorem, quatenùs & pia lege sanciat, neque synodum illam, quæ post primam in Epheso facta est, nominari, neque quicquam, quod actum est in ea, tenere.

Iuuenalis episcopus Hierosolymorum, dixit: Quod placet ex hoc pijssimo & Deo amantissimo Imperatori nostro, eius imperium Deo amicum sancire dignetur.

Thalassius reuerendus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Hæc eadem & ego sapio, quæ Deo amantissimus & sanctissimus Iuuenalis episcopus.

Eusebius episcopus Ancyræ Galatiæ, dixit. Consona & ego sanctissimo episcopo Iuuenali de hoc negocio & sapio & dico.

Stephanus reuerendus episcopus Ephesi, dixit: Et ego iudico, vt quæ contra canones in Ephesina metropoli facta sunt, infringantur, absq; his, quæ gesta sunt aduersus Dominum Antiochenæ ciuitatis Episcopum, ob hoc, quia ordinatio Deo amantissimi Episcopi Maximi, facta pro eo canonicè in Antiochena metropoli, à sanctissimo Archiepiscopo Leone, & præsente sancto & vniuersali concilio, est susceptа.

Petrus reuerendus episcopus Corinthi', dixit: Neq; abstuli Ibæ sacerdotium, qui nec communicaui Ephesino cōcilio. Et sequor expositionem horum, qui locum sedis Apostolicæ habent, & sanctissimi Archiepiscopi Anatolij.

Diogenes reuerendus Episcopis Cyzici, dixit: Et ego cōsentio sanctissimis Archiepiscopis. Ioannes reuerend. episcopus Sebastiæ, dixit: Simili sententia, qua sanctissimus episcopus Iuuenalis, & ego decerno, omnia authoritati Imperatoris pijssimi & Christi amici reddens.

Constantinus reuerendissimus episcopus Bostræ, dixit: Et ego consentio his, quæ interlocuti sunt patres.

Theodorus reuerendus episcopus Damasci, dixit: Et ego consentio omnibus, quæ à sanctis patribus iustè & sanctè formata sunt.

Critonianus reuerend. episcopus Aphrodisiadis, dixit: Et ego cōsentio his, quæ à sanctis patribus sunt firmata.

Romanus reuerend. episcopus Myrorum Lyciæ, dixit: Omnia, quæ à pijssimis & Christi amatoribus Imperatoribus nostris firmanda sunt de synodo, (quę dicitur esse, cùm non sit) & nos pronè suscepimus.

Eunomius reuerend. episcopus Nicomediæ, dixit: Quod placet sancto Concilio de his, quæ in Epheso gesta sunt, hoc & mihi placet.

Cecropius reuerendus episcopus Sebastopolitanus, dixit: Illud concilium dicere non debemus, quia nec Apostolica authoritate coactum est, neque ritè peractum.

Reuerendissimi episcopi clamauerunt: Omnes hæc dicimus. Igitur hæc relegantur, quæ in Epheso gesta sunt. Magnificentissimi & glorioſissimi iudices dixerunt: Quod placet ei de Iba reuerendo episcopo, sancta synodus docet: Paschasinus & Lucentius reuerend. episcopi & Bonifacius presbyter, tenentes locum sedis Apostolicæ (quia missi Apostolici semper in synodis priùs loqui, & confirmare soliti sunt,) per Paschasinum dixerunt: Relectis chartis, agnouimus ex sententia reuerendissimorum episcoporum, Ibam reuerendissimum innoxium approbari. Relecta enim eius epistola, agnouimus eum esse orthodoxum. Et ob hoc decernimus, ei honorem episcopatus restituendum, & ecclesiam, à qua iniustè & absens expulsus est, reparandam. De sanctissimo igitur episcopo Nonno, qui pro eo pauloantè factꝰ est, existimationis erit venerabilis Episcopi Antiochenæ ecclesiæ, quid oporteat de eo * formari.

Nota authoritatē pontificis Romani. * forte tamen hæc verba ex margine in textum irrepserūt, licet veriſsima sint.

* statui

Anatolius reuerend. archiepiscopus Constantinopolis nouæ Romæ, dixit: Deo amantissimorum episcoporum & iudicum fides ac lectio omnium horū, quæ sunt subsequuta, demonstrant innoxium Ibam reuerendissimum ab accusationibus, quæ illatæ sunt in eum. Vnde omnem in præsenti de eo suspicionem abijcio, quoniam consentit & subscribit ei, quæ nunc de fide sententia data est à sancto concilio, & epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis, & dignum eum iudico episcopatu, & habere curam, in qua pridem existebat, ecclesiæ. De Nonno autem reuerend. episcopo formam dabit Maximus reuerend. Antiochenus episcopus.

Maximus reuerend. episcopus Antiochenus, dixit: Ex ijs, quæ modò relecta sunt, constitui manifestum esse, quia ab omnibus ei illatis, reuerend. Ibas innocens est repertus. Ex relecto verò rescripto epistolæ, quæ reprobata est ab eo, qui aduersarius eius exiſtit, orthodoxa est eius declarata dictatio. Vndè & ego decerno, eum & episcopatus recipere dignitatem, & ciuitatem propriam, sicut visum est & sanctiſſ. archiepiscopis, & qui locum sanctiſſ. archiepiscopi Leonis retinent, & qui regiæ ciuitatis est, sanctiſſ. archiepiscopo Anatolio. De reuerend. quippe Nonno episcopo, qui pro eo factus est, manente in eadem Episcopatus dignitate, manifestū est, æſtimaturū me esse cum Deo amantissimis Episcopis eiusdē diœceſis meæ, & de eius ordinatione deliberare.

Iuuenalis Hierosolymitanus Episcopus, dixit: Qui conuertuntur, hos scriptura diuina suscipi iubet. Quapropter & eos, qui ab hæreticis reuertuntur, suscipimus. Vndè perquam reuerend. Ibam impetrasse clementiam, quia & senex est, & vt habeat episcopatus gradum, orthodoxus exiſtens.

Thalassius reueren. Episcopus Cæsareę Cappadociæ, dixit: Reuerend. episcopis Photio & Eustathio comprobantibus Ibæ negocium, & non adiudicantibus eum horum opinione suasus & ego, volo permanere eum in sacerdotio, sicut & sanctiſſimis præsulibus visum est, maximè quia in gestis promisit, vt anathematizaret illa, quæ accusatores aduersus eum deposuerant ex scripto.

Eusebius Episcopus Ancyræ, dixit: Lectio sententię, quę in Tyro prolata est à sanctiſſimis Episcopis Photio & Eustathio, docuit, quia reuerend. Ibas in illo iudicio anathematizauit Nestorium, & eius impia dogmata, & rectis consensit dogmatibus. Quapropter & præfati reuerend. episcopi hanc satisfactionem recipientes, vt oporteret eum habere episcopatum, comprobauerunt. Et in præsenti igitur eūdem religioſiſſimum Ibam, anathematizantem Nestorium & eius impia dogmata, permanere in sacerdotio volo.

Stephanus reuerend. episcopus Ephesi, dixit: Reuerend. Ibam anathematizātem Nestorium & Eutychen & eorum dogmata, & ego decerno, sicut & sancti patres, in ordine episcopatus exiſtere.

Diogenes reuerend. episcopus Cyzici dixit: Sententiam quæ prolata est à sanctiſſimis episcopis Photio & Eustathio de Deo amantissimo episcopo Iba, teneri iudico, maximè quia & eius accusatores ibi impositi, subscriptione propria expositæ illi diffinitioni consentiunt, quæ nunc relecta est in sancto hoc & vniuersali concilio.

Constantinus reuerendissimus episcopus Bostræ, dixit: Et ego consentio ijs, quæ benè visa sunt sancto concilio de Iba Deo amantissimo episcopo.

Theodorus reuerendissimus episcopus Damasci, dixit: His, quæ consequenter & canonicè à sanctis Patribus diffinita sunt super persona Ibæ Deo amantissimi, & ego consentio.

Meletius episcopus Lariſſæ, habens locum Domni reuerend episcopi Apameæ, dixit: Et ego consentio ijs, quæ benè diffinita sunt à sanctissimis patribus, de reuerend. episcopo Iba.

Romanus reuerend. episcopus Myrorum Lycię, dixit: Sicut relectorum nobis fides suasit, & ego decerno, eundem reuerendum Episcopum Ibam permanere in sacerdotio, sicuti est & à sanctissimis Patribus & Archiepiscopis diffinitum, vtique eo anathematizante Nestorium, Eutychen, & ea, quæ impiè sapuerunt.

Eunomius episcopus Nicomediæ, dixit: Iam quidem ex ijs, quę relecta sunt, innoxius approbatus est reuerend. Ibas. In quibus etenim dicendo malè culpare visus est beatissimum Cyrillum, in postremis rectè confessus, illa, in quibus culpauerat, refutauit. Vndè & ego, anathematizantem eum Nestorium & Eutychen, & impia eorum dogmata, & consentientem ijs, quæ sanctissimo episcopo Leone scripta sunt, & huic vniuersali concilio, dignum esse episcopatu decerno.

Ioannes episcopus Sebastiæ, & Seleucus episcopus Amasiæ, & Constantinus Episcopus Melitenus, & Patricius episcopus Tyanorum, & Petrus episcopus Gangrorum, & Atarbius episcopus Trapezuntis, habens & locum reuerend. episcopi Dorothei Neocæsareæ, dixerunt: Definitio reuerend. episcoporum Photij & Eustathij demonstrat innoxium, reuerend. Ibam, similiter autem & Ibę abnegatio, facit nos ad eum recipiendum proniores. Amica etenim semper est Domino Christo clementia. Vnde secundum iudicium sanctorum præsulum & totius sancti concilij, iustum decernimus & nos, eum recipere gradum episcopatus.

Francion episcopus Philippopolitanus, & Basilius Episcopus Traianopolitanus, dixerunt: Qui in iudicio neque præsens fuit, sed neque aduocatus est, eum nullo modo lædi per sententiã, quæ aduersus eum prolata est, iudicamus.

Nunechius reuerend. Episcopus Laodiceæ Phrygiæ, dixit: Condefiniuimus ea, quæ definita sunt à sanctis patribus de Iba reuerendo episcopo.

Florentius episcopus Sardeorum Lydiæ, dixit: Et ego eadem colloquor ijs, quæ præfata sunt de Iba reuerendo episcopo.

Eusebius reuerend. Episcopus Dorylei, dixit: Tantis patribus sanctis episcopatum reuerend. Ibæ reddentibus, & ego consentio.

Omnes reuerend. episcopi clamauerunt: Omnes eadem dicimus. Nestorium modò anathematizet. Eutychen & eius dogma modò anathematizet. Ibas reuerend. Episcopus dixit: Et iam in scripto anathematizaui Nestorium, eiusq; dogma, & nunc anathematizo eum decies millies. Quod enim semel cum satisfactione fit, si fiat decies millies nõ contristat. Anathema & Nestorio & Eutychi, & vnam dicenti naturam. Et omnem eum, qui non sapit, sicut hęc sancta synodus, anathematizo. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices, dixerunt: Quæ iudicata sunt à sancto concilio de Iba reuerendissimo episcopo, propriam fortitudinem retinebunt. Legi, legimus, legi, Constantinopoli, 6. Kalend. Aprilis indictione 13. feria sexta.

CHALCEDONENS. CONCILII *Actio II.*

COnsulatu domini nostri Martiani perpetui Augusti, & qui fuerit nunciatus, 4. Kalend. Nouemb. in Chalcedona, secundum iussionem diuinissimi & pijssimi nostri domini Imperatoris, conuenientibus in sanctissima ecclesia sanctissimæ martyris Euphemiæ magnificentissimis iudicibus, & sancto & vniuersali concilio, ex diuali decreto in Chalcedonensium ciuitate collecto, & residentibus omnibus ante cancellos sancti altaris, ingressus Bassianus reuerend. pridem factus episcopus in Ephesiorum metropoli, adhærente sibi etiam Cassiano reuerendo presbytero, dixerunt: Violentiam passus, adij pijssimum nostrum Imperatorem, eiq́ue supplicaui, & direxit diuinas literas ad sanctum & vniuersale concilium, vt me audiat. Et quoniam omnia, quæ mouentur in sancto concilio, diuinus apex præsente vestra magnificentia præcepit examinari, rogo vestram potestatem, sanctumq́ue concilium, vt literæ diuinę legantur, & mihi, quæ sunt iusta, seruentur. Gloriosissimi iudices dixerunt: Literæ diuinæ legantur. Quibus traditis, Beronicianus vir deuotus, magistrianus & secretarius diuini consistorij, legit: Imperatores Cæsares Valentinianus & Martianus, victores & triumphatores maximi, semper colendi Augusti, sancto concilio, quod sacro nostro decreto Chalcedonæ collectum est. Bassianus reuerendissimus multa incongrua passus, quæ precibus eius, ijs nostris diuinis literis subdita, continentur, petit à vestra sanctitate hæc discuti. Festinet igitur vestra reuerentia, has nostras suscipiens literas, causam discutere, & formam, quæ vobis fuerit visa, proferre. Gloriosissimi iudices dixerunt: Et preces, quæ subiectæ sunt, relegantur. Idem relegit:

Epistolia Imperatorũ pro Bassiano.

Bassiani Episcopi literæ ad Valentinianum & Martianum Imperatores, supplicatoriæ pro causa sua.

TErræ, marisq́ue, & totius humani generis dominis, Flauijs Valentiniano & Martiano perpetuis Augustis, supplicatio & deprecatio, à Bassiano humili & pusillo episcopo. Omnis salus violentiam patientium, post Deum vestra tranquillitas est, præcipuè autem sacerdotum Christi. Quapropter & ego ad has preces veni prouolutus vestigijs vestris, vt mei misereamini. At verò, quæ in me præsumpta sunt, lachrymis & gemitibus plena, & inenarrabilia esse noscuntur. Sed vt breuiter pietati vestrę suggeram, quidam eorum, qui sacerdotio funguntur, necnon & alij, crudelia & interdicta legibus, in me facere præsumpserunt, & talia, quæ neque à Barbaris sunt aliquando commissa. Spernentes enim Dei timorem, & immaculatorum virtutem mysteriorũ, quam ex humilimis manibus meis Dei misericordia susceperunt, postquàm à nobis mysteriorum perfectio celebrata est, repentè apprehendentes me, & abripientes de sancta ecclesia, plagis afficiebant, ducentes & portantes in foro, aliquandò quidem & recludentes, & gladijs perturbantes. In ijs itaque, dum ipsius vitæ periculum sustinerem, furentes & abripientes pallium sacerdotij mei, in sede posuerunt quendam ex ijs, qui & ipse præsumpserat ea, quæ in me incongruè facta sunt, & in locum meum. Et post hæc, quascunque res habueram mobiles vel immobiles, abstulerunt, & sicut voluerunt, sibi partiti sunt. Super hæc etiam, multos hominum meorum diuersis plagis morti tradiderunt, ita vt funera ante ianuas sanctæ Dei ecclesiæ quidam exponerent. Quia ergò (Deo mihi teste & hominibus potentibus atque venerabilibus) in nullo culpabilis extiti in ijs, quæ in me dicta sunt, atque in me præsumpta: supplico vestræ pietati, & voluor diuinis vestris sacratisq́ue vestigijs, quatenus sancire dignetur vestra cælestis potestas, sacra vestra subnotatione missa ad sanctum concilium, vt cognitio fiat inter me miserrimum, & eos, qui in me talia præsumpserunt, atque dicunt aliquid se aduersum me habere. Hoc insuper sancire vestram diuinitatem exoro, vt nulli liceat exactionem mihi quãdam inferre, donec terminus proferatur eorum, quæ inter me & aduersarios aguntur. Quoniam verò consuetudo illorum est, hoc facere, ne in eos videar prævalere, & vt ea, quæ mihi ab eis inferuntur, vel à me dicuntur coram sacerdotibus in sancto concilio, vestris sacratissimis auribus referantur, & vt detur nobis, qui debeat, quæ ab eis definita fuerint, effectui mancipare, vt ijs potitus, consuetas orationes referam incessanter Deo pro vestrę potestatis imperio. Gloriosissimi iudices dixerunt: Dicat Bassianus reuerend. nomina eorum, qui ab eo sunt accusati. Bassianus reuerend. dixit: Multi quidem sunt, princeps tamen horum ipse est, qui nũc episcopus est, Stephanus. Hic enim & sedem meam tenet & res, & rogo omnia examinari. Necessarium est enim potius sacerdotium, quàm possessiones. Quæratur enim, si quid peccaui: probent patres nostri, & sicut volent, decernant. Gloriosissimi iudices dixerunt: Stephanus reuerend. episcopus ad

ista respondeat. Stephanus reuerend. episcopus dixit: Sunt hic episcopi Asianæ diœcesis. Veniant, & probamus, quæ nostra sunt. Est episcopus Magnesiæ Leontius, Meonius episcopus Nyssæ, Proterius episcopus Smyrnę, & cæteri, qui hic sunt. Glorioſissimi iudices dixerunt: Interim tu respondе. Stephanus reuerend. episcopus Ephesi, dixit: Iste neque ordinatus est in Epheso, sed vacāte sancta ecclesia, colligens seditiosorum turbam cum gladijs & alijs quibusdam arenarijs, superingressus est, & sedit ibi. Si hunc iudicat vestra magnificentia esse episcopum, alia ratio est. Hoc ergò expulso, secundum regulas, & proiecto, dignè me quadraginta episcoporum Asianorum decreto, & nobilium, & plebis, & totius reuerendi cleri, & omnis ciuitatis ordinauerunt: Hodie enim quinquaginta annos habeo in Ephesino clero. Bassianus reuerendissimus Episcopus dixit: Noli me circūuenire. Et ego regulariter factus sum episcopus, & ostendo hoc, & à nullo depositus sum, nec accusatus ab aliquo, neque culpatus ab aliquo. Sed ego à iuuenili ætate mea vixi cum pauperibus, & ptochium feci, & in eo posui septuaginta lectos, & omnes languentes & vlceratos hospitio suscipiebam. Memnon autem, qui fuit episcopus Ephesi, inuidiam habens in istis, quoniam diligebar ab omnibus, hoc egit, vt expellerer è ciuitate, & immisit manus suas, vt me ordinaret episcopum * Euasorum, & hoc fecit. Ego autem non acquiescebam, sed ab hora tertia vsque sextam coram altari me plagis expendit, & afflixit, & sanctum euangelium & altare sanguine est impletum. His igitur ita gestis, ego permansi sic, neque ad ciuitatem vadens, neque penitus ecclesiæ illi communicans, in qua nominatus fueram, neque penitus ipsam ciuitatem videns. Mansi ergò sic, & contigit ipsum Memnonem finem vitæ suscipere. Post hæc ordinatus est Basilius. Is autem euocans concilium prouinciæ, & agnoscens ab eis violentiam, quam fueram passus, & quoniam * machinatio fuerat in illa ciuitate, alium ordinauit episcopum, mihi verò reddidit communionem, & locum episcopatus. Contigit iterum, & hunc finem vitæ suscipere, me autem cum multa necessitate & vi, inthronizauerunt in eadem ciuitate Ephesi populus & clerus & episcopi, quorum vnus, episcopus Olympius hic est. Agnoscens autem hæc noster pijssimus Imperator, repentè hoc confirmauit, & continuò per commonitorium apertè declarauit, confirmans episcopatum. Postea direxit sacram per Eustathium silentiarium, quibus iterum confirmauit episcopatum. Veni autem in regiam Constantinopolim, & suscipiens nos idem * rerum dominus, id est, me, & eum, qui erat in ipsa regia ciuitate, episcopum Proclum, amicos nos fecit. Et communicaui cum eo, & cum omnibus episcopis, qui per singula tempora sunt reperti. Et faciens synodicam idem sanctissimus Proclus, direxit, & ciuitati, & episcopis & clericis. Mansi itaque sic ego quatuor annis, ita vt decem episcopos ordinarem, & multos clericos. Et cùm in pace degeremus, quæ etiam per relationem suam manifestauerunt ipsi reuerend. episcopi, & reuerendus clerus, pijssimo nostro Imperatori, & perpetuæ Augustæ, & placida voluntate suscipiens eorum pietas, repentè rescripsit mihi, & ipsis sanctissimis episcopis, & clericis, & direxerunt per Silentiarium. Relectis autem diuinis syllabis, omnes nos glorificauimus Deum, quia eorum pietas de ecclesiarum pace sic cogitauit. Crastina autem die Missas celebrauimus omnes simul, & post Missas, manus inijcientes, incluserunt me & cum vi abripuerunt pallium sacerdotij mei, & omnia bona mea, & sumentes vnum ex ipsis hunc Stephanum, fecerunt eum episcopum. Stephanus reuerend. episcopus Ephesi, dixit: Iubeat vestra potestas, episcopos, qui sunt hic, venire, vt appareat veritas coram vestra magnificentia. Glorioſissimi iudices dixerunt: Pro qua re vocas reuerend. episcopos? Stephanus reuerend. Episcopus Ephesi, dixit: Vt testentur de vniuersis, quæ gesta sunt, quandò ipse superintrauit in sanctam ecclesiam cum gladijs & arenarijs, & alijs quibusdam, & sedit in sede. Et pro hoc expulsus est à sanctis patribus, & à sanctissimo regiæ ciuitatis Romæ Leone, & à beatissimo sanctæ memoriæ Flauiano Constantinopolitanæ vrbis, & ab Alexandrino, & Antiocheno: ab his enim expulsus est. Ecclesiastico enim iudicio mea humilitas constituta est. Cognouerunt omnes, & consenserunt, & sanctæ memoriæ Theodosius Imperator, & vniuersa synodus. Pro his enim misit sanctæ memoriæ Imperator Theodosius Eustathium primicerium silentiariorum, vt cognosceret inter eum & clerum, & pauperes, qui ab eo iniustitiam fuerant passi. Venit in * Epheso beatæ memoriæ Eustathius. Tres menses fecit cognoscendo. Quædam cognouit, & terminum, quem decreuit, beatæ memoriæ Eustathius suscepit, & confessiones exposuit, & clericis & pauperibus ecclesiæ hæc manifesta sunt. Sunt hic episcopi. Veniant huc, & fateantur, si aliter dico. Iubeat ergò vestra magnificētia venire eos. Nunquid cum eis ordinatus est? Superintrauit ibi. Hodiè quatuor anni sunt. Et Romanus episcopus eum deposuit, & Alexandrinus eum damnauit. Videat epistolam scriptam à beatissimo Papa Leone vestra manificentia. Glorioſissimi iudices dixerunt: Confiteris reuerendissimum Bassianum quatuor annis obtinuisse sanctam Ephesiorum ciuitatis ecclesiam, velut episcopum? Stephanus reuerendissimus episcopus Ephesi, dixit: Vt tyrannum, non vt episcopum. Quomodò enim obtinere poterat, qui per manus impositionem constitutus non est, sed cum gladijs est ingressus, & sedit ibi? Iubeat vestra magnificentia Episcopos ingredi. Glorioſissimi iudices dixerunt: Ostendat Bassianus reuerendiss. si per Synodum reuerendissimorum Episcoporum, & consueta lege Episcopus Ephesiorum Metropolis est constitutus. Bassianus reuerend. episcopus dixit: Euazorum ego neque factus sum, neque profectus illuc, sed vim passus, denominatus sum episcopus. Canones manifesti sunt. Dicant patres, si præiudicium est ordinari, nec proficisci. Ipsi dicant. Nouerunt regulas. Supplico, vt audiar. Interim præsumptio declaretur, qua authoritate sua clauserunt me, & tunc de sacerdotio quærimus. Violentia primò quæratur.

Stephanus reuerend. Episcopus Ephesi, dixit: Supplico, vt canones relegantur, qui dicunt, vt is qui in alia ciuitate ordinatus est, constitui non possit in altera. Glorioſissimi iudices dixerunt: Relegantur hi canones.

Leontius reuerendissimus Episcopus Magnesiæ, ex codice relegit regulam nonagesimamquintam: Si quis Episcopus vacans, super Ecclesiam vacantem semetipsum inijciens, subripuerit sedem præter perfectum Concilium, hunc expellendum esse, licèt omnis populus, quem arripuit, eum elegerit. Perfecta verò Synodus illa est, cui interest & Metropolitanus Episcopus. Idem reuerend. Leontius ex eodem codice legit regulam nonagesimam sextam: Si quis Episcopus ordinationem acceperit episcopatus, & populo præesse decretus, non acquieuerit ordinationi, neque ei persuasum fuerit proficisci ad Ecclesiam sibi commissam, hunc excommunicatum esse, donec coactus acquiescat, aut quicquam de eo episcoporum prouinciæ Synodus perfecta definiat. Glorioſissimi iudices dixerunt: Reuerendissimus episcopus Bassianus edoceat, quis eum fecit Episcopum. Bassianus reuerendissimus episcopus dixit. Vnus eorum, qui me inthronizauerunt, hic est, Olympius. Nescio alios. Hunc recordor. Lucianus reuerendissimus episcopus Byziæ, dixit: Qui habuit ius, suscepit eum bonæ memoriæ Proclus, & suscepit eum beatæ memoriæ Theodosius pijssimus Imperator. Et vocans eos, amicos effecit, sed tamen cur est expulsus? Stephanus reuerend. Episcopus Ephesi, dixit: Beatus sanctæ memoriæ Flauianus expulit eum. Glorioſissimi iudices dixerunt: Quoniam memoria facta est Olympij reuerend. episcopi, tanquàm is inthronizauerit Bassianum reuerendiss. episcopum, Olympius, si hæc ita sunt, nos edoceat. Olympius reuerend. episcopus Theodosiopolis, dixit: Post mortem episcopi, qui illo tempore fuit in ciuitate, in qua ordinatus sum episcopus Theodosiopolis, in ea degebam. Mandauerunt mihi clerici eiusdem ciuitatis Ephesi, dicentes: Veni huc, vt regulariter ordinationem suscipiat ciuitas, quoniam dormiuit sanctæ memoriæ Basilius, qui fuit Episcopus. Ego verò has literas accipiens, aduenì, credens quia & alij reuerendiss. episcopi vocarentur. Ante tres autem dies quàm ingressus essem Ecclesiam, vt is inthronizaretur, dum applicassem in quodam hospitio, sustinebam etiam reuerend. episcopos, vt regulariter secundum morem ordinatio proue-

niret.

Ptochion est locus ad recipiēdos mendicos.

Vangensium, habetur in libro sancti Liberati.

* maligna tio,

* reuerendus dominus.

Arenarij sunt, qui pugnāt in arena gladiatores.

Antioch. cōcil. c. 16.

Antioch. cōcil. c. 17

niret. Vt ergò primam & secundam & tertiam sustinuissem diem in hospitio, & alter nullus Deo amicissimorum est inuentus Episcopus, dicebam: Solus ego quid possum efficere? Quoniam extra subtilitatem canonum est, solum episcopum disponere ecclesiam, & maximè tantæ Metropolis. Cùm ergò hæc loquerer mecum, circundedit mansionem, in qua eram, innumera multitudo: & (Noui enim, quo consisto coram tanta potestate, & coram altari) quidam enudans gladium, *Holosiricus nomine, qui (puto) comitianus est, venit & ipse, & omnis multitudo, & portantes me, profecti sunt in ecclesiam. Et ita cum ducentis aut trecentis hominibus, & me, & ipsum leuauerunt ad sedem, & inthronizatio celebrata est. Vsque ad hoc, quemadmodum factum est, noui. Bassianus reuerend. Episcopus dixit: Mentitus est. Glorioſissimi iudices dixerunt: Si Proclus sanctæ memoriæ, qui fuit Archiepiscopus regiæ Constantinopolis, suscepit Bassianum reuerend. episcopum, & communicauit ei, tanquàm episcopo Ephesiorum metropolis, reuerendus clerus sanctæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ nos edoceat.

Hæc dicit in veritatis assertionem per interpositionē.

Theophilus reuerendus presbyter Constantinopolis sanctæ Ecclesiæ, dixit: Vt coram Deo & suscepit eum sanctæ memoriæ Proclus communicantem, & synodalibus literis *honorans dimisit eum ad Ephesum, & in diptychis posuit eius nomen, & recitabatur vsque ad modicum tempus. Omnes reuerendissimi clerici sanctissimæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ, dixerunt: Et nos hæc dicimus. Suscepit enim eum, & communicauit ei beatæ memoriæ Proclus, & fecit synodicas literas, & in diptychis eum posuit.*

*honoratum.

Glorioſissimi iudices dixerunt: Nunc Stephanus reuerendiss. episcopus dicat, quemadmodum nouit Bassianum reuerendiss. episcopum ab episcopatu remotum, & si ipse per Synodum ordinatus est. Stephanus reuerendiss. episcopus Ephesi, dixit: Relatum est ad Episcopum Alexandrinæ ciuitatis sanctissimæ memoriæ, & Theodosio principe scribente, illuc allatæ sunt literæ à beatissimo & sanctissimo Papa Romano, quatenùs istum esse non oporteret episcopum, & manifestæ sunt literæ. Iubete venire notarios, vt declaretur, quomodò remotus est, & quomodò ego sum ordinatus. Nos propter fidem venimus. Nūquid sciebam, quoniam hoc potuisset emergere? Semel finem accepit causa. Venit Silentiarius, ibi tres menses fecit, cognoscens inter eum & clericos. Clarent ea, quæ definita sunt. Bassianus episcopus dixit: Stephan' presbyter meus fuit. Quatuor annis mecum Missas celebrabat, mecum communicabat, & communicabat mihi tanquàm episcopo. Et ipsa die, qua recluserunt me, simul communicauimus, & arripuit me, & inclusit me. Et ista sum passus per virtutem Dei. Aquam quæsiui, & non mihi dederunt. Tribus mensibus habuerūt me clausum. Episcopi autem, qui à me ordinati sunt, ipsi & hunc ordinauerunt episcopum, dum essem inclusus. Si non sum ego episcopus, neq; illi, qui à me sunt ordinati, esse debent episcopi neque clerici.

*Dypticū est, in quo, (vt est infra in epistola Aegyptiorū ad Anatolium episcopum Constantinopol.) piæ memoriæ transitum ad cælos habentiū episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum, secūdum sanctas regulas, relegūntur.

Cassianus presbyter, qui fuit cum Bassiano reuerend. dixit: Media hebdomada coëgerunt nos, & introduxerunt in baptisterio Stephanus reuerendus episcopus, & Meonius, & dederunt mihi euangelium, & coniurauerunt me, & dixerunt: Veni, iura mihi non discedere ab eo, sed viuere cum eo, & mori cum eo, & non tradere eum. Dixi: Hodie viginti quinque annis communico, Constantinopoli negocium agens: & Deus est qui nouit, quia nunquàm iuraui alicui: & nunc dum presbyter sum, cogitis me iurare? Qui sumentes euangelium dederunt, & iuraui eis. Et quinta feria de sancto pascha tollentes, & ipsum incluserunt, & me ceciderunt, & debilem fecerunt calcibus. Et adduxerunt tres subdiaconos, & vesperè tulerunt & duxerunt me in domo mea, & posuerunt me semiuiuum, & phlebotomauerunt me. Vt ergò non peierarem, hodie quatuor annos habeo, errando, mendicando Constantinopolim, vt non peierarem nomen filij Dei. Lucianus reuerendus Episcopus Byziæ transiens in medium, dixit: Obstrinxerunt nos reliqui episcopi, nobiscum residentes, vt vnusquisque, quod nouit in veritate ad pietatem tendere, dicat. Et licèt ex nobis ipsis bonum esset hoc facere, veruntamen dicimus, quoniam quatuor annis operatus est in sede sine contentione, sine contradictione, & ordinauit decem episcopos, & clericos multos, & communicauit ei, qui nunc est episcopus Stephanus, cùm esset eius presbyter, & omnes reliqui clerici. Et quomodò possibile est, nunc Bassianum expelli præter consequentiam regularem, cùm præcipuè beatissimus Proclus regiæ Constantinopolis episcopus, ei communicauerit, & per synodicas literas firmauerit eius episcopatū? Meliphthongus reuerendus episcopus Iuliopolis, transiens in medium, dixit: Oportebat eum, qui quatuor annis sine contentione episcopatum obtinuit, aut accusari, aut sic sine iudicio non iactari. Et quoniam & ego coniuratus sum ab episcopis iuxta me sedentibus, quatenus transiens in medium, dicam ea, quæ cunctos mouent, tanquam os effectus reliquorum residentium Episcoporum, ex persona cunctorum hæc refero & sancto concilio & vestræ potestati, quæ Lucianus reuerendus episcopus dixit. Stephanus reuerendus episcopus dixit: Sanctissimus Archiepiscopus Leo Romanus hunc damnauit, quoniam præter regulas factus est. Cecropius reuerendus episcopus Sebastopolis, dixit: Domine Stephane, cognosce, quantum potest Flauianus beatæ memoriæ & post mortem. Reuerend. episcopi & clerici Constantinopolitani clamauerunt: Veritas sic habet. Omnes hæc ipsa dicimus. Flauiano æterna memoria. Ecce vltio, ecce veritas. Flauianus post mortem viuit. Martyr pro nobis oret. Flauianus post mortem fidem exposuit. Flauianus hic est, Orthodoxus hic est. Multos annos Imperatori. Flauianus nobiscum iudicat. Glorioſissimi iudices dixerunt: Omnibus examinatis de Bassiano & Stephano reuerendis, relectis etiam canonibus, dicat sancta Synodus, de episcopatu Ephesio quid ei videtur. Reuerend. episcopi clamauerunt: Iustitia Bassianum vocat, Regulæ valeant. Glorioſissimi iudices dixerunt: Nobis quidem videtur, neque Bassianum reuerendum dignum existere, vt sit Ephesiorum ciuitatis episcopus, quoniam ex inuasione violenta episcopatum sibimet vendicauit: neque Stephanum reuerendum episcopum, qui per coniurationes, & tales adinuentiones episcopatum sibimet acquisiuit. Iustum verò esse, vt eligatur alter, qui & fidem & integrè sciat, & vita noscatur ornatus, vt esse possit episcopus. Totum autem Concilio sancto relinquimus, quatenus sententiam, quæ in hac causa fuerit visa, deprom at. Sancta Synodus clamauit: Hæc iusta sententia est. Hoc Dei iudicium est. Christus iudicauit causam. Deus per vos iudicat. Hæc sententia Christi est. Canones & leges vos custoditis. Multos annos iudicibus, multos annos Concilio. Paschasinus reuerendus episcopus obtinens locum Apostolicæ sedis, dixit: Clarent, quæ ab vniuerso Concilio dicta sunt, quid de hac causa siue personis videatur, & *nostram & horum est confirmare sententiam. Anatolius reuerendus Archiepiscopus Constantinopolis, dixit: Eos, qui se contra legem sponsæ Christi Ephesinæ ecclesiæ coniunxerūt, hos decenter legibus suis ius expellit. Igitur & qui insiliuit sedi Bassianus reuerendus episcopus, & qui post illum inordinatè semetipsum immisit Stephanus reuerendus episcopus quietem habeant, cessantes ab operatione eiusdem Ecclesiæ. Dabitur autem Ephesiorum metropoli episcopus, à Deo monstratus, & ab omnibus, qui pascendi sunt, eligendus est ad ordinationem episcopatus, qui rectè prædicet verbum veritatis, memoratis scilicet dignitatem in episcopatu habentibus & cōmunionem necessariaq; salaria, quæ à sanctiss. consequentur ecclesia. Sancta synodus exclamauit. Hæc iusta sententia, *hoc iustum iudicium est. Eusebius reuerend. episcopus Dorylei, dixit: Inuasio reuerendi Bassiani euersionem habet, & extra regulas etiam inordinatè facta ordinatio in Stephanum. Vndè, si videtur, ambo debent Ephesiorum metropolis episcopatu vacare. Ordinari autē regulariter debet Episcopus prædictæ metropoli, vita & fide cōpositus. Asiani reuerend. episcopi prostrati, dixerunt: Miseremini nostri. Nos supplicamus sancto concilio, vt misereatur filiorum nostrorum, ne fortè propter nos & nostri filij moriantur, vt nobis *clementia condonetur: nam si Bassiano successorem suadeat aliquis hic ordinari, & filij nostri moriuntur, & ciuitas deperit. Glorioſissimi iudices dixerunt: Quoniam secundum voces sancti concilij, neque Bassianus, neque Stephanus reuerendiss.

Sententia synodi contra hos duos episcopos contendentes

*nostrum

*Dei est

*clementer

episcopi in Ephesiorum ciuitate sunt digni, Asiani autem episcopi hic reperti, dicunt: Si hic ordinetur alter Episcopus Ephesiorum, conturbari ciuitatem, dicat sancta synodus, vbi volunt Episcopum Ephesinæ sanctissimæ Ecclesiæ canones ordinari. Reuerend. episcopi clamauerunt: In prouincia. Diogenes reuerendiss. episcopus Cyzici, dixit: Consuetudo hoc habet, si factus fuisset à Constantinopolitano Episcopo, non habuerunt* hæc agi.* Vbi enim Galgamarios ordinant, & propterea euersio fit. Leontius reuerendiss. episcopus Magnesiæ dixit: A sancto Timotheo vsque nunc, vigintiseptem Episcopi facti, omnes in Epheso sunt ordinati, solus Basilius violenter hic factus est, & multæ cædes hinc ortæ sunt. Philippus reuerend. presbyter Constantinopolitanæ sanctissimæ Ecclesiæ, dixit: Sanctæ memoriæ Ioannes episcopus Constantinopolitanus quindecim episcopos deposuit, profectus in Asiam, & pro eis alios ordinauit, & Memnon hic* ordinatus est. Ætius Archidiaconus Constantinopolis, dixit: Et Castinus hic ordinatus est, Heraclides, & alij cum voluntate nostræ vrbis Archiepiscopi ordinati sunt. Basilium similiter beatæ memoriæ Proclus ordinauit, & beatæ memoriæ quidē Theodosius Imperator huiusmodi ordinationi cooperatus est, & beatæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus episcopus. Reuerend. episcopi clamauerunt: Canones obtineant. Clerici Constantinopolitanæ Ecclesiæ clamauerunt: Ea, quæ sanctorum patrum centum quinquaginta sunt, teneant priuilegia Constantinopolis, ne depereant. Ordinatio secundum morem ab archiepiscopo nostro fiat. Gloriosissimi iudices dixerunt: Perspicimus, quia hic deliberatione opus habet sanctum concilium, de ordinatione Ephesinæ episcopatus Ecclesiæ. Vndè si videtur, cras hoc perfectius disponatur.

*hic locus obscurus.

*fumatus

CHALCEDONENS. CONCILII *Actio 12.*

SImiliter tertio Kalendarum Nouembrium, eodem cōsulatu, in eadem sanctissima ecclesia residentibus suprà scriptis magnificentissimis & gloriosissimis iudicibus, & eodem sancto & generali concilio, Gloriosissimi iudices dixerunt: Solicitudo necessaria Reipublicæ negligitur à nobis, propter fidem in sancto concilio continuò occupari à diuino apice iussis. Quia ergò multum nos à necessarijs Reipublicæ causis abduci non est possibile, velocem quæstionibus solutionem imponere festinantes, primo ordine dicere sanctam synodum petimus, si quid maius deliberauit de sanctissima Ephesiorum Ecclesia, vtrùm alium ei Episcopum oporteat ordinari, an certè Bassianum reuerendiss. Episcopum recipere episcopatum, an Stephanum reuerendiss. Episcopum esse. Omnia enim, quæ ad eos pertinent, sicut nouit sancta synodus, hesterno die sufficienter examinata noscuntur. Anatolius reuerendiss. archiepiscopus Constantinopolitanus, dixit: Mihi placet, si etiam sancto concilio videtur, neutrum horum illius esse ciuitatis Episcopum, sed alium ordinari, eo quòd præter canones sibimet episcopatum vsurparunt: habere autem eos & dignitatem episcopatus, & à sancta pascendos Ecclesia. Paschasinus reuerend. Episcopus obtinens locum apostolicæ sedis, dixit: Bassianus vel Stephanus episcopi, sicut cognitio manifestauit, non bono ordine vterque Ephesiorum ecclesiam detinuisse noscūtur. Hac ergò gratia, si omnis sanctissima synodus consentit, his remotis, alter regulariter ordinetur.

Lucentius reuerendiss. episcopus, obtinens locum apostolicæ sedis, dixit: Non est canonicum ambos esse.

Iulianus reuerendiss. Coensium ciuitatis episcopus, & ipse vicarius Romanæ Apostolicæ sedis, dixit: Non debent ambo proijci.

Gloriosissimi iudices dixerunt: Quoniam sæpè nobis interloquentibus & poscentibus proferri sententiam de episcopatu sanctæ ecclesiæ in Epheso constitutæ, perfecta responsio non est data, venerabile & immaculatum Euangelium in medio proferatur. Et allato sanctissimo Euangelio in medio, gloriosissimi iudices dixerunt: Similiter petitionem rursus offerimus, propositis sanctis euangelijs adhortantes vos, neque duorum quemquam lædere, si fortè quisquam eorum dignus est, vt in memoratis* sanctissima Ecclesia episcopatum debeat obtinere, siue si vterque indignus est, declarare. Vndè secundum Deum, & secundum quod dignum est atque decens ac vtile sanctæ ecclesiæ, quæ sunt iusta, decernite.

*sanctiss. ecclesiæ.

Anatolius reuerend. episcopus Constantinopolitanus, dixit: Et dudum dixi, mihi videtur, si etiam sanctissimo concilio placet, vt neuter eorum sit Ephesiorum ciuitatis Episcopus, sed alius ex electione omnium, qui poscendi sunt, ordinetur ad gubernandum episcopatum, eò quòd ambo præter regulas sibimet episcopatum vsurpauerunt: habere autem eos & dignitatem episcopi, & communionem, & ab ecclesia esse pascendos.

Paschasinus reuerend. episcopus, obtinens locum sedis Apostolicæ, dixit: Hæc ipsa, quæ semel disposui, & in præsenti dispono de memoratis, quorum vterque Ephesiorum suscepit ecclesiam. Et propterea, si consentit omnis synodus, debet, his remotis, alter secundum canonum statuta decerni.

Maximus reuerend. episcopus Antiochiæ, dixit: Absque regulis ambo, ex his, quæ relecta sunt, episcopatum obtinuerunt. Quis autem eorum dignus est esse in ciuitate, per clementiam à sanctissimæ prouinciæ episcopis est dicendum.

Iuuenalis episcopus Hierosolymorum, dixit: Perspicit sancta synodus, pasci quidem eos ab Ephesiorum ecclesia, alium verò regulariter ordinari.

Thalassius reuerend. episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Consentio interlocutionibus sanctorum patrum.

Eusebius reuerend. episcopus Ancyræ Galatiæ, dixit: His, quæ à patribus sunt decreta, consentio.

Iulianus reuerendissimus episcopus Coensium, dixit: Secundum regulas quidem neuter esse debet, per clementiam verò synodus Asiana eligat, qui possit esse.

Eusebius reuerēdissimus episcopus Dorylei, dixit:* Crede, absque regulis sunt facti.

for.* Certè absque for.* Vterque absq;.

Diogenes reuerend. episcopus Cyzici, dixit: Qualis quisque eorum sit, plus sciunt Deo amantissimi episcopi prouinciæ. Dicant ergò illi secundum reuerentiam, quam de Dei timore habent, episcopatum quem oporteat obtinere, ne in ciuitate seditio generetur.

Romanus reuerend. episcopus Myrorum Lyciæ, dixit: Consentio his, quæ à sanctis patribus sunt ordinata.

Eunomius reuerend. episcopus Nicomediæ, dixit: Et ego consentio in his, quæ à sanctis patribus ante me definita sunt.

Marinianus reuerend. episcopus Synnadorum, dixit: Regulariter neuter eorum esse debet.

Eleutherius reuerend episcopus Chalcedonensis dixit: Docuit nos cognitio, quæ de episcopis facta est, quia nullus eorum regulariter episcopatum Ephesinæ detinuit ecclesiæ.

Gloriosissimi iudices dixerunt: Placet sancto Concilio interlocutio Deo amantissimi episcopi Anatolij, & reuerend. episcopi Paschasini, obtinentis locum Romanæ Apostolicæ sedis, qua declaratum est, ambos quidem esse remouendos, tanquàm præter regulas factos, alterum verò ordinari, prædictos autem habere episcopi dignitatem, & à sanctissima Ephesina ecclesia nutriendos? Sancta synodus exclamauit: Hæc pia interlocutio, hæc secundum regulas est.

Diogenes reuerend. episcopus Cyzici, dixit: Aliarum hæc melior est. Omnes clamauerunt: Hæc iusta sententia, hæc omnibus placet. Ambo absque regulis facti sunt. Quæ canonica sunt, in his obtineant. Interlocutiones episcoporum teneant.

Gloriosissimi iudices dixerunt: Quoniam placuit vniuersis interlocutio Deo amantissimi Archiepiscopi regiæ Constantinopolis Anatolij & reuerend. episcopi Paschasini, obtinentis locum Leonis Deo amantissimi Archiepiscopi senioris Romæ, præcipiens, eò quòd vtriq; contra regulas facti sunt, neutrum eorum denominari, neque præesse sanctissimæ Ephesiorum ecclesiæ, & omnis sancta synodus contra regulas eos ordinatos edocuit, & interlocutio-

nibus reuerendorum episcoporum consensit, remouebuntur quidem à sancta Ephesiorum Ecclesia Bassianus & Stephanus reuerendus: habeant autem dignitatem* episcopi, & ex redditibus memoratæ sanctissimæ ecclesiæ, nutrimenti gratia & consolationis, annis singulis solidos ducentenos accipiant, alter verò secundum regulas eiusdem sanctissimę ecclesiæ, episcopus ordinabitur. Omnis sancta synodus exclamauit: Hæc iusta sententia, hæc iusta forma, hæc benè sunt.

*sui epico pij.

Bassianus reuerendiss. episcopus dixit: Quę mihi abrepta sunt, iubete restitui.

Glorioſissimi iudices dixerunt: Quicquid Bassiano reuerend. episcopo, ex rebus competentibus ei, direptum est, siue à Stephano reuerend. episcopo, siue ab alijs quibuscunque personis, hoc ei post iudiciales probationes, ab his, qui abstulerunt, vel causa læsionis fuerunt, restituatur.

CONCILII CHALCEDONENS. Actio 13.

CONSVLATV domini nostri Martiani perpetui Augusti, & qui fuerit nunciatus, tertio Kalend. Nouemb. Chalcedone secundum iussionem diuinissimi & pijssimi domini Imperatoris, congregatis in sanctissima ecclesia beatæ martyris Euphemiæ magnificentiss. & gloriſissimis iudicibus, & sancto vniuersalique concilio, per diuinam sanctionem in ciuitate Chalcedonensium congregato, & residentibus omnibus ante sacri cancellos altaris, Eunomius reuerend. episcopus Nicomediensium, dixit: Preces obtuli pijssimo orbis terrarū domino, postulans, vt priuilegia metropolis Nicomediæ secundum canones, quos antiquitus obtinuerunt, atque consuetudines conseruentur, & iussit vestram magnificentiam cum sancto Concilio cognoscere, & causæ terminum dare. Rogo itaque, vt cognoscatis preces meas, & causam meam audiatis, & mihi, quæ sunt iusta, seruetis. Glorioſissimi iudices dixerunt: Relegantur preces. Beronicianus vir deuotus, magistrianus & secretarius diuini consistorij, legit:

EVNOMII NICOMEDIEN. LITERÆ, ad Valentinianum & Martianum Augustos.

TERRÆ, *mariſq; & totius gentis hominum dominis, Flauio Valentiniano & Martiano perpetuis Augustis, supplicatio & postulatio ab Eunomio episcopo, & omni clero Nicomediensis metropolis sanctæ Dei ecclesiæ catholicæ.* Deus vobis imperium, vt omnes gubernetis ad salutem orbis terrarum, & pacem sanctarum ecclesiarum, iustè donauit. Quapropter ante omnia, & per omnia pijssimi & Christi amantissimi principes, pro orthodoxæ & saluberrimæ fidei dogmatibus cogitatis, tam hæreticorum fremitus extinguentes, quàm pia ad lucem dogmata deducentes. Vnde prosternimus nos maiestatis vestræ vestigijs, vt iubeatis arceri iniustitiam, quæ aduersum nos à reuerendiss. episcopo Nicæno Anastasio est præsumpta, quatenus valeamus, congrua pace fruentes, Christianis sine intermissione mysteria diuina perficere. Memoratus enim reuend. Anastasius, neque timorem Dei præ oculis sumens, neque leges pietatis vestræ reueritus, confundit & conturbat in Bithyniorum prouincia absque consuetudine formas ecclesiasticas & imperiales, quas hactenus tenuisse noscuntur, inuadendo iura, quæ nobis pietatis vestræ legibus & ecclesiasticis sanctionibus sunt collata, quæ nullus aliquandò præcessorum eius iubere aut mouere tentauit. Solus autem per ciuitatem opprimere nos & conturbare cœpit, in malis fortitudinem, gloriam esse credens, ita vt huius gratia, huic sancto & vniuersali Concilio libellos cogeremur offerre. Sed quoniam audientia in dilationem cedit, & formidamus, ne fortè dimisso Concilio iura nostra vacuentur, supplicamus nutu vestræ maiestatis audientiam nostram sine dilatione fieri, vt dum impetrauerimus, quæ poscimus, consuetas orationes Domino Deo pro æterna vestra potestate soluamus. Glorioſissimi iudices dixerunt: Quid ad hæc reuerendiss. Anastasius allegat? Anastasius reuerend. episcopus Nicenæ ecclesiæ, dixit: Accusauit me, quasi ego aliquas nouitates inter hæc introduxissem, aut violentiam fecerim. quæ dicit, ostendat. Ego autem diuersa monstraturus sum. Quoniam abripuit parochias meas, & multa, quæ non est consuetudo facere Nicomediensem, fecit in me, & passus sum in omnibus. Supplico archiepiscopo, & iura mea examinari deposco secundum antiquitatem & regulas. Nec ego enim aliquid ampliùs volo. Glorioſissimi iudices dixerunt: Properè dicat Deo amantissimus Eunomius episcopus, in quo iniustitiam ab Anastasio reuerendissimo episcopo passus est. Eunomius reuerend. episcopus Nicomediæ, dixit: Secundùm consuetudinem, quam tenebant superiores mei, & eis subiectas habeo in prouincia Bithyniorum ecclesias. Reuerend. autem episcopus Anastasius, clericos ecclesiæ Basilinopolis mihi subiectos, excommunicauit, quod canonibus prohibetur. Anastasius reuerendissimus episcopus Nicænus, dixit: Priùs ostendat, quia & Basilinopolis sub ipso est, & quia ego clericos ecclesiæ suæ, excommunicatos effeci. Hæc duo probet. Ego autem ostendo Basilinopolim sub Nicæa iam olim esse: nam regio fuit eius, & curia nouit. Et dicat curia, sub quo fuit Basilinopolis, aut si non fuit regio Nicææ. Glorioſissimi iudices dixerunt: Quomodò te monstrare promittis Basilinopolim sanctissimam ecclesiam sub Nicæa esse, vtrùm secundum canones, an ex qualibet consuetudine? Anastasius reuerend. episcopus Nicææ, dixit: Sicut Tacteus & Doris regiones sunt sub Nicæa, sic fuit ante hoc Basilinopolis sub Nicæa. Imperator quidam Iulianus (aut nescio quis ante eum) fecit eam ciuitatem, & sumens ex Nicæa curiales, ibi constituit, & consuetudo ex tunc hactenus obseruatur. Et si fortè defuerit in Basilinopoli curialis, de Nicæa mittitur ibi, & rursus de Basilinopoli transfertur in Nicæam. Quæ cùm priùs fuisset regio, posteà ciuitas effecta est, ex illo videtur episcopus Nicænus ibidem ordinasse & semel, & secundo. Et sunt epistolæ beati Ioannis episcopi Constantinopolitani ad Nicænum episcopum, vt iret, & emendaret ecclesiam, tanquàm sibimet competentem. Habeo literas ad beatæ memoriæ Proclum. Ostendo ego, quot à Nicæa ordinati sunt: & ostendat ipse, quot à Nicomedia ordinati sunt. Eunomius reuerend. episcopus dixit: Neque quidem potest ostendere ordinationem se fecisse. Quod & si fecit semel per subreptionem, secundum canones nequaquam mihi præiudicare potest. Anastasius reuerendissimus episcopus dixit: Non ego, sed decessor meus fecit. Eunomius reuerend. episcopus dixit: Semel fecit, sicut dicis, an frequenter? Si semel fecit per subreptionem, contigit fortè, vt tunc non haberet episcopum metropolis Nicomedia, & indiguit à Nicæno fieri. Hinc nullum mihi præiudicium secundum regulas generatur. Possum enim ego monstrare, multos quidē à Nicomedia ordinatos. Tu verò (nescio) si possis vel vnum ostendere. Anastasius reuerend. episcopus dixit: Quandò ciuitas facta est Basilinopolis, quis priùs ordinauit? Eunomius reuerend. episcopus dixit: Quia excommunicauit clericos Basilinopolis mihi subiectos, possum ostendere: Testem voco sanctissimum magnæ Constantinopolis archiepiscopum, qui susceptit eos, & reddidit eis communionem.

Anastasius reuerend. episcopus dixit: Non verè dicis. Eunomius reuerend. episcopus dixit: De epistola domini archiepiscopi, vbi reddidit eis communionem, & vbi scripsit tibi, quia præter canones feciſti: ostendo decreta Basilinopolitanorum, vbi rogauerunt de episcopo. Tu ostende, vbi rogauerunt Nicænum, vt eis daret episcopum. Anastasius reuerend. episcopus dixit: Iubete me probare paululum. Obtuli libellos archiepiscopo, qui fuit, rogans eum, vt iuberet dominum Eunomium episcopum audire interiora nostra. Dedit literas & ad me & ad eum, scribens ambobus, ac dicens: Nullus vestrum introducat aliquam nouitatem, sed consistite in rebus antiquis. Ego enim noui, quomodò debeam metropoles honorare. Et habeo huiusmodi literas & ego, & ipse. Accepi ergò (sicut dixi) tales literas. Sciunt hoc & notarij. Dicant. Et alij venerunt Basilinopolitani clerici, adeuntes me aduersus episcopum suum. Ego custodiens mandata episcopi, dixi: Non vos suscipio, sed abite ad archiepiscopum: & si mihi iusserit, audio. Et

relinquentes illi & me & ipsum, venerunt ad sanctitatem domini Eunomij. Dederunt ei libellos aduersus episcopum suum. Misit ipse repentè, præsentans episcopum Basilinopolis, ad me. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Canones legantur. Beronicianus vir deuotus, magiſtrianus & ſecretarius diuini conſiſtorij, ex codice dato ab Eunomio reuerendiſſimo epiſcopo, legit: Epiſcopos oportet quidem præcipuè ab omnibus epiſcopis prouincialibus ordinari: Si verò hoc difficile eſt, aut propter imminentem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, ex omnibus ad hoc ipſum tribus vna congregatis, & in vno decernentibus, & abſentibus per literas conſentientibus ordinationem fieri. Poteſtas autem geſtorum vniuſcuiuſque prouincię, metropolitano epiſcopo competit.

Anaſtaſius reuerendiſſimus epiſcopus dixit: Conſentio canoni. Si non ſum metropolitanus, nec ego illic habeo poteſtatem. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Oſtende quemadmodum ſecundum metropolitam ius habes. Anaſtaſius reuerend. epiſcopus dixit: Supplico relegi legem. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Legatur: Et dante Anaſtaſio reuerendiſſimo epiſcopo, Conſtantinus vir deuotus, magiſtrianus & ſecretarius diuini conſiſtorij, legit:

Interpretatio legis.

VALENTINIANI ET VALENTIS IMPERatorum literæ, quibus Nicææ ciuitati confertur priuilegium, quòd ſit metropolis.

IMPERATORES Cæſares Flauius Valentinianus & Valens, pij, felices, colendi, perpetui victores, ſalutem dicunt Nicænis. Licet ſtudium noſtrum ex illo manifeſtum atque clarum ſit cunctis, ex quo regni ſublimitatem & publicam gubernationem Dei voluntate ſuſcepimus, verumtamen & ſuper principatum huius felicitatis adijcimus, quoniam veſtra ciuitas completa gaudio ſuper noſtra felicitate, gratiæ atque lætitiæ omni populo cauſa facta eſt, propterea licet metropolitana olim eſt nominata, & hoc leges antiquæ continent, tamen legem nobis proferentibus, nulla dubitatio eſſe poterit, eo quòd hæc immota & firmiſſima maneant, & temporib. futuris augenda, & decæterò hæc etiam in noſtra ciuitate proficiſcētes, ſanciuimus. Permaneat igitur in perpetuum iſta conſuetudo, vt ciuitas veſtra ſit metropolitana, conſuetudine tamen in proceſſu Bithyniæ iudicis permanente. Nullus enim aufert aliquid aliorum. Ergo voluntate Dei veſtræ ciuitatis dignitas augeatur. Gaudentes itaque, orationes veſtras duplicate, & lætamini in his, in quibus per hæc vobis præbetur honor, omni dubietate in futuro vacante, conſpicientes, quemadmodum perpetuam pacem & prouidentiam ex noſtris ſanctionibus impetraſtis. Eunomius reuerendiſſimus epiſcopus Nicomediæ, dixit: Rogo veſtram magnificentiam, vt iubeatis legi legem Nicomedienſibus poſt hæc conceſſam. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Legatur. Et dante Eunomio reuerend. epiſcopo, Beronicianus vir deuotus, ſecretarius diuini conſiſtorij, legit:

VALENTINIANI IMPERATORIS LIterę priuilegiales, datæ Nicomedienſ. ciuitati.

VALENTINIANVS *Pius, Felix, Auguſtus, Nicomedienſibus ſalutem*: Circa priuilegia ciuitatis veſtræ, quæ olim fuerint, priſca conſuetudo ſeruabitur. Neque enim honoris adiectio Nicænorum ciuitatis, ius veſtrum lædere poterit, dum quando augeatur dignitas Nicomedienſium ciuitatis, ſecūdum quod illa ſecundo loco exiſtat, metropolis nomine conſtituta. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Nullæ quidem ex his diuinæ literæ de epiſcopatu loquuntur. Vtræque enim de honore referuntur metropolitanarum vrbium. Sacræ autem literæ diuinæ memoriæ Valentiniani & Valentis, Nicænæ ciuitati præbuerunt metropoliticum ius, propriè præcipientes aliarum ciuitatum nihil auferri. Et regula ſanctorum patrum de vno metropolita in vnaquaque prouincia decreuit. Quid igitur ex hoc concilio ſancto videtur? Sancta ſynodus clamauit: Canones teneant, canonibus ſatisfaciant.

Atticus reuerendiſſimus epiſcopus Nicopolis veteris Epiri, dixit: Regula ita præcipit, vt in vnaquaque prouincia metropolitanus habeat poteſtatem, & ipſe conſtituat omnes, qui in ea prouincia ſunt, epiſcopos, & ipſe eſt ſenſus regulæ. De Nicomedienſi autem, quoniam ab initio metropolis eſt, oportet eum omnes epiſcopos in eadem ordinare prouincia. Sancta ſynodus dixit: Hæc omnes volumus, hæc omnes ſupplicamus, hæc vbiq; teneant. Ioannes, Conſtantius, Patricius, Petrus, & reliqui reuerendiſſimi epiſcopi Ponticæ diœceſis, per vnum ipſorum Ioannem, dixerunt: Canones vnum ſciunt metropolitam antiquiorem. Et manifeſtum eſt, quoniam religioſiſſimo epiſcopo Nicomediæ ordinationes competunt, quia & leges (ſicut perſpexit & veſtra magnificentia) nomine metropolis ſolummodo honorauerunt Nicænum, & præponitur reliquis epiſcopis prouinciæ honore ſolummodò.

Sancta Synodus dixit: Regulariter docuerunt, benè docuerunt: Omnes hęc ipſa dicimus. Ætius archidiaconus ſplendidiſſimę Conſtantinopolis, dixit: Suggerimus veſtrę magnificentiæ, rogantes, vt nullum præiudicium Conſtantinopolitanæ ſanctiſſimæ ſedi fiat ex his, quæ nunc proferuntur à ſanctiſſimis archiepiſcopis, vel quæ mouentur inter Deo amantiſſimum epiſcopum Nicomedienſium Eunomium, & Deo amantiſſimum epiſcopum Nicænum Anaſtaſium, aut quæ inter eos ordinantur. Sanctiſſima enim Conſtantinopolitana ſedes, aut ordinationem ipſa facit in Baſilinopoli, aut à reliquis eam permittit fieri, ſicut literis, quæ fiunt, vel factæ ſunt ſæpius, oſtendere poſſumus. Et rogamus, vt epiſtolæ proponantur.

Sancta Synodus clamauit: Canones teneant. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Authoritatem quidem metropolitanæ inter Eccleſias prouinciæ Bithynię, Nicomedienſis reuerend. habebit epiſcopus, Nicæno habente honorem metropolitani tantummodò, ſubiacente autem ad exemplum aliorum epiſcoporum prouinciæ Nicomedienſi. Hoc enim viſum eſt ſancto Concilio. Quæcunque autem ſedi Conſtantinopolitanæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ de ordinationibus prouinciæ competunt, hæc per ordinem proprium coram ſancto Concilio examinabuntur.

Eunomius reuerendiſſimus epiſcopus Nicomediæ, dixit: Gratias ago iuſtitiæ iudicij magnificentiæ veſtrę, & diligo archiepiſcopum ſplendidiſſimæ Conſtantinopolis, obtinentibus vtiquè regulis. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Quæ dixiſti, conſcripta ſunt.

CONCILII CHALCEDONENS. Actio 14.

CONSVLATV domini noſtri Martiani perpetui Auguſti, & qui fuerit nunciatus, ſub die pridiè Kalend. Nouemb. Chalcedone, ſecundum iuſſionem diuiniſſimi & pijſſimi principis, Conuenientibus in ſanctiſſ. Eccleſia ſanctæ martyris Euphemię magnif. & glorioſiſſ. iudicibus, & ſancto vniuerſaliq; concilio, quod in Chalcedonen. ciuitate diuali ſanctione collectum eſt, & reſidētibus omnibus ante ſancti cancellos altaris, Sauinianus reuerend. epiſc. dixit: Abrepta mihi iniuſtè epiſcopatus mei ſede, libellos obtuli ſacro & immortali vertici, & iuſſit veſtram magnifi. vna cum ſancto & vniuerſali concilio cauſam meam inquirere. Habeo autem & petitionem ad ſanctum hoc concilium, & ſupplico præcipere veſtram magnificentiam, & petitionem meam legi & preces meas, & mihi, quę ſunt iuſta, reſeruari. Glorioſiſſ. iudices dixerunt: Legantur preces. Et oblata petitione à Sauiniano reuerendo, Conſtantinus vir deuotiſſimus, * adiutor diuini conſiſtorij, legit:

SAVINIANI PAREN. EPISCOPI, AD Valentinianum & Martianum Auguſtos epiſtola deprecatoria.

PIISSIMIS & * *Chriſto amantiſſimis, & dignè à Deo omnium honoratis Auguſtis, Valentiniano & Martiano, preces & ſuppli-*

* Chriſti

catio à Sauniano episcopo. Dominus omnium, videns Apostolicam & orthodoxam fidem à dissimulatoribus interim fatigari, & omnem mundum seditione vexari, suscitauit vestram pietatem, vniuersum mundum regere atque gubernare, & tumultus, qui à nefandis exorti sunt, sanctorum doctrina reprimere, & claritatem atque soliditatem recti dogmatis confirmare. Vnde iustè vestræ tranquillitati ac de vobis dicit Deus: Psalm. 88. *Exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea suscepit eum, & brachium meum confortauit eum.* Credens itaque, nutu diuino super omnium principatum ac dominationem consistere vestram diuinitatem, adsum supplicans, atque rogans vestram pietatem, vt mei prouidentiam fieri, & causam meam examinari præcipiatis. Ego enim à puero eram in monasterio dispensator omnium rerum, nihil de Episcopatu cogitans, neque rogans quenquam huius gratia dignitatis. Dum ergo essem in monachorum prouidentia constitutus, adstitit mihi repentè illius temporis metropolitanus episcopus cum prouincialibus episcopis, & me Paros ordinauit episcopum, de qua in scriptis deiectus est Athanasius, ex grauissimis capitulis accusatus, nec valens pro illatis sibi criminibus reddere rationem, qui aliquando quidem episcopatum repudiabat. Frequenter verò citationes vocantium eum ad synodorum iudicium declinabat. Is enim in Ephesina synodo, ex præcepto Alexandrini præsulis, in meam Ecclesiam superingressus est, & ego, præter voluntatem meam ordinatus, expulsus sum. Et hæc quidem acta sunt, habitatoribus illius ciuitatis dolentibus & lugentibus meam expulsionem. Supplico igitur & vestræ potentiæ, vt iubeatis & meam causam sub præsentia vestræ pietatis examinari, & placitum terminum dari, vt & ego cum cunctis alijs, consuetas orationes pro perpetua vestra potentia semper exoluam, pijssimi atque victores principes. Sauinianus episcopus dictaui, & subscripsi, & offero vestræ pietati. Beronicianus vir deuotissimus, secretarius diuini consistorij, legit:

SAVINIANI EPISCOPI PARI EPISTOLA deprecatoria pro iustitia obtinenda, ad Chalcedonens. synodum.

PER *omnia Deo amantissimis & sanctissimis patribus archiepiscopis, Leoni, Anatolio, Maximo, & omni sancto Concilio petitio & deprecatio data à Sauiniano reuerendo.* Multa quidem atque diuersa sunt circa genus humanum Domini Christi beneficia. Hæc autem in præsenti tempore circa sanctas eius Ecclesias cura propria quædam exigit atque præcipua, sicut ipsæ res clamant. Congregauit enim vestrum angelicum concilium per pijssimos & Christianissimos nostros Imperatores, ad errorem perspiciendum, & confusionem atque seditionem, quæ ante hos paulò plus duos annos in Epheso facta est, destruendam, & veritatem atque iustitiam declarandam. Vnde & ego illam tempestatem & fluctuationé expertus, ad vestrum confugi tranquillissimum portum, suggerens, quia Dioscorus Alexandrinus authoritate sua, insuper & tyrannide, me quidem à Parenorum Ecclesia, commissa mihi secundum canones à sanctissimo episcopo metropolis nostræ Stephano, expulit. E diuerso autem introduxit Athanasium, virum depositum in Antiochensium splendidissima ciuitate à multis Deo amantissimis episcopis. Quæ verò post hæc gesta sunt, & quomodò ciuitas vniuersa cum amaris lachrymis atque gemitibus circumfusa inseparabiliter erat circa me, & violentam meam lugebat exclusionem, me dicere (puto) superfluum est. Vnde rogo, & supplico vestræ Deo amabilitati, vt iniustitiam, quam passus sum, nullatenus despiciatis, sed etiam iubeatis, me impetrare, quæ iusta sunt, quatenus in his Dei clementia collaudetur per vestram Euangelicam, & à Deo honoratam synodum, quæ destruxit quidem errorem, & luci reddidit veritatem. Sauinianus episcopus obtuli hanc petitionem, à me dictatam atque subscriptam. Gloriosissimi iudices dixerunt: Respondeat Athanasius reuerendissimus episcopus. Athanasius reuerendissimus episcopus Paros, dixit: Mea causa à longo tempore inchoata est. Et hanc audierunt beatæ memoriæ Cyrillus & Proclus, & certas formas scripserunt Domno, qui fuit Antiochenus episcopus, promisitque ille eas complere. Et cùm cognouisset mortem beati Cyrilli, resiliuit, & ad iudicium me vocauit. Ego rescripsi, quia si vellet permanere in datis sententijs ab archiepiscopis, paratus essem. Si verò vellet aliud aliquid, non audirem eius citationem. Semel enim præcedentes episcopi rem certissimam decreuerũt. Accusaui autem eos, qui aduersum me machinati sunt. Et iusserunt non interesse iudicio eos, qui à me fuerant accusati. Rogo itaque, si videtur vestræ potestati, archiepiscoporum literæ relegantur. Gloriosiss. iudices dixerunt: Literæ Procli & Cyrilli reuerend. memoriæ relegantur. Et tradita scheda ab Athanasio reuerend. episcopo Beronicianus vir deuotissimus secretarius diuini consistorij, legit.

CYRILLI ALEXANDRINI ARCHIEPISCOPI EPISTOLA SYNODICA AD DOMNUM ANTIOCHENUM, PRO CAUSA ATHANASIJ PARENORUM EPISCOPI.

DOMINO *fratri & consacerdoti Domno, Cyrillus in Domino salutem.* Condolere nos fratribus necessarium est, quando * quidam consacerdotum aliqua sẽ passos affirmant, & hoc à proprijs clericis, quos erat necessarium, subdere tanquam patribus ceruicem, & esse subiectos secũdum placitum Dei, & Ecclesiæ regulas talia decernentes. Hoc ergo præsumi quotis modo turpissimum est. Tanta namque passum se dicit reuerendissimus episcopus Athanasius, vt etiam congregata in regia ciuitate synodus lachrymas daret. Ait enim quosdam clericos, qui sub eo sunt constituti, in tantam audaciam prosilijsse, vt quod attinet ad præsumptionis vim, & expellerent eum à sacerdotio, & super eum damnationis sententiam ferrent. * Volunt œconomos Ecclesiæ, aut certè Ecclesiasticarum rerum dispensatores eijcere, & quosdam alios sibi propria virtute constituere. Super hæc autem etiam de sacris diptychis nomen eius auferre, & alia quædam perpetrare valdè grauissima, & sceleribus plena, quæ subiectorum libellorum virtus noscitur continere. Quia verò nimis incongruum est, præsumi talia à clericis aduersus episcopos proprios, & hæc despicere nos, impossibile est: dignetur tua sanctitas (quoniam ab Antiochia longè est ciuitas, cuius gubernationem sortitus est memoratus religiosissimus Episcopus Athanasius) quibusdam per proprias literas audientiam delegare, quatenus euocati hi, qui accusati sunt, respondeant. Et si inuenti fuerint accusationibus rei, sacro * mysterio delabantur. Quod enim ipsi aduersus patrem proprium præsumpserunt, hoc iustè sustineant, quando omnem consequentiam prætermiserunt, & omnem legem transcendere præsumpserunt, & pro nihilo esse iudicauerunt, senectutem exhonorare patris. Dicuntur autem non modò primum tales esse cœpisse, sed quomodo iam in multis culpati sunt, adhuc valdè peioribus asperioribusque operam dederunt. Asserit autem eum se suspectum habere, quem nunc metropoliticum * prouincia eius obtinet, & (sicut iam dixi) nihil est quod contristet, * cùm qui ei suspecti sunt, iudicare non debeant. Dicit fraternitati quæ apud te est, salutem in Domino, quæ nobiscum est.

* quidem consacerdotes

* volentes

* ministerio

* prouinciæ sugius * cum liceat refutare, & qui

Rescriptum synodicarum literarum.

PROCLI ARCHIEPISCOPI EPISTOLA SYNODICA, AD DOMNUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM, PRO CAUSA ATHANASIJ PARENORUM EPISCOPI.

Sanctissimo & Deo amantissimo fratri & consacerdoti Domno, Proclus in Domino salutem. Charitas Deo amica, maximum est donum. Vinciens enim ad concordiam magnus artifex Deus, naturam quam operatus in sua dispositione, verbo disponente, constrinxit, vt proprias facientes in alterutrum passiones & mores, vnicuique eiusdem naturæ existenti, alterius mensuram per consensum compositionis insolubilem com-

plicaret.

plicaret. Ea siquidem, quæ procul ab affectu sunt, ad corruptionem aliorum necessariò perducuntur: quæ verò voluntare vnita sunt, non facilè à tutela propria dilabuntur. Vnde & beatus Paulus multitudinem fidelium & continuationem Ecclesiæ, corpori comparauit, dicens: *Vos estis corpus Christi, & membra ex membro*, omnino prædicans multitudinis conspirationem, & per concordiam membrorum, interdicens esse languendum in contentione, quæ libellis amica est. Cur autem hæc scribam Deo amantissime pater, rogo paululum vt agnoscas. Deo amantissimus Ecclesiæ Parenorum episcopus Athanasius, & incredibilem simul, & audientibus non mediocriter molestam, pompam defleuit, dicens clericos suos velut exutos ratione subiectionis, & putantes sibi sufficere voluntatem, vt essent sacerdoti tyranni, expulisse eum ab Ecclesia, cùm ratio nulla subsisteret: & quantum ad eos attinet, in tantam vesaniam exiliisse, vt etiam damnarent eum, & operibus crederent, quia in voluntate procacium, & non in decreto regularum, consistant ordines sacerdotum, œconomos autem & curatores propria voluntate constituentes Ecclesiæ Dei, & episcopi nomen de sacris diptychis auferentes: & vt breuiter dixerim, nefandissimè Ecclesiasticum ordinem insinuat dissolutum, adijciens, quoniam nutrierit circa hæc istorum præsumptionem in veteribus eorum & sceleratis operibus, non rationabilis venia data. Nam præcessoribus eius similia facientes, impetum suum ad peiora itinera cumularunt, cùm non olim pœnam dignam sustinuerint, vt decæterò haberet temperamenti viaticū. Sed tu Deo amantissime, dignare à nobis rogatus, (potes enim) tibi proprias consacerdotum infirmitates efficere, obediens præcipuè beato Paulo dicenti: Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & si quidem longè ab vrbe Antiochena ciuitas constituta est, in qua hæc diuulgata noscuntur, bonum est, vt pro causa præfati episcopi, aliquem Deo amantissimorum episcoporum, ipsi vrbi vicinum, personas non accipientium, ad audiendum sanctitas tua deputet. Formidat enim religiosissimum metropolitanum episcopum, tanquam vesanæ flammæ inimicorum eius aduersus eum virtutem præbentem, atque materiam. Et si quidem cōuicti fuerint, in quibus accusantur, quos inclamat, tanquam superbiam habentes * Absalon, cùm illum fuerint imitati, simili exemplo plectantur. Sic enim odit Deus eos, qui aduersus patres armantur, vt patrum inuasores, qui in omni mundo infamia notantur. Noui enim, Deo amantissime, quoniam omnes complectens in Christi visceribus, & compassibilitate plenus existens, consolaberis senem, & lachrymas eius tribulationis absterges, & damnabis ei odium malignitatis & sacerdotij aduersarios post conuictionem furori iusto & competenti vindictæ subijciens, expellens omnem pessimam voluntatem, & communem sacerdotij pestem scienter abscindes. Nam si quis concesserit, vt præsumptoribus & inconuenienter in tantam procacitatem exilientibus, vt * & Deo per pontifices contumeliam inferre audeant, misericordia illis sine iudicio fiat, ex quibus oleum iniquitatis supplicationibus aucupantur: nihil est reliquum, nisi vt fiant omnium Ecclesiarum præsules in lusum & opprobrium, & per hæc stabiliatur diabolicum instrumentum. Sed Deus ad hoc tuam religiositatem præordinauit, vt & iniustitias remoueas, & præsumptiones abscindas, & sacerdotio laboranti succurras, & multis * maledictionibus locum non præbeas: sed post agnitionem, ei quidem qui calumniam patiatur, adiutorium feras: illum verò, qui calumniam facit, si verè est calumniatus abscindas. Non igitur tua religiositas arbitretur, quia tanquam ad iniuriam sedis Antiochenæ, huc venit memoratus Deo amantissimus episcopus, sed metuens quosdam (sicut ait) seditionibus congaudentes, & passioni propriæ militantes, dedit ad tempus locum iræ: patientiam verò, mansuetudinem, & iustitiam adhuc tuæ religiositatis prædicare non cessat. Nec in quolibet accusat, (absit hoc) sed supplicat honestiorem in se compositionem effici. Vnde & præsentibus eum literis consolantes, confidere iussimus ego atque sanctissimus episcopus, & consacerdos noster Cyrillus, propter charitatem, quæ continetur in nobis. Habens itaque reuerentiam scribentibus, harum literarum gerulum modis omnibus adiuuabis. Omnem, quæ tecum est, in Christo fraternitatem, plurimum saluto. Gloriosissimi iudices dixerunt: Post epistolas quid est actum? Sauinianus reuerend. episcop. dixit: Supplico gesta legi, & ipsa vos edocebūt. Gloriosissimi iudices dixerunt: Interloquutiones gestorum, quę porrigentur, legantur. Constantinus vir deuotiss. secretarius diuini consistorij ex scheda Sauiniani reuerendiss. episcopi, cuius initium erat disruptum, & reliqua legit.

Ephes. 5. 1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

* Absalon. 2. Reg. 15. & 18.

* Dei pōtificibus

* itrogationibus

ANTIOCHENVM CONCILIVM.

IN Antiochensium sanctiss. Ecclesia in æstiuali porticu secretarij, facto concilio, & residentibus sanctiss. episcopis, Domno eiusdem Antiochiæ, Theodoro Damasci, Valerio Anazarbi, Pompeiano Emisæ, Polychronio Epiphaniæ secundæ Ciliciæ, Damiano Sidonis, Iamblico Chalcidis, Theoctisto Beroæ, Gerontio Seleuciæ, Ioseph Heliopolis, Timotheo Dolychis, Benetio Bybli, Epiphanio Archæ, Paulo Ptolemaidis, Stephano Epiphaniæ Syriæ secundæ, Phosphoro Orthosiadis, Thoma Mopsuestiæ, Iordane Abilæ, Paulo Antaradi, Baranæ Alexandriæ, Mara Vrimorum, Saba Palti, Mara Anasarthæ, Ioanne Theodosiopolis, Daniele Carrhensium, Sophronio Constantiæ & Vranio * Hymerorum, Mariniano Iotapæ, Tatianus diaconus & Nectarius dixit: Parenses clerici libellos & nunciterum obtulerunt vestræ sanctitati, aduersus reuerendiss. episcop. Athanasium. Quia igitur adest sanctum Concilium, præ manibus habeo libellos, & si præcipit tua sanctitas, eos relego. Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Vbi sunt qui libellos obtulerunt? Tacianus diaconus dixit: Foris sunt. Domnus episcopus Antiochiæ, dixit: Ingrediantur. Tatianus diaconus dixit: Adstitit Isacius, qui libellos obtulit. Domnus episcopus Antiochiæ, dixit: Solus Isacius libellos obtulit, an alij cum eo? Tatianus diaconus dixit: Solus Isacius obtulit libellos. Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Dicat Isacius, si ipse libellos obtulit. Isacius primicerius lectorum, dixit: Etiam, quæso sanctitatem tuam. Domnus episcopus Antiochiæ, dixit: Quoniam memoria facta est & Ioannis subdiaconi, & ipse ingrediatur. Tatianus diaconus dixit: Adest Ioannes subdiaconus. Domnus episcopus Antiochiæ, dixit: Præsentibus lege cunctos libellos. Et lecti sunt. Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Vbi sunt ipsi libelli?

Tacianus dixit: Habeo eos præ manibus.

Domnus episc. Antiochiæ dixit: Lege etiam eos. Et lecti sunt. Domnus Antiochiæ episc. dixit: Quando delegauimus causam beatiss. Panolbio, qui tunc metropolitanus erat eius prouinciæ, vt causā audiret, quæ subsecuta sunt? Tatianus diaconus dixit: Habeo ciusdem beatiss. Panolbij epistolam, per quam edocuit, quæ secuta sunt. Domnus dixit: Lege eam. Et lecta est. Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Habes exemplaria reprobij reuerendi episcopi Athanasij? Tacianus diaconus dixit: Præ manibus habeo & exemplaria & authentica, quæ accepi à Deo amantiss. episcopo Ioanne Hierapolitanorum metropolis. Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Legantur authentica per ordinem. Et lecta sunt. Theodorus episcopus Damasci, dixit: Quoniā fauorabilis erat circa reuerendissimum episcopum Athanasium beatę memorię Panolbius Hierapolitanus quondam episcopus, per proprios repudij libellos edocuit reueren. episc. Athanasius. Manifestus est igitur, litem fugiens, & neq; amico proprio audientiam suam credens.

Valerius episcopus Anasarbi, dixit: Manifestus est reuerendissimus episcopus Athanasius, tanquam conscius sibi, in quibus accusatur, eo quòd noluerit apud amicum proprium Panolbium causam dicere, secundum epistolas repudij ab eo conscriptas. Pompeianus episcopus Emisæ, dixit: Dum amicus eius existeret beatæ memoriæ Panolbius episcopus, certus est reuerendissimus episcopus Athanasius, quia hoc conscientia mala fecit. Polychronius episcopus Epiphaniæ, dixit: Reuerendissimus episcopus Athanasius neq; suo amico committens accusationem suam, certus est praua conscientia declinasse iudicium. Iamblicus episcopus Chalcidis, dixit: Si confideret reuerendissimus Athanasius, audientiam Panolbij amici proprij non fugisset, sicut ipse in literis repudij ad eum datis professus est. Sed forsan conscientia compulsus, euocationem declinauit, à prædicto beato Panolbio factam. Damianus episcop. Sidonis, dixit: Maximè semetipsum

nocuit,& reum canonibus sanctis effecit reuerend.episcopus Athanasius,citatus à reuerendæ memoriæ Panolbio,qui tunc erat Hierapolitanorum metropolitanus Episcopus,& tertiò respuens,nec occurrens. Gerontius episcopus Seleuciæ, dixit: Valdè semetipsum nocuit reuerendissimus Episcopus Athanasius, neque amicum suum prædictum Panolbium passus,& præcipuè euocatus ad iudicium, & audientiam fugiens,sicut tria eius repudia manifestant. Benetius Episcopus Bybli, dixit: Lectio literarum repudij reuerendissimi Episcopi Athanasij docuit nos,quia purus amicus fuit ei, qui tunc metropolitanus erat,hoc est,beato Panolbio, apud quem responsum fieri oportebat. Vnde non oportuit euocationem effugere,nisi fortè eius conscientia impediset.

Theoctistus episcopus Beroæ,dixit: Si mundam habuisset conscientiam reuerendissimus episcopus Athanasius,non repudiasset audientiam beati Panolbij, cum eius vtique amicus existeret.

Epiphanius episcopus Archæ,dixit: Ostendit reuerend. episcopus Athanasius, quia semetipsum ab episcopatu Parenorum ecclesiæ fecit extraneum, repudium tertiò mittens, dum vtique beatum Panolbium Hierapolitanorum episcopum haberet,qui posset,nisi iste sibi conscius esset,eius negocium benè disponere.

Maras episcopus Vrimorum,dixit:In eo quod reuerend. episcopus Athanasius iudicium beati Panolbij deciinauit, qui tunc Hierapolitanorũ erat episcopus,apparet, quia conscientia sua conuictus est.

Baranis episcopus Alexandriæ,dixit: Maximè sibi nocuit reuerendus episcopus Athanasius, non obediens tunc metropolitano beatæ memoriæ Panolbio,& præcipuè dum eius amicus existeret. Vnde certus est, quia non recta conscientia viuens,talem audientiam declinauit,& ad repudium venit.

Stephanus episcopus Epiphaniæ,dixit: Superfluam rem esse iudico,post tria repudia,& terminum habentia, causam reuerend.episcopi Athanasij in examinationem adduci. Quomodò enim elegit hanc à sancto concilio iudicari, dum proprij amici sui beatæ memoriæ Panolbij, sicut ipse in repudijs manifestauit,videatur declinasse iudicium?

Phosphorus episcopus Orthosiadis,dixit:Ea,quæ à reuerend.episcopo Athanasio sunt scripta ad beatæ memoriæ Panolbium, qui tunc Hierapolitanorum erat episcopus, manifestant,quoniam iudicium fugiens, reus à Parenorum discessit episcopatu. Daniel episcopus Carrhensium, dixit: Palam est quia directis repudij literis reuerend. episcopus Athanasius ad beatæ memoriæ Panolbium,qui tunc metropolitanus erat,refutando iudicium,ab episcopatu semetipsum fecit extraneum.

Ioannes episcopus Theodosiopolis,dixit:In ijs,quæ placent sancto concilio vestro,& ego consentio. Sophronius episcopus Constantiæ,dixit: Ex repudij literis, quæ relectæ sunt,certus est reuerendissimus Athanasius,quia ad iudicium venire noluit,& episcopatum quoque repudiauit.

Ioseph episcopus Iuliopolis,dixit:Tertiò repudiando reuerend.episcop.Athanasius, & nolendo apud amicum suum beatæ memoriæ Panolbium,qui tunc metropolitanus erat episcopus,occurrere,& causam dicere,& semetipsum ab illatis sibi criminibus liberare,certus est,*quoniam conscientia mala sit vsus.

Timotheus episcopus Dolychis dixit: Oportebat quidem, reuerend. episcopum Athanasium ab exordio euocatum tertiò à beatæ memoriæ Panolbio, qui tunc metropolitanus episcopus erat,occurrere,& allegationibus suis vti,dum secundùm ea,quæ nunc lecta sunt,amicum suum eundem esse definiret. Quia igitur sæpè euocatus repudiauit, reum semetipsum illatis sibi constituit.

Paulus episcopus Ptolemaidis,dixit: Tertiò ad audientiam euocatus reuerend. Athanasius à Panolbio metropolitano*episcopo,& maximè eius amico, sicut ex his, quæ sunt lecta,didicimus,& tertiò Parenorum episcopatum repudiãs, apparet,*quoniam non bona conscientia percussus, videtur declinasse iudicium.

Sabas episcopus Palti, dixit: Tertiò repudiando reuerend. episcopus Athanasius, & coniurando, alium pro se ordinari debere, quam de reliquo rationem habet de episcopatu Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ nunc mouere, & præcipuè, dum apud amicum suum beatæ memoriæ Panolbium causam non dixerit?

Maras episcopus Anasarthæ, dixit: Integrè semetipsum diligi monstrauit reuerend.episcopus Athanasius à beatę memoriæ Panolbio metropolis episcopo, per epistolas repudij ad eum directas. Fugiens itaque audientiam eius, apparet hoc conscientia maligna fecisse.

Domnus episcopus Antiochiæ,dixit:Post hæc repudia vbi degebat reuerend. episcopus Athanasius? Isacius archidiaconus dixit: Egressus est de prouincia Samosatorum,degebat apud semetipsum in proprio prędio,& denuo descendit in ciuitatem Samosatorum. Quoniam autem hic sunt clerici,rogo sanctum vestrum concilium ingredi eos & dicere, quæ ipsi quoque nouerunt.

Domnus episcopus Antiochiæ, dixit: Ingrediantur. Tacianus diaconus dixit: Adsunt reuerendi clerici. Domnus episcopus Antiochiæ, dixit: Stent secundum ordinem reuerend. presbyteri, & reuerend.diaconi. Theodorus apiscopus Damasci, dixit vni: Vbi degebat post repudia reuerend. episcopus Athanasius? Qui cum respondisset, Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Quid dicunt & reliqui clerici? Theodorus episcopus Damasci,dixit: Ex illo regressus est Paros. Et post responsum, Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Quot ordinauit? Et facto responso, Theodorus episcopus Damasci dixit: Istas ordinationes, post repudia à se facta constituit? Accepto responso,Domnus episcopus Antiochiæ dixit: Dicant & reliqui clerici, qui nouerunt, quid posteà subsequutum sit. Theodorus episcopus Damasci dixit: Vos cuius rei causa estis Hierapolim profecti?Et cùm dixissent, Domnus episcopus Antiochiæ dixit:Noui & ego formidasse reueren.episcopum Athanasium.Nam detulit mihi literas Deo amantissimorum & sanctissimorum episcoporum, id est, domini Procli & domini Cyrilli.

Theodorus reuerendissimus episcopus Damasci, dixit: Diuinæ literæ per Deo amantissimũ episcopum Athanasium deductæ sunt sanctissimorum archiepiscoporum. Iubeat tua sanctitas,has relegi coram sancto Concilio. Domnus episcopus Antiochiæ,dixit. Legantur. Et lectæ sunt. Theodorus episcopus Damasci dixit: Videtur reuerend. episcopus Athanasius nihil verum docuisse sanctiss. & Deo amantiss. archiepiscopos dominum Proclum & dominum Cyrillum, dum etiam apud beatum Panolbium, qui fuit eius metropolita & eius amicus,sicut ipse in repudijs à se datis ostẽdit,* à Parenorũ episcopatu, & non à clericis est expulsus, sicut edocuit, sed ipse tertiò ab eodem Panolbio euocatus, audientiã illatorum sibi criminum refutauit,& propriam ciuitatem reliquit,adijciens & hoc in repudij sui literis, quoniam & ante duos aut tres annos hoc apud se deliberatum fuisset, vt ab episcopatu recederet.

Valerius episcopus Anazarbi,dixit: Perspexi & ego,quoniam reuerendissimus Athanasius falsò docuerit Deo amantiss.& sanctiss. archiepiscopos Proclum & Cyrillum. Nam & propria voluntate ex scripto repudiauit episcopatum. Et tertiò à beatiss. memoriæ Panolbio euocatus, audientiam declinauit. Vsus etiam repudio,& propria voluntate ciuitatem deseruit,& non à clericis est expulsus. Polychronius episcopus Epiphaniæ secũdæ Cilicię,dixit:Manifesta est Deo amantissimi episcopi Athanasij circa causam eius * argumentatio, calumniam facientis (quasi de violentia sua) reuerend.clericis, qui dum à semetipso ab Ecclesiastic. ministerio discesserit,& ante multa tempora in profectionẽ longinquam abierit, causam illis asscripsit.

Pompeianus episcopus Emisæ,dixit:* Certus est Athanasius alia pro alijs docuisse Deo amantiss. & sanctiss. Proclum & Cyrillum. Iamblicus episcopus Chalcidis, dixit: Dati repudij libelli à reuerendissimo episcopo Athanasio beatæ memoriæ Panolbio, qui tunc metropolitanus episcopus & amicus eius erat, sicut & ipse monstrauit, docent nos, quia inaniter calumniam fecit apud sanctiss.& venerandiss.archiepiscopos Proclum & Cyrillum de reuerendis suis clericis,dum ipse episcopatum reliquerit Parenorum, & coniurauerit alium pro se ordinari episcopum. Timotheus episcopus Dolychis, dixit: Hæc eadem, quæ Deo amantiss. episcopi, & ego perspexi.

* quod

* quod

*nec abepiscopatu, sicut ipse docuit,nõ à clericis est expulsus.

*puerilitas.

*Hæc eadẽ & nos cognouimus, quia mentitus est reuer. episcopus Athanasius, & certus.

Daniel episcopus Charrhensium, dixit: Admiratus sum, quomodo passus sit reuerend. episcopus Athanasius (euocatus à metropolitano episc. beatæ memorię Panolbio, vt satisfaceret, & tertiò repudians episcopatum) importunus existere Deo amantissimis episcopis Proclo & Cyrillo, & nihil eos veri edocere. Gerontius episcop. Seleuciæ, dixit: Hæc eadem & ego perspexi, quia nihil veritatis edocuit sanctiss. & Deo amantiss. episcopus Proclum & Cyrillum reuerend. episcopus Athanasius.

Theoctistus episcopus Beroæ, dixit: Hæc ipsa & ego perspexi, quia falsa docuerit sanctiss. & venerabiliss. archiepiscopos Proclum & Cyrillum reuerendissimus episcopus Athanasius.

Stephanus episopus Epiphaniæ dixit: Et ego ita perspexi, quia magis mentitus est apud sanctiss. & Deo amantiss. archiepiscopos Proclum & Cyrillum reuerend. episcopus Athanasius. Nam neque à clericis videtur expulsus, sed repudia propria voluntate fecit. Valerius episcopus Laodiceæ Syriæ, dixit: Et ego hæc ipsa perspexi, quæ sanctum Concilium. Epiphanius episcopus * Archæ, dixit: Hæc ipsa & ego cognosco, quæ sanctum Concilium: Baranis episcop. Alexandriæ, dixit: Et ego consentio sancto Concilio Deo amantissimorum episcoporum, & illa constituo, quæ & ipsi benè se habere comprobauerunt. Ioseph episcopus Iuliupolis, dixit: Hæc ipsa & ego perspexi, quæ Deo amãtissimi & sanctissimi archiepiscopi decreuerunt.

Paulus episcopus Ptolemaidis, dixit: Hæc ipsa & ego perspexi, quæ præcedentes sanctissimi patres, & cum eis quoque decerno.

* Anasarthæ

Maras episcopus * Anazarthæ, dixit: Si quietem diligeret reuerend. episcopus Athanasius, non eum oportuerat post repudium & iusiurandum, inopportunum existere sanctiss. patribus & archiepiscopis Proclo & Cyrillo. Ioannes episcop. Theodosiupulis, dixit: Similiter & ego perspexi. Sophronius Constantiæ episcopus, dixit: Præcedentibus me Deo amantissimis episcopis & ego consentio.

Domnus episcopus Antiochiæ, dixit: Quandò susceperi literas Deo amantiss. episc. Procli & Cyrilli, memor sum, quia & eum huc euocaui, & Deo amantiss. episcopos prouinciæ, vt hæc causa potuisset examinari. Relegite itaque ambas epistolas. Et lectæ sunt. Domnus episcopus dixit: Quid scribit ad hæc reueren. episcopus Athanasius? Domnus episcopus dixit: Lege & epistolam, quam scripsit Deo amantissimus Ioannes Hierapolitanorum Metropolis episcopus. Et postquàm lecta est, Domnus episcopus dixit: Noui, quando susceperi à reueren. episcopo Athanasio literas, quia mox conuocaui sanctum hoc Concilium secundũ eius preces, mittens etiam scripta ad eum, vt adesset in hoc sancto Concilio. Relege itaque à me ad eum factam epistolam. Et ea iam lecta iterum, Domnus episcopus dixit: Lege etiam Synodicas literas ad eum factas. Quibus lectis, Domnus episcopus dixit: Quæ sunt super hæc ex non scripto dicta à reueren. episcopo Athanasio? Et iterum Domnus episcopus dixit: Lege & quam habeo conscriptam epistolam sancto Concilio. Qua epistola iam lecta, Tacianus diaconus dixit: Habeo & Epistolas reuerendorum Episcoporum domini Ibæ, & domini Andreæ, quas miserunt, euocati à tua sanctitate, & occurrere non valentes. Domnus episcopus dixit: Lege & eas per ordinem. Et his quoque epistolis lectis, Tacianus diaconus dixit: Alios libellos obtulit sancto Concilio reuerendiss. subdiaconus Philippus sanctæ Dei Parensis Ecclesiæ, Et si iubet vestra sanctitas, hos quoq; relego. Domnus episcopus dixit: Lege. Cumq; fuissent lecti libelli, Theodorus episcopus Damasci, dixit: Ea quæ posita sunt in libellis, solus nosti, an & alij simul sciunt? Phillippus subdiaconus dixit: Nouit hæc etiam reueren. presbyter ex œconomo Fronton. Domnus episcopus dixit: Dicat reuerend. Fronton, quid de hac causa nouit. Qui cùm dixisset, Domnus episcopus dixit: Hæc * dominica quæ est? Theodorus reuerend. episcop. Damasci, dixit: Quis scit hæc? Fronton dixit: Theodorus diaconus, qui cum manebat cum ipso reuerendissimo episcopo Athanasio. Quo vocato, Theodorus episcopus dixit: Quid nosti in causa columnarum argentearum? Si verò cõscius * erat illo tempore reuerẽdissimo episcopo Athanasio? Et cum hic dixisset, Domnus episcopus dixit: Dicant etiam isti, quorum memoriam fecit Fronton presbyter, quid nouerunt. Theodorus episcopus dixit: Si hic sunt quorum memoriam fecit reuerend. Maris presbyter, & ipsi, quæ nouerunt, propria voce testentur. Tacianus diaconus dixit: Adstant Maris & Theophilus diacones. Theodorus episcopus dixit: Quid nostis in causa? Qui postquam libellorum meminerãt, Domnus episcopus dixit: Lege eos. At lectis iam libellis, Theodorus episcopus dixit: Nunquid non sufficient nobis, quæ iam dicta sunt, atque deposita, scandalis complere omnium aures? Domnus episcopus dixit: Quid perspicit vestra sancta sy nodus fieri oportere? Theodorus episcopus dixit: Si opinionis suæ curam habuisset Athanasius reuerendissimus episcopus, non declinasset examinationem criminum sibimet illatorum, & quod maius est, audientiam delegatam à beatæ memoriæ Panolbio, qui fuit Hierapolitanus episcopus, & eius amicus, & circa eum valde fauorabilis, sicut ipse Athanasius proprijs literis sæpius intimauit. A quo tertiò ad audientiam euocatus, non obediuit, sed etiam tertiò episcopatum Pari ex scripto repudiauit per ea, quæ ad beatæ memoriæ Panolbium scripsit, in quibus etiam rogauit, dicens à se silentium complectendum. Sed hoc non fecit, sed longa itinera aggressus, turbauit auditus sanctissimorum & Deo amantiss. archiepiscoporum, id est, domini Procli & domini Cyrilli, nihil verum memoratos sanctiss. viros edocens, sed etiam postea sæpius euocatus, tam à sanctiss. patre nostro & archiepiscopo, Domno Antiocheno scilicet, quàm à præsenti concilio, quatenus semetipsum à criminibus sibi illatis exueret, venire non voluit. * Quid ergo Ecclesiasticis sanctionibus placet eum, qui pro quibusdam rebus incongruis euocatus, & tertiò euocatus non venit, cadere honore, quem habet. Videtur autem memoratus Athanasius non solùm tertiò euocatus, sed etiam frequenter, & non obediens, neque illatis volens criminibus respondere. Huius rei gratia, alienum eum à sacerdotio secundum Ecclesiasticas leges esse decerno, & oportere Deo amantissimum episcopum Hierapolitanorum, dominum Ioannem feliciter episcopum, in Ecclesia Parenorum regulariter ordinare, vt tandem aliquando in pacifica quiete eadem ciuitas constituatur, libera à fluctuatione atque tumultu, duorum annorum tempore in ea machinato. Valerius episcopus Anazarbi, dixit: Quoniam dudum videtur examinationem causæ repudiasse prædictus Athanasius, & declinando iudicium beatæ memoriæ Panolbij, insuper etiam & eius successoris metropolitæ, & nunc etiam regulariter euocatus à communi patre & archiepiscopo Domno, & sancto Concilio, similiter examinationem fugit frequenter differendo, certus est, quoniam debet adiudicari. Igitur extraneum eum & ego à sacerdotio iudicaui, & ab episcopi dignitate, & debet ab omnibus illic ordinari alter episcopus, tanquam hoc semel alienato, quatenus vel nunc desinat esse sine patre (quòd violenter sustinuit) orbata Parenorum ciuitatis Ecclesia. Timotheus reuerendissimus episcopus Dolychis, dixit: Recta & iusta prolata est sententia à congregato hic sancto Concilio aduersus prædictum Athanasium. Nam toties consequenter & regulariter euocatus à metropolita suo beatæ memoriæ Panolbio, & Deo amantissimo & sanctissimo episcopo Ioanne metropolita nostro, & à præsenti sancto Concilio, sed & etiam à sanctissimo & Deo amantissimo episcopo Domno, & non obaudiens, diuersis verò dilationibus vsus, sibimet omnem sacerdotij priuationem ascribat. Igitur & ego consentio ijs, quæ regulariter & legitimè sunt decreta à vestro sancto Concilio. Et supplico, vt Parenorum sanctissimæ Ecclesiæ ordinetur episcopus, vt & nos, & eadem sanctissima Ecclesia contritione & miseria liberemur. Maras episcopus * Anasarthæ, dixit: His eisdem & ego consentio, & alienum esse decerno ab honore episcopatus Athanasium, qui Pari fuit episcopus, quoniam sæpè vocatus non obediuit. Et supplico, vt velociter in Parenorũ Ecclesia ordinetur episcopus. Pompeianus episcopus Emisę, dixit: His, quę regulariter & Ecclesiasticè definita sunt à sanctiss. & Deo amantissimis metropolitis Theodoro & Valerio & ego cõsentio, quæ vtiquè iustè ab eis decreta sunt, approbans. Et ego Athanasium, qui Pari fuit episcopus, ab episcopatu omnimodis alienum, & ab honore pontificatus decerno. Et rogo alium episcop. pro eo constitui in eadem ciuitate, vt vel nunc à tumultu & seditionibus eadem Parenorum sancta Dei Ecclesia liberetur.

* Vnde

* eras

Iamblicus episcop. Chalcidis dixit: Simul decerno & ego ea, quæ regulariter & legitimè constituta sunt à Deo amantissimo & sanctissimo episcop. id est, Theodoro & Valerio metropolitis de Athanasio, qui quòdam Parenorum fuit episcopus. Vnde & ego rogo sanctissimum Ioannem episcop. huius pridem metropolitam, isto secundum vestram approbationem alieno ab episcopatu facto, alium pontificem constituere sanctiss. Parenorum Ecclesiæ. Vranius episcopus * Hymerorum, dixit: Athanasium episcopum euocatum, vt satisfaceret de illatis sibi maximis nefarijsque criminibus, & non obedientem citationi canonicæ Deo amantiss. & sanctiss. archiepiscopi nostri Domini, & præsentis sancti magnique concilij, quoniam conscientia mala videtur alligatus, hunc & ego decerno indignum, & extraneum omni Ecclesiastico ministerio, episcopique vocabulo. Damianus Sidonis episc. dixit: Oportebat Athanasium, qui Parenorum Ecclesiæ fuit episc. in quibusdam criminibus accusatum, & euocatum à beatiss. Panolbio suo tunc metropolita, vt curam eius habenti, obaudire, & suis allegationibus vti: & hoc quidem non fecit, sed per longa itinera profectus est, molestus existens auribus Deo amantiss. episcoporũ Procli & Cyrilli, & deferens literas, quarum gratia & iterum euocatus est à sanctissimo archiepiscopo nostro Domno & à sancto concilio, & obaudire contempsit. Hoc ergo non faciente eo, & ego decerno alienum eum existere à dignitate pontificatus, & oportere amantissimum Ioannem episcopum Hieropolitanorum metropolis, episc. consecrare pro eo Parenorum Ecclesiæ. Polychronius episc. Epiphaniæ secundæ Ciliciæ, dixit: Luctus & gemitus causa nobis effectus est Athanasius quondam Parenorum episcop. Diuersis enim criminibus accusatus, iudicium declinauit, tertiò euocatus à beatæ memoriæ Panolbio Hierapolitanorum episcopo, cùm vtique eius amicus existeret, sicut ipse in repudij sui literis declarauit, & nunc quidem sæpius à Deo amantiss. & sanctissimo archiepiscopo Domno, & hoc congregato concilio, obedire citationi non voluit, sed permansit multo tempore illudens, & fallens Ecclesiasticas sanctiones. Huius itaque rei gratia, semetipsum omni pontificatus ministerio denudauit, episcopique vocabulo, & sit quoque depositus etiam meo decreto, & ordinabitur alter episc. sanctæ Parensi Ecclesiæ, qui possit soluere malorum calamitatem. Theoctistus episcopus Beroæ, dixit, Consentio his, quæ benè & regulariter definita sunt à sancto Concilio, quatenus alienus sit ab honore pontificatus Athanasius, qui * Paros fuit episcopus. Et decerno, vt pro eo Parenorum sanctiss. Dei Ecclesiæ ordinetur episc. Benetius episc. Bybli dixit: His quæ regulariter à sancto Concilio sunt prolata, consentio etiam ipse, iudicans Athanasium Pari quondam episc. alienum esse à pontificatu, & oportere pro eo pontificem Ecclesiæ Dei constitui. Gerontius episcopus Seleuciæ, dixit: Quoniam sæpè vocatus Athanasius * Paros quondam episcopus, & à metropolita suo beatæ memoriæ Panolbio, & à Ioanne Hierapolitanorum metropolitano episcopo, & ab archiepiscopo nostro Domno, sed & à præsenti sancto Concilio, non affuit, hunc & ego alienum esse decerno secundum Ecclesiasticas sanctiones ab episcopatu. Et rogo velociter episcopum ordinari pro eo sanctissimæ Parenorum Ecclesiæ. Stephanus episcopus Epiphanię, dixit: In maximis criminibus accusatus Athanasius Parenorum quondam episcopus, & sæpius euocatus, & nec semel obaudiens, sed longa itinera eligens proficisci, & molestus existere auribus DEO amantiss. episcoporum Procli & Cyrilli, & propterea rursus ab exarcho Orientalis diœcesis euocatus, & à congregato sancto concilio, & neque sic obaudiens, dignus est expelli à pontificatu, alio pro eo prædictæ Ecclesiæ constituto pontifice. Ioseph episcopus Iuliopolis, dixit: Oportebat quidem occurrere Athanasium Parenorum Ecclesiæ quondam episcopum, & ab illatis sibi criminibus semetipsum exuere. Sed quoniam sæpius euocatus, hoc non fecit, sanctum præsensque Concilium in eum sententiam protulit secundum Ecclesiasticas sanctiones, vnde & ego consentio omnibus, quæ ab eis legaliter definita sunt, iudicans alienum eum esse à pontificatu, oportere autem alium pro eo pontificem Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ ordinari. Phosphorus episcopus Orthosiadis, dixit: Consentio & ego his, quæ regulariter definita sunt à sancto Concilio, alienum esse iudicans ab episcopatu prædictum Athanasium. Rogo autem, & vna decerno, alium pro eo Parenorum sanctissimę Dei Ecclesiæ ordinari pontificem. Thomas episcopus Mopsuestiæ, dixit: Accusatoribus Athanasij frequenter olim beatæ memorię Panolbio, qui metropolis fuit episcopus, & sanctiss. archiepiscopo nostro Domno, & nunc etiam sancto Concilio, molestis existentibus, & vocationibus sæpè factis, vt accusatorum examinatio proueniret, non occurrens Athanasius, semetipsum extraneum ab efficacia pontificatus effecit. Vnde post sententiam sancti concilij, necessariè Parenorum sanctiss. Dei Ecclesia, tanto tempore sine præsule manens, suscipiat pontificem à sanctiss. metropolita, & religiosiss. episcopis prouinciæ regulariter ordinatum. Paulus episcopus Ptolemaidę, dixit. Consentio his, quę decreta sunt ab hoc sancto concilio, & alienum ab episcopatu iudico prædictum Athanasium, atque decerno pro eo velociter Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ ordinandum episcopum. Paulus episcopus Antaradens. dixit: His quæ Ecclesiasticè & regulariter à sancto concilio sunt decreta, particeps sum, alienum iudicans ab honore episcopatus Athanasium Parenorum quondam episc. & decerno alium pro eo celerius eidem sanctiss. Dei Ecclesiæ constituendum episc. Maras episc. Vrimorum, dixit: Et ego hæc ipsa constituo, & alienum iudico ab honore pontificatus. Athanasium Parenorum quondam episcop. quoniam sæpius euocatus non obaudiuit, & decerno alium pro eo Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ ordinari debere. Baranis * Alexandriæ episc. dixit: His, quæ regulariter definita sunt à Deo amantiss. episc. consona loquor & ego, alienum iudicans ab omni pontificatus honore & dignitate episcopatus eundem Athanasiũ, & decerno alium pro eo Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ cõstituendum. Epiphanius episc. * Archæ, dixit: His, quæ benè & regulariter à sancto concilio sunt decreta, consentio & ipse, alienum iudicans ab honore pontificatus Athanasium Parenorum quondam episc. & decerno celeriter alium constitui eidem Parenorum Ecclesiæ, qui eam possit pro Dei voluntate gubernare. Iordanus episcopus Abilæ, dixit: His, quæ secundum Ecclesiasticos canones à sancto concilio benè sunt prolata, consentio, alienum iudicans ab honoore pontificatus Athanasium Parenorum quondam episc. & decerno alium pro eo Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ ordinandum. Ioannes episc. Theodosiupolis, dixit: Consentio & ego ipse, quæ canonicè & legaliter definita sunt à sancto concilio, & alienum ab episcopatu iudico Athanasium, approbans alterum pontificem constituendum Ecclesię Parenorum. Daniel episc. Carrhens. dixit: Consentio omnibus his, quæ regulariter sancto concilio placuerunt, & alienum iudico Athanasium ab episcopatu, approbans alterum pro eo Parenorum ciuitati ordinandum episcopum. Sophronius episc. Constantiæ, dixit: Ea, quæ regulariter atque legaliter à sancto concilio definita sunt, & ipse sequẽs, alienum iudico Athanasium ab episcopatu, approbans alterum pro eo Parenorum sanctæ Dei Ecclesię constituendum episcopum. Sabas episcopus Palti, dixit: Consentio & ego omnibus quæ dicta sunt, & vna decerno cum sancto concilio, alienum iudicans esse ab honore pontificatus Athanasium, quoniam euocatus ab omni sua prouincia, suisque metropolitis & sanctissimo patre nostro atq; doctore, & ab omni sancto concilio, non obediuit. Approbo autem, quatenus pro eo Parenorum sanctę Dei Ecclesiæ alter ordinetur episcopus. Domnus Antiochiæ episcop. dixit: Mei quidem voti nõ fuit, talem aduersus episcopum proferre sententiam. Quia verò sancto concilio dignè complacuit, alienum existere Athanasium secundum Ecclesiasticas sanctiones ab episcopatu, tanquam sæpius quidem, & in multis magnisque criminibus accusatum, semper verò iudicium & examinationem negocij fugientem, confirmo hæc etiam ego, & in his, quę omnibus communiter placuerunt, concors existo, iudicans eum alienum esse à pontificatu. Et præcipio Deo amantissimo episcopo Ioanni, & ipsis prouinciæ religiosiss. episcop. alium pro eo Parenorum sanctæ Dei Ecclesiæ episcopum ordinare. Et subscriptiones prædictorum episcoporum.

Gloriosissimi iudices dixerunt: Si qui eorum, qui tunc cum Domno deposuerunt Athanasium reuerendissimum episcopum, assident sancto Concilio, in medium transeant. Et transeuntibus in medio Theodoro reuerend. episc. Damasci, Theoctisto reuered. episc. Beroæ, Gerontio reuend. episcop.

Seleuciæ,

* Himerorum.

* Pari

* Alexandræ

* Archæ

Seleuciæ, Damiano reuerend. Episc. Sidonis, Ioseph reueren. episc. Heliopolis, Saba reuerend. episcopo Palti, Sophronio reuerend. episc. Constantiæ, Glorioſiſſ. iudices dixerunt: Dicant reuerend. & ſanctiſſ. episc. pro qua culpa tunc Athanaſium reuerend. depoſuerunt de episcopatu. Theodorus reuerend. episc. Damaſci, dixit: Clerici Parenorum Eccleſiæ accuſationes obtulerunt aduerſus eum, & euocatus, non affuit, dicens; quoſdam ſe inimicos habere, & ſecundò euocatus, non affuit. Dum verò tres euocationes in eum factæ fuiſſent, & venire recuſaſſet, ſecundùm canones aduerſus eum depoſitionis eius prolata ſententia eſt. Theoctiſtus reueren. episc. Beroæ, dixit: Euocatus religioſiſſimus episcopus Athanaſius à Concilio Antiochiæ congregato tertiò, non affuit: & ideò quòd non affuit, adiudicatus eſt. Gerontius reuerend. episcop. Seleuciæ Syriæ, dixit: Nos depoſuimus eum, quoniam regulariter euocatus tertiò, non occurrit, & ſecundùm regulas depoſitus eſt ab omnibus, qui tunc conuenerunt. Grauia enim quædam poſita erant in libellis, aduerſus eum prolatis, & vocatus regulariter obaudire contemſit. Damianus reueren. episc. Sidonis, dixit: Euocatus Athanaſius reueren. episc. à ſancto Concilio Antiochiæ congregato tertiò, nõ obaudiuit. Et ſecundùm regulas ab omnibus, qui tunc conuenerunt, condemnatus eſt. Ioſeph. reueren. episc. Heliopolis, dixit: Euocatus à ſancto Concilio Antiochiæ congregato in auditorio & ſemèl, & ſecundò, & tertiò reueren. Athanaſius, & non aduenies, damnationi ſubmiſſus eſt. Sabas reueren. epiſc. Palti, dixit. Aderam in iudicio. Detulerat Athanaſius ſacram, vt non ſederet neque dominus Theodoretus in cauſa, neque Ioannes metropolita. Sedebant ambo in cauſa. Dicebam ad eos: Quia ſi iudices eſtis, audite negotium. Si verò non ſubſcribitis, egredimini ſimpliciter. Et contentione facta, ſubſcribere noluerunt. Ad vltimum euocatus eſt tertiò, & non venit. Et propterea depoſuimus eum. Sophronius reueren. episc. Conſtantiæ, dixit: Nihil diſcuſſum eſt eorum, quæ aduerſus eum erant, & in præſentia eius per probationem nihil examinatum eſt. Sed ex vna parte accuſauerunt illi. Nos autem non credidimus vni parti, quoniam accuſatores, qnæcunque volunt, dicunt, nec omninò oportet accuſatoribus credi. Euocatus eſt autem propter hæc ſemel. Dixit cauſam, pro qua uon adeſſet, quoſdam ſe inimicos habere in ſynodo, quę poſita eſt in geſtis. Iterùm ſecundò euocatus eſt. Rurſus tertiò euocatus eſt. Cùm autem non obaudiſſet tertiò, deponens eum prolata ſententia eſt. Glorioſiſſimi iudices dixerunt: Dicat Athanaſius reuerend. epiſc. cur, tertiò euocatus à ſancto Antiocheno Concilio, non occurrit, vt proprijs allegationibus vteretur. Athanaſius reueren. epiſ. dixit: Quoniam inimicus meus erat ipſe, qui iudicabat, Antiochenus. Et rogo hæc relegi, & veritatem probari. Abierunt tredecim clerici, & ipſi decreuerunt nolentes. Glorioſiſſ. iudices dixerunt: Sauinianus reueren. epiſ. quoniam poſt depoſitionem Athanaſij reueren. ordinatus eſt à prouinciali Concilio, in Parenorũ ciuitatis episcopatu (ſicut nos perſpicimus) manere debet. Neque enim ex vna parte remotus, iuſtum eſt, vt præiudicium patiatur: quoniam neque vocatus eſt, neque cõtradictio ei ſeruata eſt. Athanaſius verò depoſitus, tanquàm euocationibus nõ obaudiens, poſteà verò ex vna parte à Dioſcoro episcopatum obtinere iuſſus, interim (ſicut perſpicimus) debet quieſcere. Cauſas verò illatas ei, examinandas eſſe decernimus apud ſanctiſſimum epiſc. Antiochiæ Maximum, & Concilium, quod cum eo eſt: ita tamen, vt intra octo menſes, à præſenti die numerandos, examinatio fiat eorum, qui dudùm accuſationem aduerſus eum propoſuerunt. Aut ſi alter contra eum quilibet de his ipſis inſtare voluerit, & ſi quidem conuictus fuerit omnia præſumpſiſſe, quæ ei criminaliter ſeu pecunialiter ſunt illata, & geſtis inſerta, aut vnum eorum, quod damnatione ſit dignũ, non ſolùm eum alienũ eſſe ab ipſo episcopatu, ſed etiam legibus publicis eſſe ſubdẽdum. Si verò intra hoc tempus non agatur aduerſus eum, neq; conuincatur, (ſicut prædictum eſt) Athanaſius quidem episcopatum eiuſdem recipiat ciuitatis eccleſiæ per ſanctiſſimum episcopum Antiochię Maximum: Sauinianus verò reueren. epiſ. & dignitatem epiſcopatûs habeat, & ſubſtitutus ſit, & paſcatur, donec reueren. epiſ. Antiochenorum Maximus, eum ſecundùm virtutem Parenorum ſanctiſſ. diſponat eccleſię. Hęc audiens ſanctiſſ. ſynodus, dicat, ſi ea, quæ ſunt ordinata, decernit, aut aliud quid diſponit. Maximus reu. epiſ. Antiochiæ, dixit: Hoc nihil iuſtius. Cyrus reuer. epiſ. Anazarbi, dixit: Deus per vos locutus eſt. Sancta ſynodus dixit: Nihil iuſtius, nihil integrius. Hæc iuſta ſententia. Quæ diſpoſita ſunt, effectui mancipentur, quia cum Deo vos iudicatis. Glorioſiſſ. iudices dixerunt: Ea, quæ à nobis quidem approbata ſunt, diſpoſita verò à ſancto Concilio, firma conſiſtant.

CHALCEDONENSIS CONCILII

ACTIO XV. CANONES SYNODI EIVS

COMPLECTENS.

EDITIO PRIMA.

De Canonibus vniuſcuiuſque Concilij.

25. q. 1. a ſanctis patribus.

REgulas ſanctorum patrum, per ſingula nunc vſque concilia conſtitutas, proprium robur obtinere decreuimus.

Quòd non oporteat epiſcopos, aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari.

* pecuniã 1. q. 1. Si quis epiſcopus pecuniam.

2 Si quis epiſcopus per * pecunias fecerit ordinationem, & ſub precio redegerit gratiam, quæ non poteſt vendi, ordinauerit́que per pecunias epiſcopum, aut chorepiſcopũ, aut presbyterum, aut diaconum, vel quemlibet ex his, qui connumerantur in clero, aut promouerit per pecunias diſpenſatorem, aut defenſorem, vel manſionarium, vel quenquam omninò, qui ſubiectus eſt regulæ, pro ſuo turpiſſimo lucri commodo, * is, qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprij gradus periculo ſubiacebit. Et qui ordi-

* is, cui hoc attentanti probatum.

EDITIO II.

De ſeruandis canonibus ſynodorum.

REgulas, ſanctis patribus in vnaquaque ſynodo vſque nunc prolatas, teneri ſtatuimus.

Quòd præmio vel pecunia non ordinentur epiſcopi.

2 Si quis epiſcoporum, accepta pecunia, ordinationem fecerit, & ſub preciũ deduxerit impreciabilem gratiam, atq; ordinauerit per pecunias epiſcopum, ſiue chorepiſcopum, ſiue presbyterum, ſiue diaconum, aut quemcunque alium, qui connumeratur inter clericos, aut accepta pecunia, ordinauerit œconomũ, id eſt, defenſorem, ſiue paramonarium: quicunque ergò hæc meditatus fuerit, ſi conuictus fuerit, ipſe quidem ſubeat gradus ſui periculum: & qui ſic ordinatus fuerit, nullum habeat fructum ex huiuſ-

Canones Synodi Chalcedonenſis, interprete Gentiano Herueto.

QVi à ſanctis patribus in vnaquaque ſynodo hucuſq; expoſiti ſunt, obſeruari canones æquum cenſuimus. CANON I.

Si quis epiſcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit, & propter pecunias ordinauerit epiſcopum, vel chorepiſcopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum qui in clero annumerantur, vel propter pecunias promouerit œconomum, vel defenſorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex canone, turpis quæſtus gratia, qui hoc tentaſſe conuictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: & qui eſt ordinatus, ex ordinatione vel CANON II.

natus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus *à dignitate vel solicitudine, *quam pecunijs acquisiuit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis vel exceptis extiterit, & ipse, siquidē clericus fuerit, proprio gradu decidat: si verò laicus aut monachus, anathematizetur.

*ab ea

* quæsiuit

Quòd non oporteat, episcopos, clericos & monachos prædia aliena conducere.

86. Peruenit ad sanctam. 3 Peruenit ad sanctam synodum, quod quidam, qui in clero videntur allecti, propter lucra turpia cōductores alienarum possessionum fiant, & secularia negotia sub cura sua suscipiāt, Dei quidem ministerium parui pendentes, seculariū verò discurrentes domos, & propter auaritiam, patrimoniorum solicitudinem sumentes. Decreuit itaque sanctum hoc magnumq; concilium, nullum deinceps, non episcopum, non clericum, vel monachum, aut possessiones conducere, aut negotijs secularibus se miscere, præter pupillorum (si fortè leges imponant) inexcusabilem curam, aut ciuitatis episcopus ecclesiasticarū rerum solicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum & viduarum, earumque, quæ sine vlla *prouisione sunt, personarum, quæ maximè ecclesiastico indigent adiutorio, & propter timorem Domini causa deposcat. Si quis autem decæterò transgredi statuta tentauerit, qui est huiusmodi, ecclesiasticis increpationibus subiacebit.

*defensione

De honore monachis competente, & vt nullus eorum teneat ecclesiastica aut secularia inquietare negotia, nec alienum seruum præter conscientiam domini eius suscipere.

☞ 26. q. 1. qui verè pureque. 8. q. 2. Quidam monachorū habitu. 4 Qui verè & syncerè singularem sectantur vitam, competenter honorentur. Quoniam verò quidam vtentes habitu *monachali, ecclesiastica negotia ciuiliaq; conturbant, circumeuntes indifferenter vrbes, necnon & monasteria sibi instituere tentantes, placuit, nullum quidem vsquàm ædificare, aut constituere monasterium, vel oratorij domum, præter conscientiam ciuitatis Episcopi. Monachos verò per vnamquamq; ciuitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intētos esse tantummodò ieiunio & orationi, in locis, in quibus renunciauerunt seculo, permanentes, nec ecclesiasticis verò nec secularibus negotijs communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserētes, nisi fortè his præcipiatur, propter opus necessarium ab Episcopo ciuitatis. Nullum verò recipere in monasterijs seruum, vt sit cum eis monachi obtentu præter sui domini conscientiam. Transgredientem verò hanc definitionem nostram, excommunicatū esse decreuimus, ne nomen Dei blasphemetur. Veruntamen Episcopum conuenit ciuitatis, competētem monasteriorum prouidentiam gerere.

Sentētia liter. 2. q. 7. Nullus monach. Et 16. q. 1. qui verè pureque.

16. q. 1. qui verè pureque.

Episcopi, Clerici, & monachi seculares curas postponant.

3 Peruenit in sanctam synodum, quia de his, qui in clero connumerantur, quidam propter turpis lucri gratiam, alienarum possessionum conductiones & causas seculares suscipiūt: & seipsos quidem a ministerijs sanctis per desidiam separant, & ad domos autem secularium concurrunt, & substantiarum eorum gubernationes auaritiæ causa suscipiunt. Decreuit ergò sancta & magna synodus, neminem deincèps eorum, hoc est, episcopum, siue clericum, aut monachum, conducere possessiones, aut miscēri secularibus procurationibus, nisi fortè, qui legibus ad minorum tutelas ætatu, siue curationes inexcusabiles attrahuntur, aut cui ipsius ciuitatis episcopus ecclesiasticarū rerum commiserit gubernacula, vel orphanorum, aut viduarum, quæ indefensæ sunt, aut earum personarum, quæ maximè ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei. Si quis verò trāsgressus fuerit statuta, correctioni ecclesiasticæ subiacet.

absque voluntate episcopi nec monasterium, nec oratorium quis facere præsumat, & de monachu.

4 Qui verè & purè solitariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore. Quia tamen quidam monachi habitu vtentes, res communes disturbant, indifferenter ciuitates circumeuntes, necnon & monasteria per seipsos propria præsumptione contentant: placuit, neminem aut ædificare, aut constituere monasteria, aut oratorij domum, sine conscientia ipsius ciuitatis episcopi. Eos verò, qui per singulas ciuitates seu possessiones in monasterijs sunt, subiectos esse debere episcopo, & quieti operam dare, atque obseruare ieiunia & orationes, in locis, in quibus semel Deo se deuouerūt, permanentes: & neque communicare ecclesiasticis, neque seculares aliquas tractare actiones, relinquentes propria monasteria: nisi fortè iubeantur, propter vrgentes necessitates, ab ipsius ciuitatis episcopo. Et neminem seruorum suscipi in monasterium, vt sit cum eis monachus, nisi cum domini proprij * conscientia. Prætereuntem verò hęc, decreuimus extra communionem esse, nè nomen Domini blasphemetur. Conuenit verò ciuitatis episcopo, curam solicitudinemq; necessariam monasterijs exhibere.

De his, qui de ciuitate in ciuitatem vadunt.

7. q. 1. propter eos. 5 Propter eos episcopos siue clericos, qui de ciuitate ad ciuitatem transeunt, placuit eos, qui

promotione, quæ instar mercatorū venundatur, nihil iuuetur: sed sit à dignitate vel curatione alienus, quam pecunijs adeptus est. Si quis autem sequester & intercessor adeò turpibus & nefarijs lucris apparuerit, hic quoque si sit quidem clericus, proprio gradu excidat: si sit autem laicus vel monachus, anathematizetur.

Peruenit ad sanctam synodum, quòd eorum, qui in clerum cooptati sunt, quidam propter turpe lucrum alienas possessiones conducunt, & secularia negotia exercent, diuinum mysterium negligentes, secularium verò domos subeuntes, & eorum facultatum tractationem ac curationem propter auaritiam susciplentes. Definijt ergò sancta Synodus, neminem deincèps nec episcopum, nec clericum, nec monachū vel possessiones conducere, vel secularibus possessionum administrationibus seipsum ingerere: nisi vtique ex lege ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur, vel ciuitatis episcopus eum rerum ecclesiasticarū curam gerere permittat, vel orphanorum, vel viduarum, quibus prouideri non potest, & personarum quæ ecclesiastico auxilio maximè indigent propter timorem Domini. Si quis autem, quæ statuta sunt, deincèps transgredi aggressus fuerit, is pœnis ecclesiasticis subijciatur.

CANON III.

Qui verè & syncerè monasticam vitam aggrediūtur, digni conuenienti honore habeantur. Quoniam autem nonnulli monachio prætextu vtentes, & ecclesias & negotia ciuilia perturbant, temerè & citra vllam discriminis rationē in vrbibus circuncursantes, quinetiam monasteria sibi cōstituere studentes, visum est, nullam vsquàm ædificare, nec construere posse monasterium, vel oratoriam domum præter sentētiam ipsius ciuitatis Episcopi: monachos autem qui sunt in vnaquaque regione & ciuitate, episcopo subiectos esse, & quietē amplecti, & soli ieiunio & orationi vacare, in quibus ordinati sunt locis fortiter perseuerantes, ne Ecclesiasticis nec secularibus negotijs seingerere vel communicare, propria relinquentes Monasteria, nisi quandoq; à ciuitatis Episcopo eis permissum fuerit. Nullum autem in monasterijs seruum recipi ad hoc vt sit monachus, præter volūtatem sui domini. Eum autem, qui hanc nostram definitionem transgreditur, definijmus esse excommunicatum, nè nomen Dei blasphemetur. Ciuitatis autem episcopū oporteat eam, quam par est, monasteriorum curam gerere.

CANON IIII.

De episcopis vel clericis, qui à ciuitate in ciuitatem transeūt, placuit eos,

CANON V.

Niceni Con. cap. 15.

vt canones, qui de hac re à sanctis patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

Quòd non oporteat absolutè quoslibet ordinari.

*id est, sine titulo. Dist. 70. Neminē absol.

6 Nullum * absolutè ordinari debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter ecclesiæ, ciuitatis, aut possessionis, aut martyrij, aut monasterij, qui ordinandus est, pronuncietur. Qui verò absolutè ordinantur, decreuit sancta Synodus, irritam haberi huiusmodi manûs impositionem, & nusquàm posse ministrare, ad ordinantis iniuriam.

De clericis & monachis, non manentibus in suo proposito.

20. q. 3. Eos qui semel

7 Qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiuerunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam. Aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quò minùs redeãt ad hoc, quod propter Deum primitùs elegerunt, anathematizari.

*voluerint

*anathemaesse

De clericis qui sunt in ptochodochijs, monasterijs, atque martyrijs, quæ sub potestate Episcoporum vniuscuiusque ciuitatis existunt.

18. q. 2. qui dam monachorũ habitu, §. Item clerici in. Et §. Item clerici qui

8 Clerici, quæ præficiuntur ptochodochijs, qui ordinantur in monasterijs & Basilicis martyrum, sub Episcoporum, qui in vnaquaque ciuitate sunt, secũdùm sanctorum patrum traditiones potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent euertere huiusmodi formam quocunque modo, nec proprio subijciuntur episcopo: siquidem clerici sunt, canonum * correptionibus subiacebunt: si verò laici vel monachi fuerint, communione priuentur.

*vltionibus excõmunicentur.

Quòd non oporteat, clericos habentes aduersus inuicem negotia, proprium Episcopum relinquere, & ad secularia iudicia conuolare.

11. q. 1. Si clericus aduersus clericum.

9 Si quis clericus aduersus clericũ habet negotium, non deserat proprium Episcopum, & ad secularia per currat iudicia. Sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certe Concilio eiusdem episcopi, apud quos vtræq; partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subiacebit. Quòd si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud Synodum prouinciæ iudicetur. Quòd si aduersus eiusdem prouinciæ Metropolitanum episcopus, vel clericus habet querelam, petat aut primatẽ diœceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud * ipsam iudicetur.

*ipsum

Canonem hunc rite interpretatur Nicolaus Magnus in epistola ad Michaelem imper. Sed perperam Balsamon, & Zonaras. Vide Turrianum lib. 3. pro epist. Pontificum. cap. 4.

Quòd non liceat clerico, in duarum ciuitatum ecclesijs ministrare.

21. q. 1. clericum in duarum.

10 Non licet clericum conscribi in duabus simul ecclesijs, sed & in qua ab initio ordinatus est, non ad quam confugit, quasi ad potiorem ob inanis glorię cupiditatem

placuit, definitiones datas à sanctis patribus, habere propriam firmitatem.

Vt in publicis locis fiat ordinatio.

6 Neminem absolutè ordinari presbyterum, vel diaconum, vel quemlibet in ecclesiastica cõstitutum, nisi manifestè in Ecclesia ciuitatis, siue possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum. Eorum verò, qui absolutè ordinantur, decreuit sancta synodus, vacuam haberi manûs impositionẽ, & nullũ eius tale factũ valere, ad iniuriã ipsius qui eum ordinauit.

Vt monachi ad malitiam non redeant.

7 Eos, qui semèl in clero taxati fuerint, siue in monasterijs deputati, decreuimus neq; ad militiam, neq; ad honores seculares venire: Eos autem, qui hoc ausi fuerint facere, & non eius rei pœnitere * maluerint, vt ad hoc idem reuertãtur, quod antè obtentu Dei proposuerunt sibi, * anathematizari.

Vt dispensatores pauperum, Episcopo suo obediant.

8 Clerici in ptochijs, & in monasterijs, aut martyrijs cõstituti, sub potestate sint eius, qui in ea est ciuitate Episcopus secundùm traditionem sanctorum patrũ, nec per præsumptionem recedant à suo Episcopo. Eos verò, qui ausi fuerint rescindere huiusmodi institutionem quocunq; modo, vel si noluerint subiacere proprio episcopo: si quidem fuerint clerici, pro personarum ordinatione subiaceant condemnationibus canonum: si verò monachi seu Laici fuerint, * communione priuentur.

Si clericus contra alium causam habeat, ante episcopum suum examinetur.

9 Si clericus aduersus clericum habeat negotium, non relinquat suum Episcopum, & ad secularia iudicia non concurrat: sed priùs negotiũ agitetur apud proprium episcopum, vel certè (si fuerit iudicium ipsius episcopi) apud arbitros, ex vtraq; parte electos, audiatur negotium. Si quis verò contra hæc fecerit, canonũ subiaceat correptionibus. Et si clericus aduersus suum vel alium Episcopum habeat causam, apud audientiam Synodi prouinciæ eius conquiratur. Si verò contra ipsius prouinciæ metropolitanum episcopum, episcopus siue clericus habeat controuersiam, pergat ad ipsius diœceseos primatem, aut certè ad Constantinopolitanæ regiæ ciuitatis sedem, vt eorũ ibi proprium negotium exquiratur.

Vt non liceat de alia ciuitate in aliam transmigrare.

10 Non licere clericum in ecclesijs duarum ciuitatum ordinari, sed in ea, in qua ab initio ordinatus est, & cuius expetitio erat ante profugium. Et si propter vanæ

qui editi sunt à sanctis patribus canones vires obtinere.

Nullum absolute ordinari, nec presbyterum, nec diaconum, nec omninò aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia ciuitatis vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is, qui ordinatur, designetur. Eos autem, qui absolutè ordinantur, decreuit sancta Synodus irritam ac inualidam habere eiusmodi manuum impositionem, & nusquàm exercere ac operari posse ad eius, qui ordinauit iniuriam. CANON VI.

Eos, qui in clero semel ordinati sunt, & itidèm monachos, statuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad secularem dignitatem posse venire. Qui autem hoc audent, & non pœnitentia ducti ad id reuertuntur, quod propter Deũ priùs elegerant, anathematizari. CANON VII.

Clerici ptochotrophiorum, monasteriorum & templorum martyrũ, sub potestate episcoporum, qui sunt in vnaquaq; ciuitate, ex sanctorum patrum traditione permaneant, & non per arrogantiam se à proprio episcopo, imperium eius detrectantes, subducant. Qui hanc autem cõstitutionem euertere ausi fuerint, si sint quidem clerici, canonũ pœnis subijciantur: si autem Monachi vel Laici, sint excommunicati. CANON VIII.

Si quis clericus habet cum clerico litem aut negotium, proprium episcopũ nè relinquat, & ad secularia iudicia nè ex currat: sed causam priùs apud proprium episcopum agat, vel de episcopi sententia apud eos, quos vtraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis subijciatur. Si clericus autem cum proprio vel etiam alio episcopo negotiũ aut litem habeat, à prouinciæ Synodo iudicetur. Si autem cum ipsius prouinciæ Metropolitano episcopus vel clericus controuersiam habeat, diœceseos exarchum adeat, vel imper. vrbis Constantinopolis thronum, & apud eum litiget. CANON IX.

Non licere clerico in duarum ciuitatum Ecclesijs eodem tempore in catalogum referri, & in ea, in qua à principio ordinatus est, & in ea, in quam tanquã ac CANON X.

ditatem. Hoc autem facientes, reuocari debere ad suam ecclesiam, in qua primitùs ordinati sunt, & ibi tantummodò ministrare. Si verò iam quis translatus est ex alia in aliam ecclesiam, prioris ecclesiæ, vel martyriorũ, quæ sub ea sunt, aut ptochodochiorum, aut ptochiorum, aut xenodochiorum rebus in nullo communicet. Eos verò, qui ausi fuerint, post definitionem magnæ & vniuersalis huius Synodi, quicquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare: decreuit sancta synodus, à proprio huiuscemodi gradu recidere.

* debet reuocari ad suam ecclesiam. 21. q. 2. Si quis iam trãslatus.

Quòd oporteat egenis epistolia tribui, honestiores autem commendatitijs literis approbari.

11 Omnes pauperes, & indigentes auxilio, cùm proficiscuntur, sub probatione epistolijs vel ecclesiasticis pacificis tãtummodò commendari decreuimus, & non commẽdatitijs literis, propter quod commendatitias literas honoratioribus tantummodò præstare personis conueniat.

Egenis epistola tribui debet, honestioribus formata.

11 Omnes pauperes, & indigentes ecclesiasticis auxilijs, cùm proficiscuntur, sub probatione epistolij, siue pacificis, quæ dicuntur ecclesiasticæ, tantummodò commendari statuimus, & non commendatitijs epistolis: quia commendatitias epistolas, quas dicimus, eos tamen accipere conuenit, qui in opere sunt clariores.

Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, cum epistolis seu pacificis ecclesiasticis solis viam ingredi statuimus, & non cum commendatitijs: quoniam literas commendatorias ijs solis personis, quæ sunt suspectæ, præberi oportet. Canon xi.

Vt nequaquàm in duos Metropolitanos prouincia diuidatur.

Vt prouincia in duos Metropolitanos Episcopos non diuidatur.

Dist. 41. Peruenit ad nos. *sacram

12 Peruenit ad nos, quod quidam, præter ecclesiastica statuta facientes, conuolârunt ad potestates, & per pragmaticam formam in duo vnam prouinciam diuiserunt, ita vt ex hoc facto duo Metropolitani esse videãtur in vna prouincia. Statuit ergò sancta Synodus, de reliquo nihil ab episcopis tale tentari: alioquin, qui hoc adnisus fuerit, amissioni gradus proprij subiacebit. Quæcunq; verò ciuitates iam literis imperialibus metropolitani nominis honore subnixæ sunt, honore tantummodò perfruantur? & qui ecclesiam eius gubernat episcopus, saluis scilicet veræ metropoli priuilegijs suis.

12 Peruenit ad nos, quòd quidam præter ecclesiasticos ordines affectantes potentiam, per pragmaticam * formam vnam prouinciam in duas diuidant, ita vt ex hoc inueniantur duo Metropolitani episcopi in eadem vnà esse prouincia. Statuit ergò sancta synodus, deincèps nihil tale attentari à quolibet episcopo. Eos verò, qui tale aliquid attentauerint, de proprio gradu cadere. Si quæ verò anteà ciuitates per pragmaticã imperialem metropolitani nominis honore decoratæ sunt, nomine solo perfruantur: & qui ecclesiam eius regit episcopus, priuilegio * metropolitano episcopo iure proprio reseruato.

Peruenit ad nos, quòd quidam, cùm præter ritus ecclesiasticos ad potentatus accessissent, per pragmaticas vnam prouinciam in duas diuiserunt, vt ex eo duo essent Metropolitani in eadem prouincia. Statuit ergò sacra synodus, nè episcopus deincèps tale quid audeat: quoniam is, qui hoc aggreditur, à suo gradu excidit. Quæcunque autem ciuitates per literas imper. Metropolis nomine honoratę sunt, solo honore fruantur, & qui eius ecclesiam administrat Episcopus, seruato scilicet veræ Metropoli suo iure. Canon xii.

* metropolitani episcopi.

Quòd non oporteat peregrinos clericos sine commendatitijs ministrare.

Vt peregrini in alia ciuitate non ministrent.

Dist. 71. Extraneo clerico.

13 Peregrinos clericos & lectores in alia ciuitate, præter commendatitias literas sui episcopi, nusquàm penitùs ministrare debere.

13 Extraneum clericum & lectorem, extra ciuitatem suam sine commendatitijs literis proprij episcopi nusquam penitùs * liceat ministrare.

Externos clericos, & lectores in alia ciuitate, sine proprij Episcopi commendatorijs literis nusquam vllo modo ministrare. Canon xiii.

Quòd non liceat clericos vxorem sectæ alterius accipere.

Non licet cum hæreticis aut Iudæis coniungi.

Dist. 32. Quoniã in quibusdam pro.

14 Quoniam in quibusdam prouincijs concessum est lectoribus & psaltis vxores ducere, statuit sancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere sectę alterius vxorem. Qui verò ex huiusmodi coniugio iam filios susceperũt, si quidem præuenti sunt, vt ex se gẽniti apud hæreticos baptizarentur, offerre eos Ecclesiæ Catholicæ communioni conueniet: non baptizatos autem, nõ posse vlteriùs apud hæreticos baptizari. Sed neque copulari debet nuptura hæretico, aut Iudæo vel pagano, nisi forte promittat ad orthodoxam fidem se per * personæ orthodoxæ copulam transferre. Si quis hanc definitionem sanctæ synodi transgressus fuerit, correptioni canonicæ subiacebit.

14 Quia in quibusdam prouincijs conceditur psalmistis & lectoribus vxores accipere, statuit sancta Synodus, prorsùs non licere cuiquam ex his alterius sectæ accipere vxorem. Si quis verò præuenit, & habet iam de tali connubio filios, si fortè præuenerint eos iam apud hæreticos baptizari, debent eos offerre sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, vt ibi communicẽt. Qui verò adhuc baptizati non sunt, omnimodò non posse eos in hæretica ecclesia baptizari, nec in matrimonio iungi hæretico, Iudæo, vel pagano, nisi fortè spoponderit se venire ad orthodoxam fidem, dum coniungitur personæ orthodoxæ. Si quis verò hanc diffinitionem sanctæ synodi præterierit, regularũ cõdemnationibus subiaceat.

Quoniam in nõnullis prouincijs concessum est lectoribus & cantoribus vxores ducere, decreuit sancta Synodus, nulli eorum licere diuersæ à recta opinionis vxorem ducere. Eos autem, qui ex eiusmodi matrimonio liberos susceperũt, si eos quidẽ baptizare apud hæreticos præuenerint, ad Catholicæ Ecclesiæ cõmunionem adducere. Si autem non baptizauerint, non posse eos apud hæreticos baptizare. Sed neque hæretico, vel pagano, vel Iudæo matrimonio coniungere, nisi vtique persona, quæ orthodoxę coniungitur, se ad orthodoxam fidem conuertendam spondeat. Si quis autem hoc sanctæ Synodi decretum transgressus fuerit, canonicis pœnis subijciatur. Canon xiiii.

* personæ orthodoxæ copulãda, trãsferre.

De diaconissis mulieribus.

De diaconissis.

27. q. 1. Diaconissam non.

15 Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hanc cum summo

15 Diaconissam non debere ante quadraginta annos ordinari, & hoc cum diligen-

Diaconissam non esse mulierem ordinandam ante annũ quadragesimum, & eam Canon xv.

ſummo libramine. Si verò ſuſcipiens manus impoſitionem: & aliquantùm temporis in miniſterio permanens, ſemetipſam tradat nuptijs, gratiæ Dei contumeliam faciens, anathematizetur huiuſmodi, cum eo, qui eidem copulatur.

De virginibus.

27.q.1.Si qua virga. 16 Virginem, quæ ſe Deo Domino conſecrauit, ſimiliter & monachum, non licere nuptialia iura contrahere. Quòd ſi hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Cõfitentibus autem decernimus, vt habeat authoritatem eiuſdem loci epiſcopus, miſericordiam humanitatemq; largiri.

De parochijs.

16.q.3. Per ſingulas eccleſias. *in poſſeſſionibus. *dubitatio 17 Singularum eccleſiarum ruſticas parochias vel in poſſeſſionibus manere inconcuſſas illis epiſcopis, qui eas retinere noſcuntur, & maximè, ſi per tricennium eas abſque vi obtinentes, ſub diſpenſatione rexerunt. Quòd ſi intra tricennium facta eſt de his vel fiat altercatio, licere eis, qui ſe læſos aſſerũt, apud ſanctam Synodum prouinciæ de his mouere certamen. Quòd ſi quiſquam à Metropolitano læditur, apud primatem dicœceſeos, aut apud ſanctam Cõſtantinopolitanam ſedem iudicetur, ſicut ſuperiùs dictũ eſt: Si qua verò ciuitas poteſtate imperiali *nouata eſt, aut ſi protinùs innouetur, ciuiles diſpoſitiones & publicas eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordines ſubſequantur.

De coniuratione vel conſpiratione.

1.q.1.coniurationũ & conſpirationum. *ab exteris 11.q.2.Si qui vel clerici, &c. & ibi coniu. &c. *adijciantur. 18 Coniurationis vel cõſpirationis crimen, & à* veteribus legibus eſt omninò prohibitum: multò magis hoc in Dei eccleſia, nè fiat, admonere conueniet. Si qui ergò clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes, aut conſpirantes, aut inſidias ponentes epiſcopis, aut concleri cis gradu proprio penitùs * abſcindantur.

Quòd oporteat, per prouincias bis in anno concilia celebrari.

28. Peruenit ad noſtras. *probati ſynodici cõuentus epiſcoporum minimè. *correctiones. *antiſtes. 19 Peruenit ad aures noſtras, quod in prouincijs ſtatuta epiſcoporum concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur eccleſiaſticarum cauſarum, quæ* correctionibus indigeant. Decreuit itaque ſancta Synodus, ſecundùm canones patrum bis in anno epiſcopos in idipſum in vnamquamque prouinciam conuenire, quò metropolitanus* epiſcopus probauerit, & corrigere ſingula, ſi qua fortaſſis emerſerint. Quicunque verò non aduenerint epiſcopi, reſident autem in ſuis ciuitatibus, & hoc, ſi in ſua incolumitate conſiſtunt, omniq́ue inexcuſabili & neceſſaria occupatione probantur liberi, fraterno corripiantur affectu.

Quòd minimè clericos tranſmigrare conueniat.

20 Clericos in eccleſia miniſtrantes, ſicut iam conſtituimus, in alterius ciuitatis

ligenti probatione. Si verò ſuſceperit ordinationem, & quantocunque tempore obſeruauerit miniſterium, & poſteà ſe nuptijs tradiderit, iniuriam faciens Dei gratiæ, hæc anathema ſit, cum eo qui in illius nuptijs conuenit.

Vt nec Deo dicata virgo, nec monachi nubant.

16 Si qua virgo ſe dedicauerit Deo, ſimiliter & monachus, non licere eis iungi nuptijs. Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus verò, poſſe in eis facere humanitatem, ſi ita probauerit loci epiſcopus.

Singulas prouincias inconuulſas manere.

17 Per ſingulas eccleſias ruſticanas parochias ſiue * poſſeſſiones manere immobiles apud eos, qui eas retinẽt, epiſcopos, & maximè qui eas ſine violentia iam per triginta annos tenentes gubernauerunt. Si verò intra triginta annos etiam facta fuerit, aut fiat de his *altercatio, licere eis, qui ſe dixerũt læſos, propter eas mouere apud Synodum prouinciæ certamẽ. Si quis verò putauerit ſe à proprio metropolitano grauari, apud primatem dicœceſeos, aut apud Conſtantinopolitanæ ciuit. ſedem agat iudicium, ſicut dictum eſt. Si verò quælibet ciuitas per authoritatam imperialem renouata eſt, aut ſi renouetur in poſterũ, ciuilibus & publicis ordinationibus etiam eccleſiarum parochianarum ſequatur ordinatio.

De his, qui coniurationem aut calumniam contra epiſcopum faciunt.

18 Coniurationum & cõſpirationum crimen, quòd apud Græcos dicit phratria, publicis etiam legibus certum eſt penitùs inhiberi: hoc multò magis in ſancta Dei Eccleſia, nè fiat, conuenit abdicari. Si qui verò clerici vel monachi inuenti fuerint coniurantes, aut phratrias vel factiones componentes aliquas ſuis epiſcopis, aut alijs clericis, omninò cadant de proprio gradu.

Vt Synodus bis in anno fiat.

19 Peruenit ad aures noſtras & hoc, quòd in prouincijs * conſtituta epiſcoporum concilia minimè celebrentur: & quòd indè multæ, quę correctione opus habeant, eccleſiaſticæ res negligantur. Statuit igitur ſancta Synodus hæc, ſecundùm patrum regulas bis in anno in vnũ conuenire per ſingulas prouincias epiſcopos, vbi ſingula, quæ emerſerint, corrigantur. Qui verò noluerint conuenire Epiſcopi, conſtituti in ſuis ciuitatibus, & cum hoc maximè in ſui corporis ſanitate conſiſtentes, etiam omnibus alijs vrgentibus & inexcuſabilibus negocijs liberi ſunt, licere eos fraternæ charitatis admonitionibus corripi.

Eum, qui alium clericum ſuſcipit, à communione ſuſpendi.

20 Clericos in ſuis eccleſijs conſtitutos, ſicut iam definiuimus, non licere in

cam cum accurata examinatione. Si autem, poſtquàm ordinatione ſuſcepta in miniſterio aliquanto tempore permanſit, ſeipſam matrimonio tradiderit, Dei gratiæ iniuriam faciens, ea vnà cum illo, qui ei coniunctus eſt, anathematizetur.

Virginem quæ ſe Domino Deo dedicauit, ſimiliter & monachos non licere matrimonio coniungi. Si autem hoc feciſſe inuenti fuerint, ſint excõmunicati. Oſtendendæ autem in eos humanitatis authoritatem habere ſtatuimus Epiſcopum eius loci. CANON XVI.

Quæ ſunt in vnaquaque prouincia, rurales vicinaſve parochias firmas & inconcuſſas manere apud eos, qui illas tenent, epiſcopos: & maximè ſi triginta annorum tempore eas ſine vi detinentes adminiſtrauerint. Si autem intra triginta annos fuit aliqua vel fuerit de ijs controuerſia, licere ijs, qui iniuriam ſibi fieri dicunt, de ijs litem mouere apud ſynodum prouinciæ. Si quis autem iniuria afficiatur à proprio metropolitano, apud exarchum dicœceſis, vel Conſtantinopolitanam ſedem litiget, ſicut priùs dictum eſt. Sin autem etiam ciuitas aliqua ab imperatoria authoritate innouata eſt, vel deincèps innouata fuerit, ciuiles & publicas formas, eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordo conſequatur. CANON XVII.

Coniurationis vel ſodalitatis crimen ab externis etiam legibus eſt omninò prohibitum: multò magis hoc autem in Dei Eccleſia fieri prohibere oportet. Si qui ergò clerici vel monachi inuenti fuerint, vel ſe iactantes, vel ſodalitates comparãtes, vel aliquid ſtruentes ac molientes aduerſus Epiſcopos ac clericos, proprio gradu omninò excident. CANON XVIII.

Peruenit ad aures noſtras, quòd in prouincijs canonibus conſtitutæ epiſcoporum Synodi non fiant, & ex eo multa eccleſiaſtica negliguntur, quæ correctione indigent. Statuit ergò ſancta Synodus ſecundùm ſanctorum Patrum canones, vt bis in anno eundem in locum conueniant vniuſcuiuſque prouinciæ epiſcopi, vbi metropolitanus melius eſſe perſpexerit, & ſingula emergẽtia corrigant. Epiſcopi autem qui non conueniunt, ſi in eadem Metropoli verſentur: atque adeò ſani ſint, & ab omni inexcuſabili & neceſſario negotio liberi, fraternè repræhendantur. CANON XIX.

Clericos in eccleſijs miniſterio fungentes, quemadmodùm iam ſtatuimus, CANON XX.

tis ecclesia statutos fieri non oportet: sed contentos esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes prouincias, ex necessitate ad aliam ecclesiam transierunt. Si quis autem Episcopus post hãc diffinitionem susceperit clericum, ad alium episcopum pertinentem, placuit, & susceptum, & suscipientem communione priuari, donec is, qui migrauerat, clericus ad propriam fuerit regressus Ecclesiam.

*principiũ ministrãdi meruerãt,

De episcoporum aut clericorum accusatoribus.

71. Clericos in singulis ecclesijs. 2.q.7. clericos aut laicos.

21 Clericos aut laicos, accusantes episcopos aut clericos passim & sine probatione, ad accusationem recipi non debere, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio.

Quòd non liceat clericis post mortem sui episcopi, res ad eum pertinentes diripere.

12.q.2. Nõ liceat cle.

22 Non licere clericis, post obitum sui episcopi, res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est canonibus constitutum. Quòd si hoc facere tentauerint, graduum suorum periculo subiacebunt.

De clericis & monachis, qui præter voluntatem sui episcopi, ad vrbem regiam Constantinopolim venerunt.

16. q. 1. Quidam monachi.

23 Peruenit ad aures sancti Concilij, quòd quidam clerici & monachi, quibus nihil ab episcopo suo commissum est, aliquãdò verò & communione ab eo priuantur, peruenientes ad vrbem regiam Constantinopolitanam, in ea diutius immorentur, excitantes turbas, & statum ecclesiasticum commouentes, subuertentes etiam quorundam domos. Decreuit itaq; sancta Synodus, huiusmodi primò quidem per defensorem Constantinopolitanæ sanctiss. ecclesiæ commoneri, vt egrediãtur ab vrbe regia. Quòd si ijsdem negotijs impudenter insistant, etiam nolentes idem defensor expellat, vt ad propria loca perueniant.

Quòd non liceat monasteria, quæ consecrata sunt, diuersoria secularia fieri.

19 q. 3. Quæ semel sunt

24 Quæ semèl ex voluntate episcopi dedicata sunt monasteria, cõsilio episcoporum perpetuò manere monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, monasterijs reseruari, nec posse ea vltrà fieri secularia habitacula. Qui verò hoc fieri permiserint, canonum correptionibus subiacebunt.

Quòd non oporteat ordinationes episcoporum diù differri.

Dist. 57. Quoniã quidam met. for. *sibi deserunt.

25 Quoniam quidam metropolitanorum (quantùm comperimus) commissos *sibi greges, & ordinationes episcoporũ facere differunt, placuit sanctæ Synodo, intra tres menses ordinationes episcoporum celebrari, nisi fortè necessitas inexcusabilis coegerit tempus dilationis extendi. Quòd si hoc minimè fecerit, correptioni ecclesiasticæ subiacebit: veruntamen redditus ecclesiæ viduatæ, penes

alterius ciuitatis ecclesijs ordinari: sed adquiescere in ea, in qua ab initio *ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias ciuitates perdiderunt, & ex necessitate ad alias ecclesias migrauerunt. Si verò quicunque episcopus post diffinitionem istam, ad alium episcopum pertinẽtem clericum susceperit: placuit sanctæ Synodo, & hunc qui susceperit, & eum, qui susceptus est, tam diù excommunicatos manere, quã diù ipse clericus ad propriam reuertatur ecclesiam.

De his, qui accusant ecclesiam.

21 Clericos, siue laicos, qui accusauerint episcopum aut clericos temerè atque indifferenter, non debere susceptis in accusationem, nisi priùs eorum opinio fuerit *perscrutata.

Clericis non licere diripere bona episcopi.

22 Non licere clericis, post mortem episcopi rapere pertinentes ad eum res, sicut iam præcedentibus regulis statutum habetur. Si verò hæc fecerint, periclitari se nouerint in proprio gradu.

Vt ad loca propria reuertantur clerici.

23 Peruenit ad aures sanctæ Synodi, quia clerici quidam & monachi nihil sibi habentes iniunctum à proprio episcopo, interdùm verò etiam illi, qui ab eo fuerant excommunicati, veniant ad regiam ciuitatem Constantinopolitanam: & multis temporibus in ea consistentes, perturbationes tranquillitati ecclesiasticæ inferant, & diuersorum domos corrumpant. Statuit igitur sancta Synodus, hos quidem primùm cõmoneri per defensorem Constantinopolitanæ sanctæ ecclesię, vt exeant de regia ciuitate. Si autem in eodem proposito improbè perduauerint, etiam inuitos eos ipse expellat defensor, vt ad sua loca perueniant.

Vt quæ Deo sacrata sunt monasteria, cœnacula secularia non fiant.

24 Quæ semèl consecrata fuerint monasteria, cũ iudicio sui episcopi maneant perpetua: & pertinentes ad ea res, conseruari ipsis monasterijs decreuimus, nec vlteriùs posse ea fieri secularia habitacula. Qui verò permiserint hæc fieri, subiaceant his condemnationibus, quæ per canones constitutæ sunt.

Quòd intra tres menses episcoporum ordinationes fiant.

25 Quoniam quidam metropolitanorum (sicut ad nos perlatum est) negligunt creditum sibi gregem, & differunt ordinationes facere episcoporum, placuit sanctæ Synodo intra tres menses fieri ordinationes episcoporum, nisi fortè inexcusabilis necessitas coegerit tẽpus ordinationis ampliùs prorogari. Si autem quis episcoporũ hæc non obseruauerit, ipsum debere ecclesiasticę condemnationi subiacere,

non licere in alius ciuitatis ecclesia ordinari, sed illa esse contentos, in qua ab initio vt ministrarẽt, digni habiti sunt: præter illos, qui amissa sua patria in aliam ecclesiam necessariò transierunt. Si qui autem episcopi, post hoc decretum, clericum qui ad alium episcopum pertinet, susceperint, placuit esse excommunicatos, eumque qui susceptus est, & eum, qui suscepit, donec clericus, qui migrauit, in suam ecclesiam redeat.

Clericos vel laicos, episcopos aut laicos accusantes, non indiscriminatim nec citra inquisitionem admittere ad accusationem, nisi eorum existimatio priùs examinata fuerit. CANON XXI.

Non licere clericis post mortem proprij episcopi, res quæ ad ipsum pertinent rapere, quemadmodùm & ijs, qui adsumũt, prohibitum est. Eos autem qui hoc faciunt, de proprio gradu in periculum venire. CANON XXII.

Peruenit ad aures sanctę Synodi, quòd clerici quidam & monachi, quibus nihil à proprio episcopo mãdatum est, & sunt etiam nonnunquam ab ipso communione segregati, ad Imper. Constantinopolis vrbem se conferunt, & in ea diù morantur, turbas excitantes, & statum ecclesiasticum perturbantes, aliquorũ domos subuertunt. Statuit ergò sancta Synodus, vt ij priùs à sanctissimæ Constantinopolitanæ ecclesiæ defensore admoneantur, vt imper. vrbe excedant. Si autem in ijsdem negotijs impudenter perseuerent, vt per proprium defensorem eijciantur, & in propria loca reuertantur. CANON XXIII.

Quæ semèl voluntate episcopi consecrata sunt monasteria, perpetuò manere monasteria, vt res quæ ad ea pertinẽt, seruari, eaque non ampliùs fieri secularia habitacula. Eos autem, qui hoc fieri permittunt, canonum pœnis subijci. CANON XXIIII.

Quoniam nonnulli Metropolitani, vt sæpe à nobis auditum est, & greges sibi commissos negligunt, & episcoporum ordinationes differunt, sanctæ Synodo placuit, vt intra tres menses episcoporum ordinationes fiant, nisi inexorabilis vtiquè necessitas effecerit, vt dilationis tempus prorogetur. Si autem hoc non fecerint, eos ecclesiasticæ pœnę subijci. Viduæ verò ecclesiæ redditum, CANON XXV.

œconomum eiusdem ecclesię integri reseruentur.

De dispensatoribus singularum ecclesiarum.

Dist. 89. Quoniã in quibusdam. Et 16. q. 7. Quoniã in quibusdam.

26 Quoniam in quibusdam Ecclesijs (vt rumore comperimus) præter œconomos episcopi facultates ecclesiasticas tractant, placuit, omnem Ecclesiam, habentem episcopum, habere œconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas, secundùm sententiam episcopi proprij, ita vt ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, & ex hoc disperganturecclesiasticæ facultates, & sacerdotio maledictionis * contumelia procuretur. Quòd si hoc minimè fecerit, diuinis constitutionibus subiacebit.

* derogatio

De his, qui rapiunt puellas.

36. q. 2. Eos, qui rapiunt.

27 Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, aut cooperantes, aut conniuentes raptoribus, decreuit sancta Synodus, vt si quidem clerici sunt, decidant gradu proprio: si verò laici, anathematizentur.

iacere, redditus verò eiusdem viduatæ ecclesiæ integros reseruari apud œconomum eiusdem ecclesiæ placuit.

Vt Episcopi dispensatores habeant.

26 Quia in quibusdam ecclesijs (sicut ad nos peruenit) sine œconomo episcopi res ecclesiasticas tractant, placuit, omnes ecclesias episcopos habentes, habere œconomum de proprio clero, qui gubernet ecclesiæ res cum arbitrio sui episcopi, vt non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarũ, & ex hoc deueniat dispergi eiusdem res ecclesiæ, & sacerdotali dignitati obtrectatio generetur. Si verò quis non obseruauerit hęc, diuinis subiaceat regulis.

De his, qui mulieres arripiunt.

27 Eos, qui sibi rapiunt vxores, vel eos qui eis auxilium præstiterint, statuit sancta Synodus, si quidem clerici fuerint, cadere de proprio gradu: si verò laici fuerint, anathema sint.

apud ecclesiæ œconomum saluum custodiri.

Quoniam in nonnullis ecclesijs, vt sæpè à nobis auditum est: episcopi absque œconomo tractant res ecclesiasticas, placuit omnem ecclesiam episcopum habẽtem, ex proprio clero œconomum habere: vt nec sine testibus sit ecclesiæ administratio, nec ideò res eius dissipẽtur, & probrum, ac dedecus sacerdotio inuratur. Si autem hoc non fecerit, eum diuinis etiam canonibus subijci. CANON XXVI.

Eos, qui nomine coniugij mulieres rapiunt, vel opem ferunt, ac consentiunt ijs, qui rapiũt, statuit Synodus, si sint quidem clerici, proprio gradu excidere: sin autem laici, anathematizari. CANON XXVII.

Sanctorum patrum decreta vbiquè sequentes, & canonem, qui nuper lectus est, centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum agnoscentes, eadem quoque & nos decernimus, ac statuimus de priuilegijs sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuêre. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuere, rectè iudicãtes, vrbem, quæ & Imperio & Senatu honorata sit, & æqualibus cum antiquissima Regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secùs ac illam, extolli ac magnificri, secundam post illam existentem: vt & Ponticæ, & Asianæ, & Thraciæ diœcesis metropolitani soli, prætereà episcopi prædictarum diœcesium, quæ sunt inter barbaros, à prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ ecclesiæ ordinentur: vnoquoque scilicet prædictarum diœcesium metropolitano cum prouinciæ episcopis prouinciæ episcopos ordinante, quemadmodùm diuinis canonibus est traditum. Ordinari autem, sicut dictum est, prædictarum diœcesium Metropolitanos à Constantinopolitano archiepiscopo, conuenientibus de more factis electionibus, & ad ipsum relatis. CANON XXVIII.

Episcopum in presbyteri gradum deducere, est sacrilegium. Si qua autem iusta causa illos ab episcopali actione remouet, nec presbyteri debent locum obtinere. Sin autem absque vllo crimine dignitate moti sunt, ad episcopalem dignitatem redibunt. Anatolius religiosissimus Constantinopolitanus archiepiscopus dixit: Ij, qui dicũtur ab episcopali dignitate ad presbyteri ordinem descendisse, si iustis quidem de causis condemnantur, iure nec presbyteri quidem honore digni sunt. Sin autem sine aliqua probabili causa ad inferiorem gradum depressi sunt, iure, si quidem nulli sint culpæ affines, episcopatûs authoritatem & sacerdotium recipient. CANON XXIX.

Quoniam religiosissimi Ægypti Episcopi, non vt Catholicæ fidei aduersantes, sanctissimi Archiepiscopi Leonis epistolæ subscribere differebant, sed dicentes in Ægyptiaca diœcesi hanc esse consuetudinem, vt præter voluntatem & mandatum episcopi nihil tale faciant, & petunt concedi sibi vsque ad ordinationem futuri megalopolis Alexandrinorum Archiepiscopi, iustum nobis & humanum visum est, vt ipsis in proprio habitu in Imperiali vrbe manentibus, remissio concedatur, donec ordinatus fuerit Alexandrinus Archiepiscopus. Vndè in proprio habitu manentes, vel fideiussores dabunt, si hoc ab eis fieri potest, vel eorum iuramento fides habebitur. CANON XXX.

Bonifacius presbyter sanctæ Ecclesiæ Romanæ, statui & subscripsi, & cæteri Episcopi diuersarum prouinciarum vel ciuitatum, subscripserunt.

Post actionem de beato Theodoreto, ista iacet in codice Acumicensium, cum præfatione hac, Octaua actio Chalcedonen.

CHALCEDONENSIS
CONCILII ACTIO XVI.

ONSVLATV Domini nostri Martiani, perpetuò Augusti, & qui fuerit nunciatus, quinto Kalendas Nouembris, in Chalcedona secũdùm iussionem diuinissimi & pijssimi domini nostri perpetui Augusti, congregatis in sanctissima ecclesia sanctæ martyris Euphemiæ, magnificẽtissimo & gloriosissimo magistro militum exconsule & patricio Anatolio, & magnificentissimo & glorioſissimo præfecto sacrorum prætoriorum Palladio, & magnificentissimo & glorioſissimo magistro sacrorum officiorum Vincomalo, congregatis etiam & Paschasino & Lucentio reueren. episcopis, & Bonifacio reueren. presbytero, habẽtibus locum sanctissimi archiepiscopi senioris Romæ Leonis, & Anatolio reuerendiss. archiepiscopo magni nominis Constantinopolis, & Maximo reuerend. episcopo Antiochiæ Syriæ, & Iuuenali reuerendissimo Episcopo Hierosolymorum, & Quintillo reuerend. Episcopo Heracleæ Macedoniæ, habente locum Anastasij reuerend. Thessalonicensis Episcopi, & Thalassio reuerend. episcopo Cæsareę Cappadociæ, & Stephano reueren. episc. Ephesi, & Luciano reueren. episc. Byziæ, habente locum Deo amantissimi Cyriaci Episcopi Heracleæ Thraciæ, & Eusebio reuerend. episc. Ancyræ Galatiæ, & Diogene reueren. episc. Cyzici, & Petro reueren. episc. Corinthi, & Florentio reuerend. episc. Sardeorum, & Eunomio reuerend. episc. Nicomediæ, & Anastasio reueren. episc. Nicææ, & Iuliano reueren. episc. Coensi, habente locum sedis Apostolicæ senioris Romæ, & Eleutherio reuend. episc. Chalcedonensium, & Basilio reuerend. episc. Seleuciæ Isauriæ, & Meletio reuerend. episc. Lariſſæ, habente locum reuerendissimi episcopi Domni Apameæ Syriæ, & Amphilochio reuerend. episc. Sidæ, & Theodoro reuerend. episc. Tarsi, & Cyro reuerend. episc. Anazarbi, & Constantino reuerend. episc. Bostrorum Arabiæ, & Photio reuerend. episc. Tyri, &

Theodoro reuerend. Episcopo Damasci, & Stephano reuerend. Episcopo Hierapoleos, & Iba reueren. Episcopo Edessæ, & Simeone reueren. episc. Amidæ, & Epiphanio reueren. episc. Pergæ, agente locum reuerendissimi episcopi Olympij Constantiæ, & Ioanne reuerend. episc. Sebastiæ, & Seleuco reuerend. episc. Amasiæ, & Constantino reuerend. episc. Melitenæ, & Patricio reuerend. episc. Tyanorum, & Petro reuerend. episc. Gangrorum, & Calogero reuerend. episc. Claudiopolis, & Apragmonio reuerend. episc. Tij, & Atarbio reuerend. episc. Trapezuntis, & habente locum reuerendissimi episcopi Dorithei Neocæsareæ, & Photino archidiacono, agente locum Theoctisti reuerend. episcopi Pessinuntis, & Romano reuerend. episc. Myrorum, & Critoniano reuerend. episc. Aphrodisiadis Cariæ, & Nunechio reuerend. episc. Laodiceæ Phrygiæ, & Mariniano reuerend. episc. Synnadorum, & Onesiphoro reuerend. episc. Iconij, & Vigilantio reueren. episc. Lariſſæ Thessaliæ, & Pergamio reuerend. episc. Antiochiæ Pisidiæ, & Epiphanio reuerend. episc. Pergæ, & Attico reuerend. episc. Nicopolis veteris Epiri, & Martyrio reuerend. episc. Gortynæ, & Luca reuerend. episc. Dyrrhachij, & Francione reuerend. episc. Philippopolis, & Sebastiano reuerend. episc. Beroæ, & Basilio reuerend. episc. Traianopolis, & Tryphone reuerend. episc. Chij, & Theoctisto reuerend. episc. Beroæ, & Gerontio reuerend. episc. Seleuciæ Syriæ, & Eusebio reuerend. presbytero, obtinente locum Macarij episcopi Laodiceæ Syriæ, & Eusebio reuerend. episc. Dorylei, & reliquo sancto & vniuersali Concilio, quod secundùm sanctionem diuinissimi & pijssimi domini nostri Imperatoris in Chalcedonensium ciuitate collectum est. Et residentibus omnibus ante altaris cancellos sanctæ martyris Euphemiæ, Paschasinus & Lucentius reuerendissimi episcopi vicarij sedis Apostolicæ, dixerunt: Si imperat magnificentia vestra, habemus quædam referre vobis. Glorioſissimi iudices dixerunt: Quod vultis, edicite. Paschasinus Deo amantissimus episcopus & Lucentius sanctissimus episcopus vicarij sedis Apostolicæ, dixerunt: Domini totius orbis pro Catholica & orthodoxa fide decertantes, per quam & augetur eorum & lucet imperium, sancire dignati sunt, quatenùs vnam fidem teneant omnes ecclesiæ pro bono pacis. Maior autem eorum tranquillitati cura est, in quibus post hæc prouidere dignati sunt, nè qua rursùs contentio inter sacerdotes Dei, aut schisma, aut aliquod nascatur scandalum. Hesterna enim die, postquàm potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia vestra sequuta est, quædam gesta facta dicuntur, quæ nos & præter canones ecclesiasticos & disciplinam æstimamus effecta. Poscimus ergò vt vestra magnificentia relegi hæc præcipiat, vt omnis fraternitas inspiciat, vtrùm iusta an iniusta sint ea, quæ gesta sunt. Qua voce Græcè interpretata per Beronicianum deuotum secretarium diuini consistorij, glorioſissimi iudices dixerunt: Si qua gesta post nostrum discessum facta sunt, relegantur. Et antequàm recenserentur, Aetius archidiaconus sanctæ ecclesiæ Constantinopolis, dixit: Confitendum est, quia formam ea quæ de fide sunt, congruam susceperunt. Consuetudo autem est in Synodis, postquàm ea, quæ sunt omnium præcipua, fuerint definita, & alia quædam necessaria exerceri atque formari. Habuimus, hoc est, Constantinopolitana sanctissima ecclesia, certa quædam, quæ agere deberemus. Rogauimus dominos Episcopos de Roma, vt communicarent ijs gestis. Resistauerunt, dicentes: Non, Sed alia se suscepisse mandata. Retulimus & ad vestram magnificentiam, & iussistis, vt præsens sanctum Concilium hoc ipsum inspiceret. Procedente vestra magnificentia, sanctissimi episcopi, qui hic sunt, tanquàm de communi causa *arguentes, popoſcerunt hæc fieri gesta. Et adsunt hic, neq; in occulto gestum est, neq; modò furtim sunt gesta, consequenter atque canonicè facta

*agentes

Glorioſissimi iudices dixerunt: Gesta, quę confecta sunt, relegantur. Et oblata scheda ab Ætio archidiacono Constantinopolitano, Beronicianus vir deuotus, secretarius diuini consistorij, legit: Diffinitiones sanctorum Patrum sequentes vbiquè & regulam, & quæ nunc relecta sunt cętum quinquaginta Deo amantissimorum episcoporum, qui congregati sunt sub piæ memoriæ Imperatore maiore Theodosio, in regia ciuitate Constantinopoli noua Roma, cognoscentes & nos, eadem definiuimus de priuilegijs eiusdem sanctissimæ Constantinopolitanæ ecclesiæ nouæ Romæ. Etenim sedi senioris Romæ, propter imperium ciuitatis illius, patres consequenter priuilegia reddiderunt. Et eadem intentione permoti centum quinquaginta Deo amantissimi episcopi, æqua sanctissimæ sedi nouæ Romæ priuilegia tribuerunt, rationabiliter iudicantes, imperio & senatu vrbem ornatam, æquis senioris regiæ Romæ priuilegijs frui: & in ecclesiasticis, sicut illa, maiestatem habere negotijs, & secundam post illam existere, & vt his, qui de Ponto sunt, & de Asia & Thracia, diœcesibus metropolitanos solos: rursùs autem, & qui inter Barbaros sunt, Episcopos præfatarum diœcesium ordinaria prędictæ sanctissimæ Constantinopolitanæ sedis sanctissima ecclesia: quippe vt vnusquisque Metropolita præfatarum diœcesium cum episcopis suæ prouinciæ, ordinet suæ regionis episcopos, sicut diuinis canonibus est præceptum: Ordinari autem (sicut dictum est) metropolitas præfatarum diœcesium à Constantinopolitano archiepiscopo, decretis consonis secundùm morem factis, & ad eum relatis.

Anatolius Episcopus Constantinopolis, definiens subscripsi.

Maximus Episcopus Antiochiæ, definiens subscripsi.

Iuuenalis episcopus Hierosolymorum, definiens subscripsi.

Cyriacus episcopus Heracleæ, per Lucianum episcopum Byzie, definiens subscripsi.

Diogenes episcopus Cyzici, similiter.

Florentius episcopus Sardeorum Lydiæ, similiter.

Romanus episcopus Myrorum, similiter.

Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ, similiter.

Cyrus episcopus Anazarbi, similiter.

Eleutherius episcopus Chalcedonen. similiter.

Theodorus episcopus Tarsi, similiter.

Calogerus episcopus Claudiopolis Honoriadis, per Stephanum presbyterum, similiter.

Seleucus episcopus Amasiæ, similiter.

Petrus episcopus Gangrorum, similiter.

Photius episcopus Tyri, similiter.

Theodorus episcopus Damasci, similiter.

Constantinus episcopus Bostrorum, similiter.

Meletius episcopus Lariſſæ, sermonem faciẽs pro Domno episcopo Apameæ, similiter.

Stephanus episcopus Hierapoleos, simili.

Basilius episc. Traianopolis, similiter.

Francion episc. Philippopolis, similiter.

Nunechius episc. Laodiceæ, similiter.

Marinianus episc. Synnadorum, similiter.

Onesiphorus episc. Iconij, similiter.

Eutychianus episc. Epiphaniæ, similiter.

Pergamius episc. Antiochiæ Pisidiæ, similiter.

Critonianus episc. Aphrodisiadis, similiter.

Meletius episc. Lariſſæ, similiter.

Eusebius episc. Dorylei, similiter.

Lucianus episc. Biziæ & Archadiopolis, similiter.

Ioannes episc. Rhodi, per Tryphonem episcopum Chij, similiter.

Ibas episc. Edessæ, similiter.

Abraamius episc. Circen. similiter.

Theodorus episc. Claudiopolis, similiter.

Antiochus episc. Sinopæ, similiter.

Rufinus episc. Samosatorum, similiter.

Callinicus episc. Apameæ, similiter.

Vranius episc. *Hymerorum, similiter per Paulũ presbyterum. Timotheus episc. Balanceorum, similiter.

*Himerorum

Proclus episc. Adranorum, similiter.

Marcus episc. Arethusæ, per Timotheum episcopum Balanceorum, similiter.

Theodosius episc. Canothæ, similiter.

Hormisda episc. Philippopolis, similiter.

Patrimus chorepiscopus, pro Iordane episcopo Abilæ, similiter.

Meliphthongus episc. Iuliopolis, similiter.

Ioseph episc. Heliopolis, similiter.

Damianus episc. Sidonis, similiter.

Ioannes episc. Flauiadis, similiter.

Indimus episc. *Hermupolis, similiter.

*Hermupolis *Irenupolis

Iulia-

Iulianus episc. Rhosi, similiter.
Aretas episc. Elusæ, similiter.
Beryllus episc. *Ailæ, similiter.
*Aialæ *Alalæ Olympius episco. Paneadis, similiter.
Vranius episco. Emisæ, similiter.
Theodorus episco. Tripolis, similiter.
Paulus episco. Aradi, similiter.
Daniel episco. Lampsaci, similiter.
Leontius episco. Ascalonis, similiter.
Lucianus episco. *Ipsen. similiter.
*Ipsen. Alexander episco. Seleuciæ, similiter.
Stephanus episco. Prymnesiæ, similiter.
Polycarpus episco. Gabalorum, similiter.
Leucius episco. templi Apollinis, similiter.
*Natyras *Natiras episco. Gazæ, similiter.
Gennadius episco. *Mosinnorum ciuitatis, similiter.
Alphius episco. Myndi, similiter.
Gennadius episco. Acmoneorum, similiter.
Dionysius episco. Antiochiæ, similiter.
Ioannes episco. Alyndorum, similiter.
Dionysius episco. Heracleæ Latmi, similiter.
Ioannes episco. Gnidi, similiter.
Eusebius episco. Seleucobeli, per Paulum episcopum Mariamniæ, similiter.
Paulus episco. Mariamniæ, similiter.
Polychronius episco. Epiphaniæ, similiter.
Romanus episco. Eudoxiopolis, similiter.
Aurelius episco. ex partibus Aphricanis, similiter.
Patricius episco. Acamassæ, similiter.
Bassianus episco. Mopsuestenus, per Sophronium chorepiscopum Anazarbi, similiter.
Rhenus episc. Iunopolis, similiter.
*Telmessæ Zenodotus episco. *Telmissæ & longæ insulæ, similiter.
Theodorus episco. Antiphellen. similiter.
Philippus episco. Liburnæ, similiter.
*Cœcorũ Andreas episco. *Eocorum, similiter.
*Dædalorum Romanus episco. Bubonearum, similiter.
*Euromæ Thomas episco. *Euroniæ, similiter.
Theoctistus episco. Pessinuntis, similiter, per Photinum Archidiaconum. Florentius episco. Lesbi Tenedi, per Euelpistum chorepiscopum, similiter.
Tryphon episco. Chij, similiter.
Docimasius episco. Maroneæ, similiter.
Serenus episco. Maximianopolis, similiter.
*Lagariæ Euphrasius episco. *Laganiæ, similiter.
Eustochius episco. Docimei, similiter.
Basilius episco. Nacoliæ, similiter.
Pionius episco. Troadæ, similiter.
Petrus episco. Dardani, similiter.
Theosebius episco. Ilij, similiter.
Eulalius episco. Pioniorum, similiter.
Eutropius episco. Adadorum Pisidiæ, similiter.
*Musonius *Musianus episco. *Lymerorum, similiter.
Philippus episco. Lysiadis, similiter.
Gemellus episco. Stratonicæ, similiter.
Cyrinus episco. Patarorum, similiter.
Eulalius episco. Silbij, similiter.
*Midanen. Modestus episco. Sebastiæ, similiter.
Epiphanius episco. *Midaij, similiter.
Thomas episco. Theodosiopolis, similiter.
Paulus episco. Aristij, similiter.
Ioannes episco. Trapezupolis, similiter.
Tynchanius episco. Apolloniadis, similiter.
Photius episco. Tyri, similiter, pro Petro episcopo Bybli, & pro Heraclio episcopo, & pro Phosphoro episcopo Orthosiadis, & pro Porphyrio episc. Botrorum, subscripsi.
*Eresiorũ Papias episco. *Erizorum, similiter.
Ioannes episco. Amyzonis, similiter.
Theodoretus episco. Alabandorum, similiter.
Calandion episc. Halicarnasi, similiter, per Iulianũ presbyterum meum.
Neoptolemeus episco. Cornen. prouinciæ Lycaoniæ, similiter.
Plutarchus episco. Lystren. similiter.
Eugenius episco. Cannorum, similiter.
*Rufinus episco. Hydæ, similiter. *Rufus
Tyrannus episco. Homonadorum, similiter.
Acholius episco. Larandorum, similiter.
Thomas episco. Porphyrionis, similiter.
Euandrus episco. Diocliæ, similiter.
Ioannes episco. *Arcæ, similiter. *Archæ
Dardanius episco. Bargylæ, similiter.
Dionysius episco Attaliæ Lydiæ, similiter.
Andreas episco. Sectoriorum, similiter, per Dionysium episcopum Attaliæ Lydiæ. Sabas episco. Palti, similiter, per Acholium episcopum Larandorum.
Mirus episco. Euladri. similiter.
*Albertius episco. Hierapoleos, similiter. *Abertius
Cyriacus episco. Eucarpiorum, similiter.
Aquilas episco. Androsiorum, similiter.
Eulogius episco. Philadelphiæ, similiter.
Alexander episco. Sebastæ, similiter.
Philippus episco. Adanorum, similiter.
Hypatius episco. Zephyrij, similiter.
Theodorus episco. Augustæ, similiter.
Cyriacus episco. Trogmadorum, similiter, per Chrysippum presbyterum suum.
Polychronius episco. Antipatridis, similiter.
Ioannes episco. Carrhorum, similiter.
Eudoxius episc. Chomatis Lyciæ, similiter.
Stephanus episco. *Lymirorum, similiter.
Patricius episc. Adramyteorum, similiter.
Hermias episco. Abydi, similiter.
Dauid episco. *Adrianæ, similiter. *Andrianæ
Heraclius episco. Azoti, similiter.
Leontius episco. Araxorum, similiter.
Sauinianus episco. Pari, similiter.
Daniel episco. ciuitatis Cadorum, similiter.
Paulinus episco. Apameæ, similiter.
Tyrannus episco. Germanicopolis, similiter.
Atticus episco. Zelorum, similiter.
Noe episco. Cephacastelli, similiter.
Valerius episco. Laodiceæ, similiter.
Cyrus episco. *Syniadi, similiter. *Syniandi
Bassonas episco. Hierapolis, similiter.
Eupythius episco. Stratonicæ, similiter.
Eorticius episco. Nicopolis Pisidiæ, similiter.
Theodoretus episco. Cyri, similiter.
Ioannes episco. Germaniciæ, similiter.
Timotheus episco. Dolychis, similiter.
Thalassius episco. Parij, similiter.
Gerontius episco. Seleuciæ, similiter.
Petrus episco. Gabalæ, similiter.
Euoltius episco. Zeugmatis, similiter.
Leontius episco. Araxorum, similiter.
Fonteianus episco. Sagalassi, similiter.
Rusticus episco. Apher, similiter.
Annianus episco. Capitoliadis, similiter.
Zebennus episco. Pellæ, similiter.
Ioannes episco. Tiberiadis, similiter.
Menecrates episco. Cyrassorum, similiter.
Pancratius episco. Lybiadis, similiter.
Cossinius episco. Hierocæsareæ, similiter.
Alchimedes episco. Silandi, similiter.
Amachius episco. Septenorum, similiter.
Æthericus episc. Pompeiopolis, per Epiphanium presbyterum, similiter.
Themistius episco. Amastridis, per Philotimum presbyterum, similiter.
Paulus episco. Tripolis, similiter.
Musonius episco. Zoarorum, similiter.
Messalinus episco. Laodiceæ, similiter.
Olympius episco. Theodosiupolis, similiter.
Fronton episco. Phaselidorum, similiter.
Diogenes episco. Zyzici, subscripsi pro absentibus religiosissimis episcopis, qui sub me sunt, Timotheo Germæ, Alexandro Oceæ, Philostorgio Scepsiæ, Gemello Melitopolis, Eutychano Baren. Acacio Proconnesi. Stephanus episcopus Hierapoleos, subscripsi pro absentibus, qui sub me sunt, religiosissimis episcopis, Vranio, Mara, Dauid, Cosma, Marino.

rino. Nunechius episcopus Laodiceæ, subscripsi, & pro his, qui sub me sunt, religiosissimis episcopis, Symmacho Heraclio, Philippo, Philadelphio, Phileto, Taciano, Antiocho, Zosimo, Epiphanio, Arabio, Gaio, Euagora, similiter.

Lucentius reuerend. episcopus sedis Apostolicæ vicarius dixit: *Primò gloria vestra perpendat, qua circunuentione cum sanctis episcopis gestum sit, vt non conscriptis canonibus, quorum mentionem fecerunt, subscribere sint coacti. Et interpretata voce per Beronicianum deuotum secretarium diuini consistorij, reueren. episcopi clamauerunt: Nemo coactus est. Lucentius reuerend. episcopus, vicarius sedis Apostolicæ, dixit: Accedit ad cumulum, quòd trecẽtorum decem & octo constitutionibus postpositis, centum quinquaginta, qui in synodicis canonibus non habentur, mentionem tantùm feciſſe noscuntur, quæ dicunt antè octoginta prope annos constituta fuisse. Si ergò his temporibus hoc beneficio vsi sunt, quid nunc requirunt? Si nunquam vsi sunt, quare requirunt? Qua voce per Constantinum deuotum secretarium diuini consistorij Græcè interpretata, Ætius archidiaconus sanctissimæ Constantinopolitanæ ecclesiæ, dixit. Si de hoc capitulo aliquod mandatum acceperunt, proferant. Bonifacius presbyter sedis Apostolicæ vicarius, dixit: Beatissimus & Apostolicus vir Papa, inter cætera hoc nobis mandauit, & ex chartula recitauit: Sanctorum quoque patrum constitutionem prolatã, nulla patiamini temeritate violari, seruantes omnimodis personæ nostrę in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem: Ac si qui fortè, ciuitatum suarum splendore confisi, aliquid sibi tentauerint vsurpare, hoc, qua dignum est constantia, retundatis. Gloriosissimi iudices dixerunt: Vtraque pars canones proponant. Paschasinus vir reuerend. episcopus, vicarius sedis Apostolicæ, recitauit: TRECENTORVM DECEM ET OCTO SANCTORVM PATRVM CANON SEXTVS: Quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus, vt episcopus Alexandriæ, omnium habeat potestatem, quoniam & Romano episcopo hæc est consuetudo. Similiter autem, & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris prouincijs primatus habeant ecclesię ciuitatum ampliorum. Per omnia autem manifestum sit, vt si quis præter voluntatem metropolitani episcopi fuerit ordinatus, quia hunc statuit hæc sancta synodus, non debere esse episcopum. Sanè si communi consensu & rationabiliter probato, & secũdùm ecclesiasticam regulam statuto, duo aliqui aut tres per contentionẽ suam contradicunt, illa obtineat sententia, in qua plures fuerint numero sacerdotes. Quoniam verò mos antiquus obtinuit & vetusta traditio, vt Ælię, id est, Hierosolymorum episcopo deferatur, habeat consequenter honorem suum. Sed & metropolitano sua dignitas salua sit. Constantinus deuotus secretarius diuini consistorij, ex dato codice ab Ætio archidiacono Constantinopolitanorũ sanctissimæ ecclesiæ, recitauit: REGVLA SEXTA TRECENTORVM DECEM ET OCTO SANCTORVM PATRVM: Antiquæ consuetudines teneant in Ægypto, vt Alexandrinus episcopus omnium habeat potestatem, quoniam & Romano episcopo hęc consuetudo est. Similiter autem & Antiocheno, & in alijs prouincijs primatus habeant ecclesiæ ciuitatum. Vniuersaliter autem illud manifestum est, quia quisquis præter voluntatem metropolitani fiat episcopus, hunc sancta synodus diffiniuit, non esse episcopum. Sanè si communi omnium consensu rationabiliter probato, & secundùm ecclesiasticam regulam statuto, duo aliqui vel tres per contentionẽ suam contradicunt, diffinitio obtineat plurimorum. SYNODICVM PRIMI CONCILII sub Nectario episcopo Constantinopolis, episcoporum centum quinquaginta: Hæc constituerunt episcopi, qui in Constantinopolim Dei gratia conuenerunt ex diuersis prouincijs, secundùm euocationem Deo amantiss. principis Theodosij, sub Nectario episcopo Constantinopolitano, non recusare fidem, neque regulas trecentorum decem & octo patrum, qui in Nicæa Bithyniæ conuenerunt, sed maneat illa propria. Et anathematizentur omnes hæreses, & proprie Eunomianorum, vel dissimilem filium patri credentium, & Arianorum, seu Eudoxianorum, & Semiarianorum, seu Pneumatomachorum, & Sabellianorum, & Marcionitarum, & Photinianorum, & Apollinariorum. Episcopi autem super diœcesim, quæ trans finem sunt ecclesiarum, non transcendant, neque confundant ecclesias: sed secundùm regulas, Alexandriæ quidem episcopus ea solùm, quæ sunt in Ægypto, disponat. Orientis autem episcopi, Orientem solùm gubernent, seruatis autem *primatibus, secundùm canones Nicænos, Antiochenæ ecclesiæ, & episcopos Asianæ diœcesis Asianam diœcesim tantummodò gubernare, & Ponticos Ponticam, & Thraciæ, Thraciam solùm. Ineuocatos autem episcopos, super diœcesim, neq; super ordinationem, vel pro alijs ecclesiasticis ordinationib. nullatenus inueniri, seruata autem suprascripta de prouincijs vel regionibus regula. Manifestum autem est, quia secũdùm vnamquanque prouinciam ciusdem synodus prouinciæ gubernatura est, secundùm ea, quæ in Nicęa sunt constituta. Eas autem, quæ sunt in barbaricis gentibus, Dei ecclesias gubernari oportet secundùm hanc, quæ per patres consuetudo tenet. Episcopatum tamen Constantinopolitanum habere primatûs honorem post Romanum episcopũ, propterea quòd sit noua Roma. Gloriosissimi iudices dixerunt: Hi, qui relecto tomo subscripserunt Asiani & Pontĩ sanctiss. episcopi, dicant, si voluntate propria, vel impolita sibi aliqua necessitate coacti, subscripserunt.

Et transeuntibus in medio Ponticis & Asianis episcopis, qui subscripserunt, Diogenes reueren. episcopus Cyzici, dixit: Coram Deo cum voluntate subscripsi.

Florentius reuerend. episcopus Sardeorum Lydiæ, dixit: Nulla mihi illata est necessitas, sed sponte subscripsi.

Romanus reueren. episc. Myrorum, dixit: Non sum coactus. Ego gratum habeo, sub sede Constantinopolitana esse, quoniam & ipse me honorauit, & ipse ordinauit. Mihi iustum videtur, & voluntate subscripsi.

Calogerius reuerend. episc. Claudiupolis Honoriadis, dixit: Secundùm sententiam sanctorum patrum centum quinquaginta, voluntate propria, non coactus, subscripsi.

Seleucus episc. Amasiæ, dixit: Ante me tres sunt ab hac sede ordinati episcopi, & inueniens hanc consequentiam, & ego sequutus sum. Et nunc propria voluntate feci, sub hac sede esse volens, quia & *prouidè videtur mihi.

Eleutherius episcopus Chalcedonæ, dixit: Sciens, quia & per canones, & per consuetudinem præcedentem habet hæc iura Constantinopolitana sedes, cum voluntate subscripsi.

Petrus reuerend. episcopus Gangrorum, dixit: Ante me tres sunt ordinati à sede regiæ ciuitatis, & ego post tantos similiter. Et ob hoc consensi his, quæ consuetudo habuit, & sponte subscripsi.

Nunechius reuerend. episcopus Laodicæ Phrygiæ, dixit: Gloria sedis Constantinopolitanę, gloria nostra est. Huius enim honoris nos sumus quoq; participes, quoniam solicitudines nostras suscepit. Et diligimus, vt vniuscuiusq; prouinciæ metropolis à sede hac ordinetur. Vnde & sponte subscripsi.

Marinianus episcopus Synnadorum, dixit: Sicut & priores mei à sede Constantinopolitanæ sanctæ ecclesiæ ordinati, & ego quoque ipse subscripsi, quoniam & canones primatum præbent Constantinopolitanæ sanctiss. sedi.

Pergamius reuerend. episcopus Antiochiæ Pisidiæ, dixit: Et propria voluntate subscripsi, & in omnibus sanctiss. archiepiscopum regiæ ciuitatis nouæ Romæ in honore & cura sicut patrem præcipuum, habere nos conuenit. Hoc solùm rogo, vt si qua aut per eorum sanctitatis ignorantiam, aut per surreptionem inueniuntur agi, pro eius gloria, vel pace sanctarum ecclesiarum, & eius ad Deum coram omnibus comprobatione, tanquàm coram hoc patre discutiantur atque seruentur.

Critonianus reuerend. episcopus Aphrodisiadis, dixit: Ex propria voluntate subscripsi, sequens intẽtionem sanctorum patrum, & debitor huius sedis existens, quoniam & ego ordinatus sum, & priores mei, & omne patrocinium nostra ecclesia promeretur.

Eusebius reueren. episcopus Dorylei, dixit: Sponte subscripsi, quoniam & hanc regulam sanctissimo Papæ in vrbe Roma ego relegi, præsentibus Clericis Constantinopolitanis, eamque suscepit.

Antiochus reuerend. episcopus * Synopis, dixit: Sponte subsc. sequens metropolitanum meum, & regulam centum quinquaginta.

Cæteri

*Videt ergò præalijs vestra gloria, qua circũuentione actum est circa episcopos, qua etiam festinatione factum est, vt præter sanctas regulas, sub necessitate subscriberent episcopi.

Nicæni concilij cap. 6.

Ibid. ca. 7.

Nicæni con. ca. 6.

Constan. con. ca. 1.

Constan. con. ca. 2.

*ptiuile-gijs Constan. con. ca. 3

Nic. con cap. 5. Cõst. con cap. 4. &

Aut Eu bius me titur, ad hor sanctum Leonem fefellit.

Cæteri reuerend.episco.clamauerunt: Spontè subscripsimus.

Glorioss.iudices dixerunt:Relectis subscriptionibus,& vniuscuiusque subscribentium depositione manifestata: quia nulla necessitate,sed voluntate propria subscripserunt:hi,qui non subscripserunt sanctissimi episcopi,quid edocent?

Eusebius reuerend.episco.Ancyræ Galatiæ,dixit: Ego meum dicturus sum verbum, nullum in commune præiudicium faciens.Quoniam penitùs desisto à desiderio ordinationis,rebus ostendi.

Petrus etenim episcopus,qui modò testatus est de Gangris est episc.Ante hunc enim qui fuit, ego ordinaui. Omnis enim ciuitas ad me venit in Ancyra, decreta portantes. Respondi eis,dicens: Ego non sum ex ijs,qui ordinare desiderant. Commemorabant verò me priores,qui fuerant ordinati ab episc.Ancyranorum,duos,tres.Ego dixi:Quæcunque mihi dicatis, ego meipsum iudicio non submitto. Post hæc veniunt rogantes beatum Proclum. Et cùm diceret, Philippus reuerend.presbyter Constantinopolitanæ sanctæ ecclesiæ,dixit:Religiositas tua scripsit de Callinico, & post sanctitatem tuam Petrum ordinauit beatus Proclus.

Eusebius reuerend.episc.Ancyræ Galatiæ dixit:Direxit beatus Proclus ad me scripta. Ordinaui eum. Hoc totum allegatio non est,sed meæ probatio voluntatis, vt post hæc inferam quod peto,vel id quod contradico. Profectus sum in Gangra,intronizaui episcopum.Sic euenit, vt moreretur intra paucos dies.Rursùs omnes de ciuitate adeũtes, rogabant, vt fieret alter episcopus: Dixi hæc ipsa vobis,& nunc respondeo:Ego non desidero ordinare.Respiciẽtes meum ex his rebus fastidium,venerunt ad Constantinopolim, & deduxerunt dominum Petrum,qui nunc confessus est. Hoc ergò sit pro meæ testimonio voluntatis.Et ego ordinare non cupio. Rogo autem,vt ciuitates pro ordinationibus non soluantur. Si enim non in ciuitatibus ipsis hi,qui eliguntur,à ciuitate ordinantur, à synodo prouinciæ comprobati, soluuntur substantia.Et hoc probatum habeo,qui pro eo,qui ante me fuit, multa reddidi debita.

Philippus reuerend.presbyter dixit:Ex regula hoc interruptum est.Hæc legibus & regulis interempta sunt. Altaria munda sunt.

Eusebius reuerend.episcopus Ancyræ Galatiæ,dixit:Propter Deum opinio clara est sanctissimi episcopi Anatolij, sed nullus immortalis existit.

Anatolius reuerend. episcopus regiæ Constantinopolis, dixit:A quo ordinatus es ipse ? Eusebius reuerend.episcopus Ancyræ Galatiæ,dixit:Hic malo meo repertus sum,& ordinatus à beato Proclo.

Thalassius reuerend.episcopus Cæsareæ Cappadociæ,dixit: Pergimus ad dominum archiepiscopum Anatolium, & ordinamus illud.Glorioss.iudices dixerunt:Ex his,quæ gesta sunt,vel ab vnoquoque deposita,perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum,secundùm canones,antiquæ Romæ Deo amantissimo archiepiscopo conseruari. Oportere autem sanctissimum archiepiscopum regiæ Constantinopolis nouæ Romæ, eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse,& potestatem habere ordinare metropolitas in Asiana & Pontica & Thracia diœcesibus,secundùm hunc modum, vt decreto facto à clericis vniuscuiusque metropolis,& possessoribus,atque clarissimis, super hæc & à reuerendissimis episcopis prouinciæ omnibus aut plurimis,eligi quemcunque præfati metropolitanæ ecclesiæ episcopi dignum esse probauerunt.Referri autem ab omnibus eligentibus sanctissimo archiepiscopo regię Constantinopolis,vt penès eum sit(si velit)hunc,qui electus est, deductum hic ordinari,aut secundùm eius permissionem in prouincia episcopatús mereri decretum: vniuscuiusque tamen ciuitatis sanctissimos episcopos,ab omnibus ordinari,aut plurimis prouinciæ reuerendissimis episcopis, potestatem habente metropolitano secũdùm patrum regulas diffinitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus sanctissimo archiepiscopo regiæ Constantinopolis. Hæc à nobis inspecta sunt. Quæ autem videntur, sanctum & vniuersale Concilium docere dignetur.

Locus obscurus.

Reuerend.episcopi dixerunt:Hæc iusta sententia,hæc omnes dicimus, hæc omnibus placent, hæc omnes dicimus, hoc iustum decretum.Quæ constituta sunt,valeant.Hæc iusta sententia Omnia ordinatè decreta sunt. Supplicamus, dimitte nos.Per salutem Imperatorum,dimitte nos. Omnes in sententia permanemus.Lucentius vir reuerend.episcopus, vicarius sedis Apostolicæ,dixit:Sedes apostolica, quæ nobis præcepit,præsentibus humiliari non debet. Et ideò quæcunq; in præiudicium canonum vel regularũ, hesterna die gesta sunt nobis absentibus,sublimitatem vestram petimus, vt circunduci iubeatis:sin alias,contradictio nostra his gestis inhęreat, vt nouerimus,quid apostolico viro vniuersalis ecclesiæ Papę referre debeamus,vt ipse aut de suæ sedis iniuria,aut de canonum euersione possit ferre sententiam.

Vicarij sedis Apostolicæ. Contradictio,ad quædam Decreta à Patribus absentibus eius legatis.

Ioannes reuerendissimus episcopus Sebastiæ,dixit: Omnes in sententia vestræ magnificentiæ permanemus. Viri illustrissimi iudices dixerunt: Quod interlocuti sumus, tota synodus approbauit.

¶ Responsio Seu Allocvtio sancti & vniuersalis Chalcedonensis concilij, habita apud Martianum pijssimum & amatorem Christi Imperatorem. Quòd non innouans aliquid aduersùs Nicænam fidem nũc sanctiss. archiepisc. Leo,scripsit epistolam ad sanctæ memoriæ Flauianum,Constantinopolitanæ regiæ vrbis episcopum: sed sanctos patres secutus sit,qui & post magnam synodum Nicænam, hæreses, quæ per vnumquodque tempus exortæ sunt, similiter refutauerunt:& hoc vestrum decebat imperium, vt circa subiectos sibi prouidentia ex his,quæ ad Deum pertinent, initium sumeret, & prima contra diabolum pro pietate militia conueniret. Vnde nobis *Impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus prouidit, & Romanæ ecclesiæ Papam ad victoriam præparauit,doctrinis eum per omnia veritatis adstringens,vt (quemadmodùm Petrus) & hic affectu feruentiore decertans,omnem ad Deum sensum, intelligentiamq; perducat.Sed nè quis fidei eius cõcordiam vitans,& propriæ seductionis conuictionem celare contendens, quasi peregrinam quandam & ignoratam regulis, epistolæ eius seriem accuset,asserens, quòd non licuerit cuiquam exponere fidem præter patres, qui apud Nicæam concorditer conuenerunt, vnam quidem esse velut principali loco trecentorum decem & octo patrũ doctrinæ confessionem:lex nobis ecclesiæ præcepit,quam velut commune sanctorum decretum,ad eorum qui vocantnr in adoptionem filiorum,tradimus firmitatem. Aduersùs eos autem,qui veritati resistunt, variæ nobis certaminum causæ tributæ sunt, à pijs viris congruenter adhibitæ contra ea, quæ ab his fallaciter inseruntur. Et credentibus quidem sufficit ad vtilitatem, fidei indiscussa perspectio ad *confessionem pij dogmatis deuotos pertrahens animos.His autem, qui doctrinam rectam peruertere moliuntur,ad singula,quæ malè pariunt,oportet occurrere,& eorum obiectis congrua quæque prouidere.Nam si omnes contenti essent fidei constituto,& pietatis semitam nulla innouatione turbarent,deceret Ecclesiæ filios, nihil ampliùs excogitare, quàm symbolo constat esse declaratum. Sed quia multi à rectalinea per anfractus erroris exorbitant, nouum quoddam sibimet iter mendacij construentes: necesse nobis est, veritatis eos inuentione conuertere,commenta quoque eorum deuia salutaribus adiectionibus refutare,nõ vt nouum ad pietatem (quasi fidei desit)semper aliquid exquirentes, sed vt contra ea,quæ ab illis innouata sunt,excogitantes, quæ salubria iudicantur.& vt *manſuetudini vestræ,quod dicimus, euidenter appareat,ab ipsis fidei sermonibus inchoemus,sanctorum patrum,qualiter quisq; de his senserit,decreta subdentes. Dixit fides: Credo In Vnvm Dominvm Iesvm Christvm Filivm Dei, Consvbstantialem Patri.Hoc verbum perfectum est,atque sufficiens his, qui ad confessionem fidei deuotum animum deferre contendunt, vnam diuinitatis naturam patris filijque significans, ita vt nõ alterius quidem substantiæ patrem, alterius verò filium sensus excogitet,& Arij,contra pietatem sentientis, malignitatibus *inferatur. Sed quia Photinus atque Marcellus alias aduersùs filium blasphemias innouantes, non eum prorsùs existere,audaciæ calumnia negauerunt, sed vnum eundemque, ipsum patrem & filium & spiritum sanctum appellatum esse firmantes, & vsque ad vocabulorum tantummodò sonum Trinitatis definiuére distantiam:contra eos quoque, trium subsistentiarum patres intulere doctrinam, nõ extra scriptu-

ἀπρόσιτον

συγκατάθεσιν

πρόσφορος idonea: πρώτου imperio.

συμφύεσθαι cõueniat.

vam sanctam hanc inuentionem sibi fingẽtes, nec intelligentia fidei veluti imperfectam penitus transeuntes, sed etiam diuinitùs inspiratis explanantes eloquijs, & pro Homousij, id est, vnius essentiæ confessione optimè desudantes, & ostendentes, quòd vnam duarum personarum nobis essentiam fides ediderit, nequaquàm filij subsistentiam denegauerit: iterùm ait symbolum: CREDO ET IN SPIRITVM SANCTVM, sufficientem intelligentiam, quòd Spiritus sanctus Deus sit, pijs mẽtibus tradens. Si enim similiter, vt in patrem & filium, ita etiam & in spiritum sanctum credere censuit: manifestum est, quòd quippe vt in Deum spem nos habere præcepit, vnam naturam insinuans in Trinitate credentibus. Sed quia tunc fidem, simplicemque de spiritu sancto doctrinam protulit, nullo adhuc certamen afferente de eo: illi, qui de Arij stirpe progeniti sunt, apud semetipsos hanc pestilentiam retinentes, veris refutationibus conuicti de filio, & in spiritum sanctum suam blasphemiam transtulerunt, arbitrantes calumniam suam non posse detegi, cùm temerariè eum inter creaturæ vilia deputarent. Vnde qui defensionem veritati postea detulerunt, pijs renisi argumentationibus, eorum penitùs expulere contagia, Dominum eum & Deum ex patre procedentem, secundùm fidei documenta declarantes. Sic igitur audaces aduersùs diuinitatem, qui colore pietatis circa fidem, regulam fidei subruebant, ab assertoribus Trinitatis capti atque protriti sunt. Sed quia etiam illa, quæ benè de dispensatione Dominicæ incarnationis probantur esse dispositа, alijs hæretici malignis inuentionibus, subuertere sunt moliti, iterùm gratia & cõtra eorum ferales impetus nobis propugnatores veritatis ostendit, confidentius asserentes, quòd integra & diuina de incarnatione Dei verbi, dignaque tantæ clementiæ symboli intelligentia, comprobetur. Ait enim: DESCENDIT ET INCARNATVS EST, ET INHVMANATVS EST. Quòd descendit quidem, hæc dicta sunt, spontaneæ potestatis condescensionem describentia: dicens verò, Incarnatus est, veram assumptionem nostræ carnis, & ex virgine per veritatem natiuitatis ostendit. Quòd verò inhumanatus est, in ipso nostræ naturę plenitudinem ex anima rationali & corpore manifestat. Sed nescio quomodo contra fidem hanc malignus perniciem excogitauit hominibus, tanquàm inimicus, arcem diuinæ prouidentiæ circa nos violare contendens: & illis quidem, iuxta id, quod assumptum est, natiuitatem persuasit ex virgine denegare, velut in honorem atque reuerentiam nostri saluatoris & Domini gloriæ, vocabulum Dei genitricis ab eius generatione subripiens: illos autem aduersùs ipsam eiusdem vnigeniti diuinitatem impiè atque impudenter armauit, conuertibilem eam atque passibilem, prophanis instigans prædicare sermonibus, distributor planè malarum rerum dignis ministratoribus, quæ sunt blasphema sacrilegaque dispertiens, ita vt per illos quidem assumptæ formæ adimerentur indicia, per istos autem tantummodò carnis *vnitio diceretur. Et illi qidem negarent animæ medicinam, hi verò inesse quidem animam corpori, sed eam præter intelligentiam esse faterentur. Per hos iam hostis antiquus vnitionis nisus est sacramenta diuidere, & purum (tanquã de propheta aliquo) id, quod apparuit pro nobis, asserere: per illos autem, differentiam negare naturarum, & nihil redemptoris nostri diuinitatis, humanitatisque relinquere proprium, simulque fermenti instar dispensationis negocia vniuersa miscere. Verùm non latuit indormitabilem oculum, naturæ nostræ communis inimicus: sed tanquàm luminaria confestim patres nostros, his quos tenebrarum persuaserat error, ostendit, qui cunctis referarent intelligentiam fidei, & incarnationis diligenter beneficia prædicarent, quomodò dispensationis sacramentum sit ab initio ex vulua dispositum, quomodò & Dei genitrix sit virgo vocitata, propter eum, qui virginitatem eius dignatus est etiam sacrare post partum, vuluamque (vt decebat Deum) integritate signaret: quomodò secundùm veritatem mater dicta sit, propter carnem, quam ex se omnium Domino ministrauit: quomodò de Iessæ radice ortus sit, quomodò semen Abrahæ mundi conditor apprehenderit, quomodò in seipso nostræ probauerit naturæ primitias, quomodo perfectus Deus, & perfectus homo vnigenitus apparuerit, quomodò in eo sub testimonijs claruit differentia naturarum, quomodò personæ singularitas demonstrata sit: quomodò Iesus Christus heri & hodiè, ipse & in secula: quomodò recens & sempiternus, quomodò cælestis atque terrenus, quomodò visibilis & inuisibilis: quomodò consubstantialis patri secundùm diuinitatem, & consubstantialis idem ipse matri secundùm humanitatem: quomodò idem impassibilis vt Deus, & vt homo passibilis sit, probatur. His inimicum patres nostri prostrauere sermonibus, hanc pro symbolo defensionem contra eos, qui calumniam tentauerant struere, protulerunt, non aliud nobis ad confessionem proferentes signaculum fidei, sed quod malè ab hostibus corruptum fuerat, instaurantes, atque obsistentes eis, *qui per illa tempora subrepere nitebantur, & custodes singulis eorum, quibus præerant, effecti sunt ad salutem. Sic magnus ille Basilius minister gratiæ, subsistentiarum per epistolam euidentiam mirè declarauit, & sancti spiritus doctrinam diligentiùs tradidit, consacerdotum suorum *eliciens etiam subscriptione consensum. Sic quoque Damasus Romę vrbis decus ad iustitiam, literis ad Paulinum datis, dispensationis sacramenta patefecit, admonens, vt his, quæ benè decreta sunt, si qui communionis suę participes velint esse, consentiant. Ita & qui postmodùm vbique aduersùs varias hæreticorum congregati sunt nouitates, commune de fide decretum vnanimiter ediderunt, eaque fraterno consensu probauerunt, absentibus euidentissimè intimantes. Et illi quidem, qui apud *Serdicam contra reliquias Arij conuenerunt, Orientalibus direxerunt sui constituta iudicij. Qui verò in hac vrbe Apollinaris detexerunt pestilentiam, Occidentalibus proprium innotuére decretum, illisque tunc Osius ad proferendam sententiam præerat, horum autem Nectarius cum Gregorio susceperat principatum. Sic & apud Ephesum, id quod de Dei genitrice iudicatum est, scripto firmatum est. Et de Deitate atque humanitate Domini testimonia cum propria subscriptione protulerunt, manu & lingua naturarum professionem in vna persona pariter approbantes. Si quis autem censet, hucusque consistere eos, qui fidem pro facultate defendere cupiunt, maximè quidem hoc præceptum hæreticis promulgare debebit, illos ab impugnatione remouens, non auertens à protectione *pastoris. Omnis enim lex iniustos à delictis cohibet, non iudices a potestate discingit. Aliàs autem doceantur indociles, quia & nunc licet, vt ambiguitate quæstionis exorta, patrum interpretationibus nostram confessionem coaptemus, satisfacientes, quòd in nullo discordem intelligentiæ eorum detulerimus *animum, sed his vtamur testibus ad nostræ fidei firmitatem. Sic Athanasij ad Epictetum amplectimur literas, sic tanquàm propriam Gregorij ad *Celidonium epistolam vbique proferimus. Et quid oportet plura dicere? Si enim per epistolas ecclesiæ dogmata declarari pro vnaquaque quæstione, dignum culpa iudicant, ipsum in primis beatissimum Cyrillum qui libet poterit denotare, qui literis suis Orientalibus, quod sentiebat, expressit. Necnon & magnum Proclum huic vituperationi subijciet, qui eisdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia destinauit. Hic autem consociabitur ad culpam & sapientissimus Ioannes Antiochenus episcopus, qui hæreticorum maledicta repellens, & Apostolicæ doctrinæ rectissimum dogma declarans, totius Orientis confessionem, velut ex vno ore, sanctissimo Proclo, & ei, qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, destinauit. Non igitur nobis, admirandi Romanæ vrbis præsulis epistolam, velut innouationis offendiculum criminentur: sed, si non est diuinis scripturis coaptata, redarguant: si non præcedentium patrum sententijs adunata, si non impiorum accusationem continet, si non defensionem Nicenæ fidei profert: & si non eorum, qui nouitates appetunt, commenta subruit, si non vaniloquiorum contagia prodigiosa subuertit. Si quis enim patrum deprauat intelligentiam, hic pœnæ transgressionis habetur obnoxius, non qui transgressionem sua cura redarguit. Qui enim sponte sua, nullo contrà confligente, professionem verbis proprijs desert, hic, vt illatus, non immeritò *comprobatur. Qui verò eis, qui praua sentiunt, obluctatur: is cõtra inimicorum adinuentiones linguam prudenter exercet, quæ ab illis malè prolata sunt, veritatis nitens ratione dissoluere. Sed ô vos Christi amantes, & imperio superno nutu vobis concesso dignissimi, compensate ei fidem, qui beneficia tanta concessit, studioque circa purissimam confessionem præstantiam vestræ deuotionis

ostẽ-

*fingentes, ἐπλασαν, ἐφεύρον, decertantes.

*quæ

ἀναγκαῖα, exigens.

Epist. sinrum decret.

*Sardicam

*ποιμένος pastoris *διαίρων, distinguit

*ὁμοίως

*ὁμοίως f. Nazianzen. *Cledonium

Ffa. 11. Heb 2.

Heb. 13.

φιλοτιμούμενοι

* ἀλλότριος

re condemnatus

ostendite, malignorum quidem molimina refrenantes, omnibus verò piæ confessionis declarantes in vnitate concordiam, ac velut signaculum sacrę doctrinę, concilij huius, à vobis congregati, prædicationem, Petri sedis authoritate roborantes. Confidere namque oportet vestram pietatem, quia nihil præter fidem, quę olim à sanctis patribus annunciata est, venerabilis Romanus pontifex innouauit, atque vt nulla his, qui Apostolicum virum per inuidiam lacerare nituntur, relinquatur occasio, consonantiæ epistolę eius ad sanctorũ patrum testimonia, ad certiorem notitiam vestræ pietatis, ex multis pauca subdidimus.

Testimonia sanctorum patrũ, qui & duas naturas in Christo confessi sunt, & consubstantialem patri Deum verbum, etiam nobis secundum carnem ex Maria consubstantialem factum, veraciter asserentes.

Basilius episcopus. Sancti Basilij ex his, quæ contra Eunomium scripsit: Ego enim & hoc, quod est, in forma Dei existere, ac si in essentia Dei, æquiualere pronuncio. Sicut enim hoc, quod formam serui suscepit, in substantia humana Dominum nostrum factum esse significat: ita, quòd dicit, quod in forma Dei est, diuinæ substantiæ proprietatem sine dubitatione commendat.

Ambrosius episcopus. Beati Ambrosij ex his quæ scripsit ad Gratianum Imperatorem: Seruemus differentiam diuinitatis & carnis. Vnus in vtroque loquitur filius Dei, quia in eo vtraque natura est.

Gregorius Nazianz. * Cledonium. Idem. Beati Gregorij Nazianzeni ex epistola ad * Celidonium? Naturę quidem duæ, Deus & homo, quia & anima & corpus. Filij autem non duo, neque duo dij.

Liusdem ex secundo sermone de filio: Et hoc est, quod facit hæreticis seductionem, nominũ prolata seiunctio. Signum est autem, vt si quando naturæ secernuntur intelligentijs, simul secernantur & nomina.

Athanasius Episcop. Sancti Athanasij ex his, quæ scripsit aduersus hæreses: Et sicut non essemus liberati à peccato atq; maledicto, si non caro naturę esset humanę, quam induit verbũ: (nihil enim commune nobis esset ad alienum) sic nequaquam ille homo Deus fieret, si non natura esset ex patre, & verum atque consempiternum eius esset verbum, quod factum est caro. Idcirco namque talis est facta connexio, vt ei, qui iuxta naturam diuinitatis est, illum hominem, qui est humanæ naturæ, coniungeret.

Ioan. 1.

Amphilochius episcopus. Amphilochij episcopi Iconij de explanatione Euangelij secundum Ioannem: Discerne iam naturas tam Dei, quàm hominis. Neque enim per amissionem Dei factus est homo, neque secundum prouectum ex hominibus Deus est. Deum enim dico & hominem. Da passiones carni, da Deo miracula.

Antioch. Episcop. Antiochi episcopi Ptolemaidis: Non confundas has naturas, & non obstupesces circa dispensationem.

Flauianus Episcop. Antioch. Psal. 105. Flauiani episcopi Antiocheni in Theophanicon: Quis reuera loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis verbo, collati nobis beneficij magnitudinem possit exprimere? Humana natura Deitati coniungitur, ita tamen, vt in se vtraque natura permaneat.

Ioannis Chrysost. Episcop. Beati Ioannis Episcopi Constantinopolitani, de explanatione Euangelij secundum Ioannem: Quid enim intulit, & habitauit in nobis? Hoc benè dicens, nihil debet incongruum suspicari, sed hoc quod factum est. Non enim conuersionem dixi illius inconuertibilis naturæ, sed habitationem & commorationem. Id autem quod habitat, nõ ipsum est, quod habitaculum, sed alterum in altero inhabitat. Alioquin iam non erit habitatio. Nihil enim in seipso habitat. Alterum autem dixi iuxta substãtiam. Per vnitionem enim & connexionem, vnus est Deus verbum & caro, nequaquam facta confusione, vel permixtione harum substantiarum, sed vnitione ineffabili atque inenarrabili.

Atticus episcopus Constant. Beati Attici Constantinopolitani episcopi ex epistola ad Eupsychium: Quid igitur oportebat operari sapientissimum, mediationem assumptæ carnis, & vnionem Dei verbi ad hominem, qui ex Maria est? Nam vtraque facta sunt ita, vt ex vtroque vnitum, Christum quidem fateamur in propria impassibilis naturæ dignitate persistere, mortem gustare simul, vt & socia sibi naturæ carnis ostenderet per mortem, mortis ipsius contemptum, pariterque etiam vt noui testamenti per obitum iura firmentur.

Proclus episcopus. Beati Procli ex sermone: Puer natus est nobis, filius datus est nobis: Et naturam ratione diuide, & vnitatem mysterij diuinis extolle præconijs.

Cyrillus Episcop. Cyrilli: Aduertentes igitur modum inhumanationis, vt dixi, videamus, quòd duæ naturę per indiuiduam vnitionem inconfusè atque inconuertibiliter inuicem sibi conuenerunt. Caro nanque caro est, & non deitas, licèt Dei facta sit caro: similiter etiam verbum Deus est, & non caro, licèt dispensatorie propriam fecerit carnem.

Io. Chrysostomus. Beati Ioannis de explanatione Euangelij secundum Matthæum: Et quemadmodum quis in meditullio pugnæ positus duobus quibusdam inuicem sibi discordantibus, vtrasque manus extendens, sumens vtrinque coniungat: sic etiam Christus fecit, vetus nouo, diuinam naturam humanæ, sua nostris clementer adiungens.

Allocutio seu responsio sancti Chalcedonensis concilij, cum subiectis testimonijs patrum, finit.

RELATIO SANCTAE SYNODI CHALcedonen. ad B. Papam Leonem, de omnibus gestis generaliter.

SAncta & magna & vniuersalis synodus, quæ per gratiam Dei, & sanctionem pijssimorum & amatorum Christi Imperatorum nostrorum, collecta est in Chalcedonensium metropoli prouinciæ Bithyniæ, sanctiss. & beatiss. Romanorum archiepiscopo Leoni. Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Hanc tanquam propriam nobis prophetiam gratia coaptauit, à quibus pietatis est restitutio confirmata. Quid enim fide sublimius ad lætandum Quid agnitione Dominica festiuius ad coronas, quam nobis olim saluator ipse tradidit ad salutem, inquiens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Quam velit auro textam seriem, ex veste Christi & præcepto legislatoris venientem vsque ad nos, ipse seruasti, vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationem super omnes adducens. Vnde & nos, quippe vt inchoatore bonorum, ea ad vtilitatem vtentes, Ecclesiæ filijs hæreditatem sortemque veritatis ostendimus, non singulatim faciente in occulto vnoquoque doctrinam, sed vno spiritu, vna conspiratione atque concordia confessionem fidei declarantes, & eramus in communi corona gaudij, quasi in imperialibus cœnis, delicijs spiritalibus epulantes, quas per tuas literas Christus præparauerat inuitatis, & supercœlestem sponsum inter nos conuersantem nos cernere putabamus. Si enim vbi sunt duo aut tres congregati in nomine eius, ibi: se in medio eorum fore perhibuit: quantam circa sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare, qui & patriæ & labori suæ confessionis notitiam prætulerunt? Quibus tu quidem sicut membris caput præeras, in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens. Imperatores verò ad ornandum decentissimè præsidebant, sicut Zorobabel & Iesus, ecclesiæ Hierusalem ædificationem renouare circa dogmata adnitentes. Et fuerat vtiquè aduersarius tanquam bestia extra caulas apud semetipsum rugiens, nullum prævalens capere, nisi semetipsum ei ad capiendum iniecisset is, qui Alexandrinorum quondam pontifex fuit. Qui multa priùs pessimè operatus, superuicit: priora sequentibus superauit. Nam beatum illum inter sanctos Constantinopolis pastorem Flauianum, apostolicam proferentem fidem, & DEO amantissimum episcopum Eusebium, præter omnem canonum consequentiam depositum atque damnauit, Eutychen pro impietate damnatum, suæ tyrannidis decretis innoxium statuit, & dignitatem, quæ à vestra illi ablata fuerat sanctitate, (quippe vt ab eo, qui hac gratia erat indignus) ille restituit, & in summa (sicut singularis ferus) in vineam irruens, quam optimè reperit plantatam, euertit: quam verò vt infructuosam, eradicatam rursus induxit. Et eos quidem, qui ea, quæ pastorum sunt, sapiunt, abscidit: eos verò, qui lupi demonstrati sunt, super oues imposuit. Et post hæc omnia, insuper & contra ipsum, cui vineæ custodia à saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem. Et excommunicationem meditatus est contra te, qui corpus Ecclesiæ vnire festinas. Et dum de talibus pœnitere eum potiùs oporteret, dum deberet misericordiam lachrymis

Matth. 28. Psal. 125. Matth. 18.

Vineæ cũ custodia à Saluatore commissa est Leoni Papæ iuxta Synodũ Chalcedonensem.

postulare, tãquam malè sobrius exultabat, epistolam quidem tuæ respuens sanctitatis, omnibus verò dogmatibus veritatis aduersans. Et quidem oportebat eum mox inter illos, vt in quorum se ipse statuit parte, relinquere. 1. Tim. 2. Quoniam verò saluatoris profitemur nos esse discipulos, qui omnes homines saluos fieri vult, & ad cognitionem veritatis accedere, operæ hanc in eo misericordiam festinauimus confirmare, & eum cũ fraterna mansuetudine ad iudicium vocabamus, non quasi tentantes abscindere, sed excusationis ei locum saluandi causa tribuentes. Et orabamus eum declarari victorem contra eos, qui eum diuersis accusationibus inscribebant, vt festiua celebriq; lætitia concilium consummantes, in nullo superaremur à satana. Sed ille in semetipso inscriptam conuictionem conscientiæ habens, refutatione iudicij, accusationibus suis assensit, & legitimas ad se factas tres euocationes abiecit. Propterea ergo decretum, quod ipse contra semetipsum peccando protulerat, hoc (prout potuimus leuigando) firmauimus, lupum pastorali pelle nudantes, qua prius quoque figuraliter, seu in speciem tantummodò conuincebatur obtectus. Vsq; ad hæc nobis tristia prouenientia cessauerũt, & bonorum gratia mox effulsit: & vnum zizaniorum euellentes, mundo tritico vniuersum mundum cum voluptate compleuimus. Et tanquam euellendi ac plantandi potestatem sumentes, incisionem quidem vnius tantummodò ingemuimus, bonorum verò vbertatem diligenter plantauimus. Deus enim erat, qui operabatur. Et quæ suo sponso concilium coronauit ornata decore victoriæ Euphemia, quæ tanquam propriam confessionem, fidei definitionem suscipiens à nobis, suo spõso per pijssimum Imperatorem & amicam Christi Augustam obtulit, omnem quidem perturbationem contrariorum sedans, veritatis autem confessionem roborans, vt amicam, & manu ac lingua vniuersorum decretis pro demonstratione subscriptam. Hæc sunt, quæ tecum, qui spiritu præsens eras, & complacere tanquam fratribus deliberasti, & qui penè per tuorũ vicariorum sapientiam videbaris à nobis, effecimus. Indicauimus verò, quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorũ statutorum definiuimus firmitatem, scientes quia & vestra sanctitas addiscens, & probatura, & confirmatura est eadem. Eam namq; consuetudinem, quæ ex longo iam tempore permansit, quam habuit Constantinopolitanorum sancta Dei Ecclesia, ad ordinandum metropolitanos prouinciarum, tam Asianæ quam Ponticæ, vel Thraciæ, & nunc synodali decreto non tantùm firmauimus, sed aliquid Constantinopolitanæ præstantes, quantum metrópolitanis vrbibus ad quietem congruere visum est, eo quòd frequenter episcopis vitam finientibus, multæ turbæ nascuntur, absque rectore clericis ac populis remanentibus, qui per easdem sunt ciuitates, & Ecclesiasticum confundentes ordinem, quod nec vestram latuit sanctitatem, quàm maximè propter Ephesios, vnde quidam vobis sæpius importuni fuerũt. Confirmauimus autem & centum quinquaginta sanctorũ patrum, qui in Constantinopoli congregati sunt, regulam, sub pię memoriæ maiore Theodosio, quæ præcepit, post vestram sanctissimam & Apostolicam sedem, honorem habere Constantinopolitanam, quæ secunda est ordinata, confidentes, quia lucente apud vos Apostolico radio, & vsque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam consuete gubernando illum spargentes, hunc sæpius expanditis, eo quòd absque inuidia consueueritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos. Quæ igitur definiuimus, ad interemptionem quidem totius confusionis, confirmationem verò ecclesiasticæ ordinationis definiuimus. Hæc, sicut propria & amica, & ad decorem conuenientissima, dignare cõplecti sanctissime, & beatissime pater. Qui enim locum vestræ sanctitatis obtinent sanctissimi episcopi Paschasinus & Lucentius, & qui cum eis est reuerendissimus presbyter Bonifacius, ijs ita constitutis vehementer resistere tentauerunt, proculdubio à vestra prouidentia inchoari & hoc bonum volentes, vt sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus. Nos enim curantes tam pijssimos & Christi amicos Imperatores, qui super hoc delectantur, quàm clarissimum senatum, & totam (sicut dicere conuenit) imperij ciuitatem, opportunum credidimus esse, honoris eius cõfirmationem ab vniuersali concilio celebrari, & velut hæc à tua sanctitate fuerint inchoata, eo quòd fouere semper studeas, roborauimus præsumentes, dum nouerimus, quia quicquid rectitudinis à filijs fit, ad patres recurrit, facientes hoc proprium sibi. Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filijs (quòd decet) adimpleat. Sic enim & pij principes complacebunt, qui tanquam legem tuæ sanctitatis iudicium firmauerunt, & Constantinopolitana sedes suscipiet præmium, quę omne semper studium vobis ad causam pietatis expleuit, & semetipsam vobis ad concordiam eodem zelo coniunxit. Vt autem cognoscatis, quia nihil alicui donãdo per gratiam fecimus, aut per inimicitias aduersando, sed (quippe nutu gubernati diuino) omnem vobis gestorum vim insinuauimus, ad comprobationem nostræ synceritatis, & ad eorũ quæ à nobis gesta sunt, firmitatem & consonantiam. Scripsi pridiè Kalend. Aprilis, feria tertia, indictione 13.

EPISTOLA SANCTISSIMI ET BEATISsimi atque Apostolici, Dei gratia per omnia pleni Leonis Papæ, omnia gesta sanctæ Chalcedonens. synodi confirmantis, & sola illa infringentis, quæ per ambitionem Constantinopolitanorum gesta sunt contra Nicæni statuta concilij. Quæ quidem epistola respondet ad relationem sanctæ synodi suprascriptam.

OMNEM quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitionem sanctæ synodi, &c. *Hæc epistola inter Leonis Epistolas est 59.*

SACRA MARTIANI IMPERAtoris contra hæreticos.

Expetunt confirmationẽ Decretuam, Chalcedonenses Patres, à Leone Papa.

IMPERATOR *Martianus Augustus, Palladio præfecto prætorij.* Licet iam * iamq; sacratissima constitutione mansuetudinis meæ cautum ac definitum sit, quæ in eos scueritas exercenda sit, qui Eutychetis vel Apollinaris hæreticam peruersitatem secuti, à religione & fide Catholica deuiarunt: Alexandrinæ tamen vrbis ciues atque habitatores tantis sunt Apollinaris infecti venenis, vt necessarium fuerit ea, quæ antè sanximus, repetita nunc etiam lege decernere. Oportet enim, vt sit numerosa scueritas sanctionum, vbi est licẽtia crebra culparum. Custodiendæ prætereà orthodoxæ fidei cura, tanto à serenitate mea adhiberi impensior debet, quanto res humanas diuinæ præcedunt. Quicunque ergo vel in hac sacra vrbe, vel in Alexãdrina ciuitate, vel in omni Ægyptiaca diœcesi, diuersisq; alijs prouincijs Eutychetis profanam peruersitatem sequuntur, & ita non credunt, vt trecenti decem & octo sancti patres tradiderunt, Catholicam fidem in Niceena ciuitate fundantes, centum quoque & quinquaginta alij venerabiles episcop. qui in hac alma vrbe Constantinopolitana posteà conuenerunt, & sicut Athanasius & Theophilus & Cyrillus sanctæ recordationis episcopi Alexandrinæ ciuitatis crediderunt, quos etiam Ephesina synodus (cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Nestorij error expulsus est) in vniuersis secuta est, quos & nuper venerabilis Chalcedonensis synodus est secuta, prioribus Concilijs sacerdotum ex omni prorsus parte consentiens, nihilq; adimens sacrosancto symbolo, neque adijciens, sed Eutychetis dogmata funesta condemnans, sciant se esse hæreticos Apollinaristas: Apollinaris enim facinorosissimam sectam Eutyches & Dioscorus mente sacrilega sunt secuti. Ideoque omnes hi, qui Apollinaris vel Eutychetis peruersitatem sequuntur, illis pœnis, quæ diuorum retro principum constitutionibus cõtra Apollinaristas, vel serenitatis nostræ sanctione postmodũ contra Eutychianistas, vel hac ipsa augustissima lege contra eosdem decreta sunt, nouerint se esse plectendos. Idcirco Apollinaristæ, hoc est, Eutychianistæ, quibus etsi est in appellatione diuersitas, est tamen in hæresis prauitate coniunctio: & dispar quidem nomen, sed idem sacrilegium, siue in hac alma vrbe, diuersisque prouincijs, siue in Alexandrina ciuitate seu in Ægyptiaca diœcesi sunt, neq; ita credunt, vt prædicti venerabiles patres credebant, neque viro reuerendissimo Alexandrinæ vr-

* etiam

L. Quæcunq; C. de hæreticis & Manichæis.

Videlicet anno Domini 383. Improbauit hoc Decretum Papa: Vide Leonis Epistolã 51. ad Anatolium 52. ad Martianũ Imp. 53. ad Pulcheriã Vide quæ nouatim Tomo 1. pag. 733. 354.

bis an-

bis antistiti Proterio fidem orthodoxam tenenti communicant, secundum sacratissimas diuorum retro principum constitutiones, quæ de Apollinaristis promulgatæ sunt, non habeant potestatem faciendi testamenti, & condendæ vltimæ voluntatis, neque id capiant, quod ipsis ex testamento cuiusquam fuerit derelictum, nihil etiam ex donatione aliqua consequantur: sed si quid in ipsos vel liberalitate viuētis, vel morientis fuerit voluntate collatum, id fisco nostro protinus addicatur. Ipsi verò in nullos aliquid ex facultatibus suis donationis titulo & iure transfundant. Episcopos quoq; vel presbyteros, aliosque clericos illis creare & habere non liceat, scientibus tam Eutychianistas vel Appollinaristas, qui ausi fuerint cuiquam, episcopi vel presbyteri vel clerici nomen imponere, quàm hos, qui conati fuerint impositum sibi nomen sacerdotale retinere, pœnam exilij & facultatū suarum amissionem subituros. Eos verò qui ante hac Catholicarum Ecclesiarum clerici, vel orthodoxæ fidei monachi fuerint, & relicto vero & orthodoxo omnipotentis Dei cultu, Apollinaris vel Eutychetis hæresim & dogmata abominanda sectati sunt, vel postea sectabuntur, omnibus pœnis, quę vel hac, vel prioribus legibus aduersus hæreticos constitutæ sunt, iubemus teneri, & extra ipsum quoq; Romani Imperij solum pelli, sicut de Manichæis precedentium legū statuta sanxerunt. Vniuersi præterea Apollinaristę vel Eutychianistæ, non Ecclesias, non monasteria sibi construant, parasynaxes & conuenticula tam diurna quàm nocturna, non contrahant, neq; ad domum, neque ad possessionem cuiusquam, neque ad monasterium, neq; ad quemcunque alterius locum operatores sectę funestissimæ congregentur. Quod si fecerint, & hoc factum fuisse Domino volente constiterit, post rem in examine iudicis approbatam, domus vel possessio in quam conuenerint, fisco sine dilatione societur: monasterium verò, cius ciuitatis orthodoxæ Ecclesiæ, in cuius territorio est, iubemus addici. Si verò ignorāte domino, sciente verò, qui pēsiones domus exigit, vel conductore, vel procuratore, vel actore prædij parasynaxes, & conuenticula interdicta collegerint: conductor, vel procurator, siue actor, vel quicunque eos in domum vel in possessionem, vel monasterium receperint, ac passi fuerint illicitas parasynaxes, conuentusq; celebrare, si vilis & abiectæ conditionis sint, fustib. publicè, & in pœnam suam, & in aliorum coerceantur exemplum: Si honestæ verò personæ sunt, decem libras auri mulctæ nomine, fisco nostro cogantur inferre. Nullum præterea Apollinaristā vel Eutychianistam, ad aliquam iubemus adspirare militiam, nisi * cohortalinam vel limitaneam. Si qui verò extra prædictam militiam inuenti fuerint militare, soluto cingulo, honestorum hominū & palatij communione priuentur. Nec in aliqua quam in qua nati sunt, ciuitate vel vico ac regione, versentur. Si qui verò in hac alma vrbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu, quam omni per prouincias metropolitana ciuitate pellantur. Nulli insuper Eutychianistæ vel Apollinaristæ, publicè vel priuatim aduocandi cætus, & circulos contrahendi, & hæretico more disputandi, ac peruersitatem facinorosi dogmatis asserendi, sit facultas. Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonens. Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere atq; emittere, aut aliorum super eadem rescripta proferre: nemo huiusmodi habere libros & sacrilega scriptorū audeat monimenta seruare. Quòd si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. Eos verò, qui discendi studio audierint de infausta hæresi disputantes, decem librarum auri, quę fisco nostro inferendę sunt, iubemus subire dispendiū. Omnes verò huiuscemodi chartæ ac libri, qui funestum Eutychetis, hoc est, Apollinaris, fuerint dogma complexi, incendio concrementur. vt facinorosæ peruersitatis vestigia ipsa flammis combusta depereant. Æquum namque est, vt immanissima sacrilegia par pœnæ magnitudo percellat, Palladij pater charissime, atque amantissime. Illustris igitur & magnifica authoritas tua, quæ hac sacratissima cōstitutione decreuimus, in hac alma vrbe, diuersisq; prouincijs, ac præcipuè in Alexandrina ciuitate, & per vniuersam Ægyptiacam diœcesim, edictis ex more propositis, ad omnium notitiam faciat peruenire, vt cuncta, quam statuimus, in eos, qui rei fuerint deprehensi, seueritas protinus exerceatur: scientibus moderatorib. prouinciarum, eorumq; apparitoribus, defensoribus etiam ciuitatum, quòd si ea, quæ legis huius religiosissima sanctione custodiēda decreuimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari, denarum librarum auri mulctam fisco nostro cogentur inferre, insuper etiam existimationis suæ periculum sustinebunt. Ea quoque, quæ de Paganis per omne Romanum Imperium æqualiter valitura perennitatis nostræ lege decreuimus, instantissimè in eos exerceantur, quos constiterit, prophanos ritus ac simulacrorum impios cultus, & interdicta sibi sacrilegia, celebrare. Data sub die Kalend. Augusti, Constantinopoli, diuo Valentiniano octauo, & Anthemio viris clarissimis consulibus.

EXEMPLAR EPISTOLAE PASCHASINI & aliorum, de damnatione Dioscori Alexandrini quondam Episcopi.

PASCHASINVS Episcopus Lilybitenus, & Lucentius episcopus Esculanus, & Bonifacius presbyter Ecclesiæ maximæ vrbis Romæ, vicarij sanctissimi ac beatissimi Papę Leonis, Apostolicæ sedis antistitis, pronunciauerunt manifestaruntque, quod Dioscorus Alexandrinæ vrbis antistes, contra Canonum disciplinam, regulasque Ecclesiasticas illicita præsumptione commisit, sicut præteritorum gestorum seu præsens declarauit assertio. Is namque (vt plura relinquamus) Eutychen consortem perfidiæ suę, à proprio episcopo sanctę recordationis Flauiano iure damnatū, in gratiam cōmunionis, antequam cum ijs, qui congregati fuerant in Ephesina vrbe, episcopis resideret, recepisse cognoscitur: sed illis quidem sedes Apostolica veniam tribuit, quia cōtra votum gessisse, quę patrata sunt, approbantur, ita vt nunc vsque adhęreant & beatissimo Papæ, & vniuersali sanctoque Concilio, qua de re Sacrosanctæ communionis consequuti sunt medicinam. Prædictus verò, qui malorum perseuerantia ornari se æstimat, cùm debeat summissa fronte vsque ad terram cum gemitu (vt conuenit) inclinari, quoniam nec beatissimi Papæ epistolam legi permisit, ad venerandæ memoriæ Flauianum Christi antistitem scriptam: quippe cùm ab his petitus, vt legi fineret, sacramenti satisfactione, quod promiserat, implere contempsit, quatenus praui dogmatis augeretur impietas, & occasio læsionis vel scandali cunctis generaretur Ecclesijs: patratis tamen his, voluimus his sceleribus indulgere, & veniam, quàm cæteris episcopis præstitimus, dignanter impendere, cùm nec similem iudicandi reperiantur habuisse fiduciam. * Adiecit etiam accusatorum supplicatio varijs referta criminibus, quòd tertiò euocatus per reuerendissimos fratres & coepiscopos nostros, ad monitionem canonicam venire contempsit, conscientiæ detentus arcano. Episcopos etiam è prouinciali synodo, cui subdebantur, iure dānatos, iniqua vsurpatione contra redamnationis sententiam reuocauit, veterum patrum sępius statuta conculcans. Vnde sanctissimus ac beatissimus Papa, caput vniuersalis Ecclesiæ Leo, per nos, vt legatos suos, sancta synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum, & petra fidei, & cælestis regni ianitor nuncupatur, episcopali eum dignitate nudauit, & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem: quare super his congregata venerabilis synodus, canonicam contra prædictum Dioscorum proferat, iustitia suadente, sententiam.

Anno Domini 455.

Leo caput vniuersalis Ecclesiæ.

Finit exemplar Epistolæ.

NARRATIONIS ORDO DE PRAVITATE Dioscori Alexandrini.

POSTQVAM Dioscorus Alexandrinus episcopus, qui pro facti sui qualitate, id est, quia consenserat Eutycheti hæretico, & damnauit Flauianum episcopum Catholicum Constantinopolitanum; apud Chalcedonam, tam à principe sanctæ memoriæ Martiano, quam ab aulicis potestatibus, vel à cuncta synodo damnatus est, Proterius Catholicus sit sacerdos. Tunc Timotheus presbyter, cui cognomen erat Ælurus, & Petrus diaconus, sectatores Dioscori, ab Alexandrina Ecclesia se separarunt. Quos cùm Proterius episcopus ad ministerium proprium reuocare non posset, vtrunque damnauit. Mortuo principe Martiano, collectis turbis hęreticorum, Timotheus & Petrus veniunt Alexandriam, & ordinatur ab hę-

Liberatus in Breuiario, & Nicephorus lib. 15. hist. capite 16.

reticis

reticis Timotheus episcopus. Duo igitur apud Alexandriam episcopi cæperunt esse. Ante triduũ paschale, quo cœna Domini celebratur, conductis ab his perditis, occiditur in Ecclesia sanctæ memorię Proterius, ad quam se timore contulerat, ibiq́ue sacrosancto die in baptisterio occiditur, laniatur, eijcitur, & funus incenditur, cinerescq́; ipsius exparguntur in ventos. Interea Leo sumit imperium, ad quem tanti facinoris rumor Catholicorum querela peruenit. Contra quos hæretici supplicarunt, petentes, vt Chalcedonensis Synodus aboleretur. E contra illis vindictam sceleris postulantibus, considerans Imperator, nimis esse graue, vexari tanto itinere sacerdotes, quorum aut ætas, aut infirmitas, aut paupertas hunc laborem subire prohibebat: dirigit per totum Orientem magistrianos, dirigit & Anatolius episcopus Asclepiadem diaconum suum, per quos omnes illi episcopi, qui Chalcedonæ fuerant cõgregati, quid Alexandriæ gestum sit, agnoscerent. Qui rescribunt, Chalcedonens. Synodum vsque ad sanguinem defendendam esse, quia non alteram fidem teneret, quàm Synodus Nicæna constituit. Timotheum verò non solùm inter episcopos non haberi, sed etiã Christiana appellatione priuari. Quo facto, fit alter Timotheus Episcopus Alexandriæ. Vix ille Timotheus depellitur, & mittitur in exilium Gangram: fugit & Petrus hæreticus, & quàm diu vixit Imperator Leo, Timotheus episcopus Alexandriæ vixit quietè. Sed cùm Basiliscus occupasset imperium, damnare cœpit Chalcedonens. Synodum, & fugare Catholicos. Tunc ille Timotheus damnatus, accepta libertate, Constantinopolim venit, & damnatos hæreticos locis suis reddidit, vadit Alexandriam: fugit Timotheus Catholicus, & in monasterio latuit. Petrus ille iterum se Timotheo iunxit, cum quo fuerat antè damnatus. Redit Zeno Imperator ad regnum, Basiliscus opprimitur, mittitur Alexandriã, vt pulso peruersore Timotheo, Timotheus Catholicus redderetur Ecclesiæ. Sed illo Timotheo damnato, morte præuento, Petrus ab vno hæretico Alexandrinus episcopus ordinatur: quem nihilominus deijci iussit Imperator, & reduci Timotheum Catholicum, sicut etiam Acacij literis continetur. Interea scribit ad sanctæ memoriæ Papam Simplicium Timotheus Catholicus, rogans, & dicens Petrum olim in diaconio esse damnatum, nunc etiam à Christiana societate remotum, vt scriberet Imperatori, vt eundem Petrum lõgius in exilio dirigeret, quia latebat in Alexandrina ciuitate, & insidiabatur Ecclesiæ per fermè triennium & amplius. Sanctæ memoriæ Papa Simplicius nunquam destitit scribere Acacio episcopo, vt fieret de Petro, quod Timotheus episcopus postulabat. Defuncto Timotheo episcopo, à Catholicis Ioannes Catholicus episcopus ordinatur. Mittit Ioannes episcopus Synodicam suam. Superuenit etiam quidam contra Ioannem episcopum, Sacra Principis deferendo, vt ab episcopij illius Papa se confirmatione suspenderet. Et quia in ijsdem Sacris de restituendo Petro, quem ipse damnauerat, fecerat mẽtionem, hæc pars omnino est abnegata. Vnde visus est Imperator offensus. Addidit etiam Acacius illo tempore, quo de Petro Alexandrino damnato retulit, etiam de Petro & Ioanne Antiocheno sic scribit, Petrum apud Constantinopolim monasterium gubernasse: sed hoc propter crimina derelicto, Antiochiam fugisse. Ibi pulso Martyrio Catholico episcopo, per vilissimum populum & hæreticos, sedem ipsius occupasse, continuoque damnatum, ab episcopio, atque à Leone Imperatore * Oosam deportatum. Qui fugiens, rediisse dicitur Constantinopolim, & dedisse fidem, vt pulsis vlterius turbis, nil facere auderet. Sed (sicut superius dictum est) Basiliscitemporibus à Timotheo illo damnato, qui Constãtinopolim venerat ad Antiochiam remissus est, vt iterum illic episcopatum teneret. Quo facto, idem ipse Petrus Ioannem de (de quo Acacium diximus retulisse) ordinat Apamenis episcopum: à quibus non receptus, redit Antiochiam, & Petrum episcopatus sui pellit authorem, & inuadit eius Ecclesiam. Quos simul damnatos iterum eijcit Acacius, petens Apostolicam sedem, vt si ad eandem fortè confugerent, ne ipso quidem digni haberent adspectu: & si iam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere, nec eorum pœnitentiam recipiendam esse. Quid multa? Hunc ipsum Ioannem, quem Acacius cum Petro damnauerat, & sine pœnitentiæ remedio fecit ab Apostolica sede damnari, post tot damnationes, Tyriorum milit Ecclesiæ præsidere. Nam quod dicit Acacius, Petrum illum Alexandrinum, oblata petitione, Eutychianam hæresim vel Nestorianam damnasse, hoc euidenter probatur esse falsissimum. Nam quæ causa fecit, vt in episcopatu suo, synodo Chalcedonens. vel tomo sanctæ memoriæ Papæ Leonis diceret anathema? Quæ causa fecit, vt sublato nomine Proterij vel Timothei Catholici, Dioscori & Timothei hæretici nomina adscriberet? Quæ causa fecit, si Catholicus erat, vt Timothei Catholici episcopi corpus de sub terra leuaret, qui inter episcopos Catholicos sepultus fuerat, & proijceret foras? Ipse non est Petrus, qui damnato Timotheo hæretico semper adhæsit? Quomodò postea Acacius miris eum laudibus prosequitur, de quo tanta se crimina ante meminerat retulisse?

Simplicius Papa.

Hæc paulò aliter habentur apud Nicephorũ li. 15. c. 28. * Oasin

Incipit fides Romanorum.

CRedimus in vnum Deum patrem omnipotentem, & in vnigenitum filium eius Iesum Christum, Dominum & saluatorem nostrum, & in spiritum sanctum, Deum: non tres deos, patrem & filium & spiritum sanctum, sed vnum Deum esse confitemur. Non sic vnum Deum, quasi solitarium: nec eundem, qui ipse sibi pater sit, ipse filius, sed patrem verum, qui genuit filium verum, id est, Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno, non creatum, sed genitum, non ex nihilo, sed ex patre, vnius substantiæ cum patre. Spiritum verò sanctum, Deum: non ingenitum, neque genitum: non creatum, sed nec factum, sed patris & filij, semper in patre & filio æternum veneramur, vnum tamen Deum, qui ex vno.

ATTICVS EPISCOPVS, QVALter formata epistola fiat.

GRAECA elementa literarum, numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur, hoc à patribus trecentis decem & octo Nicææ congregatis saluberrimè inuentum est & constitutum, vt formatæ epistolæ hãc calculationis seu supputationis habeant rationem, id est, vt assumãtur in supputationem prima Græca elemẽta patris & filij & spiritussancti, hoc est, α, υ, ω. Quæ elementa & octogenarium & quadringentesimum, & primum significant numerum. Petri quoq; Apostoli prima litera, i. π. Quæ numerum octoginta significat. Eius quoque qui scripsit epistolam, prima litera: cui scribitur, secunda litera: accipientis, tertia litera: ciuitatis quoque, de qua scribitur, quarta: & indictionis (quęcunque est) temporis idem qui fuit, numerus assumatur: atq; ita his omnibus Græcis literis, quæ (vt diximus) numeros exprimunt, in vnum ductis, vnam, quæcunque fuerit collecta, summam epistola teneat, hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expresè, addat prætereà seperatim in epistola nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat. Valete in Domino.

Apud Gratianum extant exempla duo literarum formatarum ad hanc normam dict. 73.

Exemplar hoc Chalcedonensis concilij desumptum est ex bibliotheca monasterij fratrum Ordinis Crucigerorum in ciuitate Aquens. Anno namque Domini 1468. in Aquen. transitu, reuerendissimus dominus Petrus Ferrici, legatus Romanus in causa Leodiens. postea Cardinalis describi exemplar disposuit ex vetustissimo codice, eidem monasterio à quodam Aquen. decano, dono dato, quod plurium iudicio, scriptum, non ita longè post huius Chalcedonen. concilij tempora, præsumuntur. Tantæ quidem vetustatis fuit, vt nisi cum difficultate legeretur, & vnus dumtaxat in Colonien. ciuitate describere præsumeret. Est verò iam postremò locis non paucis emendatum, idque partim exemplari ab Gulielmo Sirleto viro doctissimo & lectissimo Cardinale correcto, ad fidem veterum exemplarium, Latini manuscripti, & Græci bibliothecæ Vaticanæ.

Finis Concilij Chalcedonens.

INCIPIVNT

SACRÆ EPISTOLÆ VENERANDAE MEMORIAE MARTIANI IMPERAT.

ET PVLCHERIAE AVGVSTAE, SIMUL & Iuuenalis sanctissimi Episcopi Hierosolymorum, tam Alexandrinis, quàm cunctis Hierosolymitanis Monachis, de Statutis sancti Chalcedonensis Concilij.

EXEMPLAR EPISTOLAE

Scriptæ ab Imperatore Martiano Alexandrinis, per Ioannem Decurionem.

IN nullo quolibet modo delinquere, proprium est Dei omnium, dominique cunctorum: sapientium autem virorum est, quando, dum sint homines, est eis impossibile non peccare, vt dum peccauerint, repentè pœnitentiam agant, vt pœnitendo vitia corrigant. Nam permanere in peccatis, & in eis exerceri, & festinare malo malum accumulare, omnino malignum & valdè vesanum est. Quod aliquos Alexandriam, eiq; loca vrbi vicina habitantes reuerendissimos monachos passos esse cognouimus, & credentes non per simplicitatis modum hoc eos pertulisse, diuinis literis vti sumus declarantibus orthodoxam nostram fidem. Et quia sancta Catholicaque synodus, quæ Chalcedone facta est, circa Apostolicam fidem nihil penitus innouauit: sed per omnia Athanasij & Theophili & Cyrilli, reuerendæ memoriæ Alexandrinorum pontificum secuta doctrinam, damnauit quidem Eutychis blasphemiam, nihil aliud quàm Apollinaris doctrinam impia sapientem. Abscidit autem & impietatem Nestorij, & venerabile symbolum trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui in Nicæa conuenerunt, integrum per omnia custodiuit, neque * immutatione, neque adiectione vexatum. Et credit quidem nostra tranquillitas, sanctas literas nostras, necnon & præcepta proposita dudum in Alexandrinorum magna ciuitate, sufficere ad persuasionem eorum, qui nescio quomodò adhuc dubitant, eo quòd nihil innouatum sit à sancto Catholicoq; Concilio, & quatenus nullus decæterò dubitaret, huius rei gratia relinquatur: neque enim quemlibet ita simpliciorem esse credimus, vt legens tantas doctrinas, sic clarè pronunciantes fidem orthodoxam, hactenus in ipso errore permaneat. Si verò fortasse sint aliqui, quod non credimus, insitam nobis clementiam non sequentes, volumus iterum eis per has sacratissimas literas nostras certissimè satisfieri: quia sanctorum & venerabilium patrum doctrinas sequens sanctissima Catholicaque synodus, cuncta disposuit, & Eutychis quidem peremit impietatem: quem Dioscorus est secutus, & alij quidam: qui libros Apollinaris non dubitauerunt plebi dispergere, vocabula sanctorum patrum eis attitulantes, quatenus ad plenum simplicium mentes sua falsitate deciperent. Confirmauit autem trecentorum decem & octo sanctorum patrum in Nicæa conuenientium venerabile symbolum, nihil nec auferens, nec adijcijens: secundum quod baptizata nostra tranquillitas, ab ætate adolescentiæ sapit, & vt in eo consistat exoptat, credens Dominum nostrum & saluatorem Christum filium Dei vnigenitum, coæternum & consubstantialem patri, propter nos & propter nostram salutem humanatum, natum ex spiritu sancto & Maria virgine Dei genitrice, & esse Deum & hominem verè eundem, non alium & alium, absit hoc, sed vnum eundemque, nullo modo partitum aut separatum, aut conuertibilem. Eos autem, qui dicunt, aut aliquando duos filios, aut duas personas, etiam nos tanquam Dei inimicos abominamur & anathematizamus: Hæc igitur & nunc agnoscentes, si qui forsitan estis adhuc falsitate decepti, ad veritatem recurrere festinate: nefandis vosmetipsos & canonibus contrarijs collectionibus abstinentes, ne super hoc, quòd animas vestras perditis, etiam legali castigationi subdamini: vnite verò vos omnes sanctissimæ & Catholicæ orthodoxorum Ecclesiæ, quæ vna est, sicut & venerabiles diffinitiones patrum nos docent. Hoc enim agentes, animam quidem vestram saluti donabitis, Deo verò cunctorum, quæ sunt placita, facietis, sed * etiam nostræ tranquillitati commendantes, eius cura fruemini. Propterea siquidem & Ioannem virum delicet Decurionem eligentes misimus, qui certissimè valeat ea, quæ de fide sunt, explanare. Nam & sanctorum episcoporum vniuersali Catholicorum concilio interfuit, & vniuersa, quæ gesta sunt, clarè nouit, vt per omnia satisfactione suscepta, hi, qui (quod non credimus) adhuc dubitant, tandem aliquando ad veram & immaculatam fidem remeare festinent.

*imminutione.

Fraus vetus hæreticorum hæreticos libros, sanctis patribus aferibentium.

* for. & vos ipsos nostræ

EXEMPLAR EPISTOLAE SANCITAE A Martiano sacratissimo Imperatore ad archimandritas monachos, & reliquos habitantes in Helia, & circa eam.

AGNOSCENS nostra maiestas preces, quas ad sacratissimam, pijssimamque dominam nostræ tranquillitatis coniugem direxistis, rebus ipsis mihi persuasum est, * quomodò non supplicationes misistis, sed sub schemate precum, impiam, & Dei legibus, Romanæq; reip. contrariam existentem, vestram demonstrastis intentionem. Nam cùm oportuerit vos quietì vacare, & esse sub sacerdotibus, eorumque doctrinis obedire, doctorum potius ordinem audacia vehementi adsumere præsumpsistis, qui neque à rectè docentibus docere patimini, & vobilipsis stultè persuadetis, quia cunctos oporteat circa apertæ fidei scientiam vos potius sequi, quam sanctorum, Apostolorum, prophetarumq; volumina, & sanctæ memoriæ patrib. mandata contradita. Et quasi priorum minora delinquere vos putastis, si falsis doctrinis vestras præsumptiones obumbrare volétes, nihil veritatis in vestris precibus diceretis, asserentes neque incendiorum, neque homicidiorum, neq; aliarum incongruarum rerum esse vos authores, aut monasteria, sed & incolas ciuitatis, & quosdam peregrinos memoratarum rerum originem extitisse. Sed nihil horum, quæ testata sunt, nostram latuit pietatem: quando, vt monimentorum gestis, & singulorum relationibus nobis apertum est, * quomodò & Heliorum ciuitas à vobis, velut hostibus capta sit, qui habitare in monasterijs, * & eiusmodi locis obseruare debuistis. Insuper & venerãdæ memoriæ diaconi commissa cædes, & quia illius corpus post necem etiam communi sepultura priuatum, insensibiliter tractum subdebatur iniurijs. Quomodò etiam domus incensę, & portę clausæ sint ciuitatis, & quasi legibus proprijs ciuitatis custodiebatis muros, & carcere violenter aperto, malorũ præsumptoribus remissio pœnarum, & periculosæ fugæ præbebatur occasio. Proficientibus autem ad peiora, postremis minora fuisse præcedentia demõstrantes, Iuuenalem sanctissimum, & alios reuerendissimos sacerdotes, per quendam ad hoc destinatum interficere voluistis. Cùm verò is, qui missus fuerat, fuisset ipse sua deceptus, sine effectu suam vesaniam, & eorum, à quibus missus fuerat, esse non sinens, Seuerinum sanctæ memoriæ episcopum gladio percutiens, neque his, qui erant cum eo, pepercit. Hæc ergo & his peiora delicta, & quomodò præsumpta, & quibus agentibus aut inuitantibus acta sint, manifestant ea, quæ frequenter in diuersis iudicijs propriè demonstrata, & sacratissimis nostris auribus intimata sunt, certissimum indicium vestræ voluntatis habentia, quam promptè ad delinquendum decederetis, non Dei fidem iudicare vel fouere volentes, sed vestras petulantias & sacerdotia defendentes, quorum vos ostendistis omnimodis alienos, dum in perditionem ciuitatum habetis studium. Nostra siquidem pietas admiratur, qua causa Eutychen equidem

* quòd

Vide Nicephor. li. 15. cap. 9. Eccles. Hist.

* quòd & in

Monachorum seditiosorum scelera.

anathema-

Hic Theodosios, harum turbarum dux fuit.

anathematizatis, benè tamen facientes, Theodosio verò, qui peior est omnium, vos ipsos, contradidistis, sapienti ea, quæ sunt Eutychis, qui circa Valentini & Apollinaris contra orthodoxam fidem habens zeli vesaniam, sanctissimas quidem conturbat Ecclesias, ciuitatibus verò subuersionis importabilis & vexationis existit occasio: sed etiam vobis factus est nefandarum & iniquarum causarum princeps. Et impietatis quidē suæ delictorumq; pœnas dignissimas dabit omniū Domino & saluatori Christo, aduersus quem rei excitantes originem, non eum patietur sacra potestas, sine supplicio finire ea, quæ in eius fidem blasphemi, & in sanctas Ecclesias, & in sanctos viros miserandè peremptos, nefandè commissa sunt. Nostra quidem tranquillitas nihil tale fieri contra monachos imperauit, sed vt tantummodò Heliorum sedaretur ciuitas, quatenus de cæterò quies eius ab omnibus seruaretur: Vestra verò procacitas * mandatorū contraria monachorum agens, bellum aduersum communem quietem adsumpsit: & multitudinem congregans latronum, & aliorum iniquè agere solitorum, armaque contra legitimè viuentes commouens, causa cædis & deuastationis, aliarumque crudelium rerum, prouinciæ habitatoribus fuit. Vnde mota quidem maiestas nostra, vt indignaretur rerum talium commissoribus, insita clementia superata est, vt quatenus cædis & incendiorum replicet: etiam aduersus vos iustum esset, vt nostra indignatio proueniret, relinquentes quidem monasteria, quibus vos semper obseruare mandata præcipiunt: præsumentes autem & illa, quæ vltimo supplicio digna consistant. Quia verò etiam docere potius quam discere præsumitis, diuina nescientes eloquia, apertè præcipientia, quia non est discipulus super magistrum suum. Quas doctrinas saluatoris animarum nostrarum, aut sanctissimorum Apostolorum & patrum secuti estis? Non enim, licet proprias sequentes impietates, dicere præsumitis, quia per cædem aliaque delicta, quæ vos egistis, sanctorum eruditio procedebat. Proinde duas naturas audientes, perturbatas vestras animas fuisse docuistis, veluti quadam nouitate auribus vestris illata. Quapropter scitote, quia vobis quidem harum rerum examinationem facere non congruit, dum subtilitatem huius rei intelligere nequitis. Nos autem patrum suscipiētes doctrinas, natura intelligimus veritatem. Hoc enim quod sapimus, simul & dicimus: quia Dominꝰ noster Iesus Christus, Deus verè & homo verè est idem. Sicut & sanctissimus Apostolus Paulus veram naturam intelligens, in epistola ad Galatas clarè docet, ita dicens: Sed tunc quidem nescientes seruiuistis eis, qui natura non sunt dij, hoc est, ignorantes verè Deum, eis, qui verè non sunt dij. Ex his palam significans, quia natura veritas est. Sed dicitis, quia de naturis in fidei symbolo nihil continetur, à trecentis decem & octo patribus sanctis expositio. Non enim quędam ob hoc tunc quæstio mota, neque nunc aliqua nouitas aduersus eam fidem excogitata est, sed sanctorū patrum, qui in orthodoxa fide claruerunt, firmata præcepta sunt. Vos ergo qui dicitis, nō oportet naturarum rationes exquiri, vos hoc facere comperimini, apertè in supplicationib. à vobis directis, naturarum memoriam facientes, atque dicentes, Quomodò pariet virgo, & manet virgo? Et quomodo generat per naturam eum, qui super naturam est? Quomodò autem factum est, quomodò separari potest? Factum verò est, non natura mutatum, neque diuinitate conuersum. Videte siquidem, quomodo naturæ vbiquè memoriam facitis, qui propter ipsum nomen naturę turbamini. Et vndiquè vobis ipsis calumniandi ea, quæ à sancta synodo pro fide vera firmata sunt, occasionem exquiritis, etiam in hac parte peccantes, quia mentientes adseritis, eo quòd diffinitum sit dici debere duos filios, & duos Christos, quod ita nō est. Nos enim hoc abdicantes anathematizamus eos, qui hoc scripserūt aut dixerūt, aut dicere fortè præsumunt. Nostra namque tranquillitas symbolum trecentorum decem & octo patrum tempore iam precedente secuta est, & in futuro: credo Dominum nostrum saluatorē Iesum Christum, ex spiritu sancto & Maria virgine, Dei genitrice natum, atque profiteor. Orthodoxam namque fidem sicut accepimus, seruare in perpetuum festinamus. Quemadmodum etiam sancta synodus nuper in Chalcedonensium ciuitate celebrata, credens docet, symbolumq; confirmans, & consona sapiens ipsis sanctis patribus Ephesioque Concilio, cuius Cælestinus & Cyrillus reuerendæ memoriæ præsules fuerunt, errorem Nestorij condemnantes. Igitur nostra clementia nulli penitus necessitatē præcepit imponi, quatenus aut subscribat, aut consentiat, si noluerit. Non enim terrore aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis. Diuersō autem vos super ea, quæ dudum præsumpsistis gladijs, alijsque crudelitatibus, insuper & iniurijs & tormentis in mulieribus honestis & nobilib. perpetratis, etiam necessitatem plurimis non dubitastis inferre, vt consentirent quidem peruersis doctrinis, & cum clamoribus atq; subscriptionibus anathematizarent eandem sanctam synodum, & sanctissimum Patriarcham sedis Apostolicę maximæ Romæ Leonem, & sanctissimos patres, pro quibus ausibus necessariè reddituri estis omnium Deo & Domino rationem, in cuiꝰ iniuriam, si dici fas est, talia facere præsumpsistis, opprobrium & irrisio scelestis paganis & hæreticis iustissimè constituti, quibus estis exemplum confusionis effecti. Quia verò & Samaritas accusastis, tāquam ipsi aduersus sanctas Ecclesias crudelia & nefanda cōmiserint, & cædis partem & alia simul incōgrua fuerint meditati: cognoscite quia sanciuimus, vt inquisitione subtilissima subsecuta, per virum spectabilem Comitem Dorotheum ea quidem, quæ direpta sunt, sanctis Dei Ecclesijs, & eis, qui perdiderunt, restituantur. Illi autem, qui harum rerum inueniuntur authores, legitimè vltioni subiaceant: nihilq; vobis in eorum defensione commune sit, quos oportet agnoscentes, quomodò credat nostra potētia, & à nostra pietate pariter inuitatos, à sancta & orthodoxa fide nullatenus deuiare, sed obseruare potius monasterijs, & ad profectum meliorem orationibus vacare; & consona paternis mandatis semper efficere, nullamq; turbam omnino celebrare. Sed neque his, quę ad perditionem animarum à prauis doctoribus proferuntur, incautè consentientes, ab orthodoxa fide & Dei vos separetis Ecclesijs. Collectas verò canonibus contrarias nequaquam facere præsumatis, scientes ea, quæ dudum sancita sunt à diuæ memoriæ priorum temporum principibus, qui sanctam Catholicamq; religionem conroborantes, maximis supplicijs extraneas collectas præsumentes facere subditis sanxerunt. Nos autem priorum vos pœnitentiam habere credentes, clementiam nullatenus negauimus, multis vtique precibus vtente sanctissimo Iuuenale, per quas nos exorauit hæc ad vos scripta transmitti. Agnoscentes autem diuersorum precibus, quia à militib. custodire iussis Heliorum ciuitatem, multitudine caballorum atq; virorum vestra monasteria cōturbantur, etiam in hoc indignati, Dorotheum virum spectabilem Comitem ab hac ea molestia liberare sanciuimus, licet nec antea iniuriam fieri monasterijs, aut vestra refugia sustinere præciperemus angustias.

Quas pœnas in hæreticos constituerit idem Martianus vide sub finē synodi Chalcedonensis.

Hęreticorum conuenticula nō ferenda.

Aelia Pulcheria sacratissima & pijssima, pp. Augg. Archimandritis & reliquis monachis in Helia & circa eam habitantibus.

PRECES equidem, quas ad nostram dixistis pietatem, indicium vestri erroris ostendunt. Sacratissimus autem & mansuetissimus Imperator, nostræ tranquillitatis cōiunx, & nostra serenitas pietatem omnibus rebus præponere iudicauimus, & clementiam insitam nobis amplectimur. Quæ autem eius pietas, vestras supplicationes agnoscens, vobis scripserit, literæ diuinitatis eius ostendunt, quas vobis multis precibus Iuuenalis sanctissimi episcopi, eius exorata tranquillitas destinauit. Nostra verò serenitas culpat equidem ea, quæ dudum à vobis aduersus venerabilem religionem communemque disciplinam præsumpta sunt, agentibus illa, quæ videntur præceptionibus monachorum valde contraria. Monet autem diuinis syllabis, vt licet tarde, tamen ad meliora respicientes, omnem vestrarum animarum abijciatis errorem, & veritatem fidei cognoscatis, quam à progenitoribus suscipiens nostra pietas, tempore vniuersō conseruat, sicut etiam tradiderunt sanctæ memoriæ trecenti decem & octo venerabiles patres, sine contradictione credens, & Nestorij impietate expulsa ab Ephesino sancto Concilio, cui Cœlestinus & Cyrillus reuerendæ memoriæ præsidebant, tanquam inimicam Dei iustissimè respuit Eutychis resultatione contra rectam doctrinam: & qui Valentini & Apollinaris

aduersus fidem orthodoxam dogmatibus eruditus, religionem veram studuit conturbare, odio necessariè simul habet: sequitur autem sanctum concilium, quod nuper Chalcedone congregatum est, quando interpretatione consona, trecentorum decem & octo patrum symbolum confirmauit, & credit Dominum nostrum & saluatorem Iesum Christum ex spiritu sancto & Maria virgine natum, erudita intelligere naturam esse veritatem, & Dominum nostrum Iesum Christum Deum verè & hominem, verè eundem. Sic enim & sanctissimus Paulus apostolus docet in epistola ad Galatas, his verbis loquens: Sed tunc quidem nescientes Deum, seruistis natura non existentibus dijs: hoc est, nescientes eum, qui verè Deus est, his, qui verè Dij non sunt, seruistis. His itaque verbis clarè nos docet naturam dicere veritatem. Frustrà verò vestras animas falsa percussit opinio, quia sancta Chalcedonensis synodus congregata docuerit, aut tranquillitas nostra crediderit duos filios, aut duos Christos per duas naturas intelligendos: sed non ita veritas habet. Nos enim abdicantes hoc anathematizamus eos, qui hoc dixerunt, aut scripserunt, aut dicere fortè præsumunt. Nostra namque potestas vnum eundemque filium Iesum Christum Deum perfectum, & hominem perfectum, eundem nullo modò diuisum, saluatorem Christum confitetur, semperque in ea fide optamus inconcussè persistere. Agnoscentes igitur simplicitatem veritatemque nostræ fidei, quam custodire studemus secundùm sanctorum patrum veram traditionem, scientes etiam orthodoxam fidem & clementissimam intentionem tranquillissimi rerum Domini & pietatis meæ iugalis, & rebus ipsis credentes, per quas solùm pietatem respiciens, eos, qui sic peccare præsumpserunt, digna castigari vltione præcipiet, in futuro tempore honore, nostrisque beneficijs cumulari sperantes, decæterò cunctam dubitationem ab animabus vestris auferte, & in vestris monasterijs perdurantes & solitariam vitam reuerenter adeuntes à recta fide & vnitate ecclesiarum vos nolite seiungere, ne (quod non sperat nostra clementia) tanquam veritatis impugnatoribus, nomen adscribatur hæreticos. Scitote siquidem, quia tranquillitas eius, diuinis literis ad Dorotheum vestrum comitem destinatis, iussit subtilissimam inquisitionem fieri de subreptione rerum, quæ à Samaritis dicitur esse præsumpta, quæcunque direpta monstrãtur, à sanctissimis ecclesiis, & qui eas perdiderunt, ab eis reddi sanciuit, vtque raptarum rerum authores pœnas debeant legitimas sustinere. Monasteria verò & habitacula vestra, importunitate militum, eiusdem viri solicitudine, libera & sine molestia conseruari præcipit. Credit enim nobiscum eius tranquillitas, quia per hanc prouidentiam atque exhortationem, & priorum vos actuum pœnitebit, vt catholicæ Ecclesię concordi fidei positis vniri in pace & vnanimitate, orthodoxa religione seruata. Et alia manu, Deus vos custodiat multis annis reuerendissimi.

Rescriptum synodicarum literarum Iuuenalis sanctissimi episcopi Hierosolymorum, ad reuerendos presbyteros & archimandritas, & reliquos monachos Palestinæ prouinciæ sub eius diœcesi constitutos.

Galat. 4.

Matth. 16.

Exod. 20.

Psal. 110.

CVm summus & primus apostolorum Petrus dixisset: *Tu es Christus filius Dei viui*, Dominus intulit, dicens: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Super hanc confessionem roborata est Ecclesia Dei, & fidem, quam nobis sancti tradiderunt apostoli, hanc Ecclesia custodiuit & custodiet vsque ad finem mundi. Quam & sanctum quoque magnumque & vniuersale concilium Nicænum trecentorum decem & octo sanctorum patrum, exposuit, quamque sanctum quoque magnumque & vniuersale concilium nuper congregatum Chalcedonæ secutum est: huic neque adijci, neque subtrahi potest. Calumniatores autem & transgredientes mandatum Dei, quod præcipit, *Non falsum testimonium dices aduersus proximum tuũ, conuenit auersari.* Nam si rex Dauid propheta dicebat: *Eum, qui derogabat occultè aduersus proximum suum, hunc persequebar: superbo oculo & auaro corde, cum eo non edebam cibum*: quanto magis nos debemus auersari eos, qui falsum testimonium dicunt aduersus tantos sanctissimos patres, magis autem aduersus cunctum terrarum orbem? Vestra itaque reuerentia fidem, quam suscepit, teneat. Gratia enim Christi hæc & apostolis data, & à patribus est sanctis exposita, hæc etiam nunc valet, & vsque ad finem mundi vigebit. Quomodò Galatis scribens, dicebat Apostolus: *Si quis vobis euangelizauerit præter quod accepistis, anathema sit.* Galat. 1.

DEVS autem etiam errantes suæ coniungat Ecclesiæ, qui per prophetam dicit: *Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Ezech. 18. & 33. Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum, in Domino valere vos opto. Irenæus Episcopus Cæsareæ, in Domino valere vos opto. Paulus episcopus Parali, in Domino valere vos opto. Et consequenter trium Palæstinarum episcopi subscripserunt.

Incipiunt epistolæ diuæ memoriæ Leonis Imperatoris ad diuersos metropolitanos episcopos totius Orientis & Occidentis, de statutis Chalcedonensis concilij, & de Timothei parricidæ nefandissima præsumptione: simul & rescriptum omnium sanctissimorum episcoporum ad eundem principem, quod memoratus Augustus postmodùm in Sicilia voluit memorari.

Hic Leo, Martiano successit A. D. 457. & imperauit. An. 17.

POST terminum in Chalcedona gestorum, & allocutione facta à pijssimis Imperatoribus Martiano & Pulcheria, necnon & Iuuenale sanctissimo episcopo, ad monachos qui Hierosolymam conturbabant, quorum exemplaria sunt prępositа, quidam in stultitiam peruenerunt, vt ita piam sacerdotum multorumque virorum hanc synodum atque sententiam non dubitarent accusationi subijcere, & dogmatum repugnantium sanctionibus, quæ Nicææ à sanctis patribus statuta sunt, matrem vocare. Erat itaque qui talia diuulgabat, & diffinitiones omnium molestè ferebat, Alexandrinæ populus ciuitatis, naturaliter ad iras immensasque turbas acutus, & multitudo simul Palæstinæ, quæ non cum subtilitate dogmatum, monachicam elegerat vitam, & quicunque alij diuersis modis cum illis, circa rectitudinem fidei claudicabant. Martiano autem sacratissimæ memoriæ, qui Chalcedonæ conuentum collegit episcoporum, religiosa vita in imperio terminata, ad Leonem quidem Christianissimum, Dei voluntate imperialis principatus gubernacula transierunt. Illi autem, qui vniuersalem synodum respuebant, credentes se habere licentiam agendi quæ vellent, turbarum repentè cogitauerunt vias. Et alij quidem venientes ad Constantini regiam ciuitatem, infringi imperiali iussione ea, quæ Chalcedonæ benè sunt statuta, poscebant: multi verò Alexandrinæ populi ciuitatis Proterium, qui tunc gubernabat Ecclesias, iracundè & odiosè ferebant, culpantes eum, quia Dioscori pridem sacerdotis, adiudicato quidem illo & dignitate proiecto, & extra terminos elegere condemnato, ipse pontificatum eius sedis acceperat: propter hæc itaque contra eum omnes populi impetu vesano irrationabiliter vtentes, comprehenderunt quidem eum refugientem ad septa sacri baptismatis, crudeli verò & feroci morte perimentes eum, quendam Timotheum pro eo sine iudicio in eius constituerunt sedem, nullum Ecclesiasticæ legis ordinem obseruantes, honoratum pridem presbyterij dignitate, sed qui probatus fuerat communis fidei nequaquam consentire decretis, & propterea sententia Proterij ab Ecclesia videbatur expulsus. Hanc igitur sic inordinatam & indispositam non ferentes iniuram sacerdotes, qui in Ægypto rectè sapiebant, ad Imperatoris auxilium, quod solum relictum fuerat, concurrerunt, & supplicationes porrigentes, patrum venerabiles sanctiones conculcatas ab Alexandrinis indisciplinationibus debere non despici, supplicabant. Contigit autem, vt eodem tempore Imperatorem adirent etiam, qui synodi dogmatibus derogarent, & non eam habere rectè, scripta accusatione quererentur. Has autem preces vtriusque rei suscipiens fidelissimus Imperator, & gubernatus à Christo, velocem simul & irreprehensibilem examinationem causæ huius effecit. Et colligere quidem rursus ex omni terra sacerdotes abnuit, tanquam labo-

Vide Nicephо. Eccles. Histor. lib. 15. cap. 16.

Proterius episcopus immanissimè trucidatur.

Nicephorus scribit li. 15. c. 16 supra mille fuisse hos episcopos.

riosum & tumultuosum: & quod non mediocrem vexationem ecclesijs potuisset adferre: sed literas ad vniuscuiusque prouinciæ ciuitatisque pontifices scribens, & in his, quæ fuerant ei ab vtraque parte ablata, coniungens, singulos voluntatem propriam rescribere apertè præcepit, vtrùm ea quæ apud Chalcedonam synodicè definita sunt, eis placerent, & Timothei pontificatum tanquam incompetenter factum reprehenderent: An illum quidem susciperent, & inter sacerdotes haberent, & quæ verò synodi erant, nequaquam confirmarent aut saperent. Et hæc quidem inscriptis pijssimè & clementissimè constitutis, proprijs literis imperauit. Illi verò sacerdotes voluntatem suam singulatim, vt eis placere videbatur, Imperatori, & magnæ Constantinopolis præsuli epistolis proprijs iudicauerunt. Quæ epistolæ omnes cum integritate veraci ipsis sermonibus in græco positæ, & in latinitatem translatæ per dispositionem libri huius propter legentium veram notitiam, consequenter, & sicut ordo habet, pandentur.

EXEMPLAR EPISTOLAE LEONIS Imperatoris primi ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum.

Hoc modo scriptum est & alijs metropolitanis episcopis.

EDITIO PRIMA.

Hæ literæ Imperatoris vocantur ab alijs circulares

IMPERATOR Cæsar Leo pijssimus victor, & triumphator maximus, semper Augustus Anatolio regiæ ciuitatis episcopo. Votum quidem meæ pietatis fuit, vniuersas orthodoxorum sanctas ecclesias, necnon & ciuitates sub Romano imperio constitutas, maxima frui quiete, nihilque contingere, quod posset earum statum, tranquillitatemque turbare. Qualia verò in Alexandrinorum ciuitate nuper euenerint, iam quidem nosse tuam credimus sanctitatem. Vt tamen perfectiùs cuncta cognoscas, quæ causa tanti tumultus confusionisque fuerit, exemplaria precum, quas reuerendissimi episcopi & clerici à prædicta ciuitate & Ægyptiaca diœcesi ad regiam Constantinopolim venientes, contra Timotheum meæ clementiæ porrexerunt, necnon & exemplaria precum, quas hi, qui in sacratissimum nostrum expeditum pro Timotheo ab Alexandrina ciuitate venientes, obtulerunt nostræ tranquillitati, tuæ sanctitati direximus, quatenus quod actum est de prædicto Timotheo, quem Alexandrinorum populus, & honorati & curiales, & naucleri episcopum sibi petunt, alijsque negocijs, quæ ipsarum precum continet textus: ad hæc autem & de Chalcedonensi concilio, cui nullo modo consentiunt, clarè possit agnoscere. Tua siquidem reuerentia omnes orthodoxos episcopos, qui in præsenti in hac vrbe regia commorantur, necnon & reuerendissimos clericos ad se repentè faciat conuenire, & diligenter omnia pertractantes atque discutientes, quoniam Alexandrinorum ciuitas perturbata est, pro cuius disciplina & quiete maxima solicitudo nobis existit, aut de prædicto Timotheo, aut de Chalcedonensi concilio, quid in commune sapitis sine quolibet humano terrore, & absq; gratia cuiuscunq; vel odio, solummodo omnipotentis Dei timorem vestris oculis proponentes, (quoniam sicut nostis, de tali causa intemeratæ diuinitati rationem eritis sine dubio reddituri) cum omni celeritate meâ facite cognoscere pietatem, vt ex omnibus vestris literis hæc integrè cognoscentes, formam congruam dare possimus, quatenus Aegyptica diœcesis & Alexandrinorum ciuitas, pro cuius quiete nos præ omnibus conuenit cogitare, tranquillitate sanctarum ecclesiarum & disciplina & inconcussa pace potiatur.

Huic subiectæ sunt & sequentes preces, directæ vniuersis metropolitanis episcopis.

EPISTOLA AEGYPTIORVM EPISCOporum & cleri Alexandrini ad Leonem Augustum. Pijssimo, & Christianissimo, & diuinitus electo victori, triumphatori, semper Augusto Leoni.

OBlatæ preces ab vniuersis episcopis vestræ Ægyptiacæ diœcesis & clericis sanctissimæ ecclesiæ vestræ maximæ ciuitatis Alexandrinæ. A superna gratia modò diuinitus condonatus, iustè non cessas pro communi vtilitate cogitare, post Deum cunctorum venerabilis Imperator. Quapropter etiam omnis fortitudo verborum tuis vincitur actibus quibus diuinitas exoratur: & verba quidem ad hæc eis necessaria non sunt, quibus opera facere noscuntur indicium. Nuper enim electus à Deo, & purpura exornatus, optimum iudicasti

EPISTOLA LEONIS IMPERAtoris 1. ex 18. capite libri xv. Historiæ Ecclesiasticæ Nicephori

EDITIO SECVNDA.

Hęc ex Nicephoro huc adscripsimus ob commodiorē versionem.

IMPERATOR Cæsar Leo, pius, victor, triumphator, maximus, semper colendus Augustus Anatolio episcopo. In votis quidem pietatis meæ fuit, vt vniuersæ orthodoxæ rectęque sentientes & sanctissimæ ecclesiæ, nec non vrbes sub Imperio Romano omnes, quiete altissima fruerentur, neque quicquam, quod statum illarum & tranquillitatem turbare posset, intercederet. Quid autem nuper admodum apud Alexandrinos acciderit, sanctitatem tuam iam nosse credimus. Vt verò plenius de rebus omnibus, & quæ causa tanti tumultus & confusionis extiterit, certior fias, exempla precum, quas religiosissimi episcopi & clerici ex Alexandriæ vrbe & diœcesi Aegyptia, aduersus Timotheum in vrbe Constantinopolitana pietati meæ obtulere, atque itidem supplicum libellorum exempla, quos à Timotheo internuncij eius Alexandria aduenientes serenitati nostræ in comitatu nostro dederunt, ad pietatem tuam misimus, vt quid actum sit ab eo, quem diximus, Timotheo, quem sibi populus Alexandrinus, & qui ibi magistratus gerunt, ciuesque, & naucleri, seu nauium gubernatores, episcopum petunt, & alijs quoque de rebus, quas supplicationum complectitur contextus: ad hæc de Synodo Chalcedonensi, cui nequaquam assentiuntur, quemadmodum libelli adiuncti ostendunt, clarius sanctitas tua cognoscere possit. Itaque pietas tua orthodoxos omnes & sanctos episcopos, qui nunc in vrbe hac imperante degunt, & religiosissimos clericos confestim ad se conuocet, & rebus omnibus cum cura & fide tractatis atque deliberatis, quandoquidem hoc tempore Alexandrina ciuitas turbulenta, & status eius tranquillitatasque nobis maximè curæ est, nobis sententiam suam de Timotheo ipso, & Concilio Chalcedonen. timore humano omni, gratia etiam & odio semoto, solùm omnipotentis Dei metum ob oculos ponens, significet. (Scitis namque vos omnes de negocio tanto immaculatæ diuinitati rationem esse reddituros) vt in eo de re omni literis vestris abundè edocti, congruentem & debitam sententiam ferre possimus.

Imperator ab episcopis vult doceri, quid in religionis negocio statuendū sit.

propositum tuum magnum ostendere, quem ipse omnium creator elegit, benignis initijs largitorem remunerando bonorum, quādo repentè in ipso principio, voce vestra ex scripto procedente pijssima ad sanctissimos metropolitanos episcopos, inerumpibilem Ecclesiæ catholicæ crepidinem roborastis, & priorum omnium pijssimorumque principum constituta, pro orthodoxa religione firmastis. Insuper & ea, quæ nuper à sanctæ & beatæ memoriæ Martiano principe nostro sancita sunt, consona decernentes, nihil aliud estis mercati, quam pacem omnium & stabilitatem reipublicæ frenantes, linguas eorum, qui aduersus ecclesias Christianas consurgunt, & blasphemant Deum, aut in eum quocunque modo delinquunt. Iniuria namque Dei manifesta est, hæreticorum abscindentium semetipsos à recta fide licentia. Quapropter hanc optimè sciens venerabilis imperator maligni prolem

existere,

exiſtere, inſidiantis quieti ſanctarum Chriſti ſemper eccleſiarũ, earumq; immutilatã pacem conſiſtere non ſinentes, rectè prouidentiã tuã ſtuduiſti mox adhibere ei per omnia reſiſtentem: quod eſt opus pijſſimorũ principũ, pro orthodoxa fide pugnantiũ & reſiſtentiũ primitus malis extrinſecus venientibus, & animabus fidelium aduerſantibus. Hũc igitur animum te poſſidente religioſum & tutorẽ humani generis, tantumq; circa Chriſtum ſtudium demonſtrantem adimus & nos, importabilia mala paſſi, licèt peccatores, Chriſti pontifices, quæ neque ſermonibus ſufficimus præſentare, nec lugere dignè valemus. Quemadmodum autem noſtra ſit geſta calamitas, enarramus. Catholica ſiquidem intemerata & apoſtolica fide in Nicæa à ſanctis tunc trecentis decem & octo patribus poſita, & vbiquè firmata, & apud omnes verbum veritatis rectè prædicantes habita, quam etiam vnaquæq; per tempora orthodoxorum epiſcoporum, ad peremptionem quidem ſæpius exortarum contra rectam fidem vanarum quæſtionum, cuſtodiam verò rectè conſidentium patrum firmauit atque roborauit. Simili quoque modo & Chalcedone ſanctum & vniuerſale concilium congregatum dudum ſub pio ſanctæ memoriæ principe Martiano hanc inuiolatam incontaminatamq; ſeruauit, abſcindens quidem zizaniæ peſtem, à quibuſdam rectis ſuperſeminatam dogmatibus, confirmans autem venerabilis Nicenæ fidei (ſicut diximus) ſymbolum ſalutare, & fingens ineuerſibiles terminos ſuper eum, ſicut gratia ſpiritus ſancti dictabat: formamq; conſtituit, per quam omnem adiectionem, omnem imminutionem aduerſus confeſſionem rectam penitùs abnegauit. Quapropter & noſtro Ægyptio concilio neceſſariè cum archiepiſcopo noſtro ſanctæ memoriæ Proterio, indubitanter ei conſentiente, & ea ſapienter & vnanimiter cum vniuerſis totius orbis Chriſti ſacerdotibus, & præ omnibus ſummis ſanctis epiſcopis, id eſt, Romano Leone, regiæ Conſtantinopolis Anatolio, & Antiocheno Baſilio, & Iuuenali Hieroſolymorum, & omnibus orthodoxis epiſcopis: laborantibus nobis ſecundùm ſanctum Apoſtolum pro euangelicæ fidei firmitate, & in Chriſto ſapientibus cum noſtris eccleſijs & ciuitatibus, & incommutata pace orthodoxi populi apud nos, & apud Alexandriam cõſiſtente, excepto Timotheo, qui ſemetipſum ab eccleſiæ catholicæ fide diſrupit pariter & abſcidit, mox poſt ſanctum Chalcedonenſe Concilium, dum tunc dignitate presbyterij fungeretur, cum quatuor aut quinque ſolis epiſcopis & paucis monachis, hæretica Apollinaris & eius ſimilium ſecta languentibus, propter quam damnati tunc regulariter à ſanctæ memoriæ Proterio, & omni Ægyptiaco concilio, etiam imperiali nutu dignè exilium ſunt experti. Hunc Timotheum malignus inuenit arma ſuæ machinationis aptiſſima, quem nouimus quidem boni cuiuslibet extorrem, diabolicæ verò mentis ſolummodò inſtrumentum opportunum exiſtere. Qui dudum inhians in epiſcopatum Alexandrinæ maximæ ciuit. ſicut rei euentus oſtendit, appetens quod eum oportebat effugiſſe, ſi tamen ſaperet, benè præponens ſchema, quod vitare ſe primitus dolose fingebat, inſidiatusque tranſitum ſanctæ memoriæ principis Martiani, quo migrauit ad Deũ, blaſphemis vocibus impudenter aduerſus eum inſurgens, & ſanctum & vniuerſale Chalcedonenſe concilium anathematizans inuerecundè, & vulgus populi ſeditioſorum & vilium congregans, eumque contra ſanctas regulas, eccleſiaſticam diſciplinam, & communem rempublicã legesque coarmans, irruit in eccleſiam ſanctam Dei, habentem paſtorem atque doctorem ſanctiſſimum noſtrum tunc patrem, archiepiſcopumque Proterium, & collectas ſolitas celebrantem, & orationes fundentem omnium noſtrum ſaluatori Chriſto pro veſtræ pietatis imperio, & Chriſtianiſſimo veſtro palatio, congregatis in ipſa ciuitate magnificentiſſimis iudicibus, & curia, & plebe fideli, omniq; clero ſimul & monachis. Hoc itaque malo procedente, & vix adhuc facta die, dum in epiſcopio ſecundum conſuetudinem degeret Deo amabilis Proterius, adſumens ſecum Timotheus iuſtè condemnatos duos epiſcopos, & clericos ſimiliter, qui (ſicut diximus) in exilio fuerant habitare damnati, tanquàm manus impoſitionem ſuſcepturus à duobus, nullo penitus orthodoxorum epiſcoporum ex diœceſi Ægyptiaca præſente, vt moris eſt in talibus Alexandrinorum epiſcoporum ordinationibus intereſſe, vt credit, adeptus eſt pontificatus ſedem, adulterium apertè præſumens in eccleſia, proprium ſponſum habente, & agentem in ea diuina myſteria, & ſedem propriam regulariter exornantem. Ille optimus odibilem Deo, & vndique periculoſam differri non ſinens actionem, cum rabie quadam * incontemnibili repente ſemetipſum inthronizauit, legem & ordinem eccleſiaſticum, irrationabilem iram populi permixti eſſe confidens, & neque regulas patrum, non legem imperialem, aut ſanctiones eccleſiaſticas, non ordinem, non poteſtatem imperialem, non iudicialem ſeueritatem mẽte percipiens, mox ordinationes effecit epiſcoporũ ſimul & clericorum, epiſcopus ſine impoſitione munus exiſtens. Sed neque priorem habens presbyteratus ordinem, baptiſma fecit: & omnes operationes, quæ ei nullatenus agere competebant, exercuit. His ita audaciter & nefandè per eum quotidiè procedentibus, poſt aliquot dies dum alibi degeret, magnificus & glorioſiſſimus Dux Dionyſius ciuitati adfuit laboranti, & egit quatenus peſtifer Eccleſiæ crudeliſſimꝰ tyrãnꝰ, etiã ab ipſa ciuitate recederet. Quo facto, eccleſiæ & ciuitati cõmunem vtilitatem cõſuluit. Sic ergò decurſis paucis diebus, dum cõmotio & irrationabilis ira pro Timotheo meditaretur ab aliquibus cõtra ſanctę memorię Proterium, nihil aliud erat, quod faceret ille beatæ memoriæ, quã vt locum daret irę, ſecundum quod ſcriptum eſt, vt ad ſacrum Baptiſterium ſe conferret, inuaſionem fugiens contra ſuam concurrentium necem: In quo ſcilicet loco, & Barbaris & cunctis ferocibus hominibus timor fuit, etiam neſcientibus loci culturam, & exindè gratiam emanantem. Tamen hi verò qui ab initio intentionem Timothei ad effectum perducere feſtinabant, neq; in illis intemeratis locis eum ſaluari volentes, neq; cultum loci mentuentes, nec tempus, cũ eſſet ſalutaris Paſchæ feſtiuitas, nec ipſum ſacerdotium paueſcentes, quod eſt mediatio Dei & hominum: percuſſerunt inculpabilem virũ, eumque crudeliter occiderunt, etiam cum alijs ſex, & circunducentes eius vbique cadauer vulneratum, crudeliterque trahentes per omnia penè ciuitatis loca inſenſibile corpus plagis ſine miſericordia verberabant, diuidentes membratim eum, & neque interiora more canum guſtare parcentes illius viri, quem nuper habere ſe mediatorem Dei & hominum putauerunt, tradenteſque reliquum eius corpus igni, etiam deſpergebant eius cineres in ventos, ferocitatem beſtiarum omnium tranſcendentes. Horum ſiquidem omnium author fuit & ſapiens (ſi Deo placet) architectus Timotheus: primò ſiquidem adulter, poſteà etiã homicida, penè manibus proprijs hoc nefas efficiens: & propterea condemnandus, quando agenti, qui iubet malum fieri, in ſupplicio proximus eſt. Adiecit etiã his malis ſine timore peiora, dum iniquè contra regulas operatur. Hactenus agit ſacra myſteria, qui neque laicorum cõmunionem habere ſanctis canonibus poteſt: & gubernat quidem authoritate ſua ſanctam Alexandrinorum eccleſiam, res autẽ eius, vt viſum fuerit ei, malè deuaſtat, & habentes alimẽta pauperes ab eccleſia, eius ſolatio priuat omnimodis, alijs hæc ſceleratiſſimis expendendo. Et apertè quidem epiſcopos cõdemnatos quatuor aut quinque, contrarios orthodoxæ fidei, ſicut diximus, exiſtentes, alios quidem ſecum habet, alios verò per ciuitates mittit, vt in eis epiſcopos orthodoxos perſequãtur: ſed & alios ordinare non ceſſat. Eos autẽ, qui regulariter conſiſtunt, velut communicatores ſancti & vniuerſalis concilij, & ſanctæ memoriæ Proterij, anathematizauit, & ſic expulit omnem ſanctiſſimum vbis Alexandriæ clerum communicantem ſimiliter generali concilio, & ſanctæ memoriæ Proterio archiepiſcopo: ſed etiam clericos, qui in noſtris eccleſijs & à nobis ſunt ordinati, omnes velut hæreticos, anathematizando verè monſtrauit. Orthodoxos verò ſenes, & ſanctæ memorię Theophilum, Alexandrinorum ciuitatis epiſcopum, & ſanctę memoriæ Cyrillum, & beatæ memoriæ Proterium, omnes antiquitus ordinatos, & vt diximus, anathematizauit, & à ſacerdotio cuncto prohibuit. Addidit autem iſtis malis etiam hoc, quòd ex venerabilibus diptychis abſtulit quidem ſanctæ memoriæ Proterij vocabulum: poſuit verò ſuũ nomen, & Dioſcori ab vniuerſali concilio condemnati, cuius nec ordinationes ſuſcepit. Sic vndique velut ebrius eſſe varia calliditate conuincitur, & per ſingulas ciuitates & venerabilia monaſteria præcipit, vt nullus communionem ſuſcipiat, aut ab epiſcopis aut clericis, qui communicatores ſunt aut fuerunt ſancti & vniuerſalis Chalcedonenſis concilij, & memoriæ venerandæ Proterij, nec putet clericos, qui à nobis ſunt ordinati. Sed pro

for. incom prehẽſibili

Nota hęre ticorũ audaciã & impudẽtiam

Roma. 12.

Crudeliſſima Proterij cædes.

Roma. 1.

Timothei Aeluri impia quædã facinora.

illis iubet alios introduci tam quos ipse ordinat, quam quos alios facere iubet. Hinc igitur cunctas Ægyptiacæ diœcesis sanctas ecclesias obtinente caligine atque mœrore, eisque confusione rerum in eis sic existentium cumulatis coacti sumus, contemnentes salubritatem propriam, multo itineris labore suscepto, de ciuitatibus nostris exire, & leporibus atque ranis formidolosiorem agere vitam, propter calumnias à Timotheo eique concordantibus contra nos singulos meditatas, & tanquàm ad sereniſſimum & influctuabilem portum, id est, ad vestræ tranquillitatis vestigia conuolare, deferentes consacerdotes nostros, in quibusdam latentes locis, propter insidias ab his factas, nec valentes nobiscum longa itinera properare, expectantesque per nos vestræ pietatis auxilia, & vnam eandemque nobiscum simul cum Alexandrinis omnibus clericis habentes fidem. Quia verò sic aperta sunt, quæ quotidiè à Timotheo præsumuntur, vt neque conuictionibus aut laboribus egeant ad probandum, quandò eius superbia manifestata est, & contra regulas patrum & contra sanctiones ecclesiarum, contraque ipsam rempublicam, contra omne cingulum & potestatem: præsumimus autem dicere apertè, etiam contra vestræ pietatis imperium, supplicamus & deprecamur vestram Christianissimam potestatem, vt orthodoxam & intemeratam fidem & integrè vbique seruatam, & indubitabiliter consistentem, nulloque nostrorum circa eam discrepante, sed, sicut diximus concordantibus nobis, cum omnibus totius orbis sacerdotibus, non patiamini tyrannidem rectitudinem fidei sustinere, sed vindicare potiùs sanctas patrum regulas & ordinem ecclesiasticum, ciuilemque disciplinam, & sanctorum magnorumque conciliorum, diuersis temporibus pro orthodoxæ fidei vigore celebratorum iniuriam: & scribere dignamini sanctissimo Romanæ ciuitatis archiepiscopo, quatenus hæc ei à vestra tranquillitate nota fiant: necnon & Antiocheno, & Hierosolymitano, & Thessalonicensium vrbis episcopo, & Ephesio, alijsque quibus visum vestræ fuerit potestati, (Nam archiepiscopo huius regiæ ciuitatis Anatolio declarata est nostris libellis huiusmodi causa) vt eorum sanctitas certissimè cognoscens, mala quæ prouenerunt contra orthodoxorum ecclesias & episcopos per Timotheum vestræ pietati renunciet, quid in tantis malefactis sanctorum patrum regulis sit decretum. Et tunc sanciat quidem vestra potentia, vt qui ita vastauit ecclesiasticas sanctiones ab Alexandrinorum ecclesia sancta recedat, cui præfederat tyrannico modo, & non legitima dispositione tentauit atque perfecit, tantarumque præsumptionum pœnæ subiaceat. Deinde iubeat, sicut sanctæ patrum regulæ præcipiunt, & antiqua consuetudo tradit, Ægyptiacæ diœcesis omnem synodum orthodoxam & communicatricem totius orbis episcoporum quempiam sanctæ vitæ eligere dignum sacerdotio virum, & communicatorem vniuersalis concilij, & vestræ pariter pietatis, & qui sedi sancti Marci euangelistæ irreprehensibilis esse videatur, quique possit vita Alexandrinorum populum in sanctitate atque iustitia gubernare, nosque valeat velut propria membra defendere, & sit ad satisfaciendum idoneus verbo simul & doctrina, secundùm Apostolum, vt possit erudite resultantes, & ad veritatem cum satisfactione reducere. Si verò, quod non credimus, postquam secuta fuerint hæc, quæ poposcimus supplicantes, opus fuerit etiam synodo, non pro causa fidei, quia (sicut prædiximus) nullo modo dubitamus, sed propter Timothei nouitates & vanitates, & nefandos actus: neque hoc euitamus, neque segnes ad hoc erimus, sed potiùs confidentes accedimus: quia ipsa nostra iustitia defensionem nobis apportat, quando nobis nullum sermonem facientibus pro redargutione vel probatione eorum, ipsa quę ab illis iam contra sanctas regulas prauè commissa sunt, & hactenus perpetrantur, penè vocem suam aduersus eos emittunt, nec occultari possunt. Cumq; ipse cum suis instanter vsque ad præsens, impudenterque deroget & anathematizet summos archiepiscopos, id est, Romanum Leonem, & Constantinopolitanum Anatolium, & Basilium Antiochenum, cunctumque Chalcedonense concilium, omnesque totius orbis episcopos, & vndique orthodoxos clericos simul & laicos: hinc itaque vestram trâquillitatem suppliciter exoramus, quatenùs dum petitiones nostræ perueniant ad effectum, sancire iubeatis vestræ syllabis pietatis, Timotheum ab appetita vesania prohiberi: vt nec ordinationes aliquas tanquam episcopus faciat episcoporum, seu clericorum, aut quorumlibet aliorum, neque collectas debeat celebrare, aut quodlibet aliud episcopi opus efficere, vel contra nostras ciuitates, aut ecclesias, aduersus nos aliquid tentare vel innouare, quando absolutè cõtrarius apparuit & concilio, & catholicæ simul Ecclesiæ, sed neque vt res Alexandrinæ ecclesiæ, vt visum ei fuerit, dispergat, ne sicut malè putat, per pecunias suæ vtilitati prospiciat: sed vt concilio senioris cleri Alexandrinæ ciuitatis præter eos scilicet, qui ab ipso nunc sine iudicio, & contra regulas ordinati sunt, constituat, qui etiam dudum indicium diligentiæ fauoris sanctæ Ecclesiæ temporibus patrum præcedentium præbuerunt: quatenus & prouidere rebus ecclesiæ, & custodire eius redditus possit Domino, hæc forma à vestra pietate proferatur. Clericos verò vniuersos, honore dignos, & in reuerentia senescentes, qui ab eo sunt, sicut iam diximus, expulsi, sanciri præcipite sine calumnia ad suas ecclesias, in pace celebrantes pro vestra pietate solennes orationes, cum quiete seruari, vrbemque pariter & in ea sanctas ecclesias constitutas, ad Christi gloriam, & salutem, & perpetuitatem vestræ Christianissimæ pietatis: literas dirigentes pro his, quæ poscimus, ad magnificentissimum Dionysium ducem, necnon & ad singularum prouinciarum iudices: quatenus ea, quæ à vestra mansuetudine sunt sancita, & seruentur, & effectui contradantur.

Nestor episcopus ciuitatis Flagonitorum, his precibus subscripsi. Athanasius episcopus Toicenæ ciuitatis, similiter. Plusaminon episcopus Niciotorum ciuitatis, similiter. Theonas episcopus Vantenæ ciuitatis, similiter. Pœmen episcopus Elesmatis, similiter. Athanasius episcopus Thoitorum, similiter. Apollo episcopus Antithorum, similiter. Harpocras episcopus Gaueorum, similiter. Paulus episcopus *Thineos, similiter. Isaias episcopus ciuitatis *Naucratenus, similiter. Isaac episcopus Thineos, similiter. Petrus episcopus Scinorum Mandrorum, similiter. Maurion episcopus Cotenopolitanus, similiter. Maximus episcopus Gazulenus, similiter. Ammonius presbyt. Alexandrinus & œconomus, similiter. Timotheus presbyter & œconomus eiusdem ecclesiæ, similiter. Aaron presbyter, Macarius presbyter similiter. Theodorus diaconus, Proterius diaconus, similiter.

*Taneos
*Naucratenæ.

EPISTOLA EPISCOPORVM ÆGYPTIACÆ diœcesis, ad archiepiscopum Anatolium Constantinopolitanum.

Sanctissimo & Deo amantissimo archiepiscopo Constantinopolitanæ & catholicæ ecclesiæ Anatolio, episcopi Aegyptiacæ diœcesis. Sicut paterni pontificatus & successionis gubernacula retines, sic & illorum integritate imitaris zelum, & omnes quidem diuersis temporibus sæuientes exasperatos contra sacras regulas, & sanctam intemeratamque fidem, & hæreticos operarios, à sancta & venerabili ecclesia remouisti, liberamq; eã omni discordia & hæretico sensu monstrasti: quod etiã nunc credimus & à tua sanctitate fieri, & ab alijs sanctissimis archiepiscopis, qui eiusdem honoris sortiti sunt sedem, magis autem ab omnibus sanctissimis totius orbis archiepiscopis contra Timotheum: qui Alexandrinæ ecclesiæ pontificalem sedem sibi tyrannico abripuit modo, & contra eos, qui tantæ vesaniæ cooperatores existunt, eo quòd commune sit omnibus Christi pontificibus, bellum aduersus eos adsumere. Iam itaque preces offerentes pijssimo & Christianissimo nostro principi, licèt non omnia, quæ præsumpta sunt, valeremus edicere propter multitudinem iniquitatum ab eo factarum, contra sacras venerabilesque regulas, & aduersus ipsam rempublicam. Veruntamen vt virtutis nostræ veræ humilitatis fuit, hæc, tanquam in tabula depingentes, eius pietati narrauimus, poscentes auxilium præberi sanctis ecclesijs, in Ægypto constitutis, & correctionem vitijs, quæ commissa sunt, adhiberi. Nihilominus autem & tuam sanctitatem adimus per hos libellos & denuò suggerimus, quod, narrantes ore proprio dudum effecimus, quæ quidem præsumpta sint aduersus sanctas regulas à memorato Timotheo, quæ verò etiam contra sanctam immaculatamque fidem commissa sunt,

Titi 1.

quemad-

quemadmodum iura ab eo sint sacerdotij conculcata, & ad quantam derisionem Iudæis atque gentilibus, & alijs, qui non rectè circa orthodoxam Ecclesiam catholicamque consistunt, Christianorum sacramenta perduxerit: & quemadmodum ipsam rempublicã in peiorem statum mutauerit, qui sanctissimas quidem ecclesias in Ægypto positas, earumq; orthodoxos pastores, & cum disciplina Christi ouilia gubernantes, expulit ab ecclesijs cum sacerdotibus suis: venerabilia verò monasteria, & quæ olim fide orthodoxa claruerunt, iuuenum, virginumque subuertit, vt penè omnes Ægyptiacæ ecclesiæ, vnà cum monasterijs propter prædictas causas, & persecutiones à Timotheo factas, in calamitate sint positæ. Obscurè loquentes, ne credamur superflua quædam dicere veritati, sermoni nostro ponentes ordinem, conamur vt possumus breuiter ea, quæ aduersus nos, magis autem, quæ aduersus veritatem sunt facta, depromere. Igitur post turbam, quæ nuper facta est sanctis ecclesijs à quibusdam hæreticis, qui tũc clerici erant, & sanctissimæ Alexandrinorum ecclesiæ sedis pontificatum desiderabant, cùm in sancta pace consisterent Ægyptiacæ & Alexandrinæ sanctissimæ ecclesiæ, & concordarent omnes sancto vniuersali Chalcedonensi concilio, eo quòd consonet, nihilque mutatum habeat, neque augmentum, nec imminutionem obtineat à sancto concilio: quod certo tempore in Nicæa ciuitate à trecentis decem & octo sanctissimis episcopis celebratum est, præsumpta sunt, religiosissime pater contra Alexandrinam sanctissimam ecclesiam, quæ nec sermo, nec omne seculum quolibet tempore nouit effecta, sed neque tyrannorum quilibet tale malo sui capitis aliquandò tractauit. Quidam enim Timotheus Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, malignitate insignis existens, & sub figmento semper continentem ostendens vitam, & opportunum propriæ voluntatis cognomen habens furoris, illo tempore desiderio detentus in sedis Alexandrinæ pontificatu, & hoc non adipiscens, præcipuè dum sacerdotio fuisset deiectus sententia synodali Dioscorus, nihil mali reliquit, quo molitus non est contra sanctam ecclesiam, donec desiderium proprium adimpleret. Insidiatus ergò mortem, magis autem transitum ad cœlos pij & beatæ memoriæ imperatoris Martiani, & hunc quasi congruum sibi iudicauit, vt suam perficeret voluntatem, redimens quosdam monachos negligentes, qui in suburbanis habitare noscuntur, & semetipsos, sicut & ille, ex quo Chalcedonense sanctum & vniuersale concilium celebratum est, à communione generalis Ecclesiæ suspenderunt, turbisque gaudentibus semper adhuc superstite sanctæ memoriæ archiepiscopo nostro Proterio, & solennia atque decentia pontifice celebrante mysteria, & collectas sine aliqua seditione faciente nobiscum, & cum omni Alexandrino clero, & concurrente omni curia ad collectas, quæ ab eo celebrabantur pro communi salute, pro pijssimo atque Christianissimo principe nostro, & omni palatio & eius exercitu: misit in ciuitatem, vt turbam atque tumultus facerent, tanquam nouitas quædam, aut permutatio reipublicæ & orthodoxæ fidei facta fuerit, in transitu piæ memoriæ principis Martiani: tantamque commouit seditionem, totam vt vrbem complens simplicium virorum & seditiosis consentientium, & sine indicio talium voluntatibus consonantium, vt etiam nefarij clamores fierent, nullusque posset liberorum, & mansuetè viuentium illo die procedere. Deinde alia cõgregata est multitudo permixta atque redempta, eiusdem Timothei molitione collecta in maiorem Alexandrinæ ciuitatis ecclesiam, vnà cum prædictis monachis, & sumens duos episcopos consentientes sibi, & propterea sub indignatione factos Ecclesiæ à pontificali sede Alexaodrinæ ecclesiæ, nullamque communionem habentes cum sancta catholicaque Ecclesia, semetipsum inthronizauit, & quasi archiepiscopum demonstrauit, dum verè catholicus archiepiscopus cum omni clero in episcopio consisteret. Et repentè quidem accessit baptismata & ordinationes efficere diaconorum atque presbyterorum, necnon & episcoporum: & alia cœpit niti, quæcunque facere competunt vero pontifici. Et eos quidem, quos ordinauit, distribuit in Alexandrinas sanctas, Ægyptiacasque ecclesias: præcipiens omnes religiosissimos presbyteros ecclesiarum, atque diaconos à præcessoribus, transitum ad cælos habentibus, ordinatos, id est, à Theophilo, & Cyrillo, & Proterio, ab ecclesijs expelli, nullú *alterius sacerdotij ministeriũ habituros. Extendens autem suam vesaniam, & quasi incrementum suæ superbiæ & concupiscentiæ operatus, considerans quia non posset aliter studium suę intentionis efficere, nisi ab humanis rebus auferret, quod etiam fecit, eum qui regulariter iure archiepiscopus, & catholicæ pastor fuit ecclesiæ, sanctæ memoriæ Proterium, suadens aliquos, sicut rerum euentus ostendit, homicidas veros contrà insurgere, qui eum orantem in baptisterio peremerunt, & per omnem (vt ita dicamus, vrbem trahentes, & velut in pompa eius reliquias deducentes vndique vulneratas, & membratim incisas, non respuerunt etiam carnis eius & internorum viscera sancta gustare, ignique tradentes reliquum eius corpus, ventis etiam cinerem dispergebant, omnem bestiarum transcendentes ferocitatem. Non senectutẽ, non canos, non pontificatum, mediatorẽ Dei & hominum, non tempus erubescentes. Commiserũt enim homicidium tempore sancto Paschæ, quo etiam dæmones salutari passione perterriti conquiescunt. Rursum etiam augmentum malorum efficiens pes eos, qui cum eo dudum fuerunt, & quasi semetipsum in malis exercens, condemnatos quidem in scripto clericos & episcopos, in communionem susceptt, & ministrare præcepit sanctis & venerabilibus sacrificijs: sanctum verò & vniuersale Concilium Chalcedonæ celebratũ, quod nec augmentum, nec imminutionem, sicut prædiximus, habet à sancta Nicæna synodo, anathemati subdidit cum omnibus ei communicantibus: nullumque religiosorum episcoporum ex Ægypto, aut Alexandrinorum clericorum ei communicantium susceptt, nisi qui illi abrenunciare præsumunt, quod hactenus nemo fidelium fecit. Insuper omnes totius vrbis episcopos, eorumque venerabiles clericos anathematizans, parua siquidem hæc esse iudicans, & ad satietatem hæreticæ suæ vesaniæ non posse sufficere, etiam in venerabili diptycho (in quo piæ memoriæ transitum ad cœlos habentium episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundum sanctas regulas releguntur) posuit suum nomen & Dioscori, qui sub damnatione anathematis à Deo & vniuersali Concilio esse decretus est, & deleuit exindè sanctæ memoriæ, & secundum Deum viuentis Proterij nomen regulariter archiepiscopi constituti. At ne polluamus vltrà sermonem, dum ad singula eius volumus præsumptiones edicere, vsque ad ea, quæ dicta sunt, linguam præcurrentem refrenantes, aliquo modo reticuimus. Nolumus enim recordari, quemadmodum conatus est in sanctissimas Aegyptiacæ diœcesis ecclesias, in quibus Deo amantissimi, & orthodoxi episcopi constituti sunt, hæreticos episcopos destinare, & in venerabilibus monasterijs clericos, & quemadmodum concutiat virginum monasteria, conturbans eas, & terrorem eis suę tyrannidis imponeus, vel ad quantam vesaniam insiliuit, ita vt etiam pontificales sedes, in quibus resedit sanctæ memoriæ Proterius, postquàm fregit eas, igni contraderet, aqua marina venerabilia sanctaque altaria in sanctis ecclesijs, vbi ædificata sunt atque dicata, diluerit, ne audientes in incredulitatem fortè ducantur, aut certè rectæ fidei inimici lætentur: à quo & alia multa valdè præsumpta sunt, quæ narrari sermone non possunt. Quia verò terribilia sunt, & omnem vesaniã valdè transcendunt, quæ in talibus sanctissimis temporibus sunt ab eo commissa aduersus sanctam intemeratamq; fidem, & contra sanctas & venerabiles regulas, communemque disciplinam: magis autem contra sanctarum ecclesiarum statum & aduersus ipsam rempublicam eiusque leges hæc ferre minimè prævalentes, neque permittenda censentes, multam itineris fatigationem, marinaque pericula, & incertam vitam ipsius, nostrarumque ecclesiarum curas secundo loco ponentes: ad hanc regiam venimus ciuitatem, consacerdotes in occulto velut in persecutione tyrannica dimittentes, & preces pijssimo & Christianissimo principi, & tuæ sanctitati fundentes, atque poscentes, quatenùs misericordiam præbeatis statui communi, & saluti orthodoxæ plebis, ecclesiarum pariter vnitati: necnon & sanctorum & Deo amantissimorũ patrum nostrorum laboribus feratis auxilium, qui diuersis temporibus pericula sunt perpessi, multaque contra inimicos habuere certamina: quatenùs sancta & intemerata fides, immobiles & intentabilis possit ab omni hæretica sapientia custodiri, nostrosq; gemitus synodicis literis sanctissimo Ecclesiæ Romanæ

Euersa monasteria ab hæreticis.

Proterij immanis cædes.

Alexandrinorum rabies.

Diptychũ quid.

Nefarij conatus Timothei Aeluri.

*viterius

manæ pontifici Leoni, necnon & Antiocheno, & Hierosolymitano, atque Thessalonicensi, & Ephesino, Deo amantissimis episcopis, vel alijs, quibus fuerit visum, ecclesijs indicetis, (quoniam hoc delictum læsio est communis) vt omnes totius orbis episcopi cognoscentes ea, quæ præsumpta sunt à Timotheo, & quia nouitates exercuit contra sanctas regulas, & religionem orthodoxam, literis synodicis pijssimo & Christianissimo principi nostro, vestræque sanctitati secundùm venerabiles patrum regulas rescribentes, dignam formam, quæ in hoc placuerit, præbere non differant. Si verò prospexeritis oportere fieri vniuersale concilium pro salute fidelium populorum, & statu sanctarum ecclesiarum, vt terminus debeat regulariter in his, quæ à Timotheo sunt nefandè commissa, proferri, ne malignis alijs viris occasio perpetrandi similia præbeatur, & hoc fieri deprecamur sanctissime & Deo amantissime pontifex. Paulo minùs autem nos transierat etiam hoc ad obiurgationem eorum, quæ à Timotheo sunt præsumpta contra sanctæ memoriæ Proterium, declarare. Quod facimus, vt nullam ille possit habere in suis delictis excusationis occasionem, & omnes audientes agnoscant, quia nihil contra eum pro inimicitiarum causa suggessimus. Nam cum post mortem sanctæ memoriæ archiepiscopi nostri Proterij tantam rabiem contra eum & vesaniam demonstrauerit, vt etiã pontificalem sedẽ, in qua ille sedit, igne cremaret, & de venerabili diptycho eius nomen auferret & qui ab eo fuerant ordinati, ecclesiasticum & sacerdotale ministerium celebrare prohiberet, eiusque generis proximos valdè persequeretur: substantiam quoque eius, quam à parentibus habuerat, deuastaret, quomodò manifestus non est, quia cædem contra eum ipse commisit, rebus ipsis voluntatem Timothei valdè pandentibus & quemadmodum esse vesanus apparuit contra memoriam illius, qui beatè defunctus est? Supplicamus igitur, vt nulla subreptio apud *angelum vestrę sanctitatis obtineat, per eos qui pro eo sermonem videntur efficere, sed res ipsas inspicite, quia non solum aduersus viuum infestus existit, sed etiam contra defunctum, & sanctis regulis placitam contra eum formam dare dignemini.

for. *animum

EPISTOLA QVORVNDAM EPISCOPORUM Aegyptiacæ diœcesis pro Timotheo nefando archiepiscopo Alexandrinæ ecclesiæ, ad Leonem imperatorem & Augustum.

Epistola ab hæreticis scripta in defensionem impij Timothei.

PIISSIMO & Christianissimo Imperatori orthodoxo Leoni, victori, triumphatori, semper Augusto, episcopi & clerici Aegyptiacæ diœcesis ab archiepiscopo Timotheo Aeluro destinati. Scriptum est, Omni poscenti rationem esse reddendam de spe, quæ in nobis est, atque multò magis pijssimo & Christianissimo principi. Nos itaque sanctissimi & Deo amantissimi patris nostri & archiepiscopi Timothei literas tranquillitati vestrę detulimus, gratiarum actione plenissimas, & quòd Alexandrinorum magna ciuitas (auspice Deo) sub vestræ pietatis imperio pacem habeat, & cũ quiete multa tam ipsa ciuitas quàm sanctissimæ ecclesiæ & venerabilia monasteria gubernantur. Quia verò necessariè visum est, etiam spem nostram & fidem breuiter vestræ mansuetudini declarare: suggerimus, nos trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui in Nicæna ciuitate collecti sunt, & per sanctum spiritũ sunt locuti, symbolum atque fidem tenere & custodire, & neque augmentum aliquod, nec imminutionem recipere. Ea namque, quæ à sancto spiritu dicta atque conscripta sunt, fas non est aliquo modo retractari, nec augmentum aliquod, nec immunitionem eis inferre, sicut scriptum est: Noli transponere terminos æternos, quos posuerunt patres tui: quando neque interpretatione eget prædictorum sanctorum patrum fidei symbolũ, cum per se interpretatum sit, & clare prædicet mysteria pietatis. Hanc ergò fidem firmè & inconcussè atque immobiliter detinemus. Hæc ad satisfactionem perfectam mansuetudini tuę suggerimus, & ita credimus tam nos, quàm Deo amantissimus archiepiscopus noster Timotheus. Hoc autem manifestum tuæ facimus pietati de prædicto archiepiscopo nostro Timotheo, quia cõfidens de tua pietate, eidem symbolo trecentorum decem & octo sanctorum patrum, in quo baptizati estis, bonamq; confessionem confessi credere, & in eo persistere, & spem salutis habere. Et communicauit tuæ pietati, & confitetur orthodoxum ita sapientem atque credentem, vt etiam collectas & sine sanguine sacrificia celebret pro vestra potentia. Quia verò satisfecimus precepto vestræ tranquillitatis, suppliciter exoramus, vt annuatis precibus nostris & Deo amantissimo & sanctissimo archiepiscopo nostro rescribatis, & nos ad eius sanctitatem protinùs dirigatis: speramus enim quoniam Deus qui tuæ serenitati pium hoc donauit imperium pacemque in Alexandrina ciuitate dispensare dignatus est, vestrum corroborauit ampliùs principatũ, maioremque pacem donauit cuncto terrarum orbi & sanctis ecclesijs. Quia verò vestra pietas imperauit, quemadmodum de synodis sapiamus, nostram sententiam facimus manifestã, quoniam communicat ecclesia synodis in Epheso celebratis. Synodum verò centum quinquaginta nescimus: nouimus autem, quia beati patres nostri & archiepiscopi post Concilium *atque in Constantinopolitana ecclesia congregati sunt. Synodum enim Chalcedonensem ecclesia maximæ ciuitatis Alexandrinæ non suscipit.

nata impudentia hæreticor.

1. Pet. 3.

Prou. 22.

LECTORIBVS.

Quibuscunque scriptum est à Leone pijssimo principe, simul cum eius literis sunt adnexæ duæ petitiones Episcoporum Aegypti, & clericorum Alexandrinæ ciuitatis, & eorum, qui ex persona Timothei Aeluri preces similiter obtulerunt, necnon & literæ Anatolij Constantinopolitanæ ciuitatis archiepiscopi: & sic vbique directa sunt metropolitanis totius orbis episcopis. Quorum etiam omnium epistolæ siue relationes per ordinem sunt conscriptæ, condemnantium quidem Timotheum Aelurum, tanquam adulterum & homicidam pariter & hæreticum, approbantium verò & concordiam confitentium Chalcedonensis sancti Concilij, cum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta sanctorum iudicio patrum. Scriptum est autem his, qui subter adnexi sunt:

LEoni, reuerendissimo vrbis Romæ Pontifici.
Anatolio, reuerendissimo Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopo.
Basilio, reuerendissimo episcopo Antiochiæ Syriæ.
Iuuenali, reuerendiss. episcopo Hierosolymorum.
Epiphanio, reuerendiss. episcopo Syriæ secundæ.
Dorotheo, reuerend. episcopo Damasci Phęniciæ Libanisiæ.
Pelagio, reuerendiss. episcopo Tarsi Ciliciæ primæ.
Oresto, reuerendiss. Episcopo Anazarbi Ciciliæ secundæ.
Stephano, reuerendiss. episcopo Hierapoleos.
Ibæ, reuerendiss. episcopo Edessæ Osroenæ.
Simeoni, reuerendiss. episcopo Amidæ Mesopotamiæ.
Antipatro, reuerendiss. episcopo Bostrorum Arabiæ.
Basilio, reuerendiss. episcopo Seleuciæ Isauriæ.
Olympio, reuerendiss. episcopo Scythopoleos.
*Suauino reuerendiss. episcopo Constantiæ Cypri.
Ioanni, reuerendiss. episcopo Patrensi.
Eustathio, reuerendiss. episcopo Beryti. Iacobo, reuerendiss. monacho Nisibeno.
Simeoni, reuerendiss. monacho.
Varadato, reuerendiss. monacho.
Eunomio, reuerendiss. Episcopo Nicomediæ.
Anastasio, reuerendiss. episcopo Ancyræ.
Theoctisto, reuerendiss. episcopo Pessinuntis.
Alypio, reuerend. episcopo Cæsareæ Cappadociæ primæ.
Patricio reuerendiss. episcopo Tyanensi.
Charterio, reuerendiss. episcopo Claudiopoleos.
Petro reuerend. episcopo Gangrensi.
Seleuco, reuerendiss. episcopo Amaseæ.
Ioanni, reuerendiss. episcopo Sebastiæ.
Ortio, reuerendiss. episcopo Molitianensi.
Petro, reuerendiss. episcopo *Cæno.
Eleutherio, reuerendiss. episcopo Chalcedonensi.
Iuliano, reuerendiss. episcopo Tabiæ.
Adelphio, reuerendiss. episcopo Arabyssi.
Euethio, reuerendiss. episcopo Cyzici.
Ioanni, reuerendiss. episcopo Ephesi.
Eutherio, reuerend. episcopo Sardensi.
Agapito, reuerendiss. episcopo Rhodi.
Critoniano, reuerendiss. episcopo Aphrodisiadis.
Petro, reuerend. episcopo Myrensi.
Pergamio, reuerend. episcopo Antiochiæ Pisidiæ.

*Epiſanio, reuerendiſſ. Epiſcopo Pergæ.
Palladio, reuerendiſſ. Epiſcopo Iconij.
Nonecio, reuerendiſſ. Epiſcopo Lauciæ.
Mariniano, reuerendiſſ. Epiſcopo Synnadenſi.
Amphilochio, reuerendiſſ. Epiſcopo Sidæ.
Ætherico, reuerendiſſ. Epiſcopo *Fynirnæ.
Philippo, reuerendiſſ. Epiſcopo Hierapoleos.
Ioanni, reuerendiſſ. Epiſcopo Heracleæ Europæ.
Baſilio, reuerendiſſ. Epiſcopo Traianopolis.
Gregorio, reuerendiſſ. Epiſcopo Adrianopolis.
Valeriano, reuerendiſſ. Epiſcopo Martianopolis.
Valentino, reuerendiſſ. Epiſcopo Philippopolis.
Euxitheo, reuerendiſſ. Epiſcopo Theſſalonicenſi.
Petro, reuerendiſſ. Epiſcopo Corinthi.
Eugenio, reuerendiſſ. Epiſcopo Nicopolitano.
Martyrio, reuerendiſſ. Epiſcopo Cortynenſi.
Vigilantio, reuerendiſſ. Epiſcopo Lariſſæ.
Lucæ, reuerendiſſ. Epiſcopo Dyrrhacheno.
Vrſicino, reuerendiſſ. Epiſcopo Scupenſi.
Zoſimo, reuerendiſſ. Epiſcopo Sardicæ.
Iuliano, reuerendiſſ. Epiſcopo*.
Luciano, reuerendiſſimo Epiſcopo Byzano.
Theotimo, reuerend. Epiſcopo Tomizano.
Et cæteris Epiſcopis metropolitanis.

Explicit ordo Epiſcoporum.

EPISTOLA LEONIS PAPAE ad Leonem Imperatorem.

LEO Epiſcopus Leoni Auguſto. Literas clementiæ tuæ, plenas virtute fidei & lumine veritatis, veneranter accepi: quibus cuperem etiam in eo, quòd præſentiam meam pietas veſtra neceſſariam exiſtimat, obedire, vt maiorem fructum, cóſpectu veſtri ſplendoris adſequerer: ſed magis id vobis arbitror placiturum, quod eligendum ratio demonſtrauit. Nam cum ſancto & ſpiritali ſtudio in vniuerſo mundo pacem Eccleſiæ muniatis, nihil que ſit conuenientius fidei defendendæ, quam his, quæ per omnia inſtruente Spiritu ſancto irrepræhenſibiliter definita ſunt, inhærere, ipſi videbimur benè ſtatuta conuellere, & authoritates, quas Eccleſia vniuerſalis amplexa eſt, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere: atque ita nullum colligendis Eccleſijs modum ponere, ſed data licentia rebellandi, dilatare magis quam ſepire certamina. Vnde, quia poſt illas Epheſinæ Synodi impietates, quibus Dioſcori ſcelere fides catholica refutata eſt, peruerſitas Eutychiana ſuſcepta eſt, nihil ad conſeruationem fidei Chriſtianæ vtilius potuit ordinari, quam vt prædicti facinus ſancta Synodus Chalcedonenſis aboleret, & tanta illic haberetur cæleſtis cura doctrinæ, vt nihil in cuiuſquam opinione reſideret, quod à prædicationibus vel propheticis, vel Apoſtolicis diſſonaret, ea ſcilicet moderatione ſeruata, vt rebellibus tantum, ac pertinacibus ab Eccleſiæ vnitate electis, nulli correcto venia negaretur. Quid probabilius, quid religioſius poterit pietas veſtra decernere, quàm vt quæ non tam humanis, quam diuinis ſunt ſtatuta decretis, nullus vltra ſinatur impetere, ne verè digni ſint tantum Dei munus amittere, qui de veritate ipſius auſi fuerint dubitare. Cùm ergò vniuerſalis eccleſiæ per illius principalis petræ ædificationem facta ſit petra, & primus Apoſtolorum beatiſſimus Petrus voce Domini dicentis, audierit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* quis eſt, niſi aut Antichriſtus, aut diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilem *firmitatem, qui in malitia ſua inconuertibilis perſeuerans, per vaſa iræ, ſuæ apta fallaciæ, falſo diligentiæ nomine, dum veritatem ſe mentitur inquirere, mendacia deſiderat ſeminare? Atque contemnenda & vitanda merito ſibi incontinens furor, & impietas cæca præſcripſit, vt dum diabolico inſtinctu in ſanctam Alexandrinam ſæuit eccleſiam, quales eſſent qui Chacedonenſem ſynodum retractari cupiunt, diſceretur, in qua nullo modo accidere potuit, vt à nobis contra ſanctam Nicænam Synodum ſentiretur, quod hæretici mentiuntur, qui ſe fidem Nicæni Concilij tenere confingunt, in quo ſancti & venerabiles patres noſtri contra Arium congregati, non carnem Domini, ſed Deitatem filij homouſion patri eſſe firmauerunt: in Chalcedonenſi autem Concilio aduerſum Eutychianam definitum eſt, de ſubſtantia virginis matris Dominum Ieſum Chriſtum ſumpſiſſe noſtri corporis veritatem. Apud Chriſtianiſſimum igitur Principem, & inter Chriſti prædicatores digno honore numerandum, vtor catholicæ fidei libertate, & ad conſortium te Apoſtolorum ac Prophetarum ſecurus exhortor, vt conſtanter deſpicias ac repellas eos, qui ſe Chriſtiano nomine priuauére: nec patiaris impios parricidas ſacrilega ſimulatione de fide agere, quos conſtat fidem velle vacuare. Cùm enim clementiam tuam Dominus tanta ſacramenti ſui illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere, regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, vt auſus nefarios comprimendo, & quæ benè ſunt ſtatuta, defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas: depellendo ſcilicet peruaſores iuris alieni, & antiquæ fidei ſedem Alexandrinæ eccleſiæ reformando: vt correctionibus tuis DEI iracundia mitigata, regiæ ciuitati non retribuat, quæ admiſſa ſunt, ſed remittat. Conſtitue ante oculos cordis tui venerabilis Imperator omnes, qui per totum orbem ſunt Domini ſacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi eſt redemptio, ſuplicare: in qua te ſpecialius ambiunt, qui Apoſtolicæ fidei ſectatores, Alexandrinæ eccleſiæ præſederunt: agentes apud pietatem tuam, ne homines hæreticos, & meritò pro ſua peruerſitate damnatos, vti ſua perſuaſione patiamini, cùm ſiue impietatem erroris aſpicias, ſiue opus perpetrari furoris attendas: non ſolum ad ſacerdotij honorem admitti nequeant, ſed ab ipſo Chriſtiano nomine mereantur abſcindi. Nam (quod exorata pietatis veſtræ venia dixerim) quodam contagio ſplendorem veſtræ ſerenitatis offuſcant, cùm ſacrilegi parricidæ id audeant petere, quod nec innocentes liceat obtinere. Oblatæ ſunt glorioſiſſimæ pietatis veſtræ preces, quarum exempla veſtris literis ſubdidiſtis: ſed in his, quæ catholicorum ſunt deplorantium, ſubſcriptio continetur: & quia cauſa probabilis eſt, fiducialiter nomina ſingulorum vel dignitas ſui honoris aperitur. In illis autem, quas orthodoxo Principi hæretica porrigere non formidauit obreptio, ſub incerto confuſæ vniuerſitatis vocabulo, ideò certum nomen retrahitur, ne non ſolùm paucitas perſonarum, ſed etiam meritum detegatur. Latere enim ſibi vtile exiſtimat eorum quantitas, quorum eſt qualitas iudicata: nec incongruè, cuius loci homines ſint, profiteri metuunt, qui meruere damnari. In vna ergò catholicorum ſupplicatio continetur, in alia hæreticorum commenta panduntur, hic ſacerdotum Domini, & totius Chriſtiani populi, ac monaſteriorum defletur euerſio: ibi immanium ſcelerum continuatio demonſtratur, vt quod non licuit audiri, liceat dilatari. Nonne perſpicuum eſt, quibus pietas veſtra ſuccurrere, & quibus debeat obuiare, ne Alexandrina eccleſia, quæ ſemper fuit domus orationis, ſpelunca nunc ſit latronum? Manifeſtum quippe eſt, per crudeliſſimam immaniſſimamque veſaniam, omne illic cæleſtium ſacramentorum lumen extinctum. Intercepta eſt ſacrificij oblatio, defecit chriſmatis ſanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria: nec vllo modo ambigi poteſt, quid de his decernendum ſit, qui poſt nefanda ſacrilegia, poſt ſanguinem probatiſſimi ſacerdotis effuſum, & concremati corporis cinerem in contumeliam aëris cœlique diſperſum, audent ſibi ius peruaſæ dignitatis expetere, & Apoſtolicæ doctrinæ inuiolabilem fidem ad concilia prouocare. Magnum ergo vobis eſt, vt diademati veſtro de manu Domini etiam fidei addatur corona, & de hoſtibus eccleſiæ triumphetis. Quia ſi laudabile vobis eſt, aduerſarum gentium arma conterere, quanta erit gloria, ab inſaniſſimo tyranno Alexandrinam eccleſiam (in cuius contritione, omnium Chriſtianorum eſt iniuria) liberare? Vt autem pietati tuæ literæ meæ colloquium quaſi præſentis exhibeant, quicquid de cõmuni fide fueram ſuggeſturus, ſcriptis proſequentibus inſinuandum eſſe perſpexi. Ac nè huius epiſtolæ pagina in nimiam longitudinem tenderetur, alijs literis, quæ adſertioni catholicæ fidei congruunt, comprehendi: vt licet ea, quæ à ſede Apoſtolica ſunt prædicata, ſufficerent, inſidias tamen hæreticorum etiam hæc, quæ ſunt adiecta, referarent: ſacerdotalem nanque & Apoſtolicum pietatis tuæ animum, etiam hoc malum ad iuſtitiam vltionis debet accendere, quod Conſtantinopolitanæ eccleſiæ puritatẽ peſtilẽtes obſcurant, in qua inue-

niuntur

fra. *Epiphanio.

*Smyrnæ

Matt. 16.

* veritatẽ.

Hæretici vere, dum ſe per diſputationes & Concilia veritatem mentiuntur in quirere: mendacia deſiderant ſeminare.

Hæretici ſe Chriſtiano nomine priuant

Imperatorum poteſtas ad Eccleſię præſidium.

Nota hæreticorum ſcelera.

Impudentia Hæreticorum, audentium apoſtolicã fidem ad Concilia prouocare

niuntur quidam clerici, hæreticorum sensui consonantes, & intra ipsa catholicorum viscera, adsertionibus suis hæreticos adiuuantes. In quibus deturbandis si frater meus Anatolius, cùm nimis benignè parcit, segnior inuenitur: dignamini pro fide vestra etiam istam Ecclesiæ præstare medicinam, vt tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab vrbis habitatione pellantur, ne vlterius sanctus Dei populus, peruersorum hominum contagio polluatur. Cultores autem pietatis tuæ, Iulianum Episcopum, & Ætium presbyterum mea petitione commendo, vt suggestiones eorum pro catholicæ defensione fidei, placidè digneris audire: quia verè sunt eiusmodi, vt fidei vestræ possint per omnia vtiles inueniri. Data Kalendis Decembris, Constantino & Ruso vv.cc. consulibus.

Cum Hæreticis obstinatis seuere agendum.

EPISTOLA ANATOLII EPIscopi ad Leonem Imperatorem.

PIissimo & *Christianissimo Imperatori Augusto, victori ac triumphatori, Leoni, Anatolius Constantinopolitanus Episcopus.* Orationi siquidem nostræ opus est, Christianissime & fidelissime Imperator, vt non circa meditationem à diabolo peruenientium rerum, contra communem Ecclesiarum, pacem occupemur. Quia verò, sicut apparet, aduersarius non sinit præsentem sinè fluctuatione nauigare nos vitam, necesse est supernæ gratiæ gubernaculo vsos oportere nos omnes, qui Deo authore sumus in sacerdotio constituti, illius certaminibus obuiare. Vnde etiam nunc in his, quæ sunt præsumpta in Alexandrinorum Ecclesia, non quieui, sed sequens vestræ Christianæ tranquillitatis intentionem, volentem & sanctorum patrum regulas non sperni, & ciuilia iura seruari, quod me facere congruebat, scilicet sedem gubernantem huius regiæ ciuitatis, egi: & hæc manifesta vestræ pietati fient per ea, quæ scripsi tam Romano sanctissimo & venerando Leoni pontifici, quàm omnibus vniuscuiusque diœcesis venerabilibus Metropolitanis Episcopis, apud quos ingemui, petulantiam contra sanctorum patrum regulas perpetratam, & facta scelesta Timothei, sicut accusationes aduersus eum vestræ pietati & nobis scriptæ testantur, qui conculcauit Ecclesiasticas sanctiones, legesque ciuiles, quique secundum quod scriptum est, malam potius partem libenter elegit, & quæ illis, quæ in rebus decentibus deficiunt, commodatur. Ait enim: *Impius dum ceciderit in profundum malorum, spernit.* Significaui nihilominus eis & de sancto beatoque nostro Concilio Chalcedonensi, quæ digna sunt. Ergò quoniam alijs hæc conuenienter exposui, prionior nunc extiti, vt cum fiducia clarius de rebus præsentibus meam possim publicare sententiam. Notum igitur facio vestræ tranquillitati, quòd pijssimis vestris syllabis à nobis fieri præcepistis, quia constituo Timotheum quidem, quantum ad integritatem sanctorum canonum, aduersum quos semper ea, quæ gessit & gerit, hactenus irritauit, in ordinatione sacerdotij nullatenus esse dignum. Quomodò enim sacerdos erit, qui ita à proprio pontifice, & ab omnibus totius orbis sacerdotibus sponte semetipsum abrupit, & hæreticum per omnia demonstrauit, dudùm se à sancto & famosissimo Chalcedonensi concilio separando, & reuerendissimos Episcopos Ægyptiacæ diœcesis, & clericos, necnó & orthodoxorum multitudinem, & monachorum catholicæ fidei, & ipsi vniuersali concilio communicantium, veluti hæreticos ab Ecclesijs propriis expellendo: insuper & aliarum multarum malarumque rerum author existens, sicut accusationes aduersus eum oblatæ proclamant? De Chalcedonensi verò sancto & vniuersali concilio hoc apertè pronuncio, quia tentare omninò retractare aliquid eorum, quæ ab eo definita sunt, hominum est insidiantium solummodò catholicæ Ecclesiarum CHRISTI concordiæ, congaudentium turbis atque tumultui: quandò Apostolica quidem & paterna dogmata, olim nobis tradita, in eo roborata sunt & affirmata: nullum autem dogma, rectitudini Ecclesiasticæ contrarium, illic peregrinè aut nouiter est probatum. Illa siquidem Deo amabilis ac venerabilis synodus, ex imperiali tunc sanctione celebrata, ad peremptionem scandalorum, quæ tunc contra fidem intemeratam videbantur exorta, non aliam innouauit fidem, non peremit antiquitus existentem, non adiecit aliquid olim confessioni contraditæ, non imminuit eam, quæ semper custoditur & saluat: sed trecentorum decem & octo sanctorum patrum symbolum, incontaminabile & inuiolabile à domesticis fidei custodiri, & eis, qui imbuuntur ab impietate cum terrore, tradi præcepit. Necnon & Synodos sanctas & orthodoxas, post illam maximam, ei consonas existentes, & pro illius confirmatione diuersis temporibus celebratas, rectè probauit, & solummodò, sicut diximus, semen zizaniorum tunc ortum exterminauit, ne vlla ex hoc malitiæ radix per eos, qui ineruditè contendunt, denuò pullularet, & puram intemeratamque nostram fidem in aliquo noceret, quatenus ab hoc aliqui simplicium fœdarentur. Nunc igitur famosissime & fidelissime noster princeps, insertæ tibi iustitiæ congruit sancire, nè quorundam mala voluntas, seu hæretica prauitas, cuncto orbi terrarum & omnibus CHRISTI sacerdotibus, vnitis secundum Deum, & pacem habentibus, vexationis communis & contritionis fiat occasio, & sacris canonibus suum robur contra Timotheum spernentem eos, per nos demonstrantibus decernere, vt quæ necessaria sunt, vt per vestræ pietatis imperium, sicut in illis quoque contra talium rerum præsumpta prouenire sancitum est, hæc secundum legum seueritatem effectui contradantur, ad vindictam contemptarum Ecclesiæ sanctionum, & innoxij sanguinis, hoc est, sanctæ memoriæ Proterij, orthodoxi Alexandrinæ ciuitatis Episcopi, sicut visum fuerit pietatis vestræ tranquillitati, Christianissime ac fidelissime Imperator Auguste immaculata & intemerabili dextera.

Prou. 18.

EPISTOLA EPISCOPORVM Europæ, ad Leonem imperatorem.

PRotecto, *pio & Christianissimo Domino totius orbis terrarum, & imperatori perpetuo Auguste Leoni, Ioannes reuerendissimus Heracleæ, Theophronius Episcopus Aphrodisiadis, Theotegnus Episcopus Cyclensis, & Babulas Episcopus nouæ Theodosiopolis Europæ vestræ.* Pietatis vestræ & Christianitatis imperium, clarius purpura atque diademate pro fidei causa lucet. Verè nanque pijssime & Christianissime imperator, Leo quidem contra hostes existis, circa mites autem & subditos, mansuetissimi Dauid imitator agnoscens, quippe diuinitus adeptus imperium. Eodem nanque modo etiam eos, qui inordinati videntur, & contra sanctas regulas semetipsos armauerunt, & seditiones impias & scelestas arripiunt, imperiali authoritate comprimitis, & de mundi quiete cogitantes, incommotas & sine fluctibus sanctas vbique conseruatis Ecclesias. Præstet igitur omnium Dominus Christus vestrum imperium, indeclinabiliter confessionem fidei conseruantem longæuis annorum curriculis sanctorum intercessionibus permanere. Sacras igitur & Christianissimas literas, à vestra tranquillitate directas, cum multo studio relegentes, in quibus præcepistis nobis clarius explanare, quid de sancto magnoque & vniuersali Chalcedonensi Concilio sentiamus, & de Timotheo, quē Alexandrinorū populus sibimet ordinauit Episcopum, per hanc humilē nostrā relationē vestræ pietati significamus, quomodò cunctis sanctissimis orthodoxisque Concilijs, & concordamus & consentimus. Primum quidem dogmata & expositionem trecentorum decem & octo sanctorum sequimur patrum, eorumque fidem indeclinabiliter custodimus, in qua etiam baptizati sumus & baptizamus. Post quos centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in regiam Constantinopolim congregati sunt, constituta seruamus. Necnon etiam Ephesium Concilium, quod sub beatæ memoriæ Cœlestino, successore sancti & venerandi & custodis clauium regni cœlorum Petri, & sub sanctæ memoriæ Cyrillo Alexandrino pontifice congregatum est, propter hæresim nefandam prophanam que Nestorij, præcipuè tamen per Dei gratiam Chalcedonæ collectum magnum sanctumque & vniuersale Coecilium, eo quod prædicta Concilia firmauerit, nihilq; quod illis benè videatur placuisse commouerit, nec augmentum quoddam vel detractionem fecerit, aut quicquā ex his, quæ tunc fuere definita, cōmouerit, aut aliquid incongruenter interpretatū sit. Quod Concilium velut ancorā cautam firmamq; seruamus, qñ contra omnē hæreticā tyrannidē scutū inexpugnabile & arma extat, quę nequeāt superari. Huius igitur formas siue definitiones nullus recta sapientiū muti

lare

lare præsumat: & neque vnum iota aut vnum apicem possumus aut commouere, aut violare horum, quæ ab ea rectè sunt & inculpabiliter definita. Sequimur autem & famosissimorum sanctorum patrum doctrinas rectas, misericordia regis omnium CHRISTI Euangelicum adepti sacerdotium, rectè sapimus semper, & sicut sapit Apostolica Romanorum sedis Ecclesia, & sicut sapuerunt beatæ famosæque memoriæ patres & Episcopi regiæ Constantinopolis, & sicut omnes totius orbis Episcopi, rectè verbum prædicantes veritatis sapimus, sic regentes populos prædicamus, rectam eis proponentes intemeratamque doctrinam. De Timotheo verò, sicut continent preces subditæ sacratissimis vestris & DEO amantissimis literis, quia eius immissione sanctæ memoriæ Proterius orthodoxus, sanctusque pater & Alexandrinorum Episcopus, in sacratissimi baptisterij loco peremptus est, mébratimque concisus, & locis omnibus circumtractus, & post hæc igni cótraditus, aliaq; passus, quæ propter sceleris exaggerationem terretur lingua proferre: sanctissimum quidem Proterium in ordine & choro sanctorum martyrum ponimus, & eius intercessionibus misericordem & propitium Deum nobis fieri postulamus: Timotheum verò, qui talia perpetrauit in beatæ memoriæ Proterio, qui fuit Episcopus, cuiusq; consilio atque tractatu factum est scelus huiusmodi, quod etiam humanos auditus propter excellentiam crudelitatis obturat, tanquam tyrannum, & sanguinarium, & propter immensam sui crudelitatem antiquos tyrannos, qui semetipsos aduersus triumphatores martyres armauerunt, transcendentem, quique Episcopatum aripuit, alienum à sacerdotio & Episcopatus dignitate & extraneum esse decernimus. Sanctissimos autem & consacerdotes nostros, qui ab eo contra Ecclesiasticas sanctiones excommunicati sunt atque damnati, & consacerdotes nostros eos, & comministros, & coepiscopos, & communicatores habemus, & optamus sanctis eorum orationibus Dei clementiam promereri. Similiter autem siue archimandrita, siue presbyter, siue diaconus, siue quis alius in clero constitutus, excommunicatus ab eo est propter bonæ memoriæ Proterium Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, huic communicamus, & esse eum in clericatus dignitate decernimus. Nã lupus, qui pastori non pepercit, nec ouibus parcit. Eos aũt qui in damnatorum locis ab eo sunt cõstituti, siue Episcopi sint, siue archimãdritæ, siue presbyteri, siue diacones, siue quilibet in clero humiliori cõsistens, hos indignos graduũ, in quibus sunt præter Ecclesiasticã consequentiam ordinati, cùm ob umbratam velut theatralem dignitatem videantur sortiti esse, decreuimus. Vestræ siquidem tranquillitatis est, Alexandrini populi curam habere, & à sancta Dei aula lupum expellere, & inuulneratum inconsumptum que gregem saluatoris CHRISTI seruare, & concordiam multamque pacem Alexandrinorum ciuitati concedere, ad gloriam CHRISTI, & exaltationem pijssimæ vestræ Christianitatis imperij. Ioannes Episcopus: Incolumen vestram pietatem DEVS omnium nobis donet longæuis temporibus sanctorum orationibus.

Theotegnus Episcopus Cyclensis, similiter.

Theophronius Episcopus Aphrodisiadis, similiter.

Babulas Episcopus nouæ Theodosiopolis, similiter.

EPISTOLA LVCIANI EPISCOPI ad Leonem imperatorem.

PIISSIMO & *Christianissimo Domino Imperatori, perpetuo Augusto Leoni, Lucianus humilis Byzæ metropolitanus Episcopus.* Datis mihi pijs atque venerabilibus literis vestræ Christianitatis imperij, & relegente me sacros apices vestros, ac inueniente in eis feruentissimum circa orthodoxam fidem zelum, & excellentem pietatis intentionem, & quia valdè pro sanctarum Ecclesiarum pace curatis, necnon & vestras ciuitates sub quiete manere, & omnes subiectos in tranquillitate consistere festinatis, & sacerdotes CHRISTI, pro fidei robore ad concordiam inuitatis, & ea, qui discepta sunt insidijs inimici, voluntate Dei coniungere decertatis: & mea humilitas suam indicat voluntatem, inquantum intelligere potest, principaliter equidem de Timotheo, quem etiam lectioni subiectæ preces edocuerunt sacerdotij appellatione & operatione nimis indignum, qui secundum sanctorum patrum regulas expellendus, nisi fortè propter magnitudinem clementiæ sanctis summorum thronorum Archiepiscopis quicquam de eo aliud videatur: eo quod & pijssimæ vestræ diuinitus factæ, clementesque litteræ manifestant, valdè vos de vrbe Alexandrina cogitare. De sancto verò & vniuersali Chalcedonensi Concilio, quod concordat & trecentis decem & octo sanctis patribus, qui in Nicæa conuenerunt, & centum quinquaginta, qui post hæc in vrbe regia congregati sunt: & eis, qui in Epheso sub Cœlestino Romanę vrbis, & Cyrillo Alexandrinorum sanctis Episcopis conuenerunt, etiam animo quicquam sumere, quod sit ei contrarium, impij atque hæretici sensus esse iudicaui.

EPISTOLA VALENTINI EPIscopi ad Leonem Imperatorem.

PER *omnia pijssimo & Christianissimo Imperatori, triumphatori & Augusto Leoni, humilis Valentinus in Domino æternam salutem.* Cùm & ante imperium virtutibus regnauerit Christianissima vestra tranquillitas, & in imperio supra purpuras & diadema fidei rectitudine decoratur & coronatur: Nam compensationem iustitiæ potius quam donum à CHRISTO regalia sceptra percipientes, compensationem rursus DEO redditis vestrum imperium conseruanti, dum incessabiliter cogitatis, quatenus securam ab omni hæretica tempestate Ecclesiam eius, & sine fluctuatione seruetis. Quemadmodum gentium bella amantium superbas cogitationes ad terram deponere festinastis, ita & prauos sensus hæreticorum aduersus CHRISTVM latrantium, velut puluerem exufflantes ad nihilum vsque perducetis, & secundum vocabulum vestrum inimicis quidem DEI & vestri imperij, tanquam Leo sæuus occurritis: circa eos autem, qui piè Deum colunt, & imperij vestri sceptris obediunt, ouium pastores imitatores & oues simpliciores existitis. Igitur pro Ecclesiastica pace & salute filiorum Ecclesię multam prouidentiam pietas vestra gerens, sacratissimis suis syllabis adorandisque sanciuit, vt mea paruitas sanctissimos prouinciæ Episcopos in vnum colligens, quæ humilitati nostræ placerent, & regulis conuenirent, & fidei rectæ congruerent, indicaremus vestræ Christianitatis imperio: Maximè autem de crudelibus maligniſque rebus, & omnis tragœdiæ narratione maioribus quæ nuper Alexandriæ prouenerunt, simul & de Chalcedonense sancto magnoque & vniuersali (gratia CHRISTI) celebrato Concilio: cuius termini non ex nobis, sed gratia sancti spiritus sunt confixi, nihil metuentes, neque pro gratia vel inimicitijs decernentes, sed DEI solummodò iudicium iniudicabile formidantes, ad notitiam vestræ Christianissimæ tranquillitatis referre deberemus. Quapropter & in vnum, nosque simul & nostri clerici congregati, habentes timorem DEI præ oculis, sub ea, quæ à vestra sunt pietate sancita, suggerimus vestræ tranquillitati, quoniam & vnitatem colimus, & iniquorum communionem abominamur, & sanctorum patrum Concilia complectimur, & ea, quæ ab eis sunt definita atque decreta, custodire intransgressibiliter exoramus. Timotheum verò, qui totius malitię culmen excellit, & inhumanitatis credulitatem transcendit, homicidam patrisque necatorem, qui Episcopo superstite Ecclesiam eius adulterauit, & sponsum eius occidit, & tyrannico modo & impudenter semetipsum in sedem eius imposuit, sicut preces oblatæ tranquillitati vestræ declarant, non oportere neque inter viuos examinari, palàm est: nunquam dignitate pontificatus indui, & in sancto altari stare, & diuinitati ministrare credendus est. Quid etiam dicamus de populo indiscreto, qui ab eo ad impietatem armatus est, & amplius quàm eorum fluuius inundauit: iniquitatibus, malitiæ turre vltra Pharum, qui aqud eos excellenter accenditur, & vsque ad cœlos, flammas impietatis extendit? Victoriam dicam iudicans hanc esse, ad comparationem aliarum rerum, quæ ab eo sine timore commissa sunt, qui etiam vnam naturam negantes, cuncta ferocitate vestiti sunt. De sancto vero & vniuersali Chalcedonensi Cõcilio, cuius princeps non homo sed Christus, qui est super omnia DEVS & rex æternus, deinde pastores totius orbis extitere doctores,

præsen-

præsentibus eis & sacratissimo vestro senatu, & culmine eminentium potestatum, & diuæ memoriæ ter beato principe Martiano, omnibus obsignantibus hanc esse pietatis viam, patrumque fidem impollutam & immutabilem, sanctorumque Apostolorum doctrinam in nullo mutatam, neque discordantem expositæ fidei à sanctis patribus in Nicæno Concilio congregatis : cùm vtique ea doceat simul & alliget, & apertè ab omni hæretica nos secta discernat. In hac ergò perduramus, hanc tenemus, & ea, quæ in ea sunt explanata, intransgressibiliter obseruamus, omnemque hæreticam prauitatem abominamur, DEO semper hymnos pacificos exoluentes, qui nobis custodem rectæ fidei vestram potentiam condonauit. Valentinus Episcopus Philippopolitanæ metropolis sanctissimæ Ecclesiæ, manu mea subscribens, his, quæ sunt supra scripta, consentio. Epictetus Episcopus Diocletianopolis, similiter. Et reliqui similiter.

EPISTOLA SEBASTIANI EPIscopi ad Leonem Imperatorem.

POST *Deum domino totius orbis pijssimo & Christianissimo nostro Principi Leoni, in Domino salutem, humilis & vltimus Sebastianus Episcopus.* Tuum quidem, pijssime Imperator, laudabilem & gloriossissimum inter homines principatum omnium Dominus Christus quotidianis diebus bonis incrementis, maximum splendidissimumque demonstrat, & decætero demonstrabit, hoc semper efficiens propter fidem rectam, quæ ab infantia est vobis inserta, & propter reuerentiam, quam diuinitati salubriter exhibetis. Quod autem supplicamus, sacratissime Imperator, illud est, ne patiamini illius venerabilis & inter sanctos habitantis maximi viri Martiani, tanti talisque principis post mortem opinionem nunc à culicibus lacerari, neque tuum ita præcipuum, & vltra gloriam constitutum imperium contemptibile illudere volentibus ostendatis : sed veritatis experimentum sumant stulti, scientes quia
Hebr.10. terribile est incidere in manus Dei viui. Hoc autem in ordine primo pijssime nosse supplicamus, quia sicut soli ad demonstrandum quia sol est, nihil minus est : ita illi magno sanctoque & vniuersali Chalcedonensi Concilio, bonorum quidem omninò nihil deest : neque enim eget augmento, neque detractione, cùm sit à sancto spiritu, velut diuino quodam sale conditum. Nam qui in eo illo tempore condemnati, & indigni pontificali statu esse decreti sunt, sententia hoc magni Dei tanquam impij pertulerunt. Qui verò susceptì sunt, velut iniustam & tyrannicam circunuentionem paruo tempore sustinentes, repentè decreto sancti spiritus iustè susceptì sunt : inter quos nostrorum temporum secundus Abel beatus Flauianus exiitit. Tanti siquidem & talis prolatique Concilij amplectere iudicium serenissime & orthodoxe Imperator. Taliter nanque sapuisse comperimus omnes, qui verbo, & doctrina, & vita mirabili DEO per diuersa tempora placuerunt, id est, Beatum Athanasium, qui sæpius proprijs sanciuit dogmatibus, quia erat in corpore passibili impassibilis, & in mortali immortalis. Sic & Basilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus, & alter Gregorius Nyssæ, & pòst Ioannes Constantinopolitanus, verborum simul & cogitationum pelagus benedictum. Scito siquidem nefandum Timotheum, & eos, qui similia cum immensa tyrannide sapuerunt, ac sapiunt, alienos à nobis factos ab orthodoxorum episcopatu. Benè autem & dignè tuorum temporum Imperator egregiè, si preces ab Ægyptiaco Concilio tibi datas rationabiles existentes & omni approbatione dignas, tanquam orthodoxas susciperis, & alia cuncta tanquam Satanæ opera & cogitationes animas corrumpentes effugias, solumque vobis sufficiat Chalcedonense Concilium, cùm solùm omnia orthodoxorum antiqua Concilia, in semetipso Spiritus sancti virtute constringat. Incolume semper consistens atque crescens vestrum imperium, DOMINVS orbi terrarum longis dignetur seruare temporibus, Imperator sacratissime.

EPISTOLA THEOTIMI EPISCOpi ad Leonem imperatorem.

DOMINO *pijssimo, & Christianissimo Imperatori nostro Leoni, Theotimus humilis* * *Scutiæ regionis Episcopus.* Decet tuam pietatem, venerabilis Imperator Augustè, Ecclesiarum tranquillitate gaudere, & tribulationes populi conturbati & tempestates, tranquillissimis vestris allocutionibus ad pacis iura transferre. Propterea siquidem vos DEVS cælitus diuino nutu suo muniuit, vt ea quidem, quæ sana sunt imperiali potestate integra semper saluaque custodiatis : quæ verò vexata sunt atque corrupta, vestræ pietatis medicina curetis. Nihil itaque Deo amabilius est, nihil acceptius, quàm vt illa vos sapiatis, quæ à Dei patris sapientia didicistis, & illa doceatis, quæ ab ipsis fidei vestræ incunabilis saluberrimè estis eruditi. Et quoniam sacratissimis vestris syllabis admonuistis, vt quæ sapimus de sancto Chalcedonensi Concilio, nostris literis referamus ad vestræ notitiam pietatis, cognoscat vestra serenitas, quoniam nihil amplius, nihil minus, quàm quæ in Chalcedonensi Concilio à sanctis patribus integrè, atque perfectè definita sunt, credimus, aut consentimus : Neque enim aliud nos vltra sapere, quam ea, quæ tantorum patrum termino Sanctus spiritus erudiuit. Vnde mansuetissime Imperator & ego, & omnis Ecclesia Dei sic sapimus, & in consensu nostro sanctorum definitiones fide & deuota confessione firmamus. De Timotheo verò sic sapimus : Quoniam secundum virtutem precum, adhuc viuo & existente Episcopo, impudenti intentione ab excommunicatis est ordinatus, exordinatum & excommunicatum Ecclesiastica regula eum esse decernit : Neq; manus impositionem illorum Episcoporum in sancta Ecclesia permittit quandam habere virtutem, qui Christi fidem violantes, ordinationem impositam sibimet amiserunt. Nunc igitur nostræ confessionis verbum facientes saluberrimis vestris auribus manifestum, deposcimus Dominum nostrum Iesum Christum, vt vestrum imperium Catholicæ fidei robore confortatum, & crucis virtute munitum, ab omni suspectione bellorum intactum, semper custodire dignetur. Optamus vestram tranquillitatem diuina prudentia semper incolumem, & coronam imperij vestri intemeratam & impollutam multis annis nobis diuinitas donare dignetur, Domine sacratissime & venerabilis Imperator.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM episcoporum ad Leonem imperatorem.

DOmino *pijssimo, victori semper Augusto Leoni, Martianus, Martialis, Monophilus, Marcellus, Petrus & Dittas, Episcopi secundæ Mœsiæ.* Trãquillissime principum, desiderium habens pij propositi, verbum fidei, quam tenes, tibi fieri manifestum, sacris literis hoc à nostra hnmilitate fieri præcepistis, vt vobis apertè significaret de sancta & incomprehensibili Deitate, quam humana lingua nec comprehendere, nec scribere potest, sed potius cum mundo corde colere debet & adorare. Hoc autem adstruimus, confiteri nos, & perdurare in fide, quam in vrbe Nicæna trecenti decem & octo patres, condemnata impietate Arij, tradiderunt in toto orbe terrarum : necnon & quæ à sanctis centum quinquaginta patribus in vrbe Constantinopolitana de sancto Spiritu, pro dolenda Macedonij persona prolata est : insuper & quæ in Epheso ad depositionem impietatis Nestorianæ formam accepit : super hæc autem & quæ ad peremptionem Eutychianæ vesaniæ de humanatione Saluatoris in Chalcedonensium ciuitate multis sanctis Episcopis conuenientibus, per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum, & venerabilis sacerdotis & patriarchæ Anatolij Concilio celebrato, sub duobus Imperatoribus confirmata est. Quod Concilium nos cum omni clero & populo Christiano vsque ad finem tenentes & possidentes, in eo concupiscimus permanere. Timotheum verò, qui post ea per odium atque crimen, sicut publicis libellis agnoscitur, scelestissimè contra Proterium reuerendissimum virum, Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, operat⁹ est, & condemnatis viris sibimet per obreptionem indigne Episcopatus nomen imposuit, hunc cum his, qui similia præsumpserunt, in ordine sacerdotum nec numerari, sed sub anathemate, & inter simoniacos reputandum esse decernimus.

Papa vel caput Episcoporum

De

De Synodo verò, quàm petunt fieri quidam post decretum patrum, qui Chalcedonæ definierunt, nos nec optamus, nec fieri consentimus, ne maiora scandala generentur, sed magis contra Principes tanti sceleris vltionem proferri decernimus.

Martianus Episcopus ciuitatis * Abriticæ, confirmaui & subscripsi.

Martialis Episcopus ciuitatis Apiarensis, similiter.

Monophilus Episcopus ciuitatis Dorostrij, similiter.

Marcellus Episcopus ciuitatis Nicopoleos, similiter.

Petrus Episcopus ciuitatis Nouensis, similiter.

Ditta Episcopus ciuitatis Odyssæ Scythiæ, similiter.

Et hæc Latinè quidem data, est in Græco interpretata, & iterum translata de Græco in Latinum.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum ad Leonem Imperatorem.

Sacratissimo & pijssimo amatori Christi Augusto, & à Deo competenter honorato Imperatori Leoni, Basilius, Maximus, Theoctistus, Domnus, Gerontius, Flauianus, Sabacurus & Petrus Episcopi primæ Syriæ. Omnibus siquidem, sicut lux, vestra potentia ad beneficia proposita æquos radios indigentibus velut in mensura condonat, præcipuè verò illis, qui amatores rectæ fidei & eandem circa DEVM, quam vos, obtinent pietatem: cuius præceptores quidem sunt Doctores rectorum dogmatum, & qui diuersis temporibus extiterunt lumina veritatis. Custos autem omnium præcipuus præes, quandò & culturæ à vobis dilatæ susceptor & fidelissimus conseruator existis. Quapropter non auream in his coronam vobis offerimus, nec qualem hi, qui mundanarum rerum obtinent potestatem, propter beneficia sibi collata, beneficiorum grates exoluunt, sed ex famosissimis actionibus compositam, quas consuerunt studia virtute bonaque vita fulgentia generare. Quarum natura immarcescibilis, non ad breue tempus apud susceptientes manet, sed in æternum benè agentibus præmia & vbertatem epulationis extendit. Quomodò enim repensare possumns ei terrena, qui vtitur cœlesti prudentia? Quid de nostris retribuamus illi, cui diuina carpere moris est? Transeant ergò paupertatis nostræ negocia ad fauoris culmen, diuina dogmata deducantur ad medium, quæ etiam vos amplectentes, æternam vobis gloriam radicastis. Hæc enim à nobis Saluator docenda prædicauit, & spiritus gratia * sancta construxit, dudum quidem scripturas sanctas legentibus hæc prænuncians, posteà verò à Nicænis patribus pro communi vtilitate confirmans. Non enim tempus aliquod horum fidei symbolum permutauit, nec quælibet ars verborum eorum sensus conuertit: sed velut in quandam petram omnis hæreticorum impetus in hæc verba percussus, in spumam repentè dissoluitur. Siue enim creaturam dicat aliquis filium DEI secundum patris naturam, per hanc fidem malè sentire conuincitur: siue nostræ formæ veritatem in eo neget, tanquam pietatis inimicus expellitur: siue sancti Spiritus diuinam tentauerit permutare substantiam, velut fidei alienus abijcitur. Nam hæc quasi vera lux, obumbrationem nullatenus recipit falsitatis. Dum enim dicit, EX DEO natus est, hoc est, de substantia patris, ante secula, & non factum, consubstantialitatem confirmat, & omnem eis, qui aduersa sapiunt, somitem impietatis excludit. Rursus cùm dicit: Qui propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & humanatus est, & natus ex Maria virgine, dispensationis interpretatur omne miraculum. Similiter autem cum in sancto Spiritu vnam & eandem, quam in patre & filio, profitetur fidem, impietatem perimit eorum, qui sancto Spiritui reluctantur. Ex his itaque sermonibus coarmati, etiam posteri veritatis propugnatores, considerantes verborum virtutem, malis adinuentionibus fidem violare tentantibus, linguas opposuerunt, non ipsi quicquam nouitatis & per contentionem inuenientes, sed verbis symboli patrum velut in acie repugnantes. His enim, qui diuinitatis vnigeniti naturam passibilem esse calumniantur, responsionem contrariam obijciunt, inconuertibilem & immutabilem substantiam DEI docentes. Eos, qui primitias nostræ naturæ in vnigenito respuunt, ex eodem similiter arguunt, ex ipsa nuncupatione explanantes, quod ad incarnationem & humanationem nihil aliud, quam adsumptionem & vnitionem nostræ naturæ monstrauit. Hos ita centum quinquaginta magni patres, & qui vniuersale Cócilium Chalcedonense sancti spiritus voluntate celebrauere, secuti sunt, vnum eundemque filium, & secundum diuinam, & secundum humanam naturam docentes, eundemque de patre secundum diuinitatem, eundem de matre secundum humanitatem, tanquam DEVM impassibilem, eundem secundum quod sumptum est de nobis, consubstantialem nobis: eundem secundum natiuitatem de patre consubstantialem genitori, & hoc quod fuit ante secula natura, manifestantem: & quod in se adsumpsit nouissimis diebus, veritate seruatem: non alium & alium per hæc denunciantes, sed eundem filium DOMINVM & DEVM, & quæcunque de eo dicuntur, competenter glorificantes. Hanc synodum, tanquam concordem illis per omnia custodimus, & eos quidem, qui in ea anathematizati sunt, & anathematizamus, Eutychen & Nestorium: eos verò, qui in ea claruerunt, valde laudamus, & omnes absolutè, qui paternam sortem nobiscum vna custodiunt, tanquã fratres respicimus. Eos autem, qui parentalem rectitudinem negant, velut extraneos iudicamus, nihil aliud in eis amplius cogitantes. Quos enim alienos fides efficit, quid oportet à nobis alijs omnino delictorum supplicijs? De Timotheo siquidem, qui Alexandrinum pontificatum & Ægyptiacæ diœcesis arripuit potestatem, superuacaneum etiam aliquid dicere iudicamus. Quid enim amplius dicamus de eo, qui à confessione pia per ea quæ dudum & nunc agit & loquitur, sicut ex precibus vestræ maiestati prolatis ostenditur, semetipsum fecit extraneum? Denique ipse & defensores eius apertè literis, quas vestræ obtulerant tranquilitati, bellum se habere contra Ecclesiam monstrauerunt, tanta Concilia, hoc est, centum quinquaginta, & eorum, qui in Chalcedona collecti, abdicantes audacter. Quapropter multis maximisque accusationibus aduersus eum factis, non arbitramur oportere, vt hæc à nobis examinentur, nisi fortè etiam gentiles, qui à pietate segregati sunt, omnino culpemus * quomodo non omnes Ecclesiæ custodiunt sanctiones. Contra hos enim, qui prima fronte alienigenæ sunt, & in summis rebus nequaquam nobis communicare proponunt, decernere aliquid de reliqua conuersatione, nullus derelictus est locus, & tanquam legum aliquarum transgressores castigare, dum vtique alienatione fidei ab omni corpore sint abscissi, & procul à rebus nostris semetipsos abstraxerint. Si quis enim in diuinis causis elegerit, quæ nostra sunt, sequi, tunc in eum definitiones canonum in reliquis delictis examinamus: si verò summitate concordiæ communis nostræ ab Ecclesiasticis legibus longè discordat, iste nimis extraneus est. De delictis autem & præsumptionibus, quas nefandè commisit, reipublicæ legibus, & earum præsulibus secundum rationem iudicio competenti subdetur. Vestrę igitur erit clementiæ, ea quidem, quæ sunt pietatis, extendere & ornare, & ad celsitudinem decoris subuehere: ea verò, quæ huic sunt aduersa, resoluere: ostendentis simul ad clementiam & malignitatis abiectionem, per quæ in vobis imitatio diuina formatur, ad vtilitatem subiectorum cuncta disponens, & veram mansuetudinem & pacem tribuens vniuersis, quæ vestræ pietati repensationem bonorum per ea quæ geritis, pollicetur.

*sancti.

*quod.

Basilius Episcopus opto incolumem vestram pietatem multis annorum curriculis conseruari Dei Ecclesijs & Romano imperio, religiosissime & pijssime, & CHRISTO amabilis Imperator.

Maximus Episcopus Laodiceæ, similiter.
Theoctistus Episcopus Berœæ, similiter.
Gerontius Episcopus Seleuciæ, similiter.
Flauianus Episcopus Gabalæ, similiter.
Domnus Episcopus Chalcidis, similiter.
Cyrus Episcopus *Onosarthæ, similiter.
Sabas Episcopus Palti, similiter.

EPISTOLAE VARADATI MONACHI, ad Leonem Imperatorem.

TERRAE *marisq; & totius generis humani domino, orbis terrarum victori & pyßimo Augusto Leoni Imperatori, pauper Varadatus in Domino salutem.* Terribiles literas imperij vestri susc̃ipiens per Eutropium Magistrianum, vestræ diuinitatis famulum, valdè gauisus sum: semper enim gratiam tranquillitatis vestræ susc̃epimus, eo quòd possit potestas vestra solicita pro sanctis Ecclesijs Domini Iesu Christi, cunctisque pauperibus sub vestro imperio constitutis. Propterea enim in omni Imperio Romanorum vestram pietatem Deus elegit, conferens vobis intellectum sapientiæ, sicut scriptum est: *Principium sapientiæ timor Domini*, quæ sapientes mundi transcendit: quatenus conterat vestra diuinitas eos, qui iniquissimè conuersantur, & liberet iustos de manibus impiorum. Audiuimus enim, quomodò incedunt lupi super greges, & rapiunt oues ab ouilib⁹ suis, & nõ metuunt à voce pastorum. Qua propter repentè amice Leo rugies, fiesque illis valdè terribilis, & pro metu, Leonis impetum fugientes, quod abripuerũt, de suo redimittunt. Sic ergò vestram facere condecet pietatem, vt sicut nomen est imperii vestri, ita prędicetur in toto mundo terribile pietatis vestræ decretum, sicut scriptum est: Secundum nomen tuum Deus, ita & laudatio tua. Sed & Salomon, Dauid filius, ait: Similis est ira regis furori Leonis. Et Deus omnipotens glorificauit nomen Leonis super omnia, quæ in terra sunt, vt subijciat omnes volentes extolli contra timorem Dei. Scriptum est enim, quia dixit Deus omnipotens Semei prophetæ, vt iret ad Hieroboam regem, & argueret eum in quibus deliquerat: dixitque Deus prophetæ, ne comederet panem, aut biberet aquam in illo loco. Et cùm locutus fuisset Propheta regi Hieroboam secundum verba Dominica, & audiuit verba mendacij, cumque comedisset panem, & bibisset aquam in illo loco: iussit Leoni Deus, & deposuit de asino suo prophetam, & discerpsit eum, & membratim in via proiecit, eo quod transgressus est præceptum Domini. Dixerat enim ei, ne comederet aut biberet: & comedit, & bibit. Et scriptum est, quid fecit Leo prophetæ, vsque in hodiernũ diem. Sic decet nomen pietatis vestræ terribilia ferre præcepta in omni terra contra omnes, qui præsumunt diuina mandata corrumpere. Isti enim sunt filij Timothei, qui latenter egit inique, necauit hominem, & tulit eius vxorem. Et quidem Deus omnipotens eum facere noluit, sed neq; vestra diuinitas hoc perpetrare præcepit: & cũ deberent omnipotenti supplicare Deo, vt qui miseretur eis, rogarent vestræ pietatis imperium, vt eis cederet de sanguine quem habent in manib⁹ per diuersa discurrunt, fallacijs volentes, sicut scriptum est, multos à fide recta decipere, si potuerint, faciunt etiam electos errare, sicut scriptum est in sancto Euangelio. Fides enim hæc recta est & inuicta, vt scriptum est: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et ipsum verbum habitauit in Maria, & sicut legitur, induit corpore de figmento Dei patris & Domini nostri Iesu Christi. Et testis est beatus Paulus, quia Christus Iesus de Maria est natus ex semine Dauid in spiritu sancto, missus à patre, qui in cœlis est, vt in mundum veniens & ambulans, renouaret omnem carnem in carne sua, & resurgere nos faceret à morte in carne sua, & omnia in eo nobis ostendit. Nam & protoplastus homo ab eis patre factus est, & propterea postquam perijt, in filij vita quæsitus est. Et iterum propter aduersarium diabolum, qui filius noluit fieri lucis, & propterea debellabat homines, & omnem carnem hominis ĩi concupiscentia obligabat. DEVS Omnipotens facturam suam deperire non voluit, sed misit Spiritum sanctum suum, ad Mariam Galilæam in corpore, quod ille deceperat, in quo etiam seducebat inimicus, vt per eum deuinceretur atque confunderetur.

Corpus enim Domini nostri Iesu Christi omnem carnem viuificauit, vt per corpus proprium ostenderet iustitiæ templum. Per ipsum enim sumus liberati, sicut beatus Paulus ait, & Esaias Propheta testatur. Cùm enim vidisset Dominum Deũ, ait: *Væ mihi in labijs iniquis, & Dominum Deum vidi.* Et sumens angelus carbonem ignis ab altari per ferrum, posuit in ore Prophetæ, dixitque Prophetæ Angelus: *Transijt iniquitas tua.* Rogamus vestrum Imperium, vt ad eos dicere iubeatis, quarè per ferrum carbonem sustulit Angelus, & Esaias Propheta digitis carnis appropinquare non potuit, quoniam vrebantur. Et dicere si nequiuerint coram vestro Imperio & victoria, etiam nos, quod nobis iussit vestra tranquillitas, dicimus cum veritate, mõstrantes, sicut in sanctis scripturis de virga ferrea legitur, (est enim virga Christus) sicut scriptum est, in igne, & fit ignis. Nunquid possunt digiti carnis appropinquare ei, & non vri? Sed per forfices ferreas, quæ similes ferro sunt, & dũ per eas tenta fuerit virga ferrea, iam tunc teneret carnis digitis, nec vruntur. Sed etiam & ipsi, qui tenent in fundum virgam ferream, & ignem, qui similis est, in aqua, & tunc possunt digiti tenere, & non vri. Ita factum est & in Ioanne, qui secundum similitudinem artificis, tenuit baptizando in aqua Dominum ad similitudinem ignis. Et tunc datum est sanctis sacerdotibus Dei, tenere corpus sanctum filij Dei, & non vruntur communicantes hominibus cibum æternum. Legitur, *Vita hominis, panis & aqua*: non est panis, qualem comedunt Iudæi, & operarij non credentes, quia vita est hominum: sed corpus, quod intus est filius Dei, ex Maria virgine, & est figmentum Dei, qui est filius Dei, panis qui de cœlo descendit. Non enim aqua, quæ ex multis est fontibus, vita est hominum: Nam sunt multi aquam non habentes: sed aqua, quæ vita hominum est, aqua est baptismatis, quæ est ex Deo. Sicut enim virga ferrea fit ignis, & absque forcipe ferrea non tenetur, sic & verbum quod erat in principio, teneri non poterat & fieri vita hominum, nisi induisset carnem, vt in eo corpore secundum similitudinem teneretur. Non poterat autem sinè corpore hominis hoc teneri, sicut nec Esaias illud tenuit digitis carnis, quoniam nondum indutum carne verbum Dei. Quomodo enim ostẽdere poterunt, ex quo est plasmatus Adam, vsque dum venisset Christus, & indutus fuisset carnem ex Maria virgine, quia potuit qui squam electorum tenere verbum, quod ante luciferum est, sicut multi nunc comedunt? Nunquid nõ diligebat Deus, sicut diligit nunc eos, qui in hac generatione sunt? Diligebat eos, & in eis valdè gaudebat. Sicut enim sapiens artifex massam fermentat, & non repentè eam consperſionem permiscet, sed spatio alicuius momenti quiescit: & tunc sumens consperſionem, fermentat eam, & ita amicis suis præbet ad comedendum: Ita nunc gestum est, vt sufficiant hæc exempla non credentibus. Abraham, cum dixisset Saræ vt faceret fermenti sata tria, non dixit ei nomen, eo quod non erat fermento consperſum. Et cum venisset Deus, & donasset gratiam patris, ait: *Simile est regnum cœlorum homini, qui accepit farinæ sata tria, & abscondit in eis modicum fermenti.* Quis enim Prophetarum antiquorum aut nouissimorum dixit, vt misceretur consperſioni fermentum, nisi ipse Christus, qui venit, vt diuinitas eius voluit, & permiscuit plasma patris secundum voluntatem patris sui, sicut scriptum est: *Veni facere voluntatem tuam Deus?* Scimus enim, quia verbum in principio erat ante plasma & ante solem, & sic mansit, donec hoc plasmate opus esset: nam & fermentum mundi ante plasma. Quod aũt præsumpserunt atque locuti sunt coram vestræ serenitatis Imperio, sicut didicimus ex his quæ conscripta sunt, quoniam dicunt sufficere sibi Concilium in Nicæna vrbe celebratum, & nequaquã in Chalcedonensi Concilio consentire: exprobret eis vestra diuinitas per sapientiam sanctorum Apostolorum, qui dum congregati essent in Hierusalem, præter Paulum Apostolũ, omnes simul librum Actuum cõscripserunt propter fidem Domini Iesu Christi, & permanet in sanctis Ecclesijs, quod scripserunt, & post multos annos venerunt ex eis in magnam ciuitatem Antiochenam, & venit simul beatus Paulus ad eos. Et congregatis eis in sancta magnaque Ecclesia, surgens beatus Paulus, sicut scriptum est, arguit beatum Petrum corã omni ecclesia. Sic enim dixit Petro: *Si tu, cum sis Iudæus, in præputio viuis, quomodò cogis gentes Iudaicè viuere?* Et non contra dixit Petrus, & reliqui Apostoli Paulo, sed verba Pauli cum gratia susceperunt, permanentes in vera fide, quæ per Paulum eis adiecta est. Et si isti, qui cùm essent lumina mundi, multo tempore cum Christo Domino conuersati, susceperunt sermonem Pauli, quem in nouissimo Deus elegit: quanto magis debent, qui missi sunt à Timotheo ad vestrum Imperium, suscipere doctrinam sancti Concilij, & beati, semperque memorabilis Martiani, & quæcunque iusta sunt de vera fide Calcedonensi? Dispositа verò nequaquam maligna sua machinatione consentiunt in sancto Concilio, & in Prophetis, aut in Apostolis. Sufficit beatus Dauid exprobrans & confundens

Pſal. 100. Prou. 1. & 9.

Pſalm. 47.

Prou. 19.

3. Reg. 13.

Matt. 24.

Ioan. 1.

Rom. 1.

Luc. 1.

Gal. 5.

Eſa. 6.

Pſalm. 2.

Matth. 3.

Eccl. 15. Panis.

Ioan. 6.

Aqua.

Ioan. 1.

Pſal. 104.

Gen. 18.

Matt. 13. Luc. 13.

Pſal. 39.

Gal. 2. Petrus & reliqui Apoſtoli Pauli. cum gratia ſuſcep. runt, nec dedigna. ſunt addiſcere.

non ſen-

non sentientes susciperè verbum Dei, quem quotidianis diebus in suis auribus audiunt. Ait enim Dauid: *Ante solem fuit nomen eius.* Et quando natus est de sancta virgine Maria, dixit ei denuò Deus Omnipotens: *Ego hodiè genuite.* Et metuendum est atque terribile, putare mentiri Deum in sermonibus suis, quibus ait: *Ante solem fuit nomen eius.* Et iterum cum natus esset de Maria virgine, *Ego hodiè genuite.* Sed rursus ait: In Siō nominatus est, & ipse fundauit eam. Et ipse Dauid in Sancto spiritu ait de seipso: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Hæc ergò, quæ thesaurizauerunt nobis Apostoli & Prophetæ, & iusti, habitantes in montibus & in speluncis, qui placuerunt in conspectu Dei, ea scripsimus vestrę pietati, ad gloriam Dei & Christi & Spiritussancti. Et dudum quidem sancti & venerabiles Archiepiscopi vestræ tranquillitati veram fidem scripserunt, & de Chalcedonensi Concilio, (similia enim sunt coram Deo) & qualis fuit oblatio Abraham prius, & Iob in medio, & sanctorum nouissimè offerentium: ita susceptit Deus legislationem sancti Concilij prioris & posterioris. Vellem autem, vt iuberet vestra diuinitas coram se filijs Timothei: Abraham vnum agnum obtulit, & suscepit Deus & lætatus est: & Iob septem agnas & septem boues vnam oblationem Deo, & suscepit Deus, & lętatus est: & sancti Apostoli tres panes, qui sunt corpus Christi, & suscepit. Quid putas dicturi sunt Timothei filij, similis est ouis Abraham illis quatuordecim, qnas obtulit Iob? An certè dicturi sunt, quia non fuit similis vna ouis Abraham, illis quatuordecim Iob? Iam nos omnes filij Abraham sumus, vocati in vera fide. Sed Abraham & Iob, qui placuerunt Deo, minimè hoc baptisma susceperunt. Nunquid nos diuisi sumus ab eis? Absit, sed credimus, quia & ipsi & nos filij sumus Omnipotētis. sic decet credere vestrum Imperium, & veram statuere fidem. Deus enim perfectus est, & non possunt homines perscrutari diuinitatem eius. Sicut enim solem non potest quilibet minuere aut mutare, sic nec factorem solis poterit in æternum. Hæc cum tremore scripsi vestræ pietatis Imperio, septima & vicesima die Augusti mensis, anno secundo Imperij, indictione decima. Saluto vestram diuinitatem, & omnes diligentes tranquillitatem vestram, & deprecor Omnipotentem Deum, vt statuat vestrum Imperium longæuis in hoc mundo temporibus, & in futuro seculo coram Deo.

Psal. 71. Psal. 2. Psalm. 71. Psalm. 2. Psalm. 87. Psal. 109. Gen. 15. Iob. 1. Rom. 9. Gal. 3. Matt. 16. 1. Pet. 3.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM EPIscoporum ad Leonem Imperatorem.

Religiosissimo atque pijssimo, & Christianissimo Augusto, & honorato competenter à Deo Imperatori Leoni, Epiphanius, Eusebius, Elias, Diogenes, Maximus, Paulus & Magnus Episcopi secundæ Syriæ. Ostendit, pijssime Principum, Dominus omnium Christus amorem circa sanctas Ecclesias suas eximium, & ad termi num etiam nunc adduxit promissionem, qua in sanctis Euangelijs Petro dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non præualebunt aduersus eam:* quando vestram tranquillitatem pij imperij Augusta veste circundedit, & mirabile non est. Nam cùm Deus sit, & sinè mendacio verba protulit, & firmas suas promissiones semper ostēdit. Vndè vos largitorem potestatis optimè cognoscētes, ea quæ gloriam eius declarare nouerunt, hæc statuere laboratis, confidentes quoniam ex hoc vestræ gloriæ culmen augebitur, dum eum, qui glorificauit, glorificare denuò festinatis. Quapropter nos beneficiorum nostrorum culmen experti, pro pietate vestra diuinitati incessabilibus orationibus supplicamus, vt suo decreto terrarum orbi gubernatorem donatum longo tempore conseruare dignetur ad exaltationem sanctarum Ecclesiarum, & æternam constantiam rerum. Confidimus autem, quoniam nostras suscipiet preces, videns nos pro sua gloria cogitantes, & propterea orationes pro vestro facientes Imperio. Igitur dignatum est vestri culmen imperij, pijs syllabis indicare, vt affectum quem circa fidem habemus aperiamus. Complentes ergò quod scriptum est, sinè aliqua dilatione, vestræ sanctioni velociter obedimus. Ait enim: *Parati semper ad satisfactionem omni petenti vos rationem de spe, quæ in vobis est.* Et si vnicuique, pijssime principum, iubet sermo diuinus de pietate proferre cum præparatione responsum, quanto magis nobis, qui propter communem vtilitatem hoc facere festinamus? Significamus ergo, quam sententiam habemus circa venerabilem confessionem, & quæ Concilia vera decernimus, quæ hanc fidem firmam esse per sanctas scripturas asseruerunt. Est itaque prima quidem Synodus post Apostolicam fundationem, velut crepido quædam immobilis trecentorum decem & octo patrum, qui in Nicæa sub diuæ memorię Constantino collecta est, & Arij vesaniam publicauit, & consubstantialitatis scientiam cunctis aperuit. Post illam verò, centum quinquaginta patrum, quæ in regia Constantinopoli congregata est, quæ Deum sanctum Spiritum declarauit apertè, confessionem: & his duabus consentire ea, quæ in Epheso sunt prius gesta, didicimus. Post quas sanctas & vniuersales Synodos, & eam, quæ Chalcedonæ celebrata est, & cum summa integritate tradi per omnia festinauit, tanquam voluntatem DEI dicimus & congregatam pariter, & firmatam. Rectam enim & immaculatam adseruit fidem, nihil vlterius dici aut sanciri consentiens, quam ea, quæ posita sunt in venerabili symbolo trecentorum decem & octo patrum. Hæc autem & dudum scripsimus vestræ potentiæ, cum subscriptionibus subditis reuerendissimorum Episcoporum prouinciæ destinantes. Quia verò & de Timotheo, qui Alexandrinorum Ecclesiam quadam fluctuatione commouit, nos significare sanxistis, sacratissimas regulas sequentes, & his edocti per Dei gratiam Ecclesiastico tramite nostrum peragere tempus, authorem homicidij & adulterij, hunc talem operarium esse decernimus, legentes ea, quæ precibus sanctissimorum Episcoporum, vestram maiestatem adeuntium, continentur. Ex quibus etiam nos extincti super eum decretum tale protulimus, cùm & efficacem & penetrantem super omnem gladium bis acutum proponentes Dei sermonem: & licet neque ab initio possederit, (Nam quomodò habere potuit, qui secūdum quòd scriptum est, non accepit?) tamen alienum eum à cuncta dicimus sacerdotij dignitate. Vestræ igitur pietatis est, sanctissimum etiam in hoc agere zelum, & illa sancire, quæ legibus & sacris canonibus, & cunctis Dei Ecclesijs pacem conferre videantur. Incolumem pietatem vestram multis annorum curriculis conseruari Dei Ecclesijs, & Romano principatui deprecamur religiosissime & Christo amabilis Imperator.

Heb. 4. 2. Cor. 4.

Epiphanius Episcopus Epiphaniæ, similiter.
Eusebius Episcopus Arethusæ, similiter.
Elias Episcopus Seleuciæ, similiter.
Diogenes Episcopus Lariſſæ, similiter.
Magnus Episcopus *Mariammæ Euphratesiæ, similiter.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

Deo amantissimo & pijssimo, atque Christianissimo Augusto, dignè à Deo coronato Imperatori Leoni, Nonnus, Damianus, Ioannes, Abrahamus, Ioannes, Petronius, Elias, Basilius, Abrahamus, Episcopi* Osrenæ prouinciæ.* Non est mirabile, ô victor atq; Christianissime Principum, vt qui desuper sceptrorum potentiam sumpsit, cum consilio Dei, qui hæc præbuit, cuncta faciat, atque immobilia sacerdotij iura custodiat, nihilque patiatur propter multam mansuetudinem rerum sibi competentium præter eius decernere voluntatem. Et hoc maximum est inter alia nimis indicium, quod designant etiam literæ vestræ, quas nuper nobis dirigere tranquillitas vestra dignata est, per quas ea, quæ crudeliter sunt præsumpta contra sanctas regulas à Timotheo, qui tyrannicè sedem diuinitus sacerdotibus condonatam tenuit in Alexandrina ciuitate, cognouimus. Omnium enim iniquitatum res plenæ sunt, & piæ intentioni vestrę tranquillitatis, & immaculatæ fidei valdè contraria. Vos enim, ex quo purpuram & coronam geritis, orthodoxum lumen, Ecclesiarum omnium Domini Christi diuersam semper habuistis curam. Quæ verò in Alexandria gesta sunt, sicut preces continent eorum, qui eas pietati vestræ apices obtulerunt, omnem transcendunt iniquitatem. Vos fidē orthodoxam custoditis, scientes ab ea optimè commoneri. Timotheus autem ad eius destructionem nihil non præsumpsit. Vos pacis estis authores, illi nouorum certaminum inuentores: Vos sinè sanguine subjectos viuos virtute Dei legibus custoditis: illi nutricem suam pontificali sanguine cōpleuerunt. Vos cum benedictione competenti ad diuina loca semper acceditis, illi principium sceleris ibidem commiserūt. Quomodo ergò possibile est his ita se habentibus, aut humili-

*Osroenæ

bus nobis, aut vobis piè regnantibus inter sacerdotes constituere harum rerum authorem? Et de Timothei quidem causa hanc sententiam nos habemus. Vt aut correctio in eo fieri debeat, estis vos domini per authoritatem imperij, quam estis iustitiæ suffragio consecuti. De sancto autem Concilio Chalcedonæ celebrato, ex quo semetipsos penitus abscederunt, id est Timotheus, & huic similia sapientes, ad peremptionem dogmatum benè expositorum à beatis patribus in Nicæa collectis, quæ etiam idem sanctum Chalcedonense Concilium confirmauit, non infirmauit: conroborauit, non subuertit: laudauit, & non infregit: quid oportet aliquid nos vel dicere, orantes cum his, quæ ab illis decreta sunt, quibus etiam præfulget Symbolum à sanctis patribus in Nicęna vrbe signatum, & viuere & vitam huius seculi terminare? Ab illo enim nos sancto & beato Cõcilio, nullus præter mortem poterit sęparare, quomodo vos tranquillissimi, quæ ab his sancita sunt, optimè vestris syllabis confirmastis. Nonnus Episcopus Edessenæ Metropolis, incolumem vestram pietatem multis annorum curriculis, conseruari DEI Ecclesijs, & Romano Imperio, DOMINVS præstet CHRISTVS, pijssime & Christianissime amabilis Imperator.

Damianus Episcopus * Callinicis, similiter.
Abramius Episcopus Circesij, similiter.
Basilius Episcopus Balensis, similiter.
Ioannes Episcopus Carensis, similiter.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

RELIGIOSISSIMO, *atque pijssimo & Christianissimo Aug. & à Deo coronato, & honorato Imperatori Leoni, Maras, Moronius, Noe, Eusebius, & Riticius, Valaras, Maras, Abramius, Episcopi vestræ Mesopotamiæ regionis.* Omnium Christus atque Saluator, qui humanum genus tanquam facturam propriam miseratus, ab impietatis profunditate & ignoratione peccati ad celsitudinem scientiæ pietatis euexit, & lumen quidem Ecclesiam suam; id est, corpus fidelium nominauit, inuictam verò eam etiam inferni portis esse constituit, & operationibus eam tanquam DEVS vndique roborauit: non solum per piscatores discipulos suos, magnum mysterium veritatis annunciantes, non iam humanæ prudentiæ verbis, sed cœlesti sapientia, & ignea sancti Spiritus lingua fundauit & auxit: sed etiam per pios posteà Principes, & collaborantes piscatoribus, ad prædicationem pietatis euexit. Quorum pij imperij successorem, & fidei salutaris hæredem etiam nunc suis donauit Ecclesijs, & omnibus, quæ sub cœlo sunt rebus, tranquillissimam Christianitatis vestræ potentiam, ad confirmationem Ecclesiasticæ pacis, saluantis vos spei simul & fidei, & constantiam totius orbis terrarum, & pelagi rationalis fidelium populorum. Igitur à Deo propter insertam vobis fidem hanc & pietatem regalia sceptra suscipientes Christianissime principum mansuetudine atque clementiæ largitorem remuneratis imperij, quando pro humana salute & Ecclesiarum pace cum sacerdotibus Christi curam congruam ante alias cogitationes & beneficia tanquam pij principis exhibetis: & vt fideles Christi sacerdotes regalibus vestris & pijs literis honoratis, eosque ad hanc vtilitatem participes vos habere non piguit. Huic ergo consilio obedientes, voluntati ac prouidentiæ vestrę potentiæ altam pacẽ & longæuam optantes vitã, congregati in vestram Mesopotamiam, ex his, quæ apud vos pio proposito gesta sunt, nostram sententiam declaramus. Sanciit itaque Christianitatis vestræ potestas, vt relegentes oblatas vobis aduersus Timotheum preces, syllabis pietatis vestræ subiectis, indicaremus vestræ tranquillitati, quam de eo sententiam habere possumus, cum Dei videlicet hoc timore facientes. Quas preces non sine dolore, non sinè lachrymis relegentes, & scelus non modicum, & narrationem auribus terribilem in eis inuenientes, nihil aliud præter hoc dicimus, Christianissime principum, qui sufficit omni auditui & menti fidelium, in his, quæ nefandè à Timotheo gesta sunt, cùm hæc vera probẽtur, iustam contra eum habere vos indignationem, & pias leges vestras erigere, & vt sacerdotes Christi lugeant eum, qui talium rerum cooperator effectus est, & hoc in schemate sacerdotis, cùm vtique neque possit esse, neque laicorum vti communione fidelium, non quia sacerdotis & hominum sibi debeat nomen imponere. Igitur de rebus tristitia plenis & fletibus, hęc à nostra humilitate ad notitiam pietatis vestræ perducta sunt, cum possitis per sapientiam vobis à Deo celebratam, quando in manibus eius vestra corda seruantur, & cogitare decenter Ecclesias Christi ab huiusmodi scelere liberare. De spe autem & fide, quæ in nobis est, in qua nutriti sumus, & in qua ex hac vita oramus abire, confessionem quam habuimus & habemus, mansuetissime principum: sequentes principaliter, & velut super firmissimum fundamentum nostra verba & vitam, super Euangelicam & Apostolicam prædicationem Trinitatis ædificantes, deinde & expositam à sanctis patribus, qui in Nicæa collecti sunt, sequimur fidem, reuerenter autem & velut tutam nostræ vitæ, etiam sanctum concilium, quod Chalcedonæ celebratum est, obtinemus atque seruamus: quod nihil in symbolo fidei expositio Nicææ à sanctis trecentis decem & octo patribus est adiectum. Sancta siquidem Chalcedonensis synodus impietatem hæreticorum singulorum temporum abdicauit, & prædicationem Trinitatis confirmare secundum diuinas scripturas, & pijssimorum patrum expositiones atque traditiones per omnia festinauit. Hæc & de fide & de spe, quæ in nobis pro satisfactione est, etiam cum timore Dei manifesta vestræ facimus potestati, hæc tanquam solita saluare defendimus, hæc cum sacerdotibus Christi pietas vestra tenens atque confirmans, in pace imperij retinacula gubernabit, Ecclesiam Christi immobiliter conseruando, regni cælorum arras firmissimas possidebit, & nos sacerdotes & populum fidelem cum studio magno clamare faciet ad Dominum Christum: Saluum fac Domine regem tuum, & exalta cornu eius imperij, quod est & erit gloria tuorum Domine sacerdotum, simul & Ecclesiarum tuarum. Maras Episcopus vestræ Mesopotamiæ, incolumem vestram pietatem multis annorum curriculis conseruari Ecclesijs Dei, Romano pariter optamus imperio, religiosissime & Christo amabilis Imperator. Zoras Episcopus similiter. Maronius Episcopus similiter. Noe Episcopus similiter. Eusebius Episcopus similiter. Riticius Episcopus similiter. Valaras Episcopus similiter. Maras Episcopus similiter. Abramius Episcopus similiter.

Matt. 16.

1. Cor. 2.

Locus mẽ dosus.

Prou. 21.

Psalm. 19

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum ad Leonem Imperatorem.

DOmino amantissimo & Christianissimo, & à Deo decenter honorato Imperatori Leoni, Dorotheus, Eustathius, Megas, Theodorus, Rufinus, Cassius, Paulus, Heraclitus, Antiochus, Nonnus, Magnus, Thomas Episcopi oræmaritimæ Phœniciæ in Domino salutem. Glorificat quidem omne genus humanum Dominum Christum, quoniam scriptis vestræ pietatis lætari promeruit: plus autem collaudat Deum chorus sacerdotum, quoniam vestris bonis in communi participatur, & quia rursus ratione præcipua honorem vobis ipsis debitum promeretur: decebat enim eum, qui culmen imperij diuina largitate sortitus est, Dei sanctas Ecclesias venerari. Optimè nanq; conficitis, quoniam his benè dispositis, omnis manus hostium vertitur in timorẽ: & qui pridem imprudenter resistere didicerant, propter vestræ fidei magnitudinem confusi, venient ad ruinam. Imitatores enim eorum principum constituti, qui iustitia & æquitate claruerunt, facilimè rebus præsentibus prævalebitis. Pro Dei siquidem legibus dimicastis, velut integri custodes earum, & sanctorum habentes curam, æquo cum eis honore fruemini, cogitantes vt nullius hominis disciplina minor inueniatur, & pro subiectorum quiete præcipuam studetis habere solicitudinem. Et hæc quidem quantum ad consolationem pertinet corporalem, pro eius vtilitate gerere vestra serenitas non quiescit: potiorem verò habet industriam, vt fidei orthodoxæ cultus in hominum animabus oriatur: quatenus vestra pietate adducãtur regi regum, qui à Deo, vt essent, plasmati sunt. Hãc itaq; deuotionem possidens apud Deum, & sanctas Ecclesias multiplicare quotidie studens vestra tranquillitas, sequendo quidem reuerendæ memoriæ, & in sanctorum choro laudãtem Constantinum, & tenendo vestigia piæ memoriæ Martiani, pro pace Ecclesiarum maximam diligentiam gerit ve-

ſtra religio. Quapropter ſancire dignati eſtis, vt per vniuerſos prouinciarum epiſcopos manifeſtum veſtrę trāquillitati fiat, quam voluntatem habemus de glorioſo concilio Chalcedonę celebrato. Qua de re noſtram apertè ſententiā declaramus, quia nulla ratione aut modo diſcordat ab expoſitione ſanctorum patrum Nicææ congregatorum: nec tanquam minus habeat doctrina Maiorum, qui in Nicæa fuerunt, hoc geſtum eſt, ſed vt per Chalcedonenſe Concilium, illorum expoſitionis reueletur intentio. Quia enim alij aliter, &, vt volunt, pijs ſyllabis violenti ſunt, & familiarem malæ ſectę nequitiam immaculatæ fidei imponere moliuntur, huius rei gratia peſtiferā eorum & callidam redarguens voluntatem, & omnem putatiuam opinionē Dominicæ inhumanationis abdicans eos, qui prodigioſè, non ex Dei genitrice virgine, eſſe noſtrum ſermentum credunt, deſtruxit, & veſanam rabiem figmenta talia cogitantium publicauit. Neque enim augmentum aut correctionem, neque imminutionem aut deciſionem fecit Chalcedonenſe concilium patrum ſpiritali concordia collectorum. Eſt enim & ex hoc indicium ſumere manifeſtum, eo quod diuino decreto & approbatione cuncti conuenientes, rectæ cōfeſſioni in his, quæ ſunt placita conſenſerunt, & nulla (Dei gratia) ſecuta eſt diſcordia. Et de his quidem, vt congruit, indicauimus, immobiliter noſtram ſententiam roborantes, & ſcientes quia omnipotenti Deo valde placemus, & veſtræ maieſtati hoc modo ſatisfacimus, quandò nihil contrarium nec extraneum à Nicænorum patrum ſymbolo ſectatur Chalcedonenſe concilium diuinitus inſpiratum, ſed magis dictis Maiorum conſonat atque concordat, ita contra maleuolos ſemper amplectitur. De eo ſiquidem, qui Epiſcopalem vocationem Alexandrinæ ciuitatis abripuit, ſicut eum preces oblatæ plurima contra patrum regulas feciſſe, deſignant, hoc tantum modo dicimus: quia ſecundum ea, quæ precibus ſunt inſerta, menſuras Eccleſiaſticæ vindictæ tranſcendit. Cur enim dicat quilibet, vt ei dignitatis nuditas inferatur, quam neque primitus habuit, nec illi poſt hæc acceſſit? Hic enim, ſicut preces de eo edocent, & legum, & Eccleſiaſticorum canonum pro nihilo habuit ſanctiones. Et quæ aures huius ſceleris dicta non reſpuāt? quæ lingua ea, quæ ſcripta ſunt in illis precibus, explicare cuncta præualeat? Veſtræ ſiquidem ſolummodo erit iuſtitiæ atque ſapientiæ cogitatio, celerem terminum rebus imponere. Quod autem nunc noſtram mentem effugerat, non erat reminiſci ſuperfluum: quia enim quaſi gloriantes hi, qui pro eo petitiones obtulerunt, dixerunt, eo quòd Timotheus ſymbolum trecentorum decem & octo patrum, ſicut affirmauerunt amplectitur, ex hoc apparebit hic ſimulatione & arrogantia magis vſus. Nam qui præter eorum formam ac terminos inuerecundè omnia perpetrauit, & apertè contra eos bella ſuſcepit, illos primitus impugnauit, in quorum minimè conſtituto permanſit. Igitur pijſſime Imperator Leo, veſtrum eſt, vt in eum formam congruam deferatis. Extingue armiger Dei, ſicut tuæ conuenit religioni, impetus frequentium tempeſtatum, & ſanctis Eccleſijs Dei ita diſpone pacem, quatenus pro veſtra potentia, & omni ſacro palatio & victoria fidelis exercitus orationes ſuas emittant, pro omni vitæ veſtræ tempore, quam Deo placeat conſeruare. Dorotheus Epiſcopus Tyri: Incolume pium veſtrum & Chriſtianum imperium, pro beneficio & pace cunctarum Eccleſiarum, ſancta Trinitas cuſtodire dignetur, pijſſime & Chriſto amabilis Imperator. Euſtathius Epiſcopus Berytiorum, ſimiliter. Megas Epiſcopus Sidonis, ſimiliter. Theoporus Epiſcopus Tripolis, ſimiliter. Heraclitus Epiſcopus Arcœſi, ſimiliter. Nonnus Epiſcopus Orthoſiadis, ſimiliter. Atticus Epiſcopus Aradię Conſtantię, ſimiliter.

EPISTOLA EPISCOPORVM INFRAſcriptorum, ad Leonem Imperatorem.

DEo amantiſſimo, & pijſſimo, atque Chriſtianiſſimo Domino totius orbis terrarum, & à Deo decenter honorato Imperatori Leoni, Ioannes, Veranus, Petrus, Ioannes, Ioannes, Thomas, Dada. Euſebius, Theodorus, Abramius, Petrus & Euſtathius, Epiſcopi Phœniciæ ſecundæ Libaniſiæ.

Prou. 21. Verè cor regis in manu Dei, & cor Dei in conſilio regis: propterea qui ab eo Imperij retinacula ſunt ſortiti, nunquam decipiuntur, ſubiectos autem magna ſolicitudine gubernātes: Dei enim cor habent, vndè poſſident donum ſapientiæ atque * ſolatii, vndè meruerint coronari. Ex illa ſiquidē manu, rerū dñe adeptus ſapientiā, habes immobilē atq; robuſtā in te fidei rectæ crepidinē. Igitur conſulere nos veſtra ſerenitas pia ſanctione dignata eſt de immaculata fide, quæ in nobis eſt, quam videamur habere voluntatem. Hoc enim nos docent Apoſtolicæ ſanctiones, quod à patribus ſanctis cautè percipimus, tam ab his, qui in Nicæa per ſanctum ſpiritum congregati ſunt, & quæ ſunt ſancti ſpiritus, ibi ſanxerunt, quàm à centum quinquaginta patribus, qui cum eo ſpiritu, inimicis eiuſdem ſpiritus corde pacifico reſtiterunt. Necnon & de beatis patribus Chalcedonæ collectis, qui ſuperiora quidem concilia multitudine tranſcenderunt, nihil autem horum, quæ ab illis rectè probata ſunt, reliquerunt, quod non competenter inſinuauerunt. Si enim ea, quæ à patribus Chalcedonæ congregatis ſancita ſunt, infirma iudicauerimus: & ea quæ in Nicæa decreta ſunt, ſinè dubitatione deſtruimus. Horum nanque illa non peremptio, ſed robur exiſtunt. Si autem ea, quæ in Nicæa conſtituta ſunt, vel vſque ad vnum ſermonem refutare voluerimus, & Apoſtolorum ſanctiones læſiſſe videbimur. Vbi enim fundamentum rectæ & immobilis fidei poſuerunt ſapientiſſimi architecti, illic prædictorum patrum ſanctiones ædificatæ ſunt. Qua gratia noſtras animas non negamus, neque ſanctos patres, aut quæ ab eis noſcuntur eſſe ſancita. De ſancto quidem Chalcedonenſi concilio, & quæ illic piè definita ſunt, hanc nos habemus cum veſtra pietate ſententiam. De impia verò tyrannide Timothei Ægyptij, qua vſus eſt, ſacerdos equidem factus non eſt, ſed potius Eccleſiæ adulter apparuit. Quid dicam, qui eam, quam ſaluator proprio ſanguine liberauit, ille pontificali ſanguine voluit adipiſci, & factus eſt non paſtor ouium Chriſti, ſed importabilis lupus: non pater, ſed parricida: non ſponſus, ſed thalami violator? Hæc enim omnia continentur in precibus, tranquillitati veſtræ porrectis, quas relegentes, amare fleuimus. Quomodò enim ingemiſcere non poteramus, audientes hæc in canonum ſubuerſionem fuiſſe commiſſa, & per mutationem Eccleſiaſticarum ſanctionum, & diſciplinæ digreſſionem, ſacerdotum necem, ſacrorum, quantum ad præſumptiones attinet, pollutionem? Nam licet ſacra omni violatione ſint libera, veruntamen audacium niſus eorumque conſcientia violata eſt, ſecundum Apoſtoli Tit. 1. dictum. Hæc itaque de illius præſumptione proferimus, quoniam non eſt fas, vt veſtræ fidei tranquillitas hunc dignum de beat iudicare. Qui enim rebus diuinis illuſit, magis autem tyrannidem ei intulit, quique eiuſmodi malis ſemina miniſtrauit quidem, monſtrauit etiam poſteris cauſas ſcandalis plenas, & ſuæ malitiæ imitatores effecit, nequaquàm nos vocamus ſacerdotem, aut ſuis criminibus innoxium eſſe decernimus. Nos itaque ex his, quæ agnouimus, omni venia hunc virum exuimus: veſtra Chriſtianiſſima maieſtas de ciuitatis illius emēdatione deliberet: quicquid enim vultis manſuetiſſimi domini, adimplere poteritis. Pio nanq; principi nihil impoſſibile, quod non poſſit modo pietatis adimplere. Dominus enim vniuerſorum gubernat imperium, & ipſe authoritate ſua imperauit fluctuanti mari vt quieſcat, & tam vobis mundi rectoribus, quam eis, qui reguntur à vobis, ſuo imperio tranquillitatis pignora condonauit. Ioannes Epiſcopus, incolumem veſtram pietatem, multis annorum curriculis cuſtodiri Eccleſijs Dei & Romano deprecamur imperio, venerabilis & pijſsime, atque Chriſtianiſſime Imperator. Matt. 8.

Vranius Epiſcopus Emeſæ, ſimiliter.
Petrus Epiſcopus Heliopolis, ſimiliter.
Ioannes Epiſcopus Abilæ, ſimiliter.
Ioannes Epiſcopus Almirenſis, ſimiliter.
Thomas Epiſcopus Euarius, ſimiliter.
Dadas Epiſcopus Comoarenus, ſimiliter.
Euſebius Epiſcopus Abydenus, ſimiliter.
Theodorus Epiſcopus Caſtridanabeni, ſimiliter.
Abramius Epiſcopus Coradenſis, ſimiliter.
Euſtathius Epiſcopus Saracenorum, ſimiliter.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Epiſcoporum, ad Leonem Imperatorem.

PIiſſimo & Chriſtianiſſimo Imperatori noſtro Auguſto, & à Deo competenter honorato principi Leoni, Epiſcopi Iſauriæ prouinciæ

for. * conſilii.

Basilius, Ioannes, Iulianus, Nonnechius, Epiphanius, Ammonius, Paulus, Cono, Euphronius, Sabbathius, Athanasius, Hermophilus, Iulianus, Theon, Dacianus, Paulus, Orention.

Quem alterum decebat Imperatorem, talia pro talibus præcipere, & scribere nobis subiectis, & leges pro rebus diuinis ponere sacerdotibus æquo iudicio puras, præter vestram solummodo pietatem, quam ipse proprie Deus elegit, & ex totius mundi potentia coronauit, & supra rei publicæ retinacula constituit, violentia tempestatis nullatenus imminente? Quapropter bonam retributionem, * quæ prospicitis, Christo referre desideratis. Abel sacrificiorum puritatem feciſtis: in * quo enim æquale est sacrificium cum veritate fidei & amicitia pacis. Zelatus es actibus tuis tranquillissime Imperator, Constantinum illum memoriæ immortalem, maximum, pium, amatorem Christi, & indubitanter apud omnes beatum, qui Abelis viuens imaginem in animabus hominum possedit in æternum: qui cum Dauid quidem sicut Rex & Propheta stat apud Deum, cum Petro autem & Paulo, & tonitrui filijs, quasi similis eis, in prædicationibus veritatis effulget. Ille enim, quando eum Romanorum sceptris Deus ordinauit, Ecclesiæ membris intexuit, multam caliginem & tempestatem quandam imminere lucipurissimę dogmatum veritatis inspiciens, & creaturarum adoratione imminuta, à falsis simulatoribus pietatis denuò eam videns institui contra Christianam fidem, & sacerdotes, qui verè filium esse Dei & de substantia patris ante secula natum credunt & prædicant, semetipsum per sanctum Spiritum increatæ Trinitatis Imperio & adorationi subijciens, suum in terra firmauit regnum, & pietatis radios in terra mixtos omni caligine, ex illo tempore vsque ad præsens per omnes (vt ita dixerim) terras expliciuit: factus semen, & radix, & cultura, & scintilla nobis salutis inextinguibilis. Sed rursum Christianissima vestra * honorabilis Imperator ad illius tendit intentionem. Ecclesiæ siquidem Alexandrinæ ædificatore nequitiæ languorem ferente certaminis, & membra corporis vniuersorum fidelium dissipante, quæ pro salute communi debebant alterutris esse sociata: quatenus, qui sanæ sunt mentis, in definitionibus Nicæni Concilij permanerent, quas dudum patres congregati Chalcedonæ signantes, * ouilium rationalium ouium tradiderunt. Alijs verò quendam Timotheum eligentibus, repugnantem dogmatibus patrum, qui Chalcedonæ collecti sunt, & petentibus eũ principem, ouiumque pastorem, qui illis derogare præsumit, quæ admirari magis oportet, & accusat patrum Chalcedonensium constituta, & fratres hæc amplectentes expellit. Ita cùm his rebus odia & persecutiones variæ sint obortæ, sicut oppressorum preces contra opprimentes eos, pietati vestræ oblatæ denunciant, tu pijssime velut mansuetissimus pater potitius quàm regnator, potestate regali interim quiescendum rebus ita commissis decreuisti, & sacerdotibus huius passionis medicinam impartire dignatus es, & spiritalem aduocasti sententiam, decreto sacerdotum communi magis volens ad incolumitatem membra languentia reuocare, vt hæc res quandam reuerentiam & memoriam Dei præberet, & asperitatem rerum, & certamen exortum, & feruorem iracundiæ crescentis egerit, ipse cœpisti. Itaque pijs vestri imperij sanctionibus, vt sententiam, quam vnusquisque nostrum in suo gerit animo, reuelaret, & apertè vestræ maiestatis imperio declararet, de his quæ à patribus Chalcedonæ sancita sunt, & Timotheo, quem aliqui Alexandriæ præsidere deposcunt. Volentes autem examinatione certissima fulgere Deo amabilem vndiq; veritatem, etiam timoreꝫ nobis proposuiſtis futuri iudicij, quatenus neque inimicitia, neque circa quosdam gratia faciente, deberemus obumbrare, quod iustum est: seruientes igitur nutui vestræ potestatis, & omnes pariter congregati, & tractantes atque vniuersa considerantes, vt erant, hoc dicimus: quia Chalcedonensis concilij intentio est valdè firmissima. Sequitur enim prædicationes Euangelij, & sanctorum patrũ, qui dudum in Nicæna vrbe collecti sunt, symbolum inuiolatum omnino custodit: omnem quidem dogmatis nequitiam ab impijs adinuentam procul abijciens, & sensum verborum symboli sanctæ fidei subtiliter inuestigans, & hæc faciens manifesta: necnon & centum quinquaginta patrum, qui olim in regia ciuitate conuenerunt, pijssimam legem immobilem, inuiolatamque custodiens, quam illi vniuersi, de sancti spiritus substantia, eiusque dominatione posuerunt, blasphemam Macedonij religantes linguam, & vnam naturam esse eandemque patri, & filio, & sancto spiritui publicè confitentes. Destructæ sunt autem hoc cõstituto etiam impietates variæ, importabiliaque commenta Manichæorum, quæ sub figmento reuerentiæ obumbrata videbantur. Multis etenim rationibus egit illa synodus, multisque verbis, non quo nouitates aliquas contra definitiones iam benè fixas introduceret: sed vt interpretatione latiori, conamen contra symbolum meditatum, latronibus veritatis auferret. Quia enim stultitiam sectantes Eutychis, veram naturam Dominicæ carnis, pietatis prædicationi subripiebant, extraneum eum omninò facientes à nobis, qui ex nobis est, Dominum Iesum Christum, nihil eum de matre sua secundum carnem beata virgine Maria assumpsisse confitentes, simulabant autem se patrum in Nicæa conuenientium dogmata sequi, necnon & Cyrilli amplecti nimis & honorare decreta, cùm sint valdè callidi, & patrum nostrorum concordiam & amicitias se habere mentiantur, quando voluerint eorum filijs fraudes ingerere: remoti patres operatione sancti spiritus, pijssimam beati Cyrilli linguã ad accusationem vesaniæ istorum euocare crediderunt, qui olim dum Alexandrinam gubernaret Ecclesiam, & apertè contra Nestorij vesaniam dimicaret, & beato Cælestino incolumis Ecclesiæ Romanorũ pastori particeps esset, aduersus Nestorij impietatem in priori patrum Ephesi concilio, pro veritatis defensione maximus propugnator emicuit, quandò vno sonte & ijsdem syllabis à se conscriptis, & impietatem Nestorij perculit, & contra zizania prauę sectæ Eutychis, quæ iam quidem tunc germinabant, nondum tamen videbantur apertè, falcem sectionis apertissime præparauit. Propterea nanque epistolam, ab illo sapientissimo patre conscriptam, patres illi ad medium deduxerunt, in qua cum omni subtilitate nos docuit dispensationis Dominicæ sacramentum: quomodo & incarnatus vnigenitus filius permansit filius vnus existens, demonstrans in eo & humanæ naturæ, quam adsumpsit ex virgine, inconuertibilem seruari proprietatem, & paternæ substantiæ gloriam, sine aliquo temperamento consistere, nequaquam adsumptam à Domino carnem alterum filium in glorificatione Trinitatis introducens, quod Nestorius nouiter asserebat: sed existentem ante secula filium inuisibilem, in nouissimis diebus reuelatum nobis. Neque secundum Eutychis vanitatem, carnem Domini cognationem docens hominum declinare: propter quod Deus verbum incarnatus, Homo factus est, appræhendens (sicut Paulus ait) semen Abrahę, & particeps proximè nobis factus sanguinis & carnis, & formam serui suscipiens, totius Dominus creaturæ, & per omnia similis factus nobis absque peccato, qui est immutabilis per figuram paternæ substantiæ. Huic autem etiam illam epistolam, quæ à patribus orientalis Ecclesiæ scripta dinoscitur, patres sanctissimi coniunxerunt, studentes vndique celsam & turissimam itineri regio pietatis circunferre maceriam, ne forsan agentes inter putulli cuiusdam sensus circunuentionem concluſi, aut in foueam Nestorij ruerent, aut in alterius præcipitij profunditatem inciderent, quam Eutyches postea suffodit, quam tamen iam prius effossam & à diligentibus cultoribus coopertam, ipse denuò in interitum suæ animæ rursus aperuit. Miramur igitur, quomodò hi, qui vestræ pietati preces pro Timotheo porrexerunt, confitentur cognoscere & amplecti synodum patrum, qui Ephesi contra Nestorium conuenerunt, homines, qui per ea, quæ gesserunt, etiam illam vt Chalcedonensem, penitus denegant. Nam literæ eiusdem epistolæ ad impium Nestorium à Cyrillo conscriptæ, in concilio vtroque florentes, in * Ephesino quidem blasphemantem Nestorium arguerunt, in Chalcedoneñ. verò Eutychis vesaniam destruxerunt, & propter easdem syllabas in illo quidem concilio, omnium laudibus Cyrillus coronatus est, sapiens Alexandrinorum pater: & rursus in isto concilio post mortem quasi præceptor prædicatus est pietatis, nihil amplius ex epistolis beatissimi Cyrilli, his, qui Chalcedonæ conuenerunt, ad medium deducentibus, nisi illas literas, quas Deo amabilis Leo Romanę pater Ecclesiæ, ad sanctæ memorię Flauianum contra Eutychis vesaniam constituens destinauit, in quibus & ipse vocibus beatissimi Cyrilli concordare dinoscitur. Et has quidem synodus deduxit ad medium, non quasi validiores eas symbolo patrum, in Nicæa conuenientium esse decernens, (nullus hoc putet) sed aperte volens per ipsas arguere

Gen 4. * eo enim.

* deest manifestas, aut aliud quid dam.

* ouilibus

Heb. 2.

* Ephesino.

guere eos, qui simulant se quidem symbolum Nicænorum patrum amplecti, dum autem nullum volunt proferre sermonem, quo veritas carnis dominicæ designatur, pessima semina Manichæorum latenter simpliciorum inserunt animabus, à quibus maiore custodia opus est, quàm ab impia calliditate Nestorij. Ille siquidem apertè vnum Christum in duos diuidens filios, patrum symbolo semetipsum pandit inimicum: isti verò vnum quidem eundemque se venerari, colere, & adorare dicentes, sicut symbolum docet, vnitarum verò duarum naturarum proprietates perimentes & neque passibilitatem carnis Dominicæ, neque impassibilitatem Diuinitatis eius esse confitentes, dubiam circa incautos habentes sententiam maximas læsiones eis inspirare moliuntur. Nam aut conuersionē factam suspicari concedunt circa dispensationis sacramētum, aut aliquid putatiuum, aut phantasiam, aut consusionem, aut transitum falsè per virginem figuratum, & non gestam verè natiuitatem Domini, dicunt. Hæc enim omnia germina sunt dolosæ radicis, quæ mortem animabus his obedientibus afferunt. Propterea siquidem ad peremptionem vesaniæ totius hæreticæ, prædictis epistolis eguerunt. Nam & post expositionem subtilissimam harum literarum rursus patres, qui sanctū concilium Chalcedonense celebrauerunt, symbolum patrum Nicænorum pro lapide sumentes, vbique hoc solum circunferri & prædicari ad illuminationem fidelium sanciuerunt. Quapropter omnium mansuetissime & venerabilis Imperator, quisquis laudat Chalcedonense concilium, & Ephesium & Nicænum valdè miratur: qui autem hoc respuit, neque illorum legibus acquiescit, sed simulat tantummodò se colere pietatem. Pro causa vero Timothei, quid amplius vestræ pietatis potentiæ nos dicamus? Si enim preces contra eum datas sequuntur vt causæ, & omnia, quæ ibi sunt posita, opere (sicut illi asserunt) facta noscuntur, nullus ei per canones sanctorum patrum veniæ sermo relinquitur. Hæc ergò vobis scribere, vestra tranquillitate præcipiente, curauimus: Deus autem sapiētia vestræ pietatis imperij membra Ecclesiæ semper vniat, sitque communium medicus passionum, & mansuetissimum vestrum imperium perpetuò tranquillè & mansuetè custodiat, affectu nos paterno regentem. Basilius Episcopus misericordia Dei Seleuciæ metropolis vestræ Isauriæ, incolumem vestram pietatem multis annorum curriculis, Ecclesiæ Dei & toti orbi terrarum, oro seruari pijssime & Christianissime triumphalis Imperator.

Iulius Episcopus Calendereos, similiter.
Nonnechius Episcopus Latmi & Calendri, similiter.
Stephanus Episcopus Dalisandi, similiter.
Epiphanius Episcopus Cestri, similiter.
Ammonius Episcopus Zotapæ, similiter.
Paulus Episcopus *Hierapoleos, similiter.
Conon Episcopus *Ijbidæ, similiter.
Acacius Episcopus Antiochiæ, similiter.
Sebastianus Episcopus Sebastiæ, similiter.
Euphronius Episcopus Anemorij, similiter.
Athanasius Episcopus Philadelphię, similiter.
Hermophilus Episcopus Diocæsareæ, similiter.
Iulianus Episcopus Hermopolis, similiter.
Theon Episcopus Hellinosij, similiter.
Paulus Episcopus Olbi, similiter.
Orentio Episcopus Domitiopolis, similiter.

EPISTOLA SVBDESCRIPTORVM EPIscoporum ad Leonem imperatorem.

DEO amantissimo atque pijssimo, & Christianissimo Augusto, à Deo competenter honorato Imperatori Leoni, Pelagius, Alexander, Philippus, Hypatius, Chrysippus, Seleucus, Eustathius, Titus, Episcopi primæ Ciliciæ, in Domino salutem. Christianissima intentio vestræ potentiæ, & propositum pietatis ex multis quidem rebus nobis innotuit, præcipuè autem ex literis vestræ pietatis nuper ad nos directis: quibus peruigilem circa pietatem laborem suum tranquillitas vestra demonstrauit. Quapropter omnium Deum laudantes, & linguas ad fauorem, & corda ad supplicationes incessabiliter commonentes, pro pio vestræ serenitatis imperio, congregauimus DEO amantissimos Episcopos vniuersæ prouinciæ, pro quibus sancire suis literis pietas vestra dignata est, & concordi mente decreuimus, Timotheum quidem contra sanctorum patrum regulas, & Ecclesiasticas sanctiones sacerdotium inuasisse seditione populi pariter & tumultu. Hæc enim nos lectæ contra eum preces edocuerunt, quem neque sacerdotem arbitramur, nec omninò in ordine Episcoporum constitui patimur. Magnam etenim synodum sanctorum patrum Chalcedonæ collectam amplectimur, & salutarem esse decreuimus: & non solùm propter multitudinem pontificum ibidem congregatorum, & sententiam sancti & pij Imperatoris Martiani vnà cum eis prolatam: sed quia & sanctorum patrum in Nicæno concilio congrua & conuenientia, & in nullo contraria eam sapuisse conspicimus. Hæc quidem per nostram sententiam declaramus. Vestra verò pietate Romano Imperio incolumi permanente, credimus in pace & constantia sanctas Dei Ecclesias conseruari Christo, vestrum pium propositum Deo dirigente, ad illa gerenda, quæ eius Ecclesijs videantur esse vtilia, & per vestram mansuetudinem eis pacis iura præbente. Pelagius Episcopus Tarsi, incolume vestrum imperium tempore longo sanctis Ecclesijs, & Romano conseruet imperio, pijssime atque Christianissime. Alexander Episcopus, Philippus Episcopus, similiter. Hypatius Episcopus, Seleucus Episcopus, Eustathius Episcopus, similiter. Titus Episcopus similiter.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum ad Leonem Imperatorem.

PER omnia Christianissimo victori atque triumphatori, & à Deo competenter honorato imperatori Leoni, Pergamius Episcopus Antiochiæ Pisidiæ metropolis, Eutropius Episcopus Adandenus, Paulinus Episcopus Apamenus, Libanius Paralenus, Alexander Seleuciæ, Mænus Gortenus, Bassus Paneaspoleos, Florentius Adrianopolis, Metrophilus Metropolis, Theodorus Theodosiopolis, Martianus Philomeli, Eugenius Synnadorum, Politianus Sozopolis, Attalus Malinopoleos, Cæstinus Limenopoleos.

COgnoscentes sanctionem vestram zelo diuino esse cōpletam, & placationem Dei voluntate sancta conferentem, & subiectis per fidem inenarrabilem quietem ac disciplinam, quæ ad salutem pertinent, pijssimè prouidentem, per quā præcepistis nobis, vt de Timotheo, qui in omni impietate noscitur accusatus, necnon & de his, quæ pro fide catholica placuerunt sancto & vniuersali concilio Chalcedonæ celebrato, quid communiter sentiamus, sinè timore cuiusquam hominis, & absque gratia vel inimicitijs indicemus, tanquam reddituri in circunscriptibili Dei iudicio rationem: vestræ potentiæ nostris significamus apicibus, Timotheum quidem, qui iam damnatus ostenditur, sicut plurimi venerabilium Episcoporum Ægyptiacæ diœcesis, & reuerendissimi clerici in scriptis affirmantes, vestrę clementiæ suggesserunt nouissimè, cōtra Ecclesiasticas sanctiones ad sacerdotij ministerium fuisse perductum, sed etiam eos, qui cum scirent eum fuisse damnatum, communicare illi sinè periculo crediderunt, extraneos eos esse à Dei Ecclesia iudicamus, secundum consequentiam regularem nulla eis venia nec spe restitutionis vllo modo remanente, sicut tertia & octogesima regula de talibus apertè decernit, cuius initium est: Si quis Episcopus à synodo depositus, aut presbyter, aut diaconus ab Episcopo proprio &c. Nā vt is, qui & illi sententiæ succubuit, & ānte tantorum inenarrabiliumq; malorum, & multis lachrymis lugendorum author extitit, dignum debeat secundum leges subire supplicitū, postquàm cognoscitur talia præsumpsisse, nostrum non est edicere, sed probare decet, & iudicare vestram Christianissimā maiestatem: quatenus & pro omnibus cogitetis, & pia quiete placetis Deū, & proprium muniatis imperium, & subiectos ab iniqua peste huiusmodi liberetis. Si verò fidem sancti Chalcedonensis vniuersalisq; concilij Timotheus negare præsumit, & quicunq; nefandorum eius actuum ministri, sociiq; reperiuntur, nihil mirum est. Nam quia diuina pace monstrantur extranei, sinè dubio & ab Ecclesiasticis sanctionibus simul, & equitatis contra Romanum imperium * contenti sunt inimici, non est mirandum, si etiam à sensibus proprijs exciderunt, vesanè blasphemantes & anathematizantes saluberrimæ fidei doctores atque custodes sanctissimos, & Apostolicos patres, & Ar-

Nō mirū, si hæretici Concilia reiiciant.

& Archiepiscopos, oēsq; simul Deo amantissimos episcopos sequentes sanctiss. episcopos, qui per generationes singulas rectæ fidei lumina fuisse noscūtur, & Deo amātissimos senioris & nouæ Romæ Archiepiscopos, qui his cōcordes existūt. Quorū firma & immobilis & inexpugnabilis fides in Christo probata est, apud sanctam & vniuersālē synodum Chalcedonę celebratā, cuius per Dei gratiam communicatores & fuimus, & vsque ad vitę terminū in Deo permanebimus, secundum centum quinquaginta sapientes & egregios medicos, qui diuerso modo passiones & subtiliter perscrutantur, & tunc congruam simul & singularem medicinam offerunt ægrotantibus: Cogitantes pro correctione eorum, quæ in Alexandria contigerunt, diuino zelo feruentes, in memorata sanctione præcepistis, quatenus omnia diligenter tractentur, & sanctissimis Episcopis comprobentur, quoniam nunc Alexandrina ciuitas conturbatur, pro cuius quiete & disciplina, maximam se habere solicitudinem significauit vestra clementia. Quapropter edicimus, Timotheo siquidem consentientes, & qui pro eo vestrę Christianitati preces proprias obtulerunt, velut episcopi & clerici Ægyptiacę diœcesis, cùm non sapiunt, vt apparet, sapere se confidunt, quando sic aperto mendacio impudenter incumbunt. Videntur enim in prædictis precibus, pietatis vestræ sanctioni subiectis, contra literas mansuetudinis vestræ locuti & contra glorioſam cogitationem, quam pro Alexandrina ciuitate & eius disciplina geritis, tractasse. Affirmantes enim maximam pacem, memoratam ciuitatem, & sanctissimas Ecclesias, & monasteria possidere, apertè rebus ipsis capti sunt, & aduersus pietatis vestræ vocem, & cogitationem sinè metu locuti. Plenam nanque caliginem, & à malis imminentibus nubem, disciplinam esse dicentes & pacem, & in Ecclesia Alexandrinorum diuinitus attributam, quoniam huiusmodi viri putabantur contra veritatem & vestra optima consilia properantes, pacemque Dei vocantes persecutiones, & bellū contra orthodoxos sacerdotes & clericos gestum, nouamque tyrannidem contra sacras regulas inquirentes, clarè in sacrum
1. Cor. 14. illud iucurrere videntur eloquium; Non est, inquit, indiscipli nationis, sed pacis Deus, sicut in sanctorum vniuersis Ecclesijs agnoscitur. Hi etenim ad perditionem parati sunt, secundū
Psalm. 5. prophetam, dicentem, *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Quomodò autem isti credendi sunt sapere, & tenere causam
aut diuinam. ab omni mendacio segregatam, aurem diuinam, sapientiam salutarem, hoc est salubrem fidem, quam præcipuè seruare promittunt, dicentes in prædictis precibus suis inconcusè, atque firmè & immobiliter se credere symbolo, in Nicæa ciuitate à sanctis trecentis decem & octo patribus explanato, & neque augmentum, neque detractionem hoc posse recipere, neque opus habere qualibet interpretatione, cùm per se, vt aiūt, videatur interpretatum: centum quinquaginta verò sanctorum patrum Concilium ignorare se profitentes, docentesque communicare Alexandrinam Ecclesiam Ephesijs Concilijs. Adijcientes & hoc, quod Synodum Chalcedonæ celebratam Ecclesia Alexandrina non recepit. Per hæc igitur ostenduntur similes esse eorum, qui nescientes exponentem optimè salutis remedia medicinam, & passiones prouenientes subtiliter edocentem, impudenter totum se nosse promittunt. Sic enim & isti, neque temporum diuersorum languores hæresim scientes, nec medicinam congruam infirmis opportunè prolatam ab Spiritualibus medicis, sanctis scilicet & orthodoxis sacerdotibus, qui per tempora Synodos impleuerunt, inspicientes, harum rerum non habentes discretionem, superfluos & erroneos in suis precibus posuerunt sermones. Nā si hæc, quæ memorauimus, agnouissent, non arbitrarentur augmentum, aut detractionem factam in sancto Symbolo, à trecentis decem & octo sanctis patribus explanato, nec per se dicerent illud interpretatum, quod paucissimis quidem sermonibus, sed perfectis sensibus scripturæ diuinæ per viros eius scientiæ peritissimos videretur esse completum. Quorum veritatem ignorantes, & qualis quantaque hæretico tunc procedente languore prolata sit medicina, diuinitus inspirata, in illud incurrisse diuinum videntur eloquium, quod ait: *Nolite*
Rom. 11. *fieri sapientes apud vosmetipsos.* Propter hæc enim ignorauerūt hæreticos, qui postea per diuersa tempora varijs languoribus sunt exorti, necnon etiam eos, qui opportunè & necessariè eorum infirmitatibus salubberrimæ fidei congruam obtulerunt salutaris adiutorij medicinam, sicut sanctiss. centum quinquaginta patres Episcop. infirmitati languoris Macedonij, qui diuinitatem sancti Spiritus negauit, obtulerunt, apertè firmitatem rectæ fidei docentes, & diuinitatem vnitatis inseparabiliter adorandum. Rursus igitur alia passione nata circa inhumanationem DEI verbi per callidum erroneumque Nestorium, sancti patres, qui illo tempore Ephesi conuenerunt, susciпientes pariter Orientalium Episcoporum probatissimam sibi concordiam, perfectè prædictum languorem inenarrabili fide curauerunt. Similiter autem Timothei sequaces ignorare videntur, quemadmodum postea Eutyches, cum in profundum phantasiæ praua ignorantiæ suę secta corruerit, principatu hæretico suffocatus sit, & quia pro eo duo sint celebrata concilia, prius in Epheso, & postea Chalcedonæ, & quia quæ Ephesi quidem facta est, non sufficit eius ægritudinis, vt oportebat, discernere passionem, & offerre, quæ erant necessaria medicinæ. Quæ verò Chalcedonæ per Dei gratiam congregata est, eius solatio ita prævaluit, vt ægritudinem apertè cognosceret, & remedium medicinæ salutaris offerret. Igitur notum est sapientibus vniuersis, quia nisi diuersæ, diuersisque temporibus hæreses, exortæ fuissent, nequaquàm opus esset consilio spiritualium medicorum. Nam vbi infirmitas, illic opus est sinè dubio medicina. Et quia non sicut defensores Timothei putant, adiectio quædam symbolo trecentorum decem & octo patrum est facta, quando emergentibus varijs ægritudinibus spiritalis & necessaria eis oblata est medicina, simul quia corpori est ægrotanti similis incredulitas. Et quemadmodum oculis dudum ægrotantibus, & cautè atque competenter à medicis, qui tunc inuenti fuerint, curatis, si rursus contingat aliquem viscеribus sortè dolere, quicunque postea reperti fuerint, non desinunt adhibere medicinā: ita hæretica infirmitate temporibus diuersis exorta, mirum non est, si à pijssimis temporum quorumque principibus, Deo amantissimi Episcopi, pro imminente cura conuocati, medicinæ vtilia remedia porrexerunt. Quæ cùm ita sint, nonne ignorantia manifesta est, & nouissima in Timothei* insscientia atque superbia, quando omnibus quidem orthodoxis & religiosissimis Episcopis quicunque nunc sunt, & qui ad Deum iam migrauerunt, apertè calumniantur, quasi adiectionem quandam in sacro trecentorum decem & octo sanctorū patrum symbolo fecisse videantur? & quasi pro credulitate sua dicant, Quia prædicto sacro symbolo nullum ipsi augmētum, aut detractionem quamcunque recipiant, nonne plenum est hoc totius falsitatis indicium, cùm dicant centum quinquaginta sanctorum patrum se ignorare concilium? Vndè magis videntur, quia non solū talium medicorum necessariam curā prorsus ignorant, sed etiam ipsam infirmitatem Macedonij, pro qua videntur esse collecti. Quam scilicet ignorantes, cùm sit vtique manifesta, & nimis insignis, etiam simplicibus orthodoxis, & in laico ordine constitutis multò magis varium Nestorij errorem, necnon Eutychis impietates, vesaniam, phantasiamque nescire panduntur. Et propterea inaniter & indiscretè in suis precibus dixerunt, se Ephesijs communicare concilijs, cùm prius vtique sit sinè dubitatione susceptum, secundum verò non solùm priori consistat aduersum, sed etiam vniuersis sanctis Episcopis, qui olim luminaria fuisse probantur. Ecclesiæ, quorū famosissimam & religiosissimā multitudinem dinumerare difficile est. Præcipuè tamen aduersarij esse panduntur immortalis & beatæ memoriæ Athanasio, Alexandrinę ciuitatis Episcopo, cui dum inueniantur esse contrarij Timothei sequaces, omnibus indubitanter orthodoxis, & maximè fidelibus Ægyptijs, & Dei zelum habentibus omnibus, omninò videbuntur inimici. Sed hæc equidem dicta sunt de vnoquoque capitulo petitionibus eorum inserto, quantum breuiter à nostra dici potuit paruitate, vt vestræ pietatis imperio, sicut pijs litteris imperare dignati estis, indicaremus. Religiosissima nanq; vestra pietas decenter egit, vt se contineret & necessariæ discretioni Deoq; placenti committeret examinationem horum, qui nullam impietatis speciem reliquerunt, sed super alia mala etiam hoc adiecerunt, vt diabolica inspirati virtute, examinatione non facta, sanctissimos Episcopos & religiosissimos clericos, in sanctis orthodoxisq; ecclesijs enutritos, expellerent à ministerijs, quæ Christi Domini gratia sunt sortiti. Vt aūt vndiq; diuino lumine veritatis mendacij tenebrę sequacium Timothei destruantur, & à religiosissima pietate vestra simul & æquitate, hæc impietas, iniquis-

De sectis Ephesinis synodo cunt, quæ prædamna vocatur.

Concilia cur celebrata.

*for. *delet foribus scitia.

*Quam

simaque

simaque superbia radicitùs euellatur, decet eos apertè conuinci, quia cùm sibi rectè credere videantur, multum extra hanc scientiam esse noscuntur, nequaquam diuinum intendentes eloquium, & non cognouerunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Vt autem talis omnibus ostendatur, & præcipuè populo volenti Timotheum habere pontificem, diuino nobis proposito timore, confidimus & hoc sacræ vestræ maiestati suggerere, quatenùs valdè celerrimè, & sine qualibet obumbratione in sua ignorantia, & prauæ sectæ sententia conuincatur Timotheus, & eius sequaces episcopi simul & clerici. Igitur si placet vestræ pietatis imperio, sub custodia eos foris Alexandrina ciuitate esse præcipite, & seorsum eorũ singulos habitare, & diuinæ scripturæ libros, quos voluerint, dato primitùs ab eis breue, quos habeant necessarios, accipere, vt intra certos dies arctissimè custoditi, ita vt nulli liceat ad eos accedere, & verba eis sensusq; disseminare, iubeantur exponere, quam virtutem scripturæ diuinæ respicientes, rectæ fidei symbolum susceperint, & fidem trecentorum decem & octo sanctorum patrum, immobiliter se tenere & custodire polliciti sunt, quæ fuerunt Arianorum variæ blasphemiæ atque languores, quas nefandè sanctarum scripturarum textu nitebãtur adstruere, & quemadmodum hæc à prædicto symbolo sunt exclusæ. Non solum enim Arianorum, sed & plurimæ ante hanc hæreses exortæ, in diuinæ scripturæ proloquijs putantur incumbere. Isti quidem si venerabiliter reminiscuntur omnium sanctæ memoriæ orthodoxorum patrum, & quales quique fuerunt, agnoscunt inter eos reuerendæ memoriæ Athanasium simul & Cyrillum doctrina copiosa pollentes, & pastores Alexandrinæ ciuitatis insignes, quos omnes orthodoxi sequuntur, & præcipuè fideles Ægyptiorum. Quæ cùm ita sint, in scriptis sequaces Timothei declarare iubeantur, quomodo memorati sancti patres saluberrimè crediderunt, & quomodo horum inueniuntur aduersi, qui cum Ario fuisse noscuntur hæretici, & qui sunt isti, aut qui sapientes à recta fide recesserunt: quo facto, & caligo erroris simul & prauæ sectæ sequentium Timotheum vbique protinùs aperitur, ipsis insuper, qui non cum discretione, sed sine quadã probatione præuenti sunt, indicatur. Et ex hoc omni venia monstrabuntur extranei, qui rectæ fidei vniuersale concilium nefandissima voluntate, & scelestissima lingua anathematizare præsumunt. Tum etiam præter concilium Deo amantissimorum episcoporum, sapientissimè & semper memorabiliter, velociter vestra pietas efficiet, vt dum primitùs conuicta fuerit atque notata, praua eorum nefandissimaque secta dãnetur, & ea, quæ pro recta fide sunt & Deo Christo placent, & diuinæ disciplinæ pacique conueniunt, roborentur. Turpe satis, & rectitudini vestræ nimis indignum est, vt diuulgetur generali synodo nunc opus esse, dum hæc aperta sint & valdè certissima: quatenus, vt dictum est, plus valere videantur, qui se diabolo tradiderunt, & eius impietate ebriati. Et vt insignis pompa concilij, occasio quidem multi conceptus sacræ fidei, & detractionis existit: frequentia verò multorum indiscretè loquentium, paganorum, aut infidelium, & præcipuè hæreticorum, plurimi (quod absit) simplicium trahuntur ad lapsum: qui dum illi putentur quidem, de quibus volunt honestè loqui, ad varias autem blasphemias rectæ fidei dogma perducant. Cur enim hoc capitulum eligunt, qui hactenus quod sapiunt, ita nesciunt, vt pro sua fide frequenter egeant conuenire?

Hæretici sua commenta scripturis diuinis adstruere conantur.

Pergamius Episcopus Antiochiæ Pisidiæ, subscripsi, quæ sunt subiecta intercessionibus omnium sanctorum, armatus recta fide, & omnia, quæ pietati sunt aduersa, deuincens. Multo tempore à clementia diuina serueris Christo amabilis, & honorate diuinitus Imperator. Eutropius episcopus Adandenorum ciuitatis, similiter.

Paulus episcopus Apamenus, similiter.

Libanius Episcopus* Parlaos, similiter.

Alexander Episcopns Seleuciæ, similiter.

Maximus Episcopus Tortilotenus, similiter.

Basinonas Episcopus Neapolcos, similiter.

Florentius Episcopus Adrianopolitanus, similiter.

Minophilus Episcopus Metropolitanorum, similiter.

Theodorus Episcopus Theodosiopolis, similiter.

Martianus episcopus Philomeli, similiter.

Eugenins Episcopus Synnadorum, similiter.

Politianus episcopus Sozopolitanus, similiter.

Attalus Episcopus Malinopoleos, similiter.

Castinus episcopus Limenopoleos, similiter.

EPISTOLA INFRA SCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

Domino pijssimo, Christoq; amantiss. Imperatori nostro Leoni, perpetuo Augusto, parua & humilis synodus, congregatorum metropoli Sardianorum vestræ Lydiæ: Primitùs vestræ pietatis imperium nuper adeptæ sanctissimæ Dei ecclesiæ in Lydia constitutæ, augmentum magnæ tuitionis & zeli circa orthodoxam fidem vestræ tranquillitatis agnoscunt. Vnde incessabiliter pro vestræ Christianitatis imperio preces offerentes Deo, vt longæua & in pace vestra feructur vita, nonnulli magis aliquam sibi & suis sacerdotibus atq; populis quietam negociantur vitam. Pro quibus enim hęc à nostra paruitate suggesta sunt, breuiter indicamus. Quoniam diuina sanctione per Eudoxium virum deuotum magistrianum, religiosissimo nostro metropolitæ Eutherio data, conuocati sumus in ciuitate Sardinorum literis memorati sanctissimi viri metropolitæ nostri directis, congregatisque nobis in vrbe prædicta, vestræ pietatis literæ sunt directæ, necnon & preces, quæ videbantur de quibusdam capitulis eis esse subiectæ: quas audientes, de vtroque capitulo vestræ pietati suggerimus. De principali namque capitulo, & quod ad ipsam Christianorum fidei respicit summitatem, id est, de sancto & vniuersali concilio Chalcedonæ collecto, cui regulariter præsederunt & maximæ Romæ sanctissimus & beatissimus archiepiscopus Leo, per venerabiles Episcopos directos & clericos, necnon & regiæ Constantinopolis sanctissimus & venerabilis archiepiscopus Anatolius, & summi sacerdotes, qui ei concordes fuerunt, & similia decreuerunt, necnon & omnes sanctissimi totius orbis episcopi, etiam hoc fatemur, quia necessariè per illorum vestigia gradientes, & reuerentiam eis habentes, eosque venerãtes, quæ piè & diuina inspiratione constituta sunt, quæ in prædicto sancto & vniuersali concilio sancita noscuntur, eis concordes sumus, quandò nihil dissonant à sancto & vniuersali Nicæno concilio trecentorum decem & octo sanctorum patrum. Deus enim, qui per illos olim fidem regulariter exposuit, ipse etiam nunc per istos eam denuò, quoniam vnus & idem, secundùm beatum Apostolum, spiritus sanctus operatus est vniuersa. De Timotheo namque, qui tyrannicè sicut agnouimus, & contra regulas sedem sanctissimæ ecclesię Alexandrinæ ciuitatis inuasit, dum vtique esset ecclesiasticæ correptioni contraditus, relegentes preces, quæ syllabis pietatis vestræ subiectæ sunt à Deo amantissimis episcopis Ægyptiacæ diœcesis, & venerabilibus clericis Alexandrinæ ciuitatis, per eas agnouimus, quia cum adulterio, quod in pontificatu commisit, & homicidio, etiam anathematizare sanctum concilium Chalcedonense non timuit. Quibus auditis, animæ nostræ profundo vulnere sunt percussæ, deflentes quòd in tam venerabilib. temporibus ab aduersario pietatis & inimico orthodoxæ fidei, tantæ obsessiones nobis insurgunt. Legentes etiam preces, ab aliquibus Timotheo consentientibus mansuetudini vestræ pietatis oblatas, ampliùs defleuimus, & nostra mente nimis excessimus pro tãta præsumptione. Quia super ea, quæ iam commiserunt, non eos piguit etiam prædicto magno sanctoque concilio, quantum ad eos attinet, contumelias inferre, & illud prorsus expellere. Totum tamen hoc vestro iudicio, non personam respicientes, committimus, supplicantes vt omnium totius orbis sanctissimorum Episcoporum post Deum vitam nostram pietas faciat esse securam, & sanctis ecclesijs, quietis & pacis iura concedat. Scimus enim, quia Deus, qui vobis perpetua regni sceptra donauit, secundum* Beatum Salomonem, poscentibus sapientiam & prudentiam præbebit etiam in hac causa, quatenus benignitatem imperialem per omnia demonstretis Christianissimi atq; pijssimi. Eucherius episcopus Synnadorum: Christus DEVS Christianissimum & inuictissimum vestræ pietatis imperium in augmento fidei & pacifica vita sanctorum intercessionibus conseruare dignetur, pijssime & religiosissime & Christo amabilis Imperator. Paulus episcopus Daldi, similiter.

1. Cor. 12.

Prou. 2.

Asianus episcopus Philadephiæ, similiter.

Ioannes Episcopus Hercanidis, similiter.
Polycarpus episcopus Tabanius, similiter.
Iulianus episcopus Mustinæ, similiter.
Ioannes episcopus *Meoni, similiter.
Rufinus episcopus Areopolis, similiter.
Lucius episcopus Apollinis, similiter.
Gemellus episcopus Stratoniciæ, similiter.
Dionysius episcopus Attaliæ, similiter.
Cyriacus episcopus *Apolloniadis, similiter.
Theodotus episcopus Gordi, similiter.
Anatolius episcopus Helleonorum, similiter.
Leonides episcopus Beas, similiter.
Heraclidianus episcopus Senus, similiter.
Diamonius episcopus Thraterrenus, similiter.
Onesiphorus episcopus Blandi, similiter.
Iulianus Episcopus Satalæ, similiter.
Ioannes episcopus Tripolis, similiter.

EPISTOLA SVBDESCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

PIISSIMO & *Christianissimo Domino Imperatori Leoni, Epiphanius Episcopus Pergensis, & qui cum eo sunt reuerend. episcopi, Ephesius, Porphyrius, Diodotus, Noysimaras, Paulus, Martianus, Auxentius, Pierius, Ioannes, Miccus, Innocentius, Polemon, Theosebius, episcopi Pamphyliæ regionis.* Decet quidem DEVM omnis humana laus, & omnis pariter oratio, pium verò principem famosissimus sermo. Nam & ipse cum subiectis adorat imperij largitorem, & pacis prouisorem Dominum Christum, qui protegit inuisibiliter, & eos, qui aduersus pacem gerunt bella, concidit. Ait enim quodam loco sacra scriptura, dum Ægyptiorum multitudinem populus formidaret. Exod.14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis:* & hoc quidem frequenter operatus est Christus, sub vestræ verò pietatis imperio palàm gerens feruida, & vehementer expauit. Quæ Locus mendosus cùm esset ad capiendum difficilis, & non crederetur posse subdi, sic potuit repentè consumi, vt decæterò neque nomen eius valeat inueniri. Ita siquidem DEVS protegit ac prouisor existit eorum, qui in eo cordis pietate confidunt, qualem te quoque esse contigit Deo amabilis Imperator, qui non solùm extranearum rerum prouisor esse dinosceris, sed etiam sanctarum Dei ecclesiarum pacem multo labore conquiris, vt habeas eam tu quoque, qui pro ea decertas, & pro eius vniuersitate cuncta diligenter operaris, quomodo & vno Christi corpore, omnes, qui eius sunt, alligantur. Quis itaque sermo dignè possit vestram laudare tranquillitatem, circa vtrunque, sic piè & paterna charitate laborantem, & tuitionem suam summo studio conferentem? Quapropter competit vobis Psalmistæ verbum; Psal. 20. *Speravit in Domino, & in misericordia altissimi non commouebitur. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, & dextera tua inueniat omnes odientes te.* Et hæc quidem à nobis humilimis pro gratiarum actione referuntur pijssime & Christo amabilis Imperator. Dudum itaque literas ad vestram pietatem dirigens ego humilis, declaraui meam vestræ pietati sententiam, qualis sim circa orthodoxam fidem, necnon & sanctum Chalcedonense concilium. Quia verò etiam nunc diuinis syllabis tranquillitas vestra præcepit, vt vna cum Deo amantissimis episcopis, qui mecum sunt, conueniens significare debeam, quid sentiamus de eodem sancto Chalcedonensi Concilio, & de Timotheo Alexandrino, sicut aiunt, episcopo: etiam rursus communiter vestræ maiestati significamus, quoniam gratia Dei nulla parte ab eius pietate recedimus, nisi quia læsionem iudicamus, diuisionem simplicium populorum, quam nescio quomodò ignorantiam facientem patiantur. Sicut enim iamdudum Christianissimis vestris auribus indicaui, nulla alia doctrina tradita est à nobis accedentibus ad salutare sanctumque baptisma, nisi quæ à sancto Nicæno concilio gratia spiritali prolata est, per quam & nos meruimus peccatorum redemptione saluari, & donum adoptionis adipisci, vndè bona futura percipere sustinemus, & mundus pariter vniuersus. Non enim nos quidem per ea ad Christum accessimus, alios autem eadem nobiscum participari gratia prohibemus, dum omnia compleat, & omnibus valdè sufficiat, nullusque respuere potest, quo ipse saluatus est. Non igitur dicant, quia nos hanc solùm prædicamus, & non eam colimus: sed & colimus, & veneramur, & prædicamus, & cum ea de præsenti vita optamus egredi, & Christo Domino per hanc credimus præsentari. Non ergo mentem simplicium subuertentes hæc dicant: Nos enim & Nicænam synodum debito honore veneramur, & Chalcedonensem quoque suscipimus, veluti scutum eam contra hæreticos opponentes, & non anathema fidei existentem. Non enim ad populum à Papa Leone, & à sancto Chalcedonensi concilio scripta est, vt ex hoc debeant scandalum sustinere, sed tantummodò sacerdotibus, vt habeant quo possint repugnare contrarijs. Duarum namque naturarum siue subsistantiarum vnitatem, in vno CHRISTO declaratam inuenimus à pluribus apud nos consistentibus sanctis & religiosissimis patribus, & nequaquam veluti mathema, aut symbolum his, qui baptizantur, hoc tradimus, sed ad bella hostium reseruamus. Si verò propter medelam eorum, qui per simplicitatem scandalizati noscuntur, placuerit vestræ potentiæ Christo amabilis Imperator, sanctissimo Leoni Romanæ ciuitatis Episcopo, necnon aliorum pariter sanctitati, propter istorum (sicut dixi) condescensionem & satisfactionem, quatenùs idem sanctissimus vir literis suis declaret, quia non est symbolum, neque mathema epistola, quæ tunc ab eo ad sanctæ memoriæ nostrum archiepiscopum Flauianum directa est, & quod à sancto concilio dictum est, sed hæreticæ prauitatis potiùs increpatio, simul & illud, quod ab eis est dictum in duabus naturis, quod fortè eis dubium esse dinoscitur, dum à patre prolatum sit propter eos, qui veram Dei verbi incarnationem negant, his sermonibus apertiùs indicatum, ita tamen, vt in nullo sanctæ synodi fiat iniuria. Nihil enim differt, siue duarum naturarum vnitas inconfusa dicatur, siue ex duabus eodem modo referatur. Sed neque si vna dicatur verbi natura, inferatur autem incarnata, aliud quid significat, sed idem honestiori sermone declarat. Nam & inuenimus sæpiùs hoc dixisse sanctos patres. Apud vestræ pietatis imperium, quod significat decenter ago vestra potentia, quia ipsa synodus permanebit, sicut ecclesiæ membra discerpta copulabuntur hoc sermone curata, & ea, quæ contra sacerdotes nefandè committuntur, cessabunt, & ora hæreticorum contra nos aperta damnabuntur, & omnia reducentur ad pacem, & fiet, sicut scriptum est, vnus grex & vnus pastor. Quoniam & Dominus Christus multa condescensione circa nos vsus, humanum saluauit genus: & quia cùm diues esset, vtique diuinitate, pauper factus est pro nobis, secundùm quod homo fieri voluit, vt nos illa paupertate ditaremur, sicut beatus Paulus edicit. Et iterum quomodò relinquens nonaginta nouem oues in cœlis, perrexitq; quærere perditam, quod constat in nobis. Et quia cùm inuenisset, multam nobis tuitionem exhibuit, ita vt eam humeris suis imponeret, & cœlestibus ordinibus copularet, in quo & magnum gaudium factum dicit in cœlo, & pro eius inuentione, & pro numeri supplemento. His itaque quid sentiamus de Chalcedonensi concilio, nos humiles vestræ pietati suggessimus. De Timotheo verò, quantum nos humiles probare potuimus, vestræ tranquillitati suggerimus: quia si ea, quæ de eo continentur in precibus oblatis vestræ tranquillitatis imperio, tanta & talia vera comperiuntur, sicut asserunt reuerendissimi episcopi, qui ea suppliciter obtulerunt: extraneus ab omni sacerdotali honore, & pia canonum integritate dignoscitur, sicut nos humiles valemus inspicere. Omnis enim causa eius in iudicio & probatione vestri pendet imperij, & integritate sanctorũ summorumque patrum, quibus & nos humiles, iustum est obedire propter maximam eorum scientiam ac sapientiam, subtiliter talia iudicare valentium. Nobis autem dare veniam à vestra potestate poscimus, si quid vt homines in his literis incautè suggessimus. Inuitati enim potius aut iussi, & quod maius est, coniurati, hæc scribere vestræ tranquillitati præsumpsimus.

Epiphanius Pergenæ ciuitatis episcopus, incolumem pietatem vestram Dei ecclesijs, & Romano imperio in Christo opto seruari semper, pijssime & Christo amabilis Imperator. *Ephesius episcopus Comanenus, similiter. *Ephesius
Porphyrius episcopus Palæopoleos, similiter.
Diodotus episcopus Clisimensis, similiter.

Locus mendosus. Ioan. 10. 2. Cor. 8. Matt. 18. Luc. 15.

Polemon episcopus Trebennorum, similiter.
Miccus episcopus Adrianopolis, similiter.
Maras episcopus Codri, similiter.
Neon episcopus Gilsatenus, similiter.
Paulus episcopus Poglensis, similiter.
Martinus episcopus Pellenensis, similiter.
Hierius episcopus Panemotici, similiter.
Ioannes episcopus *Arias, similiter.
Theosebius episcopus Maximinianopolis, similiter.
Auxentius episcopus Termissæ, similiter.
Innocentius episcopus Eudacianus, similiter.

EPISTOLA INFRA SCRIPTORVM Episcoporum ad Leonem Imperatorem.

CHristo amantissimo victori atque triumphatori, & à sancta Trinitate seruato Imperatori Leoni: Synodus, quæ per sanctionem vestræ maiestatis in Myrena metropoli vestræ Lyciæ prouinciæ congregata est: Literas tranquillitatis vestræ suscepimus per Branemundum magistrianum, plenas fide ac pietate, zeloque iustitiæ & agnitionis Dei. Manum itaque tuam commodaturus Christo, sacerdotes cooperatorios aduocasti, & pro orthodoxa religione propugnaturus, præsules eius socios tibi in dimicationibus adesse decreuisti, & sanctiones ecclesiasticas regulasque sanctorum patrum contemptas agnoscens eos, qui hæc orant inuiolabiliter conseruari, ad defensionem concurrere præcepisti, pontificisque necem vlciscens sicut Moyses maximus, per syllabas sacras penè clamare visus es: Qui est Domini, veniat ad me. Sed & preces criminibus cumulatas suscipiens, vindictam interim suspendisti, vt cum iustè reum punire videreris, & iudices ad hoc constituisti orthodoxos totius orbis episcopos, vt apud omnes iudicatus, quasi præsens ab omnibus iustam videretur ferre sententiam, ille qui cunctos in eo, qui iniquè necatus est, vexasse cognoscitur, auditores. Singulos autem à ciuitate propria non traxisti, ne forsitan euocationem quasi violentiam is, qui euocabatur, accusaret. Sed permisisti, tanquàm compatiens vniuersis, vt consistentes in prouincia iudicarent, quatenùs satisfactione careat, quisquis post hæc fortè suam voluerit mutare sententiam. Igitur & nos ô Christo amabilis, & qui imperium à Christo fortitus es, in tuis consilijs exultamus, videntes te pro orthodoxa fide ita feruentissimè laborantem. Deum propter perpetuam vestram maiestatem deprecamur, vt longo tempore vestrum nobis conseruet imperium, & nequaquam alij subiecti esse videamur. Suggerimus igitur, quia de singulis, quæ in sacris literis vestris continentur, lectio apud nos cum laudibus celebrata est atq; lætitia: sed precum cognitio, eisdem literis subditarum, nostra gaudia violauit, Christo amabilis & triumphabilis Imperator. Tremor enim & terror rectè singulorum corda commouit, & fontes lachrymarum de pupillis oculorum valdè fluxerunt, fletibus etiam genæ rigatæ sunt, procellæque malorum, & multa iacula calamitatum subinde reuelata sunt, & amara nuncia alia crudelia præuenerunt. Et donec audiremus quidem, quia viuente adhuc nostro sacerdote ordinatus est, cognouimus quia velut adulteri filius, sic Abessalon impudenter insurrexit in patrem, & sponsam viui genitoris abripuit, & quia nefandè semetipsum constituit & irregulariter sacerdotem. Quasi pelagi tempestate commota ea, quæ à populo inconsideratè fiunt, ad modicum quidem præualent: tempore verò superueniente soluuntur. Cùm verò audissemus & necem præcedentem lectionem, & in venerabilibus locis factam, & bestiarum modo lacerationem corporis perpetratam, & mortui nefandas iniurias, & membrorum humanorum crudelissimas sectiones, & exusti corporis cinerem, & nullam compassionem Timotheum, aut auersionem aut odium habuisse contra huiusmodi præsumptores, cùm oportuerit eum mox dare locum, vt aliena violentia magis quàm eius proposito hæc facta monstrarentur: sed potius cum festiuitatem cum eis celebrasse: tunc exiliuimus, & vultum, secundùm quod scriptum est, tristem habentes atque demissum, & vtranque manum ad inuicem conferentes, atque dicentes: Obliti est nostri Dominus, reliquit nos Dominus. Quid iam nos sacerdotes faciemus? Quomodò pastores, cùm mercenarium vidimus greges ita dispergere? Quomodò compatientes, cùm hæc examinari minimè supplicamus? Quomodò reuerendi, qui cultum sancti baptismatis obscuratum despicimus? Quomodò ecclesiæ præsules, nefandum adulterium reticentes? Quomodò exemplum fidelium, cùm paternarum regularum custodes in temporibus pietatis ecclesiæ fluctuantur? Tranquillitas diuinæ scientiæ continet vniuersa, & nauis orthodoxorum duceretur forsitan in profundum, nisi Imperator pius existeret, pro purpura virtutibus fulgens, armis vtens aduersus hostes venerabili cruce: & hac vocatus appellatione, qua per clementiam Christus vocari dignatus est: Recubans, inquit, soporatus est sicut leo. Oportebat tunc secundùm prophetæ Hieremiæ vocem, nouissimum quærere locum, & die noctuque ea, quæ sunt commissa, lugere. Non enim vna est mulier, secundùm historiam, quæ iniustitiam & vim pertulisse dignoscitur. Breuiter itaque, Christo amabilis Imperator, historiam quoque audire dignare. Aliquando Leuita vir violentiam passus in coniuge, & contumeliam ferre non valens, & iniuriam sceleris immensam esse conspiciens, dum mulier manè mortua fuisset inuenta, plurimis contumeliam inferrentibus, diuidens eam in vndecim partes, vndecim Israel tribubus destinauit: & propterea vndecim, & non duodecim, quia vnam tribum sciebat iniuriosos & luxuriosos habere viros. Tunc omnes vndique ad vltionem velocissimè concurrerunt, pro literis mulieris membra suscipientes, & velut inimicos fratres proprios expugnantes, dum tanti sceleris præsumptio atque mortis, dilectionem cognationis excluderet. Insuper etiam anathematizauerunt eos, ne sponsam ab eis sumerent, aut darent sponsum eis, & nisi remedium sapientiæ fuisset post hæc inuentum, etiam nomen tribus Beniamin esset ablatum. Ea siquidem, quæ nunc gesta sunt, illis comparata, crudelitate maiora sunt. Non enim vna ecclesia hanc pertulit læsionem, nec vnus sacerdos occisus est, sed omnis ecclesia, & omnis pontifex est necatus. (Vnum enim, secundùm beati Pauli vocem, omnes pariter sumus, & vnum membrum, & fratres, vnum habemus caput CHRISTVM.) ecclesiasticæ sanctiones & constituta conculcata, regulæ sanctorum patrum spretæ sunt. Dominus totius orbis terrarum Christus, nutritor pietatis, & orthodoxæ fidei propugnator, occasionem dedit loquendi coram regibus, & non timendi. Antiqui iura loquebantur etiam audire nolentibus. Ipse autem mitissimè atque clemens nostras imbuit aures, vt malum tanquàm malum notemus. *Væ, inquit, qui dicit malum bonum, & amarum dulce.* Ad iustam igitur indignationem, rogamus, excitamus atque supplicamus, vt baptisteria & altaria, sacerdotium, regulas vindices patrum, sceleris domino feruentissimè vlto, prouideas ecclesijs saluatoris quietem. Quantum enim ex lectione precum & scelerum commissorum, quæ illic referuntur, agnouimus, mercenarius, & non pastor, probatus est Timotheus. Occultè namque latrocinanter, & non regulariter, per ianuas sanctarum regularum ad ouium *aulas ingressus est. Adulter Timotheus: viuo adhuc sponso, in eius sedem vesaniissimus insiliuit. Homicida Timotheus: particeps est enim eorum, qui suum spiritalem patrem, & CHRISTVM implacabiliter laceraruntSacerdotio indignus Timotheus: abripuit enim, non accepit, honorem. Incredulo peior Timotheus: negat enim sanctum Chalcedonense concilium, sicut per eos, quos destinauit, scripsisse dinoscitur. quod nullo modo à decreto sanctorum patrum in Nicæa conuenientium, Dei vtique & hominum celebrato timore, discordat. Cui enim eorum, qui ibidem congregati sunt, sicut sub Dioscoro in Epheso aduersus bonæ memoriæ Flauianum, terror illatus est, qui, sicut ibi dextera calamum fingens, atque digito demonstrans eos, qui ante ianuas obseruabant, aliquid reclamauit aut plagas fortè sustinuit? Nullus per subsellia semetipsum abscondit, fugiens subscriptionis iniquitatem. Hic nouum nil audiuimus: (nam neque consentire poteramus) Quæ tradiderunt nobis ab initio inspectores & ministri verbi, trecenti decem & octo sancti patres, qui in Nicæa conuenerunt, & Constantinopoli, aut qui in Epheso venerandè collecti sunt, hæc in nobis ipsis, & dudum in CHALCEDONE per nos obsignauimus, & non hæc in

ere

Exod. 32.
Gen. 49.
Hierem. 5.
Iudic. 19.
Iudic. 20.
Iudic. 21.
1. Cor. 10. & 12. Ephes. 4.
Luc. 21.
Esai. 5.
*caulas
2. Reg. 16.
Esai. 49.

aërem & inaniter sunt soluta CHRISTO amabilis Imperator. Sed etiam his literis mox ad vestram tranquillitatem vsi sumus, & penè lachrymis nostram supplicationem, non atramento conscripsimus, rogantes & supplicantes, & tanquam prostrati præsentes, vt non sinatis inimicos Ecclesiæ sanctas Dei ecclesias conturbare: sed & faciatis eas sub quiete consistere, & occasionem fieri symbolum requirentibus abscindatis. In nullo enim discordamus in rebus, in quibus est nobis satisfactum, aut de fide saluberrima dubitamus, & si quid annunciauerit nobis, præter quod accepimus, anathema sit. Expellite, secundùm quod scriptum est, De Concilio pestilentiam, & virum sanguinum auferte de medio, & consacerdotes, qui persecutionem iniustè passi sunt, tanquam pij, vestro Gal. 1. more protegite, ecclesijs proprios sponsos redonate, & monasteria congregate, & sudores sanctæ memoriæ Athanasij, & Theophili & Cyrilli, qui orthodoxæ fidei principes extiterunt, nequaquàm inutiles esse permittite: Et Proterium sanctæ memoriæ, qui mediator Dei fuit & hominum, magna voce clamitãtem, clementer audite. Celare enim eius sanguinem, sicut Zachariæ, terra non patitur, ne iterum celans, secunda vice maledicatur. Petrus misericordia Dei episcopus Myrenæ metropolis sanctæ Dei ecclesiæ, subscribens retuli: Incolumem in Christo longo tempore maiestatem vestræ pietatis oro.

Eudoxius episcopus Zomatenus, similiter.
Cyrinus episcopus Patarenus, similiter.
Stephanus episcopus Lymerenus, similiter.
Eudoxius episcopus Acalandenus, similiter.
Leontius episcopus Araxenus, similiter.
Andreas episcopus Gleorum, similiter.
Nicolaus Episcopus Acrasenus, similiter.
Athanasius episcopus Xanthensis, similiter.
Hypatius Episcopus Sidimensis, similiter.
Pannitius episcopus Ascandenus, similiter.
Anatolius episcopus Olympinensis, similiter.
Cyrinus episcopus Oenoandenus, similiter.
Nicolaus episcopus Gaunenus, similiter.
Aquilinus episcopus Padullenus, similiter.
Nicolaus episcopus Balburenus, similiter.
Aristodemus episcopus Phalisitenus, similiter.
Eustathius presbyter subscripsi pro Theodoro episcopo Antesallitino, & manibus dolente. Carporus presbyter subscripsi in loco Palladij Episcopi Corydallani, similiter.
Gelasius presbyter subscripsi in loco Romani, episcopi Bunensis ciuitatis, similiter.
Nicolaus archidiaconus subscripsi in loco Heliodori episcopi Narensis, similiter.
Timasius presbyter subscripsi in loco Leontij, episcopi Catateni, similiter.

EPISTOLA AGAPITI EPISCOPI, AD Leonem Imperatorem.

Domino Christo amabili, atque victori Leoni, Agapitus misericordia Dei Christi episcopus vestræ Rhodi. Desuper sceptra regni susci-
Imperatorem quid præcipuè deceat. piens, sacratissime & inuictissime principum, pro munere vestræ pietati collato, Deum cœlestem regem primitijs decentibus honorastis. Prima enim oblatio & acceptabile sacrificium est, vt auriga mundi, & princeps totius orbis, qui sub sole consistit, adorandæ Trinitatis fidem seruet incolumem, & docgat ex his, quæ facit & colit, timere & homines DEVM, & talia sectari, per quæ nostrum seruatur genus, & cogitare pro communi republica, & totius populi disciplina: quatenus optima causa pacis & nomen vbique præcellat & vigeat, & non instar bestiarum contra suum genus homines singuli rabiem feritatis exerceant. His itaque bonis & alijs multiplicibus dudum, & nunc per vestrum imperium constitutum diuinitus perfruentes, omnes oramus innumeris vos conseruari temporibus. (Verè namque sacerdos & natura Imperator existis) sed & omne genus humanum DEO conuenit supplicare pro imperij vestri longæuitate. Nam in principijs vestræ serenitatis imperij, tantam barbarorum multitudinem manu dextera subiugastis, & nimis importabilem destruxistis, vt perpetuum erigeretis trophæum in omni orbe terrarum, & altam pacem toto præberetis in mundo. Nihilominùs autem & nunc pro humano genere cogitatis, saluberrimas has literas & vtiles animarum sacerdotibus destinantes, his quibus ligare & soluere peccata concessum est, communionis sacræ solicitudinem committentes. Quapropter corroborati piarum vestræ serenitatis authoritate literarum, ad hoc responsum confidentes accessimus, supplicantes Deo & vestræ serenitatis imperio, vt nostras humiles voces dignemini placanter accipere, & si quid tanquam idiotæ paululum delinquimus, veniam condonare. Sacræ siquidem & incomparabiles vestræ syllabæ potestatis, & mala, quæ incredibiliter Alexandriæ prouenerunt, & Timothei gesta pessima declararunt, qui, sicut aiunt preces oblatæ pietati vestræ à quibusdam Deo amantissimis episcopis Ægyptiacæ diœcesis, author tanti sceleris esse dignoscitur. Super hæc autem & ea, quæ satisfactores Timothei fieri postulant, nostræ paruitati manifestata sunt. Iussistis itaque considerare concilium vestræ prouinciæ insularum, quid sentiat de sancto & vniuersali Chalcedonensi concilio: & mihi quidem fuit optabile & nimis vtilissimum, secundum vestræ pietatis iussionem, cum omnibus episcopis nostræ prouinciæ præbere responsum. Sed quoniam euocatio quidem, & ante susceptionem sacrarum pietatis vestræ literarum, & rursus postquàm susceptæ sunt, à me festinanter effecta est, sed hyemalis temporis qualitas, sicut pietas vestra prospicit, eos venire ad metropolim non permisit, dum tribus millibus aut quatuor millibus stadiorum quidam abesse videantur: necessarium fuit, ne quod impedimentum fieret Eudoxio viro deuoto magistriano, præcepti pietatis vestræ ministro, ad reliqua responsa prouinciarum & commissa, vt velociter meam sententiam facerem manifestam. Hoc enim etiam ipse videlicet magistrianus compulit adimplere. Gradior itaque gratia DEI ad narrationem capitulorum præsentium, atque probationem hæreticam qua possum. Memoratus enim Timotheus si talis esse paruerit, qualem eum oblatæ preces vestræ pietati à Deo amantiss. Ægyptiacæ diœceseos atque clericis esse declarauerunt, non solùm inter episcopos siue clericos, sed neque inter fideles laicos, iustè constituendus est, qui & piorum canonum disciplinam vastauit, & Romanam rempublicam confusione compleuit. Veruntamen quoniam imperialis lex, & ecclesiasticarum sanctionum consequentia custoditur, si placet, hoc supplico, vt vocetur accusatus sacro vestræ pietatis edicto: quatenùs in præsenti conuinci possit coram vestris auribus, quæ circumueniri non possunt, aut coram sancta synodo, quæ pro qualitate temporis in ciuitate regia poterit inueniri, si tamen placuerit potestati vestræ, & ita dignam suorum actuum susciplat vltionem. Si verò, quod non credo, in tantis & talibus criminibus accusatus, diuinæ iussioni vestræ obedire noluerit, nec ad proprium dominum ita pium, mansuetumque principem concurrere festinarit, non solùm ab ordine sacerdotij, sed & à Deo simul & principe, & cunctis hominibus, sicut reus, erit abijciendus. De sancto siquidem vniuersali Concilio, Chalcedonæ imperiali sanctione collecto, ad confirmationem quidem atque cautelam orthodoxæ & catholicæ fidei, & damnationem atque destructionem prauitatis Eutychianæ, quid dicamus, quando per omnia concordem sensum intemeratæ fidei, à trecentis decem & octo patribus, qui in Nicæam Christi gratia conuenerunt, & patrum Chalcedonæ conuenientium reperimus? Non enim aliud quicquam præter illam immobilem & fundatam rectæ fidei expositionem eos decreuisse, nec aliquod augmentum aut detractionem in symbolo sancto feciss cognouimus: eb quam rem & penè omnes occidentalium partium DEO amabiles Episcopi consentientes sibimet, & pariter decernente sanctissimo atque beatissimo Leone Romanæ vrbis archiepiscopo, literis proprijs & oris sui confessione ea, quæ ab ipsis sanctis patribus Chalcedonæ collectis interpretata seu explanata sunt de Domini nostri Iesu Christi incarnatione, confirmauerunt atque consignauerunt. Vnde vestram pietatem suppliciter exoramus, vt dum vna sit deminatio patris & filij & spiritus sancti, & eiusdem fidei vniuscuiusque baptismatis, & nos vnum atque idem sapimus, & in vna sancta & consubstantiali & adoranda trinitate baptizati simus, sicut & dominus noster Deus & saluator IESVS CHRISTVS sanctis discipulis suis iniunxit: Matt. 28.

Pacem quidem & nunc sanctis ecclesijs conseratis, & retinaculum ori apponatis hæretico, quod indisciplinabilem eorum & inobedibilem arceat intellectum. Non enim ad ecclesiarum ædificationem, sed ad destructionem simplicium populorum, contentiones excitare noscuntur. Hæc itaque à mea paruitate mediocriter, vt potui, dicta sunt: tu verò domine Christo amabilis atque laudabilis, cuius potestas & virtus in manu Domini est, quod tibi reuelauerit Deus, & in tuo corde fuerit consuetè locutus, hoc in omnibus sancire dignare. Nouimus enim & credimus, quoniam qui te vnxit in regem IESVS CHRISTVS Deus & saluator noster, ipse tibi sicut Dauid & Danieli suam sapientiam condonauit, ad robur quidem & augmentum sanctarum Christi ecclesiarum, & ad ædificationem atque constantiam fidelium populorum. Quæ tamen acta fuerint apud consacerdotes in concilio apud nos celebrando, secundùm sacram vestram & adorabilem sanctionem, post non multum vestræ pietati declarabuntur. Ego Agapitus Episcopus Rhodiorum, orans dominum incolumem valere, & longo seculo conseruari Christo amabile vestræ serenitatis imperium, manu mea subscripsi.

EPISTOLA IVLIANI EPISCOPI, AD Leonem Imperatorem.

Pissimo atque fidelissimo victori atque triumphatori, Leoni principi semper Augusto, Iulianus humilis Episcopus Coensis. Ego domine Christo amabilis Imperator, illam sapientissimam monitionem mente percipiens, qua dictum est, Cognosce temetipsum, volui tãciturnitate quiescere, & maiorum patrum iudicium sustinere. Non enim euocationis æqualitas, parem rerum seruat effectum: sed quando coactus cum euocatione concordat, tunc similitudo nominum habet rerum quoque impermutabilem veritatem. Veruntamen quoniam consultare nos tranquillitas vestra præcepit, de vnoquoque capitulo, quod continetur in precibus Deo amabilium consacerdotum Ægyptiacæ diœcesis, manifestam meæ paruitatis facio voluntatem, mœstus existens, & lachrymarum imbribus irrigatus, quid loquar ignorans, captiuitatem ac destructionem vtique pietatis, illam tamen & pontificis lugens inopinabilem necem: ea siquidem, quæ in Alexandrina ciuitate commissa sunt, ex ipsa narratione declarant animi passionem, & ad vindictam tanti facinoris, vestram solummodò prouocant æquitatem. Nam constituti, vt orbem debeatis gubernare terrarum, indisciplinationis ægritudinem ad interitum perducentem mederi summo studio festinantes, non gladium euaginantes ad necem, sed interminationis verbo indisciplinatos regulariter perducentes ad obedientiæ voluntatem. Sententiam itaque, quam contra se Timotheus nefandus exegit, sanctiones apertiùs explanarunt, quas sua tyrannide sæpiùs abnegauit, disciplinam ecclesiasticam confundendo, & iniurias inferendo, inimicus nescio quomodo totius Christianitatis effectus. Captus enim in talibus, vestram iustitiam debet experiri solummodò, quoniam ad magnitudinem commissorum eius, sicut in precibus continetur, potestas ecclesiasticarum non sufficit sanctionum. Pando siquidem vestræ potentiæ, & quid de sancto Chalcedonensi Concilio sentire dignoscor. Hoc etenim nullatenùs à veritate discordat, quoniam fidem traditam à sanctis beatisque trecentis decem & octo patribus, consona voluntate diuina inspiratione firmauit, non dogma aliud introduxit, non alterum symbolum, non vanam expositionem, non dualitatem vnigeniti filij Dei, neque nouitatem aliquam celebrauit: sed per omnia consonat etiam sacro Concilio centum quinquaginta sanctorum patrum, pariter & Ephesio, cui præsederunt ter beati & sanctissimi patres Cœlestinus Romanæ pontifex ciuitatis, & Cyrillus Alexandrinus Episcopus. Supplicamus igitur vestræ potentiæ, vt inuiolabiliter conseruetis ea, quæ à Christo per ipsum de ipso benè sunt constituta. Vbi enim tantorum erat congregata multitudo Pontificum, & sanctorum præsentia euangeliorum, & frequens simul oratio, illic creaturæ totius opificem, inuisibili virtute credimus fuisse præsentem. Terror enim tunc nullus fuit imperialis authoritatis, quoniam sanctæ piæque memoriæ Martianus, amoris diuini diademate coronatus, spiritalem quoque suscipiens curam, festinauit Apostolorum dogmata confirmari à præsulibus ecclesiæ, desiderio fidei accensus orthodoxæ: quem cùm vestra pietas imitatur, & victoriam contra barbaros adipiscitur, & veritatis quoque destruit inimicos. Iulianus humilis Episc. definiens retuli.

EPISTOLA SVBDESCRIPTORVM Episcoporum ad Leonem Imperatorem.

Pissimo & Christianissimo & iustè à Deo potestatem totius orbis & dominationem sortito victori semper Augusto Leoni, Concilium humilium Episcoporum, gratia Christi & nutu vestræ tranquillitatis in Cyzicorum metropoli celebratum, quæ est Hellespontinæ regionis: Quantùm ad fidem tuam, Christo amabilis atq; pissime Principum, neque sermo ad fauorem esse valebit æqualis. Claret enim, quoniam diuina pietas apud vos potiùs gubernat Imperium. Nam propter eius fidei constantiam, voluntatem requiritis sacerdotum, quatenùs ex omni concordia venerabilis fidei iura seruentur. Vnde studio vestræ serenitatis Christus omnium Dominus præbet effectum. Igitur sanctioni vestræ pietatis omni virtute & celeriter ministrantes, ea quæ nobis cum magna deliberatione atque Concilio placuerunt, per has mediocres literas indicamus. Sacras etenim vestræ mansuetudinis literas relegentes, directas nobis per Eudoxium virum deuotum magistrianum, mox in ipsis principijs inuenimus fulgere pietatem, & maximum vestræ serenitatis & fidele certamen. Super hæc autem & de morte sacerdotis inquisitionem illic positam, quam homicidæ quidam non timuerunt suo iure committere in sanctæ memorię Proterium Alexãdrinæ ciuitatis Episcopum, & sicut positum est in precibus eorum, qui & post mortem eius animam venerantur, ipsum quidem perimere sanctissimo in baptisterio non timuerunt, per totam ciuitatem trahentes. Post hæc autẽ igni eius reliquias contradentes, cinerem in ventos dispergere præsumpserunt: quod peccatum omni quidem tragœdia, & quibuslibet fabulis aut huiusmodi figmentis verborum poeticorum videtur immensius, & nihil horum lamentationi Hieremiæ secundum. Quis etenim sensum habens, nõ clamet, hos præsumptores crudeliores esse quam bestias, quæ tamen post mortẽ se in consanguineis nesciunt vindicare? Quis autem mortuum ita violare præsumens, vel solo nomine sit acceptabilis Christianus? Sacerdotis autem sanguis velocem habuit vltionem à Domino Christo, quem sacerdotij esse constat authorẽ, sicut in sanctis docemur scripturis: quia sanguis sancti Zachariæ Hierusalem nõ esse pertulit impunitam. Matt. 23. Quia etsi fuisset aliquid ab eo contra leges factum, quod posset eum facere à dignitate Episcopatus alienum, oportebat nõ homicidis manibus, sed legum iudicio sacrarum & ciuilium hæc finiri. Ergo quod in eo præsumptum est, si veritas precibus ineſt, valdè crudelissimum esse dignoscitur: vestra tamẽ hoc solummodo, maxime Principum, vindicta indiget, aut certè clementia. Et præcipuè quidem ciuitati Alexandrinæ parcendum est, sicut etiam prospicit vestra tranquillitas. Si verò etiam populum, qui indisciplinationem æstimat esse legem, oportet sine emendatione dimitti, & hoc in vestræ pendet pietatis arbitrio. Timotheus autem, qui nunc Alexandrię est constitutus Episcopus, sicut in precibus continetur, in ea sede permanere non potest: Si verò amisit presbyterij dignitatem, & habuit cum iusta damnatione exilium: quæ tamen rursus non ex Concilio sanctorum patrum regulariter sunt abolita: deinde cùm secundum sacras regulas Episcopi consecratio celebretur, conuenientibus prouinciæ cunctis Episcopis, & si per ægritudinẽ forte aut pro alijs necessarijs & inuitabilib. causis absentes sint, proprijs tamen literis ordinationi factæ consentienbus: si duo homines, & hi quoquè damnati, Timotheum ordinauerunt, nequaquam Ægyptiaco consentiente Concilio, superfluum est huiusmodi hominem in Episcopatus ordine permanere, si tamen, vt diximus, preces nequaquam à veritate discedunt. Sed & petitiones pro eo vestræ tranquillitati porrectas legentes, inuenimus gratiarũ actionem apud vestram pietatem factam, & post hęc propriæ fidei expositionem.

Dixerunt enim sanctam quidem Synodum in Nicæa factam suscipere, & secundum eorum expositionem se credere:

Centum quinquaginta verò reuerendissimorum episcoporum concilium, & quod pridem Chalcedonæ celebratum est penitùs ignorare. Vnde huiusmodi sensus ostendit, quòd contrarij cultores sint sanctorum episcoporum, qui in toto orbe consistunt. Nam si concilium factum contra hæreses respuunt, quale est & sub Nectario sanctæ memoriæ in maxima ciuitate regia ex diuersis prouincijs congregatum, palàm est, quoniam illas hæreses prohibere nolint, sed eas potiùs amplectuntur, quas sanctissimi patres hæc piè constituentes anathemati subdiderunt: denique prima regula in eis est posita, quæ anathematizat apertis sermonibus hæreses vniuersas. Qui ergò hanc synodum refutant, ita sanctam ac venerandam, quàm præ omnibus quidem veritas confirmauit, deinde & tanto tempore robur accepit, certum est, quia non in vno capitulo sustinent scandalum, sed in multis hæresibus languere noscuntur: Nam qui legem veritatis adiutricem refugiunt, aperti sunt veritatis ipsius inimici, quando hanc synodum, quàm se ignorare confingunt, & Timotheus Deo amabilis tunc Alexandrinæ ciuitatis episcopus, vir anima venerandus, vnà cum eis præsens & ipse firmauit. Nos autem eorum maximam ignorantiã de ineffabili inhumanatione damnamus, quia dum à Cyrillo sanctæ ac beatæ memoriæ, & ipso Alexandrinæ ciuitatis episcopo, Diuinas literas doceri putentur, aut definitiones ab eo diuina inspiratione de ineffabili humanatione expositas ignorarunt, aut hactenus sub pietatis figmento latuerunt, quando sanctæ memoriæ Cyrillo vsque ad mortem communicauerunt, & post eius terminum diuersa sentire noscuntur. Nos igitur mox vt syllabas pietatis vestræ suscepimus congregati, vestræ tranquillitati significamus, quia nouimus Chalcedonense concilium fuisse secutum expositionem trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui in Nicæna vrbe conuenerunt, assidente quoq; tunc temporis ipsi venerando concilio sanctæ piæque memoriæ Martiano, & sacratissimo Christianissimoque senatu. Vnde sanctorum patrum sequimur per omnia voluntatem. Nos ergò vestræ pietatis iussionibus omni virtute velociter ministrauimus: Dominus autem omnium & protector Christus conseruet vestræ pietatis imperium, vt ad tempora longa procedat: quatenùs vestra tranquillitate salua, in pace Dei *Euotius sanctissimæ Ecclesiæ & totius orbis terræ consistat. *Euetius humilis episcopus metropolis Cyzici, incolumem propter omnes vestram pietatem & longo tempore conseruari, sanctam & consubstantialem deprecans Trinitatem, subscripsi.

Petrus episcopus Dardani, similiter.
Timotheus episcopus Germensis, similiter.
Thalassius episcopus Parij, similiter.
Dauid episcopus Adrianæ, similiter.
Pionius episcopus Troadis, similiter.
Alexander episcopus *Occæ, similiter.
Theosebius episcopus Ilij, similiter.
Hermias episcopus Abydi, similiter.
Patritius episcopus Adrianotheres, similiter.
Sotominus episcopus Meleti, similiter.
Polytenus episcopus Scipseos, similiter.
Sabas episcopus Pianiæ, similiter.
Armonius episcopus Lampsaci, similiter.
Ioannes episcopus Pœmaneus, similiter.
Domninus episcopus Varenus, similiter.

EPISTOLA SVBDESCRIPTORVM EPISCOPORVM ad Leonem Imperatorem.

Pijssimo & Christianissimo Imperatori, Victori semper Augusti Leoni, Ioannes, Gregorius, Auxentius, Eustathius, Epiphanius, episcopi primæ Armeniæ, in Domino salutem. Deus verus Dominus noster Iesus Christus, semper optima naturæ humanæ dona concedens, nullum tempus sine sua prouidentia dereliquit. Qua gratia etiam nunc fidei veræ prospiciens, quæ nostræ salutis spes est, in te pio & Christianiss. Principe quodam secundo Dauid, cornu imperij reclinauit: quem sibi nouit religiosè à cunabilis seruiturum, hunc sua sententia in omni orbe terrarum imperare sanciuit: quatenus ex vestro imperio profluerent bona subiectis, & vbique pietatis prædicatio præualeret, vestra vtique mansuetudine nihil aliud præter fidem sceptra regalia iudicante. Quarum rerum testis est, & præsens zelus, & studium illa firmandi, vnde firmitas vestri accedat imperij. A Deo nanque vnctus in regem, mox ei, qui vnxit, ipsa principia commendasti, optimè satis cogitationibus simul & vocibus ei deseruiens, & vt hæc bene consisterent, præteritis omnibus apud cunctos pro fide orthodoxa decertatus es, omni scilicet mala secta prorsus expulsa, atque sublata, in idem conuenientibus & adinuicem concordantibus, qui nuper, quod fieri non oportuerat, videbantur esse diuisi. Quia vt prospicit vestræ pietatis intentio, ad vnam reduxistis Ecclesiam, non solùm eos, qui per dissensionem noua passione languebant, sed etiam eos, quorum erat à priscis temporibus mens corrupta, & à recta & regia via recedentes, ad loca praua & spinosa blasphemi erroris abierant: vt secundùm Euangelicam vocem, omnes ecclesiæ vnum ouile consisterent, & vnus pastor Dominus Christus esset. Sed hæc quidem omnia proueniant in vestro semper imperio. Quia verò & meæ simul humilitati pijs literis estis iubere dignati, vt quid sentiam de his, quæ in Alexandria facta sunt, manifestè, licèt & exaggeratio rerum ibi gestarum neque sententiæ tribuit facultatem, caligine rerum tristium mentibus obumbrante: hoc tamen vobis insinuo, quia si vera sunt, quæ in precibus religiosissimorum episcoporum & clericorum Ægyptiacæ Diœceseos continentur, & author Timotheus inuenitur tantorum & talium scelerum, quæ propter nimietatem, vt arbitror, non creduntur, alienus à sacerdotio cum his, qui similia perpetrarunt, apud sanctos canones iudicabitur. Et hæc quidem de his, quæ in Alexandria gesta sunt, cum sancto concilio quod mecum est deliberans, religiositati vestræ significaui: Fidem verò solam trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui Dei gratia conuenerunt in Nicæna vrbe sub piæ memoriæ principe Constantino, seruamus, qua ab infantia sumus imbuti, & in sacerdotio alios imbuere nouimus, quamque & post hæc episcopi congregati in ciuitate regia firmauerunt, & propriam iudicarunt, & ipsa sibi cooperatrice vtentes, & doctrina diuinitus inspirata, sancti scilicet spiritus blasphemias & zizania radicitùs amputantes, quamque nihilominus & definitio à sancto Chalcedonensi concilio explanata firmauit, præcipuè repugnans vesaniæ nefandi Nestorij, & sanctam synodum, quæ Epheli est celebrata, confirmans, cuius præsules fuerunt Deo amabiles & sanctissimæ memoriæ Romanorum & Alexandrinorum Episcopi, Cælestinus & Cyrillus, qui maximè aduersus sceleratam blasphemiam Nestorij suis responsionibus doctrinisque claruerunt: quorum epistolæ aduersus eundem impium Nestorium ad Orientales vniuersos datæ, & ab eodem sanctæ memoriæ Cyrillo contra eundem Nestorium anathemata proposita, sunt firmata atque roborata. Igitur indicamus prolatam diffinitionem à sancto Chalcedonensi concilio, non sicut fidei symbolum, sed sicut diffinitionem esse positam, ad peremptionem *Nestorianæ vesaniæ, & exclusionem eorum, qui salutem incarnationis Domini nostri Iesu Christi denegare noscuntur: & agnoscant omnes, qui ob hoc scandalum patiuntur, quia neque nos post orthodoxum symbolum, à trecentis decem & octo sanctis patribus traditum, aut augmentum, aut diminutionem in his, quæ sunt perfectè & à sancto spiritu definita, susçipimus, fidem aliam nescimus: quia neque est, nec patimur hoc audire, licèt quidam esse dicant. Si verò quibusdam volunt calumniari verbis, etiam hoc vestræ serenitati indicare confidimus, quoniam ea, quæ illis videntur esse dubia ad intelligendum, sic respicere noscantur effectum. Sunt enim quædam in diffinitione, quæ rectè intelligantur orthodoxa: sunt verò aliqui, qui si ea aliter velint adspicere, inuenient hæc sensus dubios parientia. Multi quidem & scripturas diuinas non intelligentes, sicut scriptæ sunt, propriæ blasphemiæ dogmata genuerunt, quos Dominus Christus sua clementia, vt sacra pietatis vestræ prudentia, diligentiaque conuertat, & verè prædicare verbum veritatis edoceat, & hoc sapere, quod sancta dictat Ecclesia, cuius caput quidem est Christus, vos autem robur ac fundamentum, imitantes immobilem Christi petram, super quam omnium creator Ecclesiam suam ædificans, omnibus Christianis pietatis requiem condonauit, qui etiam vestram serenitatem semper conseruare dignetur in talibus vigilantem, & insidiantem bestiam Christi ouilibus à septis fidei orthodoxæ repellentem. Credimus enim, quia postquàm nostris literis hæc indicauimus, cuncta

*Euty-chianæ

Ioan.

Matt. 16.

veritatis via & omnis modus vestræ panditur pietati: quatenus sopiantur scandala & ad fidem rectã membra discordantia reducantur, Dño Christo desuper quadã inspiratione vestram tranquillitatem ad bona omnia deducente. Ioannes episcopus misericordia Dei Sebastiæ metropolis sanctæ Dei Ecclesiæ, manu mea subscribens, secundùm sanctionem vestræ pietatis prædicta epistola meam sententiam nunciaui, quam habeo pro fide trecentorum decem & octo sanctorum patrum in Nicæa conuenientium, quam & sanctum Chalcedonense Concilium confirmauit: simul & pro Timotheo, quem preces his aduersarium ostenderunt, & conseruari vestram potestatem temporibus longis exopto.
Ioannes Episcopus Nicopolitanus, similiter.
Gregorius Episcopus Sebastopolis, similiter.
Maxentius Episcopus Bariſſæ, similiter.
Eustathius Episcopus Colonæ, similiter.
Epiphanius Episcopus Ataleni, similiter.

EPISTOLA SVBDESCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

Religiosissimo & pijssimo & Christianissimo Imperatori, semper Augusto Leoni, Otrius, Acacius; Ioannes, Adelphus, Hormisda, Longinus, secundæ Armeniæ episcopi, in Domino salutem. Deus, qui glorificantes se glorificat, secundùm cor suum apicem vestræ tranquillitatis inueniens inexpugnabilem palmam & honorem fidei consistentem, placidus præbuit vobis Christianissimi principum super omnes homines sine prohibitione aliqua potestatem. Insurgentes enim inopinabiliter subdidit victorijs atque incomparabilibus triumphis, & vestram pietatem excellentissimis honoribus exornauit, immutilata & sine litigio, & ab alijs indiuisa præbens sceptra vestri imperij, vt firmas atque claras in vobis diuinas seruantes formas, optima voluntate seruetis. Bonum enim circa Dominum Deum fauorem vobis habentibus, mansuetis vocibus, ad legalem & mirabilem vitam conuersationemq́ue deducit, quicquid sub sceptro vestri imperij gubernatur: æqua verò sorte salutis vestræ vtilitati reliquorum hominum ponens, inconcussam Catholicis totius orbis Ecclesijs pacem sine tumultuatione confertis, & Dei clementiam imitantes, neque paruulos neque humiles despicitis, quando per commodum condescensionis sumitis culmen, ad nos etiam pro fidei causa deponitis, socioſq́ue nos, qui pro abiectione nostra nihil in terra sumus, inter vestras accipitis curas, nõ egentes collatione nostra: & in hoc vtique magnitudinem incomparabilis Dei clementię demonstrantes. Quapropter quoniam iussi sumus, vltra nos quoque præsumimus, & quid sentiamus, vestræ pietati suggerimus. Nos igitur, venerabilis Imperator, in vltimo mundi loco degimus, multo spatio à regia ciuitate distantes, sed à vestræ potentiæ in nullo diuisi fauore, circa fidem equidem rectam sententiam possidemus, ad sermones verò contentionum linguas habemus segnes. Cohabitamus enim circa Armenios barbaros, fideles quidem, sed rectè Romano eloquio non vtentes, breui quodam spatio ab eis, magis autem intercisione Euphratis fluminis separati, & propter frequentem barbarorum permixtionem, longos nequiuimus proferre sermones. Vitamus autem etiam doctrinas extraneas proferentes, quia eloquia quidem sancti Spiritus renuunt, & propriam doctrinam in Euangelicis eruditionibus adferre nosc untur. Nos etenim secundam inhabitantes Armeniam, vna & immobili vtimur voluntate, & in vna fide consistimus, cõmuniter omnes, & seorsum singuli pro vestra maiestate ad Deum faciẽtes orationem, ab omni hæresi & lingua blasphema separati, vnamq́ue doctrinam super omnia claram à sanctis trecentis decem & octo patribus percipientes, patrum fidem inuiolabilem conseruamus, quæstiones verò de DEO tanquam inutiles & nostra cogitatione superiores effugimus, & aliud quicquam aut dicentes valde declinamus, à superfluis quæstionibus abstinemus, & lectiones impias refutantes, ab earum prauitate inimica Ecclesiæ sumus extranei, & triticum fidei à zizanijs separatum vobis fidelibus imperantibus conseruamus: in traditione patrum doctrinæ sufficientiam possidentes, & nihil superuacaneum quenquam loqui sinentes. Superflui namq́ue perscrutatores diuinarum rerum, & dogmatum quæsitores, & quasi pietatem suis syllabis comprehendentes, cùm loquuntur, aut aliud quicquam de scientia diuina delinquunt, eleuantur mox contra Deum, & volens vnus quis aliquid constituere, propriam fidem scribit, à Catholica Ecclesia semetipsum abrumpit, rectis dogmatibus contradicit, fideles & fortiter instantes & manentes in fide vehementer impugnare nititur, & lingua propria debellatur. Vnde ne sæpius aduersitate diaboli diuisi, & in multas discreti sententias, rectam patrum imminuamus fidem, propugnatores vos fidei, quia immensis iam beneficijs Dei imaginem conseruastis, Deus instituit, quatenus contra operantes scandala vestra obijcientes auxilia, atque solatium laborantibus in Euangelio conferentes, triumphum cum eis pariter habeatis. Sancta siquidem & Catholica Ecclesia, Euangelicam percipiens fidem, in qua tu quoque vocatus es pijssime principum, & confessus bonam confessionem, in ea consistis, atque traditiones tenes quascunque præcepit, & vocante Iesu Christo, non poteris amoueri: ab iniquis autem comprimitur quidem, non tamẽ annihilatur, sed floret potius, pietatis illustrata dogmatibus, & vestra simul irradiata fide, suscipit bella hostium sibi placentium, & eorum mala consilia nihilominus auersatur, peregrinis & vanis doctrinis per diuersa non fertur. Omnibus enim blasphemijs impietatis initium est languor pessimus, quo se magis amare volunt. Vnusquisque enim horum vocationem Christi ad nomen proprium transferre volens, iniquas blasphemias aduersus Christum eructare dignoscitur, qui ex nobis fuerunt non manserunt nobiscum. A recta namq́ue & regia digressi via, & redemptorem nostrum Christum impudenter abnegantes, & ipsi vocatione, qua vocati sunt, facti probantur extorres, & obedientes sibimet, impiè suum habere vocabulum pro Christiana religione fecerunt, qui non in alia baptizati sunt fide, aut alios Christi discipulos habuerunt, alium modum baptismatis introducentes, aut Christum alium prædicantes. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma. Quidam verò imitantes Iudæ voluntatem, à semetipsis, blasphemiæ malitiam genuerunt, & Christi vocabulo cum ipsa pietate priuati, eos, qui sub eorum nomine crediderunt, suo nomine vocari quadam deceptione fecerunt. Hinc enim trecenti decem & octo patres fidem in diuersis corporibus habentes vnam, confidenter bellum pro pietate gesserunt, & veritatem nimis mansuetissimè defendentes, & mentem vesanam hostium Ecclesiæ reuelantes, eos quoque, qui & tunc simul erant, & nos qui post multum tempus sumus exorti, symbolo fidei ad veritatis iura perducere non quiescunt. Accedentibus enim ad baptisma, tradimus, quod & accepimus, non augmentum aliquod facientes aut detrimentum hoc. Huic namq́ue doctrinæ nihil affectione minus est. Contra omnes itaq́ue abominandas hæreses, veritatem confidenter opponimus, ne velut impræparati secundum scripta spiritualia condemnemur. Et eis quidem, qui sacrilegium in diuinas perpetrant scripturas, & corda sibimet faciunt adhærere simplicium, nos qua possumus virtute resistimus: nerui verò & arma Ecclesiarum & virtus, vos estis Christianissimi principum. Nam & beatæ memoriæ Constantinus, princeps militiæ omnipotentis Christi, trecentos decem & octo sanctos patres habens armigeros, & Dominico bello vincens, maximus quidem apud regem regum apparuit: in omnibus autem Dei Ecclesijs tempore longo & obliuione memoriam possedit fortiorem, & ab omni pio ore laudatur. Igitur quasi paternæ succedentes hæreditati sacratissimi principes, qui sceptra illius susceperunt, in synodo centum quinquaginta patrum, & fidem trecentorum, decem & octo patrum, pijs & Deo decibilibus sanctionibus firmauerunt, & inuentorem nouorum dogmatum confuderunt, inanem depellentes ab Ecclesia pestem, æqualem patris & Filij & Spiritus sancti substantiam, virtutẽ atque diuinitatem annunciantes, in nullo dignitatem, authoritatem aut dominationem penitus imminutam. Rursus ergo diabolus arma suæ malitiæ Nestorij linguam exacuens, in duos filios diuidere, vnum & solum Christum nefanda voluntate præsumpsit, & rem vnitatis veræ dissoluens, seorsum in hominem, & seorsum in Dominum Christum Filium Dei viui impia machinatione discreuit. Quo facto, mox beatæ memoriæ Cælestinus Petri sedis sententiæque successor, & Cyrillus

1. Reg. 2.

Imperator Ecclesiæ patronus.

Philautia fons hęresum omnium.

1. Ioan. 2.

Ephes. 4.

Fides Armenię secundæ.

Traditio patrum.

rillus Alexandrinæ ciuitatis episcopus, & Acacius magnus noster pater & doctor, cum multitudine sibimet aggregata sapientes, impetum contra veritatem factum destruentes, inuentorem mendacij, cum ipso mendacio pariter expulerunt, & sanctorum trecentorum decem & octo patrum fidem roborauerunt. Sed neque hac diabolus deuictione confusus, dogma Valentini olim sopitum, per Eutychen denuo renouauit, surrexitque dicens cœleste corpus assumpsisse Dominum Iesum Christum, & ad homines aduenisse. Quem si fas esset callidum verbis, non verò intellectu contendentem, vt non dicam, dogmatum nummularium, vt cum corpore ad
Ioan. 20. cœlos educeretur, ostenderimus ei Dominum gloriæ, figuras clauorum in manibus habentem, & his potius quàm inaccessibili luce fulgentem. In carne enim is, qui semper est, apparuit: factus est ex muliere creator omnium, factus sub
Galat. 4. lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt filiorum adoptionem reciperemus. Pauper factus est, cùm esset diues: &
2. Cor. 8. participationem meæ carnis elegit, ex semine Abrahæ factus est, & sanguine & carne participatus, proximè nobis vniens & compaginans in vnum diuinæ naturæ peccatricem nostram ex transgressione naturam. Caro enim & ossa, secundum
Luc. 24 Euangelistam, Deum ostenderunt, & Deus naturæ, in carne
2 Corin. 5. & ossibus manifestatus est, vt cum à vita nostra mortalitas sit absorpta, nequaquam sit iam mors, vita viuente per mortem. Viuus enim DEI sermo in morte semetipsum ostendens, quia vita est, mortem nequaquam esse declarauit, & robur atque integritatem suæ præsentiæ demonstrare volens,
Luc. 24. ad discipulos ait: *Palpate me & videte, quia spiritus carnem &*
1. Tim 2. *ossa non habet, sicut me videtis habere.* Factus vtique secundùm
1. Cor 15. nos homo, qui permanst Deus: mediator effectus Dei &
Coloss. 1. hominum, primitiæ dormientium, primogenitus ex mortuis, secundus Adam, caput corporis Ecclesiæ. Ait namque pro-
Psal. 86. pheta: *Et homo est, & quis agnoscet eum?* Quod enim ait, Et homo est, augmentum & assumptionem ostendit, eius qui est, & futuri in secula diuinitatem interpretatur. Cùm itaque adoramus Christum, qui & dispensatiuè pro nostra salute susceptit carnem passionis, & diuinæ nobis impassibilitatis iura donauit. Sic enim Concilium sanctorum patrum Chalcedonæ celebratum sapiens, & trecentorum decem & octo patrum inuiolabilem & intentabilem custodiuit fidem, & fortiter in eruditis viris fatuitatibus resistens, Catholicis Ecclesijs in toto orbe fundatis, contulit bona pacis. Cum quibus nos quoque in vno corpore congregati per fidem, vestrum imperium immutilatum, & ad filiorum filios peruenire, ab omnium domino deprecamur. Si verò quidam decerpentes congruentia syllabarum compositionesque verborum, bella & lites mouere tentant aduersus Ecclesias, Deus restitit eis. Nos autem intentionem exponentium fidem, & mentem probantes, nequaquam à verborum compositione recedimus, sed & propugnatores dogmatum, & perfectos custodes fidei trecentorum decem & octo patrum habemus, & sanctos patres Chalcedonæ collectos, sicut & ipsos trecentos decē & octo patres, honoramus. Nihil enim adijcientes illorum symbolo, os obnoxium multis supplicijs damnauerunt, Igitur sanctionem pietatis vestræ susciptens vna cum sanctissimis episcopis nostræ prouinciæ, relegensque preces ab Alexandrinis clericis vestræ maiestati porrectas priores atque posteriores, in prioribus quidem inuationem ouium factam contra pastorem fleui, & contra ipsum sacerdotium seditionem noui Dathan & Abiron, nimis ingemui. Pudor enim
Num. 16. cunctus per arrogantiam est expulsus, omnis lex & timor imperialis & iudicium est contemptui, & sacerdotales sanctiones vexauerunt nefandissimæ voluntates, manus contra sacerdotes armantes, quas debuerant optimè temperare, & donum perceperunt, dignum suæ salutis pignus. Habens etenim mentem ratione priuatam, sicut precibus sumus edocti, si tamen veræ sunt, sceleratus Timotheus principatus amorem vtilitati præponens, ad res nefandas accessit, sedibus non sibi competentibus irruens, adhuc viuo Ecclesiæ sacerdote, dispensationemque Ecclesiæ petulanti voluntate diripiens, & principium sacerdotij faciens sanguinis effusionem: sed etiam sanctorum gregum cædis factus occasio, impudenter custodem constituit semetipsum, qui neque vocari dignatus est Christianus, quando cruentis manibus venerabilia mysteria
☞ non dubitat impia præsumptione contingere, & post damnationem illam operari, quæ eum neque alios agentes sanctorum patrum regulæ videre permittunt. Qui neque sustinens, vt secundùm regulas ordinaretur Ecclesiasticas, & ab his, qui sibimili castigationi videbantur esse subiecti, factus Episcopus, ab omnibus Ecclesijs semetipsum excommunicasse dignoscitur, quasi faciens diuinæ gratiæ donis iniuriam. Deinde cùm non valeat curare, quæ ab eo malè præsumpta sunt, si tamen, quæ de ipso dicta sunt, cum veritate concordant, patrum concilijs obloquitur, & cùm ei mala patria, non sufficiant, omnes conturbare tentat Ecclesias: quasi potestatem habens gerendi quæcunque voluerit, & neque viuis, neque mortuis præsulibus parcit Ecclesiæ, sed quasi contra omnes potestatem impietatis adeptus, primùm & patrum synodo derogat, quam spiritu diuino statuit sedes Alexandrina. Quod mihi videtur fecisse, vt effugiat homicidij, adulterijque supplicia. Illic namque in ipsis principijs contra homicidas excommunicationis decreuerunt pœnam. Non suscipit autem sanctum & vniuersale Chalcedonense Concilium, nesciens quia etiam ante hoc à trecentorum decem & octo sanctorum Patrum fide semetipsum fecit extraneum, quam sanctum vtique Chalcedonense Concilium confirmauit ac roborauit. Oportebat enim eum ascendentem tyrannicè ad thronum beatæ memoriæ Cyrilli, illius libris incumbere, & doctrinam illius possidere. Sed vos pij, tanquam vniuersos principes optima virtute superantes, fidem defendite tyrannidem sustinentem, patrum sanctionibus conferre virtutem, sacerdotibus donate à periculis libertatem, prohibete eos, qui irregulariter contra Ecclesias nituntur insurgere: quatenus sine seditione & lite atque bello vestris temporibus sanctæ Dei Ecclesiæ constitutæ, incessabiliter pro vestra longæuitate atque salute emittant Domino Christo suas orationes, vt longis pacificisque temporibus vniuerso orbi terrarum & omnibus sanctis & Catholicis Dei Ecclesijs condoneris, per omnia inuictissime & Christianissime triumphator semper Auguste. Tresius, misericordia Dei Episcopus Melitenæ metropolis sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ, propria manu subscribens, secundùm sanctionem vestræ pietatis, meam sententiam per præfatam epistolam protuli, quid sentio in confessione sanctorum patrum in Nicæa conuenientium, quam secutum est & Chalcedonense sanctum & vniuersale concilium, simul & quod sapio super Timotheum, quem preces accusauerunt, & custodiri vestram potestatem sanctis Ecclesijs, & omni orbi terrarum temporibus longis exoro. Ioannes Episcopus Archæ, Adelphus Episcopus Arabiæ, similiter.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum ad Leonem Imperatorem.

Religiosissimo & à Deo insulas imperiales adepto, Leoni Augusto, Olympius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, in Domino salutem. Maximus omnium Dominus Deus, munus optimum & sanctis Dei Ecclesijs & toti orbi terrarum vestrum condonauit imperiu. Et hoc nos non aliqua coniectura dicimus, sed ipso rerum experimento eruditi, proferimus. Nam quando in ipso principio vestri regni, quod à Deo in omni orbe suscepistis, non aliunde, nisi vnde decebat, imperij fecistis initium, maximum est indicium voluntatis vestræ, quam habetis circa beneficij largitorem. Mox enim vt ad imperium accessistis, bene etiam hoc dispensante pro nobis Domino nostro IESV CHRISTO, repentè iusta Dei sententia vestra pietate monstrata est, magis autem in nobis. Nam virtus imperantis commune bonum est, & vtile singulorum, redditusque per vos & à vobis cunctis sanctis DEI Ecclesijs honor, litteris vbique currentibus atque significantibus, & quam habeatis circa fidem orthodoxam voluntatem, & quia nihil veritati præponitis. Hinc itaque nobis fiducia conceditur, & bonorum omnium spem habere confertur sub tali principe constitutis, qui & subiectorum salutem rebus omnibus superponit. Quia verò contigit turbas atque tumultus emergere, & in his magis rebus, vbi vobis maximum est studium, id est, circa Dei Ecclesias pacis iura conferre, quam bonitatis inimicus dia-

bolus ab eis auferre, & violentiam inferre tentauit: neque in hac causâ nostram probaris neglexisse cautelam, inuigilas autem & cuncta consideras secundum bonos pastores, ne lupis liceat oues arripere: aut certè secundum optimos medicorum alligas vulnera, & eis præbes denuò medicinam. Cooperetur itaque Dominus huic vestræ pietatis intentioni, & modum inueniat, quatenus omnia, quæ diuisa sunt, copulentur, & disrupta totius corporis membra, rursus compaginentur, & totum Ecclesiæ corpus salubritati reddatur, vnitumque seruetur. De his enim, vnde mihi vestris literis præcepistis, id est, de sancto Chalcedonensi Concilio, & Alexandrinis malis, quæ cùm fieri non oportuerit, facta dicuntur: hoc tantum dico, quia similiter ignoraui, & quæ Chalcedonæ sunt gesta, quia nec in synodo fui, & ea, quæ Alexandriæ facta sunt, nunc vix audiui, simul & quomodo defunctus est sanctæ memoriæ Proterius, & quia eo viuente is, qui nunc Episcopus factus dicitur, ordinatus est. Quia verò iussistis de his omnibus ignorantem, * meam vobis sententiam declarare, colligere festinaui Episcopos sub me constitutos, (sunt enim duo) quorum vnus, sicut præcepistis, aduenit, & ipse mecum fecit sententiam manifestam: alter verò infirmitate detentus, occurrere quidem non valuit, suam verò voluntatem, ad me datis literis indicauit, quas etiam meæ suggestioni coniungens, pariter destinaui. His itaque sic se habentibus, vestræ pietati significo, qui ea quidem, quæ particulariter examinata sunt atque gesta à sanctis episcopis in Chalcedonensi collectis ciuitate, non legi, (neque enim à sanctæ memoriæ tunc episcopo Thalassio, qui interfuit sancto Concilio, aliquid hic amplius est allatum ex his, quæ gesta noscuntur) sed tantummodò diffinitionem expositam ab illo sancto Concilio, ab eo delatam inspexi: quam relegens salubriter, congruenterque suscipiens atque intelligens, & (vt reor) mente recta eam vt oportebat examinans, comperi à recta fide non dissonare. Nam & trecentorum decem & octo sanctorum patrum Nicææ conuenientium laudat fidem, & eam sequi omni intentione festinat, & inuiolabiliter immobiliterque custodit: in qua, gratia Domini nostri Iesu Christi, & baptizati sumus, & credimus, & in qua credere accedentes ex gentibus edocemus. Sed & reliquos omnes sanctos sequitur patres, & eos, qui post illos in regia ciuitate collecti, & rursus qui Ephesi conuenerunt: & vt simpliciter dicatur, omnes qui in fide & recto dogmate sunt præclari, socios asserit & fidei communicatores. Inscribit & sanctæ memoriæ Cœlestinum, & maximum Cyrillum, qui vbiq; noscitur approbatus, & maximè in anathematibus prolatis contra Nestorium, & ei similia sapientes: sed etiam eos, qui cum illis pro pietate dimicauerunt atq; decertarunt contra Nestorium veritatis inimicum, & qui iniquitatem locutus est in excelsum: necnon aduersus eos, quicunque adulterare vera dogmata cognoscuntur, & quod summum est, Dominum nostrum Iesum Christum non confitentur ex sancta Maria Virgine Dei genitrice incarnatum nostra carne, & per omnia secundum nos factum peccatum propter salutem nostram, quod ab omnibus, qui rectè crediderunt & credunt, intelligi & dici omnes agnoscimus, quia hanc gratiam adepti sumus. Ergo quantum ad diffinitionem, quam etiam legi, nihil habeo, in quo sanctum Concilium possim de mala secta culpare: Si verò non propter fidem, sed propter alia quædam quasi non secundum regulas à sanctis trecentis decem & octo Patribus in Nicæna vrbe prolata facta sunt, quæstio nunc exorta est, hæc non vniuersalem debent tumultum facere, sed vestræ indigent examinatione pietatis. Vobis namque hæc inquirentibus, & sacras regulas relegentibus, benè noui, quia correctionem causa suscipiet. Nullus itaque iudicet, quia supra me, & vltra quàm mihi conuenit, hæc locutus sum. Nam neque hæc ipsa dicerem, nisi coniurationem in vestræ pietatis syllabis positam formidarem, compellentem nos, quæ vera sunt cum fiducia declarare. De his autem, quæ in Alexandrina ciuitate facta vulgantur, hoc tantum modò dico: quia lamentatione digna sunt, quæ gesta dicuntur, & si vera facta sunt, aut à Timotheo, qui Episcopus dicitur ordinatus, aut à quolibet alio, & sicut conscripta sunt in libellis, pietati vestræ ab accusatoribus eius oblatis, ita contigerunt, indignos sacerdotio huiusmodi operarios esse dico. Vestrum est autem omnia disponere sapienter, & prouide huius mali impetum cohibere, ne vlterius possit accidere. Igitur quæ de prædictis causis noui, atque dicere debui, hæc sunt. Quæ verò ipsius negocijs, & omni mundo profutura sint, opto ut quid meæ orationes prosint, vt Dominus Iesus Christus cuncta bona sua vestro imperio præstet, & nobis in se sperantibus longis temporibus vestrum custodiat principatum, dispensantem mansuetè atque clementer religiosè, quæ nostra sunt, Alypius, misericordia Dei Episcopus metropolis Cæsareæ primæ Cappadociæ, sanctę Dei Ecclesiæ, obediens his, quæ piè mihi à vestra potestate præcepta sunt, hæc meis scriptis insinuaui. * Vuius Episcopus Nyssenus, similiter.

* me, meã

EPISTOLA EPISCOPORVM INFRAscriptorum, ad Leonem Imperatorem.

PIissimo & *Christianissimo, amabili Imperatori, semper Augusto Leoni, Patritius, Eustathius, Nebulius, Theodosius, Aristomachus, Cyrus, Ambrosius, Patrophilus, episcopi secundæ Cappadociæ.* Intentio pia & studium, quod circa rectam fidem geritis, munus Romanorum vobis contulit principatum, ô sacratissime & Christo amabilis Imperator. Quam fidem in vtroque conseruans, vis equidem sanctas Ecclesias esse, & eas augeri, necnon vnumquemque ad fidem rectam, quam à prima iuuentute serenitas vestra seruauit, adducere, quamque etiam vobis nunc tempus est apertè omnibus explanare. Quia verò nostram sententiam, quid sapiamus sacris literis manifestare sanctis, & agnoscere voluistis, quid de sancto Chalcedonensi Concilio sentiamus, & de his, quæ Alexandriæ gesta dicuntur, conuocatis in vnum sanctis Episcopis secundę Cappadociæ hoc egimus. Conuenientes enim in vnum vna cum clericis, primum quidem pro vita vestræ tranquillitatis orauimus ad custodiam sanctarum Ecclesiarum, necnon ipsius rectæ & venerabilis fidei, & pace vndique per victoriam cunctarum gentium longius propaganda. Relectis autem precibus ex vtraque parte vobis oblatis, hoc est, à sanctissimis Episcopis Ægyptiacæ diœcesis, & ab alijs, indicamus quia & ab initio in his, quæ diffinita sunt à sancto & vniuersali Chalcedonensi Concilio, tunc consensimus, & nunc in præsenti subscripsimus, & ea ita seruamus, sicut antiquum sanctum & vniuersale concilium sanctorum trecentorum decem & octo Patrum in Nicæna vrbe celebratum, secundum quod & baptizati sumus, & nosmetipsos bonæ confessioni tradidimus, sacerdotiumque sortiti clementia Domini nostri saluatoris Christi, ad fidem eius eos qui imbuuntur, adducimus. Necnon & alias synodos, quas per singula tempora congregari necessariæ res exegerunt, sicut in his * iudicatur, per omnia custodimus, quod à sancto spiritu celebratæ sint, & de his, quę placuerunt, constitutæ noscantur, & arbitramur quia quicunque sancto & vniuersali Chalcedonensi concilio aduersari nituntur, semetipsos non intelligunt, quando & sanctorum trecentorum decem & octo patrum Nicæno concilio inimici apertissimè comprobantur. Nam si sancta Chalcedonensis synodus hanc synodum susscepit atque firmauit, tanquam veritatem habentem, & rectæ fidei firmitatem, (Vtraque enim inest in se) quomodò non apertè illi quoque repugnare noscuntur? Non enim prudentis est animi, in parte quidem susscipere, in parte verò aliquid reprobare, & propria abijcere sententia, quæ ab illis sunt vtiliter definita. Et de sancto quidem Chalcedonensi concilio hæc dicta sufficiant. De his autem, quæ Alexandriæ non benè gesta sunt, dudum quidem sufficienter fleuimus, & nunc etiam nequaquam lamentari quiescimus. Qui enim modus nostrarum erit lachrymarum, cùm multa & importabilia videantur, quæ in ea vrbe contigerũt, sanctis Ecclesijs passis iniurias, licet hoc vel dicere præsumptiuum sit, & neque pudore prohibitis eis, qui sanctum baptisterium inuaserunt, quiq; forsitan & in eo sanctam gratiam adepti sunt, ad redemptionem pristinorum vtique peccatorum? Cum verò adijcitur, quia & in his locis sacerdotis interfectio perpetrata est, quomodò non erit ita terribile, vt omnem auditum valeat obturare? Dum autem etiam depompatum dicatur omne corpus, iniurijsque subiectum, cùm iam caruerit sensu, & membra diuisa, ignique contradita, collectusque cinis, secundum quod illis placuit, dispersus est, quomodò non erit hoc miserandum, & multarum lachrymarum

rigatione dignissimum? præcipuè dum quis animo cogitet, quia neque post mortem, defuncto sacrificij oblationem fieri permiserunt, sed tanquam extra naturæ legem eum puniri festinauerunt, qui iam nequaquam harum iniuriarum videbatur habere sensum. Ea verò, quæ de Timotheo gesta sunt, penitus non laudamus: sacerdotium habere non potest. Primum quidem, quia oportet eum, qui ex quacunque causa deponitur, sustinere, & neque ad eum gradum accedere, neque ad maiorem currere dignitatem, antequam is, qui eum deposuit, soluat sententiam in eo prolatam, aut certè sanctorum Episcoporum synodus, quæ perspexerint iusta, definiant. Depositos autem episcopatu seu clericatu alijs hanc conferre dignitatem, lex Ecclesiastica nulla permittit. Si autem etiam sinamus per concessionem, quia duo episcopi fuerunt fidei præconio digni, neque hoc modo deficiente numero ordinatio episcopi potuit prouenire, quando hoc sacris canonibus inhibetur. Dum verò habente episcopo in sua Ecclesia sacerdotium, & in nulla parte repræhenso, neque remoto, alter in Ecclesia dicatur introductus, & culpabile & omni ratione probatur incongruum. Quia verò, sicut precibus indicatur, omnia, quæ de Timotheo gesta sunt, sine venia sunt, & omni consequentia videntur extranea, & sacerdotio dissonantia, non solùm si hæc omnia in eo probantur effecta, sed vel si vnum tantummodò horum, quę prædicta sunt, contigit, neque sic eum subtilitates canonum sacerdotium habere permittũt. Quòd si etiam insidiatus agnoscitur sanctæ memoriæ Proterio, aut voluntate, aut opere, palam est, quia & sacris canonibus expellitur, & apud leges benè positas, odibilis inuenitur. Hæc itaque sunt, quæ in vnum conuenientes atque deliberantes pariter approbauimus: vestra verò pijssima Christianissimaque serenitas, quæ super nos prouidè sortita videtur imperium, multis bonisque fruatur temporibus: & sicut oramus, sanctissimas sub quiete seruet Ecclesias, & pacem omni conferat mundo, omnesque gentes vobis, quæ sub sole sunt constitutæ, succumbant, quod dudum gratia Domini Christi constat esse iam factum, vt rursùs ad meliorem statum Romanus perueniat principatus. Patricius episcopus Tyanorum metropolis, secundum vestrę pietatis sanctionem, meam manifestaui sententiam de Chalcedonensi synodo, quia eam suscipio, nihil contrarium sanctis patribus sapientem. Similiter autem & de Timotheo, sicut supra scriptum est, & manu mea subscripsi, & potestatem vestram multis oro custodiri temporibus.

Eustathius episcopus Paternus, similiter.
Theodosius episcopus Nazialis similiter.
Aristomachius episcopus Colonorum, similiter.
Cyrus episcopus Cubistuliæ, similiter.
Ambrosius episcopus * Asunæ, similiter.
Patrophilus episcopus Iustinopolis, similiter.
Anebrius episcopus Doalæ, similiter.

EPISTOLA SVBTVS ANNEXORVM Episcoporum ad Leonem Imperatorem.

PIissimo & *Christianissimo Imperatori, Cæsari Leoni, triumphatori semper Augusto, Euippus, Petrus, Ioannes, Gratianus, episcopi prouinciæ vestræ Ponti.*

Vos equidem inuictissimos atque Christianissimos principum quis non laudet, terrarum orbem sapientia gubernantes, & principatum fortiter obtinentes, & optimum æquitatis fundamentum, hoc est, amorem quem circa nos geritis, digna ædificatione ponentes? Apertè namque per hæc monstratur, quia nulli fuit aliquando cuiuslibet rei sic feruentissimus amor, sicut vestræ pietatis imperio, vt Christianorum populus possit augeri, & ad maximam gloriam potestatemque perduci, quem penitus in malis esse non finitis. Nec vos ab huiusmodi voluntate suspendit, neque fauor populi, neque multitudo pecuniarum, nec quæstus gloriæ, neque quòd rex regum esse videris & nominaris, nec omnia reliqua, quibus agnoscitur humana felicitas. Nihil itaque horum omnium vos ita lætificat, quomodo vt per vestram maiestatem nos exultemus, & per nos vestrum apud Deum & homines approbetur imperium, & insolubilis apud vos potestas permaneat in æternum. Propterea siquidem alienigenarum quidam populus, qui pridem nostram prouinciam, veluti suam inuaserat, non magno labore subiectus est, sed & omnes circa Romanum imperium gentes inimicæ destructæ sunt. Vos autem hæc omnia secundo loco ponentes, tanquam diuina manu protecti, nostram concordiam valdè requiritis: benè scientes, quia vestra securitas Ecclesiarum pace consistit. Nam si fuerit pax inconcussa, immobiliter seruabuntur vniuersa. Nos itaque quis dignè possit flere, sciens verborum facta considerare, & passiones lamentationibus æquare? Quoniam pacem, quam à patribus percepimus, non seruamus, & eius tantum nomen audiuimus, hanc nec leuiter venerari cognoscimus. Solutum est enim vinculum charitatis, thesaurorum nostrorum pax direpta est. O quanta sunt mala, protrahimur enim passionibus nostris ad gemitus. Nostra fuit charitas aliquando, paterna est hæc hæreditas, quam in nobis per discipulos Dominus thesaurizauit, dicens: *Mandatum vobis do nouum, vt diligatis adinuicem.* Sed hanc hæreditatem priores quidem successores filij à patribus susçipientes, vsque ad nostros patres inuiolabiliter seruauerunt, hæc autem luxuriosa generatio non seruauit. Quomodò lapsæ sunt de manibus nostris, charitate defluente, diuitiæ? Nos charitate pauperes sumus, & inimici de malis nostris locupletantur. Ait enim Psalmista: *Zelatus sum super iniquos.* Nos paululum transeuntes, quod scriptum est, legamus. Zelati sumus super iniquos, pacem peccatorum videntes. Illi siquidem sunt concordes alterutris, & sibimet copulantur, & velut funes sua perplexione roborantur. Nos autem nec consentimus adinuicem, neque nostris sententijs concordamus, cùm nullus ignoret, quia sanctæ & laudabilis Trinitatis primum bonum, sit pax & indiuisio. Vnde & Deus vnus & est, & esse creditur, non minùs propter concordiam aut æqualitatem substantiæ, sed etiam vt nomen hoc vnitatis Deo sit commune cum alijs, quibus gaudet. Pax enim, & charitas, & similia vocitatur, per hæc nomina nobis præstans, vt his virtutibus transformemur ad Deum. Secundæ verò post Deum potestates, id est, angelicæ cælestesque virtutes nihil ita libenter habent, quomodo quietem tumultusque vacationem. Deinde siue leges creaturę respiciamus, quia cœlum & terra & mare, & totus hic mundus, maximum Dei elementum atque mirabile, quod etiam Deus declarat, donec constiterit, & pacem ad semetipsum habuerit, manens in proprijs naturæ terminis, & nihil alterius contingens, neque vincula suæ harmoniæ digrediens, quibus artifex ratio omnia colligauit, mundus est, quod vocatur præcipua pulchritudo, qua nihil poterit quilibet hic clarius aut magnificentius inuenire. Mox autem vt pacem amiserit, & mundus esse cessauit, & illud pacis bonum quale fuerit, tumultuatione monstratur. Et vt relinquamus populos, & ciuitates, & choros, & militias, & domos, & nauium complementa, & coniugia, atque societates pace quidem creuisse, tumultuatione verò defecisse: ad Israel veniamus, & aliorum flagello corripiamur. Illi namque donec pacem habuerunt & adinuicem, & ad Deum, sanctus populus, & pars Domini, & regale sacerdotium vocabantur, & à principibus regebantur gubernatis à Deo, & columnæ eos ignis & nubis nocte dieque deducebant, vt inter eos adstantes, mare verò eos Moysis virga percussum, velut vitrum in aliqua summitatis parte vsque ad finem sectum, ab initio litoris vsq; ad terminum alterius probatur esse diuisum, vt & Moyses cum omni populo in fundo constitutus sine vlla infusione, adustus etiam sole, & pedibus abyssos in siccitate fundi ingrediens, non timuerit repentinum murum ex fluctibus fabricatum, hinc & hinc instar muri conspiciens aquas fuisse coagulatas. Esurientibus autem cibus est cœlitus allatus, fontem petra sitientibus ministrauit: pugnantibus autem manuum extensio, pro innumeris millibus fuit, & triumphos oratio contulit, itinera præparauit. Ab horum facie flumina recedebant, imitantia mare cognatum. Sol stetit iusti oratione victus, & proprio cursu subsistens, occasionem persequendi * consensit, augmentum quotidianæ mensuræ largitus est. Sed & propter sacerdotum ambitum, turbarumque sonum, murus hostium fortissimus est commotus. At vbi iam mente languere cœperunt, & legem vmbram futurorum sæpius conculcare, & prophetas clamantes spernere, deinde Euangelica miracula, quæ per CHRISTVM sunt facta, re-

Pax Ecclesiarũ, & perij sectitas.

Ioan. 13.

Psalm. 72.

Pax, principiũ Deo donum.

Deut. 7. Deut. 32. Exod. 19. Exod. 15. Exod. 24.

Exod. 16. Num. 20. Exod. 17.

Iosu. 3. Iosu. 10.

*concessit

Iosu. 6.

cta, respicientes, id est, conceptum sine permixtione, incorruptam natiuitatem ex virgine, & desuper inuisibiliter testificantes voces ei, cuius supereminet dignitas, & naturalium infirmitatum salubritatem non aliqua medicina, sed puro sermone & iussu voluntatis effectam, & mortuorum regressionem, & timorem Dæmonum, & potestatem passionum in aëre. Et super maria gressum, non diuiso per vtramque pelago, nec in fundo nudato gradientibus secundum miracula Moseos, sed ipsa superficie gressibus quasi terræ constipatione substrata, per quandam fortitudinem procedente vestigio, & ciborum copiam, quantam ille voluit ministratam, & epulas in deserto largissimas, cùm multa millia pascerentur, quibus non cœlitus Manna fluebat, neque terra frugifera de sua natura res necessarias dabat, sed de ineffabilibus horreis diuinæ virtutis hæc munificentia procedebat, panisque præparatus ministrorum fructificatus in manibus, & amplificatus satietate comedentium: ita vt reliquiæ multis alijs mensis copiam ministrarent, & de panum epulis totidem numero cophini, quot sunt Apostoli, remanerent. Hæc itaque miracula videntes singuli, grauiter valdè respiciebant: sed & piscium epulas, quas maria non præbebant, sed ille, qui etiam mari hoc genus inseruit, pro tantis beneficijs mordacitate concussi, & inuidentes suæ saluti, vt Domini bona paterentur, crimen hoc maximum iudicantes, aduersus Saluatorem & Christum magis accensi sunt, in multasque diuisi partes, aduersus semetipsos postea sunt conuersi, crucifixo Domino eos ad hanc pœnam vtique compellente. Igitur quanta in oppressione sint passi, non victum porrigentes filijs, sed eos pro victu negantes, & famis remedium charorum pignora facientes, longum est enarrare. Verumtamen vna est horum maxima valde calamitas, quod in totum mundum dispersi sunt, vt & cultus deficeret eorum, & Hierusalem pauimentum vix possit agnosci: ad quam eis ad hoc tantùm licet accedere, quantum possunt desolationem eius in die lugere. Sed nos etiam huiusmodi habentes exempla, ad discordiæ mala procedimus. Heu mihi, quia ditati sumus in malis, & omnia tenebræ conceperunt, & operuerunt vniuersa, multum nouem plagis Ægyptiorum grauiora. Palpabiles tenebras iam timemus, ne fumus expectati illius ignis, hęc præsentia comprehendat, ne in his Antichristus adsit, & * tempus habeat suæ potentiæ nostra vitia præsentesque labores. Non enim contra benè valentium muros accedit, aut charitate coarmatos aggreditur.

Matth. 14.

Matth. 14. & 15.

Vide Iosephum de bello Iudaico.

* id est, occasionem & opportunitatem

Proptereà, inquit, Hieremias: *Ego defleo in lamentationibus, & quæro oculis meis fontes lachrymarum.* Passiones sufficientes & voto sapientes, vt lamentationem operentur, & vtero doleo, non est, quomodo releuetur dolor, aut quibus sermonibus hoc agatur, quia deuictus inimicus, à nobis ipsis modò destruimur, tanquam vesani carnes proprias comedentes, nec sentientes quia alterutros iaculamus, & ab alterutris in fugam conuertimur. Nam si preces oblatæ vestræ potentiæ à religiosissimis Episcopis Ægyptiacæ prouinciæ, & reuerendissimis clericis cum veritate concordant, quæ magnitudo est relicta nequitiæ? aut vbi sic amarus terminus alicuius Tragœdiæ poterit inueniri? Quis sine lachrymis in hac narratione grauitatem philosophiæ non possit excedere, audiens Mediatorem Dei & hominum, qui cum Angelis stetit, qui cum Archangelis choros egit, in venerabili Paschæ tempore, quo etiam latrocinantium collegia requiescunt, arma non mouentur, prætoria nihil agunt, & vnum omnibus Christianis studium est, à rebus alijs vacantibus, CHRISTO per orationis puritatem in passionis atque resurrectionis Sacramento communicare, ab spiritaliter pariente matre fuisse protractum, & ab eis, qui ab ipso in eo fonte nascuntur initiati, pariter & quia Sacerdos sacrificiorum sine sanguine celebratorum necatus est, & manus sacrificia faciens, suo Sanguine violata est, quia in multas partes ferro diuidebatur corpus eius, diuersis contumelijs sauciatum, & irrationali populo lusus effectum, Viris atque Mulieribus atque iuuenibus calamitatem hanc pro pompa gerentibus, ignique contraditum, & pyramide tracta in ciuitate Christiana in cinerem dissolutum? Hoc tamen gestum est, vt per omnia Elementa Sacerdos victor existeret, in terra punitus, igne consumptus, in aërem dispersus, & vt assolet, per minutas partes & atoma direptus, ad vicinas aquas vndis effusus, ita vt nec sepulturam sanctam promereretur, quę etiam impijs non negatur. Quantum credendum est, tunc paganos atque Iudæos, taliter conspicientes nostra mysteria derisisse? Hæc igitur erunt posteris fabulæ incredibiles & amaræ. Sed quis horum malorum author, si tamen accusatores veri sunt? Is vtique, qui adhuc viuente Pontifice, in Marci sedem prorupit ascendere, & adultero modo thalamos inuiolabiles attentare, ad sacrum altare pedibus non lotis accedens, qui suis manibus Pontifex ordinatus est, qui omnes simul patrum terminos commouit, & sententiam in sua damnatione prolatam, ipse sicut putauit, absoluit: & alio iudicio Episcoporum non indigens, nefandam atque imaginariam ordinationem suam à damnatis Episcopis, & hoc duobus, accepit, cùm regulæ patrum, sanctam & venerabilem colentium Trinitatem, vel tres Episcopos corporaliter adesse in huiusmodi dispensationibus omnino prospiciant. Hic autem non tali obseruatione prouectus, quoniam non poterat virtute hanc bonitatem præsulis Ecclesiæ Alexandrinæ tanscendere, alium molitus est modum, per quem conspicuus è contrario videretur, & idem passus, quod prouenit eis, qui futuris immensitate cæcantur, & quicquid prius occurrerit eis, irrumpunt, licet sit quoquo modo parcendum: Qui cùm tales sint, alios medicare contendunt, neque hoc mansuetè, aut mitissimè faciunt, sed velut quidam medicus imperitus, incidere solummodò & * incidere præparatus, cui rectè dicendum est, Medice, cura teipsum. Abstulit itaque de diptychis eum, qui lege & ordine assensu spiritali honorandus erat, & conscripsit illum, qui dogmate tantorum Episcoporum de Pontificali cathedra proiectus est. His igitur ita gestis, vt dictum est, (non enim nos harum rerum integritatem nouimus, in vltimo quodam loco Ponti degentes) huiusmodi emendatio vestra tranquillitate nunc eget: quia nisi causa languoris ablata fuerit, non poterit sanitas reparari. Quia verò etiam de Concilio fecerunt memoriam hi, qui multa primitus commiserunt, etiam de causa quiduis nos pati contingat, pro veritate licet sustinentes pericula non celamus, dum liberam potestatem & fiduciam vtique sumpserimus: quatenus in nullo dissimilitudinis imago posita, principali figura disiungi, & propterea sæpius vera sententia supplantari, multis vtique propter honoris affectum atque potentiæ, qui neque præsumptionem, neque fastum, sed vitam deberent sequi, virtutum contraria facientibus, quique à veritate propterea diuelluntur, & cum eis abrumpitur etiam multa pars plebis, cui mos est seditionibus congaudere, & cum * voluntatibus pariter aduolare. Huiusmodi siquidem conspirationibus amatorum acquiescendum est, dum magis ordo Episcopalis per miracula conquiratur. Quid enim de eis, qui * Gregorij magni, ciuitatis nostræ Episcopi, & aliorum eiusdem vocabuli Episcoporum, & Basilij, & immortalitatis amatoris & Athanasij dogmata sapiunt, aliud post tanta tempora potest credi? Aut aliquid conuertibiliter de inconuertibili poterunt cogitare, & secundis semper priora dissoluere, & non magis per quietem impetum tergiuersantium, semper quæstiones de Deo quærentium, destruere, & aliquando post longas turbas, sanctis DEI Ecclesijs, pacis iura conferre? Sicut enim rerum materies, vehementi spiritu irruente, in semetipsa contrita, ignem & flammam spontè frequenter emittit, nequaquam prius hoc passa, donec spiritus flare cessabit, aut certè si celatus ignis in paleis, nulla respiratione flammæ concessa, neque ea quæ sunt vicina consumit, nec omnino valet extingui, sed pro flamma vapor quidem per paleas fertur in aëra, si verò quandam respirationem sumit, fumum conuertit in flammas: Sic & nunc agitur, dum adhuc intus sunt querimoniæ, quæ contra nos machinari noscuntur. Si verò conuenientes contra nos certamen decreuimus excipere, quod neque aures audiant, neque oculi videant aliquando, pia vestra potentia sceptra imperij gubernante, metus est, ne forsitan ad impudentissima bella perueniamus, & confusio magna præualeat, & nullam pacem alterutrum expectemus. Vnde considerandum est, quia iam rex cælesti ad ianuas est, nouissima sustineamus, & ipsum Dominum in gloria paterna venturum, iam non sub imagine, sed apertè respiciendum, iudicaturum omnem humanam naturam, timoris & spei futurorum ambiguitatem pendentem, & propter euentum v-

Hiere. 9.

Sacerdos, mediator Dei & hominum.

Inchoatio Missæ sacrificium.

* occidere Luc. 4.

Dioscorum dicunt.

* volantibus.

* Gregorius Neocæsareensis episcopus is est, θαυματοῦργος dictus.

triusque rei fortiter inhiantem. Quia verò etiam de his, qui Chalcedone conuenerunt, consulere nos vestra tranquillitas dedignata non est, dicimus, quoniam multitudinem illorum virorum respicientes, senectute sapientiaque pollentium, in cunctis spiritualibus donis admirandorum, super hæc & fidem glorificantium pij numeri quos in Nicæna vrbe sanctus spiritus congregauit, necnon & quos idem spiritus in regia vrbe collegit, cui etiam nos conformati esse dinoscimur, & piè conseruamus, quæ ab eis prouisa sunt, & nunquam tantum Concilium denegamus. Hæc ergo breuiter piscatoriè & non Aristotelicè suggessimus. Si quid verò inerudite dictum est, aut velut ignorantibus compositionem ornatumque sermonis, aut velut à negocijs longè positis, veniam supplicamus vestram tribuere pietatem. Euippus misericordia Dei Episcopus Metropolis Neocæsareæ sanctæ Dei Ecclesiæ, subscripsi, & oro pacificum vestræ imperium pietatis longis conseruari temporibus, pro sanctarum Dei Ecclesiarum & totius orbis statu, pissime & Deo amabilis Imperator.

Petrus episcopus Comanus, similiter.
Ioannes episcopus Polimonij, similiter.
Gratianus episcopus Ceraſuntis, similiter.

EPISTOLA EPISCOPORVM INFRAscriptorum, ad Leonem Imperatorem.

PIISSIMO *& Christianissimo terræ domino, possidenti cælestem regnum, perpetuo Augusto, Imperatori Leoni, Seleucus, Oranius, Erythetus, Aelianus, Hyperitus, Paulus, humiles Episcopi Hellesponti prouinciæ.*

Dignæ sanctiones actuum vestrorum, qui vobis imperij retinacula * gubernarunt. Secundum fidem namque Apostolicam Catholicamque virtutem vobis agentibus Deus potentiam mundi commisit, quam pace Deo placita gubernatis. Sancti itaque prouinciæ nostræ Deo amabiles Episcopi conuenientes in vnum, relegere vestræ serenitatis epistolam & preces annexas, vt quod secundum sanctiones Ecclesiasticas placeret, vobis indicaretur. Considerantes ergo prædictas preces, & earum lectiones velut oculis inspicientes, necem sanctissimi sacerdotis in venerabili baptisterij loco præsumptam, in quo etiam his, qui pessima facinora committunt, refugientibus salus est: necnon & peregrinam quandam & ineffabilem, quæ neque apud feroces barbaros agitur, in eius corpore factam rabiem, & non solùm aduersus eum, sed etiam contra totius ordinem sacerdotij & pietatis pariter perpetratam, horumque scelerum, Iudaica vesania atque superbia commissorum, authorem fuisse Timotheum: lamentatione simul & lachrymis etiam nunc sumus impleti, & neque medium tempus luctum nostrum potuit imminuere: quia temporibus Christianis & vestris, à Christianis quoque talia in sacerdote proprio committuntur, quæ à seculo facta non sunt, nec quilibet sermo hæc retulisse cognoscitur. Quæ audientes, & vix abstinentes à lachrymis, indicamus, quoniam qui hoc scelus verè gesserunt, nequaquam Episcopatu digni sunt: sed neque is, qui ab eis ordinatus est, sacerdotium poterit obtinere, vel si regulariter prouenisset, quando etiam is, qui dicitur ordinatus, vt * audiuerunt, damnatus erat à sanctissimæ memoriæ Episcopo suo Proterio, & Concilio sanctorum Episcoporum Ægyptiacæ diœcesis, quique à duobus solummodo similiter secum condemnatis, & neque numerum ordinantium complentibus regularem nefandam ordinationem dicitur suscepisse, viuo pontifice, & ea, quæ sunt sacerdotij celebrante. Et super hoc orthodoxos ac venerabiles Episcopos penè totius Ægyptiacæ diœcesis à proprijs sedibus excluſisse, necnon & clericos & monachos à proprio ciuitatum suarum ordine repulisse, & irregulares homines & mendaces in locis expulsorum tentauit euehere. Sed & alia plurima perpetrata dicuntur, quæ cuncta sacris canonibus fieri prohibentur, & ea sanctionibus Ecclesiasticis excluduntur. Super hæc autem, dicit se non suscipere sanctam & vniuersalem synodum Chalcedonæ celebratam, quæ per omnia fidem trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, in Nicæa conuenientium, inuiolabilem custodiuit, simul & quæ in reliquis Concilijs definita sunt, hoc est, & sanctorum patrum in regia ciuitate congregatorum & prioris Ephesij, nascentes hæreses, spiritualibus gladijs radicitus amputauit, & ita fidem inuiolatam prædictorum trecentorum decem & octo sanctorum patrum per omnia roborauit, in qua & nati sumus, & baptizati, & baptizamus, & in ea vitam finire semper oramus. Si verò lucem cæci, & veritatem mendaces accusant, illi quidem propter cæcitatem visus, illi verò eo quòd eorum error & malitia pariter arguantur, nouimus quia omnes hæretici sanctas synodos, eorum malas sectas destruentes, accusant. Sic enim Ariani & Eunomiani, de trecentis decem & octo Nicænis patribus agunt: Macedoniani verò de centum quinquaginta, in Constantinopolitana vrbe congregatis, Nestoriani autem Ephesiæ synodo, Eutychianistæ verò & Apollinaristæ, & cæteri malorum adinuentores, sexcentis triginta patribus Chalcedonæ conuenientibus aduersantur, inimicas veritati destructiones extendunt, & per suam vesaniam mentiri probantur. Igitur Timotheum, qui Apollinarista cognoscitur, & propterea semetipsum à sancto Concilio facit extraneum, irregulariter ordinatum, & tanti mali reum, si tamen accusatores veri probantur, nequaquam Episcopum nominamus, aut communicatorem sacerdotij sumimus, qui his ita malis videtur obnoxius: & supplicamus piæ vestræ potentiæ, quatenus sanctarum Ecclesiarum prouidentiam solenniter habeatis, & disciplinam Ægyptiacæ diœcesis dignam vestra rectitudine teneatis: quatenus fuga quidem persecutionem patientium depellatur, & eis qui turbati fuerant, pax alta reuocetur, sanctisque Ecclesijs illic positis vnitas conferatur. Nostræ verò Ecclesiæ, Deo gratiæ, vestra prouidentia pietatis, in pace & vnanimitate & fidei rectæ concordia magna consistunt, nostraque voce deposcunt, quatenus resistatur eis, qui synodum fieri quærunt. Nam si sæpius conueniamus, aliud quicquam sapere poterimus præter ea, quæ nobis sunt tradita à sanctis patribus, & sanctis Concilijs explanata. Nihil enim aliud studeant, qui optant synodos congregari, nisi vt vasa sacra plurimi sanctorum Episcoporum vendentes, pro sumptibus & expensis & subuectionibus animalium precia vniuersa consumant, & aliqui eorum in peregrinatione aut mari vitæ huius luce priuati, onus hoc atque peccatum congregantibus Concilium prouidere noscantur. Sed iubete potius singulos sacerdotum, in propria Ecclesia positos, & vbi constituti sunt, permanentes, orationes & preces pro vestræ serenitatis imperio celebrare. Seleucus gratia Dei Episcopus Amasinæ metropolis sanctæ Christi Ecclesiæ, manu mea subscripsi, secundum religiosam sanctionem vestræ pietatis, meam sententiam per prædictam epistolam manifestans, vna cum Dei amantissimis Episcopis cunctæ prouinciæ, quid sentiam, & pro recta fide trecentorum decem & octo sanctorum patuum in Nicæa conuenientium, quam & Chalcedonense Concilium confirmauit: Necnon & de Timotheo, qui precibus accusatus est, & multis temporib. à Deo seruari vestrum oramus imperium.

Oranius episcopus Iboreæ, similiter.
Erythrius episcopus Amasi, similiter.
Ælianus episcopus Sinopensis, similiter.
Hyperitius episcopus Tili, similiter.
Paulus episcopus Adratenus, similiter.

EPISTOLA EPISCOPORVM INFRAscriptorum, ad Leonem Augustum Imperatorem.

PIISSIMO *& Christianissimo, amabili Imperatori, & regnum cælestium possidenti Augusto Leoni, Petrus, Aetherius, Olympius, Saturnellus, Hypedius, episcopi Paphlagoniæ regionis.* Erexistis equidem olim DEI sanctas Ecclesias, primum hoc iustum sacrificium offerentes Domino CHRISTO, quòd iura omnia pietatis transcendat, & propriam virtutem habeat: & quatenus ea, quæ à diuæ memoriæ Martiano constituta sunt, firma permaneant. Nunc itaque orta nobis est Christo amabilis, & regnum à diuinitate suscipiens vestra tran-

Hæretici Synodos culpant.

quillitas,

quillitas, vt magna intentione concordiæ & indiuisè recta piaque seruetur fides in sanctis DEI vbiquè constitutis Ecclesijs. Agnouimus etenim vestræ pietatis oraculo, quia pro Alexandrinę ciuitatis pace curam maximam habeat vestra serenitas. Ex precibus autem subiectis inuenimus Proterij quidem beatæ memoriæ ab eadem ecclesia facta exclusione, & voluisse Timotheum in eadem ciuitate sumere pontificatûs officium, & machinatum vt memoratus vir cum pœna de præsenti vita recederet. Ad hæc autem confiteri Timothei sectatores, quia trecentorũ quidem decem & octo patrũ, & Concilij Ephesi congregati sequãtur fidem: centum verò quinquaginta sanctorum patrum Concilium, in regia ciuitate celebratum, & sanctam & vniuersalem Chalcedonensem synodum denegare noscuntur. Sancientes ergò, quæ communiter sapimus, Episcopi Paphlagoniæ regionis, ad notitiã pietatis vestræ deducimus. Præcedente siquidem nostra oratione ac supplicatione, ad Dominum nostrum Iesum Christum emissa pro vestræ serenitatis imperio, & vnitate sanctarum Ecclesiarum, & cum multa deliberatione diuinas literas intuẽtes; & preces subiectas eis, vestræ pietati suggerimus: quia cuncti ante nos Deo amabiles Episcopi doctrinam sanctorum Euangeliorum & Apostolorum percipientes, & sequentes fidem sanctorum patrum Apostolicam confessionem docentium, tradiderunt nobis vnam cum fideli populo huiusmodi fidem. Vnde Dominum & Deum nostrum orantes Rempublicam potentiamq; vestram à Deo nobis cõcessam longa ætate seruari, nequaquàm seperamur à traditione decem & octo sanctorum patrum, neque Concilium sanctorum centum quinquaginta in regia ciuitate celebratum, neque sanctam & vniuersalem synodum in metropoli Chalcedonensi factam: sed neque augmentum aut imminutionem à traditione sanctorum trecentorum decem & octo patrum eas habere dicimus, sed ad peremptionem eorum factas, qui quantùm ad se, gratiam sancti Spiritus denegare noscuntur, & in sancti mysterij Christi Domini dispensatione. *Quamobrem repugnant & contumelias inferunt etiam illi magno sanctoque Concilio trecentorum decem & octo sanctorum patrum. Non enim sine periculo esse putauerunt sancti patres, si tacerent hæreticorum incredulitatem, nitentium sancti illius Concilij iura conuertere, & non aperta narratione sanctam veramq; fidem omnibus explanarent. Quapropter offenditur, quia isti, qui nunc sancta Concilia denegant, non zelo pietatis, sed inconstanti contentiosaq; sententia, non solùm contumelias patribus sanctis inferunt, sed etiam vniuerso ordini sacerdotum. De Timotheo verò, & quæ ab eo machinata dicuntur, (si tamen veræ preces sunt, quas vestræ serenitati porrexerunt reuerendissimi clerici Alexandrinæ ciuitatis, & sanctissimi Episcopi Ægyptiacæ diœcesis) dicimus quia dura videntur & valdè crudelia, quæ ab eo commissa sunt, & cunctos iniquitatis terminos tali operatione transcendunt, ita vt non solum sacerdotij gradu probetur indignus, sed etiam ab ordine sit laicorum remouendus, præsumens cum multis criminibus, quæ gessit, contumelias quoque Concilijs sanctis inferre, de quo Domini quidem DEI opus est, vt ei remittatur opus, quod fecit aduersùs sacerdotem, nihil sibi nocentem: vestrum verò triumphator est maximè principum, vt iustum sacrificium offeratis Domino DEO, tantorum scelerum vindictam vobis placitam facientes. Deprecamur autem, & vestram pietatem totis viribus exoramus, vt Apostolicam doctrinam, in quam creditis, immobilem conseruetis in pace multa & tranquillitate sub vestræ pietatis imperio, & in clero & omni populo in fide saluberrima constituto, & vt eis, qui inaniter alia Concilia fieri desiderant, resistatis, & vt nobis vestra pietate donetis, quatenùs sub quiete degentes, secundùm fidem & traditionem sanctorum patrum confitentes, in pace inuiolabili & disciplina seruemur, orationi diuinæ supplicationiq́ vacantes, & vita atque conuersatione Domino CHRISTO placentes ad honorem orthodoxæ fidei: & fundentes Domino DEO preces pro vestra serenitate, quatenùs Dominus Christus vestræ pietatis imperio suæ infundat dexteræ claritatem, quæ vos sua pace conseruet, & fortitudinem vobis atque virtutem præstet, simul magnificentissimis maximisq́ proceribus, & gloriosè sapienti iustissimoq́ vestro senatui ad peremptionem ferocitatis malignorum & vnanimitatem sanctarum CHRISTI Ecclesiarum, & totius Romanæ pacis & disciplinæ.

*deest, erant, vel huiusmodi quid.

Petrus Episcopus Gangrenæ Metropolis sanctæ DEI Ecclesiæ, manu mea subscripsi, & secundùm sanctionem vestræ pietatis propria sententia declaraui, sicut in hac epistola probatur esse prædictum, vnà cum Deo amantissimis episcopis nostræ prouinciæ, quam habemus voluntatem in orthodoxa fide trecentorum decem & octo sanctorum Patrũ Nicææ conuenientium, quam & sanctum Chalcedonense Concilium confirmauit: necnon & de Timotheo, qui in precibus accusatus est, & oramus orthodoxum & Christi amabilem principatum vestrũ multis à Deo Domino conseruari temporibus.

Ætherius Episcopus Pompeiopolis, similiter.

Olympius Episcopus Surensis, similiter.

Saturnellus Episcopus Amastrenæ ciuitatis, * pro sanctissimo Episcopo, eò quòd ægrotaret, subscripsi similiter.

*for. * promme & sanctiss. episcopo Hypedio, eo quod

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

DOMINO *pijssimo & inuictissimo atque Christianissimo, perpetuo Augusto, Imperatori Leoni, Vrsilius, Dalmatius & Maximus, Episcopi vestræ Dardaniæ.* Et agnouimus & inuenimus in lectione imperij vestri, saluatoris Dei iudicium, & quia virtute suæ cunctas regno vestro subdidit barbaras nationes, & per vos eius pietas firma inuiolabilisque consistit, & vt nemo præsumat apud pium Imperatorem aliquid iniquum petulantia scelerata suggerere: quia sicut in sua pace omnia diuina consistunt, ita nihil sacramentorum DEI per fidem tranquillitatis vestræ, humana varietate mutatur. Quid enim ita præceps est, aut sic impium poterit iudicari, quàm credere pietatem fidei, terminis Apostolicis communitam, innumerabilibus sacerdotibus & omnibus sanctarum scripturarum testimonijs roboratam, necnon & decretis Nicæni, Chalcedonensisque Concilij iudicio confirmatam, inanibus & prophanis præsumptionibus posse violari, dum ad omnem perfectionem Catholicæ fidei, sapientissimi Salomonis doctrina sufficiat? Ait enim: Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite eum. Quid ergò pessima calliditate nequitia faciet, cui vltra bonitatem nequaquam licet excedere? sed sicut ostenderunt literæ, meæ humilitati directæ, hæc Timotheus respuisse dinoscitur, qui Episcopatum ambiens Episcopi morte percipit: quapropter aliorum eius ruina factum est, & in fraterno Concilio non vocatur, quandò fratris necator esse cognoscitur: vtique à reuerendæ memoriæ Proterio, quantùm ad fidem eius, in nullo læsus, cuius tali morte hic ordinatus, vestræ tranquillitatis iudicio nullum poterit eius gradus habere robur. Igitur religio vestræ pietati commissa ab æterno DEO, inuictissime principum, conseruetur: eius clementia imperium, quod vobis collatum est, in omni gloria longa ætate muniatur. Et sicut vestra mansuetudo diuina propitiatione continuis temporibus custoditur, sic & sacra mysteria nullorum scelestis præsumptionibus vulnerentur, sed pietatis vestræ laboribus pax mundo collata, in sua soliditate intransgressibili pietate seruetur. Vrsilius Episcopus Dardaniæ, in columem tranquillitatem tuam pro pace mundi & Catholicis Ecclesijs, multis annis virtus æterna custodiat, domine pijssime & inuictissime perpetue Auguste.

Sap. 1.

Dalmatius episcopus Nentinæ, similiter.

Maximus episcopus Diclitianensis, similiter.

EPISTOLA EPISCOPORVM SVBDE-scriptorum, ad Leonem Imperatorem.

PIISSIMO & inuictissimo domino totius terrarum orbis, & Christianissimo Imperatori Leoni, Petrus episcopus metropolis Corinthi, & reliqui episcopi reuerendissimi sub me constituti, Ioannes, Athanasius, Timotheus, Aphobius, Epictas, Metrius, Zoilus, Plutarchus, Gerontius, Anoxolius, Rufinus, Alexander, Caredimus, Agatherus, Alexãder, Architimus, Cyriacus, *Thalis, Domitius, Osius, Constantinus, Ethesitius, in Domino salutem. In omnibus quidem, quibus propter religiosum imperium vestrũ Respublica benè regitur, omnium Dominus glorificatur Christus: præcipuè autem, in quibus orthodoxæ fidei inconcussa iura seruare studet vestra tranquillitas, pro quibus sancta & adorãda Trinitas intentionem vestram remunerans, & victorias de inimicis, & omnia sicut optatis præbuit, & præbebit vestræ pietatis imperio. Vnde verò dignata est nobis scribere vestra tranquillitas, & apertè iussit nostram manifestare sententiam, hæc pietatis vestræ potentiæ declaramus, quia ea, quæ à Chalcedonensi sancto & vniuersali Concilio definita sunt, tanquàm sanctis synodis præcedentibus consona, & in nullo contraria, aut sanctorum trecentorum decem & octo Patrum Nicæno Concilio, aut Constantinopolitano 150. aut Ephesio sub beatæ memoriæ Cyrillo celebrato, omnibus sententijs manere immutilata decreuimus. Nihil enim dubium in eadem sancta salutari fide derelictum est, nec conuenit de tali causa sæpiùs fieri tractatus vniuersales, quasi in verborum nouitate, & non in fide inconcussa, rectaque conuersatione, salus humani generis constituta sit. Timotheum verò, sicut ex his, quæ sunt scripta, cognouimus, nec regulariter nec consequenter sacerdotium obtinere prospicimus. Quo tamen modo oporteat eius causam, & sanctas ecclesias in illa constitutas regione, disponi secundùm Deum, in vestræ pietatis & iustitiæ pendet arbitrio, quæ non minus paci ecclesiarum, quàm securitati ciuitatum & subiectorum prouidere dignatur, perfectè sciens quibus imperare diuino iudicio constituta sit, docta pariter ecclesiasticas sanctiones & proprias leges, & per vtraque tam orthodoxam fidem, quàm reipublicæ iura disponens. Nostras igitur orationes, quas pro vestræ serenitatis imperio, incessanter offerimus, omnium Deus & Dominus placatus accipiat, quatenùs & omnis mundus per vos, & sanctæ eius Ecclesiæ cum omni pace & tranquillitate & fide orthodoxa gubernentur. Petrus episcopus metropolis Corinthi: sancta & consubstantialis Trinitas, quæ tuum genus ad munimem fidei orthodoxę & salutem generis humani constituit, pium tranquillitatis tuæ longissimo tempore seruet imperium, venerabilis Imperator.

Athanasius episcopus Athenien. similiter.
Rufinus episcopus Thespinensis, similiter.
Alexander episcopus Patrenus, similiter.
Candidus episcopus * similiter.
Agathemerus episcopus Megarensis, similiter.
Alexander episcopus * Helatiæ, similiter.
Architimus episcopus Thebarum, similiter.
Cyriacus episcopus Caristenus, similiter.
*Thalis episcopus Argi, similiter.
Domitius episcopus * similiter.
Ossius episcopus Lacedæmonis, similiter.
Constantinus episcopus Chalcidis, similiter.
*Isitius episcopus Tanagrensis, similiter.
Ioannes episcopus Missinæ, similiter.
Athanasius episcopus Proponti, similiter.
Timotheus episcopus Megalopoleos, similiter.
Fouius episcopus Coronæ, similiter.
Zoilus episcopus * Carsiæ, similiter.
Plutarchus episcopus * Platensis, similiter.
Georgius episcopus * similiter.

Non in verbis, sed fide & moribus, salua est.

for. *Thales

* Corsicæ

EPISTOLA EPISCOPORVM infrascriptorum, ad Leonem Augustum Imperatorem.

RElegiosissimo & Christianiss. amabili Imperatori, Augusto Leoni, Anastasius, Iulianus, Proclianus, Euphanius, Daniel, Armatius & Euphrasius, Episcopi primæ Galatiæ. Qui sermo sufficiat ad laudem Domini Christi, tantam felicitatem humano generi conferentis, & suam prouidentiam in totius vitæ tempore demonstrantis? Ecce cùm venerandæ memotiæ principem Martianum ad Deum proficiscentem, & de gloria ad gloriam demigrantem, & de terrenis sceptris cæleste imperium possidentem, vestram potentiam Deus inuexit in regnum eius, & pietati pariter succedentem: quatenus hæc per Apostolicam vestram religionem in ecclesijs conseruata permaneãt. Quapropter mox vt Deus vos ad solium imperiale perduxit, primitias largitori vestro clarissimas obtulistis, id est, legem hanc erroneis dogmatibus resistentem, Ecclesiasticæ veritatis adiutricem. Semper enim diuinarum rerum curam habentes, neque tumultum, qui Alexandriæ proueniisse dicitur, sine examinatione dignissima reliquistis: sed vestræ pietatis oraculis primæ Galatiæ synodum sanctorum Episcoporum in metropoli Galatiæ conuenire sanctistis, quatenùs deliberationem subtilissimam adhibentes, & relegentes vtriusque partis subiectas oraculo vestro preces, oblatas à sancto Ægyptiaco Concilio & clericis Alexandrinæ ciuitatis, necnon & Timothei defensoribus, nostram sententiam panderemus, quid de sancto Chalcedonensi concilio, & de his, quæ Alexandriæ gesta sunt, sentiamus. Quapropter omnibus nobis celeriter cõgregatis, hæc principia, hoc nostrum fuit initium, vt omnium Dominum rogaremus: quatenùs vobis tantum studium pro Ecclesia eius habentibus, supernam retributionem conferat, pietatemque vestram maxima longæuitate custodiat pro dogmatum sacrorum. * Deinde considerantes etiam preces, quæ sapimus, vestro imperio declaramus. Fidem itaque habemus atque seruamus, in qua & nati sumus, & cum qua pergere ad DEI terribile iudicium omnes oramus, in qua etiam baptizati sumus, & absque merito ad sacerdotium euocati, ad fidem gratiam accipientes imbuimus. Quam fidem venerabilis euangelistarum numerus, & chorus tradidit gloriosus apostolorum, quibus vtique sacramenta cælestia desuper inspirata sunt, sed & numerus trecentorum decem & octo sanctorum episcoporum, collectus in Nicæna vrbe sanciuit, Apostolicam religionem perfectè & Apostolico spiritu conscribens, & diuina Ecclesiæ nostræ dogmata cum magnanimitate custodiens: necnon & aliæ sanctorum Episcoporum Ecclesiæ Catholicæ synodi, quæ necessariò pro insurgentibus hæresibus sunt collectæ, hanc seruari cum integritate iusserunt. Nihilominus & Chalcedonensis, nutu Christianissimi principis congregata, æquam de ea habuit voluntatem, definiens illorum sanctorum patrum dogmata intemerata immobiliaque seruari: & quasi ex quodam diametro vtranque redarguens veritatis aduersitatem, quæ duo æqua impietate perducere probantur in præceps. Et destruens Nestorij nefandi vesaniam, diuisionem & sectionem dispensationis Domini CHRISTI pessimè dictantis, necnon & Apollinaris furorem, qui confusionem in eiusdem vnigeniti inhumanationem introduxit, & multa alia vanè locutus est à veritate posita. Bonam igitur confessionem fidei trecentorum decem & octo nostrorum patrum, & Chalcedonensis synodus & aliæ decreuerunt inuiolabilem permanere, & nos, qui Ecclesiarum Galatiæ prouinciæ sortiti sumus Episcopatum, cum omnibus Ecclesiarum populis hanc perfectè seruamus. Insolubilis enim est firmitas dogmatum Apostolorum patrumque nostrorum, augmento non egens, imminutionem nequaquàm suscipiens: sed qualis fuit à patribus conscripta & tunc prædicata vsque ad finem seculi conseruanda est, & ab omni nouitate manebit extranea. Nullus itaque ad rationem Ecclesiasticæ veritatis Apostolo Paulo maior est, quia vas electionis esse promeruit. Hic enim doctrinas imbuit, quarum eruditionem, in tertium cælum ascendens, accepit. Nullus ad ministrandum supernis sacramentis decentior angelo, quoniam pura natura nouit ministrare purissimis. Sed siue Paulus voluerit aliquid iubere, quod primitùs ipse non docuit, seu angelus, hoc Ecclesia DEI non suscipit, sciens quia scriptum est: Ergo siue angelus prædicet, præter quod Paulus docuit, & chorus trecentorum decem & octo sanctorum prædicauit Episcoporum, non terre-

deest, defensoae, aut idgenus quipiam.

Act. 3. 2. Cor. 12.

Ibidem. Galat. 1.

mur angelica dignitate, vt aliud doceamus, præterquàm sumus à sanctis patribus eruditi : nec Pauli merito subdimur, qui raptus est in paradisum, eique verba ineffabilia sunt credita. Hæc enim lex est: *Siue ego*, inquit, *vel angelus de cælo annunciauerit vobis, præter quoo accepistis, anathema sit.* Non quia Paulus erat in suis dogmatibus permutandus, qui per CHRISTVM & monebatur & loquebatur, nec quia angelus de cælo ad ministerium nostræ salutis mittendus erat, vt aliquid extra gratiam sacramentorum prædicare pateretur : sed vt tantorum merito, cunctis aliquid cótra ecclesiastica dogmata nitentibus omne conamen nouitatis abrogaretur. Nos itaque omni virtute seruamus sanctorum patrum dogmata, & sanctum concilium Chalcedonense cognoscimus, quod scilicet paternorum dogmatum diuitias sanctis ecclesijs inuiolabiliter conseruabit. Qui verò ab eo concilio semetipsos abscindunt, ignorant quia nomine Chalcedonense concilium denegantes, rebus autem ipsis à cuncto totius mundi collegio sacerdotum sine dubio segregantur. Illud ab omnibus celebratum est, quòd eorum, qui ibi collecti sunt, nullus penitùs discordauit. Sed & si pauci quidam pro aliquibus necessitatibus per prouincias remanserunt, ad communionem eius attracti sunt, quoniam antiqua ecclesiæ dogmata seruare dinoscitur. Ea siquidem, quæ Alexandriæ perpetrata diuulgantur, dudum quidem fama ad nos perduxit, sed nunc integritatem insertam precibus agnoscentes, & mensuram nostri gemitus non habentes, fontes requirimus lachrymarum, & luctus Hieremiæ lamentationibus pares, scientes vtique fletum passionibus adæquare. Quis enim valeat abstinere, licèt animum habeat adamante fortiorem, audiens in sacris locis nullũ pudorem fuisse seruatum, sanctumque locum communis redemptionis nostræ, hoc est, venerabile baptisterium, multorum virorum, quantum ad eorum attinet voluntatem, inuasione fuisse temeratum, dum diuina omnia nequaquàm iniuriarum moli succumbant, & hæc perpetrata ab illis forsitan, qui peccatorum redemptionem ibidem susceperunt? Et quid est crudelius, sacerdotis necem etiam auribus valdè terribilem, iram nec vsque ad interitum illius habentem finem, sed vltra naturam indisciplinabiliter excedentem ? Solet enim contra aduersarios furor insurgere: quem verò quilibet inimicum non habet, hunc honorandum natura docet. Omnis ciuitas scelerum immanitate completa est, & per omnes plateas & omnes porticus secta membra, mysteria sacra celebrantis, tractare feruntur, & ad nouissimum incensa, atque consumpta, & ad cineres vsque redacta. Et neque in his solummodò doctorem atque pontificem sistere passi sunt, sed etiam in ventos miserabiliter dispersérunt. Hæc igitur quantum virtus fuit valdè deflentes, de Timotheo tantorum malorum authore, sicut preces docuerunt, quas benè se habere credimus, secundùm piam sanctionem vestræ potentiæ nunciamus, si reuerà accusantium verba cum accusationis veritate concordant, alienum eum ab omni sacerdotio esse demonstrant. Nam eum, qui ex quacunque causa depositus est, non solùm ad maiorem gradum venire, lex ecclesiastica non permittit, sed neque in ordine, in quo fuit permanere, nisi deponens propria sententia eum rursùs absoluat, aut certè synodus sanctorum Episcoporum aliquid de eo disponat, sed etiam Episcopi, qui à suâ dignitate depositi videbantur, sicut edocuerunt, lex non est, vt alium possint ad officium euehere, quod ipsi videbantur amisisse: & duo solummodò, licèt super omnes honorabiles existerent, & omni accusatione liberi essent, ordinationem tamen Episcopi celebrare ecclesiastico ordine prohibentur. Quòd autem & viuo pontifice ecclesiam gubernante, & nullo propter ordinationem regulariter procedente decreto, constitutus dicitur, omnem transcendit iniquitatem. Quòd verò & necem ita crudelem aggressus est, aut cooperatus, sicut edocuerunt, non solùm hoc regulis interdictum, sed etiam legibus & communi iure naturæ prohibitum est. Igitur si veræ monstrantur accusantium preces, nihil horum sacerdotio conferre potest sacrarum subtilitas literarum vestrarum. Itaque inuictum & triumphale imperium agnoscens, quæ benè se habere decreuimus, æquum ordinem suæ prudentiæ sanctis seruet ecclesijs, atque dignetur disciplinam communi pietatis custodire collegio, omnique virtute ac fortitudine bono CHRISTI corporis vnanimitatem pacemque seruare. Sciatque vestra tranquillitas, & agnoscant, qui nescio quomodo sunt seducti, quia neque Chalcedonense Concilium, neque quilibet alius, cui pietatis Ecclesiæ Apostolicæ participium inest, alienam tenet fidem præter antiquam illam Euangelicam, quam chorus trecentorum decem & octo patrum, superna gratia inspiratus, Ecclesijs CHRISTI immobili religione dereliquit. Qui verò proprijs quidem passionibus instigati, zeli autem figmentum sibimet apponentes, & simpliciores seducentes, Alexandrinam Ecclesiam turbauerunt, ipsi iudicium portabunt, quicunq; esse noscuntur. Intantùm enim nec recta intentione, nec sermone veritatis vtuntur contra sanctum Chalcedonense Concilium, quia non solùm ab illo se separant, sed neque sanctorum patrum Concilium, in regia ciuitate factum, se suscipere profitentur, cùm & ibi dogmata sanctorum trecentorum decem & octo patrum subtiliter reseruari præceptum sit, & in ipsa sancta synodo inter primos fuerit, cui illo tempore pontificium Alexandrinæ ciuitatis videbatur esse commissum, vir Apostolicus, & ab omni macula sermonum aut actuum segregatus. Sed qui donauit venerabile vestræ pietatis imperium Romano principatui, & DEI sanctis Ecclesijs, longa serenitatis vestræ tempora dignetur efficere, pacemque per vos & vnitatem ouilibus CHRISTI conferre, subijciatque vobis omnes aduersarias nationes : quatenùs vndique pace CHRISTI muniti, patrum dogmata inuiolabilia conseruetis, & omnem rempublicam æquitatis ordine disponatis.

Anastasius Episcopus Ancyræ Metropolis sanctæ DEI ecclesiæ, manu mea subscribens secundùm pietatis vestræ sanctionem, per prędictam epistolam insinuaui, quid sentiam de confessione sanctorum patrũ Nicææ congregatorum, quam Chalcedonensis sancta synodus secuta esse dinoscitur, & de Timotheo, qui precibus accusatus est, & seruari vos temporibus longis oro.

Iulianus episcopus	similiter.
Proclianus episcopus	similiter.
Euphanius episcopus	similiter.
Armatius episcopus	similiter.
Daniel episcopus	similiter.
Euphrasius episcopus	similiter.

EPISTOLA SVBDESCRIPTORUM Episcoporum, ad Leonem Augustum Imperatorem.

DEO *amantissimo atque pijssimo & Christianissimo, victori, triumphatori, semper Augusto Leoni, humilis Episcopus Eugenius in Domino salutem.*

Nos equidem humilimi voluimus, & hoc superna gratia promerentes, nostra mente quiescere, & taciturnitatis pelagus in sancti & adorandi spiritus pace retinere, vt sic abstinentes, siue propter humanam inopiam, aut infirmitatem, dicendi timorem tanti delicti apud nos haberemus. Sed quia proprij principatus adulter extollitur, & in sublime semper eleuatur, suisque scintillis multorum corda succendit, vt pulchritudinem sapientissimam solummodò DEI conturbet Ecclesiarum, summa necessitas nobis incubuit mutare propositum, vt à vobis prouocati, per hanc dicendi orationem egrediamur in aerem, DEI side nostros obturantes auditus, vt ita Sirenarum mortiferum peccatum, siue earum (secundùm Hieremiam) filiarum mortem transeuntes, per ipsum pelagus vitæ tecum sobriè veniamus. Hiere. 9. Suscipe igitur hoc pijssime, suscipe libenter à nobis munus nostrum omnium sacerdotum, & reliquorum in monasterio diuinæ scientiæ, qui constituti sunt, prædicationem tuæ iussionis, quasi ex vna curia consensuque scriptam. Fideli nanque fideliterque interroganti principi lucrum est sacerdotibus, immortalis libri sanctam offerre respõsionem, vt ex te denuò Christianissime & tuæ tranquillitatis imperio, in omnem terram & cunctos homines cum mansuetudine pietatis poculũ ministrent, vno omniũ nostro Domino vnigenito Dei filio gubernante,

qui

qui solus in omnibus seculis perpetuè regnans, & tibi Imperatori coronam, quando oportuit, latenti, immò magis claro nutu superimposuit. Primum tibi signum regalis dignitatis, beati Dauid fundibulam laudabili voluntate committens, per deserta discurrens, aptissimè bestias iacularis. Nos autem sub arbore pacis positi, sine timore in aura delectabili commoramur. Iaculare ergò, iaculare potentissimè, secundùm
Dan.8. Danielem, etiam Libyæ hircum paternæ fidei iaculo, vt nequaquàm perditus ventilet ea, quæ sunt ad Austrum. Ille nanque paululùm exiliens ad vltima Libyæ regionis, illam immedicabilem Alexandrinorum vrbi instuit passionem, vt sacerdotis sui interemptorem, amatorem Dei populo demonstraret, & viro sacrilego sacerdotij priuilegia nefandè committeret, qui non solùm à sacerdotali voluntate, sicut preces de eo conscriptæ referunt alienus ostenditur, sed etiam omni affectioni vulgi peregrinus agnoscitur, licèt quibuscunque verbis, gestorum delere nitatur auditus. Nam si ei animo concepti adulterij non imminuerit crimen, hoc solummodò paternæ traditionis destructori possit, quod est, sufficere, vt in eo iustè possit vltio prouenire. Cui nanque clarum non est, nisi qui sortè spontè bona scire despicit, quid per sacratissima sanctissimi & beatissimi, & post Deum patris nostri Leonis scripta sancitum est? Tacemus enim, quæ primitùs sub sanctæ memoriæ principe Martiano coram omni populo in ciuitate Chalcedonensi de fide orthodoxa sunt prolata ad confusionem quidem maleficorum & vesanorum hominum, & cõmemorationem atque consolationem piorum & fidelium. Quæ fides & ab illo sancto omnibusque honorando concilio testimonium bonum promeruit, & definitio scientiæ clarioris vno nutu ab omnibus obsignata est, ipsam formã detinens, quæ dudùm in sancto Nicæno concilio, & Ephesino primo apud rectè sapientes constituta dignoscitur. In qua præcipuè æternitas & humanitas (sic enim dicendum est) vnius vnigeniti custoditur, hoc est,
Philip.2. in vno Domino nostro Iesu Christo incarnato Dei verbo oratione seruata, *vt in nomine Iesu Christi, sicut ait Apostolus, omne genuflectatur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Quiescant igitur, quiescant, & hoc per te pijssime, qui modicum bonum putant munus taciturnitatis existere. Quiescant confundere, & Dei ecclesias conturbare, & curiosis sermonibus auditus personare simplicium: vel tuam rectam fidem, si metum futuri iudicij non habent, erubescant. Cur ventis sermonum tranquillitatem sanctæ fidei nostræ conturbant? Cur concilia aduersus Deum in omni loco & gente faciunt residere vilissima? Cur tela contra nos dæmonibus
Locus mendosus subministrant? Cur de morte paruulorũ cogitantes, nostræ immortalitatis authorem pascua sectantur, qui adhuc terrenas causas tractare noscuntur? Cur certant sua scientia secundum
Gen.3. Adam fieri velut dei, qui adhuc nec quæ sunt hominũ, agunt? Cur lenem nostram mollemque pacem impugnant pro zelo, simplicitatem sancti nostri & celandi mysterij suffocantes? quo mysterio non solum nos, sed & omnes ministri spiritus superantur. Quapropter gloriamur velut codicillos nos habere creditæ dignitatis huius, qua diuinitas tractatur, & immensæ scientiæ cum mensura congrua ministrare dicatur. Iterũ à nobis dicatur & hoc, Domine Deo amantissime, & cum omnibus hominibus in omni loco positis. In hoc enim tibi librum responsionis de confessione & oratione concludimus, quod à sanctis patribus, & ab initio & hactenus dicitur: Pater & Filius & Spiritus sanctus in æterna trinitate est, vnius principatus virtus, qui est super omnia benedictus in secula Deus. Eugenius Episcopus Epiri: Incolumem
Rom.9. vestram pietatem omnium Dominus noster Iesvs Christvs pollentem, magna longæuitate cõseruet, & sanctæ nostræ & beatissimæ fidei sanctionibus per omnia Deo amantissime atque pijssime.

Valerianus episcopus Phœniciæ, similiter.
Claudius episcopus Anciasmi, similiter.
Sotericus episcopus Corcyræ, similiter.
Hypatius episcopus * Adriani, similiter.
Didacus episcopus Foticæ, similiter.
Eugenius episcopus Eurocæ, similiter.
Oranius episcopus * Dodonæ, similiter.
Stephanus episcopus Botroti, similiter.

EPISTOLA INFRASCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

PIissimo & *Christo amantissimo, à Deo principe constituto victori, triumphatore semper Angulto Leoni, Lucas Archiepiscopus, Artemius, Antonius, Filocaris, Eusebius, Nazarius & Paulus Episcopi Epiri.* Relegentes ea, quæ nobis à vestra tranquillitate sunt scripta, & agnoscentes mox inter ipsa principia non solum pro fide catholica sanctarum Ecclesiarum, sed pro ciuitate, quæ sub vestri imperij sceptro dinumeratur, tantã vos habere solicitudinem, quantam oportet gerere diuino nutu Romana imperia conscendentem, & tranquillè omnia gubernantem, vt vndiquè totius orbis terrarum inconcussa & sine fluctu sit nauis, maximas gratias saluatori nostro Iesv Christo debere nos cõfitemur, orantes pariter, vt Christianum nobis vestrum imperium multis temporibus conseruetur, quod nobis & singulis vtique & pariter vniuersis spes maximas & demonstrat, & donat. Decet enim & simul & singulatim vniuersos, quasi de quodam pectoris nostri cubiculo bona vestra proferre, quorum prima & maxima est, pacis vtilitas. Relegentes igitur oblatas nobis preces ab Alexandrinis, in malorum tempestate maxima constitutis; & agnoscentes scelera à dæmone ibi commissa, amarissimè in his ingemiscentes, & propria membra lugentes, quæ tali calamitate noscuntur afflicta: paululumque respirantes, & communem de his rebus tractatum habentes omnes Episcopi in vestra Epiro constituti, secundùm ea quæ à vestra tranquillitate sancita sunt, hęc vestris pijs auribus indicamus: gratias primitus etiam in hoc agentes, quoniam parcentes nostris infirmitatibus atque laboribus, & maximam propter hyemis vehementiam nostri solenniter curam habentes, præcipitis vt singuli nostrûm in regione propria de præsentibus rebus suam debeant proferre sententiam. Quapropter dicimus, quòd si ea, quæ ab Alexandrinis in accusatione deducta sunt, cum veritate concordant, (non enim ex vna parte verba suscipienda sunt) nec ordinatio Timothei firma consistit, & ab Episcopatu, quem arripuisse dicitur, est penitùs alienus. Si autem oportet eum sermonem satisfactionis in præsentia vocatum præbere pro his quæ commisit, sicut & conuenit, &
for.*d iustum simul & pium*, si etiam vestræ tanquillitati complacet, vt secundùm petitiones supplicum nihil ab eo in medio tempore aduersùs fidem catholicam penitùs innouetur: cùm præcipuè Imperator piæ memoriæ Martianus deponendos esse sanciuerit etiam rectè factos Episcopos, si quid mutilare aut commouere ex his, quæ Chalcedonæ à sancto & vniuersali concilio sunt definita, tentauerit, sicut ipsa monimenta ibi confecta testantur, in quibus quoddam signaculum definitionibus, memorati principis sanctio suppositа est. Ea verò, quæ Chalcedonæ constituta sunt à sancto & vniuersali concilio de fide Catholica, inquantùm doctrinas & expositiones & interpretationes perfectorum Patrum nostrorum sequi valuimus, esse consona iudicauimus his, quæ Nicææ à sanctis trecentis decem & octo patribus definita sunt, & postèà in regia ciuitate à centum quinquaginta patribus explanata, in quibus etiam perduramus. Et licèt plurimis sermonibus extendatur expositio fidei Catholicæ Chalcedonæ celebrata, tamen ad illas respicit, quarum in præcedentibus probatur fuisse memoria, & veluti paucarum illarum est interpretatio syllabarum. Si quis igitur sobriè ac fideliter, & non contentiosè de his voluerit cogitare, in tantorum decretis consentit, quorum etiam multus numerus ad satisfactionis sufficit rationem. Non enim in verbo fidei omnium vnanimiter potuit sententia conuenire, nisi sanctus spiritus illic pro causa veritatis interfuisset. Cùm ergò grandia sint hæc, quæ mota noscuntur, & egeant vestræ Christianitatis auxilio, supplicamus tantis malis resistere, & rebus inoptabilibus repugnare. Dignumque vestra pietate trophæum cum superno solatio contra diabolum confidenter erigite, flammam hanc, antequàm in sublime conscendat, extinguite: languoremque, priusquàm velut morbus inficiat vniuersa, curate. Nam medicorum ægritudines curantium illos potius admiramur, qui neque ad ægritudinem venire permittunt. Non patiaris horum scelerum cumulum fieri posteris in exemplu: habeant loca sancta proprium cultum, Ecclesiæ inuiolabile

Concordia fidei spiritu sancto est.

secu-

securitatis ius, Pontificisque cautela baptisteria purgentur à nece. Deleiam venerabilis Imperator, impietatis monumenta: doceantur * omnis pietatis exercere culturam. Lucas Episcopus Dyrrhachenus: Incolumem semper in omnibus modis pium vestræ serenitatis principatum, multis in pace temporibus Dominus Christus conseruare dignetur, Deo amabilis victor & triumphator Auguste.

Artemius Episcopus Escampenus, similiter.
Antoninus Episcopus Lychnidius, similiter.
Hylocaris Episcopus Vallidi, similiter.
Eusebius Episcopus Apolloniadis, similiter.
Nazarius Episcopus Aulonæ, similiter.
Paulus Episcopus Prinatenus, similiter.

EPISTOLA SVBDESCRIPTORVM Episcoporum, ad Leonem Imperatorem.

PIissimo Imperatori & Christo amabili domino, Augusto Leoni Martyrius humilis Episcopus vestræ Cortynæ. Tempus nobis est lyram sumere diuinitus inspirati Psalmistæ Dauid, principatu tranquillitatis vestræ. Ille nanque solus idoneus est hymnus piæ vestræ magnitudini proferri, in quo ait: Saluum fac Domine regem, & exaudi nos. Et iterum in alijs modulationibus dicit: Domine, in virtute tua lætabitur rex, & in salutari tuo exultabit vehementer, & reliqua, quæ in ipso Psalmo sunt, pro vestræ potentiæ ordinatione dicta creduntur. Sciens enim ex illo tempore gestorum talia Prophetarum, quia per quæ confirmatio ea, quæ Dei sunt, per ea quoque vestrum roboratis imperium. De his autem, quæ nos vestra sanciuit pietas iudicare, ego & mei consacerdotes rectè consistentes insinuauimus, quia sanctum Chalcedonense Concilium concordare credimus expositioni fidei trecentorum decem & octo Patrum in Nicæa vrbe congregatorum, in qua baptizati & baptizantes, & prolatum exinde omnibus symbolum intemeratum inuiolatumque seruantes, vitam in eo complere reliquam: posteà definita sunt à sanctis centum quinquaginta sacerdotibus, in ciuitate regia Constantinopoli congregatis: necnon & his, quæ in Ephesina synodo priori, quæ Nestorij diabolicas blasphemias abscidit, & vesaniam Eutychis vnà destruxit, & quæcunque inter hæc orta est hæretica blasphemia. Et dicimus tranquillitati vestræ, quia ab initio totius hæreticæ blasphemiæ inexperta est vestra Creta, decem martyribus prouincialibus passionis tempore deprecantibus saluatorem Deum, vt libera à tentationibus hæreticis, semper ab æstu eorum prouincia seruaretur. Et secundum magniloquium Apostolum Paulum, scribentem fugiendas quæstiones legales, quæ lites noscuntur sæpè generare. De his enim, quæ in sanctæ memorię Proterium gesta sunt, non est qui non grauiter & absque humana natura hæc facta decernat. Vestræ verò pietatis est, cuius anima, secundùm scripturam diuinam, in manu diuina consistit, secundùm propriam clementiam ea, quæ sunt commissa, corrigere. Timotheus verò, si viduata sanctissima Ecclesia Episcopus ordinatus est, decreto ciuium vniuersorum & religiosissimorum Episcoporum vniuersæ prouinciæ, aut omnium aut plurimorum conuenientium vnà, & reliquis aut propter senectutem, aut propter ægritudinem aut quamcunque necessariam causam absentibus, à tribus tamen vt parùm Episcopis inculpabilibus & communicatoribus regulariter ordinatus atque constitutus est, firmitatem eum sedis habere decernimus. Si verò aliquid horum defuit, necesse est ordinationem pariter dijudicare. Martyrius Episcopus Cortynæ: Incolumem vestram potestatem, tuentem pacem sanctarum Dei Ecclesiarum, sancta & viuificatrix Trinitas omni tempore vitæ conseruet, pissime & Christo amabilis Imperator.

Cyrillus Episcopus *Subtuus, similiter.
Euphronius Episcopus Hierapinæ, similiter.
Gennadius Episcopus Gnosi, similiter.
Prosdocius Episcopus Lappæ, similiter.
Euphrata Episcopus Cersoniss, similiter.
*Nicais Episcopus Catamensis, similiter.
Sebon Episcopus Doniæ, similiter.

¶ Expliciunt epistolæ Episcoporum, numero quingentorum, feliciter, Amen. Nicephorus scribit supra mille fuisse hos Episcopos.

NOTÆ in Concilium Chalcedonense Oecumenicum seu generale.

a Concilium.] *Hæc sacrosancta synodus, auctoritate S. Leonis indicta: hortatu, opera, & auxilio Marciani Imperatoris congregata, conuocata ac defensa fuit hac occasione. Post obitum Theodosij Imperatoris voluntate S. Pulcheriæ ex senatusconsulto delatum est imperium Marciano. Cùm enim nullum præcessisset exemplum, vt Augusta sola moderaretur habenas imperij, ipsaq; Deo virginitatem vouisset, tamq; ætate grandior esset; vtpote, quæ annum quinquagesimum primum vitæ suæ ageret, salubre illud iniit consilium, vt coniugij titulo eueheret in imperium virum ætate maturum, consilio grauem, continentia probatum, atque militari virtute vbique spectatum, sicq; optimo imperij regimini, oportunè consuleret, vt tame deuotæ Deo virginitatis integritati omnino prospectū esset. Nutu igitur ac voluntate diuina electus Imperator Marcian. duabus epistolis, quæ extant inter præambulares Concilij Chalcedonensis, ad Leonem scriptis, rogat Pontificem, vt ad propulsandas hæreses, locum, tempus & modum congregandi Concilij vniuersalis præscribat. Priore epistola hæc ait:* Per celebrandam synodum te auctore maxima pars circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat. *Secunda epistola ad Leonem, quæ extat inter præambulares:* Superest, *inquit*, vt si placuerit tuæ beatitudini in has partes aduenire, & synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur. *Et paulò post:* Si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum propris literis tua sanctitas manifestet, quatenus & in omnem Orientem & in ipsam Thraciam & Illyricum nostræ literæ dirigantur, vt ad quendam destinatum locum vbi vobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianæ religioni & Catholicæ fidei profint, sicut sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent. *Idem enixè admodum Pulcheria Augusta petens epist. ad Leonem scripta ait:* Tua reuerentia, quocunque modo prospexerit, significare dignetur: vt omnes etiam totius Orientis Episcopi Thraciæ atque Illyrici (sicut etiam nostro Domino pissimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire; & illic sancto Concilio & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore decernant. *Hæc ex epist. Pulcheriæ ad Leonem, quæ extat inter præamb. Concilij Chalcedonensis. Tanta cum industria Concilium Oecumenicum expetentibus Augustis, Pontifex respondit; ob ingruentem Hunnorum exercitum Gallias deuastantem, & iam Italiam inuadere cogitantem, Concilium Oecumenicum ad tempus oportunum differendum esse; ideò nimirum, vt Episcopi à barbarica hostilitate liberati, se libere ad synodum conferre possent, Constat ex epistola Leonis quadragesima secunda, quadragesima tertia, & quadragesima quarta. Dum consensisse, nouaq; legatione, qua synodo Oecumenicæ interesset decreta, priorem illam, de qua supra in Notis Concilij Constantinopolitani & Mediolanensis egimus, reuocasset; Imperator pissimus publicam edidit sanctionem inter præambulares Concilij Chalcedonensis extantem, de synodo Oecumenica Nicææ in Bythinia Kalend. Septembris celebranda. Optabat enim ibi contra hæresim Eutychetis vniuersale Concilium celebrari, vbi primum Ariana impietas damnata fuit. Legati Pontificij de fide Occidentalium per Leonem & prouincialia Concilia Mediolani atque alibi in Oriente habita iam ante, prout fieri consuevit, informati; cum literis commendatitijs ad Imperatorem scriptis, ante Kalend. Iulias Roma discesserunt, secum deferentes etiam Leonis Pontificis epistolam quadragesimam septimam ad synodum transmissam; ex qua Patres Concilij intelligerent, quibus de rebus in Synodo agere: quousque Concilij Præsides agnoscere deberent. Cùm igitur ad præfinitum diem Kalendarum Septembrium Episcopi ad Synodum conuocati, se Nicææ Bythiniæ contulissent, ibiq; pluribus diebus aduentum Imperatoris Synodo interesse volentis, expectassent, scriptis ad Imperatorem epistolis petitum fuit; vt quia plures Episcopi, ob difficultatem & laborem itineris, infirmitatibus, alijsve angustijs affligerentur, conuentus ex more agi permitteret. Ad hoc Marianus Augustus rescripsit, visum esse Apostolicæ sedis*

Hoc Concilium à Leone Pontifice indictum est.

Qua occasione?

Imperatoris rogatu Pontifex indixit cōcilium.

Quid Pontifex responderit?

Quare mandatū, vt Nicææ conuenirent Episcopi?

Qua occasione Cōcilium, Nicea Chalcedonem translatū sit?

Pſalm. 19. Pſalm. 20.

Locus mutilus.

1. Tim. 2.

Prou. 21.

sedis legatis, ne absque Imperatoris sententia synodus ageretur, seque propediem affuturum pollicitus est. Sin autem aduentum maturare non liceret, hortatus est eosdem, vt se Chalcedonem conferrent. Cùm interea Illyricum ob metum imminentis barbaricæ inuasionis perturbari audiuisset, adeoq; non videretur esse tutum, ob bellicas expeditiones Constantinopoli longè recedere, decima Kalend. Octobres, Patres Nicææ congregatos, iteratis literis Chalcedonem Constantinopoli propinquiorem conuocauit. Vnde, quod mitiò dixi, liquidissime constat, hanc synodum Oecumenicam, Imperatoris instinctu & consilio: Pontificis autem iussu atque auctoritate congregatam fuisse. Hoc apertis verbis profitentur Episcopi secundæ Mæsiæ in epistola ad Leonem Imperatorem, quæ extat inter epistolas ad Chalced. Concilium pertinentes, vbi sic aiunt: In Chalcedonensium ciuitate multi sancti Episcopi conuenerunt, per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum. *Denique Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ scribit, non Alexandrinam vel Antiochenam, sed solam duntaxat Apostolicam sedem cum auxilio Imperatoris, sua auctoritate decreuisse, vt synodus Chalcedonensis fieret. Quod si Magdeburgenses, prout debebant, benè accepissent, non tam impudenter Gelasium veracem scribentem, de mendacio arguissent. Scitu & obseruatu necessarium est, appellatione huius Concilij ea tantum acta intelligenda esse, quæ Leonis I. Pontificis Maximi auctoritate confirmata fuerunt. Nam decretum illud act. 16. quo Patres Conc. absentibus legatis & postea reclamantibus Constantinopolitanæ sedi primatum attribuerunt, ideo, quod instar Romæ caput imperij effecta, primatum meruerit, velut illegitimum à Leone Pontifice iustissimè improbatum fuit. Supponit enim, quod Romana sedes tunc primatum habere meruerit, cùm Romani orbis imperio potiretur, atque adeo non diuino, sed humano iure caput Ecclesiarum effecta fuerit. Vide quæ dicemus infra verbo* approbatum. *Baron. anno 450. & 451. Bellarm. libro quarto de Concil. cap. 13.*

Redarguuntur Magdeb.

Quæ acta appellatione huius concilij nominanda sint?

[b] Chalcedonense.] *Sic dictum à Chalcedone, quæ erat ciuitas Bythyniæ, prope Bosphorum Thracium, è conspectu Byzantij, quod in altera parte est situm. Hanc Megarenses condiderunt; teste Strabone libro duodecimo. Incolæ vrbis Cæci appellati sunt ideo; quòd non potius oppositum littus elegissent, in quo postea conditum est Byzantium, loco longo feliciori situm. Huius meminit Pomponius lib. 2. Plinius lib. 5. cap. vlt. Ptolomæus ca. 1. lib. 5. Antoninus in suo itinerario. Hæc ciuitas licet ante non ignobilis foret, à Patribus huius Concilij, honore & dignitate clarior & illustrior reddita fuit. Cùm Imperator instaret, vt ad honorem Euphemiæ Martyris Chalcedon nomine tenus Metropolis dignitatem consequeretur, citra præiudicium Nicomediæ; Patres Concilij act. 7. communi consensu id admiserunt. Et quanquam principio Imperator voto singulari desideraret, vt Patres Nicæam conuenirent, eodemq; loco, quo primum Ariana perfidia oppugnata est, Eutychianam hæresim condemnarent: propter bellicas tamen expeditiones, & barbarorum incursiones fieri debuit, vt Patres præscripto die Nicææ congregati, transferrentur Chalcedonem, quæ Constantinopoli propinquior, & à metu hostium multo securior erat.*

Chalcedõ quę & qualis vrbs.

Hæc vrbs occasione Concilij facta est Metropolis.

Locus habiti concilij.

In amplissima basilica S. Euphemiæ Martyris, quæ non intra mœnia; sed in suburbijs collocata fuit, Episcopi conuenerunt. Ante cancellos sacri altaris in secretario, prout fieri consueuit, synodalis Patrum consessus fuit. Quo ordine infra dicemus verbo Sexcentorum. *Ecclesiam S. Euphemiæ graphicè describit Euagrius lib. 2. cap. 3. Quis locus Ecclesiæ, dicatur Secretarium, siue sacrarium, post ea, quæ notauimus supra can. 21. Concilij Laodiceni, prolixius ostendit Baro. an. 451. n. 61. 62. & 63.*

Conseſſus Episcoporum vbi?

[c] Oecumenicum seu vniuersale.] *Cum ad instantiam Imperatoris hoc Concilium auctoritate Romani Pontificis indictum sit, iussuq; eiusdem omnes Episcopi totius orbis cõuocati fuerint, vt patet ex ijs, quæ diximus supra verbo* Conciliũ: *cùm denique huic sanctorum Patrum conuentui Romanus Pontifex per suos legatos præsederit, quis vniuersale & œcumenicum esse neget? Paschasium & Lucentium Episcopos: Bonifacium & Basilium Presbyteros legationis munere fungentes synodo interfuisse ac præsedisse; singulaq; ferè actiones Concilij atteſtantur. Ipsi enim in omnibus prope actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, & primi subscribunt, non alia sanè auctoritate, quàm vt ius præsidendi à Pontifice sibi delegatum ipso facto vsurparent. Quid quod ipsi Legati, definitiuam sententiam in Dioscorum pronunciantes, apertus verbis indicent act. 3. se id nomine Pontificis velut vniuersi Concilij præsides præstare? Verba sententiæ hæc sunt.* Sanctissimus ac beatissimus Papa caput vniuersalis Ecclesiæ Leo, per nos legatos suos, sancta synodo consentiente, Petri Apostoli præditus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum & petra fidei, & cœlestis regni ianitor nuncupatur, Episcopali dignitate Dioscorum nudauit, & ab omni sacerdotali opere fecit extorrem. *Tertio, quod supra nominatis Episcopis ac Presbyteris, auctoritate Pontificia collata sit præsidendi auctoritas, ipse Sanctus Leo Põt. ex epistola quam scripsit ad synodum Chalcedonensem, 47. 45. profitetur his verbis:* In his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas existimet Præsidere. *Quarto denique ex synodica ipsius Concilij ad Leonem scripta, quæ habetur post finem Concilij, manifesto constat, ipsos legatos non tantum præsidendi auctoritatem habuisse & vsurpasse; verum etiam ab omnibus Patribus Concilij propræsidibus agnitos & honoratos fuisse.* Tu quidem, *inquiunt*, sicut mẽbris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem beneuolentiam præferens. *Si dicas, Martianum Concilio 1. actione interfuisse, eumq; primo loco sedisse, adeoque vt iudicem ac præsidem Concilij præstò fuisse: Respondeo, Imperatorem in propria persona primæ actioni: & per sæculares iudices posterioribus actionibus omnibus interfuisse; vt iudicem controuersiarum fidei egerit, nemo præter insanum Lutherum aliquem aut Caluinum affirmauerit. Qua intentione Imperator per se aut suos vicarios præsens esse voluerit, Patres Concilij in epist. synodica ad Leonem scribunt his verbis.* Tu Episcopis iudicibus, sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant locum: Imperatores verò ad ordinandum decentissime præsidebant, &c. *mmirum, vt omnem vim, fraudem atque tumultum à synodo auerterent. Cùm enim in conciliabulo Ephesino, Dioscorus Alexandrinus Episcopus, vsurpatus duntaxat & illegitimus vniuersalis Concilij præses, introductis militibus, Episcopos ad subscribendum coegisset, voluit per se vel suos vicarios interesse, ne cuiquam aliqua violentia inferretur. Hoc est, quod in oratione ad synodum habita act. 1. ait, se venisse ad confirmandã fidem, sicut olim fecerat Cõstantinus Magnus: qui cùm non ad iudicandas & explicandas fidei controuersias; sed ad defendendum & exequendum decreta synodi præsto adfuerit, certum est non alia intentione Marcianum Imperatorem huic Concilio interfuisse, quàm vt illud sua auctoritate, aduersus hæreticorũ tumultus ac seditiones, tutaret ac defenderet. Aduertat ergo Lector, quàm splendide mentiatur Caluinus, dum ait ex solo permissu & priuilegio Imperatoris: atque ex defectu personarum idonearum accidisse, quod Legati Pontificis huic Concilio præsederint. Vide Bellar. lib. 1. de Concilijs cap. 19.*

Ratio III.

Ratio I

Refellit obiectũ

Qua intentione Imperat. præsederit

Caluini mendacij detegun

Conciliũ Oecumenicũ fuit.

Legatos Apostol. sedis præsedisse cõcilio probatur 4. rationibus.

Ratio II.

[d] Approbatum.] *Ea, quæ hoc Concilio de fide Incarnationis Domini nostri Iesu Christi, contra hæresin Eutychianam, communi Patrum Orthodoxorum sententia definita sunt, auctoritate Leonis Põtificis, prout ijdem Patres Concilij synodali epistola ad Leonem scripta expetierant, confirmata & approbata fuerunt, vt patet ex circulari epistola. Id verò, quod instigante Anatolio Constantinopolitano Antistite, ambitiosè ab entibus, & postea contradicentibus legatis, de primatu sedis Constantinopolitanæ contra decreta Nicæni Concilij constitutum fuit, vt post Romanam sedem, secundum locum patriarchalis honoris ac dignitatis, Constantinopolitana Ecclesia haberet; id inquam, S. Leo Pontifex planè improbauit, cassauit atque irritum reddidit. Approbatio decretorum fidei extat epistola Leonis 61. quam ad synodum Chalcedonensem habitam scripsit. Cuius initio hæc ait.* Omnem quidem fraternitatem vestram nosse non ambigo, definitiones sanctæ synodi, quæ ad confirmationem fidei in Chalcedonensi ciuitate celebrata est, toto corde me fuisse complexum. *Et paulò infra:* Ne ergo per malignos interpretes dubitale videatur, vtrum quæ in synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt, approbem; hæc ad omnes fratres & Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ glorioſissimus & clementissimus Princeps (sicut popoſci) in notitiam vestram mittere, pro Catholicæ fidei amore dignabitur: vt & fraterna vniuersitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me nó solum per fratres, qui vicem meam executi sunt; sed etiã per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum inisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod sæpe dicendum est) propter quam generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ sedis placuit congregari, damnatis hęreticis: qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera Domini nostri Iesu Christi incarnatione dubitatio. Vnde si quis vnquã ausus fuerit, vel Nestorij perfidiam tueri; vel Eutychetis aut Dioscori

Quæ acta huius Concilij approbata sint. Reprobatur quod primum Constantinopolitanæ sedi decretum sunt.

impium

impium dogma defendere, à Catholicorum communione resecetur, nec habeat eius corporis participationem, cuius abnegat veritatem. *De improbatione primatus sedi Constantinopolitanæ adiudicati, idem Leo Pontifex epistola 55. ad Pulcheriam scribit.* Consensiones Episcoporum & Sanctorum canonũ apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus. *Omnia igitur illa, quæ nomine huius Concilij sub præsidio Leonis habiti cõtinentur, eiusdem auctoritate approbata fuerunt. Canones vero, quos legatis absentibus ad Concilium clanculo & furtim addiderunt Orientales Episcopi, à Leone Pontifice nequaquam recepti fuêre; cum nihil præter fidei definitionem confirmarit, vt ex epist. 61. verbis supra recitatis liquido apparet.*

Chalcedonensis fidei definitio miraculis confirmata.

Præter confirmationem sedis Apostolicæ accesserunt etiam ad corroborandam hanc Chalcedonensem synodum Sanctissimorum virorum, qui hi temporibus Orientalem Ecclesiam illustrabant, & miraculorum virtute nitebant, SS. Euthymij nimirum & Auxentij elogia, qui se fidem hac synodo definitam tenere, verbis & miraculis testati fuerunt. Refert Zonaras tom. 3. annalium, quod cum Eutychianæ factionis sectarij, decreta Concilij subsannarent, eiusque auctoritatem non veritate; sed potentia Imperatoris niti dicerent, Anatolium patriarcham conuocatus aduersarijs ita locutum fuisse: Quoniam sententiam vestram adhuc mordicus tenetis, neq; vos perperam sentire creditis, sed nos incusatis, quasi Nestorij dogma approbemus, cum duas naturas in saluatore prędicemus, vtraque citra confusionem proprietatem suam retinente, istius controuersiæ dubitatio, si placet, Deo permittatur. Scribatur igitur vestra de fide sententia in vno libello, & nostra in altero: atque ambo in loculo gloriosæ Martyris Euphemiæ collocentur, & huius iudicium esto, vtri rectè an perperam sentiant. Hæc cum hæreticis etiam placuissent, libelli scripti, remoto lapide, qui loculum claudebat, pectori Martyris apponuntur, & lapis in suum locum repositus ab vtraque parte signatur. Dehinc supplicationes fiunt, & preces ad Deum peruigiles, vt demonstret vtra sententia ei cordi sit, & quæ reijcienda videatur. Post triduum conueniunt, Imperatore etiã præsente. Aperto loculo (ô rem mirabilem) libellus hæreticorum ad pedes Martyris inuenitur; alter in manu eius dextera, quam extendisse fertur ad Imperatorem & Patriarcham, ac libellum ei porrexisse. Itaque rectæ sententiæ assertores plaudere, aduersarij vero demissis vultibus & præ pudore caligantibus abire, quidam etiam veram sententiam amplecti. *Hæc Zonoras, quem sequitur Glicas tom. 3. annal. Metaphrastes & Nicephorus lib. 15. cap. 5. eandem quidem historiam recensent; sed in ratione temporis aberrant. Non infima laus sacrosancti Concilij est, quod à Concilio Constantinopolitano anno 20. Leonis celebrato, confirmatum sit: quodque trigintaseptem Metropolitani Orientales teste Euagrio lib. 2. ca. 10. & Liberato in breuiar. c. 15. ad Leonem Imperatorem anno Christi 457. rescribunt,* Chalcedonensem Synodum vsque ad sanguinem vindicandam, eo quod non alteram fidem teneret, quam synodus Nicæna constituit. *Basiliscum Imperatorem tyrannum & hæreticum, qui erat quasi flagellum Dei & virga furoris Domini, & manifestus persecutor Ecclesiæ, hanc synodum, quod refert Euagrius lib. 3. cap. 4. reiecisse: Anastasium Acephalorum hæreticorum sectarium, aliosque hæreticos plures, teste eodem Euagrio cap. 30. eandem aciterrime impugnasse, concedimus: sed cum magno gloriæ & celebritatis augmento, ad Cõcilium hac occasione addito. Nam quanto eam hæretici grauius accusarunt, tanto eam viri sancti fortius defenderunt & propugnarũt. Theodosius Cœnobiarcha sanctissimus in epistola ad Anastasium, quã ex Metaphraste recitat Surius die 11. Ianuarij, cum recensuisset decreta huius Concilij, sic Imperatorem allocutus est.* Aduersus hoc & ignis accendatur & ensis acuatur, & mors quoque nobis acerba afferatur, imo vero, si fieri possit, pro vna innumerabiles: nos vero nunquam prodemus veram religionem, neque ea quæ rectè placuerunt Patribus, ea abrogando, probro affici emus. *Extat in bibliotheca SS. Patrum Leontius Byzantius, qui in opere de sectis hæreticorum, auctoritatem huius synodi acerrime propugnat: Quanquam ea, quæ summi Pontifices & Conciliorum auctoritate: & virtute miraculorum est corroborata, talibus defensoribus non indigeat. Si dicas hoc Concilium in fide & moribus aberrasse, tum quod act. 16. definiat, Romanum Pontificem à Patribus Nicæni Concilij primatum habuisse, quem iure diuino sibi concessum, iam diu ante obtinuerat, & de facto vsurparat: tum etiam, quod illam à quinta synodo condemnatam epistolam Ibæ ad Marim Persam, quã Cyrillus Alexandrinus arguitur, Theodorus Mopsuestenus cum suis scriptis laudatur, huius Concilij Patres approbauerint. Respondeo nihil præiudicij, his omnibus sacrosancto Concilio generari. Quicquid enim de primatu Apostolico & Constantinopolitano decretum est, absentibus legatis sedis Pontificiæ constitutum fuit: ideoque auctoritate pontificia non tantum reprobatum; verum etiam Concilij nomine indignum est, quicquid eadem actione sub nomine & prætextu huius Concilij editum & constitutum fuit, vt ex præcedentibus sufficienter constat. Epistolam Ibæ Patres Concilij non approbarunt, sed ex ea tantum dijudicarunt, scriptorem Ecclesiæ, qui ante concordiã Cyrilli Alexandrini cum Ioanne Antiocheno imitam Nestorianæ factioni adhæserat, vere Catholicum esse, meritoq; præcedentibus duobus iudicijs Ecclesiasticis, Tyri & Berythi habitis, à calumnia aduersariorum absolutum fuisse. Hoc enim iudicio Episcoporum decisum est, quod in controuersiam vocabatur; nimirum, an Ibas Edessenus Episcopus catholicè & orthodoxè contra Nestorium de persona Christi sentiret, adeoque iusto iudicio Tyri & Berythi calumnia aduersariorum absolutus esset: de epistola nulla fuit controuersia, eaque non aliter in iudicium adducta fuit, quam vt inde cognosceretur, Ibasne post initam concordiam inter Cyrillum & Ioannem Antiochenum catholicus, an Nestorianus esset. Summam itaque iniuriam irrogant Concilio sanctissimo, qui epistolam hæreticam hæreticorum laudes, orthodoxorum calumnias continentem, iustoq; iudicio quintæ synodi vniuersalis condemnatam, à Patribus huius Concilij receptam & approbatam fuisse cum Nestorianis in vulgus emittunt. Vide quæ diximus hac de re supra in Notis Concilij Berythensis sub Leone. Item quæ infra notabimus quintæ synodi collect. 8.*

Respõsio

An Concilium Chalcedonense Epistolam Ibæ approbauerit.

Sexcenti triginta Episcopi.] *Sexcentos triginta Episcopos huic sacro Concilio præsentes fuisse, testantur Marcellinus in Chron. Liberatus diaconus in breuiar. c. 13. Photius de septem Conciliis c. 4. S. Leo epist. 52. ad Episcopos Galliarũ, scribens, in hoc sexcentos ferme fratres Coepiscopos congregatos fuisse, item profitetur. Vnde cum in prima actione Concilij trecenti tantum quadraginta quinque Episcopi scripti legantur, dimidiam fere partem Episcoporum, qui interfuerunt, ibidem desiderari certum est. Ex horum numero Pontificia legationis munere, vt ex epist. Leonis ad Synod. Chalced. constat, functi sunt Paschasinus Lilibæi in Sicilia Episcopus: Lucentius Asculanus Antistes: Bonifacius & Basilius S. R. E. Presbyteri Cardinales. Iulianum Coensem Episcopũ in Orientes res Ecclesiæ agere solitũ Pontifex voluit in hac eadẽ synodo legati munera obire, vt ex subscriptionibus Synodalib. Act. 1. & Leonis epist. liquet. Ex Afric. Ecclesia, licet VVandalica persecutione assidue vexaretur, adfuerunt Aurelius Adrumetinus & Rusticus. Adfuerunt etiam hostes catholicæ fidei, qui simul conspirarãt cõtra Flauianũ, Dioscorus Alexãdrinus: & Iuuenalis Hierosolymitanus, Domnus Antiochenus, qui iam priuatus, & qui eius loco suffectus fuit Maximus, itemque in locum S. Flauiani subrogatus Anatolius Constantinopolitanus à S. Leone Catholicæ Ecclesiæ ante reconciliatus. Nestorium hæresiarcham ex subscriptione alterius Episcopi eodẽ nomine appellati, interfuisse apud Euagriũ lib. 2. c. 2. scribit Zacharias Rhetor, sed merito ab Euagrio reprehenditur, cum is, cuius nomen subscriptum habetur, Phanagoriæ ciuitatis Episcopus, adeoque ab illo hæresiarcha, longè alius fuerit. Marcianum Imperatorem vna cum Pulcheria Augusta alijsque imperij magistratibus præsentem fuisse, ipsa acta Concilij loquuntur. Horum omnium consessus ita dispositus fuit: Imperator cum Pulcheria Augusta, magistratibus, senatoribus, & iudicibus cognitoribus sedem habuit ante cancellos: Ex Patribus Concilij inter aspidem & cancellos constitutis, Legati sedis Apostolicæ, & post eos Anatolius Constantinopolitanus, Antiochenus, alijque deinceps Episcopi sederunt à læua parte: Dioscorus autem Alexandrinus, & post eum Iuuenalis Hierosolymitanus alijque à dextera: In medio ipsorum super thronum sacrosancta Euangelia collocata fuere. Et quia læua, quod supra in Notis Concilij Nicæni verbis,* Trecentorum Octodecim *dixi, dignior est dextera: vel quia Christũ Dominum nostrũ, qui est summus Pontifex (cuius typum gerebat euangelium super thronum in medio tulpo collocatum) in synodalẽ consessum respicientẽ, à dexteris habebant, qui sederunt in sinistra: & à sinistris, qui considerent in dextera, hac, inquam de causa accidit, vt quanquam Dioscorus & Iuuenalis ambo iudicandi adessent, dextrum locum occupare permissi fuerint. De locali enim dispositione in antiquo Romano ordine hæc leguntur.* Sedebunt ea locali dispositione, vt intrantibus Ecclesiam Episcopi sint ad sinistram, &c.

Numerus Episcoporum.

Legatorũ nomina quæ.

Episcopi Africæ.

Dioscorus cum suis assecl is interfuit.

Nestorius quis.

Quis consessus Cõcilij.

Cur Legati sedis Apostolicæ à Cæna parte sederint.

Contra Eutycheten.] *Eutyches monachorum Constantinopoli degentium Archimandrita fuit; contra Nestorianam hæresim in*

Omnes fere Orientales Episcopi Epistolis ad Leonem Imperatorem scriptis, supra in fine Cõcilii huius extantib. hanc Synodum approbant.

Basiliscus & Anastasius Imperatores oppugnatũr.

Obiectio.

Concilio Ephesino cæteris præstantius dimicauit, tanto cum zelo, vt eam ob rem à Leone epist. 6. & act. 4. Concilij Constantinopol. sub Leone celebrati, laudari meruerit. Sed cum imprudenter prædictam hæresim impugnaret, eo profilijt, vt non modo duas personas; sed etiam duas naturas in Christo Domino negaret, diceretque oës omnino Nestoriana hæresi infectos esse, qui in Christo vnam personam, duas vero naturas indiuisè & inconfusè coniunctas profiterentur. Hæc ille multis annis secreto docuerat, missisq; ad aliorum monasteriorum monachos & abbates hac de re scriptis libellis & voluminibus, quorundam subscriptionem & approbationem impetrauit. Denunciatus hanc ob rem ab Eusebio Dorilæi Episcopo, in Constantinopolitano Concilio condemnatus, scriptis ad Pontificem appellationum libellis, quibus se Catholicum simulabat, in Conciliabulo Ephesino, quod per Chrysaphium importunus precibus apud Imperatorem extorserat, nullo iuris & æquitatis ordine seruato ille absolutus, contrà Flauianus in exilium ablegatus fuit, vt supra in Notis prad. duorum Conciliorum prolixius enarrau. Postquam hoc sacrosancto Concilio Acta Ephesini Conciliabuli rescissa essent, meritamque damnationis sententiam iterato iudicio accepisset, vt è monasterio Constantinopolitano, vbi cum periculo fidelium agebat, longius relegaretur, à S. Leone duabus epist. ad Pulcheriam 45. & ad Marcianum 70. scriptis petitum fuisse constat, sed ad quem locum, quoue successu & euentu exulârit, nõ liquet. Hæc ex Liberati Diaconi Breuiario ca. 11. & ex actis Concilij Constantinopolitani & Conciliabuli Ephesini actione 1. in Chalcedonensi Concilio extantibus. Vide Notas prad. Concilij.

Eutyches hæresiarcha describitur.

Dioscorus Alexandrinus describitur.

Dioscorum.] Post obitum Cyrilli Magni & sanctissimi Præsulis Alexandrini, Dioscorus Nestorium hac in re imitatus, super inducta admirandæ sanctitatis larua, vacantis Ecclesiæ Alexandrinæ sedem est adeptus. Speciem humilitatis & modestiæ præseferens, intus superbiam cum summa arrogantia occultauit, voluitque videri sanctissimus, qui facinorosissimus erat, quique act. 3. huius Concilij de Origenistarum & Arianorum hæresi, de homicidio, incendio, vitaq; turpissima est convictus. Ad vniuersum populum sibi conciliandum, tumulac in thronum euectus est, (inquit Liberatus Diaconus in breuiario) opprimens Cyrilli hæredes & per calumnias multas ab ijs auferens pecunias, pistoribus & Cauponibus ciuitatis dedit, vt mundissimum panem, & pretiosissimum vinum viliore pretio populo exhiberent. Clericos Cyrillo cariores absque causa ab ordine deponere tentauit. Nepotes eiusdem mire afflictatos per Noueũ consulem Alexandria expulit. Athanasium quoque Cyrilli ex sorore nepotem presbyterio priuauit, nullaque prauia accusatione ab Ecclesiastico collegio alienum fecit. Prædatorio illi Ephesino Conciliabulo seu potius patrocinio quanta cum turpitudine præsederit, ipsa acta loquuntur. Hoc Concilio homicida sacrilegus iusto iudicio condemnatus, post quam excommunicando summum Pontificem scelus inauditum attentasset, in Gangræam Paphlagoniæ ciuitatem relegatus, est, illucq; manu militari perductus, ibidem paulò post, mortuus est. Hæc ex actis Concilij Ephes. Chalced. Breuiario Liberati, Euagrio, Baronio &c. Plura dicemus infra.

Sessionis nomine quid intelligendum.

Condemnantur, &c.] Id quâ ratione, quoue ordine iuris ac rerum gestum sit, tredecim sessionibus septendecim actiones continentibus, summatim recensebo. Vnius sessionis nomine, appello actiones plures vno eodemque die habitas.

Sessio I.

Sessione 1. quid sit gestum.

PRima sessione octauo idus Octobris anno 451. celebrata, Episcoporum sedibus, eo quo supra diximus ordine, ante cancellos in secretario dispositis, Marcianus Imperator primus omnium allocutus est synodum ea oratione, qua exposuit, quid ex sententia Pontificis in Concilio tractari debeat: quoue fine ipse Concilio interfit; nimirum, se ad confirmandam fidem, non ad ostentandam virtutem, exemplo Constantini Magni sacrosanctæ synodo adesse. Quam orationem cum Patres faustis acclamationibus prosecuti fuissent, Dioscorus Alexandrinus per legatos Pontificis denunciatus, ideo quod sine auctoritate & consensu Pontificis vniuersale Concilium congregasset, eique contra omnem antiquitatem & consuetudinem præsedisset, decreto Cõcilij è Patrum confessu amotus, velut reus dijudicandus, iussus est in medio sedere. Quo facto Eusebius Dorilæi Episcopus, in medium velut accusator progressus, ad acta pseudosynodi Ephesinæ prouocauit. Post lectum libellum, Dioscorus, vt sui iudicium declinaret, de fide primũ agendum esse contendit; sed interlocutione Iudicum ipsa acta Ephesini Conciliabuli ante omnia iussa sunt legi. Quæ dum legerentur, delictum suum excusans & attenuans dixit, non sua solius auctoritate; sed & Iuuenalis Hierosolymitani, Thalassij Cæsareensis Episcopi, aliorumque omnium præsentium subscriptione prædicta acta confirmata esse: contra Episcopi ferè omnes dixerunt, voluntariè & citra vim adhibitam neminem subscripsisse: vim per milites fustibus, gladijs & minis exilij Flauiano alijsque pluribus illatam deinceps exposuerunt; addentes, Acta à Notarijs Dioscori corrupta esse atq; depraua ta: Eutycheten in ea quam obtulerat confessione fidei incarnatum quidem Christum profiteri, sed non ex Maria virgine. Quæ cum dixissent, tandem sui erroris atque peccati veniam deprecati fuerunt.

Absoluta lectione Actorum Ephesini Concilij, producta sunt Acta Concilij Constantinopolitani, ex quibus legati sedis Apostolicæ probauerunt Flauianum verè Catholicum esse; Eutychetem autem absque dubitatione vlla impium hæreticum. Dioscorus interlocutus, Flauianum iure damnatum, ideo quod post incarnationem duas naturas distinctas & inconfusas in Christo confiteretur, hæresim suam manifestauit. His adiecta est recitatio Actorum de cognitione habita Constantinopoli super fide Notariorum. Inde Eutychetis absolutio: & post interposita quædam acta Concilij Ephesini Oecumenici, impia sententia à Dioscoro in Flauianum Ephesi pronunciata in hoc Patrum confessu lecta fuerunt. Quibus omnibus exactè cognitis, inter locutione iudicum tractatio de fide in sequentem sessionem dilata est. Rogati quid de iudicibus Flauiani statuendum foret, responderunt, omnes Flauiani accusatores & iudices, nominatim vero Dioscorum, Iuuenalẽ, Thalassium, aliosve, qui cum prædictis principem locum in pseudosynodo Ephesina obtinuerunt, ex præscripto sacrorum canonum, damnandos esse.

Post hæc pro gratiarum actione & Dei laudum celebratione, subsecuta est sacri trisagij acclamatio, videlicet, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis, additumq; multos annos Imperatori: & denique plurima in Dioscorum dicta fuerunt.

Sessio II.

Sessionis 2. resp.

SEcunda sessio celebrata est sexto idus Octobris anno 451. in qua habita est à Patribus tractatio de fide, hoc ordine. Primo lectum est sacrum Nicæni Concilij symbolum: secundum illud cum veteribus Patribus sensisse Cyrillum & S. Leonem omnes contestati fuerunt. Recitatum est deinde ex scripto symbolum Constantinopolitani Concilij Oecumenici. Postea vero duæ S. Cyrilli epistolæ: quarum alteram ad Nestorium: alteram ad Ioannem Antiochenum dederat. Insuper magna illa S. Leonis epist. 10. de verbi incarnatione ad Flauianum scripta publice recitari iussa est. Denique refutatis illis, quæ ab Episcopis Palæstinæ & Illyrici obiecta fuerunt; acclamatum est ab omnibus. Hæc Patrum fides: hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, Orthodoxi ita credimus; anathema qui non ita credit, Petrus per Leonem ita locutus est. &c.

Sessio III.

Sessionis 3. breuis enarratio.

TErtio idus Octobris prad. anni ad tertiam sessionem conueniunt episcopi tantummodo (quæ est manifestissima nota Oecumenici Concilij) absq; magistratibus sæcularibus, eo quod tractanda esset Dioscori damnatio, cui præter episcopos, secundum canones nemo aliorum iudicum sæcularium aut laicorum interesse licebat. Cum ad hanc sessionem Dioscorus, qui à militibus domi custodiebatur ne fugam arriperet, secundo citatus, propter absentiam iudicum & prætensam quandam ægritudinem comparare recusasset, lecti sunt libelli accusationum, quos Theodorus & Ischyrion Alexandrinæ Ecclesiæ diaconi: Athanasius eiusdem ecclesiæ Presbyter & Sophronius Alexãdrina ciuitatis Christianus, contra Dioscorum obtulerunt. Primo libello accusabatur, quod esset Origenista hæreticus, blasphemus in sanctam Trinitatem, homicida Flauiani, incendiarius, iniustus & temerarius, vtpote qui Theodorum Diaconum nulla alia de causa à Diaconatu amouisset, nisi quod S. Cyrilli Episcopi amicus fuisset: quod post hominum memoriam primus Romanum Pontificem excommunicãdo, scelus inauditum commisisset. Secũdus libellus Ischyrionis post cõfirmata prædicta scelera continebat, quod frumentum ad conficiendam sacram Eucharistiam, & solatium peregrinorum ab Imperatore ecclesijs Lybiæ dari solitum, surripuisset; adeo vt eam ob causam, incruentum sacrificium missæ diu oblatum non fuerit. Adiecit, quod ea bona, quæ Peristeria nobilissima fœmina per testamentum monasterijs & pauperibus contulisset eo fine, vt pro salute animæ suæ sacrificium Deo offerretur, ille scortis & turpibus personis in eleemosynam contulerit, vt ne quidem ex bonis illius (quod vetus & recepta consuetudo orandi pro defunctis, tunc merito impijssimum esse iudicabat) incensum Deo pro eius anima obtulerit. De vita ipsius val-

de ob-

de obscœna plurima addidit, vt quod subintroductas fœminas haberet in Episcopio, quibuscum in balneo lauaretur, & quod inter alias Pansophiam quandam famosissimam magno omnium Alexandrinorum scandalo in delicijs haberet. Postremò quod non satis ei fuerit, Theodorum Diaconum ob amicitiam cum S. Cyrillo habitam Diaconatus officio priuasse; verum etiam possessiones eiusdem per monachos à se missos incenderit, arbores exciderit, iussuq; occidi Theodorus, vix fugiens euaserit. Tertio libello Athanasius, Presbyter Cyrilli Alexandrini, se cum fratribus & cognatis vrbe eiectum, omnibus bonis ac fortunis spoliatum, tormentis Chrysaphij subiectum, ad summam paupertatem adactum esse, vt mendicando victum quærere debuerit. Fratrem inter tormenta expirasse: sibi Presbyterium ademptū esse, & ne vestigium vllum Alexandriæ supereſſet, domos suas in Ecclesias conuersas esse. Quarto libello Sophronij, tyrannidis est accusatus: vtpote qui pœnam adulteri cuiusdam, quem Imperator puniri rescripserat, impediuerit; dicens: Aegyptum magis ad se, quam ad Imperatorem pertinere; ideoque etiam allatas Alexandriam noui Imperatoris Marciani imagines, per suos vrbe efferri mandauerit. His vilis, ne qua solennitas requisita deesset, placuit Patribus, vt Dioscorus adhuc tertio vocaretur per scriptum citationis libellum, qui prætensas illius excusationes falsas esse demonstrabat. Legitime igitur tertio citatus, vt libellis Alexandrinorum contra se oblatorum respondeat, contumax in proposito perstitit, & adesse recusauit. Cum igitur nihil reliquum esset ad eius defensionem vel excusationem, ipsi Apostolicæ sedis legati, aduersus Dioscorum damnationis, & ab Episcopatu, omnique Ecclesiastica functione depositionis sententiam protulerunt. Singuli vero Episcopi, singulis sententijs impium Dioscorum perstringentes, eidem subscripserunt. Latam sententiam ipsi Dioscoro insinuarunt, perque synodicas epistolas, ad Imperatores, Pulcheriam Augustam, & ad clerum Alexandrinum scriptas, eandem vbiq; promulgarunt.

Sessio IIII.

Quartæ Sessionis compendiosa narratio.

QVarta sessione 16. Kalend. Nouembres celebratâ, Episcopis synodi cum magistratibus & iudicibus cognitoribus in vnum cõuenientibus proposita est causa Iuuenalis Hierosolymitani, Thalassij Cæsareensis, Eusebij Ancyræ, Eustathij, Berythi & Basilij Seleuciæ Episcoporum, qui cum Dioscoro improbo Ephesino conuentui præfuerant: petebant ad communionem Ecclesiæ & simul ad synodum recipi, qui cum Dioscoro ob eadem patrata scelera sess. 1. damnati fuerant. Qui cum decreto synodali interposito paruissent, Nicæno atque Constantinopolitano symbolo, nec non epistolæ S. Leonis Papæ decimæ, de verbi incarnatione ad Flauianum transmissæ subscripsissent, contrarium sentientibus ac docentibus anathema dixissent, ad communionem Ecclesiæ, & simul etiam ad ingressum synodi admissi fuerunt. Posthæc Aegyptij Episcopi cum libello fidei, quem Imperatori obtulerunt ingressi, iussu legatorum Apostolicæ sedis in Eutychetem anathema dixerunt: ne autem epistolæ Leonis, antequam nouus Alexandrinus Antistes eligeretur, subscriberent, precibus suis impetrarunt, cautione adhibita, quod Chalcedone non prius sint abituri, quam in locum Dioscori alius Alexandrinus Episcopus surrogatus fuerit. Posthæc iuxta relationem exemplarium latinorum (Græci enim, quibus hac de re minor est adhibenda fides, ante quartam actionem hæc contigisse referunt.) Carosus, Dorotheus & Barsumas Archimandritæ Eutycheti adhærescentes, ad synodum intromissi libellum obtulerunt; in quo cũ more Eutychetis & Dioscori, sub mentito pallio Nicænæ fidei, Catholicos se iactitarent, & tamen pro Dioscoro supplices preces haberent, concessa est illis dilatio trium dierum ad respiscendum, & Catholicæ fidei aduersus Eutychetẽ subscribendum: Archimandritæ Catholici cõtra eius perfidiam libellum obtulerunt, qui omnium iudicio, vt catholicus & orthodoxus approbatus fuit.

Sessio V. quam Latinus Codex non habet, ex Græco summatim recensita.

Quintæ Sessionis succincta & breuis narratio.

DEcimotertio Kalendas Nouembres anni 451. habita est sessio quinta duabus actionibus, vno eodemq; die transactæ, quam cum vulgatum exemplar Latinum non habeat, placuit eam præterinstitutum prolixius recensere.

Actio prior sessionis 5.

Priore actione Carosus, Dorotheus, aliiq; Archimandritæ illi, qui libellum Marciano Imperatori obtulerant, petierunt sibi concedi, vt coram Imperatore de fidei veritate cum Catholicis disputare liceat. Idquod hæreticis pijss. mè respondit Imperator, Alexander Visitator & Ioannes Decurio in synodo retulerunt, his verbis. Hæc cum audiuisset Dominus orbis, Marcianus Imperator, significauit per me & Dominum Ioannem Decurionem: si voluissem ego sedere inter vos, atque alios monachos & audire inter vtrosque vos, nõ hic sanctam & vniuersalem synodum fatigassem; sed cum ipsi conuenissent, & nos de vobis certiores fecissent, dixi, vt vos adessetis, & ea quæ nescitis cognosceretis, & interrogando ea, quæ non nostis, addisceretis ab ijs. Iustum igitur decreuimus, vos ad Concilium abire. Nam, vt sciatis, quæcũque definierit sanctum & vniuersale Concilium, ac mihi in scriptis dederit, ea sequor, his cõtentus sum, his fidem habeo. Hoc habete, nec à me aliud responsum accipitis.

His enarratis magno præconio Imperatori acclamatum est. Hæreticis vero ad respiscẽdum datæ sunt iuduciæ vsq; ad decimamquintam Nouembris.

Actio posterior sessionis 5.

Posterior actio huius sessionis quintæ, controuersiæ illius, quæ inter Photium Tyri, & Eustathium Berythi Episcopum, de iure Metropolis primæ Phœniciæ exorta fuit, tractationem continet. Controuersia talis erat. Antiquitus secundum veterem prouinciarum distinctionem per canones factam, Tyria Ecclesia iure Metropolitano præerat primæ Phœniciæ. Accidit vt Imperator pragmatica sanctione, aliam fecerit eius prouinciæ diuisionem, ex qua complures ciuitates, quæ subiacebant Tyriæ, sub Berythi Ecclesia ponerentur; nempe Byblon Botys Tropolis, Orthosias, Arias & Antaradon. Huic autem diuisioni cum Photius non acquieuisset, habito ea de re iudicio Constantinopoli, coram Anatolio Constantinopolitano aliisq; cum eo residentibus Episcopis excommunicatus fuit, neq; prius absolui potuit, quam decreto synodali de Aucto iure Berythensis ecclesiæ super nominatas ecclesias subscripsisset. Cum autem Photius ad hanc synodum Chalcedone congregatam veniisset Marciano Imperatori per supplicem libellum oblatum conquestus est de iure antiquo suæ Metropolis diminuto, ciuitatibusq; quibusdam ab Eustathio vendicatis. Imperator accepto libello causam illam sanctæ synodo dijudicandam tradidit, sicq; prad. die 13. Kalend. Nouembres coram sacro Patrum conuentu producta fuit. Principio rogabat Photius, causam prout mandauerat Imperator à synodo audiri, suumq; libellum Imperatori oblatum, in confessu Patrum recitari. Sed ne fieret libelli lectio, Eustathius obiecit, id nõ esse faciendum ante absolutam illam de fide tractationem, cuius causa omnes ad synodum congregati & conuocati essent. Iudices autem interlocuti, libellum legi mãdarunt. Ex quo cũ Photij de vsurpatis ab Eustathio Tyriæ Metropolis ciuitatibus, deque consensu per vim & metu extorto, querelas audissent, institit Photius, vt secundum pristina iura ablatæ ciuitates suæ Ecclesiæ Tyriæ redderentur.

Fragmentum sessionis 5.

Iussus autem à iudicibus cognitoribus adhæc respondere Eustathius rogauit idem eos, num secundum canones Ecclesiasticos, an vero secundum leges Imperatoris causa dirimenda esset. Tunc ijdem interlocuti iudices ista dixere: Sacratissimo Domino Orbis placuit, non iuxta sacras Imperatoris literas & pragmaticos typos res sanctissimorum Episcoporum procedere, sed secundum canones à sanctis Patribus datos. Omni igitur cessante è sacris pragmaticis definitione, canones de hoc capitulo editi legantur. *Et inferius ijdem Patres conuersi:* dicat, *inquiunt*, sancta synodus, Vtrum ei placeat ex regulis Patrum huius causæ quæstionem examinari, an ex sacris pragmaticis, de quibus ea quæ sacro apici visa sunt, iam omnibus aperta fecimus. Sancta synodus dixit: Contra canones nihil pragmaticum valebit. Regulæ Patrum teneant. Glorioſissimi Iudices dixerunt: Nunc tempus est, edoceri nos à sancta synodo, an liceat ex sacro pragmatico, alienæ Ecclesiæ iura ab alijs Episcopis auerti. Sancta synodus dixit: Non licet hoc: est præter regulas. *His dictis iussus est Photius ducere synodum, de vsurpatis ab Eustathio Ecclesijs Tyriæ metropolis: quo facto petijt idẽ Photius à S. Synodo irrita reddi, quæ ab Anatolio & alijs Episcopis haud pridem contra eandem metropolim ex lege Imp. Constantinopoli definita fuissent. Ad hæc Eustathius se excusans dixit, non à se inuasa iura Tyriæ Ecclesiæ, sed factum esse lege imperatoris: consuetudiniq; esse; Imperatores metropoles facere. Attamen S. Synodus definiuit, nullam esse debere sententiam, aduersus Photium absentem pronunciatã. Rursum à Photio petitum, in suas Ecclesias esse restituendos Episcopos, à se ordinatos, ab Eustathio autem episcopatu eiectos & inter Presbyteros adnumeratos. Antequam autem de his S. Synodus aliquid definiret, iussere Iudices cognitores legi sacrum canonem: lectusq; est canon quartus Magni Nicæni Concilij, quo iubetur vniuscuiusque prouinciæ esse debere vnum Metropolitanum episcopum. Lecto itaque canone, & Eustathio respondente, licere Imperatori iu-*

bere quod vellet: Iudices cognitores de his S. Synodi iudicium ita interpellarunt: Sancta synodus quid sibi videatur doceat, Vtrũ placeat secundum canonem trecentorum decem & octo Patrum, vnum Metropolitanum Episcopum esse, qui in ordinationibus Reuerendissimorum in vnaquaque prouinciæ ciuitate Episcoporum potestatem habeat, an duos, ita vt liceat separatim in ciuitatibus ordinationes facere. Sancta synodus dixit: Vnum iuxta regulas sanctorum Patrum postulamus esse Metropolitam: Petimus vt regula sanctorum Patrum teneat. Atticus reuerendissimus Episcopus Nicopolis ciuitatis Epiri dixit: Trecentorũ decem & octo Patrũ regula, vnum vult Metropolitam in vnaquaque prouincia Episcopum esse. Et supplicamus vt nunc etiam virtus canonum in quoslibet & in omnes prouincias valeat, cessantibus omnibus quæ ex concursatione & ambitione Pragmaticorum fiunt, quæ & euerterunt ea quæ spiritualiter & secundum Deum à sanctis Patribus sancita sunt. *Hæc Atticus. His omnibus auditis atque exactè per cognitis, Iudices Cognitores definita à S. Patribus probauêre, atque sua ipsorum sententia firmauêre, ita interlocuti.* Iuxta regulas trecentorum decem & octo Patrum, & iuxta sententiam totius sanctæ synodi, Photius reuerendissimus Episcopus totius Tyriorum metropolis omnẽ potestatem ordinandis in vniuersis ciuitatibus Primæ Phœnices prouinciæ habebit. Eustathius reuerendissimus Episcopus à sacro pragmatico typo nihil amplius sibi vendicet, quam reliqui Episcopi eiusdem prouinciæ. Atan his consentiat sancta synodus, doceat. Sancta synodus exclamauit: Hoc iustũ iudiciũ: hęc iusta sententia: Multos annos Imperatorũ: multos annos Augustæ: multos annos Iudicũ. *Restitutis ex sententia totius Oecumenicæ synodi Episcopis in diuersis ciuitatibus à Photio ordinatis: redactis vero in ordinẽ Presbyterorũ ab Eustathio promotis, improbatoq; per Apostolicæ sedis legatos, & alios vsu illo; vt qui ab Episcopatu deponebãtur, sineretur Presbyteri ministrare: mox eiusmodi ad Iudices & ad S. Synodũ facta est suggestio à Cecropio Episcopo Sebastopolis:* Ne potestas vestra accusationẽ & querimonias à quacunque persona accipiat & fatigetur; neue nos conteramur: petimus vt sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ in detrimentum canonum à quibusdam facta sunt in omni prouincia: Canones vero per omnia teneant: sic enim & fides custoditur, & vnaquæque Ecclesia tutum statum habebit: Ac ne liceat præter canones ordinare. Magnificentissimi & gloriosissimi iudices dixerunt: Si tota sanctissima synodus consentit petitioni Cecropij reuerendissimi Episcopi, doceat. Sancta synodus acclamauit: Omnes eadem dicimus: Vniuersa pragmatica cessabunt: Canones teneant, & hoc à vobis fiat. Magnificentissimi & gloriosissimi Iudices dixerunt: Ex sententia sancta synodi in alijs quoque omnibus prouincijs teneant. *His stabilitis secuta est ex more fausta totius synodi acclamatio. Iusserunt que Iudices, vt quæ definita essent, effectui mandarentur. Sicque præsens Actio, ex optato felicem finem accepit. Hæc ex Baronij annalibus summatim enarrata, æqui bonique Lector consulas: integram vero sessionem in appendice quadam generali addemus, vbi quatuor Oecumenica Concilia, quæ Romæ iam sub prælo sunt, Græcè simul & Latinè in lucem prodierint.*

Sessio VI. quæ in Codice Latino per errorem Collectoris quinta Actio nominatur.

Sessionis sextæ summa breuis.

Sexta sessio habita est 11. Kal. Nouembres. Fidei Catholicæ definitio, quam recitauit quidam Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus, exposita est; Actisq; inseri vetita, non, quod non esset Catholica; sed quod ad coarguendas & damnandas hæreses Eutychetis non sufficeret. Leonis sententia contra Dioscorũ de incarnatione Christi, secundo iudicio per acclamationẽ omnium Patrum est approbata; ideo quod Anatolius Constãtinopolitanus Episcopus memor adhuc sui Dioscori, cuius fuerat Apocrisarius, temerariè effutiuisset, Dioscorum nõ propter fidem; sed ob excommunicationem, in Romanum Pontificem temerè pronunciatã, damnatum esse. Quibus ita peractis, ad destructionem Eutychianæ hæreseos edita est definitio fidei, cuius exordium est: Dñs noster & Saluator, &c. *De qua obseruatu necessarium est, q; in Græcis exemplaribus sub vna tantum definitione rectè comprehendãtur, quæ in Latina editione per errorem Collectoris ponũtur sub titulo duarũ definitionũ, ab illis scilicet verbis:* Sufficeret quidẽ ad plenam cognitionẽ &c. *quæ sequuntur. Quæ in Græcis exemplaribus recte & conformiter ipsis actis, nullo interposito alio titulo, vno filo sermonis cũ præcedẽtib. cõtinuantur. Deleãtur igitur & expungãtur ex Latina editione inter initiũ & finẽ definitionis collata verba hæc:*

Alia definitio Chalcedonẽsis Synodi similiter sub quadruplici editione.

Comprehendens eorum, quæ in Concilijs Nicæno primo, Constantinopolitano primo, Ephesino primo decreta sunt, approbationem & duarũ creaturarum in vna Christi persona assertionem.

Hæc est illa fidei definitio, quam vna cum professione fidei hæretica, ad probandum vtra verior esset, per inuocationem S. Euphemiæ confirmatam esse diximus supra, verbo, approbatum.

Sessio VII. quæ in Latinis exemplaribus sexta Actio mendose nominatur.

Octauo Kal. Nouẽb. ipso natali gloriosissimæ Virginis & Martyris, in cuius basilica conuenichatur, habita est septima sessio, siue actio nona. Ob diei celebritatem, Marcianus Imperator, & Pulcheria Augusta, vna cũ magistratibus inter esse solitis, præsto fuerunt. Marcianũ Imperatorem latinè primum & subinde Græco sermone peroratem. Patres Concilij per ingeminatas acclamationes, immẽsis laudibus sunt prosecuti. Lecta deinde & per subscriptionem omnũ Episcoporum approbata est illa definitio fidei, quæ superiore sessione conscripta fuit. Sanctionem pœnalem tulit Imperator contra eos, qui aduersus hanc definitionem fidei disputantes, turbas aut tumultum concitauerint. Rogatu eiusdem Imperatoris tria decreta ediderunt. Primum ne monachi absque consensu Episcoporum monasteria ædificent: ab Episcopali obedientia & subiectione non eximantur: neue inuito domino seruum adscriptitium in Monasterium assumant: degentes in Monasterio Reipublicæ negotia non curent; sed orationibus tãtum & ieiunijs vacent. Secundo ad cohibenda vitia, & inconstantiã Clericorum extra suas Ecclesias, in quibus ordinati sunt, vagantium, decretum est, ne quis alienum clericum suscipiat. Tertio constitutum fuit, vt ad honorem S. Martyris Euphemiæ ciuitas Chalcedonensis citra præiudicium Nicomediæ, nomine tenus dignitatem Metropolis habeat. Quibus constitutis Patres quidem abitum & discessionem concedi petiuerunt, sed rogauit Imperator, vt adhuc tres vel quatuor dies exspectarent.

Sessio VIII. comprehendens Latinæ editionis act. tres. 7. 8. & 19.

Ad diuersarum Ecclesiarum controuersias dirimendas. 7. Kal. Noueb ad synodum conuenerunt Episcopi; eaq; sessione tres actiones sub vno die absoluerunt. Harum primã, cõtrouersia inter Antiochenum & Hierosolymitanum Episcopos, de iure Metropoleos agitata, composita est. Sedi Antiochenæ Phœnicia atque Arabia adiudicatæ sunt. Hierosolymitano vero Episcopo, in quem ius Metropolis Palæstinæ, quod ante Cæsareensis Ecclesia habebat, translatum erat, datæ sunt tres Palæstinæ. Secunda actione de Theodoreto Cyri Episcopo actum est. Hic cum à Dioscoro in conuenticulo Ephesino depositus, & tanquam si Nestorianus esset, exulare coactus fuisset apud Romanum Pontificem, aliosq; Orientis Episcopos hac de re diu multumq; conquestus, se verè catholicum esse plurimis literis significauit. Sed cũ Patres Concilij Ephesini Oecumenici, ipsum acerrimum scriptorum S. Cyrilli impugnatorem experti essent, Epistolis Theodoreti fidem nullam adhibuerunt: sed potius in hoc consessu institerunt, vt anathema Nestorio diceret. Quod cum ille non grauate secunda iam vice præstitisset, omnium gratiam sibi conciliauit, eademque omnium sententiã in pristinam sedem est restitutus: quem iam ante S. Leo post dictum anathema Nestorio in communionem ecclesiã susceperat. Cũ hoc iudicium synodi Eutychiani post aliquot lustra annorum infringere conarentur, Vigilius Pontifex sententiam episcoporũ scriptis Theodoreti conuenientem confirmauit. Tertia Actione pronũciatum fuit, Ibam Edessenum Episcopum à calumnijs aduersariorum suorum duobus Concilijs Tyri & Berythi habitis rectè absolutum: malè verò Ephesino Conciliabulo condemnatum & Episcopatu amotum fuisse. Inquisitio de Nonno Episcopo in locum Ibæ subrogato, commissa est Maximo Antiocheno Episcopo. Hæc non tantum in actis Concilij, sed etiã apud Liberatum Diaconum in breuiario c. 13. recensentur.

Sessio IX. quam Latinus codex actionem nonam appellat male: quia numerus actionum, sessionum numerum excedit, & sub vna sessione quandoque plures actiones habitæ reperiuntur.

Sessio nona habita est 6. kalend. Nouemb. in qua absoluta est causa Ibæ, de qua supra egimus. Sed &, eadem sessione, *inquit Libe-*

ratus c.13. id etiam inuenitur esse decretum, vt quod sub Dioscoro in Epheso congregatum est Concilium, nomen Concilij minimè obtineret, sed & vt peteretur ab Imperatore, vt de hoc ipse legem sanciret. *Hac eadem sessione eodemque die, nimirū 6. Kalend. Nouembris habita legitur actio de Domno Antiocheno Episcopo, qua ad petitionem Maximi Antiocheni præsulis auctoritate Pontificia in sede confirmati, concessum est, vt Domno per iustam sententiam Dioscori à Leone approbatam exauctorato, ex Antiochenæ Ecclesiæ redditibus alimenta præstentur. Hæc actio in Græco codice desideratur. Quin etiam tempore Iustiniani Imperatoris eádem actione Græca exemplaria caruisse, colligitur ex quadam Nouella constitutione eiusdem Imperatoris ad Ioannem Romanum Pontificē data: quæ extat infra sub hoc initio.* Scientes quod nihil aliud hic potest. &c. *Qua constitutione non dixisset Imperator Domnum Antiochenum à sancta synodo Chalcedonensi post mortem damnatum fuisse, si hanc actionem, qua ipsi ad instantiam Maximi, alimenta decernuntur, in codice Græco legisset. Vetus Latina editio hanc actionē non suo loco, sed sub actione septima exhibet, quæ ad sessionē nonam referri debebat.* In Latino vetere scripto Codice Vaticano, qui Proculi & Albini fuisse dicitur, *inquit Baronius*, sub nona actione reponitur & sub eadem die, nempe sub sexto Kalend. eiusdem mensis Nouebris; sed dicenda potius sessio nona, quam actio nona. Actionum enim numerus excedit numerum sessionum, quod, vt dictum est, sub vna sessione interdum plures actiones habitæ reperiantur.

Sessio X. quæ extat in Latino Codice Act. 11.

Sessionis 10. acta.

DEcima sessio habita est, 4. Kalend. Nouembres, qua tractata est controuersia inter Basianum è sede Ephesina depositum, & Stephanum in eius locum subrogatum. Sed cum illi mutuis se criminationibus lacerarent, insequentem sessionem res est dilata.

Sessio XI. Latini Codicis actio. 12. & 13. compræhendens.

Sessionis 11. compēdiosa narratio.

CVm Patres 3. Kalend. Nouembres conuenissent, in prædicta cōtrouersia sessionis decimæ definitum est, vt neuter prædictorum duorum esset Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus; sed potius alius ordinaretur: ita tamen vt vterq; in Episcopali dignitate maneret, singuliq; eorum ducenti solidi ab Ephesina Ecclesia præstarentur. Ad accusationem & depositionem Stephani facta est acclamatio S. Flauiano Martyri, vtpote quod præsto esset, & causam suam indicaret, & in vltionem Stephani, qui potentissimus Dioscori fautor & administer fuerat, pro synodo oraret. Hac controuersiâ decisâ, agitata est causa Eunomij Nicomediensis Episcopi cum Anastasio Nicæno. Licet enim rescripto Imperatorum Valentiniani & Valentis Nicæna Ecclesia dignitatem Metropolis consecuta fuerit, tamen hæc sacrosancta synodus definiuit, eam Episcopo Nicomediæ subesse debere.

Sessio XII. actionem 14. compræhendens.

Sessionis 12. summatia narratio.

PRidie Kalend. Nouembris habita est 12. sessio, in qua Antiocheni Concilij sententia de Sabiniano in Ecclesiam Parenorum (quâ fuerat à Dioscoro spoliatus) restituto, & Athanasio, qui fuerat in locum eius suffectus, amoto, est confirmata; concessa ei facultate, vt si quæ iura aduersus Sabinianum haberet, ea infra spacium octo mensiū apud Maximum Antiochenum prosequeretur. Hac causa absoluta finitum erat Concilium, solutisq; comitijs Legati sedis Apostolicæ cum Iudicibus egressi sunt, & abierunt: Orientales autem Episcopi ad instantiam Anatolij Constantinopolitani clandestinè & dolosè remanserunt, & triginta canones sanciuerunt. Quorū vno hoc constitutum fuit, vt & patriarchalis Ecclesia Constantinopolitana sit, & secundum locum inter patriarchales sedes (Alexandrinæ iure successionis apostolicæ concessum,) Constantinopolitanus Episcopus obtineat. Hac ratione se id consecuturum sperabat Anatolius, quod in Concilio Oecumenico Constantinopolitano primo à suis antecessoribus quidem tentatum fuit, sed Pontificibus Romanis obstantibus frustra.

Canon de primatu Constantinopolitano constitutus.

Sessio XIII. actio. 16. complectens.

Sessio 13. summarium recensita.

IPsis Kalendis Nouembr. (quod Græca & Latina exemplaria habent 5. Kalend. Nouemb. hanc actionem celebratam fuisse, mendosum est) die nimirum sequente post actionem decimam quintam, ad instantiam legatorum Pontificiorum, omnes Episcopi cum Iudicibus cognitoribus conuenerunt. Quibus præsentibus Legati Pontificis dixerunt: Hesterno die postquam potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia secuta est, quædam gesta facta dicūtur, quæ nos præter canones ecclesiasticos existimamus effecta, poscimus ergo vt vestra magnificentia relegi hæc præcipiat, vt omnis fraternitas inspiciat, vtrum iusta an iniusta sint ea quæ gesta sunt. *Mandato igitur Iudicis decretum præcedentis diei prælectū fuit. Quod cum legati sedis Apostolicæ Nicæno canoni sexto contrariū; Anatolius verò cū suis, Cōstantinopolitani primi quarto canō. idē conueniens esse asseruissent, Iudicibus Cōstantinopolitana Ecclesiæ fauentibus itum est in sententiam Anatolij. Legati contradixerunt, suamque interpositam hac de re protestationem ad Acta referri postularunt. His omnibus absolutis sancta synodus nouissimo loco synodicam epistolam ad Leonem Pontificem perscripsit, petens ab eo cuncta rata haberi & confirmari, quæ in Cōcilio gesta fuerunt. Quid verò ad synodum Pontifex rescripserit, quas actiones probârit, quasue improbârit, diximus supra verbo* approbatum: *& in Notis epistolæ 55. & aliarum S. Leonis supra tom. 1.*

Quo tempore hoc Concilium habitum fuerit.

Marciano & Adelphio Consulib.] *Hæc ex initio actorum Concilij narrantur his verbis*: In nomine Domini nostri Iesu Christi, consulatu pijssimi Marciani sub die octauo idus Octobris, Indictione quarta. *Idē cōsulatus Marciani in singularum fere actionum principio repetitur. In fastis emendatioribus annus Christi 451. Leonis 12. Valentiniani 27. & Marciani. 2. cum prad. Consulatu coincidunt. Consulatus igitur Valentiniani 7. & Anicii cum æra 488. errore librariorum in titulum actionis 1. irrepserunt. Istis ergo deletis substituantur ea, quæ de tempore huius Concilij habet inscriptio, in principio præambularium epistolarum collocata.*

Inscriptio Concilii emendata

Notæ in Epist. Præambulares.

De Epistolis Flauiani.

Epistola Flauiani.] *Duæ Epistolæ Flauiani, quæ hactenus inter has præambulares extiterunt, integræ supra inter epistolas Leonis sunt excusæ; cum quibusdā annotationibus quâ de re, quâue occasione scriptæ sint ibi diximus.*

Argumentum epistolæ à Petro Rauennate ad Eutychetem scriptæ.

Epistola Petri Rauennatis ad Eutychetem.] *Responsoria est epistola rescripta ad illam Eutychetis, qua ante initium Concilabuli Ephesini perditissimus hominum, conatus est omnes Occidentales Episcopos contra Flauianum concitare & impellere. Restituto eius errore monet, vt Encyclicæ illi Leonis epistolæ 10. de incarnatione verbi diuini scriptæ, tanquam oraculo Spiritus sancti, plane acquiescat. Scriptorem epistolæ Petrum Chrysologum hoc vel sequente anno, secunda die Decembris, vt prodūt tabulæ Ecclesiasticæ, ex hac vita migrasse, constat ex epist. Leonis 37. quam anno Domini 451. sub Consulatu Marciani ad eius successorem Neonem scripsit.*

Tempus & occasio epistolæ Hilari Diaconi.

Epistola Hilari Diaconi.] *Hilarus S. Romæ Ecclesiæ Diaconus, & Magni Leonis Pontificis legatus, hanc epistolam de rebus in pseudosynodo Ephesina gestis scripsit ad Pulcheriam Augustam anno Domini 449. paulo post quam fuga elapsus per inuia loca perq; multa pericula Romam venisset. Dioscorus magno conatu laborabat, vt Hilarum ad subscribendum sententiæ iniustæ, contra Flauianum prolatæ induceret; cum verbis illud efficere non posset, vi adhibita eum vel saltem retinere tentauit, ne Pontifici Romano res à se tyrannicè gestas nunciaret. Cognitis insidijs Dioscori, Hilarus ne caperetur per inuia & periculosa loca fugit, votisq; Deo per S. Ioannem Euangelistam nuncupatis, liberationem expetiuit & impetrauit. Factus post obitum S. Leonis Romanus Pontifex, memor beneficij accepti, & voti nuncupati, adiculam erexit Romæ in baptisterio Constantini, ornauitque eam musiuo opere: in cuius superliminari, beneficium ab eo acceptum voluit posteris omnibus rēddi testatum, his verbis:*

LIBERATORI SVO, BEATO IOANNI EVANGELISTAE HILARVS EPISCOPVS FAMVLVS CHRISTI.

Egregium sanè antiquitatis monumentum, quo sceleratorum hæreticorum grassatio in latrocinio Ephesino aduersus Catholicæ fidei defensores paucis notis describitur & nota redditur. Ex aduersa parte eiusdem baptisterij, alteram etiam ædiculam S. Ioanni Baptistæ erexit, quæ hactenus à pijs hominibus magno studio frequentatur: in cuius superliminari hæc leguntur:

HILARVS EPISCOPVS SANCTAE PLEBI DEI.

In ipsis autem eiusdem adiculæ vel Sacelli portis æneis, habentur ari de argentato inscupta, verba hæc:

IN HONOREM BEATI IOANNIS BAPTISTAE HILARVS EPISCOPVS DEI FAMVLVS OFFERT.

De fuga Hilari, plura vide apud S. Leonem epist. 25. ad Theodosium, & 26. ad Pulcheriam scripta. De oratorijs & sacellis, vide quæ dicturi sumus infra in Notis ad vitam eiusdem Hilari ex Anastasio Bibliothecario desumptam. Baronium an. 449. n. 99. & 100.

Tempus & occasio Sacrarum Imperat.

Sacræ literæ.] *Has literas Valentinianus Eudoxiæ coniunx, & Galla Placidia mater Valentiniani, ad Imperatorem Theodosium in Oriente degentem scripserunt eo tempore, quo S. Leo Pontifex habito Romæ Concilio Ephesinum Conciliabulum reprobauit circa initiũ Octobris anni 443. Accidit enim oportune admodum, vt prædictus Imperator Valentinianus cũ Augusta matre & vxore ad sacra Apostolorum limina pie frequentanda venerit illo tempore, quo supra nominatum Concilium habebatur. Cum audissent ea quæ Ephesi per tyrannidem gesta fuerant, exhorruerunt: & ad immane facinus destruendum singuli singulas literas ad Theodosium in Orientem miserunt.*

Explicatur locus Epistolæ.

Post venerabilem noctem dici Apostoli, &c.] *Quæ ista nox sit, meritò dubitatur. De natali die Apostoli Petri, qui vbique & semper vigesima nona Iulij celebrari consueuit, hæc intelligi nequeũt; quoniam eo tempore pseudosynodus Ephesina nondum celebrata fuit. Opinor hæc dicta fuisse de die dedicationis eiusdem basilicæ, quæ solita est celebrari decimo nono Nouẽbris, ad quam omnes Episcopi, qui synodo Romanæ interfuerunt, detenti sunt ideo, vt responsum Theodosij exspectarent: vel etiam, vt in Concilio generali in Italia fortasse cogendo facilè & cito præsentes esse possent.*

Hac epist. de conuocanda Synodo actũ est apud Pontificẽ.

Epistola Marciani.] *His literis pijssimus Imperator de Oecumenica synodo celebranda cum Pontifice tractare cœpit. Sciens enim non aliter, quam cum auctoritate Romani Pontificis Oecumenicas synodos conuocari debere, per literas eius consensum impetrauit, & paulo post hisce sacris ad omnes Episcopos transmissis, primo Nicæam; & paulo post propter barbarorum incursiones, Chalcedonem eosdem conuocauit. Vide quæ diximus supra in verbo* Concilium.

Epistola Pulcheriæ cur scripta

Intentio nostræ tranquillitatis est.] *Cum promulgatum esset ab Imperatore Marciano edictum de vniuersali Concilio Nicæa celebrando, turbas, contentiones atque tumultus in populo excitari cõrigit. Quæ cum Imperator sub pœna capitis prohibuisset, accidebat, quòd plures Monachi, Clerici & Laici diuersorum fauoribus in diuersa commoti, Nicæam se conferrent, atque adeo metum seditionis nouæ, Augustis Imperatoribus incuterent. Ad hoc periculum tumultus auferendum, S. Pulcheria Augusta has literas ad Strategium Cõsularem Bithyniæ dedit, mandans illi, vt omnes omnino isthic non vocatos ab aditu vrbis & Concilij repellat.*

NOTAE Inscriptionis & Actionis I.

Nota Cõsularis in Inscriptione 1. erronea est.

Valentiniano septies & Auieno viris.] *Hanc consularem notam & æra Hispanica Chronologiam, erroneas esse, ex principio actionis primæ euidenter constat. Emendentur igitur hoc modo:* Marciano & Adelphio Consulibus, æra 489. *Vide quæ dixi supra verbo* Marciano.

pag. 4. colu. 1. in fin. Col. 2.

Trecentis sanctissimis Episcopis.] *Vix mediam partem Episcoporum eorum, qui Concilio interfuerunt, subscripsisse, patet ex ijs quæ supra diximus verbo* Sexcentorum triginta.

Ex læua quidem parte sedentibus.] *De ratione consessus synodalis, vide, quæ diximus supra verbo* Chalcedonense, *& in notis Concilij Nicæni, verbo* Nicænum.

Sine auctoritate Roman. Pontificis non licet Oecumenicum Cõcilium conuocare.

Antepositis in medio sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs.] *Qua de causa in medio consessus sacrosancti Euangelij Codex in throno eminentiori collocatus fuerit, allegatis locis dixi.*

Quibus in Græco interpretatis.] *Quare Paschasius latinè non Græce locutus fuerit in Cõcilio Græcorum, dicemus infra, verbis:* Interpretante eum Florentio, &c.

Synodum ausus est facere sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit.] *Confirmantur his verbis ea, quæ supra frequenter dixi, soli Romano Pontifici conuenire œcumenica Concilia sua auctoritate indicere: ijsque per se vel per legatos suos interesse. Vide Notas epist. Marcelli. tom. 1. Concil.*

Datum 3. Kalend. Aprilis Zenone & Posthumiano V.C. consulib.] *Hoc rescripto Theodosij pro synodo Ephesina cogenda ad Dioscorum missum, in nota Consulari & temporis deprauatum esse, nemo non videt. Quia vltima synodi Constantinopolitanæ II. actio, in causa Eutychetis habita fuit 27. Aprilis, Asterio & Protogene Consulibus, vt constat supra ex Notis eiusdem Concilij. Et post hanc synodalem actionem ab Imperatore hoc rescriptum est promulgatum. Cum igitur Zenonem & Posthumianum superiore anno, nimirum 448. consulatum gessisse certum sit, quid commune est illis cum rebus 449. anni? Restituendum est ergo,* Tertio kalendas Maias, Asterio & Protogene Consulib. *Vide Baronium anno 449. n. 25. Epistolæ, quæ sequuntur, ad acta pseudosynodi Ephesinæ spectant: De quibus, præter ea, quæ supra diximus in Notis eiusdem Conciliabuli, nihil dicam.*

Tempore Zenonis & Posthumiani &c. Indictione 3.] *Hæc verba deprauata atque hoc modo corrigenda esse,* Post consulatum Zenonis & Posthumiani &c. Indictione secunda, *supra probauimus in Notis Conciliabuli Ephesini.*

Interpretante eum Florentio Episcopo Lydiæ,] *Iulianus Coensis Episcopus & legatus sedis Apostolicæ, Græcæ linguæ peritissimus fuit. Voluit enim S. Leo epistolam suam de Incarnatione Verbi ad Flauianum scriptam ab eo in Græcum sermonem trãsferri. Accedit quod eiusdem Pontificis rogatu ac iussu, vt patet ex epist. Leonis 56. Acta Chalcedonensis Concilij latinè transtulerit. Factum est igitur non ob inscitiam & ignorantiam Græcæ linguæ, sed potius ob maiestatem latinæ linguæ, excellentiamque Romanæ Ecclesiæ, quod legati Pontificij, etiam apud Græcos Latinè loqui consueuerint. Vide quæ hac de re notauimus in epist. Leonis 56.*

Consulibus Flauijs Zenone, &c.] *hoc loco qui est pagina 14. col. 1. incipiunt enarrari acta Concilij Constantinopolitani primi; de quibus vide, quæ dixi supra, in Notis eiusdem Concilij, tom. 1. Conc. sub Leone.*

Trisagio cur hic decantatum.

Sanctus Deus, sanctus fortis, &c.] *Magna sane Dei prouidentia factum esse videtur, vt cum Eutyches in secreto cubiculo, & penetralibus Monasterij, aduersus diuinitatem pugnaturus super incudem obdurata perfidiæ, fulmina blasphemiæ fabricaret, quibus ipsa Diuinitas si posset, labefactanda foret, vnam naturam in Christo passam atq; mortuam esse, &c. prædicaret; magna, inquã, Dei benignitas est & prouidentia, qp aduersus nouum hunc ducem Hagiomachorum nõ fulgur intorserit; sed canticum duntaxat præpararit, quo diuinitatis immortalitas vbique gentium prædicaretur, & per ipsum offensi numinis imploratio conciliaretur. Quod, quæ ratione, quoue tempore acciderit, ex antiquo Menologio Græcorum annuatim publice in Ecclesia legitur & recitatur his verbis.* Die vigesima quarta Septẽbris, Imperante Theodosio, *anno imperij illius 39. qui erat Christi 446.* terræ motus factus est magnus, & talis qualis nunquam antea factus fuisse commemoratur. Quo factum est, vt totus populus vna cum Imperatore & patriarcha exierit extra vrbem in locum, qui dicitur, Campus; propterea quod sine cessatione aliqua erat illa terrarum commotio. Cum igitur Imperator ipse Theodosius & Proclus Patriarcha, & totus populus Litanijs & supplicationibus diuinam opem implorarẽt, repentè puerulus quidam de media turba in aërem raptus est. Omnibus autem præ timore clamãtibus Kyrieeleison, descẽdit puer, & voce magna populum compellans, petit, vt trisagion in hunc modum decantaret: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nobis. Quæ cum dixisset, animam Deo reddidit, & terræ motus quieuit. *Ita Deus optimus Maximus, antequam instaret prælium, arma præparauit, antequam venenum in præcordia irreperet, medicamenta confecit, atque ante venturam famem horrea frumento repleuit. Vide quæ dicturi sumus infra in Notis Epistol. Felicis Papæ III.*

Quando & qua occasione institutum.

Finis primæ cognitionis, &c.] *Chronologia Christi & indictionis hic addita, vitiosa est: quomodo emendanda sit, ex ijs, quæ supra dicta sunt, patet.*

Emendatur lectio.

NOTAE Actionis II.

Formula fidei à quo inuenta.

Expositio fidei Concilij in Nicæa.] *Hanc formulam fidei, à quo & in quem finẽ edita fuerit tempore Nicæni Concilij, dixi supra in Notis Concilij Nicæni, verbis:* Contra hæreses Arianorum; *litera g. notatis.*

An nota temporis signata.

Consulatu Paulini & Iuliani.] *Obseruandum est, quod hæc descriptio, qua die & Consule Alexandrino, tempus exactissimè describitur, nequaquã ipsi Confessioni & formulæ Nicænæ fidei sed tantum Oecumenicæ Synodo præfixa fuerit. Nam hæreticorum tantum consuetudo erat (teste Athanasio de synodis) edere professionem fidei. Chronologia temporum & Cossi consignatam. Vide Notas Concilij Nicæni verbis ijsdem.*

Symbolum Synodi Constantinopolitanæ.] *A quo hoc Symbolum conscriptum, quomodo alias nominatum fuerit: quando apud*

Latinos hæc particula, Filioq́, addita & recepta sit, dixi in Notis Cõcilij Constantinopolit. 1. Oecumenici; verbo Credimus. *Et in Notis Conc. Tolet. 1. verbo* Regula fidei.

Romanus Papa vniuersalis Episcopus est.

NOTAE actionis III.

Vniuersali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.] *In omnibus hu libellis Leo Pontifex Romanus, vniuersalis Patriarcha nominatur; & in titulo eorundem libellorũ sancto vniuersali Concilio anteponitur. Quibus cum Patres Concilij non modo non contradixerint; verumetiam in sua epistola ad Leonem scripta, eundem Patrem suum & caput appellarint, dubium non est; quin illum vniuersæ Ecclesiæ Primatem, omniq́ Concilio maiorem & superiorẽ esse cognouerint. Verũ igitur est, quod epist. 30. ad Eulogium Alexandrinum scribit S. Gregorius, per sanctam Chalcedonensem synodum Pontifici sedis Apostolicæ hoc Vniuersitatis nomen oblatum esse. Quod autem subiungit à nullo suorum antecessorum vsurpatum fuisse, ita intelligi debet, quod nemo Roman. Pont. eo titulo ex solenni ritu semper & in omnibus inscriptionibus vsus sit. Constat enim quod non modo S. Leo epist. 54. ad Marcianum; verum etiam Sixtus 1. & Zephyrinus se vniuersales Episcoporũ Episcopos & Pontifices Maximos appellarint. Vide notas epist. 2. Sixti. verbo* Vniuersalis, *& in vitã Zephyrini, verbo* Zephyrinus. *Item Notas epist. 54. S. Leonis, & quæ dicemus infra in Notis epist. Synod. Concilij huius, post act. 16.*

Vsus sacrificij incruenti.

Neque terribile & incruentum sacrificium celebratũ est.] *Conqueritur hoc loco Ischyrion Diaconus, quod Dioscorus triticum illud, quod Imperator Lybiæ Ecclesijs, tritico ob nimiam prouinciæ aridit atem carentibus, dare solebat, ad conficiendam sacram Eucharistiam & solatium peregrinorum, ipse sustulerit, adeo, vt eam ob causam, in Lybia die non fuerit oblatum incruentum Missæ sacrificium. Ex quo cum firmissimum contra hæreticos nostri temporis argumentũ pro sacrificio missæ, eiusdemq́ ritibus colligatur, placuit hùc locum hac singulari nota depingere.*

Ead. Pag. & col. 1. Vsus oblationum pro defunctis. Inscriptio Edicti mendosa. Pag. 84

Vt neque incensum ex oblatione illius Deo offerretur.] *Vides hic veterem vsum, quo pij defunctorũ memoriam prosequebantur: quod, nisi sanctè pieq́ soleret in vniuersa Ecclesia Catholica frequentari, nequaquam coram Oecumenica Synodo Dioscoro id crimini datum fuisset.*

Edictum siue leges sanctæ Marciani.] *Huius edicti, quo sancitur, ne cui amplius liceat de fide disserere, vitiosa & dolosè corrupta est inscriptio. Primo enim non potuit Imperator vix trium annorum, fuisse vigesimæ septimæ tribunitiæ potestatis, quanõ nisi cum imperio impertiri solita fuerit. Secundo non potuit neque debuit inscribi Pontifex, cum is titulus in Gratiano defecerit. Hæc & plura alia si consharem sibi, possent tituli ex subiugatis populis defendi. Accidit enim non semel, quod hæredes Imperij ijsdem vterentur insignibus titulorum, quibus prædecessores condecorati fuerant.*

Græca & Latina Editio conferuntur.

Actio IV.] *Ante hanc actionem quartam in Græco Codice ponitur Actio synodalis de Archimandritis Eutychianis à præcedentibus & subsequentibus actionibus distincta. Verum quod ad res Archimãdritarum in Concilio gestas spectat, putarem magis latinis exemplaribus quam Græcis in his deferendum esse: quia probabile non est, Archimandritas hæreticos auditos esse, antequam lapsorum Episcoporum causa pertractaretur. Ita verius esse puto, quod post absolutionem Episcoporum, Archimandritarum causa, prout habent latina exemplaria, in iudicium deducta fuerit.*

Pag. 91. col. 1. Lectio Cõcilii emendatur.

De Clericis & monachis.] *Vide quæ diximus supra in Notis Concilij Antiocheni 1. sub Iulio ad canonem 5.*

Actio V.] *Verius actio septima: quia Græcum exemplar amplius quam latinum, habet sessionem quintam 13. Kalen. Nouemb. celebratam, duasq́ actiones continente. In quarum priore de Caroso & Dorotheo: quid gestum fuerit, supra dixi. In posteriore controuersia illa, quã deure Metropolis Photius Tyri et Eustathius Berythi Antistites mouerunt, decisa est eo ordine, quo supra dixi. Illam quintam: hanc sextam actionem nominare poteris.*

Pag. 99. Summa Editio hic emendatur

Alia definitio Chalcedonensis &c.] *Hæc omnia, alia definitio Chalcedonensis synodi, similiter sub quadruplici editione, &c. quæ tanquam titulus & argumentum alterius cuiusdam definitionis præfiguntur definitioni fidei, deleantur & expungãtur: quia vna tantum definitio fidei in Concilio edita fuit. Quamobrem in latina editione, quod factum est in Græco Codice, hæc verba: Sufficeret quidem, &c. vsque ad finem, cum præcedentibus sine vlla interpositione tituli vel alterius argumenti continuanda sunt: Doleo hæc à typographis in hac editione nostra non esse emendata.*

Actio VI.] *Hæc actio septima sessione celebrata fuit: Cum igitur ex præcedentib. constet, duas actiones habitas fuisse sessione quinta, necessario concedendum est, hanc actionem ordine octauam esse.*

NOTAE actionis VII.

Pag. 105. Emendatur actio vii.

Actio VII.] *Verius actio nona, vt ex præcedentibus constat. Celebrata est autem hæc actio 7. Kalend. Nouemb. cum duabus alijs infra sequentibus: sessione octaua, vt videre est in Græco Codice, & apud Liberatum Diaconũ. Quod igitur initio huius actionis dicitur, 4. Kalend. Nouemb. hanc actionem habitam fuisse, mendosum est.*

Ibid. Actio de Domno Antiocheno est 13. habita sessione nona. In Græco Codice non extat

Actio de Domno Antiocheno.] *Hæc actio celebrata fuit sessione nona, sexto Kalend. Nouembr. postquam causa Ibæ Edesseni Episcopi absoluta fuisset. In latina editione post actionem decimam collocari debebat. Nam quæ septimam subsequuntur vsque ad 10. actionem, omnes sessione octaua, 7. Kalend. Nouembr. habitæ fuerunt. Hæc actio in Græco exemplari desideratur, eamq́ tempore Iustiniani Imperatoris in vulgato Codice Græco nõ extitisse; supra diximus* sessione nona. *Sub nona actione reponitur, teste Baronio, in quodã vetere manuscripto codice Vaticano. Sed dicenda potius sessio, quam actio nona. Actionum enim numerus sessionum numerum excedit, quia quod supra frequenter diximus; interdum sub vna sessione plures actiones habitæ fuerunt. Potest nominari & inscribi actio xiii. Quia sept. Kalend. Nouembres, nona actione de causa Antiocheni & Hierosolymitani Episcoporum actum est. Decima, de Theodoreto Cyri Episcopo. Vndecima Ibæ Edesseni controuersia est inchoata, & duodecima tandem actione, 6. Kalend. Nouemb. absoluta.*

NOTAE Actionis VIII.

Pag. 106. Mendosa lectio corrigitur.

Actio VIII.] *Verius decima. Tres enim actiones supradictæ celebratæ sunt vno die, vnaq́ sessione, quæ in Græco Codice octaua; & apud Liberatum septima est, ideo quod Liberatus vnum illud secretarium, supra ex Græcis exemplaribus restitutum præterierit. Illud igitur, quod hic in principio dicitur,* Sub die 8. Kalend. Nouemb. *mendosum est, debetq́ pro* octauo *poni* septimo Kalend. Nouembris.

Pag. 107. col. 1.

Actionis IX.] *Hac actione capta est causa Ibæ Episcopi Edesseni, quam verius vndecimam quam nonam actionem nominaueris, ex causis supradictis.*

Pag. 107. col. 2.

Post consulatum Flauij Zenonis &c.] *Hæc verba mendosa esse, & sic corrigenda.* Sub consulatu Flauij Zenonis & Posthumiani, *nõ tantum ex actu Concilij illius, quod in causa Ibæ habitum est Tyri; verum etiam ex principio Actorum Berythensis Concilij colligitur pag. 109. quo loco sub consulatu Zenonis & Posthumiani dicitur habitum fuisse iudicium Berythi in eadem causa, ob quam mense Maio eiusdem anni Tyri aliquot Episcopi prius conuenerat. Vide Notas Concilij Tyrij sub Leone.*

Pag. 108.

Actio X.] *Verius xii. vt ex prædictis manifestè liquet. De rebus hac actione gestis, atque de Ibæ Episcopi absolutione & epistola, vide quæ diximus supra in Notis Concilij Berythensis sub Leone. Item supra, verbo* approbatum *in proœmialibus Notis huius Concilij.*

Pag. 109.

Indictione secunda.] *Mendosum est, corrige:* Indictione prima. *Nam ex principio actorum Concilij in causa Ibæ Tyri habitæ, quæ extant supra pag 107. constat quod consulatus Zenonis & Posthumiani, annus Domini 448. & Indictio prima inciderint in eundem annum: sicut etiam coincidunt in annum 451. consulatus Marciani & Adelphij, & indict. 10 quarta. Vide quæ notauimus supra in Notis Concilij Berythensis sub Leone.*

Quæ de actione secunda huius sessionis nonæ hoc loco dicenda erant, dicta sunt supra in Notis actionis 7.

Pag 116.

Actio. XI.] *Hæc actio habita est sessione decima, quæ vero rerum ordine obseruato, est actio xiv. Quid in ea gestum fuerit, supra dixi.*

Relegit regulam nonagesimam quintam.] *De sequentibus duobus canonib. vide, quæ notauimus supra in Concilio Antioch. 1. sub Iulio canone 5. 16. & 17.*

Pag. 117. col. 2.

Actio XIII.] *Verius 15. si ad ea quæ supra dicta sunt, attendas.*

Pag. 121.

Actio XIV.] *Verius 16. De rebus in hac actione gestis consule ea, quæ supra dixi sessione 12.*

Pag. 127.

Actio xv. canones Synodi complectens.] *Hæc actio Synodica non est, vtpote quæ legatis Pontificijs alijsq́ orthodoxis Episcopis absentibus, post abitum Iudicum cognitorum, ad instantiam Anatolij Constantinopolitani, hominis ambitiosi, ab Orientalibus dum taxat dolosè & clandestinè remanentibus, celebrata fuit. Canones omnes absentibus legatis constitutos fuisse, testatur Liberatus in Breuiario ca. 12. Eosdem à S. Leone improbatos fuisse, supra dixi verbo* approbatum. *Qui à Romanis Pontificibus renouati; vel in alijs approbatis*

Concilijs editi sunt, robur & auctoritatem habent. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 22.

De tutela datiua.

Præter pupillorum (si forte leges apponant) inexcusabilem curam.] *An si Episcopus datiuam tutelam alicui clerico imponat, contra statutum Africani Concilij 1. sub Stephano celebrati, agat diximus supra tom. 1. in Notis præd. Concilij Africani.*

Can. 4. Cõpetenter honorentur.] *Quis honor Episcopis, quisve Presbyteris competat, diximus in Notis Concilij Nicæni. 1.*

Can. 5. De his qui trãsmigrant. &c.] *Vide quæ diximus supra in Notis Concilij Sardicensis Can. 3.*

Can. 6. Nullum absolute ordinari.] *Neminem sine titulo ordinari debere, iam diu in Ecclesia obseruatum & constitutum fuit, vt patet ex ijs, quæ supra in Notis ad vitam Euaristi dixi &c. Nouum ergo non est, quod hic ea de re constituitur.*

Can. 9. Primatem Diœceseos.] *Id est Episcopum Romanum: nã Græca vox huius canonis ἔξαρχος non propriè primatem; sed Principem significat. Solus vero Romanus Pontifex, est princeps Christianæ diœceseos. His verbis igitur lex constituitur, vt si quis cum metropolitano aliquo controuersiam habeat, non alibi eum conuenire possit aut debeat, quam apud Principem Diœceseos, Romanum scilicet Pontificẽ.*

Aut sedem vrbis Constantinopolitanæ.] *Hæc non mãdantis, sed permittentis Concilij verba sunt, adeo vt horum auctoritate Clericis vel Episcopis propè Cõstantinopolim habitantibus concessum fuerit, suas causas coram Antistite Constantinopolitano proponere, ibiq; totius controuersiæ decisionem expectare. Ita hunc canonem Nicolaus 1. in epistola ad Michaelem Imperatorem interpretatur. Eandem expositionem, reiecta sententia Archidiaconi & Ioannis de Turrecremata, sequitur & approbat Bellar. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 22. vbi contra Nilum Thessalonicensem quondam Episcopum, doctissimè primatum Romanæ Ecclesiæ defendens ostendit, nequaquam ex hoc loco probari, quod auctoritate huius Concilij, Constantinopolitana sedes, quoad dignitatẽ Patriarchalem, sedi Romanæ adæquata fuerit. Etiamsi enim quod verum non est, concederemus, quod iuxta hũc & can. 17. omnes Clericos totius orbis iniuriam à suo Metropolitano sibi illatam, apud Constantinopolitanam sedem denunciare possit, quodq; ipsi Constantinopolitano quaslibet causas iudicare liceat, non tamen inde recte probaretur, eundem Romano Pontifici parem esse. Nam ex vi horum canonum, solum eos iudicare potest Constantinopolitanus, qui se à suo Metropolitano læsos esse arbitrantur: at Romanus Pontifex eos quoque iudicare potest, qui vel ab ipsis Patriarchis, vel ab Episcoporum Concilijs etiam maximis & frequentissimis læsi fuerunt. Quod Caciliani, Athanasij, Chrysostomi, Pauli, Flauiani, Theodoreti, aliorumq; plurium exempla declarant. Iuxta canones Sardicenses à sententia cuiusuis Metropolitani ad Romanam sedem appellare licet, atque ita penes Romanum Pontificem vltimum iudicium semper remanet. Vnde etiam si Constantinopolitanus quaslibet causas ex toto terrarum orbe iudicare posset, non tamen Apostolicæ sedis antistiti exæquaretur. Vide Bellar. præd. loco.*

An Constantinopolitana sedes Romanæ æquata fuerit.

Can. 11. Epistolæ Pacificæ quæ. Pacificis tantummodo.] *Quæ dicantur literæ pacificæ: quæ cõmendatitiæ supra in Notis ad vitam & epistolam Sixti 1. & in Notis can. 425. Concilij Elibertini; Item alibi diximus.*

Can. 15. Diaconissam non ordinandam.] *De Diaconissa eiusve officio egimus supra in Notis Concilij II. Hierosolymitani, & Laodiceni &c.*

Can. 20. Clericos.] *Quaratione vel occasione transmutatio Episcopatuum prohibita vel concessa sit, diximus supra in Notis Conciliorum Nicæni & Sardicensis.*

Can. 17. Canon de primatu Constantinopolitano reuocatur. Sanctorum Patrum decreta.] *Hic est ille canon clandestinus & surreptitius quem Anatolius cum reliquis Orientalibus ad primatum suæ Ecclesia comparandum, legatis absentibus & contradicentibus constitui atque decerni procurauit; quemq; S. Leo Pontifex plurimis epistolis damnauit & reprobauit, non tantum ideo, quod citra auctoritatem Romani Pontificis editus, illegitimè constitutus fuerit; verumetiam quod duo aliaq; plura manifesto falsa mendacia contineat. Quod in eo refertur, à Patribus Nicænis Rom. Pont. primatũ esse attributum, quasi eum ante non habuerit, falsum est. Nam vt alia Scripturæ, Patrum & Conciliorum testimonia omittam, ex ipso initio sexti canonis Nicæni manifesto constat, quod ipsa Romana Ecclesia, non à Concilijs vel Christianis Imperatorib. sed à Christo Domino Saluatore nostro primatum obtinuerit. Ita enim exorditur sextus canon Concilij Nicæni: Ecclesia Romana semper habuit primatum. Quomodo itaq; eum à Patrib. Nicæni Concilij accepisse potuit? Alterum quod falsò asserunt, ideo nimirum Rom. Ecclesiæ primatum esse cõcessum; quia Roma est sedes imperij, S. Leo epist. 52. ad Marcianum, & S. Gelasius epist. ad Episcopos Dardaniæ disertis verbis refellunt. Inter alias hanc rationem habet S. Gelasius: Mediolanum, Rauenna, Sirmium, Treueri et Nicomediæ multis temporib. sedes imperij fuerunt. Quibus cum nihil plus iuris, dignitatis, & prærogatiuæ Ecclesiæ ea de causa concessum fuerit, non immerito mendacij arguuntur, qui dicunt prædicta de causa Romanam vrbem ad fastigium Apostolici muneris euectam esse. De canone Concilij Constantinopolitani vide quæ ibi notauimus. Item quæ scripsi supra in Notis sexti canonis Nicæni. Hunc canonem cum duobus sequentibus tanquam appendicem habet Theodorus Balsamon ex Nomocanone Photij.*

Can. 10. Cur Electionem Alexandrini Episcopi differrit.

Quoniam religiosissimi Ægypti Episcopi.] *Cũ editus canon 28. de primatu Constantinopolitanæ sedis, verteretur in iudicio Ecclesiæ Alexandrinæ, Alexandrini Episcopi electionem, per summam calliditatem, post Synodum distulerunt, ne si præsens esset conatib. Anatolij resistitisset, & ne præsentes Aegyptij Episcopi reclamarent, absentes esse voluerunt, eo prætextu, quod ipsis absq; Episcopo Alexandrino Synodicis decretis subscribere non liceret. Et ne schismatici haberentur Aegyptij, per hunc canonẽ declarunt sine præiudicio schismatis ipsorũ subscriptionẽ expectandã fore, Hæc Bar. an. 452. n. 143*

Act. 11. Lectio Concilij suspenditur.

Quinto Kalendas Nouembris.] *Hæc verba mendosa sunt. Nam tam in Græco, quam in latino codice actio hæc, vt patet ex Lucentij Episcopi verbis, celebrata est ipsis Kalend. Nouembris. Ita enim ait Lucentius Sedis Apostolicæ legatus:* Hesterna die, postquã potestas vestra surrexit, & humilitas nostra vestigia vestra secuta est, quædam gesta facta dicuntur, quæ nos & præter Canones Ecclesiasticos, & disciplinam æstimamus effecta, &c. *Quod cum pridiè Kal. Nouemb. acciderit, vt videre est in principio actionis 14. patet hæc verba sic esse emendanda.* Ipsis Kalendis Nouemb. in Chalcedone, &c.

Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum, &c.] *Vide notas canonis sexti supra in Nicæno Concilio.*

Episcopatum tamen Constantinopolitanum.] *Vide Notas can. 5. supra in primo Constantinopolitano Oecumenico, sub Damaso Pontifice.*

An titulus Epistolæ corruptus.

Relatio ad B. Papam Leonem, &c.] *Cum sancta Synodus hac eadem epistola S. Leonem caput vniuersalis Ecclesiæ esse profiteatur, nominetq; eundem Patrem omnium Episcoporum, titulum Alexandrinorum Libellis inditum non increparit, neque sustulerit, nullumq; studium prætermiserit, quo ipsum primariũ Christianæ religionis antistitẽ prosequeretur, admodum verisimile est, quod nomen Oecumenici in titulo huius epistolæ præfixũ quidẽ fuerit; sed Librarij alicuius dolo hinc subductum sit: Maximè propterea, quia S. Leo lib. 7 epist. 30. ad Eulogium Alexand. scribens ait:* Vestra sanctitas nouit, quod vni per sanctam Chalcedonẽsem Synodum Pontifici sedis Apostolicæ (cui Deo disponẽte deseruio) hoc vniuersitatis nomen oblatum est: *Nusquam fortasse euidentius, quam in titulo & inscriptione huius synodalis epistolæ. Quomodo sit intelligendum illud S. Gregorij, quo dicit, nullum prædecessorum suorum hunc titulum vsurpasse, supra semel atque iterum attigimus.*

Verba libri reprehensa & explodunt.

Scripsi pridie Kalend. Aprilis feria tertia, Indictione 13.] *Hæc verba non sunt epistolæ synodicæ; sed librarij illius, qui eã exscripsit. Sicut. n. ex præcedentibus certissimè constat, hanc synodum mense Nouembri absolutã, non peruenisse ad sequentis anni 452. mensem Aprilem; ita multo certius est nihil pertinere decimamtertiam Indictionem ad Chalcedonense Concilium, quod indictione quarta celebratum esse, ipsa Acta Concilij demonstrant. Quid quod epistola refert, Marcianum Imperatorem idem exoptare, quod sacrosancta Synodus petebat, nimirũ vt primatum vrbi Cõstantinopolitanæ adiudicatum Leo Pontifex confirmet? Quod si verum est, nequaquã defendi potest, synodicam hanc indict. 13. scriptam esse; cum octaua Indictione Marcianus Imperator defunctus fuerit. Vide Baron. an. 451. nu. 146.*

Formam Epistolæ quid quibus & quæ forma.

Qualiter formata epistola fiat.] *Formata epistola est, cuius cõmunicatione vniuersa Ecclesia compaginatur & vnitur. Vnde alias cõmunicatoria & pacifica appellatur. Quoniam vero ad Catholicam communicationem alicui necessarium erat, ne vel hæresi, vel etiam schismate ab Ecclesia Catholica seiunctus esset, à Patrib. Nicæni Concilij certa & determinata formula scribendarum Formatarum has præscripta fuit, vt post quatuor hasce literas. π. υ α π. Patrẽ, Filium, Spiritũ sanctum: & Petrum Apostolum significantes, adijceretur vox ἀμήν: quarum tribus prioribus fidem sacrosanctæ Trinitatis: postrema vnionem & comunctionẽ cum Petro Petriq; successorib. Romanis Pontificib. profiteretur. Et ne qualibet hæreticus aut schismaticus impostor has literas effingere atq; ita fraudẽ cõmittere posset, existimamus, q supra etiã dixi, hunc canon. Nicæn. de forma scribendi hasce cõmunicatorias epist. nequaquam cum cæteris editũ; sed penes Episcopos Catholicos retentũ esse secretũ; eo consilio, vt qui fidem & cõmunicatio-*

nem Ca-

Cur nomē Patri formatis additum?

nem Catholicam his elementis significatam scriberet, vel deferret, censeretur esse Catholicus, sicq; vt Catholicus inter Catholicos communicationis Catholica recipi mereretur. Nomen S. Petri potius, quã Deigenetricis Mariæ, vel Ioannis Baptistæ, vel etiam Pauli vasis electionis & doctoris, post trium personarum sanctissimæ Trinitatis, mano cum priuilegio & honore Apostoli Petri exprimebatur, ideo maximè, quod euidentissimo argumento cognoscerentur esse Catholici illi, qui cum Petro Petriq; successoribus communione conuncti essent. Hac ratione Optatus Mileuitanus se Catholicum; Parmenianum vero aliosq; Donatistas schismaticos esse ostendit; enumerans enim seriem Romanorum Pontificum, qui sederunt, vt ait, in cathedra Petri ad Siricium vsque de eo scribit. Hic noster est socius, cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum in vna communionis societate communicat. De Donatistis adiungit, procul abesse, vt cum cathedra Petri Formatis communicent.

Formula describitur ab Iuone.

Ad pleniorem huius formulæ elucidationem hic describenda putamus, quæ apud Iuonem lib 6. c. 433. leguntur his verbis. Græca elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latinus Formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur, hoc à Patribus trecentis octodecim Nicææ congregatis saluberrimè inuentum est & constitutum, vt Formatæ epistolæ, hanc calculationis seu supputationis suæ habeant rationem; id est, vt assumantur ad supputationem, prima græca elementa Patris, Filij, & Spiritus sancti; id est, ϖ. υ. α. quæ elementa octogenarium, quadringentesimum & primum seruant numeros: Petri quoque Apostoli prima litera, id est, ϖ. quæ numerum octogesimum significat. Eius qui scribit epistolam, prima litera; cui scribitur, secunda: accipientis, tertia: ciuitatis quoque de qua scribitur quarta: & indictionis (quæcunque est) illius temporis numerus assumatur. Atque his ita omnibus Græcis literis, quæ vt diximus numeros exprimunt, in vnum ductis; vnam quæcunque collecta fuerit summam epistola teneat. Addat præterea separatim in epistola nonagenarium etiam & nonum numeros, qui secundum græca elementa significant ϟ. Tres igitur prædictæ literæ græcæ, id est ϖ. υ. α. & prima litera ex nomine Petri, id est, ϖ. quingentesimum, sexagesimum & vnum efficiunt numeros. ϖ. enim prima, quæ est in nomine summi Patris. 80. numerat. υ. vero quæ est prima in nomine filij, 400. numerat: α vero, quæ est prima in nomine spiritus sancti, vnum indicat. Si addas ϖ, quæ est in nomine Petri prima, id est, 80. reperies 561. ϟ vero quod in prædictæ epistolę fine scriptum est, 99. indicat. α. enim vnũ: ν, quadraginta; ϱ, octo: ϑ, quinquaginta, numerum qui nonaginta nouem efficiunt numeres. Si vero totam summam simul iungas, 660. epistola numeros tenet. hactenus Iuo. Vide Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. c. 24. Baron. an. 325. nu. 163. & seqq. Item quæ notauimus ad vitam Sixti can. 25. Concilij Elibertini, alijve pluribus in locis.

Pag. 143. Hæc facta imperatoris qua occasione scripta.

Exemplar epistolæ scriptæ ab Imperatore Marciano Alexandrinis.] *Cum Proterius communibus votis Episcoporum eorũ, qui Concilio interfuerant in locum Dioscori eo modo, quem refert Liberatus cap. 14. surrogatus fuisset, maxima seditio in populo cum multorum cæde & incendio excitata fuit, vt videre est apud Euagrium lib. 2. ca. 5. Quam seditionem, vt Marcianus princeps optimus & Christianissimus coerceret, misit ad eos Ioannem Decurionem virum maximè pium atque disertum, quem quod laicus esset (catholicos enim omnes & Episcopos auersabantur, adeo vt potius irritamẽtum fuisset ad iras, quam ad pacem conciliandam fomentum, si Episcopum aliquem misisset.) de rebus in Concilio gestis libentius & facilius audirent. Dedit eidem epistolam hanc qua eos conatus est ad mansuetudinem reuocare, reddereq; veritatis amplectendæ cupidos, atque concordiæ studiosos; insinuans illud inprimis nihil noui in Concilio Chalcedonensi esse sancitum; sed omnia secundum Nicænæ fidei regulam iuxta Alexandrinorum Episcoporum sententiam, Athanasij, Theophili atque Cyrilli esse decreta: adeo quod huic Synodo velle refragari, idem esset, quod suis ipsorum Doctoribus aduersari.*

Dioscorus religiose cultus est Alexandriæ.

Quid autem Imperator hoc rescripto effecerit, non liquet. Certũ est illud, Alexandrinorum studium in improbissimum & nequissimum Dioscorum eo vsque inualuisse, vt diuinos etiam honores cultumque religiosum, prob scelus, ei detulerint, vel ad hoc vsq; tempus, quo anno 1594. ab Ecclesia Alexandrina, vniuersaq; Aegypto solemnis missa est legatio Romam ad Clementem VIII. Romanum Pontificem, quæ apostolicæ sedis communionem, quam post damnatum Dioscorum & emissam Orthodoxæ fidei Catholicæ professionẽ expetebãt, obtinuerũt.

Qua occasione hęc Epistola scripta sit.

Epistolæ Marc. ad Archimandritas.] *Pseudomonachi Eutychiani in Palæstina grauissimis tumultibus excitatis Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum, paulo post Chalcedonense Concilium eiecerunt, & quendam Theodosium Monachum (à quo teste Damasc. de hæres. Theodosiani vocati sunt,) hominem nefarium in Episcopum asciuerunt, vt constat ex Euagrio lib. 2. c. 5. & Nicephoro lib. 15. c. 9. cuius operæ cum post multas cædes & incendia Concilij Chalcedonensis professoribus illata, Eudociam Augustam Theodosij Imperatoris relictam viduam in suas partes pertraxissent, scriptis ad Pulcheriam literis, eam in hæresim eandem pellicere tentarunt; scientes talib. artibus, & ex præsidio fœminarum Arianam aliasve hæreses toto orbe fœcundiore germine propagatas esse. Ne videantur hæretici, profitentur se Eutycheten atque Nestorium damnare & detestari. Has literas, quæ potius supplicem libellum præ se ferebant, cum accepisset Pulcheria, eas Marciano coniugi suo ostendit. Ille vero censens nõ armis; sed pijs potius admonitionibus illos ab errore ad fidem catholicam reuocandos esse, hanc epistolam mansuetudine & doctrina orthodoxa plenissimam ad eos scripsit, adiunxit alias eiusdem argumẽti Pulcheriæ, quarum exordium est:* Preces equidem, quas ad nostrã, &c. *Verum quamdiu Theodosius ille scelestissimus monachus in ea regione permansit, obdurata corda impiorum monachorum emolliri non potuerunt; sed potius cum perditissimo homine in omnia mala conspirarunt. Hisce literis Augustorum laicos Hierosolymitanos per Dei gratiam commotos, ex lapsis primum resipuisse, constat ex Epist. S. Pulcheriæ, quam ad Bassam Abbatissam monasterij, quod erat Hierosolymis, scr ipsit: Ex appendice actorum Concilij Chalcedonensis Græcè conscriptorum, translatam in sermonem Latinum, hic subiungere placuit.*

His literis Imp. Laici Hierosolymitani cõuertũ sunt.

EXEMPLVM REGIARVM LITTERARVM scriptarum ad Bassam Præfectam Asceterio in Aelia à pijssima & Christi amante Augusta Pulcheria.

SErenitatis nostræ studium, animumq; in sanctam & Orthodoxã fidem, & quomodo eam vsquequaq; amplificare & celebrare studemus, nemini dubiũ esse arbitramur: maximè verò omnium id nosse certò tuam reuerentiam confidimus. Sed quoniam his temporibus extitit Simonis *magi Samaritani* imitator, seu potiùs Antichristi præcursor Theodosius; qui quemadmodum afflecerit Aelienſium ciuitatem, Palæstinæq; sanctissimas Ecclesias turbauerit, contra diuina & humana iura mala innumerabilia perpetrans; & calumnians sanctam & venerabilem collectam Chalcedone Synodum, quod Symbolum trecentorum decem & octo Patrum commouerit & labefactauerit; & duos Filios, duosq; Christos, ac duas personas adorari oportere docuerit; nec reuerentiam tuam latet: necessarium duxit pietas nostra per sacras nostras litteras anteà missas redarguere memorati nefarij viri mendacia, nostramq; fidem nobis à maioribus traditam declarare: & quod iuxta Symbolum trecentorum decem & octo Patrum credimus; quòd quidẽ sancta Synodus Chalcedone habita nihil vel addens, vel minuens, confirmauit. Cùm verò benignitate atque humanitate Domini nostri & Saluatoris Christi, ij qui Aelienſium vrbem incolunt, cognouissent meę serenitatis & religiosissimi Domini Orbis terræ & coniugis meæ maiestatis veram & Orthodoxam fidem: ad eam accurrerunt, multisq; laudibus Dominum nostrum & Saluatorẽ Iesum Christum ac nostrã potestatem celebrarunt, veniamq; delictorum, quæ antè commiserant; orarunt.

Ælienſes resipiscentes.

At de illis quidem sacratissimus & pijssimus dominus & coniux meæ serenitatis, solita vsus humanitate, tum typum dedit quem ipsius pietatem deceat: Nostra autẽ serenitas considerans præfati sceleſti ac nefarij Theodosij calumnias, metuensq; ne quas è religiosis fœminis simpliciores circumscripserit, suisq; præstigijs ac fallacijs eas valuerit à veritate abducere; volensq; vndiq; delere memorati sceleſti hominis impietatem: idcirco has ad vos sacras litteras dirigimus, quibus fidem nobis vsque à Patribus traditam declaramus, atque volumus omnibus Deo consecratis fœminis prout manifestum esse, quòd nos fidem secundũ expositum Symbolum à trecentis decem & octo sanctis Patrib. seruamus: Detestamur vero Photini & Apollinaris & Valentini & Nestorij impietatem, ad hæc verò & nouellã improbatamq; Eutycheris sententiã.

Catholicę fidei assertio.

Et cre-

Et credimus Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christũ de Spiritu sancto & Maria Deipara natum esse: Confitentes vnum & eundem Filium Iesum Deum perfectum & hominem, perfectum eundem, Deum verè & hominem verè eundem, nulloque modo diuisum, aut separatum, aut cõuersum, Saluatorem Christum semper adoramus: in hac fide sine fluctuatione agere optantes, & anathematizantes eos qui dicunt duos Filios, aut duos Christos, aut duas personas, vel qui dixerunt, aut scripserunt, aut dicere audent. Quam quidem sanctam & Orthodoxam fidem venerabilis Synodus, quæ proximè Chalcedone habita fuit, confirmauit, nullumq; vel additamentum, vel detractionẽ fecit in expositio sancto Symbolo à trecentis decem & octo sanctis Patribus; ac solius Eutychetis peruersam opinionem condemnauit, suffragio sanctis Patribus concinente. Quamobrem reuerentia tua, cognita serenitatis nostræ vera & Orthodoxa fide, impensiùs pro nobis nostroque Imperio orare studeat.

Non enim terrore aut violentia aliquos volumus trahere ad viam veritatis.] *Quod ait Imperator se neminem inuitũ cogere ad fidem; intellige illo modo, quo ipsi hæretici in Palæstina faciebant, gladijs nimirum & tormentis iniuste infligitis. Plura enim aduersus hæreticos à Marciano data esse rescripta, patet supra ex actis Conc. Chalced. act. 3.*

Pag. eadẽ. c. 2. pr.

Opprobrium & irrisio scelestis paganis & hæreticis iustissimè constituti, quibus estis exemplũ confusionis effecti.] *Nota & obserua lector, hos pseudomonachos à paganis alijsve hæreticis derisos esse, ideo quod scelus hactenus intentatum audentes, in S. Synodum, ipsumq; S. Leonem Romanum Pontificem anathema dixissent, aliosq; ad idem agendum per tormenta impulissent. Quis non derideat nouantes nostri sæculi hæresiarchas, maiora si possent patraturos?*

Hæretici Romanũ Pontificẽ excommunicantes, à gentilibus ridentur.

Incipiunt epistolæ diuæ memoriæ.] *His omnibus epistolis sequentibus scribendis, occasionem præbuerunt, partim pseudomonachi in Aegypto sacram Synodum Chalcedonensem respuentes, eamq; de erroribus arguentes, partim plebs Alexandrina, quæ exordio imperij Leonis, anno nimirum Domini 457. in cana Domini septimanæ sanctæ Proterium Dioscoro substitutum occidit, eiq; Timotheum AElurum cædis auctorem, parricidam sacrilegum, hominemq;, qualis depingitur in epist. Alexandrinorum ad Leonem scripta pag. 146. scelestissimum surrogarunt. Leo igitur Imperator recens electus, accepta gratulatoria Leonis Pontificis epist. 73. qua ad defensionem Chalcedonensis Concilij monebatur, nihil antiquius habuit, quam fidei orthodoxæ consulere, & quibus eam viribus confirmare atque solidius stabilire valeret. Ad quod præstandum illud salubre consilium inijt, vt sanctionẽ amplissimã ederet, qua significaret, se confirmare omnia à Prædecessoribus Impp. aduersus hæreticos promulgata decreta, atque in primis quæ pro firmitate Chalcedonensis Concilij haud pridem à Marciano Augusto sancita fuissent edicta. Adiecit postea, vt ad Metropolitanos omnes Orientales literas daret; quibus reliqui pariter admonerentur Ecclesiarum minores Episcopi, vt cuius essent fidei, redditis literis facerent manifestum: ex quo alterum de duobus efficeretur; vt vel in hunc modum omnium Orthodoxorum calculo, iterum ipsorum confessione Chalcedonensis Concilium firmaretur, & perinde ac præsentes in Synodo, sua scriptione fidem Catholicam communirent; vel saltem ex hoc, qui essent hæretici, palam fierent, detectiq; tum sententia Episcoporum; tum etiam legibus Imperatorum è gradu sedeq; protinus eijcerentur. Hæc constant ex epistola Alexandrinorum, quam ad Leonem Imperatorem transmiserunt, & ex illa Encyclica Imperatoris, ad Anatolium Constantinopolitanum, his de rebus scripta.*

Pag 145. Qua occasione Epistolæ virorum illustrium pro Chalcedonensi Cõcilio scriptæ sint.

Hac occasione ipsi quoq; hæretici ad Leonem Imperatorem legatos literasq; dederunt, quibus more hæreticorum profitentur se Nicænam fidem citra vllum additamentum credere; quibus Ephesinum Conciliabulum sub Dioscoro celebratum venerantur, & Chalcedonensem Synodum reijciunt. extat pag. 150.

Finis Notarum Concil. Chalcedonens.

SYNODVS ALEXANDRINA, A Proterio Alexandrino Episcopo, in causa Eutychianorum celebrata sub Leone.

Causa habiti Concilij.

NOTAE.

Synodus Alexandrina.] *In hac Synodo congregata auctoritate Proterij illius, qui in locum Dioscori magna cum seditione Alexandrinorum, vt supra diximus, surrogatus fuit, actũ est, vt ad Catholicam communicationem illi, qui hactenus ob hæresim Eutychianam separati fuerant, Catholica fidei professione facta, ad Ecclesiam redeant. Sed cum illi penitus restitissent, Imperator eos exilio mulctauit. Mentio huius Concilij habetur in epist. Catholicorum Episcoporum et Clericorum Aegypti ad Leonem, quæ extat supra post Chalcedo. Concil. pag. 146. Vide quæ dixi in Notis Concilij Chalced. verbo* exẽplar.

CONCILIVM ANDEGAVENSE Anno Domini 451. celebratum sub Leone Pap. I.

INCIPIVNT CAPITVLA CANONVM Andegauensis Concilij.

I. De eo, cum conuenissent Episcopi Andegauis.
II. De eo, vt contra Episcopale iudicium clericis non liceat prosilire
III. De eo vt diaconi Presbyteris humiliter deferant.
IV. De violentia & crimine. (*vitandam.*
V. De familiaritate extranearum fœminarũ, quam nouerint esse
VI. De eis qui acceptæ pœnitentiæ resilierunt.
VII. De ijs qui alienis vxoribus maritatis coniugio abutuntur.
VIII. De clericis qui relicto clero ad saecularẽ militiam se contulerũt.
IX. De monachis, qui cœptam obseruationem suam relinquunt.
X. De episcopis, quibus alienis clericis gradum augere non liceat.
XI. De clericis quibus excommunicare non liceat nisi probatis criminibus.
XII. De Diaconibus vel presbyteris vt bigami non ordinentur.
XIII. De pœnitentibus qui conuersi errorem suum voluerint cõsiteri.

Cùm ad ordinandum Episcopum in ciuitate Andegauorum conuenissent, & Thalassius esset Episcopus ordinatus: omnibus pariter residentibus, Leone, Eustochio, *Charilatone, Rumorido, *Vincentio, Victorio, & Thalassio Episcopis, pari consilio atque tractatu, decisionem quam verbis decreuerant, etiã scripturæ mandare voluerũt, vt* hac die, hoc est, 4. Nonas Octob. Opilione V. C. Consule, hæ regulæ Ecclesiasticæ seruarentur, quæ à senioribus iuxta auctoritatem Scripturarum iam fuerant constitutæ. Can. I

*al. Charitatone, fortasse Charitone *Victor *al. Vincentio hac die

Primũ, vt contra Episcopale iudiciũ clericis non liceat* resilire, neq; inconsultis* sacerdotibus, sæculariũ iudicia expetere: sed nec de loco vno in alium sine Episcopi permissione transire, nec sine commendatitijs sacerdotum suorum litteris commeare. Can. II

*al. prohibere *al. sacerdotibus hæc culpa iudicia

Vt diaconi presbyteris nouerint omni humilitate deferendum esse. Can. III

Vt à violentia & crimine perputationis* abstineant. Can. IV

*al. petitionis

Familiaritatem extranearum fœminarum nouerint esse vitandam. Sed si qui sunt cælibes*, nonnisi à sororibus, aut amitis suis, aut à matribus consolentur. Quia sicut bonum non est homini solùm esse; ita familiares esse clericos fœminis nõ oportet extraneis: quia frequenter plurimorum ruinas sub hac occasione deflemus. Si quis autem post hoc interdictum à prædictis familiaritatibus se reuocare noluerit; nequaquam gradu altiori donabitur; & si iam ordinatus fuerit, non ministret. Tum si qui in tradendis vel capiendis ciuitatibus interfuisse fuerint detecti: non solũ à cõmunione habeantur alieni, sed ne conuiuiorum quidem admittantur esse participes. Can. V

*debito

Quod etiam de his qui accepta pœnitentia resilierint, debita seueritate seruabitur. Quæ forma etiam circa eas, quæ de virginitate sancti monialium crimine proprio deciderũt, statuto rigore permaneat. Can. VI

Hi quoq; qui alienis vxoribus, superstitibus ipsorum maritis, nomine coniugij abutuntur, à communione habeantur extranei. Can. VII

Clerici quoque, qui relicto clero, se ad* sæcularium militiam & ad laicos contulerint, non iniustè ab Ecclesia, quam* reliquerunt, amoueantur. Can. VIII

*al. seculares *al. relinquere, monachos *al. relinquunt

Monachi quoque, qui cœptam obseruationis viam* reliquere, & absque epistolis & absque certis negotijs vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognita districtione, si se non emendauerint, ab Abbatibus suis, vel à sacerdotibus ad communionem non recipiantur. Can. IX

Alijs quoque Episcopis aliorum clericis gradum augere non liceat. Can. X

Quicumque autem vel de laicis vel de clero ministri fuerint

Can. I. Can. II. Can. XII. Can. XIII.

rint ordinati, & obseruare noluerint, si laicus, communicare non liceat, nisi fortè reprobauerint criminosos.

Nonnisi vnius vxoris viri ijdemque virginibus copulati, diaconi, vel presbyteri ordinentur.

Pœnitentiæ sanè locus omnibus pateat, qui conuersi errorem suum voluerint confiteri; quibus, perspecta qualitate peccati, secundùm Episcopi æstimationem erit venia largienda.

..... Quod ita inter prædictos viros pari consilio & ordinatione decretum est, vt si quis ex ipsis cõtra hanc ordinationem agendum esse præsumpserit, obuius fuisse regulæ Ecclesiasticæ iudicetur: aduersus quẽ cæteris fratribus suis, quasi aduersus contemptores licebit insurgere.

NOTAE in Concilium Andegauense anno Domini 453. celebratum sub Leone.

Conciliũ.] *Hoc Concilio, disciplina Ecclesiastica licentia quadam viuendi corrupta, in meliorem statum reformata fuit. Pater Fronto Ducæus Societatis Iesu Presbyter dignissimus, & professor in Gallijs doctissimus, è temporum obscuritate vindicatum, per annales Illustrissimi Card. Baronij in lucem primus emisit. apud Baronium desiderantur capitula Canonum, quæ magno commodo vniuersa Ecclesiæ idem Pater Fronto ad nos transmisit, dum hoc ipsum Concilium prælo committeremus. Scribit se hæc exhibere ex manuscripto Codice Reuerendissimi Domini Ioannis Tilij Episcopi Meldensis. Varietatem lectionis ex eodem Codice collectam, suis locis addidimus. Rogo vt si plura huius generis Ecclesiæ profutura habeantur; in appendice quadam vniuersali ad finem quarti tomi addenda, communicentur.*

Andegauense.] *Sic dictum à ciuitate quadam Galliæ Lugdunensis, quæ hodie latinè Andegauum, Gallicè Angiers, appellatur.*

Anno Domini 453.] *Quarto Nonas Octobris sub clarissimi viri Opilionis consulatu, qui cum anno Christi 453. Leonis 14. Marciani 4. & Valentiniani Imperatoris 29. coincidit. Hæc acta Concilij testantur.*

Thalassius.] *Andegauensis Episcopus, vt ex Turonensis Concilij subscriptionibus constat.*

Leone.] *Bituricensi Episcopo.*

Eustochio. Charilatone.] *In manusc. Episcopi Meldens. Charitone, scribendum fortasse, Charitone. Hæc Fronto.*

Vincentio.] *Manuscript. Meldensis Episcopi habet,* Viuentio, *vt pater Fronto notauit.*

Victorio.] *alias Victurio Cenomanensi Antistite, qui vna cum Thalassio Andegauensi in Venetico Concilio scriptus habetur.*

Vt hac die, hoc est,] *Manusc.* vt ab hac die.

Vt cõtra Episcopale iudicium Clericis non liceat sæcularium iudicia expetere,] *Hæc pro Ecclesiastica immunitate contra Valentiniani Imperatoris sanctionem anno 452. Romæ promulgatã, & Christiano Principe indignam, qua Ecclesiasticum forum suis priuilegijs spoliauit, fori exceptionem Clericis abstulit, nullamq; extra causas fidei & religionis iurisdicendi auctoritatem illis concessit, nisi Patres ex cõsensu apud aliquem Episcoporum agere delegissent. Hæc Patrum constitutio quam æqua: contra vero Imperatoris Valentiniani sanctio quam fuerit iniqua & impia, non modo Cæs. & Marcellini Pontificum constitutiones, Mileuitani & Chalcedonensis Concilij antiquiora decreta; & Maioriani & Iustiniani nouellæ Constitutiones 79. 83. & 123. indicant; verumetiam ipsa denique ratio euidentissimè ostendit. Omnium enim iudicio absurdum est, si ouis pastorem suum iudicet, si hodie prætor ad tribunal Episcopi: cras Episcopus ad tribunal Prætoris euocari possit. Vt iudex terrenus summi Iudicis seruos, homines q; sacratos capiat aut puniat, quis non absurdissimum esse dixerit? Pyssimum igitur responsum fuit Constantini Magni, quo ad Episcopos loquens dixit:* Vos dij estis à summo Deo constituti, conueniens non est, vt homo iudicet Deos. *Quo sensu Deos appellarit, diximus supra in Notis Edicti de donatione. Accedit quod magno malo totus Romani Imperij Valentinianus Imperator expertus fuerit, quod hanc sanctionem impijssimam ferendo in iura ac priuilegia Ecclesiarum hactenus longo tempore vsurpata, insurrexerit. Nam dum Attila, flagellum Dei nominatus, à Gothis anno præcedente in Gallia victus fuisset, adeoq; Romano imperio parum nocuisse potuisset, peccato Imperatoris, iustoq; Dei Vindicis permissu, viribus auctus Aquileiam aliasq; nobilissimas vrbes Italiæ expugnauit & diruit; ipsam quoque vrbem Romam, vna cum imperio euertisset, nisi per Leonis Papæ, cuius auctoritatem & potestatem suo edicto deprefferat & humiliauerat, præsidium & auxilium munita fuisset. Nam cum Romam quoque pararet irrumpere, inquit Paulus Diaconus lib. 15. Miscell.* Leo Magnus ad eum missus Valentiniani Imperatoris accessit: eumque adeo mitem reddidit vt illi co promissa pace firmissima, vltra Danubium, non rediturus abierit. *Quæ ratione id effectum fuerit, hac de re quæsitus, suo id indicauit responso; quòd nimirum Leoni summo sacerdoti alium quendam, fortasse Petrum Apostolum, vt inquit Diaconus, sacerdotali habitu astantem viderit, sibiq; gladio minantem, si non Leonis mandato obtemperaret.*

Qua occasione hic Canõ constitutus.

Clerici à potestate sæcularium iudicum exempti.

Attila flagellũ Dei, cessit Leoni Papæ.

Resilire.] *Manusc. Meld.* prosilire.

Sacerdotibus sæcularium.] *Sacerdotibus suis sæcularia iudicia. Manuscrip. Meld. Hæc Fronto.*

Vt Diaconi Presbyteris deferendum esse.] *Hoc idem constitutum fuit ante annos plusquam centum in Concilio Arelat. 1. can. 14. his verbis.* De Diaconis vrbicis vt non aliquid per sepræsumant, sed honor Presbyteris reseruetur. *Diaconi ob bonorũ administrationem sibi commissam, maiore honore à populo obseruabantur, eaq; occasione aduersus Presbyteros ceruicem erigebant, eosque contemnebant; & cum ex antiqua lege Ecclesiæ, Presbyteris sedentibus, ipsi stare tenerentur, ex administratione bonorum elatiores facti, contra has leges & obseruationes Ecclesiæ agebant. Cum ergo ille Diaconorum fastus aliquoties depressus, hoc tempore in Gallijs vicissim repullulasset, opus fuit, vt Ecclesiastica censuræ securi, malum alias amputatum iterum succideretur. Vide quæ de fastu Romanorũ Diaconorum: de contentione inter Diaconos & Presbyteros Romæ exorta, dixi supra tom. 1. in Notis ad vitam Anastasij 1. verbo* Constituit, vt quoties Euangelia canerentur, sacerdotes non sederent; sed curuti starent. *Item quæ de Diaconis dixi in Notis Conc. Rom. II. sub Syluestro & Carth. 4. can. 34.*

Cap. 3. Diaconorum arrogãtia quæ & vnde.

Vt à crimine perputationis.] *Ita etiam mendose legit manuscriptus Meldensis. Sed Pater Fronto in notis suis marginalibus, quas mihi transmisit, legendum putat, peruasionis. Hoc enim sensu vsurpabant illud isto sæculo: vt peruadere sit alienas res inuadere, ac per vim vsurpare: Sic Cõcilio Agathensi can. 29.* Libertos legitimè à Dominis suis factos Ecclesia tueatur: quos si quis ante audientiam aut peruadere aut exspoliare præsumpserit, ab Ecclesia repellatur. *Item Turon. 1. can. 9.* Vt aut diœceses alienas transgrediendo terminos à Patribus constitutos peruadat. *Hæc Pater Fronto Ducæus.*

Cap. 4.

Familiaritatem.] *De habitatione mulierum cum sacerdotibus & Clericis, plura dixi supra in Notis can. Apost. Conc. Eliberitini, Nicæni, &c.*

Cap. 5.

Ad sæcularium militiam] *Manuscrip.* ad sæcularem militiã. *& pro:* Quam reliquerunt, amouentur. *legit ibid.* quam reliquerant, amouentur.

Cap. 8.

Non nisi vnius vxoris viri.] *Decernitur ne bigamus ordinetur, qua de re vide Notas can. apost. 17.*

Cap. 12.

VENETICVM CONCILIVM CIRCA annum Domini 453. tempore Leonis Pap. I. celebratum. Est prouinciale.

DOminis beatiss. & nobis in Christo omni charitatis honore venerandis fratribus, Victurio & Thalassio episc. Perpetuus, Paternus, Albinus, Arthemius, Nunechius & Liberalis episcopi. Cum semper à nobis cura religionis hẽri dẽat in promptu, nec aliunde dẽat esse meditatio, eo præcipuè tẽpore, quo nos aut voluntas, aut occasio congregarit, vt cõis ex multorum collatione tractatus, consentiente in Christo spiritu, multarum sententiarum authoritate firmetur, ne per singularem pro arbitrij sui qualitate definitio aut imperitiæ decipiatur errore, aut tumore præsumptionis vel iracundiæ deprauetur: & dum vnusquisq; sine fratrũ collatione suo tantum credit arbitrio, statuit quod meritò omnibus possit displicere. Itaq; quoniam nos in ecclesia Venetica causa ordinãdi episcopatus congregauit, rectum esse credidimus, de regula ecclesiastica, quæ nobis donante Dño credita est, & de districtione, cuius curam non sine culpa nostra omittemus, habira *consultatione, vt quæ in priorum patrum statutis vidimus omissa, & procedente tempore ex nimia licentia prolabente seculari libertate præsumpta, statutis saluberrimis sanciremus. Quod in notitiam beatitudinis vestræ, quia præsentia vestra nobis necessitate faciente fraudata est, credimus deferendum, vt si probabile duxeritis, id quoque & vestra authoritate firmetur, & districtione seruetur.

*collatione

Agathen. Cõc. c. 37.

Itaque censemus homicidas, & falsos testes à communione ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

Matt 5.

2 Eos quoque, qui relictis vxoribus suis, sicut in Euangelio dicitur, excepta causa fornicationis, siue adulterij probationem alias duxerint: statuimus à communione similiter arcēdos, ne per indulgentiam nostram * prætermissa peccata, alios ad licentiam erroris inuitent.

*permissa

3 Pœnitentes quoque, qui susceptam publicè pœnitentiam intermiserint, & ad prioris erroris consuetudinem reuoluti, vitæ se seculari conuersationiq; reddiderint, non solùm à communione Dominicorum sacramentorum, sed etiam à conuiuijs fidelium submouendos.

4 Eas etiam, quæ virginitatem professæ, & benedictionem fuerint per manus impositionem sub cōtestatione huius propositi consecutæ, si fuerint in adulterio deprehensæ, cū adulteris ipsarum arcendas à communione censemus.

5 Clericis aut monachis, sine commendatitijs episcopis episcopi sui, licentia non pateat ambulandi, aut euagandi, & in omni loco, ad quem sine epistolis episcopi sui (vt dictum est) venerint, à communione habeantur alieni.

6 In monachis quoque par sententiæ forma seruetur. Quos si verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coerceri.

7 Seruandum est de monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat à cōgregatione discedere, nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior ab abbatibus regula remittatur. Quo ita demum fiet, vt intra eadem monasterij septa manentes, tamen sub abbatis potestate, seperatas habere cellulas permittantur.

Agathens. Conci. c. 38.

8 Abbatibus quoque singulis, diuersas cellas aut plurima monasteria habere non liceat, nisi tantùm propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

9 Clerico, nisi ex permissu Episcopi sui, seruorum suorum secularia iudicia adire non liceat. Sed si fortasse Episcopi sui iudicium cœperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua aduersus ipsum episcopum fuerit nata contentio, aliorum episcoporum audientiam, non secularium potestatum, debebit ambire. Aliter, à communione habeatur alienus.

10 Clericos quoque ab Episcopis ordinatos, sine permissu eorum, à quibus fuerant ordinādi, promouere ad superiorem aliquem ordinem non præsumant, ne concordiam fraternam iniuria illata contaminet.

Dist. 34. Presbyteri, diaconi. Et Agat. conc. c. 39

11 Presbyteri, diaconi, atque subdiaconi vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, ne his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporis, choris & saltibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris mysterijs deputati, turpium spectaculorum atq; verborum contagio polluantur.

23. q. 1. Omnes deinceps. Et Agathensi ca. 40. Tit. 1.

12 Omnes deinceps clerici Iudæorum conuiuia euitent, nec eos ad conuiuium quisquam excipiat: quia sicut apud Christianos cibis communibus non vtuntur, indignum atque sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi, cum ea, quæ Apostolo permittente, nos sumimus, ab illis iudicentur immūda: ac sic inferiores incipiant esse clerici, quam Iudæi, si nos, quæ ab illis apponūtur, vtamur, illi à nobis oblata contemnant.

Dist. 35. Ante omnia. Et Agat. Concilii ca. 41.

13 Ante omnia à clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere iudicium, cum captus vino, à sensu probetur alienus, & procliuis ad vitium, mente labefactata, ducatur, ac plerunque possit peccatum aut crimen, dum nescit, incurrere. Sed ignorantia talis non potest non subiacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manasse constiterit. Itaq; eum quem ebrium esse constiterit, (vt ordo patitur) aut triginta dierum spatio à communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum esse supplicio.

14 Clericus, quem intra muros ciuitatis suæ manere constiterit, & matutinis hymnis sine probabili excusatione ægritudinis inuentus fuerit defuisse, septem diebus à communione habeatur extraneus: quia ministrum sacrorum, eo tempore, quo non potest * ab officio suo vlla honesta necessitas occupare, fas non est à salubri * cessare.

for. * ab cū for. * o peceſſare.

15 Rectum quoque duximus, vt vel intra prouinciam nostram sacrorum & ordo psallendi vna sit consuetudo, vt sicut vnam cum Trinitatis confessione fidem tenemus, vnam & officiorum regulam teneamus, ne, variata obseruatione, in aliquo obseruatio nostra discrepare credatur.

16 At ne fortasse id videatur omissum, quod maximè fidem catholicæ religionis infestat, quod aliquanti Clerici student augurijs, & sub nomine confictæ religionis (quas sanctorum sortes vocant) diuinationis scientiam profitentur, aut quarūcunque scripturarum inspectione futura promittunt, in hoc quocunque clericus detectus fuerit vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus. Incolume regnum & coronam vestram, Ecclesiæ suæ Deus protegat, domini fratres.

Dist. 3. 4. 5. Aliorum. Hinc decreta. ii. 8. Et gathen. conc.

Notæ in Concilium Veneticum sub Leone Papa I.

Concilium.] *Hoc Concilium licet nulla Consulum nota perspicuum sit, constat tamen circa tempora Andegauensis & Turonensis Concilij celebratum esse: Qui enim huic Concilio interfuerunt, Synodicam ad Victurium Cenomanensem & Thalassium Andegauensem Episcopos dederunt, qui & Turonensi & Andegauensi Concilio interfuerunt. Causam habiti Concilij prædicta Synodica indicat his verbis:* Itaque quoniam nos in Ecclesia Venetica causa ordinandi Episcopatus congregauit &c. *vt scilicet disciplinam Ecclesiasticam, barbarorum incursionibus in Gallia plurimum laxatam, emendent & corrigant.*

Quo tempore habitum.

Causa Concil.

Veneticū.] *Duplex est Venetia. Vna Lugdunensis Galliæ, quæ à Britonibus incolitur iuxta Oceani Gallici littora, vt auctor est Plinius lib. 4. cap. 18. Strabo libr. 4. Huius Episcopus Venetensis appellatur, Turonensi Metropolitano subiectus. Altera est vrbs Italiæ Adriatico mari apposita, multis nominibus longè clarissima, cuius incolæ Veneti appellantur. Hos originem suam duxisse à Troianis scribunt Plinius lib. 3. cap. 19. Strabo lib. 4. Baron. tom 6. annalium anno 452. nu. 63. de Venetorum origine hæc ait.* Tradunt ex inuasione Attilæ Venetæ prouinciæ occasionē manasse, vt Veneti in insulas transmigrarint atque Patauium occupauerint altum Riuum: ijdemque necessitate primum impellente, postea vero & ratione suadente, ad euitandos barbarorum incursus ibi habitare delegerint, vt paulatim crescentibus ædificijs amplissimæ Venetiarum ciuitatis condendæ ex ea infelicitate, felicissima fundamenta iacta fuerint: vt diuino planè nutu acciderit, ne Italia relinqueretur sine Republica, quæ olim florentissima, dominantium vi oppressa, iam cum imperio collabente, prorsus extincta videretur.

Veneti duplex.

Hanc Synodum, Venetijs in Gallia celebratam fuisse, non tantum Episcoporum nomina; verumetiam ipsarum Venetiarum in Italia origo ea, quam ex Baronio descripsimus, euidentissimè testatur. Quid, quod neque ipsi Veneti suam Rempublicam vltra annos mille & centum floruisse profiteantur, adeoq; Synodi alicuius ibidem habitæ locum esse non potuerit?

locum iuxta Cu

Burch.

Itaque censemus, &c.] *Hic canon cum sequentibus aliquot canonibus ad verbum recitatur infra in Concilio Agathensi can. 37. 38. & dubium non est, quin hinc desumpti fuerint. Extat apud Burch. lib. 6. c. 29. Iuonem part. 10. c. 38. & 158.*

Cap. I

Eos qui relictis.] *Quid si adulteram sontem dimiserit, licebitne innocēti marito impunè ad secundas nuptias transire? Ne quaquā; sed potius, qui post dimissam adulteram, ipsa adhuc viuente, aliam duxerit, mœchus est & adulter, non quod fornicariam dimiserit; sed quia aliam vxorem duxit. Si dicas, Christus ait Matth. 19.* Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Ergo qui ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur. Respondeo verè id inferri non posse; quia dimissa legitimè, adhuc vxor manet: nam qui dimissam duxerit, adulterium committit. Si dicas, eum dunt axat mœchari qui insontem dimissam ducit; non verò si quis ream adulterij duxerit dimissam: Respondeo id planè absurdum esse, omnibusq; rationi contrarium. Ita enim sequeretur sontem insonte melioris esse conditionis. Innocenti innocenter dimissæ non licebit nubere: adeoq; punietur vbi nullum est delictum: contra vero adulteræ, quæ merito propter fidem coniugij semel violatam consortio mariti carere debebat, ad secunda vota transire licebit. Quod quam sit absurdum, nemo non videt.*

Cap. Vinc. matrimonii non solum per adulterium. Explicatur locus Matth.

Dices secundo, ad quid ergo causa fornicationis, sicut Matt. 5. & 19. ita etiam hoc canone excipitur? Respondeo, vt ostendat nullo alio quam adulterij casu licere coniugem indissolubili vinculo sibi coniunctam, quoad thorum & cohabitationem dimittere: nam qui vxorem non fornicariam quoad thorum dimittit, facit eam mœchari.

Sed nunquid multæ sunt causæ, quibus iustius quam ob adulte-

rium

rium vxor dimittitur? Sunt vtiq; Peius enim est hæreticam aut parricidam, quam adulteram esse. Id etiam ex D. Paulo non obscure colligitur, qui 1. Corinth. cap. 7. vult, vt mulier infidelis, si cum marito fideli habitare non consentit, ejiciatur: non consentit autem, quæ nō vult cum marito salua religione habitare. Tali igitur casu eruendus est oculus, manusq; dextera est resecanda & procul abijcienda, vt Patrum interpretatur. Sed ne liberum esset vnicuiq; causas dimissionis effingere, post causam fornicationis, Ecclesia quasdam alias definiuit: quarum prima est, si vxor Sodomitica sit. c. maritus de adulterijs. Secunda est, si hæretica, c. quæsunt, de diuortijs. Tertia, si maritum ad aliquod graue peccatum trahere: vel graue damnum corporis illi inferre conata fuerit. Plures referuntur à Theologis & Summistis: sed ad has omnes aliæ reuocari possunt. Cur ergo Christus solam excepit fornicationem? Tribus, vt opinor, de causis. Prima, quod propter solam fornicationem absolutè & in perpetuum vxor dimittatur; ita etiam vt si dimissa se se emendarit, maritus eam resumere non cogatur. Non enim dimittitur ne iniuriam faciat; sed quia iniuriam intulit, ob quam toto vitæ tempore pœnam culpæ luere debeat. Ob alias causas ad tempus & quidem ordinarie tamdiu dimittitur, quamdiu causa dimissionis durant. Nam post sublatum periculum corporis aut animæ, quod ex cohabitatione alteri coniugi imminet, dimittens dimissam recipere teneretur; nisi Ecclesia in pœnam criminis semel admissi aliud statuerit. Secunda causa est, quia maritus innocens dimittere potest adulteram vxorem, etiam inuitam & manere volentē: quia non ob correctionē; sed potius in pœnam violatæ fidei coniugalis dimittitur: alijs vero vitijs corporis aut animi obnoxiam, non diutius quam durat periculum imminens, dimittere licet. Tertia & potissima causa est, quod adulterium sit causa dimittendæ vxoris propria matrimonij: reliquæ autem causæ sint communes cuiuslibet consortij relaxandi & dimittendi. Nam iure diuino dimittendus est omnis vitæ consors, cuius conuersatio corporis animæq; saluti obest. Ad dimittendam adulteram maritus innocens extra periculum scandali nulla lege obligatur. Est enim matrimonium contractus, in quo hoc maximè naturale est, iuxta regulam iuris, vt qui pacta & conditiones illius, fidemq; semel datam ac promissam violauit, iure suo cadat. Quod supra dixi, dimissionem coniugis adulteri esse quandam pœnam ad vindicandam iniuriam innocenti illatam, verissimum est. Nam ex instituto Christi Domini factum est Matt. c. 5. vt adultera, quæ in antiqua lege propter adulterium comburebatur, vel lapidibus alijs ve modis è medio tollebatur, tempore legis gratiæ non moreretur; sed abrogata lege vetere duntaxat dimitteretur. Vnde nouantium illam legem, qua de adulteris, quos Christus non occidi; sed dimitti permisit, extremum supplicium capitis aut vitæ sumendum esse docent & statuunt, non modo notoriam iniustitiam; verum etiam hæreticam doctrinam esse nemo non intelligit. Post Theologos de matrimonio scribentes vide Maldonatum in cap. 5. & 19. Matthæi.

Tribus de causis Christus ob solam fornicationē vxorem dimitti posse, ait. Prima causa

II. Causa

III. Causa

Dimissio, est pœna adulteræ.

Clericis aut Monachis.] *Additæ videntur voces* aut monachis, *quæ in Concilio Agathensi can. 38. item 20. quæst. 4. can. 3. non habentur. Et quidem ideo maximè, quod sequente canone hic, & vtroq; loco supradicto, ad monachos eadem constitutio extendatur.*

An adulterium pœna capitis sit puniendum. Can. 5.

Cap. 6.

In Monachis quoque par sententia.] *In Concilio Agathensi & in decreto Gratiani 20. qu. 3. can. 3. legitur*: In monachis quoq; præsentis sententiæ forma seruetur.

Cap. 7.

Asperior ab Abbatibus regula permittatur.] *In decreto Gratiani can. supra allegato, sicut etiam Nouella 123. n. 53. apud Iulianum*, Abbatis licentia, *legitur & requiritur; Sed hæc vox* Licentia *non tantum à duabus vetustioribus Conciliorum editionibus, & duobus Vaticanis codicibus, sed etiam à duobus Gratiani exemplaribus abest. Vide notas iussu Greg. XIII. ad can. 3. q. 3. caus. 20. editas.*

Cap. 8.

Abbatibus quoque singulis.] *In aliquot Conciliorum editionibus legitur* Abbati: *Hæc omnia intelligenda esse de monachis religiosè viuentibus prædicto loco annotatum est.*

Licentia non est.] *In impressis codicibus Gratiani legebatur*, Licentia modo non est; *quæ dictio cum neque in originali, neque in vetustis exemplaribus Gratiani, neque in Burchardo & Iuone habeatur, merito in Gratiani decreto ab eiusdem censoribus & animaduersoribus expuncta est. Nam Presbyteris ne quidem apud Græcos vnquam vxores ducere permissum fuit.*

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM LXXIII.

EPISCOPORVM ANNO DOMINI 459. celebratum sub Leone, est prouinciale.

EPISTOLA SYNODICA ET CIRCVLARIS ad abolendas simoniacas molitiones scripta, extat hæc.

Extat apud Theodo. Balsam post Nomocanonem. Item tom. 1 Biblioth. SS. Patrū. apud Baron. anno 459. nu. 3. & seqq. Quid aduersum simoniacos statutum sit.

RElig iosissimo & sanctissimo in sacris communistro N. Gennadius, & quæ in Christi amante regia ciuitate Constantinopoli coacta est sancta Synodus.

Cùm Dominus & Deus Saluator noster Iesus Christus suis discipulis Euangelij prædicationem credidisset, eosque per vniuersum terrarum orbem inter homines ad docendū misisset: apertè iussit, vt quod gratis accepissent, eis quoque gratis darent, non aurum vel argentum, aut alias omnino materiales & terrenas facultates pro eis acquirentes: Cœlestibus enim & spiritualibus donis nulla est cum terrenis & temporalibus commutandi ratio. Hoc autem præceptum non solùm illis, sed etiam nobis per illos dedit, quos in illorum gradum & locum substituere dignatus est: & oportet, sicut illi tunc, nos quoque nunc accuratè & diligenter seruare, nec in ijs quę technas sophisticas non admittunt, vti sophistica calliditate, nec aleam periculosam iacere. Gratis (inquit) accepistis, gratis date: Non possidentes æs, neque aurum, neque argentum in zonis vestris. Simplex est & aperta huius mādati ratio, quæ nihil habet varium, nihil quod non sit facile & explicatum, nihil quod sophistica expositione egeat. A me (inquit) accepistis dignitatem sacerdotij. Si mihi pro ipso parum quid vel magnum soluistis, & hoc à me venditum est; vos quoque ipsum alijs vendite: si autem gratis accepistis, vos quoque gratis date. Quid hoc est mandato apertius? Quid autem ijs qui parent, vtilius? Væ illis re vera qui Dei donum acquirere, vel illud pro pecunia dare in animum inducunt: In fel enim amaritudinis & vinculum iniquitatis ij (iuxta sancti Petri sententiam) à sua malitia comprehensi sunt.

Matt. 10. Marc. 6.

Act. 8.

Vnde & sanctorum & beatorum Patrum sanctæ & magnæ Synodi œcumenicæ Chalcedone congregatæ huic legi Dominicæ conuenit canon, qui sic à nobis apertè ijsdem verbis editus est:

Canon conc. chalced. aduersus Simoniacos.

Si quis Episcopus pecunijs ordinationem fecerit, vel non venalem gratiam ad venditionem deduxerit, & pecuuijs ordinauerit Episcopum, vel Corepiscopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in clero connumerantur, vel pecuniis prouehat Oeconomum, vel Defensorem, vel Paramonarium, vel omnino aliquem ex clero propter suum turpe lucrum: qui hoc aggressus esse conuictus fuerit, de proprio gradu veniat in periculum; & qui ordinatur, nihil ex ordinatione, vel promotione, quæ fit instar mercaturæ, iuuetur, sed sit alienus à dignitate, vel curatione, quam pecunijs assecutus est. Si quis autem his turpibus ac nefarijs lucris sequester intercessorve apparuerit: is quoque si sit clericus, à primo gradu excidat; si autem laicus, vel monachus, anathematizetur.

Eiusdem Epistolæ verba.

Pulcherrima & valde pia sunt huius canonis sanctorum Patrum præcepta, quæ omnem inuasionem satanicam, diabolicumque conatum, qui in donum spirituale intenditur, repellit & rescindit. Nullo enim modo vult ordinationis promotionem pecunijs aut fieri, aut suscipi, nec ab eo qui illam exercet, nec ab eo qui ordinationis promotionem accipit: sed nec ante tempus ordinationis, nec post dari pecunias concedit: omnium enim in hac quoque re esse sordes, munerumque corruptionem pronunciat.

Quoniam tamen ijs ita apertè prohibitis, quidam sunt in Galatarum Ecclesia deprehensi propter turpe lucrum & auaritiam hæc salutaria & humana præcepta negligere & trāsgredi: ea quoque ipsa nobis renouare visum est, cum hac sancta Synodo, quæ in hac regione, Noua Roma, nunc agit: vt sine omni penitùs inuentione, & omni prætextu, callidoque commento impiam hanc & odiosam, quæ nescio quomodo in sanctissimas Ecclesias subijt, consuetudinem omnino exscindamus; vt cum pura & absque vlla cauponatione eorum

Gallatæ simoniaci

qui or-

qui ordinatur, renunciatio ab Antistitibus facta fuerit, gratia Spiritus sancti supernè veniat. Quibus nescio an per pecuniã promotionem facientibus, & manu non purè operante, ad eũ qui promouetur accedit, secundùm vocem Euangelij, & non potiùs retrahitur gratia sancti Spiritus.

Scias ergo, ô vir religiosissime & omni ex parte sanctissime, quòd quicunque huius conuictus fuerit Episcopus, vel Corepiscopus, vel Viator, vel Presbyter, vel Diaconus, vel quiuis alius ex canone, vel ex laicis, communi Antistitum decreto, communique sententia condemnatus est, sicut de hoc quoque sanctorum Patrum præcedens canon loquitur. Oportet enim gratiam semper esse gratiam, & argentum apud eam nequaquam intercedere. Sit ergo & ab omni sacerdotali dignitate & ministerio alienus, & anathematis loco subiectus, qui & se per pecunias acquirere existimat, & qui eam pecunijs habere pollicetur, siue sit clericus, siue laicus, siue hoc facere conuincatur, siue non: quia fieri non potest, vt conueniãt quæ conuenire nequeũt, nec vt Mammonæ Deo consentiat; vel vt qui ei seruiunt, Deo seruiant. Domini est sententia, cui contradici non potest: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Matt 6.

Nos in his pro viribus consulentes, & eis credentes*, cum eo qui hæc dixit, aduersus eos qui in ijs peccant, sententiam protulimus. Tua sanctitas curam gerat, omni adhibita diligentia, vt hæc per transcripta exemplaria innotescant & sanctissimis Episcopis qui tibi subsunt, & συλλειτουργοῖς, & alijs omnibus: vt in vno spiritu & vna anima omnes simul constipati Christiani aduersus communem inimicum, Dei auxilio, possimus auaritiæ radicem, quæ ab illo in nobis insita est, cũ omnibus eorum malorum germinibus exscindere. Omnem quę tecum est in Christo fraternitatem salutamus. Fortis existens in Christo, ora pro nobis, sanctissime frater. Huic epistolæ cum ipso Gennadio subscripserunt etiam septuagintatres. *credẽtes

Ioannes Episcopus metropolis Heracleæ.
Anastasius Episcopus metropolis Ancyræ.
Eunomius Episcopus metropolis Nicomediæ.
Petrus Episcopus metropolis Nicææ.

NOTÆ.

Causa Concilij. Concilium Constantino. &c.] *Cum Leo Imperator apud Leonem Pontificem de indicenda vniuersali Synodo diu frustra egisset, rogauit tandem vt à latere suo legatos mitteret Constantinopolim, qui vna cum Gennadio eiusdem sedis antistite vigilantissimo, Ecclesias ab Eutychiana hæresi, & à labe Simoniaca expurgarent. Præsentibus igitur Domitiano atque Geminiano Episcopis, Apostolicæ sedis à latere legatis, Gennadius è proximioribus prouincijs Episcopos 73. conuocauit. Inchoato Concilio, ex more, primo omnium actum est de firmando fidei decreto in Chalcedonensi Concilio edito; quod hæretici frequentibus ictibus concutere, atque penitus deijcere conabantur.* Numerus Episcoporum. *Deinde recitatæ fuerunt ibidem omnes illæ epistolæ, quas & Episcopi Orientis, & sanctissimi Anachoretæ conscripserant. Ad tollendam Simoniacam labem, quæ Constantinopolitanam Ecclesiam deturparat, canonem illum ediderunt, qui in epistola Encyclica huius Concilij supra extante continetur. Reliqua acta omnia præter fragmentum suprapositum interierunt. Vide Baron. anno 459. n. 1. 2. 3.* Acta Concilij quæ.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA HILARI PAPAE.

Ex libro Pontificali.

Anno Domini 461. Non extat. HILARVS natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annos sex, menses tres, dies 10. Hic fecit decretalem, & per vniuersum Orientẽ sparsit, & epistolas de fide catholica, confirmans tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, & tomum sancti archiepiscopi Leonis. Et damnauit Eutychẽ & Nestorium, & omnes eorum sequaces, & omnes hæreses, confirmans damnationem & principatum sanctæ sedis catholicæ & apostolicæ. Hic fecit constitutum de ecclesia in basilica ad sanctam Mariam, consulatu Basilisci & Hermenerici. 16. Kalend. Decemb. Hic fecit oratoria tria in basilicæ Constantinianæ baptisterio, sancti Ioannis baptistæ, & S. Ioannis euangelistæ, & sanctæ Crucis, omnia ex argento & lapidibus pretiosis. Cõfessionem autem sancti Ioannis Baptistæ fecit ex argento, pensante libr. 100. & crucem auream. Et confessionem S. Ioannis Euangelistæ fecit ex argento pensante lib. 100. & crucem auream. Et in ambobus oratorijs ianuas æreas argento clusas. In oratorio verò S. Crucis fecit cõfessionem, vbi lignum posuit Dominicum, & crucem auream cum gemmis, pensantem pondo librarum 20. In confessione fecit ianuas ex argento, pensante lib. 50. Supra confessionem arcum aureum, qui pensat libr. 4. quem portant columnæ onychinæ, & eo loci stat agnus aureus, qui pensat libras duas. Coronam auream ante confessionem. Pharum cum delphinis, pensantem libras quinque. Lampades aureas 4. pensantes libras duas, Nympheum & triporticum ante oratorium sanctæ Crucis, vbi sunt columnæ miræ magnitudinis, quæ dicuntur Hecatonpenta. Lacus & conchas cithariacas duas, cum columnis porphyreticis* foraitis, aquam fundentes. Et in medio lacum porphyreticum cum concha* raita in medio, aquã fundente, circundata à dextris & à sinistris in medio cancellis æreis & columnis, cum fastigijs & epistylijs, vndique ornatis ex musiuo, & columnis Aquitanicis, & tripolitis, & porphyreticis. Ante confessionem B. Ioannis posuit coronam argenteam, pensantem libras 20. Pharum cantharum, pensantem lib. 25. Item ad sanctum Ioannem intra sanctum fontem lucernam auream cum* nixis luminum 10. pensantem libr. 5. Ceruos argenteos tres fundentes aquam, pensantes singul. lib. 30. Turrim argenteam cum delphinis, pensantem lib. 60. Columbam auream, pensantem lib. 2. In basilica Constantiniana pharos cantharos argenteos, pendentes ante altare, 10. pensantes singul. lib. 20. Scyphum aureum, pensantem libr. 6. Alium scyphum aureum, pensantem li. 5. Calices aureos 5. pensantes singul. libras* singulas. Scyphos argenteos 5. pensantes singul. lib. 10. Calices ministeriales 20. pensantes singul. lib. 2. Amas argenteas 5. pensantes singulæ lib. 10. Ad beatũ Petrum apostolum scyphum aureum, pensantem libr. 5. Alium scyphum aureum cum gemmis Prasinis & hyacinthinis, pensantem libr. 4. Calices argenteos ministeriales 10. pensantes singul. lib. 2. Amas argenteas 2. pensantes singul. libr. 8. Pharos cantharos argenteos 14. pensantes singul. lib. 5. Ad beatum Apostolum scyphum aureum, pensantem lib. 5. Scyphos argenteos 4. pensantes singul. libr. 6. Calices ministeriales 10. pensantes singul. lib. duas. Amas argenteas duas pensantes singul. lib. 10. Ad B. Laurentium martyrem scyphum aureum cum gemmis prasinis & hyacinthinis, pensantem lib. 4. Lucernam auream* nixorum 10. pensantem li. 5. Scyphum aureum purissimum, pensantem lib. 5. Lampades aureas 2. pensantes libras singulas. Pharum cantharum aureum, pensantem libr. duas. Turrim argenteam cum delphinis, pensantem lib. 25. Scyphos argenteos tres, pensantes lib. 24. Calices ministeriales 12. pensantes lib. 2. Altare argenteum, pensans li. 40. Lampades argenteas 10. pensantes li. 20. Amas argenteas duas pensantes singul. lib. 10. In basilica beati Laurentij martyris, pharos cantharos argenteos decem, pensantes libr. 10. Cantharos æreos viginti sex. Ministeria ad baptismum siue ad pœnitentem argentea, pensantia libras decem. Pharos æreos 50. In vrbe Roma constituit ministeriales, qui circuirent constitutas stationes. Scyphum aureum ansatum vel stationarium, pensantem libr. octo. Scyphos per titulos viginti quinque, pensantes lib. 10. Amas argenteas 25. pensantes libr. 10. Calices minister. 50. pensantes singul. lib. 2. Hæc omnia in basilica Constantiniana, vel ad sanctam Mariam constituta recondidit. Hic fecit monasteria ad sanctum Laurentium, & balneũ, & prætorium sancto Laurentio. Fecit autem oratorium sancti Stephani in baptisterio Lateranẽsis. Fecit autem & bibliothecas duas in eodem loco. Ad Lunam verò monasterium in vrbe construxit. Hic fecit ordinationem vnam in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros viginti quinque, diacones quinque, Episcopos per diuersa loca viginti duos. Qui etiam sepultus est ad sanctum Laurentium in crypta, iuxta corpus beati Sixti. Et cessauit Episcopatus dies decem.

* perfectis.
* cithariacas
* lychnos
* duas
* lychnorum

NOTÆ.

Hilarus.] *Post interregnum septem ferè mensium, pridiè idus Nouẽb. anni 461. qui est Leonis Imperatoris quintus Hilarus natione Sardus, olim Diaconus & in Conciliabulo Ephesino legatione functus, in locum S. Leonis surrogatus fuit. Initio Pontificatus, ea qua tribus*

Initium Pontificatus Hilari quando cœperit.

Occume-

Oecumenicis Concilijs contra Arianam, Nestorianam & Eutychianam hæresim decreta fuerunt, confirmauit, nouum paschalem Cyclũ annorum quingentorum quadraginta duorum per Victorinum Aquitanum eius facultatis tum facile principem, Gennadio & Mariano Scoto auctoribus fieri curauit. Antemium Imperatorem Occidentis, *inquit Gelas. epist. 11. ad Dardan.* cum Philotheus Macedonianus eius familiaritate suffultus, noua Cõciliabula diuersarum sectarum in vrbem inducere vellet, apud B. Petrũ Apostolum, palam ne id fieret clara voce constrinxit, in tantùm, vt non ea facienda cum interpositione iuramenti idem Imperator promitteret. *Huius temporibus Constantinopoli, cuidam pictori Christum forma Iouis pingere conanti, manus exaruit: post facinoris & delicti confessionem, Gennadius Episcopus Constantinopolitanus eum sanauit.* Cedren. *in Compen. Daniel Stylita sanctitate & miraculis celeberrimus claruit: qui precibus suis, vt referunt acta eiusdem, Leoni Imperatori ex Verina coniuge prolem masculã obtinuit, & vrbis Constantinopolitanæ incendium quatriduanũ extinxit. Qua fortuna Hilarus insidijs Dioscori Alexãdrini è latrocinio Ephesino elapsus post legationem peractam Romam venerit: quidve egerit, diximus supra in Notis epistolæ illius, quam Hilarus adhuc Diaconus ad Pulcheriam Augustam hac de re conscripsit.*

Vitio diuina in victore m.

Sedit annos sex, menses tres, dies decem.] *Quarto idus Septembris anni Christi nati 467. qui est Leonis 11. Imperij, Hilarus vita ac Pontificatu defunctus, sedit annis sex, mensibus decem, minus duobus diebus. Constabit verum esse, quod dixi, si initium & finem pontificatus consideres.*

Quamdiu sedem Põtificiam obtinuerit

Fecit constitutum.] *Id est decretum Synodale, vt dixi supra in Notis ad vitam Innocentij. Hoc autem decretum, de quo loquitur auctor Pontificalis Anastasius, latum fuit in Concilio Romano sub Hilaro celebrato anno Domini 465. qui Pontificatus Hilari quintus annus est.*

Constitutum quid.

EPISTOLA HILARI DIACONI S. ROM. Ecclesiæ & S. Leonis Papæ legati de Ephesino Conciliabulo, factionibus Dioscori, & fuga sua ad Pulcheriam scripta.

Gloriosissimæ & pijssimæ Pulcheriæ Augustæ Hilarus Diaconus.

STudium mihi fuisse, &c. Excusa est cum quibusdam annotationibus supra in præambularibus Concilij Chalcedonensis.

EPISTOLA PRIMA HILARI PAPÆ SYnodalis ad Episcopos Tarraconenses de Synodali decreto.

Flauio Basilisco & Herminerico viris clarissimis consulibus.

QVoniam religiosus. &c. Extat infra in Concilio Romano sub Hilaro.

EPISTOLA I. TARRACONENSIVM Episcoporum ad Hilarum Papam.

De ordinatione Episcopi per Siluanum Calagurritanum Episcopũ contra Patrum regulas & Nicænos canones facta apud Romanum Pontificem conqueruntur, eumq; consulunt, quid in hoc casu facere, aut qua ratione abusibus eiusmodi occurrere debeant.

Ex Cresconio & manusc. Vatic.

DOmino beatissimo & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilaro, Ascanius Episcopus & vniuersi Episcopi Tarraconensis prouinciæ.

*dictaret Hispani episcopi quantum colant Rom. Põt.

Etsi nulla extaret *necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum re vera nobis fuerat illud priuilegium sedis vestrę, quo susceptis Regni clauibus post Resurrectionem Saluatoris per totum Orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit: Cuius Vicarij principatus sicut eminet, ita metuendus est ab omnibus & amandus. Proinde nos Deum in vobis penitùs adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidẽ recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.

Cùm hæc ita se habeant: est tamen inter nos falsus frater; cuius præsumptionem sicut diutiùs tacere non licuit, ita & loqui futuri iudicij necessitas imperauit. Siluanus quidem Episcopus Calagurræ in vltima parte nostræ prouinciæ constitutus, diuinationes* sibi indebitas vsurpando, humilitatem nostram ad hoc vsque perduxit, vt cõtra eius vanissimam superstitionem sedis vestrę vnicum remedium flagitemus. Hic nãque iam ante septem aut octo amplius annos, postponens Patrum regulas, & vestra instituta despiciens, nullis petentibus populis Episcopum ordinauit: cuius præproperum factũ existimantes fraterna & pacifica posse admonitione sanari, profecit in peius. Deniq; contra vetustatem canonum, contra Synodi constituta, alterius fratris nostri presbyterum, spiritu tantùm præsumptionis accensus, in eodem loco, qui illi fuerat destinatus, cui inuito & repugnanti imposuerat manus, & qui nostro iam cœtui fuerat aggregatus, Episcopũ fecit. Hinc factum est, vt de eius miserrima temeritate ad nos Cæsaraugustanæ vrbis Episcopus frater noster vniuersa referret, cuius diligẽtia & solicitudo admodum prospexerat, si in aliquo profuisset. Siquidem cunctis in vicinia positis Episcopis, ne se schismatico adiungerent, frequentissime contradixit: sed obstinatione damnabili totum, quod erat illicitum, & quod nobis pudor est dicere, non erubuit solus ille committere.

*ordinationes. Siluani causa.

Proinde quia his præsumptionibus, quæ vnitatẽ diuidunt, quæ schisma faciunt, velociter debet occurri: quæsumus sedẽ vestram, vt quid super hac parte obseruare velitis, Apostolicis affatibus instruamur: quatenus fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi constitutis, contra rebellionis spiritum vestra auctoritate subnixi, quid oporteat de ordinatore & de ordinato fieri, intelligere, Deo adiuuante, possimus. Erit profecto vester triumphus, si Apostolatus vestri temporibus, quod sancti Petri cathedra obtinet, Catholica audiat Ecclesia, si nouella zizaniorum semina fuerint extirpata. *Et subscriptio.* Orantem pro nobis sanctum Apostolatum vestrum iugi æuo diuina conseruet æternitas.

Causas episcoporũ ad Rom. Pont. deferri.

NOTÆ.

Epistola.] *Hæc epistola lecta est in Concilio Romano anno Dom. 465. Romæ celebrato, de quo infra. Dum legeretur, Patres suas sententias acclamando & interloquendo addiderunt. Hoc igitur loco placuit eam ex Cresconio & manuscrip. Vatica. ad verbum collocare, sicut à Tarraconensibus ad sedem Apostolicam scripta & directa fuerat. In Synodo Romana cum appositis acclamationibus, interlocutionibus, & sententijs Patrum excusa habetur. Vtrobiq; itaq; ponenda fuit; vt quas illa ex Patrum sententijs interpositis additiones accepisset facilè constare posset. Et quanquam barbaricus furor Gothorũ Hispaniarum Ecclesias prope omnes deuastantium, vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ in Hispania relaxasset, Tarraconẽsem tamẽ prouinciã custodem legum & canonum permansisse, Romanum Pontificem obseruasse, omnes controuersias ad eundem velut ad supremum Iudicẽ & Pastorem Ecclesiæ detulisse, hæc epistola manifestò satis indicat.*

Hæc Epistola lecta est in Concilio Romano.

Tarraconensis Prouinciæ cõstantia in fide.

EPISTOLA II. VARRACONENSIVM EPIscoporum ad Hilarum Papam.

Ex Cresconio & Vat. manusc. codicib. Itẽ ex tom. 1. epist. Rom. Pont.

BEatissimo, *& Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilaro, Ascanius & vniuersi Episcopi Tarraconensis prouinciæ.*

Quam curam Apostolatus vester de prouinciarum suarũ sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vincentio, duce prouinciæ nostræ, referente cognouimus: cuius impulsu, votum nostrum in ausum scribendi prona deuotione surrexit. Ergo prouinciali literario sermone debita coronæ vestrę obsequia deferentes, his quæsumus, vt dignatione, qua cæteros, etiã humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime & apostolica reuerentia in Christo à nobis colende pater: illud specialiùs deprecantes, vt factum nostrum, quod tam voto penè omnis prouinciæ, quàm exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris, roborare dignemini. Episcopus Barchinonensium ciuitatis sanctus Nundinarius, sortem expleuit conditionis humanæ. Hic Episcopo venerabili fratri nostro Irenæo, quem ipse anteà in diœcesi sua nobis volentibus constituerat, derelinquens ei, quod potuit habere paupertas, suprema voluntatis arbitrio, in locum suum vt substitueretur, optauit: sed defuncti iudicium, in eius meritum non vacillat: Siquidem omnis clerus & plebs eiusdem ciuitatis & optimi & plurimi prouinciales, vt idem eius locum obseruaret, à nobis sperauerunt, dato consensu. Nos cogitantes defuncti iudiciũ,

& probantes eius vitam, & eorum nobilitatem atque multitudinem, qui petebant, simul & vtilitatem ecclesiæ memoratæ, optimum duximus, vt tanto sacerdoti, qui ad diuina migrauerat, non minoris meriti substitueretur antistes, præsertim cùm Ecclesia illius municipij, in qua ante fuerat ordinatus, semper huius ciuitatis Ecclesiæ fuisse dicœcesis cõstet. Ergo suppliciter precamur Apostolatum vestrum, vt humilitatis nostræ decretum, quod iustè à nobis videtur factum, vestra authoritate firmetis. Iamdudum sanè questi fueramus literis nostris de præsumptione Syluani Episcopi: & miramur, quòd nulla apostolatus vestri responsa susceperimus. Nũc hæc eadem suggerentes, petimus, vt quid super his rebus obseruandum sit, Apostolicis sermonibus nos dignemini informare. Et ne forsitan per negligentiam portitoris, aut per longinqui itineris difficultatem, humilitatis nostræ ad vos scripta non potuerint ex hoc negocio peruenire, etiam suggestionem nostram maluimus iterare. *Et subscriptio:* Orãtem pro nobis, sanctum Apostolatum vestrum, iugi æuo diuina conseruet æternitas nobis omnibus & Ecclesiæ suæ, domine* verè noster & Apostolice Papa.

*veneran-de

NOTÆ.

Epistola.] *Hanc epistolam, (quæ prioris iam dudum scriptæ mentionem facit, adeoq; tempore posterior est) priori illi Tarraconensium postposui hoc loco: putaui enim gratius fore ad veritatem rei gestæ faciliusq; perspiciendam, si, quæ prius acta sunt, priore loco enarrentur & collocentur. In Concilio Romano hæc primo loco recitata, primo ordine meritò collocata fuit. Acclamationes Episcoporum lectioni huius epistolæ interpositas infra designabimus in præd. Concilio Rom. Memoratu digna duo continet. Vnum q; ad Rom. sedem tantũ pertineat dispensare in ijs, quæ contra canones præsumpta sunt: alterum quod nullius Concilij prouincialis tanta est auctoritas, vt inconsulta sede apostolica id præstare potuerit.*

EPISTOLA SECVNDA HILARI PAPÆ ad Ascanium & reliquos Tarraconensis prouinciæ Episcopos.

CAPITVLA EPISTOLAE SEQVENTIS.

Vt nullus sine consensu Episcopi metropolitani, episcopus ordinetur. 1
Vt nullus episcoporum, relicta propria ecclesia, ad aliam transeat. 2
Vt Irenæus, remotus à Barchinonensi ecclesia, ad propriam reuertatur. 3
De remouendis Episcopis, qui illicitè ordinati sunt & ne in vna ecclesia duo Episcopi habeantur. 4
De damnatione Irenæi, si ad suam Ecclesiam non reuertatur. 5

Hilarus Episcopus Ascanio & vniuersis episcopis Tarraconensis prouinciæ. Postquã literas vestræ dilectionis accepimus, quibus præsumptiones Syluani episcopi Calagurensium Ecclesiæ retundi petistis, & rursum Barcinonensium quæritis nimis illicita vota firmari: honoratorum, & possessorum Turiassonensium, Casçantensium, Calaguritanorum, Virgilienssium, Tricienssium, Legionensium, & Ciuitatensium, cũ subscriptionibus diuersorum, literas nobis constat ingestas: per quas id, quod de Syluano querela vestra deprompserat, excusabant. Sed reprehensione iustissima, eorum pariter iusta allegatio non carebat; quia præter conscientiam metropolitani, fratris & coepiscopi nostri Ascanij, nonnullis ciuitatib. ordinatos claruit sacerdotes. Vnde, quoniam quicquid ab alterutra parte est indicatum, omni videmus peruersitate confusum, temporum necessitate perspecta, hac ratione decernimus ad veniam pertinere, quod gestum est, vt nihil deinceps contra præcepta B. Apostoli, nihil contra Nicænorum Canonum constitutum tentetur.

1. q. 7. cap. Quoniam quicquid.

1 Tim 3. & Heb. 10 Nicæ Cõci. 4. & 6.

Capitulum Primum.

HOc autem primùm, iuxta eorundem patrum regulas, volumus custodiri, vt nullus præter notitiam atq; consensum fratris Ascanij metropolitani, aliquatenus consecretur antistes: quia hoc & vetus ordo tenuit, hoc trecentorũ decem & octo sanctorum patrum definiuit authoritas; cui quisquis obuias tetenderit manus, eorum se cõsortio fatetur indignum, quorum præceptionibus resultarit.

2 In quorum contumeliam, à superbo spiritu etiam pars illa contemnitur, qua vetatur, ne quis, relicta ecclesia sua, ad alteram transire præsumat. Quod nimis improbè connuentib. & (vt doleatur grauiùs) vobis asserentibus, Irenæus episcopus conatur admittere, *qui nostra authoritate roborari cupitis, quos maximè de rebus illicitis magna indignatione probatis accendi. Lectis ergo in conuentu fratrum, *quos natalis mei festiuitas congregarat, literis vestris*, quæ de ordinandis episcopis secundùm statuta Canonum vel prædecessorum meorum decreta sunt, prolata sententia, gestorum, quæ pariter direximus, tenore discetis.

Sardic. Cone. c. 1. & 2. *quod quæ.

3 Vnde remoto ab ecclesia Barcinonensi, atque ad sua remisso Irenæo episcopo, sedatis per sacerdotalem modestiam voluntatibus, quæ per ignorantiam ecclesiasticarum legum desiderãt, quòd non licet, obtinere; talis protinùs de clero proprio Barcinonensibus episcopus ordinetur, qualem te præcipuè, frater Ascani, oporteat eligere, & deceat consecrare: ne si *similiter sortè factum fuerit, non siue obiurgatione tui maximè nominis* retundat nostra præceptio, quod in iniuriam Dei, à quo specialiter sacerdotalium est gratia dignitatum, didicerimus admissum. Nec episcopalis honor hæreditarium ius putetur, quod nobis sola Dei nostri benignitate Christi confertur.

7. q. 1. moto.

*aliter *recusa-cur

4 Ordinatos ergo nunc episcopos (qui, licet te ignorãte promoti sunt, cum suis authoribus meruerunt submoueri) hac ratione firmamus, si nec viduarum maritus fuerit quisquam* & in vnius virginis nuptias ac vota conuenerit, sicut & legalia constituta præcipiunt, dicendo: *Sacerdos virginem vxorem accipiat, non viduam, non repudiatam*: secundum quod etiam beatus Apostolus Paulus, magister gentium, de his qui fieri desiderant sacerdotes, propria institutione non tacuit, dicens: *Vnius vxoris virum.* Cuius sanè tenore sententiæ ita informati esse debetis, fratres charissimi, vt inter cætera, quæ cauẽda sunt, hæc studeatis præcipuè custodire, quæ cognoscitis ante vniuersa mandari. In quibus etiam* prospiciendum est, ne duo simul sint in vna ecclesia sacerdotes, nec literarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum, vel etiam ex pœnitentibus aliquis ad sacrum ministerium prorsus sinatur accedere. Nec tantum putetis petitiones valere populorum, vt cum his parere cupitis, voluntatem Dei nostri, quæ nos peccare prohibet, deseratis. Cuius indignatio ex hoc grauiùs commouetur: quia benignitas eius, dum fiunt illicita per eos, qui sunt interpretes placationis, offenditur.

*neciãcunde contingat Leuit. Exechu.

1. Tim. 3.

*perspiciendum.

5 Vt autem omnia, secundum hæc, quæ scripsimus, corrigantur, præsentes literas, Traiano subdiacono nostro veniente, direximus. Quòd si Irenæus episcopus ad ecclesiam suam, deposito improbitatis ambitu, redire neglexerit, quod ei non iudicio, sed humanitate præstabitur, remouendum se ab episcopali consortio esse cognoscat. Deus incolumes vos custodiat fratres carissimi. Data 3. Kalen. Ianuarij, *Basilico & Herminerico viris clarissimis consulibus.

*Basilio Annoli mini

NOTAE.

Quos natalis mei festiuitas congregarat.] *Per natalem diem Pontificis Hilari intellige diem ordinationis siue electionis, quo in summum Pontificem electus & assumptus fuit. Solennis enim hoc tẽpore consuetudo erat, vt plures Episcopi singulis annis Romam conuenirent, magna cum solemnitate celebraturi illum diem, quo Episcopus Romanæ Ecclesiæ ad summi Pontificatus culmen assumptus fuit. S. Leo hos sermones de sua ordinatione siue anniuersario die assumptionis suæ ad fastigium & culmen summi Pontificatus habuit. Huc faciunt ea, quæ S. Augustin. habet de die natali Aurelij Episcopi Carthaginensis sermone 32. de verbis Domini in fine, deq; anniuersario die ordinationis suæ homilia 24. & 25. Quomodo hoc idem nonnulli auctoritate Paulini epistol. 16. ad Delphinum confirment, non video. Loquitur enim de solenni illa & antiquissima consuetudine, qua solebãt fideles, nulla habita ratione calorum æstiuorum, ad natalem diẽ SS. Apostolorum Petri & Pauli concurrere. De qua egimus supra in Notis epistolæ illius præambularis Concilij Chalcedonensis, quam Galla Placidia scripsit ad Pulcheriam Augustam. Vide Baro. an. 465. n. 17.*

Natalis dies Pontificis

EPISTOLA III. HILARI PAPÆ AD Ascanium Tarraconensem Episcopum, priuatim scripta, estque eiusdem argumenti cum epistola præcedente.

Dilectissimo fratri Ascanio Hilarus Episcopus. Diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiã ob hoc ad fastigium sacerdotale prouexit,

uexit, vt mandatis ipsius inhærentes, & in quadam *sacerdotij eius specula constituti, prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Vnde directis per Traianum subdiaconum nostrum literis, admonemus, vt quæ male sunt facta, corrigantur. Et miramur admodum dilectionem tuam Barchinonensiũ petitiones non solùm nulla authoritate retudisse, verùm etiam, directis ad nos literis, *consummationem praui desiderij postulasse, adhibendo in epistolarum prooemio Concilij mentionem: tanquàm culpæ minuerentur excessus per multitudinem *imperitorum, cùm si etiam sub significatione vnusquisque sui nominis tecum pariter retulisset, & subscriptiones proprias factas singuli commodassent, dilectionem tamẽ tuam rei, de qua displicet, summa tangebat: quia pro loco & honore tibi debito, cæteri sacerdotes docendi fuerant, nõ sequendi. Vnde sicut in generalibus literis indicaui, Irenæus ad propriam reuertatur ecclesiam, & Barcinonensibus de suo clero protinùs consecretur antistes, cui tamen statuta canonũ & Apostolica præcepta concordent. Et licèt hi, qui præter notitiam atque consensum tuæ dilectionis ordinati sunt sacerdotes, cum suis debuerint authoribus submoueri, ne quid tamen in tanta necessitate decernamus austerum, eos, qui episcopi facti sunt, ita volumꝰ permanere, vt in Apostolicis præceptionibus & statutis sanctorum patrũ non reperiantur obnoxij, ac deinceps nihil, quod contra disciplinam ecclesiasticam veniat, sicut hactenus factum est, perpetretur. Tuæ solicitudinis est, frater charissime, omnia debita tibi authoritate tueri, & illicitis non modo non præbere assensum, sed etiam cuncta, quæ contra regulam facta repereris, coercere, atq; ante omnia, quæ sola vnitate decernimus, Irenæum ad ecclesiã suam redire compelle: Ad quam spontè potiùs redire debebit, si à sacerdotali consortio non metuit separari. Nec vnius ecclesiæ duo esse permittantur antistites, quod opportuniùs supradicti subdiaconi fieri delegamus instantia, quem etiam pro conseruanda ecclesiæ disciplina, commeare ad Hispanias, dispositionis nostrę fecit authoritas. Deus autem incolumem te custodiat frater charissime.

*sacerdotum.

*consensionem

*impetitorum

NOTAE.

Epistola.] *Huius pluriumq́, aliarum epistolarum Pontificiarum idem & commune esse exordium, patebit facilè, si prima Zepherini: & tertia Fabiani, cum hac tertia Hilari: Item si tertia S. Leonis, cũ secunda Pelagij conferantur.*

EPISTOLA IV. HILARI PAPÆ AD LEONtium Veranum & Victurium Episcopos.

Monet vt ea, quæ obreptitiè in præiudicium Ingenui Ebredunèsis Metropolitani Auxamius Episcopus impetrauerat, irrita nullaque esse declarent; S. Leonis Papæ decretis insistant, & priuilegia Ecclesiarum fideliter defendant & conseruent.

*Monemur

DIlectißimis fratribus, Verano, Leontio & Victurio episcopis. Hilarus Papa. *Mouemur ratione iustitiæ, quæ licèt ab omnibus, qui recta sapiunt, debeat custodiri, tamen præcipuè Domini sacerdotibus non est temerè negligenda, quorũ cæteros informari conuenit institutis. Frater igitur & coepiscopus noster Ingenuus Ebredunensis, Alpium maritimarũ prouinciæ Metropolitanus, semper honore subnixus, in præiudicium suum, sicut adnexa declarauit querimonia, quædam nos, petente fratre & coepiscopo nostro Auxamio, statuisse commemorat, quæ vniuersis in hac eadem causa defensionib. contrairent. Siquidem relationibus in nostro iudicio recensitis, quas frater & coepiscopus noster Veranus ad sanctæ memoriæ decessorem meum cum cæteris prouinciæ sacerdotibus misit, & Apostolicæ sedis, quæ tunc directa fuerat, patefacta responsione manifestatum est, nihil postèà debuisse tentari, nec ad iniuriam synodalium regularum, quicquam per obreptionem, quæ proximè facta est, debere constitui. Nam licet ex hoc etiam, quod à nobis est illicitum, censeatur infirmũ, quia ex ipso insinuatum est exequi noluisse, qui meruit, tamen ne odio vel gratia moueamur, quæ in causarum disceptationibus esse non debet, ita vestræ charitati cognitionem adn exæ querimoniæ delegamus, vt nihil aduersum venerandos canones, nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei iudicium valeat, quicquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque, fratres charissimi, ecclesiarum priuilegia, quæ sera per sunt seruanda, confundi: nec in alterius prouincia sacerdotis, alterum ius habere permittimus: quia per hoc non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quã in iniuriam ipsius Domini profilitur, cùm expectatio fructus nostri ministerij, non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponitur animarum. Habeat itaque pontificium frater & coepiscopus noster Ingenuus prouinciæ suæ, de cuius dudum ab Apostolica sede est illicita cessione culparus: & custoditis omnibus, quæ super ecclesijs Cemeliẽsis ciuitatis, vel castelli *Nicæensis, sicut diximus, sanctæ memoriæ decessoris mei definiuit authoritas, nihil ecclesiarum iuri noceat, quod in alterum memoratorum, à prædicto fratre, ad excludendã cupiditatem quendam modum prohibuit ambitionis alienæ, proximè est episcopus consecratus: sed statutæ correctionis forma permaneat, vt ad vnius antistitis regimen prędicta loca reuertantur, quæ in duos diuidi non decuit sacerdotes. Dominus vos incolumes custodiat, fratres dilectissimi.

*Niciẽs.

NOTAE.

Epistola.] *Epistola hæc scripta fuit ea occasione: Auxamius Episcopus per obreptitionem impetrauerat, vt Ebredunẽsis prouincia suo Episcopatui, quoad iurisdictionem Ecclesiasticam subijceretur. Quod cum in præiudicium Ingenui Ebredunensis Episcopi, Alpiũ maritimarum Metropolitani auctoritate apostolica concessum esset, ad instantiam & querelam eiusdem Ingenui, Leontio, Verano & Victurio causa inquisitionem & instauratione iurium Ebredunensis Metropolitani delegauit. Aduersus illos, qui insana cupiditate laborant, vt sua diœcesis fines dilatent, auream & notatu dignißimam sententiã addidit hanc:* Exspectatio fructus nostri ministerij; non in latitudine regionum; sed in acquisitione ponitur animarum. *Baron. an. 465. nu. 27.*

Qua occasione scripta.

Aurea sententia Hilari Papæ.

Leontium.] *Etiamsi hic nulla mentio fiat, cuius Ecclesiæ Leontius Episcopus fuerit, dubium tamen nullum est Foroiulienſem Episcopũ fuisse, quem Hilarus Arelatensis in funebri oratione de sancto Honorato Episcopo prædecessore summis laudibus extulit: & ad quem Sidonij Apollinaris literæ scriptæ reperiuntur. Ille demum, cuius S. Leo meminit in epist. 89. ad Episcopos Galliæ Viennensis. Baro præd. loco.*

Leontius quis.

Qui cquam per obreptionem, quæ proximè facta est.] *Hoc exemplo constat, aures summorum Pontificum falsis ac sinistris accusationibus & relationibus persæpe opplerí, adeo vt bonos atque innocentes quandoque ex malis informationibus cõdemnent ac opprimant. Nemo ergo miretur, quod S. Leo Hilarium Arelatensem: Hilarus Pontifex Mamertum Viennensem, Episcopos sanctitate celeberrimos acerbè exagitarint: cum & in his, quæ contentiosi fori sunt, facillimum sit sub specie recti, vnumquemq́ decipere.*

Pontifex ex male narratis male potest iudicare in causis facti.

Nolumus Ecclesiarum priuilegia confundi.] *De priuilegijs Ecclesiarum antiquitus concessis nihil innouandum esse, non tantum decretis Pontificum; verum etiam publica sanctione Marciani Imperatoris constitutum fuit.* Priuilegia *inquit l. 12. C. de sacrosanct. eccles.* quæ generalibus Constitutionibus vniuersis Ecclesijs orthodoxæ religionis retro principes præstiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus custodiri. Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contra canones Ecclesiasticos interuentu gratiæ vel ambitionis elicitæ sunt, suo robore & firmitate vacuatas esse præcipimus. *&c. Quid de priuilegijs inuiolabiliter custodiendis senserit S. Leo, ex eiusdem epist. 53. 54. 55. 89. & 109. cognoscere licet.*

EPISTOLA V. HILARI PAPÆ AD LEONtium Episcopum. petit sui electionem in Gallia manifestari: & pro salute sua totiusque Ecclesiæ orari.

Exantiquo Codice Arelat. Baron. an. 614 n. 3.

DIlectißimo fratri Leontio, Hilarus Papa. Quantum reuerentia in Spiritu Dei, qui subditos tibi inhabitat sacerdotes B. Petro Apostolo & sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est: quos cum volumus de nostræ ordinationis primordijs gratulari, opera quæ in nos diuinæ pietatis dignatio ostendit, sanctitati tuæ duximus indicanda: vt ipse primũ pro eo quem in nobis inuicem semper impendimus, præstante Domino, læteris affectu: deinde vt dispositione tuæ fraternitatis omnibus per vniuersam prouinciam fratribus & consacerdotibus innotescat, quod humilitatem meam dextera Domini visitare dignata sit, & in Apostolicæ sedis regimen non merito, sed pro suæ gratiæ abundantissima largitate commiserit. Proinde frater charissime, quòd sanctitati tuæ præsenti sermone patefecimus, in omnium nostrũ (quemadmo-

dum diximus) notitiam deferre dignaberis: vt supplicaturi Domino nostro Iesu Christo Iesu Christo, sicut exultationis gaudia, ita profutura vniuersali Ecclesiæ orationum suarum nobis vota coniungant. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Data III. Kalend. Febr. domino Seuero* Aug. Cons.

*In Fastis præponitur Leo Aug. & additur Seuerus item Aug.

NOTAE.

Epistola circularis

Epistola.] *Hæc epistola circularis est & Encyclica ex more & consuetudine de noui Pontificis creatione ad omnes Ecclesias transmissa. Hæc eiusdem argumenti, eorundemq; verborum ad Leontiũ scripta, extat in vetere Codice Arelatensis Ecclesiæ, vnde cum sequentibus omnibus acceptæ, ab illustrissimo Cardinale Baronio primum in lucem emissæ inueniuntur.*

EPISTOLA VI. HILARI PAPÆ AD Leontium Episcopum.

Ex Cod. Arela. Baron. anno 462. n. 4.

Cum præcedentem epistolam Leontio nondum traditam accepisset, hanc eiusdem argumenti ad eundem transmisit, qua suum erga Gallicanas Ecclesias amorem & affectum declarat. &c.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus. Dilectioni meæ, quæ circa Ecclesias Gallicanas, omnesque in eis Domini sacerdotes etiam in inferiori gradu positos abundat, multum accedit augmenti, quòd per verum & spectabilem populum filium nostrum sermonis tui ad me sunt delata principia. Ex quo tamen conijcio, paginam meam, quam dudum de Episcopatus mei primordijs misi, necdum traditam tibi fuisse cũ scriberes, de qua vtique non siluisses, nisi prolatorem aliqua causa tardasset. Vnde quod & consuetudo poscebat & charitas, iampridem me executum significo: & hoc ipsis litterarum exemplaribus, quæ direxi, plenius nosse vos cupio, vt officio fraterno in nullo intelligatis fuisse me desidem: & ita vicissim frequentandis studeamus alloquijs, vt vicem nobis communis præsentiæ scribendi cura compenset, frater charissime. Acceptis itaque communis* tui gratiam perijsse non passus es, & quod eis solicitudine intentum te esse cognosco, vt custodiẽdis paternorum canonum regulis studere me cupias: quo desiderio nihil concipi salubrius potest, quàm vt in vna Ecclesia, cui oportet nec maculæ aliquid ineſſe, nec rugæ, vna sit in omnibus obseruantia disciplinæ. Cui si aliquid eruditionis aut correptionis addendum est, rectissimè per vestram diligentiam consuletur, si quemadmodum es dignatus scribere, tam instructa ad nos fuerit persona directa, quæ inquisitionem nostram plenè ex omnibus possit instruere. Expondeo enim, quantum gratia Dei donat, vt expondeam hoc me ad vniuersalem sacerdotum Domini concordiam prouisurum, vt omnes non sua audeant quærere, sed quæ sunt Christi studeant obtinere. Deus te incolumem custodiat, frater charissime.

EPISTOLA VII. HILARI PAPAE AD eundem Leontium Episcopum.

Ex Cod. Arelat Baron. an. 462. nu. 5.

Reprehenditur Leontius, quod intrusionem Hermetis cuiusdam non impediuerit, vel ad sedem Apostolicam non detulerit.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus Papa. Miramur fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem esse, vt quæque iniqua & contra Patrum nostrorum statuta in prouincia quæ ad monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis, aut non potes, etiam nec nos silentij tui taciturnitate permittas corrigere. Siquidem quod & rumore cognouimus, & quãtum diligenter à diacono Ioanne, qui à magnifico viro filio nostro Frederico litteris suis insinuatus est, requisiuimus, quod iniquissima vsurpatione quidam Hermes Episcopatum ciuitatis Narbonensis execrabili auctoritate præsumpserit. Quam rem decuerat sanctitatem tuam vt nobis in vestigio indicaret. Qua de re, frater charissime, monemus, vt fides adhibeatur assertis, sepositа excusatione, ad nos tam dilectionis tuæ, quàm fratrum nostrũm, aut per portitorem litterarum, aut per quem ipsi elegeritis, subscriptam manuum vestrarum relationem transmittatis; vt quid definire possimus, recurrenti pagina possitis agnoscere. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. III. Nonas Nouembr.

EPISTOLA VIII. HILARI PAPAE ad diuersos Metropolitanos Galliæ.

Ex quo Cod. Arelat. Baron. an. 462. n. 6.

De quorundam temeraria præsumptione & audacia conqueritur. De Hermete eadem, quæ supra scripsit, repetit. Præiudicium Narbonensi Ecclesiæ illatum exponit. Concilium singulis annis bis celebrari, & in grauioribus causis Apostolicam sedem consuli, admonet.

Dilectissimis fratribus Episcopis prouinciæ Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis Prima & Secunda, & Alpium Apenninarum, Hilarus Episcopus S.

Quamquam notitiam dilectionis vestræ, quanta vel qualia in Narbonensi ac Biterrensi Ecclesia dudum sint admissa non lateant, & præsumptionis improbitas ad nos vsque perueniens proculdubio regionibus manifesta sit Gallicanis: Apostolicæ tamen solicitudinis interest culpas in nostro deprehensas examine non tacere; ne per incongruum silentium cum iniquè agentibus habere videamur conniuentiæ portionem. Olim igitur vrbium Præsides prædictarum sanctæ memoriæ decessori meo non minùs quàm nobis etiam tunc attulerunt dolores illicitis petitionibus audendo prosequi, quod vix apud patientiam nostram sola necessitatum potuit deploratione liniri. Quibus enim (sicut etiam vos probatis factis) constat exemplis, & qua non obiurgatione dignissimum est, quod sanctorum Patrum decretis & ipsis repugnat canonum institutis? Cùm ideo se frater iam & Coepiscopus noster Hermes à Narbonensi Ecclesia credidit iure suscipi, quia indignè à Biterrensibus, quibus ordinatus est, dicebat excludi. Quòd si verè hoc in se factum doleret, & legitimo remedio subuenire propriæ sciisset iniuriæ, vindictam magis debuit sperare perpessis, quàm veniam perpetratis. Denique si nunc saltem communi omnium Domini sacerdotum vtatur animo, si imitetur exemplum, si ad hæc quæ Ecclesiasticæ quietis contemplatione vtcumque sopita sunt, oculis cordis intendat, & pro totius Ecclesiæ pace vel fide quæ sunt multipliciter rata consideret: nihil est profecto; quod non etiam ipse reprehendat, & erubescat sibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit.

Scimus enim, & iamdiu de memorati fratris conuersatione nihil habemus ambiguum, cum anteactæ vitæ ipsius cursum & retrò antè positum nostro reuoluentes animo, hos illum quos in eo arguimus incurrisse potiùs, quàm fugisse extimemus excessus. De quibus præsidente fratrum numeroso Concilio ex diuersis prouincijs ad diem natalis nostri in honorem B. Petri Apostoli per Dei gratiam cõgregato, præsidentibus fratribus & Coepiscopis nostris Fausto & Auxanio, atque agentibus plurimis quæ vigorem respiciunt auctoritatemq; iudicij, id à nobis pacis amore est constitutum, vt in sententia, quam sub aduersione vtriusque legationis inde directæ, Christo Domino nostro inspirante, protulimus, neque charitas Euangelicæ indulgentiæ, neque Apostolicæ virga desuerit disciplinæ: namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coercere. Ei qui nunc Ecclesiæ Narbonensi præsidere permittitur, ordinandorum Episcoporum ob hæc quæ prauè facta sunt, sustulimus potestatem: quam ita ad fratrem & Coepiscopum nostrum Constantium Vceticæ Ecclesiæ Antistitem, quia æuo honoris Primas esse dicitur, pertinere censuimus, vt si superstite Herme Episcopo defunctus fuerit, illum hæc cura respiciat, quem repererit Episcopalis ordo Primatem: Herme autem Episcopo deficiente, faciendorum mos Antistitum Narbonensi mox reddatur Ecclesiæ, quem nõ ciuitas, sed causa præsumptionis amisit.

Vnde vestræ fraternitatis in Domino sincera dilectio so-

licitudi-

licitudinem pastoralis curæ in suis sedibus partita nobiscum commissarum sibi Ecclesiarum diligẽtia vigilanter exerceat, & eorum taliter quæ in Narbonensi prouincia emersere, meminerit, vt testetur factum potius, quàm sumat exemplum. Quod ita deinceps esse nolumus, sicut nouimus non fuisse. Itaque fratres carissimi, necessarijs studijs est agendum, ne error, quem iuuante Christo Domino nostro nuper aboleuimus, aut in similes, aut in nouos vnquam prodire possit excessus: quod vtique non aliter poterit præcaueri, nisi statuta venerandorum canonum in faciendis conuentibus, quos hactenus omitti fecit certa necessitas, exequamur: in quibus possint pro emergentium necessitate causarũ ad Ecclesiasticæ obseruantiam disciplinæ, & quæ secus facta fuerint corrigi, & sequenda constitui.

Per annos itaque singulos ex prouincijs, quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Concilium: ita vt opportunis locis atque temporibus secundum dispositionem fratris & Coepiscopi nostri Leontij, cui solicitudinem in congregãdis fratribus delegauimus, Metropolitanis per literas eius admonitis, celebretur: Vt si quid vsquam vel in ordinandis Episcopis, vel presbyteris, aut cuiuslibet loci clericis faciendis contra præcepta Apostolica reperiatur admissum, aut in eorum conuersatione quippiam reprobatur, communi omniũ auctoritate resecetur. In ea præcipuè celebritate cõueniatur, quæ præsidẽte Christo Domino nostro & veneranda sit sanctis, & formidanda peruersis. Nec cuiquam licebit à regulis euagari, quas sibi iuxta canonum definitiones vnita fraternitas in commune præfixerit, cum imminente quotannis examine ita singuli actus suos dirigunt, vt his discussio iudicij optari magis debeat, quam timeri. In dirimendis sanè grauioribus causis, & quæ illic non potuerint terminari, Apostolicæ sedis sententia consulatur.

Illud etiam non possumus præterire, quòd solicitudine diligentiore curandum sit, ne præter Metropolitanorum suorum literas aliqui ad quamlibet prouinciã audeant proficisci: quod etiam in omni genere officij clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri. Quibus è contrario hac ratione prospicimus, vt si hoc impetrare per aliquam non meruerint simultatem, cum duobus Metropolitanis prouinciarum, quæ congruæ sunt, Arelatensis Episcopus cuncta discutiens, pro causæ qualitate obseruanda constituat; nec in iniuriã alterius alienum clericum suscipi præter testimonium proprij Antistitis secundum canonum statuta præcipiet. Singuli autem fratres vniuersique cognoscant parendum esse præsentibus constitutis, quibus etiam commonitio nostra denunciat in eos Christi Domini nostri iudicium minimè defuturum, qui declinando superba rebellione conuentus, conscientiæ suæ testimonio confutantur sacerdotalis innocentiæ fiduciam non habere.

Prætereà eiusdem fratris libellus oblatus est nobis, quo perhibet parochias Arelatensis Ecclesiæ à prædecessore suo Hilario in alias (quod non licuit) fuisse translatas, petens illas pristino iuri nostra auctoritate restitui. Sed moderaminis Apostolici memores fraternitati vestræ querelam ipsius remisimus audiendam, vt in vestro conuentu ea quæ à nobis scripta sunt allegentur, & quę Ecclesiasticis regulis congruant decernantur. Simul etiam super hoc vniuersam fraternitatem volumus esse commonitam, ne prædia quæ neque deserta neque damnosa sunt, & ad Ecclesiam pertinent, ex quibus plurimorum consueuerit necessitatibus subueniri, aliquo iure in alterum transferantur, nisi prius apud Concilium alienationis ipsius causa doceatur, vt quid fieri debeat, communi omnium deliberatione tractetur. Dominus vos incolumes custodiat, fratres chariſſimi. Dat. 3. Non. Decemb.

Ex Cod. Arelat. Baron. an. 463. nu. 15.

EPISTOLA IX. HILARI PAPÆ AD LEONtium Episcopum aduersus Mamertum Viennensem Episcopum, quod extra suam Metropolim Episcopum ordinasset.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarus. Qualiter contra sedis Apostolicæ veniens constituta sacerdotalem modestiam Mamertus Episcopus Viennensis excesserit, dilectionis tuæ debuimus relatione cognoscere, vt ausibus talibus maturam & iuxta Ecclesiasticum ordinem regularum congruum iudicium proferremus.

Quantum enim filij nostri viri illustris Magistri militum Gunduicij sermone est indicatum, prædictus Episcopus inuitis Dientibus, & qui ad Ecclesiarum eius numerum, quem ei Apostolicæ sedis deputauit auctoritas (sicut in scrinijs nostris legimus) minimè pertinebant, hostili more (vt dicitur) occupans ciuitatem, Episcopum consecrare præsumpsit. In quo, frater chariſſime, si ita est, quum multiplex culpa sit, pronunciare possimus, nisi iudicij (vt diximus) & moderatio nobis esset & ordo seruandus. Atque ideo memor solicitudinis quam dilectioni tuæ scis esse commissam, quicquid nunc ad notitiam nostram breui insinuatione delatum est, in conuentu Synodali, qui secundum statuta nostra annis singulis te sibi præsidente est congregandus, discutere quæ sunt acta debebis, & à prædicto rationem facti sui sub vniuerso cœtu fraternitatis exigere, ac deinde omnium literas nostræ intimare notitiæ: vt quod sancto Spiritu dictante, faciendum est, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolumem custodiat, frater chariſſime. Data 6. Id. Octob. Basilio. V. C. Conſ.

EPISTOLA X. HILARI AD METROpolitanos Galliæ.

Ex Cod. Arelat. MS. Baron. an. 463. n. 16.

Terminos iurisdictionis à quolibet obseruari: Concilia singulis annis debito loco & tempore celebrari mandat.

Dilectissimis fratribus Episcopis prouinciæ Viennensis, Lugdunensis, Narbonensis Primæ & Secundæ Alpinæ Hilarus Episcopus.

Etsi meminerimus fraternitatem vestram ea quæ à nobis sunt statuta retinere, nec aliquid ex his dissimulare quæ scripsimus, vt scilicet pro disciplina Ecclesiastica & pro causis quæ inter Domini sacerdotes oboriri plerumque non dubium est, Synodalia quotannis Concilia, quorum maximè in fratre & Coepiscopo nostro Leontio Arelatensis Ecclesiæ summã placuit esse, celebrentur, nec aliud fieri posse credamus, quàm quod pro communis Domini domo nostra ordinatio vobis placitura constituit: tamen repetitis literis eadem nunc quoque obseruanda decernimus, præcipuè cum grauissima Viennensis ciuitatis Episcopus inuoluatur offensa in iniuriam fratris & Coepiscopi nostri Leontij Diensibus Antistitem consecrando. De cuius facto vindictæ congruæ sententiam differentes, relationi fratrum quæ interim fuerant visa respondimus: Sed quoniam tanti excessus maiorem nobis solicitudinis materiam detulerunt: hæc ad vniuersam charitatem vestram etiam per fratrem & Coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus, quibus admonita communis omnium solicitudo procuret, ne quisquam fratrum in alterius prorupturus iniuriam transcendat terminos à venerandis Patribus constitutos.

Vnde omnia quæ à vobis sunt per fratres & Coepiscopos nostros Faustum & Auxanium definita roborantes, congregationes annuas ordinante fratre & Coepiscopo nostro Leõtio admonitis Metropolitanis (quod sæpè dicendum est) ijs locis celebrare dignemini, ad quæ conueniendi nulla sit cuiquam commeantium difficultas. Cui diligentiæ etiam prouisio adhibenda est, vt opportunitas quemadmodum locorum, ita constituatur & temporum: vt inexcusabilior, quisquis iã necessariter & salubriter constitutũ nostrũ negligendum putaret, appareat, fratres chariſsimi. Illius autem confirmationem, quem Viennensis Episcopus alienum & ad se minime pertinentem graniter ordinare præsumpsit, fratris & Coepiscopi nostri Leontij relinquimus voluntati, quem cõfidimus non præter humanitatem pensare quę iusta sunt. Deus vos incolumes custodiat, fratres chariſsimi.

EPISTOLA XI. HILARI PAPÆ AD diuersos Galliæ Episcopos.

Præceptum Hilari Papæ ponitur de Ecclesia Diense, vbi Episcopus indebitè à Viennensi Episcopo ordinatus est.

Dilectissimis fratribus Victurio, Ingenuo, Idacio, Eustasio, Fontenio, Vincentio, Eulalio, Fausto, Auxamio, Proculo, Ausonio, Paulo Memoriali, Calestio, Proiecto, Eutropio, Auiciano, Vrso, & Leontio, Hilarus.

Solicitis admodum nobis, & ex his quæ proxima ad nos relatio certa detulerat, multa expectatione suspensis, literæ dilectionis vestræ, fratre & coepiscopo nostro Antonio, qué dignum tanta legatione probamus interpretem, deferente, sunt traditæ, quæ nos ab ipsis cótextus sui contristauere principijs: nam qui requiescere solicitudinem nostram & magna ex parte reuelari in his quę à sanctæ memoriæ decessore meo de Viennensi Episcopo præfixa sunt, credebamus, euidenti assertione cognouimus & non sine dolore miramur, definitiones illas à Mamerto Episcopo nunc potuisse transcendi, per quas Ecclesia priuilegium probarat acquiri: cùm præcipuè sancti fratris & coepiscopi nostri Leontij moderatio formam continentiæ præbere debuerit ambienti: aut si spiritu æmulationis inflatus eum (quod non oportuit) arbitratus est negligendum, decessoris sui saltem instructus exemplo illius imitaretur temperantiam, cuius honore perfungitur: nec trãs grediendo violaret, quod iam nunc, nisi patientiæ moderamina teneremus, posset amittere. Cui vnquam profuit mens rebellis? aut quem superbiæ non inclinauit elatio? Altior est humilitatis gratia, cui paupertate spiritus ad præmium promissæ beatitudinis iter regni cælestis aperitur. Nec perfunctorium præuaricator existimet esse quod fecit, si eruditus doctrinis Ecclesiasticis, quid vterque mereatur, agnoscit: cũ alter secundum propheticam vocem in medio Dominicæ
Psal. 100. domus habitare prohibetur: alter, suscipiente se Domino, semper iunctus asseritur, cuius consolatione saluatur. Possent venerabilium veterum multa replicari, quæ iuxta veritatem dicta monstrantur: sed ab eadem causa, quæ se vt loqueremur iniecit, recentiora sunt exempla sumenda. Non dignitatem Viennensis Ecclesiæ Mamertus Episcopus meminit Arelatẽsis Antistitis quondam transgressione creuisse, & pro corrigendis quæ perperam gerebãtur inuiolabili postea definitione compositum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium præcessoris reperiretur exutus.

Sicuti ergo & vestræ dilectionis relatio, & fratris & Coepiscopi nostri Antonij insinuatio referauit, claret, prædictũ priuilegia certis conclusa terminis velle perdere plus volendo. Qui abusus fratris & consacerdotis Leontij moderantia Diensibus contra fas Episcopum, etiam si est meritus, non timuit consecrare: In quo factum eius conuenerat sic resolui, vt iuxta eorum quę perpetrata sunt qualitatem, non sine iactura proprij ordinis etiam illum à sacerdotali consortio submoueri cerneret, quem creauit indebitè, quemque indignissimè fecisse conuincitur, correctum iusta vltione sentiret, nec conceptæ audaciæ incastigata temeritas licentiæ se peperisse putaret exemplum.

Verum ad Ecclẽsiarum quietem tantæ transgressionis vulnera, memores Apostolicæ sapientię, curari volumus antè fomẽtis, vt corporis nostri membrum fortè sanandum in integritatem pristinam per mitiora medicamenta reuocetur: nec credatur negligi, quod interim non monetur abscindi. Præuia medendi semper austeritatis est lenitas, nec omnis ferro statim culpa compescitur, aut inexplorato, vel quod facilè prodesse possit offertur: nunc enim temporis opportunitas, nunc languentis necessitas, nunc medicina ipsius & modus est quærendus, & qualitas: vt omnis per sapientiam facta in vitijs reprimendis solicitudo curantis gaudeat reparatione quod saluat, nec careat moderatione quod resecat.

His igitur vestra fraternitas grauiter prudenterque perpẽsis, alia apud nos dissimulare posse non æstimet: in quorum se maximè contumeliam, qui non immeritò pulsatur, erexit: fratri enim nostro Leontio nihil constitutum à sanctæ memorię decessore meo iuris potuit abrogare, nihil valuit quod honori eius debetur offerri: quia Christianorum quoque Principum lege decretum est, vt quicquid Ecclesijs earumq; rectoribus pro quiete omnium Domini sacerdotum atque ipsius obseruantia disciplinæ in auferendis confusionibus Apostolicę sedis Antistes suo pronunciasset examine, veneranter accipi, tenaciterque seruari cum suis plebibus charitas vestra cognosceret, nec vnquam possent conuelli, quæ & sacerdotali Ecclesiastica præceptione fulcirentur, & regia.

Vnde, fratres charissimi, præsumptionem prædicti, quæ in fratris & Coepiscopi nostri Leontij processit iniuriam, ita conuenit tolerare dignæ nunc interim vltionis immunem, vt si transgressor remedijs abutitur satisfactionis & veniæ, nec culpam præsentis excessus curandam futuræ obseruantiæ sedulitate promittit, redeunte querimonia, ea priuilegia Viennensis Ecclesiæ ad Arelatensem Antistitem transferantur exemplo, quo migrauere principio. Vnde moderationis nostræ nomen tenentes, ad Veranum fratrem & coepiscopum nostrum scripta direximus, vt prædictum de nostra delegatione cõueniat, quatenus quod de eo retuleritis agnoscat: quia onerosum esse non debet delinquentem fratrem de proprijs excessibus increpare, quib. præceptum constat frequenter ignoscere. Necesse est autem, si nullum correctionis eius indicium sumpserimus, quod illa est professione retinendum, quam definitione sedis Apostolicæ periculo ordinis sui obseruandam semper sine vlla deinceps transgressione testetur, ad Arelatensem Ecclesiam easdem quatuor ciuitates: quarũ non fuit aut non fuerit Mamertus Episcopus, ordinatione esse reuocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, si vllus vnquam post eum, quem nunc charitate corripimus, & vlterius ab illicitis confidimus abstinere, præsumptionis huius imitator extiterit. De hoc sanè, qui licet indebitè Diensibus cognoscitur ordinatus, iustitiæ ratione censuimus, vt sacerdotium eius fratris & coepiscopi nostri Leontij confirmetur arbitrio, à quo ritè debuit consecrari. Deus vos custodiat, fratres charissimi, æuo longiore. Data 6. Kalend. Mar. P. C. Basilij V. C. Conf.

NOTÆ.

A Mamerto.] *Mamertus alias Mamercus sanctissimæ vitæ & beatissimi obitus Viennensis Episcopus, qui vsum sacrum Litaniarum antiquitus traditum, disciplina solutione, cultu remissiore neglectum in Gallijs tempore Valentiniani tertij Imperatoris, anno Christi 452. vt scribit Ado Viennensis, restituit, triduoque ante ascensionem suo exemplo & experimento vtilissimo, eas quæ Rogationes appellatæ sunt, & nũc ab vniuersa Ecclesia receptæ, celebrauit. Has à Mamerto non primum in Gallijs fuisse institutas: sed tantum magno cum feruore ad terræmotus, incendij, aliarumq; cladium pericula auertenda reformatas, post Adonem testatur Sidonius lib. 5. epist. 4. ad Aprum his verbis:* Harum rogationum solemnitatem primus Mamertus pater & Pontifex reuerendissimo exemplo, vtilissimo experimento inuenit; instituit, inuexit. Erant quidem prius (quod salua fidei pace sit dictum) vagæ, tepentes, infrequentesque, atque (sic dixeris) oscitabundæ supplicationes, quæ semper interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur: ad quas, vt nihil amplius dicam, figulo pariter & hortulano non oportuit conuenire. In his autem, quas suprafatus summus sacerdos, & protulit pariter & cõtulit, ieiunatur, oratur, psallitur & fletur. &c.

Vnde patet S. Mamertum Episcopum non tam instituisse, quam restituisse sacras rogationes, easque in meliorem formam reduxisse. Harum enim rogationum triduanarũ ante ascensionem Domini celebrari solitarum, S. Augustinus multis annis Mamerto anterior, meminit serm. 173. de tempore in Vigilia Ascens. Scire debemus, *inquit*, & intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis & pœnitentiæ celebramus &c. *Et circa finem:* Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, per quas se de Ecclesiæ conuentu subducet. Sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus, ieiunando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non inquirit. *Litanias vero & processiones temporibus S. Gregorij Thaumaturgi, & Tertulliani tertio sæculo in Ecclesia vsurpatas fuisse, patet ex epistola Basilij 63. ad Neocæsarienses; Et Tertull. lib. 2. ad vxorem: Item ex ijs, quæ dixi supra in Notis can. 17. Concil. Laod. Vide quæ hac de re prolixè scribit Baron. an. 475. n. 12. & seqq. Et in Notis Martyrol. Rom. 25. Aprilis. verbo* Litanias.

Hunc Mamertum Viennenses anniuersaria festiuitate colunt 11. Maij. Qualis quantusq; fuerit, Sidonij Apollinaris, qui eũ nouit, eoq; familiarissimè vsus fuit, epist. 11. lib. 4. & 1. lib. 7. indicant: Alcimus Annatus secundus, post eũ Viennensis Episcopus, in homilia quã de rogationibus habuit: Greg. Turonensis hist. Franc. lib. 2. cap. 34. &c. Quod itaque aduersus hunc Mamertum sanctitate insignem. Hilarus Pontifex hac epistola, quasi alienã iurisdictionẽ illicitè vsurparit, adeoq; vehementer insurrexerit, nõ est mirum. Quis nesciat sæpe accidere, vt falsis accusationibus & surreptionib. aures Pontificũ repleantur, & cum putant agere quod iustum appareat, innocentem exagitent.

Quod

Quod accidit Leooni Pontifici sanctißimo in causa Hilari Arelatẽsis, qui epist. 89. accerrimè innocentem perstrinxit. Idem ex obreptione, Hilaro Pontifici in causa Mamerti accidisse potuit.

DECRETVM HILARI PAPÆ, IVXTA Gratianum, quod in prioribus non ponitur.

Corpus Christi in singulis portionibus singuli totum accipiunt.

Vbi pars est corporis, est & totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præcessit. De quo dicitur: Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus parauerat, habuit minus. Non enim est quãtitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramẽti spiritualis.

Deconſ. diſt. 2. Vbi pars eſt. Exod. 16.

ALIVD DECRETVM EIVSDEM, ex Codice librorum sexdecim CAP. XIX.

De contentiosis.

Si quis videtur contentiosus esse dicente Apostolo, nos talem consuetudinem non habemus, sed neque Ecclesia Dei: si quis facit, notetur, vsquequò se corrigat.

1. Cor. 11.

Finis decretorum Hilari Papæ.

CONCILIVM ROMANVM XLVIII. EPISCOPORVM sub Hilaro celebratum anno Domini 467.

ROMANI CONCILII AC DECRETORUM Hilari Papæ, tituli.

Vt canones Nicæni, vel Apostolicæ sedis decreta custodiantur. 1
Vt bigami, aut viduæ, aut corruptæ mariti, ad ecclesiasticos gradus non accedant. 2
Vt pœnitentes, aut inscij literarum, siue defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habentes, ad superiorem ordinem non accedant. 3
Vt ea, quæ illicitè episcopus, vel decessor eius ordinauit, ab eo, qui superest, emendentur. 4
Vt nullus episcopus sibi eligat successorem. 5

ROMANI CONCILII, ET EPISTOLÆ Hilari Papæ, capitula.

Anno Domini 465. *Basilisco

IN Lauio *Basilico & Herminerico viris clarissimis consulibus, sub die decimoquinto Kalend. Decembrium, residente viro venerabili Hilaro Papa in basilica sanctæ Mariæ, & Maximo Taurinæ ciuit. prouinciæ Galliarum, Ingenuo Ebredunensi, prouinciæ * SS. Mediolanensis prouinciæ * SS. Saturnino Auinionensis prouinciæ * SS. Petro Portuensi, * Paulino Aquæuiuensi, Primo Atellano, Palladio Salpinati, Gaudentio Albingensi, Sotere Neapolitano, Tiburtio Capuano, Gaudentio Scyllateno, Felice Lucensi, Eubodio Tifernensi, Eusebio Senensi, Maioriano Astensi, Iusto Fauentino, Felice Sipontino, Concordio Barino, Verano.*

*Paulo.

Caprario Cassitano, Ianuario Prænestino, Constantino Aquinati, Adeodato Cumano; Prætextato Interannino, Tiberio Curirũ Sabinorum, Claudio Puteolano, Gerontio Camerino, Adeodato Veliterno, Lucifero Trium tabernarum, Crispiano Subaugustano, Romano Albanensi, Seruo-Dei Nomentano, Florentio Clusino, Hilaro Amerino, Candido Tiburtino, Paulo Foronouano, Eusebio Sutrino, Apuleio Tarquinienſi, Gaudentio Antiatino, Asterio Gabinati, Proiectitio Nepesino, Asterio Foroiulienſi, Philippo Numanati, Gaudentio * Vecconensi, Restituto & Octauio Aphris: Residentibus etiam vniuersis presbyteris, adstantibus quoque diaconibus, Hilarus Episcopus Ecclesiæ catholicæ, vrbis Romæ, synodo præsidens dixit:

* Volsinien. vel Vulsinieaſ.

Capitulum Primum.

QVoniam religiosus, sancto Spiritu congregãte, conuentus hortatur, vt quæcunque pro disciplina ecclesiastica necessaria sunt, cura diligentiore tractemus: si placet, fratres, ea, quæ ad ordinationum tenorem pertinent, iuxta diuinæ legis præcepta & Nicænorum Canonum constituta, ita adiuuãte Domino in omne * æuum mansura solidemus; vt nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare: quia nos, qui * potissimi sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inuenti: quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ sacerdotum: siquidem reatu maiore delinquit, qui potiori honore perfruitur: & grauiora facit vitia peccatorum, sublimitas dignitatum. *tempus

25. q. 1 c. Nulli fas sit. * potiſſimum. Ezech. 3. & 23.

2 Cauendum ergo inprimis est, ne ad * sacratos gradus, sicut gestis prioribus ante præscriptum est, quisquam, qui vxorem non virginem duxit, adspiret. Repellendus est etiam quisque, qui in secundæ vxoris nuptias contra Apostolica præcepta conuenit. Diſt. 34. Curandũ eſt.

3 Inscij quoque literarum, necnon & aliqua membrorũ damna perpessi, & hi, qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines adspirare non audeant. Quisquis talium consecrator extiterit, factum suum ipse dissoluet, Diſt. 55. c. pœnitentes vel inſcij.

4 Sed & quod quis commisit illicitè, aut à decessoribus suis inuenit admissum, si proprium periculum vult vitare, dãnabit: nos enim in nullo volumus seueritatem vltionis exercere. Sed qui in causis Dei vel contumacia, vel in aliquo excessu deliquerit, aut ipse quod perperam fecit, abolere noluerit: in se, quicquid in * alium non resecarit, inueniet. Quod vt deinceps possit tenacius custodiri, si placet, sententias, causas & subscriptiones proprias omnes commodate, vt synodali iudicio auditus claudatur * illicitis. Ab vniuersis episcopis & presbyteris acclamatum est: Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est sexies. Hæc & confirmamus, & hæc docemus: dictum est octies. Hæc tenenda sunt, hæc seruanda sunt: dictũ est quinquies. Doctrinæ vestræ gratias agimus: dictum est decies. Ista vt in perpetuum seruentur, rogamus: dictum est quindecies. Ista per sanctum Petrum, vt in perpetuum seruentur, optamus: dictum est octies. Hæc præsumptio nunquam fiat: dictum est decies. Qui hæc violauerit, in se inueniet: dictum est septies. Et facto silentio, Hilarus episcopus dixit: *alio * illicitus.

5 Præterea fratres, noua & inaudita (sicut ad nos, missis de Hispanijs epistolis, sub certa relatione peruenit) in quibusdam locis peruersitatum semina subinde nascuntur. Denique nonnulli episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non diuinum munus, sed hæreditarium putant esse compendium: & credunt, sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium, velut * legali aut testamentario iure, posse dimitti. Nam plerique sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: vt scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio, pro populi habeatur assensu. Quod quam graue sit æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de ecclesijs auferamus, ne (quod turpe dictu est) homini quisquam putet deberi, quod Dei est. Vt autem, quod ad nos prolatum est, ad vestram etiam possit peruenire notitiam, Hispanorum fratrum & coepiscoporum nostrorum scripta legantur. Paulus notarius recitauit. *legatorio 8. q. 1. c. Plerique ſacerdotes.

EPISTOLA TARRACONENSIVM EPIscoporum ad Hilarum, in Concilio lecta.

Rogant vt Hilarus Papa Irenæum Episcopum, quem Nundinarius Episcopus de Ecclesia bene meritus testamento suo in Tarraconensi Ecclesia successorem designauit, confirmet, deque Syluani Episcopi facto sententiam suam rescribat.

BEATISSIMO, & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilaro, Ascanius & vniuersi Episcopi Tarraconensis prouinciæ.

Quam curam Apostolatus vester de prouinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vincentio, duce prouinciæ nostræ, referente, cognouimus: cuius impulsu, votum nostrum in ausum scribendi prona deuotione surrexit. Ergò prouinciali literario sermone debita coronæ vestræ obsequia deferentes, his quæsumus, vt dignatione, qua cæteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime & Apostolica reuerentia in Christo à nobis colende pater: illud specialius deprecantes, vt factum nostrum, quod tam voto penè omnis prouinciæ, quam exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris, roborare dignemini, Et cum *legeret, ab vniuersis Episcopis & presbyteris acclamatum est: Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est decies. Hæc præsumptio nunquàm fiat: dictum est sexies. Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt: dictum est sexies. Per dominum Petrum, rogamus, vt in perpetuum seruentur: dictum est sexies. Hæc vt reseruentur, rogamus.* Hilarus Episcopus dixit: Lege. Paulus notarius recitauit: *Episcopus Barchinonensium ciuitatis sanctus Nundinarius, sortem expleuit conditionis humanæ. Hic Episcopo venerabili fratri nostro Irenæo, quem ipse antè in diœcesi sua nobis volentibus constituerat, dereliquens ei, quod potuit habere paupertas, supremæ voluntatis arbitrio, in locum suum vt substitueretur, optauit: sed defuncti iudicium, in eius meritũ non vacillat.* Et cùm *legeret, Probus Episcopus è confessu surgens, dixit: Illud licuit, hoc non licuit. Successores Deus dat. Authoritate vestra resistite huic rei per Apostolatum vestrum.* Hilarus Episcopus dixit: Percurre, quæ cœperas: Paulus notarius recitauit: *Siquidem omnis clerus & plebs eiusdem ciuitatis & optimi & plurimi prouinciales, vt idem eius locum obseruaret, à nobis sperauerunt, dato consensu. Nos cogitantes defuncti iudicium, & probantes eius vitam, & eorum nobilitatem atque multitudinem, qui petebant, simul & vtilitatem Ecclesiæ memoratæ, optimum duximus, vt tanto sacerdoti, qui ad diuina migrauerat, non minoris meriti substitueretur antistes, præsertim cùm Ecclesia illius municipij, in qua antè fuerat ordinatus, semper huius ciuitatis Ecclesiæ fuisse diœcesis constet. Ergò suppliciter precamur Apostolatum vestrum, vt humilitatis nostræ decretum, quod iustè à nobis videtur factum, vestra auctoritate firmetis. Iamdudum sanè questi fueramus literis nostris de præsumptione Syluani Episcopi: & miramur, quod nulla Apostolatus vestri responsa susceperimus. Nunc hæc eadem suggerentes, petimus, vt quid super his rebus obseruandum sit, Apostolicis sermonibus nos dignemini informare. Et ne forsitan per negligẽtiam portitoris, aut per longinqui itineris difficultatẽ, humilitatis nostræ ad vos scripta non potuerint ex hoc negocio peruenire, etiam suggestionem nostram maluimus iterare.* Et subscriptio: *Orantem pro nobis sanctum Apostolatum vestrum, iugi æuo diuina conseruet æternitas nobis omnibus & Ecclesiæ suæ, domine* verè noster & *Apostolice Papa.* Hilarus Episcopus dixit: Alia epistola recitetur. Paulus notarius recitauit:

*legeretur

Acclamationes patrum inter positæ.

*legeretur

Interlocutiones patrum.

*venerãde

Interlocutio Hilari.

EPISTOLA SECVNDA TARRACONEN. Episcoporum ad Hilarum Papam, in Concilio recitata.

DOmino beatissimo, & Apostolica reuerentia à nobis in Christo colendo Papæ Hilaro, Ascanius Episcopus & vniuersi Episcopi Tarraconensis prouinciæ. *Et si nulla* extaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum reuera nobis fuerat: & reliqua vsque ad finẽ. *vt supra inter epistolas Hilari.* Ab vniuersis episcopis & presbyteris acclamatum est: Vt hæc emendentur, rogamus: dictum est sexies. Vt hæc *recidantur, rogamus: dictum est septies. Vt disciplina seruetur, rogamus: dictum est octies. Vt antiquitas seruetur, rogamus: dictum est quinquies. Vt canones custodiantur, rogamus: dictum est septies. Vt in præsumptoribus vindicetur, rogamus: dictum est septies. Ordinatio Apostolica illibata seruetur: dictum est octies. Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est quinquies. Dignus Papa, dignus doctor: dictum est octies. Hilarus episcopus dixit: Acceptis, quæ recitata sunt, de omnibus nunc fratres speciales sententias, Deo vobis inspirante, depromite. Maximus Episcopus ecclesiæ Tauritanæ, dixit. In custodiendis omnibus, quæ ad* sacras ordinationes pertinent, disciplinis, melius sententiæ meæ professione* denuncio, nihil à me vnquam eorum, quæ prohibita sunt, esse faciendum. De reliquis censeo, vt quisquis talia fecerit, aut detecta in ecclesijs resecare noluerit, se graues causas in Apostolicæ sedis iudicio redditurum, in quo illi necesse erit subire sententiam. Ingenuus episcopus Ebredunensis, dixit: Mihi quoque eadem de omnibus partibus sententia est, qua me* ipse constringo, ne quid à me vnquam de his, quæ sunt interdicta, tentetur: quia noui statum & professionem meam. De cæteris etiam censeo, vt quisquis statutorum transgressor extiterit, sciat se ecclesiasticę regulæ laqueis innodari, & reatum Apostolicæ sedis incurrere. * Paulus episcopus Aquæuiuæ, dixit: Ego quoque simili me lege constringo, & de cæteris, qui transgressores fuerint, pariter censeo, ne eis sine periculo sui quicquam tale tentare liceat, quod meritò debeat vindicari. Primus episcopus Ecclesiæ Atellanæ, dixit: Hoc & ego censeo obseruandum. Palladius episcopus Ecclesię Salonatis, dixit: Nihil me contra disciplinam ecclesiasticam, vel statuta sanctorum canonum facturum esse polliceor. Tiberius episcopus Ecclesiæ Sabinensis, dixit: Profiteor me statuta sedis Apostolicæ in omnibus custodire: & si in Ecclesia mea clericorum aliquem, contra præcepta sanctorum Canonum deprehẽdero aut mulierem duxisse, aut duas habere vxores, ab ecclesiastico officio separari. Ab vniuersis episcopis dictũ est. Sententias fratrum omnes sequimur, omnes cõfirmamus, & obseruandas esse decernimus. Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est sexies. Quæ male admissa sunt, per te corriganur: dictum est octies. Quod non licet, non fiat: dictum est octies. Hilarus episcopus Ecclesiæ vrbis Romæ, Synodo præsidens, dixit: Quoniam præsentis definitionis formam, quæ secundum sanctorum est statuta sentẽtiam, in omnium ecclesiarum notitiam peruenire decernimus, ne cuiquam prosit ignoratione licere, quod non licet, edere gesta notariorum solicitudo curabit.

*dictaret

* resecentui.

EPISTOLA SYNODALIS HILARI Papæ ad Ascanium & reliquos Tarraconensis prouinciæ Episcopos sic incipiens: *Postquam literas vestræ dilectionis accepimus, &c.* excusa est supra inter Epistolas Hilari.

NOTAE in Concilium Romanum sub Hilaro Pap.

Concilium.] *Qua occasione, quaue de causa hoc Concilium Romæ celebratum sit, indicat Hilarus Papa epist. 8. his verbis.* Præsidente fratrum numeroso Concilio ex diuersis prouincijs ad diem natalis nostri in honorem B. Petri Apostoli per Dei gratiam cõgregato *&c. & epist. 1.* Lectis in conuentu fratrum, quos natalis mei festiuitas congregarat, literis vestris, quæ de ordinandis Episcopis secundum statuta canonum vel prædecessorum meorum decreta sunt, discretis. *Vnde patet, quod cum ad celebrandum diem creati Pontificis Hilari 48. Episcopi Romam conuenissent, ex Hispania diuersæ epistolæ Tarraconensium Episcoporum allatæ sunt; quarum prima Siluanum de ordinatione perperam facta denunciauit: altera Irenæum, quem sibi Nundinarius iam moriturus successorem designauerat, confirmari petiuit. Itaque postquã in nomine SS. congregati tria decreta ad rectam ordinandorum Clericorum dispositionem spectantia constituta, omniumq; acclamationib. approbata fuissent, cõsultationes duæ, quas per duas literas Episcopus Tarraconensis ex Hispania miserat, in medium allatæ sunt. Recitata est vtraque epistola. Priore loco illa quæ posterius scripta, Nũdinarij Barchinonensis Episcopi & eius successoris Irenæi causam continebat.*

Cauſa Concilii.

Acta Concilii.

Posteriore

Posteriore loco illa, quæ de Siluano Calagurritano Episcopo querelam iniustæ ordinationis habebat: quid in vtroque negotio definitũ sit, acta declarant. In hac eadem synodo ab Hilaro Papa ad ædificationem vniuersalis Ecclesiæ constitutionem editam fuisse, refert Anastasius in vita Hilari his verbis. Fecit constitutum de Ecclesia in basilica ad S. Mariam, consulatu Basilisci & Hunnerici, decimo sexto kalend. Decembris. *Hilarus Papa epist. 1. synodica fatetur, pro Siluano Episcopo quædam producta fuisse, quæ ad euitandum schisma Ecclesiæ Hispanicæ Pontificem ad dispensandum cum eodem Siluano commouerent. Quæ cum in actis huius Concilij desiderentur, ea mutila & non integra esse euidentissimo argumento conuincitur. Hæc synodus vno mense & duodecim diebus durasse videtur. Constat enim in principio Actorum eam 15. kalen. Decembris inchoatam, tertio Kalend. Ianuarias, quando synodica ad Tarraconenses reddita est, absolutam fuisse.*

Acta Concilij inutilia sunt.

Tempus Concilij.

Flauio Basilisco, &c.] *Anno nimirum Christi 465. qui est Hilari Pontificis quintus, & Leonis Imperatoris nonus.*

Confessus quis.

Maximi Taurinens.] *Moris erat antiquissimi, vt post Patriarchas in synodali consessu, inter simplices Episcopos primum locum sibi vendicaret is, qui in Episcopatu plures annos egerat; quamuis dignitate inferior fuisset. Eodem iure accidit hic, vt Maximus Taurinensis Episcopus Mediolanensi prærogatiua sedis inferior, post Romanum Pontificem primo loco ponatur. Hunc plurimos annos in Episcopatu egisse, ex eo poteris intelligere, quod de illo agens Gennadius de viris illustribus c. 40. tradit eum vixisse sub Honorio & Theodosio Iuniore; quodque Concilio Mediolanensi anno 451. sub Leone habito interfuerit & subscripserit.*

Maximus Taurinensis Episcopus.

Ingenuo.] *Hic est ille Ebredunensis Episcopus Alpium Maritimarum Metropolitanus, qui de inuasis suæ diœceseos iuribus apud Hilarum Pontificem conquestus, causæ illius cognitionem Leontio delegari impetrauit. Vide quæ supra dixi in Notis Epist. 4. Hilari ad Leõtium, verbo* Epistola.

Ingenius Episcopus quis.

Epistola Tarraconensium.] *Hæ sunt illæ epistolæ duæ, quas Tarraconenses ad Hilarum Pontificem transmiserunt, quibus dum legerentur in Concilio, Patres suas sententias & acclamationes maioribus typis excusas interposuerunt. Notas harum epistolarum cum Notis synodicæ, require supra.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA SIMPLICII PAPÆ

Ex libro Pontificali.



Anno Domini 467.

IMPLICIVS natione Tiburtinus, ex patre Castino, sedit annos xv. mensem vnum, dies vij. Hic dedicauit basilicam sancti Stephani in Cælio monte in vrbe Roma. Et basilicam beati Apostoli Andreæ iuxta basilicam sanctæ Mariæ, & aliam basilicam sancti Stephani iuxta basilicam sancti Laurentij. Et aliam basilicam intra vrbem Romam iuxta palatium Licinianum beatæ martyris Bibianę vbi corpus eius requiescit. Hic constituit ad sanctum Petrum Apostolum, & ad sanctum Paulum Apostolum, & ad sanctum Laurentium martyrem hebdomadas, vt presbyteri manerent ibi propter pœnitentes & baptismum, regionem tertiam ad sanctum Laurentium, regionem primam ad sanctum Paulum, regionem sextam vel septimam ad sanctum Petrum. Sub huius episcopatu venit relatio de Græcia ab Acacio Constantinopolitano episcopo, & affirmauit Petrum Alexandriæ vrbis Eutychianistam hæreticum, facta petitione ab Acacio episcopo, chirographo constructa. Eodem tempore fuit ecclesia, hoc est, prima sedes Apostolica executrix. Tunc Simplicius præsul hoc audiens, damnauit Petrum Alexandrinum, de quo Acacius innumerabilia crimina affirmabat: ita tamen, vt pœnitentiæ reseruaret tempus. Eodem tempore rescripsit Timotheus catholicus & Acacius, dicentes, quod etiam in mortem Proterij catholici Petrus esset permixtus. Tunc Archiepiscopus Simplicius dissimulans, nunquam rescripsit Acacio: sed damnauit Petrum, expectans tempus pœnitentiæ. Hic fecit in Ecclesia Romana scyphum aureum, pensantem libras v. Cantharos argenteos ad beatum Petrum xvj. pensantes singul. libras xij. Hic fecit ordinationes in vrbe Roma 3. per mensem Decembrem & Februarium, presbyteros lviij. diacones xj. episcopos per diuersa loca numero xxxvj. Hic sepultus est in basilica beati Petri Apostoli, vj. Nonas Martij, & cessauit episcopatus dies vj.

NOTAE in vitam Simplicij Papæ.

Simplicius.] *Cum post obitum Hilari decem diebus sedes vacasset, anno Christi 467. qui est Leonis Imperatoris Orientalis 11. vigesimo die Septembris creatus est Pontifex Simplicius Tiburtinus Castini filius. Huius temporibus totus fermè Christianus orbis sub hæreticorum Principum dominio cõstitutus fuit, nullusq; penitus Rex Catholicus alicui saltem exiguæ prouinciæ dominabatur. Etenim post Anthemium, Olybrium, Glycerium & Augustulum Occidentis Imperatores occisos vel relegatos, Odiacer Reus Arianus iuxta vaticiniũ S. Seuerini, Noricorum & vicinarum gentium Apostoli miraculis clarissimi Italiam totumq; Occidentale Imperium suo dominio subiecit: titulóq; Imperatoris, purpura & regalibus indumentis abiectis, Regio tantum nomine vsurpato deinceps tenuit. Gallias cum Hispania Ariani Gothi obtinuerunt. Dirus Catholicorum persecutor Arianus & Tyrannus Rex Gensericus vniuersæ Africæ imperauit. In Oriente post obitum Leonis, Zeno Imperator Eutychianus simulata perfidia acerbissimum se Ecclesiæ impugnatorem præbuit. Petrum Fullonem Acœmetarum monachum & Timotheum Aelurum sacrilegum Alexandrinæ Ecclesiæ inuasorem, quos ob hæresin & seditionem Leo Imperator iustissimo iudicio in exilium relegârat, Zeno Imperator impius non tantum ab exilio reuocauit; verum etiam Martyrio Antiocheno, & Timotheo Alexandrino, præsulibus sanctissimis & Catholicis inde eiectis, monachos sacrilegos & Apostatas, ijsdem, non sine magno totius Ecclesiæ periculo ac dispendio surrogauit. Adhæc non parum perturbationis addidit, Acacij Constantinopolitani violenta ambitio, qua conatus est diu desideratam sedis Constant. prærogatiuam per Imperatorem à Simplicio extorquere, quam sub prædecessoribus Põtificibus duobus aliquoties frustra expetierant. Inter has maris procellas ventorumq; turbulentas agitationes, barbaricos inter furores & Arianorum procaciam cum potentia coniunctam, deploratissimis hisce temporibus, Simplicius Pontifex, omnium Christianorum Principum præsidio destitutus, eadem auctoritate & libertate, qua semper antea prædecessores, in cathedra Petri consedit: Ambitioni Præsulis Acacij, teste Gelasio epist. 11. ad Episcopos Dardaniæ, restitit: Timotheum Aelurum sede Alexandrina eiecit: Imperatori Zenoni Concilium vniuersale exigenti contradixit, eumq; post editam fidei confessionem in communionem Ecclesiæ recepit, ea lege, vt se Catholicæ fidei defensorem præberet, Fullonemq; impiissimum Antiochena sedis detentorem vrbe & Episcopatu eiiceret. De rebus Alexandrinis, prout ipse pro sua vniuersorum solicitudine petierat, ab Acacio per literas certior redditur: nimirum, quod Timotheus Aelurus Alexandrinæ Ecclesiæ incubator, sibi ipsi mortem hausto veneno intulisset, & Timotheus Catholicus in sedem, vnde eiectus fuerat, restitutus esset. Cũ ex Alexandrinæ Ecclesiæ legatis (quos Timotheus episcopus Romam miserat, ad postulandam veniam, de eo quod Eutychianorum timore perterritus Dioscorum ad altare nominasset) Simplicius Pontifex intellexisset, Petrum Mogum Alexandrinæ sedis quondam inuasorẽ postquam inde eiectus fuisset, in ciuitate latere, ibiq; multos seducere, mandauit Acacio vt eiusdem Mogi relegationem apud Imperatorem vrgeat. Missum ad se libellum pœnitentiæ eorum, qui à fide Catholica per Eutychianos principes & Antistites seducti fuerant approbat, ijsq; absolutionem ab hæresi soli Apostolicæ sedi reseruatam paterno affectu impendit. Vnde quid aliud colligas, nisi quod Simplicius Pontifex eam cathedram occupârit, quæ auctore Deo altissimo supra firmam petram ita est ædificata, vt aduersus eam nulla hominũ inferorumq; potentia præualeri possit. Quæ turbas inuasores duarũ sedium Patriarchalium Petrus Fullo Cnaphæus, Timotheus Aelurus & Petrus Mogus in Ecclesia concitarint: ex Notis epistolarum Simplicij patebit. Zeno Imperator quara tione imperium adeptus, postq; Basilisci tyrannidem restitutus, qualisue in Deum & religionem fuerit, ibidem dicetur. Memorabile est, quod hoc tempore accidisse refert Niceph. lib. 15. ca. 12. numirum; duobus Episcopis concertantibus, vno Ariano, altero Catholico, Arianum à Catholico prouocatum esse ad testimonium per ignem: Recusante Ariano Catholicum per ignem illæsum transisse, & ex igne disputasse.*

Simplicius quando pontifex creatus.

Romanũ occidentale Imperium defecit.

Zeno Imper. persequitur Ecclesiam in occidente

Simplicius quid egerit.

Romana Ecclesia à Deo gubernatur.

Memorabile aliquid refertur.

Sedit annos 15. mensem vnum & dies septem.] *Annis 15. mẽsibus 5. & diebus decem sedisse, initium Pontificatus, & obitus Simplicij ostendunt. Principio enim mensis Martij, anno Domini 483. defunctum esse, constat ex epistola Felicis successoris eiusdem.*

Quamdu sederit.

Basilica S. Andreæ.

Basilicam B. Apostoli Andreæ.] *Hæc basilica in monte Esquilino olim erecta hoc tempore penitus diruta iacet: apud Platinam vnum eiusdem monumentum conseruatum extat his verbis.*

Hoc autem in templo hæc carmina legisse me memini musiuo opere descripta:

Hæc tibi mens validè decreuit prædia Christe
Cui testator opes detulit ille suas.
Simpliciusque Papa sacris cælestibus aptans
Effecit verè muneris esse tui.
Ne quod Apostolici deessent limina nobis
Martyris Andreæ nomina composuit.
Vtitur hac hæres titulis Ecclesia iustis
Succedensque domo mystica iura locat.
Plebs deuota veni, perque hæc commercia disce
Terreno sensu regna superna peti. *hæc ex Platina.*

Constituit hebdomadas, vt Presbyteri manerent ibi propter Pœnitentes & baptismum, &c.] *Constituit vt propter ingruentem populum, Presbyteri per vices hebdomadales in designatis Ecclesiis præstolentur, semperque ad confessiones peccatorum audiendas & ad reliqua sacramenta pro necessitate fidelium dispensanda parati adsint. Qui hoc munus peragebant, dicti sunt hebdomadarij,*

Hebdomadarij Pœnitentiarij qui

ideo quod alij alijs per vices succederent. Vnde manifestum est, sacramentalem peccatorum confessionem à Christo Domino institutam, anteriorib⁹ sæculis huc vsque frequentatam fuisse. Quod Nouantes nostri temporis aiunt, Nectarium Constantinopolitanum Episcopum cum Presbytero Pœnitentiario eiusue munere & officio sacramentalem peccatorum confessionem sustulisse, ridiculum est. Nihil enim ad substantialem vsum huius sacramenti pertinens Nectarius sustulit; sed tantum vel abstulit, vel moderatus est illum ritum, quo publica peccata per libellum confessionis Pœnitentiario Presbytero oblaturi recensebantur, atque ab eodem illa, quæ maius scandalum generabāt,

Quem pœnitentiæ ritum Nectarius Const ab rogarit.

publicè recitabantur, prout ille prosua prudentia necessarium esse iudicabat. Quoniam igitur huius occasione scandalum illud, quod de Diacono & muliere quadam referunt Socrates & Sozomenus, obortum fuerat, hanc consuetudinem & ritum publicæ pœnitentiæ Nectarius sustulit. Et quoad hoc, cum multi alij Episcopi fortasse imitati sunt: quamuis non defuerint, qui grauiter tulerunt, antiquam illam & honestam consuetudinem, & ad frenandos peccatores vtilissimam, abrogatam esse. Poterat enim hac in re pro diuersitate

Socrates exponitur

locorum & temporum, esse diuersitas iudiciorum absque errore. Quocirca cum Socrates lib. 5. cap. 19. & Sozom. lib. 6. c. 16. referunt, vnumquemque relictum esse consilio animi sui &c. si illud Socrates Nouatianus hostis, pœnitentiæ, & Sozomenus, teste Gregorio lib. 6. epist. 195. frequenter mentiri solitus, malitiosè non addiderunt: exponendum est, id factum fuisse, non ad excludendam cōfessionem, sed publicam illam satisfactionem & cōsultationem Presbyteri Pœnitentiarij, atque hoc modo vniuscuiusq; libertati relictum fuisse, vt consiteretur cui vellet sacerdoti iurisdictionem habenti, & iuxta illius præscriptum peracta pœnitentia ad sacra mysteria accederet. Ita Bellar. lib. 3. de pœnit. c. 14. Suarez. tom. 4. disp. 17. sect. 2. n. 30. & seqq. Illustrissimus Card. Baron. tom. 1. anno dom. 56. totam hanc historiam quasi à Socrate Nouatiano & Sozomeno mendace

Cur quatuor tantum pœnitentiarij constituti.

conficta sit, omnino ferè reijcere videtur. Quod cum citra difficultates grauiores sustineri non possit, placet magis id quod supra dixi. Vide Notas Conc. Laodic. & epist. 80. Leonis.

Regionem.] *Ex septem regionibus vrbis, Eruli qui Ecclesiæ catholicæ non communicabant; vtpote quod Ariani essent, tres occupabant. Vnde factum est, quod Simplicius Pontifex quatuor tantum regionibus pœnitentiarios, eosq; hebdomadarios Presbyteros posuerit. Ita Romana Ecclesia auctoritas atq; maiestas effulsit, quātumuis Occidentalis Orbis Romani Imperatores defecissent, barbarumq; Ariani in Italia principatum obtinerent.*

Sub huius Episcopatu.] *Harum rerum enarrationem prolixiorem, Vide infra in Notis Epistolarum.*

Cessauit Episcopatus.] *Hoc tempore Basilium Præfectum Romæ quædam præsumpsisse, enarratur infra in Act. 3. synodi.*

EPISTOLA PRIMA SIMPLICII PAPÆ, AD Zenonem * Spalensem Episcopum, de commissa illi vice Apostolicæ sedis, in omnibus Hispaniarum Eccle-sijs.

Hispalensem rectius.

Dilectissimo fratri Zenoni, Simplicius. Plurimorum relatu comperimus, dilectionem tuam feruore Spiritus sancti ita te ecclesiæ gubernatorem existere, vt naufragij detrimenta, Deo authore, non sentiat. Talibus idcircò gloriantes indicijs, congruum duximus, vicaria sedis nostræ te authoritate fulciri, cuius vigore munitus, Apostolicæ institutionis decreta vel sanctorum terminos patrum, nullo modo transcendi permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus diuinus crescere innotuit cultus. Deus te incolumem custodiat, frater charissime:

Notae.

Epistola.] *Hac epistola magnum & vigilantissimum Simplicij Papæ studium ostendit, quod sub gladio Erulorum existens, non prætermiserit solicitudinem externarum Ecclesiarum, quæ longius positæ, sub Gothica seruitute gemebant. Obseruandū, quod sicut hoc loco Zenoni Hispalensi, Ecclesiarum Hispanicarum Vicarium constituit; ita alibi Acacio Constantinopolitano in orientalibus ecclesijs moderandis vices suas delegauerit. Idque factum ideo, vt is, cui totius ecclesiæ cura à Deo commissa fuit, nulla in re officio suo defuisse videretur. Vide quæ diximus supra in Notis can. 20. Conc. Sardicensis.*

EPISTOLA II. SIMPLICII PAPÆ AD Ioannem Rauennatem Episcopum.

Simplicius Episcopus Ioanni Episcopo Rauennati. Si quis esset intuitus ecclesiasticæ disciplinæ, vel si quid apud te sacerdotalis modestiæ teneretur, nunquam plectibiles perpetrarentur excessus: à quibus si nullo te paternarum regularum poteras continere præcepto, saltem sanctæ memoriæ prædecessoris tui fueras reuocandus exemplo. Qui cùm minus deliquisset, faciendo presbyterum inuitum, sensisse tamen dignum pro tali vsurpatione iudicium. Vbi ista didicisti, quæ in fratrem & coepiscopum nostrum Gregorium, non electione, sed inuidia perpetrasti, quem inexcusabili violentia pertrahi ad te passus es, atque vexari, vt ei honorem tantum, non per animi tranquillitatem, sed per amentiam (sicut dicendū est) irrogares? Neque enim talia potuissent fieri sanitate Cōsilij. Nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur iudicare quod dignum est. Nam priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Sed vna nos ratio facit esse sententiæ mollioris, quam maluimus te, fratre & coepiscopo nostro Proiecto referente, cognoscere, non nostris literis propter opprobrium publicare. Nam scandalum, cuius author cognoscaris, ita moderatio nostra compescuit, vt frater & coepiscopus meus Gregorius (quem non prouectum constat esse, sed pulsum) nullam causam (sicut petijt) tecum habiturus, Mutinensem gubernet Ecclesiam, & contuberniū* spiritale, quod sortiri non oportebat inuitum, non recuset amplecti. Cui si quid negocij forsitan emerserit, nostrum * ex eo vel contra eum petatur examen. Necessitatibus etiam, quas (faciente te) compellitur sustinere, hac definitione consulemus, vt refuso prædio, quod ante annum * sibi datum esse commemorat, atque ad ecclesiam Rauennatem reuerso, possessio in Bononiensi xxx. solidorum * reddituum liberorum sine dubitatione tradatur in diem scilicet vitæ eius, saluo proprietatis iure Rauennatis ecclesię, ad quam post prædicti obitum reuertetur. Quod si non fuerit nostris paritum constitutis, quid post transgressionem maneat contumacem, ipse perpendis. Denunciamus autem, quod si posthac quicquam tale præsumpseris, & aliquem seu episcopum seu presbyterum, seu diaconum, inuitum facere fortè credideris, ordinationes tibi Rauennatis Ecclesiæ vel Æmilienſis noueris auferendas. Data 3. Kalend. Iunij, Seuerino viro clariſſ. conſ.

EPISTOLA TERTIA SIMPLICII PAPÆ, ad Florentium, Equitium & Seuerum, Episcopos.

Gaudentius Anfinienſis Episcopus ob illicitas Ordinationes factas, munere sacerdotali & triplici parte reddituum Ecclesiæ priuatur.

Simplicius episcopus, Florentio, Equitio & Seuero episcopis. Relatio nos vestræ dilectionis instruxit, & gestorum series

plenius

pleniùs intimauit, Gaudentium Ausinienſis Eccleſiæ ſacerdotem, contra ſtatuta canonum ac noſtra præcepta, ordinationes illicitas perpetraſſe, quarum illi totam penitus auferri præcipimus poteſtatem. Scripſimus enim ad Seuerum fratrem & coepiſcopum noſtrum, vt (ſi neceſſe fuerit) ipſe in ſupradicta Eccleſia, conſideratis patrum regulis, hoc ſungatur officio, quo ille abuſus eſſe conuictus eſt, ita vt hi, qui illicitè ab eodem ſunt prouecti, ab Eccleſiaſticis miniſterijs ſint remoti. Simul etiam de redditibus Eccleſiæ vel oblatione fidelium, quid deceat neſcienti, nihil licere permittat, ſed ſola ei ex his * quarta portio remittatur. Duæ Eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ, *ab Onagro presbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur: vltima inter ſe clericis pro ſingulorum meritis diuidatur. At verò miniſteria Eccleſiæ, quæ alienata comperimus, reparare præſumptor, prædicti fratris compellatur inſtantia, cui etiam hoc ſpecialiter præcipimus imminere, vt tres illas portiones, quas per triennium dicitur ſibi tantummodò vindicaſſe, reſtituat. Data *13. Kalend. Decembrium, poſt conſulatum Leonis Auguſti.

12. q. 2. de redditibus Eccleſiæ. * vna *à Bonagro 12. q. 2. de redditibus Eccleſiæ.

*xiiij. Anno Domini 475.

NOTÆ.

De diſpenſatione bonorum Eccleſiæ plura ſupra dixi in Notis can. Apoſt. 39. & in Concil. Gangr. can. 7. &c.

EPISTOLA IV. SIMPLICII ad Zenonem.

Extat apud Baron. anno 476. n. 9. & to. 1. epiſt. Ro. Pont.

ZENONI *Auguſt. Simplicius Epiſcopus.* Cuperem quidem, quantum ad meæ ſpectat deuotionis arbitriũ, qua Principes Chriſtianos iugi veneratione ſuſcipio, debita pietati veſtrę continuis officia deferre colloquijs: Sed cum ad huius intentionis augmentum etiam ſacræ cura religionis accedat: ratio mihi negotij potioris incumbit, vt ſimul honorificétiam vobis prona mente perſoluã, & cauſas fidei fideliter inſinuem: quia me ad vtramq; vel dicata trahit clementiæ veſtræ ſemper affectio, vel reſpectus ordinis mei & Apoſtolici moderaminis ſolicitudo compellit.

De Timothei immenſis ſcelebus.

Genes. 4.

Functus igitur glorioſiſſimè ac clementiſſime fili Imperator Auguſte, munere ſalutandi; quæ in Eccleſijs Orientis per hęreticorum latrocinia recidiua rurſus dicuntur ſcandala concitari, nec debeo ſilere, nec poſſum. Nam ſicur in meam notitiam ſeruentium pro fide Catholica detulerunt ſcripta monachorum, comperi Timotheum parricidam, qui Ægyptiacæ pridem vaſtator Eccleſiæ, in morem Cain (vt lectio diuina teſtatur) eiectus à facie Dei, hoc eſt, Eccleſiæ dignitate ſecluſus, etiam per deſerta vagus, ſceleratæ conſcientiæ diu tormenta paſſurus in exilium proprij erroris abductus eſt, reſumptis priſtini furoris incendijs, conflâſſe nihilominus agmina perditorum, & Alexandrinæ vrbis Eccleſiam, quam ſacerdotali prius ſanguine cruentauit, ipſum denuo nunc cruentum depulſione legitimi peruaſiſſe Pontificis: vt cui illa relegationis humilitas inijcere debuerit, ex jjs quæ impiè geſſerat, aculeum pœnitendi, nutriendi potius otia tribuiſſe videatur atrocioris inſaniæ: quo proculdubio Cain ipſo longè deteſtabilior approbatur: Ille ſiquidem à perpetrato ſemel facinore damnatus abſtinuit, hic profecit ad crimina maiora poſt pœnam.

Nec eo tamen ſcelerum fine contentus, Conſtantinopolitanam inſuper vrbem, recti ſemper dogmatis amore flagrantem (ne quid intemeratum populator humanæ ſalutis omitteret) ſertur audacter ingreſſus, & à ſuę conſortibus prauitatis libenter audiſſe ſoli Chriſto debitam vocem, qua planè non in nomine Domini venire benedictus, ſed diuini culminis vſurpator euidenter eſt monſtratus Antichriſtus: qui cum etiam à communione Catholica tam laudabiliter eſſet excluſus, per quorũdam priuatas domos, reſperſis humano ſanguine manibus, nõ diuina ſacrificia, ſed ſacrilegia celebraſſe memoratur: in quo vtiq; non eſt eius firmata ſuſceptio, ſed conſociorum diuulgata proditio, cum eodem de illa iniquitatis ſede, niſi reſipiſcant, omnimodè caſuros, quam ſicut diabolus pater eius, Altiſſimo ſimilem ſe faciens, æternam ſibi perfidus conſtruere non deſinit ad ruinam.

Hæc, venerabilis Imperator, cùm horreat animus vel à tanto gladiatore fuiſſe tentata, maximo tamen (fateor) ſtupore detineor, ſub veſtræ pietatis aſpectibus potuiſſe committi. Quis enim deuotam ſemper Deo clementiæ veſtrę mentem, & Orthodoxis deditã regulis aut ignorer, aut ambigat? quippe qui ſupernæ diſpoſitionis prouidentia, ſicut pro vtilitate publica Auguſtæ memorię Marciani pariter & Leonis eruditi virtutibus, ſic coram ſitis etiam ad Catholicam veritatem ſenſibus inſtituti; nec cuiquam omnino ſit dubium, pietatem tuam illorum eſſe fidei ſequacem, quorũ es ſucceſſor Imperij. Quæ cùm de veſtræ tranquillitatis animo certa ab omnibus teneantur & fixa, abſit vt temporib. veſtris, diuini cultus integritas, & antiquitus roborata fidei Catholicæ putetur interpellanda ſinceritas.

Imitanda proponit exempla Leonis & Marciani Impp.

Reſpicite, quæſo, ad diuina beneficia; quæ ſint vobis collata, perpendite: atque vt hæc proſpera valeant permanere; propitiandum eſſe cenſete auctorem muneris, nõ lædendum. Inter quaslibet enim occupationes publicas à religioſo Principe magnopere procurandum eſt, quod eius protegit principatum: & præferenda cunctis reb. eſt cœleſtis obſeruantiæ rectitudo, ſine qua recta nulla conſiſtunt. Suppetunt affatim clementiæ tuæ (ſi in Palatij ſui requiri mandet Archiuis) cùm noſtrorum coëuntium definitione maiorum documenta copioſa. Neque enim conſcientiam veſtram latere credendum eſt, quæ per cunctas prouincias Orientis ex Imperij veſtri arce diffuſa ſunt, illa ſcilicet, quæ vel ad Auguſtę memoriæ Marciani nihilominus & Leonis, vel ad Chalcedonenſis Concilij beatæ recordationis prædeceſſor meus Leo conſulta direxit: quibus ita planè ac dilucidè ſacramẽtum Dominicæ incarnationis expoſuit, vt non modò Catholicus, ſed ne Chriſtianus quidem valeat nũcupari, quiſquis illic redemptionis ſuæ cauſas non euidenter agnoſcat.

Curare ſtudet Zenonem epiſtola S. Leonis.

Certè vt facilis vobis neceſſaria non deſit inſtructio, earundem exemplaria literarum ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Acacium miſi veſtris ſenſibus offerenda. Hęc igitur pietas tua recenſere dignetur, vel quæ totius Orientis Epiſcopi de huius prædicationis conſenſione reſcripſerint: aſpiciet profecto examinata diligenter & veraciter promulgata, atq; ideo peſtiferæ falſitatis ambagibus nequaquam debere pulſari. Quia re vera quę de Scripturarum fonte puriſſimo ſincera perſpicuaque manarunt, nullis agitari nebuloſæ verſutiæ poterunt argumentis. Perſtat enim in ſucceſſoribus ſuis hæc & eadem Apoſtolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ouilis iniunxit, cui ſe vſque ad finem ſæculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam pręualituras eſſe promiſit; cuius ſententia quæ ligarentur in terris, ſolui teſtatus eſt non poſſe nec in cœlo.

Matth. 16.

Quapropter clementiam veſtram, cui mea vice propenſius frater & Coepiſcopus meus Acacius ſupplicabit, precor atque obſecro, vt imitatores facti tantorum & talium prędeceſſorũ, neſandæ præſumptionis operarios Catholico pectore reſpuentes, regia cenſeatis poteſtate cohiberi. Quiſquis (ſicut prædixit Apoſtolus) præter quã accepimus, ſeminare molitur, anathema ſit. Nullus ad aures veſtras pernicioſis mentibus ſurrependi pandatur acceſſus: nulla retractandi quippiam de veteribus conſtitutis fiducia concedatur. Quia (ſicut ſępius iterandum eſt) quod Apoſtolicis manibus cum Eccleſiæ vniuerſalis aſſenſu acie meruit Euangelicæ falcis abſcindi, vigorem ſumere nõ poteſt renaſcendi, nec in Dominicæ vitis fructiuam * valet redire propaginem, quod igni deputatum conſtat æterno.

Galat. 1.

* fructiferam

Si hæreſum denique machinamenta cunctarum Eccleſiaſticis proſtrata decretis nunquam ſinuntur oppugnatione eliſa reparari certamina: * ante omnia autẽ quæſo, vt B. Marci Euangeliſtæ ſedes (Alexandrinam loquor Eccleſiam) à cruẽtiſſimi prædonis incubatione liberata, Catholico reformetur Antiſtiti, libertatemque ſuam pariter recipiat & quietem. At verò impius paricida, qui diuinis ſimul eſt reus legibus & humanis, reductus eodem quò iure fuerat antè detruſus, ab innocentium nece retrahatur animarum: procul à regno pietatis veſtræ funeſti capitis venena diſcedant: quę quoniam ſalutiferæ prædicationis, auribus obturatis, medicantia verba capere nequiuerunt; ab humani conuentus abducta pernicie, in virulentię ſuę congrua ſolitudine contabeſcant: quò magis ac magis B. Petri Apoſtoli voce, qualiſcunq; ſedis eius miniſter, obteſtor, vt inimicos antiquæ fidei non ſinas impunè graſſa-

*

De reſtituenda in priſtinum Eccleſia Alexand.

ri, qui vestros optatis habere subiectos; vt veræ confessionis pacem cunctas Domini seruare decernatis Ecclesias, qui Orbem vestri Imperij desideratis tenere pacatum; & vnicam spem salutis, quæ genus hominum ad regna cælestia vitamq; perducit æternam, nulla patiamini parte violari, qui placatum Deum regno vestro cupitis, vel saluti. Data quarto Idus Ian. Basilisco * Augusto Cons.

*& Armato Coss.

Notæ.

Occasio Epistolæ scriptæ.

Epistola.] *Cum Simplicius ex fidelissima relatione monachorum Constantinopolitanæ Ecclesiæ accepisset, Timotheum Aelurum, scelestissimũ Alexandrinæ Ecclesiæ inuasorẽ, non solùm ab exilio solutum fuisse; sed etiam libere Constantinopoli morari, ibiq; vires omnes pro hæresi propagãda insumere: Hanc epistolam ad Zenonem Augustum, cuius patrocinio ipse clanculo fouebatur, scripsit: adiungit patentem ad Acacium Episcopũ scriptam hac de re epistolam eidem Zenoni offerendam, ea quidem intentione, ne in transuersum ab hæreticis penitus ageretur. Et quanquam vni Imperatori omnis mali origo tribui deberet, vtpotè qui sacrilegum inuasorem Ecclesiæ, ab exilio cum honore reuocasset; tamen ipsi culpam adscribere prudentissimè dissimulat, vt ad pœnitentiam agendam commotum faciat patrati sceleris destructorem.*

Nota Cõsulatis mendosa.

In Consularem notam mendum irrepsit; nam loco Armati, *qui hoc anno, prout emendatiores Fasti testantur, cum Basilisco consulatum agebat, positum est nomen Augusti.*

EPISTOLA V. SIMPLICII AD Acacium.

Scribit Acacio, vt omni conatu obsistat Timotheo, ne Concilium vniuersale, quod ille apud Imperatorem agebat, habeatur.

Simplicius *Papa Acacio Episcopo Constantinopolitano.*

Quantum presbyterorum & ex diuersis monasteris Domino seruientium monachorũ relatione patefactum est, Ecclesias Domini rursus diabolus iniquietat; ita vt excluso Alexandrino sacerdote hæreticus, atq; ab vniuersitate damnatus eundem locum, de quo pulsus fuerat, occupasse dicatur: Insuper quibusdam fauentibus, Constantinopolim ausum fuisse contendere, vt ciuitas Christianorum Principum circa fidei Catholicæ veritatẽ deuotione præcellens, & Christiana plebs in defensione religionis attenta, hæreticorum prauitate, quæ iã fuerat sopita, turbetur. Sed misericordia Dei, cuius est causa, non defuit, vt Timotheus, qui ab vniuersali Ecclesia sacerdotalibus sentẽtijs & Imperialibus constitutis iustè fuerat segregatus, ad Ecclesiã tuæ dilectionis, vel ad Fidelium domorum limina non permitteretur accedere. Quem cõuentus nouos pro se didicimus comminari, resolui existimãtem, quod de se vniuersalis decreuit auctoritas. Vnde quia sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, nouis assertionibus non indiget edoceri; sed plana atq; perfecta sunt omnia, quibus potest vel deceptus ab hæreticis erudiri, vel in vinea Domini plantãdus institui implorata fide clemẽtissimi Principis vocem faciendæ Synodi fac repui, nec sit apud aures Imp. Christiani pigra suggestio; quia salus eius & regni ipsius Christus est fortitudo.

Ergo cum prædictis presbyteris ac monachis opportunè pietati eius nostro quoq; nomine supplica, & legationẽ hanc pro nobis quoque clementiæ ipsius, ne quid subrepatur, insinua: omnium pariter precib. instruatur, ne per occupationes publicas quieti Ecclesiasticæ aliquas inimicus moliatur insidias; integritati suæ Alexandrinam reddi præstet Ecclesiam, B. Marci Euangelistæ sede hostem parricidamque propellat; & qualiter Catholicæ fidei teneatur integritas, in penetralib. aulæ suæ dignanter inquirat. quæ ne aliqua forsitã fidei æmulorum fraude vitientur, licet in Ecclesiæ tuæ possint scrinijs inueniri: tamen exemplaria misimus, quæ pietati ipsius præparabis offerre.

Nota namque & omnibus illic potestatibus celebrata, quæ sanctæ memoriæ prædecessor meus Leo ad consultationem Augustę recordationis Leonis scripserit, & quam veneranter accepta sint recognoscant: appareat sic (vt confidimus) eius mitator fidei, cuius, propitiãte Deo, dignior est successor Imperij: sibiq; scriptum æstimet, quicquid ante se Principib. pia est traditum lectione. Illa est namque perennitas, regnicq; per seriem propagãda posteritas, sic in successore reperitur, quod à prædecessore descendit.

Occumenica Concilia quo occasione cogenda.

Hortor ergo, frater charissime, vt modis omnib. faciendæ Synodi peruersorum conatibus resistatur; quæ non aliàs semper indicta est, nisi cum aliquid in prauis sensibus nouum, aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: vt in communetractãtibus, si quæ esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas; sicut primum Arij, ac deinde Nestorij, postremum Dioscori atque Eutychetis fieri coegit impietas. Et (quod misericordia Christi Dei nostri Saluatoris auertat) intimandum est, abominabile esse, contra sententias totius Orbis Domini sacerdotum & Principum vtriusq; rectorum, damnatos reos restituere, reduci exules relegatos in causa nefariæ coniurationis absolui. Itaque (quod sæpè repetendum est) hæc omnia clementissimis auribus suppliciter intimato. Veniet procul dubio Deus in adiutorium vestrum, in cuius manu cor Regis esse retinens constitutum, potestatis suæ nesciat aliunde principium. Dat. 5. Idus Ian.

Notæ.

Epistola.] *Hæc est illa epistola ad Acacium scripta, quam Pontifex patentem & nondum obsignatam cum præcedente Epistola misit ad Imperatorem illo fine, & argumento, quo supra dixi.*

EPISTOLA VI. SIMPLICII AD Acacium.

Commendat Acacium, quod Timotheo Aeluro nulla Ecclesia Constantinopoli patuerit, hortaturq; eundem vt Imperatorem moneat, ne Chalcedonensis Concilij statuta violari permittat.

Simplicius *Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.*

Ex vetusto Codice Vaticano.

Cum filij nostri Illustris vir Latinus Patricius, & spectabilis Maduisius pro legatione publica mitterentur; negligere non potuimus, quod omni intentione curamus. Proximè namque cum presbyterorum & monachorum, de Timotheo olim ab vniuersali Ecclesia separato, querela venisset, tã Christianissimo Principi, quàm dilectioni tuæ scripsimus, vt modis omnibus resistatur, ne quid hæreticorum contra Chalcedonense Concilium moliatur audacia, frater charissime, & dilectionis tuæ laudando constantiam, multum nobis, immò ipsi Domino placere memorauimus, quòd damnatum hominem non solùm fidei, sed etiam parricidij causa nullam Constantinopoli Ecclesiam introire permiseris, quod nunc iterum commonemus, vt cum ad dilectionem tuam eadem scripta peruenerint, immò etiam donec veniant apud Christianissimum Principem, etiam nostro nomine agere suppliciter, atque insinuare non desinas, vt quæ totiens, & benè statuta sunt, nulla obreptione violentur: quia regni eius certum & singulare est firmamentum, vero atque æterno regi congregatorum in causa fidei diuino spiritu sacerdotũ illæsum conseruare Concilium.

Notæ.

Quas ob causas scripta.

Epistola.] *Hanc epistolam aliasq; nonnullas eiusdem argumenti, occasione publicæ legationis, quam misit Odoacer ad Zenonem, Acacio scripsit. Ex Vaticano Codice acceptam, primumq; tom. 1. Epist. Rom. Pontif. excusam, huc transtulimus cum sequentibus.*

(:)

EPISTOLA VII. SIMPLICII PAP. AD Presbyteros & Archimandritas Constantinopolitanos.

Clericorum ac Monachorum Constantinopoli degentium fidei constantiam cõmendat, cum Timotheum ad communionem non admiserint, illumq;, vt sæpè damnatum, ostendit non audiendum.

SIMPLICIVS *Episcopus, Presbyteris & Archimandritis apud Constantinopolim constitutis.*

Ex vetusto Codice Vaticano.

Per filium nostrum laudabilem virum Epiphanium literis vestræ dilectionis serius quàm voluistis acceptis, magno sumus dolore permoti, quòd illic intra Ecclesiam Dei scãdalorum recidiua nascuntur incendia, vbi toties auctoritate Apostolicæ sedis, & sententia synodi vniuersalis extincta sunt. Cui namque in toto terrarum orbe cum peruersitate dogmatum nefandorum Nestorij, Eutychetis Dioscoriq́ue damnatio, cui Timothei rursus Alexandrinæ Ecclesiæ peruasoris nõ est nota deiectio? Testis est anterius Ephesinũ, testis est recẽs Chalcedonẽse Concilium, quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium pronunciat se nõ haberi, cum prædictorum talis impietas auctoribus & principibus Christianis, non solùm ab Ecclesiæ corpore, verum à cœtu omnium exilijs segregata diuersis vnitæ sententiæ damnatione percussa est. De quorum nihil est nunc errore dicendum; quia post traditionem tãtorum domini sacerdotum, qui longè ante nos in vniuersa mundi partè has quoq; hæreses euicerunt, beatæ recordationis prædecessor noster Leo multiplici sermone doctrinæ, quid Catholicæ veritatis sequatur integritas, quid detestetur asseruit. Hac eruditione fundata, nõ contentione opus est, vt adhuc tanquam de dubijs iudicetur. Sed sicut dilectionem vestram gaudemus facere, firmis cõtra deiectos state vestigijs: nec vos aduersarius terreat, aut tardam putetis desuper venire victoriam: Cadere didicit, qui resultat. Breuiter hæc ad consultationem, imò etiam consolationem vestræ scripsimus caritati, volentes aliquos, quemadmodum cupitis, pro causæ necessitate dirigere, nisi ad omnem plenitudinem, non iam defendendæ, quæ solidæ iacta est fidei, sed repellẽdis hæreticis atq; damnatis illa sufficerent, quæ etiam ad sanctæ memoriæ Flauianum, atque ad sanctam Chalcedonensem synodum, vel ad Augustæ recordationis Martianum ac Leonem beatæ memoriæ antecessorem meum scripsisse retinetis, atq; totius Orientis Episcopi rescriptis ad principem tũc Leonem proprijs intimarunt. Vnde insolubile esse non dubium est, quod vel ante decreuerunt in vnum conuenientes tot domini sacerdotes, vel quod singuli per suas Ecclesias constituti eadem nihilominus sentientes diuersis quidem vocibus, sed vna mente dixerunt, damnantes errorum execrabilium auctores pariter & sequaces. Quapropter inter tot formas, quæ erectæ sunt prædicandi, nõ assertione noua, sed constantia nitendum est. Iam probatũ est, quid (Domino vos iuuante) profecerint labores vestri, Deo placitus fructus ostendit, quando eius domum vobis obsistentib. latroni introire non licuit, qui nonnullis occurrentibus sibi, latentes adhuc forsitan sui similes publicauit: non enim iunguntur bona pessimis, recta peruersis, nec possunt salutaria coire cum noxijs, quia luci communio nulla cum tenebris, nec infideli portio cum fideli. Vnde necessariò damnatorum comitabuntur exitum, qui talium delegêre consortiũ; nisi fortè respiscentibus animis, & maximè qui nuper decepti sunt, videtes in quæ abrupta sunt ducti, ad splendorem veræ fidei discussa conferant se nube mendacij, quod Apostolicæ Sedis pietate vt prouenire possit optamus, quia vitam in Domini voluntate cognoscimus, ad Christianissimum quoque principem, vel ad fratrem & coepiscopum nostrum Acacium competẽtia simul scripta direximus, cuius accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse quod tacuit. Vt autem plenius dilectio vestra cognoscat nostrarum, quas ad Christianissimum Principem misimus seriem literarum, exemplaria internuncio, quem misistis redeunte, direximus.

2. Cor. 6.

Data 3. Idus Ian. Cons. suprascrip.

EPISTOLA VIII. SIMPLICII ad Zenonem.

Gratulatur ei de recuperato Imperio, hortaturq́ue, vt Alexandrinum Episcopum sedi suæ restituat; & Leonis, & Chalcedonensis Concilij decreta seruari faciat.

SIMPLICIVS *Episcopus, Zenoni Augusto.* Inter opera diuinæ prouidẽtiæ, quæ pia semper, & iusta sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix quælibet humana lingua sufficiet. Quis etenim valeat vel cogitatione cõplecti, vel voce depromere, quod in ipso vtriusque rei laborantis articulo & votis publicis religionis sanctæ redidit vos quieti, nisi quod tanti consideratione miraculi clamandũ est cum propheta: hæc est mutatio dexteræ excelsi, quæ exaltantes semetipsos potenter humiliat, & humliantes se clementer exaltat: in quib. etiam si dispensationis supernæ sagacius mensura libretur, profectò euidẽter apparet, ideo per fidorum irrepsisse perniciem, vt fides clementiæ tuæ etiam inter aduersa probaretur; quantoq́ue magis rebus vrgeri crederetur infestis, tanto clarius vestra magnanimitas immineret, atque ob hoc mansuetudinis vestræ de Cõstantinopolitana Vrbe proueniſſe discessum, vt vniuersorum desiderijs expetiti, gloria maiore rediretis, vt ex cõtrariorum periculis, quod in vobis esset cunctis vtile nosceretur. Dauidicæ nimirum illius virtutis exemplo, qua singulari patientia cedens paululum furoribus parricidæ, continuo victoriam populorum precibus imploratus præstantiore fastigio est reuersus in regnum. Lætare igitur venerabilis Imperator, eos fuisse tuos hostes, qui extiterunt diuinitatis inimici, atq; gaude cum Ecclesia laborasse, & cum fidei Catholicæ libertate Imperium restitutum, atque vt in omnibus doceas causam tibi cum Deo esse communem, cuius ope viriliter fretus insiste; vt per quem publicos incubatores subegit, Ecclesiæ quoque depellat tyrannos. Sicut enim pietas vestra meritò recteq́ue cõfidit, illo nos tempore nihil aliud Deum nostrum suppliciter imploraſſe, quàm vt nobis Romani Imperij præsules quales nunc loquimur, redderentur; ita expectari cernis, vt huiusmodi vos esse ipsorum actuum qualitate monstretis. Respicite, quæso, Augustæ memoriæ Martiani, atque Leonis omni mundo conspicuam Catholica deuotione constantiam, & salubri cõsideratione perpendite, cum in eodem loco stare nequiuerint qui ab eorum rectitudine deuiarunt, successorem Regiæ potestatis legitimum, ac diuinitus attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator. Debes glorioſissime & clemẽtissime fili Imperator Augustæ memoriæ tantorũ virorum, taliumq́ue reuerentiam debes vices muneribus Dei. Ille te ad istorum reduxit Imperium, tu Deo istis similem redde famulatum. Et quia hæc B. Apostolo docente nos Petro, mea nuper humilitate prædicante, refutata sunt, à casuris, Deo fautore proficiant in regni soliditate mansuris. Ego quidem literis, quas vestra clementia destinauit, pignus immẽsum venerandæ religiositatis accipiens, & ingenti gratulatione respiro, & omnino nõ ambigo mentem vestram in rebus diuinis gesturã longè potiora quàm cupio, sed mei memor officij, in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore hortor alloquio, quia Imperij tui pariter & salutis affectu, illis te causis inhærere semper exopto, quibus solis & præsentis regni stabilitas custoditur, & æterni gloria comparatur. Vnde ante omnia precor, vt Alexandrinam Ecclesiam non minùs à funesto, quàm ab hæretico peruasore clemẽtiæ vestræ dispositionibus liberatam, Catholico ac legitimo restitui censeatis antistiti, eisq́; etiam, quos temeritate diabolica diuersis Ecclesijs ordinasse perhibetur iectis, rectæ fidei subrogari constituatis episcopos, vt sicut Remp. vestram à tyrannica dominatione purgastis, ita vbique Ecclesiam Dei ab hæreticorum latrocinijs atque cõtagijs exuatis; nec id potius præualere patiamini, quod iniquitas temporum, & eos, quos non solùm vestro Imperio, sed & in Deum quoq; rebellis spiritus concitauit; quàm quod tot, tantiq́ue Pontifices, & cum egregijs orthodoxisq́ue pontificib. vniuersalis Ecclesiæ decreuit assensus. Chalcedonensis Synodi constituta, vel ea, quæ beatæ memoriæ prædecessor meus Leo Apostolica eruditione perdocuit, intemerata vigere iubeatis: quia nec vllo modo retractari potest, quod il-

Ex vetusto Codice Vaticano.

Psal. 76.

Vera Imperatoris laus vt eius causa sit cum Deo communis.

lorum definitione sopitum est, nec vllatenus recipi totiens vno vndique ore damnatus: ipsa est quippe, sicut experti estis Catholica fides, quæ potētes de sede læsa depositi, & exaltandos humiles custodita seruauit. Quare satis agendum est pietati tuæ, vt qui huius tibi auctor est doni, sit ipse etiam propagator. Data 8. Idus Octobris post Consulatum Basilisci & Armati.

NOTÆ.

Epistola.] *Cum Zeno Imperator scelestissimum Timotheum ab exilio, quo illum Leo Imperator mulctauerat, post habitis omnium Catholicorum votis, spretisq; sanctissimi Pōtificis Leonis pijs admonitionibus reuocasset, & contra ipsum Christum Dominum in vrbem introduxisset, accidit iusto Dei iudicio, vt Basiliscus flagellū Dei & virga furoris Domini ad Zenonem puniendum imperium inuaserit, eoq; in exilium, vnde execrandum hæreticum reuocauerat, fugato, illud anno vno & sex mensibus tenuerit. Quibus euolutis, Zeno per huiusmodi vexationem nonnihil melior redditus, precibus & intercessione S. Protomartyris Theclæ, deiecto tyranno ad fasces Imperij redijt, scriptaq; statim ad Pontificē Simpliciū Epistola, orthodoxæ fidei Catholicæ professionem integerrimam edidit. Quam cum Pontifex magno cum gaudio accepisset, hanc illi gratulatoriam Epistolam reddidit, qua de recuperato per Dei gratiam imperio ei congratulatur, & vt amoto violento inuasore Timotheo, verum Alexandrinæ Ecclesiæ Antistitem exulantem sedi suæ restituat, hortatur. Inuasor sedis cognito Zelo Imperatoris, non exspectans sententiam Iudicis*, optauit sibi mortem, *inquit Liberatus, cap. 16.* & istud perseueranter orans, ab humana vita hausto veneno solutus est. *Ita in semetipsum iusto Dei iudicio vindex scelerum suorum insurrexit, cui Imperatores, qui præcesserunt iniquè admodum ignouerunt.*

Qua occasione hæc Epistola ad Zenonem Imperio restitutum scripta sit.

EPISTOLA ACACII AD SIMPLICIUM.

Simplicium de Alexandrinæ Ecclesiæ statu certiorem facit, scribens ob Timothei hæretici mortem, Petri Mogi eiusdem Ecclesiæ perturbatoris fugam, pacem Ecclesiæ redditam esse, ac Timotheum suæ sedi restitutum

DOMINO *Beatissimo sancto Patri Archiepiscopo Simplicio, Acacius.*

Solicitudinem omnium Ecclesiarum, secundum Apostolum, circumferentes, nos indesinenter hortamini, quamuis sponte vigilantes ac pręcurrentes: sed vos diuinum zelum solito demonstratis, statum Alexandrinæ Ecclesiæ certius requirentes, vt pro paternis canonibus susciptatis laborem, pijssimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum. Sed Christus Dominus noster, qui diligentibus se in bonum cooperatur, nostris cogitationibus insidens, & vnam nobis in his mentem, atq; eandem pro gloria sua esse cognoscens, omnem victoriam ipse perfecit, consortes nos cum tranquillissimo principe faciens, & Timotheum quidem decessorem, spirantem procellas, & Ecclesiasticam tranquillitatem (sicut apparuit) conturbantem, vitæ subduxit humanæ, dicens ei: Tace, & obmutesce. Petrum quoque, qui ab Alexandria more sisimiliter procellæ surrexerat, dissipauit, atque in æternam fugam (sancto Spiritu flante) conuertit, vnū & ipsum de his, qui olim fuerant damnati. Sicut enim in nostris archiuis inuentum est, & de vestris scrinijs, si dignamini requirere, poteritis agnoscere, quæ in tempore de eodem subsequuta, ab Alexandrino Episcopo Romam ad alterutrum sint relata. Qui Petrus noctis existēs filius, & operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium peragendum congruas, carū cooperator inueniens media nocte, adhuc iacente cadauere illius, qui paternos canones subuerterat insepulto, subrepsit in sedē, sicut ipse arbitratus est, vno & solo præsente, & eo, qui cōsors illius insistebat insaniæ, ita vt propter hoc maioribus supplicijs subderetur: nec, quod sperabat effectum est. Sed ille quidem de se ex parte vel minima iudicans, nusquam penitus omnino comparauit. Timotheus autem paternorum canonum custos, qui Dauidicæ mansuetudinis exemplo subditur, & vsque in finem patiens, atq; potestati propriæ restitutus à Christo, propriæ sedis honore lætatur: & spiritualium filiorum voces accipiens, gratiam curationis expectat, multiplicato in se honore à Christo principe sacerdotū: propter quem & tolerantiæ coronam sibimet religauit. Attētius igitur oret vestra Beatitudo & pro Christianissimo Imperatore, & pro nobis ipsis. Nihil enim prætermittitur eorū, quæ ad custodiam Ecclesiasticæ respiciunt disciplinæ. Vniuersam fraternitatem, quæ vobiscum est in Christo & ego & qui mecum sunt, salutamus. *Et alia manu*: In Domino cōserueris sanctissime & beatissime Pater.

1. Cor. 11.

Rom 8.

Marc. 5.

EPISTOLA IX. SIMPLICII AD Acacium.

Gratulatur Timotheum Alexandriæ Episcopum Catholicum suæ Ecclesiæ fuisse restitutum.

SIMPLICIVS *Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.*

Quàm sit efficax supplicantium Domino perseuerantia sacerdotum, & quàm iocūdo gratuletur affectu, studium quod defensioni fidei synceris mentibus exhibetur, literis tuæ dilectionis agnoscitur, quando post tanta certamina, quibus Dei misericordia in causa proprię religionis famulos & ministros suæ constituens potestati, probatissimos sibi fecit esse victores: si quidem Alexandrina Ecclesia diuino tandem iudicio liberata, in consortium c ōmunium nos aduocās gaudiorum, eum, qui ab hæretico fugatus fuerat, ad eius sedem redijsse testaris. Vnde animis exultantibus ad vniuersalis Ecclesiæ quietem Christo Deo nostro pro salute primum fidelissimi principis supplicamus, cui pro deuotione, qua cunctos anteuenit sacerdotes, pietas hæc diuina concedit, quæ nos liberos pro populis Christianis apud omnipotentiā cælestem præstat interpretes. Sicut ergo in reditu fratris & coepiscopi nostri Timothei gratulamur, ita eum commonente dilectione tua cupimus irreprehensibilem reperiri: quia meministi hoc, eum iamdudum fidelis præsulis non habuisse constantiam, quando ei, vt damnati Dioscori nomen inter altaria recitaretur, extortum est. Data 3. Idus Martij Ill. v. c. Consule.

Extrahit Codex Vaticanus

EPISTOLA X. SIMPLICII PAPAE, ad Zenonem Imperatorem.

Gratias agit, Timotheum Alexandrinæ Ecclesiæ restitutum eumque rogat, vt Petrum eiusdem Ecclesiæ perturbatorem expelli iubeat.

SIMPLICIVS *Episcopus, Zenoni Augusto.* Per Petrum virū spectabilem Comitem Placidiæ nobilissimæ fœminæ olim diuinorum exultatione munerum, triumphalis in Dño regni vestri gloria dilatatur, cum vniuersalis Ecclesiæ gaudio mediocritatis meæ literas obtulisse meminerim; nec inter vniuersos Catholicæ fidei sacerdotes opera Domini nostri vel solus potui tacere, vel primus: quia secūdum B. Paulum Apostolum, Ecclesiarum omnium curam sustinēs mihi summam gaudij, de reddita pro clementia vestra earum quiete specialiter vindicaui, quòd vos diuinitatis auxilio, deiectis religionis & regni hostibus meruerimus habere victores, & in vno eodemque próuentu Christo in nobis vbiq; vincente & cultus veræ fidei, & status est reparatus Imperij: quod vtrumque ideo fuerat (Diabolo se ad tempus interserente) turbatum, vt alterutrius aduersarijs dissipatis, præconia fierēt maiora vincentis; vnde tam præclaræ fructum virtutis adeptus cum lætitia vniuersalis Ecclesiæ nunc quoque, sine cessatione facio; tacere non possum gratias sine dubio perennes, quòd antiquę veræq; fidei in fratre & coepiscopo meo Timotheo Alexandrinam Ecclesiam reddidistis, cuius ad me nuper literæ commeantes, expulsa profanitate Eutychetis atq; Dioscori, damnatorum ad regendos orthodoxos B. Petri, & Euangelistæ Marci sedem (quod ante compertū est) se recepisse commemorauit; incitans nos volentes, vt hæc ipsa pietatis vestrę sensibus referremus. Vt ergo tranquillitas vestri perpetua & fixa sit regni, quietem, quam cunctis in memorata Ecclesia prę stitistis, peruigili protectione custodite; & quod iuuante vos Domino pro innocentium feciſtis salute animarum, religio-

Extrahit Codex Vaticanus

1. Cor. Romā Pontifex curam ..flinet.. nium ..clesiarum

siore studio, & diligentia attentiore protegite: quia non minoris est gloriæ, quod condideris seruare, quàm concedere; & omnib. est probatum, tantum vobis diuini fauoris impensum, quantum Christianæ religioni à vestra pietate est sedulitatis exhibitum. Et quamuis in omni parte regni sui profutura diuino cultui prouidētia vestra non desisteret curis publicis tranquillitatem Ecclesiæ præferre; precor tamen, vt quod per nos serio postulat, imò quod ipsi specialius supplicamus, Petrum Alexandrinæ Ecclesiæ peruasorem, & ob hoc iure damnatū, quia moliri quędam latens in Alexandrina (sicut ad nos scriptum est) ciuitate contra hæc, quæ à vobis sunt statuta memoratur; ad exteriora transferri pijssima præceptione iubeatis, ne aliquos modicæ fidei (quos facere perhibetur) inficiat, & ad peruersitatis suæ instrumēta traducat. Longè sint ab innocentib. pernicioſa cōtagia, vt per vos intra Dominici gregis ouile sit synceritas, quam sola tenere potest Imperialis auctoritas.

EPISTOLA XI. B. SIMPLICII PAP. ad Acacium.

Scribit Timotheum Alexandriæ Catholicū Episcopum à se veniam petijsse, quòd Dioscori nomen inter altaria timore ductus recitasset, & se ad Imperatorem literas dedisse, vt Petrum dictæ Ecclesiæ perturbatorem procul arceat.

Ex vetusto Codice Vaticano.

SIMPLICIVS *Episcopus, Acacio Constantinopolitano Episcopo.* Quantos & quàm vberes fructus constantiæ fidei, & deuotarum circa religionem Catholicam mentium semper habeat fortitudo; labor tuę dilectionis, & eorum, qui pariter repente diabolo iamdudum turbantur, ostendit. Nam cū Christi inimicus, & regni Christiani semper aulam mox casurus inuaderet, atque impia persecutione fideles Domini, plebemq; concuteret, oratione atque vigilijs sacrilega tentamenta superauit, & se victoria cælestis eo vsque porrexit, vt regressu religiosissimi Principis, Ecclesiæ quoque Alexandrinæ Catholicus redderetur Antistes, de quo mox cum exultatione diuinæ gratiæ gaudia nostra contulimus, & mutuis nos literis fecimus gratulari. Et licet lætitiæ ipsius nunquam sui defuerit plenitudo, tamē frater & coepiscopus noster Timotheus persecutione probabilior factus, pristini non immemor instituti, per fratrem & coepiscopū Esaiam, & filios nostros Nilum presbyterum, & Martyrium diaconum Alexandrinæ Ecclesiæ solemnia scripta direxit, quibus & illud quod ante perterritus de Dioscori nomine fecerat, se destruxisse memorauit, & remissionem ipsius erroris expetijt, nosq́ue de quiete fecit Ecclesiæ gratulari, expertus erga se quātum nobiscum tua caritas videt, quod in eo tunc reprehendimus nō inultum & recōciliatum sibi, nunc diuinæ miserationis affectum, frater cerissime, memoratis in Vrbe, quæ mox venerant, constitutis occasionem filij nostri Petri, viri spectabilis Comitis, quasi ex sentētia proficiscentis amplexi, tam nostro proposito, quàm petitione fratris & coepiscopi nostri Timothei, legatorumq; ipsius precibus, idipsum ad tuam voluimus peruenire notitiā, vt etiam nunc communium fieres particeps gaudiorum, & in prædictæ Ecclesiæ tranquillitate (quemadmodum diximus) laboris tui nobiscum carperes fructum, & Christianissimo & clementissimo Principi nostras literas offerens, super hac etiam re, vt & ipse quoque deuotionis & fidei propriæ donis, se Deo protegente lætetur, atque insistente caritate tua acrioribus studijs Catholicę religionis salutaria scripta mittēdo munire dignetur Ecclesias, ne (sicut experti sumus) in aliqua religione antiquus ille serpens totiēs excisi capitis virus effundat, & inficiendi aliquos occasionem (quod absit) rursus inueniat, prouida præceptorum suæ pietatis ordinatione disponat religiosis, & sicut euidentius approbauit Deo, se commendantibus legib. sanciat, ne vel in tenebris delitescant, & improuisi ambulantes in luce percutiant, & his, quos in fide pauperes esse repererint (quod Propheta testatur) insidietur vt rapiat. Petrum maximè, qui nōnullarum domorum, suiq; similium latebris confouetur; & quem zelo fidei ab episcopatu constituit submoueri, in exteriores terras abijci, sicut & nos pietati eius scripsimus, ad Ecclesiasticam pacem speciali præceptione decernat: quia rursus asseritur aliqua contra dispositionem fidei ipsius sine cessatione moliri. Quia igitur hæc opportunitate perlatoris fidissimi nos oportuit indicare, & specialius admonere, hortamur, vt cum internūcius remeare cœperit, vel si qua forsitan altera occasio reperietur, quamprimum nos facias certiores, & curam nostram sublenare deproperes. Vt autem perfecto gaudio gaudeāmus, idem frater & coepiscopus noster Timotheus exemplum libelli satisfactionis eorum, quos à Catholicæ fidei veritate Timotheus & Petrus vtrique damnati, damnationis terrore traduxerāt, veniam postulantes, ad nos pariter destinauit, sacerdotali pietate lapsis subuenire desiderans; quod diuinæ miserationis intuitu, quæ neminem vult perire, refutabile non putamus.

EPISTOLA XII. B. SIMPLICII PAPÆ ad Zenonem.

Hortatur, Vt Timotheum Alexandrinæ Ecclesiæ suæ opera restitutum protegat, & vt Petrum eiusdem Ecclesiæ per turbatorem longius expelli iubeat.

Ex vetusto Codice Vaticano.

SIMPLICIVS *Episcopus, Zenoni Augusto.* Proximè quidem cum ad Vrbem frater & coepiscopus mediocritatis meæ Timotheus Alexandrinæ vrbis Antistes nouato more misisset; victoriam vestræ fidei in eius restitutione cognoui. Pietate enim vestra fulta diuinitatis auxilio & imperij tranquillitas, & Catholicæ religionis splendorem suum scandalorum nube discussa recepit integritas: de quo me gratias post Deum clementiæ vestræ egisse reminiscor, & nunc quoque cultum vestro regno debitum silere nō potui, ne quodammodo viderer ingratus, si vobis qualibet opportunitate vel imperij vel Ecclesiarum laudare desisterem tot triumphos. Exhibens ergo debitæ venerationis officium, precor vt studiosius circa vniuersos rectæ fidei sacerdotes, & maximè circa Alexandrinum Episcopum, cuius certaminis & testes fuistis & iudices, protectionis impēdatis auxilium, & decernatis pijssimis constitutis Petrum sedis ipsius peruasorem (cui nec in Diaconatu suus potuit ordo constare) longius à tam præclara ciuitate relegari, ne infirmiores fidei & aliquos fortè seducat, & in eadē Ecclesia (quod absit) quæ sophistis scandala rursus exagitet. Probastis in corpore illum vobis dexteræ suæ dedisse præsidium, qui ad totius orbis gaudium, & in Ecclesiæ vniuersalis exultationem in vestra clementia Romanū seruat imperium. Data 10. Kalend. Nouemb. Ill. V. C. Consule.

EPISTOLA XIII. SIMPLICII AD Acacium.

Eadem quæ in superiori Epistola.

Ex vetusto Codice Vaticano.

SIMPLICIVS *Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.*

Proximè quidem dilectioni tuæ petentibus his, qui ad nos à fratre & coepiscopo nostro Timotheo Alexandrinæ Ecclesiæ Antistite directi fuerant, commune gaudium literis indicaui, & de fructu pijssimi operis, quod Catholicus memoratæ Ecclesiæ sacerdos est restitutus, pariter nos gaudere memoraui: quod nūc quoq; significare properauimus, vt agnoscēres gaudia silentium non amare; vnde semper exultans, & orationum communium cupiens vota sociari; hortor, frater carissime, vt rebus per clementissimum & Christianissimum Principem DEO auctore, compositis, diligentiæ solicitudo non desit: sed Petrus ab indebito sibi honore deiectus, in Alexandrina regione non sinatur habitare, sed procul extra terminos patriæ, sicut etiam nos popoſcimus, frequenti eum postules suggestione relegari; ne quos imperitorum prauitatis suæ persuasione seducat, & à Catholicæ tramite veritatis auertat. Quicquid autem de religiosissimo impetrabis imperio, cura tuæ dilectionis ad meam notitiam faciat peruenire, & nos actuum ad custodiam Euangelicę doctrinæ pertinentium det esse consortes. Data 16. Kalendas Nouembris, Ill. V. C. Consule.

Psal. 10.

Timotheus Alexandrinus sedi suæ restitutus occasionem dedit hist. 4. præcedentibus Epistolis scribēdis.

NOTÆ in præcedentes quatuor Epistolas.

Epistolæ.] *Timotheus Alexandrinus Episcopus in sedem restitutus, tres hosce legatos, Esaiam Episcopum, Nilum presbyterum & Martyrium Diaconum ex more antiquo ad Romanum Pōtificem ablegauit, veniam rogans delicti sui illius, quo gladijs Eutychianorum coactus, contra constitutiones Leonis Papæ nomen Dioscori apud altare recitauit. Et quanquam id monitus fecisset, non leue tamen facinus illud in tanto Pontifice videri poterat: insuper eadem legatione notum fecit, Petrum Mogum Alexandrinæ sedis inuasorem, qui fugam captasse videbatur, in ciuitate latitare, & secretorem agere seducente multos, & cladem illius Ecclesiæ gnauiter procurare: adeoq; necessarium hic videri, vt ad hæc pericula tollenda, longius in exilium pelleretur. His acceptis scribit Imperatori & Acacio Episcopo Simplicius Papa, petens hoc sedulo curari, vt quamprimum homo sceleſtus longius in exilii detrudatur: ideo inprimis, quod Episcopum Alexandriæ ageret, quem nec dum Diaconum ordinatum esse constaret. Vide Baron. an. 478. num. 9. & seqq.*

EPISTOLA XIV. B. SIMPLICII PAP. ad Zenonem.

Laudat Imp. solicitudinem in his puniendis, qui Antiochiæ in Episcoporum cædes conspirauerant: Dolet, suas ad Acacium literas executioni non fuisse mandatas, & Antiochenæ Ecclesiæ Antistitis electionem, Nicæni Concilij non obseruato decreto factam approbat.

Exvetusto Codice Vaticano.

SIMPLICIVS *Episcopus, Zenoni Augusto.* De Ecclesia Antiochena venerandos mihi semper vestræ pietatis apices gauisus accepi, quibus ingenito vobis studio Catholicæ religionis post defensionem fidei, quę vos seruat, ac custodit, impietatis audaciam, & sacinora apud Antiochiam perpetrata coercita reperimus. Exultantes vobis ineſſe animum fidelissimi sacerdotis, & principis, vt imperialis auctoritas & iuncta Christianæ deuotioni acceptabilior Deo fieret, & appareret integritas, cum hi, qui in episcoporum neces sacrilega cæde versati sunt, dignis iubentur perire supplicijs, in quo & quieti Ecclesiæ & vestro cōsuletis imperio, qua vindicata Dei contumelia vlciscentis est gratia, & conciliatur his diuini fauoris auxilium, quorum cura sacrilegium non reliquerit impunitum, sed vt loquar fiducialiter principi Christiano si præteritarum literarum, quas de Petri aliorumque nomine iamdudum ad fratrem & coepiscopum meum Acacium scripsisse memini, ordo teneretur, ad hoc non potuit peruenire, quod iure nūc meruit vindicare. Mandaueram namq; vt facta suggestione pietati vestrę prædictus vt & cæteri, qui per occasionem tyrannicæ dominationis inuaserant Ecclesias Dei, extra metas vestri pellerētur imperij, ne pestiferis sensibus quibusque simplicioribus ore sacrilego virus insunderent, & verbis impijs contra fidem orthodoxam innocentiores animas sauciarent, quod tum apparet, cum minus ista curantur, & leuia esse creduntur; actum est, vt (quemadmodum perhibetis) inter altaria, non iam plebs persuasionibus eorum, sed ipsi quoque præsules, & prædicatores fidei perirent funestis gladijs sacerdotes. Vde si quæ aliæ reliquiæ sub vestro reperiuntur imperio, eas vel nunc in exteriores terras iubete propelli, ne qua deinceps in eo sit necessitas, & causa supplicij; quia melius est aditum obstruxisse, quàm pœnam exegisse peccati: & quoniam seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedandas non aliter existimastis, nisi præter præiudicium venerandi illius Concilij Nicæni apud Constantinopolim ijsdem petentib. ordinaretur Antistes, quod in eius tantummodo persona sic memorastis assumptum, vt deinceps secundum definitiones patrum Oriēntali synodo creatio Antiocheni Pontificis reseruetur, nec haberi loco vultis iniuriæ, quod dissensionis gratia factum est auferendæ. Tenet hanc pietatis vestrę beatus Petrus Apostolus sponsionem, & Christianissimi fidelissimiq; principis mentem in hæc verba iurasse, quòd posthac in Antiochena Vrbe veteri more seruato à comprouincialibus suis episcopis ordinetur, ne quod nunc frater & coepiscopus meus Acacius verbis vobis est iubentib. exequutus, in vsum posteritatis veniat, & statuta patrum, quæ præcipuè præstastis illæsa, confundat. Vnde quæ à vobis amore quietis sanctè & religiosè sunt ordinata, reprobare non possumus, ne status Antiochenæ Ecclesiæ sub nostra dubitatione videatur ambiguus, præcipuè cum is, qui legitur ordinatus, testimonio clementiæ vestræ, & tanta sit prædicatione subnixus, vt in eo præter horum vulnerum dolorem posito possimus & Ecclesiæ quæ illum meruit, gloriari. Hæc repensis sermonibus & venerationis officio respōdere curaui, vt tantas hæreticorum fraudes & facinora diuinis & sæcularibus legibus persequenda, quæ sæpius probatis esse tam noxia, de memoria & conuersatione hominum iubeatis auferri, quorum impietas nulla, quantum videtis, potest auctoritate compesci. Data 10. Kalendas Iulias post consulatum III. V. C.

EPISTOLA XV. B. SIMPICII PAPÆ, ad Acacium.

Eadem quæ & in superiori.

SIMPLICIVS *Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.*

Clementissimi principis literis, tuæque dilectionis de sacrilega & funestissima cæde, quæ apud Aetiochiam facta est, sauciatus & nimium affectus mœrore, respondeo, astruens, si quæ iamdudum de Petro & alijs complicibus eorum scripseram, & vt pietati eius cum cæteris, qui aderant fratribus suggerere postularam, vt optauerat, ordinatum fuisset; hæreticorum temeritas ad tantum facinus non veniret; ne aliquid necessitatis existeret, vt non aliter prædictę subueniretur Ecclesiæ, nisi vt aliquid de iure eius curatio ipsa minueret. Quāuis enim profecerit ad quietem, quod Christianissimi principis iussione, vel sine præiudicio canonum à tua caritate fuerit Antiochenus Episcopus ordinatus, tamen non est sine inuidia factum, cuius cauendum deinceps etiam ille testatur, qui præcepit exemplum. In quo pietati eius gratias dignum est nos referre: quoniam ita gloriæ suæ moderatus est potestatem, vt fidelissima deuotione patrum regulis submittere quæ iuberet, nec in auctoritatem recipi quod sequenti constituit ætate prohiberi, vt scilicet in hac tantummodo persona, quam iussu eius & studio quietis Antiochenūbus, non tua vsurpatione Antistitem consecrasti, quod factum est necessitate sufficeret. In quo tuæ dilectionis non irrationabilem cognoscimus fuisse famulatum: quia Ecclesiarum iura respiciens, diu te non immeritò suspendisse testaris, ne videreris ambire quod tanto Principi, & in tam graui causa non poteras abnegare. Quapropter, frater carissime, institutorū veterum, quæ in te sunt probata non immemor, sicut veniale iudicare non peruides quod tibi certum est imperatum, ita ipse dās honorem patribus, labora ne necessitas sit vlla faciendi quod optas nūc satisfactione purgari.

NOTÆ in præcedentes duas Epistolas.

Dum vindicatur Deo facta contumelia consulitur imperio.

Papa dispensat cōtra canonem Con

Epistola.] *Auctore & impulsore Petro Fullone Cnaphæo, quem Zeno Imperator ab ipso throno deiectum, in Antiochena Ecclesia nimis inconsultè degere versariq; permisit, Eutychiani ibidem nouas turbationes cruentasq; seditiones vicissim concitarunt. Nam cum Stephanus orthodoxus Episcopus, vna cum suis in magna Ecclesia sacram synaxim solemniter celebraret, Petri Cnaphæi omnium hominum perditissimi soboles Eutychiana, confecto agmine, exertis gladijs furentes ingressi, in Dei sacerdotes sæuientes, eosdem sæuissimè trucidarunt, sanctissimumq; ipsum Antistitem Stephanum, in quem potissimum maiore odio astuabant & ira incensi corripientes ad necem vsque atrocissimis tormentis confecerunt. De quo ex Ioanne Rhetore suorum temporum accuratissimo scriptore Euagrius, libr. 3. cap. 10. hæc scribit.* Petro Ecclesiæ Antiochenæ exturbato, Stephanus illius sedem capessit, quam triennio in hunc vsque annum tenuit. Hunc *subdit*, Antiocheni calamis ad similitudinem hastarum præacutis, vti scribit Ioannes Rhetor, confecerunt. *Corpus eiusdem in Orontem amnem proiectum ex eodem Ioanne scribit Nicephorus libr. 15. cap. 18. Postquam vero Zeno Imperator missis Antiochiam militibus vltoribus, de sacrilegis homicidis*

Eutychiani quasdam auctore Petro Fullone Antiochia concitarunt.

Stephanus Antiochiæ occisus.

debitas

debitas pœnas sumpsisset, iussit, vt Antiochenus futurus Episcopus, Cõstantinopoli eligeretur : idq; ideo vt paci & quieti eius ciuitatis prospiceret: timebatur enim obducta cicatrix in vlcus vicißim eruptura, si de antistite deligendo Antiochiæ comitia haberentur. Electus est Constantinopoli Stephanus iunior, sed cùm id præter regulas Ecclesiasticas, & antiquam Antiochenæ Ecclesiæ consuetudinem accidisset, vtpote quæ non nisi in Concilio omnium Syriæ Episcoporum Antiochenum Episcopum ordinare soleret, Zeno Imperator literas ad Pontificem scripsit, quibus ea quæ gesta erant, à Romano Pontifice rata haberentur. Pontifex respondit se factam ordinationem libenter ratam habiturum, modo exemplum hoc extraordinarium posteris nihil præiudicij adferat, idq; Imperator iuramẽto promittat. Ita nouo & prorsus inaudito exemplo contigit, vt qui à totius Syriæ Episcopis ordinari soleret Antistes Antiochenus, agente Imperatore, & ratum habente Pontifice Romano Stephanus Iunior ab Acacio Constantinopolitano Episcopo ordinatus fuerit. Accidit etiam hac occasione, quod sicut latens humor malus, cùm à natura in cutem transmittitur, leui confricatione pruritus mordacior excitatur: ita planè ambitio primatus quæ in Acacio hactenus latuit, hoc facto magis magisq; incensa appetitu primatus illo vehementiorem ingeßit, vsque adeo vt famis seu potius explendæ rabiei causa custodita canonũ claustra ruperit, & vincula Catholicæ communionis fregerit, & se suosq; posteros præcipites dederit, vt infra suo loco dicemus. Vide Baron. an. 479. n. 1. & 2.

Stephanus iunior Constantinopoli cur electus?

Qua occasione Simplicius ad Zenonem scripserit.

EPISTOLA XVI. B. SIMPLICII PAPÆ ad Acacium.

Calendionis Antiocheni Episcopi electionem confirmat.

Ex vetusto Codice Vaticano.

SIMPLICIVS *Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.* Antiocheni exordium sacerdotis, qua ratione fuerit serius indicatum, quamuis minimè nos latere potuerit, tamen & ipse vel synodus ipsius indicauit. Quod sicut non optauimus fieri, ita faciles excusationi, quam necessitas fecit extitimus, quia quod voluntariũ non est, vocari non potest in reatum: & ideo per fratrem & coepiscopum nostrum Anastasiũ, qui ex prædicta regione directus est, litteris quoque tuæ dilectionis acceptis, alterni vicissitudinem sermonis tuæ reddidimus caritati, necessario fratris & coepiscopi nostri Calendionis sacerdotium gremio Apostolicæ Sedis amplexi in consortium nostrum per gratiam Christi Dei nostri tãtæ vrbis Antistitem collegij vnione numeramus. Miramur autem nihil nos de statu Antiochenæ Ecclesiæ te instructe didicisse, quem nunc ita habere se comperimus, vt improbi per occasionem obitus sanctæ memoriæ Timothei, eandem Ecclesiam conẽtur habere captiuam. Vnde agendum est dilectioni tuæ cum clemẽtissimo principe, ne conuellatur sub eius imperio, quod tyranni temporibus potuit obtineri. Data Idibus Iulijs, Seuerino V. C. Conſ.

NOTÆ.

Stephan⁹ Antiochenus quãdo mortuus?

Epistola.] *Anno Redemptoris nostri 482. sub Consulatu Seuerini Stephanus iunior Antiochenus Episcopus tertio anno sedis suæ ex hac vita migrauit, collectaq; ibidem synodo vicinorum Episcoporum, electus est in eius locum Calendion Episcopus, qui, vt testatur Euagrius lib. 3. cap. 10. omnes se conuenientes reducebat, vt tum hæretico Timotheo, tum literis Basilisci generatim ad omnes scriptis, anathema dicerent: quiq; Zenonis permissu, magni illius Eustathij Antiocheni Episcopi, de quo in Notis Nicæni Concilij supra egimus, sacras reliquias Antiochiam transtulit. Ad hunc in sede Antiochena confirmandum missum esse Anastasium Episcopum, eumque Calendionis electi confirmationem ab Apostolica sede impetrasse Simplicius Papa Acacio Constantinopolitano renuntiat. Quid post hæc Acacius? Calendionem criminis læsæ maiestatis reum, adeoq; Episcopatu indignum esse denunciat; tum quod factiosis quibusdam, vt ait Euagrius, cõtra Zenonem adhæsisset; tum etiam quod nomen eiusdem Zenonis è Dyptichis abstulisset. Gelas. epist. 11. ad Dardanos. Ita qui confessorem Eustathium in nomine Confessoris recepit, sustinendo exilium confessionis gloriam est consecutus.* Post amotum Calendionem, *subdit Euagrius cap. 16. præd. lib.* Petrus Fullo cognomento Cnapheus, qui ante Calendionem & Stephanum Episcopus fuit Antiochiæ, perperam sedem recuperauit: *eaq; per vim & dolum vicissim occupata, Theopaschitarum hæresim sæpe damnatam palam non tantum promulgauit; sed ipsi etiam sanctißimæ Trinitati in trysagio hymno crucem adscripsit, verbo & opere docens, non vnam tantum personam: sed totam sacrosanctam Trinitatem passam esse. Vnde quàm vehementer Orientalis Ecclesia turbata fuerit, infra dicetur. Vide Baron. an. 482. n. 1. 2. 3.*

Calendiõ ei substituitur.

Acacius Calẽdionem de crimine læsæ maiestatis accusat, & episcopatu amouet.

Petr⁹ Fullo eidẽ substituitur.

Timotheo Alex. Ioannes substituitur episcop. orthodoxus:

Sanctæ memoriæ Timothei.] *Timotheus Alexandrinus Episcopus Catholicus an. 492. diem obiit, cùm sedisset annos 23. Liberat. c. 16. Ab Episcopis Aegypti in vnum coeuntibus communi consensu Ioannes homo orthodoxus in locum eiusdem surrogatus fuit. Missa est legatio, quæ Electionis confirmationem peteret. Huius legationis relatu cùm statũ Antiochenæ Ecclesiæ Pontifex cognouisset, cumq; Acacius subdole & malitiose subticuisset, sequentem illi epistolam 17 scripsit, qua eum non immerito redarguit, quod de rebus tanti momenti nihil scripsisset, cùm ex credito sibi Vicariæ præfecturæ sedis Apostolicæ officio illud facere debuisset.*

Occasio Epistolæ.

EPISTOLA XVII. B. SIMPLICII PAPÆ ad Acacium.

Conqueritur vnà cum Imperatoris litteris ab eo litteras non accepisse, & Imperatorem, Petrum hereticum in Alexandriæ Episcopum petere, dum ipse paratus esset Ioannem confirmare : demum precatur vt Imperatorem moneat, ne hæretico iam damnato faucre velit.

Ex vetusto Cod. Vaticano.

SIMPLICIVS *Episcopus, Acacio Episcopo Constantinopolitano.* Miramur pariter & dolemus, ita in tuæ dilectionis animo dissimulatam lacerare curam caritatis & fidei, vt cùm Christianus Imperator pietatis & religionis instinctu affandi me, & de causis Ecclesiasticis consulendi fideles atque solertes internuncios destinaret, ipse & alternæ gratiæ & vigilantiæ pastoralis oblitus nec alloqui nos volueris, nec de his, quæ ad Catholicæ veritatis custodiam pertinebant, duxeris instruendos: atq; ideo, frater carissime, quæ non immeritò cernis libera affectione culpari, potiore diligẽtia repensando, cognosce proinde delegatum tibi munus impẽdens, sensus tuos prudenter attolle, & pro tuendis Chalcedonensis synodi constitutis vehementer inuigila, ne per negligentiam desidiamque nostrã subrepatur gregibus Domini letale dispẽdium. Nuper ab Ægyptia synodo, quæ & numero plurima, & fidei Catholicæ esset cõmunione suffulta, atq; ab ipso omni propemodũ Clero Alexandrinæ sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memorię fratrem quendam & coepiscopum nostrum obijsse Timotheum, inq; eius vicem, consona fidelium voluntate Ioannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum, vt nihil omnino restare videbatur, nisi vt Deo nostro gratias agentibus nobis, atq; gaudentibus, vt sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministeriũ successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votiuam sumeret firmitatem, cùm ecce secundùm consuetudinem mihi talia disponenti tranquillissimi principis scripta sunt reddita, quib. memoratum tamquã periurij reum, quod fraternitati quoq; tuæ non esse diceretur incognitum, sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, & meam reuocaui super eius confirmatione sententiam, ne quid cõtra tantum ac tale testimonium prępropere fecisse iudicarer. Sed illud me non mediocriter fecit attonitum, quòd ijsdem litteris suis Petrum, qui hæreticorum socius dudum extitisse probetur & princeps, quod conscientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, instructioneq; ipsas, quibus fuerit confutatus, nosse confidimus, quemq; etiam dubium non sit adhuc extra communionem durare Catholicam, sæpecj; nos de eodem ex illa vrbe pellendo scripsisse sit certum ad præfatæ Ecclesiæ regimen existimet prouehendum, cumque promittat rectæ fidei definitionibus conuenire, à cuius vtique (sicut superius dixi) consortio tam degit extraneus, quàm ab eius cõmunione discretus est, ad quã si nunc redire contendit nisi per satisfactionem Christianis regulis competentem non potest introire, ac perinde non ad fastigium sacerdotalis dignitatis accedere; sed medelæ, quæ post pœnitudinẽ præbenda est, consequenter aptari animæ suæ cupiens, recõciliatus auxilium, nó gradũ summi honoris affectans, qui diu conuincitur

Alexandrinę ecclesię episcopũ rom. Pont. cõfirmat.

Hæretico non patet aditus ad munera ecclesiastica, nisi præcedat satisfactio

fuisse peruersus, ne per speciem remeantis nõ remedium synceræ saluationis inquirat, sed facultatem propagandæ prauitatis inueniat. Quo facto non hunc magis ab errore detrahimus, quàm perniciem fidelibus irrogamus: eoq; modo Chalcedonensis synodi statuta violantes, aditum sæua copulatione grassandi in Ecclesiam lupis rapacibus aperimus. Denique ab eisdem ipsis, cum quibus olim à Catholica participatione diuisus est, Pontifex dicitur postulari, vt satis euidenter appareat, non eos rectam fidem velle, sed in præsule proprio nefandi dogmatis quærere potestatem, neque inter ipsos & veraciter sentientes, pax inde possit fœda generari. Vnde hæreticarum mentium crescit funesta damnatio, & Catholicorum succedit miseranda captiuitas. Tantis igitur malis, atque periculis pro sacerdotij qualitate, & Catholicæ prædicationis intuitu, vt qua potes ratione sapienter obsistas, maximis vndique rebus astringeris: nec dilectioni tuæ fas est id segnius operari, quod ad animæ tuæ causam honoris, æstimationisque respectum non dubitas pertinere. Opportunitatibus ergo repertis, clementissimi Principis voluntatem incessabiliter pro fide Catholica supplicando, & ab his sedulò reuocare quæ nociua sunt dogmati Christiano, & secundùm hæc, quæ mandamus, informare crebro inque eam partem, quæ amica sit veritati, potius instare non desinas, & (vt sanctum Timotheum venerandus Apostolus Paulus instituit) opportunè, importunè obsecrando, insinuando, exponendoque nullatenus allegare cessabis, & nobis subinde quæ gerantur, quæve gerenda sint veraciter indicare, vt creditorum tibimet dispensatione Dominica talentorum, in hac multiplicatione fidelis seruus ostendaris, si non tantùm in Ecclesia, cui præsides, sed vbicunque potueris pro vnitate Catholica, & pro paternis definitionibus suadere non renuas. Data Idibus Iulijs, Seuerino V.C. Consule.

2. Tim. 4.

NOTÆ.

Ioannem Orthodoxum Alex. Episc. Zeno amouit eique Mogum substituit.

Qua occasione hæc epistola scripta sit, dixi supra in Notis epist. 15. verbo Sanctæ memoriæ Timothei. *Surrogatum in locum Timothei Ioannem, Zeno Imperator impulsu Acacij Episcopum amouit, eiq; nefandum illum Petrum Mogum ante deiectum hæreticum substituit, eo pratextu quod periurus esset Ioannes: vtpote qui iurasset non futurum, vt pateretur se aliquando in Alexandrinum Episcopum eligi. Vide Baron. an. 482. n. 11. & 12.*

EPISTOLA SIMPLICII AD Acacium.

Mirari se ait, Acacium de Alexandrinæ Ecclesiæ vexationibus nequaquam se monuisse: hortatur autem, vt Imperatori insinuet, vt eidem Ecclesiæ pax optata reddatur.

DILECTISSIMO *fratri Acacio, Simplicius.* Cogitationum serias non habemus, nec enim quiescere nos causa permittit, quam si relinquamus, apud Christum Dominum nostrum, cuius interest, excusabiles sumus. Et mirum est, dilectionem tuam tot emens is tẽporibus, & tot opportunitatibus inde venientibus, nihil nos de Alexandrina Ecclesia, quæ tam grauiter quatitur, instruere voluisse; cùm monere te nec increpatio nostra destiterit, vt, participata solicitudine, litteras meas apud Christianissimum & clementissimum principem, præsentibus tuæ dilectionis prosequereris alloquijs, & instituti veteris memor in orthodoxorum defensionem nobiscum sic semper incumberes, ne quisquam nostrum, Christiana plebe pereunte, reatum deditionis incurrat, & mercenarius potius videatur esse, quàm pastor. Vnde hortamur dilectionem tuam, vt opportunè atque importunè pijs auribus insinuare non desinat, quatenus remotis scandalis, quæ in Alexandrinam ecclesiam recidiuis ausibus irruerunt, pax optata reddatur, & celeriter vigilantiæ tuæ profectus, posthabitis difficultatibus, inducatur. Data viij. Idus Nouemb. Seuerino consule, *directa per Restitutum.*

Quare & quãdo ad Acacium scripta?

NOTÆ.

Epistola.] *Perbreues hasce & aculeatas literas postremas ad Acacium dedit Simplicius, quibus illum aduersus hæreticos ad prælium euocare conatur; sed frustra, vtpote qui transfuga factus in castris aduersariorum militet, sollicitéq; apud Imperatorem agat, vt duo venenati colubri, truculentæ bestiæ & faces hæreticorum, Cnapheus & Mogus Antiochenæ & Alexandrinæ sedi obtrudantur, legitimiq; possessores Calendion & Ioannes Episcopi inde expellantur.*

TVRONICVM CONCILIVM PRIMVM TEMPORE HILARII PAPÆ. EST Prouinciale.

TVRONENSE CONCILIVM PRIMVM, ET ILLIVS CANONES. Estque Prouinciale.

SEVERINO viro clariss. consule, sub die 18. Kalend. Decemb. cum ad sacratissimam festiuitatem, quo domini Martini receptio celebratur, in ciuitate Turonorum beatissimi sacerdotes, quorum subscriptio subter adiecta est, venissent, necessariò crediderunt, vt quia per longam incuriam, in aliquo de rebus ecclesiasticæ disciplinæ regula fuisset vitiata, diffinitionem suam, quæ cum patrum authoritate concordat, præsentis scripturę emanatione firmarent, nõ quę priùs illicitè permissa sunt, reuoluentes, sed in posterũ vniuersorũ vtilitati prospicientes, vt secundùm euangelica præcepta & apostolicam doctrinam, patrum statuta seruantes, Ecclesia Domini pura & immaculata permaneat. A.D. 461

Capitulum Primum.

Primo ergo loco, sacerdotes vel ministri Ecclesiæ (de quibus dictum est, Vos estis lux mundi) ita in omni sancta cõuersatione à Dei timore actus suos dirigant, vt & diuinæ possint placere clementiæ, & bonum fidelibus præbeant exemplum: quia sicut væ eis interminatur, per quos nomen Dei blasphematur, ita illi immortalitatis gloriam consequentur, per quorum actus nomen Dei benedicitur. Si enim vniuersis fidelibus, secundùm Apostolicam doctrinam, castitas custodienda indicitur, vt qui habent vxores, ita sint, quasi non habentes: quanto magis sacerdotes Dei, ac Leuitæ diuino mancipati altari, custodire debent, vt non solùm cordis, verùm etiam corporis puritatem seruantes, pro plebe supplicaturi, preces illorum ad diuinum mereantur introire auditum? quia secundùm authoritatem Apostoli, qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Et iterum: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum: sed polluta est eorum & mens & conscientia. Cùm ergò laico abstinentia imperetur, vt possit orationi vacans, & Deum deprecans, exaudiri: quantò magis sacerdotibus vel Leuitis, qui omni momento parati esse debent in omni munditia & puritate, securi, ne aut sacrificium offerre aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur imparati aut immundi? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, qua fronte excusabunt, quo pudore vsurpabunt, qua conscientia, quo merito exaudiri se credent? Mat. 5. Leuit. 21. & Esa. 1. Cor. 7. Rom. 8. Tit. 1. 1. Cor. 6.

2 Et licèt à patribus nostris è commissa authoritate id fuerit constitutum, vt quicunque sacerdos vel Leuita, filiorum procreationi operam dare fuisset conuictus, à communione Dominica abstineret; nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, & iusta constitutione mollientes, id decreuimus, vt sacerdos vel Leuita coniugali concupiscentię inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non conscendat, neque sacrificia Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Sufficiat his tantùm, vt à communione non efficiantur alieni. Sed vt hæc valeant * obseruare, fomitem omnium vitiorum oportet abscindi, Apostolo præcipiente: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et quàm graui ebrietas supplicio expietur, eadem Apostolica manifestat doctrina, inter cætera dicens: neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque ebriosos regnum Dei possessuros. Si quis verò in omni officio clericali Deo militans, * obserua Ephes. 1. Cor. 6.

ab ebrie-

ab ebrietate se non abstinet, secundum status sui ordinem cõpetens in eum vindicta *tribuatur.

3 Et quia nullum diabolo locum dari oportet, hoc præcipuè custodiendum decreuimus, vt nullam clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, ne vllum malè loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuant: quia frequenter per hanc indecentem occasionem contingit, vt diabolus, qui insidiatur sicut leo in cubili suo de ruina seruorum Dei exultet. Si quis clericus post interdictum Episcopi sui illicitis familiaritatibus extranearum fœminarum voluerit inhærere, à communione habeatur alienus.

4 Et vt clericus, cui datur nubendi licentia, internuptam non accipiat vxorem. Quod si fecerit, vltimum in officio clericali teneat locum.

5 Si quis verò clericus, relicto officij sui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

6 Qui verò se sacratis virginibus per coniunctionem nefandam miscuerit, vel propositum professæ religionis dereliquerit, vtrique à cõmunione habeantur alieni, (quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus) donec resipiscentes à laqueo diabolj, à quo capti tenentur, *ab ipsius voluntate ad auxilium pœnitentiæ reuertantur.

7 Homicidis penitùs non communicandum, donec per confessionem pœnitentiæ ipsorum crimina diluantur.

8 Si quis verò post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum, ita ad seculares illecebras, derelicta, quam professus est pœnitẽtia, fuerit reuersus, à communione Ecclesiæ vel à conuiuio fidelium extraneus habeatur, quò facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alij eius terreantur exemplo.

9 De præsumptoribus, etiam placuit obseruari; vt si quis Episcopus in ius fratris sui, suam conatus fuerit inferere potestatem, vt aut diœceses alienas, transgrediendo terminos à patribus constitutos peruadat, aut clericos ab alijs ordinatos, vel sanctimoniales promouere præsumat: ab vniuersorũ fratrum & consacerdotum suorum communione se alienum efficiendum non dubitet: quia, Apostolo docente, cognoscimus, nulla nos cum fratribus inordinate ambulantibus, & non secundùm traditionem à patribus constitutam, posse habere participationem.

10 Ordinationes verò illicitas, irritas *deuocamus, nisi per satisfactionem, quæ ad pacem pertinent, componantur.

11 Si quis verò clericus absque Episcopi sui permissu, derelicta Ecclesia sua ad alium se transferre voluerit locum, alienus à communione habeatur.

12 Et vt clerici non absque sacerdotum suorum commendatione ad alias prouincias siue ciuitates ambulare disponant.

13 Illud etiam secundùm scripturarũ authoritatem, vel patrum constitutionem addendum credidimus, vt ne quis clericus, qui negociandi studium habere voluerit, vsuras accipiat: quia scriptum est, Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Et alio loco. Et non defecit de plateis eius vsura & dolus. Manifestum est enim, beatitudinis non posse consequi gloriam, qui à præceptis diuinis deuiauerit. Et humilitatis nostrę constitutio, vt adiuuante Domini misericordia valeat custodiri, sancti ac beatiss. sacerdotis domini Martini, quæ Deo accepta est, obtinebit interessio. Cõfidimus enim, sacerdotum Domini consensu diffinitionem nostram firmandam, quæ cum patrum nostrorum authoritate concordat.

¶ Perpetuus Turonicæ ciuitatis Episcopus interfui & subscripsi. Victurius Episcopus Cenomannicæ ciuitatis, huic diffinitioni interfui & subscripsi. Leo Episcopus Biturice ciuitatis, interfui & subscripsi. Eusebius Episcopus Nanneticæ ciuitatis, interfui & subsc.* Amandinus Episcopus Cathalaunicæ ciuitatis, interfui & subscripsi. Germanus Episcopus Rothomagensis ciuitatis, interfui & subscripsi.* Arthemius Episcopus Rhedonicæ ciuitatis, huic diffinitioni interfui & subscripsi. Mansuetus Episcopus Britannorum, subscripsi. Iocundinus presbyter, iussu domini mei venerandi Episcopi, quia ipse non cerneret, subscripsi. Thalassius peccator, hanc diffinitionem dominorum meorum, ab ipsis ad me transmissam, in ciuitaticula mea relegi, subscripsi & consensi.

*arteeanus Epifc. 4.

1. Cor. 3.

*ad ipsius voluntatẽ ad

2. Pet. 2.

2. Thes. 3.

*denunciamus

Psal. 14. Psal. 54.

*Amãdus

*Anthemius.

Notæ In CONCILIVM TVRONICVM ALIAS TVRONENSE I.

TEMPORE SIMPLICII PAPÆ, ANNO Domini 486. celebratum in causa Ecclesiasticæ disciplinæ per Gallias reformandæ.

Concilium.] *In hoc Concilio disciplina Ecclesiastica barbarorum incursionibus in Gallijs laxata, tredecim canonibus est reformata. Causam cõueniendi dedisse sacratissimam illam festiuitatem, qua S. Martini receptio celebratur, acta referunt.* Causa & acta Concilij.

Turonicum.] *Sic dictum ab oppido Galliæ, cuius incolæ apud Tacitum & Cæsarem Turones appellantur. Sidonius nominat eam Turonem. Greg. Turonicam. Martinopolim à S. Martino huius vrbis Episcopo nominat Matthæus Vindocinensis in sua historia Tobiæ.*

Seuerino viro clarissimo.] *Anno Domini 482. qui est Simplicij Pontificus 15. & Zenonis Imperij 9. vt ex emendationibus Fastis constat.* Locus cõcilij.

Ad sacratissimam festiuitatem receptionis S. Martini, &c.] *De hac festiuitate Baronius, in Notis Martyrologij, die 11. Nouembr. hæc scribit. Existimamus autem hanc illam esse diem, qua post altercationes Pictauiensium conantium sibi vendicare corpus eiusdem sancti (Martini) à Turonensibus ipsum clam ablatum, atque nauigio impositum, magna omnium alacritate in Turonensem ciuitatem receptum est, vt scribit Greg. Turon. hist. Franc. lib. 1. cap. vlt. Vnde patet hanc Receptionem S. Martini eandem esse cum translatione: cùm videlicèt è prisimo loco peranguste in ampliorem basilicam eius venerandum corpus receptũ fuit. Hoc tempore basilicam ipsam absolutam fuisse, Sidonius, qui de ea carmen scripsit, satis admonet.* Tempus concilij. Festũ Receptionis S. Martini quod?

De Subscriptionibus.

Perpetuus.] *Perpetuus sextus Turonensis sedis Episcopus, is qui basilicam S. Martino Confessori dicatam, multo ampliorem reddidit. De quo Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 18 hæc scribit.* Basilicam S. Pontificis Confessoriſque Martini Perpetuus Episcopus dignissimus tanto prædecessore successor, multo priore quæ fuit hactenus capaciorem nouauit. Magnum est (vt ferunt) opus nominandumque, quod in honorem talis viri factum, talis vir fecisse debuerit. Huius me parietibus inscribere supradictus sacerdos hoc epigramma compellit. *&c. De ieiunijs & vigilijs sacris ab eo institutis, hæc Greg. Turon. lib. 10. hist. Franc. cap. 30.* [*Hic instituit ieiunia vigiliasq;, qualiter per circulum anni obseruarentur, quod hodie quoque apud nos retinetur scriptum.*] *Postea subsequitur ordo & temporum & locorum, quibus singula ieiunia & vigilias haberi volebat. Sedit (teste Greg. prædictis locis) annis triginta. Huius natalis dies anniuersaria celebratione in toto orbe Occidentali recurrit sexto Id. April. Baron. in Martyr. & annalibus an. 482. nu. 48. & seqq.* Perpetuus quis? Quid instituerit?

Victorius.] *His temporibus Victorium quendam Episcopum Cenomannorum Ecclesiæ præsedisse, non hinc tantum, sed etiam supra ex Concilio Andegauensi constat. Sit ne ille idem, qui secundum tabulas Demochar. lib de sacrificio missæ, S. Liborij eiusdem sedis episcopo, quinto ordine surrogatur, quiq; annis 24. mensibus 7. & diebus 13. sedisse, ibidem describitur, dubium fit & incertum ex eo, quod Beda in Martyrolog. scribit, hunc S. Martino notissimum fuisse, adeoq; Theodosij Imperatoris temporibus claruisse. De Victorio Cenomannorum Episcopo ait Gregor. Turonensis lib. de gloria Confess. c. 56. Eius acta manuscripta extare tradit Molanus. Victorium interfuisse Concilio Andegauensi diximus supra in Notis eiusdem Concilij sub Leone.* Victorius quis?

Leo. Thalassius.] *De Leone & Thalassio, vide quæ supra notauimus in Notis Concilij Andegauensis.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA FELICIS PAPÆ TERTII.

Ex libro Pontificali.

An. dom. 483.

FELIX natione Romanus, ex Patre Felice presbytero de titulo Fasciolæ, sedit annos 8. menses 11. dies 18. Hic fuit temporibus Odoacris regis, vsque ad tempora Theodorici regis. Hic fecit Basilicam sancti Agapeti iuxta Basilicam sancti Laurentij martyris. Sub huius Episcopatu iterùm venit relatio de Græcia, Petrum Alexandrinum reuocatum ab Acacio Constantinopolitano. Tunc venerabilis Felix Archiepiscopus sedis Apostolicæ vrbis Romæ, mittens defensorem cum Concilio sedis suæ, facto Concilio, damnauit Acacium cum Petro. Post annos tres iterum venit relatio ab Imperatore Zenone, vt pœnitens rediret Acacius. Tunc Papa Felix misit duos Episcopos, Misenum & Vitalem, vt si inuenirent complicem Petri Acacium, iterum damnarent eos, si non offerrent libellum pœnitentiæ. Qui dum introissent in ciuitatem Heracleam, corrupti sunt pecunia data suprascripti Episcopi, & non fecerunt secundùm præceptum Apostolicæ sedis. Venientes verò Romam ad sedem Apostolicam, venerabilis Felix Papa fecit Synodum: & facta discussione inuenit ambos Episcopos (id est, Misenum & Vitalem) reos, & eiecit eos à communione: Tunc Misenus Episcopus non se tacuit corruptum pecunia, cui Concilium concessit tempus pœnitentiæ. Hoc factum est tempore Odoacris regis. Hic fecit ordinationes duas in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros xxviij. diacanos v. episcopos per diuersa loca xxxj. Hic sepultus est in Basilica beati Pauli Apostoli. Et cessauit Episcopatus dies v. Et post transitum eius factum est à presbyteris & diaconibus constitutum de omni Ecclesia.

Notæ in vitam Felicis III.

Felix quãdo Pontifex factus?

Felix.] *Post interregnum sex dierum (quibus Basilius Prafectus Pratorio, Romæ Odoacris Regis vices agens, electioni Romani Pontificis, prout acta quartæ synodi Romanæ sub Symmacho referunt, seculares potestates ingerere conatus fuerat) anno Dom. 483. 8. die Martij creatus est Pontifex Felix, patria Romanus, atauus Gregorij magni prout ipse testatur hom. 38. in Euang. & 4. dial. c. 16. Initio pontificatus sui reiecit, proscripsit & execratus est impijssimi Zenonis Enoticon, id est pacis & reconciliationis vnitiuum edictum, quo homo laicus in Concil. Chalced. in Episcopos alios q3 orthodoxos anathema intulit, fidei noua decreta sanciuit, leges Ecclesiæ præscripsit, Doctores Ecclesiæ docere, nouumq3 fidei symbolum ipsis proponere studuit, quo demũ claues potestatis Ecclesiasticæ suffurans, in non obtemperantes anathema (proh scelus) intorsit. Hoc impijssimum sacrilegi Imperatoris edictum, impietatis seminarium, quod recitat ad verbum Euagrius li. 3. c. 14. non tantum proscripsit; verũ etiam subscribentes anathematis sententia condemnauit. Theod. coll. li. 2. Enoticon, id est vnitiuum nominauit, vt per huius professionem & subscriptionem hæretici cum Catholicis aliqua saltem specie vnirentur. Huius temporib. Vandalica persecutio, biennio antequam oriretur multis signis præfigurata, auctore Hunerico, excitata est in Africa, qua præter alias immunitates quater mille nongẽti sexaginta sex Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & alij Ecclesiæ clerici in exilium eremi ablegati fuerunt. Vict. li. 2. de persecut. Vand. Idem Hunericus omnes leges à Catholicis Imperat. contra hæreticos latas, per edictum sæuissimum in Catholicos conuertit. Quibus dã Catholicis persecutor supra nominatus præcepit linguas & manus dexteras præscindi, qui nihilominus Spiritu sancto præstante, ita locuti sunt & loquuntur, quomodo ante à loquebantur.* Sed si quis incredulus esse voluerit, *inquit Victor*, pergat nunc Constantinopolim & ibi reperiet vnum de illis subdiaconum Reparatum, sermones politos, sine vlla offensione loquentẽ, ob quam causam venerabilis nimiũ in palatio Zenonis habetur, & præcipuè à Regina mira eum reuerentia veneratur. *Ad cuius rei contestationem omni exceptione maiorem, Iustinian. Imperat. in constit. à se edita, de officio Prafecti Pratorij Africæ, ita ait:* Vidimus venerabiles viros, qui abscissis radicitus linguis, pœnas suas miserabiles loquebãtur. *Ne verò Tyrãnus Arianorũ Princeps, crudelitatẽ hanc impune ferret, iusto Dei vindicis iudicio accidit, vt cum amens sibi de fide Catholica prostrata triumphũ agendum esse putaret, ebullientibus toto corpore vermib. extinctus, diuinam vindictam expertus fuerit. Victor præd. loco. Gregor. Turon. hist. 2. c. 3.*

Zenonis Enoticon damnauit.

Persecutio wandalica.

Martyr alicuis precisa lingua locutus.

Cum Eutychiana hæresis, Alexandriæ & Antiochiæ per ipsarum Ecclesiarũ pseudoepiscopos & violentos inuasores Fullonem & Mogũ inualescеret, vna cum S. Matthæi Euangelio (quod sua manu descripserat, quo potissimũ vera humanitas Christi comprobatur, in opprobrium hæresis tunc inualescentis) corpus S. Barnabæ Apostoli, miraculosè inuentũ fuit. Theod. Lect. lib. 2. coll. Niceph. Cedrenus, Sigebertus, &c. Xenaias quidam genere Persa, fortuna seruus, necdum baptizatus se clericum fingens, primus Iconoclastarũ auctor, docuit temporibus hisce, venerãdas Christi sanctorum q3 imagines non esse venerandas. Niceph. li. 16. c. 27. Cyrola Episcopus Arianorum ad suã persidiam miraculo confirmandam cuidam suorũ persuaserat, vt se cæcũ esse simularet, & ad inclinationem Cyrolæ respiceret: sed accidit Deo cooperante ad confusionem perfidiæ, vt vere cæcum reddiderit, quem illuminare fingebat.

Huius pontificatu Petrus Fullo Antiochena sede ob hæresin & blasphemias synodali iudicio cõdemnatus moritur, Deiq3 Opt. Max. sententia iterato iudicio perstringitur. Anno Pontificatus Felicis sexto, Acacius Constantinopol. Episcopus, in anathemate perseuerans, homo ambitiosissimus & arrogãtissimus, qui suas ipsius viuentis imagines in Ecclesia dedicari passus est (vt est apud Suidam) à iudicio Ecclesiæ ad tribunal Dei Max. vocatus est: in locũ eius per summam improbitatẽ & fraudem succedit Flauius vel Flauianus hæreticus, atque hæreticorum communione pollutus, qui cùm non accepisset literas communicatorias, quas simulata fide Catholica à Roma. Pontif. expetierat, morte repentina post 4. menses sublatus est. Huic Euphemius surrogatur, qui quamprimum in sede Constantinopolitana collocatus fuit, Synodum Chalcedonensem approbauit; Petri Alexandrini communioni renuntiauit, eiusq3 nomen è Dyptichis expunxit; Felicis Papæ ab Acacio extinctũ nomen restituit. Et quia necdũ nomen Acacij è Dyptichis abstulisset, non, quas per synodicam expetierat, literas pacificas & communicatorias: sed tantùm commonitorias impetrauit. Liberatus Diac. c. 18. Euag. lib. 3. c. 23. Niceph. lib. 16. c. 19.

Petrus Moggus vastator & prædo Ecclesiæ Alexandrinæ moritur anno decimotertio occupati Episcopatus, qui est Felicis Papæ 9. Christi Redempt. 491. *Sufficitur ei Athanasius Herniosus impersidia & moribus successor, tanta sede tantoq3 nomine planè indignus. Euagrius, Nicephor. Liberatus præd. locis. De his plura in Notis Epist. & Conciliorum infra.*

Felix atauus S. Gregorij magni.

Hunc Felicem III. atauum S. Gregorij Papæ fuisse, sanctaq3 Tarsillæ neptis suæ apparuisse, eamq3 ad cœlestia regna vocasse, Martyrologium Romanum à mendis, quæ in illud irrepserãt, emendatum, testatur his verbis. Romæ (*die vigesimaquinta Februarij*) natalis S. Felicis Papæ tertij: qui S. Gregorij Papæ atauus fuit: de quo is refert, quod S. Tarsillæ neptis apparens illam ad cœlestia regna vocauit. *Verba Gregorij illud referentis hom. in Euang. 3. & dialog. lib. 4. c. 16. hæc sunt.* Tres pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt: quarum vna Tarsilla: alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. *Et paulò infra.* Quadam verò nocte huic Tarsillæ, quæ inter sorores suas virtute continuæ orationis, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singularis, grauitate vitæ venerabilis, & honore & culmine sanctitatis excreuerat (sicut ipsa narrauit) per visionem atauus meus Felix huius Romanæ Ecclesiæ antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni quia in hac te lucis mansione susciptio: Quæ subsequente mox febri correpta, ad diem peruenit extremum, &c.

Tempus sedis Felicis.

Sedit annis 8. mensibus 11. diebus 18.] *annis nimirum nouem, minus 12. diebus. Obijt enim 5. Kalend. Martij, anno Redemptoris nostri 492. Quare si ad initium & hunc finem Pontificatus aduertatur, prædictus annorum numerus reperietur.*

Odoacer extincto Occidẽtali Imperio factus est Rex Italiæ.

Fuit temporibus Odoacris.] *Odoacer Rex Herulorum à Nepotianis in odium Oresti, qui Augustulum filium suum Imperatorem appellauerat, in Italiam vocatus, occisis Oreste & fratre eius Paulo: relegato in Campaniam Augustulo, sublatoq3 Occidentali Imperio, factus est Rex Italiæ anno Domini 476. Sicut illi Sanctus Severinus Noricorum apostolus, sanctitate & miraculis clarissimus futurum prædixerat, dum ab Odoacre vilissimis pellibus induto visitaretur. Regnauit in Italia iuxta eiusdem Sancti Seuerini vaticinium annis tredecim integris & absolutis, atque à purpura, regalibus indumentis, & à nomine Imperatorio abstinuit: ita vt Ro-*

Quotomo no Occidẽtale Imperiũ defecerit?

manum imperium in Augusto inchoatum, in Augusto qui per contemptum Augustulus dicebatur, in Occidente defecerit. Hic Odoacer, quantumlibet Arianus esset, nullum, quod dignum est memoria, rebus sacris negotium fecit: conanti verò illi post ea Arianismum in vrbem inferre, Gelasius Papa magno animo restitit, vt infra dicemus. Cæterum iste, *inquit Ennagrius in vita S. Seuerini*, potitus iam Italia, sancto Seuerino familiares literas direxit, rogãs vt quicquid ab eo vellet, peteret: memor illius præsagij, quo eum quondã prædixerat regnaturum. Quibus sanctis alloquijs inuitatus, Ambrosium quendam exilio damnatum (*illum qui Brixiam à Barbaris oppressam liberauit*) iussit absolui. *Testatur Ennodius Diaconus Ticinensis in vita S. Epiphanij Episcopi Ticinensis, eundem Epiphanium petijsse pro suis ciuibus quinquennium indulgentiæ tributorũ, quæ Oroestes tyrannica potestate imposuerat, ipsumq; quæ ab eode Odoacre petierat, impetrasse. A Theodorico Ostrogothorũ Rege anno regni sui Italici 14. fugatus, & Veronæ victus est. Tertio certamine superatus Rauennæ, proditorie ibidem occisus est, anno Domini 493. Post hæc tempora Italia Ostrogothorum Regibus parut, vt infra dicemus.*

De Zenonis obitu infra dicemus in Notis ad vitam Gelasij.

Post annos tres.] *Constat infra ex Epistola VI. Felicis, qua continetur sententia in Acacium lata, & ex Notis Concilij Romani primi & secundi sub Felice infra, hos legatos ante damnationem Acacij deputatos & ablegatos esse. Falsum est igitur, quod scribitur hic, eos triennio post damnatum Acacium Constantinopolim missos fuisse.*

Vita Odoacri, Theodorici, eiusq; successorib. Ostrogothorũ Regibus Italia subiecta fuit.

Error libri Pontificalis.

EPISTOLA I. FELICIS AD ACACIUM Constantinopolitanum.

Ex Cod. Cresconii Biro. an 483. n. 21.

Optat sancta Synodus Romana, vt Zenonem Imperatorem inducat, ad emendandum sedulo studio ea, quæ aduersus Catholicam fidem hactenus perperam egisset.

Felicis ad Acacium Episcopum per Vitalem & Misenum Episcopos. Postquàm sanctæ memoriæ decessore meo Papa Simplicio de huius vitæ cursu superna præceptione migrante, ministerij quod regebat ad meæ humilitatis officium gubernacula peruenerunt: in diuersas generalis Ecclesiæ curas, quas vbique terrarum cunctis populis Christianis, summi Pastoris voce delegante, beatissimus Petrus Apostolus peruigili moderatione dispensat: continuò me solicitudo maxima, quæ & prædecessorem meum incessanter vrgebat, tam Alexandrinæ vrbis, quàm status fidei totius Orientalis regionis excepit: Hæc nos diebus noctibusque perstringens, ad dominum filium nostrum Christianissimum Principem per Vitalem & Misenum fratres & Coepiscopos nostros legationem compulit destinare: quæ vice mea pietati eius & debita præsentaret officia, & pro fide Catholica, maiorumque nostrorum seruandis constitutionibus supplicaret.

Felix redarguit Acacium de affectato silentio.

Hac igitur illo pergente, par fuit dilectionem tuam dilectis pariter salutare colloquijs, & consequenter hortari, vt aliquando tandem patrocinium causæ Domini communis impendas, nec despiciendum putes, quòd Christi confessione veridica, & vniuersalis eius Ecclesiæ definitione.... vel de pace concorditer.... si illius & honore cupis esse clarus & nomine. Fatemur enim secundùm Apostolicam vocem, magnam nobis inesse tristitiam & dolorem cordis nostris continuum cogitationibus, quas in die, procedentibus negotijs * sustinemus. In primis illud; quod dudum antè oculos ferè omnium vertebatur, occurrit: cuiusnam rei causa videlicet intercesserit, indica nobis, quòd dilectio tua non modò tantis opportunitatibus indesinenter exortis, verùm etiam sæpenumerò à decessoribus meis literis inuitata*, velut obstinato silentio, nunquam super hanc partem aut consulere quicquam voluerit, aut referre. Cumque nos aliquid temerè sinistrum (quod absit) de tua mente conueniat opinari: tamẽ quia venerabilium virorum, qui Ecclesiam, cui præsides, antè rexerunt, morem formamque destituas, vllo modo possis non esse suspectus.

Rom. 9.

* propellentibus.

* incitata

Acacius superbiæ redarguitur.

Certè si (quod non credimus) dedignaris beati Apostoli victorijs reuerentiam tuis deferre fastuosis affectib. memor saltem officij pro fidei integritate Catholicæ, pro paternarum custodia sanctionum, pro Synodi Chalcedonensis constitutione seruanda, quæ Nicæni Conuentûs penitùs probat articulos; atque pro eis vbique hostibus comprimendis, sicut Orthodoxorum vrbis illius imitator Antistitum, constanter exurgere debuisses: quoniam te aliter inter membra corporis Christi monstrare non possis, nisi nullatenùs prouidere desisteres illis, quæ per totum mundum dicuntur obrepsisse, contagijs.

Proinde adire debes sæpiùs Christianę mentis Augustum, & causas eidem salutis suæ atque etiam Imperij redditurus, & conseruandi eius auxilium frequenter ingerere, vnde inimici illius corruerint, & qua via idem surrexerit nihilominùs intimare ei; scripta illa sensibus pietatis eius offerre, quibus decessorem meum eximia laude extulit, eò quòd hæreticam tyrannidem Catholicæ veritatis assertione confoderit: Item illa quoque, quibus Petrum Alexandrinum ab Alexandrinæ ceruicibus excussit Ecclesiæ, & sanctę memoriæ Timotheum reuocauit Orthodoxum: Nec illa præterire, quibus Episcopis & clericis, laicisque per omnem Ægyptum constitutis, quòd à diuina Christiana professione deuiâssent, sicut Catholicus Imperator obtestans, nisi intra duos menses ad communionem Timothei redirent, honoribus, Ecclesijs, omnibusque in illa regione denunciauit esse priuandos: Simul etiam quibus Petri, quem illicitè se Alexandrinæ Ecclesiæ iniecisse perhibuit, ac Timothei hæretici iam defuncti ordinationes, vel ea quæ secretò per modos dicebant, ita recassauit: Necnon etiam illud adnectere, quod cùm Timotheus sanctæ memoriæ Catholicus fungeretur extremis, diuinæ inspirationis instinctu, tam ad eius Pontificis consulta rescribens, quàm ad vrbis Alexandrinæ clerum, omni prouidentia mandauerit præcauendum, vt si præfatum Dominus sacerdotem transire iusserit, nonnisi de Catholicorum corpore clericorum, & qui Orthodoxæ fidei probaretur esse discipulus, omnibusque communicaret Ecclesijs, atque à Catholicis ordinatus succederet defuncto Pontifici: nimirum sapienter intendens, Petrum, qui aut à nullis, aut ab hæreticis falsi nominis huius honore iactaretur, super * petram Catholicæ Ecclesiæ, è qua eius temeraria fuerat præsumptione depulsus, nunquam posse penitùs præsidere.

* vnde Petrum

Hæc huiusmodi quæ gesta sunt, & dilectionis tuæ conscientiam non latent, conuenerat sæpiùs impertiri; præcipuè cùm in his Christianissimo Principi promulgandis, quando ad regiam potestatem, Deo comitante, remeauit, operãtuam missis huc litteris non tacueris vehementer impensam esse, dignam Catholico Pontifice; gloriareris, omnes qui contra sedem vestram *, contraque Chalcedonensem Synodum, & contra prædicationem sedis Apostolicæ venire tentauerint, fuisse prostratos: quò magis te pro tua salute & professione feruentiùs apud clementię eius aures oportuerat talia incessabiliter allegare, ac magnoperè deprecari, quò nec suam, quam Catholica mente deprompserat, violari vllatenùs patcretur cuiuslibet subreptione sententiam: Nec aduersus vniuersalis Ecclesiæ sanctionem per hæreticorum furias, quas, Deo inspirante, pietas eius eliserat, sineret denuò pullulare, quàm manifestissimè peruideres; ac tua modis omnibus prędicatione rursum in ea quæ extiterant ei aduersa consurgeres, atque eadem sine dubitatione firmares: quando huic reluctantia, sicut dudum fuerant subuersa, iacuissent; ne vel tuæ (quod absit) fidei destitutor, vel perfidiæ dicereris fautor alienæ. Error enim, cui non resistitur, approbatur; & veritas, quæ minimè defensatur, opprimitur. Deinde cùm tibi, Domino præstante, apud Dominum filium nostrum religiosum Principem familiaritatem esse nouerimus: nullus vnquam potuit suaderi, dilectionem tuam nequiuisse gerere, quin potiùs noluisse. Et ideo quia non impossibilitatis esset, quod taceretur: ipse quoque non ambigis, quid hinc vniuersalis iudicare possit Ecclesia.

* nostram

Felix Pap. redarguit Acacium tacitæ cõspirationis cum hæreticis.

Vbi est, frater Acaci, labor tuus, quo tyrannidis hæreticæ tempore desudasti? Patieris hoc damno conscientiæ tuæ eiusmodi perire mercedem? Respice Apostoli verba, quæ testantur: Currebatis bene: quis vos confascinauit? Cur eorum, frater, quærere semitas veteres nunc relinquis? Cur irruentibus in ouile Dominicum lupis, nulla vigilantia ministerij pastoralis obsistis, sed æquanimiter atq; securus commissum gregem aut laniari perspicis, aut necari? Non dicentem recolis Dominum, & animam suam quidem pro ouibus ponere pios

Galat. 5.

pro deuotione pastores; mercenarium autem de his curam penitùs non habentem, mox vt bestiam fortè conspexerit, sine vlla diffugere consideratione testantem? Verùm cùm tibi fugiēdi nulla sit causa: nam nulla formido est: metuo, ne septa Dominica non tam pauore deserere, quàm (quod est detestabilius) sponte videaris sæuis dentibus obiecisse*.

* deiecisse Luc. 11.

Auscultа vocem eiusdem Domini præmonentis: Qui mecum non est, contra me est: Et qui mecum non colligit, dispergit. Et diligenter attende, nihil aliud esse, non procurare, quæ Christi sunt, nisi se palam profiteri eius inimicum. Non desperemus facere, frater, veram Saluatoris nostri sentētiam, quâ se vsque ad finem seculi Ecclesiæ suæ non defuturum esse pollicitus est: nec ab inferi portis eam dixit esse superandam; & quæ omnia per Apostolicæ scita doctrinę ligarentur in terris, nec in cœlestibus memorauit absolui. Neque putemus, quòd quibuslibet sit vallata periculis, vnquam pondus vigoris sui, vel censura beatissimi Petri, vel auctoritas vniuersalis amittat Ecclesię: quæ quantò magis cauet ne mundi prosperitatibus intepescat, tanto non frangitur, sed potiùs erudita diuinitùs, crescit aduersus. Vnde * perspiciendum est, ne eam, quæ nullis potest obrui motibus * procellarum: quicunque eam submergere nititur in ipso seculi pelago fluctuantis, ipse potiùs à gubernatione salutari in profunda deiectus, illa præualente mergatur.

Matt. 28. Matt. 16. Matt. 16. & 18.

* Vbi * molibus

Atque ideò, cùm ita sit, moneo, hortor, & suadeo, vt quæ commissa sunt corrigas, & sequentibus studijs de te facias meliora sentiri: Negligere quippe, cùm possis deturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere. Non caret scrupulo societatis occultæ, qui euidenter facinori desinit obuiare. Vnde si contra Synodi instituta Chalcedonensis tendere hostilia corda perspicis, & quiescis: mihi crede, nescio quemadmodum te Ecclesiæ totius asseris esse participem. Ad te oculos præterea non reducis, quia non solùm in hac causa aduersus omnem Catholici dogmatis tendatur vnitatem, sed etiam cunctis hæresibus, quæ vel se nobis meliùs sentire prętendunt, resumendi vires, atque inter vsus pristinos resurgendi, latus campus aperitur, si semel quod à nostris maioribus est dispositū, qualibet occasione pulsetur.

Perstringitur Acacius Felice Papa.

Vnde iterum atque iterum protestamur, ne in abruptum totius Ecclesiæ status per audaciam contra Synodum Catholicam insurgere molientium sinatur abduci. In quo quidem certamine firmum fundamētum Deus statuet, sicut de eo nobis licet sperare; & nouit Dominus qui sunt eius. Verumtamen, saluo eo, quòd in die iudicij talem à nobis Ecclesiam, certum est, qualem à Patribus accipimus, exigendam; etiam in hac vita se ad eam non pertinere cognoscat, qui non solum plenitudini eius noxia conatur inferre, sed etiam qui ea quæ eidem congruentia sunt, dissimulat prouidere. Absit, vt de tua dilectione taliter nos credamus, quem & dudum pro Catholica fide viriliter stetisse reminiscimur, & à totius Ecclesię corpore nolumus discrepare. Quapropter instantiùs (qui te sincero diligimus charitatis intuitu) crebrò repetitis hortationibus incitamus, vt ipse vicissim ea post hæc debeas, quæ te ab omni domo Christi ostendant esse diuisum; nec magis illa sectaris, quæ ab eadem te faciant esse diuisum. Multa verò (quia non opus fuit litteris vniuersa congerere) quæque vtilitas negotij præsentis efflagitat, fratribus & Coepiscopis Apostolicæ sedis legatione fungentibus, vel cum domno filio nostro clementissimo Principe, vel cum tua dilectione colloquenda mandauimus: quod * æquum est & pro Catholicæ fidei obseruatione prompta mente suscipere, & pro tuæ æstimationis intuitu necessariam apud Augustæ mentis beneuolentiam suggestionibus adiuuari.

* quos

Notæ.

Epistola synodica.

Epistola.] *Hæc epistola est illa synodica, quam Patres Concilij Romani, à Felice Pontifice ad Acacium transmittendam esse censuerunt. Qua de re infra in Notis eiusdem concilij. Hactenus nusquam edita, nunc primum è penetralibus bibliothecæ Baronianæ eiusq; annalibus in lucem emittitur. Extat in peruetusto Codice Crescon. collectionis. Huius & sequentium Epistolarum à Felice scriptarum meminit Euagrius lib. 3. c. 18. 19. & 25. Item Liberatus in breuia. c. 18.*

Felicis ad Acacium.] *In allegato Codice hæc inscriptio his literis præfigitur.*

Per Vitalem & Misenum.] *Quarum ciuitatum Episcopi hi legati fuerint, nusquam apud aliquem historicum expressum inuenitur.* De Miseno tantum, *inquit Baronius*, in constituto Vigilij Romani Pontificis de tribus capitulis, reperimus eum nominatum esse Cumanum Episcopum, sed in scripto perantiquo codice nostræ bibliothecæ, cui est titulus, *Concordantia canonum*, inter alia inest breue compendium historiæ, complectens tempora ab ortu Nestorij hæresis vsque ad Concilium Romanū sub Felice Papa, in quo damnatus est Acacius: quod licet sine aūctoris nomine editum reperiatur, alicuius qui hoc sæculo vixit, & veritatis studiosus fuit, esse videtur, in hoc inquam opere, inter alia habentur hæc de his legatis missis Constantinopolim: *Postquam ergo Felix Papa literas prædecessoris sui nihil proficere cognouit, & ludibria quadam in euersionem fidei ab Acacio fieri: tūc Vitalem Episcopum Droentinum ex regione Picena, & Misenum Cumanæ Ecclesiæ Episcopum ex regione Campaniæ direxit, &c.* Sed pro Droentinum legēdum est Truentinum. Erat enim tunc ea ciuitas apud fluuium eo nomine nuncupatū, Truentum, hodie vulgo, Tronto dictum: meminerunt eiusdem ciuitatis Plinius, Ptolemæus, & alij. *Hæc de legatis Constantinopolim missis Baron. an. 483. n. 19.*

Vitalis & Misenus qui.

EPISTOLA II. FELICIS PAPAE III. ad Zenonem Imperatorem.

Ex Collect. Roman. 483.

Pro Ecclesia Alexandrina supplicat: quicquid ante hac pro defensione eiusdem Ecclesiæ dixit aut fecit commemorat, vt posteriorem Ioannis Alexandrini Episcopi electionem, & Petri Mogi restitutionem reprehendat.

INcipit epistolæ exemplum beatissimi Papæ Felicis vrbis Romæ ad Zenonem Augustum per Vitalem & Misenum Episcopos.

Decebat profectò, venerabilis Imperator, post sanctæ memoriæ decessoris mei transitum, meque in eius locum diuina gratia subrogatum, clementiæ tuæ literarum munus offerre: quod vel ea, sicut rerum poscebat ratio, nunciarem, vel officiositatis meæ primitias exhiberem: quibus tamen ritè depensis, etiam illa pariter necterentur, quæ ad vestri munimen Imperij, prosperitatisq; eius suffragia pertinerent; quantoque essent studio maiore curanda, tantò dignioribus internuncijs explerentur. Itaque conueniens fuit, vt Vitalis & Miseni fratrum & Coëpiscoporum meorum, & famuli vestri Felicis Ecclesiæ Defensoris ad vos necessariam legationem mitterem, qui non tam baiuli specie ista deferrent, quàm meā vicem peragentes, me quodammodò vobis facerent esse prę-sentem. Per hanc igitur, velut cominùs honorificentiæ tuæ iunctus colloquijs, precor vt supplicationem meam benignis auribus, sicut Princeps Christianus, accipias. Nec existimet pietas tua, quòd quisquam magis sincera mente te diligat, quàm qui te pacem in Deo vult habere perpetuam: quando fideli mente non ambigas, & temporalis culminis potestatem & æternę vitę commercia de superna propitiatione pendere.

Ecce iamdiu est, quòd beati Apostoli sedes, datis per beatę memorię decessorem meum ad serenitatem tuam litteris, expectans, & nullam recepit pro Catholica fide, pro Occidentalium * tranquillitate responsum; præsertim cùm tuam conscientiam, glorioßissime Princeps metuendis obstrinxerit illa sacramentis, ne sedes beati Euangelistæ Marci à doctrina magistri sui, vel cōmunione permitteres separari. Sed quoniam præfati decessoris mei studium, longa incommoditate faciente, hæc eadem crebriùs iterare non potuit; per meæ nunc humilitatis officium solicitiùs repetere non quießcit. Rursus ergo Apostoli Petri veneranda confessio maternè instat vocibus, & suorum præcipuè filiorum compellare non desinens confidentiam tuæ pietatis, exclamat: Christiane Princeps, cur me à curriculo charitatis, quo Ecclesia vniuersalis astringitur, permittis incidi? cur in me rumpis totius Orbis assensum?

*Orientalium

Quæso te, fili pißßime, ne tunica Domini desuper contexta per totum, qua in vnum corpus sancto Spiritu vbique regente, indiuiduam fore Christi figurauit Ecclesiam, vlla pa-

tiaris

tiaris sorte violari: neve cuius inter ipsos qui crucifixerunt Saluatorem mansit integritas, tuis videatur temporibus esse diuisa. Nonne mea fides est, quam solam esse vnam, & nulla aduersitate superãdam Dominus ipse monstrauit, qui Ecclesiæ suæ in mea confessione fundatæ portas inferi nunquam præualituras esse promisit? Hæc te renatum ad regiam sustulit dignitatem, atque ab eius impugnatoribus potestate extrusa, præualendi tibi denuò viam in ipsius defensione patefecit.

Verùm quæso propone etiam exempla gestorum, & hanc vicem meis rependebeneficijs, vt quæ per rerum examina comprobasti, & periculosa præcaueas, & subsidia recuperatæ te dignitatis affectes. Hæc rogo, quæ dicta Deus esse voluit per dictæ sedis Antistitem, vel per mei ordinis paruitatem, qui tuæ securitatis intuitu, huiusce modi ideo promenda iudicauit, vt non tam per eius qualemcunque Vicarium, sed præsentis Apostoli velut auctoritate commonitus, altiùs vias & diuinæ reuerentiæ & humanæ conditionis aspiciens (quod absit) non ingratus existere videaris collatæ felicitatis auctori. Redeat, obsecro, in animi tui integra deliberatione conspectum, quæ inimicos tuos facta deiecerunt; quæ te ad Imperiale fastigium, Deo comitante, reuexerint; qualiter illi cum nefanda dogmatis receptione conciderunt; & quemadmodum gloria tua in hæreticorum fuerit depulsione reparata: vt illi contra Chalcedonensis Synodi venerabilia constituta, & beatissimi Papæ Leonis scripta venientes, ipsa sui molitione collapsi sunt; & quibus modis eorum reformationes ad pristinum remearunt* tuam reuerentiam Principatum.

*reparaunt

Liceat, oro, apud te fidenter exponere*, quem conuenit non tacere. Vnicum in te superest prisci nomen Imperatoris: Ne, quæso, nobis salutem tuam, pie Imperator, inuideas: ne fiduciam pro te minuas supplicandi. Causæ, quibus Dominus sit propitius, inquirendæ sunt, non quibus eius indignatio prouocetur. Conuenio, contestor, obtestor; quoniam metuo, horresco, formido, ne mutatione causarũ (quod absit) mutetur euentus. Respice propitiùs ad decessores tuos Augustæ memoriæ Marcianum scilicet & Leonem, & tantorum Principum fidem legitimus eorum successor: Amplecti debes illorum in religione consensum, quorum debes memoriæ reuerentiam. Absit à tua deuotione, absit à tua potestate, vt talium credaris respuisse iudicium.

*excercere

Postremò professionem tuam, conscientiamque recolendam sensibus tuæ pietatis insinuo: Palatij tui facito scrinia recenseri, & scripta illa diligenter inuestigari, quæ ad apicem summę regrediens potestatis ad decessorem meum pietas tua pro communi gratulatione direxit: his cum semper magna laude prosequeris, quòd hæreticam tyrannidem prædicationis Catholicæ vigore contriueris, qua vtique istius veritatis prædicatione nihil aliud quàm de Eutychiano labores errore prorsus abolendo, eiusque sequacibus excludendis. Hæc pro synodi Chalcedonensis definitione seruanda, reducendoque sanctæ memoriæ Timotheo rectæ fidei sacerdote, tota sua textus serie piè locuta est. Hæc certè tua mansuetudo cognouit: nec res incognitas tua clementia proferre potuisset, & palam aperteque professa, quod laudum tuarum testificatione firmasti.

Ex prioribus posteriora reddiguit.

Requirantur illa quoque, quæ ad sanctæ memoriæ Timotheum Orthodoxum Alexandrinum Episcopum serenitatis tuæ paginæ sunt locutæ; atque ex ipsis Actibus intuere, nisi Petro ex ea memorata vrbe secluso, qui ei Ecclesiæ tunc temporis incubabat, supradictum Timotheum non fuisse reuocatum. Vos ad eundem venerandæ recordationis Pontificem iam reductum Sacras venerabiles mox dedistis, quibus fideli pectore gloriabamini, quòd sanctæ Ecclesiæ magnæ ciuitatis Alexandriæ prouidens Orthodoxæ fidei, Dominus noster ac Saluator verum restituerit sacerdotem. Vbi manifestum est, quia cum hoc verbum dicitis, illum fuisse falsum qui pulsus est ostenditis; & cùm in venerando Timotheo Orthodoxo fidem Dominum testamini reduxisse, peruersam in omnibus in Petro perhibetis refutasse doctrinam, non ob aliud, nisi quia & ille qui Orthodoxus pronunciatur & verus, Chalcedonensi Synodo (sicut eius tunc missa tenet professio) consentiebat; & iste qui falsus & peruersus eijcitur, ab eiusdem Synodi tramite discrepabat.

Denique cunctos Episcopos Aegypti, vniuersosque cleros* increpastis, vestris generaliter apicibus sancientes, vt nisi intra duos menses ab his quæ à principio contra canones, contra Ecclesias Dei, contra Orthodoxam fidem cogitauerunt, abstinerent, atque beati Timothei communione, quam impiè reliquerunt, dignæ pœnitentiæ satisfactione remearẽt; non solùm despoliandos honoribus, verum etiam & Alexandrina vrbe, & omni Ægyptiaca regione carituros: iniustum enim videri, sicut Christianus Imperator affirmans, vt qui se ad Ecclesiam, quæ vbique terrarum est, segregarent, haberẽt sacerdotes, aut vllo sacro ministerij nomine censerẽtur. Vos indignè ferentes ab Alexandrinis seditiones concitatas, eos qui propter ordinem clericalem simili deceptione tenebantur, nisi salutaribus monitis obedirent, tali pœna dignos arbitrabamini.

*clericos

Vos Petrum speciali notantes elogio, quòd illicitè se Alexandrinæ iniecisset Ecclesiæ, omnes qui tam ab eo quàm hæretico Timotheo iam defuncto fuerant ordinati, si infra finita tempora resipiscerent, ad communionem Catholici Timothei mandatis recipi, (non etiam ad malè præsumpti gradus priuilegia decreueratis admitti) consequenter addentes, cæteros deteriora subituros, si eligere meliora noluissent. Vos cuiuslibet post has varias satisfactionis causas cunctis penitùs abstulistis, quibus ipsos ab vnitatis consortio discedentes, recensuistis tulisse iudicium. Vos de ipsius persona Petri quicquam denuò defricandi, sapienti consideratione tacuistis: quippe quem Ecclesiæ arce deiectum, simul peruasi Pontificij videretis honore nudatum; nec vllo modo fieri posse, vt vmquam vel Orthodoxis præsideret, qui aut à nullis, aut ab hæreticis fuerat institutus, vel recidiua toties temeritate violentus ouile Dominicum subdolus & inuidiosus intraret.

Quæ in Petrũ prõ Timotheo

Atque ideo quòd corrigendis eius prætendebatis sectatoribus irrogandum, huic iam quasi magistro sceleris rationabiliter deputabatis inflictum: vt quibus fratres merserat ad ruinam, fieret ipse metuendæ damnationis exemplum, quodque adeò verum est: vt superstare venerando Timotheo legionem solicitè iussẽritis, si eidem humanitùs aliquid euenisset. Vos nonnisi de Catholicorum collegio clericorum & à Catholicis consecratum subijstis videre pastorem: quia vbique nullo more, nullo ritu sub vestræ serenitatis obtutib. hæresis ipse præcipuus Eutychianæ dementiæ potuit esse vel dici Orthodoxi successor Antistitis. Quo igitur animo bestiam, quam à gregibus Christi duxistis abigendam, in eorum denuò patimini sæuire perniciem? Certè legibus, quas vniuersis imponitis, magis vultis vinci, quàm promulgare contraria: quantò satiùs fuerit, intemerata persistere quæ heri pro integritate retinenda totius Ecclesiæ protulistis, quo & tui Catholici Imperij auctoritas inconuulsa permaneat, & nihil accedat quod actibus apud Dominum vestræ felicitati obsistat.

Cernis enim, venerabilis Imperator: quia vt Chalcedonensis Synodi indubitata defensio inimicorum eius elisio est, sic vicissim manifesta illius impugnatione comprobatur hostium venerandæ ipsius cognitionis* euectio. Meministis quemadmodum verba diuina nos instruant, neq; in dextrum neq; in sinistrum limitem rectæ dispositionis excedere, sed via (vt scriptum est) regia mediaque gradiendo, hinc atque inde Nestorij Eutychetisq; sacrilegia condemnata detestans, ita magnæ pietatis prædicans sacramentum, vt omnipotentis Dei Patris consubstantiale sempiternumque Verbum, quod incommutabili Deitate & incarnatum est, & ab ipso ineffabilis conceptionis exordio, quam sibi in vtero Virginis matris potenter instruxit, vnum eundemq; Iesum Christum Dominum nostrum, vnum eundemque Dei & hominis Filium, vnum eundemque inconfusè, indiuisè Deum hominemque veraciter permanentem intemerata Patris lege prolatum, in hoc mundo fuisse conspicuum*, diuina simul humanaque gessisse; mortuum, atque ex mortuis exurgentem, in Patris dextera residere, itemque inde venturum, vt est visus ire in cœlos, eatenùs profiterentur, quatenùs librorum memorat traditio diuinorum, & Nicæni Concilij forma, sicuti cuncti retrò prædicauêre Pontifices: sic eorum tam Ephesino primo competenter inserta Conuentui, quo beati Papæ Cœlestini temporibus Nestoriana pestis extincta est, quam

*protectionis

Deut. 25.

Veræ fidei doctrina.

*perspicuum

datis Augustæ memoriæ Leoni sanctæ memoriæ Leonis Papæ epistolis capitula subiecta testantur; quibus vir ille consulens etiam totius Orientis Episcopis, eorumq; responsa, subscriptionesque super Synodi Chalcedonensis approbatione suscipiens, ea nullatenùs passus est mutari; quò magis Christiana mente perpendit, & hoc esse verum, quod cum diuinis assertionibus Catholicorum de toto Orbe doctorum longè antequàm huiusmodi quæstio nasceretur, consonantia vbiq; dicta concinuerant; & ideo nulla iteratione resodienda, quæ constarent iure damnata: ne non solùm causa præsens in omne Catholici nominis extendat exitium, sed etiam cunctis residuis publica bella resumendi pandatur occasio, si quolibet modo, quod semel à veteribus vniuersaliter decisum est, retractetur: vti esse iam etiam peruidetis Alexandrinæ Ecclesiæ peruersorem, funesta diu impunitate grassantem, vestris præceptionibus, quibus meritò dudum probatur eiectus, esse nihilominùs abigendum.

Refellit alsos prætextus Zenonis.

An non ipse est per triginta annos Catholicæ desertor Ecclesiæ, inimicorumque eius sectator & doctor, & ad fundendum sanguinem semper velox fuit & promptus? Nunquid ad hanc istam dissimulationem sumus quadam ex conuiuentia præceptoris? In quo reuera non est opus discussione subtili; quia eius aperta sunt crimina. Dolet certè pietas tua, quòd per diuturnos partis alternæ graueséque conflictus multi ex hoc sæculo videantur ablati aut baptismatis aut communionis expertes. Sub hoc ergo Præsule ne sint baptizati, & efficiantur hæretici, & sine communione transeant, ne in perditorum prauitate deficiant: vt quemadmodum scriptum est:

Matt. 15. Cæcus cæco ducatum præbens, cum eodem mergatur in foueam.

Non est hoc, oro te, acerrimum decreuisse periculum, quando nec saucijs adhibetur firma curatio, & sanis ingeritur miseranda contagio? Nam quomodo aiunt sedari posse, si in futuro furores suos patiantur? Quid est illud dicere iam causam nullam superesse certaminis, nisi hæreticis victoria tribuatur? Proinde quibus inferri castigationis aliquid etiam corporalis, vt pater benignus horrescit: multò clementiùs eorum animas non patiaris intercipi, sed pia depositione compressos tandem subdi facias Catholico sacerdoti: vt veræ generationis effectum & securum sibimet profuturæ communionis auxilium consequantur. Subiecit vobis diuina prouidentia facultatem, qua itidem effringatis opera perfidorum.

Quæ à Zenone præstanda.

Depulit ille nostræ religionis vastatorem: vos ab eius Ecclesiæ ceruicibus irruptionem deturbate prædonum. Pacauit ille Rempublicam (sicut vester quoq; sermo testatur) à tyrannide hæretica: libertatem vos, ab ipsis hæreseos præceptoribus populos eruentes, Christianis restituite. Illæ vos aulæ legitimæ restituit Imperatoris iure suffultos: reddite vos magistro discipulum; sedem beati Marci Euangelistæ ad cómunionem beatissimi Petri, de vitæ eorum meritis deuotione reducite: vt ipso in vobis opus bonum perficiente, qui cœperit, securè audire mereamini:

Matt. 10. & 24. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:

& ad tuę gloriæ cumulũ, ita vice Dei præsideas, verendus veraciter existens Diuinitatis imitator, atque adhuc in rebus temporalibus constitutus, iam experiaris & munus in æternam tibi beatitudinem præparatum.

Quod verò cuncta litteris non potuerunt comprehendi, quæ negotij qualitas non sinit præteriri: quædam venerabilibus nostris fratribus & Coepiscopis meis, quibus cura legationis iniuncta est, proprio apud vos agenda sermone, cómissa sunt. Precor vt ea quæque & audire benignus, & indifficulter annuere, tum pro Catholicę obseruantia veritatis, tum etiam pro regni vestri incolumitate dignemini.

NOTÆ.

Synodica Epistola hæc qua occasione scripta.

Epistola.] *Hæc est illa synodica Felicis Papæ epistola, quam consilio Synodi Romanæ dedit ad Zenonem Imperatorem: qua occasione in Notis illius Synodi dicemus infra. Ex codice Crescomanæ collectionis supradicto in hanc editionem Conciliorum nunc recens translata est.*

EPISTOLA III. FELICIS PAPÆ ad Petrum Fullonem ex Synodo Romana.

Ostendit Petrum Fullonem alias Graphæum, non solum in Valentini Manichæi, Arij Sabellij, Apollinaris & Eutychetis hæreses; verum etiam in errores gentilitatis plures Deos asserentis incidisse. Deinde monet vt resipiscat, & quod in Trisagio Crucifixus propter nos *addere non oporteat.*

Ex fragmento Chronici Alexandrini apud Nicephorum Callistum Hist. Tom. 1.

FELIX *Episcopus, Petro Episcopo Antiochiæ.* Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? qualem autem & dignum fletum adducam animæ meæ, condolens Domini & Saluatoris nostri Christi sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ? Ipsa enim plorans plorauit super filios & filias suas, & non est qui consoletur eam, ex omnibus, qui diligunt eam. Vniuersi tyranni & hæresiarchæ persequentes ipsam, apprehenderunt eam per te frater honoratissime, & affligentes ipsam, facti sunt in caput eius. Omnis decor ipsius, quantum in te est, factus est ad nihilum. Videntes inimici eius gauisi sunt super perditione filiorum eius. Quos enim foouerat, quos enutrierat, quos ad mensuram ætatis produxerat, lacteque pauerat propheticis & apostolicis doctrinis, hos tu vno temporis momento veneno necasti. Quemadmodum enim qui piscationem sectantur, hamum esca contegunt, & ex improuiso capiunt pisces; sic & tu angelicæ laudationi additionem induxisti, & trisagiæ deprecationi, quasi pietatis obtentu, diram impietatem excogitasti. Ex pluribus enim Orientalibus prouincijs litteras suscepimus, significantes nobis, quomodo veneratio tua dudum sopitum Valentiniani dogma resumpsit, & irritatur à vobis Saluatoris incarnatio, quodque in Manichæorum dogma & Arij, & Apollinaris, Paulique Samosateni incidistis. Dicere enim vnigenitum filium & Dominum nostrum Christum Iesum perfectum non esse in Deitate, atque in humanitate perfectum, nec ipsum subijsse passionem crucis, sed vnam verbi Dei naturam incarnatam, corpusque Domini sine anima & mente, Apollinaris hæresim roborat. Ille enim ignorauit, quòd ab ipsis mundi nascentis exordijs primum anima primi parentis nostri mortua est, vel in mortem præcipitata est, atque ita demum corpus. Dictum quippe illi est à Deo:

Genes. In quacunque die comederis de ligno scientiæ boni & mali, morte morieris.

Itaque iuxta latam in illum à Deo sententiam, qua die comedit ex ligno, in ipsa secundùm animam mortuus est. Nam ipsius corporis mors, post nongentos & triginta annos contigit. Itaq; Deus donum non dimidiatum fecit, sed totum simul Adam ex vtero Virginis sumpsit, vt etiam perditum, totum saluum faceret. Idcirco & Dominus ipse dicebat:

Ioan. 10. Ego animam meam pro ouibus pono:

Valentini item & Marcionis, Manichæorumque ac gentilium innouare vis dogmata. Si enim Deus est, qui diuisibiliter atque substantialiter est mortuus, similiter sanctus Spiritus Deus, & ipse diuisibiliter ac substantialiter inuenietur: sicque iuxta tuam & illorum rationem, tres dij erunt, ac per hoc plurium deorum inualesceret error: quantumque in te est, euacuabitur illud:

Deut. 6. Baruch. 3. Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus est.

Item quod ait Hieremias:

Hic Deus noster, non reputabitur aliud ad eum. Similiter & Dominus:

Ioan. 17. Vt cognoscant te solum verum Deum.

Cumque scriptura diuina vnum Deum, sanctam & indiuiduam Trinitatem prædicet, tu & hi, qui ante te fuerunt hæresiarchæ, tres Deos dogmatizare auisi estis, alium quidem dicentes Deum patrem præter filium, & alium Deum filium præter patrem. Rursusque alium Deum Spiritum sanctum præter patrem & filium. Atque alium quidem mortalem & nouiter genitum, alium verò æternum atque immortalem. In his autem noxijs verbis tuis, contraria sentire vis patribus, qui in Nicæa, & qui in Constantinopoli, atque Chalcedone conuenerunt, qui & consubstantialem roborarunt, & vnam Deitatem patris & filij sanctique spiritus prædicarunt, atque Arij amentiam confuderunt. At verò tu in Ecclesia ausus es dicere, quòd vnus increatæ atque indiuiduæ Trinitatis, passionem subijt: & per hoc consubstantialem quoque soluere niteris, ac Deum subijcere numero. Si enim vnus sanctæ Trinitatis & coæternus,

qui crucifixus est Deus, † hoc est filius: sunt autem duo sanctæ Trinitatis, pater & Spiritus sanctus: dicuntur autem dij, & non (vt habet vera ratio) Deus, (sicut tradiderunt nobis, qui ipsi inspexerunt, & ministri fuerunt verbi) inueniris quoque consubstantialem soluere: Quippe mortale & immortale consubstantialia iam esse non possunt: roborabitur autem sic pluralitas deorum, dum tres dij Christianis auribus ingeruntur. Cum itaque scriptum sit, Verbum caro factum est, & Deus erat verbum: non alius Deus Verbum, præter patrem, inuenietur: verbum non simpliciter, sed verbum substantiale, & Deus filius inuenietur, vt ex vtilitate nostra, identitatem substantiæ patris & verbi & sancti spiritus agnoscamus. Non enim non alij, præter verbum nostrum, inueniemur. Quoniam igitur vnigenitus Dei filius, qua ratione verbum est in propria substantia, non poterit pati, ne ad omnipotentis Dei patris substantiam passio referatur: (est enim vna patris & filij & sancti spiritus Deitas) patitur autem proprium animatum corpus, quod ipsum substantiale Dei verbum ex ipsa sanctæ & intemeratæ Virginis vulua sibi coniungens, ex muliere processit, de qua sancto spiritu afflati Prophetæ cecinerunt: Deus virtutum conuertere, respice de cœlo, & vide, & visita vitem istam: & perfice eam, quam plantauit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi: vitem & filium hominis, quam confirmauit verbum, vt inferni claustra contereret, & viuificaret eos, qui à sæculo mortui sunt, salutarem verbi incarnationem vocans. Idcirco & Dominus dicebat discipulis suis: Ego sum vitis, vos autem palmites, & pater meus agricola est, & tradetur filius hominis in manibus peccatorum. Patris enim intimum substantiale verbum ac Deus, per sanctæ Virginis aures illapsum, conceptionem ineffabiliter operatum est. Qua igitur parte vnigenitus filius est consubstantialis patri, & vnus indiuiduæ Trinitatis, increatus atque inuisibilis, impassibilis & immortalis permansit. Quòd ergo increatum atque immortale est, creaturæ ne applices, neque deorum pluralitatem confirmare pergas, dicens vnum S. Trinitatis mortuum esse. Rursus, qua parte ex muliere natum est, & substantiæ nostræ ac generationis est particeps, absque peccato, sustinuit passionem. Porro, quòd non modo consubstantialis, verum etiam cognatus secundùm carnem sit nobis filius Dei, docet ipse Dominus, nunc quidem in Euangelio his, qui in se crediderant, dicens: Ego sum vitis, vos palmites: nunc autem in psalmis, Annunciabo nomen tuum fratribus meis. Vnde autem tibi tam pessima superbia subrepere potuit, vt te ipsis quoque sanctis angelis intelligentiorem, sapientioremque putares? Super his ingemisco, in his plango inimicos crucis Christi, quorum finis perditio, & quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, Non cogitasti, quòd scandalizare vel vnum solum ex his, qui credunt in Dominum nostrum Iesum Christum, quàm graui cruciatui facit obnoxium? Sed incautè, vt serpens Euæ, tu ipse quoque erroris venena multitudini fidelium atque auribus infudisti, traditamque ab angelis sanctissimam laudationis formam corrupisti, inferens illi: Qui crucifixus es pro nobis. Ergo ne non aduertisti, quòd Paulum Samosatenum, Photinumque & Artemium impietate transcendis, qui duos Dei filios posuerunt, vnum quidem ante sæcula, alterum verò nouiter natum, cùm ipse quoque Trinitati inuexeris pluralitatem, duos Dei filios dicens, vnum fortem, alterum crucifixū? Ad hæc fidelissimum Christi gregem in Manichæi opinionem præcipitare contendis, qui Spiritum sanctum asserit crucifixum. Nam quòd post illud, sanctus, immortalis, quod est Spiritus sanctus, tunc infers, Qui pro nobis crucifixus es, miserere nobis: quaternitatemque, non Trinitatem, populo insinuare videris. Nempe si ex humana traditione manasset hæc laus, non ita incautè crucem insereres laudi, in qua filij appellatio, fortis scilicet, ponitur. Quoniam verò ab angelis nobis laus ista profluxit, qui ante crucem dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus: sicut respicere Esaias meruit, post crucem vero cum laude clamabant: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis. Denique cùm terræ motu Constantinopolis quateretur, populusque in campo oraret, infantulus, toto populo spectante cum Proclo ciuitatis Episcopo, in cœlum per vnam horam raptus est, ibique huiusmodi didicit hymnum. Rursumque descendens, nunciauit quæ in æthere audierat, dicens de cœlo quasi de multitudine psallentium, huiusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumque sibi, vt eam laudationem populo indicaret. Quam vbi populi inceperant, ciuitatem receperunt, Deoque per huiusmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati sunt. At tu quàm temere, vt scripturas diuinas reliquas, ita & angelorum laudem peruertere præsumpsisti. Quis igitur in huiusmodi non ingemiscat? quis non lamentetur? quis dolor similis inuenietur, sicut dolor Ecclesiæ Domini & Saluatoris nostri Christi? conspice te constitutum, vt sis lumen his, qui in tenebris sunt, & eruditor insipientium: immo insipientiæ præceptor es, lucem in tenebras transferens. Vide à te populos semel illuminatos, qui bona gustauerunt Dei verba, Dei mandata, Dei prophetias, prædicationes Dei, Apostolicas euangelicasque doctrinas abs te peruerti magis, ac doceri non solùm crucifigere filium Dei & ostentui habere, verùm & contraria sentire scripturis diuinis, & pacta abnegare, quæ accedentes ad sanctum Baptisma fecerunt. Nam cùm coram cœlestibus virtutibus omnibus, coram Apostolicis euangelicisque ordinibus sancti baptismatis tempore promiserint credere in vnum Deum omnipotentem, nunc illos in tres Deos credere docuisti. Rursum, cùm polliciti sint credere in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei incarnatum, & hominem factum de Spiritu sancto & Maria virgine; tu eos doces, ne dicant Dominum Iesum Christum, filium Dei crucem perpessum esse, qui Deus est secundùm sempiternam & impassibilem ex patre generationem, & idem homo secundùm eam, qua in nouissimis diebus ex matre prodijt, secundùm quam etiam sustinuit passionem; sed vnum Trinitatis mortuum esse, qui est ipsum Dei verbum. Confessi sunt rursus Spiritum sanctum viuificum & immortalem, dicentes, credere in Spiritum sanctum, Dominum & viuificantem, & mortalem esse ponis Spiritum sanctum, cùm dicis: Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis. Fuge, obsecro, huiusmodi errorem. Corruisti, noli in ruina perstere. Peccasti, iam peccare noli. Expectat te sancta Dei Ecclesia, cupit amplecti pœnitentem in vanis propositionibus tuis, & secum de Christo diuina prædicantem, neq; negantem ipsius animatam incarnationem, secundùm quam etiam passus esse memoratur, clamatque tibi per nos: Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. Non vult Deus, frater carissime, mortem peccatoris: sed vt conuertatur, & viuat. Memor esto, Iesum Christū resurrexisse à mortuis, secundùm Euangelium. Memento B. Matthæi scribentis: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Recordare, quid Paulus scribat, Segregatus in Euangelium Dei, quod promiserat ipse Deus in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est filius. Memento etiam Ioannis, clamantis: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, sicut etiam est, & Deus erat verbum, quodque caro factum est, homine assumpto, & quòd Deum nemo vidit vnquam. Hęc tibi scripsi vnà cum præsente synodo, cõueniens te coram Deo & sanctis angelis, vt ea doceas, ea nobiscum sentias, vt illibata fides nostra permaneat in gloriam Dei.

Gen. 1. Ioan. 1. Psal. 79. Ioan. 15. Matt. 26. Ioan. 15. Psal. 21. Philip. 3. Matt. 19. Gen. 3. Esa. 6. Heb. 6. Matth. 18. Ezech. 18. 2. Tim. 2. Matt. 1. Rom. 1. Ioan. 1.

Notæ.

Epistola.] *Hæc est illa synodica epistola, quæ missa est è Concilio Romano ad Petrum Fullonem, quapost refutatos eius errores blasphemos prima actione ad respiscendum admonitus fuit. Vide quæ diximus ibidem in Notis eiusdem Concilij.* Epistola synodica.

Denique cum terræ motu Constantinopolis quateretur.] *Hæc de terræ motu, & trisagij miraculosa institutione historia, cõtigit anno Christi 446. Meminerunt illius Marcell. in Chronico. Niceph. lib. 14. c. 46. Omnes ferè Episcopi in Epistolis suis, quas è synodo Constantinopolitana sub pontificatu Felicis 3. habita ad Petrum Fullonem miserunt, hanc rem adeo ingentem, omnemq; captum humanum penitus superantem, magnificentissimis testimonijs confirmarunt. Hoc trisagion in fine actionis primæ decantatum est in Concilio Chalced. Græci totam historiam ex antiquo suo Menologio, die quo anniuersariam huius facti memoriam recolunt, in Ecclesia publicè legunt. Verba Menologij recensita extant supra in Notis Concilij Chalced. in fine act. 1. verbo* Trisagion. Trisagion quando & qua occasione institutum?

EPISTOLA IV. FELICIS AD PETRUM FULLONEM EPISCOPUM ANTIOCHENUM.

Tom. 1. conc. Rom. Pont. 1. extat ex cod. Vaticano alterius tranſlationis.

QVONIAM importabilibus verbis impiè garrulaſti, & non iudicaſti cedere prædictis ſanctis Patribus, qui ornarunt ſedem B. memoriæ & multùm triumphantis Ignatij martyris, cuius tu indignus exiſtens, neſcio, quomodo inſiluiſti inchoare nouitatem in Catholica Eccleſia tuis prophanis legibus & impijs dogmatibus, & iudicaſti non oportere dicere Chriſtum crucifixum propter nos: ſed paſſionem ideò impaſſibili impiè induxiſti, & immortali patri mortem imponere, & non horruiſti ea, quæ non ſuſcepiſti ex diuinis Euangelijs & Apoſtolis, & Ἀεσφαλτευτῶν, glorioſorum Patrum, peſſimè ſophiſticatus ipſa intorquere, & propriam peſtem ſenſus imponere ſimplicioribus, & ſcandalum huiuſcemodi hæreſis, non vt æqualiter prioribus hæreſibus vigeat, ſed magis multipliciter excellat: & non ſtatuiſti credere veritati, & literis noſtris ad te ſcriptis, nunc incepi ſententiare contra te: immò ille, qui vertex eſt omnium paſtoralium ſedium, in ſanctis laudibus florens, Apoſtolorum verè optimus Perrus, cuius tu nomine æqualis es, ſed non opinione neque fide, quoniam ab iſtius recta intentione, & immaculata fide, valde declinaſti. Et non ſolùm contra te ſententio, ſed & contra eos, qui non erubuerunt characteres venerabilium Euangeliſtarum & Apoſtolorum eos ſequentium, ac perfectorum doctorum ſermones: & iuſtabili ſententia ex tua iniqua expoſitione firmati ſunt, tanquam dulciſſima circunſequendi in mala opinione, quod verè amariſſimum eſt, & non auerterunt huiuſmodi impietatem. Dicemus ergò tibi, ſicut & contra illos: Quoniam dilexiſti iniquitatem magis loqui quàm iuſtitiam, dilexiſti * ſuper omnia præcipitationis linguam doloſam, propter hoc Deus deſtruet te in finem. Et nõ ſolùm ab Antiochena Eccleſia, ſed ab omni ciuitate deponet: & firma ſit hæc tua depoſitio à me, & ab his, qui vnà mecum Apoſtolicum thronum regunt, & ab Acacio Conſtantinopolitanæ eccleſiæ paſtore, & à venerabilibus Epiſcopis ſibi ſubiectis, quoniam ipſorũ munimenta non ſuſtinuiſti. Quandoquè enim dicis Trinitatem propter nos crucifixam, non Chriſtum, quandoque autem immortalem ſpiritum, Manichæizans, quandoque ab iſtis diffugiens, meis argumentis reprehenſus & ſermonibus, dixiſti Chriſtum, poſt immortalem ſpiritum, paſſionem ſuſtinuiſſe, ſicut Samoſatenus & Neſtorius, vnum filium diuidentes in dualitatem filiorũ. Quandoque autem & his ceſſiſti non detrectando, & veniſti ad peius, non glorificando Cherubicum hymnum, ad filium referre præſtolanti tremore ὡσὲυ δικιμένων venerabiliter ſimiliter Trinitatem, ſed totum hymnum ad filium referre, volens firmare morbum cancri rodentis, quem innocentibus intuliſti, & inde omnis generis hæreſium laqueis circumpræcipitatus, à veritate exiens, non prędicas Chriſtum pro nobis crucifixum, nec vnigenitum filium Dei, qui in medio patris & Spiritus ſancti eſt, piè glorificas. Quid enim iſto magis interdictum, patre à vobis & ſancto Spiritu non glorificato? Nam calumniam Seraphim vos infertis, qui Trinitatem non dicitis glorificandam, Sanctus, Sanctus, Sanctus: ſed ſolùm perſonaliter filium. Et quæ præcipitatio hæreſium ita confudit, id eſt, impudenter egit, ſicut vos? Veruntamen & in iſto percurrens adhuc * nouiùs aſcendiſtis, & ſtrangulandas infamias à Deo, adijcitis, filium videlicet, patrem, & ſanctum ſpiritum, Sabellianizantes, ſimul coniungere iudicantes. Trinitatem confiteri negatis, in qua baptizamur, & credimus, & confitemur. Quis ergò non defleret ſic dicentes de intemerato triſagio, quod mihi valdè conuenit refutare, & fletum meritò dare in hos animarum ſimplicium cauillatores, ac impium facinus fingentes, quos & alienos putauimus ab orthodoxa fide & catholica Eccleſia, & à communione ducis noſtri glorioſi prædeceſſoris Petri, qui claues regni à Saluatore noſtro recepit? Qui autem participes Apoſtoli eſſe volunt, ducuntur & doctrina ipſius, qui CHRISTVM dicit & credit, propter nos crucifixum, & hoc non negat, ſicut & modò depoſitus Petrus ex eo quòd non legitimè & inclementer in triſagio adinnouauit, qui crucifixus eſt propter nos, ſcientes, quia non Trinitatem crucifixam ab Apoſtolis ſuſcepiſtis, non patrem, non Spiritum ſanctum, niſi carne filium Dei vnigenitum ſolùm. Fugite ergò ab hac inclementi communione, & ero vobis communicans, inquantùm & vos mihi, doloſa fallacia, longè à noſtra orthodoxia, expulſa. Cuſtodite Chriſti diſcipuli, mei autem filij, traditiones quas à diuinis ſcripturis accepiſtis.

for. * Paradoxis παραδόξοις aut ἀσεβαλτευτῶν

Pſal. 51. * omnia verba precipitationis lingua doloſa.

* nocentiùs

Matt. 16.

NOTÆ.

Epiſtola.] *Hæc eſt tertia epiſtola Felicis Papæ, quam è ſynodo Romana ad Petrum Fullonem tranſmiſit: quáq; eum poſt bmas ſalutares admonitiones, ſententia anathematis & depoſitionis iure meritóq; condemnauit. Hanc ordine tertio ad eum ſcriptam eſſe, indicant huius epiſtolæ verba hæc ex edit. quæ habetur tom. 1. epiſt. Rom. Pontif.* Nec ambulare in veritate, nec noſtris duabus epiſtolis aurem voluiſti accommodare: nunc igitur ſum exorſus aduerſus te proferre ſententiam, &c. *Vnde patet quod ſecunda illa monitoria Felicis Papæ ad Petrum tranſmiſſa interierit.* Epiſtola ad Fullonem nem ex cõc. Roman.

EPISTOLA V. FELICIS AD ZENONEM IMPERATOREM.

Nunciat Imperatori Petrum Fullonem ſynodali iudicio ſententia anathematis condemnatum, ideóq; ab eius communione abſtinendum eſſe. Hortatur eundem Imperatorem, vt Petrum depoſitum ex Antiochena Eccleſia expellat.

GLORIOSISSIMO *ac ſereniſſimo filio Zenoni Auguſto, Felix Epiſcopus in Domino ſalutem.* Ex ſynodo Conſtantinopolitana

Conuenit tuæ clementiæ tuæ, rerum ordinem nunciare geſtarum pro tranquillitate imperij ſerenitatis tuæ, & oro ſuſcipias precem meam, ac ſi ipſe præſens eſſem, benignis auribus tuis vt Chriſtianiſſimus Imperator: & nequaquam arbitretur pietas tua, illum puro nos corde diligere, quicunque te pacem cum Deo habere non vult. Quoniam verò fideliter credidiſti, nec ambigis & temporalis ſolij poteſtatem, & æternæ vitæ retributionem ſuperno ex momento pendere, per noſtram etiam paruitatem dignare ſuſcipere venerabilem ac diuinam beatiſſimi Petri confeſſionem, Apoſtolorum ſcilicet principis, cui & regni claues à Saluatore traditæ ſunt, qui etiam præparabit Chriſtianiſſimo imperio veſtro locum in cœlo cum ſanctis Angelis, quique immutabilem & immaculatam fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, Dei filium vnigenitum primus exponens, à Saluatore ipſo beatus eſt dictus. Nam cùm ipſe dixiſſet ad Dominum, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ab ipſo audire meruit, Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt: & ſuper iſta confeſſione ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam. Cùm ergo Saluator dixerit, quòd portæ inferi non prævalebunt aduerſus ipſius Eccleſiam, vt ab ea ipſius denominationem tollant, quæ dicitur Chriſtus Ieſus, & Dei omnipotentis filius; Petrus primogenitus & diaboli filius, & qui ſanctæ Antiochenæ Eccleſiæ indigniſſimè ſe ingeſſit, ſanctamque ſedem pontificatus Ignatij martyris polluit, qui Petri dextera epiſcopus ordinatus eſt, Euſtathijque confeſſoris ac præſidentis trecentorum decem & octo patrum, qui in Nicæa conuenerunt; auſus eſt dicere, nõ oportere Chriſtum etiam Dei filium nominare ſecundùm diuinam Saluatoris ſanctionem, & traditionem diuinarum ſcripturarum, patrumque expoſitionem: ſed vnum de Trinitate, paſſionem pro nobis pertuliſſe in ſubſtantia Deitatis, iuxta Arij & Apollinaris, Eunomijque blaſphemiam, volens hac voce euacuare ſalutarem Domini incarnationem, ſecundùm quam Chriſtus & paſſionem ſubijt. Dicitur autem & vnus ex nobis, vt qui Abrahæ ſemen apprehendit. Augere quoque deorum pluralitatem nititur: Quippe ſenſus eius tres introducit deos, vnum mortuum, & duos viuentes. Soluit etiam conſubſtantialis nomen, ſacraſque abijcit ſynodos, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Chalcedonenſem, ſanctam quoque Mariam, virginem nequaquam admittere deprehenditur. Si enim non ex ea incarnatum verbum homo factum eſt, quæ neceſſitas virginis? & quare ad eam dixiſſet Gabriel: Quod

Matth.

Ibidem.

Ibidem.

Hebr.

Luc.

exte

ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius? Post hæc autem omnia impia, & blasphemiæ suæ præsumpta, & deprauationem trisagiæ deprecationis, cum illis addere voluit, Qui crucifixus est pro nobis, multa inconuenientia effecit, multumque à nobis & in CHRISTO dilectis fratribus nostris, qui in Oriente sunt, & à venerabili Acacio vestræ regalis, & à Deo amatæ ciuitatis Archiepiscopo admonitus, conuerti noluit. Quapropter nunc sancta Dei Ecclesia maternis te vocibus, vt potè ad excellentem ipsius filium, alloqui non cessat: O à Christo amate Imperator, meæ venerabilitatis vinculum, in quo multitudines fidelium circumstringuntur, dissolui non permittas: Domini autem Christi & vnigeniti filij Dei laudationem transgredi non permittas, quæ & vestram ciuitatem periclitantem saluauit, sed tanquam angelorum traditionem indeprauatam conseruatam, Petrum Arianæ superstitionis sequacem, ab Ecclesia Antiochena expelle. Qua ex causa Petrus scindit vestem meam desuper contextam? Deus & pater mandauit principi Apostolorum quid vocarent filium. Eius vnigenitus filius in confessione primi Apostolorum fundauit me sanctus Spiritus quotidie testatur mihi, dicens: Non iudicaTe scire aliquid, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Si autem inimici, increduli, insidiatores, qui extra vitem sunt, & qui vnigenitum filium Dei mactauerunt, lapidauerunt, & ligno crucis affixerunt, vestem suam non diuiserunt, & Petrus fidei meæ vestem dirupit? Portæ inferi non præualuerunt aduersus me, & Petrus tentat muros meos demoliri? Ego, pijssime Imperator, te de imperio expulsum rursus introduxi, & malignos ac inobedientes meis diuinis dogmatibus dedi pro sepultura tua, viamque potentiæ aperui ante te, inimicos tuos percussi vnà cum iniquo eorum dogmate, antequam potentiam exquisiui tibi à DEO in altis regnante, ex quo & regnare sumpsisti. Respice ad prædecessorem tuum pijssimum Imperatorem Martianum, & illius fidem libenter amplectere, hæreticam tyrannidem Petri quam citissimè eradica, Valentini & Eutychetis discipulum expelle à ciuitate sistul & Ecclesiastico regimine, & à dignitate hierarchica deiectum esse sancito. Conspice, sanctissime fili & Imperator inuictissime, qualis in Chalcedonensi synodo indubitabilis defensio facta fuit, & quibus expugnauit Æschinum, & diuulgationes hæreticæ doctrinæ Petri expedias. Hæc legat sancta Dei Apostolica & Catholica Ecclesia, vt ab ipsa propter prædictas causas depositum, ad communionem non suscipias: sed per diuinos apices vestræ serenitatis ab Antiochiæ confinio propellite. Pro ipso autem constituite virum operibus sacerdotium ornantem, custodemque diligentem sanctæ Chalcedonensis synodi, & eorum, quæ in ea firmata sunt. Omnipotens Deus custodiat vestram potentiam in pace semper.

Matt. 16.
1. Cor. 2.
Ioan. 19.
Esa. 35.

EPISTOLA VI. FELICIS ad Acacium.

Acacium munere sacerdotali, & fidelium communione priuat.

FELIX *Episcopus, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, Acacio.*

Ex Crescon.

Multarum transgressionum reperiris obnoxius, & in venerabilis Concilij Nicæni contumelia sæpe versatus, alienarum tibi prouinciarum iura temerariè vindicasti. Hæreticos peruasores, atque ab hæreticis ordinatos, & quos ipse damnaueras, atq; ab Apostolica institisti Sede damnari, non modo communioni tuæ recipiendos putasti, verùm etiam alijs Ecclesijs, quod nec de Catholicis fieri poterat, præsidere fecisti: aut etiam honoribus, quos non merebantur auxisti. Testatur hoc Ioannes, quem à Catholicis Apameæ non receptum, pulsumque de Antiochia, Tyrijs præfecisti: & Humerius, nunc de Diaconio deiectus, atq; Christiani nominis appellatione priuatus, à te etiam in presbyterij prouectus officium. Et quasi hæc minora tibi viderentur, in ipsam doctrinæ Apostolicæ veritatem ausu superbiæ tuæ tetendisti, vt Petrus, quem damnatum à sanctæ memoriæ decessore meo ipse retuleras, sicut testantur annexa, beati Euangelistæ Marci sedem, te conniuente rursus inuaderet, & fugatis orthodoxis episcopis & clericis, sui proculdubio similes ordinaret, pulsoque eo, qui illic fuerat regulariter constitutus, captiuam teneret Ecclesiam. Cuius tibi adeo grata persona est, & ministri eius accepti, vt episcopos & clericos plurimos orthodoxos, nunc Constantinopolim venientes, detegaris affligere, & apocrisarios eius confouere, atque anathematizantem eundem Petrum Chalcedonensis decreta concilij, & violantem sanctæ memoriæ Timothei sepulturam, sicut ad nos certiores nunc quoque Nuncij detulerunt, per Mesenum & Vitalem credideris excusandum: nec eum laudare desieris, & multis offerre præconijs, ita vt damnationem ipsius, quam ante retuleras, veram non fuisse iactaris. Tantum autem perseueras in hominis defensione peruersi, vt quondam episcopos, nunc verò honore & communione priuatos, Vitalem atque Mesenum, quos ad eius expulsionem specialiter miseramus, sublatis chartis, custodiæ passus fueris mancipari: & ad processionem, quæ tibi cum hæreticis habetur, exinde productos sicut eorum professione patefactum est, ad hæreticorum, tuamque communionem, contempta, quæ vel gentium iure seruari debuit, legatione, pertraxeris, præmijsque corruperis, & in læsionem beati Petri Apostoli, à cuius Sede profecti fuerant, non solùm inefficaces redire feceris, sed etiam impugnatores omnium, quæ fuerant mandata, monstraris. In quorum deceptione tuam nequitiam prodidisti, & ad libellum fratris & coepiscopi mei Ioannis, qui te grauissimis obiectionibus impetiuit, in Apostolica Sede secundùm canones respondere diffidens, obiecta firmasti. Felicem quoque defensorem fidelissimum nobis, necessitate faciẽte serius subsequutum, indignum tuis censuisti oculis. Eos quoque tecum litteris tuis communicare testatus es, quos constat hæreticos. Quid enim sunt aliud, qui post obitum sanctæ memoriæ Timothei, ad Ecclesiam sub Petro redeunt, vel qui se ex Catholicis eidem tradiderunt, nisi quòd Petrus ab vniuersa Ecclesia, atque à te fuerat iudicatus? Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem ex sententia præsenti, quam per tuæ tibi direximus Ecclesiæ defensorem: sacerdotali honore, & communione Catholica, necnon etiã à fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen & munus ministerij sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus iudicio & Apostolica auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus. Cælius Felix Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, subscripsi. Data v. Kalend. Augusti, Venantio viro clarissimo Consule. *Simul 67. Episcopi absque Papa subscripserunt.*

NOTÆ.

Epistola synodica Concilij Rom. II.

Epistola.] *Hæc epistola synodica est, scripta ex Concilio Romano II. continetq; eam anathematis & depositionis sententiam, quæ post causæ diligentem inquisitionem, omnium decreto lata est in Acacii Constantinopolitanum, quæq; ad eundem Constantinopolim transmissa, & ab illo recusata, monachi cuiusdam operâ suspensa est ad pallium Acacij, dum ad sacra peragenda pergeret. Quo facto eo insaniæ prorupit, vt Dioscorum Alexandrinum imitatus, nomen Felicis Papæ è sacris Dyptichis tolleret, atque Catholicos Episcopos surrogatis hæreticis & infamibus, sedibus suis exterminaret: Verùm non super regnum & imperium inniti sedem Apostolicam; sed super Christum Regem Regum & Dominum Dominantium, ipse suo tandem expertus est damno, quando nomen hominis ambitiosissimi & arrogantissimi, qui suas ipsius viuentis imagines in Ecclesia dedicari passus est, è sacris tabulis planè abolitum fuit, vt infrà dicemus. Vide Liberat. inf. c. 18. Niceph. lib. 7. cap. 17. Baron. an. 484.*

EPISTOLA VII. FELICIS PAPÆ III. ad vniuersos Episcopos.

Statuit quomodo qui rebaptizati sunt ad Ecclesiam Catholicam admitti debeant.

Ex manuscriptis.

DILECTISSIMIS *in Christo Iesu fratribus, vniuersis Episcopis per diuersas prouincias constitutis.* Qualiter in Africanis regionibus astutia diaboli seuierit in populum Christianum, atq; in id multiplici deceptione proruperit, vt nõ modo vulgus incautum, sed ipsos quoque in mortis profunda demer-

demerserit sacerdotes, nullus non orbis gemuit, nulla terra nesciuit. Vnde in graui mœrore positi, dissimulare non possumus pereuntium, atque à nobis exigendarum discrimen animarum. Quapropter competens adhibenda est talibus medicina vulneribus, ne immatura curandi facilitas mortifera captis peste nihil prosit, sed segnius tracta pernicies, reatu non legitimæ curationis inuoluat pariter saucios & medentes.

Rebaptizatis non nisi per pœnitentiam ad Ecclesiam Catholicam patet regressus.

In primis itaque venientis ad vos & remedium postulantis, solicitè discutienda est professio & persona decepti, vt medela possit congruens exhiberi. Et qui satisfacturus Deo per pœnitentiam, se rebaptizatum legitimè doluerit; vtrum ad hoc facinus † concurrerit, an impulsus accesserit, requiratur: sciens, quòd se decipiat ipse, qui fallit, nihilq; per nostram facilitatem tribunalis excelsi iudicio derogari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ iusta sunt: & aliter necessitatis, aliter tractanda est ratio voluntatis. Deterior est autem causa illius, qui fortè precio solicitatus est vt periret. Nihil enim intentatum reliquit inimicus, cui ne de sua liceat gaudere captura, succurrendum est irretitis, & contendendus est venãtis laqueus, vt insucatum lamentantibus lapsum tam iustitię moderatione, quàm compunctione pietatis ad aulam, quam reliquerant, sit regressus. Nec pudeat forsitan, aut pigeat indictis ieiuniorum gemituumque temporibus obedire, aut alijs obseruantiæ salubrioris obtemperare præceptis: quia humilibus datur gratia, non superbis. Sit ergo ruinæ suę dolore prostratus quisquis in Christo fieri quærit erectus, & per dispositionis nostræ ministerium, quod vestram sequi conuenit caritatem, nec alicui fas est velle, vel posse trãscendere causas eius, qui cõtra Apostolicam doctrinam, ad iterationem se baptismatis nimis infaustam dedidit: vel eius, qui aliquibus argumentis excusandum callidè proprium putauerit esse consensum. Sacerdotali vigore & humanitate tractemus, vt in eis fides, quæ nisi est vna, iam nulla est, adiutorio Domini iudicis, ad salutem sine nostræ operationis offensione reparetur: quia cùm peccatoris à nobis satisfactio protrahitur, non præter laudem nostram atque lętitiam, mens eius ad veniam purgatior inuenitur. Et ideo memineritis, hanc super his nos habere sententiam, vt seruata discretione peccantium, non eadẽ cuncti, qui lapsi sunt, lance pensentur. quoniam maioris castigationis exigendus est vsura, cui domus Domini commissa fuerit disciplina.

1. Pet. 5.

Episcopis & clericis rebaptizatis vsq; ad finem vitæ agenda est pœnitentia, quibus vsq; ad eũ diem negatur communio.

Vt ergo ab Ecclesiæ summitatibus inchoemus, eos, quos episcopos, presbyteros, vel diaconos fuisse constiterit, & seu optantes forsitan, seu coactos lauacri illius vnici salutarisque claruerit fecisse iacturam, & CHRISTVM, quem non solùm dono regenerationis, verum etiam gratia percepti honoris induerant, exuisse, cùm constet neminem ad secundam tinctionem venire potuisse, nisi se palam Christianum negauerit, & professus fuerit se esse paganum. Quod cùm generaliter sit in omnibus execrandum, multo magis in episcopis, presbyteris, diaconibus auditu saltem, dictuque probatur horrendum. Sed quia idem Dominus atque Saluator clementissimus est, & neminem vult perire, vsque ad exitus sui diem, in pœnitentia (si resipiscunt) iacere conueniet: nec orationi non modò fidelium, sed nec catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio laica tantum in morte reddenda est. Quam rem diligentius explorare vel facere probatissimi sacerdotis cura debebit.

Rebaptizatis pœnitentibus in fine vitæ conceditur viaticum. Nic. conc. c. 41.

De clericis autem & monachis, aut puellis Dei, aut sæcularibus, seruari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna synodus, circa eos, qui lapsi sunt, vel fuerint, seruandum esse constituit, vt scilicet, qui nulla necessitate, nullius rei timore, aut periculo, se, vt rebaptizentur, hæreticis impiè dedideruntsi tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes sint: septem autem annis subiaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum: duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodò sæcularibus in oratione socientur. Nec confundatur Deo colla submittere, qui non eum timuit abnegare. Quòd si, vtpotè mortales, intra metas præscripti temporis cęperit vitæ finis vrgere, subueniendum est imploranti, & seu ab episcopo, qui pœnitentiam dederit, seu ab alio, qui tamen datam esse probauerit, aut similiter à presbytero viaticum abeunti de sæculo non negetur.

Impuberibus sub manus impositione reddenda cõmunio.

Pueris autem, quibus (quòd adhuc impuberes) à pubertate vocabulum est, seu clericis, siue laicis, aut etiam similibus puellis; quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquandiu sub manus impositione detentis, reddenda communio est: nec eorum expectanda pœnitentia, quos excipit à coërcitione censura. Quod est à nobis prouidè constitutum, ne hi, quibus in terreni labe contagij plus minusve restat ad vitam, dum adhuc in pœnitentia sunt, pœnitenda committant. Quòd si ante præfinitum pœnitentiæ tempus desperatus à medicis, aut euidentibus mortis pressus indicijs, recepta quisquam cõmunionis gratia conualescit; seruemus in eo, quod Nicæni canones ordinauerunt, vt habeatur inter eos, qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eidem præstitutum. Nec catechumenos nostros, qui sub tali professione baptizati sunt, prætermittimus: quia non est causa dissimilis (sicut ijdem sancti canones ordinauerunt) eius, qui quolibet modo CHRISTVM, quem semel confessus, abiurarit; tribus annis inter audientes sint, & postea cum catechumenis permittantur orare, per manus impositionem communionis Catholicæ gratiam percepturi, exceptis sanè tantummodò episcopis, presbyteris, & diaconibus; quos solo mortis suæ tempore reconciliandos esse iam diximus. Cæteros, id est, seu clericos, siue monachos, seu laicos vtriusq; sexus personas, quos violentiæ periculis coactos iteratione baptismatis subijsse constiterit, vel qui aliquo cõmento, huius se facinoris piaculo dixerint non teneri, his pœnitentiam per triennium durare decreuimus, & per manus impositionem ad societatem recipi eos sacramenti.

Nic. conc. c. 13.

Nic. conc. c. 14.

Extra Ecclesiã baptizati non rebaptizati ad ecclesiasticam militiam non admittãtur.

Illo per omnia custodito, ne ex eis vnquam qui in qualibet ætate, alibi quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere. Quibus satis esse debet, quod in Catholicorum numero sunt recepti: quoniam de suo ordine & communione videbitur ferre iudicium, quisquis hoc violauerit institutum, vel qui non remouerit eum, quem ex eis ad ministerium clericale obrepsisse cognouerit.

Pœnitẽs ab alijs, à suis episcopis vel presbyteris nõ suscipiantur.

Curandum verò maximè, & omni cautela est prouidendum, ne quis fratrum coepiscoporumque nostrorum, aut etiam presbyterorum in alterius ciuitate vel diœcesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum, qui reconciliatũ se esse dixerit, sine episcopi vel presbyteri testimonio & litteris, ad cuius pertinet parochiam, presbyter aut episcopus in ciuitate suscipiat. Quod si aliqua dissimulatione negligitur, culpa tangit etiam clerum, qui in locis, in quibus hoc minus curatum fuerit, commoratur. His itaque ritè dispositis, & ad Ecclesiarum vestrarũ notitiam nostra deliberatione perlatis, parere vos conuenit: quibus, licèt ad animarum reparationem nihil deesse videatur, tamen si cui noui aliquid, & quod præterire nos potuit, fuerit reuelatum, secundùm beatum Apostolum Paulum, tacente priore, fideliter insinuet: quia Spiritus sanctus vbi vult spirat, maximè cum sua causa tractatur, nec nos pigebit audire, & si quæ sunt omissa, non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare. Deus custodiat vos, dilectissimi fratres. Data Idibus Martij, Diuamio & Sisidio viris clarissimis Coss.

1. Cor. 14. Ioan. 3.

NOTÆ.

Epistola synodica Concilij Rom. III.

Hæc est illa synodica, quæ ex Concilio Romæ III. sub Felice, missa est ad vniuersos Episcopos: quæ, diutius Romæ detenta, consignata est nota consulari anni 458. quo in Africam transmissa fuit. Lecta in consessu Patrum, sententia eorundem approbata fuit: quas constitutiones synodales contineat, summatim infra in Notis præallegatis Concilij, recensui.

EPISTOLA VIII. FELICIS III. ad Zenonem Episcopum.

Terentianum commendat.

DILECTISSIMO *fratri Zenoni, Felix Episcopus.* Filius meus vir clarissimus Terẽtianus ad Italiam dudum veniens, dilectionis tuæ singularis extitit prædicator, talemque te esse vulgauit, qui ita CHRISTI gratia redundares, vt inter mundi turbines gubernator Ecclesiæ præcipuus appareres. Quapropter, frater carissime, cùm ad prouinciam commea-

ret,

ret, seduloq; deposceret nostras ad dilectionem tuam literas destinari, gratanter annuimus: qui & dignum Deo sermonem complecti cuperemus antistitē, & per eum maximè vellemus id fieri, cuius nobis fuerat laudibus intimatus. Quamuis ergo sanctis operibus ex omni parte prædictam fraternitatē tuam vir præfatus adstruxerit, multumque fiduciæ de tua benevolentia iam teneret; tamē æquum est, vt quod desiderabat magnoperè, consequatur: quatenus, qui tuis olim gratus est animis, contemplatione nostri reddatur acceptior, simulq; materna & sacerdotali consolatione foueatur, peregrinationisq; præsidium pastorali pietate reperiat, vt vestrę dignitatis affectu appareat apud synceritatem tuam, nostrum quoque non minimum salutāris valuisse colloquium. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

ADMONITIO AD LECTOREM.

EPISTOLA *quædam Felicis ad Cæsarium Arelatensem, extat apud Baron. ann. Domini 488. n. 7. sub Felice 3. Hanc à Felice 4. scriptam fuisse, Baronius in appendice tomi decimi recognouit, eo ipso, quod Arausicanum secundum aliaq; plura Concilia, quibus Cæsarius Arelatensis præsedit vel interfuit, longè post hæc tēpora, habita fuisse recognouerit: quodq; idem Cæsarius an. Domin. 554. attigerit: quem, si tempore Felicis 3. Arelatēsis Episcopus fuisset, attingere non potuisset. Obstat huic sententiæ, quod Gennadius de script. Ecclesiasticis, ca 86. huius Cæsarij, data q; ad eum epistola librum eius de gratia approbantis, meminerit. Quod fieri non potuisset, si à Felicis quarti tempore Episcopatum Arelatensem tenuisset. Ea enim, quæ Gennadius de scriptoribus Ecclesiasticis scripsit, Gelasij Pontificis censuræ subiecit, vt constat ex eiusdem libri cap. 99. & 100. adeoq; Felicis quarti esse esse non potest ea epistola, cuius prædicto libro ad Gelasiū misso, mentionem facit. Nodus iste difficilis est, nisi dicamus, quod ait Suffridus Petri, Cæsarium Gennadiano Codici insertum fuisse eadem ratione, qua Auitus, Pomerius, & Honoratus Massiensis, eidem operi fraudulenter, vel saltem ignoranter inserti fuisse scribuntur ab Honorio, in Catalogo de viris illustribus. Vide Possevinum in apparatu sacro, verbo* Gennadius.

SEQVITVR DECRETVM vnum Felicis.

FELICIS PAPÆ III. DECRETVM Vnum desumptum ex Gratiano, quod non habetur in præmissis.

In Ecclesiasticis causis regia voluntas sacerdotibus est posponenda.

CErtum est hoc rebus vestris esse salutare, vt cùm de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutionem, regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre: & sacrosancta per eorū præsules potius discere, quàm docere: Ecclesiasticam formam sequi, non huic, humanitus obsequendo, iura præfigere: neque in eius sanctionibus velle dominari, cuius clementiæ Deus voluit tuæ piæ deuotionis colla submittere: ne, dum mensura cœlestis dispensationis excedit, ea tur in contumeliam disponentis.

Distin. 10. Certum est hoc.

SEQVVNTVR CONCILIA SVB Felice Tertio.

CONCILIVM ROMANVM PRIMVM SVB FELICE tertio, contra Acacium Constantinopolitanum & Petrum Fullonem.

NOTÆ.

Causa Concilij.

Concilium.] *Cum in locum defuncti Timothei, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi Orthodoxi, cōmuni consensu Episcoporum, Ioannem virum optimum, hominemq; Orthodoxum, Timotheo in sede Alexandrina suffectum, Zeno Imperator impulsu Acacij Episcopatu amouisset, eiq;, vt supra in Notis epist. 17. Simplicij Papæ diximus, Petrum Mogum hæreticum, antea semel inde fugatum substituisset, Ioannes de vi & iniuria sibi illata protestatus, ad sedem Apostolicam appellauit. Anno Domini 483. Romam veniens, suam quam interposuerat appellationem introducturus, & debito modo prosecuturus, Felici Papæ (Simplicium enim defunctū inuenerat:) libellum iniuriarum obtulit. Quo suscepto Felix ob causam; quæ non vnius tātum; sed trium præcipuarum sedium Orientis Ecclesiarum vertebatur periculum, Concilium ex Episcopis Italiæ more maiorum celebrandum esse putauit. Conuocatis itaq; sanctissimis Patribus habita est sacra synodus, quæ post grauissimas sententias plurimorum interpositas, omnium consensu illud constitutum fuit, vt ad Zenonem Imperatorem Constantinopoli degentem, legatio decerneretur, scriberenturq; robustissimæ ad eum literæ, quibus de proditione Catholicæ fidei, eiusq; proditoribus querelæ ingererentur: adderet suas ad Acacium Constantinopolitanum, quibus cum eo ob fidem nō defensam & communicantiam cum hæreticis expostularet. Præterea visum fuit esse conuenientissimum, vt transmissa copia illius libelli, quem Ioannes Alexandrinus Pontifici obtulerat, Acacius ad sui defensionem in scripto citaretur, scriptoque libello rogaretur Imperator, vt Acacium ad respondendum querelis aduersum se obiectis impelleret. Hæc omnia debito modo peracta fuisse, Epistolæ Felicis ad Acacium & Zenonem, quæ nunc primum cum prædictis libellis quibusdam, opera illustriss. Card. Baronij in lucem prodierunt, aperte demonstrant. Hæc eadem Synodo damnatus est Petrus Fullo, alias Cnapheus nominatus, intrusus post Calendionem electum Episcopus Antiochenus. Qui dum sacro Trisagio, in omnibus Orientis Ecclesijs ex reuelatione Dei cantari consueto, quo dicitur: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis; hanc blasphemiam addidit: Qui passus es pro nobis; quasi scilicet, tota sanctissima Trinitas mortem ac passionem subijsset, se non tantum Eutychianum; sed etiam Apollinaristam atque Sabellianum esse detexit. Cum enim diceret vnam in Christo esse naturā, Eutychianum se prodidit. Cum diceret carnem de cœlo allatam in verbum esse conuersam, se Apollinaris sectatorem professus est. Cum vero Patri, Filio ac Spiritui sancto passionem coniungeret, Sabellianū se esse aperuit; quoniam eo ipso vnam tantum totus Trinitatis personam esse asserut, sicq; nefandum Theopaschitarum errorem, iamdiu ante proscriptū maiori cumulo reddidit. In hoc iudicio Fullonis, tres actiones habitæ videntur; quarum prima directa est ad eum Epistola Synodica, qua Pontifex confutatis singulis illius blasphemis erroribus, in fine sic eum alloquitur: Hæc tibi scripsi vna cum præsente Synodo, conueniens te coram Deo & sanctis Angelis, vt ea doceas & nobiscum sentias, vt illibata fides nostra permaneat ad gloriam Dei. Extat hæc Epistola supra inter Epistolas Felicis ordine 3. Incipit sic: Quis dabit capiti meo aquam? Secunda actione visum fuit secundas literas commonitorias ipsi trāsmittere minis adhibitis, vt nisi bene monentibus acquiesceat, excommunicationis & depositionis sententiam sibi instigendam præcognoscat. Hæc constant ex epistola quarta Felicis, qua laturus in eum depositionis sententiam, sic eum alloquitur. Nec ambulare in veritate, nec nostris duabus Epistolis aurem voluisti accommodare. Nunc igitur sume exorsus aduersus te proferre sententiam, &c.*

Decretum Concilij

Petrus Fullo damnatus

Quid ad Trisagiū addiderit.

In iudicio Fullonis tres actiones habitæ. Prima actione quid.

Secunda actione quid gestum.

Secundæ literæ Felicis ad Petrum interierunt. Cum duabus hisce admonitionibus maximè paternis homo scelestissimus necdum acquiesceret, consilio & hortatu Patrum quadraginta duorum Romæ hac de causa diutius commorantium, Felix Pontifex excommunicationis & depositionis sententiam in eum conceptam promulgauit, scriptaq; ad eum epistola Synodica latam sententiam eidem intimauit. Adiecit his Felix Papa literas ad Zenonem, monens eum, vt caueat à cōmunione Petri Ecclesiastico iudicio iam condemnati.

Tertia actione cōdemnatus est Petrus Fullo.

At non Felix tantum; sed etiam Quintianus magni nominis Asculanus, Iustinus Siciliæ & Flauianus Rhodopensis Episcopi ex Occidente, ad Petrum Fullonem blasphemum, literas dederunt, quibus post refutatas illius horrendas blasphemias, eundem ad pœnitentiam & meliorem mentem exhortati fuerunt. Horum Epistolas hactenus confusè editas, huic loco inserendas esse putaui.

(:)

ACTA ET PRODVCTA IN CAVSA Acacij.

EPISTOLA FELICIS AD ACACIUM Constantinop.

Optat sancta Synodus, &c. *Extat supra inter epist. Felicis, estq; ordine 1.*

EPISTOLA FELICIS AD ZENONEM Imperatorem.

Decebat profecto, &c. *Extat supra ordine & tempore secunda.*

LIBELLVS CITATIONIS AD ACACIUM per Vitalem & Misenum transmissus.

EPiscopali diligentia commonente, debuerat dilectio tua Ecclesiasticum morem secuta, quid responsio sanctę memoriæ prædecessoris mei per virum deuotum Vranium subdiaconum apud clementissimũ Principem, quid apud te quoque literæ ipsius in causa Alexandrinæ Ecclesiæ profecerint, indicare: & curam, cuius te non immeritò voluit esse participem, cuncto studio prosperorũ significatione moliri; vt Catholica fides apud Chalcedonensem Synodum roborata, & iterum firmata, responsis omniũ qui in eadem resederant Domini sacerdotum, quam inopinato rursus hæreticorum prauitas inquietat, communi opere inimicis proprijs subiacere non permitteretur oppressa. Quod cùm diu omittitur, superueniens & Coepiscopus noster Ioannes fugatus ab hæreticis peruasoribus sedis Alexandrinę, libellum nobis, quem sanctæ memoriæ decessori meo parauerat porrigendum (quantum ex subiectis agnosces) ingessit. Quem morem maioris sui beatæ memoriæ Athanasij exemplo & priorum nostrorum, non potuimus refutare.

subiectis Et ideo lectis subditis, frater carissime, ad hæc quæ proposita esse cognoscis, apud B. Petrum Apostolum, cui preces in nobis oblatas peruides, & quem ligandi atq; soluendi à Domino potestatem sumpsisse, non potes diffiteri; & in conuentu fratrum & Coepiscoporum nostrorum respondere festina: vt in alterutram partem quod iustitia parauerit; ordinantes, amotis scandalis Ecclesiarum, quas scindi videmus, reparata concordia, & seruata integritate fidei, puris mentibus acceptissimas faciam.º placationis hostias, quas pro omni populo Christiano & salute gloriosissimi Imperatoris offerimus. Ad quam rem de collegio nostro fratres & Coepiscopos nostros Vitalem & Misenum, cum quibus illum à latere nostro fidelissimum nostrum Felicem Defensorem, sanctæ Ecclesiæ Romanę ordinatione direximus: quibus moram fieri non oportet; ne ad indignationem Domini prouocãdam, quæ corrigenda sunt, procrastinationibus conualescant.

LIBELLVS A FELICE DECRETO Concilij ad Zenonem Imperatorem transmissus.

CVM sibi redditam pacem, compressis per vos hæreticis, qui sentiebantur attolli, vniuersalis gauderet Ecclesia, & vestræ pietatis Imperium etiam de inimicis suis victoriam reportasset, & per vniuersum Orbem pro salute vestræ serenitatis oratio cunctorum oraret ad Dominum sacerdotum; & vestra pietas fidei custos & defensor Orthodoxiæ sub æterni Regis propitiatione regnaret: quando venerandi apices vestri, & Deo proxima currens de sacro pectore frequenter auctoritas, inter gaudia recepti Imperij, Petrum cõuersatum cum hæreticis, & parricidæ illi Timotheo cohærentem, à prophanis (quia nec ab alijs fieri poterat) Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, quantum sibi existimauerat, ordinatum, acceptissima Deo præceptione deiecerat; & tyranni literas, quas in euersionem contra fas & sacrosancti Chalcedonensis Concilij definitiones mẽs insana dictauerat, pro regni sui cõmendatione, euacuauit. Ita deinde illicitas ordinationes eius, vel etiam Timothei, vtpotè hæreticorum, irritas fecit; atque eos, quantum extra Ecclesiam fuerint, iudicauit.*

º indicauit.

Sed nunc eum, mutatis omnium gaudijs in mœrorem, Ecclesiæ Alexandrinæ cognouimus præsidere. Quod si verum est (vt Christianissimo Principi coram Deo fiducialiter est faciendum) diuino iudicio suggerimus, non leuiter esse pensandum; nisi certis remedijs, quod in contumeliam Dei factum dicitur, fuerit expiatum. Et quia (sicut scriptũ est) vnius mem- 1 Cor. 12
bri totum corpus patitur passiones, in persona eius Orientis concutiuntur Ecclesiæ. Quod fratrẽ & Coepiscopum meum Constantinopolitanum respicit sacerdotem, aduersus quem in Conuentu mihi ab eo, cuius sedem præfatus fertur tenere, libellus oblatus est, quem deplorationibus meæ humilitatis annexui; vt idem frater & Coepiscopus meus Acacius (sicut Ecclesiasticis necesse est, & vestris legibus fieri decet) ad hæc quæ de se peruidet intimari, apud beatissimum Petrum Apostolum diluere obediens procuret, nec vllo modo existimet differendum. Qui si (quemadmodum confidimus) bene conscius est, Apostolicum non debet iudicium cum consacerdotibus suis & moderationem abijcere; vt sacerdotalib. actibus & comprobatione fideli comprobatus, primum Christi Domini nostri, atq; omnium sacerdotum, ac deinde pietatis vestræ gratia gloriosus perfruatur.

ACTA ET PRODVCTA IN CAVSA Petri Fullonis alias Cnaphæi.

EPISTOLA MONITORIA FELICIS Papæ ad Petrum Fullonem.

Quis dabit capiti, &c. *Extat supra ordine 3.*

EPISTOLA FELICIS PAPÆ AD PETRUM Fullonem, continens sententiam excommunicationis & depositionis; hæc est:

Quoniam pestiferis doctrinis, &c. *Extat supra ordine 4.*

EPISTOLA FELICIS AD ZENONEM.

Conuenit tuæ clementiæ, &c. *Extat supra ordine 5.*

EPISTOLA QVINTIANI EPISCOPI ad Petrum Fullonem Episcopum Antiochiæ.

MVLTIFARIAM multisque modis, charissime, à veritate deuiasti, contraria faciens herilis mysterij, non sequendo Euangelia, vel Apostolos, vel sanctos patres. Etenim expositio tua graue fert contra ipsos nouitatem Catholicæ Ecclesiæ. Et quidem non abiecisti ipsam, multis Episcopis præmonentibus te (maximè sanctissimo Archiepiscopo Felice) ab ipsa diuertere, & esse rectum & orthodoxum, salubris prædicationis sectatorem; sed certè contrà hæresium affectator fuisti, & talentum diuinæ doctrinæ in terram abscondisti, & non potiùs ipsum supra mensam proijcere censuisti, videlicet sanam doctrinam in cordibus hominum inserere, sed econtra zizania seminasti. Et quis adhuc sustinebit te, peruertentem Christi Euangelium? Non prædicando vnum filium in duab. naturis Dominum nostrum Iesum Christum, & nunc crucifixum: sed Deum, fortem, immortalem, videlicet, vnam Trinitatis substantiam dicens crucifixam: & non solùm, sed & vnam naturam Dei verbi & carnis dicis. Et si vna natura Dei verbi & carnis est, vna autẽ natura Dei patris & verbi, quomodo non vna & ipsa natura patris & corporis & verbi? Si autem non vna natura Dei patris, & carnis humanæ, & verbi: dic quomodò vna natura verbi & carnis? Quomodò creata, & increatum, vna natura est? Si autem hoc impossibile est, quomodò caro, & increatum verbũ vna natura, & non duæ * commutatæ? Si aũt vnius naturæ est Christus, & non duarum: quarum dicis Christum, creatum, sicut * Arius, * vel increatum, sicut Manichæus? Vbi autem est tem-

poralis

poralis Christi generationis natura, & diuinitatis ipsius æterna generatio? Vbi & illud, Hodie genui te? & illud, IESVS Christus heri & hodie, ipse est & in secula? Quomodo autem & dicis, ante vnionem verbi Dei & carnis, * duæ, vel ante fuit secundum subsistentiam ex virgine vnio? Etenim si est Christi caro ante Mariam, secundùm Valentini impium sermonẽ, quomodò duæ antè fuerunt naturæ ante Mariam? Cuius autem est ipsa expressio, non Eutychis, magis Atychis, ex duabus dicere vnam naturam factam fuisse. Si ista autem cum illo sapis, quomodò ipsum abijcis, qui ipsius recipis pessimas innouationes? Quòd si in veritate hoc factum est, sanctos patres in Chalcedona cõtra ipsum habuisses certè acceptos. Dic verumtamen mihi, quomodo vnitè pater & Filius & Spiritus sanctus dicitur Trinitas, solus existens Deus, si non suscipis dicere in vno filio duas naturas? Et si Trinitas vnus Deus est, quomodò Deus, & corpus nostrum ipsi vnitum. Non debet dici vnus filius in duabus naturis? Si autem vna natura, Deus verbum & caro: vel mutatum est verbum, vel caro: Et si caro mutata, facta fuit verbum, non erit ampliùs caro. Si autem in istis non facta est mutatio, quomodo in Christo non sunt duę naturæ? Caro enim, caro est, quanquam sit Dei caro: & verbum, verbum est, licet assumpsit nostrum assumptum. Si autem mutata est, quomodò est non cõsubstantialis caro & cœterna patri, sicut & verbum? Si autem alterius substantiæ est caro patri, inquantum recentior est, pater autem sine tempore est, quomodo non recens & verbum, sicut vnam esse naturam carnis & verbi Dei dicis, & Filium alterius substantię patri dicis? Si autem non est eadem natura verbi Dei & carnis, quomodo non sunt duæ, caro & verbum? Si autem omnino Deitas caro facta est, quomodò mansit verbum quod fuit? Quomodò autem incommutabiliter incarnatum est, si non est Christus in duabus naturis? Quomodò incarnatus Deus, verbum mansit, quod fuit? Et si est Deus verbum passibilis, impassibilis autem pater, quomodò vnus & solus est DEVS? Quomodò autem & istarum vna est natura? Si autem & impassibilis est Trinitas, quomodo Deus verbum passus est pro nobis? Si autem non passus est, quomodò altera natura carnis non est passa? Et si omne patiens, creatum est: quomodo Deus verbum non est increatus, patiens carne? Si autem carne patitur Deus, quomodò non patitur sibijpsi Deus? Si autem idem est dicere, Deum passum carne: & dicere, Christum passum carne: quomodò non erit idem dicere, Spiritum diuinum carne pati, cùm spiritus Deus sit? Si autem non est simile, Deum passum carne dicere, & dicere Christum pati carne: quomodò possibile erit, plus appropriari DEVM verbum carnis, cuius appropiat pater ea, quæ sunt Dei verbi? Quomodò autem & si appropriatione Deus verbum patitur carne, non erit * appropriatione & pater Deo verbo patiens? Et si mortuus est Deus verbum carne, quomodò est consubstantialis patri immortalitate? Mortuus enim pro nobis non est immortalis: mortuus certè est secundùm scripturas. Et si vnus de Trinitate mortuus est, quandoque Trinitas dualitas facta est. Et si Trinitas nunquam dualitas facta est, quomodo vnus de Trinitate mortuus est? Et si altera natura verbi Dei, scilicet hominum natura, non est mortua: & si trisagia vox, Trinitas non subsistit, manifestum est, quòd vnius substantiæ esse dicis Trinitatem. Et quomodò non ostendis * esse Sabellianum? Et si in tribus hypostasibus vna natura subsistit trisagiæ vocis, quomodò non dicis Trinitatem esse crucifixam & sine Deo teipsum, sicut Marcionistæ, esse non dicis?

Eutyches sonat fautum, atyches infautum.

for. * appropriatue.

for. * esse te.

SANCTI QVINTIANI XII. Anathematismi.

OMNIS ergo qui dicit vnam naturam Dei Verbi & carnis, non duas vnitas indiuisasque; damnetur:

Si quis confundit duas Christi naturas, dicens Deum passum carne, & non passum Christum carne, secũdum Apostolum; damnetur.

Si quis impassibilem & immortalem Deum Verbum dicit conuersum in passionem & mortem, & nõ hoc reddit eius carni; damnetur.

Si quis nomen Trisagion, hoc est, ter sanctum, dicit propter nos crucifixum, & non Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum; damnetur.

Si quis post vocem ter sanctam, Deum dicit crucifixum propter nos, & nõ potiùs vnum Filium, cui in medio ter sanctæ vocis hymnus dicitur; damnetur.

Si quis hominem dicit qui pro nobis crucifixus est, siue Deum, diuidẽdo naturas, & non eas copulando in crucifixione eius; damnetur.

Si quis dicit duas personas, seu subsistentias, & non potiùs duas naturas in vnam personam & vnam subsistentiam concurrentes; damnetur.

Si quis alterius substantiæ dixerit carnem Domini à carne nostra, & non potiùs nobis consubstantialem absq; peccato; damnetur.

Si quis Deum hominem, & nõ magis Deum & hominem dicit; damnetur.

Si quis dicit creatum Patris Verbũ, & non magis eius carnem; damnetur.

Si quis dicit consubstantialem carnẽ Domini Deo & Patri, & non potiùs Deum Verbum; damnetur.

Si quis dicit sine mente & sine anima Dominum nostrum Iesum Christum, & pro ea habuisse diuinitatem, & ex hoc dicendum passum carne Deum, & nõ magis mentem cum anima rationali humanatum Deum Verbum, & impassibilem dicendum eundem diuinitate, humanitate verò passibilem, damnetur.

Has duodecim depositiones misi tibi, vt terrefactus istorum iudicijs, remouearis ab omni tua iniqua nouitate, sciens, quod oportet sequi reuelationem sanctissimi Procli Constãtinopolitanæ Ecclesiæ Episcopi, quando in campum cum toto populo cucurrrit, fluctuante ipsa ciuitate sub terræ motu, & omnibus fletũ emittentibus, repente puerum in aera leuari à quadam virtute, & huic imponi trisagium litanię, & dicere, Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis, & hæc annunciare Episcopo iussus est: sicq; per tres horas in tribunali stans secus pedes ipsius Episcopi, hæc narrauit. Et sic postquam litanias fecerunt, stetit terræmotus. Sic ergo & tu litanias fac, & pausabit ira, quæ contra te proferenda est. Si autem nõ, veniet supra te depositio à patre nostro Felice, custodiet autem Deus mundum à scandalis. Cui gloria nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

NOTÆ.

Has duodecim damnationes vel depositiones, &c.] *Vides hoc loco non plures quam duodecim fuisse Quintiani anathematismos: Reliqui igitur octo alij, qui tom. 2. Concil. editionibus anterioribus post hos duodecim sequuntur, nõ sunt Quintiani Episcopi Asculani; sed Asclepiadæ Trallensis antistitis, vt ex Codice Vaticano apparet.*

Duodecim anathematismi.

EPISTOLA IVSTINI EPISCOPI IN Sicilia ad Petrum Fullonem, quoniam non oportet additionem crucis esse in trisagio, vt non inducas duos filios.

OPORTET militem armari contra bellantes, & athletam contrastantibus obsistere. Luctatio autem vestra non est carnalis, neque luctatio corporis vnctionibus fit: neque quis vocans à luctatione, coronam habebit Deitatis, si neglexerit reprehendendis non anteponere luctationem veritatis. Si enim quis certat, non coronatur, nisi legitimè certauerit: & arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad demolitionem munimentorum, cogitationes destruentia, & omnem altitudinem contra scientiam Dei eleuatam: * quare tanquam fratrem incito hac monitione, quoniam bonum est patrib. obedire, & detrahere proprias nouitates, obedias amicabiliter, charissime, & argumentis non addas trisagio duos filios: sed crede Seraphim, Trinitatem similiter glorificando, & non præter hæc addes languescere vana gloria, pessimum sophisma faciendo, crucem in hymno ponens, multisque factus cæcus. Quid ergo oculos rusticorum idiotarum effodis, insculpans impiorum impietates? Quid * Maniam, & Valentinum, & Eutychen armas ad dicendum diuinum passibilem, & magis Paulum Samosatenum & Nestorium, propterea quòd in trisagio addis quaternitatem? Quia quocunque te vertas, quod impium est, intellectum pietatis habere non potest, sed plurimarum hæresum formas ostendit. Arius enim

1. Tim. 2. 2. Cor. 10.

for. * quare te.

for. * Manem

filium

filium diminuebat, & Eutyches similiter: propter quod & passionem addebant diuinæ naturę filij, ideo non dicebant filium homousion, id est, consubstantialem, sicut Eunomius. Si enim iam apud ipsos pater impassibilis est, filius autem diuinitate passibilis, quomodo consubstantialis est? Macedonius autem spirat à patre solo Spiritum sanctum, & Nestorius similiter diuidit vnum filium in dualitate filiorum, & impossibile est (sicut tu dicis) in trisagio quaternitatem dicere crucifixam impiè addens, post confessionem Trinitatis. Cessa igitur ab huiusmodi tua impia præcipitatione, nõ addas scandalum scandalo, & non eris causa perditionis magis simplicium hominum, ne præsidens noster Felix, secundum canones sententiam dicat contra te: & non iuuabit te dicere, Ego vtiliter hoc apposui, crucifixum in trisagio confiteri. Tolle iniquitatem de vniuerso, ne hoc cito multiplicetur: quoniam impiũ, facilè susceptibile est: melius autẽ, non. Suscipe ergo tanquam fratris tui admonitionem: extingue hæreticorum cõspersionem, & fias pastor ouili, non lupus: & secutus B. Proclum & ipsius reuelationem, in campo timoribus existentibus, deprecatiuè dicas trisagium ad pausationem iræ, & ne incites adhuc iram fortis. Si autem non velis tu, fraternitas mea innocens erit, & ego cum ipsis: & qui vna mecum de his tibi scripserunt, custodiemus nosipsos à scandalis. Didicisti ab Esaia, dicere: Esa. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus: Non, crucifixum, inquit, tibi dicere. Sed dicis: Tunc filius non erat crucifixus, & propter hoc non addidit tunc, crucifixus. Qui ergo nunc Seraphim in trisagio addiderunt crucifixum, quod tu dicis: Et si dicis, nõ puto. Et si nescis, quomodo nõ impius es? Etenim & tunc inquit Propheta passiones carnis verbi, & apertè confitetur trisagiũ. Propterea, quomodo & dicis, suscepta fuit Synodus Chalcedonens. & tamen absolutè, sicut ipsa tradidit, tu non prædicas trisagium: sed inobedis illi, & non timuisti ipsam, dicentem: Qui non sapit sic, anathema sit. Salubriter prædica vel dic, & sanus eris: si autem non, non solus hauries mala.

EPISTOLA FLAVIANI EPISCOPI Rhodopensis ad Petrum Fullonem.

HVIVS *Epistola hactenus nusquam editæ fragmentum ex Codice Vaticano desumptum, extat apud Baronium ann. 483. nu. 62. 63. & 64. quam, quia integram nobis habere non licuit, lectorem eò remittimus.*

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM SVB FELICE PAPA, IN CAVSA PETRI Fullonis Antiocheni Episcopi, Anno Domini 483. celebratum.

NOTÆ.

Causa Concilij. Concilium.] *Petrus Fullo alias Cnapheus, epistolam quandam blasphemijs plenissimam scripsit ad Acacium Constantinopol. Episcopum, quando eius opera expulso Calendione, in sedem Antiochenam inuectus fuit. Hanc cum Acacius accepisset, exhorrescens tot blasphemiarum inuolucrum instar serpentum, mutuis spiris inter se inuicem glomerantium, quantumuis eisdem nonnihil studuisset, ad dementem hominem curãdum Constantinopoli Concilium Episcoporũ congregauit, quo omnium Orthodoxorum vnanimi consensu, insanus ille insani Fullonis error cõdemnatus fuit. Hæc autem an. Dom. 483. initio Pontificatus Felicis, quando in eadem causa Roma haberetur Concilium, facta esse, certum inde deducitur argumentum, quod epist. 4. Felicis, qua Petrus Fullo condẽnatur, mentio habeatur de Acacio adhuc præsidente Episcopo Constantinopolitana Ecclesiæ: quem tamen an. 2. Felicis, qui est Christi 484. exauctoratum esse infra constabit. Absoluta Synodo Acacius Constantinopolitanus, Antheon Arsemotis in Aegypto, Faustus Apollonidis, Pamphilus Abydorum & Asclepas Trallianorum Episcopi literas ad Petrum Fullonem dederunt, hasce sequentes.*

Acta Concilij. Tempus Concilij. Epistolæ virorum illustrium ad Petrum Fullonem quæ?

EPISTOLA ACACII ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani, ad Petrum Archiepiscopum Antiochenum. Quòd non oportet ponere in trisagio illud: Qui crucifixus est propter nos.

OBSTVPVIT cœlum, & tremuit terra: Mota sunt autem & fundamenta sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, luctus & ploratus appræhendit sacerdotes Christi in his, quæ ego & sancta Synodus, hic secundum Dei nutum cõgregata, audiuimus fieri à te, frater. Quæ scriptura docuit, dicere Spiritum sanctum crucifixum esse, aut duos filios dogmatizare, seu trisagiam hymnologiam deprauare, vel quaternitatem pro Trinitate glorificare, aut Angelis sanctiorem & sensatum magis teipsum demonstrare? Nam dicendo, Sanctus fortis, & rursus ex altera parte inferendo, Qui crucifixus est propter nos: duos filios significas, vnum fortem, & vnum crucifixum: quando autem rursus dicis, Sanctus immortalis, qui crucifixus est propter nos, inueniris inferre crucem sancto Spiritui. De ipso enim dictum est, Sanctus immortalis. Et huiusce modi intellectus, tuæ totius hæreticæ prauitatis propria sunt, immò verò Manichææ furiæ idololatria est. Nam ille, quemadmodum & tu, cùm omnino negasset vnigenitum Dei Filium, & virginalem partum, dixit Sanctum spiritum in specie columbæ descẽdisse de cœlis in Iordane flumine, & ex aquis incorporatum fuisse, & *hominibus illustrasse, & cruci affixum fuisse, & mortem pro nobis sustinuisse. Quomodò autem & ascendere nunc sacerdotalem thronum non erubescis, quem contaminasti per tuas blasphemias? Extra hierarchicum ordinem, & alienus factus es ab ouili Christi. Non solùm enim Cherubicum hymnum corrupisti, per quem & nostra ciuitas firmata est, cùm olim moueretur ab interioribus terræ motibus puero infante ad aërea rapto in conspectu totius ciuitatis vsque ad tertium cœlum, quemadmodum diuinus Paulus, ibidem hãc ineffabilem hymnologiam, in qua hora in campo multitudo cum lachrymis exclamabant: Domine miserere, ad Deum simul cum sancto patre nostro Archiepiscopo huius regalis & à Deo amatæ ciuitatis. At tu. n. multis modis cõaris contraria sapere non solùm sanctarum Synodorum, quæ in Nicæa, & quæ in hac regali ciuitate, & quæ in Chalcedona, sed & diuinarum scripturarum, non volens secundùm ipsarum traditionem dicere, Christum vnigenitum Filium Dei passionem sustinuisse carne, id est, secundùm carnem, secundùm traditionem verticis Apostolorum. Scribens enim ipse bene dicit: *Christus semel pro peccatis mortuus est, iustus pro iniustis, mortuus quidem carne, viuificatus autem spiritu*, in quo & in custodia spiritibus ambulauit, & prædicauit custodiam, infernum vorans. Abscondens enim hamum suæ Deitatis, intus animam sancti sui corporis, sic inferno occultatus est, & ipsius omnium vocarem ventrem abscidit, & ab æterno mortuos viuificauit, secundùm Iob, dicentem; *Duces draconem in hamo.* Tu autem auertisti aurem, à veritate ad fabulas conuersus, secundùm Arium & Apollinarium dicens, vnum de Trinitate pati, qui est ineffabilis sapientia Dei patris, hoc est, ipsius splendor & character substantiæ ipsius, verbum simul sine principio, & coæternum. In principio enim erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sic autem sapere festinasti, cùm iam negasti salutem verbi humanatam, quam pro nobis ipse Deus & verbum, redemptionem dedit morti, quam resuscitans à mortuis, adduxit ad cœlos, de qua ad Abraham dixit Deus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod confirmans Apostolus, dixit: *Abraham dictæ sunt repromissiones & semini suo: non dicit, & seminibus suis, tanquam in multu, sed tanquam in vno, & semini tuo, qui est Iesus Christus.* Festinetur autem à te sic sapere, quemadmodum non suscipis* cognominationem Domini nostri Iesu Christi Filij Dei. Et ergo omnino de te sit hoc scriptum: *Si quis non confitetur, Dominum nostrum Iesum Christum in carne venisse, sit anathema.* Et quod est à Ioanne dictum, *Omnis spiritus confitens* IESVM CHRISTVM, ex Deo fuit: & omnis Spiritus, qui non confitetur IESVM CHRISTVM, ex Deo non fuit. Qui ergo ex Deo fuerunt, Christi Filij Dei passionem fuisse dicunt le-

Psal. 17. 2. Cor. 12. Fort. hominibus 1. Pet. 3. Lectio sequens Iob 41. Hebr. 1. Ioan. 1. Gen. 22. Galat. 3. 2. Ioan. 4. 1. Ioan. 4.

cundùm

cundùm prœannunciatas de ipso prophetias, & Apostolorum doctrinas: Christum enim dicens filium omnipotentis DEI crucem sustinuisse, vtrunque dicis in vno, & ipsius Deitatem, secundùm quam DEVS est impassibilis & consubstantialis * Dei & patris: & humanitatem, secundùm quam homo est mortalis & consubstantialis virgini matri. Dicere enim vnum Trinitatis pati, ostendit ipsum verbum passibile. Si ergo verbum passibile est, similiter & pater. Si autem pater & verbum passibile est, passibilis & Spiritus sanctus erit, cùm vna substantia & vna istorum Deitas sit. Si autem dicis (fugiens culpam paternitatis) passibile quidem verbum, impassibilem autem patrem & spiritum, soluisti consubstantialitatem, adduxisti autem & plures Deos. Vt ergo non incedas per interitum & inuiam semitam, & præcipitatus in aciem hæresium, fias & causa perditionis multorum, & à Dei sacerdotio alienus, in via regali teipsum & ouile dirige, per quam & sancti patres, qui in Chalcedona conuenerunt, ambulauerunt, & cœlum apprœhenderunt. Tu enim cognoscis, quòd dolabra ad radicem infructuosarum arborum iacet, & sub ipsa sicut oleaster incideris: hoc est, sancti Spiritus virtute, vt pax & Concordia firma permaneat in sacerdotibus Christi.

* Deo Patri.

Matth. 3.

ANTHEONIS EPISCOPI * ARSINOIS EPISTOLA AD PETRVM EPISCOPVM ANTIOCHIÆ, QVoniam non oportet additionem crucis in trisagio adiungere, illam scilicet, Qui crucifixus est propter nos, quam hæretici apposuerunt.

* Arsinoes

MVLTVM valde sum angustiatus, super te frater honorantissime, quoniam per te magnum oritur scandalum, præamputante me scandala. Etenim cum in hoc volo lachrymas compescere, prohibeor à tua peruersa excogitata hæresi, quoniam Euangelia à te sauciantur, Actusque & Apostolus. Visus es enim vltra ipsos ὑπερφίαλος, dum nó Christum crucifixum purè confiteris, sed trisagio crucem coadunas, sicut prima tua scripta ad Acacium Constantinopolitanę vrbis pastorem, ostendunt. Ex quo autem in impietatem incidisti, opinionem à te iniustè prolatam, differenter peruertis, quatenus iniquiorem & stabilem ipsam apud omnes confirmes. Neque enim diuinum dicimus passibilem, sicut tu dicis: neque nudum verbum dicimus crucifixum, sed Christum IESVM. In trisagio autem, vbi non est corporis significatio, quem locum crucis appellatio accipiet? Dicis enim, Sanctus Deus. Et quis nescit, quoniam primus pater sit secundùm ordinem opinationis omnibus consuetæ, licet non secundùm eminentiam diuinæ dignitatis? Posteà dicis, Sanctus fortis. Et quis nescit secundum Prophetam Esaiam, natum nobis Christum Iesum puerum, cuius principium fuit simul cum ipso, & vocatur, & est magni consilij Angelus, Deus fortis? Si enim crucifixus est, ex infirmitate, infirmum nostrum assumens corpus, hoc passus est. Fortis autem Deus existens, voluntariè ad crucem proprium exhibuit corpus, sicut dicit Propheta: *Ipse infirmitates nostras assumpsit.* Deus autem & homo, ab omnibus simul confitetur Christus, tu solam fortitudinem Christi, Deitatis dicis: Et percurrens hoc, venistis ad Spiritum sanctum, & confessus fuisti (sicut est verè) immortalem. Quem ergo inferens crucifixum, propter nos, præter Christum, dicis? Nonne ergò manifestus factus es quaternitatem sapere, alium præter sortem Deum, Christũ nominans, dum Spiritum sanctum crucifixum fuisse dicis? Et quid magis impium isto factum vnquam fuit? Sed phantasiam dicis, passionis dispensationem. Nonne ergo phantasia, secundum impios Manichæos, & saluatio nostra est? Vides quomodò vndique præcipitaris, & ignorans vel sciens voluntariè malefacis? Ecce nunc recordatus verecundare de tua ineruditione, & scito (sicut à Propheta recepisti) glorificare trisagium. Incorporaliter enim nominatur. Nullo carnis ænigmate ipsum prædices. Vnigenitus purè debet glorificari, nulla crucis additione inducta. Sic enim si quis sophista sit, è recta opinione præceps efficitur. Christũ autem assumo, propter nos filium Dei crucifixum, secundum B. Paulum dicẽtem: *Nos autem prædicamus Christum Iesum, & hunc crucifixum.* Noli negare istius nomẽ & passionem. Sic autem nos prœueniens ille, dixit: *Si quis vobis euangelizet, præter quod accepistis, anathema sit. Ego enim* (inquit) *nõ iudicaui me aliquid scire in vobis, nisi Christum Iesum, & hũc crucifixum.* Si aũt istum negas crucifixũ, & trisagio passionem adiũgis, quomodo non subintrasti anathematizationem? Paulus est, qui anathematizat, vas electionis. Prœcupias, ideſt, assumas Christum, & crucem noli negare. Non alterũ pro altero. Plurimi enim sunt crucifixi, vnus autem, qui propter nos. Porta ergo in cruce istius nomen, vt nõ alium suspiceris dicere crucifixum, quoniã scis, quod multæ sunt insidiæ dolosi. Propter hoc trecenti decem & octo, & centum quinquaginta patres, vnum Dominum Iesum Christum crucifixum tradiderunt, & non trisagium. Qui autem iudicant seipsos esse meliores legislatores quàm isti patres, quomodo non ostendunt se ab istis alienos?

Esa. 6.

1. Cor. 1.

Galat. 1.

1. Cor. 2.

Actor. 9.

Eccles. 11.

EPISTOLA FAVSTI EPISCOPI * Apollonidæ, ad eundem Petrum.

* Apollonidis.

QVoniam iam * permissum est, primos pungi ab his, quibus postremò mysterium Dei reuelatũ est, illos autem silentium docere, à mala doctrina tanquam pessimos dogmatistas effectos: audiui à multis coepiscopis, dilectissime, te à recta opinione deuiare, & hoc vbiq; circumstrepitur. Propter quod necessarium putaui, quærere à te, si hæc ita se habent. Ostendere enim visum est, non ita te sapere debere, vt trisagio crucem adiungas, & passioni & morti impassibile submittas: sed purè, sicut ea, quę sunt Seraphim, & piè gloriã dicere. Quomodo Christianizant gentes, si nomen Saluatoris non inferatur Christo? Quomodo aũt & ipsi Christiani fideles esse possunt, non superponentes cruci nomen Christi? Audientes. n. infideles Deum immortalem propter nos crucifixum, dicent scandalum esse, credere in Christũ, auertentes & dicentes, Dij nostri, qui apud Christianos populos adulteri sunt, immortales à nobis appellantur. Et quomodò ipsorum Deus, immortalis existens, mortuus est? Manifestum quòd falsa est dictio ipsa. Si enim mortuus est, non est immortalis. Adhuc neq; fortis, sed infirmus mortalitate tentatus. Non isti solùm, sed & Dei cultores, & nobis confideles, dicent: Vtiquè isti * Dei passionarij sunt, & non Christiani: Manichæi, & non orthodoxi: quia Trinitatem tenentes non Trinitatẽ, Eutychianistę sunt, non rectè sentientes: Nestoriani, nõ Christianizantes. Si quis autẽ in cruce appensum audiet Christum Iesum esse, qui mortalem carnem nostram sua clementia χρίσας, Christus propriè vocatur, propter quod & crucifixerunt ipsum, quẽ speramus, quoniam ipse est venturus redimere Israel, tunc cadens in faciem, dicet: Et ego Christianus sum, Credo, in quẽ & isti crediderunt. Et credentur esse & passiones, & mortalitas corporis ipsius. Et propter hoc enim plurimis deliramentis iaculata est ab infidelibus fides orthodoxa sexcẽtorum triginta patrum in Chalcedona, quoniam dixerunt, duas naturas esse in Christo, vnam passibilem, mortalem, visibilẽ & tractabilem, quæ est caro nostra: & vnam impassibilem, immortalem, inuisibilem, intractabilem, quæ est Dei inuiolabilis natura. Vtrunq; ergo in Christo oportet nos confiteri, quorum vnioni non des distantiam: neq; scindas Deum à carne, & non voceraberis Nestorianus: neque discretionem Christi naturarũ negabis, & non suspicaberis esse Eutychianista: & non confundas Deum passionibus carnis, & nõ diceris Apollinarista: neq; * impassibili & immortali superbè addas Christum crucifixum, & non asseueres quadrifactum Deum, & nõ eris habitus Manichęus. Neq; in trisagio post Deum patrem, & sortem ipsius Filium & immortalem spiritũ, addas * Christũ crucifiũ, & non habebis Samosateni hæresim. Et non redarguaris quaternitatẽ sapiens, non Trinitatem, neq; Trinitatẽ in Christũ induplices, ipsum Patrẽ & Filium & Spiritum sanctũ dicẽs, & non subibis Sabellij pœnã, id est, causam. Non velis vocari præceptor, & nõ sequutor, doctrinæ Christi: & nõ innouabis

* pronum

Esai. 6.

Theopaschitæ hęretici.

in vnctus.

* impassibilem & immortalem.

vanæ gloriæ hæresim, & non contaminabis animam tuam: quoniam scis, Apostolos non fuisse præceptores in nouitate, sed indagantes solum præceptorem & legislatorẽ Christum. Videas charissime, non in finem ducas diffamationem tuam, ne derisus sias, tanquam Deum passibilem, vel quaternitatem asserens. Si autẽ appræhendisti hos sermones in instinctu sensus, cito declina à malo, & fac bonum, & (vt optamus) rectum facias verbum veritatis, Christum simul confitendo secundùm carnem propter nos passum, Filium Dei viuentis: & simul sic confitendo, non supplantaberis ab hęresibus: Multi enim erronei exierunt in mundum, qui non confitentur Christum Iesum in carne venisse.

Psal. 33.

1. Ioan.

EPISTOLA PAMPHILI EPISCOpi *Abydarum, ad eundem Petrum.

Abydorũ alias Amidenorum.

FILIORVM meorum dilectissime, amarum excitas me luctum emanare. Si enim cùm in aliqua domo quis moritur, ibidem fletus abundat; quomodo non lachrymabor, & dolebo mortem filiorum meorum, tuis suasis perniciosè delatam, quos oportebat te, tanquam confratrem, studere vna mecum ad Deum adducere? Contrarium autem à te factum est, Deo amantissime. Fuisti enim ipsorum corruptor, non vitae maritudo, non dulcedo: vua amara, non dulcis botrus: zizania, non frumentum: stipula, non aurum: spina, non flos: conturbatio, non serenitas, id est, tranquillitas. Quid enim? Præcedentium nostrorum coepiscoporum attendens symbola, non sciuisti non fuisse additam Trinitati quaternitatem, dum trisagium diceres in additione crucis? Ipsa enim est draconica, & venenosarum hæresum vox, & porta inferni, & sempiternus ianitor mortis, & Christianorum laqueus, innocentium captio, orthodoxorum anomus, id est, contaminatio, fidelium prolapsus, sapientium titubatio, industriorum scandalum, quibus suspectus fuisti dulcis esse cum tua *exclamata expositione, qua agonizas contra Apostolicam diffinitionem & Euangelia, & trecentorum decem & octo Patrum Symbolum, additionem in trisagio ignorantium intellectuale venenum. Dic mihi ergo, quis Deitatem dicit crucem sustinuisse? Quid Deum verbum nudas à stola? Quid insecabilem tua ignauia seu vmbrositate secas? Quid veritatem saucias? Quid Nestorio & Eutycheti, Christi sectione, fœderatus fis, & Samosateno condiscipulus, scindis Christi Diuinam substantiam à carne, & cum Valentino eructasti, dicens (sicut ille) immortalem crucifixum fuisse, & diuinam naturam, serui supponens passionibus? Quid *Continebo, vel loquar? Num Paulianistam te acclamabo? Tamen in tuis literis dixisti, post Trinitatem, Christum propter nos crucifixum. Num Manichæum te dicam? Tamen tu tibijpsi repræhensibilis factus fuisti, Deum, non Christum, dicens crucifixum. Num Nestorianum te appellabo? Sed approbasti, post patrem non confiteri laudatum à fidelibus Filium DEI fortem, carne crucifixum. Num Apollinaristam te dicam. Commiscuisti enim, sicut ipse, Deum confundens passionibus carnis. Multa itaque tristitia repletus, hæc tibi addo, simul cum Acacio, inducente me ad hoc ipsum, quorum viriliter ab orthodoxis dementiæ resistendum est. Quid contaminas Ecclesiam? Quid dilaceras Christi ouile? Si malè dico, dic mihi tu. Quæro enim te doctrina rectissima excellere me & plurimos. Quid ergo? dicemus, sicut Paulus, Christum crucifixum, vel sicut tu, immortalem crucifixum? Quid? dicemus, quoniam oportet filium hominis pati, sicut multoties Dominus dixit, vel sicut tu innouando dixisti, Deitatem pati? Vel Euangelia & Actus & Apostolus (sicut tu dicis) non dicunt sicut oportet, sed sunt apud te spernenda, & apud eos, qui sequuti suut huiusmodi tuam insipientiam, dicendo trisagium crucifixum, vel post Trinitatem, Christum crucifixum? Designati enim sunt tecum quaternitatem asserentes. Si autem hæc ita se habent, ad quid sacræ scripturæ leguntur, vel ipsæ creduntur* auditæ? Vbique enim Christum tradunt propter nos crucifixum, & non trisagium, sicut tu dicis: sed reijciendos scripturæ dixerunt omnes, qui Deum passibilem dicunt. Iam autem & ante has literas, tanquam domino meo & patri, sic rectissima sapiens manifestaui, reformari debere & * refringere impium dogma à te innouatum, & non acquieuisti. Propter quod ego, tanquam ad primum inuectorem horum impiorum sermonum, iaculor contra te multam, vt si fortè per ista monita reprehensus à minore in dignitate, citò cedas confiteri Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: & nihil his addere vel auferre teneas culmen throni pro nobis. Si autem sic non sustinueris, inducam supra te communionis priuationem. Dicit enim Apostolus: Hæreticum hominem post primam & secundam monitionem recusa, sciens quoniam euersus est talis, & peccat, scipso cõdemnatus existens. Verumtamen Dei interpellatores sumus, ne tuijpsius condemnator existas, sed recti verbi veritatis prædicator existas.

*excæcati, vel excogitata appositione.

for. *continebo, an

1 Cor. 1.

Matth. 16. Marc. 8.

*auditu

for. *refringi.

Tit. 3.

EPISTOLA ASCLEPIADIS EPIscopi Tralliarum, ad eundem Petrum.

ECCE charissime, impletus est mundus scandalo appositionis, & palatia plena curæ facta sunt, & pastores incitantur meritò inducere supra te maledictionem. * Da ergò consolatoriè vocem vnam orthodoxam. Trutinare verum connitor. Filium Deum vident in mundo simul confiteri crucifixum, & non spernatur iste per te, & istius nomen* in dicendo non aliter peruertatur in trisagio istius crucis. Non tu primus es patrum in Nicæa, vt diffinitio tua super ipsos dominetur. Sed dicis: Ego propter Nestorium addidi in trisagio crucem, ex eo quòd repellebatur ab eo Deitas, dum ipsum crucifixum dicebat. Et quid? Non est intellectus iste iunior Nestorio. Incepit enim hoc à Photino vanè sententiæ, quem sancti Patres, qui in Nicæa conuenerunt, in vita quidem non inuenerunt, dogma autem ipsius condemnauerunt. Non tamen propterea deprehendunt ipsi trisagium crucifixum, quoniam hoc ipsis erat in notitia valdè graue, Photino autem amabile. Vnde trisagium in solis mysterijs vocari permiserunt, sicut illa Seraphim dicunt, nullam in isto additionem vel detractionem facientes. Rursus autem hæc impietas, renouata in tempore Samosateni, iterum inualuit, & sanctæ memorię patres in Constantinopoli congregati, licet ipsum non inuenerint, tamen dogma ipsius condemnarunt: hoc est, non sapere duos filios. Ideo vnum filium in ipsorum diffinitione confessi sunt, non trisagiũ. Dixerunt autem ipsum crucifixum, quoniam diffinitionem patrum ante ipsos præcedentium sequuti sunt, & ipsorum dogmata sequi iudicauerunt, audire videlicet in solis mysterijs trisagium impassibiliter, sicut Seraphim, & nó crucifixum. Rursus reualescente Nestorio, & instruente impia ante ipsum dogmata illa, videlicet Photini & Samosateni, cõgregati propter ipsum, qui circa Cœlestinum & Cyrillum erant, huiusmodi impietates propulsauerunt, & non apposuerunt in trisagio crucem. * Vel tu videris omnibus istis sapientior esse, vel habere plus Spiritus sancti quam ipli, quibus scientia fuit? Tua ergo additio crucis in trisagio apposita, impia blasphemia est. Veruntamen, & post hos sanctos patres, cum graues terræ motus ciuitatem Constantinopolitanam occupassent, magnus & paruus, diues & pauper, seruus & liber, extra ciuitatem in campo secedentes, simul concurrerunt, frigoribus & hyeme ibidem perdi malentes, quàm ciuitati ipsi coniungi. Quibus vbi Deus parcere clementer dignatus est, reuelauit beato Proclo trisagium acclamare, cùm ipsi ad propulsandam iram litanias facerent. Et hoc clarè non vni, vel duobus notum fuit, sed toti mundo. Si ergo introduxit Deus in eo dicere crucem, quomodo non respicit ad iniuriam suam? Dixit enim * dicere, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri. Quomodo ergo tu ausus fuisti apponere crucem, præter Deum & sanctos patres, Patrem confundens Filio & Spiritui sancto, in trisagio vocans crucem, tanquam apud te Pater non esset Pater solum, sed & Filius: & Filius non esset Filius solùm, sed & Spiritus: & Spiritus sanctus non esset Spiritus solùm, sed & Filius? Propter hoc;

*Da ergò vocem vnam orthodoxam, consentaneè trutinare. Verùm contuitor filium Dei videns in mundo simul confiteri crucifixum, & non spernatur iste per te, nec ipsius crucis nomen in trisagio inducendo, taliter peruertatur. Num tu primus es patrum in Nicæa, vt diffinitio tua super ipsos dominetur?

Eũd.

for. *

* dixi.

Si quis apponit in trisagio crucem præter filium Dei, anathema sit.

Si quis quaternitatem introducit in trisagio, apponēs post Trinitatem Christum crucifixum, anathema sit.

Si quis confundit Trinitatem, eundem dicens esse patrem, & filium, & Spiritum sanctum, anathema sit.

Si quis distinguit vnam essentiam Trinitatis in duas, anathema sit.

Si quis vnum filium secat in dualitatem filiorum, anathema sit.

Si quis Dei verbum & carnem dicit vnam naturam, ignorans naturarum differentiam, anathema sit.

Si quis diuinam naturam filij confundit passionibus carnis eius, & non confitetur eum spiritu impassibilem, carne vero passum, anathema sit.

Si quis dicit Deum passibilitatem aut mortem gustasse, tanquam ad hæc eum bona voluntate venisse, cùm conuersus esset, & non confitetur eum tanquam Deum nō fuisse sub damnatione mortis, mortem verò mortificasse per carnem suam mortalem, quam assumpsit, anathema sit.

Credimus enim, quia vita est, & non recedit in mortem: tu autem cognosce & abscide, in quibus iniquè loquutus es. Tamen sit & est Dei gratia cum his, qui rectè prædicant verbum veritatis.

Propter hoc, si quis apponat in trisagio crucem, præterquam Filio Dei, anathema sit. Si quis confundat Trinitatem, dicens eundem esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, anathema sit. Si quis distinguit vnã substantiã Trinitatis in duas, anathema sit. Si quis vnũ filiũ diuidit in dualitatem filiorum, anathema sit. Si quis Deum verbum & carnem vnam dicit naturam, ignorans naturarum differẽtiam, anathema sit. Etenim credimus, quòd vita, vita est, & non coincidit in mortem. Tu autem cognoscas & præcidas, quæ iniquè dixisti. Sit autem (vt est) Dei gratia cum his, qui rectum faciunt verbum veritatis.

CONCILIVM ROMANVM II. IN QVO EPISCOPI Ixxvii. DAMNATIS VITALE ET MISENO SEDIS APOstolicæ legatis, in Acacium Constantinopolitanum, & Petrum Moggum Alexandrinæ sedis inuasorem, synodali iudicio anathematis & depositionis sententiam pronuntiarunt, Petriq; Fullonis damnationem repetiuerunt.

NOTÆ.

Causa Concilij.

Concilium.] *Huic synodo celebrandæ occasionem præbuerunt Vitalis & Misenus duo Episcopi, sedis apostolicæ legati. Destinarat eos Romana synodus prima, vt ad instantiam Ioannis Antiocheni, Acacio & Zenoni synodicas illas supra memoratas epistolas porrigerent; quibus si nihil impetraretur, Acacium citarent, oblatoq; Imperatori scripto alio, peterent eundem ad parendum compelli. Cum itaque his litteris instructi Constantinopolim venissent, contra ius gentiũ omnemq; pietatem à Zenone tractati fuerunt: ereptis litteris in carcerem coniecti sunt, & ab Acacio blanditijs mellitisq; sermonibus inducti, ipsi Acacio nō tantum communicarunt; verum etiam nefandissimi Petri Moggi Alexandrinæ sedis inuasoris hæretici nomen, in Dyptichis publicè recitari audiuerunt, & sine vlla contradictione sustinuerunt. Prævaricatio legatorum per monachos orthodoxos Romã nunciata fuit. Quibus auditis, Felix Papa in tanto rerũ discrimine, licet Ecclesia sub Erulis Arianis quasi captiua videretur, maioresq; tumultus ab Eutychianis in Oriente concitatos esse sciret, fideiq; Catholicæ Imperatorem aduersari conspiceret, indicit synodum 77. Episcoporum, vt tantum nefas ex proditione legatorum admissum, omnium sententia damnaretur, & tam ipsos proditores, quam ad scelus impulsores per damnationis sententiam percelleret. Episcopi ex Italia vocati properarunt ad synodum. Qui dum simul in vnum congregati essent apud S. Petrum Apostolum, solemnibus ex more ritè peractis, præsidente Felice Papa Romano, iusserunt, Misenum atque Vitalem Episcopos iam Constantinopoli reuersos de credita sibi legatione rationem reddere. De transgressione & prævaricatione suorum mandatorum, deq; communicatione cum hæreticis communicatione ex litteris Acacij, quas secum attulerunt, & quorundam præsentium testimonio conuicti, vna omnium sententia, quantumuis vim, fraudes & iniurias sibi illatas pro defensione prætexerent, apostolica communione indigni habiti sunt, cõdemnati, & Episcopatus honore deiecti. Gelasius in Epist. ad Episco. Dard.* Primæ sessionis Acta.

Secundæ sessionis Acta.

His peractis alia sessione cognita est causa Acacij, allatisq; in medium cunctis manifestis ab eo perpetratis crimimbus, hæreticorum participatione pollutus, omnium Episcoporum iudicio de hæresi est condemnatus: sub pœna excommunicationis infligendæ admonitus vt resipisceret, non modo non resipuit; verum amplius peruersè agere, & contra Romanũ Pontificem niti constituit: Ioannem illum Apamæa Episcopum, quem nuper ad instantiam ipsius Acacij, cum Petro Felix Papa excommunicarat, Tyri Episcopum creauit: Petrum Fullonem synodali decreto depositum, etiam in sede Antiochena confirmauit, superbè nimis existimans, Præsulẽ amplissimæ Constantinopolitanæ ciuitatis, in qua sola Romani imperij sceptra vigebant, cedere nõ debere Romanæ Ecclesiæ, quæ cũ Romano imperio in Occidente humi depressa esset. Cum igitur ipsi Romano Pontifici, & sanctæ huic synodo simul innotuisset, Acacium more suo nouissimam admonitionem contempsisse, adeo vt nulla planè spes emendationis reliqua foret, collatis calculis vna omnium sententia eum condemnarunt, & catholica communicatione indignum, Episcopatus honore priuarunt, ipsam damnationis & excommunicationis sententiam scripto conceptam, teste Liberato ca. 18. Constantinopolim miserunt. Quam cum Acacius præsidio Imperatoris fultus acceptare nollet, ignotus quidam monachus Acoemetensis ad pallium Acacij, dum ad sacra peragenda procederet, sententiam suspendit. Formula sententiæ hæc est: Habe ergo cũ his, quos libenter amplecteris, portionem ex sententia præsenti, quã per tuæ tibi direximus Ecclesiæ defensorem, sacerdotali honore & communione Catholica, nec non etiam à fidelium numero segregatus: sublatum tibi nomen & munus ministerij Sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus iudicio & apostolica auctoritate damnatus, nunquamq́ue anathematis vinculis exuendus. *Extat in fine synodica epistola Felicis supra ordine sexta, quæ sic incipit.* Multarum transgressionum. &c.

Acacius condemnatus factus est pertinacior.

Formula sententiæ in Acaciũ latæ.

His litteris à Felice Papa & synodo datis, mox ad omnes Orientales Episcopos aliæ scriptæ fuerunt, quibus admonti sunt, vt Acacij cõmunionem vitarent, quem Ecclesia Catholica sua communione indignum iudicasset. Scripsit etiam sancta synodus, post latam sententiam ad Clericos & Monachos, tum Constantinopoli, tum in omni prouincia Bythiniæ existentes; quibus eos de rebus in synodo gestis admonuit.

Epistola synodalis mutila extat, desideratur enim in ea recta fidei institutio, & sententia Felicis Papæ: quæ corpori epistolæ inserta fuisse videntur: sicut nunc extat, hic eam tibi subijcimus.

Epistola synodalis mutila.

SAncta Synodus apud beatum Petrum Apostolum congregata vniuersis presbyteris & Archimandritis Orthodoxis Constantinopoli & Bythiniæ consistentibus dilectissimis filijs in Domino salutem.

Olim nobis, atque ab initio sedi Apostolicæ omniũ nostrorum principi fides vestræ probata est sanctitatis: nec dubitari potest, ita vos veræ in Deum pietatis tenere constantiam, vt etiã discernendi iustos ab impijs, Fideles ab infidelibus, Catholicos ab hæreticis, dono diuini Spiritus habeatis industriam. De quo gloriãtes in Domino, etsi nihil esset quod in causa fidei latere nouerimus: tamen ne quis pusillę fortè sit mentis, pro solicitudine ministerij per Ezechielem Prophetam à Domino specialiter verba dicta proferimus: Quod si (inquit) speculator gladium viderit venientem, & non insonuerit buccina, & populi se non custodierint, veneritq́ue gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem verò de manu speculatoris requiram. Videtis ecce quæ nos cura constringat, quæ mandata perterreant; & quod cauendum est potius, ne ipsis taceamus aduersis, quàm magis verendum diuinis subiacere supplicijs; & cũ possit cælestis vocis auditu, quisquis se custodierit, sine dubitatione saluari: speculatoris sit grauior reatus, si quemquam taciturnitas eius amiserit.

Ezech. 33.

Vnde quæ sint acta, memoramus: Cùm Vitalis atq; Misenus nostro iudicio constituti causas mandatæ sibi pro fide legationis exponerent; quoniam astutiores sunt filijs lucis filij tenebrarum, prævaricatores mandatæ sibi legatio-

nis, circũueniente magisq́; oppriméte Acacio, sunt reperti: ita vt (quantũ famæ mobilitate prægnitũ est) constiterit eos, prædicti contra formam præcepti, prohibitum sui exhibuisse famulatũ, cùm ob hoc specialiter directi fuissent. Vtinam Ecclesia vobis audientibus eum corriperet, & Petro Alexandrina vrbe secluso (quem S. Simplicius Papa sæpius popolcerat longinquo exilio relegandum, vt Catholicis Episcopis subueniretur & populis) isti coram vobis inter altaria veneranda non solum Acacio, quod vetitum fuit contraria perpetranti, sed ijsdem ipsis, ad quos directi fuerant euitandos, se nescientes cõmunicasse dixerunt; nec Catholicis Episcopis & clericis, quos persequebatur Acacius: callida seductione translatis, subuenire voluerunt. Et cum se vniuersa sicut illis mandata sunt mẽtirentur egisse; lectis Acacij litteris, quas ipsi detulerant, manifestum est eos sine excusatione vidisse, vnum atque idem Petrũ, Acaciumq́ sentire, qui Petrum à S. Simplicio & ante Episcopatum fuisse damnatum, & ab Episcopatu ipsius retulerat honore propulsum.

Adiectum etiam tunc, cùm ista in examinatione tractantur, quòd Acacius Ioannem illum Tyriorum Ecclesiæ fecerit præsidere, qui Apamenis à Petro Antiochenæ Ecclesiæ tyranno fuerat Episcopus ordinatus; sed minimè receptus, proprio ordinatore depulso, eandem sedem non timuit occupare: quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab Apostolica sede dãnari, vt his etiam Christianorũ vocabulum tolleretur, quod gesta apud eum habita manifestant.

His ergo deterioribus compertis, Vitalem atque Misenum à sacerdotali collegio & sacrosancta communione suspendimus. Acacium quoque membris Christi perniciosiùs inhiantem, & per ciuitates atque prouincias vnam de fide Catholica Ecclesiam dissipantem, inter Episcopos sanctos atque inter Christianos iudicauimus non haberi. Qualiter enim fieri poterat, vt scindens tunicam Christi, quam nec crucifigentes eum diuidere ausi sunt, in numero fidelium censeretur? Igitur omnia quæ nobis in timore Dei competunt, cogitantes & præuidentes, ne totiens extinctæ Eutychianæ pestis hæreseos, cuius Acacius defensor est & patronus, serpens vt cancer, Christi membra disperderet, eum iã nunc è corpore Ecclesiastico, vt partem putridam, anathematizamus, sententia memorata abscissum, Dominicis eloquijs obsequentes: Si oculus tuus; aut pes tuus scandalizauerit te, abscinde eum; & proijce abs te. Et vt charitas vestra possit agnoscere, venerandas Synodos Nicænam & Ephesinam priorem, atque Chalcedonensem contra Nestorium & Eutychetem impijssimum nos tenere, &c.

Matt. 18.

Post illam sententiam, quæ in Acacium perturbatorem totius Orientis Ecclesiæ dicta est, his quoque nunc congregati addicimus *litteris, memoratam subdendo sententiam, quam placuit per Tutum Defensorem Ecclesiæ Acacio dirigi; ne volentes aliqui circumscribere veritatem, maligniſſimis blandimentis simpliciores quosque seducãt. Nam si terra mariq́ue Orthodoxis non ponerentur insidiæ, plurimi ex nobis cum eadem Acacij sententia venire potuissent. Vnde nunc causa Antiochenæ Ecclesiæ apud beatum Petrum Apostolum collecti, rursum dilectioni vestræ, more qui apud nos semper obtinuit, properauimus indicare.

Sequitur fidei instructio eiusdem epistolæ. * adducimur.

Quotiens intra Italiam propter Ecclesiasticas causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini sacerdotes, consuetudo retinetur, vt successor Præsulum sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ sacerdotum, iuxta solicitudinẽ sibi Ecclesiarum omnibus *competentem cuncta constituat, qui caput est omnium, Domino ad beatum Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebũt aduersus eam. Quam vocem sequentes trecenti decem & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt: quam vtramque vsque ad ætatem nostram successiones omnes, Christi gratia præstante, custodiũt. Quod ergo placuit sanctæ Synodo apud beatum Petrum Apostolum (sicut diximus) per Tutum Ecclesiæ Defensorem, &

Mos vet⁹ Romanæ Ecclesiæ.

*omnium

Matt. 16. Auctoritas Apostolicæ sedis.

beatissimus vir Felix, caput nostrum, Papa & Archiepiscopus iudicauit, in subditis continetur.

Sententia in Acacium lata.

Sic *autem Acacius impietatem pestiferæ damnationis tetendit, vt etiam deiectus insultet, vt scissus sæuire non desinat; & cùm omnino extra corpus habeatur, eius tamen membra dilaceret; & de se scriptum esse testetur: Impius cũ venerit in profundum malorum, contemnit: adijciens deteriora prioribus, persequendo iã mortuos, eius anima grauiter delinquendo, condemnationem secundæ mortis incurrit: qui, Calendione Episcopo sancto (quemadmodum cognouimus) nuper eiecto, Petrum totiés & à se ante damnatum in eius immisit Ecclesiam; ita vt plurimi (si verũ est) Catholici cesserint, relictis suis sedibus, sacerdotes, & nostræ proiectę sint porcis & canibus margaritæ.

* Sicut

Proverb.

Veruntamen neminem terreat, quòd damnatus Acacius non quiescat. Elisus est satanas, & tamen operatur. Vicit Christus & vincit, nec adhuc hostis absistit. Et quia certum est nobis, meminisse vos etiam propheticæ lectionis, nec aliquid habere contra cõsistentia castra formidinis: opportunissimè cohortamur expectantes Dominum, vt (sicut & nos) perseueretis in finem; & sententiam, quam reperitis in subditis, animo constanti retineatis.

Ne quid autem maligni in litteris nostris mutari apud prauissimas mentes, aut aliter interpretari possit: primum clementissimo Principi (sicut oportuit) supplicantes, has easdem litteras nostras ad dilectionem vestram, clerum, plebemq́ue, & ampliſſimum Senatum direximus, quibus singuli vniuersiq́ue subscripsimus, diuinum petentes auxiliũ, vt vitatis insidijs, hæc ad vos scripta faciat peruenire. *Et alia manu.* Deus vos incolumes custodiat, filij dilectissimi: *subscriptiones Episcoporum.*

Candidus Tiburtinæ ciuitatis Episcopus Petro Alexãdrinæ Ecclesiæ peruasori, & Acacio quondam Ecclesiæ Cõstantinopolitanæ, necnon etiã Petro Antiocheno ab Episcopatus & Christianorum numero olim iure & merito segregatis, omnibusq́ue sequacibus eorum, sequens auctoritatem sedis Apostolicæ secundum nostrum iuxta Ecclesię statum Catholica deliberatione prolatam, anathema dicens subscripsi. *& quadraginta duo Episcopi similiter subscripserunt.*

CONCILIVM ROMANVM III. TRIGINTA OCTO EPISCOPORVM DE LAPSIS AFRICANÆ Ecclesiæ recipiendis, celebratum anno Domini 487. sub Felice III.

TITVLI CAPITVLORVM.

De his, qui rebaptizati doluerunt, & postea pœnitere noluerunt. 1
De presbyteris vel diaconibus, qui in lapsu, hæreticorum sese baptismati dediderunt. 2
De his, qui se rebaptizandos impiè dederunt. 3
De his, qui per ignorantiam ætatis rebaptizati sunt. 4
De his, qui ab hæreticis baptizati, aut rebaptizati sunt, vt ad ecclesiasticam militiam non perueniant. 5
De pœnitentibus, vt ab alijs episcopis non suscipiantur. 6

EXEMPLAR GESTORVM, CONCILIJ Romani, quibus alligatum est præceptum Papæ Felicis.

FLAVIO Boethio viro clarissimo consul. sub die 3. Iduum Martiarum, in Basilica Constantiniana, residente venerabili viro Papa Felice, vna cum Candido Tiburtino, Paschasio Centumcellens. *Cõstantio Aquinati, Equitio Mattellicatensi, Philippo Numanati, Epiphanio Spoleti, Bono Ostiensi, Hærennio Portuensi, Constantino Trebiati, Agnello Torcelino, Constantino Capuano, Vrbano

A.D.

*C tino

Fulgi-

Fulginati, Seuero * Cassinati, Martiniano Forniano, Martiano Amerino, Cresconio Tudertino, Herculio Otriculano, Basilio Tolētinati, Maximo Blerano, Proiectitio Tarquinienſ. Petro Subauguſtano, Maximino * Ferentanenſi, Basſo Ferentinati, Felice Antiatino, Innocentio Meuanaten. Felice Anagnino, Benigno Aquæuiuenſi, Andrea Gabinati, Decio Trium taberñ. Cypriano Nomentano, Athanaſio Albabenſi, Vitale Pundano, Petro Lorenſi, Conſtantio Sutrino, Feliciſſimo Sabinenſi, Gaudentio Foroclodienſi, Bonifacio Veliterno, Aſterio Foronouano, Romulo Prænestino, Victore, Donato, Ruſtico & Pardalio Aphris epiſcopis: & preſbyteris, Ruſtico, Firmino, Caſtino, Simplicio, Laurentio, * Vnicomalo, Laurentio, Canuſio, Caſſio, Petro, Leone, Eugenio, Ianuario, Martiano, Gordiano, Petro, Lepido, Maxentio, Epiphanio, * Epiphanio, Aſterio, Petro, Iuſtino, Felice, Alexandro, Redempto, Proiectitio, Bonifacio, Laurētio, Iouino, Epiphanio, Bono, Seruo Dei, Petro, Seruando, Marcellino, Petro, Iuliano, Vrbico, Paulino, Petro, Valente, Petro, Aſterio, Sorano, Valentino, Paſchaſio, Aſterio, * Aſterio, Aſello, Bonifacio, Petro, Smaragdo, Bonifacio, Sixto, Petro, Paſchaſio, Felice, Petronio, Laurentio, Fulgentio, Caliſto, Romano, Ioanne, Valētino, Sebaſtiano, Martiniano, Epiphanio, Andrea, Petro, Opilione, Sebaſtiano, Romano, * Domnino, Agapeto, & Abundantio, adſtātibus quoque diaconibus, Felix epiſcopus eccleſiæ catholicæ vrbis Romanæ, præſidens Synodo, dixit: Communis dolor, & generalis eſt gemitus, quòd intra Aphricam rebaptizatos etiam epiſcopos, preſbyteros, diaconoſque cognouimus, quæ res ſine dubio ad veſtræ quoque peruenit notitiam ſanctitatis: De quo quid obſeruari debeat, ordinare nos conuenit. Proinde, vt manifeſta ſit ſuper hoc noſtra ſententia, quæ nobis ſunt viſa, recitentur.

Anaſtaſius Diaconus recitauit.

DILECTISSIMIS in Chriſto Ieſu fratribus, vniuerſis epiſcopis per diuerſas prouincias conſtitutis. Qualiter in Africanis regionibus aſtutia diaboli ſæuierit in populum Chriſtianum, atque in id multiplici deceptione proruperit, vt non modo vulgus incautum, ſed ipſos quoque in mortis profunda demerſerit ſacerdotes, nullus non orbis gemuit, nulla terra neſciuit. Vnde in grandi mœrore poſiti, diſſimulare non poſſumus pereuntium, atque à nobis exigendarum diſcrimen animarum. Quapropter competens adhibenda eſt talibus medicina vulneribus, ne immatura curandi facilitas mortifera captis peſte nihil proſit, ſed segnius * tracta pernicies, reatu nō legitimæ curationis inuoluat pariter ſaucios & medentes.

CAPITVLVM PRIMVM.

IN primis itaque venientis ad vos, & remedium poſtulātis, ſolicitè diſcutienda eſt profeſſio & perſona decepti, vt medela poſſit cōgruens exhiberi. Et qui, ſatisfacturus Deo per pœnitentiam, ſe rebaptizatum legitimè doluerit: vtrū ad hoc facinus * concurrerit, &c. *Extant ſupra. Epiſt. Felicis 7. quæ incipit ſic*: Qualiter in Africanis. &c.

NOTÆ.

Concilium Romanum.] *Cùm poſt obitum Hunerici, Gundabundus Rex VV andalorum, teſte Iſidoro, pacem Eccleſijs donaſſet, & Catholicos primus ab exilio reuocaſſet, illi qui lapſi fuerant, à Confeſſoribus poſt limino reddi is vitabantur. Sed cum reſipiſcentes vulneribus inflictis medicinam quærerent, Romanamq; Eccleſiam, velut quandam pharmaciam, ex qua congruum & præſentaneum antidotum agrotantibus præpararetur, adirent, Felix Romanus Pontifex, cuius muneris eſt lapſos ſacerdotes potiſſimum erigere, collecto triginta octo Epiſcoporum Concilio, pro qualitate vulnerum, opportuna pharmaca compoſuit, eaque aliquot diuerſis capitibus diſtinxit.*

De Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis conſtitutum eſt, vt quantumuis pœnis coacti miſere lapſi fuerint, excluſi ab omni cœtu fideliū atque Catechumenorum, vſque ad finem vitæ laicatantum communicatione impertirentur. Reliqui inferioris ordinis clerici, monachi vel laici triennio inter audientes perſeuerarent; inter pœnitentes ſeptem annis ſub manibus ſacerdotum collocarentur, peregrinæ tantum communionis participes effecti, dum cum ſæcularibus ſine perceptione Euchariſtiæ orare permitterentur. Additum, neque pueros aut puellas, quas ætas excuſat ſine pœnitentia ad Eccleſiam admittendos, ſed inter pœnitentes ſub manus impoſitione retineri debere, vt tandē communionis participes eſſe poſſint. Denique conſtitutum fuit, vt eiuſmodi lapſis ad clericatum nullus vnquam aditus pateret; ſed inter laicos Catholicos tantummodo vſque ad exitum vitæ connumerari deberent.

Flauio Boethio &c.] *Anno nimirum Domini 487. qui eſt Felicis Papæ V. & Zenonis Imperatoris 14.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA GELASII PAPÆ I.

Ex libro Pontificali.

GELASIVS natione Apher, ex patre Valerio, ſedit annos 4. menſes 8. dies 18. Fuit autem temporibus Theodorici regis, & Zenonis Auguſti. Huius temporibus inuenti ſunt Manichæi in vrbe Roma, quos in exilio deportari præcepit, quorum quoque codices ante fores baſilicæ ſanctæ Mariæ incendio concremauit. Hic ſub geſta ſynodica, cum fletu & ſub ſatisfactione libelli purgatum Meſenum epiſcopum reuocauit, quem & eccleſiæ ſuæ reſtituit, qui peccauerat in cauſa Acacij & Petri. Hic fuit amator cleri & pauperum, & clerum ampliauit. Hic liberauit à periculo famis ciuitatem Romanam. Hic fecit conſtitutum de omni Eccleſia. Huius temporibus iterum venit relatio de Græcia, eo quod multa mala & homicidia fierent à Petro & Acacio Conſtantinopolitano. Eodem tempore fugiens Ioannes Alexandrinus epiſcopus catholicus, venit Romam ad ſedem Apoſtolicam. Quem B. Gelaſius ſuſcepit cum gloria, cui etiam & ſecundam ſedem præbuit. Ipſis tēporibus fecit ſynodum, & miſit per tractum Orientis, & iterum damnauit in perpetuum Acacium & Petrum, ſi non pœnitentes, ſub ſatisfactione libelli poſtularent pœnitentiam, ſecundum humanitatē primæ ſedis Eccleſiæ. Hic dedicauit baſiliam ſanctæ Euphemiæ martyris in ciuitate Tiburtina, milliario 20. ab vrbe. Dedicauit autem & baſilicas alias ſanctorum Nicandri & Eleutherij & Andreæ, via Lauicana in fundum in villa pertuſa. Fecit autem & baſilicam S. Mariæ via Laurentina in fundo Criſpini, milliario ab vrbe * 20. Hic fecit 5. libros aduerſus Neſtoriū & Eutychem, qui hodie in bibliotheca & archiuo Eccleſiæ continentur. Fecit & hymnos in modū B. Ambroſij epiſcopi. Item duos libros aduerſus Arium. Fecit etiam & ſacramentorum præfationes & orationes cauto ſermone, & epiſtolas fidei elimato ſermone. Multum ſub huius epiſcopatu clerus creuit. Hic fecit ordinationes duas in vrbe Roma per menſes Februarium & Decemb. presbyteros 32. diaconos duos, epiſcopos per diuerſa loca numero 67. Qui etiam ſepultus eſt in baſilica B. Petri Apoſtoli 11. Kalen. Decemb. Et poſt obitum eius ceſſauit epiſcopatus dies 7.

Anno Domini 492. Alij tamē eum mortuum produnt anno ante quā crearetur Pontifex Gelaſ. De quo in Felicis epiſt. ad Acacium.

29

NOTÆ in vitam Gelaſij.

Gelaſius.] *Secunda die Martij, anno Redēptoris noſtri 492. poſt interregnum quinq; dierū, Gelaſius natione Africanus, ſurrogatus eſt Felici III. Sub huius enim anni Conſulibus plures epiſtolæ ab eo datæ reperiuntur infra. Vnde corrigendus eſt Marcellinus, qui eius ingreſſum poſt annum 493. ponit. Initio pontificatus, Anaſtaſio Imperatori orthodoxam fidem profeſſo, communicauit litteras pacificas, quas Euphemio Conſtantinopolitano petenti denegarat, donec Acacij nomē è Dyptichis expunxiſſet. Huius tēporibus magnus ille Monachorū Patriarcha, decus Occidentalis Eccleſiæ, Benedictus patria Nurſinus, ab vrbe Roma, vbi litteris operā dederat, in ſolitudinem recedēs, ſublimioris vitæ monaſticæ prima fundamenta iecit.*

Quando Gelaſius Pontificatum adeptus fuerit?

S. Benedictus monaſticæ vitæ fundator floruit.

Sedit annos 4. menſes 8. dies 18.] *Indices Vaticani idem atteſtantur.*

Theodoricus Rex quis & qualis?

Theodorici Regis.] *Hic post Odoacrum Regem Herulorū ter quaterue deuictum, ac tandem contra datā fidem, anno Christi 493. interemptum, annis triginta tribus Ostrogothis & Italis regio titulo & ornatu asseruatis imperauit, missáq; deinceps legatione, pacem ab Anastasio omnibusq; regibus petiit & impetrauit. Clodouæi filiam in vxorem duxit: filiarumq; ex concubina alteram Alarico Vestgothorum, alteram Burgundionum Regi elocauit. Cassiod. in Chron. itē epist. 1. Hic quantumuis Arianus esset, Catholicos tamen gratos habebat, & non tantum de Episcopis Catholicis; verumetiam de ipsa sede Apostolica bene meritus fuit. Scribūt de eo Theod. Lector. Niceph. Zonar. & Cedrenus, quod cuidam Catholico sui gratia ad Arianos transeunti, caput resecuerit dicens:* Si Deo fidem synceram non seruasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanā præstabis? *Epiphanium Ticinensem & Cæsarium Arelatensem veneratus est, & munificentissimis muneribus donauit. Qualis fuerit in Symmachum sedemq; Apostolicam infra patebit in Notis Concilij Romani 4. sub Symmacho.*

Theodoricus apostatam à fide occidi iussit.

Auctor libri Pontificalis erat.

Zenonis.] *Errat Anastasius auctor libri Pontificalis. Constat enim Marcellini & Cassiodori in Chron. Euagrij Cedreni, aliorumque scriptorum auctoritate, Zenonem Imperatorem sub consulatu Olybrij, anno Domini 491. qui fuit Felicis Papæ nonus, morbo comitiali arreptum; adeo, vt videretur mortuus, viuentemq; adhuc sepultum fuisse, atq; simulatæ pietatis & religionis mercedem, sito merito iusta Dei vindicta retulisse. Hormisda Pontifex huius nomen tam plurimis annis defuncti, ex albo Catholicorum Imperatorum per Iustinū Imperatorem expungi curauit ac demandauit; non vt mortuum damnaret; sed vt declararet hæreticum sine pœnitentia defunctum alienum esse & indignum illo consortio communionis Catholicæ, qua certis quibusdam ritibus præscriptis, Ecclesia Catholica cum mortuis communicare solet. Baron. an. 491. n. 2. 3. 4. 5.*

Zeno ex albo Imperatorū expūctus.

Huius temporibus inuenti sunt Manichæi.] *Sicut tempore Leonis, ita etiamnum Manichæi latitabant in vrbe: qui ne deprehenderentur, simulantes fidem Orthodoxam, vnacum Catholicis communicabant: à sumptione calicis autem superstitiosè abstinebant; quia Cerinthum aliosq; hæresiarchas sectati, vinum creaturam Diaboli esse docebant. Verba Leonis serm. 4. de temp. quadrag. hæc sunt:* Cūque ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysterijs: ita in sacramentorum communione se temperant vt interdū tutius lateāt, ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem vero redemptionis haurire omninò declinant. Quòd ideo vestram volumus scire sanctitatem, vt vobis huiusce modi homines ex his manifestentur indicijs: & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur. *Vt ergo certo aliquo & manifestissimo indicio, euidentiq; nota Manichæi, clanculo in vrbe latitantes, & fidem orthodoxam simulantes à Catholicis discernerentur, pro necessitate temporis ac loci, edito decreto constituit Pōtifex, ne aliter quā sub vtraq; specie panis & vini sacra Eucharistia pro tempore distribueretur. Verba canonis dist. 2. de consecrat. extantis hæc sunt:* Comperimus aūt quod quidam sumpta tantūmodo corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstineāt. Qui procul dubio, quoniā nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramēta percipiant, aut ab integris arceātur; quia diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio nō potest prouenire. *Vnde quam inepte inferant nostri temporis Nouatores hæretici, necessario sub vtraque specie communicandum esse, nemo non videt. Cum ex hoc loco potius contrariū colligatur. Licuisse nimirū fidelibus hoc tempore sub altera tantū specie cōmunionem Eucharisticā sumere. Ad discernendos verò & ab vrbe expellendos Manichæos illud ad aliquod duntaxat tempus prohibitū fuisse. Vide Baron. an. 496. n. 19. & seqq. Item quæ diximus supra in Notis Concilij Roman. sub Leone. Item quæ dicemus infra in Notis Conc. Constant.*

Quo signo Manichæi à Catholicis discreti fuerint?

Hic sub gesta synodica &c.] *De his fusius in notis Concilij Romani secundi sub Gelasio infra.*

Quo occasione Gelasius vtriusque speciei sumptionem pro tempore vsurpari voluerit?

Huius temporibus &c.] *Quæ de Acacio & Petro, tanquā viuentibus à Gelasio damnatis auctor adiungit, procul à vero abhorrēt. Iam enim ante damnatos & vita functos esse diximus supra in Notis ad vitā & Epist. V. 1. Felicis. Item in Notis ad Concilium Romanū sub Felice II. Posset dici, quod horum iam damnatorum & mortuorum occasione multa Constantinopoli gesta fuerint.*

Auctor Pōtificalis libri reprehenditur.

Hic fecit quinque libros aduersus Nestorium & Eutychetem.] *Hoc grande & præclarum volumen fuisse, testatur Gennadius de script. Eccles. ca 14. hæ verbis:* Gelasius vrbis Romæ Episcopus scripsit aduersus Eutychetem & Nestorium grande & præclarum volumen: & tractatus diuersarum scripturarum & sacramentorū limato sermone. &c. *Vnde patet quod libellus iste de duabus naturis contra Eutycheten & Nestorium in bibliotheca SS. Patrum extans; sicq; inscriptus:* Necessarium quoq; fuit. &c. *Gelasio Romano Pontifici attribui non potuit: siquidem paruum duntaxat opusculū sit, vnius libri periodo terminatu. Hæc cōmunis doctiorum virorum nostri sæculi sententia, confirmatur primum ex eo: quod auctor allegati opusculi Eusebij Cæsariensis scripta plurimū commendat, quæ Gelasius Pontifex in Actis Concilij Romani infra inter apocrypha recensuit. Secundo, quod plurima Græcorum Patrum; Latinorum pauca vel nulla testimonia producat. adeoq; Græcus potius quam Latinus scriptor esse videatur. Cum enim adduxisset 15. Patres Græcos, duos tantum latinos, Ambrosium & Damasum profert Cypriano, Hilario, Hieronymo, Augustino, Innocentio Leone, Prospero, similibusq; alijs omissis: quos sibi notissimos Gelasius Pontifex nunquam omisisset. Gennadio asscribi nequit, quia tradit se illos sex libros non aduersus Eutychetem; sed Nestorium scripsisse. Posset sustineri, quod ex recentioribus aiunt plurimi, huius libelli auctorem esse Gelasium Cæsariensem Episcopum, cuius meminit S. Hieronymus de script. Ecclesiast. ca. 130. Vnde quoque Theodoretus in Dialogis plura tetigit. Illustrissimus Cardinalis Baronius post longam huius rei indagationem, solertissimè inter omnes alios cōcludit huius libelli de duabus naturis contra Eutycheten & Actorū Nicæni Concilij, quæ supra primo tomo extant, vnū eundemq; esse auctore: tū quod vtrobiq; fateatur, se vtrumq; opus cōscripsisse, vt cōtra Eutychianos hæreticos tempore Basilisci Imperatoris circa annum Domini 476. insurgentes, fidem orthodoxam defenderet; tum etiam quod Eusebium Cæsariensem Episcopum vtrobiq; plurimum laudet, eumq; titulis magno alicui orthodoxo cōuenientibus exornet, & à suspicione hæreseos Arianæ planè eximat. Quod vtrumq; præfatione intueti prima fronte apparebit. Ipsa vero Acta Nicæni Concilij tribus tomis cōprehensa auctore Gelasio conscripta esse, fatetur Photius in bibliotheca verbis illis, quæ supra ante præfationem Actorum Nicæni Concilij Alphonsi Pisani recensui. Eundem ergo Gelasium Cyzicenum huius libelli auctorem, de quo diu multumq; hactenus dubitatū fuit, auctorem esse cum Baronio libenter concludimus. Verum quicunque tandē auctor huius libelli fuerit, in doctrina de transubstantiatione panis & vini in sacramento Eucharistiæ, ab alijs Catholicis scriptoribus non discrepat. Quod enim ait:* Non desinit substantia vel natura panis & vini, *intelligendum est de natura & essentia accidentium. Frequens enim est, vt communi vsu dicendi: substantia pro natura & essentia accipiatur. Ita explicat hunc locum Bellarm. lib. 2. de sacram. Eucharistiæ. ca. 27. Baron. anno Christi 436. nu. 10 & seqq. Ante victoriam ergo triumphant Lutheram hæretici, qui ex hoc loco doctrinam orthodoxam, de transubstantiatione panis & vini in sacramento Eucharistiæ emersam esse iactitant. Reliqua quæ per calumniam obijciunt Gelasio Pontifici, partim refutauimus supra verbis.* Huius temporibus inuenti: *partim infra diluemus in tomo Gelasij de anathematis vinculo. De scriptis Gelasij vide Posseuinū in apparatu sacro verbo* Gelasius. Extat apologia Gelasij aduersus Andromachum Senatorem, cęterosque Romanos, qui Lupercalia secundum morem pristinū colenda constituebant. *Quam ex Baronij annalibus acceptam, Lectori infra exhibendam esse putauimus.*

An Gelasius Papa sit auctor libelli de duabus naturis?

SEQVVNTVR EPISTOLAE GELASII PAPAE I.

EPISTOLA I. B. GELASII PAPÆ I. ad Euphemianum.

Scribit neminem ad Sedis Apostolicæ communionem se posse admittere, qui Acatij nomen non damnauerit. Quare eum hortatur, vt quemadmodum Eutychetē, reliquosq; hæreticos, sic quoque Acatium anathematizet.

Dilectissimo fratri * Euphemiano, Gelasius. Quod plenè cupimus, atque syncera fidei communionisque Catholicæ reintegratione firmari, asserit tua dilectio, quòd alteri solus nō sufficiat auditus, nisi per litteras spectauerit significantiam prouocantem de his, quæ circa nos dispensatio diuina perfecit, vt sic in secūdis vicem salutationis impen-

derem.

derem. Non arbitramur vel dilectionem tuam, vel aliquẽ sic hoc sperare potuisse, vt putaret nos vel aliquẽpiam potiorem, quæ sunt gesta referẽtes, debuisse responsa promereri: quia nimis iudicaretur arrogans, si de prima Sede taliter existimasset. Quòd si, magis opinamur, quasi socijs, quibus præesse Christi munere delegata est, Apostolicam Sedem institutum sibi nouiter sacerdotẽ præeuntibus oportuisse dixisti litteris indicare: fuit quòdam Ecclesiastica vetus hæc regula apud Patres nostros, quibus vna Catholica Apostolicaque communio, ab omni præuaricatorum libera pollutione constabat. Nunc autem cum societatem præferre malitis extraneam, quàm ad Beati Petri purum redire, illibatumque consortium; quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quomodo dispositionis Apostolicæ antiqua fœdera præbeamus hominibus communionis extraneæ? Quemadmodum vobis ordinationem renunciatura est, cui vestro etiam testimonio hæreticos damnatos præponitis? Dicat forsitan tua dilectio, hæreticos damnatos dici Acatium & Petrum. * Cur si fas non est, præsentibus saltem litteris colloquamur? Quia aliter appellamus Dominicæ mensæ participes: aliter, qui in eius nobiscum societate dissentiunt: quia ipse Dominus alio modo verba faciebat, à sua prædicatione discretis: alio discipulis regni cælestis secreta pandebat. Consequenter quoque Apostoli non ita, à suo collegio separatis, quemadmodum fidei domesticis, consortibusque loquebantur. Sed ait dilectio tua, tantum circa me sese charitatis habuisse, vt non solum ad scribendum fueris contentus, sed affatu audire. Lege sententiam: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei: illud scilicet verbum, quod confessioni beati Apostoli Petri portas inferni nunquam præualituras esse promisit. Atque ideo rationabiliter existimasti, quia fidelis Deus in verbis suis, non nisi aliquid tale promisisset instituere, veram sponsionis suæ promissionem impleret. Ait denique tua dilectio, nos diuinæ prouidentiæ gratia: quod ille monstrauerit, sanctarum Ecclesiarum se non deserere charitatem, quia me in pontificali Sede locauerit non indigentem, sicut ait, doceri; sed intendentem omnia necessaria ad Ecclesiastici corporis vnitatem. Ego quidem sum omnium hominum minimus, satis immeritus ad tantæ Sedis officium, nisi quòd superna gratia semper operatur magna de paruis. Quid enim de me sentiam, cum hoc ipse de se magister gentium testetur, qui se vltimum & non vocari dignum Apostolum, profitetur? Veruntamen, vt ad dilectionis tuæ verba redeamus, si veraciter executus es hæc diuinitus mihi fuisse collata, quæ & profectò quæcunque sunt bona, dona sunt Dei: sequere ergo hortamenta non indigentis doceri, & secundum supernam dispositionem vniuersacunctaque inspicientis, quæ ad Ecclesiarum pertinent vnitatem, & aduersus diabolum conturbatorem veræ pacis atque compagis, vt asseris, fortiter resistentem. Si ergo de me ista pronuncias, aut sectanda tibi sunt, quæ à Christo, vt perhibes, constituta sunt: aut palam te, quod absit, Christi dispositionibus obuiare depromis, aut ad * veniam luxuriæ de me cognosceris ista iactare. Sed consequenter adnectis, condescendibilem me, & optima dispositione reuocare posse concordiam. Proinde, quoniam isto verbo frequenter vtimini, quid sibi velit, explorem. Optima enim illa est Ecclesiæ catholicæ, atque Apostolicæ dispositio, ad meliora proficiendo conscendere, nõ ad inferiora descendendo deficere. Cum autem dicis, condescendere nos debere vobiscum, interim iam vos aut descendere, aut descendisse monstratis. Vnde, quæso, vel quo ista descensio est? Vtique ex superiori quodam loco ad inferiora queque deponens, à Catholica Apostolicaque communione ad hæreticam damnatamque prolapsos vos videtis, cognoscitis, non negatis: & non solum vos in infimis iacere delectat, sed etiam in superiore manentes sede, vultis impelli. Condescendere nos vobiscum inuitatis ad ima de summis, nos coascendere vos nobiscũ rogamus ad summa de imis. Nunc igitur sub conspectu illius excelsæ iustitiæ iudicet genus humanum, quis nostrum debeat alteri obedire. An dicis, vt cætera nunc omittam, descendit Dominus ipse de cælo? Descendit planè, sed vt hominem ab errore liberaret, non vt eius misceretur errori. Nonne ipse

Psal. 136.

* Quod

Rom. 10.

Matth. 16.

1. Cor. 15.

Iacob. 1.

* veniam

Matt. 24.

præmonuit, vt qui in tecto consisterent, non descenderent nec ad ea, quæ in domo videntur esse, tollenda? Nonne pro omnibus Apostolus clamat vnus, qui plus omnibus laborauit, cum de custodia veritatis ageretur, quibus nec ad horam cessimus subiectionis gratia, vt veritas Euangelij permaneret apud vos? Videtis cælestem magistrum condescendere noxijs recusantem? Postremò faciamus aliquem corruisse, ad quem benignissimè subleuandum, paululum quispiam velit inflecti. Ergo, vt erigatur iacens, miserantem conuenit inclinari, non vt cum eodem præcipitetur in foueam. Igitur per litteras, quas per Sinditium diaconẽ destinastis, de his quos baptizauit, quos ordinauit Acatius, Maiorum traditione confectam & veram, præcipuè religionũ solicitudini congruam præbemus sine difficultate medicinam. Quo nos vultis vltra descendere? Quid tacetis? Quid verecundamini verbis exprimere quod corde gestatis? Ipsa vos saltem verecundia, quod nonnunquam fit, debuit commonere. An forsitan, vt hæreticorum damnatorumque & his vel eorum successoribus cõmunicantium, nomina consentiamus admitti? Hoc non est condescendere ad subueniendum, sed euidenter in inferna demergi. Parcite, quæso, & nobis & vobis. Quòd si curã vestri adeo non habetis, date veniam nobis. Dolere & flere possumus & debemus: in hæc abrupta deduci nec possumus, nec debemus, qui, præstante Deo nostro, synceram, puramque paternæ traditionis fidem, communionemque retinere, & ab omni præuaricatorũ contagione discretam etiã intentato periculo mortis, optamus, eligentes, (si velit Deus) quælibet illa perpeti, quàm causas incidere damnationis æternæ. Date, inquam, veniam, si tamen cũ vos propter amorẽ cuiuslibet hominis vel timorẽ hæc libenter incurritis, nos, propter amorem Dei & timorem gehennæ, talia refutamus. Nec vos credatis, dissimulãdo causas atq; personas, cuiuslibet amicitijs posse subripere: quia neq; vos ita subtiles estis, qui non possitis intelligi: & nos, præstante Deo nostro, non reperitis incautos. Nonne missis huc sæpe litteris indicastis, cũ cæteris hæreticis vos Eutychen quoque respuere? Hoc si verum est, aut eos, qui communicauerunt Eutychetis successoribus, pariter abdicate: aut aliorum quoq; hæreticorũ successoribus communicantes, admittite. Sed Acatius, inquis, nihil contra fidem, sicut Eutyches & successor eius, legitur vbicunque dixisse: quasi non sit deterius, & non ignorasse veritatem, & tamen communicasse veritatis inimicis. Si enim, cum aliquis rectè sapiens de fide Catholica communicet illis hæreticis, inter quos Eutychetem posuistis, vel successoribus eorũ, non est fas eos inter catholicorũ altaria nominare: ita ergo nec illius Eutychetis successoribus communicãdo, simili sorte tenetur obnoxius? De talibus quippe conuenienter dicitur, Descendant in infernum viuẽtes: qui dum illa vita, qua iustus viuit, vera atque Catholica putantur viuere, repẽte aut in prona prauitatis, aut in hæreticæ communionis inferna vergunt. Ecce quales Christo dicitis esse præponendos, cũ ille nec animas nostras sibimet præcipiat anteponi. Imò & adhuc quæritis, quando fuerit damnatus Acatius: quasi renera, etiam si eum nullus ante damnasset, non habuerit orthodoxæ, & Apostolicæ communionis, cuius præuaricator extitit & desertor, participatione secludi: sicut etiam quilibet, qui fuerit ante catholicus, cuicunque hæresi communicans, meritò iudicatur à nostra societate remouẽdus: aut in tali sorte defunctus, inter catholicorum nomina nullatenus computari. Miramur tamẽ, quomodo ista profertis, hoc est, vt & synodum Chalcedonensem vos susc ipere pro fide catholica profiteamini: & eos, quos damnauit, sectantium communicatores, non pariter generaliterque putetis fuisse dãnatos. Ostendite ergo, quæ synodus in vnaquaque hæresi cum erroribus successores eorum his cõmunicantes simulque oẽs non damnet & complices. Itaque ille vester Acatius, qui Eutychianis hæresibus detestabili communione factus est particeps, ab eadem synodo sine dubitatione damnatus est, quæ & Eutychen, Dioscorumque cũ successoribus eorum hisque cõmunicantes synodico tenore prostrauit. Sic sequaces quoque eorũ, Timotheum, Petrumq; simili definitione deiecit. Proinde si ea, quæ in synodo Chalcedonen. pro fide & cõmunione catholica, lege Apostolica definita sunt, verè certeque sectamini sicut vestra professio-

1. Cor. 15. Galat. 2.

Psal. 54. Rom. 1.

ne multiplici cõtinetur: aut successores ab illa synodo damnatorum, hisque communicantes abijcite; aut, si istos admittitis; ea, quæ in illa synodo, pro fide & communione Catholica & Apostolica sunt peracta, non solum falsò vos retinere perpenditis, sed insuper labefactare conamini, & in Eutychianam hæresim sine retractatione reciditis, meritoque à Catholicis probamini esse vitandi: quia vt talem pestilentiam perpetuo possemus euadere ea, quæ cõtra ipsam ab illa congregatione sanctorum patrum salubriter decreta leguntur, nullatenus mutilanda, nõ solum Sedis Apostolicæ præsules, sed etiam Orientaliũ regionum catholici censuere pontifices. An Petrum dicitis fuisse purgatum, cui cõmunicauit Acatius? Veris assertionibus edocete, hoc ostendite, hoc probate, quibus ille modis, quibus ille regulis ab Eutychiana fuerit professione vel cõmunione mundatus, vt cum id nihilominus euidenti rerum claruerit demõstratione conuictum, palam aperteq; possitis aduertere, aut vos debere cedere veritati, aut aduersus hanc manifesta dimicatione confligere. Nec vobis blãdiamini, quia fidem Catholicam profitemini vos tenere, qui Eutychetis nomen ademistis: quia ea veluti prædicare videamini, quæ orthodoxa prædicauit antiquitas. Clamat enim vobis illa Euangelica
Matt. 12. sententia: Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos: aut facite arborem malam, & fructus eius malos: à fructibus enim arbor cognoscitur: id est, si voce, si fide, si professione Catholica & Apostolica fideliter veraciterque gloriamini, huius & communionẽ recipite. Si verò hæreticorum, scilicet damnatorum, vel his aut successoribus eorum communicantium, cõmunio vobis placet; quid statis? quid circumspicitis? simul & eorũ apertè manifesteque remotis obstaculis, dogma defendite. Quid enim iuuat? imò & satis grauat, dictis polliceri, quod factis negatur, vt non solũ ipsa per se hæresis Eutychiana, quàm sit funesta Christiano sacramento, possitis agnoscere, sed quanta & quam grauia hæresis ista in sui diffinitione contineat. Ecce ad quæ nos præcipitia condescendere prouocatis, atq; ad quæ nos vitæ æternæ pericula cupitis inclinare. Hoc descensu saluare est egrotantem, an cũ languente consumi? Hæc erit optima dispositio illius, quam memoras, reparandæ concordiæ, an illa potius, vt reiectis contagijs perfidorum, integra fide, syncera sui communione potiatur cõmunio Catholica atque Apostolica, ac hæreticorum tabe depulsa, intemeratam suæ fidei confessionem nitatur adstruere, atque inuicẽ sibimet congruentis orthodoxæ professionis, communionisque sit vnitas? Hanc (sicut dilectionis tuæ litteræ cohortãtur) meis quoque tẽporibus custodiri, qua valeo, prece deposco, quæ per tot annos ab illis patribus gloriosis illibata intactaque seruata est. Hæc enim est, sicut ipse dicis, quam Deus noster de omnibus benè futuram, & secundum suam veritatem & regulam gubernandam, & præscius ante constituit, & singulis quibusque temporibus sua dispositione conuenienter aptauit. Hæc est voluntas Dei, cuius tu ingeris mentionem, quam ego quoque pro meo modulo, quem Dominus donare dignatur, cupio prorsus implere, vt non reus de huius talenti cælestis diminutione reperiar: sed in hoc talento (sicut ipse quoque nos admonet) incrementum Christi gratia postulo consequi, & nullum prorsus incidere detrimentũ. Hinc est, quòd prioribus dilectionis tuæ litteris, sicut tua quoque pagina designauit, pro vestra sumpsi salute tristitiam, vbi comperi, quod erat vobis noxium, & quod verę paci contrarium reperi. Contristatur enim Apostolus de errore deuiantium, & lætitiam recipit de eisdem sua prædica-
2. Cor. 7. tione correctis. Si aũt tua charitas, vt dixit, nescio quorum necessitate constringitur, quod (pace tua dixerim) sacerdos pro veritate promenda nec facere deberet omnino, nec dicere; ignoscite nobis hominibus timidissimis, si coarctante nos terribili & diuini iudicij grandi necessitate constringimur, sicut qualescunque ministros Christi decet, nos animas nostras ponere pro veritate saluandas, quàm eas lucrari velle veritatis diminutione perdendas, vt non dicam, cõtra fidem libitis cuiuslibet abdicandas. Istæ mihi sunt (quas dilectio tua commendat) certæ fidei perpetuæ cum eo, quicunque voluerit, in Christi visceribus amicitiæ. Hic non tã optamus præponi alijs, sicut prædicas, quàm cum fidelibus cunctis sanctum & Deo placitum habere consortium. Hæc mihi (quam mandat dilectio tua) pax solida, inconuulsa, & perennis: hoc vnum vinculum (sicut etiam ipse desideras) salutare, quo cuncta vniri possit Ecclesia. Hoc quibus est creditum, (sicut & ipse deprecaris) protectio diuina perficiat. Hæc est, quæ Deus est, charitas, quã poscis, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quomodo ergo de corde puro, si hęreticorum fuerit participatione polluta? 1. Ioan. 4. 1. Tim. 1. Quomodo conscientia bona, si malorum fuerit cõfusione permixta? Quomodo fide non ficta, si fuerit mixta cũ perfidis? Quæ si prudentia tua (sicut eam precamur) diligenter aduertat, perspicit Apostolicam Sedem non vitare pacem, sed hæreticorum damnatorumque vitare vestigia. Quæ etiam vos rationabiliter intuentes, creditis, componendũ populum Constantinopolitanum, non permittere submoueri nomine perfidorum. Quisnam hoc in Ecclesia Dei, quæso te, possit audire, cum vtique pastorem sequi grex debeat ad pascua salutaria reuocantem, non per deuia gregem pastor errantem? Dic mihi, rogo te, grex pro te, an tu pro grege redditurus es rationem? Certè si vobis hoc placet, multo magis causa est nobis iustior, qui populum Romanum à fide illia sua, laudabili Maiorum traditione percepta, declinare non sinentẽ nos penitus libenter audiuimus, si vos Constantinopolitanam plebem, ab hæretica communione discedere recusantem, nõ vultis offendere. Sed nos dicitis debere dirigere, qui eam valeant mitigare. Quomodo me auditura est, quem videtur habere suspectum, si præsules suos despicit admonentes? Nonne ipsis Apostolis est præceptũ in aliquibus regionibus verbi prædicatione non vti: his quippe, in quibus non fuerant audiendi? Veniemus, frater Euphemiane, sine dubitatione, veniemus ad illud pauendũ tribunal Christi: vt taceam, quia ex hoc sit metuenda vindicta circumstantibus illis, à quibus fides ipsa defensa est. Non illic inficiationibus, non dilationibus, nõ inclusionibus est agendum: sed manifestissimè comprobandum, vtrum beati Petri gloriosa confessio cuiquam eorum, quos regendos accepit, quicquam subtraxerit ad salutem: an eam auscultare nolens, etiam cum suo periculo rebellis extiterit obstinata pernicies? Ibi certè diiudicabitur, vtrum ego (sicut putatis) acerbus, asper, & nimis durus, difficilisque sim vobis, qui cum ratione vestram salutem parturio, qui clamo, etiam si austerum videtur antidotum: Accipite, quæso, bibite, viuite, nolo moriamini; An vos, qui à noxijs prohibiti, medicos ducitis execrãdos, imò qui vultis vobiscum medicos ægrotare, quàm vos recipere sanitatem. *Et alia manu:* Dominus te incolumem custodiat. Actor. 15.

Notæ.

Epistola.] *Hæc est secunda epistola, qua Euphemius Constantinopolitanus Episcopus communionem Catholicam sibi negatam extorquere frustra conatus est. Euphemius orthodoxam quidem fidem profitebatur, sed qui nomen Acacij prædecessoris sui ab Ecclesia Romana damnati è Dyptichis, prout Felix Papa monuerat, necdum expunxerat, Catholicæ Ecclesiæ communione indignus erat. Vt Gelasium in locum Felicis surrogatum accepit, more maiorũ scripsit quidem epistolam fidei suæ confessoriam, vt communicatorias litteras impetraret, sed reddidit tantum illi, quæ nõ extat, epistolam communicatoriam, qua eum admonuit, frustra de obtinenda Ecclesiæ Catholicæ communione agere, antequam nomen Acacij è sacris tabulis abstulerit, penitusq; eraserit. Qua occasione, Euphemius cum alia legatione, alias ad Pontificem dedit litteras eiusdem argumenti cum prioribus, Pontifex priori sententiæ & epistolæ inhærens, hanc secundam ad eundem Euphemium epistolam rescripsit anno Pontificatus sui primo: poterat enim vno eodemq; spacio bimestri Euphemius vnas literas Cõstantinopoli Romam misisse: & responsorias suarum inde vicissim recepisse.* Euphemius Cõstantinopolitanus Episcopus communione Catholica indignus quare?

Fratri.] *Non exhorruisse orthodoxos, interdum vocare fratres Christianos etiam à communione extorres, hoc alijsque pluribus exemplis demonstrari potest: Compagine enim humanæ naturæ & nominis Christiani, licet non fidei orthodoxæ, neque Catholicæ communionis coniunctione, eiusmodi nomenclatura aliquando à patribus vsitata reperitur. Baron. an. 492. nu. 4.* An quomodo Excõmunicati, appellari possint Fratres?

Nisi per litteras spectauerit significationem prouocatam.] *Id est, reddens certiorem eum, qui ante litteras prouocauerat.*

EPISTOLA II. B. GELASII PAPÆ I. Ad Laurentium de Lignido Episcopum.

Ad Pontificatum assumptus de more Romanæ Ecclesiæ fidei formulam, quam omnes profiteri teneantur, præscribit.

IN prolixitate epistolæ dilectionis tuę magno nos gaudio replesti in ea parte, in qua dictum est, quod in Thessalonicensi ecclesia, vel in alijs similiter recitata epistola prædecessoris nostri de excessibus Acatij, cuncti eidem anathema dixerint, nec quisquã cõmunioni præuaricatoris sese miscuerit. Vnde quia nos admones dilectione fraterna, vt velut medicinam quandam fidei episcopis per Illyricum, vel alijs ministrare debeamus, quamquam hoc copiosissimè factum sit à beatæ recordationis prædecessore nostro: & quia mos est Romanæ Ecclesię sacerdoti nouiter constituto formam fidei suæ ad sanctas Ecclesias prærogare; hæc eadem compendiosa nimis breuitate studui renouare, vt sub qua fide viuendum sit, secundum statuta patrum, in hanc nostram epistolam propter breuitatem sine fastidio lector agnoscat.

Confitemur ergo Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei vnigenitum ante omnia quidẽ sæcula sine principio, ex patre natum secundum Deitatem; in nouissimis autem diebus de sanctiss. Virgine Maria eundem incarnatum & perfectum hominem ex anima rationali & corporis susceptione, homousion Patri secundum deitatem, & homousion nobis, secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum vnitas facta est ineffabiliter, propter quod vnum Christum eundem filium Dei & hominis vnigenitum à Patre, & primogenitum ex mortuis confitemur; scientes quòd quidem cœternus sit suo Patri secundum diuinitatem, secundum quam opifex est omnium, & dignatus est post consensionem sanctiss. Virginis, cum dixit ad Angelum, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ineffabiliter sibi ex ipsa ædificauit templum, & sibi vniuit, quod non cœternum de sua substantia è cælo detulit corpus, sed ex massa nostræ substantiæ, hoc est ex Virgine, hoc accipiens, & sibi vniens, non Deus Verbum in carnem versus est, neque vt phantasma apparens, sed inconuertibiliter, & incommutabiliter suam conseruauit essentiam, primitias naturæ nostræ suscipiens, sibi vniuit. Nam principium Deus Verbum, has nostræ naturæ primitias, multa sibi bonitate vnire dignatus est, qui non permixtus, sed in vtriusque substantia vnus & ipse visus, secundũ quod scriptum est: Soluite templum istud, & in tribus diebus resuscitabo illud. Soluitur enim Christus Iesus, secundum meram substãtiam, quam suscepit, & solutum suscitat proprium templum: hoc ipse secundum diuinam substãtiam, secundum quam & omnium artifex est. Nunquam autem post resurrectionem vnitionis nostrę naturę discessit à propro templo, nec discedere potest propter ineffabilem suam benignitatem, sed est ipse dominus Iesus Christus & passibilis, & impassibilis: passibilis secundum humanitatem, impassibilis secundum diuinitatem. Suscitauit igitur suum templum Deus Verbum, & in se naturæ nostræ resurrectionem & renouationem operatus est, & hanc dominus Christus noster Deus postquam resurrexit à mortuis, discipulis suis ostendebat dicens: Palpate me, & videte quoniam spiritus carnem & ossa non habet quemadmodum me videtis habere; non dixit, quemadmodum me dicitis esse, sed habere, vt & qui habet, & qui habetur considerans, non permixtionem, non conuersionem, non mutationem, sed vnitatem factam respicias. Propterea & fixuras clauorum, & fixionem lanceę demonstrauit, & cum discipulis manducauit, vt per omnia resurrectionẽ nostræ nãæ in se renouatã doceret: & quia secundum beatam diuinitatis substantiam inconuertibilis, incommutabilis, impassibilis, immortalis, nullius indigens, perficiens omnes passiones, se permisit proprio inferri templo, quod virtute propria suscitauit, & per propriam perfectionem templi sui renouationem nostræ naturæ operatus est. Qui autem dicunt subtilem hominem Christum, aut passibilem Deum, aut in carne versum, aut non cognitum habuisse corpus, aut de cęlo hoc detulisse, aut phantasma esse, aut mortalem dicentes, Deũ Verbum indiguisse vt à Patre suscitaretur, aut sine anima corpus, aut sine sensu hominem suscepisse, aut duas substantias Christi, secundum permixtionem confusas, vnam factam fuisse substantiam, & non confitentes Dominum nostrum Iesum Christum duas esse naturas inconfusas, vnam autem personam, secũdum quod vnus Christus, vnus idem filius, istos anathematizat catholica & Apostolica Ecclesia. Hæc ergo sunt frater dilectissime, quæ pro antidoto nos debere mittere flagitasti, quod nullum amarum, neque dulce noxium videndum refugite, nam & de nostro cõuentu disposueramus quosdam dirigere, si ratio id temporis fieri permisisset: quod facere credimus opportunè, cum illarũ partium correctio ad nos, iuuante Domino, legatione plenissima, sicut confidimus, fuerit nuntiata. Sperantes etiam de Dei nostri misericordia, vt huic prædicationi nostræ clementissimus & christianissimus Imperator vnanimitatem suam auxiliumque coniungat, quatenus pro fide, qua pollet in illis regionibus coerceat, quin suis quæstiunculis, & secundum elementa mundi, sicut vas electionis ante prędixit, superflua vanaq; concidant, nolentes contineri salutaribus disciplinis: sed vos, sicut ait idem Apostolus, nõ ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in illo docti estis, sicut est veritas in Iesum, quam vtique ille apprehendere poterit, qui orthodoxorum patrum, sicut iam sæpe dictũ est, obseruauerit instituta. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

Coloss. 2.

NOTÆ.

Occasio Epistolæ huius quę?

Epistola] *Hæc epistola circularis est & Encyclica ad omnes Episcopos Macedoniæ anno 1. Pontificatus Gelasij scripta; ea occasione, quod Episcopus Thessalonicensis totius Macedoniæ prouinciæ Metropolitanus, vt constat infrà ex epistol. 9. ad Dard. & Illyr. Episcopos,) Acacianis modo turpiter inhæsisset, qui alias contra obortas schismata inter Orientales & Romanum Pontificem sedi apostolicæ firmiter inhærere, eiusque patrocinium suscipere consueuisset. Vt ergo reliquos eius prouinciæ Episcopos in officio Catholicæ & apostolicæ communionis contineret, ad eiusdem prouinciæ antistites has circulares literas dedit.*

RESCRIPTVM EPISCOPORVM DARDaniæ ad Gelasium Papam.

Gratias agunt, quòd ipsos monuerit à quibus cauendum sit; & cupere ipsos ab Apostolica Sede visitari scribunt.

Ex vetusto Codice Vaticano.

DOMINO *Sancto Apostolico & Beatissimo Patri Patrum Gelasio Papæ Vrbis Romæ, humiles Episcopi Dardaniæ.* Saluberrima Apostolatus vestri præcepta Tryphone viro religioso filio nostro deferente, qua oportet deuotione suscepimus, & maximas Deo omnipotenti, & beatitudini vestræ referimus gratias, quòd nos pastorali admonitione & Euangelica doctrina visitare dignatus es Domine sancte Apostolice, & beatissime Pater Patrum. Desiderij enim & voti nostri est iussionibus vestris in omnibus obedire, & quemadmodũ à patrib⁹ nostris accepimus Sedi, Apostolicæ, quę vitæ & meritis vestris delata est intemerata seruare atq; religionem orthodoxã, cuius estis prædicatores, fideli & inculpata deuotione prout rusticitatis sensus patitur, custodire. Eutychetis enim vel Petri Acatijq; & omniũ sectatorum eius, atque consortium, velut quædam pestifera contagia ante vestram quoq; vitauimus iussionem, & multò magis nunc post admonitionẽ Sedis Apostolicæ, & ab eadẽ nos pollutione necesse est⁹ abstinere; & si qui alij eiusdem Eutychetis sectã vel Petri & Acatij aut sequuti sunt aut sequuntur, vel eorundẽ se complicibus, atque consortibus æstimant immiscendos à nobis, qui Sedi Apostolicæ, secundũ diuina præcepta, & patrum statuta inculpati seruire desideramus, omni ratione vitandi sunt: & si qui fortè prana intentione (quod neq; arbitramur neq; optamus) à Sede Apostolica se crediderint segregandos, ab eorum nos alienos esse consortio profitemur; quoniam vt dictum est, patrum in omnibus custodientes præcepta, & inuiolabilia sacrosanctorum canonum

Ex diuino instituto & Patrum traditione Sedi Apostolicæ parendum.

institutа sectantes, Apostolicæ & singulari illi Sedi vestræ cõmuni fide & deuotione parere cõtendimus. Et quoniam suggerendi fomitem nobis, pro insita sibi benignitate beatitudo vestra concessit, aliqua memorato Tryphoni viro religioso filio nostro, præceptorum vestrorum portitori suggerenda mandauimus; & vt suggestionem eius, quantum arbitramur iustam & rationabilem pro supplicatione nostra, libenti animo Apostolatus vester dignetur admittere, iustis precibus exoramus, quòd supplicatio nostra meretur effectum vnum ex angelica sede vestra, cum sæpe dicto viro religioso ad nos vsque præcipite destinare, vt sub eius præsentia quæ fides orthodoxa, & vestræ iussionis syncritas postulat, ordinetur. *Et subscriptio.* Ioannes episcopus sacrosanctæ Ecclesiæ Scopinæ metropolitanæ ciuitatis huic rescripto à nobis dato consentiens, ad omnia quæ superius continentur manu propria subscripsi. Samuel episcopus vt supra subscripsi. Bonosus episcopus vt supra subscripsi. Verianus episcopus per Valentinum Archidiaconum vt supra subscripsi. Faustinus episcopus vt supra subscripsi. Vrsinus episcopus vt supra subscripsi.

EPISTOLA III. B. GELASII PAPÆ I. ad Episcopos Dardaniæ.

Nunciat se Pontificem electum, catholicæ fidei libellum trãsmittit; hortaturq́, vt cum Eutychianistis non communicent, & muneri pastorali inuigilent.

Ex vetusto Codice Vaticano.

DILECTISSIMIS *fratribus vniuersis Episcopis per Dardaniam constitutis, Gelasius Episcopus.* Vbi primum respirare fas est à continuorum tempestate bellorum, quæ vel in illis prouincijs, vel in istis temporibus qualitas incessanter exercuit, cunctos per Dardaniam domini sacerdotes fraternæ solicitudinis caritate duximus alloquendos: primum quia regimen Apostolicæ Sedis adepti, strepitu publico, sicut dictum est, retardante, commissum nobis sacræ dispensationis officium, proprijs, vt mos erat, litteris nequiuimus indicare, quò vestra fraternitas de communionis Domini nobiscum munere gratuletur. Deinde, vt post tantas acerbitates incommoditatesq́; mundanas, qualiter inuicem valeremus, mutuus sermo depromeret: postremò si qua de Ecclesiasticis referenda sunt causis, quæ propter insidias perpetui hostis, pastorali sunt iugiter circunspicienda vigilantia, significationibus pãderemus alternis. His igitur incitati per fratrem & coepiscopum nostrum Vrsicinum præsentia dirigere scripta curauimus, præeunte gratia salutationis, orãtes vt magnanimiter auxilio Domini tolerando rerũ transeuntium vastitatem, magis esse debeamus attenti, ne quod absit, perpetuę subeamus vitæ dispendium. Proinde quę catholicæ veritatis poscit vtilitas præcauenda, dilectio vestra paulispèr aduertat. Apud Græcos, quibus multas hæreses abundare non dubium est, iam ante annos ferè quadraginta & quinq; de Domini nostri & Saluatoris incarnatione nata conquestio est; Eutyche quondam presbytero Constantinopol. in blasphemias proruente, per quas diceret vnam tãtummodo, id est, solam diuinitatis naturam, siue substantiam in domino Iesu Christo credere nos debere, susceptæ carnis veritate prorsus abolita: quod vtiq; improbum commentum Marcionistis, Manichęisq́; coniunctum, totum sine dubio salutis nostræ solueret sacramentũ; siquidẽ quantum & scriptutę venerabilis dicit auctoritas, & maiorum testatur doctrina nostrorum, redemptorem mundi Deum, totum simul Deum, totumq́; hominem ex Maria Virgine fuisse progenitum. Et huic mundo certum est extitisse conspicuum, sic passum, atque resurrexisse constat à mortuis. Itaque quadraginta diebus fuisse cum discipulis conuersatum, in cælum ascendisse, plena luce sit clarum, eoq́ue modo dictum ad iudicium, Angelo testante venturum, vt & filius hominis, quem beatus Stephanus Martyr à dextris virtutis Dei vidit astantem, manifestus appareat, & quem compunxerunt persecutores eius, aspiciant: quod nimirum sine carnis humanæ non potest constare materia, cuius assumptio glorificata est Deitate, non prorsus assumpta. Vnde & beatus Apostolus Ioannes dicit, Qui negat Christum in carne venisse, hic est Antichristus. & gloriosus Apostolus Paulus qualem hodie credere debeamus Dominum nostrum Iesum Christum palam professus est, dicens; In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, quod breui capitulo simul Arianam pestem, & hanc quam diximus Eutychianam cælesti prædicatione subuertit, quia & homo nihilominus est, vbi omnis plenaque diuinitas habitare perhibetur, & corporaliter exprimendo, in veritate persistere nostri corporis approbatur. Super autem his frequenter ab Apostolica Sede, & per beatæ memoriæ sanctum Leonem, & per successores eius certum est, Græcos fuisse conuictos, sicut ipsorum chartis, quas apud nos habemus, sine ambiguitate monstratur. Nunc verò quamuis ipsam pestilentiam non audeant profiteri, eos tamen qui talibus communicauerint, meritoque secundum Chalcedonensis decreta concilij ab Apostolica Sede damnati sunt, obstinatiq́ue in eadem damnatione defuncti, pernicioso furore defendunt, & eorum recitationem Ecclesiæ catholicæ moliuntur ingerere. Quod vtique, quod absit, receptis, etiam contagium prauitatis, cui se communione sociarunt, consequenter incurritur, quemadmodum (quod Dominus auertat) si Arij vel cuiuslibet hæretici ad Ecclesiasticam recitationem nomen admittitur, simul & consortium detestabilis erroris assumitur. Vnde quia errorem quidem fatentur, sed ea sibi putant communionem catholicam conditione laxandam, vt nomina eorum, qui præuaricati sunt, illis in Ecclesia recitare sit licitum, & non tam ipsi corrigere, quàm sinceritatem catholicam inficere nitantur contagio perfidorum; dilectionem vestram fraternæ caritatis affectu non destitimus admonere, vt si qui talia seminantes, ad vestras regiones fortè peruenerint, modis omnibus excludantur, vobisque cum Sede B. Apostoli Petri, sicut à patribus nostris est tradita illibata communio, atque ex omni parte inconuulsa perduret. Certè si quis aures vestras de hac crediderit subreptione pulsandas, solicitudine pastorali ad nos quàmcitius referre properetis, vt communi studio, catholicoque tractatu, pro domo vnius domini cuncti catholici conferant sacerdotes; vt & quæ orthodoxæ definitioni competunt, intemerata seruentur: & quatenus errantibus debeat subueniri, rationabili deliberatione noscatur. Hæc autem vestra dilectio etiam ad contiguas sibi quasque prouincias, vicinosque pontifices prudenter faciat peruenire, vt ad Ecclesiarum præsules vniuersę veritatis instructione percepta, mortiferam declinare valeant falsitatem: *& subscriptio*, Deus vos incolumes custodiat fratres carissimi.

NOTÆ.

Epistola] *Duabus epistolis admonuit Gelasius Pontifex Episcopos Dardaniæ, vt Eutychianorum communionem sedulo vitarent. Priorem, (quæ excidit,) misit per Tryphonem; ad quam præcedens Epistola ab Episcopis Dardaniæ rescripta fuit. Posteriorem hanc eiusdem argumenti misit per Vrsicinum, prout ipsi petierant. Encyclicam & circularem fuisse patet ex verbis Epistolæ in fine. Ex eo quod ab initio Eutychianæ hæreseos, quæ detecta fuit anno 448. hoc loco enumeret annos 45. apparet eam anno pontificatus Gelasij primo scriptam esse.*

BEATISSIMI GELASII PAPÆ I. EPISTOLA IV. seu Commonitorium ad Faustum magistrum, fungentem legationis officio Constantinopoli.

Acatium iure à Sede Apostolica damnatum, & in excommunicatione mortuum non posse absolui: & cum illo non communicandum.

Act. 1.

EGo quoq; mente percepi, Græcos in sua obstinatione mãsuros, ne cui velut insperatum videri possit, q̃ est in ante prænotitũ. Quapropter nõ iã propter religionis causas studẽt dispositionib⁹ publicis obuiare, sed potius occasio-

nem

nem legationis regiæ catholicam fidem moliuntur euertere, & tali commento nituntur sperata præstare. Quid sibi vult autem quod dixerit Imperator, à nobis se in religione damnatum, cum super hac parte & decessor meus non solùm minimè nomen eius attigerit, sed insuper quando principia adeptus regiæ potestatis exercuit, in eius se reseripsit imperij promotione gaudere: & ego nulla ipsius vnquam scripta percipiens, honorificis (vt nostis) eum litteris salutare curauerim? Decessores mei, sacerdotes, qui præuaricatoribus se communicasse propria voce confessi sunt, à communione Apostolica submouerunt. Si isti placet se miscere damnatis, nobis non potest imputari: si ab eis velit abscedere, tanto magis à nobis non potest esse damnatus, sed potius ad gratiam synceræ communionis admissus. Ad senatum verò pertinet Romanũ, vt memor fidei, quam à parentibus se suscepisse meminit, cõtagia vitet communionis externæ, ne à communione huius sedis Apostolicæ (quod absit) reddatur externus. Veniã sibi dari proponunt. Legatur, ex quo est religio Christiana, vel certè detur exemplum, in Ecclesia Dei à quibuslibet Põtificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Saluatore, veniam, nisi corrigẽtibus se fuisse concessam. Auditum autem sub isto cælo nec legitur omnino, nec dicitur, quod corũ voce depromitur: Date nobis veniam, dum tamen nos in errore duremus. Id quoq; pariter ostendant, qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione, quove documento, siue à Maiorib' nostris, siue ab ipsis Apostolis, (quos potiores merito fuisse, non dubium est) seu ab ipso Domino Saluatore, qui iudicaturus creditur viuos & mortuos, siue factum est vnquam, vel faciendum esse mandatur. Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absoluisse non legimus. Et qui certè hoc faciendi solus habuit potestatem, beato Petro principaliter mandat Apostolo: Quæ ligaueris super terram, ligata erunt & in cælis: & quæ solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Super terram inquit; nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolui. Quod ergo nunquam factum est, vel mente concipere formidamus, scientes in diuino iudicio non posse penitus excusari. Si autem, quod nunc prætendunt, à Romana Ecclesia se sunt diuisuri, id iamdudum fecisse monstrantur. Euphemium verò miror, si ignorantiam suam ipse nõ perspicit, qui dicit Acatium ab vno non potuisse damnari. Ita ne non perspicit, secundum formam synodi Chalcedonensis, Acatium fuisse damnatum? nec nouit eam aut se nosse dissimulat, in qua vtique per numerosam sententiam sacerdotũ, erroris huius auctores constat fuisse damnatos, sicut in vnaquaq; hæresi à principio Christianæ religionis & factũ fuisse, & fieri manifesta rerũ ratione mõstratur, decessoréq; meum executorẽ fuisse veteris cõstituti, non nouæ constitutionis auctorem? Quod non solùm præsuli Apostolico facere licet, sed cuicunque Pontifici, vt quoslibet & quemlibet locum, secundum regulam hæreseos ipsius ante damnatæ, à catholica communione discernant. Acatius quippe non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua scita prodirent, sed alieno facinori sua communione se miscuit. Itaque necesse est, vt in illam recideret iusta lance sententiam, quam cum suis successoribus per conuenientiam synodalem susceperat auctor erroris. Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd primæ Sedi, sana rectaque suadenti, parere fugunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ, ad huius Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius cõmeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius decreta sequenda mandarunt. In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri non solùm vnus, sed plures vtique nomen sacerdotij præferentes, sola Sedis Apostolicæ sunt auctoritate deiecti, cuius rei testis etiam ipse docetur Acatius, qui præceptionis huius extitit executor. Quod vtique sicut Apostolicam Sedem iuxta formam synodicam feciſſe manifestum est; sic neminem resultare potuisse, certissimum. Hocigitur modo recidens in consortium damnatorum, est damnatus Acatius, qui eorum damnationem antequam præuaricator existeret, fuerat executus. Nobis ausi sunt facere canonum mentionem, contra quos semper ambitionibus illicitis feciſſe monstrantur. Qua ipsi synodo, vel secundum cuius synodi formam Alexandrinum Ioannem de Ecclesia, cui ordinatus fuerat, expulerunt? qui nullis causis euidentibus nec ante conuinci, nec postea prouocans, etiam in iudicio competenti potuit accusari. Quòd si dicunt, Imperator hoc fecit, hoc ipsum quibus canonibus, quibus regulis est præceptum? Cur huic tam prauo facto consensit Acatius, cum auctoritas diuina dicat, Non solùm qui faciunt praua reos esse, sed etiam qui consentiunt facientibus? Quibus canonibus, quibusve regulis Calendion exclusus est, vel primi vrbium diuersarum catholici sacerdotes? Qua traditione Maiorum Apostolicam sedem in iudicium vocant? An secundæ sedis antistites, & tertiæ, cæteriq́ue benè sibi conscij sacerdotes depelli debuerunt, & qui religionis extitit inimicus, depelli non debuit? Viderint ergo, si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur. Cæterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt: & Constantinopolitanæ ciuitatis episcopus, quæ vtique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit submoueri? An, qui homini mentitus dicitur Imperatori, & qui Imperatorem læsisse perhibentur, depelli debuerunt: & in Deum, qui summus & verus est Imperator, Acatium delinquentem, synceramque communionem diuini Sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundum synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat excludi? Sed velint nolint, ipsius iudicio antiquæ canonum constitutiones firmabuntur. Sed religiosi viri atque perfecti, secundum canones concessam Sedi Apostolicæ potestatem nimirum conantur eripere, & sibimet eam contra canones vsurpare cõtendunt? O canonum magistros atque custodes! Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ, diuina scriptura prædicante: Hominem hæreticum post primam & secundam correptionem deuita, sciens, quòd huiusmodi delinquat, proprio iudicio condemnatus. Ecce cognoscant, quia non solùm ab alio, sed à se quoque ipso damnetur hæreticus. Illud autem nimis est impudens, quòd Acatium veniam postulasse cõfingunt, & nos extitisse difficiles. Testis est frater vester, filius meus vir illustris Andromachus, qui & à nobis abundanter instructus est, vt cohortaretur Acatium deposita obstinatione resipiscere, & à Sedis Apostolicæ remeare consortium, quiq́ue se sub iureiurando magnis cum eodem molitionibus egisse testatur, nec ad ea, quæ recta sunt, potuisse deflecti, sicut rerum probatur effectu. Certè proferatur iudicium, quando miserit, quando veniam postularit, correctionemque suam nobis promiserit exhibendam: nisi fortè hunc animum gessit, quem successores eius habere perspicimus, vt tamen si veniam postularet, sic sibi vellet impendi, vt nihilominus in errore persisteret: vbi vtique non tam à nobis recipi videretur, quàm nos potius in suam traduceret prauitatem. Quem reatum se confessuros asserunt ante certamen? Si reatus est, vtique corrigendus est. Si corrigendum non putant, fallaciter se reatum perhibent profiteri, nisi quod est infelicius, cum & fatentur reatum, & non æstimant corrigendum. Illud quoque me ridere libuit, quod ait, Si necesse fuerit veniam postulare: existimans nimirum tunc se peccati veniam necessario postulare, si ei concedamus, ne peccare desistat, immo etiam (quod absit) cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio, inter quæ mundi prodigia hæc vox possit admitti. Remitti culpa de præterito potest, correctione sine dubio subsequente. Nam si deinceps sinitur mansura peruersitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assensio. Non mirum, si isti Sedem Beati Petri Apostoli blasphemare præsumunt, qui talia portenta vel corde gerunt, vel ore diffundunt, & nos insuper superbos esse pronunciant, cum eis prima Sedes, quicquid est pietatis, non desistat offerre, illi eam ipso proteruo spiritu subiugare se posse confidant. Sed captos mente,

facere

Rom.1:

Prima sedes à nemine iudicatur.

Episcopus Constantinop. inter sedes per canones nullũ nomen accepit.

Cum hæreticis non est disputandum. Tit.3.

Matth.9. Marc.5. Luc.8. Ioan.11.

Matth.16.

A Sede Romana non datur appellatio.

facere ista non mirum est. Sic phrenetici solent medicantes quosque, velut hostes putare vel cædere. Quæro tamen ab his, iudicium quod prętendunt, vbi nam possit agitari, an apud ipsos, vt ijdem sint inimici, & testes, & iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negocia, nedum diuinæ legis integritas. Si quantum ad religionem pertinet, non nisi Apostolicæ Sedi iuxta canones debetur summa iudicij totius: si quantum ad sæculi potestatem, illa à Pontificibus, & præciputè à B. Petri vicario, debet cognoscere, quæ diuina sunt, nō ipsa eadem iudicare: nec sibi hoc quisquam potentissimus sæculi (qui tamen Christianus est) vindicare prę sumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non cartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi seruent, nisi resipiscant potius, cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni B. Petri Apostoli inferni portas nunquam prævalituras asseruit. Quapropter non veremur, ne Apostolica sententia resoluatur, quam & vox Christi, & maiorum traditio, & canonum fulsit auctoritas, vt totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet. Sed cogitent magis, si quis in eis religionis est sensus, ne prauitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum hominesque Sedis Apostolicæ perpetua constitutione damnentur. Sic autem dicitur fuisse definitum, vt deinceps de negocio nihil dicatur, quasi vel nunc eos (quem admodum nostis) meo duxerim nomine specialiter alloquendos. Neque planè cum istis non corrigentibus ineunda congressio, quemadmodum cum aliarum quoque hæresum sectatoribus dimicatio renuenda. Vos autem saluos & sospites quantocyus huc reuerti, continuis diuinitatem votis expetimus.

Sedes Apostolica de omnibus iudicat, secundum canones, & per Christum tributam auctoritatem.

Matth. 16.

Notæ.

Commonitorium Gelasij.] *Cum Theodoricus Gothorū Rex post Odoacrem Regem Herulorum deiectum & occisum, vna cum Rauenna integra Italia potitus esset, bello diuturno fatigatus ad Anastasium Imperatorem Constantinopoli degentē, duos hoste legatos Faustum Magistrum officiorum, & Irenæum ablegauit; qui ad obtentum Italiæ regnum rectius stabiliendum, pacem sibi concedi peterent & impetrarent. Hac occasione Gelasius Papa anno Pontificatus sui 2. alteri legatorum Fausto officiorum Magistro causam illam, qua cū Euphemio Constantinopolitano adhuc schismatico vertebatur, commendauit, vt æquissimis iussionibus Ecclesiæ Romanæ obtemperans, eiusdē communicationem hactenus frustra expetitam, consequi mereretur. Huius negotij expediendi ratio commissa est Fausto ea de causa; quod Euphemius patriarcha, Gelasij epistolis duabus admonitus, nomen Acacij è tabulis sacris non modo non expunxerit; sed & eiusdem defendendi patrocinium susceperit, atq; ea quæ solent hæretici & schismatici contra sedem apostolicam efflatuerit: quodq; demū ad concitandam contra Pontificem Romanum Anastasij Imperatoris inuidiam in vulgus sparserit, ipsum Anastasium Imperatorem; neq; ab Episcopo vrbis Romæ: neq; à Romano senatu recipi, adeoq; Imperatorem contra vrbem & Episcopum commouerit. Ne igitur horum occasione Romana Ecclesia in discrimen adduceretur, atq; inter duos hæreticos principes Anastasium & Theodoricum arctata, durioribus angustijs premeretur, Fausto officiorum magistro, viro pientissimo, tanta molis negotium credidit, vt cum esset Constantinopoli, obiecta dilueret, tentata destrueret, atq; sequester pacis existens, Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali conciliator accederet. Profectus est Faustus, gnauiterq; susceptum negotium peregit; sed non ex sententia, vt erat in optatis, absolut, refragante Euphemio, & maiora rixarum fomenta miscēte. Qui & de omnibus, quæ cum ipso transacta erāt, datis ad Gelasium literis eum certionem reddidit. Quibus acceptis Gelasius ad eum rescripsit hanc defensionē, qua aduersariorum calumnias refellere posset. Vnde non immerito* Commonitorium *nuncupatur, cum eo ipso à Pontifice admoneatur, quonam modo calumniantium petulantiam validè retundere queat. Hæc ex Baron. an. 493. nu. 3. & seqq.*

Theodorus pacem petit.

Causa Euphemij Constantinopolitani commissa est Fausto legato.

Occasio huius Epistolæ.

EPISTOLA V. B. GELASII PAPÆ I. ad Honorium Dalmatiæ Episcopum.

Monet ne Pelagianam hæresim à tot Pontificibus detestatam reuiuiscere sinat.

Ex vetusto Codice Vaticano.

Dilectissimo *fratri Honorio, Gelasius.* Licèt inter varias temporum difficultates cōtinuis occupationibus implicati, vix respirare valeamus; pro Sedis tamen Apostolicæ moderamine totius ouilis Dominici curā sine cessatione tractantes, quæ beato Petro Saluatoris ipsius nostri voce delegatum est: Et tu cōuersus confirma fratres tuos. Et ité: Petre amas me, pasce oues meas. Dissimulare nec possumus, nec debemus; quæ nostram solicitudinē forma perstringat cum beato Paulo Apostolo sentientes atq; dicētes: Quis infirmatur, & ego nō infirmor? Quis scandalizatur, & ego nō vror? Ita quippe nos repentè tristis, horrenda & vix credibilis confecit opinio, vt mentem nostram cōfunderet, sauciaret, affligeret. Nuntiatum nobis est enim in regionibus Dalmatiarum, quosdam recidiua Pelagianæ pestis zizania seminasse tantumq; illic eorum prævalere blasphemiam, vt simplices quosq; mortiferi furoris insinuatione decipiant. Est qui dē error ipse nefarius tāto perniciosior ad subripiendū, quanto ad fallendū verisimilitudinis colore versutior: præstante Domino, adest fidei Catholicæ pura veritas, concordibus vniuersorum patrū deprompta sententia, quæ & subtile virus funestæ prauitatis exponat, & humano generi saluando conferat de scripturarum confectione medicinam. Nullatenus igitur discretionem rerum nōdum abundantia corda conturbet, donec & occultum vulnus appareat, & saluatio singularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallaciæ spiritus perditionis armetur; sancto gladio spiritus principalis & detegitur & necatur. Quapropter per dilectionem tuam cunctos ibidem Domini sacerdotes fraterno cōmonemus affectu; vt qui cum erudiente vos Domino cōtra nouitios pugnetis errores, olim peruersitatē toto orbe damnatā nec ipsos recipere debeatis, aut quod temerè putatur, esse faciendum; quæ non hęresis maioribus nostris conuenienter extincta rursus prouocare nos audeat, & palā nouis resumptis viribus, aperteq; confligat. Numquidnam licet nobis à venerandis patribus damnata dissoluere, & ab illis excisa nefaria dogmata retractare? Quid est ergo quod magnoperè præcauemus, ne cuiuslibet hæresis semel deiecta pernicies ad examen denuo venire contendat? Si quæ antiquitus à nostris maioribus cognita, discussa, refutata sunt, restauranda nitamur; nonne ipsi nos (quod absit) & quod nunquam Catholica patietur Ecclesia aduersarijs veritatis vniuersis cōtra nos resurgendi; proponimus exemplum? vbi est quod scriptum est, Terminos patrum tuorum nō transgredieris; & interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi; & seniores tuos, & dicent tibi? Quid ergo tendimus vltra definita maiorum, aut cur nobis non sufficit? Si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab orthodoxis patribus & senioribus singula quæq; vel vitanda præcepta sunt, vel aptanda Catholicæ veritati; cur nō his probantur esse decreta? Nunquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate constare? Si ea quę ab illis constituta sunt, subruamus, an fortasse nescitis hanc hæresim, de qua loquimur & ab Apostolica dudum sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Cęlestinum, Sixtum, Leonem continuis & incessabilibus sententijs fuisse prostratam; nec tantum Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed principum quoq; Romanorum eo tenore damnatam, vt nec vsquam terrarum viuendi locum sectatores eius habere sinerentur? Quæ omnia tam gestis Ecclesiæ per singulas quasq; Regiones de eorum prauitate confectis, quàm censuræ publicæ sanctionibus edocentur. Ecce quorumlibet aures Catholicas audire doctrinam, quæstiones accipere, tractare tendiculas, & blasphemias patienter admittere: O si studerent aduersus eos maiorū nostrorum libros, responsaq; cognoscere, illic modis omnibus cerneretur, nihil esse prorsus, quod & ab istis fuerit ventilatum, & ab illis magnifica veritate contritum. Sicq; de cunctis eorum nequitijs refutandis fideles quique redderentur instructi, vt nihil amplius quæreretur. Sed si forsitan ineruditos animos quædam de eorū sensibus propositā cōmouerunt; ita venerabilium patrum doctrinis & omnis eorū publicatur insania, & quibus remedijs curetur, ostenditur, vt ex his Deo præstante præuisis, cuncta, quæ de eorum serie texuerunt, & periculosa sectatibus, & stulta deprehendentibus esse videantur; ita vt si quis existimet reluctandum, non tamen veterum sententijs contradictor existat; sed humanæ saluti, catholicæque doctrinæ palam se, aperteque profiteatur inimicum; quo magis attentius

peruigil cura pastorum à sacris gregibus luporum debet arcere fœuitiam. Num quidquid ouibus sanctis acciderit detrimenti, præsulum (quod absit) damnet incuriam; sicut à regeneratis agminibus nocentium depulsio bestiarum, cuius dum præmijs perpetuum procurauit augmentum? Certè si vt magis optamus, falsis hæc rumoribꝰ sint relata, quan tocyus desideramus agnoscere, vt qui membrorum Christi vexatione trepidamus, multo magis de eorum stabilitate lætemur. Data 5. Kalend. Augusti,* Fausto V.C. Consule.

NOTÆ.

Fausto V.C. Consule] *Mendosa est & surreptitia hæc Consularis nota. Nullus enim Fausti consulatus sub Pontificatu Gelasij reperitur. Legatur ergo* Albino V.C. Consule.

EPISTOLA VI. B. GELASII PAPÆ I. ad eundem Honorium Dalmatiæ Episcopum.

Eum non debuisse mirari scribit, quòd admonuerit inuigilandum, ne iterum Pelagiana hæresis pullularet.

DILECTISSIMO *fratri Honorio, Gelasius.* Miramur dilectionem tuam fuisse miratam, curam Sedis Apostolicæ, quæ more maiorum cunctis per mundum debetur Ecclesijs pro vestræ quoque regionis fide fuisse solicitam. Cumque ad eam perlatum esset, quòd quidam per Dalmatias integritatem catholicam vitiare niterentur; & diuinis humanisque legibus ante damnatum Pelagianæ pestilentiæ denuo virus inferre; non putauerimus vllatenus differendũ, quominus hæc diligentius inquirentes, aut si fortasse subreplerant, de proximo sanarentur; aut anxietatem nostram, si falsa probarentur, iactata releuarent, æstimantes melius nos videri impatientius talia vestigare voluisse, quàm crescere dissimulando perniciem. Neque enim vel silentio premere causas huiusmodi, vel differendo fouere deberemus. Cum dicente magistro gentium, solicitudine non pigri, atq; iterum, qui præest in solicitudine, reos proculdubio nos nisi continuo quæreremus; etiam si inaniter essent vulgata conuincerent; nec interesset per quos ad aures nostras eadem peruenissent, dummodolibet ista referentibus postquam nostram conscientiam penetrarent, in his veraciter indagandis pastorales excubias esse non oportuerit negligentes, quatenus vel è vestigio posset lupis inhiantibus obuiari, vel nullis existentibus feris, ouium custodia secura persisteret ab his, qui essent Cloes. Corinthiorum se dissensiones agnouisse testatur Apostolus, confestimque scribere non omittit; vt vel nascentibus iurgijs pius medicator occurreret, vel de eorum comperta mox incolumitate gauderet: quod nos quoque litteris, quæ super hac parte directæ sunt, indicasse reminiscimur, vt scilicet aut in repentibus obsisteremus insanijs, aut si nihil horum penitus accidisset; de catholicæ veritatis integritate lætaremur. Quapropter non solùm dilectio tua nostra non debet vigilantia permoueri, sed præsentis colloquij salutatione percepta, nobiscum potius industriam propriæ sociare solertiæ; quatenus vel siue tentata sint talia, protinus corrigantur, vel ne qualibet obreptione tententur, attẽtius præcauendo subintrare non valeant. De quibus autem ij, quos tua charitas destinauit, si plenius instrui voluerint, sequentes tituli cum suis responsionibus intimabunt: & quoniam se his acquiescere præfati eatenus sunt professi, vt eadem se & primitus tenuisse firmarent, sed ante vllius in quæstionem vocata vellent manifestius expediri, studuimus quantum inter occupationes fieri potuit, quæ nos minimè respirare patiuntur, largiente Domino, sequentes paterna vestigia, de talibus, quæ cæpimus non silere: quam regulam sobriè sentiendi quisquis fideli corde sectatur, inter Orthodoxos meritò debeat æstimari. Quisquis verò putauerit abnuenda, ab Apostolicis sese non ambigat exulare doctrinis. Certè si quid est quod valeat animum permouere, fraternitas tua consulere fiducialiter omittat, vt Domini gratia ministrante, totius discutiat obscuritatis ambiguum fraterna collatio.

EPISTOLA V. B. GELASII PAPÆ I. ad omnes Episcopos per Picenum.

Tria præcipua Pelagianæ hæresis capita refellit. Primum scilicet, paruulos sine originali peccato nasci. Secundum, hos pro solo peccato originali non damnari. Tertium Gratiam ad salutem non esse necessariam, illamq; secundum hominum merita conferri.

GELASIVS *Episcopus vniuersis Episcopis per Picenum in Domino salutem.* Barbaricis hactenus dolebamus incursibus, maximè vicinas Vrbi prouincias, & bellorũ sęua tempestate vastari; sed quantum inter ipsa recentium calamitatum feruentia pericula comperimus, pernicioſiorem diabolus Christianorũ mentibus labem quàm corporibus hostilis feritas irrogauit: quod malum principaliter illarum regionum respicit sacerdotes, qui tanta segnitia, tantaque ministerij dissimulatione susceptis, commissarum sibi negligunt regimen animarum, vt eas etiam ab exiguis quibusq; bestiolis lacerari sub conspectibus suis impunè patiantur: quinimo subrepentes nequitias confouendo, & deprauatoribus acquiescendo fidelium, non solum eas minimè retrahant, sed ipsi magis præbeant propria nutrimenta perditionis exemplo. Quid autem tales essent acturi Pontifices, si (quod absit) vel aliqua noua pestis, & primitꝰ ignorata prorumperet, vel ingenijs acrioribus, sensibusque versutis, aut aliqua secularium doctrinarũ peritia, callidis sacrilega blasphemiarum dicta promerentur, qui tam veteris erroris detrita commenta, tamq; maioribus Ecclesiarum magistris, quàm etiam nostra ætate conuicta non recolunt, nec refutant; atque ab imperitis stultisq; prolata nõ respuunt. Gratias omnipotenti Deo, agimus, quoniam suorum corda per huiusmodi personas examinat; qui hoc ipsum virus nesciũt quod loquantur. Nam quid facerent populorum præsules sub astutioribus inimicis, qui se subijciunt libẽter indoctis? Quando vtique etiam si tanta erat in rectoribus Dominici gregis prorsus ignauia, vt ne tam vilem hebetemq; personã possint vel intelligere vel frænare, potius pastorali cura debuerint à nobis cognoscẽda perquirere, quàm suasionibus inconsideranter absurdis, facilem submittere voluntatem: oblatꝰ est enim nobis miserabilis senex Seneca nomine, qui non modo totius est eruditionis alienus, sed ipsius quoque intelligẽtiæ communis prorsus extraneus, in Pelagianæ voraginis cœno, sicut de quibusdam in Apocalypsi legimus, velut vna ranarum imprudenter immersus, inque illa fœce horribiliter volutatus, nullatenus inde qualiter emergere posset inueniens; quia puritatem relinquens Catholicę veritatis, quanto se per lubricum falsitatis conatur attollere, tanto magis eius lutosis foueis circumclusus obruitur, de illis vnus existens, de quibus Petrus dicit Apostolus: Hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captione & in perniciem; in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua, & peribunt recipientes mercedem iniustitiæ. Re vera enim sic eius stolidus & obtusus est animus, vt de his venenis, quæ malè hausit, & vomuit; nullam rationem vel accipere valeat omnino vel reddere. Sed induratus obcæcatione diabolica, sibiq; iam traditus, cordis sui funesta sit obstinatione damnatus; nihilq; superfit ei, nisi vt Deus noster, qui dixit, quæ hominibus impossibilia videntur, apud se esse facilia, huiusmodi mentẽ potenti compunctione transfigat, vt secundum beatum Apostolum Paulum, resipiscat à Diaboli laqueis, quibus captiuus detinetur, sententia diuini iudicij. Multa illi quæ de Pelagianis sensibus nec in somnis omnino contigerãt, nos magis patefacta prodidimus ea, quæ dudum conuicta fuisse monstrauimus. Hæc etiam ipsa, quæ idem proferre videbatur olim & ab hæreticis Pelagianis in medium producta docuimus, & à Catholicis prædicatoribus competenter elisa, Pelagium, Cælestium, Iulianum, cęterosq; cõplures oratoriæ facũdię viros in hac assertione probauimus fuisse cõuictos, & tã Ecclesiasticis constitutis, quã

Imperia-

Ex vetusto Codice Vaticano.

Apoc. 16.

2. Petr. 2.

2. Tim. 2.

Albino

Nota Consularis mẽdosa.

Ex vetusto Codice Vaticano.

Hæreses impatientius inuestigare, est melius quam dissimulãdo augere perniciem Rom. 12.

1. Cor. 14.

Imperialibus etiam percussos fuisse præceptis; proinde istũ ferre non posse firmauimus; in quibus illi tales tantiq; prostrati sunt, qui nec ipsa, quæ ab illis sunt disputata, vel intellecta capere, vel eloquio simili possit astruere. Sed, vt dictũ est, diabolica mens inspiratione possessa, in profundum veniens iam malorum ad remedia nulla cõsentit. Quapropter de innumeris blasphemiarum generibus, quas auctores Pelagianæ hæresis ediderunt, tria, quæ sibi præcipuè hic senex lugendus asciuit, credidimus non tacenda, vt referata manifestius panderentur, & Deo destruente facilius videretur euersa. In vteris, inquiunt, matrum opere diuino creantur infantes, propterea iustum videri non putant, quòd factura Dei sine vllis proprijs actionibus cuiquam peccato gignatur obstricta. Iniustumque Deum faciunt, si rei efficiantur, antequam nati, hoc velut acutissimũ sui dogmatis exerunt argumentũ, nõ aduertentes quia primi illi parentes generis humani de nullis vtiq; genitoribus, sed de innoxia limi materia procreati, & purè atque syncerè potenter arte diuina compacti, factique rationales, propria voluntate seductorem sequuti diabolum, prauis cupiditatibus per excessum præuaricationis infecti sunt. In quibus vtiq; humana natura peccauit, & humana est facta natura vitiosa, receptrix sine dubio mali, quod ante nescierat, quæ à bono rectoq; deficiens, in affectum mali, prauique recidere, ipso rerum consequentium tramite, manifestum est. Tales igitur effecti principes nostræ substantiæ, semetipsos passibiles, & corruptibiles reddiderunt; in tantum conditionis diuinæ dona violantes, vt mortis fuerint vltione puniti. Hac enim die fuisse mortuos, qua mortales effecti sunt, ambiguum non habetur: proinde quicquid isti genitores de suo germine protulerunt, opus quidem Dei est, secundum institutionem naturæ; sed non absque contagio illius mali, quod sua præuaricatione traxerunt: & vtique hoc idem ipsius mali contagium, certum est opus nõ esse diuinum. Itaque non ex creatione Dei est vitium quod voluntario motu natura collegit; sed etiam de vitiata per semetipsam natura Deus institutionem suam quidem suæ creationis exequitur; sed creatio profert vitium, quod non ex institutione creatoris accepit, sed quod ipsa per lapsum transgressionis suæ assumpsit. Nam si ipsi primi homines ex nullis, vt dictum est, parentibus nati, & sine vllo formati contagio, per ambitum præsumptionis illicitæ semetipsos deprauare potuerunt, & in opere Dei opus diabolicæ fraudis annectere; quid mirum, si ijdem deprauati protulerunt sobolem deprauatam? Nonne etiam cum Deus vtique liberam condiderit humanam sua creatione substantiam, etiam apud humanas tamen leges extrinsecus accedens seruitus naturaliter eam reddit obstrictam, & obnoxiam? origine generantur obnoxij, & ex conditione seruili gignuntur addicti; & nascendo fiunt prius obligati quàm geniti: si hoc agitur de rebus extra naturam positis, quanto magis de his prouenire non mirum est, quibus ipsa humana substantia deprauata cognoscitur? ac per hoc sicut se ipsa humana substantia de institutione syncera actuum reproborum rea fecit volũtate pollutam; sic edidit sobolem, atque progeniem naturæ suæ ex actuum suorum rea voluntate maculosam; quia huiusmodi genuit prolem, cuiusmodi se ipsa reddidit præuaricationis excessu. Ideoq; non solùm de se profert quod benè Deus instituit, sed etiam quod malè ipsa incõsequenter adiecit. Quemadmodum autem qualitas interior appetendi valet immutare naturam, diuinæ lectionis auctoritate firmatur: Sic deniq; pascendi Iacob, commissus ille grex ouium, supposita canalibus varietate virgarum, dum potat, illectus affectionali delectatione, concepit, quod nõ habuit in natura, & molitum sensibus transfudit in prolem quod in creatione non sumpsit: quod tunc vtique figuraliter gestum, & in Ecclesiasticis significauit gregibus hoc futurum, & Pelagianorum Deus præuidens calumnias, & excitandas fidelibus suis decertationes, intelligentiam præparauit. Docent diuina testimonia, & ipsa Ecclesiastica sacramẽta, & ab ipso Domino Saluatore catholicorum traditio magistrorum humanæ generationis decolorata primordia. Hinc est, quod clamat propheta: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum esse à peccatis? nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Hinc est, quod item dicit scriptura: Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? & alibi, Quia semen, inquit, erat maledictum; nec non etiam Dauid propheta testatur: In iniquitatibus conceptus sum; & in delictis peperit me mater mea; & si hoc ille dicit: Quis aliter se asserat procreatum? Beatus Apostolus quoque Paulus asserit. Et nos aliquando eramus natura filij iræ sicut & cæteri. De qua ira in Euangelio dicit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, habebit vitam æternam: qui autem non crediderit, iam iudicatus est, & ira Dei manet super eum. Illa vtique de qua dictum est, morte morieris, ipse Dominus Iesus Christus cælesti voce pronuntiat: Qui non manducauerit carnem filij hominis, & biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipsum, vbi vtique neminem videmus exceptum: nec ausus est aliquis dicere, paruulum sine hoc sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci; sine illa autem vita, in perpetua futurum morte non dubium est. Cur igitur infans hac sorte concluditur, si nullum habet omnino peccatum? magisque videbitur (quod absit) iniustus Deus, si illic infligatur pœna, vbi nulla sit culpa. Vnde cum de proprijs actibus nullo reatu teneatur obstrictus; nihil restat nisi vt sola sit vitiosa natiuitate pollutus; & si non fuerit mysterij Christiani participatione mundatus, ad vitam nõ potest peruenire perpetuam. Hinc est quòd exsufflantur, & catechizantur infantes: & quia in opere Dei, quod in auctore suo benè sunt instituti, opus diabolicæ malignitatis accessit, eruti de potestate tenebrarum; (sicut docet Apostolus) ad filij Dei sortem, purgationemque legitimã transferuntur. Nisi autem prima generatio, quam bonam Deus instituit, præuaricatione venisset in culpam, & reprobabilis esset effecta; secunda generatio subroganda non fuerat propter quod dicit beatus Paulus Apostolus: Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt, & paulo post: Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut autem omnes in condemnationem dicit, vtique qui de Adam parente sunt geniti, sic omnes in iustificationem vitæ non nisi illos adstruit, qui in Christi mysterio sunt renati. Innumeris talibus instrumentis hæresis Pelagianæ doctrina mortifera, & à nostris est conuicta maioribus; & nunc eorum copiosa potest eruditione conuinci: nec debent simplices animos ista turbare, quibus quæ non intelligunt secundum ecclesiasticam formam credidisse sufficiet, aut si quis nosse desiderat, interrogare conueniet. De paruulis autem, quod asserit sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est: quamuis enim recentes ab vtero matrum in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat, quod vtique non fallaciter, sed veraciter catholica celebrat Ecclesia, ne in sacramentis cælestibus (quod absit) mentita videatur; proinde quia propria non habeant vlla peccata; constat eius sola prorsus originalia relaxari. Itaque omnibus etiam solis remissis vitam per baptismum consequuntur æternam; consequens est, vt solis etiam nõ remissis, ad æternam vitam peruenire non possint. Vnde & Dominus, sicut superius diximus, ait (quòd vtique nisi baptizatis non conuenit) Qui non mãducauerit carnem filij hominis, & biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipso: sine vita autem esse perpetua quid est nisi in sempiterna morte constitui? quamuis idem sit regnum cælorum quod æterna vita: tam vt prouidentia Dei omnes Pelagianorum nequitias amputaret, non solùm dictum est: Qui non fuerit renatus ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum; sed etiam pariter dictum est: Qui non manducauerit carnem filij hominis, & biberit sanguinem eius, non habebit vitam in semetipso. De vita autem æterna hoc dictum nullus addubitat; quoniam multi non manducantes hoc sacramentum, vitam habere videantur præsentem. Nihil est ergo quod dicant, quòd non renati infantes tantummodo in Regnum cælorum ire non valeant; non autem perpetua damnatione puniantur; dum sine baptismate corpus & sanguinem Christi nec edere valeant, nec potare: sine autem hoc, vitam in semetipsis habere

Prouer. 18.

Libertas est naturalis ex Dei creatione. Seruitus est ex legibus humanis.

Genes. 30.

Iob. 14.

non

non possent; sine vita verò non nisi mortui sint futuri. Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non æstimentur esse damnati: tollant ergo de medio, nescio quem ipsi tertium; quem decipiendis paruulis faciant locum. Et quia non nisi dextram partem legimus & sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine baptismate remanere, sed baptizatos sinant ad dextram salutarem sacra regeneratione transferri. Tertio capitulo iam toto mundo cognita, atq; conuicta Pelagianorũ deliramẽta circumferre, quibus dicunt, quod homo per liberũ arbitrium, quod corrupit fœdauit, ac perdidit bono suffragãte naturæ beatus efficiatur, cum de beatitudine paradisi, vbi bona fuerat constituta substantia, nisi suo amisso bono nullatenus potuisset expelli, vnde mortalis effecta quia de bono vtiq; præuaricatione transisset ad malum; & à participatione diuina ad diabolica semet facinora contulisset: ideo deceptori suo, cui volens assenserat, competẽter addictus, ideo de felicitatis suę caritate seclusus, atq; ad spinas & tribulos, miseriasq; multiplices cælesti voce dãnatus est; quę vtiq; pœna iusti iudicij tam grauis & aspera in bono perseueranti nullatenus esset inflicta; & nisi malo nõ conuenienter illata probaretur. Ecce sine diuino suffragio, quod in illa beatitudine positus nũquam legitur expetisse; non solùm homini naturale bonum prodesse non potuit, non solùm non effecit beatum; sed cum hoc solo confidit, atque ad eius non reuertitur largitorem, & beatitudinem potius amisit, & malorum omnium sumpsit exordium. Quòd autem libero arbitrio beatitudinem consequantur, quo malè vsus in perpetuam recidit seruitutem, sicut scriptum est: Qui facit peccatum, seruus est peccati, a quo quis superatur, huic & seruus addicitur. Nonne hæc est illa præsumptio naturalis, quæ ad detestandæ captiuitatis iura descendit; quam scriptura sancta sic memorat: Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium; de qua genus humanum non nisi solus Dominus noster Iesus Christus commercio suæ redemit passionis, & mutata natiuitate nos eruit. Solus vtique venit quærere & saluare quod perierat, vt libertas, quæ per temerariam fuerat deiecta superbiam, instauretur reparata per gratiam: mutuaq́ue vice humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum, captiuitatem meruerat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis auctorem, amissum rediret ad præmium. Hinc est quòd ipse Dominus ait: Cum vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Et Apostolus beatus Paulus exequitur: cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, idest alieni à iustitia; liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ, & iterum idem ipse: libertatem, inquit, qua vos Christus liberauit. Nonne ipse vos vas electionis affirmat, & dicit: Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona volũtate; ne etiam in mala voluntate, & velle & perficere Deus putaretur operari. Illud autem Pelagianorum peculiare virus est, olimq́ue detritum, quo putant gratiam Dei secundum merita hominum posse conferri; quod absit à mentibus Christianis, cum testetur Apostolus: gratia est quę gratis datur. Alioquin si ex operibus gratia, iam non est gratia, quia merces redditur non gratis, vnde gratia nomen accepit impenditur. Quis autem audeat dicere Christianus, aliquid habere boni sine gratia? quando magister gentium clamat, cuncta breuiter in se dona concludens: gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; vt ostenderet, quia donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsequutus, atque monstraret cooperatorem se esse gratiæ subsequendo: sed plus omnibus, inquit, illis laborauit. Ac rursus veritus ne de se præsumere videretur adiunxit: non ego, sed gratia Dei mecum. Non dixit, ego & gratia Dei mecum, sed præposuit gratiam præcedentem se atque subiunxit. Quid autem haberi possit sine gratia, cum sit fides ipsa per gratiam? eodem Apostolo nos docente: Misericordiam cõsecutus sum, vt fidelis essem. Nec aliud est misericordia diuina quam gratia. Audiamus etiam quemadmodum informat Ecclesiam: Gratia, inquit, salui facti estis per fidem; vt principium salutis & fidei à gratia cœpisse discereret, sicut secutus annectit: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne quis extollatur; idem ipse alibi generaliter & absolutè pronunciat, dicens: Quid enim habes quod non accepisti? Aut si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quis sufficiet singula recensere? quibus euidenter apparet, non naturalis libertatis arbitriũ gratiam promereri, sed potius per gratiam recipere, vt à seruitute, quam peccando meruerat, misericorditer absolutum esset, huius sacramenti redemptione ante mundi principiũ sempiterna prouidentia præparati siue nondum prolata lege seu sub obseruatione legali, figuralibus signis atque sacrificijs omnium sanctorum virorum feminarumq́ue sanctarum vetus origo mundata est, vniuersisq́ue iustis per gratiæ spiritum hoc de longè adorando mysterio salutis æternæ remedia contigerunt, cuius in Christo manifestata gentibus plenitudo, mundum purgat, & renouat, beatitudinisq́; perpetuæ verè facit esse participes. Quapropter nimis incensamus fratres & coepiscopos nostros, maximè per Picenũ prouincias Ecclesiam Domini gubernantes, qui nõ solum ineptissimi senis, abiectæq́ue personæ prauum non deterruêre colloquium, verùm & suo nutriuêre consensu. Quis audiat? quis ferat, passos esse pontifices, vt cadauer nescio quod indignum, presbyterum sibi non acquiescentem audire, communione priuaret? quomodo talis vel susceptus ab aliquo, vel patienter auditus est? qui insuper leges dedit, libenter exceptus, vt serui Dei cum puellis sacris congregatione dedecorissima miscerentur? nam cum spirituales animi etiam cum desint ista consortia, imaginarijs infestentur illecebris, quemadmodum alterni sexus intuitu, qui illicitè nolentes non vehementius incitentur? Adhuc maius scelus accrescit, vt sub conspectu & præsentia sacerdotum beatæ mem. Hieronymum atque Augustinum Ecclesiasticorũ lumina Magistrorum; musca moritura, sicut scriptum est, exterminans oleum suauitatis, lacerare contenderet. Sed quid miremur Ecclesiarũ præsules ista negligere, quos sicut à multis audiuimus, contra canones omnia gerere, & cõtra Apostolicam disciplinam passim cuncta miscere, manifestũ est; non seruatis regulis ordinare, liciteq́ue non solum Monachos, sed etiam ministros Ecclesiæ cum feminis ad peregrina migrantes remeare rursus, & ab alijs episcopis in militiam prouehi clericalem? Quæ cum singula toleranda non sint, quis sustineat tot & talia facinora perpetrari, quibus spectaculum Gentilibus, Iudæis, & hæreticis non immeritò præbentes, in ipsum (quod absit) tendere videatur religionis excidium? digneq́ue ista facientibus aptabitur illa sententia dicentis Apostoli: Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus. Sufficiat igitur hactenus fuisse hæc commissa, & vt placetur Deus humanis rebus, solicitius diuina curentur. Nusquam loci prorsus inueniatur præfatæ pestis assertor, nec accessum prorsus Ecclesiæ vel vsquã participationem catholicæ communionis inueniat qui hæreticorum mauult subsequi nefaria professione consortium; & hi cum quibus antea probabitur noxium miscuisse colloquium, nisi respiscunt, & ab eius societate discedunt, ab Ecclesiastico remoti seruitio, deuota vltione plectantur, quò cæteris cauendi ministretur exemplum; nullum adeat, nec vsquam loqui damnatæ olim blasphemiæ iam sinantur: discreta suis habitationibus virorum atque feminarum sicut sanctum propositum decet, exerceatur circunspecta deuotio. Contra canonum constituta nullus ad Ecclesiasticum permittatur officium: non ignoraturis prouinciæ vniuscuiusq́ue Rectoribus, nec de præteritis se veniam reperturos erroribus, si deinceps dissimulauerint vitare patefactos: nec excusationis de cætero relinquetur occasio, si post præcepta præsentia, quæ per Romulum diaconum, cuius solertiam pro fide catholica & pro religione vigilantiam gratissimè comprobamus, duximus destinandam. Quisquis super his omnibus aut contemptor aut negligens deprehendetur Antistes, sicut enim ad Sedis Apostolicæ moderamina pertinet, cunctis solicitudinem debitam ministrare cõgruenter Ecclesijs; ita necesse est, vt in contumaces & desides traditam sibi diuinitus nõ dissimulet potestatem. Dat. Kal. Nouembr. Albino V.C. Coss.

Eccles. 40

Matth. 18

Rom. 6.

Gal. 5. Philip. 2.

Rom. 11.

1. Cor. 15.

2. Timo. 1.

1. Cor. 4.

Viros non esse cõgregandos cũ feminis.

Rom. 2.

Diuersa habitatio virorum & sacrarum virginum.

Epistola Encyclica.

Notæ.

Epistola] *Hæc epistola circularis, data est ad oẽs Episcopos in Piceno positos qua plurimũ dolet, Pelagianã hæresim in eade prouincia coalescere coepisse. Missa est per Romulũ S. R. E. Cardinalem Diaconũ.*

EPISTOLA VIII. B. GELASII PAPÆ I. ad Anastas. Imp.

Præmissa excusatione, cur ad Imperatorem non scripserit, illum hortatur, vt Apostolicæ Sedi obtemperet, & Acatij nomine damnato, Ecclesiarum pacem restituendam curet.

GELASIVS *Episcopus, ad Anastasium Augustum.* Famuli vestræ pietatis, filij mei, Faustus magister & Irenæus viri illustres, atque eorum comites publica legatione fungentes, ad Vrbem reuersi, clementiam vestram quæsisse dixerunt, cur ad vos meæ salutationis scripta non miserim. Non meo, fateor, instituto, sed cum directi dudum de partibus Orientis vel videndi me licentiam, sibi vestris præceptionibus abnegatam tota Vrbe disperserint, à litteris credidi temperandum, ne onerosus potius quàm officiosus existerem. Videtis igitur non mea dissimulatione proueniisse, sed competentis fuisse cautelæ, ne respuentibus animis molestias irrogarem. Sed vbi serenitatis tuæ beneuolentiam comperi, præfatis indicantibus, humilitatis meæ clementer expetisse sermonem, iam reuera perpendi, imputandum non immeritò mihi, si tacerem: quia glorioſe fili, te sicut Romanus natus, Romanum principem amo, colo, suscipio: & sicut Christianus, cum eo, qui zelum Dei habet, secundum scientiam veritatis habere desidero: & qualiscunq; Apostolicæ Sedis vicarius, quodcunq; plenæ fidei catholicæ deesse cõperero, pro meo modulo suggestionibus opportunis supplere contendo. Dispensatione etenim mihi diuini sermonis iniuncta, væ mihi est, si non euangelizauero. Quod cum vas electionis beatus Paulus Apostolus formidet & clamet, multo magis mihi exiguo metuẽdum est, si diuinitus inspiratum, & paterna deuotione transmissum, subtraxero ministerium prædicandi. Pietatem tuam precor, ne arrogantiam iudices diuinæ rationis officium. Absit, quæso, à Romano principe, vt intimatam suis sensibus veritatem, arbitretur iniuriã. Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsius regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quòd licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atq; ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque (vt competit) disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius, quàm præesse nosti. Itaque inter hæc, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obuiare sententiæ, quo (rogo) te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysterijs? Proinde sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus, si luisse pro diuinitatis cultu, quod cõgruit: ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui, cum parere debeant, despiciunt. Et si cunctis generaliter sacerdotibus, rectè diuina tractantibus, fidelium conuenit corda submitti: quanto potius Sedis illius præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & diuinitas summa voluit præminere, & subsequens Ecclesiæ generalis iugiter pietas celebrauit? Vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet penitus humano consilio eleuare se quemquam posse illius priuilegio vel confessioni, quẽ Christi vox prætulit vniuersis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est, & habet deuota primatem. Impeti possunt humanis præsumptionibus, quæ diuino sunt iudicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque vtinam sic contra nitentibus pernicioſa non sit audacia, quemadmodum, quod ab ipso sacræ religionis auctore præfixum est, non potest vlla virtute conuelli. Firmamentum enim Dei stat. Nunquidnam cum aliquibus infestata religio est, quantacunque potuit nouitate superari, & non magis hoc inuicta permansit, quo æstimata est posse succumbere? Desinant ergo (quæso te) temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis ecclesiasticæ præcipitanter ambire quæ non licet, ne & illa, quæ malè appetunt, nullatenus apprehendant, & modum suum apud Deum & homines non teneant. Quapropter sub conspectu Dei purè ac syncerè pietatem tuam deprecor, obtestor, & exhortor, vt petitionem meam non indignanter accipias: rogo, inquam, vt me in hac vita potius audias deprecantem, quàm (quod absit) in diuino iudicio sentias accusantem. Nec me latet, Imperator Auguste, quod pietatis tuæ studium fuerit in priuata vita. Optasti semper fieri particeps promissionis æternæ. Quapropter noli precor irasci mihi, si te tantum diligo, vt regnum, quod temporaliter assecutus es, velim te habere perpetuum: & qui imperas sæculo, possis regnare cum Christo. Tuis certè legibus Imperator pateris nihil perire, Romano nomini nullum admittis ingeri detrimentum. Itane verum est, princeps egregie, qui non solùm præsentia Christi beneficia, sed desideras & futura, vt religioni, vt veritati, vt syncritati catholicæ communionis & fidei, temporibus tuis patiaris quemquam inferre dispendium? Qua fiducia (rogo te) illic eius præmia petiturus es, cuius hic damna non prohibes? Non sint grauia, quæso te, quæ pro tuæ salutis æternitate dicuntur. Scriptum legisti: Meliora sunt vulnera amici, quàm oscula inimici. Quæso pietatem tuam, vt quo affectu dicuntur à me, eo tuis sensibus intimentur. Nemo pietatem tuam fallat. Verum est, quod figuraliter per Prophetam scriptura testatur: Vna est columba mea, vna est perfecta mea, vna est Christiana fides, quæ est catholica. Catholica autem veraciter illa est, quæ ab omnium perfidorum, atque ab eorum successoribus atque consortibus, syncera, pura, immaculata communione diuisa est. Alioquin non erit diuinitus mandata discretio, sed miseranda confusio. Nec vlla causa iam superest, si hoc in quolibet contagio voluerimus admittere, ne cunctis hæresibus aditum, ianuamque pandamus. Qui enim in vno offenderit, omnium reus est: & Qui minima spernit, paulatim decidit. Hoc est quod sedes Apostolica magnoperè cauet, vt quia mundo radix est Apostoli glorioſa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proueniret, vnde cuiquam resistere auderemus errori? vel vnde correctionem errantibus posceremus? Proinde si pietas tua vnius ciuitatis populum negat posse pace componi, quid nos de totius orbis terrarum sumus vniuersitate facturi, si (quod absit) nostra fuerit præuaricatione deceptus? Si totus correctus est mundus, profana patrum suorum traditione despecta, quomodo non corrigatur vnius ciuitatis populus, si prædicatio fida succedat? Ergo, glorioſe Imperator, nolo ego ecclesiarum pacem, quam etiam si cum mei sanguinis impendio prouenire posset, amplector? Sed (precor te) cuiusmodi debeat esse pax ipsa, non vtcunque, sed veraciter Christiana mente libremus. Quomodo enim potest esse pax vera, cui caritas intemerata defuerit? Caritas autem qualiter esse debeat, nobis euidenter Apostolus prædicat, qui ait: Caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quomodo (quæso te) de corde erit puro, si contagio inficiatur externo? Quomodo de conscientia bona, si prauis fuerit malisque commixta? Quemadmodum fide non ficta, si maneat sociata cum perfidis? Quæ cum à nobis sæpe iam dicta sint, necesse est tamen incessabiliter iterari, & tam diu non taceri, quamdiu nomen pacis obtenditur, vt nostrum non sit (vt inuidiosè iactatur) facere pacem, sed talem velle doceamus, qualis & sola pax esse, & præter quam nulla esse monstratur. Eutychianum certè dogma, contra quod Apostolicæ Sedis cautela perui gilat, si creditur salua fidei Catholicæ posse veritate constare, promatur, asseratur, & quantislibet viribus adstruatur, vt non solùm per seipsum, quàm inimicum sit fidei Christianæ possit ostendi, sed quantas & quam letales hæreses in sua contineat colluuione, monstrari. Si autem (vt magis confidimus) à Catholicis iudicatis mentibus excludendum, quæso te, cur non & contagia simul eorum, qui hac probantur esse polluti, decernitis refutanda, cum dicat Apostolus; non solùm qui non facienda faciunt, reos videri,

sed

1. Cor. 9. — Quanto præstent Põtifices, Regibus. — Omnibus sacerdotibus præcipuè verò Rom. põt. parendum. — Matth. 16. — 2. Tim. 2.

sed etiam qui consentiunt facientibus? Proinde sicut non potest, peruersitatis communicatore susceptо, non pariter peruersitas approbari: sic non potest refutari peruersitas, complice sectatore peruersitatis admisso. Legibus certè vestris criminum conscij, susceptoresque latrocinantium, pari iudiciorum pœna constringuntur: nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientis tamen familiaritatem, fœdusque receperit. Proinde cum Chalcedonense Concilium, pro fidei Catholicæ atque Apostolicæ veritate, communioneque celebratum, damnauerit Eutychen detestandi furoris auctorem: non satis habuit, nisi vt pariter eius quoque consortem Dioscorum, cæterosque percelleret. Hoc igitur modo, sicut in vnaquaque hæresi vel factum semper, vel fieri non habetur ambiguum; successores eorum Timotheum, Petrum atque alterum Antiochenum Petrum, non viritim propter singulos quosque rursus facto Concilio, sed synodi semel acta regula consequenter elisit. Quemadmodum ergo non euidenter appareret, etiam cunctos simili tenore constringi, & qui eorum communicatores & complices extiterunt, atque omnes omnino à catholica atque Apostolica meritò communione discerni: hinc Acatium quoque iurè dicimus à nostro consortio submouendum, qui maluit in sortem transire perfidiæ, quàm in Catholicæ atque Apostolicæ communionis synceritate constare, cum ferè per triennium, ne in id veniret, Apostolicæ Sedis epistolis doceatur competenter instructus. Postquam verò communionis est factus alienæ, non potuit nisi a Catholicæ & Apostolicæ mox societate præcidi, ne per eum, si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subijsse contagia perfidorum. Sed reuera vel tali perculsus pœna resipuit, correctionem promisit, emendauit errorem: aut ille tractatus lenius voluerat coerceri, qui etiam verbera dura non sensit. Quo in sua perfidia, & damnatione moriente, tam eius in ecclesiastica recitatione non potest nomen adscribi, quàm externæ contagium non debet communicationis admitti. Quapropter aut doceatur ab hæretica participatione syncerus, quorum se ille communioni permiscuit, aut cum eisdem non potest non repelli. Si autem susurrant Orientis episcopi, quòd ad eos Sedes Apostolica non ista conscripserit; quasi vel ipsi de recipiendo legitimè Petro Sedem Apostolicam suis litteris fecerint certiorem, vel huius receptionis inconditæ non iam pariter complices extitissent, quem sicut verè non possunt docere ab hæretica prauitate fuisse purgatum, ita se hæreticorum nullatenus poterunt excusare consortes. Quòd si fortassis adstruxerint, quod ad Apostolicam Sedem de susceptione Petri per Acatium cuncti consona voce retulerint, per eundem sibimet omnes pari voce sentiunt fuisse rescriptum. Apostolicæ verò Sedis auctoritas, quod cunctis sæculis Christianis, Ecclesia prælata sit vniuersæ, & canonum serie paternorum, & multiplici traditione firmatur. Sed vel hinc: vtrum sibi quisquam contra Nicænæ synodi constituta quippiam valeat vsurpare, collegio potest vnius communionis ostendi, non mentibus externæ societatis aperiri. Apud illos si quis confidit, egrediatur in medium, & Apostolicam Sedem de vtraque parte reuincat & instruat. Tollatur ergo nomen è medio, quod ecclesiarum discretionem procul à Catholica communione operatur, vt syncera pax fidei communionisque reparetur, & vnitas: & tunc quis nostrum contra venerandam vel insurrexerit, vel nitatur insurgere vetustatem, competenter & legitimè perquiratur. Et illic apparebit, quis modesto proposito custodiat formam, traditionemque maiorum: quis supra hæc irreuerenter insiliens, rapina æqualem posse fieri arbitretur. Quòd si mihi populi Constantinopolitani persona proponitur, per quam dicatur nomen scandali, id est, Acatij, non posse remoueri: taceo, quia & hæretico quondam Macedonio pulso, & Nestorio nuper eiecto, plebs Constantinopolitana catholica permanere delegerit potius, quàm maiorum præsulum damnatorum affectione retineri. Taceo quòd quitab eisdem, ipsis damnatis præsulibus, baptizati fuerant, in fide catholica manentes, nulla sint exagitatione turbati. Taceo, quòd pro rebus ludicris populares tumultus nunc etiam vestræ pietatis auctoritas refrenarit: atque ideo multo magis pro salute animarum suarum, necessario vobis Constantinopolitanæ ciuitatis obtemperat multitudo, si eam ad Catholicam & Apostolicam cõmunionem vos principes reducatis. Etenim, Imperator Auguste, si contra leges publicas aliquid (quod absit) quispiam fortasse tentaret, nulla pati id ratione potuisset: ad diuinitatis puram synceramque deuotionem, vt tibi plebs subdita redigatur, conscientiæ tuæ non putas interesse? Postremò, si vnius ciuitatis populi animus non putatur offendi, ne diuina (vt res postulat) corrigantur: quanto magis, ne diuina offendantur, catholici nominis vniuersi piam fidem nec lædere debemus omnino, nec possumus? Et tamen ijdem nostra se poscunt voluntate sanari. Competentibus ergo sinant curari se posse remedijs: alioqui (quod absit) in eorum transeundo perniciem, cum illis perire possumus, ipsos verò saluare non possumus. Iam hic quid sit magis sequendum, sub diuino iudicio vestræ conscientiæ derelinquo: vtrum, sicut nos optamus, simul omnes certam redeamus ad vitam: an, sicut illi poscunt, manifestam tendamus ad mortem. Sed adhuc Apostolicam Sedem, sibi medicinalia suggerentem, superbam vocare arrogantemque contendunt. Habet hoc qualitas sæpe languentium, vt accusent magis medicos, con gruis obseruationibus ad salubria reuocantes, quàm vt ipsi suos noxios appetitus deponere vel reprobare consentiant. Si nos superbi sumus, quia animarum remedia conuenientia ministramus; quid vocandi sunt, qui resultant? Si nos superbi sumus, qui obediendum paternis dicimus institutis; qui refragantur, quo appellandi sunt nomine? Si nos elati sumus, qui diuinum cultum puro atque illibato cupimus tenore seruari; qui contra diuinitatem quoque sentiunt, dicant, qualiter nuncupentur? Sic & nos cæteri, qui in errore sunt, æstimant, quòd eorum non consentiamus insaniæ. Vbi tamen spiritus superbię veraciter consistat & pugnet, veritas ipsa iudicat.

Ironia.

Primatus Sedis Apostolicæ.

Notæ.

Epistola] *Cum circa finem anni 493. Theodorici Regis legati Constantinopoli reuertissent, atque ea, quæ ab Imperatore Anastasio acceperant, Gelasio Papæ nuntiassent: ipse Gelasius apologeticam epistolam hanc, ad eundem Anastasium conscripsit: quæ in capitularibus Regni Francorum citatur lib. 5. cap. 167. His literis persuaderi non potuit, vt remoto obice, Ecclesijs vnionem & pacem redderet. Obstitit Euphemius, asserens ab apostolica sede, magis vindictam, quod ab Acacio spreta esset, quã iustitiam arceri. Epistolam scriptam esse anno pontificatus Gelasij 3. qui est Christi 494. ex eo colligitur, quod Anastasius hoc tempore se Eutychianum esse hæreticum, & Acephalorum sectæ signiferum necdum declararit: quem constat anno sequente virus in pectore occultatum planè euomuisse.*

Quare hanc Apologiam ad Anastasiũ scripserit Gelasius.

Cum fere per triennium] *Huius triennij initium referendum est ad 15. annum Simplicij, quo Acacius delictum commisit, vt patet supra in Notis epistolarum Simplicij 15. & 17.*

EPISTOLA IX. B. GELASII PAPÆ I.
Ad Episcopos Lucaniæ.

Nonnulla Ecclesiastica instituta exponuntur.

Pro temporũ necessitate rigor canonum relaxatur.

DILECTISSIMIS *Fratribus vniuersis Episcopis per Lucaniam & Brutios & Siciliam constitutis, Gelasius.* Necessaria rerum dispensatione constringimur, & Apostolicæ Sedis moderamine cõuenimur, sic canonum paternorum decreta librare, & retro præsulum decessorumq; nostrorum præcepta metiri, vt quæ præsentium necessitas temporum restaurandis eccl. sijs relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus; quò nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, & reparandis militiæ clericalis officijs, quæ per diuersas Italiæ partes ita belli famisque consumpsit incursio, vt in multis ecclesijs (sicut fratris & coepiscopi nostri Ioannis, Rauennatis ecclesiæ sacerdotis, frequenti relatione comperimus) vlquequaque deficiente seruitio ministrorum, nisi remittendo pauliper Ecclesiasticis promotionibus antiquitus interualla præfixa remaneant (sine quibus administrari nequeant) sacris ordinibus Ecclesiæ fundi tus destitutæ: atque in plurimis locis per inopiam compe-

tentis auxilij, salutare subsidium redimendarum desit animarum: nosque magno reatu, si tanto coarctante periculo, non aliquatenus videamur innecti.

Nisi necessitas vrgeat Patrũ instituta omnino seruanda.

Prisci igitur pro sui reuerentia manentibus constitutis; quæ, vbi nulla vel rerum, vel temporum perurget angustia, regulariter conuenit custodire, eatenus ecclesijs, quæ vel cunctis sunt priuatæ ministris, vel sufficientibus vsque adeo dispoliatæ seruitijs, vt plebibus ad se pertinentibus diuina munera supplere non valeant, tam instituendi, quàm promouendi clericalis obsequij sic spatia dispensanda concedimus.

Quæ requirantur in monachis, qui ad clerum promouẽtur.

Vt si quis etiam de religioso proposito, & disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur, si nullo graui facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortassis vxorem, nec à marito relictam fortitus ostenditur: si pœnitentiam publicam fortassis non gessit, nec vlla corporis parte vitiatus apparet: si seruili aut originariæ non est conditioni obnoxius: si curiæ iam probatur nexibus absolutus: si assecutus est litteras, sine quibus vix fortassis ostiarij possit implere ministerium; vt si his omnibus, quæ sunt prædicta, fulcitur, continuo lector vel notarius, aut certè defensor effectus, post tres menses existat acolythus, maximè si huic ætas etiam suffragatur; sexto mense subdiaconi nomen accipiat: ac si modestæ conuersationis, honestæque voluntatis existit, nono mense diaconus, completoque anno sit presbyter: cui tamen quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti proposita sponte susceptæ doceatur præstitisse deuotio.

Qui laici ordinari possint.

Si verò de laicis, quispiam Ecclesiasticis est aggregandus officijs, tanto solicitius in singulis, quæ superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinari personam, quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis: quia vtique conuenientia Ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconuenientibus meritis ingerenda: tantoque magis, quod sacris aptum possit esse seruitijs, in eorum quærendum est institutis, quantum de tempore, quo fuerant hæc assequenda, decerpitur: vt morum habere doceatur hoc probitas, quod prolixior consuetudo non contulit; ne per occasionem supplendæ penuriæ clericalis, vitia potius diuinis cultibus intulisse iudicemur, non legitimæ familiæ computemur procurasse compendia: quorum promotionibus super anni metas, sex menses nihilominus subrogamus: quoniam, sicut dictum est, distare conuenit inter personam diuino cultui deditam, & de laicorum conuersatione venientem: quæ tamen eatenus indulgenda credidimus, vt illis Ecclesijs, quibus infestatione bellorum vel nulla penitus vel exigua remanserunt, ministeria renouentur: quatenus his Deo propicio restitutis, in Ecclesiasticis gradibus subrogandis canonum paternorum vetus forma seruetur: nec contra eos vlla ratione præualeat, quod pro accidentis defectus remedio prouidetur, non aduersus scita Maiorum noua lege proponitur: cæteris ecclesijs ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas, pristinam faciendis ordinationibus conuenit tenere sententiam. Quo magis hac opportunitate commoniti, obseruantiam venerandorum canonum propensius delegamus, singulorum graduum conscientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur excessus.

Qui ad clerũ accedere prohibeantur.

Nec fas esse confidat quisque pontificum, bigamos aut coniugia sortientes ab alijs derelicta, siue quoslibet pœnitentiam vel sine litteris, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ publicarumq; rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis cõgruentis expectatione discussos, diuinis seruituros applicare mysterijs: neque pro suo libitu iura studeant aliena peruadere, absque Sedis Apostolicæ iusta dispositione mandante.

Basilicas nouiter institutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeant, nec ambiant episcopi sibimet vindicare clericos potestatis alienæ.

A baptizãdis vel cõsignandis precia nõ exigenda. Matth. 10.

Baptizandis, consignandisque fidelibus sacerdotes precia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil à prædictis prorsus exigere moliantur, quò vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione reuocati, redemptionis suæ causas adire despiciant; certum habentes, quòd qui prohibita deprehensi fuerint admisisse, vel commissa non potius sua sponte correxerint, periculũ subituri proprij sint honoris.

Quæ presbyteris prohibeantur.

Nec minus etiam presbyteros vltra modum suum tendere prohibemus: nec episcopali fastigio debita, sibimet audacter assumere: non conficiendi crismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem: non, præsente quolibet antistite, nisi fortasse iubeantur vel orationis, vel actionis sacræ supplendæ sibi præsumant esse licentiam: neque sub eius aspectu, nisi iubeantur, aut sedere præsumant, aut veneranda tractare mysteria. Nec sibi meminerint vlla ratione concedi, sine summo Pontifice, subdiaconum aut acolythum ius habere faciendi: nec prorsus addubitent, si quicquam ad episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putauerint exequendum, continuò se presbyterij dignitate & sacra communione priuari. Quod fieri necesse est, censeamus, si eorum præsule deferente, huiusmodi fuerit præuaricatio comprobata, nec ipso eorum episcopo à culpa conniuentiæ & vltione vacaturo, si immoderata facientem dissimulauerit vindicare.

Quæ [illegible] cõmitti non [illegible] sint.

Diaconos quoque propriam constituimus seruare mensuram, nec vltra tenorem paternis canonibus deputatum, quippiam tentare permittimus: nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quæ primis ordinibus propriè decreuit antiquitas. Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortasse officijs longius cõstitutis, necessitas extrema compellat. Quod & laicis Christianis facere plerunque conceditur.

Vide Nicæn. tas Can. Cõci. [illegible] degaue [illegible] sup. Eccles. [illegible] ci cano [illegible] ab omn [illegible] obtenta.

Non in presbytero residere, cum diuina celebrantur, vel Ecclesiasticus habetur quicunque tractatus. Sacri corporis prærogationem, sub conspectu pontificis seu presbyteri, nisi his absentibus, ius non habeant exercendi.

Cum enim decreta venerabilium sanctionum nos quoque magnoperè custodire nitamur, ac sine eorum dispendio etiam illa, quæ pro alicuius vtilitatis compendio fortasse videantur laxanda, credamus: cumque nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cum Sedes Apostolica superior his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonib⁹ sunt præfixa, pio deuotoq; studeat tenere proposito; satis indignum est, quemquã vel Pontificum vel ordinum subsequentium, hanc obseruãtiam refutare, quam B. Petri sedem & sequi videat, & docere: satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum, dicente scriptura: Ordinate in me caritatem. Et item: Omnia cum ordine fiant. Atq; iterum Psalmista prædicãte: Circundate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius: Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite gradus eius, vt enarretis in progenies alteras: quoniam hic est Deus Deus noster in æternũ, & ipse reget nos in sæcula. Hic proculdubio, qui in Ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum, & in cuius virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus vtique distributis, cunctis Deus noster & rector populis prædicandus est Christianis: vbi nemo sibimet aliquid iam existimet imminutum, cum & de vniuscuiusq; gradus perfectione nihil deperit, & conuenienter rerinendo, quod cœlesti dispensatione collatum est, pariter nobis & cognoscibilem Deum fieri, & tribuit esse rectorem. Nam & si quid indulgetur de temporum quantitate, moribus aggregata strenuitate pensatur: si vitæ iam proposito cõtinetur, quod protelata fuerat ætate curandum, dummodo illa nullatenus dissimulata subrepant, quorum quodlibet si inesse claruerit, merito clericalibus infulis reprobabilem conuincat esse personam. Etsi illa nonnunquam sinenda sunt, quæ, si cæterorum constet integritas, sola nocere non valeant: illa tamen sunt magnoperè præcauenda, quæ recipi nisi manifesta decoloratione non possint. Ac, si ea ipsa, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum temporumque cogit intuitus, vel acceleratæ prouisionis respectus excusat: quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec vlla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet vtilitas?

Cant. [illegible] i. Cor. [illegible] Psalm. [illegible]

Baptizandi sibi quisquam passim quocunque tempore nullam credat inesse fiduciam, præter Paschale festum & Pentecostes venerabile sacramentum, excepto duntaxat grauissimi languoris incursu: in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præuentus abscedat.

Baptisma Paschæ & Pentecostes conferendum.

Ordinationes etiam presbyterorum & diaconorum, nisi certis temporibus & diebus, exercere non debent, idest, quarti mensis ieiunio, septimi & decimi, sed & etiam Quadragesimalis initij, ac mediana quadragesimæ die, sabbati ieiunio circa vesperam nouerint celebrandas. Nec cuiuslibet vtilitatis causa, seu presbyterum seu diaconum his præferre, qui ante ipsos fuerint ordinati.

Sacri ordines statis temporibus conferendi.

Deuotis quoque Deo virginibus, nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitijs sacrum minimè velamen imponant, nisi forsitan (sicut de baptismate dictum est) graui languore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur.

Virgines sacræ quando velandæ.

Viduas autem velare, pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas diuina delegat, nec canonum forma præstituit. Non est ergo penitus vsurpandum eisque sic Ecclesiastica sunt ferenda præsidia, vt nihil committatur illicitum.

Viduæ nō velandæ.

Generalis etiam querelæ vitanda præsumptio est, qua propemodum causantur vniuersi, passim seruos & originarios, dominorum iura possessionumque fugientes, sub religiosæ conuersationis obtentu, vel ad monasteria sese conferre, vel ad ecclesiasticum famulatum, conuenientibus quoque præsulibus, indifferenter admitti: quæ modis omnibus est amouenda pernicies, ne per Christiani nominis institutum, aut aliena peruadi, aut publica videatur disciplina subuerti, præcipuè cum nec ipsam ministerij clericalis hac obligatione fuscari conueniat dignitatem, cogaturque pro statu militantium sibi conditioneque iurgari, aut videri, quod absit, obnoxia. Quibus solicita competenter interdictione prohibitis, quisquis episcopus, presbyter, aut diaconus, vel eorum, qui monasterijs præesse noscuntur, huiusmodi personas apud se tenentes non restituendas patronis, aut deinceps vel Ecclesiasticæ seruituti, vel religiosis congregationibus putauerint applicandas, nisi voluntate forsitan Dominorum, sub scripturæ testimonio primitus absolutas, vel legitima transactione concessas, periculum se honoris proprij non ambigant communionisque subituros, si super hac re cuiusquam verax nos querela pulsauerit. Magnis quippe studijs, secundum beatum Apostolum, præcauendum est, ne fides & disciplina Domini blasphemetur.

Serui absque Domi norū cōsensu non ordinandi.

1. Timo. 6.

Consequens fuit, vt illa quoque, quæ de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nunciauit, non prætereunda putaremus, idest, plurimos clericorum negociationibus inhonestis & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes Euangelicam lectionem, qua ipse Dominus negociatores è templo verberatos flagellis, asseritur expulisse, nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: Nemo militans Deo, implicat se negocijs sæcularibus: Psalmistam quoque Dauid, surda dissimulantes aure, cantantem: Quoniam non cognoui negociationes, introibo in potentia Domini. Proinde huiusmodi aut ab indignis post hac quæstibus nouerint abstinēdum, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio, vel cupiditate cessandum: aut in quocunque gradu sint positi, mox à clericalibus officijs abstinere cogantur: quoniam domus Dei, domus orationis & esse debet, & dici, ne officina negociationis & spelunca potius sit latronum.

Clericis negociationes, & turpia lucra prohibentur.

2. Tim. 2.

Psalm. 70

Luc. 19.

Illiteratis & corpore vitiatis ad clerū non promouendis. Leuit. 21. Deut. 17.

Illiteratos quoque, & nonnulla parte corporis imminutos, sine vllo respectu ad Ecclesiasticum didicimus venire seruitium. Quod simul antiqua traditio, & Apostolicæ Sedis vetus forma non recipit: quia nec litteris carens, sacris esse potest aptus officijs, & vitiosum nihil prorsus Deo offerri legalia præcepta sanxerunt. Itaque de cætero modis omnibus hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum. Si qui verò vel temeritate propria, vel incuria præsidentium tales ante suscepti sunt, in his, quibus constituti sunt, locis eatenus perseuerent, vt nihil vnquam promotionis accipiant: satisq; habeant, hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum.

De his autem, qui se ipsos abscindunt, paterni canones euidenter sequenda posuerunt, quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim, talia perpetrantes, mox vt agniti fuerint, à munere clericali debere secludi. Quod modis omnibus custodire nos conuenit, quia fas esse nulli suppeditat, quiequam præter illa quæ memorabilis decreuit forma, censere.

Criminosi in clerum non promouendi.

1. Timo. 5.

Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione submota, non solùm de factis atrocibus necessariam pœnitudinem non habere, sed nec aliqua correctione penitus succedente, ad diuinum ministerium honoremq; contendere. Nonnullos autem etiam in ipsis ordinibus constitutos, grauibus delinquentes facinoribus, non repelli, cum & Apostolus clamet: nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis; & maiorum veneranda constituta pronuncient, huiusmodi, etiam si fortè subrepserint, tam qui ante peccauerunt, detectos oportere repelli, quàm sacræ professionis oblitos, præuaricatoresque sancti propositi, proculdubio submouendos.

Dæmoniacis similibusq; passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare non licet.

Rom. 14.

Leuit. 21.

Vsqueadeò sanè comperimus, illicita quæque prorumpere, vt dæmoniacis similibusque passionibus irretitis, ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in hoc opere positis aliquid ꝓpriæ necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidet, vbi ministros ipsos curationis humanæ tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessariò remouendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremò, si corpore sauciatum fortassis aut debilem, nequaquam sancta contingere lex diuina permittit: quanto magis doni cælestis dispensatores esse non conuenit, quod est deterius, mente perculsos?

His, qui sacris Virginibus se sociarunt, non nisi post publicā pœnitētiam cōceditur communio.

Virginibus autem sacris temerè se quosdam sociare cognouimus, & post dicatum Deo propositum, incesta fœdera sacrilegaque miscere. Quos protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamque pœnitentiam, omnino non recipi: sed tamen his viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.

Viduę pro positū castitatis nō seruantes peccant. 1. Tim. 5. 1. Cor. 7.

Nam de viduis sub nulla benedictione velandis, superius latè sufficienterque prædiximus. Quæ si propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerint, periculi earum interierit, quali Deum debeant satisfactione placare, quia (iuxta Apostolum) primam fidē irritam fecerunt. Sicut enim, si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum, nullatenus nubere vetabantur; sic habita secum deliberatione, promissam Deo pudicitiæ fidem debent custodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus injicere, sed solum adhortationes præmij sempiterni, pœnasq; proponere diuini iudicij, vt & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Cauendum est quippe, de earum moribus actibusque beatus Paulus Apostolus testatur, quod plenius exponere præterimus, ne sexus instabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

1. Timo. 5.

Secundæ nuptiæ sæcularibus permittuntur, qui tamen ad clerū accedere prohibentur. 2. Cor. 7.

Secundas nuptias sicut sæcularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale finitur venire collegium. Alia est enim humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita, diuinarum rerum seruitio dedicata.

Episcopi propria relicta Ecclesia ad aliā se nō transferant.

Quisquis propriæ desertor ecclesiæ nullis existentibus causis, ad aliam putauerit transeundum, temereq; susceptus fuerit & promotus: reuerēdorum canonum vel ipse vel receptor eius atq; prouector, constituta non effugiet, quæ de huiusmodi præsumptoribus præfixere seruanda.

Simoniaci deponūtur.

Actor. 8.

De monachis laicisque in prima copiosius præceptionis huius parte digestum est, quæ vel quatenus his pro rerum, temporumq; necessitate concessa sint, vel quemadmodum, vbi nullius necessitatis interesse probatur, nō nisi vetus institutio debeat custodiri. Quos verò constiterit indignos meritis, sacram mercatos esse precio dignitatem, conuictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes: quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quā sacra lectio testatur, inuoluit.

De locorum cōsecratione sanctorum, quamuis superius

Ecclesiæ sine auctoritate Ro. Pontificis non dedicandæ.

strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque præcepto Sedis Apostolicæ, nonnulli factas Ecclesias vel oratoria sacrare præsumant: hoc sumus tamen indicio detestabiliore permoti, quòd in quocunque nomine defunctorum, & (quantum dicitur) nec omnino fidelium, constructiones ædificatas sacris processionibus audacter instituere memorantur. Quę quoniã tam acerbatam dura sunt, vt eadem vix noster ferre possit auditus, si reuera Christianitatis affectus in illis regionibus certus & fixus est, & districtius ista quærantur, & à quibus fuerint gesta, prodantur: quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non extat in quem sententia debita proferatur; ita cum manifestis fuerit documentis expositus, quem tanti sceleris poscit immanitas, non effugiet vllatenus vltionẽ.

Feminæ sacris altaribus non ministrẽt.

Nihilominus impatienter audiuimus, tantum diuinarum rerum subijsse despectum, vt feminæ sacris altaribus ministrare ferantur: & cuncta, quæ non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum, cui non competit, exhibere: viso quòd omnium delictorum, quæ singillatim perstrinximus, noxa omnis & crimen eos respicit sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minimè publicando, prauis excessibus se fauere significant: si tamen sacerdotum iam sint vocabulo nuncupandi, qui delegatum sibi religionis officium sic prosternere moliuntur, vt in peruersa quæque profanaque decliues, sine vllo respectu regulę Christianæ, præcipitia funesta sectentur. Cumque scriptum sit, Minima qui spernit, paulatim decidit: quid est de talibus existimãdum, qui immensis ac multiplicibus prauitatum molibus occupati, ingentem ruinam multimodis impulsionibus ediderunt, quæ non solùm ipsos videatur obruere, sed & Ecclesijs vniuersis mortiferam, si non sanentur, inferre perniciem? Nec ambigant, qui hæc ausi sunt exercere, sed etiam, qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprij se iacere dispendio, si non quanta possint celeritate festinent, vt lethalia vulnera competenti medicatione curentur. Quo enim more teneant iura pontificum, qui pontificalibus excubijs eatenus iniuncta dissimulant, vt contraria domui Dei, cui præsident, potius operentur? Qui quantum apud Dominum possent, si non nisi conuenientia procurarent, tantum quid mereantur, adspiciant, cum execrabili studio sectentur aduersa. Et quasi magis hæc regula sit, qua Ecclesiæ debeant gubernari, si quicquid est Ecclesiasticis inimicum regulis, perpetratur, cum & si cognitos habuit canones vnusquisque pontificum, intemerata debuerit tenere custodia. Et si forsitan nesciebat, consulere fideliter oportuerit scientem. Quo magis excusatio nulla succurrit errantibus: quia nesciens, proposuit seruare quod nouerat, nec ignorans curauit nosse quod gereret.

Eccles. 19.

Ecclesiæ redditus, & fidelium oblationes quadripartito diuidendæ.

Quatuor autem tam de redditu, quàm de oblatione fidelium, prout cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, conuenit fieri portiones. Quarum sit vna pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut sacerdotis intererit, integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus vltra delegatam sibi summam nisi insolenter nouerit expetendum. Ea verò, quæ Ecclesiasticis ædificijs attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum: quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendja, his designata, conuertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamuis diuinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen iuxta quod scriptum est, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconijs non taceri.

Matth. 5.

Quapropter nec clericorum quispiam se huius offensæ futurum confidat immunẽ, si in his, quæ salubriter sequenda deprompsimus siue episcopum, siue presbyterum, siue diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curauerit, probationibus duntaxat competenter exhibitis, vt trãsgressoris vltio fiat & cæteris interdictio delinquendi. Sui verò modis omnibus erit vnusquisq; Pontificum ordinis & honoris elisor, si cuiquam clericorum, vel Ecclesiæ totius auditui hęc putauerit supprimenda. Data 5. Idus Martij, Asterio & Præsidio viris clarissimis Cõsulibus. *Et alia manu:* Deꝰ vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

EPISTOLA X. B. GELASII PAPÆ I. Ad Episcopos Siciliæ.

Ecclesiæ facultates ab episcopis clericis & pauperibus distribui debere: diœceses & bona Ecclesiæ ab episcopis triginta annos possessa eis non auferenda.

GELASIVS *Romanæ Ecclesiæ Episcopus, Dilectissimis & in Christi caritate vnanimiter connexis fratribus Episcopis, qui in Sicilia sunt constituti.* Præsulum auctoritas nostrorum emanauit, vt facultates Ecclesiæ episcopi ad regendum habeant potestatem; ita tamen, vt viduarum, pupillorum, atque pauperum, necnõ & clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est. Reliquum sibi episcopi vindicent, vt (sicut ante diximus) peregrinorum atque captiuorum largitores esse possint.

Illud etiam annecti placuit, vt si (quod absit) facultates Ecclesiæ, necnon & diœceses, quæ ab aliquibus possidentur episcopis, iure sibi vindicent, quod tricenalis lex concluserit, quia & filiorum nostrorum principum ita emanauit auctoritas, vt vltra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus exclusit. Data Idibus Maij Asterio, & Præsidio viris clarissimis Consulibus.

EPISTOLA XI. B. GELASII PAPÆ I. Ad Episcopos Dardaniæ & Illyrici.

Commendat eorum religionem: Thessalonicensem episcopum, qui hæreticorum nomina damare recusauit, Apostolicæ Sedis communione priuatum esse, & Acatium in excommunicationem mortuum non posse absolui significat.

GELASIVS *Episcopus vniuersis Episcopis per Dardaniam siue per Illyricum constitutis.* Audientes orthodoxam vestræ dilectionis in Christo constantiam, atq; ita vos antiquæ fidei, communioniq; sinceræ tratidionibus inhærentes; vt mentem Christianæ deditam veritati nullatenus inficerent præuaricatorum vicina cõtagia, magnificauimus Dominũ, caritatemq; vestram, missis litteris alloqui per religiosos viros filios nostros Cyprianum, atq; Macarium diacones tota cordis auiditate curauimus: quoniam pro Sedis Apostolicæ principatu, cuius solicitudo delegata diuinitus cunctis debetur Ecclesijs, nos viuimus, si vos statis in Domino, magnisq; gaudijs triumphamus. Cum vbiq; terrarum Dominum Sabaoth semen purę confessionis reliquisse cognoscimus, quod non in petrosa deueniens, æstu tentationis exaruit, nec vię proximũ cecidit vacantibus inimicis expositũ, nec in spinis irruit suffocandum, sed in bonam terram piæ deuotionis vestræ cælesti factione dispersum in trigesimum, & sexagesimum fructum centenariumque profecit, profectionemque scilicet frumenti Dominici mystica loquutione designans. Qua propter exultantibus animis confidentius incitamus, vt ab Eutychianę pestis incursu pectora vestra sapienter intemerata seruetis: quoniã iam qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit. Dominus prope est, nihil soliciti sitis, si quidẽ maior est, quod in nobis est, quã qui in hoc mundo, regnumq; Domini intra nos, (etiã scriptura testante) sit certum. Vt aũt ab eorũ qui in errore sunt positi, noxia societate caueatis, nullũ talibus cõmunicantẽ ad vestrum recipiatis qualibet subreptione consortiũ: quia sicut in vnaquaq; hæresi cũ prauitate auctore damnato successores eius & complices atq; huiusmodi sectatoribus polluta cõmunione ꝑmixtos catholica vitare debet integritas, ita cũ Eutychete Dioscorus simulq; Timotheus Elurus & Petrus Alexandrinus, eiusq; cõmunicator Acatius, nec non etiã Antiochenus Petrus, cũ suis sunt omnino participibus abdicandi. Nec quisquã etiam si prauitatẽ deponere se promittat, recitãdis tamẽ nominibus cõsentiens perditorũ, vel eadẽ recitantiũ minimè cõmunione discretus ad immaculata sacrilegijs ouilia quibuscunq; modis est permittendus

intrare,

intrare, vt Ecclesia Dei nostri, quæ maculam rugamque nõ sustinet, inuiolata permaneat. Absint ergo à fidelibus Christi viperæ capitis dira commertia, & procul à cælestibus pascuis mortifera venena pellantur, vt salutaris alimonia panis illius, qui de cælo descendit fideles hanc sumentes ad vitam perducat æternam.

Ephes. 5. Ioan. 6.

Quæ vt mutua valeamus exhortatione prospicere, det operam vestra dilectio, vt sospitatem vestrę charitatis optatam, & fidei communis instantia nobis crebrius aperire nõ desinat, quatenus alternis nos institutionibus excitantes, legitimorum Domini sacerdotum possimus inuenire mercedem. Per vicinas quoque prouincias hæc eadem patefacere vestra charitas vigilanter insistat; vt & qui catholicæ cõmunionis sinceritate subsistunt, competentibus roborentur alloquijs, & qui forsitan ab huius rectitudine deuiarũt, ad integritatem dogmatis Christiani salubribus monitis reducantur. Nouerit autem vestra fraternitas Ecclesiæ Thessalonicensis Antistitem nostris adhortationibus sæpius incitatum, contagia communionis externæ nunquam declinare voluisse, nec apud nos nomen Acatij, vel cæterorum similium perfidorum, hisque communicantium congrua professione damnasse. Quapropter eum communionem Sedis Apostolicæ non recepisse manifestum est, quoniam nisi puris sensibus, & ab omni nefanda societate B. Petri Apostoli, nec possumus nec debemus Ecclesiæ prębere commertia. Propterea cautius agendum est cum præfato, ne catholicis mentibus, vt fit, Apostolicæ Sedis reconciliatione subrepat; quam sicut dolosis artibus fallere, & circumuenire non prævalet, ita sub cuius non potest obtinere auctoritatem quoque nostram, quæ ad Dalmatiarum est directa pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam, quatenus in veritate catholica, secundum formam traditionis antiquæ tenere nos consonam noueritis vbique sententiam. Si quos vero nouos didiceritis motus exurgere, nobis fraterna debetis sollicitudine referare, quo subinde, quæ patrum regulis congruant, præstante Domino, remedia procuremus.

Nec quisquam omnino vobis persuadeat, Acatio præuaricationis suæ crimen fuisse laxatum, quia qui postquam in collegium recidens prauitatis, iureque meruit ab Apostolica communione secludi; in hac eadem persistens damnatione defunctus est. Absolutionem quam superstes nec quæsiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare, siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: Quæ ligaueritis super terrã, & quæ solueritis super terram. Cæterum iam de eo qui in diuino est iudicio constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id, in quo eum dies supremus inuenit: atque ideo nisi eius nomine refutato, cæterisque consortibus huius erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ Dominicæ puritatẽ, quam maiores nostri semper ab hæretica magnopere seruauerunt pollutione discretam. Sed neque vos quisque circumuenire pertentet: quod dicat non de religione, sed de moribus esse certamen, vel Apostolicam Sedem non causam communionis catholicæ fideique tractare, sed iniuriam dolere cur videatur ab Acatio fuisse contempta: quoniam hæc, & huiusmodi quatenus simplices quoque decipiant, hi qui in errore sunt positi, spargere non quiescunt. Videtis enim sicut supra iam dictum est per nomnia præuaricatorum, si quod absit, in Ecclesia recitanda credantur, simul & contagium præuarications induci. Sedes autem Apostolica in tantum non contumeliam dolet, sed fidem defendit, communionemque sinceram, vt hodie cuncti, qui in eius visi sunt prorupisse despectum, si ad integritatem fidei communionemque catholicam reuertantur: secundũ regularum tramitem paternarum, toto cordis affectu venientes, & plena charitate suscipiat. Dat. 3. Nonas Augusti, Asterio & Præsidio Viris Clarissimis Consulibus.

Qui impœnitens mortuus est excõmunicat, post mortem non potest absolui. Matt. 16.

EPISTOLA XII. GELASII ad Eonium Arelatensem Episcopum.

Ex Cod. Arelat. apud Baron. an. 494. n. 27.

Mutuam charitatem cum fide Catholica retinendam esse monet.

Dilectissimo fratri Eonio Gelasius.* Inter difficultates varias copiam nos reperisse gratulamur, qua per diuinam gratiam sedis Apostolicæ regimen nos adisse pandẽtes, prętermissum diu cum tua misceremus fraternitate sermonẽ, & salutatione directa, mutua charitate soliciti dilectionis quoque tuæ prospera quæreremus. Quantò enim totius oũilis cura, Christo Domino delegante, suscepta beati Petri Apostoli gubernatio principalis vniuerso gregi in Orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas Ecclesias, earumq; rectores amplectitur, & inter diuersos mundi turbines si paterna fide vel traditione firmiter perseuerant, vbi primũ facultas arriserit, & quærit anxia, & gauisa cognoscit. Quapropter, frater charissime, instantius religiosis viris filijs nostris Euphronio presbyteo & Restituto viro religioso, qui ad Italiæ partes ad prouidendã congregationi sanctæ substantiam commearunt, remeantibus ad propria, silere nequiuimus: sed omni voto dilectionem tuã duximus admonendã, quatenus & vigere apud nos alternæ viscera gratiæ fratres & Coepiscopi nostri per Gallias cõstituti, charitate tua vulgante, cognoscerẽt: & desiderantibus omniũ per quos tua charitas voluisset, referret mutuo sospitatẽ, constaretq; nullatenus quantumlibet sæculo detrahente diuelli, sed Catholicam professionem manere semper vbiq; cõiunctam. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. X. Kalend. Septemb. Asterio & Præsidio. VV. CC. Consl.

* Cæsario

Notæ.

Eonium.] *Hanc inscriptionem Illustriss. Cardin. Baroni. mendosam esse putat: quasi Cæsario non Eonio scripta fuerit: Verum eam, quam à Felice III. ad Cæsarium scriptam supra recensuit, in recognitionibus tomi decimi à Felice IV. datam esse recognouit. Ideoq; relinquendam esse putauit inscriptionem epistolæ hanc, quam priore editione tollendam esse iudicauit. Spero hanc nostram recognitionem annalium scriptori pergratam fore, vbi de ea certior factus fuerit.*

An hæc Epistola ad Eoniũ, vel ad Cęsariũ scripta sit?

EPISTOLA XIII. B. GELASII Papæ I. ad Episcopos Dardaniæ.

Acatium solius Apostolicæ Sedis iudicio iure damnatum ostendit.

Gelasius Episcopus vrbis Romæ ad Dardanos. Valdè mirati sumus, quòd vestra dilectio quasi nouam veluti difficilem quæstionem, & adhuc tanquam inauditum quippiã nosse desiderat, quòd Eutychianæ pestilentiæ communicatores, non habentes, quod pro suæ perditionis obstinatione respondeant, frequẽti iam ratione conuicti, misera contentione submurmurant, non quia sit alicuius momenti quę garriunt, sed quia non inueniunt penitus quid loquantur. Vbi magis eos, qui catholicis sensibus instituti sunt, adhuc hęrere miramur, quã illos, qui à veritate exciderũt, & ab antiqua Ecclesiæ traditione sunt deuij, profanasq; vocũ nouitates, & ineptias caducæ peruersitatis obtẽdunt, quibus eos vestra dilectio retulit iactitare. Ideo Acatiũ non putare iure damnatũ, quod nõ speciali synodo videatur fuisse dejectus; & insuper dementiã suæ vanitatis accumulãt, pueriliter adijcientes præcipuè Pontificem regiæ ciuitatis. Quapropter stultitiam respuentes inaniũ querelarum percurrere vos oportet ab ipsis beatis Apostolis, & cõsiderare prudẽter; quoniam patres nostri catholici, doctiq; Põtifices in vnaquaq; hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro cõmunione Catholica atq; Apostolica secundum scripturarũ tramitem, prædicationemq; maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerũt deinceps firmumque constare, nec in eadem causa denuò quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserint, sapientissimè præuidentes quoniã si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ

Ex Vetusto codice Vaticano.

Non sunt retractanda, quæ sunt in Concilijs iã decreta.

constitutum, ac semper ijsdem furoribus recidiuis omnis integra definitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel synodalium regularum, non cessant elisæ pestes, resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere: quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire Concilium, cum quamlibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod pernicioſa depromat & falsitas, tametsi ratione, vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens: Quæ maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessariè precauerunt, vt contra vnamquamque hæresim coacta Synodus pro fide, communione & veritate Catholica atq; Apostolica promulgasset, non sinerent post hæc nouis retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerant statuta, pulsandi: sed auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato sufficere iudicarũt, vt quisquis aliquãdo huius erroris cõmunicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus: quoniam manifestè quilibet vel professione sua vel cõmunione posset agnosci. Et vt priora taceamus, quæ diligẽs inquisitor facilè poterit vestigare, Sabellium damnauit Synodus: nec vt sectatores eius postea damnarentur, necesse fuit singulas viritim synodos celebrari, sed pro tenore constitutionis antiquæ cunctos, qui vel prauitatis illius vel cõmunionis extitere participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutãdos. Sic propter blasphemias Arij forma fidei communionisque catholicæ, Nicæno prolata conuentu, Arianos oẽs, vel quisquis in hanc pestem, siue consensu siue cõmunione deciderit, sine retractatione concluſit. Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium Synodus semel gesta condemnans, vlterius ad noua Concilia venire non siuit: sed vniuersos quocunque modo in hæc consortia recidentes, tradito sibi limite synodali, refutauit Ecclesia; nec vnquam rectè cessisse manifestum est, quamlibet necessitate cogente nouis ausibus, quæ fuerant salubriter constituta temerasse. Propterea in tempestate quoque persecutionis Arianæ plurimi catholici sacerdotes de exilijs, pace reddita, respirantes; sic cũ catholicis nihilominus fratribus Ecclesias cõposuere turbatas, vt non tamen illius Synodi Nicænæ quicquid de fide & communione Catholica, & Apostolica definierat, immutarent, nec noua quemquam prolapsum damnatione percellerent; sed illius tenore decreti, nisi respuissent, censerent esse damnatos, quibus conuenienter (vt dictum est) ex paterna traditione perpensis, confidimus, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque synodum sua auctoritate confirmat, & cõtinuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper, & retinet. Hęc dum Acatium certis cõperisset indicijs à communione catholica deuiasse, diutius ista non credens, quippe quem nouerat exequutorem sępe necessariæ dispositionis suæ contra hæreticos extitisse, per triennium ferè litteris destinatis eundem monere non destitit, sicut per diuersos missa frequenter scripta testantur. Quibus ille cum * debito silentio diu non respõdere proponeret, episcopalis quoq; directa legatio est, ac nihilominus pagina destinata, quæ præmoneret, eum suorũ ante meminisse gestoru, & quæ primitus pro fide Catholica desudasset, oportere respicere. Contestans, & blandiendo pariter, & minando, ne se à corpore catholicæ vnitatis abscinderet; simulque quoniam hunc Ioãnes secundæ sedis Antistes grauibus pulsaret obiectis, ad primæ sedis audientiam cohortatus est, vel venire debere vel mittere. Licet enim synodus iteranda nõ esset, tamen cõgrueret, vt cuiuslibet ciuitatis episcopus primæ Sedis iudiciũ non vitaret, ad quod conuenerat secundæ sedis Antistes, qui nisi à prima Sede non posset audiri, præcipuè qui præiudicatis animis nulla synodo à Græcis fuisset exclusus, etiam apud eos causam suam, nec posset omnino dicere, nec deberet; quia ab inferioribus episcopis potior, nisi à prima Sede (sicut dictum est) vel discuti potuisset, vel si ita ratio postulasset, addici etiam cunctis orientalibus episcopis cum ipso Acatio in Petri communionem recidentibus cum secundæ sedis episcopus catholicus ab externæ cõmunionis hominibus esset nullatenus iudicãdus. Sed Acatius non solum despexit satisfacere postulatis, verum etiam ipsam legationem Sedis Apostolicæ blandimentis, præmiis, periurijsque deceptam, quibus ei cum Imperatore promisit, integram præsulis Apostolici causam de omnibus esse seruandam Petri communione pollutam redire perfecit, in tantum Sedis Apostolicæ despiciens potestatem, vt non solum eius auctoritati non cederet, sed etiam potius in consortium communionis externæ, per legatos suos niteretur abducere; fieretque Apostolicæ Sedi necessitas, eos ipsos, quos direxerat sacerdotes, honore pariter & communione priuare, ne tali contagione videretur infecta, satisque monstraret non se Acatij specialiter odisse personã, sed respuere fœdera perditorum: quæ etiam in suis Pontificibus detestata conuenienter horreret nihilominus autem litteris suis Acatius indicarat: & in Alexandrini Petri se communionem, quem expetita Sedis Apostolicæ auctoritate executor ipse quoque damnauerat, sine eiusdem Apostolicæ Sedis consultatione promptissimè recidisse, & accusationem Ioannis, laudesque Petri proprio sermone deferre, de quibus, si vtique confidebat magis vel venire, vel mittere debuisset, vt & præsentem de mendacijs, quæ dicebat, posset confutare Ioannem, & præconia Petri, quæ digesserat, rationabiliter allegaret, quod cum minimè fecerit, satis euidenter ostendit, nec Ioannem se posse conuincere, nec legitimè receptum Petrum habere fiduciam perdocendi, solumque sibi monstrauit inesse propositum lacerandi catholicos, hæreticosq; laudandi, sefeq; eorum potius, quos laudabat, docuit esse participem, quàm catholicorum, quos nitebatur decolorare, consortem; tulitque de se ipse iudicium, cum damnati hominis communione pollutus, damnationis eius factus est particeps. Ita & Sedes Apostolica quod ad necessariam diligentiam respiceret, nil omisit, & Acatius secundum formam Synodi Chalcedonensis; qua error, cui communicauit, elisus est, sicut de hæretico homine scriptũ est, suo iudicio condemnatus apparuit, iusteque Sedes Apostolica, quæ vtiq; se Alexandrinum Petrũ damnasse, non etiam soluisse memorat, ne per Acatij pristinam cõmunionem Petri quoq; collegiũ, cui Acatius cõmunicauerat, incideret, ipsum cõpetenter Acacium à sua cõmunione submouit. Quapropter vtrũ errori vel præuaricationi cõmunicauerit Acatius, quid opus erat noua discussione cognoscere? cum iam litteris suis esset ipse confessus, ac sicut scriptũ est, ore tuo iustificaberis, & ore tuo condẽnaberis; verborũ suorum vinculis & reus teneretur & iure plectẽdus. Cur ipse in noua causa, quã synodus nulla præcesserat, Ioannẽ, quẽ suis litteris impetebat, qualem cunq; secundæ Sedis episcopum, in primæ Sedis beati Petri Apostoli iudicio cõfutare despexit, & vt causam diceret seu per se, seu per aliũ vel venire, vel destinare contempsit, indignũ habens cuiuslibet ciuitatis Antistes ad primæ Sedis venire iudiciũ, ad quod secũdæ Sedis cerneret venisse Pontificem, & Anatolius Constantinopolitanæ vrbis episcopus missis legationibus pro sua persona feciſſe mõstratur? Ecce etiã in hac parte vocẽ non habẽt conquerentes; ecce inquã ad legitimum est vocatus examẽ, vbi vel suas partes iustis allegationibus defensaret, si ille Apostolicæ Sedis refugit examen in Ioannis catholici Pontificis negotio vestigando, quemadmoduũ Sedes Apostolica de receptione Petri hæretici sua auctoritate resoluti, Acatij fuerat sequutura iudicium? An Sedem Apostolicã congruebat Parœciæ Heraclienſis Ecclesiæ, id est Constantinopolitani Pontificis, vel quorumlibet aliorum, qui cum eodẽ, vel propter eum fuerant congregandi, iudiciũ præstolari? cum Apostolicam eiusdem primæ Sedis audientiam Constantinopolitanus episcopus declinaret, qui vtiq; etiã si Metropolitani esset iure suffultus, etiã si inter Sedes haberet locũ; primæ tñ Sedis cognitionẽ fas non habuit refutandi, ad quam secundum canones, appellante secundę Sedis Antistite, vocabatur ad nostrorũ causam. Hoc ipso satis ostendit, reũ se esse confessum, qui ad legitimũ iudicium postulatus adesse contẽpsit; nec poterat vltra differri, ne sicut dictum est, antiqua illius communione durante, cũ sese iam sociasset externæ, Sedes quoq; Apostolica per eum pollueretur contagijs perfidorum, dignumq; esset vel præuaricatorẽ, vel con-

Hæresis auctore damnato dãnantur & eius sectatores.

Sedes Apostolica synodos cõfirmat.

Matth. 16.

* al. tanquam debito.

Nullus episcopus primæ sedis iudiciũ vitare potest.

Anatolius Constantinopolitanus Antistes Romãmittit legatos.

Reũ sedere fieri ad legitimum vocatus iudicium nolle fecisse.

tempto-

temptorem iudicij competentis, manifestissimè scilicet de suo negotio desperantem, à Catholica atq; Apostolica integritate & communione secludi. Hic si examinatio quæritur, iam iudicio non erat opus; posteaquã & litteris suis ipse confessus est, & ad legitimum iudicium vocatus adire pertimuit; si auctoritatis pondus inquiritur, Chalcedonensis synodi tenor cum Apostolica Sede consentiens, & illius diffinitionis exequutio reperitur condemnati illic erroris communicator effectus: præfixæ nihilominus ibidem particeps damnationis apparuit, quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, & execrationẽ sui gestat, & pœnam. Hoc tenore etiam Timotheus Hellurus, atq; ipse Alexãdrinus Petrus, qui secundã certè sedẽ quoquomodo tenuisse videbantur, non repetita synodo, sed auctoritate tantũmodo Sedis Apostolicæ, ipso quoq; Acatio postulante, vel exequente probatur esse damnatus: nunc aũt ipsi doceant legitimè Petrum fuisse purgatũ, & ab omni hæreticorum cõtagione ritè discretum, cum ei communicauit Acatius, si eius communicatorem putant Acatium aliquatenus excusandum, aut si quod magis est verum, cõuenienter atque legitimè Petrum probare non poterunt expiatũ; propter quod etiã ad Apostolicæ Sedis iudiciũ Acatius vel venire, vel destinare non ausus est; restat vt in eius cõmunicatione fuerit, & qui ei cõmunicauit, infectus. Non reticemus aũt quod cuncta per mundum nouit Ecclesia; quoniam quorũlibet sententijs ligata Pontificum, Sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vtpote quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquã de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa aũt nemo sit appellare permissus. Quapropter cũ satis constet Acatiũ nullum habuisse Pontificiũ sententia Sedis Apostolicæ damnatũ sine vlla eius notione soluendi; dicant certè qua synodo hoc ille præsumpsit, ꝙ nec sic quidem absq; Apostolica Sede fas haberet efficere, cuius sedis episcopus? cuius Metropolitanæ ciuitatis Antistes? nõne Parœciæ Heraclensis Ecclesiæ? Si illi certè licuit sine synodo sententiã Apostolicæ Sedis abrumpere, nulla eius cõsultatione quæsita, itane vero non licuit primæ Sedi Chalcedonensis synodi constituta, sicut decuit exequẽti huiusmodi præuaricatorẽ sua auctoritate detrudere? Sed nec illa præterimus, ꝙ Apostolica Sedes frequenter, vt dictum est, more maiorũ etiam sine vlla Synodo præcedente & absoluendi quos synodus iniquè damnauerat, & dãnandi nulla existente Synodo quos oportuit, habuerit facultatem: sanctæ mem. quippe Athanasium synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica quia damnationi Græcorũ non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certè damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit: itemque sanctæ memoriæ Flauianum Pontificũ congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non cõsensit, absoluit, potiusq; qui illic receptus fuerat, Dioscorũ secundæ Sedis præsulẽ sua auctoritate dãnauit, & impiam synodum non consentiendo submouit, ac pro veritate, vt synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit, in qua Pontificibus innumeris, qui latrocinio corruerant Ephesino, veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes, nihilominus sua auctoritate prostrauit, quam congregatio quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est sequuta; quoniã sicut id, quod prima Sedes non probauerat, constare non potuit: sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit; vbi etiam consequenter ostenditur, quia malè gesta synodus, id est, contra scripturas sanctas, contra doctrinam patrum, contra Ecclesiasticas regulas, quam tota meritò Ecclesia non recepit, & præcipuè Sedes Apostolica non probauit, per benè gestam synodum, id est, secundum scripturas, secundum traditionem patrũ, secundum Ecclesiasticas regulas, pro fide catholica, & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quã maximè Sedes Apostolica comprobauit, vt debuerit, & potuerit immutari. Benè vero gestam synodum iuxta supradictũ modum, nouã synodo nullatenus immutandam: proinde si Eutychen fatentur hæreticum, malè gestam apud Ephesum synodum, qua est receptus, pariter fatebuntur, & per bene gestam synodum Chalcedonensem, quòd Eutyches vel cum eo sentientes talia, sunt reiecti, velint nolintq; consentient, atque ideo benè gestam synodum nouis exagitationibus refricari non licuisse cognoscant: qui si forsitan dixerint, eo tenore Ephesinam quoque synodum non licuisse mutari; rursus hæc eadem, quæ supra deprompsimus, planius repetita perpendantur, id est, quia contra fidem, contra veritatem, communionemque catholicam vereq; Christianam, non rectè gesta synodus legitima synodo pro fide, veritate, communioneq; Catholica, vereq; Christiana, modis omnibus secludẽda est, & iniusta synodus iusta synodo submouenda: pro fide aũt & veritate, & cõmunione catholica, bona synodus, vereq; Christiana, semel acta, nulla nec potest, nec debet, nouæ synodi iteratione cõuelli, sed secũdum benè gestam synodum recteque præfixam, si quis ab eius tramite deuiarit, consequenter ac sufficienter eius diffinitione plectendus, meritoque illius subiacet constitutis, nec opus est per singulos quosque deuiantes, iureque plectendos, nouas rursus synodos introduci, cum ex illius tramite, quæ auctorem cum errore damnauit, quisquis quolibet modo, quolibet titulo complex eiusdem fuerit factus erroris, vt eius se contagione polluerit, competenter & particeps eiusdem damnationis existat, eiusq; pœnã puniatur obstrictus, cuius maluit inire consortium. Quæro ergo ab his, quid de Eutyche sentiant: fuisse ne hæreticum, an asserunt non fuisse? si non fuisse contendunt, quid ambagibus agunt, quid circuitionibus, præstigijsque se contegunt; palã se Eutychianos esse pronuntient, vt in eius sacrilego furore conuicti veritatis molibus obruantur, aperteque cognoscant, non solum hæc ipsa pestis Eutychiana, quantũ Christiano dogmati probetur inimica; sed quantas alias hæreses, easque grauissimas in sua prauitate contineat, vt in quibus foueis volutentur, & in quod præcipitium barathrumque mergantur, intelligãt. Simul autem si Eutychen hæreticum negant, omnimodis publicatur, quod ideo de omnibus Eutychianæ pesti, communicantibus suppresso veluti hoc ipso errore contendunt, vt nos per taliũ hominũ, quod absit, insidias, captiosasque tendiculas, in Eutychetis insaniam nitantur inducere; quod quidẽ etiam si non negent, siue scientes, siue nescientes facere confutantur. Sin verò & Eutychen hæreticũ negare non audent, restat vt contra Catholicam fidem, non synodum nuncupandam, sed conspirationem potius perditorum fuisse consentiant, quæ apud Ephesum Eutychete reducto perculit sanctæ mem. Flauianum cunctosque, qui illic aderãt sacerdotes, militari terrore compulerit tanto sceleri præbere cõsensum. Atque ideo nobis necesse est, prauam peruersamque conspirationis illius, & latrocinalem fuisse perhibeant actionem, eamque debuisse modis omnibus aboleri, & ideo iustam bonam veraciter Christianam Chalcedonensem synodum processisse definiant, in his, quibus Eutychete depulso, cum suo fautore Dioscoro, hæresim eorum, erroremque damnarit. Hanc ergo synodum (vt dictum est) bonam, veram, iustam, Christianamque esse non dubitant, per quam illa noxia sit remota. Perspiciant ergo, tandemque concedant, quod quisquis ab eius iustæ & Christianæ veraque Synodi fide, communione & veritate deuiarit, vel ab ea deuiantibus communionem miscuerit, sufficienter atque competenter, secundum ipsius definita tencatur obstrictus, quoniam mala synodus bona debuit submoueri. Bona verò synodus nulla causa est, cur alia debeat synodo retractari, ne ipsa retractatio eius constitutis deroget firmitatem. Proinde quicunque congregationis Ephesinæ tenentur affectu, quid adhuc Acatij tantummodo nomen obtendunt, & non palam se sectatores Eutychetis, qui illic receptus fuerat, profitentur, qui si refugiunt, atq; Eutychem se perhibent execrari, simul ergo & Ephesinã qua malè receptus est, conspirationem iure cassatam, & Chalcedonensem synodum, qua reiecta est meritò consentient institutam, atq; ita synodum, quæ pro fide catholica sit præfixa, secundum veterum formam, sicut dictum est, perspicient nouellis non potuisse quæstionibus ventilari, sed iuxta eius tenorem semel legitimè, iusteque depromptum, & iure probari recta sectantes, & sentientes contraria refutari; quod

Romana, & benè gestã confirmat.

Romana Sedes dãnat & absoluit, siue præcesserit Synodus quæ male iudicauerit, siue non.

Auctoritate Sedis Apostolicæ Concilij Chalcedonẽse coactum.

Synodum malè gestã reprobat Ecclesia

Sedes Apostolica, sicut decuit, antiqua traditione custodiens, non synodum duxit iterandam, sed in eius præuaricatore pellendo hanc eandem synodum potius exequendã. Quapropter si quis adhuc secundum Chalcedonensem synodum hæc ab Apostolica Sede gesta reprehendit, præter quod & hac qua superius astruximus, & multiplici potest ratione conuinci, multo magis tamen Acatio non licuisse fatebitur, ista tentare. Dicat ergo, qua ipse synodo Ioannẽ secundæ Sedis Antistitem qualemcunque certè catholicũ, & à catholicis ordinatum, nec de catholica fide, & communione aliquatenus impetitum duxerit excludendum, & hęreticum manifestum Petrum sua quoq; executione damnatum, Pontifici catholico permiserit subrogandũ, cum etiã si reus manifestus esset Ioannes, post eum saltẽ catholicum conuenisset præfici sacerdotem, sicut ipse quoq; suis sacris sanctæ mem. Timotheo catholico in Alexandria faciendũ promisisse legitur Imperator, qua synodo tertiæ Sedis Episcopum Calendionem idem expelli fecit Acatius, nihilominus eundem Petrum tam hæreticum manifestum, vt eidem palã necesse cõmunicare prętenderet, sua passus est dispositione substituit: qua denique per totum orientẽ synodo electis orthodoxis, nullo crimine maculatis prauos quosque & criminibus inuolutos sua prouisione suppositi, qua synodo tot aliena priuilegia nefandus populator inuasit? Sed libri non sufficient, si tragœdias eius, quas per ecclesias totius orientis exercuit, sigillatim scribere moliamur, ad illud ipsius argumentũ nobis existimant opponendum, quo facinora sua in imperialem nisus est iactare personam: cur igitur quando voluit obstitit Basilisco tyranno certè & hæretico vehementer infesto? cur ipsi Imperatori Zenoni, quia palam Antiocheno Petro noluit communicare, suam non subdidit voluntatem? Ecce potuit & in alijs resultare, si vellet, sed vt ea, quæ latius explicanda sunt, omittamus, quidquid ipse Zenon Imperator suis litteris profitetur, cuncta sese ex Acatij gessisse consilio, nec hoc eum fallere litteris suis ipse pariter testatur Acatius, qui & eum nihilominus vniuersa rectè gessisse conscripsit, & suo consilio hæc eadem gesta non tacuit, quasi vero tantum in Alexandrini Petri communione Acatius præuaricator extiterit, & non in omnibus, quos vel fecit, depulsis catholicis Pontificibus, tanquam tyrannus ecclesijs quibusque præponi vel taliter præpositis, peruersa communione permixtus est, qui hoc ipso secundum canones fuerant ab Ecclesiastica communione pellendi, quòd se passi sunt successores viuis sacerdotibus adhiberi. Quis autem non perspiciat Christianus, quòd Catholicis Pontificibus propria sede deiectis non nisi hæretici potuerint introduci? quibus tamen cunctis, vel auctor fuit Acatius subrogandis, vel subrogatis communicator accessit? His vtique quia communioni hæreticorum nullatenus discrepabant. Cur ergo vel cum hæc fieri videret Acatius, non sicut sub Basilisco iam fecerat, ad Apostolicam Sedem referre curauit, vt si solus ipse non poterat iunctis cum eadem consilijs, atque tractatibus, apud Imperatorem possent quæ religioni competerent allegari? Nam si Basiliscus (vt dictum est) tyrannus, & hæreticus scriptis Apostolicæ Sedis vehementer infractus est, & à plurimis reuocatus excessibus, quanto magis legitimus Imperator, qui se catholicum videri volebat, potuit cum Apostolica Sede cunctorum quoque Pontificum moderata suggestione mitigari, præcipuè cum eiusdem Acatij esset specialis fautor, & amator: & qui litteris suis tam ipsum Acatium quàm sanctæ memoriæ Papam Simplicium magnis laudibus extulisset, doceretur quod hæreticis constantissimè restitisset. Cur tanto tempore Acatius inter ista conticuit; nisi quia præpediri nolebat vllatenus, quæ pro hæreticis desiderabat impleri: Ponamus tamen etiam si nulla synodus præcessisset, cuius Apostolica Sedes rectè fieret executrix, cum quibus erat de Acatio Synodus ineunda, nunquid cum his, qui iam participes tenebantur Acatio, & per orientem totum catholicis sacerdotibus violenter exclusis, perque exilia diuersa relegatis socij euidenter existebant, communionis externæ prius se ad hæc consortia transferentes, quàm Sedis Apostolicæ scita consulerent. Cum quibus ergo erat Synodus ineunda, Catholici Pontifices fuerant vndique iam depulsi, soliquè remanserant socij perfidorum, cum quibus iam nec licebat habere conuentum: quia moris Ecclesiastici omnino non esset cum his, qui pollutam communionem tenerent, permixtamque cum perfidis vllum miscere consilium. Propheta quoque dicente: Non sedi in consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: odiui congregationem malignorum, & cum impijs non sedebo. Rectè igitur per Chalcedonẽsis synodi formam huiusmodi præuaricatio repulsa est, potius quàm ad cõcilium, quod nec opus erat post primam Synodum, nec cum talibus habere licebat, adducta est. Nam & quid ageretur de fide catholica, si intelligere voluissent, ignorare non poterant, cũ viderant catholicos Põtifices nulla synodi discussione, nullo concilio, præcipuè cum nouas causas esse perpenderent, toto oriente depelli, & cæteri quid cauerent, ex illorum discere qualitate potuisset. Restat igitur, vt illius partis eos fuisse sit clarum, cui se post tot experimenta dediderunt, meritoque ab Apostolica Sede, cæterisque catholicis non iam consulendi erant potius, sed notandi. Risimus autem, quòd prærogatiuam volunt Acatio comparari, quia episcopus fuerit regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmium apud Treuiros, multis temporibus non constitit Imperator? Nunquidnam harum vrbium sacerdotes vltra mensuram sibimet antiquitus deputatam, quippiam suis dignitatibus vsurparunt? Nunquid Acatius, vt Ioannem qualem libet hominem, catholicum tamen à catholicis ordinatum, de Alexandria excluderet, Petrumque in hæresi iam detectum, atque damnatum, absque Sedis Apostolicæ consultatione reciperet, aliqua synodo saltim illic habita, hoc audacter arripuit, vt Calendionem de Antiochia pelleret, hæreticumque Petrum, quem ipse quoque damnauerat, absque notitia Sedis Apostolicæ rursus admitteret, aliqua synodo id fecisse monstratur? Si certè de dignitate agitur ciuitatum, secundæ Sedis, & tertiæ maior est dignitas sacerdotum, quàm eius ciuitatis, quæ non solũ inter Sedes minimè numeratur, sed nec inter Metropolitanorum iura censetur, nam quod dicitis Regiæ ciuitatis, alia potestas est regni sæcularis, alia Ecclesiasticarũ distributio dignitatum. Sicut enim quamuis parua Ciuitas prærogatiuam præsentis regni non minuit, sic Imperialis præsentia mensurã dispensationis religiosæ non mutat. Sit clara vrbs illa potestate præsentis Imperij, Religio tunc sub eadem firma, tunc libera, tunc prouecta consistit: Si potius hoc præsente propriã teneat sine vlla perturbatione mẽsuram. Postremò si sibi de Imperatoris prẽsentia blandiuntur, & inde putant Constantinopolitanæ ciuitatis episcopi potiorẽ fieri posse personam; audiant Martianum eiusdem Principem ciuitatis, posteaquam pro augmento vrbis ipsius sacerdotis intercessor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit: sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosecutum, quod Canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. Audiant Anatolium eiusdem Sedis Antistitem, clerum potius Constantinopolitanum quàm se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici Præsulis totum dicentem positum potestate. Ipsum beatum Papam Leonem Sedis Apostolicæ præsulem, cuius synodus Chalcedonẽsis auctoritate firmata est, quicquid vltra quam ab eodem pro fide & communione Catholica, atque Apostolica illic agendum, constaret esse delegatum, per occasionem congregationis illius, præter Nicænos canones noua videretur actione tẽtatum, competenti refutatione vacuasse. Eaque nihilominus etiam sub sanctæ memoriæ Papa Simplicio legato Sedis Apostolicæ sanctæ mem. Probum Canusinæ vrbis episcopum, Leone principe tunc petente præsente docuisse nullatenus posse tentari, neque his prorsus præbuisse consensum, atq; ideo non ad ciuitatis cuiuslibet respiciant qualitatem, sed modũ dispensationis ecclesiasticæ paterna traditione firmatũ conuenienter obseruent. Dicatur autẽ de Alexandrino & Antiocheno episcopis certis ex causis principem magis illa, quæ gesta sunt, non Acatium præcepisse. Sed principi Christiano decuerat suggerere sacerdotem, maximè cuius familiaritate & fauore fruebatur; saluam fore de eiusdem iniuria contumeliaque vindictam tantum, vt Ecclesiæ sineret Christianus princeps regulas custodiri, quia & noua in vtroque Pontifice causa esset

Psal. 1.

Constantinopolitana Ecclesia non modo inter Sedes, sed nec inter Metropolitanorum iura censetur.

Quæ in Chalcedonẽsi synodo vltra mandata gesta fuerũt, repudiauit Leo Pont.

exorta

exorta, & nouam discussionem consequenter inquireret; & sicut semper esset effectum, ac diuinæ pariter leges, humanæque censerent, vt sacerdotali concilio de sacerdotibus iudicia prouenirent; non à sæculari viderentur qualescunque Pontifices, & si errore humanitus accedente, non tamen religionem vllatenus excedentes potestate percelli, an adhuc iusta ratione principi suggerenda non erat Regię ciuitatis honore sublimis; si factus erat illa regia ciuitate sublimior, tanto magis in his suggerendis debuit esse constantior. Si autem in his quæ pro religione fuerant exerenda, extitit contemptibilis, atque despectus, & aut segnis, aut fiduciam non habens intimandi, in quo per regiam ciuitatem maior effectus est, an vt per ea suæ præuaricationis exerceret potius tyrannidem, quàm causas Religionis legitimè procuraret, Nathan Propheta palam publiceque in facie regi Dauid, & commissum pronuntiauit errorem, & ipsum commisisse non tacuit; & confessione correctum consequenter absoluit: beatæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis sacerdos Ecclesiæ maiori Theodosio Imperatori communionem publicè, palamque suspendit, atque ad pœnitentiam redegit Regiam potestatem: beatæ mem. Papa Leo (sicut legitur) Imperatorem Theodosium Iuniorem, Ephesino latrocinio liberè coarguit excedentem: sanctæ mem. quoque Papa Hilarus Anthemium Imperatorem, cum Philotheus Macedonianus eius familiaritate suffultus, diuersarum conciliabula noua sectarum in Vrbem vellet inducere, apud beatum Petrum Apostolum palam ne id fieret, clara voce constrinxit, in tantum, vt non ea facienda cum interpositione sacramenti idem promitteret Imperator: sanctæ mem. nihilominus Papa Simplicius, & post eum sanctæ mem. Papa Felix, non solum Basiliscum tyrannum, sed etiam Imperatorem Zenonem pro ijsdem ipsis excessibus, auctoritate libera sæpius increpasse noscũtur, flectique potuisset, nisi Constantinopolitani præsulis accenderetur instinctu, qui particeps externæ communionis effectus, necessario in quod inciderat, iam fouebat, malens in suæ præuaricationis obstinatione persistere, quàm curandus ad salubria remeare, sicut ipse rerum probauit euentus. Ecce nuper Honorico regi Vandalicæ nationis, vir magnus & egregius sacerdos Eugenius Carthaginensis episcopus, multique cum eodem catholici sacerdotes constãter resisterent sæuienti, cunctaque extrema tolerantes, hodieque persequutoribus resistere non omittunt. Nos quoque Odoacri barbaro hæretico regnum Italiæ tunc tenenti, cũ aliqua non facienda præciperet, Deo præstãte nullatenus paruisse manifestũ est. Hic aũt vir bonus Acatius, & sacerdos eximius, in tantũ se & suggerere potuisse mõstrauit, & noluisse deprompsit, imo fauisse patefecit; vt & Imperator cuncta se ex eius gessisse cõsilio nõ taceret, & ipse Imperatorẽ magnis præconijs eleuaret ista facientem; seleq; prodidit his agẽdis rebus fuisse participem. Sed esto Calendion Imperatoris nomen abstulerit; Ioãnes principi mẽtitus fuisse iactetur, quæ tñ cũ nouæ essent causæ, noua debuit Ecclesiastica prouenire discussio? an qui in hominẽ Imperatorem peccasse dicebantur, nulla interueniente synodo deijci debuerũt? & in Deũ, qui summus & verus est Imperator, Acatium delinquentem, synceramque communionem diuini sacramenti studentem miscere cum perfidis, secundũ synodum, qua hæc est damnata perfidia, non oportebat expelli? Quid de innumeris per totum orientem catholicis sacerdotibus propria sede depulsis, & indubitanter hæreticis intromissis? Nouæ certè erant causæ; & his consequenter noua synodus debebatur. Cur tunc non venit in mentem, vt in talibus causis peteretur à principe saltem qualiscunque synodus celebranda; vt quocunque vel colorato iudicio traditionis ecclesiasticæ passim pontifices viderentur excludi, nõ solum quarumcunque vrbium sacerdotes,, sed Metropolitani incunctanter Antistites? His omnibus cum non restitit suggestione qua potuit, consensit Acatius, communicando cunctis, qui in Catholicorum locum hæretici fuerant subrogati: Apostolus autem dicit, non solũ qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus reos indubitanter adscribi: an hæc licuit sæculari potestati & actis talibus, Acatio consentiente absque vlla synodo, quam ipsa rerum nouitas exigebat, absque Sedis Apostolicæ consultatione perficere; & Sedi Apostolicæ non licuit, secundum tenorem synodi Chalcedonensis in veteri vtique causa, & veteri constituto iuxta definitionem damnata, inimicis synodi Chalcedonensis, Acatium communicantẽ à sua communione depellere? Sed inquiunt; Acatius principi obuiare non potuit, cũr Basilisco, quia voluit, obuiauit; cur ipse Zenoni, ne palã Petro Antiocheno quãuis latenter hoc fecerit cõmunicare videretur, non cõmodauit assensum? ecce resultanti nõ institit Imperator: ecce vim nolenti non intulit; ecce refugienti cõtagia manifesta concessit; postremò, cur tanto tempore cum ista gererentur, vel gerenda cognosceret, non ad Sedem Apostolicã, à qua sibi curam illarũ regionum nouerat delegatam, referre maturauit? Sed prius laudator factus est ipse gestorũ, quàm vel præmoneret talia esse tentanda, vel ne tentarẽtur obsisteret; sicut sub Basilisco iã fecerat: cur illis cæteris cõmunicare cõsensit, qui depulsis catholicis sacerdotibus, indubitãter hæretici singulis vrbibus fuerant substituti? Postremò ille defuit suis partibus; & quæ sacerdoti Catholico cõpeterent, agere fastidiuit: ideo Sedes Apostolica quod ad eãdẽ pertinebat vel potuit, vel debuit præterire. Quolibet igitur modo hæreticorũ complicem refutauit & consortẽ communionis externæ à sua communione dimouit: nec opus fuit noua synodo, cum veteris constituti sufficienter hęc forma præscriberet; nec opus fuit, vt hæc scienda orientis episcopis intimaret, quos expulsione catholicorũ, quæ agebantur in causa fidei, non ignorasse manifestum est; & communicando hæreticis subrogatis, facto tali consensisse non dubium est; etiã cum externæ communionis effectis nec potuisse, nec debuisse Sedis Apostolicæ scita tractari. Ecce agnouerunt in eorum professione, qui constantissimè perdurarunt, quod fidei communionique catholicæ deberetur. Ecce agnouerunt quemadmodum à talibus recedendo, imò talibus contra moliendo, à fide & communione Catholica deuiarit Acatius: seq; pariter cum eodẽ errori subdiderint. Ecce agnouerunt quam iustis ex causis pro fide & communione Catholica, atque Apostolica cui & illi, qui in ea perstiterant congruebant, & hi, qui perstantibus obuiabant, ab eadem docebantur, alieni Sedis Apostolicæ auctoritate sit remotus Acatius, ad cuius præcipuè vocatus examen vel venire, vel mittere non curauit, vt se de his omnibus, vt confidebat, absolueret, eiusque pariter quicunque complices extiterunt, atque ab illa meritò cum his communione discretus, à qua se ipse primum cum suis consortibus catholicis pontificibus discrepando cognoscitur separasse: iureque sententiam ille damnationis excepit, cæterisque consortibus cum suis consortibus promulgandã; qui solus pro omnibus suis consortibus in communionem se recidisse perfidiæ ad Apostolicam Sedem, missis litteris est professus. Cui Acatio, si communicauerant orientales episcopi antequam huc referret, pari vtique reatu, sine dubio probabantur inuolui, iureque per illum transgressionis sentẽtiam susceperunt, tanquam facti cum eodem communionis externæ; qui vtique non consuli tanquam nostræ communionis homines iam deberent; sed tanquam in contrario positi in consortio refutari. Si vero non communicauerant antequam Acatius huc referret & communicantem notare debuerant, & ipsi de eodem potius huc referre, atque Apostolicæ sedis vigore perculsum meritò comprobare, cumque ea Sede Apostolica tantisque illis catholicis pontificibus magis tenere concordiam. Sed quia ab illorum societate desciuerant, & eorum successoribus communicare delegerant; ideo cum Sede Apostolica minimè congruebant; quia in sortem reciderant præuaricatoris Acatij: & illius se sine dubio peruidebant sententia consequenter astringi, ob hoc eum videri nolebant esse damnatum; quia se cognoscebant in eadem præuaricatione damnatos, in qua hodie quoque manere persistunt. Sed sicut ij simili conditione constricti complicem suum non possunt iudicare non iure damnatum, neque reum possunt competenter absoluere, sic illo iustè præuaricatore dãnato; ipsi quoq; pari iacent dãnatione prostrati, neq; nisi resipiscentes, inde poterũt prorsus absolui: quia sicut per vnum scribentẽ eorum omniũ vulgata transgressione, qui in eandem perfidiæ reciderãt actionem: sic in vno eodemque qui

2. Reg. 12.

Eugenius Carthaginensis episcopus restituit Honorico Regi Vandalicæ nationis.

Rom. 1.

pro omnibus scripserat, vel scribendo, omnium prodiderat voluntates, transgressione punita, pariter quoque cum eodem, vel in eodem est complicũ transgressio punita cunctorum, quæ tamen sententia in Acatium destinata, & si nomine tantummodo præsulis Apostolici, cuius erat vtique potestatis legitimæ, probatur esse deprompta, præcipuè eũ secreto dirigenda videretur: ne custodijs vbique prætentis dispositio salutaris quibuslibet difficultatibus impedita, necessarium habere non posset effectum: tamen quia orthodoxis vbique dejectis, & hæreticis tantummodo, eorũque consortibus iam relictis in Oriente, catholici Pontifices aut residui omnino non essent; aut nullã gererent libertatem plurimorum in Italia catholicorum congregatio sacerdotum; rationabiliter in Acatium sententiam cognouit fuisse prolatam, quæ congregatio facta Pontificũ non contra Chalcedonensem, non tanquam noua synodus contra veterem primamque cognouit; sed potius secundum tenorem veteris constituti particeps Apostolicæ executionis effecta est; vt satis appareat Ecclesiã Catholicam, Sedemque Apostolicam, quia alibi iam omnino non posset, vbi potuit & cum quibus potuit, nihil penitus omisisse, quod ad fraternum pertineret pro intemerata & syncera communione tractatum; quæ cum vniuersa nouerint qui videntur Ecclesijs orientalibus nũc præesse; propterea Christianam reparari legitima curatione refugiunt vnitatem: quia occasionem dissensionis huius suis ambitionibus suffraganten deponere iam recusant; quia sine auctoritate Sedis Apostolicæ omnium Ecclesiarum passim iura confundant, magis eligentes in errore persistere, quàm præsumptionum suarum perdere facultatem, plus vsurpationum suarum licentiam diligentes quam diuini iudicij tenentes corde respectum. In quo necesse est velint nolint tam de fidei communionisque catholicæ synceritate neglecta, quàm de paternis canonibus euidenter in ruptis recipiant quod merentur, nisi dum hic tempus admittit hæc damnationis æternæ pericula correctis mentibus studeant declinare; vt possint non tales permanere, quibus insolubilis est lata sententia. Sed à talibus recedentes, ab eadem sententia non teneri: quæ sicut in errore durantibus nunquam soluenda præfixa est; sic ab his erit aliena, qui extiterint puniendæ prauitatis immunes. Hæc verò ad institutionem vestræ dilectionis satis abundeque sufficere iudicamus, quamuis eadem latius, si Dominus concesserit facultatem, studeamus exponere: quatenus & fidelium quisque cognoscat nihil Apostolicam Sedem (quod absit) præproperè censuisse, & non habere quod iustè possit opponere, peruersa doceatur improbitas. Rectè autem faciet vestra dilectio, & ista quæ scribimus, pariter catholicis, & contraria sapientibus innotescat; quo & sanis necessaria firmitas, & malè sanis competens medicina præbeatur. Datum Calend. Febr. Victore V. C. Consule.

NOTÆ.

Epistola Circularis. Epistola.] *Hanc epistolam circularem esse, eamq; omnibus Orthodoxis hæreticis & schismaticis Episcopis redditam voluisse, patet in fine his verbis*: Rectè autẽ faciet dilectio Vestra, vt ista quæ scribimus pariter Catholicis & contraria sapientibus innotescant. &c.

Causa Epistolæ. *Causam scribendæ epistolæ præbuit Euphemius Constãt. Episcopus schismaticus qui defuncti Acacij causam iniquam & impiã falsis textibus ornans, conatus est Orientales Episcopos à communione sedis apostolicæ auellere. Vt ergo summè periclitanti Orientali Ecclesiæ succurreret, hanc prolixam valde atque disertam epistolam, qua Acacium sedis apostolicæ iudicio, iure damnatum esse ostendit, ad Dardaniæ Episcopos transmisit.*

Diluitur obiectio Euphemij. Quod non speciali synodo &c.] *Euphemius ad excusationẽ Acatij dicebat, ipsum synodali iudicio non fuisse condemnatum, adeoque nomen eius è sacris tabulis nequaquam expungendum. Quod si de vniuersali & Oecumenico Concilio intelligat, verum est: si de prouinciali synodo accipiatur, falsissimum esse constat ex ijs quæ supra notauimus in Notis epist. & Conciliorũ Romanorũ sub Felice III. habitorũ. Vniuersali & Oecumenico Concilio neq; potuit, neq; debuit Acacius damnari. Orientales Episcopi oës fere Acatij communione polluti fuerant: adeoq; Vniuersale Concilium haberi non poterat: Et quia solius Pontificis Romani sententia damnatum esse sufficiebat, eodem Vniuersali & Oecumenico Concilio opus non erat.*

Risimus autem quod prærogatiuam.] *Ridet Pontifex illud, quod cum Euphemio Nouantes nostri temporis stultè admodum inculcant, dum ratione regiæ dignitatis, prærogatiuas sedium patriarchalium expendunt, & non potius apostolicæ traditioni hæc priuilegia acceptare ferunt.*

SEQVVNTVR OPVSCVLA QVAEDAM GELASII.

TOMVS DE ANATHEMATIS VINculo Beatissimi Gelasij Papæ I.

Acta Chalcedonensis concilij ea tantum rata, quæ Sedes Apostolica approbauit; Iusta, quæ in Acatium statuta; & Petrum Alex. à Sede Apostolica solummodo potuisse absolui.

NE fortè, quod solent, dicant, quòd si synodus Chalcedonen. admittitur, omnia constare debeant, quæ illic videntur esse deprompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut si ex parte repudiabilis est, firmam ex toto constare non posse. Cognoscant igitur illud secundum scripturas sanctas traditionemque Maiorum, secundum canones regulasque Ecclesiæ, pro fide communi, & veritate catholica & Apostolica, pro qua hanc fieri Sedes Apostolica delegauit, factamque firmauit, à tota Ecclesia indubitanter admitti: alia aũt quæ per incompetentem præsumptionẽ illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ Sedes Apostolica gerenda nullatenus delegauit, mox à vicarijs Sedis Apostolicæ contradicta, manifestum est; quæ sedes Apostolica, etiã petente Martiano principe, nullatenus approbauit, quæ præsul Ecclesiæ Constantinopolitanæ tunc Anatolius, nec se præsumpsisse professus est, & in Apostolicæ Sedis antistitis non negauit posita potestate: quæ ideo, sicut dictum est, Sedes Apostolica non recepit, quia quæ priuilegijs vniuersalis Ecclesiæ contraria probantur, nulla ratione sustinet. Quid enim? Quia in libris sanctis, quos vtique veneramur & sequimur, quoniam quorundam illic & profanitates esse feruntur, & scelera gesta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda sunt, aut sequenda, quia in illis sanctis libris & venerabilibus continentur. S. Petrus primus Apostolorũ, si existimans noui testamenti gratiam prædicandam, vt à legis veteris non recederet institutis, quædam per simulationem legitur inter Iudæos Gentilesque gessisse. Nunquid ideo aut illa eius sequenda sunt, quæ meritò & coapostolus eius facta redarguit, & postea consequenter ipse vitauit, pariterque assumenda sunt cum his, quæ (vtpotè primus Apostolus) salubria prædicauit? Nunquidnam aut eius recta doctrina cum his, quæ humanitus acciderant, repudianda est, aut illa adhuc imbecillis insciti, cum perfecta eius suscipienda est doctrina? Nunquidnam in ipsorum hæreticorum libris non multa, quæ ad veritatem pertineant, posita releguntur? Nunquidnam ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, vbi prauitas inest, refutantur? Aut ideo praui libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illic inserta est, non negatur? Ait Apostolus: Omnia probate: quæ bona sunt, tenete. Scimus Apostolum etiam de paganorum libris aliqua posuisse. Nunquid ideo etiã cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata? Ipse Apostolus ait multos prædicatores aliter atque aliter Christum prædicare, vbi licet quocunque modo. Christum prædicatum oportet admitti, tamen non ideo illum morem, quo non rectè prædicatum est, non admonet euitare. Malos operarios ipse conqueritur, quorum alia refutanda, alia docet esse sectanda. Hæc & huiusmodi exempla nos edocent, & testimonia diuina confirmant, non omnia passim à quocunque dicta, vel vbicunque scripta, indifferenter accipere: sed retentis bonis, quæ noceant refutare. Peccatori homini mors illata est, & tamen homini Iesu Christo mors illata, reum facit esse diabolum: quia vbi causa mortis non erat, puta peccatum,

tum, non debebatur & pœna. Sententia præfigitur, vel præfixa est semper errori. Quę sententia huic errori præfixa, nũquam omnino resoluetur. Sicut enim, in quantum est ipse error esse desistit, sic à sententia præfixa nunquam resoluetur, qia error, qui agnoscitur esse damnatus, & eadem, quandiu manet error, probatur adstrictus. Itaque qui in eo errore sunt, sententia erroris obstricti sunt: & quandiu in eo manẽt, nullatenus absoluti sunt, sicut nec ipse, in quo sunt, error absoluitur. Error enim ipse nunquam veniam promeretur: sed qui eo veraciter caruerit, atque ab eius participatione discedit. Quamdiu ergo in eis est, error damnationem suam tenet, nunquamque resoluitur, quia error semper pœnam meretur. Participes verò eius, aut semper sunt & eius pœnæ participes, si in eodem perstare non desinant: aut si ab eodem recesserint, quam alieni facti sunt ab errore, & ab eius participatione discreti, tam & pœnæ eius erunt consequenter alieni. Cum erranti pœna præfrigitur, quandiu manet errans eadem pœna constringitur; quia errans esse non potest sine pœna errati. Hæc eadem pœna perpetua est, numquamque soluenda, quandiu errans esse perstiterit. Qui si errans esse desiterit, pœna, quæ erranti est præfixa perpetua, non erranti, id est, alteri effecto, quã cui præfixa est, nõ solum non potest esse perpetua, sed nec esse iam pœna. Nõ est enim ipse cui præfixa est. Erranti enim præfixa est, non, non erranti. Quæ enim erranti præfixa perpetua est, & perpetuò constringit errantẽ: non errantem, non potest iam tenere. Sit erranti dicta fore perpetua, sit erranti dicta numquam esse soluenda. Manet omnino & verè, certumque est, quod in ea præfixum est: nec potest prorsus absolui, quandiu manenti præfixa debetur erranti. Non erranti autem nec pœna potest esse, quæ non erranti nõ debetur inferri. Nec mutatur illa omnino, nec solui tur quæ debetur erranti. In suo ergo tenore illa præfixa est, in suo iure non potest omnino resolui: in non suo tenore, quæ esse non potest, iam docetur esse vacuata: & ius illic penitus non habere, vbi causam non habet existendi. Plenæ sunt sanctæ scripturæ tali forma iustitiæ. Dicitur: Pereant peccatores à terra, ita vt non sint: peccatores, vt desistant esse peccatores. In hoc pereant, vt esse deficiant peccatores. Cæterum si prorsus peccatores, secundum prophetæ sententiam, vsquequaque deperirent, vt substantialiter non subessent: qui saluari potuissent à Redemptore nostro, qui venit non iustos vocare, sed peccatores? Vel de quibus dicit Apostolus: Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum? Et, cum peccatores essemus, misit Deus filium suum, & cætera huinsmodi? Hic reuera plurimi, etiam substantialiter, perierunt peccatores, in peccatis suis vtique permanentes, veraque in eis sententia dicta permansit, nunquamque resoluta est: & tamen eadem in talibus, quibus præfixa est, permanente perpetua, quodam genere factum est, vt in talibus non vsquequaque manentibus, id est, in peccatis suis non vsquequaque durantibus, sententia tamen præfixa talibus permaneret. Nam & ipsi pereunt: sed esse peccatores, vt dictum est, non pœnaliter, sed remediabiliter, quodam & ipsi genere perierunt: quodam genere & in ipsis mansit præfixa sententia, donec permanens eos efficeret non esse peccatores, vel peccatores non esse perficeret. Completa est & in eis sententia, nec quo tenore peracto permanens illa sententia pereuntibus peccatoribus, ita vt non essent vtiq; peccatores. At ea iam in non peccatoribus, manere non potuit: quia in eis, quibus inflicta non fuerat, ius manendi penitus non habebat. Ita nec in suo iure vel tramite vllatenus sententia resoluta est, & eadẽ in his, quibus inflicta est, permanente, ab his, qui ab eius iure discreti sunt, aliena prorsus effecta est. Nec in his salua sui conditione, fas haberet manendi, quibus inflicta non erat. Dixit Dominus, quod in spiritum sanctum peccantibus nec hic esset, nec in futuro sæculo remittendum. Quantos autem cognoscimus in Spiritum sanctum delinquentes sicut hæreticos diuersos, Arianos, Eunomianos, Macedonianos, ad fidem catholicam reuertentes, & hic remissionem suæ percepisse blasphemiæ, & in futurum spem sumpsisse indulgentiæ consequendæ? Nec ideo non vera est Domini sententia, aut putabitur esse vllatenus resoluta, cum circa tales, si hoc esse permaneant, nunquam omnino soluenda perstat, effectis autem non talibus, non irrogata. Sicut etiam est consequenter & illud beati Ioannis Apostoli: Est peccatum ad mortem: non dico, vt oretur pro eo. Et est peccatum non ad mortem: dico vt oretur pro eo: est peccatum ad mortem, in eodem peccato manentibus: est peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo: aut quod, data sibi diuinitus potestate, desistentibus ab eodem, non possit absoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur: Quęcunque dimiseritis super terram, dimissa erunt & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. In quibuscunque omnia sunt, quantacunque sint, & qualiacunque sint: veraci nihilominus eorum manente sententia, quæ nunquam soluenda esse denunciatur: in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem pòst recedens. Quod etiam in Acacij sententia rationabiliter intuendum est, in qua etiam si ei dictum est, nunquamque soluendus: non est adiectum tamen, Etiam si resipueris, Etiam si ab errore discesseris, Etiam si præuaricator esse desiteris. Quapropter in aperto est ita dictum, nunquam soluendus, sed talis scilicet, qualis est & ligatus; non autem talis effectus, qui sicut ligandus non erat, sic absolutus esse docebatur. Sicut carebat obligatione, cum obligationis causa caruisset: sic vtique absolutus existeret, quatenus & ipse non necessitate dictæ sententiæ, videretur non posse quodammodo iam solui: nam talis effectus, & obligatione carens, fieret absolutus: & circa tales præfixa sententia, nullo modo insolubilis redderetur. Nunquid enim misit, quęsiuit, expetijt, & abiectus est? Itaque ipse in se insolubilem fecit esse sententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non posset absolui: & noluit talis effici, circa qualem, permanente sententia circa tales, effectum non talem insolubilis sententia non maneret, quæ circa effectum non talem, non haberet licentiam permandi. Quo magis (vt dictum est) exemplo atq; periculo admoniti, qui eodem tenore sunt constricti, festinare debent, vt non tales esse permaneãt, quibus sententia illa non soluenda præfixa est, & esse tales incipiant, qualibus, non insolubilis præfixa sententia, possit esse solubilis. Quoniam autem effecto non tali, quali non soluenda præfixa sententia est, effecto, inquam, non tali, potest solubilis esse sententia; quia iam Acatio, non volenti non talem esse, sicut tali vsque in finem permanenti, permansit in absoluta sententia: ita iam non tali effici non volenti, solubilis non potest esse sententia. Nonne tantos habebat Acatius, quorum exemplum sequi potuisset, antistites, qui in Ephesino prolapsi latrocinio, quolibet modo in cõsentionem reciderant prauitatis? Vtique tamen (& si dictum non erat) & perpetuam dãnationem ferre potuissent, nisi resipiscentes, & non tales effecti, quales illic facti fuerant, damnationemque perpetuam merebantur, resolui circa se damnationem, recedentes à perpetuæ damnationis causa, meruissent: quam, qui perstitere, circa se insolubilem reddiderunt. Nihil interest igitur, nihil differt, vtrum dicatur: nunquam soluendus, an non dicatur: quia Ecclesiastica sententia reos & præuaricatores obligat; quia sicut ei non potest suffragari, quod non est dictus nunquam soluendus: sed, si in errore permanserit, insolubilis modis omnibus perseuerat: nec potest inde, nisi non talis effectus, absolui; sic cuiquam præiudicare non potest, tametsi dictum est, nunquam esse soluendum, manifesta ratione monstrante, quia nunquam sit omnino soluendus, si talis, qualis ligatus est, esse perhibetur: vel talis vtique nunquam soluendus, qualis est obligatus. Non adiecto autem, etiam si resipiscat & corrigat, patere prorsus & liberum esse non dubium sit, vt non talis effectus, qualis nunquam dictus est esse soluendus, sed talis, qualis non est dictus, nunquam esse soluendus, id est, correctus & emendatus, consequenter correctus & possit solui. Notandum, quod quolibet genere blasphemãtibus in Spiritum sanctum, si resipiscant & corrigant, & hic eis & in futuro sæculo remittatur; nec inde possit Domini nutare sententia, quæ circa tales, vtique permanentes, permanere dicta est, non circa non tales effectos. Quamdiu autem in hoc manent, tales sunt, qualibus non remittendum esse præfixum est. Cũ autem ab hoc recesserint, non tales efficiuntur, qualibus non remittendum esse prædictum est. Et ideo non talibus effectis potest & hic & in futuro sæculo non remitti. Alioquin (quod absit) frustra videretur Ecclesia huiusmodi sua reconciliatione suscipere. Quia autem frustrari non potest, hoc intellectu modis omnibus, salua Domini sententia, prædicandum

Mat. 16. 18

Habetur supra in epist. Felicis ad Acatium.

De secunda Ephesina synodo dicit, quæ prædatoria appellatur

est, quantum ad nos pertinet, omnino posse. Talis igitur dictus est Acacius, qualis ligatus est, nunquam esse soluendus. Talis vsque in finem esse permansit, talis esse non desistit. Ita talis est hodie, qualis est dictus. Non talis esse iam non potest, nunquam igitur, talis permanendo soluendus est: qui si talis esse desisteret, nec in non tali permansisset, & nunquam esse soluendum, quia non talis, qualis dictus est, nunquam esse soluendus, posset absolui, & non tali nunquam solui recederet; & ideo, vt solui posset, accederet. Quod Sedes Apostolica non consensit, nec Imperator imposuit, nec Anatolius vsurpauit. Totumq; (vt dictum est) in Sedis Apostolicę positum est potestate. Ita quod firmauit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutauit, habere non potuit firmitatem: & sola rescindit, quod præter ordinem congregatio synodica putauerat vsurpandum, non promulgatrix iteratæ sententiæ, sed cum Apostolica Sede veteris executrix. Hoc tamen, quod de vno eodemque homine dictum est, siue tali persistente, qualis sententiam competenter accepit, siue non tali effecto, & illa sententia, quæ non tali non dicta est, absoluto, & in vnaquaque ciuitate legitur, similiter esse præfixum, & populo ac gente simul depromptum potius, quæ in toto orbe portio est. Idem enim mundus est, qui & periturus est dictus, & sermo Dei non potest excidere, & in ipso mundo nihilominus à prauis intentionibus recedente non promitur. Sic Tyrus & Beryton, & Geza & Ægyptus pronúciatæ sunt peritura, quas postea per Euangelium nouimus esse saluatas. Perierunt itaque duplici modo: aut permanentes in eo, quo talem sententiam susceperunt; aut deficientes ab eo, quo tales fuerant, & incipientes esse, quo non tales fuerãt: quibus est illa præfixa sententia, vt consequenter ad non tales non pertineret illa sententia, quæ non talibus præfixa non fuerat; sic etiam de gente Iudæorum à Deo etiam per Esaiam prophetam peremptoriè veluti pronunciatum est: Claude oculos eorum, & obtura aures eorum, & videntes non videant, & audientes non audiant, ne quando intelligant; & obdura cor populi huius, ne vnquam conuertantur, & sanem illos. Hic etiam correctio & emendatio interdicta monstratur, & resipiscendi quoque spes prorsus absciditur. De quo tamen populo Apostolos & Ecclesiam primitiuam nouimus processisse, & tot millia hominum vna die baptismate fuisse saluata. Ecce & in persistentibus, qualis est illa sententia promulgata, permansit, nec ad correctionem prorsus venire sanitatis admissi sunt, sed adiudicati sunt in sua nequitia deperire, & manente diuina sententia, non per ipsorum propriam emendationem, suoque intellectu vel motu, suaque virtute vel possibilitate conuersi sunt, vt sanarentur, sed per gratiam Dei sanati sunt, vt conuerterentur. Ne conuertãtur, inquit, & sanem eos, ne sua sponte, ne suis operibus, quibus vtique confidebant, ne suam iustitiam sectantes, iustitiæ Dei non debeant esse subiecti, de suis viribus confidentes, non diuinæ se misericordiæ illuminationeque subdentes. Et ideo inhibetur eis superbæ præsumptionis effectus, ne conuertantur suis intentionibus, suis nisibus, vt putarant: & sanem eos, ne eorum quasi meritis ex propria facultate venientibus, saluatrix gratia daretur, atque ita gratia iam non esset gratia, si non gratis data esset immeritis, sed merces tamquam meritis restituta. Non ergo ipsi conuertantur, & sanem eos: sed sanati per gratiam, qualiter ad humilitatem CHRISTI conuertantur, agnoscant, ita in vtrisque, hoc est, & in eo permanentibus in quo talem sententiam perceperunt, & in saluatis exinde sententia Dominica fixa permansit: & tamẽ illa permanente, sic eis miro genere sanitas introducta est, vt illa sententia non mutata videretur: sed eadem perdurante, sanitas non illorum confidentia, sed diuino munere proueniret. Quod si hæc tentare formidant, nec ad suæ pertinere cognoscunt modulum potestatis, cui tantum de humanis rebus iudicare permissum est, non etiam præesse diuinis, quomodo de his, per quos diuina ministrantur, iudicare præsumunt? Fuerint hæc ante aduentum Christi, vt quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter reges existerent, & pariter sacerdotes. Quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodit historia. Quod in suis quoque diabolus imitatus est, vtpote qui semper, quæ diuino cultui cõueniret, sibimet tyrannico spiritu vendicare cõtendit, vt pagani Impiratores, ijdẽ & maximi, Pontifices dicerentur. Sedcũ ad verum ventum est eundem regem atque pontificem, vltra sibi nec Imperator pontificis nomen imposuit, nec pontifex regale fastigium vendicauit. Quamuis enim membra ipsius, id est, veri regis atque pontificis, secundum participationem naturæ, magnificè vtrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, vt simul regale genus & sacerdotale subsistant: attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus proprijs, dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices prø temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo, minimè se negocijs sæcularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negocijs sæcularibus implicatus, vt & modestia vtriusq; ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Quibus omnibus ritè collectis, satis euidenter ostenditur, à sæculari potestate nec ligari prorsus nec solui posse pontificem. Quo manifestius approbatur, Alexandrinum Petrum per Imperialem tantum modo sententiam nullo modo potuisse prorsus absolui; vbi si pontificum quoque sociatur assensus, quærimus vtrum præcesserit, an fuerit subsequutus. Si subsecutus est, nihilominus ad id reditur, vt absolutio sæculari potestate præcepta, & principaliter inchoata, valere non possit; Pontificumque secutus assensus, adulationis potius fuerit, quàm legitimè sanctionis. Si præcessit, doceatur à quibus, & vbi ille sit gestus, si secundum Ecclesiæ regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si maiorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus. Vbi proculdubio requirendum est, si synodali congregatione celebrat', quod in receptione damnati, & depulsione catholici, quia noua est causa, fieri debuisse certissimum est; si ad primam sedem, cuius interierat sententiæ, qua Petrus tenebatur obstrictus, secundum Ecclesiæ regulas est relatum: si eadem, quæ ligauit, absoluit: si illa, quæ ligauerat, non resoluente, immò etiam nesciente, potuisset dissolui: Si hæc gesta non sunt, quo more, quo ritu Alexandrinus Petrus prætenditur absolutus, cùm nec à Pontificibus legitimè & Ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nec à sæculari potestate potuerit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolui? Sed dicatur forsitan: Non Imperator absoluit, sed à Pontificibus poposcit absolui. Tantò magis poscenti Imperatori à Pontificibus fuerat suggerendum, vt si eum legitimè vellet absolui, legitima Ecclesiastici tenoris absolutio proueniret, & hæc omnia, quæ superius dicta sunt, secundum Ecclesiæ tramitem seruarẽtur: præcipuè cum de secundæ sedis ageretur antistite, nec ab inferiore qualibet, sed à prima sede iure possit absolui. Inferior quippe potiorem absoluere non potest: sola ergo potior inferiorem conuenienter absoluit. Proinde inferioris loci pontifices, qui nullatenus se nouerant potiorem sibi, sine prima sede se posse resoluere, præcipuè quem eius sententia nouerant obligatum, præuaricatoria absolutione potius non illum penitus exuerunt, sed se præuaricatione potius nexuerunt. Ita Petri absolutio ex vtroque non constat, quia nec præuaricatoria absolutione rei reum absoluere potuerunt, & depulsis vndique Pontificibus Catholicis, hæreticisque suppositis, vel his, qui hæreticorum tenebantur communione polluti, etiam sacræ religionis in synceritate polluti, participem suum tam absoluere nequiuerunt, quàm ipsi non erant absoluti. Ac proinde tam Ecclesiasticæ regulæ præuaricatores, quàm sacrosanctæ communionis integritatem maculantes consortio perfidorum, quod de reo simillimo potuerũt ferre iudicium? De Catholicis enim Pontificibus per totum Orientem aut quicunque perstitit, est iectus: aut ille restitit, qui consensit errori, & se ab errantium contagio non retraxit. Quod igitur eorum potuit de cuiusquam errore esse iudicium, qui nusquam non errasse monstrantur, & hæreticorum simul Catholicorumque confessione permixta, cunctas religionis veræ & synceræ sedes turbasse, Catholicamque Apostolicamque confudisse puritatem? Ecce qui reum absoluere potuerunt, qui rei præ omnibus docebantur,

Concilii acta nisi à Roma. Pontif. cõfirmentur nulla sunt

Hier. 47. Hier. 44. per totum Luc. 10.

Esa. 6.

Act. 2.

Rom. 10.

Rom. 11.

Gen. 14. Heb. 7.

1. Pet. 1.

2. Tim. 2.

tur effecti? Ecce cum quibus de absoluendo reo synodus fuerat ineunda. Si fides & communio catholica retinebatur, cur catholici pellebantur antistites? Si catholici pellebantur antistites, quomodo non tantummodo hæretici seruabantur?

NOTAE.

Fuerant hæc ante aduentum Christi, &c.] *Insinuat hoc loco Gelasius, Christum Redemptorem nostrum Regem atque Pontificem secundum ordinem Melchisedech, politicam potestatem, quam in terris reperebat, conseruatam certisque limitibus circumscriptam voluisse, ne se rebus sacris immisceat: statum vero Ecclesiasticum à politica potestate ita distinguit vt tamen Ecclesiasticæ Iurisdictioni in his, quæ sunt ad Deum, subijciat. Patet ex Epist. eiusdem Gelasij ad Anastasium Imperatorem, qua sic ait:* Nosti enim, fili Clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis. *Et paulo infra, de ipso Romano Pontifice hæc subiungit.* Etsi cunctis generaliter Sacerdotibus recte diuina tractantibus Fidelium conuenit corda submitti, quantò magis sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus & Diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ generalis pietas celebrauit? *Viderint ergo Nouantes nostri temporis hæretici, quarationem Gelasium Pontificem de quadripartita bonorũ Ecclesiæ diuisione scribentem, iura ac possessiones eiusdem Ecclesiæ defendentem, harum rerum turbatorem esse tueantur. Istas actiones, de quibus Apostolus 2. Timot. 2.* Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. *sacerdotibus interdixisse non negamus. Quæ verò sint ista, diuersis canonibus supra est explicatum.*

B. GELASIVS PAPA I. ADVERSUS Andromachum Senatorem, ceteroſque Romanos, qui Lupercalia ſecundum morem priſtinum colenda conſtituebant.

Damnat Lupercalium ſuperſtitioſam celebrationẽ; & non ex Lupercalium intermiſſione, ſed ex ſceleribus Romæ mala contigiſſe probat.

SEdent quidam in domibus ſuis, neſcientes, neque quę loquantur, neque de quibus affirment, de alijs iudicare nitentes, cùm ſi ipſi non iudicent & velint prius accuſare quàm noſſe, ac docere quam diſcere, & indiſcuſſis rebus, nec inueſtigatis cauſis, nec rerũ ratione quæſita; ꝙ eis ad buccã venerit inconſideratẽr effundere, & præcipitãter euomere nõ veritatis aſſertione prolata cenſentes, ſed ſtudio cachologiæ, q̃ neſciunt arguentes, eoque progreſſi ſunt: vt etiam rectè facta maleuolentiæ propoſito lacerare contendant; qui ſi ſaperent, nõ præcipitarent omnino ſententiam, ſed perſcrutatis ante rebus loquenda depromerent. Verum quia nos arguunt, ſegnes eſſe cenſores in vitijs Eccleſię coercendis; à nobis conſequenter agnoſcant, non tantum corporalis adulterij eſſe peccatum, quod & diſcuti debeat, & iure puniri, ſed eſſe lõgè maius fornicarijs & adulteris genus, quod in quolibet Chriſtiano, quia membrum omnis Chriſtianus Eccleſiæ eſt competenter, debeat vindicari: tanto enim ſacrilegij maius eſt crimen, quanto animæ fornicatio peior eſt corporis; nam per animæ fornicationem ab ipſius Dei coniunctione diſceditur, atque ad immundos ſpiritus ſpiritualis adulterij genere tranſitur. Quomodo autem non in hanc partẽ recidit, qui cum ſe Chriſtianum videri velit, & profiteatur & dicat, palam tamen publiceque prædicare non horreat, non refugiat non paueſcat ideo morbos gigni, quia dæmonia non colantur, & Deo Februario non litetur. Video vbi hæc deliramenta competerit, quomodo præuaricator non eſt qui in has blaſphemiæ profanitates incurrit: quomodo ſacrilegus non æſtimetur qui abiurata vnius Dei prouidentia, & poteſtate, quam confeſſus eſt ad prodigioſas ſuperſtitiones, & vana figmenta ſeducitur ſecundum Apoſtolum lõgè deterius reus, iureque damnandus: confeſſam veritatem deſerere, quam ſi in eam nullatenus credidiſſet: quamuis enim ridiculoſa ſint figmenta; quæ profert, tamen ipſe affectus, & volũtas in crimine eſt, & profeſſio ac prædicatio iure damnanda; ac per hoc qui in alium ſententiam damnationis vult ſine dilatione proferri, in quo alium iudicat, ſemetipſum ſe condemnare cogniſcat. Nunquid enim Pontifex vindicare debet in eos, qui adulterium corporale committunt, & in eos qui ſacrilegium, id eſt fornicationem & adulterium ſpirituale gerunt, non debet vindicare? Nonne ipſe Dominus cum adultera ad eum eſſet adducta; accuſantibus dixit: Si quis veſtrum ſine peccato eſt, prius in eam lapidem mittat? Non ait, ſi quis veſtrum, non ſimiliter adulter eſt: ſed ſi quis ſine peccato eſt, quolibet ergo obſtrictus quiſque peccato in alterius peccati reum lapidem non audeat mittere. Quibus tunc pro ſua conſcientia diſcedentibus mundi Saluator adiecit: Mulier vbi ſunt accuſatores tui? nemo te condemnauit, nec ego te condemnabo; ſed vade, vlterius iam noli peccare, tenes, & teneris; vrges, vrgeris; obſtringis, obſtringeris, pontificis diſcuſſionem flagitas, vindictamque depoſcis. Memento in aduerſum omne crimen eſſe proferendum. Nunquid non etiam leges humanæ dicunt, quòd reus reum facere non poſſit? feſtucam vides in oculo fratris, & in tuo trabem non vides? qui mœchos accuſas, adulterium facis? & corporales adulteros ſpiritualis adulter inceſſis, certè diſcuſſionem poſcis: homo diligens, maturus, religioſus, non vis aliquem in Eccleſia peccare, peccantem cupis diſcuti, & pœnæ conſequenter addici, quæcunque in alium promis & in te proferre cogeris; hoc enim facis, ne ſegnitia Pontificis accuſetur, & maculetur Eccleſia. Debet ergo & Põtificis in omnibus malefactis ſolicitudo & ſeueritas non deeſſe, & ab omnibus Eccleſiæ fama purgari. Sed dicas forſan te laicum illum Eccleſiæ miniſtrum, & ego grauius crimẽ exaggerãs; verum dicis. Nec ego diffiteor tanto ſolicitius examinandus eſt, quanto magis propinquus eſt; tanto magis reus eſt, quanto in illo miniſterio conſtitutus, & hæc facere minimè debuiſſet. Ecce cenſura non deeſt auditu: & ſi conuictus fuerit, vindictæ conſequenter addicitur. Age modo quid vis de te? Nunquid quia in monaſterio ſacro non es, in plebe ſacra non es? An neſcis & te membrum eſſe ſummi Pontificis? An ignoras totam Eccleſiam ſacerdotum vocitatam? poſtremò ſi ille reus eſt, qui accedens ad miniſterium Eccleſiæ delinquit; nunquid & tu reus non es, qui poſt confeſſionem veritatis, ad praua & peruerſa & profana & diabolica, quibus te renuntiare profeſſus es, figmenta reduceris? Itaque etiam tu poſt blaſphemias palam publiceque profuſas, à ſacro corpore modis omnibus abſtinendus es. Non potes enim menſæ DOMINI participare, & menſæ dæmoniorum; nec calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Nec potes templum Dei eſſe & templum Diaboli, lux ſimul & tenebræ in te conuenire non poſſunt. Viderim vtrum vrges, atque compellas in alio maleficio vindicare. Tu tamen ſceleris tui pondus non potes declinare: & quanto in alio tranſire crimen non pateris impunitum, tanto quid etiam in te pro rerum ratione facere debeamus oſtendis. Veruntamen in ipſis blaſphemijs tuis quibus es iure plectibilis, imperitiam tuam euidenter agnoſce, & ſicut ait ille: Voluntatem habere te mentiendi, artem fingendi non habere; cum ſic te intelligas malum habere affectum, peruerſumque apoſtatandi propoſitum, vt tibi materia prorſus vanitatis illius nulla ſuppeditet, nec poſſis aſtruere quod corde concipis, & ore depromis. Dic mihi cum ſæpenumero in Romanis hiſtorijs legatur, Liuio auctore ſæpiſsimè in hac vrbe exorta peſtilentia infinita hominum millia deperiſſe; atque eo frequenter ventum, vt vix eſſet vnde illis bellicoſis temporibus exercitus potuiſſet aſſcribi. Illo tempore Deo tuo Februario minimè litabatur, an etiam cultus hic omnino nil proderat illo tempore Lupercalia non celebrabantur. Nec enim dicturus es, hæc ſicra adhuc illo tempore non cœpiſſe, quę ante Romulum ab Euandro in Italiam perhibentur allata. Lupercalia autem propter quid inſtituta ſunt quantum ad ipſius ſuperſtitionis commenta reſpectant, Liuius in ſecunda Decade loquitur. Nec propter morbos inhibendos inſtituta commemorat, ſed propter ſterilitatem, vt ei videtur, mulierum, quæ tunc acciderat exhibendam: proinde ſi vel ad hoc ipſum aliquid hoc valeret, hoc intermiſſo, non morbus acciderit, contra quem Lupercalia reperta non ſunt, ſed fœminæ nequaquam generare debuerant, pro quarum fœcunditate concinnantur inuenta: quid dicturi eſtis de

Ioan. 8.

Ioan. 8.

Matt. 7.

peste, de sterilitate, de bellorum tempestate continua, nunquid & hæc propter sublata Lupercalia contigerunt? Si autem non propter ista vel vitanda, vel curanda Lupercalia sunt prouisa; quid inani turbatione iactamini? quid Tuscia, quid Æmilia, cæteræque prouinciæ, in quibus hominum prope nullus existit vt bellica necessitate consumeretur Lupercaliorum fecit offensio, quæ longè ante vastatæ sunt, quàm Lupercalia tollerentur? Quando Anthemius Imperator Romam venit Lupercalia vtique gerebantur, & tamen pestilentia tanta subrepsit, vt toleranda vix fuerit. Nunquid per Campaniam Lupercalia gerebantur, quæ sublata morbos illic, & pestilentia procrearet? Sed dicturi estis ad Romam tanquam ad caput omnia pertinere, & quod hic factum non est, diuersis prouincijs ad eam pertinentibus obfuisse. Cur ergo antequam ad Romam istæ prouinciæ pertinerent, præter Lupercalia proprijs opibus floruerunt? vt sterilitas sit continuata terrarum Lupercalia sublata fecerunt: an nostrorum merita peccatorum? de quibus olim dictum est & quicquid Romani meruerãt perdere mores, sterilitas certè feminarum debuit prouenire, propter quam auferendam Lupercalia instituta iactantur, non sterilitas terrarum; propter quam Lupercalia non sunt instituta, remouenda. Quid in Africa? vnde sterilitas; quid in Gallijs? Lupercalia ista fecerunt; an nostri mores, furta, homicidia, adulteria, iniustitiæ, iniquitates, ambitiones, cupiditates, periuria, falsa testimonia, oppressiones miserorũ, bonarum causarum impugnatio, malarumque defensio, & in omnibus inaudita peruersitas; postremò quod supra omnia est, Deo fictæ mentes & sacrilegia, artesque magicæ etiam paganis horrendæ. Ecce quæ faciunt omnia aduersa, & inimica nobis non Lupercalia, quæ sunt pro vestra salute, sublata. Sed quid dicitis vos ipsi, qui Lupercalia defenditis, & agenda proponitis? Vos eadem pretiatis, vos eorum cultum, celebritatemque vilem vulgaremque redditis. Si offensio Lupercaliorum nobis aduersa procurauit, vestra culpa est; qui quod vobis singulariter prodesse putatis, negligentissimè, & non longè impari cultu, & deuotione, ea ducitis celebranda, quàm profanitatis vestræ celebrauere maiores. Apud illos enim nobiles ipsi currebant, & matronæ nudato publicè corpore vapulabant. Vos ergo primi in Lupercalia commisistis; satius fuerat non agere quàm ea cum iniuria celebrare: sed deduxistis venerandum vobis cultum, & salutiferum quem putatis ad viles, triuialesque personas, abiectos, & infimos. Si verèergo profitemini in hoc sacrum, ac potius execramentum vobis esse salutare, ipsi celebrate more maiorum, ipsi cum amiculo nudi discurrite, vt ritè vestræ salutis ludibria peragatis; si magna sunt, si diuina, si salutifera, si in his vitæ vestræ pendet integritas; cur vos pudet per vos ipsos talia celebrare? si pudet & dedecus est, ita ne salutiferũ est & diuinum & profuturum, quod vos ipsi dedecus esse fateamini? Nemo religionem profitetur, quam per se exequi prorsus erubescit & refugit: ipsa verecundia vestra vos doceat crimen esse publicum, non salutem & non diuinitatis cultum, de quo sapiens nullus erubescit, sed instrumenta prauitatum, quibus mens vestra contra semetipsam testimonium ferens, quod gerendum profitetur, erubescit implere: Castores vestri certè, à quorum cultu desistere noluistis, cur vobis opportuna maria minimè præbuerunt, vt hyemis tempore venirent huc nauigia cum frumentis; & ciuitas inopia minimè laboraret; an diebus sequentibus hoc futurum est æstatis, à Deo constitutum beneficium est; non Castorum vana persuasio? Dicite nobis nec Christiani, nec pagani, vbique perfidi nusquam fideles; vbique corrupti, nusquam integri, qui tã vtrumque tenere non potestis, quàm sibi vtrunque contrarium est. Dicite, inquam, Lupercaliorum patroni, & re vera diuinitatis ludibrij, & cantilenarum turpium defensores digni Magistri vesaniæ, & qui non sine causa sana capita non habetis, digni hac religione, quæ obscœnitatum, & flagitiorum vocibus celebratur: videritis ipsi quid vobis salutis impendat; quæ tantam moribus labem, perniciemque proponit. Nec est, quod dicatis potius hæc agendo, & facinora vniuscuiusque vulgando deterrere à talibus commissis animos, & pudore refrenari, ne de his publica voce cantetur, quando sicut ille ait, non tam deterrere, quam admonere animos hæc ludibria videantur; & sicut ille dixit: Iram atque animos à crimine sumunt, eo impudentiores effecti quo crimine publicato, expositaque verecundia nil supereſt omnino quod pudeat, nec habet quod metuat publicari, sed iam se fiduciaſiter exerat, qualis in propatulo, non per coertionem; sed potius per quandam lætitiam, & celebritatem nominum decantata est quælibet illa persona, immo & religione se præstare confidit; vt sint, vnde nominum solemnia celebrentur, quæ nisi criminum decantationibus non coluntur. Dicite nobis itaque qui voluntatem profanitatis habetis, cuius causas afferere nõ potestis, qui tuendæ habetis propositum falsitatis, quam defendere non potestis; quid dicturi estis de siccitate, de grandine, de turbine, de tempestatibus, varijsque cladibus, quæ pro morum nostrorum qualitate proueniunt. Numquidnam & hæc omnia pro sublatis Lupercalibus contigerunt, an in malis moribus castigandis meritis retributionibus inferuntur? Sed non mirum est homines non iudicio diuino velle ista contingere, sed vanæ superstitionis incursu: quibus sua crimina, & malefacta cooperiant, auctoritatem cæli, sydera perhibent adhibere, & fatalem inducit errorem, necessitatemque peccandi, facinoraque sua non de cordis proprij peruersitate procedere, sed cœlo auctore pendere. Proponite igitur pro quibus aut submouendis malis, aut promerendis bonis Lupercalia vestra fuerint instituta, & videamus q̃ illa bona prouenerint cũ Lupercalia gererentur, & q̃ mala successerint cũ Lupercalia viderentur ablata. Figite gradum, ad quod vestrũ excidiũ dicatis hæc prodigia fuisse reperta, digni qui monstrum nescio quod pecudis hominisque mixtura compositum, siue verè, siue falsè editum celebretis. Si propter pestilentiam summouendam, vt antiquiora præteream; ecce antequam meis temporibus tollerentur, pestilentiam grauem tam in vrbe quàm in agris hominum, pecudumque fuisse non dubium est: si pro sterilitate iactatis; cur in Africa, vel Gallis ista contingunt, vbi nec fuerunt aliquando Lupercalia nec constat fuisse sublata? Cur nunc oriens omnium rerum copijs exuberat, & abundat; qui nec celebrauit vnquam Lupercalia nec celebrat? An dicitis illic nocere, vbi per plurima sæcula fuerant celebrata; & repente sublata sunt? Videamus ergo si his temporibus, quibus dicitis agitata & ritè, ac plena sui, sicut vobis videtur, deuotione completa sunt; nunquam fames, nunquam pestilentia prorsus extiterit: si verò sæpenumero his cladibus ad extremum periculi ventum est; apparet his malis summouendis nihil Lupercalia profuisse; etiam eo tempore quo sicut dictum est, vt putatis, competenti ordine gerrẽtur, sic de singulis quibusque necessitatibus, propter quam dixeritis fuisse prouisum. Si constiterit etiam illis non defuisse, vana huius remedij conuincitur esse præsumptio. Verumtamen cur non hoc etiam nunc experiamini, vtrum valeat aliquid etiam ritè celebrata, & vos per ludibria ista discurrite vestrorum more maiorum, vt diuinam rem, & salutarem vobis, vt dicitis, deuotius celebrando; saluti vestræ prospicere magis, magisque valeatis. Numquid cum hæc celebrarentur, à Gallis Roma non capta est, & sæpenumero ad extrema quæque peruenit? Nunquid bellis ciuilibus sub hac celebritate non concidit? Nunquid Lupercalia deerant quando Vrbem Alaricus euertit? Et nuper cum Anthemij, & Ricimeris ciuili furore subuersa est, vbi sunt Lupercalia? cur istis minimè profuerunt? certè diuinum est: si salutare vobis, cur non per vos ipsi vt maiores vestri ista faciatis? Cur causas vestræ salutis minuitis? cur decoloratis? cur eliditis? cur ad vilia quæque deducitis? quid imputatis nobis? cum ipsi remedia vestra calcetis? Satius est & non tentare, quàm contumeliosè peragere, maiores certè vestri, si viciosè (vti illis videbatur) sacrum aliquod celebrassent, instaurandum esse ducebant. Cur non quod ad vitiosum cultum redegistis, per indignas quasq; id exequendo personas, competenti instauratione reparatis, vt causas vestræ salutis plenius, perfectiusque tractetis? cur vos pudeat agere, si salutare est? Si diuinum quod tractasse sit dedecus? Sed inquis vel imaginem ipsius rei non debere moueri; si prodest, si salutare est; cur imago potius apud vos, & non ipsa sit veritas? aut si certè nec tunc profuit, quando ritu integro, sicut dicitur, tractabatur? Quid quæritis eius imaginem, cuius nec ipsam profuisse cernitis veritatem? Sed dicitis tot sæculis rem gestam non oportere secludi, nihilominus multis temporibus paganitatis superstitio ventilata est. Sacrificetur in templis dæmonum, & in Capitolio profana vanitas celebretur. Cur portionem defenditis, & quæ maiora sunt præte-

ritis?

ritis? Si plurima genera vanitatum multis acta sæculis probantur esse sublata; cur portio, quantouis tempore ventilata non possit auferri? Si temporibus præscribitur, imputate maioribus vestris, qui cum hac temporis præscriptione non vsi sint, posse quod superfluum est, & debere remoueri, dum plura, & maiora submota sunt, indicarunt. Sed dicis etiam Christianis temporibus hæc fuisse: sed etiam illa aliquandiu Christianis quoque temporibus celebrata sunt. Numquidnam, quia sub primis præsulibus Christianæ religionis ablata non sunt, ideo sub eorum successoribus tolli minimè debuerunt? Multa sunt, quæ à singulis Pontificibus diuerso tempore sublata sunt noxia, vel abiecta. Non enim simul omnes in corpore curat medicina languores, sed quod periculosius conspicit imminere; ne aut materia corporis non sufficiat medicinæ; aut pro conditione mortali simul omnia non possit auertere; quære quale sit, vnde agis, si bonum est, si diuinum, si salubre: meritò quandocunque tolli non debuit, si nec salubre, nec diuinum causandum tibi magis est; cur tardius auferatur, quod superstitiosum constat, & vanum? quod certè Christianæ professioni non conuenire manifestum est. Postremò quod ad me pertinet, nullus baptizatus, nullus Christianus hoc celebret, & soli hoc pagani, quorum ritus est, excquantur, me pronunciare conuenit Christianis ista perniciosa, & funesta indubitanter existere; quid me incusas, si quod professi minimè inimicum est à consortibus professioni Christianæ pronuntio submouendum? Ego certè absoluam conscientiam meam, ipsi videant, qui iustis admonitionibus obedire neglexerint, quod etiam prædecessores meos forsitan fecisse non ambigo; & apud Imperiales aures hæc summouenda tentasse: & quia auditos esse non constat; dum hæc mala hodieque perdurant, ideo hæc ipsa Imperia defecerunt, ideo etiam nomen Romanorum non remotis etiam Lupercalibus vsque ad extrema quæque peruenit. Et ideo nunc ea remouenda suadeo, quæ cum nihil profuisse cognosco, tamquam contraria veræ religioni, noxia potius extitisse pronuntio. Postremò si de meorum persona præscribendum æstimas prædecessorum, vnusquisque nostrorum administrationis suæ redditurus est rationem, sicut etiam in publicis dignitatibus fieri peruidetis. Ego negligentiam accusare non audeo prædecessorum; cum magis credam fortasse tentasse eos, vt hæc prauitas tolleretur, & quasdam extitisse causas & contrarias voluntates, quæ eorum intentionibus præpedirent; sicut ne nunc quidem vos istos absistere insanis conatibus velle perpenditis.

BEATISSIMI GELASII PAPÆ I. Dicta aduersus Pelagianam hæresim.

Demonstrat hominem non viuere sine peccato, & dictum Apostoli: Vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, &c. *mysteriumque Resurrectionis declarat.*

Ex vetust. Cod. Vat.

DE Pelagianis quidem sensibus, blasphemijsque sacrilegis, & apud maiores nostros tam diuinis quàm humanis legibus, iusta discussione damnatis, nimis est copiosa materia; quia & illorum est multiplex pernicioſa peruersitas, eoque nocentior, quò verisimilitudinis colore subtilior, quam de ipsius humani generis principe, prauo funestoque commento, non ritè conceptam rerum consequentium mendacijs texuerunt. Necesse est enim, vt qui à principio deuiarit ab integro tramite, vagus vbique progrediens, quanto se currere fortius putet, tanto plus erret; & in his vt competit refutandis, disputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem perfectæ medicinæ mos est originem vel intelligere prius, vel referare morborum; eisque patefactis medelam conficere congruentem; quæ cuncta, si Dominus vitam facultatemque tribuerit, in quantum cælesti rore vegetati valebimus, aliàs moliemur explicare. Nunc autem hunc articulum, qui quosdam mouere perhibetur, sufficienter interim duximus explicandum; vt eodem conuenienter inspecto, quod in ceteris cauere iam debebant, Domino Deo nostro præstante perpendant. Æstimant igitur quidam in hac vita posse quemquam hac perfectione cõsistere; vt nullis prorsus fragilitatis humanæ pulsetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris: quod quisque si proprijs viribus, suaque proposito voluntatis existimet adipisci, semetipsum seducit, & veritas in eo non est. nam si in ipsis primis hominibus, dum sua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod vtique nusquam fecisse referuntur, nec de perceptis gratias referendo; nec vt eadem intemerata durarent, suppliciter implorando, incolumes constare nequiuerunt: quanto magis post præuaricationis ruinam, in quam mala sui confidentia creatorem nullatenus inquirendo, letaliter inciderunt, absque diuino munere suis viribus vel ægri, vel stare non possunt; sine quo nec integri persistere valuerunt. Sin verò quisquam non possibilitate facultatis humanæ, sed per diuinam gratiam hoc asserat in hac vita quibuslibet sanctis posse conferri, benè quidem facit (nam dono Dei cuncta possibilia sunt) talia confidenter opinari, & sperare fideliter. Sed vtrum aliqui tales exciterint, qui vsque ad hanc perfectionem vitæ præsentis accederent, sicut nusquam euidenter astruitur, sic nos facilè vel firmare vel impugnare non conuenit, magisque sobrium est, ex ipsorum vocibus prophetarum, Apostolorumque sanctorum, quatenus huius vitæ profectum metiri debeamus agnoscere, quibus vtique in hoc mundo quantum ad sanctæ vitæ pertinet institutum, nihil excellentius vel fuisse, vel esse manifestum est: qui etiam si copiosiore Dei munere vel raris omnino, vel minimis humanæ conditionis passionibus impetiti sunt, & affluentiore Dei gratia mortalitatis vitia facilè superarunt; non vsque adeò tamen expertes eorum se fuisse testantur, vt scilicet illius immaculati agni sit proprium, nullum prorsus habuisse peccatum, ne non soli videatur esse deputandum, si alius quilibet sanctus expers delicti fuisse credatur. Contenti simus ergo professione sanctorum; & quid de se ipsi magis pronuntient, audiamus, quam quid vel temerè cogitandum sit, vel nostris opinionibus ventilandum sine certa auctoritate sectemur. Cur autem cum Deus omnipotens post mysterium reparationis humanæ etiam id homini conferre potuerit, vt ab omnibus omnino vitijs esset immunis, maluerit fideles suos saluos fieri, & expectare perfectæ beatitudinis firmitatem, vt quod sperando desideramus, rebus possimus adipisci: censueritque nunc perficere in infirmitate virtutem, quam remotis infirmitatibus humanam conditionem nulla sineret languoris exagitatione pulsari. Quantum Dominus ministrarit, vt competit, differetur scripturarum testificationibus, contra quarum tenorem nihil est temerè profitendum super his sensibus eruditi. Constat in ipso primo homine Christum & Ecclesiam figuratam, beato Paulo Apostolo nos docente, cùm de fœdere sancti coniugij loqueretur; Sacramentum hoc inquiens magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Itaque iam inde vt sanctorum quisque processit, in huius sacramenti figuratione censitus est; & hoc mysterium omnes sancti ab Abel suis sacrificijs, actionibusque gesserunt. In Christo ergo & in Ecclesia, in qua vtique generaliter præcondita est remissio peccatorum, fideles quique Deo, sanctique vixerunt; & vsque ad legis tempora per Moysen datæ certis sunt sacrificijs in huius mysterij virtute purgati. Quapropter si eguerunt omnes mysticis immolationibus incessabiliter expiari; non dubium est vitijs humanæ conditionis fuisse pulsatos; à quibus eos per illa remedia futuri sacramenti necessarium esset incessanter absolui. Iam verò legis tempore neminem fuisse sanctorum, qui non hostiam obtulerit propeccato, lectio veneranda testatur: In tantum vt etiam Pontifices sic apud Deum causas agerent populi tunc fidelis, vt ipsi quoque pro suis delictis hostias immolarent, passimque vniuersi prophetæ proclament peccatis suis veniam postulantes. Inde est, quod sanctus Iob dicit: Nemo mundus à sorde nec infans cuius est vnius diei vita super terram. idemque alibi: Astra non sunt munda in conspectu tuo. Prophetæ quoque DAVID de generalitate sanctorum certa definitio prolata cognoscitur, quæ ait: Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, vbi vtique nemi-

Cur à peccato reparationem humani generis immunes nõ simus.

Ephes. 5.

Iob. 15.

Psal. 142.

nem prorsus hominum discreuisse perspicitur, sicut idem planius hoc ipsum loquens manifestiusque declarat: Dixi pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati cordis mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Qui vtique non poterat non solùm sub lege sanctus esse, sed in futura Dei gratia eminentioris propositi post futurus. Vnde quod ait: In tempore opportuno, non sine rerum venturarum cognitione subiunxit etiam & in oratione sua sapientissimus Salomon: Non est homo qui non peccauit, & item ipse: Quis gloriabitur castum se habere cor; aut mundum se esse à peccato? Sed ne putentur illorum temporum sancti ab hac impassibilitate forsitan excipiendi, quoniam concessis à Deo coniugibus vtebantur, quamuis & beatus Elias passibilis fuisse memoretur: quemadmodum consequentia declarabunt: & sanctus Propheta Daniel non solum pro populi, sed & pro suis peccatis perhibeatur orasse, sicut ipse dicit: Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei DOMINO Deo meo. Tandem veniamus ad beatos Apostolos, & dicat beatus ille Iacobus; qui cum omnes vtique iusti essent Apostoli, propriè atque speciatim iusti viri prærogatiuam legitur assecutus: Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Et item post paululum: Vnusquisque autem tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. Item idem; In multis enim offendimus omnes. Idemque sequutus adiunxit: Et Elias homo erat similis nobis passibilis. Dicat Beatus Petrus Apostolus: Charissimi rogo, vt quasi incolæ & aduenæ abstineatis vos à corporalibus voluptatibus, quæ militant aduersus animam: & iterum: Nolite mirari ad feruorem, qui ad tentationem vobis fit; quasi noui aliquid vobis contingat. Item postea: Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, quasi Leo fremens; circuit quærens quem deuoret, cui resistite in fide: scientes easdem passiones in omni quæ est in mundo fraternitate vestra fieri, à qua fraternitate nimirum se ipsi fidelium sæpe cunctorum fratres annuntiant; nec suam probantur discreuisse personam. Dicat beatus Ioannes Apostolus & Euangelista ille, qui in pectore discubuit Saluatoris: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus; quia veritas in nobis non est, quòd si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata: & mundet nos ab omni iniquitate. Item quod si dixerimus, quia non peccauimus, medacem facimus eum, & Verbum eius non erit in nobis. Dicat idem, Hæc scribo vobis vt non peccetis. Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem iustum, & ipse propitiatio peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed & totius mundi. Item ipse, Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscētia oculorū, & ambitio sæculi, quæ non est à Patre; sed ex mundo est, & mūdus transit, & concupiscentia eius: qui autem fecerit voluntatem Domini, manet in æternum. Veniat minimus Apostolorum, sed vas electionis Dei: veniat magister gentium Paulus prædicator diuinæ gratiæ singularis, & mysterij cælestis copiosus expositor, ille qui verba ineffabilia siue in corpore siue extra corpus nesciens in tertium cælum leuatus audiuit: qui tanta gratia redundauit, vt cum omnium esset postremus, plus omnibus laboraret, & qui non solum fidelibus insinuet quid super hac parte sentiret; sed etiam quid de se ipso pronuntiet, liberè veritatis doctor annuntiet. Et quoniam longum est cuncta, quæ ad hanc causam pertinent, dicta reuoluere; ponantur pauca de multis, ex quibus nobis sufficientissimè demonstretur, magis nos cum Paulo debere infirmari, vt habitet CHRISTVS in nobis, quam cum quolibet aliter sentiente quàm Paulus fortes videri; & velut (quod absit) CHRISTI remedijs non egere. Ait ergo: Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum; nam velle adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio: non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, non ego operor illud, sed quod habita in me peccatum. Item; Condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, ac captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Quare se igitur miserum hominem appellat? quare se gaudet per CHRISTI gratiam de mortis corpore liberari, si nullis affectibus humanæ miseriæ pulsabatur; si nullis infestabatur, ex quibus liberaretur incursibus? Item idem, Caro concupiscit aduersum spiritum, & spiritus aduersus carnem; hæc enim quæ vult spiritus perficit, ne de perfectione superbiat, & idem: non perficit caro quæ vult, vt sic humanæ conditionis admoneat.

Ne tamen vsquequaque propositū fidele demergat; ac ne forsitan vt solent quidam vanis opinionibus arbitrari, quod hæc beatus Apostolus Paulus sub alterius nescio cuius persona pronuntiet, quam de se ipso fateatur; quamuis nihil illic tale valeat prorsus ostendi, tamen cum ait: miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis? gratia Dei per Iesum Christum, tam gentilis, quàm Iudæi remota probetur esse persona. Audiamus tamen hunc alibi, quasi sese manu propria designantem, ac semetipsum specialiter indicantem: ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. & item de se ipso. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne qui alijs prædico, ipse reprobus efficiar. Quis igitur non aduertat, quid interesse potuerit quòd membra sua castigando refrenaret, ne reprobus existeret, si nullis talibus stimulis pulsaretur, quod negligendo, & non corporis sui castigatione subigendo, reprobus esse potuisset? Quapropter cum hæc & Apostoli de semetipsis professi fuisse monstrentur, qui etiam si ista minimè prodidissent, procul dubio tamen omnes orationem Dominicam, & necessario prædicarent, & veraci corde proferrent, qua quotidiè supplicantes dimitti sibi sua debita postularent, & ne in tentationē inducerentur orasse, & vt à malo liberarentur, suppliciter improrasse doceantur, propter quod etiam beatus Ioannes Apostolus, quod supra iam dictum est, intelligitur edidisse, dicens: Si dixerimus nos peccatum non habere, mendacem facimus eum, Christum scilicet, qui hanc orandi formam suis discipulis cōdidisset, in qua vel quotidiani debiti relaxatio proueniret, & ne in tentationem inciderent, implorarent, vel vt à malo liberarentur expoſcerent, si nihil esset omnino quod aut debitum prægrauaret minimè relaxatum, aut tentatio posset inferri peccati, aut nullum à quo liberarentur malum prorsus existeret. Sic autem quosdam mouet furripiens illusio dormientium, quasi non grauior æstimata sit concupiscentia vigilantium. Quamuis enim & insolentia corporalis frequentius refrenanda sit vel castigatione ieiunij, vel ciborum frugalitate sumptorum, ne materia præbeatur humanis sensibus phantasticæ voluptatis imaginatione fallendis, vel magnis hoc de miseratione diuina fit precibus implorandum, vt ab illecebrosis visionibus sopitæ mentes reddantur immunes: Tamen siue hæc incontinenter agentibus siue viuentibus cōtinenter eueniant, certè si quis est, minor reatus est nescientium, quam carnalis operis appetitu, palam apertèque cupientium. Denique licet non paruo Dei munere potiatur quisquis, aut nullis talibus, si fieri potest, aut perraris pulsatur insidijs, nusquam legimus in culpam vocari phantasmata somniorum, sed planè ipsius DOMINI voce non ignoramus esse depromptum; quod quisquis mulierem viderit, ad concupiscendum, quòd eandem sit suo corde mœchatus, vbi consequenter reatum subesse non dubium est. Ideoq; tam iugi supplicatione, quā eleemosynis, cæterisque bonis actionibus expiandū est. Non enim vacat mysterio quod dictum est: Omnia per eleemosynam posse mundari, cum ait Dominus, dum de internis, externisque figuraliter purificationibus loqueretur: Veruntamen quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Sed etiam illud quod charitas cooperiat multitudinem peccatorum, vt scilicet quicquid in synceritate corporis, & mentis attrahitur, rationalis pietatis opere deleatur. De beatis autem, sicut supra iam diximus, Apostolis, tantum debemus nosse quæ ipsi de sua conuersatione sentiri proprijs vocibus ediderunt. Quæ verò tacita sunt ab eis, nulla nobis relinquetur licentia perscrutandi. Sed iam diligētius vestigemus, cur hæc post reparationem quoq;

generis

Psal. 31.
Eccl. 7.
Dan. 9.
Iacob. 1.
Iacob. 3.
1. Pet. 2.
1. Pet. 5.
1 Ioan. 1
1 Ioan. 2.
2. Cor. 12.
Rom. 7.
Gal. 5.
Rom. 7.
1. Cor. 3.
1. Ioan. 1.
Phantasmata somniorum non sunt peccata. Matth. 5.
Luc. 11.
1. Pet. 4.

generis humani, renouationemque naturæ, quæ fit per baptismatis sacramentum; non solùm hæc vitia sublata non fuerint, sed ipsos etiam in magnæ continentiæ proposito constitutos siue minus, siue amplius prout quisquis gratia diuina dispensante profecerit, tamen infestare non desinant, cur relicta sint, contra quæ mens religiosa pugnaret. Et licèt iam saluati per fidem, spem redemptionis acceperimus, adhuc tamē expectetur, sicut ait Apostolus, redemptio corporis nostri, & cum mysterijs cœlestibus iam renatis pignus sit adoptionis ingenitum, perficienda deinceps sustineatur adoptio, vt scilicet deficientibus ijsdem vitijs contra quæ nobis in hoc tempore, continua dimicatione ab hac necessitate liberati, quod fide susc epimus, quod spe proposita sustinuimus, ipsarum rerum desideratis affectibus assequamur, quatenus hac incursionum peste prorsus exuti, tranquilla semper sanctificatione viuamus, quod in illa futura beatitudine promittitur esse complendum, cum sicut ait Apostolus: corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, atque animale corpus spirituale sumpserit dignitatem. Igitur dubium non est, superbiam super omne esse peccatum; quippe de qua scriptum est, Initium omnis peccati superbia. Quod tantum malum est, vt singula praue facta in hoc ipso quia praua sunt, censeantur esse damnanda, solaque sit superbia, quæ & in benefactis periculosa doceatur: hæc est, quæ non tantum animal rationale in terris positum constare non sinit, sed Angelicam quoque deiecit infesta naturā. Nam cum Deus omnipotens, qui fecit omnia bona valde, cuncta suis modis, & congruis ordinibus instituta condiderit, eaque proprijs concesserit vel manere, vel proficere posse mensuris; hic rationabili creaturæ subrepsit affect⁹, qui per id, quod decentius facta consisteret, plus ei de propria dignitate confidere, quàm sicut modus eius poscebat, de ipso collatore dignitatis ingessit, atque ita aliter appetendo sui culminis firmitatem, quàm competens eius & decens norma requireret, fecit eam præter ordinem naturalem cupiēdo fastigium meriti potioris erumpere; qui excessus vtique sicut reatum intulit excedenti, sic iustit iam conditoris, contra cuius ordinem tendebatur, offendit: & dum ab eo tenore cessatur, quo solo proficeretur ad summi boni perenne consortium, consequēter, qui ad eius stabilem participationem peruenire non posset, defectus accessit, sicut creaturæ rationalis vsibus congruebat. Nam Angelos ad profectum conditos promerendæ stabilitatis æternæ, illa res indicat, quoniam si sic facti essent, vt vlterius nihil egerent, nulla pars eorum vllum potuisset habere defectum: non enim in eis diuersam naturam fuisse dicendum est, ne ille, qui propria voluntate prolapsus est Angelus, excusaretur, si hoc illi non suæ proteruitatis ingessit arbitrium, sed necessitas sibi inditæ conditionis imposuisse videatur. Vnde ergo beati & sublimes Angeli de perceptis gratijs, piæ deuotionis officio & non se ipsos, sed potius ipsi præserendo conuenienter auctorem, ad eius perpetuitatem proficere prouehique meruerunt: inde isti qui reprobi sunt de perceptis consequenter ingrati, debitumque dissimulantes obsequium, seque ipsos magis, quàm qui tantæ dignitatis substantiam condiderat, præferre molientes: & delectatione suæ creationis illecti à creatoris honore cessando; quanto arrogāter elati, tanto æternitatis rectitudinem per irreuerentiam non sequendo, ab eius pariter & indignatione & participatione retracti sunt; & ab eo quod sempiternum est recedentes, in id quod semper deficit, sunt reducti: quod præstante Deo nostro, aliàs confidimus plenius exequendum. Nunc interim quantum præsenti negotio sufficit, hæc illa causa est, hoc illud malum, per quod etiam sine vitio corporali quadam spirituali fornicatione motus Angelus à diuina qua illustrabatur gratia & participatione delapsus est; eoque modo degener factus ac de cœlesti sede pro hac sua decoloratione seclusus, secundæ conditionis imaginem Dei per inuidiam flammatus euertit. Iisdem motibus aggrediens in securitate degentem, quibus de summis ad ima mal⁹ confisus ipse deciderat; hinc illa felicitas paradisi primis hominibus constare non potuit: hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de se fidit, tamquam ipso qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nusquam feciſſe memoratur, nec de conseruandis quæ sumpserat, poscit auxilium; nec ad eum etiam pulsata tentatoris accessu deuota concurrit, & consulit, suæque se credit inter prospera voluntati, facilè sine præsidio creatoris patuit deceptoris insidijs, & in præuaricationem tracta consequenter illiciti, conditionem præfixæ mortis inuenit, meritoque est competenti subiecta vindictæ: quoniam nec de bonis fuerat deuota retinendis, nec malum præcauerat ante prædictum, dum per maioris ambitum potestatis, Deum se scilicet fore præsumentis, foueas hostilis persuasionis incurrit; & quæ si suo ordine mansisset, grata factori, perpetuum summæ commercium deitatis potuisset apprehendere, competenter sine debito summæ diuinitatis officio copiosa promissione lustrata, ad diuinitatem non potuit peruenire. Sic ergo sine illius principalis ac summæ rationis affectu, quæ in bonis semper retinendis, contrarijsque resutandis intemerata persistit: ad cuius vtique similitudinem rationale fuerat animal institutum, vt eam pro suo modulo congruis actionibus imitando, ipsiusque seruando reuerentiam, subsequendoque gratiam, vt verè similitudo eius & imago permaneret, obtinere potuisset, fieretque diuinæ rationis tanquam suæ parentis & auctoris digna consortio; & per hæc nihilominus, vtpote particeps æternitatis æterna constare, dum sua, quæ creata fuerat dignitate confidit; sibique se putat in eo quod erat facta subiacere, nec subdita veneratur deuotione factorem, & ab illius participatione discessit, & in se ipsa sine illo, in quo habebat subsistere posse, non constitit. Atque ita ordinem legitimæ rationabilitatis excedens, in irrationabilitatis abruptum per verisimilitudinem ratiocinationis, qua Deum se fieri credebat, abducta est; & illius priuatione, quæ sempiterna vita est, in istam recidit, quæ sine fonte vitæ vitam perpetuam retinere non posset. Quamuis ergo pro his transgressionibus digna fuerit vltione, iustus tamen arbiter Deus, sic istam creaturam propositæ legis æquitate corripuit, vt quæ diuinum sequi tramitem inter felicia fastidiuit, sibimet ipsam merita lance dimisit. Vt tamen quia & decepta fuerat creaturæ potioris incursu, illius scilicet, quæ fremebat, illo terrenam proficere posse substantiam, vnde spiritalis ipsa deciderat, & tamquam solatium capere cupiebat de alterius ruina creaturæ, velut non solùm se culpandam ex alterius quoque transgressione prætenderet, sed lapsum suum in creatoris referret opificium, cuius & aliud opus constare veluti minimè potuisset, ineffabili circumuentæ pietate consuleret, vtramque verò creaturam rectè conditam hac ratione monstraret, quia & degeneres Angeli per sanctorum Angelorum beatitudinem confutantur. Quod ijsdem modis, quibus illi, hoc est, debitæ pietatis officio, creatoremque suum debita prædicatione laudando, per dignationis eius augmenta, profectumque reuerentiæ competentis, participationem boni parentis, stabilitatemque perpetuam sempiternæ gloriæ sunt adepti. Sic isti quoque si eodem tenore niterentur, ad similem beatitudinem venire potuissent, nisi desides à sui laude factoris & competentem reuerentiam non sequentes, ab eius retracti participationis affectu, propriæ nequiuissent incrementa, perfectionemque sumere dignitatis, dum suæ institutionis claritate detentis vlterius se nihil egere, ac sibi se sufficere posse præsumunt, per quæ se ipsos obtinere fidentes quicquid per solam gratiam potuissent conditoris adipisci, quod in suæ prorsus conditione mutabilitatis habere non poterant, homo quoque de se ipso manifestis indicijs reuincatur, in tantum ritè factus, vt qui per diuinam gratiam potest surgere post ruinam; multo amplius potuisse doceatur, si eandem gratiam deuota mente sequeretur integer permanere, quantumque gratia ista prævaleat magis inde cognosci, dum & incolumis absque eadem stare nequiuerit, & valeat ad eandem incolumitatem redire post lapsum. Bonus ergo artifex DEVS, qui sempiternum & summum semper habet esse: quod bonus est, atque ideo nec vnquam crescendi gerit amplius appetitum: quia nihil est super id, quod sempiternum bonum semper, & summum est, nec vlla potest inclinatione diminui, de hoc ipso, quod summum bonum sempiternumque consentit. Vnde etiam non per rapinam in forma DEI dictus est constitutus; qui hoc habebat vtique per naturam, sicut ille Spiritus, qui quod erat nec sempiternum habebat omnino, nec summum per rapinam maluit occupare, quam per auctoris gratiam, perpetem consequi dignitatem, à quo sumpserat angelicæ substantiam claritatis, quem-

1. Cor. 15.

Eccl. 10. Superbia super omne peccatum.

Gen. 1.

Diaboli in hunamū genus inuidia vnde est orta.

Cur diabolus peccauit.

Gratia Dei in homine quātum potuit.

admodum beati Angeli in diuina gratia permanentes consequuti sunt sempiternæ beatitudinis firmitatem: prauus autem spiritus nec illud potuit obtinere quod visus est incompetenter inuadere, & tenorem suæ conditionis excedens, in hoc etiam non potuit permanere, quod factus est. Auctor ergo bonus vt bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione persisteret; inferioris creaturæ suæ miseratus offensam, quod spiritualis substantia, quæ & sui & alterius processerat, ipsa deceptrix atque in sua nequitia perseuerans omnino consequi digna non fuerat, terrenæ conditionis & per fraudem deceptæ substantiæ naturam pariter clementer suscepit & causam; sicque vt nunc breuiter explicemus, competenti lapsam dispensatione reparare proponés, vt in se ipso hæc eadem natura, quæ per inobedientiam mortis rediret ad vitam, solus ipse peccat in se sciens in substantia, quam post peccatum restaurandam potenti benignitate susceperat, vt indebitam mortem quam sine peccato vtique non debebat pro his qui per peccatum debitores mortis extiterant, imputaret; simulque diabolum hominis deceptorem, qui consentientem sibi subditum per diuinam tenebat iure sententiam, per iustitiam nihil ei reddere iam debentem. Et cum occidisset eum in quem sine peccato licentiam non habebat, meritò ei vice mutua subiugaretur addictus, quiq; se humanæ substantiæ vtpote captiuæ suæ Dominum Deumq; iactabat; huic & iusto pariter, & DEO vero mutuò subderetur. Intererat enim æquitatis immensæ & non abruptæ diuinæ potentiæ diabolus, sed ipsius hominis etiam quem se prostrauisse iactabat iustitia vinceretur, quibus non satis habuit reparator excelsus, vt ipse tantummodo in ea natura quam sumpserat, gereret de hoste humani generis hunc triumphum. Quid enim præstaretur, vniuersæ nostræ creaturæ, si victor diaboli solus Christus existeret? Tribuit ergo fidelibus suis dignanter immensa pietate consortium. Tribuit per gratiam suam fidemque collatam, vt hominum millia ineffabilis compendio sacramenti participatum eius acquirerent, renouatæque in suo Saluatore naturæ facti consimiles, ipsi quoque fierent deceptoris sui mutata sorte victores. Itaque contra superbum spiritum permanentem, hoc est prouisum curatione saluandis, vt competentibus modis ad suæ conditionis integritatem proficerent, dignitatemque cælestem; quatenus elationis exitialis affectum (qui non solum humanam, sed ipsam quoque, sicut dictum est, angelicam prostrauerat ante naturam) humanitate necessaria medicinaliter declinaret ad integritatem reparandam, quippe post lapsum carere debuit illo malo, quo integra præstare nequiuerat: oportebat autem vt ipsa quoque rationabilis humana creatura quod propria voluntate perdiderat, etiam secundum Dei gratiam propriam reciperet voluntatem, & quæ sine merito curabatur, tribueretur ei, vt etiam hæc sequeretur ex merito: propterea maluit singularis ille Saluator perfici potius in infirmitate virtutem, quàm rursus sine infirmitate vel de se confidentem, vel auctoris negligentem fieri humanam substantia sine infirmitate securam. Hinc est igitur quòd beatus Paulus, qui & ruinam conditionis humanæ, & restaurationem ceteris copiosius intimauit, etiam de se ipso clamat: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus CHRISTI. & iterum ipse: Vanitati enim creatura subiecta est; Adhuc vtique vanitati, quantum adhuc mundanis sensibus implicatur, corruptibiliq; conditione deprimitur. Illa vtique creatura, de qua idem dicit alibi: Si qua igitur noua creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua, & de qua idem alibi dicit: Ipsius enim sumus figmentum, creati in CHRISTO, in operibus bonis. Itemque ipse de eadem, in Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Hæc vtique creatura, qua in Christo refecti sumus; non quia ab initio facti sumus, de qua etiam beatus Iacobus Apostolus sic ait: Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius, non illius creaturæ, quæ in Adam condita est, sed quæ patris luminum, à quo est omne datum optimum, & donum perfectum voluntate genita verbo veritatis, initium sumpsit in CHRISTO; & hoc ipsum ideo, ne in quibuscunque suis bonis fideret humana substantia: sed quidquid recti in se esse cognosceret, de sursum descendens, esse perpenderet ab illa incommutabili, & sine vicissitudinis obumbratione, luce semper immensa, per quam sibi mutabili & vicissitudinem obumbratione suscatæ, luminis veri munus sentiret impendi. Hæc est igitur illa creatura, quæ spiritualiter viuens, non volens sustinet mortalis infestationis affectus, contra quos indesinenter pugnans, mallet non habere quos vinceret, quàm cum infesto iugiter hoste confligere. Non volens ergo subiacet in tantum vanis desiderijs, in quantum sine dubitatione perituris. Vnde dicit Apostolus: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non quæ vultis, illa faciatis; sed propter eum inquit, qui subiecit in spe, vt nemo in hac scilicet vita rursus de plena felicitate sit arrogans; ac ne rursus forsitan desperatione succumberet, sic eam subiecit his molestijs perferendis, vt tamen spe consoletur erecta. Hæc est igitur sine ambiguo creatura, de qua ait; quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Patefecit de qua creatura vellet intelligi, in libertatem inquiens filiorum Dei, quæ in hoc mundo ex ea parte nunc seruit: qua vitijs infestatur humanis. Tunc ad libertatem filiorum Dei perfecta securitate venturam, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt fiat sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria: vbi est mors victoria tua? vbi est mors, stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Quapropter beatus Apostolus manifestius volens & de qua creatura ageret, & de qua eius seruitute, quave libertate dissereret vtpote per quem Christus loquebatur, ostendere, adhuc inculcat, & dicit: Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit & parturit, non nisi rationabilis creatura est, & illa rationabilis, quæ quid ingemiscat, quidve parturiat, iam renata cognoscit, & infirmitatem suam defiens, promissionem perpetuæ tranquillitatis expectat; quod doctor egregius quousq; perducat, diligentius intuendum est: non solùm inquiens illa, hoc est creatura populi Christiani, sed nos ipsi primitias spiritus habentes. Ipsi vtique Apostoli, ipsi Ecclesiæ principes & parentes, qui primordialiter sancti Spiritus dona sumpserunt, quæ ecclesiasticis ministrarent spiritualiter incrementis; vbi sine controuersia semetipsos quoque in vna eademq; quamuis maiore gratia præditos, vnde & ait; primitias spiritus habentes, quasi primates gratiæ Dei, in vna tamen eademque secum totamque Ecclesiam generali conditione constituit: sed etiam nos metipsi, dicens, primitias Spiritus habentes intra nos gemimus, aperuit quorum ille gemitus, quem supra dixerat, esse noscatur, & quid gemeret euidenter exposuit, adoptionemque expectantes, certè iam sacramento regenerationis pignus adoptionis accepit. Quæ est ergo ista adoptio, quæ post adoptionum initia sustinetur, quæue redemptio corporis nostri, quæ ventura proponitur? Ergo non accepisti, quæ expectare te dicis? Accepi inquit; sed mysterijs sum renouatus initiatusque cælestibus, quibus superstes, & in hac adhuc mortalitate consistens, quæ sua sunt, in me competenter operantibus, ad eorum plenitudinem, perfectionemq; valeam, atque hic pugnantium ibi sit consummata victoria, vbi dicendum est: Absorpta est mors in victoria: vbi est mors stimulus tuus? Nunc autem spe salui facti sumus: spes aût quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiã expectamus, satis clara luce patefecit qui sit status in hac vita fidelium, quid in fide teneant, quid in spe sustineant, quid tota caritate desiderent, quod totum incunctanter ideo fit, sicut quidam magister Ecclesiæ sapienter edocuit, dicens: Ad magnam enim vtilitatem fidelium materia est seruata certaminum, vt non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas, quo scilicet sua saltem fragilitate commonita post ruinam, nõ in se fiat nostrã conditio; sed ad illius inconcussibiliter recurrat misericordiam reformanda, cuius gratiam non quærendo, nec in paradiso potuit intemerata felicitate constare, discatque sine tali præsidio inde lapsam per quod instruitur post ærumnas ad gaudia redire perpetua; multoq; se magis incolume hoc ab-

Cur Deus Verbum carnem humanam suscepit.

Christiani per Christum victore vincunt diabolum.

2. Cor. 12.

Rom. 8.

2. Cor. 5. Ephes 2. Gal. 6. Creatura noua quo modo dicatur Christianus. Iacob. 1.

Gal.

Rom.

1. Co.

Rom.

Ibid

Apoc. quamu dicamu habere minis nitas.

1. Co. Rom.

Fidelis in hac sta Aug.

Iulio

fidio durare potuisse, quo non solum ad creationis suæ reducitur institutum, sed ad cæleste præparatur habitaculũ. Huic autem disputationi nullatenus æstimetur esse contrarium, quod in epistola sua beatus Ioannes Apostolus & Euangelista differuit: quia qui natus est ex DEO, non peccat, vt ex hoc videlicet qui regenerati sunt, non peccare credantur: quod vtique si eo sensu, sicut quidàm non rectè iudicantes arbitrantur, vir magnus ille prompsisset: Vniuersaliter vtique quisquis renatus esset, iam peccare non posset. Deinde contra hunc eundem Apostolum sentire conuincitur: Si quis hoc eum definisse prætendit, idemque quippe dicit alibi: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Et iterum: Si dixerimus, quia non peccamus, mendacem faciemus eum: & verbum eius non erit in nobis. & vtique hoc tantus & talis dicebat Apostolus: cuius si quis potiorem se meritis æstimare contendit, ipse videat, caueatque ne incidat in mortiferæ præcipitationis abruptum. Certè enim ipse qui hæc dicebat, ex DEO vtique natus erat; & tamen docebat, atque prædicabat dicens: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus; & cætera, quæ superius comprehensa sunt: sed qualiter peccare non possit, qui ex Deo nascitur ipse potius vir DEO plenus exponat: Si dixerimus, inquit, quia non peccauimus, mendacem faciemus eum; quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Patefecit quomodo qui ex DEO nascitur, peccare non possit, vt scilicet, vnusquisque fidelium postquam ex DEO natus est; sicut se non habere peccatum pronuntiare non debet, sic quod admittendo contraxerit, confidenti relaxatione submotum, peccatum inesse non possit, sicuti ipse etiam secutus adiunxit: Hæc scribo vobis, vt non peccetis; sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem iustum, & ipse est propitiatio peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed totius mundi. Quod breuiter indicatum prudens lector per totum scripturarum corpus copiosis poterit testificationibus inuenire, & manifestius approbare. Sic temperatum nostræ salutis antidotum, vt omni proteruitate deposita, qui gloriatur non in se, sed in Domino glorietur. Etiam illud præterea diligentius intuẽdum est, quod quosdam mouere perspeximus, id quod ait Apostolus, cum coniugibus fidelibus, infidelibusque loqueretur, sanctificari scilicet siue virum siue mulierem infidelem per cuiuslibet sexus fidele consortium: & in primis non inconuenienter occurrit, quod dictum est de fœdere coniugali; erunt duo in carne vna. Per quod possit consequenter intelligi, vt quoniam cuiuslibet coniugis fidelis corpus templum est DEI, & regeneratione purgatum, diuinique sanctificatum per purificationem mysterij, secundum quendam modum, per coniugalis vnitatem carnis etiam coniugis infidelis sanctificatio corpus attingat, longeque distet ista societas ab illo consortio quod in vtrisque coniugibus Idolis mancipatum est, & immundi spiritus habitatione pollutum, dum in illo genere nuptiarum per legem fœdusque coniugij, ad alterum tametsi nescientem forsitan nec volentem diuina benedictio per alterius vnitatem sibi carnis accedit. In isto verò, & principalis illa fornicatio qua anima alienatur à Deo, & spiritus praui contagium tam reddat vtrumque coniugem detestanda coinquinatione maculatum, quàm ab illa fide quæ corda purificat summæ diuinitatis externus. Deinde non irrationabiliter (quantum arbitror) & illud concurrit, vt oratione fidelis cuiusque coniugis etiam infideli misericordia quantacunque præstetur, vel ipsa certè quæ ad salutem pertineat temporalem: in qua misericordia non parum diuinæ pietatis acquirit; & per hoc secundum quendam modum particeps diuinæ dignationis effectus edicitur. Si enim cibi qui per legem sacram describuntur immundi, per Verbum DEI sanctificari testatur Apostolus, vnde etiam illud est: quod DEVS mundauit, tu commune ne dixeris; non erit absurdum nec inconueniens quòd per fidelis coniugis precem, quam fieri pro ipsa certum est affectione coniugij, aliquid etiam infidelis coniunx sanctificationis, misericordiam diuinam quam fidelis coniugis implorat supplicatio consequatur; longeque differat (sicut dictum est) ab illo connubio, in quo vtrique coniuges à veræ diuinitatis sunt puritate exteri, & visitarie submoti, sed immundos vtrique spiritus inuocantes, pari immunditia sunt referti. Nam si comparatione leuium vel grauium peccatorum iustificatus dicitur, ab eo qui maioribus est vitijs inuolutus ille quem minor reatus inuoluit (sicut dicitur ad Hierusalem quæ tunc criminum, & præuaricationum immanitate feruebat: iustificasti sororem tuam Sodomam) quanto magis iustificatio vel sanctificatio, & si non plena atque perfecta, secundum tamen quendam modum competenter accipitur, vbi non solum à fideli coniuge minus peccatur, sed ab eo etiam coniuge peccatore remedium summæ diuinitatis exposcitur, quàm vbi à coniugibus vtrisque peccatur. Nam secundum quendam modum hanc sanctificationem per fidelem coniugem etiam infideli coniugi peruenire hæc ipsa verba testantur Apostoli: Siquidem non iam infidelem coniugem legitimam sanctificationem sumpsisse confirmat, quia per fidelem coniugem quippiam sanctificationis acquirat. Denique qua sit conditione censendus secutus adiunxit; Nam si infidelis discedat non iam inde tamquam fidelem suscipi designans, quia per hæc quæ dicta sunt aliquid ad eum peruenit fidelis coniugis, siue consortium, seu precem diuinæ sanctificationis & gratiæ, sed nisi ipse quoque fidelis existat, pro infideli sit procul dubio iudicandus. Est etiam ille modus infideli coniugi sanctificationis impertiendæ per coniugem iam fidelem, si huic exhortationem conuersionis ad DEVM, & credulitatem summæ diuinitatis insinuet, maiestatem virtutemque eius inculcet, & per affectum coniugii, eum facilius informet, & inclinet ad fidem, astruens quæ sit spes in vnum DEVM credentibus, vel in huius vitæ cursu, vel post eius transitum quæ requies sit futura. Hæc cum per fiduciam coniugij sanctis verbis cor eius assidua voce pulsando coniunx fidelis frequenter insinuat, diuinæ sanctificationis eidem, & menti eius, & corpori propinat effectum, sicut ait Beatus Petrus Apostolus: Similiter mulieres subditæ sint viris, vt si qui non credunt verbo, per mulieris conuersationem sine Verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem vestram, quam si per familiaritatem suscipiat coniugalem, & DEI gratiam sibi per affectum coniugij ministratam non in vacuum recipiat, & refutet, sit sanctificatio per fidelem coniugem coniugis infidelis, dum hisce modis ex infidelitate in consortium sanctificationis attrahitur. Alioquin si oblatam sibi gratiam nec per affectum suscipit coniugalem, quæ in vacuum tam diuinæ dignationis, quàm etiam humanæ singularis affectionis oblitus, æstimat abnuendam, atque ob hoc ipsam quoque coniugis affectionem nititur abiurare, & ab ipsius pij consortij lege discedere, dignè permittitur eidem licentia discedendi: quia non est illo coniugio dignus, quo se ipse iudicauit indignum, patienterque ferat fidelis coniux illo se caruisse coniugio, quod fornicatur à DEO, cui idem coniux fidelis inhærendo, principalem DEI retinet castitatem. Itaque & adultero caret, & eo qui respuit vna veraciter fieri caro cum coniuge iam fideli, nec æstimet fuisse legitimum, quod diuina sibi despexerit lege coniugij; ac potius libenter accipiat eum, qui anima separatus à Deo est, & à se quoque corpore fuisse diuisum. Ezech. 16.

Secundum hunc igitur modum etiam de talium filijs accipiendum est, quod illic consequenter asseritur, vbi dicit Apostolus: quòd nisi hæc sanctificatio inter huiusmodi coniuges proueniret, filij eorum immundi essent, nunc autem sancti sunt. Sancti sunt enim, secundum quendam modum in comparatione illorum, qui ex vtrisque parentibus immunditiæ diabolicæ mancipatis contaminatisque nascuntur.

Quomodo dicantur sancti filij, qui ex altero tutto fideli coniuge nati sunt.

Isti enim ex ea parte, qua de sancta carne fidelis parentis, & templo DEI, & DEVM vnum in suo corde gestantis exorti sunt, nonnihil diuinæ benedictionis hauserunt, in qua vtique benedictione sanctitas continetur, cuius dignatione perstricti, sancti non immeritò nuncupantur. Per hanc quidam etiam sanctificationem assumunt, vt ad eam sicut competit perueniant consequendam, iam eius per parentem fidelem rudimenta percipiunt, & odorem sanctæ adoptionis agnoscunt, precibus CHRISTIANI parentis, quibus eis sine ambiguo imploratur diuina misericordia, vtique sanctificatio iam præbetur, & plerumque fidelis studio parentis, vel ad venerabilia loca paruuli deferuntur,

feruntur, vel etiam nescientibus renatis fonte baptismatis sanctificatio plena confertur. Aut vbi iam capaces rationis extiterint, adhortatio & insinuatio pij parentis ingeritur. Quæ omnia sanctificationis instrumenta esse manifestum est, quibus vt ad eius veniant firmitatem, aut si ista despiciunt, semetipsos sanctificatione dispolient, & gratiam Dei quæ his per affectum parentum ingeritur, euidenter euacuant. Atque ita de sanctis vel de eruditionibus sanctitatis abscisi, in non sanctorum consortia profana rediguntur. De quibus nihilominus sic dicatur, quomodo de parentibus eorum infidelibus præceptum; si infidelis vult is discedere, discedat. Numquid nam hæc genera sanctitatis, vel sanctificationis de vtroque profano parente progenitis filijs intimantur? Ecce quid interest inter sobolem ex illo vel isto coniugio procreatam: Ecce quemadmodum isti familiares, & propinqui sunt sanctificati, atque ideo non immeritò sancti sunt editi, & quibus diuina misericordia consequenter eius precibus imploratur, quique cum sanctis educationibus imbuuntur, & sacræ religionis initiantur affectu, ad cuius si peruenerint firmitatem, illius per sacramentum sanctificationis plenitudinem consequuntur, cuius per fidelem parentem etiam ante sacramentum rudimenta sumpserunt, per quæ rudimenta iã sancti, qui sancta institutione præparabantur, nõ incõgruè sunt vocati. Numquid aũt quia dictum est sanctificari infidelem coniugẽ per fidelem, ita dictum est, vt iam propriæ credulitatis sãctificatione nõ egeat, ac nõ magis ideo quia per illam familiaritatem fidelis coniugis percipiendæ sanctificationi proximus sit, & propinquus effectus. Nam si iam sanctificatus diceretur, vt sanctificatione penitus non egeret; non de eodem in consequentibus diceretur, Infidelis si vult discedere, discedat. sic ergo & filij eorum nuncupati sunt Sancti, quia per sancti parentis affectum capiendæ sint proximi sanctitatis; non quod iam ipsi propria sanctificatione non egeant, quæ vtique sicut nullus Christianus ad dubitat sine regenerationis sacræ mysterio nec sumitur nec habetur, sicut & parens eorum infidelis sic sanctificatus dicitur per fidelem, vt tamen ingestæ sibi per fidelem coniugem sanctificationis ipse legitimum non susceperit effectum, infidelis fuerit nuncupatus. Sicut ergo eum, quem per fidelem coniugem sanctificatum dixit, postea nuncupat infidelem, quia propriè ipse vel ipsa non credidit, sic & filij qui per fidelem parentem eo modo sanctificati quo coniunx, sancti appellati sunt, nisi ipsi quoque propriè credant, infideles consequenter existunt: satis enim apparet, secundum quemadmodum sanctificationem hanc coniugis appellatam; qui postea infidelis asseritur; sic ergo & de filijs intelligendum est. Numquid igitur, quod sæpe repetendum est, soboles profanorum huiuscemodi sanctitatis aliqua cuiuslibet parentis portione contegitur, vel aliquibus huiusmodi disciplinis, precibus, adhortationibus cuiuspiam participationem, vel notitiam, vel auditum, vel eruditionem sanctitatis assumit, quæ est sub immundorum spirituum dominatione consistens, & diabolicis præuaricationibus, & contagijs mancipata? Hoc modo semper immunda est, quo parentes, quamdiu in eadem peruersitate consistit: plerunque autem & per anticipationem (quod in scripturæ sanctæ textu frequentius inuenitur) iã esse dicitur quod futurum est, sicut in Euangelio legimus. Quia Iesvs moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Filios Dei certè iam nuncupans, qui adhuc essent diffusa gratiæ euocatione per mundum sacris innouandi mysterijs, in Dei filios adoptandi, vel cum dicitur: Beati qui non viderunt & crediderunt, iam beati appellati sunt qui adhuc tunc futuri fuerant beati, cum essent, quæ non viderant crediturí; sicut & plerunque pro faciendis iam facta referuntur, vt foderunt manus meas, & pedes meos. Item tamquam profitendo definitur, quod non sit causa qualibet interueniente faciendum, sicut beatus Apostolus pro deuotione prædicationis iniunctæ ad Hispanias se profitetur iturum: quod tamen certa dispensatione deitatis, quod fieret non prouenit, alter cum appellatur, aliquid esse; quod hoc ipsum esse cessauit, vel cessaturum est, hoc ipsum esse; quod dicitur, vt Iudas Apostolus qui præuaricando, quod est appellatus amisit, sicut idem & discipulus dictus est, cum quidem nec Christi discipulus esset; sed potius diaboli, sicut de eo dictum est. Vnus ex vobis diabolus est; quod diaboli esset operarius. Dictus est tamen discipulus etiam, cum nec verus esset, & cessaturus hoc dici. est & ille modus, quod sæpe velut generaliter & absolutè dicitur, cum tamen ad omnes generaliter non pertinere manifestum est, vt cum dicitur Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes, omnes quidem gentes benedicentur: nec erit vlla natio sub cœlo, cui non prædicetur Euangelium, & tunc veniat finis; sed ipsæ gentes non ex integro omnes benedicentur, quia non omnium est fides, vel sicuti est, omnis lingua confiteatur Deo; cui locutioni sensus ille connectitur, cum ex parte totum sæpius nuncupatur: sicut & tunc homo Iuda cum totam gentem proculdubio nominaret. Sic & illi fideles sancti videri possunt vocati: quia multi, vel plurimi ex his, per ea quæ dicta sunt, mysterijs imbuti cœlestibus, sancti efficientur, & meritò iam esse dicti sunt quod futuri sunt, vel ex ea portione, qua per religiosum parentem erant participes sanctitatis, tamquam iam ex integro id essent, sancti sunt nuncupati, vel quia ex talibus filijs multi futuri essent plenæ sanctificationis hæredes.

Iam & isti ex eo, quod futuri fuerant nuncupati, sunt, & licèt hoc essent plurimi forsitan nunc futuri, à parte sanctorum toti sancti generaliter sunt vocati. De resurrectionis verò qualitate, vel de ea quæ post resurrectionem species sit futura, audiamus Apostolum prædicantem, vbi ait: Sed dicet aliquis, quomodo resurgent mortui? Quali autem corpore venient? & humanæ mentis diffidentiam redarguens; quàm meritò stultam quæ Deo quicquam iudicaret impossibile nuncupando competenter ex rerum etiam visibilium & humanis conuersationibus vsitatam similitudinem, comparationemque magnificam præclarus doctor inducit, dicens: Insipiens qui Deo hæc impossibilia æstimas, vel ambigis esse facienda; tu quod seminas, viuificatur; nisi prius moriatur? quam similitudinem ad resurrectionem corporis post mortem futuram conuenienter aptauit. Deinde quod secutus adiecit: & quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta tritici & ceterorum; Deus autem dat illi corpus, prout voluit ad qualitatem iam & speciem, quæ post resurrectionem futura est: genus comparationis adhibere curauit prout voluit, inquit, quid adhuc quæris? prout voluerit Deus, sic dabit vnicuique corpus ineffabili potentia susciatum. sed forsitan arbitreris, ideo magis significari non vnicuique suum reformandum propriè corpus, cum astruatur prout Deus voluerit esse reparandum.

Diligenter ergo sensum plenius hæc tractantis intende; si scire conaris cuiusmodi corpus vnicuique sit Deus hoc ipsum prout voluerit redditurus, & tamquam tibi iam tunc ad ista respondentis Apostoli verba perpende: nosse desideras; quare resuscitatis hominibus corpus, prout Deus voluerit, sit daturus, agnosce prudenter, & vnicuique seminum proprium corpus, quod vtique non sine causa vir Deo plenus adnectit, nisi vt futuras hominum huiusmodi dubitationes expelleret. Audi, inquam, quod sapienter adiecit, & ex similitudine rem ipsam cui comparatur agnosce: & vnicuique, inquit, seminum proprium corpus. si in similitudine proprium corpus, ergo & in re cuius similitudo est, proprium corpus certum est esse reddendum; semina enim ista sine controuersia hominibus comparauit, de quorum vtique morte & resurrectione loquebatur, atque ideo singula singulis conferes, quantum ad viuificanda post mortem corpora pertineret; de grani non prius viuificati quàm mortui comparatione singulari mirabiliter explicauit. Dehinc quali post resurrectionem corpore conferetur esse quisque venturus, id est vtrum hac conditione, quam moriendo gustauerat, an longè meliore, nihilominus illa similitudine patefecit, quam sequutus exposuit; & tu qui seminas, nudum granum seminas, vt puta tritici, aut alicuius ceterorum; & Deus dat illi corpus, prout vult. In hac ergo forma corpus Deum dare, decentius quàm obierat, euidenter expressit; sicut in subsequentibus dicitur: Seminatur in corruptione, surgit in incorruptionem: seminatur in ignobilitate, surgit in gloriam; seminatur in infirmitate, surgit in virtutem; seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale. Ecce quemadmodum hominis mo-

rientis

1. Cor. 7.

Per anticipationẽ dicitur aliquid esse in scriptura quod futurum est. Ioan. 11.

Ioan. 20.

Per anticipationem in scripturis dicuntur facta pro faciendis. Psal. 68.

Ioan. 6

Gen. 22.

1. Cor.

rientis nó hoc seminatur, quod corpus est pòst futurũ. Ecce prout vult DEVS intelligitur resurrecturis corpus reformare post mortem cum inæstimabili suæ misericordiæ voluntate; quod fuerat in corruptione seminatum, incorruptibili nobilitate restaurat; quod fuerat terrenæ conditionis in ignobilitate sopitum, in gloria cœlesti resuscitat; quod fuerat mortalitatis infirmitate resolutum, reintegrat in immortalitatis decore vestitum; postremò quod fuerat animale, defunctum corpus spirituale restituit & reformat: quæ cuncta ad statum meliorationis, sublimationisque respiciunt. Illa verò quæ restat pars comparationis annexæ specialiter ad proprietatem corporis vnicuique redhibenda pertinere firmatur, qua consequenter dicitur: & vnicuique seminum proprium corpus, vbi satis apparet in quauis resurgentium claritate proprietatem corporis esse mansuram: nec otiosum est quod beatus Apostolus cum de solo humano genere, quod solum est vtique suscitandum, nec alia quæcunque substantia hoc est munere decoranda, atque ideo sufficeret ad vnum genus hominum vnam speciem seminis gratia comparationis adhibere, per quam & non prius viuificari quàm mori, & honorabilius corpus quàm seminaretur exsurgere perdoceret; sed vt diuersi sexus proprium corpus assereret innouandum, quod in vna specie seminis, quantum ad similitudinem respiceret, non habebat: ne per hoc & vnam tantummodo speciem resuscitandorum corporum futurarum significasse putaretur proprietatum distinctione summota; discreta quæque seminum genera comparationis suæ cautè, conuenienterque duxit adhibenda, vt proprietatem corporum, sicut dictum est, quam vna species discernere non valebat, seminum diuersitas indicaret, suppeditaretque plenæ comparationi facultas, per quam ad specialitatem corporum designandam conuenientissimè diceretur, & vnicuique seminum proprium corpus, vt quod vna species cuiuslibet grani, discreto sexu, qui ei nullus æstimare non posset exprimendæ corporum proprietati, sicut sæpe iam dictum est, seminum diuersitas intelligentiam ministraret. Triplex igitur in hac comparatione propositio, disputatio, diffinitio est: & quantum ad intelligendam resurrectionem pertinet corporalem ex similitudine grani non prius viuificati quàm mortui competens similitudo, sufficiensque deprompta est. Quantum verò ad id attinet, quia non id corpus seminatur, quod futurum est: sed DEVS dat illi corpus prout vult, in eiusdem continentia lectionis necessario causa referatur, cum corruptibile corpus seminatum perhibetur incorruptibile rediturum, & cætera, quæ huic sensui probantur adhærere. Quantum autem ad proprietatem corporum respicit edocendam plenissimè declaratur, quod Beatus Apostolus nequaquam seminis vnius comparatione contentus, per quod proprietatem corporum non posset ostendere, cum id vna species, vt supra memoratum est, seminis non haberet, studuit ex seminum diuersitate monstrare vnicuique surgentium, qui sunt vtique seminibus comparati, proprium corpus esse reddendum. Et resurgent ergo homines viuificati post mortem, qui vtique prius morientibus, & postmodum viuificandis seminibus comparati sunt: & non hoc quod moriuntur, id est tamquam seminantur, resurgunt; sed DEVS eis dat corpus vt vult, vt sit de corruptibili incorruptibile, de mortali immortale, de inspirituali spirituale; vt quod mortis fuerat conditione decoloratum immortale, de quorum integritate reddatur, & proprium corpus sicut vnumquodque seminum sine dubio recepturi sunt; quod quia diuerso sexui in vno semine comparari non poterat; ex seminum diuersitate collatum est, vt ex diuersitate seminum corporum proprietas signaretur. Si verò proprium corpus resuscitatus quisque suscipiet, indubitanter est consequens, vt vnicuique sexui corpus proprium reformetur, quia sicut dictum est & vnicuique seminum proprium corpus restituitur attributum, & sic vnicuique seminum proprium corpus restituitur, per quæ vtique semina in vtroque sexu omne genus hominum designatum est. Sequitur vt omne genus humanum, quod in vtroque sexu istis est seminibus designatum, proprium sit corpus, arbitrium hoc nos ex verbis Apostoli fas est sobria consideratione metiri. Vltra quæ cauendum est temeraria curiositate prorumpere; propter quod etiam admonemur, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne fueris scrutatus, & non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Postremò attendentes illud, quod Apostolica quoque prædicatione firmatum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit DEVS timentibus se, quisquis superius memorati sensus Apostoli non est intelligentia, vel comparatione contentus; ad hoc certè velit nolit, sine dubitatione constringitur, vt quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, qualibet audeat sibi meditatione componere, quasi verbo humani corporis aliqua membra culpabilia, vel decora vel reprehensibilia sint creata, cum DEVS fecerit omnia bona valde & vnamquamque speciem in suo genere competenti decore subnixam, nisi quòd hæc, quæ inhonesta nostra sunt dicta, concupiscentiæ primordialis decolor asset excessus: quæ vtique sic fuerant instituta, vt ad nutum mentis humanæ famulantia, tantummodo ex animæ rationalis arbitrio ad procreandæ sobolis causam, suis officijs fungerentur. Præter hanc verò causam nihil contra mentis imperium, quæ præueniendo insolentius voluntate, vel cum id voluntas expeteret, quicquam rebellionis afferrent. Sed postquam anima summis suis subiecta non constitit, pari in se ipsa naturæ contumacis lege punita superbia est, vt huic quoque, id est animæ dominio subiecta consequenter obsequia repugnarent, & quod vetiti præsumptione contraxerat humanæ mentis inobediens appetitus, in ea parte corporis indicaret, qua degeneris, ac decoloratæ superbæque radicis proculdubio vitiosa fuerat generatio propaganda: quæ vtique si hic nisi essent hac exorbitatione fœdata potuerant decore tantum humano generi propagando tam honesta, quàm moderata persistere etiam in corpore sine dubitatione terreno, quanto magis credendum est in spirituali corpore ineffabiliter decentius hæc posse constare; præcipuè, cum nihil iam genitalis officij in illa perpetua claritate gestura sint: sed ad hoc tantum suæ speciei formæque non deerunt, vt non aliqua alia forma, quàm humana, cui promissa resurrectio est, resuscitata iudicetur, nec aliquid sit, quod in carnis perfecta resurrectione non maneat, & videatur alia species suscitata, quàm integræ carnis humanæ lineamenta designant: quæ quisque non vult fortasse moderata ratione librare velit nolit, vt dictum est; aut ad illud superius reuertetur, vt quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non æstimet perscrutandum, aut si vltra conatur erumpere, ipse videat suæ temeritatis abruptum. Quàm autem condita sunt honesta humanæ membra substantiæ, etiam res illa nos admonet, quòd cum in Paradiso nudi essent primi parentes, nihil in his confusionis habuerunt. Vnde post peccatum & concupiscentiæ virus ingressum corporum suorum inordinata perturbatione confusi sunt. Atque ideo satis apparet, quòd si in illa quauis felicitate paradisi positi, terreno tamen corpore constituti, conspici sine confusione potuerunt, multo magis in illo spirituali corpore, atque in illa sublimi beatitudine, quæ similitudinem gestura est Angelorum, & vt homini in carnis resurrectione nihil desit, integer reformetur. Et ne aliquid deforme conditor creasse videatur, si quid de resuscitato corpore subtrahatur bonum, pòtius eius opus inde etiam comprobetur, vt eius conditio in illis quoque claritatis decore permaneat, nisi forte isti etiam illic adhuc existiment motus corporeos orituros, vbi (sicut ipse Dominus ait) neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli. Quod vtique si in vnam speciem corporis vnumque sexum omnes fuerant suscitandi, cur diceretur, causa penitus non fuisset. Quin potius cum femineo sexu magis competat nubere, non illic defuturum, sed cessaturum prorsus à nuptijs indicatur. Cum autem nihilominus scriptum sit, vt capiat vnusquisque propria corpora quæ gessit siue bona, siue mala, quomodo id fiet, nisi vterque sexus in sui corporis proprietate vel iudicium subeat, vel præmium beatæ resurrectionis accipiat? Falluntur autem qui putant illud Apostoli testimonium sibimet suffragari, quo videntur asserere in virilem formam omnes homines resuscitandos, vbi ait: Donec occurramus omnes in vnum virum perfectum. quid ergo facient cum rursus idem dicat: Despondi vos vni viro virginem castam exhibere CHRISTO; quod huic vtique opinioni eorum erit sine dubitatione contrarium, nisi mysterio cõpetenter in

Rom 11. 1. Cor. 2.

Gen. 1.

1. Cor. 2.

Marc. 12.

2. Cor. 5.

Ephes. 4.

2. Cor. 11.

specto modesta mente cognoscant, qualiter vtrum cõueniat. quid itaque velit sibi, quod in vtroque sexu describat Ecclesia, quantum Domino referante sentimus, exponimus. Ab initio Christum & Ecclesiam humana carne similitudine cõiugij designatam sancta scriptura testatur. Proinde cum femineo sexu censetur Ecclesia, infirmitas quidem humanæ conditionis ostenditur, quæ tanquam in Ecclesia coniuge Christi conuenienter exprimitur: sed nomine virginitatis, vel continentiæ eius propositum vel integritas fidei, de qua & ipse beatus Apostolus differit, intimatur. Cum verò dicitur, donec occurramus omnes in virum perfectũ, nec diuersum est, nec diuisum; quoniam quicquid in Ecclesiæ corpore continetur, quæ cum Christo vna caro est sacri lege coniugij, etiam ipsius caro modis omnibus in sexu fieri vtroq; quod dictum est siue illic virginem castam siue huic virum perfectũ, vt ita sint in Ecclesia catholica intemerata fide viuentes, & sancto proposito continentes. Licet adhuc possit in infirmitate conditionis humanæ, vt tamen per vnam carnem Ecclesiæ & Christi, id est coniugis & viri in ipso quoque virilem accipiat firmitatem, vigoremque perfectum, cuius per Ecclesiæ virgineam fidei castitatem, quam cum eodem vna caro fiunt, & viri membra perfecta; vbi illa quoque beati Apostoli Pauli verba tractanda sunt, quibus ait: Omnes nos in vnum corpus baptizati sumus in Christo. Quantum ad vnitatem vtique pertinet sacramenti vnum corpus sumus in Christo: quantum ad sexuum diuersitatem ipse alibi dicit: Siue vir, siue mulier, omnes vnum sumus in Christo, cum suo enim toto corpore, quod eius est plenitudo, perfectus est Christus; & ideo quia per vnum idemque mysterium, licet diuersi sexus, vnum tamen corpus accipitur, per cuius corporis plenitudinem perfectus est Christus. Cum ergo vir Christus Ecclesiæ tanquam coniugis suæ & caput sit & virtus, atque perfectio; meritò omnis Ecclesia in hunc vnum virum perfectum, cuius est vna caro, perhibetur occurrere.

Occurrere in virũ perfectum quomodo intelligatur.

1. Cor. 12.

Gal. 3.

DECRETA DVO, QVÆ (GRATIANO authore) ex epistola ad Dardaniæ Episcopos desumpta sunt.

PRIMVM.

Repeti non possunt, quæ 30. annis quietè possidentur.

Post quingentos annos, constituta Christi quosdam audio velle subuertere, quum 30. annorum lex hominum non possit abrumpi.

SECVNDVM.

Non oportet ab eorum eleemosynis abstinere post mortem, quibus in vita communicare non destitimus.

Nec quisquam vobis omninò persuadeat, Acacio præuaricationis suæ crimen fuisse laxatum: quia qui postquam in collegium recidens prauitatis, iure meruit ab Apostolica cõmunione secludi, in hac eadem persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes non quæsiuit omninò nec meruit, nec mortuus iam potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatum est: *Quæ ligaueritis super terram.* Et reliqua. Cæterùm de eo, qui in diuino iudicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id, in quo eum dies supremus inuenit: atque ideò, nisi eius nomine refutato, cæterisq; cõsortibus huius erroris, cum nullo prorsus eorum participare debetis mensæ Dominicæ puritatem, quam maiores nostri semper ab hæretica magnoperè seruauerunt pollutione discretam.

24. qu. 2. Nec quisquam

Matth. 18.

CONCILIVM ROMANVM I. QVO A LXX. EPISCOPIS LIBRI SACRI ET AVTHENTICI AB apocryphis sunt discreti sub Gelasio, anno Domini 494. Asterio atq; Præsidio Consulibus.

ORDO LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI, quem sancta & Catholica Romana suscipit & veneratur Ecclesia, digestus à B. Gelasio Papa cum Septuaginta episcopis.

GEnesis liber vnus.
Exodi liber vnus.
Leuitici liber vnus.
Numeri liber vnus.
Deuteronomij liber vnus.
Iesu Naue liber vnus.
Iudicum liber vnus.
Ruth liber vnus.
Regnorum libri quatuor,
Paralipom. libri duo.
Psalmorum 150. liber vnus.
Salomonis libri tres.
Prouerbia.
Ecclesiastes,
& Cantica Canticorum.
Item Sapientiæ liber vnus.
Ecclesiasticus liber vnus.
Item ordo prophetarum.
Esaiæ liber vnus.
Hieremiæ liber vnus.
Cinoth, id est, de lamentationibus suis.
Ezechielis liber vnus.
Danielis liber vnus.
Oseæ liber vnus.
Amos liber vnus.
Michææ liber vnus.
Iohel liber vnus.
Abdiæ liber vnus.
Ionæ liber vnus.
Naum liber vnus.
Abacuc liber vnus.
Sophoniæ liber vnus.
Aggæi liber vnus.
Zachariæ liber vnus.
Malachiæ liber vnus.
Item ordo historiarum.
Iob liber vnus.
Tobiæ liber vnus.
Esdræ liber vnus.
Hester liber vnus.
Iudith liber vnus.
Machabæorum liber vnus.

ITEM ORDO SCRIPTVRARVM NOVI ET æterni Testamenti.

EVangeliorum libri quatuor.
Secundum Matthæum liber vnus.
Secundum Marcum liber vnus.
Secundum Lucam liber vnus.
Secundum Ioannem liber vnus.
Actuum Apostolorum liber vnus.
Epistolæ Pauli Apostoli numero XIV.
Ad Romanos epistola vna.
Ad Corinthios epistolæ duæ.
Ad Galatas epistola vna.
Ad Thessalonicenses epistolæ duæ.
Ad Ephesios epistola vna.
Ad Philippenses epistola vna.
Ad Colossenses epistola vna.
Ad Timotheum epistolæ duæ.
Ad Titum epistola vna.
Ad Philemonem epistola vna.
Ad Hebræos epistola vna.
Item Apocalypsis Ioannis liber vnus.
Item Canonicæ epistolæ num. septem.
Iacobi Apostoli epistola vna.
Petri Apostoli epistolæ duæ
Ioannis Apostoli epistolæ tres.
Iudæ Zelotis Apostoli epistola vna.

B. GELASII PAPAE DECRETVM CVM Septuaginta Episcopis habitum de Apocryphis Scripturis.

Ex Concilio Romano

POst Propheticas, Euangelicas, atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum putamus, quòd quamuis vniuersæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Catholica & Apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris Ecclesijs prælata est, sed euangelica voce Domini & Saluatoris nostri, primatum obtinuit:

Romana Ecclesia omnibus præ ea Domini voce

Tues

Matt. 16. Tu es Petrus, inquientis, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eã: & tibi dabo claues regni cælorum. Et quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Cui data est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diuerso, sicut hæretici garriunt, sed vno tempore, vno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in vrbe Roma, sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est, & pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemq; omnibus vrbibus in vniuerso mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli Sedes, Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam, nec aliquid huiusmodi. Secunda autem Sedes, apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius discipulo & Euangelista consecrata est. Ipseque à Petro Apostolo in Aegyptum directus, verbũ veritatis prædicauit, & gloriosum consummauit martyrium. Tertia verò Sedes, apud Antiochiam eiusdem beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis, eo quòd illic priusquam Romam venisset, habitauit, & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est. Et quamuis aliud fundamentum nullus possit ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus: tamen ad ædificationem nostram eadem sancta Romana Ecclesia post illas veteris vel noui testamenti, quas regulariter susceptimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est, sanctam Synodum Nicęnam trecentornm decem & octo Patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arius hæreticus condemnatus est: Sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit: Sanctam Synodum Ephesinam, in qua Nestorius condemnatus est consensu beatissimi Cælestini Papæ, mediante Cyrillo Alexandrinæ Sedis Antistite, & Archadio, episcopo ab Italia destinato.

Petrus & Paulus eodem die Romæ necati.

Ephes. 5.

1. Cor. 3.

Sanctam Synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano episcopo: In qua Nestoriana & Eutychiana hæreses simul cum Dioscoro eiusque complicibus damnatæ sunt. Sed & si qua sunt Concilia à sanctis Patribus hactenus instituta, post horum auctoritatem & custodienda & recipienda, & decernimus, & mandamus.

Item opuscula B. Cypriani martyris & Carthaginensis episcopi.

Item opuscula B. Gregorij Nazianzeni episcopi.

Item opuscula B. Basilij Cappadociæ episcopi.

Item opuscula B. Athanasij Alexandrini episcopi.

Item opuscula B. Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item opuscula B. Ioannis Constantinopolitani episcopi.

Item opuscula B. Theophili Alexandrini episcopi.

*Item opuscula B. Hilarij Pictauiensis episcopi.

*Item opuscula B. Protetii Alex. episcopi.

Item opuscula B. Ambrosij Mediolanensis episcopi.

Item opuscula B. Augustini Hipponensis episcopi.

Item opuscula B. Hieronymi presbyt.

Item opuscula Prosperi viri religiosissimi.

Item epistolam B. Leonis Papæ ad Flauianum Constantinopolitanum episcopum destinatam. Cuius textum quispiã si vsque ad vnum iota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit; anathema sit.

Item opuscula atque tractatus omnium orthodoxorum patrum, qui in nullo à sanctæ Ecclesiæ Romanæ cõsortio deuiarunt, nec ab eius fide vel prædicatione seiuncti sunt; sed ipsius communionis per gratiam Dei vsque in vltimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus.

Item Decretales Epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Romana pro diuersorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter recipiendas.

Item gesta sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ita esse catholicorum dubitet, & maiora eos in agonib. fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratia Dei & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam consuetudinem, singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur: & ab infidelibus aut idiotis superflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur; sicut cuiusdam Quirici & Iulitæ, sicut Georgij, aliorumque huiusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ: propter quod, vt dictum est, ne vel leuis subsannandi orireturr occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cũ prædicta Ecclesia omnes martyres, & eorum glorioso agones, qui Deo magis quam hominibus noti sunt, omni deuotione veneramur.

Item Vitas patrum, Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronym. cum omni honore suscipimus.

Item actus B. Syluestri Apostolicæ Sedis præsulis, licèt eius, qui conscripsit nomen ignoretur; à multis tamen in vrbe Roma catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vsu multæ hæc imitantur Ecclesiæ.

Item scripta de inuentione Crucis Dominicę, & alia scripta, de inuentione capitis Ioannis Baptistæ, nouellæ quædam relationes sunt, & nonnulli eas catholici legunt. Sed cum hæc ad catholicorum manus peruenerint, B. Pauli Apostoli præcedat sententia: Omnia probate, quod bonum est, tenete. 1. Thess. 5.

Item Rufinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nõnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notauit; illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus: & non solùm de Rufino, sed etiam de vniuersis, quos vir sæpius memoratus, zelo Dei & fidei religione reprehendit.

Itẽ Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse renuenda.

Item Chronica Eusebij Cæsarienſis, & eiusdem Ecclesiasticæ historiæ libros: quamuis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & postea in laudibus atq; excusatione Origenis schismatici vnum conscripserit librum: propter rerum tamen notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, vsquequaque non dicimus renuendos.

Item Orosium virum eruditissimum collaudamus: quia valdè nobis necessariam aduersus paganorum calumnias dignam ordinauit historiam, miraque breuitate contexuit.

Item venerabilis viri Sedulij paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.

Item Iuuenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur. Cetera, quæ ab hæreticis siue schismaticis conscripta vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

ITEM NOTITIA LIBRORVM APOCRYPHORVM, qui non recipiuntur.

In primis Ariminensem Synodum à Constantio Cæsare, Constantini Augusti filio congregatã, mediante Tauro præfecto, extunc & nunc, & vsque in æternum confitemur esse damnatam.

Item Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis libri octo, apocryphum.

Actus nomine Andreæ Apostoli, apocryphi.

Actus nomine Thomæ Apostoli, apocryphi.

Actus nomine Petri Apostoli, apocryphi.

Actus nomine Philippi, apocryphi.

Euangelium nomine Thaddæi, apocryphum.

Euangelium nomine Matthiæ, apocryphum.

Euangelium nomine Petri Apostoli, apocryphum.

Euangelium nomine Iacobi minoris, apocryphum.

Euangelium nomine Barnabæ, apocryphum.

Euangelium nomine Thomæ, quo vtuntur Manichæi, apocryphum.

Euangelium nomine Bartholomæi Apostoli, apocryphum.

Euangelium nomine Andreæ Apostoli, apocryphum.

Euangelia, quæ falsauit Lucianus, apocrypha.

Liber de infantia Saluatoris, apocryphus

Euangelia quæ falsauit *Esitius, apocrypha. *Hesychius

Liber de natiuitate Saluatoris, & de Maria & obstetrice, apocryphus.

Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus.
Libri omnes, quos fecit Leucius discipul⁹ diaboli, apocryphi.
Liber, qui appellatur fundamentum, apocryphus.
Liber, qui appellatur thesaurus, apocryphus.
Liber de filiabus Adæ Geneseos, apocryphus.
Centimetrum de Christo, Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum.
Liber, qui appellatur Actus Teclæ & Pauli Apostoli, apocryphus.
Liber, qui appellatur Nepotis, apocryphus.
Liber Prouerbiorum, qui ab hæreticis conscriptus, & sancti Sixti nomine prænotatus est, apocryphus.
Reuelatio, quæ appellatur Pauli Apostoli, apocrypha.
Reuelatio, quæ appellatur Thomæ Apostoli, apocrypha.
Reuelatio, quæ appellatur Stephani, apocrypha.
Liber, qui appellatur transitus, id est, Assumptio sanctæ Mariæ, apocryphus.
Liber, qui appellatur pœnitentia Adæ, apocryphus.
Liber Ogiæ nomine gigantis, qui ab hæreticis cum dracone post diluuium pugnasse perhibetur, apocryphus.
Liber, qui appellatur testamentum Iob, apocryphus.
Liber, qui appellatur pœnitentia Origenis, apocryphus.
Liber, qui appellatur pœnitētia sancti Cypriani, apocryphus.
Liber, qui appellatur pœnitentia Iamnis & Mābræ, apocryphus.
Liber, qui appellatur Sortes Apostolorum, apocryphus.
Liber, qui appellatur laus Apostolorum, apocryphus.
Liber Canonum Apostolorum, apocryphus.
Liber Physiologus, qui ab hæreticis conscriptus est, & B. Ambrosij nomine signatus, apocryphus.
Historia Eusebij Pamphili, apocrypha.
Opuscula Tertulliani, apocrypha.
Opuscula Lactantij, apocrypha.
Opuscula Africani, apocrypha.
Opuscula Posthumiani & Galli, apocrypha.
Opuscula Montani, Priscillæ & Maximillæ, apocrypha.
Opuscula omnia Fausti Manichæi, apocrypha.
Opuscula Commodiani, apocrypha.
Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha.
Opuscula Tatij Cypriani, apocrypha.
Opuscula Arnobij, apocrypha.
Opuscula Tyconij, apocrypha.
Opuscula Cassiani, presbyteri Galliarum, apocrypha.
Opuscula Victorini Pictauien. apocrypha.
Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum, apocrypha.
Opuscula Frumenti Cæci, apocrypha.
Epistola Iesu ad Abagarum regem, apocrypha.
Epistola Abagari ad Iesum, apocrypha.
Passio Quirici & Iulitæ, apocrypha.
Passio Georgij, apocrypha.
Scriptura, quæ appellatur, contradictio Salomonis, apocrypha.
Phylacteria omnia, quæ non angelorum (vt illi confingunt) sed dæmonum magis arte conscripta sunt, apocrypha.

Hæc & omnia his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus, & Bonosus, & qui simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscœnissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, siue Manichęus, Faustus, Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Nouatus, Sabbatius, Cælestius, Donatus, Eustathius, Iouinianus, Iulianus Celanensis, Cælestinus, Maximinus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus, *Vnicus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus, è quibus vnus Alexandriam, alius Antiochiam maculauit. Acatius Constantinopolitanus cum consortibus suis, necnon & omnes hæretici, eorumque discipuli siue schismatici, docuerunt vel conscripserunt, quorum nomina minimè retinentur non solùm repudiata, verùm etiam ab omni Romana Catholica & Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

*al. Cynicus

NOTAE.

Causa Cōcilii.

Concilium.] *Ad fidem Catholicam illibatè custodiendam, dissidia tollenda, pacemq; in Ecclesia restituendam, Pontifex vna cum Concilio in eo potissimum laborauit, vt Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ communio nulla vel leui macula conspersa, illibata penitus & impolluta sarta ac tecta in omnibus seruaretur. Ad hoc autem præstandum solicitiorem curam impendens, non solum vindicasse voluit ipsam Ecclesiam ab omnibus, vt semper fuit, immunem hæresibus atque hæreticorum consortio; sed vt eam redderet à prauorum scriptorum contagione securam, omne studium adhibēs, delectum habuit Ecclesiasticorum librorum, qui hactenus editi, legi solerent: distinguens separansq; quasi os Domini, mundum ab immundo, & secernens pretiosum à vili. Cuius rei perficiendæ gratia Decretum constitut ab Ecclesia Catholica perpetuo seruandum, in quo post recensitos Veteris ac noui Testamenti libros canonicos, adiecit de primatu Romanæ Ecclesiæ & aliarum Patriarchalium Ecclesiarum iuribus, ad reprimendam Constantinopolitanorum Antistitum præsumptionem & audaciam infringendam, qua se Acacius primum, inde eius successores aduersus Romanam Ecclesiam proteruè nimis exerexerant.*

Acta Concilij.

Ordo librorum veteris Testamenti.] *Quot quot hoc loco enumerantur, et in Canonem sacrorum librorum referuntur libri veteris Testamēti, ijdem penè omnes recensiti sunt supra can. vlt. Conc. Laodiceni. Et can. 47. Cōc. Carthag. 3. Itē Epist. 3. Innocētij Primi ad Exuperium. Canonem Apostolorum 84. vtpote quo sacri libri omittūtur, & apocryphi in numerum sacrorum referuntur, spurium esse & illegitimum, supra in Notis eiusdem canonis copiosè ostendimus. Pueteris ac noui Testamenti libros sacros à calumnia hæreticorum omnium liberauit doctissimè & copiosissimè Reuerend. & Illustriss. Cardinalis Bellarm. toto lib. 1. de verbo Dei scripto. Illustriss. item Cardinalis Baron. tom. 1. Annalium, diuersis in locis, Sancti Pauli, aliasq; Canonicas Epistolas cum Apoc. S. Ioannis Apostoli, à furore & dementia hæreticorum vindicauit. Ad eusitandam prolixitatem istuc Lectorem benevolum remitto. De libris apocryphis, eorumq; auctoribus diuersis in locis Annalium Baronius dignissima obseruatu annotauit: & post eum Antonius Posseuinus in apparatu sacro.*

Delibri sacris & apocryp.

Sancta Romana Ecclesia.] *Hoc decretum extat dist. 15. can. 3. Lectio eius ab Originali tantopere discrepat, vt satis certo statuno possit, quæ sit vera & pura Gelasij, nec magnopere mirandum sit si nonnulla sint, quæ difficultatem faciunt. Vide Notas emendatorum Decreti Gratiani. &c.*

CONCILIVM ROMANVM II. QVO A GELASIO ET EPISCOPIS 55. MISENVS ABSOLVITUR, Anno Domini 495. tertio idus Maij.

RESidente in Synodo venerabili viro Papa Gelasio vna cum Bonifacio, Maximino, Epiphanio, Basilio, Vitali, Claro, Irenæo, Decio, Asello, Euplo, Valentino, Martiniano, Basso, Benigno, Primitiuo, Palladio. Vindemio, Constantio, Martyrio, Candido, Laurentio, Deodato, Mercurio, Stephano, Dulcitio, Fortunato, Paschasio, Sanctulo, Innocentio, Chrysogono, Colonico, Molensi, Maximiano, Valentino, Constantio, Gaudētio, Felice, Vitaliano, Petro, Sereno, Aucupio, Timotheo, Stephano, Laurentio, & Probo Episcopis, residentibus etiam Castino, Laurentio, Canusio, Eugenio, Ianuario, Martiano, Gordiano, Petro, Vrbico, Paulino, Valente, Petro, Asterio, Smaragdo, Bonifacio, Maxentio, Epiphanio, Iustino, Felice, Redempto, Proiectitio, Callisto, Ioanne, Valentino, Sebastiano, Martino, Epiphanio, Andrea, Seruodei, Apellione, Petro, Seruando, Agapito, Abundantio, Marcellino, Litorio, Laurētio, Agathone, Sebastiano, Valentino, Anastasio, Genesio, Dionysio, Epiphanio, Acontio, Paulino, Agapito, Adeodato, Benedicto, Dominico, Redempto, Seuero, Iuliano, Stephano, Crescentiano, Septimino, Cypriano, & Epiphanio presbyteris vna cum Amandiano viro Illustri, & Diogeniano viro spectabili; astantibus quoq; diaconibus, Gelasius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ dixit: Meminit dilectio vestra superiore Conuentu oblatum nobis à Miseno libellum in conspectu vestro, fuisse recitatum: hunc eundem, si placet dilectioni vestræ denuò recensendū, vt Acta nostra contineant. Et quia aliud se quoque petitorium præmanibus habere profitetur, quid etiā in hoc contineatur, possimus agnoscere. Et adiecit: Miseni libellus denuò recitetur.

Anasta-

Anastasius diaconus recitauit: Datũ à famulo vestro Miseno die octauo Iduum Martiarum, Viatore V.C. Consule. Quantum ad meæ pertinet infelicitatis abruptum, errori meo qualibet ratione cõtracto definio non esse parcendum: quoniam hoc ipso pœna carere non debeo, quod merui ad causam pœnalem, quæcunque foret, perduci.

Quantum verò pertinet* ad remediale subsidium, duo sunt quę ad me hoc suppliciter implorandum venire cõstringunt: ne vel ego desperatione magis perpetuis cruciatibus sim dignus addici Iudæ præuaricatoris exemplo: & quia tanta est ineffabilis illa clemẽtia, quæ Apostolica potestate vniuersum facinus possit absoluere. Hanc igitur solam in meo negocio, Papa venerabilis, vocem miserandus effundo: Parce prostrato, porrige manum iacenti. Nullis ignorantiæ excusationibus nitor, nullas decipulas circumuentionis obtẽdo; nec in quemquam calamitatis meę studeo transferre discrimen: quia alios incusare non debeo, qui poscam clementer absolui: quia licet mihi pro mea defensione nihil afferam, non ambigam tamen hæc omnia tuo iudicio esse tractanda. Tantũ quæso, vt superno numini obsequentes, quod pronunciat per Prophetã: Nolo mortem morientis, donec reuertatur & viuat: vos potius cuncta quę in persona mea gesta sunt, benigna consideratione librantes,* viaticum seni ægritudine & continua maceratione consumpto, ne sine Ecclesiastica communione rapiar, non negetis, ex alterius casu experimentũ meæ formidinis intuentes: qui auxilium, etiam vobis cõferre volentibus, non potuit indipisci. Et me per imperitiam hac clade potiùs implicatum hoc ipso dignanter ostendite, quòd ad receptionis Ecclesiasticæ superstes gratiam valui peruenire.

Quo lecto, Gelasius Episcopus dixit: Petitorium Gesta retinebunt. Et adiecit: Ipse nũc Misenus adueniat, & petitorium quod obtulit, ipso præsente, recitetur. Cumq; ingressus fuisset Misenus, prostratus in terram aliud petitorium obtulit, & rogauit vt susciperetur. Cumque susceptum fuisset, Gelasius Episcopus dixit: Vtraque petitoria quæ obtulit, ipso quoque præsente, legantur. Iterum Anastasius diaconus recitauit: Datum à famulo vestro Miseno, 8. Id. Mart. Fla. Viatore V. C. Conſ.

Quantum ad meæ pertinet infelicitatis abruptum,* errori meo qualibet ratione cõtracto definio non esse parcendum: quoniã hoc ipso pœna carere non debeo, quoniam merui ad pœnalem causam quacunque sorte perduci. Quantum verò respicit ad remediale subsidium, duo sunt quæ me ad hoc suppliciter implorandum venire cõstringunt: ne vel ego desperatione magis perpetuis cruciatibus sim dignus addici Iudæ præuaricatoris exemplo; & cætera quæ superius continentur. Item aliud petitorium recitat: Datum à famulo vestro Miseno sub die tertio* Id. Mar. Fla. Viatore V. C. Conſ.

Oblato primitus petitorio meo nihil aliud suppliciter exoraui, quã vt misericordia mihi sedis Apostolicæ non in perpetuũ negaretur: cuius mihi spem quoniam pro immensa Dei pietate, qua regitur, relucere iam sentio, magis magisque conscientiam meam cõtagijs perfidorum, quæ infeliciter potius, quàm studio, circumuentus incideram, liberam purgatamque esse pronuncians, toto corde atque ore protestor sub diuinæ contemplationis intuitu, me omnes quidem hæreses & quicquid inimicum est Catholicæ & Apostolicæ fidei, cõmunionisq; sinceræ, prona mente refutare; tum præcipuè Eutychianam hæresim cum suo sc. auctore Eutychete & eius sectatore Dioscoro, vel successoribus eius atq; communicatoribus Timotheo Æluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano, Petro Antiocheno, cunctisque eorum complicibus & communicatorib. respuere, damnare, & anathematizare perpetuò; omnesq; istos & huiusmodi horribiliter execrari; nec vnquam me cum talibus vllum quolibet modo profiteor habiturum esse cõsortium, sed ab his omnibus futurum prorsus alienum. Quorum prauitatem licet nunquam voluntate receperim; tamen quia me calamitatis impulsu minus cautus videor incidisse, sub conspectu Dei & B. Petri Apostoli eiusq; Vicarij, ac totius Ecclesiæ, mea (sicut dixi) professione* vocęque condemno, detestor, exhorreo, in sola me fide cõmunioneq; Catholica & Apostolica semper duraturum esse confirmans. Cui petitioni meæ manu mea subscripsi die tertio Id. Martiarum, Viatore V.C. Conſ. Hæc vestræ beatitudini in Conuentu venerandorum* credidi meis manibus offerenda. *& alia manu.* Ego Misenus huic petitioni meæ & à me oblatæ subscripsi, die & Consule suprascripto.

Gelasius Episcopus dixit: Quæ lecta sunt, transcribantur. Et adiecit: Quid videtur fraternitati vestræ statuendum, vestri quoque consilij participatione desideràmus agnoscere. Leuauerunt se omnes Episcopi & presbyteri, rogantes & dicentes: Exaudi Christe: Gelasio vita: dictum vicies. Quod vobis Deus dedit in potestate præstare: dictum duodecies. Hoc fac, quod facit dominus Petrus: dictum decies. Vt indulgeas, rogamus: dictum nouies. Cùm denuò sedissent, Gelasius Episcopus dixit: Sedes Apostolica quidem, quæ Christo Domino delegante, totius Ecclesiæ retinet principatum, pro dispensatione curaq; generali, quam vel pro fide Catholica, vel pro paternis canonibus regulisq; maiorum necessaria semper circumspectione depender, Misenum atque Vitalem, quos contra Eutychianæ pestilentiæ sectatores, vel contra eos qui talium se communione polluerant, suę potestatis legatione suffultos ad Orientem dudum sub sanctæ memoriæ decessore meo Præsule destinarat, quòd Apostolica præcepta declinantes quolibet modo in eorum, aduersum quos missi fuerant, consortia recidissent, Gestis Synodalibus rerum discussione patefacta, communione pariter & honore meritò iureque summouit.

Quibus tamen misericordiæ locum memor supernæ pietatis pro suo moderamine reseruauit: & dum conditionẽ posuit vltionis, spem noluit propitiationis abscindi: sicque suam sententiam temperauit, vt istorum veniam cum illorum mallet salute prouenire, quorum fuerant participatione decepti: ac potiùs præberent eis, quo suo firmauerant in prauitate consensu, & salubrem correctionis metum, & emendationis imitandæ cõsortium. Denique sic ipsa animaduersionis verba librata sunt, vt se illi & cum istis perculsos aduerterẽt, & ex eorum conditione non diffiderent posse saluari. In quo vtique & his non est in totum via præclusa remeandi; & illis, si mallent, per istos est oblata correctio, studiumque porrectum, quo possint meliore conatu præteritos compensare prolapsus: si fauorem, quem præuaricatoribus facili voluntate detulerunt, in reformationem Catholicorum potiùs conuerterent sacerdotum.

Dictum est enim, tamdiu istos fore suspensos, donec auctore Deo, & adnisu Catholicorum Principum, vel populi Christiani, Alexandrina Catholicum sacerdotem recepisset Ecclesia. Gratulandum scilicet crederetur, nullo modo Græcos non posse renuere quod viderent ab Apostolica sede fuisse damnatum, facileque eos posse de istorum supplicio commoueri, vt nossent quid vitarent, & quid consequenter ambirent, ac velle putarent respiscendo magis sentire cum rectis, quàm iugiter errare cum perfidis. Expectatumque diu est, vt his rationibus incitati contagia nefanda deponerent, vnà cùm Apostolica sede consentiendo, sicut de eorum speratum fuerat voluntate; nitentesque Catholicis sacerdotibus reuocandi studium potiùs commodarẽt: quo ipsi ad Orthodoxam recurrerent vnitatem; & istis, qui illorum participes erroris extiterant, ministrarent præstitutæ receptionis effectum: Nec qua fieri potuit occasione cessatum est, quo competenter admoniti & sufficienter instructi, pariter pericula vitanda cognoscerent, ac patere sibi ianuam, si sinceris mentibus hanc petijssent, Apostolicæ communionis aduerterent.

Sed quia eò peruentum est, vt hortamentis quoque medicinalibus, dum etiam quæ referrent contraria non haberẽt, differrent tamen hactenus adhibere consensum; illorum quidem difficultatibus paternum quendam debemus pij doloris affectum, deprecantes omnipotentiam Dei nostri, quæ sola quãuis deuias in veritatis viam potest conuertere voluntates, vt eisdem suæ propitiationis operatione mirabili spiritum respiscentiæ & efficaciam correctionis dignanter infundat. Quę donec (sicut de eius virtute confidimus) diuina placatione prouenisnt, hunc interim qui supplicat desiderabiliter expetentem nullatenus perire patiamur: vt cuius non sunt Orientales deiectione perterriti, ne in errore persisterent, saltem curatione prouocentur, vt redeant ad salutem; præcipuè cùm dispositionis sedis Apostolicæ clementiam tenor comitetur ipse dictorum, neque prolata sibi repugnare constitutio iudicetur. Definitum quippe est (vt superiùs iam prædictum est) eos de quibus agimus eatenùs debere suspendi, do-

nec auctore Deo, & præfatis adnitentibus, Alexandrina Catholicum receperit Ecclesia sacerdotem: non abruptè & sine exceptione propositum est, sed ea ratione depromptum est, qua non siue illis adnitentibus, siue non adnitentibus, indifferenter videretur infixa sentẽtia: ideoq; sub quo tenore librata conditio est, eodem non existente, necessitatem suæ professionis absoluit. Quod enim cùm adnisu prædictorum pronunciatum est esse faciendum, hoc eodem non succedente nõ fieri posse, manifestum est. Sed cum eorum etiam faciendum memoratur adnisu, satis euidenter ostensum est, quòd sine hoc non posset impleri. Licèt ergo illi, quorum deesse probatur adnisus, de sua sint obstinatione miserandi: tamẽ quia deest, sicut sine eo effici nõ potest quod cum eodem effici posse præsumptum est; ita desistentibus causis, per quas hic articulus veniret ad terminũ, insolubiliter non retinet obligatum.

Quapropter lata sententia non existentibus per quæ possit vsque ad sui exitum deputatam tenere mensuram, his consulendi, & his qui arctati tenebãtur, tribuet libertatem. Et Apostolica quidem sedes (vt sæpè repetẽdum est) æstimans Orientales nullo modo non posse respuere quod sedes Apostolica refutasset, eosq; saluti propriæ & Apostolicæ cõmunioni nullius præferre posse personam, hæc de eorum mentibus melius æstimarat. Sed quod iterum non tacendum est, dolenda pernicies non velut improuidam benè de Orientalib. sentientem potest opinionem magis Apostolicæ sedis arguere, quàm suæ peruicacię potiùs deputare, quòd oblatum sibi tramitem propriæ reintegrationis secuta non fuerit: nec ideo tamen alijs debet medicinalem desiderantibus impedire per suam peruicaciam facultatem. Tunc enim dicta sunt de Græcorum consensione fidenter, quia & simul beati Petri societatem quibuslibet videbantur præponere posse personis; & qui extiterunt antè Catholici, æstimabãtur consensuri facile veritati, atq; ideo cuiuslibet hominis affectum in desiderijs Apostolicæ communionis non posse præponere: quæ cũ nondum susceperint per quas hic ordo decurreret voluntates; id quod per eas fieri posse præsumptum est, cernitur absolutũ; quoniam* cùm desunt qui perficiant, nullus prouenire possit effectus; immò cùm ijdem ipsi, per quos iudicabatur esse faciendum; ne efficiatur obsistant: qui si in hac sunt (quod absit) obstinatione mansuri, resoluta conditio est illius rei, quæ eorum studijs fiducialiter censebatur impleri.

*si desint per quos id efficiãt.

Sin verò (sicut potiùs optamus) fuerint ad meliora conuersi, ne inter hæc interim qui misericordiam postulat, vel ætate, vel morbo, quo frequenter impeditur, possit intercipi, dum super istis est consulendum, ne defuncto iam nullũ possit remedium subrogari; quippè cùm dictum sit, siue illis adnitentibus, siue etiam fortassis inuitis, sed cum eorum magis adnisu quod promulgatum fuerat posse constare: sicut igitur cum illis adnitentibus nullatenùs pace fixa* perdurãt: hoc etiam tenore beatus Paulus Apostolus non ideo (quod absit) fefelliſſe credendus est, aut sibi extitisse contrarius; quoniã cùm se ad Hispanias promisisset iturum, dispositione diuina maioribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronũciauit, quod re vera voluisset efficere: quantum ad diuini secreta consilij, quæ vt homo omnia non potuit licèt Spiritu plenus agnoscere, superna prætermisit dispositione præuentus. Nec quia B. Petrus Apostolus pro affectu diuinæ reuerentiæ ipsi Domino respondit: Non lauabis mihi pedes in æternum; fefelliſſe (quod absit) aut in sua putabitur minimè cõstitisse sententia, quòd mox eidem diuinæ cesserit voluntati: & quòd se dixerit non esse facturum, causis adstrictus humanæ salutis expeteret prona voluntate faciendum.

*præfixa

Rom. 15.

Ioan. 13.

Idcirco illa non accedente via, qua eorum fuerat reconciliatio constituta, alteram licet adoriri, qua subueniatur, quibus subueniendum esse decretum est: maximè cum Miseno ex quolibet excessu vel qualibet præuaricationis pœna sufficiat, quæ vsque eo tractata est, vt sola considerationis humanæ suprema consideratione laxetur, remittendaque punitio sit, quæ non habet vltrà quo crescat: Quia cum nulli animæ Deus omnipotens & misericors per Ecclesiasticam pietatem quærenti noluerit remedium denegari; non dubium est, hoc ipso auctore Deo, & diuina compunctione prodire, vt tunc de eius receptione tractetur, quando ea non protelanda quoque necessitas compellat impendi: nostro prætereà Saluatore B. Petro Apostolo præ cæteris delegante: Quæcumq; ligaueris super terram, ligata erunt & in cœlis; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis: sicut & his verbis nihil constat exceptum, sic per Apostolicæ dispensationis officium & totum possit generaliter alligari, & totum consequẽter absolui. Præcipuè cum ex hoc magis præberi cunctis oporteat Apostolicæ miserationis exemplum, vt absolutione damnati, si resipiscant vniuersi, & ab errore se retrahant, atque ad Apostolicæ communionis sinceram redeant vnitatem* vinculis se dãnationis illius, quam vniuersaliter meritò præuaricatores exceperant, non ambigant exuendos.

Matth. 16.

*petra

*petræ

Neque enim qui longè positos ad integram fidem curare nitimur, reuertentes in præsenti supplices refutare debemus: vbi solicitè præcauendum est, ne conscientiæ detrimentum negantes, vsque ad extremum peccati* materiam (quod absit) nullatenus incidamus: censuraque veritas etiam circa supplices, sine fine persistens transeat in reatum. Proinde quantum præmonente Domino, possibilitatis humanæ desiderantibus remedia præbeamus, totũ quod supra nostræ facultatis est modulũ diuino iudicio relinquentes, non autem nobis poterunt imputare, cur præuaricationis offensam viuentibus remittamus; quod Ecclesiæ, Deo largiẽte, possibile est: qui nos etiam mortuis veniam præstare deposcunt: quod nobis possibile non esse, manifestum est, quia cùm dictum sit: Quæ ligaueritis super terram: quos ergo non esse iam constat super terram, non humano, sed suo iudicio reseruauit. nec audet Ecclesia sibimet vendicare, quod ipsis beatis Apostolis conspiciat non fuisse concessum: quia alia sit causa superstitũ, alia defunctorũ.

Luc. 17.

Tulerit Vitalis sortem diuini iudicij, cui etiam cùm magnoperè vellemus, non potuit subueniri: huic saltem prosint, dum copia viuentis admittat, in remedijs assequendis alterius experimenta repentè subtracti. Cumq; scriptum nouerimus: Vnus adsumetur, & vnus relinquetur: hortatur nos interceptì periculum in superstite subsidia non differenda sanãdi, qui hoc ipso recipiendus diuinitùs indicatur, cùm illi superuiuit, qui ad hæc non meruit peruenire: & quoddam de vtroq; cœlestis iudicij refulget examen; ostenditurq; nobis euidentiùs in duobus, in quo fuerit causa sine venia, & in quo sit quæ indulgentia carere non debeat. atq; ideo quam ipse quoq; si superstes competenter Acacius expetisset, potuerat obtinere (quippe de quo sic positum est, insolubilem fore, vt non diceretur, Etiam si fortè corrigeret) multò magis huic qui communione eius infectus est, imploranti flebiliter, pietatis est Apostolicæ non negare.

Misenus absolutus

Professus ergo Misenus regulariter, se omnes hæreses, Eutychianam præcipuè cum Eutychete, Dioscoro, Timotheo Aeluro, Petro Alexandrino, Acacio Constantinopolitano, Petroque Antiocheno, vel cunctis eorum successorib. sectatoribus & communicatoribus detestari, eosque anathemate ferire perpetuò; communionis Apostolicæ, & sacerdotalis gratiam, quam Catholica traditione percepit, recipiet dignitatis. Omnes Episcopi & presbyteri surgentes in Synodo adclamauerunt: Exaudi Christe: Gelasio vita: dictum quindecies. Domine Petre tu illum serua: dictum duodecies. Cuius sedem & annos: dictum septies. Vicarium Christi te videmus: dictum sexies. Cuius sedem & annos: dictum septies trigesies.

Sixtus Notarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ iussu domini mei beatissimi Papæ Gelasij ex scrinio edidi die tertio Idus Maij, Flauio Viatore V. C. Conss.

NOTAE.

Misenus respuit

Concilium.] *Cum Vitalis & Misenus Apostolicæ sedis legati, per Zenonem Imperatorem inducti Acacio communicassent, & Petri Moggi Alexandrinæ Ecclesiæ inuasoris nomen in Dyptichis publicè recitari sine contradictione audiuissent, ideoq; iusto iudicio à Felice Papa in synodali Patrum consessu excommunicati fuissent; tandem post interuallum vndecim annorum, postq; Vitalem in excommunicatione defunctum, Misenus gratia Dei adiutus, ad mentem redijt, sumque delictum plurimum detestatus, ad pœnitentiam & Ecclesiæ vnitatem recipi postulauit. Indicto igitur hac de causa concilio, post causæ cognitionem magno omnium applausu humeris pastorum impositus ad ouile Christi, vnde annis prope vndecim aberrauerat, vicissim reductus fuit. Habitũ est hoc synodale Iudicium in Basilica S. Petri an. Christi 495. tertio idus Maij, sub Consulatu viri Clarissimi Flauij Viatoris: qui est Gelasij 4. & Anastasij Imperatoris annus imperij 5. Acta huius Concilij per Dionysium exiguum translata fuerunt. Eaque ex*

Causa & locus Concilii

Acta Concilij.

Vatica-

Vaticana bibliotheca accepta sunt, atq; etiamnum tom. 1. Epist. Rom. Pont. recitantur, nonnihil mendosa sunt, & fide carent. Quæ vero ex Codice Virdunensi per Frötonem Ducaum Societatis Iesu professorem edidit Illustriss. Card. Baronius anno 495. integriora sunt & magis emendata. Quæ Romano exemplari collata, in pristinum fere candorem omnino restituta, hic tibi benevole Lector exhibuimus.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA ANASTASII PAPAE II.

Ex libro Pontificali.

ANASTASIVS natione Romanus, ex patre Petro, de regione quinta Caput tauri, sedit anno vno, mẽsibus vndecim, diebus 24. Hic fuit temporibus Theodorici regis. Hic fecit confessionem B. Laurentij martyris ex argento, pensante lib. *80. Eodem tempore multi clerici & presbyteri se à communione ipsius *erexerunt, eò quòd communicasset sine consilio episcoporũ vel presbyterorum vel cleri cunctæ Ecclesiæ Catholicæ, diacono Thessalonicen. nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occultè voluit reuocare Acacium, & non potuit. Qui nutu diuino percussus est. Hic fecit ordinationem vnam in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros duodecim, Episcopos per diuersa loca num. 16. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 13. kalen. Decemb. Et cessauit episcopatus dies quatuor.

Anno Domini 496.

*100 *euerunt vel excecerunt.

NOTAE in vitam Anastasij.

Anastasius.] *Sub Consulatu Pauli, (non vt habet Marcell. in Chron. Ioannis Scbytæ & Paulini) anno Domini 496. 28. Nouembris post interregnum 7. dierum Anastasius Gelasio Pontifici surrogatus fuit. Exordio pontificatus sui ad Anastasium Imperatorem ab hæresi ad meliorem mentem auocandum, Germanum Capuanum & Crescentium Tridentinum Episcopos ablegauit cum epistola ad Imperatorem scripta, qua petebat, vt nomen Acacij Cõstantinopolitani è Diptychis planè expungeretur, vt infra in Notis eiusdem epistolæ dicemus. Falsum itaque & erroneum esse liquidissimè constat, quod errantem Pontificalis libri auctorem secuti, vulgant hæretici; quasi dãnatæ memoriæ schismaticum Antistitem Constantinopolitanum Acacium, à Felice tertio & Gelasio iam ante prædamnatũ, multisq; ante præteritis annis tempore Felicis Papæ, vt ibidem ex Liberato annotauimus, defunctum, beatissimus Pontifex Anastasius in sedem suam reuocare, aut saltem nomen eius sacris Diptychis restituere voluerit. Quod de imitata cum Photino communione, deq; approbatione baptismi & ordinationum Acacij, in hoc Pontifice redarguunt, ineptum & calumnijs plenissimum esse infra patebit. Apocrisarij Ecclesiæ Alexandrinæ supra d. Legatis sedis Apostolicæ de sua fide libellum obtulerũt, vt Romanæ Ecclesiæ communionem suffurarentur; sed cum tota sua confessione nullam Chalcedonensis Concilij mentionem facerent, illud frustra conati fuerunt. Festus senator Romanus, hoc tempore propter quasdam necessitates ciuiles Constantinopolim ablegatus, fauore Imperatoris Anastasij impetrauit, vt sacra SS. Apostolorum Petri & Pauli memoria, à schismaticis hactenus aliquamdiu neglecta, honorificentius & splendidius celebraretur. Pro quare, vt gratiam parem rependeret, Imperatori clanculo pollicitus est, inquit Theod. Lector coll. lib. 2. persuasurum se Romano Episcopo, vt concordiæ Zenonis subscriberet. Sed accidit mira erga Ecclesiam Dei prouidentia, quod cum Romam venisset, Anastasium Episcopum mortuum reperisset. Ex quibus satis apparet Anastasium Papam, antequam à Festo de perfidia tentaretur, integrum atque sincerum in Catholica fide decessisse: Et quanquam Iustinus Imperator, epistola ad Hormisdam manifeste significet, Pontificem cum Anastasio Imperatore, alijsq; Acaciani schismatis defensoribus communicasse; tamẽ ipsius Symmachi Papæ literæ apologeticæ satis declarãt, Anastas. Pont. nullã cũ Imp. Anastasio concordiã iniisse: sed magis illũ execratũ esse. Verba Symmachi Papæ ad Imperatorem hæc sunt. Dicis quod mecũ senatu cõspirante excõmunicauerim te. Ista quidẽ ego: sed rationabiliter factum à decessoribus meis sine dubio subsequor. Quæ profectò tam liberè de prædecessoribus affirmare ausus nor fuisset, nisi Anastasij Papæ fides sincera, atq; in ea tuenda sacerdotalis constantia in omnibus probata fuisset. Vide plura hac de re infra. Hæc ex Theod. Lect. Epist. Anast. Baron. an. 497.*

Quo tempore Anastasius sit creatus Papa.

Anastasij calumniantur hæretici.

Secunda calumnia hæreticorum Anastasio obiecta.

Festus Senator dat causam schismati Laurentiano.

An Anastasius Papa cum Acacianis vel Acephalis excommunicarit.

Sedit anno vno, mensibus vndecim, diebus 24.] *A Consulatu Pauli vsque ad Paulini & Ioannis Scythæ.*

Hic fuit temporibus Theodorici Regis.] *Anno quarto regni illius pontificatum adeptus, tenuit eum vsque in annum eiusdem Theodorici sextum, qui est Christi 498. cuius mense Nouembri vita simul ac pontificatu Anastasius papa defunctus fuit.*

Eodem tempore multi Clerici & Presbyteri.] *Hæc cõtra Anastasium, schismatis Laurentiani sectatores sparserunt, hac occasione: Leo Papa epistolam ab Interpretibus corruptam, à Photio Thessalonicensis Ecclesiæ Diacono restitui, atque ex prototypo archiuo Romanæ Ecclesiæ accepto, in pristinam integritatem transferri & emẽdari ex officio petierat. Quod cum Photius, vt ex libello legatorum Alexandrinorum patet, insra præstitisset, acceptum est ab aduersarijs, quasi cum Acacianis communicasset. Gloriantur nostri temporis hæretici, Anastasium de errore ac perfidia conuictum, quod sine Concilio Episcoporum, cum Photino aliisve Acacianæ sectæ fautoribus cõmunicarit: sed quam inepte & nimis præpropere, nemo non videt; potuit enim respicientem sine vllius Concilij auctoritate ab excommunicatione absoluisse, & citra vllum peccati periculum, cum eodem cõmunicasse: Imo si operam illam toti Ecclesiæ necessariam, ab excommunicato & plane schismatico requisiuisset, non modo non fidem amisisset, sed neque vllam anathematis sententiam eo ipso incurrisset. Vide Bellar. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 10. Baron. præd. anno 497. num. 27. Emendatores Decreti Gratiani in Notis ad Can. Anastasius dist. 19. hæc conficta omnino esse probant hoc potissimum argumento, quod Acacius (sicut Niceph. lib. 16. cap. 12. Euagrius lib. 3. cap. 18. & seqq. testantur) tempore Felicis 3. obierit, quod ipse Anastasius ca. 1. Epist. suæ ad Imperatorem Anastasium, Acacium iam mortuum & ante Iudicem Christum vna cum Felice adstare scripserit. Quod quidem de reuocato per Anastasium Acacio certissimum est: sed de Photini cõmunicatione non ita constanter affirmari potest; cum ex libello Alexandrinorum, quem ex Vaticana Bibliotheca acceptum nunc recens in lucem emittimus, contrarium non obscure colligatur.*

Qua occasione sparsum fuerit, Anastasium cum Acacianis cõmunicasse

Quia voluit occulte reuocare Acacium.] *Neque nomen Acacij ad sacras Dyptichas; neque ipsum Acacium ad sedem Constantinopolitanam reuocari voluisse; indicat sequens epistola Anastasij Pontificis, qua nomen defuncti plane deleri ac tolli rogauit.*

An calumnia planè conficta sit?

Nutu diuino percussus est.] *Anastasium morbo diuinitus immisso extinctum esse, ideo quod baptismum et sacros ordines ab amico collatos epistola sequenti approbauerit. spargunt hæretici; sed more suo, per calumnias, mendacia ac fabulas. Quod enim de Anastasio Imperatore hæretico circa hac tempora fulmine percusso, scribunt in eius vita Beda, Cedrenus, Zonaras & Paulus Diaconus; hoc illi nullo alio præterquam vnius mendosi bibliothecarij autoritate freti in caput Anastasij Pontificis retorquere nõ verentur. Vide Bellarm. præd. loco. Sanderum de visibili Monarchia Ecclesia. Hosium lib. 2. prope doct. Cath.*

De obitu Anastasij tertia calumnia hæreticorum.

EPISTOLA ANASTASII PAPAE II

Ad Anastasium Augustum.

TITVLI EPISTOLAE DECRETALIS sequentis Anastasij Papæ II.

Quòd pro Christo fungatur legatione, dum pro pace precatur Ecclesia. 1
Quòd non sit temerè iudicandum de his, qui ad Dominum migrauerunt. 2
Vt specialiter in Ecclesia nomen taceatur Acacij. 3
Quod magnoperè contentio sit cauenda. 4
Vt Alexãdrinos Imperator admoneat ad fidem synceram, & ad pacem redire catholicam. 5
Admoneatur Imperator, vt constitutis Apostolicæ sedis obtemperet. 6
Quòd eos, quos post damnationem suam vel baptizauit, vel ordinauit Acacius, nulla portio læsionis attingat. 7
Quòd mali, bona ministrando, sibi tantummodò noceant, nec Ecclesia sacramenta commaculent. 8

GLORIOSISSIMO & clementissimo filio Anastasio Augusto, Anastasius episcopus.

Exordium pontificatus mei, primitùs oblata populis pace, pronuncio, & consequenter pro fide Catholica humilitatis tuæ precator occurro: in quo primùm mihi diuinum

fauorem propinquasse confido, quod nunc consonantia in me augustissimi nominis tui non dubium præstat auxilium, vt sicut præcelsum vocabulum pietatis tuæ per vniuersas gentes toto orbe præfulget, ita per ministerium humilitatis meæ sicut semper est, sedes B. Petri in vniuersali Ecclesia assignatum sibi à Domino Deo teneat principatum. Nec propter vnum mortuum, diutiùs tunica illa saluatoris, desuper contexta per totum, malæ sortis patiatur incertum, quæ sola in dississionem pro firmitate sui venire non potuit, serenitate tua præcipuè rempublicam gubernante. Cui etiam in priuata vita tantum circa syncerę religionis studium fuit, vt (sicut fama certissima celebrauit) nemo magis vel inter præcipuos sacerdotes, præfixas à sanctis patribus regulas Ecclesiæ custodisse dicatur. Quod sanctum studium cum maiestate imperij creuisse confidimus.

Ioan. 19.

Capitulum Primum.

*ne

LEgatione itaque fungimur pro Christo *nec eos propter offensionem, vel scandalum patiamini publicè nominari, quorum merita vel actus illum iudicem latere non possunt, in cuius iam sunt iudicio cõstituti. Nec illic se potest interserere in corpore mortali adhuc temeraria præsumptio, in quo non solum confessio facit aperta merita singulorum, sed etiam silentij ipsius non potest latere secretum. Namq; & prædecessor noster papa Felix, & etiam Acacius, illic proculdubio sunt, vbi vnusquisque sub tanto iudice non potest perdere sui meriti qualitatem.

2 Itaque monente nos beatiss. Paulo apostolo, ne quod sit in hoc offendiculum in Ecclesia, dum, quod facere non possumus, de his, qui iam transierunt, iudicare conemur, obseruandum esse tranquillitas tua cognoscat. Ait enim de his, qui de rebus ad Deum solum pertinentibus iudicare præsumunt: Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Sine ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus resurrexit à mortuis, vt & viuorũ & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo ampliùs inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Monet igitur B. Apostolus, ne de his nobis præsumamus iudicium, de quibus nemo potest meliùs vel veriùs iudicare, quàm Deus: nec sibi in hoc *quispiam temerarios ausus vsurpet, *& propter hoc pax atque vnitas Ecclesię dissipetur. Nam & in Regnorum libro dicitur; Non quomodo videt homo, videt & Deus: quia homo videt in facie, Deus autem videt in corde. Item in Paralipomenon lib. 1. Et nunc, o Salomon, scito Deum patrum tuorum, & serui illi in corde perfecto & animo volente, quoniã omnia corda scrutatur Deus, & omnem cogitationem nouit. Item in Ezechiele: Hæc dicit Dominus Deus: Sic dixistis domus Israel, & cogitationes *spiritus vestri ego noui. Vnde & de Domino iudice dicitur in euangelio: Sciens autem Iesus cogitationes eorum, dixit: Quid cogitatis mala in cordibus vestris?

Rom. 14.
2. Cor. 5.
Esa 45.
Philip. 2.
* quippiã temerarius
*vt
1. Reg. 16.
1. Paral. 28
Ezech. 11.
*cordis
Matth. 9.

3 Precamur itaque clementiam vestram, vt specialiter nomen taceatur Acacij, vt quod multis ex causis scandalum vel offendiculum Ecclesiæ concitauit, speciali appellatione taceatur, cùm (sicut diximus) in generalitate sacerdotum, vniuscuiusque meritum illum iudicem latere non possit, qui nouit quid cuique tribuendum sit pro æstimata dispensatione meritorum, cui soli cogitationes quoque manifestæ sunt. Quantos verò excessus atque præsumptiones habuerit Acacius, ne clementiæ tuæ suggerere per singula fortasse videatur onerosum, Cresconio vel etiam Germano, fratribus & coepiscopis meis, quos misimus ad serenitatem tuam, de causis singulis Acacij, qualis fuerit, instructionem plenissimam dedimus, clementiæ vestræ specialiùs recensendam, si hoc pietati tuæ placuerit curiosiùs indagare, ne in aliquo suggestionibus nostris veritas defuisse videatur: vt pro diuina sapientia vestra perspicuè videre possitis, non superbia vel elatione, sedis Apostolicæ in Acacium talem processisse sententiam, sed facinoribus certis, quantum nos extra illud iudiciũ, quod solum falli non potest, æstimamus, zelo magis diuinitatis extortam.

4 Nos verò humiliter supplicantes, controuersiam in Ecclesia remanere nolumus, cùm magis vitanda contentio sit, sicut dicitur in Prouerb. Odium suscitat *contentio. Omnes autem qui non contendunt, protegit amicitia. Nam & Apostolus ad Corinthios: Cùm enim sint inter vos æmulationes & contentiones, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Item ad Philippenses: Si qua ergo consolatio in Christo, si qua *allocutio charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera & miserationes, implete gaudium meum, vt idipsum dicatis omnes, eandem charitatem habentes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis inuicem æstimantes, semetipsis superiores, non sua singuli respicientes, sed aliorum.

*contentiones Prou. 18.
1. Cor. 3.
Philip. 2.
*lolatio

5 Hoc tamen præcipuè insinuo serenitati tuæ, gloriosissime & clementissime fili Auguste, vt cùm causæ Alexandrinorum patuerint pijssimis auribus vestris, ad catholicam & synceram fidem eos authoritate, sapientia, diuinisque vestris monitis redire faciatis. Nam quid tenendum sit in religione catholica, secundùm diffinita patrum, & prædicationem omnium sacerdotum, qui in Ecclesia floruerunt, si hoc quoque præceperitis, scientibus in memoriam transmittendo renouabimus, ignorantibus ad discendum pro officio nostræ institutionis offeremus, vt nulla extra hæc ingeniorum iactantia vel prauitatis audiatur.

6 Illud verò peculiariùs pro amore imperij vestri & beatitudine, quæ consequi poterit regnum, pro Apostolico officio prædicamus, vt (licut decet, & spiritus sanctus dictat) monitis nostris obedientia præbeatur, vt bona omnia vestram rempublicam consequantur, sicut in Exodo promittitur: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quæ placent ei, feceris coram ipso, & obedieris præceptis eius, & custodieris omnem iustitiam eius: omnem infirmitatem, quam importaui Aegyptijs, nó importabo in te. Ego enim Dominus sum, qui saluũ facio te, Et illic iterum tuba potentissima canitur: Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus postulat à te aliud, quàm vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus vijs eius, & diligas eum, & seruias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, custodire præcepta Domini Dei tui, & iustitias eius, quas ego mando tibi? Hæc me suggerentem frequentiùs, non spernat pietas tua, ante oculos tuos habens Domini in Euangelio verba: *Qui audit vos, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et qui me spernit, spernit eum, qui me misit.* Nam Apostolus, concinens Saluatori nostro, ita loquitur: Quapropter qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deũ, qui dedit spiritum sanctum suum in nobis. Pectus clementiæ vestræ, sacrarium est publicæ felicitatis, vt per *præstantiam vestram, quam velut vicarium Deus præsidere iussit in terris euangelicis apostolicisque præceptis non dura superbia *resistat, sed per obedientiam, quæ sunt salutifera, compleantur.

Exod. 15.
Deut. 10.
Luc. 10.
1. Thess. 4.
*iactantia
*resistat

7 Nam secundùm Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, sacratissimum serenitatis tuæ pectus agnoscit, quod nullum de his, vel quos baptizauit Acacius, vel quos sacerdotes siue Leuitas secundum Canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acacij portio læsionis attingat, quò forsitan per iniquum tradita sacramenti gratia, minùs firma videatur. Nam & baptismum quod procul fit ab Ecclesia, siue ab adultero, vel à fure fuerit datum, ad percipientem munus peruenit illibatum: quia vox illa, quæ per columbam sonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto & igne.* Nà si visibilis solis istius radij, cùm per loca fœtidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multò magis illius, qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate conspurcatur. Nã & Iudas, cùm fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt, declarante hoc ipsum Domino manifestissima voce: *Scribæ (inquit) & Pharisæi super cathedram Mosis sedent: quæ dicunt facite: quæ autẽ faciunt, nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in Ecclesia minister officio suo videtur operari, hoc totum contineri *implente diuinitatis effectu, ita ille per quẽ Christus loquitur, Paulus affirmat: *Ego*

Distinct. 95. Scitote ecclesiã catholicã
Matth. 3. Luc. 3.
Ioan. 13.
Matth. 23.
*impleto
1. Cor. 3.

plant aui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. A Deo autem non quæritur, quis vel qualis prædicet, sed quem prædicet, vt inuidos etiam benè prædicare Christum confirmet, quo malo diabolus ipse deiectus est, & hoc ipso prædicare non desinit.

Philip. 1.

8 Ideò ergò & ipse Acacius, cuius nomen dicimus esse reticendum, malè bona ministrando, sibi tantùm nocuit. Nã inuiolabile sacramentum quod per illum datum est, alijs perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quòd* cùm ita sit, aliquorum intantùm se extendit curiosa suspicio, vt imaginentur, prolato à Papa Felice iudicio, posteà inefficaciter in sacramentis, quæ Acacius vsurpauit, egisse: ac perindè eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt. nè irrita beneficia diuina videãtur. Meminerint, in hac quoque parte similiter tractatum prę ualere superiorem, quia non sine vsurpatione nominis sacerdotij, adiudicatus hoc egit: in quo virtutem suam obtinentibus mysterijs, in hoc quoque alijs, rea sibi persona non nocuit. Nam ad illum pertinuit, quod tuba Dauidica canitur: *Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Nam superbia semper sibi, non alijs, facit ruinam: quod vniuersa scripturarum cælestium testatur auctoritas, sicut etiam per Spiritum sanctum dicitur in Propheta: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Vndè cùm sibi sacerdotis nomen vendicauerit condemnatus, in ipsius verticem superbiæ tumor inflictus est: quia non populus,* qui in ministerijs donum ipsius sitiebat, exclusus est: sed anima sola illa, quæ peccauerat, iusto iudicio propriæ culpæ erat obnoxia. Quod vbique numerosa scripturarum testatur instructio. Vndè remotis hominum studijs siue versutijs, in hac adhuc præsenti fragilitate posirorum, secundum preces nostras annisu & authoritate imperiali offerte Deo nostro vnam catholicam Ecclesiam & Apostolicam: quia hoc solum est, in quo non solùm in terris, sed etiam in cœlo triumphare posſitis. *Subscriptio:* Omnipotens Deus regnum & salutem tuam perpetua protectione custodiat glorioſiſsime & clementiſsime semper Auguste.

Gen.

Psal. 7.

Psal. 100.

*mysterijs

NOTAE in Epistolam Anastasij.

Quo fine scripta.

a Epistola.] *Hanc epistolam Anastasius Pontifex per Germanum & Crescionium Episcopos Apostolicæ sedis legatos, Constantinopolim transmisit ad Anastasium Imperatorem hæreticum, vt eum ad meliorem frugem reuocaret. In proposito piissimo Pontifex optimus nihil effecit. Imperator detentis dolosè Constantinopoli legatis per fraudem ac dolum magno conato elaborauit, vt ipsum Romanum Pontificem ad subscribendum Zenonis Enotico induceret. Vsus est hac in re opera Festi Senatoris; quo euentu, supra dixi in Notis ad vitam Anastasij.*

Anastasius Acacium in sedis tempore defunctũ ille agnouit.

b Namque & prædecessor noster Papa Felix, & etiam Acacius illic procul dubio sunt, vbi vnusquisque sub tanto Iudice non potest perdere sui meriti qualitatem.] *Hoc loco manifestè indicat Anastasius Papa, Acacium diu ante hac tempora è viuis excessisse. Dubium itaque nullum est, quin mẽdosum sit & erroneum, quod Auctor Pontificalis scribit supra in eius vita, ipsum de reuocando occulte Acacio plurimum elaborasse, ideoque nutu diuino percussum esse.*

Nomen Acacij è Dyptichis expungi regat.

c Precamur vt specialiter nomen taceatur Acacij.] *Nomẽ Acacij è sacris Dyptichis expungi rogat, tãtum ab est vt auctorem Schismatis ad sedem reuocari voluerit. Auctoritate huius loci Iustinus Imperator ad Hormisdam scribens, ait:* Anastasius religiosissimæ memoriæ, vestræ culmen Ecclesiæ palam aperteque cõstituit, cum hoc idem negotium scriberet decessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantum reticeatur Acacij. Ergo priora vestræ sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum iudicat contemnendas. *Quibus verbis insinuat, Pontificem in illud inclinasse, vt nomine Acacij tantum sublato, aliorum schismaticorum non expungerentur. Errat imperator Iustinus. Etsi enim hic solius Acacij mentio fiat, de cæteris tamen cum Acacij nomine communicantibus, nequicquam decreuit; sed hoc tantum suggessit, se recepturum eos, quos Acacius baptizauit, vel etiam ordinauit: Quod Apostolica auctoritate dispensando fieri posse cognouit, cum sciret Gelasium Papam, se idem præstiturum, pollicitum esse. Nullam vero concordiam cum Anastasio Imperatore iniisse, eiusdem nominis Pontificem, ea quæ supra ex apologeticis literis Symmachi Papæ adduxi, euidenter ostendit. Bar. an. 497. n. 25. & 26.*

Iustinus imp reſellitur.

d Nullum de his vel quos baptizauit Acacius.] *Baptismi & ordinis sacramenta ab Acacio administrata rata esse & valida; ideoque nullo modo iteranda decernit; idque Apostolicæ traditioni cõuenientissimè constituit, vt patet ex ijs, quæ supra diximus in Notis can. Apost. 46. & 47. multorumque Conciliorum hac de causa in Africa sub Stephano Papa habitorum. Vnde quod Gratianus dist. 19. can. 7. & 8. dicit:* Illicitè & non canonicè, sed contra decreta prædecessorum & successorum suorum hæc rescripta dedisse: *ordinatosq; ab Acacio licitè suos ordines vsurpasse & administrasse, optimo iure ab Emendatoribus Gratiani ibidem reprehenditur. Non enim sensit Anastasius, ordinatos ab Acacio post latam in ipsum sententiam acceptis officijs ritè fungi potuisse; sed tantum firmam esse Sacramenti gratiam ab Acacio traditam. Vide Emend. Decreti præalleg. loco.*

Gratianus reprehenditur.

LIBELLVS, QVEM DEDERVNT APOcrisarij Alexandrinæ Ecclesiæ legatis ab vrbe Roma missis ab Anastasio Papa.

Glorioſiſsimo atque excellentiſsimo Patricio Festo, & venerabilibus Episcopis Cresconio & Germano simul cũ eius potestate directis in legatione ab vrbe Roma ad clementiſsimum & Christo amabilem Imperatorem Anastasium, Alexandrinæ venerabilis Ecclesiæ Dioscorus presbyter, & Cheremon lector responsis eiusdem Ecclesiæ seruientes.

Venerabiles sanctæ ecclesiæ Romanæ vrbis atq; Alexãdrinæ non solum fidem rectam & immaculatam, ex quo salutaris in eis prædicatus est sermo, sed etiam in diuino ministerio semper concordiam seruauerunt. Quippe cum ab vno fuerit in vtrisque iactum fidei fundamentum (Petrum memoramus beatum Apostolum, cuius per omnia sanctus Euangelista Marcus extitit imitator) ita vt si quando contigerit in rebus ambiguis quædam Episcoporum Concilia celebrari, sanctiſsimus is, qui Romanæ præsideret Ecclesiæ, reuerendiſsimum Alexandrinæ ciuitatis Archiepiscopum deligeret, vt sui curam loci susciperet.

De causa discordiarum inter Rom. Eccles. & Alex.

Sed hostem humani generis, cui bona perosa sunt, qui in perniciem nostram impio semper furore grassatur, non piguit per satellites proprios zizania inter vtrasq; conserere, vt tãtæ vnitatis discordiam perpetraret. Nam Eutychete impiſsimo contra fidem, quæ in beatiſsimis Apostolis prædicata est, sentiente & docere tentante, cõtigit per idem tempus sedis Apostolicæ Præsulem tunc Leonem litteras ad Chalcedonense Concilium destinare: quarum literarum fuere interpretes hi, qui cum Theodoreto Cyrorum ciuitatis Episcopo tunc fuerant Nestorianæ hæresis sectatores: contraque eam fidem, quæ à venerabilibus trecentis decem & octo Patribus est edita, supra memoratæ literæ probantur existere; & non paruas occasiones his, qui eiusdem nefandiſsimi Nestorij blasphemias vindicant, præstiterunt; ita vt licentius astruerent eundem Nestorium minimè peruersa sensiſsse. His igitur causis Deo amabilis populus noster offensus est, & de Græca translatione arbitratus est in Latino quoque sermone sensum contineri, ac sese ab vnitate Romanæ diuiſit Ecclesiæ. Necnõ etiam Romanus Antistes, existimans nos contra eã fidem, quæ tradita est à beatiſsimis Apostolis, conspiraſſe, à nostra se communione suspendit.

Delegatis Alexandria Romam missis.

Veruntamen eius volentes satisfacere sanctitati, nos eam fidem tenere, quam princeps Apostolorum Petrus, eiusque discipulus Marcus beatiſsimi crediderunt, & post modum trecenti decem & octo venerabiles edidere Pontifices, legatos ad vrbem Romam nostra dirigere curauit Ecclesia. Sed ibi quidam ciuitatis nostræ repertus est à recta fide dissentiens, atque ab ea ex causis quoque diuersis alienus existens, qui hoc visus est perpetrare, nec vlla in suscipiendis legatis copia præberetur: qui nec ad faciem vsque salutationis admissi, sine aliquo effectu reuersi sunt.

Delegatione Thessaloni censis Ecclesiæ.

Quia verò ante non multum temporis Photinus religiosus diaconus sanctæ Thessalonicensis Ecclesiæ nobiscum de pace sanctarum Ecclesiarum verba conseruit, dixitque se ante spatium parui temporis destinatum à sanctiſsimo Archiepiscopo Andrea Thessalonicensis Ecclesiæ ad Romanum Pontificem Anastasium: & affirmabat de his, quæ nos vehementer offendunt, in translatione epistolæ sibi satisfactum fuiſse à supradicto Præsule Romanæ Ecclesiæ, quod scilicet in epistolæ translatione comprobarentur errores: ipsam verò Latinam epistolam iuxta fidem trecentorum decem &

octo sanctorum Patrum editam constitisse. Insuper quædam retulit ex persona eiusdem Antistitis fuisse narrata, quæ ad vituperationem eorum, quæ in translatione sunt indita, pertinerent: & ad illos, qui ea confingere tentauerunt, ad satisfactionem eorum qui rectam fidem immaculatamque custodire non negligunt.

De repurgata & ad purum restituta Epistola S. Leonis.

Quibus abundè sanatis, cupienteſque pristinam reintegrari concordiam: maluimus etiam à vobis, si vera sunt illa quæ Photinus religiosus diaconus nobis retulerat, edoceri, vestræque desideranimus occurrere sanctitati, & de his omnibus habere colloquium. Verùm sanctitas vestra non semel, sed crebrò nos docere dignata est, in epistolæ interpretatione errores intersitos, non in Latino textu fuisse conceptos. Quapropter supplicauimus vobis, vt confessionem nostræ fidei sumeretis, pro qua venerabilis Ecclesiæ nostræ legatione perfungimur: quam fidem etiam vbique sanctissimus Archiepiscopus intimauit, & approbantium accepit rescripta cunctorum. Quod si etiam vestram huic fidei sanctam Ecclesiam videritis congruere, nobis satisfieri iubeatis; vt sublatis è medio scandalis, ad pristinam tam Romana, quam Alexandrina venerabiles Ecclesiæ redeant vnitatem.

Professio fidei ex parte Eccles. Alexand.

Hanc autem fidei confessionem vobis obtulimus taliter continentem ex Euangelicis Apostolicisque prœconijs inspiratione diuina solam veram rectamque fidem, quam trecenti decem & octo venerabiles Patres, qui in Nicæna Synodo congregati sunt, ediderunt: quam & secuti sunt centum quinquaginta qui ad vrbem regiam conuenerunt æquè venerandi Pontifices. Hanc etiam exequentes qui Ephesi collecti sunt Patres, annuente quoque sedis Apostolicæ Papa sanctissimo Cœlestino, sacrilegum damnauere Nestorium, pœnam in eos qui tentauerint fidem aliam statuere præfigentes: quem Nestorium nos quoque simul cum Eutychete contraria his quæ superius dicta sunt sentientes anathematis vltione damnamus, susci pientes duodecim illa capitula, quæ venerandæ memoriæ Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ quondam Archiepiscopus scripsit. Confitemur autem vnigenitum Dei filium & Deum, qui secundùm veritatem factus est homo, Dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem Patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem: qui descendit & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine Theodoco, hoc est, Dei genitrice, vnum Filium non duos existere. Vnius namque dicimus vnigeniti Filij Dei siue miracula, siue etiam passiones, quas spontè pro nobis carne sustinuit. Eos autem qui diuidunt, vel confundunt, aut phantasiam aliquam introducunt, nequaquam omnino recipimus: quia incarnatio illa, quam Dei genitrix secundum veritatem ex se edidit, augmentum filij non effecit: Manſit enim Trinitas, etiam incarnato, quod vnum ex Trinitate est, Verbo Dei. Hæc itaque scripsimus, non fidem nouantes, sed vobis causa concordiæ satisfacere cupientes. Omnem autem qui aliter sentit, senseritue, seu nunc, seu aliquando in quocumque loco, vel in quolibet Concilio, anathematis pœnâ percellimus, præcipuè verò Nestorium & Eutychetem, vniuersosque qui illis assentiunt.

Nullam Concil. Chalced. mentionē habent.

De his quę gesta essent inter ipsos legatos.

Vestra igitur reuerentia susci piens fidem nostram, hanc se Præsuli Romanæ Ecclesiæ Anastasio asseruit relaturam; quem & paratum existere memorabat satisfacturum illis, qui fuissent à nobis hac causa transmissi. Illud etiam asserebat, hāc fidem Dioscorum, Timotheum, Petrumque sensisse nostræ quidem ciuitatis Archiepiscopos, nec deberi in Diptychis eorum nomina recenseri. Nos contra popoſcimus, aut perduci aduersus eos qui astruant talesque demonstrent; aut si non reperientur qui eos conuincere potuissent, nobis pro eorum persona satisfacientibus acquiescant; demonstrantibus & approbantibus, quòd hanc fidem tenuerint, docuerint, cunctisque quos informauerunt, tradiderint præfati parentes nostri & Archiepiscopi Timotheus, Dioscorus, & Petrus. Vestra autem sanctitas tenuit, dicens, non sibi fuisse præceptum ab Apostolicæ sedis Antistite de his facere quæstionem.

Hæretici cum sint, quærunt subripere

Huius rei gratia obtestamur vos coram magno Deo & Saluatore nostro Iesu Christo, qui de sancta & Dei genitrice Maria Virgine incarnatus & natus est, quique concordem glorificationem seruitutemque Fidelium probat libenter & susci pit, & sanctis Angelis eius, per hanc eandem immaculatam quæ de illo est fidem; vt ad vrbem Romam, fauente Domino, venientes, hanc chartulam offeratis Apostolicæ sedis Antistiti Anastasio, quæ ex persona sanctæ Ecclesiæ Alexandrinæ vobis oblata est: vt eius sanctitas relegens, quæ ibi fuerint placita, seu literis ad sanctissimum nostrū Archiepiscopum datis, seu per aliquem internuncium manifestare dignetur. Nam cùm à sanctitate eius fidei rectæ fuerit seruata confessio, quæ est à beatis Patribus constituta, nos paratos existere profitemur ad vrbem Romam legatos, qui pro vnitate sanctarum Dei Ecclesiarum agere debeant, destinare.

Apostoli carmen mutuum.

Confidimus autem in Domino nostro Iesu Christo, quod huic fidei eius beatitudo consentiens, iuxta illa quæ in responsione sunt posita, velut proprios eriam nostros populos arbitretur, & pro eorum regimine solicitudinem gerat, cupiens secundum Deum omnibus vtilis approbari. Exemplum autem huius chartulæ apud nos detinuimus, necessè habentes, si qua mora prouenerit quò minùs sanctarum Ecclesiarum vnitas fiat, in illo glorioso de cœlis aduentu Domini nostri Iesu Christi, cùm venerit iudicare viuos & mortuos, ante tribunal eius, vbi nulla est acceptio personarum, cum hoc assistere ad refellendum eos qui sanctarum Ecclesiarum neglexerunt vnitatem.

Notae.

Cur hic Libellus huic epistolæ inserat.

Libellus.] *Cum per vniuersam Orientalem Ecclesiam immotum esset, pro pace Ecclesiarum concilianda, à sede Apostolica legatos Cōstantinopolim missos esse, Aprocrisarij Alexandrinæ Ecclesiæ ibidem morantes, hunc libellum supplicem fideique confessionem obtulerunt, vt Alexandrina Ecclesia in communionem Catholicam ab Ecclesia Romana reciperetur. Quod in his, quæ spectant ad Epistolam S. Leonis Papæ ab interpretibus deprauatam, luculentam rerum gestarum tractationem contineat; quod eam speciem pietatis exhibeat, qua ad nefandissimos & sacrilegos hæreticos Dioscorum, Timotheum & Petrum colendos miseram plebeculam induxit, dignum esse iudicauimus hunc libellum in Codice Vaticano hactenus integrum conseruatum, huic loco inserere.*

DECRETVM ANASTASII PAP. II.

Ex Gratiano.


Malorum impietati fauet, qui eis obuiare cessat.

Qui potest obuiare, & perturbare peruersos, & non facit: nihil est aliud quàm fauere impietati eorum. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.

Qui potest obuiare.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA SYMMACHI PAPÆ

Ex libro Pontificali.



YMMACHVS natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annos 15. menses 7. dies 27. Hic fuit temporibus Theodorici regis, & Anastasij Augusti, à die 10. Kalend. Decemb. vsque in diem 14. kalend. Augusti. Hic sub contentione ordinatus est vno die cum Laurētio; Symmachus in basilica Constantiniana, Laurentius in basilica beatæ Mariæ. Ex qua causa separatus est clerus, & diuisus est senatus. Alij cum Symmacho erant, alij verò cum Laurentio. Et facta contentione, hoc construxerunt partes, vt ambo Rauennam pergerent ad iudicium regis Theodorici. Qui dum ambo introissent Rauennam, hoc iudicium equitatis inuenerunt, vt qui primò ordinatus fuisset, vel vbi pars maxima cognosceretur, ipse federet in sede Apostolica. Quod tandem æquitas in Symmacho inuenit, & cognitio veritatis. Et factus est præsul Symmachus. Eodem tempore Papa Symmachus congregauit Synodum

& constituit Laurentium in Nucerina ciuitate episcopum in tuitu misericordiæ. Post annos verò quatuor, aliqui ex clero zelo ducti, & aliqui ex senatu, maximè Festus & Probinus, incriminauerunt Symmachum. Et subornauerunt falsos testes, quos miserunt Rauẽnam ad Regem Theodoricum, accusantes B. Symmachum, & occultè reuocauerunt Laurentium post libellum Romæ factum. Et fecerunt schisma. Et diuisus est iterùm clerus: nam alij communicauerunt Symmacho, & alij Laurentio. Tunc Festus & Probinus senatores miserunt relationem regi, & cœperunt agere, vt visitatorem daret rex sedi Apostolicæ. Tunc rex dedit Petrum Altinæ ciuitatis episcopum, quod Canones prohibent. Eodem tempore B. Symmachus congregauit Episcopos 115. & facta Synodo, purgatur à crimine. Et damnatur Petrus Altinas inuasor sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus, quia viuo episcopo Symmacho peruaserunt sedem eius. Tunc ab omnibus episcopis, & presbyteris, & diaconibus, & omni clero vel plebe, redintegratur sedi Apostolicæ B. Symmachus cum gloria apud B. Petrum sedere præsul. Eodem tempore Festus caput senatus exconsul, & Probinus exconsul, cœperunt intra vrbem Romam pugnare cum alijs senatoribus, & maximè cum Fausto exconsule, & cædes & homicidia in clero ex inuidia fiebant. Qui verò communicabant B. Symmacho iustè, publicè qui inuenti fuissent intra vrbem, gladio occidebantur. Etiam & sanctimoniales mulieres, & virgines deponentes de monasterijs, vel de habitaculis suis, denudantes sexum fœmineum, cædibus plagarum afflictas, vulnerabant, & omni die pugnas cõtra Ecclesiam in media ciuitate gerebant. Et multos sacerdotes occiderunt, inter quos Dignissimum & Gordanum presbyteros ad vincula S. Petri, & ad sanctos Ioannem & Paulum fustibus & gladio interfecerunt, & multos Christianos, ita vt nulli esset securitas die vel nocte de clero in ciuitate ambulare. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. Post hæc omnia B. Symmachus inuenit Manichæos in vrbe Roma, quorum omnia simulacra vel codices, ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremauit, & eos ipsos exilio relegauit. Fuit autem à consulatu Paulini vsque ad consulatum Senatoris. Hic fecit basilicã S. Andreæ Apostoli apud B. Petrum, vbi fecit ciborium ex argento, & confessionem, pensantem libras 120. Arcus argenteos tres, pensantes lib. 60. Oratorium S. Thomæ Apostoli ex argento. & confessionem, pensantem lib. 20. Arcum argenteum, qui pensat lib. 16. Confessionem S. Cassiani, & sanctorum Proti & *Iacynti ex argento, pensantem libr. 20. Arcum argenteum pensantem libras duodecim. Oratorium S. Apollinaris ex argento, & confessionem cum arcu, pensatem lib. 31. Oratorium sancti Sossi ex argento, & confessionem, pensantem lib. 20. Item ad fontem in basilica B. Petri Apostoli, oratorium sanctæ Crucis ex argento, confessionem & crucem ex auro cum gemmis, vbi inclusit lignum Dominicum: ipsa crux aurea pensat lib. 10. Fecit autem oratoria duo, S. Ioannis Euangelistæ, & S. Ioannis Baptistæ, infra quorum confessiones fecit arcus argenteos, pensantes lib. 30. Quæ cubicula omnia à fundamẽto perfecta construxit. Basilicam beati Petri marmoribus ornauit. Et cantharum beati Petri cum quadriporticu ex marmoribus ornauit, & ex musiuo agnos & cruces & palmas ornauit. Ipsum verò atrium omne compaginauit. Gradus verò ante fores basilicæ B. Petri ampliauit, & alios gradus sub tigno dextra læuaque construxit. Item episcopia: in eodem loco dextra læuaque fecit. Item sub gradibus in atrio alio cantharum foris in campo posuit, & vsum necessitatis humanæ fecit, & alios gradus ascendentibus ad B. Andream fecit, & cantharum posuit. Hic fecit basilicam sanctæ Martyris Agathæ via Aurelia in fundo * Lardario, & à fundamento eam cum fonte construxit, vbi posuit arcus argenteos duos. Eodem tempore fecit basilicam S. Pancratij, vbi & fecit arcum argenteum, qui pensat lib. 15. Fecit autem in eodem loco balneum. Item apud S. Paulum Apostolum in Basilica renouauit absidam, quæ in ruinam imminebat, & post confessionem picturam ornauit, & cameram fecit & matronium. Et super confessionem imaginem argenteam cum Saluatore, & duodecim Apostolos posuit, qui pensant lib. 120. Et ante fores basilicæ gradus fecit in atrio & cantharum, & post absidam aquam introduxit, vbi & balneum à fundamento fecit. Intra ciuitatem Romanam, Basilicam S. Syluestri & Martini à fundamento construxit iuxta thermas Traianas, vbi & super altare ciborium argenteum fecit, quod pensat lib. 120. Arcus argenteos 12. qui pensant singuli lib. 10. Confessionem argenteam, quę pensat lib. 15. Ad B. Ioannem & Paulum, fecit gradus post absidã. Item Archangeli Michaëlis Basilicam ampliauit, & gradus fecit, & introduxit aquam. Item ad sanctam Mariam oratorium sanctorum Cosmę & Damiani à fundamento construxit. Item via Tiburtina milliario 27. ab vrbe Roma, rogatus ab Albino & Glaphyra, præpositis illustribus, de proprio facientibus, à fundamento Basilicam S. Petro in fundo Paciniano dedicauit. Item ad B. Petrum & B. Paulum Apostolos, & ad S. Laurentium pauperibus habitacula construxit. Item ad B. Petrum viginti cantharas argenteas fecit, pensantia singula libras 15. Et arcus argenteos 22. pensantes singul. lib. 20. Hic reparauit Basilicam sanctæ Felicitatis, quæ in ruinam imminebat. Hic absidam B. Agnetis, quæ in ruinam imminebat, & omnem Basilicam renouauit. Hic constituit, vt omni die Dominico, vel natalitijs martyrum, hymnus, Gloria in excelsis, diceretur. Hic fecit cæmeterium Iordanorum in melius, propter corpus Alexandri. Hic omni anno per Aphricam vel Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant retrusi, pecunias & vestes ministrabat. Hic captiuos per Liguriam & Mediolanũ, & per diuersas prouincias pecunijs redemit, & dona multiplicauit, & dimisit. Hic fecit ordinationes quatuor in vrbe Roma per mensem Decembrem & Februarium, presbyteros 92. diacones 16. Episcopos per diuersa loca numero 117. Qui etiam sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli, 14. kalẽ. Augusti. Et cessauit episcopatus dies septem. Qui etiam in pace confessor quieuit.

* Hiacinti.

* Lardario,

Notae in vitam Symmachi.

Symmachus.] *Post interregnum 4. dierum anno Christi 498. qui est Anastasij defuncti vltimo paucorũ votis Laurentius Romanus; plurimorũ vero suffragijs Symmachus ex Diacono Põtifex est electus. Cura & studio Festi Senatoris, qui se Romanum Pontificem ad subscribendum Zenonis Enotico inducturum Imperatori promiserat, procuratum fuit, vt cum schismate vniuersa Ecclesia eligeretur Laurentius, quem impijs postulatis acquieturum præsciebat. Ex Clero & Senatu, non sine cæde & sanguine, alij Laurentio: alij Symmacho adhæserunt. Addita sunt vires Laurentiano schismati, quod fautorem ac promotorem haberet Paschasium S. Romanæ Ecclesiæ Diaconum, virum doctrina & sanctitate præstantißimum, de quo S. Gregorius lib. 4. Dial. c. 4. refert, quòd Germanus Episcopus consilio medicorũ pro salute corporis Angulanas thermas ingressus prædictum Paschasium in caloribꝰ stantẽ inuenerit, quodq; ille quæsitus, quid ibi ageret, responderit:* Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum stetisi. Sed quæso te pro me dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me non inueneris. Quade re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies redijt; sed iam dictum Paschasium in loco eodem minimè inuenit. *Ita pernicioſum schisma Laurentianum suo exemplo fouit & promouit Paschasius S. R. E. Diaconus, quod pro necessitate temporis ac loci illegitimo iudicio Regis Ariani cõfopitum, iustaq; deinceps synodali sententia condemnatum, vehementiore eruptione recruduit, vt infra patebit.*

Quando Pontifex factus fuerit.

Schisma Laurentianum in eligendo Pontifice.

Paschasius post obitũ pœnas luit schismatis Laurentiani.

Paschasius intercessione & precibus Germani è thermis liberatur.

Primo anno pontificatus Symmachi Clodoueus Rex Francorum victoria contra Alemannos per Christi inuocationem impetrata, à S. Remigio Galliarum Apostolo præuijs & subsequentibus miraculis celeberrimis ad fidem conuersus, baptismatis sacramentum suscepit. Inter miracula, illud, quod Hormisda Pontifex Apostolorum temporibus dignum esse iudicat, illud celeberrimum est, quod ore columbæ cœlitus aduenientis ampulla Chrismatis allata fuerit, qua tum ipse fons more solito, tum etiam Rex Clodoueus sacratus est. Quo apparatu bellico Alaricum vicerit, quemue exitũ vitæ habuerit, infra dicemus in Notis Concilij Aurelian. 1. verbo Clodouei. Ex Aimoino & Hincmaro in vita S. Rem. apud Surium die 13. Ianuar. Baron. anno 499.

Clodoueus Rex Franc. à S. Remigio baptizatur, & fit Catholicus. Columba ampullam Chrismatis adfert.

Huius temporibus floruit Iacobus Syrus in Macedonia sanctitatis fama celeberrimus, de quo Procopius lib. 1. de bello Persic. scribit, quod cum Persæ eum sagittis petere tentassent, diuino portento manus arcusq; visi sunt immobiles consistere. Cum Anastasius Imperator in Regia quadam monstra ab imaginibus Christianis aliena pingi curasset, magna contra eum orta est populi seditio. Cedren. Ortho-

Iacobus Syrus.

Catholicus in certamine de fide, per ignem incolumis euadit.

doxo Episcopo & Ariano de fide altercantibus, probationem fidei per ignem zelo incensus Catholicus Ariano obtulit: quam cum ille recusasset, Catholicus per ignem incolumis euasit. Cedren. Theod. Lector. Dum Constantinopoli quidam Episcopus Arianus baptizaret in nomine Patris per Filium in spiritu sancto, aqua ex colymbetra euanuit. Theod. Lector.

Imago Theoderi sauciata sanguinẽ emittit.

Ex Saracenis Syriam populantibus vnus sagittam contorsit in S. Theodori imaginem, quæ sanguinem emisit. Hæc imago, inquit Damascenus de imaginibus lib. 3. adhuc supereſt, sagittæ vulnus habet & vestigium sanguinis, quorum qui rem viderunt, multi adhuc supersunt. Et ego imaginem vidi, & quod vidi monumentis mandaui. Acephali per Ducem suum Anastasium, Macedonum Const. Flauianum Antioch. & Eliam Hierosolymitanum Orthodoxos Episcopos, ideo quod Chalcedonense synodum damnare nollent, relegarunt: ipsq; nequissimos & sceleratissimos hæreticos Eutychianos substituerunt. Timotheum ex custode Ecclesiæ suffecerunt Macedonio: Seuerum Ducem Acephalorum nequissimum monachum surrogarunt Flauiano: in locum Eliæ Hierosolymitani Ioannem quẽdam substituerunt. Qua ratione Ioannes à S. Saba conuersus communioni Acephalorum renunciarit, Eutycheti, Nestorio, Seuero, aliisque hæreticis anathema dixerit, videre est apud Cyrillum in vita S. Sabæ. Seuerus per legationem Episcoporum tentat Alamundarum Principem Sarracenorum, vt à suis baptismum accipiat, suisq; erroribus imbuatur: at is præuentus à Catholicis baptizatus est, & legatos pulchre delusit, dicens se accepisse literas de morte Archangeli Michaelis, quod cum illi impossibile assererent; quanto, inquit, impossibilius Deum crucem passum, quod vos affirmatis vnam tantum naturã in Christo ponentes. Theod. Lector. Cedren.

Orthodoxi relegantur ab Anastasio.

Sedit annis 15. mensib. octo minus quatuor diebus sedisse, à Consulatu Paulini & Scythæ ad M. Aurelium Cassiod. Consulem, probat Baron. an. 514. n. 6.

Tempus pontificatus Symmachi.

Hic fuit temporibus Theodorici.] Ab anno Theodorici in Italia regnantis septimo vsque ad 22. ab anno Anastasij in Oriente nono vsque ad 24.

Hic sub contentione Laurentio, &c.] A quo schisma Laurentianum denominatur. Auctore Festo hoc schisma procuratum fuisse, ex Theod: Lect. Coll. dixi supra in princ.

Ex facta contentione constituerunt patres.] Importuna & malesuada necessitas, legum nescia, hæc contra leges & canones sieri postulauit.

Eodem tempore Papa Symmachus congregauit synodum.] Romanam primam, qua ab omnibus qui interfuerunt Episcopis cognitus & approbatus est Romanus Pontifex. Vide Notas eiusdem Conc. infra.

Error Anastasij in tempore.

Post annos quatuor.] Errat in tempore Anastasius. Nam cum libellum accusationum primo anno Pontificatus Symmachi accepisset, initio secundi Romam redijt, vt synodum hac de causa Romæ congregatam aduersus rabiem sua præsentia securam redderet.

Schismatici visitatorem à Rege petunt & impetrant.

Visitatorem daret Rex sedi Apostolicæ.] Qui accusationes Symmacho obiectas cognosceret. Cum enim schismatis Auctores de illegitima electione, Symmacho nihil negotij facessere possent, ad calumnias & mendacia conuersi in eundem maxima crimina consinxerunt, missoque ad ipsum Regem accusationis suæ libello contra Pontificem, à Theoderico Ariano Rege petierunt Visitatorem, eo falso prætextu, quod qui ad aliorum Episcoporum delicta cognoscenda Visitatores mitteret, ipse quoq; Visitatorem & Cognitorem suorũ criminum subire deberet. Hoc cum Theodoricus ad conciliandam Ecclesiam necessarium fore arbitraretur, Petro Altinensi Episcopo illud muneris imposuit. Vt tamen aliqua ex parte Pontificiæ dignitati consuleret eidem mandauit, vt cum Romam peruenisset, mox Pontificem Symmachum in Basilica Vaticana consistentem conueniens salutaret. Quod cum aduersarij quando in vrbem venisset, ab eo præstari vetuissent, atque ex eo, Catholici qui Romæ erant, cognouissent missum à Rege Visitatorem, schismaticorum parti minus addictum esse, à Rege adhuc absente precibus interpositis impetrarunt, vt causam Romanæ Ecclesiæ pro more ac cõsuetudine synodali iudicio tractet & definiat. Verum cum animaduerteret Rex Opt. non fore securam synodalem Patrum congregationem, nisi ipse in vrbe præsens adesset, præsentiam suam hactenus dilatam opportuno tempore vrbi ciuili bello periclitãti exhibere necessarium esse putauit. Sic igitur diu exspectatus, anno Christi 500. qui est Symmachi Pontificis secundus, Patricio & Hypatio Cõsulib. (teste Cassiod.) regia munificentia populo Senatuq; conciliato in vrbem se contulit. Hæc ex libello Ennodij. Bar. an. Christi 500.

Petrus Altinensis visitatorem agit.

Eodem tempore beatus Symmachus, &c.] Vide Notas Conc. Romani II. infra sub Symmacho.

Rex Catholicis petentibus Concilium annuit, atque ad id præsentiã suã offert.

A crimine falso.] Mirum est, quod cũ trium Conciliorum Acta synodalia reperiantur, in nullis ipsorum vel leuis mentio habeatur, de quo crimine Pontifex accusatus fuerit. Vnde habes, Lector, quod discas, prudentes Episcopos oẽs illas infamiæ notas, quas aduersarij Symmacho Pontifici inurere conati sunt, profundo silentio sepultas, & obliuione deletas voluisse, omniq; studio procurasse, ne quauis occasione labes aliqua summi totus Ecclesiæ sacerdotis publicis actis conscripta ad posteros dimanaret. Cæterum ex alio Episcopali decreto sancito, quo omnes Presbyteri & Diaconi iussi sunt habere contubernales, quos vocant concellaneos, seu cellulanos præsentes testes, potest quasi per transennam inspici & intelligi sanctissimum Papam ab Aduersarijs enormi crimine adulterij pulsatum fuisse. Vide Baron. an. 502. num. 32.

Eodem tempore Festus caput senatus.] Ennodius libello suo infra posito declarat, necatos in hoc schismate martyrij corona dignos fuisse, eosque confessionis gloria nobilitatos, qui aliquid ea de causa passi fuissent: secundum illam magni Dionysij Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi sententiam, apud Euseb. lib. 4. hist. cap. 37. qua ait: Oportebat omnia incommoda pati potius, quàm Ecclesiæ Dei discidisse concordiam. At illud martyrium quod quis patitur, ne dirimatur Ecclesiæ confessio, non minus certe, sed multo plus meo quidem iudicio habet commẽdationis, quam illud, quod suscipitur, ne idolis omnino immoletur. Quod Ecclesia Constantinopolitana clericos à schismaticis tempore S. Chrysostomi necatos vt martyres coluerit, supra diximus sub Innocentio I. tom. 1. Concil. Baron. an. 502. nu. 12. & 13.

Refutat calumnias Anastasij.

Post hæc omnia inuenit Manichæos.] Futilis ergo calumnia est Anastasij Imperatoris, qua Symmachum de Manichæorum hæresi infamarat. Contra vero ipsum Anastasium Imperatorem de Manichæorum hæresi non leui suspicione infamatum fuisse, asserit ipse Epist. suæ Apologeticæ Symmachus Papa, dum eundem Manichæorum patronum appellat. Baron. an. 503. n. 31.

Hic fecit Basilicam S. Andreæ. &c.] Magna admiratione dignum est, à Romano Pontifice, tanta præstari potuisse sub Rege Barbaro, sub quo vrbs ipsa quodammodo captiua teneri videbatur. Cum præsertim idem Symmachus pastorali munificentia in redimendis captiuis, & alendis Episcopis Africanis in Sardiniam relegatis non defuerit; sed abunde cuncta suppeditarit.

Symmachi in pereg. rabitos.

Hic omni anno per Africã vel Sardiniam. &c.] Cum Trasamundus, Rex VVandalorum hactenus pacificus, Episcopos Africanos in Sardiniam deportasset, vt constabit infra ex Notis Concilij Byzaceni, huius pontificis erga omnes relegatos Confessores Episcopos, eximia charitas fraterna tunc eluxit. Prædecessorum enim vestigijs insistens cunctis egestate laborantibus, necessaria victus largiter suppeditauit; scripsit ad eosdem epistolam, qua dignum pro fide certantium militum hortatorem exhibet.

Hic captiuos per Liguriam redemit, &c.] non pecunia Regia Theodorici; sed Romanæ Ecclesiæ eleemosynis. Baron. an. 496. n. 56.

SEQVVNTVR EPISTOLAE SYMMACHI PAP. I.

I. EPISTOLA SYMMACHI ad Eonium Arelatensem Episcopum de Viennensi & Arelatensi Ecclesia.

Dilectissimo fratri Eonio * Symmachus. Dilectionis tuæ literas, mandataque filio nostro Crescentio presbytero nuncio deferente suscipimus, quibus constat inter Arelatensem & Viennensem Ecclesiam aliquod de ordinandis Episcopis in vicinis ciuitatibus oriri luctamen: illa re videlicet faciente, quod decessor noster sanctæ recordationis Anastasius tractans confusionẽ prouinciæ, aliqua contra veterẽ consuetudinem iusserit obseruari, decessorum suorum videlicet ordinationẽ (q; non oportebat) sub qualibet necessitate trãsgrediẽs. Nã dum ad Trinitatis instar, cuius vna est actio; individua potestas, vnũ sit per diuersos Antistites sacerdotiũ: quẽadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quòd hæc sit sententiarum varietas * ad ipsam sacrosanctam Catholicam religionem credimus pertinere: cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa quæ ad inuicem sacerdotibus

dotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim Vicarijs beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotibus præcipiat, eisdem transeuntibus dissoluantur? Relegentes ergo veterum Antistitum super hac causa ordinationes, quibus Ecclesiasticum grauatur scrinium: dilectionem tuam enixissimè commonemus, vt in ordinandis per singulas vrbes sacerdotibus cara ac reuerenda seruetur antiquitas, nec nouella constitutio vetustæ sanctionis robur imminuat, quia non aliter inter vos poterit seruari concordia, nisi nouis cupiditatibus antiquitatis reuerentia modus prudentiori adhibeatur consilio. Dominus te incolumem custodiat, fili & frater charissime. Data 3. Kalend. Octob. 1. Term. P.C. Paulini Iunioris V.C.

II. EPISTOLA SYMMACHI ad eundem Eonium Arelatensem Episcopum, qua in causa Arelatensis & Viennensis Ecclesiæ informationem postulat.

Dilectissimo fratri Eonio Symmachus.* Mouit equidem nos, quod dilectionis tuæ relatio declarauit: namque* contra regulas Ecclesiastici constituti, & aduersum reuerentiam canonum tractatum per subreptionem Viennensis Ecclesiæ Pontificis, sedi Apostolicæ præsidente prædecessore nostro, se inculpabiliter aliqua meruisse; cum si sit vera conquisitio, effectum non possint impetrata friuole possidere, nec à nobis aliquid noui poterit ordinari, nisi quæ à patribus prædecessoribusque nostris in hac causa statuta claruerint. Tamé ne facile alterius partis absentia præiudicabiliter videremur aliqua decreuisse, id magis duximus ordinandum, vt fraternitas tua competenti tempore de Ecclesiastico ordine instructum non moretur & omni causa dirigere, qui apud nos veritatem causę competenter alleget; quatenus pertractatis omnibus, quod statuendum est, sub deliberationis robore sentiatur. Illud etiam dilectionem tuam facere debere præcipimus, vt fratrem & Coepiscopum nostrum Viennensis vrbis Antistitem misso nuncio & scriptura commoneat, vt constitutis diebus id quoque hominem proprium dirigat, qui partis eius allegationes competenter insinuet: vt de promotis ab vtraque parte suggestionibus securius quæ in perpetuo seruanda sint disponantur. Quia semper suspectus iudicat, qui sub vnius quod videtur eligit deploratione sancire. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Data sub die 3. Kalend. Nouembr. P.C. Paulini V.C.

*Cæsareo sempe

NOTAE.

De inscriptione harum duarum Epistolarum, vide quæ dixi supra in Notis ad Epistolam Gelasij 12.

III. EPISTOLA SYMMACHI AD LIBERIum Patricium de electo Episcopo Aquileiensi præbentis eidem electioni assensum.

Symmachus Episcopus Ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ, Liberio Patricio salutem.

Ex Cresconio. Cùm pro veneranda religione conscientiæ verba dirigitis in Aquileiensis electione pontificis, & diuinis initiata lingua cultibus militat consecrando, in ignoti nos diligentia sermonum vincula tenuerunt: quia nihil superat iudicijs, quoties aliquid probatus extulerit. Quid enim sententiæ sequacium derelinquat, quandò iustitiæ obsequitur, cuius in examen definitio non vocatur? Agitis bono conscientiæ, quod vestro vix negaretur imperio. Exhibuit inter arbitros Marcellini venerabilis collegam Maximus hominũ humilitate sublimior, & ne potestati fauor per obliquos ascriberetur interpretes, quod de proprio descripsit ingenio, laudati iunxit ad precium. Egistis mediocrem, ne præcelsi esset suspecta prædicatio: clarissimorum testimonia, vt vires accipiant culmina, castigantur. Felix sacerdotium, cui faciem prætulit plena mens luminis. Beata conuersatio, quæ idcirco in discussionem deducta est, vt tanto viro adstipulante superaret, quæ non didicisset saporem victoriæ nisi subiacuisset incertis. Semper innocentibus gloriam aduersa pepererunt: prouidet defensores fortissimos mediocris impugnatio. Sed quid epistolæ terminos loquacitate produxi, coactas lege paginas in humana concinnatione transgressus? Iungo & ego amplissimis patribus vestris pro modulo exiguitatis propriæ, vobis cœlo obsequente consensum: & quod mirabile inter homines habetur, consideratione vestri attrahor ad amorem. Inspirata mihi per alterum placet affectio, dum manet charitas imis inserta visceribus. Peregrinante persona, comitem se tamen cœlestis gratia desiderijs iungat: & dum cupitis datur effectus, aut veniat bonum pontificatus, aut faciat. Data 18. Kalend. Nouembr. die, indictione octaua.

IV. EPISTOLA SYMMACHI AD LAVrentium Mediolanensem, qua eius virtutes describuntur.

Dilectissimo atque charissimo fratri Laurentio Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Symmachus Episcopus in Domino salutem.

Ex Cresconio. Prodit religiosæ votum conscientiæ, mens laudibus deuota pontificum: assertio ingenij est, Deo obsequentibus mancipare quod loquimur, in quorum præconijs fortè angustus sermo vulgat imperitiam, manifestat tamen, si abstineatur, infantiam. Quis mendicam narrationem æstimet, quam vota locupletant? Sæpe in facundiæ dotibus pauper inuenitur vena prædicantis, & ediuerso thesaurus cordis irradiat in egestate verborum. Qui vice Dei iudicat, non desiderat ficta alloquia, sed quæ infucatus commendat nitor ingenij: quia in his etiam sine amore blanditur eloquentia, in illis splendorem suum veritas nuda commendat. Sine phaleris est omne quod dictat affectio: ad vnguem fabricantur illa, quæ volumus non tam speciem recti habere, quam similitudinem. Ad te venerabilis mihi Antistes, maximè sermo est, cui cum meritorum testimonio virtus cœpit à vocabulo, in quo actus eloquitur, qui nomen appellat. Prouida parentum diligentia tuorum, prius te eligi voluit, quam probari. Te olim sæcularibus inhærentem titulis, castrensis sudor excoluit, & ad Ecclesiæ gubernacula pars aduersa solidauit, sicut Dñs loquitur in Euãgelio: Qui in minimo fidelis, & in magno fidelis est. Te sacrũ iudex & cõsilij comitem meruit, & laboris. Benè, venerandis initiandus altaribus, & in laica conuersatione quod sacrum esset, elegisti. Tu pudicitiæ in illa ætate custos inuentus es, in qua & lex obsequitur desiderijs. Satis enim est, pueritiæ ambitum, quam licentia fulcit, horreri. Christus milites suos, quos in personam ducis attollat, inter acies quærit hostiles. Adscitus Ecclesiæ, pontificem actibus implesti ante tempora dignitatis. Non fuit aduena benignitas, quæ naturæ innixa radicibus, de cano flore germen ostendit. Temporale enim est omne quod fingitur: perpetuum quod cum ætate maturescit. Non tibi sacerdotium rem doni credimus euenisse, sed præmij. Alij vulgari gratia lenocinante commendantur: tibi rigida circa culpabiles districtio dedit affectum. Manet te singularis sapientia, quæ licet generaliter optanda est, tamen exiitit in magistro necessaria. Frustra monitoris personam suscipit, qui impacti non prævalet æstimare pondus officij. Vilissimis comparandus est, nisi præcellat scientia & sanctitate, qui est honore præstantior. Dedit tibi apicem res iudicij, no fauoris. Dignus pontifice amor est, quam censura conciliat. Deuenustat institutoris genium, qui per solam gratiam vult placere. Tu his eruditus & formatus cæli beneficijs, plus agendo populum instituis, quam docendo. Illa monita disciplorum conscientiam erudiunt, quæ probantur exemplo. Sine pudore inuitat ad innocentiam, qui illam fuerit ipse sectatus. Te inter secreta penetralium quasi testem metuunt, qui peccare disponunt. Nascentibus culpis metus & reuerentia tua negat effectum. Qui inter exordia occurrit vitijs, & occasionem lapsuum adimit, & concupiscentiæ purgat auctorem. Hæc beatitudini tuæ quasi strictim pro linguæ meæ commendatione dedicaui, si precibus tuis vitæ successus arriserit, gestorum tuorum plena me relatione consecrabo, vt quæ vniuersis nota sunt, mansuris in posterum litteris, quatenus gaudeat ætas sequutura, seruentur.

Ex Cresco nio.

Luc. 1.

V. EPISTOLA SYMMACHI AD CÆSARIUM Arelatensem Episcopum.

Ex manu scriptis codicibus.

Dilectissimo fratri Cæsario Symmachus. Hortatur nos æquitas postulationis desiderio tuæ fraternitatis gratanter annuere de singulis, quæ ab Apostolica Sede concedi supplicas, quo d à patrum cautela & prouisione non discrepat. Et quamuis Ecclesiasticæ penè regulæ omnia comprehendant; tamen superfluum esse non credimus, nunc, quæ sunt sæpius interdicta, repetere.

Bona Ecclesiastica non alienãda.

Possessiones igitur, quas vnusquisque Ecclesiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis atque distractionibus, vel sub quocunque argumento non patimur: nisi forsitan aut clericis honorum meritis, aut monasterijs religionis intuitu, aut certè peregrinis, (si necessitas largiri suaserit) sic tamen, vt hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter perfruantur.

Nullus honorem prq mio accipiat.

Illud magnoperè commonens, vt hi qui non Dei gratia, sed promissione rerum Ecclesiasticarum præmissa ad sacerdotium conantur accedere, desideriorum talium reprimantur effectus. Qui autem ab huiusmodi se intentione non cohibent, vindictis canonum sciant se sine dubitatione subijciendos, nec facile ad sacerdotium permittantur accedere, quibus & gradus & tempora constituta sunt, per quæ ad hanc dignitatem debeant adspirare: quia quicunque sine statuto promouetur, non facilè caret offensa, & sine experimento non potest quis electionis obtinere sententiam

Raptores viduarũ, vel virginũ à communione pellantur. Viduæ, & Virgines continentiam professæ nubere non possunt.

Raptores igitur viduarum vel virginum, ob immanitatem tanti facinoris detestamur, illos vehementiùs persequẽdo, qui sacras virgines vel volentes, vel inuitas, matrimonio sociare tentauerint. Quos, pro tam nefandissimi criminis atrocitate, à communione suspendi præcipimus.

Ad Episcopalem honorem nullus per ambitum accedat.

Neque viduas ad nuptias transire patimur, quę in religioso proposito diuturna obseruatione permanserunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monasterijs ætatem peregisse contigerit.

Nullus itaque per ambitum ad Episcopalem honorem permittatur accedere. Nam cum hic excessus in laica conuersatione culpetur, quis dubitat, quòd religiosis & Deo seruientibus incutiat opprobrium? Si quis Episcopatum desiderat, data pecunia, potentes personas minimè suffragatrices adhibeat, nec ad decretum sibi faciendum clericos vel ciues subscribere, adhibito cuiuslibet generis timore compellat, vel præmijs aliquibus hortetur. Decretum sine Visitatoris præsentia nemo conficiat, cuius testimonio, clericorum ac ciuiũ possit vnanimitas declarari. Hortamur itaque, vt pro catholicæ religionis intuitu, & ecclesiarum pace, hæc vniuersi fideles deuota mente custodiant: quia non est dubium, præuaricatores inter dictorum talium iuxta venerandos Canones propriæ communionis subire iacturam. Hæc tamen ad omnium episcoporum volumus afferri notitiam. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data octauo Idus Ianuarij, Probo viro clarissimo Consule.

Notæ.

Beneficiorum Ecclesiasticorum origo quæ.

Possessiones.] *Hinc quæ beneficiorum Ecclesiasticorum origo fuerit, manifestum fit. Cum enim solerent Clerici ab Ecclesia per Episcopum singulis mensibus meritam stipem accipere, vt supra diximus in Notis Conciliorum tempore Cypriani habitorum; contigit postea, vt aliquibus ex his Ecclesiæ possessiones, quoad viuerẽt, ab ipso Episcopo cõcederentur, quæ beneficia dici cœperunt, eo quod (vt habet Symmachus) bene meritis tantummodo eas concedi liceret.*

VI. EPISTOLA SYMMACHI AD EVNDEM Cæsarium eiusdem argumenti, nunquam antehac excusa.

Ex Cod. Arela. Baron. anno 502. n. 37.

Dilectissimo fratri Cæsario Symmachus. Charitati tuæ per omnes Gallicanas regiones vtendi pallij concessimus facultatem. Exemplum libelli: Sicut à persona B. Apostoli Petri Episcopatus sumpsit initium, ita necesse est, vt disciplinis competentib. sanctitas vestra singulis Ecclesijs, quid obseruare debeant, euidenter ostendat. In Galliæ si quidem prouincia ab aliquibus personis Ecclesiastica prædia diuersis titulis alienantur, ita fit vt quis pro suo arbitrio deuota mente relinquẽtium & egentium necessitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc postulamus vt fieri prohibeat Apostolicæ sedis auctoritas, nisi forsitan aliquid pietatis intuitu monasterijs fuerit largiendum. Illud etiam pari supplicatione deposcimus, vt de laica conuersatione qui in singulis Iudicum officijs meruerunt, aut certè rexerunt sub aliqua potestate prouincias, nisi multo ante tempore præmissa conuersatione legitima & vita examinata, nullus aut clericus, aut Episcopus ordinetur. Viduas etiam iam diu religioso habitu assumpto, & sanctimoniales longo iam tempore in monasterijs consistentes poscimus, vt vnicuiq; coniugi causa nec volẽtes sibi iungere, nec inuitas rapiendi libera sit facultas.

Illud etiam humili prece suggerimus, vt nulli per ambitũ ad Episcopatum concedatur accedere, nec data pecunia sibi potentes homines suffragatores adhibeant. Et vt hæc facilius possint custodiri, clerici vel ciues decretum facere, vel subscribere sine Metropolitani notitia vel consensu non præsumant penitus. Hæc omnia vltione districtionis vestræ fieri prohibete, quatenus & in Ecclesia vestra, & in supradicta prouincia disciplina bonis actibus amica seruetur.

VII. SYMMACHI EPISTOla Apologetica aduersus Anastasij Imperatoris libellum famosum, quo Pontificem ob latam in se excommunicationis sententiam proscindebat.

AD Augustæ maiestatis, Gratiani Imperatoris epistolã, octo libris beatus respondit Ambrosius, quia pro fide catholica & illum non piguit prolixius prædicare, & hic non fastidiuit gratanter accipere. Hæc dixerim, vt si modum libelli promendo collegerim, ne existimer, quæ non oportuit, locutus. Si mihi, Imperator, apud exteros reges, eosque totius diuinitatis ignaros, pro fide catholica dicendum foret, quicquid eius veritati rationique congrueret etiam prætenta morte perorarem. Væ mihi erit si non Euangelizauero, meliusque est iacturam vitæ præsentis incidere, quam sempiterna damnatione puniri. Verum tu si Romanus Imperatores, etiam Gentium barbararum legationes debes clementer admittere. Si Christianus princeps es, qualiscunque præsulis Apostolici debes vocem patienter audire. Contumelias tuas, Imperator, quas sub diuino iudicio ipse perpendis, vtrum ne in me religiosa mente profuderis, fateor vel mei causa, vel tui dissimulare me non posse. Mei causa, promissionem DOMINI recolendo, dicentis: Quum vos persequuti fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, propter iustitiam, gaudete. Tui autem, quia nollem sic meam gloriam prouenire, vt te possit non mediocriter onerare. Et ego quidem dominicis & Apostolicis eruditionibus institutus, benedictionem studeo tuis, Imperator, referre maledictis, contumelijs honorificentiam reddere, & odijs redhibere caritatem. Sed vide, quæso, ne ab eo, qui ait: Mihi vindictam, & ego retribuam; quantum à me remittitur, tantum à te cumulatius exigatur. Quid enim Christus dicat de his, qui vel nimirum in eum credentem scandalizauerint, Euangelium referat, non mea voce promatur. Sed fortasse dicis: Imperator, potius te esse minimum, qui credas in Christo, & de te hoc rectius accipi, & me esse scandalizantem tuam fidem. Christus itaque Deus veraciter totus, & totus homo est sic conceptus, sic editus, sic conuersatus in sæculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus, sic cum discipulis apparens, sic eleuatus in cælum, sic exinde dictus est esse venturus, sic hodieque in cæli regione persistit, dicente Apostolo: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & certè de eo dicit quod nunc est ipse. Ergo ille est minimus, qui credit in Christum. Sed huiusmodi in Christum credit qui in integrum Christum credit, non in semichristum, & ideo non Christum, quia Christus non nisi integer. Integer autem non nisi huiusmodi. De tali ergo in se credente dicit,

1 Cor.

Matt.

Rom.

Matt.

Col.

ipse

ipse etenim minimus eius, & paruus est pro quo scandalizato quid promiserit, ipsius, vt dictum est, melius verbis ostenditur. Fortasse dicas Imperator: Sed ego quoq; talem Christum credo, & ideo inter eius minimos iure connumeror. Hoc grauius, si & talem credis, & talem non credentibus communione misceris. Non solùm inquit Apostolus, qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus. An communicare non est consentire cum talibus? Proinde aut doce alios non esse, aut longè grauius, vt dictum est, contra notam sibi erit tendere veritatem. Contumelias igitur Imperator, quas in meam proferendam putas esse personam, vtinam quàm mihi gloriosæ sunt, ita te grauare non possent. Domino meo dictum est à quibusdam: Dæmonium habes, Orator, De fornicatione natus: & putas, quia ego debeam mihi dolere? Quàm talia proferenti cautum est, & diuinis legibus & humanis? In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Quid cum & humano & cum humano te examinante iudicio falsa fuerint approbata. Quid facies Imperator in diuino iudicio? An quia Imperator es nullum Dei putas esse iudicium? Taceo quod Imperatorem accusatorem esse non conueniat. Postremò ijsdem diuinis humanisque legibus nemo possit esse accusator, & iudex. Nunquid nam sub alieno iudicio dicturus es causam? vel accusator adstabis? Dicis esse me Manichæum. Nunquid ego Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo? Quorum furor maximè Manichæorum suffragatur errori. Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, vtrum à fide Catholica, quam in Sede beati Apostoli Petri, veniens ex paganitate susceperim, aliqua ex parte deuiauerim. Procedat aliquis & qualibet ratione conuincat, alioqui conuitia sunt ista, non criminum probamenta, nescio vtrum quibus obijcitur falsum, an falsis obiectoribus inimica dicentibus me non ordine consecratum. Inter imbres lapidum totus euasi, iudicauit Deus. An quia Imperator es, diuinum putas contemnendum esse iudicium? Sed fortasse dices, etiam indignantem Deum noxia quæque plerunque permittere, scriptum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ostende ergo quid existimes arguendum, vt iratum maximè Deum, quæ non conuenerant, permisisse demonstres. An quia Eutychianis nullatenus acquiesco? Me quidem ista non sauciant, sed te palam aperteque demonstrant meum cogitasse honorem repellere, quem interuentu suo beatus Petrus imposuit. An quia Imperator es, contra Petri niteris potestatem? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, beatum Petrum Apostolum in suo qualicunque Vicario calcare contendis? An bene factus essem, si Eutychianis fauerem? si Acacij nomini communicarem? Latere non potest, cur ista prætendas. Conferamus autem honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste diuinarum. Tu Imperator à Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas. Postremò tu humana administras, ille tibi diuina dispensat. Itaque vt non dicam superior, certè æqualis honor est. Nec te putes mundi pompa præcellere, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Itaque videris quid te deceat. Tamen cum in accusationem proruperis tam in diuinis legibus quàm humanis, pari mecum sorte consistis, in qua carituras honore summo si fuero, quia id mauis, te accusante conuictus, amissurus pari ratione, si non conuiceris dignitatem. Sit istud in mundo Iudicium, spectante Deo & Angelis eius, spectaculum omni sæculo simus, quo aut Sacerdos bonæ vitæ, aut Imperator religiosæ modestiæ consequatur exemplum. Quia his præcipuè duobus officijs regitur humanum genus, vt non debeat aliquid eorum existere, quo valeat offendi diuinitas, maximè cum vterque honor videatur esse perpetuus, atque ita humano generi ex alterutro consulatur.

Precor Imperator, pace tua dixerim, memento te hominem, vt possis vti concessa tibi diuinitus potestate, quia etiam si hæc sub humano præueniret iudicio, sub diuino necesse est, vt discutiantur examine. Fortassis dicturus es, scriptum esse: Omni potestati nos subditos esse debere. Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates. Cæterum si omnis potestas à DEO est, magis ergo, quæ rebus est præstituta diuinis. Defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te. Cæterum si tu DEO non deferas, non potes eius vti priuilegio, cuius iura contemnis.

Dicis quòd mecum conspirante Senatu excommunicauerim te. Ista quidem ego, sed rationabiliter factum à decessoribus meis, sine dubio subsequor. Dicis quòd malè te Romanus tractet Senatus. Si nos te malè tractamus, suadentes vt discedas ab hæreticis: tu nos benè tractas, quos vis sociare precipitanter hæreticis? Quid ad me, inquies, quod egit Acacius? Recede ergo, & nihil ad te. Nam si non recedis ab eo, pertinet & ad te. Relinquamus vterque mortuum. Et nos hoc petimus, vt nihil ad te pertineat quod egit Acacius. Tu nos facis obijcere tibi, qui vis ad te pertinere quod egit Acacius. Nos vitamus, quod egit Acacius: vita & tu, & ad vtrosque non pertinet quod egit Acacius, vt possis sine ijs, quæ egit Acacius, ea quæ ad nos pertinet causa coniungi, vt possis sine Acacio nostræ communioni sociari. Nos non te excommunicauimus Imperator, sed Acacium; tu recede ab Acacio, & ab illius excommunicatione recedis. Tu te noli miscere excommunicationi eius, & non es excommunicatus à nobis. Si te misces, non à nobis, sed à te ipso excommunicatus es. Ita fit vt in vtroque siue discedas, non sis excommunicatus à nobis, siue non discedas, nō sis excommunicatus à nobis. Catholici principes quidem semper Apostolicos Præsules institutos suis literis præuenerunt, & illam confessionem fidemque præcipuam, tanquam boni filij quæsiuerunt debitę pietatis affectu, cui noscis ipsius Domini Saluatoris ore curam totius Ecclesiæ delegatam. Quod quia per occasiones fortasse publicas, tua creditur præterijsse tranquillitas, ne magis honorem meum, quàm sollicitudinem Dominici gregis apperere iudicarer, appellare non destiti meis te spontè colloquijs. Vulgatum fuisse designas, quòd tua Serenitas directa militari manu compelleret eos, qui se à contagione perfidorum multis temporibus abstinere delegerint, vi & armis in præuaricatæ communionis consortia detestanda compellere. Vbi te rerum humanarum princeps, qualiscunque Sedis Apostolicæ Vicarius contestari mea voce non desino, vt te memineris hominem quantalibet sis mundi potestate subnixus, circumspiciasque cunctos, qui ab initio dogmatis Christiani Catholicam fidem diuerso proposito persequi, vel affligere sunt conati, quemadmodum (vastitatis infectatione, cuius placuit contritionis illatæ,) ipsi, qui intulerint ista prævalendo defecerint, & orthodoxa veritas hoc præualuerit magis, quò putaretur oppressa: quæ sicut sub infectatoribus suis creuisse monstratur, sic obtriuisse cognoscitur insequentes. Miror si non humanus sensus intendit; præcipuè qui se Christiano vult vocabulo nuncupari, inter illos sine dubio deputandum, qui rectam confessionem, communionemque Christianam varijs superstitionibus impugnare sunt nisi, dum hanc & ipsi quocunque modo percellere moliuntur. Quid interest enim, vtrum Paganus, an quod est deterius, sub nomine Christiano veram synceramque traditionem Apostolicæ regulæ conetur infringere, atque in hanc prorumpere cæcitatem, vt cum in illis regionibus, cunctę prorsus hæreses, opiniones suas habeant publicè licentiam profitendi, sola Catholicæ communionis libertas putetur ab ijs, qui se religiosos existimant, subruenda? Quæ si putatur error (quod non licet) cum cæteris, quibus illic facultas est agere, sinatur erroribus. Sin integritas æstimatur, sequenda potius fuerat, quàm violenta persecutione vastanda. Nec eam probantur insequi potuisse, nisi praua sectantes. At ne ipsi conuincerentur errare, repellere cogitarunt, quo nutabantur errantes, malentes non assectari quod iustum est, sed potius submouere, quo docentur iniusti. Sic recessit ab humanis mentibus Deus, vt obstinante contra eius voluntatem, non aspiciant & in isto sæculo diuinum non deesse posse iudicium, & post huius vitæ cursum illi sit tremendo non defuturus examini, sub quo pernicioſorum studia modis omnibus actionum discussa patefiant, & patefacta puniantur, nisi qui hæc omnino non credunt, qui ve illa se perpetrasse impunè confidunt. Nos autem humani generis, conscientiam contestati, qua possumus voce nullatenus cessamus omnipotentē Deum suis minimè defuturum, & quantacunq; sit humana præsumptio, quantacunque potentia, sub diuino nutu huius atrocitatis censuram sine dubitatione vindicandam. Nam talem ausum neque hic confidimus euasurum, & in illo magno Dei iudicio recepturum, quod ijs temeritatibus diuina retribution deberur.

Rom. 1.

Matth. 11. Luc. 7. Ioan. 8. Deut. 17. & 19. Matth. 18.

Matth. 17. & 12.

Pontificis dignitas maior quam Imperatoris.

Humanis potestatibus parendum, nisi sit contra Deum. Rom. 13.

Ioan. 11.

debetur. Hæc nos nequaquam tacuisse sufficiat, vt cum superna fuerit vltio subsecuta, & vera non protulisse consideratio humana cognoscat, & pœnam nō inaniter pronunciasse venturam, & proposuisse præmonitionis formam, qua huiusmodi præpciitijs de cætero temperetur. Certè si huiusmodi propterea relinquendos proprio definitis arbitrio, quia necà Christianis vexari deceat, Christum quocunque titulo confitentes, nec viuentes in iure Romano lacerari conueniat à Romanis consequenter ostenditur, Romanos homines, & qualiscunque Christianę professionis impetere, nec Christianum dici posse modis omnibus, nec Romanum. Proinde aut repellendi fuerant, aut nullus penitus impetendus, & quod in vno genere iudicas amouendum, in omnibus repelle, si præuales. Si omnia sunt sinenda; nullus penitus excludendus. Alioqui dum parendo cunctis erroribus sis amicus, non nisi solum tibi probatur displicuisse quod verum est. Omnes Catholici principes, siue cum imperij gubernacula susceperunt, siue cum Apostolicæ Sedi nouos agnouerunt præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, vt se docerent eius esse consortes, Itaq; qui hoc non fecerunt, ab eadem seipsos profitentur alienos, quod chartis quoque tuis apud te etiam possumus adstruere, nisi teæmulum, & reum & inimicum vitaremus, & iudicem. Non mirum, si Catholicos persequuntur Manichæorum patroni, cum falsitas non possit non persequi veritatem. Non mirum, si in orthodoxos sæuiant, quibus potest cum cunctis hæresibus conuenire, & vniuersis erroribus amici: non possint nisi solis esse non errantibus inimici. Si error est, conuincendus est. Verùm si error non est, tibi verū deesse cognosce, qui persequeris * quo profiteris errare. Sed prauitatis complex nō potest nisi eum persequi, qui est prauitatis.

Principū Catholicorū consuetudo nouos Ro. Pont. salutandi.

*

EPISTOLA VIII SYMMACHI VEL saltem ipsius nomine ab Ennodio Diacono scripta ad Episcopos Confessores.

Extat apud Ennodiū pa. 318.

LVcrum forsitan putaret inimicus, si inter pericula quæ Christianis indixit, credentium animos subegisset, & per diuersa Domini grege dispersō, non supereſſet vel inter paucos, à quibus possit fide perseuerante calcari. Regnat adhuc ille in numero vestro, qui sibi non tam in multitudine quam in deuotione complacuit. Scriptum est enim, datam satanæ potestatem, vt seruos Christi cribraret: vt quod de tritico inueniri posset, horreis iungeretur: quod de paleis, ad ignium alimenta transiret. Ad vos specialiter dictum est: Nolite timere pusillus grex: complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Venit inter vos gladius perfidorum, qui marcida Ecclesiæ membra resecaret, & ad cœlestem gloriam sana perduceret. Quos habeat Christus milites, certamen ostendit: Qui triumphum mereatur, per bella cognoscitur. Nolite metuere, quòd Pontificalis à vobis apicis insulas abstulerūt. Vobiscum est sacerdos ille vel hostia, qui non tam honoribus consueuit gaudere, quàm mentibus. Maiora sunt confessionis præmia, quàm nominatæ munera dignitatis: Ad illa plerumque etiam minoris meriti personas fauor humanus adducit; ista nisi gratia superna non tribuit. Ipse enim in vobis & pugnauit & vicit, quem fides meretur & inter hominum tormenta sociari.

Luc. 22.

Luc. 12.

Prolixis non est opus ad feruorem in vobis cœlestem animare colloquijs. Habet incrementa sua diuinæ virtutis incendium. Non est opus eos in trophęo iam positos attolli laudibus, qui sine monitore vicerunt: grauant cōscientiam Christiani quicquid afferunt blandimenta præconij. Res quidem virtutis est quam feciſtis, sed summi præmij restitutione superanda. Quod tamen, directis ad filium nostrum N. Ennodium diaconum literis, speraſtis, beatorum Nazarij & Romani benedictionem poscentes, Fidelibus non negamus. Accipite veneranda patrocinia inuictorum militum, quia & iam vestram piam fidem in prœlijs Imperator agnouit. Feliciter confessionis munera consummare dabit Deus, cum ipsi placuerit reducere Ecclesijs quietem; vt & mœrorem, quem induxit aduersitas, pacis dulcedine consoletur.

De reliquijs Sanctorū martyrū missis

IX. EPISTOLA SYMMACHI ad Orientales, &c.

QVod fieri planè cupimus, si quæ scribimus, impleantur. Nullus stupeat seruatum hactenus nos nunc soluisse silentium, cum prudentissimi Salomonis ista vox personet: Tempus loquendi, & tempus tacendi. Quia taciturnitatem præsens tempus expugnat: nam inter cætera quæ accidunt, nunc silere, nec fidei stimulis excitari, magni constat esse fastidij. Quippe vbi religionis reuerentia & summa concutitur, aptum iuxta diuinam Scripturam dicere, eos qui sunt mites, debere esse pugnaces. Siquidem & spiritualis quædam Deo accepta congregatio inde & laudabiliter vniuersa tolerat, ne quisquam à diuina charitate separetur, & vos quidem docere quod doceatis, graue onus pudoris, sed necessarium & vtile tales admonere: nec enim cōgruum illis religiosæ afferre dogmata disciplinæ, à quib. institutionis ipsius expectatur plena perfectio.

Eccl. 3.

Luc. 11.

Sed breuiter clara pestringemus. Cui incognitum, Constantinopolitana Ecclesia qua Nestorij contagione laborauerit? Nestorij, inquam, qui quasi putre corporis membrum à societate Catholicæ communionis excisus est. Vbi terrarum non prædicatur congregatio Chalcedonensis sancti Concilij, quæ Eutychetem & Dioscorum, duo nomina famosa & & magnæ perfidiæ, vnius sententiæ integritate damnauit, iniquitatis complices vno spiritu diuinis dogmatib. aduersa sectantes? Quis Petrum & Timotheum præfatorum vernulas ignorauit, propugnatores intentionis addictæ, auctores ac magistros suos sceuo errore vincentes? Illum Timotheum loquimur parricidam, qui sanctæ recordationis Proterio superstite, non solùm Ecclesiam non religiosis auctoribus occupauit, verum etiam effusionem pij sanguinis ad crimen perualionis adiecit. Ipsius nempe damnationem vniuersalis est Ecclesiæ vox locuta, dum eum nomine quoque Christiani honoris exueret. Eius Petrum sequacem notū fecerunt Orthodoxorum plurimæ passiones, in quibus ille virtutem animi sui exultauit ostendere. Nouit hunc Ephesus cum tota societate Dioscori, vbi cum prædicto auctore peccati finem S. Flauiani operatus innotuit.

Tacenda sunt Antiochiæ mala, vbi per alterius Petri nefanda ludibria reuerendū sacerdotij nomen irrisum est. Quis Apameæ & Tyri gemitus, tragicis criminibus comparandos, vel si solis vacet, digna possit lamētatione deflere? Quid Acacium? qui quasi boni sui fascino grauatus, quæ Basiliſco imperante præmiserat, nouo exemplo penè deprehensus est aduersus se ipsum dicens sententiam, illos mutata voluntate defendens, quos prius glorioſum putauit addicere, * & laborans sociare Fidelibus quos dudum hæreticos manifestæ præuaricationis ostenderat: propter quod maximè fugiendus, & designato superius damnatorum agmini coæquandus, illa propter quæ fidelis probatus est dissoluēs, permixtus his, per quos læsio Ecclesiæ generalis euenit.

* abijcere

Aduersus hos si Patrum dogmata ratio suadet esse seruanda, cogitate, si possunt ea maiori transgressione calcari, quàm nunc per eos qui in partibus vestris Eutichetis dogmata redeuiua * resuscitant. Si verò tanquam infirmè constituta sententia, sine piaculo negligūtur, citra vllum robur credulitatis nostrę summa subsistit, semper succedentibus nouis, vetera constituta soluentibus. Quando enim paternarum regularum despiciūtur inuenta, nec eorum quæ bene instituta sunt firmitas vindicatur, huiusmodi impietates necesse est fidei superuenire: Nam vbi facilis dissolutio est rationabilis cōstituti, ibi omnis sanctitatis forma corrūpitur, Christus impetitur, & (quis hoc Fidelium patienter accipiat?) instituta Patrum reuerenda calcantur. Et quis non vitæ mortem iusta electione præponat? Vbi Catholicæ fidei adoranda reuerentia? Vbi multo cruore Sanctorum dogmata constituta? Vbi doctorum veterum fidelis auctoritas? Vbi illa religiosarum mentium stupenda patientia, proprijs bonis contenta nudari, ne de spe æternæ hæreditatis excideret, quasuis ambiens, ne incorruptibilis illius boni iudicaretur indigna? Nam nulla maiora documenta sunt fidei, quàm vbi temporis ratio suadet, vitam subdere passioni: Et ideo qui pro ea periculum persecutionis subire meruerit, dignū se cælestis ostendit esse militiæ. Chri-

ſtus nos pio ſanguinis pretio comparauit, gratiæ libertate cõceſſa, nihil inuenientibus humanis operibus, quod dignum tanta mercede tribuerent. Atque ideo vbi religionis iniuria eſt, amorem fidei omnem tranſcedere oportet affectum.

Vnuſquiſque ergo exilia & peregrinationes tanquam domum patriamque reſpiciat; ne deſiderijs retentus humanis, Chriſti ſocietate priuetur. Ecce tempus, quo repetit fides milites ſuos, & inclamat ad defenſionẽ ſui ſeruorem gratiæ conſecutos. Fidem ipſam dicere iudicemus: Ecce tempus optabile, ecce fructuum congregatio deſiderata Fidelium, vt paruis paſſionibus munera magna compenſet.

Pluribus charitatem veſtram quo diſpenſatione nobis credita cuperemus hortari: ſed quid opus eſt vocis ſtimulis, vbi ad tolerandas pro Chriſto magnanimiter paſſiones Apoſtolicis & Patrum docemur exemplis, qui per damna humanarum rerum, cæleſtium nobis oſtenderunt argumenta* virtutum? Ergo pronunciemus intrepidi claras Eccleſiæ cũ magna fiducia diſciplinas. Longè ſit à nobis Prophetæ ſermo dicentis: Et ſacerdotes vera celauerunt. Quem enim latet, diſcipulorum ſcientiam à doctoribus exigendam? & quod non pronunciatum lædit ſequaces, hoc cõſtat periculoſum eſſe tacentibus. Neceſſe eſt enim apud eos laborare veritatẽ, apud quos non manifeſtatum latet ſub veritatis colore mendacium, magnum robur ad impugnantium fidem, quamdiu aduerſus eos prolatæ ſententiæ non viriliter aſſeruntur. Sed de vobis dicere opto meliora: vt ea quæ per improbos confuſa ſunt, per vos correctionis remediũ conſequantur. Non eſt tam durum decipi quemquam, quàm deceptum in errore perſiſtere. Malum hoc & malis omnib. grauius, cùm à corpore ſuo membra diſſentiunt. Nam etſi nõ ſigillatim occupet omnia lineamenta debilitas, neceſſe eſt tamen iuxta Apoſtolicam vocẽ, totum corpus ex parte prægrauari.

Vnde addictorum fugienda communio, iuxta beatum Apoſtolum. Pronunciationem fidei nullus erubeſcat: Virtus eſt enim omni credenti. Declinemus ſacrilegum Eutychetis errorem cum Manichæa malitia congruentem; communionem quoque eorum qui ſunt à talibus educati, pari intentione vitemus, qui nunc quaſi morbum & contagium Eccleſijs partium veſtrarum tentant irrepere. Nemo ſe ſeparet cum prædictis, & ferre tempeſtatem diſſimulet, donec portum veræ fidei ab eorum communione ſeparatus introeat. Quæ quidem amans moneo, non odio perſequens accuſo. Nam qui culpanda vituperat, nec vtilia ſubminiſtrat, exprobrantis habet potiùs ſtudium, quàm amantis affectum: & qui cohortatur ad profutura, vehementius boni propoſiti deſignat imaginem, vt feruentius vtilia expetantur, inuitans.

Propter quod, fratres, illius bonæ Eccleſiæ deſiderantes vnitatem, & beatum decorem ſanctæ concordiæ præſumentes, dicamus cum ſanct. Dauid: Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum, & vt de vobis Apoſtolus Paulus dixerit: Vos autem omnes fratres in Chriſto vno eſtis. Donec enim vnitas non redeat, nullus ambigat tandem* nihilominus eſſe ventura, quæ in Conſtantinopolitana nuper Eccleſia contigerunt; de quibus mihi pariter ingemiſcere neceſſe eſt & tacere. Nam qui Apoſtolicæ ſedis admonitionem negligendam eſſe crediderunt, meritò inciderunt in ea quæ euenire ſolẽt ſolatio deſtitutis. Si quis ergo ſalutem propriam cogitans ſeruare cupit Apoſtolica iudicia, cùm à præfatorum ſe labe ſeiunxerit, noſtræ communionis ſe nouerit ſine dubitatione participem. Quia ſi ab eorum, quos Apoſtolica ſedes damnauit, nõ ſe ſocietate remouerit, ſciat nullo colore, nullo figmento, nullaque calliditate Eccleſiaſticæ ſe cuſtodiæ poſſe ſubrepere: quia ſicut illos, qui ſe à ſupraſcriptorum, hoc eſt, Eutychetis, Dioſcori, Timothei, Petri, & Acacij venenis diſſociant, libenter amplectimur; ita circa iſtorum ſectatores cura & ſolicitudo noſtra, ne ſubrepere poſſint, ſemper inuigilat. *Et alia manu.* Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi.

Dat. octauo Idus Octobris
poſt Conſulatum
Felicis V.C.
(:)

*augmẽta

Thren. 2.

Rom. 1.

Pſal. 132.

1. Cor. 12. *eadem

EPISTOLA ORIENTALIVM EPIſcoporum ad Symmachum.

Eccleſia Orientalis ad Symmachum Epiſcopum Romanum. Bonus ille & amator hominũ Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui propter bonitatem ſuam in nos declinans cælos, & deſcendens ad terras, immaculatis Euangelijs quotidiè illud clamat: Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Plus autem volens aperire opera ſuæ clementiæ, adiecit in ſequentibus, dicens: Quis autem veſtrum habens centum oues, ſi perdiderit ouem vnam ex ijs, nonne relinquit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad perditam, quamdiu inueniat illam? & inueniens imponit illam gaudens in humeris ſuis; & veniens domũ ſuam, conuocat amicos ſuos & vicinos, dicens: Congaudete mihi, quia inueni ouem meam perditam. Et vt clarius fieret quod dicitur: mox adiecit parabolam mulieris, quæ perditam inuenerat drachmam, vtriſq; adiungens & dicens: Amen dico vobis, quia ſic fiet gaudium in cælis de vno peccatore pœnitentiam agente. Matth. 9. Marc. 2. Luc. 15.

Hæc diximus, ſanctiſſime, auſi ſupplicare non pro perditione vnius ouis, neque pro perditione vnius drachmæ, ſed pro amica nobis ſalute non Orientalium partium tantùm, ſed trium propè plagarum habitabilis mundi, nõ corruptibili argento aut auro redemptarum de vana cõuerſatione à parentibus tradita, ſed pretioſo ſanguine agni Dei: ſicut docuit beatus glorioſorum Apoſtolorũ Princeps, cuius cathedram beatitudini tuæ credidit Chriſtus optimus paſtor, qui venit quęrens & liberans, quod perierat, & ponens animam ſuam in redemptionem pro multis. Quem imitatus, ſanctiſſime beatiſſimeque, feſtina ad adiuuandum nos, ſicut beatus Paulus doctor veſter ad auxilium quandoque Macedonum feſtinauit: & quidem ille in viſione cognoſcens periclitari Macedones, in veritate adiuuare eos properauit. Cathedrã Petri tenet Romanus Epiſcop. 1. Petr. 1. Act. 16.

Tu autem affectuoſus in filijs pater, non in viſione, ſed in veritate ſpiritualibus cernens oculis pereuntes in præuaricatione patris noſtri Acacij, noli remorari: magis autem (vt ita dicam ſicuti Propheta) non dormites, ſed feſtina ad liberandum nos: quia non in ligando tantum poteſtas eſt tibi data, ſed in ſoluendo quoque diu vinctos ad imitationem magiſtri: neque in eradicando, vel diruendo, ſed in plantando & ædificando, ſecundum beatum Hieremiam, magis ſecundum Saluatorem mundi Chriſtum, in cuius ille extirit typo: neque in tradendo tantum ſatanæ in interitum carnis, ſed & in charitate formando, longa auerſione deiectos: ne (quod abſit) maiori triſtitia abſorptis nobis à ſatana videamini pertuliſſe diſpendium. Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidiè à ſacro doctore tuo Petro doceris oues Chriſti per totum habitabilem mundum creditas tibi paſcere non vi, ſed ſponte coactas: qui cum doctiſſimo Paulo clamas nobis ſubiectis & dicis: non enim dominamur vobis in fide, ſed cooperamur in gaudio. Pſalm. 118. 2. Cor. 1. Coloſ. 2. Ro. Pont. paſtor totius Eccleſiæ. 2. Cor. 1.

Quare deprecamur diſrumpi nouum chirographum noſtrũ, ſicut Saluator & dux noſter Chriſtus vetus illud in cruce diſrupit; ne vltra poſt lauacrum regenerationis, malorũ noſtrorum ſubiaceamus delicto, ſed vt eius, qui comedit, vua acerba ligauerit dentes, ſecundum B. Ezechielis prophetiam. Cum ergo in veritate parabolam iſtam ſalutari aduentu ſuo Saluator impleuerit: cur, ſanctiſſime ac beatiſſime, Acacij inobedientia, vuam acerbam comedentis, noſtri, ideſt filiorum ipſius in tam longo annorum curſu ligati ſunt dentes? Si vnus homo peccauit: quare toti ſynagogæ, aut magis tori habitabili mũdo per anathema diuinus furor incũbit? Vbi ergo Dei promiſſio, quæ dicit: Non percipient filij parentum peccata, neque parentes filiorum ſuorum, ſed vnuſquiſq; morietur in ſuo peccato? Coloſ. 2. Ezech. 18. Deut. 24. Ezech. 18.

Si propter Alexandrinorum, aut magis Eutychianorum amicitiam, qui auerſantur & anathematizant ſanctiſſimum & beatiſſimum Papam Leonem, vel in Chalcedone Synodum habitam, anathematizatus eſt Acacius: quare nos à vobis æſtimamur hæretici, & in anathemate ſumus nos, qui amplectimur ſolam illam epiſtolam, & quæ dicta ſunt in ſancta Synodo? Qui propter prædicationem recti dogmatis veſtri quotidiè oppugnamur, & vt hæretici anathematizamur ab ijs qui Eutycheti conſentiunt. Noli facere iudicium, per illum, Querũtur teneri peccato Acacij.

qui cũctam iudicat terram: ne perdas iustum cum impio: nec fiat apud te iustus vt impius: nec æqualiter iudicentur à te Orthodoxi, & hæretici, vel qui anathematizant prædictam sanctam epistolam, sanctamque Synodum vestram rectam, & ij qui vobiscum ab eis anathematizãtur, & qui orant mori quotidiè pro recta fide, quæ à vobis prædicatur.

Ioſ. 10. A simili ducunt argumentum.

Et Iesus quidem Naue incircumcisos, & idolorum seruitores Gabaonitas cum mendacio fugientes ad se, dum oppugnarentur ab Abimelech vel cæteris quatuor cum eo Principibus, pro eo quòd ad eum confugerant, Deo cooperante, strenuè vindicauit, ne blasphemaretur nomen Dei eius tanquam non eos adiuuare prævalentis. Vos autem, sanctissimi viri, Iesu magni Dei & Saluatoris spei nostræ discipuli, imitatoresq; eius qui figurã serui assumpsit, vt nos liberos redderet à peccato, quod regnabat in nobis; videtes oppugnari nos & mortificari, nõ sicut Gabaonitas incircumcisos, sed vobiscum circumcisos in Christi circumcisione, neque idolorum seruitores & æmulos, etsi peccatores, tamen Christianos, & vobiscũ omnia in Christo sapientes, non despiciatis, neque contemnatis vltra, pij Patres: sed sicut beatissimus prædictus Iesus Naue,

Ioſ. 16.

non illos tãtum, sed & Raab meretricem illis antepositi propter duorum exploratorum susceptionem; ita & vos nos vigilanter assumite cum Dei iuuamine propter duarum naturarum traditionem, quæ à vobis per epistolam inter Sanctos constituti Papæ Leonis contra Eutychetis deliramenta directa est. Et illa quidem suscipiens explorantes, in stupam lini suæ domus abscondidit: nos autẽ rectæ fidei vestræ suscipientes confessionem, in corde nostro nõ abscondimus, sed in Ecclesiarum dogmatibus Dei misericordia eam cum auctoritate prędicamus. Et illa quidem rogata, per metum eos se habere negauit: nos autem oramus, ne vnquam humano metu negemus rectæ doctrinæ nostræ veritatem; & vsque ad sanguinem pro ea stabimus, si sit necesse.*

*si ita contingat.

Vnde non tædeat nos adiuuare, neque odio habeatis propter aduersantiæ communionem; quando & ab hac plurimi facultatibus impediti, & non habentes solicitudinem multarum animarum suspenderint: quibus verò multarum animarum cura commissa est, in creditis sibi communicent Ecclesijs, nullum cõtrarium habentes communicantem sibi, & metuentes relinquere lupis oups propter vocem Domini dicentem: Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & relinquit oues & fugit, & lupus rapit eas atque dispergit; quia mercenarius est, & non habet ouium curam. Quod ergo non amore vitæ capti, sed ouium salutem curantes plurimi sacerdotum hoc faciunt, deinceps, miserante Deo, cognoscere poterit tua paternitas.

Ioan. 10.

Quidam enim de his qui in sacerdotio constituti sunt, spectantes* in exilio mitti presbyteros Orthodoxos & sanctos viros, volentes se prẽter necessitatem ab Ecclesijs suo arbitrio subducere, ipsosque sequi, non cesserunt eis hoc facere, adiurantes eos vt manerent in creditis sibi sanctis Ecclesijs ad populi munimen Orthodoxi, in se suscipiendo quæ putantur discretionis illorum. Sicut Rebecca quondam dicens Iacob: In me peccatum tuum fili: ita illi ab Ecclesijs sibi creditis discedere sponte volentibus dixerunt: In nos veniat peccatum discretionis vestræ: tantummodò oues Christi prẽter necessitatem lupis non relinquatis; ne in loca vestra hæretici ingredientes, lupi discerpãt oues; aut certè ab ipsis ouibus suis propter rectam fidem fugati, & his qui non fugantur, sed sponte discedere cupiunt, ne cui aduersantium communicent, tali fide dicentes: Putas isti amore vitæ hoc faciunt, an amore animarum ad imitationem Domini sui primi pastoris nostri Iesu Christi magni Dei & Saluatoris spei nostræ, qui animam suam posuit pro ouibus suis?

*sperãtes Diligens cura pastoralis exhibita. Geneſ. 22.

Omnimodo autem & qui videntur communicare Orthodoxi, & qui se à cõmunione abstinent, omnes post Deum tuæ lumen visitationis & assumptionis opperimur. Quare festina iuuare Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina Petrum & Paulum ad illuminationem totius mundi Saluator direxit. Reddite ergo ei bonam retributionem, quam ipse vobis dedit: illuminate eum rectæ fidei lumine, sicut per ipsum vos quõdam diuinæ cognitionis lumine idem illuminauit. Sicut enim quando toto mundo in peccatis ægrotante, vnius hominis delicto lassati, in ægritudinis curatione boni illius medici discipuli ipsum cælestem medicum, & principem pastorem, magistrum suum ad curam vocantes ægritudinis ipsius, aliquando dicebant: Domine inclina cælos tuos, & descende: aliquando rursum: Qui regis Israel, intende: Qui sedes super Cherubin, appare: Excita potẽtiam tuam, & veni, vt liberes nos: Sic nos modò, qui infirmitati nouę preuaricationis patris nostri deijcimur, ad tuam clamamus beatitudinem; vt & tu imitator existens Filij Dei, ad dilectionem deprecatione venias, imitatione ipsius cælestis Patris tui, qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Festina in auxilium nostrum, sciens, sanctissime (sicut in principijs dictum est) quia non opus habent sani medico, sed malè habentes.

Quòd si parua existeret ægritudo, nos forsitan ad spiritualem nostrum medicum curreremus, quatenus & passiones bonorum medicorum, id est, glorioſorum Christi discipulorum, vestrorumque doctorum, & sancta adoraremus tua vestigia: vt & præuaricationis medicinam, & solutionem vinculorum, & delicti remissionem de tuo sancto ore susciperemus.

Sed quia non est vlcus aut macula, neque plaga tumens, sed totum vlcus est à pedibus vsque ad caput, sicut beatus Isaias antiquam præuaricationem deflens dixit: vos iam boni medici, & illius veri medici, vel bonorum discipulorum ipsius certissimi plantatores festinate ad curam resolutorum Ecclesiastici corporis membrorum: vt dissolutas manus nostras, dissolutaque genua erigatis, & cursus rectos faciatis pedibus nostris: ne quod claudum est, amplius distorqueatur; sed curetur magis per strenuitatem & optimam diligentiam vestram.

Sicut enim magistro nostro domino Paulo glorioso Apostolo propter infideles aliquos, dum eum pigeret sermonem domini in Corintho loqui, adstãs Dominus dixit: Loquere & non taceas, quia multus est mihi populus in hac ciuitate, & nũc tuæ dicit beatitudini eius benignitas: Festina, & noli tardare ad Orientis auxilium, magis autem ad maiores partes habitabilis mundi, quia non tantùm pro centum viginti millibus in magna quandoq; constitutis ciuitate Niniue, sed à multò pluribus spera exspectari tuam post Deum medicinam. Si enim qui præcessit beatitudinẽ tuam inter Sanctos constitutus Leo Archiepiscopus ad Attilam tunc errorem barbarum per se currere non duxit indignum, vt captiuitatem corrigeret corporalem, nec tantùm Christianorũ, sed & Iudæorum (vt credibile est) atque Paganorum: quantò magis festinare ad tuam attinet sanctitatem, non ad corporeæ, quæ bello fit, captiuitatis correctionem atque conuersionem, sed animarum, quæ captiuatæ sunt, vel quotidiè captiuantur? & inter duas diabolici vias erroris, Eutychetis atque Nestorij, tertiam immò mediam nobis ostendas expressius veri rectique dogmatis viam.

Act. ii

Ioan. 4. Ab exemplo Leonis Papæ argum.

Dubiam eam fecerunt nostra peccata, æstimantibus quibusdam non posse inter Nestorij & Eutychetis salutis viam mediam reperiri; sed quòd omnino necesse sit, aut illius esse quemquam, aut illius. Propter hoc festina post Deum nos adiuuare: & sicut inter Arij diuidentis atq; separantis vnam Deitatis naturam atque substantiam, & Sabellij quoque confundentis personas & minuentis numerum Trinitatis ostenderunt sanctissimi Patres viam mediam veritatis, in confessione diuinitatis vnam substantiam, naturam, virtutemque demonstrantes, propter Sabellium tres personas & æquè potentiæ vnam veritatem: sic & vos nunc, sanctissimi atque beatissimi, illuminate nos spiritualis scientiæ vestræ lumine; quæ est inter sententiam nunc Eutychetis ad imitationem Sabellij naturas atque substantias confundentis, & inter Nestorij ad imitationem Arij personas atque substantias diuidentis, vera rectę fidei confessio, tradita nobis à Papa Leone inter Sanctos constituto, & discipulorum in Chalcedone sanctorũ Patrum duarum substantiarum aut naturarum vnitas in vna eademque persona & substantia magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Quaſi debitum exigunt.

Fidei feſtina.

Ipsi enim docuerunt nos diuinis Scripturis, alteram esse visibilem & palpabilem & passibilem carnis naturam: & alteram inuisibilem, impassibilem, & incomprehensibilem naturam in vna persona & substantia magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi: alterã de matris substantia & natura venien-

tem de

tem de semine Dauid, Abrahæ, & Adæ, secundùm carnem natam, alteram verò ex vtero ante Luciferum genitam de substantia & natura Patris. Sed ne rursus propter immaculati partus duas naturas & substantias occasionem apprehendentes qui secundùm Nestorium sapiunt, duas personas, aut duos Filios, vel duos Christos malè introducant: docuerunt sancti illi & beati Patres vnam scire personam & substantiarum inseparabilem vnitatẽ ex duab. substantijs & naturis, & in duabus substantijs & naturis magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Fidei Catholicæ confessio.

Nos enim, ô sanctissime & beatissime Symmache, eundem esse existimamus ex duabus naturis & in duab. naturis, & non (sicut illi dicunt) ex duabus naturis vnam naturam post adunationem, in duabus autem substantibus naturis cum vnitate nó pati confiteri; vt sẽ doceant Arianorum esse imitatores, dicentium per Filium gloriari Patrem, cum Filio autem non pati se eum glorificari. Sed sicut contra illos docuerunt fratres tui sanctissimi Patres, Per quem & cum quo æqualiter pati dicere nos: quia, Per quem, humanitatem; Cum quo, diuinitatem significantes magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi: sic & nunc illis, Ex duabus quidem naturis dicentibus. In duabus autem non confitentibus, nos Ex duabus, & In duabus pariter dicimus: Ex duabus enim dicentes, ex quibus substitit vnitas: In duabus autem, in quibus visus est, & palpatus est, & assumptus post passionem & resurrectionem, confitemur, & in quibus veniet iudicaturus viuos & mortuos.

Luc. 24.

Neque enim nuda diuinitas poterat aut palpari, aut crucifigi pro vita mundi; nec simplex humanitas morti subiacens per mortem confundere eum qui obtinebat mortem, hoc est, diabolum. Vnde & post resurrectionem in immaculata carne sua visum Verbum Dei & Deus noster omnibus discipulis suis dicebat: Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habentem. Habentem dixit, vt non is in illa mutatus putaretur, sed in veritate assumpsisse crederetur. Beato quoque Thomæ diffidenti clamat: Infer digitum tuum, & vide manus meas: & da manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Vnde dum assumeretur, duo viri visi discipulis in albis vestibus clamabant & dicebant: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui ablatus est à vobis in cælum, ita veniet, sicut vidistis euntem in cælum, cùm venerit omnimodo in gloria Patris cum sanctis Angelis in die terribili iusti iudicij: sic infideles Iudæi videbunt in quem compunxerunt, & cum eis peccatores etiam nostri, cùm qui eorum misertus est & liberauit eos, neglectus autem ab eis est. Secundùm vos autem, sancti & iusti videbunt quem dilexit anima eorum, & lætabuntur lætitia ineffabili & gloriosa, accipientes consummationem fidei suæ in salutem animarum suarum, & audientes suauissimam vocem eius dicentis: Venite benedicti Patris mei, hæreditate paratum vobis regnum ab initio mundi. Cuius beatæ vocis cum tua beatitudine & nos indignos dignetur Christus Dominus noster, per omnia sanctissime Pater.

Ioan. 20.

Act. 1.

Matth. 25.

EPISTOLA X. SYMMACHI AD vniuersos Episcopos Galliæ.

Ex Baron. Anno 513.

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Gallias consistentibus, Symmachus.

Sedis Apostolicæ instituta prædicanda solicitant, vt de concordia vniuersalis Ecclesiæ, quæ toto Orbe diffusa est, peruigili cura tractemus: quæ in eo præcipuè efficacius adolescit, si ea quæ à Patribus statuta sunt ætas subsequens reuerenter obseruet. Cæsarius siquidem frater & Coepiscopus noster Metropolitanæ Arelatæ ciuitatis sacerdos Ecclesiæ beati Apostoli Petri liminibus præsentatus, ea quæ pridem de priuilegijs Ecclesiarum constituta sunt, nostris postulauit innouari sermonibus. Cuncta igitur inter Ecclesias Arelatensem & Viennensem à decessore nostro beatæ recordationis Leone Papa quæ super hac parte ordinata sunt, Ecclesiæ Romanæ fidelis declarat instructio. Atque ideo ne ea quæ semper veritatis est æmula, sibi aliquid vendicare queat obliuio, & prioris decreti vigor temporis diuturnitate vergatur in senium: necessarium duximus olim promulgata in lucem reddere nostris affatibus. Idcirco quemadmodum decessor noster Leo Papa dudum cognitis allegationibus partium definit parochiarum numerum vel quantitatem Arelatensi & Viennensi sacerdotibus deputandum, & nos præcipimus nullius vsurpatione transgredi. Sed (vt antè prædiximus) iuxta indulgentiam supradicti Pontificis Valentiam, Tharantasiam, Geneuam, Gratianopolim oppida Viennensis Antistes iuri suo vendicet: nec quicquam amplius ab his quę semel ab Apostolica sibi sede concessa sunt, æstimet præsumendum. Alias verò parochias, vel diœceses cunctas priuilegio & honore suo Arelatensis Episcopus sub temporum continuatione defendat. Nec enim obseruatio & vetustatis reuerentia custoditur, si amplius de humilitate gloria sacerdotalis attollitur. Proinde, fratres chariſſimi, singuli honoris sui distributione cõtenti, nec per sæcularia patrocinia, nec per cuiuslibet excusationis obtentum illicita præsumptione terminos concessę potestatis excedant. Studere siquidem vnusquisque debet deuotionis officium magis gratia, quàm de ambitione, ne & Domini nostri offensam & humanam in se lacessat inuidiam. Tacere nos ista commissæ dispensationis iura minimè patiuntur: vt & de his qui Ecclesiasticis regulis obsecundant, perseuerantibus in concordia sedis Apostolicæ gratulemur; & illi qui Catholicis disciplinis obtemperare destiterint, ab Ecclesiæ gratia & charitate se alienos ostendant. Dominus vos incolumes custodiat, fratres chariſſimi. Dat. Id. Nouemb. Probo V. C. Conſ.

EPISTOLA XI. SYMMACHI ad Cæsarium Arelatensem.

Ex Baron. anno 514.

Dilectissimo fratri Cæsario Symmachus. Qui veneranda Patrum statuta custodit, amicum se absolutè religionis ostendit: & qui prouidet vt locum excessibus non relinquat, demonstrat se de bono gratiæ cogitare. Rationabile est vt sancta Arelatensis Ecclesia proprijs priuilegijs perfruatur: & quod vetustas præstitit, & Patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præsumptio. Sic tamen, vt cæterarum Ecclesiarum priuilegia temporibus acquisita non titubent: quia nec potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit iniuriam. Manentibus siquidem his quæ Patrum constituta singulis Ecclesijs concesserunt, decernimus, vt circa hæc quæ in Galliæ prouincijs de causa religionis emerserunt, solertia tuæ fraternitatis inuigilet. Et si ratio popoſcerit præsentiam sacerdotum, seruata consuetudine, vnusquisque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conueniat: & si Dei adiutorio cõtrouersia incidens amputari potuerit, ipsius hoc meritis applicemus: alioquin existẽtis negotij qualitas ad sedem Apostolicam, te referente, perueniat: vt cunctis ordine suo peractis, vnde inimicus bonitatis sibi blandiatur, locum inuenire nnn possit. Igitur quemadmodum supra diximus, per singulas Ecclesias beneficia quæ sunt diu custodita seruentur. Et si tam Ecclesiæ Aquensis Antistes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici iuxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit, nouerit subdendum se (quod non optamus) Ecclesiasticæ disciplinæ. Et in hac parte magnopere te volumus esse solicitum, vt si quis de Gallicana regione Ecclesiastici ordinis atque officij ad nos venire compulsus fuerit, cum fraternitatis tuę notitia iter peregrinationis arripiat: vt nec honos eius per ignorantiam aliquam cõtumeliam patiatur, & ambiguitate depulsa, à nobis animo securo in communionis gratiam possit admitti. Dominus te incolumem custodiat, frater chariſſime.

Dat. 3. Id. Iun. Senatore V. C. Conſſ.

(:)

SYNODVS ROMANA PRIMA SVB SYMMACHO PAPA,

Episcoporum 72. De tollendo ambitu in Comitijs Pontificijs.

CAPITVLA PRIMÆ SYNODI Romanæ sub Symmacho Papa.

Suggestio Fulgentij archidiaconi Ecclesiæ Romanæ, de congregata synodo ex præcepto Papæ Symmachi. 1

Interloquutio Symmachi, vt episcopalis ambitus radicitus amputetur. 2

Sententia Synodi, vt si quis Papa superstite, pro Romano pontificatu cuiquam quolibet modo fauorem præstare conuincitur, loci sui ordine vel communione priuetur. 3

Vt si Papa præuentus morte, non potuerit antè de sui successoris electione decernere, is ordinetur antistes, quem cunctus clerus, aut certè pars maior, elegerit. 4

Vt si quis ambientes, vel fautores ambientium, coniuratores q́, prodiderit, non solùm purgatus videatur esse, si fuerit particeps, verùm etiam remuneratione dignissimus æstimetur. 5

POST consulatum [e] Paulini viri clarissimi, Kalendis Martij in Basilica Beati Petri Apostoli, Synodo præsidente Beatissimo Papa Symmacho, Fulgentius archidiaconus dixit:

CAPITVLVM PRIMVM.

Beatitudo [f] vestra, directis antehac per prouincias authoritatibus, frequenter Italiæ sacerdotum synodum conuocauit, quorum præsentia in vestris videtur oculis constituta. Nunc beatitudo vestra, quæ ad Ecclesiasticas indemnitates, vel ad pacem totius Ecclesiæ pertinent siue concordiam, dignetur tractabiliter ordinare. Acclamatum est ab omnibus Episcopis & presbyteris, Exaudi Christe, Symmacho vita dictum est decies. Cuius sedem & annos. Dictum est nonies. Vt facias, rogamus. Dictum est decies.

2 Symmachus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, dixit: Concilium dilectionis vestræ, neglecta hyemis asperitate, solicitudo nostra pro Ecclesiastica indemnitate specialiter congregauit, vt episcopalem ambitum, & confusionis incertum vel populare tumultum, quem per surreptionem diaboli vsurpatione aliquorum, tempore ordinationis meæ constat exortum communicato pariter tractatu, in futurum possimus robustè ac viuaciter amputare: atq; ideo caueamus in posterum, ne subuersio disciplinæ, aut audacia præsumentium gestiat tentare similia, & pari adunatione tractemus, expressis, scilicet sententijs sancientes, quid circa Romani Episcopi ordinationem debeat custodiri. Vniuersi episcopi vel presbyteri dixerunt: Vt fiat, rogamus. Dictum est decies. Vt scandala amputentur, rogamus. Dictum est nonies. Vt ambitus extinguatur, rogamus. Dictum est * duodecies. Exaudi Christe, Symmacho vita. Dictum est sexies. Cuius sedem & annos Dictum est quinquies. Vt de præsenti fiat. Dictum est decies. Symmachus Episcopus dixit quoniam fraternitas vestra curam prouisionis nostræ suis exhortationibus incitauit, & parilem circa Ecclesiæ tranquillitatem Dei nostri contemplatione animum præstat sicut præfati sumus, deliberatione in præsenti habita, quid placeat ex omnibus, vestris informate sententijs, quæ in hoc venerabili Concilio per Ecclesiastica recitentur officia. Cumque surrexissent, & paulò post iterum consedissent, Æmilianus notarius synodi decreta vulgauit.

3 Propter frequentes ambitus quorundam, & Ecclesiæ nuditatem, vel populi collisionem, quæ molesta & iniqua incompetenter episcopatum desiderantium generauit auiditas, vt extinguatur futuris præsumptio tam pernicioſa temporibus, constituit sancta Synodus, vt si quis presbyter, aut diaconus, aut clericus, Papa incolumi, & eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare, aut * pitacia promittere, aut sacramẽtum præbere tentauerit, aut aliquod certè suffragium polliceri, vel de hac causa priuatis conuenticulis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate atq; communione priuetur. Vniuersa synodus surgens, Priuetur, acclamauit: Exaudi Christe, Symmacho vita. Dictum est decies. Hic pax cum Symmacho. Dictum est quinquies. Cuius sedem & annos. Dictum est octies. Pari seueritate feriendo eum, qui hoc viuo (sicut dictum est) pontifice, quolibet modo fuerit ambisse conuictus, aut certè tentasse, omnibus pariter huius culpæ reis anathematis pœna plectendis. Symmachus episcopus dixit: Ergo vniuersitati placet, & ab omnibus recognoscitur vel probatur ista sententia? Vniuersa synodus dixit: Placet, & quod omnibus placet, fiat.

4 Si (quod absit) transitus [g] Papæ inopinatus euenerit, vt de sui electione successoris (vt suprà placuit) non possit antè decernere, siquidem in vnum totius inclinauerit Ecclesiastici ordinis electio, cõsecretur electus episcopus. Si autem (vt fieri solet) studia cœperint esse diuersa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum: sic tamen, vt sacerdotio careat, qui captus promissione, nõ recto iudicio de electione decreuerit. Synodus dixit: Placet, dictũ est decies.

5 Propter occultas autem fraudes, & cõiurationum secretas insidias, quas huius sententia districtionis consequitur, si quis ad Ecclesiasticam pertulerit notitiam cõsilia eorum, qui contra hanc synodum de pontificali egerint ambitu, & rationabili probatione conuicerit, particeps actionis huiusmodi non solùm purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione, quæ non indigna sit, subleuetur. Vniuersa synodus surgens, acclamauit: Placent omnia, Exaudi Christe, Symmacho vita. Dictum est tredecies. Vt ista seruẽtur, rogamus. Dictum est decies. Vt nullus aliter ad episcopatum Romanũ deinceps veniat, precamur. Dictum est decies. Vt decreta nostra confirmes, rogamus. Dictum est decies. Symmachus episcopus Catholicæ Ecclesiæ vrbis Romæ, dixit: Acclamationes vestras, synodiq́ue iudicium præsentia gesta suscipient. Et adiecit: Ea, quæ ad sopiendos veternosæ præsumptionis errores, vel infensæ rebus Ecclesiasticis ægritudinis morbos, quibus vniuersalis afficiebatur Ecclesia, deliberatio religioni cõgrua paciq́ue constituit, firmitatem perpetem sortiantur, vt præstante Deo, quem custodem rerum constat esse bonarum, synodalis ordinatio vigeat, atq; omnes sine personæ alicuius distinctione constringat. Contra quam si quis sub qualibet occasione venire præsumpserit, indicta superius districtione plectetur. Et subscripserunt episcopi numero 73.

Cælius Symmachus episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicę vrbis Romæ, his synodalibus constitutis, à me probatis atq; firmatis, consentiens subscripsi.

Cælius Rusticus episcopus ciuitatis Minturnens. subscripsi, & consensi synodalibus constitutis, atq; in hac profiteor me manere sententia.

Cælius Bonifacius episcopus Ecclesiæ Veliternens. subscripsi, & consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.

Adeodatus * Ceruiensis.
Aucupius Puteolanus.
Adeodatus Formiensis.
Basilius Tollentinatis.
Benignus Aquæuiuensis. Bassus Ferentius.
Bellator Ostiensis. Cresconius Tudertinus.
Constantius Otriculanus.
Candidus Tiburtinus. Clarus Aliphanus.
Constantinus Capuanus.
Colonius Foroclodiens.
Constantinus Venafranus.
Decius Triumtabernensis.
Dulcitius Sabinens.
Epiphanius Beneuentanus.
Fortunatus Anagninus.
Fortunatus Sueſſanus.
Felicissimus Ferosempronien.
Florentius Pestanus. Fortunatus Fulginatis.
Felix Nepesinus. Gaudentius Tindarinens.
Gaudentius Vulsinien., & idem pro Proiectitio Episcopo Foronouano.
Germanus Pisaurens. Gaudentius Salernitanus.

Iustus

* quindecies.

D stin. 79. Si quis Papa.

* pitacia

Iustus Acherontinus. Innocentius * Meuanatis.
Ioannes Ariminensis. Ioannes Spoletanus.
Ioannes Vibonensis. Laurentius Trebiensis.
Lucianus Tarquiniensis.
Lampadius vrbis Albensis.
* Misenus Cumanus. Maximus Bleranus.
Martyrius Terracinensis.
Maximianus Perusinus,
Molensius Centumcellens.
Maximianus Subaugustanus.
Mercurius Sutrinus. Marius Triferninus.
Paschasius Vulturnensis.
Palladius Sulmontinus.
Quintus * Theatinus. Rufinus Canusinus.
Rosarius Surrentinus, & pro fratre meo Vrso episcopo subscripsi.
Stephanus Nursiensis. Serenus * Nument.
Sanctulus episcopus Signinus, quia subscribere non potuit manu propria, subscripsit pro eo Fortunatus episcopus Ecclesiæ Anagninæ.
Stephanus Neapolitanus.
Salustius Amerinus. Serenus Nolanus.
Saturninus Terdonitanus.
Timotheus Abellinatis.
Valentinus Amiterninus, & pro Romano episcopo Ecclesiæ * Pinnanatium.
Viralis * Fanestris. Vitalinus Narnien.
Vitalis Fundanus. Vitalianus Rusellanus.
Vindemius Antiatinus.
Valerius * Calenotanus. Vrsus Stabianus.
Subscripserunt presbyteri numero sexaginta septem.
Cælius [h] Laurentius archipresbyter tituli sanctæ Praxedis, his subscripsi & consensi synodalibus constitutis, atq; in hac me profiteor manere sententia.
Asterius presbyter tituli sancti Pudentis.
Andreas presbyter tituli sancti Matthæi.
Abundantius presbyter tituli sanctæ Sabinæ.
Asellus presbyter tituli sanctæ Susannæ.
Agatho presbyter tituli sanctæ Susannæ.
Anastasius presbyter tituli sanctæ Anastasiæ.
Acontius presbyter tituli Fasciolæ.
Agapetus presbyter tituli sancti Apostolorum.
Adeodatus presbyt. sancti Martini, tit. Equitij.
Abundius presbyt. tit. sancti Marci.
Bonus presbyt. tit. sanctæ Crescentianæ.
Benedictus presbyt. tit. sancti Gaij.
Bonifacius presbyt. tit. sanctæ Cæciliæ.
Crescentius presbyt. tit. sanct. Apostolorum.
Cyprianus presbyt. tit. sancti Marci.
Dominicus presbyt. tit. sanct. Crescentianæ.
Dionysius presbyt. tit. sanctæ Æmilianæ.
Dominicus presbyt. tit. sanctæ Priscæ.
Epiphanius presbyt. tituli sancti Cyriaci.
Epiphanius presbyt. tituli sanct. Apostolorum.
Epiphanius presbyt. tituli Fasciolæ.
Eutyches presbyt. tituli sanctæ Æmilianæ.
Felix presbyt. sancti Martini, tit. Equitij.
Gordianus presbyt. tituli Pammachij.
Genesius presbyt. tituli sancti Nicomedis.
Hilarius presbyt. tituli sancti Laurentij in Lucina.
Ianuarius presbyt. tituli Vestinæ.
Iustinus presbyt. tituli S. Pudentis.
Iouinus presbyt. tituli sanctæ Æmilianæ.
Ioannes presbyt. tituli Pammachij.
Iulianus presbyt. tituli sanctæ Anastasiæ.
Laurentius presbyt. tituli sancti Laurentij in Lucina.
Martianus presbyt. tituli sanctæ Cæciliæ.
Martinus presbyt. tituli sancti Cyriaci in thermis.
Marcellinus presbyt. tituli sancti Iulij.
Marcellus presbyt. tituli sancti Romani.
Marcus presbyt. tituli sancti Laurentij in Lucina.
Opilio presbyt. tituli Vestinæ.
Petrus presbyt. tituli sancti Clementis.
Paulinus presbyt. tituli sancti Iulij.
Petrus presbyt. tituli sancti Chrysogoni.
Proiectitius presbyter tituli sancti Laurentij in Damaso.
Paschasius presbyter tituli sancti Eusebij.
Petrus presbyter tituli sancti Chrysogoni.
Paulinus presbyter tituli Fasciolæ.
Petrus presbyter tituli sanctæ Praxedis.
Paulinus presbyter tituli sancti Laurentij.
Redemptus presbyt. tit. sancti Chrysogoni.
Romanus presbyter tituli Trigidæ.
Redemptus presbyter tituli Trigidæ.
Soranus presbyter tituli Vestinæ.
Sebastianus presbyter tit. sancti Nicomedis.
Seruus Dei presbyter tit. sancti Clementis.
Sebastianus presb. sancti Martini, tituli Equitij.
Seuerus presb. tituli sancti Gaij.
Stephanus presb. tituli sancti Marcelli.
Septimius presb. tituli sancti Iulij.
Stephanus presb. tituli sancti Eusebij.
Timotheus presb. tituli sancti Marcelli.
Vrbicus presb. tituli sancti Clementis.
Valens presb. tituli sanctæ Sabinæ.
Valentinus presb. tituli sancti Eusebij.
Victorius presb. tituli sanctæ Sabinæ.
Vincomalus presb. tituli sanctæ Crescentianæ.
Venantius presb. tituli sancti Marcelli.
Subscriptio diaconorum.
Cyprianus diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ regionis 7. his subscripsi, & consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.
Anastasius diaconus regionis primæ, subscr.
Ioannes diaconus regionis secundæ, subscri.
Tarnensis diaconus regionis primæ, subscri.
Tertullus diaconus regionis quartæ, subscri.

NOTÆ in Concilium Romanum primum Episcoporum 72. sub Symmacho Papa.

[a] Synodus.] *Cùm importuna necessitas impulisset, ad schisma componendum Regu secularis & Ariani iudicium contra leges & canones Ecclesiasticos interpellare, suoq; iudicio schismate Ecclesia & tumultu populi sedatis, Symmacho, vtpote qui plurium suffragijs electus esset, sedem Apostolicam adiudicasset, iamq; legitimæ cogendæ synodo locus concessus esset, mox ad Italiæ Episcopos literas dedit, quibus ijdem ad synodum quamprimum conuenire iubebantur, vt omnium etiam Episcoporum cognitione & iudicio approbaretur legitimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, quem Rex Arianus sua sententia legitimè electum confirmauerat. Id habent Acta Concilij in principio cap. 1. Anastasius in vita Symmachi hisce verbis:* Papa Symmachus synodum congregauit. *Errat itaque Theodorus Lector in Collectaneis suis, vbi hanc synodum à Theodoro Rege congregatam scribit.*

Causa congregatæ synodi.

Rex Arianus quoq; Symma. pontificatum confirmat.

[b] Prima.] *Ante Kalendas Martias an. 499. sub bimestri pontificatu Symmachi Papæ, ob schisma exortum in clero simul & senatu dissensiones, tumultus, cædes, ac rapinæ concitabantur, vsque ad decisionem Theodorici Regis Ariani. Vnde manifestum est, hanc synodum, quæ Kalendis Martijs celebrata scribitur, primam esse inter sex alias, quæ Romæ sub Symmacho congregatæ fuerunt. Quamobrem non sine iusta causa hoc Concilium primum inscribimus, quod anteriorum editionum Collectores secundum nominauerunt.*

Tempus Concilij.

[c] Episcoporum 72.] *Quorum nomina infra subscripta extant.*

Numerus Episcoporum.

[d] De tollendo ambitu.] *Causam habiti Concilij indicat Symmachus Pontifex capit. 2. his verbis:* vt Episcopalem ambitum & confusionis incertum vel popularem tumultum, quem per surreptionem Diaboli vsurpatione aliquorum tempore ordinationis meæ constat exortum, communicato pariter tractatu in futurum possimus robuste amputare. *Acta Concilij summatim recensentur in tituli Capitulorum. Hac eadem synodo auctore Anastasio Bibliothecario in Symmacho* intuitu misericordiæ, *vt ait*, constitutum fuit, *vt Laurentius in schismate contra Symmachum electus, Nucerinæ ciuitatis antistitem ageret.*

[e] Post Consulatum Paulini V. C.] *Anno nimirum Christi 499. & Symmachi Papæ primo. Hac nota consulari prædictus annus consignari debuit; cùm vnus duntaxat Consul huius anni in Oriente constitutus Occidentalibus nondum innotuisset.*

Quis conuocarit Concilium hoc?

f Beatitudo vestra, &c. synodum conuocauit.] *Vides hanc synodum auctoritate Romani Pontificis congregatam esse. Vnde quod in Collect. suis scribit Theod. Lect. his verbis.* Theodoric' Aser (*ita pro Gotho.*) Romæ tunc temporis potens, licet Arianus esset, collecta Episcoporum synodo, Symmacho Romanum Episcopatum confirmauit: Laurentium verò vnius ciuitatis nomine Nuceriæ Episcopum constituit. *Hæc inquam à Theodoro falsò scripta fuisse, ex supradictis manifestum est.*

An Pontifex sibi successorē constituere debeat?

g Si quod absit transitus Papæ inopinatus euenerit, vt de successoris electione decernere non possit.] *Sciendum hoc loco, neminem Romanorum Pontificum post Petrum Apostolum, sibi successorem aliquem subrogasse, vel etiam subrogare tentasse: modestia tamen causa obseruatum fuisse, vt decedentis Pontificis de successore sententia rogaretur: quem posteà Clerus Romanæ Ecclesiæ suo suffragio liberè vel approbare, vel reijcere poterat, si ita Ecclesiæ expedire iudicaret.*

h Cœlius Laurentius Archipresbyter.] *Hic est ille, quem in schismate contra Symmachum creatum fuisse Pontificem, diximus supra. Eundem hoc Concilio ordinatum esse Episcopum Nucerinum, habet Anastasius Bibliothecarius in Symmacho. Quod Theodorus Lector loco supra recitato ait, à Theodorico Rege Laurentium Episcopum esse creatum. falsum esse, paulo antè diximus.*

SYNODVS ROMANA II. HABITA ANNO Domini 500. in qua 115. Episcopi Symmachum ab obiecto crimine absoluerunt, atque Petrum Altinensem Episcopum deputatum Visitatorem condemnarunt.

ACTA HVIVS CONcilij exciderunt.

Notæ.

Synodus Romana.] *Si quæ synodus ante sequentem tertiam, habita est Romæ, illam esse oportet, de qua Anastasius in Symmacho paucis hæc scribit.* Eodem tempore beatus Symmachus congregauit Episcopos centum quindecim, & facta synodo purgatur à crimine: & damnatur Petrus Altinas inuasor sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus, qui viuo Symmacho Episcopo sedem eius peruaserunt, &c. *Illustrissimus Cardinalis Baronius existimat, secundum & tertium Concilium opinione vulgari Romæ sub pontificatu habita, actiones duntaxat synodicas esse illius quartæ synodi Romanæ, quæ Palmaris nominatur. Sed cum Acta tertiæ & quartæ synodi diuersa consulari nota signata reperiantur, diuersis quoq; mensibus celebrata notentur, à communi & antiquitus recepta sententia non potui recedere. Recensitæ sessiones & actiones diuersæ, in tertia synodo habitæ fuerunt. Prælocutio Symmachi coram synodo quarta, de rebus tertio Concilio tractatis habita, id quod accuratissimus scriptor Annalium intendit, apertissimè demonstraret, si non ijdem prope Episcopi vtrique synodo interfuissent.* Fraternitas vestra Ecclesiasticis legibus obsecuta, *inquit*, quæ erant statuenda definiuit. *Et rectè. Præsentes enim aderant fere omnes illi, quibus auctoribus decretum illud promulgatum fuerat. Nulla igitur valde vrgens adfertur ratio, quæ me cogat fateri, tertiam synodum, synodicam duntaxat actionem esse quartæ synodi Palmaris; proinde si illa tertia verè tertia est, inter primam & tertiam hanc celebratam fuisse, necessum est affirmare.*

(·.·)

Cardinalis Baron. de hac synodo sententia.

a ROMANA SYNODVS III. SVB SYMMACHO PAPA in causa eiusdem Symmachi congregata an. Dom. 501. Auieno seniore & Pompeio Consulibus.

REFFO b Magno, Fausto Auieno, viris clariss. conss. sub die x. Kalend. Nouemb. sancta synodus apud vrbem Romam ex præcepto c gloriosiss. regis Theodorici diuersis è regionib. congregata in Christi nomine, dixit: Cùm ex diuersis prouincijs ad vrbem Romam conuenire sacerdotes regia præcepisset authoritas, vt de his, quæ venerabili Papæ Symmacho Apostolicæ sedis præsuli, ab aduersarijs ipsius dicebantur impingi, sanctum concilium iudicaret legitimè, Liguriæ, Æmiliæ, vel Venetiarum Episcopis (quos ad præsentiam principis ipse itineris ductus attraxit) * consulendi regem incubuit necessitas, qua hos voluisset ætate fractos, debilitate corporis inualidos congregari: respondit præfatus rex pijssimus bonæ conuersationis affectu, plura ad se de Papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, & in synodio portere (si vera esset inimicorum eius obiectio) iudicatione constare. Memorati pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum conuocare, scientes quia eius d sedi primùm Petri Apostoli meritum vel principatus, * deinde secuta iussione Domini Conciliorum venerandorum authoritas, singularem in Ecclesijs tradidit potestatem, nec antedictę sedis antistitem minorum subiacuisse iudicio, in propositione simili, facilè forma aliqua testaretur. Sed potentissimus princeps, ipsum quoque Papam in colligenda synodo voluntatem suam literis demonstrasse significauit: vndè e à mansuetudine eius paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat, hasque dari sacerdotibus sine tarditate constituit, & quicquid in eodem negotio actum est, scriptis Romam ex diuersis terrarum vel regionum partibus, Dei prosecutione peruentum est. Et dum in venerabili collectione de incipiendo haberetur negotio (prout poscebat causa) tractatus, sanctus Papa Symmachus basilicam Iulij, in qua pontificum erat congregatio, (prout habuit cura cœlestis) ingressus est, & de euocatione synodali clementissimo regi gratias retulit, & rem desiderij sui euenisse testatus est. Causa ergò de sacerdotum animis (quæ de Concilio nondùm firmato, tristitiam ministrabat) abscissa est: authoritatem ordinis corrigendi, sicut poscebant Ecclesiastica statuta, in omnium, qui ibidem conuenerant Episcoporum præsentia, * se dare professus est, sperans, vt visitator, qui contra religionem, contra statuta veterum, vel contra regulas Maiorum, à parte cleri vel aliquibus laicis fuerat postulatus, ex ordinatione antistitum (sicut decebat sanctum propositum) prima fronte cederet: & omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati eius legaliter ab honorabili Concilio reintegrarentur seu redderentur: & tanti loci præsul regulariter priùs statui pristino redderetur, & tunc, non antè, veniret ad causam: & si ita rectè videretur, accusantium propositionibus responderet. Digna res visa est maximo sacerdotum numero, quæ mereretur effectum, decernere tamen aliquid synodus sine regia notitia non præsumpsit. Sed suggestio * iusta, per legatorum negligentiam non meruit secundùm vota responsum. Iussus est regis præceptionibus Papa Symmachus ante patrimonij vel Ecclesiarum (quas amiserat) receptionem, cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere, qui potestatis suæ priuilegia, & quæ pro conscientiæ (quantùm iustè æstimamus) emundatione submiserat, nec hoc voluit vice resumere. Sed dum esset Synodus in Hierusalem basilica Sessoriani palatij constituta, aliquibus sacerdotibus visum est, vt libellus, quem accusatores parauerant, qui quotidiè seditionibus * appellabant, susciperetur à Synodo. In quo susceptо * duo erant, quæ vel veritati inimica essent, vel ipsi (quantum ostenditur) Ecclesiastico proposito repugnarent. Vnũ, quia dicebant crimina memorati superiùs Symmachi Papæ, apud regiam cõstitisse notitiam, quod falsum esse * declarauit. Non

A.D.

a l. conc. luimus ut gem qua causam voluisse debilitate corpore inualidos cõgregari

d Sedis Romanæ auctoritas singularis in eccles. fia.

* proinde

e

Visitatorē quidem Rex potestate augus, vt visitationib. occurreret, Petrū Altinatem episcopū Ecclesiæ Rom. decerat.

* asserebat

Extrà de restit. spoliatorum, per tot.

* ista

* interpellabant.

* libellū

* perlegit

enim

enim quasi nouam causam audientię commisisset, si eius *conscientiam conuictam de errore, solam sciret expectare sententiam. Aliud quòd per seruos de his, quæ obijciebant, se eum loquebantur posse conuincere, addentes, vt ipse mancipia traderet, quibus (quantùm illi asserebant) posset in iudicatione superari. Quæ res canonibus & ipsis publicis erat legibus inimica, cùm patrum statuta sanxissent, vt quos ad accusationem leges seculi non admittunt, ijs dicendi in cognitione, vel *accusandi aliquid, deneganda esset licentia. Et dum inter ista, quæ essent facienda, tractabatur: præsatus f Papa, vt causam dicebat, occurrebat. Qui veniens, ab g irruentibus turbis æmulorum suorum ita tractatus est, vt multis presbyteris, qui cum ipso *erant, per cædem ipsam mortis fuisset occasio, quod probant recentium adhuc vestigia vulnerum: nisi illustris vir comes * Aligernus & sublimes viri Gudila & Vedeulfus, Maiores domus regiæ, perspexissent: quos secum, vnde egressus fuerat, ad beati Petri Apostoli septa conuexerat. His ita actis, & rebus varia confusione turbatis, iterum nos ad iustitiam contulimus principalem, scientes, Diuinitate propitia, Regem Dominum, quem ad Italiæ gubernacula ipse præuiderat, eius mansuetudini omnia per relationis seriem (sicut res poscebat) ingessimus; intimantes etiam, sæpè nominatum Papã post cædem, cui subiacuerat cum suis, si voluntatem rursus haberet exeundi ad iudicium, fuisse commonitũ: sed allegasse eum per directos episcopos, nominatis canonibus se *cessisse, affectu purgationis suæ culmen humilians, qui tantis periculis penè fuisset oppressus: dominum regem habere, quod vellet, ius faciendi, sed interim iustitiæ *renitentem, statutis canonibus non posse compelli. Ad hæc serenissimus Rex taliter (Deo adspirante) respondit, in synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere, committens etiam potestati pontificum, vt siue propositum vellent audire negotium siue nollent: quod magis putarent vtile, deliberarent, dummodò venerandi prouisione Concilij pax in ciuitate Romana Christianis omnibus redderetur. Quæ cùm iustæ offerrentur, Dei mandata complentes, Italiæ suum dedimus rectorem, agnoscẽtes, nullum uobis laborem alium remansisse, nisi vt dissidentes cum humilitate propositi nostri ad concordiam hortaremur: quia vnum tantæ rei restabat, vnde Deo pareremus, scilicet, vt sancti h principis voluntate inuitaremus senatum amplissimum, quali oportuit legatione destinata, monentes & instruentes, causas Dei ipsius iudicio esse committenda, qui valet corpus occidere, & animam mittere in gehennam, qui dicit: *Mihi vindictam, & ego retribuam*, apud quem conscientia nuda est, cui non absconduntur occulta. Cogitate prudentes viros oportere, quanta inconuenienter & præiudicialiter in huius negotij principio contigissent: & nos viam per hanc, per quem ipsi vocabant, remissionem peccatis non aperire, sed claudere, qui, quod dicebatur, maiori iudici seruamus instruentes eos, quia per nos illis Christus innotuit, non esse ouium, lupi insidias præuidere, sed pastoris: maximè, quia in causa præfata multos, qui se dedignabantur cognoscere, & Deo satisfacere, error inuoluerat. Et quia non *poterant plura sub hac occasione ecclesiæ membra dispergi, sed magis per mansuetudinem sustineri, sicut boni nos operis Paulus magister instruxerat, dicens sanandos esse plurimos per patientiam & doctrinam. Et quicunque putantur rei & grauibus peccatis inuoluti, (quamuis nullus est, qui delicto careat, sicut Ioannes testatur Apostolus: Si dicam quia peccatum non habeo, mendax sum) hos tamen magis pressuris hominum * sustentari & perterreri, hasque passiones iudicio diuino suspendi, maximè cum illa, quæ præmisimus, inter alia de authoritate sedis obstarent: quia quod *possessor eius quondam beatus Petrus meruit, in nobilitatem *possessionis accessit, & claritatem veterem vobis dat, de Christi dote rectoribus clamantes, scriptum esse per Prophetam ex persona Dei: *Nunquid non valet manus mea ad consumendum eos, qui errauerunt?* Hæc eadem sæpissimè (sicut oportuit) commonentes vt ab ista intentione discederent, & factum nostrum, quod Deus inspirauerat iuxta mandatum principis, non discuterent, sed sequerentur, sicut decebat Ecclesiæ filios: nec sub hac intermissione contenderent, & crescerent Ecclesiæ detrimenta: quæ res poscebat cum festinatione succurri, & nobis huius celeritatis, & illis obedientiæ necessitas imminebat, maximè cùm omnem penè plebem cernamus eius communioni indissociabiliter adhæsisse, cuius nos non modica cura stimulabat, ne in aliquo laberetur errore. Quibus allegatis, cum Dei nostri obtestatione decernimus, harum necessitatum vel * religionum consideratione adstricti, & cœlesti inspiratione perpensis omnibus, quæ in causa erant, secretis: vt Symmachus Papa sedis Apostolicæ præsul, ab huiusmodi propositionibus impetitus, quantùm ad homines respicit, quia totum causis obsistentibus superiùs designatis, constat arbitrio diuino fuisse dimissum, sit immunis & liber, & Christianæ plebi sine aliqua de obiectis oblatione, in omnibus Ecclesijs suis, ad ius sedis suæ pertinentibus, tradat diuina mysteria: quia eum ob impugnatorum suorum impetitionem, propter superiùs designatas causas, obligari non potuisse cognouimus. Vnde secundùm principalia præcepta, quæ nostræ hoc tribuunt potestati, ei, quicquid Ecclesiastici intra sacram vrbem Romam, vel foris iuris est, reformamus: totamque causam Dei iudicio reseruantes, vniuersos hortamur, vt sacram communionem (sicut res postulat) ab eo percipiant, & Dei & animarum suarum meminerint, quia ipse & amator pacis est, & ipse pax est, qui manet: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis:* & in quacunque ciuitate pacem esse confirmandam adfirmans, beatos esse dicit pacificos. Hæc quicunque ex instructione nostra (quod non æstimamus) vel non admittit, vel retractari posse crediderit, videat, quia in diuino iudicio contemptus sui rationem est (sicut de Deo confidimus) redditurus. De clericis memorati Papæ, qui ab episcopo suo ante tempus aliquod contra regulas discesserunt, & schisma fecerunt, hoc fieri decreuimus, vt eos satisfacientes episcopo suo, misericordia subsequatur, & officijs Ecclesiasticis se gaudeant restitui: quia Dominus & Redemptor noster, oues perditas ab errore lætatur inuentas, & super profugum filium paternam liberalitatem cœlestis mediator accommodat. Quisquis verò clericorum, post hanc formam à nobis *prolatam, quocunque sacrato Deo loco in Ecclesia Romana missas celebrare præsumpserit, præter conscientiam Papæ Symmachi, dum viuit, statutis canonicis velut schismaticus percellatur. Ista sufficiat nunc cum Dei notitia nos syncerè protulisse.

SVBSCRIPTIONES Episcoporum.

Laurentius i Episcopus Ecclesiæ Mediolanensis, huic statuto nostro, in quo totam causam DEI iudicio commisimus, subscripsi. Petrus Episcopus Ecclesiæ Rauennatis, huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsi.

Felix Interamnensis.
*Bonifacius * Aquæuiuensis.
Maximus Bleranus.
Æmilianus Vercellensis.
Maximus Ticinensis. Cassianus Mutinensis.
Gerontius Fidenens. Stephanus Venusinus.
Laurentius Boianensis.
Fortunatus Fulginatis. Mercurius Sutrinus.
Stephanus Neapolitanus.
Hilarius Tempsanus. Maximianus Perusinus.
Innocentius Ferentinatis.
Concordius Misenatis. Vitalis Fundanus.
Castus Pratensis. Aristus Ostiensis.
Martyrius Terracinensis.
Victor Lunensis. Asterius Aquinatis.
Chrysogonus Albanensis.
Amantius Potentinus.
Romanus * Nomentanus.
Vrsus Reatinus. Cresconius Tudertinus.
Innocentius * Meuanatis.
Ioannes Spoletanus. Eustasius Cremanensis.
Laurentius Bergomatis.
Eucarpus Messanens. Rufentius Ignatinus.
Serenus Nolanus.
Martianus Esinus.
Eutychius Tranensis.
Fortunatus Anagninus.

Pascha-

Paschasius Vulternensis.
Innocentius *Forosimpronienſ.
Felix Nepesinus. Hilarius Cupersanensis.
Innocentius Tiferninus.
Seuerinus Tyndaritanus,
Syluanus Veliterninus. Sebastianus Soranus,
Mercurius Gabinatis. Felix Atellanus.
Rusticus Buxentinus.
Propinquus Trebienſis.
Adeodatus Formianus.
Bonifacius Camerinensis.
Iustus Signanus. Vindemius Antiatinus.
Augustus Liparitanus.
Valentinus Amiterninus.
Fortunatus Suessanus.
Iocundus Augustanus. Tigridius Taurinatis. Viticanus Callienſis.
Ioannes Ariminenſis. Proculianus Sepinatis.
Candidus Tiburtinus. Aprilis Lateranenſis.
Asellus Populonienſis. Memor Canusinus.
Callonicus Foroclodienſis.
Elpidius Volaterranus. Ioannes Thuritanus.
Adeodatus Syluæ candidæ.
Venerus Polensis. Rogatus Taurominitanus.
Seruus Dei Veronensis. Probus Camerinenſ.
Dulcitius sancti Anthimi.

NOTÆ in Synodum Roman. III. sub Symmacho.

An ſynodus hæc tantum actio ſit alterius?

a Synodus Romana III.] *Illustrissimus Cardinalis Baronius, anno 502. n. 1. 4. 21. & 22. hanc ſynodum, quod ſupra etiam dixi, ſynodicam actionem ſynodi Palmarie eſſe arbitratur, ideo, quod vtraq; eadem conſularis nota conſignetur: quod & Symmachus Papa ſynodū allocutus*, Benè, *inquit*, Fraternitas veſtra, quæ erant definienda definiuit. *Quæ cùm parum vrgeant, viſum mihi fuit hac in re à communi ſententia nequaquam eſſe recedendum. Acta Palmaris ſynodi conſulatum Auieni iunioris expreſſerunt, vt eam à tertia ſub Auieno ſeniore Conſule celebrata diſtinguerent. Quid, quod vtriuſque Auieni diuerſa prouincia idem apertiſſime demonſtret? Senior Fauſti, Iunior Flauiani prænomen habet. Dubium itaque nullum eſt, quin diuerſæ Conſulares Notæ, diuerſitatem ſynodorum nō obſcurè indicent. Videre tamen plures infra in Notis ſynodi Palmaris.*

Acta depraua fuére?

b Ruffo Magno.] *Caſſiodorus & Marcellinus Pompeium eius collegam recenſent. Acta cùm deprauata eſſe reperiantur, ex Codice Creſconiano antiquitus ſcripto, quantum licuit, emendata ſunt.*

Schiſmaticorum violentia & furor.

c Ex præcepto glorioſiſſimi regis Theodorici.] *Cum Eccleſia Romana ſtatus præſentia Theodorici Regis aliquantiſper quieuiſſet, ea ſchiſmaticorum ſpe, quod fautore Principis, Symmachū Papam falſis calumnijs circumuentum deponendum ſperaſſent, tandem vbi Regem æqui amantiſſimum nihil de cauſa Symmachi decernere, ſed ex ſententia Epiſcoporum, qui conuenerant, definiri velle cognouiſſent furore perciti, ad violentiam conuerſi, cadibus omnia miſcere ſunt ingreſſi. Interea verò Rex Theodoricus, interpellatione Catholicorum & aliorum, qui erant in vrbe, Symmacho fauentium ſenatorum, de cogenda ſynodo cogitat. Cum verò ſciret, non eſſe ſuarum partium orthodoxos Antiſtites ad ſynodum conuocare, ſibi nihil plus æquo tribuens, regia via incedens, more Maiorum, ipſius Symmachi Papæ auctoritate id perficiendum curauit, & ab ipſo Pontifice literas ea de re dari voluit ac præcepit. Hac ita ſe habere, non tantum conſtat ex Actis ſynodalibus; verum etiam ex illis Theodorici aliorumq; Epiſcoporum literis, quæ in hac cauſa vltro citroq; tranſmiſſæ fuerunt. Quas à Nicolao Fabro Pariſienſi acceptas dignissimas eſſe iudicaui, quæ hoc loco maxime congruo huic operi inſerantur.*

PRÆCEPTIO QVÆ MISSA EST PER Germanum & Carosum Episcopos.

Dominis ſanctis, & venerabilibus patrib. Laurentio, Marcellino, & Petro, & cunctis Epiſcopis in Vrbe reſidentibus Theodoricus Rex. Vos quidem rem feciſtis propoſito congruentē, nos potius directo veſtro ſecundo conſulere, quam indictū *conſilium alienæ facultatis imitatione differere, ne diſcedentibus vniuerſis ſub manifeſta deſerti diſpoſitione iudicij maior vrbem regiā ſeditioſis motibus turba concuteret. Sed non optauimus commiſiſſe ſanctæ congregationis examinationis ſub hac protrahi dilatione negotium, nec *vniuerſitas animum *grauius præiudicio pendere ſuſpenſum. Quia nec tranquillitati Vrbis definitionis mora, nec ſacerdotali propoſito. Sententia poteſt cōuenire diſcordiæ. Moleſta igitur accepta confuſione, quæ nata eſt *ceterum quæ diſceſſum, quia propter turbam quæ aut caſu vitio aliquorum contigit, iterata quæ cœperunt relinquere iudicia. Qui tamen ſi dixerit potius cogitaſſent, exemplo veſtro in vrbe reſidere expectantes de his quæ illic facta de noſtræ prouidentiæ *ordinare remedium. Cùm in multas vias cogitatio noſtra diſperſerit. Adhuc ſi tramitem conſilij cura cōuertit, vt rurſum ad Kalend. Septemb. diem eundem cēſuerimus ſacerdotum numerum conuenire, qui dudum fuerat conuocatus. Ergo in grabantis ſanctitatem reliquorum præſentia conuenit operire, vt *cum præſo tumultu & diſſenſione ſubmota, quæ ab omnibus *certa eſt ab omnibus cauſa peragatur. Nam *Reuennam, quemadmodum ſperatis non putauimus reuocandum eſſe Concilium, dum aliorum labore, *dierum permouemur ætate, parati vt niſi ſecundo conuentu cauſæ finem iudiciū ſynodale poſuerit iuxta deſiderium veſtrum, quos nos poſcitis eſſe præſentes; occupationibus noſtris Romæ quietis amori poſtpoſitis, nos potius Romam Deo auctore veniamus, vt præſentib. ſaltem nobis citra confuſionem atque diſcordiam, ſecundùm Dei timorem tanta cauſa terminū ſortiatur. Vt non diutiùs vrbs regia turbarum tempeſtate fatigetur, ſed veſtri æquitate iudicij redeat ad quietem. Ne mora vobis videatur oneroſa, fas eſt veſtræ æſtimare prouidentiæ, ſi quomodo ſit, aut ſub noſtrorū temporum tranquillitate tolerandū, ſolutus ne in aliqua definitione Concilio ſub incerto Eccleſiam, ſub hoc certamine Romanam perdere ciuitatē, alia manu, Orate pro nobis domini ac venerabiles Patres. Datum ſub die 5. Idus Auguſt. ſed Eccleſia. Rufo magno, Fauſto Auieno. VV. CC. Cons.

Senatus vel Marcellini Epiſcopi cum cæteris, & alia præceptio, quæ data eſt per maiorem domus Regis.

Præceptio Regis 4. miſſa ad Synodum.

Flauius Theudoricus Rex vniuerſis Epiſcopis ad Synodum conuocatis.

Romanæ Eccleſiæ pacem, Epiſcopo Symmacho criminoſis propoſitionibus impedito ſub ea quam cernitis confuſionem turbæ, quoniam *non magis potuit prouidentia noſtra conſulere, quam vt iuxta petitionem Senatus & Cleri, ad congregandos ex diuerſis prouincijs cauſam reuocare & Antiſtites, & de religioſæ actione perſonæ Sanctum facere. *Indicare Concilium, in oculis ſunt dudum ab vniuerſis Synodum deſtinatam, & conſcientiæ noſtræ adſtipulatur oracula, quibus *ſolus integritatis affectum hoc ius Pontificibus commiſimus euocatis, vt ſub ſynodalis æquitate ſententiæ, aut propter obiecta conuictus reatui ſubiaceret. Poſt huiuſmodi conſtituta; quis finem tanto dandum dubitarit eſſe negotio? quis de tam numeroſo concilio ſacerdotum magis naſci crediderit confuſionis ambiguum? quid profuit *ſine vita de prolixo itineris citra ad nos impoſuiſtis negotio? quid tantarum Eccleſiarum abſentibus ſacerdotibus fuiſſe ſuſpenſum? quid peteret reliquum ſi tanto exitum non datur impetrare conuentu. Sed tranſacta ſufficiant, quæ ad hoc tantum in memoriam ſatis eſt reuocare, *quid deſinat. Bona eſt præteritorum recordatio, ſi quæ diſplicent ſecuta cura correptionis emendet. Non ſaltem diſcedentibus aliquibus delatoque negotio ad ſecundæ concordationis venientis repetita iudicia pro Fide, pro innocentia, pro æquitate concordis remotis ſtudijs aliquibus *diſſentit integritas, hoc petitione noſtra Romanæ confertur ciuitati, vt ſacerdotali conſideratione propoſito delegato terminum detis ſine contentione negotio, ſcientes examen veſtrum de his, ſecurum eſſe iudicium. Cogitate matrem confuſionis eſſe diſcordiam, & quemadmodum cōſenſu dubia ſolidantur, ita etiam firma diſſenſione diſſolui. Nunquid laborioſa, nunquid conſcientiæ veſtræ grauia, nunquid inimica propoſito ab antiſtitibus ſuis pacem poſcit Eccleſia, & ab his quibus per *regiones profeſſionis veſtræ cura debeat eſſe propenſior, fidem tumultuoſam expectat? intentio eſt vobis ſeruandæ iuſtitiæ in cognitione libertas remotis omnibus occaſionib. integro ſi veſtræ voluntatis obiectorum criminum cauſa examinate iudiciū, dummodo ſtudioſa cer-

*conciliū alienæ facilitatis imitatione deſerere.

tamine

tamine defendi amore, & omne confusionis amputetur ambiguum maxime, cum hanc vobis pro religionis reuerentiæ consideratione iustitiæ nostræ oracula tribuãt facultatem, vt sicut vobis est inquirendæ in hoc negotio voluntas & cura veritatis, personis illic omnibus constitutis, per quas potest fides rerum quęsita pręstare, vos noueritis, & Deus quid in ipsa causa iudicare debeatis pacem modis omnibus Clero, Senatui & Romano populo post iudicium reddituri; ne qua turbatio, nulla discordia in ciuitate remaneat, siue vultis vt quod propositum est transeat sine discussione negotium, vos sciatis, & Deus qualiter ordinetis dummodo pax Clero, Senatui, Populoque Romano sub vestra ordinatione reddatur. Ecce coram Deo & hominibus arbitrio vestro committentes vniuersa, conscientiam nostram, sicut decebat absoluimus, tãtum est sub iusta ordinatione rem fuisse finitam, & ciuitatem redditam *dissedentibus incidet. Neque enim tolerabile est ob hanc negligentiam regiæ ciuitatis amor quo tenemur adremittit, vt rebus omnibus Deo auctore pacatis sola tranquillitate erigi, & in media vrbe confundi, vt desideratur ciuilitas in archilatiora, quæ est sub hostium vicinitatis cura, & neque omisisse videamur cum *necessia credideritis Episcopi Symmachi in cognitione præsentiam, Gudilam & Bedulphũ sublimes viros, maiores domus nostræ, quos de præsente misimus cum Conzatrierno. Ne quid dubitationis habeat iussio nostra sacramenta præstabunt satisfacturi designatio Episcopus, quemadmodum æstimauerit ordinatio vestra suffecerit vt vocatus ad Concilium, citra Vrbem & molestiæ metu securus occurrat. Orate pro me domini sancti & venerabiles Patres. Datum sub die 6. Kal. Septemb. Rauenna.

*necessia-ium

Relatio Episcoporum ad Regem.

Agimus Deo gratias, qui Regum corda pietatis suæ manu & gubernat & temperat, quando ab ipso venit quod clementia vestra *extra more suo præceptis ad nos moderantissimis per maiores domus Gudilam & Bedulphũ sublimes vestros missis ostendit. Sic enim manſuetos principes cœli Dominus fecit esse quos diligit, & quibus est propitiata diuinitas eos in causis omnib. mandatis suis ordinat obedire quod scriptum est, dicente Deo: Sine me nihil poteſtis facere. Quod vtiq; boni intelligendum est, Deoq; nostro toto affectu & obsequio iussioni vestræ parere voluimus, & ad Papã, qui impetebatur quater cum sacerdotes nostros ex *secunsanda Synodo direximus, vt ad iudicium conueniret. Sed occurrere se audientiæ nostrę penitus non *posiit statutus, mandãs. Primo ad conuentum vestrũ quando Romæ veniſtis, sine aliqua dubitatione properaui, & priuilegia mea voltũati Regiæ submissi, & auctoritati Synodi dedi sicut habet ecclesiastica disciplina, restauratione Ecclesiarum regulariter popoſci: sed nullus mihi à vobis effectus est, deinde cùm ventrẽ cum Clero meo crudeliter mactatus sum, vlterius me vestro examini nõ committi in poteſtate Dei est, & domini Regis quid de me deliberet ordinare. Post Episcopos tamẽ, qui maioris domus vestræ *illustris vero argenno direximus, cui quid reſponſi dederit sua suggestione renunciat, & *in te manus tamen sereniſſimo domno, quia nobis quid possimus facere non remanſit, nec inuitũ ad disceptationẽ nostram adducere possumus. Ipſi per canones appellationes omnium Episcoporum commissæ sunt; & cùm ipse appellat *egiret faciendũ? nec in absentẽ valemus ferre sententiam, nec contumacis locũ deputare, qui se iudicib. occurriſſe præclamat; maximè quia cùm noua est res Pontificẽ sedis istius apud nos *adire; nullũ constat exemplũ. Voluimus quod reſtabat pacem iuxta præceptum & volũtatem reddere ciuitati, quæ res & proposito nostro amica est, & beatitudini vestrorum temporum congruebat. Qua *confeſſione tantæ ciuitatis & gemimus, & horreſcimus. Ad ampliſſimum Senatum, collegaſque nostros secundum direximus, orãtes ex verbis Apoſtoli, qui monet: Quod ex vobis est cum omnibus pacem habentes, non vosmetipſos vindicantes chariſſimi, sed date locum iræ. Scriptum est etiam: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus, nec admonitioni clericorum defuimus, quib. regulariter voluimus subuenire, qui etiam salutare monitum contẽpſerunt, & ideo vestri erit *tẽperij mutuo Dei reſpicere Ecclesiæ redintegrationem, Romanæ ciuitatis, & prouinciarum quietem. Nunc rogamus vt infirmitatibus & * & deunitatis nostræ quod pij domini est, succurratis quomodo calliditati sæculari sacerdotũ ſimplicitas non sufficit, & iam diutius nostrorum mortes & pericula propria Romæ pati non possumus? sed concedẽte nobis optatiſſimo præcepto vestro, vt ad Ecclesias nostras liceat nos reuerti, quia post hæc suggerimus, nihil est quod à nobis possit ordinari, optamus vobis domine patri ceb.

*examote suo

*sicrosancta *posse ſtarunt

*illustrem virum n Agerium *intimauimus

*ecquid

*audiri

*confusione

*imperij nostri

*findemnitati

Præceptio Regis, Flauius, Theudoricus Rex vniuerſis Episcopis ad Synodum conuocatis.

Decuerat quidem beatitudinem vestram diuinæ considerationis reuerentia excitum iam finire negotium: vt vobis ordinantibus submoueri potuiſſet tanta de ciuitate confusio, maximè cum prætentis affectibus iuſſerimus, quemadmodũ vestrum viſum fuiſſet arbitrium, memoratum vos terminare debere certamen, dummodo sub iusta ordinatione finitũ diſſentientes vnitati & concordiæ redderentur, post quæ miramur denuo fuiſſe cõsultos, cùm ſi nos de prẽsenti antè voluiſſemus iudicare negotio, habito cum proceribus nostris de inquirẽda veritate tractatu, Deo auspice, potuiſſemus inuenire iustitiam, quæ nec præſenti sæculo, nec futuræ forsitan diſplicere potuiſſet ætati? Sed quia nõ nostrum iudicauimus de Eccleſiaſticis aliquid cenſeri negotijs. Ideoq; vos de diuerſis prouincijs fecimus euocare, vt sub diuini timore iudicij, totius certaminis vobis diſponentibus causa *tranſierit, vrbiq; noſtræ, Deo fauẽte, optata per vos concordia redderetur. Nunc verò eadẽ quæ dudum præſentibus intimamus oraculis, nos coram Deo & hominibus abſoluentes, vt causam Dei, quam vestræ congregationi *ampliſſimum Senatus & *pace clerici ſperantes, commiſimus, quemadmodum viſum vobis fuerit, *nec à nobis ordinis vestri expectetur forma iudicij, ſed vos qualiter vultis ordinate, siue diſcuſſa, siue indiſcuſſa causa, pro ferte ſententiam, de qua eſtis rationem diuino iudicio reddituri, dummodo ſicuti ſæpè diximus, hoc deliberatio vestra prouideat, vt pax Senatui Populoq; Romano, submota omni confuſione reddatur, ne qua, quod abſit, post iudicium turba, aut aliqua remaneat in ciuitate diſcordia, ſin autem secũdùm mandata nostra concordia sacratiſſimę vrbi à vobis fuerit reſtituta: Tunc vniuerſitas agnoſcere potuerit iuſtum ſacri ordinis vestri extitiſſe iudicium. Orate pro nobis domini ſancti ac venerabiles Patres. Datum sub die Kal. Octob. Regum Synodi Eccleſiaſtici * vos an agnoſcite Regis.

*transigeretur

*ampliſſimi

*Cleri pacem ſpectantes

*tranſigatis, addit F.

* f. vocem

Primò ſalutandi Epiſcopi, & dicendũ eis causa quæ agitur.

Si mihi viſum fuiſſet, aut iuſtitia habuiſſet, vt ego debuiſſem audire cum Proceribus Palatij mei, potuerã tractare quomodo & Deo placuiſſet, & poſteritati ingratum non fuiſſet: ſed quia causa est Dei, & clericorum: ideoq; modo ad petitionem Senatus vel Cleri ex diuerſis ciuitatibus conuenire antiſtites *vt & Deo medio ſecundum quod legitis in Euangelio ex Apoſtolo ad Corinth. hoc ſequamini. Si verò vobis viſum fuerit sine diſcuſſione cauſam finire, aut diſcuſſam aut indiſcuſſam, quemadmodum viſum fuerit, iudicate? meam perſonam nolite metuere, reddituri rationem ante conſpectũ Dei, tãtum est vt Senatum, Clerum, & populum pacificum dimittatis, & quod iudicaueritis ſcribatis. Nos autem hoc probabimus vos bene ordinare, ſi Populo, Senatui, Clero pacem integram reddatis? Quod ſi minimè feceritis, oſtendetis vos vni parti fauiſſe. Nullius ergo perſonam ante oculos habeatis, quamuis ſi ex vobis aliquis violenter vellet quæ iniuſta sunt imponere, remiſſis rebus vestris iuſtitiam cuſtodire debetis. Nam multi & vestræ & noſtrę regionis Epiſcopi propter Dei cauſas, & de Eccleſijs vt de rebus ſuis iactati sunt, & tamen viuunt. Ego non ſolùm impono, ſed etiam rogo, vt faciatis quæ Deus præcepit, & quæ legiſtis in Euangelio & Apoſtolo. Si autem diſcutitis cauſam, vel ſub aliquo colore melius cauſam iudicatis. Si autem indiſcuſſum dimiſeritis, datis exemplũ ſacerdotibus omnino malè conuerſandi. Hęc cùm diceret, propoſuit ſimilitudinẽ: Aliquando *Aſparia à Senatu dicebatur, vt ipſe fieret Imperator; qui tale fertur dediſſe reſponſum. Timeo ne per me conſuetudo in Regno naſcatur, *ita dico, vt modo ne iraſcantur ſancti Patres noſtri, ne per eos cùm non diſcuſſerint & ita iudicauerint, conſuetudo peccandi omnib. ſacerdotib. *generaliter. Item ſi voluerint diſcutere cauſam, vt ſecurus egrediatur, Arigeriſus, Gudila, & Bedulphus ſacramenta ei præſtabunt. De area verò vel de domo Lateranenſi prout iudicatum fuerit eadem Synodus reddat * de vindictã; quæ ſperant diſcuſſionem ſi eis placuerit, aut ipſi vindicent, aut nos deputemus legibus exequantur culpas.

*Aſpari

*mala. addit F.

*generetur

*debitam quæ ſperatur

Cauſę primatus Eccleſiæ Romanæ.

d Eius ſedi.] *Hoc loco Romanæ Eccleſiæ Primatus cauſæ tres recenſentur. Priore meritum Petri, qui ob meritum cōfeſſionis obtinuit primatum. Matth. 16. Secunda pontur iußio Domini, qua inſtitutus eſt primatus & Petro collatus, cùm dictum eſt ei Ioannis vlt.* Paſce oues meas. *Tertia, Conciliorum auctoritas, quæ hanc Domini iuſſionem declarauit. Vide Bellar. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 17. & quæ infra notabimus.*

Arianus Rex ſynodum conuocare vetuit ſine conſenſu Pontificis

e A manſuetudine eius paginæ poſtulatæ ſunt.] *Vides quod nec Arianus quidem Rex abſque conſenſu & certis literis Romani Pontificis ſynodum congregare præſumpſerit, quia id ſibi non licere cognouerat.*

f Præfatus Papa vt cauſam diceret occurrebat.] *Comitante ad iudicium cum lacrymis plurima vtriuſque ſexus plebe, vt teſtatur Ennodius infra.*

g Ab irruentibus turbis æmulorum ſuorum ita tractatus eſt.] *Quibus iniurijs turba Schiſmaticorum euntem ad iudicium proſecuta fuerit, poſt Anaſtaſium in vita Symmachi ſupra inſinuat ipſe in apologet. ad Imperat. his verbis:* Inter imbres lapidum poſitus euaſi: Iudicauit Deus.

Arianus Rex cur pijſſimus nominetur?

h Sancti Principis.] *Rex Arianus non ex meritis; ſed ex conſuetudine piiſſimus & ſanctiſſimus nominatur: Sicut à Dionyſio Alexandrino Epiſcopo Valerianus & Gratian. Imperatores Ethnici, vt teſtatur Euſebius ſanctiſſimi appellati fuerunt. Idq; factum eſt exemplo S. Pauli Apoſtoli, qui Act. 24. nefarium hominem præfecturam gerentem, conſueta nomenclatura, Optimum Felicem vocauit. Baro. an. 452. n. 21.*

i Laurentius Mediolanenſis & Petrus Rauennas.] *Hi duo cæteris prærogatiua ſedium præminebāt: ideoq; cùm Romam veniſſent, ne qui ad cognoſcendam cauſam Symmachi conuocati fuerant, in ſuſpicionem cauſæ defenſionis venirent, ab eiuſdem Symmachi conſuetudine, non autem communione catholica abſtinuerunt. Ennodius in Apologetico pro quarta ſynodo.*

SYNODVS a ROMANA IV. SVB SYMMACHO, ALIAS b PALMARIS APPELLATA, QVA Electione c Symmachi confirmata, Regis d Odoacris lex Eccleſiaſticæ libertati, & Pontificis electioni repugnans, eſt abrogata, anno Domini 502. Auieno iuniore conſulatum agente.

HVIVS CONCILII TITVLI.

1 De prælocutione Papæ Symmachi, qui ſynodi ſtatuta collaudās, clericorum ſuorum culpat exceſſus, quòd inter alia etiam propter conſtitutum illuſtris memoriæ Baſilij, à ſua communione deſciuerint.

2 Exemplar ipſius conſtituti, ſynodo recenſetur.

3 Sententia ipſius ſynodi, qua præfatum conſtitutum nullius eſſe momenti decernitur.

4 Vt nulli Apoſtolicæ ſedis præſuli poſſeſſionem Eccleſiæ magnam, vel paruam in perpetuum liceat alienare, vel commutationis obtentu ad cuiuslibet iura tranſuertere.

5 De domibus Eccleſiaſticis, quæ ſunt in vrbibus, commutandis.

6 Vt non liceat presbyteris vrbis Romæ, titulorum ſuorum prædia, ſeu quicquid iuris eorum fuerit, quolibet alienare commento: qui verò hoc agere tentauerit, ordinis ſui amiſſione plectatur.

7 Vt qui petierit prædium eccleſiæ, & acceperit, aut ſi quis preſbyterorum, aut diaconorum, necnon defenſorum, danti ſubſcripſerit, anathemate feriatur.

8 Vt ſi quis anathematis pœnam parui duxerit, etiam documento, quo ſe putat Eccleſiæ prædium poſſidere, fruſtretur: liceatque cuilibet Eccleſiaſticæ perſonæ vocem contradictionis adferre, & cum fructibus præteriti temporis, eadem prædia alienata reposcere.

EXEMPLAR CONSTITVTI, FACTI à Domino Symmacho Papa de abroganda lege Odoacris Regis repugnante libertati Eccleſiaſticæ, in electione Pontificis; & de rebus eccleſiæ conſeruandis.

LAVIANO Auieno viro clariſ. iuniore cōſule, ſub die 8. Iduum Nouembrium, in baſilica beati Petri Apoſtoli, reſidente venerabili viro Papa Symmacho, vnà cum venerabilibus viris & epiſcopis, Laurentio, Maximo, Petro, Laurentio, Æmiliano, Tigridio, Felice, Baſſiano, Creſconio, Pacatiano, Benigno, Rufentio, Innocentio, Ioanne, Maximo, Stephano, Ioanne, Sereno, Eulalio, Proculeiano, Fortunato, Laurentio, Euſtathio, Martiano, Iocundo, Candido, Fortunato, Felice, Eutychio, Elpidio, Aprile, Innocentio, Mercurio, Hilario, Fortunato, Concordio, Aſello, Innocentio, Stephano, Gerontio, Paſchaſio, Vitale, Memore, Seuerino, Hilario, Venerioſo, Innocentio, Caſto, Colonico, Syluano, Maximiliano, * Ariſtone, Seuerino, Propinquo, Martyrio, Valentino, Sebaſtiano, Romano, Vindemio, Victore, Dulcitio, Vrſo, Mercurio, Aſello, Seruo Dei, Adeodato, Aſterio, Martiniano, Felice, Euſebio, Auguſto, Proiectio, Chryſogono, Venātio, Ruſtico, Saluſtio, Probo, * Amando, Baſilio, & Florentio. Reſidentibus etiam presbyteris, Proiectitio, Martino, Epiphanio, Sebaſtiano, Seruo Dei, Epiphanio, Octauiano, Anaſtaſio, Abundantio, Vincomalo, Paulino, Iuliano, Marcello, Agathone, Benedicto, Creſcentiano, Paſchaſio, Iuliano, Seuero, Paulino, Adeodato, Ioanne, Timotheo, Laurentio, Hilario, Adeodato, Marco, Stephano, Venantio, Petro, Chryſogono, Litorio & Chryſogono, Tinulo vel * Maximo, Fortunato: adſtantibus quoque diaconibus Anaſtaſio, Hormiſda, Ioanne, & Agapeto, Symmachus Epiſc Eccleſiæ Catholicæ vrbis Romæ, dixit:

Cap. 1. Benè quidem fraternitas veſtra Eccleſiaſticis legibus obſequuta, ſub diuini timore iudicij quæ erant ſtatuenda, definiuit, & ad iuſtitiæ cumulum * peruenit, dum ſufficienter vniuerſa complectitur, nec adiectione indiget plenitudo, maximè de clericis, quos amor dominationis inuaſit, & iugum diſciplinæ Eccleſiaſticæ fecit reſpuere, quos propterea ſchiſma feciſſe apud vos * conſtitit, quibus miſericordiam tamen, quam Deus mandat vniuerſis impendi, (ſicut oportuit) non negaſtis, ſi duritia cordis eorum non ſibi acquirat pœnam, dum contemnit oblata remedia, quorum exceſſus enarrare difficile eſt. Vnum tamen, quod occurrit, venerando ordini veſtro intimare non differo. Dixerunt e inter alia, ſcripturam quandam illuſtris memoriæ Baſilium, quaſi pro Eccleſiaſticæ amore ſubſtātiæ conſcripſiſſe, in qua nullus Romanę Eccleſiæ nec interfuit, nec ſubſcripſit antiſtes, per quem potuiſſet ſortiri legitimam firmitatem. Ne verò ego inde diſputem, ſed vt poſſit veſtrum iudicare concilium, requiratur & * referatur in medium, vt lectione agnoſcatis, cuiuſmodi poſſit habere ſubſtantiam. Sancta ſynodus reſpondit: Deferatur in medium, vt cuiuſmodi ſit, poſſit agnoſci. Et dum diceret, Hormiſda diaconus recitauit.

2 Cùm in vnum apud B. Petrum Apoſtolum reſedíſſent, ſublimis & eminentiſ. vir, præfectus prætorio atque patricius, agens etiam vices præcellentiſſimi regis f Odoacris, Baſilius g dixit: Quanquam ſtudij noſtri & religionis, interſit vt in epiſcopatus electione concordia principaliter ſeruetur Eccleſiæ, ne per occaſionem ſeditionis, ſtatus * ciuilitatis vocetur in dubium, tamen admonitione h beatiſſim. viri Papæ noſtri Simplicij, quam ante oculos ſemper habere debemus: hoc nobis (meminiſtis) ſub obteſtatione fuiſſe mandatum, vt propter illum ſtrepitum, & venerabilis Eccleſiæ detrimentum, ſi eum de hac luce tranſire contigerit, non ſine noſtra conſultatione cuiuslibet celebretur electio.

Et cùm legeret, Creſconius Epiſcopus ciuitatis Tudertinæ Eccleſiæ, ſurgens è confeſſu dixit: Hic perpendat ſancta ſynodus, vti prætermiſſis perſonis religioſis, quibus maximè cura eſt de tanto Pontifice, electionem laici in ſuam redegerint poteſtatem, quod contra canones eſſe manifeſtum eſt.

Item

Item Hormisda diaconus legit: Nam & cum quid confusionis atque dispendij venerabilis ecclesia sustineret, miramur, prætermissis nobis, quicquam fuisse tentatum; cùm etiam sacerdote nostro superstite, nihil sinè nobis debuisset assumi. Quare si amplitudini vestræ vel sanctitati placet, incolumia omnia, quæ ad futuri antistitis electionem respiciunt, religiosa * honoratione seruemus, hanc legem specialiter præferentes, quam nobis hæredibusque nostris, Christianæ mentis deuotione sancimus: Ne vnquam prædium, seu rusticum seu vrbanum vel ornamenta aut ministeria ecclesiarum, quæ nunc sunt, vel quæ ex quibuslibet titulis ad Ecclesiarum iura peruenerint, ab eo qui nunc antistes sub electione communi fuerit ordinandus, & illis, qui futuris seculis sequentur quocunque titulo atque commento alienentur. Si quis verò aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atque irritum iudicetur, sitque facienti, vel consentienti, accipientique anathema. Maximus Episcopus Bleranæ Ecclesiæ dixit: Modò sancta synodus dignetur edicere, si licuit laico homini anathema in ordine Ecclesiastico dictare. Aut si potuit laicus sacerdori anathema dicere, & contra canones, quod ei non cõpetebat, constituere. Dicite, vobis quid videtur? De me licuit laico legem dare? Sancta synodus dixit: Non licuit. Et adiecit: Lege sequentia. Hormisda diaconus legit. Et is, qui prædium rusticum vel vrbanum iuris Ecclesiastici fuerit consecutus, nouerit se nulla lege vel præscriptione munitum: sed siue is, qui alienauerit, siue is, qui consequenter voluntate contraria prædium huiusmodi alienatum reuocare tentauerit, id cum fructibus restituat, qui illud fuerit consecutus. Et cùm legeret, Stephanus episcopus Venusinæ ecclesiæ, surgens è consessu, dixit: Perlegatur. Hormisda diaconus legit:

3 Quam etiam pœnam, placuit accipientis hæredes, prohæredesque respicere. In qua re cuilibet clericorum contradicendi libera sit facultas. Iniquum est enim, & sacrilegij instar, vt quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causa contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quos hæc maximè seruare conuenerat, in alienitatem transferantur. Planè quęcunque in gemmis, vel auro atque argento, necnon & vestibus, minùs apta vsibus vel ornatui videbuntur Ecclesiæ, quæ seruari ac diù manere non possunt, sub iusta æstimatione vendantur, & erogationi religiosæ proficiant. Cumque lecta fuisset, Laurentius Episcopus Mediolanensis Ecclesiæ, dixit: Ista scriptura nullum Romanę ciuitatis potuit obligare Pontificem, quia non licuit laico statuendi in Ecclesia, præter Papam Romanum, habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi, maximè, cùm nec Papa Romanus subscripserit, nec aliculus secundùm canones metropolitani legatur assensus. Petrus episcopus Rauennatis ecclesiæ, dixit: Scriptura, quæ in nostra congregatione vulgata est, nullis eam viribus subsistere manifestum est: quia nec canonibus conuenit, & laica persona conecpta videtur, maximè quia in ea nullus præsul sedis Apostolicæ interfuisse, vel propria subscriptione firmasse monstratur. Eulalius episcopus Syracusanæ ecclesiæ dixit: Scriptura quæ in sacerdotali Concilio recitata est, euidentissimis documentis constat inualida. Primùm, quod contra patrum regulas à laicis, quamuis religiosis, quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas, facta videtur. Deinde, quod nullius præsulis Apostolicæ sedis subscriptione firmata docetur. Quod si cuiuslibet prouinciæ sacerdotes, intra terminos suos concilio habito, quicquam sine metropolitani sui ve antistitis authoritate tẽtauerint, irritum esse debere patres sancti sanxerunt: quanto magis, quod in Apostolica sede, non existente præsule, qui prærogatiua beati meritis Apostoli 1 Petri per vniuersum orbẽ primatum obtineus sacerdotij, statutis synodalibus consueuit tribuere firmitatem, à laicis, licèt consentientibus aliquantis episcopis, (qui tamen pontifici, à quo consecrari probantur, præiudicium inferre non potuerunt) præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica vllo modo statuta censeri? Sancta synodus dixit: Liquet secundùm prosecutionem venerabilium fratrum nostrorum, Laurentij, Petri, Eulalij, Cresconij, Maximi, vel Stephani, nec apud nos incertum habetur, hanc ipsam scripturam nullius esse momenti, quàm, etiam si aliqua posset subsistere ratione, modis omnibus in Synodali conuentu prouida beatitudinis vestræ sententia eneruari conueniebat, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet laicis, quamuis religiosis vel potentibus, in quacunque ciuitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur. Symmachus episcopus dixit: Modò, quia Deus præsentiam vestram votiuam mihi sub qualibet occasione concessit, volo (si placet) rem fieri firmam, quam credo ecclesiasticis facultatibus, conuenire vt agnoscant omnes, quos in me vanus furor excitauit, nihil me magis studere, quàm vt saluum esse possit, quod mihi est à Deo sub dispensatione commissum, sed & quibuslibet Deum timentibus, gratum esse debeat, & ad ecclesiastici custodiam patrimonij pertinere. Sancta synodus dixit: Scimus prouisionem vestram necessarijs studere, & ideò in vestra est potestate, sequenda disponere. Symmachus episcopus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, dixit: Magna quidem venerando & sacerdotali debetur cultura proposito, cui imminet de studio, quæ recta sunt, non de necessitate, disponere. Sed quoniam in aliquibus aliena postulantibus, vitiorum mater auaritia, repudiatis honestatis repagulis, totum putat expedire quodlibet: & ita, dum prædæ inhiat, patientia supernæ pietatis abutitur, expectantibus correctionem cœlo moderante, iudicijs se existimant non teneri, cùm clarum sit, quòd apud certos in occasionem rapiendi procedat diuinæ mora sententiæ. Sed nobis, quos pastoralis cura & ecclesiasticæ adstringit, pro dispensatione credita, ratio reddenda substantiæ: opus est, vt solicitudinem nostram, non solùm ad præsentia, sed etiam ad secutura secula porrigamus: ne ad animæ nostræ detrimenta contingat, si hi, qui possunt statutis debere innocentiam, præsumentes de libertate, deliquerint, cùm religiosa possint & nostra, & successoris nostri potestate fulciri, legibus ecclesiasticis seruientes.

4 His ergò perpensis, mansuro cum Dei nostri consideratione decreto, sancimus, vt nulli Apostolicæ sedis præsuli, à præsenti die (donec, disponente Domino, Catholicæ fidei manserit doctrina salutaris,) liceat prædium rusticum, quantæcunque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione ad cuiuslibet iura transferre. Nec cuiusquam excusentur necessitatis obtentu, quippe cùm non sit personale, quod loquimur: nec aliquis clericorum vel laicorum sub hac occasione accepta tueatur. Sed nec in vsufructuario iure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter clericos, & captiuos, atq; peregrinos: ne malę tractationis ministretur occasio, cùm liberalitati illi alia itinera reseruentur. 12.q.2. Nõ liceat Papę.

5 Sanè tantùm domus in quibuslibet vrbibus constitutæ, quarum statum necesse est expensa, non modica sustentari, acceptis (si offerri contigerit) sub iusta existimatione redditibus, & diuini timore iudicij, commutentur.

6 Pari etiam Ecclesiarum per omnes Romanæ ciuitatis titulos, qui sunt presbyteri, vel quicunque fuerint, adstringi volumus lege custodes: quia nefas dictu est, obligatione, qua se per charitatem Christi connectit summus pontifex, ea hominem secundi in ecclesia ordinis non teneri. Quicunque tamen oblitus Dei, & decreti huius immemor, cuius Romanæ ciuitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus deuinciri, in constitutum præsens committens, quicquam de iure titulorum vel ecclesiæ superius præfatæ quolibet modo, præter aurum, argentum, vel gemmas, vestes quoque, si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia, ad ornamenta diuina minimè pertinentia, perpetuo iure, exceptis duntaxat sub præfata conditione domibus, alienare tentauerit, donator, alienator ac venditor, honoris sui amissione mulctetur. 17.q.4. Quicunq;

7 Præterea, qui petierit aut acceperit, vel qui presbyterorum, aut diaconorum, seu defensorum danti subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur. Sitque accipienti, vel subscribenti de personis superiùs comprehensis, id est, quas anathemate feriri censuimus, (instituta pœna contubernalium seruata) quam premisimus in alienatore vindicta. Nisi fortè & alienator sibi, dum repetit, & qui acceperit, clerici restitutione prospexerit.

8 Quòd si minore animæ suæ cura, quisquam remedium oblatum fortè neglexerit, supra ea pœnarum genera, quæ su-

perius tenentur adscripta, contra fas si quod conceptum fuerit documentum, vniuersis viribus, quamuis ab initio nullas habuerit, effœretur. Sed etiam liceat quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre, & Ecclesiastica authoritate fulciri, ita vt cum fructibus possit alienata reposcere: necaliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui à religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta, contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Huius autem constitutionis legem in Apostolica tantùm volumus sede seruari, in vniuersis Ecclesijs per prouincias secundùm animarum considerationem, quem propositio religionis conuenire rectores earum viderint, more seruato.

ET SVBSCRIPSERVNT.

Cælius Symmachus episcopus Ecclesiæ Romanæ, huic constituto, à nobis facto, subscripsi. Cælius Laurentius episcopus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, huic constituto, à venerabili Papa Symmacho facto, subscripsi. Petrus episcopus Catholicæ Rauennatis sanctæ Ecclesiæ, huic constituto, à venerabili Papa Symmacho facto, subscripsi. Eulalius [k] episcopus Ecclesiæ Syracusanæ, huic constituto, à venerabili Papa Symmacho facto, subscripsi. Felix Interamnensis, Crescionius Tudertinus, Æmilianus Vercellensis, Iocundus *Subaugustanus, Tigridius Taurinatis, Vitalis Fundanus, *Bassus Mutinensis, Pacatianus Comaclensis, Maximus Bleranus, Martyrius Terracinensis, Rusentius Ignatinus, Basilius Tollentinas, Martinianus *Ortensis, Benignus Aquæuiuensis, Fortunatus Suessanensis, Seuerinus Tyndarinens. Eucarpus Messanens. Ioannes Spoletanus, Stephanus Venusinus, Valentinus Amiternus, Romulus Prænestinus, Probus *Carmeianen. Vindemius Antiatinus, Candidus Tiburtinus, Fortunatus Fulginatis, Proculeianus Sepinatis, Martianus Esinus, Maximianus Perusinus, Chrysogonus Albanensis, Eutychius Tranensis, Laurentius Boianensis, Fortunatus Anagninus, Paschasius Vulturnens. Marcus Samninus, Aprilis Nucerinus, Memor Canusinus, Innocentius *Forosimpronien. Florentius Vestinensis, Felix Nepesinus, Concordius Mesenatis, *Amandus Potentinus, Asellus Populonien. Colonius Foroclodiens. Elpidius Volaterranus, *Proiectus Forinoui, Venerioſus Polensis, Bonifacius Foroflaminien. Sebastianus Soranus, Rusticus Buxentinus, Venantius Senogallien. Victor Lunensis, Innocentius Tiferninus, Syluinus Veliternus, Iustus Signiensis, *Aristo Ostiensis, Augustus *Lyparitanus, Felix Nepesinus pro Vrso, Asterius Aquinatis, Propinquus Trebiatis, Eusebius Fanestris, & Romanus Nomentanus.

*Augustanus *Bassianus *Ortonē. *Camarinensis. *Amanti⁹ *Proiectitius *Aristus *Luparitanus

NOTÆ in Synodum Romanam quartam sub Symmacho Papa.

Synodus hęc quota ordine?

[a] Synodus Romana IV.] *Hanc Synodum inter eas, quæ tempore Symmachi Romæ habitæ fuerunt, quartam esse, præter ea, quæ supra notaui, acta synodi quintæ confirmant, quorum initio ea, quæ Palmaris appellatur, quarta, quamq; Ennodius scripta apologia defendit fuisse dicitur: his verbis:* Libellus qui synodali auctoritate cõtra eos qui aduersus quartam nostram synodum, quæ habita est Romæ Palmari mutire præsumpserunt, ab Ennodio conscriptus est, coram omnibus deferatur.

Cur Palmaris dicta?

[b] Palmaris appellata.] *Hanc synodum à palma sic denominatam esse hoc sæculo, dici posset; nisi inusitatum esset aliunde, quam à loco vel numero synodos denominari. Verius est Concilium hoc in basilica sancti Petri, ad quam ab aduersarijs lapidibus impetitus se recepit, celebratum, denominatam esse à porticu eiusdem basilicæ, quæ Palmaria dicebatur: de qua Anastasius in Honorio Papa hæc habet: In porticu Beati Petri Apostoli, quæ appellatur ad Palmaria, &c.*

Electio Symmachi à Concilio confirmatur.

[c] Electione Symmachi confirmata.] *Pontificatum Symmachi à Schismaticis sapius calumniatum, diuersis & pluribus Episcoporum Conciliys confirmatum esse, patet ex Ennodij apologetico his verbis:* Arguitur stylo splendidissimo Papa Symmachus, quare conuentionem præueniés cum populorum cœtibus examen intrauit, & postea indicia, cùm euocatus quater fuisset, spreuerit.

[d] Regis Odoacris lex, &c.] *Odoacer Rex Herulorum & Italiæ, post obitum Simplicij, quando sedes Apostolica vacabat, anno Domini 483. suasu ac monitu, vt aiebat, eiusdem Simplicij duas per Basilium Præfectum Prætorio leges tulerat: vnam ne absque consultatione & consensu Regis Italiæ electio summi Pontificis fieret: alteram, qua bona Ecclesiæ non necessaria distrahi, & in vsus pios cõuerti mandabat: quaq; prædia Ecclesiastica alienari prohibebat. Vtraque constitutio Laici Principis iure meritoq; est irritata: prior, quod canonibus sacrorum Conciliorum repugnaret: posterior, quod ab incompetente legislatore profecta, nullaq; summi Pontificis subscriptione munita esset. Quibus irritatis, legitima deinceps Patrum auctoritate constitutum ac declaratum fuit, quid de alienatione bonorum Ecclesiæ teneri & obseruari deberet. Vide Baron. an. 483. n. 10. & 11.* Leges Odoacris dolosæ

In hac eadem Patrum corona, Anastasij Imperatoris hæretici causâ in medium propositâ, communi omnium consensu Imperator impius à Symmacho excommunicatus fuit. Hæc ex epistola Symmachi apologetica ad Imperatorem scripta apertè constant; licèt acta synodalia horum non meminerunt. Baron. an. 502. n. 30. vbi post alia hæc demum subiungit. Quid præterea hic Symmachus Papa egerit, accipe ex Theodoro Lectore, dum ait: Symmachus Papa Laurentium iterum intrusum deponi, & iterum in exilium mitti curauit, quo facto quieuit seditio. Imperator Anastasius a Symmacho excommunicatur.

[e] Dixerunt inter alia.] *Schismatici nimirum, qui hæc subdola & fraudulenta iam pentus antiquata, non ex archiuis Romanæ Ecclesiæ, in qua nunquam illata fuerunt; sed ex Sirmijs fortasse Prætorianis post annos octodecim desumpserunt.*

[f] Regis Odoacris.] *Quis & qualis Rex Odoacer, dixi supra sub Simplicio.*

Basilius hic quis?

[g] Basilius.] *Basilius Præfectus Prætorio non alius esse existimandus est ab illo Cæcina Basilio Consulari Romæ spectatißimo, in cuius laudem plura habet Sidonius lib. 1. epist. 9. ad Heronium, &c.*

An Simplicius Papa cõsenserit Regis Præfecti ejus prohibitioni?

[h] Admonitione Beatissimi viri Papæ nostri Simplicij.] *Quod Simplicius Papa voluerit, sine consensu Regis Italiæ Pontificem eligi non debere, conflictum est: potuit fortasse rogasse, vt ad comprimendas turbas, & ad vitanda dissidia, electioni sui duntaxat successoris Rex præsto esse non grauaretur. Baron. prad. anno 483. n. 11.*

[i] Meritis Apostoli Petri primatum obtinens.] *Hunc locum expone, sicut præcedente Concilio exposita sunt hæc verba.* Eius sedi primum Petri Apostoli meritum, &c.

Eulalius qualis?

[k] Eulalius.] *In rebus gestis S. Fulgentij Ruspensis Episcopi, hæc de Eulalio habentur.* Eulalius vir eximiæ sanctitatis, admirabilis hospitalitatis, perfectissimæ charitatis, in cuius corde thesaurus sapientiæ spiritualis absconditus, multos talentorum Dominicorum negotiatione ditabat. Virtute enim discretionis super omnia decoratus, Monachorum professionem super omnia diligebat, &c.

ENNODII DIACONI LIBELLVS Apologeticus, pro defensione Symmachi Papæ, & quartæ synodi Romanæ conscriptus.

PRAEFATIO ENNODII DIACONI IN Libellum Apologeticum.

SOLET dicendi affectum multarum rerum ardor exigere. Sicut autem auarus laudis animus est, & fauorem desiderat sudore mercari, aut per blandimenta gloriæ crucem narrantis ignorat, aut lucri adstrictus compedibus, linguæ vendit obsequium: vt dum animus habendi cupidine subiugatus, præsumptum existimat iam tenere compendium, sic ingruentia per styli exercitium nescit timere discrimina: aut necessitate conclusus, profert eloquium sine quacunque lima captiuum, & nesciam pudoris frontem monstrat in medium, vt dum intentioni famulatur, diligentiam decoris *abiuret: quia docendi ornamenta, non sunt intentiones negocij, sed quietis: nec militiæ sunt picta verba, sed ocij. Campus fortem postulat, pax profunda redimitum ornat. Qui prosuttura asserit, loquelam, quæ periculo artis est colorata, contemnit. His ergò ita se habentibus, causam narrationis insinuo, & coactam vocem prauorum latratu, religiosis mentib. commendo, scriptum esse reminiscens, *tempus tacendi, & tempus loquendi:* vel post fidem prophetici oraculi, cuiusdã oratoris exem- *perdat Eccl. 3.

plum,

plum, qui refert, nisi cùm necessarium est, dicendi nimis ineptam esse conditionem. Oris ergò ministerium, pro valetudine ingenij, sacerdotibus dedo, aduersus quos sibilantium effusa sunt venena linguarum, licèt scuto munita fidei, spiculorum imbrem patientia religiosa non timeat, & ad authorem redeant tela, quæ sine bellandi arte diriguntur. Quibus enim pro lorica Christus est, vim non metuunt, & inimicos longa *expectatione prosternunt. Quisquamne tamen in hac acie prælium putet esse formidini, in qua Deo & pontificibus infertur sine virium æstimatione certamen? Quisquamne fluxum & lacessentem hostem videat, & præliorum causis aduersarium debilem expauescat? Inuidet ipse sibi victoriam, qui conscientia vulneratum aggredi cessat inimicum. Ad lucrum hostis sui procedit, qui in conflictibus non priùs ca usas, quàm aliud expendit. Dat vires iaculis innocentia, & mucronem acuunt ex æquo venientia vota bellandi. Percutiendi impetum plùs iustum dolorem scimus dedisse, quàm brachia. Inde paucorum telis multitudo non subsistit. Dicente ergo mecum Propheta, *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis*: placiturum bonis, quantùm existimo, opus incipiam.

*exercitatione

4. Reg. 6.

ENNODII DIACONI ROMANI LIBER, synodorum duarum sub Papa Symmacho habitarum, aduersùs calumniatores defensorius.

SVfficeret quidem, schismaticam imperitiam propositione cecidisse, maximè cùm secum habeant obiecta responsum, & mereatur titulus sine lectionis discussione cum authore damnari, cùm in prænotatione ipsa, significantia operis innotescat immundi, dicens aduersùs synodum absolutionis *incongruè. Ego tamen nunc sic agam, quasi opus sit, alieno ense perire mala proponeutem. Istud præloquium potest dementissimi hominum tantùm insitiæ ascribi? Est ne aliquis præter vos, sicut inter oues vlcerosas deputandus & erraticas, qui magnum gregem potuisset lacessere pastorum? dicente Propheta: *Filios nutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Et Domino de Apostolis: *Qui vos spernit, me spernit.* Quos episcopos fuisse Propheta testatur, de Iuda dicendo: *Et episcopatum eius accipiat alter.* Et Apostolo æquè Paulo proclamante: *Obedite præpositis vestris, quoniam ipsi exorabunt pro vobis.* Nec hic immoremur, sed redeamus ad grauem & venerabilem, non solùm ex *alia productam, sed mysticam propositionem. Non omnes (inquiunt) sacerdotes regis ad concilium acciuit authoritas, nec omnes in *iudicationem consenserunt. Mancipia tartari, & liquidò satanæ ministri, quoscunque non euocauit scriptum principis, nouis nexibus & actuum vestrorum, inuolutionibus serpentibus spiris cauda pertraxit. Nolo dicere, in quo fuerint voto, in qua deliberatione discedentes, quibus tædium illa peperit expectatio, cùm viderent venerabilem Papam longas in vita contra fas suum inducias accepisse. Videbant æthera tantùm directis à se iaculis verberari. Hisne liceret infelicibus, in malorum actuum consolatione secretò delitescere? Libris vestris nudantur absconditi, & per vos in turpi facto habere solicitudinem non sinuntur, dicente Domino in Euangelio: *Omnis malus odit lucem.* Post hæc absentes aduersarios Papæ Romani dici non debuisse, qui prædictum prolatis petitionibus accusabant dolosè, videlicet hoc agentes, eò quod aduersarios, suspectosque canonica synodalibus clamante in decretis authoritate, in suam recipi accusationem episcopos minimè oportuisse, vos non latuisset, ad assertionis fidem iungentes, quod eos isto nomine præcepta regia non vacassent. O homines omni artis lima compositos, & caminis fabrilibus excoctos, qui ad stipulationem doctorum desudata inuenêre testimonia. Amamus reuerendi viri sententiam *veram, & (vt aiunt) in ipsam pedibus imus. Cognoscimus errata, quæ dicitis: Inimicum vocet aliquis accusantem, & tragico nomine appellet contumeliam non merentem. Dehinc subiunctam quæstionem rethorica fibula, id est, argumentatione momordistis, addendo & allegando: Testis est Romana ciuitas, si omnes episcopi, senes & debiles conuenerunt. Ecce orationem veri neruis nitentem, & ipsi cepario proferendum nitori sermonem. Ergò qui se ætate valentes, & corpore imbecilles esse dixerunt, ipsi se ineptos iudicio esse testantur, quoniam membrorum se dixerunt iam sustinere dispendia, maximè si hoc ingerere clementissimi Domini auribus præsumpserunt. Vos putatis ab vniuersis Dei conspectibus pulsi, illo vestrorum more congressuum vbique narranda confundi, & apud principem de *collectione pontificum alios protulisse sermonem, nisi quos ætatis maturitas *erudiendæ loquelæ fecit authores, quibus anni veteres reuerentiam contulerunt, qui putabantur bonorum meritorum suffragio in longum fuisse seruati. Ipsos ergò de grauidæ ætatis fatigationibus queri decuit, quos ætas iusserat, allegare. Viri optimi, subditis ex præceptis regijs euocationis causam fuisse iam cognitam, & Italiæ summa moderantem, non fuisse quasi de nouo negocio consulendum, plus chartæ & scriptioni religiouis debitum, quàm præsentiæ principali. Nullus ergò in prædicto negocio titulus remãserat, ad cuius inquisitionem pergentes, illud iure præloquerentur exordium. Exhinc digressi, bonarum rerum in rege laudatis affectum, & colitis verbis innocentiam, quam actibus ignoratis. Si tamen cultus est in loquela vestra, quam *scabroso vomere velut agentes per deuium aratro proscinditis, marcenti solo zizania & lolia cõmendantes, recepturi pro tali impendio palias, quibus gehennæ in perniciem vestram animetur ignis. Sed nunc (vt quidam fertur dixisse (quæ quibus antè feram? contra Apostolum dicitis impugnatores summi pontificis non auditos, qui cœlestis mandati memores, partem suam à consortio adulteri subduxerunt. Hic non incesso ignorantiam *limosam, memoriam non accuso. Nolo dicere quòd prophetæ verba Apostolo cõtulistis: quia noui & ipsos Apostolos rectè vocari, quos missos esse non nescio: Dauid enim dicit: *Furem videbas, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Deinde, quis se de illa vestra enodem faciet quęstione, qua dicitis, in criminibus obiectis, quod non excluditur, approbatur? En vocem Romanæ Ecclesiæ militibus congruentem, in qua nescies vtrum priùs nitorem prædices, an saporem. Putasne audistis legi, Quod iustum est, iustè exequerit? Audistis de malefactis hominum, (si tamen aliquando conuersatio humana vos tenuit) quicquid non suis ordinibus approbatur, excludi? Vbi est illud prophetæ, *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui?* Et de vobis dictum: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Væ animabus eorum. Sed quid facto opus est, quoties desperatis nulla medela succurrit, nisi quod implorandus est Dominus, qui promisit per prophetam, futurum se super omnem superbum & excelsum, & super arrogantem, vt humilietur? Sed fœtidum opus vestigijs insequar, & ferrato (si possum) calce contundam. Vt verè dicam, res cum re, causa cum causa, ratio cum ea, quam putant, ratione pugnabit. Obluctatos sacerdotes præceptionibus regijs allegatis, & quoddam sacrilegium creditis, & mali aliquid (cùm cælestem nesciatis) de terreni domini iussione sentiri, opponendo, quis regi debuit dicere, Papam Synodum oportuisse conuocare? Certè, quod in hac parte constat exemplum illum præcipuè, qui criminosis multorum propositionibus iam tacebat, quem hoc fuerat damnare, quod arguere: cui prærogatiuam cœlitùs ascriptam, hostium suorum iam obluctatio tulisset. Ad hanc vos dementiam, malorum actuum per gradus suos incrementa traxerunt, vt hoc credatis esse lacessere, quod cõuincere: nec apud vos habeant à veritate differentiam odia, quæ plerunque contra meritum impensis studijs, non rationi, obsequentia vota concinnant. Vbi est illud, *Priusquàm agnoscas, ne adiudices, quemquàm*? Olim vos accepit grex politus in sinistra collegas, apud quos ex prę-iudicio excepisse sententiam creditur, qui meruit ad examen adduci: & hoc est reum *existere, quod libram disceptationis intrare. Prælocutioni tamen optimè diuinum subdidistis exemplum, quod ita quadratis constat eloquijs, vt ipsum in eo Chrysippum tenere lineam putes. *Peccatori dicit Deus, Quare tu enarras iustitias meas?* Huic dicto conferentes, quasi ad sacerdotis apostrophen, (qui Beati Petri Apostoli vicarius æstimatur) prohibetis archiatrum eius corpori afferre medicinam. Quomodo vos animæ eius curationem exhibere renuitis? Magnum per diuina ridiculum, an maxima lamenta sint, nescio. Vos alienæ febri curam quæritis, vos fatiscenti animæ medelam adhibere cupitis, & in lecti proximitate, propositi vestri immemores, de alterius salute tractatis. Quid si illud verè vobis à Propheta dictum sit. *Nunquid*

Locus obscurus

*ordiendę

Vir. verba Æneid. 4.

i. tenacem

Psal. 99.

Deut. 16.

Esaiæ 3.

Esaiæ 3.

Eccl. 11. iuxta 70.

*adsistere.

Psal. 49.

Esaiæ 7.

*incongruæ.

Esai. 1. Luc. 10.

Psal. 108. Hebr. 13.

*ala

*iudicatione

Ioan. 3.

*veritam

parùm vobis est, quòd molesti estis hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Et iterum: *Medice, cura teipsum.* Sed hinc alias nouimus, quia sanari non potest conclamatus: & improbus in profundum deueniens, mira temeritate contemnit. Sed credo, viuit in istis, & in malæ conuersationis suæ morte consilium. Et potest optare quis alteri, quod ipse iam perdidit? Nunc rectè vobis cum Propheta dicimus: *Omnia quæ loquitur populus iste, *iuratio est, & timorem eius ne timeatis, neque formidetis.* Facessat à nobis, qui in vobis est pruritus iste linguarum, quos verè idem propheta arguit: Scribentes, iniustitiam *scripserunt. Non nos beatum Petrum (sicut dicitis) à Domino cum sedis priuilegijs, vel successores eius, peccandi iudicamus licentiam susceptisse. Ille perennem meritorum dotem cum hæreditate innocentiæ misit ad posteros. Quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet, quos par conuersationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? In quo, si desunt bona acquisita per meritum, sufficiunt, quæ à loci decessore præstantur. Aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat. Prænoscit enim, quid ecclesiarum fundamento sit habile, super quod ipsa moles innititur. Sed hinc actibus vestris cœlestem potentiã putatis esse suffragio, quòd ad præsidium beati Petri Apostoli adiutricem (vt dicitis) dexteram commodatis. Nescitis stolidi, solem facibus non adiuuari, nec ad præsidium diurnæ lucis lychnos accendi? Scriptum est enim. *Scrutatur renes & corda Deus.* Sed in illa parte quis argumentis audeat vestris respondere, nisi quia sine arte dicitur verum, & fides mendacio sermonum technis assuitur? Cur (inquiunt) ad principem conueniistis, si audire non licebat impetitum? Sic vos in stuporem pecualem peccati nebula, aut diuinus horror oblimat, vt verecunda excusatio aut fraude mensuram transeat, aut beluarum pressa hebetudine non agnoscat. An fortè aliud putatis fuisse, quod dictum est, ipsum debuisse synodum conuocare, cuius opus erat officio, vt vos videlicet per pontificale examen diuina sententia percelleret, quos à capitis sui compage in salutis detrimento insanus furor abscciderat? Post hæc argumentationem operi vestro (nescio, verbis, an latratibus) indidistis, comparantes ei antistitem vestrum, qui senioris naturæ beneficium, vnius cibi commutatione perdiderit, & primogeniti charam dignitatem amiserit, faucibus obsequendo. At ista quid referam, qui ex communi obiectorum parte concludor? Quis, rogo, vestro Symmacho benedictionem, dum patri plùs deseruit, eripuit? Cui tantorum munerum Iacob * vice est collata nobilitas? Quis ex vobis, cæci parentis desiderijs pariturus, occurrit? Quis vestrum deuotione sua genitorem venerabilem captum oculis, nulla fecit locis damna sentire? Nonne collatione tenebrarum vestrarum, nox putatur per sudum rutilans iubar distendere? & omnis obscuritas, actibus vestris collata, decorem solis assumit? Prætereà tunc Iacob, quamuis congruentem moribus, filijs benedictionem tamen cõtulit iam promissam. Nam quid his longiùs immoramur, cùm docendi nõ sint, qui calces stimulis intulerunt? Credite mihi, pacis inimica sunt: impugnationi non sunt idonea, quæ profertis. Sed sequitur vinculum cum ænigmate, quod nescio qua replicationis arte soluamus. Tullianæ enim profunditatis pelagus ingressi, * combulam nostram quæstionum flatibus per littorũ incerta transmittunt, in qua tamen Christo clauum tenente, portum ingrediar, & sigillatim de turbinibus vestris vniuersa discutiam, habiturus & inducturus illorum facultatem, nõ meam. Aiunt enim (si vera episcoporum assertio est) sedis Apostolicæ præsulem minorũ nunquam subiacuisse sententiæ, cur ad iudicium districta conuentione perductus est? Multũ quidem annosa hic in vobis laborat infantia, cui ille aduocandus est, qui ineluctatæ nobiscum semper pondus propositionis exuperat, cùm manifestè pro sacerdotibus cum propheta clamitem: *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam?* Vt sit mihi illud suffragio diuinum oraculum: *Quomodo si cessaut exactor, tributum quiescit, ita contriuit Dominus baculum impiorum.* Tribue, Domine, quod prædixisti in illis, vt sicut errat ebrius & vomés, ita pereat incredulus, qui infideliter agit. Propter hoc propheta vobis insultans, vociferatur: *Audite verbum Domini viri illusores.* Quisquãne causarũ ex præcognitione sancit euentum, & rabidis terminũ positurus conflictibus, sic metitur, vt pernix decisio, dum in inquisitione seniori innotescit, anticipet fauorem, censentis famam accuset? Nunc paulisper ore, actibus, annis, indignos pontificali voce vos arguam. Nos, qui statuta vestra non in vna apud vos volumus lance constare, quibus de impugnatorum qualitate lati sunt canones, apud quos nefas est cana patrum definita transcendere, quibus scriptum est in Carthaginensi Concilio, quod Apostolicæ sedis per Faustinum Episcopum, qui tunc ab ea missus interfuit, probauit authoritas, accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum, in quibus odio succensa vicinitas, per nutrimenta arida, flammam persecutionum exuscitat, & vniuersam doli fabricam, sumptu & machinis cohærentibus, secreta dispositione componit. Istos quæ domus euomeret? qui scire potuisset nostra collectio, nisi præsentes? Et impugnationis qualitatem, vnde, nisi ex scripta propositione didicisset? In quib. sentinam criminum, dum simulato ferũt persecutionem se debere criminibus, agnouisset? Post illa, quæ de accusatoribus prolata sunt, addidistis: Cur personæ iussæ sunt præsentari, quas sæpè Imperialis flagitasset authoritas? Ad defraudationem *ingenij eius pertinere, qui nunc in sede Apostolica, quasi in quadam arce, consistit, verè vobis dicit sapientia; Homo infirmus & exigui temporis, ad intellectum non peruenies: sed laboret, vt sciat quid acceptum sit apud Dominum. Et iterum dicunt prouerbia: *Odit se, qui negligit studia.* Imperitis enim obuiat mors. Quid enim illam, quæ ex viperina scientia descendit, ignorantiam fingitis? Quid adhibetis mira latrocinandi arte præstigia, simplicitatem fronte monstrando? De vobis verè nunc dictum est: *Qui loquitur mendacium, ex proprijs loquitur.* Istam lætitiæ faciem ex iudiciorum censura venientem, vafra prouisione sacerdotis vestri oculis abstulistis, vt eum talibus aduersùs acies vestras instructum monitionibus, & innocentiæ in testimonio orbis tela deferentem, ab ipsis iudiciorum adytis pelleretis, prouidentes, vt nec sine impugnatione insons viueret, nec haberet solatium de incorrupta iudicum inquisitione pulsatus. Vos præfato & dedistis, & inuidistis examen, cùm vno eodemq; itinere à vobis disceptationum dubia subire & prohibetur, & cogitur, & per singularem callem, ad causam arcendus, euocatur, ne manifestam salutem aut non lacessitus obtineret, aut subriperet absolutus. Adolescentiæ meæ memini me legisse temporibus de quodam dictum, Exuli exilium imperas, nec das. Vos prophetæ impetit sententia: *Isti sunt viri, qui conturbauerunt terram, & qui concusserunt regna.* Et iterum: *Excidentur ramusculi eorum falcibus, & quæ derelicta fuerint, absconduntur.* Et rursus: *Dum non speratis, veniet contritio vestra, & comminuetur sicut lagena figuli, multitudo vestra.* Necnon propheta, ad hanc causam specialiter locutus: intonuit: *Dominus inclinabit manum suam & corruet, qui fert malis auxilium: & cadet, cui præstatur auxilium, simulq; omnes consumentur.* Redeo tamen post multa vetusta exemplorum suffragia ad nouellas canonum definitiones. Clamat in alio loco Carthaginense Concilium: Quascunque ad accusationem personas leges publicæ non admittunt, his impugnandi alterum & nos licentiam submouemus. Et nullæ accusationes à iudicibus audiantur Ecclesiastici, quæ legibus seculi prohibentur. Quæro à vobis, viri, quibus indita est ad vnguem polita perfectio, cuius conditionis fuerint ista mancipia, quæ postulata scriptis principalibus intimastis. Si ea seruilis adhuc in postate alterius catena retinebat, & nulla ab obscœnæ obligationis compedibus vestigia in libertatem missa laxabant, vel vobis disceptantibus fidem aliquam prædictorum verba portassent? Sed credo, replicabitis, veritatem, quam sponte prolata in illis vox habere non poterat, hanc diuersis *crucibus è latebris suis *religiosus tortor exegerit, vt dum pœnis corpora soluerentur, quæ gesta fuisse nouerat, anima non celaret. Sed (quæso) primùm ad leges publicas, deinde ad iudices ora conuertite, qui possunt in defensione sua sic eloqui: Nos, quos Dei seruitium pro istarum rerum abiectione fecit ingenuos, qui seruulorum insultantium contumelias aut despicimus, aut ridemus, quibus scriptum est de famulis per Apostolum: *Memento te, quia vester & illorum Dominus in cœlis est,* ad hæc seculi mala reuocabimur? Faciendum à nobis est, quod facientem alterum prophanum esse contendimus? Quod per ministerium iussionis & manus alienæ incestaret adspectum, nostro peragetur imperio? Nolite hanc ad vniuersas Ecclesias mentem, rapacium

luporum

Lucæ 4. Prou. 18.

Ezech. 2. *coniuratio

*scripsistis Dist. 40. Nõ nos beatũ

Hier. 7.

Gen. 25.

*voce

Gen. 48.

*cymbulã

Papa nũquam minorũ subiacuit sententiæ episcoporũ iudicio.

Esaiæ 10.

Ibidem.

Esa. 28.

Can. 80. 7. Conc. Afric. cõc. 4.

*genij

Prou. 1.

Ioan. 8

Esa. 14. Ezech.

Esa. 30.

Esa. 31.

Can. 81. 7. Conc. Afric. cõc. 4.

* crucibus *religiosus

Ephes. Col. 4.

Iuporum more & natura, seruare, quia postquàm nos maculasset fortè pro desiderijs vestris cruéta discussio, effectum in his, quò tenditis, non haberet. Sed dicente vobis prophe-
ta, Ponamus circulum in naribus vestris, & frenum in labijs, & reducamus vos in viam qua venistis: qui eodem Prophe-
Esa.37. ta asserente impugnamini, qui dicit: *Erunt, quasi non sint, & pe-
ribunt viri, qui contradicunt vobis*: hoc etiam nouo aduersum
nos subdidistis inuento, ipsum Dominum & redemptorem
nostrum, seruorum subisse iudicia, & cœli operatorem, par-
ticulæ cuidam spontè subiacuisse terrenæ, dum testatur & lo-
Esa.5. quitur: *O Iuda, & qui habitatis Hierusalem, iudicate inter me &
inter vineam meam.* Hoc etiam beatum Petrum, hoc Paulum
Apostolum non horruisse narratis, & illam vestram ele-
gantiam ad ius pertrahitis, exemplorum nexibus præceden-
tem, quasi vobis in hac parte remanserit cum renitente con-
tentio, & validis facundiæ vestræ digitis exigantur oblata.
Samuelem etiam Prophetam mirificum de conscientiæ suæ
serenitate vulgi dicitis imploraſſe testimonium. Quid enim
1.Reg.12. Samuel dixit? Scire Dominum, quòd nullius vnquam sub-
stantiam, nullius pecus abegisset, aduersatum se muneribus,
& quod est supra hominem, spontè venientia dona vitasse,
prouidens scilicet, ne pro suspicionum præiudicio, opinio-
nis damna pateretur. Postremùm, sub diuina attestatione pa-
tefecit innocentiam, ne humanum subiret examen. Redem-
ptoris nostri iudicium, quod inter se & vineam suam optat
euenire, dùm vestra in præsenti negocio mala respicit, magis
implorat. Sanctus Athanasius Alexandrinæ vrbis Episco-
pus, dum participum vestrorum argueretur inuidia, agno-
scens, sibi per contumeliarum multitudinem exercitium
contingere, non timore: ad veræ coronæ precium iunxit,
quod de dignitate submisit, & antè cœlestem de absolutione
sententiam, personam rei, innocentiæ bonus æstimator im-
pleuit. Sic enim milites CHRISTI, sudore suo honorum
sibi incrementa parturiunt, dum concessa fastigia celsiore hu-
militate castigant, inde laudum cumulos mercaturi, vnde in-
depta culmina sublimi parcitate moderantur. Sed quamuis
beatum Athanasium Romano antistiti (quantùm nosse da-
tur) imparem locus ostendat, facto tamen in negocijs compa-
rantur. Ille præstò fuit iudicibus, iste (quantùm & vos dicitis)
aduocauit. Ille intentatam discussionem, vt Dei famulus, non
refugit: iste triumphum suum in discussorum collectione
constituit. Sed quid his longiùs collationibus immoramur?
Iudicia & iste voluit, amauit, attraxit, ingressus est, & quod
posset fidelium corda doloris iusti aculeis excitare, venerando
Concilio authoritatem etiam contra se, si mereretur, in-
dulsit. Quis in hac allegationis ipsius fronte nesciret fultũ ad
for.*quod per coëpiscopos puritatis testimonijs conueniſſe? qui hoc, * quod
districtionem eorum minùs licebat, exhorruit, æstimans, il-
lud magis quolibet modo labefactandum, quod statuisset
censor inualidus? Quid præfatum incessitis canina loquacita-
te? Quid læditis non merentem? Votum eius est, quod ve-
strum putatis esse terrorem. Sed astutiùs in vobis, quàm in A-
thanasij aduersarijs, nouelli virus serpentis insibilat. Illi ne-
scierunt, quod vos optimè calletis, qualiter triumphus tol-
leretur impetito: illi prouocatum, ne audiendus non occur-
curreret, formidabant. Vos moram, quam habebat examina-
ri non ferentes, venientem iaculis repulistis, & tædium vobis
de sententia præparatum, vltricium armorum assumptione
commutastis. O malorum commemoratio, quæ vocem &
præstat, & subruit, dum illos, quos in clamorem coëgerit, eo-
rum etiam, grauitate facti, verba confundit. Quis patiatur
vos æquo animo garrientes? Ergò nos secundùm assertio-
nem vestram nouellæ vtiliratis commoda non amamus, dum
definitis senioribus præstamus obsequium? Hic tota ingenij
vela suspenditis, hic resupinæ ceruicis ex secessu pectoris,
quicquid habuit spiritus flaminis, ructus euomuit. Aiunt e-
nim: Mosis à vobis ieiunia, & Helisæi miracula, quæ egit, dum
*tantùm *condem-nantur. mortuum suscitauit, si annosa * tamen sectemini, * confun-
duntur. Quid hic rationis inuenit scrutator idoneus. Non si
auri callicus inquisitor occurrat, in sensibus vestris laten-
tium venarum motus inueniet, & insuetis lucem latebris ser-
monum fossor admittet. Idcircò ergò cana miracula nõ pro-
bamus, si inuenilibus consensum non præbemus excessibus?
Matt.10. Luc.6. Ioan.15. Si seruum Domino, discipulum Magistro Euangelij memo-
res, subiugamus: quicquid potuit prodesse, negligimus? Alia
sunt, improbissimi hominum, quæ ad vsum recentem, sine
iniuria vetustatis adhibemus. Nouam deinde culpam &
quam inuestigatio nostra transierat, reclusistis: quare Papa si-
ne exempli instituto præcedentis, synodum conuocauit, vt
de criminum eius obiectione cognosceret? Post hæc nos fal-
sitatis arguitis, cur à principe, quæ in præfato negocio scri-
pta sunt, dicimus postulata. Præsta Domine, vt labyrinthi
huius sine errore sinuosos superemus anfractus: dirige semi-
tam, quam flexibilis coluber iuxta fabricam proprij corpo-
ris aut mentis operatur, vt verè dicamus: Dominus virtu- Psal. 45.
tum nobiscum, adiutor noster DEVS Iacob. Et cum Salo- Prou.21.
mone exultemus, dicente: Equus paratur ad diem belli, apud
Dominum autem est omne præsidium. Superuacuum qui-
dem est, absurdis respondere propositionibus, dicente Pro- Prou.26.
pheta: Ne respondeas imprudenti ad imprudentiam eius. Sed
si quid contemptûs transierit, vereor, ne quasi validum pute-
tur non tetigisse formido. Melius nobis est, cum beato Pau- 2. Cor.12.
lo insultationis causas incidere, & plena voce testari: Factus
sum insipiens, vos me coëgistis. Hoccine ergo nullo consta-
bat exemplo, vt sacerdotum Papa Concilium conuocaret, cu-
ius arbitrium est collectio synodalis? aut parua erant, quæ
de vestris cum hac multitudine facinoribus damnarentur?
Nonne directa sunt verba canonum, quicunque clericorum 8.q.4. Nõ-
ne directa.
ab Episcopo suo ante sententiæ tempus prò dubia suspicio-
ne discesserit, manifestam eum manere censuram? Ad hu-
ius rei ministerium deuotum DEO oportuit agmen occur-
rere, vt perditi & profligati gregis vlceribus medicorum ex-
ercitus subueniret: quia quoties morborum violentia ce-
leri gressu ad animæ secreta festinat, obuias manus afferre
non potest salutare consilium, nisi ex collatione multorum.
Nam & hoc à rege vestra popoſcit allegatio, vt abscissis cleri-
corum præiudicijs, de accusatorum Papæ merito per manum
os supernum iudicaret imperium. Videamus tamen, si placet,
& illas disputatoris didascalici libelli vestri relegamus argu-
tias. Habentibus etiam nobis antè oculos patrum sanctiones,
quibus excessuum vestrorum sentina ponderetur, lex Eccle-
siastica pontificem ab alijs accusatum, priusquàm sub luce ob-
iecta constiterint, exigit non relinqui. Vos verò diuini vt-
putà iuris memores, qui leuia errata despicitis, qui peccati no-
bilitate gaudetis, ne vna vos ex desertione sacerdotis culpa
respiceret, accusatis eum incrementis delictorum. Ad hanc
vos * valetudinem ille, qui est præuius vester, adduxit, vt *valetudi-nem
post desolatum, post impetitum pontificem, sine vllius rigo-
re sententiæ, totius penè Italiæ improbandam antistitum cre-
deretis esse censuram. Quomodò quidam dixit de cohorte
vestra, festinantem animam morti credidit vni: potestne mẽs
indocilis, criminum iam ditata successibus, & detestabili pro- Esa.14.
posito velut effœta feriari? Ille vos his locupletes malis effe-
cit, cui elationum copiæ opes angelicas sustulerunt, & diui-
num censum nocendi, quo exuberat, thesaurus inuidit. Sed
promissionis memores, vniuersa quæ operi ipsorum recoli-
mus inserta, tangamus. Arguitur stylo splendidissimo Papa
Symmachus, quare conuentionem præueniens cum populo-
rum cœtibus examen intrauit, & postea iudicia, cùm euoca-
tus quater fuisset, spreuerit. Sic à vobis veri discessit affectio,
vt mendaciorum nebulis vrbis testimonium putetis inuolui,
& fallaciæ periculo depicta verba, plùs virium credatis habe-
re, quam veritatem, Roma quam retinet? Ergone ille discep-
tationem vel importunus adijt, vel expectatus aufugit? Ergo-
ne illam multitudinem deuotæ Deo plebis, non pro fideli di-
ligentia, Christiana magis expectatio, quam furor euocauit?
Quisquamne ad inferendam violentiam currens, lachrymas
comites habet? & qui studet esse formidini, vultũ timentis o-
stendit? Multitudo illa iuncta sacerdotis officijs, attulit ad nos
lamenta, non iacula: nec venit telis minax, sed fletibus misera-
bilis, vna tantùm intentionem vestram ostẽtatione grauatura,
quia vberibus oculorum fluminibus demonstrabat, quam
esset per acerbitatem vestram conditione doléda pulsatus, &
in sobrietate venerandi examinis, afflictione propria cõmen-
dabat, quem voce nõ poterat. Sed habetis manifestum ex hac
re, qui bilem furor accendat: quia penè absolutus ad iudicia
venit, pro quo orbis illachrymat: & dum rebus extraneam in
prædictum inuidiam sermone colligitis, paulisper reuerentię
vestræ diù ceruix superba submittitur. Sacram enim congre-
gationem tunc vocatis, quando extinctorem nostrum Sym-

machum vultis asserere, & crudeli pietate honori nostro putaris accrescere, quod residens in ecclesiarum arce perdiderit. Nos ita non solùm non sensimus, sed diuersa sentimus. Ad alios magis tutelæ vestræ venena conuertite. Non habet testimonium defensoris, quia repugnanti impedit oris obsequiũ. Perdit, quam esse putat, beneficij gratiam, qui aliquid præstat inuito: quia non est munus, nisi quod velis accipere. Nunc longa non opus est admonitione iam perditis: odium debemus operi, de cuius iam non superest, quod damnetur authoribus. Mulierum turbas asseritis vrbanis coloribus cum præfato ad iudicia conuenisse, & illa vestra subtilitate obtenditur sexus, qui maiorem antistiti debuisset affectum. Prophanissimi hominum, scriptum retineo: Aliud est maledicere, aliud accusare. Et Prophetam dixisse, *Reprobantes verbum, sperastis in calumnia & in tumultu, & estis in eo. Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio, cuius pro nobis dicit Deus: Eos, qui iudicant vos, ego iudicabo.* Et iterùm ad seruos suos dicit: *Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis*: Rursùm etiã vobis clamat: *Accedite huc semen adulteræ & formicariæ: Super quem lusistis, super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? Nunquid non vos filij scelesti estis semen mendax?* Quę quibus copulatis, aduertite. Dicitis, Indicta causa, derelictis defensoribus, Papa discessit, fori vobis in præsenti negocio, & platearum, quarũ estis hypocritæ, exempla proponentes. Nobis scriptum est per Paulum Apostolum: Quibus crucifixus est mundus, quid illis cũ foro? Sed ista nescitis, aut (quod est grauius) nota contemnitis. Peregrinum (credo) aliquid & à ratione separatum postulans Papa, discessit. Nonne hoc sperauit, pro statu labentis Ecclesiæ pastorali cura constrictus, quod & religiosa prouidentia, & causæ ipsius ordo flagitabat? Quæ enim iudiciorum forma præcesserat, vt vobis hostiliter disruptis, etiam per suggestionem vestram sublatis Ecclesiæ opibus, qui diu fuerat cibus esurientium, famis mãcipium videretur effectus, dum alimẽtis distributor egebat, vt fieret in dominatu seruitus, & in seruitute dominatus. Quæ hoc qualitas præcedentis qui per memoriam in mediũ trãsacta reddebat? Qualis habuit effici ex censura conuictus iudicatio, in quo causam adiudicatio præcedebat? Non fuit priuilegiũ, quo spoliati potuit iam nudatus. Vnũ vobis putastis residere in sacra collectione subsidium, vt ad tuendorum immanitatem criminũ, sacerdotes vobis comites iungeretis, & fieret impunitum facinus pollutione multorum. Nunquam conuenienti tempore censor adsciscitur, qui ad decisum penè negocium conuocatur. Criminosi (& si est) meritum tollit accusator, qui in eo plùs furori suo vult licere, quàm iudici. Dicit enim vobis, impetens Propheta: *Hæc est pars eorum, qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos.* Ite angeli veloces ad gregem conuulsum & dilaceratum, ad populum terribilem. Ad vos angelus missus est, scilicet per sacerdotes, quorũ voce & merito proferenda Christo dona suscipiunt, & placato dominante, impetrata à mortalib. vota concedunt. per quos vobis oblata sunt munera repudiata concordiæ, qui pœnam merentibus, dilectionis præmia detulerunt: qui dum se considerant, in nullo, quod merebamini, respexerunt. Quis eum (inquiunt) vidit cum accusatoribus suis aperta (vt aiunt) pugna confligere? Imprudentissimi omniũ, quem cum quibus vultis decertare, respicite, & vtriusq; partis, si quid salutis in vobis resedit, loca, tempora, & personas attendite: & si vos nefariè congesta cordis adhuc praui non subegit opulentia, oculos ad Dominum pauliſper attollite, & vel breui tempore finistri monitoris iussa cõtemnite. Agnoscite, summi regis præceptionibus vos in his, quæ meritò plectenda sunt, non mũniri: quia quamuis responsi qualitatem dictent dogmata postulata, & petitio, dum existit præuia, quæ sunt secutura, describat, nunquam tamen cassibus vestris libera regnantis verba cepistis, nunquam desideria per aucupia calliditatis Imperialia vobis scripta militarunt. Quoties vanis hiatibus nocendi inefficax morsus increpuit, totiès de accusato, quicquid spe tenuistis, effugit, & vacuos imago præsumptione occupata deseruit. Deo gratias, qui hanc prouidentiam indidit ei, cui rerum humanarum summam commisit. Spes certa quoties est & salutis, perfecta in gubernatore sapientia. Puppis, cuius magister ad claui regimen intellectus dote præparatur, vbique stationem, vbique portum habet in fluctibus. Certa generalitatis securitas, quando rempublicam nobilibus regit artibus institutus. Scit Imperatoris nostri cœlo infusa dispensatio, obuiam manum famosis in fallendo ingenijs exhibere. Labore apud eum non opus est, quem sortita est olim nuda veritas defensorem. Cessent impia commentitia apud illum simplicitatem fraude mentiri, quicquid *sit, dum iustitiam nouerit, mox tenetur. Nihil apud prædictum tutius innocẽtia est. Legatione valida vtitur, qui æquitati res congruentes insinuat. Quæ grauis est plerunque principibus impugnatio, minùs fidelium blanditijs non ligatur. Sed hæc Deo narratur meliùs, à quo frugis huius planta descendit. Ad vos me reducit propositi operis non amica conditio, qui melioribus hactenùs operum volui per nauare seriem moribus: dum captiuam orationem exigit imperiosa necessitas. Dixistis enim: Quomodo de causa, vel qualitate eius primitus tractabitis, cùm necdùm haberet synodus firmitatem? O frontem dictionis immundæ, & faciem libelli, quam non sola maculauit imperitia. Tractatus nostri prouinciam & narratis, & quæritis. Hinc eramus nempe dubij, quia quemadmodùm loquimini, non habebat synodus firmitatẽ. Transibat negocij qualitas audituros, & plùs adhuc remanserat in reuerentia pulsati, quàm esset in integritate collegij. Deinde post quæstionẽ torrentes, venerabilem Laurentium & Petrum episcopos, à communione Papæ se suspendisse replicatis: & quicquid prouidit cautio conuocatorũ, ducitis ad crimen impetiti. Vllone ergo tempore, dum celebrarentur ab his sacra Missarum, à nominis eius commemoratione cessatum est? Vnquam pro desiderijs vestris sine ritu Catholico & canonico more, semiplenas nominati antistites hostias obtulerunt? Aliquandò quod capiti vestro ascribatur, facta est apud Deum offensa per gratiam, & extitit nutrix peccati veniæ mater oblatio? Fuerunt quidem corporis tantùm cõuentione separati, quos loqueris, animarum tamen præsentiam non vitarunt. Si eos putas à consortio mutuo dissociatos, quos fibula religionis pio mordens dente coniungit, procul re ab æstimatione Catholica culparum duxit affectus. Mandati cœlestis obauditio nos aut miscet, aut separat. Non interest, quæ interualla nos segregent, si vno in superna mansione conclaui retinemur. Verè hinc *conuincimus esse seruos vos ventris & corporis, & per hanc sententiæ vestræ vilitatem, declaratis mancipia vos esse terrena. Scriptum est enim: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus.* Post hæc versis in fugam ordinibus, lymphatici more sermonis, addidistis: Ergò concilia sacerdotum, ecclesiasticis legibus quotannis decreta per prouincias, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdiderunt: Legite insanissimi, aliquandò in illis præter Apostolici apicis sanctionem aliquid constitutum, & non de maioribus negocijs, ad collationem (si quid occurrerit) præfatæ sedis arbitrio fuisse seruatũ. Sic enim habet: si quis episcoporũ iudicio prouinciali depositus fuerit, Romanum Papam (si placet) rursùs appellet, & ipse (si videtur) reparet iudicia in opitulatione damnati. Ecce è nodo est, quod ad laqueum præparastis, nisi fortè arctissimis in illa parte nexibus adstringamur, & replicationum nobis itinera non pateſcant, dum callis antè peruius, dumetis his nouella interclusione vestitur. His enim nos eloquij vepribus, dum gradimur per plana, retinetis, cùm dicitis, læsum principem, quare attributum visitatorem contra ecclesiasticas regulas prima voluimus fronte discedere, & nihil amplius liceret hinc vitijs, ne duresceret lolium, ne prophana messis nulla disciplinæ ante maturitatem succisa falce decumberet, & putaretur licere, quod iudices non vetabant. Vnde ex aperto constat, nulla vos extra præstantiam pijssimi regis quam frustra desideratis noxæ copulari, exemplorum authoritate fulciri. Supereſt, vt & ipsum doceam in his excessibus, quod bono vniuersitatis contigit, non teneri: quia directum, non occasionem litis, nec fomitem iurgij, sed causam voluit esse concordiæ, prævidens scilicet, quòd nisi simplicem iussionum suarum tutela vallaret, citò in escam dissidij toxica vestra surriperent. Scriptum est enim: (Vir simplex credit omni verbo) Idcirco mandati limitem fixit, quem nulla liceret transgressione violari. Præfatum, ad beati Petri basilicam, mox vt Romam fuisset perductus, mandauit occurrere, faciens de sacerdotis voto regis imperium. Quis enim non putaret pontificem sponte pariturum in ea parte, quam licere sibi princeps non credidit, etiam si vetaret? Ibique Papam ab eo salutatum, suo ore iussit affari, vt traderet coepiscopis mancipia, nullis subdenda tormentis, seruanda

pro-

Gal. 6.

Esa. 17.
Esa. 18.

Esa. 30.

Esa. 51.

Esa. 57.

*scabros fus indu- nouerit.

*conui- cimus

1. Cor. 2.

Sardicen. Conc. c. 3. De appellationibus episcoporum ad Rom. pp.

Prou. 1.

profectò ad disceptationem synodalis examinis. O castitatem præcepti, quæ dum faciem præsentibus præfert temporibus, in vmbram cogit antiquam, quæ rapit lumen veteribus inauspicato splendore nouitatis. Quis hoc lingua diues, quanquam merito pauper, vel opinionis fabricator adiunxit? Quis taliter commẽdatitijs laudibus locupletauit fama dominum, actuum suorum veritate mendicum? Non derogo vobis descriptoribus, quorum beneficio contigit, ornata ad nos Maiorum gesta perduci: sed Dei beneficia non tacebo, quia princeps noster reb. superat decora sermonum, si obnoxiam linguis gloriam * munerabilis causarum trutinator inspexerit, vt cum petitioni vestræ effectus artifex præstaretur, in omnibus tamen iura Ecclesiastica custodiret. Quæ ad hanc æstimationem (quamuis acutiora cæterius) corda sufficiunt, vno tempore, vna scriptione, sine æquitatis detrimento, desideria vestra supplentur, & eadem charta ad ministerium religionis, & vestrum destinatur ad gaudium. Boni enim præuidet principis inquisitio, seruilem assertionem innocenti exanime non probandam. In electione enim venerandorum iudicum ipse accusatores extra ordinem repulit, ipse ad spem retulit accusatum. Videamus tamen, ista si facta sunt, si Dei inimici etiam terreni domini non fuistis, dum Christum & regem parili temeritate despicitis, & vnus vobis ad vtranque cõtumeliam ductus est criminum destinatus antistes, ad ipso complendæ iussionis confinio oris vestri spiris abripitur, & ad incentiuum confusionis aptatur. Qui paci militaturus aduenerat, inuisis beati Apostoli liminibus, ad vsum furoris vestri iam nescius sui aduocatur: & illud, quod ex omnibus orbis cardinibus deuotos attrahit, positum in vicinitate transitur, Ecclesiarum fundamentum adire non permittitur structura mediocris, truncus spem honorum fructuum perdidit à radice separatus. Dicatis forsitan, Apostoli genio decerpi, si putatur cæli ciuis terrarum locis includi. Tamen, quamuis benedictio poscentibus vbique præstetur & exigat præsentiam martyris fides & deuotio supplicantis, negari non potest diligentię natali solo plus tribui, & maiorem affectum loca impetrare, de quibus ad superna transitur. Quam fidem allegationi curationem multitudo iam præstitit, & vtitur post obsidionem diabolicam testibus iam sanatis. Hæc licet per redemptorem nostrum in toto orbe celebrentur, est tamen non modica monumenti illius per frequentiam comparata nobilitas; quia per eum, qui hominem mutauit in Angelum, illustrari potuit natura telluris. Hanc visitatori vestro inuidistis gratiam, æstimantes, quia errorum vestrorum sectator esse desisteret, si reuerendæ passionis penetralia contigisset. Ecce non habetis in regia authoritate subsidium. Ecce post cœlestem commotionem, iussè vos & principalis, quam sperni feciſtis, censura percellit. Videamus si supereſt aliqua de regulari propositione defensio. Visitatores, inquiunt, & alijs episcopis dedit ipse, & iustum est, vt facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso, diu mendacijs adhærentia verba non arguo. Dico tamen latorem iuris, diffinitionis suæ, nisi velit, terminis non includi: & nisi princeps fastigij summa moderetur, frustra ad illud, quod dederit, ius vocatur. Lex probitatis & mentis est, quæ hominem viuentem sine lege castigat: propriè moribus impendit, qui necessitati non debet disciplinam. Aliorum fortè hominum causas Deus voluit homines terminare: sed sedis istius præsulis, suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare, eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipsorum factorum vtitur eo teste, quo iudice. Dicas forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo vni dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et rursus sanctorum voce pater, pontificum dignitatem sedis eius, factã toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est, vbiq; submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de qua mihi videtur dictum per prophetam: *Si hæc humiliatur, ad cuius confugiet is auxilium, & vbi relinquet is gloriam vestram?* Quid si immunda mihi labia habenti, & nullis succensa carbonibus, vt Esaiæ concessum est, vt his ablutis, ipsum ad possessionis suæ tuenda priuilegia Petrum Apostolum liceret euocare, & quod ait precibus, humana voce loqueretur? Quem si audiretis, hæc diceret: *Filij hominum, vsquequo graues corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Scitote quoniam, mirificauit Dominus sanctum suum.* Quid stabilita Christi manibus cupitis fundamenta subruere? Quid canam possessionis genium illius, qui per culpas iuuenescit, ariete pulsatis, vt diuultione Ecclesiastici gregis, nouis me & post carnem passionibus subiugetis? Inauditum sacrilegij genus est, quod mentitæ religionis honore coloratis. Dehonestat venerandi reuerentiam nominis, qui adiutorem se in his, quæ in Deum iactat commissa, pollicetur. Contumeliæ genus est, quasi in solatio adesse sublimi, iuxta Apostolum: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Quid auribus imperitis illuditis, & grauiorem vindictæ speciem facitis esse quàm culpæ? Si odium debetis excessibus, vos mundate. Cur liberius condemnatis scelera, quàm vitetis? Sui impugnator est, qui fornicationis officijs vrget adulteria, & per animarum stupra, carnis accusat. Scriptum nempe retinetis: *Maledicti omnes qui fornicantur abs te.* Fœda ergo à nitore Domini sui obligatione dissoluitur, qui statutis cælestibus minus mera fidei dependit officia. Possessionis nostræ vobis (vt video) claritas mouit inuidiam, quem simulata vt mali possessoris indignatione transfertis, dum desudatis impendijs. Arcem, qua fuistis conspicui, crebris labefactatam ictibus, nisi obsisterem, proposuistis subruere: & cœlo stabilitam machinam, quanta sit, ostendere per ruinam. Nolite præstolari de clade vestra victoriam, nolite triumphum superando perdere, meis laboribus meo sudore quæsitum. Quicquid ad triumphũ ducit, obtinui: quicquid vos illustres faceret in sede, congessi. Vobis tribuit claritatem faxista, quam viperino liquore putatis extingui. In perniciem propriam accenditur, qui sic sæuit in gratiæ suæ germina, vt plantas abscindat. Liberior iusto iracundia, plus quàm alios, lacessit authorem. Symmachi, quos vocatis, excessus si sunt, illa, qua & vos, expectatione sustineo, nefas est, peccantem patientiam iudicis non amare. Quid nisi vltionem flagitat, qui, dum reus & ipse sit, vindictæ in alterum moras accusat? Hæc illis à me vox debetur studijs, quoniam Deum dixisse teneo, *pronum hominem esse in malitiam, & omnem carnem amicam esse peccatis.* Nolo occasione personæ, innumeris datura dignitatem, fiat in abiectione possessio: ne, dum homo incessitur, lex diuina frangatur: Mihi credite, si sunt ista, quæ dicitis, respicio: quia & in illis, quibus nil tale dicebatur, quid fuisset inspexi. Errat, qui falli Deo proximum credit. *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Vos potius olim filij, de quibus spiritalis ventrem partus onerabat, ad abiuratam concordiam redite. Pio vos sinu, sicut habuit hactenus, mater Ecclesia accipiat. Nunquam est sera correctio. Scit diu expectare immodico labore quæsitos. Nescit pro vilibus despicere magno precio comparatos, multis gradibus recursus est ad salutem. Prærer desperantem, nullus excluditur. fructus veniæ proximus est coronæ. Nolite Symmachum Papã pressuris vestris iuuare. Si reus est, mihi credite, cùm cessauerit humanæ impugnationis ministerium, diuinum mox succedet arbitrium. Nonne splendidissimi cognitoris lance prædicto aut pœna debetur, aut præmium? Syllogismos à me sermonum & schemata non quæratis. Antiquo adhuc vtor reti, & irrisam à sapientibus seculi *cymbulam non reliqui. Illa me per mundi freta sustentat. Ditat probatum in captionem hominum rete quod cernitis. Redite ergo, quia fuga vos nec dum effetis agrestes, cripuit. Currite ad ouile nec luporum vos exponatis insidijs, ne per moram amittatis gratiam sponte venientium, quia contemptam inuitationem gehenna subsequitur. Ego, si quid dulcedinis, vt pater, debui: si quid districtionis, vt attributus a DEO magister, impleui: prouidete, ne diutiùs qualemcunque crucis meæ angulum rara Leuitarum corona circundet, ne dolenda etiam extraneis in longum solitudo dominetur, ne labor vteri mei, sterilitatis vice hostilem peperisse familiam, & numerosa proles, per siniſtros actus infœcunditatem parentis ostendat.

Pauca sunt, quæ asserui: sed quanta ex eis pendeant, æstimate. *Venite filij, audite me, timorem Domini docui vos.* Romam respicite, quam ab idolorum seruitute, sine auri, sine argenti precio, liberam sanguinis Christi fecit effusio: cui etiam

* venerabiles

Iudicium Papæ, Deus suo reseruauit arbitrio.

9 qui Aliorum hominum.

Matth. 18.

Papa Ro. caput Ecclesiæ.

Esa. 10.

Esa. 6.

Pſal. 4.

Rom. 14.

Pſal. 72.

Geneſ. 6.

Deut. 32. Rom. 12.

*cymbam

Pſal. 33.

meam seruuli sui mortem iussit impendi, quę per multa tempora famosis cultum delubris exhibuit, quæ diu venerata est in imaginibus dæmonum, cui laborante censu indiderat manus magistra terrorem, quæ suspexit potestatem numinum emptam precio metallorum, cui sublimiores deos peperit exercitatior manus artificis: & diuinitatem, quam homo per fabricam contulit apud homines, Dei habuit forma maiorem. Ecce iam Christo propitio, ad nouas fornaces simulacra redierunt. Ecce iam de obsoleta superstitione vsus vester accepit, quod lętetur, dum de veteri tonante noua merito vascula præparantur. Quid hanc annitimini interrumpere quietem? Quid ludere vanis intentionibus felicitatem? Excusationem non habet furor iste, si creditis. Non interest, quibus itineribus ad mundi principem* currat, qui à sancta vnitate discordat. Pingues hostias litat diabolo, qui contristat Ecclesiam. Vanas ergo repudiate tendiculas, simplicem habet defensionem pacis affectus. Nimis armatus est, qui illa, quæ aduersarius concordiæ ministrat, tela contemnit. Sufficit contra omnia iacula iurgiorum, fidei nuda oppositio. Quid Eulalij & Bonifacij tempora, dum malorum solatia quæritis, reuocatis in medium? Quid incrementis excessuum præsentatis vetusta contagia, & per iniquam voluntatem senectuti in operiendis delictis facitis nil licere? Alia tunc fuit causa discordiæ, & nisi narrando cogerer sustinere transacta, ostenderē vobis, nullum euenire solatium de comparatione factorum: quia illos, quos ad pontificale fastigium intentioni obsequens feruor euexerat, vtrosque repuli. Hunc elegi, quia ex illis, teste exitu, nemo mihi placuit. De istis contra regulas nitentem, profugum feci: prouectum legitimè, mundo impugnante seruaui. Scitis ista, nec noua sunt: quia dum ille truditur, iste firmatur, vester mihi ministrauit assensus. Deinde cur in perniciem vestram læditis sacerdotale Concilium? Cur laceratis sententiam, in qua inspirante Christo, oracula superna patuerunt, & inter Deum atque homines interpres extitit lingua Pontificum? Quid generalis Ecclesiæ dolorem facitis, quamuis in principali, tamen in vna commissum? Illa enim cæli curia, variarum dotibus aucta curialium, & multo redemptoris nostri auro, ostroque decorata, nihil in illa discissione authore se protulit, sed per humanæ linguæ ministerium diuino militauit imperio. Intellexit non esse suum, quicquid impulsa constituit. Nihil habet in illa sententia, nisi vnde* solata deuotione gratuletur. Peregrinum stylus sensit eloquium, inde sumens gloriam solam, quòd infusa sibi & seruauit, & coluit. Quid his de exemplis Euangelicis præparastis calumniam, sicut de vobis scriptum est, *Errauerunt præebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium*? Nam dum prophanis memoratos verbis cæditis, & inscitiam proditis, & liuorem. Isti ergo resurrectionem corporis, quam prædicant, non credentes, hæreticis miscuere contagijs. Isti quicquid abiurant linguis, corde sectantur. Ergo quia dixerunt eum timendum esse, qui potest occidere, & animam mittere in gehennam, ideo à fide aliena texuerunt. Ecce profundam imperitiam. En beatum Lucam, cuius potestis assertione conuinci, quid clamat? *Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennam.* Quis hic locus erroris, vbi congruentia pari ductu exempli & historiæ verba concurrunt, nec diuersum est ab intellectu Catholico & lectionibus, quod præfertur? Nunquam bene nodus in scirpo quæritur, non inuoluit nebula prædicatæ lucis authores. Resurrectionem ergo carnis non credunt, quia posse confitentur corpus: occidi, quia peccatricem animam gehennæ mancipari? Densis cor vestrum vepribus suffocatur, & interna vitia alijs certat ascribere. Ioannis etiam Apostoli iactatis scripta violari, quia ex eius verbis dictum est: *Si dicamus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* De qua dicti diuersitate nihil queror: in eo ergo corrupta sunt Apostoli monita, quia non iunxerunt, nosipsos decipimus, & quia non iunxerunt, mendaces sumus, non solùm diuinæ, sed etiam humanæ rationis ignari? Qui veritatem non habet, mendax rectè censetur: nec alia re, nisi falsitate, plenus est, qui integritate vacuus innotescit. Sed hæc in vobis non curanda sunt linguæ oratione, sed gemituum: nec magis sunt vobis exhibenda verba quàm lachrymæ quia liquido nocens est, qui insontibus aut meritum culpabilis, aut nomen opponit. Reliqua obiectionum vestrarum capita non reuoluam. Præstat silentio damnanda sepeliri. Nobilitatem dat facinoribus, qui ventilationem ipsorum multiplici ad aures posteras relatione transmittit. Beati Pauli est sequenda sententia, qui monet per discipulum cunctos, & clamat: *Inanes quæstiones euita.* Multa enim sunt in vestris propositionibus, quæ ita fæculentis vlnis peccandi amor amplectitur, vt fiant indigna memoratu. Plura leuitas dehonestat, dum subductis euiscerantur verba vestra ponderibus, & de religionis causis elocutio ventosa componitur, auris congruenter sortita grauitatem, quæ in palearum abundantia nihil est horreis illatura de tritico, dum infœcundam frugibus culmorum parturit vbertatem, & spem de herbæ luxuria mentitur agricolis, de quibus nihil lucri ventilabra reperiunt igni debita, incendioque peritura. De his scriptum est: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt.* Nihil est, charissimi, pace dulcius: si tamen saporem eius, amaritudine plenum pectus non excludat. Breuiorem quidem admonitionem debueram, quam prolixam non parua vestri consideratio, & diu in vobis iurgijs excitata frons, protulit. Vsus est, multa peccantium stricta allocutione non corrigi: & effusionem plurimi, quam in delictis habuerunt, in monitoris sermonibus hanc requirunt. Me satis est, & diligentiæ vestræ, & iussis cœlestibus obsecutum. In his, quæ secuta sunt, locum sermonibus non relinquam: quia hæc refero, mundi caput Romam, per vestras intentiones esse prostratam, & nutricem pontificij cathedram, quasi vltimum videre sedile despectam. Cuius vocem beatus Paulus excepit, & illa, qua semper vsus est, eloquij intonuit libertate, Apostolorum principem lenitatis incessens, quod fluxis & profligatis mentibus, parentis adhuc seruaret affectum, nec in profundum ductis vlceribus ferro medicante succurreret, rescindenda docens laminis secreta morborum, & manifestę desperationi salutiferum esse vulnus adhibendum: ne dum manus medici per pietatem à sectione corruptæ carnis suspenditur, de abstinentia teli inuitetur exitium: quia parcit ægris dextera, curandos interficit. Nec grandis est differentia, vtrum lætum inferas, an admittas. Mortem languentibus, qui cum possit, non excludit, inflixit. His ergo aduersus eos oris ianuam patefecit alloquijs: *Omnis, qui iudicas, in quo alium iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim, quæ iudicas, agis. Scimus enim, quia iudicium Dei est secundum veritatem in eos, qui talia agunt.* Et iterum: *Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat seipsum.* Quænam est ratio vt prædicet non furandum, qui furatur, & prodigam verecundiæ frontem, nube vestiat impugnationis alienæ? Nemo rectè monitoris personam accipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ, conuersatione demonstrat. Nam adiacet etiam Publicanis, amica moribus vitia damnare sermone, & sceleratioribus linguæ officijs punire quod diligunt: quasi non quoddam genus sit maiorum excessuum, dare rei affectum labijs quam mente despicias, & ingenij virus colloquij melle vestire. Hæc ficago, quasi vobis esset pudor pu[illegible]citia: venustis adspectu, liceret accusare doctorem: & aduersus electum, oris liuidi morsus aptare, cùm ante futuri præscius, per epistolam ad vos datam, plena vona voce commonuissem: *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Qui est qui condemnet?* Et iterum: *O homo, qui ius dicas es, qui talia agunt, & facis illa, putas quoniam effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Accusatis malitiam, repleti iniquitate, fornicatione, immunditia, auaritia, nequitia, inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, superbi, elati, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositi, sine affectione, sine misericordia: docetis fornicatoribus neminem esse miscendum, adulteri Laurentij aut sequaces, aut præuij, per quos ille aut exercuit, quæ habebat toxica, aut effundens monstrauit, quæ accepit: post illam illecebrosæ communionis maculam, & pestem toto orbe execrabilem, sacerdotes DEI, quasi obsoleta compararos communione, culpatis. Reos putatis esse, qui subiere consortium, nullo teste conuicti: & sectamini hominem, toto Ecclesiasticæ inscriptionis non dicam stylo, sed ense perfossum. Quod licet, non licet: & quod non licet, licet. Quemadmodū Iamnes & Mambres restiterunt veritati, sic & vos mente reprobi circa fidem, proditores, proterui, inflati, amantes

voluptā-

Pingues hostias litat Diabolo, qui Christi contristat ecclesiam. Anno Domini 419.

* sola

Esa. 28.

Matth. 10.

Luc. 12.

1. Ioan. 1.

Pſal. 75.

Gal. 4.

Rom. 1.

Rom. 2.

Diſtinct. 50. monach.

Rom. 2.

Rom. 2.

Rom. 1.

2. Tim. 3.

voluptatem magis quam Deum, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ipsius abnegantes. O vim doloris interni, qui nequit expedire, quod concepit, qui profundis ingestum visceribus loquendi affectum, quem imperat, vi irrumpit. Nihil vobis vltra plus eloquar: quod de oratione remanet, lamenta supplebunt. Post hæc si inter manus medicorum curatione ægrescitis, nec aliqua cœptæ salutis consideratio vos reducit, saltem orbis parentem vrbem vestram respicite. Ipsa vos, post defensores suos Apostolos, mœrès aggreditur, ipsa compellat, & si quid est pietatis, in reliquum orditur impetratura sermonem, ne me, quam Dei summi templa, repudiatis phanorum cultibus, & nouæ lucis nitore gaudentem, fecerunt esse conspicuam: quam post sacella sordentia, & multo pecudum tabo polluta, ab hostiarum cruore, Dominici & Apostolici sanguinis effusione purgauit: quam reducta post longum sanitas febrium fecit delubra contemnere: nam à victimis liberauit oblatio, quæ pacem Christi post idolorum inimicitias acquisiuit: cui non fuerunt penè numerosioria dona: quam numina: quam religio sua reddebat varia deuotione mendicam: quam egestas oppresserat, frequentia à dijs suis beneficia postulantem: quæ Curios, Torquatos, Camillos, quos Ecclesia non regenerauit, & reliquos misi plurimæ, prolis infœcunda mater ad tartarum, dum exhaustis emarcui malè fœca visceribus: quia Fabios seruata patria non redemit, Decijs multo sudore gloria parta nihil præstitit: profligata est operum sinè fide innocentia: criminosis iunctus est æqui obseruantissimus, quia Christum ignorauit, Scipio. Per totam vellem stylum ducere, si orbatę pectus sustinere pateretur, infantiem. Sed quisquis lamentationis transacta relegit, lachrymarum tempora videtur optare. Nemo creditur odisse, quorum relatione non læditur. Qui siccam faciem de filiorum funeribus referens seruat, certo teste crudelitatis arguitur. Illa posteritas plus mœroris attulit perdita quam iocunditatis acquisita. Relegamus tamen, quibus mutata sunt ista successibus. Ecce iam in illo sacrario Libertatis, nihil seruile de idolorum cultibus inuenitur: eccè *honorum corona, orbis genius, flos Romanus, quæ diù venerata est, plena sanctitate calcat altaria: ecce iam curia mea ad cælum vocatur, laudatur, accipitur. Nec possum dicere, perdidisse me sobolem post gratiam baptismi, quâ vel repentina mors abstulit. Multos trabearum & curulium possessores, supremus regnator sine dispendio cultus aut dignitatis amplectitur. Pene iam terreni munificentia triumphi diuinum mercatur affectum, & hoc ad Christi *gloriam proficit quòd mundo studetis esse venerabiles. Mentior, nisi egena agmina aduentum consulatus vestri in subsidia miseriarum præstolantur. Etenim purpura vestra, qua animi vocabulum nobilitatis, *subripientem miseris vestimentorum largitate *pellit algorem. Propè iam iterum necessitatibus ferunt auxilium decora fastorum, & veteri infidelitate deposita, in tali præparatione census dispendia, efficiuntur lucra animarum. Ecce nunc ad gestatoriam sellam Apostolicę confessionis, vel admittunt limina candidatos, & vberibus gaudio exactiore fletibus, collata Dei beneficio dona geminantur. Quis tempore, quo precios sis siccamus vbera partubus, quo prolem nostram æterna genitrix, rursus paritura, nũc susceipit, cuius post primam natiuitatem grandæuis fœtibus aluus impletur, quæ mihi prolem regenerando dulcé facit esse, quam peperi, quæ ad se venientes senium facit exuere, & ad vitæ principia redire confractos: quis hanc felicitatẽ, rogo, interpellatione commurat? Quis per discordiam viperina mente compositam, aurei mihi seculi iubet perire beneficia? Quis in renouatione mea occarũ clandestinus inspirat, & qui blandæ frontis speciẽ inimicitijs vires acquirit: Cenerosam in tali negotio prosapiã non agnosco. Si qui sunt tamen summorum, quos vilibus tempestatis huius procella sociauit, alijs authoribus facinorum participatione maculantur. Splẽdor sanguinis, etsi communionem criminum incurrit, nescit, tamen ducem se præbere peccantibus. Habet forsitan reatum de neglecta cautione, non habet dignum supplicium de scelerum principatu. Sub quadam verecundia iungitur delinquentibus, qui ad adultaiurgia conuocatur. Non meretur desperationem perditi, in quo facilis tantum credulitas improbatur. Vos potius video triuorum germina. Vos agnosco: in quibus naturæ vilitas conuenientes sibi mores peperit, quos degenerasse claritas fuerat, qui per mentitæ titulum religionis gaudetis impunitate vitiorum: quorum labia nunquam aut honorum sapor tetigit, aut quietis: qui fas omne origini parendo violatis, quos de latebris & specubus productos, præsens causa monstrauit. Quis ante concinnationem mali huius, qui essetis, agnouit? Diu fouistis secreta, quibus vos nox generationis abdiderat. Redite potiùs ad amicam cæcitatem, nobis serenam & diurnam lucem relinquite. Concordiam Ecclesiæ aut absentia, aut correctione præstate. Si tamen vultis vos numerari inter splendidas prosapias, actuum emendatione cognoscam.

*honorũ

*gratiam

*subripientem. *depellit

NOTÆ in Libellum Ennodij.

Ennodij vita & acta.

Ennodius consulari progenie natus, Messalæ Consuli, ad quem epigramma scripsit, coniunctus, ex Sponso nobilis ac præditus puellæ in meliorem statum collocatus, cum sponsa cœlibem sanctamq; vitam professa esset, factus est Ticinensis Ecclesiæ Diaconus. Post hæc incidens in mortalem ægritudinem, ope sancti Victoris curatus est, vt suis ipse scriptis affirmat. Epiphanij Ticinensis, Laurentij Mediolanensis, aliorumq; Episcoporum vitas descripsit. Cumq; Schismatici superiore Concilio condemnati aduersus illud scripsissent libellum hoc titulo prænotatum: aduersus Synodi absolutionem, *eoq; prædictam synodum acerbissimè carpsissent, iussu eiusdem S. Synodo scripsit hũc apologeticum libellum, qui dum patribus oblatus fuisset, in consessu eorundem iussus est legi, & postea omnium suffragio non tantùm inter acta synodalia; verum etiam inter Pontificia decreta adnumerari meruit. Huius libelli auctoritate, monituq; Regis Theodorici, Schismatici ad concordiam & communicationem Ecclesiæ redierunt, Romanoq; Pontifici Symmacho se rursum subiecerunt. Scriptis igitur hac de re literis, Theodoricum Regem de Ecclesia optimè meritum, quantumuis impius esset & Arianus, summopere commendat. Hic est idem ille Ennodius, qui ex Diacono Ticinensis Ecclesiæ, factus est Episcopus, ad quem Hormisda Pontifex epistolas infra extantes scripsit, & quem binis vicibus ad Anastasium Imperatorem legationis munere fungentem ablegauit. Hoc libello refutat decem plus minus aduersariorum obiectiones & calumnias. Quarum prima est: Non omnes sacerdotes ad Synodum regia auctoritate vocatos. Secunda, non omnes qui interfuerunt, consensisse. Tertia, Impugnatores summi Pontificis non auditos, eorumque accusationes non esse refutatas. Quarta, quod Episcopi refragati fuerint regiæ iussioni, cum in synodo dixerunt, non esse Regis synodum conuocare; sed ipsius tantum Romani Pontificis. Quinta calumnia erat, qua exprobrantes addebant, quod per defensionem iurium sedis Apostolicæ, nihil aliud ab ijs prætensum esse videretur, quam asserere, Petrum & successores eius, cum priuilegijs sedis etiam peccandi licentiam à Domino accepisse. Sexta erat, Ex eo quòd Symmachus se iudicio Episcoporum præsentem statuerit, falsum videri, quod prætendebatur à Catholicis sedis Apostolicæ Præsulem, minorum sententiæ non esse subijciendum. Septima. Productos testes non fuisse examinatos: quorum testimonia etiamsi domestica forent, refugisse non debuisset, cum Christus non detrectauerit se seruorum iudicio subijcere. Octaua, Nullum reperiri exemplum, quod Papa ad suorum criminum defensionem vllum Concilium conuocarit: Nona falsum esse, quod dicebatur à Rege synodum postulatam esse. Decima. Non debuisse etiam quintam suæ causæ cognitionem spreuisse, qui conuentionem præueniens cum populorum cœtibus examen intraut. Has omnes obiectiones, quibus rationibus confutet, Lector si legat, facili negotio intelliget.*

(:)

Occasio scripti libelli.

Calumnię Schismaticorum.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10

QVINTA SYNODVS

ROMANA, DVCENTORVM OCTODECIM Episcoporum sub Symmacho Papa, tempore Theodorici regis, indictione nona, anno Domini 503. celebrata.

POST consulatum Auieni, cùm in vnum, annuente Domino, ante confessionem Beati Petri Apostolorum Principis resedissemus, sancta Synodus dixit: Libellus, qui synodali authoritate contra eos, qui aduersus quartam nostram synodum, quæ habita est Romæ *Palmari, mutire præsumpserunt, ab Ennodio conscriptus est, coram omnibus deferatur, & in præsentia omnium legatur atque roboretur. Quo recitato, & ab omnibus consona voce roborato, sancta Synodus dixit: Hæc futuris temporib. conseruentur, atque ab omnib. teneantur, & in omnibus seruentur. Hic libellus integerrimè synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartæ & quintæ synodorum nostrarum actiones interponatur, & ita sicut harum synodorum decreta habeatur: quia synodali authoritate conscriptus est & roboratus. Ad quę terbeatissimus Papa respondit: Iuxta vestram omnium fiat voluntatem, & vt iudicatis, Apostolica habeatur authoritate, & inter Apostolica, quod dicitis, interponatur decreta, & sicut cætera Apostolica ab omnibus teneatur decreta. Ad quæ omnes ter vna voce respõderunt, dicentes: Vt fiat rogamus: Vt fiat, rogamus: Vt fiat, rogamus. Postque clamatum est ab omnibus Episcopis & presbyteris: Illi, qui Papam Symmachum accusauerunt, & damnationem ei inferre tentauerunt, & illi, qui eum iudicauerunt, aut contra nostram synodum garrire, aut scribere præsumpserunt, vt damnentur rogamus. Et paulò pòst omnes episcopi & præsbyteri voce magna clamantes, dixerunt: Exaudi Christe, Symmacho Papæ vita. Dictum est octies. Cuius sedem & annos. Dictum est decies. Vt fiat, rogamus. Dictum est duodecies. Quibus cessatis, Symmachus episcopus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, dixit: Quoniam fraternitas vestra singulari charitatis studio, pio ac vigilanti affectu, indefessis laboribus ac spiritu vinaci studuistis, venerandi patres, tutelam rerum Ecclesiasticarum souere, sedem Apostolicam (quæ solida Petri confessione stabilita est) tueri viriliter, cui licet indigni, Domino sic disponente, præsumus: ac paruitatem nostram iam dudum multis afflictionib. impulsam, virili protectione defendistis, oblocutoribus & susurrantibus resistendo, qui nouis semper insidijs semper aliquid aduersum nos & famam nostram moliuntur, quos spiritus ille diuisionis continuis exagitat aculeis, quibus est pax inimica, & discordia placens: & quia vestra bonitas curam prouisionis nostræ suis exhortationibus incitauit, * & parilem circa Ecclesiæ tranquillitatem Dei nostri contemplationem animi *præstet, flagitamus, vt circa insidiatores & persecutores nostros mitius agatis. Et licet iustè damnentur, propter misericordiam tamen conseruentur, vt in nobis illa domini declaretur sententia, qua præcipitur, ita fratribus dimitti, sicut sibi à Domino cupiunt dimitti. Decæterò verò, ne vnquã talia non solummodò in Apostolicæ sedis præsule à quoquam præsumantur, sed nec in vllo Christianorum episcopo vsurpentur. Non ergo necesse est super his noua cudere, sed vetera recitare atque firmare. Est enim à multis antecessoribus nostris synodaliter decretum atque firmatum, vt oues, quæ pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, præsumant: nec vllatenus pro quacunq; re alia, nisi pro sua iniustitia, accusare audeant: quoniam pastorum actus gladio oris nõ sunt feriendi, quanquam ritè reprehendi æstimentur. Nec vllos episcopos suis rebus expoliatos, vel à sedibus via aut dolo, aut quocunque ingenio pulsos, sicut & vos de nobis iudicastis, aut ad synodum tam prouincialem, quàm generalem posse conuocare, aut in aliquo iudicare, antequam cuncta, quæ eis ablata sunt, legibus potestati eorum pacifice per omnia redintegrentur, decernimus. Prius ergo oportet, omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias, quæ sublatæ sibi sunt, cum omni priuilegio suo restitui, & postmodùm non sub angusto temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur, antequàm ad synodum cõuocentur, & ab omnibus, quisque prouinciæ suæ, episcopis auditur. Nam nec conuocari ad causam, dijudicari potest expoliatus, vel expulsus: quia non est priuilegium, quo expoliari possit iam nudatus. Vnde & antiquitus decretum est: Omnes possessiones, & omnia sibi sublata, atq; fructus cunctos ante contestatam litem, præceptor aut Primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur: Ille, qui violentiam pertulit, vniuersa in statu, quo fuerãt, recipiat: & quæ possidet, securus teneat. Et alibi in synodalibus patrum decretis, & regum edictis legitur statutum: Redintegranda sunt omnia expoliatis vel eiectis episcopis, præsentialiter ordinatione Põtificum, & in eorum, vnde absceſſerunt, potestatem funditus reuocanda, quacunq; conditione temporis, aut dolo, aut captiuitate, aut virtute Maiorum, aut per quascunque iniustas causas res Ecclesiæ, vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur ante accusationem, aut regularem ad synodum vocationem eorum, & reliqua. Est etiam in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, vt qui aliena inuadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Vnde & in Euangelio scriptum est: Quod si aliquid defraudaui, reddo quadruplum. Et in legibus seculi cautum habetur: Qui rem subripit alienam, illi, cuius res direpta est, in * vndecuplum, quæ sublata sunt, restituat. Et in lege diuina legitur: *Maledictus omnis, qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus amen.* Talia ergo non præsumantur absque vlla vltione, nec exerceantur absque sua damnatione. Accusatoribus verò inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt ne credatur: ne irati, nocere cupiant: ne lęsi, vlcisci se velint.

Quid ad hæc vobis (chariſſimi fratres) videtur, prudentia vestra pro Ecclesiastica quiete vel indemnitate, vniuersi edicite. Vniuersa synodus dixit: Episcopalem persecutionem, & Ecclesiarum abscissionem, vel ad vastationem atque seruorum Dei infectationem, fulti prædicta auctoritate & omnium sanctorum Patrum prohibitione, vestraq; consolatione, communi tractatu pariter in futurum robustè ac veraciter amputantes, sanctorumq; patrum statuta firmantes, expressis sententijs sancimus, ne vnquam talia à quoquam nostris aut futuris temporibus præsumantur. Et silentio facto, Symmachus episco. Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, dixit: Quod si aliqui hæc trãsgressi fuerint, & talia præsumpserint, quid super his vobis videtur, pari adunatione manifestate. Cumque surrexissent, & paulò pòst iterum consedissent, vna voce dixerunt: Si quis hæc, quæ hodie in hac sancta Synodo prohibita sunt, infringere præsumpserit, aut voluntariè transgredi tentauerit: si clericus est, gradu proprio penitus careat. Si verò monachus aut laicus fuerit, communione priuetur. Et si non emendauerit vitium, anathemate feriatur. Secretas verò insidias vel manifestas, pontificibus à quibuscunque illatas, vel ea, quæ huius sanctæ Synodi sententia complectitur, si quis ad *Ecclesiæ pertulerit notitiam, potiatur honore: & hi, qui aduersa eis moliuntur, sicut à sanctis Patribus dudum statutum est, & hodiè synodali & Apostolica authoritate firmatur, pœnitus abijciantur, & exilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur. Hæc verò, quæ in hac sancta Synodo statuta sunt, & ea, quæ in libello, quem Ennodius nostra authoritate conscripsit, sicut in præsentia nostra relecta sunt, vt propriis manibus roborentur, rogamus, atque vt in perpetuum conseruentur, (sicut prædictum est) vestra Apostolica authoritate firmentur. Symmachus Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romę Episcopus, dixit: Acclamationes vestras, synodicque iudicium præsentia susçipient gesta. Adiecitq; & dixit: Ea, quæ ad succidendos veternoſę præsumptionis errores, vel insensæ ponticibus præsumptionis morbus, quib. status affligi solet Ecclesiæ, seruorumque eius, deliberatio religioni congrua pacique constituit, perpetua socientur firmitate: vt annuente Domino, quem custodem rerum constat esse bonarum, synodalis ordinatio vigeat, atque omnis qui sine personæ alicuius *distinctione* venire præsumpserit, impoſita superius districtione plectatur. Vniuersa synodus dixit: Vt fiat, rogamus. Dictum est decies: Vt scandala amputentur, & insidiæ atque detra-

*palam mutire.

*etiam

*præstat,

Matth. 6.

detractiones erga episcopos vitentur, rogamus. Dictum est duodecies. Et facto silentio, vniuersi in sancta Synodo congregati, clamantes, dixerunt: Exaudi Christe, Symmacho vita. Dictum est octies. Hic est pax cum Symmacho. Dictum est octies. Cuius sedé & annos. Dictum est decies. Vt de præsenti fiat. Dictũ est duodecies. Et paulò pòst, cùm resedissent, facto silentio, vniuersa synodus dixit: Quisquis clericorum, aut monachorum, aut laicorum, tam maioris ordinis, quàm etiam inferioris, post hanc formam à nobis prolatam, his decretis cõtraire præsumpserit, statutis canonicis velut schismaticus percellatur. Et subscripserunt:

Cælius Symmachus episcopus sanctæ Ecclesię Catholicæ vrbis Romæ, huic statuto, à nobis inspirante Domino peracto, subscripsi.

Laurentius episcopus Ecclesiæ Mediolanensis, huic statuto, à nobis inspirante Domino peracto, subscripsi.

Petrus Ecclesiæ Rauennatis episcopus, huic statuto à nobis, inspirante Domino, peracto, subscripsi.

Eulalius episcopus Ecclesiæ Syracusanæ, huic statuto à nobis inspirante Domino peracto, subscripsi.

Felix episcopus Interamnensis, subscripsi.

Stephanus episcopus Cordubens. subscripsi.

Fortunatus episcopus Ecclesiæ Valens. subscripsi.

Benignus Aquæuinens.

Ioannes Spoletanus.

Romulus Prænestinus.

Stephanus Venusinus.

Candidus Tiburtinus.

Valentinus Amiterninus.

Fortunatus Fulginatis.

Chrysogonus Albanensis.

Eutychius Tranensis.

*Amatius *Amandus Potentinus. Laurentius Bobiens.

Molensius Centumcellens.

Eusebius Fanestrens.

Romanus Nomentanus.

Propinquus Trebiatis. Asterius Aquinatis.

Syluanus Velitrninus.

Epaphroditus Tamassenus.

Quintus Phocien. Helias Bleandrenus.

Paulus Tripolitanus.

Polycarpus Gabalenus.

Patricius Cressens. Menecrates Caryssens.

Florentius Sardeorum Lydiæ.

Iulianus Hypepennus.

Paulinus Perperennens.

*Muso-nius *Eurae-nens. *Meonius Nysenus. Proterius Myrrhinens.

Hesperius Pytanens.

Olympius *Euazonens.

Rusinus Brulitanus.

*Thro-desiepo-litanus *Balaspo-litanus Philippus *Neasaulitanus.

Isaac Elearchiæ. Basilicus *Palescepsis.

Didymus Lapetens. Iustus Firmanus.

Ariston Ostien. Augustus Liparitanus.

Busticus Buxentinus.

Venantius Senogallien.

Victor Lunens.

Innocentius Tiserninus.

Bonifacius Foroflaminien.

Sebastianus Soranus.

Asellus Populonien.

Elpidius Volaterranus.

Proiectitius Foronouanus.

*Vene-riosius *Collo-nicus *Venerius Polens.

*Colonius Foroclodien.

Probus Camarinens.

Vindemius Antiatenus.

Proculeianus Sepinatis.

Fortunatus Anagninus.

Paschasius Vulturnens.

Martianus Esinus. Bassus Mutinens.

Pacatianus Comachlens.

Maras Cordiluens.

Macedon Magidens.

Marcellinus Ilidens.

Paulus *Plogonens.

Theodorus Lysinien.

Neon Syluien. Theophilus Acrassens.

Epiphanius Pergensis.

Leucius Phani Apollinis.

Alcimedes Celandien.

Eupythius Stratonicæ.

Dionysius Attalien. Andreas Salenus.

Amachius Sectorien. Croton Pertens.

Philippus Balburen.

Theodorus Antiphellenus.

Leontius Araxenus. Antipater Caunenus.

Esaias *Eleitanus. Cratinus *Panemutens. *Gratianus

Andreas Tlosorum. *Phanemutens.

Nicolaus Ariassenus. Romanus Bubonens. *Phuphatens.

Onesiphorus Iconien. *Panormens.

Neoptolemus Cornens.

Paulus Derben. Plutarchus Lystren.

Eugenius Canorum. Rufus Hydæ.

Tyrannus Homonaden.

Acholius Larandenus. Proclus Argissenus.

Leontius Magnesiæ Mæandri.

Mamas Anemurij. Cyriacus *Ægeæ. *Beadotanus.

Valerianus *Bastianens.

Photinus Ghytrennus. Echius Arsinoens.

Soter Theodosien.

Heliodorus Amathuntis.

Olympius Constantien.

Batrachus Naxi insulæ.

Tryphon Chij insulæ.

Florentius Mitylenæ insulæ.

Ioannes Rhodien. insulæ.

Gennadius Mosinens. Euandrus Diocliæ.

Ioannes Trapezopolis.

Philippus *Ægritanus.

Thomas Theodosiopolitanus. for. *Ægi-nitanus.

Gennadius Acmonens.

Charites Dionysiopolitanus.

Paulus Aristen. Matthias Themisonien.

Eulalius Siblien. Amphilochius Siden.

Gaius Sysdren. Eudoxius Itoanen.

Marcellinus Corydallens.

Eusebius *Cotyaiorum.

Obrimus Coracesij. Romanus Myren.

Aristocritus Olympen.

Eudoxius Chomaten.

Palladius Candyben. Cyrinus Patarens.

Stephanus † Lymiren. *Limi-renſ.

Zenodotus Telmessi. *Zetilo-nens.

Maximus *Cimolens. *Musia-nus

*Musonius *Limenens. *Neaspo-litanus.

Florentius Adrianopolis.

Bassonas *Neapolitanus.

Messalinus Laodicens.

Fonteianus Sagallassenus.

Olympius Sozopolis.

Alexander Seleucien.

Valerianus Aphrus. Eusebius Clazomenus.

Thomas Valentinianopolis.

Thomas Alalcomenus.

Pergamius Antiochenus.

Eutropius Adaden.

Paulus Philomelien.

Stategius *Polybotens. *Polydo-tenſ.

Basilius Nacoliæ.

Eustochius Docimeus.

Cyriacus Eucarpien.

Abertius Hierapolis.

Epiphanius Mydaien.

Philippus Lysiadis.

Mocinius Hephestien.

*Myrus *Euladren. *Mirus

Eusebius Dorylei. *Bleandrens.

Marinianus Synnadensis.

Calandion *Alicarnassenus.

Ioannis Gnidi. Theodo etus Alabandenus.
Tynchanius Apollonienſ.
Longinus Apamenus.
Theotecnus Tyri.
Eorticius Metropolitanus.
* Syniamdenſ. Cyrus * Siniandenſ. Libanius Parilycaoniæ.
* Cadonenſ. Modeſtus Sebaſtens. Daniel * Cadis
Nunechius Laodiceæ Trimitariæ.
* Acroceraonorũ, Acrotenorum. Aquilas * Aurocyrorum.
Ioannes Amyzonenſ. Eupythius Stratonicenſ.
* Lemni Menander Heracleus * Lemnos.
Papias Freſſonenſ. Placcus Iaſſenſ.
Ioannes Alindenſ. Dionyſius Antiochenus.
Critonianus Aphrodiſius.
Æthericus Smyrnenſ. Stephanus Epheſinus.
Patricius Adramyteus.
Daniel Lampſacenus.
Hermias Abydenſis.
Theoſebius Ilij. Stephanus Patauij Aſiæ.
Pionius Troadenſ. Eulalius Pionienſ.
Dauid Anderanenſ.
Thalaſſius Parij. Petrus Dardanenſ.
Diogenes Cyzicenus.
Olympius Pruſiadenſ.
Theophilus Adrianopolis.
Apragmonius Tienſ.
Theodorus Heracleenſ.
Calogerus Claudiopolis.
Theodorus Xoanenſis.
* Dabijs Polychronius * Daclis.
Rhenus Iuliopolis.
* Ætheri cus * Ætherius Pompeiopolis.
* Himererum Petrus Gangrenus. Antiochus Sinopenus.
Atticus Zelenſis. Vranius * Hyemerorum.
Paralius Andraponenſ.
* Melphitenſ. Leucadius * Tinnienſ.
Euphraſius Laganienſ.
* Petenisſenſ. Myſterius Amorij. Aquilas Eudoxiadis.
Cyriacus Tragnadenſ. Pius * Penteniſſenſ.

Quinta Synodus Romana finit.

NOTÆ in V. Synodum Romanam ſub Symmacho.

Occaſio celebrati Concilij. Quinta Synodus Romana.] *Hoc Concilium celebratum & congregatum eſt hac occaſione. Schiſmatici ſuperiore Concilio condemnati, qui delictum ſuum deteſtati & ad vnitatem Catholicæ Eccleſiæ redire debuiſſent, linguis & calamis ſuperioris anni Concilium perſtrinxerunt, editoq; aduerſus prædictam ſynodũ libello, eam atrociſſimis iniurijs & contumelijs proſciderunt. Titulus libello prænotatus fuit iſte:* Aduerſus Synodi abſolutionem. *Vt ergo Decreta legitimè ſancita confirmarent, Epiſcopi iterum coëuntes, prouinciam maximi ponderis tradiderũt Ennodio Diacono, vt aduerſus Obiectiones Schiſmaticorum Apologeticũ libellum ſcriberet, ſcriptumq; ſanctæ Synodo legendum offerret. Quod cum ille præſtitiſſet, libellum in pleno omnium Patrum cõſeſſu recitatum, & magno applauſu approbatum, non tantùm inter Acta ſynodalia, verum etiam inter Pontificia Decreta adnumerari præceperunt. Deinceps, cum omnes Epiſcopi accuſatores Symmachi & Palmaris ſynodi condemnari poſtulaſſent, Symmachus Papa iſtam Domini exemplo ignoſcendum eſſe perſuaſit. Reformatum eſt etiam illud antiquum Decretum, ne extra cauſam fidei populus Epiſcopum ſuum accuſet: quodue reſtituendi ſint ſpoliati Epiſcopi, antequam coram alijs Epiſcopis cauſam dicere cogantur.*

Acta Cõcilij.

Subſcriptio ſuſpectæ fidei. Ducentorum octodecim Epiſcoporum.] *In ſubſcriptione plurimi Orientales nominantur, qui Concilio Chalcedonenſi ante annos quinquaginta duos interfuerunt; & quorum poſt decem annos à tempore dicti Concilij nulla mentio reperitur. Vnde probabile eſſe apparet, quod hæc ſubſcriptio non ſit Romana; ſed alterius cuiuſdam ſynodi longè ante hæc tempora celebratæ.*

Baron. an. 503. nu. 9.

SEXTA SYNODVS ROMANA, SVB SYMMACHO PAPA, Habita tempore Theodorici regis, ſub die Kalend. Octob. de inuaſoribus rerum Eccleſiaſticarum.

CVM in vnum apud B. Petrum Apoſtolum ſancta ſexta Synodus, canonicè à B. Symmacho Romæ congregata, reſediſſet, Symmachus prædictus epiſcopus Eccleſiæ Catholicę vrbis Romę, eidem ſynodo præſidens, dixit: Quoniam religioſus, Sancto Spiritu congregante, conuentus hortatur, vt quęcunque pro diſciplina Eccleſiaſtica neceſſaria ſunt, cura diligentiore tractemus: nos enim & Apoſtolicæ ſedis moderamine compellimur, & Eccleſiaſticarum rerum diſpoſitione conſtringimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retro præſulum, anteceſſorumq́ noſtrorum decreta metiri, vt quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſijs relaxanda expoſcit, adhibita diligenti cõſideratione, quantum fieri poteſt, auxiliante Domino, temperemus: quia nos (qui potiſſimi ſacerdotis adminiſtramus officia) tranſgreſſionum culpa reſpiciet, ſi in cauſis Dei deſides fuerimus inuenti: quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ ſacerdotum. Sanè reatu maiore delinquit, qui potiore honore perfruitur: & grauiora facit vitia peccaminum, ſublimitas dignitatum. Ideo tacere non debemus, ſed ea, quæ neceſſaria fore agnouerimus, viriliter corrigere & emendare ſatagamus, & ea quæ nociua ſunt, extirpare (prout Dominus dederit) non negligamus. Ab vniuerſis epiſcopis & presbyteris acclamatum eſt: Exaudi Chriſte, Symmacho Papæ vita. Dictum eſt ſexies. Hæc confirmamus, & hæc docemus. Dictum eſt octies. Doctrinæ veſtræ gratias agimus ingentes. Dictum eſt decies. Iſta teneantur, & iſta obſeruentur rogamus. Dictum eſt duodecies. Dignus Papa, dignus Doctor.

Et facto ſilentio, Symmachus epiſcopus dixit: Communis dolor & generalis eſt gemitus, quod intra Eccleſiam noſtris & retractis temporibus de inuaſione rerum Eccleſiaſticarum, & vexatione ſacerdotum cognouimus, quæ res non nos ſolos, ſed omnes Domini tangit ſacerdotes. Et licet hæc à prædeceſſoribus noſtris iam prohibita ſint, & tales præſumptores damnati, & à ſanctis canonibus anathematizati: ne tamen denuo præſumantur, eſt etiam ſuper his promenda ſententia, vt qui eorum caſum nõ timent, timeant ſaltem eorum perpetuam damnationem: & quod ſæpè præſumitur, ſæpius vt inhibeatur, neceſſe eſt.

Sancta Synodus dixit: Hæc, ne fiant, denuo ſynodali conuentu, prouida beatitudinis veſtræ ſententia eneruari conuenit, & ne in exemplum remaneat præſumendi, funditus extirpari.

Symmachus epiſcopus dixit: Modò, quia Deus præſentia veſtram votiuam mihi cõceſſit, neceſſe eſt rem fieri firmam, quam credo Eccleſiaſticis facultatibus conuenire, vt agnoſcãt omnes, quos vanus furor & auaritia excitauit, talia abſque vltione non poſſe præſumi.

Sancta Synodus dixit: Scimus prouiſionem veſtram neceſſarijs ſtudere, & ideo in veſtra eſt poteſtate, ſequenda diſponere.

Symmachns Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ vrbis Romæ, dixit: Magna quidem venerando & ſacerdotali debetur cultura propoſito, cui imminet de ſtudio, quæ recta ſunt, non de neceſſitate, diſponere. Sed quoniam in aliquibus, alicna poſtulantibus vitiorum mater auaritia, repudiatis honeſtatis repagulis, totum putat expedire, quod libet: & ita, dum prædæ inhiat, patientia ſupernæ pietatis abutitur, expectantibus correctionem cœlo moderante, iudicijs ſe exiſtimant nõ teneri, cum clarum ſit, quòd apud certos in occaſionem rapiendi procedat diuinæ mora ſententiæ. Sed nobis, quos paſtoralis cura & Eccleſiaſtica adſtringit pro diſpenſatione certa ratio reddenda ſubſtantiæ; opus eſt, vt ſolicitudinem noſtram non ſolùm ad præſentia, ſed ad * futura ſæcula porrigamus, ne ad animæ noſtræ detrimenta contingat, ſi hi, qui poſſunt

* ſtatutis

ſtatutis debere innocentiam, præſumentes de libertate, deliquerint, cùm religioſa poſſint & noſtra & ſucceſſoris noſtri poteſtate fulciri, legibus eccleſiaſticis ſeruientes Sancta ſynodus dixit: Scimus Spiritu Dei cor veſtrum eſſe ſuccenſum, & inſtinctu Dei vos ita loqui. Quapropter omnibus ſummoperè conuenit obſeruare, vt oblationes fidelium à nemine præſumantur abſque conſenſu & volũtate epiſcopi, in cuius dignoſcũtur eſſe parochia & poteſtate, nec poſſideri vel damnari tententur: quoniam nonnulli memores ſui, pro remiſſione peccaminum ſuorum, & pro æternæ vitæ mercatione, de facultatibus ſuis tam rerum immobilium, quàm & mobilium, quædam vero per ſcripturas eccleſijs tradiderunt, & Deo creatori ſuo perpetualiter habenda dederunt: quę econtra à diuerſis Deum minus timentibus, eatenus mortifera calliditate tenentur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam. Nec intueri corde poſſunt diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Vnde precamur, vt antiquorum patrum regulas, quæ modo propter incuriam quorundam quaſi oblitæ habentur renouetis: & tale iudicium ſuper eis fiat, vt aut manifeſtè hæretici, quia Eccleſiam Dei ſcindunt, & anathematizati, atque ab Eccleſia Dei extorres habeantur: aut per ſatisfactionem Eccleſiæ ad pœnitentiam, & demum iuxta regulas eccleſiaſticas ad reconciliationem, & ſi digni inuenti fuerint, ad communionem recipiatur. Symmachus epiſcopus Eccleſiæ catholicæ vrbis Romæ dixit: His ergo ritè perpenſis, ne illi in ruinam incidant, & perpetuo damnentur exitio, & ſancta Eccleſia, precioſo Chriſti ſanguine redempta, reſtauretur, eiúque piè famulantes non opprimantur, ſed releuentur manſura cum Dei noſtri conſideratione vna cum veſtro iudicio ſancimus, vt quicunque immemor aut memor interitus ſui, res Eccleſiæ delegatas & Domino oblatas, abſq; proprij epiſcopi iuſſu poſſidens, præſumpſerit deinceps tenere, quocunque in loco & veritate comperta, res Dei ſeruis ſuis diſſimulauerit, aut renuerit reformare, liminibus eccleſiæ ab epiſcopo eiuſdem loci prius arceatur. Indigne enim ad altare Dei properare permittitur, qui res eccleſiaſticas audet inuadere, aut iniuſtè, id eſt, ſine licentia epiſcopi poſſidere, aut iniqua vel iniuſta defenſione in eis perdurat. Necatores etiam pauperum iudicandi ſunt præfixo tenore, &, ſi non emendauerint vitium extirpandi. Debet tamen eſſe prouiſio, vt vindictam admonitio manifeſta præcedat, & res vſurpatas iniuſtè qui abſtulit, aut iniuſtè ablatas retinet, æquitate patrocinante legibus reſtituat. Quod ſi neglexerit, & neceſſitas compulerit, demum prædonem ſacerdotalis diſtrictio maturata percellat. Neque quiſquam per *internas res Deum defenſare nitatur, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos ſingulari damnatione concludit. Quod ſi præſumpſerit, & ipſius offenſam, & prædictæ damnationis periculum ſuſtinebit. Competitoribus etiam huiuſmodi frena diſtrictionis imponimus, qui facultates eccleſiæ ſub ſpecie largitatis regiæ, vel cuiuſcunq; poteſtatis, improba ſubreptione peruaſerint. Sera namque his rebus pœnitudine commouemur, cùm iam tranſactis temporibus contra huiuſmodi perſonas, canonum ſuffulti præſidio, ſe ſacerdotes Domini erigere debuiſſent, vt non manſuetudo indulgentiæ, ad ſimilia perpetranda improborum audaciam adhuc quotidiè prouocaret. Nunc tardè, iniuriarum mole depreſſi, damnis quoque Dominicis compellentibus, excitamur. Quòd ſi is, qui res Dei competit, in alijs, quàm vbi res agitur, maximè ſolet territorijs commorari, ſacerdotem loci ipſius, vbi habitat huiuſmodi prauitate contemptus: neglectu perſonæ epiſcopus litteris inſtructum reddat. Tunc antiſtes, ipſius fratris anxietate comperta, aut peruaſorem rerum Dominicarum admonitione corrigat, aut prætaxata canonica diſtrictione cõdemnet. Vnde & in canonibus, in Gangrenſi eccleſia apoſtolica authoritate conditis, de fructuum oblationibus, quæ miniſtris Eccleſiæ debentur, & de his, quæ in vſus pauperũ conferuntur, ſcriptum habetur: Si quis oblationes Eccleſiæ accipere, vel dare voluerit præter epiſcopi conſcientiam, vel eius, cui huiuſcemodi ſunt officia commiſſa, nec cum eius voluerit agere conſilio, anathema ſit. Et iterum in eodem Concilio: Si quis oblata Deo dederit vel acceperit præter epiſcopum, vel eum, qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit. Valde iniquum ergo, & ingens ſacrilegium eſt, vt quæcunque vel pro remedio peccatorum, vel ſalute vel requie animarum ſuarum vnuſquiſque venerabili Eccleſiæ cõtulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus hæc maximè ſeruari conuenit, id eſt, Chriſtianis & Deum timẽtibus hominibus, & ſuper omnia à principibus & primis regionum, in aliud transferri vel conuerti. Propterea, qui hęc non præuiderit, & aliter quàm ſcriptum eſt, prædia eccleſiis tradita petierit, vel acceperit, aut poſſederit, vel iniuſtè defenderit, aut retinuerit: niſi cito ſe correxerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: ſitque accipienti, & danti * & poſſidenti anathema, & inſtitutæ pœnæ contubernium aſſiduum. Nec aliquo ſe ante tribunal Chriſti obſtaculo muniat, qui, à religioſis animabus ad ſubſtantiam pauperum derelicta, contra fas ſine aliqua pietatis conſideratione diſpergit. Ab vniuerſis epiſcopis & preſbyteris acclamatum eſt: Vt hæc penitus abſcindantur: rogamus. Dictum eſt quinquies. Vt hæc amputentur, precamur. Dictum eſt ſexies. Vt res eccleſiæ, quibus traditæ ſunt, intemerato iure ſeruentur, rogamus. Dictum eſt ſepties. Vt ſecundum hoc, quod proſequuti eſtis ſynodali conuentu, per omnia fiant, vnanimiter deprecantes, rogamus. Dictum eſt octies. Vt in præſumptoribus vindicetur, rogamus. Dictum eſt decies. Vt diſciplina ſeruetur, rogamus. Dictum eſt vndecies. Quæ malè admiſſa ſunt, per vos corrigantur. Dictum eſt duodecies. Vt illicita facta amputentur ita, vt deinceps non fiant, rogamus. Dictum eſt tredecies. Vt apoſtolica ordinatio illibata ſeruetur. Dictum eſt quatuordecies. Dignus Papa, quod non licet, non fiat. Dictum eſt quindecies. Exaudi Chriſte, Symmacho vita. Dictum eſt ſexdecies. Vt canones cuſtodiantur, rogamus. Dictum eſt quindecies. Vt ordinatio Apoſtolica ſeruetur. Dignus Papa, Dignus Doctor. Dictum eſt nouieſdecies. Hæc omnes vnanimiter confirmamus, & vt vnanimiter ſeruentur, rogamus. Dictum eſt vigeſies. Hæc tenenda, hæc ſeruanda ſunt. Dictum eſt vigeſies. Per dominum Petrum, vt perpetuo ſeruentur, rogamus. Dictum eſt vigeſies. Qui hæc violarit, in ſe iuxta prætaxatum modum inueniat. Dictum eſt vigeſies. Et facto ſilentio, Symmachus epiſcopus Eccleſiæ catholicæ vrbis Romæ, dixit: Præſentis diffinitionis formam, quæ iuxta ſanctorum patrum eſt ſtatuta ſententia, in omnium eccleſiarum notitiam peruenire decernimus, ne cuiquam pro ſua poſſit ignoratione licere quod non licet. Et qui talia præſumpſerint, ſciant ſe prætaxato cõdemnatos eſſe modo. Similiter & hoc ad omnium eccleſiarum notitiam, veſtra cunctorum exhortatione & iudicio cenſemus peruenire, & ab omnibus firmiter teneri, quia epiſcoporum res, Eccleſiæ non dubitantur eſſe, ſi in eorum facultatibus ſimili fuerit crudelitate graſſatum, peruaſores rerum memoratarum, prædictæ canonum diſtrictionis feriantur vindicta, vt qui moribus proprijs ac nulla conſcientiæ caſtigatione corriguntur, ſaltem eccleſiaſticæ & canonicæ vindictæ perfodiantur aculeis. Generaliter verò, quicunque res Eccleſiæ confiſcare, aut competere, aut peruadere periculoſa, aut ſua infeſtatione præſumpſerit, niſi ſe citiſſimè per Eccleſiæ, de qua agitur, ſatisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur. Similiter & hi qui eccleſiæ iuſſu vel largitione principũ, vel quorundam potentum, aut quadam inuaſione, aut tyrannica poteſtate retinuerint, & filijs vel hæredibus ſuis (vt à quibuſdam iam factum audiuimus) quaſi hæreditarias reliquerint, niſi citò res Dei, admoniti à pontifice agnita veritate, reddiderint, perpetuo anathemate feriantur. Iniquum enim eſſe cenſemus, vt potiùs cuſtodes chartarum, quàm defenſores rerum creditarum (vt præceptum eſt) iudicemur. Sanandum eſt ergò hoc celerius, ne longius execrandus animis morbus inſerpat, vt ſi medicus, cùm viderit huius terreni corporis aliquem eſſe languorem, magnum ſuæ artis æſtimat documentum, ſi citò quis illius interuentu deſperatus euadat, vel cùm poſteà vulnus adſpexerit, adhibet fomenta vel cætera, quibus illud poſſet, quod natum fuerat vulnus, obduci: ac, ſi id manens ſanari non poterit, ne corpus reliquum ſua tabe corrumpat, ferro amputat, quod nocebat, quo reliquum integrum ſeruet & intactum.

*vel

*interna defenſare

16 q. 1. Si canonib. Gang. cõcil. c. 7. edi tionis 1. Gang. cõc. c. 8. edi. pri.

16 q. 1. In canonib. §. Generaliter verò.

tactum. Prȩcidendum id ergo est, quod velut puro sanoque nimium corpori vulnus obrepsit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis penè viscеribus huius mali non exhaurienda post sentina considat. Ferro enim abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt. Similiter & illi extorres debent fieri ab Ecclesia, qui sacerdotali admonitione non corriguntur, dicente Domino: (Auferte malum à vobis.) Vniuersa synodus surgens, acclamauit: Vt *ista fiant, rogamus. Dictum est octies. Ista seruentur, precamur. Dictum est decies. Vt in perpetuum maneant, & vestra authoritate firmẽtur. Dictum est duodecies. Exaudi Christe, Symmacho Papæ vita. Dictum est duodecies.

16. q. 1. Ferro abscind.

Deut. 13. Esa. 1. Ose. 14.

* ita fiat.

Et facto silentio, Symmachus episcopus Ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ, synodo præsidens, dixit: In hoc cognoscimus omnes, quia Deum diligamus, si mandata eius faciamus. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Iustus est enim Dominus, & omnia iudicia eius iusta sunt, atque omnes viæ eius misericordia & veritas & iudicium. In manu Dei potestas terræ, cui execrabilis est omnis iniquitas. In manu Dei potestas hominis, & super faciẽ scribæ imponet honorẽ suum. Perdit Deus memoriam superborum, & *iniqua gerentium, & relinquit memoriam humilium & bonorum hominum. Hoc autem pro certo habet omnis, qui rectè colit Deũ, quia vita eius, si in probatione fuerit coronabitur: & si in tribulatione, liberabitur: si verò in *correctione fuerit, ad misericordiam perueniet. Omne enim, quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia. Nõ licet ergo Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra mandata diuina præsumere, nec quicquam, quod euangelicis, propheticisque & Apostolicis regulis obuiat, agere. Iniustum enim iudicium, & definitio iniusta, regio metu vel iussu à iudicibus ordinata, non valet. Nec quicquam, quod contra euangelicam, vel propheticam, aut apostolicam doctrinam, constitutionemque eorum, siue sanctorũ Patrum actum fuerit, stabit: & quod ab infidelibus, aut hæreticis factum fuerit, omninò cassabitur. Nociua ergo sancti prædecessores mei damnare confidenter studuerũt, quorũ & pusillanimitas mea, licèt impar & minima, pro suscepto tamen diuina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. Væ enim erit nobis, qui huius ministerij onus susceptum habemus, si veritatẽ Saluatoris nostri Iesu Christi, quam Apostoli prædicauerũt, prædicare neglexerimus. Væ erit nobis, si silentio veritatem oppresserimus, qui erogare nummularijs iubemur, id est, Christianos populos imbuere & docere. Quid in ipsius Christi futuro dicturi sumus examine, si sermonũ eius veritatem confundimur prędicare? Quid erit de nobis, cùm de commissis nobis animabus, & de officio suscepto rationem iustus iudex Christus Deus noster districtam exegerit? Ideo nos oportet semper nociua resecare, & auxiliante Domino, profutura erigere. Vnde obiurgando, hortando, suadendo, blandiendo, *cõsulendo prodesse, quibus possumus, festinemus. Lingua nostra bonis fomentum sit, prauis aculeus, timidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortando succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos cõsoletur, vt, quia doctores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. Simus in custodia vigilantes, aditus contra hostis insidias soliciti muniamus: & si quando ouem perditam de commissis gregibus error abduxerit, toto illam annisu ad caulas reuocare Dominicas contendamus, vt de pastoris nomine, quod habemus, non supplicium, sed præmiũ consequamur. Quia ergo in his omnibus diuinæ gratiæ adiutorio opus est, omnipotentis Dei assiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad hæc operanda nobis & velle tribuat, & posse concedat, atque in ea nos via cum fructu boni operis, quam se pastor pastorum esse testatus est, dirigat, vt sine quo nihil agere possimus, per ipsum omnia implere valeamus.

Pſal. 14.

Eccl. 10.

* iniquè agentium

* correptione

Dist. 10. Non licet Imp.

11. q. 3. Iniustũ iud. Et in decr. li. 16. li. 15. ca. 6.

Matt. 25.

* consolando

Ioan. 14. Ioan. 15.

Vniuersa Synodus surgens, acclamauit:

Placent omnia, vt perpetua stabilitate firmentur, rogamus. Dictum est octies. Et adiecit, Exaudi Christe, Symmacho vita. Dictum est octies. Vt hæc intemerata seruentur. Dictum est decies. Vt ista intemerato iure custodiantur, precamur. Dictum est duodecies. Qui hæc spontè violauerit, perpetuo anathemate feriatur, rogamus. Dictum est quindecies: Vt decreta nostra confirmes, precamur. Dictum est decies & octies. Et facto silentio, Symmachus Episcopus Ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ, dixit: Acclamationes vestras, synodique iudicium præsentia gesta *suscipiant. Et adiecit: Ea, quæ ad sopiendos veternosæ præsumptionis errores, vel insensę rebus ecclesiasticis ægritudinis morbos, quibus vniuersalis afficiebatur Ecclesia, deliberatio religioni congrua pacique constituit, firmitate perpete socientur, vt præstante Deo, quem custodem rerũ constat esse bonarum, synodalis ordinatio vigeat, atque omnis, qui sine personæ alicuius *districtione *venire præsumpserit, indita superius districtione plectatur. Et subscripserunt:

* susciꝑ

* districtione * conuenire

Cælius Symmachus Episcopus Ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ, his constitutis synodalibus à me probatis atque firmatis, annuens subscripsi.

Petrus Episcopus Rauennatis Ecclesiæ, his constitutis synodalibus à nobis probatis atque firmatis, annuens subscripsi.

Innocentius Tiferninus.
Felix Interamnensis.
Seuerinus Tyndaritanus.
Bonifacius Aquileiensis.
Siluanus Veliterninus.
Maximus Bleranus.
Sebastianus Soranus.
Æmilianus Vercellensis.
Mercurius Gabinatis.
Maximus Ticinensis.
Felix Atellanus.
Cassianus Mutinensis.
Rusticus Buxentinus.
Cerentius Siculus.
Propinquus Trebiatis.
Stephanus Venusinus.
Adeodatus Formianus.
Laurentius Bobiensis.
Bonifacius Camerinus.
Fortunatus Fulginatis.
Iustus Signinus.
Mercurius Sutrinus.
Vindemius Anteatinus.
Stephanus Neapolitanus.
Augustus Liparitanus.
Hilarius *Tempsanus. * Cupetsanens.
Valentinus Amiterninus.
Maximianus Perusinus.
Fortunatus Suessanus.
Innocentius Ferentinatis.
Iucundus *Augustanus. * Subaugustanus.
Concordius *Mesenatis.
Trigidius Taurinatis.
Vitalis Fundanus.
Viticanus Celinens. Castus Portuens.
Ioannes Ariminensis.
*Aristus Ostiens. * Aron
Proculeianus Sepinatis.
Martyrius Terracinensis.
Candidus Tiburtinus.
Victor Lunensis.
Aprilis Lateranensis.
Asterius Aquinatis.
Asellus Populonienſis.
Chrysogonus Albanensis.
Memor Canusinus.
*Amandus Potentinus. * Amãdus
*Colonius Foroclodiens. * Calonacus
Romanus Numentanus.
Elpidius Volateranus.
Vrsus Reatinus.
Ioannes Thuritanus.
Cresconius Tudertinus.
Adeodatus Siluæ candidæ.
Innocentius Meuanatis.

Veneri-

Venerius Polens.
Ioannes Spoletanus.
Rogatus Taurominitanus.
Eustathius Cremonens.
Seruus Dei Veronens.
Laurentius Bergomatis.
Probus Camarinens.
Eucarpius Messanens.
Dulcitius * sancti Antimi.
Rufentius † Ignatinus.
Leucadius * Melphitens.
Serenus Nolanus.
Euphrasius Laganiens.
Martianus Esinus.
Theoctistus Pessinuntis.
Eutychius Tranens.
Elpidius Thermens. monasterij.
Fortunatus Anagninus.
Mysterius Amurij.
Paschasius Vulturnens.
Aquilius Eudoxiadis.
Innocentius Forosim Pronien.
Cyriacus Trogmaden.
Felix Nepesinus.
Pius Petenissens.
Longinus Orestens.
Ioannes Nicopolitanus.
Thalassius Cæsareens.
Constantinus Melitenens.
*Meonius Nysenus.
Acacius Ariarathirenus.
Firminus Thermus.
Adonius Grauiscæ.
Patricius Tyanens.
Ioannes Arcis.
Theodosius Nazianzenus.
Dorotheus Neocæsareens.
Aristomachus * Colonens.
Cyrus * Cysistren.
Ioannes Sebastien.
Cecropius Sebastopolis.
Ioannes Polemonien.
Gratidianus Cerassuntis.
Atarbius Trapezuntis.
Seleucus Amasenus.
Ioannes Amyzonens.

* Sabinens. Athinens. * Thinnicens.

Sexta Synodus Rom. sub Symmacho, finit.

Notæ in sextam Synodum Romanam.

Decreta Synodi.

Synodus Romana Sexta.] *Hoc Concilio decretum est, vt inuasores bonorum Ecclesiasticorum, nisi ea restituerint, velut manifesti hæretici anathematizentur: neque aliter, quam per satisfactionem ad communionem Ecclesiæ admittantur. Additum est, eadem sententia teneri omnes, qui facultates Ecclesiæ sub specie largitatis Regiæ obtinuissent, eo quod Regum non sit de bonis Ecclesiæ decernere. Nec licere Imperatori vel Regi contra diuina mandata & Patrum constituta sibi aliquid quouis modo vsurpare. Paruit decreto Concilij Rex Theodoricus. Testatur enim Cassiodorus var. libr. 2. epist. 29. quòd interpellatus ab Eustorgio Iuniore Episcopo pro bonis Ecclesiæ Mediolanensis hæc rescripserit.* Quamuis nullos velimus grauamen aliquod sustinere, quos videtur pietas nostra protegere (quia regnantis est gloria subiectorum otiosa trãquillitas) tamen specialiter Ecclesias ab omni iniuria cupimus reddi alienas, quibus dum æquabilia præstantur, misericordia Diuinitatis acquiritur. Et ideo beatissimi viri Eustorgij Episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, vt prædijs vel honoribus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis, tuitionem studeas salua ciuilitate præstare, nec à quoquam cuiuslibet rationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet Diuinitatis intuitu subleuari. *Huic veritati certissimam fidem faciunt, quæ apud Cassiod. var. libr. 4. epist. 17. postea rescripsit de possessionibus Ecclesiæ Narbonensis, & alia rescripta, quæ dedit pro defensione bonorum & iurium Ecclesiarum. Præstitit plane hac in re Princeps Arianus, quod in pluribus orthodoxis Regibus, prob dolor, etiamnum desideratur. Sed consecutus est in hac vita præmium, qui Dei voluntate frequenter contra hostes gloriosè triumphauit.*

Principis Ariani iniura Ecclesiastica benemolentia.

BYZACENVM CONCILIVM AFRICAE, EO TEMPORE, QVO PERSECVTIO PER TRASAMUNDUM Regem excitabatur, anno Domi. nimirum 504. celebratum, de surrogandis nouis Episcopis.

Notæ.

Byzacenum.] *Africa, teste Oroso libro 1. cap. 2. diuisa erat in has prouincias, Tripolitanam: Byzacenam: Zeugitanam: Numidiam, ac denique in Mauritanias Sitifrusem, Cæsarienses, & Turgitanam ad extremam oram maris mediterranei: positam, Oceano Occidentali confinem. Tripolitanæ, quæ & Subuentana dicta est, vel Arzugitana Lybiæ proxima, ciuitas primaria est Leptis. Byzacena prouincia in qua est Adrumetum huic confinis est. In Zeugitana huic ab occasu contigua est Carthago. In Numidia Hipporegius & Rusicada, ciuitates insignes Byzacenæ prouinciæ hoc tempore rexerat Trasamundus. Huius eiusdem Primas erat Victor. Nam post sanctum Eugenium Rege prohibente, nullus fuerat Carthaginensi Ecclesiæ antistes alius subrogatus, ea intẽtione Regis, de qua infra dicemus, verbo Concilium.*

Africa in quas partes diuisa fuerat?

Byzacena quæ?

Concilium.] *Cum Trasamundus Rex Byzacenæ prouinciæ in Africa præcepisset, ne quis in locum defuncti Antistes subrogaretur, eo quidem consilio, vt absque exerto ad persequendum gladio, ipsa Orthodoxorum Ecclesiæ aliquo temporis spacio pastoribus orbatæ vniuersæ sua sponte concideret: cumq; ex eo eiusdem prouinciæ Episcopi orthodoxi breui temporis spacio fore prospicerent, vt iussu Regis prohibentis, defunctis Episcopis nouos subrogari, arescentibus truncis absque palmitibus omnes Ecclesiæ desolarentur, hoc Concilium indixerunt, quo sanctissimi Patres magno numero congregati vna omnium sententia decreuerunt, vt non obstante Principis mandato, omnibus Ecclesijs pastoribus destitutis Episcopi constituerentur, idq; confestim opere expleuerunt. Quæ autem ex his acciderint, in ipsis S. Fulgentij rebus gestis extãt apud Surium die 1. Ianua. & ab eodem rerum inspectore his verbis accurate narrantur.* Postquam vero sacra turba Pontificum, qui remanserant, communicato inter se consilio definierunt aduersus præceptum Regis in omnibus locis celebrare ordinationes Pontificum: cogitãtes aut Regis iracundiam, si qua forsan existeret, mitigandam, quo facilius ordinati in suis plebibus viuerent, aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione, quos dignos inueniebant promotione: ministerium vero suum facilius impleturos, atque in ipsas tribulationes proprijs plebibus solatia præstituros. Fit repente communis assumptio: presbyteros, Diaconos, & si quos inueniret electio, rapere, benedicere, & consecrare certatim in locis singulis properantibus, ne in tali studio aliquis aut tardus, aut nouissimus videretur. *Hæc Fulgentius de Episcopis Byzacenæ prouinciæ. Persecutionem Africanam cœpisse anno 504. probat Baron. ibidem nume. 23.*

(?)

Trasamũdi Regis impium edictum.

Orthodoxorum in defendendis Ecclesijs zelus.

CONCILIVM [a] AGATHENSE [b] TEMPORE SYMMACHI PAPÆ, TERTIO [c] IDVS SEPTEMB. MESsala [d] Consule, cui interfuerunt (vt legitur) Episcopi [e] triginta-quinque. Est autem Prouinciale.

CAPITVLA AGATHENSIS CONCILII.

De bigamis clericis, vt non ministrent. 1
De contumacibus clericis, & ad officium tardis. 2
De Episcopis, qui vel innocentes, vel pro minimis causis aliquos excõmunicant. 3
De his, qui suas vel propinquorum oblationes Ecclesiæ defraudant. 4
Si clericus furtum Ecclesiæ fecerit. 5
Si Episcopo à quibuslibet quicquam fuerit derelictum. 6
De rebus Ecclesiæ, quomodo ab Episcopis habeantur, & de seruis Ecclesiæ, qualiter ab Episcopo manumittantur. 7
De clericis, qui ad sæculares confugiunt. 8
De presbyteris & diaconibus, qui ad coniugalem coitum reuertuntur. 9
Vt nullus clericorum cum extraneis fœminis habitet. 10
Vt nullus clericus in cellario, vel in secreto fœminam intromittat. 11
Vt omni quadragesimæ sabbato ieiunetur. 12
Vt symbolum ante octo dies Paschæ competentibus prædicetur. 13
Vt altare & benedicatur & vngatur. 14
Qualiter maiores, qualiter minores pœnitentiam accipiant. 15
Qua ætate diaconi ordinentur. 16
Qua ætate Episcopi vel presbyteri consecrentur. 17
De laicis quibus temporibus communicare debeant. 18
De sanctimonialibus, qua ætate velentur. 19
De clericis, qui comam nutriunt. 20
Vt solennitates maiores in ciuitatibus celebrentur. 21
Vt non liceat presbyterum aut clericum rem ecclesiæ vendere aut donare. 22
Vt clericus minor seniori non præponatur. 23
De expositis inuentis. 24
De sæcularibus, qui suas vxores derelinquunt. 25
Vt si voluntariè clericus damnũ ecclesiæ fecerit, * & satisfaciat, * & excommunicetur. 26
Vt monasterium nouum inconsulto episcopo, nullus constituat de monachis. 27
Vt monasteria puellarum procul à monachis constituantur. 28
De libertis, vt in necessitate ab ecclesia tueantur. 29
Vt posti antiphonas orationes dicantur. 30
De his, qui propter odium ad pacem non reuertuntur. 31
Vt clericus, inconsulto episcopo, ad iudicem sæcularem non pergat. 32
Si Episcopus, hæredes non habens, Ecclesiam, cui præfuit, hæredem nõ fecerit. 33
De Iudæis, qui conuerti cupiunt, qualiter suscipiantur. 34
Si Episcopus, à metropolitano admonitus, pro Synodo vel ordinatione Episcopali venire distulerit. 35
Vt stipendia clericorum iuxta meritum distribuantur. 36
De homicidis & falsis testibus. 37
Vt, sine Episcopi sui epistola, non liceat clericum vel monachum proficisci. Et de monachis vel abbatibus. 38
Vt clerici nuptialia vitent conuiuia. 39
Ne Christiani Iudæorum vtantur conuiuijs. 40
Vt à clericis vitetur ebrietas. 41
De sortilegis vel auguratoribus, vt ab ecclesia separentur. 42
Ne de pœnitentibus clericus ordinetur, & vt presbyter altare non erigat. 43
Ne presbyter benedictionẽ populo, vel pœnitenti, in ecclesia dare præsumat. 44
Vt Episcopus exiguum aliquid, sine clericorum commuentia (si necesse fuerit) distrahat. 45
Vt seruos Ecclesiæ fugitiuos liceat vendere Episcopo. 46
Vt ante Missam expletam egredi populus non præsumat. 47
De rebus Ecclesiæ propriis vel adquisitis. 48
De non alienandis ab aliquo rebus Ecclesiæ: Et de libertis. 49
De clericis capitale crimen incurrentibus. 50
De testamento Episcopi. 51
De clericis, qui sine epistolis sui pontificis proficiscuntur. 52
De presbyteris Parochianis, res ecclesiæ distrahentibus. 53
De eisdem, vt quicquid emerint, in nomine comparent ecclesiæ. 54
Vt sacerdotes & Leuitæ canibus ad venandum & accipitribus non vtantur. 55
De venditionibus, quas abbates facere præsumunt. 56
Ne vnus abbas duobus cœnobijs præponatur. 57
Ne monasterium sine notitia Episcopi constituatur. 58
De rebus Ecclesiæ vsui collatis, vt præscriptionis tempore non defendantur. 59
De lapsis, qui de catholica fide in hæresim transeunt. 60
De incestis coniugijs. 61
De his, qui seruos suos extra iudicem necant. 62
De laicis, qui in solemnitatibus maioribus ad ciuitatem non occurrunt. 63
De clericis, qui ab ecclesiæ officio diebus solennibus desunt. 64
De Leuitis, vt non sine iussu presbyteri sedeant. 65
De ministris, ne secretarium ingrediantur. 66
De catholicis, ne hæreticorum connubijs copulentur. 67
De Leuitis & de Clericis, ne magi vel incantatores sint. 68
De seditionarijs clericis. 69
De scurris & iocularibus clericis. 70
De Synodo annis singulis congreganda. 71

CVM in DEI nomine ex permissu regis in Agathensem ciuitatem sancta Synodus conueniisset, & in sancti Andreæ basilica consedissemus, ibique flexis genibus in terra, pro regno eius, pro longæuitate populi Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis permiserat potestatem, regnũ eius Dominus felicitate extenderet, iustitia gubernaret, virtute protegeret, de disciplina & ordinationibus clericorum atque pontificum, vel de ecclesiarum vtilitatibus tractaturi, in primis id placuit, vt canones & statuta patrum per ordinem legerentur. Quibus lectis,

CAPITVLVM PRIMVM.

PLACVIT de digamis aut internuptarum maritis, quanquam aliud patrum statuta decreuerint, vt qui hucusque ordinati sunt, habita miseratione, presbyteri vel diaconi nomen tantum obtineant: officiũ vero consecrandi presbyteri, & ministrandi huiusmodi diacones non præsumant.

2 Contumaces verò clerici (prout dignitatis ordo permiserit) ab Episcopis * corrigantur: & si qui prioris gradus elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur, ita vt, cũ eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemque suscipiant. Dist. 50. Cõtumaces cle. * corrigantur. Peregrina cõmunione, laicis, gloſſa Decreti interpretatur. 11. q. 3. Episcopi facerd. & in decret. Iuo. lib. 5.

3 Episcopi verò, si sacerdotali moderatione postposita, innocentes aut minimis causis culpabiles, excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes, recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ litteris moneantur. Et si parere noluerint, communio illis vsque ad tempus Synodi, à reliquis Episcopis non denegetur: ne forte propter excommunicatoris peccatum, excommunicati longo tempore, morte præueniantur.

4 Clerici etiam vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere perstiterint, aut id, quod ipsi donauerunt ecclesijs vel monasterijs, crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit velut necatores pauperum, quousque reddant, excludantur Ecclesijs. 13. q. 2. Clerici vel sæculares.

5 Si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. 13. q. 2. Clerici vel sæculares. 12. q. 2. Episcopi.

6 Pontifices verò, quibus in summo sacerdotio constitutis, ab extraneis duntaxat aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim aut dimittitur, aut donatur, quia hocille, qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo quibus.

facer-

sacerdotis offerre probatur, non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt: quia iustum est, vt sicut sacerdos habet quod Ecclesiæ dimissum est, ita & Ecclesia habeat, quod relinquitur sacerdoti. Sanè quicquid per fideicommissum aut sacerdoti, aut Ecclesiæ fortasse dimittitur, cuicunque alij postmodũ profuturum, id inter facultates suas Ecclesia computare, aut retinere non poterit.

10.q.2. Casellas vel mãcip.

7 Casellas vel mancipiola Ecclesiæ, Episcopi (sicut prisca Canonum præcepit authoritas) vel vasa ministerij, quasi commendata fideli præposito, in integro Ecclesiæ iure possideant, id est, vt neque vendere, neque per quoscunque contractus res, vnde pauperes viuunt, alienare præsumant. *Quod si necessitas certa compulerit, vt pro Ecclesiæ augmento*, aut necessitate, aut vtilitate, vel vsufructu, vel indirecta venditione aliquid distrahatur, apud duos vel tres comprouinciales, vel vicinos episcopos, causa, qua necesse sit vendi, primitus comprobetur, vt habita discussione sacerdotali, eorum prescriptione, quæ facta fuerit venditio, roboretur. Aliter facta venditio, vel transactio, non valebit. Sanè, si quos de seruis Ecclesiæ benemeritos sibi, episcopus libertate donauerit, collatam à successoribus libertatẽ placuit custodiri, cum hoc, quod eis manumissor in libertatem contulerit, quod tamen iubemus viginti solidorum numerum & modum in terrula, vel vineola, vel hospitiolo tenere. Quod amplius datum fuerit, post manumissoris mortem Ecclesiæ reuocetur. Minusculas verò res, aut Ecclesiæ minus vtiles, peregrinis vel clericis, saluo iure Ecclesiæ in vsum præstari permittimus.

10.q.2. Per tot. Palc. huiusmodi §. Quod si necessitas dist.10.q.1.

10.q.2. Si quos de cl.

8 Id etiam placuit, vt si clericus relicto officio suo, propter districtionem ad sæcularem iudicem fortasse confugerit, & is, ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.

11.q.3. Placuit vt clericus.

9 Placuit etiam, vt si presbyteri vel diaconi coniugati, ad torum vxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij episcopi authoritas, quæ est his canonibus inserta, seruetur. Quod si ad aliquos formula illa ecclesiasticæ vitæ, pariter & disciplinæ, quæ à Siricio episcopo ad prouincias commeauit, non probabitur peruenisse, eis ignorationis venia remittitur, ita vt de cætero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus suos, in quibus inuenti fuerint, sic retineant, vt ad potiora eis non liceat ascendere. Quibus in beneficio esse debet, quòd locum ipsum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem scisse formam viuendi missam à sancto Siricio episcopo, deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abiecisse, illi sunt modis omnibus sub mouendi, eo quod post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.

Dist.82. Propositio ca. 1. Innocen. Papa ad Exuperiũ Tolosanũ episcopũ. Et Siricij Papæ ad Himeriũ Tarrac. cap.7.

Familiaritas fœminarũ clericis vitanda.

10 Id etiam ad custodiendam vitam & famam, speciali ordinatione præcipimus, vt nullus clericorum extraneæ mulieri qualibet collatione aut familiaritate iungatur. Et non solum in domo illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentãdi extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantũ, sorore, filia, aut nepte, si habuerit, aut voluerit, viuendi liberam habeat potestatem. De quibus nominibus nefas est aliud, quàm natura constituit, suspicari.

11 Ancillas vel libertas, à cellario vel à secreto ministerio, & ab eadem mansione, in qua clericus manet, placuit remoueri.

Dist.3. Placuit vt omnes.

12 Placuit etiam, vt omnes Ecclesiæ filij (exceptis diebus Dominicis) in quadragesima, etiam die sabbato, sacerdotali ordinatione & distinctionis commonitione ieiunent.

De cõ. di. 4. Symbolum.

13 Symbolum etiam, placuit, ab omnibus ecclesijs vna die, id est, ante octo dies Dominicæ resurrectionis, publicè in ecclesia competentibus prædicari.

De cõ. di. 1 Altaria pla. Dist. 50. Pœnitentes.

14 Altaria, placuit, non solum vnctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

15 Pœnitentes, tempore, quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput à sacerdote (sicut vbique constitutum est) consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutauerint, abijciantur. Et nisi dignè pœnituerint, non recipiantur. Iuuenibus etiam pœnitentia non facilè committenda est propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positis, non est negandum.

Dist.77. Episcopus benedictionem. Diaconus ante 25. annum ne fiat. Dist.77. Episcopus benedi. Presbyter, ne ante 30.

16 Episcopus benedictionem diaconatus minoribus quã vigintiquinque annorum penitus non committat. Sanè si coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postea qui pariter cõuersi fuerint, ordinentur.

17 Presbyterum vero vel episcopum, ante triginta annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem perueniat, & diaconos ante vigintiquinque nullus metropolitanorum ordinare præsumat, ne per ætatem (quod aliquoties euenit) aliquo errore culpentur.

De cõ. di. 2. Sæculares. Ter in anno cõmunicandũ. 20.q.1. Sanct. Dist.23. Clerici qui comã. Clerici comã ne nutriant. De cõ. di. 1. Si quis esset. Oratoria quatenus permittẽda.

18 Sæculares, qui in natali Domini, pascha & pentecoste non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.

19 Sanctimoniales, quantumlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.

20 Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono (etiam si noluerint) inuiti detondeantur. Vestimenta etiam vel calceamenta eis, nisi quæ religionem deceant, vti aut habere non liceat.

21 Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conuentus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus: Pascha vero, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali Sancti Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus, aut in parochijs teneant. Clerici verò, si qui in festiuitatibus, quas suprà diximus, in oratorijs (nisi iubente aut permittente Episcopo) Missas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.

12.q.2. Statuimus & episcopi. Ecclesiæ bona non alienãda.

22 Et licet superfluum sit, de re nota & antiquis canonibus prohibita, aliquid iterato definire, attamen quo facilius cupiditas aut improbitas reprimatur, id statuimus, quod omnes canones iubent, vt ciuitatenses siue diœcesani presbyteri, vel clerici saluo iure ecclesiæ, rem ecclesiæ, sicut permiserunt episcopi, teneant, vendere autem aut donare penitus non præsumant. Quod si fecerint vel fecerunt, & facta venditio non valebit, & de facultatibus (si quas habẽt proprias) indemnem ecclesiam reddant, & communione priuentur.

Dist.75. Episcoporum etiã, quorum.

23 Episcoporum etiam, quorum vita non reprehenditur, posteriorem priori nullus præponat, nisi fortè elatus superbia, quod pro necessitate ecclesiæ episcopus iusserit, implere cõtemnat. Sanè si officium archidiaconatus, propter simpliciorem naturam implere aut expedire nequiuerit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi ecclesiæ, quem elegerit episcopus, præponatur.

24 De expositis id obseruandum, quod iam dudum synodus sancta constituit.

33.q.2. Sęculares q cõsortũ. Et in con. Car. c. 30.

25 Si verò sæculares, qui coniugale consortium sine culpa grauiori dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas diffidij probabiliter proponentes, propterea matrimonia sua dimittunt, vt aut illicita aut aliena præsumant, si antequam apud episcopos comprouinciales diffidij causas dixerint, & prius vxores, quàm iudicio damnentur, abiecerint, à communione ecclesiæ, & sancto populi cætu (pro eo quod fidem & coniugia maculent) excludantur.

Priuato iudicio vxores nõ dimittẽdę. 12.q.2. Si quis de clericis.

26 Si quis de clericis documenta, quibus ecclesiæ possessio firmatur, aut supprimere, aut negare, aut aduersarijs fortasse tradere, damnabili & punienda obstinatione præsumpserit, quicquid per absentiam documẽtorum, damni Ecclesiæ illatum est, de proprijs facultatibus reddat, & cõmunione priuetur. Hi etiam, qui in damno Ecclesiæ impiè solicitati, à traditoribus aliquid acceperint, * superiori sentẽtia teneantur.

*pari

18.q.2. De monachis 16.q.1. Monachi vagantes.

27 Monasterium nouum, nisi episcopo, aut permittente, aut probante, nullus incipere aut fundare præsumat. Monachi etiam, vagantes, ad officium clericatus nisi eis

20.q.4. Monachũ nisi per.

testimonium Abbas suus dederit, nec in ciuitatibus, nec in parochijs ordinentur. Monachum nisi abbatis sui aut permissu, aut voluntate, ad alterum monasterium commigrantem, nullus abbas suscipere aut retinere præsumat: sed vbicunque fuerit, abbati suo authoritate canonum reuocetur. Si enim necesse fuerit, clericum de monachis ordinari, cum consensu & voluntate abbatis præsumat episcopus.

18.q.2. Monasteria puellar.

28 Monasteria puellarum, longius à monasterijs monachorum aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum, collocentur.

Dist. 87. Libertos leg.

29 Libertos, legitimè à dominis suis factos, Ecclesia (si necessitas exegerit) tueatur: quos si quis ante audientiam aut peruadere, aut expoliare præsumpserit, ab Ecclesia repellatur.

De cõ. di. 5. Conuenit ord.

30 Et quia conuenit ordinẽ ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, sicut vbique fit, vt post antiphonas, collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur, & hymni matutini vel vespertini decantentur diebus omnibus, & in conclusione matutinarũ vel vespertinarum & Missarum, post hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vesperam ab episcopo cum benedictione mittatur.

Dist. 90. Placuit etiam vt.

31 Placuit etiam, vt (sicut plerunque fit) quicunque odio aut longinqua inter se lite dissenserint, & ad pacem reuocari diutina intentione nequiuerint, a sacerdotibus ciuitatis primitus arguantur. Qui si inimicitias deponere, pernicio-sa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu iustissima excommunicatione pellantur.

Inimicitias durius retinẽtes, excommunicandi.

1.q.1. Clericũ nullus præsumat.

5.q.6. Si quis vero sæculariũ.

32 Clericus nec quenquam præsumat apud sæcularem iudicem, episcopo non permittente, pulsare. Sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio sæculari præponere. Si quis vero sæcularium per calumniam ecclesiam aut clerum fatigare tentauerit, & conuictus fuerit, ab ecclesiæ liminibus, & à catholicorum communione (nisi dignè pœnituerit) coerceatur.

12.q.2. Episcopus qui filios. * præsumpserit.

33 Episcopus, qui filios aut nepotes non habens, alium quàm Ecclesiam reliquit hæredem, si quid de ecclesia, non in ecclesiæ causa aut necessitate * insumpserit quod distraxit aut donauit, irritum habeatur. Qui verò filios habet, de bonis, quæ reliquit, ab hæredibus eius indemnitatibus Ecclesiæ consulatur.

De cõ. di. 4. Iudæi quorum.

Iudæi per 3. menses inter catechumenos retinendi.

34 Iudæi (quorum perfidia frequenter ad vomitum redit) si ad legem catholicam venire voluerint, octo menses inter catechumenos ecclesiæ limen introeant. Et si pura fide noscuntur venire, tum demum baptismatis gratiam mereantur. Quòd si casu aliquo periculum infirmitatis intra præscriptum tempus incurrerint, & desperati fuerint, baptizentur.

Dist. 18. Si episcopus. In Arelat. 2. c. 19 Et in Vasio. c. 29. Synodo qui non affuerant excõmunicandi.

35 Si episcopus metropolitanus ad comprouinciales episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinẽ summi pontificis, aut ad Synodum inuitet, postpositis omnibus (excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione regia) ad constitutum diem adesse non differant. Quòd si defuerint (sicut prisca canonum præcepit authoritas) vsque ad proximam Synodum, charitate fratrum, & Ecclesiæ cõmunione priuentur.

1.q.2. Clerici.

36 Clerici etiam omnes, qui ecclesiæ fideliter vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundũ seruitij sui meritum vel ordinationem canonum, à sacerdotibus consequantur.

24.q.3. Itaque.

37 Itaque censuimus, homicidas & falsos testes à cõmunione ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina diluerint.

38 Clericis sine commendatitijs epistolis episcopi sui, licentia non pateat euagandi. In monachis quoque præsentis sententiæ forma seruetur. Quos si verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus statuimus coerceri.

20.q.4. monachũ.

Clericis, & Monachis non vagandũ.

Seruandum quoque de monachis, ne eis ad solitarias cellulas, liceat à congregatione discedere, nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem, asperior ab abbatibus regula permittatur. Quod ita demum fiet, vt intra eadem monasterij septa manentes, tamen sub abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur. * Abbatibus quoque singulis diuersas cellulas aut plura monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

Dist. 34. Presbyteri. Quibus nullo. licet. alicui. præ. dæ. * chor. 28. q. 1. Omn. dein.

39 Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia. Nec his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporum * choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris mysterijs deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.

1. Cor. Rom.

40 Omnes deinceps clerici siue laici, Iudæorum conuiuia euitent, nec eos ad conuiuium quisquam excipiat, quia quum apud Christianos cibis communibus non vtantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos à Christianis sumi: quum ea, quæ Apostolo permittente, non sumimus, ab illis iudicentur immunda, ac si inferiores incipiant esse Christiani, quàm Iudæi, si nos, quæ ab illis ponuntur, vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant.

Dist. 35. Ante. Cleri. ebrietas. primus. vitiorum. fomes. 26. q. 6. Cleric. ebrietatem. Sacerdotes. studeant. cæteris. nicant.

41 Ante omnia clericis vetetur ebrietas, quę omnium viciorum fomes ac nutrix est. Itaque cum, quem ebrium fuisse constiterit, (vt ordo patitur) aut triginta dierum spatio communione statuimus submouẽdum, aut corporali subdendum supplicio.

In Concil. Arelat. ca. 20.

42 Ac ne id fortasse videatur omissum, quod maximè fidem catholicæ religionis infestat, quòd aliquanti clerici siue laici studeant augurijs, & sub nomine fictæ religionis, per eas, quas sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. Hoc quicunque clericus vel laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.

26. q. 6. ordinat. diacon.

43 De pœnitentibus id placuit obseruare, quod sancti patres nostri synodali sententia censuerunt, vt nullus de his clericus ordinetur: & qui iam sunt per ignorantiam ordinati, aut sicut bigami, aut internuptarum mariti locum teneant. Ministrare diaconus, consecrare altare presbyter nõ præsumat.

44 Benedictionem super plebem in ecclesia fundere, aut pœnitentem in ecclesia benedicere, presbytero penitus non licebit.

12. q. 3. Tenuit aut.

25 Terrulas aut vineolas exiguas, & ecclesiæ minus vtiles, aut longè positas paruas, episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.

12. q. 2. Fugitiui.

46 Fugitiui, domos suas aut familias deserentes, qui, etiam si reuocati fuerint, non possunt teneri, simili ratione ab episcopo, si voluerit, aut si ita illi meruerint, distrahantur.

Hucusque inclusiuè Gemblacens. exemplar extendebatur. Hinc continuabatur conclusio finalis cum subscriptionibus infra positis.

* aufer. De cõ. Missas. * Quę

47 Missas die Dominico sæcularibus totas * tenere, speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. * Qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.

3. q. 4. Episcopi.

48 Vt de rebus episcopi propriis vel acquisitis, vel quicquid episcopus de suo proprio habet, hæredibus suis, si voluerit, derelinquat. Quicquid verò de prouisione Ecclesiæ suæ fuerit, siue de agris, siue de frugibus, siue de oblationibus, omnia iure ecclesiæ reseruare censuimus.

12. q. 2. Diacon.

49 Diacones vel presbyteri in parochia constituti, de rebus sibi creditis, nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res sacratæ Deo esse noscuntur. Similiter & sacerdotes, nihil de rebus ecclesiæ sibi cõmissæ (vt superius comprehensum est) alienare præsumant. Quod si fecerint, conuicti in Concilio, & ab honore depositi, de suo aliud tantũ restituant, quantum visi sunt præsumpsisse. Sanè si * quis pro qualibet conditione, de rebus Ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum ecclesiæ contulerit, quantum visus est abstuliſſe, tunc demum istud fiare licebit. Libertos tamen, quos sacerdotes, vel diaconos de ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus ecclesiæ prosequi iubemus. Quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reuerti seruitium.

12. q. 2. quisquis. liber. * quis. liber. 12. q. 2. Diacon.

50 Si Episcopus, presbyter, aut diaconus, capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut testimonium

Dist. Si epus. quis epus.

falsum

falsum dixerit, ab officij honore depositus, in monasterium retrudatur: & ibi quàm diu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.

51 Si episcopus, condito testamento, aliquid de ecclesiastici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, nisi tantum de iuris proprij facultate suppleuerit.

52 Presbytero, aut, diacono vel clerico, sine antistitis sui epistolis ambulanti, communionem ei nullus impendat.

53 Quicquid parochiarum presbyter de ecclesiastici iuris possessione distraxerit, inane habeatur & vacuum vendicatione comparantis, & actione vendentis.

54 Presbyter dum diœcesim tenet, de his quæ emerit ad ecclesiæ nomen, scripturam faciat, aut ab eius (quam tenet) ecclesiæ ordinatione discedat.

55 Episcopis, presbyteris, diaconibus, canes ad venãdum, aut accipitres habere non liceat. Quòd si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus se suspendat à cõmunione, presbyter duobus mensibus se abstineat, diaconus verò ab omni officio, vel communione cessabit.

56 In venditionibus, quas abbates facere præsumunt, hęc forma seruetur, vt quicquid sine Episcopi * notitia venditum fuerit, ad potestatem Episcopi reuocetur. Mancipia verò monachis donata, ab abbate non liceat manumitti. Iniustum enim putamus, vt monachis quotidianum rurale opus facientibus serui eorum libertatis ocio potiantur.

57 Vnum Abbatem duobus monasterijs præsidere interdicimus.

58 Cellulas nouas, aut congregatiunculas monachorum, absque notitia Episcopi prohibemus instituí.

59 Clerici quilibet, quantacunque diuturnitate temporis, de ecclesiæ remuneratione aliqua possederint, in ius proprium, præscriptione temporis, non vocentur, dummodò pateat ecclesiæ rem fuisse, ne videantur etiam Episcopi administrationes prolixas, aut precatorias, quũ ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates, in ius proprietatis suæ posse transcribere.

60 Lapsis, id est, qui in catholica fide baptizati sunt, si præuaricatione damnabili post in hæresim trãsierint, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos, annorum multitudine breuiata, pœnitentiam biennij, conditione infrascriptæ obseruationis, imponimus, vt præscripto biennio, tertio sine relaxatione ieiunent, & ecclesiam studeant frequentare. In pœnitentium loco standi & orandi humilitatem ita nouerint obseruandam, vt etiam ipsi, quum catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si obseruare voluerint, constituto tempore admittendis ad altarium obseruatio relaxetur. Quòd si ardua vel dura fortè putauerint, statuta præteritorum canonum implere debebunt.

61 De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi quũ adulterium separatione sanauerint. Incestos verò, nullo coniugij nomine deputãdos, quos etiam designare funestum est. Hos enim censemus esse: Si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali coniunctione polluerit: si quis frater germanã vxorẽ acceperit: si quis nouercam duxerit: si quis consobrinæ suæ se sociauerit: si quis relictæ vel filiæ auunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel priuignæ suæ: aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit, concubitu polluat, aut duxerit vxorem. Quos omnes & olim, atq; sub hac constitutione incestos esse nõ dubitamus, & inter catechumenos, vsque ad legitimam satisfactionem manere, & orare præcipimus. Quod ita præsenti tempore prohibemus, vt ea, quæ sunt * hactenùs instituta, non dissoluamus. Sanè, quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt incundi melioris coniugij libertatem.

62 Si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennij reatum sanguinis emendabit.

63 Vt ciues, qui superiorum solennitatum, id est, Paschæ, ac Natalis Domini, vel Pentecostes festiuitatibus, cum episcopis interesse neglexerint, (quum in ciuitatibus, communionis vel benedictionis accipiendæ causa positos esse debeant) triennio à communione priuentur ecclesiæ.

64 Si quis in clero constitutus, ab ecclesia sua diebus solennibus defuerit, id est, natiuitate Domini, Epiphania, Pascha, vel Pentecoste, dum potius * singulari lucro studeat, quàm seruitio * suo parere, conuenit, vt triennio à communione suspendatur. Similiter diaconus vel presbyter, si per tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat.

65 Quoniam non oportet diaconem sedere, præsente presbytero, sed ex iussione presbyteri sedeat. Similiter autem honorificetur diaconus à ministris inferioribus & omnibus clericis.

66 Quoniam non oportet insacratos ministros licẽtiam habere, in secretarium (quod Græci diaconion appellant) ingredi, & contingere vasa Dominica.

67 Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potiùs accipere, si tamen profitentur, Christianos futuros esse se & catholicos.

68 Quoniam non oportet ministros altaris aut clericos, magos & incantatores esse, aut facere quę dicunt phylacteria, quæ sunt magna obligamenta animarum. Hos autem, qui talibus vruntur, proijci ab ecclesia iussimus.

69 Seditionarios, nunquàm ordinandos clericos, sicut nec vsurarios, vel iniuriarum suarum vltores.

70 Clericum scurrilem, & verbis turpibus ioculatorem, ab officio retrahendum.

71 Synodum etiam secundum constituta patrum, annis singulis placuit congregari. Et quia in nomine Domini, omnibus salubriter constitutis, synodus cum pace dimittitur, gratias Deo primitus, & Domino nostro regi agamus, orantes diuinam clementiam, vt hæc eadem facere & docere per multos annos in honorem Domini possimus. Ego Cæsarius in Christi nomine episcopus, iuxta id, quod vniuersis coepiscopis meis, qui mecum subscripserunt, placuit, instituta patrum secutus, his definitionibus annuens, sub die * 5. Kalen. Septemb. anno 22. regis Alarici, subscripsi.

Cyprianus episcopus subscripsi.
Clarus episcopus subscripsi.
Tetradius episcopus subscripsi.
Heraclianus episcopus subscripsi.
Sophronius episcopus subscripsi.
Sedatus episcopus subscripsi.
Quintianus episcopus subscripsi.
Sabinus episcopus subscripsi.
Gratianus episcopus subscripsi.
Nicetius episcopus subscripsi.
Suauis episcopus subscripsi.
Galactarius episcopus subscripsi.
Gratus episcopus subscripsi.
Vigilius episcopus subscripsi.
Glycerius episcopus subscripsi.
Petrus Episcopus subscripsi.
Chronopius episcopus subscripsi.
Probatius episcopus subscripsi.
Maternus episcopus subscripsi.
* Agretius episcopus subscripsi.
Marcellus episcopus subscripsi.
Pendatius episcopus subscripsi.
*Abilius episcopus subscripsi.
Ingenuus episcopus subscripsi.
Paulinus episcopus subscripsi.
Polemius episcopus subscripsi.
Pompeius episcopus subscripsi.
Firminus episcopus subscripsi.

DECRETA AGATHEN. CONCILII prioribus non inserta, secundum Gratia. numero tria.

PRIMVM.

Non liceat episcopo propriis manibus aliquem cædere.

Non liceat Episcopo manibus suis aliquem cædere. Hoc enim alienum à sacerdote debet esse.

7. q. 1. Si quis.

* seculari-bus lucris studet.

* Dei paret

Di. 93. Nõ

Dist. 23. Non oportet in.

28. q. 1. Nõ oportet cũ omnibus.

26. q. 5. Nõ Magicis studentes excommunicandi.

Dist. 46. Seditionarios.

Dist. 46. Clericum scur.

* 4 Idus Septẽbris an. 22. regni Alarici, 11. qui etiam fuit eius vitæ vltimus.

* Agricius

Di. 86. Nõ licet aliq.

Burchard. & Iuo citant ex decretis Bonif. Papæ, habetur autem in nouellis Const. 12. cap. 16. apud Iulianum antecessorem.

SECVNDVM.

Quando amplius quàm debetur, exigitur, vsura committitur.

13. q. 3. Vsura est.

Vsura est, vbi ampliùs requiritur, quàm datur. Verbi gratia, Si dederis solidos decem, & ampliùs quæsieris, vel dederis frumenti modium vnum, & super aliquid exegeris.

TERTIVM.

De purgatione clericorum si conuinci non potuerint.

2. q. 4. habetur finis huius decreti, sed totum c. est apud Iuo. lib. 5.

Si quis presbyter vitæ suę negligens, prauis exemplis mala de se suspicari permiserit, & populus ab Episcopo iuramento, seu banno Christianitatis constrictus, infamiam eius patefecerit, & certi accusatores criminis eius defuerint: admoneatur primò seorsum ab episcopo, deindè sub duobus vel tribus testibus. Si non emendauerit, in conuentu presbyterorum episcopus eum publica increpatione admoneat. Si verò neque sic correxerit, ab officio suspendatur, vsque ad dignam satisfactionem, ne populus in eo scandalum patiatur. Si verò accusatores legitimi non fuerint, qui eius crimina manifestis indicijs probare contenderint, & ipse negauerit, tunc ipse cum socijs septem eiusdem ordinis (si valet) à crimine seipsum expurget. Diaconus verò, si eodem crimine accusatus fuerit, semetipsum cum tribus expurget.

EX DECRETO IVONIS.

Libro 8.

Perquirendum est, si aliqua fœmina sit, quæ per quædam maleficia & incantationes, mentes hominum immutare se posse dicat, id est, vt de odio in amorem, vel de amore in odium conuertat, vt bona hominum aut damnet, aut subripiat. Et si est, quæ se dicat cum dæmonum turba in similitudinem mulierum transformata, certis noctibus equitare super quasdam bestias, & in eorum consortio annumeratam esse, hæc talis omnimodis scopis correcta, ex parochia eijciatur.

DECRETA QVÆDAM EX CODICE librorum sexdecim, lib. 5. cap. 22.

De illis, qui contentiones & rixas amauerint.

Si quis contentiones & rixas amauerit, vel manifestum vitium fratri intulerit, iuxta arbitrium rectoris modumq; peccati diuturna expietur pœnitentia.

Ex eisdem libris & cap.

De illis, qui faciles sunt ad detrahendum.

Si quis promptus faciliſque est ad detrahendum, dicens quod verum nō est, septem dies in pane & aqua, sequestratus à fraterno consortio, pœniteat.

Ex eodem libro 15. cap. 8.

De falso testimonio, quòd capitale sit crimen.

Matth. 15.

Nouerint falsi testes, quòd si falsum testimonium capitale crimen non esset, nequaquàm Deus in euangelio inter principalia crimina enumerasset. Ait enim: De corde exeunt homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia. Et ideò debet pœnitere, similiter & excommunicari falsus testis, sicut adulter, fur, & homicida.

NOTÆ in Concilium Agathense sub Symmacho Papa.

a Concilium] *Hoc Concilium permissu Alarici Regis Ariani, auctoritate Cæsarij Arelatensis prouinciæ Primatis congregatum est, ad collapsam Ecclesiasticam disciplinam in vigorem pristinum restituendam, quod Patres Concilij in præfatione Concilij indicant his verbis:* De disciplina & ordinationibus Clericorum atq; Pontificum, vel de Ecclesiarum vtilitatibus tractaturi. *Huic Concilio præsedisse Cæsarium Arelatensem Episcopum, non tantum ex prima nominis Cæsarij subscriptione apertè colligitur; verum etiam manifestis verbis indicatur cap. 73. Concilij Meldensis, vbi canon. quisic habet:* Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis cum alijs triginta quinque Episcopis: omnes inquiunt, deinceps clerici, siue laici Iudæorum conuiuia euitent, &c. *ad verbum in prædicto Meldensi Concilio allegatus, est huius Concilij quadragesimus vt supra patet.* Cautio de auctore Concilij.

b Agathense] *Sic dictum ab Agatha, quæ Ptolomæo, Strabone & Plinio olim Massilienſium, nunc Galliæ Narbonensis vrbs est insula. Polidus scribit hanc à nonnullis historiographis ciuitatem nigram appellari. Stephanus memmit alicuius Agathæ, quæ est Lyciæ insula. Hæc Abrahamus Ortelius.* Vocabuli dictum.

c Tertio Idus Septembris] *In fine Actorum 5. Kalend. Septembr. celebratum fuisse scribitur. Mendum itaque in alterutrum horum locorum irrepsit. Mutassem inscriptionem, nisi lectio Actorum variaret. Nam in margine legitur ibidem* 4. Idus Septembris.

d Consule Messala] *Anno nimirum Christi 506. qui est Symmachi Papæ octauus: Anastasij Imperatoris 16. Theodorici in Italia regnantis 14. & Alarici Gothorum Regis Ariani in Gallia regnantis annus regni, qui in fine Actorum huius Concilij notatus habetur, vigesimus secundus. Nam Isidoro Hispalensi Episcopo auctore, Alaricus postquam 23. annis in Gallia Aquitania à Rhodano vsque ad Ligerim & Pirenæos regnasset, atque è regno suo Cæsarium & Quintianum viros sanctissimos pro salute regis hæretici orare solitos, relegasset; à Clodoueo Rege Francorū victus occiditur anno 17. Anastasij Imperatoris, æra quingentesima quadragesima. Quæ tempora cū præd. Chronologijs Christi & Consulum planè coincidunt. De Alarico plura dicemus infr.* Tempora habentur Synod.

e Episcopi triginta quinque] *Triginta quinq; Episcopos interfuisse, confirmatur can. 73. Concilij Meld. verbis istis, quæ supra mitto harum notarum allegati. Ex his 29. duntaxat subscripsisse reperiuntur. Omnes gloria confessionis illustres fuerunt: vtpotè qui inter Arianos dominantes illibatam sartamq; ac tectam fidem Catholicam conseruarunt. Inter eos aliqui emtuerunt sanctitate celebres in Ecclesiasticis tabulis perpetua memoria consecrati; vt Firminus Metensis, S. Quintianus Rutenorum Episcopus: aliique plures de quibus infra.* Quot Episcopi interfuerint.

Ad gratiam æstimantes] *Id est ad reconciliationem. Agitur enim hic de excommunicatis qui sunt baptizati, & ad gratiam, id est ad reconciliationem cum suo Episcopo festinant. Vnde patet particulam baptismatis in Decreto Gratiani 11. quæst. 3. huic canoni mendose superadditam esse.* Cap. 9. Ad gratiam æstimantes quidā.

Nō denegetur] *Iuo, Panormitanus, & antiquiores Conciliorū editiones & duo Vaticana exemplaria habent* Denegetur, *videturq; huic simile, quod legitur can. fin. 6. quæst. 2.*

Ad torum vxorum suarum redire voluerunt] *Circa cōiugatos ad sacros ordines assumptos, quid sit obseruatum in primitiua Ecclesia, supra tom. 1. diuersis in locis annotaui.* Cap. 2.

Placet etiam vt omnes Ecclesiæ Filij] *Hæc à Cæsario populo proposita fuisse, ex eo satis intelligi potest, quod hac de re præclaram habuerit homiliam, qua ipso ingressu Fideles interpellat his verbis.* Rogo vos fratres carissimi, vt in isto legitimo ac sacratissimo Quadragesimę tempore, exceptis Dominicis diebꝰ nullus prādere præsumat: nisi forte ille, quē ieiunare infirmitas nōpmittit. Quia alijs dieb. ieiunare aut remediū aut præmiū est; in quadragesima nō ieiunare peccatū est. *Hæc Cæsar. ho. 2.* Cap. 12.

Competentibus prædicari] *Catechumenorum alij competentes: alij audientes dicebantur, de quibus suprà.* Cap. 13.

Clericis sine commendatitijs] *Sequentes quinq; canones habentur suprà in Concilio Venetico sub Leone. Vide quæ ibi notauimus.* Cap. 14.

Omnes deinceps Clerici, &c.] *Hic canon ad verbū recitatur in Concilio Meldensi c. 73. cum hac præfatiuncula:* Sanctus Cæsarius Ecclesiæ Arelatensis cum alijs triginta quinque Episcopis. Omnes, inquit, deinceps clerici siue laici &c. *vt suprà.* Cap. 15.

Missas die Dominica sæcularibus tenere audire] *Traditione Apostolica diem Dominicum colendum esse, eodemque die Missas audiendas, tradit S. Augustin. 251. sermon. de tempore. Verba* Dies Dominicus celebrandus.

illius

illius hæc ait: Dominicum ergo diē Apoſtoli & apoſtolici viri ideo religioſa ſolennitate habendum eſſe ſanxerunt, quia in eodem Redemptor noſter à mortuis reſurrexit, quique ideo Dominica appellatur, vt in eo terrenis opibus vel mundi illecebris abſtinentes, tātum diuinis cultibus ſeruiamus. *Et poſt multa de eiuſdem diei inſignibus addit.* Ac ideo S. Doctores Eccleſiæ decreuerunt, omnem gloriam Iudaici ſabbatiſmi in illam transferre, vt quod ipſi in figura, nos celebremus in veritate. Obſeruemus ergo diem Dominicum fratres, & ſanctificemus illum à veſpera diei Sabbathi vſque ad veſperam Dominicæ diei, ſequeſtrati à rurali opere, & ab omni negotio ſoli diuino cultui vacemus, &c. *Poſt quam dixiſſet, quas preces quilibet nocturno tempore fundere deberet, de miſſa Dominico die audienda ſubiungit.* In die verò nullus ſe à Miſſarum ſacrarum celebratione ſeparet, neq; quis domi remaneat, cæteris ad Eccleſiam pergentibus neque in venatione ſe occupet. *Hæc de cultu diei Dominicæ S. Auguſt. longè ante hæc tempora. Qua de cauſa Cæſarius huic Concilio præſidens, hoc decretum de Miſſis integrè audiendis ſtabiliendum propoſuerit, in hiſt. Cæſarij apud Surium die 27. Auguſt. recenſet Cyprianus hiſce verbis.* Cū die quadam eſſet ad altare, animaduertit quoſdam lecto Euangelio ex Eccleſia egredi, quod ſancti viri conciones auſcultare initio detrectarent. Mox igitur aduolat: appellat his verbis populum: Quid facitis filij? Quid ita foras abſcediti mala perſuaſione ſubuerſi? ſtate pro animabus veſtris ad accipienda verba adhortationis noſtræ, eaque auſcultate ſoliciti. Non licebit id vobis in illo tremendo iudicij die, moneo, clamo atque conteſtor. Ne ſitis, obſecro, vel ſurdi vel profugi. Auditis oris mei buccinā perinde, ac ſi animas veſtras ſuo mucrone Sathan iugularit. Ne ergo taciturnitatis arguar. Hac de cauſa fæpiſſimè oſtia, lectis Euangelijs occludi iuſſit: donec propitio Deo ipſi gratularentur, ea coërcitione ſe profeciſſe, qui ſolebant eſſe fugitiui.

Extat eiuſdem Cæſarij homilia ad populum, cuius exordio populum rogat, ne Dominico alioue ſacro die feſto celebriore Miſſam negligant, vel ante finem eiuſdem egrediantur. Rogo vos Fratres cariſſimi, *inquit hom. 12.* & paterna pietate commoneo, vt quoties aut die Dominico, aut alijs maioribꝰ feſtiuitatibus Miſſæ fiunt, nullus de Eccleſia diſcedat, donec diuina myſteria expleantur. *Vide Baron. an. 58. num. 89. Item 506. nu. 5.*

Cap. 60.

Lapſis id eſt qui in Catholica] *Admixtione Gothorum Arianorum contingebat in* Gallia, *quod plures à fide Catholica in hæreſim abducerentur, & poſtea delicti pœnitentes ad Eccleſiam Catholicam remearent. Quomodo igitur hi ſuſcipiendi eſſent, ſancta Synodus hoc canone decreuit.*

Alaricus quamdiu orthodoxos obſeruauit, regnum patratum tenuit.

Anno 22. Regis Alarici] *Alaricus filius Euarici Regis Gothorum in Gallia ſucceſſit Arianus patri Ariano, & Catholicorum perſecutori impio anno Chriſti 484. Regnum pacatum tenuit, quamdiu S. Remigium alioſque Antiſtites ſacros, qui pro eius felicitate ad Deum iuges orationes fundebant, obſeruauit: quando verò S. Cæſarium: Quintianū: alioſque Epiſcopos in exilium relegabat, fauore ac gratia Dei priuatus, regno ſimul & vita exutus eſt per Clodoueum, anno regni ſui 23. qui eſt Chriſti 507.*

aCONCILIVM bAVRELIANENSE PRIMVM cTRIGINTATRIVM EPISCOPORVM TEMPORE dSYMMACHI PAPÆ, ET CLODOVEI eREGIS. Eſt Prouinciale.

CAPITVLORVM AVRELIANEN. Synodi primæ, Tituli.

Clodouei Franciæ regis epiſtola ad ſynodum. 1
Reſcriptum epiſcoporum ad regem Franciæ Clodoueum. 2
De his, qui pro qualibet culpa ad eccleſiam confugerint. 3
Si raptor cum rapta ad eccleſiam confugerit. 4
Si ſeruus à domino, de eccleſia excuſſus vel ductus, iniuriam aut cædem pertulerit. 5
Vt filij vel nepotes clericorum, in epiſcopi ſint poteſtate, & de laicis ſine voluntate epiſcopi non ordinandis. 6
Qualiter ab epiſcopo facultas eccleſiæ diſpenſetur. 7
Eum, qui epiſcopum proprio iure inuitat, non excommunicandum. 8
Nullus clericorum ſine commendatitijs epiſcopi ſui ad regem accedat. 9
Si neſciente domino, ſciens epiſcopus ſeruum alienum promouerit. 10
Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiſerit. 11
De clericis, qui purè ad fidem noſtram conuerſi fuerint ex hæreticis. 12
De pœnitentibus, qui ad ſecularia redierint. 13
De clericis pœnitentibus. 14
Si relicta presbyteri aut diaconi, alij ſe coniunxerit. 15
De his, quæ in altario offeruntur. 16
De his, quæ à fidelibus parochianis in eccleſijs offeruntur. 17
Vt epiſcopus & pauperes, & infirmos tueatur. 18
Vt baſilicæ, in cuius territorio ſunt, in eius epiſcopi maneant poteſtate. 19
De inceſtis, vt excommunicentur. 20
Vt abbates in poteſtate epiſcoporum ſint, & de monachis vagis. 21
Vt monachi oratorio vel zonis non vtantur. 22
Si monachus vxorem duxerit. 23
Vt monachus, ſine permiſſu epiſcopi vel abbatis, cellulas non conſtruat. 24
Si epiſcopus cuiquam terrulas præſtiterit excolendas, ſine præiudicio iuris eccleſiæ tenebuntur. 25
Vt ante paſcha quadrageſima teneatur. 26
Vt nullus ciuium feſtiuitates maiores in villa celebret. 27
Vt populus ante completam Miſſam, & benedictionem acceptam egredi non præſumat. 28
Vt litaniæ ante aſcenſionem Domini celebrentur. 29
De clericis, qui ad officium venire contemnunt. 30
De familiaritate extranearum mulierum. 31
De religioſis ſecularibus, qui diuinationibus attendunt. 32
Quòd epiſcopus die Dominica ab eccleſia abeſſe non debet. 33

fEPISTOLA CLODOVEI REGIS FRANCIÆ ad Synodum.

Capitulum primum.

DOMINIS *ſanctis & Apoſtolica ſede digniſſimis epiſcopis, Clodoueus rex.* Enunciante fama, quid actum fuerit vel præceptum omni exercitui noſtro, priuſquam in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudinem veſtram præterire non potuit. In primo quoq; de miniſterio Eccleſiarum omnium præcepimus, vt nullus ad ſubripiendum in aliquo conaretur, neq; de ſanctimonialibus, neq; de viduis quæ in religione Domini deuotæ eſſe probarentur. Simili conditione & de clericis vel filijs ſupradictorum tam clericorum quàm viduarum, qui cum illis in domo ipſorum conſiſtere videbantur. Idem & de ſeruis eccleſiarum, quos de eccleſijs tractos per epiſcoporum ſacramenta cōſtiterit præceptum eſt obſeruare, vt nullus ex ipſis aliquam violētiam vel damnum patiatur. Quod ita ad integrum eſt intelligendum, vt ex his ſupradictis, ſi aliquis vim captiuitatis pertuliſſet, ſiue in eccleſia, ſiue extra eccleſiam, omninò ſine aliqua dilatione præcipiamus eſſe reddendos. De cæteris quidem captiuis laicis, qui extra pacem ſunt captiuati, & fuerint approbati *Apoſtoli, aut cui volueritis, arbitrij veſtri eſt non negandum. Nam de his, qui in *pace noſtra tam clerici quàm laici ſubrepti fuerint, ſi veraciter agnoſcitis, veſtras epiſtolas de annulo veſtro infrà ſignatas, ſic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte noſtra præceptionem latam noueritis eſſe *firmandam; ſic tamen populus noſter petit, vt cuicunque epiſtolas veſtras præſtare fueritis dignati, cum ſacramento per Deum, & benedictione veſtra dicere non tardetis, rem iſtam, quæ poſcitur, veram eſſe, quia multorum varietates vel falſitates inuentæ ſunt, vt comprehendantur, ſicut ſcriptum eſt: *Perit iuſtus cum impio.* Orate pro me, domini ſancti, & Apoſtolica ſede Papæ digniſſimi.

*apoſtolici
*parte

*ſeruandam.

Geneſ. 18.

Reſcriptum Epiſcoporum ſynodi ad Regem Franciæ.

Capitulum ſecundum.

DOMINO *ſuo Catholicæ Eccleſiæ filio Clodoueo glorioſiſſimo regi, omnes ſacerdotes quos ad Concilium venire inſiſtis.* Quia tanta ad religionis Catholicæ cultum glorioſæ fi-

dei cu-

dei cura vos excitat, vt ſacerdotalis mentis affectu ſacerdotes de rebus neceſſarijs tractaturos in vnum colligi iuſſeritis, ſecundũ veſtræ voluntatis conſultationẽ, & titulos, quos dediſtis, ea, quæ nobis viſa ſunt, definitione reſpondimus, ita vt ſi ea, quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe iudicio comprobantur, tanti conſenſus regis ac domini maiori authoritate ſeruanda, tantorum firmet ſententia ſacerdotum.

3 Cùm authore Deo, in Aurelianenſi vrbe fuiſſet Concilium ſummorum antiſtitum congregatum, communi omnium collatione complacuit, vt hoc, quod verbis ſtatuerũt, etiam ſcripturæ teſtimonio roborarent.

17.q.4.Id cõſtituim.

De homicidis, adulteris, & furibus, ſi ad eccleſiam confugerint, id conſtituimus obſeruandum, quod eccleſiaſtici Canones decreuerunt, & lex Romana conſtituit, vt ab Eccleſiæ atrijs vel domo epiſcopi, reos abſtrahere omninò non liceat, ſed nec alteri conſignare, niſi ad Euangelia datis ſacramentis, de morte & debilitate, & ómnium pœnarum genere ſint ſecuri, ita vt ei, cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conueniat. Quòd ſi quis ſua ſacramenta conuictus fuerit violaſſe, reus periurij, nõ ſolùm à communione Eccleſiæ, vel omnium clericorum, verùm etiam & à catholicorum conuiuio ſeparetur. Quòd ſi is, cuius reus eſt, noluerit, intentione faciente componi, & ipſe reus de eccleſia, actus timore, diſceſſerit, ab eccleſiæ clericis non quæratur.

36.q.1.De raptoribus autem

4 De raptoribus autem id conſtituendũ eſſe cenſuimus, vt ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit, & fœminã ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor mortis vel pœnarum impunitate conceſſa, aut ſeruiendi conditioni ſubiectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem. Si verò, quæ rapitur, patrem habere conſtiterit, & puella raptori conſenſerit: poteſtati patris excuſata reddatur, & raptor patri, ſuperioris conditionis ſatisfactione, teneatur obnoxius.

17.q.4.Id cõſtituim.

5 Seruus, qui ad eccleſiam confugerit pro qualibet culpa, ſi à Domino pro admiſſa culpa ſacramentum ſuſceperit, ſtatim ad ſeruitium domini ſui redire cogatur: & poſteaquam dato ſacramento, domino ſuo fuerit conſignatus, ſi aliquid pœnæ pro eadem culpa, qua excuſatur, probatus fuerit pertuliſſe: pro contemptu eccleſiæ & præuaricatione, fidei à communione & conuiuio catholicorum extraneus habeatur. Si verò ſeruus pro culpa ſua ab eccleſia defenſatus, ſacramenta domini, clericis exigentibus, de impunitate perceperit, exire nolẽtem à domino liceat occupari.

6 De ordinationibus clericorum id obſeruandum eſſe decreuimus, vt nullus ſecularium ad clericatus officiũ præſumat accedere, niſi aut cum regis iuſſione, aut cum iudicis voluntate, ita vt filij clericorum, id eſt, patrum, auorum, ac proauorum, quos in ſupradicto ordine parentum conſtat obſeruationi ſubiunctos, in epiſcoporum poteſtate & diſtrictione conſiſtant.

7 De obligationibus vel agris, quos Dominus noſter rex, eccleſiæ ſuo munere conferre dignatus eſt, vel adhuc non habentibus, Deo ſibi inſpirante, contulerit, ipſorum agrorum vel clericorum immunitate conceſſa, id eſſe iuſtiſſimum definimus, vt in reparationibus eccleſiarum, alimonijs ſacerdotum, & pauperum refectione, vel redemptionibus captiuorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & clerici ad adiutorium eccleſiaſtici operis conſtringantur. Quòd ſi aliquis ſacerdotum, ad hanc curam minus ſolicitus ac deuotus extiterit, publicè à comprouincialibus Epiſcopis confundatur. Quòd ſi nec ſub tali ſe confuſione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus: minores vero (vt indignum eſt) diſtringantur.

6.q.7. Si quis ab Epiſcopo. * conuentione.

8 Si quis ab Epiſcopo ſuo, vel de eccleſia, vel de proprio iure crediderit aliquid repetendum: ſi nihil conuicij aut criminationis obiecerit, eum pro ſola * contentione, à communione eccleſiæ non liceat ſubmoueri.

9 Abbatibus, preſbyteris, omniq́ue clero, vel in religionis profeſſione viuentibus, ſine diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum, pro petendis beneficijs ad dominos venire non liceat. Quod ſi quiſquam præſumpſerit, tam diu loci ſui honore & communione priuetur, donec pœnitentiam plenam, eius ſatisfactionem ſacerdos accipiat.

Dist. 9. ſeruus in fine.

10 Si ſeruus abſente vel neſciente domino ſuo, Epiſcopo tamen ſciente, quòd ſeruus ſit, diaconus aut preſbyter fuerit ordinatus, ipſo in clericatus officio permanente, Epiſcopus eum domino duplici ſatisfactione compenſet. Si verò Epiſcopus eum ſeruum neſcierit, qui teſtimonium perhibent, aut eum ſupplicauerint ordinari, ſimili redhibitioni teneantur obnoxij.

Dist. 9. diaconus aut.

11 Si diaconus aut preſbyter crimen capitale commiſerit, ſimul & ab officio & communione pellatur.

12 De hæreticis clericis, qui ad fidem catholicam plena fide & voluntate venerint, vel de baſilicis, quas in peruerſitate ſua Gothi hactenus habuerunt, id cenſuimus obſeruari, vt ſi clerici fideliter conuertantur, & fidem catholicam integrè confiteantur, vel ita dignam vitam morum & actuum probitate cuſtodiant, officium, quo eos Epiſcopus dignos eſſe cenſuerit, cum impoſitę manus benedictione ſuſcipiant, & eccleſias ſimili, quo noſtræ innouari ſolent, placuit ordine conſecrari.

Depoſit. cleric. c. Dolo qui.

13 De his, qui ſuſcepta pœnitentia, religionem ſuæ profeſſionis obliti, ad ſecularia relabuntur, placuit, eos & à communione ſuſpendi, & ab omnium catholicorum conuiuijs ſeparari. Quòd ſi poſt interdictum, cum eis quiſquam præſumpſerit manducare, & ipſe communione priuetur.

Dist. 81. diaconus. * hic.

14 Si diaconus vel preſbyter, pro reatu ſuo ſe ab altaris communione ſub pœnitentis profeſſione ſubmouerit, * ſic quoque ſi alij defuerint, & cauſa certæ neceſſitatis exoritur, poſcentem baptiſmum liceat baptizare.

Dist. 81. ſe. * cæli. ſeruet.

15 Si ſe cuicunque mulier duplici coniugio, preſbyteri vel diaconi relicta, coniunxerit, aut * caſtigati ſeparentur: aut certè, ſi in criminum intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur.

10.q.1. cuquam no.

16 Antiquos canones relegentes, priora ſtatuta credimus renouanda, vt de his, quę in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem epiſcopus ſibi vendicet, & medietatem ſibi diſpenſandam ſecundum gradus clerus accipiat, tam de prædijs proprijs, quàm de omni commoditate inepiſcoporum poteſtate durantibus.

10.q.1. his quæ no.

17 De his, quæ parochijs in terris, vineis, mancipijs, atque peculijs quicunque fideles obtulerint, antiquorum canonum ſtatuta ſeruentur, vt omnia in epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his tamen, quæ in altario acceſſerint, tertia fideliter epiſcopis deferatur, duæ clericis. Decimæ autem, ſecundam quoſdam, ſingulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos ſequentes Romanos, ſingulis annis quartam partem, aut in quarto anno, totam epiſcopi recipiant.

Extra. de libra addi. rio.

Dist. 8. Epiſcopus pauperibus.

18 Epiſcopus pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtimentum, in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur.

6.q.3. manſa baſilicæ.

19 Omnes baſilicæ, quæ per diuerſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidiè conſtruuntur, placuit, ſecundum priorum canonum regulam, vt in eis epiſcopi, in cuius poſitæ ſunt territorio, poteſtate conſiſtant.

18.q.2. bates pro humili.

20 Nec ſuperſtes frater totum defuncti fratris aſcendat, nec ſe quiſquam amiſſæ vxoris ſorori audeat ſociare. Quod qui fecerint, eccleſiaſtica diſtrictione feriantur.

21 Abbates, pro humilitate religionis, in epiſcoporum poteſtate conſiſtant. Et ſi quid extra regulam fecerint, ab epiſcopis corrigantur. Qui ſemel in anno, in loco vbi epiſcopus elegerit, accepta vocatione, cõueniant. Monachi autem abbatibus omni obedientia & deuotione ſubiaceant. Quòd ſi quis per contumaciam extiterit indeuotus, aut per aliqua loca vagari, aut peculiare aliquid habere præſumpſerit: omnia, quæ acquiſierit, ab abbatibus auferantur, ſecundum regulam monaſterio profutura. Ipſi autem, qui fuerant peruagati, vbi inuenti fuerint, cum auxilio epiſcopi, tanquàm fugaces, ſub cuſtodia reuocentur. Et reum ſciille abbas futurum eſſe cognoſcat, qui in huiuſmodi perſonis non regulari animaduerſione diſtrinxerit, vel qui ſuſceperit monachum alienum.

22 Monacho orarium in monaſterio vel zonas habere non liceat.

23 Monachus in monaſterio conuerſus, ſi pellici po-

stea vel vxori fuerit sociatus, tantæ præuaricationis reus, nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur.

24 Nullus monachus, congregatione monasterij derelicta, ambitionis & * vanitatis impulsu cellulam construere, sine episcopi permissione, vel abbatis sui voluntate, præsumat.

25 Si episcopus humanitatis intuitu, vinculas, vel terrulas clericis vel monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiam si longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum ecclesia præiudicium patiatur, nec secularis legis præscriptio, quæ ecclesiæ aliquid impediat, opponatur.

26 Id sacerdotibus omnibus est decretum, vt ante paschę solennitatem, non quinquagesima, sed quadragesimate neatur.

27 Vt nulli ciuium Paschæ, natalis Domini, vel quadragesimę solemnia in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

28 Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus nõ ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur: & vbi episcopus non fuerit, benedictionem accipiat sacerdotis.

29 Rogationes, id est, litanias, ante ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium, in Dominicæ Ascensionis solemnitate soluatur: per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuersa conueniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.

30 Clerici verò, qui ad opus sanctum adesse contempserint, secũdum arbitrium episcopi, Ecclesiasticam suscipiant disciplinam.

31 De familiaritate extranearum mulierum tam episcopi, quàm presbyteri, vel diaconi præteritorum canonum statuta custodiant.

32 Si quis clericus, monachus, vel secularis, diuinationem vel auguria crediderit obseruanda, vel sortes (quas mentiuntur esse sanctorum) quibuscunque putauerint intimandas, cum his, qui eis crediderint, ab Ecclesiæ communione pellantur.

33 Episcopus, si infirmitate non fuerit impeditus, Ecclesiæ, cui proximus fuerit, die Dominico deesse non debet.

Nomina episcoporum, qui in eadem synodo fuerunt, & mecum subscripserunt, numero 33.

Auentinus * Dinien. metropolis, Adelphius Rauracensis, Boethius Cadurcen. Cyprianus Burdegalen. metropolis, Cronopius Petragoricensis, Camilianus Trecasinus, Eusebius Aurelianen. Euphrasius Auernorum, Edibius Ambianen. Eustochius Andegauen. Epiphanius Namneticen. Eraclius Parisiacensis, * Etilius, * Vasionen. * Gildardus Rothomagensis metropolis, Leontianus Constantien. Lupicinus Engolismanus, Litharedus Lexouiensis, Lupus Suessionensis, Leuanianus Siluanectensis, Licinius Turonensis metropolis, Leontius Tolosanæ metropolis, Maurusius Ebroicensis, Melanius Rhedonensis, Modestus Venetensis, Melanius Viromandensis, Nepos Abrincen. Petrus * Xanctonen. Principius Cenomannen. Quintianus Ruthenen. Sophronius Nouiomen. Theodosius Antisiodoren. Tetradius Auscior̃, Tetradius Bituricensis metropolis.

Finis Concilij I. Aurelianensis.

NOTÆ in Concilium Aurelianense primum; 3. Episcoporum tempore Symmachi Papæ, &c.

a Concilium] *Hoc Concilium qua occasione, cuiusue hortatu ac consilio congregatum, & à quo procuratum fuerit, indicat Hincmarus de rebus gestis S. Remigij his verbis:* Per consilium B. Remigij in Aureliana ciuitate Episcoporum synodum conuocauit, in quo conuentu multa vtilia constituta fuêre. *Clodoueus Rex Christianissimus molestissimè ferebat, Alaricum Arianum nobilissimæ Galliarum prouinciæ imperium tenere. Nouo etiam Christiano & fortissimo Principi suaserat B. Remigius, cuncta dexterè tunc processura, si ante omnia optimo Religionis statui prospiceret; si ad debellandos hostes cum Dei timore pietatem custodiret, templa ad honorem Dei exstrueret, conuocato Concilio collapsam Ecclesiæ disciplinam reformari curaret, nullam denique vim, rapinam, aut iniuriam rebus sacris inferri demandaret. Quibus consilijs Rex pientissimus inductus, his alijsq; bellicis apparatibus religiosè præparatis, de Rege Ariano deuicto & prostrato gloriosum victoriæ triumphum comparauit.*

b Aurelianense] *Sic dictum ab Aurelia, quæ est Galliæ Celticæ vrbs insignis, olim Genabum, vt quidam putãt, dicta, cuius celeberrima fit mentio in commentarijs Cæsaris. Sita est ad Ligerim fluuium.*

c Triginta trium Episcoporum, &c.] *Ex his sanctitate conspicui fuerunt, Gildardus Rhotomagensis; Luuus Sueßionensis S. Principij Episcopi filius & in Episcopatu successor, & S. Remigij nepos: Item Melanius Rhodonensis, Quintianus, Rutenus & Theodosius Antisidorensis; quos omnes habet sacer Ecclesiæ Catalogus, quæ eosdem colit, publicoque præconio singulis annis celebrat. Sed & Leontius Tolosanus inter Episcopos huius temporis magni nominis extitit. Qui verò in castris Clodouei tunc militauit Aquilinus vir illustris, abdicato sæculo, postea creatus Episcopus Ebriocensis, egregia sanctitate enituit, vt res ab eo præclare gestæ testantur, apud Surium die 10. Octobr.*

d Tempore Symmachi Papæ & Clodouei Regis] *Anno illo, quo Alaricus Rex Arianus à Clodoueo Rege Christianissimo occisus est; qui est Christi 507. Symmachi Papæ nonus: Anastasij Imperatoris 17. Nam sub Consulatu Messalæ & Alarici Regis anno regni, 22. Agathense Concilium permissu eiusdem Regis necdum Catholicos persequentis celebratum fuisse, supradiximus. Cum itaque hæc synodus habitasit, vt patet can. 12. post Regem Alaricum à Clodoueo in pugna occisum, postque Gothos ex Gallia exactos, hoc anno, qui est 23. & vltimus Alarici hanc synodum conuocatam fuisse oportuit: si quidem Isidori Hispalensis testimonio certum sit, Alaricum non nisi viginti tribus annis in Gallia regnasse. Vide quæ notauimus supra in Notis Concilij Agathensis in fine, verbo* Alarici.

e Clodouei Regis] *Clodoueus an. Domini 584. defuncto Childerico Francorum Rege apud Parisios in Gallijs regnanti patri suo successit. Tenuit regnum annis triginta, vt tradit Gregorius Turonensis libr. 2. histor. capit. 20. infine. Parens licet Ethnicus sanctissimam Genouefam coluit: filius vero non tantum eandem veneratus est; sed & muneribus frequentauit; qui dum adhuc gentilis esset, magna etiam veneratione prosecutus est S. Remigium Rhemensem Episcopum, eique amplissimas villas dono dedit. Vnde diuina prouidentia factum, quod dum Romanum Occidentale imperium collapsum erat, triplicisque generis barbari, Gothi nimirum, Burgundiones & Franci Gallias occupabant, eius tantummodo gentis regnum ad posteros feliciter propagaretur, penes quam cultus pietatis foret excellentius effulsurus. Anno regni sui decimo, Christi 494. Clodoueus fœdere nuptiarum iunxit sibi in matrimonium Crotildem Christianam fœminam, neptem Burgundiæ Regis Gundebaldi, cuius indefessi oratione ac prædicatione commotus, anno regni sui 15. Christi Domini 499. dum ope Christi Alemannos miraculosè vicisset, illustratione sacri baptismatis filius lucis effectus est. A S. Gedasto catechizatum & in fide institutum S. Rhemigius Rhemensis Episcopus prauijs miraculis pluribus baptizauit: è quorum numero hoc celeberrimum est, quod ore columbæ cælitus aduementis, ampulla Chrismatis allata fuerit, qua cum Rege Clodoueo fons baptismatis solito more consecratus fuit. Hincmarus in vita S. Remigij die 13. Ianuarij. Quo euentu quoue bellico apparatu Gallias ab Alarico Rege Ariano liberauerit, supra dixi. Anastasius Imperator, vt tam ũ principem demereret, Consularem dignitatem eidem obtulit: sed Rex Christianissimus munus ab hæretico oblatum spernens, codices Consulares cum insignibus remisit. Post res bellicas Parisios profectus in febrim incidit grauissimam: ad quam curandam post multa medicorum consilia, accersitus est sanctissimus vir Seuerinus Agauensis Monasterij abbas, vir magni nominis & miraculorum virtute clarissimus, qui super ægrotantem Regem præmissis precibus, casulam, qua indutus erat, imponens, febrim eius medullis fixè inhærentem fugauit. Restitutus sanitate, flexis genibus Dei seruum est veneratus: cui etiam ob gratiarum actionem illud præstitit, vt quos vellet vinctos è carcere liberaret: pauperibusque quantum vellet, ex regio thesauro acceptum erogaret. Hæc Faustus Presbyter scriptor huius sæculi. Ipsis primordijs Hormisdæ Papæ, quem aurea corona cum geminis exornata donauerat, primitiæ Christianorum Regum Galliæ Deo oblatæ, in cælum translatæ fuerunt, anno vitæ 45.*

& regni

mis Alaricũ deuicerit.

Episcopi celebres qui huic Concilio interfuerint.

Tempus Concilij.

Clodoueus quo tẽpore regnum adeptus.

Clodoueus ducit Gundebaldi neptem Crotildẽ in vxorẽ.

Clodoueus à S. Remigio baptizatur.

Clodoueus oblatã cõsularem dignitatẽ renuit.

Miraculõ sè sanatur à S. Seuerino Agauensi.

& regni trigesimo, qui erat Christi Domini 514. & Hormisdæ Pontificis primus.

f Epistola Clodouei] *Clodoueus aduersus hæreticos pugnaturus principio cæleste numen placandum, eiusque Cœlites & amicos conciliandos esse putauit. Quare cum per consilium Reginæ suæ Ecclesiam in honore Apostolorum Petri & Pauli Parisijs exstruxisset, & ad reformandã Ecclesiasticam disciplinã Concilium congregari procurasset, sacramq; benedictionem à sanctissimo sacerdote Remigio ad periculosum bellum facilius conficiendum accepisset, vniuerso exercitui edita sanctione mandauit, ne quid damni per huiusmodi bellũ Ecclesijs vel earum ministris aut bonis inferretur. Idq; non tantum lege sancita præcepit; verum etiam inuiolabiliter obseruari & custodiri voluit. Sicut ea quæ de ipso scribit Gregorius Turon. lib. 2. c. 37. apertè declarant.*

Sacerdotes in vnum colligi iusseritis] *Suasu & hortatu S. Remigij Rhemensis Episcopi, vt supra diximus ex Hincmaro apud Surium.* Cap. 1.

De obligationibus] *Quæ dona S. Remigio cunctisq; Ecclesijs in Gallia Rex pijssimus contulerit, describuntur in testamento S. Remigij apud Brisson. de fœm. lib. 7. Ex quibus Lector veterem vsum de rerum Ecclesiasticarum triplici distributione sanctum apertè cognoscis.* Cap. 7.

Rogationes id est litanias, &c.] *Vide Notas Epistolæ Hilar. Pontificis supra.* Cap. 29.

---

a CONCILIVM b EPAVNENSE, VIGINTI QVATVOR EPISCOPORVM TEMPORE d SYMMACHI PAPÆ, ET Sigismundi Regis Burgundionum, anno Domini 509. celebratum. Est Prouinciale, & multa habet consimilia illis, quæ in Synodo Agathensi leguntur.

QVOD præcipientibus tantis dominis meis, ministerium proferendi sermonis assumo, facio hoc non tam præsumptionis ausu, quàm *præsumptionis obsequio, dum exequi & implere contendit nõ audacia temeritatem, sed obedientia iussionem: simulq; tanto maior obtemperantis apparebit humilitas, quanto minor comprobatur facultas: maiorq; profectò præcipientium reuerentia prodetur, quandò obediẽtia nulla possibilitatis fiducia suffragatur. Sic Dominus mediocritatis meæ eo ampliùs honorabit imperitiam. Chraritas quoq; vestra, si nequaquã facundo oblectabitur aut instruetur eloquio, ædificetur saltem humilitatis exemplo. Quoniam ergò (sicut volumus) tacere non sinimur, aliquid (vt possumus) iam loquamur. Deo propicio, ad Epaunensem ecclesiam congregati. quid vel de antiquis regulis, vel de nouis ambiguitatibus senserimus, expressis singulatimque discretis cõstitutionibus, præsentibus titulis, credidimus adnotandum.

*for. præceptionis.

Capitulum primum.

Qualiter episcopus ordinetur.

PRima & immutabili cõstitutione decretum est, vt cùm metropolitanus fratres vel cõprouinciales suos ad Concilium, aut ad ordinationem cuiuscunque consacerdotis crediderit euocandos, nisi causa euidentis tædij extiterit, nullus excusẽt.

De illicitis clericorum ordinationibus.

*de ordinationib⁹ clericorũ

2 Ne secundæ vxoris, aut renuptæ maritus, presbyter aut diaconus ordinetur, abundè sufficeret ab Apostolo constitutum: sed quia præceptum huiusmodi excedi quorũdam fratrum simplicitate cognouimus, speciali obseruantia renouamus, sciente eo, qui contra interdictum ordinauerit, reum fratribus se futurum: illo autem, qui contra fas honorem prohibitę benedictionis ambierit, nihil se clericalis ministerij præsumpturum. 1. Tim. 3.

Episcopi non sint venatores, nec accipitres habeant.

3 Episcopis, presbyteris, atque diaconibus canes ad venãdum, & accipitres ad aucupandum habere non liceat. Quòd si quis talium personarum, in hac fuerit voluntate detectus, si episcopus est, tribus mensibus se à communione suspendat: duobus, presbyter abstineatur: vno, diaconus ab omni officio & communione cessabit.

Ne pœnitentes ordinentur.

4 Pœnitentiam professi, ad clericatum penitus non vocentur.

Ne alterius episcopi clericus, in alia ciuitate constituatur.

5 Ne presbyter territorij alieni, sine consciẽtia sui episcopi, in alterius ciuitatis territorio præsumat basilicis aut oratorijs inseruire: nisi fortè episcopus suus illum concedat episcopo illi, in cuius territorio habitare disposuit. In quo si excessum fuerit, episcopus, cuius presbyter fuerit fratri suo nouerit culpabilem se futurum, qui clericum iuris sui illicita facientem, sciens ab scandali admissione non reuocat.

De vagis clericis ad communionem non assumendis.

6 Presbytero vel diacono, sine antistitis sui epistolis ambulanti, communionem nullus impendat.

Ne quid archipresbyter vendat.

7 Quicquid parochiarum presbyter de ecclesiastici iuris possessione distraxerit, inane habeatur & vacuum, in venditorem comparantis actione vertenda.

De archipresbyterorum emptionibus, & abbatum venditionibus.

8 Archipresbyter dum diœcesim tenet, de his, quæ emerit, aut ecclesię nomine scripturam faciat, aut ab eius, quam tenet, ecclesię ordinatione discedat. Similis quoque de venditionibus, quas abbates facere præsumpserint, forma seruetur: vt quicquid sine episcoporum notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi reuocetur. Mancipia verò monachis donata, ab abbate non liceat manumitti. Iniustum enim putamus, vt monachis quotidianum rurale opus facientibus, serui eorum libertatis ocio potiantur.

Vnius monasterij sit vnus abbas.

9 Vnum abbatem duobus monasterijs interdicimus præsidere.

De nouis monasterijs ac congregationibus.

10 Cellas nouas aut congregatiunculas monachorũ, absque episcopi notitia prohibemus institui.

Qualiter clericus publicum iudicium non interpellet.

11 Clerici sine ordinatione episcopi sui, adire vel interpellare publicum iudicium non præsumant: sed, & si pulsati fuerint, sequi ad seculare iudicium non* præsumant.

De venditionibus episcoporum.

12 Nullus episcopus de rebus ecclesiæ suæ, sine consciẽtia metropolitani sui, vendendi aliquid habeat potestatem, vtili tamen omnibus commutatione permissa.

De fid-

De falsis testibus.

13 Si quis clericus in falso testimonio conuictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.

De his, quæ aliquis ante episcopatum de alterius ecclesia possedit.

14 Quisquis clericus aliquid de munificentia ecclesiæ, cui seruierat, adeptus, & ad summum sacerdotium alterius ciuitatis est aut fuerit ordinatus: quod dono accipit, vel acceperit, reddat, & quod suum est ex proprietate, vel secundũ instrumenti seriem probatur emisse, possideat.

De hæreticorum & Iudæorum conuiuijs.

15 Si superioris loci clericus, hæretici cuiuscunque conuiuio interfuerit, anni spatio pacem Ecclesiæ non habebit. Quòd si iuniores clerici præsumpserint, vapulabunt. A Iudæorum verò conuiuijs etiam laicos constitutio nostra prohibuit: nec cum vllo clerico nostro panem comedat, quisquis in Iudæorum fuerit conuiuio inquinatus.

De hæreticis conuertentibus.

16 Presbytero, propter salutem animarum, quam in cunctis optamus desperatis & decumbentibus hæreticis, si conuersionem subitam petant, chrismate subuenire permittimus. Quod omnes conuersuri, si sani sunt, ab episcopo nouerint expetendum.

De donationibus in testamento.

17 Si Episcopus condito testamento, aliquid de ecclesiastici iuris proprietate legauerit: aliter non valebit, nisi vel tantum de iuris sui propria facultate suppleuerit.

De possessionibus clericorum.

18 Quod clerici etiam sine precatorijs, qualibet diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione possederunt, cum authoritate Domini gloriosissimi Principis nostri, in ius proprietatis temporis præscriptione non vocetur: dummodò pateat, Ecclesiæ rem fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationis prolixæ, aut precatorias, cùm ordinati sunt, facere debuisse, aut diu tentas Ecclesiæ facultates proprietati suæ posse transcribere.

De correptione abbatis peccantis.

19 Abbas, si in culpa reperiatur aut fraude, & innocẽtem se asserens, ab Episcopo suo accipere noluerit * correptionem, ad metropolitani iudicium deducatur.

* successorem

Ne illicitis horis clericus ambulet.

20 Episcopo, presbytero, & diacono, vel diuersis clericis horis indebitis, id est, Meridianis vel vespertinis, ad fœminas prohibemus accessum: qui tamen si causa fuerit cum presbytero aut clericorum testimonio videantur.

De benedictione viduarum.

21 Viduarum consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, solam eis pœnitentiæ benedictionem, si conuerti ambiunt, imponendo.

De criminationibus sacerdotum.

22 Si diaconus, aut presbyter crimen capitale commiserit, ab officij honore depositus, in monasterium retrudatur, ibi tantummodò, quàm diu aduixerit, communionem sumendo.

De pœnitentibus.

23 Si quis accepta professaque pœnitentia, boni immemor, ad secularia reuoluatur, prorsus communicare non poterit, nisi professioni, quam illicitè prætermiserat, reformetur.

De propositione laicorum contra Clericos.

24 Laicis contra cuiuslibet gradus clericum, si quid criminale parant obijcere, dummodò vera suggerant, proponendi permittimus potestatem.

De sanctorum reliquijs.

25 Sanctorum reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur, nisi forsan clericos cuiuscunque parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.

De altaribus consecrandis.

26 Altaria, nisi lapidea, infusione chrismatis non sacrentur.

De diuino officio per Metropolitanum ordinando.

27 Ad celebrandum diuina officia, ordinem, quem metropolitani tenent, prouinciales obseruare debebunt.

De his, quos moriens episcopus excommunicatos reliquit.

28 Si episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum aut pœnitentem successori licebit absoluere. 11. q. 3. Si episcopus ante

De lapsis è catholica fide, Ecclesiæ restituendis.

29 Lapsis, id est, qui in catholica baptizati, præuaricatione damnabili pòst in hæresim transierunt, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine breuiata, pœnitentiam biennij conditione infrascriptæ obseruationis imponimus, vt præscripto biennio, tertia die sine relaxatione ieiunent, & Ecclesiam studeant frequentare, in pœnitentium * locum standi & orandi humilitatem nouerint obseruandam: ac etiam si ipsi quomodo catechumeni procedere commonentur, abscedant. Hoc si obseruare voluerint, constituto tempore admittentur ad altarium, & obseruatio relaxetur. Quam si arduam vel duram fortè putauerint, statuta præteritorum Canonũ complere debebunt.

De incestis coniunctionibus.

30 Incestis iunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Incestos verò, nec vllo coniugij nomine præuelandos (præter illos quos nominare funestum est) hos esse censemus: Si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali coniunctione violauerit: si quis germanam vxorem acceperit: si quis nouercam duxerit, si quis consobrinæ se societ: quod vt à præsenti tempore prohibemus, ita ea, quæ sunt anterius instituta, non soluimus. Si quis relictæ auunculi misceatur aut patrui, vel priuignæ concubitu polluatur: Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

De pœnitentia homicidarum.

31 De pœnitentia homicidarum, qui seculi leges euaserunt, hoc summa reuerentia de eis inter nos placuit obseruari, quod Ancyritani Canones decreuerunt. Ancyrani Concilij 21. & 22. capitulis.

De relictis mulieribus sacerdotum.

32 Relictæ presbyteri siue diaconi, si cuicunque renupserint, eatenus ab Ecclesia elongentur, donec à coniunctione illicita separentur: maritum quoque eius, similis vsque ad correctionem seueritate plectendum.

De baſilicis hæreticorum, diuinis non applicandis.

33 Baſilicas hæreticorum, quas tanta execratione habemus exoſas, vt pollutionem earum purgabilem non putemus, ſancti vſibus applicare deſpicimus: ſanè quas per violentiam noſtris abſtulerant,* poſſimus reuocare.

De pœna occidentium ſeruos proprios.

34 Si quis ſeruum proprium ſine conſcientia iudicis occiderit, excommunicatione biennij confuſionem ſanguinis expiabit.

De inuitandis ciuibus ad certas ſolennitates.

Locus omninò corruptus.

35 Ciues natalium ſuperiorem noctem Paſchæ, ac natiuitatis Domini, ſolennitatem Epiſcopis nec intereſt, in quibus ciuitatibus poſitus accipiendæ benedictionis deſiderio non venerint expetendus.

Nullus in deſperatione ab Eccleſia renuatur.

36 Ne vllus ſine remedio aut ſpe veniæ ab Eccleſia repellatur, neue vlli, ſi aut pœnituerit, aut ſe correxerit, ad veniam redeundi aditus obſtruatur: ſed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtitutæ tempora relaxentur. Quòd ſi ægrorum, accepto viatico, reualeſcere fortaſsè contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſeruare cõueniet.

De laicis ordinandis.

37 Ne laicus niſi religione promiſſa, clericus ordinetur.

De monaſterijs puellarum.

38 Monaſteria puellarum, non niſi probatæ vitæ & ætatis prouectæ, ad quaſcunque earum neceſſitates vel miniſtrationes permittantur intrare. Ad faciendas verò Miſſas, qui ingreſſi fuerint, ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt: alias autem nec clericus, nec monachus iuuenis vllum ad puellarum congregationem habebit acceſſum, niſi hoc aut paterna aut germana neceſſitudo probetur admittere.

De fugitiuis ſeruis.

39 Seruus reatu atrociore culpabilis, ſi ad Eccleſiam confugerit, à corporalibus tantùm ſupplicijs excuſetur. De peccatis vero vel quocunq; opere, placuit, à dominis iuramenta non exigi.

De confirmatione Canonum.

40 Quocirca hæc ſuperna inſpiratione communi conſenſu placuerunt: Si quis ſanctorum antiſtitum, qui ſtatuta præſentia ſubſcriptionibus proprijs firmauerunt, nec non & quos eorum Deus eſſe voluerit ſucceſſores, relicta integritate, obſeruationes exceſſerit, reum ſe diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum eſſe cognoſcat.

Auitus epiſcopus Viennenſ. conſtitutiones noſtras, id eſt, ſacerdotum prouinciæ Viennenſ. relegi & ſubſcripſi.

Apollinaris epiſcopus Valentinæ ciuitatis, relegi & ſubſcripſi.

Bubulc *Bouicus epiſcopus ciuitatis Vindonenſ. relegi & ſubſcripſi.

Claudius epiſcopus ciuitatis Veſontionenſ. relegi & ſubſcripſi.

Conſtantius epiſc. ciuitatis Octodoreñ. relegi & ſubſcripſi.

Catulinus epiſcop. ciuitatis Ebreduneñ. relegi & ſubſcripſi.

Conſtantius epiſcop. ciuitatis Vappeñ. relegi & ſubſcripſi.

Philagrius epiſc. ciuitatis Cauellicæ, relegi & ſubſcripſi.

Florentius epiſc. ciuitatis Trecaſſinæ, relegi & ſubſcripſi.

Gemellus epiſcopus ciuitatis Vaſioneñ. relegi & ſubſcripſi.

Gregorius epiſcopus ciuitatis Lingonicæ, relegi & ſubſcripſi.

Iulianus epiſcopus ciuitatis Carpentoractenſ. relegi & ſubſcripſi.

Maximus epiſcopus ciuitatis* Genauenſ. relegi & ſubſcripſi.

Pragmatius epiſcopus ciuitatis Auguſtudunenſ. relegi & ſubſcripſi.

Prætexatus epiſcopus ciuitatis Apteñ. relegi & ſubſcripſi.

Pedalius preſbyter iuſſu domini mei Salutaris epiſcopi, qui huic definitioni interfui & ſubſcripſi.

Sylueſter epiſcopus ciuitatis* Cabilonenſis, relegi & ſubſcripſi. *Cabilonenſi

Sanctus epiſcopus ciuitatis Tarantaſienſ. relegi & ſubſcripſi.

Seculatius epiſcopus ciuitatis Dieñ. relegi & ſubſcripſi.

Tauricianus epiſcopus ciuitatis Niuernenſ. relegi & ſubſcripſi.

Viuentiolus epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſ. cum comprouincialibus meis relegi & ſubſcripſi.

Valerius epiſcopus ciuitatis Segeſtricenſ. relegi & ſubſcripſi.

Victurius epiſcopus ciuitatis Gratianopolitanæ, relegi & ſubſcripſi.

Venantius epiſcopus ciuitatis Albenſis, relegi & ſubſcripſi.

Finis Concilij Epaunenſ.

NOTÆ in Concilium Epaunenſe ſub Symmacho Papa.

a Concilium] *Cum Sigiſmundus filius Gundebaldi Regis Burgundiæ ſtudio & labore Alcimi Auiti Epiſcopi Viennenſis viri ſanctiſſimi ex Ariana perfidia ad Catholicam religionem acceſſiſſet, nihil antiquius habuit, quam vt ditionem ſibi ſubiectam æquè ab Arianorum pollutione purgaret, collapſamque antiquam Eccleſiaſticam diſciplinam ſecundum ſancitos canones in integrum reſtitueret. Quod Clodoueus Rex Chriſtianiſſimus poſt Alaricum Arianorum principem è Gallia Narbonenſi fugatum monitu S. Remigij præſtitit in Gallia; Sigiſmundus poſt ſublatum è vita parentem Arianum, ſuaſu & hortatu Alcimi Auiti Viennenſis Epiſcopi fecit in Burgundia. Præfuit Concilio Viennenſis prouinciæ Primas Alcimus ſæpe nominatus. Nihil hoc loco nouiter conſtitutum eſt, quod non ante aliarum ſynodorum decretis ſancitum fuit. Baronius ann. 509. num. 13.* Sigiſmundus filius Gundebaldi Regis Burgundiæ ſtudio & labore Alcimi Auiti Epiſcopi Viennenſis viri ſanctiſſimi ex Ariana perfidia ad Catholicam religionem

b Epaunenſe] *Sic dictum ab oppido Aquitaniæ vel Narbonenſis Galliæ. Nam Epiſcopi, qui huic interfuerunt omnes huius tractus fuiſſe videntur. Creditur eſſe Apauna illa, cuius meminit Plinius in Bonifacio octauo: quæ teſte Maſſono, ſita eſt ad Auregeram amnem cis Pyrenæos montes ſub diœceſi Toloſana. Baronius in Martyrologio Paunam vocat. Hæc Abrahamus Ortelius in theſauro Geogr.*

c Epiſcoporum 24.] *Quorum nomina ſubſcripta inueniuntur. Ex his Sanctorum catalogo adſcripti ſunt Alcimus Viennenſis: Apollinaris Valentinus: Claudius Veſontienſis: Gregorius Lingonienſis: Pragmatius Auguſtudunenſis: Viuentiolus Lugdunenſis Epiſcopi. Quo die horum ſolennitas anniuerſaria colatur, vide Martyrologium Baronij. S. Sylueſter Cabilonenſis Epiſcopus, qui ſubſcriptus huic Concilio interfuiſſe non potuit; vt qui Cæſarium adhuc puerum, hoc tempore prouectioris ætatis ſenem ſacris officijs imbuerit. Magis ergo placet, vt pro Sylueſtro Cabilonenſi legatur Sylueſter Cabilenſis.* Numer. Epiſcop.

d Tempore Symmachi Papæ, &c.] *Anno pontificatus illius vndecimo. Ante hæc tempora conuocare Concilium Sigiſmundo (cuius opera coactum eſſe ſcribitur) liberum non fuit. Nam non niſi defuncto patre Rege Ariano, ipſe Catholicus Catholicæ fauit Eccleſiæ. Vnde nulla ſubeſt ratio, vt contra Arianos eorumq; Eccleſias ſancta ſynodus tempore Gelaſij Papæ, quando nondum regnaret Sigiſmundus, quicquam decernere potuerit. Baro. præd. anno in fine.* Tempus Concil.

PSEVDOSYNODVS SIDONIA PALAESTINAE, QVAM AD DAMNANDAM SYNODVM CHALCEDONENSEM Eutychiani & Acephali congregarunt, atque in ea iussu Anastasij Imperatoris Flauianum Antiochenum & Eliam Hierosolymitanum orthodoxos Episcopos Chalcedonensis Concilij defensores sedibus suis eijciendos esse decreuerunt.

NOTÆ.

Concilium pseudosynodum Anastasij hæretici Imperatoris in Acta Concilij.

Pseudosynodus] *Hoc Conciliabulum ab Anastasio Imperatore hæretico aduersus Dominum & aduersus Christum eius indictum, celebratum est ab hæreticis & perfidis octoginta Episcopis apud Sidonem in Palæstina anno Domini 512. qui est Symmachi 14. & Anastasij Imperatoris 22. De rebus in synodo gestis hæc summatim Marcell. in Chron. sub Consulatu Pauli & Musciani.* Porrò redintegrata prauitate, Anastasius infamem & irridendam Synodum apud Sidonem ciuitatem octoginta fermè perfidorum Episcopis congregatis aduersus Orthodoxorum Episcopos fieri imperauit. Flauianus Antiochiæ Catholicus patriarcha & Ioannes Paltensium Pontifex, quoniam hunc cœtum sacrilegum refellerunt, in castellum quod Petra dicitur, exules missi sunt; ibi Flauianus Confessor Christi in Domino requieuit. Ioannem Iustinus Augustus mox Imperator factus reuocauit. *Concilio Nicæno 2. actione 1. ex Actis huius Conciliabuli hæc recitata sunt.* Varijs modis Flauianum afflixerunt, & vexarunt, cogentes interim & obtorto collo huc trahentes, vt Acta Chalcedonensis synodi anathemate prosequerẽtur: quo nolente, Episcopatu suo priuatus, in exilium quoque damnatus est. *Hæc prolixius describunt Monachi Palæstinæ in epistola sua ad Alcysonem Nicopolitanum Episcopum Catholicæ fidei professorem: extat apud Euagrium lib. 3. cap. 32. Post quam idem auctor cap. 32. subiungit, quomodo pseudomonachi Flauianum ad damnandam Chalcedonensem synodum inuitantes ab Antiochenis ciuibus Catholicis & orthodoxis cæsi fuerunt. Vide Baron. an. 512. num. 19. & seqq.*

VITA, EPISTOLÆ ET DECRETA HORMISDAE PAPÆ.

Ex Libro Pontificali.

A.D. 514.

HOrmisda natione Campanus, ex patre Iusto, de ciuitate Frusinona, sedit annos 8. dies 17. Fuit autem temporibus Theodorici regis & Anastasij Augusti, à consulatu Senatoris, vsque ad consulatum Symmachi & Boethij. Hic composuit clerum, & psalmis erudiuit. Hic fecit basilicam in territorio Albanensi, in possessione Mesontis. Eodem tempore ex constituto synodi misit in Græciam, humanitatem ostendens sedis Apostolicæ, quia Græci obligati erant sub vinculo anathematis propter Petrum Alexãdrinum, & Acacium Constantinopolitanum episcopum. Sub Ioanne episcopo Constantinopolitano, cum consilio Theodorici regis, direxit Ennodium episcopum Ticineñ. & Fortunatum episcopum Cataneñ. & Venantium presbyterum vrbis Romæ, & Vitalem diaconum sedis Apostolicę, & Hilarium notarium, ad Anastasium Augustum: sed nihil egerunt. Item secũdò misit Ennodium episcopum, & Peregrinum Mesenatem episcopum, portantes epistolas confortatorias fidei, & contestationes secretas numero 19. & textũ libelli. In quo libello noluit assentire Anastasius Augustus, quia & ipse in hęresi Eutychiana communicauerat. Voluit itaque eos legatos per remunerationem corrumpere. Legati verò sedis Apostolicæ, contempto Anastasio Augusto, nullatenùs consenserunt accipere pecunias, nisi satisfactionem sedis Apostolicæ operaretur. Tunc Imperator repletus furore, eiecit eos per posterulam, & imposuit eos in naui periculosa cum militibus, & magistrianis, & prefectis nomine Heliodoro & Demetrio. Quibus hoc dedit in mandatis Imperator Anastasius, vt nullam ciuitatem ingrederẽtur. Legati verò sedis Apostolicæ secretius suprascriptas epistolas fidei 19. per manus monachorum & orthodoxorũ exposuerunt per omnes ciuitates. Quas tamen episcopi ciuitatum, qui erant complices Anastasij Augusti, omnes eas epistolas timore pro crimine, Constantinopolim direxerunt. Tunc furore repletus Anastasius Augustus contra Papam Hormisdam, inter alia sacra sua hoc scripsit, dicens: Nos iubere volumus, non nobis iuberi. Eodem tempore nutu diuinitatis, percussus est fulmine diuino Imperator Anastasius, & obijt. Sumpsit itaq; imperiũ Iustinus orthodoxus, & direxit authoritatem suam ad Papam Hormisdam sedis apostolicæ per Gratum, Illustrem nomine, petens à sede Apostolica, vt redintegraretur pax ecclesiarum. Tunc Hormisda episcopus cum consilio regis Theodorici, direxit à sede Apostolica Germanum Capuanum episcopum, & Ioannem & Blandum presbyteros, & Felicem & Dioscorum diaconos sedis Apostolicæ, & Petrum notarium, munitos ex omni parte fide & textu libelli pœnitentię. Qui venientes iuxta Constantinopolim, tanta gratia fidei illis refulsit, vt multitudo monachorum orthodoxorum, & illustrium virorum maxima multitudo, in quibus Iustinus Imperator & Vitalianus cõsul, simul occurrerunt ad castellum rotundum, quod ducit vsque in ciuitatem Constantinopolim, qui cum gloria & laude ingressi vna cum Grato Illustri, susceptisunt à Iustino orthodoxo Augusto cum gloria. Omnis itaque clerus vna cum episcopo Ioanne Constantinopolitano, sensit, quòd gratanter susceptisunt. Sentientes quoque hoc, qui erant complices Acacij, incluserunt se in ecclesiam maiorem, quæ vocatur sancta Sophia, & consilio facto, mandauerunt Imperatori, dicentes: Nisi nobis reddita fuerit ratio, quare damnatus est episcopus noster Acacius, nullatenus consentimus sedi Apostolicæ. Hic Papa Hormisda perrexit ad regem Theodoricum Rauennam, & cum eius consilio misit authoritatem ad Iustinum, & cum vinculo chirographi, & textũ libelli redintegrauit ad vnitatem sedis Apostolicæ, damnans Petrum & Acacium, vel omnes hæreses. Hic inuenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum exilio deportauit. Quorum codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremauit. Huius temporibus episcopatus in Aphrica post annos 74. reuocatus est, qui ab hæreticis fuerat exterminatus. Eodem tempore venit regium donum cum gemmis preciosis à rege Francorum Clodoueo Christiano, Beato Petro Apostolo. Sub huius episcopatu multa vasa aurea vel argentea venerunt de Græcia, & Euangelia cum tabulis aureis cum gemmis preciosis pensantibus libras 15. Patena aurea cum hyacinthis, quæ pensat libras 20. Patenæ argenteæ duæ, pensantes singulæ libras 25. Scyphus aureus cũ gemmis, pensans libr. 8. Scyphus aureus circundatus regno, pensans libras 8. Scyphi argentei deaurati 2. pensantes singuli libras 5. Gabata electrina, pensans libr. 2. Thecæ cereæ aureæ 2. pensantes libras 6. Palliolum Olosorum blateum cum tabulis auro textis de chlamyde vel de stola Imperiali, subcinctorium super confessionem beati Petri Apostoli. Hæc omnia à Iustino Augusto orthodoxo, votorum gratia oblata sunt. Eodem tempore Theodoricus rex obtulit Beato Petro Apostolo cerostrata argentea, pensantia libras 70. Eodem tempore fecit Papa Hormisda apud B. Petrum Apostolum trabem, quam ex argento cooperuit, pensantem libr. mille 40. Hic fecit in basilica Constantiniana arcum argenteum ante altare, qui pensat libras 20. Canthara argentea 16. quæ pensant singula libras 12. Item ad beatum Paulum fecit arcus argenteos duos pensantes singul. libr. 20. Canthara argentea 16. pensantia singula libr. 15. Amas argenteas 3 pensantes libr. 3. Scyphos argenteos stationales 6. cum ducibus, pensantes singul. libras 6. Hic fecit ordinationes in vrbe Roma per mensem Decembr. presbyteros 21. episcopos per diuersa loca numero 55. Qui etiam sepultus est in basilica B. Petri Apostoli, 8. Idus Augusti, consulatu Maximi.

Et cessauit episcopatus dies 7.

Digna tyranno sententia.

Notæ in vitam Hormisdæ.

Hormisda] *Symmacho ex hac vita ad sempiternam gloriam perducto, summa totius Romani Cleri concordia, schismate sublato, post dies septem ab eius obitu 7. Kalend. Augusti anno Christi 514. Anastasij Imperatoris 24. & Theodorici Regis Italiæ 22. Hormisda S.R.E. Diaconus, Pontifex est creatus. Quod cum toti orbi innotuisset, Clodoueus Rex Christianissimus cunctorum obsequium præuenit & officia superauit. Nam suggerente Remigio, coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet, Beato Petro donauit: quare à Deo consecutus est mercedem eam, vt Francorum regni corona hactenus perseueret. Huius temporibus Anastasius Imperator Eutychianus multa ad opprimendum Chalcedonense Concilium molitus fuit. Bina legatione à Pontifice monitus, vt adueniendam Orientalem cum Occidentali Ecclesia, nomen Acacij curaret expungi, non modo non obtemperauit; sed potius maiore cum furore eandem persequi cœpit, maximè tunc, quando per fidei Orthodoxæ simulationem fauore populi Constantinopolitani consecutus esset, Vitalianique præsertim rebellantis metum excussisset. Post multa scelera in Ecclesiam Dei patrata, apparuit ei per visum viri candidi species in hæc verba ipsum compellantis:* Ecce propter perfidiam tuam, deleo tibi quatuordecim: *quibus in illo codice expunctis, tertio post die tonitrui fragore exanimatus est. Iustinus ex armentario & subulco Imperator Catholicus, fideique orthodoxæ singularis patronus, Anastasio Acephalorũ defensori à senatu simul & exercitu vniuerso surrogatus est: tunc in omnes hæreticos anathema est proclamatum: tunc quatuor Oecumenica Concilia approbata, eaque omnia gesta fuerunt, quæ in actis Concilij Constantinopolitani sub Hormisda celebrati infra describuntur. Rogatus Hormisda vt decretum Concilij confirmet, præuia synodali consultatione respondit, petitam ab Orientali Ecclesia pacem, & communionem ita esse concedendam, si nomina Acacij, Euphemij & Macedonij, quos sacris tabulis restituerant, penitus delerent & expungerent. Quam vt & citius & facilius obtineret, legationem quandam ad Iustinum & Constantinopolitanum Episcopum ablegauit, quæ magna cura & industria singulari efficeret, vt Zenonis & Anastasij hæreticorum Imperatorum memoria damnaretur, fidei formula subscriptione Episcoporum firmaretur, ac denique vt nomen Acacij aliorumque quos sacris Diptychis restituerant planè delerent & omnino extinguerent. Successit res pro voto sanctissimi Pontificis. Ad communionem Occidentalis Ecclesiæ recepti fuerunt hoc tempore Orientales, qui annis plus minus octoginta ab Ecclesiæ vnitate per schisma sese diuiserant, idque accidit sanctissimo festo Resurrectionis Dominicæ absque vlla seditione & tumultu: tantaque cum admiratione, gratiarum actione & lætitia, quantam vix lingua vlla explicare valet. Hæc ex Epistolis Hormisdæ Baronius: ex Notis epist. & Conciliorum infra subsequentium, plura rerum sub Hormisda gestarum cognoscies.*

Restituta fides Catholica, nexibusque schismatis liberata hoc bonum secum attulit, vt Lazorum Regem & populum, hactenus veræ religionis diuinæque legis expertem ad Christianam fidem amplectendam induxerit. Auctor Miscell. lib. 15.

Sedit annos 8. dies 17.] *Annis nouem, diebus decem: à consulatu Cassiodori ad Maximum sedisse, Marcell. in Chron. & Vaticani Indices attestantur: Imò ipse Anastasius sibiipsi contrarius hic in fine obitum & sepulturam Hormisdæ, ingressumque Ioannis successoris Hormisdæ sub Maximi consulatu collocat. Quare erroneum est, quod hoc loco de tempore Pontificatus Hormisdæ scribit Anastasius.*

A Consulatu Senatoris vsque ad Consulatum Symmachi, &c.] *Erat Anastasius vt ex præcedentibus patet supra.*

Eodem tempore] *Prima legatio Pontificis ad Imperatorem, de qua plura vide apud Baron. ann. 515. Item Notas Epistolarũ Hormisdæ infra.*

Idem secundo misit Ennodium] *Secunda legatio, quam anno Christi 517. Pontificatus sui 4. misit ad Imperatorem. De qua plura in Notis Epistolarum.*

Textum libelli] *Extat infra inter Epistolas Hormisdæ: cuius initium tale est.* Prima salus est, *&c.*

Inter alia sacra sua hoc scripsit: Nos iubere volumus, nõ nobis iuberi. *Extat Epistola hæc inter epistolas Hormisdæ post epist. 21. infra, cuius initium tale est:* Etsi magnum aliquid. *Circa finem huius epistolæ ait.* Iniuriari & annullari sustinere possumꝰ, iuberi non possumus &c. *Hæc Imperator hæreticus Pharaoni similimus, qui vt exertum contra se Vitaliani gladium vitaret, & instantia Dei flagella subterfugeret, astutè simulauerat se velle Romano Pontifici parere, atque adeo non nisi per speciem, ferream ceruicem inclinauit: quando verò hæc pericula amota vidit, Moysen cum Deo, Pontificem cum Christo obstirmata obstinatione contempsit. Quid post hæc acciderit in Oriente, videre est ex relatione Archimandritarum & Monachorum secundæ Syriæ, quæ extat infra inter Epistolas Hormisdæ post 22.*

Eodem tempore, &c.] *Anno nimirum Christi 518. postquam annis 27. mensibus tribus & 29. diebus imperium Orientis tenuisset. Quæ insomnia ante obitum perpessus fuerit, ex Zonara retuli supra. Vide Baron. ann. 518. num. 16. & seqq.*

Iustinus direxit, &c.] *Decreto & consilio synodi Constantinopolitanæ, vt patet ex Notis eiusdem synodi: & ex epistolis Iustini, Ioannis Constantinopolit. & Iustiniani ad Hormisdam scriptis.*

Tunc Hormisda &c. direxit à sede Apostolica Germanum, &c.] *Hac legatione Orientales ad vnionem & communionem Ecclesiæ Romanæ recepti fuerunt, post quam iussu Romani Pontificis obtemperantes nomina Acacij, Euphemij & Macedonij è Diptychis sacris expunxissent, fidem Catholicam integre professi fuissent, & memoriam Zenonis atque Anastasij hæreticorum è numero Imperatorum abstulissent. Horum nomina in Codice Iustinianeo diuersis legibus alibi præfixa adhuc inueniũtur, ideo quod Tribonianus homo gentilis & impius eundem Codicem compilarit; vt diximus infra in Notis ad vitam Felicis 4. Contigit hæc reconciliatio Orientalis Ecclesiæ cum Romana sub consulatu Iustini anno Domini 519. Hormisdæ Pontificatus anno sexto.*

Huius temporibus Episcopatus in Africam reuocatus est, qui ab hæreticis fuerat exterminatus] *Auctoritate quorundam Regum VVandalorum constitutum fuerat, vt supra vidimus, ne Catholici in Africa in locum defunctorum alios Episcopos ordinarent; verum Hildericus Hunerici filius post obtum Trasamundi Regis regno potitus anno nono Hormisdæ Pontificis, qui est Christi 522. præcepit (teste Isidoro in Chron.) vt sacerdotes Catholici ab exilio reducerentur, & Ecclesiæ aperirentur: idque prius quam regnaret; ne violaret religionem iuramenti, quo Trasamundo prædecessori iam morituro promiserat se Catholicis in suo regno nullas Ecclesias aperturum, nullaque priuilegia restituturum esse. Voluit Deus beatissimum Pontificem etiam hac benedictione augere, vt post restitutam Orientalem Ecclesiam Catholicæ communioni, Africanam quoque longa persecutione vexatam, atque nouissimè à Trasamundo Rege omnibus viectis Episcopis proculcatam, pristino splendori restitutam videret. His itaque aliisque muneribus à Deo locupletatus tandem victoriæ coronam accepturus, sequenti anno ad superna est euocatus: quasi senis Simeonis instar, iam responsum à Domino accepisset, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum: nempe dissoluto schismate Orientalem vnitam Ecclesiam & Occidentalem in Africa, sublato persecutore tyranno, in integrum restitutam.*

Quando Hormisda Pontifex factus.

Clodoueꝰ rex donat B. Petro coronam auream.

Anastasij Imp. gesta & obitus.

Iustinus succedit Anastasio.

Conc. sub Hormisda

Lazarus Rex Catholicus factus.

Quot annos sederit Hormisda

SEQVVNTVR EPISTOLAE HORMISDAE PAPAE.

EPISTOLA I. HORMISDÆ AD S. REMIGIUM Rhemensem Episcopum, qua post acceptas ab eo gratulatorias literas, eidem ob præclaram meritorum excellentiam, & nobilissimæ sedis prærogatiuam Vicariam sedis Apostolicæ præfecturam in Gallia delegauit.

Tomus Epist. Pontif. extat.

DILECTISSIMO *fratri Remigio Hormisda.* Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificauit indicio corporali cum spiritualibus officijs incolumitas subnixa: congruum esse perspeximus, hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogatiuam igitur de nostri sumpsimus electione iudicij: quando id operatum te esse didicimus, quod cæteris agendum obnixius imperamus; vt in prouincijs tanta longinquitate disiunctis, & Apostolicæ sedis vigorem, & Patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filij nostri Ludouici, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam comitantibus, cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, saluis priuilegijs, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti auctoritate committimus: augentes

studij

studij huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licèt de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probauimus acutiùs vniuersa seruari: gratius tamen esse solet, si iuris trames ostenditur, & laboraturis iniuncti operis forma monstratur.

Quæ debeat custodire, declarat.

Paternas igitur regulas & decreta sanctissimis definita Concilijs ab omnibus seruanda mandamus. In ijs vigilantiam tuam, in his curam & fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea (quantum dignum est) reuerentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ obseruationis obstaculum: ibi fas, nefasque præscriptum est: ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare: ibi cõcessum, quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quotiens vniuersale poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant: & si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit cõfirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat. Eo fit, vt & noster animus officij charitate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater charissime.

EPISTOLA ANASTASII AD HORmisdam Pontificem.

Pontificem precatur, vt ad componenda in Scythiæ partibus orta dissidia, concilium congregari velit.

Ex vetusto Codice Vaticano.

VICTOR *Anastasius pius felix inclytus triumphator semper Augustus, Hormisdæ Sanctissimo ac Religiosiss. Archiepiscopo & Patriarchæ.* Beatitudini vestræ non putamus ignotum, quod pro temporis qualitate loquendum, atq; tacendum, etiam diuinæ scripturæ prouida est admonitione dispositum. Exactum proinde silentij tempus incitamenta nobis loquendi concessit. Atque ideo opportunum esse perspeximus; quæ apud nos sub religionis specie commouentur, auditui vestro committere. Ante hoc siquidem duritia eorum, quibus episcopatus, quem nunc geritis, erat solicitudo commissa, temperare nos à transmittendis faciebat epistolis. Nunc autem currens de vobis suauis opinio, ad memoriam nostram bonitatem paternæ affectionis adduxit, vt illa requiramus, quæ Deus & Saluator noster sanctos Apostolos diuino sermone docuit, ac maximè beatum Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit. His igitur præfatis initijs, hortamur, vt ad ea, quæ de Scythiæ partibus mota sunt, vnde & concilium fieri conuenire perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat, vt contentionibus amputatis, vnitas sanctæ restituatur Ecclesiæ. Nobis autem omnia optata præstantur, si orationibus vestris, & frequenti paginarum alloquutione nostri memores fueritis. Data Pridie Idus Ianuarij Constantinopoli. *Et accepta* Anthemio & Florentio. VV. CC. Conss. 5. Kal. April. per Patritium.

Christus in B. Petro fortitudinem cõstituit.

Data & accepta an. D. 515.

NOTÆ.

Epistola] *Aduersus Anastasium Imperatorem, exturbatorem orthodoxorum Episcoporum, excitauit Deus Vitalianum Scytham Magistrum equitum, qui occupatis aliquot prouincijs, prædando Constantinopolim vsq; processit, profitens, teste Macellino in Chron. se pro Orthodoxorũ fide, & reuocãdo Macedonio Episcopo Constãtinopolitano, (quẽ relegauerat Imperator,) omnia agere. Res suas deploratas esse videns Anastasius, pacẽ petit, iurans cũ senatu, se legatos reuocaturũ, Macedonio & Flauiano suos Episcopatus redditurum, Concilium Heracleæ acturum & ad illud Romanum Pontificem euocaturum. Indicto igitur Heracleæ Concilio, 25. Decembris anno Dom. 514. ad Romanum Pontificem dat Epistolam infra post 11. Hormisdæ extantem: de futura Synodo eum certiorem reddens, ac rogans vt ad concilianda Ecclesias suũ exhiberet aduentum. Vt id facilius impetrarent cũ rei præstandæ summam potestatem apud Romanum Pontificem esse scirent, Vitalianus & Anastasius Patriciũ virum clarissimum cum hac Epistola legatum miserunt ad Hormisdã Papam; cui Dorotheus Thessalonicensis Episcopus suas infra extantes adiunxit eiusdem fere argumenti. Quid Pontifex responderit, ex tribus seqq. Epistolis constat.*

EPISTOLA II. B. HORMISDÆ PAPÆ, RESponsoria ad Anastasium Imperatorem.

Tom. 1. Epist. Decret. 1.

Laudat eum, quòd Ecclesiæ paci studeat, & cum causam, cur concilium cupiat congregari, cognouerit, scribit, se illi responsum daturum.

HORMISDA *Episcopus Anastasio Augusto.* Gratias supernæ virtuti, quæ per vestræ pietatis affatus, diuturnum dignata est terminare silentium, tale præstans colloquutionis exordium, vt & de vestræ clementiæ prosperitate lætemur, & ad vnitatem, Deo donante, reuerti posse sanctam confidimus Ecclesiam. Hoc opus supernæ clementiæ, hæc & decessorum nostrorum fuit semper oratio. Quos etiam rerum actus paternæ traditionis ministros, & rectæ fidei declarat fuisse custodes. Pax est enim totius bonitatis initium, qua nihil quantum ad catholicę fidei cultum validius, nihil æstimari oportet excelsius, pro hac scilicet facere, & cuncta sustinere conuenit, qui sanctarum scripturarum probabilis cupit esse discipulus. Hanc omnium bonorum matrem & nutricem Christum dominum nostrum suis constat prædicasse discipulis, dicentem: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quam vos religiosi cura propositi, Domino aspirante, prouidentes, de orthodoxæ concordia cogitatis Ecclesiæ in beati Apostoli Petri reuerentia, diuina specialiter præcepta seruantes. Quæ res maiorem superni fauoris defensionem vestro procurat Imperio. Rectè enim oblata Deo veneratio inexpugnabilem deuotis mentibus murum defensionis indulget. Proinde omnipotentem Deum fusis precibus exoramus, vt qui vobis studium quærendæ Ecclesiam pacis indulsit, ipse quoque sub consecratione catholicæ fidei, desiderio vestro super hac parte præstet effectum. Præterea directis ad nos sacris affatibus commemorationem sancti concilij facere pietas vestra dignata est. De qua re tunc plenissimum poterimus præbere responsum: dum causam congregationis nos volueritis euidenter agnoscere. Nunc verò quia præstante Domino nostro, data est facultas alloquio, congrua veneratione debiti præbebimus sermonis officia. Dat. pridie Nonas April. Florentio V.C. Conſ.

Ex vetusto Codice Vaticano.

Defendit antecessores Pontifices, quos Anastasius nimis duros fuisse arguerat. Ioan. 14.

Concilium non cõgrediendũ nisi causa cognita à Pontifice.

A.D. 515.

EPISTOLA DOROTHEI THESSALONIcensis Episcopi ad Hormisdam Pontificem.

Pontificem laudat, quòd Ecclesiæ curet vnitatem, seq; cupere ait, vt hæreticis damnatis, Romanæ Ecclesiæ debitus honor præstetur.

SACRO, *Beatissimo, & comministro patri Hormisdæ, Dorotheus Episcopus Thessalonicensis in Domino Salutem.* Ait quodam loco cuncta beatissimorum diuinorum præceptorum promens miracula Salomon: Sicut aqua frigida animæ sitienti suauis est; sic benignum nuntiũ longinquis ex terris. Et iacer Dauid, spiritualem pulsans lyram psallit: Quàm speciosi pedes eorum, qui euangelizant bona: sed equidem & nos cunctos docens, quid autem sicut animæ hominis suaue, aut quid ita impinguat ossa, quàm speciosо nuntio cognoscere veræ pacis nutritorem? & rectæ nunquam errantes propugnatores fidei ad Ecclesiarum sanctarum transire gubernacula; & tãquam ex arce quadam ad cõsensum Dei congregare dispersa, & continuo quidem in principatum suæ sedis festinantes membra Ecclesiæ, quæ vobis Christus & Deus noster credidit venerandi patris supplicationibus annuens, contemnentia; prius concordiam ad vnitatem venire; & præcidentem diuisionem, atque inuidiam vestrę tantũ ordinationis perimere clanculò, & nunc in concordiam, atque serenitatem constare omnem terminum sanctæ illius Ecclesiæ hæc dicimus, non ante multa spatia temporis; sperabam autem; & antequam cõsuetudinem cognoscens Ecclesiæ, & vestrum audiens socialem atque irreprehensibilem morem, vestris litteris firmiora atque manifestiora cognoscere. Sed quia tempore hyemis ad hæc vos impleda retentos esse consideraui, & aptum, atq; debitum fuit; & plenam & Dei amatricẽ caritatem, & iam scrupulosa transire scribo, atq; alloquor,

Ex vetusto Codice Vaticano. Prouer. 25 Rom. 10.

beatum vestræ sanctitatis caput significans, collætari beatæ Sedi sacratissimi Petri Apostoli, quod tali regitur manu, quę suscepit principem, non qui honorem raperet, sed qui raperetur, ab eo, & sicut multiplex tradit sermo, hæc nos ita habere credimus, nutritorem pacis, & rectæ fidei certatorem, & humanitatem mentis & caritatem, quæ circa cunctos est tanquam preciosis lapidibus coronantem; etenim cuncta te volo venerandæ pater agnoscere, quod ex antiquis, sanctis, ac venerandis patribus suscipiens, illius beatæ Sedis affectu, & hunc tanquam paternam sortem custodiens addere. Hoc opto, atque festino, vt veniat in hoc studio terminus vtilis, humanitate quidem Domini, & Dei nostri Iesu Christi, intercessionibus autem in cunctis beatissimi Apostoli Petri, & in omnibus sapientissimi Pauli, vt venerandæ eorum Sedi, & tuæ beatitudini, iustè debitus honor custodiatur, atque reddatur, vt nostris temporibus, velut secundum principatum Sedis Apostolicę honori congruenti suscipiat, & omnis discordia recedat, & Ecclesiæ omnium nostrum catholica voluntate, Domini etiam & Dei nostri Iesu Christi & Nestorium, & Eutychen, impios, & horum seruantes dogmata, & qui istorum fuêre sectatores, aut extant & omnem hæresim anathematizantium semper, & rectam, atque incontaminabilem fidem incon ussam, tanquam anchoram certam, atque firmam tenentium & paratorum ad pacem nulla (quod absit) impediente præsertim venerãdo capiti nostro, sicut dicimus, homines contentiosos horrentes, quibus & vita, & esca est sacerdotum Dei, inter se altercantium separatio, vt non ab omnibus velociter cogniti, tanquam lupi in vestimẽtis ouium facilè ab Apostolica Ecclesia repellantur. Ista nunc scripsi beato capiti nostro per Patricium virum spectabilem, communem filium, & consuetudinis affectu superans rationem, & circa illam beatam Sedẽ caritate deinctus, & omni die videre desiderans congruẽtem atq; debitam venerationem ei seruare. Scribe igitur in cunctis beatæ tãquam vnanimi atq; optanti animam quoq; offerre pro fide orthodoxa, & Ecclesiarum pace sanctarum, & vt custodiantur venerãdæ Sedi in omnibus beati Petri conuenientia, quod facilè fiet ordinata vnitate cunctorum, & omnium ad vos tanquam ad firmum festinantiũ portum Diuisiones etenim & contra contemnere consueuerunt, & ordini decentia non seruant. Omnem fraternitatem, quæ est vestræ sanctitati coniuncta, ego & qui mecũ sunt, multũ in Domino salutamus. *Et alia manu.* Saluari me in Domino orate sanctissimi, & beatissimi patres. Accepta epistola Dorothei episcopi Thessalonicensis Ecclesiæ missa per Patricium. V. C. sub Dat. 5. Kalen. April. Florentio V. C. Consule.

Sanctorũ intercessiones.

To. Epist. Decret. 11.

EPISTOLA III. B. HORMISDÆ PAPÆ, AD Dorotheum Thessalonicensem Episcopum.

Laudat eius pietatem & studium in Romanam Sedem.

Ex vetusto Codice Vaticano.

DILECTISSIMO *Fratri Dorotheo Episcopo Hormisda episcopus.* Vbi caritatis interest seruare præcepta, etiam si aliquid tale eueniat, quod cuiuslibet possit animos commouere; tamen vt ea, quæ concordiæ conuersatione prędiximus, debeant custodiri, oportet æquanimiter prætermitti; quia vtique si quid ignorantia tale proueniat, excusationem potest de ipsa simplicitate recipere, suam Deus noster Ecclesiam propria ordinatione constituit, vt quod diuinis præceptis noscitur esse dispositum, nullatenus poterit præteriri, cuius notitiam, vel scientiam te non cognouit ignorare. In faciendo namq; bona laudantur, & tunc verborum cultus ornatur, quando sibi conuenientia ritè coniungit: litteras siquidem per Patritium filium nostrum, spectabilem virũ tuæ suscepimus caritatis, in quibus speramus opus plenum, & probabile reperire, vt nihil esset, quod ab integritate vnitatis secerneret. Sed quia in his ipsis hunc promittis affectũ, qui nos ad hoc quod prædiximus, possit specialiter prouocare, Domino nostro preces effundimus, vt ipse cui⁹ & causa tractatur, absistis, vel amputatis vniuersis scandalis, & Ecclesia sua sub vno consensu & parili faciat fide connexos; nec in sacerdotibus suis quicquam reperiri patiatur, quod cuiuslibet aut odijs proprijs, aut inanibus intentionibus, aut hominibus in iniuriã Dei, quod nefas est velle placere, & non magis vniuersa, secundum beatum Apostolum, sæcularia contemnentem à spe non possit exorbitare futura. Hortor propter cõmune remedium, inuito pro salute fidelium, propter generalẽ suadeo medicinam. Quis namque contemptus est hos videre diuisos, quorum potest vnitate gloriari? Vnde opus est labore communi, vt hoc, quod à patribus nostris accepimus, conseruantes secundè nisi in illo, possimus diuino astare iudicio.

Tit. 1.

EPISTOLA ANASTASII AVGVSTI Ad Hormisdam Pontificem.

Concilium Heracleæ ad componendas in Scythia de fide ortas quæstiones esse congregandum, ipsumq; Pontificem vt ad illud accedat, precatur.

ANASTASIVS *Augustus, Hormisdæ Papæ.* Omnibus negotijs diuinæ res præponendæ sunt: Deo etenim omnipotente propitio, Rempublicam & conseruãdam & meliorandam esse confidimus. Quia igitur dubitationes quædam de orthodoxa religione in Scythiæ partibus videntur esse commotæ, id specialiter clementiæ nostrę placuit, vt venerabilis Synodus in Heracleotana ciuitate prouinciæ Europæ celebretur, quatenus concordantibus animi & omni veritate discussa; vera fides nostra orbi terrarum omni manifestius innotescat, vt deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia. Quapropter Sanctitas tua cum quibus sibi placuerit reuerendissimis Episcopis, quos de Ecclesijs sub sui sacerdotij cura cõstitutis, idoneos, & instructos erga orthodoxam religionem esse probauerit, ad præfatam Heracleotanam ciuitatem intra diem Kalendarum Iuliarum venire dignetur. Dat. 5. Kal. Ianuar. Constantinopoli, Senatore V. C. Conf. Accepta pridie Idus Maias, Florentio V. C. Conf.

Ex Codice Vaticano.

EPISTOLA IV. B. HORMISDÆ PAPÆ. Ad Anastasium Imp. Aug.

Imperatoris zelum commendat: quoad concilium per legatos se responsurum pollicetur.

HORMISDA *Anastasio Augusto per Seuerianum.* Benè clementia vestra confidit, sicut datis ad me gloriosis designauit affatibus, quòd Reipublicæ vestræ specialiter proficiat, si negotijs omnib⁹ orthodoxæ fidei cãula præponatur. Hæc est enim venerabilis Imperator de suscepto moderamine rectoris cura salubrior, vt eius sibi fauorem per opera bona conciliet, qui vniuersum & tribuet, & reget imperiũ. Proinde me quoque & Domino nostro Iesu Christo cõuenit supplicare, vt qui de Ecclesiæ suæ cõcordia vestram pietatem cogitare voluit, hunc super hac parte concedere dignetur effectum. Quatenus temporibus vestris orthodoxa fide præditus, vniuersus terrarum orbis exultet. De his verò, quæ pro synodali congregatione præcepistis, quid fieri oporteat, per fratres & coepiscopos meos, qui propriè subsequẽtur, gloriæ vestræ insinuanda mandaui. Quorum suggestione, si diuinus fauor mea vota prosequitur, competentius poteritis vniuersa cognoscere. Dat. 8. Idus Iulij, Florentio Conf.

Ex vetusto Codice Vaticano.

A.D.

NOTÆ.

Per fratres & Coepiscopos] *Quatuor legatos in sequentis Indicali inscriptione nominatos misit, non ad Concilium celebrandum; sed tantum ad explorandum qua intentione Synodum fieri postulasset: an fidem Catholicam; prout promiserat, profiteri: Epistolam S. Leonis recipere & hæreticos anathematizare paratus esset. Ne scilicet Maiestas sedis Apostolicæ eluderetur ab ipso, dum non ad fidem Catholicam stabiliendam; sed ad regnum confirmandum, Vitaliano numq; auertendum Pontificia auctoritate abuteretur. Quonam modo apud Imperatorem se gerere deberent, sequens Indiculus & commonitorium refert.*

INDICVLVS QVI DATVS EST ENNODIO & Fortunato Episcopis, Venantio presbytero, Vitali diacono, & Hilaro Notario legatis Apostolicæ sedis Constantinopolim ab Hormisda Papa.

Commonitio ad profectionē data legatos.

CVM Dei adiutorio & orationibus Apostolorum venientes in partes Græciarū, si Episcopi voluerint occurrere, in qua decet eos veneratione susciptite: Et si voluerint secessionem parare, nolite spernere, ne iudicetur à laicis, nullam vos cum illis velle habere concordiam. Si verò vos ad conuiuium rogare voluerint: blāda excusatione eos declinate, dicentes: Orate, vt primum mysticam illā mensam mereamur habere communem, & tunc erit nobis ista iucundior. Victualia verò & quæ alia offerre voluerint, excepta tamen subiectione, si causa postulat, nolite suscipere: sed taliter excusate, nihil deesse dicentes, sperantes etiam vt animos suos vobis accommodent, vbi sunt dona & diuitiæ, & charitas & vnitas, & quicquid ad gaudium religiosum certum est pertinere.

Cum ista ordinatione, Deo propitio, Constantinopolim peruenientes, ibi secedite, vbi ordinauerit clementissimus Imperator: & antequam ipsum videatis, nulli detis ad vos veniēdi licentiā, præter quos pietas eius miserit. Postea tamen quam Principē videritis, si qui Orthodoxi & nostræ communionis, aut zelum habentes vnitatis vos videre voluerint: eos sub omni cautela suscipite, per quos fortè & quid agitur deprehendere poteritis. Præsentati itaque Imperatori litteras porrigite cum tali allocutione: Salutat vos Pater vester, Deū quotidie rogans, & intercessionibus sanctorum Apostolorū Petri & Pauli vestrum regnū commēdans, vt Deus, qui vobis tale desiderium dedit, vt pro causa Ecclesiæ mitti & consulere beatitudinem ipsius eligeretis, ipse & perfectionem tribuat voluntatis.

Et si voluerit, antequam chartas suscipiat, ordinem legationis agnoscere, his verbis vtimini: Iubete scripta suscipere. Si dixerit: Quid habent chartæ? Respondete, Salutes pietatem vestram continent, & Deo gratias agunt, quòd vos solicitos de vnitate cognoscunt Ecclesiæ: Legite, & agnoscetis. Et nullius causæ mentionem penitus faciatis, nisi prius acceptæ litteræ relegantur. Et post susceptas litteras & relectas, adijcite: Nam & ad Vitalianum famulum vestrum misit litteras, qui accepta à pietate vestra (sicut ipse scripsit) licentia, suos ad Patrem vestrum sanctum Papam homines destinauit. Sed quia iustum erat vt prius ad clementiam vestram dirigeret, hoc fecit, vt vobis iubentibus atque ordinantibus, ad eum scripta, quæ detulimus, Deo propitio perferamus.

Si Imperator petierit epistolas à nobis ad Vitalianum directas: sic respondendum est: Non hoc nobis Pater vester sanctus Papa præcepit: nec sine iussione illius aliquid possumus facere. Tamen vt sciatis simplicitatem litterarum, quia nihil aliud habent, nisi preces ad pietatem vestrā directas, vt accommodetis animum vestrum pro vnitate Ecclesiæ: iungite nobiscum personam, qua præsente, traditæ à nobis litteræ relegantur. Si verò dixerit Imperator eas se debere legere. Respondebitis: iam vos suggessisse, iussum non fuisse à sancto Papa. Si dixerit: Hoc tantum est, quod in litteris continetur: possunt enim & mandatis illa nunciari. Tunc respondebitis: Absit à conscientia nostra: Nobis non est consuetudo: Nos pro Dei causa venimus, & in Deum commissuri sumus? Simplex est sancti Papæ legatio, & omnibus nota ipsa eius petitio, ipsæ preces: vt constituta Patrum non corrumpantur: vt hæretici de Ecclesijs remoueantur, præter ista, legatio nostra nihil continet.

Si dixerit: Inde & ad Synodum inuitaui sanctum Papā, vt si quid est ambiguum, tollatur de medio. Respondendum est: Agimus Deo gratias, & petitioni vestræ, quia hunc vos affectum & animum habere cognoscimus, vt ea quæ à Patribus constituta sunt, generalitas seruet: quia tunc vera & sancta vnitas potest esse inter Ecclesias Christi, si Deo adiuuante, hoc quod prædecessores vestri Marcianus & Leo custodierunt, elegeritis esse seruandum. Si ille dixerit: Quæ sunt ista quæ dicitis? Respondete: Vt Synodus Chalcedonensis & epistolæ sancti Leonis Papæ quæ scriptæ sunt contra hæreticos Nestorium & Eutychetem & Dioscorū, nullatenus corrumpantur. Si dixerit: Nos Synodum Chalcedonensem & epistolas Papæ Leonis & recipimus & tenemus. Vos mox gratias agite, & pectus eius osculamini, dicentes: Modo cognouimus Deum esse vobis propitium, quando facere talia festinatis: quia ista est fides Catholica: ista est quam prædicauerunt Apostoli, sine qua nullus potest esse Orthodoxus: istam debet sacerdotum generalitas tenere, & prædicando seruare.

Si dixerit: Orthodoxi sunt Episcopi, de constitutis Patrum non recedunt. Respondebitis: Ergo si constituta Patrum seruantur, & in nullo corrumpitur quod in sancta Chalcedonensi Synodo firmatum est: quæ causa est, tantum inter Ecclesias partium istarum esse discordiæ? Vel quæ causa facit, in vno Orientis Episcopos non consentire? Si dixerit: Quieti erant Episcopi, nulla inter ipsos discordia versabatur: prædecessor sancti Papæ animos eorum missis litteris excitauit, & ad confusionem excitandam perduxit. Respondebitis: Litteras quas sanctæ memoriæ Symmachus destinauit, præ manibus habemus. Si extra hæc quæ pietas vestra dixit, hoc est: Chalcedonense Concilium sequor, epistolas Papæ Leonis admitto: aliud nequicquam continent, nisi exhortationem, vt ista seruentur: quomodo verum est, quòd per ipsum est generata confusio? At si hoc continetur in litteris, quod & Pater vester sperat, & pietas vestra consentit: quid ille fecit? quid enim in eo videatur esse culpabile? His adijcite preces & lachrymas, rogantes: Domine Imperator, considerate Deum: ponite ante oculos vestros futurum eius iudicium. Sancti Patres, qui ista constituerunt, beati Petri Apostoli fidem secuti sunt, per quam ædificata est Ecclesia Christi.

Si Imperator dixerit: Quod me vultis per locutionem * facere, habete: Ecce mihi communicate, qui Synodum Chalcedonensem recipio, & epistolas Papæ Leonis amplector: nunc communicate mihi. Respondendum est: Quo ordine pietas vestra communicari sibi desiderat? nec nos prædicantem ista pietatem vestram vitamus, quòd scimus Deum timere, & gaudemus, quia gratum vobis est Patrum constituta seruare. Fiducialiter ergo rogamus, vt per vos in vnitatem reuertatur Ecclesia. Sciant omnes Episcopi voluntatem vestram, & quia Synodum Chalcedonensem & epistolas Papæ Leonis seruatis, vel Apostolica constituta. Si dixerit: Quo ordine facienda sunt hæc ostendere oportere. Iterum preces adhibete cum humilitate, dicentes: Pater vester scripsit Episcopis generaliter. Iungite his litteris Sacras vestras, significantes hoc vos vindicare*, quod sedes Apostolica prædicat, & tunc qui sunt Orthodoxi, de vnitate sedis Apostolicæ minimè seperentur, & qui his sunt contrarij cognoscantur. Quibus ordinatis, paratus est Pater vester etiam, si opus fuerit, suam accommodare præsentiam, & quicquid expedit, seruatis Patrum constitutis, pro integritate Ecclesiæ non negare.

*prosecutionē per solutionē. Qua conditione admittendus princeps ad communionem.

*indicare, vel iudicare

Si dixerit Imperator: Benè ista, suscipite interim nostræ ciuitatis Episcopum. Iterum preces iungite, humiliter dicentes: Domine Imperator, pacem venimus cum Dei adiutorio vobis adnitentibus & præstantibus, facere, & contentionem* sopire in ciuitate vestra. De duabus est personis intentio: ista causa proprium cursum habet: Generalitas Episcoporum prius ordinetur: fiat vna communio Catholica: & sequenti loco de istis, vel si qui sunt alij extra Ecclesias suas, tunc diligentius potest causa cognosci. Si dixerit Imperator: De Macedonio dicitis: intelligo subtilitatem vestram: hæreticus est: nulla ratione reuocari potest. Respondetis: Nos, domine Imperator, nullum personaliter indicamus. Et si pietas vestra consistèret, magis pro anima vestra & opinione loquimur: vt sit discussio, si hæreticus est, iudicio cognoscatur, vt non sub opinione Orthodoxi iniustè dicatur oppressus.

*intentionem.

Si dixerit Imperator: Quid vultis? modo dicite de Synodo Chalcedonensi: dicetis & de epistolis Papæ Leonis: Ecce qui est istius ciuitatis Episcopus ad ista consentit. Respondendum est: Si ita custodit, in examinatione causæ

cum iuuare plus poterunt : & quia seruo vestro Vitaliano Magistro militum talem dedistis licentiam, vt si speraret à beatissimo Papa, vt pro causis talibus apud eum discussione causæ his personis, quibus de loco potest esse intentio, integra vniuersa seruentur. Si Imperator dixerit: Sine Episcopo debet esse ciuitas mea? Hoc vobis placet, vt vbi ego maneo, Episcopus non sit? Respondendum: Prædiximus duarum personarum intentionem esse in ista ciuitate. Quo ad canones pertinet, iam ante suggessimus: canones soluere, in religionem committere est. Multa sunt remedia, multa inuenta per quę pietas vestra sine communione esse non possit, & integra iudiciorum forma seruetur. Si dixerit: Quæ sunt ista remedia? Respondetis: Non à nobis nouiter inuenta. Suspensa causa de alijs Episcopis, persona quę consentit confessioni pietatis vestræ & constitutis sedis Apostolicæ, interim vsque ad euentum cognitionis, teneat locum Constantinopolitani sacerdotis, si cum Dei adiutorio Episcopi voluerint se accommodare sedi Apostolicæ. Habetis textum libelli in scrinijs Ecclesiæ editum, iuxta quem debeant profiteri.

Si tamen contra alios Episcopos Catholicos fuerint datæ petitiones, magnoperè contra illos, qui sine verecundi Chalcedonensem Synodum anathematizant, & epistolas non recipiunt sancti Leonis Papæ: petitiones susçipite, causam tamen in sedis Apostolicæ referuate iudicio: vt & spem de audientia detis, & tamen nobis debita reseruetur auctoritas. Si tamen Imperator Serenissimus totum se promiserit esse facturum, tantum vt nostram præsentiam accommodemus: modis omnibus prius Sacram ipsius per Episcopos & per epistolam vestram, vno de vestris perferente per prouincias, vna cum personis quas Imperator deputauerit destinate: vt sic eum seruare Chalcedonense Concilium & epistolas S. Leonis Papæ, omnibus innotescat, quibus ita præcedentibus, ad nos in Christi signo, vt aduentum procuremus, scripta dirigite.

Præterea est consuetudo, per Episcopum Constantinopolitanum omnes Imperatori Episcopos præsentari. Si hoc illorum callidus tractatus inuenerit, volentium formam legationis agnoscere, vt cum Timotheo, qui modo videtur Constantinopolitanã gubernare Ecclesiam, Imperatorem videatis: sic facite, vt si ante agnoueritis, quàm ad Imperatorem ingrediamini, ista disponi per aliquos, necdum præsentati, dicite: Mandata talia nobis dedit & præcepta Patet pietatis vestræ, vt sine aliquo Episcoporum vestram clemẽtiam videamus. Ergo agite, donec ab hac consuetudine ipse remouerit.

Quòd si omnino noluerit, aut si captiosè contigerit vt ante Imperatorem inopinatè Timotheum videatis, ita suggerite: Præcipiat pietas vestra nobis dare secretum, vt causas, pro quibus missi sumus, exponamus. Si dixerit: Dicite, ecce ante ipsum. Respondetis: Non iniuriam facimus: sed quo ad causas pertinet, etiam ipsius cõtinet legatio nostra personam, & suggestionibus nostris præsens esse non potest. Et nulla ratione eo præsente aliquid allegetis, sed egresso, delegationis textum exerite. *hactenus Indiculus, siue quod dicunt Commonitorium, sequuntur post eum assertiones singularum causarum, in hunc modum:*

Capitula præscripta ab Hormisda Papa Orientalibus.

Capitula singularum causarum.

Vt S. Synodus Chalcedonensis, & epistolæ S. Leonis Papæ seruentur. Vtque clementissimus Imperator consentiens debeat pietatis suæ Sacra generalia ad vniuersos Episcopos destinare, in quibus significet prædicta se & credere, & vendicare.

Consentientes etiam Episcopi in Ecclesia, præsente plebe Christiana, hæc prædicare debeant: Amplecti se sanctam fidem Chalcedonensem, & epistolas S. Leonis Papæ, quas scripsit contra hæreticos Nestorium & Eutychetem & Dioscorum, sed & contra sequaces eorum, Timotheum Helurum, Petrum, vel contra eos qui in ipsa causa tenẽtur obnoxij, simul etiam & Acacium, qui quondam Constantinopolitanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, sed & Petrum etiam Antiochenum anathematizantes cum socijs eorum. Hæc manu propria, præsentibus electis venerabilibus viris, scribentes, faciant secundum textum libelli, quem per Notarium nostrum edidimus.

In exilium deportatos pro causa Ecclesiastica ad audientiam sedis Apostolicæ reuocandos, vt iudicium & vera examinatio de his possit haberi: ita vt causa eorum inquisitioni integrè reseruetur.

Si quis verò sacræ sedi Apostolicæ communicantes, Catholicam fidem prædicantes atque sequẽtes fugati sunt, vel in exilio detinentur: hos iustum est ante omnia reuocari.

Præterea quæ legatis inter reliqua iniunximus: vt si contigerit libellos porrigi aduersus Episcopos, qui persecuti sunt Catholicos, de his iudicium sedi Apostolicæ reseruetur: vt circa eos venerandorum Patrum possint constituta seruari, per quæ ædificatio generalitati proueniat.

EPISTOLA V. B. HORMISDÆ PAPÆ ad Anastasium Imper. Aug.

Nouum esse Romanum Pontificem ab Imperatore ad concilium vocari, se tamen iturum, si Chalcedonẽsis concilij decreta non reuocentur in dubium.

Exemplo olim Vaticano.

Hormisda Episcopus, Anastasio Augusto. Benè atque vtiliter serenitas vestra curam principalis acuminis, non tantum in administrando Reipublicæ exercet officio, sed melioribus eam nobilitat institutis, per curam reintegrandæ vnitatis auctorem venerandi placeat imperij. Certi sunt enim de tutela regnantes, si nulla ijsdem præsidentibus Ecclesiæ castitas importuna diaboli commixtione maculetur. Vnde enim potest fieri, vt nitidas principibus ad Deum nostrum preces dirigat, si sit lethaliter populus perfidia corruptus. Nam sicut ante bona omnia est perfecta, iuxta Deum, in Imperatoribus sapientia, ita de sacrario mundorum pectorum pro his supplicatio debet, & fideli animarum vbertate procedere, nulla vobis sublimissime Domine triumphorum materia poterit esse iocundior, quàm de subiugatione perfidiæ. Hoc etiam fiducialiter, & procõmissi nobis officij prærogatiua suggerimus.

Quia prope est, vt suum splendorem aliena patiatur nube fuscari, qui cum Deo tribuente amouere possit, in subditis tenebras manere permittit errorum. Ergo quia mansuetudo vestra futuram synodum scripturis sacratissimis indicauit, cui nos interesse debere ijsdem paginis Deo, vt credimus, sibi imperante, commonuit. Gaudemus scientes, quoniam directarum mentium est, venerabilis Ecclesiæ magistros expetere. Soli enim declinant examen conscientiæ, qui vitæ sunt non continentis : nam & feriatore splendorem bonæ voluntatis enuntiat qui per Apostolicam integram maculatamque fidem & per competentes prædicatores aut confirmari se optat, aut corrigi. Verùntamen licet in his nullum sæculi præcedentis existat exemplum, neque senioris facti qualitas aut commissa libris, aut memorijs inserta teneatur; nihil ad nos, quibus dulce est beneficio Dei, pietate vestra inuitante inchoare meliora: & hoc, quod non accepimus à parentibus, tam clari operis institutum nobis ipsis imponere; quia totum pro reintegratione fidei Ecclesiarum pace facere, libenter amplectimur : si tamen maiorum nostrorum diffinitio, & sanctorum patrum in suis radicibus inconcussa permaneat, si anathematizetur Nestorius cum participibus suis; qui euacuans diuinæ sacramenta naturæ, beatam virginem Mariam nudi hominis mentitur esse genitricem. Oblitus angelicæ Annuntiationis, per quam mundo innotuit: Quia quod ex ea nasceretur vocandum esset sanctum filius Dei. Faceſſat impiorum tam contumeliosa in Deo honorificentia, quoniam sic est in vtero Virginis operata diuinitas, vt ex ea vnitas ibi procederet carnis, animaque humanæ, increata quidem, sed non confusa connexione substantiæ: & sic in vtrisque naturis pro nostræ redemptionis dilectione CHRISTI IESV Domini nostri persona vna est, ædificante mysterio . . . . . restitutione mortem subire potuisset naturæ . . . . . fragilitatem cælestis imperij valuerit virtute reparare, vel ita pro vnitate personę & Dominus maiestatis crucifixus, & filius hominis credatur descendisse de cælo. Eutychetis quoque ignorantia diuinorũ bonorum omniũ, & ipso cũ socijs detestando

Quæ decisa in Concilio non recitanda.

Lucæ.

iam

iam nomine abdicetur hebetudo, qui Deum & Dominum nostrum Iesum Christum figuram tantum carnis habuisse testatus est, & nostræ veritatem non habuisse substantiæ, nesciens de quo promissum sit: quia videbunt persequutores eius in quem pugnauerunt. Ita enim in vna eademque persona persistit vtraque natura, vt Deus atque homo vnus Dei filius Iesus Christus fidelium cordibus appareat. Quid enim quadraginta dierum post resurrectionem Domini cum hominibus conuiuentis, & conuescentis egit præsentia? Nisi in istis negotijs illorum, qui veritatem carnis eius negaturi erant, seniorem faceret ætatem, curationis esse, quam vulneris. Sic enim dixit ad discipulos: Quid cogitatis in cordibus vestris? Palpate & videte quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Neque fuisset mysteriũ, quod ostijs ad eos clausis ingressus est, si integritatem humani corporis non habebat, possumus ex hoc dono verbi præcedentem longius proferre sermonem. Sed satis esse credimus per Dominum nostrum eruditæ clementiæ vestræ, strictis supplicare suggestionibus, sperantes, vt laborem, curamque pastoralis officij venerabilium prædecessorum vestrorum Martiani & Leonis formam, sicuti etiam principalis potentiæ participatione fulciatis. Habebitis Deo propitio spem de victorijs, non iacentem, si pontificali, contra diaboli subreptiones, congressione pacifica ad decertandum instructione muniatis. Nunquam in sanctarum Ecclesiarum memoria Dioscori participis Eutychetis, Timothei, & Petri, parricidarum commemoratio reuiuiscat, seruetur ab omnibus suscipiendæ Chalcedonensis synodi, Deo per vos operante, diffinitio Acatius Petri tenebrarum filij communione pollutus habeat participes, quos delegit: qui etiã inter suos excessus, nec de Petro Antiocheno, & complicibus eius, nitidum se esse perpessus est. Cessent maledicta pijs sanctę recordationis Papæ Leonis ingesta dogmatibus, quæ solos quidem illo in suis manente puniunt irrogantes, in his quæ præfati sumus, sollicitudinem vestri aduocamus imperij. Poterit enim pietas vestra, hoc custodiẽs, apices, & sceptra sua post multos annos ad aliud sæculum possidere translata. Suscipite preces nostras per Ennodium, atque Fortunatum fratres, & coepiscopos nostros, nec non Venantium presbyterum, atque Vitalem diaconum, vel Hilarum notarium filios nostros, quorum apud nos fides in Dei timore, studiumque perclaruit, pro vestro amore transmissas, & placidam vice nostra supplicationibus conscientiam accommodate. Speramus enim & de Deo habentes fiduciam, pollicemur, studia, quæ à vobis veræ religioni impensa fuerint, sine retributione & præmio non futura. Data III. Idus Augusti, Florentio V.C. Conſ.

EPISTOLA ANASTASII IMPER. AD Hormisdam per legatos Sedis Apostolicæ Missa.

Catholicam fidem profitetur: Chalcedonensis concilij decreta seruanda: Acatium ad tollenda scãdala non damnandum, & de pace cogitandum.

Ex vetusto codice Vaticano.

Exemplum sacræ Anastasij Augusti Hormisdæ Papæ per Ennodiũ, & Fortunatam Episcopos, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum & Hilarum Notarium. Gratias omnipotenti Deo referimus, quòd sanctitas vestra disciplinis cælestibus instituta, sicut poposcimus, legatos fidei, Ennodium, & Fortunatum venerabiles episcopos, sed etiam viros religiosos, Venantium presbyterum, Vitalem diaconum, & Hilarum notarium, quales poscebat causæ sublimitas destinauit. Qui negotij magnitudinem implere possint, Ecclesiastici luce sermonis, quique operante Deo omnia subtiliter requirentes, quæ ad rectam & veram Christianorum pertinent fidem, & ipsi, sicut decuit, declararunt, & à nobis, sicut oportuit, agnouerũt: quia vna est Ecclesia Dei, Apostolicis vbique firmata doctrinis. Vnde quis audeat de Domini nostri Iesu Christi in carnatione aliter, quàm habet veritas ipsa sentire, nisi vt confiteatur æqualem, & consubstantialẽ Patri Filium salutis nostræ causa, iuxta annuntiationem Archangeli, in vtero Virginis carnem ex eadẽ assumente, hominem factum. Et sicut ait Apostolus: In seruili forma, vt crucem pro nobis carne susciperet. De quo beatus Petrus Apostolus Iudæis dicit: Vos petistis vobis dimitti virum homicidam, auctorem verò vitæ interfecistis. De quo etiam legitur in Paulo Apostolo: Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Confitemur enim quod genitrix Dei beata Virgo Maria in vera carne, & anima rationabili, & intelligibili, nobis Deum peperit Saluatorem, quem homousion Deo Patri, & Spiritui sancto ante sæcula eundem nobis quoque homousion, præter peccata nostra, in fine temporũ credimus, & prodamus fuisse progenitum, sicut propheta Dauid dicit: De ventre matris meę Deus meus es tu. Quæ tamen ita sine defectu, vel confusione nostri corporis est assumpta nostra substantia, vt in eadẽ carne Dei filius mundum examinaturus aduenial. Oculis omnium vulnerum, & clauorum indicia repræsentans, sicut scriptum est: Et videbunt in quem pupugerunt: Cum omnibus etiam orthodoxis impijssimos Nestorium atque Eutychetem vitamus pariter & horremus. Eorum condẽnantes & anathematizantes, & personas & dogmata detestabilibus sacrilegijs comparanda, qui dispensationem diuinam, & humanæ remedia infirmitatis, similiter aut nescire voluerunt, aut cognita blasphemare. Tale igitur circa fidem clementiæ nostræ propositum summus Deus ab exordio vitæ sensibus nostris immisit. Vnde & imperium nostrũ credimus custodire. Miramur autẽ quamobrem de beatissimis patribus, qui in Chalcedone cõuenerunt, aliqua nobis scribere voluistis, dum ea, quæ ab his fuerant cõstituta, prædecessorum nostrorum multiplicibus decretis confirmata monstrantur. Et cum nec alia synodus facta fuerit, per quam quæ ab illa dispositа sunt, redderentur infirma, nec lex à nobis processerit, cuius nouitate statuta præfati episcopalis concilij soluerentur, maximè cum ipsa synodus dixerit anathema esse debere, quicunque aliam fidẽ quam apud Nicæã, trecenti decẽ & octo venerabiles patres constituerunt, docere, vel immutare voluerit, ad hoc etiam eos, quos superius comprehendimus, id est Nestorium & Eutychetem damnauerunt, quos nos quoque damnamus. Nam pro hac causa attestantur, nobis etiam diuinæ litteræ ad Alexandriam, non semel, sed multotiens destinatæ. Per quas obiurgauimus, cur sibi non arbitrentur posse sufficere directam fidei doctrinam, recedentes ab anathemate Chalcedonensis synodi, vel venerandæ memoriæ Leonis episcopi. Vnde non paruum studium apud nos, & intentio in præsenti quoque perdurat, quatenus à superfluo anathemate eosdem possimus abstrahere, & sanctæ Ecclesiæ vniuersali coniungere. De capitulo vero quod solum videtur esse residuum, nostra voluntas petitioni vestræ fortasse propter vnitatem Ecclesiarum conuenerat, nisi alia venerabilibus Ecclesijs ex hac remoueri scandala crederemus. Nunc vniuersa, quæ sint facienda perpendite, quia graue esse clementia nostra iudicat de Ecclesia venerabili propter mortuos, viuos expelli, nec sine multa effusione humani sanguinis scimus posse, ea, quæ super hoc scribitis ordinari: omnia tamen à Deo sperantes, concilium melius agere poteritis, quàm ab his hominibus, qui propter errores suos, qui prouincias percurrentes, inimicam Euangelijs sanctis & Ecclesijs volunt esse discordiam. Ergo vt sit placens supernæ maiestati Ecclesiarum vnitas, prouidete, quia qui nobis in his, quæ præfati sumus, obsistit, ignoramus, si benè non arguit. Per omnia tamen voluntatis nostræ puritatem legatorum nostrorum poteritis narratione cognoscere. Petimus autem, vt pro nobis Apostolatus vester orare dignetur: quod vos libenti animo facere, hac poterimus maximè ratione cognoscere, si perfectam nobis vnitatem Ecclesiarum dignatus fuerit Deus, vobis disponentibus, condonare: illam enim vox Dei magnam benedictionẽ diligentibus se mandauit, atque donauit, qua declarauit: Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis.

Philip. 2. Act. 3. Philip. 2.

Confessio fidei ab Anastas. edita.

Psal. 21.

Apoc. 1. Probat Chalcedonense Cõcilium.

De nomine Acacij abolendo quid referri posset?

Ioan. 14.

Notæ.

Epistola.] *Hæc Epistola cum quibusdam sequentibus scripta est ab Anasta-*

ab Anastasio Imperatore ann. Dom. 516. quãdo edita Catholicæ fidei professione se Catholicum esse simulauit, vt scilicet hac arte populi fauore captato, metum Vitaliani excuteret. Addidit reuertentibus Sedis Apostolicæ Legatis Theopompum & Seuerianum, homines laicos, quibuscum de rebus Ecclesiasticis ageretur. Anastasium his litteris Catholicam fidem veteratorie & per summam calliditatem professum esse, eademq; fallendi arte Chalcedonense Concilium approbasse, ex his quæ superius de ipso scripta habentur, & quæ de eodem scribentur infra manifestè demonstrant. Legati quos misit, fuerunt alienis à Catholica religione, defensoresq; hæresis Eutychianæ, ideoq; præcipuè Romam venisse, vt (si fieri potuisset) ipsum Hormisdam ad suas ipsorũ partes adducerẽt. At vbi hæc adeo inexspectata Hormisda comperit, legatos re infecta ad Imperatorem redire iussit, iam de Anastasij perfidia dubiorum verborum inuolucro velata, certior factus. Hæc constant infra ex Epist. Hormisdæ ad Auitum.

EPISTOLA ANASTASII IMP. AD Hormisdam Papam.

Theopompum & Seuerianum homines laicos, Legatos Pontifici ad salutationis officium, & pacem conciliandam mittit.

ANastasius Augustus, Hormisdæ Papæ per Theopompum & Seuerianum VV. CC. Omnia, quæ benignitas conceperit animorum, dulci ambitu & festinatione laudabili propagantur; nec sibi requiẽ putant posse præstari, donec ad effectum saluberrimum desiderata perduxerint. Et tunc quædam ipsius festinationis sit requies, dum cõtigerit spes votorum: quod in præsenti nos certa ratione pertulimus, donec cælestis fauor & nostræ petitioni aditum, & vestræ promissionis serenum donet effectum. Ergo quia vel maxima itineris longitudo, vel vltra solitum morem hyemalis asperitas, quod optabamus, nobis fecit incertum, interim intra animos nostros desiderata compressimus, beneficia diuina captantes, quæ bonæ exitus rei sua interpositione decidũt, agnoscentes. Igitur quod eius pietas primam nobis gratiam condonauit, vt missa legatio ad beatitudinem tuam feliciter remearet, ad secunda processimus: vt dirigeretur à nobis promissa legatio, per quam & commemoratio fieret eorum, quę cum sanctissimis viris longa deliberatione contulimus: & idem Deo auspice, tã nostræ petitionis, quàm vestræ gratiæ, ad integrã lux serena resplendeat, & toto orbi gaudia expectata donentur. Cõmemorationis itaque loco, vel salutationis honore reddendo Theopompũ virum Illustrem, Comitẽ domesticorum agentem sacri nostri nostri palatij, scholam fidelem nobis vel pro suis moribus, vel pro ipsa affectione genitali nostræ prouinciæ: sed & Seuerianum V.C. Comitem sacri nostri consistorij ad vestrã direximus sanctitatem, qui ordinem litterarum propria voce testantes, ad celeritatem spectata prouocent, quædam iã, cælesti misericordiæ credimus placuisse. Dat. 17. Cal. Aug. Constantinop. Petro. V.C. Cons.

Anno Domini 516.

Tom. 1. Epist. Decret. 6.

EPISTOLA VI. B. HORMISDÆ PAPÆ ad Anastasium Aug.

Fraude Anastasij Imp. nondũ detecta laudat eius studium de pace concilianda, monetq; vt tandem damnatis hæresibus Ecclesiæ vnitas sortiatur effectum.

HOrmisda, Anastasio Augusto per Theopompum & Seuerianũ. Solicitari animum tuum, clementissime Imperator, ambitiosa auiditate cõmemoras, donec speratæ vnitatis reintegratio optata contingat, bona sunt desideria salutis, & laudabilis, quæ se huiusmodi Deo commendat intentio. Prudentiæ siquidem speciale documentũ est, cum id quod sibi vtile credit, impatienter inquirit. Nam si in corporum morbis noxia est tarda curatio, quanto magis in salute animæ grauius est ferendus remediorum fidelium serior appetitus? cum moneamur spiritualibus institutis, neque prodesse possunt, in diem posterum differantur, clamante sapientissimo Salomone: Ne tardes conuerti ad Dñm, & ne differas de die in diem: quia sicut in incerto vitæ tempore, ita in tuto animæ conuenit esse remedia, vt intret in gaudium Domini sui, quem veniens Dominus, ea quæ sibi placent, inuenerit operari. Vnde & fateor me fuisse miratũ, cur tamdiu legatio promissa tardauerit, cũ facienda iussit, vt regna cælestia rapiantur. Veruntamẽ instinctus ipse, quẽ mansuetudinis vestræ declarat alloquiũ, spem supernę misericordię pollicetur. Desuper est enim & ipsum velle quod bonũ est. Confido aũt quoniã qui cœpit in vobis opus bonũ perficiet vsque in finẽ. Ergo viæ cui cœpistis, insistite, & spretis errantium lubricis, nobiscum supra petrã solidã tenete vestigia: tali creuit Ecclesia sancta consensu, quod his verbis Apostolicorũ actuũ testatur historia: Multitudinis credentiũ erat cor vnum, & anima vna. Nam quemadmodũ connecti poterunt gratiæ vinculis, quorum distant corda sententijs? Fac dñe Imperator effectum rerũ fidẽ probare verborum. Non enim sermonibus cognoscuntur hominum corda, sed effectibus. Cũ & Abrahã pater noster non nuda Deo fide, sed opere fidẽ cõmendante placuerit. Vnde vel pro dispẽsatione mihi credita, vel pietatis vestræ circa me benignitate perpensa, dñe fili hortor & supplico, vt studiũ pacis, q̃ per scripta præfertis ad cõponenda nobiscũ, adiutore Deo, ea in his, quibus laborant Ecclesiæ, dirigatis, quia secundũ prophetã, Pax multa diligentibus nomen tuũ, & non est illis scandalum. Non sunt incognita apud mansuetudinẽ vestram quæ nos ab ea, quã reintegrare cupimus, vnitate discernant. Date operã, vt laudando quæ profitemini, cõpleantur effectu. Et Apostoli, cuius cõmunionem creditis expetendã, totis viribus sequimini disciplinam; in totũ perdita noxiorũ declinate contagia, scientes, non habere cũ religiosis impios portionẽ, nec vllum fidei cũ perfidia esse consortium. Cõsequens est, vt qui errorũ detestatur principes, oderit sectatores, execrabile habeatur in flore, quod dãnatur in semine. Offerte hoc munus Deo, pro vestris precor offerte temporibus, iamdiu hanc à vobis hostiã, pro tantis, quæ vobis contulit Christus expectat. Quid opus est apud illũ preces adhibere, qui supplicat? Vos Senatui Vrbis Romæ, vt me ad pacem hortaretur, iniungitis. Ego non solum cum his ad vos supplicationis verba conuerto, sed vestigijs vestris pro vniuersali aduoluor Ecclesia. Audite me pro Christo legatione fungentem, non patiamini ab improbis canibus Christi mẽbra discerpi: quæ insanabilia videtis, abscindite, & q̃ ægra, curate. Cur quæ sana sunt inualidis coniuncta, quatiãtur? Seruate ordinẽ quẽ veritas ipsa præscripsit, & pacẽ mundo, quam poscitis, reddite. Hæc & sub præsentis occasione deposco, & rursum ac sæpius supplicare curabo, sperans importunitatẽ hanc meã & Deo esse placituram, & apud vos quoq; per assiduas petitiones: quoniãid nos Dominus docuit, vacuam non futuram. Dat. Romæ.

Ecclesiast. 5.

Matth. 25.

EPISTOLA ANASTASII AD SENAtum vrbis Romæ.

Anastasius Augustus Senatui Vrbis Romæ, per Theopompum & Seuerianum. VV. CC.

Pontificem & Regem ad pacem hortandos.

IMperator Cæsar Flauius Anastasius Põtifex inclytus, Germanicus inclytus, Alamanicus inclytus, Francicus inclytus, Tribunic. Pot. 25. Cos. 3. pius, felix, victor, ac triũphator semper Augustus, Pater patriæ, Consulibus, Proconsulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui suo salutem dicit. Si vos liberique vestri valetis, benè est, ego, exercitusq; meus valemus. Quotiẽs vtrisq; publicis rebus, prospera voluntate consulitur, non solum exhortatio, sed postulatio quoque creditur esse conueniens, vt duabus in vnum concurrentibus causis animus incitatus, & quod felix & bonum partibus sit, valeat adipisci. Si enim Christus DEVS & Dominus noster, & per mitissimam voluntatem, & quandam dispensationis petitionem nos reuocauit ad se, & redemptos proprio sanguine, libertati restituit, vt salutem mortalitati præstaret, non videtur absurdum tam apud glorioſissimum Regem, quàm apud beatissimum Papam almæ Vrbis Romæ, patres conscriptos Imperiali petitioni coniunctos, ea sperare, quæ & nobis & sibi Deo annuente in communi proficiant, hoc est, ne fi-

gitiuorum audiant concinnatos sermones,& mendacio solo compositos, sed satisfactione susceptа, quam & veritas & legatorũ,qui directi sunt, inquisitio patefecit ad desideratam pacẽ,acceptabili Deo voluntate concurrant. Indubitatum siquidem est ex longa annorum serie multum partem Reipublicæ vestram iudicare constantiam. Proinde oportet sanctissimum cœtum vestrũ solerti studio,ac prouido labore contendere tam apud excelsum Regẽ, cui regendi vos potestas, vel solicitudo commissa est, quàm apud venerabilem Papam,cui intercedendi apud Deum facultas est præstita, vt in ea parte animi sui bonitatem dignentur impendere,in qua vtriusque Reipublicę membra sperata sanitate saluentur.Implebitis enim veterem consuetudinem,& nimis consilio vestro notissimam,si ea,quæ publicæ vtilitati conueniunt,tractando,sperando, postulando, effectum adipisci Deo auspice feceritis:Dat.5.Calend. Augusti.Chalcedone,Petro Cons.

RESCRIPTVM SENATVS VRBIS ROmæ ad Anastasium Aug.per Theopompum & Seuerianum.VV. CC.

Pontificem semper pacis fuisse studiosum,quam pendere ab Acatij damnatione fatentur.

SI prima semper est,Imperator inuicte, à regẽtibus supplicum spectata deuotio,si sola gratia dominorũ conciliatur obsequio; indubitanter agnosces sacræ iussionis oracula , quanta senatus vestri fuerint gratulatione susceptа, maximè cum ad hoc &animus dñi nostri inuictissimi Regis Theodorici filij vestri mandatorũ vestrorum obedientiam præcipientes accenderet, & sciamus super omnia beneficia vestra tunc magis nos erigi,cum dignos creditis,quibus debeat imperari.Mox igitur sacræ studio iussionis implendæ, Beatissimum Papam Hormisdã credimus deprecandũ, de quo parũ est dicere , quia vota supplicantium benignitate præcessit.Sed & nobiscum suas preces, vt quod hortamini fiat adiunxit,euangelicis voluntatem suam testimonijs asserendo,ostendens mundum supra multitudinẽ peccatorum suorum scandalis plus grauatum, dum vox sit ista Dominica:Væ mundo à scandalis.Et idem,oportere homines scandalizantium partem membrorum, quam vt in ignem non renuntiando scandalis,mittãtur æternũ, sed & post hæc diuinæ lectionis exemplis,quàm boni sint fructus pacis, ostẽdit,cum diceret : Et Apostolum Paulũ gratia Dei plenum: nihil tamẽ quibus benè cupiebat, quod optaret melius,inuenisse;nisi vt pax Dei,quæ est supra omnem excellentiam, in eorum sensibus abundaret; quamquã in Euangelio Domini sit vox ista dicentis : Quoniam pacifici filij Dei vocabuntur, & iterum ad ipsum scripturarum omniũ reuertendo doctorem,quanto ipse vel fide,qua & cęlestia regna prę sumimus,& à peccatorum cruciatibus credendo saluamur, charitas sit maior, ostendit, testimonium tale subijciens: Spes,fides,charitas,maior aũt omnium charitas. Idem spiritus gratia donãte diuina charitatem virtutibus omnibus euacuat. Non habentes ergo si & propter pœnam scandala declinamus,& pacẽ propter pacis bona sectamur,& ad charitatem nos,qui est charitas Christus hortamur.Quid est enim quod retinet catholico ardore festinos? Quid est quod delinquentium Acatij impendit, volentes Christum videre personam? Quid est quod à suo liberi, alieno grauantur errore? Hæc cum venerabilis Papæ latius fuerint expedita rescriptis,pro nostræ tamen obsequio credidimus deuotionis indenda,ne non rogasse putaremur recedendo responsum,quod accepimus,deprecantes: Proinde pijssime Imperator hæc suo nomine senatus serenitatis tuæ clemẽtiæ prouocatus adiunxit, vt animo quam benigno in vtraque Republica concordanda fuisti,tàm esse pio in Ecclesiæ reintegrandę vnitate nosceris.Nam vt pax illa regnorum tantum scitur prodesse subiectis, si hæc religionis cum populo suo proficit imperanti. Etenim quis non hæresum perfidarum sequaces plusquam ipsos deliquisse putet auctores? Quis nõ post patibulum crucis diuidentes iterum Christi membra condemnet? Vtinam hæc iam vobis regnantibus causa cœpisset,vt facilius mala reprimerentur nascentia, quàm prouecta. Nam quis ambigat non potuisse eius existere, cuius corripi temporibus videret errorem. Per Ennodiũ,& Fortunatum episcopos, Venantium presbyterum, Vitalẽ diaconum,& Hilarianum notarium.

Anno Domini 516.

Ex vetusto codice Vaticano.

Matth.18.

Matth.5.

1. Cor.13.

EPISTOLA, SIVE EXEMPLVM RELAtionis Ioannis Episcopi Nicopolitani,per Rufinum diaconum eiusdem ad Hormisdam.

Ex vetusto codice Vaticano.

Catholicam fidem profitetur,& quæ vitanda,quæue seruanda moneri cupit.

DOmino meo cuncta sanctissimo,ac beatissimo patri patrum comministro,ac principi Episcoporum Hormisdæ,Ioannes in Domino salutem. Cura mihi extitit semper nihil amplius quærere, nisi agere propriam & familiarem cõuersationem solicitudinis anxietati mandare:sed quia Dei iudicia abyssus multa est,sicut & vestram cognosco docere beatitudinem , Patre nostro quondam,atque Archiepiscopo Alcisone episcoporum principe à Christo ad supernas mansiones euocato, ea ratione, qua ipse cognoscit, qui est possibilium Dominus, in me sancta synodus bonorum actuum, ac clerus pastorũ transtulit sortem.Ego aũt cuncta referens Deo, qui balbutientium linguas liberas facit, decẽter ad vestras orationes concurro ; vt iuxta consuetudinem Apostolicæ Sedis vestræ quæ cunctarum Ecclesiarum curam habet,& Nicopolitanorum habere dignemini, secundum antiquam spiritualem dispositionem vestram petenti. Etenim mihi dari responsum ad apertionem oris, sicuti docuit B.Apostolus, atque ipse etiam Dominus præcepit mecum petite horum datorem , & cum quærente pariter quærite, & pulsantem spirituali manu vestra susципite. Hoc enim vobis facientibus,potero sanctissime & accipere,& inuenire,& aperiente Christo rectè per verbum veritatis incidere. Quoniam vero quidam dissimulantes nobiscum credere , atque sectari sanctas synodos,quæ Nicææ, Cõstantinopoli,atque Ephesi congregatæ sunt,in quibus principes extiterunt sanctissimæ memoriæ episcopi Cælestinus Apostolicæ Sedis vestræ,& Cyrillus Alexandrinæ. Insuper etiam quæ Chalcedone aduersus Eutychen impium congregata est,quæ omnes prædictas veritates , atque orthodoxa in se ratione firmauit. Tamen audent nos impugnare : tanquam vinculum concordiæ sine ratione vitantes. Votum autem mihi est,vestram sequi doctrinam,sicut inter sanctos prædecessor meus Alcison extiterat,& anathematizo Dioscorum,ac Timotheum appellatione Ellurum,& Petrum horum successorem,& Petri communione, cum his permixtum Acatium,& Petrum,qui Antiochenam perturbauit Ecclesiam, sequens in omnibus synodicas, ac propriè Apostolicas epistolas,scriptas à viro præsule Roma. Ecclesiæ Leone. Rogo autem plenius , atque perfectius , quæ seruari oportet , commonete, & quibus abstinere debeam, vestris custodibus litteris intimate , vt & si fortassis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, seu dixi, siue egi Apostolicis doctrinis vestris, incongruum vestris imbutus sermonibus possim hæreticorum obsistere machinis. Hoc enim facientes sanctissimè firmiores nostræ sanctæ synodi inuenietis episcopos,& bonorum actuum clerum,ac populum confirmabitis , tanquam familiarem vobis reddentes sanctam Nicopolitanorum Ecclesiam. Venerabilem vero diaconum Rufinum ad tam necessariam causam directum, pacifice sicut vos decet, rogati susципite & fiduciam tribuẽtes,celerem eius recursum ad nos præstare dignemini, portantem spiritualia, atque Apostolica constituta,cuncta sanctissime omnem in Christo fraternitatem vestræ beatitudinis,ego & qui mecum sunt , plurimum salutamus in Domino.

(:)

Vide Notas Synodi veteris Epiri infra sub Hormisda. Psal. 35.

Apostolica Sedes curam habet omniũ Ecclesiarum.

Ioannes fidem profitetur orthodoxã.

Tō. 1. Epi. Decret. 7.

EPISTOLA VII. B. HORMISDÆ PAPÆ ad Ioannem Nicopolitanum Episcopum.

Commendat illius religionem: Nestorium & Eutychen damnandum, & quomodo, qui ad fidem reuertuntur recipiendi sint, per Indiculum se significaturum scribit.

Ex vetusto codice Vaticano.

Hormisda, Ioanni Episcopo Nicopolitano per Rufinum diaconū. Gauisi sumus in Domino valde frater charissime acceptis litteris tuis, in quibus te profiteris sacerdotiū Dei gratia susceptisse. Hæc est fides certa, hæc spes sine ambiguitate secura; quæ redditur totius boni causa in superna dispensatione consistere. Cuius rei scientiā habens frater charissime beneficiorum, quæ à Deo nostro consequutus es, religioso animo gratiā confiteris, licèt hoc quoq; de eodem clementiæ fonte descēdit, vt se auctori suo humana submittat humilitas. Num. 11. Ait enim; Super quē requiescit spiritus meus, nisi super humilem, & quietū, & trementem sermones meos? In his ergo, in quibus huiusmodi probaris, clarius elucescet. Alijs etiam virtutis huius futurū exemplum, quādo ad hoc etiam Deo instituente perductus es, vt & in te catholicorū glorietur Ecclesia. Nam sicut diuinis testimonijs eruditus, & iuxta Apostolū sacrarū litterarum institutione formatus, hoc auspiciū tuæ ordinationis edidisti, vt aduersum deuiantes, cum Sedis Apostolicæ sententijs conuenires. Neq; enim remunerari aliter tantorum beneficiorū poteras largitorem, nisi aduersus inimicos eius euidentem zelū Apostolicæ confessionis ostenderes.

Notum est enim eos extra religiosa septa cōsistere, qui & ipsi profitentur conscientiam fidei fiduciā, atque ideo & infructuosa est apud eos, quāuis cum religiosis congrua sanctæ cōmunionis æqualitas; quia proculdubio qui ea, quam meruit libertate non vtitur, subiectū se iniquitatibus constetur. Quid gloriemur his, quas non sequimur disciplinis? falsò appellat magistrū, qui se institutionibus eius nō probat esse discipulum. Sed quia nobis nunc omnia in cōfessione similia, & libertatis proprię resumptis affectum; paternæ rursus hæreditatis cupientes esse cōsortes, amplectimini gratiam traditionis antiquæ: & in illius incōuulsi fundamenti stabilitate persistite, non cum temporibus corda mutantes; inconstantis enim mutabilitas ista solet esse propositi: atq; ideo benè fundatis oportet inhærere; quando huiusmodi studia clementia scit fouere diuina, vt fidei vestræ firmitas vobis de aliorum salute fructificet, & feruore vestri studij aliorū quoque animus ad resumptionem bonorum suorum possit accendi, quatenus & de vobis quoq; 2. Cor. 9. sanctus Apostolus dixisse credatur: Æmulatio vestra prouocauit plurimos. Ergo Nestorij & Eutychetis impietatibus, iuxta synodalia constituta damnatis, sectatores quoq; Leu. 15. eorum similiter execrantes, cum exultatione dicamus: Exite de medio eorū, & separamini, & immundum ne tetigeritis, dicit Dominus. Quemadmodum enim quis malarū inuentionum detestabitur principes, si non declinat sequaces? aut quemadmodū odit originem, qui non execratur & sobolem? in discipulis prædicatur fama docentiū, & donec malè iactorum seminum radix per succedētes culta floruerit, tamdiu auctorum memoria non peribit. Addatur perditis Eutychetis & Acatij disciplinis sub communione Petri. Omnium quoque damnatorū mixtus errori, quod vestra dilectio litteris suis dum fidem suā asserit, euidenter expressit. Ad institutionem vestræ fidei pleniorem, quo ordine ad cōmunionem nostram susci pi deceat reuertentes, indiculum subter adiecimus, sperātes in Deum bonorū omnium largitorem, quòd laudabili circa fidē vestræ dilectionis instantia, non solum hoc eorū, qui vobis vicinitate iunguntur, saluti prosit, sed eorum quoque, ad quos fidei vestræ, & religiosæ voluntatis velox fama peruenerit. Rufinū siquidem diaconum, qui nobis litteras vestras obtulit, in charitate susce pimus, quem Apostolorū orationibus commendantes cū pace remisimus, hortantes litteras à nobis tā ad charitatem tuam, quàm ad synodū directas populo relegatis, quod & nos pro fidei vestræ cōmendatione feciſſe cognosce. Dat. 17. Kalend. Decemb. Petro Cons.

Anno Domini 516.

EPISTOLA SYNODICA, SIVE EXEMplar relationis Synodi Epiri veteris, ad Hormisdam Papam.

Ioannis in Nicopolitanum episcopum electi postulat confirmationem, & in fide Catholica instrui cupiunt.

Domino nostro cuncta Sanctissimo, ac Beatissimo Patri patrum comministro, ac Principi Episcoporum Hormisdæ, Synodus veteris Epiri, Ioannes, Matthæus, Constantinus, Christodorus, Hilarius, Philippus, Iulianus, & Chrysippus. Si dignis præmijs vti tenemus, necesse est multis fletibus horum depromptiones efficere. Plurimi namque ex nobis in regnante fuere Constantinopoli, cum vestri sanctissimi Vicarij, Ennodius, & Fortunatus episcopi, Venātius presbyter, Vitalis diaconus, Hilarus notarius degerent, pietatis agona susceptū tenentes. Nobiscum aūt fuit & inter sanctos factus pater, atque Archiepiscopus noster Alcison, qui cum omni præsumptione supplicibus vtens libellis apud vestram beatitudinē dignus effectus est, Apostolicæ Sedis vestræ cōmunicare nobiscū: sed quia repente qui cunctorum retinet potestatem, hunc ad se euocauit, nos inrefrenabili fletu recenti peruenimus tamen ad patriam, nullo modo errorem propter Dei gratiā sustinentes, sed vbique vestra decreta sectantes.

Flentibus autem nobis atque lamentantibus cū his, qui nobiscum relicti sunt in Parœcia comministri, quis possit de orthodoxis rectè Christi oues tranſigere, qui cōsolatur humiles, consolatus est etiam nos per vestras orationes demonstrans Metropolitanæ ciuitati, in cunctis sanctissimum Ioannem, qui à pueritia in Ecclesia sine culpa nutritus, immo laudabiliter in ea degēs; ita vt neq; eum in hac quisque temporibus antecellat. Zelo aūt circa orthodoxa iuxta Apostolicas admonitiones vestras, nulli omnino cedente. Nunc ergo Dei prouidentia ordinauimus præsulem Nicopolitanorum sanctissimæ Ecclesiæ, & rogamus vt iuxta antiquam consuetudinem, hunc quoque cōplectamini paternis visceribus vestris, nobisque atque ipsi Dei gratia efficiamini arma inexpugnabilia cōmonitionibus vestris, atque doctrinis. Et precantibus nobis, inclinetis aurem, & pietatem concordiæ reperiatis, iuxta inspiratam vobis diuinitus Apostolicam prouidentiā, vt in pace, quæ est ei amabilis, cunctæ sanctissimæ Ecclesiæ cooptate immarcessibile vobis coronam nectentes, in omni pietate, atque humilitate comprehendamur in Christo. Venerabilem verò diaconum Rufinum propter hanc tam necessariā causam directum libenter rogati, conspicite, & ad nos sub velocitate remittite portantem doctrinas vestras Apostolicas. *Et alia manu.* Incolumem me ora sanctissime pater patrum.

Ego Ioānes episcopus rursus retuli: Incolumem me ora in Domino sanctissime, ac beatissime pater patrum.

Ego Matthæus episcopus Butroiti retuli.

Constantinus episcopus Hacnanopoleos retuli, Incolumem in Domino me ora sanctissime ac beatissime pater patrum.

Ego Christodorus episcopus Anciasmu retuli.
Ego Hilarius episcopus Fotices retuli.
Ego Philippus episcopus Photicensis retuli.
Ego Iulianus episcopus Dodones retuli.
Ego Chrysippus episcopus Cercires retuli.

EPISTOLA VIII. B. HORMISDÆ PAPÆ, ad Synodum Veterem.

Eutychetis errorū sectatores damnat; episcopos Epiri veteris, vt nominatim hæreticos anathematizent, hortatur.

Hormisda, Synodo Epiri Veteris. Benedictus Deus Ecclesiæ suæ membra consociās. Benedictus Deus, qui maligno instigante, diuisos sub eadem, qua olim fuerunt, facit soliditate coniunctos. Et si enim diu perdicis modo vociferauit inimicus. Et eos quos non genuit, sicut asseruit propheta, collegit tamē abyssina ambiguitate desolabitur. Neque enim oues Dominicæ sequuntur alienum, aut alterius

vocem

vocem pastoris exaudiunt. Vnde nec vos ad salutis iter redisse miramur, cum tarditatem magis in hac reintegratione culpemus. Debemus carissimi fratres domesticis, vt hac, quã quærimus stabilitate documentis: siquidem tunc Timotheus Cherſonensis grauis cum descenderet, grauior cum doceret. Nam Dioscori sectator, & idem Petri nihilominus institutor, aduersum beatæ recordationis Proterium sæuitiam suæ temeritatis exeruit, & totius finem crudelitatis excessit, religiosi viri cædé inter ipsa operatus altaria vix faucibus suis ab illo pio cruore suspensis. Tunc excitata vniuersalis Ecclesia in odium parricidæ auctorem facinoris tanti, non solum communione, verum etiam ipsæ quoque Christianæ omnium mentes noua quadam admiratione stupuerunt tantæ præsumptionis audaciam. Tunc beatus Eugenius parœciæ vestræ obtinens principatum, cum subiecta sibi sancta synodo, zelum quendam quali fine esse, Deo commendauit, ostendit. Cuius rei memoriam non solùm non potest tempus abscõdere; verùm etiam de die in diem magna apud orthodoxos fama multiplicat, horum studia sic probata negligere, & sententias non amare: idem est in ipsa Domini nostri confessione delinquere; & nobis quidem nunc post professionem, ac literas vestras omnia fidei dogmata Deo suos coniungente similia, orandũ est, vt in ea voluntas vestra, qua nos animos releuauit confessione, permaneat. Sed opus est citra respectum timoris insectari eorum rabiem, qui fidei aduersa nituntur. Quanto enim infidelium error exæstuat, tanto magis se, si resistat securitas nostra, commendat. Neque enim hæc sunt per patientiam negligenda, quando malo hoc vitio prauæ consuetudinis animatum apud plures sub quodam colore legis inoleuit, dum aut prauastudia in vnum congruunt, aut recta se subtrahunt. Nã vt eam, quæ imminet rem loquamur; Eutyches vt nefandæ hæresis inuentor excluditur etiam ab his, à quibus eius dogmata diliguntur, apud eos ipsos ita exosus, atq; fugiendus, vt nominis quoque ipsius oderint mẽtionem. Sed peruersi religiosarum institutionum ministri, quem sicut verum detestantur hæreticum; hunc alia via tanquam verum amplexantur orthodoxum: siquidem in sancta Chalcedonensi synodo Dioscorus eadem sentiens, pari ratione damnatus est. Et cum vna persequuta sit vtrumque sententia, horum alterum si quis sequatur, aut diligat, dicat aliquis quemadmodum se à sententia, quæ designatos damnauit, excipiat; cum eos, quia trãsgressionis aut impietatis connectit æqualitas, sine dubio vnum quoque vinculum damnationis astringat, Timotheus & Petrus horum sequaces homines mente corrupti, & pestis quædam nominis detestanda catholici, quorum communionem in Petro amplexus Acacius, similiter quoque meruit subire sententias, qui tantum malum quasi paruo æstimans, & propositum nunquam ad meliora conuertens, ne ab illis quidem se, quæ in Antiochia detestamur abstinuit. Ibi quoq; transgressori Petro communi connexus in Apamenam nihilominus hostiliter versatus, Ecclesiam Thyriam quoque non ea qua decuit integritate disponens. Propter quæ dilectissimi fratres ab eorum innodatione soluentes, velut regionem quandam pestiferam relinquentes, seruemus Apostolicam disciplinam saluti nostri, omni diligentia, & solicitudine prouidentes; ea cura nefandi Nestorij declinemus errores, qua Eutychetis impia inuenta persequimur.

Maximè enim nunc religiosæ fidei dogmata diuerso incursu horum, qui prædicti sunt, incursantur, insidijs sceleſtes pro ratione temporum sua argumenta nectentibus; si quomodo possint innocentium vijs fraudem suæ impietatis inserere. Atque ideo sicut docti numularij & prudentes instructi ab improbandis laudanda separantes, talenti vobis crediti poteritis multiplicare substantiam. Hæc dilectissimi fratres scripsimus plenæ caritatis impulsu; quia & spem fidei vestræ primum de Dei dono, deinde & fratris nostri Ioannis, qui vobis præsidet, professione præsumpsimus; qua nominatim omnes, quos Apostolica, ac generalis catholicorum condemnat Ecclesia execrabiles sibi esse declarauit: quod vos quoque in literis vestris oportuit euidenter exprimere, nec arbitrari posse sufficere sub tantis præsertim insidijs callidorum, quos vitium & singulos insectari conuenit, atque damnari, sub quadam eos generali damnatione concludere: diligentem quærunt vulnera antiqua medicinam; nec abundans esse creditur quicquid pro integritate fidei, & stabilitate religionis adhibetur. Vnde libellum cum litteris misimus, cui vos subscriptiones proprias inserere, vt fides vestra, quam directa per Rufinum diaconum scripta testantur, apud nos fiat huius quoque repetitionis adiectione manifestior. Dat. 13. Kal. Decembr. Petro Conſ. A.D.516.

Eugenius Archiepiscopus Episcommẽdatur.

Fraus hæreticorum in sectanda hæresi, cuius auctorem damnant.

Decoryphæus Eutychianæ hæresis.

Hæreticos esse vitandos.

Monet vt fidei professionem edant.

EPISTOLA IX. B. HORMISDÆ Papæ, ad Ioannem Nicopolitanum Episcopum. Tom. 1. Epist. Decr. 9.

Cum per literas Epiri veteris episcopi nominatim hæreticos non damnassent, mittitur libellus, cui debeant subscribere.

HOrmisda, *Ioanni Episcopo Nicopolitano, per Pulionem subdiaconum.* Literarum, quas direxisti series & expositio tuæ fidei conueniens Sedis Apostolicæ iudicijs nostros animos releuauit, tot incitati gaudijs contenti non fuimus, nisi per Pulionem subdiaconum Ecclesiæ Romanæ quid plenius circa vos ageretur cuperemus agnoscere magnoperè; quia in relatione episcoporum sub ordinationis caritatis tuę degentium, non vniuersa, quæ ad Ecclesiastica constituta pertinent, sicut in vestra leguntur euidenter expressa. Vnde & pro nostra solicitudine, & illorum integra nobiscum coniunctione, libellum direximus, in quo eos oportet debere subscribere; quia & omnes sacerdotes vestrarum partium, qui ad Sedis Apostolicæ communionem reuersi sunt, in eadem professione subscripserunt, ista caritas, ista communis salutis excitauit ambitio, quod credo fraternitatem vestram gratanter accipere; quia vbi de animarum salute res geritur, studij tui, vel intentionis debes operam commodare, vt antecedendo fructum de tali posis laude percipere. Pulionem prædictum cum rescriptis caritatis vestræ ad nos, iuuante Deo, sub celeritate remittite, quatenus desideria nostra diu suspensa esse non possint. Dat. 13. Kal. Decemb. Petro Conſ. Delegatione Pulionis. A.D.516.

NOTÆ.

Libellum direximus.] *Hunc libellum qui his literis iungebatur, eundem esse putamus, quem 15. Kal. Aprilis datum ex Cod. Vaticano hic tibi exhibemus.*

REGVLA FIDEI.

PRima salus est, regulam rectæ fidei custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in sede Apostolica immaculata est semper seruata religio. Ab hac ergo spe & fide separari minimè cupientes, & Patrum sequentes in omnibus constituta anathematizamus omnes hæreticos: præcipuè Nestorium hæreticum, qui quondam Constantino politanæ fuit vrbis Episcopus damnatus in Concilio Ephesino à Cælestino Papa vrbis Romæ, & à sancto Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis Antistite: Vna cum ipso anathematizantes Eutychetem & Dioscorum Alexandrinam in sancta Synodo, quam sequimur & amplectimur, Chalcedonensi damnatos. His Timotheum adijcientes parricidam Elurum cognomento, & discipulum quoque eius atque sequacem Petrum, vel Acacium, qui in eorum communionis societate permansit, quia quorum se communioni miscuit, illorum similem meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnantes cum sequacibus suis, & omnium supra scriptorum.

Quapropter suscipimus & approbamus omnes epistolas beati Leonis Papæ, vniuersas quas de religione Christiana conscripsit. Vnde sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes eius omnia constituta: spero vt in vna communione vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & verax Christianæ religionis soliditas. Promittens etiam, sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, nõ consentientes sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda myste-

ria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi, & tibi Hormisdæ sancto & venerabili Papæ vrbis Romæ obtuli. Dat. 15. Kalend. Aprilis, Agapito V.C. Consule.

INDICVLVS PER PVLIONem Subdiaconum.

Ex V. C. Vat.

Quid in Nicopolitana Ecclesia sit agendum.

CVm Dei adiutorio, & orationibus sanctorum Apostolorum Petri & Pauli veniens ad Nicopolim, sic debes agere, vt postquam episcopus Nicopolitanus acceperit litteras nostras, episcopos, quos in sua parœcia habet, colligat, & faciat subscribere libellum, quem in epistolis suis habent annexũ. Si tamen dixerit prædictus episcopus esse laboriosum episcopos colligere, dirigat tecum personas per singulos episcopos, vt, te præsente, subscribant in prædictum libellum. Sic tamen cum Dei misericordia facere debes, vt epistolæ, quæ à nobis missæ sunt, publicæ legantur; aut si videris pro timore hoc episcopos facere nolle, saltem vel clericis suis hæc relegant. Quæ tamen in ipsorum dimitte potestatem, & scripta episcoporum & illius episcopi, hoc est Ioannis Metropolitani, ad nos cum Dei misericordia reporta. Post hoc factum nullas moras te volumus ibidem facere propter insidias & calliditates inimicorum. Per Ioannem Diaconum eius.

EXEMPLVM RELATIONIS *Auiti Episcopi Galli, ad Hormisdam Papam.

*De Auito Viennensi episcopo Greg. Turon lib. 2. c. 34. Isid. de viris Illust. c. 23. & Ado Viennen. in chron. Baron. Anno 516. n. 29. & seqq.

Ex V. C. Vat.

Petit, se certiorem fieri de his, quæ legati de vniuersalis Ecclesiæ pace ⁊ Constantinopoli egerint.

DOmino sanctis meritis Præcellentissimo in Christo gloriosissimo, & Apostolica Sede dignissimo, Papæ Hormisdæ, Auitus.

Dum religionis statu, & plenis catholicæ fidei regulis perspicitis conuenire, vt gregem per tota vobis vniuersalis Ecclesiæ membra commissum peruigil cura vestræ adhortationis informet. Viennensem prouinciam superiore anno, si meminisse dignamini datis ad humilitatem meam litteris, visitasti, quæque ad me secundum quod oportunitas oblata contulerat, per Arelatensis Ecclesiæ clericos peruenerunt, & quidem plenissimæ solicitudine pastorali; in quibus nos, sicut per conuersationem prouinciarum, id est Dardiniæ, Illyrici, vel Squiciæ, ad communionem, gaudium, prouocatis, sic admonitione cautissima; ne quid nos per ignorantiam præuenire possit, instruitis. Eutychetis igitur, Nestorijq; damnatio, quos iam dudum per beatissimos decessores sanctæ Sedis vestræ calcauit auctoritas, ad notitiam iam pridem nostram Apostolicæ ad nos diligentiæ prouisione perlata est. Sed illud nos modo suspensos multum redigit & anxios, quod cum pẽdere nos ad effectum legationis secundo Constantinopolim destinatæ, omni expectationis studio iusseritis, nec quid filius vester sanctus frater meus Ennodius retulerit, nec vtrum sequuta redierit, indicastis; & promissionem vestram tanta silentij diuturnitate suspenditis, vt non minus modò prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quam antea fecerat legationis mora suspectos. Vnde sola hac causa seruos vestros filios meos Alexium presbyterum, & Venantium Diaconum totius prouinciæ Viennensis nomine, quæ Ecclesiæ ad me pertinenti ab vniuersis decessoribus vestris, & Apostolica sede commissa est, cum præsentis famulatus pagina destinaui, per quos oraculo beatissimæ responsionis agnoscam, vtrum feruor schismatum præfatorum, qui intra Constantinopolitanam vrbem vitio perniciosæ obstinationis exarserat, cuiq; (quod magis dolendum est) Alexandrinam vel Antiochenã Ecclesias dicitis illigatas, vobis Christo fauente dicentibus, digna fuerit correctione restinctus, aut si reuersa legatio in paginis euidentibus, quod simplex legeretur, exhibuit. An fortè nuntio magis retulit, vnde vobis adhoc qualiscunque suspicio reseruetur. Veremur enim, ne Pontificale iudicium, dum non indicat prospera, sensisset aduersa: his adijcitur, q̃ diuersorum fida relatione comperim⁹, de reconciliatione vel concordia Ecclesiæ Rom. iactitare se Græciã, quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita metuendum est ne callidè simuletur. Quæsumus ergo seruitio meo cuncti, vt quid filijs vestris fratribus meis, id est, Gallicanis, si consular, respondere debeam, instruatis: quia cum securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ deuotione pollicear, omnes super statu fidei vestram captare sententiam. Orate vt sic nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab vnitate, quam regitis, veritas comperta non separat. Accepta 3. Kal. Febr. Agapito Cons. per Alexium presbyterum, & Venantium diaconum.

EPISTOLA X. B. HORmisdæ Papæ, ad Auitum Viennensem Episcopum.

Tres epistolæ circa

Commendat eius studium de Orientalis Ecclesiæ statu cognoscendo: de concordia autem à legatis nihil actum fuisse scribit; & hortatur, vt cum cæteris Galliæ episcopis in fide catholica persistat.

HOrmisda, Auito Episcopo vel vniuersis episcopis prouinciæ Viennen. sub tua diœcesi consistentibus.

Ex V. C. Vat.

Qui de his, quæ ad disciplinam catholicam pertinent, maximè sciens instrui cupit, quid studij circa mandata diuina habeat, euidenter ostendit. Non enim potest esse huiusmodi cura, nisi vbi fides fuerit infucata. Atque ideo exultamus à synceritate propositi tui, dilectissime frater, dum te secundum directas per Alexium presbyterum atque Venantium diaconum, litteras intuemur, & de impijs transgressoribus Eutychete, atque Nestorio, Sedis Apostolicæ constituta recolere. Et si quid aduersum eos admonitio nostra promouerit; per quos orientales Ecclesiæ confunduntur, inquirere, digna planè solicitudo, fidelibus, vt de miserorum lapsibus ingemiscãt, & ipsi ne aliena polluantur contagione prouideant: sed ne nos quidem hoc supersedisse credatis, vt ad notitiam vestram, si quid actum fuisset, competens perferret instructio. Verum breuiter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quod non sæpius nostra admonitio vos frequentat, de conscientiæ vestrę, & fidei stabilitate confidimus, solicitudo impendenda fortasse sit dubijs, satis est vitanda indicasse perfectis. Legationis verò nostræ, quam semel, non secundo, sicut scribitis, misimus, si votiuus contigisset euentus, alacres illico vobiscum fueramus desiderata partituri, scientes hoc rationi, hoc nostro proposito conuenire; vt quos participes solicitudinis fecimus, cum his reintegratę vnitatis gaudia iungeremus.

Videtur Auitus Epist. 5. quæ est 1. Hormisdæ.

Fallacia legatorum detegitur.

Sed quantum ad Græcos, ore potius præferuntur pacis vota, quam pectore, & loquuntur magis iusta, quam faciunt: verbis velle se iactant, quod operibus nolle declarant. Quæ fuerint professi negligunt; quæ damnauerint hæc sequuntur. Nam vnde est, quod cum per Ennodium fratrem & coepiscopum nostrum sacerdotales viros, ad confirmanda ea, quæ Sedes Apostolica poposcerat, directuros se esse promisissent? Multa quoque, quæ ad correctionem prauitatis suæ à nobis quæsita fuerant, pollicentes, non solùm non religiosos viros, penes quos causę ipsius plena esse posset instructio, secundum constituta propria non miserunt; verùm etiam quasi res parua gereretur, laicos & alienos ab Ecclesiastico corpore destinantes, non se studuerunt de cœno, quo immersi tenentur, euoluere, verum etiam catholicæ fidei claritate fulgente, sua (quod absit) se posse crediderunt obscuritate fuscare. Hæc fuit nostri causa silentij, quam vos quoque spirituali vobis prudentia reuelante, vidistis. Quid enim de hac causa poteram directis litteris indicare, quam in statu suo videbam duram pertinaciter custodire perfidiam? noui exitus solicitè diligentiam relationis inquirant, qui de rebus cognitis nihil indicat, abundè in statu suo manere priora declarat. Quapropter, dilectissime frater, & vos præsentibus hortamur alloquijs, & per vos quoque, quia occasio data est, alios per Gallias, quos fides eadem nobiscum amplectitur, admonemus, promissam, & amabilem Deo fidei seruate constantiam, & transgressorũ societate declinata, constantiam vestram vni viro virginem castam, sicut spopondistis, exhibete Christo; & cauete, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita sensus aliquorum corrumpantur à simplicitate, & castitate, quæ est in Christo Iesu

Ecclesiastica negotia ab Ecclesiasticis personis tractanda.

2. Cor. 11.

Perni-

Pernicioſa ſunt blandimenta nocentium, atque ideo vigilare vos conuenit: quia aduerſarius ſalutis humanæ, ſicut Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide: quia hoc ſpeciale habent patris ſui de cæli arce deiecti, qui veſtigia eius ſequuntur, & diligunt, vt illa veritatis luce priuati, & alios gaudeant ſua obſcuritate fuſcari; & cum peruerſitatis ſuæ pœnas luituros eſſe ſe ſciant, exultent, ſi miſeros cũ ſua condemnatione cõiungant. Nam vnde eſt, quod cum pro magna parte à conterminis ſuis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum peruerſitate deſerantur, procul poſitos ignorantiæ ſpe, fraudibus, aut varijs artibus nituntur allicere, niſi vt lucem, quam ipſi non habent, in alijs quoque impia cõtagione commaculent. Vt autem quæ ſint partium earum ſtudia, poſſitis agnoſcere plures Thracum, licet perſequentium incurſibus atterantur, in noſtra tamen communione perſiſtunt, ſcientes fieri fidem per aduerſa clariorem. Dardania, & Illyricus vicina Pannoniæ, à nobis, quod iam fecimus, vbi neceſſarium fuit, vt ſibi epiſcopi ordinarentur, expetijt. In tãtum ſe à conſortio perditorum ſeparare gaudentes, vt remedia quærerent, dummodo commune cum tranſgreſſoribus nil haberent. Epiri Metropolitanus, hoc eſt, Nicopolitanus epiſcopus, cum ſynodo ſua nuper ſegregatus ab impijs, ad Apoſtolicam communionem deprompta, quæ efficeret, profeſſione ſe contulit: quæ ideo ſcriptis æſtimauimus indenda præſentibus, vt ſicut ſortem nos conuenit dolere pereuntiũ, ita lætemur pariter de ſalute remantium, & vt fideles conſtituti ab eis longius inſtruantur, qua virus eorum ſolicitudine debeat effugi; quos & à ſuis videat tam iuſta deteſtatione vitarit: & nos quidem diſpenſationis noſtræ memores, neceſſe eſt eos repetitæ legationis officio cõuenire, quod affectu ſaluationis ſuæ, ſi reſpectu Dei, ſi rationis intuitu non mouentur, ſaltem pulſantibus importunè & pertinaciter acquieſcãt, & aut ad rectam viam, declinatis erroribus, reuertantur, aut propter impœnitens cor, ab omnibus inexcuſabiles iudicentur, qui & moniti totiens in perfidiæ obſtinatione perſiſtunt. Vos orate, & nobiſcum ad Deum preces, & vota coniungite, vt per opem miſericordiæ eius, noſtra actio laborans, pro catholicæ fidei ſtabilitate promoueat immaculatos vos, & integros ab omni tranſgreſſorum ſocietate ſeruantes. Vt autem cum correctis ſenſus & corda iungamus, aut ab eorum veneno intacti eſſe mereamur: nam qui ſicut vos quoque conſcientiam veſtram non latere teſtamini, nouimus Eutychetem, atque Neſtorium Apoſtolicæ, id eſt, catholicæ ſententiæ auctoritate damnatos: quemadmodum ſalui eſſe poterimus, ſi eorum ſectatoribus, ac poſteris qualibet parte communionis hæreamus, cum Belial cum Chriſto noſtro portionem habere non poſſit. Inſtructionis autem veſtræ intereſſe credimus, vt ea, quæ apud nos à Nicopolitanis vel Dardanis acta ſunt, vel quo in communionem ordine ſint recepti, vobis nota faceremus, ipſarum lectione chartarum. Dat. 15. Kalend. Mart. Agap. Conſ.

Anno Domini 517.

INDICVLVS, QVI DATVS EST ENNODIO, & Fortunato Epiſcopis, Venantio presbytero, Vitali diacono, & Hilario Notario.

Quid Conſtantinopoli agere debeant, & fidei formulam, quam ad fidem catholicam redire cupientes profiteantur, præſcribit.

Indiculus ſeu cõmonitorium i. legationis, quo monentur quid agendum vel omittendum eſſet. In V. C. Vat.

CVm Dei adiutorio, & orationibus Apoſtolorum, venientes in partes Græciarum, ſi epiſcopi voluerint occurrere, in qua decet eos veneratione ſuſcipite, & ſi voluerint ſucceſſionem parare, nolite ſpernere, ne iudicetur à laicis, nullam vos cum ipſis habere velle concordiam. Si verò ad conuiuium vos rogare voluerint, blanda excuſatione eos declinate, dicentes: Orate vt primum illam myſticam menſam mereamur habere communem, & tunc erit vobis iſta iucundior. Victualia vero vel ſi qua alia offerre voluerint, excepta tamen ſubuectione, ſi cauſa poposcerit, nolite ſuſcipere, ſed taliter excuſate nihil deeſſe dicentes, ſperantes etiam, vt animos ſuos vobis accommodent, vbi ſunt & dona, & ditiæ, & caritas, & vnitas, & quicquid ad gaudium religioſum certum eſt pertinere. Cum iſta ordinatione Deo propitio, Conſtantinopolim peruenientes, ibi ſecedite, vbi ordinauerit clementiſſimus Imperator. Et antequam ipſum videatis, nulli detis ad vos veniendi licentiam, præter quos pietas eius miſerit. Poſtea tamen quam principem videritis, ſi qui orthodoxi, & noſtræ cõmunionis aut habentes zelũ vnitatis vos videre voluerint, eos ſub omni cautela ſuſcipite, per quos fortè & quod agitur deprehendere poteritis. Præſentati itaque Imperatori, literas porrigite cum tali allocutione: Salutat pater veſter vos, Deum quotidie rogans & interceſſionibus ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli veſtrum regnũ cõmendans; vt Deus qui vobis tale deſiderium dedit, vt pro cauſa Eccleſiæ mitti, & conſulere beatitudinem ipſius elegeritis; ipſe & perfectionem bonæ retribuat voluntatis. Et ſi voluerit antequam caritas ſuſcipiat, ordinem legationis agnoſcere; his verbis vtimini. Iubete ſcripta ſuſcipere. Si dixerit, quid habent chartæ: reſpondebitis, ſalutes ad pietatẽ veſtram continent, & Deo gratias agunt, quia vos ſolicitos de vnitate cognoſcit Eccleſiæ, legite, & agnoſcetis, & nullius cauſæ mentionem penitus faciatis, niſi prius acceptæ litteræ relegantur, & poſt ſuſceptas literas, & relectas, adicitis. Nam & ad † Vitalianum famulum veſtrum miſit literas, quia accepta à pietate veſtra, ſicut ipſe ſcripſit, licentia, ſuos ad patrem veſtrum ſanctum Papam homines deſtinauit. Sed qui iuſtum erat, vt prius ad clementiam veſtram dirigeret, hoc fecit; vt vobis iubentibus, atque ordinantibus, ad eum ſcripta, quæ detulimus, Deo propitio perferamus, ſi Imperator petierit epiſtolas à vobis ad Vitalianum directas, ſic reſpondendum eſt: Non hoc nobis pater veſter ſanctus Papa præcepit, nec ſine iuſſione ipſius aliquid poſſumus facere. Tamen vt ſciatis ſimplicitatem literarum, quia nihil aliud habent, niſi preces ad pietatem veſtram directas, vt accommodetis animum veſtrum pro vnitate Eccleſiæ, iungite nobiſcum perſonam, qua præſente traditæ à nobis literæ relegantur. Si vero dixerit Imperator, eas ſe debere relegere, reſpondes: Iam te ſuggeſſiſſe iuſſum tibi à ſancto Papa non fuiſſe: ſi dixerit, hoc tantum eſt, quod in literis continetur; poſſunt enim & mandatis alia nuntiari. Tunc reſpondes, abſit à conſcientia noſtra, nobis non eſt talis conſuetudo: nos pro Dei cauſa venimus, & in Deum commiſſuri ſumus? Simplex eſt ſancti Papæ legatio, & omnibus nota ipſa eius petitio, ipſæ preces, vt conſtituta patrum non corrumpantur, vt hæretici de Eccleſijs remoueantur: præter iſta, legatio noſtra nil continet. Si dixerit inde, & ad ſynodum inuitaui ſanctum Papam, vt ſi eſt aliquid ambiguum, tolleretur è medio; Reſpondendum eſt: Agimus Deo gratias, & pietati veſtræ; quia hunc vos affectum & animum habere cognoſcimus, vt ea quę à patribus conſtituta ſunt, generalitas ſeruet: quia tunc vera, & ſancta vnitas poteſt eſſe inter Eccleſias Chriſti, ſi vos Deo iuuante hoc, quod prædeceſſores veſtri Martianus, & Leo cuſtodierunt, elegeritis eſſe ſeruandum. Si ille dixerit, & quæ ſunt iſta quæ dicis? Reſpondes, vt ſynodus Chalcedonenſis & Epiſtolæ ſancti Papæ Leonis, quæ ſcriptæ ſunt contra hæreticos: Neſtoriũ & Eutychen & Dioſcorum, nullatenus corrumpantur. Si dixerit: Nos ſynodum Chalcedonenſem, & Epiſtolas Papæ Leonis & recipimus & tenemus: Vos mox gratias agite; & pectus eius oſculamini clementiæ, dicentes: Modo cognouimus Deum nobis eſſe propitium, quando facere talia feſtinatis; quia iſta eſt fides catholica, iſta eſt, quam prædicauerunt Apoſtoli, ſine qua nullus poteſt eſſe orthodoxus. Iſta debet ſacerdotum generalitas tenere, & prædicando ſeruare. Si dixerit, orthodoxi ſunt epiſcopi, de conſtitutis patrum non recedunt: Reſpondes, ergo ſi conſtituta patrum ſeruantur, & in nullo corrumpitur, quod in ſancto Chalcedonenſi concilio firmatum eſt: quæ cauſa eſt tantum inter Eccleſias partium iſtarum eſſe diſcordiæ: vel quæ cauſa facit in vno orientis epiſcopos non ſentire? Si dixerit, quieti erant epiſcopi nulla inter ipſos diſcordia verſabatur; prædeceſſor ſancti Papæ animos eorum, miſsis literis excitauit, & ad confuſionem ſolicitando perduxit. Reſpondendum, literis quas ſanctæ me. Papa Symmachus deſtinauit, præ manibus habemus. Si extra hæc, quæ pietas veſtra dixit, hoc eſt, Chalcedon. concilium ſequor, epiſtolas Papæ Leonis ito, tandem aliud quicquam cõtinent, niſi exhortationem, vt iſta ſeruentur. Verum eſt quia per ipſum eſt generata confuſio. At ſi hoc contineatur in literis, quod & pater veſter ſperat, & pietas veſtra conſentit, quid ille fecit, quod in eum videatur, eſſe culpabile? his adijcite preces, & lachrymas rogantes: Domine Imperator conſidera Deum; Ponite ante oculos veſtros futurum eius iudiciũ.

De Vitelliano Marcellinus Comes in Chronico Cedrenus in Compend hiſtor.

Sancti patres; qui ista constituerunt, beati Apostoli Petri fidem sequuti sunt, per quam ædificata est Ecclesia Christi. Si dixerit Imperator. Quid me vultis persecutionem facere ab eo? Ecce mihi communicate, qui synodum Chalcedon. recipio, & epistolas Papæ Leonis amplector, nunc communicate mihi. Respondendum est: quo ordine pietas vestra communicari sibi desiderat? nec nos prædicantem istam pietatem vestram vitamus, quod scimus Deum timere & gaudemus, quia gratum nobis est, patrum constituta seruare: fiducialiter ergo rogamus, vt per vos in vnitate reuertatur Ecclesia. Sciant omnes episcopi voluntatem vestram; & quia synodum Chalcedonensem; & epistolas Papæ Leonis seruatis, vel Sedis Apostolicæ constituta.

Si dixerit, quo ordine facienda sint, hæc se debere cognoscere. Iterum preces adhibete cum humilitate, dicentes: Pater vester scripsit episcopis generaliter, iungite his literis sacras vestras, significantes hoc vos iudicare, quod Sedes Apostolica prædicat. Et tũc qui sunt orthodoxi, de vnitate Sedis Apostolicę minimè separentur, & qui his sunt contrarij cognoscãtur. Quibus ordinatis, paratus est pater vester, si opus fuerit suam accommodare præsentiam, & quicquid expedit, seruatis patrum constitutis, pro integritate Ecclesiæ non negare. Si dixerit Imperator, bene ista, suscipite iterum nostræ ciuitatis episcopum. Iterum preces adiungite humiliter, dicentes: Domine Imperator pacem venimus cum Dei adiutorio, vobis adnitentibus, & præstantibus, facere, & intentionem sopire in ciuitate vestra, de duabus personis est intentio: ista causa proprium cursum habet; generalitas episcoporum primitus ordinetur, fiat vna communio Catholica, & sequenti loco de istis, vel si qui sunt alij, extra Ecclesias suas, tunc diligentius potest causa cognosci. Si dixerit Imperator: De Macedonio dicitis, intelligo subtilitatem vestram, hæreticus est, nulla ratione reuocari potest. Respondes: Nos domine Imperator nullum personaliter indicamus, & si pietas vestra considerat, magis pro anima vestra, & opinione loquimur: vt fit discussio: & si hæreticus est, iudicio cognoscatur, & non sub opinione orthodoxi iniustè dicatur oppressus. Si dixerit Imperator, Quid vultis? modò dicite de synodo Chalcedonensi, dicetis & de epistolis Papæ Leonis: ecce qui est Ciuitatis episcopus ad ista consentit. Respondendum est, si ista custodit in examinatione causæ, eum iuuare plus poterunt. Et quia seruo vestro Vitaliano magistro militum talem dedistis licentiam, vt si speraret à beatissimo Papa, vt pro causis talibus apud eũ discussionem causæ his personis quibus de loco potest esse intentio integra vniuersa seruentur. Si Imperator dixerit: sine episcopo habet esse ciuitas mea, hoc vobis placet, vt vbi ego maneo, episcopus non sit. Respondendum: prædiximus duarum personarum intentionem esse in ista ciuitate, quod ad canones pertinet, iam ante suggessimus: canones soluere, in religionem committere est, multa sunt remedia, multa inuẽta, per quæ pietas vestra sine communione esse non possit, & integra iudiciorum forma seruetur. Si dixerit: quæ sunt ista remedia? Respondes: Non à nobis nouiter inchoata, suspensa causa de alijs episcopis; persona quę cõsentit confessioni pietatis vestræ, & constitutis Sedis Apostolicæ interim vsque ad euentum cognitionis locum Constantinopolitani teneat sacerdotis, si cum Dei adiutorio episcopi voluerint se accommodare Sedi Apostolicæ, habetis textum libelli ex scrinio Ecclesiæ editum, iuxta quem debeant profiteri: si tamen cõtra alios episcopos Catholicis datæ fuerint petitiones, magno perè contra illos, qui sine verecundia Chalcedonensem synodum anathematizant, & epistolas non recipiunt sancti Papæ Leonis, petitiones suscipite. Causa tamen in Sedis Apostolicæ reseruata iudicio, vt & spem de audientia detis, & tamen vobis debita reseruetur auctoritas: si tamen Imperator serenissimus totum se promiserit esse facturum, tantum vt nostrã præsentiam accõmodemus modis omnibus prius sacra ipsius per Episcopos, vel per epistolam vestram, vno de vestris prę ferendo, vel per prouincias vnà cum personis, quas Imperator deputauerit, destinate: vt sic eum seruare Chalcedonense concilium, & epistolas sancti Papæ Leonis, omnibus innotescat. Quibus ita procedentibus, ad nos in Christi signo, vt aduentum procuremus, scripta dirigite. Præterea, est consuetudo per episcopum Constantinopolitanum, omnes Imperatori episcopos præsentari, si hoc illorum callidus tractatus inuenerit volentem formam legationis agnoscere, vt cum Timotheo, qui videtur modo Constantinopolitanam Ecclesiam gubernare, Imperatorem videatis; sic facite, vt si ante agnoueritis, quàm ad Imperatorẽ ingrediamini, ista disponi per aliquos, nec dum præsentati, dicite; mandata talia nobis dedit & præcepta pater pietatis vestræ, vt sine aliquo episcoporũ vestram clementiam videamus: ergo agite donec se ab hac consuetudine ipse remouerit. Quod si omnino noluerit, aut si captiose contigerit, vt ante Imperatorem inopinatè Timotheum videatis, ita suggerite, præcipiat pietas vestra nobis dare secretum, vt causas pro quibus missi sumus, exponamus.

Si dixerit, dicite, ecce ante ipsum respondetis: Non iniuriam facimus: sed quod ad causam pertinet, intimamus: etiam & ipsius continet legatio nostra personam, & suggestionibus nostris præsens esse non potest, & nulla ratione eo præsente aliquid allegetis; sed egresso, ordinem delegationis exerite.

De Macedonio Marcellinus Comes in Chronico Euag. lib. 3. c. vlt.

Capitula singularum causarum.

VT sancta synodus Chalcedonensis, & epistolæ sancti Papæ Leonis seruentur, atque clementissimus Imperator consentiens, debet pietatis suæ sacra generalia ad vniuersos episcopos destinare, in quibus significet supradicta se & credere, & vindicare; consentientes etiam episcopi in Ecclesia præsente plebe Christiana hæc prædicare debent, amplecti se sanctam synodum Chalcedonensem, & epistolas sanctissimi Papæ Leonis, quas scripsit contra hæreticos, Nestorium, & Eutychen & Dioscorum. Sed & contra sequaces eorum Timotheum, Hellurum, Petrum, vel contra eos, qui in ipsa causa tenentur obnoxij; simul etiam & Acacium, qui quondam Constantinopolitanæ ecclesiæ fuit episcopus, sed & Petrum Antiochenum anathematizantes cum socijs eorum. Hæc manu propria, præsentibus electis viris venerabilibus, scribentes faciant; secundum textum libelli, quem per Notarios nostros edidimus, in exilium deportatos pro causa Ecclesiastica ad audientiam Sedis Apostolicæ reuocandos, vt iudicium, & vera examinatio, de his haberi possit. Ita vt causa eorum inquisitioni integrè reseruetur. Si qui verò Sedi Apostolicæ communicantes, catholicam fidem prædicantes, atque sequentes fugati sunt, vel in exilio detinentur, hos iustum est ante omnia reuocari. Præterea quæ legatis inter reliqua iniunximus, vt si contigerit libellos porrigi aduersus eos episcopos, qui persecuti sunt catholicos; de his iudicium Sedi Apostolicæ seruetur, vt circa eos venerandorum patrum possint constituta seruari, per quæ ædificatio generalitati proueniat.

EPISTOLA XI. B. HORMISDAE PAPÆ, ad Anastasium Augustum per Ennodium Ticinensem, & Peregrinum Misenatis Ecclesiæ in Campania Episcopos, secundæ legationis ad Anastasium destinatæ munere fungentes, transmissa.

To. 1. Decret.

Pacem Ecclesiæ nõ nisi damnato Acacio posse restitui.

Ex V. C. Vat.

HOrmisda, Anastasio Augusto per Ennodium & Peregrinum Episcopos. Dudum legatis mansuetudinis vestræ remeantibus ad literas vestras & mandata respondi, non quidem vniuersa plenè, sicut magnitudo rei postulabat, expediens, & tamen pro tempore certa perstringens; verum etsi sufficienter allegare me omnia contigisset: nunquid agens apud clementiam vestram causam fidei, poteram reperiris precib⁹ importunitatis incessi? timeant notam huius ingratitudinis, quibus cura est, studium negotijs nauare mundanis, opus non implet Euangelij, qui à prædicatione eius venialiter putat posse cessari. Peruigilem pastorum oportet esse custodiam, & lumbos sine relaxatione præcinctos bonæ admonitionis, sicut constat dulcem fructum; ita eius non decet esse fastidiũ. Et alias: Cur postulationis meæ molestam mansuetudini vestræ quisquam dicat esse frequentiam? cum per ea quæ fiunt ex officio meo, per remedia fidei vestro consulatur imperio. Etenim quæ me onerat cura, vos releuat; mihi incumbit: sed vobis proficiet, licet ex diuerso semine vnus fructus amborum est: nam sicut pœna est nec dicere Deo accepta, nec facere, ita certa remuneratio vel illi, qui spiritualia prædicauerit, vel illi, qui audita non spreuerit. Dedit quidem clementia vestra velut ob-

fidem

fidem propositi sui sub testimonio Imperialis alloquij, & se quasi pignore quodam bonæ voluntatis astrinxit: sed opus est cœptis adijcere firmitatem. sumant plenum decorem iacta fundamina: non remittantur propugnantes pro Dei Ecclesijs manus: totiens Israeliticus hostis intercidit, quoties Moysis brachia non remisit. effectus opera, finis commẽdat initia. Non prodest cœpisse deserentem, quia sola perseuerantia fidei dat salutem. Benedicimus Deum, cuius zelo pietas vestra transgressores impios Nestorium & Eutycheten vel odisse persequi, qui cum nefandis, & sacrilegis dogmatibus profitetur. Probat odisse se vitia, qui condemnat errantes: nec relinquit sibi locum deuiandi, qui non pepercerit excedenti: primus innocentiæ gradus est, odisse culpanda: sed veritatis interest, domine fili, & catholicæ disciplinæ, & sectatores etiam eorum. atque participes oderitis, quorum execrandos principes iudicatis. Non in damnandis sola, id est, certa nomina; sed in his etiam, qui damnatos sequuntur, sunt crimina persequenda, frustra auersari se plures asserit, qui vnum de his, qui detestatione digni iudicantur, exceperit: non enim numerus errantium hominum. sed meritum consideratur errorum. Hoc ideo ne facilè putet vestra clementia Acacij prætereundam esse personam. Nonne ille est Acacius, qui cœno Petri, Dioscori, & Eutychetis dogmate, & communione pollutus, dum copulatur, immersus est? Illius sustinens in condemnatione supplicium, cuius elegit in communione consortium? qui viritim, propter impietates suas, horum singulos odit, & in illis Acacium necesse est oderit; & omnes in Acacio non amauit; ab illo per Orientales Ecclesias fermentum nefandi erroris inoleuit. Inde Alexandrinæ perfidiæ cosque nutrita superbia; vt non acquiescat, sicut scripsistis eius mandatis salutaribus, cuius famulatur imperijs; & in errore declinando, nõ sequatur admonitionem; cuius in agendis rebus experitur sibi vtilem potestatem. Vnde & maiore huiusmodi homines conuenit detestatione vitari: quia quæ docere debuerunt, nec dum ab aliis instruuntur, assumunt, spernentes in his imperãtis monita, in quibus tantum non timeri iubentur imperia, & immemores deuotionis contra salutem animæ, quos contumaces esse oportuit pro salute, hos mentibus perditis ausus nutriuit Acacij cum perfidis iuncta communio. Atque ideo æstimandus est auctoris loco, cuius grauius peccatur exemplo. Nihil enim vitia magis quàm imitatio fouet, dum creditur non improbanda esse; ad quæ alij quoque videntur accedere: fragilis est & caduca mortalitas: vix nefariæ cogitationes dum comprimuntur intereunt. Iacet sæpe semen noxium sub terrore, nec deficit: latum pandit delinquentibus aditũ qui iungit cum improbitate consensum. Vtinam inuicti sisime Imperator inter ipsa Apostolicæ distinctionis initia orientales Ecclesiæ Acacij contagia nefanda vitassent. Non per multos error ille noxia venena diffuderat, ipsa quoque erecta nunc fortassis Alexandrię tunc colla cecidissent, dum perculsam perfidiam suam in damnatione imitatoris agnoscerẽt, & displicere in complicibus se viderẽt. Sed dum malè nutriti fouentur errores, & prauorum consensus inutilis æquitate corrigenda dissimulatur, per impunitatem sequacium mala dogmata multiplicauit auctorum. Et vos quidem, si placet, à Deo efficaciter impetretis, commendatis vestrum, & de alieno errore propositum. Sed cogitandum est clementissime Imperator, si ei apud Deum sufficiat errata culpasse, cui dedit posse corrigere: non est differenda curatio, admoueantur medicæ profundis vulneribus manus. Sola ante Acacium Alexandria perfidiæ suæ fœditate sordebat. Respicite quantas iam partes emendatio neglecta polluerit; quousque patieris Domine fili Ecclesiam Dei diuisionem suorum merere mẽbrorum? anticipent beneficia tua ad Deum peruentura suspiria, assume fidei curam, & vexillum salutis attollens ad errores, ab Israele remouendos, velut Ezechias alter, exurge: fasti bi laude nouorum operum titulos a quare priscorum. Ille dissipauit excelsa, tu superbiam erectæ impietatis inclina: Ille simulacra contriuit, tu dura infidelium corda confringe: Ille memoriam serpentis ænei sustulit, tu virus præsentis effunde. Offer Deo recta, quæ fecit; & spera dona quæ meruit: Fidelis est enim Dominus, qui reddit singulis, secundum opera eorum. In aperto est, quanta sit expectatio fidelium, quanta trepidatio perfidorum. Illi ambiunt gaudere cum Angelis de receptis. Illi metuunt, ne ab his, quos deceperant, destituti, pœnis remaneant præparatis: pendent anxia corda cunctorum ab vltimis ad nos Gallijs directa legatio. Si quid de vnitatis reintegrationis solicitudo nostra promouisset, fama sequuta consuluit. Nec difficile opus clementiæ tuæ. Scit Deus suorum laboribus subuenire, ex vsu est ad principes suos conuertere corda subiectos: dat specie maximum signum recens religiosæ memoriæ Martiani Imperatoris exemplum. Quid egit tunc vulgus, aut populus? non opus nota reuoluere: adulta est perfidia ista per deuios, sopita per iustos: imitare religiosi integritatem propositi, quam studio ciuilitatis æquasti. Ad hæc nostris lachrymis, nostris precibus alleganda, Ennodium, atque Peregrinum fratres, & coepiscopos nostros vice nostra pro exhibenda etiam honorifica salutatione direximus. Ideò maximè designato viro fasce secundæ legationis imposito, vt qui nobis spei bonæ detulit initium, nunc adiutore Deo plenum reportet effectum. Acquiescite precamur fidelibus monitis, cuius vos delectatos dudum legimus institutis. Dat. 3. Non. April. Agapito V.C. Conss. A.D. 517.

EPISTOLA XII. B. HORMISDæ Papæ, ad Timotheum Constant. Episcopum hæreticum commonitoria, per supradict. legatos.

Tom. 1. Epist. Decr. 12.

Pro vnitate Ecclesiæ laborandum.

HOrmisda, *Timotheo Episcopo Constantinopolitano.* Non mirabitur dilectio tua rationem præteriti silentij mei, si quæ præcesserint, vniuersa consideret: non mirabitur præsens alloquium, si quæ sit vis caritatis expendat. Sustinere enim omnia caritatem, Magistro gentium docente, cognouimus; quæ si sua sicut continet doctrina ipsa, non quærit, an incongruè abusus priuilegio meo, quod tibi potius prodesse possit, exhibeo. Expectare enim me decuit ab errantium coniunctione te liberum, & sic amare correptum videre ab improbandis diuidi, atque ita literario sermone complecti. Sed quem optes reducem, cur differas vocare tardantem? Cur non detur locus moderationi, cum nihil detrahitur æquitati? Impendenda sunt quæ laborantibus prosunt, si nos societatis contagione non polluunt. Hæc causa mihi fuit præsentium literarum, vt horter, vt moneam, ne terram nostram iacere patiamur negligentius infœcundam. Non diu infructuosam arborem occupare solum diligens permittit agricola, patienter expectat; sed nunquid sub continuatione perdurat? Vocatus ad salutaria, non moreris, prope ab innocentia nõ recedit qui ad eam sine tarditate reuerterit: mouere patrum monitis, & insistens fidelibus, sine lapsu, aut errore, vestigijs præcedentia dilue per futura. Adiacet tibi modo ad iusta populos incitando, modo pro fide principalibus vestigijs, supplicando dirigere; quod deuium est, solidare: quod dubium magno te conuenit labore prouidere, vt causas transacti temporis rectè tegat sedulitas actionis. Præstat quidem animæ suæ, per quem vniuersali aliquid confertur Ecclesiæ. Et ita se res habet, vt si studiosus, si indefessus institeris, fiet tibi vtilis causa communis. Data vt supra. In V. C. Vat. 1. Cor. 13. Anno Domini 517.

EPISTOLA XIII. B. HORMISDÆ Papæ commonitoria ad vniuersos hæreticos Episcopos Orientis, per secundam legationem transmissa.

Tom. 1. Epist. Decret. 13.

Vnitas Catholicæ fidei custodienda.

HORMISDA *vniuersis Episcopis in Orientis partibus constitutis.*

Etsi admonitionis meæ cura desisteret; vos tamen proprij memores conueniret officij, non negligenter omittere quæ enixè omnes decet pro animæ suæ salute seruare, vt mandatorum cælestium disciplina, non alieno studio, sed ipso vobis clareret inesse proposito: nam licet laude non careat qui bonis consiliis obsecundat: tanto est tamen potior in hono- Ex V. C. Vat.

re sapientiæ qui præuenit recta, quam qui sequitur instituta; quanto est illustrius docere quam discere. Recordetur vnusquisque in qua vocatione à Domino sit vocatus, & quid ab eo expectetur aduertat. Miserum est intra meritum iacere propositi, cum id quod præfertur nomine, non ostenditur actione. Magna meruimus, si quod indulta postulant, impleamus. Qui se ad pascendas Dominici gregis oues gaudet adscitum, cogitet sibi de commissa gubernatione iudicium perui gil. Adhibenda est, continuanda custodia, non dandus lupis rapacibus locus, non vllis casibus relinquendus: quia neglectus error ouium, culpa pastorum est. Veniet qui rationes creditæ dispensationis examinet, omnium quidem constat esse iustitiam, nec vlli impunitam licentiam patere peccandi. Sed quis gradus nesciat esse meritorũ, & sicut non æqua præmia; ita diuersa esse supplicia? Multiplicãtur scientibus plagæ; pauca flagella leguntur insciti æ. Quid si ita est, sicuti esse nõ dubium est æstimandum, quid in eo deceat esse propositi, cui alienos quoque errores necesse est imputari? Clamat sanctus Spiritus per prophetam: O pastores Israel, nunquid semetipsos pascunt pastores? nonne oues pascunt pastores? Certum est plus ab eo cui plus creditur exigendum; & tanto magis nos obnoxios fieri, quanto effusiore gratia contigerit honorari. Magister bon⁹ & docens, per obscuram lucem, per similitudinum ænigmata, veritatem seruum talenti à se traditi, præter augmenta, custodem non arguit infidelem, sed condemnauit inutilem. Vnde in aperto est, in quo metu esse deceat eum, qui Dominicum numisma perdiderit, si culpatus est, qui acceptum sine imminutione seruauit: nullus contentus sit innocentia sua, quia Deo nostro vniuersa cernenti per prædicationis assiduitatem, rationem quoque propositi debemus alieni. Largam scientiam decet esse doctorum. Non amat fides Christiana secretum, quam quisque in augmenta effudit, absondit. Per vniuersas gentes verbi prædicatio mãdatur Apostolis, & quam excusabiliter hoc quisquam potest sibi tacere commissi. Quid prodest cuilibet paternarum reuerentiam seruare regularum; si concuti hæc ab alijs, si sine honore tractari patienter accipiat? infirmum ostendit affectum, qui quod diligit non tuetur. incursantur passim sancta à perfidis constituta, & rediuiua subinde de compressis & excessib⁹ resurgit improbitas. quemadmodum, rogo, pietatem, in Deum probat, qui tam nefanda dissimulat? Recordemur, qua catholicorum frequẽtia sacerdotum, illa, quibus nitimur, celebrata didicerimus esse concilia, quantos nec debilitas impediuit, nec senectus onerosa tardauit, exigua visa sunt spatiosarum interualla regionum, & labores ipsi pro quadam consolatione iocundi, dum spiritu sanctarum congregationum regente, sapientiam sera ætas, quod seruaret, acciperet, & hæc infectantibus impijs post damnatam in radice perfidiam. Tacet, qui scit sibi esse mãdatum; Exalta vocẽ tuam qui euãgelizas Hierusalem: exalta, noli timere. Non ne ante oculos habens discipulũ, ita gentium doctor instituit, vt oportunè importunè euangelizare nõ cesset? Admonẽs attende tibi, & doctrinę insta in illis. Hoc. n. faciens & te ipsum saluũ facies, & eos, qui te audiunt. Ergo vel propheticis stimulis excitati, vel normis Apostolicæ eruditionis instructi, curam salutaris prędicationis assumite. Diligite, & vindicate sententias probatas pijs, infidelibus inimicas, & ad petram supra quam est fundata Ecclesia reuertentes; apud illorum etiam vos patrum spiritus, quorum veneranda constituta improbè labefactantur, absoluite; æstimantes cum Dominus ad illud, quod expectatur, examen aduenerit; qualis Apostolis creditus, qualis aliquorum tentantium dubitatione compertus, qualis Angelo prænuntiante promissus. Vtrum ab illis melius sit argui, an cum eorum cohorte coniungi? vtrum talis qualis videbitur, aut qualis ab impijs negatur Dominum confiteri? Nil vos retrahat à sãlute: velocibus ad viam redite vestigijs: lapsus ruentem non grauat, si resurgat: larga est Dominicæ doctrina clementiæ, noxia sunt erroris vincula, dum retinent. Odit iustitia pertinaces, fouet clementia corrigentes.

Dat. 3. Non Aprilis, Agapito V. C. Conſ.

Ezech. 33.

Matt. 25. Luc. 19.

Esa. 40. 2. Tim. 4.

A. D. 517.

EPISTOLA XIV. B. HORMISDAE PAPÆ, ad Episcopos Orientales orthodoxos eadem secunda legatione transmissa.

Laudat eorum in fide constantiam, & ad pacem conciliandam à se legatos denuo Constantinopolim missos esse scribit.

Hormisda, Episcopus orthodoxus. Est quidem fidelium speciale solatium Deus, nec vnquam inter quælibet dura deficiunt, qui se ad eum toto mentis studio contulerunt. Verumtamen hoc votum proposito vestro debere me fateor, vt sicut exulto de synceritate fidei vestræ, ita de firmitate merear gaudere constantię. Vnde & aspectu interiore vos intuens, ad desiderium colloquendi vobiscum promptus assurgo, vt & dilectionem circa Deum vestram litterario sermone remunerer, & spem paginali adhortatione confirmem; atque ita his cum quibus mihi est consortium sanctæ communionis, iocundum reddam testimonium caritatis. Non enim sufficit animo meo de vobis esse securum, nisi ostendero illum quoque, quo vos complector affectu: siquidem declarat se non ex iudicio odisse à Dei dilectione diuisos, qui potest non amare coniunctos. Benedico igitur Deum, dum seruorem fidei vestræ inter procellas varias, tempestatum aduersa considero: vos quoque vt super his pietatem eius glorificetis, vberiore exultatione suadeo, qui electorum suorum mentes quo acceptiores sibi reddat, examinat: & licet cognitos sibi, quibusdam tamen difficultatibus probat, vt iustitiam quoque inesse dono, quod largitur, ostendat. Atque ideo pertinaciter bono vos conuenit imminere proposito, nec in via quæ ducit ad cæli regna, deficere, qui intuetur Dominica munera nõ æstimanda, promissi nullius potest respectum habere periculi. Non enim frangit consideratio præsentium malorum, nisi futurorum bonorum vincat obliuio quando omnem amaritudinem laboris excludit, qui dulcedinem spei, quæ expectatur, admiserit. Quæ enim difficultas beatitudini par est; aut quæ condignę premijs passiones ad futuram scilicet gloriam, quæ in nobis Apostolo annunciante reuelabitur? Absit, nec quicquã à Christi charitate nos separet. Quanta est tribulatio, si gloriam parit? materia prosperorum est, quæ putatur aduersitas: dum inclinamur, erigitur. Nemo haberet futuram remunerationem, nisi necessitates præsentium sustineret. Videte quanto opere hominum terrena messis assurgat. Quanto est igitur labore procurandum, vt cælestia dona non pereant? Quieta est negligentium vita, sed non voti opulenta substantia. Dignus est operarius, vt fructum mercedis accipiat: indiscreta passim pietas, cum impietate langueseret, si examinatio bonos à malis diuisura cessaret, gratum admodum spectaculum Domino est in agone iustorum: nec quicquam ita supernam gratiam conciliat homini, sicut aduersorum impetus patienter excepti. Quis miles sub pacis securitate meretur? non est arduum in sicco secura fixisse vestigia; nec artem gubernatoris ostendit marina tranquillitas. Satis est intrepidũ inter bella procedere, inter lubrica non labere, fluctus in tempestate contemnere: sæuiat & motus suos exerceat mundana tentatio, dum manifesti appareant qui probantur. Hæc scientes carissimi fratres, fidei vestræ tenete constantiam, & ipsa etiam si inciderint, militantia meritis vestris amate pericula, annuntiate quę colitis, & participate etiã per vniuersum orbem mandata euangelica, quæ tenetis supra stipendia vestra. Correctio quoque vobis ascribatur aliena inter peccatorum enumerationem, quibus sibi diuinam gratiam plenus spiritu Dei propheta conciliat. Interea quibus misericordia, qua conseruetur, exorat docere se iniquos vias Domini, & cõuersionem per se fieri prædicat impiorum. Beati quibus vita innocenter acta dat præmium. Beati per quos alijs quoque præstatur exemplum; & nos quidem quantum in nobis est, nec solicitudine, nec labore cessamus, vt humilitatem, quam nos Dominus noster docuit imitari, quæ saluti eorum conueniunt postulemus, vt dispensationis mihi creditæ, dum agnoscitur cura, probentur officia. Nam repetita vice Ennodium atque Peregrinum fratres, & coepiscopos nostros mandata legatione direximus, rationem, adhortationes, pre-

Luc. 2

ces.

ces, lachrymas ingerentes, vt ab impiorum contagione separati, ad veram fidem ijsdem, quibus vos modi, & Apostolica scit Sedes, se conferant, aut certè non nos defuisse prædicationi, sed illos propriæ saluti mundus agnoscat.

Anno Domini 517.

EPISTOLA XV. B. HORMISDAE PAPÆ, ad Possessorem Episcopum.

Tom. 1. Epist. Decret. 15.

In fide Catholica perseuerandum.

Hormisda, Possessori Episcopo. Optimam vestræ caritatis audientes instantiam, & cognoscentes rectæ fidei tramitem, quem sine strepitu vindicatis, Deo nostro gratias sine cessatione persoluimus, vt & in ea dispositione persistas, & ceteris quod sequantur tribuere possis exemplum. Ista sunt dona cælestia; Ista sunt diuinæ retributionis indicia; Ista sunt Dei iudicia, quæ te à Catholico sacerdotum noluerunt separari consortio. Vnde frater carissime præsentibus hortamur alloquijs, vt in ea constantia, qua electus es, perseueres, & augmenta probabilibus initijs subministres: quia bonum opus, præcipuè quod ad doctrinam fidei pertinet, nisi semper creuerit, videtur imminui, & si tribulatio mundana contigerit ante oculos nostros, futura præmia ponentes, Apostolica nos admonitione consulimus, dicentes: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur nobis. Meliora tamen speramus; quia Deus, qui per beatum Apostolum dixit: Qui vos non dimisit tentari super quod potestis; ipse pro sua pietate, quos suos elegit esse, & de laqueis aduersariorũ, sicut semper eripiet. Libellum dilectionis tuæ de confessione rectę fidei per legatos nostros remeantes accepimus, & in eo synceritatem tuæ fraternitatis agnouimus: quia quod rectè credit, sub attestatione publica prædicare non distulit.

Rom. 8.

1. Cor. 10.

Anno Domini 517.

Dat. 3. Nonas Aprilis, Agapito V.C. Conſ.

NOTAE.

Ad Possessorem.] *Possessor Episcopus Africanus, pro fide Catholica Constantinopoli exulabat, fidei Catholicæ professionem ibidem edidit coram prima legatione. Magno cum fructu & commodo omnium Catholicorum Constantinopoli hoc tempore morabatur. Baron. anno 517. num. 26.*

EPISTOLA XVI. B. HORMISDAE PAPAE ad populum & Monachos Constantinopolitanos, per eosdem legatos directa.

Tom. 1. Epist. 16.

Abstinendum à consortio hæreticorum, & in Catholica fide perseuerandum.

Hormisda, Clero, populo & monachis orthodoxis Constantinopoli consistentibus.

Ex V.C. Vat. Matth. 10.

Si is, qui calicem aquæ frigidæ, mandata Euangelica sequutus, obtulerit, mercedem boni propositi, ipso Domino, qui hæc docuit, restituente consequitur: Nonne qui tanto populo fidelium veritatem annuntiare distulerit, iustæ pœnam damnationis incurrit? Hinc est, quòd interminationem mandati cœlestis effugiens, quod docet loquendum est in his, quæ ad Deum pertinent; nec tacendum, habens quoque vestræ salutis effectum, admonitionem eorum, quæ præsens necessitas poscit, assumpsi omnes, quibus curæ est fide integra Christianam religionem seruare, contestans, vt eos, qui sanctam Chalcedonensem synodum, & B. Leonis de fide catholica conscriptas epistolas declinant, quibus possunt viribus auertantur, & fugiant. Quando ipsi sunt, qui Eutycheris, & Dioscori Alexandrini, vel potius nefanda Manichæorum contagione polluti, verbo quidem aduersum constituta patrum videntur habere certamen: rebus autem contra Incarnationem Domini nostri Iesu Christi euidenter insurgunt. Recordamini carissimi, quæ fuerunt Basilisco palatinæ arci incubante, tentata, & temporum illorum acta vel visa alij, vel audita recolite. Quàm sceleſta tunc fuerit Timothei cognomento Helluri, quam impudens & monstruosa præsumptio: quantus etiam per vniuersum orbem fidei se vestræ seruor ostenderit: Probauit tunc Constantinopolitanus populus quàm purè deceat credentes Christiana seruare mysteria: sed transacta vtinam studia fuissent, & non nunc similia tempus expeteret. Rursum enim ijdem hæretici caput improbũ de profundo, quo immersi tenebantur, attollunt. Atque ideo rogo, hortor, admoneo dilectionem vestram ab eorum vos consilijs, & communione secernite. Recordamini zeli prioris, & viuere in vobis lucem scintillam ignis spiritualis ostendite, ne simplicem in vobis veritatis affectum, perditorum astutia expugnasse se gaudeat. Et hæc quidem quantum ad præsentem necessitatem; & assumendam contra impios cautionem dixisse sufficiat. Spero autem quòd si admonitio ista promouerit & mihi & vobis vtilis erit. Quando & Deus in vestra salute glorificabitur, & fructus nostræ sollicitudinis apparebit. Dat. 3. Non. Aprilis, Agapito Conſ.

A.D. 517.

NOTAE.

Epistola.] *His omnibus literis datis, adiecit Pontifex libellum Confessionis Catholicæ, quem supra recitauimus, cui subscribendo, quisque se vere Catholicum esse, probare, Romanæq; Ecclesiæ Catholicam communionem consequi posset.*

EPISTOLA XVII. B. HORMISDÆ PAPÆ, ad Ennodium & Peregrinum Episcopos.

Tom. 1. Epist. Decret. 17.

A Ioanne Nicopolitano, quæ contra eum Thessalonicensis tentauerit, se cognouisse scribit, nouamq; causam sedi Apostolicæ ingestam, ijsdem cognoscendam per literas hasce commisit.

Hormisda, Ennodio & Peregrino Episcopis. Posteaquàm profecta est caritas vestra, Nicopolitanus diaconus, qui vobis etiam occurrit in itinere, Romã venit, quem præter moram vidimus, cogitantes ne fortè esset, quod ad instructionẽ mandatæ vobis legationis adijcere deberemus: quod & rationabiliter factum, ipsa res euidenter ostendit. Obtulit enim nobis epistolam Ioannis episcopi sui, & aliam synodi subiacentis Ecclesiæ Nicopolitanæ, qua queruntur ab episcopo Thessalonicensi, excitatas aduersum se tam principales, quàm iudiciarias potestates, concussionibus, & dispendijs, se vehementer affligi propter hoc, quia de ordinatione sua ad episcopum, relationem secundum prisca exempla non miserit. Pro qua causa sperauerunt, vt de remedio cogitare deberemus, consulentes etiam nos, vtrum daremus eis licentiam relationem ad designatum episcopum secundum consuetudinem destinandi. Vnde tractauimus, & episcopum quidem Nicopolitanum admonuimus, ne tale aliquid audere tentaret, si nobiscum velit in communione persistere, ne per illum si ab eo, qui à communione nostra alienus est, confirmationem petijsset; nostra quoque communio contagium sustineret, hac vos, vt omnia sciretis instruximus. Quid autem propitio Deo vobis de hac causa agendum sit, subiecta declarant. Dat. pridie Idus Aprilis, Agapito Conſ.

Oderat Dorotheus Thess. quod Nicopolitanus communionẽ Romanæ Ecclesiæ primus expetisset.

Anno Domin. 517.

EPISTOLA XVIII. B. HORMISDAE Papæ, ad eosdem.

Tom. 1. Epist. Decr. 18.

Quid in causa Nicopolitana cum Thessalonicensi agendum sit, præscribit.

Hormisda, Ennodio & Peregrino Episcopis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. intercedentibus & adiuuantib. sanctis, quid agendum sit de causa Nicopolitanæ Ecclesiæ. Primùm vbi Thessalonicam Deo iuuante, veneritis, epistolas nostras, quas in hac causa misimus episcopo Thessalonicensi tradite, illum ordinem in eius salutatione seruantes, quem scitis à nobis esse mãdatum, circa eos, qui cum Sede Apostolica, hoc est, Ecclesia Catholica non communicant. Traditis autem epistolis, instanter agere debetis, vt se ab eius Ecclesiæ concussione suspendat, rationem reddentes: quia non potuit reuersus ad communionem, & ad corpus Ecclesiæ cum illis, qui necdum reuersi sunt, quicquam habere coniunctum, nos non soluere à prædecessoribus nostris concessa priuilegia, si ipse Ecclesiastica instituta non deserat, certè redeat ad vnitatem; & nos cum eo insistimus, vt omnia priuilegia quæcun-

Ex V.C. Vat. Sanctorũ intercessio.

que consequuta est a Sede Apostolica Ecclesia eius inuiolata seruentur. Dicite etiam apertè illum ostendere inimicum se esse fidei, si insequitur eos, quos videt ad catholicam communionem reuerti. Quòd si poteritis causam ibi Deo propitio componere, scriptis ad episcopum Nicopolitanum quid vestra promouerit opera, nuntiate: si verò obstinatus fuerit, nec ab insequutione eius cessare voluerit, secundum litteras, quas ad clementissimum Imperatorem misimus apud principem causam Ecclesiæ Nicopolitanæ sic agite, vt dicatis: Alcison episcopus Nicopolitanus satisfecit Ecclesiæ Catholicæ, susceptus est, & ad communionem reductus, huius successor Ioannes episcopus & Deum ante oculos habens, & de salute sua cogitans, & prædecessoris sui bonum exemplum sequens, condemnatis hæreticis, vel transgressoribus, ad Sedem beati Apostoli Petri misit, & susceptus est, huic nunc Thessalonicensis episcopus insidiatur, & eum concutit. Contraria his, quæ fecit ab eo exigere volens: hinc pater vester, & omnes orthodoxi rogant, vt iussionibus vestris remoueatur ab eo ista molestia; ne videatur hominibus propter hoc illum persecutionem pati quia ad communionem Sedis Apostolicæ redijt. Et qui expectant per vos vnitatem fieri, aliud incipiant credere, si pietatem vestram viderint hoc dissimulare, hoc negligenter accipere. Visum est nobis expedire, vt litteras, quas ad Thessalonicensem in causa Nicopolitana direximus, quolibet ordine, prudentia vestra diuersis in locis faciat publicari, magnoperè tamen in ciuitate Thessalonicensium; quia hoc facto, & à persecutione nostrorum potest cessari, & ad ipsius, si se correxerit, credimus pertinere salutem.

Tom. 1. Epist. Decr. 19.

EPISTOLA XIX. B. HORMISDAE PAPÆ, ad Anastasium Aug.

Ioannem Nicopolitanum ei commendat.

Ex V.C. Vat.

HOrmisda, *Anastasio Augusto, per Ennodium & Peregrinum Episcopos.*

Dum sapientiæ vestræ, clementissime Imperator, profunda considero, prouidentes saluti propriæ, vobis displicere non æstimo. Neque enim aut diuina monita, aut humana continent instituta, vt qui consulit bonæ spei, qualibet debeat reprehensione culpari: cum maximè pietas quoque vestra affectu se vnitatis, & pacis flagrare fateatur. Quæ res me quoque vel pro fiducia conscientiæ vestræ vel pro creditæ quoque mihi dispensationis officio emergente, compulit non supersedere negotio. Ioannes frater & coepiscopus meus Nicopolitanæ ciuitatis Antistes prædecessoris sui sanctæ recordationis Alcisonis sequutus exemplum, beati Petri Apostoli communionem cum synodo sua damnatis his, quos Ecclesia detestatur, expetijt. Is nunc grauibus fatigatur insidijs: precor mansuetudinem vestram iniqua molientibus obuiate, & remouete molestias, & correctum fouete, cui vt corrigeret, debuisset insisti. Scient enim qui tardauerint, se reos futuros cũ à vobis foueri viderint iam reuersos. Fateor, clementissime Imperator, miror insidiantium pertinaciam neque Dei, neque vestro intuitu permoueri. Nam qui oderunt in homine studium desiderij boni, quod de se æstimant iudicari, insequuntur ad recta reduces iure culpandi, si non conuerterint deuiantes. Datæ fidei vestræ clara documenta, si affueritis ad vnitatem reductis effici omne adoratione cogitetis.

Tom 1. Epist. Decr. 20.

EPISTOLA XX. B. HORMISDAE PAPAE, ad Ioannem Episcopum Nicopolitanum.

Æquo animo ærumnas pro fide sustinendas, & ideo prouinciales Episcopos ad fidei vnitatem ab eo confirmandos.

Ex V.C. Vat.

HOrmisda, *Ioanni Episcopo Nicopolitano.* Remeante Pulione subdiacono nostro, litteras caritatis vestræ suscepimus, de constantia fidei, vel de intentione, quam circa communionem Sedis Apostolicæ geritis, gratulantes, sed contristati sumus, quod vos aliquas sustinere molestias perhibetis: Ista tamen diuturnam non possunt habere substantiam; quia vbi Deus purè colitur, & si aduersa contigerint, in prosperis commutantur, secundum Apostolum dicentem; Spes non decipit. dubitans Apostolorum princeps incedens per pelagus laborauit, mox tamen inuocato domino suo, paratum habuit, qui eum porrecta manu non pateretur sustinere discrimen. Ergo auctorum nostrorum sequentes exempla, & in ipsorum fide permanentes: illius poscamus auxilium, de quo scriptum est: Qui nos non dimittit tentari super quæ possumus. Igitur salutantes caritatem tuam hortamur, vt quemadmodum prædiximus, in his quæ benè inchoata sunt, perseueres: quia qui perstiterit vsque in finem, hic saluus erit. Frequenter alloquijs tuis nostram solicitudinem releuare non desinas. Parœciales quoque sacerdotes tuos comperenti adhortatione confirma, quia ista faciendo, talentum tibi creditum poteris multiplicare quotidie. De illa quoque parte, quã dilectio tua postulat, cogitamus, vt ad Imperatorem clementissimum, pro generalitatis quiete, preces nostræ perueniant. Tantum est, vt votum studiumque nostrum congruis orationibus iuuare non cesses; quia nos in his Deo auctore perficiendis vacare minimè potuerimus. Data quinto Nonas Martias, Agapito V.C. Conſ.

1. Cor. 10.

Matt. 10.

Anno Domini 517.

EPISTOLA XXI. HORMISDAE AD eundem Ioannem.

HOrmisda *Ioanni Episcopo Nicopolitano cum Synodo.* Optaremus, dilectissimi fratres, ab omnibus vos molestiarum fluctibus alienos, vitam sub tranquillitatis serenitate transigere, & Deo nostro, remota mundanarum tempestatum mentis perturbatione ..... mouerunt: quia quæ fieri nolumus, necesse est vt facta doleamus. Sed abundat mundus incommodis & tentationibus: sæculum istud, in quo peregrinamur, expositum est passim, veluti magna moles, ventorum procellis. Ita Fidelium mentes diabolicis pulsantur insidijs; & sicut dictum est: qui volunt piè viuere in Christo, persecutiones patiuntur. Sed consolatur spes à iusto retributore promissa: quia beatus est, qui non fuerit scandalizatus in Domino. Non deijciant milites Dei impetus fragiles & caduci. Qui assistit strenuis, non delectatur ignauis. Facile contemnuntur ista quæ transeunt, si illa quæ sunt mansura, cogitentur. Amplectenda est probationis occasio: quia licèt sint dura onera laborum, præmia tamen maiora virtutum. Quemadmodum par erit ei remuneratio, qui se imparem monstrat examini?

2. Tim. 3. Matth. Luc. 7.

Non simus segnes ad fortia, si peruenire cupimus ad promissa. Quis super hoc expectet vocem hominis, cùm quotidie nobis insonet sententia veritatis: Beati qui passiones patiuntur propter iustitiam? Sed ne me fratres carissimi (licèt apud Fideles magna sint) spiritualia tantùm vestræ exhibere credatis confirmationi solatia: prouidendis enim pro vestra tribulatione remedijs, quantum in homine esse potuit, non quieui. Nam per legatos ad Orientis Principem destinatos, & Thessalonicensem Episcopum, vt ab infestatione vestra cessaret, admonui; & prorogatis paginis, vt Imperatori supplicaretur, adiunxi.

Matt. 5.

Hæc quantum ad præsentia sunt prouisa: sed illa quæ ad spem futuram pertinent, hæc sunt potiùs mentibus intuenda. Sanè hoc me fateor fuisse miratum, quòd inter allegationes angustiarum religiosæ prudentiæ vestræ, hæc potuit cura subrepere, vt à me sub cõsolationis colore dirigendi ad Thessalonicensem Episcopum solitas litteras, licentia poscereturEgo ne huius rei auctor existerem, quam si inscio me cognoscerem factam esse, culparem? Absit ista peruersitas. Audite Apostolicam vocem, sed personæ meæ conuenienter aptandam: Si quæ destruxi, hæc iterum reædifico, prævaricatorem me constituo. Nolite, obsecro, ad euitata vix redire contagia; nec pedes luto, quo tenebantur, auulsos, patiamini male rursus immergi. Sinite obliterata esse transacta. Nemo mittens manum suam in aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno Dei. Impediuntur à processu propositi itineris, qui reflexis oculis respiciunt quod relinquunt. Non amant Ecclesiast. disciplinæ eos, in quib. remanet memoria illa perfidiæ: totos ab errantibus oportet abscindi: quia in tantũ detestabiles existimantur ad spreta redeuntes, vt B. Apost. Petrus melius illis esse prædicauerit, vt nõ cognoscerent viam iustitiæ, quàm cognoscentes retrorsum reflecti in tradito sibi sancto mandato. In aperto est, qua pertinacia traditæ fidei debeat constantia custodiri, si tolerabiliùs est in errore persistere, quàm coinquinationibus rursum, quas quis fugerit, implicari. Data pridie Id. Aprilis, Agapito V.C. Conſ.

Galat. 2.

Luc. 9.

2. Petr. 2.

EPISTO-

EPISTOLA XXII. HORMISDAE AD Dorotheum Episcopum Thessalonicensem.

Hormisda Episcopus Dorotheo Episcopo Thessalonicensi. Ioannes frater & Coepiscopus meus Nicopolitanæ vrbis Antistes cum Synodo sua varijs se concussionibus atque dispendijs grauiter causatur affligi; quod à transgressorum societate diuisus, postquàm communionem sedis Apostolicæ emeruit, ad Thessalonicensium Ecclesiam ordinationis suæ initia non direxit. Potuisset neglectus sic esse culpabilis, si vnum esset inter omnes mysterium charitatis. At cum multi se à petræ illius, quæ Christus est, soliditate diuiserint: quis non velit ab errantium coniunctione discerni, vt mereatur cum his qui consistunt in veritate coniungi? Non igitur consuetudo est neglecta, sed vitata contagia. Ergo obijcere quis possit errorem, vbi cogitatam salubriter intelligit cautionẽ? At nos, quod debueras primus assumere, credebamus te sequi saltem post aliena exempla potuisse. Non sufficit in lapsibus mora, nisi ad reprehensionis cumulum circa eos quoque qui ad viam redeunt, accedat inuidia? Quid aliud, quàm Beati Petri (quod sine impietate dici non potest) ipsum quod à Domino datum est nomen oderunt, qui eos qui ad sedis ipsius altaria confugiunt, insequuntur?

Quo pudore, rogo, priuilegia circa te illorum manere desideras, quorum mandata nõ seruas? & reuerentiam quam non exhibes fidei, cupis tibi Ecclesiastica potestate deferri? Si in ijsdem vestigijs, quibus Catholici nituntur, insisteres, insectationem tamen proximi vitare deberes: sciens secundùm Domini nostri & Saluatoris, quem colimus, instituta, eum qui scandalizauerit vnum de minimis, obnoxium magnis esse peccatis. Vbi est, Domine, humilitas, quam sub occasione discipulorum tuorum certantium de loci qualitate docuisti? Tu ostendis illum esse maximum, qui exhibere studuerit se pusillum. Respice de cœlo & vide, visita vineam istam te cultore plantatam: intende circa mandata tua minimos, & circa ambitum honoris elatos.

Luc. 22. Psal. 79.

Matt. 23.

Cur recentia cupitis, & prisca deseritis, circa summa desides, & parua curantes? Nonne hoc est rerum vilia decimare, & legis præcepta contemnere? Serua illa quæ Deo congruunt; & facile ea quæ sunt ab hominibus, subsequentur. Quin potiùs curam salutis assume; & cur te alius præuenerit in veritate, suspira: ne si insectari eos qui ad Ecclesiæ reuertuntur membra perstiteris, tu quoque cum his, quos nominatim condemnat Apostolica sententia, copuleris. Data pridie Idus Aprilis, Agapito V.C. Consule.

EPISTOLA ANASTASII AD HORMISdam, qua fugillat Hormisdæ nimiam duritiam.

Ex V.C. Var.

Anastasius Augustus, Hormisdæ Papæ. Et si magnum aliquid taciturnitas iudicatur; tamen necessarium est admirantes Dei misericordiam assiduè frequentare sermonem: & quia initium fidei, quam nos Dominus & Deus Saluator noster Iesus Christus docuit in remissione peccatorum, præcellit, nulli habetur ignotum. Ipse enim per propriam passionem omnia Adam peccata mundauit: & hæc fuit negotiatio humilitatis ipsius, vt & præfatum & omnes fratres liberaret exseruitute peccati, voluntariè personam serui suscipiens.

Rom. 5.

Nam beatus Paulus Apostolus docuit nos scribens ad Romanos: Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem: & in eos qui non peccauerunt, ex quo est vniuersitati quodammodo declaratum ex generali dispositione, siue mirabilibus, specialia quæque exempla debere suscipere, semel tanta magnæ legis iussione, & tam pia bonitate firmata, vt omnis doctrina, quam discipulis suis tradidit, in hoc firmamento consistit; fugauit ægritudines, siue multifaria genera passionum; nodum peccati propria, sicut dictum est, passione resoluit, & agens ad implenda similia discipulos suos factis & sermonibus instruebat. Verum, si sicut aliqui nituntur ostendere, certi ex ipsis Apostolis tam piam doctrinam per inobedientiam implere dissimulant; ignoramus vbi magisterium misericordis Domini & magni DEI nobis possit occurrere. Nos autem non ea credimus ratione, vt immisericordes esse putemus, qui misericordiam didicerunt: sed postulationem nostram à præsenti tempore taciturnitate comprimimus, irrationabile iudicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari se nolint, contumaciter respuentes: iniuriari enim & annullari sustinere possumus, iuberi non possumus. Dat. v. Idus Iulij Constantinopoli, Anastasio, & Agapito VV. CC. Cons.

Anno Domin. 517.

NOTÆ.

Epistola.] *Hoc tempore contigerunt ea, quæ scribit Anastasius Bibliothecarius in vita Hormisdæ, his verbis: Item secundo misit Ennodium, &c. Quibus peractis, quas cædes, quasve iniurias Orthodoxis Seuerus Antiochenus, cæteriq; Acephali intulerint in Syria, sequens Epistola indicat.*

EXEMPLVM RELATIONIS MINIMOrum Archimandritarum, & ceterorum Monachorum secundæ Syriæ.

Scribunt quæ pro fide Catholica ab Eutychianistis; quos Imperator minimè coercendos curauerat, patiantur, & quod ab Imperatore non auditi, Romanum Pontificem tanquam communem Patrem interpellent.

Ex V.C. Var.

Sanctissimo & Beatissimo vniuersæ orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ, continenti Sedem principis Apostolorum Petri, Deprecatio, & supplicatio minimorum Archimandritarum, & ceterorum Monachorum vestræ secundæ Syriæ prouinciæ.

Rom. 8.

Gratia Saluatoris omnium nostrum Christi immisit nobis ad vestram beatitudinem refugere, velut de hyeme & tempestate ad portum tranquillitatis, admoniti minimè circumuallantibus nos calamitatibus teneri iam credimus: nam etsi patimur, gaudentes sustinemus; scientes, quia non sunt dignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quoniam verè Christus Deus noster principem pastorum, & doctorem, & medicum animarum, constituit vos & vestrum sanctum Angelum; dignum est passiones, quæ nobis contigerunt exponere, & immisericordes ostendere lupos, qui dissipant gregem Christi, vt auctoritatis baculo eos expellat de medio ouium: verbo autem doctrinæ animam sanet, & orationis medicamentis mitiget. Qui autem sint isti, & qui os aduersum nos armauerint, audistis vtique beatissime, Seuerus ille & Petrus, qui numquam in Christiano numero reputati sunt, qui per singulos dies sanctam Chalcedonensem Synodum, sanctissimumque, & beatissimum patrem nostrum Leonem publico anathemate impetentes, qui iudicium Dei nihil æstimantes, & colendos canones sanctorum patrum conculcantes; Episcopos quidem principali potentia facientes exhiberi, & nos cogentes illudere, prædictam sanctam synodum supplicijs inæstimabilibus affligentes. Vnde & quidam eorum iniectas plagas minimè sustinentes, de hoc sæculo transierunt, & nostrorum verò non exigua multitudo perempta est. Euntibus namque nobis ad Mandram domini Symeonis, pro causa Ecclesiæ, insidiati sunt nobis in itinere prædicti coinquinati, & superuenientes occiderunt ex nobis trecentos quinquaginta viros, quosdam autem vulnerauerunt; alios verò, qui potuerunt ad colenda altaria refugere, ibidem peremerunt, & Monasteria incenderunt, per noctem immittentes multitudinem inquietorum hominum, redemptorumq; omnem paupertatem Ecclesiasticam huiusmodi pestiferi homines consumentes. Ad singula autem delatæ vestram beatitudinẽ instruent chartæ à venerabilibus fratribus, Ioanne & Sergio, quos miseramus Constantinopolim, putantes vindictam fieri de his, quæ commissa sunt. Sed eos nec verbo dignatus est, sed etiam cum grandi contumelia expulit, comminatis eis, qui ista porrigerent. Vnde hinc est nos vel serò cognoscere, quoniam tota prauitas & audacium talium malorum aduersus Ecclesias facta ipsius immissione composita est. Deprecamur ergo beatissime, supplicantes & rogantes, vt exurgatis cum feruore & zelo & condoleatis iustè pro corpore laniato.

Nam

Rom. Pōt. caput omnium. Matt. 16. Luc. 5.

Nam caput estis omnium, & vindicetis fidem contemptam, canones conculcatos, patres blasphematos, & talem synodum anathemate impetitam. Vobis à Deo data est potestas & auctoritas, ligare & soluere. Non opus habent qui sani sunt, medicis, sed malè habentes: Exurgite patres sancti venientes ad saluandos nos: imitatores estote Domini nostri, qui de cælo super terram aduenit quærere errantem ouem, Petrum illum principem Apostolorum; cuius sedem ornatis, & Paulum, qui est vas electionis, qui circumeuntes orbem terrarum illuminauerunt: nam vulnera magna maioribus indigent adiumentis; mercenarij pastores videntes lupos aduenientes aduersus oues dimittunt eas dissipari ab illis. Vobis autem veris pastoribus, & doctoribus; quibus cura pro salute ouium commissa est, occurrit ipse grex cognoscere suum pastorem, ab immitissimis bestijs liberatus, & vocem sequens pastoris, sicut Dominus ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Non ergo despiciatis nos sanctissime, qui à bestijs ferocibus quotidie vulneramur. Ad perfectam autem notitiam vestri sancti Angeli anathematizamus, in eadem nostra deprecatione virtutem habente libelli, omnes proiectos & excommunicatos à vestra Apostolica Sede. Dicimus autem Nestorium, qui fuit Constantinopolitanus episcopus, Eutychen, Dioscorum, & Petrum Alexandrinum, qui cognominatus est Balbus, & Petrum, qui dicebatur Fullo Antiochenum, nihilominus & Acatium, qui fuit Constantinopolitanus episcopus eorum communicatorem, & omnes qui vnum illorum hæretico rum defendunt.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Alexander misericordia Dei presbyter & Archimādrita sancti Maronis deprecatus sum.
Symeon misericordia Dei presbyter & Archimandrita, vt supra.
Ioannes misericordia Dei diaconus & dispensator, vt supra.
Procopius misericordia Dei presbyt. & Archimandrita, vt supra.
Petrus misericordia Dei presbyt. vt sup.
Eugenius misericordia Dei presbyt. vt sup.
Geladius misericordia Dei presbyt. vt sup.
Bassus misericordia Dei presbyt. vt sup.
Romulus misericordia Dei presbyt. vt sup.
Eusealius misericordia Dei presbyt. vt sup.
Malchus misericordia Dei presbyt. vt supra.
Leontius misericordia Dei diaconus, vt sup.
Stephanus misericordia Dei presbyt. vt sup.
Carusas diaconus, vt sup.
Thomas presbyter, vt sup.
Samuel diaconus, vt sup.
Theodorus presbyt. vt sup.
Ioan. misericordia Dei presb. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Thomas diaconus, vt sup.
Ioannes diaconus, vt sup.
Symeonius diaconus, vt sup.
Saulinus Archimandrita, vt sup.
Eusebius presbyt. vt sup.
Mucymus presbyt. vt sup.
Symeonius presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Iacobus presbyt. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Paulus presbyt. vt sup.
Priscus presbyt. vt sup.
Antoninus presbyt. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Iulianus presbyt. vt sup.
Symeonius presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Symeonius presby. vt sup.
Zaccheus presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Symeonius presb. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Symeonius presb. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Sergius presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Eusebius presbyt. vt sup.
Paulus presbyt. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Sergius diaconus, vt sup.
Item Sergius diac. vt sup.
Iulianus presbyt. vt sup.
Sergius presbyt. vt sup.
Ammonius diacon. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Lucas presbyt. vt sup.
Thomas diaconus, vt sup.
Symeonius presby. vt sup.
Flauianus Archimandrita, vt sup.
Monimus diaconus, vt sup.
Ioannes diaconus, vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Antonius diaconus, vt sup.
Thomas diaconus, vt sup.
Elisæus presbyt. vt sup.
Sergius diaconus, vt sup.
Isaacius presbyt. vt sup.
Sergius presbyt. vt sup.
Thomas diaconus, vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Philippus diaconus, vt sup.
Iacobus presbyt. vt sup.
Zenobius presbyt. vt sup.
Moras diaconus, vt sup.
Isacius presbyt. vt sup.
Ananias presbyt. vt sup.
Sergius presbyt. vt sup.
Symeon presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Symeon presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Symeon presbyt. vt sup.
Dauid thos diacon. vt sup.
Thomas diaconus, vt sup.
Ioannes diaconus, vt sup.
Lamneus presbyt. vt sup.
Daniel Archimandrita, vt sup.
Symeon Archimandrita, vt sup.
Abramius presbyt. vt sup.
Dauid presbyt. vt sup.
Dorotheus presbyt. vt sup.
Antoninus presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Darsumas presbyt. vt sup.
Sergius presbyt. vt sup.
Eusebius presbyt. vt sup.
Symeonius presbyt. vt sup.
Marcellus presbyt. vt sup.
Priscus presbyt. vt sup.
Maras presbyt. vt sup.
Sergius presbyt. vt sup.
Iacobus presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Item Thom. presb. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Salinus presbyt. vt sup.
Thomas presbyt. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Varasaldas presbyt. vt sup.
Ioannes diaconus, vt sup.
Marcellus diacon. vt sup.
Symeonius presb. vt sup.
Gennadius presbyt. vt sup.

Thomas presbyt. vt sup.
Symeonius presbyt. vt sup.
Habramius presbyt. vt sup.
Symeonius presbyt. vt sup.
Iacobus presbyt. vt sup.
Ioannes presbyt. vt sup.
Isidorus Archimandrita.
Iulianus presbyt. vt sup.
Ioannes & Romanus & Thomas presbyt. vt sup.
Antoninus diacon. vt sup.
Abraham presbyt. Maras diacon. & Abraham presbyt. vt sup.
Zenobius, & Stephanus presbyt. vt sup.
Symeonius, & Demetrius presbyt. vt sup.
Thomas, & Domnus presbyt. vt sup.
Symeonius & Elias presbyt. vt sup.
Abramius & Pelagius presbyt. vt sup.
Romanus & Abraham presbyt. vt sup.
Symeonius presbyt. & Carusas diacon. vt sup.
Symeonius & Ioannes presbyt. vt sup.
Symeonius & Iulianus presbyt. vt sup.
Eutychianus, & Ioannes diac. vt sup.
Thomas, & item Thomas presbyt. vt sup.
Romanus diacon. & Ioannes presbyt. vt supra.
Eusebius Archimandrita, & Eustasius presbyt. vt sup.
Iacobus & Eusebius presbyt. vt sup.
Sergius & Maras presbyt. vt sup.
Ioannes & Iulianus presbyt. vt sup.
Paulus & Isaacius presbyt. vt sup.
Thomas & Dasianus presbyt. vt sup.
Ioannes & Daniel presbyt. vt sup.
Ieuenas presbyt. & Azizos diac. & Archimandrita vt sup.
Antonius diaconus & Archimandrita, & Cyrillus presbyt. vt sup.
Iob presbyter & Stephanus diaconus & Archimandrita, vt supra.
Bassus diaconus & Basilius presbyter, vt supra.
Symeonius & Ioannes presbyteri, vt supra.
Iacobus presbyter & Iulianus diaconus & Archimandrita, vt supra.
Symeonius & Alfeus presbyteri, vt supra.
Ioannes presbyter & Petrus diaconus, vt supra.
Daniel diaconus & Eunnus diaconus & Archimandrita, vt supra.
Alexander & Epiphanius presbyteri, vt supra.
Zoilus & Abramius presbyteri, vt supra.
Iulianus presbyter & Ioan. diaconus & Archimandrita, vt supra.
Carusas & Symeonius presbyteri, vt supra.
Timotheus diaconus & Petrus presbyter, vt sup.
Macedonius presbyter, & Archimandrita, vt supra.
Dionysius Archimandrita, vt supra.
Ioannes Archimandrita, vt supra.
Symeonius presbyter, & Archimandrita.
Menas diaconus & Archimandrita & Darabsabas presbyter, vt supra.
Sergius presbyter & Theodorus Archimandrita, vt supra.
Beniamin & Archimandrita & Isatius presbyteri, vt supra.
Daniel presbyter & Archimandrita & Abraam Archimandrita, vt sup.
Symeonius Archimandrita, vt supra.

Tom. 1. Epist. Decret. 21.

EPISTOLA XXIII. B. HORMISDAE Papæ, ad Archimandritas Syriæ.

Illos solatur, hortaturq; vt in fide Catholica perseuerent.

HOrmisda, *Presbyteris, Diaconis & Archimandritis secundæ Syriæ.*

Lectis litteris dilectionis vestræ, quibus inimicorum Dei patefacta vesania est, & infidelium pertinax furor dolenter expositus, &c. Extat in Concilio Constantinopolitano sub Menna celebrato.

EPISTOLA XXIV. B. HORMISDAE Papæ, ad Ioannem Tarraconensem Episcopum.

Libenter de eius in Italiam aduentu audiuisse. Litteras ad Hispanienses de Ecclesiasticis institutis ab eo datas probat, eiq; vices suas committit.

Tom. 1. Epist. Decret. 59. In Suriana & Nicolina Cõcil. edit. 3.

DIlectissimo Fratri Ioanni, *Hormisda.* Fecit dilectio tua rem caritati & fidei congruentem, vt aduentum suum ad Italiam nobis directis litteris indicaret, & quæ in te sit summa religiosæ voluntatis, ostenderet. Atque vtinam ad plenioris affectus satietatem, præsentiæ tuæ nobis gaudia contigissent, vt gratulemur nos & colloquio & præsentia frui, quam sumus ante per scripta complexi. Verumtamen probasti, dilectissime frater, quo Christianam fidem veneraris affectu, dũ ea, quæ ad regulas patrum pertinent, & ad mandata catholica, sine aliqua cupis transgressione seruare; sperans, vt prorogatis generalibus ad Hispanienses Ecclesias constitutis, quæ aut negligentius aut irreligiosius fiunt, Ecclesiasticis disciplinis congruentia sanciamus: quod amplexi sumus, captata istius desiderij facultate. Quid enim aut nobis dulcius, quàm cum fidelibus loqui? aut Deo aptius, quàm deuiantes ab errore reuocare? Salutantes igitur caritatem qua iungimur, per Casianum diaconum tuum significamus, nos direxisse generalia constituta, quibus vel ea, quæ iuxta canones seruari debeant, competèter ediximus, vel circa eos, qui ex clero Græcorum veniunt, quam habere oporteat cautionem, sufficienter instruximus. Sed & causæ ipsius ordinem instructionemque abundè decretis Ecclesiasticis vos docebunt, vt agnoscentes & impiorum transgressionem, & Apostolicæ Sedis curam pro patrum regulis excubantem, ostendatis vos perosos damnatorum consortia, & amare fidelium. Et quia per insinuationem dilectionis tuæ huius nobis est viæ patefacta prouidentia, remuneramus solicitudinem tuam, & seruatis priuilegijs metropolitanorum, vices vobis Apostolicæ Sedis eatenus delegamus, vt inspectis istis, siue ea, quæ ad canones pertinent, siue ea, quæ à nobis sunt nuper mandata, seruentur, siue ea, quæ de Ecclesiasticis causis tuæ reuelationi contigerint, sub tua nobis insinuatione pandantur. Erit hoc studij ac solicitudinis tuæ, vt talem te in his, quæ iniunguntur, exhibeas, vt fidem integritatemque eius, cuius curam suscipis, imiteris. Data IV. nonas Aprilis, Agapito viro clarissimo Cos. Anno Domini 517.

NOTAE.

Epistola.] *Has sequentes Epistolas, Collector Decretalium Epistolarum Surium imitatus, retulit ad Consulatum Agapiti secundum, & ad annum Domini 541. Quod si verum esset, oporteret Hormisdam viginti & pluribus annis Pontificatum administrasse, qui communi omnium scriptorum sententia, non vltra nouem annos sedem Apostolicam tenuit. Quamobrem lectori pergratum me facturum iudicaui, si hasce Epistolas Hormisdæ Consulatu Agapiti consignatas, præcedentibus eadem nota consulari insignitis, subiungerem.*

EPISTOLA XXV. B. HORMISDAE Papæ, ad vniuersos Episcopos Hispaniæ.

To. 1. Decret. 60. In Suriana & Nicolina Cõcil. edit. 4.

I. De Sacerdotibus, iuxta statuta canonum ordinandis.
II. Vt pro Episcopatu præmium non accipiatur.
III. De Concilio per annos singulos celebrando.

DIlectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis, *Hormisda.*

Benedicta Trinitas DEVS noster, qui per misericordiam suam Romanæ reipublicæ per vniuersas partes, suæ pacis tranquillitate diffusa, nobis quoque viam demonstrandæ circa nos inuicem charitatis indulsit, vt qui cohæremus firmitate fidei, iungamur quoque votiua iucunditate colloquij, quò facilius, dum per litterarum ministeria ad vos vsque pertendimus, etiam corda ve-

stra ad religiosum cultum Apostolicis admonitionibus incitemus: & dũ dilectionis nostræ pignus reddimus velut quoddam debitum, plenum circa Deum monstremus affectum. Iungamus igitur dilectissimi fratres, continuas & humiles preces, & Dominum nostrum oris & cordis lachrymis supplicantes, iugi deprecatione poscamus, vt & institutione & opere illi, cuius esse membra cupimus, hæreamus: nec vnquã ab illa via, quæ Christus est, deuio tramite declinemus, ne ab eo iustè, quẽ nos impiè relinquimus, deseramur. Quod, cum superni fauoris auxilio, ea nobis potest ratione contingere, si Apostolica dogmata, si patrum mandata seruemus. Dicit enim Dominus noster: Qui diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et licèt hæc possint generaliter dicta sufficere; vt vel declinemus errata, vel custodiamus catholica constituta: tamen quia Ioannis fratris & coepiscopi nostri nobis insinuatione vulgatum est, contra canonum reuerentiam nonnulla præsumi, periculum, quod doctoribus imminet de taciturnitate, declinans, & prophetica voce compunctus, qua dicitur: Loquere, ne taceas, generalibus edicendum credidi constitutis.

Ioan. 14.

Esa 18. Cap. 1.

Vt in sacerdotibus ordinandis, quæ sunt à patribus præscripta & definita cogitetis: quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem vicarij sacerdotes, sic & in eligendis his curam oportet esse perspicuam. Irreprehensibiles enim esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis: nec quicquam illi deesse personæ, penes quam est religionis summa substantia disciplinæ. Aestimet quis pretium Dominici gregis, vt sciat, quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Hoc ita fiet, si non sacerdotij gradus, saltu quodam passim laicis transferantur. Longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ. Non negamus esse in laicis Deo placitos mores, sed milites suos probatos sibi quærunt instituta fidelia. Discere prius quisque debet, antequam doceat; & exemplum religiosæ conuersationis de se potius alijs præstare, quàm sumere. Emendatiorem esse conuenit populo, quem necesse est orare pro populo. Longa obseruatione religiosus cultus tradatur, vt luceat, & clericalibus obsequijs erudiendus inseruiat, vt ad venerandi gradus summa perductus, qui sit fructus humilitatis, ostẽdat. Nec leue nec vacuum fuit, quod nec apud veteres quidem, nisi Leuit. generis viri, ad sancta admittebãtur altaria, ne pessimè, meritis cõtemptis, aut pretio, aut præsumptione ad sacros cultus impar accederet. Tũc migrabant per illã prærogatiuã familiarum, ad instituta cultorum: nunc est doctrina pro genere. Quod illis fuit nasci, hoc nobis imbui. Illos tabernaculo dabat natura, nos altaribus parturit disciplina. Nec tantum de laicis consecrari inhibemus, sed nec de pœnitentibus quisquam quidem ad huiusmodi gradum profanus temerator adspiret. Satis illi postulanti sit venia. Qua conscientia absoluat reum, qui se peccata sua, populo scit teste confessum? Quis enim, quem paulò ante vidit iacentem, veneretur antistitem? Præferens miserandi criminis labem, non habet lucidam sacerdotij dignitatem.

1. Tim. 3.

Cap. 11. Act. 8.

Hoc quoque ad præmissa adiungimus, ne benedictionẽ, quæ diuina esse creditur per impositionem manus, quis pretio comparet: quoniam ante oculos esse conuenit, quòd Simon Spiritum sanctum volens redemptione mercari, Apostoli fuerit detestatione percussus. Tunc deinde quis non vile putat esse, quod venditur? Istam sacerdotibus ordinandis reuerentiam seruet electio, vt in graui murmure populorum, diuinum credatur esse iudicium. Ibi enim Deus, vbi simplex sine prauitate consensus. Verùm nec hanc quidem partem solicitudinis & admonitionis omittimus, ne vel ille se à culpa æstimet alienum, qui, & si ipse quidem à redemptione liber, initiauerit benedictione mystica sacerdotem, & tamen ad alterius redempti voluntatem, vel sponte in hoc vel necessitate consenserit. Quid prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? Proculdubio contra mandata committit & qui habet peccatum proprium, & qui peccatum sequitur alienum. Incassum animus resistit cupiditati, si non resistit & timori. Aduersus hæc facilius, Deo adiuuante, prouidebitur, si circa Metropolitanos priuilegia à sanctis patribus constituta, permaneant; si Metropolitani circa parochias suas ordinem suum ea, qua decet, veneratione custodiant, vt nec electio præsulis empta detur pretijs, & nec obsequentis sit quæsita operibus: sed ita fixa habeantur in cordibus, quemadmodum reseruntur in scripturis. Si nulla sint in templis emptionum semina, nulla erunt fomenta discordiæ: sed regnante caritate, sub illa, quam nobis promisit Deus & retribuit, pace viuatur.

Ob hoc patres, prouidentia, qua Spiritus sanctus, cultores suos compungere dignatus est, incitati, bis in anno per parochias singulas concilia haberi debere docuerunt, vt in vnum iuxta salubris institutionis dogmata congregati, pro Ecclesiasticis causis tractandis liberè conuenirent, vt si iuxta votum vniuersa consistunt, Deum iunctis vocibus, qui præstat desiderata, collaudent. Difficile est enim, vt cuiusquam cor prauis sic cogitationibus induretur, vt à se patiatur culpanda fieri, cum nouerit se iudicium subiturum esse Concilij. Præcinctos ad hanc viam semper lumbos habeant, scientes rationem actuum suorum esse reddendam. Suspendantur ab illicitis per formidinem, & qui nequiuerint per pudorem. De conueniendo bis in anno, notum est, canones sanctos constituisse: & præfinitum quidem, si possibile est, inuiolabiliter conuenit custodiri. Sed si aut temporum necessitates, aut emergentes causæ hoc non patiuntur impleri, semel saltem (quamuis non licuerit) sine vlla excusatione præcipimus cõuenire. Hæc fratres carissimi, & alia, quæ patrum regulis continentur, in labijs & in cordibus nostris indiuisa retractatione meditemur; & sicut scriptum est, narremus ea filijs nostris, vt ea meditentur in cordibus suis sedentes in domo, ambulantes in itinere, dormientes atque surgentes: quia beatus in Domino, qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Hoc & magister gentium, discipulum suum secutus instituit, admonens: Hæc meditare, in his esto. & subijciens plenitudinem, Attende tibi & doctrinæ, inquit: quia si fidelibus sine intermissione incumbimus institutis, separamur à vitijs, dum impensa cura diuino operi, humano locum non relinquit errori. Data 4. Nonas Aprilis, Agapeto viro clarissimo Cos.

Cap.

EPISTOLA XXVI. B. HORMISDAE Papæ, ad Salustium.

Salustius Apostolicæ Sedis vicarius constituitur, per Bæticam & Lusitaniam.

Carissimo fratri Salustio, Hormisda. Suscipientes plena fraternitatis tuæ votiua gratulatione colloquia, quæ nos geminæ salutis tuæ lætificauerunt indicio, (si quidem retulerunt te corporali cum spiritualibus officijs incolumitate subnixum) congruum esse perspeximus, hanc ipsam quam mente gerimus, verbis expedire lætitiam. Edidisti enim boni documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea suadere non differs. Prærogatiuam de nostri sumpsimus electione iudicij, quando id te sponte amplecti didicimus, quod ceteris imperamus. Oramus siquidem diuinam clementiam cunctos agnoscere, & hæc ad studia Ecclesiasticæ pacis instrumenta transmisimus. Tu vota nostra & fideli intelligentia percepisti, & officij protinus deuotione complesti, cunctis fratribus innotescens, quæ per cælestem gratiam cunctis profutura cognoueras. Suffragantibus igitur tibi tot meritis piæ solicitudinis & laboris, certè iam delectat iniungere, quæ ad nostri curam constat officij pertinere, vt prouincijs tanta longinquitate disiunctis, & nostram possis exhibere personam, & patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque nostras per Bæticam Lusitaniamque prouincias, saluis priuilegijs, quæ Metropolitanis episcopis decreuit antiquitas, præsenti tibi auctoritate committimus, augentes tuam huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, quem iam probauimus cautius vniuersa seruare; gratius tamen esse solet, si iterum trames ostendatur, & laboris iniunctio superius formata monstretur. Paternas igitur regulas, & decreta à sanctis definita Concilijs, omnibus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam fraternæ monitu exhortationis extendimus.

His ea-

His ea, qua dignum est reuerentia, custoditis; nullum relinquit culpæ locum, nec sanctæ obseruationis obstaculum. Ibi fas nefasque præscriptum est, ibi prohibitum, ad quod nullus audeat adspirare: ibi concessum, quid debeat mens Deo plactura præsumere. Quoties vniuersalis poscit religionis causa, ad Concilium te cuncti fratres euocante conueniant; & si quos eorum specialis negotij pulsat cõtentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina. Quicquid autem illis pro fide & veteribus constitutis vel prouida dispositione præcipies, vel personæ nostræ auctoritate formabis, totum ad scientiam nostram instructæ relationis attestatione perueniat, vt noster animus officij caritate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

EPISTOLA IVSTINI IMPERATORIS ad Hormisdam, qua se Imperatorem electum esse significat.

Iustinus Augustus; Hormisdæ Papæ. De beneficia, licèt multis, maximè tamen summis Pontificibus conuenit indicari; proinde Sanctitati vestræ per has sacras declaramus epistolas, quod primum quidem inseparabilis Trinitatis fauore, deinde amplissimorum procerum sacri nostri palatij & sanctissimi Senatus, necnõ electione firmissimi exercitus ad imperium, nos licèt nolentes, ac recusantes electos fuisse, atque firmatos. Precamur proinde, vt sanctis orationibus vestris diuinæ potentię supplicetis; quatenus initia nostri roborẽtur imperij. Hoc enim & nos sperare, & vos decet implere. Dat. Kalend. August. Constantinopoli, Magno V.C. Conſ.

EPISTOLA XXVII. B. HORMISDAE Papæ, ad Iustinum.

Illo imperante sperat fore, vt Ecclesiæ pax restituatur.

Tomo 1. Epist. Decret. 22.

Ex V.C. Vat.

Hormisda Iustino Augusto. Venerabilis regni vestri primitijs, fili gloriosissime, loco muneris gratulationẽ suam catholica transmittit Ecclesia, per quas se post tantam discordiæ fatigationem requiem pacis inuenire confidit. Nec est dubium ideo ad rerum summam cælesti vos prouidẽtia peruenisse, vt vestris temporibus impacta religioni in orientis partibus aboleatur iniuria. Debitas beato Petro Apostolo imperij vestri primitias reddidistis, quas hac ratione deuotè susceptimus: quia Ecclesiarum per vos proximè futuram credimus sine dubitatione concordiam. Deus qui pietatis vestrę sensibus alloquendi nos vota concessit: ipse circa syncerum religionis suæ cultum præstabit, sicut optamus, affectum. Significastis nolentibus, & recusantibus vobis imperij pondus impositum, qua ratione electos suos cœlesti constat esse iudicio, secundum Apostolum dicentem. Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Supereſt vt à Deo electi, sicut & credimus Ecclesiæ, quam laborare cernitis manus vestræ solatia porrigatis. Cessent qui paci eius obsistunt: quiescant qui in forma pastorum conantur gregem Christi disperdere. Istorũ correctio vires vestri firmat imperij: quia vbi Deus rectè colitur, aduersitas non habebit effectũ. Hanc gratulationis paginam per Alexandrum V.C. non omisimus destinare, sperantes cum Dei nostri adiutorio per Gratum V. C. filium nostrum de singulis, quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinent, nos clementiæ vestræ præbituros esse responsum.

Ex V.C. Vat.

Rom. 13.

Anno Domini 518.

NOTAE.

Debitas B. Petro &c.] *Postquam præcedente Epistola, Iustinus Imperator antiquum morem orthodoxorum Imperatorum imitatus de sui electione ad Romanum Pontificem, quem vt parentem venerabatur, literas dedisset, ea intẽtione, vt apertè profiteretur, nulla fortiore potentia, quam communione cum totius ecclesiæ primario antistite, populorum fidelium voluntatem conciliari posse; respondit illi Hormisda Pontifex, præstitum esse id, ad quod omnes Orthodoxi Imper. iure sunt obligati. Vnde vides antiquitus obseruatum fuisse, vt de electo Imper. Rom. Pontifex certior reddatur, electióq; confirmatio petatur.*

EPISTOLA IVSTINI AD Hormisdam.

Ad petitionem Concilij Constantinopolitani, Iustinus per Gratum Comitem petit, vt Pontifex ad pacem Orientali Ecclesiæ reconciliandam, & ad lapsos recipiendos legatos Constantinopolim mittere dignetur.

Iustinus Augustus, Hormisdæ Papæ. Ioannes vir beatissimus, huius regiæ vrbis Antistes, & ceteri viri religiosi episcopi de diuersis locis & ciuitatibus hic reperti, nostram serenitatem docuerunt pro concordia veram, & orthodoxam fidem colentium, proque vnitate venerabilium eius Ecclesiarum litteras tuæ Sanctitati offerendas confeciſſe, ac magnoperè postularunt, nostras etiam epistolares paginas super hoc ad eam emanare. Quorum petitiones, vtpote semper vnitatis amatores constituti, libenter amplexi, hos diuinos apices ad tuam beatitudinem censuimus prorogandos. Quibus scriptis desiderijs supradictorum Reuerendissimorum Antistitum subuenire, proque nobis & republica, cuius gubernatio nostræ pietati cœlitus credita est, supernam maiestatem suis orationibus placare dignetur. Vt autem tuæ Sanctitati pacis, & vnitatis, atque concordiæ iura plenius patefiant, quosdam religiosissimos sacerdotes pacem amplectentes, & desiderantes, ad sacratissimum nostrum peruenire disponant comitatum. Ob hanc enim causam Gratum V. C. sacri nostri consistorii comitem, & magistrum scrinij memoriæ direximus, cuius præclaram opinionem multis antea notam habemus temporibus. Dat. VII. Idus Septemb. Constantin. Magno V.C. Conſ.

Ex V.C. Vat.

Anno Domini 518.

EPISTOLA XXVIII. B. HORMISDAE Papæ, ad Iustinum Augustum responsoria.

Tom. 1. Epist. Decret. 23.

Commendat eius de conciliandapace solicitudinem, et cœptis monet insistendum, nomenq; Acacij abolendum esse.

Hormisda Iustino Augusto. Sumptam de imperij vestri ortu lætitiam, quamuis apud nos pollentem merito, præcedenti quoque geminastis alloquio, reciproca deuotione testati iam tunc sequuturam præuidimus, quæ nunc de Ecclesiasticæ vnitatis affectu, cœlesti gratiæ inspiratione signastis. Habes ergo, clementissime Imperator, præsentem de tali voto iam gloriam, sed expectatur de perfectione perpetua. Hæc sunt validissima imperij vestri fundamenta, quæ in ipso nascentis regni principio diuinam vniuersis præferunt sancta dispositione culturam. Tenete itaque hanc piæ solicitudinis curam, & pro catholicorum pace, sicut cœpistis, insistite: quia Deus noster, qui vobis hunc tribuit animum, elegit etiam per quos præstet effectum. Nam & episcoporum vota, precesque vobis effusas gratanter amplectimur, quæ tamen loci sui confideratione commoniti, ea desiderant, quæ dudum vt sequi vellent Sedis Apostolicæ exhortatio crebra non defuit. Et quoniam clementiam vestram id cupere, illos etiam hæc dicimus postulare. Quæ res hactenus Ecclesiarum pacem sub contentiosa obstinatione diuiserint, nec pietatis vestræ, nec illorum refugit, velut latenti causa notitiam. Quid igitur facere debeant, & litteris nostris, & libelli quem direximus serie continetur. Hæc si Deo nostro, & clementia vestra adiuuante susciperint, & sequuntur, poterit ad eam, quam maximo desideramus ardore peruenire concordiam. Filius præterea noster Vestræ Sanctitati Gratus sacri consistorij comes & magister scrinij memoriæ ostendit in se vestrum allegationis suæ maturitate iudicium, cuius mora sensibus vestris eo referente, melius asseretur.

Ex V.C. Vat.

Anno Domini 518.

EXEMPLVM RELATIONIS IOANNIS Episcopi Constantinopolitani, per Gratum missæ.

Vt Communionem R. Eccles impetret, mittit libellum, quo fidem catholicam profitetur, & ipsius Pontificis à se nomen in dyptichis descriptum esse: legatos per quos pax constituatur, destinandos.

Domino meo & per omnia Dei amatori sanctissimo fratri, & comministro Hormisdæ, Ioannes in Domino Salutem.

Saluto vestram sanctitatem, carissime in Christo frater, & salutans prædico: quoniam recta fides salua est, & caritas fraternitatis firmata est. Hoc Deus solus potens per studium Christianorum, & pijssimorum Imperatorum fieri voluit. Scribere igitur Apostolicè, & rescripta suscipere fraternè Dei amore dignemini. Ego enim inquisibili ratione doctrinam sanctorum Apostolorum, secundum traditionem sanctorum patrum tenens, similiter honorem consubstantiali, & per omnia sanctæ Trinitati offero, sicut in Nicæa trecentorum decem & octo cœtus promulgauit, & in Constantinopoli CL. conuentus firmauit, & in Ephesina CC. firmauit, & in Chalcedone, conuentus DCXXX. firmauit. Hanc ergo fidem vsque ad vltimum anhelitum per gratias custodiens, spiritualibus amplectimur, tam vestram Sanctitatem quàm & orthodoxas Ecclesias animo amplector, vna tecum in veritate sentiens, & vnà tecum sperans in illo die per hanc fidem saluari bona voluntate Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Consubstantiali enim Trinitati omnis gloria debetur nunc, & in sæcula sæculorum. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est Sanctitate, ego & qui mecum, plurimum in Domino salutamus: tantum ad satisfaciendum scripsimus, vt & venerabile nomen sanctæ recordationis Leonis, quondam Vrbis Romæ Archiepiscopi in sacris diptychis tempore consecrationis propter concordiam affigeretur, & vestrum benedictum nomen similiter in diptychis prædicetur. vt de omnibus autem satisfiat vestræ Sanctitati, quoniam pacem vestram amplectimur, & de vnitate sanctarum Dei Ecclesiarum curamus; rogamus vos pacificos viros destinare, & vestræ dignos Apostolicæ Sedis, qui debeant satisfacere, & satisfactionem nostram suscipere, vt & in hac parte Christus Deus noster glorificetur, qui per vos pacem hanc mundo seruauit. Accepta 13. Kalend. Ianuar. P. C. Agapiti.

Anno Domin. 518.

EPISTOLA XXIX. B. HORMISDAE PAPÆ, ad Ioannem Constant. Episcopum responsoria.

Tom. 1. Epist. Decr. 24.

Commendat Ioannem Episcopum & gaudet concilium Chalcedonense & diui Leonis epistolas ab eo complexas: ad Ecclesiæ communionem admittendum pollicetur, si nomen Acacij è Diptychis sacris expunxerit.

Ex V. C. Vat.

Hormisda, Ioanni Episcopo Constantinopolitano. Spirituale gaudium directis caritas tua significauit affatibus, dicendo vt catholicæ religionis disciplina ordinem suum vestris pastoribus, Deo nostro iuuante, receperint. Hæc esse beneficia misericordiæ supernæ quis dubitet? hæc quis dubitet? hæc quis dubitet? hæc venerabilis principis tropheis adiungi, quis ambigat? quia maior ei de hac pace quàm de quibuslibet prælijs, triumphus acquiritur. Istius laboris gloria nescit occasum: quia vbi Deus rectè colitur, numquam aduersariorum crescit iniquitas. Dilectionis tuæ confessionem gratanter accepimus, per quam sanctæ synodi comprobantur, inter quas instauratione constitutorum omnium Chalcedonense concilium prædicastis, & catholicorum numero adiungi desiderans sancti Papæ Leonis in diptychis nomen asseueras scriptum. Ista laudanda sunt, si perfectionis subsequatur effectus; quia recipere Chalcedonense concilium, & sequi sancti Leonis epistolas; & adhuc nomen Acacij defendere, hoc est inter se discrepantia vindicare. Quis Dioscorum, & Eutychē condemnans; innocentem ostendere possit Acacium? quis Timotheum, & Petrum Alexandrinum, & alium Petrū Antiochenum, & sequaces eorum declinans, sicut diximus, non abominetur Acatium, qui eorum communionem sequutus est?

De caritate siquidem tua meliora Dei omnipotentis expectamus aux ilio, habentes optimæ promissionis spem, sicut ad nos quæ direxisti, tua tecum in veritate sentiens; & ipsa defendens, sperans in illo iudicio per ipsa te posse saluari. Post hæc quid restat, nisi vt Sedis Apostolicæ, cuius fidem te dicis amplecti, sequaris etiam sine trepidatione iudicia? Igitur partibus orientalibus ostēde per te, quod sequantur exemplum, vt omnium laus, qui correcti fuerint, tuis laboribus applicetur. Ego cum magna denunties, & fidem beati Apostoli Petri te amplecti significes, rectè credens in ea salutem nostrā posse subsistinere, libellum, cuius continentia subter annexa est, à caritate tua subscriptum ad nos dirige, vt sine conscientiæ formidine vnam communionem, sicut oramus habere possimus. Pro persona quoque filij nostri Grati Viri Clarissimi Deo nostro gratias sine cessatione persoluimus, cuius fides & recta credulitas nostrum circa se excitauit affectum. Dignus re vera qui tantæ curam susciperet actionis, & Maximi principis ad nos mandata perferret.

Anno Domini 519.

EPISTOLA IVSTINIANI AD HORMISdam missa per enndem Gratum Imp. legatum, qua pro pace & vnitate orientalis Ecclesiæ,

Pontificem rogat, vt si minus se Constantinopolim velit conferre, legatos mittat.

Ex V. C. Vat.

Ivstinianus Comes, Hormisdæ Papæ. Desiderabile tēpus, quod summis votis optauimus, diuina clementia doloresgeneris humani respiciens, largiri dignata est: quo omnes catholici & Deo perfecti fideles maiestati eius se valeant commendare. Idcirco has ad Apostolatum vestrum libera licentia iā mihi beneficio cælesti indulta direxi. Dominus etenim noster inuictissimus Imperator orthodoxam religionem semper amplectens ardentissima fide, cupiensque sacrosanctas Ecclesias ad concordiam reuocare: mox, vt adeptus est, cælesti iudicio iusulas principales sacerdotibus hic positis denuntiauit, vt pro regulis Apostolicis vnirentur Ecclesiæ, & magna quidem pars fidei est composita Deo auctore. De nomine tantummodo Acatij vestræ beatitudini conuenit ordiri consensum. Quam ob causam Dominus noster serenissimus princeps Gratum, virum sublimem, vnanimem mihi amicum, cum paginis Augustis ad Sanctitatem tuam transmisit, vt modis omnibus dignetur Constantinopolim ad reliqua concordiæ componenda venire: sed absque quadam dilatione vestrum expectamus aduentum, quem si qua tarditas, quod fieri non debet, forsitan retinuerit; interim vel sacerdotes idoneos destinare festinet, quia totus mundus partium nostrarum conuersus ad vnitatem moras non patitur. Accelerate ergo Domine sanctissime, ne vobis absentibus, quæ debent præsentibus ordinari. Scimus etenim litteras vestræ beatitudinis, & antecessorum vestrorum ad orientem directas, quid super hac eadem causa contineant. Vt autem nihil prętermittatur, propter causam sæpius memoratam, ad inuictissimum Regem, religionis quoque negotium filio vestro viro sublimi Grato est iniunctum, fauente Domino nostro Iesv Christo.

Anno Domini 519.

EPISTOLA XXX. B. HORMISDAE AD Cæsarium Arelatensem Episcopum sedis Apostolicæ in Gallijs vicarium.

Significat Episcopos Dardaniæ & Illyrici ad Catholicæ Ecclesiæ communionem, à qua metu Anastasij desciuerant, redijsse.

Dilectissimo fratri Cæsario, vel his qui sub dilectionis tua ordinatione consistunt, Hormisda.

Iustum est, vt qui Catholica communione lætamini, nobiscum de Ecclesiæ, si qua prouenit, concordia gaudeatis: vt quemadmodum vnus nobis consensus est fidei, ita sit indiuidua gratulatio prosperorum. Nostis qualiter detestabilis Eutychiana hæresis per Orientales serpat Ecclesias, & quoties præfatæ superstitionis virus Synodus generalis extinxerit, vel quoties eius sequaces salubria monita Apostolicæ sedis spreuerint, & quasi erubescentes manus dare veritati, aut Apostolicæ sedis prædicationibus obedire, in hac tanta *obstinatione perstiterunt. Elatio enim semper affert saluti periculum, per quam ipsius inuentor diabolus angelica potestate priuatus est. Pro his nobiscum sępissimè fraternitas vestra cō-

* obstinatione

doluit, Apostolicæ nō immemor lectionis, qua monstratur. Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Sed Dominus, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, nunc multorum sensus illuminans, eis desiderium Apostolicæ communionis insudit, vt quod dudum intentione* prædicabant, hoc nunc correctionis professione condemnent. Quorum reditum ideo absque suspicionis morsu recipimus, quia dum peccatum sine aliquo excusationis velamine confitentur, manifestum desiderium correctionis ostendunt. Ergo Episcopi iam Dardani quam Illyrici penè omnes ne sint errore condemnandi præterito, petentes B. Petri Apostolorum principis communionem, & scriptis & legationibus destinatis, se Apostolicæ sedis regulis obedire confirmant. Pro quibus quantum nos oporteat gratulari, soli quorum fides feruet intelligunt.

Sciendum vobis est igitur, anathematizari nunc ab ipsis quoque Nestorium, qui diuidit incarnationem Domini nostri Iesu Christi, & per hoc duos Filios conatur asserere. Eutyches carnis negans veritatem, & duas naturas in vna persona non prædicans, vt Manichæam phantasiam Ecclesijs Christi (quemadmodum putauit) insereret, simili ratione damnatur. His adiungitur Dioscorus Alexandrinus, qui malitia præfatæ consentiens, in sancto Chalcedonensi Concilio particeps damnationis effectus est; & malorum seminum æquales fructus inueniens, in eam cecidit foueam, quam fidelibus parabat. Facti sunt istorum successores Timotheus Aelurus, & Petrus, quorum sibi vbique consensit iniquitas; & mentientes, magistros in nullo deserunt, sed in omnibus prauitatibus antecedūt. Hi approbati sunt generalis materia læsionis, quorum & manus sacerdotalis sanguinis maculauit effusio, & vitam innocentium peremit interitus: habent per vniuersum mundum à Catholicis infixa æternæ damnationis stigmata. quos Orthodoxi non solùm fecerunt communionis expertes, verum etiam eos Christianorum spoliauere vocabulo.

Petrum Antiochenum cum suis (sicuti ab his, de quibus loquimur, factum est) præfatis adiungite. De quibus, ne sermonum prolixitas nasceretur, hoc tantum dixisse sufficiat. Petrum & eius socios in nullo ab eorum qui damnati sunt dogmate discrepare. Quos Acacius aliquando cōdemnans, in laudes suas omnium Christianorum ora conuerterat, & eos impugnans qui Eutychianam hæresim vindicabant, fidem colentibus gratissimus apparuerat. Sed huic solitis insidiator fraudibus, quod fraudabatur, inuidit: nam postea hos suos complices habere desiderans, & in Catholicos arma conuertens, cum ipsis inuenit sortem, quos optauit habere participes. Longum est epistolæ breuitate per vniuersa discurrere. Vnde ex totius summa negotij partem aliquam pro instructione direximus: iudicantes, quòd tanta res vestram nō possit latere notitiā; præcipuè cum hoc prædecessorum nostrorum litteris, vestris fuerit regionibus nunciatum. Quod & nos pro his quæ nuper acciderunt, fraternitatem vestrā curauimus instruendam, ne alicubi per ignorantiam Fidelium locum inuenire possit subreptio prædictorum; sed qui nituntur talia vindicare, sacræ consortio communionis arcendi, euidentius innotescant.

Igitur vbi interest fidei, quicquid ad gratiam huius pertinet sæculi respuatur, cum nec naturalis affectio rebus debeat cælestibus anteponi: vt illud præceptum Domini compleatur: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. De ceteris quæ in religionis causa confidentes diuinis beneficijs præsenti tempore iterum de Orientis partibus speramus, & legatos direximus, Domino Iesu Christo supplicate, vt ipse, qui pro pietate sua prosperum donauit initium, similem concedere dignetur effectum. Vrbanum sedis Apostolicæ Defensorem etiam huic aptum negotio ad charitatem tuam direximus, per quem de vniuersarum effectu causarum responso congruo cupimus, quæ sunt votiua cognoscere. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Dat. 4. Id. Sept. Florent. Cons.

EPISTOLA XXXI. B. HORMISDAE Papæ, ad Iustinianum Comitem responsoria.

To. 1. epist. Decre. 25.

Ad pacem assequendam, Acatium damnandum; legatos mitti significat.

HOrmisda Episcopus, Iustiniano Augusto. Litterarum vestrarum serie religionis ope pollente deuotionis, optatissima gratulatione susceptā gratias diuinitati retulimus, quia dedistis indicium facilè à vobis fieri quod potuissemus hortari. Hinc est quòd quia spontè laudabilia cupitis, dignè ad principatus apicem, generis vestri stemmata peruenerunt. Quapropter insistite, & religiosæ viuacitatis animis imminete, vt quemadmodum pro bonæ voluntatis initio genus vestrum meruit culmen imperij, in æterna vobis de perfectione gloria sit triumphi. Videte quo desiderio pacis gaudia ludificatus, diu mundus exhortet. Respicite generalitatis animos, vestri præsumptione beneficij, certa spe quietis attolli; non est quòd se dubietas inserat, non est quòd aliquid ambiguitatis accedat, cum testamini, quod & nos quidem benè nouimus, accedere ad Ecclesiarum concordiam religionis principis vota. Quapropter tantæ magnanimitatis gratias agētes, quanta possumus petitione, deprecamur, vt Acatij nomen cū sequacibus suis, quod plenè vnitatis ecclesiarum impedit gaudium damnationis, ordine sit remotum. Nos enim conuenientes causæ qualitati direximus Legatos, quibus præsentibus, initium quod dedisti gaudij, possit, secundum quæ mandatis continentur, impleri.

Ex V. C. Vat.

Anno Domini 519.

NOTAE.

Epistola.] *Hanc Epistolam cum nouem sequentibus, de pace & vnitate Orientalis Ecclesiæ scripsit Hormisda Pontifex anno Domini 519. Curauit eas deferri per legationem sedis Apostolicæ, qua Germanus & Ioannes Episcopi; Blandus presbyter: Felix & Dioscorus Diaconi fungebantur, quique sequentem Indiculum rerum agendarum à Pontifice acceperunt.*

INDICVLVS QVEM ACCEPERVNT LEgati Apostolicæ Sedis qui supra.

Legatos instruit.

CVm Deo propitio partes Orientales fueritis ingressi, si qui episcopi vobis occurrerint, & libellum, cuius continentiam percepistis à se subscriptum offerre voluerint; susCipite: eisque præbete sanctæ communionis consortium. Si verò occurrentes ipsi eo, quo superius diximus ordine, profiteri noluerint, à vobis equidem sub sacerdotali affectione tractentur. Sed neque vobis sit cum his mensa communis, neque ab his vel victualia præsumatis accipere, nisi tantum subuectionem, si causa poposcerit, & hospitalitatem, ne credant se omnino fastidiosè despectos. Cum autem Constantinopolim, Deo adiuuante veneritis, in eam secedite, quam Imperator præbuerit mansionem; & nullum ad salutationem vestram prius permittatis accedere, exceptis his, quos ipse miserit Imperator, aut quos nostræ communionis esse cognoscitis, donec ipsum principem videatis, cui præsentati, salutantes, literas nostras offerte, suggerentes magnum nos de eius Imperio gaudium percepisse, & nimium gratulari, quòd eum Deus omnipotens, ad hoc iuxta eius sacras literas, vt secundum ea, quæ sunt ab Apostolicæ Sedis constituta præsulibus, Deo auctore, & regno eius adnitente, Ecclesiarum & pax & vnitas his temporibus desiderata proueniat. Qui si vos hortatus fuerit, vt Constantinopolitanum videatis episcopū; intimate vos præfinita habere, quæ etiam ab eis sæpe sint cognita, quæ ab vniuersis episcopis catholicam communionem amplectentibus professio debeat celebrari. Hæc si episcopus Constantinopolitanus implere paratus est, ei gratanter occurrimus: si verò Sedis Apostolicæ adhortationem sequi contemnit, quid necesse est, vt ad occasionem contentionis salutatio nostra proficiat, quibus non est disputationis, aut certaminis causa in mandatis? Si verò imperator sibi aperiri voluerit, quid sit, quod ab episcopo fieri postuletis; formam li-

Ex V. C. Vat.

belli, quam portatis, ostendite; quòd si de anathemate Acatij consentiens, successores eius dixerit recitandos; ob hoc, quòd propter defensionem Chalcedonensis synodi, aliqui eorum fuerint exilio deportati, insinuabitis nihil vos de libelli posse forma decerpere, in qua sequaces damnatorum pariter continentur. Sed si eos ab hac nõ poteritis intentione deflectere; saltem hoc acquiescite, vt anathematizato specialiter per libellum, quem vobis dedimus, Acatio, de prædecessorũ eius nominibus taceatur, abrasis eorum de diptychorũ inscriptione vocabulis. Quo facto episcopum Constantinopolitanum in vestram communionem accipite. Libellum verò vel episcopi Constantinopolitani vel aliorum, quos vos suscipere Deo volente, contigerit: primò agite vt præsente populo recitetur. Quòd si hoc fieri nõ poterit, saltim in secretario, præsentibus clericis, & Archimandritis relegatur. Hæc omnia si Deo fuerint volente completa, Imperatorem rogate, vt destinatis sacris, per Metropolitanos episcopos, adiunctus ipsius episcopi litteris innotescat, episcopum Constantinopolitanũ suo quoque consensu, celebrata professione, quam Sedes Apostolica destinauit, in vnitatem communionis fuisse susceptum. Quibus litteris etiam ipsos hortetur, similia profiteri: quòd si in hac parte Imperator aliquid difficultatis attulerit, Episcopus Constantinopolitanus directis præceptionib. Episcopis suis parœcialibus, vel ceteris Metropolitanis, eis præsentibus, qui à vobis pariter directi fuerint, quid ipse fecerit, innotescat: quod ab eo modis omnibus vos oportet exigere vt facti huius testimonio peragrante, etiam vniuersos, vel qui longè sunt positi, latere non possit.

To. 1. epist. Decre. 26.

EPISTOLA XXXII. B. HORMISDAE PAPA, ad Iustinum Augustum.

Ab ijs, qui admissis Chalcedonensis concilij decretis, Acatium damnare recusabant, cauendum, legatosque ob pacem & vnionem Orientalis Ecclesiæ missos, commendat.

Ex V. C. Vat.

Hormisda Iustino Augusto. In tantum pro gratia diuinitatis gloriæ vestræ famam constat extensam, & ita vos suffragante vitæ merito laudabiliter mundo contigit innotescere, probatissimorum hominũ opinione vulgante, vt super vos potius credatur delatum culmen Imperij, quàm per Imperium vos aliquis dicat agnoscì. Certum est quidem huiusmodi prouectione vestra pristino splendori accessisse decoris cumulum: sed tenuistis olim moribus principatum, si cum vos per ora gentium impatiens secreti magnitudo defuerit, ad nos quoque, sicut mysticè leguntur scripturæ, testimonijs suauitatis vestræ odor aduenit: & certè cum latè prudentium hominum sententia religiosæ vitæ vestræ fuerint instituta dispersa, habere non potuimus incognitum quicquid de vobis fuerat mundi attestatione vulgatum: quia sicut mediocri laude digna in immensum sibi nequeunt vindicare præconia; ita sine fine prædicandum rapitur in populum quicquid bono fuerit admirationis ornatu. Vindicat enim sibi quantitatis suæ iure magnitudo famæ testimonia, quia nescìunt latere miranda. Hinc est quòd principatus vobis adoreas publica iura commiserunt; ne quod meritorum insignia generalitatis facta sunt vota, nemo ita rerum arbiter iniquus excitabit, qui passim vos æstimet Arches inclytæ accepisse titulos, cum negari nequeat dignè vos meruisse imperij, quorum probitatẽ mundus agnouit: sed paruum est quamuis iudicio vniuersitatis suscipere loco prẽmi iura regnandi. Illud magis est admirabile, quòd ita vos hominum laudabilitate firmatos suscipiunt imperia, vt iudicia sint diuina. Non est dubium electos suos venerabili prædestinatione diuinitatis ad tantæ potestatis ornamenta, quos synceræ fidei documenta circumuolant. Verè vobis prophetici spiritus conuenire verba direximus, Ierem. 1. Priusquam te formarem in vtero, noui te: Ad hanc vos gloriam incomprehẽsibili supernæ maiestatis dispositione procurante, obsequium naturæ mundo protulit, sub custodia fidei transactæ vitæ probitas instituit, atque ad imperia clemẽtia diuina peruexit: ob hoc scilicet, vt tandem aliquando diuisores Dominici corporis fidei vestræ exequutione cõpressis Ecclesiarum concordia diabolica impedimenta succederent, & vniuersitas de adunatione gauderet. Hoc religioni, hoc fidei, hoc serenitati vestræ specialiter cælitus mandatur officium: quibus & posse omnia & perficere videmus indultum. Itaque sicut instituistis facere, nauate susceptì operis munus, quod superna vobis prouidentia videtis iniunctum. Et verè sic decuit, vt per principem pax debeat fieri, quam reuerentia diuinitatis exposcit. Date has assumpti Deo nostro de vestri oblationes imperij, vt per vos possit pacis fructus impleri; sine dubio quicquid tali facto animæ vestræ fuerit præstitum à vobis, mundo iudicatur impensum. Magnum, & inextimabile est venerabilis Imperator propter quod adsciti estis iudicio diuinitatis. Extenduntur ecce vota pacem desiderantium, diuturni temporis tractu mœret Ecclesiarum indiuisibilis, discissa cõmunio, sine gemitu discrepat fraternitas, cum circa patrum dogmata varia sit voluntas. Accingite ergo lũbos viribus fidei: videte cui vos regi diuinitas velit obsequi, quantum sit, quod per vos procurat impleri. Ecclesiæ venerandæ corpus, quod propria Christus noster passione fundauit, gloriæ vestræ adunare factis instituit. Non est quo magis circa vos gratia supernæ maiestatis eluceat, quã si Ecclesiæ corpus per vestrum reparetur officium sanguinis Dominici redemptione formatum. est quidem causæ huius vetustissima calamitas, sed pro immanitate sui recentissimus dolor, & tanto Christianis animis fortior gemitus, quanto temporibus est dilatus. Videndum vobis est in quãtum quotidie antiqui hostis ferueſcat insania, cum olim causa sit decisa fine sententiæ, paci faciat tarditatem. Et cum Chalcedonensis synodus, & B. Papæ Leonis constituta placeant; quoad caritatẽ reuerti volumus, à certamine nõ desistas. Sequentur quæ dogmatibus prædictis ascripta sunt, & ab eorum sequacib. quos prædicta auctoritate damnatos intelligunt, non recedũt; tenent adhuc in complexibus nomen Acatij, quem vident iudicio Sedis Apostolicæ meritò pœnam subisse damnati. Quis nõ intelligat simulatè dici, sanctorum patrum sequimur dogmata? Sed non diligimus facta, quæ à sancta synodo Chalcedonensi constituta sunt; & quæ B. Leonis epistola continet, fouemus, veneramur, amplectimur. Sed Acatij, qui damnatorum communionẽ sequutus est, impedimus vota: sed quid opus est de iudicaris rebus verba facere, cum nos hortari tantummodo deceat? Vt expressa superius simulatione submota, sub omni puritate pacem debeant, à quibus hæc dicuntur optare, apud vos mihi est omnis deprecationis causa Imperator egregie; vos his ac talibus religiosi operis resistite viua charitate, vobis imminet; vt qui Ecclesiasticæ concordiæ habuistis in priuata vita desiderium, sub principatu detis effectum. Non fuit quo magis gratiæ vestræ cumulus accederet, quàm quod vobis diuinitus datũ est, vt quod semper voluistis fieri, per vos ad terminum possit adduci. Nec breue specimen circa vos grctiæ diuinitatis effulsit, quibus datur posse facere, quod semper optastis. Quapropter quoniam vobis tantæ causæ titulum videtis esse seruatum, remouete quicquid ambiguum remansisse creditur, ad plenitudinem gaudiorũ. Nos enim qua decuit affectione per Gratũ V. C. cui pro moderatione sui congruè sensimus officium legationis iniunctũ, litteris vestri principatus acceptis, causæ magnitudini conuenientes, destinauimus viros Germanum, & Ioannem episcopos, & Blandum presbyterum, necnon & Felicem Diaconũ, per quos, si quemadmodum præsumimus, serenitatis vestræ fauor arriserit, secundum quæ mandata sunt, Ecclesiarũ adunatione generalitatis possint vota firmari.

Anno Dominj 518.

NOTAE.

Destinauimus viros Germanum.] *Hoc loco desideratur nomen Dioscori Diaconi, quod in Epistolis sequentib. expressum inuenitur: licet non hoc ordine. Nam in ipsis post nomina Episcoporum legatorum, mox nominati reperiuntur ambo legati Diaconi, & nouissimè Blandus presbyter. Sed huius Epistolæ auctoritate dici potest, errore librariorum accidisse, quod ibi series nominum sit inuersa, & Diaconi ante presbyterum positi reperiantur,*

EPISTOLA XXXIII. B. HORMISDAE Papæ, ad Euphemiam Augustam.

Tom. 1. epist. Decr. 27.

Ex V. C. Vat.

Augustum ad pacẽ Ecclesiæ restituendam cohortandũ.

Hormisda, Euphemiæ Augustæ. Ecclesiarum pax iam cælesti ordinatione componitur, cum vos ad Imperium Deus elegit, apud quos esse integrum semper religionis suæ cognouit affectum. Nam sicut in priuata vita DEVM semper recto dogmate coluistis, vt de religionis concordia cogitaretis: & multa quidem inter ipsa Imperij vestri

primor-

primordia facta sunt, quæ spem nobis correctionis integræ pollicentur. Vnde quia in vobis amorem feruere fidei gratulamur, agentes Deo gratias quotidie pro vobis, beato Petro Apostolo, supplicamus, vt votis vestris apud Dominum suffragetur, & cursum bonæ voluntatis adimpleat. Nec dubium est, diuinis vos auxilijs adiuuari, quia tanto religionis studio mandatis cælestibus obeditis. Hinc est, quòd quia sanctum coniugij vestri constat esse propositum, has fiducialiter ad vestram clementiam litteras destinamus, vt per vos ad perficiendam Ecclesiæ pacem, mariti vestri pietas amplius incitetur: magnum opus arripuistis, magna vobis causa commissa est. Per vos enim populos Christus vult ad Ecclesiæ fœdera reuocare, quos per se voluit à morte redimere. Magna etiam vestro sexui parata est laudis occasio, si vobis instantibus Ecclesiæ suæ Christus, quæ diuisa fuerant membra coniungat. Nec enim maior est gloria, quæ humanæ salutis lignum seruata est, & sola crucem, quam omnis veneratur mundus inuenit. Superabitis quinimo illius merita, quia Ecclesiæ vnitas per illam suum inuenit signum, per vos est habitura remedium. Agat igitur iugalis vestri religiosa clementia, vt fratres & coepiscopi nostri sub eo libelli tenore, quem dudum misimus, fidem suam dignentur asserere, quatenus perfecta possit esse, quæ est inchoata correctio: quia irrita est quælibet in cultura Dei confessio, cui deest fidei plenitudo. Hoc enim, quod à reliquis fieri poscimus, à multis iam sacerdotibus constat effectum; & vnitas esse iusta in communione non poterit, si non fuerit in reuersione seruata.

Helena Constantini mater Christi crucem inuenit.

Anno Domini 519.

NOTAE.

Ad Euphemiam.] *Euphemia coniux Iustini Imperatoris, insignis pietate fœmina antea Lupicina nominata fuit. Quando vero Iustinus Imperator factus est, nomine Euphemiæ illustris Martyris, in cuius basilica Chalcedonense Concilium celebratum fuerat, coniugem suam pietatis ergo appellari voluit, antequam illam Augusta titulo decoraret. Zonar. & Cedr. in Iustino.*

EPISTOLA XXXIV. B. HORMISDAE Papæ, ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum.

Tom. 1. Epist. Decret. 28.

Acatium damnandum, & in legatorum manibus fidei professionem emittendam.

In V. C. Vat.

HOrmisda, Ioanni Episcopo Constantinopolitano. Reddimus quidem frater congruum litteris tuis sub Ecclesiastica libertate responsum; & quid in his gratulati fuerimus infertum, quid taciturnitate præteritum, euidenter expressimus: ac licèt cuncta sensibus tuis nunc crebra legatio, nunc vsu in Ecclesia diuturnæ conuersationis tuæ vetustas infuderit; iuuat tamen adhuc latius aperire nostrum repetita ratione consilium: quia tunc benè de fidei firmitate differitur, quando simplicibus verbis conciliandæ pacis cupiditas explicatur. Desideria quippe tua, quibus te ad Ecclesiasticam testaris festinare concordiam, vt haberent partes illæ semper optauimus; nec sola votorum ambitione contenti, vsi etiam precibus sumus. vestro sunt hæc & mundi testimonio roborata, quæ loquimur: quia vt catholicæ vnitatis reparatio fiat, auctoritatem nostram intemerata fidei integritate submittimus. Inclinet orationibus nostris aurem suam diuina miseratio, vt quod creditis postulandum, sequamini, & ametis oblatum; nobis vna causæ solicitudo, vna custodia est ita pacem cupere, vt sic religionis, sic venerabilium patrum constituta seruentur: quoniam quæ inter se consona credulitate non discrepant, æquum est, vt simili obseruatione subsistant. Sed cur diutius immoramur? scis ipse vnitatis causa quid exigat, scis ipse qua via ad beati Petri Apostoli debeas venire consortium; habes itineris tui ducem, quo te iã sequi asseris Chalcedone habitum pro religione conuentum: iam te quoque, quod idem amplecti testatus es, beati Leonis redeuntem dogma comitabitur. Hæc si placent, Acatij defensio damnati nõ placeat. Hoc est, quod boni studij à perfectione vota suspendit: si sunt enim illa aduersum Dei & legis eius inimicos venerabilium patrum congregatione disposita, vt quisquis eos in communione sequeretur, iam tunc latam subiret in sua damnatione sententiam; non sunt igitur noua, quæ constanter exequimur, sed temporibus illis facta iudicia iusta patrum constitutione seruamus. Hortamur itaque frater, & mentem tuam Dei nostri misericordia adiuuante pulsamus, vt ab omni te hæreticorum contagione Acatium cum sequacibus suis condemnando, disiungens, vnà nobiscum Dominici corporis participatione pascaris. Si nobiscum vniuersa prædicas, cur nobiscum non vniuersa condemnas? Tunc enim nobiscum quæ veneramur, amplecteris, si nobiscum quæ detestamur, horrueris. Pax integra nescit aliquam habere distantiam, & vnius Dei vera esse non potest, nisi in confessionis vnitate cultura. Quapropter salutantes te fraternæ caritatis affectu, petitionem tuam missis sicut speraſti religiosissimis viris Germano ac Ioanne episcopis, Felice diacono, Dioscoro diacono, atque Blando presbytero signamus esse completam. Hi verò, quibus fuerint mandatis instructi, ante allegationes eorum, si cogites, euidenter agnosces. Hi pacem tuam sub ea, qua sæpe rescripsimus, professione suscipient. Impleto ergo frater carissime gaudium nostrum, & tuum ad nos per eos rectæ fidei tuæ remitte præconium, vt per te vniuersis detur exemplum. A. D. 519.

NOTAE.

Felice Diacono, &c.] *Ex Epistola 32. præcedente patet, quod hoc loco nomina legatorum Diaconorum ante presbyteri nomen posita reperiantur, vt dixi supra in Notis eiusdem Epist.*

EPISTOLA XXXV. B. HORMISDAE Papæ, ad eundem Ioannem Constant. Episcopum.

Tom. 1. Epist. Decret. 29.

Cum iam fidem catholicam profiteatur, illi potissimum de stabilienda pace cogitandum, pro qua ipse legatos destinauit.

Ex V. C. Vat.

HOrmisda, Ioanni Episcopo Constantinopolitano. Ea, quæ caritas tua destinatis litteris significauit, agnouimus, & gratulamur ad conscientiam nostram fidei tuæ indicia peruenisse; optantes vt intentioni tuæ, quam rectam esse cupimus, plenum Deus noster circa Ecclesiasticam pacem concedere dignetur effectum, cuius spem animo supernæ maiestatis assumpsimus; quia Imperatorem serenissimum ad hoc prouidentia diuina iudicamus electum, vt per eum Ecclesiarum reintegratio tantis temporibus desiderata perueniat. Quapropter, licèt quæ pro fidei vnitate facienda sunt, tuæ caritatis notitiam latere nõ possint; Legatos tamen direximus, quos ratio causæ poscebat: quibus hortãtibus & quæ iam pridem à nobis significata, & quæ nuper iterata sunt, ad effectũ, Domino nostro auctore, perueniant. A. D. 519.

EPISTOLA XXXVI. B. HORMISDAE Papæ, ad Archidiaconum, & clerum Constantinopolitanum.

Tom. 1. Epist. Decr. 30.

Catholicis hæreticorum molestia liberatis, legati ad pacem confirmandam mittuntur.

HOrmisda, Theodosio Archidiacono Constantinopolitano, & vniuersis catholicis à part.

Ex V. C. Vat.

Gratias misericordiæ diuinæ competenter exsoluimus, quæ fidem vestram diu laborare non passa est. Nam tempus oblatum est, quo filios milites suos catholica recuperare possit Ecclesia. Quæ enim maior animum vestrum potest obtinere iucunditas, quàm malorum commemorata depulsio gaudijs præsentibus compensatæ afflictionis incommoda? quia Deus noster qui remedio fuit, aduersis opprimi caritatem vestram noluit, sed probari. Nam si transacti temporis mala cum præsenti, quæ diuina esse non ambigitur, retributione compenſetis; quis dubitat ampliora nos præmia cõsequutos, quàm nocere potuisset aduersitas? Et quamuis pro statu fidei catholicæ nunquam solicitudo nostra cessauerit; tamen Serenissimi principis sacris affatibus incitati, Legatos destinare curauimus; quorum officio

Deo auctore in his, quæ sæpe mandauimus, subsequi non dubitamus effectum: & ideo competenter enitere, vt Ecclesiæ catholicæ hoc præcipuum vestræ liberationis munus possitis offerre, quatenus repulsis omnibus, quæ hactenus nocuerunt, in vna quam semper optauimus communione gratulantes, Deo nostro laudes referre sine cessatione possimus.

Anno Domini 519.

EPISTOLA XXXVII. HORMISDAE Papæ, ad Iustinianum Domesticorum Comitem, postea Iustini successorem.

Tom. 1. Epist. Decret. 31. Ex V. C. Vat.

Sperat fore, vt eius opera pacem Ecclesia adipiscatur, & missa ab eo munera se accepisse nuntiat.

HOrmisda, Iustiniano viro Illustri. Magnitudinis vestræ literas sanctæ fidei plenas amore susceptimus, quibus ad exercendam apud vos prædicationis Apostolicæ firmitatẽ, opportunitatem nobis proueniſſe diuinitus nuntiastis. Vnde indeficiẽter Domino nostro agimus gratias, qui ad tam præclara remedia & tempus vobis & animum dedit. Et nos quidem desuper ista agnoscimus ordinari, postquam ei detulit diuina maiestas imperium, qui se ad componendam Ecclesiarum pacem indicat ordinatum. Ergo restat, vt vniuersi episcopi partis oriẽtalis iuxta libelli seriem ad correctionis peruenisse se testentur effectum. Patet venerandæ via concordiæ, notata sunt optatæ remedia sanitatis. Sacerdotes qui catholicam pacem desiderant, professionem catholicam non recusent: non enim opus est partibus errorem corrigi, sed radicitus amputari. Insistite igitur, sicut cœpistis, vt merces apud Deum vestra, quæ de boni operis inchoatione habet initium, de perfectione consequatur effectum. Animum quidẽ vestrum talem missa ad nos testantur alloquia, vt ad plenitudinem boni propositi non multum indigeatis hortatu: nostri tamen desiderij, ea quæ spem dedit ratio, amplius accendit ardorem, & auidius gaudia impleri cupimus, quæ instare iam diuinitus arbitramur. Hinc est, quòd beatum Petrum Apostolum quotidie suppliciter obsecramus, vt vobis per quos integrari membra sua sancta iam sperat Ecclesia, & effectum Deus celerem, & salutem tribuat longiorem. Nos quidem vestris animis obsequentes viros direximus, ad solidandam sub Apostolicæ dispositionis ordinatione concordiam. Vestrum est, vt sicut nos bonæ intentioni deesse nolüimus; ita eos ad nos optatum referre faciatis effectum. Munus vestrum veneranda sacraria susceperunt; quod amplius beato Petro Apostolo facietis acceptius, si per vos optatam Ecclesiæ receperint vnitatem.

Anno Domini 519.

EPISTOLA XXXVIII. B. HORMISDAE Papæ, ad Celerem & Patricium clarissimos Aulicos.

Tomo 1. Epist. Decret 32.

Legatos in causa pacis coadiuuandos.

In V. C. Vat.

HOrmisda, Celeri & Patricio à Pari. Quamuis pro loci nostri consideratione de causa fidei catholicæ minimè tacere possimus; tamen ad hanc partem serenissimus princeps magnoperè directis affatibus nostrum incitauit studium, pro cuius legatos voluntate direximus. Et quia huiusmodi causa filiorum Ecclesiæ subleuari debet auxilio, salutantes, cultu atque honorificentia competenti poscimus, vt pro Ecclesiastica pace allegationes eorum, qui directi sunt, apud animos serenissimi principis adiuuetis. Siquidem vestræ celsitudinis laborem non parua retributio subsequitur, cum omnipotenti Deo nos gratias persoluere de vestris operibus feceritis.

Anno Domini 519.

EPISTOLA XXXIX. B. HORMISDAE PAPAE, ad Præfectum Prætorio Thessalonicensem.

Tom. 1. Epist. Decret. 33.

Eadem quæ in superiori.

HOrmisda, Præfecto prætorio Thessalonicensi, et cæteris illustribus à Pari.

Licèt pro causa Ecclesiastica numquam solicitudo nostra cessauerit; tamen Imperatoris serenissimi sacris affatibus promptius incitati, legatos cùm cœlestis misericordiæ fauore direximus. Quorum officio bona, quæ de principis mente præsumimus, impleantur. Et ideo salutantes amplitudinem vestram, cultu & honore, quo dignum est, poscimus, vt pro reintegratione fidei vestrum commodetis studium, nec tantis fidelium tardari vota temporibus permittatis: quia non est dubium celsitudinem vestram fructum tantæ laudis acquirere, si per eam, quæ ab omnibus bonis optantur, Dei nostri misericordia operante perueniant.

In V. C. Vat.

EPISTOLA XL. B. HORMISDAE PAPAE, ad Anastasiam & Palmatiam clarissimas fœminas Senatorias, quæ tempore persecutionis Anastasij, pro fide Catholica inconcussæ steterant.

Tom. 1. Epist. Decret. 34.

Eadem quæ in superiori.

HOrmisda, Anastasiæ & Palmatiæ à pari. Bonæ voluntatis studium diuinæ semper comitatur prosperitatis effectus, Dei nostri prouidentia temporis facultas oblata est, in qua pro fidei vestræ præmio debetis adniti. De superna primitus misericordia, deinceps de conscientia clementissimi principis præsumentes, legatos pro religionis catholicæ causa direximus, per quos amplitudinem vestram debitæ reuerentiæ salutamus officio, postulantes, vt pro Ecclesiasticæ reintegratione concordiæ vestrum laborem, atque operam non negetis, quatenus cum repulsis, remotisque his, quos Apostolicæ Sedis damnauit auctoritas, ad vnam, quæ recta est communionem plebs Christiana redierit. Beatum Petrum Apostolum, pro cuius fide nitimur, in vestris possitis habere actibus adiutorem.

Anno Domini 519.

EXEMPLVM SVGGESTIONIS (SECVNdæ) Germani & Ioannis Episcopi, Felicis & Dioscori Diaconi & Blandi presbyteri.

Sequitur suggestio nostræ Relationis, vel quæ legatis intimare debeant.

Quanto cum honore Scampi fuerint accepti.

Primum Relationis exordium, hinc colligitur.

IN ciuitate Aulonitana quo ordine cum DEI adiutorio peruenimus, & quomodo sumus susceptì ab episcopo ciuitatis ipsius, & quid est actum, vel quale responsum dederunt, & quia hæc promisit, vt cum Metropolitano suo faceret, libellum in alia epistola beatitudini vestræ significauimus. Nam quod in Scampina ciuitate factum est, vestris orationibus tacere non omisimus, antequam nos ingrederemur in ciuitatem ipsam, venerabilis Troius episcopus cum suo clero vel plebe in occursum nobis egressus est, & quomodo Deus in ipsa die benedictus est, & quæ festiuitas per ipsius pietatem est subsequuta, ad notitiam Apostolatus vestri referimus, nobis præsentibus vel suo clero & nobilibus viris ipsius ciuitatis, libellum subscripsit, porrexit; suscepimus, & præsenti omni clero, vel plebe in gradu à seruo vestro Petro notario sanctæ Ecclesiæ Romanæ est relectus. Erat conuentus in Basilica sancti Petri confitemur Beatitudini vestræ tanta deuotione, tantas Deo laudes, tantas lachrymas, tanta gaudia, difficilè in alio populo vidimus. Prope omnes cum cereis viri, cum mulieribus, milites cum crucibus in ciuitate nos susceperunt: celebratæ sunt missæ, nullius nomen obnoxium religionis est recitatum, nisi tantum beatitudinis vestræ, noster episcopus Venerabilis Germanus Missam celebrauit; & promiserunt nec postea recitari, nisi quos Sedes Apostolica susceperit, quanta à nobis operata sunt, Deus propitius in vobis conseruet, istam epistolam ante triginta millia de Lignido fecimus, sperantes ipsa die in eadem ciuitate cum Dei adiutorio peruenire, & quomodo ad nos peruenit; speramus & ipsius ciuitatis episcopum similia facere. Quod si factum fuerit data occasione, referibimus: Scampis nos positos post missas ora cenatoria, Stephanus, & Leontius Viri Clarissimi ab Imperatore missi in occursum nobis venerunt adhuc nescientes nos in partibus Græciarum positos, quia talia mandata fuerunt comiti Stephano data, vt ad partes Italiæ transiret

in occur-

in occursum nostrum. Est Stephanus iste, qui modo dicitur esse de parentela filij vestri magistri militum Vitaliani, qui nobis nunciauerunt Patricium senatorem proscriptum, & in exilio missum. Pro qua tamen causa nisi quomodo ad nos peruenerit non possumus dicere, quia non est de talibus rebus facilè deliberare. Dicitur tamen & Apocrisarius Thessalonicensis Ecclesiæ teneri, apud quos dicuntur epistolas inuentas. Pro qua causa nescimus cum ipsis & Filumenum, Demetrium Magistranum, & alias personas, quarum nomina ignoramus. Ista sunt quomodo prædiximus, quæ audiuimus. De causa tamen Ecclesiastica cum Dei misericordia prospera nunciantur. Cosmatem tamen medicum pro qua causa in Italiam venit, penitus intelligere nó potuimus, nisi hoc, quia fortiter quæritur, de quo debetis esse soliciti, vt sciatis pro qua causa ibidem venit.

ITEM TERTIA SVGGESTIO Legatorum supra nominatorum.

Lignidum peruenisse, & iuxta eius mandata omnia peracta.

Ex V. C. Vat.

IN alia epistola significamus beatitudini vestræ de Scampina ciuitate, de venerabili Troio episcopo, quo ordine libellum dedit, & qualis festiuitas est celebrata in ipsa ciuitate, cum Dei misericordia venimus ad Lignidum. Theodoritus episcopus venerabilis vir ipsius ciuitatis similiter libellum dedit, qui libellus in Ecclesia est relectus, & omnia secundum constitutionem vestram sunt facta: Rogate Deũ; sperate ab Apostolis eius beatiss. Petro & Paulo, vt Deus qui initia talia donauit, orationibus vestris similiter sequantur, & prospera, vt tempora coronæ vestræ in correctione Ecclesiarum semper prædicentur, quam epistolam ad Apostolatum vestrum direximus, die Non. Martiarum.

EXEMPLVM RELATIONIS Andreæ Episcopi Præualitani.

Simulationem episcoporum in synodo Epiri noui, & quæ Scampis & Lignidi in aduentu legatorum acta sunt.

Ex V. C. Vat.

DOmino semper meo beatissimo, & Apostolica Sede intima veneratione præferendo, atque Angelicis meritis coæquando Patripatrum Papæ Hormisdæ, Andreas.

Commendans me humillimè vestigijs vestris pijssimis, indico propter synodum Epiri noui, quoniam finxerunt anathematizare infra semetipsos aliquas personas hoc tantummodo ingenio vsi sint, vt nos in sua malitia caperent; quibus restitit diuina Trinitas per vestras sanctas preces, & cum deprehensi fuissent in sua malitia, nũquam potuimus Archiepiscopo suorum suadere, vt ad viam veritatis, & ad vestra præcepta verteretur. Sed modo cum aduenerunt beatissimi atq; sanctissimi Domini episcopi, vel Diaconi directi à sancta corona vestra, occurerunt illi Scampinus episcopus vir beatissimus Troius cum omni gaudio & luminaribus, & porrecto libello, secundum vestram præceptionem, statim recepti sunt in pace Christi, & Missas celebrauerunt cum episcopo in Scãpina ciuitate; & videntes Lignidonenses quod fecit Scampinus, simili modo & ipsi sequuti sunt. Nam dum istas litteras ordinaremus, superuenit Magistrianus de vrbe Constantinopolitana, qui nuntiauit, quia Deo propitio precibus sanctis vestris, & Constantinopolitani miserunt anathema Acacio, & cum pace Pascha celebrauerunt. Iam quid sequatur vestra intercessio apud Deum laboret, vt ad perfectum serui Sedis Apostolicæ inueniamur. Epistolas verò, quas destinauerunt ad meam humilitatem supra memorati viri beatissimi episcopi, pietati vestræ iunctas transmisi. Acceptæ die quo supra.

EXEMPLVM LIBELLI IOANnis Episcopi Constantinopolitani.

Catholicam fidem profitetur: hæreticos omnes, & præcipuè Acacium detestatur.

DOmino meo per omnia sanctissimo, & beatissimo fratri, & cõministro Hormisdæ, Ioannes episcopus in Domino salutem. Ex V. C. Vat.

Redditis mihi litteris vestræ sanctitatis in Christo frater carissime, per Gratum clarissimum comitem, & nunc per Germanum & Ioannem Reuerendissimos episcopos, Felicem & Dioscorum sanctissimos diaconos & Blandum presbyterum, lætatus sum de spirituali caritate vestræ Sanctitatis, quòd vnitatem sanctissimarum Dei Ecclesiarum, secundum veterem patrum requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Christi animo repulsare festinas. Certus igitur scito per omnia Sanctissime, quia secundum quod vobis scripsi, vna tecum cum veritate sentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligens. Sanctissimas enim Dei Ecclesias, id est, superioris vestræ, & nouellæ istius Romæ vnã esse accipio, illam sedẽ Apost. Petri, & istius Augustæ ciuitatis vnam esse definio. Omnibus actis à sanctis istis quatuor synodis, id est, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, & Chalcedonensi, de confirmatione fidei, & statu Ecclesiæ assentio, & nihil titubare de benè iudicatis patior; sed & conantes aut enixos vsq; ad vnum apicem placiturum perturbare, lapsos esse à sancta Dei generali & Apostolica Ecclesia scio, & tuis verbis rectè dictis euidenter vtens, per præsentia scripta hæc dico, quia prima salus est rectæ fidei regulam custodire, & à patrum traditione nullatenus deuiare: quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam. Matt. 16. Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus; quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, & patrum sequentes in omnibus constituta, Anathematizamus omnes hæreses, præcipuè Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopus damnatus in Concilio Ephesino à beato Cælestino Papa Vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Episcopo Alexandrinæ ciuitatis, & vna cum illo Anathematizamus Eutychem & Dioscorum Alexandrinæ ciuitatis episcopum, damnatos in sancta Synodo Chalcedonensi, quam venerantes sequimur & amplectimur, quæ sequens sanctam Synodum Nicænam, Apostolicam fidem prędicauit, his coniungentes Timotheum parricidam, Ellurum cognominatum, anathematizamus, & huius discipulum & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnantes. Anathematizamus similiter Acacium quondam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum complicem eorum, & sequacem factum, necnon & perseuerãtes eorum communioni & participationi: quorũ enim quis eorum communionem amplectitur, eorum & similem adiudicationem in condemnatione consequitur, simili modo & Petrum Antiochenum condemnantes, anathematizamus cum sequacibus suis & in omnib. suis. Vnde probamus & amplectimur epistolas oẽs B. Leonis Pap. Vrbis Romæ, quas cõscripsit de recta fide. Quapropter, sicut prædiximus, sequẽtes in omnibus Sedẽ Apostolicam, & prædicamus omnia quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero in vna communione vobiscum, quam Apostolica Sedes prædicat, me futurum, in qua est integra Christianæ religionis & perfecta soliditas. Promittentes in sequẽti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ catholicæ; id est in omnibus non consentientes Sedi Apostolicæ eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo à professione mea dubitare tentauero; his, quos cõdemnaui, & per condemnationem propriam consortem me esse profiteor. Huic professioni vero subscripsi mea manu, & direxi per scripta tibi Hormisdæ sancto & beatissimo fratri, & Papæ magnæ Romæ, per suprascriptos Germanum & Ioannem venerabiles episcopos, & Felicem & Dioscorum Diaconos, & Blandum presbytetum. *Et alia manu.* Ioannes miseri cordia Dei episcopus Constantinopolitanæ nouellæ Romę hac mea professione consentientes, omnibus supradictis subscripsi sanus in Domino. Data Mense Martio, die 27. Ind. 12.

consensu Domini Iustini Imp. Augusti, Eutharico viro clarissimo Consule.

ITEM SVGGESTIO GERMANI & Ioannis Episcoporum, Felicis & Dioscori diaconorum, & Blandi presbyteri.

Quanto cum honore ab Imperatore sint accepti: à Ioanne episcopo fidei libellum subscriptum, & Acacio, cæterisq; sectatoribus damnatis, pacem Ecclesiæ reddidam.

Ex V. C. Vat.

NON miramur Apostolatus vestri precibus cuncta nobis prospera successisse, scientes quod amplius nostro ministerio, vestra pro nobis elaborst oratio. Ita enim totus se Ecclesiastici negotij tulit euentus, vt dubitari non possit beati Petri per singula prouenisse miraculum; primum quod tantum in ipsis qui dignitate funguntur inuenimus religionis ardorem, vt Vitalianus, Pompeius, & Iustinianus nobis occurrerent in decem millibus, & de aduentu nostro cum vestra gratiarum actione gloriari non arbitrarentur indignum. Deinde, quòd tanta fuit & iam in plebe deuotio, vt pars maxima populorum cum cereis simul & laudibus vestris nostrũ præstolaretur aduentum. Sub hac itaque celebritate secunda feria Hebdomadæ maioris Constantinopolim sospites hilaresque conuenimus; posteroq; die pijssimo principi præsentati, tanto eius releuati sumus affectu, vt si alia minimè præcederent, sola nobis ad solatium pijssimi principis gratia sufficisset; sed orationibus vestris maiora sequuta sunt. Nam eo die sub senatus cuncti præsentia episcopi quoque quatuor adfuerunt, quos Ioannes Constantinopolitanus Antistes pro partis suæ defensione transmiserat, quibus Apostolicæ Sedis libellum ostendimus, omniaque in eo recta canonicaque esse probauimus. Postremò quinta feria, hoc est, in cœna Domini, ad palatium in generali conuentu venit episcopus, & perlecto libello consentiens, cũ summa deuotione subscripsit: Quis explicet quãta illic principis pariter ac senatus lætitia fuerit, quas ibi lachrymas gaudia pepererint, quas voces vel in laudẽ Principis, vel in sedis vestræ totius cœtus, & cleri fauor emisit? Explicari hęc relatione nõ possunt, sed cõsiderationi vestræ, portitoriq; relinquimus q; eloqui nõ valemus. A palatio in Ecclesiam summa cum celebritate peruenimus, vt fidei, animorumque concordiam, communionis solemnis quoque celebritas roboraret. Vix credi potest quis fletus lætantium, quæ immensitas fuerit, exundatioque populorum: ipsa suam lætitiam turba mirabatur, nec dubitari poterat, manum affuisse cęlestem, quæ talem mundo contulit vnitatem; Acacij præuaricatoris anathematizati nomen de dyptichis Ecclesiasticis, sed & ceterorum episcoporum, qui eum in communione sequuti sunt, sub nostro conspectu significamus erasos. Anastasij quoque ac Zenonis nomina similiter ab Altaris recitatione submota; pax est orationibus vestris Christianorum mentibus reddita: vna totius & Ecclesiæ anima, vna lætitia, solus luget humani generis inimicus, vestræ precis expugnatione collisus. Orate vt Antiochenam quoque similis felicitas illustret Ecclesiam, de cuius Antistite adhuc tractatus nutare conspicitur: quoniam inter diuersa vota populorum de personæ electione non constat. Credimus tamen quod precibus beatitudinis vestræ de ipsa quoque velociter ordinatio digna proueniat, vt cœpta pax temporibus vestris per omnem mundum pariter dirigatur, & cunctis in Apostolicam partibus communionem, fidemque conuenientibus perfectè, sicut pridem fuerat, omnibus membris capiti suo connectatur Ecclesia.

SVGGESTIO DIOSCORI Diaconi per Pulionem subdiaconum.

Nuntiat quæ Thessalonicæ, & Constantinopoli acta fuerant.

INeffabilis Dei omnipotentis misericordia, & pietas eius, quam super humanum genus clementer effundit, humanis viribus æstimari non potest, nec sermonibus explicari: sed sufficit, eius tantum mirabilia deuotis sensibus admirari, & scire omnia bona de eius tantum gratię pendere remedijs. Est ista quotidiana probatio: audacter tamen præsumo dicere, Domine meus beatissime Papa; quia præsens causa præterita cuncta trãscendit, quam Deus vestris temporibus & meritis reseruauit. Quid in Aulone sit actum, quid Scampis, quid Lignido fuerit sequutum, anteriore significatione suggessi. ad Thessalonicam peruenimus, quas intentiones habuerimus cũ episcopo Thessalonicensi, & quæ dicta fuerint, vel etiam cõstituta, harum portitoris viua insinuatione discetis. Quod tamen non oportet præterire silentio, insinuare non differo. post multa certamina præfatus episcopus ratione conuictus libellum subscribere voluit. Sed quia episcopi, qui sub eius sunt ordinatione constituti, omnes non aderant in præsenti; hoc conuenit, hoc promisit, vt post dies sanctos vno ex nobis à sede Constantinopolitanæ vrbis directo, episcopis congregatis, qui in eius sunt diœcesi constituti, libellum subscriberent, quod cum Dei adiutorio credimus esse complendum. Hæc sunt Thessalonicæ constituta, vestris orationibus commendati, ad Constantinopolitanam peruenimus ciuitatem, secunda feria hebdomadis authenticæ; decimo ab Vrbe prædicta milliario sublimes & magnifici viri nobis occurrerunt, inter quos sunt magister militum, Vitalianus, Pompeius, & Iustinianus, sequuti sunt & alij senatores, multique catholicæ fidei calore in desiderio reintegrandæ pacis ardebant. Quid plura? cum summis penè omnium gaudijs ingredimur ciuitatem. Alia die, quæ est tertia feria, pijssimi principis præsentamur aspectibus, cunctus illic aderat senatus, in quo conuentu erant & episcopi quatuor, quos episcopus Constantinopolitanus pro sua persona direxerat. Obtulimus beatitudinis vestræ litteras, quas clementissimus princeps cum grandi reuerentia suscepit. Dicta sunt quæ ante examinationem causæ oportuit intimare: mox causa cœpta est. hortabatur nos clementissimus Imperator, hoc dicens: Videte ciuitatis huius episcopum, & inuicem vobis pacifico ordine reddite rationẽ. Nos è contra respondemus: Quid imus ad episcopum certamina facere? Dominus noster beatissimus Papa Hormisda, qui nos direxit, non nobis præcepit certare, sed præmanibus habemus libellum, quem omnes episcopi volentes Sedi Apostolicæ reconciliari, fecerunt: si præcipit pietas vestra, legatur; & si est in ipso quod ignoretur, aut verum esse non credatur, dicant; & tunc ostendimus, nihil extra iudicium Ecclesiasticum in eodem libello esse conscriptum: aut si illi possunt docere, quia non conuenit religioni catholicæ, tunc nobis incũbit probare. Relectus est libellus sub conspectu principis, & senatus: nos statim subiunximus; dicant præsentes quatuor episcopi, qui adsunt pro persona Constantinopolitani episcopi, si hæc, quæ in libello leguntur, gestis Ecclesiasticis minimè continentur? Responderunt, omnia vera esse. post quæ nos subiunximus: Domine Imperator & nobis grandẽ laborem episcopi abstulerunt, & sibi conuenientem rem fecerunt, dicere veritatem: mox clementissimus Imperator his, qui aderant, dixit episcopis, & si vera sunt, quare non facitis? similiter & aliquanti de ordine senatorio dixerunt: Nos laici sumus, dicitis hæc vera esse; facite, & nos sequemur. Intermissa quarta feria episcopus Constantinopolitanus in palatio consuscepit à nobis libellum, & in primis quasi tentauit epistolam potius facere quàm libellum: sed non post multa certamina hoc conuenit prooemium modicum facere, & subiungere mox libellum, quẽadmodum vestra beatitudo dictauit. Subscriptio ab eodem facta est, libello conueniens, similiter & Datarium, cuius exemplaria & græcè & latinè Apostolatui vestro direximus. post factum libellum nomen Acacij de dyptychis est deletum: similiter & Phrauite, Euphemij, Macedonij, & Timothei, & non solum hoc in ipsa sola Ecclesia, in qua episcopus manet, verùm etiam per omnes Ecclesias cum grandi diligentia, Deo adiutore, suggerimus fuisse factum. Similiter deleta sunt de diptychis Zenonis & Anastasij nomina. Episcopi diuersarum ciuitatum quanti inuenti sunt, libellum similiter obtulerunt; & cum grandi cautela suggerimus custoditum, ne quis nobiscum communicaret episcopus, qui libellum primitus non dedisset, pari modo & omnes Archimandritæ fecerunt, apud quos Archimandritas & certamina nos habuisse suggerimus, dicentibus illis; sufficit, quia Archi-

episcopus noster fecit, nos factum eius sequimur. Quid amplius post multa certamina? Ipsi quoque ratione conuicti, libellos modis omnibus obtulerunt. Post hæc omnia, Deo iuuante, in Ecclesia processimus, & qualia gaudia facta sint vnitatis, quemadmodum Deus benedictus scit, quæ laudes quoque beato Petro Apostolo, & vobis relatæ sunt, ipsius actionis consideratione perspicitis, quod mea lingua non valet explicare. Nihil est subsequutum secundum vota inimicorum, non seditio, non effusio sanguinis, non tumultus, quod veluti terrentes inimici antea prædicabant. Ipsi quoque Ecclesiastici Constantinopolitani admirantes, & Deo gratias referentes, dicunt numquam se meminisse, vllis temporibus tantam populi multitudinem communicasse. His adimpletis etiam clementissimus Imperator ad beatitudinem vestrã sua scripta subiunxit, ordinem rei gestæ significans; similiter & vir Reuerendissimus Ioannes Constantinopolitanæ ciuitatis Antistes. Noueris etiam & sacra generalia esse dicta, atque credimus Deo propitio, & vestris sanctis orationibus per vniuersas prouincias quanto citius destinari. Hæc Constantinopoli gesta sunt, & nunc de Antiochena ecclesia tractatur: & ideo adhuc laboratur, quia necdum persona congrua est electa. Oret ergo beatitudo vestra intentius, vt Deus, qui vestris precibus exoratus, Constantinopolitanam ecclesiam Apostolicæ Sedi restituit, ipse dignam personam donet in Antiochia ordinandam, & assiduas adunet Ecclesias. Rescribite episcopo Constantinopolitano, si videtur beatitudini vestræ facite mentionem damnationum Seueri, & illorum, quos nominastis in epistola illa, quam scripsisti ad secũdam Syriam per Ioannem & Sergium monachos, hoc ipsum det ad Imperatorem rescribentes. si feceritis, videtur mihi necessarium esse.

EPISTOLA IVSTINI ad Hormisdam.

Ioannem episcopum catholicam fidem amplexum hæreticos anathematizasse, atque nomen Acacij, cũ aliorum schismaticorum nominibus, è sacris tabulis expunctum esse.

Tom. 1. Concil. Surianæ editionis fatuulum variata re per tut.

Ex V. C. Vat.

VIctor Iustinus Pius Felix inclytus triumphator semper Augustus, Hormisdæ Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo & Patriarchæ.

Scias effectum nobis Pater religiosissime, quod diu summis studijs quærebatur, noueris patefactum, & antequam aduenerint, qui à vobis destinati sunt, quod Ioannes vir beatissimus Antistes nouæ vestræ Romæ vna cum clero eius vobiscum sentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis diuisi discordijs: scias libellum ab eo subscriptum quem offerendũ indicaueras sanctissimorum patrum concilio congruentem omnes concurrunt alacri opere ad suscipienda vota tam vestræ quam Constantinopolitanæ sedes, quos veritatis coruscus fulgor illuminat: omnes accelerant libentissimè, quos oblectat via dilucida: sequuntur scita patrum sanctissima, leges probatissimas, & concilijs quorundam firmatis, qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis; quia vagabantur incerti. In eo res colligitur, vt vnitatem indiuiduæ trinitatis, ipsi quoque vnitate colant mentium. negatum est inter diuina mysteria memoriam in posterum fieri pro tenore libelli, quem diximus Acacij præuaricatoris quondam huius vrbis episcopi, necnon aliorum sacerdotum, qui vel primi contra constituta venerunt Apostolica, vel successores erroris facti sunt, nulla vsque ad vltimum diem suum pœnitentia correcti. Et quoniam omnes nostræ regiones admonendæ sunt, vt exemplum imitentur ciuitatis regiæ, destinanda vbique principalia præcepta duximus, tanto flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacẽ catholicæ fidei pro remunerãda cælitus pace nostræ reipub. pro cõciliando subiectis meis superno præsidio. Quid. n. gratius reperiri potest? quid iustius? quid illustrius? quàm quos idem regnum continet, eiusdemque fidei cultus irradiat, eos non diuersa contendere, sed collectis in eodem sensibus, instituta venerari non humana mente lata, sed diuini prudentia spiritus. Oret igitur vestræ religionis Sanctitas, vt quod peruigili studio pro concordia Ecclesiarum catholicæ fidei procuratur diuini muneris opitulatio, iugi perpetuitate seruari annuet.

Anno Domini 519. cum legati essent adhuc Cõstantinopoli.

EXEMPLVM RELATIONIS Episcopi Constantinopolitani, ad Hormisdam.

Ecclesiæ pacem initam esse nunciat, ideoque plurimum eum gaudere monet.

Domino meo per omnia sancto, & Deo amabili fratri, & comministro Hormisdæ, Ioannes in Domino salutem.

Quando Deus propria mirabilia in suis operatur, tunc oportet ea; quæ diuinis literis continentur, ipsius scripturæ vocibus fiducialiter exclamare: Quis loquetur potentias Domini, aut auditas faciet omnes laudes eius in omni tempore? Ecce enim talem pium principem Romanæ reipublicæ suscitauit, quali multo ante & catholica indigebat Ecclesia, & omne genus hominum videre cupiebat: Ideoque ita etiam cornu gratiæ super eum cælitus declinauit, vt affluenter in sacrũ eius caput misericordia funderetur, omnique annuntiationis eius tempore cum magna voce Deum omnium principem glorificauerunt, quoniam talem verticem meis manibus tali corona decorauit. Is verò maximus Imperator primam suorum certaminum palmam deuicto inimico euidenter ostendit, secundum virtutis eius meritum adunationem sanctissimis Ecclesijs sapientissimè comparauit regnum eius tertium bonum, dissipata coniunxit, & pacem mundi sapientissimè procurauit. Idcirco in omnibus Deo magno gratias referens cuncta sapientissimè gubernanti annuntiare tibi pacem, pacis filio nuntiaui in omnibus Deo amantissimè, vt illud gaudiũ salias, quo Dauid quidem secundum legem in arce Dei reuocatione figuraliter exultabat, Apostoli verò per gratiam veraciter lætabantur. Gaude itaque in Domino gaudium tuæ conueniens Sanctitati, & scribe ea, quæ vestrum benignum animum decent, homo Dei: nam quæ fuerant diuisa, coniuncta sunt; & dispersa, collecta sunt, & quæ longè erant, sibi inuicem adunata sunt: & sicut oportet dicere, & olim scripsi, vtraque Ecclesias tam senioris, quàm nouæ Romæ vnam esse euidenter intelligens, & vtriusque earum vnam sedem rectè esse diffiniens; indiuisibilem adunationem, & vtriusque nostrum consonam confirmationem cum iudicij integritate cognosco. Vnde rogo Deum semper eam inseparabilem permanere orationibus sanctorum Apostolorum, & tuæ precibus sanctitatis, per quas donari nobis, & vniuerso mundo clementissimum, & Christianissimum principem Iustinum, & pijssimam eius coniugem, nostram autem filiam Euphemiam in pace multis temporibus comprecatur per omnia beatissime & carissime frater. Gauisi igitur de præsentia Reuerendissimorum episcoporum, necnon & clericorum vestrorum gratias agimus; quoniam secundum petitionem nostram tales pacificos viros, & vestræ dignos Sedis Apostolicæ destinastis regulam patrum siue confusione seruantes, fidemque indiuisam custodientes. Quorum amplectentes in omnibus mentem, cuncta per eos ad satisfactionem vestræ egimus sanctitatis, omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego quoque & mei plurimum salutamus.

Ex V. C. Vat. Psal. 67. Psal. 105.

2. Reg. 6.

Sanctorũ preces.

Anno Dñi min 519. Huc refer Relationẽ Ioannis supra recensitam.

EXEMPLVM EPISTOLÆ IVstiniani, ad Hormisdam cui de prostrata, & inita pace congratulatur.

Cum iam Ecclesia pace fruatur pro Imperatore ad Deum preces fundendæ.

Domino meo sanctissimo Hormisdæ primo Archipontifici, & Papæ Vrbis Romæ, Iustinianus Comes salutem.

Venerandæ sanctitatis vestræ prædicatio regularum, quæ Christo Deo pro Ecclesiarum pace & pro plebis concordia iugiter supplicat, quicquid nunc per beatissimos suos sacerdotes annuit, peragendum propitia diuinitate cuncta effectui sociata sunt, nulla prorsus quorundam valente discordia: Igitur vestris sacris orationibus, ac præceptionibus orthodoxorum fide muniti supplices petimus, vt hi pro sanctiss. Augusto

Ex V. C. Vat.

nostro, totius fidei fautore, proque eius republica, pro nobis quoque mandatorum vestrorum custodibus æterno regi cõsueti imperabiles preces offerre dignemini, nosque vobis fideliter supplices vestris salutiferis rescriptionibus visitare.

A.D.519.

EXEMPLVM EPISTOLAE Pompei, ad Hormisdam.

De prostata perfidia & pace Orientalis Ecclesiæ inita Pontifici congratulatur.

In V. C. Vat.

Domino meo beatissimo, & Apostolico patri Hormisdæ Archiepiscopo vniuersalis Ecclesiæ, Pompeius.

Sanctis beatitudinis vestræ precibus omnipotentis Dei pietas exorata, tantæ nobis fidei principem condonare dignata est, vt religiosissimis clementiæ eius meritis reintegratio pacis Ecclesiasticæ, quæ votis omnium fidelium poscebatur, iure videatur esse collata, in cuius regis prouentu solidissima principatus sui fundamenta sancti Spiritus operatione constituit, quæ tantum robur obtinent stabilitatis inuictæ, quantum actionis excellentia vnica & admirabilis æstimatur; & ideo Reuerendam vestri Pontificatus beatitudinem cultu reciprocantis alloquij salutantes, quæsumus, vt magis magisque pro clementissimi, atque inuictissimi Domini nostri principis prosperitate orare dignemini, quatenus ineffabilis omnipotentis Dei pietas sua dona, in quibus etiam fructus vestræ agricolationis exuberat iustis gratiæ opitulatione custodiat; nobis quoque filijs vestris spirituali vobis cõglutinatos affectu, quos huius operis maximè semper solicitudo perstrinxit, suffragatrix intercessio sanctimoniæ Pontificalis assistat.

Anno Domini 519.

EXEMPLVM EPISTOLÆ IVlianæ Anitiæ, ad Hormisdam.

Præsentia legatorum omnes Ecclesiæ dissensiones compositas, esse nunciat: hos, non nisi firmata pace, discedere permittendum.

Ex V. C. Vat.

Domino beatissimo patri Hormisdæ, Iuliana Anitia. Precibus vestræ beatitudinis aduentu legatorum principalis Sedis Apostolicæ elisis erroribus hæreticorum in vnitate fidei catholicæ conuenimus, congregatio simul ad vbera materna Ecclesiæ in die sanctæ Resurrectionis. Quapropter stylo venerationis alloquentes Sanctitatem Vestram admonemus, vt intimetis, destinatis à vobis Reuerendissimis viris, nullo modo abscedere, antequam sicut peruideritis, vt oportet, firmentur ea, quæ benè disposita sunt ab eis, vt amputatis omnibus reliquijs transacti erroris, impendijs vestræ beatitudinis roborata vnitas, ad effectum perpetuum deducatur.

A.D. 519.

EXEMPLVM EPISTOLÆ Anastasiæ, ad Hormisdam.

Vt pro pijssimi Imperatoris salute preces ad Deum fundat, precatur.

Ex V. C. Vat.

Domino sancto & beatissimo patri Patrum Hormisdæ Archiepiscopo vniuersalis Ecclesiæ, Anastasia.

Diuini luminis illuxisse nobis gratiam meritò profitemur, Apostolatus vestri reuerentia in sancto corde nostri tenere memoriã, paginali assertione noscẽtes: veraci namq; spe confiditur supernæ misericordiæ propitiationem de Pontificali incercessione subsistere, Domine beatissime & Apostolico honore suscipiende pater, peruigiles vestrarum orationũ excubiæ, & miranda victoriosissimi principis fides, splendore catholico semper irradians, diu expetitam sacrosanctis Ecclesijs concordiam pacis restituit, quam omnibus triumphis suis solidissimè firmatis inuictum iure exultat præcoluisse vexillum. Ideoque illibata vestræ paternitatis sanctimonia, pro incolumitate atque prosperitate prædicti domini nostri Augusti, vota precesque omnipotenti Deo offerre indesinenti continuatione persistat, vt ineffabilem tantorum bonorum quam ipse pijs eius sensibus inspirauit, ad futuræ quoque beatitudinis profectum conseruare dignetur. DOMINO etiam iugali filio vestro, & mihi peculiari cultrici vestræ, cum sobole, quam nobis Dominus donare dignatus est, à vestro pontificatu oratio benigniter impendatur, cuius suffragio diuini fauoris protectio nobis clementer aspiret.

Anno Domini

EXEMPLVM THEODORIti Episcopi Lignidensis.

Gratulatur Pontifici de vnione Ecclesiarum.

Ex V. C. Vat.

Domino sancto beato Prædicabili, & adorando Apostolico patri Hormisdæ Papæ Vrbis Romæ, humilis famulus tuus Theodoritus. Meæ quidem exiguitatis non esset, tam magna præsumere, & ad vestrum pium sanctum Apostolatum pusilli sermone præsentes paruulas destinare paginas. Sed quia pro insita vobis humanitate, pio propitiationis animo omnia nutu diuinitatis protegere constituistis; lucidum diem, & totius festiuitatis repletum omni reddidistis mundo, & omnia vestris prædicandis precibus ad pristinum vnitatis reuocastis statũ, & in vnum concordare, vel subiugare vestris prædicabilibus, & adorandis meritis annuistis. Ideoque etsi meis obrutus iniquitatibus, & ab eis vndique oppressus, ex ipsis recreatus infernis, recurrente ad gloriosa vestigia vestra, cũ famulo meo viro religioso Pulione vsurpaui me tam per eum, quàm etiã his paruulis, & exiguis vestris prædicandis, & adorandis me repræsentare vestigijs; diuinum omnibus viribus exhortans fauorem, & clara voce cum omnibus omnino canens: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, qui pro sua incomprehensibili pietati vestris mirificis operibus omnia illuminauit & liberauit, & lucidum & totius festiuitatis repletum diem in toto orbe vestris Deo dignis precibus præstitit, & ab omni iniquitate eripuit, & omnem nodũ colligationis absoluit, & omnem semitam aperuit. Hanc itaque gratulationis repletam pio vestro preces offerens Apostolatui, deprecor vti pro meæ flebilitatis exiguitate, vestris pijs precibus memores esse dignemini Domine sancte beate Apostolice pater. Accepta 13. Kalend. Iul. Domino Eutharico V.C. Conſ.

Anno Domini

EPISTOLA XLI. B. HORmisdæ Papæ, ad Germanum cæterosque Legatos.

De eorum incolumitate, & rebus gestis certior fieri cupit.

Ex V. C. Vat.

Hormisda, Germano & Ioanni Episcopis, Felici & Dioscoro diaconis, & Blando presbytero. Opinionum diuersitas diu nos facit de prosperitate vestra, vel de susceptæ actionis qualitate solicitos; præcipuè cum nihil certum tam diuturno tempore vestræ dilectionis potuissemus rescriptiones cognoscere: nos tamen reperta latoris occasione hæc ipsa significare maluimus. Quapropter salutantes cum DEI omnipotentis auxilio incolumes nos esse cognoscite, quod de vobis audire desideramus. Sed vt de omnibus, quæ gesta sunt, nostram plenius possitis instruere notionem, à quibus personis vel in quibus locis benè, sicut credimus, susceptí fueritis, vel vbi, aut sub qua festiuitate Resurrectionis Dominicæ caritas vestra tenuerit diem. Et quid deinceps egeritis, per omnia rescriptis currentibus declarate, quatenus vestram cogitationem de vestra & actuum prosperitate reuelare positis, & si quid instructioni, quam suscepistis, causæ defuerit, subiungere cum Dei nostri solatio valeamus. Data 7. Kal. Maias, Eutharico V.C. Conſ.

Tom. Epist. Hor. cap. 43

EPISTOLA XLII. B. Hormisdæ Papæ, ad eosdem Legatos.

Dolet illos non scribere: se Paulinum ad Imperatorem misisse ait.

Ex V. C. Vat.

Hormisda quibus supra. Animus noster diuturna redditur expectatione solicitus, præcipuè ad tantum principem destinati, sub celeritate nos certiores debuissetis efficere. Nam

Anno Domini

Tom. Epist. Hor. cap. 44

ant

ante diem Ascensionis Dominicæ, litteras vestras credebamus nos posse suscipere. Idcirco tam vestræ sospitatis indicia, quàm profectum causę quam peragendam cum Dei nostri iuuamine suscepistis, desideramus agnoscere. Paulinum Ecclesiæ Romanæ defensorem cum scriptis præsentibus destinare curauimus, tam principi literas, quam singulis quibus oportuit, dirigentes. Quapropter Deum nostrum congruis precibus oramus, vt ipse salutem vestram sua propitiatione custodiat, & causæ, qualem desideramus concedere dignetur effectum; quia nihil maius inter titulos Imperatoris optimi ascribitur, quam si eum ecclesia Græca præsens & futura prædicare mereatur pacis auctorem. Dat. 3. Kalend. Maias, Eutharico V.C. Conſ.

EPISTOLA XLIII. B. Hormisdæ Papæ, ad eosdem Legatos.

De his, quæ agant vult se moneri: Stephanum commendat.

Hormisda, Legatis nostris quibus supra. Necesse est, vt vel de iniunctæ actionis statu, vel de vestræ dilectionis cogitemus absentia, & pro his rebus solicitudo nostra non patitur scribendi quaslibet occasiones omittere, ante hac per Magistrianum, qui in Symmachi patricij remeauit obsequium, litteras caritati vestrę direximus; hortantes, vt nos de vniuersis, quæ in causa Ecclesiastica gesta sunt vel geruntur, non omitteretis instruere, quod & facere pro nostræ cogitationis releuatione debetis. Nostri enim voti est, vt labori vestro Deus omnipotens desideratum concedere dignetur effectum. Stephanum negotiatorem, per quem vobis nostra contradentur alloquia, in quo ratio popoſcerit, competentibus solatijs adiuuate: quia hunc semper nostrum fuisse recolitis. Data eodem die.

EPISTOLA XLIIII. B. Hormisdæ Papæ, ad Iustinum Augustum.

Gratulatur cum eius opera Constantinopoli pax vigeat, hoc ipsum Antiochiæ & Alexādriæ faciendum curet.

Hormisda Episcopus Iustino Augusto. Lectis clementiæ vestrę paginis, quæ restitutam fidei concordiam nuntiabant, in diuinæ laudis canticum mens totius Ecclesiæ læta prorupit, quo canitur: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Huius igitur fiducia hymni dignam fidelibus meritis gloriam, felicitatemque præsumite: Neque enim te ita Deo placitum principem ad Imperij verticem humanus tantum consensus euexit, te sibi diuinus fauor ante formauerat: tradidit enim tibi orientis Imperium, vt eius operum fieres instrumentum, atque ideo vt hoc in te propheticum dictum iure conueniat, efficiatis: Constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine in omni progenie, & generatione. etenim cum tibi sit Christianam pacem seruare propositum, quis te dubitet à Christo esse dilectum? Hæc prima sunt vestri fundamenta principatus, Deum placasse iustitia, & asciuisse vobis excellentissimæ maiestatis auxilia, dum aduersarios eius velut proprios comprimitis inimicos. Hæc nimirum maxima reipublicæ fundamenta sunt, hoc solidum, inuictumque robur. Neq; n. humanis ictibus potest esse peruium, quod est diuinæ gratiæ firmitate vallatum: testis est huic prophetica scriptura, ait enim: Elegi Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. contra autem frustra arma, frustra sibi copias quærit, quem gratia superna destituit. Etenim veraciter scriptum est: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam. Bellabis tu quidem diuino tutus auxilio, excellentissime princeps; & tuæ reipublicæ iugo ferocissimarum gentium colla submittes. Sed nulla victoria potest esse præstantior, quàm quod humani hostem generis, post quæsita tam longi temporis firmamenta, subuertis. Enim uerò ceterorum natura præliorum distincta gentibus, regionibus terminata, cruore polluta: hæc omne genus humanum palma complectitur: hunc omnibus regionibus imputabis triumphum; & quod diuinæ proximum pietati est, qui paulò ante ductu diaboli grassabantur, nunc ad propriæ salutis effectum sine sanguinis effusione vincuntur. Durabit igitur huius Christianæ victoriæ per æuum triumphus: Neque enim poterunt labe temporis aboleri, quæ in sempiternæ fidei stabilitate fundata sunt. Permanebit longè, lateque vestrorum fama factorum; & sicut diuinis designatur eloquijs: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et cæteris quidem bellis agros, vrbes, oppida; & quod postremum est, subiectorum libertatem tueris, quę mortalium vsibus comparata simili quondam mortalitate soluenda sunt. In hoc certamine vita ipsa defenditur, & quodammodo pro sempiternæ beatitudinis arce pugnatur. Quo circa continuam tanti operis apparatus clementiæ vestræ intentionem requirit; facite, vt nullum prorsus receptaculum, ex quo rursus immanissimus hostis emergat, inueniat; cunctis eum nudate præsidijs, & si quid vsquam vestigiorum eius reliquum est, id omne clementi remedio repurgate: omne nequitiæ germen funditus eruatur: aduersa Deo stirps ad viuum vsque resecetur, ne minus compressa (quod absit) iniquitatis radix venenata latius iterum virgulta diffundat. Quorsum hæc? quia superest adhuc vobis Alexandrinæ atque Antiochenæ, & aliarum Ecclesiarum nullo modo negligenda correctio, in qua si suam curam clementiæ vestrę dimiserit, spes est, quo auctore bona cuncta credimus incipi, eodem celeriter auxiliatore compleri. Commendamus præterea legatos ab Apostolica Sede directos, & apud vestram fidem, regionemque deponimus, quos ita perfectis omnibus pietas vestra dimittat, vt diuinis vestrisque beneficijs ad Apostolicam Sedem plenam referant de Ecclesiarum omnium pace lætitiam: quæ scripta per Paulinum Romanæ Ecclesiæ defensorem famulum vestræ pietatis ingerenda transmisimus. Dat. 7. Id Iulij, Eutharico V.C. Conſ. Anno Domini 519.

EPISTOLA XLV. B. HORmisdæ Papæ. Tom. 1. epist. Decret 39.

Laudat Ioannem ad vnitatem Ecclesiæ redijsse: hortatur, vt Alexandrinæ & Antiochenæ Ecclesiæ vnionem procuret, legatosq; ei commendat.

Hormisda Ioanni Episcopo Constantinopolitano. Consideranti mihi tuæ scripta caritatis, in quibus cum Sede beati Apostoli Petri vnam tibi esse fidem professus es; prophetica libet exclamare licentia: Ecce quàm bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. Neque enim refert quam longinquis locorum spatijs diuidamur, quando iam Deo auctore vna fidei cohabitatione coniungimur: nunc enim misericordia procurante diuina in vnius corporis vultum dissipata olim Christi membra conueniunt, & ab iniquissimis direpta latronibus annuntiata à propheticis vocibus Domini nostri reintegratur hæreditas, & verè in huius petræ fide, id est, Apostolorum principis firmitate orientalis Ecclesiæ fundamenta solidantur; quæ cum facta tuis literis indicétur, tempestiua exultatione dicendum est; Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Gratias igitur excellentissimę Trinitati, quæ consentientis in Christum Ecclesiæ, hanc reipublicæ dedit esse rectores, enimuero magna rerum salus est, quotiens in fidei catholicæ veritate sacerdotes, ac principes mens vna connectit. Hoc firmum pacis vinculum est, hæc cælitus dimissa societas: neque fas est enim in quo vident concordari præpositos, aliud sentire subiectos. An dubium est cuncta hæc prouidentiam disposuisse diuinam primum eum principem esse delectum, qui cum se hominum suscepisse videret imperium, non se oblitus est, Deo esse subiectum. Dehinc quòd talem fraternitatem tuam Ecclesiæ suæ præsulem dedit, quem non esset ambiguum cum Sede nostra, id est, Apostolica, certam mansuramque fidei subiturum esse concordiam. Etenim libello à nobis fidei libenter accepto, cum reintegrationis in Christo fueris auidus, numquam in prædestinatione diuina fuisse, à nobis cognoscēris In V. C. Vat. Psal. 132. Rom. 10.

alienus,

alienus. Itaque dilectissime frater Dei nostri sponte currentibus instate beneficijs, sparsi olim gregis plenius membra colligite, & custodite collecta. Memento nunc clementer assignatæ à Christo nauis esse te rectorem: fac cogites diabolicæ contumaciæ spiritus quieti itineris, & cura turbantis, nec te lateant fluctus tempestatis incertæ, quos euigili mente prospicias, & erecta in Deum ratione compensas. Nulla tibi commissi negotij negligentia clauum Dominicæ ratis extorqueat: illud vnicum recti itineris signum fixis semper obtutibus intuere, quo certius perflantis diaboli turbata contemnas, & ad promissi portus tranquilla perueniας. Hæc enim est Christiani palestra certaminis: tali Christi militiæ sempiternæ vitæ palma proponitur. Hæc tibi rectissimè cogitanti non deerit suo militi præsidium ducis; & quanto hostium multiplicantur insidiæ, tantum summi gratia rectoris aduersantis venena, misericordiæ suæ facit esse materiam, sicut sermo Apostolicæ veritatis asseruit, dicens: Vbi abundauit iniquitas, superabundauit & gratia. Tu tantum diuinis, rectissimisque inhærens institutis, Ecclesiasticam fouendo concordiam, vt veluti quodam pacificæ voluntatis signatur indicio, illius esse discipulis approberis, qui ait: Pacem meam do vobis, pacem meã relinquo vobis. Hortare etiam, quanquã sponte ad recta tendentem filium nostrum clementissimum principem Iustinum Christiano sæculo diuinitus comparatum, ca perficere, quæ regalibus literis dignatus est polliceri, vt missis ad eos edictis, quos ab Ecclesiæ matris vberibus etiam nunc deuius error abducit, diabolicam fraudem & auctoritate religionis & moderata potestate compescat Imperij, eamque sibi contra communem totius humanitatis hostem, maximam ducat esse victoriam, si supernæ auxilio diuinitatis, vetusti serpentis venena compresserit. De Antiochenæ quoque atque Alexandrinæ Ecclesiarum statu non supersedeas esse solicitus, & clementissimo subinde principi supplicato, vt in his quoque pacem religiosa ordinatione restituat, quatenus bonis cœptis plenè cumulum perfectionis adiungat. Frustra enim bonum opus incipitur, si non in totum perfectio subsequatur. Commendamus præterea legatos à Sede Apostolica destinatos, quos ita faciat ad nos tua dilectio remeare, vt nobis plenam referre queant de restituta vniuersis Ecclesijs pace lætitiam. Data 7. Idus Iulij. Eutharico V. C. Conf.

Rom. 5.

Ioan. 14.

Anno Domin. 519.

EPISTOLA XLVI. B. HORMISDAE Papæ, ad Iustinianum.

To. 1. Decret. 40.

Commendat eum, quod Iustino adiumento fuerit in pace Ecclesiæ reddenda, ad quam perfectè ineundam hortatur.

Ex V. C. Vat.

HOrmisda illustri viro Iustiniano. Benedicimus ineffabile diuinitatis auxilium; quia de Ecclesiarum pace vniuersitatis desiderium sub tranquillitate agnouimus fuisse completum. Quod quidem non præter opinionem nostram contigit fieri: quia religiosissimi Augusti præsumpti genere spem semper gessimus de quiete, & quod credidimus faciendum sub principe Christiano de adunatione erat in votum. Quare habebit gloriosus Imperator de hac causa triumphorum titulos, non quibus se obliuio mortalitatis inter serat, sed quos diuinitatis gratia super perpetuitate confirmat, & vobis quoq; cœlestis remunerationis non deerit præmium, qui adiuuistis boni principis institutum, atque obsequio conuenientis desiderio horrorem segregationis feciſtis excludi. Benedictus Dominus Deus noster, qui visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Superest nunc, vt quia vobis huiusmodi officium certum est prouidentia diuinitatis iniunctum, accingatis, vt ait, lumbos, & pacificæ adhortationis viribus persequamini, à quibus pacem non videtis agnosci, maximè quia gratiæ gloriæ vestræ detrahitur, si quid in hac causa fuerit minus impletum. Circumspicite omnia fide, qua viuitis, & diligentia qua vigetis, occurrite omnibus incursibus, quibus religionis Christianæ reuerentiam videtis esse vexatam, vt instantiæ vestræ benè possimus cum exultatione dicere: Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ. Quæ cum ita sint, vos qui Ecclesiæ catholicæ tranquillitati feciſtis initium, procurare decet effectum: non deerit Saluatoris nostri fauor in perfectione, qui vobis hoc opus inspirauit incipere. Data Consule suprascripto.

Lue. 1.

Psal. 21.

Anno Domin.

EPISTOLA XLVII. B. Hormisdæ Papæ, ad Pompeium.

Tom. 1. Epist. Decret.

Laudat Pompeium, quod se pacis studiosum ostenderit: hortatur ad operam nauandam, vt perfecta Ecclesiæ tranquillitas reddatur.

HOrmisda Pompeio. Ita deuotionis nostræ animum gaudio concordiæ fatemur impletum, vt nulla credamus verba sufficere, quibus fidei vestræ puritatem valeamus explere: magna profectò memoria felicitatis transibitis ad posteros, quia vos in facienda pace, solicitudine certum est fuisse constrictos: habetis apud diuinitatem meritum, cuius religioni persoluitis affectum. Operati quidem estis generalitatis desideria, sed & vestra pariter completa sunt vota; & cum animæ vestræ paraueritis præmium, vniuersitas sibi gaudet beneficium impensum. Quapropter debita honorificentia salutantes hortamur, & petimus, vt viuacitate, qua quietis Ecclesiasticæ cœpistis initium, procuretis effectum; & quocunque contentionis alicuius videritis remansisse vestigia, curetis nodis omnibus insequenda. Adeste Ecclesiarum Dei plenissimæ tranquillitati, insistite labori, quem fidei vestræ mune-re Domino curastis offerre. Facitis enim, vt maiore à vobis ducia exigamus plenitudinem, quos gratulamur desideratæ lucissimæ adunationis initia votiua fundasse. Dat. Cons. suprascripto.

Ex V. C. Vat.

A. D.

EPISTOLA XLVIII. B. Hormisdæ Papæ, ad Iulianam Anitiam.

To. 1. Decret.

Eadem quæ in superiori.

HOrmisda Iuliana Anitiæ. Literis amplitudinis vestræ perceptis, gratias Deo nostro de catholicæ fidei reintegratione persoluimus; optantes, vt ipse vestris sensibus pro religione sua, quem concessit, longa ætate conseruare dignetur studium: vt sicut personam vestram Imperialis sanguinis vena nobilitat; ita conscientiæ bonorum meritorum luce præfulgeat. Vnde salutantes cultu, atque honorificentia competenti poscimus, vt in eo, quo cœpistis permanere proposito debeatis, & dare operam, vt ad effectum conatus tantæ causæ perueniat, ne aliquod in posterum semen huius mali remaneat. Vnde post hac sub qualibet occasione inimicus quilibet fidei reuirescat.

Ex V. C. Vat.

A. D.

EPISTOLA XLIX. B. HORMISDÆ Papæ, ad Anastasiam.

Tom. 1. epist. Decret. 40.

Eadem quæ in superiori.

HOrmisda Anastasiæ. Postquam Deus noster Ecclesiæ suæ membra in pacem pristinam redeũtis, solidauit; diu vos desiderasse certamina, quod prouenisse gaudentes, & nos quidem indesinenter diuinam clementiam deprecamur, vt sicut has regni primitias gratanter accepit; ita fidem boni principis omni semper adiuuet prosperitatis effectu, & tam ipsum, quam vos omnes in sacrosancto religionis amore custodiat, vt quorum fides errorem pessimæ dissensionis abiecit; & tu ita in terris floreas, vt æternæ salutis remuneratio subsequatur. Hunc igitur vos quoque vota nobis coniungite, & omnibus à Deo viribus implorate, vt huius correctionis exemplum, omnes sequantur Ecclesiæ, vt nihil sibi diabolus remansisse gaudeat, quem in totum, penè nostra concordia gratulatur excluſum.

Ex V. C. Vat.

A. D.

EPISTO-

EPISTOLA L. B. HORMISDÆ PAPÆ, ad Gratum.

Gratum salutat, ab eoque certior fieri de eius salute postulat.

HORMISDA, *Grato viro Sublimi.* Contristauit nos amplitudinis vestræ silentium: quia inter quaslibet occupationes, nostri esse non debuistis immemores. Et ideo ne quod in vobis reprehendimus, incurrere videamur; necesse fuit operam stylo præsentis assumere, per quam nobilitatem tuam honorificè salutamus, postulantes, vt solicitudinem nostrã de bono vestræ prosperitatis non desinatis efficere certiorem: quia incolumitatis vestræ bona quibuslibet indicijs Deo nostro cupimus propitiante, cognoscere.

EPISTOLA LI. B. HORMISDÆ PAPÆ, omnes Episcopos Hispaniæ.

Ioannis Constantinopolitani Episcopi professionem dirigit, propter Orientales episcopos, qui eorum communionem poposcerant.

Dilectissimis Fratribus vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis, Hormisda.

Inter ea, quæ notitiæ nostræ Ioannes frater & coepiscopus noster studio Ecclesiasticæ vtilitatis ingessit, hoc quoque pro affectu Catholicæ fidei & Apostolicæ Sedis veneratione consuluit, quo ordine ex clero Græcorum venientibus tribui deberet sancta communio, propter causam scilicet Acacij, à prædecessoribus nostris pro hæreticorum communione damnati, in qua, qui se ab eius contagione non diuidunt, à nostra communione habeantur excepti. Laudo propositum viri hoc zelo circa fidem & Apostolica instituta feruentis, vt nec per ignorantiam quidem quenquam cœno erroris alieni pateretur immergi. Digna hæc cura fidelibus, vt solicito studio semper inuigilent, & inculpatos se ab omni peruersitate conseruent. Ipsa est enim fidei innocentia, vt præuideat, ne vel casu possit errare. Satisfacientes igitur & laudabilibus desiderijs memorati viri, & memores nostri (sicut oportet) officij, documenta, quæque de Ecclesiæ scrinijs assumentes, ad Concilium vestrũ pro generalitatis institutione direximus, vt ex illis plenius, quæ sunt acta discentes, ab omni vos errantium* communione separetis. Neque enim est personalis odij causa, in impios transgressores dicta (Deo inspirante) sententia, in qua quidem causa* nequaquam à prædicatione cessauimus, & principi supplicando, & sacerdotes & populos admonẽdo, vt transgressores absoluti, ad rectam se fidem & affectu Dei & iudicij timore conuerterent. Sed obstinatio miseranda eo perduxerat illos, vt nullis modis mortifera venena vincantur, sed mala semina fixis in deterius pullulent radicibus. Ergo dilectissimi fratres, ad omnia competenter instructi, seruate vos & Ecclesiam Dei, Apostoli exhortatione compuncti. Nos autem libellũ misimus, sub quo si quis communionem vestram de Orientalibus clericis poposcerit, ad eam possit admitti, secundum quam & de Thraciæ & Scythiæ, Illyriciq́ue partibus, vel Epiri veteris, sed & secundum quod de Syria multos iam constat esse susceptos, gaudentes ad recta confluere, & deuia declinasse. Vnde pro subreptione mandamus, vt omnis cura & solicitudo omnis inuigilet, & vt iam nullus sit ignorantiæ locus, nullus vtatur simplicitatis excusatione* præterita. Scienti peccare necessaria confessio est. * Necesse est, vt errorem sibi scribat, qui monstratur institisse prauo itineri. Bonifacius notarius sanctæ Ecclesiæ Romanæ, ex scrinio editi exemplaria libelli exequitur.

Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare; & quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes hæreses, & præcipuè Nestorium hæreticum, qui quondam Constantinopolitanæ fuit vrbis episcopus, damnatum in Concilio Ephesino à beato Cælestino Papa vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Alexandrinæ ciuitatis Antistite. Similiter & anathematizamus Eutychen & Dioscorum Alexandrinum in sancta Synodo, quam sequimur & amplectimur, Chalcedonensi damnatum, quæ secuta sanctum Concilium Nicænum, fidem Apostolicam prædicauit. Detestamur & Timotheum parricidam, Ælurum cognomento, discipulum quoque ipsius, & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum condemnamus. Etiam anathematizamus Acacium Constantinopolitanum quondam episcopum ab Apostolica Sede damnatum, eorum complicem & sequacem, vel qui in eorum communione aut societate permanserint. Qui Acacius quorum se communioni miscuit, ipsorum similem habere meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnamus cum sequacibus suis, & omnibus suprascriptis. Suscipimus autẽ & probamus epistolas beati Leonis Papæ vniuersas, quas de religione Christiana conscripsit, sicut prædiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia constituta. Et per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prędicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ religionis perfecta soliditas, promittens in sequenti tempore sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quòd si in aliquo à mea professione deuiare tentauero; his, quos damnaui, complicem me mea sententia esse profiteor. Hanc autem professionem meam ego manu mea subscripsi, & Hormisdæ, sancto ac venerabili Papæ vrbis Romæ direxi.

EPISTOLA LII. HORMISDÆ PAPÆ, ad Germanum cæteroſque legatos.

Tom. 1. Epist. Decret. 46.

Monet, vt cum Imperatore eiusq́. coniuge agant, vt omnes Ecclesiæ, præcipuè verò Alexandrina & Antiochena ad Apostolicæ Sedis communionem reuocentur.

HORMISDA, *Germano & Ioanni Episcopis, Felici & Dioscoro Diaconis, & Blando presbytero.*

De his quæ acta caritatis vestræ relatio comprehendit, gratias Deo nostro referimus, qui laborem vestrum iuuare dignatus est, & hortamur vt clementissimo principi & pijssimæ Augustæ coniugi eius officijs imminere competentibus debeatis, & agere, auxiliante Christo nostro vniuersis sub Ecclesiastica obseruatione dispositis, omnes Ecclesiæ quę in qualibet mundi parte sunt positæ ad communionem Sedis Apostolicæ reuocentur. De Alexandrina verò, atque Antiochena Ecclesijs, laborate, vt nostræ fidei sub obseruatione rationabili connectantur: quia tantę rei perfectio, tam clemẽtissimo principi, quàm vobis gratiam diuinę propitiationis acquirit. Data Eutharico V. C. Consule.

Ex V. C. Vat.

Anno Domini 519.

EPISTOLA LIII. BEATI HORMISDÆ Papæ, ad Dioscorum Diaconum.

Tom. 1. Epist. Decret. 47.

Vt cogitet quomodo ij qui Chalcedonensi Concilium scripto damnauerant, & ad Ecclesiam redire cupiebant, recipiendi sint. Thomam, Nicostratum, & Ioannem Episcopos ei commendat.

HORMISDA, *Dioscoro Diacono.* De laboris tui, quem cum Dei omnipotentis iuuamine susceperis, pro ea parte, quæ acta est, gratulamur affectu; & indicamus, vt quemadmodum reuocandi sunt hi, qui ex scripto Chalcedonensis Concilij constituta damnauerunt, debeas cogitare, forsitan

Ex V. C. Vat.

tales non schismatici, sed magis hæretici videantur. An certè vna sit causa tam eorum qui sermonibus, quàm eorum qui conuincuntur scripto damnasse: quia per hanc distantiam filius noster vir Illustris Albinus, religiosus videtur facere quæstionem: & cogita vtrum, & scribentes contra Chalcedonense Concilium per illum generalem libellum, tantum suscipi debeant, an certè aliquid amplius addicere. De Alexandrina & Antiochena Ecclesijs solatio Dei nostri adiutus enitere, vt omnibus rectè dispositis, communioni Catholicæ socientur. Thomæ quoque, & Nicostrati fratrum, & coepiscoporum nostrorum obseruatio nos longa contristat; & miramur cur apud Catholicum principem rectæ fidei laborare videntur episcopi, quorum desideria, tua debebit caritas subleuare, agendo quatenus optata consequentium mœror conuerti possit in gaudium. Ioannes Nicopolitanus episcopus per Ammonium Diaconum nobis scripsit, quòd ei aliqui maleuoli apud principem nitantur generare calumniam, quem dilectioni tuæ commendamus, hortantes, vt elabores, ne eius quieti inimicorum possit nocere subreptio. Quem Ammonium diaconum ad nos venientes in Sedis Apostolicæ noluimus communione suscipere tamdiu, donec habito cum Sergio diacono tractatu, qui ordinari debuerit quæreremus; & hoc deliberatio nostra supradicto diacono probabilis inuenit; vt per testimonium libelli communioni Catholicæ iungeretur: quem libellum solemniter oblatum, & nostrę offerentem communioni significamus adiunctum. Data Consule suprascripto.

Anno Domini 519.

Tom. 1. Epist. Decret. 48.

EPISTOLA LIV. B. HORMISDÆ
Papæ, ad eundem.

Laudat eius de firmanda pace solicitudinem: ad Imperatorem se literas daturum, vt eum Alexandrinæ Ecclesiæ præficiendum curet. Thomam & alios ei commendat, & hortatur, ne pro reditus festinatione quicquam indispositum relinquat.

Ex V. C. Vat.

HORMISDA, *Dioscoro Diacono.* De laboris tui quidem, quem DEI omnipotentis iuuamine suscepisti, pro ea parte, quæ acta est gratulamur effectu, indicantes omnibus Italiæ populis, quæ auctore Deo per te acta sunt placuisse; & gratias Deo nostro sine cessatione persoluimus: qui te fecit agnoscere, quia non pro odio, sed pro causæ magis fueris amplitudine destinatus. Vnde quoniam supplicem, & puram cogitationem nostram per te misericordia diuinæ propitiationis adiuuit, necesse est vt de industriæ, vel fatigationis tuæ præmio & vicissitudine cogitemus. Nam sequenti tempore scribere Domino, & filio nostro Imperatori disponimus, vt te Alexandrinum Episcopum debeat ordinare. Iustum est enim, vt ea doctrina & moderatione tua corrigatur Ecclesia, in qua præcipuè ab ipsis ætatis tuæ principijs militasti; nam displicuit nobis, quod caritatem tuam amplissimus Imperator Antiochenæ præponere nitebatur Ecclesiæ. Melius enim in solo patriæ tanti accipies sacerdotis dignitatem, vt Ægyptios populos doceas, quàm inter Syros, nouos & incognitos homines, in alia orbis parte progenitus errare videaris. Thomæ quoque & Nicostrati fratrum & coepiscoporum nostrorum obseruatio longa nos contristat, & miramur cur apud Catholicum principem rectæ fidei laborare videantur Episcopi, quorum desideria tua debebit caritas subleuare, agendo quatenus optata consequendo mœror conuerti possit in gaudium. Ioannes Nicopolitanus Episcopus per Ammonium Diaconum nobis scripsit, quòd ei aliqui maleuoli apud Principem nituntur generare calumniam, quem dilectioni tuæ commendamus, hortantes, vt elabores, ne eius quieti inimicorum possit nocere subreptio. Quem Ammonium Diaconum ad nos venientem in Sedis Apostolicæ noluimus communione suscipere, tamdiu, donec habito cum Sergio diacono tractatu, quid ordinari debuerit, quæreremus: & hoc deliberatio nostra de supradicto Diacono probabilis inuenit, vt per testimonium libelli communioni Catholicæ iungeretur: quo libello solemniter oblato nostræ offerẽtem communioni significamus adiunctũ. Paulinum Ecclesiæ Romanæ defensorem cõmendamus, & hortamur, vt nihil indispositum pro festinatione vestri reditus relinquatis: quia melius cuncta sub prolixitate temporis, cum Dei nostri iuuamine disponuntur; & gratius est, vt sub mora omnium Ecclesiarum ordinetur status, quàm cum per festinationem aliquid imperfectum remaneat, vnde iterum & labor nobis generetur, & nostris afferatur ordinationibus difficultas. Data supradicto Consule.

Anno Domini 519.

Tom. 1. Epist. Decret. 49.

EPISTOLA LV. B. HORMISDÆ
Papæ, ad Tomam & Nicostratum.

Se eorum salute esse solicitum: Ioanni & Dioscoro per literas eos commendasse.

Ex V. C. Vat.

HORMISDA, *Thomæ & Nicostrato Episcopis.* Animum nostrum pro negotio vestro ociosum, aut desidem non putetis: nam non aliter de vestra fatigatione, quàm de propria cogitamus. Mena siquidem Ecclesiæ nostræ notario insinuante cognouimus caritatem vestram adhuc obseruationum molestias sustinere: & ideo vt istis aduersitatibus Deus omnipotens dignetur præstare remedium, tam ad Ioannem fratrem, & coepiscopum nostrum scripta direximus, quàm dilectissimo filio nostro Dioscoro Diacono per literas nostras iniunximus, vt Domino, & filio nostro Iustino Principi necessitatem, & causam nostræ dilectionis insinuet, & instanter agat, quatenus desiderijs vestris dominus noster congruum dignetur præstare effectum, cum quo Dioscoro Diacono debet loqui vestra fraternitas, quia necesse est, vt intentioni vestræ, vel intuitu Catholicæ communionis, vel consideratione nostræ adhortationis studeat. Data quo supra Consule.

Anno Domini 519.

Tom. 1. Epist. Decret. 50.

EPISTOLA LVI. B. HORMISDÆ
Papæ, ad Ioannem & Dioscorum legatos.

Thomam & Nicostratum Constantinopoli congruo honore dolet non fuisse receptos.

Ex V. C. Vat.

HORMISDA *Ioanni Episcopo, & Dioscoro Diacono.* Reperimus Thomatem & Nicostratum fratres & Coepiscopos nostros Constantinopolim, nõ ita susceptos sicuti nostra fuere desideria, & ipsi semper optabant: non solùm enim loca eis debita dicuntur ablata, sed à communione quoque eos cognouimus fuisse suspensos. Quod quam acerbè ferat animus noster, etiam fraternitatem & dilectionem tuam credimus æstimare: & ideò quantam diligentiam causæ videtis magnitudinem poscere, tantam vos efficaciam debetis sine mora præstare, & agere, ne nos magis apud quos fuerunt, videamur esse contempti, cum illis contra quàm desiderium commune habuit, solicitudinis molestia fuerit indecenter iniecta, in tantùm, vt nec de facultatibus eorum, (quæ eis dicuntur inuasæ à fratre, & coepiscopo nostro Ioanne) dicatur aliquod ordinatum, nec literas nostras, quas per eos misimus, fuisse susceptas. De quibus omnibus ita vos agere desideramus instanter, vt ad nos charitas vestra de effectu huius causæ valeat sub celebritate rescribere. Data quo supra Consule.

EPISTOLA LVII. BEATI HORMISdæ Papæ, ad Iustinum Augustum.

Vt suis sedib. Thomatem, & Nicostratum restituendos curet.

HORMISDA *Iustino Augusto.* Glorioſis clementiæ veſtræ laboribus Eccleſiaſticæ prima concordiæ, & orbis pacati votiua tranquillitas generali prædicatione reſpondent. Quæ res noſtrum parcum reddit, ac retinet ad agendas gratias ſermonis officium. Illud tamen quod pro vobis indeſinenter domino noſtro preces effundimus, non tacemus, quia in votis infinitus affectus eſt, finitum eſſe poteſt in prædicatione iudicium. Verũ inter hæc pietatis veſtrę beneficia, vna nos, quæ etiam vehementer afficit cura non deſerit, quod Heliam, Thomatem, atque Nicoſtratum fratres, & coepiſcopos meos, qui primi Eccleſiaſticam feſtina ſequuti ſunt deuotione concordiam, non ſolùm magni fruſtratur palma principij, verùm etiam mali miſeria comitatur exempli. Quare clementiam veſtram mixto etiam precibus fletu, depoſcimus, ne gaudia noſtra, quę de hæreticorum quotidie conuerſione præſtatis, præfatorum abiectio intoleranda conturbet: quia non ſola perſonarum nos cauſa ſolicitat, quibus & boni facti ſimul ſufficere gloria poſſet, & meriti: ſed quod venerabilium cõſtituta Canonum contemnuntur, & quod non paruam eorum abiectio Apoſtolicæ Sedis tangit iniuriam, ne Chriſtianitatis veſtræ ſerenitas: qua & magnum patrocinium veteribus conſtitutis impenditis, & Sedis Apoſtolicæ principatum acta nouiter veneratione ſancitis, in vno inexplicabilem relinquat poſteris negotio quæſtionem.

Ex V.C. Vat.

Tom. 1. Epiſt. Decret. 52.

EPISTOLA LVIII. B. HORMISDÆ Papæ, ad Euphemiam Auguſtam.

Perpetuas pro Euphemiæ & eius viri ſalute ad Deum ſe preces effundere ⌣. Thomam & alios commendat.

Ex V.C. Vat.

HORMISDA *Euphemiæ Auguſtæ.* Orare nos, & pro veſtra incolumitate Deo noſtro vota perſoluere cum Catholicorum etiam cœtu, ſine ceſſatione Pontificum, non veſtræ ſtudium exorationis inuitat, ſed deuotum, atque perſiſtens in Eccleſiaſtica ſtimulat reconciliatione propoſitum. Quis enim ab hæretica ſegregatus conſpiratione ſe teneat? Quis alijs in ſua vtatur deprecatione principijs, niſi vt vobis ſereniſſimoque principi iugali veſtro & vita ſit longior, & ad proſperitatis augmentum gratia diuina proximior; qui initia felicis imperij plectendi execrationibus conſecraſtis erroris, & amicam diabolo pacifica expuliſtis intentione diſcordiam. Vnde nunc decet vos laudabilibus cœptis inſiſtere, & per totum orbem perfectam ſpargere medicinam: quia Chriſto maior numerus gregis oblatus, mercedem confidenter exigit largiorem; inter quæ curæ veſtræ ſit, vt nullum Satanas iam dudum proſtratus vulnus afficiat, ſed communionis vnitas magnum ſit iuſtitiæ impetrandæ ſuffragium. Quæſumus namque vt tandem de venerabilibus fratribus & coepiſcopis noſtris, Helia, Thomate, atque Nicoſtrato, quod ſacratiſſimorum canonum dictat auctoritas, vobis decernentibus impleatur, ne videantur vt auctores alicuius mali, quod primi ad vnitatem Sedis Apoſtolicæ feſtinarunt, in communi omnium gaudio ſoli meruiſſe percelli, & in facto laudabili victam perſonali odio ceſſiſſe iuſtitiam. Noſtris ergo precibus apud clementiſſimum Auguſtum veſtras adiungite, vt fructum, quem illis patrum regulæ tribui & conſeruari præcipiunt, inimica tergiuerſatio auferre non poſſit.

(:)

EPISTOLA LIX. B. HORMISDÆ PAPæ, ad Iuſtinianum.

Tom. 1. Epiſt. Decret. 53.

Iuſtiniani ſtudium erga Eccleſiaſticam pacem laudat, eiq; Heliam, Thomatem, & Nicoſtratum Epiſcopos commendat.

HORMISDA *Iuſtiniano viro Illuſtri.* Studium veſtrum erga Eccleſiaſticam pacem, & damnatos hæreticæ contentionis errores, ipſis rerum effectibus approbamus; cuius vos operis magna, immenſaque ſine dubio merces expectat. Hinc eſt quòd quicquid pro canonum firmitate, & pro Apoſtolicæ Sedis reuerentia neceſſarium duxerimus, magnitudini veſtræ ſecura peragendum protinus præſumptione mandamus; quia cum magno vos gaudio pro cauſis talibus ſperata ſuſcipere, multiplicia huiuſmodi exempla teſtantur. Quare omiſſis in longa circuitione principijs, ad rem ipſam præſentis paginæ verba conuertimus. Mœret Eccleſia, & magno votiuæ vnitatis exordio frui præſtita non poteſt, pro vnius cauſæ afflictione, lætitia, hanc, vt nobis ſolicitudinem beneficia veſtra ſubmoueant, non paruis precibus exoramus. Angit nos enim & præſens dolor, & futurorum occaſio procurata certaminum, per quam & venerabilium patrum regulæ negliguntur, & Apoſtolicæ Sedis putatur auctoritas poſſe contemni: nam cum diuino, clementiſſimiq; principis beneficio, ſed & veſtro ſimul adnixu hi ſoli credantur eſſe Pontifices, & iure Eccleſias continere, qui ad cõmunionem noſtram damnatis erroribus redire conſentiunt: Heliæ, Thomati, atque Nicoſtrato fratribus & coepiſcopis noſtris, qui bonum cauſæ etiam ſub aduerſo Imperatore dedere principium, non ſolùm nihil ad prouectum bona ſtudia proſuerunt, verum etiam collatæ ſibi à Domino obtinere nequeũt officia dignitatis, & extorres à commiſſis ſibi gregibus ſubire coguntur miſerias damnatorum. Quapropter quæſumus, & per diuinam vos miſericordiam obteſtamur, vt eorum cauſæ, (quæ iuſta eſt) ſummum patrocinium, & probatæ viuacitatis impendatis affectum, pijſſimi principis hærendo veſtigijs, quatenus eos tandem ſuis Eccleſijs & pietatis intuitu, & iuſtitiæ contemplatione reſtituat, quia in illorum contumelia ab inimicis aſſeritur, optatum noſtræ communionis diſplicuiſſe conſortium.

Ex V.C. Vat.

Pontifices non ſunt, qui cũ Eccſia Rom. non communicãt.

EPISTOLA LX. B. HORMISDÆ PAPæ, ad Germanum virum illuſtrem.

Tom. 1. Epiſt. Decret. 54.

Eadem quæ in ſuperiori.

HORMISDA *Germano viro Illuſtriſſimo.* Excubantibus vobis probabili, pro Eccleſiaſtica pace propoſito, & tanto fidei calore feruentibus gratiarum actio ſola non ſufficit; quia nec vos humanæ laudis prærogatiua ſolicitat, ſed diuinæ expectatio retributionis inflammat. Quod igitur maximè debemus, exſoluimus; & Deum noſtrum, cuius nos cauſis impenditis pro incolumitate veſtra quotidie deprecamur, rogantes vt ſtudium veſtrum in omni pro Eccleſiaſticæ vnitatis affectu parte ſic feruеat, vt nullus boni relinquatur locus officij, vbi non paternis regulis veſtræ patrocinium defenſionis aſſiſtat. Præcipuè tamen Heliæ, Thomæ, atque Nicoſtrati fratrum, & coepiſcoporum noſtrorum cauſa nos commouet, qui primi mundo neceſſariam ſequuti concordiam, Eccleſiarum ſuarum priuatione perculſi, cum venerabilium quoque canonum contumelia deprimuntur, fitque illis propriæ reconciliationis gloria cauſa difficilis, quaſi ipſi magis pertinaci mente reſtiterint, & alijs ad Sedis Apoſtolicæ redeuntibus vnitatem, ipſi Eccleſię magis membra diſcerpſerint, quàm quod nobis durum ſit, quamque clementiſſimi temporibus Imperatoris indignum prudentiam veſtram conuenit æſtimare, & tandem præſtare remedium, quo & illorum labores, & noſtram grato poſſit ſolamine auferre mœſtitiam.

Ex V.C. Vat.

(:)

Tom. 1. Epist. Decret. 55.

EPISTOLA LXI. B. HORMISDÆ Papæ, ad Heliam, &c. Episcopos.

Ad Imperatorem & alios se pro illorum causa scripsisse significat.

Ex V. C. Vat.

HORMISDA, *Heliæ, Thomæ, & Nicostrato Episcopis.* Quanto mens nostra doloris vestri participatione fatigetur, superuacuum est apud probantes mutuam caritatem verbis astruere: sed ille, qui & nostrum animum, & vestros labores scrutator præscius intuetur, mœrorem nostrum vestra in gaudium prosperitate conuertat. Verùm ne vnquam pro vestro negocio, sub allegatione iustissima, & blanda intercessione cessemus; noueritis nos tam ad clementissimũ principem, quàm ad præcellentissimam Augustam, necnon ad Illustres, & magnificos viros Iustinianum, atq; Germanum filios nostros literas destinasse, vestrum specialiter negotium continentes, quas viro sublimi Eulogio ita tradidimus, vt in vestro primum ponat arbitrio, vtrum per vos eas eligatis offerre, an per ipsum potius perlatorem, tam principi porrigantur, quàm cæteris quas designauimus supra personis.

Tom. 1. Epist. Decret. 56.

EPISTOLA LXII. B. HORMISDÆ PAPÆ, ad legatos, de ijs quæ Thessalonicæ ab Eutychianis gesta per famam audiuerat.

Dorotheum & Aristidem Romam venire compellendos.

Ex V. C. Vat.

HORMISDA, *Germano & Ioanni Episcopis, Felici & Dioscoro Diaconis, & Blando Presbytero.*

Cum nos Ecclesiasticæ prosperitatis gaudia subleuarent, & prope plenum laboris vestri fructum quotidie carperemus; repentè nos inimica vniuersi, quæ repentè successerat, fama confundit: cuius opinionis ordinem, etsi vobis necdum referentibus suspicamur incertum, pro ipsius rei tamen magnitudine credidimus non tacendum. Itaque perlatum est, fratrem & coepiscopum nostrum Ioannem, dum ad Thessalonicam pro suscipiendis tantum libellis, qui promittebantur accederet, ita plebis irrationabili seditione concussum, vt extincto primum eo, qui hospitium venienti præbuerat, ipse quoque non dissimili cæde mactatus, & vix sacrosancti fontis reuerentia vindicatus euaserit: cuius seditionis initium, sub interrogationis dolosæ commento ab Aristide presbytero narratur exortum. Verùm nos si hæc manifesta sunt, adeo de plebe non querimur. Erit in potestate venerandi principis, temporis sui, & Catholici sacerdotis iniuriam, qua iubeat resecare censura. Sed quod ad nos attinet, cura peruigili per vos (Deo propitio) deliderамus impleri: quia nullum volumus, aut non reddita ratione conuerti, aut sic rectam viam fidei profiteri, vt sibi à principe aliquid sine doctrinæ remedio causetur imponi. Hæcigitur suggestione vestræ supplicationis peragite, vt Thessalonicensis episcopus, qui sub interrogationis obtentu, Ecclesiasticam pacem protracto in longum nititur dissipare negotio, quoniam à vobis suscipere noluit à principe ad vrbem directus, ab Apostolica percipiat Sede doctrinam, & quicquid sibi dubium putet huc veniens, præsenti à nobis inquisitione condiscat: sic enim probare potest, se Catholicæ professionis seruare cautelam, non malitiosè concepta vindicare certamina: sciat nos paratos esse, & benè inquirentes instruere, & errantes ad fidei rectum tramitem scientia duce reuocare: quia si dubitans paratam non vult experiri doctrinam, nec rursus in simplicitate cordis, quæ pacis & religionis causa iubentur admittere, in aperto est qua mente, vel Dei nostri præceptis obsistat, vel orthodoxi principis exempla contemnat. In hac ergo parte totus suggestionis vestræ actus immineat: quia nec illi alia possunt ratione saluari, & incitatæ plebis, sub hoc melius moderamine causa sedatur, cum quo etiam Aristidem presbyterum clemẽtissimus princeps ad nos venire præcipiat: quia sicut præfati sumus, omnes quorũ pax Ecclesiastica ambiguitate diuiditur, simul ad communionem nostram, depulsa mali erroris ægritudine, Catholicæ scientiæ cupimus sentire medicinam. Præterea mox vt præsentia vos contigerit scripta suscipere, debebitis ad nos de vestris aliquem destinare cum relatione, quæ vniuersa contineat, vnde his, quæ gesta sunt, vel geruntur solicitudinem nostram releuare debeatis. Datarium quoque literis vestris adiungite, ne vobis portitoris tarditas possit ascribi. Dat. 3. Idus Octobris, Eutharico V. C. Consule.

SVGGESTIO GERMANI EPISCOPI, Felicis, & Dioscori diaconorum & Blandi presbyteri.

Quæ Thessalonica à Dorotheo contra Ioannem Episcopum acta fuerint.

MAgna misericordia Dei est, & inæstimabilia eius iudicia, qui nihil occultum dimittit, vt probetur vniuscuiusque conscientia. Dorotheus Thessalonicensis non nouus apparuit, nec ad præsens factus, sed se demonstrauit, quem olim vera prædicabat opinio. Iste semper in malis desiderijs suis inuolutus, data occasione exercuit, quod cõtra fidem Catholicam semper parturiebat scelus. In alijs literis significauimus beatitudini vestræ, quo ordine transeuntes Thessalonicam libellos nõ potuimus suscipere: erat tamen constitutum post ordinationem sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ vnum ex nobis ad ipsum dirigere, quia hoc sperabat prædictus, vt vnus ex nobis post susceptos libellos cum ipso Missa celebraret, quasi testimonio habens in generalitate se ad vnitatem Sedis Apostolicæ esse coniunctum: etsi tardè, factum est tamen, & venerabilem Ioannem episcopum ad ipsum dirigentes, directus est cum ipso ex communi electione Epiphanius presbyter: Germanus venerabilis, & Illustris episcopus erat cum eis, & Licinius Comes scholæ ex ordinatione clementissimi Imperatoris: qui Licinius tamen cum prius pro alia causa esset Thessalonicam directus, congregata Synodo de parœcia Ecclesiæ Thessalonicensis, ibi est inuentus, expectans secundum promissionem vnum ex nobis. Voluerunt ipso præsente libellos facere, & subscribere; quod factum est: signauit ipsos libellos prædictus vir, & veniens Constantinopolim, factum nunciauit. Dicebatur nobis ab Apochrisario Dorothei: iubete dirigere, qui libellos suscipiat. Deliberatum est, sicut prædiximus, venerabilem Ioannem Episcopũ ambulare, vt haberet testimonium subscriptionis illorum: Rogauimus pijssimum Imperatorem, vt & Comes Licinius ambularet cum eo, quod & factum est. Et quia peruenerunt in ciuitatem, nunciatum est Dorotheo per Comitem Licinium præsentiam nostrorum qui direxit Aristidem presbyterum cum alijs duobus episcopis, quos solus sciebat aduersarios esse negotij, vt nostros videret, cũ quibus voluerunt facere primum certamina de libellis, dicentes; sunt capitula quæ debeant emendari. Dixerunt nostri non esse in potestate ipsorum hoc facere: si vultis facere, Deo gratias; si non vultis facere, venimus, salutauimus vos, perambulauimus: Discesserunt post ista verba. Ad aliam diem conuenerunt. iterum ista loquentes, & antequam propositionem verborum fecissent, vbi non est intentio generata non iniuria sequuta est: subito populus insanus irruit super ipsum, & duos pueros occiderunt episcopi, caput etiam fregerunt episcopo in duabus partibus, & reines eius dissipauerunt, & nisi misericordia Dei, & defensio sancti Marci Basilicæ eruisset eos de manibus eorum, ibi perirent, liberati sunt tamen quomodo dicitur, quia mantis publica superuenit, quæ eos eruere potuit. Ista, & istorum concinnamenta Dorothei malitia fabricauit, qui ante biduum quàm peruenirent nostri Thessalonicam super duo millia baptizauit: sacramenta tanta erogauit in populo, quæ possint ipsis ad tempora sufficere, significans plebi, quia fides recta mutatur. Ista quomodo non habuerant excitare populum? Ista quem non inuitabant ad seditionem? post hoc, ipsum libellum, quem fecerat cum episcopis, ante populum scindit, dicens: Ego istud vsque ad mortem meam nunquam facio, nec facientibus consentio: occiderunt & hominem venerabilem Catholicũ, qui nos veniẽtes susceperat in domo sua, qui semper separatus fuit à communione Dorothei propter Synodum

Ex V. C. Vat.

nodum Chalcedonensem, in quo talem mortem exercuerũt, qualem illi, qui sanctum Proterium occiderunt. Ista ad clementissimum Imperatorem peruenerunt, & prope in tota ciuitate Catholicus luctus est, propter talia, quæ contigerunt scelera. Promittit sancta clementia vindicare, & citare Dorotheum; quia nos contestati sumus pietatem eius, dicentes, nulla ratione Dorotheum inter episcopos aut in communione Sedis Apostolicę potest beatissimus Papa recipere; & contra, qui voluerint eum in sua communione recipere, scire se esse reos auctoritate Ecclesiastica. Ista ad notitiam beatitudinis vestræ festinauimus referre, vt nihil vos lateat, quod in istis partibus agitur. Accepta 4. Kalendas Decembris, Eutharico Consule.

EPISTOLA LXIII. B. HORMISDÆ Papæ, ad legatos.

Dolet Ioannẽ occisum: & Dorotheo ab episcopatu remoto, alium, Aristide excepto, in eius locum substitui præcipit. Thomam & Nicostratum suis Ecclesijs restituendos. Monachos Scythas Romæ vsque ad legatorum aduentum detineri.

HORMISDA *Germano & Ioanni Episcopis & Blando Presbytero.*

Grauiter nos Ioannis Catholici afflixit interitus, quem hæretici Dorothei vesania perhibetis extinctum: nam eundem Dorotheum Constantinopolim iussu principis didicimus euocatum, aduersus quem Domino, & filio nostro clementissimo Principi debetis insistere, ne ad eandem ciuitatem denuo reuertatur: sed episcopatus, quem nunquam benè gessit, honore depositio, ab eodem loco ac Ecclesia longius relegetur; vel certè huc ad vrbem sub prosequutione cõgrua dirigatur. Ad hanc etiam partem inuigilare debetis, ne in loco eius Aristides toti mali incentor, & conscius quibuslibet subreptionibus ordinetur: nam nulli prodest mutari personam, si eiusdem formæ nequitiæ perseueret; sed talem virum debetis eligere, vt de iudicio vestro cuncta Catholicorum congregatio gratuletur. Is igitur, obseruatis, pro Thomæ, & Nicostrati fratrum, & coepiscoporum nostrorum personis intentio dilectionis vestræ, vehementer debet incumbere. Nam quid prodest Ecclesiam reintegrasse, si ab eius corpore sacerdotes videamus extraneos, quos in nostram communionem vos cautè, aut rationabiliter non ignorastis esse susceptos? Vnde non leuiter nos resista contristat, si ab his, qui Sedis Apostolicæ prædicationem sequuntur, negligantur, qui in eius fide, & consensu recepti sunt. Idcirco sicut hortati sumus pro eorum communione, atque loco, sereniſſimo Principi vehementer insistite: nam in eadem causa Domino & filio nostro clementissimo Principi, & viro Illustri Iustiniano filio nostro scripta direximus, hortantes eum, vt cum vestra, quantum ad Ecclesiarum suarum receptionem pertinet, debeant caritate tractare. De eo vos articulo nostræ admonitionis suspicamur non immemores. Diximus enim quemadmodum exclusis occupatoribus, hi, de quibus loquimur, ad proprias reuertantur Ecclesias, vt illi alibi (si tamen rectæ sunt fidei) ordinentur. De personis Scytharum monachorum Iustinianus vir Illustris nobis scripsit, quarum exemplaria literarum fraternitati vestræ direximus, qui cum nollent sustinere vestræ dilectionis aduentum, & obseruationum moras se dicerent ferre non posse; tentaueruut clam de Vrbe discedere, quos tum nos faciemus solicitius custodiri, ea, quæ de vobis contraria dixerunt, volentes agnoscere, vt cum reuersi, Deo propitio, fueritis, eorum error rationabilibus adhortationibus corrigatur. Dat. tert. Nonas Decembris, Eutharico V. C. Consule.

EPISTOLA LXIV. BEATI HORMISDÆ Papæ, ad Ioannem Melicitanum Episcopum.

In VV CC. 2. Tom. 1. Epist. Decret. 58.

Constantinopolitanam Ecclesiam ad Sedis Apostolicæ communionem redijsse.

HORMISDA, *Ioanni Episcopo* Melicitano.* Vota nostra caritatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit solicitudinis, gaudiorum fructu reddatur extorris. Et ideo Constantinopolitanam Ecclesiam ad cõmunionem nostram redijsse, Domino propiciante, tradentibus significamus alloquijs; & mandatorum, quæ legatis nostris dedimus, in omnibus seriem fuisse completam. De qua parte, vt ad dilectionem tuam plenius perfectum gaudium perueniret, libelli Ioannis fratris & consacerdotis nostri Episcopi Constantinopolitani, & Iustini clementissimi Principis Orientis sacratum literarũ exemplaria pariter credidimus destinanda; indicantes nihilominus per Orientis partes plurimos Episcopos sic fecisse. Superest, vt à nobis competentibus precibus Diuinitas exorata concedat, quatenus de aliarum quoque Ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea verò, quæ significare curauimus, in eorum sacerdotum, qui fraternitati tuæ vicini sunt, curabis perferre notitiam, vt & ipsi de effectu tantæ rei, gratias nobiscum cœlestis misericordiæ beneficijs referre non cessent. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

* Miletopolitano

EPISTOLA LXV. B. HORMISDÆ PAPÆ, ad Episcopos Hispaniæ.

In VV. CC 2. Tom. 1. Epist. Decret. 62.

Gratulatur de pace Orientalis Ecclesiæ.

FRatribus Dilectissimis vniuersis Episcopis per Baticã prouinciam constitutis, Hormisda Episcopus.

Quid tam dulce solicito, quàm quòd mihi de vobis innotescunt illa, quæ cupio? Quid tam religiosis conueniens institutis, quàm vt inter se sacerdotes pacem, quam eos necesse est alijs pro officio annunciare, conseruent? Planè, fateor, gratulatione susceptus, quòd votiua mihi de caritate (quæ inter vos est) Ecclesiarum & pace, literis indicastis. Spontè mihi, quicquid hortari poteram, quicquid monere, delatum est. Confirmet hoc Deus, quod operatus est in nobis: & quæ præcepit pro animarum salute facienda, hæc ipse, qui præcepit, pro ea, qua nos redemit, pietate faciat, & his tam bonis nuncijs nos quoq; religiosorum vicem reddimus nunciorum. Quidquid cum Orientalibus, quos ad Ecclesiæ corpus vnitatemque reuocatos, dudum Dei nostri literis significauimus destinatis, denuò, cum aptum fuerit, repetitis vobiscum participabimus indicijs. Mox post nostrorum reditum ab Orientalibus missa legatio est, certa sperauit, certa consoluit. Sed facimus de his, quæ fuerant dicenda, compendium, ipsi potius ad instruendam notitiam vestram, quæ à nobis sunt responsa, dirigentes, ne quid sibi sub spacio prolixiore terrarum, aut opinio vindicet, aut error assumat, cum ad rerum fidem, ipsam teneri sufficiat veritatem. Quod autem ad continentiam vestrarum pertinet literarum, oportuit quidem desideria plenius expedire, vt æstimatis omnibus, responsum rationi congruum redderetur. Sed quia priuilegiorum veterum & statutorum paternorum indidistis ijsdem literis mentionem, ad Salustium fratrem & coepiscopum nostrum sub hac parte rescripsimus, vobis quoque strictim, quæ dicta sunt illis latius, indicantes, ne priuilegia nobis indulta conuellerent, & nihil tam conueniens fidei iudicare, quàm vt in honore suo à patribus decreta seruentur.

Deus autem vos incolumes custodiat, fratres carissimi.

(:)

Psal. 67.

SVGGESTIO DIOSCORI Diaconi.

Paulum Antiochiæ Episcopum ordinatum; Scythæ Monachos tumultus excitasse dicentes, vnum de Trinitate fuisse crucifixum.

Ex V. C. Vat.

VErum est nulla esse gaudia magnoperè spiritualia, à quibus ex toto tribulatio possit esse separata. Gaudemus de vnitate Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quæ facta est cum Sede Apostolica; lætamur quotidie diuersorum episcoporum libellos nobis satisfactionis offerri. Modicum in Ephesina ciuitate contigit scandalum, vbi contempta est, & iniuriata Synodus Chalcedonensis, est inuocatus clementissimus Imperator hoc corrigere, quod & sperat cum Dei adiutorio fieri. Nunc etsi post labores, etsi post intentiones plures. Antiochena Ecclesia ordinata est, electus est quidam Paulus nomine Presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ, quem huic honori aptissimum Imperatoris testimonio comprobatum est, voluerunt & tentauerunt hic eum ordinare. Ego iussionis vestræ non immemor contradixi dicens, Iussit Dominus noster beatissimus Papa, secundum antiquam consuetudinem, ibi eum episcopum ordinari. Hoc obtinuit quod præcepistis, orate vt Deus precibus Apostoli Petri, & ipsam Ciuitatem cum pace faciat electum suscipere sacerdotem. Et quia ista agūtur, & in his quotidie proficit Ecclesia, insidiator antiquus suscitauit Monachos de Scythia, qui de domo Magistri militum Vitaliani sunt, omnium Christianorum votis aduersarij, quorum inquietudo non paruas moras generauit vnitati Ecclesiarum, & magnoperè de prædictæ Ecclesiæ Antiochenæ ordinatione. Isti Monachi, inter quos est & Leontius, qui se dicit esse parentem Magistri militum, Romam festinant, sperantes aliquanta capitula à beatudine vestra confirmari. Et in ipsis inter cetera vbi volunt dicere. Vnum de Trinitate crucifixum, quod est nec in sanctis Synodis dictum, nec in epistolis sancti Papæ Leonis, nec in consuetudine Ecclesiastica: quod si permittitur fieri, mihi videtur dissensiones & scãdala non mediocria nasci inter Ecclesias. Istud Anastasius Imperator magnoperè Catholicis imponere festinauit. Istud & Eutychetis discipuli in Synodo Chalcedonensi proposuerunt. Quia quotiescunque patres de Dei Filio nostro Domino Iesu Christo disputauerunt Filium Dei verbum consubstantialem patris homousion Patri dixerũt. Iste autem sermo ideo nũquam est in synodis à patribus introductus, quia proculdubio Catholicæ fidei minimè poterat conuenire. Cuius sermonis si subtiliter attendatur intentio, ad quantas hæreses pateat, & quæ mala per eum possint disputationibus Ecclesiasticis introduci, quoniam longum est per præsentes insinuare poterimus, vnde sanum mihi videtur & vtile, & ad pacem Ecclesiarum conueniens nihil aliud responsum dari, nisi: Sufficit sanctum Chalcedonense Concilium, in quo & aliæ synodi continentur: sufficiunt epistolæ Papæ Leonis, quas synodus confirmauit; nouitatem in Ecclesia introducere nec volumus, nec debemus. Est in propositione eorum callida & hæc dicere: Nos synodum Chalcedonensem suscepimus; hoc speramus, vt iubeatis nobis eam exponere, quia non sufficit sic quomodo est exposita contra hæresim Nestorianam non quasi, non intelligentes, nisi conantes per subtilitatem ad hoc nos adducere, vt disputetur de Synodo Chalcedonẽsi. Quod si factum fuerit, dubia & infirma ostenditur, & hæreticorum omnium patuit errori. Inter alia si post Synodum Chalcedonensem, si post epistolas Papæ Leonis, si post libellos, quos dederunt, & dant episcopi, & per ipsos satisfecerunt Sedi Apostolicæ, iterum aliquid nouum addatur: sic mihi videtur, quia quicquid factum est destruitur. Data 3. Kalendas Iunias, Constantinopoli.

Euagr. lib. 3. cap. 4. Niceph. lib. 17. c. 2.

Nouitas non est introducenda in Ecclesia.

SVGGESTIO GERMANI ET IOANnis Episcoporum, Felicis & Dioscori Diaconorum, & Blandi presbyteri.

Eadem quæ in superiori.

Ex V. C. Vat.

CVm Dei misericordia, quo ordine, & qua cautela communicauimus in Ecclesia Constantinopolitana, iam in alijs literis per seruum vestrum Pullionem directis vestra beatitudo cognouit; & similiter in alijs literis non semel, sed secundo, qualia æmuli homines religionis tentant significare curauimus, vt nihil sit aut actum, aut cogitandum fieri, quod lateat beatitudinem vestram: stat nobiscum cum DEI adiutorio quicquid in Constantinopolitana Ecclesia est ordinatum. Non titubant gaudia spiritualia, quæ celebrauerunt, & celebrant Catholici, causa Antiochenæ Ecclesiæ ordinationis; non nobis solum labores fecit, sed grandes tribulationes, quia homines festinantes impedimentum facere generali vnitati, diuersis modis diuersa impedimenta fecerunt: nostra erat propositio de his, qui se suspenderant de anathemate in prædicta Ecclesia ordinare sacerdotem. Non proposuerunt ante oculos suos futurum iudicium, palam dicens, omnes qui Sedi Apostolicæ communicabant, Nestoriani sunt, & magis illis non debere credere, qui modò videntur ad communionem Sedis Apostolicæ reuocati. Post multas afflictiones, & penè in tres menses à patribus protracta certamina, pijssimus Imperator sua auctoritate nomine Paulum presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana elegit Episcopum fieri in Ecclesia Antiochena, dicens inter alia, & hoc testimonium de ipso: quia duobus annis in Antiochia positus non mediocriter resistebat Seuero hæretico, similia & omnes Catholici consonabant. Omnia ista de persona prædicti Imperator se promisit ad vestram beatitudinem relaturum. Harum tamen tribulationum prouisores & socij & vnitatis Ecclesiarum impedimento Monachi de Scythia fuerunt, qui postea hic defecerunt, assignati ab omnibus, nihil pacificum cogitare ad beatitudinem vestram cucurrerunt, sperantes subripere, & per literas vestræ Sedis suas intentiones confirmare. Isti de sua prouincia episcopos accusant, inter quos est paternus Thomitanæ Ciuitatis Antistes: petitiones obtulerunt, & coacti pijssimi Principis & Domini Vitaliani Magistri militum iussione, frequenter ad audientiam causæ conuenimus, non quasi volentes in his negotijs nos occupare: quia nobis sunt ante oculos beatitudinis vestræ præcepta, quibus præcepistis, vt causæ tantum vbi veneramus intenti, nullis alijs negocijs misceremur, sed sperantes posse intentiones eorum pacari ad hoc descendimus: & quia nobis diu laborantibus, & illis nullam suscipientibus rationem, nihil proficiebat in quo tendebamus, clementissimus Imperator in conuentu publico vbi & nos interfuimus, Paternum prædictum episcopum, & magnificum virum Vitalianum reduxit ad gratiam: accusatores quoque eius suo præcepit episcopo supplicare. Monachi verò cum similiter ad concordiam quærerentur, fuga lapsi maluerunt de ciuitate discedere, quàm ad concordiam peruenire. Magnoperè prædicti Monachi ad Italiam venientes, aliquanta capitula proponere habent, inter quę & vnum de Trinitate crucifixum continetur, sperantes ita confirmari ex auctoritate beatitudinis vestræ, sicut & in alijs literis significauimus, & modò hoc dicimus, vt nulla nouitas à Sede Apostolica scribatur; quia & nos ante Imperatorem, & ante Senatum hæc indicauimus, dicentes: Extra Synodus quatuor, extra epistolas Papæ Leonis nec dicimus, nec admittimus quicquid non continetur in prædictis Synodis, aut quod non est scriptum à Papa Leone non suscipimus; quia si voluerit Dominus noster qualem vis nouitatem scribere, peius erit istud initium, quàm illud, quod factum est per Eutychen: sufficere debet Ecclesiæ, quod per sexaginta annos ab Eutyche, vsque modo sustinuit: nobis quod visum est scripsimus. In vestra potestate est deliberare quod vobis Deus imperauerit; quoniam hæc illi nituntur asserere, eo modo sibi satisfacere cupientes, vt ita profiteamur, & dicamus vnum de Trinitate passum esse, quod nec patres, nec Synodi dixerunt. Ista ideo per singula exposuimus, ne illorum subtilitas glorietur in nostra simplicitate propter istas nouas suas intentiones. Vi-

taliano

taliano magnifico viro subripuerunt, vt & talia vindicare pro talibus rebus, & contra nos quæcunque potuit impedimenta afferret, cuius immutationem omnis nobiscum deflet Ecclesia; qua propter rogamus, vt consueta cautela, & qua solet Dominus noster vigilantia cogitetis, & quomodo suspendendi sint, qui à nobis taliter recesserunt, & à nostra communione fuerunt seiuncti, & quid eis respondeatur, vel quomodo eorum capitula repellantur; quia eos omnes Constantinopolitana Catholica exhorret Ecclesia. Data 3. Kalendas Iulias Constantinopoli.

SVGGESTIO LEGATORVM, QVORUM SUPRA AD HORMISDAM PAPAM.

Reliquias S. Laurentij, & sanctuaria Apostolorum Iustiniano concedi petunt: qui illa in Basilica Apostolorum collocare cupiebat.

Ex V. C. Vat.

FILIVS vester magnificus vir Iustinianus, res conuenientes fidei suæ faciens, Basilicam sanctorum Apostolorum, in qua desiderat, & beati Laurentij Martyris reliquias esse constituit, sperat per paruitatem nostram, vt prædictorum sanctorum reliquias celeriter concedatis. Habuit quidem petitio prædicti viri secundum morem Græcorum, & nos contra consuetudinem Sedis Apostolicæ exposuimus, accepit rationem: & quia talis feruor est fidei eius, qui meretur quicquid de Apostolica Sede depoposcerit, & talis est, qui sperat, vnde & salus animæ & fidei affectus accrescat; talibus desiderijs postulata competit non negare. Vnde si & beatitudini vestræ videtur, sanctuaria beatorum Apostolorum Petri & Pauli, secundum morem ei largiri præcipite; etsi fieri potest, ad secundam cataractam ipsa sanctuaria deponere vestrum est deliberare. Petit & de catenis sanctorum Apostolorum si possibile est, & de craticula beati Laurentij Martyris: ista sunt desideria prædicti viri, in hoc fides ipsius est incitata. Propter hoc in Vrbem vestram virum spectabilem Eulogium Magistrianum direxit, hoc sibi satisfacere iudicans, si de ipso fonte, de quo per omnem terram sanctuaria Apostolorum sunt data, inde & ipse reliquias suscipere mereatur. Et benefacitis causam Ecclesiasticam magnoperè in contestatione Dei, tali homini commendare, cuius sinceritas & integritas circa religionem Catholicam nota est omnibus hominibus. Hic voluerunt capsellas argenteas facere & dirigere, sed postea cogitauerunt, vt & hoc quoque à vestra Sede pro benedictione suscipiat. Singulas tamen capsellas per singulorum Apostolorū reliquias fieri debere suggerimus. Data 3. Kalendas Iulias Constantinopoli.

Sanctuaria Apostolorum per Orbē terrarum & Vrbe Roma sunt dispersa.

Dissensiones à Monachis Scythis excitatas ab eo compescendas: Apostolorum reliquias se cupere.

Ex VV. CC. 2.

Domino sancto Meritis Beatissimo & Apostolico Domino Patri Papæ Hormisdæ, Iustinianus V. C.

Propitia diuinitate, quæ semper Ecclesiam Catholicam per incrementa fidei instituit vnitas sanctarum Ecclesiarum pro doctrina, & auctoritate Apostolatus vestri prouenit: sed quoniam comperimus quosdam nomine Monachos, quibus magis discordia in studio est, quàm caritas, & pax Dei, cupientes quædam perturbare ad Angelum vestrum hinc discedentes iter arripuisse, quos beatitudo vestra præsentibus scriptis, causam liuoris eorum cognoscens, ita vt meretur suscipere, & à se longè pellere dignetur, quoniam vaniloquia ipsorum festinantium nouitates introducere in Ecclesia, quod neque quatuor Synodi venerabiles, neque sancti Papæ Leonis epistolæ continere noscuntur, in omni loco turbas excitare videntur, quamobrem etiam & à viris Reuerendissimis Episcopis, & Diaconibus directis ab Apostolatu vestro ad nos Angelus vester destinare dignetur, & ipsos digna correctione perculsos, vt superius dictum est pellere iubeat. Ergo hæc petimus vt (sicut supradictum est) ipsas huiusmodi literas per eundem portitorem ad nos dirigere magnoperè præcipiat. Sunt autem nomina eorum Achilles, Ioannes, Leontius, & Mauritius: hæc nostra est maxima solicitudinis causa, ne vnitas, quam vester labor, oratioque perfecit, per inquietos homines dissipetur, sperantes in Domino DEO, quia si quid est quod adhucà totius orbis pace dissentiat, hoc quoque orationibus vestris Apostolicæ Sedis communioni societur. Præsumentes autem de beatitudinis vestræ beneuolentia, paternam dilectionem nimium petimus, quatenus reliquijs sanctorum Apostolorum tam nos, quàm Basilicam eorum hic in domo nostra sub nomine prædictorum venerabilium constructam illustrare, & illuminare largè dignemini cognoscente, quòd nullum nobis maius, nec minus beneficium præstare potestis, Domine beatissime Pater, quàm si hanc nostram petitionem adimpleueritis. Subito autem iter arripiente prædicto agente, in rebus etiam duo pallia serica ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum direximus, quæ suscipientes efficacissimis precib. vestris, nostri iubete iugiter facere memoriam.

EXEMPLVM EPISTOLÆ IVSTINIANI PER FRATREM PROEMPTORIS AD HORMISDAM PAPAM.

Petit, vt expedito Monachorum negotio, Ioannem & Leontium ad se remittat.

Ex V. C. Vat.

QVicquid est cautius, quicquid firmius, vt pro sancta fide, & concordia sacrarum Ecclesiarum geratur, optamus. Vnde ad beatitudinem vestram, & frater noster gloriosissimus Vitalianus per Paulinum virum sublimem defensorem vestræ Ecclesiæ rescripsit, & nos per eundem significare curauimus illa debere beatitudinem vestram perficere, quæ pacem & concordiam sanctis concedat Ecclesijs: subinde tamen, qui certius responsum ad sanctitatem vestram referat, cum literis pijssimi nostri Imperatoris destinauimus. Nam quanta quæstio in partibus nostris orta est, potest etiam antelatus vir religiosus defensor sanctitatem vestram instruere. Vnde petimus, vt si est possibile, celerrimo dato responso, & satisfactis religiosis Monachis Ioannem & Leontium ad nos remittatis: nisi enim precibus & diligentia vestra ista quæstio soluta fuerit, veremur, ne non possit Ecclesiarum sanctarum pax prouenire. Ergo cognoscentes, quia & merces & periculum huius rei vobis seruatur, diligenter tractate, & firmissimum responsum per ante latos religiosos Monachos, si est possibile, antequam Legatus noster ad beatitudinem vestram perueniat, nobis remittite. In hoc enim solo omnis pendet intentio.

EXEMPLVM EPISTOLÆ IVSTINIANI AD HORMISDAM PAPAM.

An dicendum sit, vnū de Trinitate fuisse crucifixum.

Ex V. C. Vat.

VT plenissima fidei perfectio doctrina beatitudinis vestræ nobis prouenias; iterum Eulogium virū strenuum agētem in rebus iuxta alias causas, etiam hanc propter direximus, per quem valde petimus, vt per omnia respōso Apostolatus vestri circumspecto, & cautissimo in cōfessione Catholicæ fidei confirmetur. Post semel enim diuina misericordia donatam Ecclesiæ Catholicæ vnitatē, quidam asserunt, Christum Filium Dei Dominum nostrum; pro nostra salute, carne crucifixum vnum de Trinitate debere prædicari: quod si suscipiendum sit, paterna prouisione Reuerentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidue super hoc euitare debeamus, nos certiorare dignetur: quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter Catholicos omnes vnus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte ac venerabilis pater, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, quorum memoriam & amplectimini, & consortio Pontificatus ornatis; & de hac intentione liberos nos properate reddere & securos. Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum: quia verò dictum est Scythicos Monachos hac ratione ad sedem vestram accessisse pro traditione patrum, & ordine regularum, prębito eis responso, nihil formidante, ad nos cum vestris literis iubete remittere. Quarū etiam exem-

Quod à R. Pont. definitur, ab omnibus pro Catholica fide recipiendū.

plaria consignata prædicto viro strenuo Eulogio dari præcipite. Hæc enim omnia ideo petimus vos disponere cautius, vt ne locus mendacio, vel insidijs detur: quoniam summo cum desiderio fidē Catholicam amplectentes vestra doctrina vnitatem, vniuerso orbi petimus condonare.

Tom. 1. Epist. Decret. 63.

EPISTOLA LXVI. B. HORMISDÆ Papæ, ad Iustinianum.

Monachos Scythas ante Legatorum aduentum Roma non discessuros: Apostolorum sanctuaria transmittit.

Ex V. C. Vat.

HORMISDA, *Iustiniano viro Illustri.* Ita magnificentiæ vestræ animum vigere nouimus religionis affectu, vt beneficium à vobis in perfectione pacis Ecclesiæ velitis magis exigi, quam rogari; iudicantes meritis excellentiæ vestræ proficere, quod vos generalitatis desiderio contingit offerre. Vnde & nos à vobis præsumptè quærimus tāquam debitum, quod meritis vestris nouimus esse profuturum: & ideo Domine fili sub omni caritate salutantes, speramus, vt immineatis operi, quod Domino adiuuante fundastis, memores diuini testimonij. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Præterea Monachos, quos veniſſe Romam significastis, literis vestris ad propria mox voluimus reuerti: sed quia sub testificatione potentiæ diuinæ dicebant, per insidias in itinere paratas, vitæ sustinere se posse discrimen, volentes redire Constantinopolim, passi non sumus violenter expelli. Quapropter necesse habebimus venientibus legatis nostris inquirere, quare vera faciente causa inter eos fuerit commota discordia. Beatissimorum verò Apostolorum Petri & Pauli sanctuaria sicut religiosissimo quæsistis affectu per harū portitorem sub omni veneratione transmisimus. Optantes orationibus eorum mentis vestrę oblatio, & desideria gratiæ sint diuinitatis accepta. Petimus itaque vt tam de his, quæ geruntur pro concordia, quàm etiam de incolumitatis vestræ bono nuncietis solicitudinis nostræ gaudium currente pagina literarum. Data quart. Nonas Septembr. Eurychario. V. C. Coss.

Matth. 10.

Anno Domini 519.

Tom. 1. Epist. Decret. 64.

EPISTOLA LXVII. B. HORMISDÆ Papæ.

Scythas monachos ante legatorum aduentum Roma non discessuros.

Ex V. C. Vat.

HORMISDA, *Iustiniano Illustri.* Eulogio viro clarissimo filio nostro deferente, literas celsitudinis vestræ suscepimus, eoque remeante debitum persoluentes salutationis officium, significantes Scythas monachos allegasse plurima, quæ nos relinquere indiscussa non possumus: sed legatorum nostrorum Deo iuuante festinemus aduentum; pro quare eos in Vrbe credimus retinendos, à qua nec ipsi ordinatione dissentiunt. Amplitudinem vestram tamen retinere confidimus, quod de ipsis nobis præterito tempore literis destinatis scripserit; in quorum allegationibus cum legatis remeantibus competenter fuerimus instructi, si quid reprehensione dignum cognitio nostra repererit, necesse est, vt circa eos teneamus Ecclesiasticam disciplinam. Victorem præterea, qui Diaconi habere perhibetur officium, cuius fidem hi ipsi Monachi vehementer accusant, vel alios qui peruersas forsitan obijciunt quæstiones, ordinatione Domini filij nostri clementissimi Imperatoris ad Vrbem vobis suggerentibus dirigantur, vt vniuersas allegationes de quibus contendunt, nos possimus agnoscere.

SVGGESTIO DIOSCORI DIACONI ad Hormisdam Papam.

Ab hæreticorum consortio se cauere. Victorem diaconum Catholicam fidem professum: Scythas monachos Chalcedonense Concilium damnasse. Suam fidem exponit, quam Pontificis iudicio submittit.

PER Eulogium virum sublimem literas Beatitudinis vestræ suscepimus, in quibus significastis intentionem Monachorum Scytharum, & quo modo visum fuerit Apostolatui vestro, episcopo Constantinopolitano causam delegare, vt ipse inter eos, & qui ab eis impetuntur audiret, mihi quidem non displicuerat: quia vbi conscientia cum Dei adiutorio nulla formidine terreretur, à nullo debet declinare; imò magis festinare, vt per examen, quod verum est omnibus manifestetur. Significastis mihi ab illis contestationem datam, vt non mihi hæretici iungerentur. Quos dicunt hæreticos ego ignoro, nisi illos fortè, qui Synodum Chalcedonensem suscipiunt, quos ego Catholicos dico. Victor Diaconus dicitur, quidam cum isto antequam nos Cōstantinopolim ingrederemur habuerunt intentionem de vno de Trinitate crucifixo, & de Christo composito, & de alijs capitulis nobis hinc positis. Obtulerunt contra ipsum libellum tam nobis, quàm Episcopo Constantinopolitano. Conuenimus in domum Episcopi, vt inter eos intentionem, quæ vertebatur, agnosceremus. Prædictus Episcopus Synodum Chalcedonensem protulit, legit ante omnes omnia, quæ sunt in eodē Concilio constituta, dicens; Præter ista nihil mihi aliud dicatur: qui sequitur ista potest inter Catholicos esse. Victor respōdit, Suscipio similiter & Epistolas Papæ Leonis, & S. Cyrilli epistolas Synodales, quæ sunt in Chalcedonēsi Concilio allegatæ, & manu mea subscribo, & sacramentis confirmo ista me suscipere, & præter ista nihil aliud prædicare: Et si inuentus fuero aliquando extra ista aliud prędicans, nullam circa me peto misericordiam. Scythæ è contra inchoauerunt dicere, Addatur & vnus de Trinitate, nos è cōtra diximus, quod non est in quatuor Concilijs definitum, nec in Epistolis B. Papę Leonis, nos nec dicere possumus, nec addere. displicuit hoc dictum. Victor autem vtrum sincero animo hæc diceret, an dolosè, quis nosse potest, nisi qui corda cognoscit? Verba ista nos audiuimus, Dei est animū iudicare. Postea sine nobis magnificus vir Vitalianus Magister Militum inter se & episcopum Constantinopolitanum vocauerunt prædictum Victorem: loquuti sent cū eo, quid definierint inter se, nescimus. Postea nec Victor ad nos venit, nec est causa dicta. Isti tamen Scythæ (sciat beatitudo vestra) omnes, qui accipiunt Synodum Chalcedonensem Nestorianos dicunt, dicentes, non sufficit Synodus contra Nestorium, & sic debere Synodum suscipere quo modo ipsi exposuerint: qui homines quales sunt, & quales intentiones habent, & quid volunt in fide Catholica introducere, cum Dei adiutorio manifestatum est omnib. Catholicis: nec indiget causa meo labore, quā pro sua misericordia Deus produxit ad lucem. Ego quod à patribus didici, quod semper Ecclesia Catholica seruauit, non tacui, non abscondi: vnus est Deus, de quo Moyses loquitur dicens: Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est: & in alio loco ait, Dominus solus docebat eos, vnius substantiæ credimus Trinitatem, quomodo prędixi vnam Deitatē, treis personas, quia nec plures Deos dicimus, credentes vnum Deum esse, id est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, nec tres personas negamus, ne Sabellij dogma videamur sequi: verū est, personam filij, id est, verbi Dei consubstantialem patri, & ipsa caro facta est: ipsa in vtero Mariæ habitauit, ipsa naturam humanam suscepit sine peccato, ipse filius Dei homo factus natus est de virgine Maria; Propter quod eam Dei genitricē dicimus & credimus, quia vnitas diuinitatis, & humanitatis, quæ fieri cœpta est, ex quo Mariæ Angelus Gabriel annunciauit dicens, Aue Maria gratia plena, Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Non tantum in vtero non est diuisa, sed nec in partu, nec in nutrimentis, nec in passione, nec in sepulchro, nec in resurrectione, nec in cælo separata est: quia vnus est Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, non in personis diuisus, non in naturis separatus nec

Ex V. Vat.

Deut. 6.

Luc. 1.

que

que in potentia diuersus. Idem est namque & subsistens passionem, quia omnes homines; aut diuidens quemadmodum Nestorius; aut negans, quomodo Eutyches; aut minus incarnationem credens. Quomodo Apollinaris; aut phantasiam introducens, quomodo Manes, à fide Catholica sunt inciti homines operarij iniquitatis, & hostes doctrinæ Apostolorum. Ista didici, ista audiui à maioribus nostris; & si fortè extra ista quid debeamus sequi, ignoro; exponente beatitudine vestra necesse est me sequi. Maxentius tamen, qui sub Abbatis vocabulo dixit se congregationem habere: si interrogetur, aut cum quibus monachis vixit, aut in quo monasterio, aut sub quo Abbate monachus factus est, dicere non potest. Similiter & si de Achille dicere voluero, ré facio superuacuam, cui sufficit semper latere propter conscientiam suam ab omnibus Catholicis damnatam. Data Idibus Octobris, Eutharico Consule. Accepta 15. Kalend. Decembr. Rustico V. C. Consule.

IVSTINVS AVGVSTVS, HORmisdæ Papæ.

Preces de fide quæstiones continentes sibi oblatas, eas Dioscorum non probasse. Se aliquem ad Pontificem destinaturum, vt quæstiones terminet.

Ex V.C. Vat. QVanto flagramus studio pro colligendis concordia sacratissimis Ecclesijs iamdudum nos planum fecisse dignoscitur, qui & ab ineunte nostro Imperio sanctitudinem vestram admonendam duximus, quo certos dirigeret, vt interuentu eorum remedium aliquod his rebus inueniri possit, & antequam aduenerint, qui destinati sunt, cuncta præparauimus, quo facilius transigerentur quę per hanc florentissimam Vrbem disponenda fuerant. Verùm quoniam preces nostro numini porrectæ sunt ex diuersis Eois prouincijs, certa quædam differentibus pro fide Catholica secretaque suæ mentis declarantibus quæ apud se pro indiuidua Trinitate constitutatestantur, quæque firmiter sese recepturos ostenditur: hisque relictis Dioscorus aliqua asseruit non conuenienti ordine inserta fuisse, meritò duximus aperienda vobis ea, quæ sumus edocti. Non multo itaque post à nobis quidam destinabitur ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus, & insinuandas vobis supplicationes, quæ nobis oblatæ sunt, & responsum pietatis vestræ referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruæ. Securi igitur de nostro consilio, solicitis orationibus placare nobis diuinitatem summam digne mini. Data 14. Kalend. Febr. Constantinopoli, Vitaliano, & Rustico Consulibus.

Anno Domini 520.

RELATIO IOANNIS EPISCOPI Constantinopolitani.

Instantem Dominicæ passionis diem rectè celebrari 13. Kalend. Maias.

Ex V.C. Vat. DOMINO *per omnia amabili Deo, Sanctissimoq; fratri comministratori Hormisdæ, in Domino salutem.*

Quemadmodum puro corde, & caritate spirituali apud nosmetipsos habemus te frater carissime, & quemadmodum te per omnia ducimus venerandum, ex operibus his satisfactum esse vestræ reuerētiæ iudicamus. Dominicæ obsequentes voci manifestè clamanti. Quæ vultis vt faciant vobis homines, sic & vos facite eis. Et Apostolicam doctrinam amplectentes docentem. Vos inuicem honore prævenientes. Hæc operibus ostendere festinamus, vinculum insolubile spiritualicaritate adunationem sanctarum Ecclesiarum continentes, quæ nec contrariorum spirituum ictibus, nec fluctuationibus malorum principi, vel veritatis inimico titubare possimus, auxiliante nobis sanctę & consubstantialis Trinitatis intercessione, gloriosæ & veræ Dei genitricis Mariæ, per quæ præcipuè nobis domine atque sanctiss. immobilem permanere oramus nostrarum, vestrarumque sanctarum Ecclesiarum statum nihilominus, & inseparabilem custodire fidei vnitionem. Potens est enim Deus victoriæ palmam sperantibus in eum, sine certamine condonare. Instantis autem Dominicæ passionis numerum, qui vestris continetur literis, ex repositis apud nos diei Paschalis annalibus, rectè habere significamus, & ante quidem scientes, & nunc scrupulosius requirentes sine dubitatione mundi festiuitatem incolumes nos celebrare 13. Kalend. Maiarum die optamus. Qui est propriè nonus decimus dies futuri mensis Aprilis. Orate igitur, & circa nostram memoriam nullam obliuionem vester animus sanctissimè habere dignetur, omnem quæ cum vestra est sanctitate in Christo fraternitatem, ego quoque & mei plurimum salutamus. *Alia manu*: Incolumis in Domino orate pro nobis, amabilis Dei & sanctissime frater. Data Constantinopoli, 14. Kalendas Februarij. Vitaliano & Rustico VV. CC. Coss. Anno Domini 520.

SVGGESTIO GERMANI EPISCOPI Felicis, & Dioscori Diaconorum, & Blandi Presbyteri.

Dorotheum Heracliam fuisse perductum: nec Imperatorem permisisse, vt Romam duceretur: inde autem à quibus fuerit dimissus ignorari. De Paschali die Orientalem Ecclesiam cum Romana conuenire.

Ex V.C. Vat. REuerenda vestri Apostolatus alloquia per filios vestros Leonem atque Eulogium desiderabili hilaritate suscepimus, quorum prius præceptum, cur quæ Thessalonicę contigerunt, non insinuauimus arguebat, sed longè ante eius aduentum occasione comparata, curauimus significare quęcunque vel rumore venientium, vel eorum qui pertulerunt scriptis, quorum exempla subter adiunximus, vel pijssimi principis narratione comperimus. Secuta est vindictæ promissio, adeo vt Dorotheus Thessalonicensis episcopus ad Heracliam deduceretur ciuitatem, donec causa terminum reperiret: inter hæc secundum ea, quæ præcepistis auctoritatem Apostolatus vestri principi insinuare curauimus, vt ad percipiendam doctrinam Catholicæ puritatis, Romam præfatus Dorotheus vna cum Aristide mitteretur. Qui respondit, causam non esse pro qua Romam delegarentur audiendi, vbi sine accusatorum controuersia sese possent liberius excusare: sed repentè dum hæc geruntur, ab Heraclienſi quantum agnouimus, in qua tenebatur, dimissus est ciuitate. Quam ob causam, vel qua ratione, aut conditione, vel quibus agentibus ignoramus. De Paschali die vestra beatitudo cognoscat concordare Orientalium cum Apostolica Sede sentētiam, vt 13. Kalendarum Maiarum die festiuitas celebrāda speretur, sicut Ioannis quoque Constantinopolitani Antistitis relatione clarebit. Superest vt orationibus beatitudinis vestræ adminiculo celeriter sicut cupimus vestris mereamur præsentari vestigijs.

INDICVLVS QVI DIRECTVS EST à Ioanne Episcopo, vel ab Epiphanio Presbytero de Thessalonica.

Thessalonicensium crimina narrantur.

Ex V.C. Vat. SI pro peccatis nostris isti, qui hinc adducti sunt episcopi, Constantinopolim fuerint ingressi; non dicamus quòd Imperatorem visuri sunt modis omnibus, & suis locis restituentur. Tantas enim pecunias secum detulerunt, vt non homines, sed possint Angelos excæcare, si ergo (quod absit) ingressi fuerint, tanta falsa per nostram absentiam dicturi sunt, quanta potest diabolus inuenire. Nam si hinc in conspectu vestro plura tentauerunt, & Domino nobiscum stante confusi sunt; quanta facient per absentiam nostri? Vt ergo eorum possit dissipari malignitas, iubete nobis præsentibus, si ad audientiam pro peccatis ventū fuerit, vt constet apud homines, nos immeritò mortuos esse, & illos patrocinio pecuniæ laborare: nos enim eos in omnibus in conspectu Senatus conuincere possumus, quòd hæretici perfecti sunt: tunc demum eorum potest monstrari fallacia. Item dicendum, si hæretici non sunt, quo modo ante duas hebdomadas, quàm nos ve-

nissemus, statuerunt omnes in vnum episcopi, ne quis missas foras ciuitatem teneret? Sed hinc omnes, vt & multitudo esset futurę seditioni congregata, & doceri possit secundum errores eorum, qui postquam senserũt nos venisse publicè prædicauerunt, festinandum esse cum paruulis, ne persecutione veniente pagani morerẽtur infantes, & tunc velut ad alterum Pascha tantos baptizauerunt, vt consuetam festiuitatem superarent. Item dicendum, si hæretici non sunt; quomodo tanta sacramenta confecerunt, vt canistra plena omnibus erogarent, ne imminente (sicut dicebant) persecutione, communicare non possent? Item si, hæretici non sunt, posteaquam accusati sunt gestis à Cãdido viro sublimi vicario Magistri militum præter * in iudicio præfectorum, & si maturum periculum cognoscerent affuturum; quare denuo tanquam damnandi velint subuenire? Iterum paruulis cupientes, tanta rursum, & confutati exercuerunt baptismata, vt verè cunctis se hæreticos ostendissent: ad quam rem satis, & magnifica potestas præfectorum grauissimè indignata est. Item, si hæretici non sunt; quomodo cum in baptisterio absconditi essemus consilium inter se habitum per noctem, veluti de periculo liberare nos volentes, in naui mittere voluerunt, vt hac occasione mari præcipites darentur? Cumque nos respondissemus per Demetrium & Andream Diaconos, omnes nos apud vos esse cognoscunt, quomodo per noctem nauigare possumus? sed si vos verè pro nostra salute consulitis crastina die secretè quinque, vel sex senatores, qui periculum substantiæ, vel salutis suæ metuunt, vna cum magistris militum, & vicario Candido Comite iubete aduocare. Cognoscant & ipsi vbi transferimur, & facimus quod iubent: sin autem soli secretim hoc non facimus: tunc illi non inuenientes effectum ad horam tacuerunt, & alia die iterũ seditionem populi commouerunt. Vnde vix, Deo volente euasimus.

* locus obscurus

SVGGESTIO DIOSCORI DIAconi ad Hormisdam Papam.

Epiphanium in locum Ioannis Constantinopolitani suffectum.

Ex V. C. Vat.

ERAT optabile, & voto nostro conueniens consonantia præteritis annunciare, scilicet Pontificem Constantinopolitanæ Ecclesię Ioannem esse superstitem, & confessionem libello editam, cuius merita non est dubium DEO placere, qui inter Catholicos, & communicatores Sedis Apostolicæ meruit ad aliam ex hac vita discedere. In cuius locum Epiphanius quidam presbyter quondam Syncellus eius successit, cuius initia bona videntur: nam rationabilia loquitur; & promittit patrum se regulas seruaturum; pacem, vnitatemque ordinatam non dissipare, sed magis augere. Ista sunt, quę promittit. Quid tamen opere possit implere, adhuc ignoramus. Has siquidem literas, quarta post ordinationem eiusdem die reperta occasione transmisimus; necdum cum eo communicauimus, non quasi resistentes, sed quia adhuc ab eo nõ sumus inuitati. Superest vt beatitudinis vestrę insistat oratio, quatenus diuinæ gratiæ adiutorio talis erumpat, per quem deperfecta possimus vnitate gaudere. Accepta 7. Idus Aprilis Rustico V. C. Cos.

Anno Domini 520.

RELATIO SYNODI CONSTANTInopolitanæ de ordinatione Epiphanij Episcopi.

Epiphanium Episcopum electum significant.

Ex V. C. Vat.

DOMINO *nostro Sancto ac Beatissimo Patri patrum Archiepiscopo & Patriarchæ Hormisdæ, Theophilus, Basiliscus, Esaias, Anastasius, Paternus, Martianus, & cætera sancta Synodus, quæ in Constantinopolitana est Ciuitate congregata.*

Anno Domini 520. vide infrà. Psal. 105.

Innumerabilem & ininuestigatam magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi sapientiam, quantum hominibus datur intelligi, considerantes caritatem eius immensam, iustè miramur, & cum magna clamamus voce. Quis loquatur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius. Ecce enim per bonam voluntatem sanctæ & vnius essentiæ Trinitatis, & intercessione gloriosæ Mariæ Virginis, studio quoque & vigilantia Christianissimi & fidelissimi nostri Imperatoris, & pissimæ Reginæ, olim quæ fuerant membra diuisa, per Spiritus sancti gratiam ad vnitatem & charitatem perfectam sunt redacta; & sicut Moyses & Aaron duces Dei veræ culturę Israeliticæ nominati, nunc ita & nos gaudentes clamamus. Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est. Adiutor & protector factus est mihi in salutem; & hæc sentire, & prædicare cum fiducia sumus edocti. Considerantes autem caritatem & Deo amabilem & vestræ beatitudinis vitam etiam ex his, qui à vobis sunt destinati Reuerendissimi Legati similiter & pacem sanctarum Dei Ecclesiarum tam senioris, quàm nouellæ Romæ, cui nos ipsi participes fuisse monstramur, bono pastori, & principi omnium Christo Deo nostro consuetè gratias referimus. Nam post obitum sanctæ recordationis quondam Archiepiscopi, & Patriarchæ Ioannis Constantinopolitanæ ciuitatis, Deus, qui propriam sanctam Ecclesiam in petra rectæ fidei incorrupta fundauit, & portas inferi non præualere ei decreuit, dedit nobis sanctum Pastorem, & Patriarcham Epiphanium virtutibus, & correctionibus, & meditatione diuinarum florentem scripturarum, rectam quoque tenentem fidem, & orbatorum paternam regentem solicitudinem; & quid amplius dicam? omnem præconiorum fontem transcendentem. His ergo virtutibus pollens, non immeritò proprias, & creditas sibimet maximas Ecclesiæ curas sapienter, & honorificè gessisse dignoscitur. Habens in mente illud, quod à sacri cantici auctore relatum est, Os meum loquetur sapientiã, & meditatio cordis mei prudentiam. Vnde secundum rectam & probabilem fidelissimi, & Christianissimi nostri Principis, & pijssimæ Reginæ, & glorioßissimorum communis Reipublicę procerum sententiam, nostra quoque etiam omnium in hac Vrbe habitantium testificatione, iudicium Pauli mirabilis communis Ecclesiæ doctoris non est in eo fraudatum, qui irreprehensibilem debere esse Episcopum denunciat, ita & nostrum Pontificem virtutibus vndique coronatum esse videmus. Igitur Ecclesiasticam legem implentes, apostolatui vestro salutationis debitum persoluentes officium, speramus, vt amplius charitatis vinculum, & paternum affectum, circa nos charitas vestra custodire dignetur, & sapienti gubernatione, & humilitate quę Christianũ decet, & mansuetudine, quæ ad rationabilis traditi vobis ouilis pertinet, salutem peragatis, communem lucrum existimantes, quod per vos, & vestrum Germanum, & communistratorem, nostrum autem Dominum, & Patriarcham, pacem totius orbis Ecclesiarum esse prouisam. Frater enim à fratre adiuuari spiritualiter murus est inexpugnabilis, & ciuitas munita, ex diuinis est accipere scripturis. Nam si quæ intercessionibus vestræ beatitudinis generalis tranquillitas Ecclesijs orthodoxorum fuerit redonata, gloria quidem in excelsis Deo omnium saluatori per Angelos cum lætitia referatur, pax verò in terra confirmabitur: bona autem voluntas in fidelibus communis Domini, & saluatoris nostri Iesu Christi seruis fundetur. Adijcient igitur nostris supplicationibus (quod minus dictum est) Ioannes sanctissimus Episcopus Claudiopolitanę ciuitatis noster communistrator, & Heraclianus Reuerendissimus presbyter sanctæ maioris Ecclesiæ, & cohabitator prædicti sanctissimi Archiepiscopi, & Patriarchæ Epiphanij, & Constantinus vir reuerẽdissimus Diaconus eiusdem sanctæ Ecclesiæ, qui probationem suæ rectæ fidei, & bonæ voluntatis, olim his, qui à vestra Apostolica Sede fuerant directi, dedisse cognoscuntur. Digni autem & vestræ Sanctitatis & administratione pacis, & gratiæ Domini nostri Iesu Christi Dei nostri, & vnitionis sanctarum Ecclesiarum monstrabuntur, quos speramus lætantes in Domino, & pacem desideratam nunciantes, ad nos citius vestris, Deo amabilibus correctionib. edoctos remeare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem nos quoque, & qui nobiscum sunt plurimum salutamus:

Subscriptiones.

Theophilus misericordia Dei episcopus Heraclienſis Ciuitatis Metropolitanus subscribens in Synodalibus, saluto vos in Domino, domine.

Basiliscus misericordia Dei episcopus, qui Zicinentium Metropolitanus, vt supra.

Stepha-

Stephanus misericordia Dei episcopus Nicomedensium Metroplitanus, vt supra.
Esaias misericordia Dei Episcopus Rhodiæ ciuitatis Metropolitanus, vt supra.
Anastasius misericordia Dei episcopus Nicæensium Metropolitanus, vt supra.
Ioannes misericordia Dei Episcopus Claudiopolitanæ Ciuitatis, prouinciæ Isauriæ, vt supra.
Paternus misericordia Dei episcop. Prouinciæ Scythiæ, Metropolitanus, vt supra.
Martianus misericordia Dei episcopus Chalcedonensis Ciuitatis Metropolitanus, vt supra.
Patricius misericordia Dei episcopus Eudoxiopolitanæ Ciuitatis Metropolitanus, vt supra.
Polideucius misericordia Dei episcopus Antiochenæ Ciuitatis Metropolitanus, vt supra.
Eulogius misericordia Dei episcopus Melitenę Ciuitatis Metropolitanus, vt supra.
Stephanus misericordia Dei episcopus Philomelensis Ciuitatis Prouinciæ Pisidiæ, vt supra.
Christodorus misericordia Dei episcopus Methimensis Ciuitatis, vt supra.
Palmantius minimus episcopus Oenandæ Ciuitatis, Prouinciæ Lyciæ, vt supra.
Ioannes misericordia Dei episcopus Attalensis Ciuitatis, vt supra.
Ioannes misericordia Dei episcop. Olympinæ ciuitatis Prouinciæ Lyciæ, vt supra.
Martianus minimus episcopus Martianæ Ciuitatis, Prouinciæ Liciæ, vt supra.
Phocas minimus episcop. Dardanæ Ciuitatis, Prouinciæ Hellesponti, vt supra.
Zoticus misericordia Dei episcopus Carpatiensis Ciuitatis Prouinciæ Insularum, vt supra.
Sabbatius misericordia Dei episcopus Strotoniciæ Ciuitatis Prouinciæ Lydiæ, vt supra.

EPISTOLA IVSTINIANI AD Hormisdam.

Etiam Ecclesiæ suæ non posse restitui, viuente eo qui in illius locum suffectus fuerat. Thomam & Nicostratum pace firmata suis sedibus se restituturum.

Ex V.C. Vat.

Iustinianus Augustus Hormisdæ Papæ. Cum in animo nobis sit, pater religiosissime, vt in omni re nostra inter se concurrant consilia, tum & in Elia viro reuerendissimo episcopo id constituendum credimus, legatis admonẽtibus vestris, quod inter varias vtrasque rationes expeditius esse perspectum est. Nam & in præsenti Pontificem Cæsarientium Vrbis fauor tutatur omnium, quem ob instituta pulcherrima non solum incolæ validissimè retinendum arbitrantur, sed prope cunctus oriens sine dubio veneratur; & qui prior in eodem fuit sacerdotio, iniuria esse remotum queritur. Visum est itaque conuenire vt nec faciamus impetum contra infinitarum vota multitudinum, aut homo integritate nobilis, sede dejiciatur, qua se dignum exhibet, nec anteriori spem prorsus adimi patiamur, repetendi locum denuò, quo se spoliatum sine causa confirmat; sed in re dubia temperantius versemur, ita vt interim quidem hic idem Elias vir Reuerendissimus episcopus in quiete permaneat: verùm postquam successor eius vitam deposuerit, tum demum ad sedem reuertatur, quia destitit adhibendis prius omnibus, quæ ad impetrandam reditionis licentiam sacratissimarum regularum postulant definita, interponendo etiam consensu tam tuæ Sedis Apostolicæ, quàm florentissimæ huius Vrbis, necnon aliarum, quarũ hoc interest. De Thoma etiam & Nicostrato viris religiosissimis episcopis omnia mancipabuntur effectui. Postquam ceteræ etiam vobis copulatæ fuerint; sed & ad vnitatem venerabiles ecclesiæ, quæ præcedente superno præsidio statuenda duximus pro sacratissimarum regularum itidem ordine. quoniam itaque vestræ quoque sanctitudini deliberationem nostram oportuerat declarare, vt ex hac etiam patefiat desiderium, in quo omnem operam intendimus ad compescendas, atque temperandas controuersias, & optatam inter omnes concordiam prorogandam; præsentes quoque literas duximus destinandas, mouentes præcipuè, vt pro incolumi statu Reipublicæ numẽ supernum vestris exoretur precibus. Data 7. Idus Iunias Constantinopoli, Vitaliano & Rustico Consulibus.

EPISTOLA IVSTINI AD EVNDEM Hormisdam.

Diligentia legatorum Constantinopoli & alijs ciuitatibus pacem restitutam: in damnandis episcoporum nominibus mitius agendum.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ, per legatos Germanum & Ioannem episcopos, Felicem & Dioscorum diaconos, & Blandum presbyterum.

Ex V. C. Vat.

Summa quidem habenda vobis est gratia, quòd alacrem operam non dubitatis impendere ad colligendas adunandasque venerabiles Ecclesias: verùm in ea prælucet maximè perfecta solertia, quòd homines adoptatis, qui voto benevolo tuæ sanctitudinis sincero & integro possint animo deseruire: Germanus siquidem Reuerendissimus episcopus, nec non Felix, & Dioscorus, & Blandus viri Religiosissimi tanta semet præbuerunt attentos industria, ac in tanta sapientia versati sunt, vt quantum ad officium eorum pertinet, transactis in plenum, & elaboratis omnibus, nihil altercationis superesset vlterius: sed cum ea conditione sit mortalis fragilitas, vt remissius circa se agi desideret, & interrogationibus suis planum præberi responsum; maximè cũ aliqua causa in immensa hominum fuerit multitudine deuoluta; factum est, vt in hac quidem vrbe florentissima quicquid ordinatum est de causa religionis, deque vnitate celebranda cum Apostolica Sede sub temporibus Ioannis religiosissimæ memoriæ, cum in sacerdotio regiæ esset huius Vrbis, id fauente Deo seruetur immobile, quin & in aliis compluribus ciuitatibus probata sit vestra ordinatio, atque suscepta. Cetera verò clementiore quodam indigeant moderamine in nominibus Antistitum, non eorum, qui specialiter enumerati sunt in epistola, quam sanctitudo tua nobis destinasse noscitur, sed aliorum, quorũ memoriam maximæ ciuitates diligunt, in quibus floruisse noscuntur superstites. Quapropter legatis quidem tuæ sanctitudinis nulla fuit licentia mandati tenorem egrediendi, cum quo directi sunt. Omnis autem finis negocij vestro iam tantum pendet arbitrio, vt solus pacem concludere debeat, qui prima rei commouit exordia, sed ea quidem, necnõ quædam commemorabuntur apertius per Legatum nostrum, qui paulò pòst destinabitur. In præsenti verò redeuntibus viris religiosissimis tam appellandam vestram reuerentiam credidimus, quàm commonendam, vt suis orationibus pro nostro vtatur Imperio, proque incolumi statu reipublicæ. Data 7. Idus Iulij, Constantinopoli, Vitaliano & Rustico VV.CC. Consulibus.

Anno Domini 520.

EPISTOLA EVPHEMIÆ AVgustæ ad Hormisdam.

Sanctissimi Pontificis orationibus se & virum suum vult commendatum.

Ex V.C. Vat.

EVPHEMIA *Augusta, Hormisdæ Papæ.* Beatitudinis vestræ literas grato, iucundoque suscepimus animo: quem etenim non solùm Apostolicæ Sedis auctoritas celebrat, sed vitæ quoque commendat integritas, & studiosa rectæ fidei solertia: huius verba quis non libentissimis suscipiet auribus? Igitur poscimus, ac monemus, vt orationibus vestris nunquam excedat nomen meum, ac præcipue serenissimi coniugis nostri; sed tam vtrique nostrorum, quàm Reipublicæ supernum precibus vestris placetur præsidium.

EPISTO-

EPISTOLA CELERIS AD HORMISDAM.

Legatorum opera Constantinopoli omnes pacificè viuere; quod & in alijs ciuitatibus breui futurum sperat.

DOMINO *Beatissimo & Apostolico Patri Hormisdæ, Celer vir Illustris.*

Ex V.C. Vat. Maxima nobis gratulationis causa præstatur, quotiens ad Apostolatum vestrum scribendi tempus emerserit. Nunc igitur remeante beatissimo Germano episcopo, vel reuerendissimis viris, qui à vobis pro coniungendis sanctis Ecclesijs fuerunt destinati; necessarium duximus sanctitatem vestram debere venerari, indicantes antedictos habuisse quidem studium, vt voluntatem vestram plenus sequeretur effectus: sed quia totum corpus erat infirmum, interim caput, quod prius necessarium iudicatur adhibito medicamine vestro sanatum est, & dissensio, quæ erat inter venerabiles Ecclesias Romanam & Constantinopolitanam, vnitate interueniente sepulta est, & alia non parua membra similis diuinitatis gratia purgata, atque coniuncta. Hanc etiam spem gerimus vniuersi, quòd gratia Dei, quæ semper sedi vestræ permansit & permanet, huiusmodi vobis inspiratione bonitatis præbeat & mansuetudine, & dispensatione vestra, reliquum adhuc corpus, quod habetur infirmum (sicut superius à nobis dictũ est) vestro medicamine vnitate recepta iungatur. Specialiter autem deprecamur Pontificium vestrum, vt pro nobis benigno patris animo orare iubeatis.

EPISTOLA IVLIANÆ AD HORMISDAM.

Pontificem salutat.

DOMINO *Beatissimo, atque Apostolicæ Sedis probatissimo, Pontifici Hormisdæ Papæ Patri, Iuliana Anicia.*

Quæ prima sunt tuæ beatitudinis salutationis obsequia persoluimus; optantes, vt hanc paginam tuis venerandis obtutibus diuinitas faciat recensери, & pro suæ Ecclesiæ vigore augmenta salutaria vestræ vitæ suffragari dignetur, quatenus te peruigili possit contra aduersos & rabidos canes status Ecclesię vindicari. Etenim venerabilis pater, quod de nostrę fidei integritate curam geris, vicarijs gloriosi Petri Apostoli ista conueniunt, cui Dominus pascendarum ouium iniunxit officium. Cognoscat ergo tua pro nobis sancta solicitudo, nos firmius tenere rectæ fidei firmitatem immobilem. Pro qua ne eius violaretur sanctimonia, hactenus repugnauimus. Quod verò tuus Apostolatus pro tantæ pietatis causa curam ferre præcepit, in quantum potuimus pro nostris viribus, nó desiuimus spiritu lenitatis aduersos admonere, & Dei nobis gratia cooperante .... *deest reliquum.*

EPISTOLA LXVIII. B. HORMISDÆ Papæ, ad legatos suos.

Tom. 1. Epist. Decret. 65.

De eorum salute, & rebus gestis certior fieri cupit.

HORMISDA, *Legatis suis.* Ita nos incolumitatis & actuum vestrorum cura solicitat; vt quamuis frequentibus occasionibus non prætermittamus hortari, certiores vos de his, quæ circa vos aguntur fieri literis destinatis. Nam & cum per hominem illustris viri, atque magnifici Patricij filij nostri Agapiti desiderijs vestris congruos miserimus affatus, & nunc quoque anxietatis vestræ credidimus solatium, si ad vos præsentia scripta mitteremus; tantum est vt de actibus, atque sospitate vestra, necnon & de mora, per quam vos detineri plurimum dolemus, releuetis vos alloquijs sub occasione idoneæ portitoris. Data 6. Idus Iulij, Rustico viro clarissimo Consule.

Anno Domini 520.

(:)

EPISTOLA LXIX. B. HORMISDÆ Papæ, ad eosdem.

Cum eorum literas non acceperit, monet vt scribant.

HORMISDA, *Germano Episcopo, Felici & Dioscoro diaconis, & Blando presbytero.*

Animos nostros tam diuturnum dilectionis vestræ silentium, vt tantorum temporum contristat absentia, præcipuè cũ vir magnificus Patricius Symmachus, & vir Illustris Romanus magister militum filij nostri, reditum apud nos caritatis vestræ, sine dilatione promiserint; & ignoramus, vtrum illic causarum qualitas, an certè fraus aliqua simulata sub necessitate detineat: quia nobis solicitudinẽ sine cessatione gerentibus, & pænè vniuersos homines illarum partium percunctantibus, diuersa & dissimilia nunciantur: & ideo, quoniam vos causas tantæ tarditatis melius deprehendere, & intelligere potestis, atque cognoscere, significare nobis ista, de quibus noster cruciatur animus, debuistis: vel si est causa dilationis idonea, sicut constitutum est, aliquem de vestris ad nos oportuerat destinari, vnde ne forsitan per versutias, aut aliquã concinnationẽ vobis dilatio & impedimenta generentur, sub celeritate nobis scribite, vt sub rationabili ordinatione pro vestra repetitione ad filium nostrum clementissimum Imperatorem dirigamus. Ergo tam circa personas, quàm de causa fidei, pro qua diu moramini, quid geratur instruite, atque plenissimè nobis vniuersa rescribite, vt omnibus cognitis, Deo nostro fauente, tractemus, quemadmodum personis vestris, & causæ ipsius, cuius res agitur, possit misericordia subuenire. Data Idibus Iulij, Rustico V.C. Cos.

Anno Domini

RELATIO POSSESSORIS EPISCOPI Afri, per Iustinum diac. eius.

Consulit Pontificem de Fausti episcopi libro.

DOMINO *Beatissimo, & ineffabiliter mirabili, & in Christi gratia præferendo Papæ Hormisdæ, Possessor Episcopus in Domino æternam salutem.*

Ex V.C. Vat. Decet & expedit ad capitis recurrere medicamẽtum, quotiens agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos solicitudinem gerit, aut à quo magis est nutantis fidei stabilitas expetenda, quàm ab eius sedis præside, cuius primus à Christo rector audiuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Arbitror vestram beatitudinem nõ latere quantis in Constantinopolitana Vrbe Ecclesia laboret insidijs, & ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterũ quærat erumpere, quod obductum creditur cicatrice. Vnde cum quorundam fratrũ animus de codice Fausti cuiusdam natione Galli Reginæ ciuitatis Episcopi qui de diuersis rebus, & frequentius de gratia DEI, diserte visus est disputare in scandalum moueretur alijs, vt se habent humana studia in cõtrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quę à tractatoribus pro captu proprij ingenij disputantur non vt canonica recipi, aut ad synodalium vicem pro lege seruari, sed habere nos certa s. quæ veteri lege, vel noua conscripta, & generalibus patrũ sunt decreta iudicijs, ad fundamẽtum fidei ac religionis integram firmitatem. Hæc autem, quæ Antistites diuersi cõscripserunt pro qualitate sui, sine præiudicio fidei solere censeri: sed cum hæc quantum in eorum frequenti postulatione persensimus, magis eis excusatio videretur, vel pro eorum prece, vel pro obsequij occasione reddendi Apostolatui vestro, per Iustinũ Diaconum meum præsumpsi apices meæ paruitatis ingerere, quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quæso, vt consulentes quæ de præfati auctoris dictis videatur auctoritate Apostolicę responsionis agnoscant, maximè quòd filij quoq; vestri magistri militum Vitalianus & Iustinianus præcipuè super hac re rescripto beatitudinis vestræ similiter informari desiderant. Codicem quoq; tractandum ante hac direxisse memini, continentem B. Pauli Apostoli epistolarũ explanationes, pro quo rescripto gratulari non merui. Vnde simili prece deposco, vt prærogatiuam benedictionis vestræ competenti responsione merear adipisci. Accepta 15. Kalendas Augusti, Rustico V.C. Cos.

Anno Domini

EPISTO-

EPISTOLA LXX. B. HORMISDÆ PAPÆ, ad Possessorem Episcopum.

Scythas monachos suos errores damnare nolentes, vt hæreticos ab Vrbe expulsos. Fausti librum à Romana Ecclesia non recipi.

Hormisda Possessori Episcopo. Sicut rationi congruit, vt consulant ambigentes; ita par est, respõdere consultos: quia ipse impellit in errorem, qui non instruit ignorantem; nec quicquam aptius est studioso religionis, quàm inquisitio veritatis; quando faciliùs deuium vitat, qui iter, per quod graditur, rogat. Sed priusquàm respondendi curam de his quę dilectio tua percunctatur, aggrediar: libẽter in litteris tuis fidei tuæ me fateor inuenisse feruorem, cuius calore succensus, rediuiuam in illis partibus infidelium peruersitatem vigere suspiras. Dignissimus dolor, qui dedita Deo corda contristet: nec enim est apud eos lapsus inlamentabilis, quibus est igniculus charitatis: quia vnum spiritualium votum est salus inconcussa cunctorum. Sed non est ignota Ecclesiæ Dei de huiusmodi procellis aut insueta tempestas: & quamuis rectoris sui gubernaculo inconcussa persistat, varijs tamen insurgentium fluctuum laborat vexata turbinibus. Nam vnde est Psalmidici vox Prophetæ, qui ipsius Ecclesiæ personam, Spiritu quo impellebatur, assumens: Sæpè, inquit, expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi? Concutiunt, sed in nihilo prævalebunt: Adhuc in area sumus, mixta sunt frumenta cum paleis: gemunt boni consortia malorum, sed superest flamma nõ necessarijs, & parata sunt horrea iam probatis. Vbi terrarum nõ est ista permixtio? Nos fixis decet instare* vestigijs: proficiemus inter aduersantes proprijs bonis, si erroribus non inuoluamur alienis. Probat enim virtutis suę validum robur, qui cùm impellitur, non mouetur.

Vbi non variæ tentationis aculei? Quales per hunc ferè ingem annum quorundam Scytharum, qui monachos præ se ferebant specie, non veritate, professione, non opere, subtili tectas calliditate versutias, & sub religionis obtentu famulantia odijs suis venena pertulimus, studentes eos ab interno vulnere medicabilis patientiæ moderamine sanare, B. Pauli monita non tacentes: Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. Sed quando virus, quod viscera penetrauit, euellitur? Quando corda malè sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientiæ humilitatẽ opinionibus suis vallata superbia? Quãdo acquiescunt paci contentionum studijs assueti, sola certamina amantes de religione captare, & mandata negligere? Nunquam apud eos charitatis nouo commendata præcepto, nunquam pax Dominico relicta discessu; vna pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non credere; contemptores auctoritatum veterum, nouarum cupidi quæstionum; solam putantes scientię rectam viam, qualibet concepta facilitate sententiam: eousque tumoris elati, vt ad arbitrium suum vtriusque Orbis putent inclinandum esse iudicium: nec in numero Fidelium deputantes sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ: docti crimina serere; obtrectationum venena componere, integrum Ecclesię corpus odisse, seditiones instruere, inuidiam concitare, & pro obedientia, quæ in cœnobijs principatum regularis obtinet disciplinæ, obstinationem pertinacis amare superbiæ.

Non illos potuimus monitis, non mansuetudine, non auctoritate comprimere. In publicum vsque prodiêre conuentum, ad concursionem quietis circa Regum etiam statuas inclamantes: & nisi fidelis populi constantia restitisset, per diabolicæ semina nefanda zizanię apud illos dissensionem & discordiam commouissent, per quos adiutorio Dei de religione eorum est pulsa dissensio. De eis ferò probauimus prophetica Apostolum voce dixisse: In nouissimis diebus instare tempora periculosa, & fore homines sui tantùm amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes; itaque esse vitandos. Hæc ideo dilectioni vestræ indicanda sub occasione credidimus, ne si illuc fuerint fortè delati, ignorantes quemadmodum se in vrbe Romana tractauerint, sub aliqua verborum simulatione deciperent.

Hi verò, quos vos de Fausti cuiusdam Galli Antistitis dictis consuluisse, literis indicastis: id tibi responsum habeant: Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præiudicium comparare. Fixa sunt à Patribus, quæ Fideles sectari debeant instituta: Siue interpretatio, siue prædicatio, seu verbum populi ædificatione compositum, si cum fide recta & doctrina sana concordat, admittitur, si discordat, abolebitur. De libris Fausti sententia Hormisd. Pap.

Vnum est fundamentum, extra quod quælibet fabrica si consurgit, infirma est: super illud quisquis ædificat, siue vilia, siue pretiosa, consideret. Errat autem à via, qui ab eo quod Patrum electio monstrauit, exorbitat: nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus à veritate declinans. Sæpe de his necessaria prouidetur, de quibus ipsi æmuli conuincantur, instructio. Nec vitio dari potest, nosse quod fugias: atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quòd si ita non esset, nunquam doctor ille Gentium acquieuisset nunciare Fidelibus: Omnia probate; quod bonum est, tenete. Non ab re est, etsi mundanum, non tamen à ratione discretum miscere sermonem. Fertur quidam nobilis arte pingendi, cùm equum penicillo vellet explicare perfectum, asellum sibi proposuisse pingenti, asserens, non vt iumentum imitaretur informe, sed ne in alicuius informis lineamenti similitudinem lapsus incideret. Quomodo legẽdi libri improbati. 1. Thess. 5.

Non improuide veneranda Patrum sapientia fideli posteritati, quæ essent Catholica dogmata definijt; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente, præfigens: ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi Ecclesiasticæ conueniret, sed quod voluptas sua concepisset, assereret. Quid ergò calumniantibus opus erat, extra constitutos Ecclesiæ terminos porrigere quæstiones, & de his quæ habentur dicta, quasi dicta non sint, mouere certamina; cùm Christiana fides canonicis libris, & Synodalibus præceptis, & Patrum regularibus constitutis stabili & inconcusso termino* limitetur? * tramite.

Dearbitrio tamen libero & gratia Dei, quod Romana (hoc est Catholica) sequatur & assueueret Ecclesia, licet in varijs libris beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum, possit cognosci: tamen in scrinijs Ecclesiasticis expressa capitula continentur: quæ si tibi desunt, & necessaria creditis, destinabimus: quamquam qui diligenter Apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, euidenter cognoscat. Data Idibus Augusti.

NOTÆ.

Epistola.] *Ioannes Maxentius hæreticus & mendax scriptor, primus est, qui hanc Epistolam Hormisdæ esse negauit: quam ipsa tamen connexio rerum gestarum sententiarum, atque verborum proprietas, ipse denique stylus Hormisdæ, manifestè adiudicant. Ioannem Cochlæum, virum fama celebrem & hæreticorum nostri temporis acerrimum impugnatorem idem cum Maxentio sensisse fatemur; sed errore & boni opinione lapsus fuit. Apologiam enim Maxentij in quam inciderat à Catholico scriptam esse putauit, quam hæreticus pestilentissimus ediderat. Caruit vir doctus harum Epistolarum Hormisdæ nunc recens editarum subsidio. Quo si instructus fuisset, fraudem & dolum hæretici animaduertere potuisset. Vide Baron. an. 520. n. 22. & seq. Possevinum in apparatu sacro, verbo Ioannes Maxentius.*

Tom. 1. epist. Dec. 68.

EPISTOLA LXXI. B. HORMISDÆ Papæ, ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum.

Epiphanium Episcopum ordinatum nec scripsisse, nec legatos misisse nuntiat.

Ex V.C. Vat.

HOrmisda, *Epiphanio Constantinopolitano Episcopo.* Diu nos non nunciata tuæ primordia dignitatis tenuêre suspensos, & in ipsa communis gratulatione lætitiæ, mirati admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum: quia reparata Ecclesiarum (Deo annuente) concordia plenum fraternæ pacis flagitabat officium: præsertim quòd sibi non arrogantia personalis, sed regularum obseruantia vindicabat. Decuerat siquidem frater carissime te legatos ad Apostolicam Sedem inter ipsa tui Pontificatus initia destinasse, vt & quem tibi debeamus affectum benè cognosceres, & vetustæ consuetudinis formam ritè compleres: sed licèt his omissis, paginalia tãtùm sufficere iudicasses ex occasione colloquia; nos tamen gratia stipulante compulsi interim iustè constantiam expectationis abrupimus, reciproca mutuæ caritatis verba reddentes: quia & noster animus amoris impatiens, & legatorum nostrorum votiua relatio exclusum quod imperabat causa silentium ad ad officia benigna traxerunt, quibus ad præsens gaudij nostri signa monstramus. Et priuatæ quodammodo amicitiæ votiua persoluimus: legationem autem tuam & ea, qua dudum gratia sustinemus, & sulti veteribus constitutis exigimus, vt quantum gaudij fructum, vel de tui Pontificatus honore capiamus, vel quas tibi gratias referri conueniat pro impensis in negotio propagãdæ vnitatis officijs, sicut nostrorum multipliciter astruxit legatorum narratio, euidentius exprimamus.

Episcopus Constantinop. initio sui episcopat⁹ legatos Romam mittebat.

Tom. 1. epist. Dec. 69.

EPISTOLA LXXII. B. HORMISDÆ Papæ, ad eundem.

Quæritur Eliam, Thomam, & Nicostratum suis sedibus non restitutos: ad Epiphanium spectare, vt hæc executioni mandentur.

Ex V.C. Vat.

HOrmisda, *Epiphanio Episcopo Constantinopolitano.* Oportuerat quidem fraternitatem tuam diuini contemplatione iudicij, atque caritatis nostræ respectu Eliam, Thomam, atq; Nicostratum fratres, & coepiscopos nostros postquã in consortium communionis nostræ recepimus, ad diuina tecum mysteria incunctanter admittere, atq; ad Ecclesias suas, à quibus eos discordiæ error excluserat, pro pacis nostræ plenitudine reuocare; vt vnitas, quam post annorum multa curricula per totum orbem suis Deus restaurauit Ecclesijs, nulla voluntatum nostrarum distantia læderetur: sed quia rem tam gratam, & patrum statutis venerabilibus congruentem quibusdam tarditatibus contigit nunc vsque differri, vnde etiam ad decessorem fraternitatis tuæ nos scripsisse meminimus; hortamur vt lætitiam, quam de damnato præteritæ dissensionis errore percipimus, in nulla iterum discrepãtium animorum causa contristet. Etenim nulli videtur nos nobiscum pleno communicare mentis affectu, si eos, qui nobiscum communicant, à vestro consortio segregatis. Incassum certè videntur pacem recipere, qui pacis differunt præcepta cõplere. Quicquid enim in illorum suscipienda communione moramini, quodammodo de nostra reconciliatione detrahitis: & prouidendum est, frater carissime, ne si Ecclesiarum nostrarum tandem desuper indulta concordia ab his exordium sumat exemplis & religionis veneranda regula, & Apostolicæ Sedis auctoritas imminura (quod absit) per orientem potius, quàm restituta videatur.

RELATIO EPIPHANII EPISCOPI Constantinopolitani.

De sua electione: fidem Catholicam profitetur; & de omnibus cum Ecclesia Romana sentit.

Sanctissimo ac beatissimo Domino fratri & comministrateri Hormisdæ Epiphanius Episcopus in Domino salutem.

Deus, qui in alto habitat, & humilia respicit, & omnia pro salute hominum affluenter prouidet pro sua bonitate & misericordia meam respexit prauitatem, & post obitum sanctæ memoriæ quondam Archiepiscopi & Patriarchæ Ioannis sedem sacerdotalem sanctæ Ecclesiæ catholicæ regiæ vrbis mihi conferre dignatus est sententia, & electione Christianissimi, & iustissimi Principis nostri Iustini, & pijssimæ Reginæ, quæ ei ad omne studium communicat diuinum, sequentiumque eorum, his quibus est bona conuersatio, & qui regijs honoribus sunt sublimiores, simul & sacerdotum, & Monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit. Quapropter necessarium duxi, hoc primum iudicium meis inferere litteris, vt ostendam, quam circa vestram Apostolicam Sedem habeo voluntatem. Est mihi oratio magnoperè, beatissime, vniri me vobis, & diuina amplecti dogmata, quæ ex beatis & sanctis discipulis & Apostolis Dei præcipuè summi Petri Apostolorum sedi sanctæ vestræ sunt tradita, & nihil eis pretiosius existimare. Neque enim extra aliunde veniens sanctę Ecclesiæ constituta ignoro, sed nutritus per Dei voluntate ex teneris vnguibus in sancta Catholica Ecclesia parui per tempora sanctissimis sacerdotibus, & patriarchis. Nam sæpius præpositus his, qui per sacratissimum, & ineffabile baptisma sua exuunt peccata, & verã vnius essentię Trinitatis docui fidem, quam (sicut præfatus sum) ex discipulis Dei magni & Saluatoris nostri Iesu Christi procedentem, omnium sacerdotum, & omnium, quam amplectitur cœtus. Diuinũ enim re vera sanctum, & à Deo datum Symbolum trecẽtorum decem & octo sanctorum patrum in Nicæa congregatorum adoro & prædico, & Christiani splendoris manifestum indicium esse annuntio. Et quinquaginta & centum sanctorum sacerdotum in hac vrbe regia factam venerabilem synodum, similiter & ducentorum Dei amatorum patrum conuentum in Ephesina factum. Triginta & sexcentorum reuerẽdissimorum patrum & sacerdotum synodũ factam Chalcedone vnam esse, & conuenientem, & compaginatam prædictis sanctis concilijs, ipse ego didici, aliosque docere cognoui. In his ergo quatuor Synodis sanctis & sacris, magnum pietatis prædicatum mysterium, & omnium hominum est reposita salus. Eos enim qui fuerunt, vel sunt eiusdem sententiæ & suscipio & amplector, & vniri me eis diligo. Econtra autem eos, qui prẽter istas quid sentiunt, aut prædicant, vel præterito tempore aliquid consti sunt, à cœtu orthodoxorum extorres esse existimo: similiter rectas & re vera religiosissimas epistolas venerabilis Papæ Leonis pro recta fide conscriptas circumamplector, & suscipio. Habeat igitur hanc sententiam circa me vestræ beatitudinis sancta fraternitas: vobis enim manifestam feci, & sub me Ecclesijs hæc prædico, festinans per omnia eas, mihiq; & vestræ beatitudini vinculo caritatis adunari, quas omnino oportet esse vnitas & inuiolabiles, & corpus vnum communis Apostolicæ Ecclesię eundemq; perpetuò custodire. Quantus enim circa vestram venerabilem fraternitatem, in omnib. sit amor, iubete perpendere: quia quos vestra Apostolica Sedes condemnans in sacris diptychis recitare non iussit eos, nec ego inter sacra facio nominari mysteria. Hoc autem de his notũ est, qui à vobis sunt directi viri reuerendissimi, idest, Germano sanctissimo Episcopo, Felici, & Dioscoro diaconibus, & Blando presbytero, qui efficaciter executi sunt ea, quæ eis sunt à vobis iniuncta. Oret igitur vestra Sanctitas tam pro me, quàm pro subiectis meis sacerdotibus, vt perpetuè custodiamur, rectam Dei tenentes confessionem, similiter & pro serenissimo Principe nostro, & pro Christianissima Augusta, quia eorum salus communis sanctarum vbique est Ecclesiarum profuturum firmamentum. Istam igitur vobis absentibus intentionem nullo modo iam licebit sanctam Dei dilacerari Ecclesiam per gratiam sancti Spiritus, & intercessiones sanctæ & religiosæ Dei genitricis Virginis Mariæ, omnem quam-

Ex V. Vat. Pal.

quamcunque vestram fraternitatem, ego quoque, & mei plurimum salutamus. *Alia manu.*

Incolumes in Domino ora pro nobis Dei amator sanctissime frater. Accepta XV. Kalendas Octobris, Rustico V.C.Cos.

EXEMPLVM EPISTOLÆ IVSTINIANI Viri Illustris ad Hormisdam Papam.

Acacio damnato, Constantinopoli pacem vigere, cum Orientalibus pacem quoquomodo ineundam, & de sanctissima Trinitate.

DOMINO nostro Iesu Christo fauente regnat in sæculo qui sacra religione suum fundat imperium: quoniam benè gubernat humana, cui prius diuina placuerint; quod præsentibus euenisse temporibus gratulamur: filius etenim vester clementissimus Imperator æternitatis beneficio sceptra sortitus fidei causas arripuit explicãdas, & ad tuã sanctitatem missa legatione Sedis Apostolicæ promeruimus sacerdotes, quorum aduentu non mediocriter adoleuit Ecclesiarum concordia sacrosanctarum vobis instantibus, vt decebat. Acacij namque quod dissidium generabat nomine stirpitus amputato, pro renore libellorum, quos direxistis in hac vrbe regia, multisque ciuitatibus vnitas optata prouenit, quam summis inuentam laboribus venerari conuenit in perpetuum custodirique necesse est. Hæc quibuslibet argumentis retractari quispiam patietur, quæ sempiterna maiestas ritè composuit; sed quia prosperos cursus frequẽter impedire festinat humani generis inimicus, pars Orientalium non exilijs, nec ferro, flammisque compelli potest, vt Episcoporum nomina post Acacium defunctorum condemnet: quæ difficultas generali concordiæ moras innectit. Sanctitas itaque vestra cælitus inspirata temporum, rerumque qualitatem consideret, & condemnatis huius erroris auctoribus, id est, Acacio Constantinopolitano, Petro, & Timotheo Helluro, & Dioscoro Alexandrinis, Petroque Antiocheno, finire dignetur inueteratũ certamen. De cæterorum nominibus quæstione sopita, vt redimatis plebẽ de sanguine quam Deus noster regẽdam commisit, ac non persecutionibus, ac cruore, sed patientia sacerdotali populũ Domino nostro concilietis. Ne dum volumus animas lucrari, & corpora multorum pẽrdamus & animas, errores etenim diu turnos lenitate clementiaque conuenit emendari, præcipuè quia vestræ beatitudinis prædecessores sæpissimè voluerũt reipublicæ nostræ Antistites ad suam reuocare communionem, si tantum modo tacererur Acacius, cæterique prædicti. Non est ergo graue, quod suasit vestra Sedes, vt præstet; illud etiam magis magisq; deposcimus, vt tua Sanctitas concepta gratia cœlesti, quæ prætendunt orientales Episcopi tractare dignetur, eorumque fidei competentem præbere consensum. Nobis etenim videtur, quoniam filius Dei viui Dominus noster Iesus Christus ex Virgine Maria natus, quem prædicat summus Apostolorum carne passum, rectè dicit; vnus in Trinitate cum Patre, Spirituq; sancto regnare. Sicut enim videtur ambiguũ dicere, simpliciter vnum de Trinitate, nó premisso nomine Domini nostri Iesu Christi, sic eius personam in Trinitate, cum Patris Spirituq; sancti personis non dubitamus esse: sine Christi namque persona nec credi Trinitas religiosè potest, nec adorari fideliter, quémadmodum sanctus Augustin. ait. An aliqua ex Trinitate persona, & alio loco, solus in Trinitate corpus accepit. Et iterum vnus trium. Rogamus igitur reuerendissimè salutantes, vt futuri iudicij memores, causam taliter ordinetis, ne quid dubitationis relinquatur in posterũ, quatenus omni scrupulo discordiarum sublato, pacis desideratæ per orbem totũ vincula renouentur, & venerandarũ floreat Ecclesiarum concordia, corporisque vnius in proprium statum membra recolligantur. Ille namque Medicus iure laudatur, qui veteres ægritudines ita sanare deproperat, vt ex eis noua vulnera non nascantur. Specialiter ergò cognoscat vester Apostolatus, compositis eisdem duobus capitulis, vniuersos sacerdotes istius Reipublicæ libenter amplecti vestram communionem. Accepta XV. Kalend. Octob. Rustico V.C.Cos.

RELATIO EPIPHANII EPISCOPI Constantinopolitani.

Imperatoris, eius q; coniugis, suam q; de Ecclesiarum vnione animi alacritatem demonstrat. Ponti & Asiæ, & maximè Orientis sacerdotes suorum Episcoporum nomina damnare volentes in vnionem admittendos. Calicem & alia Pontifici munera mittit.

DOMINO *per omnia sancto, ac beatissimo fratri, & comministratori nostro Hormisdæ, Epiphanius Episcopus in Domino Salutem.* Ex V.C. Vat.

Quantam habuimus alacritatem, nos quoque & pijssimus & Christianissimus Imperator vnà cum fidelissima & in omnibus bonis florente coniuge sua, circa rectam & puram sanctarum Ecclesiarum vnitionem: & quemadmodum cum caritate Dei, qua nos decebat, destinatos à vobis sanctos episcopos & religiosos suscepimus, & venerandos habuimus clericos, existimamus quidem & antè ex his, quæ acta sunt satisfactum vestræ beatitudini: credidimus tamen, quòd si Dominus & Saluator Iesus Christus Deus noster, idem ipsos reuerendissimos comministratores nostros incolumes vestris obtutibus præsentauit, omnia quæ excitata sunt vobis sanctissimis manifesta fieri, & laborem, quem potuimus sustinere per hos ipsos manifestius cognoscetis, quemadmodum per Dei gratiam, & fidelissimorum principum nostrorum Constantinopolitanæ ciuitatis ñostra Ecclesia pacificè est gubernata, & nomina eorum inter sacra non sunt recitata mysteria, quæ Sedi vestræ profana cognouimus: sed quatuor conciliorum pro sancta fide consonantia prædicatur, & hoc ipsum omnib. sacrorum diptychorum recitatione manifestũ est. Annũtient igitur vobis, quia nó parui nobis subiecti sacerdotes, nec rursus sub eorũ ordinatione episcoporũ parua est subdita multitudo, qui bonũ huius cœptæ vnitionis amplectitur, vestra etiã sanctitas cognoscat istius se generalis boni & principem & inceptorẽ nihilominus constitutum. Vnde fortiter ad vigilandum beatitudo vestra laudum est stimulis excitanda, ne id, q; diuina in honorem vestri cœperat ordinare misericordia, nó ad plenum ita vt cõdecet communis vnitas peruenire videatur. Diligẽtius autem de his fidelissimi & pijssimi nostri principis de sanctarum Dei Ecclesiarum vnitate & concordia gaudentes, ad vestram mandauerũt beatitudinem supplicationes à pluris sanctis sacerdotibus susciptes tam Ponti, quàm Asiæ Prouinciæ, & maximè orientis, apud quos nomina quondam sacerdotum suorũ tacere difficile, & impossibile esse videtur, tantaque eorum obstinatio est, vt omne periculum pro tali facto parati sint sustinere. Igitur præcedẽtes omnes circa pacis studium necessarium causas considerantes, quia per solã istam humilitatis viam communem omnibus vnitionem & salutem inuenimus, interrogantes, sicut dictum est, & satisfacientes vobis ab illis: qui à nobis in hoc negocio sunt destinati, cautam cum pacifica, qua vos decet gubernatione dispẽsetis: nam dum vna vtraque sit Ecclesia, proculdubio & bona quæ per vigilantiam eueniunt, communis exinde laudis vtrisque Patriarchalibus sedibus rimatur, & consuetè omnium Dominus & conditor Christus verus Deus noster magnificetur. De his autem omnibus summo vobis supplicentur affectu, Ioannes sanctissimus Episcopus multos nobiscum sudores in præsenti deponens certamine, & Heraclianus reuerendissimus presbyter sanctæ nostræ maioris Ecclesiæ, & cohabitator noster, & Constantinus reuerẽdissimus Diaconus eiusdem maioris Ecclesiæ, per quos & nostra synodalia secundùm Ecclesiasticas vestræ beatitudinis destinauimus leges. Nunc igitur pijssimi nostri Imperatoris studium circa sanctarum ecclesiarum vnitionem ostendentes, pacificis ad vestram beatitudinẽ de his causis vtendo literis & oblata sibimet, & ab Hierosolymitanis & Orientalibus petitiones destinauit. Nos ergò occasionẽ salutationis inuenire volentes, hanc ad vos fecimus Epistolam, per quã supplicamus, proponentes vobis sanctissimis hanc vocem diuinam: Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, ecce credidit nobis omnium Dominus talẽtum, quod augmentum possit restitui boni operis fructu, & saluati per laudabilem vestram dispensationem, tantas quidem sanctas 2. Cor. 6.

Ecclesias, tantosque eorum sacerdotes, & multitudinem innumerabilem nunc quidem vnitam sanctæ Ecclesiæ, periclitantem autem & errantes, si vestræ beatitudinis gubernaculum commemoretur, & maximè his, qui in sanctis locis habitant Christi Dei nostri, ita vbique sanctis adhærentes Ecclesijs, vt eorum respui non debeat multitudo. Nam omnes per suggestionem eorum ita in obstinationis suæ malo perdurãt, vt velint ante vitam recedere, quàm excogitata relinquere, vt si Deus hos, per vestram beatitudinem adunari præceperit, vestræ laudis meritum, & præsentibus, & futuris ascribatur temporibus. Oret igitur vestra sanctitas tam pro pijssimis & Christianissimis principibus, quàm pro nostra paruitate, & vniuersali vnione, & gratiæ sanctæ, & vnius essentiæ Trinitatis, & intercessionibus Dominæ nostræ sanctæ gloriosæ Virginis, & Dei genitricis Mariæ, omnia ad vnitatem indiuisam conueniant, & fundamentum incõcussum Catholicæ fidei confirmetur per omnia sanctissime frater. Indicia autem nostræ secundùm Christum Dominum nostrum caritatis per viros reuerendissimos destinauimus, administrationem diuinæ culturæ, & sanctæ Apostolicæ vestræ Ecclesię calicem aureum gemmis circumdatum, patenam auream, & alium calicem argenteum, vela serica duo, quæ susçipere vestram beatitudinem supplicamus cum illa caritate, quam vos habere secundùm Deum non dubitamus. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, nos quoque & qui nobiscum sunt, plurimum salutamus. Accepta pridie Kalend. Decemb. Rustico V.C. Consule.

Intercessio Sanctiss. Virginis.

A.D. 520.

SACRA IVSTINI AVGVSTI.

Ioannem Episcopum ad tractandam Ecclesiæ pacem destinatum, quamprimum conualuerit, profecturum.

Ex V.C. Vat.

IVstinus Augustus, Hormisdæ Papæ. Dum beatissimum Germanum Episcopum, vel eos, qui cum eo à vobis fuerant destinati, de hac dimitteremus Regia ciuitate, huiusmodi illis mandata tradidimus, quòd capitula, quæ ad perfectam vnitatem Ecclesiarum pertinebant, Apostolatui vestro per reuerendissimum Ioannem Episcopum sequenter manifesta faceremus: quæ tamen ipsis hic præsentibus fuerant declarata. Sed euenit præfatum Ioannem Antistitem longa ægritudine detineri: ne qua igitur vestram reuerentiam ingrediatur aduersa sententia quasi vobis promissa nostra desidia quædam vltronea minus ad effectum perducentibus; necessarium esse perspeximus dilationis causam vobis exponere per Eulogiũ V.S. Tribunum & Notarium, quem ad præcelsum regem Theodoricum super negotijs quibusdam transmisimus: hoc quoque adijcientes, quòd dum propitia domini & Dei nostri maiestas, eundem virum religiosissimum Ioannem pristinę voluerit reddere sanitati, sicut semel promiseramus, statim illum ad tuam sanctitatem transmittemus. Superest vt sanctitudo tua diuinum nobis præsidium orationibus suis dignetur acquirere. Data pridie Kalend. Septemb. Constantinopoli, Accepta Romæ Kalendis Octob. Rustico Viro Clarissimo Consule.

A.D. 520.

RELATIO DOROTHEI EPISCOPI Thessalonicensis.

Obiectum sibi crimen refellit.

Ex V.C. Vat.

Sanctissimo ac beatissimo Patri, ac comministratori Hormisdæ, Dorotheus in Domino salutem.

Propositi nostri, & orationis est summum studium, per omnia beatissime & ter beate pater, & scribere frequenter ad vos sanctissimos, & mutua mereri colloquia, & nullo tempore extorrem me ab huiusmodi lætitia esse cõdecet. Quoniam igitur manifestè cognoui quosdam sanctas aures vestras perturbare, & scio procul dubio vos in omnibus esse perfectos, & quia nihil sine iudicio audire potestis, nec vlli penitus vestrũ animum accommodare, & vt nõ amplius per taciturnitatem largiri tempus videar illis, qui nihil quidem à nobis læsi sunt, sed sine causa & superfluè aduersus nos armati sunt, Deo tamẽ & vestræ satisfacio sanctitati, quia pro Ioanne viro reuerendissimo Episcopo, qui paulò ante à vestra venerabili corona directus est, prædestinaui me periculis, & mortem sustinui, & meam pro eius scio me obiecisse animam, & hoc ostẽditur gestis, & ex his, qui quamquam per meam absentiam acerrimè videantur esse discussi. Et quid longo sermone opus est vti? cùm vobis omnia Dominus Deus noster Iesus Christus, patefacere & satisfacere possit, quia & quando cognoui vos ad Apostolicæ Sedis præsulatum aduocari, commune gaudium totius mundi esse iudicaui. Ab illo enim tempore, hoc ipsum scribens ad vos quantum ad me, quicquid ad honorem & satisfactionem vobis & Apostolicæ sedi pertinet, nihil prætermisi, sed nec prætermitto. Paulò post autem scietis per venerabiles, annuente Domino Iesu Christo, quia hæc ab exordio mihi sunt excogitata, & quando Dominus Deus tempus dedit ad effectum hęc sunt perducta: omnem cum vestra sanctitate in Christo fraternitatem ego quoque & mei plurimum salutamus.

EPISTOLA LXXIII. B. HORMISDÆ Papæ, ad Dorotheum Thessal. Episcopum.

Tom. 1. epist. Dec. 70.

Romam ei veniendum, vt Catholicam doctrinam percipiat, & obiectum crimen purget.

HOrmisda, Dorotheo Episcopo Thessalonicensi. Considerantes tuæ fraternitatis Ecclesiam ante prætereuntis mala discordiæ olim cum Sede Apostolica pręcipua fuisse caritate cõiunctam; te nuper pacis redditæ esse credebamus auctorem: sed quia quos præuenire debueras, sequi etiam remoraris nõ leuiter pro fraternitatis tuæ dilatę correctionis ingemiscimus tarditate: scribis enim aures nostras cuiusdam sceleris atrocitate turbatas, vtinam vsque ad nos tantùm tam detestabilis fama percurreret, & non toto orbe Christianis mentibus tam dolendum, tam execrabile facinus nuntiaret, vt qui te innocentem nesciunt, à Christianitatis simul credant tramite deuiasse. In qua enim mundi parte immanitatis huius inuidiã nõ & Catholicas contristat Ecclesias, & hæreticorum praua vota lætificat, quæ nos à dilectionis tuæ conscientia, sicut litteris intimas, ostendi cupimus alienas: quid enim votis nostris magis conuenit, nisi vt redire ad pacem Catholicam volentes Episcopos, à crudelitate & criminibus contingat semper innoxios comprobari. Expectamus igitur, si non desunt fraternitati tuæ veritatis Deo nota præsidia, vt & tanti sceleris à te repellas inuidiam, & in reconciliatione fidei tandem eorum, qui reuersi sunt, sequaris exempla. Data IV. Kalend. Nouemb. Rustico V.C. Cos.

Ex V.C. Vat.

A.D. 520.

EPISTOLA LXXIV. B. HORMISDÆ Papæ, ad Iustinum Augustum.

Tom. 1. epist. Dec. 71.

Accepisse eius literas; & de eius fide & pietate nunquam dubitatum.

HOrmisda Iustino Augusto. Benedicta Trinitas Deus noster, qui vobis gubernacula commisit mundani imperij, quibus non solum pro iure regni veneratio deberetur, verum etiam pro glorioso modestia & integritate propositi. verè enim glorificamus DEVM lectis vestræ pietatis epistolis, quibus promissæ legationis moram pro infirmitate eius, qui dirigendus fuerat excusando, luce clarius reddidisti, quam curam fidei & pudoris haberetis, ostendentes rerum summam regentibus, non sufficere ad dominationis apicem, quam obtinent potestatem, nisi ornamenta morum pretiosiorem faciant principatum, seruet circa vos clementissime Imperator DEVS noster beneficia sua, & respiciens bona vestra largiatur æterna. Nec nos tamen momordit vlla suspicio, aut implendi tarditatem promissi, nec mutatione credimus euenisse consilij. Nefas enim erat de eius verbis quallibet solicitudine dubitari, cuius fidem in magnis rebus datum est tam euidenter agnosci. Redeunte igitur filio nostro spectabili viro Eulogio Tribuno & Notario cultum debitæ salutationis exsoluimus, DEO magno continuis precibus supplicantes, vt qui vestro studio per infideles vulnera impacta curauit, æuo vobis per longiora tempora propagato

Ex V.C. Vat.

vnita-

vnitatem Ecclesiæ redditam, ex omni quoque faciat parte securam. Data I v. Kalendas Nouemb. Rustico V. C. Cos.

Gratum ad Pontificem mittit, suadetq; vt Asianis & præcipuè Orientalibus suorum Episcoporum nomina damnare nolentibus Anastasij exemplo indulgeat, ab ijsdem Preces pro Ecclesiarum vnione oblatas transmittit.

Iustinus Augustus Hormisdæ Papæ. Quo fuimus semper, & quo sumus studio pro conciliandis sententijs, Catholicam fidem colentium, vt eodem animo cuncti venerentur, lumen indiuidum Trinitatis palam fecisse dignoscitur: nunc legatum ad vestram beatitudinem vltro ob hoc ipsum dirigentes Gratum virum sublimem magistrũ scrinij, quo remedium tandem reperiatur discordijs, varia cunctantium, nunc prono, libentique susc ipientes affectu, viros religiosissimos, quos interuentores vnitatis, vestra sedes Apostolica credidit destinandos. Profectò etenim tanquam ipsam pacem, & iucundis eos oculis aspeximus, & extentis manibus duximus amplectẽdos. Quin etiam omni intentione ordinauimus, vt venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, necnon complures aliæ vota susc ipiant vestra, non solùm in cæteris, sed in auferendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quæ remouenda maximè postulastis. Verùm nonnullæ fuerunt Vrbes & Ecclesiæ tam Ponticæ, quàm Asianæ, & præcipuè orientales, quarum clerici, vel populi omnibus pertentati minis, & persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt, vt tollant Antistitum, & repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit, sed morte vitam duriorem æstimant si mortuos condemnauerint, quorum gloriabantur vita superstitum. Quid igitur faciamus huiusmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens existit, & tormenta in tantum despicit, vt amplum sibi, ac festiuum iudicet, si corpore prius quam religioso desistat consilio? Nobis quidem videtur opus esse mollius agendi, & clementius, quæ si non in tua sanctitate, iam nec in alio potuerunt inueniri, nam neque sanguinis, & suppliciorum cupidi (quod dictu etiam graue est) libellum susc epimus, neque vt paruo discrimine remaneant imperfecta concordiæ desideria, sed ad prorogandam quo possumus ordine coniunctionem membrorum Ecclesiæ. Verùm itaque præstantius erit, minorum gratia in totum esse nobis adiectas tantas multitudines, an concessis exiguis, & remissis maiora, & omni ratione quærenda corrigi, vt quæ non licuit per omnia, saltem ex necessarijs partibus allegentur. Veniam itaque nominum postulamus non Acacij, non vtriusque Petri, non Dioscori, vel Timothei, quorum vocabula ad nos datæ tuæ Sanctitatis epistolæ continebant, sed quos in alijs celebrauit ciuitatibus episcopalis reuerentia, & hoc exceptis vrbibus, vbi vestræ beatitudinis libellus iam in plenum admissus est, nisi hanc quoque partem beneuolentia statuerit vestra mitius corrigendam. Verùm nec iudicio res caret Sedis Apostolicæ, vt non magis venia dicenda sit, quàm delibcrata iam, ac perspecta diffinitio. Anastasius quidem religiosissimæ memoriæ vestræ culmen Ecclesiæ palam, aperteque constituit, cùm hoc idem scriberet negotium prædecessori nostro, satis esse pacem affectãtibus si nomen tantùm reticeatur Acacij. Ergo priora vestræ sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum iudicat contemnendas, vt indignum habeatur, & incongruum, si non placidior omnibus non solùm defunctis, sed etiam superstitibus vestra diuulgetur in omni fine terrarum lenitas. Et hoc quidẽ non dubitauerimus ita gratiosum vobis futurũ, vt pacifico statim responso, lætior mundus reddatur. Retinet autem vestra Sanctitas, quod dudum scripsimus, ex Oriente supplicationes nobis esse destinatas, voluntatem ipsorum continentes, & arbitrium, in quo sese duraturos ostendunt, firmiter, & quo nulla ratione desistendum æstimant. Hanc itaque chartulam secundùm nostra promissa, per Ioannem virum reuerendissimum episcopum dirigendam vobis in præsenti meritò credidimus, vt à vestra sede etiam tenor eius admissus, ad colligendas proficiat, & adunandas vbique venerabiles Ecclesias & Hierosolymitanam præcipuè, cui tamen omnes fauorem impendunt, quasi Matri Christiani nominis, vt nemo audeat ab ea sese discernere. Consensum itaque proprium tuam sanctitudinem epistolari quoque pagina conuenit declarare, vt cognito omnibus atque patefacto tenor eiusdem chartulæ à vobis etiam laudari, & tenaciter custodiri, lætior mundus existat. Data v. Idus Septembris, Chalcedone; Rustico V. C. Cos. Accepta pridie Kal. Decemb. Consule suprascripto.

EXEMPLVM PRECVM.

Eius opera ad Ecclesiæ vnitatem admitti rogant: Catholicam fidem profitentur.

DEo amabili ac pijssimo Imperatori ex Deo Augusto, & Principi Iustino Christianissimo, deprecatio & supplicatio à Hierosolymitanis, & Antiochenis, & secundæ Syriæ Clericis, & Abbatibus, & prouinciæ Syriæ possessoribus. Ex V. C. Vat.

Haurite aquam cum lætitia ex fonte salutis, vociferator Esaias Propheta exclamat, fontes salutis Euangelicæ veritatis prædicationes manifestè ostendens, ex quibus beati Apostoli, & eorum qui per ordinem fuerunt Discipuli, & sapiẽtes Ecclesiæ doctores salutarem aquam fidei haurientes, omnem sanctam Dei Ecclesiã irrigarunt, quæ in petra summi Apostolorum subnixa rectam & inconflexibilem confessionẽ custodiẽs, fiducialiter cum eo ad vnigenitum filium Dei exclamat omni tẽpore dicens: Tu es Christus filius Dei viui. Hanc salutarem confessionem à sanctis quatuor Synodis, quæ Euangelicis præceptis sunt honoratæ, susc ipientes, nunquam per Christi gratiam à traditis nobis rectis dogmatibus deuiamus, sicut rerum testatur probatio, & tempore necessitatis fidei constantia demonstrat. Si igitur vt Christiani, rationis fidei sumus participes, domine pijssime, & ad communem pacem & vnitatem festinamus, nostrã fidem, quam ab initio susc epimus, per hanc satisfactionẽ nostram manifestã vestræ facimus pietati; vt notum sit, quia & paci concurrimus, & à recta cum Dei iuuamine nõ diuertimus fide, sed omnẽ ex æquo hæresim execramur, non solũ Eutychianistas & Acephalos, sed & Nestorianos, & hominẽ colẽtes toto animo audentes anathematizamus. Nos autem domine cariss ime Imperator, sicut supra dictum est, in Patrem & Filium & Spiritum S. ab initio baptizati quoq;, & credentes essentiam Dei in tribus subsistentijs adoramus, secũdùm sanctorum patrũ Symbolum, credentes in vnum Deũ patrem omnipotentem, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum Deum verbum, similiter & in vnum Spiritum sanctũ: & secundùm hoc diuinam maiestatem. Diffinitionem à sancta Chalcedonensi Synodo promulgatam, intelligimus quoq; & susc ipimus, confidentes & credentes: quia vnam subst ãtiam, vel personam, quod idem est, ipsa sancta Synodus, in duabus naturis, id est in deitate, & humanitate, indiuisè & confusè prædicauit Deum verbum, Dominus noster Iesus Christus vnus est ex sancta, & vnius essentia Trinitatis. Si enim vnũ Deum in tribus subsistentijs, sicut dictum est, accipimus. Pater autem non est incarnatus, nec Spiritus sanctus, Deus Verbum incarnatus est, & homo factus est vnus ex sancta & vnius essentia Trinitatis secundũ filiationis proprietatem: sic ita secundũ prædictas quatuor synodus credentes, & secundã Dei verbi natiuitatem, secundũ carnem cõfiteri non renuimus. Vnde propriè Dei Virgo genitrix esse creditur, tanquam natura & veritate vnius essentiæ patri filiũ Deum verbũ natura immutabilem, ex ipsa factum hominem enixa est, & duas naturas in Christo per essentiam, vel subst antiam vnitas, consitentes sicut in vnius persona, vel subst antia: nec harũ diuersitatem vel proprietatem, post vnitionem auferimus, nec eas diuidere in duabus personis, & subst antijs per vnitionem sumus edocti; eundemq; scimus vnigenitũ filium Dei, & antè incarnationẽ eius, & post idem Deũ quidẽ, simul & hominẽ, passibilem carne, impassibilẽ deitate: circunscriptũ corpore, non circumscriptũ spiritu, idem terrenũ & cęlestem, quem mundus, vt hominẽ cępit, & vt Deũ continere non potuit, mortalẽ & immortalem, nusquã naturarum diuersitate eius ablata, neq; diuidẽtes per essentiam vnionem. Hoc enim veræ magnum pietatis mysterium: quia vnus ex sancta, & vnius essentia Trinitatis incarnatus, & homo factus Deus verbum in vtraque natura Deitatis & humanitatis indiuisè & inconfusè cognoscitur & adoratur, non conuersionem vel mutationem sust inens, sed proprietatem vtriusq; naturæ in vna

Esa. 12.

Matt. 16.

Ecclesia Romana à rectis dogmatibus nunquam deuiauit.

persona in semetipso conseruans. Ob hanc igitur fidem prædictas sanctas Synodos susçipientes, & custodientes anathematizamus omnes, qui aduersus eas quocunque tempore, vel modo aliquid conscripserunt præcipuè Ioannem Ægeotam, qui aduersus memoratam sanctam Chalcedonensem synodum multas, vt Nestorianus, blasphemias euomuit: similiter & condemnantes Timotheum Hellurum cognominatum, sicut Eutychianistam, aduersus eum cum suis latrantem sequacibus. Ita ergo cum Dei iuuamine semper sensimus, & iam nunc sentimus. Quapropter hanc satisfactionem vestræ obtulimus pietati, & vt iubere dignata est, nos proprium intellectum, & quemadmodum de sana fide sentimus, exponere: quia quidam hæretici dum suam malam fidem occultare festinant, nostram in Christo libertatem, & rectam fidem detrectare conantur. Supplicamus igitur vestram clementiam, solicitudinem perfectam Ecclesiarum vnitione sanctarum habere debere; & vnitas, quæ cum Dei fuerit iuuamine, nec vllo deinceps rationabili, aut irrationabili occasionis fomite inquietari pax possit. DEVS autem omnium vestrum pium adimpleat desiderium, in gloriam sui & reipublicæ disciplinam.

Tom. 1. epist. Dec. 72.

EPISTOLA LXXV. B. HORMISDÆ Papæ, ad Synodum Constantinopolitanam.

Gratulatur Epiphanium Pontificem electum.

Ex V.C. Vat.

HOrmisda synodo Constantinopolitanæ. Fratrem & coëpiscopum nostrum Epiphanium, apud felicissimam (Deo fauente) Constantinopolim ad officium muneris sacerdotalis assumptum peruenisse ad nos, fraternitate vestra referente, gaudemus: quia gratius quodammodo susçipiuntur indicia, quæ significauerit amata persona, & tanto maius pro auctoritate Nuntij nascitur gaudium, quanto non est quòd de testimonio disputetur. Sic erat congruum carissimi nobis, sic se circa proximum patefacere decebat affectum, vt per vos Sedi Apostolicæ innotescat quod moribus & sanctitate fulgeret: quod vsque adeò se omnium bonis (sicut & vos asseritis) imbuit institutis, vt nõ sit fortius meritis testimonium, quàm in honorem sacerdotis adscitum. Quid est enim, quod de eo habeatur ambiguum, in quo de bonis moribus sub probatione factæ concordiæ præsuscepta sunt diuina. Quapropter facitis sanctè, facitis religiosè, facitis piè, quod veritati testimonium libenter impenditis, quod præmium benemeritis non negatis: quia idem error est tacere veritatem, qui est falsis assistere, & eadem iniustitia est si negetur honor moribus placitis, quæ est si concedatur indignis. Certum est amantissimi participari vos cum sacerdotis laudibus intimatis, quia omni fraternitatis vestræ ordini transcribuntur, quod in vno, quem ex vobis elegistis, esse laudatur. Deus omnipotens fidei suæ pacem sub perpetuitate conseruans, electionem ordinationemque vestram, quam insinuandam Sedi Apostolicę per Ioannem fratrem & coëpiscopum nostrum, necnon & Heracliarum presbyterum, atque Constantinum diaconum filios nostros religiosè credidistis, tanta firmitate confortet, & ita omnium discordantium luctamina disijciat, ita dissidentium corda compescat; & quemadmodum sub fratre, & coepiscopo nostro Epiphanio pacificationis datũ est indicium, gratulemur effectum. Data VII. Kalend. Aprilis, Valerio V.C. Cos.

An. rom. 521.

Gesta in causa Abundantij Episcopi Traiapolitani in scrinio habemus.

Tom. 1. epist. Dec. 73.

EPISTOLA LXXVI. B. HORMISDÆ Papæ, ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum.

Cum qua decuit via ad sacerdotium peruenerit, in vnione Ecclesiæ perseuerandum. Et de acceptis muneribus.

Ex V.C. Vat.

HOrmisda Epiphanio Episcopo Constantinopolitano. Benedicimus Dominum fraternæ charitatis affectu, quia non solùm synodica relatione ad sacerdotium te dignè peruenisse cognouimus, sed factis atque moribus comprobamus: & ita se meriti tui gradus patefecit effectibus, vt antè fratrum & coepiscoporum nostrorum testimoniũ cuncta crederemus. Quod enim illi te promittunt posse omnia agere, nos videmus impleſſe: & tanquam fidei tuæ seruata pacis fuerit gratia, sic vnitatis hactenus dilata sunt vota diuina eorum prædestinatione caritati tuæ vocabulum, quo nuncuparis accessit, sub quo spiritu apparente concordia factum est, vt dicamus: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Quapropter in Christo Domino nostro reddentes officia salutationis, hortamur, vt boni operis initium laudabile continuet institutum, secundùm sanctum Euangelium, quo monemur. Qui perseuerauerit in fine, hic saluus erit. Adhortamini igitur reliquos, inuitate monitis, colligite blandimentis: quia talenti crediti multiplicata compendia, sacrificia sunt diuina. Præterea gratissimè tulimus, quòd Ioanni fratri & coepiscopo nostro, necnon Heracliano presbytero, atque Constantino filijs nostris internuntijs promotionem caritatis tuæ cognouimus, qua esse aliquid dulcius non putamus. Et cùm te prædicti viri, etsi pro obsequio susçepto facerent, non tantùm ratione laudarent, beati omnium sumus, quòd digne rei nuncius relator dignus extabat, vt tibi absolutissimè delegatorum meritis probatio sit honoris. *Manu Papæ.* Susçepimus calicem aureum gemmatum, patenam argenteam, & alium Calicem argenteum, & vela duo ministerio basilicæ B. Petri Apostoli profutura, à caritate tua directa. Data VIII. Kalend. Aprilis. Valerio V.C. Cos.

Pra. Mar. A.D.

Ab Orientalibus Imperatori preces oblatas se ad eum missse.

DOMINO *meo per omnia amabili Deo, sanctissimoq; fratri, & comministratori Hormisdæ, Epiphanius Episcopus in Domino salutem.*

Ex V.C. Va.

Quantam alacritatem, aut quale desiderium pijssimus, & Christianissimus Imperator caram perfectam vnionem vniuersarum Ecclesiarum habeat, non voluntate tantùm, sed operibus ipsis habitantibus in hac regia vrbe, & antequàm ad Regnum à Deo sibi datum peruenire, ostendit. Sanctitati autem vestræ ex correctis ab initio regni eius, & vsque nunc laboribus maximè manifestauit, per quos omnia Catholicæ Ecclesiæ membra in vnum Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi corpus cum prompto nititur animo coniungere, & quid opus est verbis vti prolixis, qui rebus ipsis quamquam nos veri testes existere valeamus. Habet tamen & vestra Sanctitas experimentum, quod & per seipsa cognouit: confirmat quidem hæc, quod & nunc additur. Nam quidam qui sub potentissima eius manu sunt, religiosissimorum sacerdotum ex orientalium partium regionibus, preces porrexerunt, docentes de his, quæ voluerunt: nec hoc latere vestram volens sanctitatem, benè deliberauit, vt quod iam factum est in præsenti nunciaret vestræ Sanctitati. Paulò post de eo, his manifestius significare, vt communi consilio præcedente omnium Domino, & Saluatore nostro IESV CHRISTO ea, quæ ad vtilitatem communem conueniunt, & vndique sunt irreprehensibilia Catholicæ fidei correctionis clarescant. Oportunè igitur existimantes fraternis literis vestram sanctitatem, & clarissimis alloqui rogamus, vt maius & instantius pro pijssimo principe nostro omnium Dominum Deum orare dignemini. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est sanctitate, ego quoque, & mei plurimum salutamus. *Alia manu.* Incolumis in Domino ora pro nobis amabilis Deo & sanctissime Pater.

(·.·)

RELA-

RELATIO EPIPHANII EPISCOPI Constantinopolitani.

Paulini solicitudinem laudat.

DOMINO *meo per omnia amabili Deo, Sanctissimoq; fratri, & Comministratori Hormisdæ Epiphanius in Domino Salutem.*

Ex V.C. Vat.

Paulinus vestræ Sedis defensor, qui vestram retulit Epistolam, vestræque Sanctitatis virtutem in se ostendens, cum gaudio nobiscum conuersatus, suam solicitudinem communibus consilijs actibusque contulit. Sed quoniam ad vos festinantem non oportebat eum prolixiore tempore remorari; ideoque reciprocis alloquentes vestram Sanctitatem protegi præfatum virum, & nostri dignum amoris fidelem seruum subsistentem commendamus. Erit autem de his, quæ à nobis gesta sunt pro vestro animo, & circa sanctas Ecclesias solicitudinem, quam gerimus vigilare nobis dignus fide enarrator. Nam nos orationibus vestræ Sanctitatis, vt naturalem bonitatē huius rei respicientes vigilantissimum habentem studiū, & Deo cooperante in plurimis verbum gratiæ decurrēs, sine aliqua obsistentia ad effectum nostrum ducit, & intētionem. Sed quia difficultates aliquæ accerserunt, gubernatione vtique & inniti dispositione ea, quæ hic mouetur, oportet competenter exponi, sicut & vestra cognoscit super omnia Sanctitas: & quemadmodum oportet eos, qui Dei greges pascere sortita sunt, vniuersa ad gloriam DEI & agere & moliri, spem salutis in eum habentes: & sicut scriptum est, Diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum. Ea enim, quæ vobis placeant (sicut dictum est) sentire quoque & agere nitimur, sanctissime. Omnem in Christo fraternitatem, quæ cum vestra est Sanctitate, ego quoque & mei plurimum salutamus.

Rom. 8.

EXEMPLVM EPISTOLÆ Iustiniani V.C.

Petit vt pro Ecclesiarum vnione laboret, & sibi ad ea respondeat, quæ per legatos scripserat.

Ex V.C. Vat.

DOMINO *beatissimo, atque Apostolico Patri Hormisdæ Papæ vrbis Romæ, Iustinianus.*

Quanta reuerentia vestram beatitudinem veneremur, multis epistolis, ex quo sereniss. Imperator filius vester regnauit, cognoscitis. In præsenti quoque debito pudore salutātes tuam Sanctitatem, postulamus enixius, vt assiduis precibus, & frequentissimis orationibus pro concordia laboretis Ecclesiarum venerandarum, nobisque (sicut per legatos etiam vestros post omnia scripsimus) tam de sermone, quo vertitur controuersia, quàm de nominibus episcoporum sub Acacio defunctorum, per Eulogium virum sublimem tribunum & Notarium, dignetur Apostolatus vester integrum, indubitatumque destinare responsum, omnibus videlicet, quæ præsentibus legatis vestris ordinata sunt, in perpetuo firmiter duraturis. Vir namque religiosus Ioannes episcopus, qui venturus est Romam, detinetur ægritudine corporali: nihil enim prohibet ante eius quoq; aduentum concordiam præuenire, sublata dubitatione religionis, & eum tamen mox dimittemus fauente diuinitate; quia iam melius habet: quoniam nec difficilia sunt quæ ceciderunt in ambiguitatem; nec expedit diutius causam vitæ protrahi sempiternæ, ne dilatis temporibus aliquid nascatur incertius, æternitatis igitur supernæ, tremendique iudicij non immemor Sanctitas vestra, quæ sibi commissa sunt, efficaciæ tradi deproperet, vt intelligant cuncti rectè vos Apostolicæ Sedis esse primatum sortitos. Hæc igitur quæ scribuntur à filijs affectu paterno, iubete quantocyus adimpleri. Scitis namque quàm sit admirabilis gloriæ, tantorum errores annorum vestri Pontificatus tempore stirpitus aboleri.

EXEMPLVM EPISTOLÆ Iustiniani.

Confitetur Christum Dominum rectè vnum in Trinitate dici, secus vnum ex Trinitate. In nominibus Episcoporum damnandis non ita seuerè agendum.

DOMINO *viro beatissimo, sanctoq; Patri Hormisdæ vrbis Romæ Pontifici, Iustinianus V.C.*

Quantam venerationem religionis habeamus, quamque solicitos semper fuerimus propter vniendas sanctas Ecclesias, testis est quoque vestra beatitudo. Postquam regnauit etenim Dominus noster inclytus Imperator, per omnes ad Italiam venientes direximus litteras, Apostolatum tuum rogantes sicut decebat, nunc etiam, ne quid eorum, quæ fieri conuenit prætermittatur, Ioannes vir reuerendissimus Antistes, Heraclianus Presbyter, & Constantinus Diaconus sacrosanctæ Ecclesiæ huius inclytæ ciuitatis destinati sunt ad Vrbem feliciter, vt super omnibus, quæ scripsit filius vester sereniss. Imperator, integrum responsum accipiant. Dignetur ergo Sanctitas tua suscipere memoratos viros religiosissimos libenter, & habitis orationibus, placataque diuinitate, sic omnia debeat ordinare venerabiliter, vt nihil vltra remaneat in ambiguum. Nobis etenim videtur quoniam filius Dei viui Dominus noster Iesus Christus ex Virgine Maria natus, quem prædicat summus Apostolorum carne passum, rectè dicitur vnus in Trinitate cum Patre Spiritu quesancto regnare, maiestatisque eius persona in Trinitate, & ex Trinitate non infideliter credimus. De nominibus autem defunctorum episcoporum clementer, & vt decet pacificum patrem disponite: quia vester quoque prædecessor beatæ recordationis ad memoriæ principalis Anastasium scripsit, vt si nomen Acacij tantummodo tolleretur, vna nobis esset communio. Nonne igitur suasit vestra sedes, vt præstet imitari debeatis. Etenim sanctissimum Leonem Romanum Pontificem, at sicut ille scripsit Leoni, ita & vos omnibus, amputatis dubitationibus, perfectas, pacificasque paginas, ad inuictissimum Principem filium vestrum rescribere Ecclesiæ, vt ante Tribunal venturi Iudicis participes eorum sitis, quorum sedem iure sacerdotali tenetis: Ostendat ergò tuus apostolatus, quòd Petro successit Apostolo: quoniam Dominus à vobis vtpote summis pastoribus exacturus est vniuersorum salutem, qui poterunt esse salui firmata concordia. Nos etenim finitis capitulis, de quibus scripta suscepistis, vltra nos patiemur à quoquam controuersiam religionis in republica nostra moueri; nec vestram Sanctitatem conuenit audire superflua concertantes.

Ex V.C. Vat.

EPISTOLA LXXVII. B. HORMISDÆ Papæ, ad Iustinianum.

Tom. 1. epist. Dec. 74.

Commendat Iustinianum de reuerentia sibi exhibita. Promissam legationem se expectare. Sanctissimæ Trinitatis mysterium explicat.

HORMISDA, *Iustiniano viro Illustri.* Quòd celsitudo vestra animi circa me beneuolentiam dignatur ostendere, facitis rem Deo placitam, & rectæ conscientiæ congruentem: sed non parua sunt nobis huius emolumenta proposita. Maior in nos fructus de tali bonitate reuertitur, neque enim vacua honorificentia est, quæ defertur Antistiti. Indubitatum siquidem est, quia honor ministri cultus est Domini; & qui personam sacerdotis magni habet, maiorem remunerationem ab eo cui sacerdos famulatur, accipiet, dicente Domino Iesu ijs, qui prophetas in honore suscipiūt, suam mercedem esse reddendam, & apud me quidem magni est gratia vestra momenti, eo tamen pretiosior, quia quicquid mihi gratiæ dignantur impenditis, in Ecclesiarum defensione monstratis: sed vt ad id, quod celsitudo vestra desiderat, noster sermo dirigatur, quamquam & clementissimus Imperator, & vos promittatis legationem esse venturam, & id cum ratione conuenerit, vt eorum qui dirigendi sunt super omnibus nos docuerit expe-

Ex V.C. Vat.

Matt. 10.

ctare præsentiam: tamen quia gratum nobis est studiũ, quod circa religionem vos habere declarastis, non grauat prælibare, dicendo non opus, vt stabilitatem fidei vestræ intentionis potius quàm rationis sequaces, procaci verborum nouitate confundat; sancta Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnus est Deus. hanc Israel iussus adorare, cuius inseparabilis & indiscreta substantia non potest diuidi, non potest test sacrilega distinctione separari; seruata tamen proprietate sua vnicuique personæ: hæc interim commendanda fidei vestræ, epistolaris styli terminum cogitantes, congrua credimus breuitate sufficere, plenius differenda cum florente Imperio clementissimi Principis promissam legationem, & nos suscipere Deo propitiante contigerit, & cognitis omnibus cum adiutorio Dei nostri responso reddito pro vniuersitatis informatione remittere.

An. dom. 521.

EPISTOLA IVSTINIANI viri Illustris.

Petit, vt Legatos rebus benè gestis, redire quamprimum curet.

Ex V.C. Vat.

DILIGENTER Apostolatus vester cognouit quanto fidei calore filius vester sereniss. Imperator, nosq; fuimus ab initio. Nunquam cessauimus agere quæ pertinebãt ad firmamentum religionis diuinæ. Pro qua re nuper etiam reuerendissimos sacerdotes Romam direximus, vt integrum componeretur de capitulis, quibus ad ea dubietas vertebatur. Sed ignoramus, quæ difficultas prouenerit, vt minimè sopirentur hactenus ea, quæ videntur esse leuissima. Salutantes ergo vestram reuerentiam, peto, vt nulla præbeatur occasio, qua de tua quisquam possit ambigere voluntate: sed habentes præ oculis iudicium maiestatis supernæ, modis omnibus festinare dignemini.

Tom. 1. epist. Dec. 73.

EPISTOLA LXXVIII. B. HORmisdæ Papæ Papæ, ad Iustinum.

Ad euitandam discordiam nihil innouandum: Et de his, qui ad communionem admitti possunt Epiphanio scriptum.

Ex V.C. Vat.

HOrmisda, *Iustino Augusto.* Scio quidem venerabilis Imperator clementiam tuam conscientia boni operis tãtum esse contentam; nec in his, quæ pro Catholicæ Ecclesiæ vnitate disponitis, humanis laudib. indigere, & magni studij gloria non digna remuneratione vilescat. Quanta est enim circa eum humani summa præconij, cui contigit terrarum regna committi? cum eo noxia sint blandimenta adulationis suspicioni, quæ humilitas detulerit imperandi. Et aliàs secundùm Euangelicam traditionem necesse est, vt fructu supernæ remunerationis careat, qui retributionem laudis expectant. Hinc mansuetudinem vestram omni bonitatis perfectione pollentem, ad Deum vniuersa, quæ memorabiliter facitis referre non ambigo, nec caduca cogitantes, ab illo expectatis pro actuum vestrorum retributione mercedem, quem bonorum omnium constat auctorem. Et tamen ego diuinis, quibus obsecundo, conuenio institutis, ne religiosæ conscientiæ vestræ beneficia comperta dissimulem, ne taciturnitas mea, quæ vobis crescit ad gloriam, mihi quod absit, vertatur in culpam. Noui enim de illis decem Domini & Saluatoris nostri pietate mundatis, quia & nouem sunt nota ingratitudinis improbati, & vnus testimonium fidei; & merito receptę salutis retulit, qui gratiarum actionem sanatus exsoluit. Exequor exempla quę didici, & quod per officij mihi crediti materiam prædico, sub occasione litterarij sermonis exhibeo. Ago gratias quanto humilius possum, & si quantas debeo non possum: sed solatium mihi est, quod de beneficijs mecum vestris mundus exultat, & laceratæ hactenus Ecclesiæ membra ad compagem suam reuocata gloriantur. Reduxisti populis fidem persecutus errorem. Inclinata est superbia inimicorum Ecclesiæ Dei, & humilitas erecta fidelium. Magna res tibi contigit Imperator, magna in te emolumenta cum potestate coierunt, quæ merearis intellige. Non exiguam in te partem boni operis illius, quod vadens ad cœlos Dominus noster Iesus Christus contulit, transtulisti: nam pacem, quam ille discipulis dedit, per te mundus inuenit: non est dubium congratulari tibi Angelos cœli: nam si iuxta assertionem Euangelicam lætitia est eis super vno peccatore saluato, quæ potest esse populo? Salue Ezechias præsentis ætatis. Nam etsi fuerunt ante eum reges Iuda, qui facerent, nullus tamen eorum dissipauit excelsa; tu quoque schismatum & superbiæ dissipator, & cultus veteris restitutor, præsume tibi similitudinem illius annorum augenda curricula, qui operum eius imitaris exempla. Hæc omnia, quæ ad maius gloriæ tuæ spectant augmẽtum, non stimulo adhortationis alienæ, non vllis precibus excitatus aggrederis. Solus tibi in consilio Deus. Non est qui se ad participationem tanti operis tentet inserere: tibi debes actionis huius studium, tibi bonæ actionis effectum. Tu me venerabilis Imperator Ecclesiæ vulnera tam longa merentem, ad spem reddendæ salutis animasti. Tu me post tam continuas turbines iam penè desperatione cessantem ad nouam tranquillitatem directis vltrò pijs literis excitasti. Hoc quoque proculdubio diuina intelligentia conferente, vt inter ipsa tui principatus exordia fidei eius dicares obsequiũ, cui acceptum debebas imperium, sed quibus ad incipienda hæc non potui primus impellere; nunc maiore fiducia tantis beneficijs compellor prouocatus orare, ne patiaris, in te tam boni operis esse defectum, ne manus, quas ad Deum eriges, accepti operis perfectione suspendas. Negare non possum pro domini nostri hęc me affectu & vnitatis exposcere; sed fateor & saluti tuæ pro tanta mansuetudinis gratia hęc studia me debere: scriptum est enim, quia qui perseuerauerit, hic saluus erit. Nec vos aliquorum obstinatio reddat à proposito pigriores. Durum est, vt efficacior sit eorum pertinacia, qui diuidunt pacem, quã eorũ qui asserunt vnitatẽ. Amentur vulnera cùm prouideantur pro salute remedia, & præoptabile .. .. .. putetur se .. .. .. mortuis quàm inhærere cum viuis. An non æquum est, vt religiosi principis subdantur imperio, qui non mouetur exemplo? Non omnis æger remedijs salubribus acquiescit, & medendi studium, sæpe ipsis, quibus adhibetur ingratum est: & tantum grata est admota pro salute necessitas, nec ipsi post respirationem non sunt beneficijs obnoxij, qui curantur inuiti. Cauenda est subtilium magna circumspectione calliditas, qui ingerunt difficilia, dum nitũtur labefactare composita, Et quis hoc possit admittere, vt ad illa per pacem credamur adduci, ad quæ non potuimus discordię necessitate compelli? Et putetur æquum, vt contra salutem princeps subiectorum voluntatem sequatur, quàm pro sua salute subiecti, principis non famulentur Imperio? Ipsam tibi mecum, venerabilis fili, crede Ecclesiam Dei supplicare, vt eam sine macula & ruga, sicut scis Domino placere, custodias, nec in eam oculus ille, qui peruigilem næuum aliquem, quem auersetur aspiciat. Ama quod à Deo compunctus elegisti, & intemeratum serua illud, cuius pars esse voluisti: fuerit ante solicitudo tantum mea, nunc vnam nobis causam tua fecit esse clementia. Nec auscultatiorem me quisquam dicat esse prioribus, nec adhortatio alicuius pro sententiæ auctoritate teneatur: diligentiorem me non pertinacię studium, sed scandala secuta fecerunt; fortè inter initia. .. .. esse lenitati: male (sicut notum est) per accessus præcedentium temporum errorum augmenta creuerunt. Non parui habeas fili sanctissime quod curasti, vbi sancta Chalcedonensis synodus, & inter sanctos venerandi Papæ Leonis religiosissima constituta locum alicuius honoris habuerunt, vbi non aduersum tanta fidei fundamenta, quasi quoddam bellicum hostium Dei insonuit exercitus. Quanto acrioribus impetita sunt iaculis, tanto validioribus sunt munienda subsidijs. Rogo clementissime Imperator, ne me aut ad deferenda hæc, quæ dudum beneplacita sunt, aut mutanda compellas. Vox enim illa auribus meis indesinenter immurmurat, quia nemo manum ad aratrum mittens, & post se respiciens aptus est Regno Dei, cùm in euidenti sit, quia pœnitentia malorum est operum, non bonorum. Sed quamquam his vrgemur angustijs, tamen & propter mãsuetudinis tuæ considerationem, & venerabilium legatorum Ioannis episcopi Heracliani presbyteri, & Constantini diaconi allegatio nos non inhumana permouit, qui innocentib. aut ignaris causæ remedia credidit esse poscenda. Ad fratrem

Luc. 15.

Matth.

Esdræ

& cæ-

& coepiscopum nostrum Epiphanium scripta transmisimus, vt memor fidei, memor religionis, quos dignos susceptione esse crediderit, aut communione, quam respuimus, sicut asseritur, innocentes eos ad societatem sacræ communionis admittat; libelli tamen qui à nobis interpositus est, tenore seruato. Melius est enim, & magis Deo placitum, si salua fide Ecclesiastico corpori iungantur abscissi, quàm in abscissos trãseat, qui in beati Petri immaculata communione manserunt. Data VII. Kalendas Aprilis, Valerio V.C. Cos.

An. Dom. 521. Suriana & Venera Concil. editione 1. Tom. 1. epist. Dec. 56. Ex V.C. Vat.

EPISTOLA LXXIX. B. HORMISDÆ Papæ.

Diuinitatis & Incarnationis mysterium exponitur.

Hormisda, Iustino Augusto. Inter ea, quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinentia, propter quam Deus clementiæ vestræ elegit Imperium, in litteras contuliſtis; hæc quoque venerabilis Imperator cura fidei, cui multipliciter vos studere declaratis, adiecit; vt aliquorum preces perferendæ ad humilitatis meæ notitiam iungerentur, quibus vel quid quæstionis oriretur, agnoscerem; vel ad summo ouendum propositæ consultationis ambiguũ responsum à me religiosæ scientiæ conueniens redderetur. Legi omnia solicitudine, qua decebat; & licèt ad responsi plenitudinem sufficere potuisset, si illa tantùm, quæ à veteribus sunt diffinita rescriberem; tamen vt religioſi propositi vestri remunerarem affectum, non subtrahendum credidi mei quoque sermonis obsequium. Quid enim est, quod emergentibus Nestorij & Eutychetis venenis paterna omisit instructio? Penè omnes impietates cum inuétoribus tam nefandorum dogmatum conuenientia in vnum Synodica decreta presserunt. Nec vlterius remansit locus vllus tam diris perfidiæ seminibus amputatis, aut Christum Dominum nostrum credere sine carnis suisse veritate, aut eundem non Deum, & hominẽ de materni vteri intemerata fœcunditate prodijsse, cùm alter eorum dispensationem, qua saluati sumus negando, quantum in se est irritam faceret, alter opinione contraria, sed impietate consimili, in eodem Domino nostro Iesu Christo potestatem diuinam à vera humanitate secluderet; neque ille recordatus, quia palpandam carnem suam Christus ostendit, nec ille Euangelij memor verbum carnem factum esse dicentis, cui vox Domini indeficienter insonare debuerat, qua dixit, & docuit, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo. Sæpè hæc, & multis præcedentium sunt comprehensa sententijs, sed nec clementia vestra, licèt iam dicta sint fastidiosè, poterit repetita cognoscere, nec nobis pudor est ea, quæ sunt à decessoribus nostris prædicta reuoluere: neque enim possibile est, vt sit diuersitas prædicationis, vbi vna est forma veritatis; nec ab re iudicabitur alienum, si cum his, cum quibus conuenimus fide, congruamus & dogmate. Reuoluantur pijs mansuetudinis vestræ auribus decreta Synodica, & beati Papæ Leonis conuenientia sacræ fidei constituta, eadem inuenietis in illis quæ recensueritis in nostris. Quid ergo est post illum fontem fidelium statutorum, qui amplius, si tamen fidei terminum seruat, quamlibet curiosus scrutator inquirat? non opere, aut institutione perfectis, nisi fortè mauult quisquam dubitare, quàm credere; certare, quàm nosse; sequi dubia, quàm seruare decreta. Nam si Trinitas Deus, hoc est Pater & Filius & Spiritus sanctus, Deus autem vnus specialiter Legislatore dicẽte: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, qui aliter habet necesse est, aut diuinitatem in multa diuidẽs, aut specialiter passionem ipsi essentiæ Trinitatis impingat. Et (quod absit à fidelium mentibus) hoc est, aut plures Deos more profanæ gentilitatis inducere, aut sensibilem pœnam ad eam naturam, quæ aliena est ab omni passione transferre: vnum est, sancta Trinitas non multiplicatur numero, non crescit augmento, nec potest aut intelligentia comprehendi, aut hoc, quod Deus est, discretione seiungi. Quis ergo illi secreto æternæ, impenetrabiliſque substantiæ, quod nulla, vel inuisibilium naturarum potuit inuestigare natura, profanam diuisionem tentet ingerere, & diuini arcana mysterij reuocare ad calculum moris humani? Adoremus patrem, & filium, & spiritum sanctum, indiſſinctam distinctè; incomprehensibilem, & inenarrabilem substantiam Trinitatis, vbi etsi admittit numerũ ratio personarum, vnitas tamẽ non admittit essentiæ separationem, ita tamen, vt seruemus diuinæ propria naturæ, seruemus propria vnicuiq; personæ, nec personis diuinitatis singularitas denegetur, nec ad essentiam hoc, quod est proprium nominum, transferatur. Magnum est sanctæ & incomprehensibile mysterium Trinitatis, Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus, Trinitas indiuisa: & tamen notum est, quia proprium est patris vt generaret filium, proprium filij Dei, vt ex patre patri nasceretur æqualis, propriũ Spiritus sancti, vt de patre & filio procederet sub vna substantia deitatis: proprium quoque filij Dei, & iuxta id quod scriptum est, In nouissimis temporibus, Verbum caro fieret, & habitaret in nobis: ita intra viscera Sanctæ Mariæ Virginis genitricis DEI, vnitis vtrisque sine aliqua confusione naturis, vt qui antè tempora erat filius DEI, fieret filius hominis, & nasceretur ex tempore hominis more, matris vuluam natus non aperiens, & virginitatem matris Deitatis virtute non soluẽs. Dignum planè Deo nascente mysterium, vt seruaret partum sine corruptione, qui conceptũ fecit esse sine semine, seruans quod ex patre erat, & repræsentans quod ex matre susceperat. Nam iacens in præsepio videbatur in cœlo, inuolutus pannis adorabatur à Magis, inter animalia edit⁹, ab Angelis nũciatus, vix egressus infantiam, & annuncians mysticã sine instituente doctrinam, inter rudimenta annorum puerilium edens cœlestia signa virtutum. Idem enim Deus & homo, non vt ab infidelibus dicitur sub quartæ introductione personæ: sed ipse Dei filius Deus & homo, id est, virtus & infirmitas, humilitas & maiestas, redimens & venditus, in cruce positus, & cœli regna largitus; ita nostræ infirmitatis particeps vt possit interimi, ita ingenitæ potentiæ Dominus, ne possit morte consumi, sepultus est iuxta id, quod homo voluit nasci, & iuxta id quod patri erat similis resurrexit, patiens vulnerum, & saluator ægrorum, vnus defunctorum, & viuificator obeuntium; ad inferna descendens, & à patris gremio non recedens; Vnde & animam, quam pro communi conditione posuit, pro singulari virtute & admirabili patientia mox resumpsit. Hæc ita esse, nec vllam dubitationem oportere recipere, idem Dominus noster Iesus Christus, ne inter corporis passiones Deus non esse crederetur, aut ne Deus tantùm, nó etiam homo inter opera mirabilium stupẽda virtutum, proposito nos duorum Apostolorum informauit exemplo, Deum esse se Christum Dominum nostrum Petri fide: hominem Thomæ dubitatione declarans. Quid enim intererat, vt quem si homines dicerent discipulos suos vellet inquirere, nisi vt respondente Petro, tu es Christus filius Dei viui, notum faceret, hoc non de carne & sanguine proditum, sed Patre Deo inspirante reuelatum, & per testimonium laudatæ responsionis fides patefactæ fieret veritatis? Quid intererat, vt apparente post resurrectionem Domino, Thomas tamen aut deesse cæteris, aut solus ambigere, nisi vt mundus crederet, quòd ambigens Discipulus explorasset, vt dum vnius manibus se pateretur tangi, ad vniuersitatem fidelium quid esset, possit agnosci? Non ergo ad implorandum discipulum interposita est dubitatio, sed quæsita posteritatis instructio. Anne aliud spectat, quod se idẽ Dominus Cleophæ, cum alio discipulo, cùm ad Emaus tendentes de se loquerentur, inseruit: & quamquam de resurrectione Domini per mulieres, quæ primæ ad monumẽtum conuenerant, agnouissent; tamẽ vt per eorum dubitationem daret credendi futuris sæculis firmitatem, incipiens à Moyse & omnibus prophetis oportuisse pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, interpretatus ostendit, & per passionem humanam naturam, & diuinam in eo esse per gloriam, multiplicibus hæc sanctarum scripturarum testificãtur exemplis. Nec apud religiosam conscientiam tuam, venerabilis Imperator, tamquam ignota dicuntur: fides enim ipsa, quæ à te constanter asseritur, tibi reddit hoc muneris, vt sensibus tuis & affectum sui inserat, & scientiam per quam diligentius asseratur, infundat: & tantum interest dispensationis mihi creditæ, vt ego quoque vel apud scientes nota non taceam, vt succedente sibi per vices temporum, Catholicorum prædicatione sensuum, quod indeficienter asseritur, sine fine credatur. Latius hæc, quæ ad Deitatem, humanitatemque Domini nostri Iesu Christi pertinẽt, & in eo vnitas duas sine confusione naturas,

I. Pet. 1. Ioan. 1.

Luc. 1. Matt. 2. Luc. 2.

Matt. 16.

Ioan. 20.

Luc. 24.

potui,

Ioan. 3.

Deut. 6.

potui, secundùm veterum definita differere, si esset aduersum eos, qui his dissentiunt disputandum: sed cùm in manibus omnium sint & synodica constituta & beati Papę Leonis dogmata perstrinxisse potius pauca, quàm euolucre credidi conuenientius vniuersa. Nunc verò agnoscere satis est, & cauere ita proprietatem, & essentiam cogitandam, vt sciatur, quid personæ, quid nos oporteat deferre substantiæ, quę qui indecèter ignorant, aut callida impietate dissimulant, dum omittunt quid sit proprium filij, trinę tendunt insidias vnitati: sed si quæ prædicta sunt, validis teneantur fixa radicibus, nec à paterna traditione receditur, & constanter quæstionibus obuiatur. Data VII. Kalend. April. Valerio V.C. Cos.

in Suriana & Veneta editione t. 2. Concil. 6. Tom. 1. epist. Dec. 77.

EPISTOLA LXXX. B. HORMISDÆ PAPÆ, ad Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum.

Vt in communione Sedis Apostolicæ perseueret, & vices suas ei committit.

Ex V.C. Vat.

Hormisda Epiphanio Episcopo Constantinopolitano. Multo gaudio sum repletus, quòd circa Ecclesiæ pacem & sanctissimi Imperatoris, & dilectionis tuæ tale studium, quale litteris indicasti, legatorum quoque meorum assertione cognoui, &c. *extat infra in Concilio Constantinop. sub Menna. act. 1.*

EPISTOLA IVSTINI IMPERATORIS ad Hormisdam.

Paulum Antiochenum de quibusdam accusatum, episcopatu se abdicasse significat.

Ex V.C. Vat.

Ivstinus Augustus Hormisdæ Papæ. Vt quod in Paulo viro reuerendissimo contigit Apostolatui vestro patefiat, qui sacerdotio præditus, Antiochenæ ciuitatis ita versatus esse dicitur in multis causis, quæ religiosis alienæ sunt episcopis, vt clericorum suorum proditione habitatorum, etiam dictæ ciuitatis, aliorum insuper frequentium incusetur, non tantùm legatis vestræ Sanctitudinis in hac regia positis Vrbe, vt ipsos quoque retinere censemus: Verum post eorum recessum, qui malę conscientiæ suæ victus testimonio, veritus insuper, ne quæstione habita grauiorem formam exitus rei poscceret, recusatores libellos obtulit, vt liceret ei secedere à susceptо (sicut dictum est) Episcopatus officio. Quoniam igitur cordi nobis est, & fuit, vt semper ciuitatum Antisitites in amore sint omnium communi, quorum regendas creduntur animas. Paulus autem vir reuerendissimus vltrò se suo, prout memorauimus, abdicauit sacerdotio, præsentem epistolam duximus dirigendam, vt vobis aperiatur, & orationibus proprijs cœleste nobis præsidium dignetur acquirere. Data Kalendas Maias, Constantinopoli, Iustiniano & Valerio VV. CC. Consulibus.

RELATIO EPIPHANII EPISCOPI Constantinopolitani.

Eadem quæ in superiori epistola.

Ex V.C. Vat.

Per omnia sanctissimo, ac beatissimo Domino fratri, & comministratori Hormisdæ, Epiphanius Episcopus. Frequentiores quidem literas facere ad vestram beatitudinem, & frui affectu fraternæ caritatis optamus. Nùc autem ea, quæ euenerunt cupientes vestram sanctimoniam non latere, præsentibus vsi sumus scriptis. Multis enim & non paruo spatio temporis perturbationibus Antiochiæ maximam ciuitatem, quæ est in Diœcesi Orientali prima circumstantibus, sub occasione: quia Paulus amabilis Deo episcopatū memoratæ habuit ciuitatis, & multis vrbis ipsius habitatoribus, sicut dixerunt aliqui, à Catholica sese separantibus, & assiduas interpellationes trāquillissimo & fidelissimo Principi nostro ingerentibus, & eorum, quæ in accusationem ducebantur, inquisitionem supplicantibus fieri manifestam. Quæ quidem initium olim sumpserunt, sicut nec directos à vestra Sanctitate Deo amabiles legatos latuit, cùm in regia degerent ciuitate, agnoscentes super his omnia. Memoratus ergo amabilis Deo Paulus prodesse sibi hoc existimans, per libellos proprios designatæ ciuitatis desertionem & episcopatus elegit, & vniuersalem quietem, & causis alienationem se præferre monstrauit. Quæomnia & amabilem Christo principem nostrum manifesta reuerentiæ vestræ fecisse nouimus: sed nunc omnibus nobis pretiosius, & de quo maximè noctibus & diebus bonum nuntium de his, qui amantissimo Principe, & à nobis directos ad vestram beatitudinem Deo amabiles legatos, amicam Deo pacem nuntiantes, & omnia pulchritudine decora vnitatem sanctarum Ecclesiarum annuntiantes, quàm citò ad nos destinare dignemini, vt præsentis causę (sicut sæpè scripsimus) sit cœleste lucrum his, qui in celeritate sunt bonæ correctionis auctores, beatissime & sanctissime frater. Omnem quæ est cum tua beatitudine in Christo fraternitatem, & nos & qui nobiscum sunt multis salutamus annis.

DECRETA HORMISDAE PAPAE ex Gratiano desumpta, quæ in prioribus epistolis non habentur.

PRIMVM.

Qui ad pœnitentiam agendam in monasterio recluditur, presbyter non ordinetur.

Si ille, qui vltrò petit pœnitentiam, quamuis eam perfectè agat, non potest Episcopus aut presbyter ordinari, ita vt etiam, si per ignorantiam ordinatus fuerit, & postea conuincitur pœnitentiam accepisse, deijciatur: ille ergo, qui inuitus ad pœnitentiam agendam mittitur in monasterium, (qui vtique nihil aliud quā pœnitens dicendus est) qua conscientia ad sacerdotiū peruenire permittitur? Nemo mihi talia quælibet contra authoritatem sedis Apostolicæ, vel contra trecentorum decem & octo Episcoporum, & reliquorum canonum constituta obijciat: quia quicquid contra illorum definitioné, in quibus Spiritum sanctum credimus locutum, dictum fuerit, recipere, non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito. Dist. 40. Si ille qui.

SECVNDVM.

Nuptias occultas celebrare non licet.

Nullus fidelis, cuiuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat: sed benedictione accepta à sacerdote, publicè nubat in Domino. 30. q. 5. Nullus fidelis.

TERTIVM.

PALEA. Idem Eusebio Episcopo.

Tua sanctitas requisiuit à nobis, frater venerande, de filio adulto, quem pater matrimonium contrahere vult, si sine voluntate filij adulti facere potest: Ad quod dicimus: Si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse. Potest autem de filio nondum adulto, voluntas cuius nondum discerni potest, pater eum, cui vult, in matrimonium tradere: & postquàm filius peruenerit ad perfectam ætatem, omnino obseruare & adimplere debet. Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus, sancitum à nobis, tenendum mandamus. 31. q. 2. Tua sanctitas.

QVARTVM.

Absque Episcopi permissu, in Ecclesia consecrata non erigatur altare.

Nullus presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci fuerit sanctificatum, vel permissum, vt sit discretio inter sacrum, & non sacrum. Nec dedicationem fingat, nisi sit. Quod si fecerit, degradetur, si clericus est: si verò laicus anathematizetur. De cons. dist. 2. Nullus presbyter.

SEQVVNTVR CONCILIA SVB HORMISDA.

CONCILIVM RHEMENSE SVB HORMISDA IN CAVſa Eccleſiaſticæ diſciplinæ in Gallia reformandæ congregatum anno Domini 514.

NOTÆ.

Concilium.] *Cùm S. Remigius ſcriptam ad ſe epiſtolam Hormiſdæ Papæ accepiſſet, vſurpata poteſtate ſibi delegata, Concilium Gallicanorum Epiſcoporum Rhemis collegit; in quo Arianus quidam Epiſcopus tanta ſuperbia inflatus fuit, vt ſolus omnes Catholicos ad certamen prouocaret. At verò ingredienti Remigio ſynodum cæteri Epiſcopi omnes, vt par erat, aſſurgunt: ille faſtu plenus aſſurgere dedignatur: Sed tranſeunte apud illum Remigio, obmutuit; admirantibus omnibus garrulam hæretici linguam ſola Remigij vmbra cõpreſſam: qui poſtmodum cùm eloqui nihil poſſet, ad pedes S. Remigij procidens natibus veniam petijt, & S. Præſulis ſanctimonia, & ab hæreſi, & à linguæ impedimento ſanatus eſt, promens confeſtim Catholicam profeſſionem, tam de myſterio Trinitatis, quàm de Chriſti incarnatione. Hincmarus in vita S. Remigij apud Surium tom. 1. die 13. Ianuarij. Recitat eiuſdem Concilij acta Baron. an. 514. n. 19. & 20.*

Cauſa & acta Cõcilij.

Ad S. Remigij vmbram obmutuit hæreticus.

SYNODVS VETERIS EPIRI, IN CAVSA IOANNIS NIcopolitani Epiſcopi, & Metropolitani veteris Epiri celebrata, ſub Hormiſda anno Dom. 516.

NOTÆ.

Synodus veteris.] *Mortuo Alcyſone Epiſcopo Nicopolitano, anno Domini 516. qui eſt tertius Hormiſdæ, ſurrogatus eſt Ioannes: qui ſtatim more maiorum coacta ſynodo Epiſcoporum veteris Epiri, cuius ipſe erat Metropolitanus Antiſtes, communionem ſedis Apoſtolicæ amplexurus fidei ſuæ libellum illico per Ruffinum Diaconum ad Hormiſdam Papam miſit, probans quatuor generalia Concilia, damnansq; omnes hæreticos, eorumq; in primis ſocium Acacium. Synodicam eiuſdem argumenti ipſa Synodus vniuerſa adiunxit, & per eundem Ruffinum ad Pontificem tranſmiſit. Vtraq; epiſtola excuſa eſt ſupra inter epiſtolas Hormiſdæ.*

Prior ſic incipit: Cura mihi extitit ſemper, &c. *Poſterior tale initium habet:* Si dignis præmijs vti tentemus, &c.

Tempus & acta cõcilij.

CONCILIVM TARRACONENSE, DECEM EPISCOPORVM, TEMPORE HORMISDAE PAPÆ HABITVM: ERA D. LIIII. Anno Domini 517.

EDITIO I.

CAPITVLA CONCILII TARraconenſis.

Vt etiam ad proximas ſanguinis cum teſtimonio Clerici vadant. 1
Vt Clericis emendi viliùs, vel vendendi cariùs, non permittatur licentia. 2
Vt quantum clericus præſtiterit; tantum recipiat. 3
Vt nullus epiſcopus vel infrà poſitus, die Dominica cauſas iudicare præſumat. 4
Vt, qui in metropolitana ciuitate Epiſcopus non fuerit ordinatus, poſt duos menſes ſe metropolitano præſentet. 5
Vt Epiſcopus, qui à metropolitano commonitus, ad ſynodum non venerit, excommunicetur. 6
Vt diœceſani clerici ſeptimanas teneant, & die ſabbato omnes in vnum conueniant. 7
Vt annis ſingulis Epiſcopi diœceſim viſitent, & nõ plùs quàm tertiam partem de parochijs accipiant. 8
De clericis & oſtiarijs, qui adulteris mulieribus admiſcentur, vt prohibeantur. 9
Vt nullus Epiſcopus pro iudicijs munera accipiat. 10
Vt monachus miſſus alicubi, miniſterium clericatus agere non præſumat, nec negociator exiſtat. 11
Vt ſi Epiſcopus inteſtatus obierit inuentarium de rebus eius clerici faciant, & nullus exinde aliquid auferat. 12
Vt Epiſcopus diœceſanos presbyteros, & quoſdam ex laicis moneat literis conuenire. 13

CONCILII TARRACONENSIS DECEM Epiſcoporum, Proœmium:

A.D. 516. IN nomine Chriſti habita ſynodus Tarracone, anno ſexto Theodorici regis, conſulatu Petri, ſub die octauo Idus Nouembr. Antiquorum patrum ſtatuta de his cenſuiſſe videntur, quæ in tempore aut ad illos relata peruenerunt, aut acta certè teſtimonio proprio comprobauerunt. Cuius rei & nos ſequentes exemplum, illa, quæ nunc fiunt, placuit obſeruanda decer-

II. EDITIO GARSIÆ.

TITVLI

Vt etiam ad proximas ſanguinis Clerici cum teſtimonio vadant. 1
Vt Clerici emendi viliùs, vel vendendi cariùs non permittantur. 2
Vt Clerici, ſi ſolidum præſtiterint, ſine vſura recipiant. 3
Vt nullus Epiſcopus, vel infrà poſitus, die Dominico cauſas iudicare præſumat. 4
Vt qui in Metropolitana ciuitate Epiſcopus non ordinatur, poſt duos menſes ſe Metropolitano præſentet. 5
Vt Epiſcopus, qui à Metropolitano commonitus ad ſynodum non venerit, excommunicetur. 6
Vt diœceſani Clerici ſeptimanas teneant, & die ſabbato omnes in vnum conueniant. 7
Vt annis ſingulis Epiſcopi diœceſani viſitent, & vt non plus quàm tertiam de Parochis accipiant. 8
De clericis & oſtiarijs, qui adulteris mulieribus admiſcentur, vt proÿciantur. 9
Vt nullus Epiſcopus pro iudicijs munera accipiat. 10
Vt monachus miſſus alicubi, miniſterium clericatus agere non præſumat, nec negotiator, nec executor exiſtat. 11
Vt ſi Epiſcopus inteſtatus obierit, inuentarium de rebus eius clerici faciant, & nullus exinde aliquid auferat. 12
Vt Epiſcopus diœceſanos Presbyteros, & quoſdam ex laicis conuenire literis ad Synodum moneat. 13

IN nomine Chriſti habita ſynodus Tarracone, anno ſexto, Theuderici Regis, conſulatu Petri, ſub die octauo Idus Nouembris. Antiqui Patres ſtatuta de his cenſuiſſe videntur, quę in tempore, aut ad ad illos relata peruenerunt, aut certè acta teſtimonio proprio comprobauerunt. Cuius rei & nos ſequentes exemplum, illa, quæ nunc fiunt, placuit obſeruanda

uanda decernere, vt præterita, abſque ambage cuſtodiantur: & præſentia, hac obſeruatione ſint firma. Igitur cùm in vnum pariter cõueniſſemus in vrbem Tarraconenſem, quæ eſt Metropolitana obſeruantiſſimè fundata, titulos *ſuprà annexos conſcripſimus obſeruandos.

* ſubter annexos

Capitulum primum.

DE his, quibus cura parentelæ proximitate haberi permittitur, ea cautela earum neceſſitates ſuſtineant, vt pietatis beneficia, quæ eis ſunt neceſſaria, à longiùs præbeant. Ipſi verò pro viſendis eis, cùm ingreſſi fuerint, celeri ſalutatione recurrant, nec ibi faciant manſionem. Qui tamen cùm ad earum viſitationem pergunt, teſtem ſolatij ſui, fide & ætate probatum, adhibeant ſecum. Si quis hæc à nobis ſtatuta cõtempſerit, ſi clericus eſt, loci ſui dignitate priuetur: ſi verò religioſus vel monachus, in cella monaſterij incluſus, pœnitentiæ lamentis incumbat, vbi ſingulari afflictione panis & aquæ victum ex Abbatis ordinatione percipiat.

14.q.4. Canonum ſtatutis.

2 Canonum ſtatutis firmatum eſt, vt quicunque in clero eſſe voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs ſtudio non vtatur. Certè ſi hæc voluerit exercere, cohibeatur à clero.

14.q.5. Si quis clericus in neceſſitate.

3 Si quis clericus ſolidum in neceſſitate præſtiterit, hoc de vino vel frumento accipiat, quod mercandi cauſa, tempore ſtatuto decretum fuerit venundari. Cæterùm, ſi ſpeciem non habuerit neceſſariam, ipſum quod dedit, ſine vllo augmento recipiat.

15.q.4. Nullus epiſcoporũ aut presb.

4 Nullus Epiſcoporum, aut presbyterorum, vel clericorum, die Dominico propoſitum cuiuſcunq; cauſæ negotium audeat iudicare, niſi hoc tantùm, vt Deo ſtatuta ſolennia peragant. Cæteris verò diebus, conuenientibus perſonis, illa, quę iuſta ſunt, habeant licentiam iudicandi, exceptis criminalibus negocijs.

Diſt. 65. Si quis in metropolitana.

5 Si quis in Metropolitana ciuitate non fuerit Epiſcopus ordinatus, poſteà quàm ſuſcepta benedictione per Metropolitani literas honorem fuerit Epiſcopi adeptus, id optimum eſſe decreuimus, vt poſtmodùm, ſtatuto tempore, id eſt, impletis duobus menſibus, ſe Metropolitani ſui repræſentet adſpectibus, vt ab illo monitis Eccleſiaſticis inſtructus, pleniùs, quid obſeruare debeat, recognoſcat. Quòd ſi fortè hoc implere neglexerit, in ſynodo increpatus à fratribus, corrigatur. Et ſi fortè infirmitate aliqua (nè hoc impleat) fuerit præpeditus, hoc ſuis literis Metropolitano indicare procuret.

Diſt. 18. Si quis epiſcoporum commonitus.

6 Si quis Epiſcoporum commonitus à Metropolitano, ad ſynodum, nulla graui intercedente neceſſitate corporali, venire contempſerit, ſicut ſtatuta patrum *cenſuerunt, vſque ad futurum Concilium, cunctorum Epiſcoporum charitatis cõmunione priuetur.

* ſanxerũt

7 De diœceſanis Eccleſijs, vel clero id placuit diffiniri, vt presbyteri vel diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum clericis ſeptimanas obſeruent, id eſt, vt presbyter vnam faciat hebdomadam: qua expleta, ſuccedat diaconus ei ſimiliter, ea ſcilicet conditione ſeruata, vt omnis clerus die ſabbati ad veſperam ſit paratus, quo faciliùs die Dominico ſolennitas cum omnium præſentia celebretur: ita tamen, vt omnibus diebus veſperas & matutinas celebrent: quia deſiſtente clero, quod eſt peſſimum, comperimus in baſilicis, nec luminaria miniſtrari. Si qui ſanè negligẽtiæ vitio hæc implere noluerint, nouerint, ſe ſecundùm ſtatuta canonum, pro modo perſonarum, canonicæ diſciplinæ ſubdendos.

10.q.1. Decreuimus, vt antiquę

8 Multorum caſuum experientia magiſtrante, reperimus nonnullas diœceſanas Eccleſias eſſe deſtitutas. Ob quam rem hac conſtitutione decreuimus, vt antiquæ conſuetudinis ordo ſeruetur, & annuis vicibus ab Epiſcopo diœceſes viſitentur. Et ſi qua fortè baſilica reperta fuerit deſtituta, ordinatione ipſius reparari præcipiatur: quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem, vt accipiatur, ab Epiſcopis nouimus ſtatutum.

9 Si quis lector, adulteræ mulieri voluerit miſceri vel adhærere conſortio, aut relinquat adulteram, aut à clero habeatur extraneus. Simili ſententia oſtiariorum laſciuia punietur.

decernere, vt præterita abſque ambage cuſtodiantur, & præſentia obſeruatione ſint firma. Igitur cùm in vnum pariter conueniſſemus in vrbem Tarraconenſem, quæ eſt Metropolitana, titulos ſubter adnexos conſcripſimus obſeruandos.

1 De his, quibus cura pro parentelæ proximitate haberi permittitur, vt cautela eorum neceſſitates ſuſtentent, pietatis beneficia, quæ eis ſunt neceſſaria, præbeant: ipſi verò pro viſendis eis, cùm ingreſſi fuerint, celeri ſalutatione recurrant, nec inibi faciant manſionem: qui tamen, cùm ad earum viſitationem pergunt, teſtem ſolatij ſui, fide, & ætate probatum adhibeant ſecum. Si quis hæc à nobis ſtatuta contempſerit; ſi Clericus eſt, loci ſui dignitate priuetur; ſi verò Religioſus vel Monachus, in cella Monaſterij recluſus pœnitentiæ lamentis incumbat; vbi ſingulari afflictione, panis & aquæ victum ex Abbatis ordinatione percipiat.

2 Sicut Canonum ſtatutis firmatum eſt, quicunque in clero eſſe voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs ſtudio non vtatur: certè ſi voluerit hæc exercere, cohibeatur à clero. Decret. Iuon. part. 13. cap. 9. Burch. lib. 2. c. 110.

3 Si quis verò clericus ſolidum in neceſſitate præſtiterit, vt hoc de vino, vel frumento accipiat, quod mercandi cauſa, tẽpore ſtatuto decretum fuerit venundari: cæterùm ſi ſpeciem non habuerit neceſſariam, ipſum quod dedit, ſine vllo augmento recipiat. Decret. p. 4. cap. 96.

4 Vt nullus Epiſcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum die Dominico propoſitum cuiuſcunque cauſæ negotium audeat iudicare; niſi vt hoc tantùm, vt Deo ſtatuta ſolennia peragant. Cæteris verò diebus conuenientibus perſonis, illa, quæ iuſta ſunt, habeant licentiam iudicandi, exceptis criminalibus negocijs. Iuon. p. 4. c. 22.

5 Si quis in Metropolitana ciuitate non fuerit Epiſcopus ordinatus, poſteà cùm ſuſceperit benedictionem, per Metropolitani literas honorem fuerit Epiſcopatus adeptus, id optimum eſſe decreuimus, vt poſtmodùm ſtatuto tempore, id eſt, impletis duobus menſibus, ſe Metropolitani ſui repræſentet aſpectibus: vt ab illo monitis Eccleſiaſticis inſtructus, pleniùs quod obſeruare debeat, recognoſcat. Quòd ſi fortè hæc implere neglexerit, in Synodo increpatus à fratribus corrigatur. Quòd ſi fortè infirmitate aliqua, ne hoc impleat, fuerit præpeditus, hoc ſuis literis Metropolitano indicare procuret.

6 Si quis Epiſcopus commonitus à Metropolitano ad Synodum, nulla graui intercedente neceſſitate corporali, venire contempſerit, ſicut ſtatuta patrum ſanxerunt, vſque ad futurum Concilium cunctorum Epiſcoporum charitatis communione priuetur. Similit. in Panor. li. 1. c. 18. per Auct. nouel.

7 De Diœceſanis Eccleſijs, vel clero id placuit definiri, vt Presbyteri, vel Diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum clericis ſeptimanas obſeruent: id eſt, vt Presbyter vnam faciat hebdomadam; qua expleta ſuccedat ei Diaconus ſimiliter: ea ſcilicet conditione ſeruata, vt omnis clerus die Sabbatho ad Veſperam ſit paratus; quo faciliùs die Dominico ſolennitas cum omnium præſentia celebretur: ita tamen, vt omnibus diebus Veſperas, & Matutinas celebrent: quia deſiſtente clero (quod eſt peſſimum) comperimus in baſilicis nec luminaria miniſtrari. Si qui ſanè negligentiæ vitio hæc implere noluerint, nouerint ſe ſecundùm ſtatuta canonum, pro modo perſonarum, canonicæ diſciplinæ ſubdendos.

8 Multorum caſuum experientia magiſtrante, reperimus nonnullas diœceſanas eſſe Eccleſias deſtitutas: ob quam rem, id hac conſtitutione decreuimus, vt antiquæ conſuetudinis ordo ſeruetur, & annuis vicibus ab Epiſcopo diœceſano viſitentur: & ſi qua fortè baſilica reperta fuerit deſtituta, ordinatione ipſius reparetur. Quia tertia ex omnibus per antiquam traditionem, vt accipiatur ab Epiſcopis, nouimus ſtatutum. Iuon. p. 4. c. 38. Burch. lib. 4. c. 2.

9 Si quis Lectorum adulteræ mulieri voluerit miſceri, vel adhærere conſortio; aut relinquat adulteram, aut à clero habeatur extraneus. Similis ſententia Oſtiariorum manebit ſcholam.

10 Obseruandum quoque decreuimus, ne quis sacerdotum vel clericorum, more sæcularium iudicum audeat accipere pro impensis patrocinijs munera, nisi fortè in ecclesijs oblata gratuito, quæ non fauore muneris videantur accepta, sed collatione deuotionis illata. Quòd si quis ista probatur accipere, veluti exactor fœnoris aut vsurarum possessor, secundum statuta patrum se nouerit degradandum.

11 Monachi à monasterio foras egredientes, ne aliquod ministerium ecclesiasticum presumant agere, prohibemus, nisi fortè cum Abbatis imperio. Similiter, vt nullus eorum, id est monachorum, forensis negotij susceptor vel executor existat, nisi quod monasterij exposcit vtilitas, abbate sibi nihilominus imperante, canonum ante omnia Gallicanorum de his constitutione seruata.

12 Sicubi defunctus fuerit Episcopus intestatus, post defunctionem eius à presbyteris & diaconibus de rebus ipsius *inuentarium fideliter conscribatur, à minimo vsque ad maximum, id est, de vtensilibus vel omni suppellectile: ita tamen, vt si quis exinde vel præsumpsisse aliquid, vel occultè fuerit tulisse conuictus, secundum furti tenorem restituat vniuersa.

13 Epistolæ tales per fratres à metropolitano sunt dirigendæ, vt non solum è cathedralis ecclesiæ presbyteris, verum etiam de diœcesanis ad concilium trahant, & aliquos de filijs ecclesiæ sæcularibus secum adducere debeant. Ioannes in Christi nomine episcopus Tarraconensis ciuitatis, constitutionibus à nobis conscriptis subscripsi. Paulus in Christi nomine episcopus in Tirassonens. ciuitate, subscripsi. Hector episcopus Carthaginens. metropol. subscripsi. Fortunianus subscripsi. Agricius in Christi nomine episcopus Gerundens. ciuitatis, subscripsi. Oruntius in Christi nomine episcopus Eliberitanæ ciuitatis, subscripsi. Vincentius in Christi nomine Episcopus Cæsaraugustanæ ciuitatis, subscripsi. Vrsus in Christi nomine episcopus Dertosanæ ciuitatis, subscripsi. * Cinidius in Christi nomine episcopus Ausonens. ciuitatis, subscripsi. Nibridius in Christi nomine minimus sacerdotum ecclesiæ * Egarens. minister, constitutioni sanctorum canonum subscripsi.

10 Obseruandum quoque decreuimus, ne quis sacerdotum, vel clericorum, more secularium iudicum, audeat accipere pro impensis patrocinijs munera, nisi fortè in Ecclesia oblata gratuita, quæ non fauore muneris videantur accepta, sed collatione deuotionis illata. Quia si qui ista probantur accipere, veluti exactores fœnoris, aut vsurarum possessores, secundum statuta patrum se nouerint degradandos.

11 Monachi à monasterio foras egredientes, ne aliquod ministeriũ Ecclesiasticum præsumant agere, prohibemus, nisi fortè cum Abbatis imperio. Similiter, vt nullus eorum (id est monachorum) forensis negotij susceptor, vel executor existat, nisi id, quod monasterij exposcit vtilitas; Abbate sibi nihilominus imperante, canonum ante omnia Gallicanorum de eis constitutione seruata.

12 Sicubi defunctus fuerit Episcopus intestatus, post depositionem eius, à Presbyteris, & Diaconibus, de rebus ipsius breue fideliter conscribatur, à minimo vsque ad maximum, id est, de vtensilibus, vel omni supellectile: ita tamen, vt si quis exinde, vel præsumpsisse, vel occultè fuerit tulisse conuictus, secundum furti tenorem, restituat vniuersa.

13 Epistolæ tales per fratres à Metropolitano sunt dirigendæ, vt non solum à Cathedralibus Ecclesijs Presbyteri, verum etiam de Diœcesanis, ad concilium trahant, & aliquos de filijs Ecclesiæ secularibus secum adducere debeant. Ioannes in Christi nomine, Episcopus Tarraconensis ciuitatis constitutiones à nobis cõscriptas subscripsi. Paulus in Christi nomine, episcopus Impuritanæ ciuitatis subscripsi. Hector episcopus Carthaginensis Metropolis subscripsi. Fontinianus in Christi nomine, episcopus Gerundensis ciuitatis subscripsi. Agritius in Christi nomine, episcopus Barcinonensis ciuitatis subscripsi. Vrsus in Christi nomine, Episcopus Dertosanæ ciuitatis subscripsi. Orontius in Christi nomine, episcopus Illeberitanæ ciuitatis subscripsi. Vincẽtius in Christi nomine, episcopus Cæsarauguſtanę ciuitatis subscripsi. Cãmidius in Christi nomine, Episcopus Ausonitanę ciuitatis subscripsi. Nibridius in Christi nomine, minimus Sacerdotum constitutionem sanctorũ canonum subscripsi, sanctæ Ecclesiæ Egarensis minister.

Burch. li. 2. c. 48. Iuo. p. 5. c. 158.

DE SVBSCRIPTIONIBVS.

In Concilio Gerundensi primo habito Era 555. vnum annum post hoc Tarraconense, ferè ijdem Episcopi subscribunt: vt Paulus, Ioannes, Fontinianus, seu Frontinianus, Agritus seu Agritius, Orontius, Nebridius. Garsias.

Nebridius] *Frater Iusti Vrgelitani, qui in Cantica scripsit, & Iustiniani, Valentini, & Elpidij, non fuit Episcopus Agathensis, sed potius Egarensis: vt ex hac subscriptione constat, consentientibus omnibus. CC. M. SS. Garsias.*

FRAGMENTVM TARRACONENsis Concilij ex Gratiano.

Gratianus de cons. dist. 5. cap. Dictum est. Habetur etiam in Cõcilio Cabilonensi. 2. c. 27. vsque ad verbum: Quia bis vel ter. Ita etiam est adnotatum in Decreto Gregoriano.

Dictum est nobis, quòd quidam de plebe, bis vel ter, vel eo amplius Episcopis ignorantibus, tamen ab eisdem Episcopis confirmentur. Vnde visum est nobis, eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minimè debere: quia bis, vel ter, vel amplius baptizatos, aut confirmatos, non sæculo, sed soli Deo, sub habitu regulari, vel Clericali religiosissimè famulari, decretum est.

NOTÆ in Concilium Tarraconense.

Tarraconense.] *Tarraco celeberrima etiam nunc in Comitatu Cathaloniæ Metropolitana ciuitas. Meminere huius Ptolemæus libr. 2. Geograph. cap. 2. 4. & 6. Plinius libr. 3. ca 1. & 3. & Strabo lib. 3. Antoninus in Itinerario, Pomponius Mela, atque alij. Fuit autem Tarraconensis hæc synodus celebrata sub Hormisda Romano Pontif. anno Domini D. XVI. ex Isidoro, & alijs, est Era D. LIV. Hæc Garsias. Idem sentit Baron. anno eodem in fine.*

Quo tempore habitum.

Anno sexto Theodorici.] *Non intelligas hæc, de sexto anno regni Italiæ. Nam eius regni hic 516. numeratur vigesimusquartus. Sed potius cum regnare cœpit in Hispania, quod contigit (vt S. Isidorus scribit) anno regni eius in Italia decimo octauo, à quo ipso hic ipsius regnantis in Hispania sextus dicetur. Hæc Barom. præd. loco.*

Theodericus Rex.

Theuderici] *Theodoricus Ostrogothorum, & Italiæ Rex, Arrianus, pro Alarico Rege Hispaniæ, genero suo, bellum contra Clodouæum Gallorum Regem suscepit, eumq; fudit. Mortuo autem Alarico, pro Amalarico, Alarici filio, eiusque ex filia nepote, Hispaniam sapienter & piè rexit, eamq; à Francorum incursionibus liberam seruauit, donec Amalaricus regimen regni susciperet. Huius ingeniũ, mores, ætatem, vitamq; omnem Sidonius Apollinaris eleganti epistola describit ad Agricolam.*

Ecclesiasticorum bonorum quadripartita diuisio.

Quia tertia ab omnibus] *Gelasius Papa cap. 29. epistol. ad Episcopos per Lucaniam, & Brutiam,* Quatuor (*inquit*) tam de reditu, quàm de oblatione fidelium, pro vt cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum rationabiliter est decretum) conuenit fieri portiones: quarum vna sit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda. *Ex quo decreto constat, Ecclesiasticarum rerum diuisionem quadripartito fieri solitam. Qua de re Gregorius agit libr. 3. epistolarum epistol. 11. Idemq; ad Augustinum Episcopum Anglorum,* Mos est, *inquit,* Apostolicæ sedis, ordinato Episcopo præcepta tradere, vt de omni stipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones. *Refert idipsum Gratian. 12. quæstione 2. ex decretis Gelasij. Quam diuisionem ex concilio Romano, sub Syluestro primo celebrato, originem ducere existimo. Nam in canone eius, 4. id sancitur, nec ante id tempus mentionem illius inueni:*

Alibi tripartita.

vocaturq; à Gregorio Canonica partitio, lib. 3. Epistolarum, epistol. 11. In Hispania verò hanc diuisionem non receptam, sed eam, quæ fit in tres tantum portiones, constat ex concilio Tarraconens. canon. 8. & concil. Tolet. 4. c. 32. & ex Toletano. 9. ca. 6. ex Bracarens. etiam 2. c. 2. refertq; Gratianus. 12. q. 3. c. Si episcopus, & Iuo. lib. 3. ca. 171. Et apertius id ostendit concil. Agrippinense. c. 6. Item quod decima, quæ à fidelibus datur, Dei census nuncupandus est, & Deo integrè reddenda: cuius tertia pars, secundum canonem Toletanum, Episcoporum esse debet. Nos verò hac potestate vti nolumus, sed tantum singulis annis quartam partem, iuxta vsum Romanorum Pontificum, & obseruantiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de eadem habere volumus. *In principio verò Ecclesiæ, hanc diuisionem nondū in vsu positam existimo, quòd arbitrio Episcopi res Ecclesiæ regebantur, postea verò crescente Ecclesiæ peculio, in concilio Nicæno, sunt qui dicant, vt quieti & paci consuleretur, hanc diuisionem esse factam. Quod verò omnia bona Ecclesiæ sub vnius Pontificis potestate principio Ecclesiæ fuerint, ex canone Apostolorum 14. constat, vbi sic habetur:* Præcipimus, vt in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. *Canone etiam 5. iubetur, vt omnia, quæ offeruntur, ad domum Episcopi, & Presbyteri mittantur, vt eorum arbitrio Diaconus, & cæteris Clericis diuidantur: & can. 59. omnium Ecclesiasticorum negotiorum soli Episcopo æqua dispensatio, curaq; committitur: sicut etiam concil. Lucens. can. 16. De qua re eruditissimam & sanctissimam scripsit epistolam Vrbanus primus, ad vniuersos Episcopos, & Lucius primus. Consule etiam concil. Gangrense. 7. & 8. & concil. Antiochens. canon. 24. & 25. Citat hoc caput D. Thomas 2. 2. quæst. 185. artic. 7. vt probet, Episcopos plenam suarum rerum habere potestatem. Hæc Garsias.*

CONCILIVM GERVNDENSE,

SEPTEM EPISCOPORVM HABITVM TEMPORE HORMISDÆ PAPÆ.

ERA. D. LV. ANNO DOMINI 517.

EDITIO I.

CAPITVLA CONCILII GERundensis.

Vt vnaquæq; prouincia in officio Ecclesiæ vnum ordinem teneat. 1
Vt litaniæ post Pentecosten, à quinta feria vsque in sabbato celebrentur. 2
De secundis litanijs faciendis Kalendis Nouembris. 3
Vt in Pascha tantum & Pentecoste baptismum detur, exceptis his, qui in languore consistunt. 4
Vt vnius diei infans, si in discrimine est, baptizetur. 5
Vt coniugati, ab episcopo vsque ad subdiaconum, non sine testimonio viuant. 6
Vt qui sine vxoribus ordinantur, extraneas in domo non habeant. 7
Ne laici, qui viduam aut dimissam acceperint, in clero admittantur. 8
De his, qui publicè pœnitentiam non accipiunt, sed tantum viaticum, vt in clero promoueantur. 9
Vt omnibus diebus horis vespertinis & matutinis oratio Dominica dicatur. 10

CONCILIVM GERVNDENSE, ANno 7. Theodorici regis, 7. Idus Iunij, Agapeto viro clarissimo consule.

Capitulum Primum.

De cō. di. 2. Instit.

VT institutio Missarum, sicut in metropolitana ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omni Tarraconensi prouincia tam ipsius Missæ ordo, quàm psallendo vel ministrando, consuetudo seruetur.

2 Vt expleta solennitate Pentecostes, in sequenti septimana à quinta feria in sabbatum, per hoc triduum abstinētia celebretur.

3 Item secunda litania facienda est Kalendis Nouembris, ea tamen conditione seruata, vt si ijsdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundum prioris abstinētiæ obseruantiā, à quinta feria incipiatur, & in sabbati vespere Missa facta finiatur, quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abstinendum.

De cō. di. 2. De catechume.

4 De catechumenis baptizandis id statutum est, vt in Paschæ solennitate, vel Pentecostes, quanto maioris celebritatis celebritas maior est, tanto magis ad baptizandum veniant. Cæteris solennitatibus infirmi tantummodo debeāt baptizari, quibus quocunque tempore conuenit baptismū non negari.

5 De paruulis, qui nuper è materno vtero editi sunt, pla-

II. EDITIO GARSIÆ.

TITVLI.

Vt vnaquæq; prouincia in officio Ecclesiæ vnum ordinem teneat. 1
Vt Litaniæ post Pentecosten, à quinta feria, vsque in Sabbatum celebrentur. 2
De secundis Litanijs faciendis Kalend. Nouemb. 3
Vt in Pascha tantum, & Pentecoste, baptismus detur, exceptis qui in languoribus consistunt. 4
Vt vnius diei infans, si in discrimine est, baptizetur. 5
Vt coniugati, ab Episcopo vsque ad Subdiaconum, non sine testimonio viuant. 6
Vt qui sine vxoribus ordinantur, extraneas in domo non habeant. 7
De laicis, qui viduam aut dimissam acceperint, vt in Clero non admittantur. 8
De his, qui publicè pœnitentiam non accipiunt, sed tantum viaticum, vt in Clero promoueantur. 9
Vt omnibus diebus, Vespertinis, & Matutinis oratio Dominica dicatur. 10

IN NOMINE CHRISTI SYNODVS HAbita Gerundæ, anno VII. Theuderici Regis, VI. Idus Iunias, Agapeto V. C. Consule.

Burch. l. c. 66. Ius par. 3. c. 9.

DE institutione missarum, vt quomodo in Metropolitana Ecclesia fuerit, ita in Dei nomine, in omni Tarraconensi Prouincia, tam ipsius missæ ordo, quam psallendi, vel ministrandi consuetudo seruetur.

2 De litania, vt expleta solennitate Pentecostes, sequens septimana, à quinta feria vsque in Sabbatū, per hoc triduū, abstinentia celebretur.

3 Item secundæ litaniæ faciendæ sunt Kalen. Nouemb. ea tamen conditione seruata, vt si ijsdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundum prioris abstinentiæ obseruantiam, à quinta feria incipiatur, & in Sabbato vesperæ missa facta finiantur. Quibus tamen diebus à carnibus, & à vino abstinendum decreuimus.

Iuo. p. c. 60. li. 2. c. 2.

4 De catechumenis baptizandis id statutum est, vt in Paschæ solennitate, vel Pentecostes, quanto maioris celebritatis maior celebritas est, tanto magis ad baptizandum veniant: cæteris solennitatibus infirmi tantummodo debeāt baptizari: quibus quocunque tempore conuenit, baptismū non negari.

5 De paruulis verò qui nuper materno vtero editi sunt,

placuit constitui, vt si infirmi (vt assolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadē die, qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.

6 De conuersatione vitæ id statuere placuit, à pontifice vsque ad subdiaconatum, post susceptι honoris officium, si quis ex coniugatis fuerit ordinatus, vt semper alterius fratris vtatur auxilio, cuius testimonio vita eius debeat clarior apparere.

7 De his, qui sine vxoribus ordinantur, & familias domus habent, habito secum pro vitæ conuersatione fratre in testimonium, non per quamcunque fœminei sexus personam eorum substantia gubernetur, aut per puerum, sed aut per amicum, domum suam debeant ordinare, nisi matrem, aut sororem in domo habuerint, vt secundum priorum canonum statuta, per earum personas eorum debeat contutari substantia.

8 Si quis de laicis post vxorem, aliam cuiuscunque conditionis cognouerit mulierem, in clero nullatenus admittatur.

9 Is verò, qui ægritudinis languore depressus, pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit, & postmodum reconualescens, caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitijs non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

10 Item nobis semper placuit obseruari, vt omnibus diebus post matutinas & vesperas oratio Dominica à sacerdote proferatur. Ioannes in Christi nomine episcopus subscripsi, Fortunianus episcopus subscripsi, Paulus episcopus subscripsi, Agricius episcopus subscripsi, *Emidius episcopus subscripsi, Nibridius episcopus subscripsi, Orontius episcopus subscripsi.

Concilium Gerundense finit.

placuit constitui, vt si infirmi (vt adsolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt (si oblati fuerint) baptizentur.

6 De conuersione vitæ id statuere placuit à Pontifice vsque ad Subdiaconū, post suscepti honoris officiū, si qui ex coniunctis fuerint ordinati, vt sine coniuge habitent: quòd si habitare noluerint, alterius fratris vtatur auxilio, cuius testimonio vita eius debeat clarior apparere.

7 De his verò, qui sine coniugibus ordinantur, & familias domi habent, habito secum, pro vitæ conuersatione, fratre in testimonium, non per quamcunque fœminei sexus personam eius substantia gubernetur: nisi aut per puerum, aut per amicum, suam domum debet ordinare. Si verò matrem in domo habuerit, aut sororem secundum priorum canonum statuta, per earum personas eius debet contutari substantia.

8 Si quis verò de laicis post vxorem, aliam cuiuscunque conditionis cognouerit mulierem, in clero nullatenus admittatur.

9 Is verò, qui ægritudinis languore depressus, pœnitentiæ benedictionem (quam viaticum deputamus) per communionem acceperit, & postmodum reconualescens caput pœnitentiæ in Ecclesia publicè non subdiderit, si prohibitis vitijs non detinetur obnoxius, admittatur ad Clerum.

10 Ita nobis placuit, vt omnibus diebus, post Matutinas, & Vespertinas, oratio Dominica à sacerdote proferatur. Ioannes, in Christi nomine Episcopus, subscripsi. Frontinianus, in Christi nomine episcopus, subscripsi. Paulus, in in Christi nomine episcopus subscripsi. Agritius, in Christi nomine episcopus, subscripsi. Cinielius, in Christi nomine Episcopus, subscripsi. Nibridius, in Christi nomine episcopus, subscripsi. Orontius, in Christi nomine Episcopus, subscripsi.

Dist. 40. Is verò qui.

Dicenf. dist. 5. Id semper vsq.

* Cinidi

Dist. 34. c. si quis de laicis. Citatur ex concilio Aurelianensi, & apud Iuo. part. 6 ca. 139. & Burchar. lib. 2 cap. 38.

DE SVBSCRIPTIONIBVS.

Ex Tarraconensi concilio constat, quòd Ioannes fuerit Tarraconensis, Frontinianus Gerundensis, Paulus Empuritanæ, Agritius Barcinonensis, Nebridius Egarensis, Orontius Eliberitanæ. Hæc est Cauco Illiberis, ad radices Pyrenæi montis vergentis ad mare Mediterraneum.

NOTÆ in Concilium Gerundense.

Gerundense.] *De Gerunda Hispaniæ citerioris nobili oppido Cathaloniæ, vide Ptolemæum lib. 2. ca. 6. Plinium lib. 3. cap. 3. & Antonini Itinerarium. hæc Garsias. Tarraconensis prouincia ciuitatem esse, scribit Baron. anno 517. nu. 67.*

Theodorici VII.] *Regnantis in Hispania, qui est regni illius Italici 25. & Christi nati 517. qui cum Agapiti Consulatu in Fastis emendatioribus coincidunt.*

Ioannes in Christi nomine.] *Ad hunc Episcopum habes epistolam Hormisdæ Papæ in collectione nostra decretali epistolarum* Garsias. *Omnes consentiunt, eundē Ioannem Tarraconensem Episcopum huic Gerundensi Concilio præsedisse, qui præcedenti synodo Tarraconensi præfuit. Baron. præd. loco.*

De Litania.] *Can. 2. & 3. His duobus capitibus agitur de primis & secundis litanijs faciendis. Litaniæ Græcè, Latinè rogationes dicūtur, vt constat ex concil. 1. Aurelian. c. 29. & 32. & Maguntiaco sub Carol. Mag. Sunt autem rogationes ad rogandum Deum, à Patribus, & ad impetrandam Dei misericordiam institutæ: sunt autem aliæ maiores, aliæ minores: neque statuto tempore in principio celebrari solitas inuenio, sed multoties & pluries, pro consuetudine & deuotione Ecclesiæ, & ingruentibus necessitatibus, cum auxiliares sint, ad cor populi ad pœnitentiam emolliendum. Apud sanctum Gregoriū epist. 76. lib. 7. indict. 2. ad Castorē habetur memoria, de quatuor vel quinque solemnibus litanijs in Rauennate ecclesia celebrari solitis.*

A quo autem fuerint primo editæ nondum constat. Hoc autē certum, fuisse totius Ecclesiæ catholicæ vetustissimum institutum, supplicationes publicas in calamitatibus & populi pressuris habere: vnde Gregorius, vrgente aliqua necessitate, non tantum Romanis, sed etiā externis litanias indicebat, vt apparet lib. 9. regist. epistol. 45. indict. 4. Orientales Ecclesiæ litanijs vtuntur, vt constat ex Basilio epist. 63. ad Neocæsarienses, quas à S. Gregorio Thaumaturgo in ea Ecclesia celebratas, & in more positas tradit, & deinde omnes Orientales patres, Arrianos etiam solemni pompa eas fuisse æmulatos, auctor est Socrates lib. 6. c. 8. & Zozomen. lib. 8. c. 8. quas Arcadius Imperator edicto promulgato illis inhibuit, l. 30. de hær. Cod. Theod. Sanctus etiā Mamertus Episcopus Viennensis, non instituit celebres illas quas penè tota Ecclesia recepit, sed ad meliorem formam sacras rogationes reduxit, consopitasq; & frigidas excitauit, vt constat ex Adone in Chronico, & Alcimo Auito, eiusdem Ecclesiæ Episcopo, & ex epist. Sidonij Apollinar. ad S. Mamertum, lib. 7. epist. 1. & alia ad Aprium lib. 14. epist. 5. Sanctus Gregorius litanias maiores ad S. Petrum indixit, earumq; annuam celebritatem decreto confirmauit, vt in principio lib. 2. regist. Solennitas (inquit) annuæ deuotionis nos, fratres dilectissimi, admonet, vt litaniam, quæ maior ab omnibus appellatur, solicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Deo, mentibus celebrare. *Idem Pontifex, occasione imminentis pestilētiæ, litaniam, quam septiformem appellant, instituit. Extat de eare constitutio data 4. Kalend. Septemb. lib. 11. c. 2. Eiusdē meminit Gregorius Turonens. de gestis Franc. lib. 10. cap. 1. & Paul. Diacon. de gestis Longobardorū, lib. 3. c. 11. Hæc Garsias. & Vide quæ notauimus supra in Notis Concilij Aurel. 1. can. 17. & Epist. 1.*

Fiebant autem Litaniæ incessu & cantu: vnde processiones dicuntur, concilio Lao l. c. 17. Fuit autem penes Christianos Latinos antiqua consuetudo, deuotè & simul ad loca martyrum procedere, vt constat ex Hieron. epist. 12. ad Eustoch. & Tertull. lib. 2. ad vxorem. De tempore celebrationis constat, temporibus D. Augustin. ante solennitatem Ascensionis, rogationes sacras fieri, vt est in eius sermone 173. de tempore, habito in vigilia Ascensionis, & ex conc. 1. Aurel. c. 29. relato à Gratiano in cap. Rogationes, de conse. dist. 3. vbi sic scriptū est: Rogationes ante Ascensionem Domini placuit celebrari: ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solennitate soluatur: per quod triduum serui, & ancillæ ab opere relaxentur. *Quem morem nunc seruat Ecclesia. In quinta Domin. post Pasch. maiores rogationes tribus diebus celebrat, feria 2. 3. & 4. quæ est vigilia Ascensionis: minores verò rogationes, in die S. Marci Euangelistæ. Fiebant & aliæ à die Iduum Decembrium, triduo vbique, vt constat ex 5. cōcilio Tolet. ca. 1. & 6. c. 2. & 2. Brach.*

Litania quid?

A quo instituta?

Quis modus Litaniarum? Quo tempore habitæ sint?

ca.9. Et Kalendis Nouembris alia instituta, ex Gerund. c.3. Tribus etiam continuis diebus magna populi consensione & numero celebrabant, orando, ieiunando, & psallendo, ita castè & piè, vt in concilio Maguntiaco sub Carolo Magno dicatur, celebrandas esse, sicut cuncti Patres sancti nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalciati, cinere & cilicio induti, &c. Idem Tertul. lib. 2. ad vxorem. Et hos rogationum dies laicis denuntiandos inter missarum solennia statuit concilium Lugdunense à Gratiano citatum in c. 1. de Consec. dist. 4. Hac de litanijs, ad populi deuotionem excitandã, subiecimus. Nicephorus auctor est, lib. 14. ca. 3. Theodosium Iuniorem Litaniam pro serenitate, & aëris clementia impetranda instituisse. Ponam verba, vt quæ diximus, aptius comprobentur. Litania (*inquit*) instituta est; supplicantes processêre, laudibus Deum vexêre, atq; vna concors Ecclesia ciuitas tota facta: & ipse Theodosius hymnis canendis præit, habitu priuato incedens. Minimè verò eum fefellit opinio: statim enim cælum aërẽ turbidum cum serenitate commutauit, & frumenti nõ mediocrem inopiam ingens quædam frugum copia, & vbertas est sequuta. *Gentilibus etiam supplicationes publicè fiebant: vt à Senatu Romano, dierum XX. vel XXX. decernebantur, bello gesto, vel victoria parta. Dei enim anticipata cognitio ita mentibus hominum insidet, vt rerum humanarum procurationem ab ipso pendere, atque ipsi esse gratias agendas, publicis supplicationibus fatererentur. Garsias.*

Vel Pentecostes.] *Sic habetur de Consec. d. 4. c. de Catechumenis: quam lectionem existimo esse sequendam. Nam quamuis Apostolorũ tempore, & infra, non erant diffinita, distinctaq; tempora ad baptismum suscipientibus, sed petentibus conferri quocunque tempore solebat: vt auctor est Diuus Ambros. ad cap. 4. Epistolæ ad Ephesios. (Tertulliani verba, lib. de baptismo, de hac re ponam, c. 19.* Diem baptismo solenniorem (*inquit*) Pascha præstat; cùm & passio Domini, in qua tinguimur, adimpleta est: nec incongruenter ad figuram interpretabitur, quòd cum vltimum Pascha Dominus esset acturus, missis discipulis suis ad præparandum, Inuenietis (*inquit*) hominem aquam baiulantem, Paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. Exinde Pẽtecoste, ordinandis lauacris, latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes aduentus Domini subostensa: quòd tunc in cælos recuperato eo, Angeli ad Apostolos dixerunt, sic venturum, quemadmodum & in cælos conscendit, vtique in Pentecoste. Sed enim Hieremias, cùm dicit: Et congregabo illos ab extremis terræ in die festo, Paschæ diem significat, & Pentecostes, quod est propriè dies festus. Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: si de solennitate interest, de gratia nihil refert. *Hæc Tertullianus.) *Sed propter baptismi solennitatem, & præstantiorem catechumenorum institutionem statuta, diffinitaq; sunt duo hæc tempora, Pascha & Pentecoste. Auctores sunt Siricius Papa, Epistola ad Himerium Tarraconensem. Canon. Non ratione, de Consec. d. 4. Hieronymus ad c. 14. Zachar. & Epist. 61. ad Pammachium, cap. 16. Leo Magnus, epist. 4. ad vniuersos Episcopos per Siciliam constitutos, Can. Cùm duo tempora, de Consec. d. 4. & epist. 68. ad vniuersos per Campaniam, &c. constitutos: & Gelasius Papa ad vniuersos Episcopos per Lucaniam: & in hoc cap. 4. Alcuinus de Ecclesiasticis officijs, cap. De baptismo Domini, & cap. de Sabbato sancto Paschæ. Fuit verò hæc consuetudo antiquata tunc, propter cõmunis vitæ pericula. Vnde Socrates lib. 5. Histor. Ecclesiasticæ, cap. 19. refert in Thessalia complures obijsse absque baptismo, quòd diebus Paschæ duntaxat baptismata conferri consueuerit. Fontis verò consecratio stata, & solennis tam in Pascha, quam in Pentecoste fit, vt in ritu Romano, in Missali cõstat: & aqua illa benedictionibus lustrata, summa populi obseruantia, in vrceolos per domos deducta, ad omne malum repellendum eximiè prodest. Vide notas IV. Epist. Leonis supra tomo 1. Garsias.*

(?)

Marc. 14.

Act. 2. Act. 1.

Hier. 31.

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM EX PARTE REPROBATVM, QVO EPISCOPI 40. Sacrosancti Concilij Chalcedonensis, S. Leonis Papæ, Euphemij & Macedonij Episcoporum Constantinopolitanorum nomina sacris Diptychis restituerunt, & Seuerum aliosque eiusdem Concilij aduersarios condemnarunt Anno Domini 518. die Iulij 20. sub Hormisda Pontifice & Iustino Imperatore.

Notæ.

Concilium.] *Post quam Iustinus Imperator, magnus Catholicorum patronus & defensor, singulari Dei beneficio imperiũ adeptus fuisset, populus Ecclesiã ingressus, 15. & 16. Iulij magno zelo exterserat, vt excommunicatis Eutychianis eorumq; defensoribus, sacrosanctum Chalcedonense Concilium, cũ S. Leonis Papæ & Euphemij Macedonij Episcoporũ nominibus, sacris Diptychis restitueretur. Quod cum importunis clamoribus populi cõtiuclus, Ioannes Episcopus præstitisset, idque minus legitimè factũ iudicasset, procurauit idem Episcopus, vt eadem ritè more maiorum in conuentu Patrũ agerentur. Post quatuor dies à dictis publicis Actis in Ecclesia habitis; nempe 20. Iulij, Constantinopoli collecta est synodus 40. Episcoporũ ibidem commorantiũ, vel in vicinia proxima habitantium. In qua principiò oblatus est à Monachis orthodoxis libellus, quinq; petitiones cõtinens: quibus cognitis & examinatis, quinque pariter decreta edita sunt, quæ publicis litteris ad Ioannem Episcopum transmissa, ipse vniuerso Christiano orbi nota fieri voluit.*

Causa Concilij.

Acta Concilij.

EPISTOLA SYNODICA AD IOannem Constantinopolitanum.

Cum Deus omnium Dominus. &c. *Extat infra in Concil. Constant. sub Menna contra Anthimum act. 5.*

Post quadraginta Episcoporum subscriptionem adiectus est ibidem Monachorum libellus, qui sic incipit. Curam equidem. &c. *Extat loco suprà dicto.*

His constitutis Ioannes Constantinopolit. omnes Orientis Episcopos de omnibus per litteras ad eos missus certiores reddidit. Exordium litterarum tale est:

Christus Deus noster. &c. *Extant in Conc. Const. sub Menna infra actiones.*

Eiusdem argumenti idem Ioannes scripsit ad Epiph. Archiepiscopum Tyri, quarum exordium est:

Deus qui omnia ad vtilitatem &c. *Extant ibid. act. 5.*

Orientales cõmunionẽ Romanæ Ecclesiæ reparant.

Synodus ab Hormisdæ Pontifice per synodicam quandam, & Iustini Imperatoris intercessionem expetiuit; primùm vt Romanæ Ecclesiæ communione donentur. Secundò vt legati Constantinopolim mittantur, qui auctoritate apostolica lapsos ad Ecclesiam reciperent, omnibusq; Ecclesijs pacem conciliarent.

Hoc Concilium in quibus reprobatum fuit?

Ex parte reprobatum.] *Auctoritate Hormisdæ Romani Pontificis, per legatos anno 519. nomina Euphemij & Macedonij, vna cũ nomine Acatij è sacris tabulis vicissim expuncta sunt, quæ synodus Cõstantinopolitana edito decreto Diptychis restituerat: idq; propterea, quod nomen Acatij schismatici & hæreticorum communione polluti, nimis pertinaciter retinentes, cõmunione sedis apostolicæ exciderint, quantumuis in schismate pro fide Catholica exulassent. Reliqua verò quæ in hac synodo, profitentibus Chalcedonensis Concilij, & contra Seuerum aliosq; Eutychianos hæreticos decreta fuerunt, ab eodem Romano Pontifice rata habita sunt, & nouis accedentibus scriptis firmata atque fortius roborata.*

Tempus Concilij.

Sacrosancti Concilij &c.] *Hæc ex epistola synodali suprà dicta constant.*

Anno Domini. &c.] *Sub consulatu Magni (vt patet in ipso exordio prædictæ epistolæ) qui cum anno Christi 518. Hormisdæ 5. & Iustini primo anno imperij coincidit.*

SYNODVS HIEROSOLYMITANA, QVA TRIGINTA TRES EPISCOPI OMNIA, QVÆ PRO CONFIRMATIONE Concilij Chalcedonensis, & pro restituendis nominibus Orthodoxorum & damnatione hæreticorum Concilio Constantinopolitano acta sunt, confirmant.

Extat epistola synodalis infra in Concilio Constant. sub Menna cõtra Anthymum actione 5. Exordium illius tale est.

Quoniam duplex est lachrymarum motus. &c.

NOTÆ.

Tempus Acta Concilij.

Synodus.] *Cum Hierosolymitana Ecclesia per litteras Ioannis de rebus Constantinopoli in Synodo gestis, certior reddita esset, subito conuocato Episcoporum Concilio protritam fidem Catholicam erigunt, & in pristino maiestatis suæ throno honorifice collocant. Quid in hac synodo gestum fuerit, synodalis Epistola ad Ioannem Constant. & Concilium ibidem congregatum reddita liquido demonstrat.*

CONCILIVM TYRIVM, QVO ACTA LEGITIMA CONSTANTINOPOLITANI CONCILII CONFIRMANTUR. Celebratum fuit anno Domini 518. die 16. Septembris sub Hormisda.

Extat huius Concilij Epistola synodalis infra in Concilio Constantinopolit sub Menna contra Anthymum act. 5. Exordium illius epistolæ huiusmodi est:

Benedictus Deus pacis Dominus &c. *præd. loco.*

NOTÆ.

Acta hui⁹ Concilij.

Concilium Tyrium.] *Non tantum Palæstinæ; sed etiam Tyrij Episcopi habito synodali conuentu sacrosancti Concilij & orthodoxorum Patrum restitutionem atque Seueri aliorumq; hæreticorum condemnationem confirmarunt. Rusticus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Diaconus, huius sæculi scriptor luculentissimus, dum contra Acephalos per dialogissimum disputat, testatur duo mille & quingentos sacerdotes sub hoc eodem Iustino Imperatore fidem Catholicam probasse. Extat allegatus dialogismus tom. 4. biblioth. SS. Pat. quo sic ait:* Sufficeret tibi vnica auctoritas synodi vniuersalis, quæ toties cunctarum Ecclesiarum consona sententia confirmata est, tam per Encyclicas epistolas regnante Leone, quã per libellos sacerdotum forsan duorum millium & quingentorum, imperante Iustino post schisma Petri Alexandrini & Acatij Constantinopolitani. *Fragmenta libellorum, quos Clerici & monachi Apamei & Antiocheni, hac de re ad prædictum Ioannem Constant. scripserunt, extant præd. Concilio Constãt. sub Menna act. 5. Cum hæc perferrentur ad Iustinum Imperatorem, calumniati sunt apud eum proceres Eutychiani, hos omnes, quorum querelæ perlatæ sunt Constantinopolim, esse Nestorianos hæreticos; ideoq; dignos qui pœnis subijcerentur. Quibus auditis Imperator Syros ac Palæstinos scripto admonuit, vt cuius essent fidei docerent. Qua occasione Antiocheni & Hierosolymitani Clerici cum Monachis earundem Ecclesiarum conuenientes, libellum scripserunt ad Iustinum Imperatorem, quo se vere Catholicos esse, absque vlla ambiguitate perspicuè declararunt. Exordium libelli tale est:*

Haurite aquas de fontibus salutis, vociferatur Isaias propheta &c. *Extat supra inter Epistolas Hormisdæ excusa.*

His acceptis Iustinus Imperator pro ipsorũ voto primo promulgauit edictum, quo præcipiebatur, vt omnes exules fidei causa sub Anastasio condemnati ad propria post liminio redirent, pristinosq; gradus & honores reciperent: surrogati vero in locum ipsorum hæretici procul pellerentur, alijsq; pœnis exagitarentur; sacrosanctum Chalcedonense Concilium in sacras tabulas referretur, & ab omnibus pie & religiosè obseruaretur, omnibusq; Ecclesijs tutissima pax redderetur. Vide acta magni Sabæ apud Surium. to. 6. die 5. Decemb. Deinde iterum edixit Imperator pijssimus, ne hæretici publicis muneribus fungantur, sint q; ab omni militia alieni. Mẽtio est huius edicti in Constit. Nouell. Iustiniani aduersus omnes hæreticos.

CONCILIVM ROMANVM DE ACATII, EVPHEMII ET MACEDONII CONSTANTINOPOLITANORUM Episcoporum nominibus è sacris Diptychis expungendis, celebratum Romæ sub Hormisda, anno Domini 518.

NOTÆ.

Acta Cõcilij.

Concilium Romanum.] *Acceptis ex Oriente Iustini Imper. synodi Constantinopolitanæ, Ioannis eiusdem Constant. Ecclesiæ Episcopi, nec non Comitis Iustiniani epistolis, pacem & communionem cũ Romana Ecclesia expetentibus, detento paulisper Romæ Grato, legationis Imperatoriæ officio fungente, Hormisda Pontifex Episcoporum conuentum collegit. Qui omnes post diligentem inquisitionẽ, quid hac de re prædecessores Romani Pontifices, Simplicius, Felix, Gelasius & Symmachus sensissent, vna eademq; sententia decreuerunt, recipiendam Orientalem Ecclesiam ad communionem apostolicæ sedis, si Acatium schismaticum condemnarent, nomen eiusdem penitus abolerẽt, denique si Euphemium & Macedonium eadem schismatis labe respersos è sacris tabulis delerent & expungerent. Quibus ita peractis legatio Pontificia designata est, quæ decretum synodi exequeretur. Ad hoc munus obeundum delecti sunt Germanus Capuæ Episcopus, alias ad Anastasium Imperatorem legatione perfunctus: Ioannes Episcopus: Blandus Presbyter: Felix & Dioscorus Diaconi. Qui ne transuersum vnguem à mandatis recederent, Indiculum siue Commonitorium illud, quod extat supra inter Epistolas Hormisdæ, est q; huius exordij:* Cum Deo propitio &c. *acceperunt. Responsoria litteræ, quas Hormisda ad Iustinum Imperatorem: Iustinianum Comitem: Ioannem Episcopum: & Clerum Constantinopolitanum de pace & communione Orientalis Ecclesiæ cum Romana, rescripsit, quasue prædicti legati secum detulerunt, extant supra inter epist. Hormisdæ 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.*

Hac legatione Orientalis Ecclesia Romanæ est reconciliata, postquã iuxta admonitionem Pontificis è sacris Diptychis nomina Acatij, Euphemij & Macedonij Episcoporum Constantinopolitanorum: Zenonis & Anastasij hæreticorum Imperatorum expunxissent; vt patet ex ijs quæ supra ad vitam Hormisdæ eiusque Epistolas annotauimus.

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA AB EPIPHANIO EIVSDEM ECCLESIÆ EPISCOPO COLLECTA anno Domini 520. Hormisdæ 7. & Iustini Imperatoris 3. ex qua ad Hormisdam Papam vna cum legatione synodica epistola missa fuit.

Extat Epistola synodalis ad Hormisdam supra. Exordium illius huiusmodi est.

Innumerabilem & inuestigatam magni Dei.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA IOANNIS PAPÆ I.

Ex libro Pontificali.

Anno Domini 523.

IOANNES natione Tuscus, ex patre Constantio, sedit annos duos, menses nouem, dies septendecim. Fuit autem à consulatu Maximi vsque ad consulatum Olibrij, temporibus Theodorici regis & Iustini Augusti Christiani. Hic vocatus est à rege Theodorico Rauennam, quem ipse rex rogans misit in Constãtinopolim cum legatione ad Iustinum Imperatorem orthodoxum. Eodem quippe tempore Imperator vir religiosissimus summo amore religionis Christianæ, voluit hæreticos extricare. Nam summo feruore religionis Christianitatis hoc consilio vsus est, vt ecclesias Arrianorum catholicas consecraret. Pro hac causa rex Theodoricus hæreticus hoc audiens, exarsit in iram, & totam Italiam voluit gladio extinguere. Eodem tempore Ioannes Papa ægrotus egressus, cum fletu ambulauit pergens ad vrbem Constantinopolim & senatores cum eo, scilicet Theodorus, Importunus & Agapetus exconsules, & alius Agapetus Patricius, accipientes hoc in mandatis legationum ab ipso rege, vt redderentur ecclesiæ hæreticis in partibus Orientis. Quòd si non, omnem Italiam gladio perderet. Qui cum ambulassent cum Ioanne Papa, occurrerunt B. Ioanni papę, à milliario duodecimo, omnis ciuitas cum cereis & crucibus in honorem beatorum Apostolorum Petri & Pauli: quia veteres Græcorum hoc testificabantur, dicentes, à tempore Constantini & à B. Syluestro sedis Apostolicæ episcopo, vsque ad Iustini tempora, non meruisse partes Græciarum vicarium B. Petri apostoli susceptisse cum gaudio & gloria. Tunc Iustinus Augustus dans honorem Deo, humiliauit se pronus in terram, & adorauit beatissimum Ioannem papam. Eodem tempore B. Ioannes papa cum senatoribus suprà scriptis cum grandi fletu rogauerunt Iustinum Augustum, vt legatio acceptabilis esset in conspectu eius. Qui Ioannes papa & senatores viri religiosi omnia meruerunt, & liberata est Italia à Theodorico rege hæretico. Iustinus autem Imperator gaudio repletus est, quia meruit temporibus suis vicarium B. Petri Apostoli videre in regno suo, de cuius manibus cum gloria coronatus est Iustinus Augustus. Eodem autem tempore cum hi supra scripti, id est, papa Ioannes cum senatoribus, Theodoro, Importuno, & Agapeto exconsulibus (Agapeto patritio defuncto Thessalonicæ) positi Constantinopoli essent, Theodoricus rex hæreticus tenuit duos senatores præclaros & exconsules Symmachum & Boëthium, & occidit, interficiens gladio. Eodem tempore reuertens papa Ioannes venerabilis, & senatores cum gloria, dum omnia obtinuissent à Iustino Augusto, rex Theodoricus hæreticus cum grandi dolo & odio suscepit eos, scilicet Ioannem papam & senatores, quos etiam gladio voluit occidere, sed metuebat indignationem Iustini Augusti. Tamen in custodia omnes afflictos macerauit, ita vt beatissimus Ioannes episcopus primæ sedis, in custodia afflictus, deficiens moreretur. Qui defunctus est Rauennæ* duodecimo Kalend. Iunij. Post hoc factum, nutu omnipotentis Dei, 98. die postquam defunctus est Ioannes beatiss. papa in custodia, Theodoricus rex hæreticus subitò interijt, & mortuus est. Hic papa Ioannes refecit cœmeterium beatorum martyrum Nerei & Achillei, via Ardeatina. Item renouauit cœmeterium sanctorum Felicis & Adaucti. Item renouauit cœmeterium Priscillæ. Eodem tempore positum est ornamentum super confessionem B. Pauli Apostoli de gemmis prasinis & hyacinthinis. Item huius temporibus Iustinus Imperator obtulit patenam auream cum gemmis, pensantem libras viginti. Calicem aureum cum gemmis, pensantem libras quinque. Scyphos argenteos quinque. Pallia auro texta quindecim, quæ ipse Ioannes detulit ad beatos Apostolos Petrum & Paulum, & ad sanctam Mariam, & ad sanctum Laurentium. Hic ordinauit episcopos per diuersa loca 15. Cuius corpus translatum est de Rauenna, & sepultum est in basilica beati Petri sub die sexto Kalendas Iunias, Olibrio consule. Et cessauit episcopatus dies quinquaginta octo.

* xv

NOTÆ in Vitam Ioannis I.

Ioannes.] *Cum septem dierum spacio sedes apostolica pastore vacasset, totius Cleri consensu surrogatus est in locum Hormisdæ, Ioannes Etruscus Constantij ex presbytero filius, idibus Augusti, anno Christi nati 523. qui est Iustini sextus Imperij, & Theodorici 31. regni Italici. Huius temporibus magna Aethiopum copia ad Ecclesiam accessit. Ex Manichæis plurimi per Iustinum Imperatorem, & Cabadem Persarum Regem interfecti fuerunt. Eupheme Augusta de Catholica fide optime merita, ex hac vita migrauit. Iustinus Imperator anno imperij sui sexto Arianis ex Oriente expulsis, Ecclesias eorum vbique Catholicæ religione consecrari mandauit. Quod cum Ariani Orientales Theodorico Regi Italiæ suæ perfidiæ patrono significassent, ab eoq; missis legationibus plurimis, subsidium & patrocinium expetissent, apud Iustinum Imperatorem pro eorundē libertate agere cepit. Verum cum ex litteris vltro citroq; datis & acceptis intelligeret, se minimè id quod optabat, consecuturum, impulit Ioannem Pontificem ad munus legationis suscipiendum, mutuæq; pacis & concordiæ conseruandæ sequestrem agendum; comminatus, nisi delegatam prouinciam subiret, se in Occidente aduersus Orthodoxos illa facturū, quæ in Oriente aduersus suos Arianos legibus Iustini Augusti decreta fuissent. His minis Pontifex commotus, inuitus & præter consuetudinem antecessorum legationem subijt. Eidem in itinere posito accidere, quæ S. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 2. narrat his verbis:* Gothorum tempore, cum Ioannes vir beatissimus huius Romanæ Ecclesiæ Pontifex ad Iustinum seniorem Principem pergeret, in Corinthi partes aduenit, cui necesse fuit, vt in itinere ad sedendum equus requiri debuisset. Quod illic quidā vir nobilis audiens; equū, quem præ magna mansuetudine eius coniux sedere consueuit, ita ei obtulit, vt eo ad loca alia perueniente, cū alius equus pōtuisset inueniri, deberet ille quē dederat propter suam coniugē transmitti. Factumq; est vt dū vsque ad certū locū prædictus vir equo eodē subuchēte perductus esset: qui mox vt aliū reperit, illū quem acceperat remisit. Cumq; cū prędicti nobilis viri cōiux ex more sedere voluisset, vltra non valuit: quia post sessionē tanti Pontificis mulierē ferre recusauit. Cœpit namq; immenso flatu & fremitu atque incessanti totius corporis motu, quasi despiciendo prodere: quia post membra Pōtificis mulierem ferre non posset. Quod vir eius prudenter intuitus, hunc ad eundem venerabilem virum protinus remisit, magnis precibus petens, vt equum ipse possideret, quem iuri suo sedendo dedicasset. *De eodem etiam illud, inquit idem S. Gregorius;* mirabile à nostris senioribus narrari solet, quod in Constantinopolitana vrbe, ad portam, quæ vocatur Aurea; veniens, populorum turbis sibi occurrentibus in conspectu omnium, roganti cæco lumen reddidit, & manu suppositā oculorum tenebras fugauit. *His præcursantibus miraculis voluit eum Deus honorificè recipi. Quomodo autem à Constantinopolitanis exceptus fuerit, refert Anastasius: quid verò ibidem in causa Arianorum egerit, infra dicemus, verbis:* Eodem tempore beatissimus. &c.

Quo tempore Pontifex factus.

Eodem tempore. &c.] *Iustinum Imperatorem Pontificis aliorumq; legatorum precibus permotū, quod hic refert Anastasius, Arianis iura sua reliquisse, ijsq; ablatas Ecclesias restituisse, falsum est. Fatetur enim ipse Pontifex Ioannes epist. 2. ad Episcopos Italiæ, se cum causa Theodorici Regis Constantinopoli esset, suasu & hortatu Iustini Imperatoris Ecclesias Arianis oblatas vicissim reconciliasse, & diuino cultui consecrasse.* Ecclesias vero Arianorum, *inquit*, vbicunq; inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus & operibus ablatę que vlla mora consecrate; quia & nos quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione Catholica, quā & pro Theodorici Regis causa & negotijs, suadente Imperatore & hortante, Arianosq; extirpante, pijssimo atque Christianissimo Iustino Imperatori, quascunq; illis in partibus eorū Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas (Dño opem ferente) consecrauimus. *At ne vel leuis saltem de impostura suspicio in aduersariorum refractariam mentem irrepere possit, quasi epistola hæc spuria sit & supposititia, accipe tantæ veritatis testem eiusdem sæculi scriptorem, Gregorium Turonensem eadem ipsa diserte verba testā-*

Iustinus Arianos ex regio expulit.

Ioannes Papa a Theodorico Arianorum vrbe ad Orientem ablegatur.

Quid Ioannis Papæ apud Corinthū acciderit.

Cœcus à Ioanne Papa illuminatur.

Quid Ioannes Papa in Oriente egerit.

tem, cum in libro de gloria Martyrum c. 40. ait, nullam aliam ob causam Ioannem Pontificem detrusum in carcerem, coactumq; ibi in arumnis vita perfungi, quàm quod Arianorum Ecclesias in Catholicas consecrasset. Verba illius hæc sunt: Hic, (intellige Ioannes Papa) cũ ad Episcopatũ venisset, summo studio hæreticos (Arianos) execrans, Ecclesias eorum in Catholicas dedicauit: quod cũ Theodoricus Rex cõperisset, furore succẽsus, quia esset sectæ Arianæ deditus, iussit gladiatores per Italiam dirigi, qui vniuersum quotquot inuenissent Catholicum populum iugularent. Hæc audiens B. Ioannes, ad Regẽ, ne hæc fierent, deprecatur' accessit: à quo cum dolo susceptus, alligauit eũ, & posuit in carcerem, dicens: Ego te faciam, ne audeas cõtra sectã nostram amplius mussitare. Positus verò sanctus Dei in carcere, tantis attritus est iniurijs, vt non post multũ tempus spiritum exhalaret: obijtq; in carcere cũ gloria apud vrbem Rauennam: Domini aũt misericordia statim vltionem super improbum Regem irrogauit: nam subito à Deo percussus, plagis magnis eximanitus interijt, susceptitq; protin' perpetuũ gehennæ flãmantis incendium. *Hæc Gregorius Turonensis prædicto loco. Anastasius hic Pontificem reuersum à legatione Constantinopolitana, iussu Regis carceribus mancipatum & in vinculis defunctum esse aperte scribit. Mirum est, qua auctoritate referat ad instantiã Papæ Arianis in Oriente Ecclesias suas restitutas fuisse, si hoc beneficium à Iustino Imperatore obtinuisset, nõ sanè Rex Arianus reduxisset in carcerẽ detrusisset, ibiq; eũ mori coegisset; sed potius eidem tanquã liberatori suarum gentium ipse Theodoricus occurrisset, publicos honores decreuisset; & sinũ triumpho, saltem aliqua ouatione comitante vniuersũ Gothorum exercitu illum in vrbem introduxisset. Vide Baron. an. 526. nu. 8. 9. & 10.*

Eodem tempore cum suprascripti, id est, Papa, &c.] *Cum Theodoricus audiisset, Ioannem Pontificem pro Ecclesijs Arianorũ restituendis nihil egisse: sed potius ablatas Arianis Ecclesias diuino cultui dedicasse, in nobilissimos senatores gladium Romæ cõuertit. Hæc eadẽ auctor historiæ Miscellæ, lib. 15. Gregor. Turon. prædicto loco testatur.*

Symmachũ] *Symmachus socer fuit Boëtij: vir consularis, omnũ scientiarum, & præcipuè rerum Theologicarum peritissimus. Ad hũc Boëtiũ scripsit librũ de Trinitate, suorũq; scriptorum arbitrũ appellat. Priscianus Grammaticus Constantinopoli docens, librum suum de põderibus & mensuris eidẽ inscripsit, cuius initio ait:* Omnite, Symmache, nobilitatis splẽdore celebratũ, ac omni naturæ munere præstãtẽ, omni virtutis luce fulgẽtẽ, studijs etiã optimarũ artiũ disciplinarũq; florentẽ, iustissimeq; prosperæ fortunæ meritis vitę probantẽ, fama quidẽ antea nobis absentem venerabilẽ faciebat: nunc aũt præsentẽ veritas supergressa laudes prædicationis ostẽdit, &c. *Ennodius dũ recẽset vrbis ciues clarissimos, quosq; imitandos proponit, de Festo & Symmacho ait:* Festus & Symmachus omniũ disciplinarũ materia & cõstantes forma sapiẽtiæ de vrbe sacratissima nõ recedant. In ipsis est nobilis curiæ principatus: quos vidisse eruditi est, &c. *In hoc magnũ antiquæ probitatis decus & ornamentũ truculentus tyrannus violẽtas manus iniecit, venerãdãq; canitiem sanguine cruentauit: at licet gladio necari, non tamen extingui potuit: cuius secti capitis vel sola memoria sub prægrandis capitis aspectu, phantasia repræsentata, eundẽ crudelissimũ barbarum tanto tremore concussit, & alẽ timore incussit, teste Procopio, vt necem attulerit corpori, animam ignem inextinguibilem cõdemnata. Vide Ba. an. 526. Posseuinũ in app. sacro.*

Boetiũ] *Seuerinus Boëtius secundũ Cõsul Symmachi filiã Rusticianã nomine vxorem habuit; ex qua duos suscepit filios Consulares, quos optimis moribus imbui curauit: Philosophus, Theologus et Mathematicus insignis fuit, scriptis philosophicis & Theologicis clarissimis. Hũc Theodoricus, ideo quod senatũ de crimine læsæ maiestatis calumniæ accusatum defendisset, Ticinum relegauit, ibiq; tãdem, post multas carceris angustias eundẽ capitis supplicio affecit, & glorioso martyrio condecorauit.* De scriptis illius, *vide Bar. an. 526. Posseuin. in appar. sacro.*

Sepultum 6. Kalend. Iunias] *Sexto Kalend. Iulias legi debet. Nam 6. Kal. Iunias mortuus est: sexto autem Kal. Iulias Romã translatus, sepultus fuit in Basilica Vaticana.*

Cessauit Episcopatus eius dies 58.] *Hoc toto 50. dierum interstitio sedis vacantis altercatum est Romæ de electione Pontificis: & licet vota eligentium in alium conspirassent, accidit tamen iussu Theodorici Regis Ariani, vt quẽ ille designarat Felicem IV. eligere debuerint. Sicut ergo Constantius Imperator Arianus relegato Liberio, illi surrogauit Felicem secundum; ita Theodoricus princeps Arianus eiusdem nominis Felicem IV. substituit. Hac occasione factum est, vt quando post hæc tempora etiam Orientales Imperatores nõ alium à Clero Romano Pontificem eligi permiserint, quàm talẽ, quem ipsi suo assensu cõfirmarent. Ob quod S. Greg. plurimis in locis grauissimè ingemiscit.*

SEQVVNTVR EPISTOLAE IOANNIS PAPÆ. I.

EPISTOLA I. IOANNIS PAPÆ AD ZACHARIAM archiepiscopum.

De non accusandis Episcopis.

IOANNES *Vrbis Romæ Episcopus, Zachariæ archiepiscopo salutẽ.* Exigit dilectio tua frater charissime, præceptum Apostolicæ sedis, in quo patrum decreta consentiunt, quod nec tibi, nec vlli rectè viuentiũ & credẽtium sacerdotum, negare fas esse credimus. Et licet tibi pro meritò & honore sacerdotij, quo plurimum polles, viuendi & docendi Ecclesiasticę regulę nota sint omnia, tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam atque authoritatem magnoperè postulasti, scriptis tuis breuiter respondere curauimus. De occultis enim cordis alieni temerè iudicare, iniquum est: & eum, cuius non videntur opera, nisi bona, peccatum est ex suspicione reprehendere. Oues ergò, quæ pastori suo commisse fuerint, eum nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, debent, & nullatenùs accusare possunt: quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quanquàm rectè reprehendenda videantur. Ideò ista dicimus, quia in scriptis vestris reperimus, quosdam episcopos vestris in partibus à proprijs ouibus accusatos, aliquos vide licet ex suspicione, & aliquos ex certa ratione, & idcircò quosdam suis esse rebus expoliatos, quosdam verò à propria sede pulsos. Quos scias nec ad Synodum comprouincialem, nec ad generalem posse conuocari, nec aliquid dijudicari, antequàm cuncta, quæ eis ablata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur. Priùs ergò oportet omnia illis legibus redintegrari, & ecclesias, quæ sibi sublatæ sunt, cum omni priuilegio sui restitui, & postmodum non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum expoliati vel expulsi esse videntur, antequàm ad synodum conuocentur, & ab omnibus quisque suæ prouinciæ episcopis audiatur. Nam nec conuocati ad causam, nec dijudicari potest expoliatus vel expulsus: quia non est priuilegium, quo expoliari possit iam nudatus. Vnde & antiquitus decretum est: Omnes possessiones, & omnia sibi sublata atque fructus cunctos ante litem contestatam, præceptor vel primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur: Ille, qui violentiam pertulit, vniuersa in statu, quo fuerant, recipiat, & quæ possidet, securus teneat. Et alibi in synodalibus patrum decretis, & regum edictis legitur statutum; Redintegranda sunt omnia expoliatis vel ejectis Episcopis præsentialiter ordinatione pontificum, & in eorum, vndè absceſſerunt, potestatem funditus reuocanda, quacunque cõditione temporis, aut dolo, aut captiuitate, aut virtute maiorum, aut per quascunque iniustas causas, res ecclesiæ vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur ante accusationem, aut regularem ad synodum vocationem eorum, & reliqua. Est etiam in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, vt qui alicna inuadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Vnde & in Euangelio scriptum est: Quòd si aliquid defraudaui, reddo quadruplum. Et in legibus seculi cautum habetur: Qui rem subtripit alienam, illi, cuius res direpta est, in vndecuplum, quæ sublata sunt, restituat. Et in lege diuina legitur: *Maledictus omnis, qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus, Amen.*

Talia ergò non præsumantur absque vltione, nec exerceantur absque sua damnatione. Tu verò, frater charissimè, hæc, vide, ne transgrediaris, & reliquos Episcopos, tam tuæ curæ commissos, quàm & alios firmiter tenere doceto, quia transgredi Apostolica statuta absque transgressoris gradus periculo nullatenùs possunt. Inimicis verò accusatoribus, vel de inimici domo prodeuntibus, seu qui cum inimicis morantur, non credatur:

2. q. 7. oues pastor.

9. q. 2. In scripturis vestris. Et in decr. Iuon. lib. 3

3. q. 2. Priùs ergò. Et in decret. Iuo. lib. 4.

In decret. Iuo. lib. 4.

3. q. 1. Redintegranda.

In decret. Iuo. lib. 4.

Luc. 19.

12. q. 2. legib. cautũ.

Deut. 27.

ne irati, nocere cupiant, ne læsi, se velint vlcisci. Hi quoque reijciendi sunt, non approbandi. Hæc (charissime) tene, & prohibita semper caue. Illud adimplere stude, quod benè, ad Iesum filium Sirach dictum est: Vsque ad mortem certa pro veritate, & semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te. Huius ergò rei gratia vobis & nobis sancta commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboribus & cunctis opem ferre non negligamus: quoniam dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Ideoque tanta vrgente necessitate, summoperè vestra Apostolicaque authoritate, & reliquos Episcopos oportet reprimere infestos, releuare oppressos, vt absque graui (Domino auxiliante) difficultate, ipsi grataner omni tempore sacrificare mereamur illæsi. Ad vos quoque me reuerti cogit propositi operis amica conditio, qui melioribus hactenus operam volui nauare sermonibus, dum talem rationem exigit toxicata necessitas. Mandati cælestis habitatio nos aut miscet, aut separat. Nec interest, quæ interualla nos segregent, si vna in supernæ mansionis claue retinentur. Nec vobis tales nocere valebunt, si inuicem adiutorium ferre non distuleritis. Inauditum autem genus sacrilegij est; quod mentitæ religionis honorem præfixi æmuli colorant. Dehonestat enim venerandi reuerentiam nominis, qui adiutorem se in his, quæ in Deum iactat commissa pollicetur. Contumeliæ genus est, quasi in solatio adesse *sublimi, iuxta Apostolum: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Quid auribus imperitis illudunt, & grauiorem vindictæ speciem faciunt esse quàm culpæ? Si odium habent, excessibus *emendent. Cur ergò liberiùs condemnant scelera, quàm vitant? Sui profectò impugnator est omnis, qui patres insequitur, aut detrahere non formidat. Nihil est enim, in quo inimicorum tela (Domino opem ferente) superare non valeatis, si (iuxta veritatis vocem) talem, qualem Dominus præcepit, habueritis dilectionem ad inuicem. Data 15. Kalend. Nouembris, Maximo & Olybrio viris clarissimis consulibus.

Ecclesi. 4.

Luc. 10.

*sublimis Rom. 14.

*emũdent

Ioan. 13.

A. D. 523.

NOTÆ.

Maximo &c.] *Hæc Cõsularis nota mendosa est, vt patebit ex ijs quæ infra dicemus. Puto hanc referendam esse ad consulatum Maximi sine collega: qui incidit in annum Domini 523.*

EPISTOLA II. IOANNIS I. AD EPISCOPOS Italiæ de Theodorico rege, atque de fide Catholica aduersus Arianos defendenda, deq; Ecclesijs eorum sacro ritu consecrandis, & diuino cultui reconciliandis.

IOANNES *Episcopus omnibus per prouincias Italiæ constitutis Episcopis, in Domino salutem.* Sæpissimè multo iam experimento didici, sanctum pietatis vestræ studium circa religionem Christianam gloriosis crescere & dilatari augmentis, & fides recta, quæ non solùm me, sed omnes Domini sacerdotes consolatur & roborat, vestris in mentibus & operibus per sacerdotale agnoscitur opus & dilatatur. Quapropter (fratres) hortor vos & moneo, contra Arianam perfidiam, quæ olim non semel, sed sæpè damnata est, & modò in quibusdam reuiuiscit, amari gladio spiritus sancti, vt eam ita (adminiculante diuina gratia) opprimere & extirpare valeamus, vt nec radix eius in posterum inueniatur. Ecclesias verò Arianorum vbicunque inueneritis, catholicas eas diuinis precibus & operibus absque vlla mora consecrate: quia & nos, quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione catholica, quàm & pro regis Theodorici causa negocij, suadente atque hortante, Arianosque extirpante pijssimo atque Christianissimo Iustino orthodoxo Imperatori, quascunque illis in partibus eorum ecclesias reperire potuimus, catholicas eas (Domino opem ferente) consecrauimus. Et quanquàm prædictus Theodoricus rex, eorum peste tactus intrinsecus, & obuolutus extrinsecus, nos & omnem regionem nostram perdere, & gladio & igne consumere minetur, nolite tamen propterea deficere, sed viriliter in agro Dominico elaborare studete, & (iuxta veritatis vocem) *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs eum timete, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam.* Et egregius gentium Apostolus inquit. *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Iesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: operamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, & non derelinquimur: deijcimur, & non perimus: semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergò mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: scientes, quoniam, qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum. Omnia enim propter vos, vt gratia abundans per *multas gratiarum *actiones, abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus. Sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ videntur enim, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ex Deo ædificationem habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes, si tamen vestiti, & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quòd nolumus spoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est, à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, & scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino: (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum: & ideò contendimus, siue absentes, siue præsentes, placere ei. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Scientes ergò timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifestissimus. Spero autem & in conscientijs vestris manifestos nos esse. Non iterum nos commendamus vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis; vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. Siue enim mente excidimus, Deo siue sobrij sumus, vobis. Charitas enim Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem iam nouimus secundum carnem: & si agnouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Si qua ergò in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso. Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti & cognoti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Decatèrò

Matth. 10.

2. Co. 4.

*sed *sed

Psalm. 29

*multos in *adiuue

Ibidem. 5. ab cd

Isi. Gal. Eph. 49 1. Cor. 4.

2. Co. 6.

fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, pacem habete, vt Deus pacis & dilectionis sit semper vobiscum, Amen. Data 3. Idus Iunij, Maximo & Olybrio viris clariss. coss.

Notæ in Epistolam Ioannis secundam.

Epistolam] *Hanc epistolam Ioannes Pontifex iussu Theodorici ab vrbe relegatus, scripsit ex carcere illo, in quo non multo post hac tẽpora pœdore fameq; consumptus expirauit. Hortatur Episcopos Italiæ, vt fidem Catholicam contra Arianos defendant, Ecclesiasq; ab ijs vsurpatas sacro ritu Catholicas reddant.*

Ecclesias verò Arianorum] *Ex hoc loco Anastasium bibliothecarium erroris & mendacij redarguimus supra in Notis ad vitam Ioannis, verbo* Eodem tempore.

Data tertio Idus Iunij] *Erroneum est hoc & mendosum. Si enim vigesima septima Maij, vt habet Martyrol. Romanum, idem Ioannes anno Domini 526. sub consulatu Olybrij, mortuus esse ponitur, nequaquam sustineri potest, eundem tertio Idus Iunij, eodem anno & sub eodem Consulatu Olybrij hanc epistolam scripsisse.* Nota temporis mendosa.

Maximo & Olybrio] *Consulatus Maximi hoc loco superadditus est, adeoq; expungendus: vterque enim diuersis annis consulatum gesserunt: ille anno Christi 523. hic 526. Accedit, quod neque 3. Idus Iunij sub consulatu Maximi hanc epistolam datam esse concedi possit. Nam eo tempore Ioannes nondum erat Pontifex, qui mense Augusti eiusdem anni sedere cœpit, vt supra dixi. Dicendum ergo hanc Epistolam scriptam esse tempore Consulatus Olybrij absque collega an. Domini 526. Hinc patet cur supra dixerim epistolam præcedentem referendam esse ad Consulatum Maximi sine collega.* Cõsulatus Maximi Datæ surrepsit.

ILERDENSE CONCILIVM, OCTO EPISCOPORVM, HABITVM ANNO 15. THEODORICI REGIS, OCTAVO IDVS AVGVSTI; TEMPORE IOANNIS PAPÆ, ANNO DOMINI 524.

Editio I.

CAPITVLA CONCILII Ilerdensis.

De his, qui altario ministrant, vt à sanguine hominis se abstineant. 1
De his, qui abortiuum faciunt, vel natos suos extinguunt. 2
De monachis, vt clerici ordinentur cum voluntate abbatis, & quæ monasterio offeruntur, non auferantur, & de basilicis quas laici fecerint. 3
De incestis, vt, quamdiu in scelere sunt, inter catechumenos habeantur. 4
De his, qui altario seruiunt, si subitò infragilitatẽ carnis inciderint. 5
De eo, qui viduæ pœnitenti, vel religiosæ virgini stuprum intulerit. 6
De his, qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant. 7
Si clericꝰ seruũ vel discipulũ de ecclesia traxerit, vt pœnitẽtiã agat. 8
De his, qui rebaptizati sunt, quantum pœniteant. 9
De his, qui iubẽte episcopo, remissa culpa, ab ecclesia exire cõtẽnunt. 10
De clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt. 11
De his, qui contra canones ordinati sunt, vt deponantur. 12
De catholicis, qui filios suos hæreticorum baptismati tradiderunt. 13
De catholicis, vt cum rebaptizatis non conuersentur. 14
Vt clerici cum extraneis mulieribus non habitent. 15
Cum sacerdos moritur, quid de rebus ecclesiæ obseruetur. 16

Capitulum primum.

De his clericis, qui in obsessionis necessitati positi fuerint, id statutum est, vt qui altario ministrant, & Christi corpus & sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, vt ab omni humano sanguine, etiam hostili, se abstineant. Quòd si in hoc inciderint, duobus annis tam officio, quàm communione corporis Domini priuentur, ita vt his duobus annis, vigilijs, ieiunijs, orationibus, & eleemosynis pro viribus, quas Dominus donauerit, expientur, & ita demùm officio vel communioni reddantur, ea tamen ratione, ne vlteriùs ad officia potiora prouehantur. Quòd si * in definito tempore negligentiores circa salutem suam extiterint, * protelandi ipsius pœnitentiæ tempus in potestate maneant sacerdotis.

2 Hi verò, qui malè conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in * ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, in vtroque sexu adulteris, post septem annorum curricula communio tribuatur, ita tamen, vt omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant. Si verò clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat: attamen in choro psallentium, à tempore receptæ communionis interstent. Ipsis autem veneficis in exitu tantùm, si facinora sua omni tempore vitæ suæ defleuerint, communio tribuatur.

3 De monachis id obseruare placuit, quod synodus Agathensis noscitur decreuisse, hoc tantũmodò adijciẽdo, vt cũ

pro

Editio II. Garsiæ.

TITVLI.

De his, qui altario ministrant, vt à sanguine hominis abstineant. 1
De his, qui abortum faciunt, vel natos suos extinguunt. 2
De Monachis, vt Clerici ordinentur cum voluntate Abbatis, & quæ monasterio offeruntur, non auferantur, & de Basilicis, quas Laici fecerint. 3
De incestis, vt quamdiu in scelere sunt, inter Catechumenos habeantur. 4
De his, qui altario seruiunt, si subitò carnis fragilitate corruerint. 5
De eo, qui viduæ pœnitenti, vel religiosæ virgini stuprum intulerit. 6
De his, qui sacramento se obligant, ne ad pacem redeant. 7
Si Clericꝰ seruũ, vel discipulũ de ecclesia traxerit, vt pœnitẽtiã agat. 8
De his, qui rebaptizati sunt, quantum pœniteant. 9
De his, qui iubẽte Episcopo, omissa culpa, ab ecclesia exire cõtẽnunt. 10
De Clericis, qui in mutuam cædem prorumpunt. 11
De his, qui contra Canones ordinati sunt, vt deponantur. 12
De Catholicis, qui filios suos baptismati hæreticorum dederunt. 13
De Catholicis, vt cum rebaptizatis non conuersentur. 14
Vt Clerici cum extraneis mulieribus non habitent. 15
Si Sacerdos moritur, quid de rebus ecclesiæ obseruetur. 16

SYNODVS HABITA IN CONVENTV Ilerdensi, anno quindecimo Theuduredi Regis, sub die octauo mensis Augusti.

1 De his Clericis, qui in obsessionis necessitate positi fuerint, id statutum est, vt qui altario ministrant, & Christi sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectãt, vt ab omni humano sanguine, etiam hostili abstineant. Quòd si in hoc inciderint, duobus annis, tam officio, quàm communione priuentur: ita vt his duobus annis, vigilijs, ieiunijs, orationibus, & eleemosynis, pro viribus, quas Dominus donauerit, expientur; & ita demum officio, vel communioni reddantur; ea tamen ratione seruata, ne vlterius ad officia potiora promoueantur. Quod si infrà præfinitum tempus negligentiores circa salutem suam extiterunt, protelandi ipsius pœnitentiæ tempus in potestate maneat Sacerdotis. Di. 50. De his clericis, qui.

2 Hi verò, qui malè conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in vteris matrum, potionibus aliquibus colliserint, in vtroque sexu adulteris, post septem annorum curricula, communio tribuatur: ita tamen, vt omni tempore vitæ suæ, fletibus, & humilitati insistant. Si verò Clerici fuerint, officium eis ministrandi recuperare non liceat; attamen in choro psallentium, à tempore receptæ communionis interstent. Ipsis veneficis in exitu tantum, si facinora sua omni tempore vitæ suæ defleuerint, communio tribuatur. Iuo. p. 9. c. 102. vbi ita legitur: De illis mulieribus, quæ malè conceptos ex adulterio &c. Et ita apud eundem p. 10. cap. 182. Vide Cõstitut. Sixti V. de hac re.

3 De Monachis verò id obseruari placuit, quod Synodus Agathensis, vel Aurelianensis noscitur decreuisse: hoc tan-

tummodò

C.27.cõcilij Agath. 16.q.1.Cũ pro vtilit. 10.q.1.Si ex laicis quispiam.

pro ecclesiæ vtilitate aliquos episcopus probauerit in clericatus officio promouendos, cum abbatis volũtate debeant ordinari: Ea verò, quæ in iure monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab episcopis contingantur. Si autem ex laicis quisquam, à se factam basilicam, consecrari desiderat, nequaquàm eam sub monasterij specie, vbi congregatio non colligitur, vel regula episcopo non constituitur, à diœcesana lege audeat segregare.

55.q.2.&4. De his, qui ince.

4 De his, qui se incestus pollutione commaculant, placuit, vt quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad Missam tantùm catechumenorum in ecclesia admittantur, cum quibus etiam nec cibum sumere vllum Christianorum (sicut Apostolus iussit) oportet.

1.Cor.5. Di.50. Hi, qui altario sancto,& 15.q.8. Hi, qui altario Dei.

5 Hi, qui altario Dei deseruiunt, si subitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente, dignè pœnituerint, ita vt mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare, ita tamen, vt sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia vlterius promoueri. Quòd si iteratò, velut canes ad vomitũ, reuersi fuerint, & veluti suos in volutabris luti iacuerint, non solùm dignitate officij careant, sed etiam sanctam cõmunionem, nisi in exitu, non percipiant.

2.Petr.2.

6 Qui pœnitenti viduæ, vel virgini religiosæ vim stupri intulerit, si se ab eo sequestrare noluerit, pariter à communione Christianorum & consortio segregentur. Si verò illa, quæ vim pertulit, ad sanctam religionem redierit in illo solo sententia excommunicationis teneatur, quoadusque publicè pœniteat.

22.q.4. Qui in sacramento se oblig.

7 Qui sacramento se obligauerit, vt litigans cum quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro periurio, vno anno à cõmunione sanguinis & corporis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit, ieiunijs absoluat. Ad charitatem verò, quæ operit multitudinẽ peccatorum, celeriter venire festinet.

1.Petr.4.

17.q.4. Nullus clericorũ seruũ. Et in decr. Iuo. lib.2. Ca.11. Niceñ. Syno.

8 Nullus clericorum, seruum aut discipulum suum ad ecclesiam confugientem, extrahere audeat, vel flagellare præsumat. Quod si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur.

9 De his, qui in præuaricatione rebaptizati, sine aliqua necessitate, vel tormento delapsi sunt, placuit, vt circa eos illa Nicænæ synodi statuta seruentur, quæ de præuaricatoribus * censita esse cognoscuntur, id est, vt 7. annis inter catechumenos orẽt, & duobus inter catholicos, & postea, moderatione & clementia episcopi, fidelibus in oblatione eucharistiæ communicent.

* cõstituta

11.q.3. Qui iubẽte fac. * cõtumeliæ noxa

10 Qui, iubente sacerdote, pro quacunq; culpa ecclesiam exire contempserit, pro * noxa contumaciæ tardius recipiatur ad veniam.

11 Si qui clerici in mutuam cędem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, à pontifice districtius vindicetur.

12 Qui contra decreta canonum, indiscretè clericos vsque nunc ordinauerunt, eis Dominus vel sancta & ecclesiastica charitas ignoscat. Amodo verò si in tali ausu proruperint, decretum canonum, quod circa eorum personas statutum est, id est, vt nullum ordinare iam audeant, obseruetur: vel, qui deinceps ordinati fuerint, deponantur. Hi verò, qui tales hactenùs ordinati sunt, nullo tempore promoueantur.

13 Catholicus, qui filios suos in hæresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in Ecclesia nullatenus recipiatur.

14 Cum rebaptizatis fideles religiosi nec in cibo participent.

15 Familiaritatem extranearum mulierum, licet ex toto sancti patres antiquis monitionibus præceperint ecclesijs euitandam, id nunc tamen nobis visum est, vt qui talis probabitur, si post primam & secundam commonitionem se emendare neglexerit, donec in vitio perseuerat, officij sui dignitate priuetur. Quòd si se (Deo iuuante) correxerit, sancto ministerio restauretur.

16 Licèt de re huiusmodi, quam constituere salubri ordinatione decernimus, prisca authoritas canonum nequaquã siluerit, sed euidenti sanctione præceperit, vt cuiuscunque

tum modò adijciendum, vt pro ecclesiæ vtilitate, quos Episcopus probauerit in Clericatus officio, cum Abbatis voluntate debeant ordinari. Ea verò, quæ in iure monasterij, de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege, ab Episcopis contingantur. Si autem ex Laicis quisquam, à se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam sub monasterij specie, vbi cõgregatio nõ colligitur, vel regula ab Episcopo non constituitur, eam à diœcesana lege audeat segregare.

4 De his, qui se incesta pollutione cõmaculant, placuit, vt quousque in ipso detestando, & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad missam tantùm Catechumenorum in Ecclesia admittantur: cum quibus etiam, nec cibum sumere vllum Christianorum, sicut Apostolus iussit, oportet.

5 Hi qui altario Dei deseruiunt, si subitò in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente, dignè pœnituerint; ita vt mortificato corpore, cordis contriti sacrificium Deo offerant, maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiore tempore ab Ecclesiæ corpore segregare: ita tamen, vt sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia vlterius promoueri. Quòd si iteratò, velut canes, ad vomitum reuersi fuerint, non solùm dignitate officij careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.

6 Qui pœnitenti viduæ, vel virgini religiosæ vim stupri intulerit, si se ab eo sequestrari noluerit, pariter à communione, & à Christianorum consortio segregetur. Si verò illa, quæ vim pertulit, ad sanctam religionem redierit; in illo solo, quoadusque publicè pœniteat, data sententia perseueret.

7 Qui sacramento se obligauerit, vt litigans cũ quolibet, ad pacem nullo modo redeat, pro periurio, vno anno à communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, fletibus, & quantis potuerit ieiunijs abluat: ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet.

8 Nullus Clericorum seruum, aut discipulum suum, ad Ecclesiam confugientem, extrahere audeat, vel flagellare præsumat: quod si fecerit, donec dignè pœniteat, à loco, cui honorem non dedit, segregetur.

9 De his, qui in præuaricatione, rebaptizati, sine aliqua necessitate vel tormento, delapsi sunt, placuit vt circa eos illa Nicænæ Synodi statuta seruentur, quæ de præuaricatoribus censita esse noscuntur: id est, vt septem annis inter catechumenos orent, & duobus inter Catholicos, & postea moderatione & clementia Episcopi, fidelibus, in oblatione, & Eucharistia communicent.

10 Qui iubente Sacerdote, pro quacunque culpa, ab Ecclesia exire contempserit, pro noxa contumaciæ, tardius recipiatur ad veniam.

11 Si qui Clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, à Pontifice districtius vindicetur.

12 Qui contra decreta Canonum, indiscretè Clericos, vsque nũc, ordinauerint, eis Dominus, vel sancta Ecclesiastica charitas ignoscat; amodò verò, si in tali ausu proruperint, decretum Canonum, quod circa eorum personas statutum est, id est, vt nullum ordinare audeant, obseruetur; vel qui deinceps ordinati fuerint, deponantur: hi verò qui tales hactenus ordinati sunt, nullo tempore promoueantur.

13 Catholicus, qui filios suos in hæresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in Ecclesia nullatenus recipiatur.

14 Cum rebaptizatis fideles religiosi, nec in cibo, participent.

15 Familiaritatem extranearum mulierum, licet ex toto sancti patres antiquis monitionibus præceperint Ecclesiasticis euitandam, id nunc tamen nobis visum est, vt qui talis probabitur; si post primam, & secundam commonitionem, se emendare neglexerit; donec in vitio perseuerat, officij sui dignitate priuetur. Quod si se, Deo iuuante, correxerit, sancto ministerio restauretur.

16 Licet de re huiusmodi, quã constituere salubri ordinatione decreuimus, prisca auctoritas Canonũ nequaquã siluerit, sed euidẽti sanctione præceperit, vt cuiuscũq; Ecclesiæ

ecclesiæ pontifice defuncto, non passim pro libitu suo in earum rerum direptionem, quas obiens dereliquit, quisquam irruat, domumque subuertat: sed sacerdos, qui exequiarum tempore est, ea omnia, quæ ad vtilitatem & conseruationem pertinent, debeat diligenti circumspectione munire: tamen quia ipsa sanctio (quod peius est) à multis clericis nunc cognoscitur violari, ita vt non iubente sacerdote, expectorato affectu, totaque disciplinæ seueritate posthabita, immaniter, quæ in domo pontificali reperiuntur, inuadunt & abradunt: ideò nunc hæc huius placiti constitutione inter nos censura placuit custodiri, vt defuncto antistite, vel etiam adhuc in supremis agente, nullus clericorum cuiuslibet ordinis, officij gradusve sit, quicquam de domo præsumat, vel quod de vtilitate instrumenti domus esse agnoscitur, id est, mobilis & immobilis rei ecclesiasticæ conetur inuadere, nihil furto, nihil dolo supprimens, auferens, atque abscondens: sed is, cui domus commissa est, subiunctis sibi cum consilio vno vel duobus fidelissimis clericis, omnia vsque ad tempus pontificis substituendi debeat conseruare, & his, qui in domo inueniuntur, clericis consuetam alimoniam administrare. Substitutus autem antistes susceptæ sedis commoda ordinabit, velut Deus imperabit, vt eis vti cum his debeat, quos cognouerit disciplinæ & charitati prædecessoris sui fideliter paruisse. Quod si quisquam post hæc cuiuslibet ordinis (vt superiùs dictum est) clericus quacunque occasione de omni facultate quippiam probatus fuerit abstuliste, vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegij, prolixiori anathemate condemnetur, & vix quoque peregrina ei communio concedatur: quia durum est, vt hi, quos constat in seruitio Domini cum primæ sedis antistite desudasse, ab his, qui suarum rerum incubitatores * atque vagantes fuisse noscuntur, despecti aliquatenus crucientur. Sergius in Christi nomine episcopus, has constitutiones, secundum quod nobis cum fratribus, Deo inspirante, complacuit, relegi, & subscripsi. Iustus in Christi nomine episcopus subscripsi. Ioannes in Christi nomine episcopus, subscripsi. Petrus in Christi nomine episcopus, subscripsi. Marulio in Christi nomine episcopus, subscripsi. Taurus in Christi nomine episcopus, subscripsi. Febrorius in Christi nomine episcopus, subscripsi. Gratus in Christi nomine episcopus, directus à domino meo Stephano episcopo, his constitutionibus interfui, & subscripsi.

Pontifice defuncto, non passim pro libito suo de earum rerum direptione, quas obiens derelinquit, quisquam irruat, domumq; subuertat; sed Sacerdos qui exequiarum tempore adest, omnia, quę ad vtilitatem & conseruationem pertinent, debeat diligenti circunspectione munire; tamen quia hæc ipsa sanctio (quod peius est) à multis Clericis cognoscitur violari (ita vt occumbente Sacerdote, expectorato affectu, totaque disciplinæ seueritate posthabita, immaniter, quę in domo Pontificali reperiuntur, inuadunt & abradũt) ideò nunc hæc, huius placiti, vel constituti inter nos censura, placuit custodiri, vt defuncto Antistite, vel etiam adhuc in supremis agente, nullus Clericorum cuiuslibet ordinis, officij, graduſve sit, quidquam de domo auferre præsumat, vel de vtilitate, quæ instrumenti domus esse noscitur, id est, mobili, & immobili rei ecclesiasticæ, conetur inuadere; nihil furto, nihil vi, nihil dolo supprimens, auferens, atq; abscondens: sed is cui domus commissa est, subiunctis sibi, cũ consilio Cleri, vno vel duobus fidelissimis, omnia vsque ad tempus Pontificis substituendi, debeat conseruare, vel his, qui in domo inueniuntur, Clericis consuetam alimoniam administrare. Substitutus autem Antistes, susceptа ea, prout decessor suus ordinauit, vel huic Deus imperauit, vti cum his debeat, quos cognouerit, disciplinæ & charitati decessoris sui fideliter paruisse. Quòd si quisquam post hæc cuiuslibet ordinis (vt superiùs dictum est) Clericus, quacunq; occasione, de domo Ecclesiæ, vel de omni facultate quidpiam probatus fuerit abstuliſſe, vel forsitã dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegij, prolixiori anathemate cõdemnetur; & vix quoq; peregrina ei communio animæ cõcedatur. Quia durum est, vt hi, quos constat in seruitio Domini cum primæ sedis Antistite desudasse, illorum qui suarum rerum incubatores, vel vtilitatibus seruientes atq; vacantes fuisse noscuntur, despectibus aliquatenus cruciẽtur. Sergius, in Christi nomine Episcopus, has constitutiones, secũdũ quod nobis cum fratribus nostris, Deo inspirante complacuit, relegi, & subscripsi. Iustus, in Christi nomine Episcopus, his cõstitutionibus interfui, & subscripsi. Casonius, in Christi nomine Episcopus, his constitutionibus interfui, & subscripsi. Ioannes, in Christi nomine Episcopus, his constitutionibus interfui, & subscripsi. Paternus, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Catholicę Barcinonen. adquieui, & subscripsi. Maurelio, in Christi nomine Ecclesiæ Dertosanæ Episcopus, his constitutionibus interfui, & subscripsi. Taurus, in Christi nomine Ecclesię Agarensis Episcopus, his constitutionibus interfui, & subscripsi. Februarius, in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Ilerden. his constitutionibus interfui, & subscripsi. Gratus, in Christi nomine Presbyter, directus à domino meo Stafilio Episcopo, his constitutionibus interfui, & subscripsi.

Idem in Conc. Valenti. c. 2.

DE SVBSCRIPTIONIBVS.

Subscribunt in Concilio Sergius, qui erat Metropolitanus Tarraconensis, vt dicitur in Canonibus Barcinonensibus, & colligitur ex verbis subscriptionis: Cum fratribus nostris. Iustus erat Vrgelitanæ, Casonius seu Castotus Impuritanæ, Ioannes Cæsaraugustanæ, Maurelio Dertosanæ; Februarius successit Andreæ Ilerdensi, Stasilius Gerundensis per procuratorem subscribit; Paternus successit Nebridio Barcinonensi. Garsias,

FRAGMENTA EX CONCILIO Ilerdensi.

EX Cap. 3.

Quòd non oporteat à Septuagesima, vsque in octauas Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festiuitatẽ sancti Iohannis Baptistæ, & ab Aduentu Domini, vsq; post Epiphaniam, nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.

EX CONCILIO ILERDENSI Cap. 7.

Frater in fratrem si ausus fuerit manum mittere, legitimam disciplinam accipiat.

EX CONCILIO ILERD. Cap. 10.

Si quis Presbyter à plebe sibi cõmissa, mala opinione infamatus fuerit, & Episcopus legitimis testibus approbare nõ potuerit, suspendatur ab officio Presbyter, vsq; ad dignã satisfactionẽ: ne populus fideliũ in eo scandalum patiatur. Digna enim satisfactio est, si eis, à quibus reus creditur, post rectam securitatẽ, de imposito crimine innocens esse manifestatur. Quod ita nobis à maioribus constitutũ esse docetur. Sed siue secũdũ Canones, siue ad arbitriũ Episcopi, sibi collegas septem coniungat, & iuret in sacro coram posito Euangelio, quòd eũ sancta Trinitas, & Christus filius Dei, qui illud fecit, & docuit, quod Euangelium continet, & sancti quatuor Euangelistæ, qui illud scripserunt, sic adiuuent, quòd ille prænominatam actionem ita non perpetrarit, sicut ei de illis oblatum est. Et in hac satisfactione purgatus, securè deinceps suum exerceat ministerium. Quam satisfactionem nonnulli præcedentium patrum sanctum Leonẽ Papam, in basilica sancti Petri, coram reuerendissimo Cæsare Carolo, ac Clero, & plebe, ita fecisse commemorant; atque ita mox venerandum Principem, contra eiusdẽ sancti Papæ aduersarios, dignæ vltionis vindictam exercere.

EX CONCILIO ILERD. Cap. 10.

De his ergo visum est nobis conscribi, qui sacros ordines habent, & ante, vel post ordinationẽ, contaminatos in capitalibus criminibus se esse profitentur. In quibus, vt mihi videtur, hæc distantia esse debet, vt hi, qui deprehẽsi, vel capti fuerint publicè in periurio, furto, atq; fornicatione, & cæteris huiusmodi criminibus, secundũ sacrorum canonũ insti-

Burch. lib. 19. c. 150.

tuta,

tuta, à gradu proprio deponantur: quia est scandalum populo Dei, tales personas super se positas habere, quas vltra modum vitiosas constat esse. Nempe inde detrahuntur homines à sacrificio Dei; sicut quondam, filijs Heli peccantibus, fecisse leguntur: & rebelles hinc, atque contrarij existentes, eorum prauis exemplis quotidie peiores fiunt. Qui autem de prædictis viris, per occultam confessionem, mala à se absconsè commissa coram oculis Dei præsente etiam Sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos grauiter deliquisse accusant, si veraciter pœnituerint, & se per ieiunia, & eleemosynas, vigiliasque, atque sacras orationes, cum lacrymis, purgare certauerint, his etiam gradu seruato, spes venię de misericordia Dei promittenda est; qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire; neque vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.

1. Tim. 2.

1. Tim. 1.

EX CONCILIO ILERD.
Cap. 20.

Vt omnis controuersia, quę de Ecclesiasticis rebus sit, secundum diuinam legem, sub duobus vel tribus testibus terminetur, testis est Dominus quum dixit: Non vnus stet contra alium, sed in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Burch. li. 7. c. 17.

Deut. 17. 19. Matth. 18. 2. Cor. 13.

EX CONCILIO ILERD.
Cap. 20.

Si quis in infirmitate positus Clericus, in medicorum incisione claudus efficitur, promoueri eum ad sacros ordines non denegamus.

Dist. 55. Si quis in infirm. Iuo. p. 6. c. 34.

EX CONCILIO ILERD.

Omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiuerit, vas conueniens iolummodò ad baptizandi officium habeat; quod extra Ecclesiam non deportetur. Similiter ad corporale lauandum, & ad pallas altaris, propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat.

Decō. secr. dist. 4. Omnis Presbyter Burch. lib 4. c. 13. Iuo p. 1. c. 208.

HAEC DVO DECRETA ADDVCIT
Surius ex vetusto codice MS.

Episcopi, Presbyteri, Diaconi relicta, si maritum acceperit, in fine non communicet.

Quod non oporteat, Christianos euntes ad nuptias, plaudere vel saltare, sed venerabiliter cœnare, vel prandere, sicut Christianos decet.

NOTÆ in Concilium Ilerdense.

Ilerdense] *Ilerda, Ilergetum vrbs in Hispania Tarraconensi, de qua in Commentarijs Cæsaris de bello ciuili, frequens mentio: abluitur fluuio Sycore: eius meminêre Ptolemæus lib. 2. cap. 6. Plinius lib. 3. cap. 3. Antoninus, & alij. Vnum verò tantùm Ilerdense concilium ab Iuone, Burchardo, Gratiano, atque alijs collectoribus Canonum citatur: sed illud mutilum, ex eo videtur, quòd Burchardus libr. 7. cap. 17. vigesimum huius capitulum adducit, quod hic nusquam comparet; cum sexdecim tantùm habeantur. Aduerte scribendum, Ilerda, non Illerda: Horatius:* Aut fugies Vticam, aut vnctus mitteris Ilerdã. *Hæc Garsias. Adde. De tempore huius Concilij, à Garsia recedo propterea quod Acta huius & sequentis Valentini expresse habeant, annũ 15. Theodorici, quo in Hispania regnauit: quiq; cum pontificatu Ioannis Papæ, & anno Domini 524. coincidit.*

Ilerdavirbs Hispaniæ quæ & qualis.

In conuentu Ilerdensi.] *A Plinio municipium, non conuentus dicitur. Conuentus sunt 7. Tarraconensis, Carthaginensis, Cæsaraugustanus, Cluniensis, Asturum, Lucensis, Bracarensis. Municipia tredecim, Saguntum, Bœtulum, Illurco, Blandæ, Emporiæ, Dertosani, Ilgargitani, Bellitani, Calagurris, Ilerda, Osca, Tarracona, Bilbilis.*

Vix quoque peregrina ei communio concedatur.] *Communio corporis & sanguinis Christi, non vno eodemq; modo omnibus fidelibus tradebatur. Vnde diuersis quoque nominibus appellatur.* Sacerdotalis communio *dicitur, quam Sacerdos sumit, in Concilio 2. Arelatensi, cap. 2. &* Ecclesiastica *in Concilio Aurelianensi 4. cap. 14. &* Laica *de qua frequens mentio est, præsertim in Eliberitano Concilio. cap. 76. & Sardicensi. cap. 1. Quid verò sit Clericum Laicam communionem accipere, explicat Canon Apostolorum decimus quintus, his verbis:* Tanquàm Laicus ibi communicet, *& Toletanum Concilium. 1. cap. 4.* Inter Laicos reconciliatus, per pœnitentiam communicet. *Idem Cornelius Papa Epist. ad Fabium Antiochenum, & Eusebius lib. 6. histor. Ecclesiastic. ca. 35. Nicephorus libr. 6. cap. 3. Sanctus Cyprianus lib. 1. Epistol. 4. de Martiale & Basilide. Nam hoc certum est, quòd orabant, & communicabant Laici extra cancellos per ministerium Archidiaconi; vt constat ex Concilio Toletano. 4. Canon. 18. Et Brac. 1. cap. 13. sic dicitur:* Item placuit, vt intra Sanctuarium altaris ingredi, ad communicandum non liceat Laicis, viris vel mulieribus, nisi tantùm Clericis, sicut antiquis Canonibus statutum est. *Episcopi verò & Sacerdotes, & Clerici orabant, & communicabant intra Cancellos, per ministerium Episcopi, vel Sacerdotis, vt patet ex Synodo Nicæna Canon. 14. & Laodicens. cap. 19. & sexta Synodi in Trull. Canon. 68. quod Diuus Ambrosius factum, in pœnitentia Theodosij similiter affirmat. Ordinem standi in templo inuenies in constitut. Apostol. libr. 2. Canon. 61. Dicitur etiam* Peregrina communio *in Concilio Agathensi. cap. 2. & Gratianus cap. Clerici. 13. quæst. 2. & distinct. 50. cap. Contumaces. Vbigloſſa:* Peregrina, quæ aliàs dicitur Laica. *Ibi Archidiaconus, & Turrecremata, & Dominicus, non satis assequuntur quid sit peregrina communio: sed existimo Laicam, & Peregrinam communionem idem esse, nullumque discrimen inter vtramq; versari. Nam duo tantùm ordines communicandi erant, Clericorum & Laicorum: peregrinus autem superueniens, aut inter Clericos, aut inter Laicos habebat locum: ex Concilio Carthaginensi. 3. cap. Episcopi, vel Presbyteri. Aliter sentit Lindanus vir doctissimus, in Panoplia, libr. 4. cap. 58. Vide quæ notauimus supra diuersis in locis tom 1. Concil.*

VALENTINVM HISPANIÆ CONCILIVM,
SEX EPISCOPORVM, HABITVM ANNO 15. THEODORICI REGIS, TEMPORE IOANNIS PAPÆ, ANNO Domini 524.

EDITIO I. VVLGATA.

CAPITVLA CONCILII Valentini.

Vt euangelium post Apostolum legatur. 1
Vt defuncto episcopo, de rebus ipsius vel ecclesiæ, nullus quicquam præsumat inuadere. 2
Vt propinqui morientis episcopi, de rebus eius nihil vsurpent, sine metropolitani & comprouincialium conscientia. 3

EDITIO GARSIÆ. II.

TITVLI.

Vt Euangelium post Apostolum legatur. 1
Vt defuncto Episcopo, de rebus ipsius vel Ecclesiæ, nullus quicquam præsumat. 2
Vt propinqui morientis Episcopi de rebus eius nihil vsurpent, sine Metropolitani, & Comprouincialium conscientia. 3

De exequijs morientis episcopi, & qualiter humetur. 4
De vagis & inobedientibus clericis. 5
Vt clericum alienum nullus ordinet, nec sit clericus, qui non spondeat locum, vbi sit delegatus. 6

Capitulum primum.

ANNO quintodecimo Theodorici regis, sub die *secundo Nonas* Decembris, in nomine Domini nostri Iesu Christi Valentino in Concilio cõgregati, dum Ecclesiasticas regulas tractaremus, antiquos canones relegentes, inter cætera hoc esse censuimus obseruandum, vt sacrosancta Euangelia, ante munerum illationem in Missa catechumenorum, in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenùs salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermones sacerdotis, non solùm fideles, sed etiam catechumeni ac pœnitentes, & omnes, qui ediuerso sunt, audire licitum habeant. Sic enim pontificum prædicatione audita, nonnullos attractos ad fidem euidenter scimus.

2 Hoc etiam placuit, vt episcopo ab hoc seculo (iubente Domino) accersito, clerici ab omni omninò supellectili, vel quæcunque sunt in domo ecclesiæ, vel episcopi, in libris, speciebus, vtensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omninò re, rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant. Qui si nec canonum authoritate prohibiti fuerint, omnia, quæ peruaserint, metropolitani vel omnium comprouincialium sacerdotũ districtione coacti, in pristinum statum redintegrare cogantur, vt nihil antistiti, vel dispẽsatori futuro necessariorum sub hac iusta constitutione depereat. Quod vt confidentiùs, iustitia manente, seruetur, secundum Regiensis synodi constituta, episcopo è corpore recedente, vicinior illi accedat episcopus, qui, ex more exequijs celebratis, statim ecclesiæ ipsius curam districtissimè gerat, ne quid ante ordinationem futuri pontificis *remanentium clericorum subuersioni vel direptioni iam liceat, ita vt directis hominibus inspectio certior, & descriptio fidelissima (si fieri potest) intra octauas defuncti, sub diligentia præsentis episcopi peragatur, ac dehinc ad metropolitani notitiam habita ordinatè descriptio deferatur, vt eius electione talis persona ordinandæ domui ecclesiasticæ procuretur, quæ vel consueta clericis stipendia dispenset, & creditarum sibi rerum (si forsitan tarditas in episcopo ordinando successerit) metropolitano congruis temporibus reddere possit rationem, vt sub hac salubri constitutione clerici stipendijs suis omninò contenti, labores non diripiant episcopi decedentis, & in vacuã ecclesiæ domum futurus pontifex non sine dolore succedat: sed magis de prædecessoris sui dimisso, possit & ipse gaudere, & alijs ministrare.

Ca. 5. Regiens. Synodi.

*Aliantiũ

3 Simili quoque modo parentibus & propinquis decedentis episcopi, si intestatus obierit, denũcietur vt sine metropolitani, vel comprouincialium sacerdotum conscientia, nihil de rebus defuncti occupare pertentent, ne fortè cum hæreditarijs rebus etiam aliqua ad ecclesiam pertinentia vel permixta vsurpent, sed vsque ad ordinationem futuri expectent antistitis, aut certè (si longum fuerit) ad metropolitani (vt dictum est) ordinationem recurrant, si quis autem *contemptor diuini timoris, contra hæc sancta synodica clericus quisque vel laicus venire improba mente tentauerit, & communione & consortio priuetur Ecclesiæ: quia durum est, vt ad illam conueniat, quam expoliare non metuit: nisi fortè, spiritu meliore correptus, dum à præsumptione cessauerit, recuperet indulgentiam. Si autem rationabiliter modesteque vnusquisque repetit, quod sibi iure debetur, ei absque aliqua animaduersione à metropolitano, vel cui iniunxerit, aut res, aut ratio non negetur. Hoc etiam canone omnes sunt constringendi, qui tam in præteritum, quam in futurum, res ecclesiæ vel episcopi vsurpantes diripuerint.

*Immemor defi. mandatis

4 Illud etiam prouido consilio decretum est, vt, quia sæpè sanctorum antistitum per absentiam commendatoris episcopi exequiæ differuntur, ita vt veneranda pontificis membra, dum tardiùs funerantur, iniuriæ omninò subiaceant: episcopus, qui post mortem fratris ad sepeliendum eum solet inuitatus occurrere, infirmum magis, & adhuc

De exequijs morientis Episcopi, & qualiter humetur. 4
De vagis, & inobedientibus Clericis. 5
Vt Clericum alienum nullus ordinet; nec sit Clericus, qui non sponderit locum, vbi sit delegatus. 6

ANNO decimoquinto Theodorici Regis, sub die 2. Non. Decemb. in nomine Domini nostri Iesu Christi, Valentiæ in Concilio congregati, cum de Ecclesiastica regula tractaremus, antiquos Canones relegentes, inter cętera, hæc censuimus obseruandum: vt sacrosancta Euangelia, ante munerum illationem, vel missam Catechumenorum, in ordine lectionum, post Apostolũ legantur: quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermonem Sacerdotis, non solùm fideles, sed etiam Catechumeni, ac pœnitentes, & omnes, qui ex diuerso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem adtractos euidenter scimus.

2 Hoc etiam placuit, vt Episcopo ab hoc seculo, iubente Domino, accersito, Clerici ab omni omninò supellectili, vel quæcunque sunt in domo Ecclesiæ, vel Episcopi; in libris, in speciebus, vtensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omninò re rapaces manus abstineãt, & nihil latronum more diripiant. Qui si nec Canonum auctoritate cohibiti fuerint; omnia, quæ peruaserint, Metropolitani, vel omnium Comprouincialium Sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum reddere integra cogantur: vt nihil Antistiti, vel dispensatori futuro necessariorum, sub hac iusta constitutione, depereat. Quod vt confidentius, iustitia manente, seruetur, secundum Regiensis Synodi constituta, Episcopo à corpore recedente, vicinior illi accedat Episcopus; qui, ex more exequijs celebratis, statim Ecclesiæ ipsius curam districtissimè gerat; ne quid ante ordinationem futuri Pontificis, inhiantium Clericorũ subuersioni, vel direptioni iam liceat. Ita vt de repertis omnibus inspectior censitio, descriptioq; fidelissima (si fieri potest) intra octauas defuncti, sub diligentia præsentis Episcopi, peragatur. De hinc ad Metropolitani notitiam habita ordinatio, vel descriptio deferatur: vt eius electione talis persona ordinandæ domus Ecclesiasticæ procuretur, quæ vel consueta Clericis stipendia dispenset, & creditarum sibi rerum (si forsitan tarditas in Episcopo ordinando successerit) Metropolitano congruis temporibus reddere possit rationem: vt, sub hac salubri constitutione, Clerici stipendijs suis omninò contenti, labores non diripiant Episcopi decedentis; & in vacuam Ecclesiæ domum futurus Pontifex, non sine dolore, succedat; sed magis de prædecessoris sui dimisso possit & ipse gaudere, & alijs ministrare.

Cap. 5. Regiens. Synod.

3 Simili quoque modo, parentibus, & propinquis decedentis Episcopi, si intestatus obierit, denũcietur, vt sine Metropolitani, vel Comprouincialium Sacerdotum conscientia, nihil de rebus defuncti occupare pertentent; ne fortè in hæreditarijs rebus, etiam aliqua ad ecclesiam pertinentia, vel permixta vsurpent; sed aut vsque ad ordinationem futuri expectent Antistitis, aut certè, si longum fuerit, ad Metropolitani (vt dictum est) ordinationem recurrant. Si quis autem immemor diuini timoris, contra hæc sancita Synodica Clericus quisquam, vel Laicus venire, improba mente, tentauerit, & communione, & consortio priuetur Ecclesiæ: quia durum est, vt ad illam conueniat, quam expoliare non metuit. Nisi fortè spiritu meliori correctus, dum à præsumptione cessauerit, recuperet indulgentiam. Si autem rationabiliter, modesteque vnusquisque repetit, quod sibi iure debetur, ei, absque aliqua animaduersione, à Metropolitano, vel cui iniunxerit, aut res, aut ratio non negetur. Hoc etiam omnes Canone constringendi, qui in præteritum res ecclesiæ, vel Episcopi vsurpantes diripuerint.

4 Illud etiam prouido Cõcilio decretum est, vt quia fæpè sanctorum Antistitum, per absentiam Cõmendatoris Episcopi, exequiæ differuntur; ita, vt veneranda Pontificis mẽbra, dũ tardiùs funerantur, iniuriæ omnino subiaceant, Episcopus, qui post mortem fratris, ad sepeliendum eum solet inuitatus occurrere, infirmũ magis, & adhuc in corpore po-

in corpore poſitum, admonitus viſitare non differat, vt aut de reuelatione conſacerdotis ampliùs gaudeat, aut certè de ordinatione domus ſuæ fratrem admoneat, eiuſque probabilem voluntatem in effectum tranſmittat, ac recedentem à ſeculo, poſt oblatum in eius commendatione ſacrificium Deo, mox ſepulturæ tradit diligentiſſimè, & ſuperiùs conſtituta canonicè non differat adimplere. Si autem antiſtes repentino obitu deceſſerit, & collimitanei ſacerdotes (vt fieri ſolet) de longinquo minimè adeſſe potuerint, vno die tantùm cum ſua nocte, exanimatum corpuſculum ſacerdotis maneat, nec ſine fratrum ac religioſorum frequentia, vel pſallentium excubatione ſeruatum, à preſbyteris cum omni diligentia in loco conditum ſeorſum, non ſtatim humetur: ſed honorificè commendetur, donec ſine mora inuitato vndecunque pontifice, ſacerdotis corpus ab ipſo (vt condecet) ſolemniter tumuletur, vt & iniuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis ſacerdotibus obſeruetur.

5 Hoc etiam placuit, vt vagus atque inſtabilis clericus, ſiue etiam in diaconi miniſterio vel preſbyteri officio conſtitutus, ſi epiſcopi, à quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, vt in delegata ſibi eccleſia officium dependat aſſiduum, quouſque in vitio permanſerit, & communione & honore priuetur.

6 Vt nullus alienum clericum, ſecundum decreta canonum, ſine conſenſu epiſcopi ſui audeat ordinare: ſed nec vllum ſanctorum ſacerdotum quiſpiam ordinet, qui locale ſe futurum primitus non ſpoponderit, vt per* hæc nullus à regula vel diſciplina eccleſiaſtica deuiare permittatur impunè. Celſiuus in Chriſti nomine epiſcopus, ſubſcripſi. Setabius epiſcopus ſubſcripſi. Benagius epiſcopus ſubſcripſi. Ampelius epiſcopus ſubſcripſi. Saluſtius archidiaconus, vicarius domini mei Marcelli epiſcopi, ſubſcripſi.

*hoc Hic deſideratur vnius ſubſcriptio ſi modò titulus non fallit.

ſitum, admonitus viſitare non differat: vt, aut de releuatione Conſacerdotis ampliùs gaudeat, aut certè de ordinatione domus ſuæ fratrem admoneat, eiuſque probabilem voluntatem in effectum tranſmittat, ac recedentem à ſeculo, poſt oblatum in eius cõmendatione ſacrificium Deo, mox ſepulturæ tradat diligentiſſimè, & ſuperiùs cõſtituta Canonica non differat adimplere. Si autem, vt fieri ſolet, Antiſtes obitu repentino diſceſſerit, & conlimitanei Sacerdotes de longinquo minimè adeſſe potuerint, vno die tantùm cum nocte, exanimatum corpuſculum Sacerdotis maneat; non ſine fratrum, ac religioſorum frequentia, vel pſallentiũ excubatione ſeruatum, à Preſbyteris, cum omni diligentia, in loculo conditum ſeorſum, non ſtatim humetur, ſed honorificè commendetur; donec ſine mora, inuitato vndecunque Pontifice, ab ipſo, vt cõdecet, ſolenniter tumuletur, vt & iniuriæ tollatur occaſio, & mos antiquus in ſepeliendis Sacerdotibus obſeruetur.

5 Hoc etiam placuit, vt vagus, atque inſtabilis Clericus, ſiue etiam in Diaconi miniſterio, vel Preſbyteri officio conſtitutus, ſi Epiſcopi, à quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, vt in delegata ſibi Eccleſia officium dependat aſſiduum; quouſque in vitio permanſerit, à communione, & honore priuetur.

6 Vt nullus alienum Clericum, ſecundum decreta Canonum, ſine conſenſu Epiſcopi ſui, audeat ordinare. Sed nec illum ſanctorum Sacerdotum quiſpiam ordinet, qui localé ſe futurum primitùs nõ ſpoponderit: vt per hoc nullus à regula, vel diſciplina eccleſiaſtica deuiare ꝑmittatur impunè. Celſinus, in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi. Iuſtinus, in Chriſti nomine Epiſcopus, hęc capitula ſubſcripſi. Reparatus, in Chriſti nomine Epiſcopus, hęc capitula ſubſcripſi. Setabius, in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi. Benagius, in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi. Ampellius, in Chriſti nomine Epiſcopus, hæc capitula ſubſcripſi. Salluſtius Archidiaconus, vicarius domini mei Marcellini Epiſcopi, ſubſcripſi.

FRAGMENTA QVÆ CITANTVR EX Concilio Valentino; ſiue id Hiſpanum, ſiue Gallicum ſit.

CAPVT IIII.

Burch. li. 3. c. 140. Clerici, etiam vel ſeculares, qui oblationes parẽtum, aut donatas, aut teſtamentis relictas retinere perſtiterint, aut id quod ipſi donauerint Eccleſijs, vel Monaſterijs, credidérint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſijs excludantur.

CAP. 4.

Burc lib. 3. c. 142. Qui oblationes defunctorum, aut negant Eccleſijs, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.

CAP. 16.

Burc. lib. 3. c. 28. Vt Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſiue Gentilem, ſiue Hæreticum, ſiue Iudæum, vſque ad Miſſam Catechumenorum.

CAP. 50.

Burc. lib. 3. c. 170. Irrita erit Epiſcoporum donatio, vel venditio, vel communicatio, abſque eorum collaudatione, & ſubſcriptione.

CAP. 101.

Burch. li. 9. c. 5. Sponſus & ſponſa quum benedicendi ſunt à ſacerdote, à parentibus, vel à paranymphis, in Eccleſia ſacerdoti offerãtur: & quum benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reuerentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.

NOTÆ in Concilium Valentinum.

Valentinum] *Ciuitatis Valentiæ in Hiſpania, meminit Ptolemæus lib. 2. c. 5. & Plinius. 3. cap. 3.* Valentia, *inquit*, colonia trium millia paſſuum à mari Mediterraneo remota. *De ea Pomponius Mela, lib. 2. cap. 6. & Itinerarium Antonini. Fuit hoc Concilium celebratum ſub Symmacho Papa: eius mentio habetur in 7. Concil. Toletan. cap. 3. Tres ſunt in Hiſpania Valentiæ: prima in ore maris Mediterranei, celebre & nobile oppidum, in quo actum eſt hoc Cõcilium; ſedes hodie Archiepiſcopalis: altera Valentia de don Iuan, in diœceſi Palentina: tertia Valentia de Alcantara, in diœceſi Cauriensi; neque hæc obſcura oppida. Hæc Garſias. Cuius ſententiã non probo; primum in hoc, quod hanc Synodum ſub pontificatu Ioannis celebratam ſub Symmacho habitam fuiſſe ſcribat, cum tamen manifeſtè conſtet annum decimum quintum Theodorici in Hiſpania regnantis, cum pontificatu Ioannis Papæ I. & cum anno Chriſti nati 524. coincidere. Secundo non probo eiuſdem ſententiam in hoc, quod hanc Synodum, ſicut etiam Herdenſem ſupra collocatam, habitã eſſe ſcribat æra 584. Quod ſi verum eſſet, non ſub Symmacho; ſed pontificatu Vigilij, anno Domini 546. celebrata foret. Quæ cum meo iudicio Actis Synodalibus repugnent veriorem ſententiam ſecutus, volui vtramque hanc ſynodum Hiſpanicam ſub pontificatu Ioannis collocari, quo cum 15. Theodorici coincidit.*

Valentinus vrbis Hiſpaniæ.

Valentes tres. Garſiæ rentia de temere duorũ C cilioru improbatur.

In miſſa Catechumenorum] *Catechumeni ante oblationem corporis & ſanguinis Chriſti, extra templum eijciebãtur, dicto Euangelio. Idq; conſtat ex Dionyſio Areopagita, lib. de Cœleſti Hierarc. cap. 3. tertiæ partis, & ex Concil. Laodic. can. 19. & Clemente, lib. 8. conſtit. Apoſtol. ca. 12. Tertulliano, de præſcript. aduerſus Hæreticos. S. Athanaſio in Apolog. 2 contra Arrianos, Cyrillo Alexandrino, lib. 12. in Ioannem. c. 50. & ex alijs. Catechumenus, & audiens appellabatur: quia vt fide imbueretur, humiliter ſacramenta religionis & Dominici præcepta ex ore Sacerdotis audiebat. Aug. lib. de fide & operibus, c. 6.*

Cap. 1. Catechumeni dicto Euangelio plo ejiciebantur.

Poſt Apoſtolum legatur] *Quæ ratione, in numerum illationis, epiſtola ante Euangelium legatur, adnotat Rupertus lib. 1. cap. 32. & Innocentius cap. 29. Alcuinus de celebratione Miſſæ. Simon Theſſalonicenſis,*

Cap. 1. Cate ſtola guange legatur

nicensis, in lib. de mysterijs Missæ, cap. 22. VValfrid. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. Anteponitur, *inquit*, in ordine Epistola Euangelio, etsi inferior dignitate, vt ex minoribus animus audientium, ad maiora sentienda proficiat, & gradatim, ab imis ad summa conscendat. *Garsias*

Mos antiquus in sepeliendis Sacerdotibus] *Sepulturam & exequias mortuorum maximè obseruantia coluerunt antiqui Patres; quasi argumentum, euidensq; præsagium resurrectionis corporũ; & in honorem organi, quo Spiritus sanctus ad officia pietatis est vsus, dum illud corpus defunctum vitam ageret. Vnde Concil. Bracar. 1. ca. 16. his qui sibi inferunt mortem, commemorationem in oblatione negat, & officium psalmorum in funere: idem de Catechumenis ca. 17. Neque vno eodemq; modo funeris ritus & cæremoniæ apud Christianos fuerunt, sed pro diuersitate status, dignitatis, & ordinis, alius Præsulis, alius Sacerdotis, alius Laici Christiani iusta soluendi modus, diuersæq; cæremoniæ; & sicuti in vita, ita in morte discrepans cultus & religio corporibus tributa. Fuit interdictum Christianis intra templa sepeliri; vt de Imperatoribus Constantinopolitanis (quorum corpora extra Ecclesiam pendebant) refert Chrysostomus, Homil. 66. ad populum Antiochenum: præsertim de Constantino Magno, cuius corpus propter insidias piscatoris, vt ianitor, excubias agebat: & de Theodosio Iuniore, & Arcadio tradit Nicephorus lib. 14. ca. 58. Et miraculum insigne de hac re refert S. Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 53. Verùm hoc quod Imperatoribus fuit negatum, Sacerdotibus fuit indultum; ex Euagrio, lib. 4. cap. 30. De hac re multa ab antiquis & neotericis scriptoribus aduersus Hæreticos, traduntur, qui in viuos & mortuos Catholicos Christianos bellum immane gerunt. Sed pro decreto describam locum D. Augustini. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 13.* Non sunt contemnenda, *inquit*, & abijcienda corpora defunctorum; maximè iustorum atque fidelium, quibus tanquã organis, ac vasis, ad omnia bona opera, sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid eiusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quę vtique multo familiariùs, atq; coniunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus. *Et infrà:* Vnde & antiquorum iustorum funera, officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratę, & sepultura prouisa: ipsiq;, dum viuerent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filijs mandauerunt. *Hæc, & alia Augustinus, præsertim in libro de cura pro mortuis agenda.* Garsias

Ca. 4. Car mortuorum filium corpora honorifice sepelierunt.

Modus sepeliendi diuersus.

Testimonium S. Aug. de sepultura.

CONCILIVM ARELATENSE TERTIVM CIRCA TEMPORA IOAN. PAPÆ I. CELEBRATVM. EST QVE PROVINCIALE.

TITVLI CANONVM SEV CAPITVlorum huius Concilij.

Vt diaconus ante 25. annos, & sacerdos ante 30. non ordinetur. 1
Vt laicus ante annum conuersionis non ordinetur. 2
Vt digami, vel pœnitentes, vel repudiatarum mariti, ad sacerdotium non prouehantur. 3
Vt qui clericum alienum defendere nititur, communione priuetur. 4

A.D. 514. Ann. Ioa. I.

Oncilium Arelatens. tertium, 14. episcoporum, æra 461. Marciano Augusto, Opilione & Vincomalo consulibus, 8. Idus Iulij. Quum in volũtate Dei ad dedicationem basilicæ sanctæ Marię in Arelatens. ciuitate sacerdotes Domini conuenissent, congruum eis & rationabile visum est, vt primùm de obseruandis canonibus, attentissima solicitudine pertractantes, qualiter ab ipsis ecclesiasticæ regulæ seruarentur, salubri consilio definirent.

CAPITVLVM I.

Et quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum (sicut expedit) obseruata esse cognoscuntur, ne fortè quorumcunq; importunis & inordinatis precibus, sacerdotes Domini fatigentur, & ea, quæ toties sunt præcepta, transgredi compellantur: hoc inter se obseruandum esse definiunt, vt nullus episcoporum, diaconum, antequàm 25. annos impleat, ordinare præsumat: episcopatus verò vel presbyterij honorem, nullus laicus ante præmissam anni conuersionem, vel ante 30. annos ætatis accipiat. Laici quatenus ad presbyterium, & episcopatũ assumendi *crescente numero

2 Et licet de laicis prolixiora tempora antiqui patres ordinauerint obseruanda, tamé quia* accrescunt numeri ecclesiarum, necessè est nobis plures clericos ordinare: hoc inter nos sine præiudicio duntaxat canonum conuenit constituere antiquorum, vt nullus metropolitanorum cuicunque laico dignitatem episcopatus tribuat. Sed nec reliqui pontifices presbyterij vel diaconatus honorẽ conferre præsumant, nisi anno integro fuerit ab eis præmissa conuersio.

3 Nullus pœnitentem, nullus digamum, nullus viduarum* maritos, in prædictis honoribus audeat ordinare. Et licet hoc iam propè omnium canonũ institituta contineant, tamen ne cuiquam sacerdotum supplicantium (sicut iam diximus) importunitas vel suggestio iniqua subrepat, necessè fuit, vt nunc seueriorem regulam sibi velint Domini sacerdotis imponere. Et ideò quicunque ab hac die contra ea, quæ superiùs sunt compræhensa, clericum ordinare præsumpserit, ab ea die, qua ei potuerit hoc approbari, anno integro Missas facere non præsumat. Quam rem si quis obseruare noluerit, & contra* consessum fratrum faciens, Missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum* charitate nouerit se alienum: quia dignum est, vt seueritatem ecclesiasticæ disciplinæ sentiat, qui toties salubriter à sanctis patribus instituta obseruare contemnit.

*maritos, vel corporevitiatos, Distin. 55. Nullus pœniten.

*constitutum vel consessũ *cõione

4 Et si fortè aliquis clericorum, regulam disciplinę ecclesiasticæ subterfugiens, fuerit euagatus, quicunque eum susceperit, & non solùm pontifici suo non reconciliauerit, sed magis defensare præsumpserit, Ecclesiæ communione priuetur. 21. q. 5. Si forte aliquis clericorum.

Cęsarius in Christi nomine episcopus, diffinitionem hãc sanctorum fratrum meorum vel meam, relegi & subscripsi. Contumeliosus episcopus, cõsensi, & subscripsi. Philagrius episcopus subscripsi. Prætextatus episcopus subscripsi. Maximus episcopus subscripsi. Iulianus episcopus subscripsi. Florentius episcopus subscripsi. Cyprianus episcopus subscripsi. Cælestinus episcopus subscripsi.* Proitianus episcopus subscripsi. Eucherius episcopus subscripsi. Cataphronis presbyter directus à dominis meis Agricio & Seuero episcopis, subscripsi. Desiderius presbyter directus à domino meo Ioanne episcopo, consensi & subscripsi. Leontius presbyter directus à domino meo Constantino episcopo, subscripsi. Ego* Meterius directus à domino meo Galliano episcopo, consensi & subscripsi.

*Porcianus.

*Emerius

EX GRATIANI DECRETO, AC CERtis alijs, in quibus ponuntur certa decreta sub titulo Arelatẽ. Concilij.

Ex Concilio 3. Arelatens. secundum Gratianum.

Prętereа placuit, vt deinceps non ordinentur diaconi cõiugati, nisi prius conuersionis proposito confessi fuerint castitatem. Di. 28. prætereà placu. vt deinceps

Et nota quòd sentẽtialiter hoc capitulum est in tertio isto Cõcilio, capitulo secundo, vbi dicit, Sed nec reliqui &c. Et in capite secundo Concilio Arelatens. secundi.

Secundum decret. Iuonis ex Concil. 3. Arelatens. cap. 3. sed non inuenitur.

Energumeni non solum assumendi non sunt ad clerum, sed inuenti, ab officio remouendi. Hoc cap. habetur in Concilio Arausi. 16. cap.

Ex Concil. 3. Arelatens. secundum Gratianum.

Hos qui fratribus suis capitalia crimina obiecisse conuicti fuerint, placuit, vsque ad exitum non communicare, nisi digna satisfactione pœnituerint. 3. 4. 8. eos qui pass.

Nota, quòd hoc decreti capitulum legitur in Primo Concilio sententialiter, & verbis mutatis, cap. 24.

Ex Arelaten. Concil. iuxta Gratianum, non tamen ponit, quoto.

Monasteria vel monachorum disciplina, ad eum pertineat episcopum, in cuius sunt territorio constituta. 18. q. 2. Monasteria, vel monachorum.

Concil. Agatha.

Ex Arelaten. Concilij cap. 6. vt suprà.

De cõ. dis. 2. Qui non bene. Et in decr. Iuon. lib. 5

Qui non benè custodierit sacrificium, & mus vel aliquod aliud animal comederit illud, quadraginta dies pœniteat. Qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta dies pœniteat.

Ex Arelatens. Concilij cap. 7. vt suprà.

27. q. 1. Sciendum est omnibus. Et in decr. Iuon. lib. 3

Sciendum est omnibus, quòd Deo sacrarum fœminarum corpora, per votum propriæ sponsionis, & verba sacerdotis, Deo cõsecrata templa esse, scripturarum testimonijs comprobantur. Et ideò violatores earum, sacrilegi ac iuxta Apostolum filij perditionis esse noscuntur.

Ex Arelatensi Concilio, iuxta alios decretorum libros ex Gandauo habitos, & vetustos in monasterio sancti Bauonis.

Titul. vt ordinatus quisq; in illis permaneat, vbi ordinatus est, locis.

De his, qui in quibuscunque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseuerent.

Nota, quod hoc capitulum legitur sententialiter certis verbis mutatis in primo Concilio Arelatensi, cap. 22.

Ex vbi suprà, Tit. De vita clericorum.

Prouidendum necessè est vnicuiq; episcopo, qualiter canonici viuere debeant, necnon & monachi secundum ordinem canonicum vel regularem viuere studeant, vt ait Apostolus: Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 1. Cor. 7.

Ex vbi supr`, Tit. vt episcopi prouideant, quid presbyteri dominicis suis faciant.

Vt episcopi prouideant, quem honorem presbyteri pro suis ecclesijs facere debeant.

Ex vbi suprà. Tit. De his, qui vanitates in excubijs funeralibus exercuerint.

Laici, qui excubias funeris obseruant, cum timore & terrore & reuerentia hoc faciant. Nullus ibi diabolica carmina præsumat cantare, nec ioca, nec saltationes facere, quæ Pagani, docente diabolo, adinuenerunt. Quis enim nesciat diabolicum esse, & non solùm à religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturę esse contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora dissolui, & omni pietate & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, vbi luctus & planctus flebilibus vocibus debuerit resonare, pro amissione chari fratris? Patres siquidẽ veteris & noui testamenti, mortes sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deplorasse, in nullo autem loco de illis, qui à seculo decesserant, exultasse. Nam & Iacob Patriarchã tota fleuit Ægyptus septuaginta diebus. Et Ioseph & fratres eius, cum patrem deferrent in terram Chanaan ad sepeliendum, celebrantes exequias ad aream* Azael, quę sita est trans Iordanem, planctu magno atq; vehementi impleuerunt septẽ dies. Tantus autem fuit planctus, vt locus indè nomen acceperit. Et de beato Stephano legimus, quod sepelierunt eũ siue curauerunt viri timorati, & fecerunt planctum magnũ super eum. Et ideò talis inepta lætitia & pestifera cantica, ex authoritate interdicenda sunt. Si quis autem cantare desiderat, Kyrie eleison cantet. Si autem aliter, omninò taceat. Si autem tacere non vult, in crastino à presbytero taliter coerceatur, vt alij timeant.

Gen. 50. *Azad, vel Ahad. Gen. 50. Actor. 8.

Ex Concilio Arelatens. 4. aut 5.

Viduæ, si priusquam continentiam profitentur, nubere elegerunt, illis nubant, quos propria voluntate velint habere maritos. Similiter hæc conditio & de virginibus habeatur. Nec extra voluntatem parentum cogantur accipere maritum.

Ex Concilio Arelatens. 4. aut 5. cap. 6.

Nullum sine dote fiat coniugium. Iuxta possibilitatem fiat dos. Ne sine publicis nuptijs quisquam nubere, vel vxorem ducere præsumat. 30. q. 5. nolum fine.

NOTÆ in Concilium Arelatense III. tempore Ioannis I. Anno Domini 524. celebratum.

Concilium Arelatense] *In hoc Concilio de Ecclesiastica disciplina, in ordinandis ministris Ecclesiæ seruanda, plura decreta sancita fuerunt: alias quasdam huius Concilij constitutiones collegerunt alij, quos prudens lector consulere poterit. Hac Synodo subscriptione Episcoporum approbata est illa epistola Fausti Regiensis, quam dedit ad Lucidum quendam magni nominis Presbyterum, Prædestinatorũ hæresim sectantem, vt hominem in errorem lapsum ad Catholicam fidẽ reuocaret. Vt ita sentiam, mouent me subscriptiones Episcoporũ, quas ijdem magna ex parte Epaunẽsi Concilio paulò ante hac tempora sub Pontificatu Symmachi celebrato interfuisse & subscripsisse inuenimus. Libellum eius Pelagianis erroribus plenissimum, quem de gratia et libero arbitrio inscripsit, & toti orbi vulgauit, quemq; Cæsariũ Arelatensis, Auitus Viennensis Episcopi, Ioannes Presbyter Antiochenus contrario scripto refutarunt, quem deniq; Gelasius Pãtifex meritò inter apocrypha retulit, hunc inquam libellum, sacer Episcoporum cõuentus nequaquã approbauit. In fine huius Cõmentarij & libelli ipse Faustus vel alius quis dolosè addiderat hæc verba:* In quo quidẽ opusculo post Arelatensis Concilij subscriptionẽ nouis erroribus deprehensis adijci aliqua Synodus Lugdunensis exegit, *vt scilicet aliquo fuco venditari posset, quasi scriptum de gratia & libro arbitrio commentarium, dua synodi recepissent & approbassent. Fraude hac animaduersa, supra recensita verba prudenter meritoque inde sublata, & ante illud Fausti opus collocata sunt, vt sua quaque tempori & auctoribus redderẽtur, neue Faustus simpliciores insaniẽs decipere posset.*

Quid actum in hoc Concilio.

An Epistola Fausti Regiensis hic apponi debuerit.

Libellus Faustide Gratia & Libero arbitrio.

Anathematismus Fausti Regiensis.

FAVSTI EPISTOLA AD LVCIDVM scripta hæc est.

DOMINO *Deuinctissimo & mihi speciali affectu venerando ac suspiciendo fratri Lucido presbytero Faustus.* Grandis charitas est, parum cauti fratris errorem per Dei adiutorium & gratiam magis velle curare, quàm sicut summi Antistites meditantur, à bonitate suspendere. Quid possum de hoc sensu, sicut vis, cum vnanimitate tua per litteras loqui, cùm te præsens multa & blanda & humili allocutione nunquam potuerim ad viam veritatis attrahere? Loquentes ergo de Gratia Dei & obedientia hominis, id omnimodo statuere debemus, vt neque proni in sinistram, neque importuni in dexteram, regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixisse miratus sum, quòd nullus vnquam sub religiosa professione contra Catholicam fidem vel scripserit, vel prædicauerit, cùm plurimi multiplices & profanos auctores suos etiam scriptorum monumentis crediderint inferendos, qui tamen Christiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam, quantum cum absente loqui possum, quid sentire cum Catholica Ecclesia debeat, id est:

Vt cum gratia Domini operationem baptizati famuli semper adiungas; & eum qui prædestinationem, excluso labore hominis, asserit, cum Pelagij dogmate detesteris.

Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates, hominem sine peccato nasci, & per solum laborem posse saluari, damnanda præsumptione cõtenderit; & qui eum sine gratia Dei liberari posse crediderit.

Item anathema illi, qui hominem cum fideli confessione solemniter baptizatum, & asserentem Catholicam fidem, & postmodum per diuersa huiusmodi oblectamenta prolapsum, in Adam & originale peccatum perijsse asseruerit.

Item

Item anathema illi, qui per Dei præscientiam in mortem deprimi hominem dixerit.

Item anathema illi qui dixerit, illum qui perijt, non accepisse vt saluus esse posset, id est, de baptizato, vel de illius ætatis Pagano, qui credere potuit & noluit.

Item anathema illi, qui dixerit, quòd vas contumeliæ nō possit assurgere, vt sit vas in honorem.

Item anathema illi, qui dixerit, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit *hactenùs Fausti anathematismi, qui mox ista subiungit:*

Cùm autem ad nos in Christi nomine veneris, aut cùm à sanctis sacerdotibus euocatus fueris: tunc opportunè (si Dominus iusserit) locis suis testimonia proferemus; quibus & quæ Catholica sunt, manifestentur; & quæ Catholicis sunt contraria, destruantur. *hæc Faustus, qui & mox subdit quæ de his ipse sentiat, verbis istis:*

Nos autem per illuminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum qui perijt per culpam, saluum esse potuisse per gratiam, si gratiæ ipsius famulatui, laboris obedientiam non negasset: & eum qui per gratiam ad bonę consummationis metas, seruitio obsequente, peruenit, cadere per desidiam, & perire potuisse per culpam.

Nos ergo per medium, Christo duce, gradiētes, post gratiam, sine qua nihil sumus, laborem laboriosæ seruitutis asserimus: sed omnimodo arrogantiam & præsumptionem laboris excludimus: vt totis viribus desudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quicquid de manu Domini susceperimus, donum pronunciemus esse, nō pretium; scientes laboris ipsius fructum officij rem esse, non meriti; cum Euangelista dicentes: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Hæc quæ strictim pro epistolæ breuitate memorata sunt, aut recipere se, aut respuere, vnanimitas tua, recurrente sermone, respondeat. Cæterùm qui hanc veritatis mensuram, gratia præcedente, & conatu assurgente, non sequitur, dignus erit qui à sacris liminibus arceatur.

Ego autem indiuiduam mihi bonitatem tuam toto sinceræ benignitatis amplexu in via retinens, in matris Ecclesiæ gremio permanere, repudiato hoc errore, desidero: Qui si citò respuatur, ignorātia fuisse videbitur; blasphemia verò reputabitur, si pertinaciter defendatur. Grauem namq; in auctorem retorquemus inuidiā, si dicamus, quòd ei possibilitatē capessendę salutis noluerit dare qui perijt, ei dumtaxat, qui capere iam possit arbitrij libertatem: cùm minimè negare possimus, quod mandati præuaricatorem in iudicij sui examinatione damnabit: Qui enim non est obnoxius de susceptо, nescio quomodò reus esse possit de perdito. Ac sic peccantes in Deum, cuius in primis incautiùs asseruimus gratiam, in postremis eius videbimur impugnare iustitiam. Huius autem epistolæ exemplar mecum retineo, in cōuentu sanctorum Antistitum, si ita necesse fuerit, proferendum. Quam si susciendam putauerit fraternitas tua: aut subscriptam manu propria mox remittat, aut sequentibus scriptis omnino se improbasse respōdeat. Quòd si eam subscriptam (vt dixi) transmittere nolueris, apertè adhuc te in errore persistere, ipso silentio comprobabis: ac proinde iam necessitatē mihi facies ad personam tuam publicis conuentibus exponendam. Et ideò secundum hæc quæ à me sunt directa, rescribe, vtrùm ea, remotis circuitionibus, aut cognoscas, aut respuas.

AB ARELATENSI CONCILIO ADIECTA subscriptio & approbatio hæc est.

Auxianus in Christi nomine Episcopus relegi & subscr.
Faustus exemplar epistolæ meæ relegi & subscripsi.
Paulus Episcopus in Christi nomine relegi & subscripsi.
Eutropius in nomine Christi Episc. relegi & subscripsi.
Pragmatius in Christi signo Episcopus relegi & subscr.
Patiens in Christo Episcopus relegi & subscripsi.
Euphronius relegi & admiratus sum plenitudinē sanctā.
Megetius Episcopus relegi & subscripsi.
Claudius in nomine Christi Episcopus relegi & subscr.
Leucadius in nomine Christi Episc. relegi & subscripsi.
Iulianus in nomine Christi Episcopus subscripsi.
Lucidus presbyter relegi & subscripsi.

EPISTOLA LVCIDI QVAM IN DETESTATIONEM errorum suorum ad alium Episcoporum conuentum Lugdunensem scripsit, hæc est:

Episcopi Synodi Lugdunēsis.

DOMINIS *beatissimis in Christo reuerendis Patribus, Leontio, Euphronio, Fonteio, Viuentio, Mamerco, Patienti, Viriano, Auxanio, Fausto, Megetio, Paulo, Græco, Eutropio, Basilio, Leontio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Prætextato, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio, Viuentio, Theophlasto Episcopis Lucidus.* Correctio vestra, salus publica, & sententia vestra, medicina est. Vnde & ego summū remedium duco, vt præteritos errores accusando excusem, & salutifera confessione mea deluam.

Lucidi plēna confessio.

Proinde iuxta prædicandi recentia statuta Concilij, damno vobiscum sensum illum, qui dicit, humanæ obediētiæ laborem diuinæ gratiæ non esse iungendum.

Qui dicit, post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

Qui dicit, quòd Christus & Saluator noster mortem nō pro omnium salute susceperit.

Qui dicit, quòd præscientia Dei hominē violenter cōpellat ad mortē, vel quòd cū Dei pereant voluntate qui pereūt.

Qui dicit, quòd post acceptum legitimè baptismum in Adam moriatur quicunq; deliquerit.

Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prędestinatos.

Qui dicit, ab Adam vsque ad Christum, nullum ex Gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in aduentum Christi fuisse saluatos, eò quòd liberum arbitrium in primo parente perdiderint.

Qui dicit, Patriarchas ac Prophetas, vel summos quosq; Sanctorum, etiā ante redemptionis tempora, intra paradisum deguisse: Hæc omnia quasi impia & sacrilegijs repleta condemno.

Ita autē Assero gratiā Dei, vt annisum hominis & conatum gratiæ semper adiungā, & libertatē voluntatis humanę non extinctam, sed attenuatā & infirmatā esse pronunciē, & periclitari eū qui saluus est, & eū qui perijt potuisse saluari.

Christum etiam Dominum & Saluatorem nostrū quantum pertinet ad diuitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse: & quia nullum perire velit, qui est Saluator omnium, maximè fidelium, diues in omnibus qui inuocant illum.

Assero etiam, per rationem & ordinem sæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe aduentus Christi fuisse saluatos; tamen ex initio mundi ab originali nexu nisi intercessione sacri sanguinis non absolutos.

Profiteor etiam æternos ignes & infernales flammas factis capitalibus præparatas: quia perseuerantes humanas culpas meritò sequitur diuina sententia; quam iustè incurrunt, qui hæc nō toto corde crediderint. Orate pro me, domini sancti & Apostolici Patres.

Quo tempore celebratum.

Tempore Ioannis I. anno Domini 524.] *Sub consulatu Opilionis & Iustini Imperatoris, à gentibus consulatu Opilione & Vincomalo anno Domini 453 hoc Concilium celebratum fuisse Collector Venetæ editionis existimauit; ideoq; illud sub Leonis Pontificatu collocauit; sed male: nam ex eo quod Arelatensis Episcopus Cæsarius huic Concilio præsedisse & subscripsisse reperitur, verius esse putamus, vt dum in Codice legitur celebratū Arelatense Concilium sub consulatu Opilionis, id intelligamus de illo Opilione, qui in Fastis an. Dom. 524. vna cum Iustino Imperatore consulatum gessit: quodq; collector male cautus sibiq; nimis sapiens visus Vincomalum addiderit Opilioni, qui in Actis huius Concilij prætermisso Orientali Consule, sine Collega positus fuerat. Vt ita sentiam, admonuerunt me imprimis tempora Cæsarij Arelatensis Episcopi, quem sub Symmacho eiusque successoribus Pontificibus Hormisda, Ioanne, Felice, Bonifacio, Ioanne secundo, Agapeto, Syluerio & Vigilio vsque ad annum Domini 554. superuixisse, literæ ad eum scriptæ & redditæ manifestè indicant. Cōfirmatus sum in hac sentētia, tum quod omnes ferme Episcopi huic Arelatensi Concilio interfuisse legantur, qui Arausicano Concilio 2. subscripti reperiuntur, de cuius certo tempore infra sub Felice IV. pluribus agam: tum etiam, quòd illustrissimus Cardinalis Baronius monitu Reuerendi Patris Iacobi Sirmundi Aruerni è Societate Iesu, mutata priori sententia, hanc tanquam veriorem, in appendice ad annum Domini 453. superaddita, amplexus fuerit.*

VITA, EPISTOLÆ ET DECRETA FELICIS PAPAE QVARTI.

Ex Libro Pontificali.

A.D. 526.

FELIX natione Samnius, ex patre Castorio, sedit annos 4. menses 2. dies 13. Fuit autem temporibus Theodorici Regis & Iustiniani Augusti, à consulatu* Maburti vsq; ad consulatum Lampadij & Orestis, à die 4. Iduum Iuliarum, vsque in diem 4. Idus Octobris. Hic fecit basilicã sanctorum Cosmæ & Damiani in vrbe Roma, in loco, qui appellatur Via sacra, iuxta templum vrbis Romę. Huius tẽporibus consumpta est incendio Basilica Sancti Martyris Saturnini, via Salaria, quam à solo refecit. Qui etiam ordinatus est cum quiete, & vixit vsque ad tempora Athalarici. Hic fecit ordinationes duas in Vrbe Roma per mensem Februarium & Martiũ, presbyteros 55. diaconos 4. episcopo per diuersa loca, 29. Qui etiam sepultus est in Basilica Beat. Petri Apostoli, 4. Idus Octob. Et cessauit episcopatus dies 3.

*Mauorti

NOTÆ in vitam Felicis IV.

Felix] *Theodoricus interfector Ioannis, vsurpato sibi iure temerè eligendi & nominandi sedis apostolicæ Episcopum, post quam hac de re quinquaginta & octo dierum interregno disceptatum esset, Felicem virum in Romano clero probatißimũ nominauit; ne qua occasione sua voluntati resisti posset. Accidit ea nominatio, nominatiq; à toto clero facta approbatio, vigesima quarta Iulij, ann. Dom. 526. Iustini Imperatoris anno imperij nono, Theodorici Regis 34. anno regni Italiæ. Sed absq; dilatione Deus auctor eiusmodi sceleris Theodoricum sæuum barbarum, durumq; tyrannum repẽtina vindicta cælitus immissa prostrauit, & post acceleratum dirum exitiũ ad inferos perpetuo relegauit. Accidit, inquit Procopius de bello Gothorum lib. 1. cum cœnãti illi ministri appositissent miræ magnitudinis piscis caput decoctũ, Symmachi nuper occisi caput illi visum fuerit prafixis & extantibus inferiore in labro dentibus & torue intuẽtibus oculis furibundè sibi & acerbè cõminari. Qua visione territus in morbum inciderit, & non longè post mortuus fuerit. Refert S. Gregorius lib. 4. dialog. ca. 30. Quod quidam solitarius viderit eum inter Ioannem Papam & Symmachum Patricium, quos occiderat, discinctũ & discalceatum & vinctis manibus deductum in Vulcani ollam iactari. Successit illi in regno Italiæ Athalaricus ex filia nepos, qui exacto à Romanis fidelitatis iuramento, precibus Episcoporum regnum suum stabiliri per literas expetiuit. Huius tempore S. Ephræm Antiochenæ Ecclesiæ factus est Episcopus. Iustinus morbo senioq; grauatus, cum summa æquitate & religione imperium vsq; ad nonum annum administrasset, consulens futuris Reip. cõmodis, cum consensu totius senatus Iustinianum ex sorore nepotẽ imperij successorem delegit. Principio Imperij Agapetus Diaconus S. R. Ecclesiæ scripto eum admonuit, quomodo se in administratione imperij gerere deberet; inita cum Athalarico alijsq; nationibus pace & cõcordia fidem Catholicam edictis & sanctionibus confirmauit. De rebus Ecclesiasticis leges quas promulgauit, ipsius saltem nomine Constantinopolitani Episcopi ediderunt; vt maior earũ esset obseruantia: vel si quas ille sanciit, fecit illud, non quod sibi munus Episcopi assumeret; sed potius vt hæreticos canonum contemptores auctoritate Imperatoria coërceret. Cùm ex hoc fœdere Gothi arrogantiores facti, iura Ecclesiarum inuaderent, & clericos passim ad laicalia tribunalia traherent, Felix Pontifex vna cum Romano Clero de his apud ipsum Regem vehementer expostulauit: qui vbi eos benigne audisset, humaniterq; tractasset, ex ipsorum sententia sanctionem edidit, qua adeo nefaria & inconcessa, temereq; præsumpta, fieri omnino prohibuit. Ipsa constitutio extat apud Cassiod. lib. 8. cap. 24.*

Dionysius Exiguus, qui primus à natiuitate Christi annos numerare cœpit, canonesq; Græcorum malè translatos elegantiori latinitate donauit, à secundo anno Felicis, qui est Christi 527. cyclum paschalem exorsus, eum ad 95. annorum curricula perduxit. Fragmentum illius Cycli recitat Marianus Scotus in Chron. sub consulatu Ma.... Anno quarto pontificatus Felicis, qui est Christi 529. Iustinianus Imperator Codicem de nomine suo Iustinianeũ appellatum, absolutum confirmauit & vulgauit. Vsus est hac in re opera imprimis Triboniani hominis Ethnici, auique cupidissimi, apud quem iustitia venalis erat. Ne mireris ergo si impios Imperatores Zenonem & Anastasium sententia Pontificis, Concilij Constantinopolitani & Iustini è Catalogo Imperatorum abrasos, penitusque damnatos, insigni pietatis titulo in Codice nominatos reperias.

Sedit annos 4.] *Annis 4. mensibus 2. & diebus 18. sedisse, colligitur ex principio & fine pontificatus.*

Quam diu Felix sederit.

Cessauit Episcopatus dies tres] *Ab obitu Felicis vsq; ad electionem Bonifacij secundi tres dies intercesserunt. Quod alicubi legitur sedes vacasse vno menso & quindecim diebus; intelligendum est de tempore illo, quando post schisma sublatum Bonifacius cognitus est ab omnibus legitimus Pontifex.*

Interregnũ

EPISTOLA I. FELICIS PAPÆ IV. ad omnes Episcopos.

TITVLI CAPITVLORVM sequentis Epistolæ.

Quòd Missarum celebratio alibi, quàm in Deo dicatis locis, non debeat fieri, nisi magna compulerit necessitas. 1
De ecclesiarum sacrationis dubitatione quid sit agendum. 2

DILECTISSIMIS *fratribus omnibus Episcopis per diuersas prouincias constitutis, Felix episcopus in Domino salutem.* Magno munere misericordiæ Dei, totius Ecclesiæ catholicæ multiplicata sunt gaudia, cùm ecclesiarum status eo viget ordine, quo apostolorum successores illum statuerunt. Et cùm antiqui hostis astutia eum turbari agnoscimus, non modico contristamur mœrore. Quam ob causam (fratres) hortamur vos, monem⁹ & flagitamus, vt à tramite Apostolicæ sedis institutis nequaquã recedatis, nec à capite dissideatis, sed fidem & ordinem, quem Apostoli & apostolici viri statuerunt, absque vlla hæsitatione teneatis. Nam si columnæ alicuius magnæ domus ruerint, ipsa postea domus minimè stabit. Sic & vos, qui columnæ Ecclesiæ estis, si labefactari cœperitis, sancta Ecclesia, quæ per vos regitur, tabescit & labitur. Hæc (fratres) quæ dico, valdè timenda sunt, & summo moderamine pensanda, atque ne fiant cauenda. Ipsa enim per se veritas ait: *Vos estis sal terræ. Quòd si sal euanuerit, in quo salietur?* Ideo (charissimi) vos moneo, quia debitor sum vobis, & valdè vos diligo. Et quando bona audio de vobis, nimis sum gauisus: & econtrà quando mala, nimis conturbatus. Ego verò, quamuis à vobis per longa terrarum atque maris interualla disiunctus sim, sum tamen omninò vobis corde coniunctus. Idque de beatitudine vestra erga me modis omnibus confido, quia cum me vicissim diligitis, à me longè non estis. Vndè gratias referimus illi grano sinapis, qui ex modici despicabilisque seminis specie, ita ramis ex eadem radice surgentibus, atque se distendentibus, vsque quaque diffusis, vt in eis volatilia cæli nidificent, gratiaq; fit fermento illi, quod tribus farinæ satis totius humani generis massam in vnitate conspersit, atque paruo lapidi, qui abscissus est de monte sine manibus, & occupauit vniuersam faciem orbis terræ, qui ad hoc se vsquequaque distendit, vt omni humano genere in vnitatem redacto, totius corpus perficeretur Ecclesiæ, atque ita vt totius compagis pertineret commodum, membrorum partialis ista distinctio. Vndè nos quoque à vobis non longè sumus: quia in illo, qui vbique est, vnum sumus. Agamus ergò ei gratias, qui solutis inimicitijs in carne sua fecit, vt in omni orbe terrarum vnus esset grex, & vnum ouile sub se vno pastore, semper memores, quid nos egregius prædicator admoneat dicens: *Soliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Sanctitatis vestræ scripta, quæ ad sedem Apostolicam misistis super quibusdam cõsultis, quasi ad caput, vt indè acciperetis responsa, vnde omnis Ecclesia totius religionis sumpsit exordium, gratanter suscepi, & breuiter vobis respondere curaui.

CAPITVLVM PRIMVM.

DE ecclesiarũ enim cõsecratione, & de Missarũ celebrationibus, non alicubi quam in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota noui ac veteris testamenti præcepta. Tabernaculum

Felix à quo & quãdo Pontifex designat⁹.

Theodorici obitus qualis.

Athalaricus Theodorico surrogatus

Iustinian⁹ quãdo imp. rium adeptus.

Immunitas Ecclesiæ.

Dionysij Cyclus paschalis.

Quo tempore Codex Iustiniani cõpilatus & à quo.

naculum verò Mosen Domino præcipiẽte feciſſe,& ſacraſſe cum menſa & altari eius,& cæteris vaſis vtenſilibus ad diuinum cultum explendum legimus, & non ſolum diuinis præceptis ac precibus, ea ſacraſſe, ſed etiam ſancti olei vnctione, Domino iubente, perliniſſe nouimus. Qualiter autem hæc facta ſint,& quomodo ipſa ſacra non alij, quàm ſacerdotes ſacra vnctione delibuti, Dominoq; cum veſtibus ſanctis ſacrati,& Leuitæ tractabant, ferebant, erigebant,& deponebant, in ipſis inſtitutionibus, quæ (Domino iubente) per Moſen conſcriptæ ſunt, in lege Dñi reperitur. Qualiter ergo Dauid regum pijſſimus amplificauerit cultũ Dei, & templum * Domini ædificare voluit, ſed propter multum ſanguinem, quem effuderat, prohibitus eſt, & ipſe collegerat expenſas, Salomonq́ue filius eius idipſum, quod ipſe facere optauerat, iubente & auxiliante Deo perfecit, & templum cum altari, & reliqua, ad diuinum cultum peragendum, conſecrauit, in libr. Regum inter cætera legitur ita: *Ædificans* (inquit Salomon Domino) *ædificaui inhabitaculum tuum,* * *fortiſſimum ſolium tuum in ſempiternum. Conuertitque rex faciem ſuam, & benedixit omni eccleſiæ Iſrael. Omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat,& ait: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui locutus eſt in ore ſuo Dauid patrem meum,& in manibus eius perfecit, dicens: A die, qua eduxi populum meum Iſrael de Aegypto, non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſrael, vt ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi, ſed elegi Dauid, vt eſſet ſuper populum meum Iſrael. Voluitque Dauid pater meus ædificare domum nomini Dei Iſrael, & ait Dominus ad Dauid patrem meum. Quòd cogitaſti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benè feciſti, hoc ipſum mente tractans. Verumtamen tu non ædificabis domum, ſed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipſe ædificabit domum nomini meo. Confirmauit Dominus ſermonem ſuũ, quem locutus eſt, ſteti q́; pro Dauid patre meo, & ſedi ſuper thronũ Iſrael, ſicut locutus eſt Dominus. Et ædificaui domum nomini Domini Dei Iſrael. Et conſtitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini eſt, quod percuſſit cũ patribus noſtris, quãdo egreſſi ſunt de terra Aegypti. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Iſrael, & expandit manus ſuas in cælũ, & ait: Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui in cælo deſuper, & ſuper terram deorſum, qui cuſtodis pactum & miſericordiã ſeruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde ſuo. Qui cuſtodiſti ſeruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei. Ore loquutus es, & manibus perfeciſti, vt hac dies probat. Nunc igitur Domine Deus Iſrael, conſerua Dauid famulo tuo patri meo, quæ loquutus es ei, dicẽs: Non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum Iſrael, ita tamen, ſi cuſtodierint filij tui viam ſuam, vt ambulent coram me, ſicut tu ambulaſti in conſpectu meo. Et nunc Deus Iſrael firmentur verba tua, quæ loquutus es Dauid ſeruo tuo patri meo. Ergone putandum eſt, quòd verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui? Sed reſpice ad orationem ſerui tui, & ad preces eius, domine Deus meus. Audi Domine hymnum & orationem, quam ſeruus tuus orat coram te hodiè, vt vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte & die, ſuper domum de qua dixiſti, Erit nomen meum ibi, vt exaudias orationem, quam erat in loco iſto ad te ſeruus tuus, vt exaudias deprecationem ſerui tui, & populi tui Iſrael, quodcunque orauerint in loco iſto, & exaudias in loco habitaculi tui in cælo, & cum exaudieris, propitius eris. Si peccauerit homo in proximum ſuum, & habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur adſtrictus, & venerit propter iuramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cælo, & facies, & iudicabis ſeruos tuos, condemnans impium, & reddens viam ſuam ſuper caput eius, iuſtificans q́; iuſtum, & retribuens ei ſecundum iuſtitiam ſuam. Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos, (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo, venerint & orauerint, & deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in cælo, & dimitte peccatum populi tui Iſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum. Si clauſum fuerit cælum, & non pluerit propter peccatum eorum, & orantes in loco iſto pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis ſuis conuerſi fuerint propter afflictionem ſuã, exaudi eos in cælo, & dimitte peccata ſeruorũ tuorũ, & populi tui Iſrael, & oſtende eis viam bonã per quam ambulent, & da pluuiã ſuper terrã, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionẽ. Fames, ſi obortа fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aër, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eũ inimicus eius portas obſidens, omnis plaga, vniuerſa infirmitas, cunctaq́; deuotatio & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Iſrael: ſi quis agnouerit plagã cordis ſui, & expãderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cælo, in loco habitationis tuæ, & repropiciaberis, & facies, vt des vnicuiq́; ſecundũ omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius, (quia tu noſti ſolus cor omniũ filiorum hominum) vt timeant te cunctis diebus, quibus viuunt ſuper faciẽ terræ, quã dediſti patribus noſtris. Inſuper & alienigena, qui nõ eſt de populo tuo Iſrael, cũ venerit de terra longinqua propter nomen tuũ, (audietur enim nomen tuũ magnum, & manus tua fortis, & brachiũ tuũ extentum vbiq́;) cùm venerit ergo, & orauerit in loco hoc, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena, vt diſcãt vniuerſi populi terrarũ nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſrael: & probẽt, quia nomen tuũ inuocatũ eſt ſuper domũ hanc, quã ædificaui. Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellũ contra inimicos ſuos, per viã quocunque miſeris eos, orabunt te contra viã ciuitatis, quã elegiſti, & contra domum, quã ædificaui nomini tuo, & exaudies in cælo orationem eorũ & preces eorũ, & facies iudicium eorum. Quòd ſi peccauerint tibi, (nõ eſt enim homo, qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis ſuis, & captiui ducti fuerint in terrã inimicorum longè vel propè, & egerint pœnitentiam in corde ſuo in loco captiuitatis, & conuerſi deprecati fuerint te in captiuitate ſua, dicẽtes: Peccauimus, iniquè egimus, impiè geſſimus, & reuerſi fuerint ad te in vniuerſo corde ſuo, & tota anima ſua, in terra inimicorũ ſuorum, ad quã captiui ducti fuerant, & orauerint te contra viã terræ ſuæ, quã dediſti patribus eorũ, & ciuitatis quã elegiſti, & templi, quod ædificaui nomini tuo: exaudies in cælo, in firmamento ſolij tui, orationem eorum & preces eorũ, & facies iudiciũ eorum, & propiciaberis populo tuo, qui peccauit tibi: & omnibus iniquitatibus eorũ, quibus præuaricati ſunt in te: & dabis miſericordiã coram eis, qui eos captiuos habuerint, vt miſereantur eis. Populus enim tuus eſt & hæreditas tua, quos eduxiſti de terra Aegypti, de medio fornacis ferreæ, vt ſint oculi tui aperti ad deprecationẽ ſerui tui & populi tui Iſrael, & exaudies eos in vniuerſis, pro quibus inuocauerint te. Tu enim ſeparaſti eos tibi in hæreditatem de vniuerſis populis terræ, ſicut loquutus es per Moſen ſeruũ tuum, quando eduxiſti patres noſtros de * terra Aegypti Domine Deus. Factum eſt aũt, cùm compleſſet Salomon orans Dominum omnẽ orationem & deprecationẽ hanc, ſurrexit de conſpectu altaris Domini. Vtrunq; enim genu in terra fixerat, & manus expanderat ad cælũ. Stetit ergo, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael voce magna, dicens: Benedictus Dominus, qui dedit requiẽ populo ſuo Iſrael, iuxta omnia, quæ loquutus eſt: Non cecidit, ne vnus quidẽ ſermo * in omnibus, quæ loquutus eſt per Moſen ſeruũ ſuum. Sit Dominus Deus noſter nobiſcũ, ſicut fuit cũ patribus noſtris, nõ deſerens nos, neq; proijciens, ſed inclinet corda noſtra ad ſe, vt ambulemus in vniuerſis vijs eius, & cuſtodiamus mandata eius, & cæremonias, & iudicia, quæcunq; mandauit patribus noſtris, & ſint ſermones mei iſti, quibus deprecatus ſum corã Domino, appropinquãtes Domino Deo noſtro die ac nocte, vt faciat iudiciũ ſeruo ſuo, & populo ſuo Iſrael per ſingulos dies, & ſciant oẽs populi terræ, quia Dominus ipſe eſt Deus, & nõ eſt vltra abſq; eo. Sit quoq; cor noſtrũ perfectũ cũ Domino Deo noſtro, vt ambulemus in decretis eius, & cuſtodiamus mãdata eius, ſicut & hodie. Igitur rex & omnis Iſrael cũ eo immolabant victimas corã Domino. Mactauitq́; Salomon hoſtias pacificas, quas immolauit Domino, boũ vigintiduo millia, & ouiũ centũ viginti millia, & dedicauerũt templũ Domini rex & filij Iſrael. In die illa ſanctificauit rex mediũ atrij, quod erat ante domũ Domini. Fecit aũt ibi holocauſtũ, & ſacrificiũ, & adipem pacificorũ: quia altare æneum, quod erat corã Domino, minus erat, & capere nõ poterat holocauſtũ & ſacrificiũ & adipẽ pacificorũ. Fecit ergo Salomon in tẽpore illo feſtiuitatẽ celebrem, & omnis Iſrael cũ eo, multitudo magna ab introitu Emath vſq; ad riuũ Aegypti, corã Domino Deo noſtro ſeptem diebus & ſeptem diebus, id eſt, quatuordecim diebus, & in die octaua dimiſit populos. Iudæi ergo loca, in quibus Dño ſacrificabant, diuinis *habebãt ſupplicationibus cõſecrata, nec in alijs, q̃ in Deo dicatis locis munera Dño offerebãt. Si enim Iudæi, qui vmbræ legis deſeruiebant, hæc faciebant: multo magis, quibus veritas patefacta eſt, & gratia & veritas per Ieſum Chriſtum data eſt, templa Domino ædificare, & (prout melius poſſumus) ornare, eaq́ue diuinis precibus, & ſanctis vnctionibus ſuis cum altaribus & vaſis, veſtibus quoque & reliquis ad diuinum cultum explendum vtenſilibus, deuotè & ſolenniter ſacrare, & non in alijs locis quam in Domino ſacratis ab epiſcopis, & nõ à chorepiſcopis, qui ſæpè prohibiti ſunt, niſi (vt prædictum eſt) ſumma exigente neceſſitate, Miſſas celebrare, nec ſacrificia offerre Domino debemus. Et hoc, ſi ſumma neceſſitas, agere compulerit, non in domibus, quia in ſacris canonibus ſacrificia in domibus offerri prohibita ſunt: ſed in tabernaculis, diuinis preci-

* Domino

2. Reg. 8. vt ſortiſſimum

2. Reg. 7.

* Ægypto

* ex omnibus bonis,

* ſupplicationib⁹ conſecrabant

Ioan. 1.

De conſ. dist. 1. Sicut non alij quam.

bus à pontificibus dicatis,& in mensis Domino sacratis,& sacra vnctione à pontificibus delibutis,pro summa(vt præfixum est) necessitate, & non pro libito cuiusquam & pigritia agatur. * Satius ergo est,Missam non cantare,aut nō audire,quàm in illis locis,vbi fieri non oportet:nisi (vt sæpè dictum est) pro summa contingat necessitate,quoniam necessitas non habet legem. Vnde scriptum est: *Vide, ne offeras holocausta tua in omni loco,quem videris,sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* Et in Exodo legitur: *Vos vidistis,quia de cœlo locutus sum vobis: Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis: Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta & pacifica vestra: Oues vestras & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei.* Et sicut non alij, quam sacrati Domino sacerdotes,debent Missas cantare,nec sacrificia super altare offerre : sic nec in alijs, quàm in præfatis Domino sacratis locis, Missas cantare aut sacrificia offerre licebit. Si autem, vt legitur in Concilio Laodicensi cap. 16. quòd hi,qui nō sunt ab episcopis ordinati, tam in ecclesijs,quàm in domibus exorcizare non possunt: multo * magis maioris gradus ministeria,nisi ab eis,qui ad eos gradus sunt sacrati, quibus fungi debent, officia agi vel sacrificia offerri licet. Quòd autem (vt paulò superius prælibatum est) oblationes in domibus offerri non debent,in eodem Concilio cap.58.prohibitū habetur,ita: Non oportet in domibus oblationes celebrari ab episcopis & presbyteris. Solennitates verò dedicationum Ecclesiarum & sacerdotum,per singulos annos solenniter sunt celebrandę ipso Domino exempla dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus,id faciendo,dans formam, cum reliquis populis eādem festiuitatem celebraturus, venit, sicut scriptum est: *Facta sunt encænia in Hierosolymis,& hyems erat : Et ambulabat Iesus in templo,in porticu Salomonis.* Quòd autē octo dierum sint encænia celebranda,in libro Regum, peracta dedicatione templi,reperies.

2 De ecclesiarum verò consecratione quoties dubitatur, & nec certa scriptura,nec certi testes existunt,à quibus cōsecratio sciatur, absque vlla dubitatione scitote eas esse cōsecrandas,ne talis trepidatio faciat deteriorationem : quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factū. His,fratres,testimonijs scripturarum apostolica authoritate confirmatis,consultis vestris breuiter respondisse sufficiat. Vobis tamen præuidendum est,& omnibus prædicandum,vt illicita non agantur, & Domini præcepta conseruentur,& fideliter peragantur. *Rogamus autem vos, fratres,vt dicta Apostoli replicemus,corripite inquietos,consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper, quod bonum est, sectamini in inuicem & in omnes : Semper gaudete, sine intermissione orate,in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere,prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est,tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia,vt integer spiritus vester,& anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Data Kalend.Martij, Lampadio & Oreste viris clariss.Coss.

EPISTOLA II. EIVSDEM EXHORtatoria ad Sabinam.

SIngulare membrum Ecclesiæ, tuæ religionis amplitudinem existere,& à nobis reuerentissimè coli, satis est omnibus manifestum. In ipso enim apice nobilitatis,multo nobiliorem Ecclesiæ deuotionem impendis , & magis læta Christi agnitione præceptis eius obtemperas , & in fide potius exultas,quàm tanti generis flore iactaris. Summa virtus est,vicisse gloriam carnis : & magna est Christi gratia,nobilitatem moribus superasse,domina filia merito illustris. Certa igitur existens,dilectissima vitæ huius(quęcunque sunt) spatia æternis diuinisque officijs illustrare contende, vt qui insignem te præstitit, reddat sibi per sæcula clariorem. Quapropter tuam hortamur dilectionem,vt bonum,quod cœpisti, semper implere non differas:quia non laudatur initium, sed finis. Sapientiam enim te hortamur diligere & scrutari,vt rationabiliter & sapienter disponas & iudices ea,quæ tibi commissa sunt, dicente Domino per Prophetam : *Erudimini, qui iudicatis terram. Time ergo Dominum,& mandata eius serua,& dilige eum totis visceribus,& proximum tuum sicut teipsum,Deus altissimus creauit sapientiam in spiritu sancto,& vidit,& dinumerauit ea terram,& mensus est,& effudit illam super omnia opera sua , & super omnem carnem: secundum datum suum præbuit illam diligentibus se. Timor Domini, gloria & gloriatio,& lætitia,& corona exultationis. Timor Domini delectabit cor , & dabit lætitiam & gaudium in longitudinem dierum. Timenti Dominum benè erit in extremis , & in die defunctionis suæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis sapientia: quibus autem apparuerit in visu,diligunt eā in visione , & in agnitione magnalium suorum. Initium sapientiæ,timor Domini : & cum fidelibus in vulua concreatus est,& cum electis fœminis graditur,& cum iustis & fidelibus agnoscitur. Timor Domini,scientiæ religiositas. Religiositas custodiet & iustificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit. Timenti Dominum benè erit,& in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapiētiæ est,timere Dominum, & plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris illius. Corona sapientiæ, timor Domini,replens pacem & salutis fructum: & vidit,& dinumerauit eam,vtraque autem sunt dona Dei, * scientia & intellectus prudentiæ. Sapientia compartietur,& gloriam tenentium se,exaltat. Radix sapientiæ,est timere Dominum,& rami illius longæui. In thesauris sapientiæ,intellectus & scientiæ religiositas: execratio autem peccatoribus, sapientia. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Iracundia enim animositatis illius, subuersio illius est. Vsque in tempus sustinebit patiens , & postea redditio iucunditatis. Bonus sensus vsque ad tempus abscondet verba illius, & labia multorum enarrabunt sensum illius. In thesauris sapientia, significatio disciplinæ: execratio autem peccatori, cultura Dei. Fili,concupiscens sapientiam,serua iustitiam,& Deus præbebit illam tibi. Sapiētia enim & disciplina,timor Domini: & hoc, quod beneplacitum est illi, fides & mansuetudo,& adimplebit thesauros illius. Contumax non sis,& incredibilis timori Domini,& ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum , & non scandalizeris labijs tuis. Attende in illis,ne fortè cadas,& ponas scandalum animæ tua,& adducas inhonorationem tibi , & reuelet Deus absconsa tua. Pro fide & iustitia , ac pro salute animæ certa semper , & pro adiutorio fratrum viriliter age , vt à Domino recipias remunerationem. Scriptum est enim : Fili,conserua tempus, & deuita à malo. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum,& est confusio adducens gratiam & gloriam. Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam mēdacium. Non reuereris proximum tuum in casu tuo, nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore eius. In lingua enim agnoscitur sapientia,& sensus,& scientia,& doctrina in * verbis veritatis, & firmamentum in operibus iustitiæ. Non contradicas veritati vllo modo, & de mendacio imeruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subijcias te homini propeccato. Noli resistere contra faciem potentis,nec coneris contra actum fluminis. Pro iustitia agonizare pro anima tua,& vsque ad mortem certa pro iustitia,& Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis & remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua,euertens domesticos tuos,& opprimēs subiectos tibi. Non sit tibi manus tua porrecta ad accipiendum,& ad dandum collecta.* His fulta scripturarum authoritatibus,semper sta recta, & à via veritatis ne auertaris,vt gratiam Dei acquiras, & bonorum hominum amicitia fruaris : tantoque tua voluntas facilius ab amore huius sæculi exeat, quanto & impellitur, dum vocatur. Nā nos & præsentes vos videre cupimus,& absentibus per epistolam saltem colloqui desideramus. Vnde & optamus,vt vos beatus Petrus Apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat, quatenus in omnipotentis gratia perfrui vestra præsentia mereamur. Data 12. Kalend.Nouembris, Lampadio & Oreste viris clariss.Coss.

NOTÆ.

Data 12.Cal.Nouembris.] *Hæc chronologia menstrua, mendosa est. Nam hoc mense Bonifacius iam Pontifex creatus erat,vt patet supra.*

* libitu
* Statutū

Deut.12.

Exod. 20.

De conſ. diſ.1.Sicut non alij.

* minus

De conſ. di.1. Sicut non alij.

De conſ. di.1.Solēnitates dedicationum.

Ioan.10.

3.Reg.8.

1.Theſſ.5.

Anno Domini 530.

Ibid.

* Scientiæ & intellectus prudentiæ ſapientia.

Eccl.

* verbo ſenſus.

EPISTOLA III. FELICIS PAPÆ ad Cæsarium Arelatensem.

Dilectissimo fratri Cæsario Felix. Legi quod inter fraternitatem vestram est constitutum, non licere ex laica conuersatione ad officium sacerdotale ante probationem temerè promoueri: de qua re etiam à te ad nos peruenit opinio, aliquos post ordinationem ad sæcularis vitæ mores fuisse transgressos. Et licet sit talis nefanda præsumptio, plus tamen est periculosa neglectio. Qui enim potest venienti malo resistere, & hoc dissimulans fieri permittit, ipse magis mali auctor operis approbatur. Nemo se itaque per antiquam consuetudinem speret exuere: quia quæ illicitè inchoata sunt, si damnentur in posterum suos fructus generare non possunt: nam quod gradibus eruditur sine perfectione doctrinæ ad suum perueniat constitutum, errat per examinationem: quia non recipit firmitatem, nec honorem * quis per timorē potest seruare, qui in eius gloriam semel laborare peruenit. Et laus inanis cui tribuitur lædit, ad elationem nutriens magis, quàm prouocans ad operam veræ virtutis. Vas electionis ad suum discipulum Timotheum scribit, dicens: Nemini citò manus imposueris, nec communicaueris peccatis alienis. Quid sibi vult, Ne citius imponas manus? Quia dignitas quæ datur, ideo datur, vt duret immobilis: debet enim antequam concedatur, longa sub deliberatione tractari. Vnde magister, qui elementorum ignorat initia? Vnde gubernator, qui inter nautas sua seruitia non monstrauit? Ignorat quænam ratio magistris debetur, qui ad obedientiam sua corda non flexit. Vnde quemadmodum in domo Dei conuersari debeat posteris sit exemplum, sit in omnibus clericis, & in his maximè qui sunt ad sacerdotia deligendi, Apostolicæ monitionis eloquium, qui ait: Oportet & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt. Quapropter communi consensu sub obseruatione venerabilium canonum ordinandum eligite sacerdotem, vt & de nostra sumus salute soliciti, & illorum vtilitatibus consulamus, qui fuerint ad hunc ordinem diligenter adsciti. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. III. Non. Febr. P. C. M. Seu. Boëtij V. C.

1 Tim. 5.

1 Tim. 3.

NOTÆ.

Epistola.] *De tempore & auctore huius Epistolæ, quid sentiendum sit, intelliges lector ex ijs, quæ diximus suprà in admonitione ad Lectorem sub finem Epistolar. Felicis III.*

CONCILIVM ARAVSICANVM II. TEMPORE FELICIS PAPÆ IV. ANNO DOMINI D. XXIX. CELEbratum, contra Semipelagianos & Massileenses.

CANONES CONCILII Arausicani II.

De libero arbitrio vel diuersis conditionibus, & de rebus necessarijs per capitula requirendis.

Capitulum primum.

CVM ad dedicationem Basilicæ, quam illustrissimus Præfectus & Patricius filius noster Liberius in Arausica ciuitate fidelissima deuotione construxit, Deo propitiante, & ipso inuitante conuenissemus, & de rebus, quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritualis oborta collatio: peruenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minus cautè, & non secundum fidei catholicæ regulam, sentire velint. Vnde & nobis, secundum authoritatem & admonitionem sedis Apostolicæ, iustum & rationabile visum est, vt pauca capitula, ab apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter quàm oportet, sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque, non sicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conueniunt, animum suum inclinare non differat.

1 Si quis per offensam præuaricationis Adæ, non totum (id est, secundum corpus & animam) in deterius dicit hominem commutatum, sed animæ libertate illesa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxiū, Pelagij errore deceptus, aduersatur scripturæ dicenti: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et, Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis? Et, A quo quis superatur, eius & seruus addicitur. Ezech. 18. Rom. 6. 2. Pet. 2.

2 Si quis soli Adæ præuaricationem suam, nō & eius propagini, asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur, in iustitiam Deo dabit, cōtradicens Apostolo dicenti: Per vnum hominem peccatū intrauit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Rom. 5.

3 Si quis ad inuocationem humanā gratiæ Dei dicit conferri, non aūt ipsam gratiā facere, vt inuocetur à nobis; contradicit Esaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui his, qui me non interrogabant. Esaiæ 65. Rom. 10.

4 Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostrā Deum expectare contendit, non aūt vt etiam purgari velimus, per sancti spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi spiritui sancto, per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicāti: Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Prou. 19. iuxta 70. Philip. 2.

5 Si quis, sicut augmentū, ita etiā initium fidei ipsum credulitatis affectū, quo in eū credimus, qui iustificat impiū, & ad regenerationē baptismatis peruenimus, nō per gratiæ donum, id est, per inspirationē spiritus sancti corrigentē volūtatem nostrā ab infidelitate ad fidē, ab impietate ad pietatē, & naturaliter nobis inesse dicit; apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus quia qui cœpit in vobis bonū opus, perficiet vsque in diem Dñi nostri Iesu Christi. Et illud: Vobis datū est pro Christo, non solū vt in eū credatis, sed etiā vt pro illo patiamini. Et, Gratia salui facti estis per fidem, nō ex vobis: Dei enim donum est. Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse diffiniunt. Philip. 1. Ibidem. Ephes. 2.

6 Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit cōferri, non aūt diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionē & inspirationem sancti spiritus in nobis fieri cōfitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obediens & humilimus, ipsius gratię donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et, Gratia Dei sum id quod sum. 1. Cor. 4. Ibidem 15.

7 Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare * nō expedit aut eligere, siue salutari (id est, euangelizanti) prædicationi consentire posse cōfirmat, absque illuminatione & inspiratione spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei, in euangelio dicentis: Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli: Nunquid idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis? sed sufficientia nostra ex Deo est. Hæ duæ dictiones videntur superfluæ. Ioan. 15. 2. Cor. 3.

8 Si quis (alius misericordia, alius verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de præuaricatione primi hominis nati sunt) cōstanti * fœuitia hominē ad gratiā baptismi posse venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim nō omnium liberum arbitrium per peccatum primi * sententia

hominis

hominis asserit infirmatum, aut certè ita læsum putat, vt tamen quidam valeant, sine reuelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod quam sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, nisi quem pater attraxerit. Sicut & Petro dicit: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et Apostolus: Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in spiritu sancto.

Ioan. 6. Matth. 16. 1. Cor. 12. Phil. 2.

9 *De adiutorio Dei.* Diuini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, vt operemur, operatur.

10 *De adiutorio Dei.* Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possit opere perdurare.

1. Par. 29.

11 *De obligatione votorum.* Nemo quicquam Domino rectè vouerit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur: Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.

12 *Quales nos diligit Deus.* Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

13 *De reparatione liberi arbitrij.* Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.

Ioan. 8.

14 Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, sicut dicit Psalmista: Citò anticipet nos misericordia tua Domine. Et illud: Deus meus, misericordia eius præueniet me.

Pfal. 78. Pfal. 58.

15 Ab eo quod formauit Deus, mutatur Adam, sed in peius per iniquitatem suam ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam. Illa ergo mutatio, fuit præuaricatoris primi: hæc, secundum psalmistam, mutatio dexteræ excelsi.

Pfal. 76.

16 Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tanquã non acceperit: aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus, velut legitur, apparuit, vel vt audiretur, sonuit. Nam sicut Apostolus dicit, Si per legẽ iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicunq; habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habeat, aufertur ab eo.

1. Cor. 4. Galat. 2. Eph. 4. & Pfal. 67. Matt. 25.

17 *De fortitudine Christiana.* Fortitudinem gentilium mũdana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per spiritum sanctum, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

Rom. 5. Rom. 4.

18 Debetur merces de bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.

19 *Neminem nisi Deo miserante saluari.* Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adiuuante, seruaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?

Esaiæ 26.

20 *Nihil boni hominem posse sine Deo.* Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.

21 *De natura & gratia.* Sicut eius, qui volentes in lege iustificari, & à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus: Si ex lege iustitia est; ergo Christus gratis mortuus est, iam hic enim erat lex, & non iustificabat: iam hic erat & natura, & non iustificabat: ideò Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui dixit: Nõ veni legem soluere, sed adimplere: & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, venisse se quærere & saluare, quod perierat.

Gal. 2. Matt. 5. Luc. 19.

22 *De his quæ hominum propria sunt.* Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque iustitiam, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac heremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam inrorati, non deficiamus in via.

Pfal. 115. Esa. 10.

23 *De voluntate Dei & hominis.* Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quãdo id agunt quod Deo displicet. Quãdo aũt ita faciunt quod volũt, vt diuinæ seruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illorum tamen volũtas, est à quo præparatur, & obitur, quod volunt.

24 *De palmitibus vitis.* Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, sed inde accipiant, vnde viuant. Sic quippe vitis est in palmitibus vt vitale submini strret eis, nõ sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christũ, & manere in Christo, discipulis prodest, & non Christo. Nã præciso palmite, potest de viua radice alius pullulare. Qui autem pręcisus est, non potest sine radice viuere.

Ioan. 15. & Aug. super Ioã.

25 *De dilectione, qua diligimus Deum.* Prorsus donũ Dei est, diligere Deum. Ipse, vt diligeretur, dedit, qui nõ dilectus diligit. Displicentes, amati sumus, vt fieret in nobis vnde placeremus. Diffundit enim charitatẽ in cordibus nostris spiritus patris & filij, quẽ cum patre amamus & filio. Ac sic secũdum suprascriptas sanctarũ scripturarũ sententias, vel antiquorum patrũ diffinitiones, hoc Deo propitiante, & prędicare debemus & credere, quòd per peccatũ primi hominis, ita inclinatum & attenuatũ fuerit liberum arbitriũ, vt nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deũ, quod bonũ est, possit, nisi gratia eũ & misericordia diuina præuenerit. Vnde Abeliustum, & Noe, & Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnẽ antiquorum sanctorũ multitudinem, illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudẽ prædicat Apostolus Paulus, nõ per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatã: quia gratiã, etiam post aduentum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere sed in Christi nouimus simul & credimus largitate conferri, secundũ illud, quod iam supra dictum est, & prædicat Paulus Apostolus: Vobis donatũ est pro Christo, non solũ vt in eum credatis, sed etiã vt pro illo patiamini. Et illud: Deus, q̃ cœpit in vobis bonũ opus, perficiet vsque in diem Domini nostri. Et illud: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donũ est. Et quod de seipso ait Apostolus: Misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem. Non dixit, quia eram, sed, vt essem. Et illud: Quid habes quod nõ accepisti? Et illud: Omne datum bonum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. Et illud: Nemo habet quidquã boni, nisi illud illi datũ fuerit desuper. Innumerabilia sunt sanctarum scripturarum testimonia, quæ possint ad probãdam gratiam proferri: sed breuitatis studio prætermissa sunt, quia & re vera, cui pauca non sufficiunt, plura nõ proderunt. Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quòd accepta per baptismũ gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinẽt, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantũ malum credere velint, cũ omni detestatione in illis anathema dicimus. Hoc etiã salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis, multis præcedẽtibus bonis meritis, & fidẽ & amorem sui prius inspirat, vt & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Vnde manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriã reuocauit, & Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Dñi missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum susc ipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum. Et quia diffinitionem antiquorũ patrũ, nostramque, quæ supra scripta est, non solum religiosis, sed etiam laicis, medicamentum esse & desideramus & cupimus: placuit ergo vt etiam illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festiuitatem conuenerunt, propria manu subscriberent: Cæsarius in Christi nomine episcopus, constitutionem nostram relegi, & subnotans subscripsi, quinto Nonas Iulij, Decio iuniore viro clarissimo consule. Iulianus episcopus subscripsi. Constãtius episcopus subscripsi. Cyprianus episcopus subscripsi. Eucherius episcopus subscripsi. Heraclius episcopus subscripsi. Philagrius episcopus subscripsi. Maximus episcop' subscripsi. Prætextatus episcopus

Rom. 5. Ioan. 4. Ioan. 1. Hebr. 12. Philip. 1. Ibidem. Ephes. 2. 1. Tim. 1. Cor. Iacob. 1. Ioan. 3. Luc. 19. Act. 10. Luc. 19.

subscri-

subscripsi. Aletius episcopus subscripsi. Lupercianus episcopus subscripsi. Vindemialis episcopus subscripsi. Petrus, Marcellus, Felix, Liberius, viri clarissimi & illustres Præfecti prætorij Galliarum atque Patricij, consentientes subscripserunt. Siagrius vir clarissimus cons. subscripsit. Opilio vir clarissimus cons. subscripsit. Pantagatus vir clarissimus consul. subscripsit. Deodatus vir clarissimus consul. subscripsit. Chariattho vir clarissimus consul. subscripsit. Marcellus vir clarissimus consul. subscripsit.

Arausicensis Concilij Finis.

NOTÆ in Concilium Arausicanum II. sub Felice IV.

Concilium.] *Hic sacer conuentus Episcoporum, habitus est occasione scriptorum quorundam Fausti Regiensis, qui circa annũ Christi 472. Sancto Prospero in Regiensi Episcopatu substitutus (extant enim epistolæ Sidonij ad eũ velut Episcopum Regiẽsem his temporibus datæ) de gratia Dei, qua saluamur, in quo sub speciosо titulo Pelagium damnans, vere Pelagianizat. Hoc opus, cùm magna auditatæ legentium non tantum in Gallijs, vt constat testimonio Sidonij libr. 9. epist. 9. neq; etiam in Italia duntaxat; sed & Constantinopoli & in Africana Ecclesia expeteretur, atque diuulgaretur, Cæsarius Arelatensis Episcopus, non tantũ libellum, de gratia & libero arbitrio auctoritate Felicis IV. approbatũ, contra eũ conscripsit; verumetiã hoc Episcoporũ Concilium indixit, vt in eo cõmuni omnium Patrum consensu definiretur, quid circa hanc orthodoxæ fidei doctrinã credendum atq; tenendum esse videretur. S. Augustini scripta contra Pelagiũ edita, nemo iam in Gallijs aperte impugnare audebat. Pelagio iam prope infami nemo contra infamiã adhærescere conabatur, sed per fraudes & insidias latenter id cum Fausto Regiensi Episcopo quidã Gallicani presbyteri moliebantur. Hoc itaq; Episcoporum conuentu profide Catholica, scriptisq; Augustini asserendis & defendendis, de gratia & libero arbitrio vigintiquinque canones constituti sunt, qui oẽs fere ad vnam, sunt sententiæ & verba S. Augustini, ex ipsius scriptis diuersis desumpta; vt infra in Notis singulorum canonum ostendemus.*

Sub Felice IV. anno Domini 529. &c.] *Hanc synodũ celebratã fuisse anno Domini 529. sub pontificatu Felicis IV. euidenter ostenditur: primo ex fine Actorũ Concilij, vbi dicitur Cæsarius hanc constitutionem relegisse & subscripsisse: idq; 5. Nonas Iulij Decio Iuniore viro Clariss.mo Consule, quæ procul dubio de illo consulatu Decij intelligenda sunt, quo Cæsarius Arelatensi Ecclesiæ præsidebat. Et quanquã plures anni, alicuius Iunioris Decij consulatu consignati reperiantur in fastis; hic tamẽ Consulatus ille est, quem Cassiodorus assignat anno Domini 529. quando Felix IV. Romanæ, & Cæsarius Arelatensis Ecclesiæ Episcopatum administrabant. Vixisse autem Cæsariũ sub pontificatu Felicis IV. indicat scripta ad eum epistola, quam supra ex Codice Arelatensi acceptam, nunc primum huic Conciliorum editioni inseruimus. Secundo ex subscriptione Liberij patricij Galliarum Præfecti patet, hanc synodum celebratam esse illis temporibus, quibus idem Liberius Patricius Galliarum præfecturam à Theodorico acceptam agebat. Quod cum acciderit sub finẽ Theodorici & initiũ Athalarici, vt ex epistolis eorundem Regũ ad ipsum scriptis colligere licet, dubium nullum est, quin acta Concilij Consulatu Iunioris Decij consignata, & subscriptione allegati Patricij approbata, prædicto anno Domini 529 sub Pontificatu Felicis IV. habita fuerint. Quòd plurimi viri doctissimi senserint, hoc Arausicanum Concilium II. tempore S. Leonis Papæ celebratum, quo Arausicanum primum habitum esse liquido constat, accidit ex subscriptione S. Prosperi, & S. Eucherij Episcoporum, quorum ille vt infra dicemus, male creditus est esse idem Prosper, qui S. Leonis Papæ temporibus vixisse certo scitur. Quis vero fuerit ille Eucherius ibidem subscriptus, diximus in Notis prædicti Concilij Arausicani primi: vbi etiam annotauimus Cæsarium illum, cuius nomen ibidem subscriptum inuenitur, plane alium fuisse ab hoc magni nominis Cæsario Arelatensis Ecclesiæ Episcopo: siquidem illo tempore Hilarius Arelatensem Episcopatum administrarit, & non prius quam post tres alios intermedios Episcopos defunctos Cæsarius Arelatensis Episcopus creatus fuerit. Vide Baron. an. Dom. 463. Item in append. anni 729. tom. 10. Vasquius tom. 1. disp. 91. num. 76. & seqq. aliter sentit.*

Canones &c.] *Quot sunt Canones huius Concilij, tot sententiæ Catholicæ Ecclesiæ hic sunt stabilitæ, à quibus absque præuaricationis piaculo nulli fideli recedere licet. Ex diuersis locis S. Augustini, quos infra annotauimus, ad verbum ferè omnes desumptæ videntur. S. Prosper easdem à se excerptas, retulit in librum, cui titulus est, sententiarum. Canones viginti quatuor numero duntaxat constituti sunt, quia totidem capitula (fortasis ea quæ continentur epist. Cælestini Pontificis, quam supra tom. 1. Concil. vna cũ annotationibus meis excusam inuenies numero primã) de gratia & libero arbitrio Pontifex Romanus in Gallias misérat. Vnde illud summa diligentia obseruandum, quod sanctissimi atq; doctissimi Patres pugnaturi aduersus hostes Gratiæ Dei, nimiũ libero arbitrio tribuentes, nullo potẽtiore modo id fieri posse existimarint, quã si sacrosanctæ sedis apostolicæ auctoritati inniterentur. Planè illicitum esse putabant, vel nimiũ obniti S. Augustini de gratia & libero arbitrio sententijs, quas Cælestinus Pontifex præallegata epistola 1. sedis apostolicæ auctoritate confirmauerat. Nihil igitur præterea nouitas sibi deinceps vendicet, nihilq; humana præsumptio præsumat; sed potius approbatam antiquorum Patrum definitionem amplectatur & illi acquiescat.*

Præfectus & Patricius Liberius.] *Ex hoc loco constat, non quatuor Præfectos Prætorio, sed vnum duntaxat huic Concilio interfuisse Liberium, quatuor nominibus infra in subscriptione recensitis cognominatum: cuius gratia Reges Italiæ Theodoricus & Athalaricus Epistolas, quas recitat Cassiodorus, scripserunt. Vnum autem eundemq; fuisse Liberium, de quo Theodoricus scribit ad senatum, & ad quem Athalaricus epistolam dedit, docet eiusdem Liberij sepulchralis inscriptio, quæ Arimini posita, à Petro Pithæo accepta, extat apud Baron. ann. 529. in appendice tom 10. Vnde patet deprauatum esse textum Concilij huius infra in subscriptionibus, vbi quatuor Præfecti Prætorio, contra lectionem Codicis Vaticani, huic Concilio interfuisse & subscripsisse inueniuntur.* Liberius Præfectus quis?

Vnde nobis secundum auctoritatem & admonitionem sedis apostolicæ.] *Ea quæ supra dixi, de 24. capitulis à sede apostolica in Gallias transmissis: deq; horũ Patrũ constitutionibus, S. Augustini & Romanorum Pontificum sententiæ conformatis, stabiliuntur, & firmantur.*

Si quis soli Adæ. &c.] *Hoc capitulum desumptum esse videtur, ex cap. 4. lib. 4. contra duas epist. Pelagij.* Capit. 2.

Si quis sicut augmentum.] *Vide S. August. lib. de prædestinatione Sanctorum vsque ad cap. 9.* Cap. 5.

Si quis per naturæ vigorem. &c.] *Eadem August. lib. de gratia Christi cap. 26.* 7

Diuini est muneris.] *Sententia eadem est apud S. Prosperum 22. & ad vers. Cogitaui vias meas.* 9

Nemo quicquam Domino. &c.] *Idem S. August. lib. 17. Ciuit. cap. 4. sententia vero apud Prosperum est 54.* 11

Tales nos amat Deus. &c.] *Sententia est apud Prosperũ 56.* 12

Arbitrium est voluntatis. &c.] *Ita S. August. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 12.* 13

Nullus miser. &c.] *Sententia est 211.* 14

Ab eo quod. &c.] *Sententia est 225.* 15

Nemo ex eo. &c.] *De spirit. & li. cap. 28.* 16

Fortitudinem Gentilium.] *Vide sententiam 295.* 17

Natura humana. &c.] *Vide S. August. epist. 106.* 19

Multa in homine bona fiunt. &c.] *Vide cont. 2. epist. Pelag. lib. 2. cap. 8.* 20

Sicut eis qui. &c.] *August. de gratia & libero arbitrio cap. 13. eadem verba eandemq; sententiam habet.* 21

Nemo habet de suo. &c.] *Hæc ex August. tractatu quinto in Ioannem: estq; sententia apud Prosperum 323.* 22

Tuam voluntatẽ homines faciunt. &c.] *Extat apud S. August. tracta. 19. in Ioannem. Estq; sententia apud Prosperum 336.* 23

Ita sunt in vita palmites. &c.] *Ex Augustino super Ioannem tractatu 81.* 24

Prorsus Domini Dei est. &c.] *August. tractatu 102. in Ioannem eadem ijsdem prope verbis.* 25

Cæsarius.] *Hic est ille magni nominis Cæsarius Arelatensis Episcopus, de quo hæc Gennadius ca. 86.* De Gratia quoq; & libero arbitrio edidit testimonia diuinarũ scripturarũ & sanctorum Patrũ iudicijs munita, vbi docet nihil hominẽ de proprio aliquid boni agere posse, nisi eum diuina gratia præuenerit. Quod opus etiã Papa Felix per suã epistolã roborauit, & in latius promulgauit. *Hæc de Cæsario Gennadius. Vide quæ de eodẽ diximus sup. in Notis Concilij Arausicani 1. tẽpore Leonis, tom. 1. Itẽ in quadã admonitione ad Lectore sub Felice 3. Notas denique Concilij Arelatensis tertij, vbi qui, quotue fuerint Cæsarij, quo tempore vixerint, prolixius explicaui. Qua de re etiam consulere poteris Baron. an. 453. nu. 43. & seqq. Item anno 490. nu. 10. Possevinum in apparatu sacro, verbo Cæsarius.* Cæsarius Arelatẽsis quis & qualis?

Eucherij qui & quot?

Eucherius.] *Duos fuisse Eucherios Lugdunensis Ecclesiæ Episcopos: alterum seniorem, cuius meminit Claudianus: alterum iuniorem, qui huic Concilio Arausicano secundo interfuit & subscripsit, cuiusque mentionem fecit Cyprianus in vita Cæsarij cap. 22. apud Surium, vt dixi supra in Notis Concilij Arausicani primi. Plura vide apud Baron. anno 529. in appendice.*

Liberius quadrinominis.

Petrus Marcellinus Felix Liberius.] *Hæc, vt indicat codex Vaticanus, quatuor sunt nomina vnius personæ: sicut Lucius Aurelius Aucanus Symmachus, & alia plura id genus. Probatur sententia ex ijs quæ supra dixi verbo* Liberius Patricius. *Vnde mendosa est & deprauata lectio, quæ subiungitur, hæc:* Viri clarissimi & Illustres Præfecti Prætorio consentientes subscripserunt. *Ex Codice autem Vatica. emendari debet sic:* Petrus Marcellinus Felix Liberius vir clarissimus & illustris Præfectus Prætorij Galliarum atque Patricius, consentiens subscripsit. *Ita Baron. præallegato loco appendicis. Viri Consulares distincti subscribentes hanc sententiam probabiliter satis confirmant.*

Textus Concilij depravatus emendatur.

CONCILIVM VASENSE ALIAS VASIONENSE, NOMINE IL REIPSA VERO III. TEMPORE IOannis Papæ II. sub Consulatu Decij Iunioris mense Nouembris Anno 529. celebratum.

CANONES VASENSIS CONCILII nomine II. reipsa vero III.

CAPITVLVM PRIMVM.

CVm secundum statuta canonum, in Vasensi vico sanctorum pontificum fuisset concilium congregatum, iuxta consuetudinem antiquorum patrum regulas relegentes, propitiante Domino, nullum de præsentibus dominis sacerdotibus aliquid contra decreta spiritualia aut præteriisse, aut præsumpsisse cognouimus. De quare vberes Deo gratias agimus, quia seruis suis secundum pietatis suæ consuetudinem præstare dignatus est, pro quibus solo perfectæ charitatis affectu, & pro desiderio videndi, ad synodum conuenerunt. Et quamuis omnia, quæ à sanctis sacerdotibus vel clericis obseruari debeant, & antiqui & nouelli canones continere probentur, tamen ne congregatio sancta sine aliqua definitione discesserit, vel parum aliquid, quod ad ædificationem ecclesiarum pertinere possit, inspirante Domino decreuerunt: & hoc placuit, vt omnes presbyteri, qui sunt in parochijs constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognouimus, iuniores lectores quantoscunque, siue vxores habuerint secum in domo, vbi habitare videntur, recipiant: & eos, quomodo boni patres, spiritualiter nutrientes, psalmos parare, diuinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant, vt & sibi dignos successores prouideant, & à Domino præmia æterna recipiãt. Cùm vero ad ætatem perfectam peruenerint, si aliquis eorũ pro carnis fragilitate vxorem habere voluerit, potestas ducendi coniugem non negetur.

Capitulum secundum.

Vt presbyteris prædicandi potestas suis plebibus concedatur.

Hoc etiam pro ædificatione omnium ecclesiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non solum in ciuitatibus, sed etiam in omnibus parochijs verbum faciendi daremus presbyteris potestatem, ita vt si presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, sanctorum patrum homiliæ à diaconibus recitentur. Si enim digni sint diaconi, quæ Christus in Euangelio loquutus est, legere: quare indigni iudicentur, sanctorũ patrum expositiones publicè recitare?

Capitulum tertium.

Vt Kyrie eleison in omnibus ecclesijs dicatur.

Et quia tam in sede Apostolica, quàm etiam per totas Orientales atque Italiæ prouincias, dulcis & nimium salubris consuetudo intromissa est, vt Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu ac compunctione dicatur: placuit etiam nobis, vt in omnibus ecclesijs nostris ista cõsuetudo sancta, & ad matutinum, & ad Missas, & ad vesperam, Deo propiciante, intromittatur.

Capitulum quartum.

Vt in omnibus Missis siue matutinis, siue quadragesimalibus, vel quæ in defunctorum cõmemorationibus fiunt, semper SANCTVS SANCTVS SANCTVS, *dicatur: & vt nomen Papæ vrbis Romæ, in nostris ecclesijs recitetur.*

Et in omnibus Missis, siue matutinis, siue quadragesimalibus, siue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiũt, semper SANCTVS SANCTVS SANCTVS, eo ordine, quo ad Missas publicas, dici debeat: quia tam dulcis, & desiderabilis vox, etiam si die noctuque possit dici, fastidium non poterit generare. Et hoc nobis iustum visum est, vt nomen domini Papæ, quicunq; sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris ecclesijs recitetur.

Nouella præscriptio in Eccles.

Capitulum quintum.

Vt propter hæreticorum incredulitatem, post GLORIA PATRI, *etiam* SICVT ERAT IN PRINCIPIO *&c. semper dicatur.*

Et quia non solum in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemãt, in omnibus clausulis post GLORIA PATRI &c. SICVT ERAT IN PRINCIPIO &c. dicitur, etiam & nos in vniuersis ecclesijs nostris hoc ita dicendum esse decreuimus.

Cf. Theodoch. edimur. fuit Con na Dec Albina

Nomina episcoporum qui subscripserunt: Cæsarius in Christi nomine episcopus subscripsi sub die * Nonas Nouembris, Decio iuniore, viro clariss. consule. Contumeliosus episcopus subscripsi. Cyprianus episcopus subscripsi. Gallicanus episcopus subscripsi. Constantinus episcopus subscripsi. Porcianus episcopus subscripsi. Heraclius episcopus subscripsi. Maximus episcopus subscripsi. Prosper episcopus subscripsi. Aquitanus episcopus subscripsi.

CONCILII VASENSIS CAPITVlum ex decreto Gratiani.

De sepulturis quomodo non est accipiendum pretium.

Præcipiendum est secundum canonum authoritatem, vt de sepulturis & hominibus sepeliendis, nil muneris exigant: nisi fortè, qui sepelitur, viuens iusserit, Ecclesiæ, in cuius atrio sepelitur, aliquid de rebus suis tribuere: aut etiam post mortem ipsius, illi, quibus commissum est eius elee-mosynam facere, de rebus illius aliquid sponte, dare voluerint. Et tamen nullatenus à presbyteris Ecclesiæ illius aliquid exigatur, siue ab illis, qui locis & villis præsunt.

13. q. 2. Præcipiendum est

(:)

Vasensis Concilij Finis.

NOTÆ.

NOTAE.

Concilium Vasense.] *Canones tertij & primi Vasensis Concilij confusi sunt, vt diximus supra tom. 1. in Notis Concilij Vasensis primi sub Iulio. Et quanquam ibidem duo capitula hinc desumpta, primo Vasensi adscripserimus; placuit tamen eadem suis locis relicta hic vicissim adscribere, ne quam lector confusionem incurrere, vel quid præter auctoritatem antiquorum & doctiorum ablatum culpare valeat. Cur Vasense dictum fuerit: & quare Vasense tertium nomine, hoc quod hactenus Vasense secundum appellari consueuit, ex Notis duorum priorum sub Iulio & Leone Pontificibus positorum cognoscere poteris.*

Tempore Ioannis Papæ, &c.] *Hoc Concilium, prout acta demonstrant, celebratum est, quando simul eodem tempore Decius iunior in Occidente Consulatum agebat, & Cæsarius in Arelatensi Ecclesia Episcopali titulo ac honore fulgebat. Hoc nullo alio tempore, quam sub Pontificatu Felicis IV. anno Domini 529. contigisse potest, si verum est quod tempore Felicis aliorumque eiusdem successorum Pontificum Cæsarius adhuc superuixerit. Vide quæ hac de re notauimus supra ad Concil. Arausicanum II. De canonibus huius Concilij nihil dicendum vel annotandum occurrit amplius, quod non supra in Notis primi vel secundi Vasensis Concilij, vel etiam alibi notatum fuerit.*

CONCILIVM CARPENTORACTENSE, CELEBRATVM circa tempora Ioannis I. & Annum Domini 529. Estque Prouinciale.

TITVLVS CONCILII Carpentoractensis.

De eo, quod parochijs fuerit à Christianis collatum, quàtum aut qualiter ab Episcopo præsumatur.

CONSTITVTIO SANCTORUM episcoporum vel Patrum in ciuitate Carpentoractensi.

LIcet omnia, quæ ecclesiastica regula præcepit obseruari, in multis canonibus contineantur inserta, nascuntur tamen causæ, pro quibus necesse habent sacerdotes Domini, quod ad iustitiam pertinet, secundum disciplinam Ecclesiasticam ordinare. Et ideò quia Carpentoracte conuenientes, huiusmodi ad nos querela peruenit, quod ea quæ à quibusdam fidelibus parochijs conferuntur, ita ab aliquibus Episcopis præsumantur, vt aut parum aut propè nihil ecclesijs, quibus collata fuerant, relinquatur: hoc nobis iustum & rationabile visum est, vt si Ecclesia ciuitatis eius, cui præest Episcopus, ita est idonea, vt ipsa nullius indigeat, quicquid parochijs fuerit derelictum, clericis, qui in ipsis parochijs deseruiunt, vel reparationibus Ecclesiarum rationabiliter dispensetur. Si verò Episcopum multas expensas, & minorem substantiam habere constiterit, parochijs, quibus largior fuerit collata substantia, hoc tantum, quod clericis vel architectis rationabiliter sufficiat, reseruetur. Quod autem amplius fuerit, propter maiores expensas Episcopus ad se debeat reuocare, ita tamen, vt nihil de facultatiecula ipsa, vel de ministerijs clericorum loci ipsius, licentiam habeat minuendi.

Nomina Episcoporum qui subscripserunt.

Cæsarius in Christi nomine episcopus, constitutionem nostram relegit, & subscripsit. not. subd. G. 1.
Aletius constituit, & subscripsit.
Cyprianus constituit & subscripsit.
Eucherius constituit & subscripsit.
Gallicanus constituit & subscripsit.
Iulianus constituit & subscripsit.
Oranius constituit & subscripsit.
Porcianus constituit, & subscripsit.
Vindemialis constituit & subscripsit.
Contumeliosus constituit & subscripsit.
Constantius constituit & subscripsit.
*Filagrius constituit & subscripsit.
Heraclius constituit & subscripsit.
*Lopertianus constituit & subscripsit.
Prosper constituit & subscripsit.
Principius constituit & subscripsit.

CÆSARII EPISCOPI EPIstola Synodica ad Agretium (alias Agricium) Episcopum.

DOmino sancto ac venerabili fratri Agretio Episcopo, Cæsarius Episcopus & cæteri Episcopi in Carpentoractensi synodo congregati. Licet ad synodum aut per vos, aut per personam vicariam debueritis adesse, vt ordinationis tuæ, quam fecisse diceris, in synodali conuentu redderes rationem, vt si rectè feceras, absolutus cum charitate Dei remeares: sin certè transgressorem te canonum esse constaret, præsenti denunciatione cognosceres, vt Deo medio prolata sententia aut percelleret reum, aut absolueret supplicantem: quia licet sacerdotibus canones ignorare non liceat, tamen penè leuior error fuerat, si per ignorantiam deliquisses, quàm vt eorum custodia, vel vicarij tui manus subscriptione, canonum transgressor existeres. At nunc verò duplici reatu teneris adstrictus, cùm non solùm contra venerabilium patrum, sed etiam contra tua veniisse decreta comprobaris. Quapropter hoc communi in Christo deliberatione sancimus, vt, quia filium nostrum Protadium statuta canonibus per vos inserta, & vos similis sententia constringunt, vsquè emisso anno Missas facere non præsumas: quia æquum est, vt quod apud antistites Deo medio statuitur, inuiolabiliter Deo propitio conseruetur. Quæ enim obseruationis reuerentia à posteris exhibebitur, si ab ijs primum lex, à quibus constituta est, violatur?

Cæsarius Episcopus subscripsit.
Cyprianus Episcopus subscripsit.
Constantius Episcopus subscripsit.
Porcianus Episcopus subscripsit.
Gallicanus Episcopus subscripsit.
Aletius Episcopus subscripsit.
Heraclius Episcopus subscripsit.
Principius episcopus subscripsit.
Contumeliosus episcopus subscripsit.
Iulianus episcopus subscripsit.
*Philagrius episcopus subscripsit.
Eucherius episcopus subscripsit:
Prosper episcopus subscripsit.
Oranius episcopus subscripsit.
*Lupercianus episcopus subscripsit.
Vindemialis episcopus subscripsit.

Carpentoractensis Concilij Finis.

NOTÆ in Concilium Carpentoractense sub Felice Pap. IV.

Concilium.] *Ex actis huius Concilij illud tantum reperitur hic sancitum esse decretum, quid non, & quantum ex bonis parochiali Ecclesiæ ablatis Episcopo sumere liceat. Agricium Episcopū, ideo quod perperam ordinasset, vocatusque ad Concilium contumaciter emansisset, auctoritate huius Concilij à Missarum sacrarum celebratione suspensum fuisse, patet infra ex epistola synodali ad eum scripta. Baro. an. 463. n. 13.* Decretum Concilij quod.

Carpentoractense.] *Carpentoracte est vrbs Galliæ Narbonensis, cuius meminit Plinius lib. 3. cap. 4.*

Circa tempora Ioannis Papæ, &c.] *Quo anno præcisè, quoue die hæc synodus celebrata fuerit, non constat: eandem vero circa hæc allegata tempora habitam fuisse, facile coniicere possumus ex eo, quod ferme omnes ijdem Episcopi huic interfuisse, & subscripsisse reperiantur, qui præcedentibus duabus, Arausicano II. & Vasensi III. concilijs subscripserunt. Placuit igitur hunc conuentum hisce subiungere, quibuscum eorundem Episcoporum præsentiam & subscriptionem habere meruit.* Tempus Concilij

Prosper, &c.] *Qui inter alios sanctos Episcopos huic synodo interfuit Prosper, non Regiensis, sed Aurelianensis Antistes fuit, ad quē extat Sidonij data epistola lib. 7. cap. 15. Hunc sanctitate celebrem* Prosper hic, quis & qualis.

fuisse, testantur publicæ Ecclesiarum tabulæ, ex quibus eius præconiū annis singulis, quinto Kal. Augusti in Ecclesia decantatur. Iulianum Carpentoractensem Episcopum fuisse, patet ex Concilio Epaunensi, cui ibidem subscriptus habetur. De reliquis Episcopis celebrioribus hic subscriptis alibi supra egimus.

Argumentum epistolæ.

Cæsarij epistola ad Agretium.] *Hac epistola significatur, ipsum Agrecium Patrum sententia suspensum esse per annum à sacrarū missarum celebratione, ob ordinationem ab eo perperam factam, & quod ad dicendam causam ad synodum vocatus, neque ipse venerit, neq; alium quemquam suo loco miserit. Hunc illum esse putamus, cuius fit mentio in Concilio Arelatensi tertio, & ad quem scriptæ extāt literæ Sidonij. Probabile est, quod apud Sidonium in titulo multarū epistolarum Græcus Episcopus, pro Agrecio Episcopo mendose legitur. Vide Baron. ann. 463. n. 13.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA BONIFACII PAPÆ II.

Ex libro Pontificali.

A.D. 530.

BOnifacius natione Romanus, ex patre Sigibuldo, sedit annos 2. dies 26. Fuit autem temporibus Athalarici regis hæretici, & Iustiniani Augusti. Hic cum Dioscoro ordinatur sub contentione. Qui Dioscorus ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius vero in basilica Iulij. Et fuit dissensio in clero & senatu dies 29. Eodem tempore defunctus est Dioscorus pridiè Idus Octobris. Ipsis diebus Bonifacius zelo & dolo ductus, cum grandi amaritudine sub vinculo anathematis & chirographi reconciliauit clerum, quem chirographum ecclesiæ archiuio reclusit, quasi damnans Dioscorum. & congregauit clerum, cui tamen in episcopatu nullus subscripsit, dum plurima multitudo fuisset cum Dioscoro. Hic presbyteris & Diaconibus & subdiaconibus & notarijs scutellas de adeptis hæreditatibus obtulit, & alimonijs multis in periculio famis clero subuenit. Hic congregauit synodum in basilica beati Petri Apostoli, & fecit constitutum, vt sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum chirographis sacerdotum & iureiurando, ante confessionem beati Apostoli Petri in diaconem Vigilium constituit. Eodem tempore facta iterum synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes propter reuerentiam sanctæ sedis, & quia contra canones fuerat hoc factum, & quia culpa eum respiciebat, vt successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reū se confessus est maiestatis, quod diaconem Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem B. Apostoli Petri constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum & cleri & senatus, incendio consumpsit. Eodem tempore venit relatio ab Afris episcopis de constitutione, & vt cum consilio sedis Apostolicæ omnia Carthaginensis episcopus faceret. Qui Bonifacius sepulus est in basilica B. Petri Apostoli, sub die 17 mensis Octob post consulatum Lampadij. Et cessauit episcopatus mens. 2. dies 15.

NOTÆ in Vitam Bonifacij Pap. II.

Quando Pontifex factus.

Bonifacius.] *Post interregnum triduanum in basilica Iulij anno Domini 530. qui est quartus Iustiniani, & 2. Athalarici Regis Italiæ, Bonifacius II. genere Gothus, creatus est Pontifex, 15. die Octobr. Contra eum in schismate electus est in basilica Constantiniana Dioscorus ille, quem Hormisda Pontifex vna cum Germano & Ioanne Episcopis, aliisue Presbyteris & Diaconis ad Iustinianum Imperatorē Constantinopolim ablegauit, quiq; de Simoniæ labe infamatus, iniusta sententia condemnatus fuit.*

Causam schismatis quis dederit.

Causam schismatis dedisse videtur Rex Athalaricus, qui dum fortasse exemplo antecessoris sui Pontificem designaret ac præsentaret, ex clero alios sibi suffragantes, alios aduersantes habuit. Accidit autem singulari Dei beneficio, vt schismatico cito morte præuento schisma extinctum fuerit.

Initio Pontificatus Bonifacij Belisarius Dux militum Imperialium cum exercitu suo, à Persis in discrimen adductus est, cum quatuor annis feliciter contra eos pugnasset. Gentes maritimas, quarum subsidium cōtra Persas implorarat, ex idololatris Christianos reddidit. Procop. de bello Pers. lib. 1. Theodorico Francorum Regi, Theodoberti filius Theodorici, & Clodouei nepos successit. Ex Procopio & Gregor. Turonensi Baron. an. 530. n. 9. De Bonifacio scribit Adon in Martyrologio, quod Ecclesiam S. Michaelis Archangeli nomine constructā in summitate Circi dicauerit.

Quando federunt.

Sedit annos duos dies 26.] *Verius anno vno & duobus diebus. Nam cum fateatur hic, ipsum 17. Octob. anno post consulatum Lampadij qui est Christi 531. defunctum esse, constet que ex ijs, quæ supra initio harum annotationum dixi, ipsum 15. Octobris, anno Domini 530. Pontificem esse creatum, non nisi vno anno & duobus diebus Pontificem fuisse oportuit.*

Ipsis diebus Bonifacius, &c.] *Post obitum Dioscori, Bonifacius nimio zelo commotus, eundem Dioscorum, tanquam Simoniæ crimine pollutum, anathematis sententia condemnauit: & ad euitandum deinceps futuri schismatis periculum, conuocata synodo, Vigilium Diaconum successorem sibi designauit. Quæ cum post semotus affectus, sacris canonibus aduersari cognouisset, secundo congregato Concilio, res à se perperam gestas planè irritauit. Factumque erroneū per acta pœnitentia expiauit. Successores Bonifacij, Agapetus & Siluerius, res in hac Synodo gestas confirmarunt.*

Bonifacius excommunicat Dioscorum.

Damnans Dioscorum.] *Ob causam pecuniariā, Dioscorum vel Simoniacum à Bonifacio condemnatum fuisse, apertè scribitur in epistola Iustiniani Imperatoris ad Ioannem Papam scripta, & ad Vigilium data, quæ sic ait:* Dioscorus, cum nihil in fidem peccasset, tamen solum propter Ecclesiasticum ordinem, post mortem ab eadem Ecclesia Romana anathematizatus est. Sigitur nihil in fidem peccantes Episcopi, propter solum Ecclesiasticum ordinem, & propter causam pecuniariam anathemati & post mortem subijciuntur: quanto magis Theodorus &c. *Dioscorum iniusta sententia condemnatum, Agapetus absoluit, vt patet apud Anastasium in vita eiusdem Agapeti.*

Quando facta fuerit Bonifacij electio.

Hic congregauit synodum.] *Cum Gothorum Reges impiè sibi vsurpassent Romani Pontificis electionem, ad eiusmodi præsumptū, & vi vsurpatam licentiam ex Gothorum manibus extorquendam, Bonifacius Ecclesiæ consultum esse iudicauit, vt nullo relicto sedis vacantis loco, successorem sibi eligeret. Quod licet speciem quandam iustitiæ præ se ferret, post ea tamen ab omnibus est reprobatum.*

Eodem tempore facta iterum synodo.] *Secundam synodū Romanam intelligit, quæ acta prioris Concilij rescidit, & irritauit. Vide quæ dicemus infra in Notis secundæ synodi Romanæ.*

Eodem tempore venit relatio.] *Præerat his temporibus Carthaginensi Ecclesiæ Reparatus Episcopus, de quo infra suo loco plura dicemus.*

Mendose Anastasius.

Cessauit Episcopatus menses duos, dies 15.] *Ex hoc mensis & dierum numero dicendum foret, Ioannem successorem Bonifacij creatum esse Pontificem ipsis Calendis Ianuarij, secundo anno post Consulatum Lampadij & Orestis, quem primo anno post dictorum Consulatum Bonifacio surrogatum fuisse, non tantum ipse sibi contrarius fatetur Anastasius, sed etiam inscriptio in titulo Eudoxiæ, quæ est in Ecclesia S. Petri ad vincula, idem manifestè indicat. Vide Bar. an. 531. n. 8.*

EPISTOLA BONIFACII Pap. 2. ad Eulalium Alexandrinum episcopum, de reconciliatione Carthaginensis ecclesiæ, directa.

Bonifacius episcopus Eulalio coepiscopo salutem. Olim & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus authoritatem vniuersali ecclesiæ (auxiliante Domino) subuenire, & quicquid nociuū est, authoritate Apostolica corrigere & emendare. Ad hoc enim diuinæ* dispositionis prouisio gradus diuersos & ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordiæ fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum* generaretur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterit ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia verò quæque creatura in vna eademque æqualitate gubernari vel

Dist. 40. hoc dist. 21. dictum

* gerarchia

viuere

viuere non potest, cœlestium militiarum * exempla nos instruunt: quia dum sint angeli, sint archangeli, liquet quia nō æquales sunt, sed in potestate & ordine (sicut nostis) differt alter ab altero. Si ergò inter hos, qui sinè peccato sunt, constet istam esse distinctionem: quis hominum abnuat, libenter illorum se dispositioni submittere? Hinc enim pax & charitas mutua se vice complectuntur, & manet firma concordia, ac in alterna & Deo placita dilectione synceritas. Quia igitur vnumquodque salubriter tunc completur officium, cum fuerit vnus ad quem possit recurri, præpositus: vota nostra charitatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit solicitudinis, gaudiorum fructus reddatur extorris. Et ideò Carthaginensem ecclesiam ad communionem nostram rediisse (Domino propiciante) tradentibus significamus alloquijs, & mandatorum, quæ legatis nostris dedimus, seriem in omnibus fuisse cōpletam. De qua parte, vt ad dilectionem tuam plenius perfecte gaudium perueniret, libelli Eulalij fratris & consacerdotis nostris Carthaginensis episcopi, & Iustiniani clementissimi principis Orientis sacrarum literarum exemplaria pariter credidimus destinanda, indicantes nihilominus, per Orientis partes plurimos episcopos sic fecisse. Superest, vt à nobis competentibus precibus diuinitas exorata concedat, quatenus de aliarum quoque ecclesiarum redintegratione gratulemur. Ea verò, quæ significare curauimus, in eorum sacerdotum, qui fraternitati tuæ vicini sunt, curabis perferre notitiam, vt & ipsi de affectu tantæ rei gratias nobiscum cœlestis misericordiæ beneficijs referre non cessent. Aurelius enim præfatæ Carthaginensis ecclesiæ olim episcopus, cum collegis suis (instigante diabolo) superbire temporibus prædecessorum nostrorum Bonifacij atque Cœlestini, contra Romanam ecclesiam cœpit: sed videns se * modo * peccatis Aurelij Eulalius à Romanæ Ecclesiæ communione segregatum humilians recognouit se, * pacem & communionem Romanæ Ecclesiæ petens, subscribendo vnà cum collegis suis, damnauit Apostolica authoritate omnes scripturas, quæ aduersus Romanæ ecclesiæ priuilegia factæ quoquo ingenio fuerunt.

* more
* peccantis
* peccasse

Notæ in Epistolam Bonifacij II.

Argumentum epistolæ.

Epistola.] *Hâc epistolâ dicitur, à temporibus Bonifacij & Cælestini Pontificum, Africanam Ecclesiam, propter inuisum ipsi modum prosequendæ appellationis ad sedem Apostolicam interpositæ, opera Aurelij Carthaginensis Episcopi schismate diuisam esse ab Ecclesia Romana, neque vlterius illi communicasse vsque ad tempora Bonifacij papæ secundi; quamdiu Eulalius Carthaginensis Episcopus, pro ineunda concordia, & recuperanda Romanæ Ecclesiæ communione, prædicto Bonifacio libellum supplicem obtulisset, & sic ad communionem rediisset. Quæ omnia commentitia sunt & notoriè falsa.*

Epistolam hanc commentitiā esse probatur.

Nam manifestum est communionem Africanæ Ecclesiæ à Bonifacio I. Cælestino, eorumque successoribus permultis, vsque ad Bonifacium II ne quidem ad vnius diei spacium, aut horæ vnius momentum intercisam fuisse. Aurelius & qui cum eo viuebant, Cælestino communicarunt; vt patet ex fine epistolæ synodicæ illius, quam ex Concilio Africano ad ipsum dederunt: vbi sic scribunt: Dominus noster sanctitatem vestram æuo longiore orantem pro nobis custodiat Domine frater. *Quæ sane mutuæ pacis, concordiæ, & communionis Catholicæ symbola, in Formatis vsurpari solita, ad Pontificem, velut schismaticum non scripsissent, si à Romanæ Ecclesiæ vnione se præscidissent: maximè cum teste Augustino epist. 162. & 163. prædicta verba ad Catholicos dunt axat, non ad schismaticos scribi consueuerint. De Augustino Aurelij Collega, scribit Cælestinus epistola ad Episcopos Galliæ cap. 2.* Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua meritis in nostra communione semper habuimus &c. *Capreolum Augustini successorem, sacrosancto Oecumenico Cōcilio Ephesino, adeoq; vniuersæ Ecclesiæ, per literas & legatos, ibidem honorifice acceptos, communicasse, videre est ex Notis eiusdem Concilij supra. Successores Africanæ Ecclesiæ episcopos, per literas quæstionum diuersarum solutionem petentes: Leo Pontifex instruxit, Hilarus eosdem ad Romani Concilij decisiones recepit: Symmachus Papa relegatos in Sardiniam à Trasamundo Rege Ariano pauit atq; vestiuit. Dum tempore persecutionis Episcopis ac sacerdotibus, propter edictum Regis, de alijs Episcopis in locum defunctorum non surrogandis destituerentur, Romana Ecclesia ijsdem ministros baptismi, aliorumque sacramentorum procurauit, vt constat ex Victore lib. 1. de persecutione VVandalica. S. Eugenius Carthaginensis episcopus, in publico conuentu cum Arianis acturus, Ecclesiam Romanam, teste eodem Victore lib. 2. de persecut. VVand. caput omnium ecclesiarum publicè profitetur. Quid? quod gentiles & Ariani, (vt videre est apud eundem Victorem lib. 1. persecut. VVand. & Greg. Turon. de gloria Mart. cap. 25.) Africanos Catholicos, Romanos appellarint; non aliâ de causâ, quam quod cum Romana ecclesia in fide & religione communicarent, eiusque pastorem Christi Vicarium, pari cultu omnes, in literis suis colerent & obseruarent.*

Cum itaque ex his manifestum sit, Africanam ecclesiam non modo nunquam à Romanæ Ecclesiæ vnitate & communione desciuisse; verum potius eandem, etiam persecutionis tempore, velut matrē suæ aliarumque Ecclesiarum agnouisse; quis falsitatis non arguat hāc epistolam, quā Eulalius aliquis Carthaginensis episcopus pro integrā da vnione libellum obtulisse dicitur, quando omnes episcopi Catholici regnante Gilimere Rege Ariano exulabant? Quis mendacij non accuset eam, quæ sedente Alexandriæ Timotheo, eius nominis tertio Episcopo hæretico, fingitur ad Eulalium Alexandrinum Antistitem transmissa? Quis denique impostura & fraude plenissimam esse non dicat, quâ scribatur Africanam Ecclesiam vltra centum annos schismaticam fuisse, quæ ne quidem vnius horæ spacio ab vnitate ecclesiæ Romanæ se vnquam præscidit? Oportebat tale commentum excogitare, vt Augustinos, Eugenios, Fulgentios viros sanctitate celeberrimos, cum Aurelio, quem ipsi schismatis auctorem; Prosper vero Aquitanus, Patrem & dignæ memoriæ nominandum antistitem, cælestis patriæ ciuem appellat, *cum agminibus quibusdam sanctorum Martyrum ac Confessorum, qui tempore persecutionis VVandalicæ pro fide Catholica obierant, è matricula & sacra Sanctorum tabula expungere possent. Nam si integro abhinc sæculo, nempe à Bonifacio, vsque ad hæc tempora, Africana ecclesia in schismate perseuerauit; nihil est, vt interea aliquis legitima corona martyrij impertiri, vel aliquo confessionis præmio munerari potuerit: cum vnanimi omnium Patrum consensu certum sit, nullam posse esse schismaticorum coronam; vtpote quæ non alijs, quam in stadio Catholicæ ecclesiæ legitimè certantibus concedatur. Vide Baron. in Notis Martyrol. die 16. Octobris. b. Item ea, quæ notauimus supra in Concilio Carthag. 6. verbo* Concilium.

Qua intentione hæc epistola conficta fuerit.

EXEMPLAR PRECVM eius, & Iustiniani prædicti principis.

PRima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare, & quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt ceruices: sequentes in omnibus Apostolicam sedem, & prædicantes eius omnia constituta, & per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas, promittens sequestratos à cōmunione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quòd si in aliquo à professione mea deuiare tentauero, his quos damnaui, complicem mea sentētia me esse profiteor. Hanc autem professionem meam manu mea subscripsi, & Bonifacio S. & venerabili Papæ vrbis Romæ direxi dānans & anteceſſores & succeſſores meos, & omnes, qui S. Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ priuilegia cassare nituntur. Hinc enim supernæ misericordiæ documentum perdocetur, quando & mundani principes causas fidei cum reipub. ordinatione coniungunt, & ecclesiarum præsules, quod ad dispensationem suam pertinet, officij memores exequuntur. Talibus enim indigebat post discordiæ procellas religio Christiana rectoribus, qui compressis prouida dispensatione turbinibus, diu peregrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, vt in futura post secula ad propositi sui exempla tendentes, sibi asscribendum indubitanter ostenderent, quicquid Domino placitum posteris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus Dominum, fratres charissimi, nostris hoc diebus fuisse concessum, & totis orationum, & curarum viribus adnitamur,

Matt. 16.

mur, vt quæ Dei ope benè cœpta sunt, ipso adiuuante per omnia compleantur. Sperandum enim est, vt ad compagem corporis sui reliqua, quæ adhuc diuisa sunt, membra festinent, & potioribus minora non discrepent. Ad quod, cum me dilectio tua Christianæ studio caritatis hortatur, debet, quod inuitat, sequi & quod amandum suadet, amplecti. Similem enim iam fidei curam gerentes, per religiosam patientiam, par etiam præmium de boni operis speramus affectu. Neque enim difficultatibus est cedendum. Non enim fatigatur asperis fides, nec ad cœlorum ardua per procliue tenditur, nec remunerationem citra laboris exercitium quis meretur. Vndè, ne facientes bona deficiamus, specialiter admonemur etiam testante Psalmista: Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore: quia non initium laboris, remunerationem præmij consueuit inuenire, sed terminus. Ergò studium solicitudinis assumentes, quibus est vna in communione societas & credulitas, quemadmodum de vnitate sedis Apostolicæ & Constantinopolitanæ ecclesiæ pariter exultamus in DOMINO, ita de reliquorum quoque (sicut affectione admones) redintegratione lætemur, & curemus * præmium, vt fidem integritatemque nostram immaculatam ab omni contagione seruemus. Nosti enim, frater charissime ac sanctissime, quia ecclesiastica seruant vincula concordiam, quæ nos ab hæreticorum tueatur insidijs, per quam etiam canonum custoditur integritas. His in robore suo omni circumspectione seruatis, remedia sperantibus conseruantur. Habet enim Ecclesiasticarum ordo regularum, & ipsius forma iustitiæ, vt medicina rationabilis benignè & fideliter sperantibus non negetur, nec quisquam est ita ab humanitate discretus, quem non à rigore districtionis inclinet cauta simplicitas. Sed vt cautè hoc, cæteraque querelas, aut errores alicuius * æui valeas expedire, dilectissime frater personam meam te in hoc oportet induere, scientem in huiusmodi causis (sicut prædictum est) quid cauendum sit, & ita omnia præuidendum, vt à te non ambigas rationem dispensationis huius Deo esse reddendam, ita tamen, vt eos, qui vobis fuerint communione sociati, vel per vos sedi Apostolicæ vestra nobis scripta declarent, quibus etiam & quam continentiam libellorum obtulerint, inseratur. Sic quoque humilitatem debemus tenere in mente, vt inde ordinis nostri dignitatem seruemus in honore, quatenus in nobis nec humilitas timida, nec ratio sit superba. Omnipotens Deus charissime, sua te protectione custodiat, atque ad cælestis remunerationem patriæ multiplici animarum fructu perducat. Deus te incolumem custodiat, reuerendissime frater. Amen, Data 8. Kalend. Octobr. Iustiniano 3. & Oreste viris clarissimis coss.

Psal. 505.

* for. primum

* rei

NOTÆ IN EXEMPLAR precum, &c.

Professio hæc fidei suspectæ fidei.

Prima salus.] *Hæc professio fidei Iustini esse non potest: cum is quatuor annis, ante tempus editæ ac datæ huius professionis obierit. Iustiniani esse nequit, tùm quod ex epistola Hormisdæ Pontificis ad Hispaniarum episcopos, & ex Ioannis Constantinopolitani epistola, alijsue pluribus mixta sit, adeo cento quidam male consutus esse videatur: tùm etiam, quod data habeatur sub Consulatu Iustiniani tertio, cum iam non amplius Bonifacius, sed Ioannes Romanæ Ecclesiæ præsideret. Hæc prudens Collector Epistolarum Pontificiarum diligenter considerans, suspectam de obreptione fidei formulam exposit; Baron. anno 530. num. 5.*

CONCILIVM ROMANVM I. QVO BONIFACIVS Vigilium Diaconum sibi successorem delegit: & quod idem Bonifacius paulo post reprobauit.

NOTAE.

Concilium.] *Huius Concilij Romæ ob prædictam causam congregati, mentio habetur apud Anastasium in vita Bonifacij, his verbis:* Hic congregauit synodum in Basilica B. Petri Apostoli, & fecit constitutum, vt sibi successorem ordinaret. Quo constituto cum Chirographis sacerdotum, & iure iurando, ante confessionem B. Apostoli Petri, in Diaconem Vigilium constituit. *In vita Agapeti apud eundem Anastasium colligi videtur, quod sententia anathematis in mortuum Dioscorum pronunciata, de quâ supra in Notis ad vitam Anastasij plura dixi, hoc Concilio lata ac promulgata fuerit; quanquam in vitâ Bonifacij ab Anastasio illud factum sic referatur, quasi ante conuocationem synodi contigisset. Vt vt sit, illud certò constat, quod post quam suum ipsius factum, velut illegitimum, Bonifacius detestatus fuisset; Agapetus Papa non minus damnationem Dioscori, quam etiam designationem successoris Pontificis à Bonifacio factam condemnârit. Vide Baron. an. 530. n. 1.*

Acta Concilij.

CONCILIVM ROMANVM II. SVB BONIFACIO, quo auctore Bonifacio, electio Vigilij, viuente adhuc Pontifice facta, velut illegitima & sacris canonibus contraria irritatur & rescinditur.

NOTAE.

Concilium Romanum.] *Idem Anastasius in Vita Bonifacij huius etiam Concilij, ob assignatam in titulo causam Romæ conuocati, meminit hisce verbis:* Eodem tempore facta iterum synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes propter reuerentiam sanctæ sedis, & quia contra canones fuerat hoc factum: & quia culpa eum respiciebat, vt successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Maiestatis, quod Diaconem Vigilium sua subscriptione chirographi, ante confessionem B. Petri Apostoli constituisset; ac ipsum constitutum in præsentiâ omnium sacerdotum, & cleri, & senatus, incendio consumpsit. *Hunc conatum merito reprobauit Pontifex Bonifacius, cum non tantum vniuerso clero, sed etiam Romano populo displiceret. Siluerius Papa in decreto anathematis in Vigilium, scribit ab eodem procuratum esse, vt hæc contra canones decernerentur, ideo hæc illi exprobrauit:* Quia contra iura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacij Papæ, ipso viuente designari conabaris, nisi tibi amplissimi senatus obuiasset iustitia: nunc prouidentiâ pastorali, ac pontificali auctoritate tua execranda debuerant auspicia detruncari; sed dum paruum vulnus in te neglectum est, insanabile accreuit apostema, &c. *Hæc eadem ab Agapeto reprobata esse testatur Anastasius in vita eiusdem Agapeti, infra his verbis: Hic in ortu episcopatus sui libellos anathematis, quos inuidiæ dolo extorserat, Bonifacius Presbyteris & Episcopis contra canones, & contra Dioscorum, in medio Ecclesiæ congregatis omnibus, incendio consumpsit. &c. Plura hac de re diximus supra in Notis ad vitam Bonifacij.*

Acta Concilij.

TOLETANVM CONCILIVM SECVNDVM, HABITVM ANNO QVINTO AMALARICI REGIS, CIRCA tempora Bonifacij Papæ Secundi; Anno Domini 531.

Editio Prima.

CAPITVLA CONCILII secundi Toletani.

De his quos parentes ab infantia in clericatus officio mancipauerunt, si postea voluntatem habeant nubendi. 1

De clerico, qui ad aliam transit Ecclesiam, & qui eum receperit. 2

Vt nullus à Subdiaconatu & supra, extraneam habeat mulierem. 3

Vt quicquid de iure Ecclesiæ clerici tenuerunt, post obitum eorum ad Ecclesiam reuertatur. 4

De his, qui se proximis suis copulant, vt à communione Christi separentur. 5

PRÆFATIO.

CVm in voluntate Domini apud Toletanam vrbem sanctorum Episcoporum præsentia conuenisset, & de institutis sanctorum patrum canonumque decretis commemoratio haberetur, nobis in vnum positis, placuit, vt si qua in antiquis canonibus minime commemorata sunt, salubri tractatu ac diligenti consideratione instituantur. Si qua verò in anterioribus sunt neglecta, rediuiuam ordinationis censuram obtineant, quatenus dum his (quæ in Concilijs sunt & decreta sed abusione temporum hactenus dimissa & ad cultum fidei pertinent) studium religiosæ impendimus obseruationis, Dei misericordiam facilius impetremus.

Capitulum primum.

De his, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis in clericatus officio vel monachali posuit, pariter statuimus obseruandum, vt mox cùm detonsi vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo ecclesiæ sub episcopali præsentia à præposito sibi debeant erudiri. At vbi octauum decimum ætatis suæ compleuerint annum, coram totius cleri plebisq; consPectu, voluntas eorum de expetendo coniugio ab episcopo perscrutetur, quibus si gratia castitatis (Deo inspirante) placuerit, & promissione castimoniæ suæ absque coniugali necessitate responderint seruaturos, hi tanquam appetitores arctissimæ viæ, leuissimo Domini iugo subdantur: ac primò subdiaconatus ministerium, probatione habita professionis suæ, à 20. anno suscipiant. Quod si inculpabiliter ac inoffense 20. & 5. annum ætatis peregerint, ad diaconatus officium (si scientes implere posse ab episcopo comprobentur) promoueri debent. Cauendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis immemores ad terrenas nuptias, aut abortiuos concubitus vltra recurrant. Quod si fortè fecerint, vt sacrilegij rei, ab ecclesia habeantur extranei. His autem quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo * sententiam auferre non possumus, ita vt cum prouectæ ætatis, in coniugio positi, renuntiaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacros gradus adspirent.

1 Cor. 7. ultima

2 Similiter placuit custodire, ne quis ex eis qui tali educatione imbuuntur, qualibet occasione cogente, propriam relinquens Ecclesiam, ad aliam transire præsumat. Episcopus verò, qui eum susciPere absque conscientia proprij sacerdotis fortasse præsumpserit, totius fraternitatis se reum esse nouerit: quia durum est, vt eum, quem alius rurali sensu à squalore infantiæ exuit, alius susciPere ac vendicare præsumat.

3 Illud verò præterea speciali ordinatione decreuimus, & nec antiqua concilia in vniuersis canonibus siluerunt, vt nullus clericorum à gradu subdiaconatus & supra, in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuã, vel liber-

TOLETANA SYNODVS II. Octo Episcoporum.

Editio II. Garsiæ.

TITVLI.

De his, quos parentes ab infantia Clericatus officio manciparunt, si postea voluntatem habeant nubendi. 1

De clerico, qui ad aliam Ecclesiam transijt, & qui eum susceperit. 2

Vt nullus à Subdiaconatu, & supra, cum extranea habitet muliere. 3

Vt quicquid de iure Ecclesiæ clerici tenuerint, post obitum eorum ad Ecclesiam reuertatur. 4

De his, qui proximis suis se copulant, vt à communione Christi separentur. 5

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV Christi Synodus habita in ciuitate Toletana, apud Montanum Episcopum, sub die 16. Kalendas Iunias anno quinto regni Domini nostri Amalarici Regis, Era 565.

CVm in voluntate Domini apud Toletanam vrbem sanctorum Episcoporum præsentia conuenissent, & de institutis Patrum, canonumque decretis commemoratio haberetur, id nobis in vnum positis placuit, vt si qua in antiquis canonibus minimè commemorata sunt, salubri tractatu, ac diligenti consideratione instituantur. Si qua verò in anterioribus concilijs sunt decreta, sed abusione temporum hactenus sunt neglecta, rediuiuæ ordinationis censuram obtineant: quatenus dum in his, quæ ad occultum fidei pertinent, studiũ religiosæ obseruationis impendimus, Dei nostri misericordiã facilius impetremus.

Capitulum primum.

Dist 28. c. de his quos volunt.

De his, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis clericatus officio manciparit, statuimus obseruãdum, vt mox cum detonsi, vel ministerio electorum contraditi fuerint, in domo ecclesiæ, sub episcopali præsentia, à præposito sibi, debeant erudiri. At vbi octauum decimum ætatis suæ compleuerint annum, coram totius cleri plebisq; consPectu, voluntas eorum de expetendo coniugio ab episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, placuit, & professionem castimoniæ suæ, absque coniugali necessitate se spoponderint seruaturos, hi tanquam appetitores arctissimæ viæ, leniissimo Domini iugo subdantur; ac primum Subdiaconatus ministerium habitu probationis suæ à vicesimo anno susciPiant. Quod si inculpabiliter ac inoffense vicesimum, & quintum annum ætatis suæ peregerint, ad Diaconatus officium, si scienter implere posse ab episcopo comprobantur, promoueri debent. Cauendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut furtiuos concubitus vltra recurrant. Quod si fortè fecerint, vt sacrilegij rei damnentur, & ab ecclesia habeantur extranei. His autem quibus voluntas propria, interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolis sententiam auferre nõ possumus; ita vt cum perfectę ætatis in coniugio positi, renunciaturos se pari consensũ operibus carnis spoponderint, ad sacratos gradus adspirent.

1 Cor. 7.

2 Similiter placuit custodire, ne qui de his, qui tali educatione imbuuntur, qualibet occasione cogente, propriam relinquentes ecclesiam, ad aliam transire præsumant. Episcopus verò, qui eos susciPere absque conscientia proprij sacerdotis fortasse præsumpserit, totius fraternitatis reum esse se nouerit. Quia durum est, vt eum, quem alius rurali sensu ac squalore infantiæ exuit, alius susciPere, aut vendicare præsumat.

3 Illud verò præterea speciali ordinatione decreuimus, & nec antiqua concilia in vniuersis penè canonibus siluerunt, vt nullus clericorum à gradu Subdiaconatus, & supra, in consortij familiaritate habeat mulierem, vel ingenuam, vel liber-

tam, vel ancillam: sed si sunt ei huiusmodi seruitia, matri, vel sorori, vel alij proprinquæ contradat: & quicquid suis manibus *perfecerit, proprio Domino deferatur. Aut si *ꝓpinquitatis memoria deest, alterius domus adhærentis habitaculum requiratur, dummodò nulla occasio introeundi domum clerici, fœminæ permittatur, vnde aut laqueum possit incurrere, aut noxialis fama innocenti fortasse possit * inuri. Sane deinceps post datam hanc admonitionem, quisquis earũ consortio frui voluerit, nouerit se non solum à clericatus officio retrahi, vel ecclesiæ foribus expelli, sed etiam omnium Catholicorum, clericorum vel laicorum, communione priuari, nulla prorsus vel colloquij consolatione relicta, quatenus malæ consuetudinis abrasa rubigo, in posteris radicis suæ veneno serpere non possit.

4 Si quis sanè clericorum agellos, vel vineolas, seu alia ædificia in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur, sustentandæ vitæ suæ causa, vsque ad diem obitus sui possideat. Post suum verò de hac luce decessum, iuxta priorum canonum constitutiones, ius suum Ecclesiæ sanctæ restituat: nec testamentario ac successorio iure cuiquam hæredum, aut prohæredum relinquat, nisi forsitan cui episcopus pro seruitijs ac præstatione ecclesiæ largiri voluerit.

5 Nam & hæc præcauenda salubriter sancimus, ne quis fidelĩ propinquam sanguinis sui, vsquequo affinitatis lineamẽta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari: quoniam scriptum est, Omnis homo ad proximam sanguinis sui nõ accedat, vt reuelet turpitudinem eius. Nec sine denunciatione fit sententię, nam paulo post infert, & dicit; Anima, quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de medio populi sui. Si quis ergo huius decreti temerator extiterit, ac vetitum violare præsumpserit, tanto grauiori sententia mulctandum se recognoscat, quanto eam propinquiorem, cui copulari se maluit, *serie originis esse non ambigit tantoque *annosiori excommunicationis tempore à Christi corpore & fraternitatis consortio sequestretur, quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus.

Huius institutionis regulam, qui subscripsimus, irrefragabili authoritate nos spondemus seruaturos. Si quis autem tam *nostrum, quam vel eorum, qui nunc sanctæ synodo ex hac prouincia defuerunt, huic tam salubri ordinationi obuiare præsumpserit, vel solerter adimplere neglexerit: conuict⁹, totius fraternæ charitatis aliquandiù habeatur extraneus. Sanè iuxta priorum canonum decreta, Concilium apud fratrem nostrum Montanum episcopum (si Dominus voluerit) futurum pronunciamus. Itaque statuimus, vt frater & coepiscopus noster Montanus, qui in Metropoli est, ad comprouinciales nostros Domini sacerdotes literas, de congreganda synodo adueniente tempore, debeat destinare. Nunc ergò in nomine Domini, finitis his, quæ in consultationem venerũt, gratias agimus omnipotenti Deo, deindè domino nostro glorioso Amalarico regi, diuinam clemẽtiam postulantes, vt innumeris annis regni eius ea, quæ ad cultum fidei proueniũt, peragendi nobis licentiam præstet. Montanus in Christi nomine episcopus, his constitutionibus acquieui, relegi, & subscripsi, die & anno quo supra. * Pancarius episcopus his constitutionibus acquieui & relegi, & subscripsi.

* Canonius episcopus subscripsi.

Paulus Episcopus subscripsi.

Domitianus Episcopus subscripsi.

Marracinus episcopus subscripsi.

* professerint
* propinquitas memorata.
* oriri

Leu. 18.

Leuit. 18.

* suæ
* annosiotis

* nostrorũ

* Panacrius.

* Cantonius

tam, aut ancillam. Sed si sunt ei huiuscemodi seruitia matri, vel sorori, aliæque propinquitati contradat. Et quidquid suis manibus perfecerint, proprio Domino deferatur. Aut si propinquitas memorata deest, alia domus ad earum habitaculum requiratur; dummodò nulla occasio introeundi domum Clerici fœminæ permittatur, vnde aut laqueum possit incurrere, aut noxialis fama innocenti fortasse possit inuri. Sane si post datam hanc monitionem, quisquis horum consortio frui voluerit, nouerit se non solum à clericatus officio retrahi, vel ecclesiæ foribus pelli, sed etiam ab omnium Catholicorum clericorum vel laicorum communione priuari; nulla prorsus vel colloquij consolatione relicta: quatenus malæ consuetudinis abrasa rubigo in posteris radicis suę veneno serpere non possit.

4 Si quis sanè Clericorum agellos, vel vineolas in terris ecclesiæ sibi fecisse probatur, sustentandæ vitæ causa, vsque ad diem obitus sui possideat; verum post suum de hac luce discursum, iuxta priorum Canonum constitutiones, ius suum ecclesiæ sanctæ restituat, nec testamentario, ac successorio iure cuiquam hæredum prohæredumue relinquat, nisi forsitan cui Episcopus pro seruitijs, ac præstatione ecclesiæ largiri voluerit.

5 Nam & hæc salubriter præcauenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, vsquequò affinitatis lineamenta, generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari. Quoniam scriptum est: Omnis homo ad ꝓximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius; nec sine denunciatione sententiæ: nam paulò post infert, & dicit: Anima quæ fecerit de abominationibus illis quidpiam, peribit de medio populi sui. Si quis ergo huius decreti nostri temerator extiterit, ac vetitum violare præsumpserit, tanto grauiori se multandum sententia recognoscat, quanto eam propinquiorem, cui copulari se maluit, suæ originis esse non ambigat; tantoque annosioris excommunicationis tempore à Christi corpore, & fraternitatis cõsortio sequestretur, quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus.

Huius institutionis regulam, qui subscribimus, irrefragibili auctoritate nos spondemus seruaturos. Si quis autem nostrum vel eorum, qui nunc sanctæ Synodo, ex hac prouincia defuerunt, huic tam salubri ordinationi obuiare præsumpserit, vel solerter adimplere neglexerit, conuictus, totius fraternæ charitatis aliquando habeatur extraneus. Sanè, iuxta priorum Canonum decreta, Concilium apud fratrem nostrum Montanum Episcopum, si Dominus voluerit, futurum pronunciamus: ita vt frater, & coepiscopus noster Montanus, qui in Metropoli est, ad comprouinciales nostros, Domini Sacerdotes, literas de congreganda Synodo, adueniente tempore, debeat destinare. Nunc ergo in nomine Domini finitis his, quæ in collatione venerunt, gratias agimus omnipotenti Deo, deinde domino nostro glorioso Amalarico Regi; diuinam clemẽtiam postulantes, vt innumeris annis regni eius, ea quæ ad cultum fidei proueniunt, peragendi nobis licentiam præstet. Amen.

1 Montanus in Christi nomine Episcopus, his constitutionibus adquieui, relegi, & subscripsi, die & anno, quo supra.

2 Pangarius in Christi nomine Episcopus, his constitutionibus acquieui, relegi, & subscripsi, die & anno, quo supra.

3 Nibridius in Christi nomine nostræ Ecclesiæ Egarensis Episcopus, hanc constitutionem consacerdotum meorum in Toletana vrbe habitam, cum post aliquantum temporũ aduenissem, salua auctoritate priscorum Canonum, relegi, probaui, & subscripsi.

4 Cannonius Episcopus his constitutionibus acquieui, & relegi, & subscripsi, die, & anno, quo supra.

5 Paulus Episcopus his constitutionibus adquieui, relegi, & subscripsi, die & anno, quo supra.

6 Domitianus episcopus his constitutionibus adquieui, relegi, & subscripsi, die & anno, quo supra.

7 Marcianus, in Christi nomine Episcop⁹, ob causam fidei catholicæ, in Toletana vrbe exilio deputatus, sanctorum fra-

trum

Nibridius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Agragensis episcopus, hanc constitutionem consacerdotum meorum in Toletana vrbe habitam, cùm post aliquantum temporis adueniſſem, salua authoritate canonum, relegi, probaui, atq; subscripsi.

Iustus in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ *Vrgellitanæ episcopus, hanc constitutionem consacerdotum meorũ, in Toletana vrbe habitam, cum post aliquantum temporis adueniſſem, salua authoritate priscorum canonum, relegi, probaui, & subscripsi.

trum meorum constitutionibus interfui, relegi, & subscripsi, die & anno, quo supra.

8 Iustus, in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Vrgelitanæ Episcopus, hanc constitutionem consacerdotum meorum, in Toletana vrbe habitam, cum post aliquantum temporis adueniſſem, salua auctoritate priscorum canonum, relegi, probaui, & subscripsi.

EPISTOLA MONTANI AD FRATRES territorij Palentini ex Garsia Loaisa recens adiecta.

Dominis Dilectiſſimis, fratribus, filijs q̃, territorij Palẽtini Montanus Episcopus æternam salutem.

Cunctarum Ecclesiarum, Domini piiſſimi, Præsules per Ezechielem prophetam terribilis illa commonitorij dictio, sub speculatoris nomine, cõcutit dicens: Fili hominis speculatorem dedi te domus Israel: audiẽs ergo ex ore meo sermonem annunciabis eis ex me: si dicente me ad impium, Impie morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse quidem in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requirã: & cætera, quæ huius lectionis ordo de admonentis admonitique animis exquirendum ostendit. Hac ergo voce permotus, huius officij neceſſitudinem me suscepiſſe non neſciens; studere curaui, ne cuiusquem perditi animam de manu mea Christus inquirat; præsertim cum Toletanæ vrbi Metropolitani priuilegium vetus consuetudo tradiderit; & eo magis, non solùm parochiarum, sed & vrbium cura huius vrbis solicitet Sacerdotem. Ergo vt Apostolus dicit: Quid horum vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Noua namq; præsumptio præsidentium vobis Presbyterorum, nostrorum pulsauit auditus: si tamen noua tantùm, & non detestabilis dici possit, quæ ab initio fidei catholicæ nunquam, præter nunc, subrepsiſſe probatur, vt id, quod per manus summi Pontificis trinæ diuinitatis inuocatio sanctificare consueuit, Presbyter ignarus disciplinæ conficere sibi chrisma præsumeret. Hoc si ignauiæ est, tam demens sacerdos esse non debuit; si præsumptionis est, hunc schismaticum esse quis neſciat, qui inauditam rem, & religioni contrariam, seneſcente iam mundo, talis temerator iudicat? Reuoluatur manibus vestris, o Presbyteri, sacratiſſimus Numeri liber, in quo vestri officij in septuaginta seniorum personis auspicatus est honor, & inuenietis, quorum negociorum vobis prærogatiua concessa sit. Adiutores suos Dominus noſtri laboris secundo dignitatis gradu esse voluit, non temeratores sacrarum quarundam rerum permiſit. Sic Nadab, & Abiu ignem afferentes alienum; id est, sui officij non debitum, diuinus ignis absumpsit: sic Core, Dathan, atque Abiron Moseo, Dei gratia, diuinis eloquijs perfruenti inuidentibus, ac dicentibus: Non soli tibi locutus est Dominus; quia omnis congregatio sancta est, nouis schiſmaticis interitus nouæ prædicationis aduenit; vt ieiunio ore inſatiabiliter terra sorberet, quos indignatio diuina damnaſſet. Quid memorem Oziam, qui non contentus regalibus fascibus, ne fungeretur & sacerdotis officio, contra ius, fasq́ue potestatis velatus cothurno, oblationem expiationis solis Sacerdotibus debitam offerre pararet, sic vltione cœlesti, lepra perfunditur, vt munere sacerdotis, & regni careret, exosusq́ue ad obitum permaneret. Ozam pariter, quantum ad ipsum erat, deuoto officio iumẽtis calcitrantibus, ne arca Dei laberetur, sustinere parantem diuinitùs percussio illata consumpsit: ostendere scilicet volens, quia nullis omninò causis, nec sub occasione humilitatis præsumentibus, diuina officia, & sacramenta cœlestia, ab eo cui non incumbit officium, contingi aliquatenus debent. Caueant ergo, caueant hi, qui sibi putant esse licitum, quod alijs non ignorant esse illicitum, ne similis eos horum, quos memorauimus, pœna percellat. An forsitan sanctorum Patrum regulas, & constitutiones synodicas ignoratis, quibus præcipiuntur parochenses Presbyteri, non per viliores personas, sed aut per semetipsos, aut per rectores sacrariorum, annuis vicibus chrisma à Præsidente sibi Episcopo petant? Credo, quòd qui petere iusserunt, potestatem consecrandi penitus abstulerunt. Prouiderit ergo charitas vestra, ne post huius humilitatis noſtræ interdictum, donec & consuetus vobis à Domino præparatur Antistes, quisquam vetita iterare præsumat, & incipiat grauiorem ecclesiasticæ districtionis sustinere censuram, vtatur quisque honoris sui conceſſo priuilegio, quod proprium sit ordinis Presbyterij; non quod summi Pontificatus est, improbus minister adsumat. Quisquis post hanc admonitionem in huiusmodi rebus aliquo nus fuerit deprehensus, sub anathematis insolubili vinculo se nouerit esse damnandum. Cui in hoc ipsum non parum humanitatis conceditur, quod nunc eum transire patimur impunitum. Sanè si Dominus voluerit, cum tempus paschalis festiuitatis aduenerit, si vobis ad petendum impoſsibile est, datis literis vestris indicare debebitis: & nos sacri huius liquoris vltrò poterimus transmittere gratiam; dum non præsumatur illicita. Pari ratione cognouimus, quòd ad consecrationem basilicarum alienæ sortis à vobis Episcopi inuitentur; & licet sint vnius fidei copula nobiscum in Christo connexi, tamen nec prouinciæ priuilegijs, nec rerum Domini noscuntur vtilitatibus conuenire: quia iam ad ipsum huiusmodi fama prolata est. Ideoq́ue salubri ordinatione censuimus, vt si quãdo talis neceſsitas incubuerit, literis nos informare debeatis, & aut per nos, aut eum, qui nobis ex fratribus, & Coepiscopis noſtris visus fuerit, & consecratio ecclesiarum, Deo auspice, poterit celebrari. Præterea perditiſsimam Priscillianiſtarum sectam, tam actis, quàm nomine à vobis præcipuè nouimus honorari. Rogo, quæ est ista dementia, in eius amore superfluè labi, quem in opere non velis imitari? Nam vt pauca de eius spurcitijs in notitiam vestri deducam, exceptis his, quæ in diuinitate prophanus erupit, & ore sacrilego blaſphemauit, omnium vitiorum in eodem cõgeries, veluti in sordium sentina confluxit; vt sectatricum pudorem impudefactus adulter eriperet; & vt ad sceleris nefarij effectum faciliùs perueniret, maleficij vsum gesta etiam ei assignant. Quid tandem in hoc religioni congruum fidelis cuiusquam anima veneratur, qui non solum à sanctis Sacerdotibus refutatus est, verùm etiam mundani Principes, iustitia legum suarum, eum pro memorati sceleris qualitate damnarunt? Hunc talem fuiſse pleniùs disces, qui beatiſsimi ac religioſiſsimi viri, Theoribij Episcopi, ad sanctum Papam vrbis Romæ Leonem, libros editos legit, in quibus hanc sordidam hæresim explanauit, aperuit, & occultam tenebris suis, perfidiæq́ue nube velatam, in propatulo misit. Ex ipsis etenim libris qualiter cauere, quid respõdere cõtra sacrilegos possit pius lector, inuenitur. Vnde quæso, vt perfidiam cum auctore damnantes, atq; anathematizantes, rectæ fidei regulam teneatis, & de omnibus superscriptis cautiores exhibere vos procuretis: quo faciliùs nec mihi de taciturnitate possit esse damnatio, & vobis de obediẽtia fructum maximum coram Saluatore, Deo noſtro prouidere possitis. Pax Domini cum omnibus vobis. Amen.

Antea erat: rebus.

EPISTOLA MONTANI AD THEORIBIUM per eundem Garsiam.

Domino eximio, præcipuoq́, Christicolæ, Domino, & filio Theoribio Montanus Episcopus.

Alumnum te fidei catholicæ, & sanctæ religionis amicũ, etiam in actis mundialibus cõuersantem, valde, & nouimus, & probauimus. Quum enim adhuc floreres in seculo, ita Claritatis tuæ vita perpatuit, vt secundum sententiam Domini, & quæ sunt Cæsaris, Cæsari non negares, & Deo, quæ sua sunt, Matth 22.

deuota mente persolueres. Iure etenim te diuini cultus in hac præsertim prouincia nominabo. Putas ne quanta tibi apud Deum maneat merces, cuius solertia, atque instinctu, & idololatriæ error abscesserit, & Priscillianistarum detestabilis, ac pudibunda secta contabuit? si tandem adhuc, & in nomine honorare desistant, cuius per tuam admonitionem collapsa esse opera non ignorant. Nam de terrenorum dominorum fide quid loquar? cui ita tuum impendisti laborem, vt feroces cohabitantium tibi animos ad salubrem regulam & normam regularis disciplinæ duceres. Præstauit diuina clementia, quia id, quod summo labore conatus es, precibus, & oratione perficeres. Quæ tamen ex Palentino conuentu ad nos peruenerint, Celsitudini vestræ indicare curaui: quo facilius per vestram increpationem nefanda præsumptio in posterũ conquiescat. Quidam (vt ad nos perlatum est) Presbyteri ausu temerario, res sacras non tam consecrare, quã violare præsumunt; & cunctis ab initio fidei catholicæ seculis inusitatum summis sui ordinis hominibus, nisi tantùm Pontificibus debitum, ius consecrationis chrismæ, nescio, quo typo, an dementia dicam, indubitanter adsumunt: quod quàm sacrilegum sit, pijssimam conscientiam tuam latere non credo: & ideò spero, vt pro eneuanda hac ipsa superfluitate, seueriſsimi Sacerdotis auctoritate vtaris, & tantæ rei temeratores districtiori increpatione coerceas. Qui si post datam admonitionem, nefas iterare præsumpserint, contumacia eorum, sententia conuenienti damnabitur. Simili ratione cognouimus eo quòd necessitudine consecrandarum basilicarum, fratres nostri, alienæ sortis Episcopi, in locis istis inuitati conueniãt: & licet sit in toto orbe sponsæ Christi thalamus vnus, eiusq; Antistites vna in eodem fibula charitatis, & fidei vnione connexi; quod tamen priuilegium decessori nostro, necnon dominis, & fratribus nostris, Carpetaniæ vel Celtiberiæ Episcopis vester Coepiscopus fecit, in exemplaribus charitati vestræ direximus: vt scire possitis, improba petitio qualem potuisset habere effectum. Et certè municipia, id est Segobia, Brittablo, & Cauca eidem non quidem rationabiliter, sed pro nominis dignitate, concessimus; ne collata benedictio, persona vagante, vilesceret. Quod ipsi tantummodò dũ adiuuit, præstitum fuisse cognoscite. Hoc ergo prouidere volumus, vt consuetudinem antiquam nulla ratione prætermittere debeatis. Quòd si hæc nostra admonitio in vobis nihil profecerit, necesse nobis erit Domini nostri exinde auribus intimare, pariter & filio nostro Ergani suggerere: & huiusmodi ausum præcepta culminis eius, vel districtio iudicis, nõ sine vestro detrimento, seueriſsimè vindicabunt: tanta enim tribuente Domino, eius est pietas, vt nihil de hoc, quod ius antiquum custodisse probatur, immutari permittat. Diuina vos custodiat Trinitas. Amen.

Segouia. Brittablo. Cauca. Coca.

NOTAE in concilium Toletanum secundum.

Anno quinto regni domini nostri Amalarici.] *Isidorus, & post eum Rodericus Toletanus, celebratum aiunt anno secundo Theudi Regis: verum ex principio & capite vltimo huius concilij clarè euincitur, sub Amalarico Rege fuisse congregatum, id est, circa tempora Ioannis secundi Pontif. Max. Era D. LXV. Garsias: Adde: quòd pro era 565. qua cum anno primo Regis Amalarici: Christi 527. et Iustini Imperatoris nono coincidit, restituenda est æra 569. cum qua quintus Amalarici: & Christi 531. concurrunt. Constat enim testimonio Isidori in Chronico. quod æra 564. nono anno Iustini Imp. ita enim emendanda est mendosa lectio Isidori hoc loco, pro 9. anno Iustini, 14. Iustiniano ponentis, defuncto Theodorico Amalaricus nepos eius successerit, & quinq; annis regnauerit, adeoq; quintum annum regni sui, æra 569. anno Christi nati 531. terminarit. Baron. anno 531. n. 12.*

Amalarici.] *Etiamsi hic & capite quinto infra, inueniatur, hãc synodum anno quinto Amalarici Regis celebratam esse; tamen S. Isidori verba suadent, patres huius Concilij sub Theudo potius, quã sub Amalarico conuenisse. Æra quingentesima sexagesima nona, inquit, Iustiniani Imperatoris tempore, post Amalaricũ Theudis in Hispania creatur in regnum per annos sedecim, qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ Dei vt licentiam Catholicis Episcopis daret, in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcunque ad Ecclesiasticam disciplinam necessaria existerent, dicere, &c. Accedit, quòd exordio huius Concilij deplorent præterita tempora, quibus conueniendi licentia denegata erat; quod cum testimonio Isidori sub Amalarico contigerit, valde probabile est, hanc Synodum sub Theudo erga Catholicos benignissimo celebratam esse, nomenq; Amalarici ex appositio hoc titulo, in acta Synodali a irrepsisse. Vide Baron. prad. anno, num. 13. & 14.*

Montanus in Christi nomine.] *De Montano, vide, quæ scribit Isidorus in libello de viris illustribus, & Ildefonsus. Constat eum rexisse Metropolitanam Toletanam sedem, ex eius prima epistola ad fratres territorij Palentini. Vide qua de eodem scribit Baron. anno 531. nu. 15.*

Nibridius.] *Nibridius frater Iusti Episcopi Vrgelitani: fuerunt enim quatuor fratres: Iustinianus, Episcopus Valentinus, Iustus, & Nibridius, & Elpidius. De Iusto meminit Isidorus lib. de viris illustribus. Baron. an. 531. nu. 16.*

IN EPISTOLAM MONTANI AD FRATRES territorij Palentini.

Priscillianistarum sectam.] *De Priscilliano vide Hieronymũ de viris illustribus, & Augustinum de hæresibus, hæres. 70. Extat de hac hæresi consultatio Orosij ad Augustinum, & eius ad Orosium eruditissimum responsum. Vide etiam Vincentium Lirinens. & Sulpitium Seuerum lib. 2 sacræ historiæ sub finem. Supplicium sumptum a Priscilliano seculi gladio, & totius, vt ait Hieronymus, orbis auctoritate, testatur id ipsum idem Hieronymus ad Ctesiphontem contra Pelag. & Leo primus Pontif. epist. 93. & Synodus Burdigalesis.* Garsi.

IN EPISTOLAM AD THEORIBIVM.

Theoribio.] *An hic Turibius ille Monachus fuerit, cuius meminit Ildefonsus, de viris illustribus, de vita Montani, an alter Notarius sedis Apostolicæ, à B Leone PP. missus in partes Hispaniæ, ad Priscillianam hæresim extirpandam, vt constat ex concilio Bracar. primo in exordio (vocabantur & hi Notarij Regionarij, vt constat ex ordine Romano) an verò Episcopus Palentinus & Asturicensis, non satis constat: posterema sententia acquiescit, vt ex prima epist. patet, & scripsisse libros doctissimos aduersus Priscillianos: & in secunda epistola, eum vocat Sacerdotem, hoc est Episcopum: Vt seuerissimi (inquit) Sacerdotis auctoritate vtaris.* Garsias.

Iustus.] *Iustus Vrgelitanæ ecclesiæ Episcopus fuit: de eo in Kalen. Romano, die 28. Maij, & sanctus Isidorus, de viris illust. Claruit temporibus Iustiniani Imperatoris.*

Certè municipia.] *Tria nominat municipia, Segouia, Brittablo, Cauca. Segouia, Plinio Secubia, Ptolemæo Ζεκόβια, oppidum Hispaniæ, inter Vacceos celebre, in quo aquæductus molis ingentis, auctoribus incertis structus: tamen nobilis, seculis futuris imitatione inaccessus. Incertum an tanta machinatio Carthaginensium, an Romanorum opus fuerit; cum nullus sit literis nec notis dicatum: hoc notum, maiestate, & sumptu cum omnium orbis structurarum gloria certare: est nunc sedes, vt Gothorum tempore, Episcopalis: paruo fluuio abluitur, lanificio conspicua, & officina politi argenti signati. Brittablum, ab alijs Litabrum. sed corruptè, à C. Flaminio expugnatum, locus iuxta Secouiam: de eo Liuius lib. 39. Cauca à Ptolemæo ponitur in Vacceis, hodie Coca.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA IOANNIS PAPÆ II.

Ex libro Pontificali.

A.D. 532

IOANNES, qui & Mercurius, natione Romanus, ex patre Proiecto de Cælio monte, sedit annos duos, menses 4. dies 6. Fuit autem temporibus Athalarici regis, & Iustiniani Augusti. Eodem tempore vir religiosus Augustus Iustinianus summo amore Christianæ religionis misit fidem suam scriptã chirographo proprio ad sedem Apostolicam per episcopos Hypatium & Demetrium. Ipsis diebus obtulit Christianissimus Imperator B. Petro Apostolo scyphum aureum circundatum gemmis pransinis & albis & alios calices argenteos 2. Scyphum pensantem lib. 5. Calices argenteos* singulos pensantes lib. 6. Et alios calices argenteos 2. pensantes lib. 15. Palliola verò auro texta, 4.

Hic

Hic fecit ordinationem in vrbe Roma vnam per mensem Decembrium, presbyteros 15. episcopos per diuersa loca numero 21. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri Apostoli, 6. Kalend. Iulias, post consulatum iterum Lampadij. Et cessauit episcopatus dies sex.

NOTAE in vitam Ioannis Papæ.

Ioannes.] *Ioannes cognomento Mercurius, Romanus, anno, vt constat ex vetere inscriptione apud S. Petrũ ad vincula, post consulatum Lampadij & Orestis, qui est 531. Christi nati, Imperatoris Iustiniani 5. & Athalarici Regis Italiæ 6. circa finem anni illius electus est Romanus Pontifex. Huius temporibus Amalaricus Rex Hispaniarum Arianus, propterea quod Crotildem filiam Clodouei Catholicã sibi matrimonio iunctam, ob diuersitatem religionis malè tractasset, occiditur à Childeberto quarto Clodouei filio fratre Crotildis, ad quem ipsa sudarium proprio sanguine infectum miserat. Interfecto Amalarico Regi Ariano, Theudis Rex Arianus successit, qui pace Ecclesiæ Dei concessa, conueniendi ac de fide decernendi licentiam Episcopis Hispaniæ indulsit. Origenistæ sæpius damnati rursum inualescentes, corruptisq; Monachis Palæstinæ, totum ferme Orientem depascentes, edictis Imperatorum non potuerunt extingui; adeo vt horum causa quintum Oecumenicum Concilium congregare opus fuerit. Iustinianus Imperator coniurationem & seditionem Constantinopoli contra se motam illam, quam Procopius lib. 1. de bello Persico describit, feliciter sedauit & compressit. Ab Episcopis ex visione quadam victoriam pollicentibus admonitus, Vandalicum bellum diu cogitatum, Duce Belisario inchoauit, atque spacio trium mensium, Rege barbarorum Gilimere bis fugato, copijsq; eorum deuictis Carthaginem recuperauit, totamq; Africã à tyrannide nonaginta quinque annorum, quibus Reges Ariani & barbari eam possederant, liberauit. Procopius lib. 1. de ædif. Iustin. Pugnabat miraculosè pro Imperatore Catholico Deus, qui pro fide Catholica defendenda & ampliauda summopere laborans, Catholicorum & Seuerianorum, quos adhuc in Oriente esse sciebat, illam collationem fieri curauit, quam infra nunc recens editam hic exhibemus, quiq; missa legatione ad Romanum Pontificem, contra Monachos Acœmetas, Nestorianos & Origenistas orthodoxam fidem propugnans auctoritate sedis Apostolicæ definiri rogauit, vtrum, quod negabatur ab hæreticis, Christus vnus de Trinitate esset? vtrum in carne natus ac passus esset; & an Maria Dei genitrix dici posset? Athalaricus Rex Gothorum corruptis moribus adolescens, post quam huius Pontificis monitu, Simoniacos bonorum Ecclesiasticorum emptores percellusset edicto illo, quod marmoreæ tabulæ inscriptum, ante S. Petri Atrium cunctis perspicuum apponi curauerat, octauo anno regni sui, qui erat ætatis ipsius 16. mortuus est. Theodotus vero Theodorici ex sorore Amalasuenta nepos, prouectioris ætatis, latinarum literarum, & platonicorum dogmatum satis peritus; rei autem bellicæ prorsus ignarus, pecuniq; accumulandis enixius intentus, surrogatus est Athalarico, suasu Amalasuinthæ matris Athalarici, quam ingratissimus dum regno potitus est, in carcerem coniecit, & paulo post occidit. Procopius de bello Gothorum. Hæc cum Iustinianus accepisset, aduersus Gothos bellum parare, & Francos iam ante, viuente adhuc Athalarico concitatos, contra eosdem commouere cœpit.*

Sedit annos duos.] *Tribus annis munus Pontificium administratum fuisse à Ioanne secundo, constat ex obitu eiusdem, & ex ijs quæ supra in principio verbo Ioannes, & in fine Notarum ad vitam Bonifacij diximus.*

Eodem tempore vir religiosus.] *Vide quæ de hac legatione infra in Notis Concilij Romani sub Ioanne, ex Baronio anno 533. dicturi sumus.*

Misit fidem suam scriptam.] *Intelligit illam fidei professionẽ, quæ continetur in epistola Iustiniani ad Ioannem Papam: non vero illud prolixius edictum, cui in Suriana editione præfixa reperitur, eiusmodi inscriptio mendosa:* Edictum pijssimi Imperatoris Iustiniani fidei confessionem continens, & refutationem hæreseon, quæ aduersantur Catholicæ Dei Ecclesiæ: Ioanni Papæ secundo transmissum, vt patet in vita eiusdem Papæ ex libro Pontificali. *Hanc inscriptionem mendosam esse dixi, quia constat illud Edictum, vel potius libellum, tempore Vigilij conscriptum esse, quem aduersus tria capitula Theodorus Cæsariensis Episcopus ab ipso Imperatore edi curauit, vt testatur Liberatus in Breuiar. cap. 24. Vide quæ infra notabimus sub Vigilio.*

EPISTOLA I. B. IOANNIS PAPÆ Secundi.

Docet, Christum Dominum secundum deitatis naturam Patri æqualem, secundum verò humanam naturam minorem esse.

Reuerendissimo fratri Valerio Episcopo, Ioannes. Scripta tuæ Sanctitatis suscipiens, plena ea fidei regula, qua plurimũ polles, inueni, & Deo gratias retuli quòd anima & corpore te benè vigere didici. Sanè ea, quæ significasti quosdam dicere, quod non sit filius æqualis patri, & quod in Euangelio scriptum sit, Pater maior me est, scias non rectè intelligere tales fidei regulas, nec rectam fidem penes se habere. Paulus Apostolus non secundum Deitatis naturam Christum creatum insinuat, sed secundum humanæ naturæ substantiam eundem creatum affirmat, ipso Ephesijs conscribente: Renouamini, inquit, spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominẽ, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Et ad Hebræos: in eo enim, in quo passus est ille & tentatus, etiam potest his, qui tentantur, auxiliari. Vnde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum, fidelem existentem ei, qui creauit eum. Et ad Colossenses: Nunc autem deponite & vos vniuersa, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpiaque ex ore vestro non procedant. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit eum. Nunquid is, qui vniuersam creaturam, visibilia & inuisibilia, propria potestatis virtute procreauit ac fecit, seipsum antea vel postmodum (quod dicere nefas est) creauit, vel facere potuit? Filius minor est patre in assumpti hominis forma, æqualis verò patri est in Deitatis naturæ substantia, eodem protestante: Ego & pater vnum sumus. Et iterum. Qui me videt, videt & patrem. Et iterum: Qui me odit, odit & patrem. Et iterum: Vt omnes glorificent filium, sicut honorificant patrem. Et iterum: Vt sint in nobis vnum, sicut & nos sumus vnum. Et iterum: Tu in me, & ego in eis. Et iterum: Omnia tua mea sunt. Et iterum: Ego in patre, & pater in me. Et iterum: Pater in me manens facit opera hæc, & Ioannes Euangelista ait: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et iterum ipse ad Parthos: Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra, spiritus, aqua, & sanguis: & tres vnũ sunt. Et tres sunt, qui testimonium perhibent in cælo; pater, verbum, & spiritus: & hi tres vnum sunt. Nos itaque in natura Deitatis; quia vnum sunt pater & filius, nec patrem credimus aliquo tempore præcessisse, ne maior sit filio: nec filium postea natum esse, vt deitate patris minoretur. Si æqualis patri filius non est, cur ira de illo Ioannes Euangelista testatus est? Propterea, inquit, persequebantur Iudæi Iesum, & quærebãt eum occidere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo, Et Paulus Apostolus: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Et in Salomone: Qui genuit me, requieuit in tabernaculo meo. Et Ecclesiast. Sicut est ab initio, ita vsque in sæculum: neque adiectum est ei, neque minuetur illi. Ipse est enim Dominus creaturæ suæ, qui nihil eguit ab aliquo. Et in Psalm. 72. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Hæc omnia filium non inferiorem natura demonstrant; sed & æqualitatem Deitatis annunciant: quoniam qui vtraque locutus est, verum dixit, quia veritas mentiri non potuit. Taliter, frater carissime, semper age, ceterosque omnes agere mone, vt abolito hoc, qui natus videbatur, errore, in laudem & gloriam Dei per totum mundum vna fides sit, & vna eademque confessio, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris, Dat. Nonis Augusti, Iustiniano & Athalarico viris Clariss. Coss.

Ioan. 24.
Ephes. 4.
Heb. 2.
Coloss 3.
Ioan. 10.
Ioan. 14.
Ioan. 15.
Ioan. 5.
Ioan 17.
Ioan. 14.
Ioan. 1
Ioan. 5.
Philip. 2.
Ecclesi. 24.
Eccl. 42.
Philip. 2.

EPISTOLA IVSTINIANI IMPERATORIS ad Ioannem, quam Hypatius & Demetrius Episcopi legatione Imperatoria fungentes Romam attulerunt.

VIctor Iustinianus pius felix inclytus triumphator semper Aug. Ioanni sanctissimo archiepiscopo almæ vrbis Romæ & Patriarchæ.

Reddentes honorem Apostolicæ Sedi & vestræ Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit & est (vt decet patrem) honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studiũ, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis & statum sanctarum Dei ecclesiarum custodire: quæ hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes sacerdotes vniuersi orientalis tractus & subijcere & vnire sedi vestræ Sanctitatis properauimus: In præsenti ergo quæ commota sunt: quamuis manifesta & indubitata sint, & secundum Apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita & prædicata: necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati: quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum: Per omnia enim (vt dictum est) properamus honorem & auctoritatem crescere vestræ sedis. Manifestum igitur facimus vestræ Sanctitati, quòd pauci quidam infideles & alieni sanctæ Dei Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ contradicere Iudaicè atque apostaticè ausi sunt aduersus ea, quæ ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam rectè tenentur, & glorificantur, atque prædicantur: denegantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium DEI: & Dominum nostrum incarnatum de sancto Spiritu, & ex sancta atque gloriosissima semper Virgine Dei genitrice Maria hominem factum atque crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis trinitatis, & coadorandum, & conglorificandum patri & spiritui sancto, consubstantialem patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, passibilem carne, eundemque ipsum impassibilem deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum Filium Dei & Dominum nostrum fateri vnum esse sanctæ & consubstantialis trinitatis: videntur Nestorij malam sequi doctrinam, secundum gratiam dicentis vnum filium Dei, & alium dicentis Dei verbum, & alium Christũ. Omnes verò sacerdotes sanctæ catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ, & reuerendissimi Archimandritæ sanctorum monasteriorum sequentes Sanctitatem vestram, & custodientes statum & vnitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica vestræ Sanctitatis Sede; nihil penitus immutantes de Ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit, atque obtinet, vno consensu confitentur, & glorificant, prædicantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium & verbum Dei & Dominum nostrum ante sæcula & sine tempore de patre natum, in vltimis diebus descendisse de cælis, & incarnatum de Spiritu sancto, & sancta atq; gloriosa Virgine & Dei genitrice Maria natum, & hominem factum, & crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis trinitatis, & coadorandum, & glorificandum patri & sancto Spiritui. Nec enim alium Deum verbum, & alium CHRISTVM cognoscimus: sed vnum atque eundem ipsum consubstantialem patri secundum diuinitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate. vt enim est in diuinitate perfectus, ita idem ipse & in humanitate perfectus est: in vna enim substantia deitatem suscipimus & confitemur, quod Græci dicunt ἐνυπόστατον, Et quoniam vnigenitus filius, & verbum Dei ante sæcula & sine tempore de patre natus, idem ipse & in vltimis diebus descendens de cœlis incarnatus de Spiritu sancto, & ex sancta atque gloriosa semper Virgine & Dei genitrice Maria, homo factus Dominus noster Iesus Christus propriè & verè Deus est: ideo & sanctam atque gloriosam Virginem Mariam propriè & verè Dei Matrem esse dicimus, non quia Deus verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quia in vltimis diebus descendit de cælis, & ex ipsa incarnatus, & homo factus, & natus est, quem confitemur & credimus (sicut dictum est) consubstantialem esse patri secundum deitatem, & consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem: eiusdem miracula & passiones, quas spontè in carne sustinuit, agnoscentes. Suscipimus autem sancta quatuor concilia, id est trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui in Nicæna vrbe cõgregati sunt: & centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in hac regia vrbe conuenerunt: & sanctorum patrum, qui in Epheso primo congregati sunt: & sanctorum patrum, qui in Chalcedone conuenerunt, sicut vestra Apostolica Sedes docet atque prædicat. Omnes ergo sacerdotes sequentes doctrinam Apostolicæ Sedis vestræ ita credunt & confitentur & prædicant, vnde properauimus hoc ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis per Hypatium & Demetrium beatissimos episcopos, vt nec vestram Sanctitatem lateat, quæ à quibusdam paucis monachis malè & Iudaicè secundum Nestorij perfidiã denegata sunt. Petimus ergo vestrum paternum affectum, vt vestras ad nos destinetis litteras, & ad sanctissimum episcopum huius almæ vrbis & patriarcham fratrem vestrũ: quoniam & ipse per eosdem scripsit ad vestram Sanctitatem, festinans in omnibus sequi Sedem Apostolicam beatitudinis vestræ, manifestum nobis faciatis, quòd omnes, qui prædicta rectè confitentur, suscipit vestra sanctitas: & eorum qui Iudaicè ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiã. plus enim ita & circa vos omnium amor & vestræ sedis crescet auctoritas: & quæ ad vos est vnitas sanctarum Ecclesiarũ, inturbata seruabitur: quando per vos didicerint omnes beatissimi episcopi eorum, quæ ad vos relata sunt, synceram vestræ sanctitatis doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis, & Dei nobis acquirere prouidentiã. *Item subscriptio.* Deitas te conseruet per multos annos sancte ac religiosissime pater.

EPISTOLA I. IOANNIS PAPÆ AD IVstinianum, qua laudat Catholici Imperatoris egregiam pietatem debitumque ipsius religionis, quo sedem Apostolicam, à qua requirebat Euangelicam veritatem prosequebatur. Rogat Augustum, vt quos à recto fidei Catholicæ itinere aberrare sciret, omni studio adhibito reuocaret, & inter alios ipsos legatos à Monachis Acœmetis Romam missos.

GLoriosissimo & Clementissimo filio Iustiniano Augusto, Ioannes Episcopus vrbis Romæ S. D.

Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce tamquam aliquod sydus irradiat, quòd amore fidei, quòd caritatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: Pasce oues meas. quam esse omniũ verè Ecclesiarum caput & patrum regulæ, & principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod scripturę loquuntur: Per me reges regnant, & potentes scribunt iustitiã. Nihil est enim, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in principe: nihil est, quod ita nequeat occasui subiacere, quàm vera religio. nam cum auctorem vitæ vel luminis vtraque respiciant: rectè & tenebras respuunt, & nescíut subiacere defectui. Quamobrem glorioſissime Principum, votis omnibus exorabitur diuina potentia, vt pietatem vestrã in hoc ardore fidei, in hac deuotione mentis, in hoc integræ religionis studio sine defectu sui in longiora tempora conseruet. Hoc enim & sanctis credimus ecclesijs expedire: scriptum est enim: Labijs regit rex. & iterum: Cor regis in manu Dei est, & vbi voluerit, inclinabit illud: hoc est enim, quod vestrum firmat imperiũ: hoc, quod vestra regna conseruat. Nam pax ecclesiæ, religionis vnitas, auctoré facti in sublime prouectũ grata sibi trãquillitate custodit. Neq; enim parua ei vicissitudo à potẽtia diuina tribuitur, per quẽ nullis rugis Ecclesia diuisa secernitur, nullis insertis maculis variatur. scrip-

Ex V. C. V. & habetur in Lib. C. de Sum. Trin. & fid. Cath.

Ioan. 21.

Prou. 8.

Prou. 21.

tu m

tum est enim: Quia cum rex iustus sederit supra sedem, non aduersabitur sibi quidquam malignum. Proinde serenitatis vestræ apices per Hypatium atque Demetrium sanctissimos viros fratres & coepiscopos meos, reuerentia consueta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum amore fidei, pro submouenda hæreticorum intentione, secundum Apostolicam doctrinã, fratrum & coepiscoporum nostrorum interueniente consensu, quod quia Apostolicæ doctrinæ conuenit, nostra auctoritate confirmamus.

Textus autem epistolæ talis est. Reddentes honorem Apostolicæ Sedi. *vt supra præced. epist.*

Liquet igitur Imperator glorioßissime, vt lectionis tenor & legatorum vestrorum relatio patefecit, vos Apostolicis eruditionibus studere: cum de religionis catholicæ fidei ea sapitis, ea scripsistis, ea protulistis, ea populis fidelibus publicastis, quæ (sicut diximus) & Sedis Apostolicæ doctrina, & sanctorum patrum veneranda decernit auctoritas, & nos confirmauimus in omnibus. Opportunum est ergo voce proclamare prophetica. Tibi abundet cœlum desuper; & effundant montes iucunditatem, & colles lætitia lætabuntur. Hæc igitur in tabulis cordis fideliter scribere, hæc vt pupillas oculorum conuenit obseruare: neque enim quisquam est, in quo Christi caritas seruet, qui tam rectæ, tam veræ confessionis vestræ fidei refragator existat: cum euidenter impietatem Nestorij Eutychetisque & omnium hæreticorum damnantes, vnam veram catholicam fidem Domini & Dei nostri Saluatoris Iesu Christi magisterio institutam, & propheticis Apostolicisque prædicationibus vbique diffusam, & sanctorum per totum orbem confessionibus roboratam, patrum atque doctorum sententijs adunatam, & nostræ doctrinæ consentaneam inconcusse atque inuiolabiliter deuota Deo & pia mente seruatis. Soli etenim professionibus nostris aduersantur, de quibus diuina scriptura loquitur dicens: Posuerunt mendacium spem suam, & mendacio operiri sperauerunt. & iterum, qui secundum Prophetam dicunt Domino: Recede à nobis, vias tuas scire nolumus, propter quod Salomon dicit: Per semitas propriæ culturæ errauerunt, colligunt autem manibus infructuosa. Hæc est igitur vera vestra fides, hæc certa religio, hoc beatæ recordationis (vt diximus) patres omnes, præsulesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur; hoc Sedes Apostolica prædicauit hactenus, & inconcusse custodiuit: huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum sanè à communione, alienum seipsum ab Ecclesia iudicauit esse catholica. Nos enim Cyrum cum sequacibus suis in Romana inuenimus ciuitate, qui de Cumitensi monasterio fuit: quos Apostolicis suasionibus ad rectam fidem velut oues, quæ perierant, errantes ad ouile contendimus reuocare Dominicum, vt agnoscant secundum prophetam linguę balbutientes loqui, quæ ad pacem sunt. Ad non credentes autem per nos primus Apostolorum Esaiæ Prophetæ verbum dicit: Pergite in lumine ignis vestri, & flammæ, quam accendistis, sed obduratum est cor eorum (vt scriptum est) vt non intelligerent pastoris vocem oues; quæ meæ non erant, audire minime me voluerunt. in quibus obseruantes ea, quæ ab ipsorum sunt statuta Pontifice, eos minimè in nostra communione recipimus, & ab omni Ecclesia Catholica esse iussimus alienos: nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocyus sequi habita regulari professione signauerint. Aequum quippe est, vt qui nostris minime obedientiam accommodãt statutis, ab Ecclesijs habeantur extorres. Sed quia gremium suũ num quam redeuntibus claudit Ecclesia; obsecro clementiam vestram, vt si proprio deposito errore, & praua intentione depulsa, ad vnitatem Ecclesiæ reuerti voluerint; in vestra cõmunione receptis indignationis vestræ remoueatis aculeos, & nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonetis. Deum autem & Saluatorem nostrum Iesum Christum exoramus, quatenus longæuis & pacificis vos dignetur custodire temporibus in hac vera religione & vnitate & veneratione Apostolicæ Sedis: cuius principatum vt Christianissimi & pij conseruatis in omnibus. Præterea serenissime Principum laudamus legatorum vestrorum personas Hypatij & Demetrij fratrum & coepiscoporum nostrorum, quos clementiæ vestræ gratos fore ipsa manifestauit electio. Nam tantæ causæ pondus non nisi perfectis in Christo potuisset iniungi. tantæ verò pietatis, tantæ reuerentiæ plenos affatus nisi per amantes minimè dignaremini destinare. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei patris, & communicatio sancti spiritus sit semper vobiscum, pijssime fili. Amen.

Item subscriptio. Omnipotens Deus regnum vestrum & salutem vestram perpetua protectione custodiat, glorioßissime & clementissime fili Imperator Auguste. Dat. Romæ VIII. Kalend. Aprilis. D.N. Iustin. P.P. August. IV. & Paulino V. C. Coss.

Notæ.

Epistola.] *Hanc Ioannis Papæ, & præcedentem Iustiniani Imperatoris epistolam, Hothomannus IC. lib. 1. cap. 1. Respons. amicabilium, & cum eo plures alij Nouatores leguleï hæretici germanas esse, impie & imperitè negãt. De hac enim epistola Ioannes scribens illustribus viris Ameno Senatori Liberio. &c.* Iustinianus, *inquit*, Imperator vt ex epistolæ eius tenore cognouistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signauit. Vtrum vnus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit? &c. *Quæsti leguleio Nouatori innotuissent, erubuisset credo aliter loqui vel sentire. Doctissimus Iurisconsultus Cuiacius secundã epistolam Ioannis quam infra subiungo, adeptus, ex eadem cognouit, dictas Iustiniani & Ioannis epistolas genuinas esse, vereq; germanas. secutus hac in re sententiam disertissimi Alciati, qui de his lib. 1. parergon. c. 33. hæc scribit:* Sunt & qui suspectam habent Ioannis Pontificis epistolam, quæ sub titulo de Trinitate in Iustiniani Codice sita est, dicuntque in antiquis Codicibus non inueniri: quod, vt arbitror, ideo faciunt, vt illos adiuuent, qui Pontificis Romani auctoritatem deprimunt: quo nomine alios quoq; auctores ab ijs deprauatos deprehendi, vt Othonis Frisingensis Chronica: & Ligurini Poetæ carmina quædam. Ego in antiquis plurimis eam extare scio, nec vlla suspicione conuelli posse. Quod si vnus aut alter Codex non habeat, id scriptorũ incuriæ tribuendum, qui eam quandoque omiserint, quod non multum ad legalis scientiæ materiam pertineret, nõ tamen ideo hæsitandum est, quin genuinus germanusq; Ioannis sit fœtus.

Contra Hothomannum IC. probatur, præcedentes duas Epistolas verè germanas esse.

Epistola Iustiniani ad Pontificem scripta est anno Domini 533. sub tertio Consulatu eiusdem Iustiniani, quando ab eodem Imperatore missa est Romam legatio, de qua infra in Notis Concilij Roman. Etiamsi enim hic sine die & Consule epistola Ioannis intexta reperiatur, tamen infra in quadam epistola Imperatoris ad Agapetũ expressa habetur data sub tertio Consulatu Iustiniani. Accedit, quod eiusdem epistolæ mentionem fecerit Imperator in Constitutione, quam scripsit ad Epiphanium Constantinopol. sub Consulatu suo tertio 7. Kalend. Aprilis, prædicti anni 533. Epistola autem Ioannis Papæ reddita est ad ipsum Imperatorem sub Consulatu Paulini, anno Christi 534. quando legati Iustiniani Roma dimissi fuerunt, acceptamq; ante sacram Imperatoris suæ epistolæ eo modo, quo etiamnũ extat in Codice Iustinianeo l. 7. sub titulo de summa Trinit. & fide Catholica fortasse intexuit. Vnde quam inepte Hothomannus obiectam in tempore discrepantiam prætendat, atque ex ea vtramque epistolam supposititiam esse colligat, nemo non intelligit. Quod ait præter morem & stylum Iustiniani Imperatoris esse, Romanam Ecclesiã sedem Apostolicam nominare, mendacium esse patet, ex epistolis Iustiniani, quas scripsit ad Hormisdam & Agapetum Pontifices. Nihil igitur prætendere potest impostor hæreticus, quod auctoritatem harum epistolarum diminuat atque obscuret. Professio fidei, quæ continetur in epistola Iustiniani ad Pontificem scripta, illa est, de qua auctor Pontificalis ait: misit fidem suam scriptam chirographo proprio ad sedem Apostolicam per Episcopos Hypatium & Demetrium. *Vnde falsum esse constat, quod edictum Iustiniani aduersus tria capitula tempore Vigilij Papæ conscriptum, ad Ioannẽ secundum (prout in antiquiorib. editionib. mendosa inscriptio eidem præfixa habet) transmissum fuerit. Vide quæ dixi supra in Notis ad vitam Ioannis, verbis* Misit fidem suam, &c. *Item quæ infra notabimus sub Vigilio.*

Quo tempore singulę scriptæ?

Obiectio 1. Hothomanna refellitur.

Secunda obiectio eiusdem refellitur.

Coepiscoporum nostrorum interueniente consensu.] *Hoc loco intelligis Iustinianum Imperatorem ex sententia Episcoporum cuncta de fide edicta statuisse & promulgasse, ipsumq; Romanæ Ecclesiæ Episcopum velut primarium Catholicæ Ecclesiæ Antistitem consuluisse, num omnia piè, sanctè, & orthodoxæ fidei conuenienter constituta fuissent.*

Iustinian. citra auctoritatẽ Episcoporum de fide nihil edixit.

Quod

Quod fidelibus populis proposuistis edictum.] *Intelligit illud apud Contium extans edictum, quo Eutycheten, Nestorium, eorumq; sectarios condemnat, ea intentione, vt omnem calumniandi occasionem illis adimat, ne si Nestorium condemnaret, à Nestorianis, vt plerumq; fiebat, Eutychianus vel Apollinarista nominaretur: contra vero si Eutychetem condemnaret, ab eiusdem sectatoribus Nestorianus appellaretur.*

EPISTOLA ATHALARICI REGIS AD Ioannem, continens confirmationem Senatusconsulti aduersus Simoniacos editi.

Ioanni Papæ Athalaricus Rex. Si antiquis Principibus studiũ fuit leges exquirere, vt subiecti populi delectabili tranquillitate fruerentur: multò præstantius est talia decernere, quæ possint sacris regulis cõuenire. Absint enim à nostro sæculo damnosa compendia. Illud tantum possumus verum lucrum dicere, quod constat diuina iudicia non punire. Nuper siquidem ad nos Defensor Ecclesiæ Romanæ flebili allegatione peruenit, cùm Apostolicæ sedi peteretur Antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promissionibus ingrauasse, vt (quod dictu nefas est) etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tantum religiosum est, adhibita pietate, resecari. Atq; ideo sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione cognoscat, quod etiam ad vniuersos Patriarchas atque metropolitanas Ecclesias volumus pertinere, vt à tempore sanctissimi Papæ Bonifacij, cum de talibus prohibendis suffragijs Patres conscripti Senatusconsultum nobilitatis suæ memores condiderunt.

Senatus consultũ aduersus Simoniacos.

Quicunque in Episcopatu obtinendo siue per se siue per aliam quãcunque personam aliquid promisisse declaratur, vt execrabilis contractus cunctis viribus eixueretur*. Si quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem: verùm etiam si aut repetendũ, aut quod acceptum est, non reddendum esse crediderit, sacrilegij reus protinus habeatur, accepta restituens compulsione iudicis competentis.

*efferretur, efficeretur.

Iustissimæ quidem leges vt bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem: propterea quicquid in illo Senatus decretum est consulto, præcipimus in eos modis omnib. custodiri, qui se quoquo modo per interpositas quascunq; personas scelestis contractibus miscuerunt.

Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta quæ nimia sunt: cum de Apostolici consecratione Pontificis intentio fortasse præuenerit* & ad Palatium nostrũ producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia solidorum cum collectione chartarum censemus accipere; à quibus tamen omnes inidoneos* rei ipsius cõsideratione remouemus: quia de Ecclesiastico munere pauperibus est potius consulendum. Alios verò Patriarchas quãdo in Comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus atque personis intra duo millia solidorum iubemus expendere: in ciuitatibus autem suis tenuissimæ plebi non amplius quam quingentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes & edicti præsentis & Senatusconsulti nuper habiti pœna constringat, & dantes canonum seueritas persequatur.

*peruenerit.

*idoneos.

Vos autem, qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesijs, quoniam constitutio nostra ab illicita promissione liberauit: restat, vt bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos maiestate Pontifices offeratis. Iniquum est enim, vt locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis diuina consideratione præclusimus. Quapropter parentes nobis* seruientium quascunque personas aliqua suffragij crediderit ambitione promouendum & ipsum reddere accepta definimus: & quod est canonibus statutum, eũ modis omnibus esse passurum. Si quis verò quæ dederit aut promiserit, eodem superstite, timuerit publicare, ab hæredibus vel pro hæredibus eius Ecclesia repetat, cuius suffragio Antistes deprehenditur ordinatus: nota infamiæ nihilominus superstites inurente, reliquos quoque ordines sub eadem fieri distinctione præcipimus.

*nos.

Quòd si forsitan dolosæ machinationis inuento, sacramẽtis persona intercedentibus fuerit obligata, vt saluo statu animæ commissam iniquitatem neque approbare possit, neque audeat accusare: damus licentiam quibuslibet honestis personis in singulis quibusq; ciuitatibus apud iudices competentes hoc crimẽ deferre; & quicquid ex ea potuerit probatione recolligi, vt ad probationem* insequentes animemus, tertiam partem iudicatæ rei ille percipiat, qui tale facinus voluerit publicare: reliqua verò ipsis ecclesijs proficiant quæ videtur extorta, aut in fabrica earũ, aut in ministerio nihilominus profutura. Decet enim ad vsus bono conuertere, quę voluit peruersitas inimica fraudare. Quiescat igitur malignantium praua cupiditas. Quo tendunt, qui à fonte præcluſi sunt? Recolatur & timeatur Simonis iusta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem.

*approbationem.

Orate igitur pro nobis, edicta nostra custodientes; quia diuinis noscitur conuenire mysterijs. Sed quo facilius Principis votum vniuersorum mentibus innotescat: hoc Senatui, hoc populis per Præfectum Vrbis præcipimus intimari, vt generalitas agnoscat, nos illos prosequi, qui maiestati diuinæ potiùs viderentur aduersi. Vos quoque hoc vniuersis, quos Deo propitio regitis, Episcopis intimate: neque sit alienus à culpa, qui potuit cognoscere constituta.

EPISTOLA CASSIODORI AD IOANnem Papam, qua cum à Rege præfectus prætorij constitutus esset, pro bono regimine preces Pontificis ad Deum implorat.

SVpplicandum vobis est, beatissime Pater, vt lætitiã, quam per vos, Deo largiente, percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet, prosperitatẽ nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui à Domino diligi non meremur, & permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus? Ecclesiasticis siquidem ieiunijs fames est exclusa popularis, decoris lacrymis tristitia fœda discessit; & per sanctos viros accelleratum est, ne traheretur diutiùs quod grauabat. Et ideò salutãs officiositate qua dignum est, precor vt viuacius oretis pro salute regnantium: quatenus eorum vitam cœlestis Princeps faciat esse longæuam, Romanæ Reipublicæ hostes imminuat, tempora tranquilla concedat: deinde quod ornat pacem, necessariam nobis copiam de abundantiæ suę horreis largiatur: mihiq́ue filio vestro intelligentiæ sensus aperiat; vt quæ verè sunt vtilia sequar; quæ vitanda, refugiam: vigor illerationabilis animæ nobis consilium præstet; facies veritatis albescat, ne mentem nostram innubilet caligo corporea: sequamur quod intùs est, ne foris à nobis simus: instruat quod de vera sapientia sapit: illuminet quod cœlesti claritate resplendet; talem denique iudicem excipiat publicus actus, qualem filiũ Catholica mittit Ecclesia: in suis nos etiam muneribus virtus sancta custodiat: quia grauiores insidias antiqui aduersarij tunc subimus, quando eius dona suscipimus.

Nolite in me tantum reijcere ciuitatis illius curam, quæ potius vestra laude secura est. Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis: vos Patris nomine vniuersa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui diuinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed non omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem: tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere; nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est vtraque resouere. Primùm penuriam quidem temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis, amouere. Si quid tamen (quod absit) acciderit, tunc benè necessitas excluditur, quando contra eã sub vbertate tractatur.

Monete me quæ sunt gerenda solicitè: benè agere vel correptus exopto: quia difficilius errat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris; nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus. Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester nó desinã esse discipulus; nam tunc ista rectè gerimus, siã vestris regulis minimè discedamus. Sed cum me à vobis desiderem & moneri consilijs, & orationibus adiuuari: iam vobis est applicandum, si in me fuerit aliter quàm optabatur inuentum. Sedes illa toto Orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ

res, quæ licèt generalis mundo sit præstita, nobis*etiam cognoscitur & localiter attributa.

Tenemus aliquid sanctorum Apostolorum proprium si peccatis diuidentibus non reddatur alienum; quando Confessiones illas quas videre vniuersitas appetit, Roma feliciter in suis finibus habere promeruit. Nihil ergo timemus, talibus patronis, si oratio non desistat Antistitis. Arduum quidem est multorum desideriis satisfacere: sed nouit Diuinitas magna præstare: ipsa retundat inuidos: ipsa nobis faciat ciues cœlesti aspiratione gratissimos, & supplicationibus vestris tempora tribuat, quibus superna gratia prædicetur indulta.

EPISTOLA III. IOANNIS PAPAE II. ad Senatores, qua fidem de Christi diuinitate & incarnatione confirmat: Acœmetas monachos Nestorij sectatores vitandos esse monet.

Ioannes Episcopus Romanus, Illustribus, ac magnificis viris Auiono Senatori, Liberio Seuerino, Fideli Auito, Opilioni, Ioanni Siluerio, Clementino, & Amphelio.

Olim quidem, Illustres & magnifici filij, ad hoc sententiæ meæ summa constiterat, vt ante iussionem vestram, postquam epistolæ vel dogmatis tenorem cuncta Ecclesia, hoc est sacerdotum senatus & populi probauit adsensus, sub paginali alloquio vestris etiam sensibus intimanda dlgererem, sed consilij ordinem illa res vertit, quia & dogmati per dies singulos diuinæ scripturæ subduntur, & imperfecta destinarinon poterant, & ea, quæ per legatos directa sunt, prius non poterant in exemplaribus scripta transmitti. Nouimus etenim quod Domino docente præceptum est, quòd pastor diligens gregem salubria vltrò non desistat ingerere? quia res, quæ ad salutem animæ pertinet, omnibus necesse est sensibus intimari. Proinde Illustres & magnifici filij, quia festinatio non protulit portitores, vt ea scribi & dirigi potuissent; incontinenti tamen, si dictus diuinus fauor adriserit, tam epistolæ, quàm dogmatis exemplaria destinabimus. Nunc tamen, ne quid de vestris sensibus relinquatur ambiguum, quid epistolæ tenor habeat, quid textus dogmatis contineat, breuiter insinuare curaui. Iustinianus siquidem Imperator filius noster, vt eius epistolæ tenore cognouistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signauit, vtrum vnus ex Trinitate Christus & Deus noster dici possit: hoc est, vna de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona. An Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate. An propriè & veraciter mater Domini DEI nostri Christi Maria semper Virgo debeat appellari. Probauimus in his catholicam Imperatoris fidem, & ita esse propheticis & Apostolicis vel patrum exemplis euidenter ostendimus: vnum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est, vnam de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam siue subsistentiam, quam Græci ὑπόστασιν dicunt in his exemplis euidenter ostendimus.

In libro Geneſi per Mosen Trinitas ipsa sic dicit: Ecce Adam factus est tamquam vnus ex nobis. Et item vas electionis Paulus ad Corinthios, ita euidenter expressit. Vnus DEVS pater, ex quo omnia, & nos in ipso, & vnus Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.

Et in Symbolo Synodi Nicænę: Credimus in vnũ Deum patrem omnipotentem, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum.

Item Sanctus Augustinus, cuius doctrinam secundum præcessorum meorum statuta, Romana sequitur & seruat Ecclesia, in libro vndecimo de ciuitate Dei, sic dicit: Credimus & tenemus, & fideliter prædicamus, quòd pater genuerit verbum, hoc est sapientiam, per quam facta sunt omnia, vnus vnum, æternus coæternum: summus bonus, æqualiter bonum. Et quòd Spiritus sanctus simul & Patris & Filij sit Spiritus, & ipse consubstantialis, & coæternus ambobus, atque hoc totum Trinitas sit propter proprietatem personarum, & vnus Deus propter inseparabilem vnitatem, sicut vnus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam: ita tamen, vt etiam cum de singulis quæritur, vnusquisq; eorum & Deus omnipotens esse respondeatur.

Eiusdem in libro secundo contra Maximinum. Et pater Deus est, & filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est, & hi simul tres vnus Deus est, nec huius Trinitatis tertia pars est vnus, nec maior pars duo quàm vnus est.

In libro sancti Augustini decimo quinto de Trinitate, ratione etiam reddita intelligentibus parum est, in substantia veritatis, non solum patrem filio non esse maiorem, sed ambo simul aliquid esse maius, quàm Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate maius esse aliquid, quàm vnum; aut omnes simul tres maius aliquid esse, quàm singulos.

Gregorius Nazianzenus ex sermone de Epiphania: Deũ cum omnino vno lumine illustramur, simul & tribus; tribus quidem secundum vniuscuiusque proprietates, siue substantias, sicut placet aliquibus dicere, siue personas: nihil enim pro vocabulorum diuersitate dissidendum est, cum ad eundem sensum nominum diuersitas prouocet, & intellectum. Vnum autem secundum substantiam vel deitatis ratione. diuiditur ergo, vt ita dicam, indiuisibiliter, coniungitur diuisibiliter, vna est in tribus deitas.

Item ex epistola Gregorij Nysseni ad Ablamium: Aestimet hæc opera vtrum vni assignentur personæ eorum, quàm in sancta Trinitate creduntur, an per tres eat virtutis effectus. Ioan. 14. Zach. 12. Act. 3.

Item ex epistola Procli ad Occidentales. Super hæc etiã confitemur vnum ex Trinitate increata, atque ineffabili Deum verbum factum hominem.

Eiusdem: Quid enim nos sapimus atque sentimus, quia in ipsa diuina natura, qua coniunctus & vnitus est filius patri, sanctoque spiritui, non dicimus eum deitate passum fuisse, sed carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis. Vnus igitur ex Trinitate crucifixus est carne, qua factus est; non tamen deitate, qua vnitus est patri & Spiritui sancto perpessus est, ne & illos crucifixos pariter asseramus.

Hæc igitur ex plurimis pauca digessimus.

Deum verò carne passum hic nihilominus roboremus exemplis.

Ex libro Exodi per Moysen Dominus locutus est: Et videbitis vitam vestram in ligno pendentem. Deum autem esse vitam Dominus noster in Euangelio Ioannis prædicat dicens: Ego sum via, veritas, & vita.

Item propheta dicit: Si affigit homo Deum suum, quia vos affixistis me.

Princeps quoque Apostolorum Beatus Petrus in actibus ita dicit, dum impietates Iudæorum argueret: Vos autem virum homicidam petistis dimitti vobis, auctorem verò vitæ peremistis.

Item vas electionis & Doctor Gentium sic prædicat: Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Dominus autem gloriæ est Deus: hic Psalmographus ante prædixit: Quis est iste Rex gloriæ? 1. Cor. 2. Psal. 23.

Item in actibus Apostolorum: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit episcopos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisiuit sanguine suo. Act. 20.

Cyprianus episcopus & martyr in epistola de patientia: Iudicatur iudicaturus, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur.

Gregorius Nazianzenus: Et indiguimus Deo incarnato & mortificato, vt nos viuamus.

Ex libro S. Augustini de caritate. Ille enim qui venit per crucis irrisiones carnis perimere corruptionem, & vetustatem vinculi mortis nostræ, suæ mortis nouitate dissoluere, mandato nouo fecit hominem nouum: res enim vetus erat, vt homo moreretur, quod ne semper valeret in homine, res noua facta est, vt Deus moreretur; sed quia in carne mortuus est, non in diuinitate.

Cyrillus capitulo XII. Si quis non confitetur verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita & viuificans est & Deus, anathema sit.

In epistola Leonis ad Iuuenalem. Veram igitur genera-

tionem crux vera confirmat ; quoniam ipse in carne nostra nascitur, qui in nostra carne crucifigitur.

Eiusdem ex epistola ad Flauianum. Impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis mortis legibus subiacere. Ex hac quoque parte plura ex dogmatis lectionum poteritis agnoscere.

Gloriosam verò sanctam semper Virginem Mariam & propriè veraciter Dei genitricē, matremq; Dei verbi ex ea incarnati ab hominib. catholicis confiteri rectè esse docemus propriè & veraciter, & idem ipse vltimis temporibus incarnatus, ex sancta & gloriosa Virgine matre nasci dignatus est.

Propterea ergo, quia propriè & veraciter Dei filius ex ea incarnatus est ; ideo propriè & veraciter matrem Dei ex ea incarnati & nati esse confitemur, Et ne Dominus IESVS per honorificentiam vel gratiam Dei nomen accepisse credatur, sicut Nestorius sentit insulsus. Veraciter autem ideo ne phantasma, aut aliquo modo non veram sumpsisse carnem credatur ex Virgine, sicut asseruit impius Eutyches. Cui rei probamenta ex patrum traditionibus consequenter sanctus Augustinus in libro primo prædestinationis: Prædestinatus est ergo IESVS, vt futurus secundum carnem filius Dauid esset, in virtute autem filius Dei simul & filius hominis propter susceptum hominem, & filius DEI propter suscipientem vnigenitum Domini propriè & veraciter dicitur.

Leporius in epistola, quam Aurelius episcopus Carthaginensis, & beatus Augustinus & Synodus Africana firmauit.

Nascitur ergo nobis propriè de Spiritu sancto & Maria semper Virgine Deus homo Iesus filius Dei.

Gelasius ex libro aduersus Nestorium & Eutychem.

Matth.1. Propterea quod ex te nascitur sanctum, vocabitur filius Dei, ex te nascitur, ait, vt proprietatem de matre sumendam nostræ conditionis exprimeret. His igitur euidenter ostensum est, Illustres & magnifici filij, quid sperauerit Imperator, quid Romana sequatur & colat Ecclesia. Atque igitur Christum Dominum nostrum vnum esse, vt sæpe diximus, sanctæ Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum, hoc est in deitate, & humanitate perfectum, non antea existente carne, & postea vnita verbo, sed in ipso Deo verbo initium vt esset accipiēs: inde enim uerò ex materno corpore caro sumpsit initium, salua proprietate vel veritate vtriusque naturæ, hoc est diuinitatis atque humanitatis, Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum catholici confitemur, omni posthac commutationis confusione submota. Neque enim naturas in eo aliter agnoscimus, nisi differentiam intelligentes & confitentes diuinitatis atque humanitatis. Sed nec duas personas in Christo intelligimus per id quod dicimus duas naturas, vt adunationis diuisionem facere videamur: & sit, quod absit, quaternitas non trinitas, sicut Nestorius sentit insanus. Nec confundimus easdem vnitas naturas, cum vnam personam Christi confitemur, vt Eutyches impius credit. Tomum vero Papæ Leonis, omnesque epistolas, necnon & quattuor Synodos Nicænam & Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, sicut Romana hactenus suscepit & veneratur Ecclesia, sequimur, amplectimur, atque seruamus. Hoc est enim nostræ fidei firmamentum, hæc fidei nostræ petra firmissima. Hæc autem illustris & magni filij agens gratias solicitudini vestræ pauca intimare curauimus : plenius tamen directis exemplaribus poteritis agnoscere. Aquimitos verò, qui se monachos dicunt, qui Nestoriani euidenter apparuerunt, Romana etiam eos damnat Ecclesia, à quibus vos propter canonem, qui cum excommunicatis Christianum nec loqui, nec communicare permittit, diligentia pastorali admonere non desino, vt eorum etiam simplicem collocutionem viteris, nihilque vobis cum eis æstimetis esse commune. Quod ideo facio, ne reus silentij inueniar, si hæc ad vestram minimè Christianissimi filij notitiam pertulissem. Incolumem magnitudinem vestram Deus noster custodiat Domini filij meritò illustres, atque magnifici.

EPISTOLA III. IOANNIS PAPÆ II. ad vniuersos Episcopos Gallios.

Ex Col. Arelatens.

Contumeliosum Galliæ Episcopum Episcopatu priuatum in monasterium redegit ad pœnitentiam: Ecclesiam eius S. Cæsario Arelatensi Episcopo commendauit.

Dilectissimis vniuersis Episcopis per Gallias constitutis Ioannes.

Innotuit nobis à fraternitate vestra missa relatio in qua Contumeliosus multis legitur criminibus inuolutus. Et quia huiusmodi persona sacris non potest inhærere mysterijs, ab hodierno vel officio eum nostra censet remoueri auctoritas: vt in monasterio constitutis delicti veniam à Domino petere non omittat. Nihil est enim impossibile eius clementię, qui potest cuncta relaxare quæ facta sunt. Sed ne eius Ecclesia destituta videatur, in eius loco Visitatorem dari, præsenti auctoritate decernimus, qui à se ita nouerit omnia exhibenda, vt nihil de ordinibus clericorum, nihil de Ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacrosancta mysteria pertinent exequatur. Prædictum autem Contumeliosum, Vbi habeat pœnitendi licentiam, petitorium dare vobis censemus, vbi errorem suum euidenter allegans sub die profiteatur ei & culpam. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Dat. VII. Idus April. Felin. Paulino Iun. V. C. Conss.

EPISTOLA IOANNIS IV. AD Presbyteros & Diaconos Contumelioſi Episcopi, eiusdem argumenti.

Ex Col. Arelat.

Ioannes presbyteris, diaconibus, & cuncto clero Ecclesiæ, in qua fuit Contumeliosus Episcopus.

Peruenit ad nos à fratribus & Coepiscopis nostris missa relatio, vbi Contumeliosus de criminibus suis confessus legitur atque conuictus. Et quia huiusmodi sceleribus implicatus sacerdotij non potest ministeria iam tractare, necessaria vobis solatia credimus Visitatorio adiungere: & ideo in Ecclesia eius Visitatorem dari nostra decreuit auctoritas, vt Ecclesia suo priuata Præsule summi nequeat Pontificis solatijs indigere: cui vos in omnibus parere decreuimus ad ea tantummodò quæ sacris sunt gerenda mysterijs, ita tamen, vt nihil de Ecclesiastica facultate præsumat; sed clerus in eo quo nūc est ordine constitutus nullis gradibus promoueatur, donec proprium sacerdotem possit habere. Omnem verò hanc solicitudinē Cæsario fratri & Coepiscopo nostro iniungimus, ad cuius curam cuncta quæ necesse sint pertinere censuimus. Dominus vos incolumes custodiat, dilectissimi filij. Dat. VII. Id. April. Paulino Iun. V. C. Conss.

EPISTOLA AFRICANOR. EPISCOP. ad Ioannem data, ab Agapeto accepta, qua Pontificem de dubijs quibusdam consulunt.

De Reparato Diac. cop. 1. de bello Vandal. cum Encm. ex V. C. Vat.

Domino Beatissimo, & honorabili sancto fratri, & consacerdoti Ioanni, Reparatus Florentinianus, Datianus, & ceteri 217. Episcopi, qui in vniuersis concilijs apud Iustinianam Carthaginem fuimus.

Optimam consuetudinem præteriti temporis, quā violenta captiuitas per annos centum dolentibus cunctis abstulerat, iterum seruare cupientes, ad vniuersalem totius Africæ synodum fideli deuotione conuenimus, in illa Iustinianæ Charthaginēsis Basilica congregationis nostræ primitias Domino consecrantes, vnde nostros Patres tyrannus Hunericus expulerat. Hæc basilica Fausti apud nos dicitur, multis martyrum corporibus insignita, quorum Deos exaudiuit orationes, vt daret huius rei fiduciam sacerdotibus. Ibi igitur

quan

quantum singuli lacrymantibus gaudijs flere potuerint, cogitandum potius beatitudini vestræ dimittimus. In omnibus enim lætitiæ spiritualis vnus fuit affectus, agere gratias omnipotenti Deo, cuius gratia peccatoribus sine meritis operum datur, & antidotum fidei salutaris nuper reconciliatis hæreticis obtinetur. Definitionibus autem Nicæni concilij publica lectione transcursis, inter alia de quibus nanciscendi debuit, disputatione requiri, iam cœperat quomodo Arianorum sacerdotes ad catholicam fidem suscipi oporteat, vtrum ne in suis honoribus, an in laica communione, sic omnibus nobis vnanimiter subitò placuit scisciari primitus beatitudinis vestræ sententiam. potest enim Sedes Apostolica, quantum speramus, tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus, vt in suis honoribus Ariani suscipiantur. Verumtamen conuenire caritati credidimus, vt quid habeat sensus noster in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consuetudo nobis, vel diffinitio Romanæ Ecclesię proderetur. Hac igitur nostræ salutationis epistola per fratres & consacerdotes nostros Caium & Petrum, & per filium nostrum Liberatum diaconum continuò destinauimus, & auctoritatem vestræ beatitudinis, & gratiam debitis obsequijs honorantes: talis quippe es, qualem sancta sedes Petri merebatur habere Pontificem, dignus veneratione, plenus dilectione, loquens veritatem sine mendacio, nihil faciens arroganter. Vnde etiam libera caritas vniuersæ fraternitatis requirendum putauit consilium tuum. Respondeat obsecro mens illa sancto Spiritu seruiens affabiliter & veraciter. Non solum enim de sacerdotibus, sed de ipsis quoque paruulis apud eos baptizatis, vtrum soleant, vel debeant, ad clericatum si petierint applicari, consulimus. Multis enim facere istas frequenter petitiones concedimus, nec negamus; donec habito vobiscum diligentiore tractatu, legatio nostra reuertatur. Illud etiã beatitudini tuæ credimus intimandum, fratres aliquantos ex nostro collegio, relictis sine causa plebibus suis, ad transmarinas nauigare sæpius regiones. Hos diutius Ecclesia tolerauit, accusantes eos violentia temporis mali. Petimus nunc vt quicunque forsitan episcopus, aut presbyter siue diaconus, aut cuiuslibet inferioris ordinis clericus sine nostra epistola venerit, & non approbauerit se pro vtilitate sanctarum Ecclesiarum fuisse directum, similis hæretico iudicetur: neque vestra communione dignus existat, vt in omnibus & per omnia beatitudinis vestræ disciplina laudetur. *Et alia manu.* Vegetem te nostrique memorem præstet omnipotens DEVS, Domine frater.

Accepta anno Domini 533. post obitũ Ioannis.

CONCILIVM ROMANVM SVB IOAN. PAP. II.

QVO CONTRA ACOEMETAS DEFINITum est, Catholice & pie dici posse, vnum de Trinitate passum esse in carne; quoue etiam declaratum est, quo sensu Hormisda Pontifex eam sententiam reiecerit.

NOTAE.

Concilium.] *Tempore Hormisdæ Papæ, vt constat supra ex Epistolis eiusdem Hormisdæ Pontificis, earumq; Notis, oborta est quæstio inter pseudomonachos Scythiæ, Eutychianæ hæreseos sectatores occultos, atque Victorem diaconum, professorem Synodi Chalcedonensis: sitne addendum ad Chalcedonense Concilium: Vnum de Trinitate esse crucifixum Christum: illi asserebant: Victor negabat. Facta submissione, declarauit legati sedis Apostolicæ, vt quis demonstretur Catholicus, satis esse absq; vlla verborum additione Chalcedonense Concilium profiteri. Monachi repulsam passi, à sententia legatorum ad Pontificem appellarunt; vbi cum libellum appellationis aduersus Victorem, velut Nestorianum, & legatos tanquam Nestorij fautores interposuissent, iussiq; ad reditum legatorum manere, fugissent; eadem sententia Pontificis Hormisdæ sunt condemnati: vt paret ex relatione Dioscori, & epist. Hormisdæ ad Possessorem Iustinianum. His ita decisis inferebant Nestoriani, eorumq; defensores ac sectarij Acœmetæ Monachi: si non est passus vnus de Trinitate in carne; Ergo neque natus est idem in carne, ergo neque verè dici potest, aiebant, Mariam verè & proprie esse Dei genitricem. His accedebant Origenistæ negantes Christum vnum de Trinitate fuisse. Resistebant hæreticis cum Imperatore Epiphanius Constantinopolitanus, cæteriq; orthodoxi Episcopi, asserentes piè sancteq; dici, vnum de Trinitate esse passum in carne: impiè vero negari sanctissimam Virginem Mariam verè propriéq; matrem Dei appellandam esse. Acœmetæ cum ab Imperatore instinctu Epiphanij magnopere vrgerentur, ad Ioannem Romanum Pontificem legatos miserunt; rogantes ne sententiam illam vicissim reciperet, quam Hormisda semel explosisset. Quod cum Epiphanius & Imperator audiuissent, ad eundem Ioannem Romanum Pontificem Hypatium Ephesiorum, & Demetrium Cæsariensem Episcopos legatos cum epistolis supra recitatis & excusis miserunt. Exceptis vtrinque legatis, lectisq; quas secum attulerant epistolis, cognitum est, rem grauem atque difficilem proponi, quæ diuturniorem inquisitionem, & indaginem requirebat. Post factam diligentem quæstionis indaginem, post q; Ferrandi aliorumq; transmarinorum sententias exploratas, habito Romæ desuper Concilio, vnanimi Patrum consensu Acœmetarum sententia recitata est & confutata: ipsius vero Iustiniani scripta fidei professio approbata fuit. Quibus peractis Pontifex illam epistolam ad Iustinianum rescripsit, de qua supra quadam huc spectantia annotauimus. Ita mutatis hostibus, arma mutari necessum fuit. Cum pseudomonachi Eutychiani hac sententia, dolose Chalcedonensi Concilio, quasi imperfectum esset & additamento indigeret, auctoritatem; Christo autem Domino diuinitatem adimere conarentur, necessarium fuit, vt Hormisda Pontifex sententiam insolitam de fraude suspectam, & ab hæreticis primum nouiter inuentam & vsurpatam reijceret: quantumuis ipsa remota velut Catholica recipienda fuisset. Quando autem Nestoriani & Origenistæ auctoritate Pontificis Hormisdæ abuterentur: requirebat Ecclesiæ vtilitas atque necessitas, vt declararet Pontifex Ioannes, quo sensu Hormisda Pontifex allegatam sententiam reiecisset, quoue admisisset; scilicet, quod eam non tanquam hæreticam; sed tantum velut nouam atque de fraudibus Eutychianorũ suspectam proscripserit & reiecerit: quæ alioquin si dolus ab Eutychianis abfuisset, omnino recipi potuisset. Vide Baron. anno Domini 519. 533. & 534.*

Quo occasione hæresis fuerit damnata in hoc Concilium.

Acta Concilij.

Declaratur sententia Hormisdæ.

COLLATIO CATHOLICORVM cum Seuerianis habita Constantinopoli anno Domini 532. tempore Iustiniani Imperatoris.

DOmino amabili Themati presbytero Innocẽtius Episcopus Maroniæ ciuitatis in Domino salutem.

Scripsit mihi tua Deo amabilis caritas, eò quòd susceptis humilitatis nostræ litteris vna cum exemplaribus pijssimi atque amatoris DEI Principis nostri, & sanctissimi Archiepiscopi litterarum præcipientium me ad regiam pergere ciuitatem, in grandi solicitudine deuenerit, nescienti occasionem euocationis nostræ. Propterea significo, venerande frater, eò quòd propter Orientales Episcopos, qui cum Seuero à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia separati sunt, euocati sumus. Scriptum est autem de hac eadem re, primori quidem loco domino meo reuerendissimo ac Domino amabili Hypatio Ephesinæ ciuitatis Archiepiscopo, atque idem domino meo Ioanni* Vesinæ ciuitatis Episcopo, & meæ, sicut dictum est, humilitati. Dominus enim meus vir venerabilis Episcopus Stephanus Seleucien sium ciuitatis, & idem dominus meus Anthimus Trapezuntinæ ciuitatis Episcopus, qui nobiscum vna in Collatione fuerunt iam præcessissent in regiam ciuitatem cum Domino meo Demetrio Philippinæ ciuitatis Episcopo, etsi ipse propter corporalem ægritudinem præsens esse non potuit.

Ante Collationem igitur euocauit sanctissimum Archiepiscopum tranquillissimus Imperator in venerabili palatio suo, quod cognominatur Horn. isdę, relictoque sacratissimo senatu, cùm eo parumper secedens, conuocauit & nos, & cœpit nobis dicere: Eò quòd pro his qui cum Seuero Episcopo ab Ecclesia desciuerunt, conuocaui vos, vt de his quibus ambigunt, conferatis cum eis cum omni mansuetudine & patien-

tia, sicut decet Orthodoxos & sanctos viros. Etsi enim illi exasperati fuerint, vos tamquam Dei amatores cum omni mansuetudine & tranquillitate ei satisfacite. Nolo autem sub mei præsentia fieri Collationem, ne in contemptum veniant; sed præcipio glorioſiſſimo Patricio Strategio (ille enim eo tempore locum tuebatur glorioſi Magiſtri Officij) vt vobiſcum vna reſideat.

Prima itaque die conuenimus in eodem Heptaconco triclinio, in quo & tunc pietas eius nos ſuſceperat, & nos quidem eramus quinque, illi verò ſex: Sergius ciuitatis Cyri, Thomas ciuitatis Germaniciæ, Philoxenus Dulichij, & Petrus de Theodoſiopoli, Ioannes Conſtantinæ, Nonnus *Ceresinæ, & reliqui tam clerici quam monachi. nobiſcum verò dominus vir venerabilis Euſebius presbyter & Cimiliarcha ſanctiſſimæ maioris Eccleſiæ, & viri reuerendiſſimi presbyteri & Syncelli beati Archiepiſcopi Epiphanij, Heraclianus atque Laurentius, ſed & Antiochenæ ſiue Theopoleos ciuitatis venerabiles presbyteri & œconomi atque Apocryſarij Hermiſigenes Magnus, & Aquilinus vna cum Leontio viro venerabili monacho & Apocryſario Patrum in ſancta ciuitate conſtitutorum: Et vt ex pluribus quæ illic dicta ſunt, breuiter referam, quaſi capitulatim: Si enim omnia voluero ſcribere, tempus me ante deficiet.

*Ceraſinę

Sedentibus ergo nobis, cœpit præfatus glorioſiſſimus Patricius Strategius, qui nunc Comes diuinarum vbique largitionum eſt, ad Orientales ita dicere. Pijſſimus atque tranquilliſſimus noſter dominus tamquam Orthodoxus, & rectam Fidem quotidie augere deſiderans, conuocauit veſtram religionem, non ex auctoritate principali, ſed paterna & ſacerdotali compunctione; quod de his quibus ambigitis, à præſentibus ſanctiſſimis Epiſcopis ſatisfiat vobis, qui propter hoc ab eius pietate ſunt euocati. Scitis autem & vos quoniam glorioſæ memoriæ pater meus Appius ex Aegyptiorum oriundus prouincia, & tam veſtras quam Alexandrinorum ſecutus ſectas dubitabat communicare ſanctæ maiori Eccleſiæ in hac ciuitate conſtitutæ, ſed pijſſimi atque fideliſſimi Imperatores ratione ei perſuaſerunt, eò quòd non aliud ſymbolum, vel aliam fidem tradiderint nobis hi qui in Chalcedone congregati ſunt reuerendiſſimi Epiſcopi, niſi eandem quæ in Nicæa, & in Conſtantinopoli & Epheſo confirmata eſt. Ipſi quoque fidem decreuerunt, & Neſtorium & Eutychem, qui nouas hæreſes inducebant, condemnarunt: Qua ratione perſuaſus communicauit ſanctæ Eccleſiæ. Et vos igitur non contentioſa mẽte, ſicut decet venerabiles viros, quæcunque vobis dubia videntur, opponite coram religione eorum, & Dominus per ipſos ſatisfaciet vobis.

Orientales dixerunt: Nos ſatisfactionis chartulam de fide noſtra compoſitam pijſſimo Imperatori porreximus, & in ea omnia quæ nobis ambigua videbantur, & ſcandalizabant nos, intexuimus. Reuerendiſſimus Archiepiſcopus Hypatius os noſtrum factus, ſicut & beatus Petrus Apoſtolorum princeps reſpondit, dicens; Chartulam illam peruidimus, in qua tam ſupra quam infra Chalcedonenſe Concilium criminamini, quod aduerſus Eutychianam eſt hæreſim congregatum: Propter quod, dicite nobis, qualem opinionem de Eutyche habetis? Orientales dixerunt, tamquam hæreticus, magis autem princeps hæreſis. Reuerendiſſimus Epiſcopus dixit: De Dioſcoro vero, & ſecundo in Epheſo Concilio; quod ab ipſo congregatum eſt, qualem? Orientales: Tanquam Orthodoxorum. Epiſcopus dixit: Si Eutychen velut hæreticum condemnatis, quemadmodum Dioſcorum & cum eo congregatos, Orthodoxos dicitis eſſe, qui Eutychen quidem hæreticum iuſtificarunt, Flauianum verò & Euſebium condemnarunt. Orientales: Eutychen tamquam acta forſitan pœnitentia, iuſtificarunt. Epiſcopus: Si ergo pœnituit Eutyches, quemadmodum illum anathematizatis? Illis verò ad hanc reſponſionem hæſitantibus, rurſus Epiſcopus: In tantum non pœnituit, quin & antequam implerentur, quæ in Conſtantinopolitana vrbe aduerſus eum geſta ſunt, illum quidem tamquam Orthodoxum iuſtificarunt, Flauianum verò & Euſebium velut hæreticos condemnarunt. Si enim pœnituit Eutyches, rogari oportuit eos, non condemnari. Vt autem dicamus ſecundùm vos, confeſſionem duarum naturarum eſſe hæreticam: quam exigebat Eutyches confiteri ab Euſebio & Flauiano, docebat Dioſcorus laudare eum tamquam non ſuſceptam duarum naturarum confeſſionem. Vt autem conſubſtantialem Patri ſecundùm diuinitatem, & conſubſtantialem matri ſecundùm humanitatem, dicere oportuit: cum omni ſubtilitate exigere eum, vt confiteretur: & niſi hoc fuiſſet confeſſus, ſuſcipi non oportuit: Dioſcorus verò non ſolùm quia non exegit ab eo conſubſtantialis confeſſionem, ſed magis conſenſit contrariæ eius & peruerſæ confeſſioni, quæ dicit: Ante vnitionem quidem ex duabus naturis confiteor: poſt vnitionem verò vnam naturam. Et compulit omnes qui cum eo erant vociferari: Eutychen quidem Orthodoxum eſſe, Flauianum verò & Euſebium impios & hæreticos. Quid ergo vobis de iſtis apparet?

Contradicentes dixerunt: Reuera oportuit exigi Eutychen à Dioſcoro conſubſtantialis confeſſionem: Si autem ſine iſta ſuſcepit eum & iuſtificauit, cæcitatem paſſus eſt idem Epiſcopus. Si ergo illum cæcitatem paſſum eſſe fatemini, ea quæ ſuperius dicta ſunt repetamus. Orthodoxum aut hæreticum Eutychen dicitis fuiſſe? Contradicentes dixerunt, hæreticum: & Epiſcopus: iuſtè ergo ab Euſebio accuſatur; condecenter verò à Flauiano damnatus eſt. Contradicentes dixerunt: iuſtè. Et Epiſcopus: Si ergò iuſtè à Flauiano condemnatus eſt. Iniuſtè & irrationabiliter ſuſcepit eum Dioſcorus & cum eo congregatum Concilium, an non? Contradicentes: Procul dubiò apparet, quod iniuſtè. Epiſcopus: Quoniam ergo totum illud vniuerſale Concilium, quod cum Dioſcoro congregatum eſt, conſenſit, ſicut vos ipſi fatemini, iniuſtitiæ & cæcitati: Oportebat vniuerſalis illius Concilij iniuſtitias & cæcitates ab altero vniuerſali emendari Concilio, an non? Contradicentes dixerunt: Modis omnibus ita fieri oportebat. Epiſcopus dixit: Chalcedona itaque iuſtè congregatum Concilium eſt: vt ea quæ vniuerſale Concilium deliquerat, vel, ſicut vos dicitis, minùs viderat, ab vniuerſali Concilio corrigerentur. Contradicentes dixerunt: Benè quidem & neceſſariè congregatum eſt, ſi & iuſtum finem ſuſcepit. His ergo per plures ſermones, ſicut ſupra dictum eſt, habitis; primi diei conuentus eſt diſſolutus.

Secundo autem die cùm conueniſſemus, vir reuerendiſſimus Archiepiſcopus Hypatius ait: Recordamini finem heſternæ Collationis, & nullius eſtis obliti. tamen ſi placet iterum commemoremus vos. Contradicentes dixerunt: Recordamur quidem; attamen ad pleniorem dictorum cognitionem & iterum reuoca nobis in mentem. Epiſcopus dixit: Confeſſi eſtis heſterna ſecundum veritatem, hæreticum eſſe Eutychen, & iuſtè à Flauiano religioſæ memorię condemnatum, & iniuſtè ſuſceptum à Dioſcoro, vel ab eo congregato Concilio; & quia oportuit vniuerſalis illius Concilij culpas ab altero Concilio item vniuerſali corrigi, & quia propter prædictas occaſiones iuſtè congregatum eſt Chalcedonenſe Concilium. Contradicentes dixerunt: Recordamur hęc omnia. Epiſcopus dixit: Oſtenſum ergo vobis eſt, quia iuſtè eſt congregatum Chalcedonenſe Concilium. Contradicentes dixerunt: Iuſtè conuenit, ſi & iuſtum finem ſuſcepiſſet. Epiſcopus dixit: Quid enim reprehenditis illud peccaſſe Concilium, vt aduerſus hoc poſſimus vobis reddere rationem? Cõtradicentes: Ante omnia duarum naturarum nouitatem. Beato enim Cyrillo & anteceſſoribus eius ex duabus naturis vnam naturam Dei Verbi incarnatam, poſt vnitionem prædicantibus illis, in duabus naturis, innouare præſumpſerunt. Epiſcopus dixit: Omnis quidem nouitas peregrina eſt, non tamen omnis obnoxia. Ipſi ergo ſecundùm quam rationem dicitis, innouantes damnandos illos ſecundùm peregrinam vocem, an ſecundùm noxiam? Contradicentes dixerunt; Secundùm vtraque: Beato enim Cyrillo & beato Athanaſio Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopis, Felici etiam & Iulio Romanæ Eccleſiæ, Gregorio quin etiam mirabilium factori, & Dionyſio Areopagita, vnam naturam Dei Verbi decernentibus poſt vnitionem: hos omnes transgreſſi illi, poſt vnitionem præſumpſerunt duas naturas prædicare.

Epiſcopus: In tantum falſæ ſunt epiſtolæ, ſiue teſtificationes illæ quas dicitis, vt neque vnam ex illis beatus Cyrillus voluerit recordari; nec in epiſtolis quas ad Neſtorium ſcripſit, vt in his quas contra blaſphemias eius prorulit re-

stificationes in sancta Synodo Ephesina, quando maximè debuit proferre eas; sed nec in expositione duodecim capitulorum aduersus Theodoretum & Andream scribens, qui contra eadem capitula scripserunt; sed nec aduersus Orientale Concilium, quod vnde nescio, Arij illi vel Apollinaris opinionem imposuisse visum est; neque enim Arius aliquando vel Apollinaris duas naturas confessi sunt, sed vnam naturã Dei Verbi incarnatam ipsi magis nouiter protulerunt, vt creatam & passibilem ipsam diuinam Verbi naturam introducerent. Aduersus quas duas substantias atque naturas omnes sancti Patres decreuerunt; sed & hoc dicimus, quia duodecim glorioforum Patrum testimonia aduersus Nestorij blasphemias in Epheso beatus Cyrillus proferens, id est, sancti Petri Episcopi Alexandrinæ & Martyris, sancti Felicis Episcopi Romanæ & Martyris, Cypriani Episcopi Carthaginensis & Martyris, beati Athanasij & beati Theophyli Episcoporum Alexandriæ, Iulij Episcopi Romanæ; Ambrosij & Basilij, Gregorij & alterius Gregorij, Amphilochij, Ichonij & Attici Constantinopolitani, nullum testimonium eorum de vna natura protulit: sed non solùm aliorum, sed nec beati Athanasij, qui à vobis profertur, in vnius naturæ incarnati Verbi confessione, cum certè diuersa testimonia eius illic intexuerit, sed & beati Iulij, eò quòd Dei Genitrix sit sancta Virgo, & Dominum esse eum qui carne passus est. Si ergo sciebat de vna natura quemquam ex his dixisse: illic maximè proferre habuit, vbi tantum erat & tale vniuersale Conciliũ. Si autem illic non sunt prolatæ: quemadmodum nunc à vobis proferantur, satis admiror.

Contradicentes: Quid ergo suspicamini quia nos eas falsauimus? Episcopus: Vos non suspicamur, sed antiquos hæreticos Apollinaristas, qui reprehendunt eum in Epistola, quã ad Orientales pro vnione & pace de duabus naturis scripsit. Quoniam & hi qui cum Nestorio sapiunt, falsauerunt ad Epictetum S. Athanasij epistolam: sicut beatus Cyrillus beato Ioanni Antiochenæ ciuitatis Episcopo scribens, docuit nos. Contradicentes: Possumus ostendere, quia beatus Cyrillus vsus est istis testimonijs in libris aduersus Diodorũ & Theodorum editis. Episcopus: Modò maximè & illos aduersus Diodorum & Theodorum libros ambiguos facitis, tamquam fictos aduersus mortuos prolatos dicentes, non poterant refellere falsitatem: si enim aduersus mortuos prolati sunt, multò magis aduersus Nestorium, & eos qui contra capitula eius scripserunt proferre habuit eadem testimonia. sed nunc videtur, quoniam & in illis libris hæretici falsantes, addiderunt ea. Contradicentes dixerunt: Si ergo ex antiquis rescriptis, & ex Archiuis Alexandriæ potuerimus vtraque ostendere sic habentia, quid estis dicturi? Episcopus: Si sub temporibus beati Proterij, vel Timothei cognomine Salofacioli ostensa sunt, indubitabilia erunt: quoniam verò iam à multis hi qui aduersantur Orthodoxæ duarum naturarum confessioni illa antiqua apud se retinent, indulgete nobis, si aduersarios nostros testes susc ipere dubitamus: nam & beati Iulij famosam illam epistolam manifestè Apollinaris ostendimus fuisse, scriptam ad Dionysium; illam autem quam sancti Gregorij mirabilium factoris dicitis testificationem, suadete Seuero, & his qui ea quæ illi sapiunt confiteri: quia incorruptum carnis ipse decreuit, & tunc vobis credendum est: quoniam & ea quæ de vna natura dicta sunt, ipsius sunt, quod autem priùs dici debuit hoc in vltimo dicimus: illa enim testimonia quæ vos Dionysij Areopagitæ dicitis, vnde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? si enim eius erant, non potuissent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? quando & beatus Athanasius si pro certo sciffet eius fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset aduersus Arij diuersæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea: vnde nunc potestis ostendere, quia illius sint, nescio. Contradicentes dixerunt: Si hæc falsè dicitis esse testimonia, duodecim capitulorum, quæ inserta est, in Ephesino sancto Concilio, quam neque vos potestis denegare Synodicam esse, cur non recipit Chalcedonense Concilium? Episcopus: Si omnes formas & definitiones Fidei in Epheso aduersus Nestorium facti Concilij suscepit & confirmauit Chalcedonense Concilium, quemaddum hanc habuit refellere? sed quia aduersus Nestorij blasphemias, quæ duas naturas in duas personas & duas subsistentias diuidunt, vnam personam, & vnam subsistentiam volebant definire: illa autem epistola duarum subsistentiarum intulit mentionem, propterea à propriè ea nominare distulerunt, vt non inuenirentur aut illi aut sibi esse contrarij: sed magis illam alteram epistolam eius præposuerunt, quæ super consensu Symboli Nicæni Concilij laudata est. Et eam quæ ad Orientales scripta est.

Contradicentes dixerunt: In epistola duodecim capitulorum duas substantias pro duabus naturis dicit. Episcopus: Antiqui Patres, & maximè Romani pro substantia & naturam substantiam nuncupabant. Vnde sicut vnam naturam & vnam substantiam, ita & vnam substantiam sanctæ Trinitatis esse dicebant. Orientalibus verò sanctis Patribus pro persona suscipientibus substantiam, & sicut tres personas, ita & tres substantias in sancta Trinitate dicentibus: per multa tempora dissidium factum est inter Orientales & Occidentales sanctas Ecclesias; Orientalibus quidem Occidentales Sabellianorum sectam defendere suspicantibus, quia vnam dicebant esse in Trinitate substantiam; Occidentalibus verò Orientales Arianam sectam sequi dicentibus, eò quòd tres substantias in tres alterius substantiæ vel naturæ personas proferrent secundùm imitationem Arij. Quam diuisionem per sanctum Athanasium Deus vniuit. Vtriusque enim linguæ peritus vtrasque partes per Dei gratiam ad concordiam reuocauit, & ab eo tempore vsque in hodiernum diem, & apud nos & apud Romanos, sicut vna substantia & vna natura in Trinitate suscipitur, & sicut tres personas in sancta Trinitate confitemur, ita & tres substantias glorificamus. Sic auditis igitur, quoniam indifferenter beatus Cyrillus idem dicebat esse substantiam quod naturam vel substantiam & ideo in illis duodecim capitulis suis pro duabus substantijs vel naturis duas substantias posuit. Ostendite nobis & in sancta Trinitate ita indifferenter eum dicere, & pro tribus personis vel substantijs, vnam personam secundùm Sabellium confiteri, & vnam substantiam in sancta Trinitate glorificantem, & pro vna trium personarum substantia vel naturas atque substantias secundùm imitationem Arij prædicantem, & ita & vos confitemini vel potestis glorificare, & tunc credimus vobis quia præ duabus naturis, duas docuit dici substantias.

Contradicentes: Et hæ ipsæ quæ nominatim in Chalcedonensi Concilio positæ sunt beati Cyrilli, id est, tam illa quæ ad Nestorium, quam quæ ad Orientales scripta est ex duabus naturis, & in duabus. Contradicentes dixerunt: plurimum. Episcopus dixit: quam hanc? Contradicentes; quòd ex duabus quidem naturis dicere vnam significat Dei Verbi naturam incarnatam, secundum beatum Cyrillum & sanctos Patres. In duabus autem naturis duas personas & duas substantias significat, pro certo & hi qui in duabus naturis vnam naturam dicunt, inuenientur & ipsi ex duabus personis atque substantijs vnam personam atque substantiam declarare. Contradicentes: quemadmodum Episcopus dixit: Sicut vos dicitis vnam; & sancta Synodus vtrosque sermones pari honore suscepit & pertractat. Et quæ in Constantinopoli acta sunt aduersus Eutychen, & inuenietis Flauianum Archiepiscopum, & alios cum ipso quosdam ex duabus naturis accusantes: Beatum autem Basilium Seleucenæ ciuitatis Episcopum, cum alijs iterum quibusdam in duabus naturis; & neque isti illos reprehendunt, neque illi istos, tamquam vnius honoris arbitrati voces vtrasque, quando & vnam naturam Dei Verbi incarnatam non renuit beatus Flauianus in confessione, quam propria manu subscripsit, dicere, quæ piæ recordationis Theodosio data est: nam confessio manu eius perscripta his ipsis sermonibus declarat.

Exemplum rescripti fidei Flauiani Archiepiscopi Constantinopolitanæ, datæ ab eopetenti.

Imperatori Theodosio salutem.

Nihil itaque congruum est sacerdotibus, & diuina docenti dogmata, sicut esse semper paratum ad satisfactionem omni exigenti eum rationem de spe quæ in nobis est, & gratia: nec enim erubescimus Euangelium: Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti. Quoniam ergo & nos misericordia omnipotentis Dei prædicationem Euangelij sortiti sumus, rectè sapimus, & sine reprehensione semper diuinas secuti

scripturas, & expositiones sanctorum Patrum tam in Nicæa congregatorum, quam in Epheso sub beatæ memoriæ Cyrillo Episcopo Alexandrinæ ciuitatis. Prædicamus itaque Dominum nostrum Iesum Christum ante sæcula à Patre sine initio natum secundùm diuinitatem: in vltimis verò diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine secundùm humanitatem Deum perfectum, & hominem perfectum, eumdem cum assumptione animæ rationalis & corporis, consubstantialem Patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem matri eumdem secundùm humanitatem. Nam ex duabus naturis Christum post incarnationem ex sancta Virgine sumptam in vna subsistentia, & in vna persona vnum Christum vnum Filium vnum Dominum confitemur; & vnam quidem Dei Verbi naturam incarnatam tamen dicere non negamus: quia ex vtrisque vnus idemque Dominus noster Iesus Christus est. Nam eos qui duos Filios, vel duas subsistentias, vel duas personas denuntiant, & non vnum eundemque Dominum Iesum Christum Filium Dei viui prædicant, anathematizamus, & alienos Ecclesiæ decernimus, & ante omnes quidem Nestorium impium anathematizamus, & eos qui cum eo sapiunt, vel eadem dicunt, quibus & contingat, vt excidant tales ab adoptione promissa rectè credentibus. Subnotatio eiusdem ex notis, sic; Domine Christe auxiliare nobis Deus. & iterum: hæc scripsi manu propria ad satisfactionem tuæ serenitatis, & vt confundantur ij qui simplicem cõuersationem nostram in Christo calumniantur.

Episcopus dixit: Ecce satisfactio beati Flauiani manu eius perscripta ex duabus confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, & tamen ex duabus ei dicenti naturis non pepercit bonus ille Dioscorus. Propterea itaque cognoscens sanctum Chalcedonense Concilium, quia nihil ita recreat eos, qui cum Eutyche aduersantur Orthodoxis duarum naturarum confessioni, nisi confusa & commixta & imaginaria vel Manichæica vnius naturæ confessio, explanatiuam potiùs vocem præposuit, vt in duabus naturis vnam personam & vnam subsistentiam confitentem. Sed & beati Flauiani rectam fidem collaudans omnia quæ ab eo dicta sunt, confirmauit.

Contradicentes dixerunt: Nos & (sicut superius dictum est) beati Cyrilli proferimus epistolas, in quibus duas subsistentes naturas confiteri post vnitionem abdicat. Episcopus dixit: Nos ea quæ epistolis eius synodicis consentiunt, suscepimus; quæ a non consentiunt, neque damnamus, neque velut legem Ecclesiasticam sequimur. Synodicas autem eius dico (sicut superius dictum est) epistolas quæ à sanctis Concilijs & susceptæ & confirmatæ sunt, id est, tam eam quæ ad Nestorium, quam eam quæ ad Orientales scriptæ sunt. Nam contraria his neque damnamus, neque sicut illius suscipimus, quia & in Actibus sanctorum Apostolorum inuenimus, quia dispensationis gratia beatus Paulus Timotheum circumcidit, qui certè Galatis scripsit: Quoniam si circumcidimini, Christus vos nil adiuuabit, sed & beatus Petrus dispensatiuè aliquotiens quidem cum Gentilibus comedebat; aliquoties verò subtrahebat se, & secernebat ab eis. Postquàm verò vtrique Hierosolymas ascenderunt, & cum omnibus Apostolis vel senioribus, magnum illud decretum decreuerunt, per quod dicunt: Placuit Spiritui sancto & nobis nihil vltra oneris imponere vobis, nisi quod ex necessitate est: hoc est, abstinere à sacrificato idolis & sanguine & necato & fornicatione: à quibus custodientes vos benè agitis. Valete. Ab eo tempore ea quidem quæ communi consensu scripta sunt, & à Spiritu sancto confirmata, sicut legem Ecclesiasticam suscipimus; quæ autem dispensationis gratia ab vnoquoque sigillatim facta sunt, neque æmulamur, neque damnamus. Sicut ergo hæc in Actibus sanctorum Apostolorum inuenientes, non similiter his attendimus: ita & illic etiam si profiteamur, secundum indulgentiam tamen dictum sit, beati Cyrilli esse quæ à vobis proferuntur epistolas (aduersantur autem prædictis Synodicis rectæ fidei eius epistolis, in quibus duarum naturarum apertè decreuit confessionem) neque damnamus, neque sicut eius suscipimus. Continet autem illa ad Nestorium epistola de inconfusa & indiuisa duarum naturarum vnitate.

His sermonibus Beati Cyrilli ex epistola ad Nestorium quia diuersa quidem sunt quæ ad vnitatem veram conuenerunt naturæ: Vnus autem ex vtrisque Christus & Filius & Dominus non naturarum diuersitate sublata propter vnitatem: si autem non est sublata duarum naturarum diuersitas propter vnitatem; Saluator ergo & post vnitatem in vna persona & *in vna subsistantia, magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, & quemadmodum susceptа vel confirmata est, paucis expediam.

Recensito Symbolo S. Nicæni Concilij, & venerabili hac epistola omne quod aduersus Nestorium congregatum est illi Concilium non aceruatim, sed singuli per nomen & personam confessi sunt parem atque consimilem eam esse sancto illi Symbolo: Enotica autem & pacifica ad Ioannem Antiochenæ ciuitatis Episcopum. epistola enim per quam vnitatem & pacem sanctis Ecclesijs suis DEVS donauit his verbis continet: ita beati Cyrilli ex epistola ad Ioannem Orientales: Confitemur itaque Dominum nostrum Iesum Christum Dei Filium vnigenitum Deum perfectum & hominem perfectum ex anima rationali & corpore, ante secula quidem ex Patre genitum secundum Deitatem: in vltimis verò diebus eumdem propter nos, & propter nostram salutem ex Maria sancta Virgine secundùm humanitatem, & consubstantialem Patri secundùm Deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem. Duarum enim naturarum vnitio facta est, propterea vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitemur: secundùm hunc inconfusæ vnitionis intellectum confitemur sanctam Virginem Dei Genitricem, ob id quod Deus Verbum ex ea incarnatus est, & ex ea conceptione vniuit sibi templum quod ex ea processit. Euangelicas autem & Apostolicas de Saluatore voces scimus, mirificos viros quasdam quidem communicantes, tamquam in vna persona, quasdam verò euidenter, tamquam in duabus naturis, & Deo quidem dignas secundùm Diuinitatem Christi, humiles autem secundùm humanitatem eius tradentes.

Si verò dicetis non esse has voces illius, sed Orientalium: cognoscite quia cum multis laudibus eis consensit, & tamquam suas, eas ita in propria epistola intexuit cum laudibus: superiùs quidem dicens chartam sibi allatam à viro venerabili Paulo Episcopo, irreprehensibilem continentem Fidei confessionem. inferiùs verò: Has sacras vestras voces contemplati, sic & nos sapere inuenimus.

Vnus enim Dominus, vna Fides, vnum baptisma, glorificauimus omnium Saluatorem Dominum inuicem congratulantes, quoniam diuinis scripturis, & traditioni sanctorum Patrum consonantem habẽt Fidem, tam quæ apud nos, quàm quæ apud vos sunt sanctæ Ecclesiæ. hæc Synodica & rectæ Fidei epistola de inconfusæ & indiuisæ vnitatis & extantibus duabus naturis docuerunt. Quales ergo ex his præferamus, quæ in secreto scriptæ ad vnum vel secundum amicum vel familiarem sunt, quæ & facillimè potuerunt à quolibet deprauari, an istas quæ in certamine dictę sunt, & ab vniuersalibus Concilijs tam laudatæ quàm confirmatæ sunt, & super concessu Symboli sancti Nicæni Concilij sunt laudatæ? nõne potius has quæ Synodicæ sunt, suscipiemus & præferemus, & tanquam legem Ecclesiasticam recipiemus, velut à tantis sanctis Patribus cum iudicio confirmatas, sicut sæpè retulimus?

Contradicentes: Nos non solùm ad Eulogium sed etiam ad Successum secundam & alteras epistolas eius volumus relegere: Vos autem cum neque vnam audissetis, iam condemnastis eas. Episcopus: Quantascunq; vultis prælegere sine præiudicio relegite, vt ex consensu vel dissensu, possit veritas apparere. His ergo dictis cœperunt Contradicentes legere ad Eulogium epistolam, & cùm ad illud capitulum peruenissent, quo dicitur: Sed & illud non ignorent, quoniam vbi vnitio dicitur, non vnius rei declaratur conuentus, sed duarum vel plurium dissimilium secundùm naturam. Episcopus: A superioribus & ex ipsis penè principijs epistola ista opitulatur: etsi in quibusdam locis falsata est, tamen etsi omnia secundũ vestram haberet intentionem, hoc capitulum sufficiebat omnem contradictionem compescere: Si enim vnitio non vnius rei conuentum declarat, sed duarum vel plurium dissimilium secundùm naturam: Et quia qui dicunt duas naturas, ita confitentur, admiramur quemadmodum ha-

bentes

*hic aliquid deest

habentes hæc ac relegentes, à nobis quæritis suaderi, qui etiam alios ex his Orthodoxam esse duarum naturarum confessionem, suadere potestis vel debetis. Cum enim mox in principio ipsius epistolæ relegatis dicentem eum, quia non omnia quæ dicunt hæretici fugere nos vel auersari oportere: multa enim ex his confitentur quæ & nos confitemur, quando enim dicunt Ariani Patrem Dominum esse, & omnium Creatorem, numquid nos oportet tales eorum voces auersari? Sic & Nestorius etiamsi duas dicat naturas, diuersitatem tamen significat carnis & Verbi: alia enim natura carnis, & alia verbi. Si autem alteram confessus est carnis naturam & alteram Verbi, quam ex his duabus naturis vos vel minuatam dicitis: vel subreptam Beato Cyrillo, sicut ipsi narratis, in altera dicente epistola, neque minuatam, neque subreptam humanam naturam, cum & inferius dicat, compelli autem illos?

Attendite ad lectionem epistolæ beati Papæ Athanasij: illic enim contendentibus quibusdam, quia ex propria natura corpus sibi passibile ipsum creauerit Verbum, & suprà & infrà nititur dicens: quia non est consubstantiale Verbo corpus; si autem non est consubstantiale, alia atque alia necesse est vt sit natura, ex quibus vnus & solus intelligitur Christus, Ecce etiam hic aperte duas substantias in duabus naturis posuit, ex hoc hæreticos arguens, qui consubstantiale Verbo etiam corpus esse dicunt. Quam ergo ex istis duabus naturis vel substãtijs dicitis minuatam, ipsi fatemini. Sed & idem mox in sequenti versu ita addidit dicens: Sed & hoc non ignorent: vbi enim vnitio dicitur, non vnius significatur rei conuentus, sed duarum vel plurium & diuersarum secũdùm naturam. Si ergo dicimus vnitionem, proculdubiò confitemur, quia carnis animatę & Verbi. Sed & hi qui duas naturas dicunt idem sentiunt. Illi ergo qui totiens in superioribus epistolæ suæ partibus ita duas naturas Orthodoxè & apertè prædicauit. Sed & post eos qui falsati sunt sermones qui dicunt: Etsi parum circa proprietatem sermonis obscurati sunt, dicens de Orientalibus duas naturas manifestè cõfitentibus: qui enim confitentur, quia ex Deo Patre natus Vnigenitus Verbũ, idem ipse natus est secundùm carnẽ ex muliere, quoniam & Dei Genitrix est sancta Virgo. Et quia vna persona est & non duo filij neq; duo Christi, quemadmodum cum Nestorij blasphemijs consentiũt. Nestorius enim duos dicit filios & Dominos & Christos, vt breuiter complectar, Orientales autem fratres nil tale dixerunt, sed tantum modò voces diuidunt. Diuidunt autem secundùm hunc modum dicentes: eo quòd quædam ex his Deo dignæ sunt, quædam verò homine: quæ autem communiter prolatæ sunt tanquam habentes tam dignationẽ diuinam quàm humanitatem, sed tamen ab vno eodemq; prolatas. Et non sicut Nestorius qui quasdam quidem de Verbo propriè adsignat, quasdam verò nato ex muliere quasi alteri Filio. Aliud autem est vocum sine diuersitate, aliud diuidere in duabus personis tanquam alteri & alteri. qui enim superius illa, inferius autem hæc: nunquid in medio loco poterat seipsum conuellere? absit: sed contrarij sermones Synodicis eius epistolis ab hæreticis sicut apparet falsati sunt. Proferẽtibus autẽ his qui contradicebant tanquam inuictum scutum secundæ ab ipsis prolatæ ad Successum epistolæ capitulum. Illud quòd dicit: Repugnant nihilominus vnam dicentibus filij naturam incarnatam; & velut cassum volentes illud ostendere, contendunt vbique, duas naturas subsistentes ostendere.

Postquam recensitum est, dicentibus illis: Ecce vbique beatus Cyrillus renuntiat duas dici naturas post vnitionem. Episcopus: Nullo præiudicio habito, sicut sæpè diximus, Orthodoxæ Fidei, etiamsi demus Cyrilli esse nuper relectam epistolam: multò magis duabus naturis existentibus aduocationem præbuit, post vnitionem quam vnius Dei Verbi incarnatæ, ex eo quod dicit: Vestitus verò etiam nostra natura etiamsi non est consubstantiale ex Deo Patre procedenti Verbo corpus q̃ vniuit sibi. Si ergo nõ est consubstantiale verbo corp⁹ quo circũdata est Dei Verbi natura, alia modis omnib. atq; alia pro certo natura est. Sed & illud quod ait, carne eum passum & non Deitate, aliam iterum atque aliam ostendit naturam. Altera enim carnis natura passibilis, & altera verbi impassibilis, sicut vos ipsi fatemini, & iterum quod dicit, quia semẽ Abrahæ suscipiet, formã serui accipiens: alteram illam seruilem ex Abraham susceptam naturam docet, & alteram illã Dominicam Dei Verbi naturam. Sed & quod ait: Non est confusum, sicut illis placet, sed nec carnis in eius, sed in proprietate secundum vtrasque tam intelligi quam permanere: ex his magis illo, quam Chalcedonense Concilium in vna persona duas existentes naturas decreuit intelligi. Sed & quod ait non minuatam neque subreptam humanam naturam, manifestè duas naturas existentes ostendit, diuinam scilicet naturam quæ assumpsit; & quæ assumpta est, humanam. Sed & quod ait: Rectè & nimis prudenter tua perfectio de salutari passione sermonem protulit, non illum vnigenitum Dei Filium, secundum quod intelligitur & est Deus, passum in propria natura ea quæ sunt corporis confitendo, sed magis passum eum natura terrena, apertè etiam, hic duas naturas docuit subsistentes, & terrenam passibilem & diuinitatis impassibilem. Sed & in fine epistolæ suæ illud quod ait: Quid enim est humana natura nisi caro animata sensibiliter, sed & passum carne dicimus Dominum: Ecce in ipsa quæ à vobis prolata est epistola, licet falsata est, nõ totiens de vna natura quantum de duabus naturis fidei rectæ tribuit aduocationem non solum post vnitionem, quę in Virginis facta Vulua est: sed & post passionem & resurrectionem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui post resurrectionem ostendit perforatas immaculatas manus suas & trãsfixos pedes suos sanctis discipulis suis, ostendens se viuum & vnum esse in vna persona & in duabus naturis: quod enim dicit: Videte manus meas & pedes meos, quoniã ego ipse sum: Vnam eius personam ostendit incarnatæ diuinitatis, quod autem addidit: Pertractate & videte quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habentem: Diuersitatem ostendit in semetipso duarum naturarum, tam assumentis deitatis quam assumptæ humanitatis magni Dei Saluatoris nostri Iesu Christi. In tantum autem abfuit beatus Cyrillus à contradictione Orthodoxæ duarum naturarum confessionis, quod Gregorium Nazianzenum, & Gregorium Nyssenum, & Ambrosium Mediolani protulit in sæpe dicto Ephesino sancto Concilio, ac veluti eos sibi aduocans perduxit: quorum prior his verbis dixit: *Beati Gregorij Nazianzeni Episcopi:* Naturę quidem duæ, Deus & homo: nã & anima & caro, filij autem non duo, neq; Dei: neque enim hic duo homines: Etsi ita Paulus tam interiorem quam exteriorem hominem appellauit: etsi licet breuiter dicere; aliud quidem & aliud, ex quibus Saluator, & si reuera non est, idem, visibile & inuisibile, & temporale & sine tempore, non autem alter & alter: Absit: Item & beatum Gregorium Nyssenum protulit dicentem: Quid humilius in Deo quam forma seruilis? aut quid humilius in Rege omnium, quàm in commune nostræ exiguę naturæ propria voluntate descendere? Per beatum autem Ambrosium in eodem duas naturas esse ita approbauit dicens: Custodiamus diuersitatem carnis & diuinitatis: Vnus enim Dei Filius in vtroque loquitur, quia vtraque natura in eo est. Attende in ipso, nunc quidem gloriam Dei, nunc verò hõis passiones. Sicut Deus docet, diuina, quoniã verbum est: sicut homo loquitur humana, quoniã in mea loquitur natura. Hæc testimonia ad confirmationẽ rectæ & inlibatæ fidei suæ in Ephesiaco Cõcilio protulit. Et sicut rectæ fidei, ea secundũ illud Concilium confirmauit. Quanticunque ergo sermones sub nomine Domini prolati istis consentiunt, tanquam sancti Cyrilli suscipimus: Quanti verò his aduersantur, aut non sunt illius, aut certè falsati sunt, etiam si concedamus illius esse. Ideo neque condemnamus talem patrem, sed nec ad prę iudicium rectæ fidei conlaudamus quæ ex persona eius proferuntur diuersa laceratæ epistolæ.

Luc. 24.

Rom. 7.

Contradicentes: Concilia pro vnitate sanctorum, sanctarum Ecclesiarum in diuinis Dypticis intexta sunt, aut pro maiori diuisione? Episcopus: quid autem & antequam nominatim insererentur? numquid in omnibus Ecclesijs quæ sub cœlo sunt non recitabantur Episcopi? Et si nominatim Concilia ipsa non recitabantur, tamen in proprijs regionibus & ciuitatibus singuli quiq; adnotabãtur. Si ergo in proprijs ciuitatibus singuli quiq; adnotabãtur, vnusquisq; in quocumq; subscripto Concilio recitabatur: quantò magis rationabilius erat eos qui cum labore & sudore in vnum conuenerunt aduersus hæreticos, & Deo placitum prælium susceperunt, & bonam illam victoriã per gratiam Dei vicerunt, vno consensu inferi in gloriam Dei & laudem certantium ad maiorem adhortationem eorum qui post certaturi sunt? Con-

tradicentes: sicut prius dum recitabantur, neminem scandalizabant, Nunc autem plurimos scandalizabant: Nunc autem plurimos scandalizant: Episcopus: Si cœperimus per singulos de his qui scandalizantur hæreticis Concilia offerre, inuenimus fidem nostram denegantes: Ariani enim scandalizantur in Nicæno Concilio, Macedoniani in Constantinopolitano, Nestoriani in Ephesino, Euthychianistæ in Chalcedonensi: si ergo illos voluerimus placare, Dominum offendimus, fidem nostram denegantes. Nam & vos quanta per singula tempora innouastis? Imperatores, qui à vobis persuaderētur indempti, sicut Endodia Basilisci aduersus Orthodoxam Fidem, & Enoticum Zenonis, & Trisagij nouitatem, & alia multa eiuscemodi, quæ ad euersionem fidei facta sunt, & Orthodoxos non sine causa scandalizarunt. Hæc enim nullum fidelium scandalizant: Si autem infideles hæreticis scandalizentur, nec enim ex hoc conscientia nostra perturbatur.

Contradicentes: Ibas ergo & Theodoretus sicut rectæ Fidei suscepti sunt à Synodo, & sicut rectæ fidei in diuinis Dypticis recitantur. Episcopus: Vtrique Nestorium anathematizantes susceptí sunt in sancto Concilio. Contradicentes: In tantum per dolum anathematizauit Theodoretus, quia postquam anathematizauit discedens dixit eis: Valete. Episcopus: Quid ergo? Quoniam Eusebius Nicomedenæ & Theognius Nicænæ, & alij quidam cum ipsis, & in ipso Nicæno sancto Concilio fictè subscripserunt, & post hæc Arium apertè secuti Ecclesiam deuastarunt, & sanctos Patres nostros Eustathium Antiochenæ; Athanasium Alexandriæ, & Paulū Constantinopolitanum fugauerunt: propter illos nec Nicænum sanctum Concilium debemus suscipere, aut in diuinis id Dypticis recitare? Absit: Nos autem non tanquam Theodoretum defendentes, vel ea quæ præcesserunt diximus, vel quæ sequentur dicemus, sed veritatem, & sanctum Concilium quod eum iustè suscepit. Volens enim satisfacere quemadmodum saperet; nec tamen permissus est propter anticipatos quosdam atque in eo scandalizatos, postquam vidit non suscipi satisfactionem suam, anathematizans Nestorium & Eutychen addidit, Valete. Cur autem hoc ipsum dixerit, Valete; superius manifestauit, dicens: quoniam nec sedem ambio, nec pro Episcopatu solicitus veni. Sed vt persuadeam quemadmodum credo, propter quod anathematizo, sicut iubetis, & Vale vobis facio. Vnde neque sanctum Concilium, neque glorioſissimi iudices ad iniuriam hunc sermonem suscepērūt: pro certo scientes quia antequam sanctum istud Concilium fieret, pacificatus esset beato Cyrillo, qui ab eo iniuriatus est in contradictorijs libris duodecim Capitulorum.

Contradicentes: Et vnde hoc potestis ostendere? Episcopus: Ex ipsa quæ ad Ioannem & Orientales scripta est epistola beati Cyrilli pro vnitate Ecclesiarum.

Contradicentes: Non habetis vnde ostendere, quia indulsit eis, Episcopus: Nos ad omne Orientale Concilium epistolam ipsam scriptam inuenimus. Ostendite autem vos quod in vnitionem hos ex illa pacifica & coadunante epistola sua subtraxit. Quid autem amplius est, verbis detrahere, an per condemnationem inferre contumeliam? Sic ergo ipsi beato Ioanni, & omnibus qui cum eo fuerant in Epheso & per condemnationem eum iniuriantes indulsit beatus Cyrillus; multò magis qui tantummodò verbo in eo peccauerunt, indulgentiam præstitit, sed & inuenimus in Theodoreti literis quas ad Dioscorum fecit, quia & secundo in his quæ contra Nestorium scripta sunt scripserit. Et quando contra Iulianū, vel Aponpeos conscripsit libros ipsos destinauit in Antiochia beatus Cyrillus, & rogauit beatum Ioannem ostendere illos Orientalibus præclaris doctoribus. ET quia ostensis eis scripsit eis Theodoretus & rescripsit ei beatus Cyrillus & diligentiam & affectum ei testificans. ET quia duas ab ipso suscepit affectuosas epistolas, quæ & custodiuntur apud eum, nullam de eo contumeliam designantes. Sed tamen & his ita scriptis atque dictis, non aliter eum suscepit sanctum Chalcedonense Concilium nisi clare sub conspectu omnium anathematizasset Nestorium & omnes definitiones eius.

His autem ita de Theodoreto dictis. Contradicentes: ET Ibas ergo iustè susceptus est à Chalcedonensi Concilio? Episcopus: Ibæ & accusantium eum iudicium ex Imperiali auctoritate delegatum est Photio episcopo Tyri & Eustathio episcopo Beryti & Vranio Himerorum ciuitatis episcopo? qui reuerendissimi viri, & nimiū horrentes Nestorij blasphemias cum omni diligentia discutientes, cum immunem & sine culpa eum decreuerunt, sicut & Acta ipsorum & relatio manifestat. quem ergo iudices iustificauerunt, quemadmodum Cōcilium poterat condemnare? Contradicentes: & illa ergo quæ ad Marin Persam epistola eius scripta est rectè continet, quę & prolata ab eis, & relecta nobis est, & inuenta est narrationem habens Actorum inter beatū Cyrillum & nefandum Nestorium, eo quod quasi per istos duos homines omne sæculum conturbatum esset: Nestorio quidem ea quæ Paulus Samosatenus saperet, affirmante, & propter hoc à beato Cyrillo in Ephesino Concilio condemnato. Cyrillum autem suspicantibus quasi cum Apollinario saperet in illis duodecim capitulis, & propter hoc condēnato à Ioanne Antiochenę ciuitatis episcopo, & cum eo habito Concilio. Et quia propter hanc causam cum inimicitia de Epheso discesserunt. Et propter illam inimicitiam diuisæ sunt omnes vbique ecclesię & fideles populi, aliquantis quidem huic parti consentientibus, alijs verò illi. Et quia dum in his essent rebus compunxit Deus pijssimum Imperatorem Theodosium conuocare virum reuerendissimum episcopum Constantinopolitanæ ciuitatis Maximianum, & eos qui tunc fortè in eadem gloriosa aderant ciuitate, hortarique & solicitudinem habere, vel cogitare de pace sanctarum ecclesiarum. Et post illam pacificam cogitationęm destinauit pijssimus Imperator Aristolaum Tribunum & Notarium ob hoc ipsum: qui perueniens tam in Antiochia quam in Alexandria, vtrasque partes miserante Deo ad pacem perduxit.

His ergo per epistolam declaratis, episcopus dixit: Hæ literæ etiam in vita beati Cyrilli diuulgatæ sunt, & non solum quia non mouerunt eum propter factam pacem & vnitatem propter dominum: sed & Valeriano scribens episcopo Iconij, talia de ipsis satisfecit dicens: Nam si epistolas sibi componēntes quidam circumferunt, tamquam ex persona scriptas illustrium virorum non debent credi; qui enim semel scriptis fidem propriam cōfessi sunt, quemadmodum diuersa possunt scribere tamquam ex pœnitentia ad non bene credendum traduci? Sed tamen & beato Cyrillo ita pro eis testificante, & recensita præfata epistola in Chalcedonensi sancto Concilio, non tamen aliter præuidit suscipi eum propter suspiciones in eadē epistola insertas, nisi & ipse Nestoriū, & omnia ei⁹ decreta anathematizasset: & post quā anathematizauit, tunc susceptus est in sancto Cōcilio. Nec tantum de his solis dico, sed & Nestorius & Eutyches simili modo, & proprias hæreses anathematizassent: modis omnib. etiam illi suscepti fuissent à sanctis Concilijs. Chalcedonense ergo Concilium circa Ibam & Theodor. distrīctius agit quam B. Cyrillus. Beatus.n. Cyrillus contentus fuit in consensu damnationis Nestorij, & ordinatione beati Maximiani, qui pro illo in hac ciuitate episcopus factus est; Chalcedonense autem sanctum Concilium nisi sub præsentia sua anathematizasset Nestorium & omnia dogmata eius, & scriptis inter Acta insertæ fuissent voces eorum, non fuit contentum suscipere eos. In his ergo dictis, Contradicentes: De his quidem persuasum est nobis.

Et ita secundæ dici conuentu dissoluto, & discedentibus nobis, & multa testimonia de duabus naturis præparantibus, pijssimus atque amator Dei Imperator noster accersito sanctissimo Archiepiscopo Patriarcha Epiphanio, præcepit etiam nos ingredi cum ipso. ET postquam per confabulationem locutus el quæ illi Deus inspirauit, ipsum quidem dimisit, secundum morem oratione facta pro eius pietate, nos autem vna cum venerando senatu retinuit; censuitque etiam Contradicentes ingredi. Quibus ingressis, ipsos quidem præcepit in vno scamno sedere, nos autem in altero, vna cum glorioſissimis iudicibus. ET omnibus nobis tacentibus, pietas eius tanta ac talis ad eos locuta est cum omni mansuetudine & tranquillitate, vt si alter mihi diceret ab eius pietate hæc dicta, vix credere nisi ipse aurib⁹ meis audissem, q̄ cū magna gratia Dei ex benedicto eius ore prolata sunt. Nam Dauidicæ mansuetudinis, & Mosaicæ patientiæ, & Apostolicæ clementiæ instar in eo conspexi: etsi enim non ijsdem sermonibus, quib. beatus Paulus, sed tamen eadem mente qua ille ad sanctam Ecclesiam vestram scripsisset, locutus est cum eis. De qua idem 1. Thes. beatus Paulus sanctæ ecclesiæ vestrę, sicut dictum est, scripsit, dicens: Quia fuimus in medio vestrum tranquilli, & tanquā

nutrix

nutrix fouens filios suos; ita cum bona voluntate festinauimus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed & proprias animas; propter quod dilecti nobis facti estis. Et vt ex paucis positis conijcere quæ multifariè, multisque modis tam illo die ab eius pietate ad eos dicta sunt, quam in reliquis confabulationibus, ex exemplaribus piæ eius epistolæ æquè cognoscetis, quæ scripta est ad Euphemium virum reuerendissimum Theopolitanæ ciuitatis Archiepiscopum, vt per hoc appareat omnibus qui ab ipsis decepti sunt in Oriente: quæ præsenti subiungentes epistolæ, vestræ venerationi transmittimus, vt per eam cognoscatis, quanta Dei gratia, per benedictum os eius tam primo die, quàm reliquis locuta est ad eos.

Et postquam in nomine Domini conlocuti sumus inuicem, accusare nos tentantes: contradicentes ad pijssimum Imperatorem, secreto suggesserunt ei per quendam, tanquam non confitentibus nobis Dominum passum carne, vel vnum eum esse de sancta Trinitate, nec eiusdem esse personæ tam miracula quam passiones. Ingresso itaque sanctissimo Patriarcha in venerando palatio ad pijssimum Imperatorem, & domino viro reuerendissimo Archiepiscopo Hypatio, cum eo percontata est pietas eius ab ipsis, his verbis: Non confitemini eiusdem Personæ Domini nostri esse Iesu Christi tam passiones quam miracula? vel Deum esse qui carne passus est, atque vnum eum esse de Trinitate? Respondit idem reuerendissimus vir: Nos, domine, magis autem mater vestra Catholica & Apostolica sancta Dei ecclesia eiusdem personæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi prædicat & passiones & miracula, non tamen eiusdem naturæ: sed sicut docuerunt sancti Patres, passibilem carnem, impassibilem diuinitatem, circumscriptum corpore, incircumscriptum spiritu, terrenum, & cœlestem, visibilem, & intelligibilem: vt integro homini eidem & Deo, integer homo cohæreat qui ceciderat sub peccato: sicut beatus Gregor. Nazianzenus docuit in epistola scripta ad Cledonium, & vtraque sancta Concilia tam in Epheso aduersus Nestorium, quàm in Chalcedone adsus Eutychen & Nestorium congregata consenserunt & confirmauerunt. Sed & Dominum carne passum ita rursus confitemur propter eos qui confundunt vel diuidunt, vt passibilem eum dicentes carne, impassibilem confiteamur diuinitatem, similiter & vnum esse ex Trinitate secundum diuinam naturam tam credentes quam confitentes, secundum carnem vero vnum ex nobis placuisse ei, credimus fieri; & sicut consubstantialem Patri secundum diuinitatem, ita nobis consubstantialem secundum humanitatem; & sicut perfectum in diuinitate, ita perfectum & in humanitate. Si autem illi aliter dicunt, & præsumunt eum dicere, vt secundum carnem quidem ante sæcula sit, secundum diuinitatem verò in nouissimis diebus; vel creaturam eum esse secundum Deitatem, non creatum autem secundum humanitatem, vel visibilem & passibilem secundum diuinitatem, inuisibilem verò secundum humanitatem: tunc calumnientur nos tamquam frustra cõtrarios sibi.

Post collationem ergò habitam cum Orientalibus Episcopis ac nostra tenuitate: ex pijssimi nostri Imperatoris iussu, alia vice ingressis nobis in venerabili palatio eius vna cum
Pag. 40. domino meo Archiepiscopo, vel alijs qui cõuenerant reuerẽdissimis Episcopis, pijssimus Imperator exultans in virtute Dei, & gaudens in salutari eius, ac lætus nimis, quia desideriũ cordis eius, secundum propheticam vocem, præstiterat ei; & voluntate labiorum non priuauit eum: cœpit dicere ad nos, præsente venerabili senatu: Quia postquam locuti estis cum Orientalibus Episcopis per duos dies, tertio die conuocatis tam vobis quam illis, antequam susciperemus vos, ingressus sum in Oratorium glorioſi Michaelis Archangeli, quod est in Cochlio; & rogaui Dominum dicens. Quia si in veritate viri habent nobis, magis autem sanctæ tuæ Ecclesiæ: compunge eos velociter consentire nobis: sin autem nolunt, præpedi eos, vt ex ipsis magis culpa nascatur, & non ex nobis. Et cognouistis quantis propositionibus rationabilibus & pacificis cum omni mansuetudine & patientia prolatis à nobis, vir reuerendissimus Episcopus Philoxenes tantummodò persuasus est. Cæterorũ verò peruersitatem cordis Deus aspiciens, conligauit linguas eorum, vt neque satisfactionem inuenirent, neque veritati consentirent: vt ex ipsis fiat occasio auersionis eorum & non ex nobis. Et hæc quidem gratias agens Domino, dixit eius tranquillitas de eorum peruersitate. Sed tamen & vsque hactenus omni continentia & beneficio dignatur eos attendere, non cessauit expectans propter Dominum, eorum conuersionem ad bonum. Quæ illum spes non fefellit: nam etsi non Episcopi, qui hactenus in sua dissuasione permansere; sed tamẽ plurimi clericorum & monachorum qui cum his conuenerunt, ad sanctam communionem cum gaudio remearunt in Ecclesijs suis ac monasterijs. Ex quibus quidam lingua Syriatica per interpretes locuti sunt nobis, dicentes: Quia ab illis decepti, & nos euerti sumus, & multas animas euertimus: dicebant enim nobis, & quod Spiritus sanctus recessit ab Ecclesijs & baptismate, communione eorum: ideò hæc audientes, & velut veracibus credentes decepti sumus; sed gloria Domino, qui satisfecit nobis de errore eorum, & vniuit nos Catholicis & Apostolicis sanctis Ecclesijs suis: confidimus enim in bonitate eius, & quoniam dabit nobis virtutem, vt nobis virtutem, vt eorum quos euertimus, pluriores iterum conuertamus ad Sanctas Ecclesias eius; in gloriam & laudem sancti nominis eius. Explicit epistola Innocentij Episcopi Maroniæ ciuitatis.

NOTAE.

Collatio.] *Hanc collationem habitam esse hoc an. 532 patet ex epistola Iustiniani ad Ioannem, quæ scripta est anno 533. cuius initio se laborasse, ait, vt vt omnes sacerdotes Orientis cum Romana Ecclesia vniret. Quod factum est hac Collatione Catholicorum cum Seuerianis in Oriente habita.* Hæc collatio quando habita sit.

CONCILIVM AFRICANVM SVB IOANNE PAPA II.

Synodalis Epistola ad Ioan. scripta, excusa est supra inter Epistolas Ioannis Pap. II. cuius initium tale est.

Optima consuet. &c.

NOTAE.

Concilium.] *Africanâ Ecclesiâ in pristinam libertatem vindicatâ, ad restituendam collapsam ob longam seruitutem Ecclesiasticam disciplinam conuenerunt Episcopi, scriptaque ad Ioannem Pontificem epistola synodica, ad eundem legationem miserunt, qua perfuncti sunt Petrus & Lucius Episcopi, atque Liberatus Diaconus Carthaginensis ecclesiæ, cuius temporibus Reparatus præsidebat. Legatio dum Romam veniens, Ioannem Pontificem defunctum inuenisset, Agapeto Papæ qui in locum eius successit, synodales literas dedit. Ex eadem hac synodo Theodorus Diaconus missus est Constantinopolim ad Imperatorem, pro recuperãdis rebus & iuribus Ecclesiasticis à Vandalis vsurpatis. Qua legatione accepta, Iustinianus inter alias redditas literas, reperitur rescripsisse ad Salomonem Præfectum prætorio in Africa, de ijs, quæ Africanis Ecclesiis concedit Nouellâ 36. & 37.* Causa & acta Concilij.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA AGAPETI PAPÆ.

Ex libro Pontificali.

AGapetus natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, clericus ad sanctos Ioannem & Paulum, sedit menses 11. dies 18. Hic in ortu episcopatus sui libellos anathematis, quos inuidiæ dolo extorserat Bonifacius presbyteris & episcopis contra canones & contra Dioscorum, in medio ecclesiæ congregatis omnibus, incendio consumpsit, & absoluit totam Ecclesiam ab inuidia perfidorum. Hic missus est à Theodato rege Gothorum, ad dominum Iustinianum Augustum in legationem: Anno Domini 533.

quia

quia eodem tempore Imperator dominus Iustinianus Augustus indignatus est Theodato regi, eo quod occidisset reginam Amalasuntham filiam Theodorici regis, commendatam sibi, qui eum regem fecerat. Qui Agapetus pergens Constantinopolim, 10. kalend. Maij ingressus, susceptus est cum gloria. Et primum cœpit habere altercationem cum pijssimo principe Imperatore domino Iustiniano Augusto de religione. Cui beatiss. Agapetus episcopus constantissimè fidei Apostolicæ responsum reddidit de domino Iesu Christo, Deo & homine, hoc est, de duabus naturis in Christo. Et dum contentio verſaretur, ita Dominus adfuit, vt episcopum Constantinopolitanum, nomine Anthimum, inueniret Agapetus Papa hæreticum. Cumque contentio verteretur cum Augusto & Agapeto Papa, dixit ei Imperator Iustinianus: Aut consenti nobis, aut exilio deportari te faciam. Tunc beatiss. Papa Agapetus respondit cum gaudio, dicens ad Imperatorem: Ego quidem peccator ad Iustinianum Imperatorem Christianissimum venire desideraui, nunc autem Diocletianum inueni. Qui tamen minas tuas non pertimesco. Et dixit ei iterũ Agapetus venerabilis papa: Tamen, vt sciastu eum idoneum non esse religioni Christianæ, episcopus tuus confiteatur duas naturas in Christo. Tunc accersito ex præcepto Augusti episcopo Constantinopolitano, nomine Anthimo, & discussione facta nunquam voluit confiteri in doctrina catholicæ responsionis ad interrogationem B. Papæ Agapeti duas naturas in vno Domino Iesu Christo. Quem cum vicisset S. Papa Agapetus, glorificatus est ab omnibus Christianis. Tunc pijssimus Augustus Iustinianus gaudio repletus humiliauit se sedi Apostolicæ, & adorauit beatiss. Agapetum Papam. Eodem tempore eiecit Anthimum à communione, & expulit in exilium. Tunc pijssimus Augustus Iustinianus rogauit beatiss. Papam Agapetum, vt in locum Anthimi, episcopum catholicum consecraret nomine Mennam. Qui Agapetus Papa omnia obtinuit, pro quibus missus fuerat. Post dies verò aliquantos ægritudine correptus, defunctus est Constantinopoli. Cuius corpus in loculo plumbeo translatum est Romam, vsque in basilicam B. Petri Apostoli, vbi & sepultus est 12. kal. Octobris. Hic fecit ordinationem in vrbe Roma, diacones 4. episcopos per diuersa loca numero 11. Et cessauit episcopatus mensem vnum, dies 28.

Ex Gratiani decreto desumptum:

De conſ. dist. 1. Agapetus.

Agapetus papa, vas catholicum, Euangelij tuba, pręco iustitiæ, sacra altaris sedisque velamina, sacrilegis Anthimi infecta fabulis, suis catholicis precibus deleuit.

Notæ in Vitam Agapeti.

Quo tempore Pōtifex factus.

Agapetus.] *Anno Christi 535. ipsa hyeme Agapetus Archidiaconus apprimè eruditus, in locum Ioannis Papæ surrogatus fuit, vt constat ex epistolis Agapeti ad Iustinianum Imperatorem, & Reparatum Carthaginensem Episcopum, hoc anno rescriptis. Nouella constitutio nona, quæ est Iustiniani Imperatoris hoc anno sub Consulatu Belisarij ad Ioannem Pontificem, sexto Kalend. Maij data quidem legitur. sed mendosè, vt infra copiosius ostendemus. Iustinianus Imperator cognita Agapeti ordinatione, more anteceſſorum suorum fidei Catholicæ professionem transmisit. Ab Africana Ecclesia per legationem ad Ioannem prædeceſſorem huius destinatam consultus, qua ratione Ariani ad Ecclesiam redire volentes, recipiendi forent, respondit, non aliter quàm secundum canones & Ecclesiasticas constitutiones antiquitus obseruatas, ad pœnitentiam & communionem admittendos esse: prout videre est ex epistolis Agapeti ad Conc. Carthaginense, Reparatum Episcopum & Iustinianum Imperatorem hac de re transmissis. Huius temporibus, callido occultoque consilio impijssimæ fœminæ Theodoræ Augustæ Iustiniani coniugis, Anthimus Episcopus Trapezuntius, Eutychianæ hæreseos occultus sectator, monstrum horrendum, post obitum Epiphanij Orthodoxi præsulis, in sedem Constantinopolitanam intruditur; Alexandriæ verò defuncto Timotheo, fauore eiusdem fœminæ Theodosius surrogatur.*

Iustiniani res gestæ.

Theodora Augusta hęreticorũ patrona.

Quos cum Seuerus ille perditissimus hæresiarcha, tempore Iustini sede & vrbe Antiochenâ expulsus, suæ farinæ homines esse cognosceret, seque eiusdem Theodoræ potentia Antiochenæ Ecclesiæ restituendum fore speraret, egressus è latebris ad ipsam Theodoram, & Anthimum Patriarcham, in hæresi propaganda, collegã, conuolauit, Anthimum ibidem in hæresi & impietate Eutychiana confirmauit. Quod cum per rumorem Iustiniano Imperatori innotuisset, coram ipso se expurgans disertis verbis professus est, se in omnibus assensurum ijs, quæ Apostolica sedes sentienda præscriberet; significans nullum euidentius Catholicæ & Orthodoxæ fidei signum edi posse, quam si se creditурum & facturum polliceretur, quicquid Romana Ecclesia credendum proponeret. Scholam sacræ Theologiæ Romæ erexisset, teste Cassiod. in præfat. lib. diuin. lect. nisi bellico tumultu impeditus fuisset. Iustinianus indigna nece Amalasunthæ, quam Theodatus Rex ingratissimus strangulando vel obtruncando occiderat, prouocatus, bellum Gothicum iam ante cogitatum, duce Belisario inchoauit, Romanoque imperio Siciliam subiugauit. Quæ re Theodatus tanto terrore perculsus est, vt ad pacem obtinendam totius Siciliam, vel si aliter fieri non posset, totius Italiæ regnum Imperatori per Petrum Iustiniani legatum efferret. Quæ deinceps acciderint, infra dicemus.

Causa & origo belli Gothici quæ.

Sedit menses 11. dies 18.] *Baron. Agapetum plus vno integro anno sedisse, probat ex epistolis ad eum scriptis, & ab eodem rescriptis.*

Hic in ortu Episcopatus sui.] *Vide Notas in vitam Bonifacij & Concilium Romanum II. sub eodem Bonifacio secundo celebratum supra.*

Hic missus est à Theodato.] *Cũ Theodat. Rex barbarus pasus esset dispendium Dalmatiæ & Siciliæ, timeretq; futurum, vt translata hyeme Belisarius, qui in Sicilia hyemabat, Italiam inuaderet, ad imminens vitæ suæ periculum anteuertendũ, per Petrum Iustiniani legatum egit, vt Imperator Siciliam vniuersam, & si ea contentus non foret, totius Italiæ regnum acciperet, & vitæ vtriusque Regis & Reginæ parceret. Dimisso legato, Rex ad pugnandum ineptissimus, senatoribus & Agapeto Pontifici, teste Liberato in Breuiar. capit. 2. grauiter interminatus est, se eos, vxores eorum, filios & filias interempturum, nisi egissent apud Imperatorem, vt destinatum exercicum suum ab Italia amoueret. Hâc aliâque quâdam de causâ, vniuersam Ecclesiam concernente, Pontifex legationem suscipiens, Constantinopolim proficiscitur. Cui cum itineris expensæ deessent, vasa sacra Arcario regio oppignorare debuit, quæ eadem opera Cassiodori recepit. In itere positus mutum simul & claudum magna astantium admiratione, impartibus Græciæ curauit. Gregor. 3. dialog. cap. 3.* Ingressus Constantinopolim primum honorificè susciens, *inquit Liberatus*, directos sibi ab Imperatore, sq; reuit Anthimi præsentiam, eumque ad salutandum suscipere noluit. Deinde viso Principe causam agebat susceptæ legationis. Imperator autem pro multis fisci expensis ab Italia destinatum exercitum auertere nolens; (*ideo fortasse, quod victoria quadam per Gothos in Dalmatia contra Imperatorem parta, Theodatus elatior factus, oblatam promissionem reuocauit,*) supplicationes Papæ noluit audire: *sed potius Belisario iam in Siciliam trajicere parato, cœptam expeditionem perficere præcepit. Qui improuiso agmine peruenies in Campaniam, Neapolim, teste Procopio, valde munitam obsedit. His ita peractis, Pontifex legationem illam, cuius causa à Deo missus fuerat, exequitur: principio ab Imperatore, qui propter Anthimi hæretici ordinationem suspicionem hæreseos incurrerat, secundam fidei professionem infra inter Epistolas extantem extorsit. Deinde vocatos in iudicium Acephalorum Principes Anthimum, Seuerum, Petrum & Zoaram, quos episcopi & Archimandritæ Orthodoxi oblatis libellis de hæresi accusauerant, condemnauit: ea conditione addita, vt si Anthimus præuia fidei confessione, erroris abiuratione & delicti commissi pœnitentia ad Ecclesiam redire vellet, Episcopatus pristinus Trapezuntinæ Ecclesiæ illi integrè seruaretur. Quod cum hortatu Seueri Acephalorum capitis Anthimus præstare recusaret, Pontifex eum simpliciter ab Episcopatu deposuit, & in locum eiusdem Mẽnam magni nominis orthodoxum, genere Alexandrinum, Xenodochij maioris præpositũ, Concilij Chalced. professorem surrogauit. Quæ vt vniuersis episcopis innotescerent, Encyclicas literas de Anthimi depositione & Mẽnæ substitutione, ad Oriẽtales Episc. scripsit. His peractis, inquit Liberatus in breuiar. cap. 22.)* constituens Papa apud Imperatorem Apocrisiarium Ecclesiæ suæ Pelagium Diaconum suum, dum in Italiam reuerti disponit, Constantinopoli obijt: *atq; è prælio ad coronam vocatus, consecutus est præmium æternæ vitæ, pro quo obtinendo, breui temporis spatio Ecclesiæ præsidens plurima beneficia contulit. Vnde quæ hoc loco scribit Anastasius, de Anthimo in iudicium vocato, viso & audito; deq; eodem post factam discussionẽ*

Theodatus Iustiniano regni cessionẽ offert.

Cur Agapetus Constantinopolim profectus.

Anthimus Constantinopoli ab Agapeto condemnatur.

condem-

condemnato, erronea esse videntur; ideo, quod præter Niceph. acta synodalia Concilij Constantinop. infra subsequentia testantur, ipsum neque citatum, neque visum, ab Agapeto penitus reiectum & condemnatum fuisse. Hæc ex Liberato, Cassiod. Niceph. & actis synod. Baron. an. 536. n. 1. & seqq.

10. Kalend. Maias.] *Anno 536. defunctum esse omnes fatentur. Sed cum 12. Kalend. Octobris eius memoria celebretur in Ecclesia, quod hic de tempore obitus & sedis vacantis refert Anastasius, fide caret. Quam historiam de Agapeto refert Sophron. in prato Spirituali cap 150. apud Baron. inuenies an. præd. n. 66. & seqq.*

EPISTOLA SYNODICA Concilij Africani ad Ioannem data, ab Agapeto accepta.

Optimam consuetudinem, &c. excusa est supra post Epistolas Ioann. Pap. II.

EPISTOLA IVSTINIANI ad Agapetum, qua more maiorum suorum apud Pontificem Romanum recens electum fidei suæ professionem edit, eandem quam supra ad Ioannem Papam I I misserat.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei Imper. Cæsar Flauius, Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator semper Augustus, Agapeto sanctissimo Archiepiscopo almæ Vrbis Romæ, & Patriarchæ.

Ante tempus in hac regia Vrbe nostra quorundam de causa fidei extitit morbosa contentio: quam nos congruè respuentes interposito edicto represimus. Et quia studij nostri est emergentes huiusmodi causas ad Apostolicæ Sedis vestræ referre iudicium, eiusdem fidei, quam sequendam duximus tenorem epistolæ nostræ insertum, ad beatæ memoriæ prædecessorem vestrum Ioannem per Hypatium, & Demetriũ venerabiles episcopos missa legatione direximus. Quam pro integritate fidei memoratus prædecessor vester libenti gratulatione suscipiens, suo, ac totius Ecclesiæ Romanæ firmauit assensu. Cuius epistolæ nostræ tenor huiusmodi est.

Victor Iustinianus, Pius, Felix, Inclytus, Triumphator, semper Augustus. Ioanni Sanctiss. Archiepiscopo Almæ Vrbis Romæ, & Patriarchæ.

Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est (vt decet patrem) honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam semper magnum nobis fuit studium vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, quæ hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Petimus ergo vestrum paternum affectum, vt vestris ad nos destinatis literis, & ad sanctissimum episcopum huius almæ Vrbis & Patriarchæ vestrum fratrem: quoniam & ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem festinans in omnibus consequi Sedẽ Apostolicam beatitudinis vestræ manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædictam fidem rectè confitentur, suscipit vestra sanctitas, & eorum qui Iudaicè ausi sunt rectam denegare fidem condemnat perfidiam. Plus enim ita & circa vos omnium amor, & vestræ sedis crescit auctoritas, & quæ ad vos est vnitas sanctarum Ecclesiarum inturbata seruabitur: quoniam per vos didicerint, omnes beatissimi episcopi horum quæ vos relata sunt synceram vestræ Sanctitati doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis, & Dei nobis acquirere prouidentiam. *Exemplar subscriptionis.* Diuinitas te seruet, per multos annos, sancte ac religiosissime pater. Dat. 8. Iduum* Ianuarium Constantinopoli, Domino nostro Iustiniano perpetuo Augusto; Consule.

EPISTOLA I. B. AGAPETI Papæ, ad Iustinianum.

Iustiniani fidei libellum quatenus conformis est sacris Canonib. confirmat.

Agapetus Episcopus, Iustiniano Augusto. Gratulamur venerabilis Imperator, quòd tanto Catholicæ fidei ardore succenderis, vt omnibus pijssimæ vitæ vestræ temporibus piam sollicitudinem circa seruandam, augendamque Ecclesiarum concordiam clementer exhibeas, & vnam fidem, suaque per omnia firmitate consimilem omnibus populis Christianis cupias prædicari. Nec mirum in eiusmodi clementiam vestram placita Deo cogitatione persistere, cum non alius Imperij vestri beatior sit prouectus, quàm religionis augmentum. Quapropter libenti hoc & prophetica voce cantabo. Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, quod florentissimum Principatum vestrum diuinis quotidie inspicimus beneficijs adornari. Cupis enim venerabilis Imperator, vt tuæ pietatis epistolam de fidei vestræ expositione nuper ad beatæ memoriæ prædecessorem nostrum Ioannem Romanæ sedis Antistitem, per Hypatium, atque Demetrium episcopos destinatam, & à præfato præsule roboratam nostra quoque auctoritate firmamus, laudamus, amplectimur, non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ patrum nostrorum regulis conueniens confirmamus, atque roboramus. Per quod iam & vnitas prouenit Ecclesiæ, & reliqua catholicæ membra Ecclesiæ ad eius compagem Christianitatis constantia reditura confidimus. Cuius professionis vel epistolæ tenorem inferius annectentes, studium, quod circa Deum integre geritis nostra auctoritate firmamus, prædicantes huiusmodi fidem omnibus patrum nostrorum regulis conuenire, & Apostolicæ Sedis concordare dogmatibus: constituentes, vt si quis nostræ catholicæ fidei contraire tentauerit, quam pro submouenda hæreticorum suspicione paternis regulis consonantem præsenti definitione firmamus, sancta communione efficiatur extraneus. Vnde & Cyrum eiusque sequaces iam ante pro hac insania ab Ecclesiæ Catholicæ communione suspensos, & in sua hactenus perfidia permanentes, nisi sub satisfactione canonica doctrinam Apostolicam fuerint consequuti, nullatenus patimur eos sacræ communioni restitui: sed etiam vt hæreticos anathemati subijcimus, vt qui nostris constitutionibus parere contempserit, Ecclesiasticum statum puritatemque non maculet.

Textus autem epistolæ hic est. In nomine Domini nostri Iesu &c. *vt supra præced. Et epist. Imp.*

Quamobrem petimus Sanctitatem vestram, vt memoratam epistolam vestram auctoritate firmetis, & Cyrum, vel sequaces eius à communione habeatis alienos, donec statutis sanctitatis vestræ obtemperent. *Exemplar subscriptionis.* Diuinitas te seruet per multos annos sancte ac religiosissime pater. Dat. prid. Id. Martiarum Constantinopoli Fl. Belissario V. C. Conss. Is fuit annus Christi 535.

Huic igitur vt prædictum est confessioni, & huic fidei quisquis contradicere præsumserit, à Catholica communione se nouerit alienum. Dat. 15. Kalendas Apr. Constantinopoli Fl. Belissario V. C. Conss.

NOTAE.

Constitutiones ex fide à Iustiniano Imperat. sancitæ, Pontificiis auctoritate confirmantur illæ, quæ sacris canonibus innituntur. Vnde si cubi aliquid, de rebus Ecclesiasticis & causa fidei constituisse legitur, id instinctu Epiphanij Constantinopolitani Episcopi, & Romanorum Pontificum fecisse credi debet.

tionem fa-
er, Data
reperitur
7. Kal. A-
pril. sub
prædicto
consulatu
Anno Do
mini 533.

Tom. 1. E-
pist. Decr.
6.

Ex V. C.
Vat.

Psal. 115.

Anno Do-
mini 535.

Constitu-
tiones Im
peratorũ
de fide
quo au-
ctore con-
ditæ.

PRIMVM EXEMPLAR PRECVM Iustiniani Imperator. ad Agapet. Pap.

Catholicam fidem apud Pontificem profitetur.

PRima salus est, rectè fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare: & quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica extra maculam semper est catholica seruata religio. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra sanctam Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, &c. vt supra post epistolam Bonifacij. Pap. II.

Matt. 16.

NOTAE.

Iustinianus publicam fidei confessionem edit.

Imperator ex præcedentis epistolæ Pontificiæ censura prudentior factus non amplius piuatam à se editam fidei professionem, sed publicam misit illam, quam olim Hormisda Pontifex miserat per legatos Constantinopolim subscribendam ab ijs, qui Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ communionem consequi vellent.

EPISTOLA II. B. AGAPETI Papæ primi, ad Episcopos Africanos.

To. 1. epist. Decre. 1.

Gratulatur, quod ab hæreticorum manibus euaserint incolumes, & ad ea, de quibus Ioannem consuluerant, respondet.

AGapetus Episcopus, Reparato Florentiniano, Datiano & ceteris Episcopis per Africam constitutis.

Ex V.C. Vat. Psal. 125.

Iam dudum quidem, fratres amantissimi, de prosperitatibus vestris repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Sed & nunc cum literas caritatis vestræ ad prædecessorem nostrum datas accepimus; pridem gaudia cõcepta renouamus, benedicentes Dominum sempiternum, qui liberauit nos ab inimicis nostris, & de manu omnium, qui nos oderunt. Vobiscum enim rectè nos dicimus, cum quibus & tribulati sumus. Nam cum vnum corpus vbique sit Ecclesia, & apud nos quoque principalia compatiebãtur & membra. Vester enim mœror nostra fuit semper afflictio, & de vestrorum omnium gemitu, imperante caritate visceribus frequentabamus sæpe singultus. Quæ cum ita sint, redeuntibus Caio & Petro fratribus, & coepiscopis nostris, atque Liberato Diacono filio nostro proferimus sinceriss imam concilij vestri caritatem: quoniam sicut & sapientes facere decebat, & doctos immemores principatus Apostolici non fuistis: sed quæstionis illatæ volentes vincula dissoluere, ab eius sede requisiuistis (sicut decebat) aditum, cui potestas est indulta claustrorum. Vnde nos ea, quæ de eiusmodi negotio in penetrabilibus patrum constituta posuerunt, libenter aperimus, & præsentibus alloquijs translata subnectimus, vt sine dubitatione possitis agnoscere, transcendi positos iamdudum terminos non licere. Itaque si vitare volumus offendiculum, quod à senioribus annuntiatum est, hoc sequamur. Carent enim excusatione quos prænonitos contigit excedere, & acerbitatem cumulant excessuum, quos ignorantia non tuetur. Hinc est, vt quia in tantum Deus omnipotens erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, vt de omnibus quorum iniquitati subiacuimus, reconciliatione tractemus. ita soliciteremedia debeamus adhibere, ne incolumitatis nostræ sit incommodũ quod curantur, aut medicina subeat maculam de vulnere, cui tribuere vult salutem. Sed eiusmodi (sicut & nobis cautissimè visum est) præstemus officium in obseruatione pastorum, ne cum perdita volumus congregare, pereamus, & cum sub nimia relaxatione absoluimus, obnoxij (quod auertat Dominus) cadamus in culpam: maximè cum priorum nostrorum sententia, redeuntes ad nos ex Arianis quolibet modo, in qualibet ætate illius pestilentiæ labe pollutos tanta caritate in fide complexa est eiusmodi iustitia, & sub dilectione redarguit, tãta ratiocinatione de ambitu honoris exclusi, vt erubescerent aliud magis quærere quã redire. De eo verò quod pijssima compunctione requisistis, vtrum ad officium suum debent suscipi, aut eos non oportet omnino promoneri, an alimoniorum saltim vtilitatibus adiuuentur, laudauimus, hortamur, amplectimur, vt re vera, eius promotionem, aut officium, in quo fuerint abnegantes, canonum vos reuerentia iudicent omnes appetere potius, quam gerere cupiditatis ardorem. Venientes igitur ad fidem sinceriss imam, nutriat humanitas, consoletur, prompta sit omnibus misericordia, in cuius remuneratione dictum est: Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Illud quoque quod catholicos, qui præsunt, aut militant Ecclesiæ, sine sacerdotum suorum literis suscipi à nobis minimè debere mandatis, & canonibus est congruum, & disciplinis, & prodesse iudicamus, ac fidei, quia permanendo in Ecclesijs, in quibus militant, & ministerij sui poterunt assiduitate in Dei Saluatoris nostri amore feruescere, & quæ in peruagatione reprehensibilia sunt, vitare. Datum 5. Iduum Septembris.

Luc. 1.

Luc. 1.

Matt. 5.

Anno Domini 519

EPISTOLA III. B. Agapeti Papæ Primi, ad Reparatum.

Tom. 1. Epist. Decret. 1.

Gratias agit, quod sibi de electione in Pontificem fuerit litteris gratulatus, simul significans se eius consultationibus respondisse, idemque per Legatos præstiturum. Interea hortatur, vt quæ pro fide catholica scripsit, diuulgari curet.

AGapetus, Reparato Episcopo Carthaginensi. Fraternitatis tuæ literis indicasti post epistolam decessori meo dirigendam inter nauigij suscipiendi moras, quas hyemis continuati generabat asperitas, ordinationem nostram tibi omnipotentis Dei beneficio nuntiatam, & gratulatum te fraternitatis affectu, quia Pontificatus mihi diuinitas indulsit officium, quod de sinceritate tua non sumus admirati. Sic enim te nobis alloquij directi præsentauit affectio, & cum dilectissimas tuas litteras legerem, te viderim. Quapropter ipsa te, quam vidi, mente complectens, postulo misericordiam diuinitatis, vt & in vobis quietis reparata gratia fructificet, & Deus omnipotens, qui mihi sacerdotis dedit donum, concedat & meritum. Præterea ad ea, quæ Caius, atque Petrus fratres & Coepiscopi nostri, sed & Liberatus Diaconus filius noster, vt apud nos agerent verbo à fraternitate tua sibi iniuncta direxerunt; congruum putauimus verbo dare responsum, quod per legatos nostros (si Domino placuerit) reddere non moramur. Vniuersa præterea, quæ inimicorum peruersitas inuaserat, caritati tuæ Metropolitana iura reparantes hortamur, vt ea, quæ tuo vel aliorum nomine rescripsimus, vniuersis debeas innotescere. Metropolitani quippe auctoritate suffultum, ne quis se excusabiliter asserat ignorare quod Sedis Apostolicæ principalitas canonum consideratione perscripsit. Dat. 5. Idus Septembris, post consulatum Paulini V.C.

Ex V.C. Vat.

A.D. 519

EPISTOLA IV. B. AGAPETI Papæ primi, ad Iustinianum.

Tom. 1. pist. Decret. 3.

Iustiniano gratias agit, quod sibi de electione in Pontificem fuerit gratulatus, illius fidem laudans, ad catholicam fidem tuendam hortatur, lapsos Episcopos cũ honoribus recipi non posse, respondet.

AGapetus Episcopus, Iustiniano Augusto. Licet de sacerdotij mei primitijs, pietatis diuinæ muneribus ad referendas essem gratias multipliciter obligatus; suscepistis tamen venerabilis Imperator, per Heraclium venerabilem presbyterũ filium nostrum vestræ serenitatis affatibus, quos æterni fructus vbertate pleniss imos destinastis, votorum meorum sunt in Domino gaudia geminata, quod adunatis felicitatis vestræ prouectibus, tali mentis gloriosæ proposito terrena vobis regna subijcitis, vt simul cælestia cõquiratis. Cuius rei nõ sunt ambigua documẽta, quãdo ita vestris, quę direxistis oraculis

Ex V.C. Vat.

catholicæ

Catholicæ professionis lumen irradiat, vt etiam beatis operibus eniteſcat. Siquidem illa eſt in Deo noſtro plena & firma credulitas, quam ſpiritualium ſimul fructuum commendat vberras, ſicut vas electionis annunciat, dicens: In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Quod enim maius fidei veſtræ poterit opus exiſtere, quàm quod tantis Apoſtolicam ſedem caritatis & munificentiæ titulis eleuaſtis, vt ipſa etiam deſideria ſperãtium tranſiretis? Et quidem hoc in vobis olim ſicut ego quoque probaui per Dei gratiam ſemper floruit inſtitutum, vt poſſibilitatis veſtræ meritum quantitas oſtenderet præſtitorum, & ad hos prouectus ineptæ mometa potentiæ tenderetis, vt benignitas vobis ingenita vota poſcentium aut præueniret, aut vinceret. Hinc eſt, quòd vſque ad principalis coronę faſtigia, & vltra nunc vſq; proſperis veſtra tranquillitas ſucceſſibus gloriatur, nec vnquam cęleſtibus fraudabitur adiumentis: quia ſcriptum eſt, Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Vnde ego quoque pijſſima veſtrę liberalitatis eloquia, cum deuotione gratulantis Eccleſiæ, ſicut præcepiſtis, diuinis ſcripta feci roinifterijs adhærere, vt ſupernæ maieſtatis obtutibus indefeſſis ſemper precibus ingerantur, & ad impetranda vobis retributionis veſtræ ſit cõmemoratio ſempiterna. Atque ideo, domine clementiſſime fili, obſequium ſalutationis vberrimæ reuerenter exſoluens, ſpecialis vos ſinibus caritatis amplector, ſperans vt de mea deuotione, quantum in me eſt, in ijs quæ pro Eccleſiaſticæ pacis vnitate præcipitis, vos vobis potius quæ ſunt Catholica promittatis, iuxta hoc quod dicit Apoſtolus; Ita quod in me eſt, promptum eſt & vobis. Nec in aliquo eorum in quibus licitè poſſumus obedire, manſuetudinis veſtræ nos adhortationibus credatis abſiſtere: quia ſicut gentiũ Doctor aſſeruit, ſpem habeo creſcente fide veſtra, & in vobis magnificari, ſecundum regulam noſtram: & ideo immenſas Deo noſtro gratias exhibeo, quòd pro populi multiplicatione Catholici tanto caritatis ardore feruetis, vt vbicunque veſtrum propagatur Imperium, regnum mox incipiat proficere ſempiternum: Cuius ſtudij beneuolentiæ vehementius inſiſtentes, etiam nos in acquirendis eis, quos Arianã ſignificatis vitare velle perfidiam, paternæ traditionis exiſtimatis declinare poſſe cenſuram, ſcilicet vt & in his honoribus, in quibus fuerunt apud hæreticos perſeuerent, & promoueantur ad alios. Quapropter bonum hoc equidem, & ſumma laude præcipuum, quòd omnes ouili Dominico per veram fidem cupitis aggregare. Sed non oportet nobis eos, qui non rectè ingredi moliuntur, excipere, beato Paulo Apoſtolo commonente: Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrũ. Quantam autem paternarum conſtitutionũ ſi ſic recipiantur (quod abſit) incurrant offenſionem, ne quid pietatem veſtram latere contingeret, ipſas quoque regulas credidi ſubnectendas, quæ ſpecialiter cenſuerant, ne quis talium reconciliatus, aut Eccleſiaſtici ordinis prouectibus augeatur, vt deſideret honores vlterius poſſidere, quos ſe dubitare iam non debet culpabiliter amiſiſſe, ex quibus pietas veſtra melius poterit æſtimare, ſi quomodo tam aperta & ſynodalia Sedis Apoſtolicæ licet infringere conſtituta, cum ſententia clamet Apoſtoli. Si tamen quę deſtruxi ea iterum reædifico, præuaricatorem me ipſe conſtituo. Et ideo ſecurus cum ipſius Apoſtoli voce profiteor, Quia confido in vobis, & in Domino, quòd nihil aliud ſentiatis. Etenim ſicut idem Doctor aſſeruit: Certus ſum & ego de vobis, quod pleni eſtis bonitate repletionis ſcientiæ, vt poſſitis inuicem monere. Si igitur hi de quibus indicaſtis ad fidem rectam legitimè venire feſtinant, noſtræ fidei regulas ſequi non abnuant, dicente Domino: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & ſequatur me. Quòd ſi adhuc vituperandi honoris ambitionibus excitantur, & pro lucro ſanctæ fidei humanæ gloriæ pati damna formidant, ipſi pronunciant, nec dum ſe à vitijs & errore diſcedere, & nos magis velle ſuis exceſſibus implicare. De talibus ergo dicit Apoſtolus, Æmulantur autem vos non benè, ſed excludere vos volunt vt eos æmulemini. Quæ cum ita ſint, ſancto ſtudio veſtro, quòd Eccleſiam Catholicam cupitis ampliari, nihil ex hoc, ſi tales in clero non recipiantur, credatis imminui, Apoſtolo præmonente: Quid enim ſi quidam eorum non crediderunt? Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Nam licet ſimili ſtudio caritatis pro multiplicatione fidelium ille beatus Petrus cæleſtis regni ianitor traheretur, qui vt Iudæorum plures acquireret à doctrina & tramite regulari in non reſpuendo omni Iudaiſmo deſcenderat; huic tamen ille iunior vinctus in Domino Paulus ſe retulit obuiaſſe dicens: Sed cum vidiſſem quòd non rectè ingrederentur, ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu cum ſis Iudæus, gentiliter viuis, quomodo gentes cogis iudaizare? Hæc ergo per omnia Deo cordi veſtro aſſidente, penſantes agnoſcere poteritis, nõ occaſionem nos excuſationis inquirere, ſed ea quæ pro officij noſtri ratione tranſcendere non poſſumus, vobis humiliter intimare, dicente Apoſtolo: Non enim poſſumus aliquid cõtra veritatem, ſed pro veritate. Vnde & de Stephani epiſcopi perſona ſimul & cauſa non credatis alicuius nos ſtudio defenſionis impelli. Abſit à quorumlibet mentibus Chriſtianis, vt in quacunque perſona, aut innocentiam redarguant, aut crimen abſoluant. Sed vniuerſa quæ Apoſtolicæ Sedis nuper hac ſunt parte diſpoſita, illo ſemper ſtudio manauerunt, quæ principatui beati Petri vos quoque cupitis per omnia reſeruari; ſcilicet ne in his, qui ſedis eius audientiam poſtulaſſent, ſperata ipſius reuerentia alterius ſententia prouenire: & ideo quia clementia veſtra ſalubriter offerre dignata eſt, vt à legatis noſtris omne negotiũ tractaretur; hanc operã his quos incontinenti dirigimus Deo auctore mandamus: ita tamen, vt iam nunc communione noſtra vir religioſus Achilles pro veſtra iuſſiõe debeat gratulari. At verò de ſacerdotio perfruendo, cum ad nos vniuerſa quæ Legati noſtri cognouerint, pleniſſima eorum fuerint relatione perlata, conſideratis ſanctorum canonum regulis, quas ſeruari præcipitis, ſequenda firmius cenſebuntur. Quod autem clementia veſtra fratris, & coepiſcopi noſtri Epiphanij dignata eſt excuſare perſonam, quia in prædicti Achillis conſecratione veſtra potius iuſſio, quàm illius ordinatio præueniſſet; credimus quòd, & ipſe cognouerit iure culpatum, qui præter alia, quę deliquit, hoc certè excuſare vix poterit, quòd tam pijſſimo & clementiſſimo Principi, beati quoque Petri priuilegia defenſanti, non vel opportunè, vel importunè ſuggerit quid in hac parte Sedis Apoſtolicæ reuerentiæ deberetur. De quo ſimul negotio, ſed & de Iuſtiniana ciuitate glorioſi natalis veſtri conſcia, necnon & de noſtræ Sedis vicibus iniungendis, quid ſeruato beati Petri, quem diligitis principatu, & veſtræ pietatis affectu plenius deliberari contigerit, per eos, quos ad vos dirigimus Legatos (Deo propitio) celeriter intimamus. Supereſt vt ſicut à beato Petro indefinenter expoſcimus, de ſalute & proſperitate veſtri ſemper Imperij gratulemur. Datum Idibus octobris.

Gal. 2.

2. Cor. 13.

Procop. libr. 4. de ædif. Iuſt.

Anno Domini 535.

EPISTOLA V. B. AGAPETI PAPÆ Primi.

Tom. 1. Epiſt. Decret. 4.

Oſtendit, in Chriſto duas perfectas eſſe naturas; Anthimum contrarium aſſerentem damnans.

AGAPETVS *Anthimo Epiſcopo Salutem.* Multo gaudio eſſem repletus, ſi te talem circa Eccleſiæ pacem, & glorioſiſſimi Imperatoris, atque populi doctrinam reperiſſem, qualem te in primordio eſſe audiui. Sed nunc, quia didicimus à reuerendiſſimis fratribus, te contra ſtatuta patrum, Imperatorem & reliquos populos docere, ita vt negata humanæ carnis atque animæ veritate, tantum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vnius aſſeras eſſe naturæ, tanquam verbi Deitas ipſa ſe in carnem animamque verterit, & tanquam concipi ac naſci, nutriri, & creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere, & aſcendere in cælum, ſedere ad dexteram patris, venire ad iudicandos viuos & mortuos, diuinæ tantum voluntatis fuerit, quæ nihil horum in ſe ſine carnis recipit veritate: quæ natura vnita naturæ patris, natura eſt Spiritus ſancti, ſimulque impaſſibilis, ſimulque incommutabilis, ſempiternæ Trinitatis indiuiſa vnitas, & vnius voluntatis æqualitas. Vnde ſi aliquis malæ voluntatis homo, aut infidelis quiſque deſciſcit, ne conuincatur Deitatem paſſibilem ſentire, atq; mortalem, & tamen verbi incarnati, id eſt verbi, & carnis vnam auſus fuerit pronunciare naturam; manifeſtè in apertam & Deo odibilem tranſit inſaniam, qui mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum, ſimulatoriè credit omnia egiſſe,

1. Tim. 2.

nec verum in ipso corpus, sed phãtasticam eius corporis speciem, oculis apparuisse cernentium. Quæ impietatis mendacia quoniam olim fides Catholica detestatur, & talia assertionum sacrilegia concordibus per totum mundum beatorum patrum dudum sunt damnata sententijs; nõ dubium est, eam nos fidem prædicare atque defendere, quam sancti Apostoli docuerunt, & hactenus eorum, suorumque successorum sequens sancta hæc Romana & Apostolica Ecclesia doctrinam tenuit ac tenet, docuit & docet. Si quidam enim ita sunt obcæcati, & à lumine veritatis alieni, vt verbi Dei à tempore incarnationis denegent veritatem: ostendant, in quo sibi Christianum nomen vsurpent, & cum Euangelio veritatis, qua ratione concordent, si per Virginis partum aut caro sine Deitate, aut Deitas est orta sine carne. Sicut enim negari non potest, (Euangelista dicente) quòd Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ita negari non potest, (beato Apostolo Paulo prædicante) quòd Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Quæ autem reconciliatio esse posset, qua humano generi repropitiaretur Deus, si hominis causam mediator Dei, & hominum non susciperet? Qua verò ratione veritatem mediatoris implet, nisi quia qui in forma Dei æqualis est patri, in forma serui particeps esset & nostri, vt mortis vinculum, vnius præuaricatione contractum, vnius morte, qui solus morti nihil debuit, solueretur? Effusio enim iusti sanguinis Christi, tam fuit dives ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vinculum retineret. Quoniam (sicut Apostolus ait) Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Et cum sub peccati præiudicio nati potestatem acceperint ad iustitiam renascendi, validius factum est donum libertatis, quàm debitum seruitutis. Quam itaque sibi in huius sacramenti præsidio spem relinquunt, qui in Saluatore nostro negant humani corporis veritatem? Dicant: quo sacrificio reconciliati, quo sanguine sunt redempti? Quis est (vt Apostolus ait) qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis? aut quod vnquam sacrificium fuit sanctius, quàm quòd verus & æternus pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit? In conspectu Domini pretiosa mors iustorum fuit: nullius tamen insontis occisio, redemptio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas. De fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persoluit, cùm filius hominis, vnus solus Dominus noster Iesus Christus, qui verè agnus erat immaculatus, extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiam suscitati. De quibus ipse dicebat: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Fides etenim iustificans impios, & creans iustos, ad humilitatis retracta participium, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se inuenit innocentem, liberum habens per gratiam Dei de eius potentia gloriari: qui contra hostem humani generi in carnis nostræ humilitate congressus, his victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphauit. Licet ergo in vno Domino nostro Iesu Christo vero Dei, atque hominis filio, verbi & carnis vna persona sit, quæ inseparabiliter atque indiuisè habeat actiones communes; intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates. Et sic veræ fidei contemplatione cernendum est, ad quæ proue hatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo Deitatis: quid sit, quod caro sine verbo non agit: & quid sit quod verbum sine carne non efficit. Sine verbi enim potentia nec conciperet virgo, nec pareret, & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine verbi potentia non adorarent Magi puerum Stella indice declaratum; sine veritate carnis non iuberetur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis persecutione subduci. Sine verbi potentia non diceret vox patris missa de cælo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite: & sine veritate carnis nõ protestaretur Ioannes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sine verbi potentia redintegratio non fieret debilium, & viuificatio mortuorum, & sine veritate carnis nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Postremò sine verbi potentia non se Dominus patri profiteretur æqualem, & sine veritate carnis. Non idem diceret Patre se esse minorem; cum Catholica fides vtrunque suscipiat, vtrunque defendat, quæ secundum confessionem beati Petri Apostoli, vnum Christum Dei viui filium, & hominem credit & verbum. Christus verò Deus noster ita inter Deum & hominem mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret. Quid igitur? Cum Christus sit Deus & homo, loquitur homo, & calumniaris Deo? ille in se naturam commendat humanam, tu in illo audes deformare diuinam? Gemina ergo est substantia Christi, diuina scilicet, quæ æqualis est patri; humana verò, qua minor est patre. Vtrunque autem simul non duo, sed vnus Christus, ne sit quaternitas, non Trinitas, Deus. Sicut enim vnus est homo in anima rationali & carne, sic vnus est Christus Deus & homo: ac per hoc Christus Deus, anima rationalis & caro. Christum in his omnibus. Christum in singulis confitemur, Deus te conuertat in bonum, frater, & rectæ fidei normam te in omnibus tenere, & docere concedat. Amen. Data Kalend. Maij, Iustiniano 4. & Theodato viris clariss. coss.

Ioan. 1.
2. Cor. 5.
Rom. 5.
Ephes. 5.
Psal. 115.
Ioan. 12.
Luc. 1.
Luc. 2.
Matth. 2.
Matth. 3.
Matth. 17.
Ioan. 1.
Ioan. 10.
Ioan. 14.

Notæ.

Epistola.] *Hæc, qua Anthimus de hæresi Eutychiana redarguitur, quæque Agapeto adscribitur, impostura suspicione laborat. Nam cum Anthimus per literas Seueri, cum quo Constantinopoli diutius egerat, de hæresi diffamaretur, homo callidus se iuramento expurgauit, atque coram ipso Imperatore professus est, se in omnibus assensurum ijs, quæ sedes Apostolica sentienda proponeret. Accedit, quod etiam ex falsa omnino Consulum nota, Iustiniani quartum cum Theodato seu potius Theodoro collega, detegitur impostura: cum reperiatur ipsa epistola data Kalendis Maij anni 534. quo Ioannes prædecessor Agapeti adhuc viuebat. Imò ipse stylus ab alijs Agapetis epistolis longè diuersus hanc epistolam alterius parentis sobolem esse, satis indicat. Vide Baron. an. 535. nu. 88.*

Epistola hæc de falso delata

Extat apud Bin. an. 535. nu. 101.

EPISTOLA VI. AGAPETI AD Cæsarium Arelatensem Episcopum.

De non alienandis bonis Ecclesiasticis.

Dilectissimo fratri Cæsario Agapetus. Tanta est, Deo propitio* & à Deo libẽtissimè cõcedenda quæ alimonijs proficiunt pauperum & circa tuæ fraternitatis affectum nostra deuotio, vt oneros um nobis nullatenus esse iudicemus, quod annui vestris desiderijs postulatis: sed reuocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus specialiter prohibemur prædia iuris Ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit, quolibet titulo ad aliena iura transferre. Quam rem vestræ quoque sapientiæ credimus esse gratissimam, quod in nullo contra priscæ definitionis constituta vel regulas pro qualibet occasione vel sub cuiuscunque personæ respectu venire præsumimus; ne tenacitatis studio, aut secularis vtilitatis causa hæc facere nos credatis. Sed diuini consideratione iudicij necesse nobis est, quicquid sancta Synodalis decreuit auctoritas, inuiolabiliter custodire. Quod vt charitati tuæ indubitabiliter elucescat, ad locum de hoc articulo ex constitutis Patrum fecimus reuelari: quæ cum præsentibus pariter affatibus credimus dirigenda. Dominus te incolumem custodiat, frater reuerendissime. Dat. XV. Kalendas Aug. P. C. Paulini Iun. V. C.

* adeo.

Extat apud Bin. an. 535.

EPISTOLA VII. AGAPETI AD eundem Cæsarium Arelatensem Episcopum.

De appellatione contumelioſi Episcopi ad sedem Apostolicam.

Dilectissimo fratri Cæsario Agapetus. Optaueramus, frater amantissime, vt Episcopi Contumelioſi opinione integra permanente, nec tibi dudum fieret necessitas iudicij, nec nobis causa censendi: maximè quia in suprascripti viri accu-

satione communis honoris reuerentia quodammodo videtur incursata. Vnde quatenus præsumptione (sicut asserit) innocentię ad appellationis voluit auxilium conuolare, orationibus assiduis hoc innitamur, vt eum cognitionis iteratæ beneficium gratulationi omnium restituat absolutum. Deleaturi enim, Deo nostro adiuuante, sumus examen, vt secundum Canonum venerabilium constituta sub consideratione iustitiæ omnia, quę apud fraternitatem tuam de eiusmodi negotio acta gestaue sint diligẽtissima vestigatione flagitentur: neque enim prædictum virum conuenit euentu prius habitæ cognitionis vrgeri, quippe cùm & ipse iudicium petierit: Non auertatur voluntas animi à precibus infirmorum, cum in necessitate fuerint: ne nobis (quod auertat Dominus) ea quæ leguntur in prouerbijs dici possint: Qui obturat aurem suam, vt non audiat infirmum, & ipse inuocabit Dominum, & non erit qui exaudiet eum. Quid est enim infirmius Episcopo Contumelioso, qui in tribulatione positus & de præteriti iudicij pudore confunditur, & cognitionis quæ futura est expectatione turbatur? quia quamlibet ei (quod optãdum est) puritas forte suffragetur innocentiæ, non potest iudicij solicitudinem non habere.

Et nos quidem quamuis culpatus à vobis Emeritus defensor memoratum Episcopũ reuersum ad Ecclesiam suam charitatis tuæ voluntate firmauerit vsque ad exitum iudicij, quod delegauerimus Episcopo Contumelioso reddita sibi modo propria substantia suspensum interim volumus ab administratione patrimonij Ecclesiastici, & celebratione Missarum: quia id quod sibi viderat iudicio fuisse sublatum, gloriosius, si ei veritas suffragatur, iudicio receperit, quam vsurpationibus occuparit. Melius autem fecerat fraternitas tua, si postea quam sedis Apostolicæ appellationem interpositam desiderauit, examen circa personam eius à tempore sententię nihil permisisses imminui, vt esset integrum negotium, quod interposita prouocatione quereretur: nam si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio quod requirat. Addendum, quia etsi non esset prædictus Episcopus iudicationi refragatus, priuatam magis potuit secundum canones expetere secessionem, quàm seueritatem religionis excipere. Suspensus igitur (sicut præfati sumus) Episcopus Contumeliosus habeat tantum quam præsumpsisse dicitur celebrationem Missarum: & patrimonio Ecclesiæ in gubernatione Archidiaconi eiusdem Ecclesię constituto, ita vt alimonia sufficientur Episcopo non negentur, visitatoriam in eius loco præcipimus ordinari personam, & patienter expectare Iudices, quos inspirante nobis Domino, cõstituerimus, audire. Præterea ne quid esset quod charitati tuæ videatur incognitum, studio dilectionis constitutorum fecimus capitula subter annecti, vt scientia communicemur canonum, sicut participamur affectu. Dominus te incolumem custodiat, frater reuerendissime. Dat. 15. Kalend. Augustas. P. Con. Paulini Iun. V. C.

SECVNDA FIDEI CONFESSIO QVAM Iustinianus obtulit Pontifici Agapeto Constantinopoli, dum per approbationem ordinationis Anthimi in suspicionem hæreseos venerat.

Exemplar libelli pijssimi D. N. Iustiniani Imp. quem dedit Agapeto Papæ apud Constantinopolim de fide.

Fidem Catholicam profitetur, & hæreticos anathematizat.

IN nomine Domini Dei nostri Iesu Christi, Imp. Cæsar Flauius, Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius Felix, Inclytus, Victor, ac Triumphator semper Augustus, Agapeto sanctißimo ac beatißimo Archiepiscopo Almæ Vrbis Romæ, & Patriarchæ.

Prima salus est rectę fidei regulam custodire, & à patrum traditione nullatenus deuiare: quia nõ potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, & patrum sequentes in omnibus constituta, id est, trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui in Nicæa sunt congregati, & sanctum anathema, siue symbolum fidei exposuerũt, & centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in Constantinopolitana ciuitate conuenerunt, & id ipsum sanctũ anathema dilucidauerunt, atq; manifestauerunt, & sanctorum patrum, qui in Ephesina prima synodo congregati sunt, & sanctorum patrũ, qui in Chalcedone conuenerunt, & quæ in vnaquaque ipsarum de fide continentur, sequentes dogmata, per quæ omnis aufertur hæresis impugnans sanctam & Apostolicam Ecclesiam, & probãtes per omnia, atque amplectentes epistolas beatæ memoriæ Leonis omnes, quas de fide Christiana conscripsit, & confitentes vnũ eundemque Christum Dominum filium vnigenitum in duabus naturis, id est, in diuinitate, & humanitate inconfusè, incõmutabiliter, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter vnitionem, magisque salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam, atq; subsistantiam concurrentes, & non in duas personas partitum, atq; diuisum, sed vnũ eundemque filium vnigenitum, Deum verbum Dominum Iesum Christum sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos Iesus Christus erudiuit, & sanctorum patrum nobis Symbolum tradidit: Omnes hęreticos anathematizamus, qui præter hæc, quæ dicta sunt sapuerunt, atq; sapiunt, & præcipuè Nestorium hæreticum Constantinopolitanæ ciuitatis, quondam episcopum damnatum in synodo Ephesina à beatæ memoriæ Cælestino Papa Vrbis Romæ, & sancto Cyrillo Alexandrinę Ciuitatis Antistite, & cum eo anathematizamus Eutychen, & Dioscorum Alexandrinę quondam Ciuitatis episcopum damnatum à Synodo Chalcedonẽsi, quam amplectentes sequimur. His coniungentes Timotheũ parricidam, Hellurum cognominatum, eiusque discipulum & sequacem in omnibus Petrum Alexandrinum similiter condemnatos. Auersamur autem & Acacium quondam Constantinopolitanę Ciuitatis episcopum cohæreticum, & sequacem horum factum, necnõ & participatorem. Quorum enim quis communionem amplectitur, eorũ & similem sententiam in condemnatione consequitur: simili modo & Petrum Antiochenum cõdemnamus cum sequacibus suis, & omnibus supra scriptis. Quapropter sicut præfati sumus, sequẽtes in omnibus Sedem Apostolicam, quæ ab ea statuta sunt prædicamus. Et profitemur ista inconcusse seruari, & compellere, vt iuxta tenorem libelli istius omnes faciãt episcopi, vt sanctissimi quidem patriarchę ad vestram faciant sanctitatem. Metropolitani verò Patriarchis, & alij vt suis faciant Metropolitanis, quatenus per omnia sancta Catholica nostra Ecclesia suam habeat firmitatem. *Alia manu.* Diuinitas te seruet per multos annos sancte ac religiosè Pater. Datum 18. Kal. Aprilis. Constantinop. Fl. Belissario V. C. Consule. Anno Domini 536.

NOTÆ.

Secunda.] *Post obitum Epiphanij Episcopi Constantinopolitani, studio & fauore Theodoræ Augustæ, Anthimus hæreticus et Eutychianus occultus, in locum defuncti surrogatus fuit: cui ordinationi, cum Imperator hæreseos illius adhuc ignarus consensisset, suspicionem hæresis apud Ecclesiam incurrit. Dum ergo Pontifex ordinatione Dei hac de causa Constantinopolim venisset, post causam Theodati Regis propositam, hanc fidei professionem ab Imperatore exegit. Nota Consularis in fine addita, mẽdosa est, sicq; corrigenda. Dat. 18. Kal. April. Constant. post Consulatum Belisarij V. C. Consulis.*

EPISTOLA VIII. AGAPETI AD PEtrum Hierosolymitanum Episcopum, de Anthimi depositione, & Mennæ subrogatione.

Voluissemus quidem. Fratres dilecti, propter coniunctionem nostræ charitatis, &c. *extat infrà in Concil. Constantinop. sub Menna. Act. 1.*

CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM POST Obitum Agapeti tempore Interregni Pontificij sub Menna anno Domini 536 post Consulatum Belisarij, contra Anthimum, Seuerum, alioſque Acephalorum principes celebratum.

TITVLI ACTIONIS primæ.

LIBELLVS *Archimandritarum & monachorum Constantinopolitanorum & Syriæ, quem Iustiniano post obitū Agapeti obtulerunt, petentes in eo, damnatos ab Agapeto hæreticos expelli.*

Libellus eorundem Agapeto Constantinopoli oblatus eiusdem argumenti.

Libellus Orthodoxorum Episcoporum Orientalium cōtra Anthimum alioſque hæreticos Agapeto oblatus.

Encyclica Epistola Agapeti Papæ ad Petrum Hieroſolymitanum Episcopum, de Anthimi depositione, & Mennæ in locum eiusdem suffectione.

Interlocutio Mennæ.

Actio II.

Actio III.

Action. IV. Tituli sunt. Sententia Synodi Constantinopolitanæ contra Anthimum. Sententia Mennæ contra Anthimum.

TITVLI ACTIONIS V. QVÆ MAlè hactenus I. nominata fuit.

LIBELLVS *episcoporum de secunda Syria, ad Iustinianum Imperatorem.*

Libellus monachorum monasteriorum ibidem, & quæ in Hieroſolymis, & in eremo, & in secunda Syria, & in monte Sinai, & in tribus Palæstinis erant, ad eundem.

Libellus eorundem ad ibidem congregatam synodum.

Epistola Hormisdæ Papæ ad Epiphanium Archiepiscopum Constantinopolitanum.

Supplicatio clericorum & monachorum Antiochiæ, ad Ioannem Archiepiscopum Constantinopolitanum, & ibi congregatam synodum.

Relatio, ad Ioannem archiepiscopum à congregata synodo.

Libellus abbatū Constantinopolitanorum ad congregatam synodum, cui & annexæ sunt quatuor synodi, quomodò in Ecclesia prædicatæ fuere.

Epistola Ioannis patriarchæ, ad Ioannem Hieroſolymorum.

Alia Epistola eiusdem patriarchæ, ad Epiphanium Episcopum Tyri.

Epistola Hormisdæ Papæ ad clericos secundæ Syriæ & archimandritas, & reliquos orthodoxos in proprio aliquo climate Orientis.

Rescriptum Ioannis Hieroſolymorum Episcopi, & suffraganeorū suorum, ad Ioannem Constantinopolitanum.

Epistola Epiphanij Episcopi Tyri, & episcoporum sibi subditorum, ad congregatam in Constantinopoli synodum, & exclamatio fidelium multitudinis Tyri, & anathematizatio Seueri & eius doctrinæ.

Epistola episcoporum de secunda Syria ad Ioannem patriarcham & synodum.

Actio formata à præsule prouinciæ contra Petrum Apamearum.

Alia actio ab eodem.

Libelli dati à monachis Apamearum, episcopis secundæ Syriæ, contra Seuerum & Petrum Apamearum.

Sententia ab illis, qui de Italia huc venerunt, contra Seuerum & Petrum.

Sententia Epiphanij patriarchæ Constantinopolitani, & ibidem congregatæ synodi, contra Seuerum & Petrum.

Sententia Mennæ patriarchæ contra Seuerum, Petrum, & Zoaram.

ACTIO I. CONCILII CONSTANT. post obitum Agapeti tempore Interregni sub Menna Constantinop. habita.

POST consulatum Flauij Beliſſarij clariſſimi, ſexto Nonas Maias, indictione decimaquarta, in Deo amantiſſima & Imperiali ciuitate Conſtantinopoli noua Roma, præſidente Domino noſtro ſanctiſſimo ac beatiſſimo archiepiſcopo, & Patriarcha Menna in * Meſaulio * dytico venerabilis domus Dominæ noſtræ ſanctæ, & glorioſæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, quę eſt prope ſanctiſſimam magnam Eccleſiam. Et à dextera quidem parte conſidentibus ei, & coaudientibus iuxta pium iuſſum Chriſto amantiſſ. & à DEO cuſtoditi Imperatoris noſtri Iuſtiniani, ſanctiſſ. ac Deo amātiſſ. epiſcopis, Sabino Canuſino, Epiphanio Eſculano, Aſterio Salernitano, Ruſtico Fæſulano, Leone Nolano, omnibus ex Italiæ regione prius quidem miſſis à ſede Apoſtolica. Deinde verò vnanimiter conſentientibus aduenienti huc ſanctæ memoriæ Agapeto Papæ antiquæ Romæ, Petro Iuſtinianopolis metropolis ſecundæ prouinciæ Cappadociæ, Zacharia metropol. Mityleno, Marco metropol. Apameæ prouinciæ Bithyniorum, Auxentio metropol. Sebaſten. Thalaſſio metropol. Berytano, Magno metropol. Beroæ, Ioanne Gabalorum, Ioanne Boſphoro, Domitiano gentis Zinchiorum, vel Zichiorum, Chriſtophoro Porphyriono prouinciæ * Phœnicis Paralij, Archelai Coryco, Dauitho Cyrreſtenſi, Ætherio Mariamnio, Alexandro * Pagraſono, Domno ciuitatis Maximianopolis ſecundæ Paleſtinæ, Anaſtaſio Iotapæ, Ioanne Zooroano, Andrea Panu, Epitynchano Germæ prouincię Helleſponti, Paulo * Stectorio, Andrea Peltorum, Theodoro Myrorum, Theodorito Alindorum. A ſiniſtra vero parte Hypatio metropol. Epheſino, Conſtantino Heracleę metropol. Europæ, Theogene metropol. Synnadorum, Bacho Antiochiæ metropol. Piſidiæ, Hilariano metropol. Pergæ, Voſporio Neocæſareæ metropol. Ponti Polemoniaci, Paulo metropol. Tyanorum, Acacio metropol. Peſſinuntis, Epicteto ciuitatis Claudiopolis metropol. Honoriadis, Timotheo Berrhoæ metropol. Epiphanio Heracleano prouinciæ Honoriadis, Abraamio Cratiano, Alexandro Colonenſi ſecundæ prouinciæ Cappadocum, Aſterio Amaſtreo, Eugenio Tij, Ioanne Cæſaræenſi prouinciæ Bithyniorum, Dominico Theodoſianæ ciuitatis Phrygiæ prouinciæ Pacatianę, Ioanne Traianopolis ciuitatis, Theodoro Euriæ antiquæ Epiri, Andrea Amyzonio, Flauiano Cotenorum, Elia Adrianopolis prouinciæ Bithyniorum, Macedonio * Beriano, & Armonio Calliopolitano: Aſſiſtentibus autem ipſis, & coaudientibus, & Theophane ac Pelagio Deo amantiſſimis diaconis Apoſtolicæ ſedis, & Mina ac Petro venerabilibus notarijs, ac quibuſdam venerabilibus ſubdiaconis, & procuratoribus, ac cæteris clericis ipſius ſedis Apoſtolicæ. Qui & ſimul erant cum Agapeto ſanctæ memoriæ hic facto Papa antiquæ Romæ, & * σωστένιος conſentientes fuerūt πεφαινομένῳ σωστενίῳ hic facto Agapeto ſanctæ memoriæ Papæ antiquæ Romę, ac etiam Magno presbytero & Heraclio diacono, ambaſſiatoribus Euphremij ſanctiſſimi Patriarchæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ Theopolitanæ, Sabino diacono ſanctæ Chriſti Dei noſtri reſurrectionis, ambaſſiatore Petri ſanctiſſimi epiſcopi patriarchæ Hieroſolymorum, Stephano Diacono & ambaſſiatore Soterici ſanctiſſ. epiſcopi Caſareæ metropolitanæ primæ Cappadociæ, Gaiano presbytero & ambaſſiatore Elpidij ſanctiſſimi epiſcopi Ancyrani metropolitæ primæ Galatiæ, Dionyſio & Callinico diaconis, & ambaſſiatoribus Phorij ſanctiſſimi epiſcopi metropolitanæ Eccleſiæ Corinthi. Præſente etiam venerabili clero regiæ ciuitatis, Euphemius venerabilis diaconus & primicerius notariorum, dixit: Quoniam Marianus venerabilis presbyter, & Prior monaſterij cognominati ſanct. Dalmatij, & Primas venerabilium monaſteriorum in hac regia ciuitate ſituatorum, & reliquorum venerabilium Priorum monaſteriorum in hac Chriſto amantiſſima ciuitate conſtitutorum, inſuper etiam & venerabiles monachi in hac regia vrbe congregati, qui ſub Theopolitana ciuitate & Hieroſolyma ſunt, ſupplicationes porrexerunt piiſſimo & à Deo cuſtodito Imperatori noſtro: eius Imperium ſanciendum

* i. indirulli. Iæ occiduo.

* Panino.

* Butilino

dum dignè iudicauit, præsentes sanctissimos episcopos de Italia, insuper etiam & Deo amantissimos Archidiaconos sedis Apostolicæ, ac venerabiles notarios & defensores ipsius Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, qui huc venerunt, & qui simul erant cum Agapeto, qui factus fuit Papa Apostolicę sedis antiquæ Romæ, ac alios etiam omnes Deo amantissimos episcopos congregatos, ad vestram betitudinem conuenire, vt vobis manifestæ fiant supplicationes suæ serenitati oblatæ, quas quidem pronunciari vellent hi, qui eas porrexerunt, & quæ à venerabilibus canonibus approbatæ sunt, & quę Ecclesiastico ordini conueniunt, ad opus deduci. Cùm itaque adsit, & tanquam magno Imperatori adstiterit, & omnes, qui sacrum vestrum collegium implent, & obseruant venerabile vestrum secretum, ac etiam prædicti venerabiles monachi, & Theodorus circunspectus referendarius, à pijssimo domino nostro missus, & hoc subijcimus * ad notitiã. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Intrent memoratus Theodorus circũspectus referendarius, & memorati viri venerabiles. Et intrarũt Theodorus circunspectus tribunus, notarius & referendarius à Deo custoditi Imperatoris nostri, & Marianus presbyt. venerabilis, & Prior monasterij sancti Dalmatij, & Primas, & cum ipsis venerabiles presbyteri & archimandritæ venerabilis vrbis Regiæ.

Agapetus Dij.
Dioscorus sanctæ Euphemiæ.
Agapius Thalassij, Paulus Romanorum.
Antoninus sancti Eusebij.
Stephanus Olimpij.
Anastasius Romanorum.
Demetrius Fossæ.
Dominicus Euphemij.
Stephanus Promoti.
Zenon sanctę Dei genitricis ad fontem.
Alexander Calamij.
Dadas Caiumæ.
Rhodon sancti Theodori.
Gennadius sancti Dominici.
Theodorus sancti Maronij. * Syla Iliæ.
Paulus sancti Samuelis.
Ioannes sancti Theodori in petra.
Dominicus Syriorum.
* Cyrion Ægyptiorum.
Basilius Cyraconæ.
Ioannes S. Thomæ Apostoli inter illos Modesti.
Marcus sancti Theodori.
Flauianus presbyter & secundarius Modesti Lycaonorum.
Marinus sancti Pauli.
Theoctistus sanctæ Dei genitricis prope illa sancti Iob.
Theodorus Tryphonis.
Cosmas sancti Ioannis inter illa studij.
Petrus sanctæ Dei genitricis, & sancti Diomedis in Hierusalem.
Liberius sancti Dominici.
Alexander Abraamij.
Theodorus sancti Iob. Tryphon Elpidij.
Stephanus Constæ.
Babylas sancti Danielis ad columnam.
Ioannes sancti Anastasij.
* Anthemius Neonis.
Ioannes sancti Miachaelis Charisij.
Ioannes Maræ prope Cisternam Aetiam.
Phocas Ionæ prope Secundum.
Zosimus Eutychij Lycaonorum.
Timotheus Asterij.
Stratonicus sancti Domecij Martyris.
Polychronius sancti Michaelis in Ethrio.
Andreas Romanorum prope Cisternam,
Martyrius Petri prope sanctos Apostolos, siue Valentini & Dandati
Andreas sanctæ Dei genitricis prope sanctum Lucam.
Marcus sancti Dominici.
Iacobus * Abybi Syrus.
Atticus Eucratadorum.
Ioseph sanctæ Dei genitricis in Lithostroto.
Paulus sancti Petri Apostoli prope Palatium.
Anastasius presbyter & secundarius sancti Philippi in Brephotrophio.
Gregorius Cyri, Eusebius Simeonis.
Zoticus sancti Andreæ prope portam Saturinam.
Et de sub Theopolitana ciuitate.
Paulus monachus ambassiator monasterij Maronis.
Seuerianus presbyter & archimandrita monasterij Zoaræ de Thermis, Syrus.
Cassisa presbyter & archimandrita monasterij Lucæ Syrus.
Simeones diaconus & ambassiator Iacobi.
Ioannes diaconus & ambassiator Theodori.
Stephanus presbyter & prior monasterij Euxerij Syrus.
Ioannes presbyt. & archimandrita monasterij domini Thomæ Syrus.
*Thomas presbyter & archimandrita monasterij Aaron Syrus. * Theonas
* Photinus monachus & ambassiator monasterij sancti Stephani. * Faustinus
Theodorus diaconus & ambassiator Ecclesiæ Erendilenorum.
Sergius presbyter & periodeuctus.
Qui omnes pro se faciunt & pro alijs. Item & de sanctis Christi veri Dei nostri locis.
* Dometianus presbyter & archimandrita monasterij sancti ac beati Martyrij.
* Isichius presbyter & archimandrita monasterij B. Theodosij.
Cassianus presbyter Lauræ beati Sabbæ.
Dominicus presbyter & prior Pyrgiorum Iordani.
Nestabus presbyter Lauræ beati Firmini.
Terentius presbyter nouæ Lauræ.
Leontius monachus Prior ac οἰκονόμος, vicarius totius eremi.
Traianus presbyter Pyrgiorum Iordani.
Polyeuctus diaconus monasterij beati Theodosij.
Theodorus diaconus & monachus nouæ Lauræ.
Cyricus diaconus & monachus ipsius nouæ Lauræ.
Anastasius diaconus monasterij beati Martyrij.
Mamas monachus eiusdem monasterij.
Ioannes monachus eiusdem monasterij.
Iulianus monachus monast. B. Theodosij.
Qui omnes faciunt & pro seipsis, & pro suis monasterijs, ac pro omnibus monachis, qui sunt in eremo sanctæ ciuitatis.
Iordanes presbyter de Petra, & pro omnibus ibidem monachis.
Theonas presbyter montis Sinai, & ambassiator montis & Ecclesiæ Faran & Lauræ Raithę, pro omnib. ibidem monachis.
Strategius diaconus & monachus monasterij B. Ioannis, pro omnibus monachis, qui sub Scythopoli sunt.
Sanctissimus archiepiscopus dixit: In primo ordine edoceri volumus à circunspecto Theodoro causam, propter quã ad nos venit.
Theodorus circũspectus tribunus, notarius & referendarius pijssimi domini nostri, dixit: Præsentes venerabilissimi monachi supplicationes porrexerunt diuinissimo ac sereniss. & victoriosissimo Imperatori nostro, & ipsas sancti Imperium suum dignè iudicauit, & me accipere, ac portare ad vestram sanctitatem, docereque venerabiles monachos, vt cùm vos edocti eritis, quæ ab ipsis facta sunt, canonicè formetis ea, quæ vestræ beatitudini videntur benè habere. Has itaque cùm ad manus habeam, vestræ beatitudini porrigo ad legendum.

Sanctissimus archiepiscopus dixit: Supplicatio venerabilium monachorum porrecta pijssimo & Christo amãtissimo Domino nostro, & susceptа, fiat manifesta. Et accipiens Acacius venerabilis diaconus & notarius legit: Colẽdissimo, pijssimoque ac potentissimo Iustiniano Augusto: Supplicatio ac deprecatio Mariani monachi & archimandricæ monasterij B. Dalmatij, ac Primatis, venerabilium monasteriorum vrbis regiæ, & ipsius archimandritarum, necnon & archimandritarum & monachorum Hierosolymitanorum, & sancti montis Sinai, ac secundæ Syriæ in ipsa congregatorum.

LIBELLVS MONACHORVM IMPERatori post obitum Agapeti oblatus.

DEvs magnus & mirabilis, per quem reges regnant, & potentes terræ dominantur, præsciens præsentia & futura, conspexit Deo dilectum cor vestræ pietatis, & solus tales in his cogitationes scrutari valens, & videns præcipuum zelum pro recta fide, & diligentiam, quæ fieri debet pro statu, qui nunc est in sanctissimis Ecclesijs, adduxit ad imperialem sedem vestram serenitatem: volensque ostendere in vobis omnibus suum iudicium ἀπροσωπόληπτον, id est, sine acceptione personarum, proposuit ad manifestum vestram bonam operationem, quam die ac nocte pro Ecclesiastica pace & honore ac cultu rectæ fidei, ac sanctorum patrum facitis, & pro eleemosyna, quæ est proxima charitati: nam fidelibus eleemosynis expurgari peccata didicistis. At hoc boni consilij opus dissipare prompti Anthimus, Seuerus, Petrus, ac Zoaras, & qui similia his sapiunt, omni tempore & loco tumultus ac turbationes Ecclesijs facere non cessarunt. Terram quidem ac ciuitates sanctorum, & aliorum quorundam sanguine contaminarunt, tumultus concitantes: aërem verò & audientium aures anathematizationibus contra sanctos inquinauerunt. Demum verò irruerunt in hanc regiam ciuitatem, & altaria prophana, & baptisteria aliena in oppositum veri altaris, & sancti fontis, in multis claris locis ipsius ciuitatis, & in sul urbijs, & in proprijs domibus fixerunt, & iniqua in ipsis facere no cessant, alios in domibus corrumpendo, & iuxta Apostolum captiuando in ipsis simpliciores addiscentes, & nunquam ad cognitionem veritatis venire valentes. Quod autem maius malum est, & nobis intestinum, Anthimus, cui aliquando ordinatus fuit episcopus Trapezuntius, (iste enim ex multo tempore propriam Ecclesiam derelinquens, & fictam vitam continentiæ assumendo, cum prædictis hæreticis conuenticula placita faciendo, & dicendo omnia æqualia, quasi perpetrando errorem hæreticum * similem illis: (quasi dicat, potuit & iam non potuit) conatus est per illorum coniunctionem, sedem ipsius ciuitatis subripere contra omnes Ecclesiasticos canones & leges. Quia igitur Catholicæ Ecclesiæ omnes alumni, & de prædicti Anthimi iniquitate, & violenta promotione aliorum iniquorum virorum, qui Deo & nobis molesti esse non cessauerunt, vos pijssimi, valentes ipsos extra ponere tamen canonicum iudicium à Romano pontifice in ipsum Anthimum, & in prædictos hæreticos benefaciendo audire voluistis, illo persuasi, qui dicit: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi. Et Apostolo dicente: Obedite ducibus vestris & subditi estote. Ipsi enim vigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri. Misit itaque Deus huic ciuitati Agapetum, qui verè ἀγαπητός, id est, dilectus à DEO & hominibus, pontificem antiquæ Romæ, in depositione Anthimi & prędictorum hæreticorum, tanquam olim Petrum magnum Apostolum Romanis in depositione Simonis * Cretiani. Iste ergo honorabilis vir, sciens per libellos plurimorum nostrorum ea, quæ iniquè contra Ecclesias præsumpta fuere, ea ipso visu semel accipiendo, neque ad visum suscipere voluit Anthimum, furentem aduersus canones, sed nunc iustè eiecit de sacerdotali sede ciuitatis suæ: & co opitulante & coadunato Catholicæ fidei & diuinis canonibus vestro Imperio, præfecit ipsi Ecclesiæ sanctissimum Mennam, rectæ fidei & vitæ pudicæ, ac honestæ conuersationis, & infirmantium sibi in iniungenda dispensatione approbatissimum. Præterea, rursus de Anthimo, & de alijs hæreticis porreximus libellos, & Episc. Palæstini in ciuitate congregati, & alij Orientales, & ambassiatores aliorũ pontificũ, & nosipsi postulauimus Anthimum Episco. Trapezuntium, quæ perpetrauit, facere per libellum nota sedi Apostolicæ, & liberare seipsum ab omni hæretico errore, & proficisci ad Ecclesiam Trapezuntinam: aut si hoc non velit, finaliter condemnetur, & omni dignitate sacerdotali ac operatione nudetur. Sic fecit sanctus Cælestinus contra impium Nestorium, qui seipsum tali condemnationi subijciendo, partem cum hæreticis accepit, Et hos quidem proprijs Ecclesijs præmuniuit, hæreticos verò aut canonicè ad Ecclesiam venire, aut cessare decætero ab insidijs contra ipsam, conuenticulis ac parabaptisterijs, & persequi de hac ciuitate, & qualibet alia, tanquam deuastores, ac insidiatores, non solùm sanctissimarum Ecclesiarum, sed & etiam ipsius politiæ à vobis bene sanctæ. Hæc voluimus ipsum afferre ad cognitionem vestræ pietatis, vt per ipsam ad finem deducantur, quæ à nobis petita sunt. Has verò petitiones nostras iustas præueniens prædictus sanctissimus vir, cùm Anthimus seipsum manifestum constituerit, simul cum prædictis hæreticis condemnauit, & omni dignitate sacerdotali & officio nudauit, & omni Episcopatu & orthodoxo nomine vsque ad pœnitentiam eorum, quæ deliquit, & misit vestræ pietati libellos nostros, vt quæ in ipsis sunt: per vos ad finem deducantur. Sic enim opportunè assumptus est hic honorabilis vir à dispensatore nostro Deo, & additus est patribus suis, & bonum certamen certauit, & cursum perfecit, fidemque seruauit. Obtestamur itaque vestrum imperium (licet temerarium quid faciamus) per magnum Deum saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM, qui protegat honorabile imperium vestrum, & omnem inimicum, & hostem propter vestram rectam fidem vobis subijciat, non contemnere iustum iudicium prædicti sancti viri, sed ipsum exequi, & Ecclesiam Dei ac totum mundum liberare à peste Anthimi & prædictorum hæreticorum. Nam sancto viro Agapeto in præsenti vita existente, post DEVM ad vestram pietatem respiciente, hæc finem à vobis accipere expectauimus. Implendo itaque, quæ ab illo iustè ac canonicè iudicata fuère, & per vestram generalem sanctionem ipsa confirmando, taliaque decætero præsumi interdicendo, illius beatam animam coletis. Quæ cùm Deo proximior sit, eo quòd vinculo terræ & carnis huius soluta sit, & fiduciam ex proprijs bonis operibus adepta, pro pace & salute vestræ pietatis intercedit. Vos autem cum Dauid ad Dominum, cum fiducia * clamastis: Nonne qui oderant te Domine, odio habui, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio odiui eos, & inimici facti sunt mihi. Timendum enim est, pijssime Imperator, ne propter multam dilationem illud Israelitici populi patiamur & nos, in medio habentes ab omni sacerdotio anathematizatos: qui quoniam in medio habuit Achan & Ionathan, in scientia & ignorantia seipsos anathemati subijcientes, in periculo fuit totaliter perire, licet ignoraret, quod in medio haberet anathema. Non ergò sustineatis Christianissimi Imperatores tale malum contemnere, sed * vtimini zelo ad recognitionem Dei, & his, quę ipsius sunt, illud adimplentes, quod scriptum est: Ventilator impiorum, rex sapiens vt cum Dauid & Iosia, & Elia, ac Agapeto, qui maximè zelauerunt pro Deo, partem vos habeatis, in præsenti quidem sicut & illi, & sub scabello pedum omnes inimicos vestros subijciat; in futuro verò cum illis æternum regnum tribuat, qui promisit & in isto cẽtuplum, & in futuro seculo diligentibus vitam æternam donare.

Prou. 8. Dan. 4. Ecc. 3. 2. Tim. 3. * ὁμοίως. Locus obscurus. Deut. 32. Hebr. 13. Niceph. Eccl. hist. lib. 17. c. 9. * Zoetici * clamauit Psal. 138. Iosue 7. 1. Reg. 4. * zelemini Prou. 20. Matth. 19.

SVBSCRIPTIONES.

MArianus diuina miseratione presbyter, & archimandrita, & primas venerabilium monasteriorum huius regiæ ciuitatis, cum vniuersis venerabilissimis archimandritis, qui vna mecum supplicarunt, de cõsensu omnium subscripsi & porrexi.

Hesychius diuina miseratione presbyter & monachus monasterij Beati Abbatis Theodosij, locum tenens Sophronij presbyteri & archimandritæ ipsius monasterij, & primi totius eremi Hierosolymorum, cum omnib. his qui mecum missi sunt, archimandritis & monachis Hierosolymitanis ad hanc regiam vrbem, qui faciunt pro omnibus archimandritis & monachis, qui habitant ipsam eremum & tres Palæstinas, qui vna mecum supplicarũt, subscripsi de consensu omnium, & porrexi.

Theonas Dei miseratione presbyter & ambassiator sancti montis Sina & eremi Raithæ, ac sanctissimæ Ecclesiæ de Pharan, faciens pro omnibus supra scriptis, supplicaui, & subscribens porrexi.

Paulus

Paulus Dei miseratione Diaconus, & ambassiator venerabilis monasterij beati Maronis principalis venerabilium monasteriorum secundæ Syriæ, missus huc ab omnibus venerabilibus archimandritis & monachis ipsius regionis ad vestram pietatem cum supplicationibus ipsis, quas extenderunt contra subscriptos hæreticos Acephalos, faciens pro omnibus prædictis archimandritis & monachis, supplicaui, subscripsi, & obtuli. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Peto quidem, cùm circunspectus Theodorus referendarius iam aduenerit, dicant præsentes monachi, si * qui plus docere voluerint. Venerabiles monachi per Marianum venerabilem primatem porrexerunt * doctrinale, id est, instrumentum reformationis. Quòd cùm accepisset venerabilis Christodorus Diaconus, notarius & secretarius, legit: Epiphanio sanctæ memoriæ archiepiscopo huius regiæ vrbis, in pace vita functo Anthimus, qui aliquando ordinatus fuit Episcopus Trapezundarum, magnitudinem & dignitatem sacerdotij, non spiritualem animarum diligentiam esse putauit, sed quendam ciuilem principatum, & propterea maiorem appetens, iam multo tempore derelinquens propriam Ecclesiam, & ciuitatem appræhendens, tanquam quædam plaga Ægyptiaca, vitamque fictam ipsius figuratæ continentiæ omnibus ostendens, cum hæreticis hic nidificantibus conuersatus est, similia quoque illis hæretica furta largiendo, & placita illis faciendo & dicendo, voluit adulterinè subripere sacerdotalem sedem ipsius ciuitatis, contra omnem æquitatem Ecclesiasticam & canones. Quoniam ergo circa ambo * peccare visus est, & circa diuinos canones, & circa rectam & immaculatam fidem, & sanè sciamus nos defensionem Diuinorum canonum conuenire solùm sacerdotibus, rectæ verò fidei non solùm sacerdotibus, sed & omni Christiano orthodoxo: quæ de ipsa salua sunt, hunc interrogauimus, non semel, non bis, sed multoties, rogantes ipsum confiteri ea, quæ contra Eutychen à sanctis patribus decreta sunt, & maximè, quiin sancta œcumenica synodo Chalcedonensi conuenerunt, & à beatissimo Papa Leone, videlicet Dominũ nostrum Iesvm Christvm esse in duabus naturis indiuisibiliter, immutabiliter, inconfusibiliter, & inseparabiliter, & simul condemnare & anathematizare cum Nestorio & Eutyche etiam Dioscorum Episcopum Alexandrinum, patronum & defensorem impietatis Eutychis, & qui omnium malorum causa fuit, & condemnatus ac anathematizatus fuit cum Nestorio & Eutyche à prædicta sancta Synodo Chalcedonensi. Ipse verò propter excogitatum consilium contra Ecclesiam, imbuens oculos proprij sensus, & vnum solum propositum habens, (cùm semel transcenderit ostium mandræ ouium Christi Dei nostri) ouile lupus tradere, reputit nostras cogitationes & exhortationes & oblitus est veræ promissionis Domini de ipsius Ecclesia, *Quoniam portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & illius scripturæ, quoniam consilium, quod consuluistis, dissipabit Dominus*: ideo Dominus Ecclesiæ suæ donauit illud * semper inexpugnabile aduersus hæreses excitando spiritum Agaperi Romani pontificis, & iam Dei voluntate appræhendit ciuitatem ipsam. Et cum * cognoscat per multorum libellos & nostros ea, quæ iniquè præsumpta fuere aduersus Dei Ecclesiam, neque ad Dei visum semel suscipere voluit Anthimum furentem contra diuinos canones, neque participare secum in communione diuina, sed iniuriam sacrorum ac diuinorum canonum, atque etiam Catholicæ fidei vindicans, hunc extra posuit de sacerdotali sede, quam adulterinè & iniustè ascendit, fidelissimo ac pijssimo Imperatore nostro Catholicam fidem, & diuinorum canonum authoritatem adiuuante. Vestram verò beatitudinem in fide recta desuper & à principio approbatam, ac in recta & honesta conuersatione atq; vita pudica, infirmantium ministerium ipsi committendo, in pontificem ordinauit ipsi Ecclesiæ, secundum electionem & sententiam pijssimorum Imperatorum nostrorum, & venerabilis cleri huius sanctissimæ Ecclesiæ, ac Christo amantissimorum virorum in diuersis dignitatibus & principatibus existentium, & nostram, & pariter omnium fidelium Christianorum. Cum ergò oportuit, elatum in hæresi non dominari alteri Ecclesiæ, aut doctoris nomen circunferre, qui omnino addiscere noluit à sanctis patribus, quæ ipsum oporteat populo tradere: meritò de isto libellos porreximus prædicto sanctissimo Agapeto, rogantes, aut, notum libellum Apostolicæ sedi prædicto Anthimo porrigente, liberare seipsum ab omni hæretico errore, & postea sic (si approbauit prædictus sanctus vir) mittere eum ad Ecclesiam Trapezundarum: aut si hoc facere non vult, cum hæreticis condemnetur, qui similiter cum ipsis vitam degere prætulit, quàm cum Ecclesia sua & alter pro ipso prædictæ Ecclesiæ ordinetur, quæ diu Episcopo viduatur. Has nostras iustas petitiones cum suscepisset prædictus sanctus vir in literis quidem commendaticijs ad sanctissimos pontifices pro vestra sanctitate, quia obscurum seipsum constituit prædictus Anthimus, nudauit ipsum episcopali nomine, atque etiam Catholico, hoc est, orthodoxo, quoadusque confitebitur omnia, quæ tradita sunt à sanctis patribus. Nostros verò libellos destinauit pijssimo Imperatori nostro, vt, quę in ipsis petita sunt, effectui tradantur per suam pietatem. Opportunè verò sic adeo sapienter nostra dispensante, assumptus est iste honorandus vir, & patribus suis additus est, plenus spiritualium desideriorum, qui aduersus lupos pro ouili summi pastoris Christi Dei nostri pugnauit, & fidelis seruus in talento credito demonstratus est, sine * acceptatione personarum dispensator, in tempore vnicuique dans tritici mensuram. Nos itaque post illius beatam obdormitionem compendiosum finem his, quæ mouentur, imponere festinantes, cum supplicationes porreximus pijssimo Imperatori nostro, & recapitulauerimus, quæ in prioribus libellis erant, rogauimus, & obsecramus suam pietatem, exequi iustam in istos condemnationem sanct. Agapeti. Sua ergo pietas in hoc saltem fideliter mota, & quæ ad Ecclesiasticum statum conferunt, canonicè terminari volens, huiusmodi supplicationes misit vestræ sanctitati, vt, quæ videntur sacris ac diuinis canonibus, in prædicto Anthimo sententientur.

* excepti one. Luc. 12.

Sanctissimvs Archiepiscopus & sancta synodus dixit. Quia præsentes sanctiss. episcopi antiquæ Romæ, & Deo amantiss. diaconi sedis Apostolicæ audiuerunt, quæ lecta fuere, & de porrectione dictorum libellorum, & de synodalibus epistolis sanctæ memoriæ Agapeti, quæcũque de his sciunt, manifesta facere dignentur. Et legit vocem Minas venerabilis lector Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, & secundicerius notariorum, quæ sic habet: Reuerend. episcopi & venerabiles Apostolicæ sedis diaconi, dixerunt: Quoniam à sanctæ memoriæ patre nostro Papa Agapeto, monachi diuersorum monasteriorum porrectis supplicationibus venientes petierunt, si quid ab ipso patre nostro de Anthymo quondam episcopo Trapezuntio in synodalibus epistolis contineretur, ideo, quod pro ordinatione sanctiss. Mennæ Archiepiscopi huius regiæ vrbis diffinitum est præ manibus habentes, dedimus ad legendum. Sanctissimus archiepiscopus & venerabilis synodus dixit: Quæ producuntur, legantur. Et accipiens venerabilis Acatius notarius & diaconus supplicationes, quæ ex persona monachorum, & ex persona Deo amantissimorum episcoporum, legit.

LIBELLVS MONACHORVM AGAPETO OBLATVS CONTRA ANTHIMVM SEVERVM, &c.

Domino *nostro sanctissimo & beatissimo archiepiscopo antiquæ Romæ, & œcumenico patriarchæ Agapeto, Marianus presbyter & primas monasteriorum regiæ ciuitatis, & cæteri archimandritæ eiusdem, & archimandritæ ac monachi Hierosolymorum, ac Orientales in eadem synodo congregati.* Eos, qui sanctas Dei Ecclesias opprimunt, considerantes, & inimicos Dei quotidie aduersus eam scribere conspicientes, lamentationem diui Gregorij in his proœmium facimus, opportunè ad vestram beatitudinem dicentes: Visa est cura Dei penitus dereliquisse præsentem viram, quæ temporibus ante nos Ecclesias custodiebat. Et iam tantum cuiuslibet anima immersa est à calamitatibus, vt equidem proprios dolores vitæ nostræ non in malis esse putetur: Tot & tanta sunt communia mala Ecclesiarum, ad singula respiciendo: quorum nisi aliqua in præsenti tempore fieret Gregorius

diligentia ad reformationem, ad omnimodam desperationis confusionem paulatim peruenireturtur. Cum multis itaque modis iam hæc enarrauerimus, non minus vero & nunc magnas & incredibiles insidias, aduersus Dei Ecclesiam factas, multiplicauimus. Schismatici & Acephali, qui à furia Dioscori & Eutychis descenderunt, nescimus, quis eos ad amentiam mouerit, quod veluti quadam audacia freti, suo proprio morbo triumphant, synagogas facientes, & parabaptismata innouantes, & tanquam ex euersione hoc facientes, * & nomen Episcoporum sibijpsis in locis nostris diffamantes apertè ingruescunt, & licenter omnia audent: non contra Ecclesias solas, non contra alumnos Ecclesiæ, sed etiam contra ipsum pijssimum Imperatorem nostrum, & vestrum honorabile caput, sicut tanta prædictorum insania vestræ beatitudini manifesta fuit. Nam venientes ad quandam domum, figuram oratorij habentem, in qua monachi quidam de iniquo contubernio illorum habitant, imaginem pijssimi Imperatoris furia * excæcantes, illud patris eorum diaboli fecerunt, qui cùm non possit contra creatorem, aduersus figmentum suam ostendit furiam: Irruit enim vnus ex eis, qui in malis excellens est, Iacchius * Persus, qui magia quadam vtens, seducit corda volentium ab eo decipi, & in vrendo κατηχεῖτο, vsque Veronam ad quinquaginta dies: quia consecrati istius, qui hortantur ipsum facere hæc ad corruptionem & deceptionem simpliciorum, diffamant, percussit virga imaginem, dicens quædam contra caput veri & orthodoxi Imperatoris nostri, immò verò contra Deum, propter * quem imaginem percussit, quæ nec aure perceptibilia, nec mente susceptibilia sunt: & virga inibi verberando confracta est, & tanquam exaffluens aliquid aliud inhonoratius facere volens, in imaginem veri Dei, dilacerauit tunicam inscriptam, & quod ex ipsa ab eo dilaceratum fuit, igni tradidit. Quid igitur non saltem contra feciſſet orthodoxum Imperatorem, si hunc cum potestate habuisset in manibus iste violentus & irrationabilis vir, vbi nec tunicæ * scriptæ inanimatæ pepercit? Iam illud prophetæ ad Deum, & ad vos, ac ad pijssimum Imperatorem nostrum ἀποκεκριμένον, dicere conuenit: Vsquequò clamabimus, & non exaudietis? iniuriati clamabimus ad vos, & non saluabitis? Si enim, qui hæc sapiunt & faciunt, simul nobiscum omni tempore ac modo degere permittuntur, considerate beatissimi, quòd nobis nõ occurrentibus his, quæ illi sentiunt, neque istorum ebrietate ἀναπαλαίστου diminuta, ipsos accipere potestatem congregandi, aut ipsos permittere talia audere, nihil aliud est, quàm veriores putare, quàm dogma nostrum, & iniquiores ac violentiores efficere contra nos. Si enim illi tanquam piè sapientes, docere sicut sentiunt, & prædicare cum fiducia dogma suum permittuntur; manifestum est, quod reprehensa est Ecclesiæ * ratio, cùm apud eos veritas sit. Nam duas contrarias rationes, veras esse de eadem re, natura non habet, vt inquit magnus Gregorius. Quoniam igitur ex hac causa in multas domus eorum, qui in excellentia sunt, intrant, & indecentia faciunt, captiuantes mulierculas quasdam peccatis coaceruatis, quæ varijs ducuntur desiderijs, & semper addiscunt, & nunquam ad cognitionem veritatis venire possunt: verùm etiam in ipsis proprijs domibus & suburbijs altaria & baptisteria erigunt in oppositum veri altaris & sancti fontis, & omnia simul contempserunt propter attributum eis patrocinium, ab his, qui in domo Domini, & aliquo alio modo potentes sunt, nolite pati, beatissimi, non vti solita fiducia ad reformandum tantum malum: sed sicut prius contra Anthimum insurrexistis, & lupum, qui conabatur cooperiri per pellem ouis, & transcendere ostium Ecclesiasticorum ordinum, sanctionum & canonum, & qui latrocinanter mandram ouium transcenderat, pelle denudastis, & ipsummet demõstrastis, ac procul à mandra expulistis: sic & nunc irerum vigilate, & ostendite pijssimo Imperatori nostro, quòd nullum lucrum exierit (vt inquit diuinus Gregorius) studio reliquo suo circa Ecclesias, si tale malum in destructione sanæ fidei ipsorum fiduciam prœualebit, & permittantur adhuc isti ad corruptionem Ecclesiæ nidificare in domibus dominorum, & in proprijs, & iniqua in ipsis facere. Hæc quidem duntaxat portamus, licet incredibilia, & à diris doloribus incuruati, spem habentes ad clementissimum Deum, qui in tempore opportuno vestrum duentum nobis ostendit, quòd sicut Petrum magnum Apostolorum principem his, qui Romæ erant, in depositionem Simeonis * Soetici misit: sic & vos misit in depositione & expulsione Seueri, Petri, & Zoaræ, & eorum, qui similia eis sapiunt, & qui omnigenis honoribus circunfouentur ad inhonorationem Dei, blasphemiasque ac electiones, dabit vobis potestatẽ, coopitulante vobis pijssimo & à Deo custodito Imperatore nostro, istos expellere de omni Ecclesia tanquam insidiatores, & violatores non solùm sanctissimarum Ecclesiarum, sed & politiæ ipsius. Nam cum hos ad suam malitiam conuenientia organa insidiator boni inuenisset, totum orbem terrarum commotum fecit, & sanctorum sanguine terram contaminauit, & ciuitates iugulationibus & tumultibus turbauit. Exppellite igitur istos. Scimus benè, si pijssimum Imperatorem nostrum, & ipsius Christo amabiles principes informatis, quòd communicant anathemati, in medio habentes anathema: sicut ostendit nobis antiqua scriptura in Achan & Ionathan, qui scienter & ignoranter inciderunt in anathema: & hæc ignorando, in periculo fuerunt perire cum eis, quoniam in medio eorum fuit anathema: & si * commemoratis suo Deo amato atque dilecto Imperio adducere Deo eos, qui ab ipsis à recta fide abducti sunt: & si hoc non valeat facere, insidiatores Ecclesiæ repellantur. Non enim latuit tuam beatitudinem, quòd quanquam pijssimus Imperator noster mandauerit, non reconuenticulare, neque rebaptizare, Zoaras tamen tale præceptum despexit, & parabaptizauit in die Paschæ non paucos: inter quos erant pueri eorum, qui permanent in domo herili, sicut depositus ille, qui ab ipsis gratia Dei potuit euadere & aufugere, & ad Dei Ecclesiam refugere. In alijs quoque locis & domibus in excellentia existentium; hæc & similia istis facta fuerunt. Verum semper isti soli Dei Ecclesiam perturbauerunt, & contristauerunt: & nos vsque ad istud, fletum vtique * continuimus. Sed quoniam & ab his, qui intus iam esse videntur, ac in ordine pontificum existere, omnino expugnatur, tempus est dicere de eis illud Psalmi: *Si inimicus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si, qui me odit, magnificasset, absconditissem me vtique ab eo: Tu autem homo æqualiter animate, dux meus & cognitor meus, qui in idipsum dulcor assi mihi escam, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Tales fuerunt nonnulli commorantium in magna & regia vrbe prima ciuitatum, nomen quidem pastorum portantes, totaliter autem sicut lupi rapaces: quorum maximè existit Anthimus Trapezuntinus, & alij aliarum ciuitatum. Isti enim, & similes huic ex hæreticis Acephalis existentes, ac paululùm religionis pietatem dissimulantes, in Ecclesias se intruserunt, tanquam quædam Ægyptiaca flagella, qui nullo modo proprijs Ecclesijs vacare voluerunt. Et hoc solum benè sapientes, vt non deuastent sibi adiudicatas, aliud malè sapuerunt, degere in tanta multitudine in hac regia vrbe, vt multos sibi amplectantur proprio barathro. Instituit enim prædictus Anthimus non Euangelicam, sed fictam vitam, vt finis probauit: & relinquens Ecclesiam Trapezundarum sibi creditam, transcendit in aliam istius ciuitatis ante hos proximos annos, ostentando omnibus configuratam continentiam suæ politiæ, & acquisitam ex his faciens pietatem. Cùm ergo & hanc subripuerit, potuit & imperialia ibidem induere, vt augere videretur sub dolosam opinionem vitæ suæ. Conuersatusque est multo tempore cum hæreticis ibidem nidificantibus, placita illis faciendo & dicendo, videlicet hæreticam furiam similem eis committendo. Cùm autem vidit sanctæ memoriæ Epiphanium in extremis iacentem, machinatus est quid corruptum, quod contra propositum ipsius excogitauerat. Vt enim conaretur omnibus ibidem præbere dolum suæ longæ præstolationis, illud, quod multum incertum est, & solum prudentioribus suspicandum, ad certum & inuitè afferre conatus est. Ante enim multum tempus præcogitauit adulterium & raptum huius imperialis Ecclesiæ. Hic ergo potuit, per illorum contubernium, & venerabilem sedem huius ciuitatis rapere, & in tantam diœcesim adducere, cum proximam neglexerit Ecclesiam, & viduam ac sine viro eousque ipsam derelinquendo, ex quo dolum suæ fictæ conuersationis perspicuum omnibus ostendit. Etenim cum paruam Ecclesiam suscipere superbiuerit, statim ad tantam & incomparabilem illi ECCLESIAM seipsum prouexit, tanquam sufficientem existentem ipsius curam habere. Quia igitur iste

iustè

* etiam

* execantes

* deprauatus locus obscurus.

* quæ

Abac. 1.

λόγον.

* Crescani * Zoeum.

Iosuæ 7. 1. Reg. 14.

Psalm. 54

iustè à vobis punitus fuit, & de sede huius regiæ vrbis eiectus, & fidelissimus Imperator noster iustam vestram super hunc indignationem susceperit, ipso etiam adiuuante diuinos Canones & Catholicam fidem, & non vultis omnimodam huius perditionem, sed vt conuertatur, (imitamini enim Christum Deum nostrum, qui venit vocare non iustos, sed peccatores ad pœnitentiam) & omnino paternis visceribus suscipitis, si recognouerit proprium peccatum, & conuertatur, adiuramus vestram beatitudinem (licet audax quid faciamus) per sanctam & consubstantialem Trinitatem, ac per principem Apostolorum Petrum, & salutem ac victoriam pijssimi Imperatoris nostri, non cõtemnere diuinos canones, qui ab isto pessundantur: neque Ecclesiam ei traditam, quæ ab ipso despicitur: sed sequendo in omnibus eos, qui ante ipsam beatitudinem in sede vestra claruerunt, facere in ipsum, adhuc & nunc contra authoritatem canonum inualescentem, & qui prætulit vitam degere cum hæreticis, quam cum propria Ecclesia, ea quæ sanctus Cælestinus contra Nestorium liquet fecisse, assignando ei terminum, sicut & ille Nestorio, intra quem nisi occurrens prædictum libellum Apostolicæ vestræ sedi porrexit, ac vestræ beatitudini, & sanctissimo archiepiscopo vrbis regiæ, & à morbo hæretico seipsum liberauit, atque ad Ecclesiam Trapezundarum sibi creditam proficiscatur, diffinite sanctissimi, ipsum alienum esse & nudum ab omni pontificali dignitate atque efficacia, & seipsum submittere condemnationi prædictorum hæreticorum, & partem illorum accepisse: alterum verò pro isto, Ecclesiæ Trapezuntinæ ordinandum esse. Verùm, quoniam non solùm iste, sed & cæteri episcopi, clerici & archimandritæ in magno numero, qui insidijs aduersus Dei Ecclesiam vtuntur, & propter hoc solùm in hac ciuitate commorantur ei, & vniuersis Ecclesijs perturbationes dare nullo modo recusant: rogamus & vniuersos tales ad vos adduci, & ex actiones promittere canonib. condecentes, quippe & in prædicto Anthimo & istis omnibus, vigilante iusto iudicio canonum à vobis benè custoditorum, vt paululùm refrigeretur Dei Ecclesia, ab istis liberata: & cognoscant, qui ad pastoralem curam & clerum hoc modo venire volunt, quòd non in fine tacebit Dominus, sed euigilabit super tales pastores, super quos secundùm Prophetam exacerbatus est furor eius. Isti enim pascunt non oues, sed seipsos: & iudicium abominantes, & omnia recta peruertentes, ad nihilum posuerunt insidias, quæ fiunt contra Ecclesiam, & blasphemiam contra sanctos patres. Quam defendentes, beatissimi, suscipite nostram supplicationem, & potestatem vobis à Deo datam, in ipsos mouentes, purgate Dei Ecclesiam, & à lupis liberate, imminentes ipsis non pastoralem, sed disciplinatiuam virgam vestram. Nam etsi pœnitere promittunt, præterita vitâ ipsorum, quæ alio & alio tempore, & non veritate, commutatur, non permittit committere pastoralia eius, qui Ecclesiam Dei negauerunt: & hæreticis, qui extra ipsam iustè constituti sunt, Seuero videlicet, Petro & Zoaræ, & qui similia his sapiunt, super quos iudicium vestrum pijssimus Imperator suscepit, iamque condemnatos ab Apostolica sede vestra, & ab alijs patriarchalibus sedibus, nec non ab omni pontificio, cum nõ patiantur canonicè venire ad Ecclesiam Dei, expelli ab omni publica & priuata domo, pijssimo Imperatore nostro pro pace Ecclesiarum idem vobiscũ sententiante, cui omnis cura & studium, die noctuque de hac * re vltra omnes est: & cessare facere omnem turbationem ab ipsis factam Ecclesijs, atque omnem alienam doctrinam simul videre, beatissimi, & hortari DEO amatum Dominum nostrum, vt sanciat, sicut illa impij Nestorij, ita & illa Seueri mẽte capti animæ, corruptibilia conscripta, in sanctam Chalcedonensem synodum, & in thronum sancti patris nostri Leonis archiepiscopi blasphemantia igni tradere. Nam per ista dubiam fidem in animas simpliciorum facere studuit, & subsannari fecit apud gentes magnum & venerabile nomen Christianismi. Etenim huius gratia & Romam ad vos misimus, & vestrum exoptatum aduentum enunciauimus, & ipsum suscepimus. Tales à pijssimo Imperatore nostro promissiones accepimus, quòd ea, quæ à nobis canonicè sententiata sunt, sua pietas omni modo studet mandare executioni, & totum mundum deinceps liberare à temporali horum turbatione. Appellationes verò prædictorum Episcoporum, clericorum & monachorum, tempore opportuno * denominabimus, exhibentes, quomodò hi quidem ea, quæ Nestorij sunt, hi verò quæ Eutychis sentientes, ab vtraque parte diuellere Ecclesiam conantur.

SVBSCRIPTIONES.

Marianus misericordia Dei presbyter & archimandrita, ac primas venerabilium monasteriorum, rogatus subscripsi.

Agapetus presbyter & prior monasterij Studij, rogatus subscripsi.

Dioscorus presbyt. & prior monast. sanctæ martyris Euphemiæ, subscr.

Agapius presbyter & prior monasterij Thalassij, rogatus subscripsi.

Paulus presbyter & prior monasterij Romanorum, rogatus subscripsi.

* Antoninus presbyt. & prior monasterij S. Eusebij, rogatus subscripsi. * Antõnius

Stephanus presbyter & prior monasterij Olympij, rogatus subscripsi.

Anastasius presbyter & prior monast. Romanorum rogatus subscripsi.

Demetrius presbyter & prior monast. Phocæ, rogatus subscripsi.

Dominicus presbyt. & prior monast. Euphemij, rogatus subscripsi.

Zoilus presbyter & prior monasterij, Theodoti, rogatus subscripsi.

Iulianus Dei miseratione presbyter & prior monast. Euphemij, rogatus subscripsi.

Stephanus presbyter & prior monasterij. Promoti, rogatus subscripsi.

Zenon presby. & prior monasterij S. Dei genitricis, in fonte, subscripsi.

Alexander presbyter & prior monast. Calami, rogatus subscripsi.

Dadas presbyter & prior de Caiuma, rogatus subscripsi.

Rhodon presbyter & prior monasterij, Theodori, rogatus subscripsi.

Gennadius presbyt. & prior monast. Dominici, rogatus subscripsi.

Zenobius presbyt. & archimandrita monast. Maronij in * ficubus rogatus subscr. * Sycis

Silas presbyter & prior monastrij * Heliæ, rogatus subscripsi. * Iliæ

Paulus presbyter & prior monasterij Samuelis, rogatus subscripsi.

Ioannes presbyter & prior monast. Theodori, rogatus subscripsi.

* Cirion presbyt. & prior monast. Ægyptiorum de Cyracona, rogatus subscripsi.

Basilius presbyt. & prior monast. de Cyracona, rogatus subscripsi.

Ioannes presbyter S. Thomæ Apost. in illis Modesti, rogatus subscripsi.

Marcus prior monasterij Theodori * disceptatoris, rogatus subscripsi. * de Esteptoris.

Flauianus presbyter & secundarius Modesti Deo amantissimi presbyteri & & prioris monasterij Lycaonorum, rogatus subscr.

Marinus presbyter & prior monasterij. Paulini, rogatus subscripsi.

Theodorus presbyter & prior monast. Tryphonis, rogatus subscripsi.

Theoctistus presbyter & prior monasterij, sanctæ DEI genitricis MARIÆ prope sanctum Iob, rogatus subscripsi.

Cosmas presbyter & prior monasterij Studij, rogatus subscripsi.

Petrus presbyt. & prior monast. * ἐπικλίῳ Hierusalem, rogatus subscripsi.

Alexan-

Alexander presbyter & prior monasterij Abraamij, rogatus subscripsi.

Eleutherius presbyter & prior monast. sanct. Dominici martyris, rogatus subscripsi.

Tryphon presbyter & prior monasterij Iob, rogatus subscripsi.

Stephanus presbyt. & prior monast. de Consta, rogatus subsc. manu Iacobi diaconi, qui scripsit secundum commissionem meam, & ego protendi propria manu mea honorabilem crucem. Babylas presbyter & prior monasterij sancti Danielis existentis in Stylo & sancti Ioannis * in Paruo Profundo, & sancti Andreæ Apostoli prope Stylum, rogatus subscripsi.

* Prodomij

Ioannes presbyt. & prior monasterij Anastasij prope Agogum, rogatus subscr.

Anthemius presbyter & prior monasterij Neonis, rogatus subscripsi.

*Eleutherius

* Ioannes presbyter & prior monasterij Charisi rogatus subscripsi.

* Ipatius

Ioannes presbyt. & prior monast. * Mara prope æream cisternam, rogatus subscripsi.

* Mariæ prope Ætiam cisternam.

Phocas presbyter & prior monasterij Ionæ rogatus subscripsi.

Cosmus presby. & prior monast. Eutychij Lycaonorum prope * vllam Matronæ, subscr.

Timotheus presbyt. & prior monasterij Asterij, rogatus subscripsi.

Polychronius presbyt. & prior monast. Ethrij, rogatus subscripsi.

Seuerianus presbyt. & prior * subscripsi pro ipso, cùm commissum sit mihi ab ipso.

Stratonicus presbyt. & prior monasterij S. Dometij, rogatus subscripsi.

Andreas Dei miseratione presbyt. & archimandrita monast. Romanorum, consentiens subscr.

Martyrius presbyter & prior monasterij Petri siue Valentini & Daudati prope sanctos Apostolos, rogatus subscripsi.

Andreas presbyt. & prior monast. iacentis in venerabili domo sanctæ Dei genitricis prope sanctum Lucam, rogatus subscripsi.

Marcus presbyter & prior monasterij sancti Cyrici, rogatus subscripsi.

Iacobus presbyter & archimandrita monasterij Abibi Syrus, Syristi subscr.

Atticus presbyt. & prior monasterij Eucratadorum, rogatus subscripsi.

Ioseph presbyt. & prior monast. sanctæ Dei genitricis in Lithostroto, subscr.

Paulus presbyter & prior * subscr.

Anastasius presbyter & secundiarius monasterij sancti Philippi in Brephotrophio, subscripsi, eo quòd non adesset prior.

Georgius presbyter & archimandrita monast. Cyri, rogatus subscripsi.

Dominicus presbyt. & archimandrita monasterij Syriorum, rogatus subscr.

*Zosimus

*Cosmus presbyter & archimandrita monasterij Maximini, rogatus subsc.

Elpidius presbyt. & archimandrita monasterij Basiani, rogatus subscr.

*Criticorum

Polychronius presbyter & archimandrita monasterij * Cretensium, rogatus subscr.

* Eriticorum

Paulus presbyt. & prior monasterij sancti Erimonis, rogatus subscripsi.

Eusebius presbyt. & prior monasterij Simeonis, rogatus subscripsi.

Zoticus presbyter & prior monasterij sancti Andreæ prope Saturninam portam rogatus subscripsi, manu Marci presbyteri & secundarij, me protendente honorabilem crucem. Theodorus presbyter & prior monasterij S. Laurentij, à me Dei gratia fundati, subscr.

Domitianus presbyt. & archimandrita monast. Martyrij, & pro omnibus monachis, qui sunt in eremo sanctæ ciuitatis, subscr.

* Isychius presbyter monasterij Theodosij, & pro omnibus, &c.

* Hesychius

Cassianus presbyter beati Sabbæ, & pro omnibus, &c.

Dominicus presbyter & prior monasterij * de Turribus Iordani, & pro omnibus, &c. subscripsi.

* Lauræ Pyrgotarum.

Nestabus presbyt. Lauræ sancti Firmini, & pro omnibus, &c.

Terentius presbyter nouæ Laurę, & pro omnibus, qui in eremo sunt, &c.

Leontius monachus, prior & vicarius totius eremi, subscr. & pro omnibus. &c.

Traianus presbyt. turrium Iordani, & pro omnibus, &c.

Polyeuctus diaconus monasterij B. Theodosij, & pro omnibus, &c.

Theodorus diaconus & monachus nouæ Lauræ, & pro omnibus, &c.

Cyricus monachus & * diaconus ipsius nouæ Lauræ, & pro omnibus, &c.

* presbyter

Anastasius diaconus monasterij beati Martyrij, & pro omnibus, &c.

Mamas monachus monasterij beati Martyrij, & pro omnibus, &c.

Iulianus monachus Theodosij, & pro omnibus, &c.

Ioannes presbyter proprij monasterij in * Campestri, & pro omnibus, &c.

Theonas presbyter sancti montis Sinai, & ambasiator Ecclesiæ Pharam & Lauræ Rhaitæ, pro omnibus monasterijs, ibidem, rogatus subscripsi.

Strategius diaconus & monachus monasterij beat. Ioannis, & pro omnibus ibidem monasterijs subscripsi.

Ioannes monachus monasterij beat. Martyrij, & pro omnibus ibidem monasterij subscripsi.

Paulus monachus & amb. monast. B. Maronis secundæ Syrię, subscripsi.

Seuerianus presbyter & archimandrita monasterij Zoaræ de Thermis, Syristi subscripsi.

Cassisa presbyter & archimandrita monasterij Lucæ, Syristi subscripsi.

Ioannes presbyt. & archimandrita monasterij Cyri Thomę, Syristi subscr.

Simeonius diaco. & ambasiator monasterij B. Iacobi secundæ Syriæ, & pro omnibus, &c.

Ioannes diaconus & ambasiator monasterij beati Theodosij secundæ Syriæ, & pro his, qui in ea sunt monachi, subscripsi.

* illustrator

Sergius presbyter * Lustrator sanctiss. Ecclesiarum gentilium Syriorum primæ prouinciæ, subscripsi.

Stephanus presbyter & prior monasterij Euxerij, & pro omnibus, &c.

Ioannes presbyter & archimandrita monasterij Thomæ Syristi, subscripsi.

Theonas presbyter & archimandrita monasterij Aaron Syristi, subscripsi.

Photinus monachus & ambasiator monasterij sancti Stephani * Nauzæ Iamniæ, pro omnib. clericis & monachis ibidem existentibus.

* Mæna

Theodorus diaconus & ambasiator sanctæ Ecclesiæ Erendilenorum, rogatus subscripsi.

EPISTOLA SIVE LIBELLVS ORTHODOXORVM EPISCOPORVM ORIENTALIVM, CONTRA ANTHIMVM SEVERVM ALIOSQVE ACEPHALOS, OBLATVS AGAPETO.

DOMINO *nostro per omnia sanctissimo & beatissimo patri patrum, archiepiscopo Romanorum & Patriarchæ Agapeto, ab Episcopis Orientalis diœcesis, & ab his, qui sunt sub sanctis locis* CHRISTI DEI *nostri, nec non ambasiatoribus & cæteris clericis in hac regia vrbe congregatis.* Ex quo Christus Deus noster pro debitis nobis præmijs, propter ipsum in omni tempore cum vera fiducia sua inuisibili ac terribili virtute diuulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requiescere fecit, cùm sedem Apostolorum vobis, pater beatissime, commi-

commisit, & firmauit super firmam petram pedes vestros, & direxit gressus vestros, & impleuit os vestrum cantico nouo hymno Deo nostro, sperauerunt in Domino, secundùm psalmicum eloquium, clarificati à spirituali splendore vestro, per quem tanquàm lucerna resplendens super sancto candelabro caliginem eorum, qui in tenebris sedent, & cæcos illuminastis, & oculos mentis ipsorum aperuistis, & propterea confisi & credentes diuino eloquio dicenti, in tempore non timebit cor confugiens ad intellectum, & experientia intellectus cognoscentes, vos esse diligentes custodes thesaurorum apostolicorum, exossauimus modò Anthimum, habitum pietatis circumferentem, potentiam vero ipsius negantem, qui conuenientem sibi sponsam dimisit, & aliam cõtra diuinos canones accipere ausus est, cognoscentesque & à Deo custoditum Imperatorem nostrum tanquam Christi discipulum, approbatam animam habere, & participem vobis huius boni operis fuisse, qui à primordijs regni sui vsque nunc studuit custodire omne corpus Ecclesiæ sanum, & perfectè integrum, & ab omni morbo hæretico liberum: & propter hoc statuit quatuor sanctas synodos in diuinis ac sacris initiationibus, quando fecit magna voce à sacris Prædicatoribus prædicari, quæ fortificant corda fidelium, & hæreticorum compungunt, sperans ipse ex clementia secundùm naturam suam, & putans, quòd sicut eos, qui ex simplicitate errore subducti sunt, decet in tempore conuerti: sic & huius inuentores, immò diaboli discipulos, & nunquam veritatem recognoscentes, iactum hæreticorum à principio præuidere & præmeditari rogamur, beatissimi, rememorati memorato ac à Deo custodito Imperatori nostro illam sacram vocẽ, dicentem: *Omnem abominationem odit Dominus.* Quæ prima, media, & vltima est Seuerus sacinorosus, qui contra Deum semper locutus est iniquitatem: & quandoque quidem Græcorum vanidicorum mysteria imbutus, ipsa honorauit, quandoque verò Eutychis insaniam docuit, & in tota vita dixit bene valere in fide Christianorum, & appellationem Nestorij anthropolatræ ad decipiendum eos, qui in simplicitate paratas habent aures, susciendam excogitauit, euidenter illa illius dicendo, Nestorianosque vocabat magistros rectorum dogmatum, & nec illi pepercit, qui baptizauit ipsum, inualidisque anathematibus impleuit totum mundum, ac arroganter decernere ipse præsumpsit, & validiores fortitus est cum his, qui adhærebant ei in ordinando *Sychiam contra prædictam sanctam œcumenicam Chalcedonensem synodum, & contra sacras ac Deo dilectas epistolas sanctæ memoriæ Leonis Papæ, qui fuit illuminator & columna Ecclesiæ, quique firmauit fideles ambulare in recta semita, sicque illud relinquetur diuinæ scripturæ dictum impleri: *Et incidit in foueam, quam fecit.* Vnde dubitantes, quomodo ipsum propriè vocemus, idem cum gentibus sentiendum, eiusdem opinionis cum Eutyche, eiusdemque moris cum Nestorio, magis propria & insigni appellatione nominabimus ipsum ibidem, cum veritate organum diaboli vocantes. Prætereuntes igitur multitudinem eorum, quæ præsumpta sunt ab ipso & sanguinem sanctorum virorum in *Eoan effusum ab Eustasiasmeno Iudaico de *Patria, tunc sub ipso militante, ac alia multo difficiliora prædictis, propter longam narrationem: supplicamus, sanctissime, cum nunc sit tempus acceptabile, nũc dies salutis, clamamus, adiuua nos, & sanctas animas occisas, quas adstare cogitate prudenter, & ostendere vobis, quod propter Christum trãditæ sunt morti à bestia multi capitis, ne rursus ex sua omnibus manifesta mangania & Manichæo errore, quo confidens iste iniquus ausus est intrare, mundas regias aulas, cùm nullum locum debeat habere, aut barathrum conuersandi ad destructionem. Et cum in præsenti pax donata sit omnibus fidelium Ecclesijs cum tantis laboribus & sudoribus, vestris, ac Deo amantissimi Imperatoris nostri, parcentes ipsi extremitati animarum facientium conuentiones ad ipsum, & communicantium per interpellationem anathematibus contra ipsum prolatis: studete longè expellere illum pollutum & abdicatum, qui anathematibus scriptis, & apertius ab Apostolica sede vestra, & à tantis pontificibus, & in cœlo ab Angelis electis suis iam condemnatus est, qui secundum euangelicam illam & diuinam vocem, cum iniquo & sacinoroso alio Petro suo discipulo appellationem propriam vsque nunc mentiri non erubuit, & verba apostasię quotidiè loquutus est: necnon cum Zoara, qui omnino diuinam scripturam & omnem sacrum ordinem & Missam ignorat; sed cum audacia (nescimus vnde) sibi tradita pessundat Ecclesiasticum ornatum atque statum, per conuenticula & parabaptismata, quæ quotidie temerariè aguntur, cuius synagogam mulierculis, commessationibus, & ebrietatibus, luxibusque & adulterationibus deditis implet. Persuasimus autem & pijssimo Imperatori nostro, non permittere aggregari bestias sanguinis edaces cum agnis, cum clarè & aperte sciat illud diuinũ Apostoli dictum. *Quòd nulla participatio iustitiæ est ad iniquitatem, vel communicatio lucis ad tenebras, vel pars fideli cum infideli.* 2. Cor. 6. At verò si ea, quæ ab Isaccio Persa nunc perpetrata sunt, sine lachrymis dicere * non valemus, non est possibile, neque metum abijcere, si narrare volumus, quæ suis iniquis manibus ille facere non horruit. Nam in quodã diuersorio reposita honorabili imagine præsentis pijssimi Imperatoris, prædictus scelestus & arrogans vir, tanquam certans, & secundum nouiorem modum dicendi blasphemauerit, diuinum extendẽs baculum, in quo inhonoratam senectutem suam firmare singit, implensque simulatum stellionatum in conspectu eorum, qui ab ipso seducti sunt, percutiebat sine venia similitudinem Christo amantissimi Imperatoris, hęreticum denominando sic Deo vnitum, & ab ipso custoditum, & veritatis prædicationem custodientem. Nec à furore cessauit, donec diuisit tunicam habentem nobilem eius effigiem, & partem pro se tenuit, quam & igni traditam, totam exterminare non valuit. Nam conseruata fuit à meliori prouidentia, in redargutionem manifestam & notam homicidialis temeritatis, & maioris omnibus accusationibus. Testes fuerunt viri (sicut nouistis, sanctissime) manifestam veritatem aduocatam habentes. Quoniam igitur præter opinionem hæresiarchę submutauerunt eorum deiectionem, quæ cum ignominia debebat esse, & ante tempus multum dederunt audaciam habitandi in regalibus cellis, his, qui per alium modum Deum negant multis designatis & enumeratis ipsis nomen fictæ orthodoxiæ, & periculum est, fideles nunquam ambulare in domo Domini cum consensui, tollite à nobis cito malos, offerre * consuete sacrificium hoc DEO & saluatori, pro conseruanda nobis bona defensione in futuro tremendo iudicio, liberam ab omni timore, & hæretica trifluctuatione armatum ecclesiasticum conseruare statum confirmantes, rursusque exponendo iustissimo Imperatori nostro pias ac iustas sententias, contra ipsos priùs ab Apostolica sede vestra prolatas, statuendo per illas impia conscripta tradere igni, & habentes in publicum prodere, iuxta *immutationem eorum, qui zelant possidere Manichæa, & illa impij Nestorij, & Eutychis insensati, ac Dioscori patris, & protectoris eorum. Sic enim euacuabitur omnis expectatio his, qui frustrà sperant in eis. Rogamus etiam, sanctissime, finem perfectum imponere diuinæ ac vestræ sententiæ contra Anthimum, paternis vestris decretis conuenientem, vt omne de medio extinguatur scandalum à paruulis in Dominum credentibus & omnibus nobis. Custodiat Dominus sedem vestram ac pijssimi Imperatoris nostri, tanquàm dies cœli, qui Petri imitatores saluatis, & nos à tribulationibus saluastis, cosque, qui nos odiunt, confudistis.

Ignominia Imperatoris imagini illata.

Locus obscurus.

* nos

* consuetum

*imitationem.

SVBSCRIPTIONES.

Thalassius Episcopus Berytiorum ciuitatis, rogatus, subscripsi.

Magnus episcopus *Beroeorum ciuitatis supplicando, subscripsi.

*Beræorũ

Ioannes episcopus Gabalorum, subscripsi Syriacè.

*Ætherius episcopus Mariamniæ, supplicando, subscripsi.

Christophorus episcopus Porphyrionis, supplicando, subscripsi.

Archelaus episcopus Coryci supplicando, subscripsi.

Dauithus episcopus Cyresticensis, subscripsi Syriacè.

Alexander episcopus quondam *Paraxiorum, nunc vero Iustinianopolitanus, supplicando, subscripsi.

* Pagtasorum

Anastasius episcopus Iotapæ, supplicando, subscripsi.

Domnus episcopus Maximianopolitanus, supplicando, subscripsi.

Ioannes episcopus Zoororum, supplicando, subscripsi.
Magnus presbyter & ambasiator Theopolitanæ Ecclesiæ, subscripsi.
Heraclius Diaconus, & ambasiator eiusdem Ecclesiæ, subscripsi.
Athanasius Diaconus & ambasiator Ecclesiæ Tyri, subscripsi.
Paulus lectorarius & ambasiator Ecclesiæ Tarsi, subscripsi.
Thomas Diaconus & ambasiator Ecclesiæ Iustinianopolitanæ, subscripsi.
Agapius Diaconus & ambasiator sanctæ Ecclesiæ sacræ ciuitatis metropo. Euphratesiæ, supplicando, subscripsi.
Ioannes subdiaconus & ambasiator sanct. Ecclesiæ de Bostra, subscripsi.
* Trophinius * Trosinius Diaconus & ambas. sanctiss. Eccles. Seleuciæ de Isauria, supp. subscripsi.
* Amicenæ Eusebius Diaconus & ambasi. sanctiss. Eccl. * Amidanæ sciens superius dicta contra Seuerum, Petrum, & Zoram, ac Anthimum, subscripsi.
Marcus Diaconus & ambasiator sanctæ Eccles. Emisenæ subscripsi.
* Areopolis Simeonis Diac. & ambas. sanctæ Ecclesiæ, * Ægyropolitanæ, subscripsi.
Sergius Diaconus & ambas. sanctæ Ecclesię Ptolemaidis, subscripsi.
Cosmas monach. & ambas. sanct. Ecclesiæ Antaradenæ, subscripsi.
Esaias Diacon. & ambas. Arethusianæ Ecclesiæ, subscr.
Iulianus Diac. & hospitalarius Eccles. Palmyrenæ subsc.
Ionas Diac. & ambas. Helenopolitanæ Eccles. subsc.
Abraamius Diac. & amb. eiusdem Ecclesiæ, subsc.
Simeonius presbyter sanctæ Ecclsiæ Cõstantiensis in Cypro subscripsi.
Ioannes lectorarius & ambasiator Ecclesiæ Seleuciæ Syriæ, subscripsi.
Martyrius lectorarius Ecclesiæ in Beryto, supplicando, subscripsi.
Arsenius lectorarius Eccles. Maramniæ, subscr.
Sergius presbyter & lustrator monast. Sandari, supplicando, subscripsi.
Simeonis Diaconus S. Resurrectionis Christi subscr.
Anastasius presbyter & ambasiator Ecclesiæ Cæsareæ, subscripsi.
Alexander subdiac. & ambas. Eccles. Cæsarearum Palæstinarum, subscr.
Ioannes Diacon. & ambas. Ecclesiæ Eleutheropolitanæ, subscripsi.
Theodosius Diac. & amb. Eccl. * Gazæarum, subscr.
Pamphilus Diac. Ecclesiæ Neapolitanæ, subscr.
Eunomius presbyt. & amb. Eccl. Petri, subscr.
Anastasius Diac. & amb. eiusdem Eccl. subscr.
Victor Diac. & ambas. Ecclesiæ Areopolitanæ subscr.
Silomenus lectorarius Eccles. Tarsenæ, supp. subscr.
Et post lectionem libellorum Menas venerabilis lectorarius ac secundicerius notariorum antiquæ Romæ protulit actum synodalis epistolæ scriptæ à sanctæ memoriæ Agapeto, & legit per dictiones Latinas: Interpretationem autẽ legit Christodorus Diaconus & notarius secretarius, quæ sic habet.

INTERPRETATIO EPISTOLÆ Synodalis, scriptæ per literas Latinas.

Encyclica Epistola Agapeti Papæ, ad Petrum Hierosolymitanũ Episc. De Anthimi depositione; deque Mennæ surrogatione.

Dilecto fratri Petro Agapetus. Voluissemus quidem, fratres dilecti, propter coniunctionem nostræ charitatis, omnes Domini sacerdotes, iuxta Apostolicam traditionẽ, irreprehensibiles inuenisse, & neminem aut per gratiam, aut per metum ab Ecclesiasticis canonibus declinare: sed quoniam multa multoties subsequuntur, quæ pœnitudinem parere possunt, & Dei misericordia delicta peccatorum vincit, & idcirco differtur pœna, vt reformatio locum inuenire possit, monere necessarium iudicauimus, & vt assumpta decætero imprævaricata custodiantur. Oportebat enim, vestram charitatem memorem paternarum traditionum, neminem permittere prohibita facere: sed si quis audax appareret, tota virtute resistere. Cum itaque peruenimus ad comitatum sereniss. imi Imperatoris filij nostri, inuenimus sedem Constantinopolitanæ Ecclesiæ, cõtra omnem canonum honestatem, ab Anthimo Ecclesiæ Trapezundarum Episcopo inconuenienter vsurpatam. Cuius animam non solùm secũdùm istam partem, sed quod maius est, in confessione veræ fidei à perditione reducere desiderauimus: sed Eutychis errori insistens, ad viam veritatis redire contempsit. Vnde cum ipsius in fide pœnitentiam isto modo expectemus, neque Catholico, neque sacro nomine dignum esse sententiauimus, donec omnia à patribus tradita, per quæ veræ religionis fides & disciplina custoditur, & secundum congruentem satisfactionem suscipiat. Cæteros vero similis contumaciæ ipsius & sententia Apostolicæ sedis condemnatos similiter vestra charitas aduertat, quorum ipse seipsum participem fecit. Constantinopolitanæ vero sedis iniuriam, Apostolica auctoritate adiuuante, & adiutorio fidelissimorum Imperatorum emendabimus. Et supra modum quidem admirati sumus, quod istud opus ita aperte contrarium decretis patrum vestra fraternitas non solùm ad notitiam nostram adducere neglexit, sed & reprehensibili consensu confirmauit. Sed regratiamur Deo, cuius spiritu mala ad melius vt plurimum vertũtur, & paruæ transgressiones ad vtilitatem & occasionem magni fuerint gaudij. Hoc autem pro excitando vestræ conspiritualitatis lætitiam significo, quòd Mennam fratrem & coepiscopum nostrum, virum multis laudum modis ornatum, prædicta Constantinopolitana Ecclesia episcopum susceperit. Cui licet præter cæteros sereniss. imorum Imperatorum electio arriserit, similiter tamen & totius cleri ac populi consensus accessit, vt & à singulis eligi crederetur. Etenim alicui neque scientia neque vita fuit ignotus, sed & fidei integritate, & sacrarum Scripturarum studio, atq; etiam piæ administrationis officio sic prædicta viri resplẽduit opinio, vt ipsi tardius venire videretur, quo dignus erat. Et hoc dignitati suæ addere credimus, quòd à temporibus Petri Apostoli, nullum alium vnquam Orientalis Ecclesia susceperit episcopum, manibus nostræ sedis ordinatum. Et forsitan vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta peruenit, vt illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque patribus ipsius Apostolorum primi electio ordinauit. Commune itaque gaudium, fratres, pia exultatione suscipite, & quãtum vos Apostolicæ sedis nostræ iudicium comprobatis, consueta rescriptione significate, habẽtes duplicem exultationis causam, & quod mala sine mora corrigantur, & pro his optata subsecuta fuerint, decætero præcauentes, ne rursus canonicis sanctionibus quid contrarium per vos (quod non credo) fiat, vestro accedente consensu, cumque sicut error, qui semel peccauit venia dignus est, sic frequens transgressio motum austeritatis deposcit. Deus in bona conualescentia te custodiat, frater honorandissime.

Menæ episcopi encomia.

INTERLOCVTIO MENNÆ Patriarchæ.

SAnctissimus Archiepiscopus & tota synodus dixit: Non mirandum, si suas & nunc magna Apostolica sedes sequitur sacras sanctiones sanctissimarum Ecclesiarum inuiolatas conseruando, & quæ rectæ fidei sunt defendendo, ac his, qui peccauerunt clementem veniam tribuendo. Vnde & nos implentes ea, quæ à sanctissimo Papa in epistola synodali data fuere, & tempus pœnitentiæ ipsi dantes deputemus, & decernamus Vosporium sanctissimũ episcopum Neocæsareæ metroplitanæ, & Acacium sanctissimum episcopum metropolitanæ Pessinuntinæ, & Ioannem ac Theoctistum presbyteros & defensores magnæ Ecclesiæ, quæ hic est, & Zachariam sanctissimum Episcopum Mitylenensem metropolitam, & Acacium ac Christodorum Diacones venerabiles & notarios huius sanctissimæ Ecclesiæ, ad notificandum ei ea, quæ à nobis gesta fuerint, & inuitare ipsum infra tres dies (si volet venire) ad sanctam Synodum, ad faciendum super annunciatis congruam satisfactionem. Subsignaui.

ACTIO SECVNDA FACTA à Menna Patriarcha Constantinop.

POST consulatum Flauij Beliſſarij clariſſimi,* Non. Maias indictione 14. in Chriſto amantiſſima & Imperiali *Roma Conſtantinopoli, præſidente Domino noſtro ſanctiſſimo & beatiſſimo archiepiſcopo Patriarcha œcumenico Menna in Meſaulio dytico venerabilis domus Dominæ noſtræ, ſanctæ & glorioſæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, quæ eſt prope ſanctiſſimam magnam Eccleſiam.

Et à dextra quidem parte conſedentibus & coaudientibus, iuxta pium iuſſum Chriſti amantiſſimi, & à Deo cuſtoditi Imperatoris noſtri Iuſtiniani ſanctiſſimis & Deo amantiſſ. epiſcopis.

Sabino Canuſino.
Epiphanio Eſculano.
Aſterio Salernitano.
Ruſtico Fæſulano.
Leone Nolenſi, qui omnes ex regione Italiæ ſunt, priùs quidem miſſi ab Apoſtolica ſede, poſteà verò vnanimiter conſentientes ſanctæ memoriæ Agapeto Papæ huc aduenienti.
Petro Iuſtinianopolitano metropolita.
Marco metrop. ſecundæ Cappadociæ prouinciæ.
Zacharia Mitylenenſi metr.
Marco metrop. Apameæ prouinciæ Bithyniæ.
Auxentio metrop. Selymbriæ.
Timotheo metr. Berrhoæ.
Thalaſſio metropolita Beryti.
Magno metrop.* Beroæ.
Ioanne metr. Boſphori.
Ioanne Gabalorum.
Domitiano* Zychiano.
Chriſtophoro Porphyriono prouinciæ Phœnicis Parali.
Archelao Coryco.
Dauitho* Circinſiano.
Ætherio Mariamnio.
Alexandro* Paraxiano.
Domno Maximianopolitano ſecundæ Palæſtinæ.
Anaſtaſio Iotapæ.
Ioanne* Zoorono.
Andrea Paniano.
Epitynchano Germæ prouinciæ Helleſponti.
Pelagio Parnaſſi.
Paulo* Stectoriano.
Andrea Peltano.
Theodoro Myreno, & Theodorito Alindeno.
A ſiniſtra verò parte Hypatio Epheſino metrop.
Conſtantino Heracleano metr. Europæ.
Theogene met. Synnadorum.
Bacho metr. Antiocheno.
Hilariano metr. Pergæ.
Voſporio Neocæſar. met. Ponti Polemoniaci.
Paulo metr.* Tyano.
Acacio metr. Peſſinuntino.
Epicteto Claudiopolitano metr. Honoriadis.
Epiphanio Heracleano prouinc. Honoriadis.
Abraamio Cratiano.
Alexandro Colonenſi ſecundæ prouinciæ Cappadociarum.
Aſterio Amaſtreno.
Eugenio Tieno, Ioanne Cæſaræenſi prouinciæ Bithyniorum.
Dominico Theodoſiopolitano prouinciæ Phrygiorum Pacatianorum.
Ioanne Traianopolitano.
Theodoto Euriæ antiquæ Epiri, Andrea Amyzono.
Flauiano Coreno, Elia Cæſareæ Bithyniorum, Armonio Calliopolitano: adſtantibus autem & coaudientibus Theophane & Pelagio venerabilibus diaconis Apoſtolicæ ſedis, ac Mena ac Petro Deo amantiſſimis notarijs & quibuſdam ſubdiaconis & procuratoribus, & cæteris clericis ipſius Apoſtolicæ ſedis qui & conſentientes fuerunt ſanctæ memorię Agapeto* facto Papæ antiquæ Romæ huc aduenienti, & Magno presbytero, & Heraclio diacono, ambaſiatoribus Euphræmij ſanctiſſimi Patriarchæ ſanctiſſimæ Eccleſię Theopolitanæ, Sabino diacono ſanctæ Chriſti Dei noſtri reſurrectionis ambaſiatore Petri ſanctiſſimi patriarchæ Hieroſolymitani, Stephano diacono & ambaſiator. Soterici ſanctiſſimi epiſcopi Cæſareæ metrop. primæ prouinciæ Cappadociarum, Gaiano presbytero & ambaſiator. Elpidij ſanctiſſimi epiſcopi Ancyrani metropoli. primæ Galatiæ, Dionyſio & Callinico diaconis & ambaſ. Photij ſanctiſſ. Epiſcopi metro. Corinthi, præſente etiã venerabili clero huius regiæ ciuit. Euphemius venerabilis diaconus & primicerius notariorum, dixit: His proximis diebus, præcedente, pio iuſſo Chriſto amantiſſimi ac à Deo cuſtoditi Imperatoris noſtri, conuenit præſens nunc ſancta ſynodus. Et cùm tunc intraſſent ad vos venerabiles monachi huius regiæ ciuitatis. & qui de Theopolitana ciuitate profecti erant, ac etiam alij venerabiles viri de Hieroſolymis, facta fuerunt quędam ſuper venerabili Anthimo, quæ in actis tunc formatis continentur, in quibus dediſtis certum terminum ſuper requiſitione ipſius venerabilis viri, qui iam decurſus eſt. Cumque & nunc veſtra conuenerit ſanctitas pro eadem materia, obſeruantque & veſtram audentiam memorati venerabiles monachi, introitum apud vos habere rogantes & ſupplicantes, ſubijcimus. Sanctiſſ. Archiepiſc. & ſancta ſynodus dixit: Intrent.

Et cùm intraſſent, Marianus Deo amantiſſimus presbyt. & prior monaſterij ſanctæ memoriæ Dalmarij, & primas, ſimul cum cætero Deo amantiſſ. archimandrita & monachus regiæ ciuitatis, & Theopolitanæ, & Hieroſolymitanæ monaſterij.

Agapeto Dij.
Dioſcoro S. Euphemiæ.
Agapio Thalaſſij.
Paulo Romanorum.
*Antonio Euſebij.
Stephano Olympij.
Anaſtaſio Romanorum.
Demetrio Phocæ.
Dominico Euphemij.
Zenone S. Dei genitricis in fonte.
Alexander Calamij.
Dada Caiumæ.
Rhodone Theodori.
Gennadio Dominici.
Theodoro Maronij.
Sila Eliæ.
Paulo Samuelis.
Ioanne Theodori.
*Cyrione Ægyptiorum.
Baſilio Cyraconæ.
Ioanne ſancti Thomæ Apoſtoli inter illa Modeſti.
Marco Theodori.
Flauiano presbytero & ſecundario Modeſti Lycaonorum.
Marino* Pauli.
Theoctiſto ſanctæ Dei genitricis prope illa Iob.
Theodoro Tryphonis.
Coſma ſancti Ioannis inter illa Studij.
Petro ſanctæ Dei genitricis & ſancti Diomedis, in Hieruſalem.
Eleutherio S. Dominici.
Alexandro Abraamij.
Theodoro Iob.
Tryphone Elpidij.
Stephano illorum de Conſta.
Babyla Danielis in Stylo.
Ioanne Anaſtaſij.
Anthemio Neonis.
Ioanne ſancti Michaelis illorum Charitij.
Ioanne Maræ prope Aetiam Ciſternam.
Phoca Ionæ prope & iuxta Secundum.
Zoſimo Eutychij Lycaonorum.
Timotheo Aſterij prope Aetiam Ciſternam.
Martyrio Petri prope Apoſtolos.
Andrea ſanctæ Dei genitricis prope ſanctum Lucam.
Marco ſancti Dominici.
Iacobo Abibi Syro.
Attico Eucratadorum.

*Antoniano

*Paulini

Ioseph sanctæ Dei genitricis in Lithostroto.
Paulo sancti Apostoli Petri prope palatium.
Anastasio presbytero & secundario S. Philippi in Brephotrophio.
Georgio Cyri.
Eusebio Simeonij.
Zotico sancti Andreæ prope Saturniam portam & de Theopoli.
Paulo monachus & ambasiator monasterij Maronis.
Seueriano presbytero & archimandrita monasterij Zoaræ *Calidorum Syro.
Cassisa presbytero & archimandrita monasterij Lucæ Syro.
Simeonio diacono & ambasiator Iacobi.
Ioanne diacono & ambasiator Theodori.
Stephano presbytero & priore monasterij Euxerij.
Ioanne presbytero & archimandrita monasterij *Cyri Thomæ Syro.
Theona presbyter. & archimandrita monasterij Aaron Syro.
Photino monachus & ambasiator sancti Stephani.
Theodoro diacono & ambasiator Ecclesiæ Erendilenorum.
Sergio presbytero & lustratore, qui omnes pro seipsis, & pro reliquis, atque etiam pro his, qui sub sanctis Christi veri Dei nostri locis agunt.
Domno presbytero & archimandrita monasterij beati Martyrij.
Hesychio presbytero & ambasiator monasterij beati Theodosij.
Cassiano presbytero Lauræ B. Sabbæ.
Dominico presbytero & priore Turrium Iordani.
Nestabo presbytero Lauræ B. Firmini.
Terentio presbytero nouæ Lauræ.
Leontio monachus & priore, & vicario totius eremi.
Traiano presbytero Turrium Iordani.
Polyeucto diacono monasterij B. Theodosij.
Theodoro diac. & monac. nouæ Lauræ.
Cyrico diac. & monacho ipsius nouæ Lauræ.
Anastasio diac. monasterij B. Martyrij.
Mama monacho eiusdem monasterij.
Ioanne monacho eiusdem monasterij.
Iuliano monacho monasterij B. Theodosij.

* Thermarum

Qui omnes agunt pro proprijs monasterijs, & pro omnibus monachis eremi sanctæ ciuitatis. Ioanne presbytero Campestris, & pro omnibus, qui ibidem sunt monachis, Theona presbytero montis Sinai, & ambasiator ipsius montis, & Ecclesiæ Pharan, & Lauræ Raithæ, & pro omnibus ibidem monachis, Strategio diacono & monacho monasterij Beati Ioannis, & pro omnibus monachis sub Scythopoli.

Sanctissimus Archiepiscopus & tota Synodus dixit: Legantur, quæ pridiè gesta fuerunt. Et accipiens Macarius venerabilis diaconus, notarius & ambasiator, legit: Post consulatum Flauij Belisarij clarissimi, sexto Nonas Maij, indictione decimaquarta, in Christo amantissima & imperiali Constantinopoli. Et reliqua primæ actionis. Sanctissimus Archiepiscopus & tota synodus dixit: Qui à nobis deputati fuerunt ad requirendum Anthimum venerabilem, si iniuncta ad opus deduxerunt, ostendant. Vosporius sanctissimus episcopus Neocæsaræens. metropolis prouinciæ ponti Polemoniaci, dixit: Decretis à beatitudine vestra, & ab hac sancta synodo meritò obtemperantes, fuimus in omnibus locis, in quibus arbitrabamur esse venerabilem Anthimum, videlicet in oratoria domo glorioси Archangeli Michaëlis, quæ est in palatio, & in domibus Hormisdæ in sancto apostolio: in quibus conuocauimus venerabiles presbyteros & diaconos, & quasi (vt ita dicamus) vniuersum clerum prædictarum sanctissimarum domorum, rogauimusque ipsos dicere nobis & demonstrare, si sciunt prædictum Anthimum, seu domum, in qua est, *inueniri. Qui primùm quidem concorditer dixerunt, neque vidisse ipsum ibidem, neque scire domum, in qua ipse sit. Postea verò ad satisfactionem nostram dederunt quosdam ex ipsis, simul cum Acacio & Christodoro, venerabilibus diaconis & notarijs vestræ sanctitatis, qui prædicti Anthimi Inquisitionem fecerunt. Existimantes autem inuenire ipsum in mittato suo, in quo olim permanebat, quæsiuimus, & nec ibi inuenire potuimus. At in suburbio suo, quod est circa sanctum Laurentium venientes, nec ibi ipsum inuenire valuimus, inuento ibidem homine suo, qui dixit, quòd ex quo recessit de sancta magna Ecclesia, neque vidisse ipsum neque scire vbi degat. Acacius sanctissimus Episcopus Pessinuntiarum metropolis secundæ prouinciæ Galatiæ, dixit: Et ego significo vestræ beatitudini, quomodò veniens cum Vosporio & Zacharia sanctissimis comministris, ac Ioanne & Theoctisto Deo amantiss. presbyteris, & procuratoribus ecclesiæ, Acacioque & Christodoro venerabilibus diaconis & notarijs, in prædictis locis requirere prædictum venerabilem Anthimum, & ipsum inuenire non potui. Zacharias sanctissimus Episcopus Mitylenensis metropolita, dixit: Sicut dixerunt ante me Vosporius & Acacius Deo amantiss. Episcopi, satisfacientes mandatis à vestra sanctitate, venimus in oratoriam domum sancti Michaëlis Archangeli, quæ adiacet palatio, & in sancto apostolio, quod est intra illa Hormisdæ, atque etiam in suburbio suo, quod adiacet oratoriæ domui sancti Laurentij, & scrutationem susceptam fecimus, simul cum Ioanne & Theoctisto Deo amantissimis presbyteris & procuratoribus, & Acacio & Christodoro venerabilibus diaconis & notarijs, & nullibi hunc inuenire potuimus. Ioannes Deo venerabilissimus presbyter & defensor sanctissimæ magnæ Ecclesiæ, dixit: Iuxta iussum vestræ sanctitatis, simul cum prædictis sanctissimis episcopis & venerabilibus diaconis & notarijs, venimus ego & Theoctistus ad loca prædicta ab ipsis, vbi putabamus omninò nos manifestum facere ipsum venerabilem Anthimum, quem inuenire non potuimus.

* inuenire

Theoctistus venerabilis presbyter & defensor Ecclesiæ, dixit: Ego eadem depono:

Acacius venerabilis diaconus & notarius, & Christodorus venerab. diaco. & notarius, ac secretarius, per Christodorum vnum ipsorum dixerunt: Quæ sanctissimi episcopi, & Deo amantiss. presbyteri & procuratores, qui vnà nobiscum missi sunt super requisitione venerabilis Anthimi, dixerunt, eadem & nos deponimus. Attulimus autem & ea, quæ proximè gesta fuerũt, vt ipsa ei intimaremus, & nullo modo ipsum inuenire potuimus.

Sanctissimus Archiepiscopus & tota sacrosancta synodus dixit: Manifesta iam facta est voluntas venerabilis Anthimi, qui se manifestum constituere noluit, & venire ad nos ademendatiouem. Veruntamen nos, cùm simus homines, quantùm est possibile, sequendo bonitatem magni DEI & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui vult omnes saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, & qui pœnitentiam tanquàm salutare quoddam medicamentum his qui peccant, præbet, vt per ipsam, qui à recta via lapsi sunt, rursus ad ipsam reuocentur per conuenientem longanimitatem: studentesque prædictum venerabilem Anthimum modo possibili saluare, rursùs dedimus ei terminum aliorum trium dierum ad pœnitẽdum, & recognitionem necessariorum, intra quos requirent ipsum Petrus sanctiss. Episcopus Iustinianopolitanus metropolita secundæ prouinciæ Cappadociæ, & Thalassius sanctissimus episcopus metropolis Berytiorum, ac Domnus DEO amantissimus Episcopus Maximianopolitanus prouinciæ secundæ Palæstinorum, Romanusque, atq; etiam Ioannes Deo amantissimi presbyteri & procuratores sanctissimæ magnæ Ecclesiæ, insuper etiam & Andreas & Calonymus venerabiles diaconi & notarij, & si inuenient ipsum, nunciabunt intra dictum terminum venire ad nostram audientiam, excusaturum accusationes contra ipsum factas.

Subsignaui.

CONSTANTINOPOLITANÆ Synodi Actio Tertia.

POST consulatum Flauij Belisarij, viri clarissimi, sexto Idus Maij, indictione quartadecima, in DEO amantissima & regia ciuitate *Roma Constantinopoli, præsidente Domino nostro sanctissimo ac beatissimo œcumenico Archiepiscopo Menna Patriarcha, in Mesaulio dytico venerabilis domus Dominæ nostræ, sanctæ & gloriosæ Dei genitricis semper

semper Virginis Mariæ, quæ est prope sanctam magnam ecclesiam.

Et à dextera quidem parte considentibus ipsis, & coaudientibus secundùm pium iussum Christo amantissimi, ac à Deo custoditi Imperatoris nostri Iustiniani sanctissimis & Deo amantissimis episcopis.

Sabino Canusino.
Epiphanio Esculano.
Asterio Salernitano.
Rustico Pæsulano.
Leone Nolano, omnibus ex regione Italorum priùs quidem missis ex Italorum regione, videlicet ab Apostolica sede, postea verò cõsentientibus sanctæ memoriæ Agapeto facto Papæ antiquæ Romæ huc aduenienti.
Thalassio metropolita Berytano.
Magno metrop. Beroano.
Ioanne Gabalorum.
Christophoro Porphyriono prouinciæ Phœniciæ Parali.
Archelao Coryco. Dauitho *Circinsiano.
Ætherio Mariamnio.
Alexandro *Paraxiano.
Domno Maximianopolitano secundæ Palæstinæ.
Anastasio Iotapeno.
Ioanne Zoorono. Asterio Amastreno.
Andrea Paniano.
Epitynchano Germæ prouinciæ Hellesponti.
Paulo *Stectoriano.
Andrea Peltano.
Theodoro Myreno.
Andrea Amyzono.
Flauiano Coteno.
Elia Adrianopolitano.
Macedonio *Beriano.
Theodorito Alindeno.
Armonio Callipolitano.
Leontio Helenopolitano.
Longino Oresteno.
Ioanne Cæsaræensi Bithyniæ, & Ioanne Traianopolitano Pacatianæ Phrygiæ.

A sinistris verò Hypatio metrop. Ephesino.
Constantino Heracleano metr. Europæ.
Eusebio met. Cyzico.
Thalassio metr. Nicomediæ.
Photino met. Chalcedonensi.
Theogene met. Synnadorum.
Bacho metr. Antiochiæ Pisidiæ.
Hilariano met. Pergæ.
Vosporio Neocæsaræensi metr. Ponti Polemoniaci.
Paulo metr. Tyano.
Acacio metr. Pessinuntino.
Epicteto Claudiopolitano metr. Honoriadis.
Petro metrop. Iustinianopolitano secundæ Cappadociarum prouinciæ.
Zacharia metr. Mitylenensi.
Hedisco metr. Cianorum.
Marco metr. Apameæ prouinciæ Bithyniorum.
Auxentio metrop. Selymbriano.
Timotheo metr. Berroeano.
Ioanne Bosphorano metr.
Domitiano *Zychiano.
Caloa Smyrniano.
Epiphanio Heracleano Honoriadis prouinc.
Abraamio Cratiano.
Alexandro Colonensi.
Eugenio *Tieno.
Dominico Theodosiopolitano prouinciæ Phrygiæ Pacatianæ.
Eustathio Tiberiopolitano.
Theodoto Euriano.
Eusebio *Antiquæ ciuitatis.
Theodoro Gordeno.
Matthia Cymano.
Alexandro Eleuzano, & Ioanne Medaiano. Adstantibusque ei & coaudientibus Theophane & Pelagio venerabilibus diaconis Apostolicæ sedis, ac Mina & Petro venerabilibus notarijs, & quibusdam venerabilibus subdiaconis & procuratoribus, & cæteris clericis ipsius sedis Apostolicæ, qui & præsentes fuerunt cum sanctæ memoriæ Agapeto facto Papa antiquæ Romæ huc aduenient, & Magno presbytero, & Heraclio diacono & ambasiatore Euphræmij sanctissimi Patriarchæ sanctissimæ Ecclesiæ Theopolitanæ, Sabino diacono sanctæ resurrectionis Christi Dei nostri, ambasiatore Petri sanctissimi patriarchæ Hierosolymitani, Stephano diacono & ambasiatore Soterici sanctissimi episcopi Cæsarẽsis metrop. primæ Cappadociæ. Gaiano presbytero & ambasiatore Elpidij sanctissimi episcopi Ancyrani meropolit. Galatiæ primæ, Dionysio diacono & Callinico diacono, ambasiatoribus Photij sanctissimi Episcopi metropolitani Corinthi, præsente etiam venerabili clero regiæ vrbis, Euphemius venerabilis diaconus & primicerius notariorum dixit: Bis iam conueniente sancta vestra synodo, secundùm iussum pijssimi & sereniissimi Imperatoris nostri, cùm aduenirent tunc diuersi monachi ex hac regia vrbe, & Theopoli, ac etiam Hierosolymis, præcesserunt quædam supra Anthimum, sicut gesta de his ostendunt, in quibus secundùm primum & secundum ordinem, certi termini dati sunt super requisitione ipsius venerabilis viri. Quoniam igitur & vltimam dilationem à vobis datam decurrisse contigit, conuenitque rursus vestra sanctitas, obseruant quoque vestram audientiam prædicti venerabiles monachi, petentes introitum habere, subijcimus ergò & exhibemus ad præsentiam. Sanctissimus Archiepiscopus & tota Synodus sancta dixit: Intrent.

Et intrauit Marianus Deo amãtissimus presbyter & prior monasterij sanctæ memoriæ Dalmatij, & primas, & cum ipso Deo dilectissimi presbyteri & archimandritæ venerabilium monasteriorum regiæ ciuitatis.

Agapetus Dij.
Dioscorus sanctæ Euphemiæ.
Agapius Thalassij.
Paulus Romanorum.
*Antoninus Eusebij. * Antoni⁹
Stephanus Olympij.
Anastasius Romanorum.
Demetrius Phocæ.
Dominicus Euphemij.
Zoilus Theodoti.
Iulianus Euphemij.
Stephanus Promoti.
Zenon sanctæ Dei genitricis ad fontem.
Alexander Calamij.
Dadas Caiumæ.
Rhodon Theodori. Silas Eliæ.
Paulus Samuelis.
Ioannes Theodori.
*Cyrion Ægyptiorum.
Basilius Cyraconæ.
Ioannes sancti Thomæ Apostoli inter illa Modesti.
Marinus *Pauli. * Paulini
*Theoctiscus sanctę Dei genitricis prope illa Iob. *Theoctistus
Theodorus Tryphonis.
Cosmas sancti Ioannis inter illa Studij.
Petrus sanctæ Dei genitricis & sancti Diomedis in Hierusalem.
Eleutherius sancti Dominici.
Alexander sancti Abraamij.
Theodorus Iob.
Tryphon Elpidij.
Stephanus Constæ.
Babylas Danielis in Stylo.
Ioannes Anastasij.
Anthemius Neonis.
Ioannes sancti Michaelis illorum Charisij.
Ioannes Maræ prope Aetiam Cisternam.
Phocas Ionæ prope Secundum.
Zosimus Eutychij Lycaonorum.
Timotheus Asterij.
Stratonicus Dometij.
Polychronius *Ethrij.
Andreas Romanorum prope Cisternam.
Martyrius Petri prope Apostolos.

Andreas sanctæ Dei genitricis prope sanctum Lucam.
Marcus sancti Cyrici.
Iacobus Abibi Syrus.
Atticus Eucratadorum.
Ioseph sanctæ Dei genitricis in Lythostroto.
Paulus sancti Petri Apostoli prope palatium.
Anastasius presbyt. & secundarius sancti Philippi in Brephotrophio.
Georgius Cyri.
Eusebius Simeonij.
Zoticus sancti Andreæ prope Saturniam portam.
Dominicus sancti Ioannis Syriorum.
Cosmus Maximini.
Criticorum, vel Eriticorũ. Polychronius Cretensium.
Paulus sancti Erimonis, & eorum qui sunt sub Theopoli.
Paulus monachus & ambasiator monasterij Maronis.
Seuerianus presbyt. & archimandrita monasterij Zoaræ Thermarum Syrus.
Cassias presbyter & archimandrita monasterij Lucæ Syrus.
Simeones diaconus & ambasiator monasterij Iacobi.
Ioannes diaconus & ambasiator monasterij Theodori.
Stephanus presb. & prior monasterij Euxerij.
Ioannes presbyter & archimandrita monasterij Aaron Syrus.
Photinus monachus & ambasiator monasterij sancti Stephani.
Theodorus diaconus & ambasiator Ecclesiæ Erendilenorum.
Sergius presb. & lustrator, qui omnes agunt pro seipsis, & pro cæteris, atq; etiam pro his, qui sunt sub sanctis locis Christi veri Dei nostri.
Domnus presb. & archimandrita monasterij beati Martyrij.
Hesychius presbyter & archimandrita monasterij beati Theodosij.
Cassianus presb. Lauræ beati Sabbæ.
Dominicus presb. & prior Turrium Iordani.
Testabus presb. Lauræ beati Firmini.
Terentius presb. nouæ Lauræ.
Leontius monachus & prior, ac vicarius totius eremi.
Traianus presb. Turrium Iordani.
Polyeuctus diaconus monasterij B. Theodosij.
Theodorus diaconus & monachus eiusdem nouæ Lauræ.
Cyricus diaconus & monachus monasterij beati Martyrij.
Mamas monac. eiusdem monast.
Ioannes monac. eiusdem monast.
Iulianus monac. monasterij beati Theodosij, qui omnes pro proprijs monasterijs agunt, & pro omnibus monachis de eremo sanctæ ciuitatis.
Ioannes presb. Campestris, & pro omnibus ibidem monachis.
Theonas presb. montis Sinai, & ambasiator ipsius montis & Ecclesiæ Pharan ac Lauræ Raithæ, pro omnibus ibidem monachis.
Strategius diaconus & monachus monast. beati Ioannis, pro omnibus monachis, qui sunt sub Scythopoli.

Sanctissimus Archiepiscopus & tota synodus sancta dixit: Legantur, quæ proximè gesta fuerunt. Et accipiens Paulus venerabilis diaconus, & notarius legit: Post consulatum Flauij Belisarij clarissimi, *primo Nonas Maij, in dictione quartadecima, in Deo amantissima Imperiali Roma Constantinopoli, Et reliqua secundæ actionis. Sanctissimus Archiepiscopus & tota sancta synodus dixit: Doceant nos venerabiles diaconi & notarij, quot dies præterierunt post synodum secundo ordine factam. Notarij dixerunt: Docemus vestram beatitudinem, quomodò à circumhabita die in actis nunc lectis vsq; ad hanc diem, quinque sunt dies. Sanctissimus Archiepiscopus & tota sancta synodus dixit: Nunc qui à nobis secundo ordine deputati sunt ad requirendum venerabilem Anthimum, si interlocutionis finem imposuerunt, edoceant. Petrus sanctissimus Episcopus Iustinianopolitanus secundæ Cappadocię, dixit: Quæ sanctè à vestra sanctitate gesta sunt, & nobis mandata, ad effectum deducere studuimus. Ego quoque, & qui mecum deputati erant, Thalassius sanctissimus Episcopus Berytius metropolita, & Domnus Deo amantissimus Episcopus Maximianopolitanus, & Romanus ac Ioannes Deo amantissimi presbyteri & procuratores, Andreasque & Calonymus Deo amantissimi diaconi & notarij sanctissimæ magnæ Ecclesiæ iuimus ad diuersa loca, in quibus putabatur inueniri venerabilis Anthimus, & cum omni diligentia fecimus inquisitionẽ, & nullo modo ipsum inuenire potuimus. Fuimus autem & in venerabili domo glorioſi martyris Laurentij, & interrogauimus ibidem clericos, si sciebant, vbi moratur memoratus venerabilis vir. Qui cum iuramento dixerunt, se non vidisse ipsum, sed quòd recessit de sede huius regiæ vrbis, neq; scire in quo loco moratur. Dixerunt autem ipsum habere suburbanum prope *prophetium, in quo sæpiùs inuentus est deambulare, & in monasterio Theodosij Deo amantissimi presbyteri, & Prioris, priusquàm acciperet Episcopatum huius regiæ ciuitatis. * Quos accipientes, venimus ad prædicta loca, & inquisiuimus. Et neque in his locis ipsum inuenire valuimus, ibidem inuentis cum iuramento affirmantibus, neq; vidisse ipsum, ex quo recessit de hac sancta magna Ecclesia. Accipientes autem ad mentem, affectionem existentem ei erga Petrum quondàm Apamearum præsulem, iuimus ad suburbanũ, quod pertinet ipsi Petro, existens prope oratoriam domum sancti martyris Thyrsi, & nec ibi ipsum inuenire potuimus. Thalassius sanctissimus Episcopus Beryti, dixit: Iustè autem & canonicè à sancta synodo interlocutis satisfacientes, ego & Petrus ac Dominus sanctissimi episcopi, Romanusque & Ioannes Deo amantissimi presbyteri & procuratores, Andreas & Calonymus venerabiles diaconi & notarij sanctissimæ magnæ Ecclesiæ, venimus ad inquirendum venerabilem Anthimum, inuitaturi ipsum venire ad hoc sacrum collegium, & facere defensiones, de quibus accusatur. Et venientes in multis locis, oratorij domibus & venerabilibus monasterijs, ac etiam in suburbanis pertinentibus ipsi Anthimo & Petro, qui sedem Apamearum olim iniustè subripuit, in quibus putauimus ipsum manere, & lustrauimus, nec vllo modo ipsum inuenire potuimus. Domnus Deo amantissimus Episcopus Maximianopolitanus secundæ Palæstinæ dixit: Sequendo & ego, quæ canonicè à sanctissima hac synodo iussa sunt, peragraui cum Petro ac Thalassio sanctissimis Episcopis, Romanoque ac Ioanne Deo amantissimis presbyteris & Ecclesiæ defensoribus, & cum Andrea & Calonymo venerabilibus diaconis & notarijs ad nominata ab ipsis loca, & nullibi ipsum inuenire potuimus. Romanus Deo amantissimus presbyter & Ecclesiæ defensor, dixit: Ego veniens simul cum Petro, Thalassio, ac Domno sanctissimis Episcopis, & Ioanne Deo amantissimo compresbytero meo, ac defensore, Andreaque & Calonymo Deo amantissimis diaconis & notarijs, in venerabili domo sancti martyris Laurentij, & introeuntes in ipsam, hortati sumus Deo amantissimos clericos dicere, vbi possibile est inuenire venerabilem Anthimum, vt annunciarentur ei, quæ gesta sunt de materia mota in venerabili synodo, Et cùm iuramento ipsi venerabiles clerici dixerunt, quia scimus ipsum habere suburbanum prope *prophetium sancti Isaiæ, & ibi multùm commorari, & sæpiùs abire in monasterium Theodori DEO amantissimi monachi, & cum ipso morari. Hæc scimus ab ipso fieri, priusquàm acciperet episcopatum huius regiæ ciuitatis. Etiam tempore Episcopatus non solùm semel sciuimus ipsum alere venerabiles clericos suos sanctissimæ magnæ Ecclesiæ in prædicto suburbano in collegio Dominæ nostræ Dei genitricis sanctæ Mariæ, quæ iacet, & locata est in Blachernis *procenso existente regis. Et ipsis verbis, cum iuramentis vsi addiderunt, quoniam nunc omninò nescimus vbi sit. Si autem posteà poterimus cognoscere, vbi degat, annunciabimus vestræ charitati. Cùm verò audiuimus hæc ab ipsis, hortati sumus venire vnà nobiscum in monasterium Theodori DEO amantissimi presbyteri & monachi, & in suburbano venerabilis Anthimi, vt & in illis locis inquisitionem ipsius faceremus, & scire vbi moraretur. Et euntes nos cum prædictis venerabilibus Clericis in monasterium Theodori DEO amantissimi presbyteri, & prioris ipsius monasterij: & intrantes oratoriam domum ipsius venerabilis monasterij, inuenimus ibi venerabiles

for. *pridie
*Quos
*procenso

mona-

monachos ipsius, inter quos erat & Procopius venerabilissimus monachus, & protodiaconus. Et cùm audissent, à nobis, vbi moratur venerabilis Anthimus, eò quod à sancta synodo ipse inquiritur, dixerunt hæc: Quoniam sicut in conspectu Dei dicimus, quòd priusquàm Dominus Anthimus fieret Episcopus huius regiæ ciuitatis, veniebat frequenter in monasterio nostro ad Priorem, & conuersabantur simul, & habebant adinuicèm affectionem: postquàm autem accepit episcopatum, non venit huc, nec vidimus eius adspectum. Dominus autem Prior noster recessit multis diebus ad votum, neque audiuimus ab ipso domino, vbi moratur venerabilis Anthimus. Venimus autem & in suburbano venerabilis Anthimi, & introeuntes, inuenimus in ipso Stephanum & Longinum illius familiares. Qui interrogati à nobis, vbi moraretur prædictus venerabilis Anthimus, dixerunt cum iuramentis, nescire vbi moratur, sed ipsos solos in ipso suburbano: & per clementem Deum & sanctas vestras orationes, ex quo exiuit de sancta Maria, non vidimus faciem eius. Et exindè venientes in oratorio sancti martyris Thyrsi, intelleximus, quomodò probè adiacet suburbanum Petri, quondam Apamearum Episcopi, in quo inueniretur venerabilis Anthimus. Et illuc etiam venientes, interrogauimus Thalelæum venerabilem monachum, si sciret prædictum venerabilem Anthimum ibidem esse. Et dixit cum iuramentis ipse, & Sisinnius artis redemptor, quoniam neque antequàm fieret Episcopus, nec postquàm factus est, scimus ipsum venisse huc, neque vbi moratur. Et hæc cùm audiuimus, recessimus. Ioannes Deo amantissimus presbyter & ecclesiæ aduocatus, & super custodias, dixit: Ego eadem depono. Andreas Deo amantissimus diaconus & notarius, dixit: Secundùm sanctum præceptum vestræ beatitudinis, abij vnà cum prædictis sanctissimis Episcopis, & Deo amantissimis presbyteris & procuratoribus, vnà mecum à vobis sanctissimis deputatis, ad faciendum inquisitionem venerabilis Anthimi. Et veniens cum ipsis ad loca per eos dicta, & cum magna inuestigatione ipsum inuenire non potui. Audiui autem à prædictis clericis sancti martyris Laurentij, & à monachis monasterij Theodori venerabilis presbyteri & prioris, ac etiam ab hominibus pertinentibus ipsi venerabili Anthimo, omnia, quæ relata fuerunt, vobis à Romano Deo amantissimo presbytero & procuratore. Calonymus venerabilis diaconus & notarius, dixit: Consona & ego depono prædictis Deo amantissimis viris. Sanctissimus Archiepiscopus & tota sancta synodus dixit: Visus quidem fuit venerabilis Anthimus non recta conscientia vsus fuisse, refugiendo vsque nunc venire ad nos. Nam quod prohibens fuit, nisi quia distulit venire ad nos, & secundùm quod conueniens fuit, respondere adnunciatis contra ipsum tanquam veris, ac Deo dilectam, & sacrorum habitui condecentem præbere satisfactionem? Verùm licèt ille nos iam mouerit contra se ad sententiandum in ipsum, tamen nos nullo modo despicientes miserationem decētem sacerdotibus Dei, erga emendationem animarum, quæ peccauerunt, tertiam ei damus dilationem, intra quam nisi venerit, & liberum se constituerit ab adnunciatis contra ipsum, finis quidem, qui inde propriæ inobedientiæ conuenit, inscribetur. Nos verò sequentes venerabiles canones, & ea, quæ à sanctæ memoriæ Agapeto diffinita sunt, attendentes, iustam in eum feremus sententiam. Inquirent igitur ipsum, & Theogenes sanctissimus episcopus Synnadorum metropolita, & Bachus sanctiss. episcopus metropolis Antiochiæ prouinciæ Pisidorum, & Christophorus Deo amantiss. episc. Porphyrionis *Phœnicis *Parali, ac Iulianus & Ammonius Deo dilectiss. presbyteri & defensores sanctissimæ Ecclesiæ magnæ, Paulusque & Macarius venerabiles diaconi & notarij, & si inuenient, parabunt obseruare nostram audientiam intra alios decem dies. Et pro tollendo omnem ignorantiæ, seu (quod verius est) dissimulationis occasionem, fient, quæ à nobis sententiata fuerint, manifestatoti Christianiss. populo huius regiæ ciuitatis, & proclamatio apponetur, exhibens inquisitionem esse factam super Anthimum, & ipsum hortans serò venire ad nos.

Subsignaui.

(?).

CONSTANTINOPOLITANI CONCILIJ Actio IV.

POST consulatum Flauij Belissarij clarissimi prætoris, 12. Kalendarum Iunij, indictione 14. in Christo amantissima Roma Constantinopoli regia, præsidente domino nostro sanctissimo ac beatissimo œcumenico Archiepiscopo, Menna Patriarcha in Mesaulio dytico venerabilis domus dominæ nostræ, sanctæ & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, quæ est prope sanctissimam magnam Ecclesiam, & à dextris quidem considentibus & coaudientibus, secundùm pium iussum pijssimi & à Deo custoditi Imperatoris nostri Iustiniani, sanctissimis ac Deo amantissimis Episcopis.

Sabino Canusino.
Epiphanio Esculano.
Asterio Salernitano.
Rustico Fæsulano.
Leone Nolano, ex omnibus Italiæ regionibus, prius quidem ab Apostolica sede missis, postea verò consentientibus sanctæ memorię Agapeto facto Papæ antiquę Romę huc aduenienti.
Thalassio metrop. Beryti.
Ioanne Gabalorum.
Christophoro Porphyriono prouin. Phœniciæ Parali.
Archelao Coryceno.
Dauitho * Circinsiano. *Cyrrestricensi.
Ætherio Mariamnio.
Alexandro * Paraxiano. *Pagrasiano
Domno Maximianopolitano secundæ Palestinæ.
Anastasio Iotapeno.
Ioanne * Zoorano.
Asterio Amastreno.
Andrea Paniano.
Epitynchano Germæ prouinciæ Hellesponti.
Paulo * Stectoriano. *Stectoriano
Andrea Peltano.
Theodoro Myreno.
Andrea Amyzono.
Flauiano Cotenensi.
Elia Adrianopolitano.
Macedonio * Berianensi.
Theodrito Alindinensi. *Butritino
Armonio Callipolensi.
Leontio Helenopolitano.
Longino Oresteno.
Ioanne Cæsareensi Bithyniæ, & Ioanne Traianopolitano Phrygiæ Pacatianæ
A sinistris verò, Hypatio metropol. Ephesino.
Constantino Heracleano metropol. Europæ.
Eusebio metrop. Cyzico.
Thalassio metrop. Nicomediæ.
Photino metrop. Chalcedonæ.
Theogene metrop. Synnadorum.
Bacho Antiocheno metrop. Pisidiæ.
Iuliano metrop. Pergæ.
Vosporio Neocæsareensi metrop. Ponti Polemoniaci.
Paulo metrop. * Tyano.
Acacio metrop. Pessinuntino.
Epicteto Claudiopolitano metrop. Honoriadis.
Petro metrop. Iustinianopolitano secundæ prouinciæ Cappadociarum.
Zacharia metrop. Mitylenensi.
Hedisco metrop. Ciano.
Marco metrop. Apamearum prouinciæ Bithyniorum.
Auxentio metrop. Selymbriano.
Ioanne metrop. Bosphorano.
Domitiano * Zichiano. *Zinchiano
Caloa Smyrnæ.
Epiphanio Heracleano prouinc. Honoriadis.
Abraamio Cratiano.
Alexandro Colonensi.
Eugenio Tieno.
Dominico Theodosiopolitano prouinciæ Phrygiæ Pacatianæ.

Eustathio Tiberiopolitano.
Theodoto Euriano.
*Antisæ vel Astiantiquæ — Eusebio *antiquæ ciuitatis.
Theodoro Gordeno.
Matthia Cymano.
Alexandro Eleusono, & Ioanne Medaiano, Assistentibusque ei & coaudientibus.

Theophano & Pelagio Deo amantissimis diaconis Apostolicæ sedis, & Mina & Petro venerabilibus notarijs, & quibusdam subdiaconis sedis Apostolicæ, qui consentientes fuerunt Agapeto facto Papæ antiquæ Romæ, huc aduenienti, & Magno presbytero, & Heraclio diacono ambasiatore Euphræmij sanctissimi Patriarchæ Theopolitanæ Ecclesiæ. Sabino diacono sanctæ resurrectionis Christi Dei nostri, ambasiatore Petri sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani, Stephano diacono & ambasiatore Soterici sanctissimi Episcopi Cæsareensis metropol. primæ Cappadociæ. Gaiano presbytero & ambasiatore Elpidij sanctissimi Episcopi Ancyrani metropolita. primæ Calatiæ, Dionysio & Callinico diacono, & ambasiatoribus sanctissimi Photini Episcopi metropolitani Corinthi, præsente etiam venerabili clero regiæ vrbis, Euphemius venerabilis diaconus & notariorum primicerius dixit: Cùm iam tertio conueniret sancta nostra synodus, iuxta pium iussum Christo amantissimi & serenissimi Imperatoris nostri, & quædam gesta fuerint super venerabili Anthimo, & eius requisitione à vestra sanctitate, sententiaque sancta à vobis prolata sit, diffiniens dilationem decem dierum ad inquisitionem ipsius & proclamationem apponi iubens, inuitando ipsum venire ad sanctam nostram synodum. Cumque etiam euenerit id, quod à vobis mandatum erat ad effectum prouenire, & inducias per vestram sanctam sententiam datas decurrisse, conuenienteque & nunc sancta nostro synodo, ac obseruantibus audientiam nostram ijs, qui in principio accusationem contra ipsum venerabilem Anthimum fecerunt, venerabiles videlicet monachi huius regiæ vrbis, & Theopolitanæ, petentibusque introitum habere subijcimus ad notitiam. Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Intrent.

Et intrauit Marianus Deo amantissimus presb. & prior monasterij Dalmatij sanctæ memoriæ, & primas, & cum ipso Deo dilectissimi presbyteri & archimandritæ venerabilium monasteriorum regiæ ciuitatis.

Agapetus Dij.
Dioscorus sanctæ Euphemiæ.
Agapius Thalassij.
Paulus Romanorum.
Demetrius Phocæ.
*Antoni — *Antoninus Eusebij.
Stephanus Olympij.
Anastasius Romanorum.
Dominicus Euphemij.
Zoilus Theodoti.
Iulianus Euphemij.
Stephanus Promoti.
Zenon sanctæ Dei genitricis ad fontem.
Alexander Calamij.
Dadas Caiumæ.
Dominicus sancti Ioannis Syriorum.
Elpidius Bassiani.
*Cosmus *Criticorum, vel Eriticorũ. — *Zosimus Maximini.
Polycronius *Cretensium.
Paulus sancti Erimonis.
Rhodon Theodori.
Gennadius Dominici.
Theodotus Maronij. Silas Elię.
Paulus Samuelis.
Ioannes Theodori.
Cirion Ægyptiorum.
Basilius Cyraconæ.
Ioannes sancti Thomæ Apostoli inter illa Modesti.
Marcus Theodori.
*Paulini — Marinus *Pauli.
Flauianus presb & secundarius Lycaonorum.
Theoctistus sanctæ Dei genitricis prope illa Iob.
Theodorus Tryphonis.
Eleutherius sancti Dominici.
Cosmas sancti Ioannis ad Stylum.
Petrus sanctæ Dei genitricis & sancti Diomedis in Hierusalem.
Alexander Abraamij.
Theodorus Iob.
Tryphon Elpidij.
Stephanus Constæ.
Babylas Danielis in Stylo.
Ioannes Anastasij.
Anthemius Neonis.
Timotheus Asterij.
Ioannes sancti Michaëlis inter illa Charisij.
Ioannes Maræ prope Aetiam Cisternam.
Phocas Ionæ prope Secundum.
Zosimus Eutychij Lycaonorum.
Stratonicus Dometij.
Polychronius *Ethrij.
Andreas Romanorum prope Cisternam.
Martyrius Petri prope Apostolos.
Andreas sanctæ Dei genitricis prope S. Lucam.
Marcus sancti Cyrici.
Iacobus Abibi Syrus.
Atticus Eucratadorum.
Ioseph sanctæ Dei genitricis in Lithostroto.
Paulus sancti Petri Apostoli prope palatium.
Anastasius presbyter & secundarius sancti Philippi in Brephotrophio.
Georgius Cyri.
Eusebius Simeonis.
Zoticus sancti Andreæ prope Saturniam portam.
Theodorus monasterij ab ipso constituti prope martyrium S. Laurentij & de Theopoli.
Paulus monachus & ambasiator monasterij Maronis.
Seuerianus presbyter & archimandrita monasterij Zoræ Calidorum Syrus.
Cassias presbyter & archimandrita monasterij Lucæ Syrus.
Simeonius diaconus & ambasiator Iacobi.
Ioannes diaconus & ambasiator Theodori.
Stephanus presb. & prior mona. Euxerij.
Ioannes presb. & arch. mona. Aaron Syrus.
Photinus monac. & amb. monac. S. Steph.
Theodorus diac. & amb. Ecclesiæ Erendelenorum.
Sergius presbyter & lustrator, qui omnes & pro seipsis gunt, & reliquis, ac etiam pro ijs, qui sunt sub sanctis Christi veri Dei nostri locis.
Domnus presb. & archimandrita monasterij beati Martyrij.
Hesychius presb. & ambasiator monasterij beati Theodosij.
Cassianus presbyter & prior monasterij Lauræ beati Sabbæ.
Dominicus presb. & prior Turrium Iordani.
Nestabus presb. Lauræ B. Firmini.
Terentius presb. nouæ Lauræ.
Leontius monac. & vicarius totius eremi.
Traianus presb. Turrium Iordani.
Polyeuctus diaco. monac. B. Theodosij.
Theodorus diaconus & monachus nouæ Lauræ.
Cyricus diaconus eiusdem nouæ Lauræ.
Anastasius diaco. monasterij B. Martyrij,
Mamas monac. eiusdem monasterij.
Ioannes monach. eiusdem monasterij.
Iulianus monach. monast. B. Theodosij.

Qui omnes agunt pro proprijs monasterijs & pro omnibus monach. qui sunt in sancta eremo.

Ioannes presbyter Campestrinæ, & pro omnibus ibidem monachis.

Theonas presb. montis Sinai, & ambasiator eiusdem mõtis & ecclesiæ de Pharan ac Lauræ Raithæ, pro omnib. ibidem monachis.

Strategius diaco. & monach. monasterij B. Ioannis, pro omnibus monachis, de Scythopoli.

Sanctissimus archiepiscopus dixit: Legantur, quæ gesta

sunt

sunt pro hac materia. Et lectæ fuerunt duæ actiones per Macarium venerabilem diaconum & notarium, tertia verò per Calonymum venerabilem diaconum & notarium.

Sanctissimus archiepiscopus & tota synodus dixit: Si id, quod à vobis interlocutum est super inquisitione venerabilis Anthimi, viri Deo amantissimi ad hoc deputati fecerunt, edoceri volumus. Theogenes, sanctissimus episcopus metropolis Synnadorum, dixit: Secundùm iussum vestræ sanctitatis, & totius sub cœlo vobiscum venerabilis synodi, fui vnà cum Bacho Deo amantissimo Episcopo clarissimę metropolis Antiochenæ prouincię Pisidiorum, & Christophoro Deo amantissimo episcopo Porphyriono sub Phœnicia Parali, & Iuliano ac Ammonio Deo amantissimis presbyteris & procuratoribus sanctæ magnæ Ecclesiæ, Pauloque & Macario venerabilibus diaconis & notarijs venerabilis nostri episcopatus, in venerabili oratorio sancti Martyris Sergij inter illa Hormisdæ, & quærentibus nobis venerabilem Anthimum, ostensa fuit nobis domus, vbi prius moram habere dicebatur, & inuenimus clausam existentem ostio. Venimus autem & ad alia loca, ad requirendum ipsum venerabilem Anthimum, in quibus putabatur esse: & scisitantes, non potuimus scire, vbi moratur, ex quo exiuit de sanctissima magna nostra Ecclesia. Rursus posteà in alia die abeuntes in venerabili domo sancti Archangeli Michaëlis, quæ iacet in palatio, conuocauimus venerabiles clericos ipsius oratorij, & interrogauimus ipsos de ipso venerabili viro. Qui cum iuramento dixerunt, neque vidisse, neque scire, vbi moratur. Et hæc eadem studui nota facere vestræ sanctitati. Bachus sanctissimus Episcopus metropolis Antiochenæ Pisidiorum prouincię, dixit: Iuxta sanctam interlocutionem vestræ sanctitatis, fui & ego vnà cum Theogene & Christophoro sanctissimis Episcopis, ac Iuliano ac Ammonio Deo amantissimis presbyteris & Ecclesiæ defensoribus, Pauloque & Macario Deo amantissimis diaconis & notarijs, & quæsiui vnà cum ipsis venerabilẽ Anthimum in diuersis locis, & nullatenus ipsum inuenire potui. Christophorus sanctissimus Episcop. Porphyrionis prouinciæ Phœniciæ Parali, dixit: Secundùm ea, quæ à vestra beatitudine nobis iussa fuerunt, & à sancta synodo vobiscum sedente, fuerunt simul Theogenes & Bachus sanctissimi Episcopi vnà cum vilitate mea, atque etiam Iulianus & Ammonius Deo amantissimi presbyteri & Ecclesiæ defensores. Insuper etiam & Paulus ac Macarius venerabiles diaconi, & notarij venerabilis episcopatus vestri, & quæsiuimus venerabilem Anthimum, vt accusationes contra ipsum motas in hac sacra vestra synodo, adnunciaremus ei, & hortaremur ipsum, quoad possibile, respondere ad querelas. Et primùm quidem fuimus in locis Hormisdæ, in qua domo permanebat, priusquàm ipse raperet pontificalem sedẽ huius regiæ vrbis, quam domum inuenimus clausam ostijs. Interrogauimus autem eos, qui ibidem expectabant, si ipsum viderant. Et audiuimus ipsos dicentes, non vidisse ipsum à multis diebus. Similiter etiam fuimus in venerabili domo sancti Archangeli Michaëlis in palatio, (visus enim fuit priùs ibidem frequentare) & interrogauimus clericos ibidem, si apparuerat eis in ijs diebus venerabilis Anthimus, qui a nobis quæritur: & ab ipsis cum iuramentis scimus, quod neque viderunt eum, neque sciunt, vbi sit. Et non solùm in ijs locis, sed & in alijs locis fuimus nobis commemoratis. Et quibusdam pueris suis obuiauimus, & interrogauimus eos. Et secundùm quod sanctissimi & Deo amantissimi viri, qui mecum missi sunt, sciunt, à nullo potuimus scire, vbi moratur sæpè dictus venerabilis Anthimus. Iulianus Deo amantissimus presbyter & ecclesiæ defensor, dixit: Secundùm sanctum mandatum vestræ sanctitatis abiens simul cum Theogene, Bacho, & Christophoro sanctissimis episcopis, & Ammonio amantissimo compresbytero meo & defensore, Pauloque & Macario venerabilibus diaconis & notarijs, quæsiui vnà cum ipsis venerabilem Anthimum in diuersis locis & pluribus, in quibus ipsum inuenire arbitrabamur, & nullibi ipsum inuenire potuimus. Et hoc significamus vestræ sanctitati, quòd proposita est & proclamatio vestræ sanctitati, & neque sic ipsum inuenire potuimus. Ammonius Deo amantissimus presbyter & ecclesiæ defensor, dixit: Iuxta ea, quę iussa sunt à vestra sanctitate, fui vnà cum prędictis Deo amantissimis episcopis, & Iuliano presbytero & defensore meo, & cum Paulo & Macario venerabilibus diaconis & notarijs, primùm quidem in domo, in qua permanebat venerabilis Anthimus, vt eo ibidem inuento, intimaremus ei, quæ à vestra sancta synodo mandata erant: & inuenientes portas ipsius domus ab extra, interrogauimus eos, qui aderant, & ostiarium domus, vbinam moraretur prædictus venerabilis vir. Dixerunt nescire, neque vidisse ipsum ex plurimo tempore in ipsa domo. Venimus autem & in oratoriam domum sancti Michaëlis archangeli, & congregantes venerabiles ibidem clericos, adiurauimus, si sciunt prædictum venerabilem virum morari in ipso oratorio, aut in alio loco. Illi autem cum iuramento responderunt, se nullam omninò talem scientiam de ipso habere. Fuimus autem & in diuersis alijs locis, quærentes ipsum & nullo modo valuimus comprædendere, vbi moratur, omnibus eadem affirmantibus, quòd nullo modo sciunt, vbi nunc sit. Significo autem & vestræ sanctitati, quomodò & proscriptionem à sancta synodo vestra factam, rogantem venerabilem Anthimum venire, & respondere sanctæ huic synodo vestræ, publicè apposuimus à septem diebus, vt & per ipsam sciat, quæ exhibita sunt vestræ sanctitati, & certus ipse constituatur: sed neque sic vllam vnquam sui demonstrationem fecit.

Paulus venerabilis diaconus & notarius, dixit: Secundùm præceptum vestræ dominationis & beatitudinis vestræ synodi, iuimus simul cum prædictis Deo amantissimis viris, & Macario venerabili condiacono meo & notario in diuersis locis, & quæsiuimus venerabilem Anthimum, & eum inuenire non potuimus. Macarius venerabilis diaconus, notarius & ambasiator, dixit: Sequendo sanctissimos viros, qui simul mecum missi sunt, eadem & ego depono. Sanctissimus archiepiscopus & tota synodus dixit: Legatur proscriptio apposita secundùm iam præcedentem sententiam. Et accipiens Diodorus diaconus & notarius, legit: Mennas Archiepiscopus Constantinopolitanus œcumenicus patriarcha, & tota synodus in ipsa Deo armata Roma Constantinopoli congregata, Anthimo venerabili. Si quidem aliqua ratio conueniens tibi fuisset & spes pœnitentiæ de peccatis commissis, nihil certè opus fuisset præsentium proclamationum. Sed olim sanctæ memoriæ Agapeto Papæ antiquæ Romæ manifestam fecisti opinionem tuam, & iam in ipsis reprehensibilibus dogmatibus incusationem meruisti, cùm pontifex Trapezuntius appareas: sed neque inquisitionem illius sustinuisti, & cùm à nobis tanto tempore ad pœnitentiam euocatus fueris, non moderatior teipso factus es, & inobedientiam tuam * meliorem sacerdotali humilitate (sicut visum est) ostendisti. * Et quidem, quæ à te gesta sunt, nulla venia digna sint. Veruntamen adhuc hominum lubrico peccata ascribendo, & clementiam vsque ad multum tempus erga eos, qui peccauerunt, & occasionem emendationis (licèt tardè) sæpius factam inuenientes, præsenti litera te prouocamus, admonentes tuam venerabilitatem, non stare in ipsa contentione vsque ad finem, & venire ad sanctam synodum intra numerum sex dierum, & opinionem, quam in rectis dogmatibus adeptus es, pura voce ostendere: palamque facere vniuersis alijs, quanta potest ad reuocationem his, qui lapsi sunt, patrum mitissimorum & iudicũ clementissimorum admonitio. Si verò & hanc nostram vocationem despexeris, tibi decæterò non in tempore locus pœnitentiæ erit: nobis enim non aliundè, quàm ex his, quæ fecisti, ea, quæ iudicij sunt, inducentur. Subsignaui, apposita mensis Maij de quintadecima, indictione quartadecima, post consulatum Flauij Belissarij gloriosissimi.

Epist. Synodi ad Anthimũ.

* maior & for. * vt

Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Venerabiles diaconi & notarij, qui nobis subscribunt, edoceant nos, cuius gratia, cùm sententia determinet dilationem decem dierum, proclamatio apposita sex tantùm dierum det terminum. Notarij dixerunt: Edocemus quomodo sancta sententia terminum decem dierum dedit ad inquisitionem, & ad proclamationem, non autem iussit statim proclamationem apponi. Facta igitur ipsius inquisitione vsque ad dies tres, & illo ignoto existente, necessarium fuit reliquos septem dies apponi ad ipsam sanctam proscriptionem vestræ beatitudinis, & sanctæ synodi vobiscum congregatæ, quæ ipsi manifesta faciat ea, quæ à vobis ordinata sunt. Illam igitur diem meritò portat, ipsum proclama, in qua depositum fuit. Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Sanctissimi comministri, qui * vobiscum præsentes sunt ex regione Italiæ, & Deo amantissimi diaconi &

* nobiscũ

venerabilissimi notarij sedis Apostolicæ, audierunt supplicationes oblatas fidelissimo ac à Deo custodito Imperatori nostro, & libellos oblatos sanctæ ac beatæ memoriæ Agapeto, & accusationes, quas fecerunt contra impium Anthimum apud nos illi, qui ipsos porrexerunt: & sicut accusatio in ipsum prouenit super approbatissimis, hoc quidem, quòd non vult consentire rectis & Apostolicis doctrinis veræ fidei nostræ: hoc verò, quòd ad errorem & hæresim Eutychis declinat, & depositos ac anathematizatos à sancta Chalcedonensi œcumenica synodo, & ab Apostolica sede, & ab Ecclesiastico statu, qui ex illa vsque nunc fuit, propter communicationem & opinionem ad Eutychen, amplexatur: conspicientes ad synodicas epistolas, factas à sanctæ ac beatæ memoriæ patre nostro Agapeto Papa antiquæ Romæ contra Anthimum, cogitantesque ipsius vsque ad finem inobedientiam, & quòd neque canonicis vocationibus obedire, neque accusationes in ipsum adductas repellere voluit: quam super his omnibus opinionem habent, dicere dignentur. Et Menas in Deo venerabilis lector, & secundarius notariorum Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, legit vocem, quæ sic se habet: Sanctissimi Episcopi partium Italiæ, & viri venerabiles diaconi Apostolicæ sedis, dixerunt. Diffinitionem sanctæ recordationis patris nostri quondam Papæ Agapeti, synodicis epistolis pro Menna sanctissimo archiepiscopo huius regiæ vrbis Constantinopolitanæ factis, additam, de persona Anthimi Trapezuntij quondàm episcopi, nos sequi per omnia profitemur. Sanctissimus archiepiscopus dixit: Et reliqua sancta synodus nobiscum congregata, quæ audiuit omnia, quæ à principio super materia contra Anthimum gesta sunt, omnibusque quæ à nobis dicta sunt, attendens, dignetur manifesta facere, quæ vult prouenire in Anthimum. Sancta synodus per Hypatium sanctissimum Episcopum Ephesinum, metropolitam prouinciæ Asianorum, dixit.

SENTENTIA SYNODI CONstantinopolitanæ contra Anthimum.

MVLTARVM transgressionum Anthimus reus demonstratus est. Venerabiles quidem patrum leges, tanquam non positas, ad nihilum reputauit, & paulominùs suo exemplo omnem ecclesiasticum statum conturbauit, introducendo se in patriarchalem sedem huius regiæ vrbis, quę nullo modo sibi conuenit, communemque confusionem sacerdotibus Dei ac populis fidelissimis operatus est. Quinimmò non hoc solùm sibi studium erat, sed & Eutychis opinionem habet. Cumque sic obtinere potuerit magnum pontificium, quemadmodùm dictum est, paulatim putauit oportere depascere sanctissimas Dei Ecclesias tali morbo, & contrarium, quàm diuinæ voces dicant, pro congregando rationabiles oues Dei, ouilis diuisiones excogitabat aduersus omnes (vt ità dicatur) ecclesias, vt periclitando vnionem sanctissimarum ecclesiarum, tantis pijssimi Imperatoris nostri laboribus reformatam, in multas diuisiones scinderet. Denique *paulatiuè hanc corruptionem significabat simulàs quidem suscipere sanctas synodos Nicænam dicimus contra impium Arium, Constantinopolitanam contra hæreticum Macedonium, & Ephesinam primâ contra impium Nestorium, ac Chalcedonensem contra impium Eutychen, saltem ipsas habens in sacris dyptichis: sed cũ inserta ipsis synodis esset sancta memoria beatissimi Leonis Papæ, nullo tamen tẽpore aliter vel percipit, vel participat sanctissimis Dei mysterijs, nec celebritatem ipsorum prædicat, ne in hac quidem sanctissima magna Ecclesia, resiliens vniuersaliter à rectis ipsorum confessionibus, & nehue magnorum pontificum, neque venerabilium Priorum, qui pro talibus respiciunt, & omninò tolerat, aut aliquam defensionem dat, quo modo non paruum singulo die affert scandalum in talibus, infidelibus quidem irridentibus, fidelibus verò dolentibus, vt qui parùm credũt, adhuc magis conturbentur, & in peius incidant. In talibus enim cùm magnus Imperator seipsum dispoſuerit, ad memoriamque sibi reuocauerit sententiam principis Apostolorum qua dicit: Paratos nos semper esse oportere ad respondendum omni petenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe, nihil plùs iuuit, sed ad eius serenitatem deceptibilibus rationibus vsus, promisit se omnia facere, quæcunque summus pontifex magnæ sedis Apostolicæ decerneret, & ad sanctissimos patriarchas scripsit, se sequi per omnia Apostolicam sedem. At magno DEO & Saluatore nostro Iesu Christo non permittente talia vsque in finem procedere, missus est huic regiæ vrbi, secundùm ipsis Deitatem, Agapetus sanctæ & beatæ memoriæ Papa beatissimus, qui statim sacris canonibus manum cum Deo porrexit, & ipsum de sede sibi non conueniente depulit, data venia his, qui talis rei participes aut communicatores sunt, & regiæ ac à Deo custoditæ ciuitati sacrum ornatum suum reddidit, cùm ostendit vestram beatitudinem huic sanctæ magnæ sedi præesse. Quoniam verum & in dogmatibus impietatis sibi infinita crimina impendit, supplicationesque & libelli multi porrecti sunt pijssimo Imperatori nostro & beatissimo Papæ, a diuersis venerabilibus viris, & multis quidem sudoribus ipse beatissimus Papa animâ ipsius paternaliter reuocare studuit, sic tamen insanabiliter habere inuenit, & pia dogmata recusantem, insuper etiam & criminantem vocem illam de duabus naturis (quod aduersus Eutychen maximè sancta Chalcedonẽsis synodus diffiniuit) prorsùs negando, & rectè condemnatos à sancta synodo, recusantem euitare, immò econtrà ipsos amplexantem, & quantum in ipso est, studentem ostendere Dioscorum & ipsum Eutychen prorsùs insontes, inter quos hæreticare deprehensus est, sententiam profert in scriptis plenam clementia & decenti sanctitate, *differens ei tempus pœnitentiæ, decernensque, donec à tali opinione mutatus, satisfecerit his, quæ à sanctis patribus doctrinaliter & canonicè diffinita sunt, ipsum non habere nomen Catholici, neque sacerdotis. Hæc autem secutus pijssimus Imperator noster, respiciensque ad supplicationes, quæ serenitati à diuersis personis venerabilibus porrectas, vestram beatitudinem & nos omnes in idipsum super isto conuenire, benè satisfaciendo, iustum iudicauit. Nos itaque venerabiles canones sanctorum patrum nostrorum sequentes, sacris vocationibus ipsum aduocauimus, & tempus pœnitentiæ ei dedimus, & latenti ac medelam recusanti, proclamatione manifesta fecimus, quæ à nobis facta sunt. Cumque in his omnibus ipsum ad conuersionem adducere non potuerimus, apertam hanc suæ hæresi demonstrationem accipientes, sequentesque ea, quæ à beatissimo Papa benè examinata sunt, conspicimus (si hic vobis adstaret) omninò ipsum tanquàm membrum inutile & putidrum abijci de corpore sanctarum Dei Ecclesiarum, & extra episcopatum Trapezuntinum esse, & alienum ab omni sacra dignitate & efficacia, & iuxta ipsius sanctissimi Papæ sententiam, à Catholica appellatione.

*paulatim

*differens

SENTENTIA MENNAE contra Anthimum.

SANCTISSIMVS ac beatissimus œcumenicus Patriarcha & Archiepiscopus dixit: Cùm Saluator noster Iesus Christus verus Deus noster, dederit potestatem proprijs sacerdotibus, euellendi & plantandi, demoliendi & ædificandi, oratiuimus quidem omne tempus nobis esse ædificandi & plãtandi, nullum autem euellendi & demoliendi: sed dira est (vt videtur) veritatis transgressio, & via maxima ad perditionem his, qui vsi sunt. Est enim diligenter considerantibus voluntatem Anthimi videre, in ipsum multas sacras sanctiones transgressas. Nam erga Deum, cùm non seruauit confessionem, sed & inde à spe separatus, quomodò non visus est esse contrarius accusator proprij defectus? Hanc itaque & nos tãquàm quandam vsurpationem vlceris insanabilis sistere conabimur, si excisionem membri, quod passum est, fecerimus. Circumspicientes enim dolorem istinc euenturum, coacti *necessitati sumus venire ad præsentem sententiam. Nam ducimur quidem ex hac mœroribus, sed vniuersim plùs tribuimus communi vtilitati Catholicæ Ecclesiæ quilibet nostrum, quàm suis quibusque proprijs compassionibus. Quia igitur diuersæ in ipsum consultiuæ & canonicæ querimoniæ factæ sunt, & quidem sanctæ memoriæ Agapetus Papa Romanus, pœnitentiæ ei dans, vsquequò vniuersa, quæ à sanctis patribus diffinita sunt, visus fuerat despexisse, neque facer-

Hieret.

*for. necessitati. ant. de necessitate.

dotis,

1. Pet. 3.

dotis, neque Catholici nomen ipsum habere permittit. Nos autem quia non est possibile, molestatos de ipsis despicere, quæ * dicitur, quia sacerdotibus condecenti in talibus ambulantes, canonicis ipsum induximus vocationibus, inducias que tribuimus ad recognitionem: & quod iam vltimum est, neque à consuetis proscriptionibus abstinuimus. Ipse verò tantum abhorrebat tam ab in melius mutatione, quàm defensione denunciatorum, quòd nec omnino venire voluit, nec hic videlicet inquisitionem à nobis factam sustinere. Nam erat ei accusator, vt videtur, conscientia: sed credendo ab accusatoribus, induxit dilecti confessionem: & anima peccare consueta, difficilis ad pœnitentiam, etsi maximè multa fuerint, ad hanc trahentia. Vnde super impœnitenti inobedientia voluntatis ipsius lachrymãtes, & super errore, qui illius animam apprehendit, gemiscentes, sequẽdo sanctissimam vocem magni Dei & saluatoris nostri, quæ docet non parcere proprijs membris, si alicuius scandali causa nobis fiunt, sed ipsius incisionem facere insinuat, ad integram totius corporis: respicientesque ad ea, quæ * pridiè à sanctæ memorię Agapeto Papa antiquæ Romæ, & quòd nullum pœnitentiæ tempus accipiat, nec elegit melioris opinionis esse, satisfaciendo his qui ab ipso scandalizati sunt, atque etiam ad ea, quæ nunc iudicata sunt à sancta synodo nobiscum existente: ipsum Anthimum constitui extra pontificium Trapezuntinum decernimus, & ipsum alienum esse ab omni alia sacra appellatione, simul & dignitate, ac efficacia decætero, & omninò inter orthodoxos non numerari sententiamus, neque posse ascendere omninò ad ipsam Trapezuntinam, neque ad hanc regiam vrbem. Et postquàm sancta Synodus surrexit, qui de Oriente erant, & quidam ex alijs episcopis, & monachi ac clerici clamauerunt: Multi anni Imperatoris. Multi anni Patriarchæ. Petrum, Zoaram, & Seuerum modò anathematiza. Orthodoxum Imperatorem habes, quid times? Eos qui parabaptizant, eijce foràs. Et cùm monachi Hierosolymorum porrexerunt chartam, vniuersi clamauerunt: Multi anni patriarchæ. Libellum monachorum modò suscipe. Libellus modò legatur. Eos qui per domum baptizant, eijce foràs. Speluncam Zoaræ modò torqueas. Multi anni Patriarchæ. Parabaptistam modò anathematiza. Christiani Imperatoris multi anni. Orthodoxi Imperatoris multi anni. Speluncæ hæreticorum modò ardẽt. Multi anni Patriarchæ Monasterij Petri modò verte. Vincit fides Imperatoris. Orthodoxus regnat, quem times? Petrus quare habet monasteria? Omnes hæreticos ibi habet. Seuerum, Petrum & Zoaram modò anathematiza. Trinitas tres anathematizat. Anathema Seuerus Petrus & Zoaras. Seuerum Manichæum modò anathematiza. Vincit fides Christianorum. Multi anni patriarchæ. Inimicos CHRISTI modò anathematiza. Hæreticos modò anathematiza, Anathematizatos modò anathematiza. Vincit fides Christianorum.

Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Putamus charitatem vestram non ignorare voluntatem & zelum pij Imperatoris nostri, quem habet ad orthodoxam fidem nostram, & nihil eorum, quæ in sanctissima Ecclesia mouentur, conuenit fieri præter opinionem & iussum ipsius. Rogamus itaque vestram charitatem in præsentiarum quiescere, vt nos tempus accipiamus, adducere ad pias suas aures ea, quæ à nobis exclamata fuerunt. Nos enim, sicut vestra charitas, Apostolicam sedem sequimur, & obedimus: & ipsius communicatores, communicatores habemus: & condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.

SVBSCRIPTIONES.

Mennas Dei miserat. Episcopus Constantinop. diffiniui & subscripsi.

Hypatius Dei miserat. Episcopus Ephesinus metr. prouinciæ Asianorum, diffiniui & subscripsi.

Constantinus Dei miserat. episc. Heracleorum à Deo amatæ metrop. prouin. Europæ, sanctæ Dei catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ diffiniui & subsc.

Eusebius episcopus Cyzicus, diffiniui & subscripsi.

Ego Sabinus episcopus sanctæ ecclesiæ Canusinæ, diffinitionem sanctæ recordationis patris nostri Papæ Agapeti, de persona Anthimi quondàm Trapezuntini episc. sequendo, in omnibus subscripsi.

Ego Epiphanius episc. sanctæ ecclesiæ Esculanæ, diffinitionem & reliqua similiter per literas latinas.

Ego Asterius episc. sanctæ ecclesiæ Salernitanæ, diffinition. & reliqua similiter.

Ego Rusticus episc. sanctæ ecclesiæ Fæsulanę, diffinit. &c. similiter.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, Leo episc. eccles. Nolanæ, diffinitionem, &c. simil.

Theophanes diaconus sanctæ ecclesiæ Romanæ, diffinitio. & reliqua similiter.

Pelagius diaco. sanctæ ecclesiæ Romanæ, diffinitio. & reliqua similiter.

Anastasius Dei miserat. episcopus Nicenæ metrop. prouinciæ Bithyniorum, per lectionem sciens, quæ facta sunt, consententiatiuus existens omnibus diffinitis, subsignaui.

Auxentius Dei miserat. episcopus Sebastensis, per lectionem & reliqua.

Theodulus Episcopus Iconiensis metropolis, subsignaui.

Theogenes episcopus Synnadorum, diffiniui & subscripsi.

Bachus episcopus Antiochiæ prouinciæ Pisidiorum, diffiniui & subscripsi.

Mamas Episcopus Melitenensis, diffiniui & subscripsi.

Iulianus episcopus Pergensis, diffiniui & subscripsi.

Vosporius episcopus Neocæsareensis, subscripsi.

Paulus episc. Tyanus, diffiniui & subscripsi.

Conon episcopus Sidensis, diffiniui & subscripsi.

Acacius episcopus Pessinuntinus, diffiniui & subscripsi.

Procopius episcopus Gangrensis, diffiniui & subscripsi.

Petrus episcopus Iustinianopolitanus, diffiniui & subscripsi.

Marcus episcopus Apameæ, diffiniui & subscripsi.

Hyacinthus episcopus Miletinensis, diffiniui & subscripsi.

Ioannes episcopus Bosphorensis, diffiniui & subscripsi.

Thalassius episcopus Berytius, diffiniui & subscripsi.

Magnus episcopus Beroanus prouincię gentis Syriorum, diffiniui & subscripsi.

SVBSCRIPTIONES PER literas Syrias.

Christophorus episc. Porphyrionius prouinciæ Phœniciæ, diffiniui & subscripsi.

Ætherius episcopus Mariamnius, diffiniui & subscripsi.

Domitianus episcopus * Zechianus, diffiniui & subscripsi. * Zinchianus.

Eusebius episcopus Antiquæ ciuitatis, diffiniui & subscripsi.

Anastasius episcopus Iotapæ, diffiniui & subscripsi.

Domnus episcop. Maximianopolitanus, diffiniui & subscripsi.

Archelaus episcopus Corycen. diffiniui & subscripsi.

Ioannes episcopus Zooren. diffiniui & subscripsi.

Alexander episcopus * Paraxien. diffiniui & subscripsi.

Pelagius episcopus Parnassi, diffiniui & subscripsi. * Pagrasen.

Eugenius episcopus Dei gratia ecclesiæ Tiensis, diffiniui & subscripsi.

Eustathius episcopus Tiberiopolensis, diffiniui & subscripsi.

Epiphanius episcopus Heracleanus Ponticus, diffiniui & subscripsi.

Abraamius episcopus Cratianus, diffiniui & subscripsi.

Paulus episcopus ciuitatis * Stectorianæ, diffiniui & subscripsi. * Sectorianæ.

Asterius Episcopus Amastrensis ecclesiæ, diffiniui & subscripsi.

Ioannes episc. Cæsareen. diffiniui & subscripsi.

Andreas episcopus Palten. diffiniui & subscripsi.

Leontius episcopus Helenopolitanus, diffiniui & subscripsi.

Andreas episcopus Panens. siue Theodosiopolitanus, diffiniui & subscripsi.

Epitynchanus episcopus Germæ, diffiniui & subscripsi.

Theodorus episcopus Gortynens. diffiniui & subscripsi.

Ioannes episcopus Traianopolitanus Phrygiæ Pacatianæ, diffiniui & subscripsi.

Dominicus episcopus Theodosiopolitanus, diffiniui & subscripsi.

*Theodoricus episcopus Alindenus, diffiniui & subscripsi.

Matthias episc. Cymanus, diffiniui & subscripsi.

Flauianus episc. Cotenen. diffiniui & subscripsi.

Theodorus episc. Myranus, diffiniui & subscripsi.

*Butritinus — Macedonius episc. *Berianus, diffiniui & subscripsi.

*Arcis *Arceñ. — Marcellus episc. *Areen. diffiniui & subscripsi.

Petrus episcopus Ambladen. diffiniui & subscri.

Ioannes Episcopus *Medaien. diffiniui & subscripsi.

Martyrius episcopus Baratthenus, diffiniui & subscripsi.

Panthaleon episcopus Iuliopolitanus, diffiniui & subscripsi.

*Andriacopolitanus. — Cosmus episcopus *Andrapolitanus, diffiniui, & subscripsi.

Dominicus episcopus Sophenensis prouinciæ, diffiniui & subscripsi.

Dionysius episcopus ciuitatis Eucarpien. cùm sciuerim diffinita, diffiniui & subscripsi.

Licinius episcopus Patarensis, diffiniui & subscripsi.

Paulus episcopus Oenandopolitanus, diffiniui & subscripsi.

*Patilycanitan. — Epiphanius episcopus *Patreopolitanus, diffiniui & subscripsi.

Tryphon Dei gratia episcopus *Colaciopolis, diffiniui & subscripsi.

Eustathius episcopus Neapolitanus, diffiniui & subscripsi.

Magnus presbyter & prior Apostolicæ sedis Vtheopolitanæ, & ambasiator sanctissimæ patriarchæ Euphræmij, sequendo diffinita à suprascriptis sanctis patribus nostris, super depositione Anthimi hæretici, alienum ipsum habeo à sacerdotali dignitate, & ab ipso nomine Christianorum, & subscripsi.

Heraclius diaconus & ambasiator Apostolicæ sedis Theopolitanæ, & sanctissimi patriarchæ Euphremij, sequens ea quæ diffinita sunt à supradictis patribus nostris, & reliqua similiter, subscripsi.

Sabinus diaconus sanctæ resurrectionis Christi Dei nostri, & ambasiator Petri sanctissimi patriarchæ Hierosolymorum, sequendo ea quæ diffinita sunt à supradictis sanctis patribus nostris, & cætera similiter, subscripsi.

NOTÆ.

Sententia Petri Hierosolymitani contra Anthimum, quæ hic in prioribus editionibus addita fuit, excusa est infra in Concilio Hierosolymitano.

ACTIO V. CONCIL. CONSTANTINOPOLITANI sub Menna in priorib. edit. I.

A.D. 536. POst consulatum clarissimi Flauij Belissarij, pridiè Nonas Iunias, indict. 14. in Deo amata & regia vrbe Constantinopoli, præsidente autem sanctiss. & beatiss. domino nostro *diptycho œcumenico & patriarcha Menna, in atrio *dijtico venerandæ domus sanctæ & gloriosæ Dominæ nostræ, matris Dei & semper virginis Mariæ, prope sanctissimam magnam ecclesiam existentis, & à dextera quidem parte considentibus illi coadiutoribus, iuxta pium iussum à Christo amati & à Deo custoditi Iustiniani Imperatoris, excellentissimis & sanctissimis ac Deo amantissimis Episcopis, Sabino Canusij, Epiphanio Esculanorum, Asterio Salernitanorum, Leone Nolanorum, Rustico Fæsulanorum, *Theophane diacono Romano, Pelagio diacono Romano, omnibus quidem ex Italica regione ab Apostolica sede nuper missis. Postea autem consentientibus Agapeto Papæ antiquæ Romæ huc aduenienti, Petro metropolis Iustinianopolis ciuitatis secundæ prouinciæ Cappadociæ, Ioanne Bosphori metropolis, Thalassio metropolis Beryti, Magno metropolis Beroæ, Ioanne Gabalorum, Christophoro Porphyrionis prouinciæ Phœniciæ Paraliæ, *Dauitho Cyrrhesticæ, Ætherio Mariamniæ, Alexando *Pagrasorum, Domno Maximianopolis ciuitatis secundæ Palestinæ, Andrea Panis, Epitynchano Germæ prouinciæ Hellesponti, Theodoro Gordi, Eusebio Canorum prouinciæ *Pergami Dominico Theodosianopolis ciuitatis prouinciæ Phrygiæ Pacatianæ, Ioanne Traianopolis ciuitatis prouinciæ Phrygiæ Salutariæ, Dominico Sophenæ ciuitatis, Eusebio Cyzici metrop. Thalassio metrop. Nicomediæ, Theogene metropol. Synnadorum, Bacho Antiochenæ metrop. Pisidiæ, Hilariano metropol. Pergæ, Vosporio metrop. Neocæsareæ Ponti Polemoniaci, Paulo metropo. Tyanorum, Acacio metropo. Pessinuntis, Epicteto Claudiopolis ciuitatis metrop. Honoriadis, Hediseo metrop. Cij, Archelao Corycorum, Ioanne Zoororum, Anastasio Iotapæ, Anastasio *Zichiorum, Pelagio Parnassio, Abraamio Cratiæ, Alexandro Colonæ, Paulo *Zectorij, Andrea Peltorum, Theodoro Myrorum, Ioanne Cæsareæ Bithyniæ, Eustathio Tiberiopolis ciuitatis, Leontio Helenopolis ciuitatis assistentibus illi & coaudientibus Theophane & Pelagio Deo amantissimis diaconibus Apostolicæ sedis, & Petro & Menna Deo amantissimis notarijs, & quibusdam venerabilibus subdiaconis, procuratoribus reliquorum clericorum eiusdem sedis Apostolicæ, qui & consentientes ibidem fuerunt Agapeto sanctæ memoriæ Papæ antiquæ Romæ, & Magno presbytero, & Heraclio, diaconibus & ambasiatoribus *Eufremij sanctissimi patriarchæ in diua ciuitate sanctissimæ Ecclesiæ, Sabino diacono sanctæ resurrectionis Domini nostri Christi Dei, tenente ambasiatã sanctissimi Petri patriarchæ Hierosolymorum, Stephano diacono & ambasiatore Soterici sanctissimi episcopi Cæsareæ metropolis Cappadociæ primæ, Caiano presbytero ambasiatore Elpidij sanctissimi episcopi Ancyræ metropolis Galatiæ primæ, Dionysio & Callinico diaconibus & ambasiatoribus Photij sanctissimi episcopi metropolis Corinthi. Præsente autem & venerabili clero regiæ vrbis, Euphemius Deo amantiss. diac. & primicerius notariorum, dixit: Venerabiles monachi regiæ vrbis, & quidam ex ciuibus suis & Hierosolymitanis surgentes, supplicationes dederunt pijssimo & sereniss. Imperatori nostro, & libellos vestræ beatitudini. Iuxta igitur pium iussum à Deo custoditi Imperatoris nostri, conueniente sancta vestra synodo, steterunt ante præclarum secretum vestrum, Theodoro circumspecto referendario talia à sereniss. domino nostro ad vos stante, abstulimus oblatas ab ipsis supplicationes, & expetentibus introitum submissimus adassistentem. Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Intrent & Theodorus circumspectus referendarius pijssimi Imperatoris nostri, & venerabiles monachi. Et intrarunt. Theodorusque circumspectus referendarius à DEO custoditi domini nostri tribunus & notarius, & Marianus Deo amantissimus presbyter, & Prior domus Dalmatij sanctæ memoriæ, & princeps, & qui cum ipso erant venerabiles presbyteri & abbates & monachi, qui & se subscripserunt libello, ab ipsis oblato sanctissimo & beatissimo domino Archiepiscopo œcumenico & patriarchæ Mennæ. Qui sanctissimus Archiepiscopus dixit: Dicat secundùm primum ordinem Theodorus circumspectus causam, pro qua ad nos venit. Theodorus circumspectus tribunus, notarius & referendarius pijssimi domini nostri, dixit: Deo amantissimi episcopi secundæ Syriæ prouinciæ, relationem fecerunt de quibusdam ecclesiasticis captiuis pijssimo & diuinissimo domino nostro, & non solùm ipsi, sed & venerabiles abbates *Euagorum monasteriorum regiæ vrbis hu-

*Theodoro

*Partitiorum

*Cæsariæ

*Zinchiorum, *Sectorij

ius, &

ius, & quidam ex Orientali administratione, & venerabiles monachi Hierosolymæ, dederunt serenissimo domino nostro, & non solùm ipsi, sed & venerabiles abbates Euagorum monasteriorum, supplicationes. Et statuit imperium suum ipsas per me tradi vestræ beatitudini, & sanctissimis viris antiquæ Romæ, ac reliquæ præclaræ synodo congregatæ, adducereque ad vos ipsos venerabiles viros, qui supplicationes dederunt, vt in his interpellantes vos ipsis finem imponatis. Sanctissimus Archiepiscopus dixit: Legantur producta à circunspecto Theodoro. Accipiensque venerabilis Dorus diaconus notarius duas supplicationes, alteram quidem ex parte Episcoporum, alteram verò ex monachorum, legit:

LIBELLVS EPISTOLARVM AD IMPERAtorem Iustinianum, à Paulo Episcopo Apamearum secundæ Syrię, continens confessionem fidei Orthodoxæ; laudaſque Imperat. & querelas aduersus Seuerum, Petrum, atque Zoaram.

PIissimo & serenissimo totius orbis post Deum domino Flauio Iustiniano, Christo amato & semper Augusto Imperatori, à Paulo Episcopo Apamearum secundæ prouinciæ Syriorum. Magnificauit etiam & nunc Dominus facere nobiscum facti sumus lætati, secundùm quod scriptum est, pissime & Christo amantissime Imperator. Iustè enim iusta sectantes, & vera & orthodoxa dogmata sanctorum patrum quotidiè scrutantes, & tenentes, prædicamus aperta omnibus orthodoxis populis Christum Deum nostrum omnium Imperatorem, & caput sanctæ Ecclesiæ suę, quam proprio sanguine acquisiuit, redimens nos à morte, quam nobis superinduxit diabolus superbus per malignos suppositos sibi. Et verè cognouimus, quòd magnificauit Dominus sacrum & iustum imperium vestrum, & omnes vestros aduersantes, vestræ potentiæ suppositi: quoniam sanctam & immaculatam fidem defendentes, purum fermentum, hoc est, recta dogmata, sicut incensum offertis suæ bonitati, paleas autem igne inextinguibili comburitis. Dicitis itaque, hæreticos, qui non susciuiunt sanctas quatuor synodos, tanquàm vnam veræ definitionem fidei, primam videlicet CCCXVIII. & aliam CL. patrum, Ephesinam q; primam, & sanctam vniuersalem synodum Chalcedonens. cum quibus & venerabilem epistolam Sancti Leonis Papæ amplectimur verè columnam orthodoxæ fidei existentem: qui sancti patres nostri omnem hæreticum errorem & opinionem prauam destruentes, longè à sanctis Dei ecclesijs fecerunt, vosque docuerunt filium Dei ex patre quidem fuisse sine tempore, atq; esse ipsi consubstantialem secundùm Deitatem, & Spiritum sanctum patri & ipsi filio coadorandum & conglorificandum, & vnam esse patris & filij & spiritus sancti substantiam & Deitatem, & in tribus hypostasim personis, nouissimis autem diebus ipsum æternum filium Dei & Dominum nostrum, incarnatum esse & hominem factum, natumque ex Spiritu sancto, ex Maria verè Dei genitrice, & semper virgine, & esse nobis consubstantialem, ipsumq; esse perfectũ in Deitate, & perfectum in humanitate, duarum naturarum proprietates minimè abijciens, sed in vtraque natura cognitus in vna persona & vna hypostasi inconfusibiliter, inconuertibiliter, & indiuisibiliter, vt indè Nestorij & Eutychis profana & Deo odibilia dogmata potenter eijciantur, & zizania radicitùs extirpentur, quæ orthodoxis Ecclesijs inseminarunt. Vnde nos quidem, insensati & hominis idololatræ Nestorij diuisionem aufugientes, confitemur, quod ille negauit, sanctam, intemeratam, & semper virginem, matrem almam Domini & Dei nostri Iesu Christi, θεοτόκον. Eutychis autem deliri & insipientis prophanum & fatuum dogma anathematizantes penitùs & expellentes, differentiam naturarum recognoscimus, & confitemur duas naturas post vnionem in vna hypostasi, in vno Christo Deo nostro, & non sicut fatui Eutychianistæ, cum ipsorum doctore Eutyche & Dioscoro ipsum susciente, non rectè antè vnionem duas naturas dicimus, vnam verò post vnionem. Nam hoc est negare penitus Dei & Saluatoris nostri dispensationem, & inconuertibilem incarnationem, quam propter nostram salutem accepit. Qui enim prædicta blasphemant, fatui sunt, & alieni à confessione, quam princeps Apostolorũ Petrus confessus est, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui.* Nos autem, qui pro vestro pio imperio rogamus, & puri fontis latices orthodoxiæ participamus, ac orthodoxis populis tradimus, hãc fidem, vestram serenitatem coronantem, conspicientes, ac exuperantem omnem inimicum & rebellem pij imperij vestri, rogamus auerti curuum in corde, & qui non ex tota & pura mente suscipit recta & irreprehensibilia dogmata prædictorum sanctorum patrum, sed in hypocrisi quidem fictus suscipit sanctas quatuor synodos, & gloriosam epistolam sancti Leonis Papæ, vt à personis fidelis iudicetur: operibus autem negat, & non confitetur bonam & orthodoxam fidem ipsorum, proprias voces illas, per quas Eutychen insipientem sapit, de Ecclesia abscinde, & hunc expelle de vestra pia politia. Dicimus autem Anthimum, Seuerum, & Petrum anathematizatos. Et nunc auertimus, & anathematizamus, & alienos habemus ab orthodoxa communione, hęreticos existentes, & gaudentes super diuisione sanctarum Dei Ecclesiarum, cum quibus prædictum Dioscorum, & qui non rectè (sicut dictum est) sapit, Eutychen infamem abijcimus, & anathematizamus. Sic enim tenentes & sapientes de hisipsis, per mediocrem Epistolam notificauimus sanctæ memoriæ Archiepiscopo antiquæ Romæ Agapeto Papæ, pro omnium ecclesiarum beneficio, & vestræ religiosæ reipublicæ superstantis, ac vestra vestigia pia digna facienti, sed vt existimamus, morte præuentus, & à Christo Deo nostro vocatus, ipsam non accepit. Transtulit enim ipsum Dominus, vt plenitudinem directionis vestræ custodiret serenitati. Vos autem Dominus gloriæ custodiet pios, & zelotes, & custodes orthodoxæ fidei, quam tradiderunt nobis prædicti sancti patres nostri, toti orbi, & sanctissimis Ecclesijs suis, in pace, & lætitia, & victoria contra aduersarios, prouidentes, & gubernantes cõmissum vobis ab ipsius bonitate imperium.

Matt. 16.

Psal. 25.

Act. 20.

Matt. 3. Luc. 3.

1. Deiparam.

SVBSCRIPTIONES.

Paulus miseratione diuina Episcopus Apamearum ciuitatis, orator vestri pij, & à Deo custoditi imperij, supplicaui.

Seuerianus miseratione diuina Episcopus Arethusæ ciuitatis, orator pij vestri, & à Deo custoditi imperij, supplicaui.

Theodorus miserat. diuina episc. ciuit. Balaneorum, orator pij vestri, & à Deo custoditi imp. supplicaui.

Stephanus miserat. diuina episc. ciuit. Lariſſæ, orator pij vestri, & à Deo custoditi imperij, supplicaui.

Nonnus mis. diuina epis. ciui. Rhaphaneę, orat. pij vestri, & à Deo custoditi imp. supplicaui.

Dominicus mis. diuina episc. ciuit. *Seleucobeli, ora. vestri pij, & à Deo custoditi imp. supplicaui. *Seleucobeli, ualle.

Sergius mis. diuina episc. ciuit. Epiphaniæ, orat. pij vestri, & à Deo custoditi imp. supplicaui.

LIBELLVS MONACHORVM, MONASTEriorumque Hierosol. & secundæ Syriæ, &c. quo petunt dictos hæreticos synodali iudicio damnari, omnesque schismaticos de medio tolli.

DEO amantissimo regi, & pissimo, Iustiniano Imperatori Augusto, supplicatio ac deprecatio à Mariano, miseratione diuina presbytero, & abbate domus, & monasterij Dalmatij beatissimi, & Priore venerabilium monasteriorum ciuitatis, & abbatum ipsorum monasteriorum, & eorum, qui in ipsa aduenerunt ab eremo Hierosolymorum, abbatum, & monachorum, & illorum de secunda Syria, & sancti montis Sinai, & trium Palæstinarum.

Cor vestræ pietatis in manu Dei, & quocunque ipse voluerit, inclinari conspicientes, propter hoc rebus *continentibus vestram optimam politiam, præferentes sanctam ecclesiarum pacem, & fidelium populorum quietem, meritò inquietare audemus vestrum à DEO custoditum imperium, pro his, quæ communiter vniuersis conferunt Christianis. Supplicamus itaque, sicut cùm introitum ante hos proximos dies assequuti fuimus, apud vestram pietatem supplicamus

Prou. 21.

vestris pijs vestigijs, libellum à nobis oblatum sanctissimo & beatissimo Patriarchæ Mennæ, suscipi, & canonicè agi. Cumque igitur pro ipsis supplicemus, sanciat vestra à Deo custodita serenitas, per vestrum pium iussum mitteread prædictũ beatissimum virum prædictum libellum, factum contra deuastantes sanctam Dei Ecclesiam, videlicet Seuerum, & Petrum impios, & qui similia his sapiunt, ab Eutyche & Dioscoro Acephalis hæreticis seductos, quorum vnus est, qui maximè conturbauit, * quòd in ipso fuit, sanctam Dei Ecclesiam, Zoaras quidam Syrus, irrationabilis, plenus omni insania, & furia, & qui nihil aliud ab istis didicit, quàm anathematizare sanctos patres vestros, & ipsis communicantes, & decipere venientes ad ipsum, ac recongregare, ac rebaptizare, sic supplicamus suscipi, & quæ in ipso insita sunt, canonicè finem accipere, conuenientibus ad idipsum prædicto patriarcha Menna, & sanctissimis ac Deo amantissimis Romanis, & sancta synodo, quæ in ipsa regia vrbe congregata est. Nam hoc assequentes magis, & deuotiùs supplicationes mittemus ad clementissimum Deum pro vestra pietate, vt donet nobis super longitudinem annorum, vestrum pium nõmen, & rem, atque vestrum imperium custoditum in pace Dei, quæ omnem exuperat intellectum, & ipsam donans vbique sanctis Dei Ecclesijs, & de medio tollat omnem, non communicantem ipsis, & Apostolicæ Sedi.

* quãtum

Phil. 4.

SVBSCRIPTIONES.

Marianus miseratione diuina presbyter, & archimandrita monasterij sancti Dalmatij, & Prior venerabilium monasteriorum huius regiæ vrbis, subscripsi & supplicaui.

Agapetus miseratione Dei presbyter, & archimandrita monasterij Dij, deprecatus, subscripsi.

Agapetus Dei miseratione presbyter, & archimandrita monasterij diuæ memoriæ Thalassij, supplicaui & subscripsi.

Alexander Dei mis. presbyt. & archimand. monast. S. Abraamij, subscripsi, & deprecatus fui.

Eleutherius Dei mis. presbyt. & prior monast. S. martyris Dominici, deprecatus, subscripsi.

Theodorus Dei mis. presbyt. & prior monast. Ieb, subscribens, supplicaui.

Dioscorus Dei mis. presbyt. & prior eorum, qui sunt in Olymbrio, subscripsi deprecatus.

Paulus mis. diuina presbyt. & prior Romanorum prope Proinum, subscripsi deprecatus.

Lucianus Dei mis. presbyt. & prior monast. Romanorum, supplicaui & subscripsi.

Cosmas Dei mis. presbyt. & prior sancti Prodromij, & Ioannis Baptistæ existentis inter illa Studij, subscripsi deprecatus.

Ioannes Dei mis. presbyt. & prior mon. S. Thomæ Apostoli, subscripsi & supplicaui.

Ioannes Dei mis. presbyt. & prior monast. venerabilis S. Michaëlis archangeli, subscripsi & supplicaui.

Dominicus Dei mis. presbyt. & prior mon. illorum Euphemij, subscripsi & supplicaui.

Demetrius Dei mis. presbyt. & prior illorum de Foca, supplicaui & subscripsi.

Theodorus Dei mis. presbyt. & prior mon. illorum de Tryphone, subscripsi & supplicaui.

Focas Dei mis. presbyt. & prior mon. de Iona, subscripsi & supplicaui.

Stephanus Dei mis. presbyt. & prior mon. Promoti, subscripsi & supplicaui.

Dadas Dei mis. presbyt. & prior mon. Caiumæ, subscripsi & supplicaui.

Alexander Dei mis. presbyt. & prior mon. Calami, subscripsi & supplicaui.

Stephanus mis. Dei presbyt. & prior mon. * Consta, subscripsi & supplicaui.

Gennadius Dei mis. presbyt. & prior mon. Dominici, subscripsi & supplicaui.

Dominicus Dei mis. presb. & prior mon. Syriorum, subscripsi & supplicaui.

Atticus Dei miserat. presbyt. & prior monast. Eucradatorum, supplicaui & subscripsi.

* Cyrion Dei mis. presbyt. & prior Ægyptiorum, supplicaui, & subscripsi.

Theodorus Dei mis. presbyt. & prior monast. Maronij, subscripsi, & supplicaui.

Timotheus Dei mis. presbyt. & prior monast. Asterij, subscripti & supplicaui.

Cosmus Dei mis. presbyt. & prior monast. S. Maximini, subscripsi & supplicaui.

Marcus Dei mis. presby. & prior. monast. Theodori * de Esteptoris, subscripti & supplicaui. * differentoris

Andreas Dei mis. presbyt. & prior monast. Bessorum, subscripti & supplicaui.

Dionysius Dei mis. presbyt. & prior monast. S. Marci, supplicaui & subscripti.

Stratonicus Dei mis. presbyt. & prior monast. S. martyris * Domecij, subscripti & supplicaui.

Marcus Dei mis. presbyt. & prior monast. S. * Cyrici, subscripti & supplicaui.

Ioannes Dei mis. presbyt. & prior mon. Isaccij, subscripti & supplicaui.

Zoilus Dei mis. presb. & prior mon. Theodoti, subscripti & supplicaui.

Dominicus mis. Dei presbyt. & prior mon. S. Georgij in Xerocerco, supplicaui & subsc.

Marinus Dei mis. presb. & prior mon. * Paulini, supplicaui & subsc. * Pauli.

Paulus mis. Dei presb. & prior mon. S. Zenobij, supplicaui & subsc.

Stephanus Dei mis. presb. & prior mon. Olympij, subsc. & supplicaui.

Iacobus Dei mis. presb. & prior mon. Abibi, subscripsi & supplicaui.

Petrus Dei mis. presb. & prior mon. * Epiclin cognominati in Hierusalem, subsc. & supplicaui.

Paulus Dei mis. presb. & prior mon. Samuelis iuxta * Scythen, supplicaui & subsc. per Zoticum diaconum. * Scythi.

Ioannes Dei mis. presb. & prior mon. Theodorii in petra, supplicaui & subsc.

Eleutherius Dei mis. presb. & prior mon. Neonis, supplicaui & subsc.

Modestus Dei mis. presbyt. & prior mon. inclyti Lycaoniorum, supplicaui, & subsc. per manus Flauiani presbyt. & Deuterarij.

Georgius Dei mis. presb. & prior mon. Cyri, supplicaui, & subsc.

Antonius Dei mis. presbyt. & prior mon. S. Patris nostri Eusebij, supplicaui, & subsc.

Triphon mis. Dei presb. prior mon. Manuelij, supplicaui, & subsc.

Theoctistus Dei mis. presbyt. & prior monast. sanctæ & gloriosæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, supplicaui, & subsc.

* Menon Dei mis. presb. & prior mon. siti in bono agro S. Prodromij, & Ioannis Baptistæ, supplicaui, & subsc.

Paulus Dei mis. presb. & prior mon. S. martyris Erimonis siti prope * Elebychum, supplicaui, & subsc. per manum Marini lectorarij. * Eubychiachum.

Silas Dei mis. presby. & prior monast. Eliæ, supplicaui, & subsc.

Ioannes Dei mis. presby. & prior mon. Maræ, prope Actiam cisternam, supplicaui, & subsc.

Basilius Dei mis. presby. & prior mon. S. Simeonis vocati Cyracona, dep. subscripsi.

Theodorus Dei mis. presbyt. & prior mon. S. Laurentij à me Dei gratia fundati, supplicaui, & subsc.

Babylas Dei mis. presbyt. & prior mon. sanctæ memoriæ Danielis in stylo, & S. Ioannis Apostoli, & S. Andreæ, supplicaui, & subsc.

Polychronius Dei mis. presb. & archimand. mon. S. Michaëlis archangeli in * Ethrio, per Anastasium monachum, supplicaui, & subsc.

Anastasius Dei mis. presb. & archimand. mon. Romanorum in * Petrio, subscripsi & supplicaui.

Andreas Dei mi. presb. & prior mon. Romanorum, subscripsi, & sup.

Elpidius mi. Dei presbyter, & prior mon. Bassiani, sup. & subscripsi.

Cosmus Dei mi. presbyter, & prior mon. Lycaoniorum, sup. & subscripsi.

Polychronius Dei mi. presbyter, & archimand. mon. *Eriticorum, subs. & sup.

Ioseph prior sanctæ & glo. semper virginis Mariæ Dei genitricis in Lithostroto, sup. & subscripsi per manũ Stephani presbyteri, & secundarij mei.

Rhodon Dei mi. presbyter, & archiman. mon. Theodori, sup. & subscripsi.

Zoticus mi. Dei presbter, & archi. S. Andreæ prope Saturinam portam, sup. & subscripsi.

Martyrius miseratione diuina presbyter & archimandrita monasterij. * Vualonis S. Ioannis Baptistæ, subscripsi, & supplicaui.

Ioannes Dei miseratione presbyter, & archimandrita monasterij S. Anastasij prope Agogum, supplicaui, & subscripsi.

*Isichius Dei mi. presb. & archiman. mon. beati Theodosij, faciens sermonem pro omni eremo, quæ sub sancta ciuitate est, subsc. & supplicaui.

Domitianus mis. diui. presb. & archim. B. Martyrij, faciens sermonem pro omni eremo sub ciuitate sancta, supplicaui, & subscripsi.

Cassianus mi. diui. pres. *Lauras mon. B. Sabbæ, faciens sermonem pro omni eremo sub ciuit. sancta, supplicaui, & subscripsi.

Dominicus mi. diui. pres. & archimand. *Lauras Turrium, faciens sermonem pro omnibus, qui in Iordana sunt, supplicaui, & subscripsi.

Nestabus mi. diui. pres. & archi. * Lauras beati Firmini, faciens sermonem pro eremo quæ sub sancta ciuit. est, supplicaui, & subscripsi.

*Ferentius Dei mi. presbyter nouæ Lauræ, faciens sermonem pro eremo, quæ sub sancta ciuit. est, supplicaui, & subscripsi.

Traianus Dei mi. presbyter Pyrgiorũ de Iordana, & pro omnibus ibidem monachis, supplicaui, & subscripsi.

Leontius Dei mi. monachus, & Prior proprij monasterij, faciens sermonem pro his, qui in eremo sanctorum patrum sunt, supplicaui, & subscripsi.

Theodorus mi. diui. diaconus, & mona. nouæ Lauræ, & pro omnibus monasterijs eremi Hierosolymorum, supplicaui, & subs.

Dominicus mi. di. diaconus & monachus eiusdem nouæ Lauræ, & pro om. mo. eremi Hierosolymorum deprecatus subscripsi.

Polyeuctus Dei mi. diaconus & monachus monast. B. Theodosij, & pro omnibus mona. eremi, & supplicaui, & subscripsi.

Anastasius Dei mi. diaconus, & mona. B. Martyrij, & pro omnibus mona. de eremo Hierosolymorum, supplicaui, & subscripsi.

Nicon Dei mi. diaconus, & mona. B. Theodosij, & pro omnibus mona. eremi. Hierosolymorũ, supplicaui, & subscripsi.

Mamas Dei mis. mona. B. Martyrij, & pro omnibus mona. eremi Hierosolymorum, supplicaui, & subscripsi.

Iulianus Dei mi. monach. mona. B. Theodosij, & pro omnibus mona. eremi Hierosolymorũ, supplicaui, & subscripsi.

Ioannes Dei mis. mona. B. Martyrij, & pro omnibus mona. eremi Hierosolymorum, supplicaui, & subscripsi.

Sabbatius Dei mi. monach. Lauræ B. Sabbæ, & pro omnibus mona. eremi Hierosolymorum, supplicaui, & subscripsi.

Martyrius Dei mis. monach. nouæ Lauræ, & pro omnibus eremi Hierosolymorum mon. supplicaui, & subscripsi.

Basilius Dei mi. monac. *Iordani, & pro omnibus mo. in Iordana, supplicaui, & subs.

Theodorus Dei mi. mona. Lauræ B. Firmini, & pro omnibus mo. de eremo, supplicaui, & subsc.

Theonas Dei mi. presbyter, & ambasiator sancti montis Sinai, & eremi Raithæ, & sanctæ Ecclesiæ Pharan, faciens sermonem, & pro omnibus mona. existentibus in prædictis solitarijs locis, supplicaui, & subsc.

Ioannes Dei mi. pres. & monac. Lauræ Amniorum campestris, & pro omnibus, qui in *campestre sunt, supplicaui, & subscripsi.

Thodorus Dei mis. diaconus, & mon. monast. B. Sergij in campo, & pro omnibus, qui in eo sunt monachis, supplicaui, & subscripsi.

Cosmas Dei mi. monac. & pro omnibus mona. de prima Palæstina supplicaui, & subscripsi.

Strategius Dei mis. diaconus, & monachus & pro omnibus mona. secundæ Palæstinæ, supplicaui, & subscripsi.

Salamines Dei mis. presbyter, & prior, & pro omnibus archimandritis tertiæ Palæstinæ, supplicaui, & subscripsi.

Ilias Dei mis. diaconus, & monachus, & pro omnibus, qui in Augustopoli sunt mona. supplicaui, & subscripsi.

Anastasius misericordia diuina diaconus, & monachus, & pro omnibus monasterijs in Petris tertiæ Palæstinæ, supplicaui, & subscripsi.

Photinus Dei misericordia monachus sancti Stephani in Maoza Iamniæ primæ Palæstinæ, & pro omnibus monachis, qui in ea sunt, supplicaui, & subscripsi.

Ioannes misericordia diuina presbyter, & monachus, & pro omnibus monasterijs in Aila tertiæ Palæstinæ, supplicaui, & subscripsi.

Paulus Dei misericordia diaconus, & ambasiator mon. beati Maronis principalis venerabilium monasteriorum secundæ Syriæ, faciens sermonem pro omnibus archimandritis, & monachis ipsius secundæ Syriæ, supplicaui, & dedi.

Sanctissimus archiepiscopus dixit: Theodorus circumspectus referendarius, cùm adimpleuerit ea, pro quibus aduenit, abeat. Libelli verò nobis oblati ab ipsis venerabilibus monachis, legantur. Diodorus Deo venerabilis diaconus, & notarius, accepit & legit.

LIBELLVS MONACHORVM AD MENNAM Patriarcham, totamque Synodum datus, quo petunt, Seuerum aliosque hæreticos condemnari.

PER omnia sanctiss. & beatissimo domino nostro Mennæ, regiæ vrbis archiepiscopo, & sanctiss. Episcopis, qui ex Italorum regione in ipsa conuenerunt, ac Deo amantissimis archidiaconis Apostolicæ sedis, ac sanctæ Episcoporum sanctissimorum Synodo in Christo amatæ ciuitate congregatæ, Marianus presbyter, & archimandrita monasterij Dalmatij, & primæ venerabilium monasteriorum regiæ vrbis, & archimandrita prædictorũ venerabilium monasteriorum, & archimandritæ, qui in ipsa ciuitate conuenerunt, ac monachi de eremo, quæ sub Hierosolyma est, & de sancta Syria, & sancto monte Sinai, ac de tribus Palæstinis. Cum iudiciũ aduersus Anthimum finẽ acceperit, & sententia contra ipsum à vobis sanctissimis iustè lata sit, eo quod circa diuinos canones peccare deprehẽsus est, & dogmata Ecclesiæ Catholicæ vsque in finem confiteri abnuit, gratias agimus Deo, qui per studium pijssimi Imperatoris nostri sacrum cœtum vestrum in vnum congregauit, vt mundaret Ecclesiam suam, & ipsam sibi in perpetuum adsciscceret gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, vel aliquid huiusmodi hæreticorum zizaniorum. Et erat quidem nobis per votum propriæ promissioni vacantibus, huic soli attendere, & à nemine eorum, qui exterius circumsistunt, dilaniari. Verum quia dæmon, qui bonum odit hominum, bonis semper inuidẽs, organa propria inueniens, Seuerum. s. & Petrum, per ipsos pacem sanctarum Dei ecclesiarũ perturbare non cessat, huius gratia, & de ipsis in libelli à nobis sanctissimo Papæ Agapeto oblatis, & corã vestra Beatitudine in prima synodo lectis, necnõ & supplicatione pijssimo Imperatori nostro data, & vestræ Ephes. 5.

sanctitati remissa à sua pietate per Theodorum circumspectum referendarium, qui & cuiuspiam iussionem, mandantem sanctæ vestræ synodo, de omnibus contentis in supplicatione considerare percurrimus partem quandam. Non enim possibile est, omnia, quæ ab ipsis, & qui similia istis sapiunt, ab Eutyche, & Dioscoro Acephalis hæreticis, descendentibus, contra sanctam Dei Ecclesiam in hac regia vrbe, & alijs ciuitatibus præsumpta sunt, & attentantur, * discutere: hi enim tanquam parua putantes ea, quæ ab ipsis iam præsumpta fuere, totum Orientem perturbarunt: & humano sanguine sanctorum, & cæterorum virorum se coinquinantes, elaborant omnino, & hanc regiã vrbem huiusmodi malis inuoluere, si prævalebunt. Quæ si compendioso sermone recapitulare voluerimus, nescimus, quid prius, vel quid posterius enarrabimus: vel quid, vti breue, silentio pertranseamus, aut quid, vti maius, patefacimus, cum omnia ab ipsis perpetrata comperta æqualia sint, & vnum alterum non excedat. Quid ergo dicemus? Iustorum sanguiné, quo manus eorum plenæ sunt, vel excõmunicationes, quas contra sanctos Ecclesiæ doctores, eorum dira ora protulerunt, & maxime aduersus sanctam Chalcedonensem synodum, & Beatum Papam Leonem: sed & schismata sanctarũ ecclesiarum, ac fidelium populorum scandala, sed & impetus in Dei dilectos archimandritas, & in sanctos sacerdotes fecerunt, constipante eos virorum multitudine, vt excommunicationes aduersus sanctos repeterent. Insuper etiam confessiones, in scriptis continentes anathematizationes aduersus prædictos patres, quas in necessitate omni extortione immittentes quibusdam, qui sub ipsis erant sacerdotes, ab eis afferebant: quandoquidem alter Theopolitarũ, alter vero Apameæ ecclesiarum thronum illicitè, ac contra omnem sacrum canonem subripuerunt, & contaminauerunt, licet neque in monachos vel clericos canonicè ordinati, hanc dignitatem adepti sunt. Verum quid dicemus ad sanctorum digitos confractos, quibus altaria circundabãt, & ad ipsa veluti ad locum aliquem intemeratum confugiebant propter prædictorum homicidia, vnde extracti à viris homicidis, violentæ morti traditi sunt, & in ipsis locis venerabilibus ab ipsa immanitate, & crudelitate ordinati, nõ valentes discernere sanctum locum à prophano? Tacemus, & suffocatricis manus impositiones ipsorum prophani, & falsi sacerdotis, & pro præmortua viuentis super ordinandis verba inuocationes proferentis non diuinæ gratiæ, sed de ventre noua dicentis, ac de terra loquentis. Tacemus & carceres, & vincula, ac aduersus venerabilia monasteria die noctuque latrocinia, insidias, ac rapinas in ipsis, ac deuotorum violentas iugulationes: tacemus & insidias in vijs contra sanctos factas, & ipsorum sanguinis innocentis adspersionem, cum diuino zelo moti, ad septa * Mandrani sancti Simeonis iter facerent, communis visitationis gratia, propter persequentes Ecclesiam, & pro his, qui mouebantur ab istis. Congregabant enim multitudinem iniquorum latronum Iudæorum, & immittebant in illos honorabiles viros. Itaque istorum inhumani ministri, ad stationem missi, insidiabantur prædictis sanctis viris. Dumque aderant, ipsi de insidijs surgentes, irruebãt repente in eos, & eorũ caniciem non veriti, opus gladij in ipsos fecerunt, circa 350. numero existentes, eorumque membra in strata disperserunt, non tradentes sepulturæ illorum venerabiles reliquias, neque ipsorum tugurijs parcentes ob causam fidelis populi, inferentesque, & tunc dirum opus Iudæorum. Nec mirum, si huiusmodi immania sacrificia dæmonibus, quibus seruiebant, reddebant, & maxime Seuerus, vtpote qui gentilem superstitionem nondum abiecit. Illorum enim erant discipuli, de quibus Dauid clamat, dicens: *Et sacrificauerunt filios suos, & filias eorum dæmonibus, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan: Et infecta est terra in sanguine, & contaminata est in operibus eorum, & adulterati sunt in adinuentionibus suis.* Quisnam nescit, eorum vitam turpem admodum & scelestam ab ineunte ætate esse, & dæmonibus * procliuem, & quòd in veneficijs Seuerus deprehensus est in ciuitate Berytiorum dæmonijs seruiens? Et huiusmodi calumniam aufugere volens, finxit transponere ac fingere diabolicam opinionem suam, & venire (vt dicebat) ad baptismum in Tripoli in adorabili domo sancti & serenissimi martyris Leontij. Et nondum perfectis diebus his, quibus baptizabatur, postquam vidit (veritatem paululum simulans) perspicuè, quòd rursus ad antiquum gentilis opinionis suæ vomitum reuerti non poterat, per aliam viam ad id, quod studebat, peruenit. Nam negauit statim Ecclesiam, & cum baptizatus est, processit ad Acephalos hæreticos, qui ea, quæ Eutychis sunt, sapiunt: vocansque sanctas Dei domos diuersoria hæresis & impietatis, reprobans propter hoc baptismum, quem dicit se accepisse, vt & in ipso impleretur propheticus sermo, qui de huiusmodi dicit: *Alienati sunt à vulua, errauerunt à veritate, locuti sunt falsum, furor ipsis ad similitudinem serpentis.* Quòd autem & ipsam Acephalorum religionem simulauerit, ex sequentibus omnibus manifestum fuit. Præsidebat enim suæ Acephalæ sectæ, quod vnitiuum dicitur, non admittans, sed nouatiuum ipsum & diuisiuum appellans, & in suis proprijs conscriptionibus anathematizans. Cumque tempus habuit subripere venerabilem sedem Theopolitarum, rursus cauillatus est, ex auersione succurrens recipere præsulem Alexandrinum Petrum, quem Moggum vocauit, quique tempore ipso vnionis Alexandrinorum sedem surripuerat, in sacris diptychis Theopolitarum Ecclesiæ ponit derelinquens omnes, qui ab ipso in hoc decepti erant, & docti ab ipso fuerant, eo quod deberet Petrus abripi de Ecclesia Alexandrina, nec verò in his omninò permansit. Erat enim illi sententia tumultus nouere, nec aliquando in ipsis stare. Quomodo enim possibile erat non propter fidem Christianam certamen, non hoc solum negociari, vt ex omni occasione semper perturbaret sanctam Dei Ecclesiam? Iterum ergo & Petrum liberum eodem tempore suscipit, & communicat cæteris hæreticis, postquam putauit abscissos ab Ecclesia Alexandrina, cuius vnionem amplecti finxit, sicut superius dictum est. Post hæc autem omnia, nullum fuit ipsi impedimentum ad continuam transgressionem, eandem sanctam Chalcedonensem synodum quotidiè (vt ita dicam) anathematizare præsumit, & communicantes illi, cùm multos Episcoporum, qui in ipsa Chalcedonensi synodo sancta conuenerant, & qui sub ipso erant, in sacris diptychis, id est, * commemorantibus, habeat. Verùm & Alexandrina ciuitas, quæ ipsos in malo susceperit, nunquid aufugit ipsorum tumultus? Nam illam inuenientes in seipsa quiescentem, vt aliquando depositi fuit, in finalem euersionem constituerunt, apponentes ipsis diuisiones, & adinuicem ibi populum concitantes, vt & bella ciuilia fierent, multorumque hominum sanguis effunderetur, & ipsi quidem vix aliquando fuga pœnas per istos aufugerunt. Quos cum illi fefellissent, illos anathemati submiserunt, & cæteris pluribus Ecclesiæ maledictionibus, hæreticos & ipsos meritò appellantes, vt ipsis ex Dei iudicio veniat illud: In foueam eeciderunt, quam operati sunt, & conuertatur dolor eorum in caput ipsorum. Cùm enim omnem Ecclesiam iniquè anathematizare ausi sint, meritò ab omni Ecclesia anathematizati sunt. Multa quidem & alia ausi sunt, quæ & omni Orienti nota sunt. Ideirco nos timorem istorum fugientes, & vestræ beatitudinis cætum veriti, ac venerabilem habitum vestrum, turpes istorum actus silentio pertransiuimus. Cùm autem sic miserabiliter (vt prædictum est) Orientem & Alexandriam disposuerint, apprehendunt & hanc regiam vrbem. Nam qui ab istis & similibus istis decepti sunt, tanquam præcursores illorum malitiæ existentes, ac ipsis viam sceleris præexplanare studentes, * & post illos rursus Petrus, deinceps autem post istos Seuerus, qui & priuatas domos, ecclesiasque Dei, ac ipsam politiã (quantum in ipsis est) deuastare non cessauerunt, conuenticulaq; ac contraria baptismata, cum omni impudica audacia publicè ac priuatè præsumentes, intromittentes autem seipsos, & pecuniariarum rerum interuentione & sequestratione, tumorem & diuitias non parum ex hoc & multorum domibus sibijpsis acquisierunt: per quæ animas quidem * synceriorum decepe-

torum,

* discutere

Theopolis, prius Antiochia dicta est. Nicep. li. 14. ca. 34.

Hæreticorũ improbitas, & ferocia.

Psal. 105.

Psal. 13.

Locus obscurus.

Psal. 7.

* Petrus & Seuerus priuatas

* simplicium

torum, subripuerunt. Insuper etiam & intrantes domos, captiuas ducebant animas hominum & mulierum non firmatas : & non solum secundum animas, verùm etiam & corporaliter ipsas corrumpebant, in foueam impietatis & luxus immergentes. Verum quid de his sermonem extendere oportet, cùm per totum orbem sciant nefarias actiones prædictorum hæreticorum Acephalorum, Seueri ac Petri, ac ipsorum diras iniustitias ac blasphemias & manus homicidijs gaudentes ? Ista enim manifestè ostendunt ea, quæ in antiqua Roma, quando sanctæ memoriæ Hormisda illam Apostolicam sedem regebat, & ea, quæ in hac regia vrbe, & in Theopoli, atque in Hierosolymis facta sunt, & statuta monimenta. Nam & illorum scelestam vitam omnibus annunciant, & perpetuas ac indissolubiles excommunicationes, quibus prædicti percussi sunt, propter prohibitas ipsorum actiones, quas operati sunt, in quibus *operari debebant, & dicere montibus : Cadite super nos, & adoperite nos : vel in profundis terræ infodi, & putare mortem meliorem vita præsente eo, quòd ipsi soli vltra omnes hæreticos perpetuis ac indissolubilibus excommunicationibus percussi sint : quod non fecerunt, sed in pessimis, tanquam in honestis, gloriantes, fremuerunt (vt dictum est) & in hac ciuitate. Et vnus quidem de die in diem impietati addit iniquitatẽ, in altum loquẽs, & aduersus sanctos patres insurgens, ipsorum recta dogmata dilaniat & blasphemat. Petrus verò *ipsa blasphemat, & omni turpi ac scelesto conatu seipsum immittere non recusat, Deum habens ventrem, & luxuriam sequentem ipsum, & gloriam in confusione sua, & in alto ac grauiter incedens, in publicum prodit, publicans omnibus suam impudentiam, & his, qui sequuntur, & qui præcedunt, omnes incedentes contrudens, omnibus seipsum potentem ostentare per hoc vult. Ah quis Hieremias, fletus passionibus adæquare potens, nostra plorabit mala, immò vero nostram negligentiam ? Quoniam cum talem habeamus orthodoxum Imperatorem, feruenti zelo orthodoxam fidem fouentem, ac pacem sanctarum Dei Ecclesiarũ, sicut pupillam oculi, custodire promptissimum, contitemus & sustinemus, videntes prædictos hæreticos ita turpiter & impudenter, ac cum omni audacia conuersantes, super quos dolentes, non* suspicamur ab Apostolo prænoniti, quoniam maligni & venefici homines sunt in peius incedentes, deuiantes, & errantes. Videntes itaque nos, hos ita impudenter & cum audacia agere, & vos pro cautione omnium fidelium, nihil in oppositum ponere: credentes & persuasi, pijssimum Imperatorem nostrum conuersioni ab ipsis deceptorum, & firmamento eorum, qui adhuc mouentur per illorum cõtrarias doctrinas, prouidere : & maximè cum sciatis per memoriam nos portare proclamatum terribile iudicium scandalizanti vnum de pusillis, quodque ante nos considerabitis, quod communi expedit vtilitati : cumque etiam maximè, sicut nunquam, vel alij hæretici, vel in alijs temporibus isti, & qui similia istis sapiunt per omnia, sanctam Dei Ecclesiam deuastent : hoc rogamus vos, immò vero adiuramus (quanquam præsumptuosum quid faciamus) per magnum DEVM & saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM, & per salutem ac victoriam pijssimi & Christianissimi Imperatoris nostri, ac DEO propter suam rectam fidem dilecti, vt nos sequentes sententiam sancti ac apostolici viri archiepiscopi antiquæ Romæ, & eos, qui huius regiæ vrbis pontificalem sedem ornauerunt, ac beatos patriarchas Theopoleos & Hierosolymorum, cæterosque pontifices, primum quidem condemnationi aduersus ipsos hæreticos, à prædictis sanctis viris prolatæ, & anathemati modo, sicut & ante, & vos subijciatis Seuerum & Petrum, quilibet vestrum nominatim coram Deo & hominibus manifestando & anathematizando eos, & qui similia istis sapiunt, & non pœnitent, sed in illorum errore permanent, atque etiam impia Seueri dogmata & conscripta, & qui ea suscipiunt, necnon & istorum consentaneos, quemadmodum in Nestorio & Eutyche ac Dioscoro, cæterisque hæreticis facere consueuistis, tradendo populis, ac ipsos docendo, vbique auertere illorum mortiferum venenum, statimque vna nobiscum ad pedes pijssimi ac à Deo custoditi Imperatoris nostri currere velitis, & ipsius pietatem edocere omnia quidem, quæ sequũta sunt, ipsiusque mansuetudinem exorare, vt illa faciat, quæ sua diuina & à Christo amata anima, naturaliter facere solet pro pace sanctarum Dei Ecclesiarum, & vt ipsius à Deo custoditum Imperium inconcitatũ ac imperturbatum custodiat, & eos, qui à nobis denominati sunt, & qui similia istis sapiunt, de hac ciuitate expellere, & cessare faciat conuenticula, quæ fiunt, & parabaptismata, & turbationes. Insuper etiam & Zoaram Syrum quendam irrationabilem eiusdem vomiti veneni cum ipsis existentem, oramus eisdem condemnationibus submitti, omni iniustitia & arrogantia plenum existentem, & nihil aliud scientem, quàm quod ab illis accepit, anathema scilicet aduersus sanctos patres nostros & his communicantes : atque coarctare ad ipsum venientes facere hoc, & conuenticula & parabaptismata innouare, ac tumultus in sanctis DEI Ecclesijs commouere : ipsos denique ac istos, cæterosque in diuersis domibus ac suburbijs latentes, de hac ciuitate tanquam feras quasdam expellere, & loco ipsis conuenienti condemnare, cùm noluerint in ciuitatibus, quæ secundum leges sub sua pietate gubernantur, modestè & pacificè viuere, neque ibidem se ipsos facere meliores ex ineffabili & diuturna patientia ab ipso ostensa, & cura ac honore misericordissimi Imperatoris nostri, qui illorum salutem procurauit, sed ipsius excellentissimam clementiam spernentes, indignos huius se exhibuerunt, & in tantam amentiam & arrogantiam se eleuauerunt, quantum & honorati fuerunt, & licenter omnia facere permissi sunt. Generalemque ordinationem vbique mittere ad sanctos pontifices, & ad magistratus, interdicentem omnia prædicta fieri, & quæ hoc sanciat, vt domus & suburbia, in quibus huiusmodi conuenticula fiunt, confirmentur in locum sanctiss. *ecclesijs. Nam leges Imperiales sanciunt, omnem locum & rem, in quo & per quam, siue per errorem, siue secundum veritatem sacrum, quod confiscatum est, sanctis Dei ecclesijs offerre : & hoc vobis diuina scriptura exposuit, quando Moses Dei seruitor diuinitus edoctus, statuit improperia non sacra in præparationẽ templi venire, quoniam & si alienus fuit ignis, tamen in ipsis sacrum sacrificium ipsis prohibitum, obtulerunt & perfecerunt Dathan & Abiron, & synagoga Chore, qui tunc contra sacerdotium & prophetam ac Deum impudenter insurgebant, quẽadmodum & isti falsi sacerdotes, ad impietatem seipsos mercede conducunt, & veri Antichristi in domibus intrarunt, & aliena altaria erexerunt, & baptisteria ædificauerũt in contrarium veri altaris & sancti lauacri. Sanciri autem & supplicamus suo pio imperio, omnia impia conscripta Seueri contra sanctam Chalcedonensem synodum, vbicunque inueniantur, igni trad. Hoc enim & immanissimis & impijs Nestorij conscriptionibus fieri piæ ordinationes sanciunt. Ea verò, quæ canonicè facta sunt super dictas personas, oramus vestram beatitudinem & sacrum vestrum cœtum, inquirere à confidentibus vobiscum, & à sanctiss. Romanis, & à venerabilibus notarijs apud vos existentibus, insuper etiam & à Deo amantissimis viris ambasiatoribus Orientalibus, vt his patefactis, vestra beatitudo & sancta synodus vobiscum sedens, exequatur diffinita cõtra ipsos à sanctis patribus nostris, qui prædictas pontificales sedes ornauerunt, & anathematizet prædictos Seuerum & Petrum, & istorum sequaces, & quæ sua sunt, sapientes, & maximè Zoaram, qui intantum sicut isti, vel plus Ecclesiam DEI perturbauit, & qui per omnia abdicatus fuit ab Apostolica sede & qui non vult istos sequi, & eis cõmunicare.

Vide Niceph. li. 17 c. 9. Histo. Ecclesiast.

* ecclesiarum

Num. 16.

SVBSCRIPTIONES.

Marianus miseratione Dei presbyter, & archimandrita dicti monasterij sancti Dalmatij, & primas venerabilium monasteriorum huius imperialis ciuitatis, subscripsi & tradidi.

Agapetus miseratione diuina presbyter & archimandrita monasterij Dij, subscripsi & supplicaui.

Agapetus Dei misericordia presby. & archim. monasterij S. memoriæ Thalassij, subscripsi & tradidi.

Alexander Dei misericordia presbyter & archimandrita monasterij Sancti Abraamij, subscripsi.

Theodorus Dei misericordia pres. & archimand. monasterij Iob, subscripsi & dedi.

Eleutherius Dei misericordia presbyter & prior monasterij S. martyris Dominici, subscripsi & tradidi.

Stephanus Dei misericordia presby. & prior * Olympij, subscripsi & tradidi.

Dominicus Dei misericordia pres. & prior monasterij Syriorum, subscripsi & tradidi.

Theodorus misericordia diuina presbyter & prior monasterij Tryphonis, subscripsi & tradidi.

Stephanus Dei misericordia presbyter & prior monasterij * Consta, subscripsi per manus Iacobi, & porrexi.

Paulus Dei misericordia presb. & monasterij Romanorum, subs. & porrexi.

Iulianus Dei mise. presbyter, & prior monasterij Romanorum, subscripsi & porrexi.

Ioannes Dei mise. presbyter & prior mona. Apostoli S Thomæ, subs. & porrexi.

Dioscorus Dei mise. presby. & prior monasterij Olymbrij, subscripsi & dedi.

Demetrius Dei miseri. presbyter & prior monasterij de Foca, subsc. & porrexi.

Dominicus Dei misericordia presbyter & prior monasterij Euphemij, subscripsi & porrexi.

Alexander Dei mise. presbyter & prior monasterij Calamij, subs. & porrexi.

Ioannes Dei misericordia presbyter & prior monasterij Sancti Michaelis Archangeli, subscripsi & porrexi.

Phocas Dei misericordia presbyter & prior monasterij de Iona, subscripsi & porrexi.

Stephanus Dei misericordia pres. & prior monasterij de Promoto, subscripsi & porrexi.

Dadas Dei mise. presb. & prior monast. de Caiuma, subs. & porrexi.

Gennadius Dei misericordia presb. & prior monast. Dominici, subsc. & porrexi.

* Cirion Dei mise. presb. & prior monasterij Ægyptiorum, subscripsi & porrexi.

Theodorus Dei mise. presby. & prior monasterij Maronij, subscripsi & porrexi.

Dionysius Dei mise. presbyt. & prior monasterij Marci, subs. & porrexi.

Ioannes Dei mise. presb. & prior monasterij Theodori in petra, subs. & porrexi.

Eleutherius Dei mise. presb. & prior monasterij Neonis, subscripsi & porrexi.

Zoilus Dei miseri. presb. & prior monasterij Theodoti, subs. & porrexi.

Timotheus Dei mise. presb. & prior Asterij, subscripsi & porrexi.

Marcus Dei mise. presb. & prior monasterij Sancti Dominici subscripsi & porrexi.

Andreas Dei misericordia presbyter & prior monasterij Sancti Dei genitricis Bessorum, subscripsi & porrexi.

Dominicus Dei misericordia presbyter & prior monasterij Sancti Georgij in * cyrocerco subscripsi & porrexi.

Paulus Dei mise. presb. & prior monast. S. Petri & Pauli, & Sancti Martyris Sergij & Bacchij, subscripsi & porrexi.

Atticus Dei mise presbyt. & monachus Eucratadorum, subsc. & porrexi.

Stratonicus Dei mise. presby. & prior monasterij Sancti Martyris Domecij, subs. & porrexi.

Marcus Dei mise. presb. & prior monast. Theodori * de Esteptoris, subsc. & porrexi.

Cosmus Dei mise. presb. monast. S. Maximini, subscr. & porrexi.

Paulus Dei mise. presb. & prior monast. S. Zenobij, subs. & porrexi.

Ioannes Dei misericordia presbyt. & prior monasterij Isaccij, subsc. & porrexi.

Iacobus Dei mise. * presbyter monast. Abibi, subscripsi & porrexi.

Glorius Dei mise. presb. & prior monast. Curij, subscr. & porrexi.

Paulus Dei mise. presb. & prior monast. Samuelis in Scythi, per Zoticum diac. subsc.

Petrus Dei mise. presb. & prior monaste. Epiclin Hierosolymorum, subsc. & porrexi.

Marinus Dei mise. presb. & prior monast. * Paulini, subs. & porrexi.

Modestus Dei misericordia presbyter & prior monast. * Lycaonorum, subsc. per Flauianum presbyterum & deuterarium, & porrexi.

Antonius Dei mise. presb. & prior mon[illegible] S. Eusebij, subscripsi & dedi.

Tryphon Dei mise. presb. monast. Manuelij, subscripsi & porrexi.

Theoctistus Dei misericordia presbyter & prior monasterij S. Dei genitricis Mariæ virginis, subscripsi & porrexi.

* Cenon Dei misericordia * prebyt. monast. iacentis in [illegible]ono agro S. Prodromij, & S. Ioannis Baptistæ, subscripsi & porrexi.

Paulus Dei misericordia presbyter & prior S. Erimonis martyris in * Elibicho, subscripsi per manum Marini lectorarij.

Silas Dei mise. presb. & prior monast. Eliæ, subscripsi & porrexi.

Ioannes Dei misericor. presbyt. & prior monaste. Maræ prope Aetiam cisternam, subsc. & porrexi.

Basilius Dei misericordia presbyter & prior monasterij Sancti Simeonis Epiclin * Ciracona, subscripsi & porrexi.

Theodorus Dei mise. presb. & prior monast. sancti Laurentij Martyris, à me Dei gratia fundati, subscripsi & porrexi.

Babylas Dei misericordia presbyter & prior monasterij sanctæ memoriæ Danielis in Stylo, & Sancti Ioannis Prodromij & Baptistæ ac sancti Andreæ Apostoli, subscripsi & porrexi.

Polycronius Dei misericordia presbyter & archimandrita S. Michaelis archangeli, in * Ethrio, subsc. per Anastasium monachum & porrexi.

Anastasius Dei mise. presby. & prior monasterij Romanorum, subsc. & porrexi.

Andreas mise. diuina presb. & prior monast. Romanorum, subsc. & porrexi.

Rhodon Dei mise. presbyt. & prior monast. Theodori, subsc. & porrexi.

Elpidius Dei mise. presbyt. & prior Basiani, subscripsi & porrexi.

Cosmus Dei mise. presb. & prior monasteriorum Lycaonorum, subsc. & porrexi.

Polychronius Dei mise. presb. & archimandrita monaster. * Criticorum, subsc. & porrexi.

Ioseph prior monasterij S. gloriosæ Dei genitricis Mariæ existentis in Lithostroto, subscripsi per manū Stephani presbyteri & secundarij mei, & porrexi.

Zoticus misericordia diuina presbyter & prior monasterij S. Andreæ prope Saturinam portam, subscripsi & porrexi.

Martyrius Dei misericordia presbyter & prior monasterij * Valentis Sancti Ioannis Baptistæ, subscripsi & porrexi.

Ioannes Dei misericor. presb. & archimandrita monasterij prope Agæum, subsc. & porrexi.

Stephanus Dei misericordia presbyter & prior monasterij Roman. prope S. Georgium * Sycorum, subscripsi & porrexi.

Sabbatius Dei mise. presb. & prior monasterij * Ipatij sub Photino sanctissimo episcopo Chalcedonensi metropolitano, subscripsi per manum Ioannis diaconi ipsius monasterij, eo quod nescirem ego litteras.

* for. * primo by. & prior

* Pauli

for. * pref. & prior

* Criticorum, vel, Cretensis

* Valentis

for. * Ipatij

* xerocerco

* disceptatoris

Ioannes Dei miſe. preſbyter & archimandrita venerabilis magni monaſterij *Acimitorum, ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo Chalcedon. ſubſc.

Cyprianus Dei miſeri. preſbyter, & prior monaſterij *Oſyas ſub dicto Photino epiſcopo Chalcedonenſi, ſubſcripſi.

Ioannes Dei miſericordia presbyt. & prior monaſterij Exagonij, ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo Chalcedonenſi, ſubſcr.

Stephanus Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Orchadorũ, ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo Chalcedonenſi, ſubſc.

Tryphon Dei miſericordia pres. & prior monaſterij Sacrarij, ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo Chalcedonenſi, ſubſcripſi.

Georgius Dei miſe. presbyt. & prior monaſterij *Cruorum, ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo Chalcedonenſi, ſubſcripſi.

Polychronius Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Alapedorum, ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo Chalcedonenſi, ſubſc.

Seuerianus Dei miſe. presbyter & monaſt. Syriorum, ſub Photino &c.

Pacificus Dei miſe. presb. & prior monaſt. Pictorum ſub Photino &c.

Paulus Dei miſe. presb. & prior monaſt. Fontis ſub Photino &c.

Megalimerus Dei miſe. presbyt. & prior monaſte. Cranidorum, ſub Photino ſanctiſſimo Epiſcopo metropolitano Chalcedonenſi, ſubſ.

Marcellinus Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Michaelis Archangeli *Rouphinianon, ſubſcripſi.

Ioannes Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Barnabæ ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Theodorus Dei miſericordia preſbyter & prior monaſterij *mi Apollonij ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Paulus Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Galachrinorum ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Stephanus Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Antiochianorum ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſc.

Stephanus Dei miſe. presb. & prior 40. ſanctorum ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſc.

Dorotheus Dei miſericordia preſbyter & prior monaſterij *Patiorum ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Elpidius Dei miſe. presb. & prior monaſ. Critinorũ ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo, ſubſc.

Eliberius Dei miſe. preſb. & prior monaſt. Roman. prope *Rouphinianon, ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

*Iordanes Dei miſericordia preſbyter & prior monaſterij de Petra ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Marcellus Dei miſericordia preſbyter & prior monaſterij Dalmatij ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo ſubſcripſi.

Iulius Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij S. Baſſis in deſiderio ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Iſidorus Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Idiæ, exiſtentis in plantis prope S. Epimachum martyrem ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo Chalcedonenſi, ſubſcripſi.

Eugenius Dei miſericordia presby. & prior monaſterij Leucadi ſub Photino ſanctiſ. epiſcopo, ſubſcripſi per manũ Pauli diaconi ipſius monaſt. cùm ego nõ potuerim propter ſenectutem.

Photinus Dei miſericordia presby. & prior monaſterij S.* Platoni ſub Photino epiſcopo, ſubſc.

Ioannes Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij *Brohetum S. Thomæ Apoſtoli ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo, ſubſcr.

Stephanus Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij de Stephana ſub Photino ſanctiſſi. epiſcopo ſubſcripſi.

Eugenius Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij de Diapetris ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo ſubſcripſi.

Marianus Dei miſericordia presbyter & prior monaſterij Adriatorum ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

*Canon Dei miſericordia preſbyter & prior monaſterij Iuliani *Broetorum ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo, ſubſcripſi.

Ioannes Dei miſericordia preſbyter & prior monaſte. Briorum ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo, ſubſ.

Ardaburius Dei miſericordia preſbyter & prior monaſt. Theodori Similliacorum, ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo, ſubſc.

Stephanus Dei miſeri. presby. & prior monaſterij S. Zachariæ Stibarachij ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Ioannes Dei miſe. presb. & prior monaſt. Thomæ Epidromorum, ſub Photino ſanctiſſimo Chalcedonen. epiſcopo, ſubſcripſi.

Theodorus Dei miſeri. presbyter & prior monaſterij Sancti Stephani *Lydanorum, ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Stephanus Dei miſe. presb. & prior monaſte. Coccij ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo, ſubſcripſi.

Euſebius Dei miſe. preſby. & prior monaſterij S. Chriſtophori Tatiliorum, ſub Photino ſanctiſſimo epiſcopo, ſubſcripſi.

Iacobus Dei miſe. presbyt. & prior monaſterij Calamij inferioris ſub Photino ſanctiſſ. epiſcopo, Chalcedonenſi, ſubſcripſi.

Iſychius Dei miſe. presb. & prior monaſterij B. Theodoſij, faciens ſermonem pro omnibus monachis de eremo ſub ſancta ciuitate, ſubſcripſi & porrexi.

Domitianus presbyter & archimandrita monaſterij B. Martyrij, faciens ſermonem pro omnibus monachis de eremo ſub ſancta ciuitate, ſubſcripſi & dedi.

Caſsianus Dei miſericordia presbyter & primicerius Lauræ de Sabba, ſermonem faciens pro omnibus monachis de eremo ſub ſancta ciuitate, ſubſcripſi & porrexi.

Dominicus Dei miſe. presbyt. & archimandrita Lauræ *Pyrgiorum, faciens ſermonem pro omnibus monachis in Iordana, ſubſcripſi & porrexi. *Turriũ

Neſtabus Dei miſe. presb. & monachus Lauræ B. Firmini, faciens ſermonem pro omnibus de eremo ſub ſancta ciuitate, ſubſc. & porrexi.

Terentius Dei miſe. presb. & monachus nouæ Lauræ, faciens ſermonem pro omnibus monachis ſub ſancta ciuitate, ſubſcripſi & porrexi.

Traianus Dei miſer. presb. & monachus *Pyrgiorũ *Iordani faciens ſermonem pro omnibus monachis de eremo Iordanæ, ſubſcripſi & porrexi. *Turriũ

Cyricus Dei miſericordia presb. & monachus nouæ Lauræ, faciens ſermonem pro omnibus de eremo ſub ſancta ciuitate, ſubſcripſi & porrexi.

Leontius monachus & primicerius proprij monaſterij, faciens ſermonem pro omnibus patribus de eremo in Iordana, ſubſc. & porrexi.

Polyeuctus diaconus & monachus monaſterij B. Theodoſij, faciẽs ſermonem pro omnibus monachis eremi Hieroſolymorum, ſubſc. & porrexi.

Theodorus diaconus & monachus nouæ Lauræ, faciens ſermonem pro omnibus monachis eremi Hieroſolymorũ, ſubſc. & obtuli.

Anaſtaſius diaconus & monachus monaſterij B. Martyrij, faciẽs ſermonem pro omnibus monachis eremi Hieroſolymorum, ſubſcripſi & porrexi.

Nicon monachus monaſterij B. Theodoſij, faciens ſermonem

monem pro omnibus monachis eremi Hierosolymorum, subscripsi & porrexi..

Mamas monachus monasterij B.Martyrij, faciẽs sermonem pro omnibus monachis eremi Hierosolymorum, subscripsi & porrexi.

Iulianus monachus monasterij B. Theodosij, faciens sermonem pro omnibus monachis de eremo Hierosolymorum, subsc. & porrexi.

Ioannes monachus monasterij B. Martyrij, faciens sermonem pro omnibus monachis, eremi Hierosolymorum, subsc. & obtuli.

Sabbatius monachus Lauræ B. Sabbæ, * & pro omnibus eremi monachis Hierosolymorum, subscripsi & porrexi.

for. * faciens sermonẽ pro me & pro.

Martyrius monachus nouæ Lauræ, * & pro omnibus eremi Hierosolymorum monachis subsc. & porrexi.

Basilius monachus * de Iordani, pro omnibus monachis de Iordana, subsc. & porrexi.

Theodorus monachus Lauræ B. Firmini, & pro omnibus de cremo, subsc. & porrexi.

Theonas Dei misericordia presbyter montis Sinai, & ambasiator eremi Raithæ, ac sanctiss. ecclesiæ Pharan, faciens sermonem pro omnibus monachis, qui in prædictis locis sunt, subscripsi.

Ioannes Dei misericordia presb. Lauræ Amniorũ Campestris, faciens sermonem & pro omnibus monachis in ipsa Campestre, subscripsi & porrexi.

* Campo.

Theodorus diaconus & monachus Sergij, in * Campestra, faciẽs sermonem pro omnibus monachis ipsius monasterij in Campestre, subscripsi.

for. * diac. & monac. faciẽs sermonẽ &

Cosmas * monachus & pro omnibus in prima Palæstina, subscripsi.

Strategius diaconus & monachus monasterij S. Ioãnis, & pro omnibus monachis in secũda Palæstina sub Scythopoli, subscripsi & porrexi.

Salamines Dei misericordia presb. & primicerius & pro omnibus monachis & archimandritis in tertia Palæstina, subscripsi.

for. * faciens sermonem pro me &

Ilias diaconus & monachus, * & pro omnibus monachis in Augustopoli tertiæ Palæstinæ, subscripsi & porrexi.

Anastasius diaconus & monachus, & pro omnibus monachis in petris terræ Palæstinæ, subscripsi & porrexi.

Photinus monachus S. Stephani in Moaza Iamnias, id est, Palæstinæ, pro omnibus, qui in ipso sunt faciens sermonem, subscripsi.

Ioannes Dei misericordia presbyter, monachus & ambasiator monasterij beati Maronis, primatis omnium venerabilium monachorum in secunda Syria, faciens sermonem pro omnibus archimandritis & monachis de ipsa secunda Syria, subscripsi.

Sanctissimus Archiepiscopus dixit; Cùm manifesta sint contenta in libellis lectis secundum primum ordinem, dignentur dicere sanctiss. & Deo amantissimi viri, qui nobiscum ex antiqua Roma adsunt, si quid sciant factum propter propositam materiam. Nam hæc audierunt à venerabilibus monachis petentibus. Et venerabilis Minas lectorarius & secundicerius notariorum Apostolicæ sedis antiquæ Romæ, legit vocẽ, quæ sic habet; Sanctiss. episcopi partium Italiæ, ac venerabiliss. Apostolicæ sedis diaconi, dixerunt; In quo loco vel numero Seuerum & Petrum iamdudũ Apostolicæ sedis decreuerunt constituta, in epistolis Sanctæ memoriæ Hormisdæ Papæ ad monachos secundæ Syriæ & ad beatum Epiphanium huius regiæ vrbis archiepiscopum, ostenditur diffinitum; quarum authoritatem præsto habentes, ipsam in præsentibus actibus legendam porrigimus. Sanctiss. archiepiscopus dixit: Legatur. Et Minas venerabilis lectorarius & secundicerius notariorum Apostolicę sedis antiquę Romæ, legit ex actis apud ipsos Romanos, epistolas scriptas ab Hormisda sanctæ memoriæ Papa antiquæ Romæ. Post quarum lectionem Christophorus venerabilis diaconus notarius & Secretarius, interpretationem legit. Erat autem epistola per litteras latinas, cuius interpretatio per litteras Græcas sic habet.

HORMISDAS EPISCOPVS PRESBYTERIS, diaconis, & archimandritis in secunda Syria existentibus, & reliquis orthodoxis in quocunque Orientali climate degentibus, & in Apostolicæ sedis communione permanentibus.

LECTIS litteris vestræ dilectionis, per quas inimicorũ Dei insipientia manifesta est, & infidelium furia tristis manifesta facta fuit, qui quoniam in spiritu malè viuentes oderunt Dominum, membra illius impiè persequuntur, quantum à nostra certitudine est cognoscere, benedixi Dominum, qui fidem militum suorum in medio hostium seruauit. Et rursus Ecclesiarum commotionem, & seruorum Dei molestias ac labores considerans, gemens secundũ prophetam, clamaui: *Surge Domine, iudica causam tuam. Recordare opprobriorum tuorum, quæ ab insipiente sunt tota die*; & cætera, quæ sequuntur, similiter induco; Ne obliuiscaris vocem quærentium te. Superbia odientium ascendit semper ad te. Etenim sicut oportet nos firmitatẽ fidei seruare, ita non conuenit de iustitia diuini iudicij diffidere. Non est, fratres, nic labor Ecclesiæ nouus: tamẽ dum in ipso humiliatur, exaltatur: & per illa, per quæ depauperari videtur, ditatur. Probatio est in fidelibus Dei, per mortem corporum, vitam lucrari animarum. Amittuntur quidem fluentia, sed acquiruntur æterna: & dum persecutio viam facit probationi, probatio fit causa dignitatis. Stulti & in cæcitate furentes, ignorant quod, quos à conuersatione hominum separare se posse putant, eos ad regnum Dei ducunt, vbi in ipsis periculis lætitiæ studium certè patet. Retributor enim magnorum donorum, suscipit certamina suorum. Quis enim non frangeretur in malis, nisi per contraria præmia consolaretur? Illa est spes, quæ non permittit in desperatione deficere. Excludit tribulationum amaritudinem dulcis gustus virtutum. Quisnam putaret præmia magna, futura non intelligens? Quis mortem abnegaret, nisi futurorum retributionem consideraret? State, dilecti mei, & firma cogitatione immobilem fidem seruantes, laudem patientiæ, in qua est salus & brauium bonorum operum, nanciscemini & carpetis. Magna quippe sunt, ad quæ indigni vocamur. Non tardet infirmitas, quoniam bonorum retributor fidelis, & potens adiutor est. Non decipiamur spe desideriorum, neque voluptatum, neque iudicio anteponamus, leuia. Non delicata, non adulatoria nobis Dominus noster promisit. Ille præmia promisit, non ocia. Non conueniunt laus & pigritia. Quis remunerationis erit modus, si nulla sit cura virtutis? Arcta est porta, sed amplum regnum. Paucis est introitus, sed est probis. Nonne isti sunt primi, sequientes, qui (vt ille docuit) persequentur & in synagogis flagellabunt vos? veruntamen per patientiam (sicut scriptum est) possidebitis animas vestras. Et ne aliquando doleamus, ipsis per impatientiam amissis, Dominus noster, patientiæ suæ ipse doctor primus, crucem subijt, in proprio exemplo formam præbẽs illis, quos adiuuare debebat. Ipse inter virtutes & labores tenet lancem, stans aduersus deliramẽta furentia, vt ad iram persecutionis, ipse æterni regni præbeat coronas. Pensate qualis Machabæorum exitus, quæ luctatio tolerantibus, quæ historia laudum secuta est: quali ludas & illa fratrum caterua mortis honore prædicatur, in qualibus oribus est populus, in * monte perditus. Etenim * ipsæ virtutes omnes, pro custodia legis sunt: & cum similitudines ac vmbræ futurorum sint dignæ fuerunt tantorum exemplorum. Nos in patribus vidimus, palpauimus, probauimus, quod sequamur, quid materiæ conueniat, quid veriti non dissonet, quid redemptori nostro debeatur. Cordialiter communicauimus vobis in his dogmatibus. Dicit enim quodam in loco sapientissimus Salomon: Beatus qui prædicat verbum inauditum. * Obientium quidem lætitia est, disputare nolentibus, & hortari ad rectam viam eos, qui non resistunt. Tenemus enim pignus fidei vestræ, instantiam ex literis confessatam, per quam à transgressorum corruptela separati, ad dogmata & mandata apostolicæ sedis reditis, licet quidem tardè ad viam veritatis ascendatis. Sed benedictus Deus, qui non in

Psal. 72.

Matt. 5.

Matt. 10. Luc. 21.

* monte * ipsa

* Obientium

finem

finem obliuiſcitur, quiq; caſtigat & ſanat, neq; permittit oues ſui vniti ouilis, inſidiantium luporum rapina diſpergi. Qui etiam per temperatam auſteritatem, ſuorum non negligit tutelam neq; ſalutem. Sed quid miramur, ſi illo vno & vero derelicto paſtore, aſtutus raptor ſanguine inquinatus, inſidijs oues diſperſas conturbauit? Qui autem propriam tutelam deliquerunt, ipſi ſeipſos periculis, in quibus diſſipẽtur, immiſerunt. Ita ergò nunc firmis geſſibus inſtetis viæ patrum, ad quam recurritis. Poteſt enim Dei miſericordia veſtrę mercedi computare & aliorum ſimiliter reformationem, qui à vobis ad rectum directi fuerint. At omninò voſipſos euellite à cœno, in quo hæretici demerſi tenentur, & excutite immunditiem pulueris, qui adhæſit, generaliterq; omnes, ab apoſtolicis dogmatibus declinantes, fideli abdicatione condemnate. Nulla quidem eſt communicatio tenebris ad lucem, neq; ambulantes per viam rectam, veſtigia ſua cum errore declinantium coniungunt. Tenendum eſt vinculum fidei, recuſandaq; eſt infidelis communionis lues, id eſt, peſtis: quoniam ſecundum Apoſtolum, Quemadmodum, qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo: ita q. adhæret meretrici, vnum corpus fit. Amant adinuicem virtutes communionem, & impietas ſecum demergit in profundo adhærentes ſibi. Ante oculos, in ore, in ipſis manibus ſint patrum dogmata, quæ quotidiè cuſtodire iubemur. Ad ipſorum cuſtodiam venerabiles ſynodi nos adſtringunt. Longum eſt, ſingulatim omnia demonſtrare, quæ in Chalcedonen. ſynodo ſunt, in qua omnium religio continetur. Verùm & diffinitiones, quæ à ſanctiſſimo Leone ex ipſo apoſtolorum corde prolatæ ſunt, ſcire nos conuenit, & ſeruare in his pietatẽ fidei. In his propugnatores neceſſitatis, in his Chriſtus cognoſcitur: In his noſtrę redemptionis ſpes & *argumentum cuſtoditur. Hoc eſt illud fundamentum, quod in Apoſtolo legimus, in quo ſeipſum, qui decipitur, ſurripit: Si quis ligna, fœnum, ſtipulam, cõſumptibilia, igni, ſuperædificare conatus fuerit. In ipſis ſynodis necata ſunt Eutychis & Neſtorij venena, qui quodammodò contrario inter ſe ſyllogiſmo contendunt, aduerſus autem diuinam ſalutaris myſterij diſpenſationem ſub quadam æqualitate ſacrilegij concordant, inæquales ſententijs & vnanimes impietate. Quorum alter non vult, virginem Mariam Dei eſſe genitricem: quo, quæ in Domino vnita ſunt, diuidit: alter autem, inquantum proprietates naturarum conuenerunt, & veritates confundit, & myſterium noſtræ redemptionis extinguit. Alter Photini cæcitatem, alter Manichæi inſipientiam impia cognatione coniungit. Contra iſtos, fratres dilectiſſimi, prouiſæ ſunt medicinę: illas cogitationis virtute vindicate, quoniam in ipſarum euerſionem videtis hæreticos per impietatem pugnantes. Non ſit in pigritia veritas doctrinæ. Quali ſtudio oportet ſalutem diligere, quandò videtis mortiferam perditionẽ ſic acceptatam? Vereamur ſegniter declarare leges veritatis, cùm obſtinatè errores defenduntur? Et authores quidem malarum inuentionum ſynodicæ ſanctiones, quas prædiximus, iuſtis condemnationibus inſequuntur. At nos etiam, vt horum ſequaces * declinemus, admonemus: ſimiliter quos Apoſtolica ſedes * etiam deprehendit eſſe, eorum magiſtris & condemnatis cõiunxit Timotheum Parricidam, & Dioſcorum & Petrum Alexandrinos, Acacium Conſtantinopolitanum cum eius ſequacibus, ſimiliter Petrum Antiochenum prædicto ſimilem, errore & nomine. Item etiam Seuerum ipſius loci ac veneni, Xenaiam Hierapolitanum, Cyrum Ediſſenſem, Petrum Apamearum, non ſolùm pro propria, verùm etiã pro aliorum condemnandos perditione. Qui inquantum ſeipſos ſordibus proprię vnionis inceſſanter inuoluunt, alios ſimiliter, qui ſecuti ſunt ipſos, in dicendo contaminauerunt. Per generale ſalutare mandatum vos moneo, quodcunque * aduerſarium canonibus patrum, ex quibuſcunque actis prolatum, nullis vos incommodis, mandatis vel nouis diffinitionibus innouet: ſiquidem ſeculares ſunt, & non poſſunt eccleſias retinere, quoniam his cõuenit doceri magis, quàm docere. Nefas enim eſt, venerabilibus altaribus noua offerre libamina: quoniam pijs ſcientijs claras diffinitiones in ipſis proœmijs proprij honoris præſcripſerat inter Leuitas, & proprium populi miniſterium diuiſit, (alia eſt hominum poteſtas, & alia ſunt ſacerdotum officia) concitauit magis Dominum, quàm placauerit, qui alienum ignem in diuinis adytis obtulit ſacra * contaminauit. Quis eſt, qui in alienis ſanctionibus iubendi authoritatem ſibijpſi aſſumere poteſt? Etenim nullum dubium eſt, eum punitum fuiſſe in templo pro ſolo conatu miniſterij, qui honorem * non debitum protulit Ozias, nec in religione & miniſterio permanſit. Si autem monitus exemplo tantæ increpationis, à ſacris ordinationibus timuiſſet iubendi authoritatem ſibiipſi aſſumere magis, quã aduerſus iſta prę ſumpſiſſet, melius vtique regnaſſet: ſed quoniam, neque prohibentibus templi procuratoribus, ſedulus tranſgreſſor non deſtitit, in ipſis altaribus abominabili lepra percuſſus, miniſterium regni perdidit, officium ſacerdotis inuadens. Cognoſcant itaque non eſſe Deo accepta, quæ ex ipſis mandatis à præſumptuoſis ſubripiuntur: quando vnum ad oſtenſionem ſententiæ punitio * magni inordinatus lepræ ſeruauit, alios velox flamma conſumpſit. Idcircò ſi aliqua ſunt aliquo colore religionis ſuſcepta, vim habere non poſſunt tot authoribus obuiantia, clamat Paulus apoſtolus: *Et ſi nos, vel angelus de cælo euangelizauerit vobis, præter quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Et quia non ſuffecit ſemel hoc dixiſſe, accedit & ſecundum mandatum: *Sicut prædiximus, & iterùm modò dico ſi quis vobis euangelizauerit, præter quod accepiſtis, anathema ſit.* Cuſtodit enim prolatam pro cuſtodia fidei ſententiam, ſi quis apoſtolicam ſequitur doctrinam. Et nobis quidem cura relicta eſt. Etenim duplicis legationis officiũ eſt, ſi quid in deprecationibus humile, ſi quid in cauſis iuſtum, ſi quid in mandatis ſanum ſuſtulimus. Sed non propter hoc negligenda eſt via iuſtitiæ, quoniam infidelitas proprios errores cum iniuſtitia * amat, non poteſt coniungi cum lapſu cadentium ſinè noſtra lue: pereant, à proprijs impietatibus non declinantes, neque errore flagellato. Et altera manu: Deus vos ſanos cuſtodiat, filij dilectiſſimi. Data 4. Idus Februarias poſt conſulatum Agapeti clariſſimi.

Leuit. 10. ſor. *cõtaminando.

2. Par. 26. *indebitũ

id eſt, magnæ deformitatis

EPISTOLA HORMISDÆ AD EPIPHANIUM Conſtantinopolitanum, qua ipſi vicariam ſedis Apoſtolicæ præfecturam in recipiendis lapſis delegauit.

To. 1. Epiſtol. Decr. 77. Hęc epiſtola, alio interprete habetur inter decr. eiuſdem Papæ. Galat. 6. Pſal. 105.

HORMISDAS *Epiphanio epiſcopo Conſtantinopolitano.* Magno gaudio impletus ſum, quoniam circa pacem eccleſiæ, & ſanctiſſimi Imperatoris & tuæ dilectionis tale eſt ſtudium, quale per literas intimaſti, & per meorum legatorum depoſitionem cognoui. Clara enim cœleſtis miſericordiæ demonſtratio procedit, quando reges ſeculi cauſas de fide cum gubernatione politiæ coniungunt, & eccleſiarum duces conferentia ad propriam diſpenſationem memores officij implent. Talibus directoribus indigebat Chriſtiana religio poſt procellas diſcordiæ, qui prouidentiſſima diſpoſitione, conquieſcentibus turbinibus, pacem diu peregrinatam, extrà poſita hyeme, reducerent. Et poſt hæc in futura ſecula proprij propoſiti exemplaria extendentes, ſibijpſis adſcribi indubitanter oſtendent, ſi quid Deo placitum poſteri ab ipſorum imitatione facient. Benedicamus Dominum, fratres, qui diebus noſtris hoc fieri donauit, & omnibus orationum ac ſolicitudinum virtutibus firmemur, vt quæ per Dei cooperationem benè principiata ſunt, ipſo adiuuante, in omnibus adimpleantur. Spes enim eſt, quòd ad compaginem proprij corporis & reliqua etiam adhuc diuiſa membra ſtudebunt, & à maioribus minora non diſſonabunt. Ad quod quoniam me tua affectio ſtudio Chriſtianæ dilectionis inuitat, debes id, quod excitas, ſequi: & quod diligi conſulis, complecti. Similem ergò fidei curam gerentes, per piam patientiam æquale præmium boni operis egreſſu ſperamus. Neque enim difficultatibus eſt cedendum, neque aſperitatibus fides fatigatur, neque ad altitudines cælorum per decliuum quis extenditur, neque ſine laboris exercitatione quis fit remuneratione dignus. Idcircò, vt non deficiamus bonum facientes, propriè admonemur. Etenim *beati* (ſicut teſtatur Pſalmiſta) *qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam omni tempore*: quoniã non principiũ laboris retributionem præmij inuenire cõſueuit, ſed finis. Itaq; ergò æquale ſtudiũ

& curam suscipiamus, quibus vna est in communione & fide amicitia, vt quemadmodum de Ecclesia Constantinopolitana Apostolicæ sedi vnita æqualiter in Domino exultamus: sic & de aliarum restitutione (sicut affectuosè admonemus) curamus primùm, vt fidem ac perfectionem nostram, immaculatam ab omni contaminatione seruemus. Etenim scis, frater honorandissime, quales nexus Ecclesiasticam concordiam seruant, qui ab hæreticorum insidijs nos custodiunt, & per quos canonum authoritas seruatur. His in proprio robore omni attentione seruatis, sanitas sperantibus afferetur. Habet enim Ecclesiasticorum canonum ordo, & ipsius iustitiæ forma, vt iusta cura benignè ac fideliter sperantibus non negetur. Neque quis est ita à clementia separatus, quem non flectat à duritia vinculi pura simplicitas. Sed vt tutè hoc, & sine redargutione vel alicuius erroris palliatione, valeat *peruenire, dilecte frater, personam meam in hoc te oportet subintrare, scientem, in huiusce modi materijs (sicut prædictum est) quid faciendum sit, quid custodiendum: sicque omnia prouidentem, vt non dubites de hac dispositione rationem reddere Deo. Ita quidem, vt literæ vestræ significent, eos, qui nobis communione coniungentur, tales esse, qui per nos sedi Apostolicæ nostris literis misceantur, & ea, quæ continentur in libellis, quos produxerint. Sic enim ab errore Seueri, & huic coniunctorum ac similium liberabuntur, & damnum eorum, qui sanari non poterunt, sustinemus. Idcircò vobis imponere censuimus, ad vestram diligentiam onera nostra transferentes: quoniam non paruas probitatis tuæ iam demonstrationes dedisti hæreticis, obijciendo, vt nō oporteat de isto dubitare, assumere simul sanationis curam, cui contingit probum ostensum fuisse. Accingite authoritatem iustitiæ, & sic erga supplices humanitate mollificemini, vt manentes in hæreticorum contaminatione, vel eos, qui innocentiam simulant & cum nostris sola voce concordant, ab istis secernatis: pro quorum restitutione cura & prouidentia est ab Ecclesia. Neque enim erga istos expedit ecclesiasticam *mitigare austeritatem. Non ergò erunt conferenda bona misericordiæ propter necessitatem prouidere debentium, si indistinctè erunt communia bonis & malis. Et quoniam tua dilectio Hierosolymitarum similiter memoriam in suis literis facere censuit, quorum ad nos etiam quædam professio allata est, necessarium putauimus etiam legere, quæ scripta sunt, & respondere πρὸς φορὰ si aliqui sanctorum patrum formas custodiunt, si illius fidei fundamenta venerantur, & à definitis per ipsos, Spiritu sancto compungente, non recedunt. Sic enim sunt perfecta, vt additione non indigeant: & tam benè firma, vt propterea sint immutabilia, cùm per ipsa, & omnia hæreticorum deliramenta absorpta sunt. Neque enim Chalcedonen. synodus aliquid vtile pertransiuit, quod qualicunque diligentia præcogitari potuit, quæ acceptatorū similiter dogmata vel lucidius declarauit, vel reassumpsit, & authoritate confirmauit, & proprium quoddam aduersus Nestorium & Eutychen reassumpsit certamen, altero quidem Domini nostri Iesu Christi deitatem à carne separante, & propter hoc sanctam Mariam Dei genitricem enunciare declinante, altero verò veritatem carnis in Domino recusante, cùm Dominus noster Iesus Christus, hic filius Dei sit, qui & ipse homo, vna persona in duabus naturis & deitatis & carnis, neque naturis in vnione cōfusis, neque tanquàm quarta persona addita Trinitati, sed ipse filius Dei exinaniuit seipsum, & formam serui accepit. Ideoque vnam & non diuisam confitemur Trinitatis substantiam, & tamen propriam proprietatem scimus vnicuique esse personæ. Vnam enim patris confitemur esse personam, vnam filij Dei cum assumpta carne, vnam spiritus sancti, & personas proprietatibus* significantes, & per vnitatem substantiæ inseparabile Trinitatis mysterium confitemur. Neque enim possibile est dubitare, verbum Dei in visceribus matris per carnē humanam assumpsisse naturam, & non diuisam post vnionem naturarum ab ipso factam in vulua. Sicut enim non est in ipso humanitas sine Deo facta, sic in cruce impassibilis Deitas non est carnis passione diuisa. Quod virginis partus, & inuiolabilis fœcunditas, ac eximia à mortuis resurrectio, atque in cælos ostendit ascensio: hæc, sicut à patribus diffinita sunt, seruent, credant, & neque diffinienda transgrediantur. A qua semita declinantes, ipsi sibi ipsis nebulam dubitationis circuminfundunt. Nobis autem illud Apostolicū respondere contendentibus necesse est: Nos huiusce modi consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Hæc ideò per breuia scripsimus, quia non conuenit dubitare de rebus & fide sæpiùs diffinitis. Et omninò superflua est allegatio, quæ adducitur præparatis, cùm de hac re apud humanissimum & glorioſissimum Imperatorem filium nostrum non pauca significauerimus. Et quoniam de Hierosolymitanorum professione respondimus, & hoc subijcimus horum salutis gratia, quod conuenienter additur: vt si catholicæ Ecclesię desiderant vnionem, propriæ professionis texturam in scripturis indicatam, quam nostris legatis in Constantinopoli degentibus attulerunt, per proprios* nuncios ad nos mittant, vel vestrę fraternitati dent, ipsa quidem (sicut dixi) virtute conscriptam, quæ ad vos omnibus modis per nostram informationem portabitur. De Thessalonicensibus enim, quorum ad nos legati per informationem fidelissimi ac glorioſissimi Imperatoris filij nostri venerūt, vt nihil reliquisse videamur, volumus secundum ea, quæ (Domino nostro Iesu Christo inspirante) placuerunt, totam causam vestræ considerationi tractandam, & si, quod oportet, impleuerint, formandam committere. Hæccùm per fratrem & coepiscopum nostrum venerabilem virum Ioannem, ac per filios nostros Heraclianum presbyterum, & Constantinum diaconum, ecclesiastici honoris dignos, pertinentia ad causam, scripsisse sufficiant, delectati sumus, nos inuenisse æqualem dignitatem, & pium propositum in viro nostri ordinis, & cum mandatis legationibus prudentiæ & moribus consonantia. Optanda profectò res est, & gaudio plena, vt quos contigit esse consortes communionis, & ordinis iudicio comprobati sint. Et altera manu: Deus te sanum custodiat, frater venerabilissime.

SANCTISSIMVS archiepiscopus dixit: Nunc venerabilissimi notarij sanctissimæ ecclesiæ nostræ, si quæ chartę sunt apud eos, prę̨sentem causam concernentes, ipsas nobis manifestas faciant. Et productis chartis per venerabilem Cosmam diaconum, notarium, & chartophylacem, Macarius venerabilis diaconus & notarius, libellum ex persona clericorum Theopolis, & relationem synodi ibidem in regia vrbe congregatæ, vtrunq; ad Ioannem *inter sanctos archiepiscopum ipsius regiæ vrbis, legit. Et Calonymus venerabilis diaconus & notarius, ex codice epistolam ad Ioannem sanctæ memoriæ archiepiscopum Hierosolymorum, & ad Epiphanium piæ memoriæ Tyriorum episcopum, legit. Insuper etiam & epistolam missam ab ipso Ioanne Hierosolymorum episcopo, & à synodo sua ad sanctum Ioannem legit. Et Stephanus venerabilis notarius & diaconus, relationem missam ab Epiphanio Tyrio & synodo sub eo cōgregata, legit. Et Paulus venerabilis notarius & diaconus, relationem cum gestis destinatam ab episcopis secundę Syriæ, ad sanctissimum Ioannem archiepiscopum regię vrbis, quæ omnia inserta fuere.

SVPPLICATIO CLERICORVM ET MONACHORVM Antiochia, ad Ioannem patriarcham & synodum congregatam, contra Seuerum.

SANCTISSIMO *ac beatissimo archiepiscopo œcumenico Patriarchæ Ioanni, & sanctæ synodo congregatæ, supplicatio à clericis & monachis Apostolicæ throni Antiochenæ magnæ ciuitatis catholicæ sanctæ Ecclesiæ Dei.* Nunc est, si quando fuit tempus, beatissimi patres, omnes orbis sanctas Dei ecclesias, tanquam ex vno ore propheticum illud clamare: *Lætentur cœli & exultet terra, & omnia quæ in eis sunt, quoniam misertus est Deus populi sui.* Quòd enim sceptra Romanorum pijs & à Christo amatis Imperatoribus sint commissa, sic & libertas ac fiducia orthodoxam religionem colentibus donata sit, quomodo non meritò persuadet fidelibus hanc vocem clamare? At in tam cōmuni festiuitate orbis, vna ex omnibus, vel admodū cū paucis, ecclesia Antiochena mœstitia & luctu impleta est. Lupū enim pro pastore (nescimus quomodò) suscepit, & assi-

Philip. 2.

& affligitur. Quam enim tragœdiam non exceſſerunt ac ſuperarunt mala, attentata à Seuero? Qui primùm quidem (vt quomodo vixerit, prætereamus, veſtris auribus parcentes) nulli vnquàm eccleſiæ communicaſſe videtur, deindè cum calumniæ ſagittis ſagittauit, & præparauit exagitare iuſtiſſimum paſtorem Flauianum beatiſſimiq; illius ſedem violenter & contra canones ſubripuit, & indè ad inſtar mercenarij, non ſolùm non pauit ouile Chriſti, neque fugit, quod arnandum erat, ſed ipſe operabatur ea, quæ ferarum ſunt, oues iugulando & diſpergendo. Nouitates autem & blaſphemias aduerſus Deum lingens, nulli ſanctorum patrum pepercit: perſeuerat enim tota die, ſic dicendo, abdicans ſynodos pro pietate congregatas. Nam ſanctam Chalcedonenſem ſynodum anathematizare & impugnare auſus eſt, quæ maximè firmauit ſymbolum trecẽtorum 18. ſanctorum patrum, quę etiam ſuſcepit centum quinquaginta ſanctos patres, inſuper etiam & ſimiliter ſanctos patres, qui in Epheſo contra impium Neſtorium conuenerunt. Benè manifeſtum eſt, quòd & prædictas auertit & odit tanquàm huius ſorores: & quot quidem homicidia ſanctorum monachorum fecerit, & cum manibus Iudaicis huiuſmodi iugulationem iniunxerit, neque nos, ſanctiſſimi, neque aliorum aliquem latuit. Dirum enim ſpectaculum fuerunt iacentes viri, qui religioſis certaminibus vſque ad canitiem, certauerunt, nudi & inſepulti iactati, vltra trecentos exiſtentes, ex ſecunda Syriorum prouincia nati, canibus & auibus lacerandi, proiecti. Similia autem & ſimiliter miſeranda ſunt, & quæ in xenodochijs, id eſt, hoſpitalibus ab ipſo facta ſunt. Vincula enim ædificat nunc, & ita multos pro fide incarcerando, in tenebris & flagellando interficit. Talia, ſanctiſſimi, & circa Fontes in *Lauro facere præſumpſit, & veneficijs ibidem vtens, ſceleſtis ſacrificijs dæmones colit, & hoc totalilla magna ciuitas cantat. Neque vtique ipſis ſanctis altaribus pepercit, neque ſacris vaſis parcens, alia autem conflans, ſimilibus ſuis erogat. Præſumptum eſt autem ab ipſo & hoc, ô beatiſſimi: nam columbas aureas & argentèas, in formam ſpiritus ſancti ſuper diuina lauacra & altaria appẽſas, vna cum alijs ſibi approbriauit, dicens, non oportere in ſpecie columbę ſpiritum ſanctum nominare. Pecunias quidem & domos, & quæcunque in optimis fundis erant, exportauit & expendit, & grauiſſimis vſuris Eccleſiam obruit. At, beatiſſimi patres, non eſt poſſibile omnia percurrere, quæ ab illo præſumpta fuerunt. Ideò his paucis & magnis contenti, deprecamur veſtram ſanctam ſynodum (etſi ferò quaſi) ſedare mala, quæ noſtram Eccleſiam occupant & totum ferè Orientem, & ab iſto nequiſſimo viro nos liberare, exacta ab eo pœna eorum, quæ contra diuinos canones & politias legis fecit: prouidentiamque facere de his rebus, quæ relictę ſunt, ſi quid remanſit, perſuadentes pijſſimo ac inuictiſſimo principi, vt mittat aliquos bonis moribus comprobatos, aliquo ex noſtris ſimul veniente, qui rebus ſuperſtet, vt teneant, & rationem exigant de his, quæ à principio vſque nunc fecerunt: & *ad multa, quæ ipſi furati ſunt & cuſtodiunt, quæ inuenientur, ne totaliter omnia exportentur. Non enim ceſſat* bonus homo aduerſus ea, quæ ſunt Eccleſiæ Dei, ea, quæ ipſi Eccleſiæ conferuntur, diſſipando. Cùm enim meritò ab omni ſpe Dei ceciderit, ad viros iniquos, à quibus nutritur, ſpem habet. Rogamus etiam oratores mittere & pro fratribus noſtris, ſiue epiſcopi ſint, ſiue clerici, vel monachi, aut laici, vt relegati reſtituantur proprijs ciuitatibus & ordinibus. Inſuper in his omnibus veniam petentes propter dolorem nos occupantem, adiuramus veſtram beatitudinem, per ſanctam & conſubſtantialem Trinitatem, & pietatem, ac victoriam, & perſeuerantiam dominorum totius orbis Iuſtini & Euphemiæ ſemper Auguſtorum, moueri, & nobis opportunè ſuccurrere & non deſpicere ſupplicationes noſtras. Adducere autem & hęc omnia ad pios Chriſtianos imperatores noſtros, & perſuadere ipſorum ſerenitati, vt omnia bona ſanctiſſ. eccleſiæ noſtræ, per ipſorum & veſtram conſequantur prouidentiam.

Theodoſius Dei miſeratione preſbyter Antiochiæ, porrexi.

Longinus diaconus ſimiliter porrexi.

Stephanus diaconus ſimiliter porrexi.

Mauricius ſubdiaconus ſimiliter porrexi.

Iulianus Dei miſeratione diaconus ſimiliter porrexi.

Thomas Dei miſeratione diaconus ſimiliter porrexi.

Ioannes Dei miſeratione preſbyter ſimiliter porrexi.

Andreas ſimiliter porrexi.

Iulianus ſimiliter porrexi.

Marcellus diaconus ſimiliter porrexi.

Sergius* miſericors ſimiliter porrexi.

Moſes Dei gratia preſbyter ſimiliter porrexi.

Ioannes ὑποβεγιὸς ſimiliter porrexi. for. ὑπάτιος.

Ioannes monachus monaſterij B. Maronis, porrexi.

Iacobus monachus B. viri, ſimiliter porrexi.

Conſtantinus monachus ambaſiator ſanctæ memoriæ Aſterij, ſimiliter porrexi.

Nonius diaconus monaſterijs B. Pauii, ſimiliter porrexi.

Salomon monachus monaſterij B. Valentini, ſimiliter porrexi.

Simeon monachus monaſterij B. Agapeti, porrexi.

Sergius monachus monaſterij S. Simeonis, porrexi.

Alphius monachus monaſterij B. Iacobi, porrexi.

Felix monachus beati Ioannis, porrexi.

Simeon monachus monaſterij Ingaporum beati Pauli, porrexi.

Paulus monachus monaſterij beati* Iſychij, porrexi. *Heſychij

Dominicus monachus monaſterij beati Dorothei, porrexi.

RELATIO AD IOANNEM Patriarcham à ſynodo congregata.

DOMINO *Noſtro ſanctiſſimo & beatiſſimo patri patrum, archiepiſcopo & œcumenico Patriarchæ Ioanni, ſynodus in hac imperiali ciuitate congregata, in Domino ſalutem.* Cùm Deus omnium Dominus, pro commodo orthodoxæ fidei, & ſtabilitate catholicæ eccleſiæ, præterita Dominica & feria ſecunda, expleta Miſſa in ſancta Dei eccleſia huius regiæ vrbis, vna voce mouit innumerabilem & infinitum populum, & ad hoc diuino zelo accendit plurimum, & ſedulò, petere veſtram beatitudinem aſcendere ambonem & exclamare pro recta fide, pro qua ſemper agonizaſtis, & agonizatis, & cum hoc feciſtis, factæ fuerunt (vt dictum eſt) exclamationes plurimæ ac continuæ populi, vos laudantis pro orthodoxa fide, & patres prædeceſſores noſtros expulſos reſtitui expetentis. Cùm autem veſter nuncius totum noſtræ examinationi tradiderit, & opportuna conſiderare mandauerit, neceſſarium putauimus, quæ ſequuta ſunt, & à nobis formata, per relationem primùm veſtræ beatitudini annunciare, & tunc per vos pijſſimo & potentiſſ. Imperatori noſtro manifeſta ſtatuere. Sunt autem hæc: Viceſima inſtantis menſis Iulij, indict. 11. cõſulatu Magni clariſſimi viri, vniuerſus monachicus ordo huius à Chriſto amatæ imperialis ciuitatis, qui ex diuerſis monaſterijs conuenit, hic quidem archimandritarum, alius verò reliquorum libellos porrexit huic omni congregatæ noſtrę ſynodo: petieruntq; ipſos legi, & capitula in eis contenta, examinata à nobis fini tradere, immò verò ſub forma ſynodali ponere. Cùm itaq; ipſos libellos legeremus, quos & ſubordinauimꝰ formæ prædictæ hæc continere, in ipſis legimus primam petitionem libelli, habentis, vt ſanctæ memoriæ Euphemius & Macedonius expulſi, & in exilio mortui, iuſtè & canonicè reuocentur, & tradantur catalogo prædeceſſorum archiepiſcoporum, in Domino ibidem quieſcentium, omnibus vacuis manentibus, quæ contra ipſos quandocunque facta fuerint: ponanturque in ſacris diptychis ipſorum vocabula, ſecundum quod omnis populus & monachicus ordo, ſedulò & multum exclamauit. Nos autem ordinem optatum petitioni imponere ſtudentes, quæ ſiuimus facta in ipſis. Et cùm cognouimus per lectionem, quod plurima horum neque cum diligentia prouenerunt, neque fideliter, neque per iuſtitiam memorati patres ciectionem ſuſtinuerunt, neque tanquàm aliquid amouerint de his, quæ in recta fide ſeruabantur: neceſſarium putauimus, petitioni totius populi ſimul cum mulieribus & pueris, ac totius dignitatis ac malitiæ, atque etiam monachici ordinis ſedulò clamantium, ſecundum exhibitos libellos cum omni

Epiſtola Synodalis Concilij Cõſtantinopolitani ſub Hormiſda. Vide Notas eiuſdẽ Concilij ſupra ſub Hormiſda.

veritate satisfacere, vt secundũ quod sanctæ memoriæ Paulus & Ioannes ac Flauianus patres huius regiæ vrbis reuocati fuerunt, sic & ipsi eiusdem honoris in sacris libris memoria digni facti sint. Quæ ergò considerauimus & reformauimus, honestum existimauimus ad vestram beatitudinem deducere, & per ipsam pijssimo Imperatori nostro. Secundum capitulum in libellis continebatur, vt qui propter causam prædictorum patrum (Euphemij dicimus & Macedonij) banniti fuerant & fugati, reuersi restituantur proprijs gradibus. Quoniam igitur iusta petitio est, & primè consequens, deliberauimus, vt prædicti adiuuentur, & adducantur, ad pijssimum & sereniss imum Imperatorem nostrum. Tertium capitulum in petitione cõtinebatur, vt pro maiori scripturarum auctoramento, sancta & magna synodus 318. Patrum congregatorum in Nicæa, qui sanctum symbolum fidei diffinierunt, & exclamarunt, in quo baptizati sumus, & baptizamus, & quæ in Constantinopoli sub Nectario sanctæ memoriæ congregata est, & prædictum sanctum symbolum 318. Patrum confirmauit, ponantur in sacris diptychis.[a] Quoniam igitur honesta petitio est, (quod enim pro vtilitate Ecclesiastici status factum sit) dignum iudicauimus, iuxta exclamationes populi, & acclamationem vestræ beatitudinis, & secundum porrectum libellum à venerabilibus archimandritis & monachis, ipsas sanctas synodos in diptychis prædicari.

Desideratur hic cõprobatio Ephesini & Chalcedonens. Concilij, vt patet infrà.

Quartum capitulum in petitione venerabilium monachorum continebatur, vt nomen sanctæ memoriæ præsulis Romanorum Leonis, in sacris libris similiter prædicetur, iuxta quod exclamationes populi supra & sedulò factę sunt. Quoniam igitur Chalcedonensis Synodus nõ solùm Leonis sanctæ memoriæ, verùm etiam & Cyrilli Alexandrinorum à Deo amati pastoris memoriam in orthodoxa fide fecit, & Cyrillus quidem Alexandrinus in diptychis prædicatur, Leo autem sanctæ memoriæ non prædicatur: iustum putauimus, vt quod deficit, suppleatur. Et quia æqualiter ab hac sancta synodo pro statu orthodoxæ fidei honorati sunt, similiter & in sacris diptychis pro vtilitate & pace Ecclesiæ prædicentur. Quintum capitulum in ipsis petitionibus continebatur, vt attentata contra sanctam Chalcedonensem Synodum, rememorentur, & blasphema verba cõtra ipsam * (Seuerum dicimus, qui est in Antiochia) indispositè & perperam prolata, anathemati subijciantur, sicut sedulæ exclamationes populi factæ sunt. Quoniam igitur oportebat & de isto formam conuenientem ecclesiastico statui proferre, necessarium iudicauimus, primùm blasphema ipsius verba in medio totius synodi legi ad redargutionem eorum, quæ ab ipso præsumpta fuerunt. Habent itaque sic de verbo ad verbum attentata, & blasphemata ab ipso aduersus sanctã synodum: Quæ à synodo eo tempore in Chalcedona congregata, formata fuerunt ac stabilita, & eos, qui pro ipsa pugnant, anathematizamus. Hæc est illius sceleste vocis blasphemia: sed non solùm immanis hæc, verùm etiam aliæ plurimæ blasphemiæ in libris ipsius proclamantur in hac regia vrbe, quibus orthodoxiæ amatores incidentes, derident ipsius phrenesim, qui spuriè fertur. Quoniam igitur hoc accusatum, habet redargutionem non solùm ex prædicta voce, sed ex eo quod scriptum est, & ex alijs plurimis blasphemijs turpissimæ ipsius linguæ contra hanc sanctam synodum, idcircò hunciustè perpetuo anathemati & nos submittimus, omni honore, nomine, dignitate, & operatione, Christiano aut † hieratico conueniente, vel conuenire valente, priuantes, & nudum diuinę communionis secũdum ecclesiasticos canones statuentes, contra quos & blasphemare ac calumniari sanctam Chalcedonensem synodum conatus est, quæ specialiter signauit symbolum 318. sanctorum Patrum, qui in Nicæa conuenerunt, & quæ immotum ac immutilatum ipsum existere prædicauit, sicut & sancti Patres, qui in Constantinopoli, & qui in Epheso conuenerunt, similiter confirmauerunt, cum quibus & sancta Chalcedonensis synodus similia defendit, resplendere vbique hoc iussit. Quapropter non solùm tanquàm blasphemum, sed & tanquàm calumniatorem & omnibus sanctis synodis per istam Synodum iniuriantem, prædictum Seuerum omni honore destitutum esse statuentes, anathemati subiecimus. Hæc à nobis examinata & formata,

Cyrillus tanquam Vicarius sedis Apostolicę æqualiter S. Leoni honoratus est. for. * per Seuerum (eum dicimus.

ad sanctum nuncium tuæ beatitudinis festinanter exaraui-
mus, & propria munu subscripsimus, & afferri subordina-
uimus exhibitos vobis libellos ad agnitionem veritatis, vt
& hæc per vestram beatitudinem veniant ad potentiss.
mum & sereniss imum Imperatorem nostrum, & ad pijss.
mam & ad Deo amantissimam Augustam, & ad gloriosiss.
mum ipsorum ac magnum senatum.

SVBSCRIPTIONES.

Theophilus episcopus Gaidi, subscripsi relationi.

Stephanus episcopus Nicomediæ, subscripsi relationi.

Basiliscus episcopus Cyzici, subscripsi relationi.

Anastasius episcopus Nicææ, subscripsi relationi.

Martianus episcopus Chalcedonensis, subscripsi relationi.

Theodotus episcopus † Gangrinorum metropolitanus, subscripsi relationi.

*Ipatius episcopus Claudiopolitanorum prouinciæ Honoriadis, subscripsi relationi. Hyrcan.

Dominicus episcopus Tyaneus secũdæ prouinciæ Cappadociæ, subscripsi relationi.

Ioannes episcopus Claudiopolitanorum regionis Isaurorum, subscripsi relationi.

Scholasticus episcopus Nazianzi, subscripsi relationi.

Ioannes episcopus Bosphori, subscripsi relationi.

Pythagoras episcopus Sinopeorum prouinciæ Hellespontiorum, subscripsi relationi.

Andreas episcopus * Teorum Honoriadis prouinciæ, subscripsi relationi.

Theodorus episcopus ecclesiæ Adrianopolis ciuitatis Honoriadis prouinciæ, subscripsi relationi.

Thalassius episcopus Dorylei, subscripsi relationi.

Dorotheus minimus episcopus Coorum insulę, subscripsi relationi.

Ammonius Dei permissione episcopus Abydenorum, subscripsi relationi.

Eustathius episcopus Philadelphiorum ciuitatis prouinciæ Lydorum, subscripsi relationi.

Plato episcopus Cratianorum ciuitatis, subscripsi.

Phocas episcopus Dardani, subscripsi.

Amantius episcopus exiguus Nicopolitanæ ciuitatis, Mysiæ secundæ, propria manu subscripsi.

Dominicus episcopus nouæ Cæsareæ prouinciæ Bithyniæ, subscripsi.

Ioannes episcopus Phanagoriæ, subscripsi relationi.

*Acyla episcopus ciuitatis Prymnesiorum, subscripsi. for. * Alasa Aquil.

Stephanus episcopus ciuitatis Anastasiopolis Phrygiæ Pacatianæ, subscripsi.

Pelagius episcopus ciuitatis Azanitorum, subscripsi.

Ioannes episcopus Gangrorum prouinciæ Asiæ, subscripsi.

Dominicus Basilinopolis ciuitatis, subscripsi.

Ioannes episcopus Commacorum ciuitat. regionis Pamphyliorum, subscripsi.

Ioannes episcopus Metropolitanæ ciuit. Pisidiorum regionis, subscripsi.

Photinus episcopus Homonadorum ciu. regionis Pamphyliorum, subscripsi.

Conon episcopus Adrianæ ciuitatis subscripsi.

Mamas episcopus Ariassorum ciuitat. prouinciæ Phrygiæ, subscripsi.

Macedonius episcopus Eleusorum, subsc.

Martianus episcopus sanctiss. ecclesiæ ciuitat. Maranæ, subscripsi.

Antipatrus episcopus Trapezuntinus, subscripsi relationi. * Vadat.

Gorgonius episcopus * Vadatæ, subscr.

Photius episcopus Eudoxatorum prouincię Lyciorum, subscripsi.

Ioannes episcopus Olympi prouinciæ Lyciorum, subsc.

Nicolaus episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Rhodiapolitarum prouinciæ Lyciorum, subscr.

Paulus episcopus Cæsareæ Bithyniæ, subscripsi.

LIBELLVS MONACHORVM AD congregatam Synodum, cui annexæ sunt & quatuor synodi, vt in ecclesia prædicatæ sunt.

DEo amantissimis & sanctissimis Patribus Episcopis, Theophilo, Basilisco, Anastasio, Martiano, Theodoto, *Ipatio, Theodoro, Ioanni, Pythagoræ, & reliquæ venerabili synodo in regia ipsa ciuitate; ab Alexandro, Consta, Diogene, Euthio, Antonio, Acacio, Ioanne, Domno, Leontio, Ioanne, Polychronio, Anatolio. Martyrio, Dominico, Iuliano, Alexandro, Iacobo, Christino, Ioanne, † Basilico, Babylo, *Ipatio, Marco, & à cæteris presbyteris & archimandritis venerabilium monasteriorum in à Deo amata imperiali ciuitate consistentium, & totius monachici ordinis.

CVRAM equidem gessit vestra sanctitas rectæ fidei, & alterius bonæ ordinationis sanctissimarum Ecclesiarum etiam ante nostram petitionẽ nouam: sed quia & nos oportebat partem esse eorum, quæ ad gloriam Dei expediunt, necessarium putauimus, primùm regratiari intentioni sanctitatis vestrę & pio zelo inuictissimorum Imperatorum nostrorum: deindè sic præsentem innuere petitionem, per quam nos omnes, & per nos reliquus venerabilium monachorum catalogus, veluti ex vna sententia petimus, vt ea, quæ benè & vtiliter mota sunt in sanctissima magna Ecclesia huius regiæ vrbis à fidelissimo populo, & acclamata ad ipsum Christo dilectum populum à sanctissimo per omnia archiepiscopo nostro œcumenico Patriarcha Ioanne, ipsa per vocẽ sanctissimæ vestræ synodi in scriptis authoritatẽ accipiant, & sanctæ memoriæ Patres nostri, qui (nescimus quomodò) expulsi fuerunt, videlicet Euphemius, & Macedonius, in præsenti iustè & canonicè reuocẽtur, tradãtur & catalogo prędecessorum archiepiscoporum, ibidem in Domino quiescentium, cessantibus omnibus, quæ quandocunque aduersus ipsos facta fuerunt. Quodque addatur in sacris libris simul cum ipsis & venerabile nomen Leonis Romanorum archiepiscopi, quod omnium maximum est, eo quod omnes ad rectam fidem excitauit. Petimusque vos sanctissimi, vt & sanctæ synodi pro tempore congregatæ, pro fide, ponantur in sacris libris, hoc est, Nicæna, quæ exclamauit sanctum Symbolum, in quo baptizati sumus & baptizamus, & Constantinopolitana, quę ipsum confirmauit, & Ephesina, quæ similiter confirmauit, atq; etiam Chalcedonensis, quæ similiter signauit. Insuper etiam rogamus addi & hoc, vt & Seuerus impius, qui contra Ecclesiasticam ordinationem dicere ausus est, anathematizetur. Similiter autem expectimus, vt & episcopi, clerici, archimandritę, monachi, & laici, expulsi propter causam prædictorum sanctorum episcoporum per nostram legationem factam ad sanctissimum archiepiscopum, vestrum œcumenicum Patriarcham Ioannem, & ad pijssimos ac inuictissimos Imperatores nostros, reuocentur & restituãtur proprio ordini. Et vt in multitudinem sermonum non extendamus supplicationes, rogamus, & exclamationes totius à Christo dilecti populi, & acclamationes factas in prædicta sanctissima magna ecclesia ab ipso sanctissimo archiepiscopo & œcumenico Patriarcha, per sacram vocem vestram & subsignationem, accipiam formationem inuictissimi Imperatoris nostri confirmari. Exclamationes verò & acclamationes subordinauimus.

SVBSCRIPTIONES.

Alexander Dei miseratione presbyter, archimandrita, & primas venerabilium monasteriorum, manu mea subscripsi.

Constans presbyter & archimandrita monasterij sancti Dij, subscripsi.

Diogenes presbyter & archimandrita monasterij sancti Thalassij Antipoditorum, subscripsi.

Euethius diaconus & archimandrita monasterij Acimitorum, subscripsi.

Ioannes presbyter sanctissimæ magnæ ecclesiæ, & prior sancti Eutebij, subscripsi.

Antonius presbyter & archimandrita monasterij Abramij, subscripsi.

Acacius presbyter & archimandrita monasterij sancti Dominici, subscripsi.

Domnus presbyter & archimandrita monasterij sancti memoriæ Iob, subscripsi.

Ioannes presbyter & archimandrita monasterij sancti memoriæ Manuelis, subscripsi.

Leontius presbyter & archimandrita monasterij S. Tryphonis, subscripsi.

Ioannes presbyter & archimandrita monasterij de Consta, subscripsi.

Polychronius presbyter & archimandrita monasterij sancti Michaelis in Ethrio, subscripsi.

Sophronius presbyter & archimandrita monasterij vocati in Calamo, subscripsi.

Anatolius presbyter, & archimandrita monasterij Asterij, subscripsi.

Martyrius presbyter & archimandrita monasterij sancti Basiani, subscripsi.

Dominicus presbyter & archimandrita monasterij cognominati Syriorum, subscripsi.

Iulianus presbyter & archimandrita monasterij S. Phocæ, subscripsi,

Iacobus presbyter & archim. monaste. Romanorum in Petrio, subscripsi.

Christinus presbyter & archim. monast. sancti Theodori, subscripsi.

Ioannes presbyter & archimand. monaster. Studij, subscripsi.

Basilius presbyter & archimandrita monasterij S. Euphemiæ Olymbrij, subscripsi.

Babylas presbyt. & archimandrita monast. sancti Danielis in Stylo, subscripsi.

*Ipatius presbyter & archimandrita monasterij Olympij, subscripsi. *Hypatius

Marcus presbyter & archimandrita monasterij Hierusalem, subscripsi.

Dominicus presbyter & archimandrita monasterij Anastasij in Agogo, subscripsi.

Sophronius presbyter & archimand. monasterij Theodori Ægyptij, subscripsi.

Ilias presbyter & archimandrita monasterij sancti Euphemij, subscripsi.

Rabulas presbyter & archimandrita monasterij nominati sanctæ memoriæ Iliæ, subscripsi.

Andreas presbyter & archimandrita monasterij nominati Dominici, subscripsi.

Ariston presbyter & archimandrita nominati Epiclin Ioannis, subscripsi.

Cosinius presbyter & archimandrita monasterij Cyri in Elebicho, subscripsi.

Timotheus presbyter & archimandrita, subscripsi.

*Corilus presbyter & archimandrita monasterij Theodoti, subscripsi. *Corylus

Dorotheus presbyter & archimand. monasterij Theodori, subscripsi.

Zoticus presbyter monasterij sancti Andreę prope portam Saturinam, & archimandrita, subscripsi.

Pantaleon presbyter & archimandrita monasterij dicti Benantij, subscripsi.

*Ipatius presbyter & archimandrita monasterij Charisij, subscripsi.

Eugenius presbyter & archimand. monast. sancti Georgij in Xerocerco, subsc.

Eutychius presbyter & archimãdrita monasterij Lycaonorum propè sanctum Laurentium, subscripsi.

Alexander presbyter & archimandrita, *subsc.

Simeones presbyt. & archimand. Caiumæ, subscripsi.

Liberius presbyter & archimandrita monasterij Paulini, subscripsi.

Ambrosius presbyter & atchimandrita monasterij sanctæ Mariæ in Lithostroto, subscripsi.

Sabbas presbyter & archimandrita monasterij sancti Thomæ prope Cisternam, subscripsi.

Paulus presbyter & archimandrita monasterij Lycaonorum, subscripsi.

Libentius presbyter & archimandrita monasterij vocati Romanorum, subscripsi.

Alexander presbyter & archimandrita monasterij Cycloporum, subscripsi.

Iordanus presbyter & archimandrita monasterij Sanctæ Mariæ prope Sanctum Lucam, subscripsi.

Zenobius presbyter & archimandrita monasterij Maronij in *Sychis, subscripsi. *ficubus

Anatolius presbyter & archimandrita monasterij Philippi, subscripsi.

Iacobus presbyter & archimandrita monasterij Sanctæ Mariæ prope Bucholios, subscripsi.

Ilias presbyter & archimandrita Samuelis in Sychis, subscripsi.

Leontius presbyter & archimandrita monasterij sancti archangeli in Puseo, subscripsi.

Quomodo prædicatæ sunt synodi.

INtroitu facto secundum consuetudinem in sanctissima magna ecclesia nostra, die Dominica, 15. instantis mensis Iulij, indictione 11. à Domino nostro sanctissimo archiepiscopo & œcumenico Patriarcha Ioanne, (sicut non ignorat vestra erga Deum dilectio) dum ipse vnà cum venerabili clero esset circa ambonem, voces factæ sunt à populo, *dicentes; Multi anni Patriarchæ, Multi anni Imperatori, Multi anni Augustæ, Multi sint anni Patriarchæ. a Quid manemus incommunicati? Per tot annos quare non communicamus? Ex cuius manibus communicare volumus? Ascende ad ambonem. Heus persuade populo. Per multos annos communicare volumus. Orthodoxus es, quem times digne Trinitate? Multi sint anni Imperatoris, multi anni Augustæ. Seuerum Manichæum eijce. Qui non loquitur Manichæus est. Effodiantur ossa Manichæorum. Sanctam synodum modò prædica. Multi sint anni Imperatoris. Multi sint anni Patriarchæ digni Trinitate. Sancta synodus modò prædicetur digna Trinitate. Sãcta Maria b θεοτόκος, id est, Dei genitrix, est digna throno. Sancta Maria Dei genitrix est. Sancta synodus hoc dixit. Qui nõ loquitur, Manichæus est. Vincit fides Trinitatis, vincit fides orthodoxorum. Sanctam synodum modo prædica. Orthodoxus regnat, quem times? Vincit fides Imperatoris, vincit fides Augustæ. Noui Constantini multi sint anni, nouæ Helenę multi anni. Multi anni Patriarchæ digni Trinitate. Iustine Auguste, tu vincis. Noui Constantini multi anni. Vel *exeas, vel prædicabis. Multi anni Imperatoris. Iustine Auguste, tu vincis. Synodum Chalcedonensem modò prædica. Quia c Iustinus regnat, quem times? Seuerum Manichæum foras eijce. Symbolum Chalcedonensem modò prædica. Qui non anathematizat Seuerum, Manichæus est. Eijce foras Seuerum. Nouum Iudam eijce foras. Insidiatorem Trinitatis eijce foras. Sanctam synodum modo prædica. Heus obtestor, vel prædicabis, vel exies. Fides est, non ὑποθεωρεῖν, est, fratres Christiani, vna anima Iustine Auguste, tu vincis. Si fidem amas, Seuerum anathematiza. Heus heus obtestor, multi anni Imperatoris. Heus traho te, heus portas claude. Qui non loquitur, Manichæus est. Obtestor te, nihil est præter te. Orthodoxus regnat, quẽ times? Orthodoxi Imperatoris multi sint anni. Seuerum insidiatorem Trinitatis eijce foras, Iudã nouum eijce. Qui non d loquitur, Manichęus est. Heus cõgregationi, synodo heus. Modò prædica per Euangelium nihil præter te. Heus obtestor, multi anni Imperatoris. Noui Cõstãtini, multi anni. Orthodoxi Imperatoris multi anni. Nouæ Helenæ multi anni. Seuerum eijce foras, Nouum Iudam eijce, Insidiatorem Trinitatis eijce foras. Multi anni Imperatoris. Fratres Christiani, vna anima fides est, non est simpliciter. Sancta Maria, Dei genitrix est. Hæc & synodus dixit. Hæc cùm exclamassent, data est eis responsio à Sanctissimo & beatiss. archiepiscopo & Patriarcha œcumenico Ioanne: Hæc patiẽter sustinete fratres, vt priùs adoremus sanctum altare, & post hoc do vobis responsionem. Et cùm intrassent ad sanctum altare, manserunt clamantes; Multi anni Imperatoris, multi anni Augustæ. Heus obtestor, nõ exibis, nisi anathematizes Seuerum. Anathema Seuero apertè dic; heus resera. Heus obtestor, multi anni Imperatoris. Et demùm ascendens super ambonem sanctissimus ac beatiss. Archiepiscopus & patriarcha noster œcumenicus Ioannes, acclamauit hæc; Scitis labores meos, dilectissimi, quos & in antiquitate existens subiui, & nunc sustinui pro fide, & sustineo vsq; ad mortem. Non opus ergò est turbatione, aut tumultu. Neque enim aliquid *pertransgressum est, de recta fide statuendum; neque sanctam synodum quis anathematizare audet, sed omnes sanctas synodos, quæ confirmauerunt sanctum symbolum trecẽtorum decem & octo patrũ in Nicæa cõgregatorum, orthodoxas cognoscimus, & maximè ipsas tres sanctas synodos, hoc est Constantinopolitanam, Ephesinam, & magnam Chalcedonensem. Nam specialiter symbolum trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, in quo baptizamur, ipsæ sanctæ tres synodi consonantur confirmauerunt, post acclamationem verò insistentibus ipsis per plures horas, in ipsis vocibus addebant: Non descendes, nisi anathematizes. Multi anni Patriarchæ digni Trinitatis. Multi anni Imperatoris, multi anni Augustę. Cõgregationem synodi Chalcedonensis, modò prædica. Non recedo, nisi prędicaueris. Vsque tardè hic sumus, congregationem ad crastinum prædica. Cõmemorationem patrum ad crastinum prædica. Nisi responsionem accepero, vsq; serò hic sum. Congregationẽ Patrum Chalcedonẽsium crastina die prędica. Hodie si prędicaueris, cras perficietur. Nõ recedimus, nisi prædicaueris. Eos, qui Nestoriũ & Eutychen anathematizauerunt, ad crastinum prædica: Nisi responsionem accepero, vsque serò hic sum. Et acclamauit sanctissimus & beatissimus archiepiscopus noster Patriarcha œcumenicus Ioannes sic: Quoniam perfici petijstis congregationem sanctorum patrum Chalcedonensium, cognoscentes scietis, quòd & hoc faciemus Concilio pijssimi & Christo amantissimi Imperatoris nostri. Perseuerantibus autem ipsis, & easdem voces exclamantibus, & addentibus, Non recedimus per sanctum Euangelium, congregationem patrum Chalcedonensium in crastinum prædica: prædicata fuit congregatio per Samuelem diaconum, sic: Notificamus vestræ charitati, quòd crastina die perficiemus memoriam sanctorum patrum nostrorum episcoporum in Chalcedonensi metropoli congregatorum, qui vna cum sanctis patribus in Constantinopoli & in Epheso congregati, confirmauerunt symbolum 318. sanctorum patrum in Nicæa congregatorum, congregabimur autem huc. Et post acclamationem congregationis, iterùm permansit populus, & vna voce quàmplurimum clamauit: Seuerus nunc anathematizatus est. Qui anathematizabat synodum Chalcedonensem, modò anathematizatus est. Non exeo, nisi modò responsionem accipio. Obtestor, orthodoxus es. Modò anathematiza. Aut anathematiza, aut nihil. Et insistentibus ipsis plurimum in eisdem, præsentibus Theophilo Deo amantissimo Episcopo Heracleano, Theodoto episcopo* Gangrinorum, Hypatio episcopo Claudiopolitano, Ioanne episcopo Bosphorio, Pythagora episcopo Sinopeno, Isaacio episcopo *Quinquepolitano Græciæ, Ioanne episcopo Commacorum regionis Pamphyliorum, Amantio episcopo Nicopolitano, Ammonio episcopo Abydano, Platone episcopo Cratiano, Eustathio episcopo Philadelphiæ, & Pelagio Episcopo Azanitano, & alijs Deo amantiss. episcopis consentientibus sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo Patriarchæ œcumenico Ioanni, acclamata fuerunt hæc: Quòd Seuerus, qui seipsum ab hac ecclesia seperauit, iudicio seipsum submiserit, omnibus manifestum est. Sequentes itaque & nos diuinos canones ac sanctos patres, alienum ipsum putamus, & à diuinis canonibus per suam blasphemiam condemnatum, anathematizamus & nos. His sequutis, sequenti Dominica quæ est 16. mensis Iulij, indictione 11. finita memoria prædictorum sanctorum patrum, rursusque facto introitu à sanctiss. & beatiss. archiepiscopo Patriarcha œcumenico Ioanne statim dum ipse appropinquaret amboni, voces à toto populo venerunt sic: Multi anni Patriarchæ, Multi anni Imperatoris, Multi anni Augustæ, Noui Constantini multi anni, Nouæ Helenæ multi sint anni. Reliquias Macedonij ecclesiæ restitue. Iustine Auguste, tu vincis. Euphemia Augusta, tu vincis.

Eos,

*prætergressum

*Quinquepolitano

Actis quinq.

a παλαὶ ἐσμὲν παρεξάρχοι.

b θεοτόκος

c

d

*exies

id est, adspicere seu videre.

Eos, qui sunt in exilio propter fidem ecclesiæ, restitue. Exhumentur ossa Nestorianorum, Exhumentur ossa Eutychianistarum. Quis est Nestorianus, ego nescio. Anathema sit ipse à Trinitate. Quis est Nestorianus, ego nescio. Anathema ipsi cum Eutyche. Exhumentur ossa Nestorianorum, Exhumentur ossa Eutychianistarum. Manichæos eijce foras. Iustine Auguste, tu vincis. Seuerum Iudam eijce foras. Manichæos de ecclesia eijce. Duos Stephanos eijce foras. Reliquias Macedonij modò fer. Nomen Macedonij modò ordinetur, totis vocibus Imperatori supplicamus. Nouum * Ezuman eijce foras. Nouus Ezumas, Amantius est. Maledicum eijce de palatio. Euphemium & Macedonium ecclesiæ scilicet restitue. Synodica Romana modò valeant. Multi anni Patriarchæ noui Ioannis, Multi anni * digne Trinitatis. Iustine Auguste, vincas. Multi anni Augustæ. Reliquas Macedonij ecclesiæ restitue. In ijs semper vinces Euphemij & Macedonij nomina modò ordinentur ad perfectam festiuitatem ecclesię. Falsos testes Macedonij eijce foras. Quatuor synodos diptychis. Leonem Episcopum Romanum diptychis. Sancta Maria, Dei genitrix est. Hoc synodus dixit, diptycha amboni. Qui non loquitur, Manichæus est. Diptycha amboni modò Deum tibi: Iustine Auguste, tu vincas. Curatorem non habes, diptycha modò porta. Iustinus regnat, diptycha modò porta. Orthodoxi Imperatoris multi sint anni, nouæ Helenæ multi anni. Sic habes Dominum, modò porta diptycha. Sic habes Augustam, diptycha modò porta. Canones non eiecerunt istos. Heus ordina, heus ordina, heus ordina. Et acclamata sunt hæc: Hesterna die sufficienter satisfecimus vestræ charitati. Nũc verò zelum vestrum apertè cognoscentes, illa festinauimus, & festinamus facere, quæ & Deum colunt, & vobis per omnia & in omnibus satisfaciunt. Quòd autem debeat nihil nobis remoueri de recta fide, arbitror vestram dilectionem diuersis temporibus & modis experientiam accepisse. Et idcirco fundamentum fidei sanctum, sanctorum patrum traditione firmum permanere, gratia Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi studuimus, sperantes per ipsum & dissidentes ecclesias vnire, & vndique ordinem diuinorum canonum inuiolabiliter tenere. Neque enim conceditur aliquid remoueri, & de nouitate vocis, & subtilitate sermonis occupare fideles, sed adhærere sancto symbolo, in quo omnes baptizati sumus, & cum sancto spiritu Nicæna synodus exclamauit, & sanctorum patrum in Constantinopoli congregatio confirmauit, & sancta synodus Ephesina confirmauit, & sancta magna synodus Chalcedonensis similiter sigillauit, quam nullo modo aut ratione amouere quis poterit, cùm omnem malè opinantibus tollat occasionem. Hanc itaque fidem immobilem tenentes adinuicem, non dubitemus, sed omnem vocis nouitatem, ac omnem sermonis subtilitatem abijcientes, vno ore sanctam & cõsubstantialem Trinitatem glorificemus, quæ custodiat in pace vitam pijssimi & Christianissimi Imperatoris nostri ac omnium nostrum. Patri autem & filio ac spiritui sancto gloria nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HAc autem acclamatione facta, permanserunt clamantes: Si nullus modò egreditur, obtestor te, portas claude. Fratres orthodoxi vna anima. Fratres per fidem vna anima. Iustine Auguste, tu vincas. Qui non non loquitur, Manichæus est: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Trinitas vincit. Ex nunc non timens Amantium, nec Manichæum, Iustinus regnat. Quid times Amantium? Digne Trinitatis, & hoc bonum tibi reseruatum est. Qui synodum amat, ita honoratur. Multi anni Imperatoris, Multi anni Augustæ, Multi anni patriarchæ. Vincit fides orthodoxorum. Et rursus perseuerantibus ipsis plurimum in eisdem vocibus, acclamata sunt eis hæc. Quòd omne studium posuerimus complacere vobis, & inscandalizatos vos conseruare, clarè cognoscitis. Sed quoniam omnia canonicè, & bono ordine fieri oportet, permittite nos congregare Deo amantissimos episcopos, vt secundũ diuinos canones omnia proueniant; consilioq; & iussu pijssimi Imperatoris nostri. Omnes enim exclamationes vestras suæ serenitati aperiemus. Et cum ipsis clausissent portas in eisdem acclamationibus permanentibus, accipiens diptycha sanctissimus & beatissimus archiepiscopus & patriarcha œcumenicus Ioannes, iussit ordinari sanctas quatuor synodos sanctorum patrum, videlicet in Nicæa congregatorum, & in Constantinopoli similiter cõuenientium sub Nectario sanctæ memoriæ, ac in Epheso congregatorum super depositione Nestorij, nec non illorum de Chalcedona super deiectione Eutychis & eiusdem impij Nestorij, ordinariq́ue iussit nomina in sancta memoria defunctorum archiepiscoporum huius regiæ vrbis Euphemij & Macedonij, ac etiam Leonis Romani pontificis. Tunc voce magna omnes de populo tanquàm vno ore clamarunt: Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit, Luc. 1. & fecit redemptionem populo suo. Magna autem hora ex vtraque parte consistentibus, & psallentibus hanc psalmodiam, cantores superuenientes conuerterunt se dicere trisagium. Et cùm ipsi incepissent, totus populus quieuit, & audiebat attentis auribus trisagium. Et post lectionem sancti euangelij, ex more sacra Missa [b] finita, & ianuis clausis, ac sancta lectione iuxta consuetudinem lecta, tempore diptychorum [c] cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare, & audiebant. Et cùm solũ rectæ fuissent à diacono appellationes prædictarum sanctarum quatuor synodorum & sanctæ memoriæ archiepiscoporum, Euphemij & Macedonij & Leonis, [d] voce magna vniuersi clamauerunt, Gloria tibi Domine. Et post hoc cum omni modestia completa fuit cum Deo diuina Missa.

EPISTOLA SANCTÆ MEMORIÆ IOANNIS archiepiscopi huius regiæ vrbis œcumenici Patriarchę, scripta Ioanni sanctæ memorię archiepiscopo Hierosolymitano, & omnibus metropolitis ibidem congregatis.

CHristus Deus noster, qui eiusdem animæ & fidei hominibus vinculum charitatis in pace dedit, quæ ab ipsis gesta sunt, id est, communia esse iustum dicit: Quoniam igitur diuinus quidam cælitus motus fuit Christianissimi populi huius regiæ ciuitatis, ac omnia ab ipso exclamata, & à me pronunciata, mundo manifesta sunt: necessarium putaui tuæ significare charitati, vt cùm hæc spiritus sancti operatione cognoueris, verbo veritatis confirmeris, maximè quæ sancta synodus congregata petitione totius monastici ordinis diffiniuit in scripturis, & quæ diffiniuit, tuæ sanctitati quàm celeriter mittere studuimus.

ALIA EPISTOLA EIVSDEM SANCTÆ memoriæ œcumenici patriarchæ Ioannis, specialiter scripta Epiphanio Deo amabilis memoriæ Episcopi Tyri.

DEus qui omnia ad vtilitatem desuper dispensat, tuam nunc pietatem in tribulatione secundum prophetam dilatatam, ad angustam portam regni cælorum quietè introire præparauit. Ecce enim cælestis motus, contra apostatas Ecclesiæ, spiritu Dei factus est. Quicunque enim indigni visi fuerint inuiolabilis ministerij magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, æterno iudicio subiecti sunt: qui autem orthodoxæ fidei amatores apparuerunt, multò magis per huiusmodi motum clarificati sunt. Igitur cum sancta synodus in à Christo amata ciuitate ex diuersis prouincijs congregata, manifesta fecerit ea, quæ gesta sunt contra inimicos veritatis, omnino necessarium iudicaui, & tuæ mittere charitati, vt cum ea, quæ ab ipsis & per ipsos formata sunt, legeris & intellexeris, sanctissime, & consentaneus & eiusdem animi sis: & si aliquando inimici te circundederint, libereris. Vniuersa igitur gesta contra inimicos veritatis, manifesta facere religiosissimis, & eiusdem fidei comministris & monachis, ac Christo amantissimis populis, sicut certè teneris, stude Deo amantissime. Psalm. 4.

RESCRIPTVM IOANNIS HIEROSOLYMItani, & episcoporum, qui sub eo sunt, ad Ioannem Constantinopolitanum. Epistola Synodica Concilij Hierosolymitani sub Hormisda, de quo supra.

DOMINO *Meo, Deo amantissimo & sanctissimo comministro Ioanni, & sanctæ synodo in Constantinopoli congregatæ, Ioannes Dei miseratione episcopus Hierosolymorum, & sancta synodus*

trium Palæstinarum, existens sub sanctis locis Christi Dei omnium, in Domino salute. Quoniam duplex est lacrymarum motus,
Genes. 45. alter quidem, qui in dolorem fert: alter verò, qui in lætitiam: (nam Ioseph Patriarcha, cum recognosceretur à fratribus, magno ex intimo desiderio lachrymatus est: & Paulus vas dilectionis dicit, *quòd tristitia mundi mortem operatur:*
2. Cor. 7. *quæ autem secundum Deum est, salutem*) incidentes non lachrymabiliter in his, quæ à vestra sanctitate gesta & scripta sunt
Psal. 121. lætitia repleti sumus, ita vt & nos magno cum propheta Dauid dicamus: *Lætati sumus in his, quæ dicta sunt nobis, in domum*
Psalm. 76. *Domini ibimus.* Et hoc: *Hæc est mutatio dextera excelsi.* Et illud:
Psal. 135. *Confitemini Deo deorum, qui fecit mirabilia magna solus, quoniam*
Psal. 105. *in seculum misericordia eius.* Et illud: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes eius?* Ecce enim Deus
1. Reg. 3. dicit per Samuelem: *Facio opera mea in Israel, vt omnis, qui audit, crepitent ambæ aures eius.* Hæc & temporibus nostris opere prouenerunt. Nam abominationem illam desolationis (monstrum pestiferum, Seuerum dicimus, qui iniquitatem in altum locutus est per sua blasphema verba, contra sanctam, magnam & œcumenicam Chalcedonensem synodum dicta, cuius neque principium cognitum nobis est: neque quis sit, qui Anteochenam sedem inique ac tyrannicè, ac contra ecclesiasticos canones subripuit, & qui etiam
Actor. 21. secundum illum Ægyptium in Actibus concitauit & induxit in eremum sicarios) anathemati subiecit, & alienum fecit ab omni sacerdotali collegio, dignitate & honore, per
Hiere. 1. vestram sanctitatem, quę malum odit. Qui enim dedit Hieremiæ Prophetæ superædificare & demoliri, eradicare & plantare, & Petro Apostolorum principi soluere & ligare,
Matth. 16. hoc communiter donauit sacerdotio. Sanctissimos itaque & Deo dilectos monachos, qui sub magna illa & regia ciuitate habitant, ac etiam ipsius Deo dilectum populum propter Dei zelum laudamus: quoniam & vsque ad mortem perstiterunt, vt lupum Antiochenæ ciuitatis de pascuis ouium expellerent, qui seipsum occultabat quidem, sed magis nocere conabatur, quàm ipse posset, qui secundum illud
Num. 22. Balac, maledicere conatur, quem Dominus non maledicit.
Num. 31. In caput ipsius omnia maledictionis euenerunt, & benedictus est Israël, qui intelligit: & perijt quidem Balac, similiqúe modo & Balaam vates, qui opera actuum suorum suscepit, & anathematizatus est, & ille cum seruo ocioso &
Matth. 25. malo pœnam sustinet. Sed hæc quidem illi, nos autem idem cum his, quæ gesta sunt & scripta à vestra sanctitate, sapimus, & consententiatiui sumus: anathematizamus omnem hæresim, & Nestorium* hominem idololatram, & Eutychem vana sapientem, & Manem, & Seuerum venificum, necnon & ipsius conscripta, habentes in scrinijs nostris & amplexantes sancta quatuor concilia, concilium videlicet trecentorum decem & octo sanctorum patrum, in Nicæa congregatorum contra impium Arium, exponentium sanctum symbolum, in quo baptizati sumus ac baptizamus, & centum quinquaginta sanctorum patrum, in Constantinopoli contra Eunomium impugnatorem spiritus congregatorum, qui prædictum symbolum confirmauerunt: & ducentorum patrum in Epheso congregatorum, qui deposuerunt Nestorium* hominem idololatram, qui & ipsum sanctum symbolum amplexati sunt: ac magnam & œcumenicam synodum sexcentorum patrum in Chalcedona diuinitus congregatorum, qui etiam confirmauerunt & tenuerunt ipsum sanctum symbolum, & sigillauerunt ea, quæ gesta fuerunt aduersus Nestorium* hominis idololatram, & deposuerunt Eutychen vana sentientem. Suscipiunt autem & venerabiles epistolas sanctæ & Deo amabilis memoriæ Leonis Romani archiepiscopi & Patriarchæ. Congratulantes itaque in his vestræ sanctitati, & consentientes his, quæ à vobis facta & scripta sunt, & vobis communicatiui existentes propheticum illud eloquium dicimus:
Naum. 1. *Celebra Iuda festiuitates tuas, redde Domino vota tua: ideo non apposuisti, vt ires in vetustatem.* Nobiscum ergò eadem orate, sanctissimi, communia enim sacerdotum sunt, & sanctam ac glorificatam virginem Dei genitricem Mariam, vna nobiscum supplicate, intercedere pro pace sanctissimarum ecclesiarum, & victoria ac perpetuitate pijssimi & serenissimi Imperatoris nostri.

SVBSCRIPTIONES.

Ioannes Dei miseratione episcopus Cæsareensis, me bene valere, & Domino beneplacere orate, Deo amantissimi & sanctissimi patres.

Theodosius episcopus Scythopolitanus, me bene valere, & reliqua.

Menobius episcopus Iamnianus, me bene valere, &c.

Ioannes episcopus Tyberiadis, valere me, & reliqua.

Polychronius episcopus Aureliopolitanus, valere me, &c.

Eustathius episcopus Anthedonianus valere me, &c.

Procopius Episcopus Neapolitanus, valere me, &c.

Stephanus episcopus * Nasamenus, valere me, &c. * Mesamenus

Petrus Eleusinus, valere me, &c.

Marcellinus episcopus Neocæsareensis, valere me, & reliqua.

Gregorius episcopus Eleutheropolitanus, valere me, &c.

Ioannes episcopus Hierichuntinus, valere me, &c.

Antonius episcopus Ascalonus, valere me, & reliqua.

Paulus episcopus * Pellius, valere me, &c.

Alphius episcopus Sycaminanus, valere me, & reliqua.

Bassus episcopus * Capitolianus valere me, &c. * Capitolinus.

Procopius episcopus Maiumæ Gazæ, valere me, &c.

Isidorus episcopus Zoorenus, valere me, & reliqua.

* Vuales episcopus Parembolanus, valere me, &c. for. * Valens

Petrus episcopus Eleusensis, valere me, &c.

Epiphanius episcopus * Rasanus, valere me, &c. * Raphianus

Elias episcopus Ioppenus, valere me, &c.

Procopius episcopus Amathuntenus, valere me, &c.

Salomon Episcopus Abilanus, valere me, &c.

Conon episcopus Hipponus, valere me, & reliqua.

Leontius episcopus Sosusenus, valere me, &c.

Cyrillus episcopus Gazenus, valere me, & reliqua.

Stephanus episcopus Oranus, valere me, &c.

Megas episcopus Maximianopolitanus, valere me, & reliqua.

Gregorius episcopus Bachatanus, valere me, & reliqua.

Marochius episcopus * Diospolitanus, valere me, & reliqua.

Apollonius episcopus * Diospolitanus, valere me, & reliqua.

EPISTOLA EPIPHANII EPISCOPI TYRij, & eorum, qui sub eo sunt, ad synodum Constantinopolitanam.

Epistola Synodica Concilij Tyrijsub Hormisda celebrati supra.

PER *Omnia Deo amantissimis & sanctissimis fratribus & comministris, Theophilo, Basilisco, Martiano, & vniuersæ sanctæ synodo, Dei gratia in regia ac Deo amantissima ciuitate congregata, Epiphanius, & qui sub eo sunt episcopi, in Dom. no salutem.* Benedictus Deus pacis Dominus, qui misit nobis honorabilem literam vestræ sanctitatis, ita resplendidam circa spiritualem zelum, & circa veritatis certamina, ac circa orthodoxæ fidei prædicationem, quæ omnia in ipsa coadunata accipere oportet ad firmum fundamentum, & scamnum pacis sanctissimarum ecclesiarum & sacerdotum, qui in eis sunt, ac cuiuslibet ciuitatis fidelium, & eorum, qui rectam confessionem amplexantur. Tantam enim facit diuinorum canonum curam, quòd eum, qui nullo vnquàm modo aut tempore amplexatus est communionem sanctæ catholicæ & apostolicę ecclesiæ, aut orthodoxam fidem honorauit, sed in sedem Apostolicæ Ecclesiæ Antiochenæ tyrannicè se intrusit, anathemati affixit, & nudum esse omni honore sententiauit, & nomine & dignitate & efficacia, Christiano aut hieratico conueniente, seu conuenire valente, & alienum ipsum à diuina communione secundum diuinos canones constituit. Et enim fuit consequens, sequi intemeratorum euangeliorum doctrinam, secundum quam Dominus ait: *Qui videntur in se ipsis aliquid habere, & hoc omnino auferatur & his, qui ex iustitia habent, addatur.* Vestræ ergò iustæ condemnationis dignus visus est impius Seuerus, qui ad blasphemiam simul

Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.

& calum-

& calumniam, linguam, quam habet, acuit aduersus sanctã magnam Chalcedonensem synodum, & seipsum iustificat ex impio sensu & maligna intentione. At Domini & saluatoris nostri Iesu Christi potentia, ipsum de prato Ecclesiæ iusta sententia extraxit, cum in vobis Deo amantissimis spiritualis resplenderit gratia, per quam & nos assentientes & consentétiatiui efficimur, eosdem nexus in illũ inferentes, quos honorabilis litera vestræ sanctitatis canonicè infert. Quisnam sermo sufficiet ad enumerationem eorum, in quibus ille peccauit contra diuinos canones, & ecclesiasticum ordinem? Erexit supercilium in arrogantiam, & fastus in anathematizationibus videtur, in homilijs & impijs conscriptionibus aduersus sanctos patres, & (quod verius est) aduersus spiritualem doctrinam diuinorum apostolorum ipse seipsum ad redargutionem disponit in vniuersis vanis sermonibus, quos scripsit. Etenim conuenit, in impia hæresi positos & mentem perturbare, & non sufficere vsque ad finem cooperire morbum, quem habent, & qui ipsorum corrodit intellectum. Sed non fuit ita audax, vt imponeret vinculum ex authoritate, quo separaret clericos aliarum ciuitatum à communione diuina, non consilio, neque consensu suorum episcoporum? Quid autem, quòd præsumpsit alienos clericos canonicè ligatos à proprijs episcopis, ad ipsum confluentes, per prædicationem animæ corruptiuam ab ipso subornatos, & ad suam communionem assumptos, sine permissione eius, qui ligauerat, permittere in ecclesiasticis ministerijs ministrare? Et vtrunque horum peregit in Tyrijs. Sed & eos, qui dignitatem presbyteralem acceperant, & in principio se opponebant ipsi vanè vociferanti impiam doctrinam, postea verò secum concordantes, parauit in habitu diaconatus ministrare, iniustè ipsos honore presbyterorum priuans. Cùm enim, qui ipsos ordinauerat, non potuerit supplantare, vt suæ doctrinæ condescéderent, huius occasione ordinationem ab ipso impositam exuit, quod iam ab ipso in ciuitate Arcenensi factum fuerat. Insuper autem nonne fuit extendens temeritatem suam, qui adulterando diuinos canones, in alienis diœcesibus* ordinat suffraganeos, alibi autem paramonarios, credens sufficienter habere? Hac via intendit impugnare & dissoluere iura episcopis à sacris canonibus diffinita. Ad testimonium autem horum, est accipere Tripolitanam, item & ipsam Arcenensem ecclesias. Apparet* autem, quod fuit ausus permittere episcopo ordinare in diœcesi alterius ciuitatis, cuius episcopus adhuc supererat. Minister autẽ fuit huic Stephanus episcopus Orthosien. qui ausus fuit manum imponere in diœcesi Antaradensi, superstite adhuc Theodosio bonæ memoriæ episcopo prædictæ ciuitatis. Quid autem dicemus & ad id, quod per totum orbem (vt ita dicamus) diuulgatum est? Si ergò verum est, quòd accepit ordinationem presbyteri sibi à schismaticis datam, & alijs rursus ipsam ordinationem communicat, quod cum studio fecit, festinans nanciscirationabile ouile Antiochenum, & omnis alterius orthodoxæ ecclesiæ, & in perditionem traducere sua abominabili & sceleſta voce, quæ vermes portat, ex quibus ipse sibi thesaurizauit, nihil sanum aut rectum erga orthodoxam fidem loquens: sed est ei turpissimarum actionum ambitio erga eos, qui ab ipso prouisionati sunt, duplici exindè apparente peccato, quod ad maiorem condemnationem ipsum repræsentat. Primum quidem collectio auri ecclesiasticarum rerum Antiochenæ ecclesiæ, quæ dissipantur, & disperguntur, & ad incurabilem restaurationem constituta sunt. Secundum, quòd his, qui ex prouisionibus aluntur, mandauit omnem concitare turbationem, & omnem tumultum in ecclesijs ciuitatum dispergere, ac etiam in claustris monasteriorum, & semina schismaticorum ab ipsis sparsa sunt. Ad quod est accipere, ipsum apertè repugnare diuinis doctrinis, in sacris euangelijs proclamatis magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, ipso quidem pacem prædicante, & ipsam inquirere, & scandala abominari, & ipsis, qui ipsorum causa sunt, ligare ad collum lapidem molarem, & ipsum submergere in profundum, secundum quod scriptum est. At hæc quidem deflerabilia sunt Seuero impio. Pacis authorem omninò refugit, quod quidem si per quodlibet percurrere conaremur, infinita nobis esset oratio. Veruntamẽ hæc ediximus, & multitudinem prætermissorum alijs enarrare concessimus, & (quemadmodum diximus) idem vobiscum Deo dilectis sapore facti sumus, & punitionibus, quibus eum semel meritò ligastis, æqualem diffinitionem superimposuimus, deponentes, anathemate alligauimus & Ioannem quendam Paramonarium venerabilis domus sanctę & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, quæ iacet in clara metropoli Tyriorum, cùm inueniremus ipsum in hypocrisi & dolo nobiscum ministrasse, & diuina communione participasse. Propter quæ hoc iam faciens, & comminister nobis existens, & clanculum cum schismaticis immediatè disputans, spontè cucurrit ad Antiochenam ecclesiam. Et cùm Seuero impio se coniunxerit, recessit ab orthodoxa ecclesiæ fide, & illi communicauit circa dæmoniacum eius sensum, & anathematizatione aduersus sanctos patres nostros ac venerabilem epistolam sanctæ memoriæ Leonis Romani archiepiscopi, propria manu conscripti, & tuetur illum, scilicet Seuerum. Adde & his, quòd reuertens ad ecclesiam Tyriorum, tradidit schismaticis deuotam domum Dei genitricis, constitutam ab illis de ciuitate, & ecclesiam ac synagogas in ipsa: & parabaptismata facere ausus est, & dare hoc semen magnæ turbationis fidelissimo populo ciuitatis, cùm videret id, quod nullo tempore factum est, apparere scilicet processiones ex duobus locis, Neophytistis adinuicem contrariantibus, bellaque ac tumultus parantibus aduersus sanctissimam ecclesiam nostram, & fidelissimum populum ciuitatis: quarum rerum testimonium sunt ea, quæ in loco iudicij facta sunt. Inter quæ & venerabilis crux lapidata est ab his, qui cum ipso nidificant in prædicto oratorio Dei genitricis, & quidam de multitudine Christianorum & venerabilium clericorum flagellati fuerunt. Contigit autem & me Tyriorum episcopum, vsque ad mortem periclitari, propter quod ipse cum his, qui sibi assentiunt, mortiferas insidias parabat. Vt autem nihil de opportunis relinqueretur, quæ à vestra sanctitate facta sunt, narrauimus in ecclesia his, qui de clero sunt, & fidelissimo populo ciuitatis, & spiritualem superinduti celebritatem, regratiabilem emisimus vocem Domino Deo, saluatori omnium Iesu Christo, & pijssimo ac potentissimo Imperatori nostro, & Christianissimæ Imperatrici, ac sanctissimo Patriarchæ regiæ vrbis, necnon & vobis Deo dilectis, quorum communionem amplectimur, & ad eam, quam habetis fidem, idem sapere disposuimus, & vobiscum auertimur, inferentes adiudicatum anathematismum contra omnem hæreticum, præcipuè autem contra Nestorium manifestum hominibus idololatram. Insuper etiam & contra Eutychen & Seuerum, qui obnoxij constituti sunt ad blasphemiam & calumniam. Nam hæc perpetratus est aduersus sanctam magnam & œcumenicam synodum Chalcedonensem. Item & aduersus Ioannem Paramonarium venerabilis domus Dei genitricis, quæ iacet in clara metropoli Tyriorum, propter enarratos suos pessimos actus, ex quibus probatum est, ipsum venire contra diuinos canones. Et rogamus vestram sanctitatem confirmare mulctam, quæ canonicè contra ipsum posita est. Amplectimur autem & honoramus sanctam synodum 318. patrum in Nicæa congregatorum ad reprehensionem & depositionem Arij, & symbolum orthodoxum, quod ad ipsa expositum est, confitemur in fiducia, & prædicamus in Ecclesia, in ipso baptizati & baptizantes. Et sanctam synodum centum quinquaginta patrum in regia vrbe congregatam, ad depositionem Macedonij impugnatoris spiritus. Ac sanctam synodum ducentorum patrum in Epheso congregatam, ad depositionem impij Nestorij. Necnon & magnam sanctam Synodum sexcentorum in Chalcedona congregatam, quæ prædictum symbolum 318. patrum confirmauit, deponendo Nestorium hominem idololatram, & impium Eutychen, & Dioscorum, qui idem cum ipso sapiebat, & qui omnem hæresim exprobrauit. Vnde est accipere, omnes hæreticis dogmatibus contaminatos, impiè se habere erga ipsam sanctam magnam & vniuersalem synodum. Hoc enim infixum est naturaliter hæreticis, vt pugnent contra eos, qui ipsos redarguunt. Cum ipsa autem synodo recipimus & omnes epistolas sanctæ memoriæ Leonis Archiepiscopi antiquæ Romæ, rectè ac ir-

Sacrilegã facta hæreticorum in crucem Domini.

reprehensibiliter habentes, omnesque (vt ita dicamus) hæreses demonstrantes, præcipuè illam Nestorij & Eutychis impiorum. Rogamus itaque vestram sanctitatem, vt cognoscat intentionem nostram, & quomodo in omnibus sequimur vestras secundum Deum voluntates, pro nobis faciatis postulationes ad omnium Dominum Deum Iesum Christum, vt & pacem in nobis acquisitam augeat, & ad dilectam sibi iustam vnionem coniungat sanctissimas ecclesias, ad gloriam ipsius Domini Dei, & gaudium pijssimorum & à Christo amatorum Imperatorum nostrorum, & ornatum sanctissimi archiepiscopi regiæ vrbis, ac spiritualem lætitiam omnium nostrum, & fideliſſimi ac orthodoxi populi cuiuslibet ciuiratis. Voces verò à multitudine Christianorum Tyri in Ecclesia emissas, cùm & ea, quæ à sanctitate vestra facta sunt, intellexerunt, lætitia* se repletos, subiunxerunt in prædicta litera, & diuinum eorum zelum indè vestrę charitati præsentantes, & ad illam intellectum habuerunt, & mentem direxerunt capitulis positis in nostris iustis iudicijs. De reuocatione corporum sanctorum patrum nostrorum Euphemij & Macedonij, & inscriptione nominum illorum in sacris diptychis, quia iam intelligentiam Deo dilectam habetis, sententiam tulistis, quæ probat ipsos esse reuocatos, & salutationes in sacris libris inscriptas, cùm nihil omninò eorum, quæ præcedenti tempore contra ipsos iniustè facta sunt, ipsorum diuinam vitam contaminauerit. Similem deprecationem super his extendimus, vt ex iudicio sanctissimi Patriarchæ regiæ vrbis, ac vestræ sanctitatis, necnon ex supplicatione facta ad pijssimum Imperatorem nostrum, in veneratione accipiat & corpus spiritualis patris nostri Flauiani Patriarchæ Antiocheni, & restituere catalogo patrum nostrum in ipsa apostolica sede prædormientium, ordinariq; ipsius venerabilem appellationem in sacris libris. Iustum enim est eum, qui pro ChristoDeo nostro, & eius recta fide fatigatus est, & qui sustinuit ærumnosam sententiam eorum, qui eum calumniabantur, participare his, quibus secundum iudicium vestræ sanctitatis participarunt, qui ipsius* commyſtæ fuerunt, & concertatores patriarchæ regiæ vrbis, Euphemius scilicet & Macedonius sanctæ memoriæ: vt & pius ac synceriſſimus Imperator noster sancire dignetur, hoc & præsto venire ad gloriam intemeratæ ac consubstantialis Trinitatis. Quæ custodiat ipsius pium & dilectũ Imperium in tranquillitate, & ad destructionem totius Barbaricæ contumaciæ, custodiatque sanctissimum patriarcham regiæ vrbis in pace vna cum vestra sanctitate. Per vos enim, quæ ad Deum gratiarum actionem habent, firmantur, & diabolica scandala omninò refringuntur.

* & repleri,

* symmyſtæ

SVBSCRIPTIONES.

Epiphanius episcopus metropolis Tyriorum, subscripsi.

Andreas Episcopus Sidoneñ. subscripsi.

Ioannes episcopus Ptolemaidanus subsc.

Theodorus episcopus Porphyrionis, subscr.

Elias Episcopus* Cynopolitanus, subscripsi.

* Adriano polis.

HÆ sunt voces emissæ à Christianissimo populo in sancta antiqua Ecclesia post lectionem sancti Euangelij, & duarum epistolarum, vnius quidem à Ioanne sanctissimo archiepiscopo regiæ vrbis, alterius verò à sanctissimo Theophilo episcopo Heracleano ad sanctissimum episcopum Epiphanium, similiter & tertiæ epistolæ, scriptæ à sanctissimis episcopis in regia vrbe cõgregatis, ad commemoratum Deo dilectum episcopum Tyriorum, & lecta etiam nihilominùs statim relatione facta à prædictis sanctissimis episcopis in regia vrbe congregatis, ad sanctissimum & beatissimum œcumenicum patriarcham regiæ vrbis, in qua anathematizatus fuit Seuerus episcopus Antiochenus, secũdum ea, quæ continentur in ipsa charta, lecta per Sergium venerabilem diaconum, in mense secundum Tyrios, ... siue Septembris sextadecima, indictione 12. Augusti multi anni, Augustæ multi anni. Consulatus multi anni. Multi sint anni * præfectuum. Ioannes Cometi, multi sint anni. Epiphanij patriarchæ multi sint anni. Vnus Deus est, qui hoc fecit. Magnus Deus hoc impartiatur. Vnus Deus est, & fides. Vnus Deus, & vna fides ad pacem Ecclesiarum, ad pacem orthodoxorũ. Ioanni patriarchæ multi anni. Quę synodus fecit, & tu fac. Quæ fecit synodus, hæc fac. Ioanni orthodoxo multi anni. In æternum imperium. Hoc vincit sedes Augusti. Ex Deo imperium hoc. Noui Constantini multi anni. Orthodoxi patris multi anni. Qui nõ loquitur, non est fidelis: Quæ fecit synodus, ἔμβα, fac. Quæ sancta synodus egit, ἔμβα, facito. Vincit fides Augusti. In æternũ imperium hoc. Vitaliani patricij multi anni: Vitaliani orthodoxi multi sint anni. Epiphanij orthodoxi multi sint anni ἔμβα. Anathematiza, sicut & patres. ἔμβα. Anathematiza, sicut & synodus. ἔμβα. Anathematiza Seuerum & Ioannem. ἔμβα. Anathematiza Seuerum & Mandritam. Et ascendente sanctissimo archiepiscopo in ambonem, exclamauerũt: Benè Deus* tulit te. Vnus Deus, vna fides. Vnus Deus, qui hoc fecit. Sursum mitte episcopos, sursum mitte orthodoxos. Et ascendentibus Deo dilectis, Ioanne episcopo Ptolemaidano, & Theodoro episcopo Porphyriono, & Elia episcopo* Ratheno, iterùm exclamauerũt: Epiphanij patriarchæ multi sint anni. Sicut sancti testificati sunt, testificatus es tu, & vicisti. Mitte sursũ episcopos, mitte sursum orthodoxos. Iste solus propter fidẽ mortuus est, iste solus labores assumpsit. Testificatus es, & vicisti. Iste solus propter fidem vicit. Testificatus es, & fides tua vicit. Emisit ipsos trisagium, emisit ipsos Dei genitrix. Eiecit Seuerum Dei genitrix, qui turbauit ecclesias. Eiecit ipsos mysterium: eiecit ipsos, quem lapidauerunt: eiecit ipsos, cui iniuriati fuerãt. Eijce hos extra ciuitatem. Non est ciuitas absciſſorum. Ægyptios eijce. Imperator orthodoxus est, in æternum Imperium hoc. Spelũcam latronum eijce, speluncam schismaticorum tolle, combure. Sursum mitte principes. Omnes dolosos foras mitte. Mitte foras Romacium. Sursum mitte* quos misertus es. Foras mitte* Syndicarium Manichæũ. Romaicus dolosus est. Romaicum mitte foras. Manichæum eijce foras purga ecclesias. In te est &* Sycarius episcopus. Mitte foras episcopos. Anathema Seuerus, & qui sua sapiunt, & Mandrita. Anathema Seuerus, Eutyches, & Nestorius, & Mandrita. Officina Mandritæ quare aperta est? ἔμβα, Anathematiza, sicut patriarcha Romanus, Eliam Botryenum. Pistorem modò anathematiza. Episcopum suum ibi mitte. Episcopos hæreticos foras eijce. Iustinus imperat, Non est timere, Orthodoxus est. Augusti multi anni. In seculum imperium hoc. Iuuenis est Constantinus, Non est timere. Nouæ Helenæ multi anni. Vitaliani patricij multi sint anni. Magistratus multi sint anni, Vitaliani* Stratelatis multi sint anni.* Præfectuum multi sint anni. Magistratꝰ multi sint anni. Multi sint anni totius consulatus. Eliæ curatoris multi anni. Epiphanij archiepiscopi multi anni. Per victoriam Augusti, depone Botryenũ tanquãManichęum. Ægyptios mercatores lignorum nõ vult ciuitas. Eijce foras Acephalos. Si vicerint, morimur. Flauianum patriarcham diptychis. Trinitatis vicit. Accipe Dei genitricem. Sic dicit synodus: Imperator iussit, & tota synodus schismaticis non est, suscipe Dei genitricem, ἔσω βα, id est, intra & munda sanctam domum. Qui non loquitur, non est fidelis. Ad θεοτόκον, id est, Dei genitricem, ducimus. Prædica, ducimus. Augusti multi anni. Vnus Deus, vna fides. Reliquias Flauiani mitte, fer. Ad sanctam Mariam, ducimus. Et secundò locuti sunt, quæ intus ὑψηλὸν σταύριον, cruciferum, da nobis crucem: lapidauerunt, & retulerunt, quæ intus. In qua ciuitate hæc fuit? Vna fides fuit, non est* enormitas. Crux vicit, & non est tumultus. Trinitas vicit, & non ἀπαξία, id est,* enormitas. Trinitas vicit, recessit Acephalus. Augustus vicit, ducimus ad θεοτόκον, id est, Dei genetricem. Vicit Iustinus, ducimus, intramus. Vicit Iustinus, modò introducimus. Vicit Iustinus, prædica congregationem. Vicit Iustinus, diem prædica. Ioannis patriarchæ multi anni. Epiphanij patriarchæ multi anni. Augusti multi sint anni. Euphemiæ Augustæ multi anni. Epiphanij archiepiscopi multi anni. Vbi testificatus es, prædica congregationem. Ducimus, intramus intus ad θεοτόκον, id est, Dei genitricem. Vicit Augustus, prædica congregationem. Castellum factum fuit, suscipe Dei genitricem. Synagoga facta est, suscipe Dei genitricem. Ducimus, intramus, & ibi anathematiza. Ducimus, intramus, recessit Acephalus. Ducimus,

* præfecto eum.

* Rachaio

* quos * Syrum

* Syrum

* Adriano polis.

* Adriano polis.

cimus,

cimus, intramus, depositus est Acephalus. Iube, & vadimus crucem portantes. Vicit Augustus, ducimus, intramus. Vicit Augustus, intus anathematiza. Quem expectas? orthodoxus es? Litaniam ibi acclamamus. Vicit Iustinus, huc introducimus, obtestor te, nihil dimiserunt intus. Cimelia accepit * modiarij. Proclama congregationem, victoriam Augusti. Vnum ocium ciuitati, vnum ocium orthodoxis. Intra, solue ædificium. Acephalus non habet hic locum, Non habet hic locum Manichæus, Epiphanij archiepiscopi multi anni. Vnus Deus, salutem ipsi. Et cùm sanctissimus ipse archiepiscopus acclamauerit, rogo vestram charitatem sine molestia tolerare, & concedere mihi, & Deo dilectis episcopis anathematizate Acephalum. Et hic enim, & in oratorio sanctæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ, & in omnibus oratorijs ac in omnibus ecclesijs, & in omnibus ciuitatibus, ac in toto mundo anathematizetur vsque in seculum. Rursusque exclamauerunt. Ocium authoritati nostræ. Et postea sanctissimus archiepiscopus noster Epiphanius dixit ad illos de populo hæc: Rectam & immaculatam ac veram fidem, quam tradiderunt nobis à principio venerabiles & ministri sermonis, & docuerunt nos diuini & sanctissimi Apostoli, & ab ipsis accipientes terbeati patres nostri sancti, qui in recta splenduerunt fide, in Nicæa videlicet 318. & in regia vrbe Constantinopolitana 150. ac in Epheso 200. & in Chalcedona 630. & reliqui omnes sancti & orthodoxi patres, idem cum ipsis sapientes, acceperunt, semper in ipsis habuerunt, & habent, & ipsum immutabile custodierunt, quam semper in ecclesia prædicauimus, & prædicamus vobis, dilectissimi, & anathematizamus semper omnes hæreticos vna cum suis impijs intelligentijs, & qui ipsorum impia dogmata sapiunt. Præcipuè autem & nominatim anathematizamus Arium, Eunomium, Macedonium spiritus impugnatorem, Ebionem, Photinum, Marcellum, Theodorum Artheman, Paulum Samosatenum, Nestorium hominis idololatram, & impium Valentinum, Scythianum, Manem, Marcionem, Vardisanum, Apollinarium, Eutychen, cum omnibus hæreticis. Et similiter cum his omnibus anathematizamus & impium Seuerum Acephalum, & abscissum, & semper alienum factum à Domino Deo Iesu Christo, & à sancta ipsius catholica & Apostolica Ecclesia, & ipsius impium dogma, qui sanctos & orthodoxos patres nostros anathematizauit, & schismata ac turbationes in sanctis ecclesijs orthodoxorum Christianorum fecit per totum (vt ita dicam) mundum. Et cùm dilaniauerunt ipsum, illi de populo exclamauerunt: Vnus Deus, qui hoc fecit. Vnus Deus, vna fides, ad pacem ecclesiarum. Epiphanij archiepiscopi multi anni, ad pacem orthodoxorum, ad pacem Imperatoris. Anathematiza & mandritam. Implens autem ipse sanctissimus noster archiepiscopus reliqua acclamationis & anathematis, dixit ad eos hæc: Similiter autem anathematizamus & Ioannem mandritam apostatam, & Aruisitheum, & qui accepit impium sensum ab ipso impijssimo Seuero. Sint ergò prædicti, Seuerus Acephalus & Ioannes mandrita, & ipsorum impium dogma, cum communicantibus ipsis, anathema, & anathema à patre, & filio, & sancto spiritu, in cælo & in terra, in isto seculo & in futuro, Amen. Exclamauerunt illi de populo: Amen, Amen, Amen. Vnus Deus, qui hoc fecit, Epiphanij archiepiscopi multi anni. Ioannis Cometi multi anni. Omnes hæreticos anathematiza. Vnum ocium Dei genitrici, Trinitas vicit, congregationem prædica. Crux vicit, congregationem prædica. Sursum mitte principes μετεώρους intus ad Dei genitricem. Congregationem prædica. Qui non loquitur, non est fidelis. Hæc hora Deo placet & patribus, hæc hora Deo placet & Augusto. Vincit Iustinus, congregationem prædica. Intra, aperi θεοτόκον, id est Dei genetricem. Intra, aperi, quam accepisti. Iudæi gaudent, Dei genitricem aperi. Iudæi gaudent, quoniam tuentur, clausa sunt intus, ἄχραντα. Intra, sanctifica, quam communicauerunt. Non est Anastasius, Iustinus regnat, orthodoxus est. Non est Manichæus, orthodoxus est, Iustinus regnat nouus Constantinus. Non est Manichæus, nec Anastasius. Ioannis patriarchæ multi anni, Epiphanij orthodoxi multi anni. Nepotem Mandritæ anathematiza. Qui contra te sunt, scilicet anathematiza. Vnum ciuitati, aperi, quam rapuerant. Vnus Deus, vna fides. Mortuus est Amantius rebellis Trinitatis, Intra, induc, quam nudauerunt. Vicit Iustinus, prædica congregationem. Lucernarium intus fac, congregationem prædica. Sancta Trinitas, sanitatem da ei. Vnus Deus, vna fides. Omnium orthodoxorum multi anni. Mitte foras alios episcopos. Eliam Botryenum anathematiza. Ioannis patriarchæ multi anni, Augustæ multi anni. Euphemiæ Augustæ multi anni. Victoriam Imperatoris intra intus. In æternũ imperiũ hoc, * liberate ab Acephalo, * libertate ab hæreticis. Posteà verò Ioannes reuerendissimus episcopus Ptolemaidis, dixit hæc ad populum: Anathematizamus quidem omnes, quos anathematizauit sanctissimus & beatissimus noster archiepiscopus & metropolita, ac omnes hæreses: præcipuè autem impium & Dei impugnatorem Seuerum Acephalum & Manichæum, & Ioannem impium, & Dei impugnatorem Mandritam, & auertimus ab ipsis communionem, & alienos ipsos notamus ab ipso nomine Christiano. Sunt ergò anathema à patre, & filio, & spiritu sancto, in cælo & in terra, in hoc seculo & in futuro, Amen. Dixit autem & Theodorus reuerendissimus episcopus Porphyrionis: Hos omnes, quos accipiens anathematizauit sanctissimus & beatissimus archiepiscopus noster Metropolita, anathematizamus cum ipso. Cum ipsis autem anathematizamus & Seuerum Acephalum, & Ioannem Mandritam, quia & ipse consensit hæreticis, & impijs dogmatibus ipsius. Sint igitur anathema à patre, & filio, & spiritu sancto, in cælo & in terra, & in hoc seculo & in futuro, Amen. Dixit autem & Elias episcopus * Rachlenus hæc: Et nos * secundum vestigia sanctissimi & beatissimi archiepiscopi nostri & metropolitæ ambulantes, & ipsius bonæ doctrinæ persuasi, credentes, quia suprà & infrà, iusta & vera sanctissimis ecclesijs negociatur, huius gratia anathematizamus eos, qui non semel, non bis anathematizati sunt, sed & singulis diebus anathematizantur, Acephalum & Manichæum Seuerum, & eius impia dogmata, ac Ioannem Mandritam, & eius impia dogmata, vna cùm his, qui eis communicant: de cæteris enim superfluum est dicere. Sint itaque anathema à patre, & filio, & spiritu sancto, in cælo & in terra, in hoc seculo & in futuro, Amen. Et clamauerunt multitudo: Vnus Deus Christus regnat, Episcoporum multi sint anni, orthodoxorum multi anni. Benedictus Dominus Deus Iesus rex, quoniam visitauit & fecit redemptionem populo suo. Et adhuc turba expectante & exclamante, vt congregatio fieret in oratorio sanctæ & gloriosæ Dei genitricis virginis Mariæ, acclamauit ipsis sanctissimus archiepiscopus noster hæc: Quoniam magna hora est, & iustum est nos diuinam celebrare Missam, per quam colitur Deus, in vtilitatem animarum nostrarum sufficiant hæc. Multa enim sunt, quæ legenda sunt. Cum Deo igitur sancta Dominica sequenti in prædicto oratorio Dominæ nostræ gloriosissimæ Dei genitricis virginis Mariæ reliqua legemus, & iterùm anathematizabimus Acephalum, & omnes, qui cum eo sunt. Et posteà proclamauit huiusmodi congregationem Zacharias venerabilis archidiaconus: Notificamus vestræ charitati, quòd sequenti Dominica ad gloriam Christi Dei nostri, & sanctæ ac gloriosissimæ Dei genitricis virginis Mariæ Dominæ nostræ, & pro salute ac victoria ac perennitate serenissimi Imperatoris nostri Iustini, ac pijssimæ Euphemiæ reginæ, & maiorum potestatum, necnon sanctissimi archiepiscopi regiæ vrbis Ioannis, & ibidem congregandæ sanctæ synodi in domo sanctæ Mariæ, (quæ est in * Iamsufis) sanctam congregationem faciemus. Ipsa autem sancta Dominica in matutino ibidem conueniemus, vt cùm indè cum Psalmodijs & cereis ac incensis in ipsa sancta domo peruenerimus, deprecationem & sanctam congregationem expleamus. Sic itaque omnes viri, omnesque fœminæ cum studio conueniamus. Et post ipsum sanctissimus archiepiscopus noster dixit sic: Notificamus vestræ dilectioni, quomodò sequenti sancta Dominica huc conueniemus, vt indè cum psalmodijs & cera ac thuribus in oratorio domus sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ peruenientes, deprecemur, & ibi sanctam congregationem compleamus. Et exclamauit turba: * τὸν ἔφορον foras mitte,

* ἀπολύετε
* ἀπολύετε
* Rathen
* Etenim
Luc. 1.
Proclamatio sequentis actionis.
1. præfidē

mitte, omnes schismaticos foras eijce. Anathema schismaticus. Anathema, qui vnum illorum recipiunt. Clericos schismaticos nullus suscipiat. Apostatas nullus recipiat. Eos, qui contra crucem pugnauerunt, nullus suscipiat. Et postea acclamauit eis sanctissimus archiepiscopus noster hæc: Luminarium quoque sabbato in vesperis in ipso oratorio sanctæ Dei genetricis semper virginis Mariæ, cum Deo faciemus. Et cum quieuissent, finita fuit congregatio sancta.

EPISTOLA EPISCOPORVM SECVNDÆ Syriæ ad Ioannem patriarcham, & synodum, quæ acta Constantinopolitan. Concilij sub Hormisda celebrati probarunt.

DOMINO *nostro per omnia sanctissimo & beatissimo patri patrum, archiepiscopo & œcumenico patriarchæ Ioanni, ac sanctæ & Deo venerabili synodo in regia ciuitatum vrbe congregatæ, minimi episcopi secundæ Syriæ.* Cùm adspeximus ad *laturam sæuorum, qui nos circundederunt, & animaduertimus confusionem ecclesijs Dei inopinatè allatam, totúm merito proprijs adscribentes peccatis, Domini miramur longanimitatem. Cùm verò rursus ad melius cogitamus optatam mutationem, Apostolicam illam prouocamur dicere vocem: Gratia Deo pro inenarrabili ipsius dono. Non enim despexit nos in finem, sed visitauit, & fecit redemptionem populo suo. Vt igitur valdè in credulis veritatis cognitio fiat, & per res appareat, quòd certè voces Domini verè fiunt, & alibi διαῤῥήδην alta voce clamãtis: *Ecce venient ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos:* & vt decætero *saluentur, & counirentur sacro ouili Christi Dei nostri oues ab ipsis dispersæ, dedit & dilatauit Deus super ornatum orbis ecclesiarum ineffabile donum pacis. Cum enim fidelissimus regnet Imperator, qui fidei decore ex Dei prouidentia splendet, & sancto pontifice diuinæ gratiæ sententia decorato in regia vrbe, pro Apostolicis dogmatibus pugnante, quomodo est possibile, non multum eleuari cogitationem, ac lætari de optimorum à peioribus veloci mutatione, & sponte abijcere, quàm possibile est, maximè corrupti diaboli stimulos? Etenim cùm sciremus quam iustè ac canonicè sancta synodus vestræ sanctitatis fecit, quòd taliter sustulit iniustam & iniquam Seueri proteruiam (quæ nam virtus orationis, etiam ad modicum, attingere poterit illius malã?) & in quibus Deum blasphemauit, omni tempore sanctam, magnam, & œcumenicam synodum Chalcedonensem anathematizans, & epistolam sancti Leonis antiquæ Romæ archiepiscopi, cooperatorẽ & proximũ in omnibus habens Petrum impiũ, qui Apamearum præsidentiam contra omnem ecclesiasticam sanctionem subripuit, meritò lætati sumus. Quomodo enim non debuimus gratulatorios etiam hymnos Domino Deo nostro emittere, cùm & nunc medelam opportunam, & difficultatum solutionem nobis omnibus largitus sit? Iam itaque statim in procemio illorum delicta cognoscimus, & non ferentes malorum corruptam expositionem considerare, præuenientes, liberauimus animas nostras & fideles nobis ecclesias à Seueri & Petri malitia, quos & abdicauimus, tanquàm hæresiarchas, & anathematibus subiecimus, separantes nos ab illorum communione. Verum quia non solum nos, qui minimi sumus, iustum contra illos protulimus interdictum, sed etiam & vos beatissimi (quos & nos sequi duximus) ferre non valentes tantarum absurditatum magnitudinem, gementesque & lachrymantes super impijs non condolentibus, voluistis, in prioribus manere nullatenus permitti. Qualia enim sunt in nobis oblatis à venerabili clero Apameorum, & ab ordine venerabilium monachorũ, peræquè* percurri, homicidia, ebrietates, actus præsumptuosos, obsidiones monasteriorum venerabilium, impudicarum mulierum introductiones in sacris & intemeratis templis, periuria, blasphemias, ordinationes cum datione pecuniarum, & ijs horridiora & maiora, quàm secundum naturam humanam dici possent: quæ curiosum quidem esset prolixius enarrare: sed possunt, qui fuerunt, per scripturam præscriptorum libellorum scire occasionem, & iusta semina contra illos iustæ rursus condemnationis inuenientes nos, & nunc à quibus illi maximè propria animaduersione percussi, omnia præter canones facientes, illecebrarunt quosdam ad clericos nostros proficiscentes, qui propter coercitionẽ ecclesiasticam ad modicum *percussi, ad seipsos traxerunt, & adduxerunt, & ecclesijs ab ipsis deuastatis, illicitè professi sunt, vndiqúe diuinos canones impugnantes. Huius gratia nos vestrarum doctrinarum sancto decreto instructi, anathematizamus, & in præsenti Seuerum & Petrum hæreticos, & iudicio magni & tremendi tribunalis tradimus illorum noxias animas, priuantes similiter ipsos, quemadmodum & vos beatissimi omni honore, dignitate, operatione sacerdotali & communione mundissima, & nudantes non solum sacerdotio, quod habere imaginabantur vanum, sed etiam omni participatione, ad discretionem eorum, qui recta sapiebant. Timor enim est, ne syncriores peramplius imitatores ad proprias blasphemias trahant. Omnia enim audent, vt consequantur. Rogamus sanctitatem vestram per hanc nostram epistolam modestum cui etiam inseruntur oblata documenta, vt, cum acceperitis veram cognitionem delictorum Seueri & Petri, confirmetis & actum nunc à nobis expositum, & diuinis canonibus cognitum, licet ipsos nihil sacerdotij licitè habere cognouerimus aliquandò: & etiam adducatis ad pijssimum & orthodoxum Imperatorem nostrum, vt & ipse cognoscat, quæ in libellis continentur, & quæ à nobis indicata fuere, & iustam scientiam habeat eorum, quæ à nobis benè & sanctè sententiata sunt, statuatque nostris supplicationibus persuaderi, & demum liberet sanctas Dei ecclesias ab illorum læsione, quæ animas corrumpit. Sic enim purum fermentum in ipsius pio imperio incorruptum manebit, segregatis zizanijs, sicut olim & præolim. Ad bonam etiam institutionem beatitudinum vestrarum, copias* notificatorum à magnificentissimo principe prouinciæ gloriosissimis principibus, synodali epistolæ* nostrum minimorum inseruimus.

*Φερειν *onus

2.Cor 9.

Luc.1.

ἀ palàm Matth.7.

*saluarentur.

for.*perturrimus, homicidia

SVBSCRIPTIONES.

Cyrus Dei miseratione episcopus Mariamnius, Valere me in Domino, & ei inseparabiliter seruire, orate domini & per omnia sanctissimi ac beatissimi patres.

Zoilus Dei mis. Episcopus Rhaphaneen. valere me &c.

Seuerianus Dei miserat. episcopus Arethusius, valere me &c.

Cosmas Dei miserat. episcopus Epiphanię Christo amatissimæ ciuitatis, valere me &c.

Eusebius Dei miserat. episcopus Larissenus, valere me &c.

Copia actionis formatæ contra Petrum Apamearum in tempore magnificentissimi prouinciæ principis.

Stephanus, Petrus & Iulianus diaconi, dixerunt:

QVoniam præterito pascha sancto, sequenti noua Dominica, ascendente clero toto (vt moris est) ad salutationem Petri Episcopi nostri, audiuimus ab ipso, cum esset indignatus contra lectorarios, (nam eramus tunc lectorarij) & diceret nobis, Quare communicatis, id est, conuenitis contra me, quia feci Constantinum de laicis diaconum, & vos despexi? ita per Iesum, quia probaui hac nocte facere vos de lectorarijs subdiaconos, nisi ipse crucifixus descendens, redemisset vos de manibus meis. Hæc autem & coram omni clero dixit. Et ego Stephanus scio, quòd factum est in Marato stolæ Zabdalæ. Quoniam verò præsentes Deo dilectissimi clerici coordinauerunt documentum, quod & promiserunt nobis porrigere: rogamus ipsum legi, & singula capitula, quæ in documento continentur, declarari.

IOANNES PALLADIVS EVTYCHIANUS vir clarissimus, dum esset præsens, dixit:

OBLATVM instrumentum legatur iuxta petitionem eorum, qui porrexerunt. Præsentes presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectorarij, & reliqui venerabiles clerici volunt claram facere opinionem suam, in quibus sciunt, vt Deum ad mentem habeant, & proprium *specimen, id est, habitum, & nihil ad offensionem vel gratiam faciant, sed omnia cum veritate edocebunt. Et cum obtulissent ex officio, recitata est sanctissimis patribus & episcopis prouinciæ secundæ Syriæ, à communi clero sanctæ Dei ecclesiæ Apamearum metropolitanæ.

PROpositum sacerdotij & honestæ pollicitationis Christianorum, prudentia & mansuetudo, est vltra omnia sanctorum dogmatum sanctio, ac fidei diuinę obseruantia, in qua & beatorum patrũ memorabilis & venerabilis chorus desuper ex quodam irreprehensibili successu immortalibus rationibus modulum consonum deuotis animabus hominum *introductus est ad sanctificationem diuini ritus. Didicimus enim à diuinis eloquijs clamare: Noli transgredi terminos sempiternos, quos posuerunt patres tui. Et hæc quidem venerabiles patres, & diuinorum Apostolorum successores tenentes, purum lumen Ecclesijs donauerunt: vnde manserunt incorrupta templa Ecclesiarum, & ministri ipsorum seruiunt indesinenter Christo DEO nostro, & mercedem iuxta diuinæ scripturæ dignitatem portant, &*inquerulas primitias suscipiunt ab antiqua Roma, & tollunt diuinæ gratiæ fructus diuino zelo & igne spirituali, vsquequo ante certum quoddã tempus magis *noua innouatio contra Ecclesias introducta fuit. Sed si vsque ad prædictos stetissent mala, licet difficile, tamen tolerabiliter sustinuissemus, cùm passio faciliter potuisset medelam suscipere. Verùm quando Respublica Antiochena suscepit Seuerum, qui nunquam communicauit Ecclesiæ orthodoxorum, nec adhuc à peioribus ad meliora est transmutatus, iam velociora sunt, quæ contingunt, difficultatibus, quæ inductæ fuerunt; & (vt ita dicamus) insanabilia vulnera. *Fabula facta est fidelis ciuitas Apamearum, postquam suscepit obiectum Seueri hæretici. Et beati magis patres prædormientes, & qui non viderunt Petrum vocatum præsidem nostræ ciuitatis. Quoties enim memoria reuoluimus, quæ ab illo facta sunt, implemur iusta ira: operimur autem & cogitatione, & retrahimur dicere, quæ commissa sunt. Veruntamen necessitas cogit, & omni tempore tacere non sinit, ne necessitate quadam confusa malorum magnitudo, capiat & eos qui benè habent, (vt verisimile est ac apparens) & longam catenam trahat degeneris & illiciti sensus. Multa igitur secundum hoc tempus collecta sunt, & præsumpta contra sanctissimam Ecclesiam nostram, quæ suadent nobis dicere. Admonet autem opportunè & pia cogitatio pœnitentiæ DEO dilectæ, nos & ipsam ordinatam, & vtilem sententiam *capere. Clarus enim est sic. Vtinam nunquam prædictus Petrus ex *hypogeo nuper ascendisset ad tribunal Ecclesiæ Apamearum. Anathematizat quidem sanctos patres nostros, & delet de sacris diptychis ipsorum vocabula virorum, qui honestè ac sanctè vixerunt, & qui venerabilia ac reuerenda templa omnia coli locauerunt, & donauerunt sacra vasa diuinis Missis & illuminauerunt beatissimos patres nostros, & nosipsos, & manus iustas imposuerunt in omni prouincia, & sine scandalis dispensauerunt iustitias Ecclesiarum. Quòd autem peius est omnibus, cùm huiusmodi impietatis scelera parua valdè putauerit, non solum prædictas salutationes deleuit, verum etiam supra commemorationem bonarum animarum illorum posuit in pariete, depinxit, ac scripsit scriptura intus, sanctum Ioannem, Dioscorum, & Timotheum condemnatos, & his similes: quorum memoria quàm difficilis est, licet graue sit aliquid dicere contra mortuos. Hæc itaque sunt, quæ ad catholicam Ecclesiam ab ipso commissa sunt, quæ etiam propria, cùm ascenderet ad sedem Apamearũ propter peccata nostra, Petrus commisit, iustum putauimus, perbreues (vt possibile est) litteras capitulatim enarrare. Nam cum venerabiles lectores starent cum decenti cogitatione & appeterent maiorem gradum iuxta consequentiam consequi (quòd maximè naturæ infixum est, meliora amare) surrexit cum magna audacia, & sine vlla ratione & hanc illicitam vocem emisit: Quòd nisi tacebitis, inquit, in subdiaconos vos ordinabo; & ipse qui crucifixus est, descendens, non liberabit vos à manibus meis. Postea euenit, Iulianum, qui receptor fuerat ecclesiasticarum pecuniarum, mori, & illius bona Rufanum ministrasse, qui per multos & infinitos annos dispensauerat res sanctissimæ ecclesiæ nostræ. Et post huius obitum directi sunt illi, qui erant in possessione pecuniarum, ad pensionem verborum, rationũ & pecuniarum, & conferre partes (cum multa essent mota) & ad persolutionem afferre, & rationem (si rationem illius vocare oportet) addere (inquit) quod anathema sit omnis homo, etiam si Paulus Apostolus sederet in sede ista, ad euersionem aut querelam videns inductarum transactionum. Et hæc apertè dicens, videtur ita horridam, & quod ad certam quantitatem auri fecerit. Rursus & aliud quid dicimus, quod omnibus notum est. Dicens enim ad venerabilem Eustathium œconomum, vt emeret quædam scamnalia ad *rationem secreti episcopalis, *& parua mora facta, similiter impiè loquens contra Dominum, magna voce clamauit: Omnes Ecclesias & altaria comburet Deus, & faciet (vt illius verbis vtamur) *vallem vnam. Impudiciti am verò muliebrem non dignam diuini baptismatis introduxit, & stare fecit iuxta sacrum fontem. Et cum diuina mysteria in oratorio domus DEI genitricis finirẽtur, qualem sermonem indignè fecerit, quæ auris Christianorum tantam impietatem dictam & factam sustinuerit? nemo non credat & ad veritatem eorum, quæ deinceps debẽtur. Subducit enim Stephana, nuncupatam Pterouolam, de tugurio, & monasterio (inquit) tradidit priuatè, & nullo alio præsente, per magnam partem cuiuslibet diei circa illius indecentem delectationem consumpsit, & visus est quidem in his Petrus non ferre molestè. Paucissimis verò percursis diebus, tolerante patientia quæ videtur, corporis iaculis denudata est ad reprehensionem. Vnde non ferens ipsius carentiam, sine occasione venit ad Antiochiam, & illius velocem reditum in conspectu omnium inhonestissimè facit. Graue quidem profectò & miserandum, tantarum calamitatum gesta enarrare, fecit enim & aliud quid proteruitas ipsius tanquam simile ac cognatum. Induit enim stolam albam quæ nullatenus conueniebat sibi secundum rationem sacerdotij, tanquam in ordine Diuinorum Apostolorum. Qui impius submersus in omni peccato, in Marato Zabdalæ & campis Nogæi, facta ab ipso professione sanctorum martyrum, scidit in infinitas partes stolam, diuisit faciliter deceptis, non ignorans, quòd quantum est, eos, qui cum veritate ambulant, quibusdam talibus conari, & excedere mensuram humanæ staturæ, & mandata Domini & Saluatoris IESV CHRISTI Dei nostri, tantum excæcatus est oculus animæ, cùm stat in sacrificio sine sanguine, quod dignis vtile fuit, non illi, qui omnem intellectum proijcit in intuitum mulierum, & sputis decolorauit venerabilis altaris pannum rubeum, nesciens, quòd ex solo adspectu peccatum contrahitur iuxta diuinam scripturam: sed iste nobis optimus non solum impudicè videbat, necnon palpabat *amare, sed & peiora tangebat. Vltra hæc enim dicerem inhonestiora valde. Dolemus meritò. Tanta verò fuit quædam irrationabilis audacia iuuentutis illius, quòd non cessauit inebriare eos, qui veniunt in sancto & honorandissimo tempore baptismatis. Non putamus latere aliquẽ, qui dignus sit diuini ritus, quantum certamen detinet eos, qui timent Dominum, tempore quo debent venire ad diuinum baptisma, qui errore ante capti sunt. Et quoniam liberum lumen cum veritate super huiusmodi animabus splendet, & à difficili valde seruitute liberantur, stant figuram certaminis explicantes, deorsum innuentes, & manus complectentes, & in tempore trementes, diabolique corruptiuæ astutiæ non resistentes, semel redemptionem veri salutaris baptismatis expectantes: & tamen cum hi taliter

Locus aliquousque valdè obscurus

* λόγον

*& cum esset

*collem vnum

Matth. 5.

*amore

*amare

liter se tenerent, non negligebat repellere baptizandos, & magnitudini huius diuini & peculiaris boni assimilare desiderium atrocis officinæ deuotarum mulierum (vt *dicebat) ab ipso constitutæ, sicut Stephanus diuinus & sacratissimus diaconus testatur, qui salutationes eorum, qui ad diuinum baptisma veniunt, ordinauit in scriptis: & meritò secundum propriam gloriam, id est, opinionem ad malum tepebat, & superatus est corporali voluptate desideriorum, & hoc enim proprium fuit Manichææ enormitatis, putare subsistens malum, & propter hoc esse multos seruientes principatui illorum pessimorum. Quid autem debet quis amplius de prædictis miseris mulieribus enarrare? Sic enim spectabant iustam ciectionem prouenientem contra Petrum, nec adhuc postea constiterunt, sed sustinebant in domo, lachrymis & fletibus immensuratis flentes carentiam & diuortium Petri: post hoc autem, & libidinem viri & inexplebilem artem condiendi fercula, & tanquam super sponso mortuo flentes & plorantes, illius vitam perampliùs deteriorauerunt, ostendentes impudicam perditionem hominis sculpti, non pastoris sacri ouilis. Et nisi vltra prætextum nostrum esset, quædã alia percurreremus, & prædicaremus de bonis faciebus mulierum figuratis ad vindictam: vt nihil asperius dicamus, totum attribuimus malo conscio eorum, qui percutiuntur nostris contra vocibus. Et licet cum modestia tamen dicta sint quædam de Stephana, quæ dicitur Pterouola, cum qua inconsultè (vt ita dicamus) omnem diem exigebat, & quem dicebat illius translationem ad melius, subripiens desideria corporis delinquentis, testes sunt recepti, qui fuerunt ministri venerabilis diaconiæ. Qui autem de Veneticis partibus oriundi erant, inuitabant venire ad obsidionem venerabilis monasterij sancti Dorothei, quando ipse accipiens multitudinem inordinatorum, irruit contra colentes in prædicto venerabili monasterio, meretrices & saltatrices introducendo, & multitudinem amantium, & nullam speciem omittendo ad depositionem & extinctionem ibidem colentium. Quòd autem & vxorem cuiusdam militaris, cognominatam Psepha lubricam naturam mulieris introducendo, sicut in infinitis alijs, illius libertatem obsederit, sciunt ferè omnes, & secundum illud quod scriptum est, Et si nos etiam tacebimus, lapides clamabunt. Quæ cum non poterit indecentem voluptatem viri sustinere, ad fugam diuertit, lamentando de propria & opprobriosa calamitate, quam ille fecit. Bonum esset, neque causam tristitiæ contra venerabilem Iulianum celeriter transcurrere. Cùm enim quidam dogmatici sermones moti sint in secreto sancti Stephani, & prædictus venerabilis vir respondit, benè, ac sanctè credere pijssimum Imperatorem nostrum, quanquam anxiatus & compunctus anima in hac iusta voce, * sub ratione hac & condemnationem (inquit) fecit Petrus, qui veritatis inimicus est, & qui nullatenus iustum sermonem habet, sed solum in omnibus proteruus aduersarius, & hinc repugnans deuotæ ac orthodoxæ rationi Domini totius orbis post DEVM. Sufficere quidem putamus, vnam causam prædictorum decertare inhonestam vitam Petri. Ordinando autem cum pecunijs, quod maximè in Antiocho Myrepso videtur feciſſe, & sequentiæ diuinorum decretorum, & simili iudicio huiusmodi argumentorũ videtur repugnasse, & sic vndique damnosam ruinam sustinere sacerdotij, quòd frustra habere phantasticatur: rememorari autem receptaculi totius impietatis, non consistit extra rationem. Dictum enim monasterium sancti Romani, pro orationibus & conuersatione mansueta, quam decet, qui separati, sunt amplecti, psalmos anathematum contra sanctos patres pecuniarij, immò non monachi, facere edocti sunt. Nam habent Petrum ducem malorum, & hanc mercantiam facientem contra ecclesias DEI presbyteros ex ipsis * quasi ordinant, paramonarios, & hospitalarios statuentes, & vbique necessaria alimenta pauperum * dispilantes. Et licet veritatem ita habere, negari vnquam non possit, nos obsecramus cum pœnitentia DEO dilecta hos nubere, & solutionem exoptatam, & Christianis decentem accipere prædictarum difficultatum, cum in his omnibus malum possederit, & Deus illorum vitam auerterit. Nunc quando optimam capimus fiduciam, donatam nobis ab ipsius clementia, & pijssimo ac orthodoxo Imperatore nostro, & à magnis potestatibus, sicut & maxima orta est, & irrefragabilis iussio, & fuit splendens secundum splendidum & principale iudicium, credentes & sequentes pium propositum sereniſſimi Imperatoris nostri, & sanctissimorum patriarcharum consentimus, declarari quodlibet istorum per libellos, & adducere ad vestram paternitatem, ad bonam & diligentem cognitionem eorum, quæ subsecuta sunt, scientes quod & si quis per concessionem daret ordinem licitum, prouenientem in Petro tantorum prædictorum delictorum, sententiatus quidem esset alienus à sacerdotio Christianorum: vt & vos sanctissimi, cum quodlibet horum sciueritis, iudicetis diuinis canonibus approbata: & quæ ad vtilitatem sanctissimæ ecclesiæ nostræ respiciunt, vniuersa hæc nota constituendo, si consentitis & sanctissimis patriarchis, ac potentissimo Imperatori nostro ad assistendum & placendum suæ serenitati, ac beatissimorum virorum sancto decreto, vt Christo DEO nostro vtilia concedente, pax nobis omnibus, & valida ac perfecta vnio fiat sanctis suis Ecclesijs, & præficiatur metropoli Apamearum sanctus, rationabilis, & tranquillus vir, qui in bono det vtilia prouinciæ nostræ. Hanc enim spem bonam habentes, & ad Deum respicientes ac ad pijssimum Imperatorem nostrum, & ad sanctissimos patriarchas, salutationes beatissimorum Episcoporum nostrorum sacris diptychis inscripsimus secundum antiquum ordinem sacrati status. Et Christum Deum nostrum oramus, vt indiuisa seruet insuperabilia sceptra sereniſſimi Imperatoris nostri, qui tantam prouidentiam vbique Ecclesijs largitur, & nos ab ærumnosa hæresi Petri liberauit, qui bona Ecclesiæ nostræ deuastabat, iuxta defectum supra narratorum. Multis itaque præmissis sufficiant nobis, quæ interim enarrata sunt. Hæc autem omnia petimus & obtestamur nota fieri per vestram sanctitatem, & magnificum præsidem prouinciæ. Et idcirco hoc apertum constituimus.

Natalis reuerendissimus presbyter dixit: Aderam, quando Petrus Episcopus noster dixit blasphemum verbum contra crucifixum, indignatus lectorarijs. Scio autem & ipsum dixisse blasphemum verbum contra Ecclesias & altaria.

Nesinius reuerẽdissimus presbyter dixit: Ex capitulis lectis memoria teneo, audiuisse à Petro Episcopo dictũ blasphemum verbum contra Christum Deum corã omnibus, qui crucifixus est pro nostra salute, quando indignatus erat contra lectorarios. Scio aũt tunc in oratorio sanctæ Dei genitricis Mariæ existens, audiuisse, quòd ipse Episcopus accipiens quandam, nondum dignam factam sancti baptismatis, habebat in baptisterio prope fontes: propter quod, qui tunc ibi erant, abhorruerunt.

Romanus presbyter dixit: Si quidem ego solus solus aut vidissem, aut audiuissem, quod factum aut dictum est à Petro Episcopo nostro, haberem vtique reticere, ne sic accusator iudicaret. Quia verò ex animo vocem blasphemam, dictam ab ipso contra crucifixum coram omnibus venerabilibus clericis, qui ad salutationem ascendunt, dixit, hac de causa & ego scio audiuisse. Similiter autem & quod in oratorio domus DEI genitricis virginis Mariæ factum est: & quia hæc pluribus nota fecit, dico, quòd Emisenam, (Mariam, inquam, de Tugurio) secundum commissionem suam, sæpius introduxit in sancto baptisterio: & finitis sanctis mysterijs, antequam ipsa baptismate digna esset, loquebatur priuatè cum ipsa. Scio autem certè, & fui minister in loco incisionis & distributionis scholæ.

Anicetus presbyter dixit: Tunc diaconus existẽs, & * tradens ad sanctum baptisteriũ oratorij domus sanctæ Mariæ hebdomadarius existens, venit Romanus paramonarius & presbyter, dicens: Profectò tu dimitte communionem, & vade, da ad subdiaconale, quoniam magnus alloqui vult hic Mariam Emisenam. Scio autem, quòd hoc dixit, ad id, quod cum hæredibus Rufini factum est. Quoniam feciſtis persolutiones hæredibus Rufini, ponite ducentorum numismatum pœnã. Et si quis velit has trãsactiones trãsgredi,

etiam

* dicebant

Lucæ 19.

τὸν λόγον

* Alter

* dispellẽtes, vel dispalantes.

* tradens dõ * distributor ad

etiam si Paulus Apostolus resurgeret, & sederet in sede hac, anathema sit.

Megas reuerend. presbyter dixit: Quoniam Deus proponitur, & oportet veritatem dicere, intereram in secreto honorabilis episcopatus post Pascha vndecima indictione præterita, quãdo prædictus Petrus commotus contra lectorarios iratus fuit, & dixit hãc blasphemam vocem; Quoniam hoc nocte cogitaui facere vos de lectorarijs subdiaconos: & si apposuissem manum alicui ex vobis, crucifixus descendens non eripuisset ipsum de manu mea. Similiter & ante hoc, quando commisit emere linea scamnalia ad rationem secreti Episcopalis, & cum indignatus fuisset cõtra Eustathium œconomum venerabilem, dixit: Quoniam melius est Deum comburere Ecclesias, & facere * collem vnum.

Antoninus reuerẽdissimus presbyter dixit: Mortuo Rufino beatissimo, qui fuit œconomus sanctissimæ Ecclesiæ metropolitanæ, congregans Petrus Episcopus noster vniuersum venerabilem clerum, postulabat, quòd in teste omnium Deo denunciarent, si quid tempore dispensationis ipsius damnificauit, aut neglexit, aut vsurpauerit in Ecclesiasticis. Et cum multa capitula eduxerim, quę continentur in magna quantitate auri, post multa mota iussit ipse hæredes ipsius Rufini præstare quædam pro mulctis, & dixit fieri ipsis persolutiones, & imponere pœnam ducentorum numismatum, dicens, quòd si contra prædictas transactiones huiusmodi aliquid vllatenus contrafacerent, etiam si Paulus Apostolus resurgeret, & sederet in sede ista, anathema illi. Proxima verò dominica præteriti Paschæ, cùm vniuersus clerus ascendisset ad reuerentiam, audiui ab ipso dicente ad venerabiles lectores blasphemum verbum contra illum, qui pro nostra vita crucifixus est, secundum deposita à Stephano, & Petro, ac Iuliano tunc lectorarijs, nunc vero diaconis. Veniendo autem sabbato in congregatione, in oratoria domo sanctæ virginis Dei genitricis Mariæ cognoui ipsum intrantem in baptisterium sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ, & alloquentem quandam mulierem, quæ nondum particeps facta erat, non dico sanctorum mysteriorum, sed neque ipsius sanctæ signationis, & ipsum illinc sæpissimè exeuntem inueni tunc diaconus existens. Non est autem media domus, nisi honorabile diaconale.

Stephanus & alter Stephanus dixerunt: Cum essemus in baptisterio Neophytistarum, sine tunicis & calceamentis existentium, diaconis ipsos exorcizantibus, venit Episcopus noster Petrus, & eiecit nos foras vna cum Neophytis, & introduxit canonicas, & priuatim cum ipsis stetit per multas horas. Audiuimus autem & nos cum alijs verbum, quod dixit ad lectorarios, aduersus eum, qui pro vita nostra crucifixus est. Eutychianus diaconus dixit: Secundum morem facta salutatione in secreto honorabilis Episcopatus, audiui verbum ab ipso dictum aduersus crucifixum.

Thomas diaconus dixit: Quando ad salutationem ascendimus proxima Dominica post Pascha, veniente Episcopo nostro Petro, audiui blasphemum verbum, quod dixit contra crucifixum. Et quando commotus fuit propter id, quòd cum hæredibus beatissimi Rufini œconomi, audiui ipsum episcopum dicentem, quòd anathema sit, factis transactionibus, etiam si Paulus resuscitatus sederet in sede hac, qui quæreret & peteret rationes istas, aut diceret ei quicquam.

Leontius filius Matroniani, diaconus dixit: Scio & ego audiuisse ab ipso, cùm indignatus erat cõtra lectores in noua sancta Dominica. Quod si iudico, & faciam vos subdiaconos de lectorarijs, & si veniat, qui crucifixus est propter nos, non tollet hoc à vobis. Audiui autem & hoc ab ipso ad secretum hyemale, cum indignatus erat de scamnalijs Episcopatus, quoniam dixit: Comburet Deus ecclesias & altaria, & faciet ipsa * collem vnum. Et hoc scio, quoniam intrabat sæpius in monasterium ad Pterouolã, & per multas horas solus cũ ipsa manebat. Iulianus diaconus dixit: Congregatione finita luminariorum ad sanctum Stephanũ, congregans presbyteros & diaconos, & quemlibet clericorum ibidem in secreto conquerendo quæ fuit à me, quare non anathematizas synodum sexcentorum patrum? & me dicẽte sibi, quia Imperator orthodoxus est, & in quibus credit, sequor ipsum: non solum autem hoc, sed & anathematizantes synodum, anathematizo: furibundus surrexit, & interdixit me ab omni clero.

Megas presbyter dixit: Præsens fui dictis à præsente Iuliano diacono, & vera sunt, quæ ab ipso dicta sunt. Amisius presbyter dixit: Præsens fui dictis à præsente Iuliano diacono, & veritatem habent, quæ ab ipso dicta sunt.

Epiphanius diaconus dixit: Præsens fui & ego in salutatione facta in honorabili Episcopatu, quando Petrus dixit lectorarijs: Quòd si fecerim vos subdiaconos, ipsi, qui crucifixus est, si descendat, non eripiet vos de manibus meis.

Simeon diaconus dixit: Et ego audiui à Petro Episcopo capitulum de crucifixo, & de anathemate, vbi dixit, quòd si etiam Paulus Apostolus sederet in throno isto.

*Ioannes diaconus & notarius dixit: Et ego ipsam vocẽ dico, quam audiui de crucifixo, & de anathemate contra sanctum Paulum.

Leontius diaconus dixit: Et ego audiui verbum de crucifixo, & de anathemate Pauli Apostoli.

Theonas diaconus dixit: Et ego audiui verbũ, quod dixit de crucifixo. Et quod intrauit in baptisterium S. Mariæ prope fontem, & quod introduxit Mariam, antequam illuminaretur, ipsa existente nuda, cùm & nulli concesserit stare intus, diuina communione finita. Ego enim archihebdomadarius ipsius eram, & ex hoc scio. Hoc autẽ fecit semel, & bis, & tertio. Scio autẽ & illa de anathemate Pauli Apostoli, & quod de Pterouola supra dictum est.

Leontius diaconus dixit: Et ego audiui illud de crucifixo, & iterum de anathemate Apostoli Pauli.

Paulus diaconus dixit: Et ego audiui verbũ, quod dixit de crucifixo. Scio autem quoniam & persequutus est Neophytistas, introduxit canonicas.

Serapius diaconus dixit: Et ego audiui illud de crucifixo, & illud de anathemate Pauli Apostoli.

Ioannes presbyter dixit: Et ego audiui ab ipso dictã blasphemiam propter crucifixum, & rursus quando dixit: Cõburet Deus ecclesias ipsius igne, & faciet collem vnum. Et iterum cum audiret rem illam de Rufino, posuit anathema, qui post ipsum contrafaceret illi, etiam si Paulus Apostolus esset.

Surinus subdiaconus dixit: Et ego audiui, quando dixit de illo, qui crucifixus est. Ioannes subdiaconus dixit: Et ego audiui verbum, quod dixit de crucifixo.

Rianus diaconus dixit: In dominica die ascendens, ad salutationem, tunc subdiaconus existens, audiui & ego verbum de crucifixo.

Antonius lector dixit: Scio & ego, dum adessem in secreto, Petrum episcopum nostrum, præsente venerabili clero, me audiuisse dicentem illicitam blasphemiam aduersus crucifixum Christum Deum nostrum, & verbum illud anathematis quod ipse imposuit in his, quæ de Rufino dicta sunt, dicendo, quòd si etiam Paulus Apostolus resuscitatus, sedebit post me in sede ista, anathema sit, euertensque, quæ nunc visa sunt: & quòd Ioannes, qui hunc hæreditauit, corã omnibus dixit, quòd post anathema expedita fuit ab ipso cautio quinquaginta numismatum. Quæ enim de Pterouola dicta sunt, neque aliquis alius domesticorum * per hãc metropolim (vt puto) ignorat. *intra hãc

Omnes presbyteri & diaconi, ac lectores dixerunt: Cùm manifestæ sint prædictæ depositiones, petimus & obtestamur vestram magnificentiam per sanctam & consubstantialem Trinitatem, & per victoriam & * mansionem Domini nostri Flauij Iustini semper Augusti, & maximarum potestatum, ac primè & excelsè principantium, notificare simul sanctissimis episcopis, quemadmodum & acta fuere à tota multitudine necnon & à famosissimo magistro diuinorum officiorum ac strenuissimis militibus diuinæ præsentiæ vtriusque potestatis, vt per ipsorum excellentiã ad diuinas aures adducantur, quæ sequuta sunt. Et sicut scitis, magna & infinita multitudo fratrum & monachorum, requisiuit & obsecrauit hæc vestræ potestati notificare. Quòd enim fratres & monachi nõ deponãt, hãc consuetudinem

dinem superius obtinuerunt, sed sufficiat solum in ipsorum exclamationibus. Omnes suprascripti religiosi episcopi dixerunt: Dignum nobis fuit orationi vacare, & sanctis Dei ecclesijs nobis commissis & delegatis & diuinas adimplere Missas. Quoniam verò fidei ac pietatis proponitur sermo, iustum esse putauimus, parere petitionibus venerabilium clericorum Apamearum. Vnde propter litteras missas nobis à venerabili clero sanctæ Dei ecclesiæ Apamearum, & per venerabiles Antonium & Iulianum portatas, venimus in *Ambrodice, id est, oratorio, vbi contigit multos venerabilium clericorum venire ad nos in prædicto oratorio, & petere nos venire ad venerabilia monasteria beati *Hesychij & beati Dorothei, existentia extra metropolim, vt facilius possent venerabiles clerici ad nos exire, & edocere, quæ vellent, quod iam fecimus. Et quoniam porrexerunt nobis quosdam libellos, & insinuarunt vestræ magnificentiæ, ac quasdam depositiones fecerunt, petimus & nos vestram magnificentiam, quemadmodum exclamationes factæ sunt (vt scitis) à multitudine venerabilium clericorum, inferere, quæ facta sunt, & indicare primo & excellenti solio, & glorioßissimo magistro diuinorum Officiorum, & strenuissimis militibus vtrarumque potestatum, vt per ipsorum excellentiam ad notitiam veniant omnia, quæ processerunt à pijssimo Imperatore nostro. Nam & nos etiam notificamus beatissimo archiepiscopo & œcumenico Patriarchæ regiæ vrbis, & glorioßissimis ac magnificentissimis, & magnis & principibus pijssimi Imperatoris nostri. Ioannes Palladius Eutychianus, comes & præses, dixit: Habent quidem fidem actorum testificata à venerabilibus clericis sanctæ Dei Ecclesiæ Apamearum, quæ percurri assistentia populi defendentis Apamearum metropolim. Quoniam verò interpellatorias doctrinas fecerunt, & quæ exhibuerunt illi, qui sunt in prædicto venerabili clero, & simili modo sanctissimi episcopi prouinciæ petierunt, videntur vniuersa, quæ facta sunt, nota fecisse primo & insigni ac excelso throno & glorioßissimo patricio & magistro diuinorum Officiorum, ac strenuissimis militibus vtrarumque potestatum, vt per illorum excellentiam ad diuinas aures afferantur singula, quæ mota sunt. Venio ad examen maximè eorum, quæ ab ipsis dicta sunt, & propter allata nihil honorabilia iuramenta cõiungam omnia, quæ facta sunt in vna materia, & notificabo ad assistentiam ipsorum clementiæ, inferendo his, quæ in præsentiarum facta sunt, & præcedentes exclamationes à multitudine venerabilis cleri prædictæ sanctissimæ Ecclesiæ: Imperatoris multi sint anni, Augustæ multi sint anni, *Præfectuum multi sint anni. Magistri multi sint anni, Consulatus multi sint anni. * Proui & Hypatij multi sint anni. Rebelles mitte foras. Comedentes Ecclesiastica foras eijce. Cuncta ecclesiastica Seuerus & Petrus comederunt, omnia in cateruam sodalium tradiderunt. Eum, qui blasphemauit crucifixum, eijce foras. Vbi sunt possessiones ecclesiæ? Vbi sunt vasa Ecclesiæ? Mulieres omnia acceperunt. Cuncta Pterouola accepit. Dignos Anathemate anathematiza. Tolle violentiam de Ecclesia. Omnes ecclesiam deprædati sunt, in stipem sodalium omnia dederunt. Fidelis Imperatoris multi sint anni. Vitaliani Stratelatis multi anni. Vnam interrogationem canonibus. Vicit fides orthodoxorum. Episcoporum multi sint anni. Eutychiani Cometi multi sint anni. Requieuerunt ossa patris tui. Omnia ecclesiastica fœminæ acceperunt. Hæc acta Imperatori. Ossa Domini vendiderunt. Schismaticos clericos eijce foras. Prædia Domini vendiderunt. Qui fugiunt ecclesiastica, abscissi sunt. Obtestor te, ego ipsos *comburo. Vniuersa ecclesiastica vendiderunt. Venit Pterouola, & ipsa dixit: Rebelles Imperatoris eijce foras. Salutem Imperatoris notifica. Sciamus cuius sunt χαμαιπάτια.* πατήμια in episcopatu quomodo inuenta sunt? Contaminauit, altaria, contaminauit baptisterium. Sciamus vbi sunt *πατήμια. Cruentauerunt altaria. Seuerum & Petrum ad ignem. *Proui & Hypatij multi anni.* Prouus dignus est Imperatore. Hypatius dignus est Imperatore. Patricij magistri multi anni. Multi sint anni *præfectuum. Totius consulatus multi sint anni. Multi sint anni Augustæ. Euphemiæ Augustæ multi sint anni. Vitalianus dignus Imperatore. Ioannis patriarchæ multi anni. Hæc acta Deo. Omnia homicidia Faustus fecit. Decem millia homicidia fecit. Necatos in S. Antonino Imperatore. Imperator orthodoxus est. Petrum Manichæum Imperatori. Seuerus & Petrus Manichæi sunt. Consulatus orthodoxus est. Tolle Faustum, salua ciuitatem. Eutychiani Cometi multi anni. Iusta est sententia præfectuum. Supplicamus, notifica salutem Imperatoris, notifica salutem Augustæ.

*Ambrotice

*Præfectorum for. *Probi

i. extẽsiones pedales
*pedalia

Locus obscurus

Copia alterius actionis, formatæ tempore eiusdem prouinciæ principis.

ITEM Romanus archidiaconus, dixit: Cùm Deus dederit rebus & sanctis suis Ecclesijs orthodoxum & pijssimũ Imperatorem, & vestra magnificentia præsente, admonuerunt me sanctissimi episcopi nostræ prouinciæ, antiquas Ecclesiastici status seruare consuetudines, & hoc etiam venerabilis clerus Apamearum petijt: idcirco requiro præsentes presbyteros venerabiles, diaconos, subdiaconos, & lectores, cæterosque clericos ipsius venerabilis cleri, vt quilibet ipsorum certificet propriam opinionem in actis. Ioannes Palladius Eutychianus, comes & præses, dixit: Præsentes venerabiles presbyteri & reliqui clerici, & qui allegationem Romani venerabilis archidiaconi audiuerunt, suam certificent sententiam. *Eutychius reuerendiss. presbyter dixit: Celebritas totius mundi est hæc, pia videlicet statio, quæ nunc tenetur: quare iuxta atteßtationes factas à venerabili archidiacono, suademus omnem innouationem, quæ iam prouenit ab his, qui fuerunt hæretici, auferri & imponere sancta nomina beatissimorum patrum nostrorum & episcoporum, à beatissimo Domino vsque ad bonæ memoriæ Isaccium episcopum nostrum, tenereque in omnibus alijs antiquum statum sanctæ ecclesiæ.

*for. Eodem

Eustathius reuerendus presbyter & œconomus, dixit: Quemadmodum allegauit præsens venerabilis archidiaconus, omnes venerabiles presbyteros, diaconos, cæterosque clericos sanctissimæ Ecclesiæ nostræ petere antiquas cõsuetudines teneri, istas & ego teneri rogo. Stephanus reuerend. presbyter dixit: Et ego assentio depositioni factæ à venerabili Eustathio presbytero & œconomo S. Ecclesiæ nostræ, ac à cæteris venerabilibus *cleris.

*Thelelæus reuerendus presbyter dixit: Vix quandoque ab æstu donauit nobis Deus pratum hoc orthodoxum, Imperatorem dico, ad quem post Deum confugiens, conspexi zelum conclericorum meorum, quem pro sanctis põtificibus & patribus nostris habent: Rogo ergo amoueri innouationem ab hæreticis factam in sanctissima Ecclesia nostra, & seruari antiquam consuetudinem ecclesiastici status, & ponere in sacris diptychis salutationes beatissimorum episcoporum, à beatissimo Domno vsque ad beatissimum Isaccium episcopum nostrum.

*Nesucius reuerendus presbyter dixit: Et ego gratias agens Deo, qui pacem & vnionem sanctis ecclesijs per pijssimum Imperatorem nostrum dedit, cõsentio omnibus petitis à venerabili clero nostro, & confirmatis à sanctis Episcopis prouinciæ, vt & omne innouatum *renouetur, quod introductum est in sanctissima ecclesia nostra, & antiquæ consuetudines renouentur ac seruentur, quæ seruatæ fuerunt vsque ad obitum bonæ memoriæ Isaccij archiepiscopi nostri, in sanctis Missis ac in omnibus alijs.

*renouetur

Megas reuerendus presbyter dixit: Omnia innouata ab hæreticis volo cessare, & tenere antiquum statum, & imponere nomina sanctorum patrum, & sanctissimorum archiepiscoporum nostrorum, qui fuerunt in nostra metropoli vsque ad obitum beati Isaccij.

Sergius reuerendus presbyter dixit: Talem orationem habui, & rogaui Dominum nostrum Iesum Christum, vt tollerentur consuetudines innouatæ ab his, qui malè sentiunt, & ponerentur nomina sanctorum patrum nostrorum, sicut & vsque ad beatissimum Isaccium episcopum nostrũ iacuerunt. Et consentio omnibus his, quæ depositæ sunt à venerabilibus presbyteris.

Sabbatius reuerendus presbyter dixit: Et ego consentio omnibus, quæ atteßtata sunt à venerabilibus presbyteris.

Romanus reuerendus presbyter dixit: Et ergo regratiãs Domino Deo, qui donauit toti mundo & sanctis ecclesijs orthodoxum Imperatorem consentio & consono omnibus petitis à venerabilibus conclericis meis, & ante me à venerabilibus presbyteris, in remouendo omnem innouationem factam, & seruare antiquas consuetudines Ecclesiæ, & ponere in sacris diptychis appellationes sanctissimorum episcoporum nostrorum, vsque ad beatissimum Isaccium archiepiscopum nostrum. Ioannes reuerendus presbyter dixit: Et ego consentio omnibus testificatis.

*Asterius Ioannes reuerendus presbyter dixit: Scriptum est: *Hæc est dies, quam fecit Dominus: quare exultemus & lætemur in ea.* Cum lachrymis ergo rogo imponere sanctissimos patres nostros vsque ad obitum sanctæ memoriæ Isaccij episcopi nostri, & teneri antiquam consuetudinem.

Ioannes & Zachæus presbyteri dixerunt. Et nos consentimus omnibus* opinionibus. Cyriacus reuerendus presbyter & *legotheta, dixit: Et ego rogo vestram potestatem, ponere in sacris diptychis sanctos ac beatos nostros episcopos vsque ad beatissimum Isaccium, & eos, qui in fide ipsorum mortui sunt, & teneri antiquas Ecclesiæ consuetudines. Oro autem pro victoria dominis nostri pijssimi *Iustini orthodoxi Imperatoris.

Antonius presbyter dixit: Oratio quidem nobis fuit, vt ponerentur in sacris diptychis sancti ac beati patres nostri, qui fuerunt episcopi nostri vsque ad beatæ memoriæ Isaccium, qui & ipse episcopus noster fuit & seruentur antiquæ consuetudines ecclesiæ, quæ fuerunt vsque ad tempus ipsius beatissimi Isaccij.

Eutychianus diaconus dixit: Gratias ago omniũ Deo, qui dedit nobis pium & Christo amantissimum Imperatorem Iustinũ pro pace sanctissimarum Ecclesiarum suarum, & peto inserere sacris diptychis salutationes sanctorum Episcoporum nostrorum, qui fuerunt vsque ad beatæ memoriæ Isaccium, qui fuit episcopus noster, quodq; seruentur antiquæ consuetudines Ecclesiasticæ. Sergius & Eusebius ac Ioannes presbyteri, dixerunt: Et nos consentimus omnibus attestatis ante nos. Calliopius filius * Aschonij, Leontius filius Matroni, Anastasius, Stephanus & Theodosius diaconi, dixerunt. Consentimus & nos in his, quæ testificata sunt à venerabilibus viris. Dyas filius Vranij, Anastasius filius Theodosij, Macedonius, Ioannes filius Ruffini, & Leontius filius Anatolij, Epionus filius Fortasij, diaconi dixerunt: Et nos eiusdem opinionis sumus. Stephanus, Anthemius, Eulogius, Antoninus, Leontius, Elias, Epiphanius, Simeon, Actius, Photinus, Iulianus, Leontius, Ioannes, Epilampsius, Stephanus, reuerendi diaconi, dixerunt: Et nos sequimur ea, quæ simul visa sunt à venerabili clero. Theodosius, Ioannes, Simeon, Marcellus, Romanus, Iulianus, Leontius *Etusterius, Iulianus, Ioãnes, Simeones, Maras, Theodotus, Thomas, Epiphanius, Ioannes, Leõtius & Sophronius diaconi, dixerũt: Et omnes nos consentimus omnibus dictis à venerabili clero. Paulus, Diogenes, Thomas, Stephanus, * Etusterius Ioannes & Stephanus diaconi dixerũt: Et nos sequimur omnes istos. Epiphanius, Guideus, Romanus, * Etustonius, Diodorus, Ioãnes, Antoninus, Euagrius, Thomas, Barcius, Stephanus, Anastasius, Strategius, Epiphanius, & * Theotistes reuerendi lectores, dixerunt: Et nos sequimur hos omnes. F L. Ioannes Palladius Eutychianus, comes & præses, dixit: Manifesta sunt ea, quæ facta fuere. Edantur.

LIBELLVS MONACHORVM APAMEÆ ad proprios Episcopos, de scelerib̃ Petri.

Copia libellorum porrectorum à collegio monachorum Apameæ, sanctissimis Dominis nostris proprijs episcopis.

SANCTISSIMIS *Patribus Episcopis secundæ Syriæ ab Alexandro, Ioanne, Simeone, Palladio, Procopio, Eugenio, Stephano, & reliquis archimandritis & monachis territorij Apamearum.* Docuerunt nos diuinæ scripturæ, quomodo & rerum necessitas didicit seruire tempori. Exposuimus igitur circuitus, qui prouenerunt potentia tunc imperantium, & furia hæreticorum violenta. Verùm cum nunc Deus iustam audaciam donauerit, rebusq; optatam spem largitus sit, & Ecclesijs suis & omni terræ orthodoxum Imperatorem mandauerit, necesse est in obmutescentia oppressos clamare * ..... scitis enim quòd & impossibilium fermè, ac irrecusabilium rerum attingit ius. Cùm itaque Deus clementiam donauerit, & tranquillitatem terris reddiderit, (qui pro sua singulari bonitate, * sui cultores ac in se confidentes consilio desertos nunquam relinquit, sed consolatur) bono Imperatore * acquirente, & separatis his: qui rectam viam orthodoxæ fidei spoliare conantur: relinquitur, vt nos dicamus, licet videantur mediocria: vitam amarissimam Seueri hęretici, deinde turpem ac omni abominatione plenam Petri vitam. Quando enim iuimus ad campum Regularium, quod non longè est à venerabili templo beati Simeonis confessoris, ad pacem & vnionem charitatis, & iustam orationem respicientes, solumque habitum & animam monachos decentem circumferentes: * nescimus, quomodò impium Seuerum hostem habuimus, quem nesciuit, nec vnquam suscepit Christianorum status, neq; vera communione vllo modo aut tempore participauit, & quantum à sententia inimici veritatis, cumulatim omnes perimus, cũ Iudæi, aut alias seculares & quasi monachi, attulissent nobis ex quibusdã tributarijs ruribus. Quid aũt possumus facere, aut quomodo possumus contra stare furiæ acerrimi exercitus impietatis? Nam alios quidẽ corruperunt, alios verò in captiuitatẽ traxerunt, nonnullos nudos vestibus cõstituerunt, & alios detritis corruptisq; vestibus tanquã in ignominiosa vita, secundum illorũ opinionẽ triumpharunt. Nos quidem in his, quæ facta sunt, meritò gloriabamur, passiones & sanctas plagas pro Christo Deo nostro cũ omni bonaspe sustinentes. Verùm cum tam magnas offensiones, paruas putauerint, immittũt ad exertem exercitum rusticorum maiorẽ isto; & secundum impetum faciendo contra prędictum monasterium, partẽ muri diruunt, & noctis tempore subintrant, & quosdã interficiunt, plurimos verò verberant, & mediocrem substantiam monasterij subripuerunt, & pro magnis lamentationibus trophæa iniqua cõtra fidẽ * faciebant. Et sic quidẽ multa acerrima fecerunt, licèt tandem expulsi sint. Tempus aũt nullũ satis homicidij soli Seuero totius orbis inimico, imò verius cęlestium contemplationum: sed non sufficiente solo Seuero (vt videbatur) maculare ornamenta totius orbis, iterum & Petrus contra ciuitatẽ Apamearum, excitatur, & promittitur (inquit) præsul, quẽ oportebat magis & litteris * in syllabis tradi, & nõ somniare oracula sacri ritus. Vnde irrationabilem audaciam iuuentutis immittit sæpius venerabili monasterio sancti Dorothei protrahens multitudinem publicarum fœminarum huic accommodatam, in quo illud dedecoris commiscuit in eis. Nam meretrices erant, & nullatenus nobiles. Et percutiens ibidem venerabiles monachos, trahit ad ciuitatem, & in carcerem detrudit, & hoc sæpius facere non cessauit. Quisnam poterit prædicta mala & damna monasterio illata numerare? Insuper enim & nunc infixerunt iacula & tela Isaurorum sequentium, & expectantium ipsum, quæ clamant excessum vulneris, quod euenit, & interitus mundum permittit venire illachrymabiliter videre portas illius monasterij. Si autem & homicidia dicere audebimus, in quibus sæpius manus tinxit, quis Christianorum orthodoxorum videns sanguinem altaribus respersum offerre ausus, non compungetur dicere, immò silentio magis diliget talia occultare? Verùm etsi rursus renouaremus præcedentia facta, & perpetrata in Oragorum monasterio, quæ charta sufficiet ad enumerationem tantorum delictorum? Non enim pigritauerunt, sicut in obsidione, destruere monasterium, & accipere causam captiuandi in monachos ibidem psallentes: qui quanquam ad modicum lapsi sint, demum tamen veritatis verbum dilexerunt, & coniunctionem communionis nostræ amplexati sunt. Pugnam in Lariſſa factam, & nefandam furiam Fausti, & quos inhumaniter sagittis deiecit, habet & quorundam gestorum fides. Sicuti ergo & in inuasione incertorum factum est, actus neminem habitantium prouinciam perlatuit. Quanta ve-

ro &

* suos

* nescimus

* ipsum

* &

rò & qualia differenter in venerabili domo victorioſi martyris Antonini perpetrata ſint, quæ natura rationem habens, ſine lachrymis enarrabit? ita enim in conſuetudinem venerat interficiendi monachos, magnum lucrum putans, quod cunctis hominibus abominandum eſt, quòd per ſequaces ſuos, quos iniquè conducebat, interfecit venerabiles ac orthodoxos monachos, qui ibidem in honore peragendæ celebritatis congregabantur, ſicque cruentis manibus adſtabat altari. Audiuiſtis, præſente Magnifico prouinciæ Principe, & Amelio glorioſiſſimo, ac Narſo magnifico, & inſuper quibuſdam alijs, quas voces emiſerunt præſentes venerabiles preſbyteri, diaconi & ſubdiaconi, cæteraque multitudo catholicæ eccleſiæ Apamearum. Quomodo cum meretricibus & inhoneſtis mulieribus vitam duxit, & blaſphemas voces contra Deum emiſit, Chriſtum crucifixum blaſphemando, trahens etiam mulieres in ſanctos Chriſtianorum fontes, quæ nondum dignæ erant baptiſmate ſacro. Cæterum ſi voluerimus vniuerſa percurrere, alio magis, & non ſolum præſente, indigebimus tempore. Quare multa Petri & Seueri delicta prætereuntes, carptim balbutiendo diſcurrimus veras contra illos accuſationes. At bonum quidem eſſet, non prætermittere cauſam afflictionis venerabilis Ioannis. Nam cum quidam moti eſſent ſermones in ſecreto ſancti Stephani, dum celebraretur feſtiuitas, & reſpondiſſet dictus venerabilis vir, Benè & ſanctè credere pijſſimum Imperatorem noſtrum, qui contriſtatus, veluti anima compunctus in hac iuſta voce, ſub verbo & condemnatione inquit: Hoc fecit Petrus, qui veritatis inimicus eſt, & nullibi iuſtum habet ſermonem, ſed in omnibus proteruus hoſtis eſt, oppugnatis bonis ac orthodoxis cogitationibus eius, qui eſt poſt Deum vniuerſi orbis Dominus. Hæc enim ſic atteſtata, præſente Magnifico Principe prouinciæ, & quibuſdam clariſſimis electis de metropoli, multi ex venerabili clero Apamearum edocuerunt, addentes, & quantam ſeruauit voluptuoſiſſimam affectionem circa Stephanam & * Scina, quã adducendo perſuaſione & blanditijs, monaſterio iniquè immittit, & omni tempore priuatim & continuè ipſe præſtolatur. Et hoc diuerticulum indecens rurſus ſibi fabricauit, & materiam impudicam, quam ipſe vocauit doctrinam eſſe & monitionem, putans omnes præſentes fallere, & veritatem peruertere eorum, quos in malo cum illa conuentione amplexatus fuerat, vt ſobrium valde ſermonem diſcurramus de hoc. Quare ſupplicamus, ac rogamus veſtram beatitudinem, vt reſpicientes ad verum * verbum cui ſeruitis, & ad memorabile orthodoxi propoſitum pijſſimi Imperatoris noſtri, ac maximarum poteſtatum ſequamini ſancta beatiſſ. Patriarchæ & ſanctæ geſta ſynodi cum ipſo congregatæ, & conſentiatis iuſtæ depoſitioni factæ contra Seuerum hæreſiarcham, & deponere velitis Petrum, quem nominando, meritò erubeſcimus: ſed neceſſitate perſuaſi, dicimus & ſupplicamus deponere ipſum, & extra diuinum chorum ſtatuere, ac extra ſacerdotium, à quo ipſe omninò alienus fuit iam, & nunc ſibijpſi ſolum illicitè circumpoſuit ſacerdotij * ſpecimen. Iſtis enim ſic præcedentibus Deus admittet veſtram puram, & ipſi dilectam voluntatem, & rex magnus laudabit rectum animum veſtræ iuſtitiæ, & paſſiones concitatas membris eccleſiaſticis excidet. Et vtinam ſicut olim & præolim, remedium & curam Apoſtolicam Eccleſijs donando, quæ ad ſanctum & conuenientem ordinem immaculatam Chriſtianorum fidem conducant, vt gloriam & indefeſſos hymnos in vocibus & canticis Deo Domino acclamemus, ac cæleſtibus poteſtatibus & omni humana natura, in bonam vnionem * iuſtis Eccleſiæ Catholicæ conuenientibus, vt iuxta diuinam vocem, fiat vnum ouile & vnus paſtor Chriſtus Deus noſter.

* λόγου

* ſpeciem

for. * cum iuſtis Ioan. 10.

SVBSCRIPTIONES.

Alexander preſbyter & archimandrita monaſterij beati Maronis, porrexi prædictos libellos, & ſubſcripſi manu mea.

Simeon Dei miſeratione preſbyter, & archimãdrita, monaſterij beati Agapeti.

Procopius preſbyter & archimandrita monaſterij beati Theodoſij.

Eugenius preſbyter & archimandrita monaſterij beati * Iſychij.

Palladius preſ. & archim. monaſterij beati Valentiniani in * Captiolo.

Stephanus preſ. & archimand. monaſterij ſancti Theodori in Vaſala.

Ioannes presb. & archiman. monaſterij ſancti Felij, porrexi.

Maras preſbyter, & archimandrita monaſterij beati Baſilij.

Muſelius preſbyter & archimandrita monaſterij beati Baraſonæ.

Sergius presb. & archimandrita monaſterij beati Thalaſſij.

Timotheus preſbyter & archimandrita monaſterij beati Gaiani.

Simeon. diaconus & archimandrita monaſterij beati Eugraphij.

Iulianus preſbyter & archimandrita monaſterij beati Cyrilli.

Romulus preſbyter & archim. monaſterij beati Ioannis & Iacobi.

Dorotheus preſbyter & archimandrita monaſterij beati Cyrilli.

Thomas preſbyter & archimãdrita monaſterij beati Ioannis.

Caiumas diaconus & archimandrita monaſterij beati Pauli.

Camnelius diaconus & archimandrita monaſterij beati Iſaccij.

Sunt autem & in lingua Syriorum multæ & infinitæ monachorum ſubſcriptiones.

Sanctiſſimus archiepiſcopus dixit: Sancta ſynodus nobiſcum præſens, ſententiam, quam habet in his, quæ facta ſunt & lecta dicat. Et venerabilis Chriſtodorus notarius & diaconus ac ſecretarius, legit interpretationem vocis lectæ per litteras Latinas, quæ ſic habet: Sanctiſſimi epiſcopi partium Italiæ, & honorandiſſimi diaconi ſedis Apoſtolicæ, dixerunt: Dudum cognitum eſt diffinitionibus Apoſtolici præſulis Hormiſdæ, Seuerum & Petrum ſiue cõplices ſuos, & qui ipſos ſequuntur, pro manifeſto eorum errore condemnatos eſſe quod & nos, ſequaces per omnia Apoſtolicæ ſedis, ſancimus, in loco * videlicet & numero condemnatorum ipſos eſſe * confitemur. Verùm non modo prædicti Seueri impia conſcripta, in quibus definitiones ſanctæ Chalcedonẽſis ſynodi, & epiſtolas beatæ memoriæ Leonis papæ, blaſphemo ore anathematizare præſumpſit, ſed etiam Zoaram, & oẽs in ipſorum communione ſeu errore permanẽtes, ipſius ſentẽtiæ ſeueritatis ſiue ipſius anathematis vincula compræhendunt.

* vim for. * nec ficam

Sententia Epiphanij patriarchæ, & ſynodi congregatæ contra Seuerum & Petrum.

Sancta ſynodus dixit: Licet quid nouius fuerit, quòd à venerabilibus prioribus venerabilium monaſteriorũ petitum, tanquam pro ſanctiſſimis eccleſijs porrectum, admittere omnino nos oportet, & ipſorum pio zelo communicare atque conuenire, nunc autem & hoc eſſe factum cum ratione à beatiſſimis patribus & fratribus noſtris iam conſpicimus: ſicque maximæ culpæ eſſet, non ſequi illos, qui non paruos ſudores habuerunt pro communi pace ſanctiſſimarum eccleſiarum, & qui magnis ac patriarchalibus reſplenduerunt ſedibus. Ex omnibus itaque lectis inuenimus Seuerum & Petrum totius Eccleſiæ catholicæ, imò & ipſius orthodoxæ fidei apoſtatas, & abſciſſos, ac ſimpliciorum animarum inſidiatores, necnon impiorum hæreticorum fautores, * qualia ipſorum frequentibus erroribus ὑπάγουσι, verùm & ſacras ſanctiones ſanctorum patrum noſtrorum pro nihilo putauerunt, & his interdicta periculoſè facere præſumpſerunt, & propter hæc in ſacras ſententias lectas inciderunt, & nos * ipſas ſequentes, prædictos Se-

* qualia ipſorum frequentibus erroribus

* ipſas

uerum

uerum & Petrum, qui nec ἀνοσιωθέντες retrahuntur perpetuis condemnationibus & anathematizationibus, à tantis sanctis patribus contra ipsos factis, mediocriter videlicet secundum quod factæ sunt, econtrariò verò temeritatem suam auxerunt contra omnes sanctas Ecclesias, & ipsas tumultibus, quantum in ipsis fuit, impleuerunt, & propriorum labiorum fructus carpserunt, vt dicit diuina scriptura, habemus factos in ordine hæreticorum, quos dilexerunt, & anathemata, quæ studuerunt inuenire in contumeliam patrum nostrorum, & euersionem fidelium, ipsi habent ea contra caput suum, ambulantes (sicut dicit Propheta) in lumine ignis sui, & in flamma, qua exarserunt. Et in hoc etiam sequendo nos memoratos sanctos patres, per mediocrem contra ipsos sententiam nostram, anathematizamus ipsos Seuerum & Petrum, quorum alter quidem Theopolitanorum, alter verò Apamearum Ecclesiarum sedem illicitè subripuerunt: vt qui in Christo sperauerunt, & catholicæ Ecclesiæ existunt. hoc scientes, non incidant in ipsa ignorantia eorum, quæ canonicè contra ipsos diffinita sunt, sed sciant secundum euangelicam & Apostolicam doctrinam, quoniam hæreticum virum post primam & secundam monitionem recusare oportet, & quod non oporteat dicere tali, Salue, nam qui dicit ei, Salue, communicat operibus illius malis. Manifestum autem est, quod eiusdem condemnationis sunt Zoaras impijssimus, & omnes, qui venerabilibus altaribus & baptisterijs sua hæretica conuenticula oppossuerunt. Et simili modo anathematizamus parabaptismata & impia conscripta prædicta Seueri. Æqualiter enim (sicut dicit diuina scriptura) *Odibilia sunt Deo impius ac impietas ipsius.*

Sententia Mennæ patriarchæ contra Seuerum, Petrum & Zoaram.

SANCTISSIMVS ac beatissimus œcumenicus Archiepiscopus & Patriarcha Mennas, dixit: Cùm Ioannes diuinus Apostolus, & discipulus magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, dicat quædam peccata esse non ad mortem; quædam verò ad mortem, doceatque nos per hanc sententiam, fugere blasphemias in Deum per opiniones hæreticorũ, veluti ad mortem ducentes, videnturque Seuerus & Petrus spontè præeligere peccata ad mortem: opportunum est, eos, qui à principio errauerunt, & opinionibus hæreticis seducti sunt, & propter hoc à sancta catholica Ecclesia & Apostolica, & ab omnibus, qui in ipsa partem sacerdotij sortiti sunt, condemnationem sibi ipsis superinduxerunt, sobriè pœnam portare, & ipsam existimare, occasionem pœnitentiæ atque recognitionis. At cum hi nihil tale videãtur fecisse, neque toto tempore aliquam demonstrationem recognitionis fecerint, sed tanquam ad ipsum Deum superbientes, manserunt in proprijs impietatibus, & paruum putauerunt, stare vsque ad perditionem suam, etsi non omnes alios, quibus validi fuerũt, perdidissent, & opus affectauerunt, dignum solius authoris & inuentoris iniquitatis, qui propriam ruinam, communem omnium hominum perditionem constituere voluit, & vsque nunc vult. Non ergo cessauerunt vti doctrinis scriptis & non scriptis, & non solum in ciuitatibus, in quibus fuerunt cõmorantes, sed etiam in longè remotis, simpliciorum animas alliciendo, & participes propriæ perditionis faciendo, non ad intellectum accipientes iudicium Dei, neque Dominicam sententiam manifestissime clamantem: Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis, obnoxius erit gehennæ ignis. Insuper autem conculcauerunt venerabiles canones, qui prudenter sanxerunt, condemnatum in aliqua synodo, nullo modo posse sacerdotale ministerium reassumere, donec de eo discussio ab alia synodo facta, ipsum innocentem probasset. Et si quis audebit sacrum quid de medio tempore facere ante restitutionem in alia synodo, hunc nec posteà in alia synodo spem aliquam restitutionis habere. Sed, hæc omnia despicientes prædicti Seuerus & Petrus, & sui communicatores & participes, de quorum numero est Zoaras quidam monachus de Syria ortus, homo, qui neque intelligere aliquid sacri potest, neque secundum rationem facere, non quod alijs quicquam boni impartiri possit, sed simpliciter sic hypocrisim, veluti escam quandam, animabus furientium porrigit, immò (quod verius est dicere) materiam auaritiæ facit. Contempserunt quidem Ecclesiam Romanam successorem Apostolorum, quæ sententiam contra ipsos protulit, & ad nihilum reputauerunt huius regiæ vrbis sedem patriarchalem, & omnem synodum in ea congregatam, & eiusdem Domini & saluatoris omnium in sanctis locis Apostolicam successionem, & vltra hæc omnia, etiam omnem sententiam Orientalis diœcesis contra ipsos latam. Dicendum etiam est, quod illotis manibus sancta contrectarunt, & tanquam porci quidam margaritas conculcauerunt: (dico autem Euangelicas & paternas sententias) nec cessauerunt vsque in hodiernum diem, *grauiter obuiare statui & paci sanctissimarum Ecclesiarum. Ipsi enim clàm & occultè faciunt ea, quæ canonibus interdicta sunt, alios quidem multos iniqua doctrina ipsorum persuadentium *peruertendo, conuenticula-que & parabaptismata per domos & monasteria faciendo cõtra canones, & ipsorum sceleratam communionem multis, qui ab ipsis peruersi fuerant, tradendo: homines dicimus neque figura, neque re, qui habebant ordinationem ab ipsis datam similiter ipsis peruersis. Porrò per hanc non solum non eradicatur anathema primò impositum à patribus nostris, sed & ex nostra sententia, immò verò canonum authoritate, spes restitutionis ipsis aufertur & vt catholici filij, cùm hoc intelligunt, fugiant illorum errorem & hæresim. Propterea igitur sequentes sanctorum patrum nostrorum sententias, & euangelicis ac paternis inhærendo sanctionibus, susc ipimus & sanctissimos fratres & comministros, cum ab ipsis lata fuerit sentẽtia contra prædictos, Seuerum, Petrum & Zoaram, & alios, quicunque communicant ipsis in impietate, ac cõtra complices ipsorum. Et nos illos per Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum, tanquam lupos quosdam, grauiter irruentes in ouile Christi abijcimus, & consentientiatiui fimus sanctissimis fratribus & comministris nostris & sæpius prius nominatos Seuerum & Petrum simili anathemate ferimus: non autem ipsos solum, sed & Zoaran, & alios, qui conuenticula & parabaptismata faciunt: necnon & omnia ab ipsis conscripta, quæ venenum draconis authoris mali, in ipsis nutriunt, & ipsum in simpliciorum animabus emittunt.

Matt. 7.

*gnauiter

*perimendo

SVBSCRIPTIONES.

Mennas Dei miseratione Episcopus Constantinopolitanus diffiniui, & subsignaui me propria manu.

Ego Sabinus Episcopus S. Ecclesiæ Canusinæ, in synodo sequens diffinitionẽ sanctæ recordationis Papæ Hormisdæ, anathematizans atque condemnans Seuerum & eius impia scripta, & Petrum quondam Apamearum episcopum, & complices eorum atque sequaces, necnon & Zoaram, vel communicatores eorum, & in eodem errore permanentes, subscripsi.

Ego Epiphanius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Esculanæ, *& cætera similiter per literas Latinas.*

Ego Asterius Episcopus S. Ecclesiæ Salernitanæ, *& reliqua similiter per literas Latinas.*

In nomine Domini Iesu Christi Leo Episcopus Ecclesiæ Nolanæ, *& reliqua similiter subscriptura Latinarum literarum.*

Ego Rusticus episcopus sanctæ Ecclesiæ Fæsulanæ, *& reliqua similiter per literas Romanas.*

Theophanes diaconus S. Ecclesiæ Romanæ, *& reliqua similiter per literas Latinas.*

Pelagius diaconus S. Ecclesiæ Romanæ, *& cætera similiter.*

* Ipatius Episcopus Ephesinus, diffiniui & subscripsi. *Hypatius

Constantinus Episcopus Heracleus in Europa, subscripsi.

Eusebius Episcopus Cyzicus, diffiniui & subscripsi.

Thalassius Episcopus Nicomediæ, diffiniui & subscripsi.

Anastasius Episcopus Nicenus metropolita, cum per lectionem sciuerim, quæ facta sunt, anathematizans Seuerum & eius impia scripta, ac Petrum quondam Apameæ, necnon & Zoaram, & ipsorum communicatores, & qui in ipsorum

errore permanent, diffiniui & subscripsi.

Photinus Episcopus Chalcedonæ, diffiniui & subscripsi.

*Sebastenſis. Auxentius Episcopus *Sebastienſis, consententiatiuus existens diffinitis, subscripsi me.

Theodulus Episcopus Iconij, consententiatiuus existens & ipse, subscripsi.

Theogenes Episcopus Symnadorum, diffiniui & subscripsi.

Bachus Episcopus Antiochiæ in Pisidia, diffiniui & subscripsi.

Mamas episcopus Melitenensis, consententiatiuus existens in omnibus, subscripsi.

Hilarianus Episcopus Pergæ, diffiniui & subscripsi.

Vosporius Episcopus Neocæsareæ, diffiniui & subscripsi.

Paulus episcopus Tyanus, diffiniui & subscripsi.

Acacius Episcopus Pessinuntius, diffiniui & subscripsi.

Canon Episcopus Sidensis, consententiatiuus existens & ipse subscripsi.

Epictetus Episcopus Glaudiopolitanus Honoriadis, diffiniui & subscripsi.

*Theodotus. *Procopius Episcopus Gangrenus, consententiatiuus existens, subscripsi.

Petrus episcopus Iustinopolitanus secundæ prouincia Cappadociæ, subscripsi.

Marcus Episcopus Apameæ, diffiniui & subscripsi.

Hediscus Episcopus *Cianus, diffiniui & subscripsi.

Ioannes Bosphori, diffiniui & subscripsi.

Theodorus episcopus Gortynę, quæ metropolis est prouinciæ Cretensis, cùm per lectionem sciuerim, quę facta sunt, anathematizans Seuerum & eius impia conscripta, & Petrum quondam Apameę, ac Zoaram, & communicatores ipsorum, & qui in eorum permanent erroribus, diffiniui & subscripsi.

Hyacinthus episcopus Miletinen. ciuitatis, diffiniui & subscripsi.

Thalassius episcopus Beryti, consententiatiuus existens & ego omnibus hic diffinitis, ipsos hæreticos anathematizans, videlicet Seuerum & eius impia conscripta, Petrum quondam Apameæ, ac Zoaram, communicatoresque ipsorū, ac in ipsorum errore permanentes, subscripsi.

Magnus Episcopus Beroæ primæ prouinciæ Syriorum, diffiniens subscripsi.

Ætherius Episcopus Mariamniæ secundæ prouinciæ Syriorum, subscripsi.

*Zinchiorum. Domitianus Episcopus *Zichiæ, diffiniens subscripsi.

Calloas Episcopus Smyrnæ, diffiniui & subscripsi.

Archelaus Episcopus ciuitatis Corycorum, diffiniens subscripsi.

Christophorus episcopus Porphirionis prouinciæ Phœniciæ Paralij, anathematizans Seuerum & Petrum & Zoaram, ac communicatores eorum, & in ipsorum errore permanentes, diffiniens subscripsi.

Habet & duas subscriptiones Syriorum.

*Pagrasorum. Alexander episcopus *Paraxiorum videlicet Iustinianæ ciuitatis, anathematizans Seuerum, & eius impia conscripta, Petrum quondam Apameæ, & Zoaram, ac communicatores ipsorum & in ipsorum errore permanentes, diffiniens subscripsi.

Eustathius episcopus ciuitatis Tiberiopolis diffiniens subscripsi.

Anastasius Episcopus insulæ Iotapæ, diffiniens subscripsi.

Domnus episcopus ciuitatis Maximianopolis, diffiniens subscripsi.

Pelagius episcopus Parnassi, diffiniens subscripsi.

Ioannes episcopus Zoaranus tertiæ Palæstinæ prouincię, diffiniens subscripsi.

Epiphanius episcopus Heracleanus, diffiniens subscripsi.

Abraamius episcopus Cratianus diffiniens subscripsi.

Alexander episcopus Colonensis, diffiniens subscripsi.

Eugenius episcopus Tij, diffiniens subscripsi.

Epitynchanus episcopus Germæ, diffiniens subscripsi.

Andreas episcopus ciuitatis Theodosiopolis, diffiniens subscripsi.

Eusebius episcopus *Antiquæ ciuitatis, diffiniens subscripsi, *Antyſe vel *Afyaeque.

Asterius episcopus Amastridæ, diffiniens subscripsi.

Theodorus episcopus ciuitatis Gordiorum, subscripsi.

Matthias episcopus Cymæ, diffiniens subscripsi.

Ioannes episcopus Podaliæ, diffiniens subscripsi.

Ioannes episcopus *Midaij, diffiniens subscripsi. *Midaiæ *Sedecuſ

Paulus episcopus ciuitatis *Stectorij, diffiniens subscripsi.

Andreas episcopus Peltenus, diffiniens subscripsi.

Theodorus episcopus ciuitatis Myrorum, diffiniens subscripsi.

Habet & aliam subscriptionem vnam Syricam, id est, Syriæ litteris scriptam.

Leontius episcopus ciuitatis Helenopolis diffiniens subscripsi.

Minas episcopus Eudoxatæ diffiniens subscripsi.

Ioannes episcopus Cæsareæ, diffiniens subscripsi.

Ioannes episcopus *Troianæ ciuitatis Phrygiæ Pacatianæ, diffiniens subscripsi. *Traianopolis Phrygiæ Salutariæ.

Stratonicus episcopus Sysdrorum ciuitatis diffiniens subscripsi.

Dominicus episcopus Theodosiopolitanus, diffiniens subscripsi;

Flauianus episcopus Cotenorum, diffiniens subscripsi.

Petrus episcopus Ambladorum ciuitatis, diffiniens subscripsi.

Theodorus episcopus Carissorum ciuitatis, diffiniens subscripsi.

Allodius episcopus Pemanetianus, diffiniens subscripsi.

Theodotus episcopus *Eurorum prouinciæ veteris Epiri, diffiniens subscripsi. *Berionū

Macedonius episcopus *Butritinus, diffiniens subscripsi.

Mosimus episcopus Antandrus Asianorum prouinciæ, diffiniens subscripsi.

Theodoritus episcopus Alindenus, diffiniens subscripsi.

Licinius episcopus sanctæ Ecclesiæ in Patara, diffiniens subscripsi.

Pantaleon episcopus Iuliopolitanus Galatiæ prouinciæ, diffiniens subscripsi.

Dominicus episcopus Sophenæ Armenię primæ prouinciæ, diffiniens subscripsi.

Dionysius episcopus Eucarpeus, diffiniens subscripsi.

Martyrius episcopus sanctæ Ecclesiæ in Pitana, diffiniens subscripsi.

Epiphanius episcopus Baratthæus Lycaoniæ prouinciæ, diffiniens subscripsi.

Marcellus episcopus Arcis, consententiatiuus existens, diffiniui & subscripsi.

Tryphon episcopus Corbaseus prouinciæ Pamphyliæ diffiniens subsc.

Magnus presbyter & ambasiator Apostolicæ sedis *Theopolitanæ, & sanctissimi Patriarchæ *Euphremij, sequés olim & nunc consententiata à sanctissimis Patribus & Pontificibus nostris, anathematizo Seuerum & hæretica eius conscripta, & Petrum vindicatum, insuper & Zoaram horum impietatis sequacem, necnon in errore istorum persistentes, & subsc. *Antiochenæ.

Heraclius diaconus & ambasiator Apostolicæ sedis Theopolitanæ, ac sanctissimi Patriarchæ *Euphremij, secutus

collegam

collegam meum Magnum, subscripsi.

Sabinus Diaconus sanctæ resurrectionis CHRISTI DEI nostri, ambasiator Petri sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani, sequendo Magnum & Heraclium, subscripsi.

Paulus episcopus Naxianus consententiatiuus & ego omnibus diffinitis, subscripsi.

Minas episcopus Carpathi insulæ consententiatiuus & ego existens omnibus, diffiniens subscripsi.

Theodorus episcopus Paros insulæ Zyphiriorum & Amulgiorum ciuitatis, consententiatiuus existens omnibus, diffiniens subscripsi.

NOTAE.

Epistola Synodica ad Petrum Hierosolymitanũ Episcopum de rebus in Synodo gestis scripta; Extat infra in Concil. Hieros. Incipit sic: Recordantes.

CONSTITVTIO IVSTINIANI Imperatoris contra Anthimum, Seuerum, Petrum & Zoaram.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei nostri, Imperator Cæsar Flauius Iustinianus, Alèmanicus, Gothicus, Francus, Germanicus, Anticus, Alanicus, VVandalicus, Africus, pius, felix, gloriosus, victoriosus, triumphalis, semper Augustus, Mennæ Patriarchæ.

REm non insolitam imperio & nos facientes, ad præsentem venimus legem. Quoties enim sacerdotum sententia quosdam indignos sacerdotio de sacris sedibus deposuit, quemadmodum Nestorium, Eutychen, Arium, Macedonium, & Eunomium, ac quosdam alios, ad iniquitatem non minores illis, toties Imperium eiusdem sententiæ & ordinationis cum sacerdotum authoritate fuit. Sicque diuina pariter & humana concurrentia, vnam consonantiam rectis sententijs fecere, quemadmodum & nuper factum esse circa Anthimum scimus, qui quidem deiectus est de sede huius regiæ vrbis, à sanctæ & glorioſæ memoriæ Agapeto sanctissimæ ecclesiæ antiquæ Romæ Pontifice, eo quod nullo modo sibijpsi conueniens, contra omnes sacros canones se intruserat: sed & communi sententia ipsius sanctæ memoriæ viri primum, deinde etiam sacræ synodi hic celebratæ, condemnatus & depositus fuit, eo quod à rectis dogmatibus recessit, & quæ prius multoties diligere videbatur, hæc demum diuersis lustrationibus aufugit, simulans sequi sanctas quatuor synodos, trecentorum videlicet decem & octo patrum in Nicæa, & centum quinquaginta in hac felici ciuitate, & in Epheso primo congregatorum 200. ac 630. venerabilium patrum in Chalcedona. At quidem nec dogmata sequi, nec nostram clementiam & condescensum, quem propter ipsius salutem habebamus, suscipere voluit, neque ipse abdicare authores impiorum dogmatum, qui prius à sanctis synodis percussi fuerant, sed putat oportere, secundum ipsum, in æquali ducere & condemnatos. Nam semel alienis à sanctissima Ecclesia intellectibus mancipatus, & à rectis dogmatibus alienatus, meritò ad ipsorum rectitudinem reuerti non valuit, etiam ad hæc à nobis inuitatus & directus, qui omni studio vsi sumus ad ipsius salutem. Propter hæc igitur omnia sententiam depositionis in ipsum à sancta synodo factam, occasione non liciti, neque à sanctis canonibus approbati, raptus sacrarum sedium huius regiæ vrbis, & auersionis à rectis & veris dogmatibus, κυρίαν, propter nostrum ponit imperium, & contra *istum præsentem scribit legem. Interdicimus ei commorari in hac felici ciuitate, & eius districtu, ac in quacunque alia insigni ciuitate, sancientes in quiete esse, & eos diligere, quibus eundem dignè suppositi, & non aliquibus communicare, neque eos imbuere perditionem interdicto-rum dogmatum.

Nec vtique extra imperialem confirmationem relinquimus sententiam iustè contra Seuerum latam, ac ex omnibus (vt ita dicamus) pontificialibus & Patriarchalibus vnà cum monachicis consensibus prouenientem sedibus, & anathematisinum ipsi inferentem, qui prius contra sacras sanctiones, accipiendo sedem sanctissimæ Ecclesiæ Theopolitanorum, sic vniuersa conturbauit, sicque accumulatas turbationes fecit, quod commune quoddam ac abominabile bellum, sanctissimis ecclesijs adinuicem immittat. Et hoc sæpius ante nos contra ipsum scriptum erat, varijs dogmatum ac à rectitudine alienatis intellectibus, ac blasphemijs vsum fuisse, ac vniuersa conturbasse, & illum, quemcunque errorem abominabilium hæresiarcharum & iniquorum dogmatum, recipere. Et cum Nestorius & Eutyches, & vterque horum præceptorum contrarij quodammodò adinuicem esse videantur, ad vnum verò impietatis finem inferunt illorum diuulgatos sermones, cum in vnum formauerint, duobus existentibus dogmatibus adinuicem repugnantibus, quorum vtrunque similiter ad animæ perditionem adducit, Nestorij videlicet & Eutychis, (quemadmodum dicendo narrauimus) quæ ex Arianorum & Apollinarij contagione consistunt, ipse paradoxum quid perpessus, in vtrunque similiter incidit: & ibi quidem hoc, ibi autem illud * mittendo, seipsum & sermones suos visus est constituisse commune receptaculum tantorum delictorum. *dimittendo, vel, mutando.

Sic itaque & ipse sub prædicto anathematismo, quem vniuersus Patriarchalis, pontificalis, ac monachicus nostræ (vt ita dicamus) politiæ cœtus iustè in ipsum induxit, de Theopolitana quidem Ecclesia eiectus est. Idcircò thronus de illa ipsum remouit, eo quod ipsius principatum rectè non acceperat, sed adhuc viuente eo, & in sanctissimis ecclesijs commorando, quiante ipsum sacerdotium habebat, & ab eo post ipsum de sacerdotio exciderat. Nec verò vsque adhuc stetit, sed & iam sub communi orthodoxæ ac catholicæ Ecclesiæ anathematismo factus multis libris blasphemijs; & abominationibus nobis politiam impleuit: quarè vniuersis interdicimus, aliquid de libris ipsius possideri. Et sicut non licet Nestorij libros scribere, vel possidere, quia prædecessoribus nostris Imperatoribus in suis constitutionibus visum est statuere, * similia dictis à Porphyrio contra Christianos, sic nec dicta & scripta Seueri maneant penes aliquem Christianum, sed sint prophana & aliena ab Ecclesia catholica, igneque comburantur à possidentibus, nisi qui ipsa habent, vellent periculum pati. A nemine ergò scribantur, neque ad pulchritudinem, neque ad velocitatem scribentium, sciendo, quòd amputatio manus his, qui scripta illius scribunt, pœna erit. Neque enim volumus in futuro tempore ex illis blasphemiam protrahi. Similiter autem * & hoc interdicimus, omnino regiam ciuitatem ingredi, aut districtum eius, nec aliquam aliam de insignibus, sed in aliqua solitudine & in silentio sedere, & non corrumpere cæteros, neque in blasphemiam ipsos adducere, & non semper aliquid noui inuenire contra vera dogmata, per quod rursus nobis conturbare sanctissimas ecclesias festinaret. Nec solummodo hunc, sed & Petrum episcopum Apameæ * simul depositum, & similes ipsis, inter quos Seuerum sub prædicto anathemate factum Imperium admittit, * sed sint propria contra ipsum sententiata. Et qui sub communi anathematismo ordinatus est, sub ipso sit: & sententia sanctissimorum pontificum, quæ contra ipsos prouenit, firma permaneat. Neque verò permittimus illi hanc regiam vrbem habitare, aut ipsius districtum, vel aliquam de insignibus: sed quorum secutus est errorem, horum imitetur diætam, quoniam longissime abscissus est. Nam talibus occultari magis, quàm videri, vtilius est. Ignori quidem * existentes, seipsos lædunt solos: publicantes verò * eorum dogmata, multis ex simplicioribus occasionem perditionis præbent. Quòd nullo modo fieri in Christiano ouili Dei & orthodoxo populo iustum est, neque ab imperio permissum est. Quoniam verò & Zoaram dignè penitus iudicarunt sub anathematismo esse reuerendissimi, & qui iusta iudicant, episcopi, cùm parua quædam talium malorum interpositio sit, & quibus deho neſtatus est, omnia videlicet comprehendendo ex memoria quadam abundanti, sit & Zoaras * interpositio quædam vilis huius malæ partis (Anthimi dicimus, & Seueri, ac Petri) ordinetur & ipse inter anathemati- *similiter & hæc sint *sua *παρεμπτωσις.

zatos,

zatos, sacra sententia ipsum deferente, quam propriam & ipsam in seipsa existentem, adhuc magis * firmiorem imperium facit, & hunc de hac regia vrbe & eius districtu abijcit, & habitationem in alijs ciuitatibus ipsi omninò interdicit. Itaque cum illis solis habitet, & consulat, qui à nobis antè memorati sunt, qui similia quidem * blasphemant, similia patiuntur, & similiter in exilio ponuntur. Si quid verò aliud sententia sanctissimorum episcoporum continetur, quæ prædictos deponit & anathematizat, hoc firmius ponimus & diutius, ac imperialibus nostris legibus ipsum corroboramus, ac si ab imperio ipso proueniisset. Si verò aliquis ipsorum deprehendatur de cæterò facere aliquid præter constituta * sciat incidisse in legibus Imperialibus, quæ minores pœnas declinantes, ad maiores immittunt indignationes. Interdicimus autem & omnibus conantibus catholicam Dei ecclesiam diuellere, siue secundum Nestorij hæretici doctrinam: siue secundum insensatam Eutychis traditionem, siue secundum blasphemiam Seueri, qui & similia illis intellexit, aut eorum, qui illos sequuntur, seditionem immittere sanctissimis ecclesijs, & loqui aliquid de fide: sed sancimus quemlibet talium silentium ducere, & non conuocare aliquos ad se, neque accedentes recipere, aut parabaptizare audere, aut sacram communionem sordidare, & ipsam aliquibus tradere, aut interdictas doctrinas exponere, siue in hac nostra regia, siue in alia: sed omne supportare periculum, si quid tale faciet. Interdicimus etiam omnibus istos suscipere.

Abijci ergò ipsos, sancimus, de ciuitatibus ab ipsis concitatis, scientes * vltra pœnas iam contentas in nostris diuinis constitutionibus, quæ & domos ipsas, in quibus tale quid fit, & campos, ex quibus nutrimenta præbentur, sanctissimis ecclesijs assignant, & à possidentibus auferunt, & quia detrimenti causa * fit simplicioribus, sub sanctissimis verò & orthodoxis ecclesijs hæc iustè dicunt esse. Hæc pro communi pace sanctissimarum ecclesiarum statuimus, hæc sententiauimus, sequentes sanctorum patrum dogmata, vt omne sacerdotium imperturbatum decæterò nobis permaneat. Quo in pace seruato, reliqua nobis exuberabit politia, desuper pacem habens, quam omnibus magnus Deus & Saluator noster Iesus Christus, Trinitatis vnus, vnigenitus Dei filius, præbeat ac donet his, qui syncerè ipsum & verè glorificare, ac adorare digni habiti sunt. Custodiat itaque beatitudo tua, quæ rectè adnotata sunt, & mittat ipsa per suas Deo dilectas litteras omnibus sanctissimis metropolitis sub ipsa existentibus, quorum cuilibet cura erit, ipsa manifesta facere sanctissimis ecclesijs sub ipsis ordinatis, vt neminem ex omnibus lateant, quæ sacerdotio visa sunt, & ab imperio confirmata.

Diuina subscriptio.

Diuinitas te seruet per multos annos sanctè ac religiosè pater. Data octaua Idus Augustas Constantinopoli, post consulatum Belisarij viri clarissimi.

NOTAE IN CONCILIVM Constantinop. post obitum Agapeti, tempore Interregni Pontificij, sub Menna, Anno Domini 536. post Cons. Belisarij, contra Anthimum, Seuerum, aliosq; Acephalorum principes celebratum.

Concilium] *Legati sedis Apostolicæ, quos Pontifex Anno 535. ad res componendas Constantinopolim præmiserat, quosque decedens ibidem nulla potestate imminutos reliquerat, summo studio post obitum Agapeti Pontificis curarunt, vt quæ ab eodem Agapeto ad huc viuente constituta fuissent, nullo hæreticorum insultu labefactarentur; sed potius sarta, tecta, atque in omnibus illibata & integra seruarentur. Induxerunt Mennam Constantinop. alioſque Orientales Episcopos, vt idem procurarent. Antequam igitur depositi nuper hæretici potentia Imperatricis freti rursus insurgerent, pari consensu decreuerunt, ex viciniorib⁹, ijsque qui Constantinopoli morabantur Episcopis synodum colligere, vt hæretici auctoritate Pontificis Agapeti compressi, legatorum etiam sedis Apostolicæ, & Mennæ, qui præfectura sedis Apostolicæ fungebatur; aliorumque Orthodoxorum præsulum sententiâ condemnarentur. Synodum in Dytico habitam esse, ex singularum actionum initio cognoscere licet. Quid sit Dyticum, infra dicemus.*

Concilio à quibus & qua occasione celebratum.

Locus Concilij.

Episcopi quinquaginta, quorum nomina in principio actionis primæ recensentur, Concilio interfuerunt. Eidem præsederunt legati sedis Apostolicæ, Theophanes & Pelagius, vna cum Menna Constantinopolitano Antistite, & sedis Apostolicæ vicario. Qua de re in eodem actum fuerit, infra dicemus. Acta huius Concilij antehac confusa fuerunt. Id quod actione quinta gestum fuit, notâ & inscriptione actionis primæ insignitum extitit hactenus. Lectori pergratum fore putaui si id emendem, eaque sub actione V. collocem, quæ sub prima actione hactenus excusa fuerunt. Acta Concilij Hierosolymitani illius, quod continebatur eâdem primâ actione, cum sententia Petri Hierosolymitani Episcopi contra Anthimum lata, separatim imprimi curaui. Nihil actis vtriusque Concilij additum, nihilque est ablatum; sola dispositio seruato temporis ordine est immutata. In hac re secutus sum sententiam Illustrissimi Cardinalis Baronij. Si quis perperàm aliquid dictum aut factum esse doceat, meliora suadenti non grauatè parebo.

Qui eran ue Episcopi Constantinopoli fuerunt.

Acta Synodi confusa distinguuntur.

Post obitum Agapeti.] *Hanc Synodum celebratam esse tempore interregni Pontificij, post obitum Agapeti; constat supra in singularum prope actionum exordio, vbi sanctæ memoriæ Agapetus Papa nominatur. Item ex libello Monachorum, quem imperatori obtulerunt, in quo de obitu illius hæc scribunt.* Sic enim oportunè assumptus est hic honorabilis vir à Dispensatore nostro DEO, & additus est Patribus suis, & bonum certamen certauit, & cursum perfecit, fidemque seruauit. *Et paulo post*: Nam sancto Agapeto in præsenti vita existente post DEVM ad vestram pietatem respiciente, hæc accipere finem à vobis exspectauimus. Implendo itaque quæ ab ipso iustè & canonice iudicata fuerunt, illius beatam animam coletis, quæ cum Deo proxima sit, eo quod vinculo terræ & carnis huius soluta sit, & fiduciam ex proprijs bonis operibus adepta pro pace & salute vestræ pietatis intercedit. *Tempore interregni celebratum fuisse hoc Concilium mense Maio & initio Iunij, constabit ex ijs, quæ infra dicemus de Siluerij Papæ electione.*

Tempus Concilij.

Anno Domini 536. &c.] *Annus enim post consulatum Belisarij, qui singularum actionum initio prænotatus habetur, in Fastis emendatioribus cum Anno Christi 536. & Iustiniani Imperatoris 10. coincidit.*

Contra Anthimum, &c.] *Collector conciliorum vetustioris editionis, existimauit, sub Menna Episcopo duo habita fuisse Constantinopoli Concilia. Vnum contra Anthimum; cuius acta continentur & describuntur prima, secunda, tertia & quarta actione: alterum contra Seuerum, Petrum & Zoaram Acephalorum principes hæreticos, cuius acta describuntur actione quinta. Sed cum reuera eodem in loco atque ab ijsdem Episcopis eâdem de causa; nimirum aduersus eiusdem classis hæreticos, fuerint celebrata, placuit conuentum illum Episcoporum contra Seuerum, Petrum & Zoaram potius quintam huius Concilij actionem, quam distinctum à superiore Concilium nominare.*

An duo Concilia hoc tempore Constantinopoli celebrata.

Actionis primæ historia huius.

Prima actione, secunda Maij considentes Episcopi mandarunt legi libellos illos, quos orthodoxi Archimandritæ vrbis Constantinopolitanæ & inferioris Syriæ Iustiniano Imperatori & Agapeto Pontifici obtulerunt eo fine, vt damnati hæretici non amplius audirentur; sed potius expellerentur & procul relegarentur. Iussum est quoque eorundem Patrum auctoritate, vt legeretur ea epistola Agapeti, quam scripsit ad Petrum Hierosolymitanum Episcopum. Quibus ita peractis, Mennas Episcopus Constantinop. & Concilij præsides interlocutus, dixit; conueniendum esse & explorandum Anthimum, an ab errore resipiscere vellet, nec ne, vt si minus id faceret, expelli posset. Ea humanitate S. Agapetus Pontifex, vt testatur idem Mennas Episcopus, vti mandauit. Ad accersendum Anthimum missi sunt ex Synodo tres Metropolitani Episcopi, duo Presbyteri, atque totidem Diaconi.

Actorum secundæ res

Ipsis Nonis, siue, vt alia lectio habet, pridie nonas Maij secundo

conuenerunt

conuenerunt ijdem Episcopi, cum qui missi fuerant ad accersendum Anthimum, retulerunt, illum in locis palatij, vbi degere consueuit, in suburbio alijsue locis diu quæsitum, inueniri non potuisse. His auditis placuit sancta synodo, rursum aliorum trium dierum terminum ad resipiscendum illi tribuere, cuius rei gratia alij ablegati sunt Episcopi, Presbyteri atque Diaconi, qui eum quærerent.

Sexto Idus Maij rursum ad synodum conuenerunt Episcopi statuto die. Vocati qui ad inquirendum Anthimum secundo missi fuerant, referebant illum maiori cum diligentia perquisitum, nusquam inuentum esse. Placuit itaque Menna Episcopo, atque omnibus totius Concilij Patribus, tertiam resipiscendi dilationem, spacio decem dierum prorogatam, eidem Anthimo esse concedendam: tertioque peremptoriè citandum, sic, vt nisi in termino prorogatæ dilationis compareret, præuia proclamatione, rerum, contra ipsum tribus actionibus præcedentibus gestarum, condemnaretur. Episcopi, Presbyteri & Diaconi tot, quot anterioribus citationibus missi, citandum diligenter vbique inquirunt, sed nusquam inuenunt.

Quod dum in confessu eorundem Episcoporũ duodecimo Kalend. Iunias celebrato, relatione eorum qui missi erant innotuisset, Mennas Constantinopolitanus Episcopus scriptam proclamationem, ad Anthimum latebras captantem publicè legi iussit. Cum post elapsum terminum concessæ dilationis non comparuisset, in eundem contumaciter absentem, lata seu potius iteratò pronunciata est ea sententia, qua viuens adhuc Agapetus illum condemnârat. Post sententiam in Anthimum pronunciatam & Orthodoxorum omnium Episcoporum, clericorum atque Monachorum acclamationibus approbatam, subsecutæ sunt exclamationes aduersus Collegas eiusdem Anthimi Seuerum, Petrum atque Zoaram, ab Agapeto Pontifice iam ante etiam damnatos. Cumque Monachi Orthodoxi aduersus eosdem libellum obtulissent, cuius lectio in alium conuentum differretur, donec ad Imperatorem denunciatæ querelæ, essent perlatæ, ijdem Monachi Iustiniano Imperatori contra Seuerum eiusue Collegas supra nominatos nouos querelarum libellos obtulerunt. Quos cum Imperator Augustus synodo cognoscendos, misisset, opus fuit, vt huius rei causa rursum synodus conueniret.

Pridie itaque Nonas Iunias, postquam libellos præd. Monachorum accepissent ijdem Episcopi, qui superioribus actionibus interfuerunt, eodem loco, eandemq; ob causam conuenerunt. Sedentibus Episcopis mandatum est, vt Theodorus Tribunus & Notarius atq; Referendarius Imperatoris ingrediatur, missosque ab Imperatore Monachorum libellos secum adferat. Additum est, vt simul cum eodem vocentur & ingrediantur accusatores hæreticorum Monachi ac clerici, qui libellos Imperatori obtulerant. Quibus præsentibus, præcipitur primum legi libellus Pauli Episcopi Apameæ secundæ Syriæ, cuius initium est: Magnificauit etiam & nunc Dominus, &c. post hunc, iussus est legi alius eorundem libellus eidem Imperatori oblatus, qui sic incipit: Cor vestræ pietas in manu Dei, &c. His duobus libellis, quos Imperatori obtulerant, perlectis, dimissus est Theodorus Referendarius. Cum autem ipse recessisset, iussus est à sancta synodo legi eorundem Monachorum libellus aduersus prænominatos hæreticos ad synodum datus, cuius exordium tale est: Cum iudicium aduersus Anthimum finem acceperit. &c. Perlecto libello illo, quo ijdem appellauerant olim agitatum aduersus eosdem Apostolicæ sedis iudicium, lecta sunt ea, quæ aduersus eosdem rescripta fuerant ab Hormisda Romano Pontifice, ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum, nec non ea, quæ idem Pontifex ad Monachos secundæ Syriæ perscripserat. Iuncta est hisce lectio libelli supplicis Clericorum & Monachorum Antiochiæ, ad Ioannem Hierosolymorum Episcopum, aduersus eosdem hæreticos, datus tempore Iustini Imperatoris, cum pax reddita esset Ecclesiæ: Huic subiecta est relatio à Ioanne Constantinopolitano Episcopo, tunc temporis data de pace composita.

Lectio Actorum eiusdem temporis & Concilij Constantinopolitani sub Hormisda, (de quibus supra plura dixi) addita est hic eo fine, vt perspicue cognoscatur, Seuerũ, Petrum alioſue hæreticos in hoc synodale iudicium vocatos; tùm à Romano Pontifice; tum in synodis Antiochiæ, Constantinopoli & Hierosolymis, vel alibi celebratis, vbiq; locorum ab Orthodoxis condemnatos fuisse. Quod cum horum omnium lectione perspicue cognitum esset, ab ipso Menna Episcopo Constantinopolitano, atque vniuersa synodo lata sunt in Seuerum, Petrum & Zoaram illæ sententiæ condemnationis, quæ in Actis Concilij recitantur. De rebus in synodo gestis Petrum Hierosolymitanum Episcopum per epistolam synodalem certiorem reddiderunt.

Cum autem Iustinianus imperator cognouisset ea, quæ gesta essent in synodo, consentientia in omnibus esse illis, quæ haud pridem ab Agapeto Romano Pontifice acta fuerant; nihilque spei superesse, vt Anthimus errorem suum emendaret, eâdem religione, qua hactenus semper enituit, pro munimento eorum, quæ à Patribus sancita essent, contra eosdem damnatos hæreticos, scripsit sanctionem illam, quæ supra in fine actionis 5. & in Nouellis Iustiniani 42. extat. Hæc summatim de rebus in synodo Constantinopolitana sub Menna Episcopo gestis.

Dytico, &c.] *Dyticum, cuius initio singularum ferè actionum mentio habetur, fuit celeberrimum Constantinopolitanæ vrbis monasterium, Dy appellatum, cuius hoc tempore Præfectus erat Agapetus, qui in ordine Archimandritarum, in libellis synodo oblatis, primo loco subscriptus habetur. Appellatus est hic locus à Dio Archimandritæ sanctitate celebri, cuius natalem diem Græci notatum habent in menologio decimanona Iulij. Librarij cum hanc vocem non intelligerent, pro* Dytico, *corruptè scripserunt* Dyptico *vel* Dypticho. *Vide Notas Baron. in Mart. die 8. Febr.*

Act. 1. & 5. Dyticum quid?

Oecumenico Patriarchæ Ioanni, &c.] *Quoties in actis Concilij Constantinopolitani sub Hormisda Ioannes Episcopus Constantinopolitanus nominatur, toties illi titulus* Patriarchæ Oecumenici *additus esse reperitur: sine dubio, posteriorum Græcorum impostura. Nam cum acta illius Concilij vera sint & legitima, atque à Romana Ecclesia, prout supra notatum est sub Hormisda, magna ex parte recepta, haud dubie contra Pelagium & Gregorium vsurpatum Oecumenici Patriarchæ titulum damnantes, autoritate eiusdem Concilij Constantinopolitani Antistites se constanter defendissent, si hoc titulo Ioannes citra contradictionem Orthodoxorum Episcoporum in legitimo eorundem conuentu condecoratus fuisset. Quare cum Pelagius epist. 1. ad vniuersos Episcopos; & S. Gregorius lib. 4. epist. 38. allegatum titulum damnârint, nemo vero huius Concilij autoritatem ipsis obiecerit: dubium nullum videtur, quin hic atque alibi in Actis Concilij prædicti, sæpenominatus titulus,* Oecumenici patriarchæ, *fraude & dolo Græcorum superadditus fuerit. Baron. anno 518. nu. 26.*

Act. 5. Episcopus Constantinopolitanus an titulo Oecumenici vsus?

Sicut in hunc locum; ita in Nouellæ 42. constitutionis inscriptionem idem titulus surrepsisse, affirmari debet: nisi dicamus, Constantinopolitanum, habito respectu ad subiectos sibi in Oriente Episcopos ac sacerdotes, vniuersalem appellari. Ex inscriptione eiusdem Nouellæ in fine huius actionis V. extantis, prædictus titulus abest.

Acta Concilii corrupta.

Relatio ad Ioannem &c.] *Hæc relatione, circa medium, desideratur comprobatio duorum Conciliorum, Ephesini & Chalcedonensis: quæ ab ijsdem Episcopis non minus, quam reliqua duo approbata fuisse, constat ex ijs, quæ infra ibidem sequuntur. Baron. anno 518. nu. 26.*

Introitu facto secundum consuetudinem, &c.] *Describitur his verbis de perfidiâ post obitum Anastasij, & surrogationem Iustini Imperatoris expugnatâ, deque pace Ecclesiæ cuperatâ, quædam quasi ouatio: & de impietate compressâ ac fide Catholica liberatâ triumphus; cum in ipsa Constantinopolitana Ecclesia trophæa victoriæ eriguntur, atque expuncta è sacris tabulis nomina Chalcedonensis Concilij, Leonis Papæ, Euphemij, & Macedonij Constantinopolitanorum Antistitum, exposcente populo, in eadem sacra Diptycha reuocantur. Contigerunt hæc post Anastasium ictu fulminis enecatum, postque Iustinum ex armentario Imperatorem creatum; anno Domini 518. in Ecclesia Constantinopolitana, in quam Ioannes Episcopus vna cum populo perrexerat.*

Acta Concilij Constantinopolitani sub Hormisda.

Quid manemus incommunicati?] *Hæc populus clamabat ideo, quod à tempore electi Macedonij Orthodoxi ipsorum Episcopi, fideles Catholici à communione impij Timothei, in locum illius intrusi, se subduxerunt.*

Qua ratione populus incõmunicatus.

Sancta Maria Dei genitrix est.] *Hæc populus de B. Virgine clamando ingeminat idcirco, quod ab Eutychianis Nestorianæ hæreseos calumniam pateretur.*

Iustinus regnat, quem times?] *His vocibus populus Patriarcham compellat, quem scirent semper fuisse Catholicum; verum sub Anastasio persecutore timore correptum, ad tempus silentio obriguisse.*

Ioannes Const. Episc. Anastasii persecutionẽ fugit.

Qui non loquitur, Manichæus est.] *Duplici de causa Eutychiani hic Manichæi appellantur ab orthodoxo populo. Primum quidem, quod cum Anastasius Imperator Eutychianorum patronus, Manichæorum hæresis infamia laborasset, Manichæi appellarentur omnes, qui cum eodem aduersus fidem Catholicam conspirabant. Deinde, quod negando cum Eutychianis veram carnis naturam in Christo incarnato, cum Manichæis eandem veritatem carnis in Christo negantibus quandam affinitatem contraxerant.*

Cur Eutychiani appellentur Manichæi.

Amantius quis.

Iustinus regnat, quid times Amantium?] *Amantius Praefectus cubiculi, Eunuchus potentissimus, Eutychianorum patronus, terror Orthodoxorum extitit: per quem Anastasius Imperator, aduersus fidei Catholicæ defensores, tyrannicè agere consueuit, quem Iustinus, mox vt Imperator factus est, necari curauit. Euagrius lib. 4. cap. 2.*

Sacra missa finita.] *Catechumenorum scilicet.*

Tempore Dyptichorum.] *Quando nimirum, nomina defunctorum Episcoporum fidelium & Orthodoxorum publicè recitabantur.*

Acta corrupta dolose emendantur.

Euphemij, Macedonij & Leonis.] *Eadem manus fraudulenta Græcorum, nomen S. Leonis Papæ post Constantinopolitanos Episcopos vltimo loco posuit, quæ Constantinopolitano Episcopo titulum patriarchæ Oecumenici addidit. Nam sui ipsorum veteres libri rituales, eiusmodi impostura redarguunt, in quibus primo loco descripta leguntur nomina Romanorum Pontificum, inde vero eius Ecclesiæ antistitum. In ordine precum, ante omnes etiam ciuitatis antistites Romanum Pontificem poni solitum fuisse, patet ex liturgia S. Marci, quæ extat tomo 6. bibliothecæ SS. Patrum, qua dicitur:* Sanctissimum & beatissimum Papam N. quem præsciuisti fore, vt tibi sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia omnium suffragijs eligeret: nec non sanctissimum Episcopum N. conseruans. &c. *Ita vetus vsus quem recentiores schismatici peruerterunt.*

CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM, POST OBITum Agapeti, tempore interregni Pontificij, anno Domini 536. decima nona Septembris, contra Seuerum, Petrum, & Zoaram hæreticos celebratum.

POST consulatum Flauij Belisarij glorioſiſſimi, decimotertio Kalend. Octobris, indictione quintadecima, in colonia Ælia metropli & Hieroſolymis, præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Patriarcha Petro in ſecreto venerabilis epiſcopatus ſuæ beatitudinis, & aſſiſtentibus ſacerdotio ſuo ſanctiſſimis epiſcopis trium Palæſtinarum, ſub ſanctis locis venerabiliſſ. ſynodi exiſtentibus, Eliſæus diaconus & notarius ipſius ſanctiſſimi patriarchæ ad medium veniens, dixit: Pia dimiſſa eſt lex veſtræ beatitudini, quæ cum Deo dicenda, ad cautionem ſanctiſsimarum eccleſiarum, & honeſti cum Deo ſtatus eſt: redditaque eſt vobis ſanctiſſimis ſancta epiſtola ſanctiſſimi Mennæ Patriarchæ regiæ ciuitatis, quæ eandem habet materiam quarum vtramque portarunt venerabiliſſimi monachi veſtræ venerabiliſſimæ eremi, qui in hanc Imperialem ciuitatem venerunt: & gratia eccleſiaſtici ſtatus, iuſſit veſtra beatitudo me ad hanc venerabilem aduocare ſynodum, vt manifeſta fiant eorum ſancita, quæ ſunt à potentiſſimo, & à Deo cuſtodito Imperatore noſtro, ac ſcripta à memorato ſanctiſſimo Patriarcha vrbis regiæ. Quia igitur venerabilis ſynodus veſtræ beatitudini adſiſtit præſtolanter, atque in venerabili epiſcopatu veſtro Deo dilectiſsimi archimandritę, & ſanctiſſimi monachi adeſſe expetunt prædictorum intimationi, quid veſtræ beatitudini & venerabili ſynodo videtur? Sanctiſsimus ac beatiſsimus Patriarcha, & venerabilis ſynodus, dixit: A duocentur Deo amantiſsimi archimandritæ & monachi. Eliſæus diaconus & notarius in medio ſtans, dixit: Iuxta iuſſum veſtræ beatitudinis, adſunt Deo amantiſsimi archimandritæ & monachi. Sanctiſsimus ac beatiſsimus Patriarcha, & venerabilis ſynodus, dixit: Secundum primum ordinem pijſsima lex potentiſsimi ac à Deo cuſtoditi Imperatoris noſtri, * manifeſtè legatur, & deputetur in geſtis. Et lecta eſt ipſa diuina lex per venerabilem Eliſæum diaconum & notarium. Et præfulget inter geſta, de verbo ad verbum ſic habens, vt ſupra ſcriptum eſt. Sanctiſsimus ac beatiſsimus Patriarcha, & venerabilis ſynodus, dixit: Legantur & ſanctæ literæ ſanctiſsimi Patriarchæ Mennæ. Et accipiens illas memoratus venerabilis Eliſæus diaconus & notarius, legit. Et inſcripta ſunt geſtis, de verbo ad verbum ſic habentes.

* σεσωφορωμένης.

PER OMNIA DEO AMANTISSIMO ac ſanctiſsimo fratri & comminiſtro Petro, Mennas in Domino ſalutem.

RECordantes ſolùm venerabilium virorum, qui apud vos ſunt, lætamur. nam cùm ſinè vultus interpellatione ſit alloquutio per epiſtolas, eſt animum vertere ad ipſos: propter hoc ergo ſolum & nunc me motum eſſe ad ſcribendum, & ex ipſo * momento alloquendi vos, delectatus ſum ſicut in omnibus diuitijs. Nam vnguentum * euacuatum nominis tui ſic odorem, ne dum non præſentis, ſed longè exiſtentis, ſentimus: in eminentia morum veſtrorum, ad ipſum medium cordis poſita, lætitia implemur, audientes virtutum veſtrarum fertiliſsimam vbertatem, nam ſermo de veſtra charitate quotidiè verſatur inter nos, cum multi quidem, quæ à vobis reformata ſunt, narrent: maximè verò communis frater, immò communis benefactor Deo amantiſsimus presbyter Euſebius, (veritatem dico, & non mentior) magnus generaliter & continuus de vobis ſermo eſt, maximè ab ipſius ſanctitate, qui libenter narrat, quæ apud vos ſunt, ſicut fides recta, vita irreprehenſibilis, manſuetudo magna, & ſimpliciter dicendo, omnis virtutum chorus vobis à Deo datus eſt vt & Iacobi ſedem accipere, & cuſtos orthodoxæ fidei eſſe mereamini. Igitur & Seuerum tanquam blaſphemum veſtra ſedes deiecit. Poſt hæc quia tua ſanctitas præbuit nobis ſemina fructuum, fuimus vobis * conſententiatiui contra Seuerum. * Adſimilis huic & Petrus, qui cum à cæteris iam depoſitus fuerit, eadem condemnatione & à nobis ille reprehenſus eſt. Anthimus quoque ac Zoaras in ſimilem errorem incidiſſe deprehenſi ſunt, & vterque iſtorum æquali pœna iudicatus eſt. Communicauerunt nobis in his omnibus hi, qui de antiqua Roma venerunt, & quicunque congregati ſunt in noſtra venerabili ſynodo: ſtudiumque vigilans ac prouidentiam Deo amabilem, his omnibus contulerunt venerabiles monachi, qui ex veſtra à Chriſto amata regione in regia vrbe conuenerunt. Ipſas itaquo actiones actorum, in his omnibus formatas, Vobis mittimus. Sitis igitur eiuſdem ſententiæ in iudicatis à nobis, & à vobis contra Seuerum rurſus in approbatis à nobis & ab alijs omnibus, & (vt ita dicatur) contra Petrum & Zoaram atque Anthimum, ſequi tardare nolite. Nam veſtrum vtique fuit, indiſſimulanter & indifferenter alijs quidem principium liberationis hominum prauorum ibidem accommodare, in alijs verò (ſi fuerit datum ab alijs) ſequi. Et oſtendetur quidem vobis per partem rerum geſtarum ordo, atque ſtatus. Veruntamen volumus hæc à vobis fieri ipſis manifeſta, & horum intimationem ad eos mittite, veſtram & venerabilium Epiſcoporum, qui ſubditi vobis ſunt, intelligentiam circa geſta per literas, ipſis ſubijciendas, ſignificantes. Quæ autem à nobis miſſa ſunt, manere apud vos ſinite. Quæ veſtræ rectæ confeſſionis, & eorum, qui malam opinionem ſuſtinuerunt, & paſſi ſunt, in perpetuum erunt ſymbolicum inſtrumentum. Rogo autem, talentum, quod creditum, eſt nolite abſcondere, ſed participatione multiplicate, exerite, & tradite veritates veſtras, ne quandoque videamini ipſum interram fodere. Secundum me ergò properè facientes, orate pro fratre, ſupplicationes frequentantes, & dicentes: Da pacem Domine nobis. Omnia enim reddidiſti nobis. Omnem in Chriſto fraternitatem, quæ cum ſanctitate veſtra eſt, plurimum ſalutamus. Et in Domino valens, ora pro nobis, frater Deo amantiſſime. Sanctiſſimus & beatiſſimus Patriarcha, & venerabilis ſynodus, dixerunt; Si quæ in regia vrbe facta, & ſynodaliter ſententiata ſunt, quorum memoriam ſacit diuina ac pijſſima lex, & epiſtola memorati ſanctiſſimi Patriarchæ, & Eliſæus venerabilis notarius habet præ manibus, edoceat. Eliſæus notarius dixit; Certifico veſtram beatitudinem, & præſentem venerabilem ſynodum, quod cum honorabili epiſtola lecta ſanctiſſimi Patriarchæ regiæ ciuitatis Mennæ, ſunt & acta, quæ miſſa ſunt à ſua beatitudine, & quæ facta ſunt in depoſitione Anthimi, qui

Litera Mennæ epiſcopi.

* morum Pſal. 118. Cant. 1. * effluens

Debet Euſebius videre Nouellam 123. Iuſtiniani.

* conſen* Ar* lis

Matt. 25.

* pridem

pridem fuit episcopus Trapezuntius, & in anathematismo Seueri, Petri & Zoaræ, mihi ad manus sunt. Secundum ergo quod visum est vestræ beatitudini, & sanctæ synodo, horum intimationem facio. Sanctissimus & beatissimus Patriarcha, & venerabilis synodus dixerunt; Interim fiant manifesta per lectionem, quæ supra Anthimum facta sunt, & nostris gestis inscripta, sicque per illa intimabimus, quæ sequuta sunt in anathematismo Seueri, Petri & Zoaræ & hæreticorum, saltem ipsi maximè non incognita nobis, ea constitue. Et accipiens Elisæus notarius & diaconus ea, quæ contra Anthimum facta sunt, percurrit. Et inscripta sunt, nunc gestis, quæ de verbo ad verbum sic habent: Post consulatum Flauij Belissarij clarissimi, sexto Nonas Maias, &c. *vt supra in Concil. Constantinop. sub Menna act. 1. 2. 3. 4. & 5. quæ in hac Synodo ab allegato principio actionis 1. vsque ad fine act. 5. hic recitata fuêre.*

SENTENTIA PETRI HIEROSOLYMORUM contra Anthimum.

SAnctissimus ac beatissimus patriarcha & venerabilis synodus, dixit: Demonstratus est & nũc in rebus verus propheticus sermo, quoniam non habitabit iuxta Deum malignus, neque permanebunt iniqui ante oculos eius. Quale, quidve factum fuerit in Anthimum, pontificalia & imperialia dogmata, quæ modò lecta sunt, demonstrarunt. Iste enim* pridiè cùm esset episcopus Trapezuntius, & de sanis dogmatib. disceptaretur, veste ouina circumamictus, lupus verò rapax existens, (euangelicè dicendo) in pontificalem sedem regiæ vrbis se intrusit, simulans quidem colere veram & immaculatam fidem, & voluntariè admittere sanctas quatuor synodos œcumenicas, Nicęnam 318. Constantinopolitanam centũ quinquaginta, Ephesinam ducentorum, & Chalcedonensem sexcentorum, cum sancta epistola Leonis beati papæ antiquæ Romæ, scripta ad Flauianum regiæ vrbis præsidem, & affinia his, quæ facta sunt à venerabili Chalcedonẽsi synodo: in profundo autem intellectus suam extendens perfidiam memoratus Anthimus, peiorem ad nos inducere festinauit æstum, & vbiquè sanctas ac catholicas ecclesias conturbauit. Nam cùm arbitraretur contentus fuisse sui doloroſi & iniqui studij, repentè transmutando ipsum hypocritis habitum reiecit, & quæ dixisset benè valdè in his, quæ ab ipso in scriptis composita erant ad recta dogmata, quæ superbè abnegabat, nullo modo patiens confiteri vnum ipsum Dominum Deum nostrum Saluatorem Iesum Christum cognosci in duabus naturis, inconfusibiliter, immutabiliter, indiuisibiliter, & inseparabiliter, non intellexit stolidus virtutem tam piorũ verborum. Perspicuum enim est, quod inconfusibile, indiuisibile, immutabile & inseparabile, summam substantiarum vnionem significat, & ipsarum differentiam seruat in vna persona & vna hypostasi. Prætereà non elegit abdicare condemnatos à sancta Chalcedonensi synodo, & ostendens se similia illi sapere, desipiens fuit erroris Eutychis & Dioscori. Et quod difficilius est, non sustinuit medelam à doctrina, atque ab imperiali clementia sibi prouenienti, data etiam dilatione decenti pontificis, & ad pœnitentiam sufficienti, & ad confessionem veræ fidei adducenti. Itaque ergo cùm latens permanserit, & diuturna effugatione euidenter præmonstrauit se priuatum omni defensione, & insanabiliter habere ad propriam perfidiam, depositionis sententia in ipsum venit, principiata quidem à sanctæ ac beatæ memoriæ Agapeto, antiquæ Romæ pontifice, terminata verò à Menna sanctissimo patriarcha regiæ vrbis, & à venerabilissima synodo, quæ cum ipso tenebat: hinc est quòd non solùm ab episcopatu Trapezuntino cecidit memoratus Anthimus, sed & ab omni pontificali dignitate & efficacia, cùm separatus sit ab omni corpore sanctissimæ ecclesiæ cumque catholica appellatione priuatus sit, ad illius incorrigibilem errorem adaptare possumus prophetiam Oseæ: Quoniam tu repulisti scientiam, & ego te repellam, ne fungaris mihi sacerdotio. Hæc in regia vrbe gesta, cùm clarè se habeant, & nos videntes omnia canonicè & rectè venisse super Anthimum, vocationumque ordinem laudauimus, & clementiam hinc sibi benignè superuenientem, reprehendimusque perniciosam insistentiam Anthimi, consentẽtiatiui sumus his, quæ benè formata sunt abipso sanctæ memoriæ Agapeto, & his quæ diffinita sunt à Mẽna sanctissimo patriarcha regiæ vrbis, & ab ipsius venerabilissima synodo congregata, sequentesque de his cõfirmationem diuinæ ac Imperialis legis, admisimus depositionẽ Anthimi, tanquam qui à principio præter sacros canones intrusit se in pontificalem sedem regiæ vrbis, & nouissimè præbuit demonstrationem suæ hæresis & immutabilis opinionis, vt in ipso impleatur diuina Scriptura, quæ dicit: In dieb. redargutionis in tribubus Israel ostendam fidelia: Facti sunt principes Iuda tanquam transponentes terminos, super ipsos effundam tanquam aquam impetum meum. Et rursus alia scriptura: Oderunt in portis redarguentem, & sermonẽ sanctum abominati sunt. His itaque diffinimus hunc alienum omni pontificali dignitate & operatione, ipsa catholica appellatione. Sicut enim nulla communicatio est tenebris ad lucem, ita non conuenit sacra mysteria sordidari à viris, qui syncerè non colunt Dominum Christum verum Deum.

Oseæ 5.

Prou. 1.

2. Cor. 6.

SVBSCRIPTIONES.

Petrus episcopus Hierosolymorum, diffiniui & subscripsi.

Elias Episcopus Cæsareæ, diffiniui & subscripsi.

Theodosius episcopus Scythopolitanus, diffiniui & subsignaui.

Ioannes episcopus Tiberiadis, diffiniui & subsignaui.

St ephanus episcopus * Scarphiensis, diffiniui & subsignaui. *Zephyriensis

Anastasius episcopus Gabenorum, diffiniui & subsignaui.

Epiphanius episcopus Raphiæ, diffiniui & subsignaui.

Elias episcopus Ioppæ, diffiniui & subsignaui.

Ioannes episcopus Augustopolitanus, diffiniui, & subsignaui.

Nicostratus episcopus Abilæ, diffiniui & subsignaui.

Lazarus episcopus Azotanus, diffiniui & subsignaui.

Leontius episcopus Sosuzensis, diffiniui & subscripsi.

Stephanus episcopus Aradorum, diffiniui & subscripsi.

Anastasius episcopus Eleutheriopolitanus, diffiniui & subsignaui.

Gregorius episcopus Hierichuntinus, diffiniui & subsignaui.

Elias episcopus Adrianopolis, diffiniui & subscripsi.

Theoctistus minimus notarius, diaconus sanctissimi episcopi Eliæ, subscripsi, pro ipso iuxta sua mandata in scriptis data.

Ioannes episcopus Podaleanus, diffiniui & subscripsi.

Demetrius episcopus Carpathenus, diffiniui & subscripsi.

Stephanus episcopus Meniatenus, diffiniui & subscripsi.

Zacharias episcopus*Palleonus, diffiniui, & subscripsi. *Placien.

Manuelius episcopus Bithynien sis, diffiniui & subscripsi.

Anastasius episcopus Iotapæ, diffiniui & subscripsi.

Zenobius episcopus Eleusinus, diffiniui & subscripsi.

*Nartianus episcopus Gazenus, diffiniui & subsignaui.

Theodorus episcopus*Petrorũ, diffiniui & subsignaui. *Perracẽ. vel Petren.

Zenobius episcopus Nicopolitanus, diffiniui & subscripsi.

Araxius episcopus Gangrenus, diffiniui & subsignaui.

Procopius episc. Heracleotanus, diffiniui & subsignaui.

Dominicus episcopus Neocæsareensis, diffiniui & subsignaui.

Bachus episcopus*Bathonorum, diffiniui & subsignaui.

Dionysius episcopus Ascalonus, diffiniui & subsignaui.

Ioannes episcopus*Femensis, diffiniui & subsignaui. *Phœnicien sis.

Macarius episcopus*Arnidatorum, diffiniui & subsignaui. *Anithorũ vel Andeleu.

Basilius episcopus * Sycomazanus, diffiniui & subsignaui. *Sycaminanus

Ioannes episcopus*Moreæ ciuitatis, diffiniui & subsignaui. *Famagotæ.

Petrus episcopus Parembolanus, diffiniui & subsignaui.

Zacharias episcopus*Libysianus, diffiniui & subsignaui. *Libyadis

Domnus episcopus Maximianopolitanus, diffiniui & subsignaui.

Pelagius episcopus Sebastensis, diffiniui & subsignaui.

Stephanus episcopus Iamnitanus, diffiniui & subsignaui.

*epulenus

Parthenius*Epalanus, diffiniui & subsignaui.

Theodorus episcopus scripsi pro isto, eo quòd ipse infirmaretur.

Theodorus episcopus Gadarorum, diffiniui & subsignaui.

Paulus episcopus Ailanus, diffiniui & subsignaui.

Theodorus episcopus Ipsenorum diffiniui & subsignaui.

Theodosius episcopus Capitolienſis, diffiniui & subsignaui.

Dionysius episcopus Amathuntius, diffiniui & subsignaui.

Dorotheus episcopus Anthedonensis, diffiniui & subsignaui.

NOTAE in Concilium Hierosolymitanum sub Menna.

Causa locus & tempus huius Concilij.

Concilium Constant.] *Cum Mennas Constantinopolit. Episcopus absoluta Synodo, vt dictum est supra in fine actionis V. eius Acta misisset ad Petrum Hierosolymitanum Episcopum (cuius iussu Monachi Orthodoxi Palæstinæ, & nonnulli Episcoporum, contra prædictos hæreticos acturi Constantinopolim abierant) idem Petrus Hierosolymis, decima nona Septembris post Consulatum Belisarij, anno nimirum Christi 536. Synodum hanc collegit, cui Episcopi quadraginta quinque interfuerunt. In qua dum legissent & cognouissent ea, quæ Constantinopoli contra Anthimum, Seuerum, aliosve hæreticos acta fuerant, primum in Anthimum: postea verò in Seuerum, Petrum & Zoaram condemnationis sententiam pronunciauerunt. Prior in Anthimum lata sententia extat supra: posterior autem in Actis Concilij desideratur. Ita plurium Synodorum iudicio approbata sunt ea, quæ Agapetus Pontifex, Constantinopoli contra Anthimum, Seuerum, aliosve eorundem sectarios & hæreseos collegas piè & vtiliter gesserat. Quæ post hac secuta sint de Anthimo, iterum fauore impiæ Theodoræ Augustæ imminuescente; infra patebit.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA SILVERII PAPÆ.

Ex libro Pontificali.

A.D. 535.

SILVERIVS natione Campanus, ex patre Hormisda Episcopo Romano, sedit annum vnum, menses quinque, dies 11. Hic leuatus est à tyranno Theodato sine deliberatione decreti. Qui Theodatus corruptus pecuniæ dato, talem timorem indixit clero, vt qui non consentirent in eius ordinatione, gladio punirentur. Sacerdotes quidam non subscripserunt in eum, secundùm morē antiquum, neque decretum confirmauerunt ante ordinationem. Iam autem ordinato Siluerio sub vi & metu, propter adunationem ecclesiæ & religionis, postmodum subscripserunt presbyteri. Post menses verò duos, nutu diuino extinguitur Theodatus tyrannus, & leuatur rex Vittiges. Eodem tempore Vittigis ambulauit Rauennam, & cum vi tulit filiam Amalasunthæ reginæ sibi vxorem. Ob hoc indignatus dominus Imperator Iustinianus Augustus, quia reginam sibi commendatam occidisset Theodatus, misit Belisarium patricium cum exercitu, vt liberaret omnem Italiam à captiuitate Gothorum. Tunc veniens Patricius supra scriptus in partes Siciliæ, fuit ibi aliquantum temporis. Audiens autem, quòd Gothi sibi fecissent regem contra votum domini Iustiniani Augusti, venit in partes Campaniæ iuxta ciuitatem Neapolim, & cœpit obsidere eam cum exercitu suo, quia noluerunt ciues Neapolitani aperire ei. Eodem tempore pugnando Patricius contra ciuitatem, introiuit, & ductus furore, interfecit Gothos, & omnes ciues Neapolitanos, & misit prædam, vt nec ecclesijs parceret prædando, ita vt vxoribus præsentibus, maritos earum gladio interficeret, & captiuos filios & vxores nobilium exterminaret, nullis parcens nec sacerdotibus, nec seruis Dei, nec virginibus sanctimonialibus. Eodem tempore bellum fuit maximum, veniente Vittige contra Belissarium Patricium, & contra vrbem Romam. Ingressus autem Belissarius Patricius in vrbem Romam 4. Iduum Decembris custodijs & munitionibus, vel fabricis murorum, ac reparatione fossati, circundedit ciuitatem Romanam & muniuit. Nocte ipsa, qua introiuit Belissarius Patricius, Gothi, qui erant in ciuitate, vel foras muros, fugerunt, & omnes portas apertas dimiserunt, & fugerunt Rauennam. Et pòst colligens Vittigis rex multitudinem Gothorum, regressus est contra Romam, 1x. Kalend. Martias. Et fixit castra ad pontem Miluium, & cœperunt obsidere ciuitatem Romanam. Tunc Patricius Belissarius, qui pro nomine Romano erat, inclusit se Romæ intra ciuitatem. His diebus obsessa est ciuitas, vt nulli esset facultas exeundi, vel introeundi. Tunc omnes successiones priuatæ vel fisci, vel ecclesiæ, incendio consumptæ sunt, homines verò gladio interempti sunt. Quos gladius, gladius: quos fames, fames: quos morbus, morbus interficiebat. Nam & ecclesiæ, & corpora sanctorum martyrum, exterminata sunt à Gotthis. Intra ciuitatem autem grandis fames erat, vt aqua venundaretur precio, nisi Nympharum remedio subueniisset. Pugnæ autem maximæ erant contra ciuitatem. His diebus Belissarius Patricius repugnando contra regem Vittigem vel multitudinē Gotthorum, protexit Romanos, vel ciuitatem custodia sua liberauit & nomen Romanum. Tunc obsessa est ciuitas annum vnum & portus Romanus à Gotthis. Patricius verò Belissarius pugnando vicit Gotthos. Et postmodum fugerunt Gotthi Rauennam post annum vnum. Eodem tempore tanta fames fuit per vniuersum mundum, vt Datius Episcopus ciuitatis Mediolanen. relatione sua hoc euidenter narrauerit, eo quod in partibus Liguriæ mulieres filios suos comedissent penuria famis, de quibus retulit ex ecclesiæ suæ fuisse familia. Eodem tempore ambulauit Patricius Belissarius Neapolim, & ordinauit eam, & postmodum venit Romam, qui susceptus est à domino Siluerio benignè. Et abijt Belissarius Patricius in palatium Pincianum 6. Idus Maias, indictione xv. Tunc erat Vigilius diaconus apocrisarius in Constantinopoli. Dolens autem Augusta pro Anthimo patriarcha, quod depositus fuisset à sancto Agapeto Papa, quia hæreticum eum reperisset, & in loco eius constituisset Mennam seruum Dei, consilio vsa cum Vigilio diacono, misit Epistolam Romam ad Syluerium Papam, rogãs & obsecrans, ne pigriteris ad nos venire, aut certè reuoca Anthimum in locum suum. Et cùm legisset beatus Siluerius literas, ingemuit & dixit: Modò scio, quia causa hæc finem vitę meæ adducit. Sed beatissimus Siluerius fiduciam habens in Domino & beato Petro, rescripsit, dicens: Domina Augusta, ego rem istam nunquàm ero facturus, vt reuocem hominem hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta, misit iussiones suas ad Belissarium patricium per Vigilium diaconem, ita continentes: Vide aliquas occasiones in Siluerium Papam, & depone illum de episcopatu, aut festinus certè transmitte eum ad nos. Ecce ibi habes Vigilium archidiaconem & apocrisarium nostrum charissimum, qui nobis pollicitus est reuocare Anthimum patriarcham. Tùc susceptens iussionē Belissarius patricius, dixit: Ego quidem iussionem facio: sed is, qui interest in necem Siluerij Papæ, ipse reddet rationem de factis suis Domino Iesu Christo. Et vrgente iussione, exierunt quidam falsi testes, qui dixerunt: Quia nos multis vicibus inuenimus Siluerium Papam scripta huiusmodi mittentem ad regem Gotthorum. Veni ad portam, quæ vocatur Asinaria, iuxta Lateranas, & ciuitatem tibi trado, & Belissarium patricium. Quod audiens Belissarius, primò non credebat: sciebat enim, quòd per inuidiam hæc de eo dicebantur. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, pertimuit. Tunc fecit Belissarius patricius beatum Siluerium Papam venire ad se in palatium Pincis, & ad primum & secundum velum retinuit omnem clerum. Ingressis itaque Siluerio cum Vigilio solis in mausoleo, Antonina patricia sedebat in lecto, & Belissarius patricius sedebat ad pedes eius. Et dum vidisset eum Antonina patri-

cia, ci-

cia. dixit ad eum: Dic domine Silueri Papa, quid fecimus tibi & Romani, vt tu velles nos in manus Gotthorum tradere? Et adhuc ea loquente, ingressus subdiaconus regionarius regionis primæ, tulit pallium de collo eius, & duxit eum in cubiculum: & expolians eum, induit eum monachicam vestem, & abscondit eum. Tunc Sixtus subdiaconus regionis sextæ, videns eum iam monachum, egressus foras, nunciauit ad clerum, dicens, quia dominus Papa depositus est, & factus est monachus. Quod audientes fugerunt omnes. Quem suscepit Vigilius Archidiaconus in sua quasi fide, & misit eum in exilium ad Pontianas, & sustentauit eum pane tribulationis & aqua angustiæ. Qui deficiens, mortuus est, confessor factus. Qui etiam sepultus est in eodem loco, XII. Kalend. Iunij. ibique occurrit multitudo malè habentium, & saluatur. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembris, presbyteros 13. diacones quinq;, Episcopos per diuersa loca nume. 19. Et cessauit episcopatus dies sex.

Notæ in vitam Siluerij.

Siluerius.] *Cum in fine anni Christi 536. Romani Agapetum Papam mortuum esse cognouissent, Theodatus Rex per vim & metum, vt ait Anastasius, intrusit Siluerium Campanum. Hunc Romanus Clerus à se antea improbatum, paulo post recepit & approbauit, vt schisma euitaretur. Quo die & mense creatus fuerit, non satis constanter affirmari potest; vt infra patebit. Dum hæc Romæ gererentur, Constantinopoli ea contigerunt, inter Augustam & Vigilium, quæ cap. 22. Breuarij sui Liberatus enarrat his verbis:* De Agapeti decessu audiens Romana ciuitas, Siluerium subdiaconum, Hormisdæ quondam Papæ filium elegit ordinandum, Augusta vero vocans Vigilium Agaperi Diaconum professi sibi secreto ab eo flagitauit, vt si Papa fieret, tolleret Synodum, & scriberet Theodosio *Alexandrino Episcopo*: Anthimo & Seuero, & per epistolam suam eorũ firmaret fidem, promittens dare ei præceptum ad Belisarium, vt Papa ordinaretur, & dari centenaria septem. Libenter ergo suscepit Vigilius promissum eius amore Episcopatus & auri: & facta professione Romam profectus est, vbi veniens inuenit Siluerium Papam ordinatum. *Hæc Liberatus.*

Huius temporibus Theodosius Alexandrinus Episcopus cum sedisset annum vnum & menses quatuor in exilium missus est, eò quod Concilio Chalcedonensi subscribere recusasset: Substitutus est ei Paulus Episcopus orthodoxus, qui idem de homicidio accusatus, in exilium eiectus fuit, subrogato in locum eius Zoilo.

Ex Patre Hormisda.] *Haud dubiè legitimè ex præcedente legitimo matrimonio natus: alioquin ad tantam dignitatem planè inhabilis fuisset.*

Sedit annum vnum, menses quinque & dies vndecim.] *Annis quatuor sedisse, & quintum inchoasse, constabit ex tempore obitus infra.*

Qui pauciores annos illi tribuunt, tempus sedis eius computant vsque ad intrusionem Vigilij: Sed absurde id faciunt, cum Siluerius sede Pontificia deiectus, & in exilium relegatus vsque ad consummatum martyrium verus & legitimus Pontifex permanserit, actusq; Pontificios, quos potuit, exercuerit. Quonam die aut mense anni quingentesimi trigesimi sexti, creatio Siluerij contigerit, non facile quis definire poterit, propterea quod certus dies obitus Agapeti ignoratur. Vide Baron. anno quingentesimo trigesimo sexto, num. 122.

Qui Theodatus corruptus pecuniæ dato.] *Quod Anastasius hic scribit de simoniaco ingressu Siluerij, falsum esse colligitur: tum quod Liberatus, qui his temporibus viuebat, adeoq; maiore fide dignus, verbis supra recitatis, ne verbo huius rei meminit: tum maximè, quod Siluerius sedis suæ inuasori Vigilio in libello sententiæ; quem de ipsius damnatione conscripsit, crimen Simoniæ potenter obiiciat; quod sanè non ita liberè egisset, si eiusdem criminis ipse reus extitisset.*

Post menses duos extinguitur Theodatus.] *Anno tertio Theodati Regis, qui est Christi 537. occupata Neapoli nobilissima vrbe, Gothi Vitigem ducem exercitus è Dalmatia euocatum, virum strenuum, bellicis sudoribus vbique spectatum Regem acclamarunt, ideo quod Theodatus Rex maximè ignauus, & de proditione totius regni suspectus fuerit: cum nobilissimæ vrbis excidium, totiusque Italiæ præsidium munitissimum nequicquam curaret. Quod cum Theodatus damnationem alicuius ma eficiudat cognouisset, ex vrbe profugus, dum Rauennam versus abiret, præuentus à militibus, quos Vitiges miserat, occisus est, cum regnasset annos tres, vt testatur Procopius. Vitiges Romam progressus filium Theodati Regis Theodegiscium ibidem proiecit in carcerem: ad conciliandos omnium animos dum literas scripsisset, atque Siluerium Papam cum toto senatu ad fidelitatem admouuisset, relicto Romæ quatuor millium præsidio, ne à Belisario vrbis obsidionem machinante intercluderetur, ipse cum toto suo exercitu vrbe egressus, vicinorum Gothorum auxilium implorauit. Interea Belisarius vrbem obsidione cinxit, quam Romani metuentes, ne paterentur ea, quæ passi erant Neapolitani, suasu Siluerij Pontificis Belisario se dederunt. Claues portarum, vinctumque Leuderem Ducem Gothorum, qui capi, quam turpiter fugere malebat, tanquam insigna victoriæ Belisarius Constantinopolim misit. Ita vrbs Roma Romanis Imperatoribus restituta fuit, cum annis sexaginta Odoacri Herulorum, Theodorico eiusq; successoribus Gothorum Regibus paruisset.*

Hoc indignatus Domnus, &cæt.] *Originem belli Gothici supra neci Amalasunthæ tribuimus ex Procopio.*

Audiens quod Gothi sibi Regem fecissent.] *Errat Anastasius. Nam post Neapolim occupatam, Gothi à Theodato defecerunt; & Vitigem elegerunt; vt supra ex Procopio enarrauimus.* Anastasij error 1.

Interfecit Gothos & omnes ciues Neapolitanos.] *Procopius lib. 1. de bello Gothorum scribit; Belisarium Neapolim deditione accepisse, ideoque ciues eiusdem vrbis humaniter tractasse. Verum à maioribus inuenimus traditum, eundem Belisarium ob miseram eadem ibidem perpetratam à Siluerio Romano Pontifice, cum Roma potitus est, acriter fuisse reprehensum, & pœnitentiam agere compulsum, vt auctor Miscell. Paulus Diaconus testatur libr. 16. histor.* Error Procopij.

Ingressus Belisarius in vrbem 4. idus Decembris.] *Hæc de re Euagrius lib. 4. cap. 18. hæc scribit. Ciuitas Belisario sine pugna tradita est, & Roma denuo Romanis subijcitur post annos sexaginta, quibus ab Erulis & Gothis occupata fuisset, nono die Apellei, hoc est ad quintum Idus Decembris, vndecimo anno Imperij Iustiniani: qui est annus Christi 537. post deiectum ab Odoacre Erulorum Rege Augustulum sexagesimus.* Roma dū 60. annis Gothis paruisset, Imperio restituta fuit.

Vitiges Rex regressus est contra Romam 9. Kalend. Martij.] *Anno nimirum Christi 538. qua obsidione hoc mirandum est primo; quod integro anno obsidionis, nunquam illo loco vrbem expugnare conati fuerint, vbi murus ab alio diuisus est, & quasi iam iã casurus, deorsum inclinabatur. Secũdo magis mirandum est, quod hostes Romanæ Ecclesiæ Ariani, nihil contumeliæ aut damni intulerint ipsis Apostolorum basilicis extra vrbem positis; sinentes illic Catholico ritu, teste Procopio, liberè sacra peragi; aliter sanè, quam recentes hæretici nostri temporis, à quibus nihil prius cogitatum est vnquam, quam vt sacra monumenta Sanctorum Deo dicata illic incendijs & rapinis deuastent & amoliantur.* Duo miracula obsidionis Romanæ.

Theodora vsa consilio.] *Hanc eandem historiam Procopius de bello Gothico lib. 1. & Liberatus in breuiario cap. 22. recensent. Ea quæ ab Anastasio & Procopio prætermissa sunt, videre poteris apud Liberatum allegato loco.*

Qui nobis pollicitus est reuocare Anthimum.] *Adde promissionem duorũ auri centenariorum, si remoto Siluerio, se Vigilium ordinari curaret.*

Misit eum in exilium.] *Quod hæretica fœmina petierat, ambitiosus Diaconus procurarat, Belisarius Pilato deterior, impie admodum consummarat. Pœnituit quidem Belisarium, in Christum Domini manus sacrilegas iniecisse, cum ad expiandum facinus & diuinum Numen placandum, Romæ Ecclesiam erigi curaret; sed quia suo ipsius testimonio ediderat futurum, vt rationem redderet Christo Domino, quisquis neci Pontificis cooperaretur, accidit, vt qui impia iussa Augustæ implebat, in fœminæ offensam incurreret, exequendo sacrilegum ab Imperatrice mandatum: Imperatorem sibi valde infensum reddiderit, meritoq; è summa gloria ad summam miseriam & paupertatem deijci meruerit. Quid Siluerius exul Pontifex in Vigilium pseudopontificem, munera & officia veri Pontificis vsurpantem constituerit, patebit infrà ex Epistol. Siluerij ad Vigilium.* Belisarius sacrilegij quas pœnas dederit.

Et su-

Et sustentauit eum pane tribulationis, &c.] *Liberatus inquit, Siluerium duobus Vigilij defensoribus & seruis traditum, sub eorum custodia inedia defecisse. Hanc ob causam pestis, fames & bella exorta fuerunt, de quibus Baron. an. 539.*

Obitus Siluerij.

Qui deficiens mortuus & sepultus est 12. Kalend. Iunij.] *Anno Christi 540. Nam anno Christi 539. mense Iunio literas dedit ad Vigilium. Vnde si verum est, quod ait Anastasius, ipsum mense Maio diem obijsse; non alio, quam 540. anno Christi eum defunctũ esse, affirmare necesse est. Vnde constat, quod supra dixi, eum quatuor annis & amplius fortasse, ab obitu Agapeti, huc vsque sedem Pontificiam tenuisse, ad consummatum vsque martyrium: semper legitimum Pontificem permansisse, eaq; munia Pontificis, quæ potuit exercuisse; constat ex sententia è carceribus & vinculis illius in Vigilium pronunciata.*

Tempus sedis.

Cessauit Episcopatus eius dies sex.] *Nisi dicamus Vigilium post obitum sanctissimi Siluerij seipsum in ordinem redegisse, seque Pontificatu, quem per intrusionem occupauerat, abdicasse, non video qua ratione post obitum Siluerij sedes Apostolica sex diebus vacare potuerit. Valde itaque probabile est, quod simul ac Siluerium defunctum miracula edere audiuit, seipsum sede Apostolica abdicauit, ob Simoniæ, expulsi & occisi Siluerij, contempti anathematis, crimina à se commissa, donec iterum secreta machinatione Belisarij vniuersi Cleri consensu legitimè eligeretur. Baron. anno 540. num. 4. 5. & 6.*

Vigilius pseudopapa se Pontificatu abdicauit

EPISTOLA I. SILVERII AD VIGILIUM Pseudopapam.

Tom. 1. Epist. Decr. 2.

Vigilio ambitionem sedis Apostolicæ & Simoniæ crimen admissum exprobrat: eumq; sententia anathematis condemnat.

Siluerius Episcopus, Vigilio. Multis te transgressionibus irretitum sacerdotalis iamdudum nouit generalitas. Et quia cruentis humano sanguine manibus decessoribus nostris peruicacia tua subripiens, Leuiticis præsumpseris excubare ministerijs, plerique nouerunt fidelium. Nam quia contra iura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacij Papæ, ipso viuente, successor eius designari conabaris, nisi tibi amplissimi senatus obuiasset iustitia; tunc prouidentia pastorali ac pontificali, auctoritate tua execranda iam debuerant auspicia detruncari. Sed dum paruum vulnus in te neglectum est, insanabile accreuit apostema: quod nisi ferro altius abscindatur, fomentorum sentire non potest medicinam: quippe qui nequissimi spiritus audacia, ambitionis phrenesim concipiens, in illius Apostolici medici, cui animas ligandi, soluendiq; collata & concessa potestas est, verberis contumeliam, nouumque scelus erroris in Apostolica Sede rursus niteris inducere, & in morem Simonis, cuius discipulum te ostendis operibus, data pecunia, me quærepulso, qui (fauente Domino) tribus iam iugiter emensis temporibus ei præsideo, tempora mea nitaris inuadere. Habeto ergo cum his, qui tibi consentiunt, pœnæ damnationis sententiam: sublatumque tibi nomen, & munus ministerij sacerdotalis agnosce: sancti Spiritus iudicio & Apostolica à nobis auctoritate damnatus. Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia seruari catholica, vt, quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit, assumpserit.

Vide Notas Concil. Rom. 11. sub Bonif. 11. supra.

Surrepsisse videtur, adiecta nota consularis, quia tempore Siluerij neq; Belisarius, neque Basilius vllũ consulatũ egerunt.

Data octauo Kalend. Iulij, *Principe Basilio. Cælius Siluerius Papa vrbis Romæ, huic decreto anathematis in Vigilio peruasore facto, ad omnia statuta consensum præbens, subscripsi, pariter & quatuor Episcopi subscripserunt, id est, Terracinensis, Fundanus, Firmanus, & Minturnen. Data ista chartula per Anastasium subdiaconum.*

EPISTOLA AMATORIS EPISCOPI Augustudinensis ad Siluerium.

Ad leuandam inopiam exilij mittit Pontifici munuscula, petens de statu exulis certior fieri.

Beatissimo Siluerio, Amator Episcopus. A quibusdam, pater dilectissime, illis à partibus aduentantibus audiuimus, vos à sede sancti Petri iniustè pulsum, exilio destinatũ. Quod nimis graue ferentes, misimus parua munuscula, id est, argenti libras xxx. ad vestram vestrorumque sustentationem: quæ petimus, vt ita grato animo suscipiatis, sicut grata mittuntur intentione. Precamur quoque, vt per vestram epistolam nobis remandare non dedignemini, qualiter circa vos sit actum, vel modò agitur, vt certam rationem de vobis scire, & fratribus valeam nunciare. Quid enim putas de nobis fieri, pater summe, cum de summo pastore, & vicario sancti Petri talia fiunt? Vos tamen nolite multum tristari, sed confortamini semper in Domino: quoniam potens est diuinitas immensæ tempestatis incerta bono serenitatis amouere. Ora pro nobis beatissime Papa.

EPISTOLA II. NOMINE SILVERII CONficta, ad Amatorem.

Dilectissimo atque amantissimo Amatori Episcopo, Siluerius. O quàm bona est caritas, quæ absentia per imaginem, præsentia sibimetipsi exhibet per amorem. Diuisa tangit, cõfusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta perficit. Quam rectè prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas caritas ligat, vt ab amantis mente dissolui iam nequeant. Hac itaque virtute, frater carissime, plenum te reperio, dum non solùm de me sciscitando, & visitando curam habes, sed etiam bonis tuis me fulcire & sustentare non desinis. Quanta autem mala in me peracta sunt, nec enarrare, nec scribere tibi per omnia possum. Ante omnia verò Patricia infesta mihi erat, eo quòd non restituebam Anthimum dudum Patriarcham Constantinopolitanum, quem sanctæ memoriæ Agapetus prædecessor meus suis meritis damnauit. Vrgente quoque eius iussione, exierunt quidam falsi testes dicentes aduersum me crimina, quorum nunquam particeps fui. Sed dum multi in eadem accusatione persisterent, timuit Belisarius patricius noster, & mandauit me ad se venire pacificè pro quibusdam Ecclesiasticis dispositionibus in palatium Principis, & ad primum & secundum velum retinuit omnem clerum & populum, qui mecum veniebat, & nullum permisit introire nisi me solum, & Vigilium diaconem meum. Me verò vi retento, & ante prædictam Patriciam deducto, miserunt in exilium, in quo modò sustentor pane tribulationis, & aqua angustiæ. Ego tamen propterea non dimisi, nec dimitto officium meum: sed cum episcopis, quos congregare potui, eos, qui talia erga me egerunt, anathematizaui, & vnà cum illis Apostolica & synodali auctoritate statui, nullum vnquam taliter decipiendum, sicut deceptus sum: & si aliquis deinceps vllum vnquam episcoporum ita deciperet, anathema maranatha fieret in conspectu DEI & sanctorum angelorum. Similiter sanctorum patrum roborantes decreta statuimus (licèt sæpissime iam statutum fuerit) nec falsos, nec inimicos suspectos accusatores vel testes vnquam super episcopos suscipi, eisque nocere nullatenus posse: quia falsam aut suspectam, aut odiosam vocem, aut funestam, potius interdici, quàm audiri sanctis patribus placuit. Summoperè, carissime, tales cauendi sunt, & auertendi atque reijciendi, si nocentes apparuerint: quia non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges tales non suscipiunt, sed repellunt. Vnde scriptum est: Os impiorum deuorat iniquitatem. Et Dominus per prophetam loquitur, dicens: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocenter ages. Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Et Apostolus inquit: Peruertunt mores bonos colloquia mala. Idcirco (vt iam prælibatum est) mali semper cauendi, & bonis atque benevolis est inhærendum, vt periculum deficiæ, quantumcumque possumus, deuitemus: & ne pestis hæc latius diuulgetur, seueritate (qua possumus) abscindamus: quoniam non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.

Cabil.

1. Reg. 22.

1. Cor. 15.

Prou. 19.

Psal. 10.

1. Cor. 5.

pietatis, Agat semper vnusquisque vestrum hac informatione, Apostolica fultus auctoritate iuxta vires suas, & fraterna dilectione, ac sancta religione mores proprios conseruare, & in communi alterutrum adiuuare, & in caritate permanere, & Dei voluntati indesinenter studeat inhærere, vt simul laudantes Dominum, indefessas illi gratias semper agamus. Vale in Christo carissime semper, & prædicta (prout melius poteris) Domino opem ferente, adimplere, & reliquos fratres Apostolica auctoritate informare studeto. Data 9. Kalend. Decembris Iustiniano V. & Belissario viris clariss. coss.

NOTAE.

Epistola.] *Hæc epistola nomine Siluerij ad Amatorem Episcopum Augustudunensem fortasse, qui his temporibus sanctitate celeberrimus extitit, rescripta, ab aliquo ocioso ex Anastasij scriptis consarcinata videtur. Nota Consulum mendaci insignita, à veritate historica valde abhorret; vt constat ex Liberato Diacono huius temporis scriptore fidelissimo. Indignam itaque iudicantes, quæ sub ipsius Siluerij nomine ederatur, loco insolito, & inconsueta hac inscriptionis Nota, eam hic exhibere placuit.*

CONCILIVM AVRELIANENSE SECVNDVM,

TRIGINTA EPISCOPORVM SVB INITIVM Siluerij Papæ, Anno vigesimo secundo Childeberti Francorum Regis, qui est Christi 536. & Iustiniani decim. celebratum.

TITVLI CANONVM HVIVS SYnodi Prouincialis.

Vt nullus ad Concilium venire dissimulet. 1
Vt metropolitanus prouinciales ad Concilium vocet. 2
Vt nihil de ordinationibus accipiant. 3
Vt nullus sacerdotium pecunia appetat. 4
Vt nullus ad sepeliendum sacerdotem venire dissimulet. 5
Vt qui sepelit episcopum, descriptam domum ecclesiæ relinquat. 6
De ordinatione metropolitanorum. 7
De captiuis diaconis, ne matrimonio copulentur. 8
Ne presbyter cum secularibus habitet. 9
Ne quis cum nouerca iungatur. 10
Ne infirmitate coniugium resoluatur. 11
Ne in lasciuijs vota Deo reddantur. 12
Ne vllus præter episcopum apostolica dare præsumat. 13
De his, qui officium implere despiciunt. 14
De oblationibus interfectorum. 15
De his, qui literas aut baptizandi ordinem nesciunt. 16
De diaconissis, quæ coniugio copulantur. 17
De ijsdem, ne ordinentur. 18
Ne Christianus Iudæam, aut Iudæus Christianam accipiat. 19
De his, qui ad idolorum cibos transeunt, & suffocata præsumunt. 20
De contumacibus Abbatibus. 21

AVRELIANENSIS SECVNDI Concilij Canones.

VM ex præceptione glorioſiſſimorum regum, in Aurelianenſem vrbem de obſeruatione legis catholicæ tractaturi, Deo auxiliante, conuenimus: ibique, quid de antiquis regulis, quid de nouis ambiguitatibus pro captu intelligentiæ, illuminante Domino, ſenſerimus, expreſſimus ſigillatim: deſcriptisque conſtitutionibus, quæ (Deo propicio) in poſterum ſint obſeruanda, ex veterum canonum authoritate conſcripſimus.

1 Id ergo eſt conſtitutum, vt nullus epiſcoporum, admonente metropolitano epiſcopo, niſi certa tædij cauſa detentus, ad concilium vel ordinationem conſacerdotis venire penitùs vlla excuſatione detrectet.

2 Vt metropolitani ſingulis annis comprouinciales ſuos ad Concilium euocent.

3 Ne quis epiſcopus de quibuslibet cauſis, vel epiſcoporum ordinationibus, cæterorumq; clericorum aliquid præſumat accipere: quia ſacerdotem, nefas eſt, cupiditatis venalitate corrumpi. Matth. 10.

4 Si quis ſacerdotium per pecuniæ nundinum execrabili ambitione quæſierit, abijciatur vt reprobus: quia apoſtolica ſententia donum Dei eſſe præcipit pecuniæ trutina minimè comparandum. Act. 18.

5 Nullus epiſcopus ad ſepeliendum epiſcopum venire conficta occaſione diſſimulet, ne cuiuslibet corpuſculum diutiùs inhumatum, negligentia interueniente, ſoluatur. Is verò epiſcopus, qui defunctum aduenerit ſepelire, præter expenſam neceſſariam, nihil precij pro fatigatione depoſcat.

6 Vt epiſcopus, qui ad ſepeliendum epiſcopum venerit, euocatis presbyteris in vnum, domum eccleſiæ adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integra diligentia derelinquat, vt res eccleſiæ vllorum improbitate non pereant.

7 In ordinandis metropolitanis epiſcopis antiquam inſtitutionis formulam renouamus, quam per incuriam omnimodis vidimus amiſſam. Itaque metropolitanus epiſcopus à comprouincialibus epiſcopis, clericis, vel populis electus, congregatis in vnum omnibus comprouincialibus epiſcopis ordinetur vt talis (Deo propicio) ad gradum huius dignitatis accedat, per quem regula eccleſiæ in melius aucta, plus floreat.

8 Si quis diaconus, in captiuitate redactus, vxori ſuerit copulatus, reuerſus, ab officij omninò miniſterio remouendus eſt. Cui ſufficere debet, pro actus ſui leuitate impleta pœnitẽtia, pro ſatisfactione communio.

9 Nullus* clericorum ſine permiſſione epiſcopi ſui cũ ſecularibus habitare præſumat. Quod ſi fecerit, ab officij communione pellatur. *presbyterorum

10 Nullus nouercæ ſuæ, id eſt, vxori patris ſui, vlla copulatione iungatur. Quod ſi præſumpſerit, nouerit ſe anathematis ſupplicio feriendum.

11 Contracta matrimonia, accedente infirmitate, nulla voluntatis contrarietate ſoluantur. Quod ſi qui ex coniugibus fecerint, nouerint ſe communione priuandos.

12 Ne quis in eccleſia votum ſuum cantando, bibendo, vel laſciuiendo diſſoluat: quia Deus talibus votis irritatur potiùs quàm placetur.

13 Abbates martyrarij, recluſi vel presbyteri, *apoſtolia dare non præſumant. (*Hic canon valdè obſcurè ſcriptus habetur.*) *epiſtola

14 Clerici, qui officium ſuum implere deſpiciunt, aut vice ſua ad eccleſiam venire detrectant, loci ſui dignitate priuentur.

15 Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus, ſi tamen nõ ipſi ſibi mortem probentur proprijs manibus intuliſſe.

16 Presbyter vel diaconus, ſine literis, vel ſi baptizandi ordinem neſciat, nullatenus ordinetur.

17 Fœminæ, quæ benedictionem diaconatus hactenus contra interdicta canonum acceperunt, ſi ad coniugium probantur iterum deuolutæ, à communione pellantur. Quòd ſi huiuſmodi contubernium, admonitæ ab epiſcopo, cognito errore diſſoluerint, in communionis gratiam, acta pœnitentia, reuertantur.

18 Placuit etiam, vt nulli poſtmodum fœminæ diaconalis benedictio pro conditionis huius fragilitate credatur.

19 Placuit, vt nullus Chriſtianus Iudæam, neque Iudæus Chriſtianã in matrimonio ducat vxorem: quia inter huiuſmodi perſonas, illicitas nuptias eſſe cenſemus. Qui ſi cõmoniti à conſortio hoc ſe ſeparare diſtulerint, à communionis gratia ſunt ſine dubio ſubmouendi.

20 Catholici, qui ad idolorum cultum, non cuſtodita ad integrum accepti baptiſmi gratia, reuertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis, guſtu illicitæ præſumptionis vtuntur, ab eccleſiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui beſtiarum morſibus extincto, vel quolibet morbo aut caſu ſuffocato veſcuntur.

21 Abbates, qui epiſcoporum præcepta deſpiciunt, ad communionem nec penitùs admittantur, niſi contumaciam

humi-

humilitate susceptа deponant. Sanè si qui post hanc diligentissimam sanctionem non obseruauerint; quæ sunt superiùs comprehensa, reos se diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futuros esse cognoscant.

Honoratus in Christi nomine episcopus Bituricens. subscripsi sub die 9. Kalend. Iulij, anno 22. domini Childeberti regis. Aspasius episcopus *Elosen. subscripsi.

*Melden.

Agrippinus episcopus Heduorum, subscripsi.

Asclepius presbyter pro Adelphio episcopo Rauracensi, subscripsi.

Præsidonius presbyt. pro Arthemio episcopo subscripsi.

*Elosaten.

Cronopius episcopus *Petragoricen. subscripsi.

Calistus episcopus subscripsi,

Clarentius episcopus subscripsi.

Eleutherius episcopus ecclesiæ Antisiodoren. sub.

Aetherius episcopus Carnoten. subscripsi.

Eumerius episcopus Nanneten. subscripsi.

*Emelius episcopus ecclesiæ Parisiensis, subscrip.

Eusebius episcopus subscripsi.

Flauius episcopus Rothomagen. subscripsi.

Laurentius pres. pro Gallo episcopo Aruernorum, subs.

Importunus episcopus subscripsi.

Iniuriosus episcopus ecclesiæ Turonen. subs.

Iulianus episcopus ecclesiæ Viennen. subs.

Innocentius episcopus subscripsi.

Leontius episcopus Aurelianen. ecclesiæ, subs.

Lupicinus episcop. Engolismen. subscripsi.

Lauto episcopus Constantinen. subscripsi.

Orbatus presb. pro Leonc episc. Senonen. subs.

Marcus episcopus subscripsi.

Marcellus episcopus subscripsi.

Perpetuus episcopus Abrincen. subscripsi.

Præsidius episcopus Conuenarum, subs.

Pasiuus episcopus Sagien. subscripsi.

Proculeianus episcopus Aucien. subs.

Sustratius episcopus Cadurcen. subscripsi.

Eledius presbyter pro Sebastio episcopo subsc.

NOTÆ in Concil. Aurelian. II. sub Siluer. Pap.

Acta Concilij.

Concilium.] *Hoc Concilio nihil nouiter est constitutum; sed tantum reformata est disciplina fidelium, in ijs potissimum; quæ ad mores Ecclesiæ pertinent. Patet id ex præfatione Actorum Concilij.*

Episcopi qui & quales.

Triginta Episcoporum.] *Inter hos sanctitate celebres fuerunt hi: Gallus Aruernensis, Eleutherius Antisiodorensis, Lauto Constantinensis, Paternus, pro quo corrupte ponitur Perpetuus, Abricensis. horum enim memoria est in Romano martyrologio certis diebus, quibus ipsorum dies natales celebrantur. Interfuit etiam Iniuriosus magni nominis, Turonensis Episcopus, de quo vide quæ dicemus infra, in Notis. De Gallo Episcopo, qui per legatum suum huic Concilio interfuit, scribit Gregor. Turonensis de gestis Francorum lib. 4. cap. 5. & 6. Vberius in vita Sanctorum Patrum cap. 6. Eius epitaphium & virtutes egregias scripsit carmine Venantius Fortunatus li. 4. Fuit Aruernensium Episcopus in ordine vigesimus septimus apud Democh. de sacrificio Missæ. Eleutherius Antisiodorensis Episcopus fuit ordine decimus sextus, sedit q. annos 28. menses 8. dies 9. Ad Paternum Abricensem quartum Episcopum, olim Abbatem, extat carmen Venantij Fortunati, de emendatione Codicis. Acta eius extant apud Surium tom. 2.*

Gallus quis? Concil. Aurel. 3.

Eleutherius quis?

Quo ordine subscripserint?

Nomina Episcoporum in hoc & primo Aurelianensi, Epaunensi, alijs q. quibusdam supra excusis Concilijs ordine Alphabetico ab aliquo imperito librario disposita fuerunt, quæ seruato dignitatis ordine, illo, cuius supra frequenter memini, procul dubio subscripta fuerunt.

Anno 22. Childeberti.] *Patet ex actis Concilij in fine.*

Anno Christi 536.] *Quoto anno Christi hoc cum cæteris Aurelianensibus Concilijs celebratum fuerit, inter scriptores non conuenit. Alij ad annum 533. alij ad 536. illud referunt. Diuersitas sententiarum oritur ex tempore obitus Clodouei: quem qui anno Christi 511. defunctum esse sentiunt, simul etiam existimant, hoc Concilium 22. anno Childeberti filij & successoris Clodouei celebratum, habitum fuisse anno Domini nostri Iesu Christi 533. Contra verò, qui obitum Clodouei & initium Childeberti statuunt in anno Christi 514. sentiunt anno Christi 536. cum quo 22. Childeberti coincidit, celebratum fuisse. Obitu Clodouei ad annum Christi 514. retuli suprà: idq. propterea, quod Anastasius in vita Hormisdæ, à Clodoueo Rege Francorum corona aurea donatum Hormisdam Pontificem, qui ante annum 514. Christi nati pontificatum necdum adeptus fuerat: non vltra quingesimum decimum quartum annum Christi supervixisse testantur Sigebertus in Chron. & Gregor. Turonensis de gestis Franc. lib. 1. cap. vlt. vbi ab obitu S. Martini, qui contigit anno Christi 402. vsque ad obitum Clodouei numerat annos centum & duodecim. Quæ si vera sunt, necessium est fateri, obitum Clodouei Regis Francorum præcisè in annum Christi 514. & consequenter vigesimum secundum Childeberti in annum Christi 536. qui est Iustiniani decimus & Siluerij Papæ primus coincidisse. Hæc de tempore Aurelianensium Conciliorum breuiter dicta sufficiant.*

Tituli canonum.] *De ijs, quæ hoc loco de Clericorum ordinationibus, sepulturis & cohabitationibus, de impedimentis matrimonium, de Diaconissis mulieribus, & idolothitis statuuntur, actum est in Notis præcedentium Conciliorum & can. apost. supra tomo 1. Conc.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA VIGILII PAPÆ.

Ex libro Pontificali.

VIGILIVS natione Romanus ex patre Ioanne consule, sedit annos 17. menses 6. dies 26. Eodem tempore Belisarius patricius commisit bellum cũ Vittige rege Gothorũ. Quem fugientem noctu, insecutus est Ioannes magister militum cognomento Sanguinarius, & tenuit eum, & adduxit ad Belisarium, & ad Vigilium Romam. Tunc dederunt ei sacramenta in basilica Iulij, vt saluum illum perducerent ad Iustinianum Imperatorem. Quem cùm adduxissent in Constantinopolim, gauisus est Imperator, & fecit eum patricium, & comitem, & transmisit eum iuxta fines Persarum, & ibi vitam finiuit. Belisarium verò interrogauit Imperator, quomodo se haberet cum Romanis, vel quomodo in loco Siluerij statuisset Vigilium. Tunc gratias ei egerunt Imperator & Augusta, & data ei dignitate, iterum misit eum in Africam. Qui veniens in fines Africæ, sub dolo pacis interfecit Contharidem regem Vandalorum, & redacta est Africa sub republica. Tunc Belisarius patricius veniens Romam, de spolijs Vandalorum obtulit beato Petro Apostolo per manus Vigilij Papæ, crucem auream cum gemmis, pensantem libras centum, in qua scripsit victorias suas. Cerostrata argentea deaurata maiora duo, quæ stant vsque hodie ante corpus beati Petri Apostoli. Sed & alia multa dona & eleemosynas pauperum largitus est. Fecit etiam Belisarius Patricius xenodochium in via Lata, & in via Flaminea iuxta ciuitatem *Ortas monasterium sancti Iuuenalis, vbi possessiones & dona multa largitus est. Eodem tempore Theodora Augusta scripsit ad Vigilium Papam: Veni, adimple nobis, quæ prona voluntate tua promisisti de patre nostro Anthimo, & reuoca eum in officio suo. Ad hæc rescripsit Vigilius: Absit hoc à me, domina Augusta. Prius loquutus sum malè & insipienter, modò autem nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum & anathematizatum, & si indignus, vicarius sum B. Petri Apostoli, quomodo fuerunt antecessores mei sanctissimi Agapetus & Siluerius, qui eum damnauerunt. *Ecce vt Vigilius, quantumuis malis artibus adeptus Pontificatum, statim ac sanctam illam sedem, & promissione Domini stabilitam, ascendit, mutatus in alium virum, hæresim, quam probare promiserat, damnat. Sed de Vigilio & eius tota causa vide Notas nostras, Sanderum, & alios.*

Anno Domini 537.

*Ostiam.

Tunc Romani fecerunt suggestiones suas contra Vigilium, eo quod cum consilio eius depositus fuisset Siluerius beatissimus Papa. Suggerimus, inquiunt, pietati tuæ, quia malè agit cum seruis tuis Romanis & cum ipsa plebe suo, & quia homicidam illum accusamus. Sic est in furorem versus, vt daret alapam notario suo. Qui mox ad pedes eius caderis, expirauit. Item dedit nepotem suum Vigilius Asterio consuli filium mulieris viduæ, quo *casu faciente, fecit eum teneri nocte, & tam diu cædi quamdiu vitam finiret.

Quo

Quo audito, Augusta misit Anthemium Scribonem cum iussione sua, & cum virtute maiore ad Romam dicens: Exceptis omnibus in Basilica sancti Petri, parce: nam si in Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet Ecclesia inueneris Vigilium, mox impositum in nauim, perduc eum vsque ad nos. Nam per vicentem in secula excoriari te faciam. Qui Anthemius Scribon veniens Romam, inuenit eum in Ecclesia sanctæ Cæciliæ, x. Kal. Decembris, (erat. n. dies natalis eius) munera eum erogantem ad populum. Tenentes ergo eum, deposuerunt ad Tiberim, & miserunt eum in nauim. Plebs autem & populus sequebatur eum, acclamantes, vt orationem ab eo acciperent. Dataque oratione, respondit omnis populus, Amen, & mota est nauis. Videntes Romani, quod mota esset nauis, in qua sedebat Vigilius, cœpit populus iactare post eum lapides, fustes, *cacabos, & dicere: Fames tua tecum. Mortalitas tecum. Malè fecisti Romanis, malè inuenias vbi vadis. Et quidam amatores eius secuti sunt eum de Ecclesia. Qui ingressus Siciliam in ciuitatem Catanensem, permissus est facere ordinationem per mensem Decembrem, presbyteros & diacones, in quibus retransmisit Romæ Ampliatum presbyterum, & vicedominum suum, & Valentinum Episcopum ad sanctas Rusinam & Secundam, ad custodiendum Lateranas, & gubernandum clerum, & valefaciens omnibus, ingressus est Constantinopolim in vigilia natalis Domini nostri Iesu Christi. Tunc obuius est ei Imperator, & osculantes se, cœperunt flere, & plebs illa psallebat ante eum vsque ad Ecclesiam sanctæ Sophiæ, dicens: Ecce aduenit dominator Dominus, &c. Per biennium verò fuerunt contentiones de Anthimo patriarcha, quomodo promisisset reuocare & remittere eum in locum suum, & cautionem manus suæ ostendebant, cùm promiserat eum in ordine suo reuocare. Sed Vigilius nullatenus eis voluit consentire: sed tanta roboratus virtute, magis mori desiderabat, quam viuere. Tunc Vigilius Papa dixit: Vt video, non me fecerunt venire ad se Iustinianus & Theodora pijssimi principes, sed hodie scio, quòd Diocletianum & Eleutheriam inueni. Facite vt vultis, digna enim factis recipio. Tunc dedit alapam in faciem eius quidam, dicens: Homicida, nescis, quibus loqueris? Nescis, quia Siluerium Papam occidisti? & filium mulieris viduæ, ad calces & fustes interfecisti? Tunc fugiens in basilicam sanctæ Euphemię, tenuit columnam altaris. Qui tractus ab ea, eiectus est foras Ecclesiam. Fecit autem mitti funem in collum eius, & traxerunt eum per totam ciuitatem vsque ad vesperam. Tunc misso in custodiam dabatur ei modicum panis & aquæ. Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, missus est in exilium ad diuersa metalla incidenda. Tunc Gothi fecerunt sibi regem Baduillam, qui Totila nuncupabatur, qui descendens Romam, obsedit eam. Et facta est fames in ciuitate Romana talis, vt etiam natos suos vellent comedere. Quadam die intrauit Romam à porta sancti Pauli, indictione 13. Tota enim nocte fecit buccinam clangi, vsq; dum cunctus populus fugeret, aut per Ecclesias se cælaret, ne gladio Romani vitam finirent. Habitauit rex cum Romanis, quasi pater cum filijs. Tunc quidam de senatoribus fugientes, Citheus, Albinus, & Basilius patricius & consul, ingressi sunt Constantinopolim, præsentati ante Imperatorem afflicti & desolati. Tunc cõsolatus est eos Imperator, & ditauit eos, sicut digni erant, tanquam cõsules Romani. Eodem tempore Imperator Iustinianus misit Narsetem eunuchum & cubicularium suum in Italiam, cui, data pugna cum Gothis, donauit Deus victoriam, & occisus est rex, & multitudo Gotthorum interfecta est. Tunc adunatus clerus rogauerunt Narsetem vt vna cum eius suggestione rogarent principem, vt si adhuc viueret Vigilius Papa, aut presbyteri, seu diaconi, vel clerus, qui cum eodem Vigilio fuerant exilio deportati, reuerterentur. Suscepta relatione Narsetis, vel cuncti cleri Romani, lætus effectus est Imperator, & omnes inclyti eius, eo quòd requiem donasset Deus Romanis. Mox misit iussiones suas per diuersa loca, vbi fuerant in exilio deportati in * Gyssa & Proconneso, & adduxit eos ante se Imperator, dicens eis: Vultis recipere Vigilium, vt fuit Papa vester? Gratias ago. Minus ne? Hic habetis archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea erit vobiscum. Respondérunt omnes: Imperet Deus pietati tuæ. Restitue nobis modò Vigilium, & quando eum voluerit Deus transire de hoc seculo, tunc vestra præceptione nobis donetur Pelagius archidiaconus noster. Tunc dimisit omnes cum Vigilio. Venerunt itaq; in Siciliam in ciuitatem Syracusas, vbi Vigilius afflictus, calculi dolorem habens, mortuus est. Cuius corpus ductum Romam, sepultũ est ad sanctum Marcellum via Salaria. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros 46. diacones 16. episcopos per diuersa loca numero 81. Et cessauit episcopatus menses tres, dies 5.

Notæ in vitam Vigilij Papæ.

Vigilius.] *Cum Vigilius fauore Theodoræ Augustæ in sedem Apostoli intrusus post obitum Siluerij se pontificatu subdole abdicasset, ea spe fortasse, vt per studia Belisarij legitime eligeretur, electuris nouũ Pontificem Romanæ Ecclesiæ clericis ille metus incessit, ne si Vigilium multis criminibus notoriè contaminatum elegerent, in sacros canones delinquerent: si vero præterirent, schismati & periculosissimæ hæresi occasionem præberent. Post longam consultationem ad auertendum schismatis & hæreseos periculum, diuino instinctu fortasse omniũ consensu electus est Vigilius; Catholicus quidè, sed propter ambitionem, hæreticorum conuersatione pollutus. Post emissam fidei confessionem, omniq; hæreseos execrationẽ euectus est in thronum Pontificium 4. Kalend. Iulij anno Christi 540. qui est Iustiniani 14. Hæc omnia nutu Dei facta esse probauit euentus. Admirabili enim exemplo accidit, vt qui ad maledicendum populo Dei antea fuerat inductus, idem ad benedicendum eidem cõuerteretur, quemq; Theodora Imperatrix ad reuocandum Anthimum in sedem Pontificalem euexerat, ille post legitimam sui electionem anathema aduersus eundem atque collegas ipsius hæreticos irrogatum, iterum confirmauerit. Iustinianus Imperator de legitima electione Vigilij certior redditus, more maiorum suorum apud eundem per legatum & epistolam fidei cõfessionem edidit, vt patet ex reddita Vigilij epistola, qua præter exspectationem Theodoræ Augustæ in Anthimum eiusque Collegas hæreticos anathema intorsit. In Italia nulla Ducũ virtute Rauena ciuitas dedita, ipse q; Vitiges Rex Gothorum anno Christi 540. victus à Belesario: qui hanc ob rem ab amulis inuidiam passus, & in affectatæ tyrannidis suspicionem adductus Constantinopolim reuocatur. Qui cum venisset, adductis secum deuictis hostibus, triumphare non est permissus, propterea fortasse, quod impiæ Augustæ nimium obtemperans in Pontificem impia & sacrilega attentasset. Theobaldus Rex Gothorum vires dispersas restaurauit; post cuius sedem Totilas Theobaldi nepos in flagellum Græcorum in Occidente dominantium euectus est in regnum, qui post aliquot victorias contra Romanos partas Campania potitus est, vbi eidem vsu venit, quod refert S. Gregor. 3. Dialog. cap. 18. de S. Benedicto Casinensi Monacho, qui venienti ad explorandum Domini prophetiã dixit: Pone fili, pone, hoc quod portas non est tuum. Ipsi vero Totilæ ad se venienti pranunciauit dicens.* Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquando ab impietate quiesce: Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus nouem annis regnans, decimo morieris. *Quando post totam ferè subactam Italiam Roma potitus fuerit, infra dicemus. Huius temporibus quatuor pluresue Persarum irruptiones in Romanos factæ sunt à Cosrhoe Persarum Rege, quas describit Procopius bello Persico.*

Anno Pontificatus Vigilij 7. qui est Christi 546. Petrus Hierosolymorum Episcopus vita defunctus est: in locum eius succesit Macarius II. qui ex sinistro iudicio suspicionem hæreseos incurrit. Theodora Augusta hæretica Seueriana ad euersionem fidei Orthodoxæ solum intenta, cum imperasset, teste Procopio; annum vnum & viginti, anno Imperij Iustiniani 23. diro anathematis iaculo per Vigilij sauciata, vlciscente Numine haud dubie misere interijt. Quafide ergo Anastasius dicat, Vigilium iussu Imperatricis è templo S. Euphemiæ Chalcedone extractum fuisse, infra dicemus. Si non impiæ huius fœminæ imperio nimis obsequens fuisset Belisarius, manusq; violẽtas à Siluerio retraxisset, felicissimus fuisset Dux militũ: quia tamen Deũ fœminæ postposuit, è summa gloria in infimam fortunam miserè est deiectus. Nam cum de insidijs Iustiniano Imperatori paratis accusatus fuisset, & fortasse etiam conuictus, bonis & dignitatibus omnibus exutus est, excæcatus, eoque paupertatis adactus, vt stipem mendicare coactus fuerit. Zonaras, Cedrenus, Volat. &c. Baron. anno 561. Quæ occasione trium capitulorum scripta Diodori Mopsuesteni, Theodoreti, atque epistolam Ibæ concernentium, huius temporibus dicta, scripta, aut gesta fuerint, per literas, Cõcilia & edicta infra patebit. Prima Iustiniana Metropolitanæ sedis dignitate ac prærogatiua auctoritate Vigilij exornata fuit. Nouell. 131. cap. 3. Basili-

cam à se constructam sacris imaginum picturis decorauit, vt ait Adrianus Papa in epistol. ad Carol. Magn. Monasterium à Childeberto Francorum Rege erectum priuilegijs & immunitatibus decorauit. S. Greg. lib. 7. epistol. 115. at Vigilius aiebat Episcopum Origenem antea sæpius damnatum, suo etiam constituto condemnauit. Cassiod. Instit. diuin. lect. lib. 1. cap. 5.

Ex actis huius Pontificis singularis, Dei erga Romanam Ecclesiam prouidentia atque admiranda Apostolicæ sedis auctoritas omnibus innotescit. Quanquam Imperatricis aliorumq; desiderio speratum fuerit, nauiculam Petri eo ducendam, quo ipsi suo affectu commouerent Vigilium suo studio ac fauore in sedem Apostolicam violenter & sacrilege intrusum; tamen residens in ea Christus huc atque illuc vniuersam nauim pro arbitrio vertit, & licet fluctus contrarij eam vrserint, flantesq; venti in aduersam partem quandoque impulerint; nunquam tamen ipsa nauicula toto tempore legitimi Pontificatus Vigilij in scopulos impegit, vel in Syrtes offendit, ictibusq; vndarum crebrioribus dissoluta fuit; sed potius illæsa permansit, omnemq; illam aquam, quam per lata foramina influentem excepit, integrè ad summam siccitatem vicissim excussit. Videant ergo Nouantes hæretici, quam præmaturè triumphent de naufragio huius nauiculæ, quando ei præsidebat Vigilius. Si auctor est illius epistolæ, fideiq; formulæ, quam ex Liberati Breuiario obijciunt; nihil aliud vicerunt, quam quod eo tempore exteriore professione ingratiam Imperatricis spe pontificatus obeundi vel retinendi hæresim professus eam epistolam scripserit, quando adhuc viuente Siluerio pseudopapa esset: quem si vel errasse, vel hæreticum & simoniacum, fuisse ipsi probarent, nullam maculam Ecclesiæ orthodoxæ eiusque dogmatibus infligerent. Quod autem post obitum Siluerij, quando per electionem vel approbationem Cleri Romani Papa legitimus esse cœpit, nihil horum dixerit, scripserit vel egerit, indicabunt illæ anathematis sententiæ, quas in Anthimum, teste Gregorio, à prædecessorib. antea condemnatum, & in Theodoram Augustam pronunciauit. Quid verò de ipsa epist. sub nomine Vigilij ex Liberato desumpta sentiendum sit, dicemus infra in Notis epistolarum.

Sedit annos 17. &c.] *Sexdecim annis sedem Apostolicam tenuisse Vigilium scribit Baron. an. 555.*

Belisarius commisit bellum.] *Vitigem nullo prælio habito, nulla Ducum virtute, vna cum Rauenna ciuitate, anno quinto belli Gothici, qui est Christi 540. dedutum esse Belisario, scribit Procopius.*

Gratias ei egerunt Impp.] *Iustinianum de reuocando Anthimo in sedem suam, conscium non fuisse; sed potius ea omnia secreta machinatione Theodoræ Augustæ cum Vigilio commissa esse, indicat epistola Iustiniani ad Mennam, quæ supra excusa est sub Siluerio: in cuius fine inter alios execrandos hæreticos condemnandos enumerat Anthimum Trapezuntij Episcopum. Vnde patet, quod ipse Imperator Belisario hac de causa gratias non egerit; nisi fortè persuasum sibi habuerit, Siluerium iusta sententia condemnatum, eique Vigilium legitima surrogatione suffectum fuisse.*

Iterum misit eum in Africam.] *Hæc sub Pontificatu Ioannis secundi, anno Christi 533. contigisse videntur.*

Despo ijs VVandalorum Romam veniens.] *Hæc oblatio, cuius etiam meminit auctor Miscellæ historiæ, fortasse facta est sub Pontificatu Siluerij, anno* CHRISTI *537. quando Belisarius post deuictos Romam subegit. Si tamen aliqua donatio facta est Vigilio, oportuit eam oblatam fuisse per ministros Belisarij in eiusdem absentia. Nam ipsum Belisarium quarto anno belli Persic. Romam non fuisse ingressum, videre est ex Procopio.*

Tunc Romani fecerunt suggestiones suas.] *Historiam quæ sequitur, vsque ad illa verba: Qui ingressus Siciliam, &c. de fide suspectam esse Baron. ann. 546. numer. 54. probat eo argumento fretus, quod trium capitulorum causa tantum vocatus fuerit, cum Menna Constantinop. atque primarij Orientis Episcopi, edicto Iustiniani de tribus capitulis damnandis promulgato, non prius subscribere vellent, quam Romanus Pontifex consensisset. Putabat enim Pontificem, quibus posset fieri blanditijs conciliandum, & non nisi honorifice inuitandum esse, ne illo repugnante, à quo omnes Orientis Episcopi dependebant, de promulgato edicto omnes conatus irriti efficerentur.*

Qui ingressus Siciliam.] *In Sicilia longiores moras traxisse Pontificem, indeque vrbi fame laboranti frumentum à Gothis interceptum misisse, tradit Procopius libr. tertio, de bello Gothorum.*

Ingressus est Constantinopolim.] *Vigilius ad comitatum profectus contra exemplum sancti Leonis aliorumq; prædecessorum suorum, nauiculam Petri, cuius clauum immotus sedens Roma, tutius tenuisset, magno periculo exposuit, vt infra patebit ex Notis epistolarum & Conciliorum.*

In Vigilia Domini nostri.] *Procopius de bello Gothico, cap. 3. transacta hyeme, redditoq; nauigandi oportuno tempore, Vigilium è Sicilia soluisse, & Constantinopolim appulisse scribit: idq; superioribus Anastasij verbis est conuenientius. Nam si prope diem natalis Domini mense Decembri, quod ait, ordinationem habuit, quomodo in Vigilia eiusdem Natalis Domini potuit Constantinopolim peruenisse? Baron. an. 547. n. 36.*

Tunc dedit alapam.] *Hæc quæ sequuntur contigerunt post obitum Theodoræ, anno* CHRISTI *551. quando excutiatur cum rursus persecutione, per Theodorum Episcopum Cæsariensem debuit confugere Chalcedonem in Basilicam sanct. Euphemij, vt patet ex epistol. Vigilij ad vniuersam Ecclesiam scripta. Vnde quæ mixtim & confusè de Theodora Augusta iam ante triennium defuncta deinceps ab Anastasio recensentur, suis quæq; locis Lector restituat.*

Totila descendit Romam & obsedit eam.] *Anno Christi 546. obsideri cœptam, Isauri milites anno sequente Totilæ prodiderunt, cum Romanis dira fame pressis sordidissima quæq; deuorarent, & multi mortui conciderent. Occupatam vrbem Totilas tam diruere, & in ouium pascua redigere inceperat; sed Belisarij literis sapienter id dissuadentibus sapius lectis, consilio destitit. Belisarius eandem recuperauit, post quam Totilam eodem anno 547. iterum campestri prælio superasset. Quomodo eandem vrbem anno 550. vicissim Isaurorum proditione deditam Totilæ, atque ab eodem nouis ædificijs illustratam, Narses Dux Romani exercitus* DEI *auxilio atque Beatæ* MARIÆ *virginis intercessione fretus, Rege & exercitu Gothorum occisis, à barbarorum imperio liberauerit, infra dicemus.*

Eodem tempore misit Iustinianus Narsetem Eunuchum.] *Illo anno, quo Imperator ad instantiam Vigilij Papæ edictum de tribus capitulis promulgatum reuocauit, seq; Romano Pontifici obsequentem præbuit; Narses Dux Romani exercitus,* DEI *auxilio per intercessionem Beatæ* MARIÆ *Virginis fretus, Totilam vna cum toto eius exercitu anno decimo regni eius, (prout sanctus Benedictus Monachus eidem prædixerat) fudit & interemit, ipsamq; vrbem iam secundò ab ipso occupatam, secundò recuperauit, anno nimirum Christi 553. Claues portarum Narses, teste Procopio, Constantinopolim misit ad Iustinianum Imperatorem. Ita claubus vrbis potitus est Imperator, quando claues Petri in Vigilio recognouit.*

Tunc adunatus Clerus, &c.] *Dubium non est, quin Vigilius rogatu Narsetis ab auxilio liberatus, quintam Synodum de trium capitulorum damnatione habitam confirmarit, maximè cum id vehementissimè vrgeret Imperator, neque vlla alia ratione, amicitia & pace conciliari possent. Vide Baronium anno 554. numer. 3. 4. 5. 6.*

Vultis recipere Vigilium, &c.] *Iustinianus hoc loco sacrilegè confirmationem & abrogationem Romani Pontificis vsurpat; quanta vero totius Imperij iactura & clarè, infra patebit. Dolendum est, quod Clerus Romanus populo Vigilium poscenti promiserit, post obitum Vigilij non alium suffectum iri Pontificem, quam quem Imperator præsentasset: cum ea ratione ducta sit in captiuitatem Domina gentium: & Regina prouinciarum facta fuerit sub tributo.*

Defunctus est Vigilius.] *Pelagius Diaconus in suspicionem occisi Vigilij incurrit; verum seipsum de illata calumnia expurgauit: Vt patet infra in vita Vigilij.*

(:)

EPISTOLÆ VIGILII PAPAE SEQVVNTVR.

EPISTOLA PRIMA, QVÆ SVB NOmine Vigilij ab Eutychiano scripta fuit.

DOMINIS *& patribus* * *Vigilius.* Scio quidem, quia ad sanctitatem vestram antea fidei meæ credulitas, DEO adiuuante, peruenit. Sed quia modò glorioſa filia mea Patricia Antonina Chriſtianiſſima deſideria mea facit impleri, quod fraternitati veſtræ præſentia ſcripta tranſmitterem: ſalutans ergo vos gratia, qua nos Deo noſtro Chriſto Saluatori coniungimur, & eam fidem quam tenetis, Deo adiuuante, &c. *extat infra apud Liberatum in Breuiar. ca. 22. poſt medium, cum Notis, quas ibi vide.*

* fratrib. Vigilij nomine epiſtola inſcr.

EPISTOLA II. B. VIGILII PAPÆ, adhuc pſeudopapæ.

Tom. 1. Epil. Decret. 1.

Eutherij conſultationibus reſpondet.

Dilectiſſimo Fratri Eutherio, Vigilius. Directas ad nos tuæ caritatis epiſtolas, plenas Catholicæ inquiſitionis ſolicitudine, gratanter accepimus, benedicentes Dei noſtri clementiam, quia tales in extremis mundi partibus dignatur ſuis ouibus prouidere paſtores, per quos & paſcuis valeant ſalutaribus abundare, & ab antiqui hoſtis rapacitate ſeruari, & inſidias nequeant eius ſubreptionis incurrere. Vnde certum eſt, quia promiſſæ vos beatitudinis gratia ſubſequatur, quando à vobis cæleſtium perfectio doctrinarum tam votiua ſciſcitatione perquiritur. Scriptum eſt enim: Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Hoc igitur, frater cariſſime, propoſitum tuæ conſultationis tota mente tractantes, de te quoq; prouenire contendimus, qui regulam Catholicæ fidei iſſdem ſtudes tenere veſtigijs, quibus eam in Apoſtolica fide cognoſcis eſſe fundatam. Et quamuis ſonus eorum toto orbe diffuſus; & vſque ad fines orbis terræ verba eorum diſtenſa, dilectionis tuæ corda Chriſto probauerit eſſe fidelia: tamen ſi quid ex his in Eccleſia, quæ tuæ gubernationi (Deo auxiliante) commiſſa eſt, nec dum plena luce claruerit, ad eundem fontem, de quo illa ſalutaris manarat lympha, recurritis, quod debita caritate ſumus amplexi: quia fiducialiter de his, vnde apud eos obſeruátiam eſſe dixiſtis ambiguam, noſtra voluiſtis reſpõſione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino ſalutantes, de ſingulis, quid iuxta Catholicam diſciplinam teneat Apoſtolicæ Sedis auctoritas, ſubiectis aliquibus etiam ſanctarum capitulis regularum, te credimus inſtruendum.

Ac primum de his, quos Priſcillianæ hæreſis indicaſti vitijs inquinari, ſancta & conueniente religioni Catholicæ eos detestatione iudicas arguendos, qui ita ſe ſub abſtinentiæ ſimulatæ prætextu, ab eſcis videntur carnium ſubmouere, vt hoc execrationis potius animo, quàm deuotionis probentur efficere: in qua re quia nefandiſſimis Manichæis eſſe conſimiles approbantur, iuſtè patrum venerabilium cõſtitutis ab hac ſuperſtitione ſub anathematis ſunt interminatione prohibiti, quando aliquid ciborum contagione carnium credunt eſſe pollutum: quia de his omnibus, quæ ad humanum victum miſericordia Dei contulit, nihil Catholicis eſſe iudicatur immundum. Sic enim Titum doctor gentium Paulus monet Apoſtolus, dicens: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum: ſed polluta ſunt eorum mens & conſcientia. Deum confitentur ſe noſſe, factis autem negant, abominabiles & increduli, & ad omne opus bonum reprobi. Similiter & alio in loco ad Timotheum de huiuſmodi cauendis erroribus prædicauit, dicens: In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquẽtium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentes nubere, & abſtinentes à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quòd cum gratiarum actione percipitur. Hæc igitur ſequentia patrum venerabilium conſtituta, ſpecialiter eos cenſuerunt eſſe damnandos, qui cum carnibus abſtinerent, ea quoq; credebant eſſe vitanda, quæ carnibus fuiſſe videbantur admixta. Nam & ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus ita præmonuit, dicens: Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quæ procedũt de ore, hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Quapropter nec abſtinentiam Deo placitã reprobamus, nec eos qui execrantur Domini creaturam, recipimus in noſtra ſocietate. Matth. 15.

De baptiſmo quoque ſolenniter adimplendo, ſimiliter quid Apoſtolica vel ſanxerit, vel obſeruet auctoritas, in ſubiectis tua caritas euidenter agnoſcet. Illud autem nouelli eſſe iudicamus erroris, quòd cum in fine pſalmorum ab omnibus Catholicis ex more dicatur, Gloria patri, & filio, & Spiritui ſancto, aliqui, ſicut indicas, ſubducta vna ſyllaba coniunctiua, perfectum conantur minuere vocabulum Trinitatis, dicendo: Gloria patri, & filio Spiritui ſancto. Quamuis ergo ipſa nos ratio euidenter edoceat, quia ſubducta vna ſyllaba, perſonam filij & Spiritus ſancti, vnam quodammodo eſſe deſignent: tamen ad errorem talium conuincendum ſufficit, quòd Dominus Ieſus Chriſtus deſignans in inuocatione Trinitatis credentium debere baptiſma celebrari, dixit: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ergo cum non dixerit, in nomine Patris, & Filij, Spiritus ſancti: ſed æqualibus diſtinctionibus, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum iuſſerit nominari, conſtat illos omnino à doctrina Dominica deuiare, qui aliquid huic voluerint confeſſioni derogare. Qui ſi in errore permanſerint, ſocij nobis eſſe non poſſunt. In fine cuiuslibet Pſalmi dicendum, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Matth. vlt.

De his etiam, qui baptiſmatis gratia ſalutaris accepta, apud Arianos iterum baptizati, profundę voraginis ſunt morte demerſi, quid per ſingulos ordines, vel ętates anteceſſorum noſtrorum decreta cenſuerunt, quæ multiplici ſunt digeſta ratione, è noſtro ſcrinio reuelata capitula his ſubiecta direximus. In quibus tamen illud ſpeciali caritate etiam conuenit obſeruari, vt quia pro peccatis plurimis in gentibus iniquitas ipſa ſurrexit, in æſtimatione fraternitatis tuæ, aliorumque Pontificum per ſuas diœceſes relinquatur, vt ſi qualitas, & pœnitentis deuotio fuerit approbata, indulgentiæ quoq; remedio ſit vicina. Quorum tamen reconciliatio non per illam impoſitionem manus, quæ per inuocationem ſancti Spiritus fit, operatur: ſed per illam, qua pœnitentiæ fructus acquiritur, & ſanctæ communionis reſtitutio perficitur. De his, qui ab Arianis iterũ baptizantur.

De fabrica verò cuiuslibet Eccleſiæ, ſi diruta fuerit, inſtauranda, & ſi in eo loco conſecrationis ſolennitas debeat iterari, in quo ſanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, ſi per eam minimè aqua benedicta iactetur: quia conſecrationem cuiuslibet Eccleſiæ, in qua Spiritus ſancti ara non ponitur, celebritatem tantum ſcimus eſſe Miſſarum. Et ideo, ſi qua ſanctorum Baſilica à fundamentis etiam fuerit innouata, ſine aliqua dubitatione, cum in ea Miſſarum fuerit celebrata ſolennitas, totius ſanctificatio conſecrationis implebitur. Si verò ſanctuaria, quæ habebat, ablata ſunt, rurſus earum repoſitione, & Miſſarum ſolennitate reuerentiam ſanctificationis accipiet. Quando Eccleſia iterum debeat conſecrari.

Paſcha verò futurum nos (ſi Deus voluerit) xi. Kalend. Maiarum die celebraturos eſſe cognoſcite. Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtiuitate ſignificamus habere diuiſum: ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera cõſecrare. Quoties verò Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, & Epiphaniæ, ſanctorumque DEI fuerit agenda feſtiuitas, ſingula capitula diebus apta ſubiungimus, quibus commemorationem ſanctæ ſolennitatis, aut eorum faciamus, quorum natalitia celebramus: cætera verò ordine conſueto proſequimur. Quapropter & ipſius canonicæ precis textum direximus ſubter adiectum, quem (Deo propitio) ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus. Et vt caritas tua cognoſcat, quibus locis aliqua feſtiuitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces ſimiliter adiecimus. His igitur fraternitatis tuę inquiſitioni reſponſis, Deum De Paſchę feſtiuitate, precum ordine, ac Miſſarum ſolemnijs

nostrum, quantum possumus, exoramus, vt omnibus Catholicæ religionis Ecclesijs circa vniuersos, quos fideles tibi effecit, gratiæ suæ dona multiplicet, & ab omnibus insidijs spiritualis hostis, atque carnalis cunctos populos suos redigere dignetur immunes. Significatur etiam beatorum Apostolorum, vel martyrum (sicut speramus) sancto nos affectui tuo direxisse reliquias, præsumentes fidem vestram eorum deinceps plenius esse meritis adiuuandam.

Baptismus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti conferendus. Matth 28.

Si quis Episcopus, aut presbyter iuxta præceptum Domini non baptizauerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in vna persona Trinitatis, aut in duabus, aut in tribus patribus, aut in tribus filijs, aut in tribus paracletis proijciatur de Ecclesia Dei.

Romana Ecclesia mater & magistra omnium Ecclesiarum. Ioan. 1.

Nulli vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum & forma sit Ecclesiarum, à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licet omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, vt cæteris præemineret: vnde & Cephas vocatur, quia caput est, & primus omnium Apostolorum. Et quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrem sancta Romana Ecclesia eius merito Domini voce consecrata, & sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum: ad quam tam summa Episcoporum negotia, & iudicia atque querelæ, quàm & maiores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput, semper referenda sunt. Nam & qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem esse sibi prælatum. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatę solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiorum negotia causarum, eidem sanctæ Sedi reseruata esse liquet: præsertim cum in his omnibus eius semper sit expectandum consultum, cuius tramiti si quis obuiare tentauerit sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo apud eandē sanctam Sedem nouerit redditurum. Data Kalēdis Martij, Volusiano & Ioanne viris clarissimis Consulibus.

Anno Domini 538.

EPISTOLA III. VIGILII ADHVC PSEVdopapæ ad Cæsarium Arelatensem, cui Siluerium consulenti de iniungenda pœnitentia, Regi Theodoberto ob incestuosas nuptias contractas, respondet.

Dilectissimo fratri Cæsario Vigilius. Si pro obseruatione cœlestiū mandatorū Catholicæ filios Ecclesiæ opportunè vel importunè sacerdotes singulos decet instruere, quātò magis his, qui deuotione laudabili de reb. sibi dubijs ad studium veniunt consulendi, cōpetenti necesse est ordine respondere? Hinc est quod glorioſi filij nostri Regis Theodoberti interrogationem, qua nos per Modericum virum illustrem legatum suum credidit requirendos, duximus amplectendam: in qua gloriam suam desiderat informari, cuiusmodi pœnitentia possit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris sui illicitum præsumpsit inire coniugium. Cui nos equidem missis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in subiectis inueniet, hoc indicare curauimus, quoniam tale commissum non parua cordis afflictione valeat expiari. Sed quia (sicut charitatem tuam benè nosse confidimus) modus pœnitentiæ præsentium potius sacerdotum inspectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum, veniæ quoque possit indulgeri remedium: tuæ hoc potiùs æstimationi credimus relinquendum. Quapropter charitas tua, totius facti qualitate, ac pœnitentis ipsius compunctione perspecta, prædictum glorioſum Regem filium nostrum, & de temporis obseruatione non omittat instruere, & ne vlterius tale aliquid præsumatur instanter exposcat. Illud quàm maximè præcauendū, vt ne ipse qui hoc noscitur admisisse, ad eosdē vomitus reuertatur: sed diuisis etiam habitationibus commanentes, ab omni suspicione commissi facinoris reddantur immunes. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Datum pridiè Non. Martiarum, Ioanne V.C. Cons.

EPISTOLA SIVE ORATIO PIISSIMI IMperatoris Iustiniani missa ad Mennam sanctissimum ac beatissimum Archiepiscopum vrbis Constantinopolis & Patriarcham, aduersus impium Origenem, nefariasque eius sententias.

NOBIS semper studio fuit, atque etiam nunc est, rectam & irreprehensibilem Christianorum fidem, statumque sanctissimum Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ perturbationum expertem vsquequaque custodiri. Hæc nobis prima & antiquissima cura est, per quam & nobis in præsenti sæculo Imperium à Deo traditum esse & conseruari credimus, & Reipublicæ nostræ inimicos subdi, & in sæculo futuro misericordiam in conspectu bonitatis eius nos adepturos esse speramus. Nam si humani generis hostis varias occasiones comminiscitur, quibus hominum animas studet lædere: Dei tamen humanitas illius improbitatem & malitiam frangens atque euacuans, aduersarioſque redarguens, gregem suum damnum accipere aut dissipari non permittit. Hæc autem à nobis ideo dicta sunt, quòd ad nos allatum est, nonnullos Dei metum in animo non habentes, nec rectę doctrinę discrimen tenentes, quo saluatur quicunque veritatem cognoscit, relictis diuinis Scripturis, sanctisque Patribus, quos Catholica Dei Ecclesia doctores habet, per quos omnis vbique hæresis expulsa est, fides verò Orthodoxa declarata: Origenem, eiusque dogmata Paganorum & Arianorum & Manichæorum erroribus affinia asserere, per quæ ille in foueam incidit.

Auctor hæreseos Origenes.

Qui eiusmodi sunt, quomodò possit in Christianis numerari, cum tuentes hominem, qui ea quæ Pagani, Manichæi, Ariani sentiunt, tradere studuit? Qui ante omnia in ipsam sanctam & consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere, Patrem maiorem esse Filio, Filium sancto Spiritu, sanctum Spiritum alijs spiritibus. Porrò hoc ad impietatem suam addidit, vt diceret nec posse Filium Patrem videre, nec Spiritum sanctum Filium: ipsum Filium & Spritum sanctum creaturas esse: quodque nos sumus ad Filium, Filium esse ad Patrem. Ad suas autem blasphemias hoc quoque adiunxit in primo sermone Periarchon his verbis sic dicens. In principio quod cogitatur, tantùm numerum voluntate sua intelligibilium substantiarum constituit Deus, quantus poterat perdurare. Dicendum enim, finitam esse Dei potentiam: nec sub obtentu laudis ac bonorum verborum tollenda eius circumscriptio est. Etenim si infinita sit diuina potentia, necesse est eam nec se ipsam quidem intelligere. Natura enim infinitum comprehendi non potest. Tantaigitur fecit, quanta poterat apprehendere & sub manu habere & sub prouidentia sua continere: quemadmodum & tantam materiam apparauit, quantam regere, distinguere, ac exornare poterat.

Origenis nimia in Deum blasphemia.

An vllam maiorem potuisset Origenes in Deum blasphemiam proferre? qui & in sancta Trinitate gradus excogitans, inde vult multitudinem deorum inducere; ac ipsam Dei potentiam circumscriptam esse, monstruosè asserit. Hoc verò omni impietate plenum eius fabulositatis est dicere, omnia genera, speciesque coæternas esse Deo: quodque rationabilia, quæ peccarunt, ac propterea de statu suo exciderunt, pro proportione suorum peccatorum supplicij causa in corpora iniecta sunt: ac expurgata rursum afferuntur in pristinum statum, omni depositā malitia: iterumque ac tertium & compluries diuersis ad pœnam inijciuntur corporibus. Ponit porrò diuersos constitisse & constare mundos tum præteritos, tum futuros. Et quisnam adeo saruus est, vt hæc audiens, animo non exhorrescat propter summam impietatem? Quis non execretur insanum Origenem, qui huiusmodi finxerit ac scriptis mandarit in Deum blasphemias? quas vt omnibus Christianis interdictas, manifestaque habentes impietatis argumenta, superuacaneum duximus refutatione dignari.

Origenis sententia de pœnis corporum.

Quare si hæretici omnes ob vnius forsitan aut alterius dogmatis peruersitatem è sanctissima Ecclesia sunt ejecti subditique anathemati cum suis dogmatibus: quis prorsus Christianorum sustinebit Origenem, eiusque prauā scripta tueri, qui tot blasphemias dixerit, omnibusque fere hæreticis tan-

tam

tam exitij ac blasphemiæ materiem præbuerit, ac idcirco pridem à sanctis Patribus anathemati subiectus sit vna cum sceleratis eius dogmatibus? Nam quamuis concedat quis, Deo repugnantem Origenem ex veridica doctrina (quod & apud alios hæreticos inuenitur) aliquid expressisse * in improbis suis scriptis: ea ipsius propria non est, sed sanctæ Dei Ecclesiæ: atque hoc ille malitiosè in simpliciorum fraudem molitus est. Nam in Paganorum commentis enutritus, eaque propagare in animo habens, diuinas se vtiq; Scripturas interpretari simulauit: vt hoc modo nefariam doctrinam suam sacrarum literarum monumentis malignè admiscens, Paganicum & Manichæicum errorem suum atq; Arianam vesaniam induceret; eosque qui sacram Scripturam non accuratè percepissent, inescare posset.

Quid enim aliud exposuit Origenes, quàm Platonis, qui Paganorum insaniam dilatarat, doctrinam? Aut à quo alio Arius mutuatus propria venena concinnauit, qui in exitium animæ suæ in sancta & consubstantiali Trinitate gradus excogitauit? An hic à Manichæo abest, qui animas hominum dicit propter peccata corporibus ad supplicium immitti? Quique primùm quidem mentes & sanctas virtutes fuisse asserat, deinde contemplationis diuinæ satietatem cepisse, ac in deterius conuersas idcirco à Dei amore refriguisse; sicque Græco nomine appellatas ψυχὰς supplicij causa corporibus esse inditas. Quod vel solùm ad eius damnationem satis erat, cùm à Paganorum ortum sit impietate. Cùm enim dixerit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: ex eius vanis sermonibus inuenitur solum corpus absque anima ad imaginem & similitudinem Dei factum esse, si omnino præexistebat anima, & facto corpore, in id iniecta est, aut in id tanquam in vas immissa: ac necesse erit dicere, ipsum Deum opificem hominis esse, vtpotè qui corpus ad imaginem & similitudinem suam fecerit. Quomodo autem corpus imago incorporei esse possit? Quamobrem absit, vt his Christiani assentiantur.

Si verò iuxta Origenis blasphemiam animæ præexistebant, ac in pœnam peccatorum suorum in corpora demissa sunt, vt emendatæ resipiscerent: eas oportebat amplius non peccare. Nam si in supplicium datum est animæ corpus propter peccata, vt doloribus emendaretur ad glorificandum Deum; quomodo eam adiuuat ad peccandum & corroborat corpus atque id * quod puniendo est? Vincula enim, carceres, compedes, ac (vt breuiter dicam) omnia huiusmodi, iniurias & peccata eorum cohibent, quibus imponitur pœna; nec vt qui peccarit amplius peccet, vincula ei adduntur quæ ad peccandum adiuuent, sed vt vinculorum cruciatu peccare desistat. Quare perspicuum est, non ad superiorum peccatorum castigationem (vt illi nugantur) corporibus immissas esse animas; sed simul Deum corpus & animam, id est, perfectum hominem fabricatum esse. Itaque eorum quæ per corpus à nobis gesta sunt, siue bonorum, siue malorum, retributionem expectamus. Hoc enim nobis tradit diuinus Apostolus Paulus, dicens: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue malum. Attendenda ergo sunt Apostoli verba: nec enim dixit, Oportet recipere eum qui iudicatur, prout gessit ante corpus. Si vero ob ea sola quę per corpus homo gessit, ab eo qui terram iudicat, vel pœna afficitur, vel præmio, nullaque mentio fit ante admissorum peccatorum: perspicuum est animas ante corpora non esse: si enim prę existerent, dixisset Apostolus, Gesta tum per corpus, tum ante corpus.

Animas verò hominum intelligentia & ratione vti, in confesso est: quod ne eos quidem negare putamus qui tuentur Origenem. Dicant igitur qui cùm Origene sentiunt animæ ipsorum: si quidem (vt asseuerant) ante corpus fuerunt, quo in ordine, aut quid agebant? Oportuit enim eas, si antè erant, scire quo loco essent, aut quomodò huc aduenissent. Si hoc nulla ratione possunt dicere (nam id verum non est) apertum est eos fabulas dicere. At fortasse dicant, animas, postquam corpora ingressæ sunt, tum discernere posse & cognoscere quæ à se geruntur. Si hoc dicent: ex eorum inani disputatione efficitur, vt corpus plus pretij atque honoris quàm anima habeat, quod ei in beneficij loco det intelligentiam & rationem: atqui hoc asserere, plenum dementiæ est atque absurditatis. Cur verò si anima (vt aiunt) antè fuit quam corpus, disciplina indiget postquam in corpus venit, paulatimque instituitur, & ad meliora, perfectioraque proceditur? Nam si antè exisseret, vtilia vtique cognosceret, nec vlla egeret doctrina: nec vtpotè in cognitione versans, cura & diligentia eruditur. Ac si quid sit offendere sciebat; non edoceretur quod antè sciuisset. Iam verò si edoceretur, vt in ignoratione versans, prius nesciebat: si non præsciuit, antè non fuit: verum enim verò nunquam antea fuit.

Hominis vera origo.

Ortus enim nostri solus DEVS in causa est: vt nos cùm non essemus fecit, sic natos gratia manuque propria tuetur ac salutat, si digni ac idonei perhibeamur. Nam Deus, qui dixit: Faciamus hominem ad imaginem nostram & similitudinem: vtraque simul fecit, id est, corpus plasmauit, & animam intelligentem & rationalem creauit: vnà enim & effinxit corpus, & animam immisit, perfectum hominem exhibens: neque enim homo corpus est sine anima, nec anima sine corpore: Si enim anima præexistebat (vt delirat Origenes) cuius rei gratia sanctissimus Propheta Zacharias dixit: Figens spiritum hominis in eo? Iam verò cum dicit Propheta, Figens, ostendit, vt corpus, sic animam non præexistentia Deum propria virtute & bonitate fecisse. Quòd igitur homo (sicut dictum est) ad imaginem & similitudinem Dei sit factus, dignatusque inspiratione diuina: inde perspicuum est, non solùm intelligentem & rationabilem animam, sed etiam immortalem esse creatam, vt omnibus ijs quæ in terra facta sunt, imperaret. Hoc est enim quod à Theologo Gregorio dictum est, à Deo esse, & diuinam, ac supernæ nobilitatis participem: non vt nonnulli autumant ac dicunt, diuinæ substantiæ animam esse, sed inspiratione Dei factam, gratiamque natam ab eo, vt intelligens esset & rationalis & immortalis, nec vna cum corpore moreretur more irrationabiliū animalium, sed per gratiā participaret supernę nobilitatis, id est, immortalitatis. His testimonium perhibet sanct. Ioannes Constantinopoleos Patriarcha in vndecimo sermone in Creationem; sic enim ait: Et insufflauit (inquit) in faciem eius spiritum vitæ, & fuit homo in animam viuentem. Hæc nonnulli imperiti homines proprijs cogitationibus moti, ac nihil DEO decens in mente habentes, nec condescensionem verborum reputantes, dicere audent, è Dei substantia esse animam. O insaniam! ô dementiam! Atque hæc quidem, Pater, de argumento proposito.

Zach. 12.

Vniuersi creatio vt sit facta.

Considera autem de alijs omnibus in terra factis dixisse Deum: Fiat, & Educat terra, & factum est. De homine autem dicit: Faciamus: non solùm Faciamus, sed, Ad imaginem & similitudinem nostram. Et sumens puluerem de terra, & proprijs manibus hominem finxit, & insufflauit in faciem eius spiritum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Ex his igitur perspici potest, vt Deus hominem faceret honorabiliorem ac pretiosiorem omnibus alijs quæ in terra sunt creaturis: alia quidem omnia fecit verbo: Dixit & facta sunt: hominem verò (sicut dictum est) proprijs ipse manibus iuxta diuinam Scripturam fecit. Quæcunque autem ab eo in terra facta sunt subdidit homini, qui sexto factus est die: vt omnibus terrenis creaturis iam factis ac ipsi præparatis dominaretur ipse Dominatoris sui obediens imperio.

Ex patrū sententijs asseritur veritas.

Hoc & nos docet sanct. Theologus Gregorius in oratione in Nouam Dominicam; sic enim dicit: Ita aliquid primùm in diebus numeratur & secundum & tertium ac deinceps vsque ad septimam diem, qua requies fuit ab operibus: quibus diebus dispertiuntur ea quæ fiunt ineffabili ratione dispositā, nec confertim edita. Verbo rerum omnium potente, cuius & cogitare & dicere, rem ipsam est præstare. Quòd si postremus homo designatus est, isque manu Dei & imagine honoratus: nihil mirum: ei enim tanquàm Regi oportuit prius regiam aulam subsistere, ac deinde Regem induci, omnium iam quasi satellitio stipatum ac munitum. Quamobrem si ex Gregorij Theologi doctrina vltimus homo est designatus, isque Dei manu & imagine honoratus, ac omnia à DEO ei præparata sunt, ac ei tanquàm Regi prius subsunt palatia, sicque à Deo introductus est omnium iam stipatus obsequio: quomodo dicunt qui iuxta Origenem desipiunt, præexistentes animas propter peccata in corpora dimitti: priùs com-

missa luituras? Contra enim sanctus Gregorius postremum omnium hominem factum esse dicit & à DEO honoratum, & ijs omnibus quæ in terra sunt dominari, quòd sanè pœna non est, sed singularis prouidentiæ ac beneficij significatio.

Theologo porrò Gregorio consentit sanct. Ioannis Constantinopoleos Patriarchæ doctrina in vndecimo sermone de Creatione, sic enim dicit: At fortasse dicat aliquis: Cur nam, si anima pretiosior est corpore, quod inferius est prius sit, ac demum quod maius est ac nobilius? An non vides, dilecte, in ipsa creatione idem hoc factum esse? Quemadmodum enim cœlum & terra & Sol & Luna, cæteraque omnia fabricata sunt, ac postremum homo, cui eorum imperium mandandum fuerat, sic in plasmatione hominis prius formatur corpus, tum anima, quæ honorabilior est. Nam vt expertia rationis, quæ ad vtilitatem & obsequium parabantur, ante hominem extitêre, vt parata ministeria haberet, quæ futurus erat eorum commodis frui: ita corpus ante animam fabricatum est, vt cum iuxta occultam DEI sapientiam anima induceretur, propria officia posset motu corporis exequi. Atque hęc satis ad ostendendum audientibus nos vbique eadem sentire & dicere, quæ Patres, qui animarum præexistentiam tollunt.

Ex diuina scriptura error redarguitur.

Prætereà cùm sancta Scriptura de Adam atque Eua dicat: Benedixit eos Deus, & dixit: Crescite & multiplicamini & replete terram & dominamini ei: quomodò igitur, si animæ antiquiores fuêre corporibus, futurum fuit vt crescerent ac multiplicarentur, quæ ante (iuxta eorum fabulas) erant? Et quomodò habebat DEVS benedicere animas iam in peccata lapsas ad crescendum & multiplicandum. Animæ enim peccatis contaminatæ maledictione potius quam benedictione dignæ erant. Ac si animæ præexistebant, & iuxta Orig. fabulas in alio erant ordine: quamobrem solum Adam plasmauit Deus? An verò Adam anima tum sola peccârat, ac propterea vnum corpus à Deo fabricatum? Si enim anteà aliæ animæ fuerant, alia corpora simul fabricari oportuit, quæ susciperent animas. Et quomodò peccatrix (vt eorum est ratio) anima supplicij causa in corpus cõiecta in paradisum deliciarum à Deo posita est? Nam si vt pœnas penderet, in corpus esset missa: non in illo paradiso, sed in supplicij loco collocaretur. Tantoperè verò dilexit hominem, Deus, quem postremum fabricauerat, vt cùm ille transgressus esset datum sibi præceptum, ac idcirco à paradiso esset expulsus: crescente hominum genere, gliscête peccato, quod cogitatio hominis ad deteriora prauo studio incumberet: figmentum suum Deus, vtpotè bonus non neglexit, sed multi modis reprehendit & castigauit, sicut S. Scriptura significat.

De verbi incarnatione doctrina.

Postquam verò ob grauiores morbos maiore medicina indiguimus: ipsum Vnigenitum Dei Verbum, vnus, id est, vna persona S. Trinitatis propter benignitatem suam homo fit, manens Deus, nec diuina sua substantia in humanam conuersa, nec humana in diuinam mutata, vnusque est ac idem in vtraque natura, in ijsque Inconfusè atque indiuisè cognoscitur. Manens enim quod erat, factum est quod non erat; mortemq; nobis debitam ex transgressionis damnatione & propria carne suscipiés, æterna nos morte liberauit, primitię dormientium factus, ac primogenitus resurgens ex mortuis, consuscitauit nos & consedere fecit in cœlestibus, quemadmodũ nos docet traditio Apostolica. Quamuis enim à principio humana natura propter obediẽtiam priuata paradiso est: tamen (vt est dictum) Vnigenitus Dei Filius propter multam charitatem suam, qua dilexit nos: naturam nostram suæ vniens indiuisè secundum substantiam in vtero sanctæ glorioseq; semperque Virginis Mariæ, maiori nos dignatus est gratia, gratificatus nobis regnum cœlorum. Atque his testimonium perhibet sanct. Ioannes Constantinopoleos Patriarcha in sermone de Ascensione, sic dicens: Qui terra indigni extiteramus, sumus & in cœlũ subuecti. Qui ne inferiore quidem imperio fueramus digni, ad regnum supernum conscendimus supergressi cœlos, regiumq; solium adepti. Natura, propter quam Cherubim, paradisum custodiebat, ipsa supra Cherubim hodie sedet.

Cur homo creatus.

Quamobrem demonstratum est, animas non (vt Origenes nugatur) in cœlis prius fuisse, ac deinde in corpora missas, vt perpetratorum peccatorum pœnas exoluerent: sed contra in terra fabricatam vniuersam naturam humanam, bonitate ac benignitate diuina cœlos adeptã esse: vt qui homines mandatum DEI custodirent ac implerent, Angelorum in cœlis cõuersatione digni haberentur, quos in terra imitari per confessionem in Deum iussi sumus. Nam cùm vellet Deus propter inenarribilem bonitatem suam, sicut in cœlis à sanctis virtutibus glorificatur, ita in terra glorificari ab hominibus: fabricatus est hominem, alterum Angelum in terris, vt DEI gloria omnia cõplerentur. Itaq; Dominus dans nobis orandi præceptũ, dicit: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.

Cùm his porrò quæ à nobis dicta sunt, conueniunt quæ sanctus Gregorius Theologus docet in sermone de sancto Paschate: sic enim dicit: Cùm hanc rem Verbum artifex demonstrare vellet, etiam animal ex vtrisque, natura videlicet visibili & inuisibili, hominem fabricatur, sumptoque corpore è materia quæ antè subsistebat, ac à se ipso vitam * indens, quod vtique animum intelligentem & imaginem Dei esse ratio nouit, veluti quendam alterum mundum, in paruo magnum constituit in terra, alium Angelum, promiscuum adoratorem, contemplatorem visibilis naturæ, studiosumque eius, quæ tota mente comprehenditur. Quare attendendum est, Patrem hunc, cùm diceret, Deum ex vtrisque fecisse hominem, addidisse, è prius subsistẽti materia corpus sumptum; non dixisse verò, priùs extitisse animam, nec ex vlla substantia natam quæ antè existeret; sed Deum per se ipsum vitam indidisse, quod animam esse intelligentem & Dei imaginem nouit ratio. Quod autem dicit Pater, Deum fecisse hominem in terra superno obstrictum imperio, euertit eorum rationem, qui ad pœnam animas immissas corporibus dicunt. Nam in terra regnare, solumque Dei teneri imperio, non in supplicij loco ducendum est, sed in magno beneficio ac munere Dei.

Ex Greg. Naz. orat. 1. * vitam.

Ad hæc illud nobis necessariò dicendum existimamus in eos qui præexistentiam asserunt: Si verum esset priùs animas esse quàm corpora: cognoscerent ac recordarentur quæ antè gessissent, quam in corpora venirent: quemadmodum post obitum sciunt & norunt quæ in corporibus egêre. Demonstrabimus autem animam post discessum e vita cognoscere quæ gessit, ex ipsis Euangelij verbis: dicit enim Dominus noster & Saluator Christus in Euangelio secundùm Lucam, in periocha Lazari & diuitis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ante ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis: sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est: in inferno autem eleuans oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum qui intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus inter nos & vos magnum chaos firmatũ est: vt si qui velint hinc transire ad vos, non possint neque inde huc transmeare. Et ait: rogo te, Pater, vt mittas eum in domũ patris mei: habeo enim quinque fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Quamobrem pudeat eos qui tuentur Origenem, vel ex sancti Euangelij verbis. Si enim animæ antequàm corpora fuissent, cognoscerent ea quæ ante corpus fecissent, quemadmodum post migrationem è vita reminiscitur ea quæ in corpore gesserunt: hoc enim è verbis Euangelij didicimus.

Luc. 16. Ex Parabola de Lazaro & epulone arguitur Origenes.

Quod autem & sancti Patres sequentes inspiratas diuinitus Scripturas talem doctrinam condemnarunt vna cum Origene, qui ea commentus est; iam quidem ex ijs quæ sancti Patres dixerunt, apertè ostendimus: nihilo tamen secius & ex insequentibus Patrum testimonijs sumus demonstraturi. Ac primùm sanctum Petrum, qui Episcopus Alexandriæ & martyr fuit, pręponemus, testimonium nobis his sermonibus perhibentem.

Sancti

Sancti Petri Episcopi Alexandrini & martyris ex primo sermone.

Quod nec præextitit anima, nec cum peccasset, propterea in corpus missa est: diximus, quædam de primo è terra terreno homine proponenda, vt demonstretur vnum & eundem in tempore esse factum, quamuis particulariter nonnunquam interior & exterior homo dicatur. Nam etsi secundùm salutarem sermonem qui interiora fecit, exteriora quoque fecit; tamen semel & eodem tempore, id est, ea die, cùm dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ex quo perspicuum est, non ex congressu, quasi aliquid aliud antecesserit & ex alio loco venerit, factum esse. Nam si congressus fuit, quamobrem scriptum est quod iam factum fuerat? Est post alia: Itaque non capit, ante corpora in cœlo peccare animas, quæ prorsus nec ante corpora quidem subsiterunt. Hæc enim doctrina à paganorum philosophia est, quæ peregrina est, & ab ijs aliena qui piè in Christo volunt viuere.

Eiusdem in Mystagogia, quam fecit ad Ecclesiam, cùm martyrij coronam susceperus esset.

Propterea obsecro, vigilate: Afflictionem enim rursus adituri estis. Scitis quot subierit pericula qui me enutriuit pater meus & Episcopus Theonas, ab ijs qui in idola insanirent: in cuius ego sedem successi, vtinam etiam in mores. Scitis vt magnus se gesserit Dionysius, qui se è locis in loca abdebat, cùm insuper Sabellius affligeret. Quid porrò dicam Heraclam & Demetrium beatos Episcopos? quales tentationes sustinuerunt ab insano Origene, cùm ipse dissidia in Ecclesia fereret, quæ ad hanc vsque diem ei turbas excitauerunt? An igitur turpe est aliquem benè sentientium ijs aduersari, quæ in Origenem dicta sunt à sancto martyre & Episcopo Alexandriæ Petro, qui egregium pro CHRISTO certamen susciens, non solùm Origenem, sceleratamque eius doctrinam abdicauit, sed etiam testificatur, sanctos qui ante ipsum fuerunt Patres multas sustinuisse tentationes ab illius dementia?

Dixit quoque sanctus Athanasius, qui & ipse Episcopus fuit Alexandriæ, in sermone de beati Antonij vita: Quomodò nos irridere audetis, qui dicamus Christum hominem manifestatum esse: cùm & vos dementem animam esse definientes, eam errasse dicatis, ac de apside cœli in corpus descendisse? Attendant qui audiunt, sanctum Athanasium ijs apertè aduersari, qui mentem præexistere dicunt, & ex ea animam ortam, peccando se contaminasse, ac è cœli conuexo in corpus descendisse.

Eiusdem sancti Athanasij è sermone secundo contra Arianos.

Omnis creatura aspectabilis, in sex diebus facta est: ac primo quidem die lux, quam vocauit diem, secundo autem firmamentum, tertio collectis aquis ostendit aridam, varioque in ea produxit fructus, quarto fecit cœlum & Lunam, omnemque stellarum chorum, quinto maris natalitium, aëriscque volatilium generationem condidit, sexto fecit in terra quadrupedes, ac de cætero hominem, qui ex anima rationali est & corpore. Ac inuisibilia eius à creatione mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ac neque lux est vt nox, neque Sol vt Luna, neque irrationabilia vt homo rationabilis est, neque Angeli sicut Trhoni, neque hi vt potestates: sed creaturæ quidem omnes sunt, vnum quodque autem eorum quæ orta sunt secundum genus in propria substantia, vt factum est, perstitit ac manet. Ecce sanctus quoque Athanasius tradit, post omnes creaturas Deum fecisse hominem ex corpore & anima intelligente ac rationali. Neque enim dixit corpus post omnia factum esse, vt præexistens anima in id ingrederetur: sed dixit, post omnes creaturas hominem esse factum, qui ex anima rationali est & corpore: ostendens vtraque, id est, corpus & animam Deum simul fabricatum esse.

Quoniam autem Origenes ad cæteras blasphemias hoc adiunxit, Domini animam prius extitisse, eique Deum Verbum esse vnitum antequam è Virgine incarnaretur: hoc deliramentum euertens ipse sanctus Athanasius in epistola ad Epictetum, sic dicit: Meritò sese damnabunt omnes qui existimant ante Mariam esse carnem quæ ex ea est, ac ante eam habuisse animam humanam Deum Verbum, ac in ea ante aduentum semper fuisse. Quare si ex ijs quæ à sancto Athanasio dicta sunt, anima Domini nostri Iesu Christi, qui per omnia nobis similis factus est absq; peccato, non fuit ante eius in carne aduentum: qualis insaniæ est dicere alias hominum animas ante corpora esse?

delirium Origenis.

Audiamus præterea sanctum Basilium in sermone in illud. In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, ita dicentem: Vide ne quando te vocis ambiguitas fallat. Quomodò enim in principio erat humana ratio, cùm homo deorsum principium generationis acceperit? Ante hominem fuêre bestiæ, ante hominem iumenta, reptilia tum terrestria, tum aquatilia, volatilia cœli, Stellæ, Sol, Luna, herba, terra, mare, cœlum. Ecce Pater apertè nobis denunciat, ne Origenis fabulis de animarum præexistentia inducamur. Docet enim nos, non in principio fuisse humanam rationem, id est, animam; sed apertè clamat, omnibus DEI creaturis ortum hominis posteriorem esse. Si ergo creaturæ omnes antè hominem, qui est anima & corpus, dicit omnia fuisse: ex hoc ostenditur simul vtrumq; fabricatum esse.

Ex S. Basilio testimonium.

Dicit autem sanctus Gregorius Episcopus Nyssæ in disputatione de homine: Ac fortasse alienum non est à disputationis nostræ proposito, id expendere, quod in Ecclesijs de anima & corpore controuersum est. Nonnullis enim qui ante nos fuerunt placet ijs qui ἐκ δεξῶν dixerunt, animas veluti quendam populum in propria vrbe ante subsitisse, atque ibi propositæ esse exemplatum virtutis, tum malitiæ; eamque animam quæ in virtute atque honestate permanserit: congressum & conflictationem corporis minimè experiri: si verò à boni participatione defluxerit, hanc in vitam delabi, sicque esse in corpore. Alij attendentes ex Moyse condendi hominis ordinem, animam corpori secundam tempore esse dicunt: quandoquidem primùm Deus limum è terra sumens, finxit hominem, ac eum deinde inspiratione animauit. Ac paulò pòst, Qui primam rationem tuentur, & animarum quasi ciuitatem antiquiorem vita corporea asserunt, non mihi videntur carere Paganorum fabulis, quæ de metempsychosi proditæ sunt. Si quis enim subtiliter examinet, comperiet necessariò rationem eorum deuolui. Aiunt quemdam sectæ suæ prudentium dixisse, & virum fuisse se, & muliebre corpus induisse, & subuolasse cum auibus, & fuisse arbusculam, & aquatilem vitam sortitum. Non longè, meo quidem iudicio, à verò discedit, qui hæc de se affirmat: verè enim ranarum aut graculorum garrulo strepitu, vel irrationabilitate piscium, vel arborum insensibilitate eiusmodi disciplina digna est, quæ tot res permeare vnam animam dicat. Harum autem ineptiarum hæc causa est, quòd præexistere animas opinio sit. Consequenter enim talis doctrinæ principium ad affinia & ad adiuncta progrediens, hucusque commenta sua propagat. Nam si per vitia animus è sublimiori vita abstractus homo fit; ac si in confesso est vitâ corpoream passionibus magis obnoxiam esse, quàm æternam ac incorpoream: necesse est animam in hac vita degentem, in qua plures facultates ad peccandum suppetunt, in plurib. versari vitijs, magisque passionibus affici. Animæ autem humanæ passio similitudo est ad irrationabilia: huic ergo vitæ deuincta anima in bestiarum naturam delabetur, ac semel vitia ingressa, inque irrationabilitate versans, nullum finem ad malitiam progrediendi faciet: vbi enim malitia sistitur succedit impetus ad virtutem. Atqui virtus in irrationabilibus nulla est: in deterius ergo necessariò mutabitur, assiduè ad peiora turpioraque progrediens, eiusque naturæ, in qua est, deteriora quæque semper comminiscens.

Ex Greg. Nysseno.

Fabulæ gentilium de homine.

Porrò quemadmodum rationabili sensibile subiacet, sic ab illo prolapsio est. Quamobrem huc ratio eorum euadens à veritate aberrat, & per quandam consequentiam ex absurdis ad absurda se confert. Exinde eorum doctrina per ea quæ inter se non cohærent fabulosè procedit. Consequentia verò ipsa ostendit omnimodam animæ corruptelam. Quæ enim semel à sublimi vita decedit, nullum modum statuit malitiæ

Ab absurdo Origenes redarguitur.

suæ, sed propter passionum consuetudinem atque habitum à rationabili ad irrationabile deueniet: itaque in stirpium insensibilitatem mutabitur. Insensibili autem inanimum est consequens, inanimo id quod non subsistit. Itaque penitus ex hac consequentia anima ipsis ad non ens tandem concedet: sic nullam facultatem habitura est ad meliora redeundi. Verùm enim verò ad hominem è frutice animam reducunt. Igitur præstantiorem demonstrant esse vitam in frutice, quàm incorpoream vitam. Iam enim ostensum est progressum animæ ad deteriora, atque idcirco in inferiora esse. Subiacet autem insensibili naturæ inanimatum, quo per consequentiam principium eorum doctrinæ animam redegit. Sed quoniam hoc nolunt, aut insensibili animam concludunt, aut si inde ad humanam vitam eam reducunt, eam vitam quæ in stirpe ducatur (vt dictum est) ostendunt antecellere primo animarum statui; siquidem inde ad malitiam fuit prolapsio, hinc verò ad virtutem est reditus. Quamobrem illa ratio conuincitur esse sine capite, sine fine, quæ viuere animas ante corpoream vitam asseuerat, propterq; flagitia corporibus esse deuinctas. Hæc Nyssenus.

Ex Theophilo testimonium d. Anastasio Papa.

Cùm igitur aperta sit Patris huius doctrina, damnetque eos qui dicunt animas ante corpora fuisse: audiamus & sanctum Theophilum Episcopum Alexandriæ in sermone ad quosdam monachos scripto, qui Origeni assentirentur: sic enim dixit: Quare anathematizantes Origenem, cæterosque hæreticos, exemplo nostro, & Anastasij sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopi; qui ex veteribus certaminibus clarus, nobilissimi populi dux creatus est: quem & vniuersa beatorum Occidentis Episcoporum sequitur Synodus, quæ accepit ac probauit Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam in impium latam.

Eiusdem Theophili de epistola ad sanctos qui in Sceto essent, propter eos qui incusarent damnationem Origenis doctrinæ.

Dicere nonnulli ausi sunt, Origenem Ecclesiæ doctorem. An hi, obsecro, ferendi sunt? An Ecclesiæ doctor est Origenes? Magnos sibi spiritus sumunt Ariani & Eunomiani & Pagani: illi in Filium & Spiritum sanctum blasphemantes; hi similiter atq; illi impij, resurrectionem mortuorum deridentes. Ex his perspicuũ est, eum qui sanctos Patres sequitur, non dubitare, quin hi qui cum Origene sentiunt, Paganorum errorem, Arianorumque insaniam sequantur.

Ex Cyrillo Alexandrino.

Hæc quoque sanctus Cyrillus dedit Alexandriæ Episcopus in epistola ad monachos qui in Phua, in eos qui affirmant corporum resurrectionem non esse: Aiunt igitur nonnulli, esse qui negent humanorum corporum resurrectionem, quę pars confessionis nostræ est, quam facimus salutare adeuntes baptisma: fidem enim profitentes adiungimus, credere nos carnis resurrectionem. Si hoc tollimus, nec credimus Christum resurrexisse à mortuis, vt nos sibi conresuscitaret: claudicantem habemus fidem, ac à via regia deflectentes, prauum iter habemus. Huiusmodi autem opinio ab improbi Origenis dementia est, quem & Patres nostri vt veri deprauatorem abdicauerunt & anathematizarunt. Non enim sensit vt Christianus, sed Paganorum secutus ineptias & nugas, in errorem incidit. Hinc autem ei contigit morbi principium: asseuerat animas ante corpora esse, & à sanctimonia abductas fuisse in cupiditates & nequitiam, desciuisseque à Deo, à quo hanc ob causam damnatæ sunt & corpori obstrictæ, suntque in carne tanquam in vinculis.

Eiusdem ex epistola scripta ad eos qui in Phua erant monachos.

Ecclesia verò Scripturis obsequens à Deo inspiratis, nec animam nouit ante corpora fuisse, nec ante ea peccasse: Quomodò enim, quæ non subsistebat, peccare potuit? At nos affirmamus, vniuersitatis opificem corpus è terra finxisse, idq; animasse, intelligente anima: & hæc est hominis structura. Et post alia: Animam hominis nec (vt aiunt) vt præterita flagitia atque scelera esse damnatam, nec in hunc demissam mundum, sanctissimus Paulus fidem facit, ita scribens: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Cur ergo propter sola propria corporis manifestari nos oportere ait, nec potiùs propter ea quæ ante corpus, si animam antè fuisse norat, & antè peccasse? Si verò ob ea sola peccata quæ in corpore designauimus, adducimur ad iudicium: non vtique habemus antiquius corpore peccatum: nam omnino ante id non constitit hominis anima. Hoc porrò planum facit & legalis literæ vis. Si enim (vt dicit errabundus Origenes) ob superiora commissa, in supplicij ac pœnæ loco anima corpus accepit: quamobrẽ flagitiosis ac sceleratis mortem comminata est? Magis enim oportuerat, bonos ac iustos viros mortem oppetere, vt vinculis & supplicio liberarẽtur; viuere contra scelestos ac nefarios, vt pœna afficerentur, nec vlla vinculorum esset liberatio.

Ex Synodali epistola testimonium.

Ex expositione Synodica Epistolæ Episcoporum Aegypti atque Alexandriæ aduersus Origenis doctrinam.

Hic ergo de quo agitur Origenes, veluti abominationis desolatio in medio veræ Ecclesiæ extitit, ac presbyter ordinatus, à canonica, ab vna, à vera manu dignitatem presbyterij nudam ac solam habuit, quemadmodum Apostolatus habuit honorem fur ac proditor Iudas. Is enim cùm cœpisset blasphemas homilias habere, Heraclas beatæ memoriæ tum Episcopus, vt studiosus veritatis ac arator ac vinitor Ecclesiastici agri, eum è medio pulchræ ac lætæ segetis euulsit. *Ac paulò pòst*: Quare hic è cœlo in terram decidens tanquam fulgur, sicut & eius pater diabolus, multæ atrocisque iracundiæ contra veritatem spirans, in Palestinam regionem nauigauit, moratusque in Cæsariensium metropoli, cùm personâ quam sibi induerat depositisset, seque aperuisset veluti piscis quæ sepia apud quosdam appellatur, significans quod sibi voluptati erat, ac tenebricosum & atrum vitæ venenum euomens, illic scriptis expressit, & sicut caupo Iudaicus boni specie ac simulatione dulci amarum miscuit.

Quid enim iste prauè moliens atque insaniens dicit? Erat (inquit) anima ante corpus, & præexistebat in cœlis: eamque cùm peccasset, in custodiam immersit Deus, id est, in corpus demisit: ad purgationem (inquit) & castigationem admissorum in cœlis criminum. Hinc primùm impijssimus protinus fabulatur, veritatemque oppugnare studet. *Ac paulò pòst*: Si antè fuit anima in cœlis, ibique priùs deliquit, vt malè sanus Origenes, Deoque repugnans dixit: non oportuit dicere sanctissimum Prophetam: Et figens spiritum hominis in ipso, sed potius, demergens quasi vtrem spiritum hominis in ipso, vel fortasse, demittens. Iam verò cum hoc non dicat, sed figens in ipso, ostenditur, hunc lupum grauissimum esse, indutum extrinsecus ouina pelle ad deceptionẽ perditionis. Vecors enim è cœlo animam asserit decidisse, cæteraque quę ibi definiuit: quasi apertè sciat, non solùm ante fuisse animam, sed etiam ante peccasse. Quare demonstratum est tum è diuina Scriptura, tum è sanctis Patribus, nec veræ Christianorum fidei nec rectæ rationi conuenire hæreticorum de animæ præexistentia imaginationes.

Cælestia corpora animata affirmat Origenes.

Præterea hoc quoque Origenis demonstrat amentiam, quòd affirmat, Cœlum, & Solem, & Lunam, & Stellas, & Aquas quæ super cœlos sunt animata esse, & quasdam esse virtutes ratione vtentes. Hæc verò apertè refellit sanctus Basilius in tertio sermone commentariorum in Hexameron, sic contra Origenis doctrinam disputans: Nobis porrò de separatis aquis dicendum est ad eos qui ab Ecclesia exciderunt, qui sub obtentu sensus anagogici, & sublimiorum videlicet sententiarum, ad allegoriam confugerunt, & asserunt, virtutes quasdam spirituales & incorporeas tropicè ex aquis significari, ac sursum quidem in firmamento mansisse meliores, deorsum verò in terrestribus siluestribusque locis deteriores perstitisse: ac idcirco aiunt, aquas quæ supra cœlos sunt laudare Dominum, id est, bonas virtutes, quæ dignæ sunt propter potioris partis puritatem, dicentes laudem reddere Creatori: aquas verò quæ subter cœlos sunt, spiritualia esse nequitiæ, quæ è naturali sublimitate in malitiæ profundum deciderunt; eaque turbulenta & seditiosa, passionumque tumultibus fluctuantia, maria appellari propter facilem mutationem atq; instabilem voluntatem eorum motuum.

Ex S. Basilio reclamatio.

At nos huiusmodi rationes tanquam confusa somnia & aniles fabulas repudiemus, aquamque aquam esse cogitemus, separationemq; à firmamento factam accipiamus secundùm redditam rationem. Ac si quãdo ad communis vniuersorum Dñi glorificationem aquę quę super cœlos sunt, assumuntur; non propterea eas dicamus esse naturam ratione vtẽtem: nec enim cœli idcirco animati sunt, quòd enarrant gloriam Dei:

nec fir-

nec firmamentum animal est præditum sensu, quoniam opera manuum eius annunciat. Hæc Basilius. Attendendum porrò est, Patrem, cùm Græcè dicit, τοὺς τῆς ἀποστασίας, de Origene differere, qui à Dei gratia & à sancta Dei Ecclesia expulsus fuerat, deque ijs qui cum illo sentiunt: non enim dixit, τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, id est, ad eos qui Ecclesia sunt, sed τοὺς τοὺς ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας, quod significat, ad eos, qui longè sunt ab Ecclesia. Catholicos etiam significasset, si dixisset, τοὺς τῆς ἐκκλησίας, id est, eos qui sunt Ecclesiæ: quoniam verò dixit τοὺς ἀπὸ, significauit eos qui absunt & qui ab ea exciderunt. Vnum autem id solum impio Origeni studium fuit, Paganorum errorem confirmare, & in becillíorum animis zizania inferere.

De corpore Domini ab eo assumpto in cœlum translato.

Quamobrem hoc quoque risu dignum ab eo tamen dictum de hominum ex mortuis resurrectione, corpora hominum orbiculata suscitari. O dementiam atque insciti am hominis insani, & Paganorum disciplinæ explicatoris: qui mente cæcutiens, studensq; Christianorum fidei miscere fabulas, ipsam Christianorum spem ac salutem nixus est contumeliâ violare, ne resurrectionem quidem Domini reueritus. Resurgens enim Dominus ex mortuis, & primitiæ dormientium factus, discipulis visus est, eisque ostendit foramina manuum ac pedum & plagam lateris; postque resurrectionem comedit, non vt cibo indigens, sed vt eo modo suscitati corporis naturam confirmaret. Et quidem cùm Dominus ascenderet, Angelus ad discipulos dixit: Hic Iesus qui assumptus est vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Quod (si vt insanit Origenes) orbiculatum erat corpus Domini, quomodo potuit demonstrare manuum ac pedum foramina, aut lateris plagam? aut quomodo comedere potuit, aut omnino à discipulis agnosci? Et quonam modo Sanctorũ corpora, quæ post Domini resurrectionem surrexerunt, & in sancta ciuitate apparuerunt, potuerunt ab alijs agnosci, si quidem in alia erant figura, atque fuerant in vita? In fidei ergo petra nullo modo stabilitus, sed huiusmodi & his multo atrociores blasphemias impius Origenes cùm edidisset, nihil mirum est, eum in ipso martyrij articulo Christum abnegasse, cultamq; à Paganis deorum multitudinem, quam ipse inducit, adorasse.

De Orig. apostasia.

Atque id Dei prouidentia factum est, ne in Ecclesia pro martyre acciperetur, atque inde gregi Christiano inferretur aliquid detrimenti. Nam si etiam nunc sunt qui de eius quidem ruina confiteantur, doctrinam verò asserant: an non eam tanquam martyris ac patris erant defensuri, si contigisset eum, nulla idolis exhibita adoratione, consummari? Nemo enim veritatis tenax excidit à DEO, ab eoque deseritur iuxta quod dicit diuina Scriptura: Respicite filij nationes hominum, & scietis quia nullus sperauit in Domino & confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius & derelictus est? Aut quis inuocauit eum & despexit illum? Impius autem Origenes blasphemias suas non se ipso tenus statuit, sed proprijs scriptis in multos alios suum errorem transmisit: vt in eum valde conueniat sancti Apostoli vox, quæ dicit: Quorundam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequuntur. Nam eius erroris successio in infirmorum irrepens animos facit, vt eum sequantur quæ à principio ab ipso commissa peccata sunt.

Bucol.

1. Tim. 5.

De diuersis aliquando Iudicijs.

Quasi enim ijs qui Origenis placita sequuntur, non satis sit de præexistentia animarum impietas, cæteraque eius vaniloquentia, blasphemiæque de sancta Trinitate; hoc quoque proprio errori adiungunt, ducem & auctorem habentes peruersam eius disciplinam, vt dicant omnium impiorum hominum ac præterea dæmonum pœnam finem habituram esse, restitutumque irritum impios homines tum dæmones in pristinum ordinem suum. Hæc cùm dicunt, ignauos homines efficiunt in Dei præceptis exequendis, eos auertentes ab angusta & arcta via, inque latæ ac speciosæ errorem inducentes. Omnino autem aduersantur magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi dictis: Ipse enim in sancto Euangelio docet, impios quidem ituros in supplicium æternum, iustos verò in æternam vitam. Rursumque dicit ijs qui à dextris sunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Ijs verò qui à sinistris: Ite maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & Angelis eius.

Cùm igitur apertè Dominus in sancto Euangelio indesinens & supplicium & regnum denunciet: perspicuum est hos Origenis deliramenta sententijs Domini anteferre. Ex hoc quoque illorum amentia redarguitur: Si quis iuxta illius nugas ponat supplicium desiturum: necesse est hunc & promissæ iustis vitæ æternæ statuere finem: æquè enim in vtroq; æternum ponitur. Si autem & pœna & fruitio gloriæ habet finem, cur incarnatio fuit Domini nostri Iesu Christi? cur crucifixio & mors & sepultura & resurrectio Domini? Quod commodum ijs qui bonũ certamen certauerunt & pro Christo martyrium subierunt, si & dæmones & homines impij eumdem quem Sancti ordinem redintegratione habituri sunt? Verùm hæc in eorum capita vertant qui hæc fabulãtur: nam Christi verba in Fidelium mentibus incussa manent atque in ipsa rerum veritate.

Tam pœna damnatorũ quam vita beatorũ æterna.

Qui porrò Origenis improbam opinionem tuentur, firma hæc argumenta fugientes suumque conantes tegere errorem, quædam sanctorum Patrum dicta malè excipiẽtes, praueque ex sententia sua interpretantes, proprio morbo accõmodant: quod etiam cum diuinis faciunt Scripturis. Nos autem ex ipsis sanctis Patribus ostendemus inanes ac futiles eorum rationes esse. Hæc igitur scribit S. Gregorius Theologus in Apologetica oratione: Nobis verò, quibus periclitatur salus animæ beatæ atque immortalis, quæque sempiternam aditura est vel pœnam vel laudem propter malitiam aut virtutem, quanti faciendum est hoc certamen, aut quanta scientia opus est?

Eiusdem ex oratione de plaga grandinis.

Qua falsa defensione, qua persuasione artificiosa, quonam commento veritatem oppugnante circumuenitur ius, ac fallitur rectum iudicium; quod omnibus omnia in statera ponit, facta, dicta, cogitationesque omnes; ac nequiter commissa melioribus repensat, vt vincat quod propendet, sententiaque secundùm plura dicatur, quam nulla excipiat prouocatio, non superior Iudex, non defessio alterorum factorum, non oleum vel à prudentibus virginibus sumptum, vel ab ijs qui deficientibus lampadibus vendunt, non pœnitentia diuitis qui flamma crucietur, suorumque necessariorum quærat emendationem, non ad mutationem præfinita dies: sed certum ac stabile ius & formidolosum & vltimum, & æquius iustiusque quem quantus est terror, quinimo propter iustitiam terribile, cùm throni ponuntur, & antiquus dierum sedet, & libri aperiuntur, & fluuius igneus trahitur, & lux ante ipsum & tenebræ paratæ*: & eunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, quæ nunc in Christo absconditur, postmodùm verò cùm eo apparet: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij, quo qui non credunt, iam iudicati, damnatique sunt à Verbo, quod eos iudicauit: ac alios quidem lux ineffabilis excipit, & sanctæ regnantisq; Trinitatis gratia, apertiùs, puriusque effulgentis, ac toram se toti menti inferentis: quod vtique solum regnum cœlorum esse duco: alia vero vna cum cum alijs malis tormenta, vel potiùs ante alia proiectum esse à Deo, & conscientiæ turpitudo & verecundia nullum finem habens.

* patitur

Basilij Episcopi Cæsareæ, ex eius libro Regularum. Interrogatio.

Ex S. Basilio Orig. arguitur.

Si tum dicit, vapulabit multis, tum paucis; quo pacto quidam dicũt, nullum finem supplicij fore ijs qui pœna afficiuntur? *Responsio*: Quæ ambigua sunt ac videntur obscurè esse dicta, quibusdam locis diuinitus inspiratæ Scripturæ alibi ab alijs, quæ confessa & aperta sunt, declarantur. Cùm ergo Dominus pronũciarit: Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam: & alicubi: Mittas eos in ignẽ æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius; atque ita nominet gehennam ignis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur: ac rursum per Prophetam de quibusdam prædixerit: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: Cùm hæc & huiusmodi sæpè à diuinitus inspirata Scriptura proponantur; hoc quoque est diaboli artis & astutiæ, vt multi homines veluti obliti taliũ tantarumq; Dñi sententiarum, finem sibi audeant pœnarum in posterum adumbrare. Nam si æterni supplicij quandoq; finis est futurus, omnino habebit & vita æterna finem. Sin in vita non sic Euangelici dicti sensum accipimus: quæ ratio est, supplicio æterno finem statuere? æterni enim adiunctio pariter in vtroque ponitur:

nitur: Ibunt enim (inquit) hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

Eiusdem è sermone adhortatorio ad sanctum baptisma.

Propter breuẽ ac temporariam peccati voluptatem sempiterna crucior pœna: propter voluptatem carnis sempiterno igni addicor.

Ex S. Ioã. Chrysost. redargutio Origenis.

Sancti Ioannis Episcopi Constantinopoleos, è prima ad Theodorum monachum Epistola.

In mente iugiter habeas fluuiũ ignis: fluuius enim igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius. Non est, quòd quisquam ei deditus igni, supplicij finem expectet. Verum improbæ sæculi huius voluptates ab vmbris somnijsque nihil differunt: priusquam enim peccatum ad finem peruenerit, extinguitur voluptas: suppliciorum verò, quæ pro flagitijs suscipiuntur, nullus est finis.

Eiusdem in commentarijs in primam ad Corinthios Epistolam.

Non leuis nobis hinc proposita quæstio est, sed de rebus valde necessarijs: Quærunt plerique homines, ignis gehennæ sit ne finem habiturus. Non habiturum, pronunciauit Dominus, cùm diceret: Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Paulus verò eum perennem ostendens, ait de peccatoribus: Pœnas dabunt in interitu æternas. Quare cùm diuina nos Scriptura, sanctique Patres edoceant, nullum finem impiorum supplicij, dæmonumque qui ab illis coluntur: quam restitutionem imaginantur qui cum Origene sentiunt, vbi suppliciorum nullus est exitus? Sancta enim Christi Ecclesia quemadmodum iustis indesinentem prædicat vitam æternam, ita impios perpetua supplicia manere tradit. Atque hæc quidem in his. Nos porrò paucas è multis diuinæ Scripturæ sanctorumque Patrum auctoritatibus asserendas esse perspeximus ad confutandam Origenis impietatem.

2. Thess. 1.

D. synodo habendã Constantinop.

Cùm autem velimus omne scandalum à sanctissima Ecclesia propulsare, vt nulla in ea macula relinquatur: obsequẽtes diuinis Scripturis, sanctisque Patribus, qui ipsum Origenem ac huiusmodi sceleratam impiamque doctrinam profligarunt, ac iure anathemati subiecerunt, hanc epistolã ad tuam beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, vt omnium qui in hac regia vrbe nunc degunt, sanctissimorum Episcoporum conuentum habeat, ac Deo amabilissimorum præfectorum sanctis quæ hic sunt monasterijs: faciatque vt omnes in scriptis præfatum impium ac Deo repugnantem Origenem (qui & Adamantius) quique presbyter fuit sanctissimæ Ecclesiæ Alexandrinæ, & eius nefaria impiaque dogmata, capitulaque omnia quæ inferius ponuntur, omnimodis anathematizent: & exempla dimittas eorum quæ à beatitudine tua ob hãc causam gesta fuerint, ad alios omnes sanctissimos Episcopos, præfectosque; venerabilium monasteriorum, vt & ipsi subscriptione propria anathematizent Origenem, scelestaque eius dogmata cum omnibus qui declarabuntur hæreticis.

Quos debeant ordinandi præsules anathematizare.

In posterum autem ne aliter ordinentur Episcopi, aut monasteriorum legumeni, nisi prius cum alijs omnibus hæreticis, qui de more in libellis anathematizantur, id est, Sabellio, Ario, Apollinario, Nestorio, Eutychete, Dioscoro, Timotheo Æluro, Petro Mogo, Anthimo Trapezuntij, Theodosio anteà Alexandriæ, & Petro qui Apameæ præfuit, & Seuero qui Antiochiæ, prædictum etiam Originem qui Paganorum Arianorumque insania laborauit vnà cum execrabilibus impijsque eius dogmatibus anathematizent. Omnibus enim prædicendum est, ne omnino quisquam audeat talem hæreticum aut eius expositiones asserere, sed eas vnusquisque ex toto animo & tota cogitatione oderit & auersetur & anathematizet, vt à Christiana traditione alienas, & simpliciorũ animabus grauem afferentes luem ac pestem. Hæc porro eadem scripsimus non solum ad sanctitatem tuam, sed etiam ad sanctissimum & beatissimum Papam senioris Romæ & Patriarcham Vigilium, & ad cæteros omnes sanctissimos Episcopos & Patriarchas, id est Alexandriæ, Theopoleos, & Hierosolymorum: vt & hi huic rei prospiciant, & hæc finem adipiscantur.

Cùm verò cupiamus omnes Christianos cognoscere scripta Origenis prorsus à vera Christianorum fide aliena esse, ex multis immensisque eius blasphemijs paucas ad verbum esse ponendas censuimus. Sic autem se habent.

Quod minor sit Filius Patre, & Spiritus Filio, è primo libro Periarchon.

Quod Deus quidem & Pater omnia continens ad vnumquodque entium peruenit, esse vnicuique impertiens de suo * enim est minus. Quod verò præter Patrem Filius ad solà rationabilia peruenit; est enim secundus à Patre. Adhuc etiam minor est Spiritus sanctus, ad solos Sanctos perueniens. Ita ex hoc maior est potestas Patris præ Filio & Spiritu sancto, ampliorque Filij præ Spiritu sancto, ac rursum præstantior sancti Spiritus potestas præ alijs cunctis entibus sanctis.

Org. hom. 17. in Ieremiã. * comparatione in Græco additur.

Quod finita est Dei & Patris potestas, è secundo libro eiusdem voluminis.

Finitam enim esse & potestatem Patris dicendum, nec prætextu laudis circumscriptio eius tollenda est. *Et paulò post:* Tanta enim fecit quanta sub manum comprehendere & habere poterat, & continere sub prouidentia sua: quemadmodum tantam construxit materiam, quantam administrare & exornare poterat.

De potestate Dei. Org. lib. περὶ ἀρχῶν.

Eiusdem è quarto libro eiusdem voluminis.

Nemo autem sermone offendatur, si modum statuimus Dei potestati. Infinita enim complecti natura impossibile est. Nam cum semel finita sint quæ Deus ipse comprehendit, necesse est terminum esse ad finita * ipse sufficit.

Quòd exitura a Filius est, ex eodem libro.

Hic Filius de voluntate Patris generatus, qui est imago Dei inuisibilis & splendor gloriæ eius, figura substantiæ eius, primogenitus omnis creaturæ, Creatura, Sapientia: ipsa enim Sapientia dicit: Dominus possedit me in initio viarum suarum. *At de blasphemijs Origenis in Deum hæc tantùm in epistola Imperatoris: quibus hi subijciuntur anathematismi:*

Anathematismi aduersus Origenem.

Si quis dicit, aut sentit, præexistere hominum animas, vtpotè quæ anteà mentes fuerint & sanctæ virtutes satietatemque cepisse diuinæ contemplationis, & in deterius conuersas esse; atque idcirco κατψυγέντας, id est, refrixisse à Dei charitate, & inde ψυχὰς Græcè, id est, animas esse nuncupatas, demissasque esse in corpora supplicij causa: anathema.

Si quis dicit, aut sentit, Domini animam prius extitisse atque vnitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem & generationem ex Virgine; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, primum cõformatum esse corpus Domini nostri Iesu Christi in vtero B. Virginis vt aliorum hominum, ac postea vnitũ ei esse Deum Verbum & animam, vtpotè quæ antè fuisset; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, omnibus cœlestibus ordinibus assimulatum esse Deum Verbum, Cherubimque factum esse ipsis Cherubim, & Seraphim ipsis Seraphim, ac omnibus planè superioribus virtutibus similem esse factum; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, in resurrectione corpora hominum orbiculata suscitari, nec confitetur nos suscitari rectos; anathema esto.

Si quis dicit, cœlum & Solem & Lunam & stellas & aquas quæ super cœlos sunt animatas & materiales esse quasdã virtutes, anathema sit.

Si quis dicit, aut sentit, Dominum Christum in futuro sæculo crucifixum iri pro dæmonibus, sicuti pro hominibus, anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, finitam esse DEI potestatem, & eum fecisse quæ plurima comprehendere potuit; anathema esto.

Si quis dicit, aut sentit, ad tempus esse dæmonũ & impiorum hominum supplicium, eiusq; finem aliquando futurum, siue restitutionẽ & redintegrationem fore dæmonum & impiorum hominum; anathema esto.

Anathema & Origeni (qui & Adamantius) vna cum nefaria eius execrabili sceleстaque doctrina; & cuiuis quæ ea sentiat, aut vllo modo prorsus quocunque tempore tueri præsumat. In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

EPISTOLA IV. B. VIGILII PAPÆ, ad Iustinianum.

Dum Iustinianus Imperator coram Vigilio legitimè electo fidem professus esset, ille ex hoste in defensorem, ex persecutore, in prædicatorem, ex blasphemo in confessorem mutatus, in Anthimum, eiusque collegas hæreticos, anathematis sententiam intorsit.

GLORIOSISSIMO, & *Clementissimo Filio Iustiniano Augusto, Vigilius Papa.*

Literis clementiæ vestræ glorioso viro filio nostro Dominico exconsule, atque Patricio deferente, assueta veneratione susceptis iucũditate multiplici vniuersali Ecclesiæ gaudendum esse perspeximus, quòd Christianam fidem, qua diuina Trinitas honoratur & colitur, in nullo dissimilem, in nullo permittis esse discordem; & hanc clementissimo Imperio vestro Dei, cui seruiendo regnatis, & regnando seruitis, gratiã indefessis cumulatis operibus, vt in his, quæ vobis pro integritate & deuotiõe fidei vestræ Dominus singulari pietate concessit, agnoscantur iustè, ac conuenienter impleri, quam prædicationem docet Apostolus. Quia sancti per fidem vicerũt regna. Qualia enim regna plus armis fidei, quàm corporea fortitudine viceritis, docet immensitas gentium subiectarum, quæ quanto maior assurgit numero, tanto mystici solius perfecta operatione miraculi superatur. Vnde nos in Domino nimium cõuenit gloriari, quòd non imperialem solùm, sed etiam sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est, & quòd omnes Pontifices antiqua in offerendo sacrificia traditione deposcimus; exorantes, vt Catholicam fidem adunare, regere Dominus & custodire toto orbe dignetur, summis hoc pietas vestra viribus effecisse, cum per omnes regni vestri partes, & vniuersos fines terræ eam fidem, quam per venerabiles semper Christianæ confessionis iudicio complectendam Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, sed & Chalcedonensem synodos constat irreprehensibiliter solidatam, inconcussa iubeatis pace seruari, nec Christiano quemquam vocabulo nuncupetis, qui se à præfatarum Synodorum vnitate seiungit: & qui fidem earum in omnibus viribus, omnique defendit adnixu, non iudicandum, sed iam iudicatum potius extimetis. Cui non ergo sacerdotum iucundam exultationem, & gaudia infinita conciliet, quod insertum per Dei nostri gratiam cordi vestro lumen Euangelicę veritatis, pernicioſorum, atque hæreticorum dogmatum nocte discussa, vniuersali resplendet Ecclesiæ? Absit ergo à nobis, vt quod omnibus fratribus & Coepiscopis nostris generare gaudium profitemur, nostrum non aut cum omnibus misceatur, aut (quod magis dignum est) supra cunctos emineat. Ex qua re venerabilis Imperator deuota venerationis gratulatione susceptimus, quòd ardore fidei, & suauis iracundiæ cõmotione succẽsi, nobis etiam pios direxistis affatus. in quibus beatæ recordationis Cælestinum, atque Leonem Apostolicæ Sedis præsules, qui singulas hæreses pro diuina sibi dispensatione commissa, cum synodali congregatione damnantes, quid cuncti generaliter sequi deberent Christiani, mansura in æuum lege sanxerunt, laudabili commemoratis affectu. Quorum probabilia constituta sanctæ recordationis Hormisdæ, atque Ioannes senior, nec non & Agapetus decessores nostri per omnia conseruantes, vniuersos Nestorianæ, atque Eutychianę sequaces hæresis iustæ mucrone sententiæ perculerunt. Quod nos summis viribus sequi summoque adnixu defendere pietatis vestræ clementia indubitabiliter agnoscat, sed & beati Leonis epistolas ac sanctæ recordationis Flauianum tunc Constantinopolitanæ ciuitatis Antistitẽ nec non & ad clementissimæ memoriæ Leonem principem destinatas; quibus hæreticorum, id est Nestorij, atque Eutychetis perfidiam rationabili assertione, Deo sibi inspirante confudit, omnino amplectimur, & qua oportet, caritate defendimus. Et quamuis nos animi, fideique nostræ Deo custodiente, sinceritas contra ea, nullatenus venire permittat; perpendere tamen debet vestræ pietatis admiranda prudentia, quia non digni censentur Antistites, qui præfatorum Præsulum Sedis Apostolicæ iniuiolabiliter minimè constituta seruauerint. Hæc ergo, quæ de fide à patribus sanctarum quatuor Synodorum, & à deſignatis beatæ recordationis Papæ Leonis Epistolis, atq; à supraſcriptorum prædecessorum nostrorum constitutis sunt venerabiliter definita, per omnia nos sequentes, & eorum doctrinæ contrarios probabili Apostolicæ Sedis auctoritate damnantes, anathematizamus eos, quicunque de fidei eius expositione, vel rectitudine, aut disputare peruersè, aut infideliter dubitare tentauerit: & contra eadem sentientes, quæ de fide in Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina prima, & Chalcedonensi sanctissimis Synodis, necnon & beatę recordationis prædecessoris nostri Leonis Epistolis, quarum fecimus mentionem, vel vniuersis, quæ ipsius sanxit auctoritas, continentur, Catholicæ fidei vnitate secernimus; amplectentesque, & in omnibus comprobantes fidei vestræ libellum, quem nostri obsequij famulatu tunc prædecessori nostro piæ recordationis Agapeto, pietas vestra orthodoxa deuotione contradidit: in quo ea, quæ mente geritis, ad eruditionem futuræ ætatis, scripturæ quoque testimonio declaraſtis, nihilque à sæpedictorum prædecessorum nostrorum fide deuiantibus sub qualibet occasione seruamus, nisi fortè si hæresis in qua volutatur, amputata caligine supraſcripta, è fide & veritatem pœnitẽtiæ competentis voluerint correctione sectari; & damnatis omnibus, quæ contra ea, quæ præfati sumus, prauissima quidam impietate dixerunt, subscriptionibus suis, & proprijs vocibus, cunctos hæreticorum respuentes errores, canonica fuerint districtione conuersi; vt tunc communionis sacræ mysterium mereantur; dum omnia, quę præfati sumus, canonica & Apostolica districtione impleuerint: quia nos nulli corrigentis se pœnitentiæ locum conuenit amputare. In his verò in quibus Mennam fratrem & coepiscopum nostrum memorem libelli sui, quem prædecessori nostro beatæ memoriæ Agapeto ordinationis suæ tempore vestræ clementiæ consensu porrexerat, sequentem revera sedis Apostolicæ disciplinam, hæreticis inferius comprehensis, id est Seuero, Eutychiano, Petro, Appameno, Anthimo, qui etiam Ecclesiam Constantinopolitanam praua ambitione peruaserat Xeneæ, sed & Theodosio Alexandrino, & Constantio Laodicensi, atque Antonio Versetano Eutychianæ hæresis, sed & Dioscoro, qui in Chalcedonensi Synodo inter alios legitur fuisse damnatus, defensoribus, atque sequacibus anathema dixisse pietas vestra mandauit, in nullo à nobis quidem molestè susciptur à prædicto fratre nostro, vel à quolibet alio in hæreticos dicta damnatio. Sed & libenter amplectimur, & Sedis Apostolicæ auctoritate firmamus, complices damnatorum simili anathematis vltione plectentes, ea videlicet ratione, vt sicut supra meminimus, secundum præsulum Sedis Apostolicæ constituta, his, qui resipuerint, & prędecedentium Synodorum vel supraſcriptorum Apostolicæ Sedis Pontificum susceperint constituta pœnitentiæ, & communionis aditum referamus. Sed quia nouimus potius plus illos, qui hæreticam perfidiam destruunt, sibi magis prodesse errantium vitando consortium, quàm sententiæ supraſcriptorum patrum multipliciter solidatæ aliquid firmitatis adiungere, quam constat suis indubitate viribus Deo auctore subsistere. Ideo hactenus tanquam non nouiter latam damnationem minimè arbitrati sumus, nouo aliquo indigere responſo. Qui enim hæresum quarum supra meminimus, vel omnium aliarum, quæ sunt Apostolica definitione & constitutione damnata, sectatores fuerint inuenti; non tantùm ex noua lege, sed ex ipsa auctorum suorum iam pridem damnatione perculsi sunt: & licet pietatem vestram aliter de taciturnitate nostra suspicari, vel intelligere voluerit malignus interpres; nos tamen quos beatus Petrus Apostolus omni poscenti rationem reddere pia traditione constituit, libenti animo Christianitati vestræ satisfaciendum esse perspeximus, suppliciter sperantes, vt nullius subrepentis insidijs, priuilegia Sedis beati Petri Apostoli Christianissimis temporibus vestris in aliquo permittatis imminui. Quæ si turbentur (quod non credimus) aut minuantur in aliquo violatæ fidei instar ostendant. Scit enim sapientiæ vestræ pietas singularis illam se auctoritatis ipsius beati Petri Apostoli retributionem modis omnibus meriturum, quam vel in illius priuilegijs, vel in nostra humili vestra seruaueritis, DEO vobis aſpirante, per

Anathema in hæreticos.

Anathema in Anthimum eiusq; collegas.

Omnes hæreticos æquè damnat.

1. Pet. 3.

De priuilegijs Romanæ Ecclesiæ non minuẽdis

sona: tamen, vt cuncta pietatem vestram informent, & nihil pro callidi insidiatoris astutia vlterius relinquatur ambiguú, beatæ recordationis prædecessoris nostri Papæ Leonis, quæ diuersis ad Orientẽ sunt directa temporib. constituta, quanta de plurimis in præsenti necessaria credidimus, supreadiecimus, rogantes per ipsum cuius causam integrè agere festinatis, & cupitis Christianitatis affectu, vt vniuersa legere pietas vestra dignetur, ne aliquid supersit, quod minimè relegatur. Scio enim quia si Deus vobis legem dederit, voluntatem, ita cuncta tractantes sapientia vobis singulariter à Deo concessa disponitis, vt neque de religione neque de aliquo præiudicio quilibet fidelium sacerdotum possit in qualibet parte vexari. Rationem his igitur (prout Christianitatis vestræ meritum postulabat,) in quantum valuimus, reddidisse sufficiat; quamuis nos nihil cótra synodalia, vel prædecessorum nostrorum præsulum Sedis Apostolicæ constituta, aut commisisse aliquid, aut tentasse quisquam licet astutus & subtilis inueniet. Ea verò, quæ fidei Catholicæ vel animæ nostræ expediunt, de qua, sicut nouit pietas vestra & pro sacerdotali officio, & pro multiplicibus præstitis clementiæ vestræ, causam plus alijs habeo cogitandi, suggerere non omitto. In primis supplicantes, & ipsius beati Apostoli (quem diligitis) intercedente suffragio, postulantes, vt semper adhuc ad Sedem Apostolicam pro disponendis reipublicæ vestræ vtilitatibus orthodoxas, & Deo placitas, & rugam, aut maculam fidei non habentes, dignemini destinare personas, per quas & ea, quæ publico vestro conueniunt, salubriter ordinentur, & pro animæ vestræ mercede Catholicæ disciplinæ in nullo conturbetur integritas, vt vniuersi revera illud gratiæ cælestis munus iam sicut & credimus pietatem vestram habere cognoscant, quod Salomon adhuc à Domino postulabat, dicens: Dabis seruo tuo cor audire, & iudicare populum tuum in iustitia, & intelligere inter malum & bonum. Et quia per filium nostrum Dominicum præsentium portitorem quædam verbo suggerenda mandauimus; speramus vt ea, aspirante vobis Domino, & libenter audire dignemini, & maximè quæ Ecclesiasticæ paci, ac dehinc generalitatis quieti profutura sunt, consueta Christianitate vel prouidentia disponatis.

Vigilius fidem Catholicam illibatam seruauit.

3. Reg. 3.

Committit secreta legato.

Anno Domini 540. sub consulatu Iustiniani ea quæ per eũdem legatum Dominicum redeũtem scripta est ad Mennam, sub prædicta consulari nota data fuit.

Tom 1. Epist. Decret. 3. Ex V. C. Vat.

EPISTOLA V. B. VIGILII PAPÆ, ad Mennam.

Gratulatur, eum hæreticis damnatis sanctas quatuor vniuersales synodos amplecti: ab hæresi resipiscentes debere recipi.

Dilectissimo Fratri Mennæ Episcopo, Vigilius episcopus. Licet vniuersa, prout Deo auxiliante potuimus, & credidimus expedire, Domino filio nostro serenissimo & Christianissimo Imperatori de Ecclesiasticis causis nostræ insinuationis sermone suggesserimus; necessarium tamẽ iudicauimus, & caritati vestrę per Christianissimi filij nostri Patricij Dominici personam scripta dirigere. Quibus nos grandi exultatione & gaudio suscepisse cognoscite, quòd Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam & Chalcedonensem sanctissimas Synodos, in quibus fidei orthodoxæ, atque Apostolicæ fundamenta monstrantur, sicut pollicitationis vestræ tunc ad prędecessorem nostrum sanctæ recordationis Agapetum lectio data testatur, inuiolabiliter vos asseritis custodire, & maximè beati Leonis prædecessoris nostri sequi in omnib. constituta. Quid est caritati tuę dignius honoris, quod conueniat, nisi à Romanorum prę sulum non deuiare doctrina? aut quid nobis iucũdius, quod ve sit gratius, quàm illos in Christi Domini & Saluatoris nostri caritate complecti, qui maiorũ nostrorum, & prædecessorum facta custodiunt. Vnde spiritualiter salutantes te, hortamur, & qua nos conuenit affectione incessanter alloquimur, vt illius normam, illius admonitionem, illius (sicut & promisisti, & indicas) sequaris in omnibus constituta. Plena sunt enim de prædicti prædecessoris nostri, sanctę & venerandæ recordationis Leonis vestræ fraternitatis scrinia, quæ ad prædecessores tuos leguntur ab eodem desti nata Pontifice, id est, quod & nostris prædecessoribus, quod vestri promiserint, releguntur. Sed hęc dixisse sufficiat. Apostoli namque sermo ante oculos nostros est, qui dicit, Sapientiam loquimur inter perfectos. De his verò quibus, te memorem libelli, quem suprascripto prædecessori nostro tradideras, & sequentes Apostolicæ constituta doctrinæ in hæreticos inferius comprehensos, id est, in Seuerum Antiochenum, Petrum Apamenum, Anthimum quoque peruasorem Constantinopolitanæ Ecclesię & Theodosium Alexandrinæ ciuitatis, necnon & Constantinum, atque Antonium Versentanum Eutychianæ hæresis, sed & Dioscorum, qui in Chalcedonensi Synodo inter alios legitur fuisse damnatus defensoribus, atque sequacibus anathema dixisse cognouimus. In quibus non aliquid nouum sententiæ olim à patrib. decretæ iunxisti; nec talibus præsulibus B. Petri vicarijs in auctores hæresum ipsarum data sententia penitus indigebat: quia qui damnatæ hæreseos sectator agnoscitur, non tantùm ex noua lege, sed ex ipsa iam auctoris sui damnatione perculsus est. Gratè admodum & libenter amplectimur, & auctoritatis Sedis Apostolicæ, cui nos Deus præsidere voluit, interpositione firmamus: & vniuersi eorũ complices, vel omnes hæretici pari damnationis sententiæ subiacebunt. Hoc tantummodo sicut Apostolicæ moderationi conuenit per omnia reseruantes, vt si vel eorum vel quorumlibet errantium quasi agnita Catholicæ fidei veritate pœnitentiam agens, reuerti voluerit, & hæresis in qua volutatur errore cõcepto scripturæ quoque professione vniuersam errorum suorum, ac complicum damnauerit prauitatem, & Apostolicæ sequens instituta doctrinę anathema dixerit ei, qui vel prædictas quatuor synodos in fidei causa non sequitur, vel beatæ recordationis prædecessoris nostri Leonis venerabilia constituta in omnibus non confitetur, & non in omnibus viribus, omniqué animi sequitur puritate, tunc communionis nostræ (quam nulli nos negare conuenit pœnitenti) sub Apostolica & canonica (sicut præfati sumus) satisfactione modis omnibus ageretur: quia Redemptor noster non venit aliquem perdere, sed omnes pro sua pietate saluare. *Et manu Domini Papæ.* Deo iuuante per ipsius gratiam Vigilius episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ has scedas epistolarum suprascriptarum, quas ego Deo iuuante dictaui, ipso auxiliante recognoui atque subscripsi. *Et alia manu subscriptio Flauij Dominici Patricij.* Flauius Dominicus V.C. Comes domesticorum exconsul, ac Patricius has schedas à beatissimo, atque Apostolico Papa Vigilio in causa fidei factas ad Domnum nostrum Iustinianum pijssimum, & Christianissimum Principem, sed & ad Mẽnam virum beatissimum Constantinopolitanæ Archiepiscopum Ciuitatis relegens, conferens, consentiensq; subscripsi, Die 15. Kalend. Octobris, Iustino V.C. Consule.

1. Cor. 2.

Hæreticos damnat.

Anathema.

De fide Catholica illibate seruanda.

EPISTOLA VI. VIGILII PAPÆ, ad Auxanium Arelatensem Episcopum.

Auxanio Cæsarij successori pallium petenti concedit.

Dilectissimo fratri Auxanio Vigilius. Scripta de ordinatione charitatis vestrę, Ioanne filio nostro presbytero, sed & Terentio diacono deferentibus, cum animi spirituali gratulatione susce pimus, Domino gratias referentes, quia hoc in Ecclesia Arelatensi factum est, quod & canonibus, & decessorum nostrorum regulis conueniret, quatenus ex sequenti ordine sacerdotij tua fraternitas ad Põtificalis proueheretur apicem dignitatis, & diuinæ in te electionis iudicium compleretur, sicut scriptum est: Omne datum optimũ & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et iterum Doctor Gentium Apostolus Paulus dicit: Ne quisquam sumit sibi honorẽ, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Superest, vt Deus, qui nos immeritos ricordia honorem miserans Pontificalem habere pro sua pietate concedit, donet & prę mium: vt illud in nobis compleatur, quod Christi Dei & Saluatoris nostri verba testantur, dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Et iterum: Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suã, vt det illis in tempore tri-

Iacob.

Hebr. 5.

Habili misericordia

Matth.

Matth.

tici men-

tici mensuram? Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem.

Sunt etiam quę per Dei gratiam super fraternitate vestra ad facienda bona hortentur exempla. Si enim decessoris tui illa, quæ à sede Apostolica de fundamento Petræ Dominicæ doctrinæ bona suscipiens artibus exæquauit, imitari volueris, & à sedis Apostolicæ in nullo deuiaueris constitutis; sicut scriptum est: coronam sine dubitatione percipies, quam dedit Dominus diligentibus se. De his verò quæ charitas vestra tam de vsu pallij, quàm de alijs sibi à nobis petijt debere concedi, libenti hoc animo etiam in præsenti facere sine dilatione potuimus, nisi cum Christianissimi domini filij nostri Imperatoris hoc (sicut ratio postulat) voluissemus perficere notitia, Deo auctore: vt & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulâstis cum consensu Christianissimi Principis conferuntur, & nos honorē fidei eius seruâsse cum competenti reuerentia iudicemur. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. 15. Kalend. Nouemb. P.C. Basilij V.C. III.

EPISTOLA VII. VIGILII PAPÆ, ad eundem.

Auxanio vicariam Sedis Apostolicæ præfecturam in Gallia delegat, eumq; ad orandum pro salute imperij & Regni admonet.

DILECTISSIMO *fratri Auxanio Vigilius.* Sicut nos pro tuæ charitatis affectu, & pro glorioss. filij nostri Regis Childeberti Christiana deuotione mādatis, vices nostras libētissima voluntate contulimus: ita fraternitatem tuam cōuenit Deo placitis operibus tantæ sedis auctoritate digna conuersatione vti atque disponere; vt bonis actibus innotescens, rectum circa charitatem tuam iudicium nostræ dilectionis ostendas. Conuenit enim nos Doctoris Gentium mandata recolere, quibus Timotheum discipulum suum structionibus sanctis hortatur, dicens: Exemplum esto Fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et sicut item Apostolorū primus saluberrima admonitione præcipiens, Pascite qui in vobis est gregem Dei, consequenti adhortatione subiungit: Forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

Si quæ ergo inter fratres & Coëpiscopos nostros in locis charitati vestræ præsenti auctoritate commissis, seminante illo auctore ex antiquitate *zizaniæ, dissensiones emerserint: adhibitis vobiscum sacerdotibus numero competenti, causas canonica & Apostolica æquitate discutite, ea modis omnibus prælato iudicio finituri; quæ Deo placitis decessorū nostrorum possint regulis conuenire.

Si qua verò certamine aut de religione fidei (quòd Deus auferat) aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit euenerint: totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ sedi terminanda seruate; vt vniuersis à fraternitate vestra competenti ratione dispositis, pax, quæ *voce collata est Ecclesiæ Dei, quæ vna est in toto Orbe diffusa, stabili firmitate seruetur, ne antiqui hostis possit quassatione vexari, in illius petræ Christi Dei Domini & Saluatoris nostri erectione firmata stabilitate persistens. Quæ cuncta vt fraternitas vestra meliùs per Dei gratiam possit implere, vniuersis Episcopis, quibus te præesse voluimus, auctoritatis nostrę est serie declaratum. Nullus ergo de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis (sicut & ad eos data loquitur nostra præscriptio) in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci, nisi solemni more (sicut decessore nostro prædecessori vestro similiter concedente, consueuerant) Formatam vestrę charitatis acceperit.

Oportet ergo fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, vt dominos filios clementissimos Principes Iustinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat, qui pro his nobis vestræ charitati mandandis, suggerente glorioss. & excellentissimo filio nostro Patricio Belisario, pro quo item vos conuenit exorare, pia præbuerunt deuotione consensum. Hortamur quoq;, vt sacerdotali opera inter glorioss. virum Childebertum Regem, sed & antedictum clementissimum Principem conceptæ gratiæ documēta paterna adhortatione seruetis. Benè enim Domini & Saluatoris nostri, quæ populis prædicamus, mandata antè oculos retinemus, quibus ait: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et quia digna credimus ratione compleri, vt agenti vices nostras pallij non desit ornatus: vsum tibi eius (sicut decessori tuo prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse) beati Petri functa auctoritate concedimus. Ea verò quæ de præsenti ordinatione nostra directa præceptione significauimus, ad vniuersos Episcopos per charitatem tuam volumus peruenire. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. x I. Kalend. Iun. Quarto P.C. Basilij V.C. Matt. 5.

EPISTOLA VIII. AD EVNDEM, de cognoscenda causa Prætextati Episcopi.

DILECTISSIMO *fratri Auxanio Vigilius.* Licèt fraternitati vestræ Apostolicæ sedis vicibus attributis, quas directa auctoritate commisimus, generaliter emergentium causarum sit discutienda licentia: tamen quia filij nostri Ioannis presbyteri, sed & Terentij diaconi, qui ad nos à tua charitate directi sunt, de Prætextati excessu est porrecta petitio, necessarium valde credimus specialiter memorati negotij examinationem præsenti vobis auctoritate mandare. Quapropter charitati, qua in Christo iungimur, reddentes fraternæ alloquia visitationis, hortamur, vt adhibitis nobiscum fratribus & Coepiscopis nostris numero competente discussa ratione canonica veritate, & *sapienti ordinatione disponat, *ea quæ decessorum nostrorum conueniant statutis, charitas vestra *ratione prospiciens, ne aliquem facilè ex laicis ad sacratos ordines saltu præcipiti cuiquam sacerdotum liceat aggregare. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. x I. Kalend. Iun. P.C. Basilij, V.C. IIII.

EPISTOLA IX. VIGILII PAPÆ, ad Episcopos Galliæ Arelatensi subiectos.

Auxanium vicarium Sedis Apostolicæ constitutum esse, nunciat; eidem omnes obtemperare mandat, & vt peregrinaturi ab eo Formatas literas accipiant, præcipit.

DILECTISSIMIS *fratribus vniuersis Episcopis prouinciarum omnium per Gallias, qui sub regno vel potestate gloriosissimi filij nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur Episcopi, Vigilius.*

Quantum nos diuina potentia Apostolorum primi sedem non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate habere constituit, tantum nos de vniuersarum Ecclesiarum dispositione & pace & statu curam habere etiam conuenit: cùm Gentium dicat Apostolus: Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quomodo ergo inter Domini sacerdotes sancta & Deo placita potest manere concordia, nisi vt si humani generis hostis antiqua nequitia consuetam zizaniam seminare voluerit, is qui absentiam nostram sedis Apostolicæ viribus perfruendo spirituali gratia repræsentat, auferat certamen exortum? Quapropter Auxanio fratri & Coëpiscopo nostro Arelatensis ciuitatis Antistiti vices nostras charitas vestra nos dedisse cognoscat: vt si aliqua (quod absit) fortassis emerserit contentio, congregatis sibi fratribus & Coëpiscopis nostris, causas canonica & Apostolica auctoritate discutiens, Deo placita æquitate diffiniat. 2. Cor. 11.

Contentiones verò si quę (quas Dominus auferat) in fidei causa contigerint, aut tale emerserit fortè negotium: quod pro magnitudine sui Apostolicæ sedis magis iudicio debeat terminari: ad nostram, discussa veritate, perferat sine dilatione no-

ne notitiam. Et quia necesse est, vt aptis, Deo propitiante, temporibus Arelatensis Episcopus nostris viribus fungatur, quoties iudicauerit expedire pro facienda consolatione communi, Episcoporum debeant congregari personæ. Nullus inobediens eius fortè mandatis sit, quod si fuerit à congregatione suspendatur, nisi aut corporalis infirmitas, aut iustitiæ causa cum excusatio venire prohibeat: ita tamen, vt si se, quo minus occurrat, rationabili exceptione defendere, ad Synodum pro suo presbyteri aut diaconi dirigat loco personam; quatenus quæ à nostro Vimrio congregatis fratribus diffinitiua sententia fuerint terminata, ad eius qui absens est per suos perducta notitiam, sincera & inuiolabili stabilitate seruentur: necesse est enim, quotiens in nomine Domini eius famuli ad tractanda quæ ipsi sunt placita colliguntur, sancti Spiritus non deesse præsentiam. Ita enim Christi Dei Domini & Saluatoris nostri mandata nos instruunt, quibus ait: Vbi fuerint duo aut tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum. Quid ergo se æstimat subiturum, qui Deo odiosa superbia in illa congregatione interesse contemnit, in qua se Dominus noster affuturum pia promissione denunciat? Matt. 18.

Illud pari auctoritate mandamus, ne quisquam sine prædicti fratris & Coëpiscopi nostri Formata ad longinquiora loca audeat proficisci, quippe quia & decessorum nostrorum decessoribus eius, quibus vices suas libentissime contulerunt, sanctæ sic definiunt iussiones: vt his omnibus obedientia Deo placita custoditis, pax, quæ à Christo Deo Domino & Saluatore nostro Apostolis tanquàm hæreditario est nomine derelicta, in Ecclesia Dei, quæ vna est toto Orbe diffusa, firma stabilitate seruetur. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Dat. x i. Kalend. Iun. Quarto P. C. Basilij V.C.

EDICTVM PIISSIMI IMPERATORIS Iustiniani, fidei confessionem continens, & refutationem hæresum, quæ aduersantur Catholicæ Dei Ecclesiæ.

Confessio Iustinia. Imperat. erudito, pio & Catholico Imperatore digna

SCIENTES quòd nihil aliud sic potest misericordem Deum placare, quàm vt omnes Christiani vnum idemq; sapiãt in recta & immaculata fide, nec sint dissensiones in sancta Dei Ecclesia: necessarium putauimus, omnem occasionem interimentes eis, qui scandalizantur, vel qui scandalizãt, rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur, præsenti edicto facere manifestam: vt & illi, qui rectam fidem confitentur, firmiter eam custodiant: & illi, qui aduersùs eam contendunt, discentes veritatem, festinẽt semetipsos vnire sanctæ Dei Ecclesiæ.

COnfitemur igitur credere in patrem, & filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem, siue naturam & substantiam & virtutem & potestatem in tribus subsistentijs siue personis adorantes, in quibus baptizati sumus, in quas credimus, & quibus confessiones dedimus, proprietates quidem separantes, Deitatem autem vnientes. Vnitatem enim in Trinitate, & Trinitatem in vnitate adoramus, mirabilem habentem & diuisionem & vnitionem. Vnitatem quidem, secundùm rationem substantiæ, seu Deitatis: Trinitatem autem, secundùm proprietates, vel substantias, siue personas. Diuiditur enim sine diuisione, (vt sic dicamus) & coniungitur * diuisè. Vnum enim est Deitas in tribus, & tria vnum, in quibus Deitas est. Aut (vt subtiliùs dicamus) ipsa tria est Deitas, Deus pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus, cùm vnaquæq; persona solùm intelligitur, mente separante inseparabilia. Et tria vnus Deus, cùm simul intelliguntur propter eãdem virtutem, eandemq; naturam, quam oportet & vnum Deum confiteri, & tres subsistentias prædicare, seu tres personas, & vnamquamque * cum sua proprietate. Et vnitatem confitẽtes, confusionem non facimus, secundùm Sabellium, dicentem, Trinitatem vnam esse personam trinomium eundem patrem, & filium, & Spiritum sanctum, nec diuidentes proprietates, alienamus à Dei patris substantia filium, aut spiritum sanctum, secundùm Arij furorẽ, in tres diuersas naturas incidentes Deitatem. Vnus igitur Deus pater, ex quo omnia: & vnus vnigenitus filius, per quem omnia: & vnus spiritus sanctus, in quo omnia.

* in

*Credimus autem ipsum vnigenitum filium Dei, Deum verbum, ante secula & sine tempore ex patre natum, non factum, in vltimis diebus propter nos & propter nostram salutem descendisse de cœlis, & incarnatum esse ex spiritu sancto, & sancta gloriosa Dei genitrice semper Virgine Maria, & natum ex ipsa, qui est Dominus Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate, consubstantialis Deo patri secundùm Deitatem, & consubstãtialis nobis idem ipse secundùm humanitatem, passibilis carne, impassibilis idem ipse Deitate. Non enim alius *quidem est præter Deum verbum, qui passionem & mortem susceperit: sed ipse impassibilis & sempiternus Deus verbũ generationem carnis humanæ sustinere dignatus impleuit omnia. Ideò non alium Deum verbum esse, qui miracula operatus est, & alium Christum, qui passus est cognoscimus: sed vnum eundemq; Dominum nostrum Iesum Christum, Dei verbum, incarnatum & hominem factum, & eiusdem ipsius miracula & passiones, quas carne voluntariè sustinuit, cõfitemur. Non enim homo aliquis pro nobis semetipsum dedit, sed ipse Deus verbum, suum corpus pro nobis dedit, ne in hominem fides & spes sit nostra, sed in ipsum Deũ verbum nostram fidem habeamus. Et Deum igitur eum confitentes, non abnegamus ipsum esse & hominem, & hominẽ dicentes eum, nõ abnegamus ipsum esse & Deũ. Si enim Deus tantummodò esset, quomodò patiebatur? quomodò crucifigebatur & moriebatur? Aliena enim ista sunt Deo. Sin autem homo solùm, quomodò per passionẽ vincebat? Quomodò saluos faciebat, quomodò viuificabat? Hæc enim supra hominis naturam erant. Nunc autem idem ipse patitur, & saluos facit, & per passionem vincit idem ipse Deus, idem ipse homo: vtrunq; tanquam vnum, vtrunq; tanquam solum. Vnde ex vtraque natura, id est, ex Deitate & humanitate vnum Christum compositum dicentes, confusionem vnitioni non introducimus. Et in vtraq; autem natura, id est, in Diuinitate & humanitate vnum Dominum nostrum Iesum Christum Dei verbũ incarnatum, & hominem factum cognoscentes, diuisionem quidẽ per partes, vel incisionem non ferimus vni eius subsistentiæ. Differentiam autem naturarum, ex quibus compositus est, significamus non interemptam prõpter vnitatem, quoniam vtraque natura in ipso est. Cùm enim compositionem dicamus, necesse est cõfiteri & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci. Nec enim diuina natura in humanam trãsmutata est, nec humana natura in diuinam conuersa est. Magis autem intelligitur, quod vtraq; in proprietate & ratione suæ naturæ manente, facta est vnitas secundùm subsistentiam. Vnitas autẽ secundùm subsistentiam significat, quod Deus verbum, id est, vna subsistentia ex tribus Deitatis subsistentijs, nó antè plasmato homini vnitus est, sed in vtero sanctæ virginis creauit sibi ex ipsa in sua subsistẽtia carnem, animatam anima rationali & intellectuali, quod est natura humana. Hanc autẽ secundùm subsistentiam vnitatem Dei verbi ad carnem, docens nos & diuinus Apostolus, dicit: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, æqualem se esse Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Per hoc enim quod dixit, Qui cùm in forma Dei esset, verbi subsistentiam in natura Dei esse ostendit. Per hoc autem quod dixit, Formã serui accepit, naturæ hominis, & non subsistentiæ siue personæ, vnitum esse verbũ significauit. Nec enim dixit, quòd eum qui in forma serui erat, accepit: nè antè plasmato homini vnitum esse Deum verbum ostenderet, sicut Theodorus & Nestorius impij blasphemauerunt, affectualem dicentes vnitatẽ. Nos autem sequentes diuinas scripturas & sanctos patres, confitemur quòd Deus verbũ caro factus est, quod est secundùm subsistentiam sibi vnire naturam humanam. ideò & vnus est Dominus noster Iesus Christus, habens in semetipso perfectionem diuinæ naturæ, & perfectionem naturæ humanæ. Et est vnigenitus quidem & verbũ, vtpotè ex Deo patre natus, & primogenitus autem in multis fratribus, idem ipse cùm factus homo: filius. n. Dei, filius hominis factus est: & manens quod erat, non transmutauit quod factus est. Vnde & duas naturitates eiusdem ipsius vnigeniti Dei verbi cõfitemur. Ante secula quidem ex patre incorporaliter nati, in vltimis autem diebus eiusdem ipsius incarnati & nati de sancta gloriosa Dei genitrice

*Consimiliter.

*quidem

Phil. 2.

Ioan. 1.

trice & ſemper virgine Maria. Qui enim de patre ſplenduit ſupra intellectum, ex matre ortus eſt ſupra rationem. Et cùm Deus verus eſſet, factus eſt verè homo. Ideò propriè & verè Dei genitricem ſanctam, glorioſam & ſemper virginem Mariam confitemur: non quia Deus verbũ initium ex ipſa accepit, ſed quod in vltimis dieb. vnigenitus Deus verbũ, qui ante ſecula erat, incarnatus ex ipſa, immutabiliter homo factus eſt: & cùm inuiſibilis in ſuis eſſet, viſibilis factus eſt in noſtris: & cùm impaſſibilis Deus eſſet, non dedignatus eſt paſſibilis eſſe homo, & immortalis, mortis legibus ſubiacere. Iſtum qui in Bethlehem de ſemine Dauid natus eſt ſecundùm carnem, & ſimilis factus hominib. & crucifixus eſt pro hominib. ſub Põtio Pilato, prædicauerunt ſancti Apoſtoli ipſum eſſe Deum, ipſum hominem, ipſum filiũ Dei, ipſum filiũ hominis, ipſum de cœlo, ipſum de terra, ipſum impaſſibilem, ipſum paſſibilẽ. Deus enim verbum, qui natus eſt deſursùm ex patre ineffabiliter, inenarrabiliter, incompræhenſibiliter, ſempiternè, ipſe in tempore naſcitur deorsùm de virgine Maria, vt illi, qui deorsùm prius nati ſunt, deſursùm ſecundò naſcerentur, id eſt, ex Deo. Ipſe igitur matrẽ tantummodò habet ſuper terram, & nos tantummodò patrẽ habemus in cœlo. Cùm enim accepiſſet mortalem patrẽ hominum Adam, dedit hominib. ſuum patrem immortalem, ſecundùm hoc quod dicitur: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Vnde & mortẽ ſecundùm carnem guſtat filius Dei, propter carnalẽ ſuum patrẽ, vt filij hominis, vitæ eius participes fierent, propter ſuum ſecundùm ſpiritum patrẽ Deum. Ipſe igitur ſecundùm naturam filius eſt Dei, nos autem ſecundùm gratiam: & iterum ipſe ſecundùm diſpenſationẽ & propter nos filius fuit Adam, nos autem ſecundùm naturam ſumus filij Adam. Pater enim eſt eius Deus ſecũdùm naturam, noſter aũt ſecundùm gratiam. Et Deus ei fuit ſecundùm diſpenſationẽ, eo quòd homo factus eſt: noſter autẽ ſecundùm naturam Dominus eſt, & Deus, & ideò Deus verbũ, qui eſt filius patris, vnitus carni, factus eſt caro, vt homines vniti ſpiritui fierent vnus ſpiritus. Ipſe igitur verus filius Dei, omnes nos indutus eſt, vt omnes induamur vnũ Deum, & eſt poſt incarnationẽ vnus de ſancta Trinitate, vnigenitus filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, compoſitus ex vtraque natura. Compoſitum autem Chriſtum confitemur, ſanctorũ patrum doctrinã ſequentes. In myſterio enim Chriſti vnitas ſecundùm compoſitionem, confuſionem & diuiſionem reijcit, & ſeruat quidẽ vtriuſq; naturæ proprietatẽ. Vnam autem ſubſtantiam ſeu perſonam Dei verbi, & cum carne oſtendit, & eſt vnus idemq; perfectus in Deitate, & perfectus in humanitate, non tanquam in duabus ſubſiſtentijs ſiue perſonis, ſed in Diuina natura & humana cognoſcendus, vt vnus ſit vtraq; perfectus Deus & perfectus homo. Idẽ ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnus de ſancta Trinitate conglorificandus patri & ſancto ſpiritui. Nec enim quartæ perſonæ adiectionem ſuſcepit ſancta Trinitas, & incarnato vno de ſancta Trinitate Deo verbo. Iſtam igitur bonam traditionem, quam à ſanctis patribus accepimus, cuſtodimus, in qua viuimus & conuerſamur, & quam, ab hac vita proficiſcentes, oramus nobiſcum habere, quæ eſt in patrem & Chriſtũ filium Dei viui, & S. ſpiritũ confeſſio. Hæc itaq; confitentes ſuper alias S. Cyrilli de fide recta doctrinas, & hoc, quod dictũ eſt ab ipſo, vnam naturam Dei verbi incarnatam, ſuſcipientes: confitemur, quod ex diuina natura & humana vnus Chriſtus effectus eſt, & non vna natura, prout quidam malè intelligẽtes dictionem, conantur dicere. Vnde & ipſe pater, quotiès vnam naturam dixit verbi incarnatam, in hoc, * naturæ nomine pro ſubſiſtentia vſus eſt. Et in quibus libris dixit hanc dictionem, in ſequentib. ſæpiùs intulit. Eſt quando filiũ, eſt quando verbum aut vnigenitum, quæ non naturam, ſed ſubſiſtentiam ſeu perſonam ſignificant. Subſiſtentia igitur verbi incarnata, non vnam naturam, ſed vnũ Chriſtum compoſitũ, effecit eundem ipſum Deũ & hominem. Eos aũt, qui Deum & hominem Chriſtũ confitentur, vnam naturã ſiue ſubſtantiam ipſius dicere, impiũ eſt. Impoſſibile eſt. n. Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ, ſecũdùm vnam eandemq; naturam ſeu ſubſtãtiam, & antè ſecula eſſe, & in tẽpore, aut impaſſibilem & paſſibilem. Quod in vna ſubſiſtẽtia ſeu perſona eius rectè confitemur: ex ipſis aũt dictis eiuſdem ſancti Cyrilli, oſtendemus de memorata dictione manifeſtã ipſius doctrinam. In prima enim ad Succeſſum epiſtola, cùm dixiſſet vnã naturam Dei verbi & incarnatam, ſtatim intulit:

Ergò quãtum quidem ad intellectum pertinet, & ad videndũ tantummodò oculis animæ, quemadmodùm incarnatus eſt vnigenitus, duas naturas eſſe dicimus, vnum aũt filiũ, & Chriſtum, & Dominũ, Deum verbũ incarnatũ, & hominem factũ. Per iſta autem pater modũ incarnationis volens manifeſtare, & indiuiſam & inconfuſam cuſtodiens vnitionẽ & numerum naturarum, quæ conuenerunt, demonſtrauit, & vnum Chriſtum prædicauit, & non vnam naturam Deitatis & carnis. Et in ſecunda autem ad eundem Succeſſum epiſtola ſimilia docens, ita ſcribit: Nam ſi quidem vnam dicẽtes verbi naturam, tacuiſſemus, non inferentes incarnatam, ſed quaſi extra ponentes diſpenſationem: erat illis forſitan & veriſimilis ratio confingentibus interrogare, vbi perfectio in humanitate, vel quomodo * ſubſiſtit humana ſubſtantia. Quoniam autem & perfectio in humanitate, & noſtræ ſubſtantiæ demonſtratio introducta eſt, dicendo, incarnatam: ceſſent, arundineam virgam ſibi ſupponentes. Eijcientem enim diſpenſationem, & abnegantem incarnationem, oportebat iuſtè accuſari, auferẽtem à filio perfectam humanitatem. Sin autem (vt dixit) incarnatum eſſe dicendo ipſum, manifeſta eſt & indubitabilis confeſſio, quod factus eſt homo: nihil iam prohibet intelligere, quia cùm vnus ſit & ſolus filius Chriſtus, idem ipſe Deus & homo, ſicut in Deitate perfectus, ita & in humanitate perfectus. Rectiſſimè autem & nimis prudenter tua perfectio de ſalutari paſſione rationem exponit, non ipſum vnigenitum filium Dei, ſecundùm quod intelligitur & eſt Deus, paſſum eſſe in ſua natura, quæ ſunt corporis, affirmans, magis autem paſſum eſſe terrena natura. Oportet enim neceſſariò vtraq; ſeruari vni & vero filio, & non pati, ſecundùm Deitatem: & dici, paſſum eſſe eundem ipſum ſecundùm humanitatem; ipſius enim paſſa eſt caro. Et in tertio decimo cap. ſcholiorum idem S. Cyrillus ſimiliter reijciens eos, qui duos filios introducunt, & eos, qui vnam dicunt naturam Deitatis & carnis Chriſti, ita ſcribit: Non diſcernendum vnum Dominum Ieſum Chriſtũ in hominem ſeparatim, & in Deum ſeparatim: ſed vnum eundemq; Dominum Ieſum Chriſtũ dicimus, naturarum ſcientes differentiam, & inconfuſas eas ſibi inuicem conſeruantes. Si igitur (prout docet nos S. Cyrillus) vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, perfectus in Deitate, & perfectus idem ipſe in humanitate, & non eſt paſſus diuina natura, ſed terrena natura, ſcit autem & naturarum differentiam, & quòd inconfuſè ſibi inuicem in vna ſubſiſtentia conſeruantur: certum eſt, quòd eundem ipſum in diuina natura, & in humana dicit pater cognoſci, & vtramq; naturam in ipſo eſſe, ex quibus & compoſitus eſt, & non aliquis ſic inſaniat, vt arbitretur eos rectè ſapere, qui dicunt vnam eſſe naturam ſiue ſubſtantiam carnis & Deitatis Chriſti, eandem & diuinam & terrenam, paſſibilem & impaſſibilem. Quoniam autem & alio modo quidam oſtendere conantur, vnam eſſe naturam Deitatis & humanitatis Chriſti, exemplum hominis proponentes, & dicentes, quod ſicut ex diuerſis naturis anima & corpore conſiſtens homo, vna natura dicitur, ſic ex duabus naturis Deitatis & humanitatis Chriſtum dicẽtes, debemus vnam ipſius dicere naturam: illud ad eoſdem dicemus, quòd homo quidem eſt, licèt ex diuerſis conſtet, id eſt, anima & corpore: tamen ideò vna natura dicitur, quoniam in omnibus ſubſiſtẽtijs ſiue perſonis, quæ ſub eadem ſpecie referuntur, communiter prædicatur. Licèt enim vnaquæq; ſubſiſtentia ſiue perſona, ſicut Petrus & Paulus, proprietatibus à ſe inuicem ſeparantur, ſed tamen non natura diuiduntur, (ambo enim homines) & iterum nec anima ſine corpore, nec corpus ſine anima homo eſt: ſed ex eo, quod non erat, ad hoc quod eſt, ex anima & corpore creatus eſt: vnaquęque autem creatura, licèt ex diuerſis conſtet, ſed tamen vnam illam habere dicitur naturam, ſecundùm quam ex Deo creata eſt. Chriſtus autem non ſic, nec enim vnam naturam ſiue ſubſtantiam ſignificat, quæ communiter in plurimis ſubſiſtentijs ſiue perſonis prædicatur, ſicut homo. Si enim hoc eſſet, multi Chriſti inuenirentur, in quibus communitas vnius naturæ prædicabatur, quod & dicere impium eſt. Sed neque ab initio ex Deitate & humanitate, ſicut homo ex anima & corpore, Chriſtus creatus eſt: vt hoc ſit natura Chriſti: ſed cùm Deus eſſet ante ſecula Dei verbum, & eſſet eiuſdem naturæ ſiue ſubſtantiæ patri, & creator omnium, in vltimis diebus hominis naturam ſecundùm ſubſiſtentiam ſibi vniens, factus eſt homo manens Deus. Eſt igi-

Idem Cyrillus.

* ſubſtitit

Idem 13. c. Scholiorũ

tur Christus vna subsistentia siue persona, & habet in semetipso perfectionem diuinæ & increabilis naturæ, & perfectionem humanæ & creabilis naturæ. Quomodò igitur, in quo duæ naturę cognoscuntur, increabilis & creabilis, in eo vnam naturam siue substantiam dici possibile est? Licèt enim vna subsistentia siue persona Christus sit, sed consubstantialis Deo & patri, & cõsubstantialis nobis idem ipse est, nõ tamen secundùm vnam eandemque naturam seu substantiam. Sin autem vna natura siue substantia esset CHRISTVS, aut sine carne est, & soli Deo patri consubstantialis est, quoniam vna Deitas substantia siue natura est: aut purus homo existens, nobis est solùm consubstantialis, quoniam vna natura humanitatis est: aut immutata vtraque natura, alteram effecit naturam, præter eas, quæ conuenerunt, & secundùm illos neque Deus mansit, neque homo factus est Christus: & ideò neque patri, neque nobis idem ipse consubstantialis est. Sic autem sapere, omni plenum est impietate: & ista dicimus, non ignorantes quòd & quidam sanctorum patrum hominis exemplo in mysterio CHRISTI vsi sunt: sed illi quidem, vt ostenderent, quòd sicut homo ex anima & corpore vnus efficitur, & non duo homines: sic & Christus ex Deitate & humanitate compositus, vnus est, non in duos Christos vel in duos filios diuidendus. Isti autem hominis exemplo vtuntur, vt vnam naturam siue substantiam Deitatis & humanitatis Christi introducerent: quod demonstrauimus alienum esse pietatis. Sed cùm per hæc conuincuntur, quòd præter rectam patrum doctrinam, sibi confingunt vnam naturam seu substantiam Deitatis & carnis, ad alia transeunt, dicentes non oportere numerum naturarum in CHRISTO dicere, vtpotè numero diuisionem introducente. Sciant igitur quòd numerus, quando in diuersis personis, siue subsistentijs dicitur, rerum ipsarum per partes habet diuisionem, sicut in duobus vel etiam pluribus hominibus. Quando autem in rebus vnitis, tunc verbo solo, & intellectu, non tamen ipsarum rerum, habet diuisionem, sicut in vna subsistentia hominis, ex anima & corpore constituta. Duæ enim & hic naturæ intelliguntur, altera animæ, & altera corporis: & tamen non propter hoc in duos homines diuiditur, sed vnum scimus hominem esse, & vnam substantiam eius. Et in mysterio igitur Christi facta vnitione, licèt diuersa intelligantur, quæ vnita sunt, sed non ipsa re, & per partes à se inuicem separantur ea, ex quibus Dominus noster IESVS CHRISTVS compositus est: differentiam tamen considerantes, & hanc significare volentes, numerum assumimus, & duas in CHRISTO naturas esse dicimus. Nec ideò vnus Christus in duos Christos, vel in duos filios diuiditur. Et testimonium præstat Sanctus Gregorius Theologus, scribens in primo libro ad Cledonium sic: Si quis introducit duos filios, vnum quidem ex Deo patre, secundum autem ex matre, sed non vnum eundemque, ex adoptione cadat, quæ promissa est rectè credentibus. Naturæ enim duæ, Deus & homo, quomodo & anima & corpus? non autem duo filij, nec dij duo. Nec enim hic duo homines, licèt Paulus sic appellauerit, quod est intus hominis, & quod est extrinsecùs: & vt compendiosè dicamus, aliud quidem & aliud ea, ex quibus Saluator est, cùm nõ idem sit inuisibile & visibile, & hoc quod sine tempore est, & hoc quod sub tẽpore est, non autem alius & alius. Absit.

Greg. Nazianzen⁹.

2. Cor. 4.

Ecce per hæc euidenter docet sanctus Gregorius, quòd in mysterio Christi ille quidem, qui in personis numerum dicit, vt impius condemnatur: ille autem, qui in naturis, ex quibus vnus Christus compositus est, numerum accipit, rectè confitetur, vtpotè differentiam quidem naturarum, quæ conuenerunt, per hoc significans: diuisionem autem, quæ per partem est, nullo modo faciens. Sicut enim altera natura est animæ, & altera corporis, & tamen vnus secundùm compositionem homo efficitur, & non duo homines: sic & in Christo licèt duæ intelligantur naturæ, altera quidem Deitatis, altera verò humanitatis, sed non propter hoc duo Christi, aut duo filij introducuntur. Ergò qui numerum naturarum, quæ in Christo sunt, secundùm prædictum modum dicere recusant, manifesti sunt differentiam naturarum abnegantes, & confusionem introducentes dispensationi. Si verò differentiam confitentur, necesse est omnimodò, ad eam significandam, & numerum dicere naturarum, quæ sine confusione in vnam subsistẽtiam conuenerunt. Vbi enim differentia seruatur, ibi omni modo & numerus sequitur.

Ad confirmanda autem ea, quæ diximus, sanctorum patrum testimonio vtentes, ostendemus eos, dicentes, quòd in vno Domino nostro IESV CHRITO rationes quidem diuiduntur, secundùm differentiam naturarum Deitatis, & humanitatis, ex quibus & compositus est, & numerum in hoc assumunt, non tamen ipsa re & per partes naturarum faciunt diuisionem in duas subsistentias siue personas. Dicit enim sanctus Cyrillus in Leuitici interpretatione, sic: Totum in his iterùm circumspice aperte Saluatoris nostri mysterium, & emundationem, quæ per sanctum baptisma fit. Duas enim auiculas sumi iubet viuas & mundas, vt intelligas per volatilia, cœlestem hominem simul & Deum, in duas naturas, quantùm pertinet ad rationem, diuidendum, vnicuique conuenientem. Deus enim verbum, qui ex Deo patre est, splenduit in carne, quæ ex muliere est, veruntamen non partiendum. Vnus enim ex vtrisque CHRISTVS. Et iterùm idem Sanctus Cyrillus in secunda ad Successum epistola, ita dicit: Sed ignorauerunt, quòd quæ per solum intellectum diuidi solent, non hæc necessariò etiam in alteritatem, quæ est per partes, omnimodò & specialiter à se inuicem separabuntur. Sed & S. Basilius in quarto libro contra Eunomium, interpretans hoc, quod est, Dominus creauit me, & Prou. 8. ante omnes colles genuit me, ita scribit: Intelligendum hoc quidem quòd dicit, genuit, de Deo filio: hoc autem quòd dicit, creauit, de eo, qui formam serui accepit. In his autem omnibus non duo dicimus, Deum separatim, & hominem separatim, vnus enim erat, sed secundùm intellectum, vtriusque naturam existimantes. Sed & S. Gregorius Theologus in lib. secundo de filio, docens nos, quomodo in Domino nostro Iesu Christo oportet naturas, quæ in eo sunt, secundùm intellectum discernere, ita scribit: Cùm naturæ intellectu distant, simul diuiduntur etiam nomina. Paulum dicentem audi, vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, Christi quidem Deus, gloriæ autem pater. Nam etsi vtrunq; vnum est, tamen non natura, sed conuentu. Et sanctus autem Gregorius Nyssenus in 4. lib. contra Eunomium, eadem nos docens, ita scribit: Et nè aliquis incorruptibili naturæ, crucis passionem applicaret, per alia manifestiùs talem emendat errorem, mediatorem ipsum Dei & hominum, & hominem & Deum ipsum nominans: vt cùm duo de vno dicantur, congruum intelligatur circa vtrunque, circa Deitatem quidem impassibilitas, circa humanitatem autem dispensatio passionis. Intellectu igitur diuidente hoc, quod per misericordiam quidem vnitum est, ratione autem discernitur, cùm hoc quidem, quod superpositum est & supereminens, omnem sensum prędicat: altioribus vtitur nominibus, super omnia Deum, & magnum Deum, & virtutem Dei, & sapientiam, & talia vocans. Cùm autem passionum experimentum, necessariò propter nostram infirmitatem acceptũ, verbis significat, ex nostro nominans vtrunque hominem ipsum appellat, non communicans per vocem ad cæteram naturam eum, qui significatur, sed vt circa vtrunque pietas conseruaretur. His ita demonstratis per sanctorum patrum doctrinam, cessent, qui numerum naturarum, quæ in Christo sunt, occasionem sui erroris faciunt, & earum differentiam numeri recusatione negando, confusionem introducere conantur. Quomodò enim non est necessarius numerus, quo ad significandam differentiam naturarum, quæ in vnam subsistentiam vnitæ sunt, & non ad diuisionem per partes earum, vsi sunt patres? Demonstrato igitur vndique (quod impium est dicere) vnam naturam siue substantiam Deitatis & carnis CHRISTI, & illud dicimus, quia nec secundùm quod vnam subsistentiam dicimus Deitatis & humanitatis CHRISTI, sic possibile est & vnam naturam CHRISTI dicere: quoniam non idem est natura & subsistentia. Omnes enim sancti patres consonanter nos docent, aliud esse naturam siue substantiam & formam, & aliud esse subsistentiam siue personam: & naturam quidem vel substantiam & formam, hoc quod est commune, significare: subsistentiam autem siue personam, hoc quod est speciale. Sin verò dixerint quidam, quòd sicut vna subsistentia composita dicitur Christi, sic oportet & vnam naturam compositam dicere: ostendemus, & hoc alienum esse pietatis: vnam esse naturam siue substantiam

S. Cyrill. Leuit. 14.

Idem Cyrillus.

S. Basil. Prou. 8.

Greg. Nazianzen.

1. Cor. 3.

Greg. Nyssen.

1. Tim. 2.

Rom. 9. Tim. 2. 1. Cor. 2.

tiam Deitatis dicentes, tres ipsius confitemur subsistentias, in vnaquaque subsistentia eandem naturam siue substantiam cognoscentes, & rectè ex tribus subsistentijs vnam substantiam verbi ad carnem compositam esse dicimus. Nemo enim vnquam ausus est in Catholica Ecclesia dicere, quòd sicut tres subsistentiæ, sic & tres naturæ sunt sanctæ Trinitatis: vt possibile sit dicere, vnam naturam ex tribus naturis compositam esse ad carnem. Tres enim naturas in sancta Trinitate solus Arius ausus dicere, tanquàm blasphemus condemnatus est. Ideò igitur secundùm rectam rationem, duarum naturarum dicimus vnitatem & vnam subsistentiam: quoniam Dei filius, cùm esset secundùm subsistentiam alter præter patrem, eandem autem habet patris in sua subsistentia, blasphemauit sibi carnem animatam anima rationali & intellectuali: quod significat, humanæ naturæ vnitum esse Deum verbum, & non subsistentiæ seu personæ cuiusdam. Est igitur DEVS verbum & incarnatus, vna subsistentia in vtraque natura cognoscendus, in diuina, in qua erat, prout dictum est, qui cùm in forma Dei esset, & in humana secundùm hoc, quod est in similitudine hominis factus: & ideò rectiùs dicat aliquis vnam subsistentiam DEI verbi compositam, quam vnam naturam compositam: quoniam cùm per se absolutè naturam dicitur, non adiecta ei speciali cuiusdam personæ, infinitum & non subsistens aliquid significat: infinitum autem ad nihil potest componi. Sin autem aliquis & post tales rationes ad contentionem solam respiciens, opponere conetur, dicens, quòd secundùm redditam naturæ rationem oportet & humanam naturam CHRISTI suam subsistentiam seu personam propriam habere: manifestus est talis, quòd antè subsistenti homini vnitum esse dicit DEVM verbum, & affectualem factam esse vnitatem. Duæ enim subsistentiæ seu personæ secundùm substantiam vniri non possunt. Qui igitur hæc dicit, Dei potentiam verbis humanæ sapientiæ euacuare festinans, ignorat magnum pietatis mysterium, quod corde quidem creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit in salutem. Neque enim humana CHRISTI natura per se absolutè vnquàm dicitur, sed nec suam subsistentiam seu personam habuit: sed in subsistentia DEI verbi, natura humana initium, vt esset, habuit: vnde ipsum DEVM verbum, immutabiliter hominem factum esse confitemur, & non in hominē quendam venisse: & eiusdē Dei verbi incarnati esse natiuitatē ex virgine, & propter hoc Dei genitricem sanctam, gloriosam semper virginem Mariam esse. Ideò & antè incarnationem Dei verbi, & post eius incarnationem, tres subsistentias dicimus Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Non enim sancta Trinitas quartæ subsistentiæ, vel personæ adiectionem suscepit. Ex his igitur omnibus conuincuntur, qui dicunt ante vnitionem duas naturas esse, quòd antè plasmatum dicunt hominem, & sic vnitum esse Deo verbo, secundùm insaniam Theodori & Nestorij impiorum. Qui autem dicunt, quod non oportet post vnitatem duas naturas in Christo, sed vnam dicere, confusionem & phantasiam introducunt, secundùm Apollinarium & Eutychen impios. Sed isti quidem hæc. Sancti verò patres, post Dei verbi incarnationem considerantes ea, ex quibus CHRISTVS est, & quòd inconfusæ manserunt naturæ, rectissimè duas naturas, diuinam & humanam, in CHRISTO esse dixerunt. Nec enim ante incarnationem duæ naturæ erant Domini, nec post incarnationem duæ naturæ vna factæ sunt, licèt in vna subsistentia cognoscantur. Hæc autem & ex diuinis scripturis, & patrum doctrina edocti, ad refutandos eos, qui confundunt & diuidunt diuinæ dispensationis mysterium, meritò scripsimus, & non eo, quod declaramus ea, ex quibus est, & in quibus cognoscitur CHRISTVS, confusionem vel diuisionem diuinæ dispensationi facimus. Itaque glorificationem & * vnitatis rationem proferentes, vnum Christum & filium & Dominum, verbum Dei incarnatum, & hominem factum confitemur, & adoramus cum patre & spiritu sancto. Hæc ita cum vniuersali Dei Ecclesia confitentes, scire volumus omnes Christianos, quòd sicut vnum DEVM & Dominum habemus, ita & vna fidem. Vna enim definitio fidei est, confiteri, & rectè glorificare patrem, & Christum filium Dei, & Spiritum sanctum. Istam confessionem conseruamus, in qua & baptizati sumus, donatam quidem à magno Deo & Saluatore nostro IESV CHRISTO sanctis suis discipulis & Apostolis, ab eis autem prædicatam in toto mundo. Trecenti autem decem & octo sancti patres, collecti in Nicæa aduersùs Arium, illo cum sua pietate condemnato, eandem confessionem, id est, sanctum mathema & symbolum fidei tradiderunt sanctæ Dei Ecclesiæ, & post illos, centum quinquaginta sancti patres Constantinopolim collecti aduersùs Macedonium, sancto Spiritui repugnantem, & Magnum Apollinaristam, illis condemnatis cum sua perfidia, secuti per omnia idem sanctum symbolum traditum à trecentis decem & octo sanctis patribus, explanauerunt de Deitate sancti Spiritus. Insuper autem & qui in Epheso priùs collecti sunt sancti patres aduersùs Nestorium impium, & qui in Chalcedone conuenerunt sancti patres aduersùs Eutychen impium, secuti per omnia prædictum sanctum symbolum siue mathema fidei, condemnauerunt prædictos hæreticos vnà cum eorum impietate, & hos qui similia illis sapuerunt, vel sapiunt. Et super hæc anathematizauerunt eos, qui aliam definitionem, siue symbolum, siue mathema tradunt, accedentibus ad sanctum baptisma, vel ex quacunque hæresi conuersis, præter traditum (sicut dictum est) à trecentis decem & octo sanctis patribus, & explanatum à centum quinquaginta sanctis patribus. His ita se habentibus, perspeximus, & capitula supponere, quibus tam rectæ fidei compendiosa confessio, quàm hæreticorum condemnatio continetur.

Si quis non confitetur Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem seu naturam & substantialem, & vnam virtutem & potestatem in tribus subsistentijs seu personis adorandam, talis anathema sit. De his capitulis, vide in 5. synodo œcumenica, Constantinopoli habita, vbi sub alia translatione legun tur.

Si quis autem non confitetur eum, qui antè secula & sine tempore ex patre natus est DEVM verbum in vltimis diebus descendisse de cœlis, & incarnatum esse de sancta gloriosa Dei genitrice & semper Virgine Maria, & hominem factum, natum esse ex ipsa, & propter hoc eiusdem DEI verbi duas esse natiuitates, quæ est ante secula incorporaliter, & quæ est in vltimis diebus secundùm carnem, talis anathema sit.

Si quis dicit alium esse Deum verbum, qui miracula operatus est, & alium CHRISTVM, qui passus est, aut Deum verbum cum Christo esse nascente ex muliere, vel in ipso esse tanquam alterum in altero, sed non vnum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, DEVM verbum incarnatum, & hominem factum, & eius ipsius miracula & passiones, quas carne sponte sustinuit, talis anathema sit.

Si quis dicit secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem honoris, vel secundùm authoritatem, vel relationem, vel affectum, vel virtutem, vnitionem Dei verbi ad hominem factam esse, vel secundùm * homoneam, per quam Nestoriani & Deum verbum vocantes Christum & hominem, separatim CHRISTVM nominantes, solo vocabulo vnum Christum dicunt, aut si quis per bonam voluntatem dicit vnitionem factam esse, sicut Theodorus hæreticus ipsis verbis dicit, quasi quòd placuit Deo verbo homo, eo quòd benè visum est ei de ipso, sed non secundùm subsistentiam Dei verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali vnitionem confitetur, & ideò vnam eius subsistentiam compositam esse, talis anathema sit. * homoniam.

Si quis per relationem aut abusiuè, Dei genitricem sanctam, gloriosam semper Virginem Mariam, dicit aut hominis genitricem, aut Christotocon, tanquàm Christo Deo non existente, sed non propriè & verè Dei genitricem ipsam confitetur, eo quòd ipse, qui ante secula ex patre natus est Deus verbum, in vltimis ex ipsa incarnatus & natus est, talis anathema sit.

Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui carne crucifixus est, Deum esse verum & Dominum gloriæ, & vnum de sancta Trinitate, talis anathema sit.

Si quis in duabus naturis dicens non tanquàm in Deitate & humanitate, vnum Dominum nostrum Iesum Christum, Deum verbum incarnatum confitetur, nec ad significandam differentiam naturarum, ex quibus compositus est, sed pro

diuisione per partem, talem excipit vocem in mysterio Christi, quasi separatim vnaquaque natura suam habente subsistẽtiam, sicut Theodorus & Nestorius blasphemauerunt, talis anathema sit.

Si quis in vno Domino Iesu Christo, hoc est, Deo verbo incarnato, numerum confitẽs naturarum, non intellectu differentiam earum, ex quibus & compositus est, excipit, vtpotè non interemptam propter vnitatem, sed pro diuisione per partem numero vtitur, talis anathema sit.

Si quis dicens vnam naturam Dei verbi incarnatam, non sic hoc intelligit, quòd ex diuina natura & humana vnus Christus effectus est, consubstantialis patri secundùm Deitatem, & consubstãtialis nobis idem ipse secundùm humanitatem, sed quòd Deitatis & carnis Christi vna natura siue substantia effecta est, secundùm Apollinarij & Eutychetis perfidiam, talis anathema sit.

Æqualiter enim & eos, qui per partem incidunt, vel diuidunt, & eos qui confundunt diuinæ dispensationis mysterium CHRISTI, reijcit & condemnat vniuersalis Dei Ecclesia.

Si quis non anathematizat Arium, Eunominm, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, & Eutychen, & eos, qui similia eis sapuerunt vel sapiunt, talis anathema sit.

Si quis defendit Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum verbum, & Christum, à passionibus animæ & desiderijs carnis molestias patientem, & ex profectu operum melioratum, & baptizatum in nomine patris, & Filij, & Spiritus sancti: & per baptisma gratiam sancti Spiritus accepisse, & affiliationem meruisse, & ad similitudinem imperialis imaginis in personam Dei verbi adorari, & post resurrectionem, immutabilem cogitationibus, & impeccabilem omninò factum fuisse: & iterum dixit talem factam esse vnitionem Dei verbi ad CHRISTVM, qualem dixit Apostolus de viro & muliere, *Erunt duo in carne vna:* & super alias suas innumerabiles blasphemias ausus est dicere, quòd post resurrectionem, cùm insufflasset Dominus discipulis suis, & dixisset, *Accipite Spiritum sanctum*: non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratim tantummodò insufflauit: sed confessionem, quam fecit Thomas cùm palpasset manus & latus Domini post resurrectionem, dicens, *Dominus meus & Deus meus*, inquit, non esse dictum à Thoma de Christo (nec enim dixit Theodorus DEVM esse Christum) sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam, glorificasse DEVM, qui CHRISTVM resuscitauit: & quod peius est, etiam in interpretatione, quam in Actus Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit CHRISTVM Platoni & Manichæo & Epicuro, & Marcioni, dicens quòd sicut illorum vnusquisq; ex dogmate, quod inuenit, suos discipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicureos, & Marcionistas, simili modo, & cùm Christus dogma inuenisset, ex ipso Christianos vocari.

Ephes. 5.

Ioan. 20.

Ibidem

Si quis igitur defendit eundem Theodorum, qui talia blasphemauit, & non anathematizat eum, & eius conscripta, & eos, qui similia illi sapuerunt vel sapiunt, talis anathema sit.

Si quis defendit conscripta Theodoreti, quæ exposuit pro Nestorio hæretico aduersus rectam fidem, & Ephesinam primam sanctam Synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim eius capitula, in quibus sceleratis conscriptis idẽ Theodoretus affectualem dicit vnitatem DEI verbi ad hominẽ quendam, de quo blasphemans dixit, quòd palpauit Thomas eum qui resurrexit, & adorauit eum qui resuscitauit, & propter hoc impios vocat doctores Ecclesiæ, qui vnitatem secundùm subsistentiam DEI verbi ad carnem confitentur, & super hæc Dei genitricem abnegat sanctam & gloriosam semper Virginem Mariam. Si quis igitur memorata conscripta Theodoreti defendit, & non anathematizat ea, talis anathema sit.

Propter tales eius blasphemias ab Episcopatu deiectus est, & posteà in sancto Chalcedonensi Concilio compulsus est omnia contraria memoratis suis conscriptis facere, & rectam fidem confiteri.

Si quis defendit impiam epistolam, quam ad Marim Persam hæreticum Ibas scripsisse dicitur, quæ abnegat DEVM verbum hominem factum esse dicit, & non Deum verbum ex Virgine incarnatum esse, sed purum hominem ex ipsa esse natum, quem templum vocat, vt alius sit Deus verbum, & alius homo. Et super hæc iniuriat Ephesinam primam synodum, quasi sine inquisitione & examinatione ab ipsa Nestorio condemnato, & sanctum Cyrillum vocat hæreticum, & duodecim eius capitula impia dicit, Nestorium autem & Theodorum cum impijs eorum conscriptis, collaudat & defendit. Si quis igitur (sicut dictum est) eandem ipsam epistolam vindicat, vel rectam esse dicit ipsam, vel partem ipsius, sed non anathematizat eam, anathema sit.

Tali ergò impia epistola iustè anathematizata propter insertas ei blasphemias, Theodori & Nestorij impiorum sequaces conantur dicere, susceptam esse eam à sancto Chalcedonensi Concilio: hoc autem dicunt, sanctam quidem Chalcedonensem synodum calumniantes, nomine autem eius sestinantes debita condemnatione liberare Theodorum & Nestorium, & impiam epistolam, pro qua Ibas sapius accusatus, non est ausus eam suam dicere propter insertas ei blasphemias: & hæc demonstremus ex his, quæ diuersè de ista causa mota sunt. In his autem, quæ apud Photium & Eustathium Tyri acta sunt, cùm accusaretur prædictus Ibas de iniurijs sancti Cyrilli, manifestè confessus est, post vnitatem Orientalium, quæ ad sanctæ memoriæ Cyrillum facta est, nihil iniuriosum de eo dixisse. Epistola autem plena prædictis blasphemijs, pro quibus accusabatur Ibas, multas contra sanctum Cyrillum iniurias continens, facta esse ostenditur post vnitatem ad Orientales factam, ex quo demonstratur Ibas eam abnegâsse. Vnde prædicti Photius & Eustathius satisfacientes accusatoribus, in scriptis definierunt, prædictum Ibam omnia contraria epistolæ peragere, sicut iudicium ab eis datum significat. Sed cum Ibas non adimplêsset ea, quæ illi iudicauerunt, eiectus ab Episcopatu propter blasphemias prædictæ epistolæ, & Nonnus pro illo ordinatus est, qui & consedit sancto Chalcedonensi concilio. De eisdem igitur etiam in Chalcedone accusatus memoratus Ibas, post lectionem impiæ epistolæ non est ausus eam suam esse confiteri, sed statim ipsis verbis intulit alienum se esse eorum, quæ ei inferebantur. Vnde sancta synodus, cùm ei non sufficeret abnegatio Ibæ, quæ facta est de epistola, compulit eum contraria ei peragere, id est, reprobatam in ea rectam fidem confiteri, & Ephesinam primam sanctam Synodum suscipere, & sanctum Cyrillum patrem & doctorem ascribere, quæ in eadem impia epistola iniuriantur, & Nestorium & impium eius dogma anathematizare, quæ impia epistola defendit & collaudat. Si igitur & ipse Ibas propter impiam epistolam sæpius accusatus, non est ausus eam suam dicere, sed etiam Chalcedonense sanctum Concilium omnia ei contraria compulit eum peragere: quomodo eadem sancta synodus memoratam epistolam susciperet, & condemnationi impietatis, quæ in ea continetur, sese subijceret, à qua Ibam liberare festinauit? Quoniam autem omnes blasphemias epistolæ prætermittẽtes hæretici, hoc solùm ex ipsa proferunt, quòd ad decipiẽdos simpliciores scriptor epistolæ dixit, hoc est, duas naturas, vnam virtutem, vnam personam, (quod ipsum & nos demonstramus) in hoc suam commiscuit impietatem. Cuius enim dicit duas naturas & vnam personam, qui abnegat Deum verbum, incarnatum de sancta & gloriosa Dei genitrice, & semper Virgine Maria, natum esse ex ipsa? Sed certum est, quòd vnicuique naturæ suam personam attribuit, sicut Theodorus & Nestorius in suis libris blasphemantes exposuerunt, quos defendit scriptor epistolæ cum eorum impietate. Illi enim apertè dicentes duas naturas Dei verbi & Christi, quem purum hominem vocant per affectualem coniunctionem, & per eandem dignitatem & honorem, vnam personam apparere dicunt: sed & duarum naturarum vnam virtutem siue potentiam dicens scriptor epistolæ manifestus est, quòd & in hoc memoratos hæreticos sequitur, Theodorum quidem, dicentem in diuersis libris de incarnatione impiè expositis, Nestorium autem in multis quidem scriptis, & maximè in epistola scripta ad Alexandrum Hieropolitanum hæreticum, quòd duarum naturarum vna est authoritas, & vna virtus, siue potentia, & vna persona per dignitatem eundemque honorem: ex quo ostenditur, qui scripsit epistolam, secundùm

De Actis Syn. Chalcedonensis Theodori Ibam & Theodoretum.

Quomodo Synod. Chalced. procurarit epist. Ibæ, quæ eam adegerit ad profitendam contraria epistolæ.

illorum

illorum perfidiam pro personis vsus vocabulo naturarum. Vna enim autoritas, & vna virtus siue potentia, & vna dignitas, & idem honor, non in diuersis naturis, sed in diuersis personis eiusdem substantiæ dicitur, quod in sancta Trinitate confitemur. Vnde & sancti patres anathematizauerunt eos, qui per authoritatem, aut virtutem, siue potentiam, aut dignitatem, aut æqualitatem honoris, dicunt Deum verbum vnitum esse Christo: quem purum hominem vocant Theodori & Nestorij sequaces, sed non secundùm subsistentiam Dei verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, vnitatem factam esse confitentur. Et hæc quidem sufficiebant ad conuincendam impietatem eorum, qui sceleratam epistolam vindicant: tamen & in fine scriptor eiusdem epistolæ ostendit suam perfidiam, dicendo, quòd oportet credere in templum, & in eum, qui habitat in templo, per quæ apertè duas introducit personas. Sed istam impietatem à Theodoro & Nestorio scripto epistolæ edoctus est. Catholica autem Ecclesia talem condemnans perfidiã, non in templum, & in eum, qui habitat in templo, sed in vnum vnum nostrum Iesvm Christvm Dei verbum, incarnatum & hominem factum * confitetur, & credere tradit. Nihil autem mirandum est, si vocabulo naturarum vsus est scriptor illius impiæ epistolæ. Solent enim hæretici, vt simpliciores deciperent, vocibus quidem vti, quæ ab orthodoxis piè dicuntur, rectum autem earum intellectum & expositionem, ad suam impietatem transferre. Quoniam autem eædem voces, quando benè exponuntur, & intelliguntur, cum pietate sunt: quando autem malè ab hæreticis intelliguntur, & proferuntur, impietatem habent: itaque Nestorium duas quidem naturas & vnam personam dicentem, non confitentem autem earum vnitatem secundùm subsistentiam, Ephesina prima synodus, cuius authores erant Cælestinus & Cyrillus sanctæ memoriæ, non suscepit, sed condemnauit. Nos autem sanctorum patrum doctrinam per omnia sequentes, & vnitatem duarum naturarum, ex quibus Dominus noster Iesvs Christvs vnus sanctæ Trinitatis, Deus verbum, incarnatus compositus est, & quòd earum differentia non interempta est propter vnitatem, in superioribus apertiùs demonstrauimus: & sufficiebant quidem, quæ prædiximus, satisfacere eis, qui nolunt contendere. Sed quoniam illi, qui semèl ad impietatem declinauerunt, & alia proponere conantur, necessariò nos & tales eorum occasiones vanas ostendemus. Dicunt enim non oportere vituperare impiam epistolam, eo quòd in aliquantis fertur codicibus. Sed si hoc aliquis secundùm eorum dementiam suscipiat, oportet & Nestorium & Eutychen suscipi, quoniam plurima & de his in gestis continentur, quæ ad synodum acta sunt. Sed nemo sapiens dictis eorum animum intendet. Quæ enim de hæreticis proferuntur in synodis, & pars gestorum fiunt, non ad liberationem inseruntur, sed ad maiorem condemnationem eorum, & qui eis similia sapiunt. Oportet autem etiam illud attendere eos, qui veritatem perscrutantur, quòd forsitan in Concilijs quædam à certis ibi conuenientibus dicuntur, aut per fauorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam. Nemo autem attendit ea, quæ per partem à quibusdam dicuntur: sed sola illa, quæ ab omnibus communi consensu definiuntur. Si enim aliquis secundùm illos voluerit attendere eiusmodi contrarietates, vnaquæque synodus inuenietur semetipsam destruens. Propter hæc igitur oportebat eos, si sanctum Concilium rectè susciperent, non tales blasphemias ei applicare, sed sequi doctores Catholicæ Ecclesiæ, & maximè sanctum Athanasium, qui fuit Alexandriæ Episcopus, & plurimos & magnos labores suscepit pro recta Christianorum fide aduersus omnem hæresim, & maximè contra impiissimos Arianos. Ipsis enim Arianis ad decipiendos populos suo errori coniungentibus Dionysium, * qui ante multos annos Athanasij fuit Alexandriæ Episcopus, & dicentibus, quòd & ipse Dionysius similia eis sapuit, Athanasius magnus Ecclesiæ doctor multis modis ostendit in scriptis, rectam fidem Dionysium ab initio prædicasse, nullòque modo participem Arianæ impietatis fuisse. Isti autem hæretica sapientes, suam impietatem eidem synodo applicare festinant. Qualis autem est condemnatio, & qualis imminet maledictio eis, qui in patres peccant, docet nos & diuina scriptura. Si enim Cham filius Noë cùm vidisset nudum suum patrem, quoniam non cooperuit patris corporalem nuditatem, sed egressus nunciauit eam fratribus, & illi vestimento eam cooperuerunt, ipse quidem Cham, & illi, qui ex ipso nati sunt sub maledictione facti sunt: qui autem cooperuerunt, magnàm benedictionem meruerunt: multo magis isti maiore & ampliore condemnatione digni sunt, qui ad synodum minimè pertinentem infamiam, festinant per impietatem epistolæ & Theodori, eidem sanctæ synodo applicare. Sed non ideò impia epistola, vel defendentes eam, condemnationem suæ impietatis effugient: sed neque Theodorus, qui paganos & Iudæos, & omnes hæreticos impietate superat. Impio enim Theodoro non suffecit, super alias eius blasphemias ad suum errorem malè interpretari symbolum trecentorum decem & octo sanctorum patrum: sed etiam contempto eo, aliud symbolum exposuit omni impietate plenum, in quo anathematizare ausus est eos, qui aliter sapiunt vel tradunt, vt quantum ad illius insaniam pertinet, omnes sancti Apostoli & patres condemnarentur. Hoc autem Theodori impium symbolum, & in Ephesina prima synodo prolatum, & in Chalcedonensi recitatum, ab vtraque synodo cum eius expositore, & eis, qui illud susciperunt, condemnatum est. Quoniam autem quidam, verba pro Theodoro facientes, cùm proferuntur impia eius conscripta, propter insertam eis blasphemiam confingunt quidem dicere, quòd impia sunt, ipsum autem, qui talem impietatem euomuit, recusant anathematizare: miramur eorum dementiam, quòd diuinæ scripturæ contraria agunt, euidenter dicenti, quia æqualiter horribilia sunt apud Devm impius & impietas eius. Actio enim cum auctore punietur. Si autem similiter impietati horribilis est Deo ille, qui impiè agit, certè separatus est talis à Deo, & anathemati iustè subijcitur, Anathema enim nihil aliud significat, nisi à Deo separationem, sicut in veteri & nouo testamento iudicium de anathemate significat.

Quòd autem & Dominus eos, qui non permanent in verbo veritatis ipsius, separatos esse ab Ecclesia dicit, in Euangelio secundùm Ioannem Iudæos alloquens, sic ait: *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternũ, filius autem permanet in æternum.* Quod autem, quam Dominus nominat domum, diuina scriptura Ecclesiam Dei viui vocat, Apostolus testatur in epistola prima ad Timotheum. Si verò quidam dicunt, non oportere Theodorum post mortem anathematizari, sciant, qui talem hæreticum defendunt, quod omnis hæreticus, vsque ad finem vitæ in suo errore permanens, iustè perpetuo anathemati & post mortem subijcitur, & hoc in multis hæreticis & antiquioribus, & propioribus, factum est, id est, Valentino, Basilide, Marcione, Cerintho, Manichæo, Eunomio, & Bonoso. Hoc autem idem & in Theodoro factum est, & in vita accusato, & post mortem anathematizato à sanctis patribus, quibus si credere noluerint, vt hęretici eius defensores, vel impię epistolæ, qnam ipsi defendunt, credant. Quæ licet Theodorum collaudet, manifestè tamen dicit, quòd in Ecclesia à sanctis patribus anathematizatus est, & ex illo plurima inquisitio facta est de eius conscriptis, vtpote plenis impietate. Huc autem tunc faciebant Catholicæ Ecclesiæ doctores, ne simpliciores legentes illius impia, conscripta, à recta fide declinarent. Quod autem impij, licet non in vita in suam personam anathema susceperint, tamen & post mortem anathematizantur à Catholica Ecclesia, ostenditur à sanctis synodis. Nicæna enim synodus eos, qui impij Arij sectam colunt, sine nomine anathematizauit. Quæ autem in Constantinopoli congregata est, impiam Macedonij hæresim similiter cõdemnauit, sed tamen Dei sancta Ecclesia & post mortem Arium & Macedonium nominatim anathematizat. Cum autem ex multis probationibus conuincuntur, quòd superuacuè & impiè agunt, qui Theodorum & impietatem eius defendunt, ad aliam vanam occasionem confugiunt, dicentes non oportere eum anathematizari, eo quòd in communicatione Ecclesiarum mortuus est. Oportebat autem scire eos, quòd illi moriuntur in communicatione Ecclesiarum, qui commune pietatis dogma, quod in vniuersali Ecclesia prædicatur, vsque ad finem seruauerunt. Iste autem vsque ad mortem in sua permanens impietate, ab omni Ecclesia eiectus est.

Maledictio eis, qui in Patres peccãt grauis imminet. Gen. 9.

Sap. 14.

Anathema quid.

Ioan. 8.

1. Tim. 3.

Theodor. Mopsuest. mortuus est in sua impietate. Itaque & omnis plenitudo Mopsuestenæ Ecclesiæ, in qua Episcopus dicitur fuisse, cùm inuenissetur, quòd Paganis & Iudæis & Sodomitanis à sanctis patribus connumeratus est, deleuerunt ipsi ex illo à sacris Ecclesiæ diptychis eius nomen, sicut gesta in eadem ciuitate apud Concilium Episcoporum illius prouinciæ confecta ostenderunt. Miramur igitur Theodori sequaces, qui eum & impietatem eius tamquàm suam defundunt, cum Ecclesia, in qua fuit Episcopus, vtpote hæreticum ex multis temporibus eum eiecit. Quòd autem ad condemnationem suam talem occasionnem proponunt defensores Theodori, scire licet & ex ipso aduersus Iudam facto tremendo iudicio. Ille enim cùm putasset latere eum, qui occulta hominum cognoscit, sacramentis communicauit cum Apostolis: sed tamen nihil ei profuit, quod cum dolo communicauit. Sed licèt post mortem eius duodecim nominati sint discipuli, sicut Ioannes Euangelista dicit, *Thomas autem, qui Didymus dicebatur, vnus ex duodecim, non erat cum ipsis, quando venerat Iesus*: tamen hoc non liberat Iudam à condemnatione, aut connumerari facit Apostolis. Vnde post ascensionem Domini, Apostoli per suam sententiam eundem Iudam etiam post mortem condemnauerunt, & alium pro illo introduxerunt. Quòd autem vanam occasionem proponunt, dicentes non oportere hæreticos mortuos anathematizari, & ex ipsis DOMINI verbis ostendemus. Impios enim, & adhuc viuos, mortuos nominat, dicens: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* sicut iustos & iam defunctos, viuos nominat. Dicit enim de Abraham, & Isaac, & Iacob, quòd DEVS non est mortuorum, sed viuorum. Si ergò secundùm verba illorum non oportet hæreticos mortuos anathematizari, nec viui hæretici anathematizabuntur, quos Dominus mortuos vocat, quia separati sunt ab ipso, qui dixit: Ego sum vita, & secundùm eos iam nec viui, nec mortui hæretici anathematizabuntur: & sine causa, secundùm illos, Apostolica doctrina tradit anathematizari eos, qui tradunt præter quod accepimus: sine causa sanctæ synodi hæreticos condemnauerunt, sine causa & alij sancti patres & doctores Ecclesiæ hæreticos anathematizauerunt. Inculpent autem & Hieremiam prophetam, dicentem: *Execrandus, qui opera Domini facit negligenter.* & Dauid prophetam, dicentem: *Execrandi, qui declinant à mandatis tuis.* & vt compendiosè dicamus, omnem diuinam scripturam in diuersis locis tales condemnationes impij inferentem. Sin autem illi, qui negligenter opera DEI faciunt, & peccant in mandatis eius, talibus condemnationibus subijciuntur: quanto magis impius Theodorus, quia talia aduersus ipsum magnum DEVM, & Saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM blasphemauit, iustè condemnatus est & anathematizatus? Et hæc quidem sufficiebant, super memoratas & alijs nostris libris insertas probationes, quas protulimus, ostendentes, quòd oportet etiam post mortem hæreticos condemnari, confundere eos, qui Theodorum defendunt, & compescere à tali impietate. Quoniam autem contentiosè in ijsdem permanent, etiam quod est amplius, dicemus, quia quidam ex ipsis, qui in Nicæna sancta synodo conuenerunt, & expositæ ab ea fidei definitioni vel symbolo subscripserunt, quoniam posteà contraria sapientes apparuerunt: alij quidem viui, alij autem post mortem anathematizati sunt à Damaso sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ, & ab vniuersali Sardicensi synodo, prout testatur sanctus Athanasius, sed & Chalcedonensis sancta synodus Domnum Antiochiæ factum Episcopum, post mortem condemnauit, quòd ausus est scribere, oportere solùm taceri duodecim capitula sancti Cyrilli. Quoniam autem Theodori defensores hæretici, omni propositione & conatu *excidentes, præsumunt, dicere ad deceptionem ignorantium, quòd sanctæ memoriæ Cyrillus in aliqua parte epistolæ illum collaudauit, ex multis ostenditur, quòd non conuenit eorum conamen dictis à sancto Cyrillo in diuersis eius libris contra impium Theodorum, in quibus magis impium omnibus alijs hæreticis eum ostendens, deinde non sustinens plurimas & maximas eius blasphemias contra magnum DEVM & Saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM dictas, exclamauit, ità dicens. Expauit cœlum super hoc, & horruit ampliùs vehementer, dicit Dominus: O intolerabilem malignitatem, ô linguam loquentem iniquitatem contra Deum, & mentem in altitudinem cornu extollentem. Et iterum: Impone homo tuæ linguę ostium & seram, cessa cornu in altitudinem extollens, & loquens iniquitatem aduersùs DEVM. Quousque insultas patienti Christo? In mente habe scriptum à diuino Paulo: *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes eorum infirmam conscientiam, in Christum peccatis.* Et vt aliquid etiam ex propheticis loquar codicibus, iustificata est Sodoma ex te, superasti paganorum verbositates, quas contra Christum fecerunt, stultitiam existimantes crucem, nihil esse ostendisti Iudaicæ superbiæ crimina. His igitur ad condemnationem Theodori, sic à sancto Cyrillo dictis, licèt aliquis concedat, secundùm illorum verba, sanctum Cyrillum aliquid pro Theodoro dixisse, neque hoc liberat illum à condemnatione.

Ioan. 20. Act. 1. Matt. 8. Matt. 22. De morte hæreticorum legitur in d. c. 25. q. 2. Sane profertur. Io. 11. 14. Hier. 48. Psal. 118. Athanasi⁹ Alexandrinus. Chalced. synodus. *excedentes D. Cyrill⁹ contra Theodor. Mopsuest. 1. Cor. 2. Exo. 16. 1. Cor. 2.

Inuenimus enim, quòd multi sanctorum patrum quosdam hæreticos collaudauerunt, sicut & sancti Damasus & Athanasius & Basilius Apollinarium, & sanctus Leo Eutychen: & tamen, cognita eorum impietate, non propter hoc euasérunt hæretici condemnationem & anathema, quod posteà contra eorum personam & impietatem factum est. Tantus autem est furor defendentium Theodorum, quia præsumunt aduersùs Gregorium Theologum, & Ioannem Constantinopolitanum mentiri, dicentes epistolas ad eundem Theodorum plenas laudis eos direxisse: quod falsum est. Gregorius enim, cùm in Constantinopoli pro veritate laborans, conuersis per eum ab Ariana insania ad Catholicam fidem populis, ad suam patriam reuersus, epistolas, quas hęretici dolosè proferunt, non ad Theodorum Mopsuestenum scripsit, sed ad Theodorum Episcopum Tyanon, quæ est secundæ Cappadociæ metropolis. Eiusdem autem prouinciæ sunt & Nazianzus ciuitas, cuius fuerat Episcopus sanctæ memoriæ Gregorius, & Arrianzus prædium, vnde ortus fuerat. Hoc enim & ipsæ epistolæ apertè significant, memoriam facientes consuetudinum & collectionum, & eiusdem prædij Arianzi, & aliorum prædiorum eiusdem prouinciæ, & mensis lingua Cappadocum nominati, & Bosphorij Episcopi sub eodem Theodoro constituti, qui tunc temporis Colonæ ciuitatis eiusdem prouinciæ Episcopus erat, & aliorum Episcoporum, & chorepiscoporum, & monasteriorum, quæ sub Theodori iurisdictione erant, quorum vsque nunc eadem nomina seruantur. Qualis enim esset communio Cappadocibus ad secundam Ciliciam, vel tunc, vel modò diuisa earum prouinciarum gubernatione. Et quos Episcopos sub se habere poterat Mopsuestenus Episcopus, cùm ipse sub metropolitano secundæ Ciliciæ constitutus esset? Ioannes autem Constantinopolitanus scripsit quidem epistolā ad Theodorum Mopsuestenum, non tamen laudibus, sed querimonijs & increpationibus plenam, vtpotè illo à bona conuersatione lapso. Quoniam enim cum eo monachicam vitam in vno eodemque monasterio exercuit, conuersationis ibi factæ, eum admonuit, & pro his testimonium præbent Zozomenus & Hesychius, & Socrates & Theodoretus, qui multas pro Theodoro laudes fecit. Si autem testimonia proferunt Ioannis Antiocheni, & Orientalis Concilij sub eo constituti, facta pro Theodoro & eius impietate, necesse est eos & illa suscipere, quæ (quantum ad illos pertinet) ad condemnationem sancti Cyrilli, & reprobationem rectæ fidei fecerunt Ioannes, & qui cum illo erant, necnon etiam quæ scripserunt, Nestorium & eius perfidiam diutius defendentes. Et hoc ostenditur ex diuersis eorum libris & epistolis, quas ad Theodosium piæ recordationis, & ad alios diuersos scripserunt. Et vt hæc quidem, sicut nihil subtilitatis habētia, prætermittamus, necessarium putauimus memorare etiam illa, quæ ab Augustino sanctæ memoriæ Aphricano Episcopo scripta sunt. Quæstione enim aliqua post mortem Cæciliani de eo mota, quòd ab Ecclesiastica traditione declinasse diceba-

Dect. 8 cil. Af sub C

tur, & propter hoc quibusdam à Catholica Ecclesia seperatis, scribit ad Bonifacium idem Augustinus sanctus, quòd non oportebat, aliquos ideò separare sese à Catholica Ecclesia. Si enim vera essent ea, quæ Cæciliano inferebantur, & manifestatus esset contrarium aliquid Ecclesiastico statui sapuisse, etiam post mortem eum anathemati subijcerem. Sed & regula sanctæ synodi Aphricanæ statuit, Episcopos, qui suas facultates in testamento, vel ex intestato hæretico relinquunt, oportere & post mortem anathe-

mati-

matizari. Super hæc autem omnia, quis ignorat, ea, quæ nostris temporibus in Ecclesia antiquioris Romæ contra Diosc. scorum acta sunt? Qui cùm nihil in fidem peccasset, tamen propter solum Ecclesiasticum ordinem post mortem ab eadem sancta Ecclesia Romana anathematizatus est. Si igitur nihil in fidem peccantes Episcopi, propter solum Ecclesiasticum ordinem, & propter causam pecuniariam anathemati & post mortem subijciuntur: quanto magis Theodorus, qui in ipsum Deum peccauit? Quantùm autem ad insipientiam dicentium, non oportere anathematizari post mortem eos, qui in sua impietate mortui sunt: oportebat nec eos, qui iniustè condemnati sunt patres, post mortem reuocari, quale contigit in Ioanne sanctæ recordationis Episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis, ab vniuersali Ecclesia post mortem reuocato, & in Flauiano sanctæ memoriæ & ipso Episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis, iniustè quidem in vita condemnato, iustè autem post mortem reuocato tam à sanctę memoriæ Papa Leone, quàm à sancta Chalcedonensi synodo. Ex hoc autem contingit secundùm illorum verba, hæreticos quidem sanctis patribus connumerari, vtpotè liberatos debita eis condemnatione, sanctos autem patres iniustè condemnatos, hæreticis coniungi, vtpotè non soluta contra eos facta iniqua damnatione. Omnibus autem magis credendus est doctor Dominus Deus noster Iesus Christus, de se dicens: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Et spiritus autem sanctus per prophetam Dauid dicit, impios non resurrecturos in iudicio. Tali igitur Domini sententia prolata aduersùs omnem impium, & nihil discernente inter viuos & mortuos hæreticos, quomodo audent resistere talisententiæ, & eos, qui semèl impiè egerunt, & propter hoc iam à Domino condemnati sunt, dicere, non oportere post mortem cõdemnari? Et diuinus autem Apostolus, qui Christum in semetipso habet loquentem, non solùm aduersùs homines, sed etiam aduersùs angelos talem protulit sententiam, dicens in epistola ad Galatas: *Sed licèt nos aut angelus de cælo euangelizauerit, præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et quis ita impius est, vt præsumat dicere, quod Theodori impia scripta, vel pars eorum, tradita est aliquando sanctæ Ecclesiæ Dei, & non statim, qui ausus est aliquid tale loqui, anathemati subiectus est à sanctis patribus? Si quis igitur post eiusmodi rectam confessionem, & hæreticorum condemnationem, saluo monente pio intellectu, de nominibus vel syllabis vel dictionibus contendens, separat se à sancta Dei Ecclesia, tanquàm non in rebus, sed in nominibus solis & dictionibus posita nobis pietate: talis, vtpotè dissensionibus gaudens, rationem pro semetipso, & pro deceptis & decipiendis ab eo, reddet magno Deo & Saluatori nostro Iesu Christo in die iudicij.

Occasio anathematismorũ.

Edictum Imperat. à Papa & Concilio approbatũ

Episcopi ante consensum subscribere renuũt.

Acta cõuentus Cõstantinopolitani.

Notæ in Edictum pijssimi Imperatoris Iustiniani.

Edictum.] *Theodorus Archiepiscopus Cæsareæ Cappadociæ in odium Pelagij sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi, cuius opera Origenes cum suis erroribus Constantinopoli (ibi enim munere Apocrisarij apud Imperatorem fungebatur) damnatus erat, Imperatori futurum suggessit atque promisit, vt si tria capitula Chalcedonensis Concilij, nempe Theodorum Mopsuestenum: epistolam Ibæ: & scripta Theodoreti aduersus Cyrillum condemnaret, omnes Acephali Chalcedonense Concilium statim susciperent. Illud facere sæpius conanti semper restitit Pelagius ante memoratus. Cùm itaque ille accepto successore Stephano, teste Procopio anno Christi 546. Romam rediisset, illo absente non impeditus Iustinianus Imperator aduersus tria prædicta capitula Cõcilij Chalcedonensis hoc edictum promulgauit, non quidem sub Ioanne II. vt habet falsa inscriptio Edicti in antiquioribus editionibus Conciliorum: sed sub Vigilio, anno Pontificatus illius septimo, qui est Christi 546. Auctor edicti extitit idem Theodorus Cæsariensis Episcopus. Post confessionem fidei & quatuor œcumenicorum Conciliorum, subiecit decem anathematismos, quibus vltimo loco tria capitula includit, hac de causa, quod in Concilij Chalcedonensis actione 10. reperiatur recitata Ibæ epistola, qua Theodorus Mopsuestenus laudatur: accusatur verò S. Cyrillus ex calumnijs à Theodoreto in eum allatis, quasi particeps fuisset sententiæ Apollinaristæ: ne quis ergo occasione illius epistolæ existimaret Theodorum esse recipiendum, Theodoreti scripta contra Cyrillum esse probanda, vel epistolam Ibæ à Concilio Chalcedonensi esse receptam, formati sunt tres anathematismi. Contra edictum Imperatoris exordio promulgatæ sententiæ Vigilius Papa, Pontianus & Facundus Africæ Episcopi (vt ex illius epistola; huius verò defensionum libris constat) aliyve plures Orthodoxi Scriptores insurrexerunt; quod putabant in præiudicium Chalcedonensis Concilij ea ab Imperatore sancita fuisse, in quo Ibas & Theodoretus post abiuratos errores scriptorum receptifuerunt. Cum autem perspicuè plenèq; cognitum fuit, sacrosancto concilio per damnationem trium capitulorum nihil derogari; cùm non persona, sed errores eorum ab Imperatore damnarentur: ipsa inprimis Apostolica sedes assertionem hanc, Imperatoris edicto primum promulgatam, & postea per quintam synodum confirmatam probauit atque retinuit; adeo vt Catholici ad hanc sententiam omnes postea accesserint: & schismatici habiti fuerint, qui ab illa dissensêre.*

Imperator simulac de fide edictum hoc promulgasset, sciens eiusmodi constitutiones nullarum virium esse, nisi ab Episcoporum subscriptione firmitatem acciperent, Apostolicæ sedis Apocrisarium ibi degentem Stephanum Diaconum, Mennam Constantinopolitanum Episcopum, aliosq; plures Episcopos, vt id facerent, vehementer rogauit. Sed cùm Mennas ac cæteri primarij Episcopi suam sententiam vsque ad arbitrium Romani Pontificis deferrent, ab eiusq; voluntate omnes penderent, Imperator necessarium fore iudicans, vt ad comitatum euocaretur Vigilius, honorificè eum inuitauit, rogauit & induxit, vt contra morem antecessorum suorum Roma Constantinopolim proficisceretur. Quo ratione illuc venientem Pontificem Imperator exceperit, videre est supra in vita Vigilij apud Anastasium & Procopium. In causa trium capitulorum damnatorum, primum Zoilum Alexandrinum Episcopum de subscriptione in damnationem triũ capitulorum redarguit: Deinde cùm Episcopos inter se dissidentes & periculum grauissimi schismatis imminere videret, medium se interponit arbitrum contentionum, & secum synodum adhibet 30. Episcoporum, in qua cùm acrius vtrinque contenderetur, mandauit vt quisque suam sententiam rationibus confirmatam scripto proferret. His ab vnoquoque exactis, eas post aliquot dies parti damnanti tria capitula seruandas tradidit: cum altera verò parte conuenit, vsque ad proximè agendam synodum generalem de quæstione proposita tacendum, cumq; damnantibus tria capitula interea temporis communicãdum esse; maximè cùm inter eas non de fide, sed de personis duntaxat contentio verteretur. Quod cùm plerique non aduerterent vel non intelligerent, in Vigilium, vt desertorem & prævaricatorem insurrexerunt. Sed prudentissimè egit Vigilius, quod cum schisma totius Orientis ab Occidente impendere videret; neque contentio de fide, sed de personis ageretur, controuersiæ decisionem ad vniuersalis Concilij conuentum distulerit, vt interim contentionis ille ardor deferueseret, atque pax maiore cum tranquillitate tractaretur. Ad hanc facilius conciliandam, placuit Vigilio, vt sicut tempore fœderis concessa sunt commercia, ita omnibus defensoribus & impugnatoribus trium capitulorum, vsque ad decisionem Concilij, concederetur communio. Non fecit hæc timore Imperatoris (vt calumniosè obijciebant impugnatores capitulorum,) sed amore pacis & concordiæ. Id colligi potest ex eo facto, quo in Theodorum, cæterosq; Acephalos & Eutychianos hæreticos anathematis sententiam nullo habito respectu Imperatoriæ potestatis pronunciauit, quando illud statum Ecclesiæ & religionis exigere audiebat. Hæc ex Facundo Hermianens. Episcopo lib. 4. pro defens. cap. Liberato & S. Gregorio. Baron. an. 546. & 547.

(?)

EPISTOLA PONTIANI EPISCOPI ad Iustinianum Imperatorem de tribus Capitulis.

CLEMENTISSIMO *atque pijssimo filio Iustiniano Imperatori, Pontianus Episcopus in Domino salutem.*

Principaliter nomen ab ipsis cunabulis iustitiæ susceptisti, & iustus Dominus, qui ita præsciuit, vt nomen antè iustitiæ tribueret, cui imperij postmodùm gubernacula contulisset. Adunata est igitur gratia creatoris non solùm in nomine, verùm etiam & merito, cuius vita exaltata est imperando, & imperium iustè viuendo. Dignatus es nos in Aphricanis partib. commanentes literis admonere, qualem fidem teneas & defendas. Cognouimus, quod Dominus B. Petro statuit, dicens: Matt. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues regni cœlorum.* Exultauit spiritus noster, hoc firmiter te pijssime esse Imperator, quod Apostolica fides prædicat, credentes, quòd à rectæ credulitatis tramite non declines. Talem enim decet esse Imperatorem, pium, iustum, fidelem, qualem te nos esse cognouimus. In extremo itaque epistolæ vestræ cognouimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum, & scripta Theodoreti, & epistolam Ibæ damnare. Eorum dicta ad nos vsque nunc minimè peruenerunt. Quòd si & peruenerint, & aliqua ibi apocrypha, quæ contra fidei regulam dicta sunt, legerimus: dicta possumus respicere, non authores dictorum iam mortuos, præcepti condemnatione damnare. Quòd si adhuc viuerent, & correpti errorem suum non condemnarent, iustissimè damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur sententia damnationis nostræ? Quod in eis recorrigatur, non est. Sed timeo, pijssime Imperator, ne sub obtentu damnationis istorum, Eutychiana hæresis erigatur: & dum minima iudicia non spernimus, ad maiorem hæresim collisionemque veniamus. Et quid nobis cum mortuis inire bellum, vbi nulla inuenitur in congressione victoria? Apud iudicem verum iam tenentur, ad quem nullus appellat. Per ipsum, in quo nos honoratis & diligitis, supplicamus clementiã tuam, vt pax permaneat téporibus tuis, nè, dum quæris damnare iam mortuos, multos inobedientes interficias viuos, & exindè compellaris reddere rationem ei, qui venturus est iudicare viuos & mortuos.

EPISTOLA X. VIGILII PAPÆ, ad Aurelianum Arelatensem Episcopum.

Post obitum Auxanij Aureliano vices suas in Gallia delegat.

DILECTISSIMO *fratri Aureliano Vigilius.* Administrationem vicium nostrarum fraternitati vestræ animo libenti committimus, & credimus charitatis vestræ officio actibus Deo placitis diligenter vniuersa compleri, quando & summi sacerdotij consortio vos dignos diuina esse gratia iudicauit, & glorioßissimi Childeberti Francorum Regis Christiana & Deo placita in perhibendo vobis testimonium voluntas accessit. Quapropter vices nostras vestræ charitati hac auctoritate committimus, vt vniuersa quæ decessorum nostrorum vel canonum statuta sanxerũt, Deo congruis operibus faciendo atque seruando, & nostrum & prædicti glorioßi Regis iudicium circa charitatem tuam rectum fuisse possis ostendere. Sacrarum enim Scripturarum nos docet auctoritas, quia Christus Deus & Dominus Saluator noster prius vniuersa quæ bona sunt facere voluit, quàm docere: scriptum Act. 1. est enim: Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est. Item quid commonẽdo Timotheum Doctor Gentium dicat Apostolus, fraternitatem tuam semper ante 2. Tim. 2. oculos habere cõfidimus: ait enim: Confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu; & quæ audisti à me per multos testes, hæc commẽda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Et item ipse: Solicite cura te ipsum probabilem exhibere Domini operarium, inconfusibilem, rectè tractãtem verbum veritatis. Et iterum: Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Ibidem.

Si quam ergo inter fratres diabolus humani generis hostis antiquus zizaniam seminauerit calliditate nequitiæ consuetæ, aut de aliquo sacerdote fraternitati tuæ, seruatis maiorum per omnia constitutis, fuerit querela deposita: adhibitis tibi fratribus & Coëpiscopis secundùm qualitatem negotij numero competenti, causam canonica & Apostolica ordinatione discutiens ea sententia definies, quæ & decessorum nostrorum conueniat statutis, & Deo æquitatem in omnibus diligenti sit grata. Si quod verò de religione fidei (quod Deus auferat) fuerit certamen exortum, aut tale aliquod negotium fortassis emerserit, quod pro sui magnitudine ibidẽ nequeat definiri: veritate discussa, relationis serie distincta, ad nostrã consultationem potius vt remittas, hortamur: quia ita decessores vestros, qui decessorum nostrorum vices egisse monstrantur, fecisse, testimonium nostri declarat scrinij: quatenus ea dispositione seruata, Ecclesiæ vnitas stabili firmitate persistens pacis bono in omnibus perfruatur, cuius velut hæreditariũ munus Christus Deus & Saluator noster ad cœlos, vnde numquam defuit, rediturus, discipulis suis legitur reliquisse, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Ioan. 14.

Et vt vniuersa fraternitas vestra diligenti possit ratione complere, Episcopis quibus pro vice nostra te præesse voluimus, nos præcepta destinasse signamus; vt & illi vobis obedientiam exhibere debeant competentem, & fraternitas tua eos in Christi charitate complectens, exemplis bonorum potius operum, ad quæ sunt Deo placita facienda semper inuitet. Illud pari eis auctoritate signauimus, ne quis sine Formata tuæ fraternitatis ad longiora loca audeat proficiscì: sed vt consuetudinem illam debeant custodire, quam constat semper nostræ sedis habuisse Vicarium, & à vobis Formatam postulent, si causarum suarum necessitate compulsi ad longiora itinera destinare disponunt. Sed ne in aliquo sedis nostræ Vicarius minor suis decessoribus videatur, necessarium fore credimus pallij vobis vsum, quem admodùm decessori vestro hactenus dederamus, præsenti auctoritate concedere: vt & morum, & omnium bonarum rerum, vobis beato Petro Apostolo suffragante, non desit ornatus:

Oportet ergo Charitatem vestram sacerdotali semper studio inter dominos filios nostros clementissimos Principes, & glorioßissimum virum, id est, filium nostrum Childebertum Regem gratiæ intactæ fœdera custodire. Scitis enim, nec vos conuenire ignorare, quod necessario prædicatis, quia Scriptura pronunciat, dicens: Beati pedes euangelizantium Rom. 10. pacem, euangelizantium bona. Et hoc quoque vestrum facere desideramus affectum, vt glorioso viro filio nostro Patricio Belisario destinatis scriptis gratias referatis, qui homini vestro laborem ad clementissimum Principem abstulit transeundi, sed mox vt responsum recepit, nobis suis litteris indicauit. Dominus te incolumẽ custodiat, frater charissime. Data XI. Kalend. Septemb. Quinquies post Consul. Basilij V.C.

EPISTOLA XI. VIGILII PAPÆ, AD Episcopos Galliarum.

Nunciat, se Aureliano vices suas in Gallia delegasse: mandatq; eidem obtemperare.

DILECTISSIMIS *fratribus vniuersis Episcopis, qui sub regno glorioßissimi filij nostri Childeberti Regis sunt per Gallias constituti, Vigilius.* Admonet nos loci nostri ministerium diuina misericordia Domini collatum, Domini gratia protegente, nec legentis* euitando periculum, bonis potius palmam retributionis promissæ & studeamus & mereamur accipere. Vnde quantũ nobis Christus Deus Dominus & Saluator noster primi Apostolorum locum pro ineffabili, pietatis suę gerere largitate concessit, tantùm nos de vniuersarum pace Ecclesiarũ, quæ licet in multis, vna tamen est toto Orbe diffusa, incessanti studio conuenit esse solicitos. Quippe quia nos sacrarum Scripturarum eloquia reddunt diligenter instructos.

Quod

Quod cùm Moyses Dei famulus diuinis iussionibus obsecundans ad montem voluisset ascendere, loco sui Aaron & Hur legitur reliquisse, dicens: Expectate hic, donec reuertamur ad vos. Haberis Aaron & Hur vobiscum; si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Ita enim inter sacerdotes Domini potest pax super omnia Deo placita custodiri, si fuerit qui virium nostrarum auctoritate subnixus, personam nostram in Galliarum partibus præsentans secundùm consuetudinem à nostris decessoribus attributam sapientiam solicita indagatione custodiens, si quam humani generis hostis antiquus zizaniam inter Dei famulos nequitia consueta seminare tentauerit, sapientiæ suæ moderamine, adhibitis sibi fratribus & Coepiscopis nostris, iustitia Deo placita scandala orta submoueat.

Vnde quia dudum Auxanio quondam Arelatensis ciuitatis Antistiti vicium nostrarum solicitudinem dederamus, sed cursum vitæ præsentis implendo, de hac luce migrauit, in cuius loco Aurelianus frater noster noscitur successisse: necessarium valde credimus solicitudinem hanc à nobis antefato debere committi, confidentes illum & pro loci sui qualitate bonis artibus vniuersa quæ Deo placeant posse complere, & maximè cùm gloriosus filius noster Childebertus Rex testimonium bonæ conscientiæ pro Christiana suæ voluntatis deuotione perhibuit. Oportet ergo charitatem vestram ei in omnibus, quæ, seruatis per cuncta canonibus, salubriter secundùm nostrorum definita maiorum, pro nostra auctoritate censuerit, præbere obedientiam competentem.

Et quia omnino necesse est, vt pro diuersis confratribus, Deo iuuante tractandis, statutis aptisque temporibus Episcoporum Synodum debeat congregare: idcirco præsenti auctoritate censemus; vt nullus, vbi aut quando constituerit, se audeat excusare, excepta infirmitatis causa, quam humana non potest vitare fragilitas, aut certe quem dignæ excusationis ratio fecerit nó venire. Omnibus nihilominus scientibus, quod Christus Dominus & Saluator noster pia institutione pro-
Matt. 18. nunciat, dicens: Quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Quemadmodum autem, quis tibi quæ postulat credit posse concedi, si congregationis sanctę conuentum, vbi Dominus præsentiam suam promisit modis omnibus assuturam, sine aliqua rectæ excusationis causa euitare crediderit? Sed sicut præfati sumus, si iusta causa illum ad Synodum fecerit non venire, pro se aut presbyterum aut diaconum destinare non differat, quatenus quæ fuerunt constituta, per eos possit agnoscere, & definita complere. Pari auctoritate mandantes, vt nullus sine prædicti formata ad longinquiora loca audeat proficisci: præsertim quia & decessorum nostrorum decessoribus eius, quibus vires suas commisisse præteritis temporibus releguntur, sic definiunt statuta: vt his omnibus obedientia Deo placita custoditis, pax Ecclesiarum stabili firmitate persistat, & sicut Doctor gẽtium dicit Apostolus, Ecclesia Dei possit sine ruga & macula permanere. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi.

EPISTOLA XII. B. VIGILII PAPÆ, ad Valentinianum Episcopum de Tomis prouinciæ Scythiæ.

Quæ Constantinopoli de tribus capitulis acta fuerint.

DILECTISSIMO *fratri Valentiniano Episcopo de Tomis prouinciæ Scythiæ, Vigilius.* Fraternitatis tuæ relegentes scripta, pontificalem in vobis solicitudinem inesse gratanter accepimus: quia propherica tibi possunt verba competenter aptari, quibus ait: Saluabo gregem meum, & suscitabo super eum pastorem, qui pascat eum, seruum meum. Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini nostri verba sectari, per quæ dixit: Speculatorem te posui domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me: & conuocatos eos, quos scandalizari diuersis rumoribus retulisti, incessanter hortari, ne per hos fortitan seducãtur, qui sub prętextu Catholico, nequissimo spiritu simplicium Christianorum corda, fallacia sua decipere moliuntur, & patris sui diaboli consuetudinem maligno sectantes spiritu, Ecclesiam tibi commissam diuersis mendacibus scriptis conturbare desiderant, quibus Apostolica lectio congruenter aptatur, dicens: Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Et infra: Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra autem obedientia in omni loco diuulgata est: quatenus fraternitatis vestræ adhortatione sæpè commoniti, nulla fideles eorum animos à rectitudine viæ, quæ Christus est, qui ait, Ego sum via, & veritas, & vita, qualibet maligna annunciatione summoueat: sed si, quod non oportet, ab aduersarijs conturbati, aliquid, quod Deus auertat, contra fidem factum fortè formidant, cum mansuetudine, quæ conuenit Christianis, prophetica verba sectentur, dicentis: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi. & alius propheta, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Et quoniam Basilianus illustris & magnificus vir, filius noster, cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis Ecclesiæ in Constantinopoli obseruant, pari ratione dixisse noscuntur, etiam hoc Dei inimicos fuisse mentitos, quòd personæ Episcoporum Ibæ atque Theodoriti in nostro, quod absit, fuissent iudicato damnatæ: legant ergo quæ de causa, quæ hic mota est, ad fratrem nostrum Mennam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum scribentes legimur definisse, & tunc cognoscunt nihil à nobis, Deo nos custodiente, commissum, vel certè dispositum, quod contra fidem prædicationemque venerandarum quatuor Synodorum, quæ pro vna eademque fide definita sunt, id est, Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinę primæ, & Chalcedonensis reperiatur aduersum, aut vnius ex his, qui definitioni supra scriptæ Chalcedonensis fidei subscripserunt, tangat iniuriam: vel quod decessorũ præcessorumque nostrorum inueniatur, quod absit, constitutis forte contrarium: sed in omnibus Apostolicæ sedis præsulum, & beatæ recordationis Papæ Leonis, & prædicatarum Synodorum aduersarijs restitisse. Fraternitatem autem vestram credimus non latere, inimicos fidei Christianæ hoc semper sæculari & reprobanda molitos astutia, vt Euangelistas quatuor contraria sibi, quod absit, dixisse monstrarent: quibus à sanctis patribus per Euangeliorum concordiæ libros est cœlesti sapientia contradictum. Quod nunc quoque sancti Chalcedonensis Concilij aduersarij (inter quos etiam Rusticum & Sebastianum comperimus istius auctores scandali, quos olim pro meritis suis à sacra communione suspendimus, in quibus nos, si non resipuerint celeriter, fraternitas tua cognoscat canonicam sententiam prolaturos) qui sub prętextu fallæ defensionis studeant, vt eandem Synodum contra prædictas tres Synodos dixisse, quod absit, ostendant. Quibus hæc conantibus, prophetæ dicta consonanter aptantur, dicentis: Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Verbum Domini nostri proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauerunt. Quibus, si non pœnituerint, veniet Psalmistæ inuocata sententia, dicentis; Vt destruas inimicum & defensorem. Credimus enim Catholicis Ecclesiæ filijs ea, quæ tunc ad fratrem & coëpiscopum nostrum Mennam scripsimus, id est, de blasphemijs Theodori Mopsuesteni, eiusque persona vel de Epistola, quæ ad Marim Persam scripta ab Iba dicitur, & scripta Theodoriti, quę contra rectam fidem, & duodecim capitula sancti Cyrilli facta sunt, abundè posse sufficere: quippe dum in constituto nostro superius designato possit diligenter agnosci, quia in ipsa definitione fidei, quam sancti Chalcedonensis Concilij sacerdotes secundùm præcedentes eam tres alias sanctas Synodos protulerunt, non aliquid mutauerunt, sed laudantes omnia, quæ à superioribus acta sunt, sancta definitione sua perpetuò roborare firmauerunt. Tamen si post hæc aliquis, quod non credimus, dubitare voluerit, hortamur, vt cum tuæ fraternitatis ordinatione ad nos venire festinet, quatenus lucida admonitione cognoscat omnia, quæ decessorum nostrorum & antefatarum quatuor Synodorum sunt vna eademque fide acta scriptaque temporibus, à nobis iouiolabiliter fuisse seruata. Qua ratione percepta, sublato, sicut oportet de Christianissimis animis scandalo, pax Deo placita in eius Ecclesia illibata

Roma. 16.

Ioan. 14.

Deut. 32. Mal. 2.

Hier. 8. Hier. 9.

Psal. 8.

perdu-

perduret. Hoc quoque fraternitatem tuam credimus adhortandam, ne vlterius prædictorum Rustici & Sebastiani, aut illorum, qui prauę eorum prę sumptionis probantur esse participes, scripta suscipiat: sed & vniuersos ad tuam pertinentes ordinationem commoneas, ne vel ipsi à prædictis relegant aliquid destinatum, vel falsitati eorum vlterius animum suæ credulitatis accommodent. Deus te incolumem custodiat frater charissime. Data xv. Kalend. Aprilis, Imperij domini Iustiniani perpetui Augusti, anno xxiij. post consulatum Basilij viri clarissimi anno ix. per Ioannem presbyterum & Apocrisarium, & ipse direxit eam per Maxentium hominem suum.

A.D. 550.

EPISTOLA XIII. B. VIGILII PAPÆ, ad Aurelianum Episcopum Arelatensem.

Tom. 1. epist. Dec. 4.

Nihil contra quatuor generalia Concilia & Romanorum Pontificum decreta à se fuisse admissum. Hortatur ad eos fugiendos, qui dissensiones excitabant, & ad Francorum Regem rogandum, vt Gothorum Regi scribat, ne quid contra Romanam Ecclesiam admitti patiatur.

DILECTISSIMO *fratri Aureliano Episcopo Arelatensi, Vigilius.*

Extat V. syno. gen. coll. 7.

Fraternitatis vestræ litteras pridie Idus Iulias, Anastasio deferente, suscepimus: & gratias referimus diuinæ clementiæ, quia solicitudinem vestram in fidei causa, vel in nostræ opinione personæ, sacris relegimus conuenire mandatis, vt dignè caritati tuæ verba Dei & conuenienter aptentur, quibus ait: Elegit, &c. *extat in V. Synodo generali infrà coll. 7.*

NOTÆ in Epistolas Vigilij ad Valentinianum, Aurelianum, &c.

Occasio scriptæ epistolæ.

Epistola] *Cum schismatici scriptis literis vbique vulgassent, Vigilium Papam tria damnando capitula impugnare Chalcedonense Concilium, & complures ab eius communione discederent, Valentinianus Scythæ, Aurelius Arelatensis Episcopi, aliiq; plures prudentiores ad eum scripserunt quærentes, an quæ spargerentur, vera essent: Hac occasione rescripsit, se vestigijs maiorum inhærentem, quatuor sacrosancta Concilia probare & venerari. Addidit, quæ in singularum argumentis continentur.*

Tom. 1. epist Dec. 5.

EPISTOLA XIV. B. VIGILII Papæ, ad Rusticum & Sebastianum.

Rusticum & Sebastianum excommunicat.

Extat V. syno. gen. coll. 7.

VIGILIUS *Episcopus, Rustico & Sebastiano.* Diu vobis, Rustice & Sebastiane, canonibus & decessorum nostrorum cõgruentem vltionem inferre pro Apostolica moderatione distulimus: sed quia Doctoris gentium in cordis vestri, &c. *extat infrà in V. Concil. gener. coll. 7.*

NOTÆ in Epistolam Vigilij ad Rusticum & Sebastianum.

Occasio latæ excõmunicationis in calumniatores.

Epistola.] *Vigilius, à suis Clericis compluribus schismaticis exagitatus; collectis, qui erant Constantinopoli, Italiæ Episcopis, sententiam excommunicationis & depositionis ab omni gradu & ordine fert in eos, maximè in Rusticum & Sebastianum Diaconos. Nec tamen propterea constatum schisma est sed atum, sed magis excitatum coniunctis aduersus Vigilium Capitulorum defensoribus simul & impugnatoribus.*

Bar. an. 550.

(?)

EPISTOLA XV. B. VIGILII Papæ Encyclica, ad vniuersam Ecclesiam.

Tom. 1. epist. Dec.

Quæ Constantinopoli egerit.

VIGILIUS *Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, vniuerso populo Dei.*

Dum in S. Euphemiæ basilica graui laborantes ægritudine teneremur, pijssimus atque clemẽtissimus Imperator Dominicorum die, id est, Kalend. Februarij, glorioso iudicet suos ad nos destinare dignatus est, id est, Belissarium & Cethegum exconsulem, atque patricios, necnon & Petrum exconsulem patricium atque magistrum; sed & Iustinum exconsulem & cura palatij, & Marcellinum excõsulem, & comitem excubitorum, sed & glorioſum virum Constantinum quæstorem, qui nobis dicerent, vt sacramenta percipere deberemus, & de sanctæ Euphemię Ecclesia ad ciuitatem regiam remeare. Quibus tale dedimus (Deo adiuuante) responsum, dicentes: Nos quidem in hanc basilicam, pro nulla pecuniaria vel priuata causa confugimus; sed pro Ecclesiæ tanto scandalo, quod iam toti mundo pro peccatis innotuit. Et ideo, si causa Ecclesiæ ordinatur, vt pacem eius, quam ab auunculi sui pijssimus princeps fecit temporibus, & modò restituat, ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior: si causa finita non fuerit, ijsdem sacramentis opus non habeo: quia numquam de S. Euphemiæ Ecclesia exire disponо, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum. Nam posteaquàm edicta sua pijssimus princeps iussit appendi, omnibus Episcopis diuersarum partium, & presbyteris atque diaconibus, necnon & clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ ad nos venientibus in Placidiana domo, antequàm ad S. Petri confugeremus basilicam, facie ad faciem ita locuti sumus: Rogo te pijssimum principem, vt edicta sua, quæ præcepit appendi, remouere dignetur, & constitutum commune expectare, id est, vt scandalizati Episcopi Latinæ linguæ, ad synodum veniant: aut certè, remota omni violentia, suas scripto declarent sententias. Quòd si fortè preces vestras audire noluerit, vos nulli rei præbeatis assensum, quæ ad diuisionem tendit, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quòd si hoc forsitan (quod non credimus) feceritis, noueritis ex presenti die, vt præuaricatores Apostoli Petri, per ministeriũ vocis meæ haberi suspẽsos. Et quoniam his actis, non solùm ea, quæ commissa fuerant, nullo modo sunt correpta, sed etiam ex aliis causis die ipso in regularum Ecclesiasticarum præiudicium, vel iniuriam Sedis Apostolicæ, peiora præsumpta sunt, nec vlterius eos communionis nostræ permisimus esse participes, nec aspectus eorum post tot præuaricationes nostri oculi receperunt. Ea enim, quæ verbo de memorata excommunicatione cunctis Episcopis vel presbyteris, & diaconibus, aliisque clericis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, voce publica dixeramus, posteà etiam die Nonarum Kalend. Septembrium nuper præteritarum, in B. Petri basilica scripto firmauimus: in quo etiam illum, qui sub habitu Episcopali, lupi rapacis Dominico gregi tendit insidias, & assumens totius ducatum scandali, vniuersalem perturbauit ac perturbat Ecclesiam de Episcopatus ordine deponentes, damnauimus: alios verò, qui superius memorati sunt, à communione suspendimus. Sed hæc hactenus. Paginam ipsius damnationis proferre noluimus, quoniam & clementissimum principem pro tali ac tanto scandalo, ea quæ facta diuini considerationе iudicij, reuocare confidimus, omnibus oportebat nos spatium pœnitentiæ reseruare, imitantes B. Petrum, cuius sedem tenemus imeriti. Chartam verò ipsam excommunicationis, atq; damnationis cuidam Christianæ personæ tradidimus conseruandam, vt si forsitan hi, qui excesserant, nullo modo corrigere voluissent, aut si nobis vis aliqua irrogaretur, siue quæ libet inquietudo fieret, vel certè humana sorte trãsitus de hac luce contingeret, mox eam in celeberrimis locis proponeret, quatenus eius notitia Christianis omnibus patefacta, seruetur in posterum. Dum hæc autem præfatis iudicibus diceremus, rogauimus eos, inuocato omnipotentis Dei iudicio, vt clementissimo Imperatori, hoc quoque ex nomine nostro figgerent: quia illis qui à nobis excommunicati sunt, in quibus &

is, quem

is, quem prædiximus, est damnatus, communicare non debet, ne graue (quod absit) peccatum incurrat. His ita se habentibus, per magnificum virum Petrum Referendarium, die prid. Kalen. Februarias, quædam charta nobis allata est, quam à clementissimo Principe nullo modo credimus destinatã, quia nec fuerat pietatis eius manu scripta. Et dum memorato Referendario diceremus, vt in ea scriberet diem, & quomodo ab ipso fuerat oblata, pariter signaret.

EPISTOLA EVTYCHII AD Vigilium.

Profitetur fidem Catholicam, & petit, vt quæstio de tribus capitulis in Concilio terminetur.

Sanctissimo & beatissimo Domino & consacerdoti Vigilio, Eutychius. Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, custodiens corda & sensus fidelium, & colligens eos, vt vnũ idemque sapiant in recta fidei confessione, &c. *Extat infra in V. Synod. Oecumen. Coll. I.*

EPISTOLA XVI. B. VIGILII PAPÆ ad Eutychium.

Commendat eius fidem, & annuit vt de tribus capitulis in Concilio agatur.

Dilectissimo fratri Eutychio & Episcopis sub te constitutis, Vigilius. Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, quòd discordiæ confusione submota, pacem Deus suæ. &c. *Extat infra in V. Synodo generali.*

THEODORI EPISCOPI CÆSAREÆ Cappadociæ damnationis, à B. Vigilio Papa factæ, fragmentum.

Theodorus Episcopus Sacerdotio & cõmunione priuatur: Constantinopolitanus & reliqui Episcopi, illius criminis conscij excommunicantur.

Vigilius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Vrbis Romæ, dixit. Res est quidem diuinæ conueniens iussioni, patientiam præbere peccantibus, quam non tamen aduſque decet extendi, vt spe continuæ impunitatis, iugiter sine correptione peccetur. Quoniam igitur tu Theodore Cæsareæ Cappadociæ ciuitatis episcope, qui hactenus ab ordinationis tuæ tempore, vnius anni spatio in Ecclesia, cuius gubernacula susceperas, non passus es residere, sed auctoritate nominis episcopalis abusus, vniuersalis Ecclesiæ scandala generare non cessas, & à nobis modo familiariter obiurgatus, modo precibus obsecratus, nonnunquam vero fraterna increpatione correptus, sæpe etiam diuinarum scripturarum auctoritate commonitus, vel Ecclesiasticæ consuetudinis conuictus exemplis, semper emendationem sermone promittẽs, quam factis nequissimis respuebas, nunquam à praua intentione cessasti. Nos verò longanimitatẽ nostram, diuina largitate concessam, tam circa te, quàm cæteros seductos abs te, penè hoc quinquennio elapso monstrauimus. Primum quidem in eo, quod pro scandalo refrenando condescendentes quorundam animis, quos aliqua dissipatione credimus temperandos: quia tu iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas; quædam pro tempore medicinaliter existimauimus ordinanda, tali scilicet conditione, vt omni in posterum perturbatione sopita, nihil vltra nec verbo nec litteris quisquam facere ex eadem causa præsumeret. At tu prauæ consuetudinis tractus audacia, neque tunc cessare à conscribendis vel prædicandis nouitatibus voluisti, ita vt sæpius libellis episcoporum redditis, & consensum tuum cum eis propria confessione condemnans eorum, vel tuis excessibus sæpius à nobis concedi veniam postulasses. Post hæc autem cum te à præsumptione solita nec pudor humanæ verecundiæ, nec sacerdotij pondus, nec timor diuinij iudicij cohiberet, dum amplius, quàm iustum fuerat, patientiam tuis facinoribus præberemus; ad hoc est causa perducta, quatenus semotis omnibus, quæ de triũ capitulorum à quibuslibet dicto scriptove fuerant ordinata, quid de ipsa re facto opus esset, cũ Africanarum, Illyricianarum, seu aliarum partium cõgregata synodo tractaremus, eorum maximè præsentiam requirentes, quorũ fuerat scandalizata fraternitas. Illud quoque magnopere nobis cum clemẽtissimo principe, præsentibus etiam Mena Constantinopolitanæ ciuitatis, & Datio Mediolanensis vrbis antistite, alijsque tam Græcis, quàm Latinis episcopis, cum quibus omnibus etiam tu Theodore pariter affuisti, necnon & præsentibus iudicibus atque proceribus, vniuersoque senatu, conuenit, ne vsque ad memoratam Concilij diffinitionem quicquam de prefatis tribus capitulis ab aliquo fieri intentaretur. Ac deinde tuis ex consuetudine incitamentis liber condemnatione capitulorum ipsorũ continens, in palatio te assistente & instruente coram quibusdã Græcis episcopis est relectus, à quibus assentationũ fauorem tuis vocibus exigebas. Ex quo facto tã tu, quàm tibi consentientes episcopi, mitius licet, à nobis, quàm oportuit increpati, ad promerendã ficta satisfactione veniã cõuolastis. Quis aũt commemorare sufficiat, quæ, te incitante atque exequente mala cõmissa sunt? Nam vt de magnis excessibus tuis parua narremus, totius scandali incitamentum fuisti atque seditio. Qui domi tuæ sedens, antiquanos pretio caro conducens, ea, quæ iurata te voce non esse facturũ vsque ad constitutum tempus, frequentius firmaueras, cõscripsisti: & sub prætextu religionis, ea quæ Dei Ecclesiam diuiderent, sicut etiam rebus ipsis agnoscitur, perpetrasti. Nam vsq; ad hoc animũ Christianissimi principis falsis suggestionibus perduxisti, vt clementia eius, quę in suis hostibus pia semper apparuit, contra nos grauiter moueretur. Sed hæc omnia bona desideria nostra, quæ pro pace Ecclesiæ proculdubio militabãt, ita animus tuus quietis impatiens, dissipauit, vt illa, quæ fraterna collatione & tranquilla episcoporum fuerant reseruanda iudicio, subito contra ecclesiasticũ morem, & contra paternas traditiones, contraque omnem auctoritatem Euangelicæ Apostolicæque doctrinæ edictis propositis, secundum tuum damnarẽtur arbitrium, dum fidelium nullus ignoret, per quos Dominus ac Deus noster doctrinis cælestibus plebem suã iusserit erudiri, vel quibus ligandi soluendique super terram dederit potestatem. Deinde in domo Placidiana cum Græciarum vel Latinarum partium episcopis, qui in vrbe regia aderant, & presbyteris ac diaconibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ conuenisti: ibique sub magnæ vociferationis contestatione, tam nos quam frater noster Mediolanensis episcopus prohibuimus, ne aliquis vestrum, pręuaricationi cõmunis constituti, contempta fraternitate, præberet assensum. Tu autem, Sedis Apostolicæ interdicentis per nos auctoritate despecta, ad Ecclesiam, in qua edicta ipsa pendebant, reliquos tecum attrahens, perrexisti, ibique alijs adiectis præuaricationibus, Missarum solennia celebrastis: & quasi nihil tibi esset, primæ sedis antistitem præsentem & contradicentem contempsisse, pontificem etiam Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem fratrem nostrum Zoilum, cuius nomen vsque ad memoratum diem communicatum vobis fuerat diptychis eximẽtes, Apollinarem quendam peruersorem, atque Ecclesiæ ipsius adulterũ vobis sociastis, vt vestra iniquitas non solum in remouẽdo simplicissimo sacerdote, sed etiam in recipiendo patefieret peruersore. Reticemus interim alia, quæ eodem die à vobis in Apostolicæ Sedis & in canonum perpetrata probantur iniuria, ne detenti enumeratione culparum, quarum inuentor ostenderis, quod tibi competit, diutius differamus. Et licet ante triginta dies pro memoratis excessibus vestris ab Apostolicæ vos communionis remouissemus consortio, credentes, quòd sacerdotali proposito facilius, quæ malè gesta fuerant, satisfactione congrua curaretis: ideoque ex persona & auctoritate B. Petri Apostoli, cuius (licet exigui) nos locũ gerimus, cum Datio Mediolanens. Ioanne Marsicano, Zacchæo Scyllaceno, Valentino Syluæ candidæ, Florentio Matellicatens. Iuliano Signino, Romulo Numanatens. Dominico de Calliopoli, Primasio Adrumetino, Verecundo Lunen. Stephano Ariminensi, Paschasio Aletrino, atque Iordane Cortonen. fratribus & coepiscopis nostris, hac Theodorum, Cæ-

Liberatus in Breuia. ca. 24.

sareæ Cappadociæ ciuitatis quondam episcopum sententiæ promulgatione, tam sacerdotali honore & communione catholica, quàm vel omni officio episcopali seu potestate spoliatum esse decernimus, nullis te vacare vlterius rebus: nisi pœnitentiæ lachrymis censentes: quibus percepta remissione culparum, locum communionemque tuam aut à me, aut post obitum meum à successore meo (si merueris) indulgentiæ recipias. Teque Menam Constantinopolitanæ ciuitatis episcopum, qui non dissimili culpa constringeris, cum omnibus Metropolitanis & micropolitanis episcopis, ad tuam diœcesim pertinentibus, sed & tuos Orientales, vel diuersarum prouinciarum maiorum minorumque ciuitatum episcopos, quæ his excessibus, pro quibus Theodorum Cæsareæ Cappadociæ quondam episcopum condemnauimus, præbuistis assensum, humaniore pro Dei consideratione, tam diu à sacra communione suspendimus, donec vnusquisque vestrum errorem suæ præuaricationis agnoscens, culpam apud nos propriam competenti satisfactione diluerit. *Hæc est subscriptio sancti Papæ, Deo iuuante, & ipsius gratia.* Vigilius episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ, huic damnationi atque excõmunicationi Theodori Cæsareæ Cappadociæ, & huic communicantis Menæ Constantinopolitanæ vrbis episcopi, vel aliorum præfectorum, subscripsi. Data XIX. Kalend. Septembr. imperante domino Iustiniano perpetuo Augusto, Anno XXV. post consulatum Basilij viri clarissimi An. XI.

Ann. 551.

NOTÆ in fragmentum sententiæ anathematis & excommunicationis in Theodorum Cæsarienſem pronunciata, Anno 551.

Theodori impudentia.

Fragmentum.] *Theodorus Cæsarienſis Episcopus intolerabili audacia & impudentia, Imperatoris gratia & potentia fretus, Zoilum Alexandrinum Episcopum, quod damnare tria capitula renuisset, deposuit, & Apollinarem, teste Liberato in Breuiario cap. 23. subrogauit, Vigilium Romanum Pontificem contradicentem, ne edicto Imperatoris consentiret contempsit, eoq; interdicente missas celebrare, aliaq; plura intolerabilia patrare ausus fuit. Ob hæc scelera Theodori Vigilius infracto animi robore, & verè apostolico spiritu, quantumuis in terra aliena esset, conuocatis quos potuit Latinis Episcopis, Constantinopoli in Ecclesia S. Petri (ad quam ministrorum Imperatoris violentiam metuens confugerat, vt patet ex epistola Encyclica ad vniuersam Ecclesiam scripta) acerrimam hanc excommunicationis & depositionis sententiam in eum tulit. Quo facto Constantinopoli quidam in faciem eius (vt refert Anastasius in vita Vigilij) dedit alapam dicens;* Homicida nescis quid loqueris. *&c. Ab hac violentia sacrilegi Imperatoris se tutum esse volens, trans Chalcedonem fugit, ibique in Ecclesia S. Euphemiæ cum suis habitare disposuit. Ex hoc loco sequentem circularem Epistolam ad vniuersam Ecclesiam scripsit, ex qua quæ deinceps secuta sunt, certa habentur. Vide quanta potentia & vis Cathedræ Petri. Iustinianus auctoritate Vigilij Papæ coactus de tribus capitulis promulgata & appensa edicta amoueri, nihilque ante generalem synodum de illis tractari mandauit. Theodorus malorum omnium auctor pœnitens & humilis libellum supplicem Pontifici obtulit, quo & rectam fidem profitetur, & quatuor SS. Concilia œcumenica comprobat, atque controuersiam de tribus capitulis à se excitatam, ad decisionem Concilij distulit, petens veniam de iniurijs & contumelijs Pontifici innocenti obiectis. Idem præstitit Mennas Constantinopolitanus Episcopus. Quos cum Vigilius ad pœnitentiam & in communionem Ecclesiæ suscepisset, reddita est pax Ecclesiæ. Hæc ex Constituto Vigilij Papæ, quod extat infra. Baron. anno 551. & 552.*

Theodorus excõmunicationis fulmine percellitur.

Scelus cuiusdam in Vigilium.

Theodorus delictũ agnoscens veniam petit.

CONSTITVTVM VIGILII PAPÆ, extat infra post Concil. V. Oecumenicum.

SEQVVNTVR CONCILIA SVB VIGILIO PAP.

CONCILIVM AVRELIANENSE TERTIVM, VIGINTI QVINQVE EPISCOPORVM: ANNO Domini 540. qui est Vigilij Papæ I. & Childeberti Regis Francorum 26. sub consulatu Paulini iunioris celebratum.

TITVLI CAPITVLORVM sequentis Concilij.

Ne à metropolitano comprouinciales vocati ad synodum intra biennium celebrandum, venire prætermittant. 1
Ne à subdiacono & suprà quis se propriis vxoribus misceat. 2
De electione metropolitanorum, & de consensu populi. 3
De familiaritate & cohabitatione extranearum mulierum cum clericis. 4
De oblatis & collatis basilicis. 5
Qua ætate presbyter vel diaconus ordinetur, & ne duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professæ, nec publicè arreptitius promoueatur. 6
De ordinatis clericis, ne nubant, & ne quis inuitus ordinetur. 7
De clerico conuicto de furto, aut falsitate, & de periuro. 8
De his, qui vxoribus defunctis, concubinas sibi crediderint sociandas. 9
De incestis coniunctionibus, vel si ante baptismum se coniunxerint, ignorantes, vel à quibus personis coniugalis copula sit seruanda. 10
De clericis, propter patrocinia sæcularium, officium suum minus implentibus. 11
De agris ecclesiæ ab episcopo inutiliter distractis, & distractorũ tricennaria repetitione. 12
De mancipijs Christianis, quæ Iudæorum seruitio detinentur. 13
Vt Missarum celebritas hora tertia inchoetur. 14
Vt episcopi in diœcesi aliena clericos non ordinent, nec altaria consecrare præsumant, nec sine commendatitijs, clericus vsquam pergat. 15
De raptu virginum sacrarum. 16
De eo quod id, quod clerici beneficio ecclesiæ perceperint, à successore minimè auferatur. 17
De clericis, qui in oratorijs ordinationem acceperint. 18
De clericis contumacibus. 19
De clericis iniustè oppressis à suis pontificibus. 20
De clericorum conspiratione per rebellionem, in scripturis aut alias facta. 21
De sacerdotibus Ecclesiæ res debitas occupantibus, & in suam potestatem redigentibus, & de retinentibus defunctorum oblationes. 22
Ministris ecclesiarum non liceat ecclesiæ res sine episcopi consensu alienare. 23
Quòd pœnitentia non sit iuuenibus temerè credenda, nec fœnibus coniugatis sine consensu communi, nec his, qui acceptæ pœnitentiæ, ad militiam redierint sæcularem. 24
Ne seruus vel colonus ad honorem promoueatur ante receptam ingenuitatem. 25
Vt clericus honoratus, pecuniam non donet ad vsuram. 26
Quòd die Dominico operari non permittitur. 27
Vt ante Dominicam orationem expletam, de Ecclesia nullus discedat. 28
Vt Iudæis, à die cœnæ Domini vsque in secundam sabbati, inter Christianos procedere non liceat. 29
De hæreticis vel Bonosiacis. 30
Vt clericus sine pontificis sui consensu, nullum ad iudicem trahat sæcularem, neque laicus clericum. 31
Quid de episcopis, qui suprascripta obseruare distulerint. 32

CANONES AVRELIANEN. Concilij tertij.

CVM in Dei nomine in Aurelianensem vrbem ad synodale concilium venissemus, de his, quæ per longum tempus obseruatione cessante, fuerant intermissa, priorum canonum tenore seruato, præsentibus regulis vetera statuta renouauimus, & noua pro causarum vel temporum conditione addenda credidimus.

Capitulum primum.

PRIMVM, vt vnusquisque metropolitanus in prouincia sua cũ comprouincialibus suis singulis annis synodale debeat opportuno tempore habere concilium. Quòd si illum infirmitas aut necessitas certa tenuerit, vt ad alium constitutum locum adesse non possit, ad suam ciuitatem suos euocet fratres. Quòd si intra biennium diuinitus temporum tranquillitate concessa, admonitis comprouincialibus, à metropolitano synodus indicta non fuerit, metropolitanus ipse pro euocationis tarditate anno integro Missas facere non præsumat. Quòd si euocati, non corporali infirmitate detenti, adesse sua abusione despexerint, simili sententiæ subiacebunt. Qui tamen & hanc excusationem sibi nouerint esse sublatam, si absentiam suam diuisione sortis crediderint excusandam.

2 Vt nullus clericorum, à subdiacono & suprà, & quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si fortè iam habeat) misceatur vxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum canonum statuta ab officio deponatur. Quem si sciens episcopus suus in hac vilitate permixtionis viuentem, ad officium postea admiserit, & ipse episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mẽsibus sit à suo officio sequestratus.

3 De metropolitanorum verò ordinationibus id placuit, vt metropolitani à metropolitano omnibus (si fieri potest) præsentibus comprouincialibus ordinentur, ita vt ipsi metropolitano ordinandi priuilegium maneat, quem ordinationis consuetudo requirit. Ipse tamen metropolitanus, à comprouincialibus episcopis (sicut decreta sedis apostolicæ continent) cum consensu cleri vel ciuium eligatur: quia æquum est, sicut ipsa sedes Apostolica dixit, vt qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De comprouincialibus verò ordinandis cum cõsensu metropolitani cleri & ciuium, iuxta priorum canonum statuta, voluntas & electio requiratur.

4 De familiaritate extranearum mulierũ licèt iam multa, quæ obseruari debeant, multis canonicis sententijs fuerint statuta, tamen quod agnoscitur sæpè transcendi, conuenit replicari. Ideoq; statuimus, vt nè quis antistitũ clericorumq; omnium licentiã habeat intra domũ suam, vllam absq; his propinquis mulieribus, quas priores canones eloquuntur, habere personam. Quibus etiàm id specialiter inhibetur, vt si quis clericorum suspicionem aduersam ad obquutionem populi de muliere quacunq; fortassis incurrerit, eam statim, si intra domum habet, abijciat. Si certe extranea, & sui iuris est, ità omnibus conditionibus studeat euitare, vt infamia, quæ excitata est, abrogetur. Quod si quilibet ille antistitũ vel clericorũ, quod suprà scriptũ est, vitare noluerit, pro inobediẽtia, triennij excõmunicatione mulctetur. Quod si adulterij permixtio fuerit approbata, in regradatione honorum, priorum canonũ statuta seruentur. In quibus communicationibus metropolitanus à comprouincialibus suis, comprouincialis à metropolitano cum reliquis comprouincialibus distringatur.

5 Si quæ oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus collatæ fuerint basilicis in ciuitatibus constitutis, ad potestatem episcopi redigantur. Et in eius sit arbitrio, quid ad reparationem basilicæ, aut obseruantium ibi substantiam deputetur. De facultatibus vero parochiarum vel basilicarum, in pagis ciuitatum constitutis, singulorum locorum consuetudo seruetur.

6 De clericorum prætermittenda conuersione, id omnimodis obseruetur, ne vllus ex laicis ante annualem conuersionem vel ætatem legitimam, id est, 25. annorum diaconus, & triginta presbyter, ordinetur: ita vt de ipsis quoque, qui ordinãdi sunt, clericis, regulari custodiatur studio, ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus, aut *senius corpore, aut qui publicè aliquando arreptus sit, ad suprascriptos ordines promoueatur. Quòd si sciens episcopus contra hæc statuta agendum esse crediderit, is quidem, qui ordinatur, suscepto iuxta anteriores canones priuatur officio, sed ille pro ordinationis temeritate sex mensibus à celebrandis officijs, sequestretur. Quòd si Missas intra statutum tempus facere præsumpserit, anno integro omnium fratrũ charitate priuetur. De quorum promotionibus si quis clericus aut ciuis testis extiterit, quorum testimonio dum creditur, frequenter pontificis ignorantia præuenitur, cum agnitum fuerit, ordinationem illicitè celebratam, anno integro à communione pellantur. Qui si in infirmitate deciderint, eis viaticum non negetur.

7 Clerici vero qui cum vxores non haberẽt, benedictione susceptа, coniugia crediderint eligenda, qui volẽtes absque vlla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur. Quòd si inuitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur. Episcopus autem, qui inuitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat. De adulterijs autem honoratorum clericorum id obseruandum est, vt si quis adulterasse aut confessus fuerit, vel conuictus, depositus ab officio, cõmunione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore retrudatur. Dist. 74. Episcopus q innitũ. Dist. 81. Si quis cle. ad. Et in decr. Iuo. lib. 3.

8 Si quis clericus furtum aut falsitatem admiserit, quia capitalia etiam ipsa sunt crimina, communione concessa, ab ordine regradetur. De periurio verò id censuimus obseruandum, vt si quis clericus in causis, quæ sub iureiurando finiendæ sunt, præbuerit iuramenta, & post, rebus euidentibus detegitur peieravisse, biennium temporis excommunicatione plectatur.

9 De his, qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas habuerunt, aut defunctis vxoribus, sibi concubinas publicè crediderint sociandas, id obseruandum esse censuimus, vt sicut eos, qui iam sunt clerici per ignorantiam ordinati, non remouemus: ita statuimus, ne vlterius ordinentur.

10 De incestis coniunctionibus ita quæ sunt, seruentur, vt hi, qui aut modo ad baptismum veniunt, aut quibus patrum statuta sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro nouitate conuersionis ac fidei suæ credidimus consulendum, vt contracta hucusque huiusmodi coniugia, non soluantur: sed in futurum, quod de incestis coniunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, obseruetur: id est, vt ne quis sibi sub coniugij nomine sociare præsumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris, sororem vxoris, cõsobrinam, aut sobrinam, relictam auunculi vel patrui. Quòd si qui in hoc incesto adulterio potius quàm cõiugio fuerint sociati, quamdiu se non sequestrauerint, à communione ecclesiastica repellantur. Illud etiam adijciendum esse credidimus, vt in episcopi discussione consistat, de his, qui in ciuitate sua ac territorio cõsistunt, & tali sunt ordine sociati, vtrũ ignorãter ad illicita coniugia venerint, an per contumaciã, quæ sunt interdicta, præsumpserint: quia sicut his, qui per ignorantiam lapsi sunt, subuenitur: ita illis, quibus prius patrum statuta in notitiam venerunt, quique etiam contra sacerdotũ interdicta, in tali permixtione versantur, priorum canonum in omnibus statuta seruentur, vt non prius ad communionem recipiãtur, quàm incesti adulterium (sicut scriptum est) separatione sanauerint, quia in lege Domini manifestè legitur: Maledictus, qui dormit cũ vxore patris sui, cum priuigna, vel vxoris suæ sorore, & reliqua his similia. Quo fit, vt quos Deus maledixit, nos, nisi emendatos, benedicere non possimus. Deut. 27.

11 Si qui clerici ministeria susceptа quacunque occasione agere, sicut & reliqui, detrectant, & excusationem de patrocinijs, quorumcunque, ne officium impleant, prætendunt, ac sacerdotes suos sub huiusmodi causa æstimãt per inobe-

dientiam contemnendos, inter reliquos clericos canonicos, ne hac licentia alij vitientur, nullatenus habeantur, neque ex rebus eccleſiaſticis cum canonicis ſtipendia, aut munera vlla percipiant.

12 De agellis verò, cæterisque facultatibus eccleſiaſticis, à ſacerdotibus non alienandis, nec per contractus inutiles obligandis, priorum canonum ſtatuta ſeruentur, vt nobis per nullos contractus res eccleſiaſticas alienare, aut inutiliter liceat obligare. Ea etiam, quæ de rebus eccleſiaſticis ab anteceſſoribus alienata, vel quibuſcunque inſtrumentis inutiliter in diſpendium Eccleſiæ obligata noſcuntur, & intra tricennaria tempora repetitio ſuppetit, quę acta ſunt, ſuffragante, iuſtitia, per publicum, aut electorum iudicium reuocentur. Quòd ſi is, qui rem eccleſiaſticam tenet, admonitus iudicium declinarit, quouſque, aut ad diſcuſſionem veniat, aut rem reſtituat Eccleſiaſticam, communione priuetur.

13 De mancipijs Chriſtianis, quæ in Iudæorum ſeruitio detinentur, ſi eis, quod Chriſtiana religio vetat, à dominis imponitur: aut ſi eos, quos de Eccleſia excuſatos tollent. pro culpa, quæ remiſſa eſt, affligere, aut cædere fortaſſe præſumpſerint, & ad eccleſiam iterato confugerint: nullatenus à ſacerdote reddantur, niſi precium offeratur ac detur, quod mancipia ipſa valere pronunciauerit iuxta taxatio. Chriſtianis quoque omnibus interdicimus, ne Iudæorum coniugijs miſceantur. Quod ſi fecerint, vſque ad ſequeſtrationem quiſque ille eſt, communione pellatur. Item Chriſtianis conuiuia interdicimus Iudæorum, in quibus ſi fortè fuiſſe probantur, annuali excommunicationi pro huiuſmodi contumacia ſubiacebunt.

14 De Miſſarum celebritate, in præcipuis duntaxat ſolẽnitatibus, id obſeruari debebit, vt hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipſo officio expedito, ſacerdotes poſſint ad veſpertina officia, id eſt, in veſpertino tempore conuenire: quia ſacerdotem veſpertinis officijs ab eccleſia talibus præcipuè diebus, nec decet deeſſe, nec conuenit.

15 Epiſcopus in dioeceſes alienas, ad alienos clericos ordinandos, vel conſecranda altaria, irruere non debet. Quod ſi fecerit, remotis his, quos ordinauerit, altaris tamen conſecratione manente, tranſgreſſor canonum anno à Miſſarum celebritate ceſſabit. De his verò clericis, qui ſub qualibet occaſione, aut conditione in aliorum ciuitatibus vel territorijs crediderint immorandum, nec ad vllum clericatus honorem, abſque ſui epiſcopi ſcripto atque conſenſu, debeant promoueri. Verùm etiam preſbytero, diacono, vel ſubdiacono, ſine epiſcopi ſui litteris ambulanti, iuxta ſtatuta priora communionem nullus impendat.

16 De raptoribus virginum conſecratarum, ſeu in propoſito ſub deuotione viuentium, id ſtatuimus, vt ſi quis conſecratæ vel deuotæ, id eſt, religionem profeſſæ vim inferre præſumpſerit, à communione Eccleſiaſtica vſque ad exitum repellatur, viatico tantum ei, infirmitatis periculo, reſeruato. Quòd ſi, quæ rapta dicitur, cum raptore habitare conſenſerit, & ipſa excommunicatione ſimili feriatur. Quæ forma & de pœnitentibus ac viduis, in propoſito manentibus, ſub diſtrictione Eccleſiaſtica conſeruetur. Quòd ſi quis ſacerdos ſciens huiuſmodi perſonis communicauerit, anno integro pacem Eccleſiæ non habebit.

17 De munificentijs verò ſacerdotum id obſeruandum, vt ſi quid præſenti tempore à clericis decedentium munificentijs habetur, vel poſſidetur, deinceps à ſucceſſoribus nullatenus auferatur: ita vt qui deceſſorum largitatibus gaudent, officia eccleſiæ, obedientiam & affectum ſacerdotibus præbeant. De quibus tamen munificentijs, quæ præſenti tempore ab his (ſicut dictum eſt) poſſidentur, ſi pro oportunitate epiſcopo placuerit, quod voluerit commutare, ſine accipientis diſpendio, in locis alijs commutetur. De munificentijs verò præſentibus, quas vnuſquiſque clericus pro ſua gratia eorum obſequijs exiſtimat cõferendas, ſicut in arbitrio dantis eſt, vt tribuere, quibus voluerit, debeat: ita ſi inobedientia vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpa agnita, in arbitrio ſit præſidentis, vtrũ vel qualiter debeat reuocari.

18 De his verò clericorum perſonis, quæ de Ciuitatenſis Eccleſiæ officio, monaſteria, dioeceſes, vel baſilicas, in quibuſcunque locis poſitas, id eſt, ſiue in territorijs, ſiue in ipſis ciuitatibus ſuſcipiunt ordinandas: in poteſtate ſit epiſcopi, ſi de eo, quod ante de eccleſiaſtico munere habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit: quia vnicuique facultas ſuſcepti monaſterij, dioeceſis vel baſilicæ, debet plena ratione ſufficere.

19 Si quis ſuperbia elatus, officium ſuum indignatione quacunque implere noluerit, iuxta ſtatuta priora laica communione contentus, ab ordine depoſitus tamdiu habeatur, quamdiu digna (ſicut ſcriptum eſt) pœnitentia & ſupplicatione ſatisfecerit præſidenti pontifici; tamen illis regulariter, & charitatem integram, & quæcunque illis ſtipendiorum iuxta conſuetudinem debentur, pro qualitate temporis miniſtranti. De quibus ſi querela procedat, officium agens, recurrat ad ſynodum.

20 Si quis clericorum circa ſe, aut diſtrictionem, aut tractationem epiſcopi ſui putat iniuſtam, iuxta antiquas conſtitutiones recurrat ad ſynodum.

21 Si qui clericorum (vt nuper multis locis, diabolo inſtigante, actum fuiſſe perpatuit) rebelli authoritate ſe in vnum coniuratione intercedente collegerint, & aut ſacramenta inter ſe data, aut chartulã conſcriptam fuiſſe patuerit, nullis excuſationibus hæc præſumptio præueletur, cùm in ſynodum ventum fuerit, in præſumptoribus, iuxta perſonarum & ordinum qualitatem, à Pontificibus, qui tunc in vnum collecti fuerint, vindicetur, quia ſicut charitas ex præceptis Dominicis corde, non chartulæ conſcriptione, vel coniurationibus, eſt exhibenda: ita quod ſupra ſacras admittitur ſcripturas, auctoritate & diſtrictione pontificali eſt reprimendum.

22 Si quis res Eccleſiæ debitas, vel proprias ſacerdotis, horrenda cupiditate occupauerit, retinuerit, aut à poteſtate ex competitione perceperit, vt eas nõ reſtituat, nullis rebus excuſetur: ſed ſi agnito iure eccleſiaſtico, nõ ſtatim Eccleſiæ vel ſacerdoti reformauerit, aut vt ipſum ius agnoſcere poſſit, in iudicium electorum venire diſtulerit, tam diù à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur, quamdiu reſtitutis rebus, tam Eccleſiam, quàm ſacerdotem reddat indemnem. Similis etiam, qui oblationes defunctorum legaliter dimiſſas, quolibet ordine aſſignare tardauerint, vel retinere præſumpſerint, diſtrictionis Eccleſiaſticæ iuxta priores canones forma ſeruetur. Cui etiam ſententiæ ſubiacebit, quiſquis ille quolibet ordine, quod pro deuotione ſua Eccleſijs dedit, reuocare præſumpſerit.

23 Abbatibus, preſbyteris, cæterisque miniſtris, de rebus Eccleſiaſticis vel ſacro miniſterio alienare vel obligare, abique permiſſu & ſubſcriptione Epiſcopi ſui, nil liceat. Quod qui præſumpſerit, regradetur, communione conceſſa. Et quod temerè præſumptum, aut alienatum eſt, ordinatione Epiſcopi reuocetur.

24 De pœnitentium cõuerſione, vt ne quis benedictionem pœnitentiæ, iuuenibus perſonis credere præſumat. Certè coniugatis, niſi ex conſenſu partium, ætate iam plena, eam dare non audeat. Si quis pœnitentiæ benedictione ſuſcepta, ad ſæculare habitum militiamque reuerti præſumpſerit, viatico conceſſo, vſque ad exitum excommunicatione plectatur.

25 Vt nullus ſeruilibus, colonarijsque conditionibus obligatus, iuxta ſtatuta ſedis Apoſtolicæ, ad honores Eccleſiaſticos admittatur, niſi prius aut teſtamento, aut per tabulas eum legitimè conſtiterit abſolutum. Quòd ſi quis Epiſcoporum, eius qui ordinatur, conditionem ſciens, tranſgredi per ordinationem indebitam fortaſsè voluerit, anni ſpatio Miſſas facere non præſumat.

26 Vt clericus à diaconatu & ſuprà, pecuniam non commodet ad vſuras: nec de præſtitis beneficijs quicquam ampliùs, quàm datur, ſperet. Neve in exercendis negotijs, turpis lucri cupiditate verſetur, * ſicut publici negociatores, qui ad populares penſam obſeruant, aut ſub alieno nomine interdicta negotia audeat exercere. Quòd ſi quis aduerſum ſtatuta venire præſumpſerit, communione conceſſa, ab ordine regradetur.

27 Quia perſuaſum eſt populis, die Dominico agi cum caballis aut bobus & vehiculis itinera non debere, neque

vllam

vllam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem, nullatenus exercere: quæ res quia ad Iudaicam magis, quàm ad Chriſtianam obſeruantiam pertinere probatur, id ſtatuimus vt die Dominico, quòd ante fieri licuit, liceat. De opere tamen rurali, id eſt, agricultura, vel vinea, vel ſectione, vel miſſione, excuſſione, vel exacto ſepe, cenſuimus abſtinendum, quò facilius ad Eccleſiam venientes, orationis gratia vacent. Quòd ſi inuentus fuerit quis in operibus ſupraſcriptis, quæ interdicta ſunt, ſe exercere: qualiter emendare debeat, non in laici diſtrictione, ſed in ſacerdotis caſtigatione conſiſtat.

28 De Miſſis nullis laicorum ante diſcedat, quàm Dominica dicatur oratio. Et ſi Epiſcopus præſens fuerit, eius benedictio expectetur. Sacrificia verò matutina, Miſſarum, ſiue veſpertina, ne quis, cum armis pertinentibus ad bellorum vſum, ſpectet. Quod qui fecerit, in ſacerdotis poteſtate conſiſtat, qualiter eius diſtrictione debeat caſtigari.

29 Quia Deo propitio, ſub catholicorum regum dominatione conſiſtimus, Iudæi à die cœnę Domini, vſque in ſecundam ſabbati in paſcha, hoc eſt, ipſo quatriduo procedere inter Chriſtianos, neque catholicis populis ſe vllo loco, vel quacunque occaſione miſcere præſumant.

30 Iudex ciuitatis vel loci, ſi hæreticum aut Bonoſiacum, vel cuiuſlibet alterius hæreſis ſacerdotem, quamcunque perſonam de catholicis rebaptizaſſe cognouerit: quia reges nos conſtat habere catholicos, non ſtatim rebaptizantes adſtrinxerit, & ad regis fidem atque iuſtitiam propterea diſtringendos adduxerit, annuali excommunicationi ſubdatur.

31 Clericus cuiuſlibet gradus, ſine pōtificis ſui permiſſu, nullum ad ſæculare iudicium præſumat attrahere. Neque laico, inconſulto ſacerdote, clericum in ſæculare iudicium liceat exhibere.

32 Quocirca hæc, quæ inſpirante Deo, communi conſenſu placuerunt, ſi quis antiſtitum viuentium, vel eorum, quos ſpiritus Dei eſſe voluerit ſucceſſores, relicta obſeruationis integritate, cuſtodire & implere neglexerit, reum ſe diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum eſſe cognoſcat: quia canones ſuos nec ignorare quenquā, nec diſſimulare (id eſt, præterire) permittitur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOporum, qui eidem ſynodo interfuerunt.

Lupus in Chriſti nomine eccleſiæ Lugduneñ. Metropolitanus Epiſcopus, iuxta id, quod omnibus ſanctis coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, patrum ſtatuta ſecutus, his conſtitutionibus ſubſcripſi, die Nonarum menſis tertij quarto, Paulino iuniore viro clariſsim. conſule, anno domini Childeberti regni * xxvj.

Archadius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Bituriceñ. Metropolis, his conſtitutionibus conſenſi.

Agrippinus in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Heduorum, his conſtitutionibus conſenſi.

Albinus in Chriſti nomine epiſcopus Eccleſiæ Andegauenſ. his conſtitutionibus conſenſi.

Antoninus in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Aurelianenſ. his conſtitutionibus conſenſi.

Auolus preſbyter directus à domino meo Agricola epiſcopo eccleſiæ Cabilonenſ. ſubſc.

Aetherius in Chriſti nomine Epiſcopus eccleſiæ Carnotenſ. his conſt. ſubſc.

Amelius in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Pariſiorum, his conſtitutionibus conſenſi.

Marcellianus directus à domino meo Eumerio Epiſcopo Eccleſiæ Nannetenſ. ſubſc.

Flauius in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Rothomagenſ. Metropolitanus, his conſtitutionibus conſenſi.

Euantius preſbyter directus à domino meo Gregorio epiſcopo Eccleſiæ Lingonenſ. ſubſc.

Optardenus preſbyter directus à domino meo Gallo epiſcopo Eccleſiæ Aruernorum ſubſ.

Campanus preſbyter directus à domino meo Iniurioſo Epiſcopo eccleſiæ Turonicæ, ſubſc.

Leo in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Senonenſis metropol. cum comprouincialibus meis his conſtitutionibus conſenſi.

Lauchadius in Chriſti nomine epiſcopus Eccleſiæ Tricaſſinæ, his conſtit. conſenſi.

Lauto in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinenſis, his conſenſi.

Lucinius in Chriſti nomine epiſcopus Eccleſiæ Ebroicenſ. his conſtit. conſenſi.

Pantagathus in Chriſti nomine metrop. epiſcopus Eccleſiæ Viennenſ. iuxta id, quod omnibus ſanctis coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, patrum ſtatuta ſequutus, his conſt. ſubſc.

Placidus in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Matiſconenſ. his conſt. conſenſi.

Paſſiuus in Chriſti nomine epiſcopus Eccleſiæ Sagienſ. his conſt. conſenſi.

Baudaſtis preſbyter directus à domino meo Perpetuo epiſcopo Eccleſiæ Abrincenſ. ſubſc.

Ruſticus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Niuernenſ. his conſt. conſenſi.

Eleutherius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Antiſiodorenſ. his conſt. conſenſi.

Vincentius preſbyter directus à domino meo Suſtratio Epiſcopo eccleſiæ Cadurcenſis, his conſt. conſenſi.

Theodobaudus in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Lexouienſ. his conſtit. conſenſi.

Vrſulus in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Gratianopolitanæ, his conſtit. conſenſi.

Aurelianenſis Concilij tertij finis.

NOTÆ in Concil. Aurelianenſe III. ſub Vigilio.

Concilium Aurelianenſe III.] *Cauſa Concilij deſcribitur initio præfatiuncula.*

Vigintiquinque Epiſcoporum.] *Quorum nomina infra ſubſcripta habentur ordine alphabetico, non dignitatis aut ſenij, qui in ſubſcriptionibus obſeruari conſueuit.*

De incœſtis coniunctionibus.] *Vide quæ ad hunc canonem ſpectantia dicuntur infra, verbo* Albinus. Can. 10.

Quia Deo propitio &c.] *Hæc eadem edicto Regis Childeberti prohibita fuerant, vt videre eſt Can. 14. Concil. Matiſcon. 1. Qua de cauſa hæc in Iudæos conſtituta fuerint, ſignificatur eodem canone, quia nimirum Chriſtianæ religioni vbique & ſemper petulanter inſultare conſueuerant. Ne ergo tempore quatriduano illatam Chriſto & religioni iniuriam vlciſcerentur Chriſtiani, Iudæis mandatum fuit, vt ſe prædicto quatriduano tempore paſchali domi continerent.* Can. 20. Curin Iudæos hæc lata ſint.

Subſcriptiones Epiſcoporum.] *Quo ordine ſubſcripſerint, dixi ſupra.*

Conſulatu Paulini Iunioris.] *Additur Iunioris, ad differentiam illius, qui ante ſex annos vna cum Imperatore Iuſtiniano conſulatum geſſit. Huic iungendus eſt collega Iuſtinus; cuius ſolius nomen Faſtis adſcriptum reperitur Anno Domini 540. cum quo vigeſimus ſextus Childeberti concurrit, vt conſtat ex obitu Clodouei Regis, de quo ſupra.* Tempus celebrati Concilij.

Albinus.] *Hic auctores incœſtarum nuptiarum excommunicarat. Quos cum neque abſoluere, neque Eulogijs publicis impartiri vellet, accidit quod apud Surium 1. Mart. deſcribitur in actis eiuſdem his verbis:* Præter labores reliquos etiam per ſynodos pro ipſa cauſa, *(incœſtarum nuptiarum)* ſæpius excitatus excurrens, ad poſtremum complurium Epiſcoporum iniunctione, vt excommunicatas à ſe perſonas abſoluceret, vi fratrū coactus eſt. Et cum rogaretur, vt Eulogias, quas reliqui Epiſcopi ad perſonam communione ſuſpenſam dirigentes benedicerent, & ipſe ſignaret; ad ſacerdotale Concilium: Etſi ad imperium veſtrum ego ſignare compellor, dum vos cauſam Dei recuſatis defendere, ipſe potēs eſt vindicare. Quo facto antequam Eulogias excommunicata perſona ſuſciperet, expirauit, & priuſquam portitor peruenisſet, ſermo ſacerdotis obtinuit. Qui ad B. Cæſarium Arelatenſem Præſulem pro eadem cauſa conſulturus occurrit. *Hæc ex Actis Albini apud Surium.*

Flauius.] *Si his temporibus Rothomagenſi Eccleſia præſedit Flauius Gildardi ſucceſſor, non video qua ratione aſſeratur, Medardum Anno Chriſti 564. ſub Pontificatu Ioannis III. defunctum, vna eademq; die eiuſdem anni, cum Gildardo Rothomagenſi Epiſcopo obiiſſe, vno eodemq; die nato, vnoq; die diuerſarum Eccleſiarum Epiſcopos eſſe creatos. Gildardus Rothomagenſis, & Sophronius Nouiomenſis Epiſcopi, Aurelianenſi primo interfuerunt & ſubſcripſerunt. Quomodo ergo verum eſſe poteſt, vt Gildardus, & Medardus, eodem die ſimul ordinati, ſimul etiam mortui fuerint? Vt dicamus diuerſis annis die eodem ad cælos vtrumque migraſſe, monet auctoritas Eccleſiæ, quæ vtrumque vno die ad ſuperos miſſum anniuerſaria memoria piè recolit.*

An Gildardus & Medardus anno & die eodem obierint?

Iniurioſus.] *De huius in redarguendis Regibus conſtãtia & libertate, quædam memoratu digniſſima, S. Gregorius Turonen. lib. 4. cap 2 de geſtis Francor. refert hiſce verbis:* Clotharius Rex indixerat, vt omnes Eccleſiæ regni ſui, tertiam partem fructuũ fiſco ſoluerent. Cui licet inuiti, Sancti Epiſcopi conſenſiſſent atque ſubſcripſiſſent: viriliter hoc B. Iniurioſus reſpuens, ſubſcribere dedignatus eſt, dicens: Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet: quia iniquum eſt, vt pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorũ ſtipe tua horrea repleantur. Et iratus contra Regem, nec vale dicens abſceſſit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem B. Martini, miſit poſt eum cum muneribus, veniam petens, & hoc quod fecerat damnans, ſimulque rogans vt per virtutem B. Martini Antiſtitis exoraret. *Hæc Gregorius; qui & de erecta ab eo baſilica beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, de que alijs ab eodem piè ſanctéq; inſtitutis, plura habet lib. 10. cap. 31. Vide Baron. ann. 540. nu. 27. & ſeqq.*

B. Iniurioſi magnanimitas & conſtantia. Clotharius libertate Iniurioſi reſipiſcit.

CANONES BARCINONENSES.

QVVM conueniſſent in Dei nomine, Barcinona ſancti Epiſcopi, id eſt, Sergis Metropolitanus, Nibridius Barcinonenſis Caſotius, Empuritanus, Andreas Ilerdenſis, Staphilius Gerundenſis, Ioannes Cæſarauguſtanus, Aſellus Dertoſanus, hæc obſeruanda ſtatuerunt:

1 Vt Pſalmus quadrageſimus ante Canticum dicatur.

2 Vt benedictio in Matutinis, Fidelibus, ſicut in Veſpera, tribuatur.

3 Vt nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat.

4 Vt Diaconus in confeſſu Preſbyteri nullatenus ſedeat.

5 Epiſcopo præſente, orationes Preſbyteri in ordine colligant.

6 Pœnitentes viri tonſo capite, & religioſo habitu vtentes, ieiunijs & obſecrationibus vitæ tempus peragant.

7 Vt pœnitentes epulis non interſint; nec negotijs operam dent in datis, & acceptis: ſed tantum in ſuis domibus vitam frugalem agere debeant.

8 De his, qui in infirmitatibus poſcunt pœnitentiam, & à Sacerdote accipiunt, ſi poſtea conualuerint vitam pœnitentium peragant; excepta manus impoſitione, ſegregati à communione, quamdiu probabilem Sacerdos eorum approbauerit vitam.

9 Iubemus verò in infirmitate poſitis,* beatificam benedictionem percipiant.

10 De Monachis verò id obſeruari præcipimus, quæ Synodus Chalcedonenſis conſtituit.

NOTÆ in Canones Barcinonenſes.

Concilium hoc coactum fuiſſe exiſtimo ferè Era D. LXXVIII. Sic poſui in chronologia. Garſias.

De Monachis.] *Multa in concilio Chalcedonenſi à ſanctis Patribus inſtituta de cultu, vita, & habitu, regula, & caſtitate Monachorum, quæ ab alijs concilijs accepta, in monaſterijs caſtè & piè obſeruata ſunt.* Garſias.

CONCILIVM BYZACENVM IN AFRICA ANNO DOMINI 541. CELEBRATVM ſub Vigilio.

NOTÆ.

Concilium.] *Hoc anno 541. celebratum eſſe Concilium in prouincia Byzacena Africæ, ex quo miſſa eſt legatio ad Iuſtinianum Imperatorem, apparet ex reſcripto eiuſdem Imperatoris ad Concilium reddito. Extat ipſum reſcriptum Iuſtiniani in Collect. Iuliam prope finem. & apud Baron. an. 541. nu. 10.*

CONCILIVM ARVERNENSE XV. EPISCOPORVM TEMPORE VIGILII PAPÆ, ET THEODEBERTI Regis Galliæ celebratum, Anno Chriſti Redemptoris 541. Eſt Prouinciale.

CAPITVLA ARVERNENSIS Synodi.

In ſynodis quid quo potiſſimum ordine tractandum. 1
Pontificij honorem non votis, ſed meritis quærendum. 2
Cadauera mortuorum non obuoluenda pallis ſacratis. 3
Res eccleſiaſticas à regibus obtinere deſiderantes, excommunicandos. 4
Opertorio corporis Dominici ad nihil aliud, quàm ad ipſum Domini corpus, vti debere. 5
Neque Chriſtianum Iudæ, neque Iudæum Chriſtiana coniugari licere. 6
Suppellectilia Eccleſiæ ſacra ad nuptias ſeu res mundanas non vſurpanda. 7
Iudæos non præficiendos Chriſtianis iudices. 8
Parochiam alienam nulli epiſcopo inuadendam. 9
Alienum clericum, alieno epiſcopo non vtendum. 10
Coniugia inceſtuoſa quæ quibus quantopere vitanda. 11
Presbyteris ac diaconis quàm ſtrictè continentia ab vxoribus ſeruanda. 12
Munera Eccleſiæ ſub Sacramento collata, quo ſupplicio neque fraudanda, neque retinenda, neque ſupprimenda. 13
Feſtiuitates quæ quibus clericis cur vbi tantum peragenda. 14
Epiſcopis, presbyteris & clericis quanta conſcientiæ munditia viuendum. 15
Quas tantum fœminas cohabitare clericis deceat.

PROOEMIVM.

APVD Eccleſiam Aruenã ſub die ſexto Iduum Nouembris, poſt conſulatum Paulini iunioris, cùm in Dei nomine congregante ſancto ſpiritu, conſentiente domino glorioſiſſimo pioque Rege Theodeberto, in Aruernam vrbem ſancta ſynodus conueniſſet, ibique flexis in terra genibus pro rege, pro eius regno & longeuitate, & pro populo Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis tribuerat poteſtatẽ, regno eius Dominus noſter felicitatem tribueret, Imperium regeret, *& in iuſtitia gubernaret, in eccleſia ex more conſedimus. Inſpectisque canonibus, id nobis rationabile viſum eſt, vt quamuis Eccleſiaſticæ regulæ penè omnia comprehendant, quædam tamen vel adderentur noua, vel repeterentur antiqua.

Hic Theodoricus filius Clodouei regem *iubilat.

Capitulum primum.

Inprimis placuit, vt quoties ſecundum ſtatuta patrum ſancta Synodus congregatur, nullus epiſcoporum aliquam prius cauſam ſuggerere audeat, quàm ea, quæ ad emen-

In hoc conuentu

dationem

dationem vitæ, ad serenitatem regulæ, ad animę remedium pertinent, finiantur.

2 Placuit etiam, vt sacrum quis pontificij honorem non votis quærat, sed meritis: nec diuinum videatur munus cõparare rebus, sed moribus: atque eminentissimæ dignitatis apicem omnium conscendat electione, non paucorum fauore. Sit in eligendis sacerdotibus cura præcipua, quia irreprehensibiles esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis. Diligenter itaque quisque inspiciat prædium Dominici gregis, vt sciat, quod meritum constituendi deceat esse pastoris: Episcopatum ergò desiderans, electione clericorum vel ciuium, consensu etiam metropolitani eiusdẽ, prouinciæ pontifex ordinetur. Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdola, ad conscribendum decretum *alius hortetur præmijs, alius timore compellat. Quod si quis fecerit, ecclesiæ, cui indignus præesse cupit, communione priuabitur.

3 Obseruandum, ne pallis vel ministerijs diuinis, defunctorum corpuscula obuoluantur: & ne à potentibus seculi, clerici contra episcopos suos vllo modo erigantur.

4 Qui regulam ecclesiæ petunt à regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur, quæ obtinent, & à communione ecclesiæ huius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

5 De opertorio Dominici corporis, seu palla altaris, nunquàm sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur: quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.

6 Si quis Iudaicæ prauitati, iugali societate coniungitur, & seu Christiana Iudæo, siue Iudæus Christianæ mulieri consortio misceatur carnali, quicunque horum tantum nefas admisisse dignoscitur, à Christianorum cœtu atque conuiuio, & à communione Ecclesiæ, cuius sociatur hostibus, segregetur.

7 Ne ad nuptiarum ornatum ministeria diuina præstentur, ne, dum improborum contactu, pompaque secularis luxuriæ polluuntur, ad officium sacri mysterij videantur indigna.

8 Ne Iudæi Christianis populis iudices præponantur.

9 Ne parochiam cuiuslibet episcopi, alterius ciuitatis episcopus canonum temerator inuadat: & vesanæ cupiditatis facibus inflammatus, suis quoquo modo non contentus, rapiat alienam.

10 Ne vllus episcopus alterius clericum, contra voluntatem episcopi sui, suscipere audeat, aut sacerdotio prærogare.

11 Si quis relictam fratris, sororem vxoris, priuignam, consobrinam ve relictam, id est, patrui vel auunculi, * carnalis contagij macula crediderit violandam, & ausu sacrilego authoritatem diuinæ legis, ac iura naturæ perruperit, & cui charitatis ac pij affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis ac pudicitiæ expugnator, vim inferre tentauerit, Apostolicæ constitutionis sententia feriatur: & quamdiu in tanto versatur scelere, à Christiano cœtu atque conuiuio, ecclesiæ communione priuabitur.

12 Cùm presbyteri atque diaconi, sublimi dignitatis apice prærogentur, actibusque omninò seculi renuncient, & ad sacrum ministerium electi, repudient, & quisquis est presbyter atque diaconus, diuino munere benedictione percepta, vxoris suæ prius, frater ilicò efficiatur ex coniuge: attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos abiecto militiæ cingulo, vomitum pristinum & inhibita rursus coniugia repetisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus sacerdotij violasse, quod nati etiam filij prodiderunt. Quod quisquis fecisse, cognoscitur, omni in perpetuum (quam, admisso iam crimine, perdidit) dignitate priuabitur.

13 Si quis cuiuscunque ecclesiæ munuscula quælibet sub sacramenti scriptura collata, nefaria calliditate fraudauerit, inuaserit, retinere tentauerit, atque suppresserit, & non statim à sacerdote commonitus, collata reddiderit, ab Ecclesiæ catholicæ communione pellatur.

14 Si quis ex presbyteris, aut diaconis, qui neque in ciuitate, neque in parochijs, canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in oratorio sancto deseruiens, celebret diuina mysteria: festiuitates præcipuas, Domini natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt festiuitates reliquæ, nullatenus alibi, nisi cum episcopo suo in ciuitate teneat. Quicunque sunt etiam ciues natu maiores, pari modo in vrbibus ad pontifices suos in prædictis festiuitatibus veniant, quod si qui improba temeritate contempserint, eisdem festiuitatibus, quibus in ciuitatibus adesse despiciunt, communione pellantur.

15 Episcopus, presbyter atque diaconus, tam sancta conscientia resplendeant, vt effugiant probitate actuum, maledicorum obloquia, & testimonium in se diuinum implere contendant, quo dominus ait: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videntes vestra bona opera, glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Matth. 5.

16 Igitur authoritate canonica, aliqua mansura in ea cõstitutione sanximus, vt fugiatur ab his extranea mulierum culpanda libertas, & tantùm cum auia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas compulerit, habitent. De quibus omnibus (vt priorum canonum series continet) nefas est aliud, quàm natura constituit, suspicari. In cubiculo etiam horum atque cellario, vel familiari quolibet seruitio, neq; sanctimonialis vlla, neque extranea mulier neque ancilla vllo modo admittatur. Quòd si quis præceptorum Dei immemor crediderit contemnendum, sciat se authoritate canonica communionis sine dubio iacturam subire. Quòd si antistes culpam hanc in presbytero aut diacono suo distringere canonico rigore noluerit, ipse seueritate sententiæ vel seueritatis sententia feriatur.

Honoratus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Bituricæ, subscripsi.

Gallus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Aruernens. subscripsi.

Gregorius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lingonicæ, consensi & subscripsi.

Hilarius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Gabalitanæ, consensi & subscripsi.

Ruricius in Christi nomine episcopus ecclesię Lemouicen. consensi & subscripsi.

Nicetius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Treuerorum, subscripsi.

Deuterius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lotenen. subscripsi.

Dalmatius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Rutheneñ. subscripsi.

Flauius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Rhemens. Deo propicio, subscripsi.

Lupus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Cathalauneñ. subscripsi.

Domitianus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Tongrorum, quod est Traiectum, subs. *A Tongris sedes episcopalis in Traiectensi translata est. atq; indead vrbem Leodiensem.*

Venantius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Veronens. subscripsi.

Grammatius episcopus ecclesiæ Meten. subscripsi.

Desideratus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Virduneñ. subscripsi.

Superius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Auenticorum, subscripsi.

Finit Concilium.

Desumptum ex vetusto codice quinque librorum partialium, capitulum concilij Aruernen. quod in decreto Gratiani non habetur.

Ex eodem libro 2. capit. 103. Vt presbyteri plebes suas admoneant, quòd hospitales sint.

Placuit, vt presbyteri suas plebes admoneant, vt hospitales sint, & nulli iter facienti, mansionem denegent. Et vt omnis occasio rapinæ tollatur, nihil cariùs vendant transeuntibus, nisi quanto in mercato vendere possint. Quòd si cariùs vendere voluerint, ad presbyterum transeuntes hoc referant, & illius iussu cum humanitate eis vendant.

Decerpta alia quatuor capitula Concilij Aruerneñ. ex codice æquè vetusto 16. librorum partialium, quæ etiam in decreto Gratiani non adnotantur.

Ex libro primo, Cap. 20.
Cap. I.

De possessione 30. annorum, ne repetatur.

Quicunque episcopus alterius episcopi diœcesim per 30. annos sine aliqua interpellatione possederit, admittenda non est contra eum actio reposcendi: sed hoc intra* , extra verò nullo modo: ne, dum diœcesis defenditur, prouinciarum termini confundantur.

Ex libro secundo, cap. 37.
Cap. II.

Vt in vita episcopi, alius non superponatur.

Vt nullus, viuente episcopo, alius superponatur aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in eius locum, quem capitalis culpa deiecerit.

Ex libro secundo, cap. 44.
Cap. III.

De presbyteris, qui de crimine fornicationis, siue aliquo capitali flagitio accusantur, & non habent collegas, cum quibus se expurgare possint, aut si fortè lapsi fuerint, quomodo satisfaciant, in quorum iudicio neque ad dexteram, neque ad sinistram declinandum est, sed recta via gradiendum. In Concilio namque Neocæsareen. scriptum est: Presbyter, si vxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, ampliùs pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

C. 1. & dist. 28. presbyter.

Ex libro tertio, cap. 14.
Cap. IIII.

Quòd licitum sit episcopis, cum consilio cleri, de thesauro ecclesiæ suæ familiæ succurrere.

Licitum sit episcopis, præsentibus presbyteris & diaconibus, de thesauro ecclesiæ, familiæ & pauperibus eiusdem ecclesiæ, secundum canonicam institutionem, iuxta quod indiguerint, erogare.

NOTÆ in Concilium Aruernense tempore Vigilij Papæ & Theodoberti Regis Galliæ, celebratum anno Domini 541.

Occasio & causa Concilij.

Concilium] *Theodoricus Rex Galliæ bona pauperum & Ecclesiæ inuolauerat; quæ cũ Theodobertus Rex maximè pius, vehementissimè in patre reprehenderet, cõsulturus immunitati Ecclesiasticæ, voluit leges sanciri, quib. iura antiqua Ecclesijs illibata penitus seruarentur, atq; illi, qui emerserant paulatim abusus praui, funditus tollerentur. Voluit hæres regni, non perfidiæ, vt quæ perperam à Patre facta fuerant, ab Episcopis corrigerẽtur. Hac itaq; occasione cõuenientes quindecim Episcopi, egregia sanctitate maxima ex parte celeberrimi, quæ ad reformandam disciplinam Ecclesiæ necessaria erant, cõstituerunt.*

Vnde nomen sortitur Aruernése & Aruerni qui.

Aruernense] *Sic dictum ab oppido Aruernorum, qui sunt populi Aquitaniæ à Troianis oriũdi, olim appellati fratres Romanorum, quibuscum crebrò bella gesserunt. Aduersus Maximum Aemilianum, & Domitium Aenobarbum ducentis hominum millibus conflixerunt; plurima etiam militum copia Cæsarem impugnarunt. Strabo lib. 4. Plinius lib. 4. cap. 19. S. Gallus hanc vrbem, cuius Episcopatum viginti septem annis tenuit, sua sanctitate & miraculis longè celeberrimam reddidit: incendio conflagrantem, & inguinaria lue periculosissimè afflictam, vir sanctissimus miraculosè admodum liberauit. Duplici Concilio condecorata, aliquando graui schismate laborauit, quod opere Auiti eiusdem sedis Episcopi, sublatum fuit. Conuersi sunt plurimi Iudæorum. Quæ omnia recensentur prolixius à Gregorio Turonensi, qui se patre Aruernensi ciue prognatum alibi gloriatur.*

S. Galli virtus.

Theodoberti vita.

Theodoberti Regis Galliæ] *Theodobertus Clodouei nepos ex filio Theodorico Francorũ Rege impijssimo & sacrilego, patri defuncto successit. Cuius cum vitam & mores principio imitaretur, ac multa inquè exerceret, voce energumeni illi crimina grauia obijcientes: monituq; Nicetij Episcopi Treuerensis eundem ad vitæ emendationem adhortantis, & mitior, inquit Gregor. & melior est factus. Regnum deinde cum iustitia gerens, sacerdotes venerans, Ecclesias muneràs, pauperes eleuans, & multis multa beneficia pia ac dulcissima voluntate accommodans: omne tributum, quod fisco suo ab Ecclesijs in Aruerno sitis debebatur, clementer indulsit. Cõmendatur ab eodem Gregorio, quod piè & religiosè loca sanctorum inuiserit, quodq; S. Agericum Virdunensem Episcopum à parente Theodorico dirè vexatũ, ipse clementissimè susceperit. Addit eundem defuncto Patre legationem misisse ad Iustinianum Imperatorem, eaq; functum esse Munzolum virum illustrem, qui cum Patras in Achaiam aduectus esset, vsque ad interitũ morbo calculi laborans, ope S. Andreæ Apostoli, mirabili modo curatus est: ideoq; parenti suo Aruernẽsi ciui accidisse scribit, quod cum virtutem reliquiarũ cum alijs fuisset expertus, Regi Theodoberto, sese cum alijs frequentur obsidem dederit. Baro. ex Grego. an. 530. Confœderatus cum patruo suo Childeberto, in patruum Clotharium exercitum mouit; sed Crotildis Regina, inquit Grego. hæc audiens, B. Martini sepulchrum adijt, ibiq; in oratione prosternitur, & tota nocte vigilat, orans ne inter filios bellum ciuile consurgeret. Quare cum obsessum à suis militibus, postero die interficere cogitarent, fulgure ac tempestate cælitus immissis, prostrati, fugati ac dissipati fuerunt. Agnito peccato pœnitentiam egerunt, pacemq; inter se composuerunt. Cum Iustinianus Imperator, græco quodam fastu, Imperatoris titulis, nomen Francorum adijceret, quasi instar Gothorum & VVandalorum, debellasset etiam Francos, quos ne quidem semel attigerat; Theodobertus Rex iniquo animo illud ferens, inuadens Italiam magnum in Picenum vsque duxit exercitum; qui lue exagitatus admodumq; debilitatus & imminutus, re infecta redire ad propria coactus fuit. Secundo inuadens Italiam, relicto Theodobaldo regni sui hærede adolescẽtulo, ex hac vita discessit, anno Redemptoris nostri 552. Dum post Theodoricum parentem suum anno Christi 530. defunctum, regnum Patris obtinuerat annis 22. Hæc ex Greg. Turonensi Baron. an. Christi 530. 540. 541. 542.*

Crotildis precibus exercitus diuinitus figitur.

Theodobertus bis Italiam inuadit.

Tempus Concilij.

Anno Redemptoris 541.] *Nempe post cõsulatum Paulini Iunioris: qua nota Consulari in Fastis, (vt supra dixi in Conc. Aurelia. 3.) insignitur annus Christi 541. qui est Theodoberti Regis Galliæ annus regni vndecimus: & Childeberti vicesimus septimus: quæ omnia ex supradictis annotationibus Concil. Aurelian. tertij manifestè constant.*

Cæs. a. Occido consul. canoch.

Placuit vt sacrum quis Pontificij honorem] *Hæc Patres Concilij constituerunt aduersus eos, qui bona Ecclesiæ, vsui pauperum inseruientia, à Regibus sacrilegis extorquebant. Scribit enim Grego. Turonensis in vita S. Galli:* Eiusdem Theodorici Regis tẽpore, illud iniquum germẽ cœperat pullulare, vt sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis. *Hu constituendis Theodobertum Regem adiumento fuisse, indicant Episcopi in præfatione huius Concilij supra.*

Gallus quis & qualis.

Gallus] *Gallum Aruernensem Episcopum patruum suum fuisse, testatur Gregorius Turon. de gloria Martyr. lib. 2. cap. 23. Quibus miraculis claruerit, ex eodem Gregorio, supra dixi verbo* Aruernense. *Obijt anno ætatis suæ sexagesimo quinto, Episcopatus verò sui vigesimo septimo. Extat de eodem Venantij Fortunati Epitaphium, quod ingratiam Gregorij Turon. nepotis illius conscripsit. Pluribus de S. Gallo Baron. in Notis Martyr. & in annalib. tom. 7. an. 573. & in appendice eiusdem anni.*

Quo anno natus & promotus fuerit Gregorius Lingonensis qua.

Gregorius Lingonensis] *Hic idem interfuit Concilio Epaunensi, cumq; annis triginta duobus Lingonensem Episcopatum administrasset, hoc eodẽ anno Redemptoris 541, quando ex hac Synodo ad Ecclesiam suam reuertisset, sanctè & piè migrauit ad Dominũ. Successit in locum illius S. Tetricus, de quo infra in Concil. Aurel. V. opportune dicturi sumus.*

Hilarius.

Hilarius] *Hilarius Gabalitanus Episcopus, sanctitate celebris, colitur in Ecclesia, vigesima quinta Octobris: quando è terrenis ad superna vocatus fuit. Extat quædam salutatio, quam Fortunatus carmine descripsit, & ad illum transmisit.*

Ruricius qualis.

Ruricius] *Hunc, præter egregiam morum præstantiam, auita etiam nobilitas, qua Anicianæ familiæ iunctus erat, clariorem reddidit. Res ab illo piè & præclarè admodum gestas, Fortunatus 4. lib. Carminum describit his versibus:*

Hic sacra Pontificum toto radiantia mundo,
Membra sepulchra tegunt, Spiritus astra colit.
Ruricij gemini flores, quibus Aniciorum
Iuncta parentela culmine Roma fuit.
Accumulante gradus prænomine sanguine nexi

Exultant pariter; hinc auus, inde nepos.
Tempore quisq; suo fundens pia templa patrono;
Iste Augustini condidit, ille Petri.
Hic probus, ille pius: hic serius; ille serenus,
Certantes pariter quis sibi maior erit.
Plurima pauperibus tribuentes diuite censu,
Miserunt cælo; quas sequerentur opes.
Quos spargente manu redimentes crimina mundi,
Inter Apostolicos credimus esse choros.
Felices, qui sic de nobilitate fugaci
Mercati in cælis iura senatus habent.

Nicetius Treuerensis Episcopus] *Sacram memoriam huius Episcopi sanctitate celeberrimi, virtutum excellentia & miraculorũ editione admodum spectati, annuersaria solennitate recolit Ecclesia. Vitam eiusdem præclarè descripsit Greg. Turonensis. De ortu illius, quod obseruatione dignum est, hæc commemorat*: Omne caput illius (vt est consuetudo nascentium infantium) à capillis nudum cernebatur: in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab ijsdem coronam clerici esse figuratam. *Quæ obseruantia Theodoricus Rex eum coluerit, subdit his verbis*: Venerabatur eum Rex Theodoricus magno honore, eo quod sæpius vitia eius nudaret & crimina, vt castigatus emendatior redderetur. Et ob hanc gratiam, decedente Treuericæ vrbis sacerdote, eum ad Episcopatum iussit accersiri, iamque dato consensu populi ac decreto Regis ad ordinandum & à viris summo cum regio honore præditis adducebatur. *Contigit illud anno Domini 529. Theodobertum hæredem & successorem Theodorici eiusdem Nicetij hortatu emendatum esse, supra dixi, verbo Theodoberti. Clotarium ob incestas nuptias acerrimè reprehendit, ideoque ab eodem in exilium amandatus fuit: verùm Sigebertus filius Clotarij patre defuncto anno Domini 565. sub Pontificatu Ioannis tertij, illum relegatum post trimmo reuocauit. Hæc ex vita Nicetij apud Greg. Turon.*

Flauius Rhemẽsis] *Ex hoc loco apertè ostenditur, errare Sigebertum in Chron. quod transitum S. Remigij referat ad annum Domini 545. Non potuisset huic Concilio interfuisse Flauius, si ad præd. annum S. Remigius superstes fuisset.*

Desideratus] *Gregor. Turon. de gestis Francorum lib. 3. cap. 34. de liberalitate Desiderati Virdunensis Episcopi refert, quod cum à Theodorico Rege bonis omnibus spoliatus fuisset, ciues verò Virdunenses ad summam inopiã redacti essent, ille à Theodoberto successore Theodorici, septem millia aureorum mutuo acceperit, eaque inter ciues erogauerit. Vide Baronium ann. 541. nume. 30. vsque ad finem.*

CONCILIVM AVRELIANENSE QVARTVM, TEMPORE VIGILII PAPÆ, ET CHILDEBERTI REGIS.

circa annum Domini 545. celebratum.
Est Prouinciale.

TITVLI CAPITVLORVM
sequentis quarti Concilij.

De festiuitate paschali celebranda. 1
Vt quadragesima æqualiter teneatur. 2
Vt primores ciuitatis pascha in ciuitate celebrent. 3
De eo, quod in sacrificio Missæ est offerendum. 4
De ordinatione episcopi. 5
Quòd clerici canonum statuta ab episcopis percipiant. 6
De oratorijs, & clericis in illis seruire debentibus. 7
De pœnitentia lapsorum in hæresim. 8
De relictis, venditis, ac alienatis à sacerdote cuiuslibet ecclesia. 9
De indignis ad sacerdotium promotis, & qui indigni censeantur. 10
De non distrahendis his, quæ monasterijs vel ecclesijs sunt collata. 11
De eo, quòd si episcopi discordes fuerint inter se de repetitione possessionis. 12
De iudicibus, qui quemlibet clericum cuiuslibet ordinis, publicis actionibus implicauerint. 13
Vt, quæ episcopus ecclesiæ dederit, hæredes sui non auferant. 14
De his, qui post baptismum dæmonibus offerunt, ad vomitum reuersi. 15
Christianus super pecudes non iuret. 16
Clerici honorati, cum coniugibus suis lectum communem non habeant. 17
Ecclesia præiudicium non patiatur ex alienatione bonorum per clericos. 18
Quod ecclesiæ collatum est, nec à collatore, nec ab illius hæredibus repeti debet. 19
Quòd iudex secularis clericũ cõstringere nõ audeat, aut discutere. 20
Ne de ecclesiarum septis fugitiuum quemcunque quis quacunque occasione abstrahat. 21
Nullus per potestatem filiam competat alienam. 22
De seruis ecclesiæ aut sacerdotum, prædas agentibus. 23
De mancipijs, propter spem coniugij, ad ecclesiam confugientibus. 24
De clerico aut laico, qui per potestatem regiam res ecclesiæ, contempto pontifice, petere aut possidere præsumpserit. 25
De ecclesijs in domo potentum existentibus, & clericis earum. 26
De incestu coniunctionibus. 27
De homicidio voluntariè facto. 28
De mulieribus in adulterio cum clericis deprehensis. 29
De mancipijs Christianis seruientibus Iudæis. 30
De Iudæis, qui aduenam vel Christianum ad Iudaicam superstitionem seduxerint, vel sibi ancillam Christianam sociauerint. 31
De existentibus genere seruilibus personis, & earum posteritate. 32
De facientibus in agro suo oratorium, vt clericis sufficientem ibidem facultatem prouideant. 33
De agellis sacerdotum, ac alijs eorum facultatibus, vt firma eis maneant. 34
De substituendo antistite. 35
Si episcopus clerico alienæ ciuitatis aliquid dederit possidendum, post eius obitum ad ecclesiam reuertatur. 36
Vt synodus annis singulis celebretur. 37
Vt, quæ statuta sunt, obseruentur. 38

PROOEMIVM.

QVM in Aurelianensis vrbe vnanimiter in Christi nomine sancta adfuisset cõgregatio sacerdotum, & de his, quę ad sacrum propositum pertinent, vel quæ secundum ecclesiasticam ordinationem regulari conueniunt disciplinæ, Deo medio tractata decernerent, placuit, vt quæ sunt definita, secundum antiquam consuetudinem scripta monstrarentur. Et quo firmiùs statuta seruentur, cum consensu omnium docet adnotata subscriptio.

Capitulum primum.

Placuit itaque, Deo propitio, vt sanctum Pascha, secundum laterculũ Victoris, ab omnibus sacerdotibus vno tempore celebretur. Quæ festiuitas annis singulis Epiphaniarũ die in ecclesia populis denuncietur. De qua solẽnitate quoties aliquid dubitatur, inquisita vel agnita per metropolitanos à sede Apostolica sacra constitutio teneatur.

2 Hoc etiam decernimus obseruandum, vt Quadragesima ab omnibus ecclesijs æqualiter teneatur. Neq; quinquagesimam aut sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere. Sed neque per sabbata absq; infirmitate quisquam soluat quadragesimæ ieiunium, nisi tantùm die Dominico prandeat. Quod sic fieri specialiter patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tanquàm transgressor disciplinæ à sacerdotibus censeatur.

3 Quisquis de prioribus ciuibus Pascha extra ciuitatem tenere voluerit, sciat sibi à cuncta synodo esse prohibitum. Sed principales festiuitates sub præsentia episcopi teneant, vbi sanctum decet tenere conuentum. Tamen si aliquis certa necessitate constringatur, vt hoc implere non possit, ab episcopo postulet commeatum. Quòd si hoc postulare despexerit, & * eundem locum idem in festiuitate præsentibus tenere voluerit, suspendatur.

4 Vt nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, aqua mixtum offerre præsumat: quia sacrilegium iudicatur, aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimis Saluator instituit.

5 Id etiam regulariter esse perspeximus decernendum, vt Episcopus in ciuitate, in qua per decretum eligitur ordinandus,

* for. & in eodẽ loco festiuitatẽ præsentẽ tenere.

Luc. 22.

dinandus, in sua ecclesia, cui præfuturus est, consecretur. Sanè si subito necessitas temporis hoc implere nō patitur, licet melius esset in sua ecclesia fieri, tamen vt sub præsentia metropolitani, aut certè vt eius authoritate intra prouinciam omninò à comprouincialibus ordinetur.

6 Parochiani clerici à pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant, ne se ipsi vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent postmodum ignorasse.

7 Vt in oratorijs, domini prædiorum minimè cōtra votum episcopi, ad quem territorij ipsius priuilegium noscitur pertinere, peregrinos clericos intromittant: nisi forsitan quos probatos ibidem districtio pontificis obseruare præceperit.

8 De his, qui post baptismi sacramentum ad hæresis lapsum (carne suadente) descendunt, & agnoscentes reatum, ad vnitatem fidei Catholicæ venire desiderant, in episcoporum potestate consistat, cùm eos viderint dignam pœnitentiam agere, quando vel qualiter communioni pristinæ reformentur.

9 Vt episcopus, qui de facultate propria ecclesiæ nihil relinquit, de ecclesiæ facultate si quid aliter, quàm canones eloquuntur, obligauerit, vendiderit, aut distraxerit, ad ecclesiam reuocetur. Sanè si de seruis ecclesiæ libertos fecerit numero competenti, in ingenuitate permaneant, ita vt ab officio ecclesiæ non recedant.

10 Si quis episcoporum sciens aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium Leuiticæ dignitatis siue presbyterij, contra ius canonum, promouere præsumpserit, nouerit se vnius anni spatio ab omni officio sacerdotij esse suspensum. Cui si forte sententiæ subiacere contempserit, à communione eius vsque in magnam synodum se fraternitas vniuersa suspendat: illi verò, qui illicitè promoti sunt, regradentur.

11 Si quid abbatibus, aut sacris monasterijs, aut parochijs pro Dei fuerit contemplatione collatum, in sua proprietate hoc abbates vel presbyteri minimè reuocabunt, nec alienare quod cunctis fratribus debetur, quacunque occasione præsumant. Quibus si fuerit necessarium vt statuta conuellant, non aliter valeat, nisi episcopi sui subscriptione firmatum.

12 Si inter episcopos de rebus terrenis aut possessionibus sub repetitionis, aut retentationis titulo nascatur contentio, intra anni spatium pro studio charitatis, quæ cunctis debet rebus temporalibus anteferri, per epistolas fratrum affectuosè commoniti, aut inter se, aut in præsentia electorum iudicum, negocium sanare festinent. Quod si distulerint, donec ipsa causatio abrogetur, à charitate fratrū, qui distulerit, habeatur extraneus: quia iniustū est, vt qui cunctis præsunt, inter se quacunq; causatione dissentiant.

13 Si quis iudicum clericos de quolibet corpore venientes, atq; altario mancipatos, vel quorum nomina in matricula ecclesiæ tenentur inscripta, publicis actionib⁹ applicare præsumpserit, si à sacerdote admonitus emēdare noluerit, cognoscat se pacem Ecclesiæ non habere. Similiter & ad vllam administrationem Pontificis, presbyteros atque diaconos ideò excusatos esse decreuimus, quia quod lex seculi etiam paganis sacerdotibus & ministris ante præstiterat, iustum est, vt erga Christianos specialiter conseruetur.

14 Quæcunque ecclesijs aut pontificibus sub competenti ac iusto documento fuerint derelicta ab hæredibus legitimis, dignum est vt Dei contemplatione seruentur.

15 Si quis post acceptum baptismi sacramentum ad immolata dæmonibus sumenda, tanquàm ad vomitum reuertitur, si commonitus à sacerdotibus ex hac præuaricatione se noluerit reuocare, à communione Catholica pro emendatione sacrilegij suspendatur.

16 Si quis Christianus (vt est gentilium consuetudo) apud cuiuscunque feræ vel pecudis exta, inuocatis insuper nominibus paganorum, fortasse iurauerit, si se ab hac superstitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet, à consortio fidelium vel Ecclesiæ communione pellatur.

17 Vt sacerdotes siue diaconi, cum coniugibus suis non habeant communem lectum & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortij religio maculetur. Quod qui fecerint, iuxta priscos canones ab officio regradentur.

18 Vt quicunque clericus aliquid de iure ecclesiastico, seu verbo, seu scriptura acceperit ad vtendum, & postmodum hoc alienare quacunque ratione præsumpserit, non valebit: quia, secundum canonum statuta, proprietatem ecclesiæ non violat in alios quanlibet longa possessio. Sed in pontificis potestate consistat, qualiter pro conseruando iure Ecclesiastico, rem possessam inter clericos debeat communicare.

19 Quicunque pro deuotione sua oblationis studio, aliquid in campellis, vel in vineolis, etiam absq; scriptura probatur ecclesiæ cōtulisse: si postmodum vel ipse, vel hæredes eius quacunque occasione auferre à iure hoc ecclesiæ vel alienare voluerint, quoadusque à tali intentione discedant, aut peruasa restituant, à communione Ecclesiastica suspēdantur.

20 Vt nullus secularium personarum, prætermisso Pontifice seu præposito ecclesię, quenquam clericorum pro sua potestate constringere, discutere audeat, vel damnare. Sed & clericus si pro causæ appetitione cuiuscunque, fuerit ab ecclesiastico ordinatore commonitus, se ad audientiam spondeat affuturum, & respondere nulla calliditate dissimulet: sed quæcunque causatio quoties inter clericum & secularem vertitur, absque presbytero aut archidiacono, vel si quis esse præpositus ecclesiæ dignoscitur, iudex publicus audire negocium non præsumat. Sanè si causam habentibus placuerit ire ad iudicium, fortè ex voluntate communi, permittente præposito ecclesiæ, clerico licentia tribuatur.

21 Si quis necessitatis impulsu ad ecclesiæ septa confugerit, & sacerdote vel præposito ecclesiæ prætermisso, atque contempto, eum quisque de locis sacris vel altaris seu vi seu dolo abstrahere aut solicitare fortè præsumpserit: vt inimicus ecclesiæ, ab eius liminibus arceatur, quousq; iuxta pontificis districtionem digna pro indicta pœnitentia emendatio subsequatur, eo tamen qui abstractus est, priùs ecclesiæ restituto.

22 Vt nullus per imperium potestatis, filiam * competere audeat alienam, ne coniugium (quod contra parentum voluntatem piam copulatur) velut captiuitas iudicetur, sed sicut est prohibitum, non admittatur. Si qui perpetrauerint, excommunicationis seueritas pro modo piaculi imponatur. * Adipiscatur

23 Vt seruis ecclesiæ vel sacerdotum prædas & captiuitates exercere non liceat: quia iniquum est, vt quorum domini redemptionis præstare solent suffragium, per seruorū excessum disciplina ecclesiastica maculetur.

24 Quæcunq; mancipia sub specie coniugij ad Ecclesiæ confugerint septa, vt per hoc credant posse fieri cōiugium, minimè eis licentia tribuatur, nec talis coniunctio à clericis defensetur: quia probatum est, vt sine legitima traditione coniuncti, pro religionis ordine statuto tempore ab Ecclesiæ communione suspendantur, ne in sacris locis turpi concubitu misceantur. De qua re decernimus, vt parentibus aut proprijs dominis (prout ratio poscit personarum) accepta fide excusati, sub separationis promissione reddantur. Postmodum tamen à parentibus atque dominis libertate concessa, si voluerint, eos propria voluntate coniungant.

25 Si quis clericus aut laicus sub potentum nomine atque patrocinio, res ad ius ecclesiæ pertinentes, contempto Pontifice, petere seu possidere præsumpserit, primùm admoneatur, quæ abstulit, ciuiliter reformare, aut certè iudicium sacerdotis seu iudicis opperiri, vt poscit sacra religio. Quòd si in peruasionis pertinacia persistit, tamdiu ab ecclesiæ liminibus arceatur, donec, cùm satisfactione iustissima, peruasa aut occupata restituat.

26 Si quæ parochiæ in potentum domibus constitutæ sunt, vbi obseruantes clerici, ab archidiacono ciuitatis admoniti, secundum qualitates ordinis sui fortasse, quod ecclesiæ debent, sub specie Domini domus implere neglexerint, corrigantur secundum Ecclesiasticam disciplinā. Et

si ab

si ab agentibus potentum, vel ab ipsis rei dominis de agendo officio ecclesiæ ab aliquo prohibentur, authores nequitiæ à sacris cæremonijs arceantur, donec subsequuta emendatione, in pace Ecclesiastica reuocentur.

27 De incestis coniunctionibus id statuimus obseruandum, vt si quis post synodi constituta illicitatori iura præsumpserit, circa eum secundum statuta Epaunensium canonum, à sacerdotibus ecclesiæ seueritas teneatur.

28 Quisquis homicidium voluntate commiserit, ita vt occidere audeat innocentem, si à principibus aut à parentibus quacunque re se reddiderit absolutum, pro modo pœnitentiæ distringendus, in sacerdotis potestate consistat.

29 Si quæ mulieres fuerint in adulterio cum clericis deprehensæ clericis districtione adhibita, mulieres ipsæ, prout sacerdoti visum fuerit, districtioni subiaceant, & à ciuitatibus, vt sacerdos præceperit, repellantur.

30 Cùm prioribus canonibus iam fuerit definitum, vt de mancipijs Christianis, quæ apud Iudæos sunt, si ad ecclesiam confugerint & redimi se postulauerint, etiã si ad quoscunque Christianos refugerint, & seruire Iudæis noluerint, taxato & oblato à fidelibus iusto precio, ab eorum, dominio liberentur: ideò statuimus, vt tam iusta constitutio ab omnibus catholicis conseruetur.

31 Hoc etiam decernimus obseruandum, vt quicunque Iudæus proselytũ (qui aduena dicitur) Iudæum facere præsumpserit, aut Christianum ad Iudaicam superstitionẽ adducere: vel si Iudæus Christianam ancillam suam sibi crediderit sociandam, vel si de parentibus Christianis natum, Iudæum sub promissione fecerit libertati, mancipiorum amissione mulctetur. Ille verò, qui de Christianis natus, Iudæus factus est, si sub conditione fuerit manumissus, vt in ritu Iudaico permanens habeat libertatem, talis conditio non valebit: quia iniustum est, vt ei libertas maneat, qui de Christianis parentibus veniens, Iudaicis vult cultibus adhærere.

32 De genere seruili id decreuimus obseruandum, vt descendens indè posteritas, vbicunq;, quamuis post longa spatia temporum, reperiatur in loco, cui authores eius constat fuisse deportatos, reuocata studio sacerdotis, in ea, quę constituta est à defunctis, conditione permaneat. Cui præcepto si quis secularium, humanæ cupiditatis impulsu, crediderit obuiandum, quousque se corrigat, ab ecclesia suspendatur.

33 Si quis in agro suo aut habet, aut postulat habere diœcesim, primùm & terras ei deputet sufficienter, & clericos, qui ibidem sua officia impleant, vt sacratis locis reuerentia condigna tribuatur.

34 Quisquis agellum ecclesiæ in diem vitæ, pro quacunque misericordia à sacerdote, cui potestas est, acceperit possidendum: quæcunque ibi profecerit, alienandi nullam habeat potestatem, nec sibi parentes sui ex ea re aliquid existiment vendicandum.

35 De substituendo antistite, si fortassis mora extiterit, & voluntas decessoris ante fuerit relata, quàm successor accedit ecclesiæ, non impediat successorem. Si quispiam clericorum aliquid de facultate illa præsumpserit, in potestate sit aduenientis episcopi, vtrùm audire an reijcere decessoris sui debeat voluntatem, nec ecclesiæ in obiecto veniant tempora legibus constituta, dum non extitit persona, quæ de vtilitate ecclesiæ attentiùs cogitaret.

36 Si quis Episcopus, alterius ecclesiæ clerico de facultatibus suæ ecclesiæ aliquid sub titulo quocunque donauerit, post eius obitum qui acceperit, ad ecclesiæ ius, de cuius facultate discesserat, reuertatur: quia iniquum est, vt sub hac specie damnum ecclesia, quæ multis subuenit, patiatur.

37 Placuit præterea, vt cuncti metropolitani de comprouincialibus suis in prouincia sua annis singulis synodum debeant congregare, vt dum in vnum se fraternitas iungit, semper & censura teneatur, & charitas.

38 Quapropter (auxiliante Domino) quæ synodus sancta constituit, decernimus, vt à cunctis fratribus hæc definitio sancta conseruetur. Quòd si quis, quæ salubriter perspicit instituta, indecenter transgredi quacunque occasione tentauerit, nouerit se Deo & cunctæ fraternitati culpabilem esse futurum, quia iustum est, vt per vnitatem antistitum & ecclesiastica fulgeat disciplina, & inconuulsa maneat constitutio sacerdotum.

Nomina Episcoporum, qui subscripserunt.

Aspasius episcopus ecclesiæ *Elosen. conscripsit & subscripsit. *Elosaticẽ *consensit

Alitius episcopus ecclesiæ Vasen. conscripsit & subsc.

Agricola episcopus ecclesiæ Cabilonen. conscripsit & subscripsit.

Cyprianus Episcopus ecclesiæ Telonen. conscripsit & subscripsit.

Daniel Episcopus ecclesiæ Pictauien. conscripsit & subscripsit.

Dalmatius Episcopus ecclesiæ Ruthenicæ, conscripsit & subscripsit.

Euarius Episcopus ecclesiæ Antipolitanæ, conscripsit & subscripsit.

Ætherius Episcopus ecclesiæ Cornoten. conscripsit & subscripsit.

Eleutherius Episcopus ecclesiæ Antisiodoren. conscripsit & subscripsit.

Euantius episcopus ecclesiæ Gabalitanæ, conscripsit & subscripsit.

Eumerius Episcopus ecclesiæ *Namneten. conscripsit & subscripsit. * Nanneten.

Flauius Episcopus ecclesiæ Rhotomagen. conscripsit & subscripsit.

Gallicanus episcopus ecclesiæ Ebredunen. conscripsit & subscripsit.

Gallus Episcopus ecclesiæ Aruernicæ, conscripsit & subscripsit.

Heracleus Episcopus ecclesiæ *Tricarstinensis, conscripsit & subscripsit. *rricassin-

Iniuriosus Episcopus ecclesiæ Turonicæ, conscripsit & subscripsit.

Leontius episcopus ecclesiæ Burdegalen. conscripsit & subscripsit.

Maximus Episcopus ecclesiæ Aquensis, conscripsit & subscripsit.

Prætextatus episcopus ecclesiæ Aptensis, conscripsit & subscripsit. Hic Prætextat⁹ ali⁹ est ab illo Rothomagensi: subscriptus habetur in Concilio Epaunensi supra. Meminit eius dẽ Vigilius in epist. ad Auxan. 3.

Placidus episcopus ecclesiæ Matisconen. conscripsit & subscripsit

*Roricius Episcopus ecclesiæ Lemouicen. conscripsit & subscripsit. *Ruricius

Rufus Episcopus ecclesiæ Vasaticen. conscripsit & subscripsit.

Vindemialis Episcopus ecclesiæ Arausicen. conscripsit & subscripsit.

Aurelianensis IV. Concilij, Finis.

Notæ in Concilium Aurelianense IV.

Concilium Aurelian. IV.] *Hoc Concilio ea accidisse putamus, quæ de ipso atque eius Diacono Gregor. in Vit. SS. Pat. cap. 3. narrat his verbis.* Apud Aurelianensem autem vrbem incriminato ab antiquis Marco Episcopo, & in exilium truso, magnus Episcoporum conuentus est congregatus; Childeberto Rege iubente. In qua synodo cognoscentes B. Episcopi, hoc esse vacuum quod contra eum fuerat, mussitatum eum ciuitati & Cathedræ suæ restituunt. Quid actũ Conc. Aurel. IV.

Circa annum Domini 545.] *Licet ignoretur certus annus quo celebratum fuit Concilium; tamen dubium esse non debet illud circa annum Domini 545. Vigilij Papæ sextum: Iustiniani 19. habitum fuisse. Nam magna ex parte illi ipsi Episcopi huic Concilio præsentes fuerunt eiq; subscripserunt, quorum nomina Aurelianensi III. subscripta habentur.* Quo tempore habitum.

Placuit vt sanctum Pascha] *Hæc Gallicani Episcopi aduersus temeritatem Imperatoris Iustiniani pro arbitrio sacra miscentis, qui suo edicto ieiunium quadragesima vna hebdomada auxerat, & de paschali tempore sanctionem iniquam promulgarat. His temporibus de celebritate diei paschalis altercatum esse, testatur Sigebertus in Chron. hisce verbis:* Hispani Can. 1. Quo occasione hic canon cõstitutus.

& Galli de paſchate celebrando diſſentiunt: Hiſpanis duodecimo Kalend. Aprilis, Francis verò 14. Kalend. Maij paſcha celebrantibus. Sed Francos rectè celebraſſe per hoc diuinitus claruit, quod fontes in Hiſpania, qui in ſabbatho ſancto Paſchæ ad baptizandum ſponte repleri ſolent; non in Hiſpanorũ, ſed in Francorũ paſcha repleti ſunt. *Hæc de paſchatis celebritate Sigebertus. Plura his de rebus notaui, ſupra to. 1.*

Prætextatus quis.

Subſcripſerunt] *De nominibus ſubſcriptorum ſupra dixi. Obſeruandum eſt, quod Prætextatus hic ſubſcriptus, idem ille ſit, qui Epaunenſi Cõcilio interfuit, cuiuſque meminit Vigilius Papa in epiſtola 3. ad Auxanium ſupra.*

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA 30. EPISCOPORVM, IN QVA VIGILIVS PAPA DECREVIT, SENtentiam de trium Capitulorum damnatione, vſq; ad vniuerſale & Oecumenicum Concilium ſuſpendendam eſſe; an. 547. habita.

NOTÆ.

Qua occaſione, quaue de cauſa, & quo effectu hanc ſynodum Conſtantinopoli conuocauerit, dixi in Notis ad Edictum Iuſtiniani, quod extat inter Epiſtolas Vigilij ſupra.

SYNODVS MOPSVESTENA NOVEM EPISCOPORVM, ADVERSVS THEODORVM MOPSVESTENVM EPIſcopum, ante centum annos defunctum, celebrata nono anno poſt Conſulatum Baſilij, qui eſt Chriſti Redemptoris 550. & Vigilij Papæ vndecimus.

Acta huius ſynodi, cum quadam epiſtola ſynodica ad Vigilium ſcripta, extant infra in Quinto Concilio Oecumenico, Collat. & act. 5.

NOTÆ.

Cauſa & locus Cõcilij.

Concilium] *Hoc Concilium congregatum eſt Mopſueſtiæ in Cilicia, aduerſus ipſius Theodori, edicto Iuſtiniani Imperatoris condemnati, defenſores. Interfuerunt cum nouẽ Epiſcopis complures viri clariſſimi Comites atque Tribuni. Martanus Comes Domeſticorum, literas ab Imperat. ſcriptas attulit ad Ioannem Metropolitanum, & ad Coſmam Epiſcopum hoc tempore Mopſueſtenum. Poſt quam vnanimi conſenſu aduerſus defenſores Theodori decreuiſſent, Mopſueſtiæ antiquiſſimas memorias, ſi quæ adhuc ibidem de ipſo reliquæ conſeruarentur, eſſe diligenter inquirendas, & num in eius Eccleſiæ ſacris Diptychis vna cum alijs eiuſdem ciuitatis Epiſcopis Catholicis ipſe adſcriptus reperiretur, facta eſt huius rei diligens examinatio: additum eſt diligens examen clericorum teſtium eorum, qui longa ſenectute eſſent probati. Inuentum eſt omnium depoſitione, nullam eius ſæculi memoriam eſſe, quo nomen Theodori è ſacris tabulis recitatum fuerit; quodque potius nomine eiuſdem expuncto, Cyrilli nomen ſubſtitutum reperiatur. De rebus in Concilio geſtis, poſtea Vigilium, per Epiſtolam ſynodalem, certiorem reddiderunt. Bar. an. 550. n. 37.*

Acta Concilij.

A.D. 552. CONCILIVM AVRELIANENSE V. QVINQVAGINTA EPISCOPORVM IN GALLIA CELEBRATVM ANNO Domini 552. Pontificatus Vigilij 13. Eſt verò Prouinciale.

TITVLI CAPITVLORVM Aurelianeñ. Concilij quinti.

Dogmata Eutychetis, vel Neſtorij damnanda. 1
Neminem à ſacerdote de leuibus cauſis damnandum. 2
De extranearum mulierum familiaritate. 3
Si poſt acceptam benedictionem incontinens inuenitur. 4
Nullus clericum alienum recipere, vel promouere ſine epiſtola Pontificis ſui præſumat.
Seruum alienum, clericum non ordinandum. 5
De manumiſſis. 6
Pontifice mortuo, nullus in ciuitate, aut per parochias ordinare clericos, aut altaria audeat conſecrare. 7
Nullus ex laicis ante annuam conuerſationem epiſcopus ordinetur. 8
Nulli epiſcopatum precio liceat comparare. 9
Nullus inutis ordinetur epiſcopus. 10
Nullus, viuente epiſcopo, præter culpabilem, alius ſuper ordinetur. 11
Qui facultates eccleſiæ ſubtraxerit, alienauerit, vel retinuerit, puniatur. 12
Epiſcopus, vel quicunque res eccleſiæ cuiuſcunque regni vel loci non occupet. 13
De eo, quod ex xenodochijs collatum fuerit. 14
Qui eccleſiæ oblata auferre præſumpſerit. 15
Eccleſiæ cauſa qualiter & per quos finiantur. 16
Vocati comprouinciales à metropolitano, ad concilium venire tenentur. 17
De oblatione puellarum in monaſterijs. 18
Incarcerati, Dominicis diebus ab eccleſiæ præpoſitis viſitentur. 19
De ſolicitudine infirmorum vel ſuſtentatione. 20
De annua euocatione Concilij. 21
De his, qui ad eccleſiam confugerunt. 22
23

PRÆFATIVNCVLA.

AD diuinam gratiam referendum eſt, cùm vota principum concordant animis ſacerdotum, vt dum fit Pontificale Concilium, normam viuẽdi teneat recapitulatio antiqua canonum, velut locus & tempus eſt quibuſcunque titulis veteribus, adhærens noua conſtitutio ſanctionum. Igitur cum clementiſſimus Princeps, triumphorum titulis inuictiſſimus, Childebertus rex pro amore ſacræ fidei, ſtudio religionis in Aurelianenſium vrbem congregaſſet in vnum Domini ſacerdotes, cupiens ex ore patrum audire, quod ſacrum eſt, & quod pro eccleſiaſtico ordine authoritate promeretur paſtorali, & quod aduenientibus ſit norma, & præſentibus diſciplina, quæ conueniat à præſenti tempore in poſterum cuſtodiri, præſtante Deo, ſignanter eſt titulis prænotatum.

Capitulum primum.

Rex vult diſcerni cauſas.

Primò itaque nefariam ſectam, quam author malè ſibi conſcius, & à viuo ſanctæ fidei catholicæ fonte diſcedens, ſacrilegus quondam condidit Eutyches, vel ſi qua à veneficо ſimiliter impio ſunt prolata Neſtorio, quas etiam ſectas ſedes Apoſtolica ſancta condemnat, ſimiliter & nos eaſdem cum ſuis authoribus, & ſectatoribus execrantes, præſentis conſtitutionis vigore anathematizamus, atque damnamus, apoſtolicum fidei ordinem in Chriſti nomine prædicantes.

2 Nullus ſacerdotum, quenquam rectæ fidei hominem, pro paruis & leuibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres ab eccleſia arceri iuſſerunt committentes.

3 Vt nullus Epiſcoporum, preſbyterorum, & diaconorum, extrancarum mulierum intra domum præſumat habere ſolatium, quibus etiam pro vtilitate ſua aliqua familiariùs regenda committat. Quod etiam de propinquis fœminis indicentes, ſimiliter prohibemus, ne, ſub conceſſa ſibi licentia parentali, ex earum ſequipedis memoratorum vita vel opinio polluatur. Quòd ſi epiſcopus nunc vetitis vti ſub quadam præſumptione voluerit, anno vno à metropolitano, vel à comprouincialibus ſuis, ab officio ſuſpendatur. Clerici verò à proprijs Epiſcopis, modo, qui ſuprà ſcriptus eſt corrigantur.

4 Si quis clericus poſt acceptam benedictionem cuiuslibet loci vel ordinis, ad cõiugalem torum, iam ſibi illicitum, denuò redire præſumpſerit, vſque in diem vitæ ab honore accepti ordinis & (ſicut habent antiquorum patrum canones) ab officio deponatur, ei tantummodo communione conceſſa.

5 Vt

5 Vt nullus clericum seu lectorem alienum, sine sui concessione episcopi, vel promouere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vendicare. Quòd si quis hanc constitutionem fuerit quacunque præsumptione transgressus, meritæ personæ ab eo, cuius sunt, debitè seu Ecclesiastico iure seu proprio reuocatæ, quia illicita vocatione discesserant, ab honore vel officio susceptо, iuxta arbitrium sui pōtificis suspēdatur. Episcopus verò, qui ordinauerit, sex mensibus Missas facere non præsumat.

6 Vt seruum, qui libertatem à dominis proprijs non acceperit, aut etiam iam libertum, nullus episcoporum absque iussu tantùm voluntate, cuius seruus est, & eum absoluisse dignoscitur, clericum audeat ordinare. Quod si quisquam fecerit, is, qui ordinatus est, à domino reuocetur & ille collator ordinis, si sciens feciſſe probatur, sex mensibus Missas tantùm facere non præsumat. Si verò secularium seruus esse conuincitur, qui ordinatus est, benedictione seruata, honestum in ordine domino suo impēdat obsequium. Quòd si secularis dominus ampliùs eum voluerit inclinare, vt sacro ordini inferre iniuriam videatur: duos seruos (sicut antiqui canones habent) episcopus, qui eum ordinauit, domino seculari restituat: & episcopus eum, quem ordinauit, ad ecclesiam suam reuocandi habeat potestatem.

7 Et quia plurimorum suggestione comperimus, eos, qui in ecclesijs iuxta consuetudinem à seruitio fuerint absoluti, pro libito quorumcunque iterùm ad seruitium reuocari: impium esse tractauimus, vt quod in ecclesia Dei consideratione à vinculo seruitutis absoluitur, irritum habeatur. Ideò pietatis causa, communi consilio placuit obseruandum, vt quæcunque mancipia ab ingenuis dominis seruitute laxantur, in ea libertate maneant, quam tunc à dominis perceperunt. Huiusmodi quoq; libertas, si à quocunq; pulsata fuerit, cum iustitia ab Ecclesijs defendatur: præter eas culpas, pro quibus leges collatas seruis reuocare iusserunt libertates.

8 Vt in ciuitate, vbi pontifex iure humanæ conditionis obierit, nullus episcopus ante substitutionem deputati per ordinem successoris, aut in ciuitate, aut per parochias ordinare clericos, aut altaria audeat cōsecrare, vel quicquam de rebus ecclesiæ præter humanitatē præsumat auferre. Quòd si quisquam temerario ausu statuta transcederit, conuentus ab instituto pontifice verecundiæ suæ consulens, sine dilatione ablata restituat. Si verò suæ voluntatis arbitrio, vel quorumcunq; precibus actus, quamcunq; personam promouere, aut contra interdictum ire præsumpserit, anno integro Missas facere non præsumat,

9 Nullus ex laicis, absq; annua conuersatione præmissa, episcopus ordinetur, ita vt intra anni ipsius spatium, à doctis & probatis viris, disciplinis & regulis spiritualibus pleniùs instruatur. Quòd si hoc quisquam episcoporum transcendere quacunq; conditione præsumpserit, anno integro ab officio vel charitate fratrum habeatur extraneus.

10 Vt nullum episcopatum præmijs aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate regis iuxta electionē cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus continetur scriptū, consensu cleri ac plebis, à metropolitano, vel quem vice sua miserit, cum cōprouincialibus pontifex consecretur. Quòd si quis hanc regulam huius sanctę constitutionis per coemptionem excesserit, eum, qui per præmia ordinatus fuerit, statuimus remouendum.

11 Item (sicut antiqui canones decreuerūt) nullus inuitis detur episcopus, sed nec per oppressionē potentiū personarū, ad cōsensum faciendū ciues aut clerici (quod dici nefas est) inclinētur. Quod si factū fuerit, ipse episcopus, qui magis per violentiā, quàm per decretum legitimū ordinatur, ab indepto pontificatus honore in perpetuum deponatur.

12 Nulli viuenti episcopo alius superponatur, aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in eius loco, quem culpa capitalis deiecerit.

13 Ne cui liceat res vel facultates ecclesijs, aut monasterijs, vel xenodochijs pro quacunque eleemosyna cum iustitia delegatas, retētare, alienare, atq; subtrahere. Quod quisquis fecerit, tanquàm necator pauperum, antiquorum canonum sententijs constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur, quā diu ab ipso ea, quæ sūt ablata vel retēta, reddātur.

14 Vt nullus episcoporum, aut cuiuslibet ordinis clericus, vel alia quæcunq; persona, quibuslibet conditionibus, seu in vno regno seu in alio positus, alterius cuiuscunque ecclesiæ res aut petat, aut prę sumat accipere. Quod si fecerit, tam diu habeatur à communione altaris, vel omnium fratrum ac filiorum charitate suspensus, donec ipsi ecclesiæ, cuius* directo ordine res est ablata, restituatur.

for. *res est ablata, directo ordine restituatur.

Hoc capitulum 14. in quodam vetustissimo manu scripto exemplari non habebatur: sed eius loco duo alia inserta sunt. Primùm est: Si quis presbyter aut diaconus quolibet cotburno ordinationem episcopi sui despexerit, aut calliditate faciente, ipsum iniuriare aut detrectare præsumpserit, tribus annis à cōmunione suspensus, & in monasterium retrusus, aqua tantummodò & pane diebus singulis sustentetur, nec comā nec barbam facere præsumat, nec ad aram Domini penitus accedere permittatur. Alterum est: Si episcopo aut presbytero causa criminalis, hoc est, homicidium, adulterium, furtum & maleficum imputatum fuerit, se de eo, quod ei obiectum fuerit, innocentem reddere faciat. Quod si non fecerit, quinquennium à liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur sicut in Nicæni canonibus antiqui patres instituerunt. (Hoc vltimum capitulum valdè depravatè scriptum fuit: itaq; quædam ex eo, quòd legi non possent, omisimus.)

15 De xenodochio verò, quod pijssimus rex Childebertus & coniugalis sua Vltrotho regina in Lugdunensi vrbe (inspirante Domino) condiderunt, (cuius institutionis ordinem vel exscriptionem petētibus ipsis, manuum nostrarum subscriptione firmauimus) visum est pro Dei contemplatione, iunctis nobis in vnum, permāsura authoritate decernere, vt quicquid præfato xenodochio, aut per supradictorum regum oblationem, aut per quorumcūq; fidelium eleemosynas collatū aut conferendum est, in quibuscunq; rebus atque corporibus, nihil exindè ad se quolibet tempore antistes ecclesiæ Lugdunensis reuocet, aut ad ius ecclesiæ transferat, vt succedētes sibi per temporum ordinem sacerdotes, nō solùm de facultate xenodochij ipsius, aut de consuetudine vel institutione nihil minuant: sed dent operam, qualiter rei ipsius stabilitas, in nullam partem detrimētum aut diminutionem aliquam patiatur, prouidentes ad intuitū retributionis æternæ, vt præpositi semper strenui ac Deum timentes decedentibus substituantur, & cura ægrotantium, ac numerus, vel exceptio peregrinorum, secūdum indictam institutionem, inuiolabili semper stabilitate permaneat. Quòd si quis quolibet tempore cuiuslibet potestatis vel ordinis contra hanc constitutionem nostram venire tētauerit, aut aliquid de consuetudine vel facultate xenodochij ipsius abstulerit, vt xenodochium (quod auertat Deus) esse desinat, vt necator pauperum, irreuocabili anathemate feriatur.

Vltrogothum vocat Greg. Turonen. lib. 4. hist.

16 Quisquis etiam aut maiorum aut mediocrium personarum, quodcunque muneris vel facultatis sacerdotibus, aut ecclesijs, aut quibuslibet locis sanctis, studio mercedis cum iustitia pro Dei contemplatione contulerit, aut ea, quæ à parentibus donata noscuntur, postmodum auferre, præsumpserit, superiori sententia, vt necator pauperum communione priuetur.

17 Placuit etiam, vt si quæcunque persona contra episcopum, vel actores Ecclesiæ se proprium crediderit habere negocium, prius ad eum recurrat charitatis studio, vt familiari admonitione commonitus, sanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, tunc demùm ad metropolitani audientiam veniatur. De qua re, cū literas suas metropolitanus ad comprouincialem episcopū dederit, & causa ipsa inter vtrosq; quacunq; occasione amicis medijs nō fuerit definita, vt ipsi metropolitano necessariū sit in eodē negocio iterare scriptū, & secundo admonitus aut mittere aut venire distulerit, tandiu à charitate metropolitani sui nouerit se esse suspensum, donec ad præsentiam eius veniens, causæ ipsius, de qua petitur, reddiderit rationem. Quod si patuerit, episcopum ipsum contra iustitiam fatigatum, is, qui eum iniusta interpellatione pulsauit, anni spatio à communione ecclesiastica suspendatur. Si vero metropolitanus à quocunque comprouinciali episcopo bis fuerit in causa propria appellatus, & eum audire distulerit: ad proximam synodum, quæ constituetur, negocium suū in Cōcilio licentiā habeat exercēdi: & quicquid ꝑ iustitia à cōprouincialibus suis statutū fuerit, studeat obseruare.

18 Id etiã huic decreto credidimus inferendũ, vt si quis de cõprouincialibus episcopis à metropolitano suo ad Cõcilium intra suam prouinciam fuerit euocatus, & prẽter euidentem infirmitatem ad Concilium venire distulerit, atque de synodali conuentu, antequam cuncta conueniant, sine cõmeatu Cõcilij ipsi⁹ discedere fortasse præsumpserit, sicut est præcedentibus regulis statutũ, sex̃ mensibus à Missarum officio suspendatur. Quòd si quem à Concilio quæcunq; necessitas illata distulerit, à metropolitano suo veniã postulans, ad Missarum faciendarum gratiam reuocetur.

19 Quæcunq; etiam puellæ seu propria voluntate monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa, qua intrauerint veste permaneant. In his verò monasterijs, vbi nõ perpetuò tenentur inclusæ, triennium in ea, qua intrauerint, veste permaneant: & postmodum secundum statuta monasterij ipsius in loco, quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. Quæ si deinceps sacra relinquentes loca propositum sanctum seculi ambitione transcẽderint: ille, quæ domibus proprijs, tam puellæ quàm viduæ, commutatis vestibus conuersantur, cum his, quibus coniugio copulantur, Ecclesiæ communione priuẽtur. Sanè, si culpam sequestratione sanauerint, ad communionis gratiam reuocentur.

20 Id etiam miserationis intuitu æquum duximus custodiri, vt qui pro quibuscunq; culpis in carceribus detinentur ab archidiacono, seu à præposito Ecclesiæ diebus Dominicis requirantur, vt necessitas vinctorum secundũ præceptum diuinum misericorditer subleuetur: atq; à pontifice, instituta fideli & diligenti persona, quæ necessaria prouideat, competens victus de domo Ecclesiæ tribuatur.

21 Et licet (propicio Deo) omnium Domini sacerdotũ, vel quorumcunq; hæc cura possit esse fidelium, vt egentibus necessaria debeant ministrari: specialiter tamen debilibus id pietatis causa conuenit, vt vnusquisq; episcoporum incolis, quos infirmitatẽ incurrisse, tam territorij sui, quàm ciuitatis, agnouerit, de domo Ecclesiæ iuxta possibilitatem victui & vestitui necessaria subministret, vt non eis desit miseri cordiæ cura, quos per duram infirmitatem intolerabilis constringit inopia.

22 His itaq; Deo propitio constitutis, quod præcipuè in omnibus patrum concilijs habetur scriptum, congrua diffinitione sancimus, vt intra anni circulum vnusquisq; metropolitanus episcopus, iunctis in vnum locum comprouincialibus suis, intra prouinciã suam studeat habere Concilium: vt aut, si qua accesserint, charitatis emendentur studio: aut si pax regalis vel disciplina in cunctis (Deo adiuuante) permanserit authore bonorum omnium Deo, de charitate & prælentia gratulentur. Hæc ergò (Deo propicio) constanter & vnanimiter definita seruãtes, etiam præteritorum statuta canonũ, his decernimus, vt (Christo authore) deinceps inconuulsa vniuersa seruentur: vt manente concordia, quæ diuina inspiratione salubriter in præsenti tempore definita sunt, amodò & habeant vigorem, & custodiant charitatem.

23 De seruis verò, pro qualibet causa si ad Ecclesiæ septa confugerint, id statuimus obseruandum, vt si quid in antiquis constitutionibus tenetur scriptum, pro concessa culpa, datis à Domino sacramentis, quisquis ille fuerit, egrediatur, de venia iam securus. Enimuerò, si immemor fidei dominus, transcendisse cõuincitur quod iurauit, vt is, qui veniam acceperat, probetur postmodũ pro ea culpa, qualicunq; supplicio cruciatus: dominus ille, qui immemor fuit datæ fidei, suspensus sit ab omnium communione. Iterùm, si seruus pro venia, datis sacramentis à domino, iam securus, exire noluerit, ne sub tali contumacia requirens locum fugæ, domino fortasse depereat, egredi nolentem, à domino eum liceat occupare, vt nullam, quasi propter tentationem serui, quibuslibet modis molestiam aut calumniã patiatur Ecclesia: fidem tamen dominus, quam pro concessa venia dedit, nulla temeritate transcendat. Quòd si gentilis dominus fuerit, aut alterius sectæ, qui à conuentu ecclesiæ probatur extraneus, qui seruum repetit, * personam requirat bonæ fidei Christianum, vt ipse in persona domini pro seruo præstet sacramentum: quia ipsi possunt seruare quod sacrũ est, qui post trãsgressionẽ, Ecclesiæ metuũt disciplinã.

for. *pro se

NOMINA EPISCOPORVM qui subscripserunt.

Sacerdos in Christi nomine Ecclesiæ Lugdunensis episcopus, constitutionem nostram relegi, & subscripsi quinto Kalendas Nouembris, anno trigesimo octauo regni Domini Childeberti regis. Aurelius in Christi nomine Episcopus ecclesiæ Arelatensis, constitutionẽ nostram subscripsi.
Aspasius episcopus Elosaticensis ecclesiæ subscripsi.
*Antonius episcopus Olorensis ecclesiæ subscr.
Aredius episcopus * Dinensis ecclesiæ, sub.
Agricola episcopus Cabilonensis ecclesiæ, subscripsi.
Auolus episcopus Aquensis ecclesiæ, sub.
Ambrosius Episcopus Trecensis Ecclesiæ, subscripsi.
Basilius Episcopus Glandetensis ecclesiæ, subscripsi.
Beatus episcopus Ambianensi ecclesiæ, subscripsi.
*Constitutus episcopus Senonensis ecclesiæ, subscripsi.
Clementinus Niuernensis ecclesiæ episcopus subscripsi.
Cronopius * Meldorum Ecclesiæ episcopus, subscripsi.
Desideratus Bituricensis ecclesiæ episcopus subscripsi.
Domitianus * Tungrensis ecclesiæ episcopus, subscripsi.
Eusebius Xantonensis ecclesiæ episcopus, subscripsi.
* Eradius Aptensis ecclesiæ episcopus, subscripsi.
Edebiolus * Eleutherius * Altisiodorensis ecclesiæ episcopus, subscripsi.
Ægidius Abrincatinæ Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
Firminus Vticensis ecclesiæ episcopus, sub.
Felix Carnoteñ. ecclesiæ episcopus, sub.
Faustus Lactoreñ. ecclesiæ episcopus, sub.
Fredigernus Syluanectensis ecclesiæ, sub.
Fegasius Abriceñ. Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Gramatius * Vindoneñ. Ecclesiæ episcopus, sub.
Gallus Auernicæ ecclesiæ episcopus, sub.
Gallus Valentinæ ecclesiæ episcopus, sub.
Esychius Viennensis ecclesiæ Episcopus subscripsi.
Iulianus Aqueñ. ecclesiæ episcopus, sub.
Lauto Constantinæ ecclesiæ Episcopus, sub.
*Leucadius * Maximus * Carduceñ. ecclesiæ episcopus, subscripsi.
Nectarius Augustoduneñ. ecclesiæ episcopus, sub.
Nicetius Treuereñ. ecclesiæ episcopus, sub.
Prætextatus Rothomageñ. ecclesiæ episcopus, sub.
Proculianus Auscieñ. Ecclesiæ episcopus, sub.
Passinus Sagieñ. ecclesiæ episcopus, sub.
Placidus Matiscon ensis ecclesiæ episc. sub.
Palladius * Telonensis Ecclesiæ episc. sub.
Præsidius Conuenarum eccles. episc. sub.
Quintinianus Ruthenen. eccles. epis. sub.
Rufus * Valensium Octodoreñ. eccles. epis. sub.
Saphoracus Parisieñ. eccle. episcopus, sub.
Sabaudus * Luxouieñ. eccle. episcopus, sub.
Tetricus Lingonensis eccle. epis. sub.
Vrbicus * Visontionensis eccles. epis. sub.
Vinianus Aginneñ. eccles. epis. sub.
* Vebriornensis * Valerius Tullensis ecclesiæ episcopus subscripsi.
Valerius Ebroiceñ. eccleſiæ epis. sub.
Vellesius Vapinceñ. eccleſiæ episcopus, subscripsi.

Vetustissimus manuscriptus codex habet hoc loco nouendecim partim archidiaconorum, partim presbyterorum nomina, qui pro totidẽ episcopis illorum absentium nomine subscripserunt.

NOTÆ in Concilium Aurelianense V. quinquaginta Episcoporum in Gallia celebratum. anno Domini 552. Pontificatus Vigilij 13.

Concilium] *Trium capitulorum occasione hanc synodum celebratam esse, canon 1. admonet: dum eius exordio damnantur hæreses Nestorij & Eutychetis, quarum causa Orientalem Ecclesiam incendio conflagrare, Patres Concilij non ignorabant.*

Quinquaginta Episcoporum] *Episcopi, qui huic Concilio interfuerunt et subscripserunt, magna ex parte sanctitate celebres extitisse reperiuntur. Sacerdos Lugdunensis Episcopus Synodo præfuisse reperitur. Huius anniuersariam commemorationem repræsentant tabulæ Ecclesiæ pridie Idus Septembris.*

Anno

Anno Domini 552.] *Childeberti Regis Francorum anno trigesimo octauo, hanc synodum congregatam & absolutam esse testantur acta Concilij. Cum itaque supra manifeste demonstrauerim, primum Childeberti coincidere cum anno 514. Christi Redemptoris, quo Clodoueus pater Childeberti ex hac vita migrauit; necessario concedendum est, quod trigesimus octauus Childeberti, cum quingentesimo quinquagesimo secundo Christi, & Vigilij decimo tertio concurrat.*

Vltrotho Regina &c.] *Ex Greg. Turon. hist. 1. lib. cap. 42. & 5. lib. carm. Venantij Fortunati constat, coniugem Childeberti, Francorum Regimam Vltrogothofuisse nominatam. Vnde apparet eam hoc loco mendose Vltrotho nominari.*

Aurelianus] *Hic est ille, qui ad Vigilium Papam Constantinopoli agentem, legationem misit cum ea epistola, ad quam etiam Vigilius rescripsisse ex suprad. constat.*

Agricola] *Huius sacra anniuersaria memoria colitur 16. Kalendas Apriles. Venantij Fort. 3. libr. de illo extat hoc Epigramma:*

Præsul honoris apex, generis fideiq; cacumen,
Cultor agri pollens, pastor opime gregis.
Cum mea terra manu meruit genitoris arari,
Reddatur nati vomere culta sui.
Nam pater affectu dulci memorabilis æui,
Me vobiscum vno fouit amore duos.
Corde parens, pastu nutrix, bonus ore magister,
Dilexit, coluit, rexit, honesta dedit.
Ille pio studio sulcata noualia seuit.
Quod pater effudit, hoc mihi semen ale.

Ita ille alludens ad nomen Agricolæ patri filioque commune.

Eleutherius] *Inter sanctos, eius memoria colitur 16. Augusti.*

Firminus] *Hic mendosè nominatur Episcopus Vticensis, pro Vincensi.*

Isychius Viennensis] *Cum hinc appareat Iustiniani temporibus Isychium Viennensis Ecclesiæ Antistitem fuisse, corrigendus est Ado Viennensis, qui tradit hunc Isychium vsque ad tempora Zenonis Imperatoris peruenisse.*

Lauro Constantiensis] *Inter sanctos relatus extat in Martyrolog.*

Nicetius] *De hoc vide quæ dixi supra in Notis Concil. Aurelianensis IV.*

Prætextatus Rothomagensis] *Hic interfuit Concilijs Parisiensi & Turonensi secundo inf. a. Sacra eius memoria anniuersaria recolitur in Ecclesia, sicut etiam Quintiniani, qui huic in subscriptionibus hic subiungitur.*

Tetricus] *Huius Epitaphium tanto viro dignissimum extat 4. lib. carm. Venantij Fortunati, & apud Baron. ann. 552. numer. 26. Gregorius Turonensis libr. 5. hist. Franc. cap. 5. dum scribit interitum Pappoli, qui et subrogatus est, hæc mira de ipso recensет.* Anno octauo Episcopatus sui, *inquit*, dum diœceses & villas Ecclesiæ circumiret, quadam nocte dormienti illi apparuit beatus Tetricus vultu minaci, qui ita: Quid tu, inquit, hic Pappole? vt quid sedem meam polluis? vt quid Ecclesiam peruadis? vt quid oues mihi creditas dispergis? Cede loco, relinque sedem, abscede longius à regione. Et hæc dicens, virgam quam habebat in manu, pectori eius cum ictu valido impulit. In quo ipse euigilans, dum cogitat quid hoc esset, fixè in loco illo defigitur, ac dolore maximo cruciatur: abhorret cibum potumque, & mortem iam proximã præstolatur. Quid plura? tertia die, cum sanguinem ore proijceret, expirauit. *Hæc Gregorius.*

Acta emendantur.

Adonis Chron. corrigitur

Prætextatus.

Tetricus.

Tetricus quid in successorẽ post obitũ suum.

CONCILIVM[a] CONSTANTINOPOLITANVM,

[b]VNIVERSALE SIVE OECVMENICVM[c] QVINTVM[d] ET APPROBATVM,[e]

IN QVO CENTVM SEXAGINTA QVINQVE EPISCOPI [f] THEODORVM MOPSVESTENVM quondam Episcopum [g]: Epistolam Ibæ [h], & scripta Theodoreti Cyrensis aduersus Cyrillum [i] (quæ sunt tria illa Capitula damnationis, quorum gratia hæc Synodus congregata fuit) & Origenem cum suis erroribus & sectarijs Origenistis condemnarunt; Anno post Consulatum Basilij duodecimo, postq; natum Christum, Saluatorem nostrum 553. sub Pontificatu Vigilij: & Imperio Iustiniani.

CONSESSIO SIVE COLLATIO I.

IMPERII DOMINI Iustiniani Perpetui

AVGVSTI, ANNO XXVII. POST CONSVLatum Basilij anno 12. die 4. Nonas Maias, Indictione prima.



Onsedentibus in secretario venerabilibus Episcopis huius regiæ ciuitatis, Eutychio sanctissimo Patriarcha regiæ Cõstantinopolis nouæ Romæ.

Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandrinæ magnæ ciuitatis.

Domnino sanctissimo Patriarcha *Theopolitanę magnę ciuitatis.

Stephano religiosissimo episcopo Raphiæ.

Georgio religiosissimo episcopo Tiberiadis.

Damiano religiosissimo episcopo Sozyſę, vicem agentibus Eustochij sanctissimi episcopi Hierosolymitani.

Benigno religiosissimo episcopo Heracleæ *Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatissimi episcopi Thessalonicensis.

Theodoro religiosissimo Episcopo Cæsareę primæ Cappadociæ prouinciæ.

Andrea religiosissimo episcopo Ephesi.

Sextiliano religiosissimo episcopo Tunensi, vicem agente Primosi religiosissimi Episcopi Carthaginis.

Megethio religiosissimo Episcopo Heracleæ Thraciæ.

Anastasio religiosissimo episcopo Tabiæ, vicem agente Dorothei religiosissimi Episcopi Ancyræ.

Ioanne religiosissimo episcopo Iliensi, vicem agente Eupreпij religiosissimi Episcopi Cyzicenæ ciuitatis.

Eusebio religiosissimo Episcopo Tyri.

Ioanne religiosiss. Episcopo Nicomediæ.

Stephano religiosissimo episcopo Niceæ.

Constantino religiosissimo episcopo Chalcedonensi.

Petro religiosissimo Episcopo Tarsi.

Ioanne religiosissimo Episcopo Cycissorum, vicem agente Palladij religiosissimi Episcopi Melitenæ.

Ioanne religiosiss. Episc. Cæsareæ Palæstinæ.

Pompeiano religiosissimo Episcopo Byzacij.

Amazonio religiosissimo Episcopo Edessæ.

Alexandro religiosissimo Episcopo Gangrorum.

Thoma religiosiss. Episcopo Apameæ Syriæ.

Euphranta religiosissimo Episcopo Tyanorum.

Theodoro religiosissimo Episcopo Hierapolis Syriæ.

Bosphorio religiosissimo Episcopo Neocesareæ.

Ioanne religiosissimo Episcopo Bostræ.

Philippo religiosissimo Episcopo Myrorum.

Theodoro religiosissimo Episcopo Seleuciæ Hauriæ.

Iuliano religiosissimo Episcopo Sardiensi.

Theodoro religiosissimo Episcopo Gortynæ.

Eustachio religiosissimo episcopo Damasci.

Theodosio religiosissimo Episcopo Rhodi.

Firmo religiosiss. Episcopo Otipason Africanæ prouinciæ.

Theodoro religiosissimo Episcopo Antiochiæ Pisidiæ.

Phocæ religiosissimo Episcopo Stalensi.

Eulogio religiosissimo Episcopo Pergę.
Seueriano religiosissimo Episcopo Aphrodisiadis.
Cyriaco religiosiss. Episcopo Amidæ.
Seuero religiosiss. Episcopo Synnadorum.
Petro religiosiss. Episcopo Sidæ.
Abraamio religiosiss. Episcopo Sergiopolitano.
Asignio reuerendiss. Episcopo* Tranopolitano, vicem agente Ioannis religiosiss. Episcopi Laodiceę Phrygiæ Pacatianæ. Ioanne religiosiss. Episcopo Adrianopolitano Thraciæ.
*Cuculij *Crisco religiosiss. Episcopo* Cuiculi.
Theodosio religiosissimo Episcopo Iustinianopolitano secundo Cappadociæ.
Stephano religiosiss. Episc. Laodiceæ siue Theodoriadis.
Auxanone religiosiss. Episcopo Hierapolis Phrygiæ.
Eustathio religiosiss. Episcopo Maximianopolitano.
Ætherio religiosiss. episcopo Anazarbi.
Dometio religiosiss. episcopo Chalcidis.
Valeriano religiosiss. Episcopo Obbæ Africanæ prouinciæ.
Dionysio religiosiss. episcopo Seleuciæ Syriæ.
Theodoro religiosiss. episcopo Dryziparon.
Seuero religiosissimo episcopo Pompeiopolitano Paphlagoniæ.
Georgio religiosiss. episcopo Iustinianæ Cypselon.
Romano reuerendisiss. episcopo Gabalon.
Gregorio reuerendisiss. episcopo Iustinianopolitano Armeniæ.
Ioanne reuerendisiss. episcopo Nyssæ.
Basilio reuerendisiss. episc. Iustinianopolitano Camulianorum.
Ioanne reuerendiss. episcopo Barcusorum.
Cresconio reuerendiss. episcopo Zatarensi prouinciæ Numidiæ.
Sergio reuerendiss. episcopo Cynon secundæ Ægypti.
Christophoro reuerendissimo Episcopo Archadiopolitano Asiæ.
Theodosio reuerendiss. episcopo Bybli.
Leontio reuerendiss. episcopo* Arcæ.
Ioanne reuerendiss. episcopo Myrinæ.
Alexandro reuerendiss. episcopo Amphipolitano.
Stephano reuerendiss. episcopo Clysmatis.
Thoma reuerendiss. episcopo Berissæ.
Aristodemo reuerendiss. episcopo Philomelij.
Thalelæo reuerendissimo episcopo Adrianopolitano Pisidiæ.
Theoctisto reuerendisi. episcopo Erythron.
Diogeniano reuerendiss. episcopo Sozopolitano.
Basso reuerendiss. episcopo Thamiathensi.
Anatolio reuerendiss. episcopo Cyme.
Diogene reuerendiss. episcopo Cratiæ.
Restituto *Restituto reuerendissimo episcopo Mileon Africanæ prouinciæ.
Theodoro reuerendiss. episc. Leontopolitano Ægypti, Æmiliano reuerendiss. episcopo Antipyrgi.
Conone reuerendiss. episcopo Magoedensi.
Theoctisto reuerendiss. episcopo Prusæ.
Georgio religiosissimo episcopo Ptolemaidis.
Sotero reuerendiss. episcopo Aulonis.
Zosimo reuerendiss. episcopo Antandri.
Cypriano reuerendiss. Episcopo* Coryci.
Helia reuerendiss. episcopo Diocletianopolitano.
Theona reuerendiss. episcopo Cysson.
Theodoro reuerendiss. episcopo* Lymiron.
Gennadio reuerendiss. episcopo Zenopolitano.
Asyncretio reuerendiss. episcopo Aradi.
Stephano reuerendiss. episcopo Botryon.
Philippo reuerendiss. episcopo Phelli.
Mena reuerendiss. episcopo Demyriangelis.
Genethlio reuerendiss. episcopo Dorylaij.
Thoma reuerendiss. episcopo Constantinæ.
Theodoro reuerendiss. episcopo Leontopolitano.
Seuero reuerendiss. episcopo Taborum.
Theoctisto reuerendiss. episcopo Halicarnasi.
Cosma reuerendisi. episcopo Malli.
Dionysio reuerendiss. episcopo Megarensi.
Callinico reuerendissimo episcopo Opuntis.
Paschasio reuerendissimo episcopo Ægij.
Erasmo reuerendissimo episcopo* Cibyræ.
Ioanne reuerendissimo episcopo Neocæsareæ Euphratensis. *Cybira
Nonno reuerendissimo episcopo* Dausarorum.
Stephano reuerendissimo episcopo Balaneon. *Dausara
Thoma reuerendiss. episcopo Circesij.
Anatolio reuerendiss. Episcopo Sabastæ.
Constantino reuerendiss. Episcopo Midaij.
Macario reuerendiss. episcopo Prymnesiæ.
Megalo reuerendiss. Episcopo Myri.
Thallelæo reuerendissimo Episcopo Isindorum.
Niceta reuerendissimo Episcopo Epiphaniæ.
Alexandro reuerendiss. Episcopo Dionysij.
Pelagio reuerendissimo episcopo Azanon.
Hierone reuerendissimo Episcopo Anastasiopolitano Phrygiæ.
Glauco reuerendiss. Episcopo Alion.
Procopio reuerendiss. Episcopo Antenon.
Petro reuerendiss. episcopo Demetiopolitano.
Ioanne reuerendiss. episcopo Coloniæ.
Vranio reuerendisi. Episcopo Trallensi.
Ionnne reuerendiss. Episcopo Cerasuntis.
Phronymo reuerendiss. episcopo Sinnaij
Macedonio reuerendissimo Episcopo Iustinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerendiss. episcopo Teni.
Eulogio reuerendiss. Episcopo* Danaborum. *Daborū
Theodoro reuerendiss. episcopo Coradeon.
Elpidophoro reuerendissimo episcopo Anastasiopolitano Cariæ.
Cyrione reuerendiss. episcopo Dadimorum.
Theodoro reuerendiss. episcopo Laodiceæ.
Sila reuerendiss. episcopo Tiberiopolitano.
Diogene reuerendisi. Episcopo Augustopolitano.
Theodoro reuerendiss. Episcopo Ingelon.
Iuliano reuerendiss. Episcopo Zeugmatis.
Doromenio reuerendiss. Episcopo Adraon.
Ioanne reuerendissimo Episcopo* Læri.
Theodoro reuerendiss. Episcopo Gargaron.
Theodoro reuerendiss. Episcopo Comanorum.
Ruphino reuerendiss. Episcopo Sebastiæ Armeniæ.
Conone reuerendiss. Episcopo Semneon.
Cyriaco reuerendiss. Episcopo Casatorum.
Silunnio reuerendisi. episcopo Præneti.
Iuliano reuerendissimo Episcopo Batnon.
Anastasio reuerendiss. Episcopo Rachlæ.
Theodoro reuerendiss. Episcopo Porthmi.
Paulo reuerendiss. Episcopo Stectorij.
Stephano reuerendiss. episcopo Amasiæ.
Paulo reuerendiss. episcopo Adrassi.
Euandro reuerendiss. episcopo Gnidi.
Mena reuerendissimo Episc. Carpathi.

Diodorus archidiac. & Primicerius reuerendissimorum notariorum dixit: Theodorus vir spectabilis silentiarius ante religiosissimum vestrum secretum est, missus à pijssimo & Christianissimo Imperatore, & suggerimus ad quod placuerit.

Sanctissimus Archiepiscopus & Patriarcha Eutychius dixit: Ingrediatur. Quo facto, sanctiss. Archiepiscopus & Patriarcha Apollinarius dixit: Pro qua causa vestra magnitudo ad nos venit?

Theodorus vir spectabilis silentiarius dixit: Pijssimus & Christianissimus noster dominus misit me ad vestram beatitudinem, dare vobis pijssimam formam legendam ante sanctam vestram Synodum.

Sanctissimus Archiepiscopus & Patriarcha Domninus dixit: Pijssima forma, cuius mentionem fecit Theodorus magnificus, competenter suscepta recitetur. Et cùm suscepisset Stephanus diaconus & notarius & instrumentarius, recitauit.

IN NOMINE DOMINI DEI nostri Iesu Christi, Imperator Cęsar Flauius Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Frăcicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vãdalicus, Literæ Iustiniani ad Synodum

licus, Aphricanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator semper Augustus, beatissimis Episcopis & Patriarchis, Eutychio Constantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domnino Theopolitano, Stephano, Georgio & Damiano religiosissimis Episcopis vicem agentibus Eustochij viri beatissimi, Archiepiscopi Hierosolymitani & Patriarchæ, & reliquis religiosissimis Episcopis ex diuersis prouincijs in hac regia vrbe degentibus. Semper studium fuit orthodoxis & pijs Imperatoribus Patribus nostris, pro tempore exortas hæreses per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare, & recta fide syncerè prædicata, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire. Quapropter & Constantinus piæ recordationis Ario blasphemante & dicente, Non esse filium consubstantialem Deo Patri, sed creaturam, & ex non extantibus factum esse, congregauit Nicææ ex diuersis diœcesibus trecentos decem & octo sanctos Patres: & cùm ipse etiam Concilio interfuisset, & adiuuisset eos, qui consubstantialem filium patri confessi sunt, condemnata Ariana impietate, studium habuit rectam fidem obtinere. Expositio itaque sancto Symbolo vel mathemate fidei, per hoc sancti patres confessi sunt, consubstantialem esse filium Deo patri, quod vsque tunc apud plurimos dubitabatur. Sed & Theodosius senior piæ recordationis, Macedonio negante deitatem sancti Spiritus, & Apollinario vel Magno eius discipulo, in dispensatione incarnati Dei verbi blasphemantibus & dicentibus, sensum humanum non recepisse Deum verbum, sed carni vnitum esse, animam irrationabilem habenti: congregatis in regia vrbe centum quinquaginta sanctis Patribus, cùm & ipse particeps fuisset Concilij, damnatis prædictis hæreticis, vna cum impijs eorum dogmatibus fecit rectam prædicare fidem. Secuti enim ijdem sancti patres expositam rectam fidem à trecentis decem & octo sanctis patribus, explanauerunt de deitate sancti Spiritus, & perfectè de dispensatione incarnati Dei Verbi docuerunt.

Iterùm Nestorio impio alium dicente Deum Verbum, & alium Christum, & hunc quidem natura filium Dei patris, illum autem gratia filium impiè introducente, & sanctam gloriosam semper Virginem Dei genitricem esse negante, cùm penè omnes Orientales partes sua impietate adimpleset idem Nestorius, Theodosius iunior piæ recordationis congregauit priorem Ephesinam sanctam Synodum, cui præsidebant Cœlestinus Cyrillus & sancti patres, & directis iudicibus, qui deberent Concilio interesse, compulit & ipsum Nestorium ibi peruenire, & iudicium propter eum procedere: & tali examinatione facta, secuti ijdem sancti patres per omnia ea, quæ de fide definita sunt ab anterioribus sanctis patribus, condemnauerunt Nestorium, vna cum eius impietate. His ita subsecutis, cum insurrexissent contra Cyrillum sequaces Nestorij impij, festinauerunt (quantum in ipsis fuit) refutare condemnationem contra Nestorium factam: sed prædictus piæ recordationis Theodosius, vindicans ea, quæ ita rectè contra Nestorium, & eius impietatē fuerant iudicata, fecit firmiter obtinere contra eum factā condemnationem. Et post hæc iterū cùm Eutyches demens emersisset, negando consubstantialem nobis esse carnem Domini, multis interea motis, tam Constantinopoli, quàm Ephesi, tanta pro illo facta est hæreticorum circumuentio, vt etiam ejiceretur propter eum Flauianus religiosæ memoriæ regiæ vrbis episcopus. Piæ autem recordationis Martianus congregauit Chalcedone sanctos patres, & magna contentione inter episcopos facta, non solùm per suos iudices, sed etiam per seipsum in Concilium peruenit, & ad concordiam omnes perduxit. Cui sancti patres in omnibus secuti ea, quæ pro fide definita sunt à prædictis tribus sanctis Concilijs, & quæ iudicata sunt de hæreticorum damnatione & impietate eorum, damnauerunt & anathematizauerunt Eutychen dementem, & impia eius dogmata, necnon & Nestoriam cum impijs eius dogmatibus, quoniam tunc festinauerunt quidam defendere Nestorium & impia eius dogmata. Super hæc autem ijdem in Chalcedone sancti patres anathematizauerunt eos, qui aliud Symbolum tradiderunt aut tradunt, præter hoc quod expositum est à trecentis decem & octo sanctis patribus, & explanatum à centum quinquaginta sanctis patribus. His itaque omnibus per diuersa tempora subsecutis, prædicti piæ recordationis nostri patres ea, quę in vnoquoque Concilio iudicata sunt, legibus suis corroborauerunt & confirmauerunt, & hæreticos, qui definitionibus prædictorum sanctorum quatuor Conciliorum resistere, & Ecclesias conturbare conati sunt, expulerunt. Defuncto autem Martiano diuæ recordationis, cùm contentio esset per diuersa loca de Chalcedonensi sancto Concilio, Leo piæ recordationis ad omnes vbique sacerdotes scripsit, vt vnusquisque eorum propriam sententiam manifestaret de eodem sancto Concilio: & cùm alius alium Episcopum non expectasset, ad hoc, quod interrogati sunt, responderunt. Exiguo autem tempore transacto, iterùm insurrexerunt Nestorij & Eutychis sequaces, & tantas turbas in sanctis Dei ecclesijs fecerunt, vt diuisiones & schismata in eis fierent, & nullam communionem ad se inuicem Ecclesiæ haberent. Nec enim præsumebat aliquis de ciuitate ad ciuitatem veniens communicare, nec clericus ex alia ciuitate in aliam ciuitatem veniens, in ecclesiam procedere. Cùm autem secundum suam misericordam Dominus Deus reipublicæ gubernationem nobis credidit, initium & fundamentum nostri Imperij fecimus, coniungere diuisos sacerdotes sanctarum Dei ecclesiarum, ab Oriente vsque Occidentem, & omnem contentionem imputantes, quæ contra Chalcedonensem sanctam Synodum, ab Eutychis & Nestorij impiorum sequacibus mouebatur, fecimus prędicare eandem sanctam Synodum cum prædictis alijs sanctis tribus Concilijs in Dei Ecclesijs, certè scientes, quòd ea, quæ ab ea de fide exposita sunt, consonant per omnia alijs tribus sanctis Concilijs: & multis quidem ad eandem sanctam Synodum contradicentibus satisfecimus: alios aūt qui perseueraverunt eidē sancto Concilio contradicentes, expulimus sic à sanctis Dei ecclesijs & venerabilibus monasterijs, vt cōcordia & pace sanctarum ecclesiarum & earum sacerdotum firmiter custodita, vna & eadem fides, quàm sanctæ quatuor Synodi confessæ sunt, in sanctis Dei ecclesijs prædicetur. His ita pro firmitate sanctarum quatuor Synodorum Deo propitio per nos factis, & obtinentibus in sancta Dei Ecclesia, Nestorij sequaces propriam impietatem applicare volentes sanctæ Dei Ecclesiæ, & non potentes hoc per Nestorium facere, festinauerunt eam introducere per Theodorum Mopsuestenum doctorēm Nestorij, qui multò peiora Nestorio blasphemauit, & super alias innumerabiles suas blasphemias, cōtra Christum Deum nostrum factas, alium dixit Deum verbum, alium Christum, necnon & per impia conscripta Theodoreti, quæ contra rectam fidem, & Ephesinam primam sanctam Synodum, & contra sanctę memoriæ Cyrillum, & duodecim eius capitula exposuit, & insuper sceleratam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quæ plena est omni impietate Theodori & Nestorij. Per hanc etenim impiam Epistolam non solum impietatem, sed etiam ipsas personas Theodori & Nestorij, quas maximè laudat & iudicat eadem impia Epistola festinauerunt condemnationem liberare, dicentes eam susceptam esse à sancta Chalcedonensi Synodo. Hoc autem dicunt non pro defensione sanctæ Synodi, sed nomine eius, sicut putant, suam impietatem confirmare festinantes. Certum autem est, quod impia intentio est ista vindicantium, vt si eis euenerit, non prædicetur Deus verbum homo factus esse, nec sancta gloriosa semper Virgo Maria Dei genitrix prædicetur. Hæc enim Theodorus & Nestorius in suis conscriptis impie exposuerunt, & qui epistolam scripsit, in ea blasphemat.

Leo Imperator.

Nos igitur sequentes sanctos patres, & volentes rectam fidem sine quadam macula in Dei ecclesijs prædicari, & impiorum conatum resecare, primum quidē & in vestris vos degentes ecclesijs interrogauimus de prædictis impijs tribus capitulis, & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, pro qua & comprobauimus vos, quòd indubitanter & cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, & impiam condemnastis. Quoniam verò & post condemnationē à vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam, eadem impia tria capitula vindicantes, ideò vocauimus vos ad re-

giam

Vigilius Romanus Pontifex.

giam vrbem, hortantes communiter conuenientes, quam habetis pro his voluntatem, iterum manifestare. Et Vigilio enim religiosiss. Papæ antiquioris Romæ, cum peruenisset ad hanc regiam ciuitatem, de tribus capitulis subtiliter omnia manifestauimus, & interrogauimus eum, quid sapit de hoc: & ipse non semel nec bis, sed etiam sæpius in scriptis & sine scriptis anathematizauit impia tria capitula. Quòd verò eiusdem voluntatis semper fuit de condemnatione triũ capitulorum, & per plurima alia declarauit, & per condemnationem Rustici & Sebastiani, aliquando diaconorum antiquioris Romę, qui cùm primum suscepisset factum ab eo iudicatum, in quo anathematizauit eadem impia capitula, posteà susceperunt & defenderunt eorum impietatem. Sed etiam Valentiniano Episcopo Scythiæ, & Aureliano Arelati, quæ est prima sanctissimarũ Galliæ ecclesiarum, scripsit & manifestauit de condemnatione istorum capitulorum, & præcepit eis nihil suscipere, quod à condemnatis diaconis scribitur contrarium prædicto iudicato: & compendiosè dicere, semper in eadem voluntate perseuerauit. Et hæc omnia per suum tempus vobis manifesta faciemus. Quomodo verò posteà, cùm peruenissetis, sicut dictum est, ad hãc regiam ciuitatem, scripta facta sunt adinuicem à vestra sanctitate, & à Vigilio religiosissimo Papa antiquioris Romæ, vt omnes vos vniti conueniatis, & propter illos, qui siue ex ignorantia, siue scientia impietatem capitulorum defendunt, cõgruum iudicium eis, quæ à sanctis quatuor Synodis pro fide definita sunt, proferatis, mandauimus illi etiam per nostros iudices, & per quosdã ex vobis, vt vna cum omnibus conueniret, & communiter disceptaret de prædictis capitulis, vt forma daretur rectæ fidei conueniens, & quod & ipsum & vestram sanctitatem in scriptis interrogauimus de hoc, vt aut tanquàm impia capitula ab omnibus condemnarentur, aut si putat recta esse, apertè suam manifestaret voluntatem. Alienum enim est Christianorũ, cum recta fide impia suscipere, & nõ à malis recta discernere. Illa verò nobis mãdauit, quòd de prædictis tribus capitulis per semetipsum faciens, porriget nobis. Adhortamur igitur etiam vos de his disceptare. Scire etenim vos volumus, quòd nos ea, quæ à sanctis quatuor Concilijs, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino primo, & Chalcedonẽsi, de vna eademq; fide exposita & definita sunt, & de Ecclesiastico statu regulariter disposita seruabimus, & defendimus, & ea sequimur, & omnia, quę consonant istis, suscipimus & amplectimur. Quicquid autem non consonat istis, vel à quacunque persona scriptum inueniatur cõtra ea, quæ de vna eademq; fide à sanctis quatuor concilijs, vel vno ex his, definita sunt, hoc tanquàm alienum omninò pietatis execramur: sequimur autem in omnibus sanctos patres & doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, id est, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium* Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Augustinum, Proculum, Leonem, & omnia, quæ ab his de fide recta & ad condemnationem hæreticorum, conscripta & exposita sunt, suscipimus. In prædictis igitur omnibus permanẽtes, illos patres & sacerdotes suscipimus, qui ea, quæ à sanctis quatuor Concilijs de fide exposita sunt, & à prædictis sanctis patribus prædicata sunt, seruant & prædicant in sancta Dei Ecclesia. Quando verò hæretici per omnia Theodorum & Nestorium, & eorum impietatẽ vindicare volentes, sicut prædictum est, & susceptam esse dicũt à sancto Chalcedonensi concilio impiam Epistolam, quæ ad Marim Persam ab Iba scripta esse dicitur: hortamur vos considerare ea, quæ à Theodoro impiè tam in alijs scripta sunt, quàm in Iudaico Symbolo, quod & Ephesi & Chalcedonæ prolatum, anathematizatum est ab vtraque Synodo cum his, qui ita sapuerunt, vel sapiunt: Considerare autem & quæ de ipso & eius blasphemijs sancti patres conscripserunt, & antecessores nostri promulgauerunt: necnon & quæ Ecclesiasticarum historiarum scriptores de eo exposuerunt. Ex his etenim omnibus cognoscitis, quòd ab illo tempore condemnatus est tam ipse, quàm blasphemiæ eius à sanctis patribus, & quòd propter istas superioribus temporibus deletum est & nomen eius a sacris diptychis ecclesiæ, cuius fuit Episcopus. Hortamur autem etiam illud disceptare, quod vanè profertur ab eis, qui dicunt non oportere post mortem hæreticos anathematizari, & sequi in hoc doctrinam sanctorum patrum, qui non solùm viuentes hæreticos condemnauerunt, sed & post mortem, vtpotè in sua impietate mortuos anathematizauerunt, sicut eos, qui iniustè condemnati sunt, reuocauerunt post mortem, & in sacris diptychis scripserunt: quod factum est & in* Ioanne, & in Flauiano religiosæ memoriæ Episcopis Constantinopolitanis. Scit enim vestra reuerẽtia, quod positum est à Domino in Euangelio de ipso quòd qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit in eum, iam iudicatus est, quòd nõ credit in nomine vnigeniti filij Dei. Manifestum autem est, quòd hoc non tantùm de viuis, sed etiam de his dictum est, qui in sua impietate mortui sunt. Insuper autem hortamur vos inspicere, & quæ impiè scripta sunt à Theodoreto contra rectam fidem, & Ephesinam primam sanctam Synodum, & contra sanctæ memoriæ Cyrillum, & cõtra duodecim eius capitula, & quæ impiè idem Theodoretus conscripsit pro Theodoro & Nestorio, & blasphemijs eorum cõtra sanctæ memoriæ Cyrillum. Examinare aũt & de impia Epistola, quæ dicitur ab Iba ad Marim Persam scripta esse: in qua scriptor eius abnegat, Deum verbum hominem factum esse, & sanctam gloriosam semper virginem Mariam Dei genitricem esse. Condemnat autem eadem impia Epistola & Ephesinam primã sanctam Synodum, tanquàm sine iudicio & quæstione Nestorio condemnato: & sanctæ quidem memoriæ Cyrillum Ecclesiæ doctorem, hæreticum vocat, & impia dicit duodecim eius capitula: Theodorum autem & Nestorium, & eorum impietatem defendit & laudat. Et quoniam, sicut dictum est, præsumunt quidam dicere, & Epistolam, quæ prædictam impietatem continet, susceptam esse à Chalcedonensi sancto Concilio, hortamur vos conferre ea, quæ dicta sunt ab eodem sancto Concilio in definitione pro fide exposita, cum his, quæ in impia epistola continentur, vt vndique recta quidem confirmentur, impia autem condemnẽtur. Omnia igitur prædicta cum omni subtilitate disceptantes, sicut sacerdotes decet, in mente habentes Dei timorem & futurum iudicium, & nihil pietati & rectæ fidei, & veritati, & Dei gloriæ & honori præponentes, in mente autem habentes & Apostolicam pronunciationem, quæ contra eos, qui contraria rectæ fidei tradunt, prolata est, manifestè dicentem, *quòd licet nos vel angelus de cælo euangelizauerit vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit: Sicut prædiximus, & modò iterùm dico: Si quis vobis euangelizauerit* præterquàm accepistis, anathema sit*: scientes autem & Petri apostoli præceptum, dicentis, Parati semper estote ad satisfactionem omni petenti vos rationem de spe, quæ in vobis est, celeriter de his, quę interrogauimus, vestram manifestate voluntatem. Cùm enim qui de recta fide interrogatur, diu protrahit, nihil aliud est, nisi abnegatio rectę confessionis. In interrogationibus enim & responsis, quæ de fide sunt, non est primus vel secundus, sed qui in recta confessione paratior inuenitur, acceptabilis apud Deum est. Diuinitas vos seruet per multos annos sancti ac religiosissimi patres. Datur 3. Nonas Maias, Cõstantinopoli, Imperij domini Iustiniani perpetui Augusti anno 27. post cõsulatum Basilij viri clarissimi anno 12.

Fides Iustiniani.

*Nazanzenum intelligit.

*Chrysostomum dicit.

Ioan. 5.

Gal. 1.

*præterquod 1. Pet. 3.

Iustinianus ab Episcopis vult doceri.

STephanus & Georgius & Damianus religiosissimi Episcopi, vicem agentes Eustochij sanctissimi patriarchæ Hierosolymitani, per vnum ex ipsis, Stephanum religiosissimum episcopum Raphiæ, dixerunt: Theodorus vir magnificus exeat, cùm satisfecit pijssimi Imperatoris iussioni. Et cum exisset vir spectabilis silentiarius, sancta Synodus dixit: Certis constitutis, quę lecta Imperiali forma cõtinentur, quoniam inter nos & Vigiliũ sanctissimum antiquioris Romæ Papã scripta quædam facta sunt, ad præsentem causam respicientia, necessarium esse putamus, ante alia omnia hæc lectione manifestari. Et cùm suscepisset Stephanus notarius & instrumentarius, recitauit: *Sanctissimo & beatissimo domino & consacerdoti Vigilio Eutychius*: Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei, custodiens corda & sensus fidelium, & colligens eos, vt vnũ idemq; sapiant in recta fidei confessione, & ad perficienda diuina mandata, & propitiũ Deũ faciens in his, qua recta sunt, cõcordantibus: ideò festinan-

Epistola Eutychij ad Vig.

festinantes vnitatem conseruare, ad Apostolicam sedem vestræ beatitudinis manifestum facimus, quòd nos semper & seruauimus & seruamus fidem ab initio traditam à magno Deo & saluatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis, & ab illis in omni mundo prædicatã, & à sanctis patribus explanatam, & maximè ab his, qui in sanctis quatuor Synodis congregati sunt, quas per omnia & in omnibus amplectimur & suscipimus: id est, trecentos decem & octo sanctos patres, qui Niceæ congregati sunt, & sanctum symbolum siue mathema fidei ex posuerunt, & Arianam impietatem anathematizauerunt, & eos, qui similia eis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & centum quinquaginta sanctos patres Constantinopoli congregatos, qui idem sanctum mathema explanauerunt, & de Deitate Sancti spiritus dilucidauerunt, & hæresin Macedonianam, sanctum spiritum impugnantem, & impium Apollinarium condẽnauerunt, cum his, qui similia illis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & sanctos ducẽtos patres in Ephesina prima Synodo congregatos, qui per omnia secuti sunt idem sanctum Symbolum siue mathema, & condemnauerunt Nestorium impium, & impia eius dogmata, & eos, qui similia ei aliquando sapuerunt vel sapiunt. Adhæc autem suscipimus & sexcentos triginta sanctos patres Chalcedonæ congregatos, qui etiam ipsi per omnia consenserunt prædictis tribus Synodis, & secuti sunt prædictum Symbolum siue mathema, à trecentis decem & octo sanctis patribus expositum, & à centum quinquaginta sanctis patribus explanatum, & anathematizauerunt eos, qui aliud præter prædictum symbolum præsumunt docere, aut exponere, aut tradere sanctis ecclesijs Dei. Condemnauerunt autem & anathematizauerunt & Eutychen, & Nestorium, & impia eorum dogmata, & eos, qui similia eis sapuerunt vel sapiunt. His ita se habentibus, certum facimus, quòd omnia, quæ à prædictis sanctis Synodis iudicata & definita sunt, & seruauimus, & seruamus: quia etsi per diuersa tempora prædictæ sanctæ quatuor synodi factæ sunt, tamen vnam eandemq; confessionem fidei seruauerunt, & prædicauerunt. Suscipimus autem & amplectimur & epistolas præsulum Romanæ sedis Apostolicæ, tam aliorum, quàm Leonis sanctæ memoriæ de recta fide scriptas, & de quatuor sanctis Concilijs, vel vno eorum. Cùm igitur prædicta omnia & seruauimus & seruamus, & in his nobisipsis inuicem consentimus, necessarium est conferri de tribus capitulis, vnde quibusdã quæstio nata est. Et ideo petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine propositis sanctis Euangelijs, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda, quæri & conferri, & finem quęstioni imponi Deo placitum, & conuenientem his, quæ à sanctis quatuor Concilijs definita sunt: quoniam ad augmentum pacis & concordiam Ecclesiarum pertinet, vt omni de medio dissensione sublata, quæ à prædictis quatuor sanctis Conciliis definita sunt, inconcussa seruẽtur, sanctarum Synodorum reuerentia in omnibus custodita. His autem & subscripsi incolumis in Domino. Ora pro nobis sanctissime & beatissime frater. Ego Eutychius, misericordia Dei Episcopus Constantinopolis nouæ Romæ, omnibus suprà scriptis subscripsi. Item reuerendissimus Stephanus recitauit: *Dilectissimo fratri Eutychio & Episcopis sub te constitutis Vigilius*: Repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, quòd discordiæ confusione submota, pacem DEVS suæ reformauit Ecclesiæ, vt impleretur, quod dictum est, *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Valdè enim nos in Domino exultare conuenit, quòd charitatis vestræ scripto nobis est oblata professio, cuius tenor ita se habet: Scientes quantorum donorum causa est pax Dei, custodiens corda & sensus fidelium, & colligens eos, vt vnum idemque sapiant in recta fidei cõfessione, &c. *omnia, quæ in Eutychij ad Vigilium epistola paulo ante habentur, demptâ subscriptione, quæ hic iam sequitur alijs verbis:* His autem & subscripsimus, huius professionis orthodoxæ charitatem libẽter amplexi, eadem nos per omnia & in omnibus approbantes, custodituros atque inuiolabiliter seruaturos Deo nostro profitemur authore. Omnibus igitur, quæ professio vestra continet, in sua perenniter firmitate durantibus, popposcit vestra fraternitas, vt nobis præsidentibus de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, sub trãquillitate & sacerdotali mansuetudine sanctis propositis Euangelijs conferatur, & finis quæstioni ipsi Deo placitus, & conueniens ijs, quæ à memoratis sanctis quatuor Concilijs definita sunt, imponatur: vt omni de medio dissensione sublata, quæ ab eisdem quatuor sanctis Synodis definita sunt, inconcussa seruentur, earundem Synodorum reuerentia in omnibus custodita. Quam professionem paternarum traditionum memorem & sequacem, tam in fraternitate vestra, quàm in omnibus similia confessis atque confitentibus omni laude pleniſſimam iudicauimus, & nostros ex ea re vera fratres agnoscimus. Vndæ diuinæ clementiæ supplicamus, vt omnes nos in hac confessione & paternis traditionibus permanentes nostro digni reperiamur officio, & in die diuini iudicij nulli præuaricationi paternarum constitutionum inueniamur obnoxij. Quibus ita prædictis postulationibus vestrum desiderium cognoscentes annuimus, vt de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conuentu, seruata æquitate, medijs sacrosanctis Euangelijs, collationem cum vnitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conueniens his, quæ à sanctis quatuor sunt definita Concilijs: scientes vtique, sicut & communis professionis testimonio declaratur, memoratarum Synodorum in omnibus reuerentiam custodiri. Deus te incolumem custodiat frater chariſſime. Data viij. Idus Ianuarias, Imp. domini Iustiniani perpetui Augu. anno xxvij. post conſ. Basilij viri clar. anno 12.

Legatio Synodi ad Vigilium.

Sancta Synodus dixit: Licèt sæpius glorioſissimi Iudices, & quidam ex nobis, sicut Imperialibus litteris continetur, adhortati sunt Vigilium religioſissimum Papam antiquioris Romæ communiter conuenire pro his, quæ mouentur de tribus capitulis, rationabile tamen & Deo amabile arbitramur esse, & nunc conuenire nobiscum, & de eisdem tribus capitulis disceptare, & formam vna nobiscum imponere rectæ fidei conuenientem. Hoc igitur iam nunc procedat. Et cum accessissent ex petitione sanctæ Synodi sanctissimi patriarchæ, Eutychius Constantinopolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domninus Theopolitanus, Benignus Heracleæ Pelagonienſis, vicem agens Eliæ Episcopi Thessalonicenſis, Theodorus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, Andreas Ephesi, Megethius Heracleæ Thraciæ, Ioannes Nicomediæ, Stephanus Niceæ, Constantinus Chalcedonenſis, Eusebius Tyri, Ioannes Cæsareæ Palæstinæ, Amazonius Edeſſæ, Thomas Apameæ Syriæ, Pompeianus de Byzacio, Phocas Stalienſis prouinciæ Præbalienſis, Theodorus Leontopolitanus, Stephanus de Clysmate, Æmilianus Antipyrgi, religioſiſſi. episcopi, ex nomine totius cõcilij ad sanctiſſimum Papam Vigilium, alijs episcopis in eodem venerabili episcopio relictis, & rediſſent ijdem sanctiſſimi patriarchæ vna cum religioſiſſimis episcopis, sanctiſſimi patriarchæ, & qui cum eis peruenerunt ad sanctiſſimum Papam religioſiſſimi episcopi, dixerunt: Sicut nobis omnibus visum est, peruenientes ad sanctiſſimum Papam antiquioris Romæ Vigilium, petiuimus eius beatitudinem conuenire & disceptare vna nobiscum de tribus capitulis secundum scripta, quæ inter nos & ipsum facta sunt, manifestantes eius beatitudini, quòd sereniſsimus noster Imperator pias litteras ad nos direxit, adhortans nos de eisdem tribus capitulis respondere: qui modo quidem propter corporis infirmitatem dixit, non posse ad hanc petitionem respondere: in postero autem die pollicitus est manifestare, quod ei de tali conuentu placuerit: Oportet igitur præsentem differre diem.

(*)

COLLATIO II.

IMPERII DOMINI IVSTINIANI PERPETVI AVGVSTI ANNO XXVII. POST CONsulatum Basilij viri clarisſ. Anno xij. die 8. Idus Maias, Indictione I.

Confeſſio ſeu Collatio 2.

COnſidentibus in Secretario venerabilibus Epiſcopis huius regiæ ciuitatis,
Eutychio ſanctiſſimo Patriarcha regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ.
Apollinario ſanctiſſimo Archiepiſcopo Alexandrinæ magnæ ciuitatis.
Domnino ſanctiſſimo Patriarcha Theopolitanæ magnæ ciuitatis.
Stephano religioſiſ. epiſ. Raphiæ.
Georgio religioſiſ. epiſ. Tiberiadis.
Damiano religioſiſ. epiſc. Sozyſæ, vicem agentibus Euſtochij ſanctiſſimi epiſcopi Hieroſolymitani.
Benigno religioſiſſimo epiſcopo Heracleæ Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatiſſimi epiſcopi Theſſaloniceñ.
Theodoro religioſiſ. epiſco. Cæſareæ primæ Cappadociæ prouinciæ.
Andrea religioſiſ. epiſ. Epheſi.
Sextiliano religioſiſ. epiſc. Tunienſi, vicem agente Primoſi religioſiſſimi epiſco. Carthaginis.
Megethio religioſiſſimo epiſc. Heracleæ Thraciæ.
Anaſtaſio religioſiſ. epiſco. Tabiæ, vicem agente Dorothei religioſiſ. epiſ. Ancyræ.
Ioanne reuerend. epiſcopo Ilienſi, vicem agente Euprepij religioſiſſimi Epiſcopi Cyzicenæ ciuitatis.
Euſebio religioſiſ. epiſcopo Tyri.
Ioanne religioſiſ. epiſcopo Nicomediæ.
Stephano religioſiſ. epiſcopo Niceæ.
Conſtantino religioſiſ. epiſcopo Chalcedonenſi.
Petro religioſiſ. epiſc. Tarſi.
Ioanne reuerend. epiſ. Cucuſorum, vicem agente Palladij religioſiſ. epiſcopi Melitenæ.
Ioanne religioſiſ. epiſ. Cæſareæ Palæſtinæ.
Pompeiano religioſiſ. epiſc. Byzacij.
Amazonio religioſiſ. epiſcopo Edeſſæ.
Alexandro religioſiſ. epiſcopo Gangrorum.
Thoma religioſiſ. epiſco. Apameæ Syriæ.
Euphranta religioſiſ. epiſc. Tranorum.
Theodoro religioſiſ. epiſc. Hierapolis Syriæ.
Boſphorio religioſiſ. epiſc. Neocæſareæ.
Ioanne religioſiſ. epiſc. Boſtræ.
Philippo religioſiſ. epiſcopo Myrorum.
Theodoro religioſiſ. epiſc. Seleuciæ Iauriæ.
Iuliano religioſiſ. epiſ. Sardienſi.
Theodoro religioſiſ. epiſco. Gortynæ.
Euſtachio religioſiſ. epiſc. Damaſci.
Theodoſio religioſiſ. epiſc. Rhodi.
Firmo religioſiſ. epiſc. Potipaſon, Africanæ prouinciæ.
Theodoro religioſiſſimo epiſcopo Antiochiæ Piſidiæ.
Phoca religioſiſ. epiſcopo Stalienſi.
Eulogio religioſiſſimo epiſcopo Pergæ.
Seueriano religioſiſ. epiſ. Aphrodiſiadis.
Cyriaco religioſiſ. epiſc. Amydæ.
Seuero religioſ. epiſ. Synnadorum.
Petro religioſ. epiſcopo Sydæ, Abrahamio religioſiſ. epiſc. Sergiopolitano.
Aſignio reuerendiſſimo epiſcopo Tranopolitano, vicem agente religioſiſ. epiſ. Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ.
Ioanne reuerend. epiſc. Adrianopolitano Thraciæ.
* Creſco. * Creſco religioſiſ. epiſc. Cuiculi.
Theodoſio religioſiſſ. epiſco. Iuſtinianopolitano ſecundæ Cappadociæ.
Stephano religioſiſſimo epiſcopo Laodiceæ, ſiue Theodoriadis.
Auxanone religioſiſſimo epiſcopo Hierapolis Phrygiæ.
Euſtachio religioſiſſ. epiſ. Maximianopolitano.
Ætherio religioſiſſ. epiſ. Anazarbi.
Dometio religioſiſſ. epiſ. Chalcidis.
Valeriano religioſiſſimo epiſcopo Obbæ Africanæ prouinciæ.
Dionyſio religioſiſ. epiſ. Seleuciæ Syriæ.
Theodoro religioſiſſ. epiſc. Dryziparon.
Seuero religioſiſſimo epiſcopo Pompeiopolitano Paphlagoniæ.
Georgio religioſiſſ. epiſc. Iuſtinianæ Cypſelon.
Romano reuerend. epiſ. Gabalon.
Georgio reuerendiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Armeniæ.
Ioanne reuerend. epiſc. Nyſſæ.
Baſilio reuerẽdiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Camulianorum.
Ioanne reuerendiſſ. epiſ. Barcuſorum.
Creſconio reuerendiſſimo epiſcopo Zattarenſi prouinciæ Numidiæ.
Sergio reuerend. epiſcopo Cynon ſecundæ Ægypti.
Chriſtophoro reuerendiſſimo epiſcopo Archadiapolitano Aſiæ.
Theodoſio reuerend. epiſcopo Bybli.
Leontio reuerendiſſimo epiſcopo Archæ.
Ioanne reuerend. epiſc. Myrinæ.
Alexandro reuerend. epiſc. Amphipolitano.
Stephano reuerend. epiſc. Clyſmatis.
Thoma reuerend. epiſc. Beriſſæ.
Ariſtodemo reuerend. epiſc. Philomelij.
Thallelæo reuerendiſſimo epiſcopo Adrianopolitano Piſidiæ.
Theoctiſto reuerend. epiſc. Erythron.
Diogeniano reuerend. epiſc. Sozopolitano.
Baſſo reuerend. epiſc. Tamiatenſi.
Anatolio reuerend. epiſcopo Cymæ.
Diogene reuerend. epiſc. Cratiæ.
* Reſtuto reuerendiſſimo epiſco. Mileon Aphricanæ prouinciæ.
Theodoro reuerendiſſimo epiſcopo Leontopolitano Ægypti.
Æmiliano reuerend. epiſc. Antipyrgi.
Conone reuerend. epiſc. Machedenſi.
Theoctiſto reuerend. epiſc. Pruſæ.
Georgio reuerend. epiſc. Ptolemaidis.
Sotero reuerend. epiſ. Aulonis.
Zoſimo reuerend. epiſ. Antandri.
Cypriano reuerend. epiſ. * Coriti. * Corycī.
Elia reuerend. epiſ. Diocletianopolitano.
Theona reuerend. epiſ. * Cuſſon.
Theodoro reuerend. epiſc. * Limyron.
Gennadio reuerend. epiſ. Zenopolitano.
Aſyncretio reuerend. epiſ. Aradi.
Stephano reuerend. epiſ. * Botrion.
Philippo reuerend. epiſc. Phelli.
Mena reuerend. epiſ. Demyriangelis.
Genethlio reuerend. epiſ. Dorylaij.
Thoma reuerend. epiſ. * Conſtantinæ.
Theodoro reuerend. epiſ. Leontopolitano.
Seuero reuerend. epiſ. Taborum.
Theoctiſto reuerend. epiſ. Halicarnaſi.
* Coſmare reuerend. epiſ. Malli.
Dionyſio reuerend. epiſc. Megarenſi.
Callinico reuerend. epiſc. Opuntis.
Paſchaſio reuerend. epiſ. Aegij.
Eraſmo reuerend. epiſc. * Cybyræ.
Ioanne reuerendiſſimo epiſcopo Neocæſareæ Euphratenſis.
Nonno reuerend. epiſ. Dauſarorum.
Stephano reuerend. epiſ. Balaneon.
Thoma reuerend. epiſ. Circiſij.
Anatolio reuerend. epiſ. Sebaſtæ.
Conſtantino reuerend. epiſ. Midadij.
Macario reuerend. epiſ. Prymneſiæ.
Megalo reuerend. epiſ. Myri.
Thallelæo reuerend. epiſ. Iſindorum.

Niceta reuerend. episc. Epiphaniæ.
Alexandro reuerend. episc. Dionysi.
Pelagio reuerend. episc. Azanon.
Hierone reuerend. episc. Anastasiopolitano Phrygiæ.
Glauco reuerend. episc. Alion.
Procopio reuerend. episc. Anteno.
Petro reuerend. episc. Dometiopolitano.
Ioanne reuerend. episc. Coloniæ.
Vranio reuerend. episc. Trallienſi.
Ioanne reuerend. episc. Cerasuntis.
Phronymo reuerend. episc. Sinai.
Macedonio reuerendissimo episcopo Iustinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerend. episc. Teni.
Eulogio reuerend. episc. Daborum.
Theodoro reuerend. episc. Coradeon.
Helpidophoro reuerendissimo episcopo Anastasiopolitano Cariæ.
Cyrione reuerend. episc. Dadimorum.
Theodoro reuerend. episc. Laodiceæ.
Sila reuerend. episc. Tiberiopolitano.
Diogene reuerend. episc. Augustopolitano.
Theodoro reuerend. episc. Ingilon.
Iuliano reuerend. episc. Zeugmatis.
Dorymenio reuerend. episc. Adraon.
Ioanne reuerend. episc. Leri.
Theodoro reuerend. episc. Gargaron.
Theodoro reuerend. episc. Comanorum.
Rufino reuerend. episc. Sebastiæ Armeniæ.
Conone reuerend. episc. Senneon.
Cyriaco reuerend. episc. Casatorum.
Sisinnio reuerend. episc. Præneti.
Iuliano reuerend. episc. Batnon.
Anastasio reuerend. episc. Rachlæ.
Theodoro reuerend. episc. Porthmi.
Paulo reuerend. episc. Stectorij.
Stephano reuerend. episc. Amasiæ.
Paulo reuerend. episc. Adrassi.
Euandro reuerend. episc. Gnidi.
Mena reuerend. episc. Carpathij.

Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorũ notariorum dixit: Meminit sancta vestra synodus gestorum, quæ apud vos habita sunt pro insinuatione sacrorum apicum, quos inuictus noster Imperator direxit ad vestram beatitudinem, & quod ante duos istos dies iterum conueniſtis ad beatissimum Papam antiquioris Romæ, tam Eutychius, quàm Apollinarius & Dominus sanctissimi patriarchæ & religiosissimi Episcopi, Benignus Heracleæ *Pelagianæ, vicem agens Eliæ religiosissimi Episcopi Thessalonicensis, Theodorus Cæsareæ Cappadociæ, Andreas Ephesi, Megethius Heracleæ Thraciæ, Ioannes Nicomediæ, Stephanus Niceæ, Constantinus Chalcedonensis, Eusebius Tyri, Ioannes Cæsareæ Palæstinæ, Amazonius *Edesæ, Theodorus Seleuciæ, Thomas Apameæ Syriæ, Pompeianus Byzacij, Phocas Stalienſis, Theodorus Leontopoleos, Æmilianus Antipyrgi, quatenus idem religiosissimus Papa secundum promissa sua de suo conuentu manifestet. Sancta synodus dixit: Ordinis gratia ea, quæ acta sunt in isto sancto Concilio, manifestentur. Et lecta sunt. Diodorus archidiaconus & Primicerius reuerendissimorum notariorum dixit: Petunt omnes alij religiosissimi episcopi, & vos sanctissimos patriarchas & religiosissimos Episcopos, qui vobiscum fuerunt ad sanctissimum Papam Vigilium, explanare, quæ subsecuta sunt. Sanctissimi Patriarchæ & religiosissimi episcopi, qui cum illis conuenerunt ad sanctissimum Papam Vigilium, dixerunt: Secundum promissionem hesterno die factã à beatissimo Papa antiquioris Romæ Vigilio, peruenimus ad eum sexto die instantis Maij mensis, id est, ante duos dies, commonentes quidem eius beatitudinem, quæ inter nos in scriptis complacuerunt: adhortantes verò eum conuenire vna nobiscum, & tractare & disponere de tribus capitulis, de quibus pijssimus Imperator nos eiusque beatitudinem in scriptis interrogauit. Ille verò respondit, non posse vna nobiscum conuenire, eo quod plurimi quidem hic sunt Orientales episcopi, pauci verò cum eo: facere autem per semetipsum in scriptis suam sententiam, & offerre pijssimo domino. Ideo enim & inducias postulasse ab eius serenitate, vt intra eas suam voluntatem manifestaret. Nos verò dicebamus: Scit vestra beatitudo, quòd in his, quæ inter nos in scriptis facta sunt, promisistis vna cum episcopis, qui nobiscum & communicant & vniti sunt, conuenire & requirere de his tribus capitulis. Nos verò & communicamus, & vniti vobiscum sumus, & non decet omnium nostrum conuentum differri propter Occidentales episcopos. Nec enim in sanctis quatuor synodis multitudo Occidentalium episcoporum inuenta est vnquam, sed duo vel tres episcopi & certi clerici. Nunc verò adest quidem vestra beatitudo, multi etiã alij ex Italia præsto sunt episcopi, sunt etiã ex Africa episcopi, & ab Illyrico, & nihil est, qd prohibet conuenire vos vna nobiscũ secundũ ea, quæ inter nos in scriptis facta sunt; & melius est cũ charitate decẽte sacerdotes cõuenire, & vnã pro causa sententiã statuere, vt tunc quæstio cõmunẽ in scriptis definitionem suscipiat. Hoc enim cognoscens & pijssimus Imperator inducias dabit omni modo, cum promissio communis à nobis omnibus ei data fuerit pro causæ definitione. Si verò non vultis secundũ ea, quæ in scriptis nobis placuerunt, conuenire, cognoscat vestra beatitudo, quòd oportet & nos in vnum conuenientes nostrã manifestare volũtatem. Nec enim iustum est, vel tam Christianissimum Imperatorem, vel fidelem populum scandalizari ex dilatione, quæ in medio circa responsionem efficitur. Et his dictis, promisimus omnia suggerere pijssimo domino. Quo à nobis facto, promisit eius serenitas trãsmittere quosdã gloriosissimos Iudices vna cũ religiosis. episcopis, ad eundem beatissimũ virum, vt de eisdem etiã iterũ eum adhortarentur, Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorum notariorum, dixit: Quoniam sicut promisit pijssimus Imperator, hesterno die destinauit ad religiosiss. Papam Vigilium Petrum patricium & Constantinum viros gloriosiss. missi autem sunt & à vestro sancto cõcilio, Theodorus Cæsareę Cappadociæ, Benignus Heracl ę *Pelagoniæ, Andreas Ephesi Megethius Heracleæ, Thraciæ Constantinus Chalcedonis, Eusebius Tyri, Ioãnes Cæsareæ Palæstinæ Amazonius *Edesæ, Theodotus Seleuciæ, Phocas Stalienſis, Theodorus Leontopoleos, Æmilianus Antipyrgi, religiosiss. episcopi; & præsto sunt prædicti gloriosiss. Iudices, iussi à pijssimo Imperatore dicere ante sanctam synodum, quæ præsentibus eis subsecuta sunt, hoc ipsum suggerimus.

Sancta synodus dixit: Prædicti gloriosissimi viri, secundum quod iussum est à pijssimo Imperatore, dignentur dicere, quæ ipsis præsentibus subsecuta sunt. Liberius glorioſissimus patricius, Petrus glorioſissimus patricius & magister officiorum, Patricius glorioſissimus patricius & Constantinus glorioſissimus quæstor sacri palatij per glorioſissimum quæstorem Constantinum dixerunt. Et primo die instantis Maij mensis secundum iussionem pij domini peruenimus ad beatissimum Papam Vigilium, vna cum glorioſissimis patricijs, Belissario, Cethego & Rustico; & septimo die instantis Maij mensis peruenimus iterum ad eundem beatissimum virum vna cum Theodoro Cæsareæ Cappadociæ, Benigno Heracleæ Pelagonienſis, Andrea Ephesi, Megethio Heracleæ Thraciæ, Constantino Chalcedonis, Eusebio Tyri, Ioanne Cæsareæ Palæstinæ, Amazonio *Edesæ, Theodoro Seleuciæ, Phoca Stalienſis ciuitatis, Theodoro Leontopoleos & Aemiliano Antipyrgi, religiosiss. episcopis. In vtroque autem die eandem responsionem diximus à pijssimo domino, id est, vt conueniret vna nobiscum omnibus, & tractaret de tribus capitulis his, qui volunt fiduciam habentibus contradicendi, vt per communem consensum omnium, finem susciperet causa trium capitulorum. Et plurimis de hoc motis, postulauit inducias accipere vt solus respondeat. Nos verò ad eũ diximus, quòd solus quidem sæpius in scriptis & sine scriptis condemnasti ista tria capitula: pijssimus autem Dominus in cõmuni vult te vna cũ alijs conuenire, & sic de his iudiciũ fieri. De inducijs verò & per alios suggessit tua beatitudo pijssimo domino, &

respondit eius maiestas, quòd si quidem conueniatis vna cum beatissimis patriarchis,& religiosiss. episcopis secundũ quod inter vos visum est,debentes tractare, & communiter de tribus capitulis disponere, præbeo non solum quantas nunc dicitis inducias,sed etiam longiores;sin autem per semetipsum vult tua beatitudo suam manifestare voluntatem, necessè est nos etiam ab his, qui propter hoc vocati sunt religiosissimi sacerdotes, & tantum tempus hic commorati sunt, synodicè discere, quã de his habent voluntatem. Nos enim non possumus DEI Ecclesiam vlterius in tanta confusione relinquere, maximè hæreticis calumniantibus eius sacerdotes tanquam Nestorij sequaces. Et iterum promisit solus facere,& transmittere pijssimo domino. Sancta synodus dixit: Et religiosissimi episcopi, qui vna cum gloriosissimis iudicibus ad sanctissimum Papam Vigilium fuerunt, quæ subsecuta sunt, dicant. Religiosissimi episcopi dixerunt: Secundum iussionem pijssimi Imperatoris & præceptum vestræ sanctitatis fuimus vna cum Liberio gloriosissimo patricio,Petro gloriosissimo Patricio & magistro officiorum,& Patricio gloriosissimo patricio, & Constantino gloriosissimo quæstore sacri palatij,ad sanctissimum Papam Vigilium, & ingressis nobis gloriosissimus magister & gloriosissimus quæstor proposuerunt præsentibus nobis iussionem pijssimi Imperatoris sanctissimo Papæ, & multa dicta sunt similia illis, quæ & antè à vestra sanctitate, præcedenti die apud eundem sanctissimum Papam mota sunt, & quæ nunc exposuerunt gloriosissimi Iudices,scimus & nos mota esse apud ipsius sanctitatem. Gloriosissimi iudices dixerunt: Nos quidem hoc quod iussi sumus à pijssimo Imperatore, impleuimus, & imus ad sacrum eius palatium, in eius obsequium permansuri: vos autem DEI timorem præ oculis habentes, celerem finem imponere causæ dignamini conuenientem his, quæ à sanctis quatuor concilijs de fide recta definita sunt: scientes quòd pijssimus Imperator specialiter iussit nobis dicere vestræ sanctitati, quòd ipse, quæ à sanctis quatuor Concilijs de vna eademque fide definita & iudicata sunt,& seruauit & seruat, & vindicauit & vindicat: & omnia quidem,quæ conueniunt his,quæ ab ijsdem sanctis Concilijs pro recta fide definita sunt, & suscipit & seruat: omnia autem contraria his, quæ ab ipsis de fide recta iudicata sunt, & reijcit, & aliena de Ecclesia iudicat esse. Nam & sanctas quatuor Synodos maiestas ipsius sacris Ecclesiæ diptychis inseri & prædicari fecit: quod ante Imperium diuinitus ei datum, in sancta Ecclesia non procedebat. Et cum recessissent gloriosissimi Iudices,sancta synodus dixit: Certis constitutis, quæ & nunc apud beatissimum Papam Vigilium subsecuta sunt per expositionem gloriosissimorum iudicum & religiosissimorum Episcoporum,cum nos per omnia, quod decet & seruauimus, & seruamus, & sæpius petiuimus sanctissimum Papam Vigilium vna nobiscum conuenire, & definitionem vna nobiscum his, quæ mouentur,imponere, quoniam ex religiosissimis episcopis,qui in hac regia ciuitate degere noscuntur, non sunt in nostro concilio præsentes, de Africanis quidem Primasius reuerendissimus vnus Byzacenæ Parœciæ Episcopus,de Illyrico autem Sabinianus, & Proiectus, & Paulus religiosissimi episcopi: Theodorus reuerendissimus episcopus *Lymoron, Anatolius reuerendissimus episcopus Cymæ, Diogenianus reuerendiss. episcopus Sozopolitanus, vna cum Ammonio, Petro & Theodoro reuerendissimis presbyteris, & Ecclesiæ huius regiæ vrbis defensoribus,pergant & adhortentur eos venire,& partem fieri huius sancti Concilij. Et cum issent destinati reuerendissimi viri ad prædictos religiosissimos episcopos, & reuersi sunt. Theodorus episcopus *Lymiron dixit: Pro iussione vestræ beatitudinis fuimus tam ego, quàm Ammonius reuerendissimus presbyter & huius sanctæ magnæ Ecclesiæ defensor, in domum Marinæ ad Primasium reuerendissimum episcopum Afrum, & adhortati sumus eum,vt veniret,& consideret vestræ sanctitati: Ille autem dixit,Papa non præsente, non venio. Ammonius presbyter & defensor ecclesiæ, dixit: Verè docuit Theodorus reuerendiss. episcopus *Limyron,ita enim diximus, & audiuimus ab eo. Anatolius episcopus Cymæ,dixit: Secundum iussionem beatitudinis vestræ fuimus tam ego, quàm Petrus reuerendiss. presbyter & defensor huius sanctæ magnæ Ecclesiæ,in loco,qui dicitur Palea, in domo piissimi & tranquillissimi Imperatoris,ad Sabinianum reuerendissimum episcopum Zaparenæ ciuitatis Illyricianæ diœceseos,& adhortati sumus eum,vt conueniret,& consideret vestræ sanctissimæ synodo:qui dixit, non posse venire, eo quòd non præsto est archiepiscopus eius Benenatus; dixit autem,quòd ego illi respondeo. Petrus presbyter & defensor Ecclesiæ dixit:Vera dixit Anatolius reuerend.episcopus Cymæ: sic etenim & diximus, & audiuimus ab eo. Diogenianus episcopus Sozopolitanus Pisidiæ, dixit: Secundum iussionem vestræ beatitudinis, perueni vna cum Theodoro reuerendissimo presbytero & defensore huius sanctæ Ecclesiæ,ad Proiectum reuerendissimum episcopũ Naisitanum Illyricæ diœceseos,qui habitat in domo Maxẽtiani,& diximus ei tale responsum,quòd hortantur vos sanctissimi Patriarchæ & reliqui omnes fratres vestri religiosissimi episcopi,venire in sanctam synodum,& dixit,quòd archiepiscopum Benenatum accedo,& ad eum respondeo. Cum autem peruenissemus ad Paulum religiosissimum episcopum secundæ Iustinianæ, qui habitat in domo Germani propè portum Cæsarij,& dixissemus ei,quæ vestra sanctitas iussit, respondit, quòd archiepiscopum habeo, & ei respondeo. Theodorus presbyter & defensor ecclesiæ,dixit:Secundum iussionem vestræ beatitudinis cum peruenissem vna cum Diogeniano reuerendissimo episcopo Sozopolitano ad prædictos reuerẽdissimos episcopos Proiectum Naisitanum,& Paulum secundæ Iustinianæ,adhortati sumus eos venire in isto sancto Concilio:responderunt illa,quæ edocuit prædictus reuerẽdissimus episcopus Diogenianus.

Episcoporum est de negotijs fidei cognoscere & statuere.

Sancta synodus dixit:Oportebat quidem Primasium, & Sabinianum,& Proiectum,& Paulum religiosissimos episcopos,conuocatos ab hoc sancto Concilio, aduenire, & participes fieri omnium, quæ mouentur, maximè cum & pijssimus Imperator,& nos ipsi licentiam dedimus vnicuique suam voluntatem, quam pro his, quæ mouentur, habet,facere manifestam: quoniam verò hoc non fecerunt, de Primasio quidem secundum ecclesiasticam traditionem opportuno tempore,quæ oportet, disponantur. Sabiniano autem, & Proiecto,& Paulo reuerendiss. episcopis licebit,secundum quod petierunt, ad Benenatum religiosissimum episcopum accedere,qui communicat nobis,& consentit his,quæ ab ista Synodo aguntur, sicut ostendunt ea, quæ sæpius scripsit & fecit:& quod Phocas religiosiss. episc. sub eius diœcesi constitutus,præsto est huic sancto Concilio,& eius vices agit:& hæc quidem sic ordinentur. Incongruum autem sacerdotibus esse putantes, protrahere dandum à nobis responsum Christianissimo Imperatori, apostolo maximè Petro dicente, Oportet nos paratos esse ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de nostra salute,Deo iuuante, futuro die conuenientes, quæ oportet, agemus.

Legatio synodi ad episcopos absentes.

COLLATIO III.

IMPERII DOMINI IVSTINIANI PERPETVI AVGVSTI ANNO XXVII. POST CONSULATUM Basilij viri clarissimi Anno xij. die 7. Idus Maias, Indictione I.

Consistentibus in Secretario venerabilibus Episcopis huius regiæ ciuitatis,
Eutychio sanctissimo Patriarcha regiæ Constantinopolis nouæ Romæ.
Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandrinæ magnæ ciuitatis.
Domnino sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ magnæ ciuitatis.

Stephano religiosiſ.epiſ.Raphiæ.
Georgio religiosiſ.epiſ.Tiberiadis.
Damiano religiosiſ. epiſc. Sozyſæ, vicem agentibus Euſtochij ſanctiſſimi epiſcopi Hieroſolymitani.
Benigno religioſiſſimo epiſcopo Heracleæ * Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatiſſimi epiſcopi Theſſalonicenſis.
Theodoro religiosiſ. epiſco. Cæſareæ primæ Cappadociæ prouinciæ.
Andrea religiosiſ. epiſ.Epheſi.
Sextiliano religiosiſ.epiſc. Tunienſi, vicem agente Primoſi religioſiſſimi epiſco.Carthaginis.
Megethio religioſiſſimo epiſc.Heracleæ Thraciæ.
Anaſtaſio religiosiſ.epiſco. Tabiæ,vicem agente Dorothei religiosiſ.epiſ. Ancyræ.
Ioanne reuerend. epiſcopo Ilienſi, vicem agente Euprepij religioſiſſimi Epiſcopi Cyzicenæ ciuitatis.
Euſebio religiosiſ.epiſcopo Tyri.
Ioanne religiosiſ.epiſcopo Nicomediæ.
Stephano religiosiſ.epiſcopo Niceæ.
Conſtantino religiosiſ.epiſcopo Chalcedonenſi.
Petro religiosiſ.epiſc. Tarſi.
Ioanne reuerend. Cæſareæ Palæſtinæ.
Pompeiano religiosiſ.epiſc.Byzacij.
Amazonio religiosiſ.epiſcopo Edeſſæ.
Alexandro religiosiſ.epiſcopo Gangrorum.
Thoma religiosiſ.epiſco. Apameæ Syriæ.
Euphranta religiosiſ.epiſc. Tyanorum.
Theodoro religiosiſ.epiſc.Hierapolis Syriæ.
Boſphorio religiosiſ.epiſc.Neocæſareæ.
Ioanne religiosiſ.epiſc.Boſtræ.
Philippo religiosiſ.epiſcopo Myrorum.
Theodoto religiosiſ.epiſc. Seleuciæ Hauriæ.
Iuliano religiosiſ.epiſ. Sardienſi.
Theodoro religiosiſ.epiſco.Gortynæ.
Euſtachio religiosiſ.epiſc.Damaſci.
Theodoſio religiosiſ.epiſc.Rhodi.
Firmo religioſiſſimo epiſcopo Potipaſon, Africanæ prouinciæ.
Theodoro religioſiſſimo epiſcopo Antiochiæ Piſidiæ.
Phoca religiosiſ.epiſcopo Stalienſi.
Eulogio religioſiſſimo epiſcopo Pergæ.
Seueriano religiosiſ.epiſ.Aphrodiſiadis.
Cyriaco religiosiſ. epiſc. Amydæ.
Seuero religioſ. epiſ.Synnadorum.
Petro religioſ. epiſcopo Sydæ, Abrahamio religiosiſ.epiſc. Sergiopolitano.
Aſignio reuerendiſſimo epiſcopo Traianopolitano, vicem agente, Ioannis religioſiſſimi epiſcopi Laodiceæ Pacatianæ.
Criſco religioſiſſimo epiſc.Cuiculi.
Theodoſio religiosiſſ. epiſco. Iuſtinianopolitano ſecundæ Cappadociæ.
Stephano religioſiſſimo epiſcopo Laodiceæ, ſiue Theodoriadis.
Auxanone religioſiſſimo epiſcopo Hierapolis Phrygiæ.
Euſtachio religioſiſſ.epiſ.Maximianopolitano.
Ætherio religioſiſſ.epiſ.Anazarbi.
Domecio religioſiſſ.epiſ.Chalcidis.
Valeriano religioſiſſimo epiſcopo Obbæ Africanæ prouinciæ.
Dionyſio religioſiſſ.epiſ.Seleuciæ Syriæ.
Theodoro religioſiſſ.epiſc.Dryziparon.
Seuero religioſiſſimo epiſcopo Pompeiopolitano Paphlagoniæ.
Georgio religioſiſſ.epiſc.Iuſtinianæ Cypſelon.
Romano reuerend.epiſ.Labalon.
Georgio reuerendiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Armeniæ.
Ioanne reuerend.epiſc.Nyſſæ,
Baſilio reuerẽdiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Camylianorum.
Ioanne reuerendiſſ.epiſ.Barcyſorum.
Creſconio reuerendiſſimo epiſcopo Zatarenſi prouinciæ Numidiæ.
Sergio reuerend.epiſcopo Cyno ſecundæ Ægypti.
Chriſtophoro reuerendiſſimo epiſcopo Archadiapolitano Aſiæ.
Theodoſio reuerend.epiſcopo Bybli.
Leontio reuerendiſſimo epiſcopo Arcæ.
Ioanne reuerend.epiſc.Myrenæ.
Alexandro reuerend.epiſc.Amphipolitano.
Stephano reuerend.epiſc.Clyſmatis.
Thoma reuerend.epiſc.Beriſſæ.
Ariſtodemo reuerend.epiſc.Philomelij.
Thallelæo reuerendiſſimo epiſcopo Adrianopolitano Piſidiæ.
Theoctiſto reuerend.epiſc.Erythron.
Diogeniano reuerend.epiſc.Sozopolitano.
Baſſo reuerend.epiſc.Tamathenſi.
Anatolio reuerend.epiſcopo Cymæ.
Diogene reuerend.epiſc.Cratiæ.
*Reſtuto reuerendiſſimo epiſco. Mileon Aphricanæ prouinciæ.
Theodoro reuerendiſſimo epiſcopo Leontopolitano Ægypti.
Conone reuerend.epiſc.Magodienſi.
Æmiliano reuerend.epiſc.Antipyrgi.
Theoctiſto reuerend.epiſc.Pruſæ.
Georgio reuerend.epiſc.Ptolemaidis.
Sotero reuerend.epiſ.Aulonis.
Zoſimo reuerend.epiſ.Antandri.
Cypriano reuerend.epiſ.Coryci.
Elia reuerend.epiſ Diocletianopolitano.
Theona reuerend.epiſ.Cyſſon.
Theodoro reuerend.epiſc.*Limyron.
Gennadio reuerend.epiſ.Zenopolitano.
Aſyncretio reuerend.epiſ.Aradi.
Stephano reuerend.epiſc.Botrion.
Philippo reuerend.epiſc.Phelli.
Mena reuerend.epiſ.Demyriangelis.
Genethlio reuerend.epiſ.Dorylaij.
Thoma reuerend.epiſ.Conſtantinæ.
Theodoro reuerend.epiſ.Halicarnaſi.
Coſma reuerend.epiſ.Leontopolitano.
Seuero reuerend.epiſ.Taborum.
Theoctiſto reuerend.epiſ.Malli.
Dionyſio reuerend.epiſc.Megarenſi.
Callinico reuerend.epiſc.Opuntis.
Paſchaſio reuerend.epiſ.Aegij.
Eraſmo reuerend.epiſc.*Cybyræ.
Ioanne reuerend. epiſ. Neocæſareæ Euphrateñ.
Nonno reuerend.epiſ.Dauſarorum.
Stephano reuerend.epiſ.Balaneon.
Thoma reuerend.epiſ.Circiſij.
Anatolio reuerend.epiſ.Sebaſtæ.
Conſtantino reuerend. epiſ.Midaij.
Macario reuerend.epiſ.Prymneſiæ.
Megalo reuerend.epiſ.Myri.
Thallelæo reuerend.epiſ.Iſindorum.
Niceta reuerend.epiſ.Epiphaniæ.
Alexandro reuerend.epiſ.Dionyſij.
Pelagio reuerend.epiſ.Azanon.
Hierone reuerend.epiſ.Anaſtaſiopolitano Phrygiæ.
Glauco reuerend.epiſ.Alion.
Procopio reuerend.epiſ.Antinoi.
Petro reuerend.epiſ.Dometiopolitano.
Ioanne reuerend.epiſ.Colonæ.
Vranio reuerend.epiſ.Trallienſi.
Ioanne reuerend.epiſ.Ceraſuntis.
Phronymo reuerend.epiſ.Sinai.
Macedonio reuerendiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerend.epiſ.Teni.
Eulogio reuerend.epiſc.Danaborum.
Theodoro reuerend.epiſc.Coradeon.
Helpidophoro reuerendiſſimo epiſcopo Anaſtaſiopolitano Cariæ.

Cyrione reuerend. episc. Dadimorum.
Theodoro reuerend. episc. Laodiceæ.
Sila reuerend. episc. Tiberiopolitano.
Diogene reuerend. episc. Augustopolitano.
Theodoro reuerend. episc. Ingilon.
Iuliano reuerend. episc. Zeugmatis.
Dorymenio reuerend. episc. Adraon.
Ioanne reuerend. episc. Leri.
Theodoro reuerend. episc. Gargaron.
Theodoro reuerend. episc. Comanorum.
Rufino reuerend. episc. Sebastiæ Armeniæ.
Conone reuerend. episc. Semneon.
Cyriaco reuerend. episc. Casatorum.
Sisinnio reuerend. episc. Præneti.
Iuliano reuerend. episc. Batnon.
Anastasio reuerend. episc. Rachlæ.
Theodoro reuerend. episc. Porthmi.
Paulo reuerend. episc. Stectorij.
Stephano reuerend. episc. Amaseæ.
Paulo reuerend. episc. Adrassi.
Euandro reuerend. episc. Gnidi.
* Mena reuerend. episc. Carpatij.

Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorũ notariorum, dixit : Hesterno die conuentione facta, interlocuta est vestra sanctitas, vt hodierno die sancta vestr. Synodus colligatur, & suggerimus ad quod placuerit. Sancta synodus dixit : Ordinis gratia omnia, quæ gesta sunt, recitentur. Quo facto, sancta synodus dixit : Omnibus proponentes, & sacerdotibus conuenire putantes initium facere gestorum, quæ apud nos habentur, de tribus capitulis, de quibus scriptis interrogati sumus à pijssimo & tranquillissimo Imperatore, & manifestum omnibus facere de fide recta, & sanctis patribus & doctoribus, qui per diuersa tempora in sancta Dei Ecclesia splenduerunt, Confitemur fidem tenere & prædicare ab initio donatam à magno Deo & saluatore nostro Iesu Christo, sanctis Apostolis & ab illis in vniuerso mundo prædicatam, quam & sancti patres confessi sunt, & explanauerunt, & sanctis ecclesijs tradiderunt, & maximè, qui in sanctis quatuor synodis conuenerunt : quos per omnia & in omnibus sequuntur, & & suscipimus cum alijs sanctis patribus & sanctas quatuor synodos, id est, trecentos decem & octo sanctos patres Niceæ congregatos : & centum quinquaginta, qui Constantinopoli conuenerunt : & Ephesi primò ducentos, & Chalcedonæ sexcentos triginta, & omnia, quæ à prædictis sanctis quatuor concilijs, pro vna eademque fide definita sunt, suscipimus : & omnes condemnatos prædictis sanctis quatuor Concilijs, tanquam condemnatos & anathematizatos habemus, vna cum alijs hæreticis. His ita se habentibus, certum facimus, quòd omnia, quæ à prædictis sanctis quatuor concilijs, sicut prædictum est, pro recta fide definita sunt, & de statu Ecclesiastico regulariter disposita, & seruauimus, & seruamus. Licèt enim per diuersa tempora contra exortos hæreticos prædictæ sanctæ quatuor Synodi factæ sint, tamen vnam eandemque confessionem rectæ fidei seruauerunt & prædicauerunt : & ideo omnia quidem consonantia his, quæ à memoratis sanctis quatuor Concilijs pro recta fide definita sunt, suscipimus : omnia verò, quæ non consonant his, quæ definita sunt ab ijsdem quatuor sanctis Concilijs, pro recta fide, vel ad iniuriam, vel ad contrarietatem earundem quatuor Synodorum, vel vnius ex his, & ad defensionem hæreticorum & eorum impietatis scripta sunt, aliena pietatis iudicantes condemnamus & anathematizamus. Super hæc, sequimur per omnia & sanctos patres & doctores Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proculum : & suscipimus omnia, quæ de recta fide & condemnatione hæreticorum exposuerunt. Suscipimus autem & alios sanctos & orthodoxos patres, qui in sancta Dei Ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter vsque ad finem suæ vitæ prædicauerunt. Hac igitur recta confessione in sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia seruanda & prædicanda, si quis semetipsum ab eius communione separet, contraria ei sapiens, talis semetipsum alienans rectæ fidei, & hæreticis connumerans, iustè à sancta Dei Ecclesia condemnatur, & anathematizatur. De disceptatione autem trium capitulorum, hoc est, de Theodoro Mopsuesteno & scriptis eius, & de epistola, quæ dicitur Ibæ ad Marim Persam scripta, & de conscriptis Theodoreti, quæ contra rectam fidem, & sanctæ memoriæ Cyrillum, & contra duodecim eius capitula exposita sunt, pro quibus & interrogauit nos pijssimus & tranquillissimus Imperator, quoniam specialis indigent conuentus, alio die, Deo adiuuante, conueniamus.

Incipiunt tractare de tribus capitulis.

Professio fidei.

Doctores approbati.

COLLATIO IV.

IMPERII DOMINI IVSTINIANI PERPETVI AVGVSTI ANNO XXVII. POST CONsulatum Basilij viri clarissimi. Anno xij. die 4. Idus Maias, Indictione I.

Confessio seu Collatio 4.

Consedentibus in Secretario venerabilibus Episcopis huius regiæ ciuitatis,
Eutychio sanctissimo Patriarcha regiæ Constantinopolis nouæ Romæ.
Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandrinæ magnæ ciuitatis.
Domnino sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ magnæ ciuitatis.
Stephano religiosiss. epis. Raphiæ.
Georgio religiosiss. epis. Tiberiadis.
Damiano religiosiss. episc. Sozysæ, vicem agentibus Eustochij sanctissimi episcopi Hierosolymitani.
Benigno religiosissimo episcopo Heracleæ * Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatissimi episcopi Thessalonicensis.
Theodoro religiosiss. episco. Cæsareæ primæ Cappadociæ prouinciæ.
Andrea religiosiss. epis. Ephesi.
Sextiliano religiosiss. episc. Tunensi, vicem agente Primosi religiosissimi episco. Carthaginis.
Megethio religiosissimo episc. Heracleæ Thraciæ.
Anastasio religiosiss. episco. Tabiæ, vicem agente Dorothei religiosiss. epis. Ancyræ.
Ioanne reuerend. episcopo Iliensi, vicem agente Euprepij religiosissimi Episcopi Cyzicenæ ciuitatis.
Eusebio religiosiss. episcopo Tyri.
Ioanne religiosiss. episcopo Nicomediæ.
Stephano religiosiss. episcopo Niceæ.
Constantino religiosiss. episcopo Chalcedonensi.
Petro religiosiss. episc. Tarsi.
Ioanne reuerend. episc. Cucusorum, vicem agente Palladij religiosissimi episcopi Melitinæ.
Ioanne religiosiss. epis. Cæsareæ Palestinæ.
Pompeiano religiosiss. episc. Byzacij.
Amazonio religiosiss. episcopo Edessæ.
Alexandro religiosiss. episcopo Gangrorum.
Thoma religiosiss. episco. Apameæ Syriæ.
Euphranta religiosiss. episc. Tyanorum.
Theodoro religiosiss. episc. Hierapolis Syriæ.
Bosphorio religiosiss. episc. Neocæsareæ.
Ioanne religiosiss. episc. Bostræ.
Philippo religiosiss. episcopo Myrorum.
Theodoro religiosiss. episc. Seleuciæ Isauriæ.
Iuliano religiosiss. episc. Sardensi.
Theodoro religiosiss. episco. Gortynæ.
Eustathio religiosiss. episc. Damasci.
Theodosio religiosiss. episc. Rhodi.
Firmo religios. epis. Tipason Africanæ prouinc.
Theodoro religiosiss. episc. Antiochiæ Pisidiæ.
Phoca religiosiss. episcopo Stalensi.
Eulogio religiosissimo episcopo Pergæ.

* Pelagoniæ

Seueria-

Seueriano religiosissimo episcopo Aphrodisiadis.
Cyriaco religiosissimo episcopo Amydæ.
Seuero religiosissimo episcopo Synnadorum.
Petro religiosissimo episcopo episcopo Sydæ, Abrahamio religiosissimo episcopo Sergiopolitano.
Asignio religiosissimo episcopo Tranopolitano, vicem agente, Ioannis religiosissimi episcopi Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ.
Ioanne religiosissimo episcopo.
Adrianopolitano episcopo Thraciæ.
*Cresco religiosissimo episcopo Cuiculi.
Theodosio religiosiss. episcopo Iustinianopolitano secundæ Cappadociæ.
Stephano religiosissimo episcopo Laodiceæ, siue Theodoriadis.
Auxanone religiosissimo episcopo Hierapolis Phrygiæ.
Eustachio religiosissimo episcopo Maximianopolitano.
Aetherio religiosissimo episcopo Anazarbi.
Dometio religiosissimo episcopo Chalcidis.
Valeriano religiosissimo episcopo Obbæ Africanæ prouinciæ.
Dionysio religiosissimo episcopo Seleuciæ Syriæ.
Theodoro religiosissimo episcopo Dryziparon.
Seuero religiosiss. episc. Pompeiopolitano Paphlagoniæ.
Georgio religiosiss. episcopo Iustinianæ Cypselon.
Romano reuerend. episc. Gabalon.
Gregorio reuerendissimo episcopo Iustinianopoleos Armeniæ.
Ioanne reuerend. episc. Nyssæ.
Basilio reuerend. episc. Iustinianopolitano Camulianorum.
Ioanne reuerend. episc. Barcusorum.
Cresconio reuerend. episc. *Zatarensi prouinciæ Numidiæ.
Sergio reuerendissimo episcopo Cynon secundæ AEgypti.
Christophoro reuerend. episc. Archadiopolitano Asiæ.
Theodosio reuerend. episc. Bybli.
Leontio reuerend. episc. Arcæ.
Ioanne reuerend. episc. Myrenæ.
Alexandro reuerend. episc. Amphipolitano.
Stephano reuerend. episcopo Clysmatis.
Thoma reuerendiss. episc. Berissæ.
Aristodemo reuerendiss. episc. Philomelij.
Thallelæo reuerendiss. episc. Adrianopolis Pisidiæ.
Theoctisto reuerendiss. episc. Cerythron.
Diogeniano reuerendiss. episc. Sozopolitano.
Basso reuerendiss. episc. Tamiathensi.
Anatolio reuerendiss. episcopo Cymæ.
Diogene reuerendiss. episcopo Cratiæ.
Restituto reuerendiss. episc. Mileon Aphricanæ prouinciæ.
Theodoro reuerendissimo episcopo Leontopolitano AEgypti.
Aemiliano reuerendiss. episcopo Antipyrgi.
Conone reuerend. episcopo *Magœdensi.
Theoctisto reuerendiss. episcopo Prusæ.
Georgio reuerendissimo episcopo Ptolemaidis.
Sotere reuerendissimo episcopo Aulonis
Zosimo reuerendissimo episcopo Antandri.
Cypriano reuerendissimo episcopo Coryti.
Elia reuerendissimo episcopo Diocletianopolitano,
Theona reuerendissimo episcopo Cusson.
Theodoro reuerendiss. episcopo *Limyron.
Gennadio reuerendiss. episcopo Zenopolitano,
Asyncretio reuerendiss. episcopo Aradi.
Stephano reuerendissimo episcopo *Bothrion.
Philippo reuerendissimo episcopo Phelli.
Mena reuerendissimo episcopo Demyriangelis,
Genethlio reuerendiss. episcopo Dorylaij,
Thoma reuerendissimo episcopo *Constantinæ.
Theodoro reuerendiss. episcopo Leontopolitano,
Seuero reuerendiss. episcopo Taborum.
Theoctisto reuerendissimo episcopo Halycarnasi.
Cosma reuerendissimo episcopo Malli.
Dionysio reuerendiss. episcopo Megarensi.
Callinico reuerendiss. episc. Opuntis.
Paschasio reuerendiss. episc. Aegij.
Erasino reuerendiss. episc. *Cybiræ.
Ioanne reuerendissimo episcopo Neocæsareæ Euphratensis.
Nonno reuerendiss. episc. Dausarorum.
Stephano reuerendiss. episc. Balaneon.
Thoma reuerendiss. Episc. Circisij.
Anatolio reuerendiss. episc. Sebastæ.
Constantino reuerendiss. episc. Midaij.
Macario reuerendiss. episc. Prymnesiæ.
Megalo reuerendiss. episcopo Myri.
Thallelæo reuerendiss. episc. Isindorum
Niceta reuerendiss. episc. Epiphaniæ.
Alexandro reuerendiss. episc. Dionysi.
Pelagio reuerendiss. episc. Azanon.
Hierone reuerendissimo episcopo Anastasiapolitano Phrygiæ.
Glauco reuerendiss. episc. Alion.
Procopio reuerendiss. episc. Antinoi.
Petro reuerendiss. episc. Dometiopolitano.
Ioanne reuerendiss. episcopo Coloniæ.
Vranio reuerendiss. episcopo Trallensi.
Ioanne reuerendiss. episc. Cerasuntis.
Phronymo reuerendiss. episcopo Sinai.
Macedonio reuerendissimo episcopo Iustinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerendiss. episcopo Teni.
Eulogio reuerendiss. episc. Danaborum.
Theodoro reuerendiss. episc. Coradeon.
Helpidiphoro reuerendissimo episcop. Anastasiopolitano Cariæ.
Cyrione reuerendiss. episc. Dadimorum.
Theodoto reuerendiss. episc. Laodiceæ.
Sila reuerendiss. episc. Tiberiopolitano.
Diogene reuerendiss. episc. Augustopolitano.
Theodoro reuerendiss. episc. Ingilon.
Iuliano reuerendiss. episc. Zeugmatis.
Dorymenio reuerendiss. episc. Adraon.
Ioanne reuerendiss. episc. *Leri.
Theodoro reuerendiss. episc. Gargaron.
Theodoro reuerendiss. episc. Comanorum.
Ruphino reuerendiss. episc. Sebastiæ Armeniæ.
Conone reuerendiss. episcopo Senneon.
Cyriaco reuerendiss. episc. Casatorum.
Sisinnio reuerendiss. episc. Præneti.
Iuliano reuerendiss. episcopo Batnon.
Anastasio reuerendiss. episc. Rachlæ.
Theodoro reuerendiss. episc. Porthmi.
Paulo reuerendiss. episc. Stectorij.
Stephano reuerendiss. episcopo Amasiæ.
Paulo reuerendiss. episc. Adrassi.
Euandro reuerendiss. episcopo Gnidi.
Mena reuerendissimo episc. Carpathij.

Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorum notariorum dixit: Anteriore die cùm conueniisset vestrum sanctum Concilium, & quædam lecta fuissent, interlocuti estis, vt alio die de exortis tribus capitulis quæstio procedat. Nunc igitur collecta vestra sancta synodo, suggerimus ad quod placuerit. Sancta synodus dixit: Quæ iam gesta sunt, recitentur. Quo facto, sancta Synodus dixit: Ad longum tempus extensis, quæ de Theodoro mouentur, qui Mopsuestenæ sanctæ Ecclesiæ fuit episcopus, & epistola, quæ dicitur Ibæ, necnon Theodoreti conscriptis, neminem quidem omnium latuit, quæ ipse Theodorus in diuersis codicibus exposuit, & quæ ad aliorum duorum capitulorum examinationem pertinent. Necessariò autem constituto quæstionem de his communiter procedere, notarij nostri prima vice scripta, ex Theodori codicibus in medio proferant, quorum gratia & à sanctis patribus scimus eum accusatum esse. Notarij dixerunt: Habemus præ manibus scripta, quæ ex Theodori codicibus collegistis. Sancta Synodus dixit: Legantur. Et cùm accepisset Calonymus diaconus & notarius, recitauit:

Theodori Mopuesteni scripta excutiuntur.

THEODORI MOPSVESTENI EX tertio libro contra impium Apollinarium.

Quomodò igitur, tu, cui super omnes maximè decet dementium regimen, illum, qui ex virgine natus est, Deũ esse, & ex Deo consubstantialem patri, existimari dicis, nisi fortè sancto spiritui imputare illius creationem nos iubes? Sed qui Deus est, & ex Deo, & consubstantialis patri, & quidem, qui ex virgine natus erat, o mirande, & qui per spiritum sanctum secundum diuinas scripturas plasmatus est, & confictionem in muliebri accepit ventre? Inerat forsitan, quia mox quàm plasmatus est, & vt templum DEI esset, accepit: non tamen existimandum nobis est, Deum de virgine natum esse, nisi fortè idem existimandum nobis est, & quod natum est, & quod est in nato templum, & qui in templo est, Deum verbum: non tamen nec secundum tuam vocem pronunciandum est, omninò ex virgine DEVM natum esse & ex Deo consubstantialem patri. Nam si non homo est, sicut dicis, assumptus, qui natus est ex virgine, Deus verò incarnatus, quomodò qui natus est, Deus ex Deo, & consubstantialis diceretur patri, carne non potente hanc vocem susc ipere? Nam est quidem dementia, Deum ex virgine natum esse dicere. Hoc enim nihil aliud est, quàm ex semine eum dicere Dauid de substantia virginis genitum, & in ipsa plasmatum: quia quod ex semine Dauid & de substantia virginis est, materno ventre constitit, & sancti spiritus plasmatum virtute, natum fuisse dicimus de virgine. Vt autem aliquis & hoc concedat dicere ipsis, quòd Deus ex Deo & consubstantialis patri natus est ex virgine, eo quòd est in templo nato, sed non per se natus est Deus verbum, incarnatus verò, sicut dicit iste sapiens. Si igitur cum carne eum natum esse dicunt, quod autem natum est, Deus, & ex Deo, & consubstantialis patri est, necesse est hoc & carnem dicere. Quòd si non id caro est, quoniam nec Deus, nec ex Deo, nec consubstantialis patri, sed ex semine Dauid, & consubstantialis ei, cuius semen est, non id quod natum est ex virgine, Deus, & ex Deo & consubstantialis patri, nisi forte pars nati, prout ipse in inferioribus partem CHRISTI nominat Deitatem, sed non diuina natura ex virgine nata est. Natus autem est ex virgine, qui ex substantia virginis constat, non Deus verbum ex Maria natus est. Natus autem est ex Maria qui ex semine est Dauid. Non Deus verbum ex muliere natus est, sed natus est ex muliere, qui virtute sancti Spiritus plasmatus in ea. Non ex matre natus, est consubstantialis patri, sine matre enim iste secundùm beati Pauli vocem: sed qui in posterioribus temporibus in materno ventre sancti Spiritus virtute plasmatus est, vtpote sine patre propterea dictus.

Meminerit lector cordatus ac pius, virulentissimas maximeque abominandas Theodori Mopsuesteni & aliorum blasphemias, quemadmodum illas summo iudicio hic & alibi dein Synodus hæc legi & recitari iussit, ita sibi legendas audiendasve esse: alioqui venenum hinc tetrum citius, quàm nectar fugendum. Eo verborum lenocinio & illecebris talibus authores earum in ijs edendis sunt vsi.

ET POST ALIA:

Mox autem in ipso plasmato DEVS verbum factus est, nec enim in cœlum ascendenti solum inerat, sed etiam ex mortuis resurgenti: vtpote & resuscitans eum secundùm suam promissionem. Nec resurgenti ex mortuis solum inerat, sed etiam crucifixo & baptizato, & Euangelicam post baptisma conuersationem peragenti, necnon etiam ante baptisma legalem adimplenti constitutionem, & præsentato secundùm legem, & circunciso, & partus pannis obuoluto. Erat autem forte in ipso & nascente, & cum in materno vtero esset à prima statim plasmatione dispensationi enim quæ circa eum erat, ordinem imponebat, vtpote & particulatim ipsum ad perfectionem producens.

ET POST ALIA:

Et per tempus quidem ad baptisma ducens, post illud autem ad mortem. Deinde secundùm suam pronunciationem resuscitans, ducens in cœlum, collocans eum ad dexterã Dei per suam coniunctionem, ex qua sede & adoratur ab omnibus, & omnibus iudicabit. Istorum autem omnium finem apud se habebat Deus verbum, cum in eo erat, & omnia per ordinem complebat, quem ordinem ipse arbitrabatur bene habere præfinitione quidem & voluntate, quam antea statuit pro his, quæ euentura erant, & bona voluntate, quam circa eum habebat, ab initio similiter inerat ei: per ordinem autem sibi placitum, ad perfectionem ducebat ipsum.

EX EODEM LIBRO:

Suam autem cooperationem ad proposita opera præstabat, qui adsumptus est: vbi hoc facit, in loco sensus fuisse Deitatem illi, qui adsumptus est. Nec enim eis, quibuscunque suam donauit cooperationem, sensus locum illi obtinebat. Si autem & modo præcipuam quandam cooperationem donauit, illi qui adsumptus est, non hoc faciebat locum sensus Deitatem obtinere. Sed si Deitas pro sensu faciebat illi, qui assumptus est, secundùm vestra verba, quomodo timorem in passione susc ipiebat? quid vehementioribus orationibus ad imminentem necessitatem indigebat, quas cum magna quidem & clamosa voce, cum plurimis autem lachrymis (secundùm beatum Paulum) referebat Deo? quomodo timore tanto detinebatur, vt ex immensa trepidatione fontes sudoris dimitteret, Euangelista aperte dicente, quòd globis sanguinis similis sudor descendebat? Quid autem & Angeli aduentu & visitatione egebat, reficientis in experimento malorum, confortantis eius alacritatem, excitantis eum ad imminentem passionis necessitatem, tolerare fortiter mala suadẽtis, vngentis ad patientiam & tolerantiam malorum, ostendentis præsentium malorum fructum, ex passionem mutationem, futuram gloriam, bona circa eum post passionem futura? Qui enim (secundùm Euangelistæ vocem) confortabat eum angelus, scilicet verbis istis fortem eum faciebat, & infirmitate naturæ superiorem fieri cohortabatur, & corroborando cogitationes eius, fortem eum faciebat.

Matth. ad

Marc. 27 Hab 3.

Luc. 22. ibid.

Luc. 22.

ET POST ALIA:

In eodem libro idem Theodorus ex persona Christi, quasi respondentis ad Petrum, dicentem Christo de passione crucis, Propitius tibi Domine, non erit tibi istud: ita intulit, *Vade post me sat ana, scandalum mihi es, quòd non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Non est confusio mihi mors, non fugiam ipsam, vt indecentem, ad humanam gloriam respiciẽs: sustinebo autem meliore animo experimentum mortis, pro plurimis bonis futuræ, in quibus & ipse fuero, & per me omnes: ne mihi animum ledas, neque turbes, tanquam confusione dignum fugere admonens mortis experimentum.

Matth.

ET POST ALIA:

Quòd enim dictum est, ducebatur à spiritu, aperte hoc significat, quòd ab eo regebatur, ab eo ad virtutem propositorum confortabatur, ab eo ad hæc quæ oportebat, ducebatur: ab eo, quod decebat, docebatur: ab eo cogitationib. corroborabatur, vt ad tantum certamen sufficeret, sicut & B. dicit Paulus: *Quicunq; enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei:* duci Spiritu dicẽs illos, qui ab eo gubernãtur, ab eo docentur, ab eo ad melius constituuntur, ab eo competentium doctrinam accipiunt. Cum dixisset autem Euangelista, quòd Spiritu sancto plenus regressus est à Iordane, apertè demonstrauit, quòd huius causa Spiritus sancti habitationem in baptismate susc epit, vt inde ad proposita caperet virtutem. Vnde & ad certamen illud, quod pro nobis erat ad diabolum effecturus, spiritu ducebatur.

Matt. 4

Rom. 8.

Luc. 4

POST ALIA:

Dicant igitur nobis omnium sapientissimi, si pro sensu Domino Christo, qui est secundum carnem, Deitas facta esset, sicut dicunt, quod sancti spiritus cooperatione ad hæc Christus indigebat: nec enim vnigeniti deitas spiritu indige-

bat ad

ad iustificationem, spiritu indigebat ad vincendum diabolū, spiritu indigebat ad operanda miracula, spiritu indigebat, vt doceretur ea, quæ decebat peragere: spiritu indigebat, vt immaculatus appareret. Si enim pro sensu quidem deitas, sufficiebat autem ad omnia eius virtutes, necesse erat inde omnia fieri, vt superflua esset sancti spiritus habitatio. Sed nunc vnctum esse dicit ipsum spiritu, & habitasse in eo spiritum, & ad omnia adiutasse proposita, & doctrinam inde ipsum accepisse & virtutem, & inde impetrasse iustificationem, & inde immaculatum factum esse.

EIVSDEM THEODORI EX QVARTO libro contra impium Apollinarium.

Hoc quod ante secula erat, dicit in vltimis factum esse temporibus, vtpotè quibusdam hoc confitentibus, cùm nemo ex his, qui pietatis curam habet, istum patitur morbum habere dementiæ, vt dicat eum, qui ante secula est, in vltimis factum esse. Et his infert, quòd necesse est & hoc, quod in vltimis est, ante secula esse & accusat eos, qui non omnia similiter cum obuersione dicunt, quasi his, qui vnum esse filium confitentur, necessitatem habentibus cum obuersione omnia dicere. Et quis non beati ficet vestram dementiam? Quis autem non optet tales impetrare doctores, tantam confusionē rationi pietatis introducentes, vt dicerent, quòd hoc, quod ante secula est, factum est in vltimis, & hoc alienarent sua natura, & ad deterius deducerent? Deinde obuerterent, quòd & hoc, quod est in vltimis, ante secula est: Cum oporteret fortè dicere, quòd qui ante secula erat, adsumpsit hunc, qui in vltimis erat, secundum beati Pauli vocem? Vestras igitur leges sequentes, & à tua sapientia constitutam obuersionem, immò magis subuersionem suscipientes, age omnia simul confundamus, & nulla iam sit discretio nec Dei formæ, nec serui formæ: nec Dei sumpti, nec eius, qui in templo habitauit: nec eius, qui solutus est: nec eius, qui suscitauit: nec eius, qui perfectus est in passionibus, nec eius, qui perfecit: nec eius qui memoriam meritus est: nec eius, qui memor factus est, nec eius, qui visitatus est: nec eius, qui visitauit, nec eius, qui paulominùs ab angelis minoratus est: nec eius, qui minorauit: nec eius, qui gloria & honore coronatus est: nec eius, qui coronauit: nec eius, qui constitutus est supra opera manuum Dei: nec eius, qui constituit: nec eius, qui accepit ista ad subiectionem: nec eius, qui dedit subiectionem.

EIVSDEM THEODORI EX TERTIO libro contra impium Apollinarium.

Istum igitur virum, in quo statuit omnium facere iudicium, ad fidem futurorum cùm resuscitasset eum ex mortuis, & iudicem omnium demonstrasset, secundùm beati Pauli vocem, meritò vnitate ad seipsum dignatus, & per coniunctionem ad se factam, talium participem eum fecit, vt & adorationis communionem haberet: omnibus quidem diuinæ naturæ debitam adorationem reddentibus, compræhendentibus autem adorationem & illum, quem inseparabiliter scit sibi coniunctum, ex quo manifestum est, quòd ad maiora eum perduxit.

ET POST ALIA:

Ego quidem quem videtis, nihil quidem facere possum secundùm meam naturam, cum homo sim: operor autem quia in me manens pater omnia facit. Quoniam enim & ego in patre, & pater in me, Deus autem verbum vnigenitus Dei in me est, certum est, quòd & pater cum ipso in me manet, & opera facit. Et non est mirandum de Christo, hæc existimari, cum euidenter ipse de cæteris hominibus dicat: Qui diligit me, meum verbum obseruet, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si enim apud vnumquemq; huiusmodi hominum & pater & filius mansionem faciunt, quid mirandum est, si in Domino secundùm carnem Christo, ambo simul putarentur manere, communione eorum secundùm substantiam, communionem etiam mansionis forsitan suscipiente?

ET POST ALIA:

Ita & animam, vtpotè humanam, & immortalem constitutam, & sensus participem priùs accipiens, & per resurrectionem in immutabilitatem constituens, sic & nobis eorundem istorum per resurrectionem præbuit communionem. Ideò ante resurrectionem ex mortuis increpat quidem Petrum, vt suis eum vocibus scandalizantem, & in magna trepidatione per tempus passionis constitutus, apparitione angeli indiget, confortantis eum ad patientiam & tolerantiam imminentium malorum: post resurrectionem autem ex mortuis, & in cœlos ascensum, impassibilis factus & immutabilis omninò, & ad dexteram sedens DEI, iudex est vniuersi orbis terrarum, vtpote in eo diuina natura faciente iudicium. Matt. 16. Luc. 22.

ET POST ALIA:

Sic igitur & hic sapientissimè omnium habere nos doces CHRISTI sensum, vt sanctum spiritum habentes, illum, qui sensus Christo aliquam virtutem adimplebat, prudentiam ei præstans ad omnia, quæ agenda erant, sicut & in præcedentibus demonstrauimus, quod ab ipso quidem in eremum ad certamina, quæ contra diabolum erant, ducebatur: vnctione autem illius & scientiam, & vim eorum, quæ agenda erant, accipiebat; & illius particeps factus, non solum miracula faciebat, sed etiam quomodo vti oportebat miraculis, sciebat subtiliter, vt notam quidem faceret gentibus pietatem, pateretur autem laborantium infirmitates, & sic ad effectum suam voluntatem educeret: & iustificabatur inde, & immaculatus ostendebatur, siue separatione peiorum, siue custodia meliorum, siue etiam paulatim ad meliora profectibus. Matt. 4.

EIVSDEM EX INTERPRETATIONE Euangelij secundùm Ioannem.

LIBRO SEXTO.

Hoc quidem quod est, ad patrem meum & patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum, nemo hic demens est, vt alij cuidam conuenire diceret, nisi templo Dei verbi, adsumpto pro nostra salute homini; qui & mortuus est, & resurrexit, & ascensurus esset in cœlos, & patrem sibi adscripsit cum discipulis Domini, & ipse gratia adoptionem meritus, & Deum suum appellat, quia cum cæteris hominibus, similiter vt esset, accepit. Vnde propter communitatem quidem naturæ, patrem meum & patrem vestrum dicit, & DEVM meum & Deum vestrum: diuisit autem iterum suam personam ab ipsis; præcipuum gratiæ significans, propter quam ad Deum verbum coniunctione in loco veri filij ab omnibus honoratur hominibus. Ioan. 20.

EIVSDEM THEODORI EX EODEM LIBRO Commenti secundum Ioannem. Quibus dicit, quòd dementiæ est dicere, quòd post resurrectionem insufflans Dominus suis discipulis, dedit illis Spiritum sanctum.

Hoc quod dictum est, Accipite: pro accipietis, dicit. Si enim cùm insufflasset, spiritum dedisset discipulis, quod vaidè quidam stultè existimauerunt, superfluum erat dicere postea his, & maximè in tempore ascensus ad cœlos, non separari ad Hierusalem, sed expectare promissionem spiritus. Et in sequentibus, Sed accipietis virtutem superueniente Spiritu sancto in vos. Et aduentum autem ipsum sancti Spiritus super discipulos, apertè Lucas factum esse dicit quinquagesimo die resurrectionis post ascensum. Et illud autem animaduertēdum est, quòd si ab insufflatu suscepissent spiritum, non diceret, Accipite: sed, Quoniam accepistis. Hoc enim quod dictum est, Accipite: his conuenit, qui nondum acceperunt. Ioan. 20. Luc 24. Act. 1. Act. 2.

EIVSDEM THEODORI EX COMMENTO secundùm Ioannem Euangelij, vbi dicit, quòd cum palpasset Thomas post resurrectionem Dominum, & dixisset,

Ioan. 21. Dominus meus & Deus meus, non dixit hoc de Christo tanquàm Domino & Deo, sed quasi de puro homine, stupefactus quòd resuscitauit eum DEVS, & propter hoc glorificationem obtulit Thomas Deo.

Dicit ad Thomam: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & porrige manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Quoniam dicit, non credis, & tactum solum sufficere tibi ad credendum putas, (hæc enim dicis, non me latuisti) tange manu, & cape experimentum, & disce credere, & non diffidere. Thomas quidem cum sic credidisset, Dominus meus & Deus meus, dicit, non ipsum Dominum, & Deum dicens, (non enim resurrectionis scientia docebat & Deum esse eum qui resurrexit) sed quasi pro miraculoso facto Deum collaudat.

EIVSDEM THEODORI EX COMMENTO, quod est in Actus Apostolorum, libro primo, in quo dicit, quod baptizari in nomine Iesu Christi, simile est scripto illi, quòd baptizati sunt in Moysen, & vocari Christianos, simile est illi, quòd vocantur Platonici, & Epicurei, & Manichæi, & Marcionistæ ab inuentoribus dogmatum.

Ille autem dixit, oportere pœnitentiam agentes eos pro crucis iniquitate, & agnoscentes Saluatorem & Dominum & omnium authorem bonorum Iesum Christum, quomodò propter ista peruenit & adsumptus est de diuina natura in ipsum quidem fidem susci pere, & eius discipulos fieri ante omnia ad baptisma accedentes, quod & ipse tradidit nobis, præformationem quidem habens sperationis futurorum, in

Act. 2. nomine autem celebrandum Patris & Filij & sancti Spiritus. Hoc enim quod est, vt baptizetur vnusquisque in nomine

1. Cor. 10 IESV CHRISTI, non hoc dicit, vt vocationem, quæ in nomine Patris & Filij & sancti Spiritus est, relinquentes, Iesum Christum in baptismate vocent: sed quale est hoc, quòd in Moysen baptizati sunt, in nube & in mari, vt diceret, quia sub nube & mari AEgyptiorum separati, sunt liberati eorum seruitute, vt Moysis leges attenderent. tale est, Et baptizetur vnusquisque in nomine IESV CHRISTI, vt cum ad ipsum accessissent tanquam Saluatorem, & omnium bonorum authorem, & doctorem veritatis, ab ipso, vtpotè authore bonorum & doctore veritatis, vocarentur: sicut omnibus hominibus quamcunque sectam sequentibus, consuetudo est ab ipso dogmatis inuentore vocari, vt Platonici & Epicurei, Manichæi & Marcionistæ, & si quidam tales dicuntur. Eodem enim modo & nos nominari Christianos iudicauerunt Apostoli, tanquam per hoc certum facientes, quòd istius doctrinam oportet attendere: sic & quod & ab ipso datum est, susciperent baptisma, in ipso quidem primo constitutum, qui & primus baptizatus est: ab ipso autem & cæteris traditum, vt secundùm præformationem futurorum celebretur.

EIVSDEM THEODORI EX LIBRO quartodecimo de Incarnatione, vbi dicit, quòd imago erat Christus Dei verbi, & sicut imago imperialis adorabatur ab omnibus.

Et secundum duas rationes locum imaginis obtinet. Qui enim amant quosdam, post mortem eorum sæpius imagines statuentes, hoc sufficiens mortis solatium habere arbitrantur, & eum, qui non videtur, nec præsens est, tanquam in imagine adspicientes putant videre, ita flammam desiderij & vigorem placantes. Sed etiam illi, qui per ciuitates habent Imperatorum imagines, tanquam præsentes & videndos honorare videntur eos, qui non sunt præsentes, cultu & adoratione imaginum. Ista autem vtraque per illum adimplentur. Omnes enim; qui cum illo sunt, & virtutem sequuntur, & debitorum Dei parati redditores, diligunt eum, & valde honorant: & charitatem quidem ei diuina natura, licet non adspicitur, adimplet in illo, qui ab omnibus videtur, sic omnibus existimantibus, vt ipsum videntibus per illum, & illi semper præsentibus: & honorem verò omnem sic attribuunt, tanquam imagini Imperiali, cum quasi in ipso sit diuina natura, & in ipso spectatur. Si enim & filius est, qui inhabitare dicitur, sed cum eo est etiam pater, & inseparabiliter omnimodo ad filium esse ab omni creditur creatura: & spiritus autem non abest, vtpote etiam in loco vnctionis factus ei, & cum eo est semper qui adsumptus est, & non mirandum est, eum etiam in quibuslibet hominibus virtutem sequentibus cum filio & pater esse dicitur: Venimus enim & ego & pater, & mansionem apud ipsum faciemus. Quòd autem & spiritus eiusmodi hominum inseparabilis est, certum est omnibus. Ioan. 14.

EIVSDEM THEODORI MOPSVESTENI de Commento secundum Lucam Euangelij.

Hoc enim, quòd hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, in baptismate adoptionem demonstrat secundum comparationem Iudaicæ adoptionis, quia & ad illos dictum erat: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Et, filios genui & exaltaui: eius adoptionis præcipuum, eo quòd dixit, dilectus, & in quo mihi complacuit, ostendens. Propter hoc & vox patris fiebat adoptionem confirmans, & filij nominatione per adoptionem secundum gratiam eum, qui verè filius est, demonstrabat. cuius coniunctio ad veram & firmam adoptionem istum constituebat: & Spiritus Sanctus in specie columbæ descendens, permansit super eum, quatenus in coniunctione ad eum, qui verè filius est, eius cooperationi intentus maneat, firmam adoptionis habens dignitatem: per omnia autem in quo primo adoptionis præformabatur baptisma, dico autem Domini CHRISTI, ex patre & filio & Spiritu Sancto hoc, quod fiebat, complebatur. Luc. 3. Psal. 81. Psal. 2.

EIVSDEM DE INTERPRETATIONE octaui Psalmi.

Ideo ergo differentiam quidem Dei verbi & recepti hominis tantam nobis ostendit Psalmus: diuisa verò hæc in nouo testamento inueniuntur, Domino quidem in se accipiente primordia psalmi, in quibus factorem eum dicit esse creaturæ, & eleuatam habere super cœlos magnificentiam, & mirificari in omni terra: Apostolo autem secunda, quæ de homine sunt, qui tantum beneficium meruit, in Iesu accipiente, quomodo non manifestum, quòd alterum quidem nos diuina Scriptura docet euidenter esse Deum verbum, alterum verò hominem, & multam eorum esse nobis ostendit differentiam? Nam iste quidem memorat, ille autem memoriam meretur: & iste quidem visitat, alter autem cum visitationem meretur, beatus dicitur: & iste quidem beneficium dando minuitur paulo minus ab angelis, ille autem & per talem minutionem beneficium accepit. Et iste quidem gloria & honore coronat, alter autem coronatur, & pro his beatus dicitur. Et iste quidem constituit ipsum supra omnia opera manuum eius; & omnia subiecit sub pedibus eius, alter autem meritus est dominari eis, quorum antè non habebat potestatem. Psal. 8

EIVSDEM EX PRINCIPIO COMMENTI, quod in duodecim Prophetas scripsit, abnegans prophetias de Christo esse prædictas.

Sed non volentes ista considerare, voces omnes trahere ad Dominum tentant Christum, vt & quæ de populo facta sunt, simili modo intelligerent, & risum præstarent Iudæis, quando ex scriptorum sequentia nihil ad Dominum Christum pertinentes ostendunt voces.

ET POST ALIA INFERT:

Tale est, quod non derelicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Nam Propheta quidem supra modum ipsum ponit, circa populum prouidentiam dicens, volens dicere, quoniam inextentabiles eos ab omnibus conseruauit malis. Quoniam autem hoc verum & ex ipsis rebus euentum accepit in Domino Christo, frequentissimè de eo loquens beatus Petrus, vtitur voce, ostendens, quoniam quod de populo supra modum dictum est, ex quadam ratione vtente voce propheta, hoc verum euentum in ipsis rebus accepit nunc in Domino Christo.

ET POST ALIA INFERT:

Eundem intellectum habet & illud, Diuiserunt sibi vestimenta mea, & supra vestimentum meum miserunt sortē. Quod enim psalmus nullatenus conuenit Domino, certum est. Neque enim erat Domini Christi, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: dicere, Longè à salute mea verba delictorum meorum. Sed & ipse dominus secundùm communem hominum legem dum in passione opprimeretur, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti, emisit vocem: & Apostoli, Dimiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem, ad eum traxerunt manifestè: quoniam quod supra modum dictum fuerat priùs à Dauid propter illata ei mala, hoc ex operibus euenit in Domino Christo, cuius & vestimenta diuiserunt, & sorti tunicam subiecerunt.

EIVSDEM IN PSALMO VICESIMO primo.

Foderunt manus meas & pedes, & omnia perscrutabantur, & quæ agebam, & quæ conabar. Nam foderunt, ex translatione dixit eorum, qui per effossionē scrutari, quæ in profundo sunt, tentant. Dinumerauerunt omnia ossa mea, totius meæ fortitudinis & totius meæ substantiæ detentatores facti sunt, vt etiam numero mea subijcerent. Istud autem ex consuetudine, quam habent hostes, dixit: qui quando obtinuerint, numero & talibus subtilem notitiam inuentorum faciunt. Propterea & sequenter dicens, Ipsi verò considerauerunt & conspexerunt me, intulit, Diuiserunt sibi vestimēta mea, & supra vestimenta mea miserunt sortem. Considerantes autem me, ait, & conspicientes, quòd omnia eis euenerunt in me desiderata. Conspicere enim ita & apud nos dicitur, pro eo quod est, Vidit in eum, quæ volebat pati eum, iam tanquàm me omninò malis dedito, sicut hostes mea post vastationem & captiuitatem diuiserunt, sorte diuisionem eorum facientes. Et Euangelista quidem in Domino verba ex rebus adsumens, eis vsus est, sicut & in alijs diximus. Nam quòd non pertinet ad Dominum psalmus, in superioribus euidenter ostendimus. At verò beatus Dauid supra modum ista magis ex his, quæ ab Absalon facta sunt, dixit, quoniam dum recessisset Dauid, iure belli metropolim ingressus, omnes quidem obtinuit res regales, non piguit autem etiam patris cubile inquinare.

EIVSDEM DE INTERPRETATIONE sexagesimi octaui psalmi, in verbo illo, Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Quomodò cibi & potus suaues quidem fiunt in tempore gaudij, insuauia autem & amara in tristitia, talia erant, inquit quæ ab illis fiebant, vt ex tristitia & ira esset quidem mihi in locum fellis cibus, esset autem & potio aceto nihil differens. Maximè autem hoc fit in iracundijs, quæ in tribulatione fiunt, quod verisimile erat pati eos contra suos. Vsus autē est Euangelista hoc testimonio in Domino, & ipse autem Dominus, Zelus domus tuæ comedit me, de seipso dicens: & beatus Paulus de Iudæis loquens, Fiat mensa eorum &c. & beatus Petrus de Iuda, Fiat habitatio eius deserta. Et certè diuersis constitutis, rebus, non quasi psalmo modò quidem pro his dicto, iterum autem de illo, & iterum de alio: sed quia de Iudæis dicta sunt plura, qui se separauerunt de Deo & lege, conuincentia illorum indeuotionem, necessarius est testimoniorū vsus simul & ex rebus captus, quale est, Dederunt in esca mea fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

EIVSDEM THEODORI EX LIBRO PRIMO de Incarnatione, interpretationem facientis de confessione Petri, in qua dicit, Tu es Christus filius Dei viui. Matt. 16.

Sicut igitur per huiusmodi confessionem non Deitatis Nathanael habens scientiam ostenditur, (Iudæi & Samaritæ talia sperantes plurimum, quantum Dei Verbi à scientia longè erant?) sic & Martha per confessionem illam non Deitatis habens tunc scientiam probatur, manifestè autem nec beatus Petrus. Adhuc etenim ipsis sufficiebat tunc, reuelationem illam suscipientibus, præcipuum aliquid & maius de ipso præter cæterorum hominum phantasiam accipere. Post resurrectionem autem spiritu producti ad scientiam, tunc & reuelationis perfectam scientiā suscipiebant, vt scirent, quia præcipuum ipsi præter cæteros homines non aliquo puro honore ex Deo peruenit, sicut in cæteris hominibus, sed per vnitatem ad Deum Verbum, per quem omnis honoris ei particeps est post in cœlos ascensum. Ioan. 1. Ioan 11. Matth. 16.

EIVSDEM DE INTERPRETATIONE Euangelij, libro primo.

Matthæus quidem Euangelista post tentationes dicit, quod accedentes angeli ministrabant ei: scilicet cum eo constituti, & cooperantes, & omnibus circa eum Deo ministrantes, quod iam per certamina ad diabolum, ostensus est clarior. Sed & quòd passuro ei aderant angeli, & Euangelijs discimus: & cùm resurrexerit, in monumento visi sunt. Per omnia etenim ista monstrabatur dignitas Christi, quòd inseparatè ei angeli aderant, & omnibus circa eum ministrabant. Sicut enim à peccantibus separantur, sic & per meritum honoratis subueniunt. Propter quod Dominus benè ait, quòd maius videbitis, quod & cœlum aperietur omnibus per me, & omnes angeli semper mecum erunt, nunc quidem ascendentes, nunc verò descendentes, sicut ad domesticum & Dei amicum. Luc 22. Matt. 28. Ioan. 1.

EIVSDEM THEODORI EX LIBRIS de Incarnatione.

Plus inquietabatur Dominus & tentamen habebat ad animæ passiones, quam corporis, & meliore animo libidines vincebat, mediante Deitate ad perfectionem. Vnde & Dominus ad hæc maximè instituens videtur certamen. Cupiditate enim pecuniarum non deceptus, & gloriæ desiderio nō tentus, carni quidem præbuit nihil: (nec enim illius erat talibus vinci) Animam autem si non recepisset, sed Deitas est, quæ ea vicerat, nullatenus eorum, quæ facta sunt, ad nos respicit lucrum: (Quæ enim ad conuersationis perfectionem similitudo deitatis & animæ humanæ?) & videntur Domini certamina non ad nos respiciens habere lucrum, sed ostentationis cuiusdam gratia fuisset. Quòd si hoc dicere non est possibile, (certum etenim est, quòd illa propter nos facta sunt) & maius certamen instituit ad animæ passiones, minus autem ad carnis, quanto & amplius & magis inquietare illas contingebat, & magis illa erat, quæ & amplioris indigebat medicinæ, videlicet quòd & carnem & animam adsumens, per vtraque pro vtrisque certabat; mortificans quidem in carne peccatum, & mansuetas eius libidines, & facilè capiendas meliore ratione animæ faciens: erudiens autem animam, & exercitans & suas passiones vincere, & carnis refrenare libidines. Hæc enim Deitas inhabitans operabatur, hæc inhabitās meditabatur vtrique eorum.

Et dum recitabantur blasphemiæ Theodori, sancta Synodus exclamauit: Hæc iam condemnauimus, hæc iam anathematizauimus: anathema Theodoro Mopsuesteno, anathema

thema Theodoro,& conscriptis eius. Hæc aliena Ecclesiæ sunt, hæc aliena orthodoxis sunt, hæc aliena patribus sunt, hæc impietate plena sunt,hæc aliena Synodis sunt, hæc diuinas scripturas impugnant. Vnus Theodorus, vnus Iudas. Idem reuerendissimus diaconus & notarius, de eadem charta sequentia recitauit.

EIVSDEM EX LIBRO CONTRA SYnusiastas vel Apollinaristas,quæ & proposuit Beatus Cyrillus, & refutauit.

Matth.27. Sed si caro erat,inquit, crucifixa,quomodo sol radios auertit, & tenebræ occupauerunt terram omnem, & terræmotus , & petræ dirumpebantur , & mortui surrexerunt? Quid igitur dicunt & de tenebris in Aegypto factis in temporibus Mosis,non per tres horas,sed per tres dies? Quid autem propter alia per Mosen facta miracula , & quæ per Iesum Nauæ,qui solem stare fecit? qui sol in temporibus Ezechiæ regis & contra naturam retrouersus est:& de Elisæi reliquijs, quæ mortuum resuscitauerunt ? Si enim Verbum Deum passum demonstrant,quæ in cruce facta sunt, & propter hominem non concedunt hæc facta esse: & quæ in temporibus Mosis,propter genus Abraham non erunt,& quæ in temporibus Iesu Nauæ,& quæ in Ezechiæ regis: Quòd si illa propter Iudæorum populum mirabiliter facta sunt,quomodo non magis quæ in Cruce facta sunt, propter DEI verbi templum?

Exod. 10.

Iosue 10. 4. Reg. 20 4. Reg. 13.

EIVSDEM EX LIBRO OCTAVO de incarnatione.

Manifestum autem est, quòd vnitas conuenit. Per eam enim collectæ naturæ, vnam personam secundùm vnitatem effecerunt. Sicut enim de viro & muliere dicitur, quòd iam non sunt duo, sed vna caro: dicamus & nos rationabiliter secundùm vnitatis rationem, quoniam non sunt duæ personæ, sed vna, scilicet naturis discretis. Sicut enim ibi non nocet numero duorum vnam dici carnem: certum est enim , secundùm*quod vna dicitur: ita & hic non nocet naturarum differentiæ, personæ vnitas. Quando etenim naturas discernimus perfectam naturam Dei verbi dicimus, & perfectam personam: nec enim sine persona est, subsistentiam dicere: perfectam autem & hominis naturam, & personam similiter. Quando autem ad cõiunctionem respicimus, vnam personam tunc dicimus.

Gen. 5. Matth. 19. *quid

EIVSDEM EX SEPTIMO LIBRO DE INcarnatione,in quibus dicit, nec secundùm substantiam, nec secundùm operationem vnitatem DEI Verbi factam esse, sed secundùm bonam voluntatem.

Neque igitur substantia dicere neque operatione possibiliter est, habitationem DEVM Verbum facere. Quid itaque superest, qua vtamur ratione, quæ in his propria videbitur seruari? Certum igitur est, quòd bona voluntate oportet dicere inhabitationem factam esse. Bona autem voluntas, dicitur bona & optima DEI voluntas, quam faciat illis placitus, qui ei adhærere festinant, eo quòd visa sunt ei de ipsis.

ET POST ALIA:

Cognosci autem personæ vnitatem , eo quòd omnia per eum perficit : quæ vnitas facta est ex inhabitatione, quæ est secundùm bonam voluntatem. Vnde dicentes filium Dei iudicem venturum esse de cœlis, simul hominis & DEI verbi aduentum intelligimus: non quòd similiter ei DEVS verbum traducitur secundum naturam, sed quòd bona voluntate vnitas omni modo cum eo erit vbicunq; fuerit, eo quòd & omnia perfecit per eum.

EIVSDEM EX INTERPRETATIOne Symboli trecentorum decem & octo sanctorum patrum.

Sed Christum quidem secundùm carnem & adsumptam serui formam,eum autem, qui eam adsumpsit, super omnia nominans Deum, intulit tamen hoc secundùm coniunctionem, vt per significationem nominum naturarum, manifestam & diuisionem faciat. Nemo igitur neque eum, qui secundùm carnem ex Iudæis est, dicat Deum: nec iterum Deum, qui est super omnia, secundùm carnem ex Iudæis.

EIVSDEM EX COMMENTO EPIstolæ ad Hebræos.

Iesum enim dicit à Nazareth, quem vnxit DEVS spiritu sancto & virtute. Qui autem de spiritu vnctus est, omnimodo aliquid indè assumpsit. Quis autem furens dicat, de spiritu aliud assumpsisse diuinam naturam , necnon & participum? Participes enim eius videlicet vocat, qui & ipsi vncti sunt. Qui autem vncti sunt,& in hoc participes eius iustè facti, non aliter vnctionis communicare dicantur, nisi ei, qui adsumptus est. Et hoc ipsum autem demonstratur, quòd mercedem iustam accepit. Pro hoc enim, inquit, quòd dilexisti iustitiam,& odisti iniquitatem, pro his præcipuam vnctionem meruisti.

Psal. 44.

EIVSDEM THEODORI DE INTERpretatione secundum Ioannem Euangelij, de libro primo.

Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel. hoc est: Tu es ille, qui de longè prædicatus est Christus. Hoc enim scilicet de Christo sperabant, sicut domestico constituto præter omnes DEO.

Ioan. 1.

ET POST ALIA:

Certus quidem & ipse erat, filium Dei non secundum Deitatis dicens natiuitatem, sed secundùm quod domesticus Deo erat: per quod filij Dei, per virtutem domestici DEO constituti homines, interim vocabantur.

EIVSDEM THEODORI EX LIBRO ad baptizandos.

Quando enim dixerit de filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem certum quidem , quòd filium hic eum, qui ex semine Dauid factus est secundum carnẽ, non Deum dicit verbum, sed adsumptam serui formam. Nec enim Deus secundum carnem , nec Deus ex semine factus est Dauid, sed sumptus pro nobis homo, quem filium beatus Apostolus manifestè vocat.

Rom. 1.

Ibidem.

EIVSDEM THEODORI EX EOdem libro.

Renatus, alter factus es pro altero, non iam pars Adã mutabilis & peccatis circunfusi, sed Christi, qui omnino inculpabilis per resurrectionem factus est.

EIVSDEM EX EODEM LIBRO.

Vt multam quidem eius faceret diligẽtiam, omnia autem illius propria faceret & toleraret, per omnes eo ducto passiones, per quas eum secundum suam virtutem perfectum fecit, nec à mortuo secundum suæ naturæ legem recedens, sed sua præsentia & operatione , & gratia liberans quidem eum de morte,& malis, quæ inde sunt: resuscitans autem eũ de mortuis,& ad meliorem finem perducens.

EIVSDEM THEODORI EX EOdem libro.

Deinde ostendens cuius gratia passus est, diminutionem infert, quatenus citra Deum pro omnibus gustaret mortem:

quia,

quia, diuina natura ita volēte, separata illa, ipse per se pro omnium vtilitate gustauit mortem : & ostendens quòd Deitas separata quidem erat ab illo, qui passus est secundum mortis experimentum, quia nec possibile erat illam mortis experimentum accipere, non tamen illi, qui passus est, abfuerat secundum diligentiam.

EIVSDEM EX EODEM Libro:

IESVM enim, ait, de Nazareth, quem vnxit DEVS spiritu & virtute, cuius vnctionem meritus, & immaculatus effectus est per omnia, & ad diuinam naturam meruit coniunctionem. Neque enim coniunctionem suscepisset illam, nisi prius immaculatus factus fuisset, vt sic condeceat illius vnitatem.

EIVSDEM THEODORI EX INTERpretatione secundum Matthæum Euangelij.

Nam & illud, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, insania euidens est de Deo verbo putare dicere eum. Qui dixit, Hic est filius meus dilectus : & intulit, In quo mihi complacuit, significauit, quòd apertè ad comparationem hoc dicit aliorum filiorum, qui nec dilecti ei facti sunt, nec placere nimis potuerunt ei.

EIVSDEM EX LIBRO ad baptizandos.

Permanens autem, donec secundum suam creaturam & virtutem soluens mortis dolores, liberauit eum ineffabilibus illis vinculis & de mortuis resuscitans, transtulit quidem in immortalem vitam : incorruptum autem eum, & immortalem, & immutabilem efficiens, in cœlum duxit.

ET POST ALIA:

Iustum, iustificatum & immaculatum factum virtute sancti Spiritus, sicut Beatus Paulus modo quidem dicit, quod iustificatus est in Spiritu : modò verò, Qui per Spiritum æternum immaculatus se obtulit DEO, mori quidem fecit secundum legem homiuum, vtpotè autem inpeccabilem virtute sancti Spiritus factum, resuscitauit de mortuis, & ad vitam constituit meliorem : immutabilem quidem animæ cogitationibus, incorruptum autem & indissolutum & carne faciens.

ET POST ALIA:

DEO autem gratia, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum istorum causam fuisse nobis dicens DEVM, qui contra omnes aduersarios nobis dedit victoriam siue mortis, siue peccati, siue cuiuscunque hinc nascendi mali : qui DOMINVM nostrum IESVM CHRISTVM pro nobis hominem sumens, & ipsum per resurrectionem de mortuis ad meliorem transtulit finem, & in dextera sua sedere fecit, & nobis ad eum donauit communionem.

EIVSDEM EX LIBRO DVOdecimo de Incarnation.

Cùm ergò interrogent, hominis genitrix, aut Dei genitrix MARIA dicatur à nobis : vtraque vnum quidem naturarei, alterum autem relatione. Hominis enim genitrix natura, quia homo erat in ventre MARIAE, qui & processit indè, DEI autem genitrix, quia DEVS erat in homine nato : non in illo circumscriptus secundum naturam, sed quod in eo erat affectu voluntatis.

EIVSDEM THEODORI, quæ proposuit sanctus Cyrillus & refutauit.

Gratia filius, qui ex Maria est homo, natura autem, Deus Verbum. Quod autem secundum gratiam, non natura : & quod secundum naturam, non gratia. Non duo filij. Sufficiat corpori, quod ex nobis est, secundùm gratiam filiatio, gloria, immortalitas, quia templum Dei verbi factum est. Non supra naturam eleuetur, & Deus verbum pro debita à nobis gratiarum actione non iniurietur. Et quæ est iniuria? Componere eum cum corpore, & putare indigere corporis ad perfectam filiationem. Nec ipse Deus verbum vult se Dauid filium esse, sed Deum : corpus autem hoc vocari Dauid filium, non solum non inuidit, sed & propter hoc adfuit.

EIVSDEM THEODORI EX his, quæ refutauit sanctus Cyrillus.

Quando erit quæstio de natiuitatibus secundum naturā, nec Mariæ filius Deus verbum existimetur : mortalis enim mortalem generat secundum naturam, & corpus simile sibi. Et duas natiuitates Deus verbum non sustinuit, vnam quidem ante secula, alteram autem in posterioribus temporibus.

EIVSDEM EX INTERPRETATIOne epistolæ ad Hebræos.

Ergò iam cessabunt ab impudente pugna : desistent autem vana contentione, erubescentes euidentiam prædictorū plurimos enim dicit filios in gloriam ducētem. Ecce igitur in filiationis ratione Apostolus apparet ad sumptum hominem cæteris connumerans, non secundum quod illis similiter filiationis particeps est, sed secundum quod similiter gratia filiationem adsumpsit Deitate sola naturalem filiationem possidente. Heb. 2.

EIVSDEM EX LIBRO DVODEcimo de Incarnatione.

Sed ad hoc dicunt, quod Iesus nomen, Saluatorem significat. Saluator autem, dicit, quomodo ille homo dicatur, obliti quòd Iesus dicebatur etiam filius Nauæ : & quod mirandum est, qui ante sic vocatus est fortuito in generatione, sed transnominatus à Mose. Certum autem est, quod non hoc imponere homini patiebatur, si diuinam naturam omni modo significabat.

EIVSDEM EX EODEM Libro.

Itaque non solum filium ipsum vocat, à Deo verbo separans, sed etiam secundum filiationis rationem connumerans cæteris participibus filiationis, conuincitur, quoniam gratia & ipse particeps fuit filiationis, non naturaliter ex patre natus, habens tamen ad cæteros excellentiam : quia vnitate ad ipsum filiationem possidet, quòd ei firmiorem ipsius rei donat participationem.

THEODORI EX LIBRO secundo de Incarnatione.

Homo Iesus similiter omnibus hominibus nihil differens connaturalibus hominibus, quamque ipsi gratia dedit : gratia autem data naturam non immutat, sed post mortis destructionem donauit ei Deus nomen supra omne nomen. Phil. 2.

EIVSDEM EX EODEM Libro:

Sed mei fratres, qui eiusdem mihi matris filij, dicunt mihi, Non separa hominem & Deum, sed vnum eundemque dic hominem. Dico connaturalem mihi, dico Deum. Si di-

cam, connaturalem Deo dico. Quomodo homo & Deus vnum est? Nunquid vna natura hominis & Dei, domini & serui, factoris & facturæ? Homo homini consubstantialis est, Deus autem Deo consubstantialis est. Quomodo igitur homo & Deus vnus per vnitatem esse potest, qui saluificat & saluificatur, qui ante secula est, & qui ex Maria apparuit.

EIVSDEM EX QVARTO LIBRO commenti secundum Matthæum de *hecatontarcho.

*id est centurione

Benè intulit. Nanque & ego homo sum: vt dicat, Nihil mirandum si hoc potes, cum sis homo accipiens à Deo: quoniam & ego cum hoc sim, accipio obedientes, semel habens iubendi potestatem propter datoris indulgentiam. Matt. 8.

EIVSDEM EX EODEM Libro:

Quapropter nec incongruum est, & te accepta ista à Deo potestate, verbo solo iubentem abigere passiones. Nec enim tanquam filio Dei & ante vniuersam creaturam existenti, & creatori eorum, quæ sunt, accessit centurio.

EIVSDEM EX LIBRO TERtio decimo de Incarnatione.

Consonantia & Apostolus dicit: Et manifestè magnum est pietatis mysterium, qui manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu: iustificatum esse in spiritu dicens ipsum siue quòd ante baptismum cum subtilitate competente legem custodijt, siue quòd etiam pòst illud gratiæ conuersationem cooperatione spiritus cum magna compleuit subtilitate. 1. Tim. 3.

EIVSDEM THEODORI, ex quartodecimo libro eiusdem opusculi.

Idem hoc dicemus iustè & de Domino, quod Deus verbum sciens eius virtutem, & secundum præscientiam, statim in ipso initio complasmationis inhabitare bene voluit, & veniens eum sibi affectu voluntatis, maiorem quandam præstabat ei gratiam, vt potè gratia, quæ in eum est, in omnes homines diuidenda. Vndè & circa bona voluntatem integram ei custodiebat. Non enim hoc docemus, quod ille homo voluntatem habebat nullam, sed quod volebat quidem bonum, magis autem ei voluntariè plurimum aderat & boni desiderium, & contrarij odium. Conseruabatur verò à diuina gratia illi voluntas integra ab initio, Deo, qualis erit, subtiliter sciente: qui & ad confirmandum eum magnam illi cooperationem habitatione sua præstabat pro omnium nostrum salute. Vndè nec iniustum dicat aliquis esse, quòd præter omnes præcipuum aliquid datum est illi homini, qui à Domino adsumptus est.

EIVSDEM THEODORI EX HIS, quæ sunt in Euangelium secundum Matthæum: in quibus dixit, quòd Deus creauit contraria, id est, bona & mala.

Nam rationalis quidem proprium est, discretio bonorum & malorum. Cum verò non essent contraria, non erat ei possibile aliquid discernere. Primum igitur in his, quæ creata sunt, magnam contrarietatem fecit.

EIVSDEM EX LIBRO, QVOD Deus peccatum docuit, & mortem introduxit.

Quoniam autem non obaudijt Adam, deindè subditus est morti: & factum est hoc propter inobedientiam, quod & citra inobediẽtiam propter vtilitatem nostram à creatore factum est, edocti sumus omnes peccatum.

EIVSDEM THEODORI EX libro quinto commenti de creatura, in quibus & bona & mala à Deo esse facta dicit.

Nec igitur mortem non sponte & præter iudicium suum intulit hominibus, neque peccato aditum ad nullam vtilitatem dedit: nec enim hoc fieri nolens non poterat: sed quoniam sciebat vtile esse nobis, magis autem omnibus rationabilibus, prius quidem malorum & deteriorum fieri aditum, postea autem deleri quidem hæc, introduci autem meliora: ideo in duos status diuisit DEVS creaturam præsentem & futuram, in illo quidem ad immortalitatem & immutabilitatem omnia ducturus: in præsenti verò creatura in mortem & mutabilitatẽ interim nos dimittens. Nam si quidem statim ab initio immortales nos fecerit & immutabiles, nullam differentiam ad irrationabilia haberemus, proprium nescientes bonum. Ignorantes enim mutabilitatem, immutabilitatis ignorabamus bonum: nescientes mortem, immortalitatis lucrum nesciebamus: ignorantes corruptionem, non laudabamus incorruptionem: nescientes passionum grauamen, impassibilitatem non mirabamur. Compendiosè dicere, ne longum sermonem faciam: nescientes malorum experimentum, bonorum illorum non poteramus scientiam mereri.

EIVSDEM DE EISDEM, ET ANGElos, & homines, & dæmones similiter malos esse dicentis.

Necesse est autem, omnia simul rationabilia, inuisibilia dico & nos ipsos, quibus mortale quidem est corpus, anima autem per omnia * eiusdem inuisibilibus & rationabilibus substantijs, hic quidem præsentem mutabilitatem pati, vt optima erudiamur doctrina religiositatis, & ad beneuolentiam constituamur. *immortalis, cum eisdem.

EIVSDEM INTERIMENTIS IVDICIum & dicentis quod mutabilia & mortabilia talia omnia facta sunt, & iterum omnia immutabilia & immortalia statim post resurrectionem erunt secundum similitudinem Christi.

Quod quidem placuit Deo, hoc erat in duos status diuidere creaturam: Vnum quidem, qui præsens est, in quo mutabilia omnia fecit: alterum autem, qui futurus est, cum renouans omnia ad immutabilitatem trãsferret: quorum principium nobis ostendit in dispensatione DOMINI CHRISTI, quem ex nobis existentem resuscitauit ex mortuis, & immortalem corpore, & immutabilem fecit animam: per quod demonstrauit, quia circa vniuersam creaturam hoc futurum est.

EIVSDEM EX QVARTO LIbro de creatura.

Illo certo constituto, quòd quemadmodum nobis per resurrectionem & corpus incorruptũ & immutabilis anima erit, eodem modo & inuisibilibus & rationabilibus naturis immutabilem mereri continget, nunc quidem accipientibus conuersionem, sicut versa multoties decem millia dæmonum ostendunt, tunc autem in immutabilitatem nobiscum futuris.

EIVSDEM EX QVINTO LIBRO, quod sciens Deus expedire hominibus peccatum, hoc fieri dispositi.

Nam sciebat quidem quòd peccabant omnimodò, concedebat verò hoc fieri, expedire eis cognoscens: quoniam

nec

nec erat poſſibile eum, qui cum fecerit non extantes, & tantorum quidem demonſtrauerit dominos, tanta vero bona propoſuuerit, vt eis fruantur, non prohibere peccati aditū, ſi expediret eis hoc cognoſceret. Sed enim non erat poſſibile, nos aliter diſcere peccatum, & paſſionum moleſtiam & deteriora, & noſtram infirmitatem in his demonſtrandam, ad oſtendendam magnitudinem immutabilitatis, quam poſteà nobis eſſet donaturus, niſi ſic ab initio hæc fuiſſent à Deo diſpenſata, vt collatione & experimento infinitorum illorum bonorum poſſemus ſcire magnitudinem: & huius gratia, vtpotè profuturum nobis, peccatum intrare dimittens, magnū in eius bello auxilium inuenit.

EIVSDEM THEODORI detrahentis quæ ſunt de flammea framea, & de Cherubim dicta.

Nam flammeam quidem frameam dicunt, vt dicat quia ignis eſt terribilis coruſcans, in habitu gladij extenſus, vt bifariam terribilis quidam viſus eſſet videntium, & ex natura, & ex habitu eius quod oſtendebatur: quam & verti dixit, vt aſſiduitate motus coruſcans, terribilem maiorem videnti timorem faceret. Cherubim verò, animalium dicit quaſdam formas terribiles, & potentes tremefacere videntem. Sicut enim nos animalia quædam forſitan ianuis conſtituimus, ſic Deus flammeam frameam conſtituit & Cherubim, vt per ea Adam cum timore, quæ eſt terribilis de viſu, prohibitus introitu Paradiſi, meritò caſtigaretur. Non enim inuiſibiles quaſdam virtutes dicit Cherubim hic, ſicut quidam arbitrantur; quoniam non aliquid valebat inuiſibilis natura ibi, cum ſenſibilis viſus eſſe deberet, & quæ Adam caſtigaret. Nec igitur flammea framea natura erat ignis, ſed talis viſus: nec Cherubim animalia, ſed viſus talis.

EIVSDEM THEODORI reprobantis & librum Iob, & contra conſcriptorem eius, id eſt, ſanctum Spiritum, dicentis, quod pagana ſapiens, hunc librum conſcripſit.

Hic quæ pro doctrina hominum ſcripta ſunt, & Salomonis libri connumerandi ſunt, id eſt, Prouerbia & Eccleſiaſta, quæ ipſe ex ſua perſona ad aliorum vtilitatem compoſuit, cū prophetiæ quidem gratiam non accepiſſet, prudentiæ verò gratiam, quæ euidenter altera eſt præter illam, ſecundum beati Pauli vocem.

ET POST ALIA:

Erat igitur ſatis idoneum, ſuperuacua quidem omnia verba auferre ſcripturæ: quæ autem ad ſignificationem vitæ eius neceſſaria erant exponere, quæ omnia ſufficiebant quem libet ad meliora conuertere, & æmulatorem facere boni. Nunc verò cum hoc non feciſſet, ad vani honoris amorem non neceſſarium reſpiciens, non in minimis exiſtimationi iuſti nocuit apud eos, qui diuinas Scripturas non cum debita deuotione iudicare ſolent, & ex hoc multos fecit ſcripta inculpare, & ad accuſationem ea trahere beati Iob.

ET POST ALIA:

Ipſa ſtatim verba, ex quibus incipere eum dicit conſcriptor, cum perueniſſent amici, quis conſideranter omnia videns omnia vel dicens, putet aut dicat iuſti vnquam menti conuenire? Maledicta enim tam multa colligere ſtatim ab initio, & rebus ea imponere, quæ maledictum ſuſcipere non poſſunt, quia nec ſubſiſtere creduntur: quis exiſtimet viro cōuenire, qui cū tanta ſapientia, & virtute, & reuerentia ſuā vitā gubernaſſet? Et per omnia reprobans ſcripturam Iob, & cōſcriptori maledicens, (idem autem eſt dicere ſancto Spiritui) in fine interpretationis blaſphemiæ ſuæ, ita dicit: Paruum autem & iſtud flagitium ad hoc, quod in fine poſitum eſt. Hoc enim quod dixit tertiam filiam ſuam Amalthææ cornu eum vocaſſe, nihil aliud eſt, quam oſtendere eum paganicis fabulis aſſentientem, & idololatriæ figmenta diligentem, certo quidem conſtituto, quòd nec ſcire quidem de Ioue, & Saturno, & Iunone paganicas fabulas poterat Iob beatus, homo barbarus & Edomitanus genere. Quòd ſi & ſciret, ſed non filiæ ſuæ mirabiliter diuinitus natæ, ex idololatriæ paganis fabulis nomen imponeret, decorare eam exiſtimans, ſi ita nominata fuiſſet. Hoc enim erat paganicis fabulis conſentientis, & idololatriæ diligentis figmenta, & filiam decorare per ea volentis, & deſiderantis & ſibi & filiæ ſuæ ad fabularum figmenta communionem eſſe videri. Sed quod omne hoc figmentum eſt, omnibus certum eſt. Iob 42.

ET POST ALIA:

Et conſcriptor quidem manifeſtus eſt, ex amore magno & importuno vani honoris hoc paſſus. Vt enim ſemetipſum oſtenderet & extranea eruditum eſſe doctrina, & paganorū fabularum ſcientiam habuiſſe, quas de illis quos deos putabāt, firmas habebant, minimum exiſtimauit nominationem iſtam inde acceptam iuſto imponere, quaſi per eam filiam ſuam decorari volenti. Mihi verò ex tota libri conſcriptione certus eſt conſcriptor paganica ſcientia eſſe eruditus, ad cuius imitationem præſentem volens ſcripturam componere, nocuit hiſtoriæ pulchritudini. Qui enim apud illos tragœdias componunt, cauſas quidem accipiunt ab his, quæ multi loquuntur, quando etiam eas contigerit quodammodo apud plurimos opinionem veritatis habere: pura autem cauſa volentes, ſuam artem & ſapientiam in compoſitione fabularum oſtendere feſtinant, & perſonas introducentes ſibi placitas & voces circumponentes eis, à quibus clariores fieri arbitrantur & decorari, vt & querimoniam & laudem, quæ à ſcriptis infertur, ſiue per intellectum, ſiue per ipſa verba ſcriptor peccauerit, non ad perſonas, quarum verba confingit, legentes referant, ſed ad fabulæ conſcriptorem. Et iſte autem cum inueniſſet & de beato Iob hiſtoriam maximam & claram, quæ in ore omnium ſimiliter ferebatur, non ſolùm Iſraelitici generis, ſed & aliorū, quem etiam clariorem Dei teſtimonium faciebat, quod factum eſt ad prophetam, gloriam ex magnitudine cauſæ volens ſuſcipere, hanc ſcripturam compoſuit, non cogitans, quo multa differentia eſt inter hiſtoriam iuſti ſecundum diuinæ ſcripturæ & ſimpliciratem & ſubtilitatem propoſitam, & inter verba ſuperflua, & ad probationem cōficta. Inde & illas plaſmationes fecit in quibus certantem ad Deum fecit diabolum, & voces ſicut voluit circumpoſuit, alias quidem iuſto, alias verò amicis: in quibus vocibus quantùm competenti exceſſit, dictum eſt etiam in ſuperioribus. Illum autem Elium in poſtremo introduxit tantæ iniuriæ plena dicentem aduerſus iuſtum, & in fine perſonæ magnitudinis diuinæ naturæ circumpoſuit talem dictionem, in qua non piguit etiam figmentum * cætus addere. Ex hoc autem importuno vani honoris amore, & nominationem hanc ex fabulis Paganicis arreptam, beato Iob applicauit. Iob. 12. 13. 34. 35. 36. 37. & 40. * cœtū

Adhæc autem diſpernit idē Theodorus & Canticum Cāticorum, & ſicut ad amatam ſibi hæc Salomonem ſcripſiſſe dicit, inſanda Chriſtianorum auribus de hoc exponens. Habet autem ſic:

Cùm me piguiſſet Cantica Canticorum perlegere, quoniam neque ſecundum propheticam ſpeciem expoſita ſunt, neque ſecundum hiſtoriarum traditionem, ſicut ſcriptura Regnorum, neque demonſtratiua admonitione ſtudij vtuntur, neſcio quomodo tuarum litterarum præceptum de Cantico Canticorum exigens à nobis irrecuſabiliter cauſam, fecit me circa eam diligentiorem, violenter quidem. Et ſic nec enim ceſſaui, & initio ipſo lectionis quaſi ſtudioſa alacritate oſcitans frequenter & dormitans, ſicut conuiuio codicis nuptiali, & hoc regali, percantatus.

ET POST PAVCA,

Sed sic per sapientiam gentibus & Iudæis prædicabilem & terribilem existentem vt solertem. Vndè & pax ei firmior, quàm in anterioribus temporibus erat, timore summæ circa ea prudentię frenatis gentibus bella amantibus, Ægyptiacum conuiuium facit, Salomonem apud Iudæos vitiosum, tanquam legum paternarum præuaricatorem, abdicátium alienigenas nuptias, & ad puellæ conuiuium* cecidit, fugiendæ quidem etiam ipso patrio deformi colore: (nocturnorum enim colorum Ægyptus genitrix) magis verò fugiendæ, quoniam qui genus habebat ex Cham, qui hæres fuit antiquæ maledictionis Noæ, ex quibus passus est aliquid Salomon circa coniugis desiderium, & opprobrio præuaricationis irritatus, componit Canticam excusationem, vt gratior etiam vxori sit, canticis delectatus pro ea factis: & improperantes sapienter percussit, tanquam conscripti causam illi dantes lætitiarum, & non pœnitentiæ propter nuptias tanquam prauas. Vndè ab osculis nuptialibus statim ei & initium est, tanquam sistenti nouam nuptam reclamantem vituperantibus, Osculetur me sponsus ab osculis oris eius, & vestrum mihi cura nulla opprobrium latrantium. Et iterum irritatio ad vituperationes pro sponsa sua calidior. Nigra sum & bona, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pellis Salomonis. Ne mihi, dicit, colorem ad vituperationem proponite, nisi fortè etiam benè compositarum ædificationum ex nigro lapide Arabiæ miraculum, vituperationem esse putatis: quorum lapidum mihi membra similia sunt, sicut quidam lapides pretiosi. Ceruleo enim ipso coloris, quod vituperantes canitis, similitudo est talium lapidum, & regalis purpuræ, & regalis non simpliciter, sed qualem Salomon circumdatur, qui plus omnibus regibus ornamenta amat. Sed & cæteri Cantici expositio, irritatio est vituperationum tanquam insipientium, & sine causa alienigena vocantium ea, quæ cognita sunt.

Exod. 34. 3. Reg. 3.

Gen. 9.

Cant. 1.

Ibidem.

ET POST ALIA.

Qui enim canit omnem cantationem, se delectat: ego verò quidem cano propositam cantationem: quibus verò cano, non cum illis me delectans cano: nolebam enim mearum nuptiarum detractionis esse in secula conscriptor. Necessitate autem excusationis volens canere, quorum non volo, cantationem canere cogor, vt sit mihi canticum super morem cantici. Canere enim modò cum sponsa cogor, quæ vituperant publicam excusationem, & clamare ea, quæ abscondere nubentibus decet. Quoniam enim confligere nos vituperationibus putant, & reprehensionum opprobrijs diuidere, audiant nos nostros amplexus canentes calidius, & nuptialium nostrorum vnguentorum ampliùs odorem accipiant: circunsonent Canticis tragicis nostrorum osculorum: clama tuam nigritudinem sponsa purpuream, gratiosam clama: tuum genus vituperatur laudabilis originis, Israel congentile. Incipe initio responsionis ad eos: ex calidis osculis meis, cognoscant, quod amatorijs sermonibus ad inuicem fruimur: discant percutientes vituperationibus tacitam citharam nuptias amantem: cognoscant mal edictionibus, quòd saltare in in meis nuptijs à nobis putati sunt. Non maledicere sciant, quòd excitauerunt amorem resonantem iucundiora vituperatoribus: intret aures eorum amarus aliquis in corde stimulus nostrorum osculorum. Sed intellectus quidem conscriptori eiusmodi est, hebetat verò intellectum, eo quod sine nomine conscriptionem fecit, tantummodò non clamans ad Israel, quod non ipsius Salomonis est conscriptor, sed necessitate æmulationis.

ET POST PAVCA.

Quæ omnia oportet legentes librum cogitando, nec ad impudicitiæ hortationem putare esse conscriptionem sapeintissimi, & propter hoc odisse: (Qualis enim esset vtilitas Salomoni festinare ad conscriptionem impudicitiæ, cui & sine conscriptione potestas erat impudicitiæ?) nec collaudare codicem, sicut habentem propheticam dictationem bonorum Ecclesiæ. Si enim propheticam gratiam meruisset, mentionem alicubi Dei fecisset: (in nulla enim prophetica scriptura Deus non memoratur:) sed scire debent omnes, æmulationis nuptialis codicem mensale canticum esse, sicut & de amore postea conuiuium Plato conscripsit. Vndè nec Iudæis, nec nobis publica lectio vnquam Cantici Canticorum facta est, tanquam domesticus & nuptialis Salomonis conuiuijs cantus opprobria sponsæ sonans. Isti sunt Thesauri impietatis Theodori.

SCELERATVM SYMbolum impij Theodori.

Eos qui nunc primum erudiuntur Ecclesiasticorum dogmatum subtilitatem, seu ab aliquo hæretico errore tranfire volunt ad veritatem, doceri oportet & confiteri, quòd credimus in vnum Deum patrem sempiternum, qui non postea cœpit esse, sed supra constitutum sempiternum: sed neque postremò factum patrem, quia semper & Deus erat & pater. Credimus autem & in vnum Filium Dei vnigenitum, qui est de substantia patris, vt verè filium, qui & eiusdem substantiæ est, cuius & est, & creditur filius. Et in spiritum autem sanctum, qui ex Dei est substantia, qui non filius, Deus autem est secundum substantiam: quia illius est substantiæ, cuius est Deus, & pater, ex quo secundum substantiam est. Nos enim, inquit, non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, à creatura quidem ipsum segregans omni, Deo autem coniungens, ex quo secundum substantiam est propria autem ratione præter omnem creaturam, quam non secundùm substantiam, sed causa opificationis ex Deo esse putamus: & neque filium putantes, neque per filium essentiam accipientem. Confitemur patrem vnum perfectum persona, & filium similiter & spiritum autem sanctum eodem modo. Salua autem ratione pietatis nobis, Patrem & Filium & Spiritum sanctum non tres aliquas substantias diuersas putare, sed vnam eandem naturam Deitatis cognoscentes. Oportet autem & de dispensatione, quam pro nostra salute in ea dispensatione, quæ est circa Dominum Christvm, Dominus effecit Devs, scire, quòd Devs verum hominem adsumpsit perfectum, à semine constitutum Abraham & Dauid, & secundùm declarationem scripturarum diuinarum, hoc constitutum natura, quod erant illi, quorum de semine erat: hominem perfectum secundùm naturam, & ex anima intellectuali & carne consistentem humana: quem hóem constitutum secundùm nostrã naturam Spiritus sancti virtute in virgine factum, & natum ex muliere, & factum sub lege, vt omnes nos redimeret à legis seruitute, quam longè antè statuit, adoptionem recipiẽtes ineffabiliter coniunxit sibi, qui mortem quidem eum secundùm legem hominum sustinere fecit, resuscitauit autem ex mortuis, & eduxit in cœlum, & sedere fecit in dextera Dei, vnde super omnem constitutus Principatum, & Potestatem, & Dominationem, & virtutem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, ab omni creatura susçipit venerationem, vt inseparabilem ad diuinam naturam habens coniunctionem, relatione Dei & intellectu, omni ei creatura venerationem attribuente. Et neque duos dicimus filios, neque duos dominos, quoniam vnus filius secundùm substantiam Deus Verbum, vnigenitus filius patris, cui iste coniunctus & particeps, communionem habet filij nomine & honoris: & Dominus secundùm substantiam Devs Verbum, cui coniunctus iste communionem habet honoris. Et ideò nec duos dicimus filios, nec duos Dominos, quoniam certo constituto secundú naturam Domino & filio, inseparabilem habens ad eum coniunctionem, qui pro nostra adsumptus est salute, cum illo honorem & nominationem filij & Domini habet, non tanquam nostrum vnusquisque per seipsum subsistens filius, (vnde & filij multi secundum beatum dicimus Paulum) sed solus præcipuum habens hoc, vt in coniunctione ad Deum Verbum, tam filiationis, quam dominationis particeps sit, amputans omnem intellectum dualitatis filiorum &

De hoc symbolo vide etiam Hilarium lib. 2.

1. Cor. 2.

Matth. Rom.

Gal. 4.

Ephes. 1.

Dominorum. Præbet autem nobis in coniunctione ad Deũ verbum, omnem habere eius & fidem, & intellectum, & viſionem, pro quibus & venerationem relatione Dei ab omni ſuſcipit creatura. Vnum ergo filium dicimus & Dominum Ieſum Chriſtum, per quem omnia facta ſunt: principaliter quidem Deum verbum intelligentes, qui ſecundum ſubſtantiam & filius Dei, & Dominus eſt. Deinde ſimul mente accipientes ſumptum Ieſum, qui eſt de Nazareth, quem vnxit Deus ſpiritu & virtute, vt coniunctione ad Deum verbum, filiationis & dominationis participem conſtitutum, qui ſecundus Adam à beato vocatur Paulo, eiuſdem quidem naturæ conſtitutus Adam, & oſtendens nobis futurum ſtatum, & tantam habens ad illum differentiam, quanta fiet eius, qui ineffabilia præbet futuri ſtatus bona ad eum, qui præſentium triſtium dedit initium? Simili autem modo & ſecundus homo vocatur, vt ſtatum ſecundum manifeſtans: quia prioris quidem initium dedit Adam mortalis, & paſſibilis, & multorum pleni dolorum, in quo & demonſtrauit ad eum habere ſimilitudinem: ſecundum autem oſtendit Dominus Chriſtus. Iſte de cœlis in futuro viſus, omnes nos in communionem educet ſuam. Nam primus, dicit, homo de terra terrenus, ſecundus homo Dominus de cœlo, id eſt, inde in futuro appariturus, vt omnes ad imitationem adducat ſui. Vnde addit, Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cęleſtis, tales & cæleſtes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem eius, qui de cœlo eſt. In eo apparente, & eum omnibus videntibus, qui iudicandi ſunt, in occulto conſtituta diuina natura faciat iudicium. Tempora enim ignorantiæ noſtræ deſpiciens Deus, nunc adnunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant: quoniam ſtatuit diem, quo iudicet de orbe terrarum in æquitate in viro, cui conſtituit fidem præſtare, ſuſcitans eum de mortuis. Iſta Eccleſiaſticorum dogmatum doctrina: & omnis, qui contraria ei ſapit, anathema ſit.

Et poſtquam lectæ ſunt blaſphemiæ Theodori Mopſueſteni, & impium eius ſymbolum, ſancta Synodus exclamauit: Hoc ſymbolum ſatanas compoſuit. Anathema ei, qui hoc ſymbolum compoſuit. Hoc ſymbolum Epheſina prima Synodus vnà cum authore eius anathematizauit. Vnum tantum modò fidei ſymbolum ſcimus, quod Nicæni ſancti patres expoſuerunt & tradiderunt. Hoc & ſanctæ tres Synodi tradiderunt: in hoc omnes baptizati ſumus, & nos in hoc baptizamus. Anathema Theodoro Mopſueſteno. Iſte Euangelia reprobauit, iſte diſpenſationem iniuriauit. Anathema illis, qui non anathematizant eum. Defenſores eius, Iudæi ſunt: ſequaces eius, pagani ſunt. Multis annis Imperatorem: Orthodoxum Imperatorem multis annis: Chriſtianum Imperatorem multis annis. Et hoc bonum tibi ſeruabatur. Zizania tu eieciſti, Eccleſias tu emundaſti. Theodorum Mopſueſtenum omnes anathematizamus. Theodorum & conſcripta eius omnes anathematizamus. Et poſt acclamationes ſancta Synodus dixit: Multitudo lectarum blaſphemiarum, quas contra magnum Deum & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, immò magis contra ſuam animam Theodorus Mopſueſtenus euomuit, iuſtam eius facit condemnationem. Vnde oportebat quidem nos nihil aliud expectantes & per Synodum ſententiam anathemati ſubijcere: Veruntamen licet manifeſta ſint, quæ ſancti partes, & leges Imperiales, & hiſtoriæ conſcriptores contra eum dixerunt, tamen quia oportet in examinatione, quæ contra eum prouenit, nihil prætermitti ſubtilitatis, alio die etiam cætera audiamus.

COLLATIO V.

IMPERII DOMINI IVSTINIANI PERPETVI AVGVSTI, Anno XXVII. poſt Conſulatum Baſilij viri Clariſſ. Anno xij. die 8. Idus Maias, Indictione I.

CONSIDENTIBVS in ſecretario venerabilibus Epiſcopis huius regiæ ciuitatis, Eutychio ſanctiſſimo Patriarcha regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ.

Apollinario ſanctiſſimo Archiepiſcopo Alexandrinę magnę ciuitatis.

Domnino ſanctiſſimo Patriarcha Theopolitanæ magnæ ciuitatis.

Stephano religioſiſſimo epiſcopo Raphiæ.

Georgio religioſiſſimo epiſcopo Tiberiadis.

Damiano religioſiſſimo epiſcopo Sozyſæ, vicem agentibus Euſtochij ſanctiſſimi epiſcopi Hieroſolymitani.

Benigno religioſiſſimo epiſcopo Heracleæ Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatiſſimi Epiſcopi Theſſalonicenſis.

Theodoro religioſiſſimo epiſcopo Cæſareæ primæ Cappadociæ prouinciæ.

Andrea religioſiſſimo epiſc. Epheſi.

Sextiliano religioſiſſimo epiſc. Tunienſi, vicem agente Primoſi religioſiſſ. Epiſc. Carthaginis.

Megetio religioſiſſ. epiſc. Heracleæ Thraciæ.

Anaſtaſio religioſiſſ. epiſc. Tabię, vicem agente Dorothei religioſiſſ. epiſc. Ancyræ.

Ioanne reuerendiſſimo epiſcopo Ilienſi, vicem agente Euprepij religioſiſſimi epiſcopi Cyzicenæ ciuitatis.

Euſebio religioſiſſ. epiſcopo Tyri.

Ioanne religioſiſſ. epiſc. Nicomediæ.

Stephano religioſiſſ. epiſc. Nicææ.

Conſtantino religioſiſſ. epiſc. Chalcedonenſi.

Petro religioſiſſimo epiſcopo Tarſi.

Ioanne reuerendiſſ. epiſc. Cucuſorum, vicem agente Palladij religioſiſſimi epiſc. Melitinæ.

Ioanne religioſiſſ. epiſc. Cæſareæ Palæſtinæ.

Pompeiano religioſiſſ. epiſc. Byzacij.

Amazonio religioſiſſ. epiſc. Edeſſæ.

Alexandro religioſiſſ. epiſc. Gangrorum.

Thoma religioſiſſ. epiſco. Apameæ Syriæ.

Euphranta religioſiſſ. epiſc. Tranorum.

Theodoro religioſiſſimo Epiſcopo Hierapolis Syriæ.

Boſphorio religioſiſſ. epiſc. Neocæſareæ.

Ioanne religioſiſſ. epiſc. Boſtræ.

Philippo religioſiſſ. epiſc. Myrorum.

Theodoro religioſiſſ. epiſc. Seleuciæ Iſauriæ.

Iuliano religioſiſſ. epiſc. Sardienſi.

Theodoro religioſiſſ. epiſc. Gortynæ.

Euſtathio religioſiſſ. epiſc. Damaſci.

Theodoſio religioſiſſ. epiſc. Rhodi.

Firmo religioſiſſimo epiſcopo Tipaſon Africanæ prouincię.

Theodoro religioſiſſ. epiſc. Antiochiæ Piſidiæ.

Phoca religioſiſſ. epiſc. Stalienſi.

Eulogio religioſiſſ. epiſc. Pergæ.

Seueriano religioſiſſ. epiſc. Aphrodiſiadis.

Cyriaco religioſiſſ. epiſc. Amidiæ.

Seuero religioſiſſ. epiſc. Synnadorum.

Petro religioſiſſ. epiſc. Sydæ.

Abrahamio religioſiſſ. epiſc. Sergiopolitano.

Aſignio reuerendiſſ. epiſcopo Tranopolitano, vicem agente Ioannis religioſiſſimi epiſc. Laodiceæ Pacatianæ Phrygiæ.

Ioanne religioſiſſimo epiſcopo Adrianopolitano Thraciæ.

Chreſto religioſiſſ. epiſc. Cuiculi.

Theodoſio religioſiſſ. epiſcop. Iuſtinianopolitano ſecundæ Cappadociæ.

Stephano religioſiſſimo epiſcopo Laodiceæ ſiue Theodoriadis.

Auxanone religioſiſſ. epiſc. Hierapolis Phrygiæ.

Eustathio religiosiss. episcopo Maximianopolitano.
Ætherio religiosiss. episc. Anazarbi.
Dometio religios. episcop. Chalcidis.
Valeriano religiosiss. Episcop. Obbæ Africanæ prouinciæ.
Dionysio religiosiss. episcop. Seleuciæ Syrię.
Theodoro religiosiss. Episcop. Dryziparon.
Seuero religiosissimo Episcopo Pompeiopolitano Paphlagoniæ.
Georgio religiosiss. episcop. Iustinianæ Cypselon.
Romano reuerendiss. Episcop. Gasalon.
Gregorio reuerendissimo Episcopo Iustinianopoleos Armeniæ.
Ioanne reuerendiss. Episcopo Nyssæ.
Basilio reuerendissimo Episcopo Iustinianopolitano * Camilianorum.
Ioanne reuerendiss. episcopo Barcusorum.
Crisconio reuerendissimo Episcopo Zattarensi prouinciæ Numidiæ.
Sergio reuerendissimo Episcopo Cynon secundæ Ægypti.
Christophoro reuerendissimo Episcopo Archadiopolitano Asiæ.
Theodoro reuerendiss. Episcop. Bybli.
Leontio reuerend. Episcop. Myrinæ.
Ioanne reuerend. episcop. Myrinæ.
Alexandro reuerend. episcop. Amphipolitano.
Stephano reuerend. episcop. Clysmatis.
Thoma reuerend. episcop. Berissæ.
Aristodemo reuerend. episcopo Philomelij.
Thallelæo reuerendissimo episcopo Adrianopolis Pisidiæ.
Theoctisto reuerend. Episcop. Erythron.
Diogeniano reuerend. Episcopo Sozopolitano.
Basso reuerend. Episcopo Tamathensi.
Anatolio reuerend. Episcop. Cymæ.
Diogene reuerend. episcop. Cratiæ.
Restituto reuerendissimo Episcopo Mileon Africanæ prouinciæ.
Theodoro reuerendissimo episcopo Leontopolitano Ægypti.
Æmiliano reuerend. Episcop. Antipyrgi.
Conone reuerendiss. episcopo * Magoedensi.
Theoctisto reuerendiss. episcop. Prusæ.
Georgio reuerend. Episc. Ptolemaidis.
Sotero reuerendiss. Episc. Aulonis.
Zosimo reuerend. episc. Antandri.
Cypriano reuerend. episc. Coryssi.
Elia reuerend. episcop. Diocletianopolitano.
Theona reuerend. episc. Cusson.
Theodoro reuerend. episc. *Lymyron.
Gennadio reuerend. episc. Zenopolitano.
Asyncretio reuerend, episc. Aradi.
Stephano reuerend. episc. *Botryon.
Philippo reuerend. episc. Phelli.
Mena reuerend. episc. Demyriangelis.
Genethlio reuerend. episc. Dorylaij.
Thoma reuerend. episc. Constantinæ.
Theodoro reuerend. episc. Leontopolitano.
Seuero reuerend. episc. Taborum.
Theoctisto reuerend. Episc. Halicarnasi.
Cosma reuerend. Episc. Malli.
Dionysio reuerend. episc. Megarensi.
Callinico reuerend. episc. Opuntis.
Paschasio reuerend. episc. Ægæi.
Erasmo reuerend. episcop. * Cibyræ.
Ioanne reuerendissimo episcopo Neocæsareæ Euphratensis.
Nonno reuerend. episcop. Dausarorum.
Stephano reuerend. episcop. Balaneon.
Thoma reuerend. episcop. *Circisij.
Anatolio reuerend. episcop. Sebastæ.
Constantino reuerend. episcop. Midaij.
Macario reuerend. episcop. Prymnesiæ.
Megalo reuerend. episcop. *Miri.
Thallelæo reuerend. episcop. Ilindorum.
Niceta reuerend. episcop. Epiphaniæ.
Alexandro reuerend. episcop. Dionysi.
Pelagio reuerend. episcop. Azanon.
Hieronе reuerend. episcop. Anastasiopolitano Phrygiæ.
Glauco reuerend. episcop. Alion.
Procopio reuerend. episcop. Antinoi.
Petro reuerend. episcop. Dometiopolitano.
Ioanne reuerend. episcop. Coloniæ.
Vranio reuerend. episcop. Trallienſi.
Ioanne reuerend. episcop. Cerasuntis.
Phronymo reuerend. episcop. Sinai.
Macedonio reuerendissimo episcop. Iustinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerend. episcop. Teni.
Eulogio reuerend. episcop. Dabanorum.
Theodoro reuerend episcop. Coradeon.
Helpidophoro reuerendissimo episcopo Anastasiopolitano Cariæ.
Cyrione reuerend. episcopo Dadymorum.
Theodoro reuerend. episc. Laodiceæ.
Sila reuerend. episc. Tiberiopolitano.
Diogene reuerend. episc. Augustopolitano.
Theodoro reuerend. episc. Ingilon.
Iuliano reuerend. episc. Zeugmatis.
Dorimenio reuerend. episc. Adraon.
Ioanne reuerend. episc. *Leri.
Theodoro reuerend. episc. Gargaron.
Theodoro reuerend. episc. Comanorum.
Ruphino reuerend. episc. Sebastiæ Armeniæ.
Conone reuerend. episc. Semneon.
Cypriano reuerend. episc. Casatorum.
Silinnio reuerend. episc. Præneti.
Iuliano reuerend. episc. Batnon.
Anastasio reuerend. episc. Rachlæ.
Theodoro reuerend. episc. Porthmi.
Paulo reuerend. episc. Stectorij.
Stephano reuerend. episc. Amasiæ.
Paulo reuerend. episc. Adrassi.
Euandro reuerend. episc. Gnidi.
* Mena reuerend. episc. Carpatij.

Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorum notariorum, dixit: Scit vestra sancta Synodus, quòd anteriore die, lectis blasphemijs Theodori Mopsuesteni, interlocutionem fecistis, ostendentem quidem impietatem ipsius Theodori & eius conscriptorum, iubentem autem altero die recitari, quæ de ipso sancti patres dixerunt, & Imperialibus legibus, & historicis conscriptis continentur. Quoniam igitur hæc præ manibus habemus, suggerimus ad quod placuerit.

Sancta Synodus dixit: Ea, quæ iam gesta sunt, recitentur. Quo facto, sancta Synodus dixit: Sicut & anteà interlocuti sumus, recitentur ea, quæ contra Theodorum Nopsuestenum & eius blasphemias sancti patres scripserunt, & quæ Imperialibus legibus & historicis conscriptis continentur. Et cùm suscepisset Theodorus reuerendissimus Diaconus & notarius, recitauit.

Sanctæ memoriæ Cyrilli ex primo libro eorum, quæ contra Theodorum scripsit.

THEODORI.

Si quis velit abusiue & filium Dei Deum verbum filium Dauid nominare, propter Dei verbi templum, quod ex Dauid est, nominet & illum, qui est ex semine Dauid, filium Dei: gratia, non natura appellet, naturales patres non ignorans, neque ordinem subuertens: neque eum, qui incorporalis est, etiam corpus dicens: & ante secula ex Deo, & ex Dauid: & passum, & impassibile. Corpus, non est incorporale: quod est deorsum, non est desursum: quod est ante secula, nō est ex semine Dauid: quod passum est, non est impassibile: nec enim ista ad eundem intellectum obuertuntur. Quæ sunt corporis, non sunt Dei verbi: & quæ sunt Dei verbi, propria non habet corpus. Naturas confiteamur, & dispensationes non abnegemus.

CYRILLI.

Qui dicit oportere non abnegari dispensationes, humanitatis mysterium omnino eradicat. Præsumit enim dicere, quòd neque factus est homo Vnigenitus Dei Verbum, neq; ex semine apparuit sancti Dauid: sed filiorum introducit apertè dualitatem inæqualem naturam & falsam nomine. Hoc enim quod abusiuè dicitur, omnimodò ostendit vtique, quod verè non est hoc, quod dicitur, mutuatur enim alterius appellationem. Ergò si abusiuè Dei verbum vocatur homo, non est factus homo manifestè. Si abusiuè filius & Deus ille, qui ex semine est Dauid, neque Deus, neque filius natura & veritate est. Falsa igitur in vtroque hæc appellatio & ipsa res esse meritò intelligitur: Vterque enim hoc nominatur, quod non est.

EX EODEM LIBRO Theodori:

Et conuenit eos, qui benè aspiciunt, quando quidem naturales patres quærimus, neque Deum verbum, Dauid vel Abrahæ filium nominare, sed factorem: neque corpus ante secula ex patre, sed semen Abrahæ & Dauid ex Maria natum. Et cùm de naturalibus natiuitatibus sit ratio, neque Mariæ filius Deus esse verbum existimetur. Mortalis enim mortalem generat secundum naturam, & corpus, quod sibi simile est. Duas natiuitates Deus verbum non sustinuit, vnam quidem ante secula, alteram autem in vltimis temporibus: sed ex patre quidem natura genitus est templum vero, quod ex Maria natum est, ex ipso vtero sibi fabricauit.

CYRILLI.

Deindè breuè procedens, & quibusdam per medium interpositis, iterùm dixit:

THEODORI.

Cùm verò de salutari dispensatione ratio mouetur, & Deus vocetur homo: non quod hoc factus est, sed quod hoc adsumpsit: & homo Deus, non tanquam incircunscriptibilis factus, nec vbique existens. Corpus enim erat & post resurrectionem palpabile, & tale receptum est in cœlum, & sic veniet sicut receptum est.

CYRILLI.

Eccè planè & euidenter contra diuinam quidem fertur scripturam, reprobat verò Christi mysterium, & quasi increpat Deum Verbum, quod propter nos exinanitionem pati voluit, & quod factus est homo, contristare videtur. Interimit enim omninò humanationem, & aduersus ineffabilem sapientiam extollit se, penè dicens Iudaicè omnium nostrum saluatori Christo, De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia, quòd tu cùm sis homo, facis te Deum. Audeat igitur dicentem apertè: *Si igitur non facio opera patris mei, ne mihi credite: si vero facio, licet mihi non credatis, operibus meis credite.* Cùm enim sciret, quod diuina virtute & potestate vtebatur, & cum apparuisset homo Dei verbum, abnegat ipsum esse Deum, & in homine magis habitasse dicit eum, vt Dei verbum nobis hominem ostenderet adorandum, & pura Deitatis nominatione honoratum. Conuictus igitur est ignorasse omninò virtutem mysterij Christi.

THEODORI EX EODEM Libro:

Sed si caro, dicit, erat quæ crucifixa est, quomodo Sol radios auertit, & tenebræ occupauerunt totam terram & terræ motus, & petræ dirumpebantur, & mortui resurgebãt? Quid igitur dicunt & de tenebris in Aegypto factis sub tempore Mosis, non in tribus horis, sed in tribus diebus? Quid vero de alijs per Mosen factis miraculis, & per Iesum Nauæ, qui solem stare fecit, qui sol sub rege Ezechia & præter naturam retrouersus est? & de Helisæi reliquijs, quæ mortuum resuscitauerunt? Si enim Deum verbum passum esse ostendunt, quę in tempore crucis facta sunt, & propter hominem non concedant ea facta esse: & quæ sub tempore Mosis propter genus Abrahæ, & quæ sub tempore Iesu Nauæ & Ezechiæ regis non erunt. Si verò illa propter Iudæorum populum miracula facta sunt, multò magis quæ in cruce propter Dei verbi templum.

CYRILLI.

Stupefactum est cœlum super hoc, & contremuit amplius vehementer, dicit Dominus. O intolerabilem malignitatem, O linguam loquentem iniquitatem aduersus Deum, & mentem in altitudinem cornu extollentem. Paruum esse tibi videtur, adfixum esse ligno Dominum gloriæ? quem tu quidem neque filium verum, neque Deum esse dicis: nos autem credimus, quod est verè filius & Deus, creator & opifex omnium. Neque enim erat homo simpliciter, sed in specie humana, qui est ex Deo patre Deus verbum: non translationem vel mutationem, quæ est in carne, passus, vnitus verò magis ei secundum fidem sacrarum literarum. Iste, qui in carne passus & suspensus in ligno est, miracula fecit in Ægypto, in omnibus per sapientem Mosen suam gloriam manifestans. Iere. 2. Christus fecit miracula per Mosen.

THEODORI EX EODEM Libro:

Gratia filius, qui ex Maria est homo: natura verò Deus verbum. Quod verò est gratia, non natura est: & quod est natura, non gratia, non duo filij. Sufficiat corpori, quod ex nobis est, secundum gratiam filiatio, gloria, immortalitas, quod templum Dei verbi factum est. Non supra naturam eleuetur, & Deus verbum pro debita à nobis gratiarum actione non iniurietur. Et quæ est iniuria * Componere ipsum cum corpore, & putare eum ad perfectam filiationem corporis indigere. Neque ipse Deus verbum vult seipsum filium Dauid esse, sed Dominus: corpus verò vocari filium Dauid, non solum non inuidit, sed etiam propter hoc peruenit.

CYRILLI.

Ergò, quoniam quod est gratia, non natura, & quod est natura, non gratia: non sunt filij duo secundum tuam rationem, qui gratia quidem, & non natura filius est, non est verò filius. Superest autem, vt staret veræ filiationis gloria in eo, qui est natura & non gratia, id est, in Deo verbo, qui est ex Deo patre. Expulsus est igitur, sicut dixi, esse & dici filius Dei Christus Iesus, per quem & saluificati sumus, mortem eius adnunciantes, & confitentes resurrectionem. Verbum enim fidei, quod prędicamus, ad istam nos confessionem producit. Ergò in hominem fides est, & non in eum, qui & natura & verè Dei filius est. Si enim verum est, qui dicit gratia filiationem sortitum esse ipsum multitudini filiorum connumerabitur, id est nobis, quibus superna gratia filiationem donat ad quam vocati sumus per Iesum Christum, qui ex semine Dauid est secundum carnem. Et certum te faciat, dicens diuinus Euangelista: *Qui verò acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius.* Deinde quomodo, qui ab altero datam dignitatem filiationis sortitus est, & nobis ipsis donare non suam magis, sed acquisitam ei extrinsecus gratiam? Rom. 1. Ioan 1.

ET POST PAVCA.

Dedit seipsum in exinanitionem filius, & cum in omnibus esset perfectus, voluit pati humilitatem, & secundum carnem ex muliere sustinere natiuitatem, & appellatus est filius Abrahæ & Dauid. Non miratus es tam bonum dispensationis artificium, magis vero reprehendis mysterium: iniuriam esse dicens incarnationem vnigeniti, increpas consilium Dei & patris: inclamas verò etiam ipsum filium, qui pati voluit propter te exinanitionem. Cum igitur audieris dicentem ad cœlestem patrem & Deum, *Sacrificium & oblationem noluisti, holocausta & pro delicto non postulasti, corpus autem perfecisti mihi: tum dixi, Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt faciam* Psal. 39.

voluntatem tuam Deus, volui: non recta cogitare forsitan filiũ de sua gloria dices. Elegit enim corporis perfectionem, & & non alij magis factam, sed sibi secundum verba ipsius. Corpus enim perfeciſti, dicit: licet audieris Paulum dicentem de
Hebr. 2. Deo verbo: Ergò quia filij participes sunt sanguinis carnis, & ipse similiter particeps factus est eorundem. Et sic sapiens Io-
Ioan. 1. annes scribit, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, surge contra eos clamans, Nõ pro debita gratiarum actione à nobis iniurietur. Deus verbum non factus est caro, Deus verbum non particeps fuit verè sanguinis & carnis: similiter nobis non natus est secundum carnem ex muliere: non appellatus est filius Dauid. Hoc enim quod & nominari eum iniurium est, & non secundum voluntatem ipsius, quomodo pati voluisset? Sed nos ô sapiens glorificare consueuimus Deum & patrem, quia corpus perfecerit filio: & ipsum verò dicimus filiũ factum carnẽ, id est, hominem, passum quidem esse propter nos exinanitionem, & nostræ paupertatis subisse humilitatem, permansisse verò & sic Deum, & filium verum Dei & patris. Quomodò igitur non voluit filius nominari Dauid, si humanatus est, & hoc non inuitus?

THEODORI EX SECVNDO libro Cyrilli:

Pſal. 8. Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis quod visitas eum? Consideremus igitur, quis homo sit, de quo stupescit & miratur, quod vnigenitus dignatus est eius memoriam visitationemque facere. Sed quod quidem non dictum est de omni, in superioribus demonstratum est: Quod autem non de vno quolibet, & hoc certum est. Vt autem omnia prætermittamus, quod omnibus credibilius est, apostolicum testimonium excipiamus. Scribit igitur Apostolus ad
Hebr. 2. Hebræos, narrans de Christo, personamque suam non acceptabilem apud eos confirmans, ita dicit: Testificatus est verò
Pſal. 8. alicubi quidam, dicens: Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quòd visitas eum? Minorasti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum supra opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et cum testimonium dixisset, interpretans ipsum, intulit: Subijciendo autem omnia, nihil dimisit non subiectum. Modo autem nondum videmus omnia ei subiecta. Et quis homo est docens nos, quoniam dubium erat à voce posita apud beatum Dauid, intulit. Paulò autem minus ab Angelis minoratum videmus Iesum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Si igitur ex Euangelijs quidem erudimur, ad Dominum dixisse beatum Dauid omnia, quæ sunt psalmi, & cætera, & quod memor es, & visitas, & minorasti, & subiecisti, ex Apostolo verò Iesum esse discimus, de quo loquens Dauid dicit, quod eius memor est, & quod eum visitauit, sed etiam quod omnia subiecit ei, cùm paulominus ab Angelis minorasset eum, cessate vel vix aliquandò à vestra impudentia, cognoscentes quod oportet. Videtis enim hominum sceleratissimi quanta naturarum est differentia, quod hic quidem stupefactus est, quia & memor esse hominis dignatur, & visitare eum, cæterorumque participem facere, quorum eum participem fecit: ille verò è contrario miratur, quòd tantorum particeps esse supra suam naturam meruit: & hic quidem tanquam beneficium dans mirificatur, & magna præstans, & supra naturam eius, qui consequitur beneficium: ille verò tanquam beneficium consequens, & maiora, quàm est, ab eo suscipiens.

CYRILLI.

1. Petr. 5. Sobrij estote ebrij ex vino eorum, declamet aliquis sic errantibus. Impone homo tuæ linguæ ostium & seram: cessa
Pſal. 140. cornu in altitudinem extollens, & loquens iniquitatem ad-
Pſal. 74 uersum Deum. Quousquè insultas patienti Christo? In mente habe, quod scriptum est à diuino Paulo: *Sic verò peccantes in*
1. Cor. 8. *fratres, & percutientes eorum infirmam conscientiam, in Christum peccatis.* Et vt aliquid etiã ex propheticis loquar codicibus, iu-
Ezech. 16. stificata sunt Sodoma ex te, superasti paganorum verbositates quas fecerunt contra Christum, stultitiam existimantes
1. Cor. 1. crucem, Nihil esse ostendisti Iudaicæ superbiæ crimina. Minorare præsumis, & quod ad te pertinet, detrahis ad infamiã eum, qui superans sedes condecet, & vnà cum Deo & patre eandem sedem habet. Eum enim, qui ex mortuis resurrexit, in sedibus Deitatis sedere dicit sapientissimus Paulus. Dixit enim, *quod talem habemus principem sacerdotum, qui sedet in dex-* Heb 8.
tera sedis maiestatis in excelsis: qui est super omnem principatum, Ephes. 1.
& potestatem, & dominationem, & nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed & in futuro. Flectitur enim ei omne genu, & Philip 2.
omnis lingua confitetur, quod Dominus Iesus Christus in gloriam Dei patris. Et quis est, qui in his est tanquam Deus? Iterùm idem ipse explanauit, qui eius mysteriorum sacerdos est. Dixit e- Ibidem
nim: *Quod exinanuit seipsum, in similitudine hominis factus est, & in habitu inuentus tanquam homo: & humiliauit seipsum, factus o-*
bediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Flectitur igitur omne genu cœlestium, & terrestrium, & inferorum ei, qui crucem sustinuit: quem puris & solis humanitatis mensuris inijciens aduersarius, memoriam & visitationem meruisse dicit à Deo verbo, cùm certè oportet scire & sapere, quod nõ alter Deus verbum erat præter ipsum filius separatim, & per patrem, qui ex semine Dauid, sicut dicit homo: sed erat ipse ex Deo patre Deus verbum, factus secundum nos, homo videlicet, & non alium quendam magis quàm seipsum visitatione & memoria dignans.

THEODORI EX EODEM Libro:

Cessabunt ne iam ab impudente pugna? desistent verò vana contentione, erubescentes dictorum euidentiam? Mul-
Heb 2. tos enim, dicit filios in gloriam ducentem. Ecce igitur in ratione filiationis connumerans Apostolus apparet adsumptũ hõem cæteris, nõ secundũ quod similiter illis filiationis particeps est, sed secundum quod similiter gratiam adsumpsit filiationis, deitate sola naturalem filiationem possidente. Certum enim est illud, quòd filiationis gloria præter cæteros homines ineſt ei præcipuè per vnitatem, quæ est ad illum. Vnde & in ipsa voce significante filium, similiter etiam ille comprehenditur. Sed sermocinantur ad nos: Si duo perfecta dicitis omni modo, & duos filios dicemus. Sed eccè & filius dictus est in diuina scriptura per seipsum, diuinitate excepta, cæteris hominibus connumeratus, & non iam duos dicimus filios. Vnus verò filius in confessione est iustè, quoniam naturarum diuisio necessariò debet permanere, & personæ vnitio indissipabilis custodiri.

CYRILLI.

Papè insaniam. Ignorauit omnifariam altitudinem mysterij Christi, qui ita frigidis & puerilibus verbis confisus est. Quod autem & prolati scripti virtutem minimè intelligit rectam verò semitam declinat, & transfertur iterum in sceleratam sibi propositam intenrionem, statim docem⁹. Quod enim ante omnia studium ei est, purum nobis hominem velle demonstrare confessorem patri, & ab vniuersa creatura tanquam Deum adorandum, ipse testis ingredietur. His enim, qui secundum gratiam filij sunt, & humanæ multitudini connumerans eum, verbi Deitatem solam veræ filiationis gloriam habere contendit, penè etiam increpans eum, qui propter nos exinanitionem pati voluit: vel forsitan etiam obijciens in
Ioan. 1. honestam suam dementiam discipulo dicenti. *Et verbum caro factum est.* Sciendum igitur, quod licet vnum alicubi dicat, & non magis duos filios, eijciens omninò esse Deum & filium eum, qui, sicut ipse dicit, de semine est Dauid: ad solum refert Deum verbum, qui ex Deo patre est, veræ filiationis gloriam. Hoc verò nihil aliud est, sicut dixi, quam non suscipere modum humanitatis: omninò autem interimere dispensationẽ, per quam & salui facti sumus, & mortem & peccatum transiuimus, & diabolicæ auaritiæ iugum deposuimus.

THEODORI EX EODEM Libro:

Nemo artificio interrogationum decipiatur. Flagitio-
Hebr. sum enim est, deponere quidem tantam testium nubem, secundum quod Apostolus dixit, astutis autem interrogationibus deceptos, aduersariorum parti coniungi. Quæ verò

sunt,

sunt, quæ cum arte interrogant? Hominis genitrix Maria, an Dei genitrix? Et, Qui crucifixus est, vtrum Deus, an homo? Sed istorum quidem certa est absolutio & ex his, quæ prædiximus in responsis, quæ ad interrogationes fuerunt: tamen verò dicatur & iam nunc, quæ compendiosè respondere oportet, vt nulla eis occasio astutiæ relinquatur. Cùm igitur interrogant, Hominis genitrix, an Dei genitrix est Maria? dicatur à nobis, vtraque: vnum quidem natura rei, alterum verò relatione. Hominis enim genitrix est naturaliter, quoniam homo erat in vtero Mariæ, qui & indè processit: Dei autem genitrix, quoniam Deus erat in homine nato, non in eo circumscriptus secundum naturam, sed quod in eo est secundum affectum voluntatis. Itaque vtraque quidem dici iustum est, non autem secundum similem rationem. Nec enim sicut homo in vtero, vt esset suscepit initium, sic & Deus verbum, erat enim ante omnem creaturam. Itaque & vtraque dici iustum est, & vtrunque eorum secundum propriam rationem. Idem autem respondendum &, si interrogant, Deus crucifixus est, an homo? quod vtraque quidem, non autem secundum similem rationem. Nam hic quidem crucifixus est, vtpotè & passionem suscipiens, & ligno adfixus, & ab Iudæis detentus: ille autem, quòd erat cum ipso secundum prædictam causam.

CYRILLI.

Insuper autem his infert statim procedens, quod crucifixus homo erat habens Deum inhabitantem.

ITERVM CYRILLI.

Quid dicis, ô fortis? Dei genitrix erat sancta virgo, quod nato ex ipsa Deus inerat, habitans secundum solum affectum voluntatis? Istam esse adfirmas vnitatem? Ergò cum etiam in nobismetipsis mansionem faciat Deus existens verbum, (inhabitat enim animabus sanctorum per sanctum spiritum) confitearis ne secundum similem modum etiam nosipsos ad ipsum habere vnitatem? Vbi igitur miraculum mysterij Christi adspiciat aliquis? Nam quandoquidem creditur secundum nos homo fieri Deus verbum, mirabile est verè mysterium, & miretur vtique aliquis hoc meritò & vehementer. Si autem in homine habitare dicatur secundum affectum voluntatis, aliam habet rationem res dispensationis. Meruimus enim, sicut dixit, eiusmodi gratiam, qui fide, quæ in ipsum est splenduimus. Non enim aliquis vtique dicat, quod non voluntariè inest nobis, magis verò voluntariè siue secundum voluntatem insitam ei ad nos affectum fecerat. Sed nec à carne sanctæ virginis initium essentiæ habuisse dicimus Deum verbum, qui consubstantialis est patri. Erat enim semper vnà cum eo subsistens, magis autem scimus secundum nos, factum esse hominem. Itaque *iustè Dei genitrix dicatur à nobis sancta virgo, quam hominis genitrix, cùm certè secundum carnem Christum peperisset.

ET POST ALIA.

Cùm enim ad explanationem hoc propositum est, quod est, Cum introducat primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum vniuersi Angeli Dei, scribit iterùm sic.

THEODORI.

Quis est igitur, qui in orbem terrarum introducitur, & dominationem eius incipit, de qua ei & adorari ab Angelis acquiritur? Nec enim insaniens aliquis dicat, Deum verbum esse introductum, qui omnia non extantia fecit, ineffabili eius virtute donans eis, vt essent.

CYRILLI.

Insaniam igitur esse dicis, velle sapere rectè, & in mente habere veram, & rectam, & inadulteratam fidem? cum certè plenos sermones insaniæ, dicat aliquis esse, & valdè meritò eos, qui vnigenitum Dei verbum abnegant introductum esse à Deo & patre in orbem terrarum, cum factus est homo. Qui enim secundum naturam & differentiam alijs omnibus superior est, quoniam est creator eorum, & tantum eis substantialiter superior & superpositus est, quantùm est minor factura factore, ingressus est in orbem terrarum, quandò appellatus est pars eius, secundum quod homo apparuit.

ET POST PAVCA.

Miror verò aduersarium scripsisse, quod nunquàm conjunctionem ad Deum verbum meruisset & Iesus, nisi prius immaculatus esset effectus per vnctionem. Nam quidem primùm disiungit manifestè & discernit, apertè duos dicens filios. Deinde dicat, quandò, sicut ait immaculatus effectus est, & ad Deum verbum coniunctionem meruit, vtrum ex ipso vtero, aut cum tricesimo anno esset. Peruenit quidem ad Iordanem, quæsiuit verò etiam Ioannis baptismum. Si quidem ex vtero sanctus esset, quomodo dicit sanctum effici eum, & non magis esse? Quod enim dicitur fieri, omninò necesse est intelligere, quod non erat, quod factum est. Sin autem erat sanctus semper, & hoc non in tempore factus est, quomodò dicit Spiritum super eum deuolasse, & coniunctione dignum ipsum demonstrasse, & addidisse ei, quod deerat? Et hoc enim in alijs suis posuit libris. Quid enim erat, quòd omninò ad sanctificationē deerat ei ex ipso vtero, magis verò & ante secundum carnem natiuitatem sancto & immaculato, & sanctificanti creaturam? Matt. 3.

Cùm igitur dicat, quòd non vtique meruisset Iesus coniunctionem ad Deum verbum, nisi prius immaculatus effectus esset, plurimas simul accusationes aduersus sua scribit vaniloquia. Nam primum quidem indecenter dicit, meruisse: deinde disiungit in alterum separatim filium, qui ex semine est Dauid, quem ipsum solum separatim Iesum nominare impudenter contendit: Adhæc, immaculatum effici eum dicere, tanquam hoc aliquandò non habentem, plurimam hoc habet & blasphemiam. Vnitus enim Deus verbum ex ipso vtero carni suæ, vnus erat, & sic & immaculatus filius, sanctus sanctorum, & de sua plenitudine spiritum dans non solum hominibus, sed etiam sursum, & in cœlo rationabilibus virtutibus.

ET POST PAVCA, Theodori:

Multifariè magisque modis olim Deus locutus patribus in prophetis, in nouissimis diebus his locutus est nobis in filio. Per filium enim locutus est nobis: certum est verò, quòd de assumpto homine. Cui enim dixit aliquandò angelorum, Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Nullum, dicit, participem fecit dignitatis filij. Hoc enim quod dixit, Genui te, quasi per hoc participationem filiationis dedit: omninò verò apertè nullam habens ad Deum verbum communionem, apparet hoc, quod dictum est. Hebr. 1. Psal. 2.

CYRILLI.

Certè & in allocutionibus, quas fecit ad baptizandos, iterū dixit idem Theodorus: Hoc verò non ex nobismetipsis inuenimus testimonium, sed ex diuina edocti sumus scriptura, quoniam & beatus Paulus ità dicit: Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, non quòd ex Iudæis & secundum carnem est, qui super omnia Deus est: sed hoc quidem ad significandam humanam naturam dixit, quam ab Israelitico genere esse sciebat: illud autem ad ostendendam diuinam naturam, quam supra omnia & omnibus dominantem sciebat. O surdi audite, & cæci videte, acclamauit aliquis sanctorum eis, qui fuerunt ex sanguine Israel. Ego autem arbitror & valdè meritò hoc aptū esse non habentibus, vel non volentibus rectè intelligere Christi mysterium. Nam obcæcauit quidem Deus seculi istius intelligentias infidelium, & lumen diuinum & intelligibile in mente & in corde non habentes meritò errauerunt. Si verò quidam sunt illuminati, magis verò etiam Doctoribus connumerati, qui similibus Rom. 9. Esa. 42. 2. Cor. 4.

morbis nescio quomodo detenti sunt, quid aliud eis aliquis acclamet, quàm hoc, quod à Deo dictum est per vnum sanctorum prophetarum, Quod laqueus facti estis speculæ in visitatione, & sicut retia extensa in statumine, quam qui venantur, confixerunt? Qui enim quàmplurimam vtilitatem subiectis magis facere debent, isti fuerunt & laqueus, & rete, & scandali occasio, & petaurum inferni. Et ista dico miratus valdè, & videre non potens, ad quid respicit intentio aduersarij. Nam confessus est quidem euidenter, quod per filium locutus est nobis Deus & pater: esse verò istum dicit adsumptum hominem, nullã habente Deo verbo ad hoc dictum cõmunionem. Quomodò igitur non omnibus manifesta est aduersus Beat. Paulum calumnia, magis verò ipsius veritatis accusatio? nec enim sic intellexit spiritum sanctum habens Apostolus. Iterum verò deriuat dogmatum rectitudinem ad suam placentiam aduersarius.

Oseæ. 5.

EX LIBELLIS PORRECTIS A Presbyteris & diaconis, qui transmissi sunt ab Episcopis, & clericis, & monachis, & cæteris magnæ Armeniæ & Persidis, & alijs gentibus Proclo sanctissimo Episcopo Constantinopolitanæ ciuitatis.

Vide Notas; Concilij Armeniæ sup. To. 1. sub Sixto. III.

FVit aliquis pestifer homo, magis autem fera hominis habens formam diabolicam, mentito nomine Theodorus, qui schema & nomen Episcopi habuit, in angulo & ignobili loco orbis terrarum latitans, in Mopsuesteno secundę Cilicię vili oppido, verè quidem & principaliter à Paulo Samosateno descendens, licet Photino & cæteris hæresiarchis in libro de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, in toto suo proposito ipsis verbis inueniatur vsus, & si quid peius. Iste per machinationem & audaciam & errorem diaboli volebat omnes homines acuta sua sicut colubri lingua, & veneno, quod sub lingua aspidis est, deperire. Et interim quidem retinebatur suo latibulo, timens potestatem eorum, qui à magno Deo & saluatore nostro Iesu Christo acceperunt calcare supra colubros, & scorpios, & omnes vires inimici: dico autem sanctos Apostolos, & qui consequenter ab his susceperunt, martyres, & confessores, & Episcopos, & cæteros sanctos. Inuento autem, nescio quomodò, tempore, cœpit repere & extra fines suos, fiduciam gerens & in parœcia ad eum non pertinente, tanquam eruditus sermocinator, & in Antiochia Syriæ in ecclesia alloquens, sic dixit: Homo Iesus. Quid est enim homo, quod memor es eius? Apostolus autem, de Iesu dictum fuisse hoc, dixit. Eum enim, qui paulominus ab Angelis minoratus est, videmus, inquit, Iesum. Quid ergò? Homo Iesus similiter omnibus hominibus, nullam habens differentiam ad homines eiusdem generis, præter ea, quæ gratia ei dedit: gratia autem data, naturam non immutat: sed post mortis destructionem donauit ei Deus nomen supra omne nomen. Qui donauit, Deus est: cui donauit, homo Iesus Christus primitiæ resurgentium, est enim primogenitus ex mortuis. Ascendit ergò, & ad dexteram patris sedet, & est supra omnia. O gratia, quæ super omnia data est Iesu. O gratia, quæ superauit omnium naturam. Qui est eiusdem mihi naturæ, super cœlum demonstratus est in dextera patris sedet, & dico ad eum: Non vna natura mea & tua? & tu quidem in cœlo, ego autem in passionibus: & tu quidem supra omnem principatum & potestatem, ego autem in cœno. Sed audiam ad ea, quòd benè complacuit in me, patrinum. Quid dicit figmentum ei, qui se finxit, quarè sic me fecisti? Nihil habeo ad hoc, quod dicam: sed mei fratres, qui eiusdem mihi matris filij sunt, dicunt mihi, Ne disiungas hominem & Deum, sed vnum eundemque dic hominem. Dico connaturalem mihi, dico Deum. Si dixero connaturalem Deo, dico, Quomodo homo & Deus vnum? Nunquid vna natura hominis & Dei, Domini & serui, factoris & facturæ? Homo homini consubstantialis, Deus autem Deo consubstantialis, quomodò ergò Deus & homo vnus per vnitatẽ esse possunt? saluans, & qui saluatur? qui ante secula, & qui ex Maria apparuit? Sed vehementer doleo, quia mei fratres hæc mihi dicunt, vt loquar in Ecclesia, quæ non est possibile dicere benè sapientes. Hæc ab impio Theodoro dicta posuerunt, & inferunt sic: Non qualemcunque autem tumultum ex impijssimis suis verbis Ecclesiæ mouens, cognitus est huc atque illuc à rectitudine dogmatum declinans. Nec enim recta via eius, qui peruersus est. Vndè multi clericorum fiduciam habuerunt eum conuincentes: & miserum aurem Nestorium moueri, & tædiosè, quæ ab eo dicta sunt, suscepisse: & alia multa perturbatio à populo facta est ex dissonantibus Christianorum Ecclesiæ verbis eius, sicut continet Epistola Ioannis Antiochiæ ad Nestorium. Multo autem tempore scilicet perseuerans Theodorus, persuasit multis & Nestorio, quod Christus filius Dei viui, qui de sancta virgine Maria natus est, non est qui ex patre natus Deus verbum, consubstantialis genitori, sed homo, pro quantitate suæ voluntatis ex Deo verbo cooperationem suscipiens, & non prius meritus coniunctionem Dei verbi, antequam immaculatus fieret, vt particeps fiat immaculationis, solius nominis filiationis & dominationis. Quomodo enim, inquit, homo & Deus per vnitatem esse potest, qui saluat, & qui saluatur? qui ante secula, & qui ex Maria apparuit? Dominus & seruus? factor & factura? Ita & talia ipse Christi impugnator Theodorus ausus est dicere, & in suis conscriptis inferi fecit, fingens quasi contradicere Ario, & Eunomio, & Appollinario, & non penitus Deo verbo de substantia Dei patris genito dans, aut secundum carnem de sancta virgine Maria natiuitatem, aut aliud aliquid de incarnatione & humanatione: sed Iesu Christo, qui & vnctus est, & participatur honorem, cuius particeps est propter ex Deo verbo & vero & consubstantiali filio præparationem sibi factam, vt conuersetur benè. Persuaso autem impio Nestorio vna cum alijs gaudebat iam diabolus, quod per filium suum Theodorum persuasit multis & Nestorio errori seruire. Non est autem contentus quorundam in locis Syriæ perditione, sed volebat multò amplius terram comprehendere. Contigit autem istam ecclesiam viduam fieri, & nescimus ex quibus peccatis, aut quomodò obtinuit Episcopatum Nestorius quorundam circunuentione, non habentium nec ex Deo accipientium gratiam: & potestate abutens, exultabat sua impietate superare authorem suum Theodorum. Miseratus autem Deus ecclesias, suscitauit multa contra eum, in quibus & humiles constituti, nihil prætermisimus vsque ad mortem pro veritate certantes, sicut & in nostris contra Theodorum & scripta eius libellis ad Alexandrinum religiosiss. episcopum Cyrillum diximus, & in his, quæ ad vestram dicimus beatitudinem: & petimus, postquam isti perlecti fuerint, & illos perlegere, quatenus fiat vnitas vestra contra Theodorum, & sacrilega capitula & dogmata eius, & eorum, quia similia sapiunt vel docent: & sicut Domino placuit condemnari manifestè & nominatim in Epheso ab vniuersali synodo sacrilegum Nestorium, sic per vos etiam anteà condemnatum sinè nomine, sacrilegiorem in varia impietate Theodorum, nominatim condemnari, & eos, qui secundum impijssimam eius expositionem hactenus in Syria & Cilicia sapiunt & docent.

Lucæ. 10.
Psal. 8.
Hebr. 2.
Phil. 2.
Col. 2.
Apoc. 1.
Matt. 3.
Esa. 29.
Rom. 9.

Porrecta sunt autem & impia capitula ex Theodori codicibus sanctæ memoriæ Proclo ab Armenijs, quorum multa in antelatis continentur. Ad tales igitur libellos Armeniorum rescribens sanctæ memoriæ Proclus, inter alia dogmata, de Theodoro & eius impietate dicit:

PROCLI SANCTAE memoriæ à Tomo ad Armenios scripto.

FVgiamus turbulentos & cœnosos fallaciæ riuos, sectas Deum impugnantes: dico Arij furorem, diuidentem indiuiduam Trinitatem, Eunomij audaciam circumcludentem scientia incomprehensibilem naturam, Macedonij rabiem separantem à Deitate inseparabiliter procedentem spiritum, & nouam istam & recentem blasphemiam, quæ Iudæorum multò ampliùs blasphemiam superat. Nam illi quidem eum, qui est filius, denegant, fraudantes ramo radicem. Isti

Hic Tomus habetur tertius in operibus Cyrilli.

Nestorius à Theodoro deceptus.

verò

verò ei, qui est, alterum introducunt,* detrahentes synceram naturam, vtpotè multa generantem. Dicamus ergò cum Paulo: *Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Nam Iudæum & paganum per baptisma in vnum nouum creauit hominem, virtutem vniens conuersatione distantia. Terreantur condemnatione nouæ impietatis inuentores: siquidem ea, quæ distant in consonantiam vnita sunt: qui autem vniuit, in dualitatem, quantùm ad ipsos, diuisus est.

*alia versio sic habet, intemerabilem substantiam tanquam in fœtu multiplicè dissamare contendunt.

IDEM SANCTVS PROCLVS IN EODEM Tomo ad Armenios scripto, aduersus eundem impium Theodorum.

ISTA autem ad vestram direximus charitatem, ex vestris inuitati libellis, quos ad nos transmisistis, dicentes quosdã pestifer os & monstriloquos homines inuasisse prouinciam vestram, volentes per malitiosa conscripta & obiectiones falsæ scientiæ, peruertere simplicem & * sine machinatione orthodoxæ fidei pulchritudinem. Sed quæ sunt Beati Pauli, iterum dico vobis: *Videte ne quis sit, qui vos decipiat per philosophiam & nouam fallaciam, secundùm traditionem vani consilij hominum, & non secundum Christum. Fundamentum enim aliud ponere nemo potest præter positum, qui est Iesus Christus.*

SANCTI CYRILLI AD CLERICOS ET LAMPONEM presbyterum.

CVM apud Eliam commorarer, vir aliquis ex his, qui nobiliter militant in palatio, epistolam multorum versuum & grandem obtulit mihi signatam, q̃ se dicebat accepisse ab Antiochenis orthodoxis. Subscriptiones aũt erant in ea plurimorũ clericorũ & monachorũ, & laicorum. Accusabant aũt Orientales Episc. quasi tacentes quidem Nestorij nomen, & dissimulantes eum auersari, transilientes autem ad Theodori codices de Incarnatione factos, in quibus multò peiores Nestorij blasphemijs positæ sunt. Pater enim fuit Nestorij perfidiæ, & illius mala locutus, impius in his factus est, in quibus modò est. Et scripsi quidem reuerendissimo episcopo Antiocheno, vt Theodori impia dogmata in Ecclesia nemo loquatur: accedens autem ad Alexandriam reuerendissimus diaconus & archimandrita maximus plurima inclamauit in Orientales, dicens Orthodoxos nullum ibi locum habere, nec fidutiam loquendi de recta fide. Dixit verò, quod confingunt quidem confiteri symbolum expositum Niceæ à sanctis patribus, malè autem illud interpretantur: & adhortatus est me omnem expositionem Nicænæ Synodi interpretari planè, vt non subripiant quidã alia pro alijs exponentes, quod & feci. Habet igitur Tomos, vt offerantur & pijssimis reginis, & Christianissimo & pijssimo domino. Feci enim in membranis scribi Tomum. Cum consilio igitur eius sicut benè habere perspiciatis, opportunè offerte. Oportet enim nos vndique pro recta fide certare, & exortam aduersus Christum impietatem, quantum possibile est, è medio expellere festinare.

EIVSDEM SANCTI CYRILLI Epistola ad Acacium Episcopum Melitinæ, scripsit verò eandem ad Theodotum Ancyræ, & ad Firmum Cæsareæ Cappadociæ.

NON oportebat latere sanctitatem tuam, aut forsitan & cognouit, quod omnes Orientales religiosissimi Episcopi in Antiochia conuenerunt, cum transmisisset eis Tomum dominus meus sanctissimus Episcopus Proclus, bonorum plenum intellectum, & rectorum dogmatum. Erat enim ratio multa & lõga de dispensatione Domini nostri Iesu Christi: supposuit verò etiam capitula quædam, collecta ã Theodori codicibus, quæ consonantem Nestorij perfidijs intellectũ habent, & adhortatus est eos etiam illa anathematizare. Illi verò non passi sunt, & scripserunt ad me, quod si contigerit anathematizari ea, quæ sunt Theodori, perueniet omnimodò macula etiam ad sanctos nostros patres, Athanasium dico & Basilium, & Gregorios, & Theophilum, & cæteros. Nam scripserunt & ipsi quædam consonantia eis, quæ sunt Theodori. Et erat necessarium etiam me ad eos rescribere, quæ & nota faciet tuæ sanctitati religiosissimus Episcopus Daniel, qui Alexandriæ inuentus est, & singula eorum, quę mota sunt, subtiliter cognoscit.

EPISTOLA CYRILLI AD RABBVlam Episcopum Edessę.

AD incomparabilem quandam alacritatem & ad inexpugnabilem confidentiam nostras excitat animas sapientissimus Paulus, sic scribens: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Nihil enim intolerabile est eis, qui firmiter apud se statuunt certamen fidei certare, cursum perficere, fidem seruare, vt & incorruptionis mereantur coronam. Sicut verò solicitos optimè gubernare, non in serenitate nauigare, sed intempestate posse nauem seruare, probatissimos declarat: sic etiam sortitos ecclesijs præsidere non omnimodo rerum serenitas claros demonstrat: magis verò solertia in tribulationibus, & fortitudo, & patientia, & fortiter resistere instabilibus hæreticorum sermonibus. Semper quidem tua splenduit sanctitas, præcipuè autem modò, facta omnibus Orientalibus columna & fundamentum veritatis, & sicut quendam pestiferum expellens morbum nouæ & abominandæ hæreseos Nestorij blasphemiam. Nam procedit quidem ex altera radice (illius dico, qui de Cilicia erat) ista impietas. arbitratus verò est, quod tenebit orbem terrarum propter potentiam nescio quomodò illi datam. Rapuit enim sedem fortissimam, & factus est cibus draconi multa capita habenti: sperauit verò etiam ipse sanctas Dei ecclesias deuorare, & omnes appræhendere: & nisi nos saluasset Deus omnipotens, prævaluisset vtique, quantum ad potentiam conatum pertinet eius, sceleratasque concursiones illorum, qui eum continent.

Rom. 8.

Hæreticorum instabiles sermones.

Theodorum Mopsuestenum dicit.

EPISTOLA CYRILLI ad monachos.

CHarissimis & desideratissimis Anastasio, Alexandro, Martiniano, Ioanni Paregorio presbyteris, & Maximino diacono, & cæteris Orthodoxis patribus monachorum, & eis, qui vobiscum solitariam vitam exercent, & in fide Dei confirmati sunt, Cyrillus in Domino gaudere.

Desiderium studiumque, quod circa doctrinam vestra charitas habet etiamnum, non mediocriter collaudaui, dignumque esse dico omni ratione. Nam diuinas desiderare doctrinas, sacrorumque dogmatum solere defendere rectitudinem, quomodò non aliquis miretur? Hæc enim res vitæ infinitæ & beatæ prouisor est, & studium, quod in his est, non sinè mercede existit.

ET POST ALIA:

Quoniam verò scripsit vestra reuerentia, quòd deriuant quidam ad quod non conuenit, vim verborum, quæ in Symbolo sunt, aut non intelligentes rectè, aut diligentes quorundam conscripta, in reprobum sensum abducti; ideo scripsistis, quod propter hoc oportet me de his ipsis ad vos facere doctrinam, & planè interpretari expositionis fidei tenorem, arbitratus sum oportere, quæ in mentem veniunt meam, breuiter dicere. Sequemur verò vbique sanctorum patrum confessiones & dogmata, rectè & indeclinabiliter discutiendo, quæ ab eis dicta sunt. Nam iam quidem & sancta Synodus Ephesi collecta Dei voluntate, contra Nestorij perfidiam iustam & subtilem sententiam proferens, & aliorum vanilo-

Patres sequendi.

quia, quæ post ipsum erunt, aut ante ipsum fuerunt, æqualia sapientes ei, & dicere aut scribere præsumpserunt, cum illo condemnauit, similem eis condemnationem imponens. Cõsequens enim erat, vno semel propter tam profana vaniloquia inculpato, non contra vnum magis peruenire, sed vt sic dicam, contra omnem eorum sectam siue calumniam, quam fecerunt aduersus pia Ecclesię dogmata, duos colentes filios, & diuidentes indiuiduum, & crimen adscribentes cælo & terræ, tanquam homini seruientibus. Adorat enim nobiscum supernorum spirituum sancta multitudo vnum Dominum Iesum Christum. Ne autem tenor apud quosdam Symboli ignoretur, quod in vniuersis sanctis Dei ecclesijs & tenet, & prædicatur, sanctorum patrum dogmata siue expositiones gestis inserui ibi confectis, vt scirent legentes, quem debet intelligi ad modum sanctorum patrum expositio, siue syncerum rectæ fidei symbolum. Arbitror charitatem vestram & legisse librum, quem de his ipsis cõscripsimus. Ipsum verò etiam nunc, sicut dixi, ipsis verbis apponens Symbolum, ad hoc
1. Pet. 3. conuertar Deo iuuante, vt singula planè interpreter, quæ in ipso posita sunt. Scripsisse enim scio prædicabilem Petrum, Parati semper ad satisfactionem omni petenti vos rationem de spe, quæ in vobis est.

EX EPISTOLA RABBVLÆ BEATÆ memoriæ, scripta ad sanctum Cyrillum contra impium Theodorum.

IAm verò quidam vnitatem secundum subsistentiam, omnibus modis abdicant. Morbus enim aliquis sublatens inueterauit Orienti, immedicabilis modo vulneris depascens Ecclesiæ corpus, & plurimos quidem latens, apud autem quasi studiosos, & supercilia extollentes eruditione, latenter honoratus. Episcopus enim quidam prouinciæ Cilicum Theodorus, vir verisimilis dicendi, & potens persuadere, alia quidem super tribunali Ecclesiæ statim dicebat ad populi placẽtiam, alios autem laqueos perditionis in scriptis ponebat, qui in principijs quorundam eius codicum anathemata circuncludebat inspicientem non manifestare alijs scripta ista. Primum expositum, non esse verè Dei genitricem sanctam virginem, tanquam Deo verbo non susciente secundum nos natiuitatem. Hoc vsque adhuc latens, ne tempore ampliore cõfirmatum fortius putaretur, secundum iudicium Dei oblitus Nestorius nouæ incisionis author publicauit. Sequitur autem hoc & quod est de humanatione: nec enim dicunt secundum substantiam, vel secundum subsistentiam vnitum esse Deo verbo hominem: sed bona voluntate quadam, tanquã diuina natura non susciente alterum modum vnitatis propter non circumscriptibile. Iste & Dominum nostrum Iesum Christum dixit non oportere adorare sicut Dominum, sed relatione Dei honorari, sicut imaginem quandam: magis autem manifestius secundum eos dicere, sicut instar aliquid relatione adsidentis dæmonis. Iste & carnem Domini pro-
Ioan. 6. nunciauit nihil omninò prodesse, dissipans Domini vocem, quæ est, *Caro nihil prodest*. Iste & Apostolum dicit non cognouisse Christum, quod Deus erat, sed supra fidem, quæ est in homine, ædificatam esse Ecclesiam. De gehenna hic ratiocinationes eorum non est tutum per literas significare. Isti sunt thesauri impietatis eorum, quibus iamdudum latenter fruebantur, & volunt, si possibile est, vsque ad finem obumbrare timentes pias aures populi.

AB ECCLESIASTICA HISTORIA Hesychij presbyteri Hierosolymorum, de Theodoro.

ITA Photinum multis & alijs apud eos seculis, Theodorus quidam præcipuè imitatus est: malitiosus quidem loquendi, & lingua paratissimus, & ipse tamen instabilis voluntate, qui huc & illuc inclinans ferebatur. Clericatui enim
Theodorus redit ad vomitum. Antiocheno à prima ætate connumeratus, & benè conuersari pollicitus, ad seculares libidines reuersus, iterùm delectabatur. In omnibus autem bonis immutabilis, & B. vir Ioannes
Episcopus Chrysost. ad Theodorum. Constantinopolitanus Episcopus, scripsit epistolam, quæ vsque adhuc in codicibus legitur, & à peiore ad meliorẽ pœnitentiam eum transferre præualuit: & iterùm benè conuersari, iterùm in clericatu esse cœpit, & Antiochia relicta in Tharsum transmigrauit, ex qua in Mopsuestiam transijt, ordinatus in eam Episcopus, nondùm Deo volente, manifestã impietatis illius prædicationem fieri. Prima autem elementa suæ doctrinæ ex Iudaico vaniloquio incipiens, Codicem in Prophetiam Psalmorum conscripsit, omnes de Domino prædicationes abnegantem. Culpatus verò, & periclitatus, contraria sibi dixit, non ex voluntate, sed compulsus omnium querimonijs, & codicem ipsum delere pollicitus, latenter conseruabat Iudaicæ impietatis viaticum. Igni enim sua commentaria simulans tradere, malitiosè absconderе illecebram conabatur. Tempus quidem plurimum in exiguo loco praua loquens, qui esset merito, latebat. Quoniam verò loquens constitutus, vana solitus loqui, Doctoris famam consecutus est, paucis quibusdam apud eum studentibus, qui veneno dictionum decipiebantur, calicem bibentes verbis quidem benè compositis coloratum, blasphemis verò intellectibus & veneno plenum. Senectute iam cana debilitatus, sed minima pietatis scintilla, si qua fortè in eo fuisset, inueterata, libros componere aduersus Domini Dei apparitionem præsumpsit, quorum multitudinem prætermittentes: (nec enim fas est impios reuoluere sermones) vnius in præsenti memoriam faciamus. Christum enim Iesum, generis nostri Saluatorem & Dominum, quem splendorem paternæ gloriæ & Hebr. 1.
imaginem substantiæ Paulus vocat, ferre eum omnia dicens verbo suæ virtutis, qui purificationem nostrorum fecit peccatorum, & ad dexteram paternæ maiestatis consedit, de Col. 1.
quo ad Colossenses scripsit Epistolam, quod in eo omnia sunt creata, quæ sunt & in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, quod per eum & in eum creata sunt omnia, & ipse est ante omnia: hunc non incarnatum verbum, sicut Euangelicis vocibus edocti sumus, sed hominem per vitæ prouectionẽ, & passionum perfectionem coniunctum Deo verbo scripsit stultus in omnibus, & hæc in mysticis sermonibus ausus est: & ille quidem talia. Sed & sequaces eius extollebantur, de quibus Rom. 1.
dicere conuenit, dicentes se sapientes, stulti facti sunt: mutauerunt enim verè & isti gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, Christum non sicut Deum incarnatum glorificantes, sed sicut vnum similem nobis hominem iniuriantes. Nos verò ad cætera orationis procedimus. Non enim multum tempus superuiuens Theodorus, prædictis contra mysterium blasphemijs & nouæ Hierusalem iniuriam addidit, minorare & eam tanquam patriam incarnationis mysterij properans.

LEX DIVINÆ RECORDATIONIS Theodosij & Valentiniani.

DEbitam à nobis venerationem piissimæ doctrinæ reddentes, eos, qui ausi sunt contra Deum impiè conscribere, debitæ condemnationi subijcere, & nominibus dignis vocari oportere existimauimus. Iustum igitur circumdare eos confusione suorum peccatorum, & in tali vocabulo permanere in æternum, quatenus nec viui liberentur, vt post mortem permaneant contempti & condemnati. Iterum igitur
Diodori & Theodori. doctrina Diodori, & Theodori, & Nestorij impiorum & pestiferorum visa est nobis abominanda esse: similiter autem & omnes, qui sequuntur eorum errorem, & consentiunt eorum impietati, iustum & ipsos eandem nominationem mereri, & confusionem indui: ne, dum nominantur Christiani, ex ipso inueniantur decorati vocabulo, longè constituti à Christianorũ proposito, & alienati à recta & immaculata fide. Quapropter per hanc nostram legem sancimus eos, qui in omni terra vbique inueniuntur impijssimo & instabili Nestorij & Theodori proposito consentientes, Simonianos à præsenti nominari. Oportet enim eos, qui anteà in diuina doctrina creuerunt, posteà verò ad illorum impietatem inclinatos, & illorum imitatos errorem, eadem nominatione Simonianos probari, ad similitudinem Arij per sanctionẽ diuinæ recordationis mirabilis & prædicabilis Constantini, qui constituit Porphyrianos nominari Arianos: qui propter similitudinẽ impietatis, nominationẽ Porphyrij

impositi

impoſuit ei, qui auſus eſt & exiſtimauit veram fidem humanorum potentia verborum circunſcribere, & codices peſtilentes & ineruditos ad memoriam relinquere poſterorum. Nemo igitur audeat ſacrilegos codices ab eis expoſitos, & maximè à Theodoro & Neſtorio, & contrarios veræ doctrinæ & expoſitioni venerabilium epiſcoporum, qui Epheſi collecti ſunt, legere, aut poſſidere, aut ſcribere. Oportere enim eos codices cum omni diligentia requiri, & inuentos publicè coram omnibus comburi. Per hoc enim radix impietatis amputabitur, ne in poſterum erroris ſemina generentur ad errorem ſimplicium, qui facilè ad illius laqueos collabantur. Neque decæterò inueniatur prædictorum hominum memoria, vel alia appellatio præter Simonis: ſed neque in loco, vel in domo, vel in vico, aut agro, aut in ciuitate, vel in eius ſuburbanis conuenticulum eorum fiat, nec in manifeſto, nec in occulto. Tales enim iubemus omni priuari conuenticulo viuentes. & hoc certum omnibus ſit, quòd ſi quis præterierit preſentem noſtram ſanctionem, & Theodoro & Neſtorio *adſenſerit, illorum ſocios imitans, eius per gladij vltionem omnis ſubſtantia fiſco addicetur.* Tua igitur illuſtris eminentia præſentem à nobis expoſitam legem manifeſtam faciat per omnem terram habitantibus, & proponi per ſingulas ciuitates dignetur, quatenùs per huius legis recitationẽ cognoſcant omnes, qui in quacunque prouincia ſunt, quæ ſuper his à nobis diſpoſita ſunt. Eandem autem legem noſtram Græcis & Latinis ſcripſimus verbis ad recitantium felicitatem.

LEX THEODOSII ET VALENTINIANI, piæ recordationis Imperatorum, aduerſus Neſtorium & Theodorum, & eos, qui ſimilia eis ſapiunt.

IAm priùs quidem Neſtorius, qui Conſtantinopolitanæ ciuitatis fuit epiſcopus, noua & monſtroſa dogmata pertentans introducere ſynceræ & orthodoxæ fidei Chriſtianorum, eiectus eſt à ſancta ſynodo quæ per ſanctionem Imperialem ex omni orbe terrarum Epheſi cõgregata eſt: quæ eadem ſancta Synodus ſimul etiam confirmauit expoſitam à Nicænis trecentis decem & octo epiſcopis orthodoxam fidem. Et nos corroborantes ea, quæ piè decreta ſunt ab eodem ſancto Concilio Epheſi congregato, generalem conſtitutionem protulimus, condemnantem eundem Neſtorium, eosque, qui ſimilia illi ſapiunt, vt non mereantur nominationem Chriſtianorum, ſed magis vocentur Simoniani, quoniam Simonis blaſphemiam dilexerunt: & ſtatuimus certas aduerſus eos pœnas, quæ præſenti conſtitutione continentur. Sed nec habeat aliquis, aut legat, aut ſcribat, aut proferat Neſtorium, ſeu illius libros, vel codices omninò nocibiles, vel ipſius Neſtorij, vel alterius, & maximè Neſtorij aduerſus ſolos Chriſtianos conſcripta, aut Diodori, & Theodori, & Theodoreti conſcripta: ſed vnuſquiſque habens tales codices, illos publicè proferat, & in cõſpectu omnium igni tradat, & nemo eos, qui talem ſectam colunt, vel illorum doctores, aut in ciuitate, aut in agro, aut in ſuburbano ſuſcipiat, aut vnà cum eis conueniat. Quòd ſi quicunque tale aliquid perpetrauerit, publicatus perpetuo tradetur exilio: qui autem habet codices, continentes abdicatam fidem Neſtorij & Theodori, vel illorum interpretationes, & allocutiones, & traditiones, eiſdem ſubijcientur ſupplicijs, licèt *lumen aliorum videantur, quæ ab illis compoſita ſunt.

*videtur eſſe mendum.

Et ſancti verò Theophilus Alexandrinus, & Gregorius Nyſſenus, ſuſceptis querimonijs aduerſus Theodorum adhuc viuentem, & aduerſus impia eius conſcripta, ſcripſerunt aduerſus eum epiſtolas, quarum pars eſt.

SANCTAE MEMORIAE THEOPHILI AD ad Porphyrium Antiochiæ epiſcopum.

Quòd enim non patieris illos, qui occaſione aduentionis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, præſumunt renouare Samoſateni Pauli demẽtiam, manifeſtum eſt, quoniam & qui in Nicæa conuenerunt patres noſtri, & iſtam ſectam cum Arianorum prauitate anathematizauerunt, qui nec baptiſma ſequacium Pauli comprobauerunt, ſicut ſcriptæ ab eis definitiones continent. Et ipſe hic beatæ memoriæ epiſcopus Athanaſius vltimam prædicti Pauli Samoſateni impietatem condemnauit in Tomo, quem dictauit.

ET POST PAVCA:

Quoniam autem accuſant quoſdam, tanquam ſcribentes ea, quæ pertinent ad renouationem ſceleratæ ſectæ Pauli Samoſateni à patribus condemnati, & propter hanc occaſionem commouendam porrexiſſe tuæ reuerentiæ adfirmant, cuius exemplum literis ad me directis à tua reuerentia ſuppoſuiſti, inſpiciens tua bonitas vna cum conuenientibus religioſiſſimis epiſcopis ea, quæ ab ipſis oſtenduntur, (dicunt enim probationes habere ſe) ſi inuenerit ſcripta contraria Apoſtolicis dogmatibus, dignetur Apoſtolicum amplecti zelum aduerſus talia innouantes. Iuſtum enim eſt, ea, quæ impiè ſcripta ſunt, piè amputari, & nuſquam inemẽdabiles permanere eos, qui qualiacunque incautè per inſcientiam & vanam gloriam ſcribere præſumpſerunt. Porrecta autem ſunt & ipſi ſanctæ memoriæ Theophilo impia capitula ex Codicib. Theodori.

SANCTI GREGORII AD THEOPHILVM.

Gregorij Nyſſeni ad Theophilum.

Qui Apollinarij dogmata defendunt, per querimoniam, quam aduerſus nos faciunt, ſua confirmare conantur, carnale verbum, & Dominum ſeculorum, hominis filium, & mortalem filij Deitatem conſtruentes. Proferunt enim, quòd aliqui quaſi Catholicæ eccleſiæ exiſtentes, duos colunt filios in dogmate: Vnum quidem ſecundùm naturam, alterum autem ſecundùm adoptionem poſteà acquiſitam, neſcio à quo talia audientes, & ad quam perſonam contendentes: nondũ enim noui eum, qui hæc ſubloquitur. Veruntamen quoniam hanc proponentes aduerſus nos cauſam, per hoc quòd videntur huic flagitioſo negocio repugnare, ſuas opiniones corroborant, bonum eſt tuam in Chriſto perfectionem, ſecundum quod in mente tibi injiciat ſanctus Spiritus, exſcindere occaſiones eorum, qui quærunt aduerſus nos occaſiones, & perſuadere eis, qui iſta calũnialiter adſcribunt Dei eccleſiæ, quod eſt dogma tale in Chriſtianis nullum, neque prædicatur.

EX HIS QVÆ THEODORITVS DEfendens Theodorum, contra Cyrillum ſcripſit, per quæ teſtimonium præbet idem Theodoritus, quòd Theodori ſunt iſtæ impietates, contra quas ſanctæ memoriæ Cyrillus ſcripſit.

POſteà interpretationem accuſat octaui pſalmi, & inculcat hæc verba diuini Theodori: Conſideremus igitur, quis eſt homo, de quo ſtupeſcit & miratur, qnòd vnigenitus dignatus eſt eius memoriam & viſitationem facere. Sed quòd quidem non dictum eſt de omni homine, in ſuperioribus demonſtratum eſt. quòd autem nec de vnoquolibet, & hoc dictum eſt.

ET POST PAVCA, EIVSDEM THEOdori poſuit memoratus Theodoritus ſic habentia:

CEſſate vel nunc vix aliquando à veſtra impudentia, agnoſcentes quod oportet. Videte enim omnium hominum ſceleratiſſimi, quanta naturarum eſt differentia, quòd iſte quidem ſtupeſcit, quia & memoriam facere hominis dignatur, & viſitare eum, & cæterorum participẽ facere, quorũ participem iam fecit ipſum. Ille autẽ è contrario miratur, q̃ tantorũ particeps fieri ſuper ſuã naturã meruit. Et ille quidẽ, vtpotè beneficium dans, mirificatur, magna præſtans, & ſuper naturam beneficium accipientis: ille autem, vtpotè beneficium accipiens, & maiora, quàm eſt ipſe dignus, accipiens. Poſt hæc Theodoritus intulit iſta: Cùm poſuiſſet Cyrillus ex his, quæ diuinus Theodorus contra Apollinarium ſcripſit, ſtatim iniurias infert, & contumelias, & vituperationes, & dicit: Sobrij eſtote ebrij ex vino veſtro. Et, Clamet aliquis ita errantibus: Impone homo tuæ linguæ oſtium &

Psal 140. Psal 74. 1. Cor. 8. Ezech. 16. Matt. 21. Psal 8. 2. Cor. 12. Philip. 2. Heb. 2.

seram: cessa cornu in altitudinem extollens, & loquens contra Deum iniquitatem. Quousque insultas contra patientem Christum? In mente habe scriptum à diuino Paulo: Ita verò peccantes in fratres, & percutientes eorum ægrotantem conscientiam, in Christum peccatis. Et vt aliquid ex propheticis loquar codicibus, Iustificata est Sodoma à te, superasti paganorum verbositates, quas fecerunt contra Christum, stultitiam existimantes crucem: nihil esse ostendisti Iudaicæ superbiæ crimina. Et cùm hæc posuisset verba Cyrilli contra Theodorum dicta Theodoretus, sic intulit: Quid tibi zelum intantum inflammauit veritatis defensor, vt hanc & talem aduersus eum pompam faceres, & paganis simul, & Iudæis, & Sodomitanis ostenderes magis impium, & positas contra impios à diuina scriptura voces adscriberes pietatis propugnatori? Nonne dominus Christus in sacris Euangelijs in seipsum traxit Dauid diuinationem, Nonne pueris clamãtibus, Osanna filio Dauid, ipse dixit Iudæis? Non legistis, Ab ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Non diuinus Apostolus ex his deductum verbum ei adaptauit & cætera psalmi? Quid igitur nouum dixit Theodorus, quòd tantis eum blasphemijs lapidasti, & iubens illi frenare linguam, ipse percurrere istam effrenatam dimisisti? Vide ne quis te calidiorem existimet his aduersus Theodorum vti iniurijs, quòd & ille Apollinarium, & qui ea, quæ sunt illius, sapiunt, sceleratissimos vocauit. Si hoc non est, quo absono dicto sicut crapulam, quantas huiusmodi aduersus eum blasphemias effudisti? Quid autem nouum præter veteres illos doctores dixerit? illorum enim vnusquisque humanam naturam & visitatam, & adsumptam, & vnctam esse à sancto spiritu, & crucifixam, & mortuam esse, & resurrexisse, & in cœlos receptam esse & sedem mereri, quæ ad dexteram est, aperte & dilucidè docuerunt. Tu verò cum ineffabilia, vt videtur verba audisses, quæ Paulus audiuit, magis hic alia quædam & diuiniora, (alias verò nobis introducis præter Pauli doctrinas) sic Paulum interpretaris, & dicis: Sed erat ipsum ex Deo patre verbum, factus certè secundum hominem, & non alium quendam, sed seipsum visitatione & memoria dignans. Quid his verbis magis ridiculum? Cuius enim Deus verbum visitationis indigeret? Atqui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, æqualis esse Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: & angelicam quidem naturam non adsumpsit, semen autem Abraham adsumpsit. Meritò igitur Theodorus dixit eum, qui accepit, visitare: adsumptam autem, visitatum esse. Ita autem & prophe ta docens, Dominum quidem eum, qui visitauit, vocat: hominem verò eum, qui visitationem meruit.

EX EPISTOLA THEODORITI AD HIERenatum digamum, testimonium præbentis, quòd sub accusatione erat Theodorus, & dubitabatur de eo.

Quoniam verò inculpatis me, quòd sanctum & beatum reliqui patrem Theodorum in connumeratione Doctorum, necessarium existimaui & de hoc breuiter dicere. Primum etenim amantissimum mihi caput, multos & alios nobiles viros, & nimis claros factos tacuimus. Deinde illud oportet considerare, quòd qui accusatur, indubitabiles testes debet producere, quos neque accusatorum aliquis inculpare potest. Si autem à persecutoribus accusatos, qui accusatus est, ad testimonium vocet, nec ipse, qui iudex est, patiatur suscipere. Nam si laudes patrum conscribens, istum sanctum prætermisi, iniquum feciſſe confiteor, & circa doctores ingratus fuisse. Si verò accusatus satisfactionem obtuli, & indubitabiles produxi testes, quid sine causa, qui horum nihil volunt videre, inculpant? Quomodo autem veneror virum, testis est, qui à nobis pro illo codex conscriptus est, in quo aduersus eum factam inscriptionem dissoluimus, non timentes accusatorum potentiam, nec futuras contra nos insidias.

Calumnia Cyrillo & Nazianzeno intẽtata excutitur.

Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorum notariorum, dixit: Quoniam quidam dicunt, quòd sanctæ memoriæ Cyrillus laudauit Theodorum Mopsuestenum in quodam suo scripto, in quo dicunt, quòd scriptum est, bono Theodoro: & super hæc, quod & sanctæ memoriæ Gregorius Nazianzenus literis vsus est ad Theodorum Mopsuestenum, laudans eum. Qui autem ita hæc dicunt, & hoc adijciunt, quòd non oportet post mortem hæreticos anathematizari: hoc hic & ad scientiam venit sancti vestri Concilij. Ne quid eorum indiscussum relinquatur, necessarium putauimus & hæc vestræ sanctitati suggerere.

Sancta Synodus dixit: Quoniam proferunt quidã, quod dictum est, sancto Cyrillo, hoc est, quòd scriptum est, bono Theodoro, recitentur tam quæ anteà, quàm quæ postèà per sequentia dicta sunt, ad perfectiorem rei scientiam. Et cum suscepisset Theodulus reuerendissimus diaconus & notarius recitauit.

EX SECVNDO LIBRO CYRILLI EPIscopi Alexandriæ, de eo, quòd vnus Christus, contra Theodorum.

Quòd tamen voluit impius Nestorius dogmata Theodori sequi, non absolutionem ei accusationum facit: magis verò grandiorem aduersus eum in damnationem operabitur. Cùm enim liceret ei sanctorum patrum rectis verbis & immaculatis de Deitate sermonibus potiri, proposuisse dinoscitur veritati mendacium. Prætermisit enim, quæ illorum sunt: magis verò elegit turpibus adhærere, & tam distortis lætificare sermonibus. Hunc verò, qui talem habet voluntatem & dementiam, in hoc desiluisse inculpet aliquis, arbitror, & valdè meritò. Oportebat enim memoriam habere sanctissimi Pauli, planè scribentis nobis: Estote prudentes nummularij, omnia probate: quod bonum est, tenete: ab omni specie mala abstinete vos. Quod & agere soliti nos, & solidorum probatores imitari festinantes, illa quidem, quæ sunt turpia & reproba dogmata, reprobamus, suscipimus verò & valdè libenter omnia, quæ resplendent clara veritatis pulchritudine. Iterùm verò nobis ratio conuertetur ad decentem ei & propositam viam. Scriptum est igitur bono Theodoro aduersus hæresim Arianorum & Eunomianorum viginti penè numero vel ampliores libri, necnon etiam alij, interpretantes Euangelicos & Apostolicos libros: quos quidem labores nollet aliquis increpare, magis autem decreto studium honoraret, si ineſſet eis dogmatum rectitudo. Si verò quidam extra destinatum ambulet, & rectam viam veritatis relinquens, per semitam eat distortam, simpliciorumque corda vulneret, adulteratorũ eis injiciens intellectuum semina, tunc requiescere non sine damno erit eis, qui populis præsident: mercedem verò habebunt & lucrum, si resistant. Ergo quoniam in his libris, siue memorati viri conscriptis, quæ modò nominauimus, inuenta sunt quædam vltimæ impietatis plena, quomodo erat consequens velle tacere? Diuidet enim indiuiduum Christum, & pro vno filio dualitatem colit à veritate excidentem, & quasi falsis nominibus coloratam. Nam Deum verbum, qui ex Deo patre est, hominem vocari dicit, non tamen & hoc factum esse secundùm veritatem, hominem verò eum, qui ex Maria est, sicut dicit, quem & carnem astutè nobis nominat in multis locis: Deum quidem dicit & filium Dei, non autem hoc esse secundùm veritatem. Sancta synodus dixit: Ostenderunt ea, quæ recitata sunt, quòd arguens magis Theodorum & impia eius conscripta Cyrillus religiosæ memoriæ, non tamen laudem quandam faciens de eo, huiusmodi verbis vsus est. Recitentur & epistolæ Gregorij sanctæ memoriæ, quas quidem dicunt ad Theodorum Mopsuestenum scriptas esse. Et cùm suscepisset idem reuerendissimus diaconus & notarius Theodulus, recitauit.

Nazianzeni literæ ad Theodorum.

Theodoro Gregorius, commendans quosdam adinuicẽ litigantes, & significans quod tam sub sua, quàm illius gubernatione sunt, dicit autem sic:

Quæ à dominis meis charissimis episcopis scripta sunt ad tuam reuerentiam, hæc etiam à nobis ad te scripta esse existimans, da obsecro manum mulieribus, nec despicias eas tyrannicam violentiam patientes sub viri potentia, contra quem interpellauerunt.

1. Thess. 5.

ET POST ALIA:

Duos qui in hac re grauentur, cognosco, id est, tuam reuerentiam, & nos, si quod iustum est, despiciatur. Sub amborum enim gubernatione sunt, qui iudicantur, & timor est, ne veritas verisimilibus verbis superetur. Quapropter & iudica, & pro nostra infirmitate pugnare festina.

Iterum aliam epistolam proferunt, quasi ad Theodorum Mopsuestenum scriptam à prædicto sancto Gregorio. Ex ipsa verò maximè conuincuntur mentientes. Adhortatur enim magis Tyanensem Episcopum ad martyrum festiuitatem peruenire, quæ in Arianzis, prædio eiusdem sancti Gregorij celebratur in mense, quem ipse Cappadocum lingua Dathusa nomioat. Arianza verò prædium est sub Nazianzo. Nazianzus autem videlicet sub Tyanensi ciuitate tunc erat. Habet autem epistola sic: Debes quidem nobis vt infirmis remedium, cùm vnum est à mandatis ægrotantium visitatio. Debes autem etiam sanctis martyribus annualem honorem, quem in tuis Arianzis solenniter celebramus die 22. nostri mensis Dathusæ: & non pauca Ecclesiasticorum communis indigent disceptationis. Propter omnia igitur impigrè peruenire digneris. licèt enim nimius sit labor, sed æqualis est merces.

ALIA EPISTOLA AD EVNDEM THEODORUM scripta, per quam rogat de pauperibus, & ptochotrophis suæ parœciæ, qui peccauerunt. Initium verò Epistolæ sic est: Audio te grauiter ferre factas vobis à Monachis & pauperibus iniurias.

ET IN FINE.

Nunc puta omnes quidem ante pedes tuos cadere, & pauperes, & ptochotrophos, omnes verò Monachos & virgines pro eis supplicantes de omnibus pro his gratiam, quoniam profligati sunt satis, sicut certum est, ex quibus nos rogauerunt: & ante omnes da nobis, qui pro his precamur. Et si tibi graue esse videtur ab illis esse exhonoratum, multo peius esse appareat, si te admonentes hæc nos non audiamur.

Vtuntur autem & alia Epistola eiusdem S. Gregorij ad eundem Theodorum, habente laudes eiusdem Theodori. Ostenditur autem etiam ista magis ad Tyanensem Episcopum scripta, per quam meminit monasterij adhuc constituti in prædio, quod dicitur Pasa, sub Tyanensium positum ciuitate. Habet autem sic.

Deus te donauit ecclesijs ad gloriam nostram multorúmque ad vtilitatem, cùm ità sis subtilis cautusque circa spiritalia, vt etiam nos facias cautiores, qui plus aliquid habere peræratem putamur: quoniam igitur voluisti participes nos spiritalis habere disceptationis, (dico autem propter iuramentum, quod Georgius Passenus iurasse apparet) quod placuit nobis, tuæ reuerentiæ demonstremus, & cætera.

Et alia Epistola ad eundem, ex qua maximè ostenditur, quòd ad Episcopum Tyanensem omnes sunt scriptæ. Rogat enim eum dare episcopum Nazianzo, tanquam primum prouinciæ. Habet enim sic: Tempus est mihi dicere, quod habet scriptura, Ad quem clamabo, patiens iniquitaté? Quis porriget mihi manum tribulato? in quem grauamen Ecclesiæ peruenier, malè sic habentis & desolatæ? Obtestor coram DEO & electis Angelis, quòd non iusta patitur grex DEI, sine pastore & sine visitatione constitutus propter nostram infirmitatem. Me enim morbus detinet, citiusque abduxit Ecclesiæ. Et nunc omninò vltima expirantem, & ampliùs contribulatum difficultatibus, & si quidem aliud caput haberet prouincia, ad illud clamare oportebat, & testificari: tua verò superposita reuerentia, ad te respicere necesse est. Procura tuam ecclesiam per quemuis modum nec eam despicias indigna agentem. Vt enim alia prætermittam, qualia nunc aduenientes Apollinaris sequaces aliqua quidem commiserunt, aliqua verò interminantur, à dominis meis presbyteris cognosces Eulalio chorepiscopo & Eleusio, quos studiosè ad tuam reuerentiam direximus. Et hæc compescere non est nostræ ætatis & infirmitatis, sed tuæ solertiæ & virtutis: quoniam tibi cum alijs etiam prævalere DEVS præbuit ad commune patrocinium Ecclesiæ. Sin autē hæc dicens & scribens non audiat, quod reliquum est, solùm hoc fiet, publicè prædicare omnibus & notum constituere, quoniam Episcopo indiget Ecclesia, ne à nostra infirmitate lædatur: vos autem hoc, quod sequetur, cognoscetis.

Et aliam epistolam scripsit ad eundem Tyanensem episcopum, per quam inculpauit eos, qui trahere eum volebant ad episcopatum Sasymorum, & maximè Helladium Cæsareæ: & cùm multa de eo dixisset, rogat & de Bosphorio Doaron episcopo, qui ad Tyanensem tunc episcopum accusatus est, & iudicabatur apud eum.

Habet autem sic:

ADdetur autem etiam illud literis dominum meum religiosissimum comministrum Bosphorium, si quidem vestra ex damnatione circa fidem inuenerit malum, quod nec dicere fas est, vt relinquam longum tempus nostrumque testimonium, ipsi hoc iudicate. Si verò parœciarum causa, persidiam illi inferunt, nouumque crimen, ne criminationibus subtrahamini, necq; fortiores eas veritate faciatis, obsecro ne multis tristitiam injiciatis benè agere volentibus. Et cùm surrexisset Euphranta vir religiosissimus Episcopus Tyanēsis, dixit: Doceo vestram sanctam Synodum, quæ & ante verba mea cognoscitis, quòd sine causa semetipsos decipiunt, qui putant quòd Gregorius sanctæ memoriæ ad Theodorum Mopsuestenum scripsit recitatas epistolas. Ego enim, vt & Tyanensis ecclesiæ episcopus constitutus, & ex ipsa ortus, prouinciæ veritatem expono.

Theodorus episcopus fuit in mea ciuitate temporibus Gregorij sanctæ memoriæ. Prædicatur enim in sacris diptychis ita: Pro Eupsychio, Anthemio, Ætherio, Deodato, Calliopio, Longino, Theodoro.

In illo autem tempore sub Tyanensi ciuitate erat & Dohara, & Nazianzus, vsque ad tempora huius pij Imperij. Pijssimus autem Imperator cùm metropolitana iura dedisset ciuitati, quæ quondam quidem Mucissos, nunc verò Iustinianopolis nuncupatur, cum alijs ciuitatibus & Dohara, & Nazianzum subiecit ei. Et Arianzus quidem prædium est, vnde ortus fuit idem sanctæ memoriæ Gregorius, sub Nazianzo constitutus, in quo prædio festiuitatem adhortatus est facere beatum Theodorum: & mēsis autem apud Cappadocas prouinciali vocabulo Dathusa adjicitur, cuius & ipsius vna ex epistolis memoriam facit. Prædium autem, quod dicitur Pasa, in quo & monasterium positum est, cui tunc præsidebat Georgius monachus, quem epistola Pasinum vocat, duodecim* millijs Tyanensis distat Metropoleos, & sub eadem ciuitate est vsque hodie. Sed & Dohara ciuitas, sicut dixi, sub gubernatione eiusdem Tyanensis Metropoleos tunc erat, & ordinationem episcoporum Tyanensis episcopus faciebat. Vnde & hortatur eundem beatum Theodorum tanquam Metropolitanum prædictarum ciuitatum, ipse iam senectute fatigatus, ordinare episcopum in Nazianzo pro seipso. Secunda verò Cilicia, sub qua Mopsuestia constituta est, nullam communionem nec vnquam habuit, nec habet ad secundam Cappadociam, aut ad prædia, vel ciuitates eius, cùm media sit prima Cilicia, & diuidat Cappadociam & secundam Ciliciam. Secundæ autem Ciliciæ pars, Mopsuestia est. Nec possibile erat sanctæ memoriæ Gregorium pro gubernatione ecclesiarum secundæ Cappadociæ, & pro ordinatione episcoporum scribere episcopo oppidi, & eius sub alia parœcia constituti, & sub Metropolitano alio, vt nec ius creandi haberet episcopum. His ita dictis ab Euphranta reuerendissimo episcopo Metropolitano Tyanensi, surrexit & Theodosius reuerendissimus episcopus ciuitatis, quæ olim quidem Mucissos, nūc verò Iustinianopolis nuncupatur, & hæc dixit: Verè omnia docuit vestram sanctam synodum Euphranta religiosissimus.

Et ego enim hæc scio, qui & de illa prouincia sum, & sub mea gubernatione modò est Dohara, & Nazianzus, sub qua Nazianzo & Arianzos prædium constitutum est: & nullam communionem vnquam habuit ad prædicta prædia, vel ciuitates secunda Cilicia, vel eius episcopi.

Sancta Synodus dixit: ET ipsæ quidem per se epistolæ sancti Gregorij demōstrant, quòd ad Theodorum religiosæ

Itē adhuc aliæ eiusdem literæ

forte* mil liarijs.

memoriæ Tyanensem episcopum, quæ secundæ Cappadociæ metropolis est, scriptæ sunt, non tamẽ ad impium Theodorum Mopsuestenum. Adiectæ sunt autem & reuerendissimorum episcoporum depositiones. De eo autem, quòd oportet & post mortem hæreticos anathematizari, iam quidẽ aliqua lecta sunt: veruntamen & si quid aliud ad hoc pertinet, recitetur.

Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorum notariorum, dixit: Sunt nobis præ manibus, quæ electa sunt ad præsentem quæstionem pertinentia, eo quod oportet hæreticos & post mortem condemnari.

Etiã post obitum hæretici a nathemate plectendi.

Sancta Synodus dixit, Recitentur: Et cùm suscepisset Photinus reuerendissimus diaconus & notarius, recitauit. Ex primo libro sanctæ memoriæ Cyrilli, de eo, quod vnus est Christus, contra Theodorum. Sunt enim, sunt, qui Redemptorem & Dominum suum negant, & Filium quidem verum Dei Patris, non dicunt eum esse, qui in vltimis seculi temporibus ex muliere secundùm carnem natiuitatem propter nos sustinuit: apparuisse autem magis orbi terrarum Deum recentem & posterum, filiationis gloriam extrinsecus acquisitam habentem, sicut & nos, & quasi quibusdam adulterinis gloriantem honoribus, vt iam anthropolatria & nihil aliud esset, & adoretur homo aliquis cum sancta Trinitate tam à nobis, quàm à sanctis angelis. Hæc quidam valdè superbi, & magna sapientes in diuinarum scripturarum scientia, suis scriptis inseruerunt, & sicut dicit omnium Dominus per vnum sanctorum prophetarum, laqueum statuit ad corrumpendos homines: Quid enim aliud sit, quàm laqueus & scandalum, lingua loquens distorta, & sacris literis abhorrentia, & traditioni sanctorum Apostolorum & euangelistarum impudenter resistentia? Recusandum igitur eos, qui tam malis culpis obnoxij sunt, siue in viuis sunt, siue non. Ab illo enim quod nocet, recedere necessarium est, & non ad personam respicere, sed id, quod Deo placet, oportet considerare. Quòd sanctæ memoriæ Cyrillus Apostolica verba secutus, quæ dicunt, Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem recusa, sciens quia peruersus est eiusmodi, & peccat, & est à semetipso damnatus, vsus est verbo, quod est, & recusandos nobis tales esse, siue in viuis sint, siue non. Sed etiam in Epistola, ad Martianum & alios Monachos scripta, idem sanctæ memoriæ Cyrillus ita dicit: Non iam quidem & sancta Synodus, Ephesi collecta Dei voluntate, contra Nestorij perfidiam iustam & subtilem sententiam proferens, & aliorum vaniloquia, qui post ipsum erunt, aut ante ipsum fuerunt æqualia sapientes ei, & dicere aut scribere præsumpserunt, cum illo condemnauit, similem eis condemnationem imponens. Consequens enim erat, vno semel propter tam profana vaniloquia inculpato, non contra vnum magis peruenire, sed, vt sic dicam, contra omnem eorum sectam siue calumniam, quam fecerunt aduersus pia Ecclesiæ dogmata, duos colentes filios, & diuidentes indiuiduum, & crimen adscribentes cœlo & terræ, tanquàm homini seruientibus. Adorat enim nobiscum supernorum spirituum sancta multitudo omnium Dominum Iesum Christum. Et his recitatis, surrexit Sextilianus reuerendissimus Episcopus de Africana prouincia, vicem agens Primosi religiosissimi episcopi Carthaginensis, & in medio stans, hæc dixit: Quoniam proposita sunt sancta euangelia, & oportet vnumquemque ea, quæ sunt suæ scientiæ, ad propositam quæstionem pertinentia facere manifesta, doceo sanctum vestrum Concilium, quòd anterioribus temporibus in nostra prouincia multi episcopi congregati, & quædam de diuersis causis ad Ecclesiasticum statum pertinentibus disponentes, statuerunt de episcopis defunctis, qui hæreticis suas facultates relinquunt, ita vt post mortem anathemati subijciantur. Sunt verò etiam Augustini sanctæ memoriæ Epistolæ, dicentes, quòd si qui in vita sua non rectè sapuerunt, licèt non condemnati fuissent adhuc viuentes, vt demonstrato peccato isti & post mortem anathemati subijciantur. Et si placet vobis, hæc ad lectionem porrigo.

Psal. 56. 118. 139. 140. 141.

Hæretici vitandi.

Tit. 3.

Sancta Synodus dixit: Recitentur. Et cùm suscepisset idem diaconus & Notarius oblatam chartam, recitauit:

Sancti Augustini ad Bonifacium comitem de quibusdam Donatistis, accusantibus Cæcilianum episcopum, quòd in vita sua codices Christianicos ad cõcremandum tradidit, qui propter hanc causam semetipsos separabant ad Ecclesia: cuius principium sic habet:

LAudo, & gratulor, & admiror, fili dilectissime Bonifaci, quòd inter curas armorum & bellorum, vehementer desideras ea nosse, quæ Dei sunt.

ET POST ALIA:

Hæc non tam verba sunt Augustini, quã ferè verborum eius sententia, quòd ad hanc epistolam attinet.

Et Cæcilianum nequaquam fuisse traditorem, sed à maioribus istorum falsis criminationibus & calumnijs accusationibus adpetitum: non quia in eo Ecclesiæ causa consistat. Nullius enim iniquitas obsistit promissionibus Dei, nec potest alicuius perire criminibus hæreditas Christi, quam ei donauit pater, dicens: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Tamen qui propter ipsum occasionem inuenerunt schismatis perpetrandi, ostendendum est, purgatum fuisse in iudicio episcopali, & innocentem pronunciatum, non solum ab episcopis iudicibus, sed etiam ab ipso Constantino Imperatore, apud quem calumniosè ab istorum patribus accusatus est: vt agnoscant, quàm iniustè ab Ecclesia, toto diffusa orbe, diuidantur propter eum, cuius nullum vnquam crimen non ipsi, non præcessores eorum ostendere potuerunt: quamuis (sicut etiam in memorata epistola diximus) etsi vera essent, quæ ab eis obiecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquando monstrari, ipsum iam mortuum anathematizaremus: sed tamen Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed diuinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus.

Hæc sunt ipsa verba Augustini

Eiusdem Sancti Augustini ex gestis, quæ apud Marcellinum virum clarissimum tribunum & notarium acta sunt, capitulo centesimo octogesimo septimo: Augustinus, Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, dixit: Non in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ, si boni sunt: neque si mali sunt, iudicanda est Ecclesia Dei periisse. Sed tamen etiam ipsorum causam tanquam fratrum nostrorum suscipimus, & si nobis ostendi potuerint criminosi, hodiè illos anathematizamus: non tamẽ propter illos Ecclesiam à Deo promissam & exhibitam deserimus aut relinquimus.

EIVSDEM EX EPISTOLA AD Catholicos.

SI fortè isti libri ita designant traditorem suum, sicut designauit Dominus Iudam, legant in eis nominatim, & expressè vel Cæcilianum, vel ordinatores eorundem librorum fuisse traditores, & si non eos anathematiza uero, ipse eum iudicet tradidisse.

EIVSDEM EX OPERE ADVERSVS Cresconium grammaticum Donatistarum, libro tertio.

Lib. 4. cap. contra Cresco.

EGo in ecclesia sum, cuius membra sunt illæ omnes ecclesiæ, quas ex laboribus Apostolorum natas atque firmatas simul in literis canonicis nouimus. Earum communionem, quantum me adiuuat Dominus, siue in Africa, siue vbicunque, non deseram. In hac communione si fuerunt, quos nescio traditores, cùm eos demonstraueris, & carne & corde mortuos detestabor, nequaquam tamen à viuis, in eiusdem ecclesiæ sanctæ vnitate manentibus, propter mortuos alienabor.

Cap. 39

ET POST PAVCA.

SEd dicis licere mihi etiam hodiè de mortuis iudicare, quia iudicium non tantum de viuis, sed etiam de mortuis fieri potest. Eccè volo iudicare, sed vos causam ipsam non vultis agere.

Et cum surrexisset Benignus Episcopus Heracleæ *Pelagoniæ, vicem agens Eliæ viri reuerend. Episcopi Thessalonicæ, ita dixit: Et quæ modo recitata sunt Augustini sanctæ memoriæ, conueniunt statui tenenti ab initio in Ecclesia. Impium vero dogma iam inculpatum & condemnatum, & eos, qui tali dogmati obnoxij sunt, anathematizari vult ecclesiæ tra-

*Alias Gabalorum

ditio

ditio, licet mortui essent. Ideò & sanctæ memoriæ Augustinus dixit, Quòd si modo conuinceretur Cæcilianus de his, quæ inferuntur ei, etiam post mortem eum anathematizo. Et hæc dicebat de Cæciliano episcopo Carthaginis, qui solus extra Africa peruenit ad Nicænum sanctum concilium. Sed etiam Valentinum, & Marcionem, & Basilidem à nulla synodo anathematizatos, tamen eo quòd alienum pietatis erat dogma, quod illi defendebant, etiam post mortem anathematizat ecclesia Dei. Hoc verò etiam in Eunomium & Apollinarium factum. Hanc verò Ecclesiasticam traditionem custodiens & Rambulas sanctæ memoriæ episcopus factus Edessenæ ciuitatis, qui in sacerdotibus explenduit, Theodorum istum Mopsuestenum etiam post mortem in ecclesia anathematizauit propter impia eius conscripta, sicut testimonium præbet etiam epistola, quæ ab Iba ad Marin hæreticum Persam scripta esse dicitur, necnon etiam illi, qui cum Eusebio erant Nicomediæ episcopo, priùs ea quæ sunt Arij, sapientes, tunc verò consentientes fidei prædicatæ à sanctis patribus Nicææ congregatis & subscribentes in ea, quoniam ad suum vomitum Arianicæ impietatis reuersi sunt, alij quidem viuentes, alij vero etiam post mortem anathematizati sunt, & ex ecclesia Dei expulsi sunt, sicut est à sancti Athanasij de hoc scriptis in historica narratione inuenire. Maximè vero fidem eis imponit Constantinus piæ recordationis per suam scriptionem ad Theodotum factam, significans per eam, quòd & Eusebius, & Theognis illisque consentientes electi sunt vniuersali ecclesia, tanquam contraria Nicænæ sanctæ synodo sapientes, cuius pars fuerunt. Sed etiam Romanorum ecclesia ante paucos annos Dioscorum, qui fuit Papa eiusdem ecclesiæ, & post mortem anathematizauit, cùm nec in fidem peccasset. & hoc sciunt omnes, qui degunt Romæ, & maximè, qui in dignitatibus existunt, qui etiam eidem Dioscoro communicatores permanserunt vsq; ad eius mortem.

Et postquàm dixisset Benignus religiosissimus episcopus propositam depositionem, surrexit Theodorus episcopus Cæsareæ Cappadociæ, Ioannes episcopus Nyssæ, Basilius episcopus nouæ Iustinianopoleos, quondam Camulianensium, & dixerunt:

Iam quidem quam habet voluntatem sancta Synodus vestra de Theodoro Mopsuesteno, feciſtis manifestum, secundùm DEVM decentem zelum excitati aduersus eum, & quæ ille blasphemauit contra magnum DEVM & Saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM. Quoniam verò quidam diligentes Nestorij perfidiam, idem verò est dicere Theodori insaniam, non recusant confingere quædam, & vtuntur verbis tanquam in epistola positis, scripta à sanctæ memoriæ Cyrillo ad Ioannem Antiochiæ episcopum, pro hoc, quòd non oportet quasi Theodoro insultare, eo quòd iam defunctus est: vt nihil eorum, quæ ab eis dicuntur, vestram lateat beatitudinem, aut indiscussum permaneat, necessarium putauimus ista ad vos referre. Nusquam verò talis epistola scripta est à sanctæ memoriæ Cyrillo, nec in eius fertur codicibus, qualem diuulgant illi. Habet autem conficta epistola sic: Inspexi literas, quibus in vnum vestra religiositas congregata, tanquam ex communi Concilij voluntate ad me vsa est. Et de epistolæ quidem primordijs aliquid dicere, vel etiam *eloqui superfluum existimaui valdè meritò. Cùm enim adspexissem tanquàm, vt aliquis dicat, vos spiritu excitatos, & nimis obstupuissem, hoc quod necessarium est, facere festinaui. Quomodo enim non essem in mente habiturus tam mirandum solicitumque vestrum studium, addam autem etiam agonem, quem vniuersaliter susceptistis pro viro non tantummodo mirabili, sed etiam maximam gloriam apud vos consecuto, Theodoro dico, inclamantibus quibusdam, sicut videtur odium aduersum habentibus, occasionemque facientibus impietatis, qua tenentur quædã praua capitula, sicut quidam dixerunt, de quibus etiam vestram reuerentiam perturbauerunt, exigentes illorum abdicationem. Hoc verò etiam nunc, sicut Epistola significat vestra, ad regiam accedentes vrbem perturbant, si fortè eis contigerit persuadere cum circumuentione quorundam, per formas Imperiales anathemati subijci ea, quæ ab eis profe-runtur, ad criminandos eorum defensores. Et propter hoc, sicut mihi videtur & omni mentem habenti, non est fas contristari vel grauiter ferre eos, qui rectè sapiunt, sed etiam quàm longissimè relinquere eiusmodi habentes volũtatem, non dicam etiam in mente habere, quod excogitauerunt, cùm maximè nec certa est persona, quam supponit querimoniæ capitulorum *conuinctio. Incerta autem constituta, etiam hi, qui hoc egerunt, super incertum currentes, & aërem verberantes inueniuntur. Sed his prætermissis, illud dicam, quòd conuenit eos, qui quocunque modo vel docere producuntur, vel scribere volunt, synceræ mentis oculo intueri diuinæ intellectum scripturæ, & ad eius intentionem rectè pergere, & sic suos sermones disponere in iudicio, timentes ne fortè aliter, quàm vt habet, è contrario docentes vel sapientes, minimi vocentur in regno cœlorum: cuius desiderium eos, qui ad hoc respiciunt, declinare compellit errores viæ, quæ ad illud regnum perducit, & ad illam beatam vitam festinare. Dicam verò compendiosè ad vos religiosissimos hoc, quod etiam ad reuerendissimum episcopũ Constantinopolitanæ ciuitatis Proclum, vestris literis satisfaciés, scripsi ipsis verbis sic: Quòd prolata apud Ephesinam sanctam Synodum expositione, tanquàm à Theodoro exposita, sicut dicebant, qui protulerunt, nihil sanum habente, reprobauit quidem eam sancta Synodus tanquàm peruersis plenam intellectibus, condemnans autem eos, qui ita sapiunt, dispensatiuè nullam fecit viri mentionem, nec ipsum nominatim anathemati subiecit, nec verò alios propter dispensationem, sicut videtur, ne fortè magnam existimationem viri, qua mirificatur, attendentes Orientales, seipsos separarent à coniunctione vniuersalis Ecclesiæ corporis, & adderentur consortio odioso & execrando, & quàm plurimis occasiones scandalorum generarent. Solet enim vulgus rumoribus quibuslibet cum plurima voluptate aures præstare, & dicto citius à competenti ratione recedere: sed iustè audient, licèt non volunt, authores istorum: Lateris vosipsos, aduersus cinerem tendentes arcus: non enim supereſt, qui à vobis accusatur. Ac me nemo inculpet in ista verba prolatum, sed cedo existimantibus graue esse defunctis insultare licèt seculares sint, quanto magis etiam eis, qui in Episcopatu à vita discesserunt? Prudentium enim est virorum, iustissimè cedere prænoscenti vniuscuiusque voluntatem, & scienti qualis vnusquisque nostrum fiet. Benè valentes vos & orantes pro nobis conseruet Dominus in omnibus religiosissimi.

Et ista quidem continet conficta epistola. Quis autem inspiciens eam, non statim inueniet alienam esse compositionem intellectuum & verborum, conferens ea cum alijs scriptis sanctæ memoriæ Cyrilli? Veruntamen apertè inde falsitas eius ostenditur. Ioannes enim Antiochiæ Episcopus scripsit ad sanctæ memoriæ Cyrillum, dicens quædam de hoc, quòd non oportet anathematizari, neque Theodorum ipsum, neque conscripta eius, tanquam conuenientia dictis à sanctis patribus, & ad ea rescripsit sanctus Cyrillus, planè reijciens Theodori conscripta, & increpans dicentes, ista consonare illis, quæ sancti patres exposuerunt: addens literis etiam hoc, quòd non oportet Theodori scripta defendere, tãquàm consonantia in omnibus Nestorij vaniloquijs, & meritò ejecta cum illis vtpotè anathemate, quod aduersus Nestorium factum est, procedente etiam aduersus eos, qui ante illum similia ei sapuerunt. Habet igitur sic Epistola sancti Cyrilli, ad Ioannem rescripta: Non requieuit draco apostata, pessima verè ac Deum impugnans bestia, nec cessabit vnquàm ab insita sibi prauitate. Infinitam autem inuidiam aduersus sanctas Ecclesias nutriens in seipso, linguas effrenatas sceleratorum & profanorum hominum, cauteriatam habentium conscientiam, excitare ausus est aduersus dogmata veritatis: sed captus vbique & victus est. Inefficacem enim eius prauitatem, inceptorumque potentiam omnium nostrum saluator Christus demonstrauit. Epist. germana S. Cyrilli.

ET POST ALIA:

ERat igitur necessarium, claram nos propterea ducere festiuitatem, expulsa certè omni voce à quocunque dicta, quæ consonat Nestorij blasphemijs. Processit enim aduersus omnes eadem sequentes, vel iam secutos, quòd absolutè nos & vestra sanctitas dixit, Anathematizamus illos, qui dicunt filios duos, & duos Christos. Vnus enim, vt dictum est, prædicatur à nobis & vobis Christus, & filius, & Dominus

minus vnigenitus Deus verbum, in similitudine hominum factus, & in habitu inuentus vt homo, secundùm vocem sapientissimi Pauli. Et iterum: Culpabiles verò sectas Diodori, & Theodori, & aliorum quorundam, quos melius est non laudare, ne aliquid graue dicam, eo quòd sicut velis omnibus deiecti sunt à gloria CHRISTI. Ne quis diuulget, rogamus, sanctis & orthodoxis nostris patribus, Athanasio, Basilio, Gregorijs, & Theophilo, & alijs, ne quo modo scandali occasio res fieret, quibusdam putantibus secundùm veritatem sic sapere, & docere eos, qui totius rectitudinis cultores fuerunt, & qui non Nestorij solius blasphemijs codices repugnantes reliquerunt, sed etiam aliorum, qui dogmata Nestorij ante eum sapuerunt & conscripserunt. Ista sunt, quæ verè ad Ioannem Antiochenum scripsit sanctus Cyrillus. Quòd autem nihil eorum, quæ in conficta epistola continentur scriptum est ab ipso, ostenditur etiam ex *quibus scripsit ad Acacium Melitenæ Episcopum, in quibus apertè narrat, quæ ad Ioãnem rescripsit. Habent autem de hoc verba epistolæ sic.

*his, quæ

Epistola Cyrilli a Acaciumd episcopũ.

Reuerendissimus & religiosissimus Diaconus & archimandrita Maximus ad me peruenit, & talem virum adspexi, sicut oportebat in longo tempore desiderantem videre. Vidi verò zelum eius & rectitudinem, & stimulum pietatis, quem habebat in Christo. Contristatur verò ita, & plenum solicitudinis animum habet, vt & omnem laborem subire velit, quatenus Nestorij perfidiam à patribus Orientis radicitus perderet: Perlegi verò epistolam tuæ sanctitatis, scriptam ad religiosissimum & reuerendissimum Episcopum Antiochiæ Ioannem, plurimæ plenam confidentiæ simul & amoris Dei. Scripsi autem & ego tales epistolas ad ipsum: sed vt videtur, peiora vincunt. Confingentes enim quæ Nestorij sunt odisse, alio iterum ea introducunt modo, quæ Theodori sunt admirantes, & certè æqualem magis verò multò peiorem morbum impietatis habentia. Nec enim Theodorus Nestorij fuit discipulus, sed iste illius: & velut ex vno loquuntur ore, & vnum malæ doctrinæ ex suo corde euomũt venenum. Scripserunt ergò ad me Orientales, quod non oportet, quæ Theodori sunt, accusari, ne, sicut dicunt, & beati Athanasij, & Theophili, & Basilij, & Gregorij dicta accusentur. Quæ enim locutus est Theodorus, eadẽ & illi. Ego verò scribentes ista non sustinui, sed fiducialiter dixi, quod Theodorus quidem blasphemam habuit linguam, & calamum ministrantem ei: illi autem fuerunt totius orthodoxiæ doctores, & splenduerunt in ea. Persuaserunt verò ita Orientalibus, vt exclamationes fierent in Ecclesijs à populis: Crescat fides Theodori: Sic credimus, sicut Theodorus, cùm eum aliquando lapidassent in sua Ecclesia ausum aliquid subloqui breue. Sed sicut Doctor vult, sic sapit grex. Ego quidem nec cessaui increpans ea, quæ scripserunt, nec cessabo. Quoniam verò oportebat & contradictiones scriptas esse apud eos, inspectis Theodori & Diodori libris, quos scripserunt non de incarnatione vnigeniti, sed magis contra incarnationem, posui aliqua capitulorum, & quo potui modo contradixi eis, declarans vbique abominationis plenam esse sectam eorum. Sed etiam ad Theodosium piæ recordationis Imperatorem consonantia antelatis scribens, ita dicit: Theodorus quidam fuit, & ante eum Diodorus: hic quidem Tarsi ciuitatis, ille verò Mopsuestiæ. Isti Nestorij impietatis patres fuerunt. In suis enim libris, quos composuerunt, immaniter blasphemauerunt contra Christum omnium nostrum Saluatorem, nescientes ipsius mysterium. Voluit igitur impius Nestorius, quæ sunt illorum, in medium proferre, & expulsus est à Deo de sacra aula. Cùm verò anathemati subiecissent dicta Nestorij aliqui Orientis episcoporum, alio modo iterum ea introducunt, admirantes scripta Theodori, & dicentes eum recta sapuisse & consonantia sanctis patribus nostris, Athanasio, & Gregorio, & Basilio: mentiuntur verò contra sanctos viros: scripserunt enim, quæ Theodori & Nestorij blasphemias impugnant. Quoniam igitur didici, quòd & ad pijssimas vestras aures quædam eorum referunt, rogo vt intactas & inuiolatas animas vestras conseruetis ab impietatibus Theodori & Diodori. Sicut enim iam dixi, Nestorius eorum verba locutus est, & propter hanc causam vt impius condemnatus est ab Vniuersali Synodo, quæ collecta fuit in Epheso Dei voluntate.

Nestorius Theodori Mopsuesteni discipulus.

Cyrilli scriptum ad Theodosium.

Et ista quidem ad conuictionem Epistolæ, quæ à defensoribus Theodori falsò composita est. Conantur autem etiam illud aliquid malignum peragere. Circuncidunt enim verba quædam, dicta à sancto Cyrillo contra Synusiastas, per quæ etiam ipsa volunt ostendere illum dicentem, quòd non oportet defunctis insultare: Omne verò contrariũ continent ea, quæ ab ipso in eodem libro dicta sunt. Dicit enim, quòd sine causa quidem ferri aduersùs defunctos non oportet, ne inimicitiæ hoc esse videatur: dogmatica verò proposita quæstione, licèt defuncti sint illi, de quibus dicitur aliquid tale, non oportet tacere, sed conuincere ea, quæ malè illi dixerunt. Habet verò ita pars, quæ de hoc est: Longa nobis modò elaborata est expositio, pro dogmatibus veritatis certare volentibus. Vnum enim Dominum Iesum Christum declarat vbique, qui ex Deo patre diuinè processit Deus verbum, humaniter autem & secundùm carnem ex muliere. Nec aliquis dicat, mẽtem habens circunspicere singulas res scientem, quòd talem non habentibus fidem immaniter sumus inuecti, vocante ad hoc interdum quadam tristitia, quæ ad illos est, quibus contradiximus. Habet enim inde res ipsa cõiunctionem, nec ignauam satisfactionem. Nam illi quidem iam mortui sunt, & ab humanis rebus proficiscẽtes, ad aliam vitam migrauerunt: insipientia verò est, omninò non viuentibus, sed iam defunctis, inimicialiter insultare. Quoniam verò dogmaticæ rectitudinis amatoribus dilecta est veritas, & vera dicere eos necessariè decet, & exercitatos esse, vt possint vana solentibus loqui resistere, arbitratus sum oportere, innumerabili multitudine fratrum non mediocriter iniquitatem passa, ex quibus scripserunt de omnium nostrum Domino & saluatore Christo Diodorus Tarsi ciuitatis, & qui Mopsuestiæ fuit Episcopus, eloquentissimus Theodorus, pauca quædam dicere ad ea, quæ illi dixerunt, & sectæ amborum deformitatem legentibus demonstrare.

Epist. Cyrilli ad Acac.

Intentione igitur sancti Cyrilli, quæ in prolatis continetur, demonstrata, certum facimus, quòd etiam alia vtuntur Epistola, scripta ad sanctum Proclum ab eodem sanctæ memoriæ Cyrillo, quædam de anathemate Theodori continente. Coactus autem est illa scribere ex literis scriptis ab Ioanne & alijs Episcopis Orientalibus pro Theodoro, cùm exigerentur anathematizare Capitula Theodori, directa ipsis à Proclo sanctæ memoriæ. Habet verò Epistola ad sanctum Proclum à sanctæ memoriæ Cyrillo scripta sic: Vix aliquando multisque sudoribus sanctitatis tuæ sanctique Concilij, apud Ephesum congregati, Nestorij vaniloquia reiecerunt vbique DEI Ecclesiæ: nimium verò contristantur propter hoc quidam Orientalium, non solùm laicorum, sed etiam sacerdotum. Sicut enim diuturnæ passiones difficiliores ad medicandum existunt, vel forsitan etiam hoc omninò abnegant: *& anima ægrotans peruersorum intellectuum & dogmatum putredine, insanabilem habet passionem. Veruntamen DEI gratia, siue occasione, siue veritate vnum CHRISTVM & loquuntur & prædicant, & impias Nestorij verbositates anathematizauerunt: & interim multa tranquillitas ibi est, & in fide quotidiè confirmantur etiam illi, qui aliquando dubitabant. Nunc verò, sicut scripsit ad me dominus meus sanctissimus Episcopus Antiochiæ Ioannes, initium apud ipsos alterius tempestatis surrexit, & plurimus est timor, ne forsitan quidam instabiles ad priora reuertantur. Dicunt enim quosdam ad magnam illam ciuitatem peruenisse, deinde interpellasse pijssimos & Christianissimos Imperatores, & postulasse per diuinam eorum sanctionem anathematizari libros Theodori Mopsuesteni, ipsumque memoratum virum: magnum verò eius nomen esse per Orientem, & mirificari nimium conscripta eius: & sicut dicunt, contristantur omnes, quòd vir nobilis & defunctus in communione Ecclesiarum, anathematizatur.

*fort. sic a

Nunc verò quòd in conscriptis eius inuenimus quædam nefariè dicta, & nimiæ plena blasphemiæ, nulli dubium est rectè sapientium. Sciat vero tua sanctitas, quod prolata apud sanctam Synodum expositione ab eo composita, sicut dicebant, qui protulerunt, nihil sanum habente, reprobauit quidem eam sancta Synodus, vtpotè peruersis plenam intellectibus & Nestorianam impietatem quasi effluentem: his verò condemnatis, qui sic sapiunt, nullam viri memo-

ri am

riam fecerat dispensatiuè, nec ipsum nominatim anathemati subiecit propter dispensationem, ne quidam ad existimationem viri respicientes, sese ipsos ab Ecclesijs separent.

ET POST ALIA.

Et per alium verò modum anathematizatis & eiectis Nestorij blasphemijs, vnà cum eis eiecta sunt, & quæ illius sunt, plurimam habentia ad ista consonantiam. Et si quidem hoc agerent indubitanter per Orientem, nullumque esset tumultum inde sperare, dicebam vtiquè nullum esse impedimentum, nunc exigi eos etiam in scriptis hoc facere: si verò, sicut scribit Dominus meus sanctissimus Episcopus Antiochię Ioannes, eligant vtique magis comburi, quàm aliquid eiusmodi peragere, quare flammam sopitam resuscitamus, sedatosque tumultus non opportunè commouemus, ne forsitan vnquam vltima primis peiora inueniantur? Et hæc dico, vehementer quidem increpans, quæ scripsit memoratus Theodorus: timens vero futuros à quibusdam propter eam rem tumultus, ne forsitan aliquo modo ea, quæ Nestorij sunt, lugere quidem coloratim incipiant, secundùm illud quod alicubi à Poëta dictum est apud Græcos, quòd occasione Patrocli suas calamitates vnaquæque lugebat.

Ista omnia demonstrantia intentionem, quam habuit sanctus Cyrillus de anathemate Theodori, relinquentes, illis vtuntur solis, quæ propter dispensationem dicta sunt, vt perfectè à Nestoriano errore illos abduceret adhuc in eo detentos, & compesceret tumultus, quos ab hæreticis fore suspicabantur. Proclus igitur sanctæ memoriæ, acceptis à sancto Cyrillo scriptis, acceptis verò etiam ab Orientalibus plurimis deprecationibus, vt ne anathematizaretur Theodorus, nec impia eius conscripta, scribit adhortans eos vel Theodori blasphemias anathematizare, & liberos seipsos tali suspicione demonstrare. Quoniam verò eiusmodi dispensationem Cyrilli & Procli sanctæ memoriæ non susceperunt, è contrario verò permanserunt defendentes etiam ipsas blasphemias Theodori, & dicentes eas consonare scriptis à sanctis patribus, videns sanctus Cyrillus crescentem impietatem, & inde simpliciorum læsionem timens, coactus est libros conscribere aduersus Theodorum, & aduersus eius blasphemias, & post mortem eiusdem Theodori & hæreticum, & impium, & super paganos, & super Iudæos blasphemum eum ostendere his verbis: Expauit cælum propter hoc, & contremuit amplius vehementer, dicit Dominus. O intolerabilem malignitatem, O linguam loquentem iniquitatem contra Deum, & mentem cornu in altitudinem extollentem. Paruum tibi esse videtur, adfixum esse ligno Dominum gloriæ, quem tu quidem neque filium verum, neque Dominum esse dicis: Nos autem credimus, quòd verè est & Deus, creator & opifex omnium. Nec enim erat homo simpliciter, sed in specie humana ex Deo patre verbum, non translationem, nec mutationem in carnem passum, magis verò vnitum ei secundùm fidem sacrarum literarum. Iste, qui carne passus est, & suspensus est in ligno, miracula fecit in Ægypto, per sapientem Mosen suam gloriam manifestans. Et iterum idem sanctus Cyrillus aduersus Theodorum, & eius blasphemias tradit: Sobrij estote ebrij ex viro vestro, acclamet aliquis sic errantibus. Impone homo tuæ linguæ ostium & seram: cessa cornu in altitudinem extollens, & loquens iniquitatem aduersus Deum. Quousque insultas patienti Christo? In mente habe scriptum à diuino Paulo: Sic verò peccantes in fratres, & percutientes eorum infirmam conscientiam, in Christum peccatis. Et vt aliquid ex propheticis loquar codicibus, iustificata est Sodoma ex te. Superasti paganorum verbositates, quas contra Christum fecerunt: stultitiam existimantes crucem, nihil esse ostendisti. Iudaicæ superbiæ crimina minorare præsumis: & quòd ad te pertinet, detrahis ad infamiam eum, qui supernas sedes* concedet, & vna cum patre & Deo eandem sedem habet. Illum enim, qui ex mortuis resurrexit, in Deitatis sedibus sedere, inquit sapientissimus Paulus. Et Proclus autem sanctæ memoriæ, aduersus Theodorum & eius impietatem in Tomo ad Armenios ita dicit: Fugiamus turbulentos & cœnosos falsitatis riuos, Deum impugnantes dico sectas: Arij insaniam, diuidentem indiuiduam Trinitatem: Eunomij audaciam, circumcludentem scientia inoccupabilem naturam: Macedonij rabiem, separantem à Deitate inseparabiliter procedentem spiritum: & nouam istam & vanam blasphemiam, quæ Iudæorum plurimum vincit blasphemiam. Illi enim eum, qui est verè filius, reprobant, fraudantes ramo radicem: isti verò ei, qui est, & alterum superinducunt, diuulgantes tanquam multa generantem incorruptibilem naturam. Dicamus igitur cum Paulo: Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Iudæum enim & paganum per baptisma in vnum nouum hominem creauit, vniens virtute conuersatione distantia. Horreant condemnationem factores nouæ impietatis: siquidem distantia in conuentionem vnita sunt: ille autem, qui vnijt, in dualitatem (quantum est in eis) diuisus est. Et iterum idem ex Epistola ad Ioannem Antiochenum Episcopum, aduersus easdem blasphemias Theodori ita dicit: Multi inclamant hic religiosissimum Episcopum Edessenorum Ibam, non solùm clerici quidam Edesseni & monachi, sed etiam primates & clari militiæ, quibus rectæ fidei calidus zelus accenditur: quia tantum Nestorij dementiam diligit, vt & quædam capitula, quæ suppositia scripto à nobis ad Armenios Tomo direxi tuæ reuerentiæ, stulta ac profana constituta, & omni impietate plena, transferret Syrorum voce & transmitteret vbique, vt multis simpliciorum inconsiderato auditu læsionem pernicioforum susceipientibus persuaderet ita sapere, sicut abdicatum est Dei Ecclesiæ. Quæ quando post lectionem cognoueris, festinare digneris cum omni alacritate eum compellere Tomo quidem scripto ad Armenios subscribere: vaniloquium verò, magis verò monstriloquium, vel, quod est verius dicere, Iudaicam impietatem Capitulorum illorum condemnantem, viua voce & sana manu anathematizare dementiam.

Ephes. 2.

ET POST PAVCA.

Hic igitur est vnus filius vnigenitus. Sed non ita quidam, peruersa mente & cogitationis dementia istorum capitulorum genitores facti, impiorum abortiuorum & sibi pernicioforum patres apparuerunt. Deinde si memoratus comminister Ibas cognoscit ea, quæ ad legentium & audientium destructionem euomita sunt capitula sicut arbitror eum, cùm sit prudens, & à pueritia diuinis scripturis nutritus, abominari ea & reijcere, confidenti voce, & non erubescenti fronte, quod in anima sapit, ostendat, omnia suppositia ad Armenios Epistolæ Capitula reijciens ac deculcans, vtpotè diabolicæ insaniæ constituta, inuentiones, & omnia anathemate digna iudicans. Dicant igitur, qui vtuntur dictis sancti Cyrilli & Procli, quæ de Theodoro scripta sunt, si non Iudæis, aut paganis, aut Sodomitanis, & hæreticis connumeratur: immò magis eorum omnium impietatem magnitudine suarum blasphemiarum superans, & peruersa mente & cogitationis dementia istarum blasphemiarum genitor factus, impiorum abortiuorum, & sibi pernicioforum pater apparens, & ad destructionem legentium & audientium euomens eiusmodi blasphemias, anathemati subiectus est. Certum enim est, quòd qui impius demonstratus est, omnimodò separatus est à Deo: sicut etiam ille, qui anathematizatus, tanquam impius separatus est. Nihil enim aliud significat anathema, nisi à Deo separationem. Si verò & propter dispensationem aliquid Patres dixerunt, vt separarent ab errore Nestorij tunc defensores eius, tamen quoniam nec susceperunt dicta illorum, & tempus, quod dispensationis indigeret, præterijt, iam ad perfectum venerunt, & scripserunt, quæ superius dicta sunt, & post mortem eius aduersus eum & impia eius conscripta: sicut etiam Paulus Apostolus cùm ad tempus concessisset circumcisionem Hebræis, necnon etiam ipse circuncidisset propter dispensationem Timotheum: postea verò quod est perfectum docens, in Epistola ad Galatas inquit: *Ecce ego Paulus dico vobis, quòd si circuncidamini, Christus vobis nihil prodest. Testificor verò rursum omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est legis faciendæ. Euacuati estis à Christo: qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Anathema quid.

Act. 16.

Galat. 5.

Ibidem.

operatur. *Et iterum: Ego verò fratres si circumcisionem prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum crucis. Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant.* Et propter dispensationem iterum quandam castificatus in templo vna cum alijs, etiam statutas pro castificatione legales oblationes offerens, infirmisque condescendens, iterum * regit dicens in Epistola ad Colossenses: *Nemo ergo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum.* Et iterum: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo, decernitis: ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris?* Quæ sunt omnia in corruptela ipso vsu, secundùm præcepta & doctrinas hominum. Per ista verò Apostolus legalem dispositionem & quasi corporalia legis recusans, docet quòd interdum dispensatio per congruum tempus prodest, & interdum efficit læsionem ad temporis qualitatem. Cùm enim opus est ignorantes vel errantes docere, tunc maxima dispensationis vtilitas est. Quando verò in doctrina perfectionis tempus est, tunc relinquentes patientiam, ad perfectionem dogmatum peruenimus. Verumtamen nihil prohibet, etiam per alia exempla persuadere defendentibus Theodorum, eiusque conscripta, quòd nihil prodest impiè agentibus, si contigerit quosdam vel ignorantia, vel præsumptione, vel etiam dispensatione quadam scripsisse aliquid pro eis. Nam Basilius sanctus quædam scripsit de Apollinario, sed non propter hoc eum condemnatione liberauit. Sunt verò, quæ Basilius ad Patrophilum Episcopum * Megarum scripsit, ista: Non multum autem tempus in medio & profectio vsque ad Cilicas, & inde reditus, & statim literæ abdicationem habentes nostræ communionis. Causa verò diruptionis, quòd Apollinario scripsimus, & compresbyterum nostrum Diodorum habemus nobis communicantem. Ego verò Apollinarium quidem inimicum nunquam existimaui, sed sunt pro quibus hominem * erubesco: non tamen sic meipsum homini coniunxi, vt illius crimina ipse suscipiam, cùm habeo quædam etiam ego accusare eum, inspectis quibusdam conscriptis eius. Et Anastasius diuersas epistolas ad Apollinarium scribit, tanquam eadem in fide sapientem: & tamen postea libros integros etiam post mortem Apollinarij scripsit aduersus eum, cognitis illius in scripto blasphemijs: & nihil Apollinario profuerũt, quæ ante ad illum, tanquam eadem in fide sapientem, scripta sunt. Sed etiam Leo sanctæ memoriæ Papa antiquioris Romæ & susceptit Eutychem, & rescripsit, comprobans eum, & tamen postea condemnauit & anathematizauit eum tanquam hæreticum. Et multos quidem etiam alios inuenimus post mortem anathematizatos. Necnon etiam Origenem, & si ad tempora Theophili sanctæ memoriæ vel superius aliquis recurrerit, post mortem inueniet anathematizatum: quod etiam nunc in ipso fecit & vestra sanctitas, & Vigilius religiosissimus Papa antiquioris Romæ. Præsumpserunt verò Theodori defensores etiam Ioannis sanctæ memoriæ Episcopi Constantinopolitani literas proferre, quasi ad Theodorum factas, laudes eiusdem Theodori continentes. Quòd verò falsa ista sunt, testimonium præbent, qui Ecclesiasticas historias studiosè scripserunt, apertè narrantes, quòd ad Theodorum Mopsuestenum, cùm à solitaria vita excidisset, scripta est Epistola ab Ioanne multorum versuum, & vtilissima. Sed etiam Theodoritus ipse in sua Ecclesiastica historia mentionem fecerat conuersationis, quam Ioannes & Theodorus simul in monasterio exercuerunt: quod apertè demonstrat eadem Epistola, à seculari conuersatione ad pudicam in monasterio vitam reuocans eum. Sin autem & aliquis concedat ad ipsum Theodorum scriptam eam, quod non est: sed certum est, quòd Ioannes, qui cùm per totum suum pontificatum veritatis verbum rectè tractasset, ignorans tales blasphemias conscripsisse Theodorum, eiusmodi ad illum literas fecerat. Et quòd dicitur à quibusdam, quòd in communicatione & pace Ecclesiarum defunctus est Theodorus, mendacium est & calumnia magis aduersus Ecclesiam. Ille enim in communicatione & pace Ecclesiarum defunctus est, qui vsque ad mortem recta Ecclesiæ dogmata & seruauit, & prædicauit. Quòd verò Theodorus non seruauit neque prædicauit recta Ecclesiæ dogmata, certum est etiam ex eius blasphemijs. Verumtamen testimonium præbet etiam Gregorius Nyssenus defensoribus impietatis Apollinarij, criminantibus Ecclesiæ sacerdotes propter Theodorum Mopsuestenum, illiusque blasphemias proferentibus, in quibus apertè duos filios colens ostendebatur, dicit idem Gregorius in Epistola ad Theophilum sic: Apollinarium dogmatum defensores per querimoniam, quæ contra nos est, conantur sua confirmare, carnale verbum, & Dominum seculorum hominis filium, & mortalem Filij Deitatem facientes. Dicunt enim tanquam quibusdam in Catholica Ecclesia duos filios colentibus in dogmate, vnum quidem secundùm naturam, alterum autem secundùm adoptionem postea adsumptum. Nescio à quo tale audierunt, & ad quam personam reluctantur. Nondum enim cognoui eum, qui talia loqui ausus est. Verumtamen quoniam istam proponentes aduersus nos causam, per hoc quòd videntur tale flagitium impugnare, suas sectas confirmant, bonum est, vt tua in gratia perfectio, sicut tibi in mentem ducet Spiritus sanctus, incidat occasiones, & persuadeat eis, qui ista calumnialiter applicant Dei Ecclesiæ, quòd nullum est eiusmodi dogma apud Christianos, nec prædicatur. Gregorio igitur sancto clamante apud Christianos nullum esse eiusmodi dogma, colentium duos filios, Theodoro autem hoc colente per tota sua conscripta, quomodò conantur dicere, in communione Ecclesiarum talem impium & blasphemum mortuum esse, cùm neq; sancti patres susceperunt eos, qui dixerunt aut scripserunt, quòd cõsonantia Athanasio, & Basilio, & Gregorijs, & alijs impius Theodorus in suis libris exposuit? & meritò. Qui enim talia scripserunt, aliena piæ doctrinæ prædicatorum sanctorum patrum sapuerunt, sicut licet volenti cum scriptis memoratorum sanctorum patrum conferre ea, quæ sunt Theodori, inuenire. Ille enim nimiæ blasphemiæ sua conscripta adimplens, ad perniciem legẽtium & consentientium illius impietati edidit: isti verò maxima lumina Ecclesiæ, constituti, super excelsa tecta suorum operum firmæ ædificationis, pietatem cum plurimis periculis, & omni fiducia prædicauerunt. Decet igitur vestram sanctitatem ea quidem, quæ dicta sunt, pro hæreticis auersari: traditionem autem Ecclesiæ, quod certè facietis, in omnib. sequi, & Ecclesiam liberare criminatione, quæ infertur ei propter Theodorũ & eius conscripta.

Diodorus Archidiaconus & Primicerius notariorũ dixit: Præ manibus habemus & gesta, quæ Mopsuestiæ cõfecta sunt apud religiosam Synodum prouinciæ secundæ Ciliciæ, ex quibus manifestatur, quod ex anterioribus tẽporibus nomen Theodori sacris diptychis eiectum est. Sancta Synodus dixit: Recitentur. Et cum accepisset Theodulus reuerend. diaconus & notarius, recitauit.

PIissimo & Christianissimo nostro principi, meritò diuinitus honorato, Flauio Iustiniano Augusto & Imperatori, Ioannes, Thomas, Stephanus, Nicetas, Andreas, Procopius, Vrbicius, Antonius & Cosmas humiles Episcopi vestræ secundæ Cilicum prouinciæ. Semper quidem pro pietate ad DEVM pertinente labores vestræ Christianitatis mirati sumus, & mercedem vobis studij, quod circa meliora & optima humanorum habetis, redditurum esse credimus cœlestis regni participationem. Nihilominus autem & nunc festinantiam pijssime vestram circa sanctam vniuersalis Ecclesiæ pacem considerantes ex his, quæ de Theodoro olim Mopsuestenæ ciuitatis Episcopo piè nobis directa sunt à vestra Christianissima serenitate, superlaudamus, & miramur circa recta dogmata zelum inuictissime tuum. Accessimus enim ad Mopsuestenam ciuitatem vniuersi, qui per vestram secundam Ciliciam sacerdotium sumus sortiti, Marthanio viro magnifico nobis ea, quæ aguntur complente, cùm hoc vestra pietas iussisset, & religiosissimos eius clericos aduocauimus, necnon etiam clarissimos & laudabiles huius habitatores, electis ab ipsis his, qui ętate prouecti fuerunt, hoc, quod iustè à Christianissimis vobis præceptum est, interrogabamus, quando Theodorus prior sacris diptychis eiectus est, sed etiam quis loco illius inscriptus est. Ista verò eos dicere, adhortabamur sanctis & orandis propositis Euangelijs. Illi verò nobis fidem eorum, quæ dicenda erant, per venerabilia iuramenta affirmantes, & ętatem suam explanantes, ignorare dicebant, ex quo Theodori vetusti vocabulum sacris diptychis deletum est, Cyrillus autem sanctæ memoriæ Alexandri-

næ magnæ

Aet. 21.

fortè, *corrigit Coloss 2.

Ibidem.

Cõniuentia quãdo vrendum, & quando non.

Epist. 82

* veneror

Vide quæ dicemus infra in Notis.

In pace Ecclesiarum quis mori dicendus.

Literę Gregorij Nysseni.

Traditio Ecclesiæ in omnib. sequenda.

Acta Synodi Prouincialis secundę Ciliciæ

næ magnæ ciuitatis pontifex, in illius loco insertus est. Istis consonare etiam ipsa quæ manibus habentes sacra diptycha, teste Deo, inuenimus. Sanctæ enim memoriæ pontificum memoratæ Mopsuestenæ ciuitatis nomina recitantes, Theodori quidē nullam memoriam insertam esse reperimus, Cyrillum verò vna cum sanctis, qui ad Deum antè abierūt, conscriptum, cùm nullus Cyrillus Mopsuestenæ fuisset ciuitatis episcopus. In fine verò connumerationis Theodorum conscriptum esse iuniorem inuenimus, qui ex Galatia ortus, vnus nostri factus Concilij, ante tres annos defunctus est. Omnia igitur gestis inserentes, & humili huic suggestioni coniungentes, manifesta ea, quæ mota sunt, vobis Christianissimis fecimus, orantes magnum & saluatorem Deum, vt nobis, & paci sanctarum Ecclesiarum te longæuum & vestram Christianissimam serenitatem custodiat. Ioannes misericordia Dei Episcopus vestræ Iustinopolitanæ metropolis, subscripsi.

Thomas misericordia Dei episcopus vestræ Ægææ ciuitatis, suggerens subscripsi.

Stephanus misericordia Dei episcopus Castabaleæ ciuitatis, referens subscr.

Nicetas misericordia Dei episcopus Epiphaniæ ciuitatis, suggerens subscr.

Andreas misericordia Dei episcopus vestræ Flauiadæ ciuitatis, suggerens subscr.

Procopius misericordia Dei episcopus vestræ Irenopolitanæ ciuitatis, subscr.

Vrbicius misericordia Dei episcopus vestri Alexandrini oppidi, suggerens subscr.

Antonius misericordia Dei episc. vestræ Roseæ ciuitatis, suggerens subscr.

Cosmas misericordia Dei episcopus vestræ Mopsuestenæ ciuitatis, suggerens subscr.

Exemplum sacræ Epistolæ, scriptæ ad beatissimū Ioannem Metropolitanum episcopum.

Litteræ Iustiniani Imperatoris.

SIGNIFICAVIMVS tuæ sanctitati colligere omnes religiosissimos episcopos, qui de tua Synodo sunt, & peruenire in Mopsuestenam ciuitatem, & requisitionem subtilem facere conuenientibus vniuersis ibi constitutis senioribus hominibus, siue clericis, siue laicis, & discere ab ipsis, si cognoscunt tempus, ex quo oblatum est nomen Theodori sacris diptychis. Si verò non meminerint, ex quo hoc factum est, confiteantur hoc ipsum, quòd non cognoscunt insertum aut prædicatum in sanctis diptychis nomen Theodori & proferantur vobis & ipsa diptycha, vt cognoscatis quis pro illo insertus est: & tales confessiones gestis recipientes, & vestris suggestionibus coniungentes, subscribat & tua sanctitas in ipsis, & cæteri religiosissimi episcopi: & sic dirigite vnam quidem ad nos, alteram verò ad sanctissimum Papam. Et hoc tamen manifestum fiat, & vnusquisque eorum, qui confitentur, dicant & manifestent, quot est annorum: & vos verò in proprijs confessionibus significate de prædicto capitulo, & quem pro Theodoro insertum inuenistis. Scripsimus autem & Marthanio viro magnifico pro hoc, vt sine vlla dilatione ista agerentur, & nobis mitterentur. Legi.

Datur Decimo Kalendas Iunias Constantinopoli, Imperij domini nostri Iustiniani perpetuò Augusti anno vigesimoquarto, post Consulatum Basilij viri clarissimi anno nono.

Alię Iustiniani litteræ.

COSMÆ sanctissimo episcopo Mopsuestiæ. Significamus tuæ sanctitati, quòd iussimus Ioanni beatissimo Metropolitano Anazarbenæ ciuitatis colligere omnes prouinciæ episcopos, & peruenire in vestram ciuitatem, & subtilem inquisitionem facere conuenientibus omnibus apud vos constitutis senioribus hominibus, siue clericis, siue laicis, & discere ab illis, si cognoscunt, ex quo ablatū est nomen Theodori à sanctis diptychis: si verò non meminerint de tempore, & quando hoc ipsum factum est, & hoc ipsum confiteantur, quòd non cognoscunt nomē Theodori in sanctis diptychis insertum, vel prædicatum ipsum in Ecclesia. Oportet igitur proferri & ipsa sacra diptycha, vt omnes cognoscant religiosissimi episcopi, quo ordine nomina episcoporum in diptychis recitantur: & hoc ipsum manifestum vos facere per suggestionem vestram: & confessiones gestis interuenientibus recipientes, & vestris coniungentes suggestionibus, subscribite omnes collecti Episcopi, & sic dirigite vnam quidem ad nos, alteram verò ad sanctissimum Papam. Et hoc verò fiat manifestum in confessionibus eorum, vt vnusquisque dicat & manifestet, quot est annorum. Legi.

Datur vndecimo Kalendas Iunias Constantinopoli, Imperij Domini nostri Iustiniani perpetuò Augusti anno vigesimoquarto, post consulatum Basilij viri clarissimi anno nono.

Synodi Mopsuestenæ acta de quibus supra actum est.

IMPERII diuini & pijssimi nostri domini Flauij Iustiniani perpetuò Augusti & Imperatoris anno vigesimotertio, post consulatum Flauij Basilij viri clarissimi anno nono, ante decimūquint. Kalendas Iunias, mensis Iunij decimoseptim. instantis decimætertiæ, Indictionis, in Mopsuestia Colonia Christianissima præsidente in religiosissimo secreto venerandi Episcopi Ioanne religiosissimo & sanctissimo Metropolitano, confidentibus autem Thoma religiosissimo episcopo Ægææ ciuitatis, & Stephano religiosissimo episcopo Castabaleæ ciuitatis, & Niceta religiosissimo episcopo Epiphaniorum, & Andrea religiosissimo Episcopo Flauiadeorum, & Procopio religiosissimo episcopo Irenopolitanorum, & Vrbicio religiosissimo episcopo Alexandrino oppidi, & Antonino religiosissimo episcopo Roseorum, & Cosma religiosissimo episcopo Mopsuestiæ ciuitatis, necnon etiam Marthanio viro magnifico, comite domesticorum, & omnibus religiosissimis presbyteris, præsentibus autem & omnibus religiosissimis Diaconis, & subdiaconis, & lectoribus prædictæ Mopsuestenæ ciuitatis sanctissimæ Ecclesiæ: insuper præsentibus Eumolpio & Theodoro clarissimis Comitibus, & Hypatio & Paulo clarissimis tribunis, & Eusebona clarissimo Palatino, & Paulo viro honesto defensore, & Stephano viro laudabili, & Paulo cognomine Neonis, alijsque laudabilibus habitatoribus eiusdem Mopsuestenæ ciuitatis, Iulianus diaconus & notarius dixit: Pijssima iussio sereniissimi & Christianissimi nostri domini ad vestram peruenit sanctitatem, quædam de Theodoro, facto olim istius Mopsuestenæ ciuitatis episcopo, dicens agere vosmetipsos & vestrum sanctum Concilium: & hanc Marthanius vir magnificus per metropolim degenti vestræ sanctitati transmisit, qua susceptā, competentibus præceptis prompto animo finem imponere festinans, statim vsa literis ad omnes sanctissimos prouinciæ episcopos, adhortando eos celeriter peruenire ad istam Mopsuestenam ciuitatem, & agere ea, quæ piè iussa sunt. Similia verò ad Cosmam religiosissimum huius Mopsuestenæ optimæ ciuitatis episcopum scripta sunt ab eius pietate. Cùm ista igitur sic processissent, adsunt, sicut videtis, omnes sanctissimi prouinciæ Episcopi, necnon etiam Marthanius vir magnificus, & ipse ex diuinis præceptis iussus ea, quæ piè præcepta sunt, ad effectum perducere. Adsunt nihilominus ex vestra iussione & omnes religiosissimi clerici per istam ciuitatē sanctæ Ecclesiæ, necnon etiam eius defensor honestus vir: insuper & clarissimi istius possessores & laudabiles habitatores, & illi, quos seniores esse huius defensor putans manifestos nobis fecit. Habemus præmanib. vtramque piam iussionem, & hoc ipsum per iussionem sanctitatis vestræ suggerimus. Ioannes per misericordiam Dei episcopus Iustinopolitanæ Metropolis, & Thomas episcopus Ægon, & Stephanus episcopus Castabaleorum, & Nicætas episcopus Epiphaneorum, & Andreas episcopus Flauiadeorum, & Procopius Episcopus Irenopoleos, & Vrbicius episcopus Alexandrini oppidi, & Antoninus episcopus Roseorum, & Cosmas episcopus Mopsuestiæ, dixerunt: Primum omnium semper studium facit Christianissimus noster & Sereniissimus Imperator, circa Deum vigilantiam & inculpabilem venerationem. Cùm igitur ad sanctarum Ecclesiarum statum quædam acciderit causa, solitam & Deo verè dilectam alacritatem ostendit. Et nos igitur pijs & Deo placitis ab Imperatore præceptis administrantes, omnia diligenter agamus, quæ iustè placita sunt eius Imperio. Diuinis igitur in medium prolatis scripturis, & his, quæ aguntur testimonium præbentibus, manifestæ fiant pijssimæ iussiones sereniissimi Imperatoris, & agendis anteponantur. Et prolata sunt in medium sancta Euangelia, & recitatæ & antepositæ sunt pijssimæ Iussiones.

Ioannes misericordia Dei episcopus, & cæteri reuerendissimi episcopi dixerunt: Illos ad explananda & probanda capitula, quæ à pissimo Imperatore exquisita sunt, productos reuerentissimos viros, & ætate subtilem scientiam habentes, oportet sua explanare vocabula, & quem habendum sacerdotij gradum sortiti sunt. Prouectos igitur ætate reuerentissimus Ecclesiæ defensor ab alijs separet. Eugenius diaconus & *Ecclesiæ defensor Mopsuestenæ sanctæ Ecclesiæ, dixit: Secundùm interlocutionem vestræ sanctitatis prouectos ætate reuerentissimos presbyteros & Diaconos à cæteris separaui, & stant sicut videtis. Sanctissimi episc. dixerunt: Agatur, quod pronunciatum est. Martyrius dixit: Martyrius dicor, presbyter sum istius sanctæ Ecclesiæ, Paulinus dixit: Paulinus dicor, presbyter sum istius sanctæ Ecclesiæ. Stephanus dixit: Stephanus dicor, presbyter sum istius sanctissimæ Ecclesiæ. Olympius dixit: Olympius dicor, presbyter sum istius sanctissimæ Ecclesiæ. Ioannes dixit: Ioannes dicor, presbyter sum istius sanctæ Ecclesiæ. Thomas dixit: Thomas dicor, presbyter sum istius sanctæ Ecclesiæ. Theodorus dixit: Theodorus dicor, presbyter sum istius sanctæ Ecclesiæ. Thomas dixit: Thomas dicor, presbyter sum istius sanct. Ecclesię. Eudoxius dixit: Eudoxius dicor, presbyter sum istius sanctæ ecclesiæ. Paulus dixit: Paulus dicor, presbyter sum istius sanctæ ecclesiæ. Theodorus dixit: Theodorus dicor, presbyter sum istius sanctæ ecclesiæ. Paregorius dixit: Paregorius dicor, archidiaconus sum istius sanctæ ecclesiæ. Ioannes dixit: Ioannes dicor, diaconus sum istius sanctæ ecclesiæ. Theodorus dixit: Theodorus dicor, diaconus sum in hac ciuitate natus. Paulus dixit: Paulus dicor, diaconus sum in hac ciuitate natus. Ioannes dixit: Ioannes dicor, diaconus sum in hac ciuitate natus. Thomas dixit: Thomas dicor, diaconus sum in hac ciuitate natus.

Sanctissimi episcopi dixerunt: Idem ipsum agant & clarissimi possessores & laudabiles huius habitatores, quos seniores istius ciuitatis honestus defensor demonstrauit, & ab alijs separati, sua dicant vocabula & status. Eumolpius dixit: Eumolpius dicor, comes sum, in hac ciuitate natus. Theodorus dixit: Theodorus dicor, comes sum, in hac ciuitate natus. Eusebonas dixit: Eusebonas dicor, palatinus sum, in hac ciuitate natus. Stephanus dixit: Stephanus dicor, præfectianus sum, in hac ciuitate natus. Paulus dixit: Paulus dicor cognomine Neonis, in hac ciuitate natus. Anatolius dixit: Anatolius dicor, principalis, * in hac ciuitate natus. Marinus dixit: Marinus dicor, in hac ciuitate natus. Eustachius dixit: Eustachius dicor, cognomine Rhoda, in hac ciuitate natus. Anatolius dixit: Anatolius dicor, in hac ciuitate natus. Rusinus dixit: Rufinus dicor, architectus in hac ciuitate natus. * Comitas dixit: * Comitas dicor, agens in rebus, & pater istius ciuitatis. Theodorus dixit: Theodorus dicor, agens in rebus, in hac ciuitate natus. Ioannes dixit: Ioannes dicor, tabularius, in hac ciuitate natus. Addæus dixit: Addæus dicor, ciuis sum. Marcus dixit: Marcus dicor, præfectianus * in hac ciuitate natus. Ioannes dixit: Ioannes dicor, lecticiarius in hac ciuitate natus. Nicetas dixit: Nicetas dicor, tabularius sum, in hac ciuitate natus.

Sanctissimi episcopi dixerunt: Quoniam adest honestus huius ciuitatis defensor, & quæ dicta sunt à nostris notarijs, audiuit, insuper planiùs nos per suam doceat vocem, si seniores de his viris, qui ab ipso in præsenti demonstrati sunt, non cognoscit per istam ciuitatem. Paulus præfectianus & defensor dixit: Iussus à vestra sanctitate, quos potui inuenire verè seniores in laicis constitutos, clarissimos & honestissimos viros produxi, qui interrogati propositis scripturis de suo statu, manifestantes subtilius explanant & sua tempora, & quæ sciunt ipsi illi magis pro semetipsis cognoscentes.

Sanctissimi episcopi dixerunt: Reuerendissimus sacrorum custos vasorum istius sanctissimæ Ecclesiæ, adferat ad considerationem nobis & recitationem huius sacra diptycha, in quibus sanctæ memoriæ sacerdotum istius optimæ ciuitatis scripta continentur vocabula. Ioannes presbyter & cimiliarcha dixit: Secundùm iussionem vestræ sanctitatis inter sacra vasa, quæ à me seruantur, habentes diptycha ista protuli, & ad recitationem porrigo. Habeo autem & alios duos membraneos quaterniones veteriores istis, quæ nunc sunt, & recitantur, quos & ipsos protuli sicut videtis.

Sanctissimi Episcopi dixerunt: Ad auditum nostræ mediocritatis, sed etiam illorum, qui ad testimonium producti sunt reuerentissimi & clarissimi & honestissimi viri, recitentur sacra diptycha, quæ declarant sanctæ memoriæ commemorationem sacerdotum istius Mopsuestenæ ciuitatis, ex quo immaculata & orthodoxa fides prædicatur, vsque ad hunc sacerdotem, qui in præsenti tertiadecima Indictione defunctus est. Et recitati sunt, & habent sic: Pro requiescentibus episcopis, Protogone, Zosimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Bassiano, Ioanne, Auxentio, Palatino, Iacobo, Zosimo, Theodoro, Simeone. Ex alio diptycho: Pro requiescentibus episcopis, Protogene, Zosimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Bassiano, Ioanne, Auxentio, Palatino, Iacobo, Zosimo, Theodoro, Simeone. Et ex alijs diptychis: Pro requiescentibus episcopis, Protogene, Zosimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Bassiano, Ioanne, Auxentio, Palatino, Iacobo. Sanctissimi episcopi dixerunt: Porrigantur & nobis ad recitationem & considerationem, quæ manifesta facta sunt, sacra diptycha, vt vnusquisque nostrum perlegat & inspiciat. Oblata sunt sanctissimis episcopis. Sanctissimi episcopi dixerunt: Sunt etiam alia prolatis veteriora apud tuam reuerentiam? Ioannes presbyter & cimiliarcha dixit: Ista habeo Domine, quæ & protuli.

Sanctissimi Episcopi dixerunt: Propositis diuinis scripturis, hoc ipsum explana. Ioannes presbyter & cimiliarcha dixit: per istam virtutem, non habeo alia diptycha istis veteriora, sed omnia, quæ habeo, protuli. Sanctissimi episcopi dixerunt: Cum ipsa causa, quoniam ad animæ respicit salutem, & reuerendissimus habitus vester adhortatur vos, nihil extra veritatem dicere, certum est, quòd multam curam subtilitatis facietis. Vt verò omnis cogitatio praua foras reijciatur: ab his, quæ aguntur, & venerabilibus vos oportet iuramentis confirmare, quæ dicturi estis. Sed vnusquisque sanctas & inuiolatas tangens scripturas, per ipsas fidem præbeat nihil extra ea, quæ cum veritate cognoscit, in his, quæ aguntur, dicere. Ad eandem verò iuramenti fidem respicientes, etiam suam ætatem explanent, & pijssimi domini rerum iussionem sequentes, dicant si tempus sciunt & retinent, per quod Theodorus, olim episcopus factus istius ciuitatis sacrorum prædicatione diptychorum eiectus est, & quis illius in ijsdem sacris diptychis locum suppleuit. Martyrius dixit: Per istam virtutem, quicquid scio, veritatem dicam. Sum annorum octoginta plus minus: habeo autem in clero ordinatus sexaginta plus, & neque scio, neque audiui, quòd recitatus est Theodorus, olim factus istius ciuitatis episcopus, in sacris diptychis: sed audiui, quòd sanctus Cyrillus Alexandriæ, magnæ ciuitatis episcopus factus, pro Theodoro taxatus est in diptychis, quibus inscripti sunt defuncti sanctissimi episcopi, & vsque adhuc ipse inscriptus est, & prædicatur cum alijs episcopis. Episcopum enim in nostra ciuitate nomine Cyrillum neq; scio, neq; audiui factum. Qui autem nunc insertus est Theodorus, ante tres annos obijt, & de Galatia erat. Paulinus presbyter dixit: Per istas sanctas Scripturas, quod scio, cum veritate dico. Presbyter sum Mopsuestenæ sanctissimæ Ecclesiæ, & sum annorum septuagintanouem: Habeo autem quadragintanouem annos in clero, & neque scio, neque audiui Theodorum veterem, qui fuit Episcopus in ista ciuitate, prædicari in sacris diptychis sanctissimæ nostræ Ecclesiæ, aut quando ablatum est nomen ipsius ex diptychis. Audio verò cum diptycha leguntur in diuino ministerio, nomen Cyrilli in connumerationem requiescentium episcoporum. Factum verò episcopum Cyrillum in hac ciuitate neque scio, neque audiui. Stephanus presbyter dixit: Per istam virtutem, quicquid scio, cum veritate dico. Sexagintanouem annorum plus minus fui: factus verò sum presbyter ante hos tres annos, & nullatenus scio vel audiui Theodorum, qui olim in nostra ciuitate fuit episcopus, nominatum in sacris diptychis. Cognoui autem, ex quo venerabili huic connumeror clero, quòd illo adempto ex ipsis aliquando, Cyrillus Alexandrinæ ciuitatis episcopus, in illius loco insertus est sacris diptychis requiescentium Episcoporum, qui vsque nunc pro ipso prædicatur. Cyrillum verò factum nostræ ciuitatis episcopum neque scio, neque audiui. Theodorus verò, qui inscriptus est sacris diptychis, ante tres annos defunctus est. Olympius presbyter dixit: Per istas sanctas scripturas,

pturas, quicquid scio, veritatem dico. Annorum sum sexaginta quinque, in clero verò connumeror quinquaginta quinque, & non scio inscriptum fuisse nomen Theodori sacris diptychis, qui antea fuit hic episcopus, neque audiui eum vnquam numerari: audiui verò ab illis, qui ante me erant, quod pro ipso insertus est sanctus Cyrillus, qui fuit Alexandrinæ ciuitatis episcopus. Quando verò ademptum est nomen Theodori, & insertus est pro ipso Cyrillus, non memini. Factum verò episcopum in ista ciuitate Cyrillum, nunquam audiui. Iste enim, qui nunc nominatur Theodorus in diptychis, ille est, qui ante tres annos defunctus est Galata. Ioannes presbyter dixit: Per istam virtutem & Deum, qui locutus est per istas scripturas, veritatem dico. Annorum sum sexaginta quinque plus minus: habeo vero in clero annos vigintiocto, & neque scio, nec cùm essem laicus, nec postquam factus sum clericus, Theodorum, qui olim episcopus fuit istius ciuitatis, neque numerari in sacris diptychis, nec quando eiectus est: prædicari verò scio in diptychis in connumeratione requiescentium episcoporum nostræ ciuitatis sanctum Cyrillum, Archiepiscopum Alexandrinæ ciuitatis. Episcopum verò nomine Cyrillum non scio fuisse, nec audiui in nostra ciuitate. Ille enim, qui nunc nominatur Theodorus in diptychis, ante tres annos obijt, & de Galatia erat. Thomas presbyter dixit: Per istas sanctas Scripturas & Deum, qui locutus est ipsas, quicquid scio, veritatem dico. Sexaginta annorum sum Domine: habeo verò in clero, licet peccator sim, quinquaginta quinque annos: & non scio, neque audiui nomen veteris Theodori, qui hic episcopus fuit, prædicari in sacris diptychis, nec quando ablatus est, nec qui ipsum eiecit. Audiui verò à senioribus, quòd Cyrillus, qui fuit Alexandrinæ ciuitatis episcopus, insertus est sacris diptychis pro Theodoro in connumeratione episcoporum nostræ ciuitatis, qui & vsq; nunc prædicatur: Cyrillum autem episcopum fuisse hic neque audiui, neque scio. Iste verò, qui nunc nominatur cum mortuis episcopis Theodorus de Galatia oriundus, ante tres annos defunctus est. Theodorus presbyter dixit: Per istam virtutem, quicquid scio, cum veritate dico: Sum annorum sexaginta duorum plus minus: quinquaginta quinq; aût annos habeo in venerabili clero istius sanctissimæ Ecclesiæ, & nunquam audiui nomen Theodori veteris, qui fuit hic episcopus, neque insertum esse sacris diptychis, neque recitari. Audiui verò ab antiquioribus, quod pro Theodoro insertus est sanctus Cyrillus episcopus Alexandriæ in requiescentibus episcopis: Cyrillum verò fuisse nostræ Ecclesiæ neque scio, neque audiui. Iste verò, qui nunc insertus est diptychis Theodorus, Galata fuit, & ante tres annos defunctus est. Thomas presbyter dixit: Per istas sanctas Scripturas, quicquid scio, cum veritate dico: Sexaginta annorum sum plus minus: in clero autem quinquaginta annos habeo, & non scio, neque audiui insertum Theodorum, olim nostræ ciuitatis episcopum factum, neque audiui ipsum recitari cum requiescentibus sacerdotibus nostræ ciuitatis. Fuisse verò in nostra ciuitate episcopum nomine Cyrillum, neque scio, neque audiui per quodcunque tempus. Iste autem, qui nunc recitatur Theodorus in sacris diptychis, ille est, qui ante tres annos obijt, & de Galatia erat. Eudoxius dixit: Per sanctas Scripturas, veritatem dico. Annos habeo in clero sanctissimę Ecclesię quadraginta duos: sum autem annorum sexagintatrium', & nec cum essem laicus, nec clericus factus, scio hic inscriptum esse aut prædicari in sacris diptychis Theodorum veterem, qui fuit hic episcopus, nec quando vel quis deiecit ipsum ex sacris diptychis, scio: Audio verò prædicari in diptychis mortuorum episcoporum nostræ ciuitatis Cyrillum episcopum Alexandriæ. Episcopum enim fuisse in nostra ciuitate nomine Cyrillum, neque audiui, neque scio. Iste vero, qui prædicatur Theodorus in diptychis, qui ante tres annos obijt, de Galatia erat. Paulus presbyter dixit: Per istam virtutem, quicquid scio, veritatem dico. Quinquaginta octo annorum sum domine: habeo autem in clero vigintiocto annos, & non scio Theodorum, qui olim fuit Episcopus nostræ ciuitatis, prædicari in sacris diptychis, sed neque pro ipso quenquam insertum scio. Theodorus vero, qui nunc recitatur, de Galatia 'erat, qui ante tres annuos defunctos est. Theodorus presbyter dixit: Per istam virtutem quicquid scio cum veritate dico. Sum plùs minùs annorum quinquaginta duorum: ex quo autem clericus sum, vigintiocto anni sunt, & non scio neque audiui, nec cùm laicus essem, nec ex quo clericus factus sum, Theodorum, qui olim fuit Episcopus nostræ ciuitatis, recitari vel inscriptum esse sacris diptychis. Audiui verò à senioribus, quod S. Cyrillus episcopus Alexandriæ ipse pro illo insertus est sacris diptychis mortuorum episcoporum nostræ ciuitatis. Qui verò insertus est sacris diptychis Theodorus, ante tres annos defunctus, qui fuit noster Episcopus, de Galatia erat. Paregorius archidiaconus dixit: Per istam virtutem veritatem dico: Annorum sum sexaginta sex: habeo verò connumeratus venerabili clero annos vigintiocto, & non scio, nec cùm laicus essem, nec postquàm factus sum clericus, insertum sacris diptychis nomen Theodori, qui antè fuit hic episcopus, neque audiui ipsum recitari. Audiui verò à senioribus, quòd pro ipso insertus est sanctus Cyrillus Episcopus Alexandrinæ ciuitatis, qui & vsque nunc prædicatur. Hic verò fuisse Cyrillum Episcopum, neque scio, neque audiui. Qui verò nunc recitatur Theodorus in sacris diptychis Galata erat, qui ante tres annos defunctus est. Ioannes diaconus dixit: Per istas sanctas scripturas, quicquid scio, cum veritate doceo. Annorum sum quinquaginta octo: habeo verò connumeratus venerabili clero annos quadraginta octo, & non scio neque audiui insertum nomen Theodori sacris diptychis, qui antea hic fuit Episcopus, nec prædicari ipsum. Audiui verò aliquando, quòd pro ipso insertus est sanctus Cyrillus Alexandrinæ ciuitatis, qui & vsque nunc prædicatur: neque scio, neque audiui hic fuisse Cyrillum Episcopum. Iste verò, qui nunc recitatur Theodorus in sacris diptychis, Galata erat, qui ante tres annos defunctus est. Thomas diaconus dixit: Per istas sanctas scripturas, veritatem dico. Quinquaginta quinque annorum sum, quadragintanouem habeo in clero, & non scio neque audiui inscriptum esse sacris diptychis vel recitari eum, qui olim fuit nostræ ciuitatis Episcopus Theodorus. Audiui verò à senioribus hominibus, quòd beatus Cyrillus pro ipso insertus est, Alexandrinæ ciuitatis pontifex, qui & vsque nunc recitatur in sacris diptychis cum requiescentibus Episcopis nostræ ciuitatis. Cyrillum verò Episcopum fuisse in nostra ciuitate nescio, neque audiui. Iste verò, qui nunc recitatur in sacris diptychis Theodorus, ante tres annos mortuus, de Galatia erat. Ioannes diaconus dixit: Per istas sanctas scripturas, veritatem dico. Annorum sum sexaginta quinque plùs minùs: habeo verò in Clero quinquaginta annos, & non audiui vnquam Theodorum, qui olim fuit Episcopus nostræ ciuitatis, in sacris diptychis: nescio quando insertus est Cyrillus pro memorato Theodoro: scio verò prædicari in diptychis in connumeratione requiescentium Episcoporum nostræ ciuitatis Cyrillum Pontificem Alexandriæ, qui & vsque nunc prædicatur: Episcopum nomine Cyrillum nec scio, nec audiui nostræ ciuitatis fuisse. Theodorus verò, qui nunc recitatur in sacris diptychis, ante tres annos defunctus, de Galatia erat. Paulus diaconus dixit: Per istam virtutem, quæ scio, dico cum veritate: Sum annorum quinquaginta sex plùs minùs: habeo verò in clero connumeratus annos vigintitres, & nec cùm laicus essem, nec postquàm factus sum clericus, scio Theodorum veterem nostræ ciuitatis Episcopum, inscriptum esse sacris diptychis vel prædicari. Audiui verò, pro memorato Theodoro sanctum Cyrillum Pontificem Alexandrinæ ciuitatis insertum esse, & prædicari in diptychis in connumeratione requiescentium Episcoporum nostræ ciuitatis, & vsque nunc recitari: Cyrillum verò nomine nostrę fuisse ciuitatis episcopum nescio, nec audiui. Iste verò, qui nunc recitatur in sacris diptychis Theodorus, ante tres annos defunctus, de Galatia erat. Sanctissimi episcopi dixerunt: Ista quidem, quæ reuerentissim. clericorum scientiæ & memoriæ sunt, declarant robur eorum, quæ mota sunt: superest verò, vt etiam præsentem rem testimonium consequatur eorum, qui extra sacrum concilium sunt. Singulatim igitur præsentes clarissimi & honestissimi & laudabiles viri introducti, qui etiam ætate priores demonstrati sunt, declarẽt, tam vitæ tempus, quàm ea, quæcunque sciunt, propter causam, quæ nunc mouetur, per præsentia diuina & venerabilia Euangelia priùs confirmantes ea, quæ dicturi sunt. Eumolpius Comes dixit: Per istam virtutem, quicquid scio, veritatem dico: Sum annorum plus minus sexaginta: cognouit vero ve-

ſtra ſanctitas, quòd militabam miniſtrans diuinis & maximis iuſſionibus, & cùm peruenissem ad iſtam ciuitatem, communicans in ſancta Eccleſia, nunquam audiui prædicari in ſanctis diptychis nomẽ Theodori, qui fuit, ſicut dicitur à ſenioribus, Epiſcopus huius ciuitatis. Iſte enim, qui nunc recitatur Theodorus, de Galatia erat, qui ante tres annos defunctus eſt. Theodor. Comes dixit: Per iſtas ſanctas ſcripturas, quicquid ſcio, cum veritate dico: Quadragintaquinque annorum ſum plus minus, & non ſcio nomen Theodori veteris, qui dicitur fuiſſe noſtræ ciuitatis Epiſcopus, recitari in ſacris diptychis. Theodorus verò, qui diptychis nunc inſcriptus eſt, & prædicatur cum mortuis Epiſcopis, de Galatia erat, & ante tres annos defunctus eſt. Euſebonas Palatinus dixit: Per iſtam virtutem ſanctorum Euangeliorum, quicquid ſcio, cum veritate dico: Ex quo memini & conuenio in ſanctam Eccleſiam, non ſcio nomen Theodori veteris, quem dicunt huius ciuitatis Epiſcopum fuiſſe, in ſacris diptychis prædicatum: plus tamen ſum annorum quinquaginta. Stephanus Præfectianus dixit: Per iſtas ſanctas Scripturas, quicquid ſcio, veritatem dico: Annorum ſum ſexaginta vnius: nomen Theodori veteris epiſcopi Mopſueſtenæ ciuitatis non audiui in ſacris diptychis recitari. Audio verò in connumeratione Epiſcoporum noſtræ ciuitatis prædicari Cyrillum, qui, ſicut dicebant ſeniores, fuit Epiſcopus Alexandriæ magnæ ciuitatis, qui & vſque nunc cum requieſcentibus epiſcopis noſtræ Mopſueſtenæ ciuitatis recitatur: quoniam ſimplicius magis, quam curioſius accedens, diuina & inuiolata ſolitus ſum myſteria ſuſcipere. Ille enim, qui nunc inſertus eſt Theodorus, ante tres annos defunctus, de Galatia erat. Paulus Neonis dixit: Per iſtas ſanctas Scripturas, quicquid ſcio, cum veritate dico. Annorum ſum ſeptuaginta, & neque ſcio, neque audiui prædicari Theodorum veterem in ſacris diptychis, qui fuit epiſcopus noſtræ ciuitatis, nec quando leuatus eſt, vel quis pro illo inſertus eſt, ſcio: niſi iſtum Theodorum in Galatia audio prædicari, qui ante tres annos defunctus eſt. Anatolius Principalis dixit: Per iſtam virtutem, veritatem dico: Sum annorum ſexagintaquinque plus minuſue, Theodorum veterem Antiochenum, noſtræ ciuitatis epiſcopum neſcio in ſacris diptychis recitari, niſi Theodorum ante tres annos defunctum, qui de Galatia erat. Marinus Præfectianus dixit: Per iſtas ſanctas Scripturas, quicquid ſcio, veritatem dico. Annorum ſum ſexagintatrium plus minuſue, & non ſcio, vel inſertum eſſe, vel prædicari in ſacris diptychis nomen Theodori veteris, qui fuit epiſcopus iſtius ciuitatis. Theodorus verò, qui nunc recitatur, de Galatia erat, & ante tres annos defunctus eſt. Euſtathius dixit: Per iſtam virtutem, quæ ſcio, cum veritate dico. Sum annorum ſeptuaginta plus minusve, & non ſcio Theodorum, qui olim epiſcopus fuit Mopſueſtenæ ciuitatis, inſertum eſſe vel prædicari in ſacris diptychis noſtræ ſanctiſſimæ Eccleſiæ. Qui verò nunc recitatur in diptychis Theodorus, ante tres annos defunctus, de Galatia erat. Anatolius dixit: Per iſtas ſanctas ſcripturas, quicquid ſcio, cum veritate dico. Annorum ſum ſeptuagintatrium, & neſcio vel taxatum in ſacris diptychis ſacroſanctæ Eccleſiæ, vel prædicatum Theodorum veterem, factum noſtræ ciuitatis epiſcopum. Qui nunc verò nominatur, Theodorus eſt, qui ante tres annos defunctus eſt, Galata. Ruſinus architectus dixit: Per iſtam virtutem, quicquid ſcio, cum veritate dico. Septuaginta annorum ſum, & nec à parentibus meis audiui, nec ſcio, vel ex alio quodam audiui, inſertum eſſe vel prædicari in ſacris diptychis nomen Theodori, qui olim fuit hic epiſcopus. Theodorus verò, qui nũc prædicatur in ſacris diptychis, ille eſt, qui ante tres annos obijt.* Comitas agens in rebus & pater ciuitatis, dixit: Per iſtas ſanctas Scripturas, quicquid ſcio, veritatem dico. Neſcio nec audiui recitari nomen Theodori, qui olim fuit, ſicut dicunt, epiſcopus noſtræ ciuitatis. Sum verò annorum quadraginta. Theodorus agens in rebus, dixit: Per iſtam virtutem, quicquid ſcio, veritatẽ dico. Sum annorum quinquaginta, & non ſcio vel audiui inſertum eſſe ſacris diptychis nomẽ Theodori veteris, qui fuit in hac ciuitate, ſicut dicunt, epiſcopus.

Ioannes tabulatarius dixit: Per iſtam virtutem ſanctorum Euangeliorum, quicquid ſcio, veritatem dico. Sum annorum ſexagintaſeptem plus minusve, & Theodorum veterem, qui fuit epiſcopus noſtræ ciuitatis, non ſcio recitari. Iſte verò, qui nunc prædicatur Theodorus, eſt de Galatia, qui ante tres annos mortuus eſt, qui fuit noſter epiſcopus. Addæus dixit: Per iſtas ſanctas Scripturas, quicquid ſcio, cum veritate dico. Sum Domine ſexaginta annorum, & non ſcio, nec audiui vnquam prædicari in ſacris diptychis nomen Theodori veteris, qui hic epiſcopus fuit. Ante tres autem annos defunctus eſt Theodorus de Galatia, qui hic epiſcopus fuit, & ipſe prædicatur cum alijs epiſcopis mortuis. Marcus Præfectianus dixit: Per iſtam virtutem ſanctorum Euangeliorum, quicquid ſcio, cum veritate dico. Sum annorum quinquaginta quinque, & non ſcio, nec audiui in ſacris diptychis recitari Theodorum veterem, qui hic epiſcopus fuit, niſi iſtum Theodorum Galatam, qui ante tres annos mortuus eſt. Ioannes lecticiarius dixit: Per iſtas ſanctas Scripturas, quicquid ſcio, veritatem dico. Sum annorum ſeptuaginta, & non ſcio, nec audiui prædicari in ſacris diptychis nomen Theodori veteris, qui hic fuit epiſcopus, niſi iſtum Theodorum Galatam, qui ante tres annos mortuus eſt. Niceta tabulatarius dixit: Per iſtam virtutem, quicquid ſcio, cum veritate dico. Sum annorum quinquagintaquatuor, & non ſcio, nec audiui nomen Theodori veteris in ſacris diptychis recitari ſanctiſſimæ noſtræ Eccleſiæ, ſed qui nunc recitatur Theodorus eſt, qui ante tres annos mortuus eſt epiſcopus. Ioannes miſericordia Dei epiſcopus Iuſtinopolitanæ metropoleos, & Thomas epiſcopus Ægææ ciuitatis, & Stephanus epiſcopus Caſtabaleorum, & Niceta epiſcopus Epiphaneorum, & Andreas epiſcopus Flauiadeorum, & Procopius epiſcopus Irenopolitanorum, & Vrbicius epiſcopus Alexandrinæ ciuitatis, & Antoninus epiſcopus Roſeorum, & Coſmas epiſcopus Mopſueſtiæ, dixerunt: Nec ciuitatem in alto poſitam tegere aliquis, nec abſcondere poterit, nec veritatis lumen obumbrare ſemper aliquis valet. Splendet enim dilucide rectæ & immaculatæ fidei lumen, & ſub nulla hæreſeos nube tenebris cooperitur: & nunc veritatis reuelata eſt ratio, & valde euidenter declarata eſt, Theodorum veterum, qui per iſtam ciuitatem fuit epiſcopus, in antiquis temporibus extra prædicationem diuini myſterij fuiſſe, & ſacris diptychis eiectum eſſe: pro illo verò alterum conſtitutum eſſe, & in illius vocabulum, inſcriptum eſſe Cyrillum ſanctæ memoriæ. Iſta enim demonſtrauit planè & ſine dubio teſtimonium, quod cum iuramenti factum eſt, virorum religioſiſſimorum, & clariſſimorum, & laudabilium, qui in præſenti in medium producti ſunt. Sed etiam nos ipſi, ſacra præ manibus gerentes diptycha eorum, qui antecefſerunt, ſanctorum huius ciuitatis epiſcoporum, inuenimus cum veritate, Theodori quidem veteris nullam penitus inſertam eſſe memoriam, Cyrilli verò ſanctæ memoriæ vocabulum inſertum eſſe, & inadulterata eſſe ſacra diptycha, quæ prolata ſunt, ex ipſo conſideraui mus viſu. Demonſtrant verò euidenter, Cyrillum ſanctæ memoriæ in alterius loco inſertum eſſe, eo quòd nullus per iſtam ciuitatem fuit paſtor eiuſdem vocabuli, ſecundùm quod teſtimoniorum robur explanat. Manifeſtum verò & illud teſtium fecit aſſertio, Theodorum, qui in fine ſacrorum diptychorum ſcriptus eſt, nõ eſſe illum veterem, ſed eum, qui ante tres annos mortuus eſt, qui ex Galatia erat, quem & nos noſtræ connumerationis fuiſſe cognoſcimus. His igitur pro veritate demonſtratis, Chriſtianiſſimo & pijſſimo noſtro Imperatori nota omnia, ſecundùm quod placuit eius Chriſtianæ ſerenitati, faciemus, & in omnibus ſanctiſſimo & beatiſſimo antiquioris Romæ Papæ. Sed & communi omnes voce cœleſtem ſupplicamus Deum: Saluum fac Domine Imperatorẽ, & exaudi eum in quacunque die te inuocauerit.

Hæreſes non obſeurant veram fidem.

Ioannes miſericordia DEI epiſcopus Iuſtinopolitanæ Metropoleos: apud me confecta ſunt antè poſita geſta, & ſubſcripſi.

Thomas miſericordia DEI epiſcopus Ægææ ciuitatis: in conſpectu meo confecta ſunt antè poſita geſta, & ſubſcripſi.

Stephanus miſericordia Dei epiſcopus Caſtabaleorum ciuitatis: coram me confecta ſunt ante poſita geſta, & ſubſcripſi.

Niceta miſericordia DEI epiſcopus Epiphaneorum ciuitatis: coram me confecta ſunt antè poſita geſta, & ſubſcripſi.

Andreas

Andreas misericordia DEI episcopus Flaviadeorum ciuitatis: coram me confecta sunt antè posita gesta, & subscripsi.

Procopius misericordia Dei episcopus Irenopolitanæ ciuitatis: coram me confecta sunt ante posita gesta, & subscripsi.

Vrbicius misericordia DEI Episcopus Alexandrini oppidi: coram me confecta sunt ante posita gesta, & subscripsi.

Antoninus misericordia DEI episcopus Roseorum ciuitatis: coram me confecta sunt antè posita gesta, & subscripsi.

Cosmas misericordia DEI Episcopus Mopsuestenæ ciuitatis: coram me confecta sunt antè posita gesta, & subscripsi.

Facta est verò & suggestio ad sanctissimum Papam antiquioris Romæ Vigilium ab ijsdem episcopis, ita habens: Decebat vere cum primam * sacerdotes dignitatem sortiti estis sanctissimi, ea, quæ ad sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ diuinitus honoratæ beatitudini fieri. Hoc benè & Christianissimus noster Imperator cõsiderans, & ad vestram scientiam quædam, quæ de Theodoro quondam Mopsuestenæ Ecclesiæ episcopo mota sunt, iussit referri. Pijssimis enim ad nos literis vsus, hortatus est ad Mopsuestenam ciuitatem conuenire, quæ vna secundæ Ciliciæ est, & cum subtilitate perscrutari, quando Theodorus, qui olim prædictæ ciuitatis fuit episcopus, sacris diptychis eiectus est, & manifesta ea tam eius tranquillitati, quam vestræ diuinitus honoratæ facere beatitudini. Statim igitur Mopsuestiã accedentes, religiosissimum congregauimus clerum, & fidelem eius populum, eligentes eos, qui seniores sunt, qui & retinere forsitan memoria possent subtilitatem eius, quòd quærebatur: & diuina & adoranda eis proponentes Euangelia, vt suspicionem sui testimonij emundarent, dicere inuitauimus, si sciunt, quo tempore Theodori antiqui nomen sacris eiectum est diptychis. Illi verò multos annos, & suam excedentes memoriam esse iurauerunt, ex quo nulla eiusdem Theodori memoria sacris diptychis infertur: Cyrillum autem religiosæ memoriæ Alexandrinæ ciuitatis Pontificem in eius loco inscriptum esse, quæ ex patribus suis audisse asseruerunt. Sed eorum, quæ dicebantur, subtilitatem inuestigantes, & per ipsa venimus sacra diptycha: & mortuorum Episcoporum cõnumerationem considerabamus: & Theodori quidem in antiquioribus temporibus nullam memoriam inuenimus, in ipso verò fine sacrorum diptychorum Theodorus scriptus est, quem omnes nuper quidem mortuum esse dixerunt, ex Galatia vero ortum esse prouincia. Hunc & nos omnes nostri Concilij partem factum, ante triennium mortuum esse cognoscimus. Hæc ita habere, ipsa gesta vobis sanctissimis manifestent, quæ humili suggestioni coniungentes, ad scientiam vestram destinauimus. Sed petimus diuinitus inspiratos vos religiosissimis & Deum placantibus vestris orationibus nos humiles suffulcire. Et subscripserunt Episcopi in ea.

Sancta Synodus dixit: Sufficiunt quidem, quæ dicta & prolata sunt, Ecclesiasticam traditionem demonstrare, eo quòd oportet hæreticos & post mortem anathematizari. Et reliqua verò omnia, quæ mota sunt, ostendunt, quemadmodum ex prolixis temporibus Theodorus Mopsuestenus, propter impia sua conscripta, & post mortem à catholica ecclesia eiectus est. Sed de his quidem sententia paulo post manifestemus: nunc verò & quæ collecta sunt ex Theodoriti conscriptis, contra rectam fidem expositis, & contra sanctæ memoriæ Cyrillum & duodecim eius capitula, necnon pro Theodoro & Nestorio & eorum blasphemijs, recitentur. Et cum suscepisset Photinus reuerendissimus diaconus & notarius, recitauit. Ex his, quæ à Theodorito scripta sunt aduersus duodecim capitula sancti Cyrilli.

(:)

EX HIS, QVÆ AD PRIMVM Anathematismum scripsit.

CErtum igitur est ex prædictis, quòd Dei forma non immutata in serui formam, sed manens quod erat, sumpsit serui formam. Si igitur non factus est caro Deus verbum, sed carnem viuam & rationabilem recepit, non ipse natura ex Virgine natus est, conceptus est, complasmatus & formatus, & initium indè vt esset accipiens, qui ante secula est, & Deus est, & ad Deum est, & cum patre est, & cum patre cognoscitur & adoratur. Sed cùm sibi templum in virginali vtero complasmauit, cum illo erat, qui complasmatus, & conceptus, & formatus, & natus est. Quapropter & sanctam illam virginem DEI genitricem appellamus, non quòd Deum natura genuit, sed quòd hominem Deo vnitum, qui eum complasmauit.

EIVSDEM THEODORITI EX HIS, quæ sunt aduersus Anathematismum secundum.

VNVM quidem Christum confitemur, diuinis doctrinis Apostolorũ obedientes, & eundem propter vnitatem Deum & hominem nominamus: vnitatem verò, quæ est secundùm subsistentiam, omnino ignoramus tanquam nouam & alienigenam diuinarum scripturarum, & patrum, qui eas interpretati sunt.

EIVSDEM EX HIS, QVÆ SVNT contra quartum Anathematismum.

CVI igitur adscribamus hoc quod est, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? & hoc quod est, Pater, si potest fieri, trãseat Calix iste à me. Et hoc quod est, Pater, saluum me fac ab ista hora. & hoc quod est. Horam illam nemo cognouit, neque filius hominis: & alia, quæ humiliter ab ipso, & à sacris Apostolis de ipso dicta & scripta sunt? Cui esuritionem, & sitim applicemus? Cui laborem & somnum? Cui ignorantiam & formidinem? Quis est, qui angelico indiguit auxilio? Si Dei verbi hæc sunt, quomodò ignorauit sapientia? Matth. 27. Matth 26. Ioan. 12. Marc. 13. Luc. 22.

ET POST ALIA.

NON erat Dei verbi ignorantia, sed serui formæ: quæ tanta in illo tempore cognoscebat, quanta inhabitans Deitas reuelauit.

EIVSDEM ADVERSVS DECImum Anathematismum.

QVIS est, qui laboribus virtutis perfectus est, & non natura perfectus existens? Quis est, qui experimento cognouit obedientiam, & istam ignorans ante experimentum? Quis est, qui cum reuerentia vixit, & cum labore forti & lachrymis supplicationes obtulit, & saluũ se facere non potens, sed obsecrans illum, qui poterat saluum facere, & mortis liberationem postulans? Non Deus verbum, qui immortalis est, qui impassibilis, qui incorporalis. Hebr. 5.

ET POST ALIA.

SED id, quod ex semine Dauid sumptum ab ipso est, quod est mortale, quod est passibile, quod timet mortem, licet postea destruxerit mortis potentiam propter vnitatem Dei, qui hoc recepit, quod per omnem ambulauit iustitiam, & ad Ioannem dixit: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Hoc summi sacerdotij appellationem accepit, secundùm ordinem Melchisedech. illud enim habebat naturæ infirmitatem.

EIVSDEM EX EPISTOLA QVAM ad monasteria contra sanctum Cyrillum scripsit.

Epistola Theodoriti contra Cyrillum impia.

QVI prope stant, derident nostram pugnam, & nostris fruuntur malis, & gaudent videntes nos à nobisipsis consumptos. Causa verò istorum sunt, qui Apostolicam corrumpere fidem contendunt, & euangelicis dogmatibus instabilem doctrinam imponere præsumunt, & impij Cyrilli capitula cum anathemate in regiam ciuitatem transmiserunt suscipientes, & suis scriptionibus, vt putauerunt, confirmantes, quæ manifestè ex amara Apollinarij radice exorta sunt: eandem vero habent Arij & Eunomij blasphemiam. Quòd si quis subtiliter perspicere voluerit, nec ab insania Valentini & Manæ & Marcionis aliena sunt. Nam in primo quidem capitulo dispensationem pro nobis factam eiecit, non recepisse Deum verbum naturam humanam, sed ipsum in carnem mutatum esse docens, & suspicione & phantasia Saluatoris nostri humanationem, sed non verè factam esse dogmatizans. Hæc verò ab impietate Marcionis, & Manæ, & Valentini generata sunt. In secundo autem & tertio capitulo quasi oblitus eorum, quæ in principijs exposuit, vnitatem, quæ est secundùm subsistentiam, introducit, & conuentum per vnitatem naturalem, temperationem quandam & cõfusionem per hæc nomina factam esse docens diuinæ naturæ & serui formæ. Hoc verò ab Apollinarij hæretica insania natum est. In quarto verò capitulo Euangelicarum & Apostolicarum vocum diuisionem abdicat, & non permittit secundùm Orthodoxorum patrum doctrinas eas quidem, quæ Deo conueniunt, voces in diuina * excipere natura, humiliores verò & humaniter dictas * recipi & * applicare humanitati, & inde igitur est inuenire benè sapientes impietatis cognationem. Arius etenim & Eunomius creaturam, & ex his, quæ non sunt, & seruum vnigenitum DEI Filium dicentes, humana, quæ à Domino Christo humaniter dicta sunt, Deitati ipsius applicare ausi sunt, alienũ paternæ substantię & dissimilem inde eum ostendere festinantes. Super hæc, vt compendiosè dicam, ipsam impassibilem & non mutabilem Christi Deitatem, & pati, & crucifigi, & mori dicit. Hoc verò & Arij & Eunomij * superat. Nec enim hi, qui creaturam audent dicere creatorem omnium & opificem, in istam excesserunt impietatem. Blasphemat verò & sanctum spiritum, non ex patre ipsum procedere dicens secundùm Domini vocem, sed ex filio esse. Et iste verò Apollinarij seminum fructus est: propinquat verò & Macedonij malignæ culturæ. Tales sunt Ægyptij * partes maligni: patris verò peior progenies. Hæc cùm oporteret vel abortiua facere in ipsa conceptione, aut statim nata corrumpere eos, quibus animarum medicina commissa est, vtpotè pernicioſa, & nostræ naturæ læsiones, nutriunt magnanimi, & multo digna esse studio iudicant, ad perniciem tam suam quàm aliorum, qui aures eis patiuntur præstare.

* de est, insaniã, aut aliquid eiusmodi

for. * partus

EX ALLOCVTIONE THEODORITI DICTA aduersus sanctum Cyrillum Chalcedone, statim post Ephesinam primam Synodum, cùm ab Epheso ascendisset ad Constantinopolim vna cum Orientalibus, pro Nestorio quasi iniustè condemnato.

VIDES quomodò & differentiam naturarum scio, & vnitatem non soluo, ô noue Christi impugnator, magis verò Dei impugnator? Hunc præscripto consilio & præscientia Dei traditum capientes, per manum iniquorum adfigentes interfeciſtis, quem Deus resuscitauit ex mortuis, solutis vinculis inferni.

Act. 2.

EX ALIA ALLOCVTIONE, DICTA in eadem ciuitate contra sanctæ memoriæ Cyrillum.

NVNQVID soluo vnitatem, ô noue hæretice, neque tu confundis naturas? Dic inconfusam vnitatem, & susceptio vocem. Sed quid dicis, quòd vna natura duæ naturæ factæ sunt? Quis te hæc propheta erudiit? quis Apostolorum primus, secundus, medius, vltimus, qui est post duodecim, Paulus? Barnabas? Quis posterior illis doctor? Discetuum doctorem. Hoc Asterius Arianus genuit, & Apollinarius tuus pater. Te ipsum enim filium illius constituisti: cuius dogmatum hæres factus es, sis & appellationis hæres merito.

De hoc Asterio Nicen. li. 8. ca.

EIVSDEM EX ALLOCVTIONE, scripta in eadem ciuitate pro Nestorio.

CHRISTVS nobis præcedat sermonem: Christus, propter quem terribiles Propontidis contemnitis fluctus, vt nostram vocem exaudiretis, imaginem putantem esse eam vocis vestri pastoris. Desideratis enim audire iucundos sibilos vestri pastoris, quem * compastores arundinibus occiderunt, sicut arbitrantur: at Deus per prophetam clamat: Pastores plurimi corruperunt vineas meas, contaminauerunt portionem meam, posuerunt portionem meam amabilem in desertum inuium.

aliqui vertit * pastores socij Hieremiæ.

EPISTOLA THEODORI AD EPIscopum Andream Samosatenum scripta ab Epheso.

ABEpheso scribens saluto tuam sanctitatem, quam beatifico quidem infirmitatis, amabilem verò Deo existimo, quoniam auditu, non experimento, cognouit mala, quæ hic facta sunt, mala omnem rationis vim superantia, & historicam vincẽtia narrationem, continuisque lachrymis & perpetuis fletibus digna. Periclitatur enim Ecclesiæ corpus dirumpi, magis id verò iam incisionem susceperit, nisi ille sapiens medicus diuisa & putrefacta membra reficeret & coniungeret. Insanit iterum Ægyptus aduersus Deum, & bellat cum Mose & Aaron & famulis eius, & plurima pars Israel aduersarijs consensit, nimis verò pauci sunt sani, qui & pro pietate labores spontè sustinent. Deculcata sunt pietatis venerabilia. Illi, qui depositi sunt, sacerdotalia ministeria peragunt: & qui deposuerunt, domi sedent gementes. Illi, qui cum depositis excommunicati sunt, depositos liberauerunt depositione, sicut arbitrati sunt. Talem ludunt synodum Ægyptij, & Palæstini, & Pontici, & Asiani, & cum his occasus. Plurima enim pars orbis terrarum morbum susceperit. Quales mimi ridiculorum in tempore impietatis sic pietatem in Comœdia deluserunt? Qualis verò Comediæ scriptor talem vnquàm fabulã recitauerit? Qualis verò Tragœdiæ poëta dignè fletus eorum conscripserit? Tanta & talia Dei Ecclesiæ mala insultauerunt, magis verò breuissimam particulam narraui eorum, quæ præsumpta sunt.

EIVSDEM AD NESTORIVM, POST vnitatem inter Orientales & sanctissimum Cyrillum factam.

DOMINO meo reuerendissimo, & religiosissimo, & sanctissimo patri, Episcopo Nestorio Theodoritus in Domino gaudere. Quòd non vrbana conuersatione delector, nec seculari curatione, nec gloria, nec altis sedibus sum alligatus, arbitror scire tuam sanctitatem. Licet enim & nihil aliud, ipsa tamen solitudo ciuitatis, quam gubernare sortitus sum, sufficit hãc me philosophiam docere. Non solùm enim solitudinem, sed etiam plurimos habet rerum tumultus, qui possunt facere pigros etiam eos, qui valde eis gaudent. Nemo igitur persuadeat tuæ sanctitati, quòd ego episcopalem sedem cupiens, cohibendo oculos meos, tanquam orthodoxas susceperi Ægyptiacas literas. Vt enim cum ipsa veritate illas cam, sæpius eas perlegi, & subtiliter discussi, & hæretica illas

amaritu-

amaritudine liberatas esse inueni, & timui quandam maculam eis imponere: & certè in odio habens quàm alius quidam, patrem illarum, tanquam authorem tumultum existentem orbis terrarum, & spero nullas pœnas sustinere huius gratia in die iudicij, quoniam intentionem iustus iudex exquirit. His verò, quæ aduersus tuam sanctitatem iniustè & contra leges facta sunt, nec si ambas manus meas aliquis incidet, patiar consentire, diuina videlicet gratia me adiuuante, & infirmitatem animæ supportante. Et hoc certum exigentibus per literas feci, direxi verò etiam tuæ sanctitati, quæ rescripsimus ad ea, quæ scripsit nobis, vt cognoscas quòd nullum nos tempus propter diuinam virtutem mutauit: nec multipedes vel verspelliones docuit, quorum hi quidem petras, illi folia per colorem imitantur. Vniuersam fraternitatem, quæ tecum est, in Domino ego & qui mecum sunt, plurimum salutamus.

THEODORETI AD IOANNEM Episcopum Antiochiæ.

QVONIAM sapienter gubernat Deus, & nostræ prouidens concordiæ, & populorum procurans salutem, congregare nos in vnum præparauit, & consonantes sibi omnium ostendit voluntates. Communiter enim perlegentes Ægyptiacas literas, & examinantes earum subtiliter sensum, inuenimus consonantes dictis à nobis eas, quæ inde directæ sunt, & palam contrarias duodecim capitulis, quibus vsque ad præsens, vt alienis à pietate, repugnantes permansimus. Nam illa quidem habebant, carnaliter carnem factum esse Dei verbum, & per subsistentiam vnitatem, & conuentum per vnitatem naturalem, & Deum verbum primogenitum factum ex mortuis. Abdicabant verò & vocum diuisionem, quæ de Domino factæ sunt: & alia verò adhæc habebant Apostolicis quidem aliena, hæreticorum verò germina zizaniorum. Quæ verò nunc directæ sunt, Euangelica generositate decorantur.

THEODORETI AD IOANNEM ARCHIEpiscopum Antiochiæ Epistola, scripta, cùm mortuus esset Cyrillus Archiepiscopus Alexandriæ.

SERO tandem & vix malus homo defunctus est. Boni enim & benigni ante tempus inde demigrant: mali verò in multo tempore vitam producunt. Et arbitror omnium dispensatorem bonorum prouidentem, celerius quàm tempus est, humanis tribulationibus eos abducere, & tanquam victores liberare luctationibus, & in meliorem vitam transducere: quæ vita præmium propositum est his, qui pro virtute luctantur, fine, & tristitia, & solicitudine libera. Malitiæ verò amatores & operatores diutius concedit præsenti vita frui, vt aut satietatem caperent malignitatis, & virtutem postea discerent, aut pœnas darent & in hoc seculo, pro molestia suorum morum longo tempore amaris & malis vitæ præsentis fluctibus æstuantes. Illum verò miserum nec ad similitudinem aliorum dimisit nostrarum animarum gubernator diutius eorũ potiri, quæ videntur esse delectabilia: sed crescentem quotidiè viri malignitatem sciens & corpori Ecclesiæ nocentem, quasi quandam pestem amputauit, & abstulit opprobrium à filijs Israël. Lætificauit quidem superstites illius discessio: Contristauit verò forsitan mortuos, & timor est, ne prægrauati eius conuersatione, iterum ad nos remittant, vel illos diffugiat, qui eum abducunt, sicut ille tyrannus Cyni Ciliciam. Procurandum igitur est, & oportet tuam sanctitatem maximè hanc suscipere festinantiam, & iubere collegio mortuos absportantium lapidem aliquem maximum & grauissimum sepulcro imponere, ne iterum huc perueniret, & instabilem voluntatem iterum demonstraret. Infernis noua dogmata adferat: ibi diu noctuque sicut vult sermocinetur. Non enim timemus, ne & illos diuideret, aduersus pietatem publicè alloquens, & morte circundans naturam immortalem. Lapidabunt enim eum non solùm, qui diuina eruditi sunt, sed etiam & Nemrod, & Pharao, & Sennacherib, & si quis eorum similis est Dei impugnator. Sed enim sine causa multa loquar: silet enim miser inuitus. Egredietur enim, dicit, spiritus eius, & reuertetur in puluerem suum. In illo die peribunt omnes cogitationes. Iste verò & aliud habet silentium. Nudata enim illius facta alligant linguam, obstruunt os, frenant sensum, silere faciunt, in terram inclinare cogunt. Ideo plango miserum & ploro. Nec enim puram mihi delectationem fecit mortis eius nunciatio, sed dolore permixtam. Lætor enim & iucundor, eius modi pestilentia commune Ecclesiæ videns liberatum: contristor verò & ploro, cogitans quòd nec requiem malorum miserabilis susceperit, sed maiora & peiora pertentans defunctus est. Somniauit enim, sicut dicunt, & regiam vrbem perturbare, & pijs iterum dogmatibus repugnare, & tuam sanctitatem accusare, vtpotè ea colentem. Sed videt Deus & non despexit: immisit verò fimum in os eius, & frenum in labia eius, & auertit eum in terra, ex qua sumptus est. Fiat verò orationibus tuæ sanctitatis, vt misericordiam & veniam consequatur, & vincat immensa Dei clementia illius malignitatem. Rogo verò tuam sanctitatem, soluere nobis animæ tumultus. Plurimæ enim & diuersæ famæ circunsonant & nos, & perturbant, communes calamitates annunciantes. Quidam verò & tuam reuerentiam proficisci dicunt ad Comitatum sine voluntate: & vsq; nunc despiciebam, vtpotè falsa ista, quæ diuulgantur. Quoniam verò vidi sola eademque omnes dicentes, necessarium existimaui veritatem à tua discere sanctitate, vt vel rideamus vtpotè falsa, aut vt vera meritò lugeamus.

ET ITERVM POST MORTEM BEATI Cyrilli idem Theodoritus in allocutione dicta Antiochiæ, præsente Domno, insultans morti eius, hæc dicit:

NEMO neminem iam cogit blasphemare. Vbi sunt dicentes, quòd Deus est, qui crucifixus est? Non crucifigitur Deus. Homo crucifixus est Iesus Christus, qui ex semine est Dauid, filius Abrahæ. Homo est, qui mortuus est, Iesus Christus: Deus verò verbum resuscitauit suum templum. Qui est ex Dauid, sicut Dauid est: homo hominem generat. Qui verò natura Filius Dei est, hic est Deus verbum. Christus verò est filius Dauid, sed templum est Filij Dei. Non iam est contentio: Oriens & Ægyptus sub vno iugo est. Mortua est inuidia, & cum eo obruta est cõtentio: requiescant Theopathitæ.

ET ITERVM IN ALIA ALLOcutione sic dixit:

PAlpauit Thomas eum, qui resurrexit, & adorauit eum, qui suscitauit.

Sancta Synodus dixit: Et ex his, quæ Theodoritus impiè conscripsit, miranda est subtilitas sancti Chalcedonẽsis Concilij. Sciens enim eius blasphemias, prius quidem multis sæpius vsa est contra eum exclamationibus: postcà verò non aliter eum suscepisset, nisi prius anathematizasset Nestorium & eius blasphemias, pro quibus antea scripsit defendens eas. Cùm itaque & quæ de his proposita sunt, finem acceperunt, alio die de reliquo capitulo nobis quæstio proponetur.

(:)

Psal. 145.

COLLATIO VI.

IMPERII DOMINI IVSTINIANI PERPETVI AVGVSTI,

Anno XXVII. post Consulatum Basilij viri Clariss. Anno xij. die 14. Kalendas Iunias, Indictione prima.

CONSIDENTIBVS in secretario venerabilibus Episcopis huius regiæ ciuitatis, Eutychio sanctissimo Patriarcha regiæ Constantinopolis nouæ Romæ.

Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandrinę magnę ciuitatis.

Domino sanctissimo Patriarcha * Theopolitanæ magnæ ciuitatis.

Stephano religiosissimo episcopo Raphiæ.

Georgio religiosissimo episcopo Tiberiadis.

Damiano religiosissimo episcopo Sozysæ, vicem agentibus Eustochij sanctissimi episcopi Hierosolymitani.

Benigno religiosissimo episcopo Heracleæ * Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatissimi Episcopi Thessalonicensis.

Theodoro religiosissimo episcopo Cæsareæ primæ Cappadociæ prouinciæ.

Andrea religiosissimo episc. Ephesi.

Sextiliano religiosissimo episc. Tunienſi, vicem agente Primosi religiosiss. Episc. Carthaginis.

Megetio religiosiss. episc. Heracleæ Thraciæ.

Anastasio religiosiss. episc. Tabię, vicem agente Dorothei religiosiss. episc. Ancyræ.

Ioanne reuerendissimo episcopo Ilienſi, vicem agente Euprepij religiosissimi episcopi Cyzicenæ ciuitatis.

Eusebio religiosiss. episcopo Tyri.

Ioanne religiosiss. episc. Nicomediæ.

Stephano religiosiss. episc. Nicææ.

Constantino religiosiss. episc. Chalcedonenſi.

Petro religiosissimo episcopo Tarſi.

Ioanne reuerendiss. episc. Cucusorum, vicem agente Palladij religiosissimi episc. Melitenæ.

Ioanne religiosiss. episc. Cæsareæ Palæstinæ.

Pompeiano religiosiss. episc. Byzacij.

Amazonio religiosiss. episc. Edessæ.

Alexandro religiosiss. episc. Gangrorum.

Thoma religiosiss. episco. Apameæ Syriæ.

Euphranta religiosiss. episc. Tyanorum.

Theodoro religiosissimo Episcopo Hierapolis Syriæ.

Bosphorio religiosiss. episc. Neocæsareæ.

Ioanne religiosiss. episc. Bostræ.

Philippo religiosiss. episc. Myrorum.

Theodoro religiosiss. episc. Seleuciæ Isauriæ.

Iuliano religiosiss. episc. Dardenſi.

Theodoro religiosiss. episc. Gortynæ.

Eustathio religiosiss. episc. Damasci.

Theodosio religiosiss. episc. Rhodi.

Firmo religiosissimo episcopo Tiparon Africanæ prouincię.

Theodoro religiosiss. episc. Antiochiæ Pisidiæ.

Phoca religiosiss. episc. Stalienſi.

Eulogio religiosiss. episc. Perg.

Seueriano religiosiss. episc. Aphrodisiadis.

Cyriaco religiosiss. episc. Amidæ.

Seuero religiosiss. episc. Synnadorum.

Petro religiosiss. episc. * Sydæ.

Abrahamio religiosiss. episc. Sergionopolitano.

* Sidæ. Asignio reuerendiss. episcopo * Tranopolitano, vicem agente Ioannis religiosissimi episcopi Laodiceæ Phrygiæ Patianæ.

Ioanne religiosissimo episcopo Adrianopolitano Thraciæ.

* Crisconio religiosiss. episc. * Cuiculi.

Theodosio religiosiss. episcop. Iustinianopolitano secundæ Cappadociæ.

Stephano religiosissimo episcopo Laodiceæ siue Theodoriadis.

Auxanone religiosiss. episc. Hierapolis Phrygiæ.

Eustathio religiosiss. episc. Maximianopolitano.

Ætherio religiosiss. episc. Anazarbi.

Dometio religiosiss. episc. Chalcidis.

Valeriano religiosissimo episcopo Obbæ Africanæ prouinciæ.

Dionysio religiosiss. episc. Seleuciæ Syriæ.

Theodoro religiosiss. episc. Dryziparon.

Seuero religiosissimo episcopo Pompeiopolitano Paphlagoniæ.

Georgio religiosiss. episc. Iustinianæ Cypselon.

Romano reuerend. episc. Gabalon.

Gregorio reuerendissimo episcopo Iustinianopoleos Armeniæ.

Ioanne reuerendiss. episc. Nyssæ.

Basilio reuerendissimo episcopo Iustinianopolitano * Camilianorum.

Ioanne reuerendiss. episc. Barcusorum.

Cresconio reuerendissimo episco. Zattarenſi prouinciæ Numidiæ.

Sergio reuerendiss. episc. Cynon secundæ Ægypti.

Christophoro reuerendissimo episcopo Archadiopolitano Asiæ.

Theodosio reuerendiss. episc. Bybli.

Leontio reuerendiss. episc. Archæ.

Ioanne reuerendiss. episc. Myrinæ.

Alexandro reuendiss. episc. Amphipolitano.

Stephano reuerendiss. episc. Clysmatis.

Thoma reuerendiss. episc. Berissæ.

Aristodemo reuerendiss. episc. Philomelij.

Thallelæo reuerend. episc. Adrianopolis Pisidiæ.

Theoctisto reuerendiss. episc. Erythron.

Diogeniano reuerend. episc. Sozopolitano.

Basso reuerendiss. episc. Tamathenſi.

Anatolio reuerendiss. episc. Cymæ.

Diogene reuerendiss. episc. Cratiæ.

* Restituto reuerendissimo episcopo Mileon Africanæ prouincæ.

Theodoro reuerendissimo episcopo Leontopolitano Ægypti.

Æmiliano reuerendiss. episc. Antipyrpi.

Theoctisto reuerendiss. episc. Prusæ.

Georgio reuerendiss. episc. Ptolemaidis.

Sotero reuerendiss. episc. Aulonis.

Zosimo reuerendiss. episc. Antandri.

Cypriano reuerendiss. episc. * Coryci.

Elia reuerendiss. episc. Diocletianopolitano.

Theona reuerendiss. episc. Cusson.

Theodoro reuerendiss. episc. * Limyron.

Gennadio reuerendiss. episc. Zenonopolitano.

Asyncretio reuerendiss. episc. Aradi.

Stephano reuerendiss. episc. Botyron.

Philippo reuerendiss. episc. Phelli.

Mena reuerendiss. episc. Demyriangelis.

Genethlio reuerendiss. episc. Dorylaij.

Thoma reuerendiss. episc. Constantinæ.

Theodoro reuerendiss. episc, Leontopolitano.

Seuero reuerendiss. episc. Taborum.

Theoctisto reuerendiss. episc. Halicarnasi.

Cosma reuerendiss. episc. Malli.

Dionysio reuerendiss. episc. Megarenſi.

Callinico reuerendiss. episc. Opuntis.

Paschasio reuerendiss. episc. Egij.

Erasmo reuerendiss. episc. Cybiræ.

Ioanne reuerendissimo episcopo Neocæsareæ Euphratensis.

Nonno reuerendiss. episc. Clausarorum.

Stephano reuerendiss. episc. Balaneon.

Thoma reuerendiss. episc. * Circicij.

Anatolio reuerendiss. episc. Sebastæ.

Constantino reuerendiss. episc. Midaij.

Macario reuerendiss. episc. Prymnesiæ.

Megalo reuerendiss. episc. Myri.

Thallelæo reuerend. episc. Isindorum.
Niceta reuerend. episc. Epiphaniæ.
Alexandro reuerend. episc. Dionysi.
Pelagio reuerend, episc. Azaron.
Hierone reuerend. episc. Anastasiopolitano Phrygiæ.
Glauco reuerend. episc. Alion.
Procopio reuerend. episc. Aainoi.
Petro reuerend. episc. Dometiopolitano.
Ioanne reuerend. episc. Coloniæ.
Vranio reuerend, episc. Trallienſi.
Ioanne reuerend. episc. Cerasuntis.
Phronymo reuerend. episc. Sinaij.
Macedonio reuerend. episc. Iustinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerend. episc. Teni.
Eulogio reuerend. episc. Danaborum.
Theodoro reuerend. episc. Coradeon.
Helpidiphoro reuerend. episc. Anastasiopolitano Cariæ.
Cyrione reuerend. episc. Dadimorum.
Theodoro reuerend. episc. Laodiceæ.
Sila reuerend. episc. Tiberiopolitano.
Diogene reuerend. episc. Augustopolitano.
Theodoro reuerend. episc. Ingilon.
Iuliano reuerend. episc. Zeugmatis.
Dorymenio reuerend. episc. Adraon.
Ioanne reuerend. episc. Leri.
Theodoro reuerend. episc. Gargaron.
Theodoro reuerend. episc. Comanorum.
Rufino reuerend. episc. Sebastæ Armeniæ.
Conone reuerend. episc. Semneon.
Cyriaco reuerend. episc. Casatorum.
Sisinnio reuerend. episc. Præneti.
Iuliano reuerend. episc. Batnon.
Anastasio reuerend. episc. Rachlæ-
Theodoro reuerend. episc. Porthmi.
Paulo reuerend. episc. Stectorij.
Stephano reuerend. episc. Amasiæ.
Paulo reuerend. episc. Adrassi.
Euandro reuerend. episc. Cnidi.
Mena reuerend. episc. Carpathij.

Diodorus Archidiaconus & Primicerius reuerentissimorum notariorum, dixit: Scit vestra sancta Synodus, quòd præcedenti die post quæstionem factam de Theodoriti cõscriptis, promisistis alio die & quod supereſt examinare capitulum, id est, epistolam, quę dicitur Ibæ. Hoc igitur ipsum suggerimus, ad quod placuerit.

SANCTA SYNODVS DIXIT:
Quæ iam gesta sunt, relegantur. Quo facto

SANCTA SYNODVS dixit:

Quoniam pijssimus Imperator his, quæ ad nos scripsit, & hoc adiecit, quòd vindicare quidam conantes Epistolam. quam Ibas scripsisse dicitur præsumũt dicere susceptam eam esse à sancto Chalcedonensi Concilio, verbis vsi vnius vel duorum religiosissimorum Episcoporum, qui in eodem sancto Concilio conuenerunt, quasi pro eadem epistola dictis, cùm alij omnes nõ eiusdem facti sint voluntatis, necessarium esse putamus, proposita quæstione, recitationem ad Marim scriptæ epistolæ fieri. Et cùm susscepisset Theodorus reuerendissimus diaconus & notarius recitauit.

INTERPRETATIO EPISTOLÆ, QVÆ dicitur ab Iba Episcopo scripta esse ad Marim Persam.

COMPENDIOSE verò sapientiæ tuæ lucidæ, quæ per pauca multa cognoscit, qualia ante hac & nũc facta sunt, manifestare festinauimus: scientes quòd hæc tuæ reuerentiæ scribentes, omnibus per tuum studium, qui ibi sunt, fuerint manifesta, quæ à nobis scribuntur, qui nullam immutationem à DEO datæ scripturæ acceperunt. Facio vero initium causæ ex verbis, quæ & ipse cognoscis. Factum est certamen ex quo tua reuerentia hic fuit, duobus hominibus istis, Nestorio & Cyrillo & conscripserunt cõtra se verba nocibilia, quę scandala erant audientibus. Nestorius enim dixit in suis libris, sicut & tua reuerentia cognoscit, quòd beata Maria Dei genitrix non est, vt putaretur pluribus de secta Pauli Samosateni esse, dicentis hominem purum esse Christum. Cyrillus verò volens verba Nestorij refutare lubricauit, & inuentus est cecidisse in dogma Apollinarij. Conscripsit enim & iste similiter illi, quod ipse Deus verbum factus est homo, vt nõ sit differentia inter templum & inhabitantem in eo. Conscripsit enim duodecim capitula, quæ puto & tuam reuerentiam cognouisse, quòd vna natura est Deitatis & humanitatis Domini nostri Iesu Christi, & quòd non oportet, inquit, diuidere voces dictas, quas aut ipse Dominus pro se dixit, aut Euangelistæ de ipso. Omni verò impietate ea plena sunt, & antequam nos dicamus, sicut & tua sanctitas cognoscit. Quomodo enim possibile est accipi verbum, quod ab initio est, pro templo, quod ex Maria natum est, aut illud, Minorasti eum paulominus ab Angelis, de Deitate vnigeniti dictum fuisse? Ecclesia enim sic dicit, sicut & tua reuerentia cognoscit, & ab initio edocta est, & firmata diuina doctrina ex verbis beatissimorum patrum. Duæ natnræ, vna virtus, vna persona, quod est vnus filius Dominus Iesus Christus. Propter hoc certamen victores & pij Imperatores iusserunt Primates Episcoporum in Ephesinam ciuitatem congregari, & sub omnibus libros Nestorij & Cyrilli iudicari. Antequam verò omnes Episcopi, qui missi sunt congregari, in Ephesum peruenirent, antecedens idem Cyrillus aures omnium veneno obcœcanti oculos sapientium obtinuit, inuenit verò clausas ex odio contra Nestorium: & antequam in Synodum peruenire vir sanctissimus, & reuerendissimus Archiepiscopus Ioannes, de Episcopatu Nestorium deiecerunt, iudicio & quæstione non facta. Post duos verò dies deiectionis eius venimus in Ephesum: Et cum didicissemus, quod in deiectione Nestorij, quæ ab his facta est, duodecim capitula conscripta à Cyrillo contra constituta fidei veræ proposuerunt & confirmauerunt, & eis consenserunt, vtpotè veræ fidei consonantibus, omnes Orientis Episcopi ipsum Cyrillum deiecerunt, & contra alios Episcopos, qui consenserunt capitulis, excommunicationem statuerunt. & post hanc confusionem vnusquisque in suam ciuitatem reuersus est. Nestorius verò, quoniam odio habebatur suæ ciuitati, & maioribus in ea constitutis, illuc reuerti non potuit, & mansit Synodo Orientalis non communicans Episcopis communicantibus Cyrillo. Et propter hæc tribulatio multa inter eos facta est, & in certamine Episcopi ad Episcopos facti sunt, & populi ad populos, & quæ scripta sunt, opere impleta sunt, quòd erunt inimicis hominis domestici eius. Et ex hoc maleloquia multa contra nos facta sunt, tam paganorum quàm hæreticorum: nec enim audebat aliquis de ciuitate in ciuitatem, & à prouincia in prouinciam ire: sed vnusquisque proximum vt inimicum persequebatur.

Psal. 8.

Multi verò non habentes timorem Dei ante oculos, occasione zeli pro Ecclesijs, quam habebant inimicitiam occultam in corde suo, ad effectum perducere festinauerunt: quorum vnus ex ipsis est nostræ ciuitatis tyrannus, quem & ipse non ignoras, qui occasione fidei non solùm cum eo viuentes persequitur, sed etiam eos, qui dudùm ad Dominum abierunt. Qui vnus ex ipsis est beatus Theodorus, prædicator veritatis & doctor Ecclesiæ, nõ solùm in vita sua hæreticos percussit in veram suam fidem, sed etiam post mortem arma spiritalia in suis libris filijs Ecclesiæ dereliquit, sicut & tua reuerentia cum eo collocuta cognouit, & ex his, quæ ab eo conscripta sunt, credidit. Istum ausus est, qui omnia audet, in Ecclesia manifestè anathematizare, qui propter zelum Dei non solùm suam ciuitatem ab errore in veritatem conuertit, sed etiam longè ægrotantes Ecclesias erudiuit sua doctrina. Et de codicibus autem eius multa vbiquè inuestigatio facta est, non quòd fidei veræ alieni fuerant: vidi enim, quòd illum viuentem frequenter laudabat, & in codicibus eius legebat: sed propter inimicitiam occultam, quam habebat ad eum, quoniam conuicit eum manifestè in synodo. Istis verò malis inter eos tenentibus, & vnoquoque vt volebat, sicut scriptum est, eunte, Deus noster adorandus, qui semper sua cle-

mentia

clementia curat Ecclesiam, excitauit fidelissimi & victoris Imperatoris cor, mittere virum magnum & cognitum de suo palatio, qui compelleret virum religiosissimum & sanctissimum Archiepiscopum Orientis Dominum Ioannem conciliari Cyrillo: ab ipso enim episcopatu deiectus erat. Et postquam suscepit literas Imperatoris, direxit sanctissimum & reuerendissimum Paulum episcopum * Emesæ, scribens per eum veram fidem, & mandans ei, quòd si isti fidei consenserit Cyrillus, & anathematizauerit dicentes, quòd Deitas passa est, & dicētes, quòd vna natura est Deitatis & humanitatis, vt ei communicet. Voluit autem Dominus, semper curans pro sua Ecclesia, sanguine suo redempta, & cor Ægyptij mollire, vt sine vexatione fidei consentiret, vt eam susciperet, & omnes extra eam credentes anathematizaret. Et cùm communicassent inuicem, certamen de medio ablatum est, & pax in Ecclesia facta est, & non iam decæterò in ea dissidium, sed pax sicut prius est. Quæ verò sunt verba à viro sanctissimo & reuerendissimo Archiepiscopo Ioanne scripta, & quæ rescripta suscepit à Cyrillo, ipsas Epistolas huic, quæ ad tuam reuerentiam scripta est, coniungens, direxi tuę reuerentiæ, vt legens cognoscas, & omnibus patribus nostris pacem amantibus adnuncies, quòd certamen iam cessauit, & medius paries ablatus est inimicitiæ, & qui inordinatè contra viuentes & mortuos irruerunt, in confusione sunt, satisfacientes pro suis culpis, & contraria priori suæ doctrinæ docentes. Non enim præsumit aliquis dicere, quòd vna est natura Deitatis & humanitatis, sed cōfitentur in templum & inhabitantem in eo, qui est vnus Filius Iesus Christus. Hæc verò scripsi tuæ reuerentię ex multo affectu, quem habeo ad te, confidens quòd tua sanctitas noctu, dieque in doctrina Dei teipsum exerces, vt & multis prodesses.

Sancta Synodus dixit:

Scimus Proclum religiosæ memoriæ literis vsum esse ad Ioannem reuerendissimæ memoriæ Antiochenum Episcopum, in quibus scripsit apud se accusatum esse Ibam, eo quòd Nestorij dogmata diligit, & quædā ex impijs Theodori Capitulis in Syrorum transtulit linguam, & hæc scripsit, & vbiq; transmisit. Relegatur igitur prædicta Epistola, ad præsentem quæstionem respiciens. Et cùm suscepisset Calonymus reuerendissimus diaconus & notarius, recitauit.

EPISTOLA PROCLI EPISCOPI Constantinopolitani, ad Ioannem Episcopum Antiochiæ.

ARBITROR te cognoscere religiosissime, magis verò certè scio, non quamlibet à Deo colligere mercedem eos, qui indormitabili mentis oculo Ecclesiasticis inuigilant necessitatibus, nocte dieque procurare & consulere, quatenus benè quidem regatur omne quantum populi familiariter coniunctum est, & à reprobis zizanijs pura sit orthodoxa fides: prouidentiam verò mereatur hoc, quòd secundùm præsumptionem interim aduersariorum habeat morbum, vt & in eundem sensum & obedientiam transferatur, maximè diuina clamante scriptura. Qui eduxit dignum ab indigno, sicut os meum erit. Si enim negligere proximos labentes ad deteriora, & socordia præpositi rapinam factos faucibus lupi voracis hominum, irrecusabilis damnationis experimentum minitatur dormitanti mercenarium, non pallorem, desidiosum & dissolutum scriptura vocante: quomodò non per omnia iustum est, studiosum quidem in talibus persequi, desidiosum verò in vrgentibus effugitare? In eodem enim vtraque similia ad vituperationem existunt, & irrecusabilia ad condemnationem, & hoc quòd ex quibus aliquis ipse negligenter viuit, videntes adhortatur in æmulationem deteriorum, & quòd peccantes in fidem & delinquentes in vitam, non statim corrigit, licet despiciens, extra tale supplicium non est constitutus. Eiusmodi verò exemplum non ex me refingo, sed ex diuinis scripturis eruditus scribo. Heli ille ætate fatigatus, & in Silo pertinentia ad legem sacrificans, ipse quidem non operabatur, quæ pueri audebant: cooperabatur verò illis, postquàm non prohibebat peccantes: quoniam secundùm veram rationem, non prohibere flagitia, agenti cognatum est. Et iterum puerilia actionibus gradum iniuriantes, indignos se, per quæ peccabant, sacerdotio demonstrantes, non solùm eis quibus operabantur, cadebant, sed enim & ad peccandum alios euocabant, imaginem peccati sese æmulantibus proponentes. Propter quod pariter illatum est supplicium & eis qui impia fecerunt, & ei qui non prohibuit. Patri enim ad virtutem nocuit socordia: filijs autem perniciem intulit inemendatio: & senex in iuuenū tempestate naufragium passus est, pro quibus affectum non gubernauit increpatione. Ita oportet religiosissime eum, qui sortitus est præesse populo, & tenere habenas sacerdotij, non solùm procurare quomodo ipse probus appareat, sed vt & hoc, quod ab ipso dicitur, sit purum ab omni vituperatione. Hoc enim quod prius est etsi mirandum, sed non tale, quale est hoc, quod post illud dictum: quanto illud quidem in vnum solum perficientem ea, quæ ad virtutem pertinent, concludit: hoc verò multos prouidentia saluos faciens, per singulos pietatis induitur confidentiam. Ad quid verò dico? Quòd multi inclamant hic religiosissimum Edessenorum Episcopum Ibam, non solùm quidam clerici Edesseni, & monachi, sed enim etiam Primates & clari militia, quibus rectæ fidei calidus zelus accenditur, quòd tantùm diligit Nestorij insaniam, vt, & quædam capitula, quæ suppositi scripto à nobis ad Armenios Tomo & direxi tuæ reuerentiæ, quæ sunt stulta & prophana, & omni plena impietate, transferret voce Syrorum, & transmitteret vbique, & multis simpliciorum inconsiderato auditu læsionem pernicioforum susciptientibus, persuaderet sapere sicut abdicatum est Dei Ecclesiæ: quæ quando per lectionem cognoueris, festinare digneris cum omni alacritate eum compellere Tomo quidem scripto ad Armenios subscribere, vaniloquium verò, magis verè monstriloquium, vel quod est verius dicere, Iudaicam impietatem capitulorum illorū condemnantem viua voce, & salua manu anathematizare demētiam. Flagitium enim est, virum non manifestè ostendi, qualis est. Siquidem enim capitulorum illorum, quod non credo, morbum habeat, defendat: si adest instabilibus cogitationibus fidei vel verborum tenor, quomodo duos dicit filios, vnum quidem ante secula, alterum verò in vltimis? vel quomodò Christus alter præter Deum verbum? Vel quomodò super terram visum & hominibus cōuersatum calumniatur purum aliquem, sicut vnum ex coitu natis, sed non ipsum, qui est sine principio & increabilis, ad quem non æstimabitur alter secundùm prophetam? Si enim & visus est carne, sed ille erat incarnatus, qui omni quidem principio superior, omni verò passione, liber, omni verò translatione & immutatione alienus, qui ex patre splenduit super sensum & ex virgine, ortus est super rationem, qui hoc quod est creabile, in Deitate nō admittit, & hoc quod est phantasiæ, in carne reijcit: qui secundùm veritatem & Deus est, & factus est homo, & illud quidem quod erat, permansit: hoc verò quod factus est, saluum fecit. Hic igitur est vnus filius vnigenitus. Sed non ita quidā peruersa mēte & cogitationis dementia capitulorum istorum genitores facti, impiorum abortiuorum & sibi pernicioforum patres apparuerunt. Deinde si memoratus comminister Ibas cognoscit ea, quæ ad destructionem legentium & audientium euomita sunt, capitula, sicut & arbitror eum prudentem constitutum, & à pueritia diuinis scripturis nutritum, abominari ea & reijcere, confidenti voce, & non erubescente fronte, quod in anima sapit, ostendat omnia subiecta ad Armenios Epistolæ capitula abijciens & calcans, vtpotè diabolicæ insaniæ inuentiones constituta, & omnia anathemate digna esse iudicans, vt de viro hoc verum scientes qui hic sunt omnes, iam indiscretam confidenter cogitationem ad illum habeant. Nec enim oportet religiosissime, sicut & ipse nobis consenties, eos despicere, qui sine causa lædentur, ad deteriora impetum habentes: sed plurisa lædentur, ad deteriora impetum habentes: sed plurimam facere rationem eorum qui scandalizantur, vt indiscretio extendatur in omnes cum concordia horrescentes maximè terribilissimam illam in Euangelijs condemnationem, quæ pro vno humilium scandalizato infertur audentibus vel despicientibus. Si enim beatus Paulus exempla bonorum operum sacerdotes esse legitimè statuit, quomodò non magis fidei authores & doctores, sine qua

placere

Rom. 1.

1. Reg. 4.

Hiere. 15.

Baruch. 3.

1 Reg. 2.

placere impassibile est? Nam aliæ quædam virtutes, vtpotè ex moribus perfectionem accipientes, naturam habent ad emendationem doctricem: fides verò sola, quæ est natura & ratione superior, vtpote huic propinquans quod semper est, & natura intelligibile, & inoccupabile, deprehensione & omni virtute melior est, per hoc solùm cedens charitati, quòd qui creditur DEVS, propter solam charitatem homo factus est. Rogo igitur studium adsit effectum. Cognosce enim religiosissime, quòd non alij cuidam gratificabitur memoratus Episcopus Ibas, obsecundans præsenti Epistolæ, quantùm sibi ipsi. Habebit enim non solùm eos, qui nunc de ipso dubitant, mirantes eum, sed enim etiam sanctissimum nostrum patrem presbyterum & archimãdritam Dalmatium nimiùm honorantem & mirantem, si videat sapientem ea, quæ piæ fidei sunt. Modò enim, vtpotè super alijs eo vulgato, memoratus sanctissimus propter charitatem non mediocriter laceratur, quòd ij, qui debent in diuinioribus prædicare, in aduersis accusantur, siue zelo dicentium, siue inuidia criminantium. Propter quod & Theodotum reuerendissimum nostræ Ecclesiæ diaconum ad tuam cum chartis reuerentiam direxi, vt cognoscas religiosissime, quòd non contemptibilem, sed studiosam existimo causæ perfectionem.

Sancta Synodus dixit: Omnibus manifestum esse putamus ex epistola, à Proclo religiosæ memorię scripta, quòd non libera est ab accusatione apud eum proposita ad Marim Persam epistola. Nam Nestorium vindicat, & impij Theodori conscripta per omnia comprobat, quæ sanctæ memorię Proclus præcepit eum anathematizare, vtpotè duo per hæc colentem. Consequens verò, & cæterorum examinationem procedere, quæ ad præsens capitulum pertinent. Et cùm surrexisset Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Andreas Ephesi, Magethius Heracleæ Thraciæ, Eusebius Tyri, dixerunt: Commonemus vestram sanctitatem, subtiliter scientem, quòd antequàm sancta Synodus Chalcedone congregaretur, multis vicibus dinoscitur Ibas accusatus propter impia capitula & dogmata inserta Epistolæ, quam ipse ad Marim Persam scripsisse dicitur. Et primò quidem aliqui clerici Ecclesiæ Edessenæ ciuitatis & militantes, cùm ad regiam vrbẽ peruenissent, interpellauerunt piæ recordationis Theodosium, & Proclum sanctæ memoriæ Episcopũ tunc Constantinopolitanæ vrbis aduersùs eundem Ibam, eo quòd dicebatur Nestorij defendere impietatẽ, capitula impia Theodori transtulisse lingua Syrorum, & vbique transmisisse: de quibus etiam scripsit sanctæ memoriæ Proclus, sicut cognouistis, ad Ioannem Episcopum Antiochiæ, vt compelleret Ibam recedere ab impietate Nestorij capitulorumque Theodori, de qua accusãbatur. Cùm verò à scriptis Procli religiosissimæ memoriæ nulla emendatio pro querimonijs accusatorum facta est, defuncto Ioanne, interpellauerunt Domnum eius successorem, iterùm Ibam accusantes. * Quoniam verò non eos Dominus susceperisset, iterùm ijdem accusatores occupata regia vrbe, de ijsdem interpellauerunt memoratum piæ recordationis Theodosium & Flauianum sanctæ memoriæ tunc Episcopum Constantinopolitanæ vrbis factum post Proclum sanctæ memoriæ. Et precibus susceptis tam diuinæ recordationis Theodosius, quàm Flauianus sanctæ memoriæ, delegauerunt examinationem, de quibus Ibas accusabatur, Photio Episcopo Tyri, & Eutychio Episcopo Berytiorum ciuitatis, & deputati sunt executores causæ ab Imperatore quidem diuinæ recordationis Theodosio, Damascius tribunus, Imperialibus literis hoc ei permittentibus: à Flauiano verò sanctæ memoriæ, Eulogius diaconus Constantinopolitanæ sanctæ Ecclesiæ, cum eius literis factis ad Photium & Eustathium. Qui executores cùm ad Tyrum peruenissent, deduxerunt Ibam & eius accusatores Photio & Eustathio Episcopis. Accusatores igitur Ibæ tam alias blasphemias, quàm impiam epistolam ad criminandum eundem Ibam proposuerunt, quæ super alijs insertis ei blasphemijs, sanctum quidem Cyrillum hęreticum vocat, & impia eius duodecim capitula: primam verò Ephesinam sanctam synodum reprobat, tanquã sine examinatione & quæstione Nestorio ab ea condemnato. Ibas igitur propositam super his accusationem effugiens, satisfaciens, inquit, nihil eiusmodi de sancto Cyrillo dixisse postquàm Orientalibus venitus esset. Impia verò epistola per illa, quæ in ea continentur, post vnitatem scripta esse ostenditur. Apparet igitur Ibas per hoc, quod dicit, nihil aduersùs Cyrillum post vnitatem dixisse, abnegans epistolam. Photius verò & Eustathius non eiusdem abnegatione contenti, perspexerunt per suam definitionem Ibam ad Edessam peruenire, & manifestè in Ecclesia anathematizare Nestorium, & impia eius dogmata, quæ impia epistola vindicabat, & Ephesinam primam Synodum ab eadem impia Epistola reprobatam susscipere, tanquàm à sancto Spiritu congregatam & æqualem eam habere sanctæ Synodo trecentorum decem & octo sanctorum patrum. Cùm hæc ita indicata essent, & finem non susscepissent, sicut est inuenire ex his quæ posteà mota sunt, eijcitur Ibas ab Episcopatu, necnon etiam Dominus Antiochiæ Episc. accusati tanquàm sanctum Cyrillum, & ab eo prædicatam rectam fidem iniuriantes & reprobantes. Et in loco quidem Domni ordinatur Maximus, in loco verò Ibæ Nonnus Edessenæ Ecclesiæ à Maximo ordinatur. Inde sanctissimis Episcopis in vniuersalem sanctam Synodum Chalcedone conuocatis, non vocatus est Ibas, sed Nonnus in sancta Synodo consedit, vt Edessenæ Ecclesiæ Episcopus, qui etiam posteà cum sua * Osrohenna Synodo ad Leonem piæ recordationis interrogantem de Chalcedonensi Concilio, & alijs quibusdam rescribens, pars fuit eorum, qui Encyclicas Epistolas scripserunt. Post pronunciatam igitur de fide definitionem à sancto Chalcedonensi Concilio, causa de Iba mouetur, & priori vice in his, quæ contra eam mouebantur, volens querimonias eorum, de quibus accusãbatur, euitare, ipse quidem vsus est iudicio Photij & Eustathij, accusator verò gestis apud eos habitis, necnon impia Epistola, etiam apud Chalcedonensem synodum recitata. Iterum effugiens Ibas de ea accusationem statim posteà recitatam, nulla interlocutione de hoc facta, subsapiens idem Ibas dixit: Iubeat vestra clementia literas recitari clericorum Edessenæ ciuitatis, vt cognoscere tis quòd alienus sum eorum, quæ mihi inferuntur, & vtitur literis magis clericorum Edessenæ ciuitatis, vbique timens pro impia Epistola accusationem. Et quod veritatem docuimus, cognoscit vestra sancta Synodus, in memoria tenens etiam alia, & maximè gesta Chalcedone confecta. Mirari igitur est, quomodo his ita subsecutis, & manifesta impietate constituta, quæ in Epistola continetur, quam etiam ipse Ibas abnegauit, defendere istam aliqui conantur nomine sancti Chalcedonensis Concilij, non tanquàm pro illa curam habentes, sed suam confirmantes impietatem. Astutia enim hæretica vtentes, ex interlocutionibus de Iba factis in gestis, apud Chalcedonensem sanctam Synodum habitis, vna quidem siue secunda vtuntur, prolata quasi pro epistola ad Marim Persam scripta: Tentant verò etiam alias fallas interpretari. Necessarium igitur esse putauimus, vestræ beatitudini etiam hæc scienti manifesta facere, quæ ad hoc pertinent: illo certo constituto, quòd in Concilijs non vnius, vel secundi interlocutionem attendere oportet, sed hæc quæ communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur. Verùm etiam si aliquis subtiliter requisierit & ea, quæ ab vno vel secundo quasi pro eadem epistola dicta sunt, planissimam in ipsis inueniet epistolæ eiectionem. Cùm enim etiam ipsi comprobãssent, iudicium Photij & Eustathij, nihil aliud est, quàm condemnare impiam epistolam. Nam aduersùs eam, & quæ in ea continentur, pronunciatum est Photij & Eustathij iudicium, per quod iussus est Ibas susscipere Ephesinam primam sanctam Synodum, ab impia epistola reprobatam, & anathematizare authorem malignæ impietatis Nestorium & sequaces eius, quæ defendebat eadem impia epistola. Hoc verò iudicium Photij & Eustathij etiam omnes Episcopi secuti, perspexerunt ipsum anathematizare Nestorium & impia eius dogmata. Iuuenalis verò Hierosolymitanæ ciuitatis Episcopus, vt de hæresi pœnitentiam agentem Ibam, veniam & clementiam maximè propter senectutem meruisse interlocutus est, secundùm Ecclesiæ traditionem: quam interlocutionem ità apertè prolatam aduersùs impiam epistolam, malè interpretari non recusauerunt eius defensores. Thalassius Cæsareæ primæ Cappadociæ Episcopus apertè ostendit in sua interlocutione, quòd nunquàm susscepisset Ibam, nisi pollicitus esset anathematizare ea, quæ ab accusatoribus eius in scriptis aduersùm eum deposita sunt. Certum verò est, quòd

Hæretici conuicti.

accusatores Ibæ Epistolam protulerunt ad Marim Persam scriptam, in eius accusationem. Ioannes verò Sebastiæ episcopus, & Seleucus Amasiæ, & Constantinus Melitinæ, & Patricius Tyanensium, & Petrus Gangrorum, & Atharbius Trapezuntensium, vicem agens Dorothei Neocæsareæ, omnes metropolitani, pariter simul interlocuti sunt, eo quòd abnegauit Ibas illa, quæ ei inferebantur ab aduersarijs eius, quorum pars magna est epistola, perspexerunt susci pi. Habet autem interlocutio sic: Definitio religiosissimorũ episcoporũ Photij & Eustathij innocentem ostendit reuerendissimum Ibam: similiter verò & abnegario eius promptiores nos ad susci piendum eum constituit. Placet enim semper Christi misericordia. Si igitur & Iuuenalis, tanquam ab aliqua hæresi pœnitentiam agentem, Ibam susci pi perspexit, & Thalassius, & nominati metropolitani tanquam in gestis apud Photium habitis abnegantem ea, quæ ab aduersarijs eius inferebantur, id est, prolatam ad accusationem eius epistolam ad Marim Persam scriptam, & omnes religiosissimi episcopi perspexerunt eum anathematizare Nestorium, qui ab epistola defenditur: quomodò præsumunt istius defensores calumniari interlocutionem Eunomij, quasi partem quidem condemnantem epistolæ, partem autem comprobantem, cum tota epistola impietatis plena est? Vnde & Ibas eam abnegauit, eo quòd dicit, quòd post vnitatem non inuenior dixisse aliquid aduersum sanctum Cyrillum: necnon etiam Photio & Eustathio ad eiusmodi abnegationem dicentibus, quòd sufficit abnegatio hæreseos ad pietatem. Si verò aliquis concedat, prout illi dicunt, priora quidem epistolæ impia esse, vltima verò recta esse, nec sic epistola effugiet debitam sibi condemnationem. In omnibus enim hæresibus, licet contigerit quædam hæreticos recta dicere, non ideò impia condemnatione liberantur. Hic verò nullam partem epistolæ apparet Eunomius comprobasse: contrarius enim vtique per hoc ipse sibi inueniretur, eadem collaudans & vituperans. Habet autem interlocutio Eunomij sic: Ex recitatis ostenditur reuerendissimus Ibas innocens esse. De quibus enim visus est inculpari, tanquam maledixisset sancto Cyrillo, in posterioribus rectè confessus recusauit illa, de quibus inculpatus est. Vnde & ego, si anathematizet Nestorium & Eutychen, & impia eorum dogmata, & consentiat eis, quæ à religiosissimo episcopo Leone scripta sunt, & huic vniuersali Synodo, dignum esse episcopatu iudicio. Ex his Eunomius ostenditur, quòd eiusmodi fecit interlocutionem, gesta apud Photium & Eustathium habita attendens, in quibus apparet Ibas confessus, quòd ante vnitionem quidem factam inter beatum Cyrillum & Orientales, cum alijs ei maledixit: post vnitionem verò non inueniuntur, sicut dicit, dixisse aliquid aduersus sanctum Cyrillum. Qui verò dicunt priora quidem Epistolæ impia esse, vltima esse recta, calumniatores demonstrantur. Posteriora enim inferta Epistolæ, maiori impietate plena sunt, sanctæ memoriæ Cyrillum & similia ei sapientes iniuriantia & omnino impiam sectam Nestorij vindicantia.

Propter hæc enim omnes simul Episcopi consonanter post factas interlocutiones exclamauerũt: Nestorium modò anathematizet: dogma eius modò anathematizet. Et sic Ibas, Nestorio anathematizato & Eutyche, & impijs eorum dogmatibus, necnon etiam anathematizatis omnibus non ita sapientibus, sicut sapit sancta Synodus, susceptus est. Ostenditur igitur Ibas etiam indè, quòd non solum abnegauit, sed etiam anathematizauit epistolam, contrariam per omnia constitutam expositæ definitioni à sancto Chalcedonensi concilio, sicut & vestra beatitudo per inquisitionem inueniet.

Sancta Synodus dixit: Scimus & nos hæc ita subsecuta esse, tamen cautiùs existimantes talia iudicare ex his, quæ in antecedentibus sanctis Synodis disposita sunt, & scientes quòd in Ephesina prima sancta Synodo de epistolis sancti Cyrilli, & in ipso Chalcedonensi Concilio de epistola sanctæ memoriæ Papæ Leonis quædam mota sunt, necessarium esse putauimus ex his, quæ in prædictis sanctis Synodis gesta sunt, partes illas, quæ hæc continent, manifestari, vt pro ampliori subtilitate & indè instructam, sic propositorum disceptationem faciamus. Et cùm suscepisset Calonymus reuerendissimus Diaconus & Notarius, recitauit.

PARS GESTORVM, QVAE IN PRIma Ephesina sancta Synodo habita sunt, pro epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli.

Petrus presbyter Alexandriæ & primicerius *notarius, dixit: Habemus præ manibus sanctissimi & reuerendissimi Cyrilli Archiepiscopi epistolam, scriptam ad reuerendissimum Nestorium, suasionis & admonitionis plenam, vtpotè non rectè sapiente eo: quam si iusserit vestra sanctitas, legam. Acacius Episcopus Melitinæ dixit: Quoniam religiosissimus & reuerendissimus presbyter Petrus, principium sermonis faciens, ait missa esse quædam à reuerendissimo & sanctissimo Episcopo Cyrillo ad reuerendissimum Nestorium, vtpotè non recta doctrina vtentem, consequens est, & hæc legi. & prolata est epistola sanctæ memoriæ Cyrilli in Epheso, ita scribens: Ex gesti primi modi Ephesinæ.

REVERENDISSIMO, ET DEI cultori & consacerdoti Nestorio Cyrillus in Domino salutem.

Obloquuntur quidam, sicut audio, de mea opinione apud tuam reuerentiam, & hoc frequentiùs conuentus maximè nobilium obseruantes, vtputo delectaretuum æstimantes auditum, & inconsultas emittunt voces, læsi quidem nihil, conuicti autem, & hoc vtiliter: vnus quidem, quòd cœcos lædebat & pauperes: alter verò, quòd contra matrem tetendit gladium: alius verò, quòd cum ancilla aurum furatus sit alienum, & huiusmodi semper habens opinionem, quam non optet aliquis contingere aliquibus etiam valdè inimicis. Veruntamen non mihi multis de talibus sermo est, vt non vltra Dominum & Doctorem, neque super patres existentis in me breuitatis extendam mensuram. Non enim possibile est, prauorum importunitates euitare, si quoquo modo quis eligat viuere. Sed illi quidem maledictione & amaritudine plenum habentes os, reddent omnium iudici rationem: conuertar verò rursùs ego ad hoc, quod me magis condecet, & *commemorabo etiam nunc vt fratrem in Christo, doctrinæ verbum & fidei sensum cum omni cautela facere ad populos: cogitare etiam, quòd scandalizare vnum solum ex pusillis credentibus in Christum, intolerabilem habet indignationem: si verò multitudo sunt mœrentium, quomodo non omni arte necesse est, vt oporteat prudentiùs auferre scandala, & latum fidei dilatare sermonem quærentibus veritatem? Erit verò hoc & valdè rectè, si sanctorum Patrum legentes libros magni eos æstimare festinemus, & probantes nosmetipsos, si sumus in fide, secundùm quod scriptum est, illorum rectis & irreprehensibilibus *sectis nostros intellectus optimè coniungamus. Ait igitur sancta & magna Synodus, ipsum ex Deo patre naturaliter genitum, filium vnigenitum, ex Deo vero Deum verum, lumen de lumine, per quem omnia fecit pater, descendisse, incarnari, humanari, pati, resurgere tertia die, & ascendere ad cœlos. Hæc & nos sequi oportet verba & dogmata, cogitantes, quid incarnari & humanari significet *ex Deo verbo. Non enim dicimus, quòd verbi natura conuersa facta est caro, neque quòd in totum hominem, qui est ex anima & corpore, translata est: illud verò magis, quòd carnem animatam anima rationabili vniens verbum sibi secundùm subsistentiam, ineffabiliter & incomprehensibiliter factus est homo, & appellatus est filius hominis, non secundùm voluntatem solam aut complacitum: sed neque vt in assumptione personæ solius, & quòd differunt quidem, quæ ad vnitatem veram collatæ naturæ: vnus verò ex vtrisque Christus & filius, non quasi differentia naturarum ablata propter adunationem, perfecerunt verò magis nobis vnum Dominum, & Christum, & Filium, Deitatis & humanitatis, per ineffabilem & arcanum adunationis concursum: sic etiam dicitur, cùm ante secula habeat essentiam, & genitus sit ex patre,

Epist. Cyrilli ad Nestorium, quæ cõmodius versa habentur sup. in Synodo Ephesina Post. pro.

*cõmonebo.

Matt. 18.

2. Cor. 13. *instimus.

* i. Dei verbum & incarnari & hominẽ factũ esse.

nasci

nasci etiam secundùm carnem ex muliere: non quasi diuina eius natura in sancta virgine initium vt esset acceperit, neque quòd indiguerit necessariò propter se secũda natiuitate post eam, quæ ex patre est: (Est enim fatuum simul & indoctum, existentem ante omnia secula, & consempiternum patri, dicere opus habere, vt esset secundùm initium:) quoniam verò propter nos & propter nostram salutem veniens sibi secundùm subsistentiam humanitatem, processit ex muliere, ob hoc dicitur nasci carnaliter. Non enim primùm homo natus est communis de sancta Virgine, & sic descendit in eum verbum: sed ex ipsa vulua adunitam sustinuisse dicitur natiuitatem carnalem, vtpotè suæ carnis natiuitatem propriam faciens. Sic dicimus eum & pati, & resurgere: non quasi quòd Dei verbum passum sit in sua natura, aut plagas, aut perforaturas clauorum, aut quæcunque alia vulnera, (impassibilis enim est Deitas, quòd & incorporea est) sed quoniam quod factum est eius proprium corpus, passum est, hæc iterùm ipse dicitur pati pro nobis. Erat enim impassibilis in corpore passibili. Secundùm eum verò modum, & in moriendo intelligimus immortalem. Etenim secundùm naturam, & incorruptibile, & vita, & viuificans est Dei verbum. Quoniam verò proprium eius iterùm corpus gratia Dei, secundùm quod ait Paulus, pro omnibus gustauit mortem, dicitur ipse pati pro nobis mortem: non quasi quòd in experimentum mortis venit, quod attinet ad eius naturam, (*stuporis enim est istud dicere aut sentire) sed sicut nuper dixi, caro eius gustauit mortem. Sic & resurgente carne eius, iterum resurrectio ipsius dicitur, non quasi quòd ceciderit in corruptionem, (absit) sed quia eius iterùm resurrexit corpus. Sic Christum vnum & Dominum confitemur, non quasi hominem coadorantes Verbo, & non sectionis phantasia introducatur, cùm dicitur con, sed vt vnum & eundem, adorantes, quòd non alienum est à Verbo corpus eius, cum quo & ipsi consedit patri: non vt duobus iterùm considentibus filijs, sed vt vno secundùm vnitionem cum propria carne. Si autem secundùm subsistentiam vnitionem vel quasi impossibilem aut indecoram recusamus, incidimus vt duos dicamus filios. Omninò enim necesse est distinguere & dicere, hominem quidem specialiter filij vocatione honoratum, specialiter autem iterùm Dei verbum filiationis nomen, & rem naturaliter habentem. Non ergò diuidendus est in duos filios vnus Dominus Iesus Christus. Proderit autem nullo modo rectæ fidei rationi ita dicere, licèt personarum vnitionem diuulgent quidam. Non enim dixit scriptura, quod verbum hominis personã aduniuit sibi, sed quia factũ est caro. Quòd verò caro factũ est Verbũ, nihil aliud est, nisi quòd similiter nobis participauit sanguinẽ & carnẽ, propriumq; corpus nostrũ fecit, & processit homo ex muliere, non abijciens esse Deus, & ex Deo nasci patre, sed in adsumptione carnis permanens quod erat. Hoc adnunciat vbiq; integræ fidei ratio: ita reperiemus sanctos sapuisse Patres: sic præsumpserunt *Dei genitricem sanctam virginem, non quòd verbi natura aut Deitatis eius initium essent accepta à sancta virgine, sed vt nato ex ipsa sancto corpore, animato etiam rationabiliter, cui & secundùm subsistentiam adunitum Verbum, nasci dicitur secundùm carnem. Hæc & nunc ex dilectione, quæ in Christo est, scribo, petens vt fratrem, & contestans coram Deo & electis angelis, hæc nobiscum & sapere & docere, vt custodiatur Ecclesiarum pax, & concordiæ & dilectionis vinculum indisruptum permaneat sacerdotibus Dei. *Cyrillus Episcopus Alexandriæ dixit*: Audiuit sancta & magna hæc Synodus, quæ scripsi reuerendissimo Nestorio, defendens rectam fidem. Certus verò sum, quòd nullo modo egressus inuenior à recta fidei ratione, aut prætergressus expositum à sancta & magna Synodo, quæ illo tempore in Nicæa cõgregata est, symbolum & peto vestram sanctitatem dicere, vtrùm recte & irreprehensibiliter, & cõsonanter sanctæ illi Synodo talia scripserim, an non. Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum, dixit: Per lecta sancta fide, quæ in Nicæa, & epistola sanctissimi & reuerendissimi Episcopi Cyrilli, & quæ à sancta Synodo exposita sunt, consona inueniuntur: & his pijs dogmatibus consentio, & hæc probo. Firmus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Compendiosè & capitulariter dicta à sancta Synodo, quæ in Nicæa est, exponens tua reuerentia, subtiliter & ante pedes manifestam rem nobis & liquidiorem comprehensionem expositæ fidei fecit, vt nihil sit in dictis ambiguum, omnibus sibi inuicèm consonantibus & fide firmata. His igitur integrè se habentibus & inconuertibiliter, & nullam innouationem inferentibus, & ego consentio, eandem fidem à sanctissimis episcopis meis patribus suscipiens. Memnon Episcopus Ephesi metropoleos, dixit: Fidei expositæ à sanctis patribus trecentis decem & octo Niceæ congregatis, consona & epistola, quæ lecta est, sanctissimi reuerendissimi patris Cyrilli continet, quibus consentimus atque probamus, nihilominus inuenientes neque dissonans. Et postquàm dixerunt centum viginti quatuor Episcopi cõsonanter, in fine ita scriptum est: Et omnes, qui suprà scripti sunt Episcopi, eadem deponunt, & sic credunt sicut patres exposuerunt. & epistola sanctissimi Archiepiscopi Cyrilli scripta ad Nestorium Episcopum manifestat.

Palladius Episcopus Amasiæ dixit: Consequens est & Epistolam reuerendissimi Nestorij relegi, cuius mentionem fecit in initio religiosissimus presbyter Petrus, vt cognoscamus, si & illa consonans est his, quæ exposita sunt à sanctis patribus in Nicæa & relecta est.

VENERABILI ET REVERENDISSIMO comministro Cyrillo Nestorius in Domino salutem.

Epist. Nestorij ad Cyrillũ, quam loco citato commodius versam leges.

INiurias quidem, quæ contra nos sunt mirãdarum tuarum literarum, dimitto, vtpotè medicinali patientia dignas, dilata rerum ipsarum responsione vsque ad tempus idoneum. Quòd verò taciturnitatem non patitur, quasi magnum ferat, si taceatur periculum, hoc vt possibile est, non ad multiloquium tendens, compendiosam narrationem facere tentabo, obscuræ & indigestæ loquacitatis cauens fastidium. Incipiant verò à sapientissimis tuę dilectionis vocibus, ipsas ijsdem sermonibus apponens. Quæ sunt igitur admirandæ tuarum literarum doctrinæ voces? Sancta (inquit) & magna Synodus, ipsum ex Deo & patre secundùm naturam genitum filium vnigenitum, ex Deo vero Deum verum, lumen de lumine, per quem omnia fecit pater, descendisse, incarnari, humanari, pati, resurgere. Hæc sunt tuæ reuerentiæ verba, & cognoscis fortè tua: audi verò & à nobis fraternam pro pietate admonitionem, & quam magnus ille Paulus amato à se Timotheo contestatus est: Attende lectionem, consolationem doctrinæ: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & audientes te. Quid verò vult hoc, quod dico, Attende? Quia sanctorum tranlitoriè legens traditionem, veni ad dignam ignorantiam. Ignorasti eos passibilem dixisse, arbitratus patri consempiternum verbum. Inspice autem, si placet, dicta diligentiùs, & diuinum illum reperies patrum chorum non consubstantialem Deitatem passibilem dicentes, nec recens natam patri consempiternam, nec resurrexisse eam, quæ solutum templũ suscitauit. Et si mihi aures in fraternam medelam præbueris, ipsas tibi sanctorum patrum voces apponens, à calumnia, quę contra illos est, liberabo, & ab illa, quæ contra diuinas scripturas per illos est. 1. Tim. 4.

Credo igitur & in Dominum nostrum Iesum Christum filium eius vnigenitum. Cõsidera quomodo Dominus, & Iesus Christus, & vnigenitus, & filius, primùm ponentes communia Deitatis & humanitatis vt fundamenta nomina, tunc humanationis & resurrectionis & passionis superædificant traditionem, vt nominibus naturæ vtriusque communibus quibusdam significatiuis propositis, neque filiationis proprietates secentur, neque naturarum in filiationis singularitate confusionis exterminatione periclitetur. In hoc enim eis eruditor Paulus factus est, quòd humanationis diuinæ mentionem faciens, & ea, quæ passionis sunt illaturus, priùs ponẽs Christus commune sicut paulò antè dixi, naturarum nomen, infert dictum vtrisque condecens naturis. Quid enim dixit? Hoc sapiatis in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo. Sed ne per singula discurram, obediens factus est vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quoniam enim memoriam mortis facturus erat, ne Deum verbum ex hoc quisquam passibile suspicetur, ponit Christum tanquàm impassi- Locus obscurus. Phil. 2.

bilis & passibilis substantiæ in singulari persona appellationum significatiua, quatenùs & impassibilis Christus & passibilis sine periculo vocetur: impassibilis quidem Deitate, passibilis autem corporis natura. Multa de hoc potens dicere, & primùm quidem, non natiuitatem in dispensatione, sed humanationem sanctos illos patres commemorasse, promissionem breuiloquij à me in principijs factam refrenantem sentio sermonem, & ad secundùm tuæ dilectionis pergentem capitulum, in quo naturarum quidem laudabam diuisionem, secundùm humanationis & Deitatis rationem, & earum in vnius personæ coniunctionem, & Deum verbum secunda ex muliere dicerent non eguisse natiuitate, & passionis incapabilem profiteri Deitatem. Orthodoxa enim, vt veritas habet, hæc huiusmodi sunt, & omnium hæresium malis sectis circa Dominicas naturas contraria. Reliqua verò si quidem aliquam sapientiam occultam inferebant legentium auribus, incomprehensibile est* tuæ dilligentiæ scire. Mihi enim videbantur prima peruertere. Inprimis enim impassibilem prædicatum, & secundæ natiuitatis incapabilem: iterùm passibilem & recèns creatum nescio quo modo intulit, quasi secundùm naturam Deo verbo accidentibus templi copulatione corruptis. Aut parùm aliquid hominibus putatur, quòd sine peccato templum, & à diuina inseparabile natura pro peccatoribus natiuitatem & mortem sustinet? aut non crediderit, quòd Dominica vox ad Iudæos clamat: Soluite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud: non, soluite diuinitatem meam, & in tribus diebus resurget? Iterùm & hic latiùs volens dicere, promissionis meæ memoria conticeo. Dicendum est tamen, breui sermone me vtente vbique. Diuina Scriptura quandoque memoriam facit Dominicæ dispensationis, natiuitatem nobis, aut passionem non Deitatis, sed humanationis Christi tradidit, vt vocetur secundùm scrupulosam appellationem sancta virgo Christi genitrix, non Dei genitrix. Et audi hæc Euangelijs clamantibus; Liber, ait, generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Et certum est, quia Dauid filius, Deus verbum non erat. Accipe & aliud, si placet testimonium. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, ex qua natus est IESVS, qui dicitur CHRISTVS. Considera iterùm alteram attestantem nos vocem: Iesu verò generatio ita est. desponsata enim matre eius Maria Ioseph, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Creaturam verò spiritus quis vtique vnigeniti æstimabit Deitatem? Quid oportet dicere? quòd Mater Iesu erat ibi, & rursus: Cum Maria matre Iesu: &, Quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est. &, Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: &, De filio eius, qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem: & de passione rursùs, Quòd Deus suum filium misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato condemnauit peccatum in carne. Et iterùm: CHRISTVS mortuus est pro peccatis nostris. & Christo passo carne. & hoc, Non Deitas, sed corpus meum, quod pro vobis frangitur: & mille alijs vocibus attestantibus hominum genus, non filij putare Deitatem recentem, aut passionis corporeæ capabilem, sed coniunctam naturæ Deitatis carnem. Vnde & Dominum Dauid Christus semetipsum & filium nominat. Quid enim, ait, vobis videtur de CHRISTO, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Respondit Iesus, & dixit eis: Quomodò ergò Dauid in spiritu Dominum eum vocat, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis? vtpotè filius existens omninò Dauid secundùm carnem, secundùm Deitatem autem Dominus. Esse quidem Deitatis filij corpus templum, & templum secundùm summam quandam & diuinam vnitam coniunctionem, vt quæ sunt corporis, Deitas propria ducat, bonum est confiteri, & Euangelicis traditionibus dignum: nomini verò proprietatis adscribere & carnis proprietates, natiuitatem dico, & passionem, & mortem, errantis est frater intelligentiæ secundùm paganos, aut desipientis Apollinarij & Arij, & quæ sunt aliarum ægrotantium hæresum: magis verò, si quid est illis grauius. Necesse est enim huiusmodi, qui proprietates nomine attrahuntur, & lactationis consortem propter proprietatem Deum verbum facere, & paulatim incrementi participem, & pauoris tempore passionis: auxilio etiam angelico indigentem. & taceo circumcisionem, & sacrificium, & sudores, & esuritionem, quæ propter nos carni contigerunt adorabilia contingentia. In Deitate verò hæc falsè susceptа, & nobis tanquàm calumniatoribus iustæ condemnationis causa sunt. Hæ sunt sanctorum patrum traditiones, hæc diuinarum scripturarum præcepta. Sic quispiam, & quæ sunt misericordiæ diuinæ, & quæ sunt authoritatis diuinæ, loquitur. Hæc meditare, in his esto, vt tuus profectus manifestus sit omnibus, Paulus ad omnes dicit. Quòd verò pro scandalizatis curam geras, benè facis esse solicitus, & gratulamur, diuinorum curam gerenti animæ tuæ, & de nobis solicitæ. Cognosce verò deceptum esse temetipsum ab eis, qui hic à sancta Synodo depositi sunt, vtpotè sapientes ea, quæ Manichæorum sunt, aut certè forsan dilectionis tuæ clericis. Qui sunt enim Ecclesiæ, quotidiè proficiunt, & populorum tanta multitudo crescit per gratiam Christi, vt videntes multitudines, quæ sunt prophetæ, clament: Implebitur terra ad cognoscendum Dominum, quasi aqua multa cooperire maria. Principes verò incredibile gaudium habent, etiam quæ regni sunt illuminato dogmate. Et vt compendiosè dicam, illa in omnibus hæreticis, quæ contra Deum certant, & contra Ecclesiæ recta dogmata, quotidiè quis reperiet apud nos voce impleri: Domus Saul ibat & infirmabatur, & domus Dauid ibat & confortabatur. Hæ à nobis, vtpotè à fratribus ad fratrem suasiones sunt. Si verò aliquis contendit, clamabit per nos ad huiusmodi Paulus: Nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesiæ Dei. Omnem, quæ tecum est in CHRISTO fraternitatem, ego & qui mecum sunt, plurimùm salutamus. Saluus & pro nobis orans permaneas, Domine honoratissime & Dei cultor.

Cyrillus Episcopus Alexandriæ dixit: Quid videtur sanctæ & magnæ huic Synodo de nuper lecta epistola? Putas videtur & ipsa cõsona esse definitæ fidei in Synodo sanctorum patrum, qui illo tempore congregati sunt in Nicæa vrbe, an non: Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum dixit: Nullo modo consona exiſtit piæ fidei expositæ à sanctis Patribus, qui in Nicæa fuerunt: & anathematizentur ita credentes. Aliena enim hæc omnia existuut ab orthodoxa fide. Flauianus Episcopus Philippensium dixit: Quæ sunt in relecta epistola, simul omnia pugnántia existunt omninò, & aliena procul dubiò ab exposita fide in Nicæa à sanctissimis patribus, & alienos esse à recta fide ita credentes iudicamus. Firmus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, dixit: Formam pietatis apponens in principijs epistolę, procedente sermone nullo modo suum sensum obumbrare valens, nudum à velamine suum adposuit sensum, dissentientem à fide sanctorum patrum trecentorum decem & octo, & epistolæ sanctissimi Episcopi Cyrilli contraria habentem. Valerianus Episcopus Iconij dixit: Omnibus conspicua est epistola, & diuersitas reuerendissimi Nestorij, non solùm fidei sanctorum patrum Niceæ, & Epistolę reuerendissimi & sanctissimi Archiepiscopi Cyrilli dissonãs, sed nec sibi conueniens. Et cùm interlocuti essent sequenter trigintatres Episcopi, omnes Episcopi simul clamauerunt: Qui non anathematizat Nestorium, anathema sit. Istum recta fides anathematizat: istum sancta Synodus anathematizat. Qui communicat Nestorio, anathema sit. Omnes anathematizamus epistolam & dogmata Nestorij. Hæreticum Nestorium omnes anathematizamus. Communicantes Nestorio omnes anathematizamus. Impiam fidem Nestorij omnes anathematizamus. Impium dogma Nestorij omnes anathematizamus.

Impium Nestorium omnes anathematizamus. Omnis mundus anathematizat impiam sectam Nestorij. Qui hunc non anathematizat, anathema sit. Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum dixit: Legantur & literæ reuerendissimi & sanctissimi Archiepiscopi Romanorum Cælestini, quas destinauit de fide.

for.* meæ

Ioan.2.

Matt.1.

Ibidem.

Ibidem.

Ioan.2.
Matt.1.
Matt.2.

Rom.1.
Rom.8.

1.Pet.3.
1.Pet.4.
Luc.22.

Matt.22.

Psal.109.

Luc.22.

1.Tim.4.

Esa.11.

2.Reg.4.

1.Cor.11.

damnatur epist. Nestorij a sancto Ephesina

EPISTOLA CAELESTINI EPIscopi Romæ ad Nestorium.

Dilectissimo fratri Nestorio Cælestinus.

ALiquantis diebus vitæ nostræ post nefandum & sæpè damnatum dogma Pelagij atque Cælestij Catholica fides quietem habuit, quando eos cum suæ disputationis sequacibus telo vnitæ sententię Occidens orienſque percussit. Denique sanctæ recordationis Atticus, catholicæ magister fidei, & verè beato Ioanni etiam ad ista successor, eos ita persecutus est pro rege communi, vt his nestandi quidem illic copia præstaretur. Mansit nos post eius exitum solicitudo vel maxima, cùm successor suus vtrùm etiam in eius fidem succederet quæreremus, quia difficile est continuari quæ bona sunt. Nam sibi sæpè alternis vicibus aduersa succedunt. Habuimus tamen post hunc, à quo eramus continuò deserendi, sanctum Sisinnium, celebratum simplicitate & sanctitate collegam, eam fidem, quam inuenerat prædicantem. Legerat profectò simplex sanctitas, & sancta simplicitas, timendum magis, quàm altè sibi esse sapiendum: & alibi, Altiora scrutanda non esse: & iterùm, Si quis aliud prędicauerit, quàm quod prædicauimus, anathema sit: hoc tamen exeunte de seculo. cum se solicitudo nostra intantùm, inquantùm ei Dominus permisit, extenderet, lætificauit animum nostrum venientium narratio nunciorum, quam mox firmauit eorum, qui interfuerunt ordinationi tuę, relatio collegarum, qui tibi testimonij tantum tulerunt, quantum ferri huic debuit, qui abindè videbatur electus. Tanta antè opinione vixisti, vt tuis te aliena ciuitas inuideret. Tanto nunc horrore vitaris, vt tui in alijs videant, qualiter fuerant liberati. Dudùm sumpsimus tuas epistolas, quibus in angusto nihil potuimus dare responsi. Erat enim in Latinum sermo vertendus, quod cùm, licèt serò, facimus, sancti fratris & coëpiscopi mei Cyrilli probatissimi sacerdotis per filium meum Possidonium diaconum, talia de te scripta susceptmus, quibus his, qui de tua ordinatione retulerant, perisse suum testimonium doleremus. Bonis enim principijs tuis malus, quantùm videmus, successit euentus: bonis, inquam, principijs, quæ apud nos ita celebrata fuerant, vt responsum dantes ad relationem fratrum, nos faceremus participes gaudiorum. Sed considerantes nunc & querelam prædicti fratris, & interpretatas tandèm epistolas tuas, apertas blasphemias continentes, illud nobis Apostolicum videmus esse dicendum, Vellem immutare vocem meam, quia confundor in vobis. Quinimmò mutaui, nisi de præcipitijs se reuocet impius disputator. Necessè est enim malum ex nobis ipsis, sicut præcipitur, auferamus. Legimus ergò epistolarem tenorem, & eos libros, quos illustri viro filio meo Antiochio reddente susceptmus. In his quidé nobis vestigatus, deprehensus & tentus, quodam multiloquio vtebaris, dum vera inuoluis obscuris, rursùs vtraque confundens, vel confiteris negata, vel niteris negare confessa: sed in epistolis tuis apertam non tam de fide nostra, quàm de te tulisti sententiam, volens de Deo verbo aliter, quàm fides habet omnium, disputare. Ecce in quam de te vocamur sententiam. Ecce quæ tuarum sunt beneficia nouitatum. Post quàm ignoratus electus es, & cognitus accusaris, iam nunc cum illo gentium doctore dicendum est: Nam quid oremus secundùm quod oportet, nescimus. Nonne hæc Ecclesiæ illi verba conueniunt, quæ probatos sibi viros, non notitiam tuam, sed famam secuta, contempsit? Impositum est opinioni benè de te credentium. Quis enim intra ouile vellus rapacem lupum putaret abscondi? Vox est eiusdem Apostoli, oportere etiam hæreses esse, vt probati manifesti fiant. Aperi aures tuas, & eius ad Timotheum vel Titum dictos audito sermones. Quid his aliud præcepit, quàm vt nouitates euitent vocum profanas? Ad impietatem quippe ista proficiunt, quæ semper spinas & tribulos intulerunt. Timotheum certè etiam rogasse se dicit, vt Ephesi remanens denunciaret quibusdam, ne quis aliter prædicaret. Antè oculos mihi Hieremiæ Prophetæ verba sunt: Horribilia, inquit, facta sunt super terram: Prophetæ iniquitatem prophetant. Hæc, dicas volo, quasi ignota te transeunt, aut quasi nota contemnis? Si quasi ignota te transeunt, non sit pudoris rectum discere, quando timori non fuit docere peruersum. Si quasi nota contemnitis, intellige te inexcusabilem fore, cùm à te commissi tibi talenti quæsierit ille rationem, qui per nos de hoc sanctum fœnus vel lucrum semper expectat. Adspice, quæ pœna illum maneat, qui abscondit acceptum: qui integrum certè restituit, quod accepit. Vnde euidenter aduerte, quod sit & quale periculum, nec hoc, quòd acceperis, reddidisse. An tu Domino nostro dicturus. Quos dedisti mihi custodiui, cùm sic scindi in partes audiamus eius Ecclesiam? Qua conscientia viuis penè ab omnibus in hac ciuitate desertus? Optaueram eos tunc fuisse tam cautos, quàm nunc sunt, cùm sibi desiderant subueniri. Vnde tibi in has quæstiones verba *dirigere, quas sit blasphemū cogitasse? Vnde in populos hæc episcopo prædicare, quibus virginei partus reuerentia saucietur? Non debent veteris fidei puritatem blasphema in Deum verba turbare. Quis vnquam non dignus est anathemate iudicatus, vel adijciens vel detrahens fidei plenæ? Etenim manifestè tradita ab Apostolos nobis, nec augmentum, nec imminutionem requirunt. Legimus nostris libris non addi debere, nec detrahi. magna quippe & addentem & detrahentem pœna constringit. Vnde cauterium paramus & ferrum, quòd vltra non erunt souenda vulnera, quæ merentur abscindi. Scimus certè, maiora vitia maiore semper dolore sanari. Inter multa, quæ à te impiè prædicata vniuersalis recusat Ecclesia, Symbolo ab Apostolis tradito plangimus hæc verba fuisse sublata, quæ nobis totius spem vitæ salutisque promittnnt. Quod quare fiat, loquuntur Epistolæ tuæ, de quibus nulla dubitatio est, quia eas ipse misisti: quas in manus nostras nolueramus venire, ne de tanti cogeremur sceleris genere iudicare. Omnium disputationum tuarum vias breuis earum sermo concluſit: extendisti te latiùs, multis anfractibus circuisti, serò tamen diuerso itinere peruenisti ad impium constitutum. Scimus quid ille cauerit, qui præcipit contentiones & pugnas legis esse vitandas. sunt enim, inquit, inutiles & vanæ. Quod igitur vanum & inutile iudicatur, nemo dubitet minimè profuturum. Itaque quamuis iam frater Cyrillus secundis te Epistolis suis asserit esse conuictum, intelligas volo post primam & secundam illius & hanc correctionem nostram, quam constat esse iam tertiam, ab vniuersitate collegij, & conuentu Christianorum te prorsùs esse seiunctum, nisi mox quæ malè dicta sunt, corrigantur: nisi in eam viam redeas, quam se Christus esse testatur. Malè in hunc arma desperatione mouisti, qui te super familiam suam velut fidelem prudentemque seruum permiserat antè constitui. Perijt tibi huius officij beatitudo promissa: non solùm non das cibum in tempore, verùm etiam veneno interficis, quos ille suo sanguine & sua morte quæsiuit. Venenum namque est sub tuis labijs, quæ maledictionis & amaritudinis plena videamus, cùm contra eum, qui suauis est, niteris disputare. Vbi diligentia pastoralis? Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis: mercenarius verò est, qui eas lupis dimittit & tradit. Quid hic tu pastor acturus es, qui Dominicum gregem pro lupis ipse discerpis? Ad quæ iam grex sanctus septa cōfugiet, si intra ouilia Ecclesiæ saucietur? Quis futurus est tuitione defensus, qui te patitur pro custode raptorem? *Et alias*, inquit Dominus, *habeo oues, quæ non sunt de hoc ouili: & illas oportet me adducere.* Ille alias se promittit adducere, tibi pereunt quas habebas: siquidem certum sit, quoties ista contingunt, non oues pastoribus, sed magis ouibus perire pastores. Et vocem, inquit, meam audient. Quare? Vt fiat vnus grex. Ad illius vocem vnus fit grex, ad tuam autem inficitur aut fugatur. Durum est, vt in te de Actibus Apostolorum beati Pauli verba conueniant: Ego, inquit, scio, quia intrabunt post discessum meum lupi graues in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipsis exurgent homines loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Hæc à te alijs quàm tibi, dicta velimus. docenda enim tibi fuerant, non discenda, quæ dicimus. Nam quis ferat doceri Episcopum, qualiter esse debeat Christianus? Diligenter adspice, in quam conditionem voceris. Accerseris, argueris, accusaris. Quid horū conuenit sacerdoti? Duris dura responsio: si tamen vicissitudo est verbis blasphema vindicare. An tibi à nobis exiſtimas esse parcendum, cùm animæ tuæ ita ipse non parcas, vt omnibus velis & præteritis, & præsentibus, & futuris beneficium

Locus obscurus.

Matt. 25.

Apoc. vlt.

Tit. 1.

Authoritas summi Pontificis

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Ibid.

Ibid.

Act. 20.

Psal. 138. salutis auferre? Persequar planè boni Domini mei fidelis seruus inimicos, cùm Propheta eos odio se odisse perfecto. deest * testetur aut quippiam e usmodi. *Moneor rursùs altero loquente, ne parcam. Quem hic ego respiciam, cui honoris aliquid seruem, quando agitur vt mihi totius spei meæ causa tollatur? Ipsius in Euangelio verba Matt. 10. sunt Domini, quibus ait, non sibi patrem, non matrem, non filios, non aliquam necessitudinẽ debere præponi. Est enim talis frequenter pietas, ex qua nascatur impietas, cùm vincente carnis affectu, charitati illi, quæ Deus est, charitas præponitur corporaiis. Eius intuitu aliquibus sæpè deferimus, at cùm in hunc tenditur, qui est ipsa dilectio, necesse est, nec illa seruentur, quorum author vocatur ad causam. Expergiscere tandem, quia non sunt istæ dicendæ vigiliæ, quas non exhibes custodiæ, sed rapinæ. Dormire te volumus in hoc, quod prædicas, & vigilare ad hoc, quod impugnas. Leuiùs certè te ferremus, si in vtroque dormies: nemo tibi perditus esset, nemo quæsitus: nullo animarum dispendio mœreret Ecclesia, nullo compendio lætaretur. Satis ei esset, si hanc sponso suo ita vt suscepera resignares. Sed quid multis immoror? Loquente architecto Paulo, frustrà per te super ædificatum aliquid quæro, in quo non inueni fundamentum. 1. Cor. 3. Audio vim maximam Catholicè sentientes, quibus nos communicamus, clericos sustinere, ita vt his etiam ciuitas interdicta dicatur. Lætamur eos præmium confessionis acquirere, sed dolemus, quòd Episcopo persequente. Beatus Apostolus Paulus persecutorem prædicatore mutauit: nefas est maximum, prædicatorem persecutore mutatum dicere. Enumera retrò hæreticos, qui huiusmodi quæstiones Ecclesijs intulerunt. Quis vnquàm de hoc certamine victor reuertitur? habes certè tuæ ciuitatis exemplum. Paulus ciuis Samosatenus, occupata Antiochena Ecclesia, cùm aliqua prædicaret, collegit suorum seminum messem: reliquos inuentores malorum, Ecclesijs occupatis, sententiæ censura semper non dispar eiecit. Hos quoque hæreticos, de quibus nos velut eorum, quæ gesta sunt, nescius consulere voluisti, sedibus suis iniusta dicentes expulit iusta damnatio, quos illic inuenisse requiem, non putamus esse mirandum. Inuenerunt enim impiam prædicationem, cuius comparatione se existiment innocentes. Hoc loco, quia oportunitas sermonis exposcit, tacere non possumus, quod stupemus. Legimus quàm benè teneas originale peccatum, qualiter ipsam naturam adseueris debitricem, & eum debitum meritò reddere, qui descenderit de genere debitoris. Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? Nunquam sine suspicione ea, quæ sibi sunt aduersa, conueniunt: eijcerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen nunc ea, quæ in hos tunc sunt acta, quæruntur, cùm certum sit illinc ad nos, Catholico tunc antistite Attico, gesta directa? Cur non sanctæ memoriæ Silinnius ista quæsiuit? quia vtique sub decessore suo probauerat eos iustè damnatos. Desleant infelices, spe se hominum fuisse deceptos, quibus iam potuit propter communionem sola pœnitentia subuenire. Ecce scire de his incepisti, antè nescisti. Causam tuam magis modò, quàm aliorum, Catholica & festina deliberatione curato: Luc. 4. quia conuenienter dicimus, *Medice, cura teipsum*, qui alijs desideras subuenire. Ægritudinis tuæ qualitas non recipit aut præstari permittit inducias. Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotis fidem & probauimus, & probamus, & tu admonitus per eum, rursùs senti nobiscum, si vis esse nobiscum: cui fratri si à te præbetur assensus, damnatis omnibus quæ hucusque sensisti, statim hæc volumus esse correcta. Ipsum videas prædicare* nos, & quod contra fas est, etiam sacerdotes volumus sor. * quæ nos esse correctos: quibus vt præmissa conuentione consulimus, ita in nos necesse est damnationis sententiam, si abutuntur nostra salubri admonitione, firmemus. Hoc tamen erit post damnationem praui dogmatis plenum correctionis indicium, si reuocentur omnes ad Ecclesiam, qui propter Christum caput eius videntur excluſi. Quod nisi fiat,* quos dicimus* eijciendus eiecit, in nostra communione sicut isti, an Locus obscurus. qui talis cognoscitur extitisse? Ad clerum quoque Ecclesiæ Constantinopolitanæ, vel omnes, qui censentur nomine Christiano, qualia necessitas exigit, scripta direximus: vt si in peruersæ disputationis obstinatione persistes, nec hæc, quę frater Cyrillus nobiscum prædicat, prædicabis, à nostro collegio, cum quibus tibi non potest esse communio, te intelligant separatum, scituri & exemplo iam cauti, qualiter animæ suæ decocto & maturo iudicio debeant prouidere. Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, vt nisi de Deo Christo nostro ea prædices, quæ & Romana, & Alexandrina, & vniuersalis Ecclesia Catholica tenet, sicut & sacrosancta Constantinopolitanæ vrbis Ecclesia ad te vsque optimè tenuit, & hanc per fidem nouitatem, quæ hoc, quod venerabilis scriptura coniungit, niti tur separare, intra decimum diem, à primo innotescentis tibi huius conuentionis die numerandum, aperta & scripta professione damnaueris, ab vniuersalis te Ecclesiæ catholicę communione deiectum. Quam formam ad te nostri iudicij per memoratum filium meum Possidonium diaconum, cum omnibus chartis ad sanctum consacerdotem meum memoratæ Alexandrinæ vrbis antistitem, qui ad nos super hoc plenius retulit, destinaui, vt agat vice nostra, quatenùs statutum nostrum vel tibi, vel vniuersis fratribus innotescat: quia omnes debẽt nosse quod agitur, quoties omnium causa tractatur.

Petrus presbyter Alexandriæ & primicerius notariorum, dixit: His quæ lecta sunt, consona rescripsit sanctitas reuerendissimi Episcopi nostri Cyrilli, quæ & præ manibus habemus, & si iubet vestra reuerentia, legimus Flauianus Episcopus Philippensium, dixit: Lecta & hæc inserantur gestis. Petrus presbyter & Primicerius notariorum, legit.

Reuerendissimo & sanctissimo comministro Nestorio Cyrillus, & quæ conuenit Synodus Alexandriæ de Ægyptica diœcesi, in Domino salutem. Saluatore nostro apertè dicente, Qui diligit patrem aut matrem super me, non est me dignus: & qui diligit filium vel filiam super me, non est me dignus, quid patiemur nos, qui à tua reuerentia exigimur tedi- Matt. 10. ligere super Saluatorem omnium nostrum? quis nos in die iudicij iuuare poterit? aut quam inueniemus excusationem, qui silentiũ ita longum dileximus de factis à te contra ipsum blasphemijs? Et si quidẽ temetipsum solũ læderes, talia sapiẽs & docens, minùs vtiq; curæ esset: quoniã verò omnẽ scandalizasti Ecclesiã, & fermentũ insolitæ hæreseos & extraneæ inieciſti populis, & non ibi solummodò constitutis, sed etiã his, qui vbiq; sunt, (circũducti sunt etenim tuarũ expositionũ codices) quæ iã pro nostra taciturnitate sufficiet ratio? aut quomodo non necessariũ est, meminisse dicentis Christi, non putaueritis, quia veni mitsere pacem super terram: non veni mittere pacem, sed gladium: veni enim diuidere hominem contra patrem suum, & filiam contra matrem suam? Cùm enim fides læditur, valeat quidem, vt irrita & infirma, circa parentes reuerentia: quiescat autem & quæ in filios & fratres est affectionis lex, & pijs iam melior sit mors quàm vita, vt meliorem resurrectionem mereantur, secundùm quod scriptum est. Ecce igitur vnà cum Synodo, quæ in magna Roma congregata est, præsidente sanctissimo & reuerendissimo fratre & comministro nostro Cœlestino Episcopo, etiam tertia te hac contestamur Epistola, adhortantes desistere à prauis sic & distortis dogmatibus, quæ & sapis & doces: pro his autem eligere rectam fidem, quæ Ecclesijs ab initio tradita est per sanctos Apostolos & Euangelistas, qui & perspectores & ministri verbi facti sunt. Aut si hoc non egerit tua reuerentia secundùm statutas inducias in literis memoratis sanctissimi & reuerendissimi comministri nostri Romanæ vrbis Episcopi Cœlestini, cognosce teipsum nullam communionem habere nobiscum, neque locum aut verbum inter sacerdotes Dei & Episcopos. Nec enim possibile est, despicere nos Ecclesias sic pertur batas, & scandalizatos populos, & rectam fidem despretam, & dissipatos à te greges, qui saluare debueras, si quidem esses secundùm nos rectæ gloriæ amator sanctorum patrum inuestigans pietatem. Omnibus autem à tua reuerentia separatis propter fidem vel depositis, tam clericis, quàm laicis, communicatores sumus omnes. Nec enim iustum est illos, qui rectè sapere cognouerunt, tuis condemnari sententijs, quia benè facientes contradixerunt tibi. Hoc enim ipsum indicasti in Epistola, quæ scripta est à te magnæ Romæ sanctissimum Episcopum nostrum Cœlestinum. Non sufficiet autem tuæ reuerentiæ confiteri solùm fidei symbolum, quod expositum est illo tempore in sancto Spiritu à sancta & magna Synodo, tunc temporis congregata in Nicænorum ciuitate: (intellexisti enim & interpretatus es illud non rectè, distortè autem autem magis, quanuis confite-

Liber Cyrilli & Synodi Alexand. ad Nestorii. Tom. 1. pag. 914.

Ibidem.

Hebr. Synodus Romana sub Cœlestino.

ris vo-

ris voce dictionem) sed enim consequens est in scriptis & cum iureiurando confiteri, quia & anathematizas quidem tua scelerata & abominanda dogmata, sapies autem & docebis ea, quæ & nos omnes, qui per Occidentem & Orientem Episcopi, & doctores, & populis præsidentes sumus. Consensit autem & Romana sancta Synodus, & nos omnes, vt rectè habentibus & irreprehensibiliter Epistolis ad tuam reuerentiam scriptis ab Alexandrina Ecclesia. Subiecimus autem his nostris literis, quæ te oporteat sapere & docere, & à quibus abstinere conuenit. Hæc enim est Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fides, cui consentiunt omnes, & qui in Occidente sunt, & qui in Oriente Episcopi. Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium factorem. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM filium Dei, natum de patre, vnigenitum, hoc est, ex substantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, consubstantialem patri: per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & in terra sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus, & passus est, & resurrexit tertio die, & ascendit in cœlos, venturus iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat aliquando quando non erat, & priusquàm nasceretur, non erat, & quia ex non extantibus factus est, aut ex alia substantia aut essentia, dicentes conuertibilem esse aut mutabilem filium Dei, eos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia. Sequentes autem vbiquè sanctorum patrum confessiones, quas fecerunt loquente in eis sancto Spiritu, & sensuum, qui in eis sunt, inuestigantes intentionem, tanquàm regalem semitam ambulantes, dicimus quod ipse vnigenitus Dei verbum, qui ex ipsa natus est patris substantia, quia ex Deo vero Deus verus, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt, quę in cælo & in terra sunt, propter nostram salutem descendit, & semetipsum dedit in exinanitionem, & incarnatus est, & homo factus est, hoc est, carnem accepit de sancta Virgine, & suam eam fecit ex vtero, & secundum nos pertulit natiuitatem, & processit homo ex muliere, non hoc quod erat amittens: sed quamuis factus est in assumptione carnis & sanguinis, & sic mansit quod erat Deus, videlicet natura & veritate. Neque autem carnem dicimus in Deitatis naturam esse conuersam, neque in naturam carnis ineffabilem Dei verbi translatam esse naturam. Inconuertibilis enim est & immutabilis omninò, idem ipse semper manens secundùm scripturas. Cùm videretur autem & infans, & pannis inuolutus adhuc, & in sinu genitricis Virginis, & tunc omnem implebat creaturam vt Deus, & considebat genitori * diuinitas. Etenim sine quantitate & sine mensura est, & circunterminationem non suscepit. Vnitum autem esse carni secundùm subsistentiam confitentes verbum vnum adoramus filium & Dominum IESVM CHRISTVM, neque per partem ponentes & diuidentes hominem & Deum, vtpotè coniunctos sibi inuicèm dignitatis & authoritatis vnitione, (Nouitas enim vocis hoc est, & aliud nihil) neque verbum, quod ex DEO est, specialiter Christum nominantes, & simili modo specialiter quasi Christum, alterum eum, qui ex muliere est: sed vnum solum scientes CHRISTVM, verbum, quod ex Deo patre est, cum sua carne. Tunc enim humaniter vnctus est nobiscum, ipse dans his, qui digni sunt accipere spiritum, & non ad mensuram, sicut dicit B. Euangelista Ioannes. Sed neque illud dicimus, quod habitauit Deus verbum quasi in homine quodesancta virgine nato, vt non deiser homo intelligatur Christus. Si enim & habitauit in nobis Deus verbum, dictum est autem, etiam in CHRISTO, quòd habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: sed tamen consideramus, quia factus caro, non sicut in sanctis habitare dicitur, eodem modo & in eo factam esse habitationem pronunciamus: sed vnitus secundùm naturam, & non in carnem mutatus, talem facit habitationem, qualem vtiquè habere dicitur & hominis anima in suo corpore. Vnus igitur CHRISTVS, & filius, & Dominus, non velut coniunctione simpliciter habente homine ad DEVM per vnitatem dignitatis vel authoritatis. non enim æqualitas honoris vnit naturas. Ecce enim Petrus & Ioannes æquales quidem honore sibi sunt, eo quòd & Apostoli & sancti discipuli: veruntamen duo vnus non sunt. Neque quidem secundùm appositionem intelligemus modum coniunctionis: non sufficit enim hoc ad vnitionem naturalem: neque quasi secundùm participationem seruilem factam esse coniunctionem dicimus, sicut nos adhærentes Domino, secundùm quod scriptum est, vnus spiritus sumus ad eum. 1. Cor. 6. Magis autem coniunctionis nomen recusamus, quia non potest significare vnitionem: sed nec Deum aut Dominum CHRISTI verbum, quod ex patre est, nominamus, ne iterum apertè incidamus in duo vnum CHRISTVM, & filium, & Dominum, & blasphemiæ crimen incurramus, Deum & Dominum sibi ipsum facientes. Vnitum enim, sicut prædiximus, Dei verbum carni secundùm subsistentiam, Deus quidem est omniũ, dominatur autem vniuersitati. neq; verò ipse sui seruus est aut dominus, (stultum enim est, magis autem & impium sapere vel dicere.) Dixit enim suum patrẽ, cùm sit Deus natura & de substantia eius: sed nõ ignorauimus, quia cùm esset Deus, & homo factus est sub Deo, secũdùm legem cõuenientem naturæ humanitatis. Ipse verò sui quomodo fieret Deus aut Dominus? Ergò vt homo, & quantùm pertinet ad hoc, quod decet exinanitionis mensuris, sub Deo nobiscum semetipsum esse dicit. Sic factus est & sub lege, cùm certè locutus esset ipse legem, & legislator existeret vt Deus. Gal. 4. Recusamus autem dicere de Christo: Propter eum, qui induit, eum, qui indutus est veneror: propter inuisibilem, adoro eum, qui visibilis est. Horribile est ad hoc etiam illud dicere, quòd ille, qui adsumptus est, ei, qui assumpsit, coappellatur Deus. Qui enim hæc dicit, incidit iterum in duos Christum, & hominem separatim ponit, & Deum similiter. Denegat enim euidenter vnitatẽ, per quam non vt alter quidam alteri coadoratur, neque quidem coappellatur Deus: sed vnus intelligitur Christus Iesus Filius vnigenitus, vna adoratione venerandus cum sua carne. Confitemur autem, quia ipse, qui ex Deo patre natus est Filius, & DEVS vnigenitus, cùm vtique secundùm suam naturam impassibilis esset, carne passus est pro nobis secundùm scripturas, & erat in crucifixo corpore, suæ carnis impassibiliter proprias faciens passiones. Gratia autem DEI & pro omnibus gustauit mortem dans ei suum corpus, quamuis secundùm naturam ipse sit vita & resurrectio. Heb. 2. Vt enim ineffabili virtute calcans mortem, in prima sua carne fieret primogenitus ex mortuis, & primitiæ dormientium, & viam faceret etiam humanæ naturæ ad incorruptionis recursum, gratia Dei, sicut modò diximus, pro omnibus gustauit mortem: tertio autem die resurrexit, cùm infernum spoliasset. Heb. 2. 1. Cor. 15. Vnde licet dicatur per hominem facta resurrectio mortuorum, sed intelligimus hominem factum ex Deo patre Verbum, & solutam esse per eum mortis potestatem. Veniet autem in tempore, vt vnus filius & Dominus in gloria patris, vt iudicet mundum secundùm iustitiam, sicut scriptum est. Necessariò verò & illud adijcimus, annunciantes enim secundùm carnem mortem vnigeniti Filij Dei, hoc est, Iesu Christi, & ex mortuis resurrectionem, & ad cœlos ascensionem confitentes, * sine sanguine in Ecclesijs ministerium celebramus. Pſal. 95: *incruentum Accedimus etiam ita ad mysticas benedictiones, & sanctificamur, participes facti tam sanctæ carnis, quàm venerabilis sanguinis omnium nostrum saluatoris Christi: & non vt carnem communem accipientes, (absit:) neque quidem vt viri sanctificati & coniuncti verbo secundum vnitionem dignitatis, vel etiam quasi inhabitationem diuinam habentis: sed vt viuificam verè, & suam ipsius Verbi. Vita enim existens secundùm naturam vt DEVS, quoniam factus est vnum cum sua carne, viuificam eam ostendit. Itaque licèt ad nos dicat, *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem*, non vt hominis secundùm nos vnius & hanc esse æstimamus. (Quomodo enim hominis caro viuifica erit secundùm naturam suam?) sed vt propriam verè factam eius, qui propter nos & filius hominis factus & appellatus est. Euangelicas autem Saluatoris nostri voces nec subsistentijs duabus, neque quidem personis diuidimus: (nec enim est duplex, vnus & solus Christus, licèt ex duabus intelligatur & diuersis rebus in vnitionem indiuiduam coadunatus: sicut certè & homo ex anima intelligitur & corpore, & non duplex magis, sed vnus ex vtroque) sed humanas etiam & prætereà diuinas voces ab vno dictas esse existimamus, rectè sapientes. Quando enim diuinè dicitur de ipso, *Qui videt me, videt & patrem: & Ego & pater vnum sumus*, diuinam eius & ineffabilem intelli- Incruentũ Missæ sacrificium. Ioan. 6. Ioan. 14. Ioan. 10.

Heb. 1. gimus naturam, secundùm quam vt vnum est ad suum patrem propter identitatem substantiæ, imago etiam, & figura, & splendor gloriæ eius. Quando autem humanitatis mensuram non dedignans Iudæos alloquitur, *Modò me quæritis interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum:* iterùm nihilominùs ipsum, qui in æqualitate & similitudine est patris, Deum verbum & ex humanitatis eius mensuris agnoscimus. Si enim est necessarium credere, quia Deus existens natura factus est caro, siue homo animatus anima rationali, qualem vtiquè habeat rationem erubescere quosdam in vocibus eius, si factæ sunt homini condecentes? Si enim recuset homini decentia verba, quis est qui coëgit eum fieri secundùm nos hominem? Qui verò descendit propter nos in spontaneam exinanitionem, ob quam causam recusaret exinanitioni conuenientia verba? Vni igitur personæ, omnes voces Euangelijs insertæ, applicandæ sunt, id est, vni subsistentiæ incarnati Verbi. Dominus enim vnus Iesus Christus secundùm scripturas. Sin autem vocetur Apostolus & princeps sacerdotum confessionis nostræ, vtpotè sacrificans Deo & patri fidei confessionem, quæ à nobis ipsi, & per ipsum Deo & patri offertur, necnon & sancto Spiritui: iterum ipsum esse dicimus ex Deo secundùm naturam filium vnigenitum, & non homini attribuemus præter ipsum alteri sacerdotij nomen & ipsam rem. Factus est enim mediator Dei & hominum, & conciliator in pace, semetipsum dedicans in odorem suauitatis Deo & patri. Nam & dicebat, *Sacrificium & oblationem noluisti: holocaustomata & de peccato, tibi non complacuerunt, corpus autem perfecisti mihi. Tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me facere Deus voluntatem tuam.* Obtulit enim pro nobis in odorem suauitatis suum corpus, & non magis pro seipso. Qua enim indigeret oblatione vel sacrificio pro se, superior omni peccato existens vt Deus? Si enim omnes peccauerunt, & deest illis gloria Dei, secundùm quod facti sumus nos prompti ad transgressionem, & informata est humana natura in peccato: ipse verò non ita, & *vincimur ob hoc gloriæ eius: quomodo iam erit ambiguum, quia immolatus est propter nos, & pro nobis agnus verus: & dicere quia obtulit semetipsum pro se & pro nobis, nullo modo *excedit impietatis crimina? Deliquit enim nullo modo, neque fecit peccatum. Qua ergò opus habuit oblatione dum peccatum non esset, pro quo meritò fieret? Cùm autem dicit de Spiritu, ille me glorificauit, intelligentes rectè non vt gloria indigentem alterius dicimus vnum Christum & filium à sancto spiritu gloriam accipere, quia nec potior eo est, nec supra eum spiritus ipsius. Quoniam autem ad demonstrationem suæ diuinitatis vtebatur suo spiritu magna operatione, glorificatus esse ab eo dicitur, veluti si quidam homo dicat de insita sibi fortitudine forsan vel disciplina qualibet, quia glorificabunt me. Quamuis enim est in subsistentia speciali spiritus, & intelligitur separatim secundùm quod spiritus est, & non est filius, sed tamen non est alienus ab eo. spiritus enim veritatis nominatur, & est Christus Veritas & effunditur ab eo, sicut & ex Deo & patre. Operatus igitur spiritus & per manum sanctorum Apostolorum miracula post ascensum Domini nostri Iesu Christi ad cœlos, glorificauit eum. Creditus est enim quia Deus secundùm naturam est, iterùm ipse operans per suum Spiritum. Propter hoc & dicebat, De meo accipiet, & nunciabit vobis. Et non dicimus, quòd ex participatione sapiens est spiritus & potens. omninò enim perfectus est, & non deest illi quodcunque bonum. Quoniam autem patris virtutis & sapientiæ, quæ est filius, spiritus est, verè est sapientia & virtus. Quoniam verò Deum vnitum carni secundùm subsistentiam sancta virgo genuit carnaliter, ideò & Dei genitricem dicimus eam: non quia verbi natura essentiæ suæ initium habeat ex carne, (erat enim in principio, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & ipse est cœlorum factor consempiternus patri, & omnium opifex) sed sicut iam prædiximus, quoniam secundùm subsistentiam vniens sibi humanam naturam, & ex ipso vtero natiuitatem sustinuit carnalem: non quia indigebat necessariò propter propriam naturam & generatione temporali, & in vltimis seculi temporibus, sed vt ipsum essentiæ nostrę benedicat initium, & eo quòd peperit eum mulier, cesset iam contra omne genus hominum maledictio, transmittens ad mortem terrena nostra corpora, & illud quod dictum est, *In tristitia paries filios*, per ipsum destructum, verum ostenderet, quod per propheræ vocem dictum est, *Deuorauit mors prævalens*: & iterùm, *Abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie.* Propter hâc enim causam dicimus eum dispensatiuè & ipsas benedixisse nuptias, & venisse vocatum in Cana Galilææ vnà cum Apostolis. Hæc sapere edocti sumus tam à sanctis Apostolis, quâ Euangelistis, & ab omni diuina scriptura, & ex beatissimorum patrum vera confessione. In his omnibus & tuam reuerentiam consentire oportet sine omni dolo. Quæ verò necessariò oportet anathematizare tuam reuerentiam, subiecta sunt huic nostræ Epistolæ.

Ioan. 8. Esa. 25. iuxta 70. Apoc. 7. Ioan. 2. 1. Cor. 8. Heb. 3. 1. Tim. 2. Ephes. 5. Psal. 39. Rom. 3. *egemus 3. *effugit Esa. 35. Ioan. 15. Ioan. 14. Ioan. 16. Ioan. 1. Gen. 3.

XII. *Anathematismi Cyrilli.*

1 SI quis non confitetur DEVM esse secundùm veritatem Emmanuel, & propter hoc Dei genitricem sanctam virginem (genuit enim carnaliter carnem factum Verbum, quod est ex Deo) anathema sit.

2 Si quis non confitetur carni secundùm subsistentiam vnitum esse Verbũ, quod est ex Deo patre, & vnum esse Christum cum sua carne, eundem ipsum videlicet Deum simul & hominem, anathema sit.

3 Si quis in vno Christo diuidit substantias post adunationem, sola iungens eas coniunctione, quæ est secundùm dignitatem, vel authoritatem, aut potentiam, & non magis concursu secundùm naturalem vnitionem, anathema sit.

4 Si quis in personis duabus seu subsistentijs diuidit voces in Euangelicis vel Apostolicis scriptis de Christo à sanctis dictas, aut ab ipso de se, & quasdam quidem vt homini præter Deum Verbum intelligendo specialiter applicat, quasdã verò vt Deo decẽtes, soli Verbo, qui est ex Deo patre, adscribit, anathema sit.

5 Si quis audet dicere hominem deiferum esse Christum, & non magis DEVM esse secundùm veritatem, vt vnum naturalem filium, secundùm quod ipsum verbum factum est caro, & communicauit similiter nobis sanguini & carni, anathema sit.

6 Si quis dicit Deum aut Dominum Christum esse verbum, quod ex Deo patre est, & non magis eundem confitetur simul Deum & hominem esse, vtpotè facto carne verbo secundùm scripturas, anathema sit. Ioan. 1.

7 Si quis ait tanquàm hominem purum operationem suscepisse ex Deo verbo Iesum, & vnigeniti gloria circundatũ esse, tanquàm alterũ præter Deum verbum hominem existentẽ, anathema sit.

8 Si quis audet dicere hominem receptum adorari oportere cum Deo verbo, & glorificari, & coappellari, vt alterum cum altero, (nam qui addit, Cùm manifestè ostendit alterum cum altero adorari) & non magis vna adoratione honorificat Emmanuel, & vnam ei glorificationem refert propter hoc, quòd verbum factum est caro, anathema sit. Ioan. 1.

9 Si quis ait vnum Dominum Iesum Christum glorificatum esse à spiritu, quasi aliena virtute ab illo data vtentem, & ab ipso accepisse, vt posset operari contra spiritus immũdos, & adimplere in hominibus Deitatis miracula, & non magis eius esse spiritum dicit, per quem & operatus est Deitatis miracula, anathema sit.

10 Principem sacerdotum & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum diuina dicit scriptura. obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suauitatis Deo & patri. Si quis ergò principem sacerdotum & Apostolum nobis factum esse dicit, non ipsum Deum verbum, quando factus est caro, & secundùm nos homo, sed vt alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere: & si quis dicit & pro seipso obtulisse semetipsum oblationem, & non magis pro nobis solis, (nec enim indigeret oblatione, qui nescit peccatum) anathema sit. Heb. 3. Ephe. 5.

11 Si quis non confitetur Domini carnem viuificam esse, & propriam ipsius Verbi, quod est ex Deo patre, sed vt alterò quodam præter ipsum, coniuncto ei secundùm dignitatem, siue vt solam diuinam inhabitationem habente, & non

magis

magis viuificam, sicut dixi, quia facta est caro propria verbi, quod omnia viuificare valet, anathema sit.

12 Si quis non confitetur Dei verbum passum carne & crucifixum esse carne, & mortem gustasse carne, factum etiam primogenitum ex mortuis, secundùm quod vita est, & viuificus vt Deus, anathema sit.

Et collatione facta eorum, quæ à sanctis patribus dicta sunt, & eorum, quæ Cyrillus religiosæ memoriæ in prolatis duabus Epistolis scripsit ad Epistolam Nestorij, & testimonia eiusdem Nestorij prolata, & sic manifestata impietate Nestorij facta est depositio eius. Et hæc quidem est pars gestorum, quæ Ephesi acta sunt. Pars autem gestorum, quæ Chalcedone habita sunt de Epistola sanctæ memoriæ Leonis, ita habet:

EX *TERTIA ACTIONE EORUM, quæ Chalcedone sunt acta.

Magnificentissimi & gloriosissimi Iudices, & amplissimus Senatus dixerunt: Priore conuentu de damnatione beatæ memoriæ Flauiani & Eusebij religiosissimi Episcopi inquisitio facta est, & omnibus nobis manifestum est constitutum, quàm iustè & secundùm consequentiam prouenit examinatio, & ostensi sunt tunc crudeliter & non decenter damnati. Quæ nobis igitur visa sunt super hoc capitulo fieri oportere, tunc per interlocutiones vobis manifesta facta sunt. Nunc autem quærendum & iudicandum, vt vera fides contineatur, pro qua maximè & Concilium factum est. Scientes igitur quia & Deo rationem reddituri estis tam pro proprijs animabus singuli vestrum, quàm pro nostris omnibus, qui & doceri, quæ ad religionem pertinent, rectè desideramus, & omnem ambiguitatem auferri ex omnium sanctorum Patrum concordia & consensu, & consona expositione & doctrina, festinate sine vllo timore & gratia atque inimicitia fidem puram exponere: ita vt qui videntur non eadem cum omnibus sapere, per veritatis agnitionem ad concordiam reuocentur. Scire enim vos volumus, quia tam sacratissimus & pijssimus terræ orbis Dominus, quàm nos, Catholicam fidem à sanctis trecentis decem & octo, & à sanctis centum quinquaginta, necnon etiam & à cæteris sanctissimis & gloriosissimis Patribus traditam custodimus, & secundùm ipsam credimus.

Et recitato Symbolo trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, necnon expositione centum quinquaginta sanctorum Patrum, & Epistolis sanctæ memoriæ Cyrilli, oblata est legenda & epistola sanctæ memoriæ Leonis, quæ sic habet:

DILECTISSIMO FRATRI Flauiano Leo Episcopus.

LEctis dilectionis tuæ literis, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuisset, agnouimus: & quæ priùs videbantur occulta, nunc nobis relata patuerunt. Quibus Eutyches, qui presbyteri nomine honorabilis videbatur, multùm imprudens & nimis imperitus ostenditur, vt etiam de ipso dictum sit à Propheta: Noluit intelligere vt benè ageret: iniquitatem meditatus est in cubili suo. Quid autem iniquiùs, quàm impia sapere, & sapientioribus doctioribusq; non credere? Sed in hanc insipientiam cadũt, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Euangelicas authoritates, sed ad semetipsos, recurrunt: & ideò magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. Quam enim eruditionem de sacris noui & veteris Testamenti paginis acquisiuit, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit, & quod per totum mundum omnium regenerandorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur? Nescienſ igitur quid deberet de Dei verbi incarnatione sentire, nec volens ad promerendum lumen intelligentiæ in sanctarum Scripturarum latitudine laborare, illam saltem communem & indiscretam confessionem solicitò recepisset auditu, qua fidelium vniuersitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Christum Iesum filium eius vnicum, Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu sancto * & Maria Virgine: quibus tribus sententijs omnium ferè hæreticorum machinæ destruuntur. * ex

Cùm enim Deus, & omnipotens, & æternus pater creditur, consempiternus eidem filius demonstratur, in nullo à patre differens, quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus est coæternus: non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non diuisus essentia. Idẽ verò sempiterni genitoris vnigenitus sempiternus, natus est de Spiritu S. * & Maria Virgine: quæ natiuitas tẽporalis illi natiuitati diuinæ nihil minuit, nihil contulit, sed totũ se reparando homini, qui erat deceptus, impendit, vt & mortẽ vinceret, & diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare possemus peccati & mortis authorem, nisi naturam nostram ille susciperet & suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit detinere. Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra vterum Virginis matris, quæ illum ita salua virginitate edidit, quemadmodùm salua virginitate concepit. Sed si de hoc Christianæ fidei fonte purissimo syncerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuæ veritatis obcæcatione sibi propria tenebrarat, doctrinæ se Euangelicæ subdidisset, & dicente Mattheo, *Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham*, Apostolicæ quoque prædicationis expetisset instructum, & legens in Epistola ad Romanos. *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem*, ad Propheticas paginas piam solicitudinem contulisset, & inueniens promissionem Dei ad Abraham dicentis, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, ne de huius seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum, dicentem: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod est Christus.* Esaiæ quoque prædicationem interiore apprehendisset auditu dicentis. *Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est, interpretatum, Nobiscum Deus.* Eiusdemque Prophetæ fideliter verba legisset. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius potestas super humeros eius, & vocabunt nomen eius magni consilij angelus, admirabilis consiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri seculi.* Nec frustratoriè loquens, ita verbum diceret carnem factum, vt editus vtero virginis Christus, haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An fortè ideò putauit Dominum Iesum Christum non nostræ esse naturæ, quia missus ad beatam Mariam Angelus ait, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*: vt quia conceptus virginis diuini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis, proprietas remota sit generis: fœcunditatem enim virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est, & ædificante sibi sapientia domum, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, hoc est, in ea carne, quam sumpsit ex homine, & quam spiritu vitæ rationabilis animauit. Salua igitur proprietate vtriusque naturæ, & in vnam coeunte personã, suscepta est à maiestate humilias, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad resoluendum conditionis nostræ debitum, natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem mediator DEI & hominum, homo CHRISTVS IESVS & mori posset ex vno, & mori non posset ex altero. In integra ergò veri hominis perfectaque natura, verus natus est Deus: totus in suis, totus in nostris. Hebr. 2. Matt. 1. Rom. 1. Gen. 22. Gal. 3. Esa. 7. Esa. 9. Luc. 1. Prou. 9. Ioan. 1.

Nostra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator cõdidit, & quæ reparanda suscepit. Nam illa, quæ deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Saluatore vestigium. Nec quia communionem humanarum subijt

infirmi-

infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam serui sine sorde peccati, humana augens, diuina non minuens; quia exinanitio illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, & Creator ac Dominus omnium rerum, vnus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma serui factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam vtraque natura; & sicut formam serui, Dei forma non adimit; ita formam Dei, serui forma non minuit. Nam quia gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum, diuinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subijsse sententiam, seque in malis suis quoddam depræuaricatoris consortio inuenisse solatium, Deum quoque, iustitiæ exigente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condiderat, propriam mutasse sententiam, opus fuit secreti dispensatione consilij, vt incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate priuari, primam erga nos dispositionem pietatis suæ sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret. Ingreditur ergo hæc mundi infima Filius Dei, de cœlesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus. Nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis est factus in nostris. Incomprehensibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore; Vniuersitatis Dominus seruilem formam, obumbrata maiestatis suæ immensitate, suscepit. Impassibilis Deus, non dedignatus est homo esse passibilis; & immortalis, mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate generatus, quia inuiolata virginitas concupiscentiam nescisit, carnis materiam ministrauit. Assumpta igitur est de matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Iesu Christo, ex vtero virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideo natura est dissimilis. Qui enim verus Deus, idem verus est homo: & nullum est in hac vnitate mendacium, dum inuicem sunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs; & sicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recedit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Vnus enim idemque est, quod sæpè dicendum est, verè Dei Filius, & verè hominis Filius; Deus per id, quòd in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Homo per id, quòd verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Deus per id, quòd omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Homo per id, quòd factus est ex muliere, factus est sub lege. Natiuitas carnis, manifestatio est humanæ naturæ: partus virginis, diuinæ est virtutis indicium. Infantia paruuli, ostenditur humilitate cunarum; magnitudo altissimi, declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimẽtis hominũ, quem Herodes impiè molitur occidere; sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare. Iam cùm ad præcursoris sui Ioannis baptismum venit, ne lateret, quod carnis velamine diuinitas tegeretur, vox patris de cœlo intonans, dixit; *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit.* Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut DEO Angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, euidenter humanum est; sed quinque panibus quinque millia hominum satiare, & largiri Samaritanæ aquam viuam, cuius haustus viuenti præstet, ne vltra iam sitiat; supra dorsum maris plantis non subsidentibus ambulare, & elationes fluctuum increpata tempestate consternere, sine ambiguitate diuinum est. Sicut ergo, vt multa præteream, non eiusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum, & eundem, remoto quatriduanæ aggere sepulturæ, ad vocis imperium excitare rediuiuum; aut in ligno pendere, & in noctem luce cõuersa, omnia elementa tremefacere, aut clauis transfixum esse, & Paradisi portas fidei latronis aperire; ita non eiusdem naturæ est, dicere. *Ego & pater vnum sumus*, & dicere, *Pater maior me est.* Quamuis enim in Domino Iesu Christo, Dei, & hominis vna persona sit, aliud tamẽ est, vnde in vtroq; cõmunis est contumelia, aliud vnde cõmunis est gloria. De nostro enim illi est minor patre humanitas, de patre illi est æqualis cum patre diuinitas. Propter hanc vnitatem personæ in vtraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cœlo, cùm filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit. Et rursùs, filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cùm hæc non in diuinitate ipsa, qua vnigenitus coæternus & consubstantialis est patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Vnde vnigenitum filium Dei crucifixum & sepultum, omnes etiam in symbolo confitemur, secundùm illud Apostoli dictum. Si enim cognouissent, 1. Cor. 2.
num quam Dominum maiestatis crucifixissent. Cùm autem ipse Dominus noster atque Saluator, fidem discipulorum suis interrogationibus erudiret; Quem, inquit, dicunt homines esse filium hominis? Cumque illi diuersas aliorum opiniones retexissent; Vos, ait, quem me dicitis esse, me vtique, qui sum filius hominis, & quem in forma serui, atque in veritate carnis adspicitis, quem esse me dicitis? Vbi beatus Petrus diuinitùs inspiratus, & confessione sua omnib. gentibus profuturus, Tu es, inquit, CHRISTVS filius Dei viui. Nec immeritò beatus est pronunciatus à Domino, & à principali petra soliditatem & virtutis traxit & nominis, qui per reuelationem patris eundem & Dei filium est confessus, & Christum quia vnum horum sine alio receptum, non proderat ad salutem: & æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum, aut Deum tantummodò sine homine, aut sine Deo solùm hominem credidisse. Post resurrectionem verò Domini, quæ vtique veri corporis fuit, quia non alter est resuscitatus, quàm qui fuerat crucifixus & mortuus: quid aliud quadraginta dierum mora gestum est, quàm vt fidei nostræ integritas ab omni caligine mundaretur? Colloquens enim cum discipulis suis, & cohabitans atque conuescens, & pertractari se diligente curiosoque contactu ab eis, quos dubietas perstringebat, admittens, ideò & clausis ostijs ad discipulos introibat, & flatu suo dabat Spiritum sanctum, & donato intelligentiæ lumine, sacrarum scripturarum occulta pandebat. Et rursùs idem vulnus lateris, fixuras, clauorum, & omnia recentissimæ passionis signa monstrabat, dicens: Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: vt agnosceretur in eo proprietas diuinæ humanæque naturæ indiuidua permanere: & ita sciremus verbũ non hoc esse, quod carnem, & vt vnum Dei filium, & verbum confiteremur & carnem. Quo fidei sacramento Eutyches iste nimiùm æstimandus est vacuus, qui naturam nostram in vnigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam resurrectionis agnouit: nec sententiam beati Apostoli & Euangelistæ Ioannis expauit, dicentis: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus, qui soluit Iesum Christum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Quid autem est soluere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam, & sacramentum fidei, per quod vnum saluati sumus, impudentissimis vacuare figmentis? Caligans verò circa naturam Christi corporis, necesse est, vt etiam in passione eius eadem obcœcatione desipiat. Nam si crucem Domini non putet falsam, & susceptum pro mundi salute supplicium verum fuisse non dubitat, cuius credit mortem, agnoscat & carnem: nec diffiteatur nostri corporis hominem, quem cognoscit fuisse passibilem, quoniam negatio veræ carnis, negatio est etiam corporeæ passionis. Si ergò Christianam susceptio fidem, & à prædicatione Euangelij suum non auertit auditum, videat quæ natura transfixa clauis perpenderit in crucis ligno, & aperto per militis lanceam latere crucifixi, intelligat vnde sanguis & aqua effluxerint, vt Ecclesia Dei & lauacro rigaretur & poculo. Audiat & beatum Petrum Apostolum prædicantem, quòd sanctificatio Spiritus per adspersionem fit sanguinis Christi. Nec transitorie legat eiusdem Apostoli verba, dicentis; *Scientes, quòd non corruptibilibus argento & auro redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incõtaminati & immaculati Iesu Christi.* Beati quoque Ioannis Apostoli testimonio non refellat, dicentis: *Et sanguis Iesu filij Dei emundat nos ab omni peccato.* Et iterùm: *Hæc est victoria, quæ vicit mundum fides nostra. Quis est qui vicit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei? Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus est, qui testificatur, quo-*

Ioan. 1. Ibidem. Ibidem. Gal. 4. Matt. 2. Ibid. Matt. 3. Matt. 4. Ioan. 6. Ioan. 4. Matt. 14. Ioan. 11. Matt. 27. Luc. 23. Ioan. 10. Ioan. 14. Matth. 16. Actor. 1. Ioan. 20. Ibid. Luc. 24. Ibid. 1. Ioan. 4. Ioan. 19. 1. Pet. 1. Ibid. Ioan. 5. 1. Ioan. 5.

quoniam spiritus est veritas. Quia tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua & sanguis: & tres vnum sunt. Spiritus vtiquè sanctificationis, & sanguis redemptionis, & aqua baptismatis, quæ tria vnum sunt, & indiuidua manent, nihilque eorum à sui connexione seiungitur: quia catholica Ecclesia hac fide viuit ac proficit, vt nec sine vera diuinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate diuinitas. Cùm autem ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit, dicens: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem vnam naturam confiteor, miror tam absurdam, tamque peruersam eius professionem nulla iudicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet, esset auditum, cùm tam impiè duarum naturarum antè incarnationem vnigenitus Dei filius fuisse dicatur, quàm nefariè postquàm verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Quod nè Eutyches ideò vel rectè, vel tolerabiliter æstimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum, dilectionis tuæ diligentiam commonemus, frater charissime, vt si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiã ab hac sensus sui peste purgetur: qui quidem, sicut gestorum ordo patefecit, benè cœperat à suapersuasione discedere, cùm vestra sententia coarctatus, profiteretur se dicere, quod antè non dixerat, & ei fidei acquiescere, cuius priùs fuisset alienus. Sed cùm anathematizando impio dogmati noluisset præbere consensum, intellexit eum fraternitas vestra in sua manere perfidia, dignumque esse, qui iudicium condemnationis exciperet. De quo si fideliter atque vtiliter dolet, & quàm rectè mota sit Episcopalis authoritas, vel serò cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem omnia, quæ ab eo malè sunt sensa, viua voce præsenti subscriptione damnauerit, non erit irreprehensibilis erga correctum quantacunque miseratio: quia Dominus noster verus & bonus pastor, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & qui venit animas hominum saluare, non perdere, imitatores nos suæ vult esse pietatis, vt peccantes quidem iustitia coërceat, conuersos autem misericordia non repellat. Tunc enim demùm fructuosissimè fides vera defenditur, quando etiam à sectatoribus suis opinio falsa damnatur. Ad omnem verò causam piè ac fideliter exequendam, fratres nostros Iulianum Episcopum, & Renatum presbyterum tituli sancti Clementis, sed & filium meum Hilarium diaconum vice nostra direximus, quibus Dulcitium notarium nostrum, cuius fides nobis est sæpè probata sociauimus, confidentes adfuturum diuinitatis auxilium, vt is, qui errauerat, damnata sensus sui prauitate saluetur.

EX EADEM ACTIONE.

Atticus reuerendissimus Episcopus Nicopolitanæ ciuitatis, dixit: Quoniam præstitit magnificentia, vestra suarum aurium facilitatem cum patientia, precamur & inducias dari nobis, vt intra paucos dies tranquilla mente & non turbato animo, quæ Deo placent, à sanctis patribus ordinentur. Quoniam verò nunc domini nostri & sanctissimi patris & Archiepiscopi Leonis, adornantis Apostolicam sedem, lecta est Epistola, oportet verò & beatæ memoriæ Cyrilli Epistolam scriptam ad Nestorium, (in qua iubet eum consentire duodecim capitulis) & hanc dari nobis, vt in tempore disceptationis parati inueniamur. Reuerendissimi Episcopi clamauerunt: Si iubetis dari nobis inducias, petimus patres perseruari. Magnificentissimi Iudices & amplissimus Senatus dixerunt: Differatur audientia vsque ad quinque dies, vt inter hos conueniens vestra sanctitas ad sanctissimum Archiepiscopum Anatolium, communiter de fide tractetis, vt qui dubitant, doceantur.

EX QVARTA ACTIONE EIVSDEM sancti Concilij.

Magnificentissimi & gloriosissimi iudices & amplissimus senatus dixerunt: Vnusquisque reuerendissimorum Episcoporum huius præsentis sancti Concilij quomodo credit, per scripturam sinè aliquo metu, Deum præ oculis habens, festinet exponere, sciens quia sacratissimus & pijssimus noster Dominus secundùm expositionem sanctorum patrum trecentorum decem & octo, & secundum expositionem sanctorum centum quinquaginta, qui post hæc collecti sunt, & secundùm canonicas epistolas, & expositiones sanctorum patrum, Gregorij, Basilij, Hilarij, Athanasij, Ambrosij, & Cyrilli, canonicas duas epistolas, quæ sunt in primo Ephesino publicatæ Concilio atque firmatæ credit, nullo modo ab eorum fide recedens. Nam & reuerendissimus Archiepiscopus senioris Romæ Leo pro contentione, quæ ab Eutyche infideliter contra catholicam religionem facta est, videtur ad reuerendissimæ memoriæ Flauianum epistolam direxisse. Est Epistola 8.

ET POST ALIA.

Gloriosissimi iudices & amplissimus Senatus dixerunt: quoniam sancta Euangelia posita à reuerentia vestra perspeximus, singuli reuerendissimi Episcopi, qui conuenerunt, doceant, si expositio trecẽtorum decem & octo sanctorum patrum, qui olim in Nicæa collecti sunt, & post hæc centum quinquaginta, qui in regia congregati sunt ciuitate, consonat Epistolæ reuerendissimi Papę Leonis. Anatolius reuerẽdissimus Episcopus regiæ Constantinopolis, dixit: Epistola sanctissimi & Apostolici Archiepiscopi Leonis, consonat symbolo trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui apud Nicæam, centum quinquaginta, qui apud Constantinopolim postèà sunt collecti, qui eandem fidẽ confirmauerunt: sed & ijs, quæ in Epheso sub beatiss. & sanctiss. Cyrillo gesta sunt ab vniuersali & sancto Concilio, quando maledictum Nestorium condemnauit. Quapropter consensi, & eidem epistolæ libenter subscripsi.

Paschasinus & Lucentius viri reuerendissimi Episcopi, & Bonifacius vir reuerendissimus presbyter, vicarij sedis Apostolicæ, per Paschasinum dixerunt: Manifestum est, nec poterit dubitari, vnam fidem beatissimi Papæ, sedis Apostolicæ rectoris Leonis, cum trecentorum decem & octo apud Nicæam patrum concordare atque seruari, sed & centum quinquaginta apud Constantinopolim congregatorum sacerdotum, qui eandem fidem firmauerunt, sed & Cyrilli sanctæ recordationis viri apud Ephesum, quando Nestorius pro suo errore damnatus est, statuta in nullo penitùs discordare. Ideoque etiam beatissimi Papæ epistola, quæ eandem fidem exposuisse pro erroris Eutychis causa dinoscitur, vno sensu vnoq; spiritu videtur illi fidei esse coniuncta. Maximus reuerendissimus Episcopus Antiochiæ Syriæ, dixit: Concordat epistola sanctissimi Archiepiscopi regiæ Romæ Leonis expositionibus trecentorum decem & octo apud Nicæam sanctorum Patrum, & centum quinquaginta apud Constantinopolim nouam Romam, & in Epheso à sanctissimo Cyrillo expositæ fidei, & subscripsi.

Stephanus reuerendiss. episc. Ephesi, dixit: Consonat, & subscripsi.

Diogenes reuerend. episc. Cyzici, dixit: Consonat, & subscripsi.

Et cùm omnes sequenter eadem interlocuti essent, omnes reuerend. episcopi clamauerunt: Omnes consentimus, omnes cõfitemur, omnes similiter credimus, omnes eadem sapimus: sic sapimus, sic credimus.

Sancta Synodus dixit: Ex his, quæ recitata sunt, manifestum factum est, quomodo sanctæ synodi ea, quæ apud eos proferuntur, probare solent. Cùm enim illi sanctissimi viri, qui recitatas epistolas scripserunt, sic splenduerunt, tamen epistolarum earum comprobationem non simpliciter, nec sine inquisitione fecerunt, nisi per omnia cognouissent consonare eas expositioni & doctrinę sanctorum patrum, ad quam & collatio facta est. Vnde omnes, qui in synodo fuerunt, vna voce & consonantia vsi sunt. Hanc igitur regulam sequentes, perspicimus recitari definitionem pro fide expositam à sancto Chalcedonensi Concilio. Et cùm suscepisset Stephanus reuerendissimus Diaconus & Notarius & instrumentarius, recitauit.

Sancta & magna & vniuersalis synodus, quæ secundùm gratiam Dei, & decretum pijssimorum Imperatorum Valentiniani

tiniani & Martiani Augustorum, congregata est in Chalcedonensi ciuitate, metropoli prouinciæ Bithyniæ, in basilica sanctę ac triumphatricis martyris Euphemiæ, statuit quę subter compræhensa sunt.

Ioan. 14. Dominus & Saluator noster Iesus Christus, fidei agnitione proprios confirmans discipulos, ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: vt nulla fidei dissensio inter proximos oriatur, sed exæquo veritatis prædicatio ostendatur. Sed quia non desinit malignus in ipsis pietatis seminibus zizania sua inserere, & noui quiddam aduersùs veritatem semper excogitare: idcircò Dominus noster humano generi solicitè cupiens prouidere, pijssimum hunc & fidelissimum Imperatorem erexit ad zelum, qui vndiquè sacerdotum Pontifices ad se conuocauit, vt gratia Domini nostri Iesv Christi cooperante, omnem mendacij pestilentiam ab ouibus Christi remoueat, easque veritatis germinibus reficiat. Quod & communi decreto peregimus, erroris quidem sectam abijcientes, & puram & rectam patrum fidem renouantes, trecentorum decem & octo patrum symbolum omnibus prædicantes, & velut * nos patres alios centum quinquaginta huic pijssimo titulo consentientes notauimus, qui post hæc in ampliſſima vrbe Constantinopolitana conuenientes, etiam ipsum eandem fidem consignauerunt. Statuimus igitur, ordinem & omnes fidei formulas custodientes & nos sanctæ etiam synodi dudùm Ephesi factæ, cuius fuerunt authores venerabilis memoriæ Cœlestinus Romanæ vrbis, & Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotes, vt præfulgeat quidem recta & inculpabilis fidei expositio trecentorum decem & octo sanctorum ac beatissimorum patrum, qui in Nicæa sub Constantino piæ memoriæ Imperatore conuenerunt: obtinere autem & centum quinquaginta sanctorum patrum, qui in vrbe Constantinopolitana conuenerunt, decretum, ad peremptionem quidem sectarum, tunc pullulantium, confirmationem verò ipsius catholicæ atq; Apostolicæ nostræ fidei.

for. * hoc

Incipit Symbolum trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, qui in Nicæa conuenerunt.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium conditorem: Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, de Patre natum vnigenitum, hoc est, de substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine; Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, homousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus, & homo factus, passus est, & resurrexit tertio die, & ascendit in cœlos, indè venturus iudicare viuos & mortuos. Et in sanctum Spiritum.

Eos autem, qui dicunt, Erat aliquandò quando non erat, & antequàm nasceretur non erat, & quia ex non extantibus factus est, aut ex alia subsistentia vel substantia dicunt esse, aut conuertibilem, aut mutabilem filium Dei anathematizat catholica & Apostolica Ecclesia.

SYMBOLVM CENTVM QVINquaginta a Patrum.

CRedimus in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli ac terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia secula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion Patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, homo factus, crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato, & sepultus, tertio die resurrexit, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris, iterùm venturus est in gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis: Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & filio coadorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. In vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum, expectamus resurrectionem mortuorum, & vitā futuri seculi, Amen.

Hæc quæ que in actis Synod. Chalced. sub quo dupliciter dicitur bene habentia.

Sufficeret quidem ad plenissimam pietatis agnitionem & confirmationem, sapientissimum hoc & salutare diuinæ gratiæ symbolum. De Patre enim & Filio & Spiritu sancto doctrinam perfectam edocet, & incarnationem Domini fideliter susciꝑientibus manifestat. Sed quoniam hi, qui prædicationem veritatis destruere nituntur, quasdam per proprias hæreses vocum nouitates parturiunt (quidam enim Dominicæ dispensationis mysterium pro nobis actum audentes corrumpere, & vocabulum θεοτόκος, quod est, Dei genitrix, in virgine denegantes, alij autem temperamentum confusionemque inducentes, & vnam esse naturam carnis & Deitatis insensatè componentes, passibilem vnigeniti diuinam naturam tali confusione prodigiosè diuulgant) idcircò omnem aduersùs veritatem opponendam ab ipsis machinationem volens excludere hæc sancta & magna vniuersalis synodus, antiquam prædicationem immobilem docens, statuit præcipuè trecentorum decem & octo sanctorum Patrum fidem incontaminatam manere: Et propter eos qui Spiritui sancto aduersantur, patrum paulò posteriore tempore in vrbe Constantinopolitana centum quinquaginta conuenientium de substantia Spiritus sancti traditam doctrinam corroborauit, quàm etiam illi omnibus insinuauerunt, non quòd præcedētibus aliquid deesset adijcientes, sed de Spiritu sancto eorundem intellectum aduersùs eos, qui Deitatis eius dominationem nituntur adimere, scripturarum testimonijs plenius manifestantes. Propter eos sanè, qui dispensationis mysterium tentant corrumpere, & purum hominem esse, qui ex sancta Virgine natus est, impudenter diuulgant, beatissimi Cyrilli Alexandrinæ quondam Ecclesiæ sacerdotis, synodicas epistolas, tam ad Nestorium, quàm ad cæteros per Orientem, congruas susceꝑit, ad confutationem quidem Nestorianæ amentiæ, interpretationem verò eorum, qui religioso zelo salutaris symboli cupiunt intellectum. Quibus & epistolam sancti & beatissimi primæ sedis Archiepiscopi Leonis, scriptam ad Flauianum sanctæ recordationis Archiepiscopum, ad perimendam Eutychis malignitatem, quæque magni Petri confessionis concordat, & communem quandam paginam existentem contra eos, qui malè credunt, ad confirmationem Catholicæ religionis euidenter subiunxit. Nam & eos, qui in duos filios dispensationis Dominicæ mysterium scindere moliuntur, execratur: & eos, qui passibilem diuinitatem vnigeniti filij audent asserere, de Concilio sacerdotum repellit: & eos, qui in duabus naturis Christi temperamentum vel confusionem argumentantur, auersatur. Et qui cœlestem aut alterius cuiuscunque substantiæ existere formam serui, quam ex nobis assumpsit, insaniendo asserunt, procul abijcit: & eos, qui duas quidem ante adunationem naturas Domini declarant, vnam verò post adunationem confingunt, anathema facit. Consentientes igitur sanctis patribus, vnum eundemque filium confiteri Dominum nostrum Iesum Christum, consona voce pariter edocemus, perfectum eundem in diuinitate, perfectum eundem in humanitate, Deum verum & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, secundùm diuinitatem vnius cum patre naturæ, secundùm humanitatem eundem vnius naturæ nobiscum, per omnia similem nobis absque peccato: ante secula quidem ex patre natum secundùm diuinitatem, in nouissimis verò diebus eundem propter nos & nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem vnum eundemque Christum, filium, Dominum, vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendum, in nullo naturarum differentias propter humanitatem perimendas, magis autem salua vtriusque naturæ proprietate, & in vna persona vnaque subsistentia concurrente, non in duabus personis partiendum vel diuidendum, sed vnum eundemque filium vnigenitum, Deum verbum, Dominum Iesum Christum, sicut ab exordio prophetæ de eo, & ipse nos Iesus Christus erudiuit, & patrum nobis tradidit symbolum. His itaque cum omni vndique subtilitate & diligentia à nobis ordinatis, statuit sancta & vniuersalis Synodus, aliam

fidem

fidem nulli licere proferre, aut scribere, aut componere, aut sapere, aut docere aliter. Qui verò audent aut exponere aliam fidem, aut proferre, aut docere, aut tradere aliud symbolum volentibus conuerti ad scientiam veritatis ex gentibus, aut ex Iudæis, vel hæreticis quibuscunque, si quidem Episcopi aut clerici fuerint, alienos esse episcopos ab episcopatu, & clericos à clero: si verò monachi vel laici fuerint, anathema fieri.

Sancta Synodus dixit: Nunc necessarium nobis esse videtur conferre epistolam, quam Ibas scripsisse dicitur, cum definitione pro fide Chalcedonensi Concilio prolata, & insuper ad ea, quæ ibi acta sunt, necnon etiam cum his, quæ sancti Patres scripserunt: considerare autem, & quæ consonanter prædictæ Epistolæ & Theodoro, & Nestorio hæreticis exposita sunt. Notarij dixerunt: Ea, quæ pro his annotatis, præ manibus habemus.

Sancta Synodus dixit: Recitentur. Et cum accepisset Thomas reuerendissimus diaconus & notarius, recitauit.

Chalcedonensis sancta Synodus in definitione, quam de fide fecit, prædicat Deum verbum incarnatum, hominé factũ esse, qui est Dominus noster Iesus Christus, vnus * de sancta Trinitate: Epistola eos, qui verbum Deum incarnatum & hominem factum esse dicunt, hæreticos & Apollinaristas vocat. Sancta Chalcedonensis Synodus Dei genitricem sanctam virginem Mariam prædicat: Epistola autẽ sanctam virginem Mariam abnegat DEI genitricem esse. Dicit enim: Quomodo possibile est accipi Deum verbum, qui ab initio est, pro templo ex Maria nato? aut illud, Minorasti eum paulò minus ab Angelis, de Deitate vnigeniti? Diuina scriptura, & sancti patres & doctores Ecclesiæ exinanitionem & minorationem Dei verbi incarnati esse dicunt. Iterum Chalcedonensis sancta Synodus in definitione, quam pro fide exposuit, omnes sequi se dicit formas sancti Ephesini primi Concilij, & Nestoriũ anathematizat: Epistola autem iniuriat Ephesinam primam sanctã synodum, & Nestorium defendit, tanquam sine examinatione & quæstione ab ea damnatum. Chalcedonensis sancta Sydus Cyrillum sanctæ memoriæ, & doctorem sibi adscribit, & suscipit Synodicas eius epistolas, quarum vni duodecim capitula suppositа sunt, ex quibus Nestorius condemnatus est: Epistola autem de Nestorio quidem, qui tanta blasphemauit & condemnatus est, dicit, quòd putatus est quibusdam de secta Pauli Samosateni esse, Cyrillum verò sanctæ memoriæ hæreticum vocat, & dicit de eo, quòd lapsus est in Apollinarij dogma, eo quod dicit, quòd ipse Deus verbum homo factus est: & cum impia vocasset duodecim capitula, dicit quod in eis vnam naturam dixit Cyrillus Deitatis & humanitatis Domini nostri Iesu Christi, vt non sit differentia inter templum, & eum, qui in templo habitat. Ex quibus manifestè ostenditur scriptor Epistolæ, quod duas introducens personas, accusat sanctum Cyrillum, qui secutus est anteriores sanctos patres & doctores Ecclesiæ, & duarum naturarum, secundum subsistentiam vnitatem edocuit, quod non vnam naturam Deitatis & humanitatis Domini nostri Iesu Christi significat, sed quod Deus verbum incarnatus, homo factus est. Qui enim impietatem Theodori & Nestorij insertam Epistolæ vindicant, diuisionem diligentes, & propter hos duas personas introducentes, accusant vnitatem, quæ secundũ subsistentiam est. Hanc autem faciunt accusationem contra huiusmodi confessionem, quoniam diuisionem non suscipit. Certum etenim est, quòd vnitas secundum subsistentiam, inconfusa & indiuisa custodit ea, quæ conuenerunt, ex quibus ineffabilis vnitio facta est.

Iterum impiæ scriptor Epistolæ, volens secundũ Theodori & Nestorij impietatem separatim Deo verbo, & separatim homini euangelicas & apostolicas & voces diuidere, accusat sanctæ memoriæ Cyrillum, eo quod non secundũ eorum insaniam per partes duabus personis voces diuidit. Quòd autem sanctæ memoriæ Cyrillus vocum quidem scit differentiam in vno Domino nostro Iesu Christo, Deo verbo incarnato, non autem diuidit eas per partes, & distribuit separatim Deo verbo, & separatim homini, euidenter in suis expositionibus ita scribit: Vocum autem differentiam nullo modo interemimus, licèt interdiximus diuidere eas, vt filio separatim Deo verbo, q̃ ex patre est, & vt homini iterum separatim filio intelligẽdo, qui ex muliere est. Ex quibus ostenditur scripto epistolæ hæreticus & calumniator. Iterum Chalcedone congregati sancti patres, consonã. ter in gestis apud eos habitis confitentur ita credere, sicut exposuit sanctæ memoriæ Cyrillus, & anathematizant eos, qui ita non credunt: Epistola de eo, & qui similia ei sapiunt, dicit, quod in confusione & pœnitentia sunt, contraria priori suæ doctrinæ docentes, Chalcedonense sanctum Concilium in definitione, quam de fide exposuit, anathematizat eos, qui aliud symbolum, præter quod exposuerunt trecenti decem & octo sancti patres, conponunt aut tradunt: Epistola laudat Theodorum, qui super alias innumerabiles blasphemias, ausus est & impium exponere symbolum, in quo aliud dicit Dei verbum, & aliud Christum, & anathematizat idem Theodorus eos, qui non secundum sceleratum quasi symbolum ipsius sapiunt, vt secundum insaniam ipsius omnes sanctos patres & doctores Ecclesiæ condemnaret. Hoc autem impium Theodori symbolum, in Ephesino primo Concilio prolatum anathematizatum est cum suo scriptore. Iterum Chalcedonensis sancta Synodus Dominum Antiochiæ Episcopum, eo quod scripsit debere taceri duodecim capitula sanctæ memoriæ Cyrilli, & post mortem condemnauit, cum confirmasset condemnationem eius, & suscepisset Maximi ordinationem. Si igitur propter duodecim capitula Domnus condemnatus est, quomodo dicere præsumunt quidam, epistolam, quæ impia eadem duodecim capitula dicit, susceptam esse à sancto Chalcedonensi Concilio? Sancti patres & doctores Ecclesiæ, quos secuta est sancta Chalcedonensis Synodus, differentiam Deitatis & humanitatis significare volentes, duas dicentes naturas, vnitatem earum secundum subsistentiam confitentur, quod est vnus Dominus Iesus Christus, Dei verbum incarnatus, & homo factus: scriptor autem epistolæ, dicens duas naturas, & vnam virtutem, & vnam personam, & vnum filium, & vnum confitens quod Deus verbum incarnatus & homo factus est, (quod est duarum naturarum secundum substantiam vnitas) cuius duas naturas dicit. Sed certum est, quod pro personis naturas ponit, & affectualem vnitatem dicit secundum Theodorum & Nestorium impios, quos defendit & laudat scriptor Epistolæ. Et isti enim duas personas, & duos Christos, & duos filios dicentes, suam impietatem obumbrare volentes, duas naturas & vnum filium dixerunt. Dicit enim impius Nestorius in Epistola ad Alexandrum Hierapolitanum Episcopum, eadem ei sapientem, hæc: Oportet manere naturas in suis proprietatibus, & sic per mirabilem & omnem rationem excedentem vnitatem, vnam intelligi gloriam, & vnum confiteri filium. & iterum: Non duas personas vnam personam facimus, sed vna appellatione CHRISTI duas naturas simul significamus. Theodorus autem, sicut prædiximus, affectualem vnitatem dicens, & naturas pro personis siue subsistentijs accipiens, ita dicit in vndecimo libro de incarnatione: Ad hæc itaque sufficiunt quidem & quæ diximus, vbi & naturarũ differentiam ostendimus, & personæ vnitatem, & quod secundum naturas iste quidem beneficium accipit, ille autem beneficium dat, certa constituta vnitate, ex qua indiuisè ab vniuersa creatura honor impletur. Oportet considerare, quod cum naturas dixisset, & ad personas peruenit inferens, quod iste quidem beneficium dat, ille autem beneficium accipit, per solum honorem duarum personarum vnitatem dicens, sicut & Nestorius vnum filium secundum gloriam confitetur. Quomodo autem & Nestorius duas dicit naturas, & quod pro personis eas accipit, licet videtur vnum dicere filium, euidenter ex eius blasphemijs demonstratur, quas sanctæ memoriæ Cyrillus contra eum in Epheso protulit, ita habentes: propter hoc & CHRISTVS DEVS verbum nominatur, quoniam habet coniunctionem ad CHRISTVM perpetuam. Et in alijs Nestorius dicit, propter eum, qui induit, eum, qui indutus est adoro: propter eum, qui occultus est eum, qui apparet adoro. Inseparabilis ab eo, qui apparet, DEVS est: propter hoc eius, qui inseparabilis est, honorem non separo separo; naturas, sed vnio in adoratione. & iterum: quoniam enim fi-

Galat. 4. lius homo est, & DEVS (dicit) destinauit filium suum, factum ex muliere: vt cum audieris factum ex muliere, deinde videris nomen appositum, quod duas naturas significat, vt natiuitatem ex Maria virgine filium quidem voces, (filiũ etenim DEI peperit & Christotocos virgo) sed quoniam filius DEI duplex est secundum naturas, non genuit quidem filium DEI, sed genuit humanitatem, quæ est filius propter coniunctum ei filium. Theodorus autem in octauo de Incarnatione libro, & ipse naturas pro personis accipiens, ita dicit: Sicut & Dominus de viro & muliere dicit, quòd iam non sunt duo, sed vna caro: dicamus & nos rationabiliter secundum vnitatis rationem, quoniam non sunt duæ personæ, sed vna, scilicet naturis discretis. Sicut enim ibi non nocet numero dualitatis vnam dici carnem, (certum est enim secundum quid vna dicitur) ita & hic non nocet naturarũ differentiæ personæ vnitas. Quando etenim naturas discernimus, perfectam naturam DEI verbi dicimus, & perfectam personam, (nec enim sine persona est subsistentiam dicere) perfectam autem & hominis naturam & personam, similiter. Quando autem ad coniunctionem respicimus, vnam personam tũc dicimus. Insuper epistola dicit, oportere confiteri in templum, & in eum, qui in templo habitat, quod euidenter duas introducit personas. Sed & Nestorius ijdem vsus est verbis, ita dicens: Eamus igitur & naturas confitentes, & coniunctionem naturarum constringentes: & dignitatem quidem dicentes vnam, & dominationem vnam templi, & qui in templo habitat, duas autem naturas. Et iterum dicit: Dominus enim & templum est propter coniunctam ei dominationem. Ex his autem Nestorij verbis, & ex his, quæ in epistola continentur, manifestum est, quòd aliũ dicunt Christum, quem templum vocant, & alium Deum verbum, qué dicunt habitare in templo: & secundum eorum impietatem, affectualem dicentium vnitatem, nulla sit differentia inter Christum & fideles homines, de quibus dixit Apostolus: Vos templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Quoniam verò & vnam virtutem in duabus naturis dicit scriptor Epistolæ, hoc & Theodorus & Nestorius dicunt, quos laudat & defendit. Theodorus quidem in duodecimo libro eiusdem opusculi, ita dicens: Ad hæc autẽ beatus Apostolus respondens, conatur ostendere, quomodo particeps est diuini honoris, & quod eo fruitur nõ propter suam naturam, sed propter inhabitantem virtutem. Oportet & considerare, quòd purum hominẽ dicunt Christum, non propter suam honorandum naturam, sed propter in eo habitantem virtutem. Nestorius autem de dicto in Euangelio; Quòd simile est regnum cælorum homini regi, ita dicit: Coniunctionis, & dignitatis, & ad quod videtur potentiæ, & diuinæ filiationis, & ipsius nominis Christi nõ est diuisio, rationis autem Deitatis & humanitatis est diuisio. Hanc autem impietatem vnitatis, quæ secundum virtutem est, beatus Cyrillus interimens, ita dicit: Si quis dicit per coniunctionem secundum dignitatem, vel authoritatem, vel potentiam siue virtutem, & non magis conuentu, qui est secundum vnitatem naturalem, vnitionem factam esse, anathema sit. Hanc doctrinam accepi à sanctis patribus, per quam condemnant eos, qui non cõfitentur, quòd Deus verbum carni animatæ anima rationabili & intellectuali secundum subsistentiam vnitus est, sed dicunt vnitatem factam esse secundum dignitatem, & authoritatem, & virtutem. Vna enim virtus, & vna gloria, vel dignitas, non sicut scriptor Epistolæ, & Theodorus, & Nestorius impiè exposuerunt, in diuersis naturis dicitur, sed in diuersis personis, eundem honorem & dignitatem & æqualitatem habentibus, quod in sancta Trinitate confitemur.

Matth. 19.

1. Cor. 3.

Matth. 18. & 22.

Anathematismo 3

Sancta Synodus dixit: Ostendit manifestè facta collatio, quòd contraria per omnia est Epistola, quam Ibas scripsisse dicitur definitioni, quam pro recta fide sancta Chalcedonensis Synodus pronunciauit. Vnde & procedentes omnes, exegerũt Ibam anathematizare Nestorium, quem vindicabat impia Epistola, & insuper impia eius dogmata, & subscribere definitioni, quam pro fide exposuerunt ad refutanda certè ea, quæ prædicta Epistola vindicat. Et hæc fecerunt, pro nullo habentes ea, quæ ab vno vel duobus pro eadem Epistola dicta sunt, qui & ipsi eiusdem omnibus facti voluntatis, Ibam susceperunt, cùm pœnitentiam egisset, & Nestorium anathematizasset, & subscripsisset definitioni ab eodem sancto Concilio expositæ. Omnes Episcopi exclamauerunt: Hæc omnes diximus, Epistola hæretica est, Epistolam, quæ dicitur Ibæ, omnes condemnamus. Istã omnes anathematizamus, Epistola aliena Synodo est, Epistola contraria definitioni est, tota Epistola hæretica est, tota Epistola blasphema est. Qui hanc non anathematizat, hæreticus est: qui istam susçipit, hæreticus est. Epistolam definitio sanctæ Chalcedonensis Concilij condemnauit. Qui eam susçipit, non confitetur Deum verbum hominem factum esse. Qui eam susçipit, Cyrillum non susçipit. Definitio Chalcedonensis Concilij Epistolam, quæ Ibæ dicitur, eiecit. Vnus Nestorius, Vnus Theodorus: anathema Theodoro & Nestorio, & Epistolæ, quæ dicitur Ibæ. Qui Epistolam susçipit, Cyrillum reijcit. Qui Epistolam susçipit, Chalcedonenses sanctos patres reijcit. Chalcedonensis Synodi & Cyrilli æterna memoria: sanctarum quatuor Synodorum æterna memoria. Qui non anathematizat Epistolam, Chalcedonensem Synodum iniuriat. Multis annis Imperatorem, orthodoxum Imperatorem multis annis. Et post istas exclamationes sancta synodus dixit: Sufficiente quæstione, quæ pro tribus capitulis facta est, alio die quod agendum est consideremus.

Epistola Ibæ anathematizatur.

COLLATIO VII.

IMPERII DOMINI IVSTINIANI PERPETVI AVGVSTI ANNO XXVII. POST CONsulatum Basilij viri clarisſ. Anno xij. die 18. Kalend. Iunias, Indictione I.

Cõsessus Collatio.

COnsidentibus in Secretario venerabilibus Episcopis huius regiæ ciuitatis,

Eutychio sanctissimo Patriarcha regiæ Constantinopolis nouæ Romæ.

Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandrinæ magnæ ciuitatis.

Domnino sanctissimo Patriarcha * Theopolitanæ magnæ ciuitatis.

Stephano religiosiſ. episſ. Raphiæ.

Georgio religiosiſ. episſ. Tiberiadis.

Damiano religiosiſ. episſ. Sozysæ, vicem agentibus Eustochij sanctissimi episcopi Hierosolymitani.

Benigno religiosissimo episcopo Heracleæ Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatissimi episcopi Thessalonicen.

Theodoro religiosiſ. episco. Cæsareæ primæ Cappadociæ prouinciæ.

Andrea religiosiſ. episſ. Ephesi.

Sextiliano religiosiſ. episc. Tunienſi, vicem agente Primosi religiosissimi episco. Carthaginis.

Megethio religiosissimo episc. Heracleæ Thraciæ.

Anastasio religiosiſ. episco. Tabiæ, vicem agente Dorothei religiosiſ. episſ. Ancyræ.

Ioanne reuerend. episcopo Ælienſi, vicem agente Euprepij religiosissimi Episcopi Cyzicenæ ciuitatis.

Eusebio religiosiſ. episcopo Tyri.

Ioanne religiosiſ. episcopo Nicomediæ.

Stephano religiosiſ. episcopo Niceæ.

Constantino religiosiſ. episcopo Chalcedonensi.

Petro religiosiſ. episc. Tarsi.

Ioanne reuerend. episſ. Cucusorum, vicem agente Palladij religiosiſ. episcopi Melitenæ.

Ioanne religiosiſ. episſ. Cæsareæ Palæstinæ.

Pompeiano religiosiſ. episc. Byzacij.

Amazonio religiosiſ. episcopo Edessæ.

Alexandro religiosiſ. episcopo Gangrorum.

Thoma religiosiſ. episco. Apameæ Syriæ.

Euphranta religiosiſ. episc. Tyanorum.

Theodo-

Theodoro religiosiſ.epiſc.Hierapolis Syriæ.
Bosphorio religiosiſ.epiſc.Neocæsareæ.
Ioanne religiosiſ.epiſc.Bostræ.
Philippo religiosiſ.epiſcopo Myrorum.
Theodoro religiosiſ.epiſc. Seleuciæ Hauriæ.
Iuliano religiosiſ.epiſ. Sardienſi.
Theodoro religiosiſ.epiſco.Gortynæ.
Euſtachio religiosiſ.epiſc.Damaſci.
Theodosio religiosiſ.epiſc.Rhodi.
Firmo religiosiſ.epiſc.Potipaſon, Africanæ prouinciæ.
Theodoro religiosiſſimo epiſcopo Antiochiæ Piſidiæ.
Phoca religiosiſ.epiſcopo Stalienſi.
Eulogio religiosiſſimo epiſcopo Pergæ.
Seueriano religiosiſ.epiſ.Aphrodiſiadis.
Cyriaco religiosiſ. epiſc. Amydæ.
Seuero religios. epiſ.Synnadorum.
Petro religios. epiſcopo Sydæ, Abrahamio religiosiſ.epiſc. Sergiopolitano.
Aſignio reuerendiſſimo epiſcopo Traianopolitano, vicem agente Ioannis religiosiſ.epiſco.Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ.
Ioanne religiosiſsimo epiſcopo Adrianopolitano Thraciæ.
*Creſco religiosiſ. epiſc.Cuiculi.
Theodoſio religiosiſſ. epiſco. Iuſtinianopolitano ſecundæ Cappadociæ.
Stephano religiosiſſimo epiſcopo Laodiceæ, ſiue Theodoriadis.
Auxanone religiosiſſimo epiſcopo Hierapolis Phrygiæ.
Euſtachio religiosiſſ.epiſ.Maximianopolitano.
Ætherio religiosiſſ.epiſ.Anazarbi.
Dometio religiosiſſ.epiſ.Chalcidis.
Valeriano religiosiſſimo epiſcopo Obbæ Africanæ prouinciæ.
Dionyſio religiosiſ.epiſ.Seleuciæ Syriæ.
Theodoro religiosiſſ.epiſc.Dryziparon.
Seuero religiosiſſimo epiſcopo Pompeiopolitano Paphlagoniæ.
Georgio religiosiſſ.epiſc.Iuſtinianæ Cypſelon.
Romano reuerend.epiſ.Gabalon.
Gregorio reuerendiſſimo epiſcopo Iuſtinianopoleos Armeniæ.
Ioanne reuerend.epiſc.Nyſſæ.
Baſilio reuerēdiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Camulianorum.
Ioanne reuerendiſſ.epiſ.Barcuſorum.
Creſconio reuerendiſſimo epiſcopo Zattarenſi prouinciæ Numidiæ.
Sergio reuerend.epiſcopo Cynon ſecundæ Ægypti.
Chriſtophoro reuerendiſſimo epiſcopo Archadiopolitano Aſiæ.
Theodoſio reuerend.epiſcopo Bybli.
Leontio reuerendiſſimo epiſcopo Archæ.
Ioanne reuerend.epiſc. Myrinæ.
Alexandro reuerend.epiſc.Amphipolitano.
Stephano reuerend.epiſc.Clyſmatis.
Thoma reuerend.epiſc.Beriſſæ.
Ariſtodemo reuerend.epiſc.Philomelij.
Thallelæo reuerendiſſimo epiſcopo Adrianopolitano Piſidiæ.
Theoctiſto reuerend.epiſc.Erythron.
Diogeniano reuerend.epiſc.Sozopolitano.
Baſſo reuerend. epiſc.Tamathenſi.
Anatolio reuerend.epiſcopo Cymæ.
Diogene reuerend epiſc.Cratiæ.
*Reſtuto reuerendiſſimo epiſco. Mileon Aphricanæ prouinciæ.
Theodoro reuerendiſſimo epiſcopo Leontopolitano Ægypti.
Æmiliano reuerend.epiſc.Antipyrgi.
Conone reuerend.epiſc.Magocdenſi.
Theoctiſto reuerend.epiſc.Pruſæ.
Georgio reuerend.epiſc.Ptolemaidis.
Sotero reuerend.epiſ.Anionis.
Zoſimo reuerend.epiſ.Antandri.
Cypriano reuerend.epiſ.*Coruti.
Elia reuerend.epiſ.Diocletianopolitano.
Theona reuerend.epiſ.*Cuſſon.
Theodoro reuerend.epiſc.*Limyron. * Lymerō
Gennadio reuerend.epiſ.Zenopolitano. * Limyrō.
Aſyncretio reuerend.epiſ.Aradi.
Stephano reuerend.epiſ.Botron.
Philippo reuerend.epiſc.Phelli.
Mena reuerend.epiſ. Demyriangelis.
Genethlio reuerend.epiſ.Dorylaij.
Thoma reuerend.epiſc.Conſtantinæ.
Theodoro reuerend.epiſ. Leontopolitano.
Seuero reuerend.epiſ.Taborum.
Theoctiſto reuerend.epiſ.Halicarnaſſi.
Coſma reuerend.epiſc.Malli.
Dionyſio reuerend.epiſc.Megarenſi.
Callinico reuerend.epiſc.Opyntij.
Paſchaſio reuerend.epiſ.Aegij.
Eraſmo reuerend.epiſc.*Cybyræ.
Ioanne reuerendiſſimo epiſcopo Neocæſareæ Euphratenſis.
Nonno reuerend.epiſ.Clauſarorum.
Stephano reuerend.epiſ.Balaneon.
Thoma reuerend.epiſ.Circiſij.
Anatolio reuerend.epiſ.Sebaſtæ.
Conſtantino reuerend. epiſ.Midaij.
Macario reuerend.epiſ.Prymneſiæ.
Megalo reuerend.epiſ.Myri.
Thallęlæo reuerend.epiſ.Iſindorum.
Niceta reuerend.epiſ.Epiphaniæ.
Alexandro reuerend.epiſ.Dionyſi.
Pelagio reuerend.epiſ.Azanon.
Hierone reuerend.epiſ.Anaſtaſiopolitano Phrygiæ.
Glauco reuerend.epiſ.Alion.
Procopio reuerend.epiſ.Antinoi.
Petro reuerend. epiſ.Dometiopolitano.
Ioanne reuerend.epiſ.Coloniæ.
Vranio reuerend.epiſ.Trallienſi.
Ioanne reuerend.epiſ.Ceraſuntis.
Phronymo reuerend.epiſ.Sinaij.
Macedonio reuerendiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerend.epiſ.Teni.
Eulogio reuerend.epiſc. Danaborum.
Theodoro reuerend.epiſc. Caradeon.
Helpidophoro reuerendiſſimo epiſcopo Anaſtaſiopolitano Cariæ.
Cyrione reuerend.epiſc.Dadimorum.
Theodoro reuerend.epiſc.Laodiceæ.
Sila reuerend.epiſc.Tiberiopolitano.
Diogene reuerend.epiſc.Auguſtopolitano.
Theodoro reuerend.epiſc.Ingilon.
Iuliano reuerend.epiſc.Zeugmatis.
Dorymenio reuerend.epiſc.Adraon.
Ioanne reuerend.epiſ.Leri.
Theodoro reuerend.epiſc.Gargaron.
Theodoro reuerend.epiſc.Comanorum.
Rufino reuerend.epiſc.Sebaſtiæ Armeniæ.
Conone reuerend.epiſc.Senneon.
Cyriaco reuerend.epiſc. Caſatorum.
Siſinnio reuerend.epiſc.Præneti.
Iuliano reuerend.epiſc.Batnon.
Anaſtaſio reuerend.epiſc.Rachlæ.
Theodoro reuerend.epiſc. Porthmi.
Paulo reuerend.epiſc.Stectorij.
Stephano reuerend.epiſc.Amaſiæ.
Paulo reuerend.epiſc.Adraſſi.
Euandro reuerend.epiſc. Cnidi.
Mena reuerend.epiſc.Carpathij.

Diodorus archidiaconus & primicerius notariorum dixit: Superiore die collecta veſtra ſancta ſynodus quædam egit de epiſtola, quæ dicitur Ibæ, & promiſit altero die, quæ agenda ſunt examinare, & ſuggerimus ad hoc, quod placuerit. Sancta ſynodus dixit: Quæ iam acta ſunt, relegantur, & relecta ſunt: & priuſquam aliquid apud ſanctam ſynodum

ageretur, Constantinus glorioſiſſimus, Quæſtor ſacri palatij, miſſus à pijſſimo Imperatore, & ingreſſus, ita dixit: Certum eſt veſtræ beatitudini, quantũ ſemper ſtudium victor habuit Imperator, vt finem contentio à quibuſdam exorta de tribus capitulis, quæ nunc apud vos requiruntur, ſuſciperet, & calumnia pro his illata liberaretur ſancta Dei Eccleſia: non tanquam ignorans in dogmatibus rectitudinem veſtræ ſanctitatis, & voluntatem, quam de his, quæ mouentur, habetis: ſed vt etiã Synodicè de his tribus capitulis definitio conſtituatur. Et Vigilium verò religioſiſſ. adhortatus eſt vna vobiſcum conuenire, & iſtorum capitulorum quæſtioni rectæ fidei conuenientem finem imponere. Ille verò ſæpiùs in ſcripturis ſuam manifeſtauit voluntatem, condẽnans prædicta tria capitula, quod etiam & ſine ſcriptis ſæpius dixit coram pijſſimo domino, præſentibus quidẽ glorioſiſſimis iudicibus, præſentibus verò quãplurimis de veſtra ſancta ſynodo, & non intermiſit ſemper anathematizans defenſores Theodori Mopſueſteni, & epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & conſcripta Theodoreti, quę aduerſus rectam fidem & duodecim capitula ſancti Cyrilli expoſuit: cõmuniter verò conuenire inuitatus, & hoc facere vna cũ veſtra ſancta ſynodo, pollicitus eſt per ſeipſum facere, & dare pijſſimo domino. Vt igitur etiã ea, quę ſæpius ab ipſo facta ſunt ad condemnationem trium capitulorum, vos audiẽtes alacriores efficiamini de his formã celeriter proferre, direxit, per me veſtrę ſanctitati condemnationẽ, ab ipſo Vigilio religioſiſſimo prolatã aduerſus Ruſticum & Sebaſtianũ diaconos Romanæ ſanctæ Eccleſiæ, & alios quoſdam, necnon etiam litteras, alias quidẽ ad Valentinianum religioſiſſimũ Scythiæ epiſcopũ ab ipſo ſcriptas, alias verò ad Aurelianũ religioſiſſimum, qui præſidet Arelati venerandæ Eccleſiæ, quæ prima eſt ſanctarũ Galliæ eccleſiarum, omnibus tranſlatis ad Græcam linguam, ad faciliorem ſcientiã veſtræ ſanctitatis: per quas manifeſtum facit idem religioſiſſimus Vigilius, quòd per totum tempus, eorundem trium capitulorum impietatem auerſatur. Et illud verò pars eſt eorũ, quæ permiſit mihi pijſſimus dominus veſtræ aſſerere beatitudini, quoniam illi, qui iſtorum impietatem capitulorum applicare Dei Eccleſiæ feſtinant, dicere tentauerunt ad pijſſimum dominũ, quòd decet eius pietatem cuſtodire ſtatum Eccleſię, qui tenuit ſub diuina recordationis patre ſuo. Volens pijſſimus dominus oſtendere veſtræ beatitudini, qualẽ etiam ipſe diuinæ recordationis pater eius voluntatem habuit de his, quæ nunc propoſita ſunt, ſacram Epiſtolam ab illo ſcriptã ad Hypatium, tum magiſtrum militum Orientis, direxit veſtræ beatitudini, vt cognoſcatis quod voluntatem à patre diuinæ recordationis de his acceptam ſemper cuſtodit, veruntamen pro recta fide zelũ multiplicauit. Cũ enim ſuggeſſiſſent ab Oriẽte quidã Iuſtino piæ recordationis, quòd clerici venerandæ Eccleſiæ Cyri, imaginẽ Theodoriti rhedæ impoſuerunt, & in prædictam ciuitatem pſallentes introduxerunt: Sergius verò tunc ciuitatis Epiſcopus, collectionẽ celebrauit Theodori, & Diodori, & Theodoriti, & Neſtorij, tanquam vnius ſanctorum martyrũ: litteris vſus eſt ad Hypatium magiſtrum militũ tunc Orientis, vt hoc requireret, & ad Imperium referret. Et his ita habere demonſtratis, ciectus eſt ab epiſcopatu Sergius, & vſq; ad mortem ita permanſit, ſicut omnes quidem Theopolitanæ ſanctæ Eccleſiæ clerici ſciũt, & Dionyſius verò religioſiſſimus Epiſcopus Seleucienſis Eccleſiæ, & Hermiſigenes reuerendiſſimus preſbyter venerandę Eccleſiæ regiæ vrbis, necnon etiam Hieraclius reuerẽdiſſimus preſbyter Theopolitanæ ſanctiſsimæ Eccleſiæ, ſcientes quod vſque ad mortem permanſit Sergius extra ſanctam Eccleſiam, propter condemnationem de his contra illum tunc factam. Decet igitur veſtram ſanctam ſynodum, cùm omnia cognouerit, mirari quidem pijſſimi domini patientiam, feſtinare verò celerem imponere cauſæ finem, ne per longiorem dilationem maius ſcandalum ſimplicioribus efficiatur, & permaneant hæretici ſemper ſanctiſſimæ Eccleſiæ adſcribentes iſtorum impietatem capitulorum.

Sancta ſynodus dixit: Chartæ, quarum glorioſiſſimus Quæſtor mentionem facit, recitentur. Et cum ſuſcepiſſet Diodorus archidiaconus & primicerius reuerendiſſimorũ notariorum, recitauit.

VIGILIVS EPISCOPVS RVSTICO & Sebaſtiano.

Litterę Vigilij, quibus excommunicat Ruſticum & Sebaſtianum diaconos, &c. Rom.

DIv vobis, Ruſtice & Sebaſtiane, canonibus & deceſſorum noſtrorum & congruentem vltionem inferre pro Apoſtolica moderatione diſtulimus: ſed quia Doctoris gentium in cordis veſtri duritia, quod à nobis cum nimia triſtitia dicitur, verba videmus impleta, quibus ait, Neſcitis quia patientia DEI ad pœnitentiam nos adducit? tu autem ſecundum duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ: vt exceſſus veſtros ex pluribus paucos interim, inquantum poſſumus, deſignemus, venientibus nobis hic in regiam ciuitatem, tu Ruſtice, dum aliqua nobis ignorantibus legeres, quæ hominem loci tui omninò legere non decebat, & plura committere dicereris, quæ etiam noſtram, ſi te non prohibuiſſemus, quod abſit, opinionem atque animam lædere potuiſſent: dicente quoque de te nobis aliqua Paulo diacono, etiam te præſente, ſicut oportuit, & pro affinitate, qua nobis à germano, quem dileximus, iungebaris, & pro eo, quòd nos te ad Leuiticum promouere ex amus officium, frequenter & ſecretè paterna monuimus charitate, vt ſi ea, quæ de te dicebantur, ex aliqua parte cognoſceres, à talibus temperares, ne, quia DEI cauſam indiſcuſſam non pateremur qualibet ratione relinquere, canonicum per nos in te iudicium proueniret. Tu autem non ſolum admonitionem noſtram audire maleuolo ſpiritu noluiſti, ſed etiam, ſicut ſcriptum eſt, Argue ſapientem, & adamabit te: ſtultum, & odio habebit te: & iterum, Noluit intelligere vt benè ageret: iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, ad hoc malitia tua perducta eſt, vt noſtra admonitione contempta, in odium potius proſilires, & occaſionem quæreres, quatenus cauſa capitulorum, id eſt, de dictis Theodori Mopſueſteni eiusque perſona, ſed & Epiſtola, quæ ab Iba ad Marim Perſam perhibetur ſcripta, necnon & dictorum Theodoriti, quæ contra rectam fidem & Epiſtolam beatæ recordationis Cyrilli Synodicam ad Neſtorium cum duodecim Capitulis, quam & ſancta Synodus Epheſina prima ſuſcepit, & beata Chalcedonenſis ſynodus, ad conuincendas Neſtorij veſanias in definitione fidei legitur poſuiſſe, quæ te etiam inſtante certum eſt flagitata, ita vt filijs noſtris Sapato & Paulo diaconis, ſed & Surgentio notariorum primicerio clamitares dicens, non ſolum nomen & ſcripta Theodori Mopſueſteni à nobis debere damnari, ſed & territorium eius ipſum, vbi poſitus eſt, & ſi oſſa eius euulſa quiſquam de ſepultura eijceret, & cum eodem territorio incenderet, gratanter acciperes. Et cum neceſsè eſſet, vt negocium, quod fuerat in iudicio noſtro perductum, te etiam quàm maximè inter alios tam ſacrati Ordinis quàm ſequentis cõſentiente, ſententia finiretur, quod conſtat effectum, & quid de eodem iudicato feceris, quomodo etiam in palatio vt fratri noſtro Menæ, ad quem ſcripſeramus, celeriter traderetur inſtiteris, nulli habetur incertum, ita vt filio noſtro Surgentio Primicerio petenti, ſchedam ipſam iudicati noſtri, vt apud ſe pro loco ſuo ſecundum conſuetudinem retineret, per multos dies dare penitus noluiſſes, donec exemplaria per plurimos ſacerdotes ac laicos, ſed & per glorioſum virum Tyrannum magiſtrum militum, aliosque laicos in Africana prouincia deſtinares, quod in Eccleſia noſtra à diacono nunquam factum eſt, ac nobis etiam neſcientibus, eius exemplaria deſtinares. Nam & Sabbato ſancto, quo ipſum, te, ſicut præfati ſumus, imminente, protulimus iudicatum, in Eccleſiam ſeſſum proceſſiſſe, & communicaſſe, & officium tuum impleſſe cognoſceris. Nam & eodem die reuertens ab Eccleſia, coepiſcopo noſtro, quantum perhibet, Iuliano hoc diceres, quia melius fieri non potuit, quàm quod factum eſt iudicatum, & hortareris vt Deus oraretur, neque quod factum eſt, tolleretur. Quod etiam ſuccedente Dominico die Paſchæ ſimiliter effeciſti, & diu in eadem perdurando ſententia, alios, vt iudicatum noſtrum libenti animo ſequerentur, nihilominus hortabaris. Nam dum Antiochenæ Eccleſiæ apocriſarijs eiuſdem iudicari exemplaria nos dare petentibus differremus, ſed hoc magis iuſtum eſſe prædictis apo-

Prou. 9.

Pſal. 35.

criſarijs

crisarijs diceremus, vt à fratre nostro Mena potius exemplaria peterent, ad quem à nobis videbatur fuisse prolatum, tu autem publica voce deposceres, dicens dominum Leonem ita de Epistola sua diuersis exemplaria destinasse, nos facere debere similiter, asserendo, quia metueres, nisi vniuersitas iudicati nostri exemplaria descripto nostro edita teneret, qualibet ratione postea forsitan cęlaretur. Nam dum occasionem euntis ad Siciliam reperisses, & iudicatum nostrum laudesque eius, vbi etiam filij nostri Diaconus Primicerius que tecum manifestum est subscripsisse, filijs nostris Pelagio Diacono alijsque dirigere voluisses pro cautela, ne ab aliquo inueniri forsitan potuisset, nobis etiam ignorantibus, in membrana conscriptum, & in breuitate quadruplicatum, litteris scriptum minutissimis destinasti. Nam & Vincentio secundæ regionis subdiacono, iterum à nobis postea ad Siciliam directo, per eum filio nostro Pelagio diacono similiter scripsisti, sed quia ita memoratus subdiaconus prosperè nauigauit, vt illum, qui in membrana scripta portauerat, præcedere potuisset, quantum nobis retulit, ea, quæ in membrana scripseras, Pelagius diaconus ipso præsente percepit. Ergo dum & te præ omnibus imminente prolatum fuerit iudicatum, & tanta in eius iudicati laude succensus per multum tempus scripseris, fecerisve, vt nunquam te crederemus ab hac posse rectitudine deuiare, immutatum te subito post hæc quadam animi leuitate, vulgante opinione comperimus, & cum aduersarijs Ecclesiæ, qui contra iudicati nostri seriem nitebantur, & à nobis sunt per iudicati ipsius tenorem à communione suspensi, secretè tractare, & dum filius noster diaconus Paulus ad Italiam discedere voluisset, posteaquam & ad eum peruenit, quòd scandalum Ecclesiæ, in communione adhuc nostra positus, secretè & hic, & in Africana prouincia, vbi antea defendendo & laudando iudicatum nostrum, eius exemplaria destinasti, facere nitebaris, tunc tibi cœpit insistere & dicere, vt si verum esset, producere debuisses, quod tu conuictus, cælare minimè potuisti. Tunc verò memoratus nobis cœpit imminere diaconus, vt aut corrigere te ab his, quæ illicitè faciebas, sub nostra præsentia clericorumque promitteres, aut certè petitionem aduersum te & varietatem tuam atque fallaciam ab eo factum, quam & præ manibus gerebat, debuissemus accipere: ad hoc es propria voluntate perductus, vt tactis Euangelijs sacramenta præstares, & verba tua à notario scripta in nostro teneantur scrinio, quibus inter alia legeris promisisse, te nunquam à nostro penitus obsequio discessurum. Posteaquam verò peior te Sebastianus, pro solo scandalo faciendo, sicut & initia ipsius venientis in Constantinopoli monstrauerunt, & exitus peior edocuit, noscitur aduenisse, ita vt mox tui immemor sacramenti, coniurationem inter vos contra statuta canonum nobis ignorantibus facientes, in apertum vterque prorumperetis scandalum. Sed vt tua, Sebastiane, non inquantum sunt, sed inquantum referre possumus, mala, quæ feceris, diuersi cognoscant, & iustè te, nam magis tardè, Canonicam aduertant subijsse sententiam, ad tuæ ordinationis veniamus initia. Absentibus filijs nostris diaconis Anatolio atque Stephano, à nobis postulasti, vt ad tempus pro implendo officio absentium loco diaconum te interim faceremus. Quod ideo tibi ad præsens speranti concessimus, quia ante ordinationem tuam cautionem nobis propria voluntate legeris emisisse, quam & testibus roborasti, & tactis Euangelijs iuramentum corporaliter præstitisti, vt quicquid tibi à nobis pro Ecclesiastica vtilitate fuisset iniunctum, fideliter & sine aliqua fraude compleres: officium verò locumque diaconi sine aliquo vitio, sine aliqua superbia, sine aliquo neglectu, donec reuerterentur diaconi memorati, aut quanto te tempore in Leuitarum voluissemus ordinatione ministrare, cum omni humilitate & studio sine neglectu modis omnibus impleturum: in eadem cautione rursus adijciens, quòd si de his omnibus, quæ cum sacramento tactis corporaliter Euangelijs promisisti, aliquid minus implesses, tunc à sanctæ communione esses suspensus: ita vt si à die excessus tui intra annum pœnitentiæ nolluisses colla submittere, tu tibi anathema manu propria scribendo dixisti: Tunc ergo ad præsens factus es sub ea, quam sperabas & pollicitus fueras, conditione diaconus. Postea verò, vt à nobis ad Dalmatiarum patrimonium mittereris, summis precibus postulasti. Quod nos securi, quia talem feceras cautionem, animo libenti concessimus. Qui dum in Salonitana vrbe pro ordinatione patrimonij adueniisses, quantum ad nos postea est plurimorum relatione perductum, illicitis te & à sede Apostolica prohibitis ordinationibus miscuisti, & quos Honorius, tunc prædictæ ciuitatis Episcopus, contra consuetudinem Romanæ vel suæ Ecclesiæ, & sedis Apostolicæ constituta sacris ordinibus applicauerat, non solum prohibere penitùs noluisti, sed nec nobis ex hac causa vel scripto referre, vel quando Thessalonicę nobis occurreras, memor conscientiæ tuæ, ne verbo quidem suggerere voluisti, & cum illis, tanquam cum legitimo & rationabili ordine factis, cupiditatis spiritu acquieuisti procedere, & eorum socius es communionis venalitate repertus. Iterum Thessalonica ad Dalmatias patrimonij regendi causa remissus es, ex qua prouincia frequenti te authoritate monuimus, vt non ante discederes, nisi omnes secundum pollicitationem tuam tam de Dalmatiarũ patrimonio, quàm de Præualitano colligeres pensiones. Sed tu omnia prætermittens, ad Constantinopolitanam vrbem pro solo faciendo venire scandalo festinasti, quantum & sequens exitus declarauit. Relegens tamen constituti nostri seriem, quam de præfatis capitulis ad Menam huius ciuitatis antistitem dedisse relegimus, in conspectu diaconorum, subdiaconorumque vel vniuersorum clericorum, publica voce laudabas, vt de cælo iudicatum nostrum ordinatum atque prolatum omnibus, sicut præfati sumus, clericis loquereris. Dicta verò Theodori Mopsuesteni asserebas te in Romana vrbe inter aliquos codices inuenisse, quæ confirmabas omni execratione & blasphemijs esse completa. Hæc dicendo, in nostro obsequio, & in Ecclesia publicè & in * Placidias officium diaconatus implebas. Natiuitatis CHRISTI DEI Domini & saluatoris nostri secundum carnem, præterito anno dies aduenit: vocauimus te, quia ad nos, quæ supra meminimus te fecisse in Dalmatijs de recenti peruenerunt: & sicut oportuit, diximus tibi, si cum illis, qui contra sedis Apostolicæ constituta in sacratis sunt applicati ordinibus, processisti, aut eorum te communioni, sicut dicitur, sociasti, necesse nobis est, vt si nos DEVS ad nostram dignatur Ecclesiam reuocare, quæramus ista, & veritatem manifestiùs cognoscentes, secũdum Canones vindicemus. Tu verò conscientiæ tuæ reatu perterritus, quia contra Apostolica feceras constituta, occasionem tibi discedendi dissimulans requirebas. Nam cum te pro certo mandata cum Ioanne Episcopo & Surgentio primicerio atque Saturnino consulario nostro ad Menam fratrem nostrum, huius ciuitatis antistitem, misissemus, reuersus in Placidias, multis præsentibus & officium diaconi tu & Rusticus ex more complestis, & quando clementissimus princeps dominus filius noster, vt alia die ad ecclesiam procedere deberemus, referendarium destinauit, vt ei promitteremus, cum alijs diaconis & clericis nos tu & Rusticus fuistis hortati. Nam & ad refectionem pariter in nostra mensa ambo fuisse simili ratione probabimini. Sed sicut Iudas Ioan. 13. postquam buccellam accepit, de traditione Domini cogitauit, ita & vos noctis horis pro concitando scandalo Ecclesiæ discessistis. Nos autem alio die mandantes vobis, vt aut procederetis locum diaconi ex more complẽtes, aut à communione vos cognosceretis fuisse suspensos: tu verò Sebastiane his, quos inter alios miseramus, fratribus nostris Ioanni & Iuliano episcopis hoc, quantum renunciauerunt, dixisti: Ego iudicatum, quod Papa protulit, sequor, si tamen in illis vindicat, qui contra iudicatum faciunt. Nam & simili eis, quantum perhibent, ratione dixisti, intantum vt diceres ibi veniisse Lampredium & Felicem monachos, qui nostrum iudicatum suscipere noluerunt, & mandasse vos eis, Non vos possumus videre, quia vos aliam causam habetis, & nos aliam. Postea verò ad hoc nequitia vestra peruenit, vt excommunicatis communicare contra canones superbo præsumeretis spiritu, id est, memoratis vel alijs, quos pro hoc, quòd contra iudicatum nostrum scripserant, per eiusdem iudicati seriem constabat

iam à nobis communione suspensos : cui iudicato, sicut supra meminimus, vos acquieuisse & consensisse & communicasse, catholica probauit Ecclesia. Vnde constat vos secundum regulas Canonum iustè damnari. Definiunt enim Canones, Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit. Item, Placuit vniuerso Concilio, vt qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, siue episcopus, siue quilibet clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis iudicetur protulisse sententiam. Adiecistis etiam execranda superbia, quæ nec leguntur, nec sine sui pontificis iussione aliquando ordinis vestri homines præsumpserunt, authoritatem vobis prædicationis contra omnem consuetudinem vel Canones vindicare, Ephesinæ primæ synodi impugnationem & exprobrationem, sed & beatæ recordationis Cyrilli, blasphemias quoque contra IESVM Dominum nostrum dictas simili defendentes insania, & per omnes prouincias fallaciter scribentes, nos aliquid commisisse, quod reperiatur aduersum definitioni sanctę Chalcedonensis Synodi, quæ præcedentium se trium, id est, Nicenæ, Constantinopolitanæ, atque Ephesinæ primæ concordat fidei Synodorum. Ita ergo cunctorum animos, qui vestram malitiam nescierunt, sed tanquam à Romanis diaconis suscipientes scripta, simpliciter crediderunt, ad tantum scelus operatio fallaciæ vestræ peruenit, vt humanus sanguis in aliquibus locis intra Ecclesiam, quod dici nefas est, funderetur : & omnem legem Ecclesiasticam superbo spiritu conculcare voluistis, sanctarum quoque regularum consequentiam iniurijs affecistis, impia & quæ non sunt licita, per vniuersas contra nos prouincias fallaciter indicando. Nuper etiam malis vestris addentes peiora prioribus, dominum Leonem prædecessorem nostrũ in Theodori Mopsuesteni dictis, quę cõtra rectã fidem legitur scripsisse, consensum præbuisse atque firmasse, se, dato scripto ad Christianissimum Principem dominum filium nostrum ausi fuistis adstruere. Absit ergo quemlibet credere Christianum, quòd aliquid tale, quod contra rectam fidem à quolibet inueniatur scriptum, illius tanti præsulis sanctitas suscepisset, quippe qui in vniuersis Epistolis suis & Nestorium, & Eutychen, vel eis similia sapientes, pari legitur sententia condemnasse. In quo memorato scripto, etiam contra diuinas scripturas, non solum pontificibus multis, sed etiam, quod dici nefas est, ipsi quoque principi sacrilegas iniurias irrogare tentastis, quatenus ignorantem Christianum populum diabolica amplius deciperetis astutia. Hæc ergo sustinentes per multa temporis spatia, patientia sacerdotali resecare distulimus, credentes vos forsitan * resipisci, & ab illicitis temperare, quia semel & secundo adhortatione nostra per fratres nostros Episcopos, id est, Ioannem Marsicanum & Iulianum Cingulanum, vel Sapatum filium nostrum atque diaconum, necnon & per gloriosum virum patricium Cethegum, & religiosum virum item filium nostrum Senatorem, aliosque filios nostros cõmoniti noluistis audire, & neque ad Ecclesiã, neque ad nos reuerti, sicut omnia facitis, voluistis detestanda superbia : & ideo necesse nobis est in vobis Canonice vindicare, ne videamur diuinarum scripturarum increpationibus subiacere. Scriptum est enim : *Videbas furem, & simul currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, & ipse Dominus ac Saluator noster dicit : Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrum tuum, quàm totum corpus mittatur in gehennam.* Et quoniam iste intellectus magis de officijs ecclesiarum, vel proximis non rectè agentibus, & scandala in Ecclesijs mittentibus sano sensu debet aptari, sicut & alibi nos admonet, dicens, *Oportet venire scandala, sed væ illi per quem veniunt* : & beatus Apostolus simili prædicat ratione, *Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant* : & iterum sancta scriptura nos cõmonet dicens, *Eijce pestilentem de Concilio, & exiet cum eo iurgium* : oportet ergo nos iam post tantas admonitiones in vobis, Rustice & Sebastiane, per authoritatem beati Petri, cuius nos Dominus sibi voluit vice seruire, regulariter vindicare, propterea ne si iam diutius differamus, omnis Ecclesiasticus ordo soluatur. Ideoque quod à nobis cum gemitu, sed cum beati Petri authoritate dicendum est, pro supra scriptis excessibus alienos vos à diaconi esse honore decernimus, & omni ministerio officij Leuitici, prædictum vobis honorem auferentes, penitus summouemus, nullam vlterius licentiam habẽtes, vt ex Leuitico nomine aut gradu aliquid facere præsumatis, vel sub nomine diaconorum scribendo iterum Dei conturbetis Ecclesiam : quippe qui ex Apostolica authoritate & patrum regulis, contra quas multa spiritu superbo atque irreligioso fecistis, vos olim dignos damnatione præsenti authoritate deponimus. Et vt vniuersi nos hæc pro loco, in quo nos DEVS esse voluit, & authoritate beati Petri Apostoli rectè fecisse cognoscant, Canonum constituta posuimus, quæ sancta Chalcedonensis Synodus apud se relecta, laudauit. Etius archidiaconus relegit : Si quis presbyter aut diaconus, suum contemnens episcopum, à communione semetipsum suspendit Ecclesiæ, & secretius collectam facit & altare constituit, & noluit euocanti episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire & prius & secundo vocanti, hũc omninò damnari, nec vnquam hunc curationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si autem permanserit turbas faciens & seditiones Ecclesiæ, per extraneam potestatem tanquam seditiosum debere comprimi. Omnes reuerendissimi episcopi clamauerunt. Hæc iusta regula, hæc regula patrum. Pariter statuentes, vt si nobis viuentibus, sicut optamus, sub humilitate & mansuetudine Canonicè pœnitentes, matrem recognoueritis Ecclesiam, competenter à nobis venia concedatur. Si verò, quod non optamus, sub regulari pœnitentia ad matrem Ecclesiã cõsueta distuleritis redire superbia, conciliorum in vobis, quorum regulas posuimus, censura seruetur, vt nullus post trãsitum nostrum contra constitutum nostrum, quod ex beati Petri, cuius locum licet immeriti gerimus, authoritate proferimus canonum regulas exequentes, in Ecclesiastico gradu audeat reuocare Ioãnem, Gerontium, Seuerinum, Importunum, Ioannem atque Deusdedit, quos constat vestræ coniurationis & conspirationis esse participes, quos nos potentes bonos, militare Ecclesiæ, cui DEO præsidemus authore, nostro tempore feceramus : tamen vt & ipsi possint & diuersi cognoscere, de subdiaconorum & notariorum vel defensorum officio præsenti se sententia nouerint fuisse depositos, & nullum penitùs in Ecclesia nostra gradum vlterius detinere, nisi fortè, sicut præfati sumus, nobis in hac luce superstitibus, & ipsi pœnitentiæ canonicæ colla submiserint. Felicem etiam monachũ Afrum, qui Gillitano monasterio dicitur præfuisse, & leuitate sua atque inconstantia congregationem eiusdem monasterij per diuersa loca certum est dispersisse, & vestræ prauitatis incensor est, cum vniuersis, qui eum vel vos, tam clerici vel monachi, quàm laici post præsentia interdicta in aliquã vestra se societate polluerint, aut consensum consiliumque præbuerint, regularem in his, quæ item superius legitur, constituimus manere sententiam : quatenus in his remedijs, ordine seruato Canonico, nullus præsumat pacem, quam Dominus diligit, vlterius Ecclesiæ perturbare. Præsentem autem sententiam per Ioannem Marsicanum, Zachæum * Syllaceum, Iulianum Cingulanũ, fratres & coepiscopos nostros, sed & Sapatum atque Petrum filios nostros diaconos, necnon & filium nostrum Surgentium primicerium notariorum, atque Seruum Dei subdiaconum regionis primæ, necnon & Vincentium subdiaconum regionis secundæ, nostræ, cui præsidemus, Ecclesiæ vobis noscimur transmisisse.

Pſal. 49.
Matth. 5.
Matth. 18. Gala. 5.
Prou. 22.

ITEM EX ALIA CHARTA Recitatum est.

Dilectissimo fratri Valentiniano Episcopo de Tomis prouincia Scythia, Vigilius.

FRaternitatis tuæ relegentes scripta, pontificalem in vobis solicitudinem inesse gratanter accepimus : quia prophetica tibi possunt verba competenter aptari, quibus ait : *Saluabo gregem meum, & suscitabo super eum pastorem, qui pascat eum, seruum meum.* Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini nostri verba sectari, per quæ dixit : *Speculatorem*

torem te posui domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me: & cõuocatos eos, quos scandalizari diuersis rumoribus retulisti, incessanter hortari, ne per hos forsitan seducantur, qui sub prætextu Catholico, nequissimo spiritu simplicium Christianorum corda, fallacia sua decipere moliuntur, & patris sui diaboli consuetudinem maligno sectantes spiritu, Ecclesiam tibi commissam diuersis mendacibus scriptis conturbare desiderant, quibus Apostolica lectio congruenter aptatur, dicens: *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quã vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Et infra, *Et per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Vestra autem obedientia in omni loco diuulgata est: quatenus fraternitatis vestræ adhortatione sæpè commoniti, nulla fideles eorum animos à rectitudine viæ, quæ Christus est, qui ait, *Ego sum via, & veritas, & vita,* qualibet maligna annunciatione summoueat: sed si, quod non oportet, ab aduersarijs conturbati, aliquid, quòd Deus auertat, contra fidem factum fortè formidant, cum mansuetudine, quæ conuenit Christianis, prophetica verba sectentur, dicentis: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi.* Et alius Propheta, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Et quoniam Basinianus illustris & magnificus vir, filius noster, cum his, qui pro actibus tuæ fraternitatis Ecclesiæ in Constantinopoli obseruant, pari ratione dixisse noscuntur, etiam hoc DEI inimicos fuisse mentitos, quòd * personæ Episcoporum Ibæ atque Theodoriti in nostro, quod absit, fuissent iudicato damnatæ: legant ergo quæ de causa, quæ hic mota est, ad fratrem nostrum Menam Constantinopolitanæ vrbis Episcopum scribentes legimur definisse, & tunc cognoscũt nihil à nobis, Deo nos custodiente, commissum, vel certè dispositum, quod contra fidem prædicationemque venerandarum quatuor Synodorum, quæ pro vna eademque fide definita sunt, id est, Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, & Chalcedonensis reperiatur aduersum, aut vnius ex his, qui definitioni supra scriptæ Chalcedonẽsis fidei subscripserunt, tangat iniuriam: vel quod decessorum præcessorumque nostrorum inueniatur, quod absit, constitutis fortè contrarium: sed in omnibus Apostolicæ sedis præsulũ, & beatæ recordationis Papæ Leonis, & prædicatarum Synodorum aduersarijs restitisse. Fraternitatem autem vestram credimus non latere, inimicos fidei Christianæ hoc semper sæculari & * reprauanda molitos astutia, vt Euangelistas quatuor contraria sibi, quod absit, dixisse monstrarent: quibus à sanctis patribus per Euangeliorum concordiæ libros est cælesti sapientia cõtradictum. Quod nunc quoque sancti Chalcedonensis Concilij aduersarij (inter quos etiam Rusticum & Sebastianum comperimus istius authores scandali, quos olim pro meritis suis à sacra communione suspendimus, in quibus nos, si non resipuerint celeriter, fraternitas tua cognoscat Canonicam sententiam prolaturos) qui sub prætextu falsæ defensionis studeant, vt eandem Synodum contra prædictas tres Synodos dixisse, quod absit, ostendant. Quibus hæc conantibus, prophetæ dicta consonanter aptantur, dicentis: *Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Verbum Domini nostri protecerunt, & sapientia nulla est in eis. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: vt impiè agerent, labor auerunt.* Quibus, si non pœnituerint, veniet Psalmistæ inuocata sententia dicentis, *Vt destruas inimicum & defensorem.* Credimus enim Catholicis Ecclesiæ filijs ea, quæ tunc ad fratrem & coepiscopum nostrum Menam scripsimus, id est, de blasphemijs Theodori Mopsuesteni eiusque personа vel de Epistola, quæ ad Marim Persam scripta ab Iba dicitur, & scripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem & duodecim capitula sancti Cyrilli facta sunt, abundè posse sufficere: quippe dum in constituto nostro superiùs designato possit diligenter agnosci, quia in ipsa definitione fidei, quam sancti Chalcedonensis Concilij sacerdotes secundum præcedentes eam tres alias sanctas Synodos protulerunt, non aliquid mutauerunt, sed laudantes omnia, quæ à superioribus acta sunt, sancta definitione sua perpetuò roborare firmauerunt. Tamen si post hæc aliquis, quod non creditis, dubitare voluerit, hortamur, vt cum tuæ fraternitatis ordinatione ad nos venire festinet, quatenus lucida admonitione cognoscat omnia, quæ decessorum nostrorum & antefatarum quatuor Synodorum sunt de vna eademq; fide acta scriptaque temporibus, à nobis inuiolabiliter fuisse seruata. Qua ratione percepta, sublato, sicut oportet, de Christianissimis animis scandalo, pax Deo placita in eius Ecclesia illibata perduret. Hoc quoque fraternitatem tuam credimus adhortandam, ne vlterius prædictorum Rustici & Sebastiani, aut illorum, qui prauæ eorum præsumptionis probantur esse participes, scripta suscipiat: sed & vniuersos ad tuam pertinentes ordinationem commoneas, ne vel ipsi à prædictis relegant aliquid destinatum, vel falsitati eorum vlterius animum suæ credulitatis accommodent. Deus te incolumem custodiat frater chariss. Dat. xv. Kalen. Aprilis, Imperij domini Iustiniani perpetui Augusti anno xxiij. post consulatum Basilij viri clarissimi anno ix. per Ioannem presbyterum & Apocrisarium, & ipse direxit eam per Maxentium hominem suum.

Qui fuit A.D. 556.

ITEM EX ALIA CHARTA
Recitatum est.

Dilectissimo fratri Aureliano Episcopo Arelatensi, Vigilius.

Epistola Vigilij ad Episcopũ Arelatẽs.

FRaternitatis vestræ litteras pridiè Idus Iulias, Anastasio deferente, suscepimus: & gratias referimus diuinæ clementiæ, quia solicitudinẽ vestram in fidei causa, vel in nostræ opinione personæ, sacris relegimus conuenire mandatis, vt dignè charitati tuæ verba Dei & conuenienter aptentur, quibus ait: Elegit sacerdotem ex omnibus, ait, ascendens ad altare meum, & portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ. Necesse ergo nobis est, charitatis vestræ solicitudinem breui interim, quantum pro temporis qualitate potuimus, releuare colloquio: quatenus modis omnibus confidatis, nihil nos penitus admisisse, quod decessorum nostrorum constitutis, vel sanctæ, quæ vna eademque est, fidei quatuor Synodorum, id est, Nicænæ, Cõstantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, atque Chalcedonensis, inueniatur (quod absit) esse contrarium, aut quod ad personarum iniuriam pertineat, quæ definitioni eiusdem sanctæ fidei subscripserunt, vel sanctorum prædecessorum nostrorum Cœlestini, Xysti, Leonis, aliorumque precedentium atq; sequentium definitis reperiatur aduersum, sed à nobis omnibus prædictis Synodis vnam venerationem, vnamque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi: & eos, qui omnes suprà scriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non sequantur, vel vnam ex ipsis vel omnes in fide reprauant, aut reprauare, aut iniuriare, vel repudiare nitũtur, abijcimus: sed & ea, quæ in eiusdem sanctæ fidei iniuriam verbo dicta vel reperiuntur scripta, anathematizanda execrandaque iudicauimus & constituimus iudicanda, simili pœna plectentes etiam eos, qui fidem B. Cyrilli, quem sanctæ recordationis Leo prædecessor noster ad præcessores vestros aliosque datis probauit & laudauit scriptis, & Chalcedonensis veneranda sancta Synodus legitur protulisse, aliorumque patrum, quos Apostolicæ sedis præsules susceperunt atque secuti sunt, execranda superbia impia vocauerunt. Fraternitas ergo tua, quem Apostolicæ sedis per nos constat esse vicarium, vniuersis Episcopis innotescat, vt nullis aut falsis scriptis, aut mendacibus verbis, aut nuncijs qualibet ratione turbentur, sed potius primi Apostolorum, sicut conuenit, verba sectentur, dicentis: *Aduersarius vester diabolus, vt leo rugiens, circumit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide:* & quod item doctor gentium dicit Apostolus: *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis,* in Domino confidentes, quia, sicut præfati fumus, ab Apostolis fidem traditam, & à prædictis sanctis quatuor Concilijs declaratam, & à decessoribus nostris & ab antedictis patribus prædicatam, atque inuiolabiliter custoditam, syncera volũtate tenuimus, tenemus, venerati sumus, veneramur, atque defendimus, & contra eã facientes Apostolica authoritate dãnamus. Sed quanta possumus

Locus obscurus.

1. Pet. 5.

Rom. 16.

per filium nostrum Anastasium de his, quæ gesta sunt, breuiter nos indicare necesse est, & cum nos dominus filius noster clementissimus Imperator, sicut promisit, Deo (qui cor ipsius tenet) iuuante reuerti præceperit, hominem, qui vobis ad singula subtiliter innotescat, Deo propitio destinamus. Quod ideò adhuc non fecimus, quia & hyemis asperitas, & Italiæ, quæ vos non latet, necessitas præpediuit, donec serenissimus princeps, sicut desiderat, Domino* sibi subueniat. Illud quoque credimus sperandum, vt quia scriptum est, Frater fratrem adiuuans exaltabitur, & sicut de credentibus in Domino Actuum Apostolicorum scriptura testatur, quia erat credentibus in Domino cor vnum & anima vna, vt sit fraternitas vestra in hac quoque parte solicita, & glorioso filio nostro Childeberto regi, quem Christianitatis studio venerationem integrã sedi Apostolicæ, cui nos Deus præesse voluit, cognouimus exhibere, supplicare non desinas, quatenus in tanta rerum necessitate circa Ecclesiam Dei solicitudinem, sicut & confidimus, Christiana deuotione persoluat: vt quia Gothi cum rege suo in ciuitate Romana perhibẽtur ingressi, hoc eis dignetur scribere, ne se in Ecclesiæ nostræ præiudicio, quippe velut alienæ legis, immisceat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, vnde Catholica possit Ecclesia perturbari. Dignum enim est, & Catholico, sicut est, regi conueniens, vt fidem & Ecclesiam, in qua Deus illum voluit baptizari, omni debeat virtute defendere. Scriptum est enim: *Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me, glorificabo.* Festina ergo, frater charissime, vt in sancta fidei synceritate persistens, ecclesiarum pacem, quæ vel à Deo per meritum sacerdotij tibi commissa est, vel à nobis per Apostolicam authoritatem vicaria potestate mandatur, competenti solicitudine, Deo propitiante, custodias, & vicarium te sedis nostræ dignis Deo manifestes operibus. Deus te conseruet, frater charissime. Dat. 3. Kal. Maias, Imperij domini nostri Iustiniani perpetui Augusti anno vicesimoquarto, post consulatum Basilij viri clarissimi anno octauo, per hominem, quem Anastasius direxit.

* deesse videtur, iuuante aut aliquid tale. Prou. 18. Act. 4.

Childebertus Frãcorũ rex.

Totilas quidem primũ eã cœperat A. D. 546.

1. Reg. 2.

ITEM EX ALIA CHARTA ITA Recitatum est.

Narratio de imagine Theodoriti &c. Vide, quę notauim* infra.

LEcta sunt nobis gesta, confecta apud Antiochenæ ciuitatis defensorem, quibus inferebantur testimonia militum, significantium vt compendiosè dicamus, quòd priusquam Sergius reuerendissimus Cyrestenam ciuitatem accederet, quidã, id est, Andronicus presbyter & defensor, & Georgius diaconus, accipientes imaginem Theodoriti, qui vndique inculpatur propter fidei errorem, in currum eam imposuerunt, & in Cyrrestenam Ciuitatem introduxerunt, psallentes & ostendentes, quòd eiusdem illi sectæ sunt. Sergius autem postea cum ciuitatem accepisset, & collectionẽ celebrauit ipsius Theodoriti, & Diodori, & Theodori, necnon & Nestorij cuiusdam, quem martyrem esse dixit, cùm prouincia nullum habeat martyrium, huic appellationi conueniens. Euidenter igitur mirati sumus, primò quidem si latuerunt tuam eminentiam talia gesta, in ciuitate confecta. Deinde si, cùm cognouisses, quod factum est, non sine dilatione quæstionem fecisti negotij, maximè cũ degere Sergius diceretur, & cum Paulo reuerendissimo esse. Verùm etiam lecta sunt nobis paulò post gesta confecta apud Cyrestenæ ciuitatis defensorem, quæ reuerendissimi responsales Sergij reuerendissimi dixerunt, multorum voces continentia, quòd nulla vnquam nec prædicata est, nec facta est collectio in Nestorij cuiusdam nomine. Super hæc autem gesta, & preces audiuimus tam ipsius Sergij, quàm reliquorum Episcoporum Euphratensis prouinciæ, qui repellunt vbique Nestorij nomen, & declinare quidem eius sectam confitentur, consentire autem sanctis quatuor Concilijs. Sancimus igitur nihil subtilitatis vel studij eminentiam tuam relinquere, sed conuocare quidem sine dilatione Cyrestenæ ciuitatis Episcopum ibi degentem, sicut audiuimus, trahere autem ad se milites etiam, qui testimonia in gestis Antiochiæ confectis præstitisse inueniuntur de numero tertio Stabilisianorum, necnon etiam Andronicum & Georgium, qui ea, quæ de imagine dicta sunt, fecisse dicuntur, & singula cum subtilitate requirere, hoc est, si quod dicitur de imagine, factum est, & si psalmum, cuius mentio gestis Antiochiæ confectis inserta est, psallentes ad imaginis honorem præcedebant, & si Sergius reuerendissimus cum hæc post Antiochiæ confectis inserta est, psallentes ad imaginis honorem ea, cognouisset, & clericos admisit, & diuinis eis communicauit mysterijs: & si collectionem Theodoriti, & Theodori, & Diodori prædicari fecit, aut celebrari concessit, & si hoc idem factum est & in Nestorij nomine & omnem circumire viam tua magnitudo festinet, vt nihil subtilitatis possit latere. Ne autem eminentia tua nostram tantummodo timeret indignationem, sed etiam Dei iram, non piget nos & iuramentum ei imponere in nomine Domini & saluatoris Christi Dei nostri, ad quem talia pertinent, vt ipsam veritatem vndique requiras, & si quidem inueniantur milites per omnia falsa dixisse, & neque pro imagine, neque pro collectione vera dixisse, non tantum ea, quæ in Nestorium referuntur, sed etiam illa, quæ in Theodoritum, & Theodorum, & Diodorum, mox fortissimo numero eijciantur, in quo militare noscuntur, & omnibus tormentis eorum corpora crucientur. Si autem veritatem in suis depositionibus dixerunt, siue pro imagine, siue pro collectione vel Nestorij, vel aliorum trium, de omnibus nobis suggere, vt cognoscere possimus eos, qui in veram & immaculatam, quam & nos colimus, fidem peccauerunt. Ne quid autem ex his, quæ nobis lecta sunt, tuam magnitudinem lateat, iussimus eadem gesta, quę Cyri confecta sunt, & ad nos relata, necnon rescripta eorum, quæ Antiochiæ confecta sunt, tibi transmitti, vt post confecta omnia quæ iussimus, iterum nobis remittantur ipsa, quæ in Cyro confecta sunt. Pro hac etenim causa destinauimus Thomam deuotissimum, agentẽ in rebus, & subadiuuam. Legi. Dat. vij. Id. August. Constantinopol. Rustico viro clariss. Cons.

Anno Domini 532.

Sancta Synodus dixit: Euidenter & nunc Deum placans intentio pijssimi & tranquillissimi Imperatoris ostensa est, qui omnia semper fecit & facit, quæ sanctam Ecclesiam & recta dogmata conseruant: qui & modo recitatas chartas direxit, manifestantes & ipsas, quod neclatuit aliquem, alienam ab initio esse istorum capitulorum impietatis, sanctã Dei Ecclesiam. Et Christianissimus quidem Imperator mercedem pro his habebit de Christo magno Deo, quitalia multiplicare solet: nos autem orationes quotidianas facientes pro eius serenitate pro tribus Capitulis altero die, adiuuante Deo, Synodicam sententiam proferemus.

COLLATIO VIII.

IMPERII DOMINI IVSTINIANI PERPETVI AVGVSTI ANNO XXVII. POST CONsulatum Basilij viri clarif. Anno xij. dic 4. Nonas Iunias, Indictione I.

Conlatio seu Collatio I.

CONsidentibus in Secretario venerabilibus Episcopis huius regiæ ciuitatis,
Eutychio sanctissimo Patriarcha regiæ Constantinopolis nouæ Romæ.
Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandrinæ magnæ ciuitatis.
Domnino sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ magnæ ciuitatis.
Stephano religiosiss. episc. Raphiæ.
Georgio religiosiss. episc. Tiberiadis.
Damiano religiosiss. episc.* Sozusæ, vicem agentibus Eustochij sanctissimi episcopi Hierosolymitani.
Benigno religiosissimo episcopo Heracleæ* Pelagoniæ, vicem agente Eliæ beatissimi episcopi Thessalonicen.
Theodoro religiosiss. episco. Cæsareæ primæ Cappadociæ prouinciæ.
Andrea religiosiss. episc. Ephesi.

Sextilia-

Sextiliano religioſiſ.epiſc. Tunienſi, vicem agente Primoſi religioſiſſimi epiſco. Carthaginis.
Megethio religioſiſſimo epiſc. Heracleæ Thraciæ.
Anaſtaſio religioſiſ.epiſco. Tabiæ, vicem agente Dorothei religioſiſ.epiſ. Ancyræ.
Ioanne reuerend. epiſcopo Ilienſi, vicem agente Euprepij religioſiſſimi Epiſcopi Cyzicenæ ciuitatis.
Euſebio religioſiſ. epiſcopo Tyri.
Ioanne religioſiſ.epiſcopo Nicomediæ.
Stephano religioſiſ.epiſcopo Niceæ.
Conſtantino religioſiſ.epiſcopo Chalcedonenſi.
Petro religioſiſ.epiſc. Tarſi.
Ioanne reuerend.epiſ. Cucuſorum, vicem agente Palladij religioſiſ.epiſcopi Melitenæ.
Ioanne religioſiſ.epiſ. Cæſareæ Palæſtinæ.
Pompeiano religioſiſ.epiſc. Byzacij.
Amazonio religioſiſ.epiſcopo Edeſſæ.
Alexandro religioſiſ.epiſcopo Gangrorum.
Thoma religioſiſ.epiſco. Apameæ Syriæ.
Euphranta religioſiſ.epiſc. Tyanorum.
Theodoro religioſiſ.epiſc. Hierapolis Syriæ.
Boſphorio religioſiſ.epiſc. Neocæſareæ.
Ioanne religioſiſ.epiſc. Boſtræ.
Philippo religioſiſ.epiſcopo Myrorum.
Theodoro religioſiſ.epiſco. Gortynæ.
Euſtachio religioſiſ.epiſc. Damaſci.
Theodoſio religioſiſ.epiſc. Rhodi.
Firmo religioſiſ.epiſc. Potipaſon, Africanæ prouinciæ.
Theodoro religioſiſſimo epiſcopo Antiochiæ Piſidiæ.
Phoca religioſiſ.epiſcopo Stalienſi.
Eulogio religioſiſſimo epiſcopo Pergæ.
Seueriano religioſiſ.epiſ. Aphrodiſiadis.
Cyriaco religioſiſ. epiſc. Amydæ.
Seuero religioſ. epiſ. Synnadorum.
Petro religioſ. epiſcopo Sydæ, Abrahamio religioſiſ.epiſc. Sergiopolitano.
Aſignio reuerendiſſimo epiſcopo Traianopolitano, vicem agente Ioannis religioſiſ.epiſco. Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ.
Ioanne religioſiſsimo epiſc. Adrianopolitano Thraciæ.
*Creſco religioſiſ. epiſc. Cuiculi.
Theodoſio religioſiſſ. epiſco. Iuſtinianopolitano ſecundæ Cappadociæ.
Stephano religioſiſſ. epiſc. Laodiceæ, ſiue Theodoriadis.
Auxanone religioſiſſimo epiſcopo Hierapolis Phrygiæ.
Euſtachio religioſiſſ.epiſ. Maximianopolitano.
Ætherio religioſiſſ.epiſ. Anazarbi.
Dometio religioſiſſ.epiſ. Chalcidis.
Valeriano religioſiſſ.epiſc. Obbæ Africanæ prouinciæ.
Dionyſio religioſiſ.epiſ. Seleuciæ Syriæ.
Theodoro religioſiſſ.epiſ. Pompeiopolitano Paphlagoniæ.
Georgio religioſiſſ.epiſc. Iuſtinianæ Cypſelon.
Romano reuerend.epiſ. Gabalon.
Gregorio reuerendiſſ. epiſc. Iuſtinianopol. Armeniæ.
Ioanne reuerend.epiſc. Nyſſæ.
Baſilio reuerédiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Camulianorum.
Ioanne reuerendiſſ.epiſ. Barcuſorum.
Creſconio reuerendiſſimo epiſcopo Zattarenſi prouinciæ Numidiæ.
Sergio reuerend.epiſcopo Cynon ſecundæ Ægypti.
Chriſtophoro reuerend.epiſcopo Archadiopolitano Aſiæ.
Theodoſio reuerend.epiſcopo Bybli.
Leontio reuerendiſſimo epiſcopo Arcæ.
Ioanne reuerend.epiſc. Myrinæ.
Alexandro reuerend.epiſc. Amphipolitano.
Stephano reuerend.epiſc. Clyſmatis.
Thoma reuerend.epiſc. Beriſſæ.
Ariſtodemo reuerend.epiſc. Philomelij.
Thallelæo reuerendiſſimo epiſcopo Adrianopolitano Piſidiæ.
Theoctiſto reuerend.epiſc. Erythron.
Diogeniano reuerend.epiſc. Sozopolitano.
Baſſo reuerend. epiſc. Tamathenſi.
Anatolio reuerend.epiſcopo Cymæ.
Diogene reuerend.epiſc. Cratiæ.
Reſtituto reuerendiſſimo epiſco. Mileon Aphricanæ prouinciæ.
Theodoro reuerendiſſimo epiſcopo Leontopolitano Ægypti.
Æmiliano reuerend.epiſc. Antipyrgi.
Conone reuerend.epiſc.* Magoedenſi.
Theoctiſto reuerend.epiſc. Pruſæ.
Georgio reuerend.epiſc. Ptolemaidis.
Sotero reuerend.epiſ. Aulonis.
Zoſimo reuerend.epiſ. Antandri.
Cypriano reuerend.epiſ.* Coryci.
Elia reuerend.epiſ. Diocletianopolitano.
Theona reuerend.epiſ.* Cuſſon.
Theodoro reuerend.epiſc.* Limyron.
Gennadio reuerend.epiſ. Zenopolitano.
Aſyncretio reuerend.epiſ. Aradi.
Stephano reuerend.epiſ.* Botryon.
Philippo reuerend.epiſc. Phelli.
Mena reuerend.epiſ.* Demyriangelis.
Genethlio reuerend.epiſ. Dorylaij.
Thoma reuerend.epiſc. Conſtantinæ.
Theodoro reuerend.epiſ. Leontopolitano.
Seuero reuerend.epiſ. Taborum.
Theoctiſto reuerend.epiſ. Halicarnaſi.
Coſma reuerend.epiſc. Malli.
Dionyſio reuerend.epiſc. Megarenſi.
Callinico reuerend.epiſc. Opuntis.
Paſchaſio reuerend.epiſ. Aegij.
Eraſmo reuerend.epiſc.* Cybyræ.
Ioanne reuerendiſſimo epiſcopo Neocæſareæ Euphratenſis.
Nonno reuerend.epiſ. Dauſarorum.
Stephano reuerend.epiſ. Balaneon.
Thoma reuerend.epiſ. Circiſij.
Anatolio reuerend.epiſ. Sebaſtæ.
Conſtantino reuerend. epiſ. Midaij.
Macario reuerend.epiſ. Prymneſiæ.
Megalo reuerend.epiſ. Myri.
Thallelæo reuerend.epiſ. Iſindorum.
Niceta reuerend.epiſ. Epiphaniæ.
Alexandro reuerend.epiſ. Dionyſi.
Pelagio reuerend.epiſ. Azanon.
Hierone reuerend.epiſ. Anaſtaſiopolitano Phrygiæ.
Glauco reuerend.epiſ. Alion.
Procopio reuerend.epiſ. Antinoi.
Petro reuerend. epiſ. Dometiopolitano.
Ioanne reuerend.epiſ. Coloniæ.
Vranio reuerend.epiſ. Trallienſi.
Ioanne reuerend.epiſ. Ceraſuntis.
Phronymo reuerend.epiſ. Sinaij.
Macedonio reuerendiſſimo epiſcopo Iuſtinianopolitano Bithyniæ.
Ecdicio reuerend.epiſ. Teni.
Eulogio reuerend.epiſc. Danaborum.
Theodoro reuerend.epiſc. Caradeon.
Helpidophoro reuerendiſſimo epiſcopo Anaſtaſiopolitano Cariæ.
Cyrione reuerend.epiſc. Dadimorum.
Theodoro reuerend.epiſc. Laodiceæ.
Sila reuerend.epiſc. Tiberiopolitano.
Diogene reuerend.epiſc. Auguſtopolitano.
Theodoro reuerend.epiſc. Ingilon.
Iuliano reuerend.epiſc. Zeugmatis.
Dorymenio reuerend.epiſc. Adraon.
Ioanne reuerend.epiſ. Leri.
Theodoro reuerend.epiſc. Gargaron.
Theodoro reuerend.epiſc. Comanorum.
Rufino reuerend.epiſc. Sebaſtiæ Armeniæ.
Conone reuerend.epiſc. Semneon.
Cyriaco reuerend.epiſc. Caſatorum.
Siſinnio reuerend.epiſc. Præneti.
Iuliano reuerend.epiſc. Batnon.
Anaſtaſio reuerend.epiſc. Rachlæ.
Theodoro reuerend.epiſc. Porthmi.

Paulo reuerendiss. Episcopo Stectorij.
Stephano reuerendiss. episcopo Amasiæ.
Paulo reuerendiss. episcopo Adrassi.
Euandro reuerendiss. episcopo Cnidi.
Mena reuerendissimo Epis. Carpathij.

Didorus archidiaconus & primicerius reuerendissimorum notariorum, dixit: Scit vestra sancta synodus, quòd ante aliquot dies in diuersis conuentionibus acta sunt quædam apud vos de Theodoro Mopsuesteno, & quæ impiè conscripsit Theodoritus, & impia Epistola, quæ dicitur Ibæ, & ad Marim Persam conscripta, & ꝙ in vltima actione promisit vestra sancta synodus, perfectam & Synodicam sententiam imponere his, quæ examinantur. Quoniam igitur ad hoc ipsum conuenistis, suggerimus ad quod placuerit.

Sententia Synodi cõtra Theodorũ, Theodoriti scripta, & Ibæ Epistolã.

Sancta Synodus dixit: Ea quæ de propositis quæstionibus apud nos acta sunt, manifestentur. Et post lectionem, cùm suscepisset Calonymus reuerendissimus diaconus & notarius sententiam, recitauit: Magno DEO & Saluatore nostro IESV CHRISTO, secundum parabolam in Euangelijs dictam, pro vniuscuiusque viribus talenta distribuente, & operam eorum opportuno tempore exigente, si is, qui creditum sibi vnum talentum sine diminutione seruauit, eo quod non operatus est, & amplificauit hoc quod sibi creditum est, condemnatur: quanto maiori & *horribili iudicio subiacet, qui non solum de ipso neglexerit, sed etiam alijs scandali & perturbationis causam præbuerit? cùm sit omnibus fidelibus manifestum, quòd quando de fide ratio moueatur, non solum impius condemnatur, sed etiam ille, qui potest quidem prohibere impietatem, negligit verò aliorum correptionem. Et nos igitur, quibus regere Ecclesiam Domini creditum est, timentes maledictionem, quæ imminet his, qui negligenter opera Domini faciunt, festinamus bonum fidei semen purum conseruare ab impietatis zizanijs, quæ ab inimico inseminantur. Quoniam igitur videbamus, quòd Nestorij sequaces conati sunt per Theodorum impium, qui Mopsuestiæ fuit Episcopus, & impia eius conscripta, & insuper per ea, quæ impiè Theodoritus conscripsit, & per Epistolam sceleratam, quæ ab Iba dicitur ad Marim Persam scripta esse, suam impietatem DEI Ecclesiæ applicare: ideo ad eorum, quæ mouebantur, correctionem surreximus, & pro DEI voluntate, & iussione pijssimi Imperatoris vocati ad hanc regiam vrbem conuenimus. Et quia contingit Vigilium religiosissimum, in hac regia vrbe degentem, omnibus interesse, quæ his tribus capitulis annotata sunt, & tam sine scriptis, quàm in scripturis ea sæpius condemnasse, postea tamen & consensit in scriptis in Concilio conuenire, & disceptare vna nobiscum de his tribus capitulis, vt definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectè conueniens, pijssimus Imperator, secundum quod inter nos placuit, tam ipsum quàm nos hortatus est cõmuniter conuenire, eo quod sacerdotes decet communibus quæstionibus finem communem imponere.

Hier. 48.

Matth. 13

Vnde necessario petiuimus ipsius Reuerentiam, scriptas suas promissiones adimplere, nec enim iustum esse, amplius scandalum pro tribus istis capitulis crescere, & DEI Ecclesiam conturbari. Et pro his ad memoriam eius perduximus magna illa Apostolorum exempla, & patrum traditiones. Licèt enim sancti Spiritus gratia & circa singulos Apostolos abundaret, vt non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod mouebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, diuinarum scripturarum testimonijs vnusquisque sua dicta confirmauerunt. Vnde communiter de eo sententiam protulerunt, ad gentes scribentes: Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil aliud imponere vobis oneris, præterquam necessario, vt abstineatis ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Sed & sancti patres, qui per tempora in sanctis quatuor Concilijs conuenerunt, antiquis exemplis vtentes, communiter de exortis hæresibus & quæstionibus disposuerunt, certo constituto, quòd in communibus disceptationibus cum proponuntur, quo ex vtraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacij. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cùm vnusquisque proximi adiutorio indiget, sicut in prouerbijs dicit Salomon: *Frater fratri adiutorium præstans, exaltabitur sicut ciuitas munita*: valet verò sicut regnum fundatum. Et iterum in Ecclesiaste dicit: *Optimi duo quàm vnus, quibus est merces bona in labore ipsorum.* Sed etiam ipse Dominus dicit: *Amen dico vobis, si duo ex vobis conuenerint super terram, de omni re quamcunque petierint, continget illis à patre meo qui in cælis est. Vbicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum in medio ipsorum.*

Act. 15.

Prou. 18.

Eccles. 4.

Matth. 18.

Cùm autem sæpius & à nobis omnibus inuitatus, & insuper gloriosissimis iudicibus missis ad ipsum à pijssimo Imperatore, promisit per seipsum de ijsdem tribus capitulis sententiam proferre, huiusmodi responso audito, Apostoli nos admonitiones in corde habentes, quòd vnusquisque pro se rationem reddet DEO, timentes autem & iudicium imminens eis, qui vel vnum ex minimis scandalizant, quanto magis Imperatorem ita Christianissimum, & populos & Ecclesias totas, & quod dictum à DEO ad Paulum, *Ne timeas, sed loquere, & ne taceas, quoniam ego sum tecum, & nemo poterit nocere tibi*: congregati ante omnia compendiosè confessi sumus fidem illam tenere, quam Dominus noster IESVS CHRISTVS verus Deus tradidit sanctis suis Apostolis, & per eos sanctis ecclesijs, & qui post illos fuerunt sancti patres & Doctores Ecclesiæ, creditis sibi populis tradiderunt. Tenere autem & seruare & prædicare sanctis Ecclesijs confessi sumus hanc fidei confessionem, quã latius exposuerunt trecenti decem & octo sancti patres Niceæ congregati, qui sanctum mathema siue symbolum tradiderunt: insuper autem & centum quinquaginta in Constantinopoli collecti exposuerunt, qui eandem fidei confessionem secuti sunt, & eam explanauerunt: & ducentorum sanctorum patrum, prius Ephesi collectorum, pro eadem fide consensum: & quæ à sexcentis triginta Chalcedone cõgregatis definita sunt pro vna eademque fide, quàm & ipsi secuti prædicauerunt. Eos autem, qui pro tempore condẽnati vel anathematizati à Catholica Ecclesia, & prædictis quatuor Concilijs sunt, confessi sumus condemnatos & anathematizatos habere.

Prou. 18.

Eccles. 4.

Matth. 18.

Cumque hæc ita confessi sumus, initium fecimus examinationis trium Capitulorum, & proposuimus prius de Theodoro Mopsuesteno: & cum in medio prolatæ sunt blasphemiæ eo dicibus insertæ, mirati sumus DEI in his patientiam, quòd non diuino igni statim incensa est lingua & mens, quæ hæc eructauit: & nunquam concessissemus procedere lectorem prædictarum blasphemiarum, pro sola memoria illarum indignationem DEI timentes, (vtpotè vnaquaque blasphemia magnitudine impietatis antecedentem superante, & mentem auditoris funditus permouente) nisi eos, qui talibus blasphemijs gloriantur, videremus indigere confusione, per manifestationem earum eis inferendam: vt nos omnes, zelo blasphemiarum contra DEVM expositarum extensi, & in medio lectionis, & post ipsam inclamationes & anathematismos contra Theodorum vt viuentem & præsentem faceremus. Propitius sis Domine, dicentes: nec dæmones ausi sunt talia contra te loqui. O intolerabilem linguam illam, O prauitatem viri, ô altam illam manum, quam extendit contra Creatorem suũ. Scripturas scire miser ille pollicitus, nõ meminit Osææ prophetæ dicentis: *Væ illis, quoniam exilierunt à me: famosi facti sunt, quia impij fuerunt in me, iniqua loquuti sunt aduersum me, & aduersum me excogitantes, loquuti sunt peßima. Ideo cadent in flamea propter improbitatem linguæ suæ. Hic contemptus eorum in sinu eorum, quia transierunt testamentum meum, & aduersus legem meam impiè egerunt.* Istis Theodorus impius meritò subijcitur. Prophetias enim, quæ de CHRISTO sunt, reijciens, festinauit dispẽsationis pro nostra salute magnum mysterium, quantum ad se pertinet, reprobare: fabulas tantummodo ad risum propositas gentibus diuina eloquia multis modis conatus ostendere, & contempsit tam alias prophẽticas pronunciationes contra impios factas, & quod dixit diuinus Habacuc de his, qui mendaciter docent: *Væ qui adaquat proximum sibi euersione turbata, & inebriat eum, vt inspiciat speluncas eorum*, id est, tenebrosas & omninò à luce alienas doctrinas

ctrinas eorum. Et quid oportet multa dicere? Liceat volentibus codices impij Theodori præ manibus accipere, vel quæ ex impijs codicibus eius, gestis apud nos habitis inferta sunt, impia capitula, & inuenire nimiam insaniam & nefanda illa, quæ dixit. Vlterius enim procedere, & iterum memoria repetere nefanda illa veremur. Recitata nobis sunt & quædam à sanctis patribus contra illum & omnes hæreticos superantem eius insaniam conscripta, & insuper historiæ, & leges Imperiales, illius impietatem ab initio diuulgantes: & quoniam post hæc omnia impietatis illius defensores, iniurijs contra creatorem suum dictis gloriantes, dicebant non oportere eum post mortem anathematizare, licet cognosceremus Ecclesiasticam de impijs traditionem, quod & post mortem hæretici anathematizantur: tamen necessarium putauimus & de hoc perscrutari, & fertur in gestis, quomodo diuersi hæretici & post mortem anathematizati sunt, & per multa manifestatum est apud nos, quod qui hæc dicunt, nullam curam Dei iudicatorum faciunt, nec apostolicarum pronunciationũ, nec paternarum traditionum. Libenter vtique interrogemus eos, qui dicãt de Domino, dicente de se ipso, *Qui crediderit in eum, non iudicatur: qui autem non crediderit in eum, iam iudicatus est, quia non crediderit in nomine vnigeniti filij Dei*: & Apostolo clamante: *Licet nos aut angelus de cœlo euangelizauerit vobis, præterquam euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædximꝰ & nũc iterũ dico: Si quis vobis euãgelizauerit, præterquã quod accepistis, anathema sit*. Domino enim, quod iã iudicatus est, dicente, & Apostolo etiam angelus, si docerent præter* quod euangelizati sumus, anathematizante, quomodo præsumunt dicere, qui omnia audent, de viuis tantummodo hæc dicta esse? Aut ignorant, magis autem scientes ignorare confingunt, quod iudicium anathematis nihil aliud est, nisi separatio à Deo? Quod impius licet non verbo ab aliquo suscepisset, tamen anathema re ipsa sibi infert, per suam impietatem semetipsum à vera vita separans. Quid autem dicunt & Apostolum iterum dicentem, Hæreticum hominem post vnam aut secundam * correctionem cuita, sciens quoniam peruersus est huiusmodi homo, & peccat, & est à semetipso damnatus? Quibus consonantia sanctæ memoriæ Cyrillus in libris, quos contra Theodorum scripsit, ita dicit: Euitandi sunt illi, qui tam pessimis culpis detinentur, siue in viuis sunt, siue non. A nocente enim semper refugere necessarium est, & non ad personam magis respicere, sed ad hoc, quod Deo placet. Et iterum idem sanctæ memoriæ Cyrillus, scribens ad Ioannem Episcopum Antiochiæ, & congregatam ibi Synodum de Theodoro, vtpotè vna cum Nestorio anathematizato, ita dicit: Erat igitur necessarium, claram propterea ducere festiuitatem, expulso certe omni voce à quocunque dicta, quæ consonat Nestorij blasphemijs. Processit enim aduersus omnes, qui eadẽ sapiunt, vel sapuerũt aliquando, quod absolute nos, & vestra sanctitas dixit: Anathematizamus illos, qui dicunt filios duos, & duos Christos. Vnus enim, vt dictum est, prædicatur à nobis & vobis CHRISTVS, & filius & Dominus, vnigenitus, vt homo, secundum vocem sapientissimi Pauli. Sed etiam in Epistola ad Alexandrum & Martinianum, & Ioannem, & Paregorium, & Maximum presbyteros & patres monachorum & eos, qui cum ipsis erant solitariam vitam exercentes, ita dicit:

Iam quidem & sancta Synodus Ephesi secundum Dei voluntatem congregata, contra Nestorianam perfidiam iusta & subtili prolata sententia, & aliorum vaniloquia, qui vel postea futuri sunt, vel iam fuerunt, eadem illi sapientes, & dicere vel scribere tale aliquid præsumentes, vna cum ipso condemnauit, æqualem condemnationem eis imponens. Consequens enim erat, vno semel pro suis tam profanis vaniloquijs condemnato, non contra vnum tantũ venire, sed (vt ita dicam) contra omnem eorum hæresim siue calumniam, quam fecerunt contra pia Ecclesiæ dogmata, duos cõlentes filios, & diuidentes indiuiduum, & anthropolatriæ crimen inferentes cœlo & terræ. Adorat enim nobiscum supernorum spirituum sancta multitudo vnum Dominum IESVM CHRISTVM. Sed etiam Augustini religiosæ memoriæ, qui inter Aphricanos Episcopos splenduit, diuersæ Epistolæ recitatæ sunt, significantes quod oportet hæreticos & post mortem anathematizari. Talem autẽ Ecclesiasticam traditionem, & alij Africani reuerendissimi Episcopi seruauerunt: sed & Romana sancta Ecclesia quosdam Episcopos & post mortem anathematizauit, licet pro fide inuita sua non essent accusati: & vtrunque apud nos habita gesta significant. Sed quoniam euidentissime veritatẽ impugnantes Theodori & ipsius impietatis discipuli, quædam verba sanctæ memoriæ Cyrilli & Procli proferre conantur, quasi pro Theodoro scripta, oportunum est propositis aptare verba Prophetæ dicentis: *Quia rectæ sunt viæ Domini, & iusti ambulant in eis: Impij autem infirmabuntur in eis.* Osee. 14. Nã & isti male excipiẽtes ea, quæ benè & oportunè à sanctis istis patribus scripta sunt, & excusantes excus.tiones in peccatis, hæc verba proferunt. Apparent enim patres non liberantes anathemate Theodorum, sed dispensatiua talibus quibusdam vtentes verbis propter defensores Nestorij & eius impietatis, vt ab huiusmodi errore eos abstrahentes, ad perfectum deducerent, & docerent non solum discipulum impietatis Nestorium addicere, sed etiam doctorem eius Theodorum. Itaque & in ipsis dispensationis verbis suam patres intentionem ostẽdunt de eo, quod oportet anathematizari Theodorum, sicut per plurima in gestis apud nos habitis demonstratum est ex his, quæ ad condemnationẽ Theodori & eius impietatis Cyrillus & Proclus sanctæ memoriæ scripserunt. Et talem dispensationem in diuina scriptura est inuenire: ad hoc & Paulus Apostolus in principio prædicationis feciſſe ostenditur, propter eos, qui ex Hebræis erant, Timotheum circumcidẽs, vt per hanc dispensationem & condescensionem ad perfectum eos deduceret. Vnde postea interdicens circuncisionem, ad Galatas ita scripsit: *Ecce ego Paulus dico vobis, quod si circũcidimini, Christus vobis nihil prodest*. Inuenimus autem & illud, quod solent hæretici facere, & à Theodori defensoribus factum. Quædam enim ex his, quæ sancti patres scripserunt, circuncidẽtes, quædam verò falsa ex semetipsis componentes & confingentes, Cyrilli sanctæ memoriæ Epistola conabantur quasi ex testimonio patrũ prædictum impium Theodorũ anathemate liberare: in quibus & ipsis veritas demonstrata est, his quidem quæ circumcisa erant, per sequentiam anteriorum & posteriorum perlectis, mendacio autem falsitatis per collationem eorum, quæ vera erant, per omnia conuicto. In omnibus autem istis, qui talia vana loquũtur, secundum quod scriptum est, *confidunt falsis & loquuntur vana: quia concipiunt dolorem, & pariunt iniquitatem, telam araneæ texentes*. Esa. 58. His ita de Theodoro & eius impietate discussis, pauca, & ex his, quæ impie à Theodorito conscripta sunt contra rectã fidem, & duodecim Capitula sancti Cyrilli, & contra Ephesinam primam Synodum, necnon quædam ad defensionẽ Theodori & Nestorij impiorum ab eo conscripta, ad satisfactionem legentium in gestis apud nos confectis recitari, & inseri perspeximus, vt sciant omnes, quod iustè isti ejiciũtur & anathematizantur. Tertio loco Epistola, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, ad examinationẽ proposita, necessarium esse perspeximus & eam recitari. Statim igitur ex ipsa lectione impietas ei inserta omnibus manifestata est: & oporteret quidẽ, vsque ad hoc quæstione facta, condemnationem & anathematismum prædictorum trium capitulorum facere: sed quia Theodori & Nestorij impiorum defensores alio modo machinabantur confirmare eorum personas & impietatem, & dicebant istam impiam Epistolam, quæ laudat & defendit Theodorum & Nestorium, & eorum impietatem, susceptam esse à sancto Chalcedonensi Consilio, necessarium esse putauimus per omnia ostendere, liberam esse sanctam Synodum ab impietate, quæ in Epistola continetur, eo quod, qui talia dicunt, non fauore sancti Concilij hoc faciunt, sed vt per eius nomen suam impietatem confirmarent. Et ostendebatur in gestis, quod & anterioribus temporibus accusatus est Ibas propter eandem impietatem, quæ & in Epistola continetur: Primo quidem apud Proclum sanctæ memoriæ Episcopum Constantinopolitanum, postea vero apud Theodosium piæ recordationis, & Flauianum, qui post Procli Episcopus ordinatus est, qui & causæ examinationẽ delegauerunt Photio Episcopo Tyri & Eustathio Episcopo Berytiorũ ciuitatis. Postea vero inculpatus

Pſal. 140.

Act. 16.

Gal. 5.

Hæretici præue citant scripta patrũ.

idem

idem Ibas, ab episcopatu deiectus est. His ita subsecutis, quomodo præsumunt aliqui dicere, istam impiam Epistolam susceptam esse à sancto Chalcedonensi Concilio, eamque per omnia secutum esse sanctum Chalcedonense Concilium? Tamen ne quæcunque remaneret occasio eis, qui tales calumnias applicant sancto Chalcedonensi Concilio, recitari perspeximus ea, quæ apud sanctas Synodos, Ephesinam primam & Chalcedonensem, pro Epistolis sanctę memoriæ Cyrilli, & religiosæ memoriæ Papæ antiquioris Romæ Leonis mota sunt. Et cum ex his accepissemus, quòd non aliter oportet suscipi, quæ ab aliquo scribũtur, nisi prius rectæ fidei sanctorum patrum consonare demonstrentur, interlocuti sumus recitari & definitionem, quæ de fide exposita est à sancto Chalcedonensi Concilio, vt conferantur, quæ in Epistola, & quæ in definitione cõtinentur. Quo facto, demonstratum est contrariam per omnia Epistolam esse his, quæ definitione continentur. Nam definitio quidem consonat his, quæ iudicata sunt pro vna eademque fide, tam à trecentis decem & octo sanctis patribus, quàm à centum quinquaginta, & his, qui prius Ephesi conuenerunt. Impia autem Epistola illa continet, quæ Theodorus & Nestorius hæretici blasphemauerunt, & defendit eos, & doctores sibi adscribit: sanctos autem patres hæreticos vocat. Et illud autem omnibus facimus manifestum, quòd nec partes interlocutionum vnius vel secundi, quibus vtũtur Theodori & Nestorij sequaces, præterire sustinuimus, sed & istis & alijs omnibus interlocutionibus in medio prolatis, & his, quæ eis continentur consideratis, inuenimus, quòd non aliter passi sunt, prædictum Ibam suscipere, priusquam exegissent eum Nestorium & impia eius dogmata, quæ in Epistola vindicantur, anathematizare. Et hoc fecerunt tam alij religiosi Episcopi prædicti sancti Cõcilij, quam illi duo, quorum interlocutionibus quidam vti conantur. Hoc enim & in Theodorito obseruauerunt, & exegerunt, eum anathematizare ea, pro quibus accusabatur. Si igitur Ibam non alio modo suscipere sustinuissent, nisi impietatem, quæ in Epistola continetur, condemnasset, & subscripsisset definitioni, quæ pro fide à sancto Concilio data est, quomodo conantur dicere, susceptam esse impiam Epistolam ab eodem sancto Concilio? Quæ enim, vt verè dicamus participatio est iustitiæ & iniquitati? Et quæ societas est luci cum tenebris? Quæ autem conuentio est Christi cum Belial? Aut quæ pars est fideli cum infideli? Quæ autem est commixtio templo Dei cum idolis? Repetitis igitur omnibus, quæ apud nos acta sunt, iterum confitemur, quòd suscipimus sanctas quatuor Synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, quæ pro vna eademque fide definierunt, prædicauimus & prædicamus. Eos autem, qui hæc non suscipiunt, alienos Catholicæ Ecclesiæ iudicamus. Condemnamus autem & anathematizamus vnà cum omnibus alijs hæreticis, qui condemnati & anathematizati sunt, à prædictis sanctis quatuor Concilijs & à sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & Theodorum, qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, & impia eius conscripta, & quæ impiè Theodoritus conscripsit contra rectam fidem, & contra duodecim capitula sancti Cyrilli, & contra Ephesinam primam Synodum, & quæ ad defensionẽ Theodori & Nestorij ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus, & impiam Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quæ denegat DEVM verbum de sancta DEI genitrice & semper virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, & sanctæ memoriæ Cyrillum, qui rectè docuit; tanquam hæreticum & similiter Apollinario scribentem, criminatur: & inculpat quidem Ephesinam primam Synodum, tanquam sine examinatione, & quæstione Nestorio ab ea depositio, & duodecim sancti Cyrilli capitula impia, & contraria rectæ fidei vocat: defendit autem Theodorum & Nestorium, & impia eorum dogmata, & conscripta. Prædicta igitur tria capitula anathematizamus, id est, Theodorum impium Mopsuestenum, cum nefandis eius conscriptis, & quæ impiè Theodoritus conscripsit, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & defensores eorum, & qui scripserunt vel scribunt ad defensionem eorum, vel recta ea dicere præsumunt, vel omninò impietatem eorum nomine sanctorum patrum, aut sancti Chalcedonensis Concilij defenderunt, aut defendere conantur. His ita cum omni subtilitate dispositis, in memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas, & qui dixit, quòd portæ inferni non præualebunt aduersus eam, id est, hæreticorum mortiferæ linguæ: recordantes autem & quæ per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit, Et sponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum: hæreticorum quidem effrenatas linguas, & eorum impijssima conscripta, & eosdem ipsos hæreticos, qui vsque ad mortem in sua impietate permanserunt, patri mendacij diabolo cõnumerantes, illis dicemus: Ecce omnes vos ignem accenditis, & conualescere facitis flammam ignis: ambulabitis in lumine ignis vestri, & per flammam, quam accenditis.

Nos autem mandatum habentes, per doctrinam rectam exhortari populum, & loqui in cor Hierusalẽ, id est, Dei Ecclesiam, meritò seminare quidem in iustitia festinamus, vindemiantes fructum vitæ, & illuminãtes nobisipsis lumen scientiæ ex diuinis scripturis & patrum doctrina, necessarium esse putauimus capitulis comprehendere & prædicationem veritatis, & hæreticorum, necnon eorum impietatis condemnationem.

Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam naturam siue substantiam, & vnam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem in tribus subsistentijs siue personis adorandam, talis anathema sit. Vnus enim Deus & pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & vnus spiritus sanctus, in quo omnia.

II Si quis non confitetur DEI verbi duas esse natiuitates, vnam quidem ante sæcula ex patre sine tempore incorporaliter, alteram verò in vltimis diebus eiusdem ipsius, qui de cælis descendit, & incarnatus de sancta gloriosa Dei genitrice & semper virgine Maria, natus est ex ipsa, talis anathema sit.

III Si quis dicit alium esse Deum verbum, qui miracula fecit, & alium CHRISTVM, qui passus est, vel Deum verbum cum Christo esse nascente de muliere vel in ipso esse vt alterum in altero, & non vnum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, Dei verbum incarnatum, & hominem factum, & eiusdem ipsius miracula & passiones, quas voluntariè carne sustinuit, talis anathema sit.

IV Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum æqualitatem honoris, secundum authoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem vnitionem Dei verbi ad hominem factam esse, vel secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit DEO verbo homo, eo quòd benè visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit: vel secundum homonymiam, per quam Nestoriani Deum verbum filium & Christum vocantes, & hominem separatim Christũ & filium nominantes, & duas personas euidenter dicentes, per solam nominationem, & honorem, & dignitatẽ, & adorationem, vnã personam, & vnũ filium, & vnũ Christum consingunt dicere: sed non confitentur vnitatem Dei verbi ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali, secundum compositionem siue secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti patres docuerũt, & ideò vnam eius subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate, talis anathema sit. Cùm enim multis modis vnitas intelligitur, qui impietatẽ Apollinarij & Eutychetis sequũtur, interemptionem eorũ, quæ conuenerunt, colentes, vnitionẽ secundũ confusionem dicunt: Theodori aũt & Nestorij sequaces, diuisione gaudentes, affectualem vnitatẽ introducunt. Sancta Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem reijciẽs, vnitionem Dei verbi ad carnem secundum compositionẽ confitetur, quòd est secundum subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi non solum inconfusè ea, quæ conuenerunt, conseruat, sed nec diuisionem suscipit.

Si quis vnam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi sic intelligit, tanquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas, & duarum personarum, quas introducit, vnam personam dicit

Ea sola scripta recipienda, quæ Patribus sunt consona.

Impudẽs hæreticorum calumnia. 2. Cor. 6.

Synodus anathemate plectit Theodorum, & scripta quædam Theodoriti, & Ibæ epistolam.

Anathematizantur etiam horũ defensores, &c.

Matth. 16. Portæ inferi non præualebunt.

Osee 2.

Esa. 50.

Tit. 1. Esa. 40. Osee 10.

Contra Nestor. & Eutyche tum anathemat. mus.

1. Cor. 2.

dicit secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius insanientes conscripserunt, & calumniantur sanctam Chalcedonensem synodum, tanquam secundum istum impium intellectum vnius subsistentem vtentem vocabulo, sed non confitetur Dei verbum carnisecundum subsistentiam vnitum esse, & propter hoc vnam eius subsistentiam seu vnam personam, & sic & sanctum Chalcedonense Concilium vnam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi confessum esse, talis anathema sit. Nec enim adiectionem personæ vel subsistentiæ suscepit sancta Trinitas, ex incarnato vno de sancta Trinitate Deo verbo.

Tria Capitula 4. anathematismis anathematizãtur.

XII.

Si quis abusiue & nõ verè Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper virginem Mariam, vel secũdum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo verbo incarnato & nato ex ipsa, referenda autem, sicut illi dicunt hominis natiuitate ad Deum verbum, eo, quòd cũ homine erat nascente, & calumniatur sanctam Chalcedonẽsem synodum, tanquam secundum istum impium intellectum, quẽ Theodorus execrandus adinuenit, Dei genitricem virginem dicentem, vel qui hominis genitricẽ vocat aut Christotocon, id est, Christi genitricem, tanquam si Christus Deus non esset, & non propriè & verè Dei genitricem ipsam confitetur, eo quod ipse, qui ante secula ex patre natus est Deus verbum, in vltimis diebus ex ipsa incarnatus & natus est, & sic piè & sanctam Chalcedonensem synodum Dei genitricem eam esse confessam, talis anathema sit.

VI.

Si quis in duabus naturis dicens, non vt in Deitate & humanitate, vnum Dominum nostrum Iesum Christum cognosci confitetur, vt per hoc significet differentiam naturarum, in quibus inconfusè ineffabilis vnitio facta est, neq; Deo verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in verbi naturam transducta, (manet enim vtrunq; hoc quod est natura, etiam facta vnitate secundum subsistentiam) sed pro diuisione per partem talem excipit vocem in mysterio Christi, vel numerum naturarum cõfitendo in eodem Domino nostro Iesu Christo, Deo verbo incarnato, non intellectu tantummodò differentiam excipit earum, ex quibus & compositus est, non interemptam propter vnitatem (vnus enim ex vtroque, & per vnum vtraq;) sed in hoc numero vtitur, vt separatim vnaquaq; natura suam habente subsistentiam, talis anathema sit.

VII.

Si quis ex quis ex duabus naturis deitatis & humanitatis confitens vnitatem factam esse, vel vnam naturam Dei verbi incarnatam dicens, non sic ea excipit, sicut patres docuerunt, quod ex diuina natura & humana vnitione secũdum subsistentiam facta, vnus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus vnam naturam siue substantiam Deitatis & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit. Secundum subsistentiam enim dicentes vnigenitum Deum verbum carni vnitum esse, non confusionem aliquam naturarum in se inuicem factam esse dicimus, sed magis permanente vtraque hoc quod est, vnitum esse carni Deũ verbum intelligimus. Propter quod & vnus est Christus, Deus & homo, idem ipse consubstantialis patri secundum dietatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem. Æqualiter enim & eos, qui per partem diuidunt vel incidunt, & eos, qui confundunt diuinæ dispensationis mysterium Christi, reijcit & anathematizat Dei ecclesia.

VIII.

Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo verbo, & separatim homini: vel si quis ad interemptionem vel ad confusionem deitatis & humanitatis, vnam naturam siue substantiam eorum, quæ cõuenerunt, introducens, sic Christũ adorat, sed nõ vna adoratione Deum verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.

IX.

Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & vnum de sancta Trinitate, talis anathema sit.

X.

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen, Originem cum impijs eorum cõscriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati sunt à sancta catholica & Apostolica Ecclesia, & à prædictis sanctis quatuor Concilijs, & eos, qui similia prædictis hæreticis sapuerunt vel sapiunt, & vsque ad mortem in sua impietate permanserunt vel permanent talis anathema sit.

XI.

Si quis defendit impium Theodorum Mopsuestenum, qui dixit alium esse Deum verbum, & alium Christum, à passionibus animæ & desiderijs carnis molestias patientem, & à deterioribus paulatim recedentem, & sic ex profectu operum melioratum, & à *consonatione immaculatum factum, & tanquàm purum hominem baptizatum esse in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, & per baptisma sancti spiritus gratiam accepisse, & filiationem meruisse, & ad similitudinem Imperialis imaginis in persona Dei verbi adorari, & post resurrectionem immutabilem cogitationibus & impeccabilem omninò factum fuisse. Et iterùm dixit idem impius Theodorus, talem factam esse vnitionem Dei verbi ad Christum, qualem dixit Apostolus de viro & muliere, Erunt duo in carne vna. Et super alias innumerabiles blasphemias, ausus est dicere, quòd post resurrectionem cùm insufflasset Dominus discipulis, & dixisset; Accipite Spiritum sanctum, non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratim tantum modò insufflauit. Iste enim & confessionem, quam fecit Thomas, cùm palpasset manus & latus Domini post resurrectionem, dicens, Dominus meus & Deus meus, inquit non esse dictum à Thoma de Christo. Nec enim dicit Theodorus Deum esse Christum, sed ad miraculum resurrectionis stupefactum Thomam glorificasse Deum, qui Christum resuscitauit. Et quod peius est, etiam in interpretatione, quã in Actus Apostolorum scripsit Theodorus, similem fecit Christum Platoni, & Manichæo, & Epicuro, & Marcioni, dicens, quòd sicut illorum vnusquisq; ex dogmate, quod inuenit, suos discipulos fecit vocari Platonicos, & Manichæos, & Epicureos & Marcionistas: simili modo & cùm Christus dogma inuenisset, ex ipso Christianos vocari.

*consonatione

Ephes. 5.

Ioan. 20.

Ibidem.

Si quis igitur defendit prædictum impium Theodorum, & impia eius conscripta, in quibus tam prædictas, quàm alias innumerabiles blasphemias effudit contra magnum Deum & Saluatorem Iesum Christum, & non anathematizat eum, & impia eius conscripta, & omnes, qui suscipiunt vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum exposuisse, & qui scripserunt pro eo, & eadem illi sapuerunt, vel scribunt pro eo, vel impijs eius conscriptis, & eos qui similia illi sapiunt, vel aliquando sapuerunt, & vsque ad mortem permanserunt vel permanent in tali impietate, talis anathema sit.

XIII.

Si quis defendit impia Theodoriti conscripta quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam sanctam synodum & sanctum Cyrillum & duodecim eius capitula exposuit, & omnia, quæ conscripsit pro Theodoro & Nestorio impijs, & pro alijs, qui eadẽ prædictis Theodoro & Nestorio sapuerunt, defendens eos & eorum impietatem, & propter hoc impios vocans doctores Ecclesiæ, qui vnitatem secundum subsistentiam Dei verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat, ea & eos, qui similia eis sapuerunt, vel sapiunt, insuper autem & omnes, qui scripserunt contra rectam fidem & sanctum Cyrillum & duodecim eius capitula, & vsq; ad mortem in tali impietate permanserunt, talis anathema sit.

XIIII.

Si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse, quæ abnegat quidem Deum verbum de sancta Dei genitrice & semper virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, dicit autem purum hominem ex ipsa natum esse, quem templũ vocat, vt alius sit, Deus verbum, & alius homo, & sanctum Cyrillum, qui rectam fidem Christianorum prædicauit, tanquàm hæreticũ, & similiter Apollinario impio scripsisse criminatur, & inculpat primam Ephesinam sanctam Synodum, tanquàm sine examinatione & quæstione Nestorium condemnantem, & duodecim capitula sancti Cyrilli impia & contraria rectæ fidei vocat eadem impia epistola, & defendit Theodorum, & Nestorium, & impia eorũ dogmata & conscripta. Si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam, & defensores eius, & eos, qui dicunt eam rectam esse, vel partem eius, & eos, qui scripserunt, vel scribunt pro ea, vel pro impietate quæ in eam continetur, &

præsumunt eam defendere, vel insertam ei impietatem nomine sanctorum Patrum, vel sancti Chalcedonensis Concilij, & in his vsque ad mortem permanent, talis anathema sit.

Cùm igitur hæc ita rectè confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tam à diuinis scripturis, quàm à sanctorum patrũ doctrina, & ab his, quæ definita sunt de vna eademq; fide à prædictis sanctis quatuor Conciliis, facta autem nobis & condemnatione contra hæreticos & eorum impietatem, necnon etiam contra eos, qui defenderunt vel defendunt prędicta impia tria capitula, & permanserunt in suo errore, vel qui permanent: si quis conatus fuerit cõtra hæc, quæ piè disposuimus, vel tradere, vel docere, vel scribere, si quidem episcopus, vel clericus sit, iste tãquàm aliena à sacerdotibus & statu Ecclesiastico faciens, denudabitur episcopatu vel clericatu: si autem monachus, vel laicus sit, anathematizabitur.

SVBSCRIPTIONES Episcoporum.

EVtychius, misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos nouæ Romæ, decreui, quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor Synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definita sunt, & in his omnibus permaneus, sicut suprà scriptum est, cõdemno, & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit. sicut prædictũ est, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Apollinarius, misericordia Dei episcopus Alexandriæ, decreui, quæ proposita sunt, & confitens sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanã, & Ephesinam primam, Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademq; fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut suprà scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum cõscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Domninus, misericordia Dei episcopus Theopolitanæ ciuitatis, decreui, quæ proposita sunt, & confitens sic habere, vt omnia suprà capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor Synodos, id est Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut suprà scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos, & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, vna cum eius impijs conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam Epistolã, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Rapheotanæ ciuitatis, vicem agens Eustochij sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitanæ ciuitatis, vna cum Georgio & Damiano religiosissimis episcopis, decreui, quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut suprà scriptum est, condemno, & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ Episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Georgius, misericordia Dei episcopus Tiberiadis, agens vicem Eustochij sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitanæ ciuitatis, vna cum Stephano & Damiano religiosissimis episcopis, decreui, quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor Synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut supra scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos, & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerũt & sapiunt, & subscripsi.

Damianus, misericordia Dei episcopus Sozytanæ ciuitatis, agens vicem Eustochij sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitanæ ciuitatis, vna cum Stephano & Georgio religiosissimis episcopis, decreui, quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor Synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definitá sunt, & in his omnibus permanens, sicut supra scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ Episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictũ est, & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Benignus, misericordia Dei Episcopus Heracleatanæ ciuitatis, quæ est primæ Macedoniæ, agens vicem Eliæ sanctissimi Archiepiscopi Thessalonicensium ciuitatis, tam pro illo, quàm etiam pro me decreui, quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra Capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut supra scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Cæsareæ primæ Cappadociæ, decreui quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor synodos, id est, Nicænã, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut supra scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerũt & sapiunt, & subscripsi.

Andreas, gratia Christi episcopus Ephesi decreui, quæ proposita sunt, & confitens sic habere, sicut omnia supra capitula & dogmata continent, & suscipiens sanctas quatuor synodos, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, & Chalcedonensem, & quæ ab ipsis de vna eademque fide definita sunt, & in his omnibus permanens, sicut supra scriptum est, condemno & anathematizo super alios hæreticos & impia eorum conscripta, Theodorum impium, qui fuit Mopsuestiæ episcopus, vna cum impijs eius conscriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conscripsit, sicut prædictum est, & impiam Epistolam, quæ dicitur Ibæ, & qui similia eis sapuerunt & sapiunt, & subscripsi.

Sextilianus, misericordia Dei episcopus Ecclesiæ catholicę Tunicnsis, agens vicem Primosi archiepiscopi Carthaginis, totiusque Concilij prouinciæ proconsularis, tam pro illo vel illis, quàm pro meipso decreui, quæ proposita sunt, & confi-

& confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor ſynodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia ei ſapuerunt vel ſapiunt, & ſubſcripſi.

Megethius, gratia Dei epiſcopus ſanctæ Dei catholicæ Eccleſiæ ciuitatis Heracleæ Thraciæ, decreui, quæ propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos, & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerunt & ſapiunt, & ſubſcripſi.

Anaſtaſius, miſericordia Dei epiſcopus Tabianenſium ciuitatis, agens vicem Dorothei religioſiſſimi epiſcopi Ancyranorum metropoleos, decreui, quæ propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtię epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerunt & ſapiunt, & ſubſcripſi.

Ioannes miſericordia Dei epiſcopus Iliorum ciuitatis, agens vicem Euprepij religioſiſſimi epiſcopi Cyzicenorum & metropoleos, decreui, quæ propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictũ eſt, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerunt & ſapiunt, & ſubſcripſi.

Euſebius, miſericordia Dei Epiſcopus Tyriorum metropoleos, decreui, quæ propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonẽſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtię epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerũt & ſapiunt, & ſubſcripſi.

Ioannes, humilis epiſcopus Nicomedienſium metropoleos, decreui, quę propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicęnam, Cõſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos & impia eorum conſcripta, Theodorum impiũ, qui fuit Mopſueſtię epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerunt & ſapiunt, & ſubſcripſi.

Stephanus, miſericordia Dei epiſcopus Nicęnorum metropoleos, decreui, quæ propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerunt & ſapiunt, & ſubſcr.

Conſtantinus, miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ DEI eccleſiæ Chalcedonenſium metropolitanæ ciuitatis, decreui, quæ propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor Synodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam & Epheſinam primam, & Chalcedonenſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno & anathematizo ſuper alios hæreticos & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerunt & ſapiunt, & ſubſcripſi.

Petrus, miſericordia Dei epiſcopus Tarſi metropolitanæ ciuitatis decreui, quę propoſita ſunt, & confitens ſic habere, ſicut omnia ſupra capitula & dogmata continent, & ſuſcipiens ſanctas quatuor ſynodos, id eſt, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam primam, & Chalcedonẽſem, & quæ ab ipſis de vna eademque fide definita ſunt, & in his omnibus permanens, ſicut ſupra ſcriptum eſt, condemno, & anathematizo ſuper alios hæreticos, & impia eorum conſcripta, Theodorum impium, qui fuit Mopſueſtiæ epiſcopus, vna cum impijs eius conſcriptis, & omnia, quæ impiè Theodoritus conſcripſit, ſicut prædictum eſt, & impiam Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, & qui ſimilia eis ſapuerũt & ſapiunt, & ſubſcripſi.

Ioannes, miſericordia Dei epiſcopus Cucuſenorum ciuitatis, agens vicem Palladij religioſiſſimi epiſcopi Melitenorum metropoleos ſimiliter.

Ioannes, miſericordia Dei epiſcopus Cæſareæ Palæſtinę, ſimiliter.

Pompeianus, miſericordia Dei epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ ciuitatis Victorianæ prouinciæ Byzacenæ, ſimiliter.

Amazonius, gratia Chriſti epiſcopus Edeſſenorum metropolitanæ ciuitatis, ſimiliter.

Alexander, miſericordia Dei epiſcopus Grangrenorum metropoleos, ſimiliter.

Thomas, miſericordia Dei epiſcopus Apamenorũ metropolitanæ ciuitatis, ſimiliter.

Euphrantas, miſericordia Dei epiſcopus Tyanenſium metropoleos, ſimiliter.

Theodorus, miſericordia Dei epiſcopus Herapolitanorum apud Euphratem metropoleos, ſimiliter.

Boſphorius, patientia Dei epiſcopus Neocæſareenſium metropoleos, ſimiliter.

Ioannes, miſericordia Dei epiſcopus Boſtrenorum metropoleos, ſimiliter.

Philippus, miſericordia Dei epiſcopus Myrenſium metropoleos Lydiæ prouinciæ, ſimiliter.

Theodotus, miſericordia Dei epiſcopus Seleucenſium apud Iſauros metropoleos, ſimiliter.

Iulianus, miſericordia Dei epiſcopus Sardianorum metropoleos Lydiæ prouinciæ, ſimiliter.

Theodorus, miſericordia Dei epiſcopus Gortynæ, quæ eſt metropolis Cretenſium prouinciæ, ſimiliter.

Euſtathius, miſericordia Dei epiſcopus Damaſci metropolitanæ ciuitatis, ſimiliter.

Theodosius, misericordia Dei episcopus Rhodiorum metropoleos similiter.

Theodorus, misericordia Dei Episcopus Antiochensiũ metropoleos Pisidiæ prouinciæ, similiter.

Eulogius, misericordia Dei episcopus Pergenorum metropolitanæ ciuitatis Pamphyliæ prouinciæ, similiter.

Cyriacus, misericordia Dei episcopus Amydenorum metropoleos, similiter.

Seuerianus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ ciuitatis Aphrodisiadis Carensium prouinciæ, similiter.

Seuerus, misericordia Dei episcopus Synnadensium metropoleos Phrygiæ Salutariæ prouinciæ, similiter.

Petrus, misericordia Dei episcopus Sidetanorum metropoleos Pamphyliæ prouinciæ, similiter.

Abrahamius, misericordia Dei episcopus Sergiopoleos metropolitanæ ciuitatis, similiter.

Asignius, misericordia Dei episcopus Tranapolitanorũ ciuitatis, agens vicem Ioannis religiosissimi episcopi Laodicensium metropoleos Phrygiæ Pacatianæ prouin. simil.

Ioannes, gratia Christi episcopus Adrianopolitanorum metropoleos* eminentiorum prouinciæ, similiter.

*Thraciæ

Ioannes, misericordia Dei episcopus Maronitanorum metropoleos Rhodiæ prouinciæ, similiter.

Theodosius, misericordia Dei episcopus Iustinianopolitanorum metropoleos secundæ Cappadocum prouinciæ, similiter.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Laodiceæ metropoleos Theodorianorum prouinciæ similiter.

Auxanon, misericordia Dei episcopus Hierapolitanorum metropoleos, similiter.

Eustathius, misericordia Dei episcopus Maximianopolitanorum metropoleos, similiter.

Paulus, misericordia Dei episcopus Æmorum metropoleos Rhodopiæ prouinciæ, similiter,

Dometius, misericordia Dei episcopus Chalcidensium ciuitatis, similiter.

Ætherius, misericordia Dei episcopus Anazarbensium siue Iustinianopolitanorum metropoleos, similiter.

Valerianus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ catholicæ ciuitatis Obbæ prouinciæ proconsularis, similiter.

Dionysius, misericordia Dei episcopus Seleuciæ ciuitatis, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Dryziparenorum metropoleos, similiter.

Seuerus, misericordia Dei episcopus Pompeiopolitanorum ciuitatis Paphlagoniæ prouinciæ, similiter.

Georgius misericordia Dei episcopus nouæ Iustinianæ Cypselitanorum ciuitatis, similiter.

Crescus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ catholicæ Cuiculitanæ prouinciæ Numidiæ, similiter.

Romanus misericordia Dei episcopus Gabalorum, similiter.

Gregorius, misericordia Dei episcopus Iustinianopolitanorum ciuitatis magnæ Armeniæ prouinciæ, similiter.

Ioannes misericordia Dei episcopus Nysseorum ciuitatis, similiter.

Basilius, misericordia Dei episcopus nouæ Iustinianæ Camulianensium, similiter.

Ioannes, misericordia Dei episcopus Iustinianopolitanorum siue Barcusenæ ciuitatis, similiter.

Sergius, misericordia Dei episcopus nouæ Iustinianæ secundæ Ægyptiorum, similiter.

Christophorus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Archadiopoleos, Asianorum prouinciæ, similiter.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Clysmatis, similiter.

Theodosius, misericordia Dei episcopus Bybliorum ciuitatis, similiter.

Leontius, misericordia Dei episcopus Arcæ Armeniæ, similiter.

Ioannes, misericordia Dei episcopus Myrines prouincię Asiæ, similiter.

Alexander, episcopus Amphipoleos primæ Armeniæ, similiter.

Thomas, gratia Christi episcopus sanctæ ecclesiæ Berisorum ciuitatis, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Leontopoleos, similiter.

Æmilianus, misericordia Dei episcopus Antipyrgi ciuitatis, similiter.

Aristodemus, misericordia Dei episcopus Philomelensium ciuitatis, similiter.

Thallalæus, misericordia Dei episcopus Adrianopolitanorum Pisidiæ Prouinciæ, similiter.

Theoctistus, misericordia Dei episcopus Erythron ciuitatis prouinciæ Asiæ, similiter.

Diogenianus, misericordia Dei episcopus Sozopolitanorum ciuitatis Pisidiæ prouinciæ, similiter.

Bassus, misericordia Dei episcopus Thamiatheos, similiter.

Anatolius, misericordia Dei episcopus Cymæorum ciuitatis prouinciæ Asianæ, similiter.

Conon, humilis episcopus Magoedẽsium ciuitatis Pamphyliæ prouinciæ, similiter.

Diogenes misericordia Dei episcopus Cratianorum ciuitatis, similiter.

Theoctistus, humilimus episcopus Prusæ ciuitatis, similiter.

Georgius, misericordia Dei episcopus Ptolemaidos, similiter.

Elias, misericordia Dei episcopus Diocletinnopoleos, similiter.

Thomas, misericordia Dei episcopus Cussitanorum ciuitatis, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Lymirensium ciuitatis Lyciæ prouinciæ, similiter.

Zosimus, misericordia Dei episcopus Antandrensium ciuitatis, similiter.

Asyncretius, misericordia Dei episcopus Aradiorum ciuitatis, similiter.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Botryenorum, similiter.

Philippus, humilis episcopus Phellitanorum ciuitatis, similiter.

Menas, misericordia Dei episcopus* Myriangeli, similiter.

Cyprianus, misericordia Dei episcopus Coryceotanorum ciuitatis, similiter.

Restutus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ catholicæ ciuitatis Mileon prouinciæ Numidiæ, similiter.

Thomas, misericordia Dei episcopus Constantinorum ciuitatis Ofroenorum prouinciæ, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Helenopoleos, similiter.

Seuerus, misericordia Dei episcopus Taborum, similiter.

Theoctistus, misericordia Dei episcopus Halicarnassensium ciuitatis Cariæ prouinciæ, similiter.

Thomas, misericordia Dei episcopus Cirecij, similiter.

Soterus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Aulonensium, similiter.

Gennadius, misericordia Dei episcopus Zenonopolitanorum ciuitatis Pamphyliæ prouinciæ, similiter.

Cosmas, humilis episcopus Malleotanorum ciuitatis, similiter.

Dionysius, misericordia Dei episcopus Megarensium ciuitatis, similiter.

Callinicus misericordia Domini Christi episcopus Opũtiorum ciuitatis, similiter.

Paschasius, misericordia Christi episcopus sanctæ ecclesiæ Ægij ciuitatis, similiter.

Erasmus, misericordia Dei episcopus Cybiratanorum ciuitatis, similiter.

Sergius, misericordia Dei episcopus Himereos, similiter.

Ioannes, misericordia Dei episcopus Neocæsareæ Euphratesiæ, similiter.

Thallelæus, misericordia Dei episcopus Isindorũ Pamphyliæ prouinciæ, similiter.

Cr esco-

Crescónius, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ catholicæ municipij Zatarensis prouinciæ Numidiæ, similiter.

Anatolius, humilis episcopus Sebastenorum ciuitatis, similiter.

Nonnus, episcopus misericordia Dei Dauron, similiter.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Balaneotanorum, similiter.

Victor, misericordia Dei episcopus catholicæ ecclesiæ municipij Sinna prouinciæ proconsularis, similiter.

Constantinus, misericordia Dei episcopus *Midai, similiter.

Macarius misericordia Dei episcopus Prymnesiorum ciuitatis Phrygiæ salutaris prouinciæ, similiter.

Megalus misericordia Dei episcopus Myrenorum ciuitatis Phrygiæ salutaris prouinciæ, similiter.

Genethlius, misericordia Dei episcopus Dorylaij, similiter.

Crescíturus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ catholicæ ciuitatis Bostæ prouinciæ proconsularis, similiter.

Niceta, misericordia Dei episcopus Epiphanienſium ciuitatis secundæ Ciliciæ prouinciæ, similiter.

Alexander, misericordia Dei episcopus Dionysi ciuitatis, similiter.

Pelagius, misericordia Dei episcopus Azanorum ciuitatis, prouinciæ Phrygiæ Pacatianæ, similiter.

Hieron, misericordia Dei episcopus Anastasiopolitanorum ciuitatis Phrygiæ Pacatianæ prouinciæ, similiter.

Glaucus, misericordia Dei episcopus Alionorum ciuitatis Pacatianæ prouinciæ, similiter.

Procopius, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Antenon Thebanæ ciuitatis, similiter.

Petrus, misericordia Dei episcopus Domitiopolitanorum ciuitatis Isauriæ prouinciæ, similiter.

Ioannes misericordia Dei episcopus Colonenſium siue Theodoriadis ciuitatis, similiter.

Phtonymus, misericordia Dei episcopus Simaitanorum Phrygiæ Pacatianæ prouinciæ, similiter.

Ioannes misericordia Dei episcopus sanctę ecclesiæ Dorostoli ciuitatis, similiter.

Vranius, misericordia Dei episcopus Trallenorum ciuitatis Lydiæ prouinciæ, similiter.

Ioannes, misericordia Dei episcopus Cæsarenorum ciuitatis Lydiæ prouinciæ, similiter.

Macedonius, misericordia Dei episcopus nouæ Iustinianæ Bithyniæ prouinciæ similiter.

Ecdicius, misericordia Dei episcopus Teni insulæ, similiter.

Eulogius, misericordia Dei episcopus Dabon ciuitatis, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Coradenſium ciuitatis, similiter.

Elpidophorus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Anastasiopoleos Cariæ prouinciæ, similiter,

Cyrion, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Dadimorum, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Laodicenſium ciuitatis, similiter.

Silas misericordia Dei episcopus Tiberiopoleos Pacatianæ prouinciæ, similiter.

Megas, misericordia Dei episcopus Myrenorum ciuitatis, agens vicem Diogenis, religiosissimi episcopi Augustopolitanæ ciuitatis, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Ingelon ciuitatis, similiter.

Iulianus, misericordia Dei episcopus ciuitatis Zeugmatis, similiter.

Dorymenes, misericordia Dei episcopus ciuitatis Adraon Arabiæ prouinciæ, similiter.

Ioannes misericordia Dei episcopus *Leri ciuitatis, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus Comanenſium ciuitatis secundæ Armeniæ prouinciæ, similiter.

Rufinus, misericordia Dei episcopus Sebastianorũ metropoleos, similiter.

Conon, misericordia Christi episcopus Semneatanorũ ciuitatis, similiter.

Cyriacus, episcopus sanctæ ecclesiæ Casatanorum ciuitatis, similiter.

Sisinnius, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Præneti ciuitatis, similiter.

Iulianus, misericordia Dei episcopus Batnon ciuitatis, similiter.

Anastasius, misericordia Dei episcopus Rachlenorum ciuitatis prouinciæ Tyriorum, similiter.

Theodorus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Porthmi Græciæ prouinciæ, similiter.

Paulus, misericordia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ Stectorij ciuitatis Pentapoliticæ regionis Phrygiæ salutaris prouinciæ, similiter.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Amasenorum claræ metropoleos, similiter.

Paulus, misericordia Dei episcopus Adrasenorum ciuitatis, similiter.

Euander, humilis episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Cnidi ciuitatis, similiter.

Menas, peccator & humilis episcopus Carpathorum insularum, similiter.

Eleusinius, misericordia Dei episcopꝰ Traianopolitanorum metropoleos Rhodopiæ prouinciæ, similiter.

Sabbatius, misericordia Dei episcopus Archadiopoleos, similiter.

Stephanus, misericordia Dei episcopus metropoleos Iustinianæ nouæ siue Darasi, similiter.

Stephanus, misericordia Dei episcopus Chersonis, similiter.

Cyprianus, misericordia Dei episcopus Adrianutheron ciuitatis, similiter.

Ioannes, misericordia Dei episcopus Apamenorum ciuitatis Pisidiæ prouinciæ, similiter.

Leontius, misericordia Dei episcopus Amadessenorum ciuitatis, similiter.

Theodorus, gratia Christi episcopus Byzienorum metropoleos, similiter.

Paulus, misericordia Dei episcopus Anchiali ciuitatis, similiter.

Conon, misericordia Dei episcopus Adrianitanæ ciuitatis, similiter.

Explicit.

In hac Synodo sederunt episcopi CLXV.

SEQVVNTVR FRAGMENTA QVAEDAM HVIVS OECVmenici Concilij, quæ hactenus hisce tomis nunquam inserta fuerunt.

Edictum Iustiniani de Tribus Capitulis &c. extat supra inter Epistolas Vigilij Pap.

VIGILII PAPÆ CONSTITVTVM, DE TRIbus Capitulis, pertinens ad Collationem V. huius Concilij V. Oecumenici, nunc primùm huic nostræ Conciliorum editioni insertum.

GLORIOSISSIMO *& clementissimo filio Iustiniano Augusto, Vigilius Episcopus.* Inter innumeras solicitudines, quibus oneratur Imperiale fastigium, laudabile clemẽtiæ vestræ cognouimus esse propositũ, per quod summotis omnibus discordiæ seminibus, quæ in agro Domini humani generis inimicus asperserat, vniuersos Domini sacerdotes præmissis ad testi- Baro. an. 553. nu. 50.

ad testimonium conscientiæ suæ professionibus, per quas sanctorum Patrum & venerabilium quatuor Synodorum ac Præsulum sedis Apostolicæ inhærere definitionibus atq; iudicijs monstrarentur, ad vnitatem atq; concordiam resti tuere properastis: quarum professionum formam, vt Ecclesiasticæ pacis amplectẽdum posteris tradatur exemplũ, præsenti (quemadmodũ se habet) inserta pagina declaramus.

Exemplum primæ professionis, quam ad S. Euphemiæ templum fecerunt.

Omnes quidem Fideles, maximè verò Dei sacerdotes pacem & sanctificationem sequi cum omnibus oportet, sine quibus nemo secundum Apostolum videbit Dominum. Nos igitur Apostolicam sequentes doctrinam, & festinantes concordiam Ecclesiasticam seruare, præsentem facimus libellum. In primis quatuor sanctas synodos, Nicænam trecentorum decem & octo, Constantinopolitanam centum quinquaginta, Ephesinam primam ducentorum, in qua in Legatis suis atq; Vicarijs, id est, beatissimo Cyrillo Alexandrinę vrbis Episcopo, Arcadio & Proiecto Episcopis, & Philippo presbytero, beatissimus Cęlestinus Papa Senioris Romæ noscitur præsedisse, & Chalcedonensem sexcentorum triginta sanctorum Patrum suscipimus. Et per omnia & in omnibus, quæcunq; in omnibus Gestis Chalcedonẽsis Cõcilij aliarumque prædictarum Synodorum, sicut in ijsdem quatuor Synodis scriptum inuenitur, communi consensu cum Legatis atq; Vicarijs sedis Apostolicæ, in quibus iuxta tempora sua prædecessores sanctitatis vestræ beatissimi Papæ senioris Romæ ipsis Synodis præsederunt, tam de fide, quam de alijs omnibus causis, iudicijs, cõstitutionibus, aut dispositionibus definita, aut iudicata, vel constituta, siue disposita sunt, inconcusse, inuiolabiliter, irreprehensibiliter, atq; irretractabiliter sine adiectione vel imminutione aliqua nos promittimus secuturos, nec quicquã contrarium, quod ad earum reprehẽsionem & retractationem vel permutationẽ siue iniuriam sub qualibet occasione vel nouitate pertineat, admissuros, aut tale aliquid præsumentibus consensuros. Sed quęcunq; communi cõsensu cum Legatis atq; Vicarijs sedis Apostolicæ Orthodoxæ ibidẽ dicta sunt, ea Orthodoxa veneramur atque suscipimus.

Quęcumq; anathematizauerunt vel damnauerunt, anathematizamus & nos atq; damnamus; & vniuersa, sicut ab ijsdem Synodis communi consensu cum Vicarijs sedis Apostolicæ iudicata, aut definita, vel constituta, siue dispositalecta inueniuntur, irretractabiliter atque impermutabiliter conseruamus. Sed & beatæ recordationis Papæ Leonis epistolas & sedis Apostolicæ constituta, quæ tam de fide, quam de firmitate suprædictarum quatuor Synodorum processerunt, nos in omnibus secuturos, seruaturosq; promittimus. Anathematizantes omnem hominem ad ordines & dignitates Ecclesiasticas pertinentem, quicumq; contra ea, quæ superius promisimus, sub qualibet occasione vel altercatione venire tentauerit. Libellum autem in causa Trium capitulorum, de quibus quæstio nata est, contra constitutum pijssimi Principis & beatitudinis vestræ ego quidem nullũ feci: sed volo atq; consentio, vt omnes libelli, qui facti sunt sub hac forma, beatitudini vestrę reddantur. De iniurijs autem, quæcunque beatitudini vel sedi vestræ factæ sunt, eas quidem non feci: sed quia pro pace Ecclesiæ modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia verò tempore discordiæ excommunicatos vel nõ receptos à beatitudine vestra in communionem suscepi, pariter veniam postulo.

In hac forma fecerunt Mennas Constantinopolitanus Episcopus.

Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus.

Andreas Ephesinus Episcopus.

Theodorus Antiochiæ Pisidiæ Episcopus.

Petrus Tarsensis Episcopus: sed multi alij Episcopi idem fecerunt.

Exemplar professionis quam residui Episcopi Theophaniorum die nobis fecerunt.

Scientes quantorum bonorum causa est pax Dei custodiens corda & sensus Fidelium, & colligens eos, vt vnum idemque sapiant in recta fidei confessione, & ad perficienda diuina mandata, & propitium Deum faciens in his quæ recta sunt concordantibus: ideo festinantes vnitatem cõseruare, ad Apostolicam sedem vestræ beatitudinis manifestũ facimus, quod nos semper conseruauimus & conseruamus fidem ab initio traditam à magno Deo & Saluatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis, & ab illis in omni mundo prædicatam, & à sanctis Patribus explanatam, & maximè ab his qui in sanctis quatuor Synodis cõgregati sunt, quos per omnia & in omnibus sequimur & suscipimus, id est, trecentos decem & octo sanctos Patres qui Nicææ congregati sunt, & sanctum Symbolum siue mathema fidei exposuerunt, & Arianam impietatem anathematizauerunt, & eos qui eadem sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & centum quinquaginta sanctos Patres Constantinopoli cõgregatos, qui idem sanctum mathema explanauerunt, & de Deitate Spiritus sancti dilucidauerunt; & hęresim Macedonianam Spiritum sanctum impugnãtem & impium Apollinarium condemnauerunt, cum his qui eadem cum illis sapuerunt vel sapiunt. Suscipimus autem & sanctos ducentos Patres in Ephesina prima Synodo collectos, qui per omnia secuti sunt idem sanctum Symbolum siue mathema, & cõdemnauerunt Nestorium impium & scelerata eius dogmata, & eos qui similia ei aliquando sapuerunt vel sapiunt.

Adhæc autem etiam suscipimus sexcentos triginta sanctos Patres Chalcedone cõgregatos; qui etiam ipsi per omnia consenserunt prædictis sanctis tribus Synodis, & secuti sunt prædictum Symbolum siue mathema à trecentis decem & octo sanctis Patribus expositum, & à centum quinquaginta sanctis Patribus explanatum, & anathematizauerunt eos qui aliud præter prædictum Symbolum præsumunt docere, aut exponere & tradere sanctis Dei Ecclesijs: condemnauerunt autem & anathematizauerunt & Eutychetem & Nestorium, & impia eorum dogmata, & eos qui similia eis sapuerunt vel sapiunt. His ita se habentibus, certum facimus, quod omnia quæ à prædictis sanctis quatuor Synodis iudicata & definita sunt, seruauimus & seruamus: Quia etsi per diuersa tempora prædictæ sanctæ quatuor Synodi factæ sunt, tamen vnam eandemq; confessionem fidei seruauerunt & prædicauerunt.

Suscipimus autem amplectimur & epistolas Præsulum Romanæ sedis Apostolicæ, tam aliorum, quam Leonis sanctæ memoriæ de recta fide scriptas, & de quatuor sanctis Concilijs, vel de vno eorum. Cum igitur prædicta omnia & seruauimus & seruamus, & in ijsdem nobis inuicem consentimus: necessarium est conferri* de Tribus capitulis, vnde quibusdam quæstio nata est. Et ideò petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, sub tranquillitate & sacerdotali mansuetudine, sanctis propositis Euangelijs, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri, & conferri, & finem quæstioni imponi Deo placitum & conuenientem his quæ à sanctis quatuor Concilijs definita sunt: quoniam ad augmentum pacis & concordiam Ecclesiarum pertinet, vt omni de medio dissensione sublata, quæ à prædictis sanctis quatuor Concilijs definita sunt, inconcussa seruentur, sanctarum Synodorum reuerentia in omnibus custodita. His autem & subscripsimus in hunc modũ fratres & coepiscopi nostri.

Eutychius Episcopus Constantinopolitanus.

Apollinaris Episcopus Alexandrinus.

Domninus* Antiochiæ Syriæ Episcopus.

Elias Episcopus Thessalonicensis; sed & cæteri qui primam professionem non fecerunt, & in hac secunda professione aut subscripserunt, aut seorsum eandem fecerunt.

His igitur dispositis, optauimus quidem, venerabilis Imperator (sicut frequentissimè supplici prece popoſcimus) eundem ad quemlibet Italiæ locum, aut certè ad Siciliam, & conuocatis ad nos Africanæ & aliarum prouinciarum Latinæ linguæ sacerdotibus, vel Ecclesiæ nostræ sacratis ordinibus, secundum consuetudinem tractaremus, & de quæstionibus Trium capitulorum pietati vestræ rederemus plena deliberatione responsum: quod quia fieri serenitas vestra non annuit, hoc iterum noscitur constitutum, vt oblatis à nobis mansuetudini vestræ nominibus de suprascriptis prouincijs, qui nobiscum ad tractandum adhiberentur Antistites, clementia vestra faceret aduenire: cui dispositioni item præbuimus Ecclesiasticæ

pacis

1. Thess. 4.

Mennæ, Theodori, & aliorum episc. professio.

Alia Professio oblata Vigilio.

*conferri

*Domnus

Quid egerit cum Imperatore Vigilius

pacis amore consensum. Posteà verò hoc magis cum consensu fratrum nostrorum, nostrarum partium Episcoporum, nuper ante sanctum Paschæ diem pietas vestra constituit, vt exequato numero his Pontificibus qui in Constantinopolitana vrbe præsentes sunt, de Tribus capitulis, ex quibus quæstio vertitur, secundum superiùs designatam fratrum nostrorum Episcoporum professionem deberemus inire tractatum.

Sed quia, dum ea quæ pro conseruanda Ecclesiarum pace cum fratribus nostris fieri, vestra dispositione conuenerant, festinaremus impleri, vt adhibita salubri deliberatione communiter, & propter informandam vniuersalem Ecclesiam, cunctis quæ inter nos geruntur, in scriptis deductis atque iacentibus, nostrum ex his collectum de Tribus capitulis in quæstionem deductis iudicium proueniret: cõtinuò pietas vestra post illud volumen, quod nobis ante multos Paschæ dies per virum magnificum Theodorum Decurionem Palatij destinauit, in quo vos interim, quid de Tribus sentiretis capitulis exponentes, nostrum poscitis dari ex eadem causa responsum.

Ideoque cùm fratres nostri, neque exæquato nobiscum numero residere, neque in scriptum quæ ageremus, vel tractaremus, redigi paterentur, tanquam (quod absit) non conuenientia rectitudini loqueremur, quæ scribere timeremus: Et insuper glorioßissimis ad nos proceribus destinatis insisteret vestra clementia, nostrum de Trium capitulorum negotio quàm celerrimè proferre debere responsum: nec sic destitimus vestræ obedire velle clementiæ: hoc solummodò postulantes, vt pro infirmitate corporis nostri, quæ nulli habetur incognita, viginti dierum nobis daretis inducias, quatenus habito nobiscum, DEO auxiliante, tractatu, definitionis nostræ, constituto die scripto, sententiam diceremus: ad fratres & coepiscopos nostros, à quibus similiter de eadem causa responsum vos flagitare dixistis, filium nostrum diaconum Pelagium cum huiusmodi mandato direximus, dicentes: vt quia constitutus collationis faciendæ modus fuerat prætermissus, saltem viginti dies pro antedicta nostri corporis imbecillitate, quam norunt, nostrum deberent definitum de tribus capitulis sustinere responsum, antiquum & regularem custodientes ordinem; ne ante nostræ, hoc est, sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præsidemus, promulgationem sententiæ, quicquam proferre tentarent, vnde scandali rursus, quæ sopita fuerat, oriri posset occasio.

Propositis itaque nobis & diligenter inspectis, in quantum vniuscuiusque capituli in quæstionem deducti ratio postulabat, Synodalibus codicibus atque Gestis prolatis, quæ alijs eorundem Patrum vel in sanctis quatuor Synodis, aut in vna earum rescripsisse * monstrantur, Synodalibus epistolis inspectis, nihilominus prædecessorum nostrorum sedis Apostolicæ Præsulum Constitutis, alijsque probatorum Patrum necessarijs institutionibus pertractatis: si qua de his quæ in quæstionem deducta sunt: apud Patres nostros examinata fuerint, finita atque disposita, memores superiùs designatarum professionum, inuestigare curauimus: inspicientes dogmata quædam in prima chartacei voluminis parte per fratrem nostrum Benignum Episcopum Heracleæ Paphlagoniæ à vestra parte transmissi iacentia, quorum tenor secũdum intellectum subter expositum ad excludẽdum totius ambiguitatis errorem præsenti definitioni nostræ tenetur insertus, plena execrabilibus blasphemijs, & Orthodoxæ fidei (quæ secundum Euangelicam Apostolicamq; doctrinam à sanctis quatuor Synodis, Nicæna, Constantinopolitana, Ephesina, atq; Chalcedonensi probabiliter atq; irreprehensibiliter, sancti Spiritus cooperante præsentia, legitur definita) valde inimica esse perspeximus, & procul à Christianis sensibus repellenda. Propterea ergo, vtpotè execrabilia, atq; à sanctis Patribus olim sine dubitatione damnata, nostra quoque sententia anathematizamus atq; damnamus, quorum primum capitulum ita se habet:

Quomodo igitur tu, quem super omnes maxime decet animarum regimen, illum eumdem, qui ex Virgine natus est, Deum esse, & ex Deo consubstantialem Patri existimari dicis, nisi fortè sancto Spiritui imputari illius creationem nos iubes? Sed quis est Deus ex Deo & consubstantialis Patri? is idem qui ex Virgine natus erat (ô mirandum) & qui per Spiritum sanctum secundum diuinas Scripturas plasmatus est, & confictionem in muliebri accepit ventre? inerat forsitan, quia mox quàm plasmatus est, & vt templum Dei esset, accepit: non tamen existimandum nobis est, Deum de Virgine natum esse: nisi fortè idem existimandum nobis est & quod natum est, & quod est in nato templo, & qui in templo est Deus Verbum: non tamen nec secundum tuam vocem pronunciandum est omnino, ex Virgine natum Deum esse & ex Deo consubstantialem Patri. Nam si non homo est (sicut dicis) assumptus, qui natus est ex Virgine, Deus verò incarnatus; quomodo qui natus est, Deus ex Deo & consubstantialis dicetur Patri, carne non potente hanc vocem susc ipere? Nam est quidem dementia, Deum ex Virgine natum esse dicere: hoc enim nihil aliud est, quam ex semine eum dicere Dauid de substantia Virginis genitum & in ipsa plasmatum: quia quod ex semine Dauid & de substantia Virginis est, in materno ventre consistit; & sancti Spiritus plasmatum virtute, natum fuisse dicimus de Virgine. Vt autem aliquis ex hoc concedat dicere ipsis, quòd Deus ex Deo & consubstantialis Patri natus est ex Virgine, eò quod est in templo nato, sed non per se natus est Deus Verbum: incarnatus verò, sicut dicit iste sapiens. Si igitur cum carne eum natum esse dicunt; quod autem natum est Deus ex Deo & consubstantialis Patri est: necesse est hoc & carnem dicere, quòd si non idcirco caro est, quoniam nec Deus ex Deo, nec consubstantialis Patri, sed ex semine Dauid, & consubstanti dis ei cuius semen est, & non id quod natum est ex Virgine Deus est & ex Deo & consubstantialis Patri: nisi fortè pars nati, prout ipse in inferioribus partem Christi nominat Deitatem; sed non diuina natura ex Virgine nata est: natus autem est ex Virgine, qui ex substantia Virginis constat, non Deus Verbum ex Maria natus est: natus est autem ex Maria, qui ex semine est Dauid, non Deus Verbum ex muliere natus est, sed natus ex muliere, qui virtute sancti Spiritus plasmatus est in ea; non ex matre natus est consubstantialis Patri (sine matre enim est, secundum beati Pauli vocem) sed qui in posterioribus temporibus in materno ventre sancti Spiritus virtute plasmatus est, vtpotè sine Patre propter hoc dictus. *ita impius, duas in Christo personas constituens, tantam hanc blasphemiam Vigilius damnans, ista subdit:*

In suprascripto primo capitulo quoniam per circuitus id videtur astrui, quia homo purus ex sancta Virgine Maria natus sit, dicendo: Si fatemur Deum Verbum, qui consubstantialis est Patri, carne ex eadem Virgine natum; necesse est, vt carnem consubstantialem Patri consequenter esse dicamus. Ideoque quicumque huiusmodi intellectus sapit, docet, credit, aut prædicat, & non eumdem Verbum ac Filium Dei per secundam natiuitatem ex sancta Maria incarnatum & natum credit; anathema sit. *cùm vna tantùm sit dicenda persona in duabus naturis. Rursus impius.* Vigilij responsio.

Mox autem in ipso plasmato Deus Verbum factus est: nec enim in cælum ascendenti solum inerat, sed etiam ex mortuis resurgenti, vtpotè & suscitans eum secundum suam promissionem: nec resurgenti solùm inerat, sed etiam crucifixo & baptizato, & Euangelicam post baptisma conuersionem peragenti, necnon etiam de baptismo legalem adimplenti constitutionem, & præsentato secundum legem, & circumciso, & fœtui pannis obuoluto: erat autem fortè in ipso & nascente, & cum in vtero esset à prima statim plasmatione: dispensationi enim quæ circa eum erat, ordinem imponebat, & particulatim ipsum ad perfectionẽ perducens. Theodori error 2.

Et per tempus ad baptisma ducens, post illud autem ad mortem, deinde secundum suam pronunciationem resuscitans, ducens in cælum, collocans eum ad dexteram Dei per suam coniunctionem, ex qua sedet & adoratur ab omnibus, & omnes iudicabit. Istorum autem omnium finem apud se habebat Deus Verbum, cum in eo erat, & omnia per ordinem complebat: quem ordinem ipse arbitra- Theodori error 3.

arbitrabatur bene habere per finitionem quidem & voluntatem, quàm antea statuit pro his quæ euectura erant, & bona voluntate, quam circa eum habebat, ab initio similiter inerat ei, per ordinem autem placitum ad perfectionē ducebat ipsum.

Vigilius Papa. In suprascriptis secundo & tertio capitulis hoc videtur astrui, quia Deus Verbum homini plasmato inerat tāquam alter in altero. Dicendo enim, vt particulatim dispensationi, quæ circa eum erat ordinem videretur imponere, & eum propter bonam voluntatem, quam circa ipsum habebat & parabat eum qui assumptus est ad prouectum perfectionis adducere: talibus verbis dualitas personarum in Domino vno & Deo nostro Iesu Christo execrabiliter videtur induci, & tāquam quemlibet hominem Dei Verbi gratia per spatia temporum profeciſſe. Ideoque quicunque eo intellectu sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Rursum ex Theodoro.*

Cap. 4. hæret. Suam autem cooperationem ad proposita opera præstabat ei qui assumptus: vbi hoc facit in loco sensus fuisse distantem illi qui assumptus est: nec enim eis quibuscunque donauit cooperationem; sensus locum eius obtinebat: Si autem & modo præcipuam quandam cooperationem donauit illi qui assumptus est, non hoc faciebat locum sensus Dietatem obtinere. Sed si Deitas pro sensu fiebat illi qui assumptus est, secundum vestra verba: quomodo timorē in passione suscipiebat? quid vehemētioribus orationibus ad imminētem necessitatem indigebat, quas cum magna quidem & clamorosa voce, cum plurimis etiam lacrymis secundum beatum Paulum referebat Deo, Euangelista aperte dicente, quod globis sanguinis similis sudor descendebat? Quid autem Angeli aduentu & visitatione egebat animam reficientis in experimento malorum confortantis eius alacritatem, exercitantis eum ad imminētem passionis necessitatem, tolerare fortiter mala suadentis, vrgentis ad patientiam & tolerationem malorum, ostendentis præsentium malorum fructum ex passione, mutationem in gloriam bonam circa eum post passionem futuram? qui eum secundum Euangelistę vocem confortabat eum, Angelus scilicet, verbis istis fortem eum faciebat, & infirmitati naturæ superiorem fieri hortabatur, & corroborando cogitationes eius fortem eum faciebat.

Hebr. 5. Luc. 22. Luc. ibid.

Vigilius Papa. In suprascripto quarto capitulo, quia dici intelligitur, quòd sicut alijs hominibus donauit suam cooperationem Deus, ita & ei qui assumptus est, licet præcipuam, tamen similiter vt alijs hominibus dicitur esse donatam, & ita purum atque infirmum hominem circa passionem Angeli eguisse præsidio, vt ei pro corroborādis cogitationibus, eius futura gloria promitteretur de tolerantia passionis. Quæ si quis ita sapit, docet, aut prędicat; anathema sit. *Itē Theodorus.*

Matth. 6. Marc. 8. Cap. 5. hæret. Vade post me satanas, scandalum mihi es, quod non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum, non est confusio mihi mors, non fugio ipsam vt indecentem ad humanam gloriam respiciens. Sustinebo autem meliori animo experimentum mortis pro plurimis bonis futuris, in quibus & ipse fuero, & per omnes, ne mihi animum lædas atque turbes, tanquàm confusione dignum fugere admones mortis experimentum.

Vigilius Papa. In supradicto quinto capitulo dicitur, quod ideò Iesus Christus verba Petri Apostoli fuerat aspernatus, quando ei dixit: Vade post me satanas, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt: ne dissuasione eius animus ipsius perturbatus refugeret passionem, & quia passione sua proficeret, & pro pluribus bonis exinde adipiscēdis. Qui igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & nō magis nobis mortem ipsius quam propria carne susceperit, æternæ credit vitæ præmia contulisse; anathema sit. *pergit hæreticus.*

Matth. 4. Cap. 6. hæret. Quod enim dictum est: Ducebatur à Spiritu: apertè hoc significat, quod ab eo regebatur, ab eo ad virtutem propositorum confortabatur, ab eo ad hæc quæ oportebat ducebatur, ab eo quod decebat docebatur, ab eo cogitationibus corroborabatur, vt in tantum certamen sufficeret, sicut & beatus dicit Paulus: Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: Duci Spiritu, dicens illos, qui ab eo gubernantur, ab eo docentur, ab eo ad melius constituuntur, ab eo competentium doctrinam accipiunt. Cùm dixisset autem Euangelista, quod Spiritu sancto plenus regressus est ab Iordane: apertè demonstrauit, quod huius causa sancti Spiritus habitationem in baptismate susceperit, vt inde propositam caperet virtutem: vnde & ad certamen illud, quod pro nobis erat ad diabolum effecturus, Spiritu ducebatur. *tantam blasphemiam damnans Vigilius, addit:*

Rom. 8. In suprascripto sexto capitulo rursus tanquam purus homo à Spiritu, cuius præsentiam post baptisma susceperisse dicitur, ad omnia ductus perhibetur, confortatus & edoctus, sicut cæteri homines, de quibus (vt hic videtur dici) Apostolus ait: Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Si quis hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non Deum Verbum incarnatum vnum esse credit & confitetur & prædicat Christum; anathema sit. *Insaniens adhuc impius impia addens, ait.* Vigilius Papa. Rom.

Cap. 7. hæret. Dicant igitur nobis omnium sapientissimi, si pro sensu Domino Christo, qui est secundum carnem, Deitas facta esset, sicut dicunt: quid sancti Spiritus operatione ad hæc Christus indigebat? Nec enim vnigeniti Deitas Spiritu indigebat ad iustificationem, Spiritu indigebat ad vincendum diabolum, Spiritu indigebat ad operanda miracula, Spiritu indigebat vt doceretur ea quæ decebat peragere, Spiritu indigebat vt immaculatus appareret. Si enim pro sensu quidem Deitas sufficiebat, ad omnia autem eius virtus, necesse erat inde omnia fieri, vt superflua esset sancti Spiritus habitatio: sed nunc vnctum esse dicit ipsum Spiritu, & habitasse in eo Spiritum, & ad omnia adiuuasse proposita, & doctrinam inde ipsum accepisse & virtutem, & inde impetrasse iustificationem, & inde immaculatum factum esse. *contra hæc adeò enormia ita Vigilius.* Adeat ta.

Vigilius Papa. In suprascripto septimo capitulo hoc dici intelligitur; quia vt cæteri homines ad iustificationem suam & ad vincendum diabolum & ad operanda miracula, & vt doceretur ea quæ decebat eum agere, & vt immaculatus appareret, habitatione sancti Spiritus eguisse, & ipso Spiritu eum ad omnia adiutum fuisse proposita. Quicunque hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non sua Deitate Christum, vtpote verum Deum, omnia operatum fuisse quę voluit, & operari quæ volet, sed tanquam purum hominem sancti Spiritus eguisse solatio; anathema sit. *sed rursum inuehitur in Orthodoxos hæreticus.*

Cap. 8. hæret. Hoc quod ante sæcula erat, dicit in vltimis factum esse temporibus, vtpote quibusdam hoc confitentibus; cùm nemo ex his qui pietatis causam habent, istum patitur morbum habere dementiæ, vt dicat, eum qui ante sæcula est, in vltimis factum esse; & ex his infert quod necesse est, & hoc quod in vltimis est, ante sæcula esse, & accusat eos qui non omnia similiter cum obseruatione * dicunt; quasi hi qui vnum esse Filium confitentur, necessitatem habeant cum obseruatione * omnia dicere. Et quis non beatificat vestram clementiam? Quis autem non optet tales impetrare doctores, tantam confusionem rationi pietatis introducentes, vt dicerent, hoc quod ante sæcula, factum est in vltimis, & hoc alienarent sua natura, & ad deterius deducerent; deinde obuerterent, quod & hoc quod est in vltimis, ante sæcula est; cùm oporteret fortè dicere, quia quod ante sæcula erat, assumpsit hunc qui in vltimis erat, secundum beati Pauli vocem. Vestras igitur leges sequentes, & à tua sapientia constitutam obuersionem, immo magis subuersionem suscipientes, age omnia simul confundamus, & nulla iam sit discretio, nec Dei formæ, nec serui formæ, nec templi sumpti, nec eius qui in templo habitauit, nec eius qui solutus est, nec eius qui suscitauit, nec eius qui perfectus est in passionibus, nec eius qui perfecit, nec eius qui memoriam meritus est, nec eius qui memor factus est, nec eius qui visitatus est, nec eius qui visitauit, nec eius qui paulò minus ab Angelis minoratus est, nec eius qui minorauit, nec eius qui gloria & honore coronatus est, nec eius qui coronauit, nec eius qui constitutus est super opera manuum Dei, nec eius qui constituit, nec eius qui accepit ista ad subleuationem, nec eius qui dedit subleuationem. *at vno ictu ista præcidens Vigilius ait:* * Ibidem. 1. Tim. 5.

In su-

In supraſcripto octauo capitulo diuerſis modis videtur induci dualitas perſonarum per hoc quod dicitur: Non ipſe qui ante ſæcula erat, in vltimis dicendus eſt veniſſe temporibus: ſed quaſi altera ſit aſſumentis humanitatem, altera aſſumpti perſona. Si quis igitur hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non eundem Deum Verbum, qui ante ſæcula ex Patre natus eſt, in vltimis temporibus ex beata Virgine Maria incarnatum & natum eſſe fatetur, vt vnus idemq; ſit Chriſtus in vtraque natura; anathema ſit. *Deliranſ adhuc ſtultus ſtulta hæc addit.*

Iſtum igitur virum, in quo ſtatuit omnium facere iudicium ad fidem futurorum, cùm reſuſcitaſſet eum ex mortuis, & Iudicem omnium demonſtraſſet ſecundum B. Pauli vocem, meriti vnitate ad ſe ipſum dignatus eſt: & per coniunctionem ad ſe factam, talium participem fecit; vt & adorationis communionem haberet, omnibus quidem diuinæ naturæ debitam adorationem reddentibus, comprehendentibus autem adoratione & illum, quem inſeparabiliter ſcit eſſe coniunctum. Ex quo manifeſtum eſt, quod ad maiora eum perduxerit.

In ſupraſcripto nono capitulo coniunctionis & participationis cuiuſdam vocabulo, quaſi Dei ad hominem Chriſtum factę, diuinis Chriſtus aſſeritur operibus decorari; per quæ rurſus dualitas inducitur perſonarum. Si quis igitur ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; & non vnum eundemque Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum, manentibus in ſuis proprietatibus differentijs naturarum, agnoſcit & credit: anathema ſit. *Item hæreticus.*

Ego quidem, quem videtis, nihil quidem facere poſſum ſecundum meam naturam, cùm homo ſim: operor autem, quia in me manens Pater, omnia facit: quoniam enim & ego in Patre, & Pater in me, Deus autem Verbum vnigenitus in me eſt: certum eſt quod & Pater cum ipſo in me manet, & opera facit. Et non eſt mirandum de Chriſto hæc exiſtimari, cùm euidenter ipſe de cæteris hominibus dicat: Qui diligit me, verbum meum obſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Si enim apud vnumquemq; huiuſmodi hominem & Pater & Filius manſionem faciunt: quid exiſtimandum eſt, vt in Domino ſecundum carnem Chriſti ambo ſimul putarentur manere, cõmunionem eorum ſecundum ſubſtantiam communionem etiam manſionis forſitan ſuſcipientem? *damnat iſta Vigilius dicens:*

In ſupraſcripto decimo capitulo ita in homine Chriſto Deus Verbum ineſſe dicitur, ſicut Pater: vt per hoc aut & Pater incarnatus eſſe videatur, ſicut & Filius: aut nec Filius ſit incarnatus, ſicut nec Pater, aut magis vterq; in tertia perſona hominis habitare. Qui igitur ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *Rurſum hæreticus.*

Ita & animam, vtpotè humanam & immortalem conſtitutam, & ſenſus participem priùs accipiens, & per reſurrectionem & immutabilitatem conſtituens, ſic & nobis eorumdem iſtorum per reſurrectionem præbuit communionem. Ideo autem ante reſurrectionem ex mortuis increpat quidem Petrum, vt ſuis eum vocibus ſcandalizantem; & in magna trepidatione per tempus paſſionis conſtitutus, apparitione Angeli indiget confortantis eum ad patientiam & tolerantiam imminentium malorum. Poſt reſurrectionem autem ex mortuis & in cælos aſcenſum impaſſibilis factus, & immutabilis omnino, & ad dexteram Dei ſedens, Iudex vniuerſi eſt orbis terrarum, vtpote in eo diuina natura faciente iudicium. *contra hæc Vigilius.*

In ſupraſcripto vndecimo capitulo eadem repeti videntur, quæ ſuperiùs in quarto iam dicta ſunt, quod ante paſſionem ita infirmus fuerit Chriſtus, vt in magna trepidatione paſſionis tempore conſtitutus, Angeli videretur eguiſſe ſolatio. Quod quia velut purum hominem, qui huiuſmodi auxilijs egeat, ſignificare videtur: Si quis ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *Vrget adhuc hæreticus, dicens:*

Si ergo & hic ſapientiſſimum omnium habere nos docet Chriſti ſenſum, vt ſanctum Spiritum habentem illum, qui ſenſui Chriſti aliquam virtutem adimplebat, prudentiam eius præſtans ad omnia quæ agenda erant: ſicut & in præcedentibus demonſtrauimus, quod ab ipſo quidem in eremum ad certamina quæ contra diabolum erant, ducebatur; vnctionem autem illius & ſcientiam, & vim eorum quæ agenda erant, accipiebat; & illius particeps factus, non ſolum miracula faciebat, ſed etiam quomodo vti oportebat miraculis, ſciebat ſubtiliter, vt notam quidem faceret gentibus pietatem, pateretur autem laborantium infirmitates, & ſic ad effectum ſuam voluntatem duceret, & iuſtificabatur inde, & immaculatus oſtendebatur, ſiue reparatione peiorum, ſiue cuſtodia meliorum, ſiue etiam paulatim ad meliora profectibus. *inſectatur iſta Vigilius, addens.*

In ſupraſcripto duodecimo capitulo eadem quæ in ſeptimo capitulo videntur exponi, aſſerendo Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum per habitationem ſancti Spiritus ad omnia informatum, & per tempora ad perfectionem vnctionis eius auxilio perueniſſe. Si quis igitur eum non ſua Deitate perfectum eſſe credens, ſed tanquam purum hominem vnctione ſancti Spiritus indigentem fuiſſe adiutum ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *Addit idem hæreticus.* Vigilius Papa.

Quomodo igitur ſequentiam habet, cò quòd homo factus eſt Deus, iſtum hominem Deum Verbum eſſe dicere: Si enim homo eſt Deus Verbum, vt ipſe dicis: omnimodè de homine dicemus ea quæ de Deo Verbo Euangeliſta dicit. Quid autem dicit? In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, iſte erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. Ergo ſi homo eſt Deus Verbum, dicemus de ipſo: In principio erat homo, & homo erat apud Deum, & Deus erat homo, erat homo in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. Si enim homo eſt Deus Verbum, ſicut dicis, conuenient omnia ipſi, quæ de Deo Verbo dicit Euangeliſta. Cap. 13. hæret. Ioan. 1.

In ſupraſcripto decimotertio capitulo negari videtur Deum Verbum hominem factum, & rurſus hominẽ Verbum Deum eſſe, vt per hoc inducatur (ſicut ſuperius dictũ eſt) dualitas perſonarum. Si quis igitur ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; & non potiùs manentem Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto inconuertibiliter atque indiuiſe differentia naturarum, ſic vna perſona, ſiue ſubſiſtentia eius eſſe creditur, vt & Deus Verbum ſine vlla diuinæ naturæ ſuæ conuertibilitate homo eſſe, & aſſumpta humanitas propter ſingularitatem perſonæ inconuertibiliter Deus eſſe credatur: anathema ſit. *addit Theodorus.* Vigilius Papa.

Hoc quidem quid eſt? Ad Patrem meum & Patrem veſtrum, & Deum meum & Deum veſtrum? Nemo ſic demens eſt, vt alij cuidam conuenire diceret, niſi templo Dei Verbi aſſumpto pro noſtra ſalute homini, qui eſt mortuus, & reſurrexit, & aſcenſurus eſſet in cælos. Et patrem ſibi aſcribit cum diſcipulis ſuis Deum, & ipſe gratia adoptionem meritus: & Deum ſuum appellat, quia cum cæteris hominibus ſimiliter vt eſſet accepit. Vnde propter communitatem quidem naturæ, Patrem meum & Patrem veſtrum dicit, Deum meum & Deum veſtrum. Diuiſit autem iterum ſuam perſonam ipſis principium gratiæ ſignificans, propter quam ad Deum Verbũ coniunctione in loco veri Filij ab omnibus honoratur hominibus. Cap. 14. hæret.

In ſupraſcripto quartodecimo capitulo per hoc quod legitur in Euangelio: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum: ita intelligitur, quod Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ſicut cæteri homines, gratiam adoptionis, vt Filius Dei diceretur, acceperit, & quaſi per coniunctionem ad Deum Verbum in locum veri Filij ab omnibus adoretur. Quòd ſi quis ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; & non magis vnum Ieſum Chriſtum Filium Dei & Dominum noſtrum in duabus inconfuſis & inſeparabilibus intelligit & credit eſſe naturis: anathema ſit. *Item hæreticus.* Vigilius Papa. Ioan. 20.

Hic quod dictum eſt, Accipite, pro Accipietis, dicit. Si enim cùm inſufflaſſet, Spiritum dediſſet (quod valde quidem ſtultè exiſtimauerunt) ſuperfluum erat dicere poſteà his, & maximè tempore aſcenſus in cælos non ſeparari ab Hieruſalem, ſed expectarent promiſſionem Spiritus, & in ſequentibus: Sed accipietis virtutem, ſuperueniente Cap. 15. hæret. Actor. 1.

Spiritu sancto in vos. Aduentum autem ipsum sancti Spiritus super discipulos Lucas factum esse dicit quinquagesimo die resurrectionis, post ascensum. Et illud tamen animaduertendum est, quòd si ab insufflato suscepissent Spiritum, non diceret, Accipite, sed, Quoniam accepistis, hoc enim quod dictum est, Accipite, his conuenit, qui nondum acceperunt.

Vigilius Papa. Ioan. 20.

In suprascripto decimoquinto capitulo dicitur, quia insufflans Dominus noster Iesus Christus post resurrectionem suam in facies discipulorum suorum non dederit eis Spiritum sanctum, sed dandum significauerit: vt per hoc aut veritas ipsa (quod absit) putetur esse mentita; aut tanquam purum hominem illo flato non habuisse quod daret, aut dare minimè potuisse. Si quis igitur hæc ita sapit, docet, aut prædicat; anathema sit. *pergit impius.*

Cap. 16. hæret.

Dicit ad Thomam: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & porrige manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Quoniam, dicit, non credis, & tactum solum sufficere tibi ad credendum putas (hęc enim dicens non me latuisti) tange manu, & cape experimentum, & disce credere, & nõ diffidere. Thomas quidem cùm sic credidisset: Dominus meus & Deus meus, dicit: Nõ ipsum Dominum & Deum dicens. Non enim resurrectionis scientia docebat etiam Deum esse eum qui resurrexit: sed quasi pro miraculo facto Deum collaudat.

Vigilius Papa. Ioan. 20.

In suprascripto decimosexto capitulo de illo loco Euangelij, vbi Thomas Apostolus palpans fixuras clauorum dixit: Dominus meus & Deus meus: asseritur quod Thomas Apostolus non ipsum Iesum Christum Dominum Deumq; confessus sit, & quia resurrectionis scientiam non doceret, vel quia Deus esset qui resurrexit, sed quia magis pro miraculo facto Thomas Apostolus Deum laudauerit. Si quis igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non potiùs Thomæ confessione & verum Deum esse Iesum Christum, & in vera carne eum resurrexisse declaratum credit; anathema sit. *Rursum Theodorus.*

Cap. 17. hæret. Actor. 2.

Ille autem dixit oportere pœnitentiam agere eos pro crucis iniquitate, & agnoscentes Saluatorem & auctorem bonorum omnium Iesum Christum, quoniam propter ista peruenit & assumptus est, de diuina natura in ipsum fidem suscipere, & eius discipulos fieri, ante omnia autem ad baptisma accedentes, quod ipse tradidit nobis præformationem quidem habens sperationis futurorum, in nomine autem celebrandum Patris & Filij & Spiritus sancti, hoc enim quod est vt baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi; non hoc dicit, vt vocationem quæ in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti est, relinquentes, Iesum Christum in baptismate vocent, sed quale hoc est quod in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, vt diceret, quia sub nube & mari Ægyptiorum separati sunt, liberati eorum seruitute, vt Moysis leges attenderent: tale hoc est, vt cum ad ipsum accessissent tanquam Saluatorem & omnium bonorum auctorem & doctorem veritatis, ab ipso vtpotè auctore bonorum & doctore veritatis vocarentur, sicut omnibus hominibus quamcumque sectam sequentibus consuetudo est ab ipso dogmatis inuentore vocari, vt Platonici, Epicurei, Manichæi, & Marcionistæ & quidam tales dicuntur: eodem enim modo & nos nominari Christianos iudicauerunt Apostoli, tanquam per hoc certum facientes, quòd istius doctrinam oportet attendere: sic & quod ab ipso datum est, susciperent baptisma in ipso quidem primò constitutum, qui & primus baptizatus est, ab ipso autem & cæteris traditum, vt secundum præformationem futurorum celebretur.

Vigilius Papa. Actor. 2.

In supradicto decimo capitulo ex verbis beati Petri, quibus in Actis Apostolorum dicit; Baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, hoc astruitur: quia in ea inuocatione, quæ in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti fit, non contineatur & Christus: & quod dixit Petrus Apostolus, debere eos in Christi nomine baptizari, vt secundum hunc intellectum appareat introducta quaternitas. Adijcitur etiam in eodem capitulo, quia sic à Christo Christiani vocemur, quemadmodum diuersarum sectarum & errorum sequaces ab inuentoribus & magistris suis sunt sortiti vocabula, vt à Platone Platonici, à Martione Marcionistæ, & à Manichæo *Manichæi. Si quis hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. Nos enim ideo Christiani vocamur & sumus, quia ipsum Dominum nostrum Iesum Christum in baptisma percipientes induimus, ipso nobis existente capite, omnes in eodem vnum corpus efficimur. *his annectitur sequens blasphemia decimaoctaua.*

*Manicæ

Et secundum duas rationes locum imaginis obtinet: qui enim amant quosdam, post mortem eorum sæpius imagines statuens, hoc sufficiens mortis solatium habere arbitrãtur; & eum qui non videtur, nec præsens est, tanquam in imagine aspicientes, putant videre, ita flammam desiderij & vigorem placantes: sed etiam illi qui per ciuitates habent Imperatorum imagines, tanquam præsentes & videntes honorare videntur eos qui non sunt præsentes, cultu & adoratione imaginum. Ista autem vtraq; per illum adimplentur: omnes enim qui cum illo sunt & virtutem sequuntur, & debitorum Dei parati redditores, diligunt eum & valde honorant, & charitate quidem ei, diuina natura licet non aspiciatur, adimplent in illo qui ab omnibus videtur, sic omnibus existimantibus, vt ipsum videntibus per illum, & illi semper præsentibus, & honorem vero omnem sicattribuunt tamquam imagini imperiali, cum quasi in ipso sit diuina natura, & in ipso spectetur. Si enim & Filius est qui inhabitare dicitur, sed cum eo est etiam Pater & inseparabiliter omnimodo ad Filium esse ab omni creditur creatura, & Spiritus autem non abest, vtpotè etiam in loco vnctionis factus ei, & cum eo est semper qui assumptus est: & non mirandum est, cùm etiam quibuslibet hominibus virtutem sequentibus cum Filio & Patre esse dicitur: Veniemus enim & ego & Pater, & mansionem apud eum faciemus. quod autem & Spiritus huiusmodi hominum inseparabilis est, certum est omnibus.

Cap. 4. hæret.

Ioan. 14.

In suprascripto decimooctauo capitulo ita inuisibilis Dei imago asseritur esse Christus, tamquam si absentium Principum imagines pro eorum colantur honoribus. Quæ si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *addit hæreticus.*

Vigilius Papa.

Hoc enim, quod, Hic Filius meus dilectus in quo mihi complacui, in baptismate adoptionem demonstrat, sed non comparationem Iudaicæ adoptionis: quia & ad illos dictum erat: Ego dixi Dij estis & filij Excelsi omnes: &, Filios genui & exaltaui, eius adoptionis præcipuum, eò quòd dixit, Dilectus, & in eo mihi complacui: ostendens propter hoc, & vox Patris fiebat adoptionem confirmans, & Filij nominationem per adoptionem secundum gratiam, eum qui verè Filius est demonstrabat, cuius coniunctio ad veram & firmam adoptionem istum constituebat, & Spiritus sanctus in specie columbæ descendens permansit super eum, quatenus in coniunctione ad eum qui verè Filius est, ea cooperatione tentus maneat, firmam adoptionis habens dignitatem. Per omnia autem in quo primo adoptionis præformabatur baptisma, dico autem Domini Christi ex Patre & Filio & Spiritu sancto, hoc quod fiebat complebatur.

Cap. 9. hæret. Matth. 3. Psalm. 81. Isaiæ 1.

In suprascripto decimonono capitulo, vbi Euangelium secundum Lucam de baptismo Christi videtur exponi, duę sunt reprehensiones: vna, qua dualitas inducitur Filiorum, cùm per adoptionem videtur dici Christus Filius Dei: alia, quia in nomine Trinitatis ipse quoque asseritur baptizatus, per quod quaternitas sine dubitatione monstratur. Si quis igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *pergit blasphemus Theodorus:*

Luc. 3. Vigilius Papa.

Ideo ergo differentiam quidem Dei Verbi & recepti hominis tantum nobis ostendit Psalmus: diuisa verò hæc in nouo Testamento reperiuntur, Domino quidem in sea cipiente primordia Psalmi, in quibus factorem eum dicit esse creaturæ, & eleuatam habere super cælos magnificentiam, & mirificari in omni terra. Apostolo autem supradictam quæ de homine dicuntur, qui tãtùm beneficiorum meruit, quomodo non manifestum, quod alterum quidem nos diuina Scriptura docet euidenter esse Deum Verbum, alterum verò hominem, & multam eorum esse ostendit nobis differentiam: nam iste quidem memorat, ille autem

Cap. 9. hæret.

tem

tem memoriam meretur: & iste quidem visitat, alter autem cùm visitationem meretur, beatus dicitur: & iste quidem beneficium dando minuit paulò minùs ab Angelis, ille autem & per talem minutionem beneficium accepit: & iste quidem gloria & honore coronat, alter autem coronatur, & pro his beatus dicitur: & iste quidem cõstituit ipsum super omnia opera manuum eius, & omnia subiecit sub pedibus eius; alter autem meritus est dominari eis, quorum antea non habebat potestatem.

In suprascriptio vigesimo capitulo, vbi octauus Psalmus videtur exponi, & nudus homo (sicut & in alijs iam dictum est) Christus asseritur, & diuisus à Verbo mõstratur, & dualitas inducitur personarum. Quæ si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non ita in Christo Domino duas naturas indiuisibiliter & inconfusè vnitas intelligat, vt manente earundem differentia naturarum, ipse vnus atque idem verus sit Dei, & verus hominis Filius; anathema sit. *sequuntur alia capitula haretici.*

Sed non volentes ista considerare, voces omnes trahere ad Dominum tentarent Christum, vt ea quæ de populo facta sunt, simili modo intelligerent, & risum præstarent Iudæis, quando ex scriptorum sequentia nihil ad Dominum Christum pertinentes ostendant voces.

Tale est & quod non derelicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem: Nam Propheta quidem supra modum ipsam ponit circa populum prouidentiam, volens dicere: quoniam inter tentabiles* eos ab omnibus conseruauit malis. Quoniam autem hoc verum & ex ipsis rebus euentum accepit in Domino Christo, frequentissimè de eo loquens beatus Petrus, vtitur voce; ostendens quoniam quod de populo supra modum dictum est, ex quadã ratione vtente voce Propheta, hoc verum euentum in ipsis rebus accepit nunc in Domino Christo.

In suprascriptis vigesimoprimo & vigesimo secundo capitulis hoc videtur dici, quòd prophetiam, quæ ex persona Christi loquens ait: Non derelinques animam meam in infernum, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: nõ de ipso Christo prædictam fuisse, sed de populo Israëliticæ generationis: beatum verò Petrum Apostolum ad Christum hanc prophetiam per euẽtum aptare voluisse. Et ideo qui hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Rursum Theodorus.*

Eundem intellectum habet & illud: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem, quod etenim Psalmus nullatenus conuenit Domino, certum est: neq; enim erat Domini Christi, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, dicere: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Sed & ipse Dominus, cùm secundum communem hominum legem in passione opprimeretur: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? misit vocem, & Apostoli: Diuiserunt sibi vestimenta, & super vestimentum meum miserunt sortem, ad eum traxerunt manifestè: quoniam quod supra modum dictum fuerat prius à Dauid, propter illata ei mala, hoc ex operibus euenit in Domino Christo, cuius & vestimenta diuiserunt, & sortitum ea subiecerunt.

In suprascripto vigesimotertio capitulo exponẽdo quædam vigesimiprimi Psalmi verba, quibus dicitur, Diuiserũt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortẽ, negantur Iesu Christo Domino conuenire; sed quod Dauid propter quædam mala quæ perpessus est, de se dixerit, Euangelistam ex euentu ad Christum traxisse, & adijcirur: Quia non poterat dicere Dominus Iesus, qui peccatum nõ fecit: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Et ideo qui hæc sapit, docet, credit, aut prædicat; & non ea, in quibus delictorum meminit, ad corpus ipsius, quod est Ecclesia, quæ in hoc mundo sine delicto esse non potest, intelligit pertinere: illa autem de diuisione vestimentorum nõ specialiter de ipso capite, id est, Domino Deo nostro Iesu Christo prædicta, & in ipso credit esse completa: anathema sit. *Post hæc Theodorus.*

Foderunt manus meas & pedes, & omnia perscrutabantur & quæ agebam, & quæ conabar. Nam foderunt, ex trãslatione dicit eorum, qui per foßionem scrutari quæ in profundo sunt tentant. Dinumerauerunt omnia ossa mea: totius meæ fortitudinis & totius meæ substantię detentores facti sunt, vt etiam numero mea subicerent. Istud autem ex consuetudine, quam habent hostes, dixit: qui quando obtinuerint, numero & talibus subtilem notitiam inuentorum faciunt: propterea & sequenter dicens: Ipsi verò considerauerunt, & conspexerunt me. Intulit: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem. Considerantes enim me, ait, & conspicientes, quod omnia eis euenerunt in me desiderata (conspicere enim ita vt apud nos dicitur pro eo quod est vidit) in eum, quę volebat pati eum*; iam tanquam me omnino malis dedito, sicut hostes in ea post vastationem & captiuitatem diuiserunt sorte diuisionem eorum facultates. Et Euangelista quidem in Domino verba ex rebus assumens, eis vsus est, sicut & in alijs diximus. Nam quod non pertineat ad Dominum Psalmus, in superioribus euidenter ostendimus. At verò beatus Dauid supra modum ista magis in his, quæ ab Absalon facta sunt, dixit: quoniam dum recessisset Dauid, iure belli metropolim ingressus, omnes quidem obtinuit res regales, non piguit autem patris cubile inquinare. Matth. 27. Ioan. 19.

In suprascripto vigesimoquarto capitulo de memorato eodem vigesimoprimo Psalmo illa verba vbi dicit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: ipsi verò considerauerunt & inspexerunt in me: asseritur non de Christo esse prædicta, sed Dauid hoc de se dixisse propter tyrannidem Absalon, qui regiam vrbẽ substantiamq; peruaserat, atq; in terra omnia dinumerauerat patris: sed Euangelistã hęc ex euentu ad Christi traxisse personam. Qui igitur hæc ita credit, sapit, docet, aut prædicat; anathema sit. *Rursum ex impio Theodoro.* Vigilius Papa.

Quoniam cibi & potus suaues quidem fiunt in tempore gaudij, insuauia autem & amara in tristitia: talia erant (inquit) quæ ab illis fiebant, vt ex tristitia & ira esset quidẽ mihi in locum fellis cibus, esset autem & potio aceto nihil differens: maxime autem hoc fit in iracundijs, quæ cum tribulatione fiunt, quod verisimile erat pati eos contra suos. Vsus est autem Euangelista hoc testimonio in Domino. Et ipse autem Dominus: Zelus domus tuæ comedit me, de se ipso dicens. Et beatus Paulus de Iudæis loquens: Fiat mensa eorum, &c. Et beatus Petrus de Iuda: Fiat habitatio eius deserta. Et certè diuersis constitutis rebus, non quasi Psalmo modo pro his dicto, iterum autem de illo, & iterum de alio. Sed quia de Iudæis dicta sunt plura qui separauerunt de Deo & lege conuincentia illorum deuotionem: necessarius est testimoniorum vsus simul ex rebus captus, qualis est: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Cap. 25. hæret. Actor. 1.

In suprascripto vigesimoquinto capitulo de eo loco Psalmi, vbi dicit: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto: contra euidentem Euangelij veritatem exponitur, dicendo: quia nec vero aceto potatus est Dominus, sed ad tristitiam & iracundiam offerentium habuerit potationem in aceti loco, & escam in fellis; nec de ipso prędictum, sed Euangelistam hoc testimonio vsum fuisse ex euentu in Domino. Propterea qui hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Sequitur alia blasphemia.* Vigilius Papa.

Sicut igitur per huiusmodi confessionem non Deitatis Nathanael habens scientiam ostenditur, Iudæi & Samaritæ talia sperantes plurimum Dei Verbi à scientia longè erant, sic & Martha per confessionem illam non Deitatis habens tunc scientiam probatur: manifestè autem nec beatus Petrus: adhuc etenim ipsis sufficiebat tunc reuelationem illã susciepientibus præcipuum aliquid & maius de ipso præter cęteros hominum phantasia accipere, post resurrectionem autem Spiritu perducti ad scientiam, tunc & reuelationis perfectam scientiam suscipiebant, vt scirent quia præcipuum ipsi præter cęteros homines, non aliquo puro honore ex Deo peruenit, sicut in cęteris hominibus, sed per vnitatem ad Deum Verbum, per quam omnis honoris ei particeps est posti in cælos ascensum. Cap. 26. hæret.

In suprascripto vigesimosexto capitulo & agnitionem Deitatis Christi ante resurrectionem eius Petrus habuisse negatur, phantasiam verò intelligentię prę cęteris hominibus accepisse dicitur: & rursus dualitas filiorum inducitur, Vigilius Papa.

tur, dum hominem participem dicit ad Deum Verbum, postquam in cælos ascendit. Qui ergo ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & nõ vnum eundemq; esse intelligit Christum & Dominum nostrum Dei & hominis Filium, manẽte in ipso vnitarum differentia naturarum; anathema sit. *Sed pergit blasphemus hæreticus.*

Matth. 4. Cap. 27. hæret. Matthæus quidem Euangelista post tentationes dicit, quòd accidentes Angeli ministrabant ei, scilicet cum eo constituti cooperantes, & omnibus circa eum Deo ministrantes, quòd iam per certamina ad diabolum ostensus est clarior: sed & quòd passuro ei aderant Angeli, ex Euangelijs discimus. Et cùm resurrexit, in monumento visi sunt: per omnia enim ista monstratur dignitas Christi, quod inseparatè ei Angeli aderant, & omnibus circa eum ministrabant: sicut enim à peccantibus seiungantur, sic & per meritum honoratis subueniunt. Propter quod benè Dominus ait: Quod maius videbitis, quod & cælum aperietur omnibus per me, & omnes Angeli semper mecum erunt, nunc quidem ascendentes, nunc verò descendentes, sicut ad domesticum Dei & amicum.

Luc. 22. Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20. Ioan. 1.

Vigilius Papa. In suprascripto vigesimoseptimo capitulo, vbi de Matthæo Euangelista exponitur, quia consummatis tentationibus accesserunt Angeli, vt ministrarent Christo, dicitur: quia sicut & alij per meritum honorato Christo subuenerint Angeli, & quia sic ad Christum in cælos ascenderint & descenderint Angeli, tanquam ad amicum & domesticum Dei. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prędicat, & nõ vt vero Deo, veri Dei Filio vni eidemq; cum assumpta ex vtero Virginis perfecta humanitate, Angeli vt potè Creatori & Domino deseruierint atque deseruiant; anathema sit. *Sequitur hæreticus.*

Cap. 28. hæret. Plus inquietabatur Dominus & certamen habebat ad animæ passiones, quàm corporis, & meliore animo libidines vincebat, mediante ei Deitate ad perfectionẽ; vnde & Dominus ad hæc maximè instituens videtur certamen: cupiditate enim pecuniarum non deceptus, & gloriæ desiderio non tentus, carni quidem præbuit nihil, nec enim illius erat talibus vinci: animam autem si non recepisset, sed Deitas est qui ea vinceret, nullatenus eorum quæ facta sunt, ad nos respicit lucrum: quę enim ad conuersationis perfectionem similitudo Deitatis, & animæ humanæ? Etiam videntur Domini certamina non ad nos respiciens habere lucrum, sed ostentationis cuiusdam gratia fuisse, quod si hoc dicere non est possibile (certum etenim est, quòd illa propter nos facta sunt, & maius certamen instituit ad animæ passiones, minus autem ad carnis) quantò & ampliùs & magis inquietare illos contingebat, & magis illa erant, quæ & ampliori indigebant medicina, videlicet, quòd & carnem & animam assumens pro vtraq; certabat, mortificans quidem in carne peccatum, & mansuetans eius libidines, & facilè capiendas meliori ratione animæ faciens, erudiens autem animam & exercitans & suas passiones vincere, & carnis refrenare libidines, hæc autem Deitas inhabitans operabatur, hæc inhabitans medebatur vtriq; eorum.

Vigilius Papa. In suprascripto vigesimooctauo capitulo iterum purus homo Christus inducitur, qui ratione animæ, corporis dicitur mansuetas fecisse libidines, & erudisse animam, & exercitasse eam, vt passiones suas vinceret, & carnis in se libidines refrenaret: quæ tamen vtraq; mediante Deitate, operatam fuisse dicit animam: vt secundum hęc iam nec ipsum vnum eumdemq; Iesum Christum mediatorem Dei & hominum habeamus, sed carni & animæ mediatrix Deitas fuisse videatur. Qui igitur hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *his adiungitur vigesimumnonum capitulum Theodori.*

Cap. 29. hæret. Sed si caro erat (inquit) crucifixa, quomodo Sol radios auertit, & tenebræ occupauerunt terram omnem & terræmotus, & petræ dirumpebantur, & mortui surrexerunt? Quid igitur dicant & de tenebris in Ægypto factis temporibus Moysis non per tres horas, sed per tres dies? quid autem propter alia per Moysen facta miracula? & quæ per Iesum Naue, qui Solem stare fecit: qui Sol & in temporibus Ezechiæ Regis & contra naturam retrouersus est? Et de Eliæi reliquijs quæ mortuum suscitarunt? Si enim Verbum Deum passum demonstrant quæ in cruce facta sunt, & propter hominem non concedunt facta esse; & quæ in temporibus Moysis, propter genus Abraham non erant, & quæ in temporibus Iesu Naue, & quæ in Ezechiæ Regis, quòd si illa propter Iudæorum populũ mirabiliter facta sunt: quomodo non magis quæ in cruce facta sunt propter Dei Verbi templum?

Vigilius Papa. In suprascripto vigesimonono capitulo, dum quasi Apollinari, qui diuinam naturam passionibus implicabat, contradicitur, à recto tramite declinatur, & modus assertionis exceditur, vt purus homo pependisse putetur in cruce. Et ideo qui hoc ita sapit, docet, credit aut prædicat, & nõ Christum Deum verum credens, manente impassibili Deitate, eundem carne propria passum esse confitetur; anathema sit. *pergit hæreticus.*

Cap. 30. hæret. Manifestum est autem quòd vnitas conuenit: per eam enim collectæ naturæ vnam personam secundum vnitatem effecerunt. Sicut enim de viro & muliere dicitur, quod iam non sunt duo, sed vna caro: dicamus & nos rationabiliter secundum vnitatis rationem, quoniam non sunt duæ personæ, sed vna, scilicet naturis discretis, sicut enim ibi nõ nocet numero duorum vnam dici carnem (certum est enim secundum quod vna dicitur) ita & hic non nocet naturarum differentiæ personæ vnitas. Quando etiam & naturas discernimus, perfectam naturam Dei Verbi dicimus, & perfectam personam: nec enim sine persona est, subsistentiam dicere perfectam, perfectam autem & hominis naturam & personam similiter: quando autem ad coniunctionem respiciamus, vnam personam tunc dicimus.

Matth. 19. Marc. 10.

Vigilius Papa. In suprascripto trigesimo capitulo pessimo exemplo tentatur ostendi, quomodo vna persona Christi possit intelligi, id est, sicut de viro & de muliere cõuenientibus legitur, sic & in Christo discretis naturis quasi vnam esse personam: & sequitur perfectam esse naturam Dei Verbi, & perfectã personam, & perfectam hominis naturam atque personam similiter: vnde apparet quia & de exemplo viri ac mulieris, vbi duæ personæ sunt, & de his quæ sequuntur, tametsi taceatur numerus, duæ autem inducuntur vnius Christi personæ. Quod qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *prosequitur impius.*

Cap. 31. hæret. Sed Christum quidem secundum carnem assumptam serui formam, eum autem qui eam assumpsit super omnia nominans Deum, intulit tamen hoc secundum coniunctionem; vt per significationem nominum, naturarum manifestam diuisionem faciat. Nemo igitur, neque eum qui secundum carnem ex Iudæis est, dicat Deum, nec iterum Deum qui est super omnia secundum carnem ex Iudæis.

Vigilius Papa. In suprascripto trigesimoprimo capitulo, in expositione quæ de Symbolo trecentorum decem & octo Patrum facta videtur, non solum diuisio naturarum asseritur, sed & absolutè dicendo, neque eum qui secundum carnem ex Iudæis nudus Deitate homo, & purus sine carne DEVS, quasi seorsum & seorsum duæ pronunciantur esse personæ. Si quis ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non sic in vno Christo vnitas confitetur esse naturas, vt personæ siue subsistentiæ singularitas agnoscatur; anathema sit. *adhuc Theodorus.*

Cap. 32. hæret. IESVM enim dicit à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute: qui autem Dei Spiritu vnctus est, omnino aliquid inde assumpsit. Quis autem furens dicat de Spiritu aliquid assumpsisse diuinam naturam? necnon & participem: participes enim eius videlicet vocat qui & ipsi vncti sunt: qui autem vncti sunt, & in hoc participes eius iustè facti, non aliter vnctiones communicare dicuntur, nisi ei qui assumptus est: hoc ipsum autem demonstratur, quòd mercedem iustam accepit: Pro hoc enim (inquit) quod dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, pro his præcipuam vnctionem meruisti.

Vigilius Papa. In suprascripto trigesimosecundo capitulo in commento epistolæ ad Hebræos adhibetur illud Petri, vbi dixit: Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute, & infertur: Qui autem Dei Spiritu vnctus est; omnimodè aliquid inde assumpsit, & additur: Quis autem furens

dicat

dicat de Spiritu aliquid aſſumpſiſſe diuinam naturã? per quæ verba puçus homo Chriſtus inducitur, qui vnctione Spiritus S particeps factus ſit diuinæ naturæ, ſicut & alij: & mercedis iuſtæ nomine, quia dilexerit iuſtitiam & oderit iniquitatem, præcipuam meruerit vnctionem. Qui ergo ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit.] *Pergit veternoſus hæreticus.*

Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël: hoc eſt, tu es ille, qui de longè prædicatus es Chriſtus: hæc enim ſcilicèt de Chriſto ſperabat, ſicut domeſtico conſtituto præter omnes Deo.

Certus quidem & ipſe erat Filius Dei, non ſecundùm Deitatis dicés diuinitatem, ſed ſecundùm quod domeſticus Deo erat, per quod filij Dei qui per virtutem domeſtici Deo conſtituti homines interim vocabantur.

In ſupraſcriptis 33. & 34. capitulis de interpretatione Euangelij ſecundùm Ioannem adhibẽtur verba Nathanaelis dicentis Domino: Tu es Filius Dei, tu es rex Iſraël. & inſertur dictum eſſe Chriſto tanquam domeſtico DEI, vt non ipſe Chriſtus ſit Deus, ſed pluſquam alij homines ſit domeſticus Deo, & dicitur, quia ſicut alij ſancti homines filij Dei dicuntur, ſic & Chriſtus per familiaritatem, quam ad Deum habet, à Nathanaele, cum quo loquebatur, Deus ſit nominatus. Quæ qui ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non eundem Chriſtum verum Deum & verum hominem confitetur, vnum in vtraque natura perfectum; anathema ſit.] *Rurſum ex Theodoro.*

Quando enim dicit, de Filio ſuo, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, non Deum dicit Verbum, ſed aſſumptam ſerui formam: nec enim Deus ſecundùm carnem, nec Deus ex ſemine factus eſt Dauid, ſed ſumptus pro nobis homo, quem Filium beatus Apoſtolus manifeſtè vocat.

In ſupraſcripto cap. 35. cùm exponitur locus Apoſtoli de epiſtola ad Romanos, vbi dicit, De Filio ſuo qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem, nuda ſerui forma depromitur, dicendo quòd hic Filium eum qui ex ſemine Dauid factus eſt ſecundum carnem, non Deum Verbum dicat, ſed ſumptum pro nobis hominem, quem Filium beatus Apoſtolus manifeſtè vocet. quæ verba oſtendunt nudum (ſicut dictũ eſt) hominem prædicari. Qui ergo ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non eundem, qui ex ſemine Dauid ſecundũ carnem natus eſt, iuxta Dauid & Pauli Apoſtoli vocem, ipſum credit eſſe etiam ſuper omnia Deum; anathema ſit. *pergit impius:*

Renatus alter factus eſt pro altero non iam pars Adam mutabilis & peccatis circumfuſi, ſed Chriſti, qui omnino inculpabilis per reſurrectionem factus eſt.

In ſupraſcripto 36. cap. vbi ad baptizatum dicitur, quia renatus alter factus eſt ex altero non iam pars Adam mutabilis & peccatis circumfuſi, ſed Chriſti, qui omnino inculpabilis per reſurrectionem factus eſt: quibus verbis Chriſtum ante reſurrectionem (quod abſit) vult videri fuiſſe culpabilem. Qui ergo hæc ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *addit adhuc execrandus hæreticus:*

Vt multam quidem eius faceret diligentiam, omnia autem illius propria faceret & toleraret per omnes conductus paſſiones, per quas eum ſecundum ſuam virtutem perfectum fecit, nec à mortuis ſecundum ſuæ naturæ legem recedens, ſed ſua præſentia & operatione & gratia liberans eum quidẽ de morte & malis quæ inde ſunt, ſuſcitans eum de mortuis, & ad meliorem finem perducens.

In ſupraſcripto 37. capit. dicitur, quia Chriſto in paſſionibus & morte Deus Verbum præſentia & operatione & ad gratiam affuerit: quod ſi ita eſt, tanquam alter alteri præſens gratiam & operationem impendiſſe videbitur. Qui ergo hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non ipſum Deũ Verbum, ſeruata impaſſibilitate diuinitatis ſuę in carne anima rationali & intellectuali animata, quam ſibi ab ipſo conceptu vniuit ex Virgine, omnia quæ de paſſione eius ſcripta ſunt, voluntariè ſuſtinuiſſe dicit; anathema ſit. *ſubdit præterea blaſphemus impoſtor.*

Deinde oſtendens cuius gratia paſſus eſt, diminutionem infert, quatenùs citra Deum pro omnibus guſtaret mortẽ: quia diuina natura ita volente, ſeparata illa, ipſe pro ſe, pro omnium vtilitate guſtauit mortem: & oſtendens quòd Deitas ſeparata quidem erat, ab illo qui paſſus eſt ſecundũ mortis experimentum; quia nec poſſibile erat illam mortis experimentum accipere, non tamen ille qui paſſus eſt, adfuerat ſecundum diligentiam.

In ſupraſcripto 38. cap. & falſatum teſtimonium Apoſtoli agnoſcimus: quia vbi legitur, Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem: hic inuenitur, Vt ſine Deo pro omnibus guſtaret mortem, & hoc quaſi aſtruendo dicitur: quia diuina natura ſeparata, ipſe pro ſe, vel vt purus homo pro omnium vtilitate guſtauerit mortem. Qui ergo ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, & non confitetur, quia Deus Verbum carnem, quam ſibi ex ipſa conceptione ſecundum ſubſtantiam adunuit, nec in paſſionibus, nec in morte vnquam deſeruerit; anathema ſit. *ſequitur trigeſimanona blaſphemia hæretici:* Heb. 2.

Ieſum autem, ait, de Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu & virtute: cuius vnctionem meritus immaculatus effectus eſt per omnia, & ad diuinam naturam meruit coniunctionem; neque coniunctionem ſuſcepiſſet illam, niſi prius immaculatus fuiſſet, vt ſi condeceat illius vnitatem.

In ſupraſcripto trigeſimonono capit. rurſum illud quod beatus Petrus dixit: Ieſum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu & virtute: exponés dicit, per vnctionem Spiritus, quod meruit, & immaculatum eum per omnia factum, & ad diuinam naturam meruiſſe coniunctionem: quæ verba Chriſtum purum hominem apertè ſignant. Qui ergo hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *proſequitur Theodorus.* Act. 9.

Nam & illud: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: inſaniæ euidens eſt de Deo Verbo putare dicere eum. qui enim dixit: Hic eſt Filius meus dilectus, & intulit, In quo mihi complacui: ſignificauit quod apertè ad comparationem hoc dicit aliorum filiorum, qui nec dilecti facti ſunt, nec placere nimis potuerunt ei.

In ſupraſcripto cap. quadrageſimo de interpretatione Euangelij ſecundum Matthæum: vbi dicitur: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ſubiungitur & dicitur: Inſania euidens eſt de Deo dicere eum: qui enim dixit: Hic eſt Filius meus dilectus, & intulit, In quo mihi complacui: ſignificauit, quòd apertè ad comparationem hoc dicit filiorũ, qui nec dilecti ei facti ſunt, nec placere nimis potuerũt. Quæ verba Chriſtum Ieſum purum rurſus hominem & adoptiuũ filium euidenter oſtendunt. Qui igitur hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *addit porrò iſta hæreticus:*

Permanens autem, donec ſecundum ſuam creaturam & virtutem ſoluens mortis labores liberauit eum ineffabilibus illis vinculis, & de mortuis reſuſcitans, tranſtulit quidem in immortalem vitam: incorruptum autẽ eum & immortalem & immutabilem efficiens, in cœlum duxit.

In ſupraſcripto quadrageſimoprimo capitulo dicitur, quòd ſoluens mortis dolores, liberauit Chriſtum ineffabilib. illis vinculis, & de morte reſuſcitans tranſtulerit quidem ad immortalem vitam, incorruptum autem eum & immortalẽ vitam, incorruptum autem eum & immortalem & immutabilem efficiens, in cœlum eduxerit: per quæ omnia verba declaratur nudum hominem eſſe Ieſum Chriſtum. Qui ergo ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *pergit blaſphemus:*

Chriſtum iuſtificatum & immaculatum factum ſecundum virtutem ſancti Spiritus (ſicut beatus Apoſtolus modo quidẽ dicit quod iuſtificatus eſt in Spiritu, modò verò quòd per Spiritum æternum immaculatum ſe obtulit Deo) mori quidem fecit ſecundum legem hominum, vtpotè autem impeccabilem virtute ſancti Spiritus factũ reſuſcitauit de mortuis, & vitam conſtituit meliorem, immutabilem quidem animæ cogitationibus, incorruptum autem & indiſſolutum & carne faciens.

In ſupraſcripto 42. capit. dicitur Chriſtum iuſtificatum & immaculatum factum eſſe virtute Spiritus S. & adijcit, Mori quidem eum fecit ſecundum legem hominum, vtpote autem impeccabilem virtute Spiritus S. factum reſuſcitauit de mortuis, quibus verbis ſic ſeparatus à Verbo Dei inſinuatur homo, vt ſancti Spiritus virtute immaculatus & impeccabilis quaſi aliquis iuſtus homo aſſeratur effectus. Qui ergo hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat; anathema ſit. *Rurſus execrandus Theodorus:*

Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christũ. Istorum causam nobis fuisse dicens Deum, qui contra omnes aduersarios dedit nobis victoriam siue mortis, siue peccati, siue cuiuscumq; hinc nascendi mali: qui Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis hominem sumens, & ipsum per resurrectionẽ de mortuis ad meliorem transtulit finem, & in dextera sua sedere fecit, & nobis ad eum donauit communionem.

2. Cor. 15. In suprascripto quadragesimo tertio capit. exponendo verba Apostoli Pauli, quibus dicit: Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. & post plura subiungitur: Dominus noster Iesus Christus pro nobis hominem sumens, & ipsum per resurrectionẽ de mortuis ad meliorem transtulit finem, per quæ iam quasi existens homo, à Deo Verbo significatur assumptus, vt duo fuisse videantur, & alter alteri præstitisse. Qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Nondum finis blasphemiarum: adhuc pergit improbus hæreticus:*

Cum ergo interrogent, hominis genitrix ne, aut Dei genitrix Maria dicatur à nobis? Vtraque, vnum quidem natura, alterum autem relatione: hominis enim genitrix natura, quia homo erat & in ventre Mariæ, qui & processit inde: Dei autem genitrix, quia Deus erat in homine nato, non illum circumscriptum secundum naturam, sed quod in eo erat affectu voluntatis.

In suprascripto quadragesimo quarto capitulo dicitur: Cum ergo interrogẽt, hominis genitrix, an Dei genitrix Maria dicatur; quasi ex respondentis persona, dicitur, vtraq; dici. & adiungitur: Vnum quidem natura rei, alterum autem relatione: & additur: Hominis enim genitrix natura, quia homo erat & in ventre Mariæ, qui & processit inde: Dei autem genitrix, quia Deus erat in homine nato. & adijcitur. Non ille circumscriptus secundum naturam, sed quod in eo erat affectu voluntatis. Quæ verba item & vnum hominem Christum, & duos filios beatæ Mariæ demonstrant. Quod qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat; & non Deum Verbum, qui ante omnia sæcula ex Patre ineffabiliter natus est, eundẽ sanctã Virginem Mariã (sicut in primo capitulo diximus) persecundam natiuitatem suam incarnatum & natum vnum in vtraque natura inconfusa inseparabiliq; cognoscit; anathema sit. *Adhuc vrgens impius addit:*

Gratia filius qui ex Maria est homo, natura autem Deus Verbum: quod autem secũdum gratiam, non natura, & quod secundum naturam, non gratia; non duo filij sufficiat corpori, quod ex nobis est, secundum gratiam filiatio, gloria & immortalitas: quia templum Dei Verbi factum est, non supra naturam eleuetur: Deus Verbum pro debita à nobis gratiarũ actione non iniurietur: & quæ est iniuria cõponere eum cum corpore, & putare indigere corporis ad perfectam filiationem? nec ipse Deus Verbum vult se Dauid filium esse, sed Dominum; corpus autem hoc vocari Dauid filium non solũ non inuidit, sed & propter hoc adfert. *contra hæc Vigilius:*

In suprascripto quadragesimo quinto capitulo dicitur, quia per gratiam sit filius qui ex Maria natus est homo, natura autem Deus verbum: & quasi ratiocinatur dicendo: Quod gratia, non natura: & quod natura non gratia. & adiungitur: Sufficit corpori quod ex nobis est secũdum gratiam filiatio, & non supra naturam eleuetur, & Deus Verbum pro debita à nobis gratiarum actione non iniurietur. quæ verba nudum hominem ex Virgine Maria significant, qui per gratiam appelletur Filius Dei. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Insaniens adhuc ita blasphemat hæreticus:*

Quando erit quæstio de natiuitatibus secundum naturã, ne Mariæ filius Verbũ Dei existimetur. mortales enim mortales generant secundum naturam, & corpus simile sibi: & duas natiuitates Deus Verbum non sustinuit, vnam quidem ante sæcula, alteram verò in posteriotibus temporibus. *at damnans hæc Vigilius ait:*

In supradicto 46. cap. dicitur vt Mariæ filius Deus Verbum non existimetur: adijciendo, quia mortalis mortalem generat secundum naturam, & corpus simile sibi. quæ verba & purum hominem de sancta Virgine Maria significant, & duos filios introducunt. Qui ergo ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Insuper hæreticus impiè:*

Ergo iam cessabunt ab impudente pugna, desistent autem à sua contentione, erubescentes euidentiam prædictorum: plurimos enim dicunt Filios in gloriam ducentes. Ecce igitur in filiationis rationem Apostolus apparet, assumptum hominem cæteris connumeratus, non secundum quod illius filiationis particeps est, sed secundum quod similiter gratia filiationem assumpsit, Deitate sola filiationem possidente. *ita verò damnat ista Vigilius:* 1. Tim. 3.

In suprascripto quadragesimo septimo capitulo id quod dicit Apostolus, qui multos filios ad gloriam adduxerat, exponendo dicitur, quòd assumptum hominem cæteris connumerat sanctus Apostolus, eò quòd similiter gratiam filiationis acceperit, sola Deitate naturalem filiationem possidente. quæ quidem verba (sicut superiùs dictum est) duos introducunt Filios, id est, vnum per gratiam, alterum per naturam. Quod qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat, anathema sit. *Sed blasphemare non cessans hæreticus addit:*

Sed ad hoc dicunt, quòd Iesus nomen Saluatorem significat: Saluator autem si dicitur, quomodo ille homo dicatur? obliti quòd Iesus dicebatur etiam filius Naue: & quod mirandum est, quia non sit vocatus fortuitò in generatione, sed transnominatus à Moyse: certum autem est quod non hoc imponere homini patiebatur, si diuinam naturam omnimodè significabat. *at damnat ista Vigilius, dicens:*

In suprascripto quadragesimo octauo capitulo de nomine Iesu, quod Saluatorem significat, argumentando negatur, & dicitur: Quia si Saluator diuinam naturam significaret, nũquam tale nomen homini imponeretur. Quibus verbis absolutè & purus homo Christus ostenditur, & duæ personæ intelliguntur. Quæ qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Adhuc insaniens blasphemus addit:*

Itaque non solum Filium ipsum vocat à Deo Verbo separans, sed etiam secundum rationem filiationis communicans cæteris participibus filiationis conuincitur: quoniam gratia & ipse particeps fuit filiationis, non naturaliter ex Patre natus, habens tamen ad cæteros excellentiam, qui vnitate ad ipsum filiationem possidet, quod ei firmiorem ipsius rei donat participationem. *reijcit ista Vigilius, dicens.*

In suprascripto quadragesimo nono capitulo dicitur, quia Christus per gratiam particeps fuit filiationis, habens tamen ad cæteros excellentiam, quòd ei firmior ipsius rei donata fuerit participatio. Quod qui ita sapit, docet, credit, aut prædicat, & non magis Deus Verbum cum assumpta carne vnus atque idem Dominus Iesus Christus & verus Filius Dei & idem ipse verus Filius hominis intelligitur & creditur, anathema sit. *Pergit hæreticus.*

Homo Iesus similiter omnibus hominibus nihil differẽs connaturalibus hominibus quàm quòd ipsi gratiam dedit: Gratia enim data naturam non mutat: Sed post mortis destructionem donauit ei Deus nomen super omne nomen. *contra hæc Vigilius:*

In suprascripto quinquagesimo capitulo dicitur, quòd homo Iesus nihil differat ab omnibus connaturalibus hominibus, nisi quòd ei gratiam dedit: Quæ verba Dominum nostrum Iesum Christum velut vnum de Iustis hominibus faciunt æstimari, qui non Deitate sua excelsus intelligatur, sed gratia aliquid amplius quam cæteri homines asseratur adeptus. Quòd si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. *Rursus impius:*

Sed mei fratres, qui eiusdem mihi matris sunt filij, dicunt mihi: Non separato hominem & Deum, sed vnum eundemque dic hominem, dicens, Connaturalem mihi dico Deum. Si dicam, connaturalem Deo, dico: Quomodo homo & Deus vnum sunt? numquid vna natura hominis & Dei, Domini & serui, factoris & facturæ? Homo homini consubstantialis est, Deus autem Deo consubstantialis est: Quomodo igitur homo & Deus vnus per natiuitatem esse potest, qui saluificat & qui saluificatur? qui ante sæcula, & qui ex Maria apparuit? *At audi Vigilium:*

In suprascripto quinquagesimo primo capitulo negatur quòd vnus idemque dici possint DEVS & homo, dicendo: Quomodo homo & DEVS vnus per vnitatem esse potest? qui saluificat, & qui saluificatur; qui ante sæcula est, & qui ex Maria apparuit? Quæ verba duas introducunt in CHRISTO personas. Si quis igitur ita sapit, docet, credit, aut prædicat;

dicat;anathema sit. *Addit insuper execrandus hæreticus*:

Bene iuuuli t:Namque ego homo sum,ne dicat,nihil mirandum si hoc potes, cùm sis homo accipiens à Deo : quoniam & ego cum hoc sim, accipio obedientes, semel habens iubendi potestatem propter datoris indulgentiam.

Quapropter & nec incongruum est, vt te accepta ista à Deo potestate, verbo solo iubentem abigere passiones,nec enim tanquam Filio Dei & ante vniuersam creaturam existēti & Creatori eorum quæ sunt,accessit Centurio. *Sed contra ista omnia ita Vigilius*:

In suprascriptis quinquagesimo secundo & quinquagesimo tertio capitulis dicitur : quia Christo dixerit Centurio, nihil mirandum esse si hoc potes,cùm sis homo, accipiens à Deo:quoniam & ego cum hoc sim,accipio obedientes,semel habens iubendi potestatem propter datoris indulgentiā. Et quamuis ex eo quod sequitur, Centurionem non tanquam Filium Dei adijsse,qui vniuersam condiderit creaturam; videatur quidem esse confiteri eum esse Filium Dei & creaturę totius opificem : Tamen quia hęc de Centurionis intellectu benè existimauit,cuius Dominus fidem non laudaret dicendo,Non inueni tantam fidem in Israel, nisi sciret eum intellexisse quia Deus est:& ex his & superioribus capitulis & alijs dictis iam non per vnitatem subsistentiæ,sed per gratiam dicitur Christus esse Filius Dei, & ex eo Christus purus homo videtur induci, qui pro merito suo acciperet per datoris indulgentiam potestatem.Si quis ergo hæc ita sapit,docet, credit,aut prædicat; anathema sit. *Insit adhuc blasphemus, addens*:

Tim. 3. Consonantia & Apostolus dicit & manifestè magnū pietatis mysterium,quod manifestatum est in carne, iustificatū est in Spiritu,dicens ipsum,siue quòd antè baptisma cum subtilitate competente legem custodiuit, siue quod etiam post illud gratię conuersationem cooperatione Spiritus cum magna compleuit subtilitate. *At in hac Vigilius*:

In suprascripto quinquagesimo quarto capitulo id quod Apostolus dicit: Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu: Christus iustificatus esse asseritur, quòd ante baptismum cum subtilitate competenti legem custodiuit,siue quod etiam post illud gratiæ cōuersationem cooperatione Spiritus cum magna subtilitate compleuerit. Quæ verba quia item purum hominem Christum iustificatione eguisse demonstrant:Si quis ita sapit,docet,credit, aut prædicat,& non magis ipsum vt verum Deum consubstantialē Patri & Spiritui sancto iustificare impios per fidem credit;anathema sit.*Vrget adhuc blasphemus*:

Idem hoc dicimus iustè & de Domino, quòd Deus Verbum sciens eius virtutem,& secundum præscientiam statim in ipso initio complasmationis cohabitare bene voluit, & veniens eum sibi affectu voluntatis,maiorem quandam præstabat ei gratiam,vtpote gratia quæ in eum est & in omnes homines diuidenda. Vnde & circa bona voluntatem integram ei custodiebat.Nō enim hoc dicemus,quòd ille homo voluntatem habebat nullam,sed quod volebat quidem bonū,magis autem ei voluntariè plurimum aderat & boni desideriū, & contrarij odium:cōseruabatur verò à diuina gratia illi voluntas integra ab initio,Deo qualis erit subtiliter sciente, qui & ad confirmandum eum magnam illi cooperationem habitatione sua præstabat pro omnium nostrum salute:vnde nec iniustum dicat aliquis esse, quòd præter omnes præcipuum aliquid datum est illi homini, qui à Domino assumptus est] *ita profanus.Sed contra hæc Vigilius*:

In suprascripto quinquagesimo quinto capitulo dicitur, quia Deus Verbum secundum præscientiam sciens hominis Christi virtutem, initio complasmationis statim inhabitare in ipso benè voluerit, & veniens eum sibi affectu voluntatis maiorem quandam ei præstabat gratiam. Ex quibus verbis, & ex alijs quæ sequuntur,duæ euidenter inducuntur esse personæ,& quia Filius Dei in Filio hominis per affectum & gratiam,& relationem habitare videatur. Si quis ergo hæc ita sapit,docet,credit,aut prædicat,& non vnū eundemq; Christum in duabus perfectis & indiuiduis inconfusisque agnoscit & credit naturis;anathema sit.*Addit verò adhuc impius*:

Nam rationalis quidem primum est discretio bonorum & malorum:cùm verò non sint contraria, non erat ei possibile aliquid discernere.primùm igitur in his quæ creata sunt, magnam contrarietatem fecit. *Sed hæc expendens Vigilius, ait*:

In suprascripto quinquagesimo sexto cap.dicitur,rationalis proprium esse discretionem bonorum & malorum, & post pauca sequitur:Primū igitur in his quæ creata sunt magnam contrarietatem fecit.Quæ verba si ea intentione dicantur,vt mali natura,sicut & boni,introducatur; anathema sit. *Sed rursum hæreticus*:

Quoniam autem non obaudiuit Adam, deinde subditus est morti,& factum est hoc propter inobedientiam, quod & citra inobedientiam propter vtilitatem nostram à Creatore factum est,& docti sumus omnes peccatum. *at contra hæc Vigilius ita*:

In suprascripto quinquagesimo septimo capitul.dicitur, quia etsi non fuisset Adam inobediens, tamen propter vtilitatē hominum à Creatore factū esse,& edoctos nos esse peccatum : quod absit vt Catholica fides credat,à Deo nos, vt peccatores efficeremur,doceri potuisse peccatum. Si quis ergo hoc ita sapit,docet,credit,aut prædicat;& non magis prohibente Deo,primi hominis culpa introductum fatetur esse peccatum, & iusto Dei iudicio eum atque eius progeniem propter inobedientiam suam mortis subijsse supplicium,anathema sit.*Vrget adhuc blasphemus,dicens*:

Nec igitur mortem sponte & præter iudicium suum intulit hominibus, nec peccato aditum ad nullam vtilitatē dedit:nec enim hoc fieri,nolente ipso,poterat : sed quoniam sciebat vtile esse nobis,magis autem omnibus rationabilibus prius quidem malorum & deteriorum fieri aditum, postea autem deleri quidem hæc,introduci autem meliora:ideo in duos status diuisit Deus creaturam,præsentem & futurum,in isto quidem ad immortalitatem omnia addicturus, in præsenti verò creaturam in mortem & mutabilitatem interim demittens.Nam si statim ab initio immortales nos fecerit & immutabiles,nullam differentiam ab irrationabilibus haberemus,proprium nescientes bonum:ignorantes etiam mutabilitatem,immutabilitatis ignorabamus bonum: nescientes mortem,immortalitatis lucrum nesciebamus : ignorantes corruptionem,non laudabamus incorruptionem : nescientes passionum grauamen, impassibilitatem non mirabamur (compendiosè dicam,ne longum sermonem faciam)nescientes malorum experimenta, bonorum illorum non poteramus scientiam mereri. *Audi verò Vigilium*.

In suprascripto quinquagesimo octauo capitulo dicitur, ideò Deum dedisse peccato aditum,quia vtile hoc sciebat esse nobis,magis autem omnibus rationabilibus,vt priùs videlicet malis & deterioribus rebus fieret aditus, posteà autē his deletis introduci meliora.& adijcitur:quia si statim ab initio immortales nos fecisset & immutabiles,nullam differentiam ad irrationabilia haberemus, proprium nescientes bonum. Quibus verbis primum contra regulam fidei Deus asseritur tanquam nobis vtile introduxisse peccatum.Secundo cū omnia rationabilia complectitur,hoc etiam de Angelis & de vniuersa cœlesti militia,quæ ratione est prædita, facit intelligi.Tertiò quia illud,quod diabolus ad decipiendum primis hominibus persuaserit,quia si de ligno prohibito manducarent,sicut dij scientes bonum & malum,beneficij loco asseritur profuisse.Quæ si quis ita sapit,docet,credit,aut prędicat; anathema sit.*Rursum verò erroribus imtexens errores impius addit*:

Necesse est autem omnia simul rationabilia, inuisibilia dico,& nos ipsos,quibus mortale quidem est corpus, animā autem per omnia eiusdem generis inuisibilibus & rationabilibus substantijs hic quidem præsentem mutabilitatem pati, vt optima erudiamur doctrina religiositatis,& ad beneuolētiam constituamur.*ad hæc Vigilius*:

In suprascripto quinquagesimo nono capitulo dicitur: necesse est omnia simul rationabilia,inuisibilia, & nos ipsos, quibus mortale quidem est corpus, animam autem per omnia eiusdem generis inuisibilibus & rationabilibus substantijs hic quidem præsentem mutationem pati, vt optima erudiamur doctrina religiositatis, & ad beneuolentiam constituamur. Quibus verbis si & Angeli lucis, & vniuersæ cœlestes inuisibilesque virtutes sic mutabilitati hactenus subiacere,sicut humanæ animæ asseruntur; anathema sit.*Rursum hæreticus*:

Nam sciebat quidem,quòd peccabunt omnimodò,con-

cedebat verò hoc fieri, expedire eis cognoscens, quoniam nó erat impossibile eum qui consecerat non existentes, & tantorum quidem demóstrauerit dominos, tanta verò bona proposuerit, vt eis fruantur: nec prohibere peccatum aditum, sed expedire eis hoc cognoscere: sed enim non erat possibile nos aliter discere peccatum & passionum molestias & deteriora, & nostram infirmitatem in his demonstrandam, & ostendendam magnitudinem immutabilitatis quam postea nobis esset donaturus, nisi sic ab initio hæc fuissent à Deo dispensata, vt collatione & experimento infinitorum illorum bonorum possemus scire magnitudinem, & huiusmodi gratia, vtpotè profuturum nobis peccatum intrare dimittens, magnum in eius bello auxilium inuenit. *contra hæc Vigilius:*

In suprascripto sexagesimo capitulo dicitur, quia DEVS sciens hominem peccaturum, ideo peccare permiserit, quia hoc ei nouerat expedire, & propterea non prohibuisse peccati aditum, quia sic ab initio à Deo fuerit dispensatum, vt collatione & experimento infinitorum malorum, bonorum possemus scire magnitudiné, & huius rei gratia, vtpote profuturum nobis peccatum intrare dimittens, magnum in eius peccati bello auxilium inuenerit homo. Quæ verba quoniam aliena sunt à sensu diuinæ Scripturæ, vt dicatur, quia peccatum à Deo pro vtilitate nobis introductum sit: Si quis ita sapit, docet, credit, aut prædicat; anathema sit. Sancta enim Catholica Ecclesia hoc certum tenet & credit, quia Deus & prohibuerit à peccato primum hominem, & per inobedientiam peccatum punierit iusto supplicio: sed benè vtens etiam malis nostris, singulari nos remedio, per vnigeniti Filij sui incarnationem, passionem, mortem, & resurrectionē, hoc est Domini nostri Iesu Christi, ab omnium peccatorum nexibus liberauit. *hactenus sexagimta capitum facta damnato, ipsaq; præmissa defensioni Trium capitulorum: ne (vt dictum est) cum pro ipsorum defensione laborat, pro allata Theodori nomine mala doctrina pugnasse videri posset, & pati calumniam ab iis qui inferre parati erant. Subdit itaque hæc opportunè Vigilius:*

His igitur competenter, & per Ortbodoxæ fidei rectitudinem, Apostolicæ sententiæ auctoritate damnatis: constituimus, vt ex omnibus istis, quæ nos Patrum statutis atque traditionibus inhærentes Apostolica auctoritate damnauimus, nulla iniuriandi præcedentes Patres, vel Doctores Ecclesiæ (quæ procul dubio scandala sacrosanctæ Ecclesiæ suscitat) præbeatur occasio: anathematizantes omnem ad ordines Ecclesiasticos pertinentem, qui Patribus atque Doctoribus Ecclesiæ contumeliā ex suprascriptis impietatibus quodammodo ascribere vel irrogare voluerit. Et quoniam præfata dogmata, quæ secundum intellectum de his expositum anathemati atque damnationi subiecimus in eo volumine, quod nobis per fratrem nostrum Benignum Episcopum nuper à pietate vestra transmissum sub Theodori Mopsuesteni Episcopi perhibentur nomine prænotata: ad hoc solicitudinis nostræ animum consequenter admonuimus, vt si quid de persona vel nomine memorati Theodori apud Patres quæsitum sit, vel si qua super eius nomine ab eis regulariter fuerint constituta, siue disposita; diligentissima indagatione quærere curaremus: Et hæc inuestigantes aduertimus beatæ recordationis Cyrillum Alexandrinæ ciuitatis Antistitem de persona iam mortui Theodori Episcopi Ioanni reuerendæ memoriæ Antiochenæ ciuitatis Episcopo, vel Orientali Synodo ad eius litteras rescribentem, inter alia ita tradidisse: Quæ prolata est in sancta Synodo Ephesina definitio, veluti à Theodoro dispositā (sicuti offerentes dicebant) nihil habens sanum, euacuauit quidem eam sancta Synodus veluti peruersarum plenam intelligentiarum, condemnans item eos qui sic sapiunt. Dispensatim verò mentionem viri non fecit, neque eum nominatim anathemati subdidit, neque alios. Ipsam verò Synodum Ephesinā primam solicitè recensentes, nihil de Theodori Mopsuesteni persona referre comperimus, sed Symbolum, quod Carisius presbyter illic prodidit, magis quia ab Athanasio & Photio, qui tunc temporis hæretico Nestorio adhærebant, per Antonium & Iacobum nomina tantum presbyterorum habentes ad Philadelphorum Ecclesias fuerit destinatum: ex quo claret, beatum Cyrillum hoc quod per litteras profitetur, à prolatoribus scilicet symboli iam defuncti Theodori Episcopi nomen fuisse delatum, sua prouidentia Ecclesiasticam moderationem circa mortuum sapientia sacerdotali seruantem, noluisse nomen eius, ne monumentis quidem Synodalibus, propter regulam quæ de mortuis in sacerdotio seruanda est, contineri. Quomodo autem hoc quòd supra dixit beatus Cyrillus dispensatiuè factum, vt minimè anathemati nomen viri subijcere voluisset intelligi, ad Ecclesiasticam regulam porrigendum, in eadem epistola sua subter adiecit, dicens: Sed iustè audient, tametsi nolint, qui huiusmodi causas præbent: Obliuiscimini vos ipsos, quando aduersus cineres arcus extenditis: non enim superest qui apud eos inscriptus est: & me nullus culpet in hæc verba progressum, sed cedant valde, nimirum prædecessori.

Graue est enim insultare defunctis, vel si laici fuerint, nedum illis qui in Episcopatu hanc vitam deposuerunt. Iustissimum enim apparet prudentibus viris cedere, præscienti *Deo scilicet*, vniuscuiusque voluntatem, & cognoscenti qualiscumque quisque futurus sit. Beatum quinetiam Proclum huius regiæ ciuitatis Antistitem ita memorati Ioannis Antiocheni Episcopi similiter constat respondisse rescriptis, dicentem inter alia: Quando enim scripsi tuæ sanctitati, oportere aut Theodorum, aut alios quosdam, qui pridem defuncti sunt anathemati subdi, aut nominatim alicuius feci mentionem? & post pauca: ET illa capitula, quæ subiecta sunt, repuli, vtpotè subtilitatem non habentia pietatis: neque autem de Theodoro, neque de alio quoquam qui iam defuncti sunt scripsi, Deo amantissimi, aut vt anathematizaretur, aut vt abdicetur. Sed neque charissimus Theodotus, qui à nobis directus est, diaconus talia mandata susceperit. Item ipse beatus Proclus in epistola ad Maximum diaconum post alia ita dicit: Quomodo igitur per litteras didici nunc, quia Theodori Mopsuesteni & aliorum quorumdam nomina præposita sunt capitulis ad anathematizandum, cùm illi ad Deum iam migrauerint: & eos qui iam vitam reliquerunt, superuacuum est iniuriari post mortem, quos nec viuos aliquando culpauimus: Et post pauca: Post subscriptionem autem tomi, & post abiectionem capitulorum, quæ cuius sint ignoramus, continuò præpara diaconum Theodotum venire ad regiam ciuitatem.

Perpendat ergo pietatis vestræ sapientia singularis, quia Proclus eruditissimus sacerdotum, & non longè à Theodori Mopsuesteni vita repertus, mala quæ libenter damnauerat cuius essent, se iam tunc professus est ignorare. Sed neque in sancto ac venerando Chalcedon. Concilio aliquid de sæpius designati Mopsuesteni Theodori Episcopi nomine inuenimus statutum vel dictum esse contrarium, dum in relatione, quam eadem veneranda Synodus piæ memoriæ Marciano tunc Imperatori transmisit, quam vos quoque vestris legibus, dum Orthodoxa professione vnum de sancta Trinitate Christum Deum ac Dominum nostrum confitendū astruitis, ad testimonium laudabiliter adduxistis, litteræ Antiocheni Ioannis cum Orientali Synodo ad Theodosium tunc pijssimæ recordationis Principem destinatæ venerabiliter memorentur, quibus Mopsuesteni Theodori Episcopi persona ne post mortem damnari deberet, excusatur.

Post hæc ampliori cura prospeximus, si quid in his, qui iā defuncti sunt, & minimè reperiuntur in vita damnati, etiam sanctæ recordationis prædecessores nostri decreuerint. Quibus inspectis, agnouimus, quod huius cautelæ prouidentiæq; formam veneranda prædecessorum nostrorum sedis Apostolicæ Præsulum constituta nobis apertissimè tradiderunt. Nam beatiss. Papa Leo ad Theodorum Episcopum Foroiulienſem post alia ita dicit: Non necesse est nos eorum, qui sic obierunt, merita actusq; discurrere: cum Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale mysterium implere nō poterat, suæ iustitiæ reseruauit. Item B. Gelasius Papa in epistola, quam ad Episcopos Dardaniæ de causa Acacij scripsit, post alia ita dicit: Qui postquam in collegium recidens prauitatis, iure meruit ab Apostolica cōmunione secludi, in hac autem perstitens damnatione defunctus est, absolutionem quam superstes nec quæsiuit omnino, nec meruit, mortuus iam nō potest impetrare. Siquidem ipsis Apostolis Christi voce delegatū est: Quæ ligaueritis super terram, & quæ solueritis super terram. Cæterum iam de eo, qui in diuino est iudicio constitutus, nobis fas aliud decernere non est, præter id in quo eum dies supremus inuenit.

Item Matth.

Item memoratus beatæ recordationis Papa Gelasius in Gestis Synodalibus de Misseni Episcopi Cumani absolutione confectis, hoc euidenter edocuit, dicens: Totum quod supra facultatis est modulum, diuino iudicio relinquamus: non autem nobis poterunt imputare, cur præuaricationis offensam viuentibus remittamus; quod Ecclesiæ, Deo largiente, possibile est: nec nos iam mortuis veniã præstare deposcant; quod nobis nó esse possibile, manifestum est, quia cùm dictum sit: Quæ ligaueritis & solueritis super terram: hos quos super terrã iã non esse constat, nó humano, sed suo Deus iudicio reseruauit: nec audet Ecclesia sibimet vendicare, quod ipsis Apostolicis conspicit non fuisse concessum: quia alia est causa superstitum, alia defunctorum. Hanc autem regulam & in sanctorum Ioannis Constantinopolitani Episcopi, quem Chrysost. vocant, atq; Flauiani eiusdem ciuitatis Episcopi veneranda memoriã constat esse seruatam: qui licèt violenter excluſi sunt, non tamen pro damnatis sunt habiti, eò quòd semper inuiolatam eorum communionem Rom. Põtifices seruauerunt: nec abscindi ab Ecclesia dici potuerunt, vel poterunt, quòd sibi inconuulsè vnitos Apostolica iudicauit auctoritas.

In Eusebij etiam cognomento Pamphili historiæ libro septimo legitur, Dionysium Alexandrinæ ciuitatis Episcopum, qui longè ante fuerat, de Nepote quodam Episcopo Ægypti ita fecisse: Hic enim Nepos Episcopus de mille annis, quibus post primam resurrectionem Sanctos cum Christo regnaturos esse, beatus Ioannes Apostolus in Apocal. dicit, scripsisse asseritur, in quibus Iudaicum intellectum habuisse narratur. Post cuius mortem, cùm ad Dionysium Alexãdriæ Episcopum peruenisset, quod tota Aegyptus ipsos libr. quos Nepos reliquerat, veluti magnum aliquod & occultum mysterium se habere putaret: & pergens ad eum locum (in Arsenoite enim quæstionem ipsam motam fuisse refert) scribensque destruxit eosdem libros, atque euertit: Nepotem verò qui eos scripserat, propter hoc maxime, quia iam defunctus fuerat, nulla sit aggressus iniuria. Quæ si quis latiùs agnoscere velit, in memorato septimo historiæ eiusdem Eusebij libro reperiet.

Quibus omnibus diligenter inspectis, quia licèt diuerso Patres nostri verborum modo, vnius tamen ductu intelligẽtiæ differẽtes, illæsas sacerdotum in pace Ecclesiastica defunctorum seruauêre personas, idemque regulariter Apostolicæ sedis quę supra diximus definiunt constituta: Nulli licere nouiter aliquid de mortuorum iudicare personis: sed in hoc relinqui, in quo vnumquemque dies supremus inuenit, & specialiter de Theodori Mopsuesteni nomine, quid sancti Patres nostri disposuerint, superius euidenter expressum est: eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus: Absit tamen vt suprascripta capitula dogmatum, quæ secundùm subiectos intelligentiæ sensus à nobis constant esse damnata, vel quæcumq; dicta cuiuslibet sine nomine prænotata, Euangelicis tamen & Apostolicis ac quatuor Synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ primæ, atque Chalcedonensis, & Apostolicæ sedis non congruentia consonaque doctrinis, non solum sensu, sed vel etiam aure patiamur admittere.

Descriptis verò quæ sub viri venerabilis Theodor. quondam Episcopi nomine proferuntur: miramur primum, cur necesse sit eius sacerdotis nomine in obtrectationem quicquã cuiuslibet studio deuocari, qui ante centum & amplius annos in sancta ac venerandæ Chalcedonensis Synodi iudicio constitutus sine aliqua cunctatione subscripsit, & beatiss. Papæ Leonis epistolis prona deuotione consensit. Dehinc cum existerent tunc Dioscorus & Aegyptij Ep. scopi, qui eũ dicerent S. Cyrillum anathematizasse, & eundem Theodoretum etiã hæreticum esse: tamen sancti Patres nostri hæc audientes, diligentissimè eodem Theodor. posthac examinatione discusso, & præsente à præsentib. inquisito, nihil aliud ab eo exegisse noscuntur, nisi vt statim Nestorium eiusq; impia dogmata anathematizaret atq; damnaret, hoc sibi tantum modo sufficere iudicantes: quod ille coram vniuerso Concilio faciens, Nestorium cum dogmatibus suis, vniuersis Patribus audientib. clara voce damnauit. Ex quo euidẽter apparet, quia quicquid sit vel fuerit sub cuiuslibet prolatum nomine, quod impij Nestorij videatur concordare dogmatib. hoc tunc in illo sancto Concilio à viro venerabili Theodoreto fuerit sine dubitatione damnatũ: & sit valde contrarium & Chalcedonensis Synodi iudicio indubitabiliter inimicũ, quædam Nestoriana dogmata nunc sub eius sacerdotis nomine condemnari, qui cum sanctis Patribus eundem impium Nestorium & execrabilia eius dogmata (sicut diximus,) tunc apertissime anathematizauit. Quid enim aliud est, mendaces aut simulãtes professionem rectæ fidei Patres in sancta Chalcedonensi Synodo residentes ostendere, quam dicere aliquos ex eis similia sapuisse Nestorio, quorum iudicio videas Nestorium eiusq; dogmata fuisse damnata.

Nec illud arbitrandum est, quia sanctæ memoriæ Cyrilli iniurijs per duodecim capitulorũ eius reprehensionem à viro venerabili Theodoreto (vt putatur) ingesta beatiss. Patres nostri in sancta Synodo Chalcedonensi neglexerint, sed aut (vtpote rebus de proximo gestis cuncta præ oculis habentes) Theodoretum nihil tale fecisse probauerunt: aut exemplum ipsius sanctæ memoriæ Cyrilli iudicauerunt esse sequẽdum, qui post multa & grauia contra se ab Orientalib. apud Ephesum scripto gesta, tempore quo cum ipsis in concordiam remeauit, tanquã si acta non fuissent, pacis amore, silentio dereliquit: vt impleret vtique illud Apostolicum dictum, quo Corin. scribit, dicens: Cur enim aliquid donastis; & ego. Nam & illud sancta Synodus Chalcedon. intendisse credenda est, quia dum doctrinam S. Cyrilli ex epistolis eius in eadem Synodo relatis atq; receptis memoratus Episcopus Theodoretus ita deuota mente susceperit, vt doctrinæ quoque eius ad laudandam beatissimi Papæ Leonis epistolam testimonijs veteretur, etiam si in eum iniurias intulisse constaret, plenissimè satisfecisse videretur, illius venerabiliter amplectendo fidem, cuius falso fuerat suspicatus errorem. Et ideo nos nec aliquid velut omissum à Patribus nostris quærere nunc aut retractare conuenit; & eos, quibus S. Cyrilli reprehensio nũc placet, aut ijsdem sanctis Patribus nostris æstimant placuisse, modis omnibus refutamus. 2. Cor. 2.

Hac ergo rerum veritate perpensa, statuimus atq; decernimus, nihil in iniuriam atq; obtrectationem probatissimi in Chalcedonensi Synodo viri, hoc est, Theodoreti Episcopi Cyri, sub taxatione nominis eis à quoquã fieri, vel proferri: sed custodita in omnibus personæ eius reuerentia, quæcunq; scripta, vel dogmata eius cuiuslibet nomine prolata sceleratorũ Nestorij atq; Eutychetis manifestantur errorib. consonare anathematizamus atq; damnamus. Et enim satis habet, abundeq; sufficere debet, quod damnantes atq; anathematizantes cum Paulo Samosateno & Bonoso Nestorium, & è diuerso cum Valentino atq; Apollinare Eutychetem simul & errores eorum, alioſq; hæreticos omnes cum dogmatib. suis, illos quoq; pariter condemnamus, qui erroribus eorum impliciti & inemendabiles permanentes de vita præsentis sæculi migrauerunt. Siquidem per hoc nihil peruersæ doctrinæ relinquimus, quod non per hanc sententiã à nobis prolatam à sancta Dei Ecclesia Apost. auctoritate inueniatur excluſum.

Rursus tamen hoc specialiter dicimus: vt si quis, seruata inconuertibilitate naturæ diuinæ, non confitetur Verbum carnem factum, & ex ipsa conceptione de vtero Virginis humanæ naturæ sibi secundum subsistentiam vnisse principia, sed tanquam cum existenti iam homine fuerit Deus Verbũ, vt per hoc non sancta Virgo verè Dei genitrix esse credatur, sed verbo tenus appelletur: anathema sit.

Si quis secundum subsistentiam vnitatem naturarum in Christo factum denegat, sed seorsum existenti homini tamquam vni iustorum inhabitare Deũ Verbum; & non ita confiteatur naturarum secundum subsistentiam vnitatẽ, vt Deus Verbum cum assumpta carne vna permanserit permaneatq; subsistentia siue persona: anathema sit.

Si quis voces Euangelicas & Apostolicas in vno Christo ita diuidit, vt etiam naturarum in ipso vnitarum diuisionem introducat: anathema sit.

Si quis vnum Iesum Christum verũ Dei & eundem ipsum verum hominis Filium futurorum ignorantiam aut diei vltimi Iudicij habuisse dicit, & tãta scire potuisse, quãta ei Deitas, quasi alteri cuidam inhabitans, reuelabat, anathema sit.

Si quis illud Apostoli, quod est in epistola ad Hebræos dictum, quod experimẽto cognouit obedientiã, & cum clamore forti & lacrymis preces supplicationesq; obtulit ad Deũ, qui saluũ illum posset à morte facere, tanquam nudo Deitate Heb. 5.

Christo deputans, qui laboribus virtutis perfectus sit, vt ex hoc duos introducere Christos **vel** duos Filios videatur, & non vnum eundemque credit **Christum** Dei & hominis Filium ex duabus & in duabus naturis inseparabilibus indiuisisque confitendum atque adorandum: anathema sit.

His omnibus & huiusmodi blasphemijs ita à nobis abdicatis atque damnatis: hac præsentis constitutionis dispositione quam maximè prouidemus, ne (sicut suprà diximus) personis quæ in pace & communione vniuersalis Ecclesiæ quieuerunt, sub hac damnati à nobis peruersi dogmatis occasione aliquid derogetur: sed execrabilibus dogmatibus in Nestorio atque Eutychete hæresiarchis, vniuersisque eorum sequacibus condemnatis, illis sacerdotibus, qui in pace Catholica Ecclesiæ (sicut dictum est) sunt defuncti, nulla cõtumelia generetur, ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde potiùs debeat sanctorum Patrum reuerentia custodiri.

De epistola quoque venerabilis viri Ibæ quondã Edessenæ ciuitatis Episcopi, de qua pariter inquisistis diligenti nihilominus inuestigatione quæsiuimus, si quid de ea priscis tẽporibus apud Patres nostros motum vel agitatum, siue quæsitum, seu fuerit constitutum. Et quia Græcæ linguæ (sicut cunctis & maximè pietati vestræ notum est) sumus ignari: nunc per nostros, qui eiusdem linguæ videntur habere notitiam, Gesta sancti venerandique Chalcedonensis Concilij in Synodalibus codicibus diligentissime perquirentes, diiucide aperteque reperimus, duabus in eadem Synodo Actionibus prædicti viri venerabilis Ibæ examinatum fuisse negotium, ibique ex gestis apud Photium Tyri & Eustathium Berythi Episcopos habitis, hanc de qua quæritur, inter cætera prolatam fuisse contra eum ab accusatoribus eius epistolam: cumque consummata ipsius disceptatione negotij, à venerandis fuisset Patribus requisitum, quid de eiusdem constituendum videretur Ibæ negotio; consequenter huiusmodi processisse sententias.

Conc. Chalced. Act. prope fin.

Paschasinus & Lucentius reuerendissimi Episcopi & Bonifacius presbyter tenentes locũ sedis Apostolicæ (quia Missi Apostolici semper in Synodis priùs loqui & confirmare soliti sunt) per Paschasinum dixerunt: Relectis chartis, agnouimus ex sententia reuerendissimorum Episcoporum, Ibam reuerendissimum innoxium approbari. Relicta enim eius epistola, agnouimus eum Orthodoxum. Et ob hoc decernimus, ei honorem Episcopatus restituendum, & Ecclesiam à qua iniuste & absens expulsus est, reparandam. De episcopo igitur sanctissimo Nonno, qui pro eo paulò antè factus est, existimationis erit venerabilis Episcopi Antiochenæ Ecclesiæ, quid oporteat de eo formari* siue statui.

*firmari

Anatolius reuerendissimus Archiepiscopus Constantinopolis nouæ Romæ dixit: Deo amãtissimorum Episcoporum & Iudicum fides, ac lectio omnium horũ quæ sunt subsecuta, demonstrant innoxium Ibam reuerendissimum ab accusationibus quæ illatæ sunt in eum: Vnde omnem in præsenti suspicionem abijcio, quoniam consentit & subscribit ei quæ nunc de fide sententia data est à sancto Concilio, & epistolæ sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis, & dignũ eum iudico Episcopatu, & habere curam in qua pridem existebat Ecclesiæ.

Maximus reuerendissimus Episcopus Antiochenus dixit: EX ijs quæ modò relecta sunt, constitui manifestum esse, quia ab omnibus ei illatis reuerendissimus Ibas innocẽs est repertus: ex relecto verò rescripto epistolæ, quę probata est ab eo qui aduersarius eius existit, Orthodoxa est eius declarata dictatio. *& cætera vsque ad finem Actionis decimæ.*

EPISTOLA I. IVSTINIANI IMPERATORIS ad Concilium V. Oecumenicum de erroribus Origenis.

Ex Cedreno in Compend. Annal.

Litterarum Iustiniani ad Concilium hæc est sententia. De Origene & ijs quæ ab eius sunt secta, operam dedimus, iustũ esse intelligentes, vt sanctam Dei Apostolicamq; Ecclesiam à turbis securam præstemus, vtque ea quæ quocunque modo aduersa rectæ fidei enascuntur, condemnentur. Cùm ergo compertum habeamus, esse Hierosolymis quosdam monachos & mirum, qui Pythagoræ, Platonis, Origenis Adamantij impios errores sectentur atque doceant: existimamus curam & inquisitionem de his adhibẽdam, ne hi ad extremum Græcanicis & Manichæicis suis imposturis multos perdant. Nam vt de multis pauca commemoremus, mentes aiunt esse innumeras & nominis expertes, omniaque ratione prædita vnum esse idemque substantia & efficacia facultatecq; ad Deũ & cognitione omnia vnita. Has mentes, cum amoris ac contemplationis Dei satietas eas cepisset pro eo, vt quæuis magis minusve in deterius desciuerat, vel crassiora vel tenuiora corpora indui atque omnia sortiri, atque cęlestibus & administris facultatibus esse subiectas: ipsum adeo Solem, Lunam & stellas, cum ipsa quoque in rationali ista vnitate essent, mutatione in deterius facta, id cœpisse esse quod sunt. EAS verò mentes, in quibus Dei amor magis etiam refrixit, animas factas, & crassioribus, qualia nostra sunt, corporibus immitti: Quæ vero ad extremum peruersitatis venerint, eas frigidis & caliginosis inseri corporib. quos dæmonas vocant: EX Angelico proinde statu animalem, ex animali dæmoniacum fieri & humanum.

De tota autem vnitate mentium vnam duntaxat perstitisse immotam, neq; ab amore & contemplatione Dei passam esse abduci: eum esse Christum, qui Deus & homo fuerit. Affirmauit etiam corpora prorsus interire, ipsumque primo Dominum corpus suum abiecisse, & id omnes facere: rursusque omnes in vnitatem redire, ac mentes fieri, sicut ab initio fuerant: ipsum videlicet etiam diabolum & reliquos dæmones, impiosque homines in eandem cum sanctis & diuinis hominibus & cœlestibus facultatibus, eodemque quo ipse Christus modo cum Deo vnitum iri, sicut & à principio vniti fuerant: atque adeo Christum plane nihil à reliquis ratione præditis differre, neque substantia, neque cognitione, neque facultate, neque efficacitate. Sanè Pythagoras principium omnium rerum esse vnitatẽ pronunciauit, idemque & Plato docuerunt, esse quandam gentem animarum corporis expertium, quæ si quid delinquunt, pœnæ loco in corpora demittuntur. quamobrem Plato corpus σῶμα, quasi σῆμα, id est, vinculum appellauit, in eo animam quasi sepultura alligari, indicans.

Idem de futuro iudicio & præmijs ac pœnis animarum sic scribit: Philosophi anima, qui masculorum amore & flagitijs se polluit, tres millenarias circuitione pœnas luit: itaque milletimo anno allata eijcitur & abit. Reliquæ hac vita defunctæ, aliæ ad tribunalia infra terram deferuntur, pœnas ibi daturæ dicta causa, aliæ in cœlestem quemdam locum subleuatæ à iustitia pro vitæ meritis beatitudine fruuntur. Est autem in promptu huius sententiæ absurditatẽ perspicere. Quis enim eum docuit millenarias istas annorum conuersiones, & quod mille annis elapsis, quæuis anima ad suũ perueniat locum? nam quæ in medio sunt horũ, de his ne libidinosos quidem decuit ita pronunciare, nedum tantum Philosophum. Quippe eos qui vitam perfectissimis functi officijs egerunt, cùm intemperantibus & masculorum amatorib. composuit, eademque vtrosque manere dixit. Pythagoras ergo, Plato, Plotinus, alijq; horum, tribules immortalitatem animæ vno sensu ascribẽtes, eas corporib. priores affirmant, & esse quandam animarum gentem, ac eas quæ peccant ideo in corpora dilabi, pigrorumq; animas abire in asinos, rapacium in lupos, dolosorum in vulpes, mulierum amore furentium in equos. Sed Ecclesia diuinis astipulans Scripturis, animam vna cum corpore condi affirmat, neq; alterum altero prius esse, vt vecordi visum est Origeni.

Propter has igitur malas & pernicios as opiniones, aut deliria potius, vos hortamur, ô sanctissimi Patres, vt in vnũ collecti subiectam expositionem & singula eius capita examinetis, damnetisque vna cum Origene omnes qui idem sentiunt, aut quocunque tempore sentient. Patres his acceptis literis, omnibusque perpensis, exclamauerunt: Damnamus hæc omnia, & omnes qui ita sentiunt & sentient.

EPISTOLA II. IVSTINIANI AD CONCILIUM V. Oecumenicum.

Ex eodem Cedreno Auctore. Hæc litteræ Iustiniani conscriptæ cum concilio

MAiores nostri veræ fidei cultores, qui ante nos imperium piè administrauerunt, operam dederũt, vt quouis tempore enascentes hæreses Concilijs sanctissimorũ pontificum excinderent, veræque fidei puro præconio vulgato sanctam Dei ecclesiam pacatam conseruarent. Ideo Constantin. Magnus, Ario impiè affirmante Filium non esse eiusdem cum Deo patre substantiæ, sed ex nihilo conditum, Nicæam 318. patres cõuocauit, atq; ipse Concilio ei interfuit: vbi Ario

damna-

damnato & proscripto, veræ fidei confirmãdæ intentus fuit, quam diuini illi patres professi sunt, & quæ hodieque cantatur, Filium eiusdem esse cum Deo patre essentiæ, non ex nihilo creatum. Ac Theodosius deinde maior, Macedonio deitatem Spiritus sancti negante, & Apollinario discipulo eius Verbi in natura humana administrationem calumniante, & affirmante Verbum mentem humanam sibi non sociasse, verùm carni vnitum fuisse rationis experte anima præditæ: Cõstantinopolim patres CL. conuocauit, ipsoque præsente, cũ dicti hæretici vnà cum impijs suis opinionibus & sectatoribus damnati, communioneque Ecclesiæ exclusi essent, curam adhibuit vt veræ fidei doctrina prædicaretur. Sed & Theodosius minor, cum impius Nestorius diceret alium esse Deũ Verbum, alium Christum: ac Verbum quidem natura esse filium Dei, Christum tantùm ex gratia impiè autumaret, negaretq; beatam Mariam esse Dei genitricem: priorem sanctam Ephesinam synodum CC. patrum conuocauit, missis qui ei interessent præfectis, citato etiam ad dicendam causam Nestorio. Re diligentissimè cognita, Nestorius & eius sectatores damnati sunt. Re hoc modo procedente, contra sanctissimũ Cyrillum insurrexerunt qui erant à patre detestabilis Nestorij, conatique sunt (quantum in ipsis erat) rescindere sententiam quæ erat in Nestorium lata. Ibi Theodosius defendens orthodoxos contra Nestorij factionem, damnationem ipsius & impiarum opinionum quas asserebat ratam haberi curauit. Nam cum Nestoriani præterea etiam alia quædam crimina Cyrillo apud Imperatorem nugaciter impingerent, ad eum Cyrillus in hanc sententiam scripsit: Postquam mihi, pijssime Imperator, renunciatum est, quosdam garrulos instar vesparum ferarum susurris suis aures tuas personare, & maledicta in me eructare, nugantes me asserere Christi diuinum corpus cœlo delatum, & non de S. Virgine assumptum: itemque duos filios de sententia Nestorij confiteri: existimaui debere me aduersus ipsos pauca in hanc sententiam dicere. O fatui, & nullius rei nisi calumniandi gnari, quomodo in hãc deueniistis sententiam, tantumque insaniæ concepistis? Omnino enim oportebat hoc vos perspicuè sentire, totam hanc nostram de fide disputationem inde ortam, quod nos Mariam Deiparam esse contendimus. Atqui si, vt illi dicunt, nos corpus Christi diuinum cœlitùs venisse, non ex ipsa natum dicimus, qui ea possit Deipara dici? Quem enim tandem peperit, si hoc verum non est, quòd secundum carnem peperit Emmanuelem? Rideantur ergo, qui hæc & talia de me blaterant. Non enim mentitur Esaias, cum ita vaticinantur: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & ei nomen facient Emmanuelo: quod est, Nobiscum Deus. Et haud dubiè verũ dixit Gabrielus, angelorum princeps, Mariam ita alloquens: Ne metuas tibi Maria: Nam in gratiam Dei venisti. Ecce grauida eris, & paries filium, eique nomen Iesu impones, quia populum iste suum peccatis soluet. Cum autem Dominum nostrum Iesum Christum dicimus desuper de cœlo venisse, non eo sensu id dicimus, quasi putemus eum sanctam suam carnem de cœlo detulisse: sed sequimur S. Paulum, qui ita ait: Primus homo ex terra puluereus: secundus, Dominus è cœlo. Recordamur etiam ipsum Dominum dixisse: Nemo adscendit in cœlum, nisi qui descendit inde, filius hominis. At verò quod ad carnem attinet, natus est, sicut diximus, ex beata Virgine. Sed quoniam Verbum Dei cœlo degressum, se ipsum exinaniuit, formam serui assumendo, filiusque hominis appellatus est, cùm quidem idem permaneret qui antea fuerat, (est enim immutabilis, & nulli alterationi obnoxiæ naturæ) cùm iam vnus intelligeretur esse cum propria carne, dicitur de cœlo venisse. Et nominatur etiam homo de cœlo profectus, cum sit perfectus Deus, idemque perfectus homo: intelligiturque vna esse persona. Vnus enim est Dominus Iesus Christus tametsi naturarum discrimen non ignoretur ex quibus ineffabilem illam dicimus factam vnitionem. Fatemur itaque Verbum, vnigenitum Dei filium, Deum esse perfectum: & perfectum hominem corpore & anima ratione prædita constantem: quod ad Deitatem attinet, genitũ à patre ante secula: vltimis autem temporibus eundem nostrũ & salutis nostræ causa natum ex Maria virgine, quod ad humanam spectat naturam. Eundemque & essentiæ cum patre eiusdem ratione Deitatis: & eiusdem nobiscum essentiæ, ratione humanitatis. Duarum enim naturarum facta est vnio. Inde est, quòd vnum Christum, vnum filium, vnum Dominum confitemur. Atque huius inconfusæ vnionis consideratione, fatemur etiam sanctam Virginem verè fuisse Deiparam, ideò quod Deus Verbum carnem induit, & homo factus est: inque ipsa conceptione sibi vniuit templum, quod ex ipsa assumebat. Si placet, exempli loco assumamus nostrum ipsorum compositionem, quatenus homines sumus. Constamus nimirum anima & corpore. Ac videmus duas naturas, aliam corporis, aliam animæ: hominem verò, ex vtrisq; vnitione facta, vnum, neque compositio ex duabus naturis efficit, vt pro vno homine duos cogitemus: sed vnum (vt dixi) intelligimus hominem, ex anima & corpore compositũ. Si enim hoc tollamus, ex duabus & differentibus naturis vnũ & indiuulsum Christum ab vnitione extitisse, dicent aduersarij: Si vna natura totius Christi est, quomodo potuit humanam naturam induere, aut quam carnem sibi propriam adsciscere? Eos autem qui dicunt contemperationem, confusionem aut mixtionem naturarum verbi Dei cum carne factam: palam ijs ora obturare tua pietas dignetur. Posthęc Cyrillo mortuo, extitit monachus quidam, & claustri princeps, nomine Eutyches. Hic non exiguam populi partem sibi adiunxit, Nestorij opiniones probans, dicensque carnem Christi non eiusdem cum nostra esse naturæ. Et quidem rursus non multo post diabolica manu prævalente, aliud Ephesi Concilium latronum, nequaquam sanctum, cogitur: misso ad id etiam Flauiano Constantinopolitano episcopo, cùm penes Dioscorum Alexandriæ episcopum summa rerum ibi esset. Flauianus veritatem tuens in eo concilio, occiditur: & priori synodo Ephesinæ autoritas abrogatur, subscribẽtibus posteriori huic quibusdam episcopis vi latronum cò cõpulsis, inter quos fuit etiam Basilius Seleuciæ episcopus. Inde cùm publicè docerentur Nestorij, Dioscori & Eutychis pernicioſæ opiniones, magniq; præsertim in Oriente exisserent tumultus, occisi sunt Proterius episcopus, & alij plurimi. Eo rerum statu diuina prouidentia Marcianum imperatorẽ creat. Is interfuit à se coacto Chalcedone D. CXXX. patrum Concilio, præsentibus etiam Dioscoro & Eutychete. Ibi rursus damnantur Dioscorus, Eutyches & Nestorius: approbantur Theodoritus, Ibas & Basilius Seleuciæ episcopus, cum tandem priori Concilio subscripsissent. Ita abolitis prædatoriæ Synodi actis, & damnatis, concordia à sanctis patribus inter omnes conciliata est. His quatuor Concilijs sic actis, & autoritate roboratis, eamque in Ecclesia Dei obtinentibus Nestoriani denuò conati sunt suam hæresim confirmare, opera Theodori Mopsuestiæ episcopi, qui magistrum suum Nestorium impiè de rebus sacris loquendo superabat. Proinde nos vestigijs maiorum nostrorum insistentes, cupientesque veram fidem integram conseruare, hortamur vos, vt huius quoque scelerata mendacia examinantes, de eo sectatoribus ipsius statuatis. Nam præter innumera alia, quæ impie in Christum Deum nostrum maledicta euomuit, id quoq; protulit, alium esse Deum verbum, alium Christum, qui animi perturbationibus & carnis cupiditatibus molestiam ipsi exhibentibus paulatim à deterioribus desistens, factorum profectum in melius euaserit, inculpataque optimæ vitæ ratione vsus sit. Qui, vt nudus homo, in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti baptizatus, per baptismum gratiam Spiritus sancti consecutus, adoptione sit dignatus: ad similitudinem regiæ imaginis Christum in persona verbi Dei adoratus, post resurrectionem animo constanti & peccatorum vacuo fuerit. Præterea pronunciauit, eam fuisse verbi cum Christo vnitionem, quæ est ab Apostolo dicta viri cum muliere: Et erunt duo in vna carne. Adhæc vos hortor, vt ea etiam examinetis, quæ à Theodorito & Iba malè scripta sunt contra prius Ephesinum sanctum Concilium, contraque eos eodem modo sententiam feratis.

Exemplũ vnionis hypostaticæ.

Eutyches.

Ephesina violenta synodus.

Chalcedonensis synodus.

Theodori Mopsuesteni blasphemiæ.

Theodoritus & Iba.

Cyrilli ad Theodosij calumniæ.

Vnionem naturarũ in persona Christi, probata.

Matt.

"

"

Luc. Matt. Christus quomodo de cœlo.

1. Cor. 15. Ioan. 3.

"

Phil.

FRAGMENTVM CONCILIJ Constantinopolitani siue V. Oecumenici Vniuersalis, de Hierosolymitana Ecclesia erecta in Patriarchatum.

* Domni Hierosol. eccles erecta in Patriarchatum.

TEmpore prædicti Principis, *Iustiniani videlicet*, congregata est Synodus generalis apud Constantinopolim, tempore Domini Vigilij Papæ, Eutychij Constantinopolitani, Apollinaris Alexandrini, Pauli* Antiocheni, & Eustochij Hierosolymitani Patriarcharum, super Tribus capitulis, &c. In qua Synodo post alias populo Dei necessarias institutiones, quas pro tempore promulgandas decreuerat sanctorum Patrum, qui ad eam conuenerant auctoritas, prædictam Deo amabilem Hierosolymitanam honorare Ecclesiam, & eius Episcopo locum inter Patriarchas dare, communi sanxit voluntate, reuerentiam exhibens sanctæ Resurrectioni. Et quoniam prædicta Dei cultrix ciuitas, quasi in limite Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum erat, nec haberet vnde illi vrbi ordinaret Suffraganeos, nisi vtrique Patriarchæ aliquid detraheret: visum est expedire, ab vtroque aliquid detrahere, vt eidem iuxta formam aliorum Patriarchatuum ordinaret subiectos. Subtraxerunt ergo Antiocheno Cæsariensem & Scythopolitanum Metropolitanos, Alexandrino vero Rubensem & Berythensem item Metropolitanos. Et quoniam iterum eundem Patriarcham oportebat habere præter supradictos Metropolitanos familiares Suffraganeos, quos Græci Cancellos* vocant: subtraxerunt prædictis Metropolitanis quosdam Episcopos, & quosdam de nouo erexerunt vsque ad vigesimum quintum, quorum nomina subiunximus, computatis prius Metropolitanis & Suffraganeis eorum. Est autem ordo talis: Dorensis, Antipatrita, &c.

*Syncellos

NOTÆ in Concilium V. Oecumenicum seu Vniuersale.

Hæc synodus à quo indicta.

Concilium.] *Hanc synodum Vigilius Papa auctoritate Pontificiâ indixit: Iustinianus opera, studio ac fauore suo eandem congregauit. Cum enim imperator limites imperij prætergressus, ad vmendos Ecclesiæ Catholicæ Eutychianos & Acephalos, hortatu Theodori Episcopi Cæsareæ Cappadociæ, de trium capitulorum damnatione, edictum (de quo supra) promulgasset; Vigilius vero edicenti obstitisset, vtriusque consensu tandem constitutum fuit, vt sublato edicto, controuersiæ decisio ad vniuersalis Concilij congregationem suspenderetur. Quod cum Imperator prout conuentum erat, præstitisset, auctoritate Vigilij hanc synodum conuocauit. Qui cum experientia didicerat, oppugnatores trium capitulorum & defensores Concilij, (quos synoditas vocant) nequaquam suo edicto obtemperaturos, nisi illud Episcoporum decreto atque auctoritate Pontificia confirmaretur, indefesso haud dubie studio ac labore curauit, vt ex Vigilij Papæ sententia synodus Oecumenica perageretur. Incitabat eundem Imperatorem magna illa fiducia, quâ sibi pollicebatur fore, vt editum à se de tribus capitulis decretum, Patres Concilij sua sententia corroborarent, atque ita omni tergiuersandi causa ac ratione sublatâ, occulti Eutychiani & Seueriani (qui à defensoribus Concilij Hæsitantes nominabantur) Chalcedonense Concilium facilius reciperent, & ad vnionem Ecclesiæ Catholicæ redirent. Pijs hisce Iustiniani votis ac desiderijs, Vigilius Papa non potuit non consentire. Sed cum Imperator propositi tenacissimus, suam de tribus capitulis damnandis sententiam, pluribus Episcoporum suffragijs confirmari optaret, neque aliter id futurum esse speraret, quàm si in Oriente conuentus Episcoporum celebraretur, atque ad illud Orientales tantum Episcopi, quos in suam sententiam fere omnes pertraxerat, accersirentur, ideo nullum ex Occidente Episcopum ad synodum inuitauit; sed illos duntaxat Orientis Antistites vocauit, qui vel acerrimi Theodori Mopsuesteni impugnatores erant, vel quos ille sibi beneficijs deuinxerat. Hoc factum Imperatoris turpissimum, Vigilius Papa acerrimè reprehendit. Et quamquam ob controuersiam illam, cuius gratia vniuersus ferè Orbis Occidentalis ab Orientali Ecclesia diuisus erat, nõ alibi quàm in Sicilia, vel in aliqua alia Occidentali ciuitate conuenire debere Pontifex allegaret; tamen hâc in re voluntati Imperatoris, eiusque sententiæ lubens accessit; quando Imperator ad auertendum schismatis periculum (quod, nisi Itali & Africani Episcopi vocarentur, inde certo oriturum prædicebatur,) Vigilio acquieuit, pariterque numeri Episcopos ex Oriente & Occidente conuocauit. Imperator interea, dum vocati ex Occidente exspectabantur, edictum suum de tribus capitulis à se ante conscriptum & promulgatum, ad Pontificem Vigilium misit, vt suam de ijsdem capitulis sententiam, scripto proferret. Hâc occasione Pontifex, post impetratas viginti dierum inducias, quantumuis ab ægra corporis valetudine nondum conualuisset, constitutum illud conscripsit, & ad Imperatorem remisit, eo tempore, quo huius Concilij quinta collatio siue sessio celebrata fuit.*

Constitutum Vigilij.

Constitutum Vigilij è bibliotheca Vaticana per annales Baronij acceptum, actis huius Concilij tanquam fragmentum post actauam Collationem inserui. Id fecisse non erit ingratum spero: maximè cum ex actis Concilij non obscurè colligatur, ipsum collatione sexta in consessu Episcoporum recitatum fuisse. Acta Concilij quæ in hunc diem edita reperiuntur, alibi mendosa sunt: alibi commentitijs scriptis aucta: atque etiam pluribus in locis mutilata extant. Leges illæ Theodosij Imperatoris aduersus Nestorium prolatæ, quæ recitantur quinta collatione, in Codice Theodosiano, atque in Actis Concilij Ephesini, longe aliter se habent. Sexta collatione duo aut plura mendacia de Iba Epistola, Chalcedonensi Concilio plane contraria leguntur; illaque verba: Qui est Dominus noster Iesus Christus vnus de S. Trinitate: de quibus Eutychiani sub Hormisda Papa diu altercati fuerunt, textui Chalcedonensis Concilij superadditæ inueniuntur. Quibus sanè imposituris tota fere collatio sexta in magnam suspicionem fraudis, doli ac surreptionis inducitur. Epistola illa, quæ sub nomine Theodureti, ad Ioannem Antiochenum, de obitu Cyrilli gaudentis, recitata dicitur, ne quissimi & sceleratissimi alicuius nebulonis Eutychiani commentum est, adeoq; surreptitie huius Concilij actis intrusa. Nam ante obitum Cyrilli, Ioannem Antiochenum Episcopum ex humanis sublatum; & in locum eiusdem, Dommum suffectum fuisse; Chronicon Nicephori, aliorũq; qui successiones Patriarcharum Antiochiæ & Alexandriæ descripserunt; illa denique epistola, quàm S. Cyrillus ad Dommum Antiochenum Episcopum, & Ioannis successorem scripsit, euidenter attestantur. Quomodo igitur Theodoretus de obitu Cyrilli ad Ioannem scripsisse potuit? Decurtationem & mutilationem Actorum indicant illa fragmenta, quæ in fine huius synodi subiungi curauimus: quod que vel nulla leuis tantum mentio reperiatur de condemnatis erroribus Origenis, quos cum Origene, eiusque sectarijs Didymo & Euagrio, hac synodo condemnatos esse, testantur acta septimæ synodi actione prima. Nicephorus lib. 17. cap. 27.

Acta Concilij commentitijs scriptis aucta.

Acta Concilij mutilata.

Hæc ab Origenistis illis, qui huic synodo præfuerunt, & quorum summa apud Imperatorem auctoritas erat, furtim ablata fuisse, nemo est qui dubitare possit. Origenistarum patronus erat Theodorus Episcop. Cæsareæ Cappadociæ, horum omnium malorum primus concinnator; qui vt aliquo prætextu pacis futuræ, Concilij Chalcedonensis capitula damnarentur, dolosè suaserat Imperatori, vt de tribus capitulis damnandis, Edictum proponeret. Quis neget eundem Theodorum abstuliisse ab Actis huius Concilij, quæ suæ causæ aduersa fuerunt? Accedit, quòd & Eutychius Constantinopolitanus Episcopus, huius Concilij Præses, in non leuem suspicionem Origenismi induci possit; cùm secundum errores Origenis illud aliquando sensisse certum sit: non cum eadem carne, atque membris ijsdem corpus nostrũ resurrecturum; licèt redargutus postea à S. Gregorio Papa, tunc Diacono Apocrisario Romanæ Ecclesiæ, eo errore abdicato, Catholicè obierit. Post hæc tempora, hanc eandem synodum à Monotheletis corruptam fuisse duplici argumento conuincitur ex Actis sextæ synodi; quibus refertur primum, quòd Monotheletæ epistolam quandam sub Mennæ Constantinopolitani Episcopi nomine, ad Vigilium Papam conscriptam, de vnica in Christo voluntate ediderint, eamque diuulgarint sub titulo quintæ synodi, quasi ex actis eiusdem synodi deprompta foret: ad quam stropham detegendam, legati sedis Apostolicæ in sexta synodo ostenderunt, actis huius Quinti Concilij Oecumenici, tres quaterniones (dolo ac fraude Monotheletarum haud dubie) recens annexos esse. Rursus verò dum in præd. sexti synodo legeretur actio septima Quintæ synodi, inuentæ sunt in ea, duæ superadditæ, Epistolæ, Vigilij Papæ nomine inscriptæ; quarum altera ad Iustinianum Imperatorem: altera ad Theodoram Augustam data habetur: quibus Vigilius Papa assereret, vnam esse in Christo operationem. Hæc Monotheletæ sine dubio affinxerant sanctissimo Pontifici, vt vnius operationis in Christo vnicum esse principium ostenderent. Commentitias atque suppositas fuisse huius synodi Epistolas, ijdem legati sedis Apostolicæ manifestè probarunt. Hanc ob causam legati supradicti, cum prædictas impostoras hæreticorum detexissent, actione 14.

Acta huius Concilij à Monotheletis corrupta.

Qui qualesue Episcopi ab Imperatore conuocati.

Eutychius Constantinopolitanus Episcopus.

Confirmatum Vigilij.

eiusdem sexti Concilij anathema dixerunt in eos, qui quoquo modo quintam synodum corruperunt. Quibus igitur latrocinijs, furtis ac corruptelis hæc sancta synodus diuersis hæreticis diuersorum temporum exposita, quas iacturas, quæue naufragia perpessa fuerit, nemo non videt. Eo tempore, quo Vigilius Papa hanc synodum approbauit & confirmauit, Acta synodalia huius Concilij, inter alia scripta authentica collocata fuerunt; quæ si posteri & successores diligenter conseruassent, non foret opus corruptam hanc & mutilatam à Græcis accipere.

Germana exemplaria quintæ synodi, vidit & cognouit Sanctus Gregorius, qui lib. 12. epist. 7. scribit, se eadem misisse ad Theodolindam Longobardorum Reginam, eiusq; filium Adulouualdum, renuentem aliquando ea de causa Ecclesiæ Catholicæ communicare ideo, quod accepisset, ex eadem synodo derogari scriptis S. Leonis Papæ, quæ vniuersa Ecclesia pro sacrosanctis & authenticis toto orbe terrarum recepisset. Hæc ex Baronij annalibus anno potissimum 553.

Constantinopolitanum.] Hoc Concilium Constantinopoli, quæ imitio singularum collationum vrbs regia nominatur, celebratum esse, ipsa Acta Concilij attestantur. Vigilius Pontifex in Sicilia, vel in alia quadam ciuitate Italiæ maritima, eam celebrari optauerat ideo; quòd ob promulgatum de tribus capitulis edictum Imperatoris, Africani atque Occidentales Episcopi, maxima ex parte sese ab Orientalibus segregassent, atque ita grauioris schismatis periculum metuendum foret, si non huius controuersiæ synodali decisioni, ipsi quoque magno numero interessent. Qua occasione Pontifex postea Imperatori de loco seligendo consenserit, paulo ante, verbo Concilium supra enarraui. Hæc ex constituto Vigilij ad Iustinianum, &c.

Oecumenicum.] Vniuersale & Oecumenicum fuisse hoc Cõcilium, quo Origenes cum Theodoro Mopsuesteno aliysue aliorum scriptis condemnatus fuit, primum manifeste attestatur Concilium Nicæn. II. actione 1. hisce verbis: Itaque cum sancta vniuersalis Quinta synodus Constantinopoli esset congregata, communi & generali anathemate reiecti sunt Origenes & Theodorus Episcopus Mopsuestiæ. &c. Secundo idem probatur apertissimo testimonio Guilielmi Tyr. de bello sacro lib. 14. cap. 14. vbi hæc scribit. Tempore prædicti Principis (Iustini) congregata est synodus generalis apud Constantinopolim tempore Domini Vigilij Papæ: Eutychij Constantinopolitani &c. super tribus capitulis &c. quæ extant in fine Actorum synodalium.

Præsedit huic Concilio non Mennas, vt falsò docet Caluinus, sed Eutychius Mennæ successor; qui tamen scriptâ ad Vigilium epistola professus est, præsidentiam non sibi, sed Vigilio Pontifici iure deberi, si Concilio interesse vellet. Petimus, inquit Eutychius prædicta epistola ad Vigilium, præsidente nobis vestra Beatitudine de tribus capitulis quæri & conferri. Vnde Zonaras in vita Iustiniani: sub hoc, inquit, Quintum Concilium est coactum centum sexaginta quinque Episcoporum, quorum princeps fuit Vigilius Papa Romanus. Hunc Concilio Vigilius Pontifex, neque per se, neque per legatos interfuit: contradixit eidem, quando sine capite mẽbra coirent: dum ageretur non consensit, absolutumque non statim, prout moris erat, ratum habuit: tamen ipsum nomen, titulum & auctoritatem Oecumenici Concilij obtinuit, quando ipsius Vigilij & successorum Romanorum Pontificum sententiâ, approbatum fuit. Vt aliqua synodus, cui nec per legatos, nec per seipsum Pontifex interfuit, sed potius aduersatus fuit, titulum Oecumenicæ obtineret, quando id fieri Romanus Pontifex volebat, nouum non est. Supra enim tomo primo, in Notis Cõcilij Constantinopolitani primi sub Damaso notaui, quod illud Concilium sub Theodosio celebratum fuerit repugnante Damaso, qui illud Romæ celebrandum indixerat: sed cum postea Pontifex consentiret, factum est Concilium Oecumenicum, quod initio non legitimè congregatum erat. Baronius anno 553. numer. 224.

Quintum.] Alibi Constantinopolitanum secundum nominatur non minus verè. Ex supradictis enim constat, nullam aliam synodum Constantinopoli ante hæc tempora celebratam Oecumenicæ titulum & nomen obtinuisse vnquã, quàm illã quæ celebrata est sub Damaso, anno Domini 381. Quæ si Constantinopolitana vniuersalis prima fuerit, hanc sine dubio secundam esse fateri oportet. Illam sub Agapeto & Menna Constantinopoli habitam Synodum, vtiosè & mendose Oecumenicam vocari, supra non vno in loco annotaui.

Approbatum.] Pelagium Sancti Gregorij antecessorem, hanc Synodum approbasse, patet ex illo libro, quem teste Gregorio lib. 2. epist. 36. conscripsit aduersus schismaticos illos, qui repudiantes hoc Concilium tanquam Chalcedonensi contrarium, se ab vnitate Ecclesiæ separauerant. Quod Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus futurum promiserat, vt Eutychiani illi hæretici, qui dicebantur Hæsitantes, condemnatis tribus capitulis, sacrosanctum Chalcedonẽse Concilium reciperent, post huius finem non est impetratũ; sed potius grauissimum malum Ecclesiæ superadditum fuit: nam cum defensores trium capitulorum vna cum Vigilio Pontifice Decreto Concilij non acquiescerent, vniuersa Ecclesia Catholica schismate dilacerata fuit: & quod peius est, Imperator excitauit persecutionẽ, qua Vigilium Constituto suo inhærentem, Victorem Africanum, aliosque consentientes (teste Liberato & Anastasio) vel deposuit, vel in exilium ablegauit.

De probatione autem huius quintæ synodi S. Gregorius lib. 1. epist. 24. ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum hæc habet: Quintum quoque Concilium pariter veneror: in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur: in quo Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur: & in quo scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides repræhenditur ausu dementiæ prolata reperiuntur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia prorsus respuunt, respuo: quas venerantur, complector: quia dum vniuersali consensu sunt constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere, quos religant; aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo patre per Iesum Christum filium eius, qui cum eo viuit & regnat consubstantialiter Deus, in vnitate Spiritus sancti, per omnia secula sæculorum Amen. Hæc Gregorius. Quod verò nihil contra Chalcedonense Concilium hic definitum fuerit, testatur idem Gregor. epist. 4. lib. 3. epist. 10. lib. 2. epist. 53. lib. 7. At non Gregorius tantum cum prædecessoribus Romanis Pontificibus; sed & successores omnes hanc Quintam synodum receperunt & confirmarunt. Constat id de Leone secundo, qui ad Constantium Imperatorem scribens, eandem synodum confirmauit per epistolam illam, quæ in sexta synodo recitatur.

Præstitit idem Hadrianus Papa in Epistola ad Nectarium data. Omnes denique synodi Oecumenicæ post hanc celebratæ, eandem pro vniuersali synodo cognouerunt, receperunt atque approbauerunt; adeo vt nihil penitus superfit, quod auctoritatem huius sacrosancti Cõcilij dubiam aut suspectam reddere possit. A Vigilio Pontifice synodum confirmatam & approbatam fuisse, nemo dubitat: quo tempore autem, quoue modo eam approbauerit Vigilius, controuertitur. Per literas eum synodo consensisse scribunt Euagrius lib. 4. ca. 37. Niceph. lib. 17. c. 27. & 28. Cedrenus, Zonaras & Photius libello de septem synodis, aliique plures. Contra vero manifestum est ex præcedentibus, quod tempore Concilij Vigilius Papa constitutum suum de tribus capitulis comprobandis ad Imperatorem & synodum transmiserit, in quo synodali sententiæ de condemnandis tribus capitulis plane contradicebat. Constat item ex ijsdem, quæ supra dixi, quod post finem Concilij Iustinianus Imperator Vigilium aliosque Orthodoxos Antistites in exilium relegauerit; quia damnationem trium capitulorum, cæteraque synodalia Decreta non reciperent. Quod si verum est, non video, quomodo dicant prædicti scriptores, Vigilium per literas synodo consensum præbuisse, cum nullam relegãdi causam habuisset Imperator, si Pontifex Concilij sententiam approbasset, eiq; per scriptum suum non contradixisse. Itaque verius esse existimo, quod Vigilius tum demum abrogato, quod prius pro defensione trium capitulorum fecerat constituto, hanc synodum suo decreto, suaque auctoritate Pontificia confirmauerit, quando vendicata per Narsetem à Gothis Italia, anno primo post absolutum Concilium Oecumenicum ab exilio solutus, ab Imperatore acerrimo trium capitulorum hoste & impugnatore muneribus, donis ac priuilegijs ornatus, in Italiam redire permissus fuit.

Ne quis vero Nouator hæreticus ex hoc facto Vigilij sedi Apostolicæ vel suspicionem hæreseos, vel crimen præuaricationis obijcere possit ideo, quod Vigilius semel suo constituto tria capitula defenderit, quæ post ea ad Concilij & Imperatoris sententiam accedens, vicissim condemnauit; quodque ille ante exilium, synodum oppugnarit atque reiecerit: quam solutus ab exilio approbauit, & Oecumenicam deinceps censeri voluit: Ne quis, inquã, hac de causa Vigilio, sedíq; Apostolicæ, vel errorem, vel turpitudinis maculam impingere possit. Sciendum est, in his disceptationibus, teste Sancto Gregorio lib. r. 3. epistol. 37. de tribus capitulis non fuisse quæstionem vllam de fide; sed tantummodo de personis; quæ pro diuersitate circumstãtiarum citra

periculum

iſſe probatur.

S. Gregorius hanc synodum approbauit.

Leo 10. & Adrianus synodum quintam confirmarunt.

An quomodo & quando Vigilius Quintam synodum approbauerit.

Nouatorũ calumnia præoccupatur & refellitur.

periculum hæreseos, vel etiam vllius alterius criminis, quandoque affirmari, quandoque negari poterat.

Cur Vigilius tria capitula aliquando defenderit; & aliquando impugnauerit.

Cum igitur ante Concilium in Africana Occidentali Ecclesia schisma ortum fuisset ideo, quod Vigilius Papa ad sententiam Imperatoris accessisset; Schismatis, sacrilegij & scandali euitandi gratia opus erat, vt pro defensione trium capitulorum constitutum ederet, cuius virtute Occidentales Ecclesiæ vnirentur, contemptuq; Concilij Chalcedonensis, quem Impugnatores trium capitulorum per dolum & fraudem intendebant, euitaretur; denique etiam vniuersa Ecclesia hoc exemplo disceret neminem in vera fide defunctum, post mortem condemnari debere. Cum vero post finem huius Quinti Concilij, grauiori damno Ecclesia afficeretur, Imperator contradicentes synodali decreto persequeretur, totusque Oriens à Romana atque Occidentali Ecclesia diuidendus ac separandus metueretur, si non Romanus Pontifex Quintam synodum approbaret; Vigilius Pontifex in causa, quæ nihil præiudicij Orthodoxæ fidei afferre poterat, nouis emergentibus causis, iure meritoque priorem sententiam mutauit, Decretum synodale, de condemnandis tribus capitulis approbauit, quodque ante ea ediderat Constitutum, pro defensione trium capitulorum à se promulgatum reuocauit atque irritum reddidit. Prudens & pius Pontifex hac in re prudenter est imitatus S. Paulum, qui quantumuis ante ea de abroganda circumcisione suffragium suum tulisset, postmodum tamen noua causa obortâ, Timotheum circumcidit: nouoque scandali periculo emergente, Petro ad tempus dissimulanti in faciem restitit. Hæc Synodus non minoris auctoritatis est, quam præcedentes quatuor Oecumenicæ: vt patet auctoritate S. Gregorij locis supra allegatis. Quod vero S. Patres dum agunt de Concilijs, hãc quintam synodum non eodem præconio eademque fiducia laudant, ex ea causa accidisse videtur, quod in ea nihil de fide: sed tantum de personis actum fuerit: in quatuor autem superioribus Oecumenicis Concilijs tractatum sit de diuinitate Filij Dei, & Spiritus sancti, atque de Incarnatione Verbi, quæ sunt præcipua fidei Christianæ dogmata. Baronius anno 553. numer. 223. & seqq. Item anno 554. numer. 4. an. 555. num. 11. anno 556. numer. 2. & 4. anno 557. numer. secundo.

Cur S. Patres hanc synodum minus laudent, quã præcedentes quatuor.

Numerus Episcoporum.

Centum sexaginta quinque Episcopi.] *Huic Concilio interfuisse & subscripsisse centum sexaginta quinque Episcopos, testantur Acta Concilij. Zonaras in vita Iustiniani verbis supra memoratis. Nicephorus lib. 17. cap. 9. seqq. aliique plures. Omnes Patriarchæ præter Romanum Pontificem, vel ipsi in persona propria, vel per suos legatos Concilio interfuerunt. Ex horum numero Eutychius Constãtinopolitanus Episcopus, Concilio iure fortasse sibi delegato præsedit: eo enim scripto, quo Vigilium ad Concilium inuitarat, profitetur, illud munus soli Romano Pontifici concessum fuisse. Vide Bellarm. lib. 1. de Conc. c. 5. & 19.*

Theodorus Mopsuestenus describitur.

Theodorum Mopsuestenum.] *Theodorus Mopsuestenus olim* EPISCOPVS, *deserto Monachismo luxuriæ sordibus se totum immerserat. Ex quibus cum illum S. Ioannes Chrysostomus illa epistola, quæ ad Theodorum lapsum scripta reperitur, extrahere non potuisset, in pernicioſam hæresim prolapsus, quat ernitatem in diuinis, aliasq; nefandas blasphemias, quæ in Edicto Iustiniani & Constituto Vigilij supra recensentur, introduxit. Idem quoque Nestorij fautores agnoscunt: sed addunt illum (vt videre est ex epistola Ioannis Antiocheni ad Nestorium, quæ extat in actis Concilij Ephesini) palinodiam recantasse. Quod sanè tuto credi posset, nisi Iustinianus Imperator in suo edicto illum in sua impietate vsque ad obitum permansisse testaretur. Ex schola huius Theodori prodierunt Nestorius & Ioannes Antiochenus Episcopus, quorum pernicioso factu omnis clades Orientalis Ecclesiæ olim obortæ fuerat. Nefandissimum hæreticum Theodoretus & Sozomenus laudarunt adeo, vt hac de causa vterque magnam nominis sui iacturam passus fuerit. Theodoretus huius rei gratia, etiam postquam in Chalcedonensi Concilio ad pœnitentiam & communionem Ecclesiæ receptus fuisset, ab Eutychianis & Hæsitantibus hæreticis, de hæresi Nestoriana accusatus fuit; eiusque adeo studiosus extitit, vt à multis creditum fuerit, illum ab hoc Theodoro sibi nomen Theodoreti imposuisse. Sozomenum eiusque historiam (inquit S. Gregorius lib. 6. epist. 95.) sedes Apostolica recipere recusat: quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, atque ad diem obitus sui magnum Doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Ex edicto Iustini Imperatoris, quod recitatur supra collat. 7. apertè constat, quod ob deuictos Eutychianos non tantum Catholici: sed etiam Nestoriani triumphum egerint, postque Theodoreti imaginem gloriosè in vrbem introductam, huius Theodori, sicut etiam Diodori Tarsensis atque Nestorij memoriam solemni cultu celebrarint. Quando edicto Imperatoris Theodosij anno Christi 435. sancitum fuisset, vt quotquot inuenirentur libri Nestorianorum, igne cremarentur; Nestoriani libros Theodori vbique legendos exposuerunt; & quo latius eiusdem volumina spargerentur, in Armenorum, Syrorum atque Persarum linguam transferri curarunt; atq; vt viderentur Catholici, pro defensione duarum naturarum in Christi persona, contra Eunomium & Apollinarem inscripti fuerunt. Horum occasione habitum est Concilium Armeniæ, de quo vide quæ notauimus supra tom. 1. Concil. sub pontificatu Sixti III. Hæc scripta Theodori, non tantum à Ioanne Antiocheno; sed etiam edicto Imperatoris, scriptoq; Cyrilli ac deniq; Chalcedonens. Concilij decreto approbata fuisse, scribit Liberatus in breuiario cap. 10. Verum nimis impudenter & incautè, vt infra in Notis ad Liberatum apertè demonstrabo. Idem Theodorus symbolum ediderat, quod Ephesinum & Chalcedonense Concilia iure meritoque condemnarunt.* Cum multa opuscula contra Origenem edidisset, *inquit Liberatus in breuiario cap. 24.* Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus acerrimus Origenis defensor, secta Acephalus, illi hanc controuersiam mouit. *Et quantumuis iam diu mortuus fuisset, in hoc tamen deduxit iudicium, quo eum ob sexaginta errores in Constituto Vigilij recensitos, iure excommunicatum fuisse, pontificalis & synodalis sententia declarauit. Vide Notas Concilij Mopsuesteni supra. Baronium anno 427. 428. & 435. Posseuinum in apparatu sacro verbo*, Theodorus Mopsuestenus.

Epistolam Ibæ.] *Ibas Edessæ Episcopus in Syria, vna cum aliis* Ibæ defensio bitur. *Orientalibus Syriæ Episcopis stetit pro Nestorio cum Ioanne Episcopo Antiocheno contra Sanctum Cyrillum Alexandrinum, vsque ad tempus illud, cum per Paulum Emesenum res inter Ioannem & Cyrillum compositæ fuerunt. Post initam verò pacem & concordiam, postque declarationem capitulorum S. Cyrilli, cum eodem tanquam verè Catholico communicauit. Apud acta Concilij Chalcedonensis apertè profitetur, se vsque ad reconciliationem, Cyrilli hostem perstitisse, eundemq; hæreticum appellasse; cumque eodem tum demum communicasse, quando capitulis suis per scriptum declaratis* IOANNI *Antiocheno cæterisque Orientalibus reconciliatus fuit.*

Hic Nestorianismi accusatus non tantum à Tyrio & Berythensi; verum etiam in Chalcedonensi Concilio ab aduersariorum calumnia iustè meritoq; absolutus fuit, quem Concilibabulum Ephesinum per calumnias condemnatum Episcopatu amouerat. Epistola eiusdem Ibæ, *quæ in hoc iudicium vocata, quæque hic & supra in Chalcedonensi Concilio actione 10. recitata habetur, inter Ioannem & Sanctum Cyrillum vsque ad reconciliationẽ res gestas describit. Inter alia laudes Theodori Mopsuesteni, & vituperia S. Cyrilli continet. Dum Ibas Nestorianismi in prædictis tribus Concilijs accusaretur, prouocatum est ad hanc epistolam, qua Nestorianus esse conuinceretur, qui Theodorum Nestorij magistrum tantopere commendauit, eumque à Rabula Edesseno Episcopo iniustè damnatum fuisse allegauit. Ibas illam à se scriptam quidem agnouit; sed post initam pacem & concordiam inter Cyrillum & Ioannem, se nunc longè aliter sentire professus fuit. Quod cum ille præstitisset, Patres Concilij eum, quantumuis epistolam hæreticam, multisque calumnijs refertam scripsisset, iusto iudicio ab aduersariorum calumnia absoluerunt, atq; ad communionem Ecclesiæ receperunt. Et meritò: Si enim Ecclesia iustè ad pœnitentiam & communionem admisit Ioannem Antiochenum Episcopum, quanquam pro Theodoro eiusq; laudibus, teste Liberato cap. 13. tres epistolas, vnam ad Theodosium, alteram ad Cyrillum, & 3. ad Proclum Constantinopolitanum scripsisset: Item si extra vllam reprehensionem Patres Concilij Chalcedonensis ad vnionem Ecclesiæ admiserunt Theodoretum, qui pluribus scriptis Theodorum Mopsuestenum laudauit, & capitula S. Cyrilli impugnauit; quis Ibam respicientem, priora scripta sua reuocantem, Nestorio anathema dicentem reprehendat, & ab ingressu Ecclesia separet ideo: quod aliquando Theodorum laudarit & Cyrillum oderit? Cum priori controuersia de fide Ibæ Episcopi planè sopita, vicissim his temporib. Nestoriani Epistolæ Ibæ abuterentur falsoq; asserirent, eam à Patribus Concilij Chalcedonensis receptam esse, ac proinde ab ijsdem probata videri ea omnia, quæ hac epistola continentur, denique cum hac occasione fieret, vt Chalcedonense Concilium, quasi hoc blasphemam Ibæ epistolam susciperet & comprobaret, à pluribus contemneretur, necessum erat, vt Synodali iudicio decerneretur, impiam & hæreticam esse epistolam, quantumuis scriptor eiusdem epistolæ catholicus esset, & contra calumniam aduersariorum, crimen*

Epistola Ibæ quæ & qualis.

Ibas Chalced. Concil. sententia iustè abolita fuit.

hæreseos

hæreseos illi impingentium, sententiâ Chalcedonensis Concilij ante hac munitus atque defensus fuisset. Qui impiâ contenta epistolâ à prad. Chalcedonensi Concilio accepta & approbata fuisse asserunt, sacrosanctã synodũ Oecumenicam summa iniuria afficiunt, vt dixi supra in Notis eiusdem Concilij, verbo approbatum. Ne mireris, quomodo (quod factum fuisse acta Chalcedonens. Concilij testantur,) ex impia & hæretica epistola scriptor atque auctor epistolæ Catholicus esse colligi & probari potuerit; velim scias, quod Ibas epistolam hanc immediatè post concordiam & pacem inter Sanct. Cyrillum & Ioannem Antiochenum initam scripserit; seque pacis eidem consentire ex eo ostenderit, quod de restituta concordia in eadem Deo gratias ageret.

Hinc inquam legati sedis Apostolicæ manifestè cognouerunt, atque interlocuti fuerunt, quod Ibas Catholicus sit, Nestorium condemnarit, primique Ephesini Concilij decreta receperit; cum ea conditione inter Ioannem Antiochenum & Cyrillum transactum fuisset, vt Nestorium eiusque errores, vtraque pars condemnaret, atque decreta SS. Ephesini Concilij profiteretur. Hac eadem de causa Eunomius Constantinopolitanus Episcopus Præses huius Concilij, dum legeretur prædicta Ibæ epistola, dicebat, ipsam in principio apparere hæreticam: in fine vero inuentam esse Catholicam. Ibas hanc epistolam scripsit post vnionem pacemque factam Anno Domini 432. sub Pontificatu Sixti tertij, vt ibidem annotaui. Acta collationis sextæ non vno in loco manifestè indicant, quod Ibas contra se productam epistolam non agnouerit, dum in Tyrio, Berythensi & Chalcedonensi Concilio hæreseos accusabatur. Idem sensit Sanct. Gregorius lib. 7. epistol. 53. qua conatur demonstrare hanc epistolam ab Iba non fuisse conscriptam. Epiphanius contra Gregorium disputans Action. 6. Concilij Niceni II. idem confirmat. Verumhæc sententia actis Berythensibus, quæ recitantur actione decima in Concilio Chalcedonensi, manifestè repugnat. Nam ibidem expressè indicatur, quod Ibas epistolam suam esse agnouerit, quodque negatis criminibus, quæ sibi obijciebantur, ad lectionem epistolæ suæ Patres Concilij Chalcedonensis inuitauerit: ipsique legati sedis Apostolicæ, alyque Episcopi subscriptione sua idem professi fuerint.

Apud Acta Quintæ synodi aliosque Patres supra allegatos contrarium inueniri, non est mirum, cum certissimis argumentis supra probatum sit, huius Concilij acta pluribus in locis dolo hæreticorum corrupta, deprauata, mutilata, scriptisque commentitijs aucta fuisse. Hæc exemplaria Gregorius accepisse potuit, qui corruptis actis fidem adhibens suæ auctoritate & exemplo Epiphanium aliosque scriptores in eundem errorem induxit. Vide Baron. anno 448. numer. 71. 72. 75. & 76. Anno 553. numer. 211. & seqq. Item ea, quæ dixi supra in Notis Conciliorum Tyrij & Berythensis sub Leone, Tom. primo, & in Notis Concilij Chalcedonens. verbo approbatum.

Scripta Theodoreti.] *Quis & qualis fuerit Theodoretus, dixi supra in Notis epistolæ eiusdem Theodoreti ad Leonem, quæ extat post epistol. 63. Leonis supra Tom. 1. De eiusdem absolutione, vide quæ dixi in Notis Concilij Chalcedonens. sessione VIII. Scripta Theodoreti aduersus Cyrillum supra in Actis huius Concilij reperiuntur: Epistolam illam, quæ sub nomine Theodoreti ad Ioannem Antiochenum post obitum Cyrilli ibidem reperitur, commentitiam esse, dixi supra verbo* Concilium. *Si plura requiris, vide Baronium anno 432. n. 79. & seqq. Item anno 444. n. 13. & 16.*

Quæ sunt tria illa capitula damnationis, &c.] *Vir quidam eruditus à veraci matarum sententia discedens, nouam de tribus capitulis inijt rationem, quippe qui hæc, illa tria putauit esse capitula, quorum disertamentio fit in Epistola à Ioanne Romano Pontifice ad Armenum & alios senatores conscripta his verbis.* Iustinianus equidem Imperator filius noster (vt ex eius epistolæ tenore cognouistis) de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse significauit: Vtrum vnus ex Trinitate CHRISTVS & DEVS noster dici possit, hoc est vna de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona: an DEVS CHRISTVS carnẽ pertulerit impassibili Deitate, an propriè & veraciter mater DOMINI & DEI nostri Iesu CHRISTI Maria semper Virgo debeat appellari. Probauimus in his Catholicam Imperatoris fidem. &c. *Habet eadem Iustinianus Imperator in fidei professione ad ipsum Ioannem Romanum Pontificem, quæ excusa est supra.*

Hanc nouam de tribus capitulis opinionem, à veritate plurimum aberrare, eo argumento facilè conuincitur; quod contentio hæc de tribus capitulis orta, agitata fuerit inter solos Catholicos; qui siue tria capitula impugnarent, siue defenderent, id pro auctoritate Chalcedonensis Concilij conseruanda se facere profitebantur; vt videre est apud edictum Iustiniani, Acta Quintæ synodi, & Liberatum Diaconum in breuiario. De tribus illis nouis capitulis nemo Catholicorum vnquam dubitauit. Verbum carni vnitum, vnam esse personam sanctissimæ Trinitatis, quæ secundum humanam naturam verè mortem subijt, nemo vnquam negauit. Sanctissimam Virginem Mariam, verè proprièque Dei matrem appellandam esse, nemo Catholicorum vnquam in dubium vocauit. Quamobrem nulla ratione defendi potest, quod capitula à Ioanne Pontificæ prædicto loco allegata, sint illa tria, de quibus tanto cum periculo schismatis inter Catholicos disceptatum fuit. Accedit, quod hæc controuersia, omnium consensu mota fuerit tempore Vigilij Papæ. Vnde necessario consequitur, tria illa capitula, quæ à Ioanne Papa recitantur in epistola ad Senatores, longe diuersa esse ab illis, quæ sub pontificatu Vigilij ab alijs Catholicis impugnata; à nonnullis etiam orthodoxam fidem professentibus defensa fuerunt. Vide Baron. anno 547. nu. 28. & 29.

Secunda.

Origenem cum suis erroribus & sectarijs Origenistis.] *Quis & qualis Origenes, qui fuerint eiusdem errores & sectarij, cognoscere ex edicto Iustiniani, quod extat supra inter epistolas Vigilij: Item ex ijs quæ notaui supra Tom. 1. in vitam Vrbani, & in Concilium Alexandrinum sub Anastasio 1. Si quis plura requirat, legat annales Baronij Tomo 2. & quinto. Item quæ de Origene eiusque scriptis edidit Posseuinus in apparatu sacro, verbo Origenes. In hoc Concilio de Origene eiusque scriptis primo loco actum fuisse, colligitur ex synodalibus actis. Origenistarum fraude ac dolo contigit, ea omnia in Actis Quintæ synodi desiderari, quæ contra Origenem eiusque sectarios gesta fuerunt. Vide quæ dixi supra verbo* Concilium. &c.

Origenes, eiusque errores qui.

Condemnantur.] *Quod qua ratione, quaue forma processus obseruatione contigerit, summatim recensebo.*

Prima sessione, dum Kalendis Maij sine capite membra conuenissent, ac nonnulli Episcopi ad synodum venire vogassent, confidentibus omnibus, Theodorus silentiarius, Iustiniani Imperatoris libellum attulit; in quo ille indicabat, quâ occasione tria capitula damnari procurasset. Post quam hunc libellum in synodali confessu, vna cum fidei professione Eutychij Constantinopolitani Episcopi, cumque ea ex epistola Vigilij, quam ad eundem reddiderat, recitari audiuissent, deputati sunt septendecim Metropolitani, qui cum tribus patriarchis, Vigilium Pontificem honorificè atque conuenienter prærogatiuæ sedis Apostolicæ, ad synodum inuitarent. Qua citatione peracta, ad synodum reuersi retulerunt, Vigilium corporis ægritudinem causam absentiæ suæ prætexuisse: quidue de tribus capitulis ipse sentiret, à se scripto quodam publico edendum. His enarratis secunda citatio eiusdem Vigilij ijsdem Episcopis & patriarchis commissa fuit.

Primæ collat. acta quæ.

Secunda collatione octauo Idus Maias conuenerunt Episcopi illi, qui missi fuerant ad secundo citandum Vigilium, retulerunt Pontificem respondisse, se ad Concilium non esse venturum, ideo quod perpauci Occidentalium Episcoporum adessent: suam vero de proposita quæstione sententiam, se ad Imperatorem, quam primum fieri posset, missurum esse. Cum illi vna cum Patricijs & exconsulibus ab Imperatore ablegatis vrgerent, ad agendum de proposita quæstione Episcopos præsentes sufficere, Vigilius Papa petiuit inducias, quibus suam de tribus capitulis sententiam depromeret. Interea sex alios Episcopos Constantinopoli præsentes ad synodalem conuentum inuitarunt; qui quod à Concilio abesset Vigilius Papa, accedere recusarunt.

Secunda Collat. Acta.

Tertia Collatione 7. idus Maias habitâ, post emissam fidei Catholicæ professionem decernitur, de tribus capitulis hisce; nimirum de Theodoro Mopsuesteno, de epistola Ibæ, deque scriptis Theodoreti aduersus Cyrillum, proximo Episcoporum consessu tractandum esse.

Acta Collat. III.

Cum itaque quartam collationem habituri, quarto idus Maias iterum episcopi conuenissent, mandarunt recitari horrendas blasphemias Theodori Mopsuesteni, quodque idem ediderat impium fidei symbolum.

Acta IV. collat.

Quinta collatione quæ fortasse vel tertio, vel pridie (nequaquam vero, vt habent excusa exemplaria mendosè, octauo) Idus Maias celebrata fuit. In hac primum ea, quæ SS. Patres aduersus Theodorum scripserunt, quæue leges Imperatorum aduersus eum sancitæ fuerũt; insuper etiam quæ Hesychius Presbyter Hierosolymitanus, nobilisque historicus, de eodem conscripsit: sicut etiam illa omnia, quæ pro Theodoro defendendo quispiam vel dicto vel scripto edidisset, in medium adducta fuerunt.

Acta V. collat.

Sextilianus Africanæ Ecclesiæ legatus auctoritate S. Augustini, atq; exemplo S. Leonis ostendit, aliquem post obitum cõdemnari posse. Post hæc, Acta Synodi Mopsuestenæ, de quibus supra, recitata fuerunt; vt scilicet probaretur ipsum Theodorum, olim ex Diptychis Ecclesiæ abrasum esse, & in locum eius Cyrillum Alexandrinum suffectum fuisse. A Theodoro deinde factus est transitus ad scripta Theodoreti illa, quæ orthodoxæ fidei contraria habãtur, quibusq; is in defunctum Cyrillum inuehebatur. His recitatis laudatum est sacrosanctum Concilium Chalcedonense, quod non prius Theodoretum ad communionem suscepisset, quam ille Nestorium condemnasset. Oblatum fuisse Concilio hac Collatione Constitutum Vigilij, quod supra Actis Synodalibus subiunximus, indicant acta sextæ Collationis, quibus nõ obscurè significatur, idem constitutum in sexto illo Patrum consessu recitatum fuisse, &c.

Sextæ collat. acta quæ.

Decimoquarto Kalend. Iunias habita est sexta Collatio, in qua post recitatam Ibæ epistolam, Epistola Procli illi contraria in medium allata fuit; vt ex hac conuincerent, Ibam post pacem Ecclesiæ in Nestorianismo perseuerasse: postea iudicium de ipso Berythi habitũ breuiter est repetitum. Inde verò additum de interlocutionibus Episcoporum, quæ in causa Ibæ descripta reperiuntur in Concilio Chalcedonensi. Quibus auditis, Epistola Ibæ tanquam hæretica à Patribus est condemnata: in quem finem etiam post ea acta primi Ephesini Concilij: S. Leonis Papæ epistolam ad Flauianum: fideiq; professionem illam, quæ in actis Chalcedonensis Concilij extat, relegi iusserunt. Quibus dum cõparassent prædictam Ibæ epistolam, iterum eandem, velut in multis hæreticam, communi consensu omnes condemnarunt, atque in Nestorium, eiusq; magistrum Theodorum Mopsuestenum, iteratam anathematis sententiam pronunciarunt.

VII. Collat. Acta.

Ad septimum Kalend. Iunij, idem qui supra Orientales Episcopi septimam collationem habituri ad synodum conuenerunt. Ad suggestionem Quæstoris Imperatorij lectæ epistolæ Vigilij illæ, quas ad Rusticum & Sebastianum Ecclesiæ Romanæ Diaconos: Valentinianum Tomitanæ Ecclesiæ antistitem in Scythia: & Aurelianum Arelatensem Episcopũ scripsit: procurauit id Imperator ea intentione, vt posset arguere Vigilium prænaricationis, quasi ante atria capitula condemnasset, quæ postea defendebat. His peractis, ex actis Antiochenis recitatum fuit, quod Nestoriani sibi Theodoretum tanquam suum vendicarent, eiusque imaginem currui impositam, cum triumpho & psalmorum canticis, in ciuitatem Cyri solenni ritu introduxerunt.

Acta Collat VIII.

Octaua & vltima collatio celebrata legitur quarto Nonas Iunij, in qua recitata est sententia contra Theodorum Mopsuestenum, Ibæ epistolam, & Theodoreti scripta aduersus Cyrillum. Ad finem sententiæ, appositi sunt anathematismi contra Nestorij & Eutychetis hæreses, & aduersus tria capitula. Post hæc omnia, subsecuta est centum sexaginta quinque Episcoporum subscriptio.

Quo tempore hæc Synodus celebrata fuerit.

Anno post Consulatum Basilij 12.] *Ita acta Concilij in principio singularum collationum. Adiunxi annum Christi 553. qui in Fastis emendatioribus cum prædicto anno 12. post consulatum Basilij coincidit.*

Cur Iustinianus Nota Consulari tempora signari prohibuerit.

Post consulatum Basilij inscribitur hic annus: quia 47. Nouella constitutione Iustiniani iam ante 15. vel 16. annos constitutum fuerat, vt per annos Imperatoris tempora posteriora denotarentur. Iustinianus id fecisse putatur, vt immoderatas illas tolleret expensas, quas in Consulatus ingressu ab ipsis Consulibus fieri mos erat. Marcianus Augustus edicto prohibuerat, ne Consules in populum pecunias spargerent, quæ tanquam missilia colligerentur. Cui edicto cum paulatim non modo nõ pareretur: sed potius insanus gloriæ appetitus altius sese extolleret, Nouella constitutione 105. prohibuit Iustinianus, ne Consules aurum effunderent: spargendi autem argentum liberam potestatem haberent. Sed cum neque his limitibus humana superbia coarctari vellet, dubium non est, quin hac occasione Iustinianus Imperator, amplissimam & antiquissimam Consulatus dignitatem, paulatim è senatu & temporum Notis proscripserit.

CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM,

in quo quinta Oecumenica Synodus approbata fuit, Anno Domini 553 sub Pontificatu Vigilij.

NOTAE.

Concilium.] *Acta huius Concilij extant, atque summatim describuntur actione prima Concilij Nicæni II. his verbis: Præterea Imperator noster Dei amantissimus, Acta Synodi (quintæ) Hierosolymam misit: in qua ciuitate, coacto Episcoporum conuentu, quotquot erant Palæstinorum Episcopi manibus & pedibus & ore sententiam & statutum Synodi confirmarunt; nisi quod Alexander Episcopus Abyles contrarium sensit. Quamobrem Episcopatu exutus, Byzantium se recepit, & terræ motu absorptus est & desossus, &c. Vide Baron an. 553. nu. 248.* Conclusio ciuis.

CONCILIVM AQVILEIENSE CONTRA Quintam Synodum coactum Anno Domini 553.

NOTAE.

Concilium.] *Cum Occidentales Episcopi interpretarentur damnationem trium capitulorum in Quinta Synodo factam, contigisse in odium Chalcedonensis Concilij facto Concilio Aquileien. (in locis enim imperij id per edictum Iustiniani defensores trium capitulorum persequentis id non licebat) Quintam Synodum respuendam esse decreuerunt; seque ab vnione Ecclesiæ Catholicæ segregarunt; atque in eodem schismate vsque ad tempora Sergij Papæ per annos fere centum perseuerarunt. Hæc breuiter & summatim describit Beda libro de sex ætatib. his verbis.* Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei quintum vniuersale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus Beati Papæ Sergij monitis instructa, & ipsa huic cum cæteris Ecclesijs adnuere consentit. *De hac eadem Synodo in vita Sergij hæc Platina:* Ecclesiam Aquileiensem, Quintam Synodum non omnino approbantem, ad sanitatem doctrina & auctoritate sua tandem perduxit. *Vide Baron. Anno 553. nu. 222.* Causa actæ Concilii.

BREVIARIVM CAVSAE NESTORIANORVM & Eutychianorum, collectum à sancto Liberato Archidiacono Ecclesiæ Carthaginensis regionis sextæ, complectens c. 24. quorum sequuntur tituli.

PROOEMIVM I.

De Paulo Samosateno, & quòd author sit Nestorianæ hæresis. 2
De Appollinario, & quod author sit Nestorianæ hæresis. 3
De Nestorij ordinatione, & eius hæresi. 4
De Synodo Ephesina prima, & Nestorij damnatione. 5
De discordia Cyrilli Alexandrini, & Ioannis Antiocheni. 6
De ordinatione Maximini Constantinopolitani Episcopi. 7
De pace Cyrilli & Ioannis. 8

De Cy

De Cyrilli epistolis pro Orientalibus episcopis scriptis. 9
De Nestorianorum scandalo & monachis Arianorum. 10
*De Eutyche presbytero & * Egumeno, & eius hæresi, eiusq; damnatione.* 11
De synodo Ephesina secunda, & Flauiani morte. 12
De synodo Chalcedonensi, & damnatione Dioscori. 13
De exilio Dioscori, & ordinatione Proterij Alexandrini Episcopi. 14
De ordinatione Timothei Aeluri, & morte Proterij. 15
De ordinatione Timothei Catholici, & Petri hæretici. 16
De ordinatione Ioannis Catholici, & damnatione Acacij. 17
De Episcopis Alexandrinis. 18
De Seuero, Iuliano, ac Macedonio. 19
De Gaiano, & Thodosio. 20
De Agapeto Papa, & Anthimo Constantinopolitano Episcopo. 21
De Siluerio & Vigilio. 22
De Paulo Alexandrino episcopo, & monachis Hierosolymorum. 23
De Pelagio & Theodoro Cappadocia. 24

PROEMIVM.

PEREGRINATIONIS necessitatibus defatigatus, & aliquatenus feriatus animo à curis temporalibus, duarum hæresum, hoc est, Nestorianorum & Eutychianorum, ex Ecclesiastica historia nuper de Græco in Latinum translata, & ex gestis synodalibus, vel sanctorum patrum Epistolis hoc Breuiarium collegi, nectens temporum curricula illa, quæ in Græco Alexandrię scripto accepi, vel grauissimorum hominum didici narratione fideli. Quod faciens pro mea eruditione & responsione contra falsiloquos vtrarunque partium sectatores, qui consueto studio aliter loquuntur de suis authoribus, quàm veritas habet, libenter offero Catholicis fratribus, ignorantibus acta ipsarum hæresum, & legere volentibus.

DE PAVLO SAMOSATENO, ET quòd author sit Nestorianæ hæresis.

CAP. II.

IGITVR Nestoriani dogmatis author, vt multi volunt, Paulus agnoscitur Samosatenus episcopus, qui secutus doctrinam antiquorum hæreticorum, Dominum nostrum Iesum Christum, purum hominem asseruit natum & passum. De sancta verò & summè beata Trinitate, vt Græci tradunt, Sabellij sententiã sequutus est. Et propterea dicunt Nicænum statuisse Concilium, Paulianos omnino baptizandos, ponentes differentiam inter Pauli Nestorijque doctrinam, eo quòd Nestorius confundens existentiam diuinitatis Filij Dei, Christum purum hominem tradidit conceptum atq; formatum, & posteà in Deum prouectũ, hoc est, hominem Deificatum, & non verbum carnẽ factum, & habitasse in nobis, quod prędicat Euangelium, & Catholica cõfitetur Ecclesia, negat. Propterea in Epitoma chronicorum * Lucentius hoc ponit & dicit: Felice & Tauro consulibus, Nestorius Constantinopolitanus episcopus, nouum Ecclesijs molitur errorem inducere, prędicans Christum hominem tantùm, non etiam Deum natum, eique diuinitatem collatam esse pro merito dicit. Socrates verò in libro Ecclesiast. hist. dirimit Nestorium à Paulo, eorumq; differentiam sic ponit. Apparet, inquit, Nestorium ignorasse lectiones antiquorum. Quapropter, vt dixi, in sermone solo moratus est. Et nõ solùm sermonem examini dedit, sed etiam omnino Deũ esse, qui natus est, denegauit. Nos autem fatemur, quoniam qui de sancta virgine natus est, crucifixus est, Dominus est gloriæ, sicut dicit Apostolus: Si enim cognouissent, nũquam Dominum gloriæ crucifixissent. Porrò Nestorius dicit: Noli gloriari Iudæe. Non crucifixisti Deum, tanquam ipse Dominus gloriæ, idem non sit Deus. Nam quia purum hominem non dicit Christum, sicut Photinus, & Paulus Samosatenus, etiam homiliæ, quas fecit, ostendunt. Nusquam enim Dei verbi subsistentiam perimit, sed vbique eum subsistere cõfitetur, & habere subsistentiam, & non sicut Photinus & Paulus Samosatenus, eius subsistentiam perimentes. Hæc Socrates de Paulo & Nestorio, cuius testimonio vtens, sequar quid alia respondeat lectio: Ignarus Nestorius expositionum sanctorũ patrum, prædicantium Dei Filium vnitione naturæ suæ in personam susceptisse hominem, quam non habet cum patre communem, propter indiuiduam & inseparabilem patris & Filij naturam, beatam Mariam noluit dicere Dei genitricem, ne patri quoq; natiuitatem applicaret, ignorans demens, quoniam pater & filius natura vnum sunt, discreti personis: quoniam qui genuit, non est genitus: neque, qui genitus est, generauit. Hoc ignorantes Nestoriani, quasi nodosam & indissolubilem nobis hactenus proponunt quæstionem, impudenter obijcientes patrem cum filio natum, si beatam Mariam θεοτόκον confiteamur. Verùm his ita se de Nestorio habentibus, cœptum opus percurramus.

DE APOLLINARIO, ET QVOD author sit Nestorianæ hæresis.

CAP. III.

POST damnationem Pauli Samosateni, vna temporis generatione transacta, Apollinaris Laodicenus Episcopus, de incarnatione Domini, Arianorum blasphemiam sequutus, asserens cõtraria Paulo, carnem & omnipotens Dei verbum, vnius esse prædicauit substantiæ, contentiosissimè asseuerans, verbum carnem factum, vel aliquid verbi in carnem fuisse conuersum atq; mutatum, non autem carnem de Maria Virgine sumptam atque susceptam, vt absq; peccato consubstantialis nobis, & per omnia similis agnoscatur Christus, sicut ait Apostolus. Theodoritus episcopus in Ecclesiastica historia Apollinarem & eius hæresim sic notat: Apollinaris (inquit) Laodicenus episcopus, dum pietatis indueret vultum, & Apostolica se fingeret dogmata conseruare, post paululum manifestus hostis apparuit. De diuina namq; natura adulterinis rationibus vtebatur, gradus quosdam dignitatum generans, & sacramentum dispensationis imperfectum explanare præsumens, animamque rationalem, qua corpus resurgit, priuatam salute confirmans. Si enim animam non assumpsit, secundùm illius rationem, Deus verbum, neque medicinam animę tribuit, neque honorem dedit, sed corpus quidem terrenum ab inuisibilibus virtutibus adoratur: anima verò secundùm diuinam imaginem facta, in inferiore permansit, contumelijs induta peccati. Qui etiam plurima super hæc vesanus asseruit; Aliquando enim pariter confitebatur & ipse ex sancta Virgine assumptam carnem: Aliquando verò, eam cum Deo verbo cœlitus descendisse: Aliquando, eum ipsum carnem factum, & sumpsisse nihil ex nobis: aliasque plurimas & inanes fabulas sacris opinionibus copulabat, quas in præsenti dicere superfluum iudicaui. Talia quidem ille dicẽs, non solùm suos peste compleuit, sed etiam quosdam nostrorum fecit huiusmodi lepræ participes. Post paucum verò tempus, dum suum viderent opprobrium, & Ecclesiæ claritatem, penè cuncti reuersi sunt. Non tamẽ priorem deposuere languorem, sed magis plurimos constantiam latenter sauciauerunt. Ex hac ergo radice in Ecclesijs germinauit vna carnis Deitatisque natura, & vt diuinitati vnigeniti passio copuletur, & alia quæcunque populis & sacerdotibus certamina genuerunt. Et post pauca: Verùm Apollinaris præsulatu nudatus, nouitatem doctrinæ suæ aperta impudentia in Ecclesia prædicabat, ducem semetipsum ostendens hæreseos. Quapropter apparet ex omnibus superius dictis atque prolatis, à Paulo Nestorianos fuisse propagatos, & ab Apollinari, vnius naturę prędicatores, vt sunt Acephali & Eutychiani: Cuius dictis & epistolis respondebat eo tempore Dioscorus Tarsens. episcopus, deinde Gregorius Nazianzenus, Basilius, & Theodorus Mopsuestenus, probabiliter ostendentes ex diuinis testimonijs duarum proprietates naturarum in vna Christi persona, sicut ipsa probant eorum volumina. Sequimur iam nunc, vtrarumque hæresum authoritatibus demonstratis, earum acta narrare, sicut præfatio pollicetur.

Lib. 5. ca. 3.

(:)

DE NESTORII ORDINATIONE, & eius hæresi.

Cap. IV.

POst Apollinaris damnationem & depositionem aliquantis temporibus euolutis, mortuo Sisinnio, qui post obitum beati Attici Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsulatum susceperat, visum est Imperatoribus, nullum ordinare de Constantinopolitana Ecclesia pontificem: sed ab Antiochia Syriæ, vnde priùs illa Ecclesia Ioannem susceperat, aliquem aduenam accersire, & episcopum facere. Et sicut Socrates in Ecclesiastica narrat historia: Erat quidam presbyter Antiochiæ nomine Nestorius, genere Germaniciensis, boni eloquij, quem quasi vtilem ad docendum Constantinopolim principes euocauerunt. Et transactis tribus mensibus, ab Antiochia venit Nestorius, qui castitate inter plurimos præcipuus habebatur. Quibus autem moribus institutus fuerit, sapientes à prima eius homilia cognouerunt. Erat cum eo & Anastasius presbyter pariter destinatus, quem nimis honorabat, & cósiliarium habebat in causis suis. Ordinato ergo Nestorio die primo mensis Aprilis, consulatu Felicis & Tauri, Anastasius coram Ecclesia docens: Dei, inquit, genitricem Mariam nullus dicere præsumat, quoniam Maria homo fuit, & Deum ab homine generari nimis est impossibile. Quod cùm pariter audissent plurimi clericorum & laicorum, multum cóturbati sunt. Didicerant enim antiquitus, Deum confiteri Christum, & nullatenus per dispensationem hominem à Deo separatum credebant. Tumultu ergo facto in Ecclesia, Nestorius volens firmare Anastasij sermonem, eo quòd eum honoraret, tanquam blasphemũ noluit arguere, sed frequenter hoc coram Ecclesia docebat, & agitabat hanc quęstionem cum contentionibus abnegans Dei genitricis confessionem. Vnde diuisio nata est in Ecclesia, & concussionem magnam orbi terrarum tepidissimi tractatus Nestorij concitauerunt. Sed eo non emendante, Constantinopolitana Ecclesia erat in scandalo, & velut in nocturna lite repleta omni cõfusione, sociorum & hostium nulla erat agnitio, diuersis nunc his, nunc alijs consentientibus, & verba propria mutantibus, quoniam Nestorius in ea erat opinione, quòd omnino purũ hominem diceret Christum, introducens in Ecclesiam Pauli & Photini doctrinam. Quod audiens Cyrillus Alexandrinus episcopus, cui tunc dabatur primatus de talibus agendi, venerunt ad eum aliqui de populo Constantinopolitano non communicantes Nestorio, & suggesserunt ei, quæ Constantinopoli acta fuerant. Direxit ergo Nestorio epistolam Cyrillus, cuius est principium, Venerabiles filij ac fide digni: persuadens ei, vt si in plebe lapsus fuerat sermo, in tractatibus corrigeretur, vt Dei puerperam diceret sanctam virginem, id est, θεοτόκον vt totius orbis offensio conquiesceret. Iam enim quaterniones expositionum eius per Antiochum quendam illustrem papa Cælestinus acceperat, dogmaque ipsius Nestorij manu eius subscriptum, & ab eo directum legerat atque tractauerat, totusque Oriens ex eius scriptis iam cognitum habebat. Sed Nestorio emendare nolente, rursus quoque Cyrillus secundam ad eum direxit epistolam, cuius est principium, Obloquuntur me quidam apud tuam fraternitatem: qua ei & incarnationis Christi plenam reddidit rationem, rogans eum, vt cum eo illa sentiret, vt Ecclesiarum pax perstaret incolumis, & sacerdotibus indiscissa concordia permaneret. Adhæc autem Nestorius contrariam scribens Cyrillo epistolam, cuius principium est. Iniurias quidem, quæ contra nos sunt, mirandarum tuarum literarum. Verumtamen beatam Mariam θεοτόκον noluit dicere, nec suum emendauit errorem. Ioannes quoque Antiochenus direxit Nestorio epistolam, cuius est principium: Meam intentionem circa tuam reuerentiam: per quam eum hortatus est, ne se repelleret bonum sibi futurum consiliarium, dum eum dicere piget, beatam Virginem Dei genitricem, quod sancti patres docuerunt & scripserunt. In qua epistola meminit Theodori Mopsuesteni, ostẽdens ei retractationis exemplum, quomodò ille dum tractat, tumultu facto, surgens fortissimus vir, sine cõfusione suam sententiam retractauit, & quęparum prodesse ignorantibus videbantur, velociter ad vtilitatem correxit Ecclesię. Sed hanc Nestorius contemnens, ciuitati suæ odibilis factus est. Cyrillus verò per Possidonium diaconum suum retulit de eo Papę Cœlestino, & quid Constantinopoli ageretur, ei per epistolam suam allegauit. Idem Cyrillus tertiam Nestorio Synodicam direxit epistolam, in qua & duodecim capitula contra eius dogma dictauit & inseruit. Et est principium: Dicente Domino: Qui amat patrem suum, aut matrem suam plus quam me, non est me dignus. Cuius exemplar epistolæ perueniens ad Ioannem Antiochenum, offensus est in ipsis Cyrilli capitulis, putauit enim eum, dum immoderate ocurreret Nestorio, in sectam Apollinaris incidisse. Mandauit ergo Andreæ & Theodorito episcopis concilij sui, vt scripto responderent contra ipsa xij. capitula, tanquam Apollinaris dogma instaurantia. Cognoscens itaque Nestorius, quòd Cyrillus non pateretur Ecclesiam sic esse in perturbationibus, & populos in scandalo, subripuit pio principi Theodosio, vt sacram ad eum dirigeret, & à sua eum persecutione compesceret. Et scripsit quidem eum ad sacram Imperator, argués eum tanquam inquietum & scandala sectantem, qui sine consortio sacerdotum ageret atque scriberet.

DE SYNODO EPHESINA PRIMA, & Nestorij damnatione.

Cap. V.

ET post hæc scripsit aliam sacram ad vniuersos episcopos, vt Ephesum conuenirent, & conferrent de Nestorij libris & Cyrilli iudicium. Scripsit Imperator sacram & B. Augustino Hipponensi episcopo per Ebagnium magistrianum vt ipsi concilio præstaret sui præsentiam. Qui Ebaginus veniens Carthaginem magnam, audiuit à Capreolo ipsius vrbis antistite, B. Augustinum ex hoc mundo migrasse ad Dominũ. Acceptisque ab eo ad Imperatorem literis, loquentibus de obitu Beati Augustini, Constantinopolim, vnde venerat, redijt. Porrò Capreolus Archiepiscopus propter impetus Vãdalorum, Aphricanas regiones obsidentium, vniuersale non valens congregare concilium, Vessulam diaconum suum misit Ephesum ad concilium legatum. Cœlestinus verò Papa Romanus scripsit Nestorio increpationis epistolam cum exhortatione & vituperatione, quia errare non debuerit, ad cuius ordinationem gauisus est. Et est eius principium: Aliquãtis diebus vitę nostræ: tribuens ei decem dierum spatium, hoc est, à prima die acceptionis ipsius epistolæ, vsque in vltimam diem, vt si minimè Nestorius emendaret expositiones suas, & reuocaret ad ecclesiam, qui propter Christum, qui est caput eius, ab eo fuerant expulsi, cognosceret se ab eius collegio & omnium sanctorum episcoporum consortio esse separatum, insinuans ei dedisse vicem suam in concilio Cyrillo per epistolam suam, cuius principium est, Tristitiæ nostræ, sanctitatis vestræ literæ: qua Cyrillum admonuit, vt si per illos decem dies doctrinam suam minimè Nestorius emendarer, disponeret eum à communi corpore remouendum, & prouidendum illi ecclesiæ. eadem de re pariter scripsit Ioanni Antiocheno, Rufo Thessalonicensi, Iuuenali Hierosolymitano, & Flauiano Philippen. Archiepiscopis. Scripsit & ad clerum Constantinopolitanum, admonens eos contra doctrinam Nestorij fortiter stare, eiusque persecutiones patienter ferre, quæ fructus afferunt coronarum, scientes, ab eo excommunicatos vel deiectos, in Apostolicæ sedis permanere communione. Continuò autem post Paschalem festiuitatem Nestorius cum maxima multitudine venit Ephesum, & inuenit plurimos episcopos collectos. Porrò Cyrillus Alexandrinus modicum retardatus, circa Pentecosten occurrit, & Iuuenalis Hierosolymorum. Sed Ioanne Antiocheno remorante, quæstionem mouebant præsentes episcopi de B. Maria Dei genitrice. Cyrillus autem defloratione quasdam librorum Nestorij faciebat, eum perturbare volens. Erat enim (vt dicitur) eius inimicus. Et cùm plurimi Deum confiterentur Iesum Christum, Ego (inquit Nestorius) qui fuit duorum vel trium mensium, nunquam confiteor Deum, qua gratia ter mundus sum à sanguine vestro, & amodo ad vos non venio. Et his dictis, cum reliquis congregabatur episcopis, qui eius sententiam sequebantur. Præsentes ergo episcopi in duos ordines

dines sunt diuisi. Porrò Cyrillus cum suis habens vices sedis Apostolicæ, Concilio euocato ducentorum episcoporum, Nestorium vocauerunt. At ille venire noluit, differens vsque in præsentiam Ioannis Antiocheni. Scripserat enim ipse Ioannes de itinere Cyrillo, positus in sexta mansione, festinationem suam, & itineris labores, animalium ruinas, & episcoporum, qui secum erant, necessitates insinuans. Qui verò circa Cyrillum erant episcopi, homilias Nestorij, quas de hac quæstione protulerat, sæpiùs relegentes, priusquam Orientis Concilium & aliquarum prouinciarum Episcopi ipsi Concilio coniuncti, ad synodum occurrerent, iudicantes Nestorium, tanquam blasphemantem Dei Filium, damnauerunt. Hoc facto circa Nestorium, Ioannes & Episcopi, qui cum eo erant, alterum Concilium apud se facientes, damnauerunt Cyrillum, & cum eo Memnonem Ephesiorum episcopum.

DE DISCORDIA CYRILLI ALEXANDRINI & Ioannis Antiocheni.

Cap. VI.

Ecclesiast. histor. vbi supra, c.c.

POst biduum verò venit Ioannes Antiochenus: & cognoscens ita acta, quæ supra diximus, & post hæc quæ gesta fuerant in damnatione Nestorij, & illa xij capitula Cyrilli, in ipso Concilio susceptа & confirmata, indignabatur valde contra Cyrillum, tanquam seditionis authorem, quòd feruentissimè Nestorij fecisset damnationem. Qui autem cum Ioanne cõuenerant episcopi, id est, Alexander Apameæ, Ioannes Damasci, Asianus Seleucię, Alexander Hierapoleos, Himerius Nicomediæ, Helladius Tarsi, Maximus Anazarbi, & cæteri numero xxxiiij. qui tunc cum eo Ephesi occurrerant, querebantur de Cyrillo, dicentes: Secundum iussionem principum, cur non sunt expectati aliarum prouinciarum episcopi, vt quomodò iudicauit de libris Nestorij, & de Cyrilli dictis Concilium iudicaret? Congregatis ergo illis Ephesi, Ioannes contra Cyrillum & Memnonem ita inuectus est: Orabamus quidem secundùm regulas sanctorum patrum & secundùm literas pijssimorum & Christianorum Imperatorum nostrorum cum pace fieri synodum. Quoniam autem audacia & seditione & hæretico sensu vtentes, soli consedistis, nobis propinquantibus, secundùm literas pijssimorum Imperatorum nostrorum, & omni turba sanctam Synodum implestis, vt ne requirerentur capitula, quæ conueniunt Apollinaris & Arij & Eunomij perfidiæ & impietati, neq; expectastis præsentiam sanctorum episcoporum, qui vndique à pijssimis Imperatoribus conuocati sunt, cum magnificentiss. comes Candidianus in scriptis, & sine inscriptis præcepisset vobis, nil tale præsumere, sed expectare commune omnium sanctorum Episcoporum Concilium: ideo scitote, quòd depositi estis & alieni ab Episcopatu tu Cyrille Alexandrine Episcope, & tu Memnon huius ciuitatis, & omni Ecclesiastico ministerio alieni, vtpotè vniuersę seditionis & iniquitatis authores, qui, vt regulæ patrum & imperiales sanctiones decalcarentur, causam dedistis. Cæteri autem omnes, qui consensistis seditiosis, agentes contra leges & aduersus sanctiones imperiales, excommunicati estis, donec agnoscentes proprium delictum, pœnitentiam agatis, & fidem sanctorum patrum, qui in Nicæa congregati sunt, suscipiatis, nihil aliud nouum introducentes, & anathematizetis hæretica capitula, quæ à Cyrillo Alexandrino episcopo exposita sunt contra Euangelicam & Apostolicam doctrinam, & sequamini literas pijssimorum & Christianissimorum Imperatorum nostrorum, quæ iubent quæri, & subtiliter de fide cum pace examinationem fieri. Hanc interlocutionem suam Ioannes & qui cum eo erãt, aduersus Cyrillum & Memnonem Ephesi publicè proponentes, vtrorumque damnationem literis suis Imperatori insinuauerunt, quarum est principium: Pietas vestra præfulgens ad beneficium orbis terrarum. Post hæc aduenerunt ab Hesperia ad Concilium legati papæ Cælestini Archadius & *Præiectus episcopi, & Philippus Ecclesiæ Romanæ presbyter. Quibus residentibus, Cyrillus & Memnon obtulerunt libellos in Concilio, contestationem deponentes aduersus Ioannem Antiochenum, & qui cum eo erant episcopos, vt euocarentur, & redderent causas depositionis suæ. Vocati ergo à Concilio per Danielem Coloniæ secundæ Cappadociæ, & Commodum Tripolis Lydiæ, & Timotheum Hellesponti episcopos, vna cum Musonio notario cum anagnostico, per interrannunciantem diaconum, tale acceperunt responsum: Neque vos mittatis ad nos, neque nos ad vos, quoniam de vobis responsum principis expectamus. Igitur Cyrillus cum *Memnone volentes se vlcisci, Ioannem damnauerunt, & omnes, qui cum eo conuenerant, & multa mala pari fastu vtrique Ephesi pertulerunt. Porrò Imperator per Ioannem comitem sacram scripsit omni Concilio, & ad locum, dicens: Nestorij, Cyrilli, & Memnonis damnationem suscipimus: alia verò, quæ apud vos gesta sunt, reprehendimus, Christianam fidem rectitudinemque custodientes, quam ex patribus progenitoribusque suscepimus. Sed euntibus de Concilio septem & septem episcopis, satisfecere Imperatori, quia magnum & vniuersale Concilium omnia regulariter agens, damnauit Nestorium. His agnitis, iussit eos Imperator Ecclesiam ingredi, & pro Nestorio alium ordinare Episcopum. Et post hęc iussit omnes Episcopos abire, vnum quemq; in propriam regionem. Et ita Ioannes cum suis Antiochiam profectus est, vbi colligens plurimos Episcopos, damnauit iterum Cyrillum, cùm iam esset Alexandriæ. Et sicut Socrates dicit, cognoscens Nestorius per contentionem ad quandam perniciem peruenisse partes, Dei genitricem Mariam vocabat, dicens: Dicatur etiam Dei genitrix, & ea, quæ fecerunt tristitiam, conquiescant. Sed nullus eum ex pœnitentia talia dicentem suscepit. Quapropter hactenus damnatus, & in exilium Oasin missus est. Post damnationem autem eius dura Constantinopoli turba contra Ecclesiam mota est, diuisusque est populus propter tepidum eius (sicut dictum est) tractatum. Clerici verò communi decreto eum anathematizauerunt.

*Iuuenale

Ecclesiast. hist. lib. 1. cap. 34.

DE ORDINATIONE MAXIMIANI Constantinopolitani Episcopi.

Cap. VII.

HIs ita prouenientibus de electione episcopi rursus quęstio exorta est. Multi enim Philippum quęrebant presbyterum, qui à beato Ioanne cognomento Chrysostomo, diaconus fuerat ordinatus, multaque conscripserat volumina contra Imperatorem Iulianum Apostatam. Alij verò Proclum presbyterum quærebant, quem ad Cyzicum Sisinnius episcopum ordinauerat. Qui priusquam Cyzicum proficisceretur, precedentes ciues eiusdem ciuitatis, Dalmatium monachum sibimet ordinauerunt episcopum, quoniam Attico præcessori Sisinnij soli hoc præstitum videbatur. Sed proceribus palatij, vt fieret, displicuit, quod quidem postea factum est. Manebat enim Proclus, non habens Ecclesiam propriam, qui tamen in doctrina Ecclesiastica Constantinopoli valde florebat. Cumque quatuor transissent menses post Nestorij damnationem, Maximianus ordinatur episcopus, vita quidem monachus, ordine verò presbyter, constans quidem in fide vera, idiota autem sermone, & sub quiete viuere potiùs eligebat.

DE PACE CYRILLI ET Ioannis.

Cap. VIII.

POst paululum verò videns Imperator Cyrilli & Ioannis permansisse discordiam, intolerabilem iudicabat eorum dissensionem. Et vocans tunc ad se Maximianum episcopum, & alios plurimos Constantinopoli repertos episcopos, quo modo tolleretur Ecclesiarum dissensio, cogitabat. At illi dixerunt, quia non aliter hoc fieri posset, nisi prius iretur, & præferretur vnius fidei vinculum, & Ioannes Antiochenus episcopus anathematizaret Nestorium, & improbata dogmata eius. Et gauiso valdè super hoc Imperatore, missus est hoc ipsum agere Aristolaus tribunus, sacram prin-

cipis deferens Ioanni & Cyrillo, in qua comminatus est vtrisque Nicomediam exilium, nisi pacem haberent adinuicem. Scripserunt autem & episcopi è Constantinopoli Cyrillo, quia amicitiarum modum & pacem Ecclesiarum sanctarum non aliter fieri conueniret, nisi omnia, quæ ab eo in causa scripta sunt, epistolis & Tomis & libris euacuarentur. Cyrillo verò, hoc facere importabile visum est. Verùm Ioannes Antiochenus Imperatori mandauit: Propter illa ipsius capitula fidem meam Cyrillo dirigam, quam si suscipiens subscripserit, communicabo ei: alioqui pacificus cum eo esse non potero. Et congregans iterum Ioannes apud Antiochiam Concilium, dictauit fidem, ita se habentem: Confitemur Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, Deum perfectum, & hominem perfectum ex anima rationali & corpore: ante secula quidem ex patre natum secundùm diuinitatem, in fine verò dierũ eundem propter nos, & propter nostram salutem de Maria virgine secundùm humanitatem: consubstantialem patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum vnitio facta est, propter quod vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum cõfitemur. Secundùm hunc inconfusæ vnitionis intellectum, confitemur sanctam virginem Dei genitricem. Propter quod Deus verbum incarnatum est homo factus. Et ex ipsa conceptione vniuit sibi templum, quod ex ipsa susceperit. Euangelicas verò atq; Apostolicas de Domino voces scimus Deiloquos viros quasdam quidem coniungentes, tanquam in vna persona: quasdam diuidentes, tanquam in duabus naturis: & diuiniores quidem atque altiores, secundùm diuinitatem Christi: humiliores autem, secundùm humanitatem eius tradentes. In isto ergò modo hanc fidei regulam interponens Ioannes epistolæ suæ, cuius est principium: Dudum per sanctionem pijssimorũ principum, quam tradidit Paulo episcopo Emeseno, & direxit Alexandriam Cyrillo. In quam vrbem veniens Paulus, & gratissimè à Cyrillo susceptus est, & sine difficultate vel contentione (vt à multis putabatur) memoratam fidem Orietalium suscepit episcoporum. Tunc Paulus Dominico die fecit sermonem in populo, præsente Cyrillo, & exposuit capitulum de Euangelio Ioannis: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Conspice (inquit) Ioannem duas naturas prædicantem, & vnum filium. Aliud enim habitacu'um & aliud, qui habitat. Aliud enim templum, & aliud, qui habitat, Deus. Intendite eis quæ dicta sunt, rogo. Non dixit, alter, & alter, tanquam in duabus personis: aut in duobus Christus, aut in duobus filijs: sed aliud & aliud, vt in duabus naturis. Quando ergo dixit, & habitauit in nobis, & prędicauit duas naturas: tunc addidit, & vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Et in sequentibus fidem, quam Cyrillo portauerat, differebat, apertè prædiaans duas in Domino Christo naturas in vna persona. Et clamante populo, Benè venisti orthodoxe: mox Cyrillus similia tractauit, & inter cætera ait: Quid his clarius dici potest? Qua indigent hæc explanatione? Aptè nos docuit, quia aliud quidem, est qui in habitat, & aliud, qui inhabitatur. Et aliud natura humana, aliud diuina. Et concludens sermonem, ad confirmationem eorum, quæ à Paulo dicta sunt, Conspice (inquit) Ioannem duas naturas prędicantem, & vnum Christum, duas naturas vnigeniti, & vnam personam. Et quando dixit. Et habitauit in nobis, & prædicauit duas naturas: tunc addidit hæc. Et vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Hæc Cyrillus Paulo præsente tractauit, & Alexandrinam docuit Ecclesiam, ita de Christo cridere, sicut Paulo dudum tractante didicerat. Post hæc Cyrillus fidem epistolæ, quam à Paulo suscepit, epistolæ suæ interponens; cuius principium est, Lætentur cœli & exultet terra, satisfaciẽs aliquorum rumoribus, qui de illo habiti sunt, quoniam non assereret, de cœlo corpus Christum sumpsisse, neque fermentationem aut commixtionem senserit naturarum eius scripsit, & subscripsit præfatam fidem, & Orientalib. direxit episcopis. Ascendens ergo Antiochiam Paulus, obtulit Ioanni archiepiscopo & omni Concilio eius, epistolam Cyrilli. Qui, vt cognouerunt eum suscepisse fidem à se directam. & in eius subscripsisse confirmationem, pacem cum eo & eius fecerũt Concilio, damnantes Nestorium, & suscipientes Maximianum, qui pro illo factus fuerat episcopus, dubitantibus adhuc ex eis aliquibus Cyrillo communicare, putantibus eum errasse, & postea veritatem agnouisse, & culpantes Ioannem, cur ab eo non expetierit capitulorum eius damnationem. Ex altera autem parte quidam de palatio, per Eulogium presbyterum & apocrisarium Alexandrinæ Ecclesiæ, culpauerunt Cyrillum, cur susceperit ab Orientalibus episcopis duarum cõfessionem naturarũ, quod Nestorius dixit & docuit. Sed & Valeriano Iconij, & Acacio Melitenensi. episcopis hoc ipsum de Cyrillo videbatur.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

DE CYRILLI EPISTOLIS PRO Orientalibus scriptis.

Cap. IX.

Scripsit ergo eis Cyrillus in defensionem Orientalium episcoporum, & pro duabus vnius Christi naturis. Et superfluum non esse reor, interponere aliqua huic operi ex ipsis epistolis, ad confusionem Alexandrinorum Phantasiastarum vel corrupticolarum, gloriantium de Cyrillo tanquam de patre atq; authore suo. Commonet ergo Eulogium presbyterum suum Cyrillus, & dicit: Repræhendunt quidam expositionem, quam fecerunt Orientales, & dicunt: Cur duas naturas nominantibus eis, passus est audire, aut etiam laudauit Alexandrinus episcopus? Alij verò dicunt idem dixisse Nestorium. Dicunt & illum sic sapere, surrepentes nescientibus subtilitatem. Oportet enim culpantibus nos illa dicere, quia non omnia, quæ dicunt hæretici, fugere aut refutare decet. Multa enim confitentur, sicut & nos confitemur. Velut Ariani, quando dicunt patrem, qui creator est omnium & Dominus, nunquid propter hoc fugere consequens est huiusmodi confessiones? Sic in Nestorio, licet duas personas * asserat, significans diuersitatem carnis & verbi: (altera enim verbi natura, altera carnis est) sed tamen nequaquam vnitatem confitetur nobiscum. Nos autem vnientes hæc, vnum Christum, vnum Filium, eundem vnum Deum confitemur. Et iterum: Nestorius itaque in suis expositionibus simulat se dicere, vnus filius, vnus Dominus, sed refert filiationem ad solum Dei verbum. Cùm autem venerit ad dispensationem, rursus alium Dominum, qui ex muliere est, seorsum hominem dicit, copulatum dignitate, æquo honore, quia habet copulationem ad Christum. Quomodò non apertum est, duos eum dicere Christos, si Christus ad Christum habet coniunctionem, alter ad alterum? Qui verò ex Oriente sunt, nihil tale dicunt. Voces autem diuidunt solùm. Diuidunt autem secundùm hunc modum, vt alias quidem Deo decibiles esse dicant, alias autem humanas, alias autem communes factas, tanquam habentes simul, & quod Christo Deo decibile est, & quod humanum, verumtamen dictas ab vno eodemque Christo. Et nõ sicut Nestorius alias quidem Deo verbo seorsum tribuit, alias autem ei, qui ex muliere est, tanquam alteri filio. Itẽ Acacio Melitenensi. episcopo scribens inter alia sic dicit: Nestorius etenim Christum seorsum nominari dicit Dei verbum, habere autem coniunctionem ad Christum continuam. Putas ergo, non duos Christos apertissimè dicit? Orientales verò Christum vnum & filium, & Deum, & Dominum confitentur se adorare, eundem ex patre secundùm divinitatem, & eundem ex sancta Virgine secundum humanitatem. Duarum namque naturarum vnitionem factam dicunt, tamẽ vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominum confitentur apertè factum. Et in sequentibus concordans aliquatenus Tomo Papæ Leonis Cyrillus, sic dicit: Sunt aliquæ vocum maximè Deo decibiles, aliquę verò sic rursus hominem condecentes. Aliq autem quendam ordinem obtinent ostendentes Filium Deum existentem & hominem simul. Et idem: Quando enim Philippo dicit, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me? Philippe, non credis quia ego in Patre, & pater in me est? Qui videt me, videt & Patrem. Et, Ego, & pater vnum sumus, Deo dicentissimam affirmamus vocem: Quando verò Iudaicum increpat populum, illud dicens, Si filij Abrahæ essetis, opera vtique Abrahæ faceretis: nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, hoc Abraham non fecit, homini decenter hæc dicta dicimus. Huius epistolæ se-

* asseuerat

Ioan. 14.

Ioan. 14.

Ioan. 8.

læ sequentia duarum naturarum probabilem continent expositionem, cuius tamen pro huius operis compendio omnia ponere intermisimus necessaria documenta. Valeriano autem Iconij ita rescripsit: Vniuersi Orientales episcopi simul cum Domino meo religiosissimo Antiochenorum episcopo Ioanne, per scriptam manifestamque conditionem clarum cõstituére vniuersis, quoniam pollutas quidem Nestorij nouitates condemnant, anathemttizantque nobiscum, & nullatenus eas vnquam sermone dignantur: sed Euangelica & Apostolica sequuntur dogmata, & patrum confessionem nullo modo contristant. Confessi sunt enim & ipsi nobiscum, quia DEI genitrix sic sancta virgo, & non addiderunt, quia Christi genitrix sit, sicut inquiunt, qui Nestorij infelices & respuendas opinatiunculas curant, sed inquiunt palam, vnum esse Christum, & Filium, & Deum ex Deo, ex patre ante omne seculum ineffabiliter genitum Dei verbum, in vltimis verò temporibus hunc ipsum etiam ex muliere secundum carnem, ita vt idem ipse sit simul Deus & homo, perfectus in Deitate, & perfectus in humanitate idem ipse, & vnam eius esse personam, nullo modo diuidẽtes in duos filios, aut Christos, aut Dominos. Si ergo quidam mentientes dicunt alia quædam præter hæc sapere illos, non eis credatur, sed sicut impostores & fallaces secũdùm patrem suum diabolum, projiciantur, vt non perturbent eos, qui rectè ambulare desiderant. Si verò & epistolas sibimet componentes quidam circunferunt, velut ex persona clarorum virorum, minimè oportet præsumere de his. Qui enim semel scripto confessi sunt fidem, quomodò poterũt alteram scribere, velut ex pœnitentia reuocati, vt rectè sapere non velint? Alloquere fraternitatem, quæ apud te est. Te, qui nobiscum sunt, in Domino salutant. In hac conclusione epistolæ suæ, in qua dicit Cyrillus, si verò epistolas sibimet componentes quidam circunferunt, &c. probat Hypatius Ephesiorum episcopus in collatione, quam contra Acephalos susceptt iussione Iustiniani principis, medio Strategio comite sacrarum largitionum in palatij loco, qui dicitur Hepta, contra Cyrillum epistolæ hic fecisse mentionem scriptę ad Marim Persam, quem neq; Cyrillus condemnandum iudicauit, neque Nestorianum esse in ipsa sua notauit epistola. Et hæc sunt, quæ Cyrillus scripsit in defensionem Orientalium episcoporum pro duabus vnius Christi naturis. Quam quicunque tunc minimè receperunt, hos esse puto authores Acephalorum, qui neque Cyrillum habent caput, neque quem sequantur ostendunt. Tunc & Euoptius Ptolemaidis Pentapoleos regionis episcopus, accipiens exemplar literarum Theodoriti, qui scripserat contra duodecim capitula Cyrilli, direxit illud Cyrillo, vt responderet ad ea, & sua capitula exponeret. Quod gratissimè susciens Cyrillus, fecit interpretationem capitulorum suorum, duodecim addens expositiones, quo videretur, plenam pro eis reddere rationem. Itaq; Cyrillo suscipiente & defendente fidem Orientalium episcoporum, & sua capitula exponente, pax & vnitas Ecclesijs reddita est. In qua pace gaudente Ecclesia, inimicus pacis, æmulus vnitatis, non quieuit aduersus eam mouere vasa sua, & superseminare zizania.

DE NESTORIANORVM SCANDALO, & monachis Armeniæ.

CAP. X.

NESTORII namque sectatores, videntes libros illius blasphemos, non posse proferri in publicum, eo quòd synodo Ephesina anathematizante, fuerunt condẽnati, & Imperiali lege prohibitum fuerat, ne quis eos legere auderet aut defendere, tunc cœperunt Diodori Tarsensis, & Theodori Mopsuestenę ciuitatis episcopi, & aliorum episcoporum, qui contra Eunomium & Apollinarem vnius naturæ assertores, libros composuerant duas in Christo ostendentes naturas in vna persona, (quod Nestorius sic non dixerat) circumferre volumina: & simplicissimos quosque decipere cupientes, aiebant non sapuisse noua Nestorium, sed antiquorum patrum prosecutum fuisse doctrinam, & intantum studij gesserunt, vt ipsa eorum volumina malitiosè in Syrorum linguam, & Armeniorum atque Persarum transferrent. Sed hæc vbi hæc agnouerunt Acacius Melitenens. & Rabula Edessæ ciuitatis episcopus, (de quo Ibas successor eius in epistola sua dicit, hunc præsumpsit, qui omnia præsumit, apertè in Ecclesia sua anathematizare, scilicet de Theodoro Mopsuesteno superius loquens) scripserũt Armeniæ episcopis, ne Theodori Mopsuesteni libros susciperent, tanquam hæretici, & authoris dogmatis Nestoriani, insimulantibus episcopis Ciliciæ Rabulam & Acacium, quòd hoc non ex charitate, sed ex æmulatione atque contentione feciſſent. Congregati sunt ergo in vnum venerabiles Armeniæ episcopi, & miserunt duos presbyteros Leontium & Aberium ad Proclum Constantinopolitanum episcopum, secundùm morem cum libellis suis, & vno volumine Theodori Mopsuesteni, scire volentes, vtrum doctrina Theodori, an Rabulæ & Acacij, vera esse probaretur. Itaque Proclus accipiens Armeniæ episcoporum libellos, & & illud Theodori volumen, diligentius vtraque examinans, Tomum Armenijs scripsit & destinauit. In quo posuit ad interimendas Nestorianorum versutias, qui duas in Christo inducunt personas, vnum de Trinitate incarnatum, quem & direxit Ioanni Antiocheno per Theodorum diaconum suum continentem subter capitula ab hęreticis prolata, expetens ab eo pro communi fide seruanda, vt cum suo Concilio eum susciperent, & subscriberent. Ioannes autem, & qui cum eo erant congregati episcopi, legentes Tomum, & eius laudantes compositionẽ, subscripserunt in eo & Proclo transmiserunt. Hunc & Chalcedonens. synodus per relationem suam, quam Martiano Imperatori direxit, ad probandum, non tantùm gestis synodalibus, verum etiam epistolis fidem constare, inter sanctorum Patrum epistolas susscepit, & confirmauit. Scripsit autem idem Proclus epistolam ipsi Ioanni, cui & Tomum suum direxerat, in qua dicit: Dicentes autem iterum passibilem Deum, id est, Christum, confitemur eum non esse passum, quod est, sed quod factum est, id est, propria carne: & ita prædicantes, nullo modo fallimur, quoniam quidem & vnum ex Trinitate secundùm carnem crucifixum fatemur, & diuinitatem passibilem minimè blasphemantes. Sed Basilius quidam diaconus, sumens Tomum Procli, quem Armenijs scripserat, Alexandriam venit, & Armeniorum libellos suis libellis annectens, obtulit Cyrillo eiusdẽ vrbis antistiti. Quibus (vt ferunt rumores) permotus Cyrillus, quatuor libros scripsit, tres aduersus Diodorum & Theodorum, quasi Nestoriani dogmatis authores, & alium de incarnatione librum. In quibus continentur antiquorum patrum incorrupta testimonia, id est, Felicis Papæ Romani, Dionysij Areopagitæ Corinthiorum episcopi, & Gregorij mirabilis θαυματεῦ cognominati. Et licet in eis libris Theodori dicta laudentur contra Arianos edita, ipsum tamen magistrum Nestorij fuisse contendunt. Contra quos Catholici veritatis defensores sic Acephalis respondẽrunt, illos libros non esse Cyrilli, quoniam testimonijs, qui contra mortuos posuisse in eis dicitur, contra viuentem Nestorium non est vsus, neque in synodo, neque in aliquibus epistolis. Vnde dicunt, illos nec dictasse Cyrillum, nec edidisse libros. Itaque Basilius diaconus Constantinopolim veniens, libellos composuit, & Archiepiscopo Proclo porrexit, associans cuncta, quæ antehac Cyrillo Archiepiscopo obtulerat. Proclus verò iam destinauerat Tomũ suum Armenijs, in quo Tomo nullam facit de Theodoro reprehensionis mentionem. Quod cognoscens Basilius, scripsit libellum, in quo docuit libros Theodori vitandos, sicut Arij & Eunomij blasphemias. Quod quidam prudentibus inconuenienter eum scripsisse apparet, quonitm Arius & Eunomius vnam in Christo degenerem patris substãtiam prædicauerunt: Theodorus autem (vt ipsi accusant) duas econtrariò docuit in Christo naturas. Post hæc autem occasione accepta, surrexerunt quidam monachi ab Armenia Apollinaris sectatores, duo vel tria (sicut refert Ioannes Antiochenus in epistola sua) portantes excerpta capitula (vt dicebant) de libris Theodori Mopsuesteni, vel aliorum sanctorum patrum, qui in illo tempore (sicut diximus) contra Apollinarem scripserant. Et intrantes regiam ciuitatem, & multorum sordidantes auditum, calliditate sua omnia perturbabant. Deinde circumeuntes totius Orientis ciuitates

Post 16. act Chal. Conc. sequitur hęc relatio.

& vniuersa monasteria, damnanda esse cum authoribus clamabant, accusantes ea Nestoriano sensu fuisse conscripta. Quia si Nestorius iustè damnatus est, damnentur & ista, dicebant, cum suis authoribus. Et hæc agebant, firmare volentes ea, quę Apollinaris sunt, qui per vnam naturam Christum nobis consubstantialem non exposuit. Qui quorundam vtentes patrocinio, terrebant * nimis clericos, populos, & monachos, qui vitam sectabantur quietam. Tunc Ioannes Antiochenus synodo congregata, tres pro Theodoro Mopsuesteno dictauit epistolas. Et vnam quidem direxit Theodosio Imperatori, aliam autem Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Constantinopolitano Episcopo, laudans in eis Theodorum, & eius exponens sapientiam. Ad hæc autem Imperator dirigens sacram Ioanni, derogatores illos Theodori contra salutem propriam venire iudicauit. Cyrillus autem rescripto suo Theodorum præferens, tale de accusatoribus eius tulit iudicium; eo quòd dogmate veritati contrario vterentur, interponens de symbolo in Concilio sibi oblato * tesseradecadas factas à Charisio presbytero: Nihilominus & Proclus per Maximum diaconũ suum ipsi Ioanni rescribens, cuius essent i'la capitula, quæ Theodori dicebantur, quæsiuit. Qui pro eius excusatione ignorare se dixit. Verumtamen duas memorati Ioannis epistolas, id est, primam & tertiam, laudes Theodori Mopsuesteni continentes, Chalcedonens. Synodus per relationem suam Martiano Imperatori directam, cum Tomo Procli (quem ad Armenios direxit) & alijs sanctorum Patrum epistolis, susceptit & confirmauit. His ergo sopitis atque transactis, mortuo Cyrillo tricesimo & secundo episcopatus sui anno, ordinatus est episcopus Alexandriæ Dioscorus, qui fuit quidẽ Archidiaconus eiusdem Cyrilli. Qui neque vxorem, neque filios habuit, quem narrat opinio, ciuium suorum maiorem habuisse dilectionem. Siquidem opprimens Cyrilli hæredes, & per calumnias, multas ab eis auferens pecunias, dedit eas sine fœnore artopolis & cauponibus ciuitatis, vt mundissimum panem & pretiosissimum vinum viliori precio populis exhiberent. Ioanne autem Archiepiscopo defuncto, Antiochenæ Ecclesiæ Domnus ordinatur Archiepiscopus. Sed & Proclo defuncto, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Flauianus sortitus est sedem. Ipso verò tempore Ibam Edessenum Episcopum, quidam presbyteri & Diaconi suis libellis quasi Nestorianum accusauerunt Domno Archiepiscopo, eo quòd alloquens clerum, dixisset: Non inuideo Christo, quia Deus factus est, quoniam si volo, & ego fio. Qui cùm ascendissent Antiochiam, eos Ibas excommunicauit. Sed superueniente festiuitate quadragesimæ ascensionis, iussi sunt à Domno excommunicatione absolui, sub ea conditione, vt Antiochiam non exirent, alioquin à suo deponerentur ordine. Sed quidam eorum, archiepiscopi Domni præcepta contemnentes, profecti ad comitatum, sacros apices meruerunt ad Photiũ & Eustathium & Vranium episcopos, vt in Beryto audirentur. Fuerunt autem cum ijs Eulogius diaconus Constantinopolitanus, & Damascius vir spectabilis tribunus & notarius. Quod cùm agnitum fuisset, illos clericos Constantinopolim perrexisse, damnati sunt à Domno & eius Concilio. Et post hæc Ibas Beryto ad audientiam occurrit. Cui cùm accusatores (sicut gesta demonstrant) nihil probare potuissent, superuenit relatio & postulatio clericorum Edessenorum, flagitantium pro Ecclesia episcopi sui præsentiam, in qua sibi arrogauerunt omnes pœnas horribilis gehennæ, si meminissent tale aliquid dictum in illo tractatu, de quo Ibas accusabatur, & iudicibus non manifestassent. Quamobrem fecerunt iudices accusatores ipsos cum suo episcopo in secretario communicare simulque pacificos dimiserunt.

minis.

πεσσερεσκαιδεκαπτων.

Post act. 16 huius Concil. habetur hæc relatio.

DE EVTYCHE PRESBYTERO ET *Egameno, & eius hæresi, eiusque damnatione.

for. * Archimandrita.

CAP. XI.

His temporibus Eutyches quidam presbyter & archimandrita præsidẽs Constantinopoli celeberrimo monasterio, vrgente Satana, prędicabat Dominũ nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis non esse secundũ carnem, sed de cœlo corpus habuisse. Rursusque varians, dicebat ante adunationẽ duas in Christo fuisse naturas, post adunationem verò vnã factam esse. Quem audiens talia docentem & prędicantem Eusebius Episcopus Dorylenæ ciuitatis prouinciæ Phrygię Salutarię, cùm esset orthodoxus, & purus etiam amicus, prohibuit eum talia sapere & docere. Sed pertinaciter Eutyche audire nolente, retulit Eusebius causam ad Flauianum Constantinopolitanum episcopum. Qui & ingressus est eius Concilium, quod collectum fuerat pro Florentio Sardeorum metropolita viro aduersus episcopos sub eo constitutos Ioannem & Cossinium, & data forma de aliquibus causis eorum, libellos obtulit Eusebius Flauiano & omni Concilio, coniurans omnes aduenire aduersus Eutychẽ presbyterum, vt sub eorum præsentia conuinceretur ab eo, hæretici dogmata sapere & docere. His Flauianus episcopus auditis per Ioannem presbyterum & defensorem & Andream diaconum, Eutychen ad Concilium suum venire præcepit: Quibus euntibus ad se, tale Eutyches reddidit responsum, hoc apud se esse decretum, vt nunquam egrederetur à sua fraternitate, sed tanquam in sepulchro degeret in monasterio. Secundò verò conuentu postulauit Eusebius duas Cyrilli Synodicas recitari epistolas: vnam, quam Nestorio direxerat, cuius principium est; Obloquuntur me quidam apud tuam fraternitatem: & alterã ab eo Ioanni Antiocheno directam, cuius est principium; Lætentur cœli & exultet terra, quas & synodus Chalcedonensis postea suscepit. Quòd cum fuisset factum, Eutyches rursus per Mamam & Theophilum presbyteros scripto vocatus est ad Concilium. Qui ad eum minimè ingressi, audierunt ab eius monachis, quòd ægrotaret, & ideo eum videre non possent. Ingressi sunt tamen ad eum posteà, & obtulerunt ei synodicam chartam. Quibus iterum dedit responsum: Ego definitum apud me habeo, extra mortis necessitatem non egredi monasterium. Sed hanc chartam manu mea scriptam accipite, & synodo offerte. Et post hæc recusante illo, renunciauerunt Concilio eius excusationem. Eutyches direxit Tomos per monasteria cum suis dogmatibus ad abbates, vt subscriberent ea. * Innotuit hoc Concilio Eusebius episcopus. Et rursus Flauianus vna cum suo Concilio per Memnonẽ presbyterum & Epiphanium & Germanum diaconos scripto eum tertia vocauerũt vocatione. Quibus cùm identidem Eutyches de infirmitate se excusaret, compellentibus tamen eis, qui missi fuerant, petijt vnius septimanæ dilationem, vt post septem numerum dierum audientiæ occurreret. Qui refugiens ad Imperatorem Theodosium, impetrauit ab eo (vt fertur) per Chrysaphium Eunuchum, quem Eutyches susceperat de sacro baptismate, vt cum Patricio Florentio & magno Silentiario Concilium illud Flauiani ingrederetur. Timere enim se dicebat Flauiani calumnias. Postquam ire secum meruit magnum Silentiarium cum Imperatoris scripto, accepit & officium exeubitorum & chlamydatorum, & venit ad Concilium. In quod ingressus, recitauit, qui cum ipso erat, magnus Silentiarius in synodo Imperatoris mandatum, ita se habens: Si pacem cogitamus sanctarum Ecclesiarum, & Catholicæ fidei custodiri volumus rectam & Deo inspirante prædicatam fidem à * Patribus nostris, qui in Nicæa congregati sunt, trecentorum decem & octo episcoporum, & ab his, qui Ephesi interfuerunt damnationi Nestorij: hoc ergo volumus, ne scandalum in prædicta Catholica fide immittatur. Et quoniam scimus magnificentissimum Florentium Patricium esse fidelem & probatum & recta fide, volumus eum interesse audientiæ synodi, quoniam sermo de fide est. Et superueniente Patricio Florentio, & eo sedente, flagitabant episcopi ab Eutyche, vt confite-

Vide act. 1. Chalc. Concil.

Ibidem.

Ibidem.

* Ibid. indicati.

* sanctis Patribus

confiteretur Dominum nostrum Iesum Christum consubstantialem nobis secundùm carnem in duarum naturarum vnitione. At ille libellum suum legi petebat, & credere se dicebat secundùm Nicæni Concilij fidem. Interrogante autem Patricio Florentio Eutychen, si diceret Christum, qui ex virgine est, consubstantialem nobis, duasque in eo vnitas naturas: qui confiteri se quidem hæc ante adunationem, post adunationem autem, vnam se confiteri dicebat. Et dicente ad eum synodo, Oportet te hoc confiteri, & anathematizare omne dogma huic fidei contrarium: respondit, non se dixisse hoc prius, sed posse se dicere, quia ipsi dicebant: sequi se tamen patres aiebat, quoniam in scripturis hoc non inuenerat explanatum, nec patres ita dixisse. Surgens autem sancta Synodus, anathematizauit eum. Cui identidem Patricius Florentius dixit: Qui non confitetur duas in Christo naturas, non credit rectè. Ille autem dixit legem se habere sancti Cyrilli & Athanasij, qui ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem, post adunationem autem & incarnationem non duas naturas, sed vnam. Surgens autem sancta Synodus iterum, anathematizauit eum. Venerabilis verò Flauianus, quoniam Valentini & Apollinaris hæreticorum errore Eutyches ægrotasset, expolians eum honore presbyterij, anathematizauit atque damnauit, & conclusis gestis, in eius damnationem Concilium subscripsit. Quibus gestis iungens epistolam suam venerabilis Flauianus, Leoni Papæ direxit, & quid in Concilio gestū fuerat, allegauit fideliter. Et Eutyches de sua damnatione Papæ Leoni scribens, posuit edicta apud Constantinopolim, & iniustitiam se fuisse passum, populum contestatus est. Leo verò direxit Flauiano Tomum, sanam incarnationis Christi doctrinam continentem, & mirifice perimentem Eutychetis assertiones, cuius principium est post proœmium; Lectis dilectionis tuæ literis Eutyches verò obtulit preces Imperatori, questus de falsitate gestorum, quasi aliqua à notarijs superaddita fuissent, aliqua verò dicta, nec gestis inserta. Et postulauit, vt sub præsentia Thalassij episcopi & Florentij patricij, rursus in palatio Flauiano occurrente, ipsum cōgregaretur Concilium, & ex interrogatione personarum veritas panderetur. Annuit Imperator fieri, & eadem preces manu sua ita subscripsit: Deponant apud reuerendissimos episcopos, non solùm qui dudum conuenerunt, verùm etiam & apud reuerendissimum Thalassium, vt omnibus his præsentibus, quæ supplicatio loquitur, negocij veritas inquiratur. Cumque Concilium congregaretur, Eutyches absens factus, ad vicem suam misit Constantinum diaconum ad Concilium, vt pro eo respondens examinantibus iudicibus, gestorum falsitas reprehenderetur. Sed discussis gestis, instantibus notarijs cum episcopis Deum timentibus, cum Eutycheti aliqui fauerent pro tempore, nihil falsitatis inueniri potuit: sed hoc tantum actum est, vt apud magistrum Officiorum, gesta conficerentur de falsitate notariorum, adstantibus aliquibus laicis de officio principis, qui interfuerant gestis ipsis tempore Concilij. Postea expetiuit Imperator à Flauiano, fidei eius confessionem manu eius scriptam & subscriptam. Scripsit ergo Flauianus fidem suam manu propria, & Imperatori in hoc themate direxit: Flauianus episcopus Constantinopolitanus, amatori Christi Imperatori nostro Theodosio salutem. Nihil ita conuenit sacerdoti Dei, & dogmatibus erudito diuinis, quam paratum esse ad satisfactionem omni petenti rationem de spe, quæ in nobis est, & gratia. Non enim erubesco Euangelium Dei. Virtus enim Dei est ad salutem omni credenti. Quia ergo & nos misericordia regis omnium Christi Dei, sacerdotium tale sortiti sumus, sapimus rectè & inculpabiliter semper scripturas diuinas, sequentes expositionem sanctorum patrum, qui in Nicæa conuenerunt, & centum quinquaginta, qui hic congregati sunt, & qui in Epheso sub sanctæ memoriæ Cyrillo, qui fuit Alexandrinorum episcopus, & prædicamus Dominum nostrum Iesum Christum, ante secula quidem ex Deo patre sine principio natum secundùm diuinitatem, in nouissimis autem diebus eundem propter nos & propter nostram salutem ex Maria virgine secundùm humanitatem. Ex duabus vtique naturis confitentes Christum post incarnationem ex sancta virgine, & humanatum, in vna subsistentia & in vna persona, vnum Christum, vnum Filium, vnum Dominū confitemur. Et vnam quidem Dei verbi naturam, incarnatam tamen & inhumanatam dicere non negamus, eo quòd ex ambabus vnus atque idem sit Dominus noster Iesus Christus. Eos verò, qui aut duos filios, aut duas subsistentias, aut duas personas annunciant, & non vnum eundemque Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei viui prędicant, anathematizamus, & alienos esse ab Ecclesijs iudicamus. Et ante omnes Nestorium impium anathematizamus, & sapientes, quæ eius sunt, & loquentes ea, & abscindantur huiusmodi à filiorum adoptione promissa rectè credentibus. Et subscriptio: Domine Iesu Christe, adiuua nos. Et iterum: Hæc scripsi manu mea ad satisfactionem vestræ potestatis, vt confundantur calumniam facientes nostræ simplici conuersationi.

DE SYNODO EPHESINA SEcunda, & Flauiani morte.

Cap. XII.

POST QVAM ergo nihil probatum est notarijs de falsitate gestorum, Eutyches petit Dioscorum Alexandrinum episcopum, vt quæreret, quę de illo acta sunt, & causam examinaret. Agebat apud principem vniuersalem fieri Synodum, vt probaretur iudicium Flauiani. Scripsit ergo Dioscorus Theodosio Imperatori, quia aliam fieri synodum generalem oportet, & vt fieret, persuasit Eutyches. Annuit Imperator. Et dirigens sacram Dioscoro in Alexandriam, præcepit, vt cum decem metropolitanis Episcopis, quos voluisset, ipse eligeret, & veniret Ephesum: & congregato vniuersali Concilio, Eutychetis causam discuteret, iubēs Barsumam archimandritam interesse Concilio, & vices agere omnium monachorum Orientales episcopos accusantium. Theodoritum verò Cyri episcopum adesse Concilio interdixit, & in sua ciuitate permanere eum iussit. Iam enim Ibam Edessenum episcopū, ne synodo adesset, per filium suum, quem superius dixi, Chrysaphium, in multas mansiones Eutyches relegarat exilio. Et fit Epheli generale Concilium, ad quod conuenerunt Flauianus quidem & Eutyches, tanquam iudicandi, Iuuenalis & Thalassius & omnes illi metropolitani episcopi cū suis Concilijs, & iudices Constantinopolitani Concilij, qui Eutychen iudicauerant. Dioscorus verò secum habebat fortissimos milites Reipubl. cum monachis Barsumæ. Et sedentibus in Basilica Dei genitricis Mariæ illis episcopis, Ecclesiæ Romanæ diaconi vices habentes Papæ Leonis, assidere non passi sunt, eo quòd non fuerit data præsessio sanctæ sedi eorum. Insuper etiam, quod non lecta fuerat ad Flauianum epistola in Eutychetis damnatione à Papa Leone scripta, & occultata fuerat epistola eius per supra memoratos legatos ad ipsam synodum directa. Et est eius principium; Religiosa clementissimi principis fides. Cumque Flauianus iudicaretur à synodo propter Eutychetis damnationem, Dioscorus libellum, quem Eutyches manu sua portabat, iussit suscipi & recitari. Et cùm recitaretur, surgens Dioscorus, & stans in suppedaneo sedis suæ, dicebat Concilio: Optima Eutychetis fides concordat fidei trecentorum decem & octo sanctorum patrum, & rectè credit Eutyches, fratres. Tunc synodus iussione Dioscori, Ibam Edessenum damnauit vt absentem, multis nescientibus episcopis quid de illo actum fuisset. Et tertiò vocatum, tanquam contemptorem & non occurrentem ad sanctum Concilium, damnauit absentem. Clamabatur autem, quoniam testimonium contra eum perhibebatur ab aduersariis tanquam dixisset: Non inuideo Christo facto Deo, quoniā si volo, & ego fio. Et quasi dixisset, Hodiè Christus factus est Deus, & alia huiusmodi, & propter epistolam ad Marim ab Iba directam. Iterum synodus authore Dioscoro Theodoritū Episcopum Cyri damnauit absentem, & nec egressum de sua ciuitate, propter illa, quę scripsit contra duodecim anathemata Cyrilli, & propter epistolā missam ab eo clericis & monachis & laicis contra primam Ephesi synodum ante Ecclesiæ pacem. Ad hæc damnauit quoq; memorata synodus Eusebium episcopū Dorylei, eo quòd dixerit duarum naturarū perfectarum Christum. Et cū eo damnauit similiter Flauianū Constantinopolitanum episc. quasi malè damnantem Eutychē, & quia dixerit, in duab. naturis cognosci Christum. Quare surgētes quidam venerabiles episcopi, tenuerūt

Act. 1. Chalced. Concil.

De hoc act. 10. Chalced. Concil.

Epist. 14. Leonis.

Et habetur in Prol. Concil. Chalced.

genua Dioscori, & rogabant, ne Flauianus innocens damnaretur: qui nec diu petere potuerunt metu militum & monachorum stantium cum gladijs & fustibus. Depositus quoque & Sauinianum episcopum * Perrensium. Post omnes autem & Domnum Antiochenum remanẽtem ab orthodoxorum depositione, quia particeps factus Dioscori in depositione orthodoxorum & Eutychetis absolutione. Depositus est autem dolo Dioscori sic: Postquam consensit in omnibus Dioscoro, datis in medio eius epistolis, quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus cõtra duodecim Cyrilli capitula scripserat, eo quòd essent obscura, damnauit ægrotum & absentem illa die. Hæc ergo synodo decernente, & restituente Eutychi presbyterij dignitatem & ministerij præsulatum, Flauianus quidem & Eusebius custodiæ mancipantur. Porrò locum obtinentes Papæ Leonis, omnibus quæ sunt gesta, contradixerant: Flauianus autem contra se prolata sententia, per eius legatos sedem Apostolicam appellauit libello. Et hunc terminum illa synodus habuit. His ergo omnibus malis à Dioscoro perpetratis, cæsus Flauianus, & multis iniurijs affectus, dolore plagarum migrauit ad Domnum. Ordinatusque est pro eo Anatolius diaconus, qui fuit Constantinopoli apocrisarius Dioscori, & pro Domino Antiocheno ordinatus est Maximus, & pro Iba Nonnus, & pro Sauiniano Athanasius, pro Theodorito autem & Eusebio nullus ordinatus est. Soluto ergo illo Concilio, & ad suas sedes reuersis episcopis, scissio facta est inter eos, qualis antea nunquam contigerat. Ægyptij, Thraces & Palæstini episcopi, Dioscorum sequebantur: Orientales, Pontici & Asiani, sanctæ memoriæ Flauianum. Quod schisma permansit vsque ad obitum Theodosij principis. Sed quærenti plenius scire latrocinia Dioscori in ipsa synodo pertractata, prima actio synodi Chalcedonen. in qua nec nominandi Ephesini secundi Concilij recitata sunt acta & gestis inserta, legenti omnia pleniſſimè innotescit. Nam nos ista nuper Alexandriæ de Græco in Latinum translata suscepimus. Porrò legati sedis Apostolicæ ab ipso Concilio fugientes, retulerunt Papæ Leoni iniquitates Dioscori, quomodo Dioscorus vi magis, quam iustitia, in illa egerit synodo. In cuius gesta timore episcopi subscripserunt in Eutychetis absolutionem, & orthodoxorum episcoporum depositionem, hæresim non recipientium, & quomodò omnibus gestis eius contradixerunt. Quos sequutus Theodoritus episcopus, Papæ suggessit, quanta mala pertulerit ex insidijs Dioscori, rogans vt celerius tali causæ subueniretur per alium conuentum episcoporum, ne hæretica Eutychetis dogmata permanerent à Dioscoro confirmata. Sed fortissimus Leo audiens legatorum suorũ suggestionem, & Theodoriti querelas suscipiens, literis suis Theodosium Imperatorem & Pulcheriam Augustam petit, vt fieret intra Italiã generale Concilium, & aboleretur error fidei per violentiam Dioscori factus. Valentinianum autem Imperatorem & Eudoxiam vxorem eius, ad memoriam beati Petri, cum multis episcoporum genibus prouolutus, Romanus Pontifex deprecatus est, vt Imperatorem Theodosium hortarentur aliam fieri synodum, ad retractandum illa, quæ à Dioscoro malè acta atque perpetrata fuerant in damnatione Flauiani episcopi, & orthodoxorum depositione. Eis scribentibus & petentibus rescripsit Theodosius Imperator, Flauianum læsibilis nouitatis reum, dignum mortis debitum suscepisse, & ideo omnis pax & concordia in Ecclesia regnaret, principe contentionis sacro iudicio humanis rebus ablato. Illos verò, qui depositi fuerant indignos sacerdotio fuisse: & qui digni iudicati sunt, à synodo esse susceptos. Hæc de Flauiano Theodosius Archadij principis filius, nepos Imperatoris Theodosij maioris, cuius temporibus omnia hæc scandala contigisse noscuntur.

* Parensium de hoc act. 14. Conc. Chalced.

De hoc circa finem Act. 1. Chalced. Conc.

DE SYNODO CHALCEDONENsi, & de damnatione Dioscori.

Cap. XIII.

Sed eo defuncto, cùm Martianus imperij culmen fuisset adeptus, pro illa Papæ & principum Romanorũ petitione vniuersale Concilium in Nicæa congregari iussit, vbi occurrentibus sexcentis triginta episcopis, & eis sedentibus, legati Papæ Leonis Martianũ petierunt, vt sui præsentiam præstaret Concilio: alioquin ipso absente, ipsi ad Concilium non occurrerẽt. Et ita iussit Imperator synodum transferri Chalcedonam, vt de proximo ad Concilium veniens, eorum impleret petitionem. Formidabant autem aliqui episcoporum, ne ab Eutychianis tumultus à Constantinopoli de vicino nasceretur. Sed Imperatore promittẽte, nullum audere tale aliquid pertentare, apud Chalcedonam synodus sedit. Igitur perspectis ijs, quæ in secunda synodo Ephesina gesta sunt coram sacro senatu, & Constantino & Beroniciano à secretis, & omni vniuersali Concilio, cum Paschasino & Lucentio episcopis, & Bonifacio presbytero, locum tenentibus Leonis Papæ Romani, & Anatolio Constantinopolitano, præsente Dioscoro & omnibus metropolitanis episcopis, vt quæreretur depositio & mors Flauiani, & depositio orthodoxorum episcoporum, qui pro fide depositi sunt. Et prima quidem sessione, recitante Beroniciano gesta nefandi Concilij Ephesini secundi, in quibus continebantur de Eutyche Constantinopoli acta, lecta sunt etiam & gesta synodi Ephesinę primę, in qua Nestorius à Cyrillo damnatus est, & gestis inserta: & omnibus ritè discussis, clamantibus episcopis, Anathema Nestorio, anathema Eutychi, anathema qui diuidit, anathema qui confundit: iniquitas Dioscori referata & manifestata est de Flauiani morte, & de episcoporum orthodoxorum depositione. Et ita soluto primo conuentu, secundo secretario interloquentibus iudicibus, vt cum omnium episcoporum deliberatione fides tractaretur & confirmaretur, lectæ sunt duæ epistolæ Cyrilli, quæ in Concilio Flauiani (sicut diximus) gestis Constantinopoli continentur. Lectus est & tomus Papæ Leonis ad memoratum Flauianum, contra dogma Eutychis directus. Et dubitantibus Illyricianis & Palæstinis episcopis sanctis in aliquibus locis eius, Theodoritus episcopus & Ætius archidiaconus Constantinopolitanus, ex dictis & epistolis eius similia Cyrillum scripsisse docuerũt. Et clamantibus Ægyptijs & Illyricianis episcopis, Omnes peccauimus, omnes veniam petimus: dilatio dierum quinque concessa est, vt cum omni deliberatione fides tractaretur, & confirmaretur. Et ita secundo conuentu soluto, tertio quoque secretario libellos obtulit Eusebius Dorylei episcopus aduersus Dioscorum, & synodo questus est de sua & pię memorię Flauiani depositione, & de consensu eiusdem Dioscori in dogma Eutychis, & vt vocaretur ab eis, & ab eo conuinceretur de his accusationibus. Sed quæsitum est, si veniſſet Dioscorus, & inuentus non est. Ad quem directi sunt episcopi Constantinus Bostrenſ. & Atticus Zelenſ. & Acacius Ariarathirenſ. & Hymerius lector & notarius, vt eum scripto conuenirent, vt ad Concilium occurreret. Quibus Dioscorus respondit: Custodior ego: Si permittunt me descendere, dicant magistriani. Ego enim paratus sum venire, sed prohibeor. Hæc scripto mandauit Concilio Dioscorus. Sed aduenies adiutor magistri Officiorum dedit ei facultatem, vt liberè ad Concilium occurreret. Rursusq; ad eum directi sunt Pergamius, Cecropius, & Rufinus episcopi, vt scripto eum conuenirent, ne ad Concilium venire contemneret, sed magis satisfaceret Concilio de his, quæ ab Eusebio dicebãtur. At ille respõdit eis: Iudicẽt de his iudices & seruatores, ego ægritudine grauatus, ad Concilium venire non possum. Et tertio vocatus est ad Concilium per Francionem, Iulianum & Ioannem episcopos cum Palladio notario, vt verbis eius scriptis, intimarent Concilio, quid Dioscorus remandaret: sed in hac tertia vocatione, inepta Dioscorus responsione venire differẽs, Concilio dãnationis in eũ protulit sententiã: quæ missa est pio Imperatori, subscribentibus in ea episcopis. Depositus ab episcopatu Dioscorus septimo ordinationis suæ anno. Clericis verò Alexandrinis mandauit Concilium, tam eum non putare episcopum esse, sed omnino cognoscerent, eum de gradu suo esse deiectum.

Sed & aliquibus putantibus Dioscorum recuperare posse episcopatum, propositum est edictum, & omnibus manifestatum est, Dioscorum irrecuperabiliter honore fuisse abiectum. Quarto autem secretario interloquentibus iudicibus, simili sententiæ, qua Dioscorus iudicatus est, hos Episcopos subiacere, Iuuenalem Hierosolymitanorum,

Thalaſ-

Thalassium Cæsareæ Cappadociæ, Eusebium Ancyræ Galatiæ, Eustathium Beryti, & Basilium Seleuciæ Isauriæ, qui potestatem habuerunt, & principes fuerunt tunc Ephesini latrocinij, vt alieni ab episcopatu fierent. Et post hæc quinque dierum dilatione facta, vt vnusquisque Episcopus quomodo crederet, scripto proferret, & vt eligeret Anatolius Episcopus certos & idoneos ad tractandum Episcopos, & deliberaretur regula fidei & firmaretur. Firmata est autem fides Nicæni concilij, & Constantinopolitani, & Ephesini primi, & epistola Leonis Papæ, quæ & ab omnibus subscripta cognoscitur. Rursùs interloquentibus iudicibus de Iuuenale & Thalassio, Eusebio, Basilio & Eustathio Episcopis, quid concilio videatur, acclamauit omne Concilium: Dioscorum Deus deposuit, Homicidam Deus deposuit. Et intercedente pro eis concilio quia consenserant in subscriptione suprà memoratæ Papæ Leonis epistolæ, & nè maiùs iterum nascerentur schismata, iussi sunt in concilio permanere. Post hæc duodecim Episcopi Ægyptij libellos obtulerunt fidei cum *illusione. Sed iudicante concilio, vt Eutychen anathematizarent & subscriberent tomo Papæ Leonis, dixerunt illi, hoc non se facere posse, donèc ordinaretur Alexandrinus Episcopus, vt cum eius iussione sine suo periculo hoc implerent, & pro multitudine Ægyptiorum Episcoporum solos se facere non posse. Et decretum est, vt datis ab eis fideiussoribus sacramento præstito, expectarent ordinationem Alexandrini Episcopi, & consentirent, & subscriberent ad omnia synodalia instituta. Hoc & de archimandritis & monachis aliquibus similiter excusantibus, in concilio ordinatum est, vt dilationem acciperẽt. Et ita quarto secretario peracto, quinta sessione hoc actum est, tractantibus cum Episcopis & iudicibus, vt fides confirmaretur, & ex tractatu Anatolij Constantinopolitani Episcopi, & omnium Episcoporum metropolitanorum, dictatum est fidei symbolum cum definitione, & ab omnibus confirmatum est. Et legente illud Ætio archidiacono, acclamatum est ab omni synodo: Hæc patrum fides, Hæc est fides Cyrilli & Leonis, Multos annos Imperatoribus. Et petierunt rursùs acclamare, vt mox ab omnibus metropolitanis & toto concilio sine dilatione subscriberetur. Sed intermissum est à iudicibus, vt primùm principi legeretur.

Et cùm hoc fieret, soluta est synodus. Sexto autem secretario aduenies Martianus Imperator ad concilium cum iudicibus, & sacro senatu, allocutionis verba fecit in concilio, & inter alia dixit, se ad confirmandam fidem, non ad potentiam ostendendam, exemplo Constantini, synodum intrasse. Vndè abiecta omni prauitate & auaritia, quorundam amputatis erroribus, in perpetuum, quæ à vobis ordinata fuerint, reseruentur. Et recitata fidei definitione, confirmata est ab omni concilio sine aliqua dubitatione, & ab omnibus subscripta est. Septimo quoque secretario tres actæ sunt causæ, propter quod tres eius computantur actiones. Prima est, qua firmata sunt, quæ conuenerunt inter Maximum Antiochenum, & Iuuenalem Hierosolymitanum Episcopos, vt duæ Phœnices & Arabia dependerent sedi Antiochenæ, Hierosolymitanæ verò tres Palæstinæ prouinciæ. Alia quoque celebrata est actio, in qua Theodoritus Episcopus Cyri, quem Dioscorus expulerat, orthodoxus iudicatus est, & dignus sede sua. Tertia verò actio est, vbi causa Ibæ Edessæni Episcopi, qui similiter fuit per violentiam Dioscori ab episcopatu depositus, legitur esse discussa, in alterum diem finali dilata sententia. Octauo autem secretario decima actione, eadem causa finita est, vbi &* relata sunt gesta apud Photium & Eustathium atque Vranium in Tyro ac Beryto celebrata, in quibus continentur & illa, quæ apud Theodosium Imperatorem super eius fuerant negocio acta. Sed & gesta apud Domnum Episcopum Antiochiæ priùs habita, necnon & ipsius Ibæ epistola, ad Marim Persam scripta, in eadem actione decima orthodoxa pronunciata monstratur. Ex eius tenore dignus iudicatus est Ibas episcopatum suamq; Ecclesiam recipere. In qua actione id etiam inuenitur decretum, vt quod sub Dioscoro in Epheso congregatum est, nec vocaretur cõcilium, atq; vt peteretur ab Imperatore, vt hoc ipse lege sanciret. Nono quoque secretario acta est actio, vbi Bassianus, qui ad ciuitatem *Euazentium Episcopus ordinatus est, & Ecclesiæ incubuerat Ephesinæ, & Stephanus, qui & ipse malè ordinatus, prædictum Bassianum de Epheso expulerat, iudicati sunt ambo remouendi, & vt alius ipsi Ecclesiæ ordinaretur. Sed quia fuit aliquorum diuersa sententia, causæ terminus in sequentem dilatus est actionem. Decimo ergo secretario eadem causa finita est, & omnium concordi sententia vterque iudicatus est amouendus. Alia verò causa est, Eunomij Nicomediens. atque Anastasij Nicæni altercationem continens, super ciuitatem Basilinopolim, quis eorum illic ordinaret episcopum. Et interdictum est, ne hoc Nicænus aliquando præsumeret. Vndecimo secretario duæ actæ sunt actiones. Prima, in qua Ecclesiæ Parensium redditus est Sauinianus episcopus, quem Dioscorus expulerat, & Athanasium fecerat illo restitui. Qui pro criminibus obiectis, cùm sæpè deuocatus ad iudicium non occurreret, & episcopatui renunciaret, à Domno Antiocheno fuerat ante damnatus.

Et alia, in qua post discessum iudicum & senatorum, & legatorum Apostolicæ sedis, regulæ constitutæ sunt Ecclesiasticæ, & quædam priuilegia deputata Constantinopolitanæ Ecclesiæ, vsurpante sibi hoc Anatolio eiusdem vrbis episcopo, occasione accepta ex Dioscori damnatione. Quod alia die cognoscentes legati Papæ Leonis, (quæ est vltima & duodecima dies Concilij) petiuerunt, vt rursus cum iudicibus ad Concilium conuenirent. Quibus requirentibus à Concilio, quid pridiè fuerit ordinatum, lectis gestis cognouerũt, quid Anatolius consentiente Concilio egerat, & obtinuerat. Quibus eius præsumptioni contradicentibus, à iudicibus & episcopis omnibus illa contradictio susceptа non est. Et licet sedes Apostolica nunc vsque contradicat, quod à synodo firmatum est, Imperatoris patrocinio permanet quodammodo.

Vide hinc epist. S. Leonis I. Pap.

DE EXILIO DIOSCORI, ET ORnatione Proterij Alexandrini Episcopi.

Cap. XIV.

EXpleto ergo magno & venerabili Chalcedonens. Concilio in duodecim secretarijs & sedecim actionibus, Dioscorus quidem exulare in Gangrena ciuitate præceptus est. Reuersi sunt autem Alexandriam qui cum eo venerant episcopi & clerici, Athanasius Butirios episcpous, & Nestorius Phlagoneos, & Auxonius Scbennitens, & Macarius Chabasenens. qui confederant in Chalcedona, & anathematizauerunt Eutychen & eius dogma, cum Dioscori damnatione, epistolæ Papæ Leonis subscribẽtes, vt cum omnium ciuium voluntẽte eligerent ordinandum episcopum, sacris ob hoc literis præcedentibus ad Theodorum tunc augustalem. Collecti sunt ergo nobiles ciuitatis, vt eum, qui esset vita & sermone pontificatu dignus, eligerent. Hoc enim & Imperialibus sanctionibus iubebatur. Cumq; super hoc multa dubitatio processisset, volentibus ciuibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur, (Dioscoro quippeviuente) nouissime in Proterium vniuersorum sententia declinauit, vtique cui & Dioscorus commendauit Ecclesiam, qui & eum archipresbyterum fecerat. Ordinatus ergo Proterius, præsentibus supra memoratis episcopis, qui in synodo (sicut dictũ est) subscripserant, inthronizatur.

DE ORDINATIONE TIMOTHEI Æluri, & morte Proterij.

Cap. XV.

INthronizato autem eo, diuisio & discessio populi orta est, eo quòd viueret Dioscorus, & esset in exilio. Multa ergo pericula Proterius passus est, ita vt militari pro custodia indigeret auxilio plurimo tempore sui pontificatus, & vsque ad mortem Martiani Imperatoris, inimicorum manus valuit euadere. Sed Timotheus quidem cognomento Ælurus, & Petrus Moggus diaconus, qui de ordinatione fuerunt Dioscori, ab Alexandrina Ecclesia se separauerunt, nolentes communicare Proterio. Quos cùm Proterius episcopus ad

ministerium proprium reuocare non posset, vtrosque damnauit. At illi captata morte Martiani Imperatoris, collectis turbis hæreticorum, qui Dioscorum sequebantur, ordinato episcopo Timotheo Æluro, veniunt Alexandriam. Et ante triduum Paschæ, quo Cœna Domini celebratur ab ipsis turbis concluditur in Ecclesia sanctæ memorię Proterius, quò se timore contulerat. Ibique eadem die in baptisterio occiditur, laniatur, ejcitur, & funus eius incenditur, sparguntur & cineres eius in ventos. Ab isto ergo Timotheo duo episcopi Alexandriæ cœperunt esse. Et dum Ecclesias tenuisses, soluerunt eam, quam habebant vnitatem, expulsis ab eis plurimis episcopis orthodoxis, qui sub Euangelistæ erant sede beatissimi Marci. Interea Leo sumit Imperium, ad quem tanti facinoris Catholicorum querela peruenit, ascendentibus ad imperialem ciuitatem cum cleris aliquantis Alexandrinæ Ecclesiæ episcopos, qui erant à Timotheo sedibus suis pulsi. Supplicationes ab eis oblatæ sunt Leoni Imperatori, quatenus mors vindicaretur Proterij, & expelleretur episcopali sede Timotheus Ælurus, tanquam non legaliter institutus. Hæc quidem egerunt episcopi & clerici, synodi Chalcedonens. defensores. Sed & à patre Timothei quidam episcopi & clerici Timothei ascendêres, functi legatione pro Timotheo Æluro, dederunt & ipsi petitiones Imperatori, contra synodum sæpè facientes, vt eadem Chalcedonensis synodus tolleretur. Econtra, illi à parte Proterij vindictam sceleris postulabant. Et ambarum partium supplicationes Imperator legens, & considerans, nimis esse graue vexari tanto itinere sacerdotes, quorum, aut ætas, aut infirmitas, aut paupertas hunc laborem subire prohibebat, impossibile iudicauit eos congregari, sed scripsit singularum ciuitatum episcopis de vtroque negocio, consulens, quid fieri oporteret vel de ordinatione Timothei, vel de terminis synodi Chalcedonens. & direxit per totum Orientem magistrianos. Mittit & Anatolius episcopus Asclepiadem diaconum suum, per quos omnes illi episcopi, qui Chalcedone fuerant congregati, quid Alexandriæ gestum fuit agnoscerent. Qui rescribunt Chalcedonensem Synodum vsque ad sanguinem vindicandam, eo quòd non alteram fidem teneret, quàm synodus Nicæna constituit. Timotheum vero non solùm inter episcopos non haberi, sed etiam Christiana appellatione priuari. Et hæ Epistolæ vel relationes episcoporum omnium, in vno codicis corpore vocantur Encyclicæ. Quo facto, scripsit Imperator Leo duci Alexandriæ Stilæ, vt pelleret quidem ab episcopatu modis omnibus Timotheum, inthronizaret autem alium decreto populi, qui synodum vindicaret.

DE ORDINATIONE TIMOTHEI Catholici, & Petri hæretici.

Cap. XVI.

IVssione suscepta, dux Stila fecit quæ fuerant imperata. Et exilio relegatur Timotheus Aelurus Chersonam arcta custodia, & sit pro Proterio Timotheus, cognomento Salophaciolus siue Asbus. Hic Timotheus catholicorum episcopus, vixit quidem sine seditione quietè in Alexandrina ecclesia omni tempore Leonis, & omni tempore Zenonis, donec Basiliscus arriperet tyrannidem, Zenone in Isauriam fugiente. Et cùm Basiliscus tenuisset Imperium, scripsit vniuerso orbi sanctionem suam, quam appellauit Encycliam contra Chalcedonense Concilium. Tunc enim Basiliſco reddente episcopatum Timotheo Aeluro, & hæreticis sedibus suis restitutis, fugit Timotheus catholicus in Canopi castellum, & in monasterio latuit: Petrus hæreticus iterum se cum Timotheo iunxit, cum quo fuerat ante damnatus. Postquàm ergo Imperator Zenon reuersus est ad imperium, Timotheus Aelurus metuens zelum, quem habebat circa Chalcedonense Concilium, optauit sibimet mortem. Et istud perseueranter orans, ab humana vita hausto veneno solutus est. Dicunt verò sequaces eius, præscisse eum diem mortis suæ. Et reuera, quia se veneno parabat interficere, sciebat. Post cuius obitum ordinauerunt sibi hæretici episcopum Petrum, cognomento Moggum, qui vocatus est Blesus, qui fuerat archidiaconus. Morabatur autem tunc Timotheus catholicus (vt dictum est:) in Canopo castello. Et cognoscens Zenon Imperator calliditatem hæreticorum, scripsit Anthemio Augustali, vt Petrum quidem sacerdotio priuaret, Timotheum verò in episcopatú reduceret, & authores inthronizati Petri puniret. Anthemius verò accepta Imperiali iussione, expulit sacerdotio Petrum tanquàm adulterum, & cõtra leges Ecclesiæ Catholicæ factum, & in Episcopalem sedem Timotheum Salophaciolum reuocauit. Qui episcopatu recepto, misit quosdam clericos gratias agens Imperatori. Cum quib. erat Ioannes ex œconomo presbyter factus Iabbenesiotis, cognomento Talaia, & Gennadius Episcopus *inferioris Hermopolis, sanguine proximus Salophacioli, quem expulerat quidem episcopatu Ælurus, restituit verò Salophaciolus. Cumque hi, qui fuerant missi, gratias egissent Imperatori, Gennadius quidem ibi remansit, vt cum alijs responsa faceret archiepiscopi. Porrò Ioannes ex œconomo, amicus factus est Ello magistro, qui cum reliquis descendit Alexandriam. Factusque est iterùm œconomus, habens causas omnium Ecclesiarum. Qui multa & preciosa xenia direxit Ello magistro despiciens Gennadium parentem *archiepiscopi, & præsulem Acacium Constantinopolitanum. Interea scribit ad Paoam Simplicium Timotheus, rogans & dicens, Petrum illum Moggum in diaconatu esse damnatum, nunc etiam Christiana societate remotum. Idemque scribens Imperatori, vt eundem Petrum longiùs in exilium dirigeret, quia latitabat Alexãdriæ, & insidiabatur Ecclesiæ. Scripsit autem Papa Simplicius Acacio Episcopo, vt Imperatori suggereret, eò quòd iustè Timotheus postulâsset. Sed quoniá idem Timotheus sic mitissimus erat in Episcopatu, vt etiam à suis communicatoribus accusaretur Imperatori, tanquàm nimis remissus, & circa hæreticos placidus, ita vt ei scriberet Imperator, vt neque collectas, neque baptismata sineret hæreticos celebrare, ille tamen mansuetè agebat. Dum ergo tali modo gubernaret episcopatum, amabant eum Alexandrini, & clamabant ei in plateis & in Ecclesijs. Vel si non tibi communicamus, tamen amamus te. Post breue verò tempus moriatur Timotheus Salophaciolus, anno episcopatûs sui vicesimo tertio, mense sexto. Obijt autem sine molestia.

* Sanguine proximum, pro nimis diuite.

DE ORDINATIONE IOANNIS Catholici, & damnatione Acacij.

Cap. XVII.

ORdinatvr autem à communicatoribus eius Episcopis & clericis & monachis, qui eius nouerant fidem & gubernationem, Ioannes ex œconomo, cognomento Talaia. Eodem tempore imperante Zenone, Simplicius Romanæ præsidebat Ecclesiæ, Constantinopolitanæ autem Acacius. Porrò hęretici (vt iam dictum est) Petrum latenter instituerant, quem iussit Zenon Imperator expelli, tanquàm hæreticum & adulterum. De quo etiam Acacius synodicam Romano Papæ misit epistolam, petens, nè etiam adulterum & hæreticum in episcopali dignitate reciperet. Verùm Ioannes Talaia, de ordinatione sua neglexit per suos synodicas literas Acacio Episcopo Constantinopolitano destinare. Habens enim amicum Ellum supradictum magistrum, ei de sua quidem ordinatione scripsit. Scribens etiam principi, quatenùs per Ellum magistrum omnis eius causa disponeretur, putans eum Constantinopoli permanere. Mandauit ergò magistriano literas synodicas, delegans ei omnia cum illius facere voluntate. Contigit autem tunc, Ellum *magistrum ab Imperatore Zenone mitti in Antiochiam, vt teneret Leontium, qui illic ab exercitu cum voto Verinæ Augustæ fuerat ordinatus. Cumque magistrianus, qui fuerat ab Ioanne missus, non inuenisset Ellum magistrum, neque Acacio, neque Imperatori literas obtulit, sed perrexit Antiochiam. Post hæc Acacius audiens de ordinatione Ioannis, & contristatus, quia synodicas epistolas non direxisset, & vnà faciens cum Gennadio Episcopo parente beati Timothei, volentes ei nocere, trahebant apud Zenonem, & accusabant eum, habentes adiutores patronos Petri Moggi, quasi oppor-

tunus

tunus Episcopatui non esset Ioannes, eò quòd, viuéte Timotheo catholico, tractauit exire de Ecclesia, & ab ipso suaderetur idem Timotheus suscipere Dioscorum in diptychis post mortem, Petrum autem amabilem in populo, & posse eum in communionem populum congregare. Occurrerunt quidam à Petro, volentes quasi fieri vnitatem. Quos iucundissimè susceptt Acacius, & Imperatori præsentauit, & persuasit ei, vt scriberet Apollonio Augustali & Duci Pergamio, vt Ioannem ab Alexandrina sede, quasi eam contra suum iusiurandum, quod in regia ciuitate dedit, arripuisset, * & cooperaretur Petro Moggo, vt remaneret in sede. Nec tamen priùs hoc faceret, nisi suscipiret henoticon principis, & synodicas destinaret epistolas Constantinopolitano Acacio, & Simplicio Romano, & cæteris archiepiscopis. Acacius verò, promittente Petro facere vnitatem, nec adhuc implente legitimè, nomé eius in diptychis recitari permisit, tanquã iam Alexãdrini Præsulis in sede positi. Ioannes Talaia iudicatur à Zenone ab episcopatu pelli. Acacius auxilio patronorum Petri persuasit Zenoni, vt fieret henoticon, ad cuius perlationem seu professionem suscepit communicantes sibi clericos Petri hæreticos & laicos, inuentos Constantinopoli. Communicauit etiam & Petrus Moggus his, qui descenderunt cum henotico, & Acacio synodicam scripsit epistolam, & ab eo recepit. Henoticon verò Zenonis, quod Latinè dicere possumus vnitiuum huiusmodi est:

DE EPISCOPIS ALEXANDRINIS.

Cap. XVIII.

IMPERATOR Cæsar Zenon, pius, victor, triumphator, maximus, semper Augustus, vniuersis episcopis sanctis & populis per Alexandriam, Ægyptum, Libyam, & Pentapolim. Principium & statum, virtutemque & scutum inexpugnabile nostri scientes Imperij, solam rectam veramque fidem, quam aduentu diuino expostuerunt soli, qui in Nicæa congregati sunt, 318 sancti patres, firmauerunt autem & qui Constantinopolim conuenerunt, centum quinquaginta similiter sancti patres, noctibus ac diebus, oratione & studio & legibus nitimur multiplicari per eam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam, incorruptam, & sine obitu matrem nostrorum sceptrorum. In pace verò & concordia, quæ circa Deum est, pios populos perseuerantes, acceptabiles pro nostro imperio supplicationes offerre, cum sanctissimis archiepiscopis & Dei cultoribus, clericis & archimandritis. Magno enim Deo, & Saluatore nostro Iesu Christo, ex sancta virgine Dei genitrice Maria incarnato & nato, ex concordia glorificationem atque culturam laudante, pariterque suscipiente, hostium quidem generationes conterentur: omnes autem inclinabunt post Deum suam potestati nostræ cerui-cem. Pax autem & bona, quæ ex ea sunt, aëris temperantia, & fructuum vbertas, sed & alia hominibus vtilia, * largientur. Cùm sic ergò immaculata fides & nos & Romanam seruet rempublicam, supplicationes nobis oblatæ sunt à Deo amantissimis archimandritis & eremitis, & alijs reuerendis viris, supplicantibus vnitatem sanctissimæ Ecclesiæ, vt copulentur membra mẽbris, quæ bonitatis inimicus ex longis retrò temporib. separare conatus est, sciens, quia aduersùs totũ Ecclesię corpus exercẽdo bella deuincitur, & ex hoc euenisse, generationes innumeras in tãtis annis vita priuatas, alias quidem lauacro regenerationis fraudatas obisse, alias sacra communione nequaquam participantes, ad discessum ineuitabilem hominum fuisse deductas, necesque præsumptas deciès milliès, & sanguinum redundantia pollutam non solùm terram, sed etiam ipsum aërem. Hæc quis non optet ad bona transformare? Propterea cognoscere vos studuimus, quia & nos, & vbique sanctissimæ orthodoxorum ecclesiæ alterum symbolum, aut mathema, aut terminum fidei, aut fidem citra prædictum sanctum symbolum 318. patrum, quod etiam firmauerunt memorati centum quinquaginta sancti patres, neque habuimus, neq; habemus, neq; habebimus, neq; habẽtem scimus: & si quis habuerit, alienum eum existimamus. Hoc enim solum nostrum (sicut diximus) Imperium saluare cõfidimus. Sed & omnes populi, qui salutare baptisma promerentur, hoc solum percipientes baptizantur. Quod secuti sunt omnes sancti patres, qui Ephesi conuenerunt, quique deposuerunt impium Nestorium cum Eutyche. Contraria sapientes anathematizamus, suscipientes & duodecim capitula, quæ dicuntur facta à Deo amabilis memoriæ Cyrillo, qui Alexandrinorum Catholicæ Ecclesiæ archiepiscopus fuit. Confitemur autem vnigenitum Dei filium & Deum, qui secundùm veritatem inhumanatus est, Dominum nostrum Iesum consubstantialem patri secundùm diuinitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem, eundem, qui descendit, & incarnatus est ex Spiritu sancto, & Maria Dei genitrice virgine, vnum existere filium, & non duos. Vnius enim esse dicimus vnigeniti filij Dei & miracula, & passiones, quas sponte carne perpessus est. Eos autem, qui diuidunt, aut confundunt, aut phantasiam introducunt, omninò non recipimus, quoniam sine peccato ex Dei genitrice secundùm veritatem incarnatio augmentum filij non fecit. Manst enim Trinitas & incarnato vno de Trinitate Deo verbo. Scientes itaque quod neque sanctissimæ vbiquè orthodoxæ Ecclesiæ, neque harum præsules Deo amantissimi sacerdotes, neq; nostrum imperium, symbolum aut terminum fidei citra prædictum sanctum mathema receperunt, aut recipiunt, vnite vosmetipsos, nihil dubitantes. Hæc enim scripsimus, non innouãtes fidem, sed vobis satisfacientes. Omnem verò, qui aliud quicquã sapuit, aut sapit, aut nunc, aut aliquando, aut in Chalcedona, aut in quacunque synodo anathematizamus, præcipuè verò prædictos Nestorium & Eutychen, & quæ eorum sunt sapientes. Copulamini ergò spiritali matri Ecclesiæ, eadem sapientes nobiscum, in eadem positi communione, secundùm prædictum vnum & solum fidei terminum eorundem sanctorum patrum. Sanctissima namque mater nostra Ecclesia, tanquàm quæ genuit vos, filios expectat amplecti ex longo post tempore, dulcemque vocem vestram concupiscit audire. Cogitate siquidem vosmetipsos. Hæc enim facientes, & Saluatoris nostri Domini propitiationem ad vos attrahetis, & à nostro Imperio laudabimini.

His ita gestis, episcopus quidem Antiochiæ susceptt synodicam Ioannis Talaiæ, quam per magistrianum miserat cum Ello magistro. Imperator autem putans, quod Ioannes episcopus non sanè saperet de Concilio Chalcedonensi, sed omnia simulatè ageret, consilio Acacij scripsit literas Pergamio Duci & Apollonio Augustali, vt pellerent quidem Ioannem Talaiam, inthronizarent autem Petrum suscipientẽ henoticon, & clericos Timothei catholici, & quam transmisit synodicam Acacio & Simplicio Romano. Descenderunt ergò Alexandriam abbas Amon, & qui cum illo erant, pro Petro deferentes apices imperiales. Et quidem Petrus inthronizatur ab omnibus. Scriptum est ab Imperatore, vt consentientes, suscipierent eos, qui erant à parte Timothei catholici. Ioannes autem Talaia, electus de sede Alexandrina propter Petrum Moggum, profectus est Antiochiam, vt videret Ellum magistrum. Cui cùm narrasset, quæ sibi euenerant, eius consilio ingressus est ad Calendionem Antiochenum Patriarcham: Et sumptis ab eo intercessionis synodicis literis, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, sicut & beatus fecit Athanasius, & suasit scribere pro se Acacio Constantinopolitano episcopo. Et quidem ad hoc Simplicius præparati animi & voluntatis fuit. Acacius verò susceptis epistolis *, simpliciter rescripsit ei, quia Ioannem quidem Alexandriæ ignoraret episcopum, Petrum verò Moggum susceptisset in communionem in Zenonis principis vnitiuo, & quòd hoc citra eius gessisset sententiam propter vnitatem Ecclesiarum, principis iussione. Simplicius verò susciptens huiusmodi literas, contristatur aduersus Acacium, eique rescribit, quòd non bènè fecerit, contra sententiam Apostolicæ sedis ad communionem hæreticum hominem susciptens. Oportebat enim communi decreto damnatum, tanquàm adulterum, communi Concilio à damnatione liberari. Ad hæc autem, quia non sufficeret Petro, confiteri communicatorem se esse Ecclesiæ Catholicæ secundum edictum, sed oporteret, eum secundum terminum Chalcedonensis Concilij, & secundum epistolam Papæ Leonis Ecclesiæ amplecti communionem. Vnum enim duorum necessariò agere deberet, aut suadere Petro, purè susscipere terminum synodi, aut remouere se ab eius

communio-

communione. Sed cùm ad Acacium hæc scripta veniſſent, & deliberaret, quid eum oporteret reſcribere, Papa Simplicius defunctus eſt, & ordinatur Felix Romanæ præſul Eccleſiæ.

Ioannes verò Talaia, habés Epiſcopi dignitatem, remanſit Romę, cui Papa Nolanam dedit Eccleſiam, quę eſt in Campaniæ regione, in qua plurimos reſidens annos, in pace defunctus eſt. Igitur Petrus Moggus ab Abbate Amone, & Ioanne Epiſcopo Magileos, & ab abbatibus monachorum inferioris Ægypti bella paſſus, & ſeditione ei in Cæſarea baſilica (vt dicitur) facta, anathematizauit ſynodum Chalcedonenſ. & tomum Papæ Leonis. Et hæc fecit, cùm iam ſcripſiſſet Acacio & Simplicio, quia communicator eorum, eſſet & ſanctæ ſynodi. Et his ita geſtis, abſceſſerunt quidam à Petri communione, & Romam nunciauerunt Papæ Romano, vndè reſcriptũ eſt Acacio, & obedire noluit. Addidit Acacius, quod de alio Petro Antiocheno hæretico ſcripſerat, Petrum apud Conſtantinopolim monaſterium gubernâſſe, & hoc propter crimina derelicto, Antiochiam refugiſſe, vbi pulſo Martyrio Epiſcopo, per viliſſimum populum & hæreticum ſedem illius occupâſſet, continuoque damnatum ab Epiſcopis & Leonis imperio * Samum deportatum. Qui fugiens, rediſſe dicitur Conſtantinopolim, & dediſſe fidem, ſe per viliſſimas turbas nihil audere: ſed (ſicut ſuperiùs dictum eſt) Baſiliſci temporibus à Timotheo illo damnato, qui Conſtantinopolim venerat, Antiochiam miſſus eſt, Epiſcopatum tenere. Quo facto, idem Petrus Ioannem ordinat Apamenis Epiſcopum, à quibus non receptus, redijt Antiochiam, & Petrum Epiſcopatûs ſui pellit authorem, & inuadit eius Eccleſiam, cum quo ſimul damnatus eſt. Iterùm Acacius direxit Romã literas petens ab Apoſtolica ſede, vt ſi ad eandem fortè confugerint, ne ipſo quidem digni habeantur adſpectu: & ſi iam indulgentiam aliquam impetrâſſent, irritam eſſe debere. Quid multa? Ipſum Ioannem, quem Acacius cum Petro damnauerat, Tyriorum miſit Eccleſiæ præſidere: ſed & Petrum Alexandrinum, anathematizantem Synodum Chalcedon. & tomum Papæ Leonis, qui ſublato nomine Proterij & Timothei Catholici de diptychis, Dioſcori & Timothei Æluri nomina ſcripſit, qui eiuſdem Timothei catholici corpus de terra leuauit, & foràs proiecit, qui inter Epiſcopos Catholicos ſepultus fuerat, miris eum laudibus proſecutus eſt Acacius, de quo ſe tanta crimina anteà meminerat retuliſſe. Et cùm per quinque annos ſæpiùs fuiſſet admonitus Acacius, vt de ſtatu Alexandrinæ Eccleſiæ, ſancti Papæ ſolicitudinem releuaret, nihil vnquàm reſpondere dignatus eſt. Quoniam verò tot epiſtolæ, quæ vel ad Acacium à Papa, vel ad Imperatorem miſſæ ſunt, nihil penitùs profecerunt: ex deliberatione Vitalis & Meſenus Epiſcopi in legatione directi ſunt, vt quæ ſuperiùs dicta ſunt, allegarent, & Petrus, ſicut anteà, de Alexandrina Eccleſia pelleretur. Itum eſt Conſtantinopolim, & ſupradicti Epiſcopi in cuſtodiam ſunt redacti, chartis ſublatis ne catholicis, quibus ſcriptum fuerat redderentur. Quos iterùm Acacius poſt hæc de cuſtodia eijciens, ſecum fecit procedere, vt quaſi confirmato Petri ſacerdotio dimitterentur. Redeunt aliquando legati, ſed præceſſerant monachi, qui eos grauiter de proditione arguebant. Auditi cominùs, & conuicti ex ipſis literis, quas detulerunt, à locis proprijs ſunt remoti. Felix defenſor Eccleſiæ, qui cum legatis directus fuerat, impediente infirmitate, cum ipſis pergere non potuit. Sed poſtquàm Vitalis & Meſenus à cuſtodia Conſtantinopoli ſunt egreſſi, perrexit cum chartis Eccleſiaſticis Conſtantinopolim. Paſſuſque eſt & ipſe, ſublatis chartis, grauiſſimam cuſtodiam. Vbi ergò ad plenum detectus eſt Acacius hæreticus, Papa Felix in literis ſuis ſynodicis ad Acacium ſic poſuit: Peccaſti, nè adijcias, & de prioribus ſupplica. Suſceptis his Acacius literis perſeuerat, neque recedens à communione Petri, neque ſuadens ei palàm ſuſcipere Chalcedonen. Concilium, & tomum Papæ Leonis. Hæc cognoſcens Papa Felix, damnationis ſcripturam miſit Acacio per Totum defenſorem, cuius eſt principium: Multarum tranſgreſſionum reperiris obnoxius. Et datis Acacio huiuſmodi literis, eas non ſuſcepit, patrocinio fultus Imperatoris, ita vt cogerentur, qui eas detulerunt, per quendam monachum Achimetenſem, ipſam chartam damnationis, dum ingrederetur ad celebranda ſacra, ſuſpendere in eius pallio & diſcedere. Qui tamen vſq; ad mortem patrocinãte Imperatore, remanſit ſacrificans. His ergò prouenientibus, & Acacio permanente in Petri communione, ſeparauit ſe quidem ſedes Apoſtolica à Conſtantinopolitana. Eo ſiquidem tempore Ellus coniunctus Leontio in Antiochia, expugnatur à Valameriacis, & qui cum eis erant iuncti. Et Leontius quidem perimitur, Ellus autem in caſtellum Papyrij fugit. Interea Calendion archiepiſcopus Antiochenus deponitur. Accuſatur in aperto, tanquam indeuotus principi, mittens populum in rebellionem cum Ello: latenter autem, quia ſe non ſuſpenderet & à Felicis Papę & Ioannis communione. Porrò Petrus de proprijs ciuitatibus catholicos expulit ſacerdotes, ex quibus nonnulli apud Conſtantinopolim perſecutionem grauiſſimam pertulerunt. Scandalizabat autem Imperator & illos, qui à patre Nephalij Abbatis erant, & qui circa Ioannem Epiſcopum Egumenum, monaſterij Diolchon: & agens contra ipſum Ioannem, præpoſituram ei abſtulit, & eam tradidit monaſterio abbatis Amonis: ſed permanſit in epiſcopatu, ſcribens Acacio, quia eſſet ſynodi communicator, & fallens Alexandrinos, quia non communicaret ſynodo, ita vt quidam communicatorum eius, clerici, monachi & laici, cognoſcentes eius fallaciam, ſeparauerint ſe ab eius communione. Et extrà collectas facientes, non paſſi ſunt nomini eius communicare, & eorum, qui poſt eum Epiſcopatum habuerunt Alexandrinum, eò quòd nomen Petri haberẽt in diptychis. Huic populo à Palæſtina quidam diaconus, nomine Eſaias, ordinatus eſt Epiſcopus, & Alexandriam miſſus eſt, ſed ab omnibus non eſt receptus. Ab illo ergò Eſaiani ſunt in Ægypto. In iſtis poſita Eccleſia, moritur Acacius, & ordinatur poſt eum Flauitas presbyter, qui fuit à ſancta Tecla, qui non conſenſit ſine Romano Epiſcopo inthronizari, ſed tranſmiſit ſynodicam Papæ Romano Felici. Qui modico viuens tempore, moritur, non accipiens epiſtolam ipſius: & factus eſt Euphemius Epiſcopus genere Alexandrinus, qui & ſuſcepit à Papa Romano ſcripta. Et mortuo Zenone, poſt aliquod tempus expulſus eſt ab Anaſtaſio. Et hæc quidem Conſtantinopoli contigerunt. Non poſt multum tempus moritur & Petrus Moggus Alexandriæ, & poſt eum in ea ſede ordinatur Athanaſius, qui & ipſe in edicto Conſtantinopolitanæ, & Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ communicauit Eccleſiæ. Cumque ſcandalizarentur & in ipſo populi, eò quòd nomen Petri haberet in diptychis, aſcenderunt quidam & aduerſantium & communicantium ei, ad Imperatorem Anaſtaſium: & dum haberent contra principem contentionem, alijs quidem proponentibus anathematizari ſynodum, & ita communicare, alijs verò pacatis in vnitiuo edicto adijci ea, quæ ſatisfacerent his, qui communicauerant Petro, conſiderans Imperator, quod ſi adiectionem edicto faceret, tumultum moueret Eccleſiæ, & anathematizari ſynodum eſſet impoſſibile: perſuaſit eis, ſufficere vnitiuum dictum, vt communicarent adinuicem ſibi, ſicut & cæteri Eccleſiarum Epiſcopi. Et cùm non obedirent hoc agere, nihil impetrantes dimiſit. Sic enim Athanaſio hæretico tempus epiſcopatûs ſui complente, poſt eum ordinatur Alexandrinus Epiſcopus Ioannes, cognomento Mela, qui & ipſe ſecutus Petrũ & Athanaſium præceſſores, in edicto vnitiuo communicauit alijs ſedibus, id eſt, Conſtantinopolitanæ, & Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ. In cuius præſulatu, dum Alexandrina Eccleſia diuiſionem habuiſſet Dioſcoritarum propter Petrum Moggum, quaſi communicaſſet ſynodo, etiam ipſe defunctus eſt tempore Macedonij Conſtantinopolitani Epiſcopi. Poſt quem ordinatus eſt Alexandriæ Ioannes * Machiota, qui etiam ipſe ſuos priores ſecutus eſt, ſuſcipiens quidem vnitiuum Zenonis edictum, non autem Chalcedonen. Concilium, & epiſtolam Papæ Leonis, tanquam non communicaret Flauiano Antiocheno, & Eliæ Hieroſolymorum Epiſcopis, & Timotheo Conſtantinopolitano. Dicebat enim imperfectè edictum ſe habere, nec ad vnitatem ſufficere, quod non in anathemate ſynodi fuiſſet factum. Denique cùm ei Imperator Anaſtaſius ſcripſiſſet, vt vniretur Conſtantinopolitano Epiſcopo, hæc reſcripſit, quia nõ ſufficeret ei ad perfectam vnitatem, eo quòd non anathematizaret ſynodum. Et tamen etiam ita ſapiens ſeparatos habuit Dioſcoritas, non ſuſcipientes Petrum Moggum. Mortuo Ioanne Alexandriæ, ordinatur Dioſcorus ſenior, ſub quo interfectus eſt à populo Theodoſius Auguſtalis filius Calliopi. Hic enim Dioſcorus, proponente * Ipſocrate ſcho-

* Nicium

Epiſtola hæc ſuprà habetur inter epiſtolas Felicis IV.

scholastico acta facere ante defensorem in electione synodi, henoticon susciperet in damnationem synodi, vnitiuum suscepit edictum, sicut ipsa ostendunt gesta, quæ apud defensorem ciuitatis coram eo confecta sunt. In quibus testatus est, in expulsione synodi se susciperet edictum. Vnde cùm satisfactum fuisset his, qui propter Petrum Moggum extra illam Ecclesiam communicabant, vniti sunt ei. Nam vsq; ad istum Dioscorum, in diuisione erat Alexandrina Ecclesia.

DE SEVERO AC IVLIANO, ac Macedonio.

Cap. XIX.

HOc tempore Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, ab Imperatore Anastasio dicitur expulsus, tanquã Euangelia falsasset, & maximè illud Apostoli dictum, Quia apparuit in carne, iustificatũ est in spiritu. Hũc. n. mutasse vbi habet (θεὸς) id est, qui monosyllabũ Græcũ, litera mutata, in ὃς vertisse, & fecisse (ὃς ἐν). i. vt esset Deus, apparuit per carnẽ. Tanquam Nestorianus ergo culpatus, expellitur per Seuerum monachum. Is enim Seuerus, cùm sederet priùs in monasterio, nó susciebat Zenonis edictum, nec Petrum Moggum. Deindè sedens in Abbatis Romani & Mamæ, qui post eum præfuit, monasterio, exindè missus est permanere Constantinopoli apocrisarius, & fit inter eos, qui Petri Moggi erant. Dumque obijceretur ei, quomodo prius anathematizabas Petrum? dicebat, quia Petrum anathematizaui Apamenum. Hic Seuerus apud Constantinopolim synodo derogabat, & affirmabat, quia, ea anathematizata, omnes communicarent, ita vt ob hoc scriberet & ipsi Flauiano, sicut eius significatur epistolis, & ad Maronam lectorem, & Eleusinum & Euthrecium Episcopos, & ad Oecumenium, scholasticum Isauriæ. Fertur autem expositio eius, quæ ab eo dicta est in inthronismo, in qua & vnitiuum suscepit Zenonis, & anathematizat Chalcedonen. Concilium, & communicare se confitetur Alexandrino & Constantinopolitano. Erant autem tunc Constantinopoli Timotheus, Alexandriæ verò Ioannes *Machiota. Et tamen dum talis esset, valuit damnare Macedonium, & expellere ab Antiochena sede Flauianum. Sed ipse potitus est episcopatu eius plusquàm quinque annis, sed & vexabatur in Episcopatu, tanquam anathematizaret quidem synodum, nominaret autem episopos synodi. Cuius expulsio ita contigisse dignoscitur: Mortuo Imperatore Anastasio, & Iustino facto Imperatore Seuerus à Vitaliano magistro militum viro religioso & orthodoxo accusatur, quòd despiceret Imperatoris iussionem, & synodum non susciperet. Iustinus Imperator misit magistrianum, vt Seuerus Constantinopolim adduceretur, & redderet causam tractatuum suorum, quos fecerat contra synodum. Iam enim ab ipso pio Imperatore Iulianus Halicarnasseus Episcopus pro eadem sancta synodo, eo quòd eam non reciperet, pulsus fuerat sede. Quod sciens Seuerus, & præuidens, quid sibi immineret, clàm nocte descendit Seleuciam, & nauim conscendens, fugit Alexandriam, ad quam ciuitatem & Iulianus fugerat. Ordinatusque est pro eo archiepiscopus Antiochiæ Paulus orthodoxus, suscipiens Chalcedon. synodum. Eo tempore Alexandriæ mortuo Dioscoro iuniore, Timotheus Ecclesiæ ipsius susceperat Episcopatum, à quo gratissimè susceptus Seuerus & Iulianus, sedebant ad *laborem. Sub isto Timotheo, de corruptibili & incorruptibili, apud ipsam Ecclesiam quæstio mota est hoc modo: Requisiuit quidam monachus Seuerum, quid oporteret dicere Corpus Domini nostri Iesu Christi, corruptibile, an incorruptibile: Ille respondit ei, sanctos patres corruptibile illud dixisse. Hoc audientes quidam Alexandrinorum, cùm requisissent Iulianum in alio loco sedentem, quid & ipse diceret de eadem quæstione, ille dixit sanctos patres contraria dicere. Horum itaque singuli statuere responsum proprium volentes, scripserunt libros aduersùs alterutrum. Qui venientes in multitudinem ciuitatis, Ecclesiam illam diuiserunt: & alios quidem, fecerunt Corrupticolas appellari: verùm incorruptibilitatis assertores, Phantasiastes. Timotheus verò, magis sententiam Seueri secutus est. Cui cùm diceret Themistius diaconus eius, Si corpus Christi corruptibile est, debemus eum dicere, & aliqua ignorâsse, sicut de Lazaro. Hoc Timotheus negauit dicendum. A cuius communione Themistius desciscens, schisma fecit. Et ab ipso dicti sunt in Ægypto Themistiani.

DE GAIANO ET THEODOSIO.

Cap. XX.

DVM hæc Alexandriæ aguntur, defuncto Bonifacio Papa Romano, Ioannes cognomento Mercurius, sedis Apostolicæ susceptit præsulatum. Ad quem missi sunt ab Imperatore Iustiniano Hypatius Ephesiorum Episcopus, & Demetrius à Philippis, consulere sedem Apostolicam contra legatos *Acumicorum, Cyrum & Eulogium, negantes esse cõfitendum beatam Mariam verè & propriè Deigenitricem, & vnum de Trinitate incarnatum, & carne passum. Sed Papa Ioannes, nobis ibi positis, hoc confitendum epistola sua firmauit, & Imperatori direxit. A cuius communione discedentes Romæ quidam monachi, *Acymicorum legatos secuti sunt, & vsque nunc hanc de Christo confessionem non suscipiunt. Ea tempestate mortuo Epiphanio Constantinopolitano Episcopo, Theodora Augusta Anthimum transtulit in eandem sedem, qui fuit Episcopus ciuitatis Trapezunti regionis Ponti, latenter Chalcedonense concilium non suscipientem. Verùm defuncto Timotheo Alexandrino Episcopo, studio & permissione Calotychi cubicularij partis Theodoræ Augustæ, Theodosius ordinatur. Qui licèt haberet cleri decretum, contradicere volentibus non permisit certamen populi. Monachorum quos non habuit, *pro Gaiano fuerunt. Consuetudo quidem est Alexandriæ, illum qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram eius, capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo B. Marci pallium, & tunc legitimè sedere. Dum hæc Theodosius pertentat, cognouerunt populi & monasteria, quid esset factum vespere in episcopio studio Calotychij & iudicium, id est, Aristomachi ducis & Dioscori augustalis. Mox Theodosium persecuti sunt, & expulerunt, nè colligeret funus Timothei. Inthronizauerunt autem Gaianum, qui fuit tunc archiepiscopus ex parte assertorum incorruptibilitatis. Habens autem consentaneos aliquantos ex clero, & possessores ciuitatis, & corporatos, & milites, & nobiles, & omnem prouinciam, permansit Gaianus in episcopatu dies centum tres. Post hæc à iudicibus pulsus, abscessit. Et post menses duos Narses cubicularius missus ab Augusta Theodora, Theodosium quidẽ inthronizauit, porro Gaianum misit in exilium. Qui adductus Carthaginem magnam, & indè quasi Sardiniam directus, quid de eo contigit, ignoratur. Mansit autem Theodosius in sede annum vnum & menses quatuor, paucis ei communicantibus. Plurimi enim communicabant ad nomen Gaiani. Populi autem pugnauerunt pro Gaiano multis diebus. Qui cæsi à militibus, maiorem sui partem amiserunt. Sed & militum maior cecidit numerus. Vincebatur autem Narses non armis, sed ciuitatis concordia. De superioribus domorum iactabant mulieres super milites, quicquid manibus occurrisset. At ille igne vicit, quod ferro non potuit. Diuisa est vsque nunc illa ciuitas hoc schismate, vt Gaianitæ & Theodosiani in ea vocentur, id est, Phantasiastæ & Corrupticolæ. Nouissimè Theodosius de sede discessit, non ferens seditiones & bella, quæ contra eum exercebantur à populo. Missus est Constantinopolim cum honore, cò quòd ita Augustæ scripta præciperent. Quo illo veniente, promittebat Augusta Imperatori, quoniam posset Theodosius Chalcedonen. susciperе synodum: sed persistente & nolente eo, cum eius voluntate foràs ciuitatem regiam sexto milliario in exilium missus est, iuxta Basilicam Ariphocæ, in via, quæ ducit ad Stomapontem. Viuitq; vsq; nunc.

DE AGAPETO PAPA, ET ANthimo Constantinopolitano Episcopo.

Cap. XXI.

VERVM mortuo Ioanne Mercurio, Agapetus archidiaconus Romanæ Ecclesiæ, Papa ordinatur in regulis ecclesiasticis apprimè eruditus. Quo tempore Theodatus rex Gotthorum, scribens ipsi Papæ & senatui Romano, interminatur, non solùm senatores, sed & vxores & filios, filiasque eorum gladio se interempturum, nisi egissent apud Imperatorem, vt destinatum exercitum suum de Italia submoueret. Sed Papa pro eadem causa, legatione susceptа, Constantinopolim profectus est. Et primùm quidem honorificè susciпiens directos sibi ab Imperatore, spreuit tamen animo præsentiã, eumq; ad salutandũ suscipere noluit. Deindè viso principe, causam agebat legationis susceptæ. Imperator autem pro multis fisci expensis ab Italia destinatum exercitum auertere nolens, supplicationes Papæ noluit audire. At ille, quod * summum fuit, Christi legatione fungebatur. Deniq; petentibus principibus, vt Anthimum Papa in salutatione & communicatione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret orthodoxum, & ad cathedram suam reuerteretur. Impossibile esse aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta verò clam promittente munera multa, & rursùs Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, nè eius audiret petitionem. Anthimus verò videns se sede pulsum, pallium, quod habuit, Imperatoribus reddidit, & discessit, vbi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa principis fauore * Menam pro ea ordinauit antistitem, consecrans eum manu sua in basilica sanctæ Mariæ. Fuit iste * Menas præpositus xenodochij maioris, quod vocatur Samson, genere Alexandrinus, susciпiens Chalcedonensem Synodum.

* suum

DE SILVERIO ET VIGILIO.

Cap. XXII.

HIs peractis, constituens Papa apud Imperatorem apocrisiarium Ecclesiæ suæ Pelagium diaconum suum, dum in Italiam reuerti disponit, Constantinopoli obijt. De cuius decessu audiens Romana ciuitas, Siluerium subdiaconum Hormisdæ quondàm Papæ filium, elegit ordinandum. Augusta verò vocans Vigilium Agaperi diaconum, profiteri sibi secretò ab eo flagitauit, vt si Papa fieret, tolleret Synodum, & scriberet Theodosio, Anthimo, & Seuero, & per epistolam suam eorum firmaret fidem, promittens dare ei præceptum ad Belisarium, vt Papa ordinaretur, & dari centenaria septem. Lubenter ergò susciпit Vigilius promissum eius, amore episcopatus & auri. Et facta professione Romam profectus est: vbi veniens, inuenit Siluerium Papam ordinatum. Quin & Rauennæ reperit Belisarium in eadem vrbe sedentem, eamque obtinentem. Cui tradens præceptum Augustæ, promisit ei duo auri centenaria, si Siluerio remoto, ordinaretur ipse pro eo. Belisarius verò Romam reuersus, euocans Siluerium ad palatium, intentabat ei calumniam, quasi Gotthis scripsisset, vt Romam introirent. Fertur autem Marcum quendam scholasticum, & Iulianum quendam prætorianum fictas de nomine Siluerij composuisse literas Regi Gotthorum scriptas, ex quibus conuinceretur Siluerius Romanam velle perdere ciuitatem. Secretò autem Belisarius & eius coniunx, persuadebant Siluerio implere præceptum Augustæ, vt tolleretur Chalcedonen. Synodus, & per epistolam suam hæreticorum firmaret fidem. Qui mox de palatio egressus, quid de eo fieret, consiliarijs suis locutus est. Et veniens contulit se in Basilicam beatæ Mariæ Sabinæ, ibique manebat, vbi & directus est ad eum Photis filius Antoninæ Patriciæ, vt præstito sacramento, inuitaret eum venire ad palatium. Qui autem Siluerio adstabant, persuadebant ei, nè Græcorum crederet iuramentis. Ille tamen exijt, & ad palatium venit. Et illa quidem die pro iuramẽto ad Ecclesiã redire permissus est. Ad quem rursùs mãdauit Belisarius, vt ad palatiũ veniret. Qui de Ecclesia exire nolebat, dolos sibi præparatos agnoscens. Sed postea orans, & causam suam Domino commendãs, exijt, & ad palatium venit. Qui solus ingressus, à suis vlterius non est visus. Et alia die Belisarius, conuocatis presbyteris & diaconibus & clericis omnibus, mandauit eis, vt alium sibi Papam eligerent. Quibus dubitantibus, & nonnullis ridentibus, fauore Belisarij ordinatus est Vigilius. Siluerius autem in exilium missus est in ciuitatem prouinciæ Lyciæ, quæ Patara dicitur. Post ordinationem ergo suam compellebatur Vigilius à Belisario implere promissionem suam, quam Augustę promiserat, & vt sibi redderet duo auri centenaria promissa. Vigilius autem timore Romanorum, & auaritia patrocinante, nolebat sponsiones suas implere. Sed Siluerio veniente Pataram, venerabilis episcopus ciuitatis ipsius venit ad Imperatorem, & iudicium Dei contestatus est de tantæ sedis episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo reges, & non esse vnum, sicut ille * Papa est super Ecclesiam mundi totius, à sua sede expulsus. Quem audiens Imperator, reuocari Romam Siluerium iussit, & de literis illis iudicium fieri, vt si probaretur, ab ipso fuisse scriptas, in quacunque ciuitate episcopus degeret: si autem falsæ fuissent probatæ, restitueretur sedi suæ. Pelagius verò currens cum voluntate Augustæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Siluerius Romam reuerteretur: sed prævalente Imperatoris iussione, Siluerius ad Italiam reductus est. Cuius aduentu territus Vigilius, ne sede pelleretur, Belisario mandauit: Trade mihi Siluerium, alioqui non possum facere, quod à me exigis. Ita Siluerius traditus est duobus Vigilij defensoribus & seruis eius. Qui in Palmariam insulam adductus, sub eorum custodia defecit inedia.

* Vnus Papa super Ecclesiam mundi totius.

Vigilius aũt per Antoninam Belisarij coniugẽ implens professionẽ suam, quã Augustę fecerat, talem scripsit epistolã: Dominis & Christis Vigilius. Scio quidẽ, quia ad sanctitatẽ vestrã anteà fidei meæ crudelitas, Deo adiuuante, peruenit. Sed quia modò gloriosa filia mea patritia Antonina, Christianissima desideria mea fecit impleri, quòd fraternitati vestrę præsentia scripta transmitterem: salutans ergò vos gratia, qua nos Deo nostro Christo Saluatori coniungimur, & eam fidem, quam tenetis Deo adiuuante, & tenuisse & tenere significo, sciens, quia illud inter nos prædicamus & legimus, vt & anima vna sit, & cor vnum in Deo. * Profectus mei, qui vester est, Deo adiuuante, vobis gaudia maturauit ex meo animo, sciens fraternitatem vestram quæ oprat, & libenter amplecti. Oportet ergò vt hæc, quæ vobis scribo, nullus agnoscat: sed magis tanquàm suspectum hic me sapientia vestra antè alios existimet habere, vt faciliùs possim hæc, quæ cœpi, operari & perficere. Et subscriptio: Orate pro nobis Deum, mihi, fratres in Christo Domino nostro charitate coniuncti. Sub hac epistola Vigilius fidem suam scripsit, in qua duas in Christo damnauit naturas, & resoluens tomum Papæ Leonis, sic dixit: Non duas Christum naturas confitemur, sed ex duabus naturis compositum vnum filium, vnum Christum, vnum Dominum. Et iterùm: Qui dicit in Christo duas formas, vnaquaq; agente cum sua communione, & non confitetur vnam personam, vnam essentiam, anathema sit. Qui dicit, quia hic quidem miracula faciebat, hoc verò passionibus succumbebat: & non confitetur miracula & passiones vnius eiusdemque, quas sponte sua sustinuit carne nobis consubstantiali, anathema sit. Qui dicit, quòd Christus velut homo, misericordia dignatus est: & non dicit ipsum Deum verbum & crucifixum esse, vt misereatur nobis, anathema sit. Anathematizamus ergò Paulum Samosatenum, Dioscorum, Theodorum, & Theodoritum, & omnes, qui eorum statuta coluerunt, vel colunt. Et hæc Vigilius scribens hæreticis occultè, permansit sedens. In quo impletum est illud testimonium, quod Salomon in Prouerbijs dicit: Edent viæ suæ fructus, & consilijs suis saturabuntur. Ab ipsa hæresi afflictus Vigilius, nec coronatus, qualem vitæ terminum susciпit, notum est omnibus.

Act. 4. * Prouectus

Sed redeamus ad causam Alexandrinorum.

DE

DE PAVLO ALEXANDRINO ARchiepiſcopo, & monachis Hieroſolymorum.

CAP. XXIII.

POſtquàm ergò Theodoſius Alexandrinus in exiliũ miſſus eſt, Paulus quidam vnus abbatum Tabennenſium monachorum, ad Alexãdrinam ſedem ordinatur Epiſcopus, Pelagio interueniente apocriſario Romano, planè orthodoxus, ſuſcipiens Chalcedonen. Synodum. Ordinatus eſt à Menna Conſtantinopoli, præſente eodem Pelagio reſponſario Vigilij, & apocriſarijs Euphremij Antiocheni, & apocriſarijs Petri Hieroſolymorum. Seuerus autem Antiochenus iam fuerat condemnatus, & Anthimus Conſtantinopolitanus ab Agapeto Papa Romano, & Menna Conſtantinopolitano, & libellis datis aduersùs eos Imperatori Iuſtiniano à præſulibus monaſteriorum præſulibus primæ & ſecundæ Syriæ, & præſulibus monaſteriorum Hieroſolymorum & eremi. Hoc ergò modo vnitas facta eſt Eccleſiarum, anno decimo Imperij glorioſi Iuſtiniani Auguſti. Iſte Paulus ſpretus erat Conſtantinopoli, vt dicitur, ab aliquibus monachis ſuis, & venerat Conſtantinopolim pro ſe agere apud Imperatorem. Qui diuinu nutu cathedram vacantem inueniens, meruit per Pelagium diaconum Alexandriæ Epiſcopatum. Accepitque ab Imperatore poteſtatem ſuper ordinationẽ ducum & tribunorum, vt remoueret hæreticos, & pro eis orthodoxos ordinaret. Per illos enim populi inualeſcebant. Qui Alexandriam deſcendens, timore ſui ſuaq; induſtria omnem ciuitatem, & omnia monaſteria adduxerat ſuſcipere Chalcedon. Synodum, niſi interuentu Diaboli talis emergeret cauſa. Cogitante Paulo Epiſcopo remouere Eliã magiſtrum militum, Pſoius quidam diaconus & œconomus Eccleſiæ, amicus Elię, per portitores literarum velociſſimos pedeſtres, quos Ægyptij Simacos vocant, omnia molimina Pauli, Eliæ ſcribebat. Contigit autem, Paulum inuenire literas eius Ægyptiacè ſcriptas, & legere, & timens, quod de Proterio contigerat, ſolicitus de eo factus eſt, & cœpit Pſoium compellere, facere rationes Eccleſiæ. Quem tradidit iudici, & Imperatori de eo retulit. Eo tempore apud Alexãdriam Rhodo erat Auguſtalis, qui eum accipiẽs cuſtodiendum vſq; ad Imperatoris præceptum, conſilio cuiuſdam prioris ciuitatis, nomine Arſenij, acceptis muneribus, inſcio (vt fertur) Epiſcopo, clàm nocte totis viribus eum magno cruciatu occidit. Cuius filij & affines Imperatorem interpellãtes, ſuggeſſerant ei, qua vi eorum parens debitum mortis perſoluiſſet. Quod audiens Imperator, vocauit Liberium, & fecit Auguſtalem, miſitq; eum Alexandriam, inquirere cauſam. Ad quam vrbem Liberius cùm veniſſet, Rhodonem ad ſe venire iuſſit, & ab eo requirebat, quomodò occidiſſet diaconum. Ille verò reſpondit, iuſſione Epiſcopi factum fuiſſe: habere ſe Imperatoris delegationem aiebat, vt quicquid iuberet Epiſcopus, modis omnibus impleret. Sed negante Paulo Epiſcopo, & ſe neſcire clamitante, prior ille ciuitatis Arſenius, homicidij illius author inuentus, morte mulctatus eſt. Porrò Epiſcopo Paulo Gazam in exilio miſſo, Rhodo cum geſtis de eo actis directus eſt Conſtantinopolim. Cuius geſta cum intra palatium legerentur principi, iuſſit eum ab ſcurrone duci, & foràs regiam ciuitatem occidi. Et poſt hæc miſit Imperator Pelagium diaconum & apocriſarium primæ ſedis Romanæ Antiochiam cum ſacris ſuis, quibus præcepit, vt cum Euphremio eiuſdem vrbis Epiſcopo, & Petrus Hieroſolymita, & Hypatius Epheſinus venirent Gazam, & Paulo Epiſcopo pallium auferrent, eumque & deponerent. Pelagius ergò profectus Antiochiam, & inde Hieroſolymam, cum memoratis Patriarchis & aliquantis Epiſcopis venit Gazam. Et auferentes Paulo pallium, depoſuerunt eum, & ordinauerunt pro illo Zoilum, quem poſtèà Imperator depoſuit, & Apollinarem ordinauit, qui nunc eſt præſul ipſius Alexandrinæ Eccleſiæ. Sed redeunte Pelagio Conſtantinopolim, monachi quidam ab Hieroſolymis, per quos Pelagius in Gazam tranſitum habuit, venerunt ad eum in comitatu, portantes capitula de libris Origenis excerpta, volentes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur cum illis capitulis. Igitur Pelagius æmulus exiſtens Theodoro Cæſareę Cappadocię Epiſcopo, volens ei nocere, eò quòd eſſet Origenis defenſor, vnà cum Menna archiepiſcopo Conſtantinopolitano, flagitabat à Principe, vt iuberet fieri, quod illi monachi ſupplicabant, vt Origenes damnaretur, ipſaque capitula talia docentia. Annuit Imperator facillimè, gaudens ſe de talibus cauſis iudicium ferre. Iubente eo, dictata eſt in Origenem & illa capitula anathematis damnatio, quam ſubſcribentes, vnà cum Menna archiepiſcopo apud Conſtantinopolim reperti, deinde directa eſt Vigilio Romano epiſcopo, Zoilo Alexandrino, Euphræmio Antiocheno, & Petro Hieroſolymitano. Quibus eam accipientibus & ſubſcribentibus, Origenes damnatus eſt mortuus, qui viuens olim fuerat antè damnatus.

DE PELAGIO ET THEOdoro.

CAP. XXIV.

ET reſerato aditu aduerſarijs Eccleſiæ, vt mortuus damnaretur, Theodorus Cæſareæ Cappadociæ epiſcopus, dilectus & familiaris principum, ſecta Acephalus, Origenis autem defenſor acerrimus, & Pelagio æmulus, cognoſcens Origenem fuiſſe damnatum, dolore damnationis eius, ad Eccleſiæ conturbationem, damnationem molitus eſt in Theodorum Mopſueſtenum, eo quòd Theodorus multa opuſcula edidiſſet contra Origenem, exoſuſque & accuſabilis haberetur ab Origeniſtis, & maximè quòd Synodus Chalcedonenſ. (ſicut probatur) laudes eius ſuſceperit in tribus epiſtolis. Cuius damnationem memoratus Theodorus tali machinatione perfecit: Scribente principe contra Acephalos in defenſionem Synodi Chalcedonenſ. accedens idem Theodorus Cappadox vna cùm ſuis ſatellitibus, qui ſub nomine Catholico Acephalis ſtudebant, cũ Theodoræ Auguſtæ fauore Imperatori ſuggeſſit, ſcribendi laborem non eum debere pati, quando compendio poſſet Acephalos omnes ad ſuam communionem adducere. Siquidem illi (inquit) hoc offenduntur in Synodo Chalcedonenſ. quod laudes ſuſcepit Theodori Mopſueſteni epiſcopi, epiſtolamque Ibæ, quę per omnia Neſtoriana eſſe cognoſcitur, Synodus ipſa iudicio ſuo pronunciauerit orthodoxam. Qui Theodorus, ſi cum dictis ſuis & hac epiſtola anathematizetur, tanquam retractata Synodus atque purgata, ſuſcipietur ab eis per omnia & in omnibus & ſine pietatis veſtræ labore Eccleſiæ Catholicæ ſociati, gaudẽte vniuerſali Eccleſia, clementiæ veſtræ laus erit ſempiterna. Hæc audiens Imperator, & dolum doloſorum minimè proſpiciens, ſuggeſtionem eorum libenter accepit, & hoc ſe facere promptiſſimè ſpopondit. Sed rurſus illi callida fraude rogauerunt eum, vt dictaret librum in damnationem trium capitulorum: quo libro eius edito, & toti mundo manifeſto, dum emendare princeps erubeſcit, irreuocabilis cauſa fieret. Sciebant enim, principem ſolita pietate, ſcandalo emergente, ſententiam ſuam poſſe corrigere, ſeſeq; ad periculum peruenire. Annuit eis princeps, & hoc ſe lætus implere promiſit. Et relinquens operis ſui ſtudium, vnum in damnationem trium capitulorum condidit librum, pro delictis noſtris, nobis omnibus notiſſimum. Cætera verò, quæ ſubſequenter in epiſcopis & catholica Eccleſia ab eodem principe facta ſunt, quomodo conſentientes epiſcopi in trium damnationem capitulorum, muneribus ditabantur, vel non conſentientes depoſiti, in exilium miſſi ſunt, vel aliqui fuga latitantes, in anguſtijs felicem exitum ſuſceperunt, quoniam nota ſunt omnibus, puto nunc à me ſilenda. Illud liquere omnibus credo, per Pelagium diaconum, & Theodorum Cæſareæ Cappadociæ epiſcopum, hoc ſcandalum in Eccleſiam fuiſſe ingreſſum. Quod etiam publicè ipſe Theodorus clamitauit, ſe & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc ſcandalum introiuit in mundum.

Finis huius Breuiarij ſancti Liberati archidiaconi Eccleſiæ Carthaginen.

NOTÆ in Breuiarium Liberati Diaconi.

Liberatus quis?

Breuiarium Liberati Diaconi.] *Liberatus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus is est, quem Patres Concilij Carthaginensis anno Domini 535. tempore Reparati Episcopi Carthaginensis, legationis munere fungentem, cum synodali epistola Romam miserunt ad Ioannem Papam eius nominis secundum. Ante hæc tempora viuente adhuc prædicto Ioanne se Romæ fuisse indicat ipse cap. 20. Vnde quia prædictam epistolam Romam attulit post obitum Ioannis II. vt patet ex responsoria Agapeti ad Concilium Carthaginense rescripta, necessum est fateri, ipsum tempore Ioannis Papæ, duabus diuersis vicibus Romam venisse, quarum priore Ioannes adhuc viuebat: posteriore iam paulò ante aduentū Liberati ex hac vita migrauerat. Fuisse Liberatum vnum ex classe illorum, qui tria capitula defendentes pro Theodoro Mopsuesteno, licèt non pro erroribus ei adscriptis, etiam apologiam & defensionem scripserunt, ipse non obscurè indicat cap. 3. 10. & 24.*

Breuiarium hoc, de causa Nestoriana & Eutychiana conscriptū, ex Ecclesiastica historia, è Græco in latinum translata, & ex gestis synodalibus, atque etiam ex epistolis sanctorum Patrum desumptum esse, ipse Liberatus scribit in præfatione huius opusculi. Historiam capitis decimi incautè nimis ab aliquo Nestoriano nescio quo magna ex parte mutuatus esse videtur: tum quod orthodoxos monachos Armeniæ, Theodori Mopsuesteni scripta infectantes, pro more Nestorianorum Apollinaristas nominet: tum etiam quod Theodorum Mopsuestenum à S. Cyrillo laudatum, & à sacrosancto Chalcedonensi Concilio cum laude receptum fuisse scribat. Quæ singula non modo non sunt vera; sed etiam ipsis scriptis Cyrilli de expositione Nicæni symboli, ipsiq; (quo se refert Liberatus) Relationi synodicæ Chalcedonensis Concilij ad Marcianum factæ, planè sunt contraria.

In historia capitis vigesimi secundi, dum Rauennam pro Neapoli à Belisario captam fuisse scribit, lapsus est memoria. Vix enim quinto anno belli Gothici potuit Rauenna Belisarius, vt patet ex Procopio. Epistolam quam eodem cap. 22 sub nomine Vigilij recitat Liberatus, non à Vigilio, sed ab aliquo Eutychiano imperito eius nomine suppositam esse, inprimis acta sextæ synodi act. 15. testantur his verbis: Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & qui eum finxerunt siue scripserunt: anathema libellis, qui dicuntur facti fuisse à Vigilio ad Iustinianum & Theodorum diuæ memoriæ. *Hos inscriptio epistolæ Dominos vocat. Secūdo potest de impostura argui, quod eadem epistola, præter consuetum scribentis morem, ad Dominos simul, & ad Patres habeatur inscripta. Etenim cùm Vigilius expulso Siluerio, se tanquam Romanum Pontificem gesserit, improbabile videtur, vt ipsos Imperatores (cuius nullum extitit Prædecessorum exemplum) Patres appellârit, quos potius Filios nominari pristino more receptum fuit. Vel si dicas, scriptam ad Episcopos; quis est iste mos nouus, & planè inusitatus, vt Romanus Pontifex Coepiscopos appellet Patres, & Dominos: vel si legas, Fratres; certè procul abhorret, vt eosdem etiam Dominos nominauerit. Tertio in eadem epistola auctor contraria simul iungens, à seipso discrepat. Etenim, quomodo cum Eutychete & Dioscoro negat in Christo duas naturas, & paulò inferius vna cum alijs, anathema Dioscoro infert? Hæc, cùm sibi inuicem aduersentur, augent, vt dixi, imposturæ suspicionem. Quartò, si hanc Epistolam verè scripsit Vigilius, cur ex ea non est conuentus, cùm postea cum Theodora Augusta de Anthymi restitutione Constantinopoli est altercatus? Cur hæc scripta non sunt eidem exprobrata, cùm à Theodoro Cæsariensi, & Menna Constantinopolitano exagitatus, eosdem excommunicationi subiecit? Cur non id factum est ab Imperatore Iustiniano, cùm in ipsum furore accensus, etiam vi contra eundem agendum esse putauit? Cur idem tacuit quinta Synodus, in eundem Pontificem accedere renuentem, nōnihil commotā? Quare, cùm hæc omnia publicè sint ventilata, & publicis Actis excepta, commentitiam esse apparet hanc epistolam Vigilij nomine scriptam, cuius ne verbo quidem vsquam mentio habetur. Denique cùm omnium schismaticorum scelera superet scelus Vigilij illud, quo cum hæreticis pacto inito, datáq; pecunia per laicum hominem, primæ sedis Antistitem Siluerium vi expulit, exspoliatumque sacerdotalibus indumentis, procul in exilium eiecit, & sententia Imperatoris restitutum, in insulam relegauit, atque ibidem morte occumbere coegit; non deberet alicui mirum videri, si homo perditus alienæ sedis emptor & violentus inuasor, lupus, fur & latro, non per verum ostium ingressus, pseudoepiscopus & quasi antichristus, viuente adhuc legitimo pastore & Episcopo, ad schisma pernitiosissimam hæresim addidisset. Videant ergo Nouatores hæretici, quam præproperè de Apostolica sede deiecta, atque per hæresin contaminata triumphent. Vigilius Pontifex huius epistolæ scriptor non extitit. fidem nullo vnquam tempore negauit, & si quid contra exteriorem fidei professionem hoc tempore Siluerio Pontifice vero atque legitimo in exilium relegato adhuc viuente, egisset, crimen & peccatum Vigilij adhuc pseudopapæ, sedi Apostolicæ nihil præiudicij adferre potuisset, vt supra in Notis ad vitam eiusdem Vigilij pluribus annotaui.*

De epistola Vigilij, censura.

Calūnia hæreticorum refutatur.

Hæc sunt, lector amice, quæ illustrissimi Cardinales Baronius & Bellarminus in Breuiario Liberati cautè legenda esse, diuersis in locis annotarunt & admonuerunt. Quæ cum scitu admodum necessaria esse videantur, pergratum fore putaui, si paulò prolixius quam præstitum est à Possevino in apparatu sacro hæc omnia annotarem; quæque à diuersis hac de re scripta sunt, in hunc vnum locum congererem.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA PELAGII PAPÆ I.

Ex libro Pontificali.

PELAGIVS natione Romanus, ex patre Ioanne Vicariano, sedit annos 11. Menses 10. dies 18. Et dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inuenti sunt duo Episcopi, Ioannes de Perusio, & Bonus de Ferentino. & Andreas presbyter de Ostia, & ordinauerunt eum pontificem. Tunc enim non erant in clero, qui eum possent promouere. Et multitudo religiosorum, sapientum & nobilium, subduxerant se à communione eius, dicentes, quia in morte Vigilij Papæ se immiscuit, vt tantis pœnis affligeretur. Eodem tempore Narses & Pelagius Papa, consilio inito, data litania à sancto Pancratio cum hymnis & canticis spiritalibus, venerunt ad sanctum Petrum Apostolum. Qui Pelagius tenens Euangelia & crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendit. Et sic satisfecit cuncto populo & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium. Item adiecit Pelagius Papa, & dixit: Peto, vt petitionem meam confirmetis, vt si quis ille est, qui promouendus est in sancta Ecclesia, ab ostiario vsque ad gradum episcopatus, neque per aurum, neque per aliquas promissiones proficiat: (vos enim omnes scitis, quia hoc Simoniacum est) sed si quis ille est doctus in opere Dei, bonam vitam habens, non per dationem, sed per bonam conuersationem, iubemus eum vsque ad primum gradum venire. Eodem tempore Ecclesiæ rebus præfecit Valentinum notarium suum timentem Deum, & restituit fecit omnia vasa aurea & argentea, & pallia per omnes Ecclesias. Eodem tempore initiata est basilica Apostolorum Philippi & Iacobi. Quæ dum initiaretur fabricari, mortuus est, & sepultus in basilica B. Petri Apostoli 6. Non. Martias. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrium, presbyteros 26. diacones 9. episcopos per diuersa loca numero 49. Et cessauit episcopatus menses 3. dies 25.

A.D. 555.

Alij An. 10. men. 10. d. 18. alij An. 6. tantum. tribuunt.

Litaniæ & processionum vsus.

NOTÆ in vitam Pelagij Papæ I.

Pelagius.] *Anno Christi Redemptoris 555. qui est 29. Imperij Iustiniani, eiusdem Iustiniani Imp. promotione in locum Vigilij surrogatus est Pelagius Archidiaconus, qui ad imminentem iacturam Catholicæ fidei, vel ignominiam Chalced. Concilij euitandam, quinta synodum approbauit. Quare cùm Occidentales Episcopi maiore scissura diuiderentur, per literas aliquoties à se iustra monitos per Narseten compelli curauit.*

Pelagius approbat V. Concilium.

Huius temporibus Franci, cùm plurimas regiones Italiæ depopulati fuissent, à Iustiniano debellati, atque Romano Imperio subacti leguntur apud Agathiam. Hadrianus Papa in Epistola ad Carolum Magnum de imaginibus, de Pelagio hæc scribit: Multo amplius verò eius sanctissimi successores Domnus Pelagius, & Domnus Ioannes, miræ magnitudinis Ecclesiam Apostolorum à solo ædificantes, historias diuersas tam in musiuo, quàm in varijs

colo-

oloribus cum sacris pingentes imaginibus, & nunc vsque hactenus à nobis venerantur. *Hanc Ecclesiam Pelagius incœpit, Ioannes verò successor eius perfecit, atque titulo SS. Philippi & Iacobi eandem consecrauit, iuxta versum, quem teste Baronio, antiqua monumenta Vaticanæ Basilicæ à Manlio collecta habent*; Pelagius cœpit, compleuit Papa Ioannes.

Sedit annos 11. menses 10. dies 18]. *Anastasij Commentarius, qui teste Baronio scriptus habetur in Bibliotheca Vaticana; habet, Pelagium sedisse annos quatuor, menses 10. & dies 18. ita Baron. anno 559. n. 1.*

Dum non essent Episcopi qui eum ordinarent.] *Cùm Pelagius quintam synodum approbasset, tantopere omnes Occidentales Episcopos offendit, vt non potuerit sufficientes reperire antistites, à quibus secundùm constitutionem Apostolicam ordinaretur: adeoq; necessum fuerit iussu Pelagij presbyterum Ostiensem (quod nũquam antea accidera t) loco Episcopi munus illud obire.*

Obijt secunda mensis Martij.] *Ex antiquis Vaticanæ Basilicæ monumentis, quæ Manlius collegit, Epitaphium Pelagio Papa inscriptum hoc recitatur.*

Terrenum corpus claudant hæc fortè sepulchra,
Nil sancti meritis derogatura viri.
Viuit in arce poli cœlesti luce beatus,
Viuit & hic cunctis per pia facta locis.
Surgere iudicio certus, dextramque tenentem
Angelica partem se rapiente manu.
Virtutum numeret titulos Ecclesia Dei,
Quos ventura *vt sæcula ferre queant.
Rector Apostolicæ fidei, veneranda retexit
Dogmata, quæ clarè constituêre Patres.
Eloquio curans errorum schismate lapsos,
Vt veram teneant corda placata fidem.
Sacrauit multos diuina lege ministros,
Nil pretio faciens immaculata manus.
Captiuos redimens, miseris succurrere promptus
Pauperibus, nunquam parta negare sibi.
Tristia participans læti moderator opimus,
Alterius gemitus credidit esse suos.

Additur eodem loco: Hic requiescit Pelagius Papa, qui sedit annos quatuor, menses decem, dies decem & octo. Deposit. 4. nonas Martij. *Hæc ex Baron. an. 559.*

EPISTOLA I. PELAGII PAPÆ primi ad Vigilium Episcopum.

PELAGIVS *Episcopus Vigilio Coepiscopo salutem.* Gaudeo fidei deuotione, quòd religiosum studium & diuinum officium dignanter impendis, & maximè, quòd fidei inimicos æmularis, Apostolicæ sedis quærens exempla. Didici sanè tam per latorem literarum tuarũ, quàm & per literas tuas, quòd sint quidam penès vos, qui dicentes garriunt, qualiter pater & filius vnus potest esse Deus, cùm præter patrem alius non sit Deus, qui dicatur ingenitus atque inuisibilis. Hi sanè, si scirent donum Dei, & veræ fidei regulas intelligerent, nequaquàm talia mussitarent. Sed quia non habentes mundum cor, quo videre secreta Dei, & intelligere mysteria valeant diuina, mundanda sunt priùs corda eorum per pœnitentiam, vt intelligere postmodùm, & capere lumen veritatis possint: quibus tamen, ad eorum ac multorum illuminationem, corrigendo talium errorem, Apostolica authoritate respondendum est ita; Quomodo vos patrem & filium vnum profiteri non vultis? Eos enim nos vnum & verum Deum à Prophetis & Apostolis ostendimus prædicatum, à quibus etiam Spiritum sanctum credimus non esse discretum, Esaia propheta dicente: Ego sum Deus, & non est alius præter me. Et: Per memetipsum iuro, quia exiuit ex ore meo veritas, & sermo meus non *auertitur, quia mihi inclinabitur omne genu, & omnis lingua iurabit per Dominum, dicens: Iustitia & gloria ad eum veniet. Et vt hoc in testimonio patrem simul & filium cognoscas fuisse, Paulum audi dicentem: Vt in nomine (inquit) Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris omnipotentis. Quòd si iste filius minor est patre suo, ergò minorata est gloria patris in filio. Et vbi est, quòd in Salomone scriptura loquitur, dicens: Sicut etiam in conspectu eorum (inquit) magnificatus es in nobis, ita in conspectu nostro magnificaberis in illis, vt cognoscant te, sicut & nos cognouimus, quoniam non est Deus præter te, Domine? Diligenter attende, & agnosce filium esse, qui magnificabitur in iudicio, dum venerit viuos & mortuos iudicare. Item Esaias: Audite domus Iacob, & reliquum domus Israël, qui egredimini ex vtero meo, & erudimini à puero vsque ad senectutem. Ab initio ego sum, & quousque senescatis, ego sum. Ego vos feci, & ego sustineo. Ego remittam, & ego suscipiam, dicit Dominus. Et iterum: Ego sum Dominus Deus, & præter me non est alius Deus, annuncians nouissima priusquàm fiant, & statim consummata sunt. Item alibi: Audi me, Iacob & Israël, quem ego feci. Ego sum Dominus Deus tuus, & non est alius præter me. Item alibi: Ego sum Dominus Deus tuus, primus & ego nouissimus, & in ea, quæ superuentura sunt in nouissimo, ego sum. Item alibi: Ego sum Deus, qui te creaui, qui te adiuui, & communiui dextera mea. Et vnitatem patris & filij assignans, loquitur dicens: Ego testis vester, dicit Dominus Deus, & puer meus, tu quem ego elegi, vt sciatis & credatis, quia ego sum. Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit. Vnum hæretice elige è duobus: Aut fatere patrem & filium vnum Deum, aut si solum patrem Deum esse contendis, ergò tibi Dominus Iesus Christus Dei filius non erit Deus, quia scriptum est: Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit. Si secundùm te ita est, cur Apostolus talia prædicat, & eundem filium, Deum super omnia benedictum insinuat? Quorum patres (inquit) ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Item Esaias dicit: Dominus Deus Israël, qui liberauit eum de Ægypto. Ego sum primus, & ego post hæc, & præter me non est Deus, sicut ego sum, qui stet, & vocet, & præparet mihi, ex quo hominem feci in seculo. Item alibi: In te est Deus, & nesciebamus: Deus, & non est alius Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel Saluator. Vnus Deus non sunt Pater & Filius? Quis est hic Deus, in quo esse dicitur Deus, præter quem alium Deum non esse Propheta sæpè numero singulari protestatur? Et Hieremias: Hic Deus noster, ait, & non applicabitur alter ad eum, qui inuenit omnem scientiæ viam, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est & inter homines conuersatus est. Et in Salomone: Miserere nobis, Deus omnium, & ostende nobis lumen miserationis, & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te, vt cognoscant, quia non est alius Deus, nisi tu. Item ibi: Domine Deus Israel, non est tibi similis in cœlo sursum, neque in terra deorsum. Et Psal. 17. Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Et in Geneseos: Et pluit Dominus à Domino ignem & sulfur super Sodomam & Gomorrham, & euertit ciuitates illas. Si solus pater Deus est, quis pluit ignem & sulfur à Domino, vt supradictas ciuitates euerteret, quæso respondе. Et in Deuteronomio: Dominus solus deducebat eos, & non fuit cum illis Deus alienus. Et Paulus Apostolus: Vnus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Et ad Corinthios: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Et iterum: Non est Deus nisi vnus. Et ad Galatas: Mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est. Et vnitatem Patris & Filij & Spiritus sancti monstrans, Ephesijs scribens, ita confirmat: Sufferentes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Si enim prædicti hæretici vnitatem fidei voluerint simplici corde recipere, ex hoc iam testimonio in vno spiritu possunt simul Patris & filij vnitatem condiscere. Patrem igitur (vt ipsi se dicunt inuenisse in diuinis literis) genitum propriè positum, nec legere possunt penitus, nec probare. Sed quia idipsum fides exigit Christiana, absque vlla dubitatione ingenitus creditur, qui tamen secundum seriem scripturarum, in filio à se genito, visus esse monstratur. Apostolus verò Paulus missionem filij Dei in Spiritu sancto longè *antè conspiciens, Romanæ ecclesiæ scribens, hæc testatus est, dicens: Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati, & de peccato

Eccl. 36.
Esa. 46.
Ibidem.
Esa. 54.
Rom. 9.
Esa. 43.
Esa. 45.
Baruch 3.
Ecc. 36.
Deut. 4. 3. Reg. 8.
Gen. 19.
Deut. 2.
Rom. 3.
2. Cor. 5.
Gal. 3.
Ephe. 4.
Rom. 8.

damna-

damnauit peccatum in carne, vt iustitia legis impleretur. Cernisne, quoniam filius non secundùm Deitatem à patre missus est, sed secundùm carnem, quam clementer & piè pro nobis assumere non dedignatus est? Nam quòd semetipsum, exinanita maiestatis suæ potentia, idem se filius miserit, Apostolus
Phil.2. contestatur, dicens: Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad
Esa.33. mortem, mortem autem crucis. Et Esaias: Non legatus, ne-
Esa.65. que Angelus, sed ipse Dominus veniet, & saluabit * eos. Item
Rom.10. ibi: Palàm apparui non quærentibus me. Et in Hieremia: De-
Hier.12. reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, & veni, &
Mich.1. factus sum illis in opprobrium. Et in Michæa: Ecce Dominus veniet, & commouebuntur montes sub eo. Et in Zacha-
Zach.2. ria: Gaude & exulta filia Sion, quia ecce ego venio, & commorabor in medio tui, dicit Dominus. Et Apostolus ad Ti-
1.Tim.1. motheum: Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.
Malac.3. Et Malachias: Ecce subitò veniet in templum suum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Et in Euangelio: Non veni vocare iustos, sed peccatores
Matt.9. in pœnitentiam. Item: Quid nobis, & quid tibi Iesu fili Dei?
Marc.2. venisti ante tempus perdere nos? Item ibi: Venit filius homi-
Mar.1. nis quærere, & saluum facere, quod perierat. Item ibi: Ego ve-
Luc.19. ni, vt vitam habeant, & abundantius habeant: Item ibi: Ne-
Ioan.10. mo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius homi-
Ioan.3. nis, qui est in cœlo. Nunquid in his tantis ac talibus testimonijs, quibus se filius Dei à semetipso venisse testatus est, poteris dicere, ab alio & non à semetipso venisse, dum manifestum est, eum, qui carnem nostram dignanter assumpsit, voluntariè, & non ab alio missum, aduenisse? Nam qui in patre manens, vbiquè potentia sua consistit, vbi à patre mitteretur, omnino non habuit. Scimus enim quoniam nulla pars cœlorum ac terræ à conspectu patris excipitur, vbi secundùm eos à patre filius mitteretur. Interim verò det operam (quantùm fieri potest) tua dilectio, vt omnibus Ecclesiæ filijs innotescat, quid contra impium sensum secundùm Euangelicam doctrinam & Apostolicam prædicemus; quia licèt plenè, quæ semper fuisset atque esset catholicorum sententia, scripserimus, tamen nunc quoque ad confirmandas omnium mentes non parùm exhortationis addimus. Memor enim sum, me
Matt.16. sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes quidem hæreses destruit, sed maximè impietatem præsentis erroris expugnat. Et intelligo, aliter mihi non licere, quàm vt omnes conatus meos ei causæ, in qua vniuersalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam. Ne autem aliqua negligentiæ occasione scripta nostra ad vos non potuerint peruenire, exemplaria eorundem nunc mittenda credimus, vt nullo modo fidei, quam defendimus, prædicatio vestræ doctrinæ notitiæ subtrahatur. Data quinto Nonas Maij, Ioanne & Narsete viris clariss. coss.

Notæ.

Nota Consularis in fine addita, hanc Epistolam de fide suspectam reddit. Cùm vetera quæque monumenta signata vbique reperiantur post Basilij Consulatum toties repetitum, planè significatur, nullum alium interea Consulem esse creatum. Apud Cassiodorum reperitur Consulatus Basilij vicies repetitus. Quòd si Narsetis, vel aliorum Consulatus, post Basilij Consulat. Fastis interpositus fuisset, certè non ab illo vltimo Consulatu Basilij tot anni post eius Consulat. inscripti reperirentur; sed post Consulatum Narsetis & Ioannis.

(?)

EPISTOLA II. B. PELAGII Papæ I. ad Narseten.

Hortatur, vt legatis auxilium præstet ad episcopos Ecclesiæ perturbatores corrigendos.

PELAGIVS, *Narsæ Patricio, & Duci in Italia.* Quali nos de gloriæ vestræ studijs iudicio gratulemur, non solùm vestram, sed multorum ac penè omnium credimus habere notiam: & idcirco nũc de his, quæ vobis præsentibus ibi fieri stupemus, fiducialiter apud gloriam vestram duximus conquerendum. Thracius siquidem, atq; Maximilianus nomina tantum Episcoporum habentes, & Ecclesiasticam ibi vnitatem perturbare dicuntur, & omnes Ecclesiasticas res suis vsibus applicare: intantum, vt contra vnum eorum, id est, Maximilianum vsq; ad nos per tam longum iter, necessitate compellente quidam infatigabiliter venientes, preces offerrent. Ob quam causam Petrum presbyterum sedis nostræ, sed & Proiectum notarium ad eadem loca duximus destinandos, vt ea, quæ canonicis statutis à prædictis pseudoepiscopis comperierint commissa, vel digna debeant ibi vltione compescere, vel eosdem ad nos vsque perducere. Et ideo salutantes paterno affectu gloriam vestram, petimus, vt præfatis, qui à nostra fide directi sunt, in omnibus præbeatis auxilium: nec putetis alicuius esse peccati, si huiusmodi homines comprimuntur. Hoc enim & diuinæ & * humanæ leges statuerunt, vt ab Ecclesiæ vnitate diuisi, & eius pacem iniquissimè perturbantes à sæcularibus etiã potestatibus comprimantur. Nec quidquam maius est, vnde Deo sacrificium possitis offerre; quàm si ordinetis, vt hi, qui in suam, & aliorum perniciem debacchãtur, competenti debeant vigore compesci.

Anast. in 12.c.46 Polyc.

*al. emendanæ

EPISTOLA III. B. PELAGII Papæ I. ad eundem Narsetem.

Monet vt Schismaticos coërceat.

NON vos hominum vaniloquia retardent dicentium; quia persecutionem Ecclesia faciat; dum vel ea, quæ cõmittũtur, reprimit; vel animarũ salutẽ requirit. Errant huiusmodi rumoris fabulatores. Non persequitur, nisi qui ad malũ cogit. Qui verò malum vel factum iam punit vel prohibet ne fiat; non persequitur iste, sed diligit. Nam si, vt illi putant, nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus à malo ad bonũ est; humanas & diuinas leges necesse est euacuari, quæ & malis pœnam, & bonis præmia iustitia suadẽte constituunt. Malum autem schisma esse, & per exteras etiam potestates huiusmodi homines debere opprimi, & canonicæ scripturę auctoritas, & paternarum regularum nos veritas docet. Quisquis ergò ab Apostolicis diuisus est sedibus; in schismate eum esse non dubium est: & contra vniuersalem Ecclesiam altare conatur erigere. Sed quid de talibus insertus Chalcedonensi synodo canon statuat, gloria vestra consideret, vbi post alia licdicit: Qui à communione seipsum suspendit, & collectam fecit, & altare constituit, & noluerit vocanti Episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire primo & secundo vocanti, hunc omnino damnari, nec vnquam vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si enim permãserit turbas faciens, & seditiones Ecclesiæ, per exteram potestatem tanquam seditiosum comprimi. Et B. Augustin. de talibus dicit: Multa etiam cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis agenda sunt, quorum potius vtilitati consulendũ est, quàm voluntati. Nam in corripiendo filio, quantumuis asperè, nunquam paternus amor amittitur: fit tamen, quod nollet, vt doleat, qui etiam inuitus videtur dolore sanandus. Ecce videtis, quemadmodum tanti testimonio patris non persequatur coërcendo talia; sed diligat emendando tales semper Ecclesia. Facite ergo etiam vos, quod scientes intẽtionem Christianitatis vestræ frequenter horramur; & date operam, vt talia fieri vltra non liceat, sed etiam (quod vobis facillimum esse non dubito) hi, qui talia præsumpserunt, ad pijssimum principem sub digna custodia dirigãtur. Recolere enim debet celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tẽpore illo,

Poly.ti.c. Anſ. li.12.c.47. Iuo. p.10. c.95. Baron.an. 556.n.4.

11.q.9.Si quispresb. Actio.4. in ep. Archimãdritarum ad ipsũ conc. & in conc. Antioch. can.5.

Enchir. cap.72.

illo, quo Histriam & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum principem exinde retulisseris; & quid fieri debuisset, eius iterum scriptis recognouisseris, & inter vbique feruentes hostes, Rauennam tamen & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinaturus erat, prouidentia culminis vestri deducti sunt. De Liguribus, atque Venetiçis, & Histrijs Episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra & ratione & potestate reprimere, & dimittis eos in contemptum Apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriari: cùm, si quid eos de iudicio vniuersalis synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte mouebat, ad Sedem Apostolicam (quomodo semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare & accipere rationem possent, dirigere debuerunt; & non clausis oculis Corpus Christi Dei nostri, hoc est, sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare huiusmodi homines principali vel iudiciali auctoritate comprimere: quia regulæ patrum hoc specialiter constituerunt, vt si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est, restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit; iste excommunicetur atq; damnetur. Quòd si forte & hoc contempserit & permanserit diuisiones, & schisma faciendo; per potestates publicas opprimatur. Ecce domine, quòd animus vester forte timidus est, ne persequi videaris; de patrum vobis auctoritate hæc breuiter dirigenda curaui: cùm mille alia exempla, & constitutiones sint, quibus eùidenter agnoscitur, vt facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solùm exilijs, sed etiam proscriptione rerum & dura custodia per publicas potestates debeant coërceri.

EPISTOLA IV. PELAGII PAPAE I.

Vt Schismaticos, à quibus fuerat iniustè communione interdictus, reprimat.

PELAGIVS, *Narsæ patricio.* Relegentes literas excellentiæ vestræ, de iniuria quidem, quam vobis iniquorum hominum præsumptio ingessit, valde doluimus. Sed quia scimus occulto Dei iudicio animam vestram, etsi per aliorum iniquitatem & superbiam, à contaminatione schismatis custoditam; egimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari consueuit. Nec enim sine illius prouidétia factum esse credendum est; vt insensati & peruersi homines ad hoc vsq; prosilirent, vt suam diuisionẽ, Catholicam esse credentes Ecclesiam, à sua vos pollutione prohiberent. Sic.n. per misericordiam Dei etiam nesciẽtibus illis hoc factum est; vt à schismaticorum factione eruti, catholicæ, quá diligitis seruari vos contigisset Ecclesiæ. Quamuis igitur vestra per illorum scelus vtilitas facta sit; nolite tamen impunitã præsumptionem iniquorum hominum grassari permittere. Si enim hoc, quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindicta compressum; quod in minoribus non valeant puniri, ambigi vltra non debet. Exercete igitur in talibus debitam auctoritatem: & ne eis amplius talia committendi spiritus crescat, vestris coërcitionibus reprimantur. Ad hoc siquidem Dei nutu etiam contra vos talia præsumpserunt; vt alia vobis corrigentibus ab eodem scelere alios possitis, Deo propitiante, munire. Quales autẽ sint, qui Ecclesiam fugiunt, Eutrasij vos scelera (quæ amplius occulta Deus esse noluit) euidenter informant: qui in homicidio quidem nec hominis necessitudinem, nec fratris caritatem, nec sacerdotij reuerentiam cogitauit. Incestuoso autem adulterio etiam ipsius vindictæ abstulit modum: quia, si adulterium punias; non remanet in quo vindicetur incestus. Si incæstuoso ingeras pœnam; inultum crimen adulterij remanebit. Ecce, de quo collegio sunt; qui quantum ad superbiam suam iniuriam vobis inferre moliti sunt; & quantum ad prouidétiam Dei, impollutos vos Ecclesiæ seruauerunt. Auferte tales ab ista prouincia, vt timini oblata vobis à Deo opprimendi perfidos occasione. Quod tunc plenius fieri poterit, si auctores scelerum ad clementissimum principem dirigantur: & maximè Ecclesiæ Aquileiensis inuasor, qui & in schismate, & in eo maledictus, nec honorem Episcopi poterit retinere, nec meritum.

EPISTOLA V. PELAGII PAPAE I.

Monet vt Aquileiensem & Mediolanensem Episcopos ad principem sub custodia dirigat.

PELAGIVS *Narsæ Patricio.* Istud est, quod à vobis poposcimus, & nunc iterum postulamus, vt Paulinum Aquileiensem, pseudoepiscopum, & illum Mediolanensem Episcopum ad clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis; vt & iste, qui Episcopus esse nullatenus potest, quia contra omnem canonicam consuetudinem factus est, alios vltra non perdat; & ille, qui contra morem antiquum eum ordinare præsumpsit, canonum vindictæ subiaceat. Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particularem synodum congregare: sed quoties aliqua de vniuersali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut sponte ij, qui salutem animæ suæ desiderant, ad Apostolicam sedem pro recipienda ratione conueniant: aut si fortè (sicut de talibus scriptum est, Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit) ita obstinati, & contumaces extiterint, vt doceri non velint; eos ab eisdem Apostolicis sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut (ne aliorum perditio esse possint) secundùm canones per sæculares comprimi potestates.

Anſel. lib. 12. c. 42. Polyc. li. 1. tit. 15. Baronian. 556. n. 10.

Prou. 18.

EPISTOLA VI. PELAGII PAPAE I.

ad Sapaudum Arelatensem Episcopum, qua illi vices suas delegat, palliumque impertitur.

DILECTISSIMO *fratri Sapaudo Pelagius.* Maiorum nostrorum, operante Dei misericordia, cupientes inhærere vestigijs, & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari; charitati tuæ per vniuersam Galliam sanctę sedis Apostolicæ, cui diuina gratia præsidemus, vices iniungimus: hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Ecclesiæ Roman. testantur scrinia à sanctis Patribus & decessoribus nostris tuis decessoribus esse concessum: vt illius stabilis petræ sempiterna soliditas, supra quam Dominus Saluator noster propriam fundauit Ecclesiam, à Solis ortu vsque ad occasum primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se, quàm per Vicarios suos firmiter obtineret. Nos autem (sicut dicit B. Apostolus) non in immensum gloriamur, sed secundùm mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi vsque ad vos: nec enim quasi qui non pertingentes ad vos superextendimus nos. Sic ergo participata solicitudine, sanctam Dei vniuersalem Ecclesiam nostri per Dei gratiam rexêre maiores. Hinc est quòd & nos fraternitati tuæ huiusmodi curas iniungimus, vt sedis nostræ Vicarius institutus ad instar nostrum in Galliarum partibus primi sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem vel dispensationem Ecclesiastici status gerendum est, seruatis Patrũ regulis & sedis Apostolicæ constitutis, diuini iudicij consideratione dispenses, talemq; te in custodiendis canonibus sancta cõuersatione demonstres, qualem tanti loci decet esse Vicarium.

Ex Cod. Arelaten. Baron. an. 556. n. 18.

1. Cor. 10.

Memor sententiæ beati Pauli Apostoli, qua Timotheum discipulum solicitè magister informat, dicens: Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis eius, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando: vt erogetur, charissime frater, auctoritas Pontificis & pastoris mansuetudo, per nos tibi locum Vicarij, sicut & decessoribus tuis, noueris gratiæ largitate concessum. Quia licet apud Dominum non sit acceptio personarum, tuam tamen charitatem etiam carnali generatione constat esse præclaram. Et ideo cõuenit, vt quantò in te Dominus multiplicia bona largitus est, tantò in sacerdotalibus actibus probitatem morum exhibeas clariorem. Scriptum est enim: Cui commodauerũt multum, plus petent ab eo. Vsum quoq; pallij tibi alacriter affectioseque * concedimus, pariter etiam palliũ dirigentes: vt in tanti loci fastigio constitutus præclaro quoq; habitu decoreris, sciturus omnibus ecclesiastici gradus hominibus nullam haberi licentiã sine Formata tuæ charitatis ex quacunq; Galliarum

1. Tim. 5.

Luc. 12.

* affectuosè.

iparte longiores petere regiones, ne prohibita præsumentes ipsi se proprio priuare videantur officio. Hæc igitur per Flauianum diaconum, & Nestorium subdiaconum Ecclesiæ tuę, per quos epistolas tuas accepimus, scribenda esse curauimus, in quorum etiam conuersatione laudabilis tuæ charitatis agnouimus institutum. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. 3. Nonas Februar. anno 15. P. C. Basilij V.C.

EPISTOLA VII. PELAGII PAPÆ I. ad Childebertum Francorum Regem, qua illi Sapaudum commendat.

Ex eod. cod. Arel. Baron.

DOMINO *filio meritò glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius.*

Excellentiæ vestræ literas post illas quas legati vestri detulerunt, etiam per eos quos frater & Coepiscopus noster Sapaudus *ad nos direxit, reuerenter accepimus; & salutis vestræ, quæ nobis semper optanda est, cognoscentes indicia, gratias diuinæ pietati retulimus, exorantes clementiam eius, vt vos largiflua pietate sua seruet incolumes. Litteras autem nostras præfato consacerdoti nostro Sapaudo secundùm petitionem vestram direximus, vsum pallij pariter concedentes: quia in scrinio Ecclesiastico huiusce modi exempla reperimus, quibus ostenditur Arelatensibus Episcopis à sanctę recordationis decessoribus nostris hæc fuisse collata. Propterea salutantes cultu regalibus insulis debito, postulamus, vt ita eum atque Ecclesiam eius gratia excellentiæ vestræ tueatur ac soueat, ne quem per vices nostras augeri, propitiante Domino, postulatis, in aliqua parte cuiquam Gallicanorum sacerdotum, vel cuiuslibet ordinis Ecclesiastici personis (quòd non oportet) cótemptibilis habeatur, & in ea auctoritate sanctæ sedi Apostolici & genio vestro, qui pro eo suffragatores acceditis (quod absit) videatur in aliquo derogari. Perincolumem excellentiam vestram Deus noster custodiat, domine fili glorioſiſſime atque præcellentiſſime.

*Sabaudius.

EPISTOLA VIII. PELAGII PAPÆ I. ad Sapaudum Arelatensem Episcopum.

Ex cod. cod. Arel. Baron.

DILECTISSIMO *fratri Sapaudo Pelagius.* Quia legatus filij nostri glorioſiſſimi Regis Childeberti beatorum Apostolorum Petri & Pauli & aliorum sanctorum martyrum reliquias popoſcerunt: necesse habuimus hominem bonum subdiaconum de clero nostro dirigere, qui eas vsque ad fraternitatem tuam cum reuerentia deportaret. Et ideo salutantes, hortamur vt quæsita occasione siue nauis, siue terreno cum talibus personis, de quibus nulla periculi possit esse suspicio, ad nos eum, iuuante Domino, remittatis. Ea autem quæ pro honore charitatis tuæ à nobis supradicti legati popoſciſſe noſcuntur, parati sumus, Deo iuuante, concedere. Sed nisi litteras tuas per te acceperimus, sicut etiam decessores nostri postulantibus tuis decessoribus præstiterunt, superfluum iudicamus vltrò transmittere: sed mox ad nos, iuuante Domino, cùm de clero tuo cum literis direxeris, si Dominus voluerit, & si vixerimus, promittimus nos esse facturos. Præterea hortamur, vt viro magnificentiſſimo filio nostro Patricio Placido genitori tuo dicas, vt quod de pẽsionibus poſſeſſionum Ecclesiæ nostræ collectum est, aut per suum hominem, aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem: quia Italiæ prædia ita desolata sunt, vt ad recuperationem eorum nemo sufficiat. Et si possibile est vt nobis de ipsis solidis saga tumẽtacia, quę pauperib. erogari possint, & tunicas albas aut cucullas, vel colobia, aut si quæ aliæ species in Prouincia fiunt, quæ pauperibus (vt diximus) erogari debeant, exinde facite comparari, & opportunitate nauis inuenta dirigite: vt maximas fraternitati tuæ gratias referamus; dum huiusmodi solicitudinem nostram prouidentia charitatis tuæ releuari contigerit. Hortamur etiam, vt Anastasium fratrem Pauli Defensoris Ecclesiæ ad nos faciatis occurrere. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Data 18. Kal. Iun. anno 15. P. C. Basilij V.C.

EPISTOLA IX. PELAGII Papæ I. ad eundem Sapaudum.

Ex cod. cod. Arel.

DILECTISSIMO *fratri Sapaudo Pelagius.* Quæ nobiscũ omnipotentis Dei gratia fuerit operata, ad charitatem tuam credimus fuisse perlatum: pro qua re ad vos *destinari conuenerat, vt visitatione communi magno inuicem gaudio frueremur. Nos tamen fraternæ memores charitatis, per præsentium portitorem, occasione reperta, officium fraternæ salutationis impendimus. Optamus, vt alterna in timore Domini charitate viuentes, mutuo frequenter refoueamur alloquio. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. 4. Non. Iul. anno 15. P. C. Basilij V.C.

*Rauenn. cod. Arel.

EPISTOLA X. PELAGII PAPÆ I. ad eundem Sapaudum.

Ex cod. cod. Arel.

DILECTISSIMO *fratri Sapaudo Pelagius.* Fraternitatis vestræ grata nobis colloquia, Felice viro honesto deferente, susceptimus: quibus recensitis, communi Domino ac Deo non insufficientes gratias egimus, quia incolumitatem dilectionis tuæ, quæ nobis est desiderabilis, eorum testificatione cognouimus. Ea autem quæ in nostris laudibus facundia oris vestri disseruit, quanquam vos congruentem vobis rem feciſſe manifestum sit, nos tamen nihil nostrum ex omnibus quæ dicta sunt, agnoscentes, verecundiam magis incurrimus, illud doctiſſimi viri ad animum perducentes, qui dixit: Sicut vera laus ornat, sic falsa castigat. Multum enim vitæ nostræ ac morum verba charitatis vestræ mansuras excedũt. Optamus tamen, vt Sanctorum omnium precibus & vestris orationibus faciat nos Deus tales existere, quales vos esse ex bona voluntate pinxistis. Atque ideo salutantes debito charitatis affectu, indicamus nos, inuenta ante hoc paruum tempus occasione quorundam de prouincia vestra Romam venientium, tanto amoris vestri feruore fuisse succensos, vt impatienter ferremus huiusmodi opportunitatem silentio præterire.

Scribentes namque glorioſiſſimo communi filio Regi Childeberto, etiam ad charitatem tuam literas, quales sub breuitate temporis potuimus dictare, transmisimus. Quædam autem nobis (sicut scripsistis) proprio ore, literarum vestrarum in compendio portitor intimauit, quæ nos non mediocriter promouerunt, admirantes nimirum, qua ratione tam noua res fuerit vsurpata: & necesse habemus solicitè *, vt si quis venerit, non facilè nobis tanquam ignaris subrepere videatur. Meliùs tamen fraternitas tua faciet, si cognoscens illos quos suspicamini ad nos esse venturos, & vos personam instructam ex omni parte dirigatis, quæ eis possit obsistere. Quia cùm epistola vestra nihil de causa contineat: si hic, qui nobis modò ex voluntate vestra verbo suggessit, tunc apud nos nequeat inueniri, videbimur nos accusatoris officium susceppisse. Quòd si à tua charitate persona dirigitur: nostrum est & pro affectu quem vobis impendimus, & pro rei gestæ nouitate, salua æquitate, competentem, quem dilectio tua miserit, præbere fauorem. Dominus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. 11. Kalen. Octob. anno 15. P. C. Basilij V.C.

* petitatis.

(?)

EPISTOLA XI. PELAGII Papæ I. ad Childebertum.

Domino filio glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius.

Cùm celſitudini veſtræ multa dona miſericordia diuina contulerit, pro amore tamen quem Eccleſiæ eius ſinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores: quoniam inter alias regni veſtri curas pro tranquillitate ſanctæ Eccleſiæ præcipuam ſolicitudinem vos certum eſt exhibere. Quæ cùm ita ſint, miramur quia & quantum nobis præſentium portitorum ſuggeſtio patefecit, paſſi eſtis ſubripi vobis Sapaudum fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Arelatenſis ciuitatis Antiſtitem, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis primatus priuilegio & ſedis Apoſtolicę vicibus decoratur, ad petitionem Epiſcopi ab ipſo ordinati in iudicium ſequentis * ciuitatis Epiſcopi (quod nulla Eccleſiaſtica lege vel ratione conceditur) iudicandum iubereris occurrere; vt ipſo de conculcato loci ſui præiudicio conquerente, illum qui vſurpauit neceſſe ſit de illicita præſumptione culpari. Pro quibus Chriſtianitatis veſtræ confidentia freti, paterno ſtudio poſtulamus, vt ſi quid eſt tale factum, congrua ſatisfactione celeriter amputetur, nec vllum ſui exemplum in perturbatione Eccleſiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et huiuſmodi cauſis ſolicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra eccleſiaſticas regulas petentibus concedatis: quia (quod benè cognitum eſt religioſæ menti veſtræ) non aliter Deo noſtro rectè poteſt regalis deuotio famulari, niſi prouidentia eius eccleſiaſticorum ordinum ſeruet integritatem. In columitatem excellentiæ veſtræ Deus noſter cuſtodiat, domine fili glorioſiſſime atq; præcellentiſſime.

EPISTOLA XII. PELAGII PAPÆ I. ad eundem Childebertum.

Domino filio glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius Epiſcopus.

Ruffinus vir magnificus legatus excellentiæ veſtrę nobis dixit, quòd & in prouincijs Galliarum quidam ſemina ſcandalorum ſparſerunt, dicendo quid contra fidem Catholicam (quod Dominus non patiatur) admiſſum. Et quamuis à tranſitu diuæ memoriæ Theodoræ Auguſtæ nullas de fide quæſtiones eccleſia Dei in partibus Orientis, Deo miſerante, formidet, ſed quædam capitula extra fidem fuerint agitata, de quibus longum eſt vt epiſtolari poſſint complecti ſermone: hoc breuiter ſecundùm admonitionem præfati magnifici viri Ruffini, ad ſanandum animum veſtrum, vel omnium fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum in Galliæ regionibus conſiſtentium, faciendum eſſe perſpeximus, dicentes anathematizare nos, & alienos ab æternæ vitæ præmijs iudicare, quicunque ab illa fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in ſuis epiſtolis prædicauit, & quam Chalcedonenſe Concilium ſequens eundem Præſulem edita diffinitione ſuſcepit, in vna ſyllaba aut in vno verbo vel in ſenſu errauit, vel errauerit aliquando, aut declinauit, vel declinauerit aliquando.

Quibus ſe ita habentibus, non attendat celſitudo veſtra, nec fratres noſtri Epiſcopi fabulas eorum hominum, qui ſcãdalis delectantur. Quoniã hæc ipſa ita contigerunt, vt cùm pater veſter clementiſſimus Imperator omnes hæreſes, quæ Conſtantinopoli Epiſcopos ſuos & Eccleſias cum magnis reditibus & vaſorum diuerſitate vſque ad tempora Imperij eius habuerunt, euerterit, & ſublatis baſilicis eorum atque reditibus, omnibuſque alijs rebus, Catholicis tradiderit: hi ergo, qui in ipſis erroribus remanſerunt, conglobati ſunt in vnum, & agunt vehementer, qualiter Eccleſiam Catholicam ſcindant atque perturbent. Nam & ſic in Italiam (quamdiu nos in Conſtantinopoli fuimus) de nomine noſtro chartas mittebant, dicendo, quaſi nos dixerimus fidem Catholicam fuiſſe corruptam: nunc verò etiam contra nos afferunt huc chartas tacitis nominibus, vt neſciatur qui eas miſit: ſed ſic faciunt Chriſtiani qui in Conſtantinopoli ſunt, dum eos conſtet non eſſe Chriſtianos, maximè tamen Neſtorianæ hæreſis homines, pro eo quòd Neſtorius duas naturas in Chriſto ſeparatas quidem & diuiſas aſtruxerit, fraudulenter moliuntur dicere longè ab intellectu eſſe Chalcedonenſis Synodi & Papæ Leonis, dum Neſtorium pro eo quòd diuiſas duas naturas aſſereret, ipſo dogmate beati Papæ Leonis conſtat eſſe damnatum.

Hæc breuiter inſinuanda eſſe excellentiæ veſtræ curauimus, vt ille ardor fidei veſtræ & vnitatis amor non alicuius peruerſi hominis fabulas aut chartas ſuperfluas permittat attendi: quia & ſic ſimplices aliquos Epiſcopos & neſciẽtes prima elementa fidei ſolicitauerunt, vt nec rationem ipſam intelligant, nec diſcernant quantum ſit bonum à fide Catholica non errare, ſed ſi qua ſunt alia quibus crimen ab hæreticis patitur ſancta Eccleſia, refutare. Quis enim patiatur, vt Neſtorij vel ſectatorum eius blaſphemias pro eo quòd duas naturas in Chriſto ſeparatas, id eſt diuiſas eſſe aſtruxerit, Catholicę fidei exiſtimet concordare?

Vt autem nos diu tribulationes Conſtantinopoli pateremur, illa res fecit, quam breuiter ſuperiùs tetigimus: quoniam viuente Auguſta, quicquid in Eccleſiaſticis cauſis mouebatur, ſuſpectum habuimus: nam pater veſter clementiſſimus Imperator & B. Papæ Leonis dogma & Chalcedonenſis Synodi fidem nullo modo patitur violari. Reliquias verò tam beatorum Apoſtolorum, quàm ſanctorum martyrum iam quidẽ per ſeruos Dei monaſterij Lirinenſis direximus: ſed & nunc quas legati veſtri popoſcerunt, nos miſiſſe ſignamus, deputantes hominem bonum ſubdiaconum ex clero Eccleſiæ noſtræ, à quo vſque ad fratrem & Coëpiſcopum noſtrum Sapaudum, iubente Domino, deferantur. Dat. 3. Id. Decemb. anno 15. poſt Conſ. Baſilij V. C. per Ruffinum legatum.

Pelagius miſericordia Dei Epiſcopus Eccleſiæ Catholicę vrbis Romæ exemplari epiſtolæ noſtræ ſubſcripſimus.

EPISTOLA XIII. PELAGII PAPÆ I. ad Epiſcopos Tuſciæ, qua ipſos ob ſchiſma reprehendit.

Dilectissimis fratribus Gaudentio, Maximiliano, Gerontio, Iuſto, Terentio, Vitali & Laurentio per Tuſciam Annonariam Pelagius.

Tuſciæ epiſcopi à Pelagio Pap. ob ſchiſma reprehẽſi.

Directam à vobis relationem, Defenſore Eccleſiæ noſtræ Iordane deferente ſuſcipientes ſatis mirati ſumus, ita vos Apoſtolicæ auctoritatis oblitos, vt diuiſionem veſtram ab vniuerſali Eccleſia meo etiam volueritis (quod abſit) conſenſu firmari; & quos decuit popularem ignorantiam ſacerdotali doctrina comprimere, in contumeliam ſedis Apoſtolicę, plebis velle ſequi iudicium. Nec iſta dicentes, iniuriam noſtram dolemus, quibus donante Domino propoſitum eſt in manſuetudine ſupportantes omnia fraternę pacis vinculo cuſtodire: ſed (ſicut diximus) diuiſionem veſtram à generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non potero, vehementer ſtupeo. Cùm enim beatiſſimus Auguſtinus Dominicæ ſententiæ memor, qua fundamentũ Eccleſię in Apoſtolicis ſedibus collocauit, in ſchiſmate eſſe dicat, quicunque ſe à Præſulis earundem ſedium auctoritate vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtet eſſe Eccleſiam, niſi quæ in Pontificibus Apoſtolicarum ſedium eſt ſolidata radicibus: quomodo vos ab vniuerſi Orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria ſecundùm conſuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo licèt indigno Apoſtolicæ ſedis per ſucceſſionem Epiſcopatûs præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem?

Sed ne apud vos fortè, vel apud greges qui vobis cõmiſſi ſunt, de fide noſtra aliqua poſſit remanere ſuſpicio: hoc dilectionem veſtram certiſſimè nõſſe deſidero, me illam, donante Domino, cuſtodire fidem, quam ſacra Apoſtolorum doctrina conſtituit, quam Nicænæ Synodi firmauit auctoritas, quam Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, & Chalcedonenſ. ſanctarũ Synodorum explanauére ſententiæ, nec quicquam de præfatarum Synodorum definitionibus vel imminuiſſe me aliquid, vel auxiſſe, aut in aliquo permutâſſe; ſed

omnia

omnia, Deo propitio, quæ ab illis de fidei puritate conscripta sunt, inuiolabiliter custodire : anathematis nihilominus iudicio subdens, quisquis ad suprascriptarum quatuor Synodorum fidem, vel ad beatissimi Leonis Præsulis Apostolicæ sedis tomum, qui in Chalcedonensi est Synodo confirmatus, aliqua ex parte vel infirmandum quoquo modo, vel in dubium (quod absit) deducendum aliquando consenserit. Hac igitur dilectio vestra fidei nostræ professione munita, ignorantiam hominum (sicut sacerdotes decet) in spiritu mansuetudinis edocere festinet, & à praua intentione modis omnibus reuocare, atque vnitati Ecclesiæ reddere. Quod si quis fortè etiam post hęc aliquē sibi superesse credit scrupulum; ab insano tumultu desinens, ad nos magis venire festinet : vt ex his quæ dubitat, rationabili satisfactione percepta, lætus, Deo propitio, cognita veritate, vniuersali reformetur Ecclesiæ.
1. Pet. 3. Nos enim (secundùm Apostolicam sententiam) parati sumus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea quæ in nobis est fide: quia in nullo nos à S. patribus, custodiente nos diuina gratia cognouimus deuiâsse. Dominus vos incolumes custodiat, fratres charissimi. Dat. 15. Kalen. Mar. ann. 15. P. C. Basilij V.C.

EPISTOLA XIV. PELAGII PAPÆ I. Encyclica ad vniuersum populum Dei, de fide Catholica.

Exeod. cód. Arel. PELAGIVS *Episcopus vniuerso populo Dei.* Vas electionis beatissimus Paulus Apostolus, cùm de Iudæis in Christo necdum credentibus loqueretur, zelum eos Dei habere professus est; sed ne ex hoc sine culpa esse crederentur, consequēter adiecit, sed non secundùm scientiam : vt eos necessariè per doctrinam à Deo sibi creditā ostenderet emendandos. Quod testimonium nostro etiam tempori conuenire, charitas vestra non ambigit: quia etsi zelum Dei in quorundam mentibus esse deprehendimus, in hoc tamen quod suspicionibus quibusdam sine notitia veritatis se concusserunt atque concutiunt, & quòd se à visceribus vnicæ matris Ecclesiæ nefaria animositate discerpunt, sine scientia eos esse non dubium est. Et possemus quidem totius causæ rationem ad sedandos rumores hominum, diuina nobis cooperante misericordia, fiducialiter explicare, nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem vllatenùs esse tentandum, lucidissimis approbationibus demonstrare, magisque id actum, vt memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili soliditate consisteret. Sed quia hoc his, qui lacte potiùs quàm solido cibo nutriendi sunt, necessarium esse non duximus, vt (sicut memoratus Doctor
1. Cor. 6. gentium dicit) inter perfectos loquenda sit sapientia : hoc interim, quod etiam paruulis abundè sufficiat, ad notitiam omnium deferendum esse perspeximus. Id autem est, vt fidem meam annexa subter professione definiam, in qua, Deo propitio, & rectæ me Apostolorum doctrinæ & Patrum inhærere vestigijs euidenter appareat : vt per vos, qui zelum Dei etiam cum scientia possidetis, cæteris innotescat, quos, operante Domini nostri gratia, non sine vestra mercede ab irrationabili diuisionis suæ malo confidimus liberandos.

De sanctis verò quatuor Concilijs, id est, Nicæno trecentorum decem & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta, Ephesino primo ducentorum, sed & de Chalcedonensi sexcentorum triginta, ita me protegente diuina misericordia sensisse & vsque ad terminum vitæ meæ sentire toto animo & tota virtute profiteor, vt eas in sanctæ fidei defensione, & damnationibus hæresum atque hæreticorum, vtpotè sancto firmatas Spiritu, omnimoda deuotione custodiam; quarum firmitatem, quia vniuersalis Ecclesiæ firmitas est, ita me tueri ac defendere profiteor, sicut eas decessores meos defendisse non dubium est : in quibus illum maximè & sequi & imitari desidero, quem Chalcedonensis Synodi auctorem nouimus extitisse; qui suo congruens nomini, eius se membrum, qui de tribu Iuda leo extitit, viuacissima fidei solicitudine euidenter ostendit. Similem igitur suprascriptis Synodis reuerentiam me semper exhibiturum esse confido, & quicunq; ab eisdem quatuor concilijs absoluti sunt, me esse Orthodoxos habiturum, nec vnquam in vita mea, Deo nos in omnibus protegente, aliquid de sanctæ & veræ prædicationis eorum auctoritate minuere.

Sed & canones, quos sedes Apostolica suscepit, sequor & veneror, & Deo adiuuante defendo, neque vel de hac professione reticere, aut discedere aliquando promitto. Epistolas etiam beatæ recordationis Papæ Cælestini, Sixti, & præ omnibus B. Leonis, nec non etiam successorum eius Hilari, Simplicij, Felicis, Gelasij, Anastasij, Symmachi, Hormisdæ, Ioannis, Felicis, Bonifacij, Ioannis alterius, & Agapeti pro defensione fidei Catholicæ, & pro firmitate suprascriptarum quatuor Synodorum, & cōtra hæreticos tam ad Principes, quàm ad Episcopos, vel quoslibet alios per Orientem & Illyricum atque Dardaniam, aliasq; prouincias diuersis temporib. missas, inuiolabiliter, adiuuante Christo Domino nostro, me custodire profiteor; & omnes quos ipsi damnauerunt, habere damnatos, & quos ipsi receperunt, præcipuè venerabiles Episcopos, Theoditum & Ibam, me inter Orthodoxos venerari.

Hæc est igitur fides mea, & spes mea quæ in me dono misericordiæ Dei est: pro qua maximè paratos nos esse debere, beatus Petrus ad respondēdum omni poscenti nos rationem. 1. Pet. 3.
Cum hac professione me viuere opto cum ipsa ante tribunal Christi assistere: per hanc à peccatis meis absolui me credo, & ad dexteram gloriæ diuina misericordia deportandum. Quicunque autem aliud senserit, crediderit, prædicauerit, hunc anathematizat sancta & vniuersalis Ecclesia Dei. Deus vos incolumes custodiat, filij dilectissimi, Amen.

EPISTOLA XV. PELAGII Papæ I. ad Sapaudum.

DILECTISSIMO *fratri Sapaudo Pelagius.* Tāta nobis est circa personam tuę fraternitatis affectio, vt nullas occasiones transire silentio patiamur. Deniq; veniente illuc Petro vrbis negociatore, præsentia curauimus ad fraternitatē tuam scripta dirigere, desiderantes vt de incolumitate quoque vicissim datis opportunitatibus agnoscimus. Atque ideò salutantes fraterno charitatis amore, indicamus, propitiante Domino, circa nos omnia prosperè geri. Et hortamur, vt si epistola, quam per diaconum atque subdiaconum fraternitatis tuæ, ad excellentissimum filium nostrum Childebertum Regem direximus, in qua de institutis beatissimorum Patrum nostrorum fidem Catholicam nostro per Dei gratiam sermone deprompsimus, tam ipsi gloriosissimo Regi, quàm charitati tuæ, vel alijs fratribus & coēpiscopis nostris placuit, rescripto tuæ charitatis celeriùs agnoscamus. Exod. cod. Arel. Baron. 559. n.

Prætereà commendamus specialiter dilectioni tuæ Romanos, qui illuc hostilitatis metu confugerunt, vt solatium fraternitatis tuæ & continentiam, qualē peregrinatio eorum poscit, inueniant: quos etiam filio nostro magnificentissimo viro Patricio Placido genitori tuo ex nostra persona volumus commendari, vt in sua continentia recognoscant, quantum apud charitatem tuam eis commendatio nostra profuerit.

Sed & illud ad commemorationem tuæ fraternitatis adducimus, vt (sicut iampridem scripsimus) veste : qua pauperibus erogentur, id est, cucullas & tunicas atque saga de eo quod pro pensionibus Ecclesiasticarum possessionum nobis domnus filius noster Placidus directurus erat, comparari faciatis, & ad Portum Romanum, Deo propitiante, dirigere, quatenus solicitudinem nostram ex parte aliqua releuetis: quia tanta egestas, & nuditas in ciuitate ista est, vt sine dolore & angustia cordis nostri homines, quos honesto loco natos idoneos noueramus, non possimus aspicere. Deus te incolumem custodiat, frater charissime. Dat. Idib. April. anno 16. P. C. Basilij.

EPISTOLA XVI. PELAGII PAPÆ I. ad Childebertum Francorum Regem de fide Catholica.

Domino filio gloriosissimo atque præcellentissimo Childeberto Regi Pelagius Episc.

Humani generis Saluator ac Dominus discipulos suos docens, ait: Non est voluntas Patris vestri, qui in cœlis est; vt vnus saltem pereat de pusillis: de quibus nec scandalizari quenquam sine magna asserit comparatione supplicij. Cùm igitur etiam de pusillis ista forma præcepti sit: quanto nobis studio ac labore satagendum est, vt pro auferendo suspicionis scandalo obsequium confessionis nostræ Regibus ministremus, quibus nos etiam subditos esse sanctæ Scripturæ præcipiunt? Veniens etenim Ruffinus vir magnificus legatus excellentiæ vestræ confidenter à nobis (vt decuit) postulauit, quatenùs vobis aut beatæ recordationis Papæ Leonis tomum à nobis per omnia conseruari significare debuissemus, aut proprijs verbis nostræ confessionem fidei destinare. Et primam quidem petitionis eius partem, quia facilior fuit, mox vt dixit, impleuimus; meque in omnibus prædictis Præsulis tomum pro Catholicæ fidei assertione conscriptum, Deo propitio, custodire, manus nostræ ad vos professione signauimus. Vt autem deinceps nullius (quod absit) suspicionis resideret occasio, etiam illam aliam partem, quam memoratus vir illustris Ruffin. admonuit, facere maturaui, scilicèt proprijs verbis confessionem fidei, quam tenemus, exponens. Definitiones quoque de eadem Catholica fide, quæ in quatuor sanctis concilijs statutæ sunt, sed & memorati Pontificis, quas vniuersalis semper tenuit ac tenet Ecclesia, nos sancto Dei auxilio tenere atq; defendere præsenti ad excellentiam vestram colloquio intimandam necessariò iudicaui.

Fides Papæ Pelagij.

Credo igitur in vnum Dominum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Patrem scilicet omnipotentem, sempiternum, ingenitum; Filium verò ex eiusdem Patris substantia vel natura genitum ante omne omnino vel temporis, vel cuiusquam initium: de omnipotente omnipotentem, æqualem, consempiternum, atque consubstantialem. Spiritum quoque sanctum omnipotentem, vtrique, Patri scilicet ac Filio æqualem, consempiternum, atque consubstantialem, qui ex Patre intemporaliter procedens Patris est Filij quoq; Spiritus. hoc est, tres personas, siue tres subsistentias vnius essentiæ siue naturæ, vnius virtutis, vnius operationis, vnius beatitudinis, atque vnius potestatis, vt trina sit vnitas, & vna sit trinitas iuxta vocis Dominicæ veritatem, dicentis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. In nomine, inquit, non nominibus, vt & vnum Dominũ per indistinctum diuinæ essentiæ nomen ostenderet, & personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret: quia dum tribus vnum Deitatis nomen est, æqualitas ostenditur personarum. Et rursùs æqualitas personarum nihil extraneum, nihil accedens in eis permittit intelligi: ita vt & vnusquisq; eorum verus perfectusq; sit Deus, videlicèt ex plenitudine diuinitatis nihil minùs in singulis, nihil ampliùs intelligatur in tribus.

Ex hac autem sancta & beatissima atque consubstantiali Trinitate credo atque confiteor vnam personam, id est, Filium Dei pro salute humani generis nouissimis temporibus descendisse de cœlo, nec patriam sedem, nec mundi gubernacula reliquentem: & superueniente in beata Virgine Maria, sancto Spiritu, atque obumbrante ei virtute Altissimi, eumdem Verbum ac Filium Dei in vtero eiusdem sanctæ Virginis Mariæ clementer ingressum, & de carne eius sibi vnisse carnem anima rationali & intellectuali animatam: Nec antè creatam esse carnem, & postea superuenisse Filium Dei: sed sicut scriptum est, Sapientia ædificante sibi domum, mox carnem in vtero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindeq; sine vlla permutatione atq; conuersione Verbi carnisq; naturæ Verbum ac Filium Dei factum hominem vnum in vtraq; natura, diuina scilicèt & humana, Christum Iesum Dominum verum eundemque verum hominem processisse, id est, natum esse, seruata integritate maternæ virginitatis: quia sic eum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eandem beatam Virginem Mariam Dei genitricem verissimè confitemur, peperit enim incarnatum Dei verbum.

Est ergo vnus atque idem Iesus Christus verus Filius Dei, & idem ipse verus Filius hominis, perfectus in Deitate, & idẽ ipse perfectus in humanitate, vtpotè totus in suis, & idem ipse totus in nostris: sic per misericordiam natiuitatem sumens ex homine matre quod non erat, vt nõ desisteret esse quod per primam, qua ex Patre natus est, erat. propter quod eum ex duabus & in duabus manentibus indiuisis, inconfusisq; credimus esse naturis: indiuisis quidem, quia & post assumptionem naturæ nostræ vnus Christus Filius Dei permansit: inconfusis autem, quia sic in vnam personam atque subsistentiam adunatas credimus esse naturas, & vtriusque proprietate seruata, neutra conuerteretur in alteram. Ac propterea (sicut sæpè diximus) vnum eundemq; Christum esse verum Filium Dei, & eundem ipsum verum filium hominis confitemur, consubstantialem Patri secundùm Deitatem, consubstantialem nobis eundem secundùm humanitatem, per omnia nobis similem absq; peccato: passibilem carne, eundem ipsum impassibilem Deitate. Quem sub Pontio Pilato spontè pro salute nostra passum esse carne confitemur, crucifixum carne, mortuum carne, resurrexisse tertia die glorificata & incorruptibili eadem carne, & conuersatum post resurrectionem cum discipulis suis, ac multimodis euidenter eis ostendisse sui corporis veritatem: & quadragesimo die, videntibus eisdem discipulis, ascendisse in cœlos, sedere etiam ad dexteram Patris. Quem credo & confiteor secundùm testificationem Angelorum, sicut ascendit in cœlos, ita vẽturum iudicare viuos & mortuos. Omnes enim homines ab Adam vsq; ad consummationem sæculi natos & mortuos, cum ipso Adam eiusq; vxore, qui non ex alijs parentibus nati sunt, sed alter de terra, altera autem de costa viri creati sunt, tunc resurrecturos esse confiteor, & astare antè tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bona, siue mala; & iustos quidem per largissimam gratiam Dei, vtpotè vasa misericordiæ in gloriam præparata, æternæ vitæ præmijs donaturum, in societate videlicèt Angelorum absq; vllo iam lapsus sui metu sine fine victuros. Iniquos autem arbitrio voluntatis propriæ vasa iræ apta in interitum permanentes, qui viam Domini aut non agnouerint, aut cognitam diuersis capti præuaricationibus reliquerunt in pœnis æterni atque inextinguibilis ignis, vt sine fine ardeant, iustissimo iudicio traditurum. Act. 17.

Hæc est igitur fides mea & spes, quæ in me dono misericordię Dei est, pro qua maximè paratos esse debere B. Petrus Apostolus precipit ad respondendum omni poscenti nos rationem. Nunc conuenit excellentiam nostram pro feruore eiusdem fidei, quam vos in corde habere gaudemus, peculiarem curam per vniuersos Galliæ vestræ regiones impendere, ne illic scandala seminantes (sicut in partibus istis facere conabantur) frontis suæ procacitate impellente discurrant, & aliquos fratres & coëpiscopos nostros vel creditas eis plebes ad dissensiones exagitent. Quia dum rectæ fidei non sine dolore oppressionis suæ, vt se ad nutrienda scandala Catholicis familiares efficiant, etiam rectam fidem se simulant vindicare, maximè apud eos qui fraudes ipsorum & dolos ignorant. Sed Deus, qui gloriam vestram contra inimicos pacis Ecclesiasticæ misericorditer hoc tempore præparauit, præstet vos ita solicitos & circumspectos existere, vt non præualeant intra sata sanctæ Ecclesiæ in illis partibus loliorũ suorum semina maligna iactare. Per incolumem excellentiam vestram Deus noster custodiat Domine fili gloriosissime atque excellentissime. 1. Pet. 3.

CONCILIVM a PARISIENSE b SECVNDVM, SVB Pelagio I. in causa Saphoraci Parisiensis Episcopi celebratum.



VM in vrbem Parisiens. ad inuitationem Domini regis gloriosissimi Childeberti, venissemus, & in vnum positi, quę ad Ecclesiasticum ordinem, vel fidei Catholicæ authoritatem pertinent, Christo adiuuante, quæ erant necessaria tractaremus, & ex hoc magis pro ordinanda Ecclesia memoratæ vrbis, eius nos dignatio iugiter admoneret, vt eundem sacerdotem (sicut deflendum est) manifesta siquidem culpa deiiceret, qualiter reparari Dominici gregis pastor prouidus debuisset, pontificalis cõuentio declararet. Ob hoc in domo Ecclesiæ vnanimiter residentes, gesta in quibus quondam discussio Saphoraci episcopi habita fuerat, nobis postulauimus recenseri: quam per ordinem relegentes, cùm venissemus ad locum, vbi eius confessio de crimine tenebatur, quã præsentibus sanctis ac venerabilibus viris episcopis Medouecho, Leubeno, vel Leubachario abbate, Hiculpho presbytero, Æterno archidiacono, necnon & Astricio, diacono, professus fuerat memoratus quondam Episcopus Saphoracus: ipsos denuo interrogantes, suprascripti professionem nobis denuo ore proprio retulerunt: quod etiam facinus necnon & episcopus Ardaricus à memorati Saphoraci ore se etiam veridica assertione audisse perdocuit, & quia tãti ac tales viri, quos interfuisse discussioni veridica docet scripta relatio, quæque reuera dicta vel agnita sunt, gestis teneatur inscriptum sanctorum antistitum & laudabilium virorum, quos studiosissimè indagâsse ostendit conscripta discussio, tantæ eorum discussioni vnanimiter præbentes assensum, placere nobis, quod eum in monasterio duxerunt, præsentibus etiam decretis vnanimiter profitemur. Et quia sine dubio culpas eius esse capitales, canonum authoritate monstratur, vtique confessione propriæ linguæ delectioni ipse se fecit obnoxium. Igitur tam aperta confessione, secundùm sententiam canonum, quæ de huiuscemodi transgressione in Aurelianens. Synodo nuper habita sunt decreta, à metropolitano, cui redigẽdi actio vel ordinatio de comprouincialibus eius Ecclesiæ manet, in memorata vrbe scripta seruentur, ac regulariter peragantur, vt disciplinæ modus maneat: & qui tanto ordini præsunt, adiuuante CHRISTO, bonæ vitæ authoritate viuentes, quem secundum ordinem sacrum positis ordinare, prouideant, vt nec falsa obiectio culpæ maculet innocentes, & illi, qui inuenti & comprobati in culpa fuerint, in nulla districtione habeantur immunes.

Sabaudus in Christi nomine Episcopus Arelatens. subscripsi.

Agricola episc. Cabilonen. subscripsi.
* Eraclius * Aredius episc. * Dien. subscrip.
* Eradius
* Dignen. Auolus episc. subscripsi.
Agrestius episc. subscripsi.
Constitutus episc. Senonen. subscripsi.
Clementius episc. subscripsi.
Clementinus episc Niuernen. subscripsi.
* Isichius * Esitius episc. Viennen. subscripsi.
Enetius episc. subscripsi.
Expectatus episc. subscripsi.
Firminus episc. Vticen. subscripsi.
Leontius episc. subscripsi.
Lucretius episc. subscripsi.
Leobinus episc. subscripsi.
Mediouechus episc. subscripsi.
Matthæus episc. subscripsi.
Nicætius episc. Treueren. subscripsi.
Placidus episc. Matisconen. subscripsi.
Sinidius episc. subscripsi.
* Syagrius episc. Eduorum, subscripsi.
Tetricus episc. Lingonen. subscripsi.
Tetradius episc. subscripsi.
Velletius episc. Vapincen. subscripsi.
* Vincentius episc. subscripsi.

* For. * Vuenerolae

NOTÆ in Concilium Parisiense secundum sub Pelagio I. & Childeberto Rege celebratum in Gallia.

Concilium.] *In hac synodo Saphoracus Parisiensis Episcopus iste, cuius nomen Aurelianensi quinto Concilio subscriptum reperitur, de grauissimo crimine accusatus, propriaq; confessione convictus, iure meritoq; secundum sacrorum canonum constitutiones, Episcopatu amotus, in monasterium detruditur, atque in eius locum, teste Aimoino Eusebius surrogatur.*

Parisiense.] *De vrbe Parisiorum ex Reuerendi D. Georgij Brauni theatro vrbium, hæc summatim desumpsimus.* Lutetia vulgo Paris, ad fluuium Sequanam sita caput est totius Galliæ, sedes Regia, frequens & populosa vna ex maximis totius Europæ. In hac vrbe florent omnes scientiæ. Collegium habet Sorbonicum, in quo Theologia prę omnibus alijs locis viget. Continet Parlamentum totius mundi celeberrimum, in quatuor cameras distinctum, quarum prima habet quatuor præsides, & triginta consiliarios: secunda totidem præsides, & xviij. consiliarios, & sic de alijs. Sumpsit nomen à luto. Nomen autem Parisiorum, à Paride filio Priami regis Troiæ, qui ciuitatem hanc ædificare cœpit, deductum videtur. Postea aucta est à Iulio Cæsare, vnde & Iulia vocatur. Vniuersitas erecta est à Carolo Magno anno 791. *Hæc ex Braunij theatro. Abrahamus Ortelius in suo theatro Geographico* Lucotetia, inquit, Parisiorum vrbs est in Gallia, quam Cæsar & Marcellinus Lutetiam vocant. Primaria vrbs regni est, amplitudine & ciuium frequentia excellens, Regia sede, Academia, & emporio gaudet. Ab Ysio quodam conditam, & Parysium dictam nugatur Sigebertus Gemblacensis. *Hæc Ortelius.*

Primum.] *Anterioribus editionibus hanc synodum Parisiensi tertiæ posti posita m inuenies; ego illi anteponendam esse putauideo, quod Germanus, post Saphoracum secundus Parisiensis Episcopus, posteriori Cõcilio Parisiensi interfuisse, & subscripsisse inueniatur, quod que ex actis huius synodi necessario colligatur, hãc aliquot annis celebratam fuisse ante illam, quæ infra sub Ioanne collocatur. Si enim tempore Concil. Parisiens. tertij, eidem Ecclesiæ Parisiensi præsidebat Germanus Episcopus, qui post Eusebium Saphoraco successerat, inconuenienter admodum hoc Concilium, quo Saphoracus Episcopatu amotus fuit, illi, in quo præsens erat Germanus Saphoraci successor, hactenus postpositum fuit. Aurelianensi quinto Concilio hanc Synodum tempore posteriorem fuisse, apertè testantur ipsa acta Concilij, quibus Aurelianensis quintæ Synodi expressa mentio reperitur.*

Sub Pelagio.] *Hanc synodum ad tempora Pelagij primi referendam esse opinor ideo, quod Aurelianensi quinto posterior, & Parisiensi tertio prior cũ Pelagij temporibus coinciderit. Nam Aurelianensis quinta Synodus celebrata fuit circa finem Vigilij: Parisiensis tertia habita est initio Pontificatus Ioannis tertij, vt infrà patebit. Vnde necessario infertur hoc Parisiense secundum, ad tempora Pelagij primi referendum esse. Quoto anno Pelagij præcisè habitum fuerit, nullo certo indicio constare potest. Vide Baron. anno 559. numero 16.*

Sabaudus.] *Plures Epistolas Pelagij ad hunc scriptas, supra inseruimus ex Cod. Arelatensi. In Concilio Matisconensi secundo, cui subscripsisse legitur, nominatur Sabaudius: qui hic Sabaudus, alibi Sapaudus appellatur. De aliorum subscriptorum plurium nominibus, supra dixi plura in Notis Conciliorum Aurelianensium & Aruernensis. Et quod ibi de ordine subscribentium dictum est, idem hic sentiendum esse scias.*

In causa Saphoraci.] *Vide quæ dixi supra verbo Concilium.*

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA IOANNIS PAPAE III.

Ex libro Pontificali.

IOannes natione Romanus de patre Anastasio illustri, sedit annos 12. menses 11. dies 26. Hic ampliauit & restaurauit cœmeteria sanctorũ martyrum. Hic constituit, vt oblationes, & amulæ, vel luminaria in eadem cœmeteria per omnes dominicas de Lateranis ministrarentur. Hic perfecit ecclesiam sanctorum Philippi & Iacobi, & dedicauit eam. Eodem tempore *Eruli in *Turfiam exierunt, & leuauerunt sibi regem Sindual, & premebant cunctam Italiam. At egressus Narses ad eum, interfecit regem, & omnem gentem Erulorum sibi subiugauit. Deindè venit Amingus dux Francorũ & Bucellinus, & simili modo ipsi premebant Italiam. Sed auxiliante Domino & ipsi à Narsete interfecti sunt. Erat ergo tota Italia gaudens. Tunc Romani inuidia ducti, suggesserunt Iustino & Sophiæ, *quia expediret, Romanos Gotthis seruire, quàm Græcis, vbi Narses eunuchus imperat, & seruitio nos subijcit, & pijssimus Imperator hæc ignorat. Aut libera nos de manu eius & ciuitatem Romanam, aut certè gentibus deseruiemus. Quo audito, Narses dixit: Si malè feci Romanis, malè inueniam. Tunc egressus Narses de Roma, venit in Campaniam, & scripsit genti Longobardorum, vt venirent, & possiderent Italiam. Vt cognouit Ioannes Papa, quia suggestionem suam ad Imperatorem contra Narsetem misissent, festinus venit Neapolim, cœpitque eum Ioannes Papa rogare, vt reuerteretur Romam. Tunc Narses dixit ei: Dic sanctissime Papa, Quid mali feci Romanis? Vadam ad pedes eius, qui me misit, & cognoscat omnis Italia, quomodo totis viribus laboraui pro ea. Respondit Ioannes Papa, dicens: Citius ego vadam, quàm tu de hac terra egressus fueris. Reuersus est ergò Narses cum Ioanne sanctissimo Papa. Tunc sanctissimus Papa retinuit se in cœmeterio sanctorum Tiburtij & Valeriani, & habitauit ibi multum temporis, vt etiam episcopos ibi consecraret. Narses verò ingressus Romam, post non multum temporis mortuus est. Cuius corpus positum est in locello plumbeo, & reductum est cum omnibus diuitijs eius Constantinopolim. Eodem tempore Ioannes Papa & ipse mortuus est, & sepultus in basilica B. Petri Apostoli, tertio Idus Iulias. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrium, presbyteros 38. diacones 13. Episcopos per diuersa loca numero 61. Et cessauit Episcopatus, menses decem, dies tres.

NOTAE in vitam Ioannis Pap. III.

Ioannes.] *Vigesima septima mensis Iunij, anno Christi Redemptoris 559. qui est Iustiniani Imperatoris 33. in locũ Pelagij surrogatus fuit Ioannes huius nominis Papa tertius, postquam sedes Apostolica tribus mensibus, & viginti quinque diebus pastore orbata & viduata fuisset. His temporibus Theodomirus, post filium suum in transportatione reliquiarum S. Martini miraculosè sanatum, ab Arianismo ad fidem Catholicam est conuersus. Gens Pictorum, in Britannia insula commorantium, per S. Columbanum ad fidem Christi perducta fuit. Beda de gestis Anglic. lib. 3. cap. 4. Belisarius anno tertio pontificatus Ioannis in suspicionem coniurationis adductus, à Iustiniano Imperatore, omnium scriptorum testimonio, in ordinem redactus fuit; eamque sua impietatis pœnam incurrit, de qua supra dixi in Notis ad vitam Siluerij; quem ille innocentem iniustè relegauerat. Post obitum Childeberti Regis, Clotharius Germanus illius frater, regnum accepit; eiusque filiabus Childeberti, solus totius Francici regni monarchiâ potitus fuit. Hic cum Parisios venisset, ibique repente in morbum incidisset ideo, quod S. Germanum eius ciuitatis Episcopum contempsisset, per eiusdem S. Germani contactum miraculosè sanitatem recuperauit. Fortunatus in Vita S. Germani apud Surium. &c.*

Rex compluribus delictis obnoxius, ob incœstas nuptias, à Nicetio Treuirensi, quem relegauerat, sæpè monitus & excommunicatus, obijt. Defuncto illo, quatuor illius filij, nempe Charibertus, Chilperi-

cus, Guntheranimus, & Sigebertus regnum vicissim inter se partiti fuerunt, anno post natum Christum 565. postque obitum Clodouei Regis 51.

Galliæ Regnum in quatuor partes diuiditur.

Iustinianus Imperator, qui se diuinis rebus plus nimio immiscuit, quique Pontificium munus in ferendis legibus Ecclesiasticis ijsq; exigendis, & in relegandis Episcopis, sibi arroganter assumpsit, cum hæreticis velamento pacis & concordiæ familiarius, quam oportebat, agere consueuit, à Theodoro illo nequissimo Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo Origenista & occulto Eutychiano, in errorem Aphtardocitarum siue Incorruptibilium, iusto Dei vindicis permissu inductus, & specioso Incorruptibilis nomine deceptus, execrabilem & detestabilem hæresim in Ecclesiam induxit, eorumque, quibuscum Liberius viuebat, venena pestilentissima imbibit. Resistentem suæ sententiæ Eutychium Constantinopolitanum Episcopum exilijs mulctauit: cumque Anastasij, inquit Nicephorus lib. 17. cap. 31. sacerdotumque eius, qui eodem cum illo ardore flagrabant, exilij bellum dictaret, visibili ictus plaga ex hac vita excessit. Quando nimirum annis triginta octo & mens. 8. imperium administrasset.

Iustinianus Orthodoxos persequitur.

Corrupticolæ siue Seueriani & Aphtardocitæ siue Incorruptibiles, qui erant duarum Eutychianarum sectarum diuersi sectarij, his temporibus inter se confligebant. Corrupticolæ affirmabant, quod hæreticum est, Christum habuisse carnem corruptibilem & passionibus ex necessitate obnoxiam, vt nequaquam se ab his liberum reddere potuerit. Aphtardocitæ contra docebant Christi carnem, quod non minus erroneum est, suæ naturæ incorruptibilem & passionum expertem fuisse; tamen quando volebat, eam passionibus subijcere potuisse. Horum de incorruptione venenosam sententiam Iustinianus non tantum imbibit; sed etiam inconsultâ sententiâ Episcoporum, edicto publico, vt refert Euagrius lib. 4. c. 38. stabiliuit & confirmauit; ita vt exilij pœnam incurreret, quisquis contra suam hac de re opinionem sentiret. Nullo metu exilij aut mortis prohibente, Anastasius Antiochiæ Episcopus edicto Imperatoris contradixit. Iustinianus eum sine dubio graui pœna relegationis puniuisset, nisi vltione diuina percussus in proposito suo exequendo morte præuentus fuisset. Facti huius turpissimi illum in extremis pœnituisse, atque Eutychium quem relegauerat ab exilio reuocari mandasse, non citra probabilitatem à plurimis asseritur ex eo, quod S. Gregorius Papa vna cum Patribus sextæ synodi alijsque pluribus eum nominet Imperatorem piæ memoriæ, quando illius alibi mentionem facit. Vt vt sit, non immeritò ressuit Ecclesia, illa Iustiniani scripta & Constitutiones, quas de vsuris, Ecclesiis, personisque Ecclesiasticis arroganter nimis edidit. Suidas tradit illum litterarum imperitum ac planè Analphabetum. Quod si verum est, affirmari debet, quod sicut Triboniani fuerint leges ciuiles; ita etiam Theodori Cæsariensis fuerint illa scripta atque edicta de fide, quæ sub nomine Iustiniani vulgata leguntur. Iustinus ex sorore Iustiniani nepos, prout illi Eutychius Episcopus ante triennium prædixerat, defuncto Iustiniano successit: insigma imperij non prius accepit, quam ad templum progressus pias preces fudisset.

Iustinianus anne resipuerit? Quæ scripta Iustin. reijciãtur.

An fuerit Analphabetus.

A Patriarcha Ioanne benedictus, coronatus, & in solio collocatus, absolutis acclamationibus ad populum orationem habuit, ante cuius initium frontem signo crucis obsignauit. De fide Catholica edictum edidit. Quæ sane maxima laude digna forent, si non admodum in voluptatibus obscænis volutatus, illicita coniugia constitutione sua approbasset, iustumque matrimonium, communi coniugum consensu dissolui posse, lege sancita edixisset. Denique, si non pecuniæ ardenter appetens, etiam ipsa sacerdotia plebeis hominibus venalia exposuisset. Euagrius lib. 5. cap. 1.

Iustini Imperatoris quale exordium.

Iustini Vitia & virtutes quæ.

De Iustino refert Cedrenus, quod cum apud rebelles subditos scriptis non proficeret, ad populum liberè dixerit, si præceptis suis parere nollent, alium sibi suo arbitrio Imperatorem deligerent. Ego enim, illum dixisse ait, contumacibus, iniustis & aliena volentibus imperare nolo. Addit vnius refractarij grauiore & acerbiore supplicio effectum fuisse, vt vbique in summa pace viueretur, atque intra trigesimum diem, neque actor vllus esset, neque reus iniuriarum.

Quo tempore Longobardi Italiam primum ingressi fuerint.

Anno Pontificatus Ioannis nono, qui est Christi 568. Alboinus Rex Longobardorum, è Pannonia (quam ex Scandauia insula progressus, per suos occupatam quadraginta duobus annis obtinuerat) primus in Italiam magnis viribus potens ingreditur. Per cõiugium Clothosindæ Clotharij filiæ, quam, teste Greg. in vxorem duxerat, quatuor Reges Francorum sibi confœderauit, ita vt aliorum etiam barbarorum auxilia adeptus Romanis effectus fuerit formidabilis. Post vastatam Venetam prouinciam, captasque prope vniuersas Liguriæ ciuitates (iusto enim Dei iudicio primũ feris barbaris consumendi traduntur schismatici Aquileiensis prouinciæ illi, quos tam multis literis Pela-

Alboinus Rex Longobardorum occiditur.

gius Papa ad Ecclesiæ vnionem inuitauerat) præter eas, quæ in littore maris sitæ sunt, insidijs Rasimundæ vxoris interficitur, cum tres annos & sex menses in Italia regnasset. Successit post Alboinum Clephis, tenuitq; regnum Italiæ anno vno & mensibus quinque. Ita Dei permissu fere barbari Italiam inuadere cœperunt, vt eius Dominio Orientales Imperatores, quibusuis barbaris aduersus Romanos truculentiores, paulatim exueret: sicque tandem fieret, vt excussa Græcorum tyrannide, & vendicata à Francis cum vrbe Italia, eadem magna ex parte Romano Pontifici cederet. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 2. c. 10. & seqq.

Ioannes Papa III. quam diu sederit.

Sedit annos 12. &c.] Annis tredecim atque diebus quatuordecim pontificatum tenuisse, indicant ea tempora, quibus hoc munus Apostolicum administrare cœpit & desijt. Tertio Idus Iulij defunctum esse fatetur Anastasius. Si ergo vigesima septima Iunij post interregnum trium mensium & 25. dierum, pontificatum adeptus fuit Anno Christi 559. vt supra dixi, necessario affirmari debet, quod qui ad mensem Iulium anni 572. superuixit, per annos 13. & dies duodecim sedem pontificiam obtinuerit.

Anastasij error.

Deinde venit Amingus Dux Francorum & Bucellinus, &c.] Hac teste Agathia lib. 4. contigerunt Anno vigesimo nono Iustiniani Imperatoris, Anno Domini 555. sub pontificatu Vigilij, & Theodobaldo Trãcorum Rege. Errat itaque Anastasius, qui hanc historiam ad tempora Ioannis Papæ III. hic refert. Vide Baron. anno 555. num. 12. & 15.

Fabula est, Longobardos à Narsete in Italiam euocatos esse.

Refellitur obiectio.

Tunc Romani, &c.] Ad historiam istam Anastasij, Paulus Diaconus lib. 1. c. 5. de gestis Longobardorum addit, Narsetem Romanorum inuidiam incurrisse, quia multum auri & argenti, aliarumq; rerum diuitias acquisiuisset: In reliquis ferè conueniunt; nisi quod Paulus Diaconus historiam hanc paulò prolixius recenseat. Vtriusq; historiam tanquam fabulam & planè commentitiam refellit Baronius anno 567. nu. 11. & seqq. vbi auctore Corippo grammatico Africano ostendit, Narsetem ante annum 567. quo Longobardi ex Pannonia in Italiam irruere cœperunt, Constantinopolim reuocatum, magnumque honorem consecutum fuisse. Deinde idem eo argumento conuincit, quod ipsi scripto proprio fatentur, mortui cadauer cum honore Constantinopolim translatum esse. Quod si verum est, ipsi Narsetem ab Italiæ proditionis crimine immunem reddunt. suamq; hac de re enarrationem in mendaciorum textrina contextam esse, propria confessione reuelant. Nam si Narses, quod referunt illi, Longobardos in Italiam euocauit, pro sceleris magnitudine, non modo non tanto honore & triumpho spoliandus fuerat; sed potius exhumandus, combustisq; cineribus planè foras eiciendus erat. Si dicas, ipsum Narsetem ab Imperatore iterum in Italiam esse missum cum eodem munere præfecturæ; repugnant omnes scriptores, qui vnanimi consensu fatentur, Longinum in locum Narsetis subrogatum fuisse. Explosa igitur fabulosa vtriusque hac enarratione, de proditione Narsetis eiusq; obitu & translatione, cum Græcis scriptoribus asseramus, ipsum honorificè Constantinopolim esse reuersum, substitutoque illi Longino successore, mirificè cultum, ibidem vsque ad obitum permansisse, & sumptuosa ædificia erexisse. Hæc ex Cedreno, Corippo, aliisq; scriptoribus. Baron. anno 567. & 568. n. 3. & seqq.

IOANNIS PAPÆ TERtij Epistola.

1 Primum Chorepiscopos quosdam temerarios, olim iam damnatos arguit, quòd nimium sibi sumerent authoritatis in impositione manuum.

2 Deinde monstrat Clementem 1. post beatum Petrum sedem Apostolicam rexisse, idque tradente sibi ipso Petro.

3 Tertiò tradit, quanta cura atque solicitudo illi subeunda sit, qui gregem Christi pascat.

IOannes Episcopus vniuersis per Germaniæ & Galliæ prouincias constitutis, in Domino salutem. Optaueram siquidem charissimi, pro nostri charitate collegij, omnes Domini sacerdotes in vna deuotione persistere, nec quenquam prohibita, gratia aut fauore sacerdotum sectari, aut via recta discedere. Et quanquam credamus, dilectionem vestram ad omne opus bonum esse* paratam, vt tamen efficacior fiat, congruum nobis visum est, literis sedis Apostolicæ (vt antecessorum quoque nostrorum vestigia imitemur) vos monere, præcepta diuina & Apostolicæ sedis instituta viriliter peragere, & prohibita non tangere, sed cauere: nec cuiquam liceat vnquã doctrinam patrum deserere, & sacerdotali honore gaudere. Perlatum est ad sedem Apostolicam, emersisse, & denuò reuiuiscere prohibitum, & funditus extirpatum, tam à sancto Damaso, quàm à sancto Leone viris Apostolicis, atque ab vniuersis synodali authoritate Episcopis, reprehensibilem atque oppidò inolitum vsum, eo quod quidam chorepiscopi (qui & à prædictorum antecessorum sanctorũ Apostolicorũ patribus & viris Apostolicis, & ab ipsis, siue à nobis sunt prohibiti, sicut eorum hactenus testantur decreta) vltra modum suum progredientes, donum sancti spiritus per impositionem manuum tradant, & alia, quæ* solum pontificibus debentur, contra fas peragant, præsertim cùm nullus ex septuaginta discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt legatur, donum spiritus sancti per manus impositionem, tradidisse. Quod autem solis Apostolis, eorumque successoribus proprij ut officij tradere spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet. In Concilio verò* Cæsareensi ita de chorepiscopis habetur scriptum: Chorepiscopi quoque ad exemplum & formam Septuaginta videntur esse: vt comministri autem, propter studium, quod erga pauperes exhibent, honorentur. Si enim meliores sanctioresque sanctis Apostolis esse putatis, fiscite quæ illi non fecerunt, & superextollite vos illis. Si verò eiusdem ordinis estis, & æquiparare vos vultis illis, nolite ea agere, quæ illi non egerunt: sed imitamini, prout melius potestis, exempla & vestigia eorum. Illi autem præcipiente Domino, illisque denũciante, vt illi & successores eorum tantummodò per manus impositionem traderent spiritum sanctum, nulli vnquam ex septuaginta tradere spiritum sanctum per manus impositionem permiserunt, eis (quorum typum, vt prædictum est, Chorepiscopi, antequam prohibiti essent, gerebant in Ecclesia) scientes, illicitum fore, dantes successoribus eorum exemplum, ne vnquam talia præsumerent. Vnde in Actibus Apostolorum scriptum est: *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum. Necdum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum.* Non ergo (vt iam dictum est) aliquam ex septuaginta, licèt pauci essent Apostoli, ad hoc opus perficiendum direxerunt, sed Petrum & Ioannem Apostolos per manus impositionem tradere spiritum sanctum miserunt: quorum vicem Episcopi in Ecclesia gerunt, & non Chorepiscopi, qui septuaginta discipulorum formam ante prohibitionem eorum gerebant. Quod illi non fecerunt, vos facere nolite, ne dissimiles eis, & indigni eorum successione & ministerio esse videamini: quia (vt ait Dominus in Euangelio) qui non est mecum, aduersum me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Si autem Petrus princeps Apostolorum, adiutores sibi adsciuit Linum & Cletum, non tamen potestatem pontificij, aut ligandi, aut soluendi eis normam tradidit, sed successori suo sancto Cleméti, qui sedem Apostolicam post eum, & potestatem pontificalem tradente sibi beato Petro, tenere promeruit. Linus verò & Cletus ministrabant exteriora, princeps autem Apostolorũ Petrus verbo & orationi insistebat, quæ non incongruè ad traditionem spiritus sancti per manus impositionem pertinent. Vndè & in Actibus Apostolorum scriptum habetur: Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Quapropter septuaginta electi sunt discipuli, qui exteriora peragerent, ipsi verò Apostoli verbo & orationi insisterent: indè & in Euangelio secundum Lucam* scriptum est ita: Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergò Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Ite. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare saccum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin autem, ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis, & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquabit in

Soli Episcopi sacramentum confirmationis conferunt.

Act. 8. Nicæn. concil. 2. can. 7.

Chorepiscopi typum gerunt in Ecclesia.

7. disc. 10. Act. 2.

Luc. 11.

Act. 6.

* habetur Luc. 10.

bit in vos regnum Dei. In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, & non receperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos. Tamen hoc scitote, quia appropinquabit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in illa die remissius erit, quàm illi ciuitati. Et in Matthæo Euangelista scriptum est: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergò prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad reges & præsides ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Liuium nanque & Cletum nihil legitur vnquam ex pontificali ministerio egisse potestatiuè: sed quantum eis à beato Petro præcipiebatur, tantùm solummodò agebant. Nam & in canone legitur Nicæno: Episcopum nanque conuenit, maximè quidem ab omnibus, qui sunt in prouincia, episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, à tribus tamen omnimodis in idipsum conuenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentiẽtibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per vnamquamque prouinciam, metropolitano tribuatur episcopo. Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non esse episcopum, qui minus quàm à tribus episcopis, authoritate etiam metropolitani, fuerit factus episcopus. Ideoque illos, quos Chorepiscopos vocatis, quia ab vno (vt audiuimus) fiunt episcopo, episcopos non esse, nec aliquid de pontificali priuilegio agere debere, perspicuum est. Quoniam si nomẽ non habent, quomodò officium possunt* habere? Si ergo episcopi non sunt, & presbyteri (quorum vicem gerunt, quia ad exemplum & formam Septuaginta olim fiebãt) esse despiciunt, quid erũt? Profectò q̃ ratione caret, aut nihil, aut parum prorsus est. Si quis de his amplius, & q̃ fieri non debeant, voluerit scire, legat prædictorum Apostolicorum decreta, & ibi reperiet. De quibus aliqua & hic inserere, dignum duximus. Si Domini desideramus esse discipuli, ipsius imitemur vestigia, vt de nobis dicatur: Ego sum pastor bonus, & agnosco oues meas, & voco eas nominatim, & cognoscunt me meæ, & reliqua. Et iterùm, monente Dominicæ vocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, vt Christi oues, qui Christum amat diligenter & cum magna cura pascat, quoniam ipsius sanctæ sedis (cui per abundantiam diuinæ gratiæ præsumus) * ipsius amore & reuerentia cohortamur, vt tantæ superstitionis, quæ nullius (vt sæpè dictum est) fulcitur authoritate, periculum (quantum possumus) declinemus, ne beati magistri nostri Petri summi Apostoli dilectio, quia se amatorem Dei esse testatus est, vana inueniatur in nobis: quoniam omnis negligenter pascens toties commendatum sibi Dominicum gregem, conuincitur summ'im non amare pastorem: nec eius velle se discipulum fieri, cuius exempla negligit imitari. Nam gratia prorsus maior acquiritur, si de commissis ouibus lucrum offerat Domino solicitudo pastoris. Nam & beatum Iacob, qui pro vxoribus diu seruierat, dixisse meminimus: Viginti annis fui tecum: oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: & quicquid furto perierat, à me exigebas. Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat & vigilat, qui pascit oues Laban: quanto labore, quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei? Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui pro suis dedit ouibus animam, & adiuuet nos, vt de his, qui nobis commissi sunt, fructum multiplicem, ac mensuram superefluentem ad æterna gaudia reportare concedat: tantusque nos beati Petri Apostolorum principis amor accendat, vt in ouili ipsius, cui omnes creaturæ sunt traditæ, omnes taliter errantes, & illicita atque prohibita præsumentes, sanctis vestris studijs summo redintegrare cum desiderio festinetis, * qualiter animæ precioso Christi sanguine redemptæ, eorum non depereant deceptione. Restat etiam, quod per ostium hi nequaquam subintrarunt: quia non habebant ostium, per quod ingrederentur: quia (vt dictum est) si nec episcopi sunt, & plusquam presbyteri esse ambiunt, per quod ostium intrabunt? cum hi tantum duo ordines in Ecclesia legantur, nec amplius ad pastorale officium aliquod patet ostium, per quod pastor intret. Audite fratres non me, sed ipsam veritatem dicentem: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, Ioan. 10. sed ascendit aliundè, ille fur est & latro, & reliqua. Cum etiam egregius prædicator dicat, Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est: prædicta duo fundamẽta in Ecclesia tantummodò posita inueniantur, quicquid amplius in his positum inuenitur, stare nullatenus poterit. Et ideò cum omnibus suis fundamentis, actionibus atque radicibus vt euellatur, necesse est, ita vt amplius nec pullulare, nec germinare valeat. Non ergo generet, & non faciat vobis, fratres, toties repetita loquutio fastidium: quia summa necessitas est sæpius prohiberi, quod toties illicitè vsurpatur: & quoniam veritas sæpius exagitata, magis splendescit in lucem: & quod toties repetendo admonetur, minus vsurpatur. Super his enim multa iam ab antecessoribus nostris dicta sunt: à quibus ipsi, sicut nunc à nobis, ita olim ab ipsis, damnati & prohibiti sunt: ideò sæpiùs repetentes, omnes monemus, vt vitentur huiusmodi, & à talibus se abstineant, qui noluerint vnà vnà cum eis à sacerdotali ministerio, vt rebelles, fieri alieni. Quod ita demum probare poterimus, si tales extirpare, & non eis fauere, decertaueritis: & ita in postmodum de tali re querela cessabit: quia contumeliæ studio fit, quicquid interdictum tories vsurpatur. Omnia hæc decretalia, & cunctorum decessorum nostrorum constituta, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita vobis & omnibus Episcopis, ac cunctis generaliter sacerdotibus custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari: quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret. Et meritò nos, qui summa Ecclesiæ tenere debemus gubernacula, causa respicit, si silentio faueamus errori. Data *XIIII. Kal. Augusti, * Iustino sextò & Narsete viris clarissimis consulibus. *XIII. * Iustiniano

Notae in Epistolam Ioannis Pap. III.

Hanc epistolam ab aliquo impostore, sub nomine Ioannis Papæ tertij post obitum illius suppositam fuisse; multis argumentis ostendi potest: primo, quod sub consulatu Iustini sexto, decimo quarto Kalen. Augusti, anno septimo Iustini, & 572. Christi scripta fuisse reperiatur, quo tempore Ioannes Papa iam in viuis esse desierat. Secundo, quod nota consulari insignita sit, qua his temporibus Epistolæ Pontificiæ consignari desierant. Tertiò, quod in ea scribatur, Liuium & Cletum fuisse tantum Chorepiscopos; quos tamen omnis pene antiquitas scriptorum optimorum, vt in Notis ad vitas eorundem Pontificum diximus, pro veris Pontificibus agnouit. Taceo, quod nomen Chorepiscoporum, de quorum munere integra epistola scripta est, in Gallia & Germania planè abolitum fuerit. Hoc vnum duntaxat sanctissimi Pontificis scriptum commentitium, germanis eiusdem Epistolis deperditis, extare, vehementer est dolendum. Vide Baron. anno 572. numero 3. Hac epistolam cõmentitiã esse probatur.

CONCILIVM[a] PARISIENSE TERTIum, contra sacrilegos & ambitiosos, tempore Ioannis Papæ III. & Childebert. Regis Francorum in Gallia celebratum. Est Prouinciale.

CANONVM CONCILII III. Parisiens. Tituli.

Nemo res ecclesiarum aut peruadat, aut competat, aut retineat. 1
Nemo res episcopi proprias aut competere, aut confiscare præsumat. 2
Ne episcopus alterius episcopi res competat. 3
De illicitis & incæstis coniunctionibus. 4
De sanctimonialium raptarum indecenti copula. 5
Nullus familiam alterius agere competat, aut rapiat. 6
Nemo excommunicatus ab alijs colligatur. 7
De ordinatione Episcoporum. 8
De famulatu & ministerio seruorum degenerum. 9

IN EIVSDEM CONCILII Canones præfatiuncula.

ADmonet pontifices temporum qualitas, & improbæ necessitatis præcauenda conditio, vt nõ solum rerum præsentium, sed & futurorum quoque vtilitas congrua prouisione tractetur, quatenus, quos custodiæ ordinatio, ac pro amore diuino solicitudinis cura constringit, & præuidisse sequentia, & opportunè vigilasse probentur. Et quia sibi sacerdotes in hoc maximè consulunt, si importunorum voluntatibus obuiasse noscantur, coniuncti in vnum, Christo opitulante, *Parisius pro vtilitatibus ecclesiarum, vndè non leuiter rationem sumus quandoque reddituri, inquantum diuina pietas virtutem dare dignata est, tentauimus salubri consideratione prospicere, ne, dum periculosa abusione ordinatio superna negligitur, in nobis aliorum crimina vindicentur.

*for. Parisiis

Capitulum Primum.

In Synodo Turonen. 2. ca. 26.

Itaque placet, ac omnibus nobis conuenit obseruare, vt quia nonnulli memores sui, per quaslibet scripturas pro captu animi, de facultatibus suis ecclesijs aliquid contulisse probantur, quod à diuersis Deum minus timentibus, eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam: nec intueri corde possint diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicunque ergò immemor interitus sui, res ecclesiæ (vt supra diximus) delegatas, iniustè possidens, præsumpserit retinere, & veritate comperta, res Dei seruis eius dissimulauerit reformare, ab omnib. Ecclesijs segregatus, à sancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, nisi cum culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas & audet rapere, & iniustè possidere iniqua defensione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi sunt, qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse prouisio, vt vindictam admonitio manifesta præcedat, vt res vsurpatas iniustè qui abstulit, adhibita æquitate restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, postea prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat: neque quisquam per interregna res Dei defensare nitatur, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminum singulari damnatione concludit. Quod si præsumpserit, & ipsius offensam & prædictę damnationis periculum sustinebit. Competitoribus etiam huiusmodi frenum districtionis imponimus, qui facultates ecclesiæ, sub specie largitatis regiæ, improba surreptione peruaserint. Sera nanque de his rebus pœnitudine commouemur, cùm iam anteactis temporibus contra huiusmodi personas, canonum suffulti præsidio, se sacerdotes Domini erigere debuissent, ne mansuetudo indulgentię, ad similia perpetranda improborum audaciam adhuc quotidiè prouocaret: sed nunc tardè iniuriarum mole depressi, damnis quoque dominicis compellentibus, excitamur. Quòd si is, qui res Dei competit, in alijs quàm vbi res agitur, maximè solet territorijs commorari, sacerdotem loci ipsius, vbi habitat, episcopus de huiusmodi prauitate contemptus neglecta persona, litteris mox reddat instructum: tunc antistites, ipsius fratris anxietate comperta, aut peruasorem admonitione corrigat, aut canonica districtione condemnet. Accidit etiam, vt temporibus discordiæ supra promissionem bonæ memoriæ domini Clodouei regis, res ecclesiarum aliqui competissent, ipsasque res improuisa morte collapsi, proprijs hęredibus reliquissent: placet & hos quoque, nisi res Dei, admoniti à pontifice, agnita veritate reddiderint, similiter à sanctæ communionis participatione suspendi, quoniam res Dei, quas antecessores eorum maturata morte credendi sunt peremisse, non debent filij vlterius possidere. Iniquum esse censemus, vt potius custodes chartarum, per quas aliquid ecclesijs à fidelibus perscribi legitur derelictum, quam defensores rerum creditarum, (vt præceptum est) iudicemur.

2 Et quia episcoporum res propriæ, ecclesiarum res esse noscuntur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, peruasores rerum memoratarum, canonum districtione feriantur, vt dum vindicta corrigit, qui non motibus proprijs, ac nulla conscientiæ castigatione corripitur, saltem regulæ obtundatur aculeis: perpetuo enim anathemate feriatur, qui res ecclesiæ confiscare, aut competere, aut peruadere periculosa infestatione præsumpserit.

3 Et quia exempla boni operis, à pontificibus debent primum (Christo opitulante) procedere, nullus episcopus res competat alienas: aut si competitas aut à se, aut ab antecessore suo fortè quis possedit, domino proprietatis possessionem propriam, absque præiudicio liberalitatis regiæ, integra reformatione restituat: vt quia Deus dona reprobat iniquorum, non ad iudicium suum, Ecclesiæ res exteras derelinquat.

4 Conuenit etiam vniuersis fratribus, vt non solum præsentium rerum actus, sed & animarum quoque debeant præparare remedia. Nullus ergo illicita coniugia, contra præceptum Domini, sortiri præsumat, id est, fratris relictam, nec nouercam suam, relictamque patrui, vel sororem vxoris suæ sibi audeat sociare, neque auunculi quòque, quæ relicta est, neque nurus suæ vel materteræ coniugio potiatur. Pari etiam conditione à coniugio amitæ, priuignæ, ac filiæ priuignæ coniunctionibus præcipimus abstinere.

5 Sacrarum etiam virginum, neque per raptum, neque per competitiones aliquas quisquam coniugia sortiatur. Similiter de earum erit coniunctionibus abstinendum, (& hi, qui eas rapere, aut competere voluerint, à communione sunt remouendi) quæ vestium commutatione, tam viduæ quam puellæ, religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publica fuerint declaratione professæ. Quod si contra interdicta quis venerit, & sacerdotem suum audire neglexerit, & in præsenti à communione Ecclesiæ Catholicæ habeatur extraneus, & perpetuo anathemate feriatur.

6 Et quia vtilium rerum cœpit causa tractari, hoc vniuersitas præcauere quoque debet, tam sacerdotes, quam principes, omnisque populus, vt nullus res alienas competere à regis audeat potestate. Nullus viduam, neque filiam alterius extra voluntatem parentum, aut rapere præsumat, aut regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab Ecclesiæ communione remotus, anathematis damnatione plectatur.

7 Et quia vniuersis sacerdotib. ita cõuenit, vt si quis de eis à communione ecclesiæ pro contemptu canonum, aut peruasione rerum ecclesiasticarum, aliquem fortasse suspenderit, à nullo penitus episcopo recipi præsumatur. Quod si factum fuerit, is, qui eum contra interdicta receperit, & à fratrum suorum erit concordia separatus, & æterni iudicis in futurũ (vt confidimus) iracundiam sustinebit.

8. Et

8 Et quia in aliquibus rebus cõsuetudo prisca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit vt iuxta antiquam cõsuetudinem, canonum decreta seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem vel episcoporum comprouincialium ingeratur. Quòd si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprouincialibus loci ipsius episcopus recipi nullatenus mereatur. Quẽ indebitè ordinatũ cognoscũt, si quis de cõprouincialib. recipere contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium charitate remotus. Nam de actis ordinationibus pontificum ita conuenit, vt coniũcti metropolitanus cum suis comprouincialibus episcopis, vel quos vicinos episcopos eligere voluerit, in loco vbi conuenerit, iuxta antiqua statuta canonum, omnia communi consilio & sententia decernantur.

9 De degeneribus seruis, qui sepulcris defunctorum pro qualitate ipsius ministerij deputantur, hoc placuit obseruari, vt sub qua ab actoribus fuerint conditione dimissi, & siue hæredib. siue ecclesijs pro defensione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnib. debeat cõseruari. Quòd si Ecclesia eos de fisci functionib. in omni parte defenderit, tam illi q̃ posteri eorum ecclesiæ defensione in omnibus potiantur, & occursum impendant. Et quia huic definitioni cuncti fratrum interesse minimè potuerunt, hoc omnis congregatio sacerdotum Christo propiciante decreuit, vt constitutio præsens à quantis oblata fuerit, subscriptionibus eorum debeat probari, quatenus in hoc, quod ab vniuersis obseruandum est, vniuersitas debeat consentire.

¶ Subscriptiones Episcoporum.

Probianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Bituricens. consensi & subscripsi.

Prætextatus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Rothomagensis consensi & subscripsi.

Chardaricus peccator, consensi & subscripsi.

Domitianus peccator, consensi & subscripsi.

Chaletricus peccator, consensi & subscripsi.

Euphronius peccator, consensi & subscripsi.

Edibius peccator, consensi & subscripsi.

Felix peccator, consensi & subscripsi.

Ferrocinctus in Christi nomine episcopus, consensi & subscripsi.

Gonothigernus peccator, consensi & subscripsi.

Leontius in Christi nomine episcopus, consensi & subscr.

Germanus peccator, consensi & subscripsi.

Lasciuus peccator, consensi, & subscripsi.

Paternus peccator, consensi & subscripsi.

Samson peccator, cõsensi & subscripsi in nomine Christi.

NOTAE in Concilium Parisiense III.

Concilium.] *Causam habiti Concilij, ipsi Patres suæ præfationcula satis manifestè indicant. Cum enim in Gallia inter Childebertum atque Clotharium Francorum Reges, & fratres germanos, ob diuisionem bonorum Theodibaldi Regis defuncti, ingens ciuile bellum (quod prolixè describit Agathias lib. 2.) Anno Domini 556. tempore Pelagij primi exortum fuisset: eiusque occasione accidisset, vt non tantum in aduersantium bona; verum etiam in res Ecclesiæ manus hostiles iniicerentur, atque iura & beneficia Ecclesiæ à Regibus obtinerent illi, qui ea ab Episcopis impetrare non poterant; necessarium erat, vt Galliæ Episcopi sacro conuentu indicto, auaritiam cum sacrilegio & ambitione coniunctam, coercerent. Interfuerunt Episcopi quindecim, omnes fere sanctitate celeberrimi, vt infra annotabimus. Constituti fuerunt canones nouem virtute pollentes, quibus Regum eorumque ministrorum atque aliorum sibi nimium attribuentium temeritatem vsurpatam repressêrunt: ex quibus non solum illi, qui illis temporibus vixerunt; sed & Nouatores nostri temporis exagitantur.*

Tertium.] *Ita placuit nominare, propter illud Concilium, quod recenter huic editioni insertum est, supra sub Pontificatu Liberij Papæ Tom. 1.*

Contra sacrilegos & ambitiosos.] *Patet ex ijs quæ supra dixi verbo* Concilium, *& quæ infra cap. 4. 6. & 8. notabuntur.*

Ioannis Papæ tertij.] *Ex eo quod Euphronius Turonensis Episcopus huic Concilio interfuerit & subscripserit, euidenter concluditur, hanc synodum non sub Pelagij, sed Ioannis tertij Pontificatu celebratam fuisse. Nam cum septimus annus Euphronij, & secundus Sigeberti Regis Francorum, teste Gregor. lib. 1. miracul. S. Mart. c. 32. coincidant: ipsius verò Sigeberti regnum, anno Domini 565. inchoatum fuerit; necessum est fateri, quod Euphronius nõ ante annum Domini 559. Turonensis Ecclesiæ Episcopatum acceperit, & quod cõsequenter hoc Parisiense Concilium III. cui prædictus Euphronius interfuit & subscripsit, non ante hunc annum Christi 559. (qui est primus Ioannis Papæ tertij, & trigesimus tertius Iustiniani) celebratum fuerit. Errant igitur, qui ante biennium sub Pelagio hanc synodum congregatam fuisse hactenus asseruerunt. Quoto anno pontificatus Ioannis, allegata synodus præcisè ac definitè conuenerit, non satis liquidè constare potest.*

Quo tempore habitum sit.

Aliorum sententia refellitur.

Canon. 4. Nullus ergo illicita coniugia, &c.] *Huic Canoni statuendo, occasionem dedisse videtur Clotharius Rex Francorum, qui sororem defunctæ coniugis vxorem duxerat, suoque exemplo gentem sibi subditam, ad incæstuosa coniugia ineunda commouerat. Quæ de re Greg. Turonen. lib. 4. c. 9. hæc scribit.* Regnum eius, *Theodibaldi nimirum*, Clotharius Rex accepit, copulans Vuldotradã vxorem eius strato suo; sed increpatus à sacerdotibus reliquit eam, &c. *Refert idem Gregorius lib. 4. c. 3. eundem Clotharium duas sibi in matrimonium coniunxisse sorores, ex quibus septem filias suscepit. Vt hi fructices mali, in Gallia exoriri cæpti, maturè succiderentur, hâc sacrâ falce opus erat.*

Qua occasione hæc constituta fuerint.

Nullus res alienas.] *Cum his temporibus inter sanctos Episcopos Gallicanos vigeret Ecclesiastica disciplina, cõtigit vt praui homines à Rege impetrare conarentur, quod ab Episcopis scirent prohiberi. Vnde etiam fiebat, vt non tantum bona; verum etiam quam optarent sibi coniugem, fauore Regis peterent. Ne igitur Rex plus æquo sibi sumeret, temeritas illius hoc sacerdotali robore reprimenda erat. Quod dicitur*; nullus viduam neque filiam alterius, extra voluntatem parentum aut rapere præsumat, &c. *intelliges eo modo, quo dixi supra tom. 1. in Notis ad Epistolam Euaristi, vbi ad longum annotaui, quæ ratione consensus parentum ad matrimonium requiratur.*

Cap. 6. Occasio huius canonis quæ

Explicatur canon.

Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus.] *Hæc Patres constituerunt aduersus Reges Galliæ, qui, vt infra dicam in Concilio Santonensi, contra canones arrogabant sibi ius præficiendi Episcopos Ecclesijs illis, quæ suis pastoribus destitutæ fuerant.*

Cap 8. Electio Episcoporũ Regibus interdicta

Prætextatus.] *Hic interfuit Concilio Aurelianensi quinto, Parisiensi tertio, & Turonensi secundo. In Matisconensi recitant orationes. In Concilio Parisiensi quarto, de quo infra sub Benedicto. A Chilperico accusatur furti, crimenque quod non fecerat, confessus, in carcerem, & deinde in exilium eiectus fuit. Tandem odio perfidæ Fridegundis, quam velut alteram Iezabelem reprehenderat, ab impio sicario accepit vulnus, ex quo vir sanctus constantissimè defunctus, inter Martyres referri promeruit. Plura de hoc infra in Concilio Parisiensi V. sub Pelagio. II.*

Prætextatus quis.

Chaletricus.] *Hunc Fortunatus lib. 4. carm. Chalactericum Carnotensis ciuitatis Episcopum nominat; eiusque egregias virtutes cum sanctitate coniunctas, insigni admodum & prolixiore epitaphio exornat.*

Chaletricus.

Domitianus Euphromius, Felix, &c.] *Hæc sunt nomina illorum Episcoporum, qui scripserunt epistolam ad S. Radegundem Reginam de seruanda institutione monastica; quam miro ardore animi susceperat, & cum Regijs alijsque nobilissimis virginibus Pictaui excolebat. Extat epistola infra inter Greg. epist. lib. 9. c. 39. Discant ex ea hæretici, ipsiq; ex monachis apostatæ, virgines Deo dicatas, non esse ex monasterijs abducendas.*

Vitæ monasticæ encomia.

Euphronius.] *Turonensis Ecclesiæ Episcopus, is est, ad quem extant duæ epistolæ Venantij, & carmen, quo eum mirifice laudat.*

Euphronius.

Leontius.] *Burdegalensis Episcopus, de quo plura dicemus in Concilio Santonensi infra sequente.*

Germanus.] *Episcopus Parisiensis, qui Eusebio post Saphoracum Episcopatu amotum, in sede Parisiensi successerat. Ipsum ex Abbate monasterij S. Simphoriani, prophetijs præcedentibus electum fuisse ideo, quòd sanctitate vitæ, dignis moribus, & miraculorum editione polleret, tradit Fortunatus Pictauiensis Episcopus apud Surium die 28. Maij. Eundem eleganti carmine descripsit Venantius Fortunatus. Quantum sub eodem Episcopo Childebertus Rex Francorum pietate emituerit, testatur in primis ipsa basilica, quam in honorem*

Germanus.

S. Vincentij exſtruxit: eiuſdemque admirabiles eleemoſynæ, quas hortatu S. Germani Rex munificētiſſimè in pauperes erogauit. Lege quæ de S. Germano ſcribit Vincentius Fortunatus lib. 1. carm.

Paternus quis.

Paternus.] *Abrigenſis Epiſcopus ſanctitate conſpicuus extitit, quē Catholica Eccleſia tabulis Eccleſiaſticis adſcriptum, annua memoria celebrat 16. April. Res ab eo præclare geſtæ, extant apud Sur. to. 2. die 6. Aprilis. Extat ad eundem Venantij Fortunati epigramma lib. 3. carminum, his verſibus comprahenſum:*

Nominis auſpicio fulgent tua facta, Paterne,
Munere qui proprio, te facis eſſe patrem.
Seruitij noſtri non immemor, omnia præſtas,
Et tibi deuotis das pia vota libens.
Vt bene diſtribuas, modo qui tam promptus haberis
Vnde magis præſtes, amplificentur opes.

Samſon.] *Minoris Britanniæ epiſcopus ſanctiſſimus, cuius memoria perpetua in Eccleſia recolitur vigeſima octaua Iulij. Vide Baron. anno. 559. nu. 18. & ſeqq.*

a CONCILIVM b BRACARENSE PRIMVM, SVB THEODOMIRO SVEVORVM REGE, ANNO DLXIII. CELEBRATVM TEMPORE IOANNIS PAPAE III.

est Prouinciale.

Editio I.

ANno tertio Ariamiri Regis, Kalendis Maij, cùm Galliciæ prouinciæ Epiſcopi, Lucretius, Andreas, Martinus, Cottus, Hildericus, Lucentius, Timotheus, Malioſus, ex præcepto præfati glorioſiſſimi Ariamiri regis in metropolitana eiuſdem prouinciæ Bracarenſis Eccleſia conueniſſent, conſedentibus ſimul epiſcopis, præſentibus quoque preſbyteris, adſtantibusque miniſtris vel vniuerſo clero, Lucretius memoratæ metropolitanæ eccleſiæ epiſcopus dixit.

Diu eſt, ſanctiſſimi fratres, quod ſecundum inſtituta venerabilium canonum, & decreta catholicæ & Apoſtolicæ diſciplinæ deſiderabamus, ſacerdotalem inter nos fieri debere conuentum: quia non ſolum eccleſiaſticis regulis & ordinibus opportunum eſt, ſed ſtabilem etiam ſemper efficit charitatis fraternę concordiam, dū cōgregati ſimul in nomine Domini ſacerdotes, ea inter ſe ſalutifera collatione requirūt, quę ſecundum doctrinam Apoſtolicam, vnitatem ſpiritus in vinculo pacis obtineant. Nunc ergò quoniam optatum nobis huius congregationis diem, glorioſiſſimus filius noſter, adſpirante ſibi Domino, regali præcepto conceſſit, vt ſimul poſiti cōſideremus, prius (ſi placet) de ſtatu fidei catholicæ perquiramus. Tunc deinde ſanctorum Patrum inſtituta, recenſitis canonibus, innoteſcant. Poſtremò quædam etiam, quæ ad obſequium Dei vel officium pertinent clericale, diligentius pertractentur, vt ſi qua fortaſſe vel per ignorantiæ deſidiam, vel per longinqui temporis incuriam, aut varia inter nos habentur dubia, ad vnam (ſicut decet) rationis ac veritatis formulam reuocentur.

Ephes. 4.

Omnes epiſcopi dixerunt: Proſequutio tuæ beatitudinis iuſta eſt: ea nanque de cauſa conuenimus, vt aliqua nobis Eccleſiaſticæ conſtructionis vtilitas commodetur.

Lucretius Epiſcopus dixit: Prius ergò de ſtatu fidei (ſicut ſuperius dictum eſt) conferamus. Nam licet iam olim Priſcillianæ hæreſis contagio in Hiſpaniarum prouincijs detecta ſit & damnata, ne quis tamen per ignorantiam, aut aliquibus (vt aſſolet) ſcripturis deceptus apocryphis, aliqua adhuc ipſius erroris peſtilentia ſit infectus, manifeſtius ignaris hominib. declaretur, quia ipſi in extremitate mundi, & in vltimis huius prouinciæ finibus conſtituti, aut exiguam, aut penè nullam rectæ eruditionis notitiam contigerunt. Credo autem veſtræ beatitudinis fraternitatem noſſe, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandiſsimæ Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, beatiſsimus Papa vrbis Romæ Leo, qui quadrageſimus ferè Apoſtoli Petri ſucceſſor extitit, per Turibium notarium ſedis ſuæ, ad Synodum Galliciæ contra impiam Priſcillianæ hæreſis ſectam ſcripta ſua direxit. Cuius etiam præcepto Tarraconēſes & Carthaginen. Epiſcopi, Luſitaniæ quoque & Bæticæ facto inter ſe Concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim, cum aliquibus capitulis conſcribētes, ad Baleonium tunc huius Bracarenſis Eccleſiæ præſulem direxerunt. Vnde quia & ipſum præſcriptæ fidei exemplar cū ſuis capitulis, præ manibus hic habemus, pro inſtructione ignorantium (ſi veſtræ placet reuerentiæ) recitetur.

Vide Concil. Tolet. 2. epiſtol. Mōtani epiſcopi ad Theoribium. Nam de illo hic fit mentio. De hac regula fidei. vide quæ notata ſunt in primo Toletano.

Omnes epiſcopi dixerunt: Valde neceſſaria horum capitulorum eſt lectio, vt dum ſimplicioribus quibuſque priſtina ſanctorum patrum inſtituta panduntur, abominata iam olim

Editio II. Garſiæ Loayſæ.

CVm Galliciæ Prouinciæ Epiſcopi, Lucretius, Andreas, Martinus, Cottus, Ildericus, Lucentius, Timotheus, Malioſus, ex præcepto præfati glorioſiſſimi Ariamiri Regis, in Metropolitana eiuſdē Prouinciæ Bracarenſis Eccleſia conueniſſent; conſidentibus ſimul Epiſcopis, præſentibus quoque Presbyteris, adſtantibuſq; miniſtris, vel vniuerſo Clero, Lucretius memoratæ Metropolitanæ eccleſiæ Epiſcopus dixit.

Diu eſt, ſanctiſſimi fratres, quod ſecundū inſtituta venerabiliū Canonū, & decreta Cathol. & Apoſtolicæ diſciplinæ, deſiderabamus Sacerdotalem inter nos fieri debere conuentum; qui non ſolum Eccleſiaſticis regulis & ordinibus opportunus eſt, ſed etiam ſtabilem ſemper efficit charitatis fraternæ concordiam: dum congregati ſimul, in nomine Domini, Sacerdotes, ea inter ſe ſalutifera collatione requirunt, quæ ſecundum doctrinam Apoſtolicam, vnitatem ſpiritus in vinculo pacis obtineant. Nunc igitur, quoniam optatum nobis huius congregationis diem glorioſiſſimus, atque pijſſimus filius noſter, adſpirante ſibi Domino, regali præcepto conceſſit, & ſimul poſiti conſidemus, prius ſi placet, de ſtatutis fidei Catholicæ perquiramus: tunc deinde ſanctorum patrum inſtituta, recenſitis Canonibus, innoteſcant: poſtremo quædam etiam, quæ ad obſequium Dei, vel officium pertinent Clericale diligentius pertractentur: vt ſi qua fortaſſe per ignorantiæ deſidiam, vel per longi temporis incuriam, aut varia inter nos habentur: aut dubia, ad vnam, ſicut decet, rationis, aut veritatis formulam reuocentur. Epheſ.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Proſecutio tuæ beatitudinis iuſta eſt: ea namque de cauſa conuenimus, vt aliqua nobis Eccleſiaſticæ conſtructionis vtilitas commodetur.

Lucretius Epiſcopus dixit: Prius ergo de ſtatutis fidei, ſicut ſuperius dictum eſt, conferamus. Nam licet iam olim Priſcillianæ hæreſis contagio in Hiſpaniarum prouincijs detecta ſit, & damnata, ne quis tamen, aut per ignorantiam, aut aliquibus, vt aſſolet, ſcripturis deceptus apocryphis, aliqua adhuc ipſius erroris peſtilentia ſit infectus, manifeſtius ignaris hominibus declaretur; qui in ipſa extremitate mundi, & vltimis huius prouinciæ regionibus conſtituti, aut exiguam, aut penè nullam rectæ eruditionis notitiam contigerunt. Credo autem veſtræ beatitudinis fraternitatem noſſe, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandiſſima Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, beatiſsimus Papa vrbis Romanæ Leo, qui quadrageſimus ferè extitit Apoſtoli Petri ſucceſſor, per Turibium notarium ſedis ſuæ, ad Synodum Galliciæ, cōtra impiam Priſcilliani ſectam, ſcripta ſua direxit. Cuius etiā præcepto Tarraconēſes, & Carthaginēſes Epiſcopi, Luſitani quoque, & Bætici, facto inter ſe Concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim, cum aliquibus capitulis conſcribentes, ac Balconium, tunc huius Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem, direxerunt. Vnde, quia & ipſum præſcriptæ fidei exemplar, cum ſuis capitulis, præ manibus hic habemus, pro inſtructione ignorantium, ſi veſtræ placet reuerentiæ, recitetur. De hac Concil. Tolet. 2. epiſtol. Mōtani epiſcopi ad Theoribium. Nam de illo hic fit mentio. De hac regula fidei. vide quæ notata ſunt in primo Toletano.

Omnes epiſcopi dixerunt: Valdè neceſſaria horum capitulorum eſt lectio: vt dum ſimplicioribus quibuſque priſtina ſanctorum patrum ſtatuta panduntur, abominata iam olim

à ſede beatiſſimi Petri Apoſtoli,&damnata Priſcillianæ hæreſis figmenta cognoſcantur.

Lectum eſt exemplar fidei cum capitulis ſuis, quæ, ne prolixitatem facerent,his geſtis minimè ſunt inſerta.

Poſt lectionem capitulorum omnes epiſcopi dixerunt: Licèt lectio neceſſariè recenſita ſit, tamen euidentiùs & ſimplicius ea, quæ ſunt execrabilia, ita poſitis etiam capitulis modò declarentur, vt qui minùs eſt eruditus,intelligat: & ſic ſub anathematis ſententia exploſa,iam Priſcilliani erroris figmenta damnentur, vt quiſquis clericus vel monachus ſiue laicus,tale aliquid ſentire:adhuc vel defendere fuerit deprehenſus,tanquam verè putre membrum, continuò de corpore abſcindatur catholicæ Eccleſiæ,ne aut ſocietatis, ſiue prauitatis eius macula,à rectè credentibus de permixtione taliũ aliquod orthodoxis reputetur opprobrium.

Propoſita contra Priſcillianam hæreſim capitula & relecta,continent hæc:

CAPITVLVM I.

Si quis patrem & filium & Spiritum ſanctum, non confitetur tres perſonas,vnius ſubſtantiæ & virtutis ac poteſtatis, ſicut catholica & Apoſtolica Eccleſia docet, ſed vnam tantũ ac ſolitariam dicit eſſe perſonam, ita vt ipſe ſit pater, qui filius,ipſe etiam ſit paracletus ſpiritus,ſicut Sabellius & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

2 Si quis extra S.Trinitatem,alia(neſcio quæ) diuinitatis nomina introducit,dicens, quòd ipſa diuinitas ſit Trinitas, ſicut Gnoſtici & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

3 Si quis dicit filium Dei Dominum noſtrum, antequam ex virgine naſceretur,non fuiſſe,ſicut Paulus Samoſatenus & Photinus & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

4 Si quis*natale Chriſti ſecundùm carnem non verè honorat,ſed honorare ſe ſimulat, ieiunans in eodem die, & in Dominico,quia Chriſtum in hominis natura natum eſſe non credit,ſicut Cerdon,Marcion,Manichæus & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

5 Si quis animas humanas vel Angelos,ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe,ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

6 Si quis animas humanas dicit priùs in cœleſti habitatione peccaſſe,& pro hoc in corpora humana in terram deiectas,ſicut Priſcillianus dixit,anathema ſit.

7 Si quis dicit, diabolum non fuiſſe priùs Angelum bonum,à Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam eius, ſed dicit eum ex tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere authorem,ſed ipſum eſſe principium,atque ſubſtantiã mali, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

8 Si quis credit,quòd aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit,& tonitrua & fulgura & tempeſtates & ſiccitates ipſe diabolus ſua authoritate faciat, ſicut Priſcillianus dixit,anathema ſit.

9 Si quis animas & corpora humana* fatali ſigno credit adſtringi, ſicut pagani & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

10 Si qui duodecim ſigna, quæ mathematici obſeruare ſolent,per ſingula animæ vel corporis membra diſſipata credunt,& nominibus patriarcharum aſſcripta dicũt, ſicut Priſcillianus dixit,anathema ſit.

11 Si quis coniugia humana damnat, & procreationẽ naſcentium perhorreſcit, ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

12 Si quis plaſmationem humani corporis, diaboli dicit figmentum eſſe,& conceptiones in vteris matrum, operibus dicit dæmonum figurari,propter quod reſurrectionem carnis non credit,ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

13 Si quis dicit creationem vniuerſæ carnis,non opificiũ Dei,ſed malorum eſſe angelorum,ſicut Manichæus & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

14 Si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in vſu hominum dedit,& non propter afflictionem ſui corporis,ſed quaſi immunditiam putans,ita abſtineat ab eis, vt nec olera cocta cum carnibus præguſtet, ſicut Manichæus & Priſcillianus docuerunt,anathema ſit.

à ſede beatiſſimi Petri Apoſtoli, & damnata Priſcilliani hæreſis figmenta cognoſcant.

Lectum eſt exemplar fidei,'cum capitulis ſuis: quæ, ne prolixitatem facerent,his geſtis minimè ſunt inſerta.

Poſt lectionem capitulorum,omnes Epiſcopi dixerunt: Licet horum capitulorum lectio neceſſaria recenſita ſit,tamẽ euidentiùs,& ſimpliciùs ea,quæ ſunt execrabilia,ita præpoſitis etiam capitulis modò declarentur, vt,qui minùs eſt eruditus,intelligat; & ſic ſub anathematis ſententia exploſa iam olim Priſcilliani erroris figmenta damnentur. Vt quiſquis Clericus,vel Monachus, ſiue Laicus, tale aliquid ſentire adhuc, vel defendere fuerit deprehenſus,tanquàm verè putre membrum continuò de corpore abſcindatur catholicæ Eccleſiæ: ne aut ſocietas eius maculam ſuæ prauitatis rectè credentibus ingerat,aut ampliùs de permixtione talium,aliquod Orthodoxis reputetur opprobrium.

Propoſita contra Priſcillianam hæreſem capitula, & relecta continentur hæc.

1 Si quis Patrem, & Filium,& Spiritum ſanctum non confitetur tres perſonas vnius ſubſtantiæ, & virtutis,ac poteſtatis,ſicut Catholica & Apoſtolica Eccleſia docet,ſed vnam tantùm dicit,& ſolitariam eſſe perſonam;ita vt ipſe ſit Pater,qui Filius,ipſe etiã ſit Paracletus Spiritus,ſicut Sabellius, & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

2 Si quis extra ſanctam Trinitatem,alia neſcio quæ,diuinitatis nomina introducit; dicens,quod in ipſa diuinitate ſit Trinitas Trinitatis,ſicut Gnoſtici,& Priſcilliani dixerunt,anathema ſit.

3 Si quis filium Dei Dominum noſtrum, antequàm ex Virgine naſceretur,non fuiſſe, ſicut Paulus Samoſatenus, & Photinus,& Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

4 Si quis Natalem Chriſti.ſecundùm carnem, non benè honorat,ſed honorare ſe ſimulat;ieiunans in eodem die,& in Dominico; quia Chriſtum in vera hominis natura natum eſſe non credit,ſicut Cerdon,Marcion, Manichæus, & Priſcillianus,anathema ſit.

5 Si quis animas humanas,vel Angelos,ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe,ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

6 Si quis animas humanas dicit,priùs in cœleſti habitatione peccaſſe,& pro hoc,in corpora humana,in terram deiectas, ſicut Priſcillianus dixit,anathema ſit.

7 Si quis dicit,diabolum non fuiſſe priùs bonum Angelũ à Deo factum,nec Dei opificium fuiſſe naturam eius;ſed dicit,eum ex chao & tenebris emerſiſſe;nec aliquem ſui habere auctorem,ſed ipſum eſſe principium,atque ſubſtantiam mali,ſicut Manichæus,& Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

8 Si quis credit,quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit,& tonitrua,& fulgura,& tempeſtates, & ſiccitates ipſe diabolus ſua auctoritate faciat, ſicut Priſcillianus dixit,anathema ſit.

9 Si quis animas,& corpora humana fatalibus ſtellis credit adſtringi,ſicut Pagani,& Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

10 Si qui duodecim ſigna, quæ Mathematici obſeruare ſolent,per ſingula animæ vel corporis membra diſpoſita credunt,& nominibus Patriarcharũ adſcripta dicunt,ſicut Priſcillianus dixit,anathema ſit.

11 Si quis coniugia humana damnat, & procreationem naſcẽtium perhorreſcit,ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

12 Si quis plaſmationem humani corporis, diaboli dicit eſſe figmentum,& conceptiones in vteris matrum, operibus dicit dæmonum figurari;propter quod & reſurrectionẽ carnis non credit,ſicut Manichæus,& Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

13 Si quis dicit creationem vniuerſæ carnis,non opificiũ Dei,ſed malignorum eſſe Angelorum, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

14 Si quis immundos putat cibos carnium,quos Deus in vſus hominum dedit;& non propter afflictionem corporis, ſed quaſi immunditiam putans,ita abſtineat ab eis,vt nec olera cocta cum carnibus præguſtet,ſicut Manichæus,& Priſcillianus dixerunt,anathema ſit.

15 Si qui clericorum præter matrem, aut germanam, vel etiam quæ proxima conſanguinitate iunguntur, alias aliquas quaſi adoptiuas fœminas ſecũ retinent, & cum ipſis habitant, ſicut Priſcilliani ſecta docuit, anathema ſit.

16 Si quis quinta feria Paſchali, quæ vocatur cœna Domini, hora legitima poſt nonam, ieiunus in Eccleſia Miſſas non tenet, ſed ſecundum ſectam Priſcilliani, feſtiuitatem, ipſius diei ab hora tertia per Miſſas defunctorum, ſoluto ieiunio colit, anathema ſit.

17 Si quis ſcripturas, quas Priſcillianus ſecundum ſuũ deprauauit errorem, vel tractat⁹ Dictinij (quos ipſe Dictinius, antequam conuerteretur, ſcripſit ſub nomine patriarcharũ, prophetarum; & Apoſtolorum, & ſuo errori conſona confinxit) legit, & impia eorum figmenta ſequitur aut defendit, anathema ſit.

18 Propoſitis his capitulis & relectis, Lucretius epiſcopus dixit:

Quoniam etiam ea, quę à catholicis abominata ſunt & damnata, manifeſtiùs & apertiùs etiam ignorantibus declarata ſunt: neceſſarium poſt hoc arbitror, ſi veſtræ fraternitati videtur, vt inſtituta nobis ſanctorum patrum, recenſitis antiquis canonibus, innoteſcant: quæ & ſi non omnia, certè vel pauca quædam, quæ ad inſtructionem clericalis diſciplinæ pertinent, relegantur. Omnes epiſcopi dixerunt: Placet hoc edictum. Et congrua res eſt; vt & quibus fortaſſe per incuriam abolita ſunt eccleſiaſtica conſtituta, audiant ſanctorum canonum regulam & obſeruent.

Relecti ex codice coram Concilio tam generalium ſynodorum canones, quam localium.

Poſt quorum lectionem Lucretius epiſcopus dixit: Ecce ex ipſa canonum lectione agnoſcat ſancta fraternitas veſtra, non ſolum in generalibus Concilijs, ſed etiam in localibus, congregatos ſimul ſacerdotes, vno conſenſu ea, quæ eccleſiaſtico conueniebant ordini, ſtatuiſſe, & ſecundum quod vniuſcuiuſque rei expetebat ratio proſpexi ſſe, ſequentes ſententiam doctrinæ apoſtolicæ, dicentis: Probate, quæ bona ſunt, & tenete. Si ergò placet charitati veſtræ, quia ſunt aliqua eccleſiaſticæ inſtitutionis obſequia, quæ in huius præſertim extremitate prouinciæ, non per contentionem, quod abſit, ſed magis (ſicut præfati ſumus) fiunt per incuriam aut per ignorantiam, conſtituamus quædam inter nos capitula, vt quæ nõ vno modo tenentur à nobis, ad vnam omninò formulam reuocentur.

Omnes epiſcopi dixerunt: Neceſſarium & valdè hoc vtile arbitramur, vt ea, quæ apud vnumquemque noſtrum varia & inordinata conſuetudine retinentur, vnito inter nos per Dei gratiam & concordi celebrentur officio. Et idcirco, ſi quid illud eſt magnum vel paruum, quo variari videmur, ad vnam (ſicut dictum eſt) formulam præfixis rationabiliter capitulis reuocetur, præcipuè cum & de certis quibuſdam cauſis inſtructionem apud nos ſedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationes ſuas quondam venerãdæ memoriæ præceſſoris tui Pro futuri prudentia, ab ipſa beatiſſimi Petri accepit cathedra.

Lucretius Epiſcopus dixit: Rectè fraternitas veſtra authoritatem ſedis Apoſtolicæ recordata eſt, quæ licèt eodem tempore innotuerit, quo directa eſt tamen pro firmitate teſtimonij, & inſtructione multorum, ſi veſtræ vnanimitati complacet, quia præ manibus eſt, coram omnibus legatur.

Omnes epiſcopi dixerunt: Iuſtum eſt, vt quia mentio ipſius authoritatis eſt habita, quæ eſt eius doctrina, à circũſtantibus audiatur.

Relecta eſt authoritas ſedis Apoſtolicæ, ad quendam Profuturum directa epiſcopum, quæ propter prolixitatem his geſtis minimè eſt inſerta. Poſt cuius lectionem Lucretius epiſcopus dixit:

Manifeſtius patet, Apoſtolicam nobis opitulari doctrinã: & ideò, ſicut fraternitas veſtra prædixit, ſi quid per ignorantiam apud quoſdam variat, ad vnam formulam concordi regula præſcriptis inter nos capitulis adſtringatur.

Propoſita ſunt igitur capitula, quæ continent hæc:

15 Si quis Clericorum vel Monachorum præter matrem, aut germanam, vel thiam, vel proximam ſibi conſanguineã iunguntur, aliaſque aliquas adoptiuas fœminas ſecum retinent, & cum ipſis cohabitant, ſicut Priſcilliani ſecta docuit, anathema ſit. Concil. Eliber. can. 27. & Concil. Tolet. can. 15.

16 Si quis quinta feria Paſchali, quæ eſt Cœna Domini, hora legitima, poſt nonam ieiunus in Eccleſia miſſas non tenet; ſed ſecundùm ſectam Priſcilliani, feſtiuitatem ipſius diei, ab hora tertia, per miſſas defunctorum, ſoluto ieiunio colit, anathema ſit.

17 Si quis ſcripturas, quas Priſcillianus, ſecundùm ſuum deprauauit errorem, vel tractatus Dictinij, quos ipſe Dictinius antequam conuerteretur, ſcripſit, vel quæcumque hæreticorum ſcripta ſub nomine Patriarcharum, Prophetarum, vel Apoſtolorum ſuo errori conſona confinxerunt, legit, & impia eorum figmenta ſequitur, aut defendit, anathema ſit.

Propoſitis his capitulis, & relectis, Lucretius Epiſcopus dixit:

Quoniam ea, quæ à Catholicis abominanda ſunt, & damnanda, manifeſtiùs & apertiùs etiam ignorantibus declarata ſunt, neceſſarium poſt hoc arbitror, ſi veſtræ fraternitati videtur, vt inſtituta nobis ſanctorum Patrum, recenſitis antiquis Canonibus, innoteſcant. Quæ etſi non omnia, certè vel pauca quædam, quæ ad inſtructionem Clericalis diſciplinæ pertinent, relegãtur. Omnes Epiſcopi dixerunt: Placet quod dictum eſt, & congrua res eſt, vt quibus fortaſsè per incuriam abolita ſunt Eccleſiaſtica conſtituta, audiant ſanctorum Canonum regulam, & obſeruent.

Relecti ex codice coram Concilio tam generalium Synodorum Canones, quàm localium.

Poſt quorum lectionem Lucretius Epiſcopus dixit: Ecce ex ipſa Canonum lectione agnoſcat ſancta fraternitas veſtra, non ſolùm in generalibus Concilijs, ſed etiam in localibus congregatos ſimul Sacerdotes, vno conſenſu, ea quæ Eccleſiaſtico conueniebant ordini, ſtatuiſſe, & ſecundùm quod vniuſcuiuſque rei exhibebat ratio, proſpexiſſe, ſequentes ſententiam doctrinæ Apoſtolicæ, dicentis: Probate quæ bona ſunt, & tenete. Si ergo placet charitati veſtræ, quia ſunt aliqua Eccleſiaſticæ inſtitutionis obſequia, quæ in huius præſertim extremitate prouinciæ, non per contentionem, quod abſit, ſed magis, ſicut præfati ſumus, pet incuriam, aut per ignorantiam variantur, conſtituamus quædam inter nos capitula; vt quæ non vno modo tenentur à nobis, ad vnam omnimodò formulam reuocentur. 1. Theſſ. 5.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Neceſſarium, & valdè hoc vtile arbitramur, vt ea quæ apud vnumquemque noſtrum varia & inordinata conſuetudine retinentur, vnito inter nos, per Dei gratiam, quo per concordiam, celebrentur, officio. Et idcircò ſi quid illud eſt magnum, vel paruum, in quibus variari videmur, ad vnam, ſicuc dictum eſt, formulam, præfixis rationabiliter capitulis reuocentur. Præcipuè cum & de cæteris quibuſdam cauſis inſtructionem apud nos ſedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationem, quondam venerandæ memoriæ, prædeceſſoris tui, Profuturi, ab ipſa beatiſſimi Petri cathedra directa eſt.

Lucretius Epiſcopus dixit: Rectè veſtra fraternitas pro auctoritate ſedis Apoſtolicæ reminiſcita eſt: quæ licet eodem tempore innotuerit, quo directa eſt, tamen pro firmitate teſtimonij, & inſtructione multorum, ſi veſtrę vnanimitati complacet, quia præ manibus eſt, coram his omnibus relegatur.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Iuſtum eſt, vt quia mentio ipſius auctoritatis eſt habita, quæ ſit eius doctrina, à circunſtantibus audiatur.

Relecta eſt auctoritas ſedis Apoſtolicæ, ad quondã Profuturum directa Epiſcopum, quæ propter prolixitatem his geſtis minimà eſt inſerta. Poſt cuius lectionem Lucretius Epiſcopus dixit:

Manifeſtius patet, Apoſtolicam nobis opitulari doctrinam: Et ideò ſicut fraternitas veſtra prædixit, ſi quid per ignorantiam apud quoſdam varium habeatur, ad vniformem concordiæ regulam, perſcriptis inter nos capitulis, adiungatur.

Propoſita ſunt igitur capitula & relecta quæ continent hæc.

CAP. I.

19 Placuit omnibus communi consensu, vt vnus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officijs teneatur, & non diuersæ ac priuatæ monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permixtæ.

20 Item placuit, vt per solennium dierum vigilias vel Missas, omnes easdem, & non diuersas, lectiones in ecclesia legant.

21 Item placuit, vt non aliter episcopi, & aliter presbyteri populum, sed vno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in lib. Ruth legitur. Et vt respondeatur à populo, Et cum spiritu tuo, sicut & ab ipsis apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana prauitas permutauit.

22 Item placuit, vt eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quo modò Profuturus quondam huius metropolitanæ ecclesiæ episcopus, ab ipsa Apostolicæ sedis authoritate suscepit scriptum.

23 Item placuit, vt nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & anteà tenuit metropolitana Bracarensis ecclesia, & pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus episcopus scriptum, & sibi directum, à sede beatiss. Petri apostoli suscepit.

24 Item placuit, vt conseruato metropolitani episcopi primatu, cæteri episcoporum secundum suæ ordinationis tempus, alius alio sedendi deferat locum.

25 Item placuit, vt de rebus ecclesiasticis tres æquæ fiant portiones, id est, vna episcopi, alia clericorum, tertia in reparatione, vel in luminarijs ecclesiæ: de qua parte siue archipresbyter, siue archidiaconus illam administrans, episcopo faciat rationem.

26 Item placuit, vt nullus episcopus clericum alterius ordinare præsumat, sicut & antiqui canones vetuerunt, nisi forte signata ipsius episcopi scripta susceperit.

27 Item placuit, quia in aliquantis huius prouinciæ ecclesijs diacones absconsis infra tunicam vtuntur orarijs, ita vt nihil differre à subdiacono videantur, vt decæterò superpositò scapulæ (sicut decet) vtantur orario.

28 Item placuit, vt non liceat cuilibet ex lectoribus, sacra altaris vasa portare, nisi his qui ab episcopo subdiaconi fuerint ordinati.

29 Item placuit, vt lectores in ecclesia ordinati, in habitu seculari non psallant, neque *gradus gentili ritu dimittant.

30 Item placuit, *vt veteris testamenti nihil poetice cõpositum in ecclesia psallatur, sicut & sancti præcipiunt canones.

31 Item placuit, vt intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum, non liceat laicis viris vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut & antiquis canonibus statutum est.

32 Item placuit, vt quicunque in clero cibo carnium non vtuntur, pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus tamen prægustare cogantur. Quod si contempserint, secundum quod de talibus sancti patres antiquitus statuerunt, necesse est, pro suspicione hæresis huius, hos excommunicatos, ab officio omnimodè remoueri.

33 Item placuit, vt qui pro hæresi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare præsumat, sicut & antiqua canonum continẽt statuta. Quæ si quis spernit voluntariè, seipsum alienum à communione facit.

34 Item placuit, vt qui aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut quolibet modo violentam sibijpsis inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorũ cadauera deducantur. Multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpant. Similiter & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.

35 Item placuit, vt catechumenis, sine redemptione baptismi defunctis, simili modo neque oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium. Nam & hoc per ignorantiam vsurpatum est.

36 Item placuit, vt corpora defunctorum, nullo modo intra basilicam sanctorum sepeliantur, sed, si necesse est, deforis circa murum basilicæ vsque adeò non abhorret. Nam si firmissimum hoc priuilegium vsq; nunc retinent ciuitates, vt nullo modo intra ambitũ murorũ cuiuslibet defuncti corp⁹

hume-

CAP. I. Placuit omnibus communi consensu, vt vnus atque idem psallendi ordo in Matutinis, vel Vespertinis officijs teneatur; & non diuersæ, ac priuatæ, neque monasteriorum consuetudines cũ Ecclesiastica regula sint permixtæ. Dist. 12. Placuit omnibus, & Concil. Tol. 4 c. 2.

2 Item placuit, vt per solennium dierũ Vigilias, vel Missas, omnes easdem, & non diuersas lectiones, in Ecclesia legant.

3 Item placuit, vt non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed vno modo salutent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legitur; & vt respondeatur à populo: Et cum spiritu tuo, sicut & ab ipsis Apostolis traditũ omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana prauitas permutauit.

4 Item placuit, vt eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam huius Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ sedis auctoritate suscepit scriptum.

5 Item placuit, vt nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem & antea tenuit Metropolitana Bracarensis Ecclesia, & pro amputanda aliquorum dubietate, prædictus Profuturus Episcopus scriptum sibi, & directum à sede beatissimi Apostoli Petri suscepit.

6 Item placuit, vt conseruato Metropolitani Episcopi primatu, cæteri Episcoporum, secundum suæ ordinationis tempus, alius alio sedendi deferat locum.

7 Item placuit, vt de rebus Ecclesiasticis tres æquè fiant portiones; id est, Episcopi vna, alia Clericorum, tertia in recuperatione vel in luminarijs Ecclesiæ: de qua parte siue Archipresbyter, siue Archidiaconus, illam administrans, Episcopo faciat rationem.

8 Item placuit, vt nullus Episcopus Clericum alterius ordinare præsumat; sicut & antiqui Canones vetuerunt; nisi forte signata ipsius Episcopi scripta susceperit. Vide quę diximus Concil. Tolet. 13. c. 11.

9 Item placuit, vt quia in aliquantis huius prouinciæ Ecclesijs, Diacones absconsis infra tunicam vtuntur orarijs, ita vt nihil differre à Subdiacono videantur, de cætero superpositò scapulæ (sicut decet) vtantur orario.

10 Item placuit, vt non liceat cuilibet ex Lectorib. sacra altaris vasa portare; nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati. 23. distin. non liceat cuilibet.

11 Item placuit, vt Lectores in Ecclesia, in habitu seculari ornati, non psallant, neque granos Gentili ritu dimittant.

12 Item placuit, vt extra psalmos, vel canonicarum scripturarum noui, & veteris testamenti, nihil poetice compositum in Ecclesia psallatur; sicut & sancti præcipiunt canones. Hoc Augustinus epist. 19. in Donatistis improbat.

13 Item placuit, vt intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus, nisi tantùm Clericis; sicut & antiquis canonibus statutum est.

14 Item placuit, vt quicunque in Clero cibo carnium nõ vtuntur; pro amputanda suspicione Priscillianæ hæresis, vel olera cocta cum carnibus tantùm prægustare cogãtur. Quod si contempserint, secundum quòd de his talibus sancti Patres antiquitùs statuerunt, necesse est, eos, pro suspicione hæresis huius, officio, excommunicatos, omnibus modis remoueri.

15 Item placuit, vt hi, qui pro hæresi, aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus eis communicare præsumat; sicut & antiqua canonum continent statuta; quæ si quis spernit, voluntariè seipsum alienæ damnationi tradet.

16 Item placuit, vt hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpauerunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur.

17 Item placuit, vt Catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam vsurpatum est.

18 Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo in basilica sanctorum sepeliantur; sed si necesse est, deforis, circa murum basilicæ, vsque adeò non abhorret. Nam si firmissimum hoc priuilegium vsque nunc manet ciuitates, vt nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus Burch. lib. 33. c. 157. Iuo. p. 3. c. 210.

hume-

humetur,quantò magis hoc venerabilium martyrum debet reuerentia obtinere?

37 Item placuit, vt ſi quis presbyter, poſt hoc interdictũ auſus fuerit chriſma benedicere, aut eccleſiam, aut altarium conſecrare, à ſuo officio deponatur. Nam & antiqui hoc canones vetuerunt.

38 Item placuit, vt ex laico ad gradum ſacerdotij nemo veniat, niſi priùs anno integro in officio lectorum vel diaconatus, diſciplinam eccleſiaſticã diſcat, & ſic per ſingulos gradus eruditus, ad ſacerdotium veniat. Nam ſatis reprehenſibile eſt, vt qui nondum didicit, iam docere præſumat, dum & antiquis hóc patrum inſtitutionibus interdictum ſit.

39 Item placuit, vt ſi quid ex collatione fidelium, aut per feſtiuitates martyrum, aut per cõmemorationes defunctorum offertur, apud vnum clericorum fideliter colligatur & conſtituto tempore, aut ſemel, aut bis in anno, inter omnes clericos diuidatur. Nam non modicæ ex ipſa inæqualitate diſcordiæ generantur, ſi vnuſquiſque in ſua ſeptimana, quod oblatum fuerit, ſibi defendat.

40 Item placuit, vt præcepta antiquorum canonũ, quæ modò in Concilio recitata ſunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quaſi contumax transgreditur illa, neceſſe eſt, vt de ſuo degradetur officio.

Relectis capitulis, Lucretius epiſcopus dixit: Quia opitulante Domino nobis, ea, quæ ad firmitatem catholicæ & orthodoxæ fidei, vel quæ ad officium ordinis Eccleſiaſtici pertinebant, vnanimi (ſicut oportebat) collatione decreuimus: reſtat nunc, vt ex omnibus his, quæ Dei gratia ſalubriter inſtituta ſunt, propriam vnuſquiſque noſtrum ſtudeat docere atque informare diœceſim. Si quis autem ex nobis in parochijs ſuis, poſt agnita huius concilij conſtituta, aut clericum, aut monachum ſanæ huic doctrinæ reſiſtẽtem inuenerit, aut in aliquo adhuc Priſcillianæ ſectæ errore latitare perſenſerit, & non continuò illum excommunicatum & anathematizatum, de eccleſia foras eiecerit, ita vt cum huiuſmodi homine nec cibum aliquis fidelium ſumere, nec communicare præſumat: nouerit ſe is, qui talẽ receperit, & fraternæ eſſe excõmunicationi obnoxium, & diuinæ proculdubio ſententiæ reũ.

Omnes epiſcopi dixerunt: Quæcunque à nobis vnito per Dei gratiam conſenſu decreta ſunt, peruigili neceſsè eſt ſolicitudine obſeruentur. Quæ vt ſtabilem placitæ conſtitutionis obtineant firmitatem, propria vnuſquiſque his geſtis manu ſubſcribat. Et pòſt epiſcoporum ſubſcriptio ſubſecuta eſt.

Lucretius epiſcopus ſubſcripſi.
Andreas epiſcopus ſubſcripſi.
Martinus epiſcopus ſubſcripſi.
Cottus epiſcopus ſubſcripſi.
Gildericus epiſcopus ſubſcripſi.
Lucentius epiſcopus ſubſcripſi.
Timotheus epiſcopus ſubſcripſi.
Maliouſus epiſcopus ſubſcripſi.

humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reuerentia obtinere.

19 Item placuit, ſi quis Presbyter, qui hoc interdictum, auſus fuerit chriſma benedicere, aut eccleſiam, aut altarium conſecrare, à ſuo officio deponatur: nam & antiqui hoc canones vetuerunt.

20 Item placuit, vt ex laico ad gradum Sacerdotij ante nemo veniat, niſi priùs anno integro, in officio Lectorati vel Subdiaconati diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat; & ſic per ſingulos gradus prædictus ad Sacerdotium veniat. Nam ſatis reprehenſibile eſt, vt qui necdum didicit, iam docere præſumat; dum & antiquis hoc Patrum inſtitutionibus interdictum ſit.

21 Item placuit, vt ſi quid ex collatione fidelium, aut per feſtiuitatęs martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud vnum Clericorum fideliter colligatur, & conſtituto tempore, aut ſemel, aut bis in anno, inter omnes Clericos diuidatur: nam non modica ex ipſa inæqualitate diſcordia generatur, ſi vnuſquisque in ſua ſeptimana quod oblatum fuerit, ſibi defendat.

22 Item placuit, vt quæcumq; præcepta antiquorum Canonum modo in Concilio recitata ſunt, nullus audeat præterire. Si quis autem quaſi contumax transgreditur, ille neceſſe eſt, vt de ſuo degradetur officio.

Relectis capitulis, Lucretius Epiſcopus dixit: Quia opitulante nobis Domino, ea quæ ad firmitatem Catholicæ & orthodoxæ fidei, vel quæ ad officium ordinis Eccleſiaſtici pertinebant, vnanimi (ſicut oportebat) collatione decreuimus, reſtat nunc, vt ex omnibus his, quæ fidei gratia ſalubriter ſtatuta ſunt, propriam vnuſquiſque noſtrum ſtudeat docere, atque informare diœceſim. Si quis autem ex nobis in parochijs ſuis, poſt agnita huius Concilij ſtatuta, aut Clericum, aut Monachum ſanæ huic doctrinæ reſiſtentẽ inuenerit, aut in aliquo adhuc Priſcillianæ ſectæ errore latitare perſenſerit, & non continuò illum excommunicatum, & anathematizatum ab Eccleſia foras eiecerit; ita vt cum huiuſmodi homine, nec cibum aliquis fidelium ſumere, nec communicare præſumat; nouerit ſe is, qui talem receperit, & fraternæ eſſe excommunicationi obnoxium, & diuinæ procul dubio ſententiæ reum.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Quæcunque à nobis per Dei gratiam communi conſenſu decreta ſunt, peruigili neceſſe eſt, ›› vt cum omni ›› ſolicitudine obſeruentur. Quæ vt ſtabilem placitæ conſtitutionis obtineant firmitatem, propria vnuſquiſque his geſtis, manu ›› ſua ›› ſubſcribat. Et pòſt Epiſcoporum ſubſcriptio ſubſecuta eſt.

Lucretius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ildericus Epiſcopus ſubſcripſi.
Andreas Epiſcopus ſubſcripſi.
Lucentius Epiſcopus ſubſcripſi.
Martinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Timotheus Epiſcopus ſubſcripſi.
Cottus Epiſcopus ſubſcripſi.
Maliouſus Epiſcopus ſubſcripſi.

DE SVBSCRIPTIONIBVS, Ex Garſia.

LVcretius.] *Fuit Epiſcopus primæ ſedis Bracaræ Eccleſiæ, ſucceſſit Profuturo, & præceſſit Martinum eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopũ.*

Andreas.] *Fuit Irienſis.*

Lucentius.] *Conimbricenſis.*

Martinus Dumienſis quis.

Martinus.] *De ſancto Martino Epiſcopo Dumienſi hæc accipe: Fuit enim Dumienſis monaſterij Epiſcopus, de quo ſic Iſidorus libello de viris Illuſtribus.* Martinus Dumienſis monaſterij ſanctiſſ. Pontifex, ex Orientis partibus nauigans Galloeciam venit: ibique conuerſis ab Arriana impietate ad fidem Catholicam Sueuorum populis, regulam fidei & ſanctæ religionis conſtituit; Eccleſiaſticos informauit, monaſteria condidit, copioſaque præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Cuius equidem ego ipſe legi librum de differentijs quatuor virtutum, & aliud volumen epiſtolarum, in quibus hortatur vitæ emendationẽ & conuerſationem fidei, orationis inſtantiam, eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia, cultum virtutum omnium, & pietatem. Floruit regnante Theodomiro, Rege Sueuorum, temporibus illis, quibus Iuſtinianus in repub. & Athanagildus in Hiſpanijs imperium tenuere. *De eo etiam in Concilio Toletano Conſtruxit primo Eccleſiam Dumienſem, deinde eſt Pontifex Bracar. factus, qui ſcripſit de differentijs virtutum, ad Mironem, & epiſtolas varias, & tractatum de caſtigatione ruſticorum: in Compendium contraxit Concilia Orientalia, & Nitigeſio Epiſcopo Lucenſi Metropolitano miſit.* Scripta Martini Dumienſis quæ.

Cottus.] *Emptitanæ Eccleſiæ: vt ex ſubſcriptionibus ſecunda Synodi Bracarenſis conſtat.*

NOTAE in Concilium Bracarenſe I.

Concilium.] *Dum Iuſtinianus Imp. in Oriente à Catholica fide deficiens Orthodoxos inſequitur, prout ſupra m Notis ad vitam 1r Conſt. annis tertij recenſui, admirabili diuina prouidentia contigit, in Occidente Theodomirum, qui fuerat hæreticus, ad fidem Chriſtianam conuerti, cuius hortatu Orthodoxi Epiſcopi congregati habita Concilijs hæreſes omnes cum ſuis auctoribus condemnarent.*

Hoc Con-

Hoc Concilium idem Princeps celebrari curauit anno tertio regni sui. Ante omnia in eo secundum præscriptum sedis Apostolicæ damnata est hæresis Priscillianistarum, & aliorum hæreticorum errores. Baron. an. 563. num. 14. & 15.

Bracarense.] *Sic dictum à Bracara, quæ est totius Gallicia ciuitas metropolis non procul à Minio fluuio: Ptolem. lib. 2. c. 6. Bracaros inter Gallecos enumerat, eorumq; metropolim Bracaram Augustã vocat. Plinius li. 3. cap. 3. Bracari sunt populi Hispaniæ Tarraconensis. Vide Abraham. Ortelium.*

Anno tertio Ariamiri.] *Sic omnes codices M.ss. constanter habent, & excusi. Verùm historici nostri, Theodomirum non Ariamirum Regem Sueuorum congregasse hoc Concilium affirmant: de cuius mirabili ab errore & impietate Arriana, conuersione agit Gregorius Turonens. lib. 5. cap. 11. & 37. sed existimo, idem esse Ariamirum & Theodomirum. Vasæus aliter: secundum Bracarense, tempore Theodomiri coactum existimat; primum verò anno Theudi tertio. 536. Domini: sed in re dubia editis & omnibus codicibus M.ss. de mere fidem non ausim.* Hæc Garsias. Adde. *Illustrissimus Cardinalis Baronius à Garsia dissentit primum in tempore; nam auctore Garsia celebratum fuit hoc Concilium anno Domini nostri Iesu Christi 561. æra 599. Ex sententia autem Baronij illud habitum fuisse ponitur anno Christo nati 563. cum quo annus tertius Theodomiri coincidit. Secundo discrepat ab eodem Garsia, quod existimet hanc synodũ sub Theodomiro, non autem sub Ariamiro celebratam fuisse: quodq; nomen Ariamiri per errorem in acta Concilij illapsum sit. Commune, inquit, fuisse reperitur tam patri quam filio, vt Miro vterq; nominaretur: sed pater Theodo, Aria filio prænomen fuisse cognoscitur. Et licet apud Gregor. Turonensem idem qui Theodomirus, Charraricus etiam nuncupatus inueniatur: eundem tamen esse cum ipso Mironis parente ex eodem auctore probatur. Hæc Baron. anno 560. nu. 6. item ann. 563.*

Cum Galliciæ.] *In prouincia Gallæciæ, duos contineri Metropolitas, patet ex secundo Bracar. nimirum Bracarensem, & Lucensem.*

Priscillianæ hæresis contagio.] *Damnata fuit hæresis Priscilliani Concilio nationali Hispaniæ: vbi capitula contra eum sunt edita, transmissaq; ad Balconium, Bracaræ Episcopum. De hac re vide Seuerum in historia. Isidorum lib. 8. etymolog. cap. de hæresib. & quæ diximus supra.* Garsias.

Turibium.] *Quomodo Turibius Asturicensis Episcopus, hoc loco appelletur Notarius S. Leonis, dixi supra in Notis ad Epistol. Leonis 9.*

Dominus vobiscum.] *Salutatio hæc Sacerdotalis ad populũ, antiquissima est, ab Apostolisq; fluxit; eius meminit S. Dionysius, de Eccles. Hierarc. & Sother. PP. apud Gratianum de consecrat. dist. 1. can. Hoc quoque: & Burchard. lib. 3. cap. 34. Iuo. p. 2. c. 127. Alcuinus lib. de diuinis officijs, cap. de celebratione Missæ. Hugo de Sacramentis. Et Petrus Damianus librum inscripsit:* Dominus vobiscum, *qui florut anno Domini 1050. Neque in hoc capite reijcitur Pontificalis Episcopalisq; salutatio:* Pax vobis, *quæ antiquissima etiam est, & solis Episcopis tributa: eaque forma vsi sunt sanctus Iacobus, & Basilius in liturgijs, & D. Ambros. lib. de dignitate Sacerdotali ca. 5. & Chrysostomus homil. 3. ad Coloss. sed aduersus Priscilliani figmentum, qui vsum salutandi in Missa permutauit, decernitur, Episcopum posse vti etiam Sacerdotali salutatione: nam in Missis priuatis, & in solennioribus prima vice Episcopus salutat hac forma:* Pax vobis, *postea dicitur:* Dominus vobiscum: *sicuti Sacerdos, quod Priscillianus negabat; affirmans esse:* Pax vobis, *tantùm ab Episcopo dicendum semper, à Sacerdote verò:* Dominus vobiscum. Garsias.

Neque granos Gentili ritu demittant.] *Excusi, gradus: lego granos, vt est in M.ss. De ijs Isidorus lib. 19. etymolog. cap. 23.* Nonnullæ etiam gentes, non solum in vestibus, sed & in corpore, aliqua sibi propria quasi insignia vendicant; vt videmus cirros Germanorum, granos & cinnabar Gothorum. *Existimo esse genus laicæ vestis oblongæ. Hodie Gramalla murice tincta Magistrorum Barcinonis insigne est. Apud eosdem populos dicitur etiam Gramalla, genus vestis luctuosæ pullæ, quæ à Castellanis loba de luto dicitur, cum capirote.*

Sancti præcipiunt Canones.] *Sic enim Concilio Laodic. c. 59 statutum est, vt in Ecclesia non legantur, nisi volumina noui & veteris testamenti, nihilq; à plebe editum: & Carthag. 3. cap. 23. & 47.* Sub nomine diuinarum scripturarum nullæ preces, vel orationes legantur, nisi sint in Synodo approbatæ, vel à prudentibus tractatæ. *Mileuitano cap. 12. legi permittuntur martyrum passiones, cum eorum anniuersariæ dies celebrãtur, & Carthag. 3. cap. 47. doctorum Orthodoxorum hymni: & Tolet. 4. cap. 13.*

Antiquis Canonibus.] *Sacerdotibus & Leuitis dabatur communio ante altare, Clero in choro, populo extra chorum. Id constat ex Concilio Tolet. 4. cap. 18. Hinc à locorum diuisione vocatur Laica communio, & peregrina, & Sacerdotalis. De quare diximus Concil. Ilerd. c. 16. Laodic. c. 19. sic legitur:* Solis autem ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.

Sanctuarium altaris.] *Sanctuarium, velum intelligitur, quo distinguebatur locus altaris, & tegebatur, ne omni populo esset conspicuus: hoc constat ex Gregorio in epist. 30. ad Constantiam August. libr. 3. Vocatur & Brandeum; ex quo, cum à S. Leone PP. forcipibus incideretur, sanguis effluxit: alibi appellatur velamen.*

Cibo carnium non vtuntur.] *Carnibus vesci noluerunt Eustathiani, eo quòd immundas dicerent: ideoq; in Concilio Gangrensi damnati sunt. De hac re etiam decretum est. 14. Concilij Ancyrani, ijsdem penè verbis.* Qui in Clero sunt, Presbyteros, vel Diaconos à carnibus abstinentes, visum est eas attingere; & sic si velint ab eis abstinere: Si autem nolint olera, quæ cum carnibus apponuntur, comedere, & Canoni non cedant, ab ordine cessare.

Qui pro suis sceleribus puniuntur.] *Contrarium videtur decernere Concilium Aurelianense. 2. c. 14. his verbis:* Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probẽtur proprijs manibus intulisse.

Catechumenis.] *Catechumenus is est qui audiens à patribus appellatur: nam de fide, quæ ex auditu est, teste Paulo, instruebatur. August. lib. de fide, & operibus ca. 6. Instituebantur autem Catechumeni ab Episcopo, & Sacerdotibus; Nicol. PP. Tribur. 6. Isidorus li. 2. de offic. Eccles. cap. 20.*

Deforis circa murum.] *Idem statuit Concilium Triburiense cap. 17. de Laicis, vt non in Ecclesia, sed in communi cœmeterio seu dormitorio sepeliantur: additur tamen:* Nemo enim in Ecclesia sepeliatur; nisi fortè talis sit persona Sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per vitæ meritum talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit. *Concilium Maguntinum, c. 52. excipit Episcopos, Abbates, & dignos Presbyteros. Pelagius. II. sic statuit, vt inter alia eius decreta, legi in lib. M.s. bibliot. D. Laurent.* Item placuit, vt corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sepeliantur; sed si necesse est, foris circa murum basilicæ. *Hunc morem antiqui Christiani, religiosè seruarunt, vt in capellis, aut in muro ecclesiæ, & non intra ecclesiam humarentur; quãuis essent proceres & Principes viri: vt obseruatum est in multis basilicis Hispaniæ. Nunc verò tanta omnes homines ambitio & fastus cepit, vt lacera corpora, trunci artus, putres formæ, propè Christi Dei veri Sacramentũ, adhibitis marmoreis imaginibus superbè collocentur. Superbiam & luxum inanem damnamus, non pietatem; modumque profanis sepulturis adhibendum, suademus. Vide quæ supra notauimus in calce Concilij Valentini.*

In sepeliendis verò sanctorum martyrum corporibus, alia erat ratio & conditio: Nam in illis condiendis, & in templis struendis ad eorum cultum, effusæ erant impensæ Christianorum; vt auctor est Tertull. in apologet. & Prudentius, & Gregorius Nyssen. in oratione de funere Meletij, & Nazianzen. epist. 18. ad Sophron.

Nam si firmissimum hoc.] *Duodecim tabularum lege interdictum erat, intra vrbem mortuos sepeliri: vnde in vijs sepeliebantur Romani.*

Chrisma.] *Nullus Presbyter chrisma potest conficere, vt statuit Syluester PP. Act. 1. Concil. Rom. cap. 5. & 2. Carthagin. cap. 3. & 3. Carth. c. 36. & 1. Tolet. c. 20. & in epistola Montani ad Theoribium: id enim munus solius Episcopi est. Innocen. PP. epist. 5. Estque Cyprianus auctor, id à Christi Saluatoris Domini nostri facto emanasse, in Opusculo de vnctione chrismatis, & alijs Sacramentis.*

Aut Altarium.] *Presbyter non debet consecrare altare: nam id etiam Episcopo reseruatum est. Concil. Agathen. cap. 43. Vide etiam Concil. 2. Hispal. c. 7. De eo etiam Felix PP. IV. epist. Decretal. cap. 1. & Concilium Toletanum 8. c. 7. & Vormatiense. c. 8.*

Semel aut bis.] *Hæc diuisio erat oblationum. Idem dicitur. 2. Bracarens. c. 6. At 1. Aurelian. ca. 16. dimidia pars assignatur Clero, dimidia Episcopo: & c. 13. dicitur, tertiam partem esse Episcopi, Clericorum verò duas alteras. Vide decretum Damasi PP. apud Gratian. 10. q. 1. c. Hanc consuetudinem, & Concil. 4 Tolet. c. 32. Hæc omnia* Garsias.

Cap. 13. Cõmunio à triplici loco tripliciter nominata.

Sanctuarum altaris quid.

Cap. 14. Esum carnis Eustathiani abominãtur quare.

Cap. 16.

Cap. 17. Catechumenus quis?

Ca. 18. Defunctorum corpora olim in Ecclesiis sepelire illicitũ fuit.

Ca. 19. Quis minister chrismatis consecrandi.

A quo altaria consecrari debeant.

Ca. 21. Diuisio oblationũ

SERIES SVEVORVM REGVM, SVB QVIBVS BRACARENSIA CONCILIA HABITA SVNT, ex Garsia Loaisa, ne quid deesset, hic recens adiecta.

Era Cæsaris.	Anno Christi	
446	408	*Hermericus regnauit ann. 32.*
478	440	*Rechila ann. septem.*
486	448	*Recciarius ann. nouem.*
495	457	*Maldra ann. tres.*
498	460	*Frumarius ann. quatuor.*
		Remismundus: qui cum tota gente, Arriana hæresi infectus fuit. In quo errore gens illa per annos ferè centum perseuerauerit: quo tempore Reges non reperiuntur: quippe indigni, vt eorum repetita maneat memoria.
596	558	*Theodomirus seu Ariamirus, Catholicus ann. 6. Concilium Bracarense primum sub eo habitum, & Lucense: regnauit annis duodecim.*
608	570	*Miro ann. 13. Concilium Bracarense secundum.*
620	582	*Eboricus.*
		Andeca tyrannus.
		Sueuorum regnum deletum est tempore Leouegildi, Gothorum Regis: postquam regnauerunt in Hispania annis centum septuaginta septẽ: vt auctor est Isidorus.

CONCILIVM SANTONENSE, SVB IOANNE III.

Anno Christi 566. Celebratvm, In quo Emerius Santonensis Episcopus, à Clotharioin sedem intrusus, deponitur à Leontio Burdegalensi Episcopo.

Notae.

Causa & acta Concilij.

Clotharij factum crudele.

Concilium.] *Cum in Concilio Parisiensi tertio supra constitutũ fuisset, ad Episcopatum admittendum esse, non quem Regis auctoritas absq; canonica electione intrusisset; sed quem Clerus elegisset, & Episcopi prouinciales, vnà cum Metropolitano probassent: Leontius Burdegalensis Episcopus, collecto Collegarum suorum Concilio, Santonis post alia decreta, Emerium Episcopum Santonensem à Clothario Rege eo modo in Episcopatum regia auctoritate intrusum, sede priuauit. Quod cum Chariberto Regi nunciatum esset, ira fremens nuncium Presbyterum à suis conspectibus extrahi iussit, & plaustro spinis suppleto, imponi desuper, & in exilium protrudi præcepit; conuocatoq; aliorum religiosorum conuentu, Emerium vi iterum intrusit. Rem in Concilio gestam prolixius describit Gregor. Turon. lib. 4. c. 26. his verbis:* Apud vrbem Santoniam, Leontius congregatis prouinciæ suæ Episcopis, Emerium ab Episcopatu depulit, asserens non canonicè fuisse hoc honore donatum. Decretũ enim Regis Clotharij habuerat, vt absque Metropolitani consilio benediceretur, qui non erat præsens. Quo electo, cõsilium fecerunt in Heraclum Burdegalensis Ecclesiæ presbyterum: quod Regi Chariberto subscriptum proprijs manibus per nuncupatum presbyterum transmiserunt. Qui veniens Turonos, rem gestam beato Euphronio pandit; deprecans hoc, vt consensum subscribere dignaretur. Quod vir Dei manifestè respuit. Igitur postquam presbyter Parisiacæ vrbis portas ingressus Regis præsentiam adijt, hæc effatus est: Salue Rex glorioſe: sedes enim Apostolica (*ita Turonensis & Burdegalensis Ecclesiæ nominantur, non quod ab Apostolis fuerint institutæ; sed quod apostolica auctoritas, per pallium à sede Petri concessa, illis inesset*) eminentiæ tuæ salutem mittit vberrimam. Cui ille: nunquid Turonicam adijsti vrbem, vt Papę illius nobis salutem deferas? Pater (inquit Presbyter) Leontius tuus cum prouincialib. Episcopis, salutem tibi mittit, indicans Aemilium (sic enim vocitare consueuit Emeriũ ab infantia sua) electum ab Episcopatu, pro eo quod prætermissa canonum sanctione, vrbis Santonicæ Episcopatu ambiuit, ideoq; consensum ad te direxerunt, vt alius in locum eius substituatur: quo fiat, vt dum transgressores canonũ regulariter arguuntur, regni vestri potentia æuis prolixioribus propagetur. Hoc eo dicente, fremens Rex eum à suis conspectibus extrahi iussit, & plaustro spinis suppleto, imponi desuper & in exilium protrudi præcepit, dicens: putasne, quod nõ est desuper quisquam de filijs Clotharij Regis, qui patris facta custodiat, quod si episcopum, quem voluntas Regis elegit, absque nostro iudicio profecerunt? & statim electis viris religiosis Episcopum loco restituit. *Permansisse Emerium deinceps in Santonensi Episcopatu, eundemq; reconciliatum fuisse Leontio, ex his quæ scribit Venantius Fortunatus in carmine de basilica S. Bibiani intelligi potest.* Emerius pœnitentiam agit.

Leontio.] *Hic Leontius 113. numeratur à Fortunato Burdegalẽsis Episcopus; qui nobilissimo genere ortus, diuitijs q; pollẽs, & egregijs animi virtutib. exor natus, coniugatus licet, inuitus ad eius Ecclesiæ Episcopatũ assumptus fuit. Nomen coniugis fuerat Placidina, ex imperatorio stemmate procreata: quæ optimis compositа moribus, etsi à sancto viro suo corpore diuisa foret; bonis tamen operibus ipsi comes indiuidua inhæsit. Archima soror Placidinæ & vxor Apollinaris, etiã indulsit viro suo, vt Episcopus crearetur, ipsaq; diuinis templis erigendis vacaret. Gregorius Turon. de gloria Martyr. c. 65. Fortunatus li. 1. carm. in laud. Leontij. Baron. anno 566. nu. 19. & 20.* Leontius Burdegalensis Episcopus.

CONCILIVM APVD LVCVM A THEODOMIRO Principe habitum.

Era DC. VII.

Tempore Sueuorum, sub Era 607. die Kalendarum Ianuarij, Theodomirus, Princeps idem Sueuorum, Concilium in ciuitate Luco fieri præcepit; ad confirmandam fidem Catholicam, vel pro diuersis Ecclesiæ causis. Postquam peregerunt quicquid se Concilio ingerebat, direxit idem Rex epistolam suam ad Episcopos, qui ibidem erant congregati, continentem hæc.

Cupio, sanctissimi patres, vt prouida vtilitate decernatis in prouincia Regni nostri; quia in tota Gallœcię regione spatiosæ satis diœceses à paucis Episcopis tenẽtur; ita vt aliquantæ Ecclesiæ per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari; insuper tantæ prouincię vnus tantummodo Metropolitanus Episcopus est, & de extremis quibusq; parochijs longum est, singulis annis ad Concilium conuenire.

Dum hanc epistolam Episcopi legerunt, elegerunt in Synodo, vt Sedes Lucensis esset Metropolitana, sicut & Bracara: quia ibi erat terminus de confinitimis Episcopis, & ad ipsum locum Lucẽsem grandis semper erat coniunctio Sueuorum: etiam in ipso Concilio alias sedes elegerunt, vbi Episcopi ordinarentur. Sicque post hæc pro vnaquaque cathedra diœceses & parochias diuiserunt: ne inter Episcopos contentio aliquatenus fieret; id est:

Ad cathedram Bracarensis Ecclesiæ, quæ in vicino sunt, Centumcellas, Coetos, Lenetos, Aquaste, Milia, Ciliolis ad postam, Ailio, Carãdonis, Tauis, Ciliotao, Getanio, Oculis, Cerecis, Petroneto, Equirię ad Saltum: item Pagi, Pannonias, Ledera, Vergancia, Astiastico, Tureco, Cuneco, Cherobio, Bereſe, Palanticio, Celo, Supelegio, & Senesquio.

Ad sedem Portugalensem in Castronouo Ecclesias quæ in vicino sunt, Villanoua, Betaonia, Visea, Mentuno, Toreno, Caguesto, Leporeto, Melga, Tangobia, Villagomedea, Tauuase: Item pagi, Labrencio, Aliobio, Vallacia, Truluco, Cepis, Flandolas, & Palentiaca. II.

Ad La-

Ad Lameco, Lamecum, Tuentica, Acauoca, Cantabiano, Omnia, & Camianos. III.

Ad Conimbriensem, Conebrei, Eminio, Lutbine, Insula, Antunane, & Portucale Castrum antiquum IV.

Ad Vesense, Veseo, Rodomiro, Submontio, Subuerbeno, Cosonia, Ouellione, Totela, & Caliabrica, quæ apud Gothos postea sedes fuit. V.

Ad Dumio familia seruorum. VI.

Ad Egitanien sem, tota Egitania, Mene, Cipio, & Francos. VII.

Ad Lucensem, Luco ciuitas cum adiacentia sua, quam tenent Comites. XI. vna cum Cairoga, Lemos, & Cauarcos. VIII.

Ad Aurien sem, Palla, Auna, Verugio, Bebalos, Ceporos, Tennes, Pinca, Sassauio, Verecanoe, Senabia, & Calapages maiores. IX.

Ad Asturien sem, Astorica, Legio, Bergido, Petra, Sperãti, Comanea, Ventosa, Maurellos superiorum, & inferiorum Senuire, Francelloe, & Pesicoe. X.

Ad Irien sem Mortacio, Salinien se, Centenoe, Celonoe, Medien sie, Pestamarcos. XI.

Ad Tuden sem ecclesias in vicino, Turedo, Tabolela, Locoparre, Aureas, Tabulela, Longetude, Carisiano, Martiliana, Turonio, Celessantes, Turuea. Item pagi, Aunone, Sacria, Erbilone, Gauda, Obinia, & Cortese. XII.

Ad Sedem Britonnorum, Ecclesiæ, quæ sunt intro Britonnes, vnà cum monasterio Maximi : & quæ in Asturijs sunt. XIII.

Notae Ioan. Garsiæ in Concilium Lucense sub Ioan. Pap. III.

A Theodomiro.] *Is fuit septimus Rex Sueuorum, qui in Gallæcia imperium obtinuit, hoc ordine: Hermericus, Rechila, Recciarius, Maldra, Frumarius, Remismundus, qui hæresi infectus est cum vniuersa Sueuorum gente; & eadem labes per annos ferè centum est propagata, vsque ad Theodomirum, siue Ariamirum, catholicum & optimum Principem, qui totam gentem S. Martini Episcopi Dumien sis, postea Bracaren sis, studio & labore ad veram sinceramque Ecclesiæ Catholicæ fidem reduxit: resq; Ecclesiasticæ, institutaque iam ferè antiquata, mirum in modum amplificata, auctaq; sunt. Idem indixit hoc Concilium Lucense: ad quod, & ad Nitigesium Lucensem S. Martinus Dumien sis transmisit opusculum Orientalium Conciliorum, quod magno studio in compendium reduxerat.* Hæc Garsias: *à cuius sententia discrepat Baron. in annalibus; tum quod Theodomirum Ariamiri patrem fuisse recte sentiat: tum etiam quod opusculum illud Orientalium Conciliorum ad Lucensem II. Synodum à S. Martino Dumien si transmissam fuisse non male existimet Vide quæ dicam infra in Notis Concilij Lucensis II.*

De hoc Concilio Lucensi sic scribit Ioannes Vasæus, libro chronicorum Hispaniæ, tomo posteriori, anno Domini, 564.

Hoc Concilium Lucense circa hunc annum celebratũ est, Kalen. Ianuar. sub Theodomiro Rege Sueuorum; sub quo & Bracarense, ad confirmandam fidem Catholicam, & constituendum Ecclesiæ statum. In eo Concilio Ecclesiæ Bracarensi Metropolitanæ & alijs Gallœciæ Ecclesijs cathedralibus sui cuique fines assignati sunt, quos ne excederent. Ex archiuo Ecclesiæ Bracarensis; vbi pro Nigesio Lucensi Episcopo, legitur Netigio. Meminit huius rei Lucas Tudensis in Rege VVamba, & dicit, Adaulphum Episcopum Legionensem huic interfuisse Concilio. *Hæc ex annalibus Vasæi.*

Ego verò accepi hoc Lucense Concilium, à D. Ioanne Ruizio Episcopo merritissimo Lucensi, studio sapientiæ & religione claro, qui illud mihi rescripsit, se descripsisse, ex C. M. scripto Ecclesiæ Lucensis per antiquo.

Hæreo in exordio Concilij, an legendum sit: Tempore Sueuorũ sub Era 600. septimo die Calendarum, *an:* sub Era 607. die Kalendarum Ianuarij: *& quamuis mihi prior lectio magis placeat, tamen posteriorem, propter auctoritatem Ambrosij Mori, & Ioannis Vasæi, sequor.*

Ponuntur in hoc Concilio XIII. sedes prouinciæ Gallœciæ: Bracara prima sedes, Portucal, Lameco, Conimbrica, Veseo, Dumio, Egitania, Lucoprima sedes, Auria, Asturia, Iria, Tude, Britona.

Opportunus hic se offert locus, ad differendum de diuisione sedium Episcopatuum Hispaniæ; de qua multa scripta sunt ab historicis nostris: & in re ita obscura, & ferè iam antiquata, nihil consultius faciendum existimaui, quàm ipsos fontes veteres & reconditos, ex quibus illi rem hanc hauserunt, emendatos & puros edere; vt ex libris M. ff. Ecclesiæ Toletanæ, & D. Laurentij correctioribus & vetustioribus, elicere potuis; & ex Codice Ecclesiæ Ouetensis, qui inscribitur Itacius.

Est in bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ processus quidam, & acta in causa Ecclesiæ Valentinæ: nam quàm primũ expugnabatur à Iacobo Aragonum Rege, strenuo Maurorum domitore, & in deditionem venit, Primas Toletanus ad suam iurisdictionem iure antiquo pertinere dicebat. In quibus actis hæc habentur.

Cæsar Constantinus Imperij sui IV. anno, cum esset in Hispania, conuocatis eius Episcopis, totam prouinciam in sex Archiepiscopatus partitus est, decreuitque omnes peculiaribus diœcesibus & finibus contineri.

Prima sedes est Narbo. II. Tarraco. III. Bracara. IV. est Spalis. V. Emerita. VI. Toletũ, quæ habet sibi subdita hæc oppida: Oretũ, hoc est Calana; Baecia, hoc est Baeca; Mentesa, hoc est Iaen; Acci, hoc est Guadix; Vrgi, hoc est Almeria; Bagastri, hoc est Albarracin, aut Bilueſtre; Illici, hoc est Elche; Setabis, hoc est Xatiua; Denia, Valencia, Valeria propè Quoncam; Secobria, id est Sogorbe; Arcobrica, hoc est Arcos; Cõplutum, hoc est Guadalaxara, siue Alcala; Segoncia, hoc est Siguenca; Oxoma, hoc est Osma; Secobia, hoc est Segouia; & Palencia.

Et infra. Postmodum quatuor libros Arabicos in iudicio nobis exhibitos inspeximus, & fecimus legi in libris illis per vnum Iudæum & alium Sarracenum: & ipsi legentes in dictis libris, scilicet in libro Rasis, qui multos libros fecerat de Physica, vt Sarracenus dicebat; & in libro Abiba Cacahabi, qui peritus fuerat in lege eorum; & in duobus alijs libris, quorum auctores non erant; dixerunt nobis, quòd in dictis libris continebatur, quòd inter sex diuisiones dictas, factas à Constantino Imperatore in Hispania, erat ciuitas Valentia sub ciuitate Toleto: *Hæc ibi.*

In Codice Hispalensi Diui Laurentij, qui anno Domini 962. scriptus est, sic inuenio.

DIVISIO PROVINCIARVM HIspaniæ, & earum sedium

PROVINCIA GALLECIAE.

Brachara Metropolis.	Dumio.
Portucale.	Aurien se.
Conimbria.	Tude.
Eguitania.	Luco.
Veseo.	Iria.
Lameco.	Britona.
Vetica.	Astorica.

PROVINCIA GALLIAE.

Narbona Metropolis.	Luteba.
Caucoliberi.	Magalona.
Carchasona.	Nemis.
Biterris.	Enemaso.
Agata.	Elena.

PROVINCIA LVSITANIAE.

Emerita Metropolis.	Caurio.
Auela.	Exonoba.
Salmantica.	Olisibona.
Elbora.	

PROVINCIA CARTHAGINIS.

Toleto Metropolis.	Dianio.
Compluto.	Setabi.
Segontia.	Carthago.
Oxoma.	Basti.

Palentia. Menteſa.
Valeria. Acci.
Oreto. Biacia.
Valentia.

PROVINCIA BETICAE.

SPALIS Metropolis. Egabro.
Italica. Eliberi.
Elipa. Malacha.
Aſtigis. Aſidona.
Corduba.

PROVINCIA TARRACONENSIS.

TARRACONA Metropol. Elerda.
Dertoſa. Barcinona.
Cæſarauguſta. Egara.
Tyraſona. Auſona.
Calaguris. Gerunda.
Auca. Impurias.
Pampilona. Orgello.
Oſca.

IN Concilio Emeritenſi, Canone 8. dicitur, Recceſuinthim Regem, prouinciæ Luſitaniæ terminos Epiſcopis & Parochis diuiſiſſe, & iuxta priſcorum Canonum ſententias in antiquam formam reduxiſſe. Ibiq; Egitania ad prouinciam Luſitaniæ eſt attributa.

In C. M. S. literis Gothicis, Eccleſiæ Ouetenſis, in principio ſic ſcriptum eſt.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI Ieſu Chriſti, incipit numerus ſedium Hiſpanienſium: & vniuſcuiuſq; prouinciæ ſedes ſuo Metropolitano ſubſcriptæ, vſq; in Rhodanum amnem, id eſt:

METROPOLI TOLETO SVBDITAE.

Oreto. Vrgi.
Beatia. Bagaſtri.
Menteſa. Illici.
Acci. Setabis.
Baſti. Dianium.
Valeria. Segontia.
Valentia. Oxoma.
Secobriga. Secobia.
Arcabrica. Palentia.
Compluto.

Sub vno XX.

METROPOLI SPALI SVBDITAE.

Italica. Aſtigi.
Aſidona. Corduba.
Elepla. Egabro.
Malaga. Tuccis.
Elberris.

Sub vno X.

MERITAE METROPOLI SVBDITAE.

Merita. Lamego.
Pace. Caliabria.
Olixibona. Cauria.
Exonoba. Elbora.
Egitania. Abela.
Conimbria. Salmantica.
Viſeo. Numantia, id eſt, Camora.

Sub vno XIII.

BRACARAE METROPOLI SVBDITAE.

Bracara. Iria.
Dumio. Lugo.
Portucale. Britonia.
Tude. Aſtorica.
Auria.

Sub vno IX.

TARRACONAE METROPOLI ſubditæ.

Tarracona. Egara.
Barcinona. Gerunda.
Empurias. Cæſarauguſta.
Auſona. Oſca.
Vrgello. Pampilona.
Lerita. Calaforra.
Ictoſa. Tiraſona.
Tortoſa. Auca.

Sub vno XV.

NARBONA METROPOLIS.

Narbona. Luteba.
Beterris. Carcaſona.
Agatha. Toloſa.
Magalona. Elna.
Nemauſo.

Sub vno IX.

Et ſub vno ſedes Hiſpanienſes, abſque Prouincia Tingitana vſque ad mare Oceani, qui eas circundat, ſedes 82. exceptis Legione, & Oueto, quæ nulli vnquam Metropoli fuerũt ſubditæ.

Diuiſio terminorum Diœceſium, & Parochiarum Hiſpaniæ à Vvamba rege facta: ex libris M. SS. Eccleſiæ Toletanæ, & Eccleſiæ Ouetenſis, cuius titulus eſt Itacius; in quo hiſtoria Regum Vandalorum & Alanorum in Gallœcia, & poſtea Sueuorum, & demum Gothorum ſcribitur.

Era DCC. IV. poſt Recceſuindum Vvamba Rex Gothorum regnum nouem annos obtinuit. Hic Toleto ea hora, qua vnctus eſt in Regem, cum quadam euaporatione viſa eſt apis à cunctis, qui aderant, ex capite eius exire, & ad cęlos volare. Hoc ſignum factum eſt à Domino, vt futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, & dulcedinem pacis, quam habuit erga ſuos. Aſtures & Vaſcones in finibus Cantabriæ crebrò rebellantes edomuit, & ſuo imperio ſubiugauit: ciuitatem, quæ Cartua vocabatur, & Pampilonem ampliauit, quam Vvambæ Lunam vocauit: Prouinciam quoque Galliæ, quæ Hiſpania citerior dicitur, ſibi rebellantem, multis agminibus Francorum interceptis, ſubiugauit, & Paulum perfidum, Galliæ tyrannum cepit, eiq́ue oculos euellere præcepit: & ad vrbem Toletanam cum triumpho magno reuerſus, diſcordesq́ue Pontifices, eò quòd alij aliorum parochias inuadebant, ad concordiam ſtuduit reuocare. Fecit & chronicas regum priorum coram ſe legere: vt faciliùs poſſet terminos parochiarum diuidere, ſicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris cenſura, & iura propria quælibet Eccleſia poſſideret: ſicut ſubiecta denotat ſcriptura.

CONCEDIMVS & confirmamus, quod, ſicut Gundericus, Géſericus, Hunericus, Guntamundus, Ilorís, & Guimel, Reges Vandalorum ciuitatem Lucum ſucceſſiuè dotauerunt, teneat pacificè, & quietè terminos, qui inferiùs ſubſcribentur:

Totas Aſturias per Pyrenæos montes, & per flumen magnum Oue, & per totum littus maris Oceani vſque Biſcaiam, per Summumroſtrum, & per Summumcabrium, per portas de Sancta Agatha, per Pocaſalem, per Limbam de Folios, vnà cum campo Erbolio, Gordon vſque ad illam arborem de Quadros, per Riuulum de Humana. Lunam, Vandabiam, vſque ad Pyrenæos montes, Coyanzam Villam, Quexidam, per Coniaquelam, Montoſam vſque ad flumen Vrbetum in Gallecia, Suernam, Vallem longam, Veram, Flamoſam, totam Sarriam, Paramum vſque ad flumen Mineum. Totam Lemos, Vinyſo, Veroſmo, & Semmanorum, & Froiam vſque ad flumen Silum. Totam Lumiam, cum Eccleſijs de Peraio, quæ ædificatæ ſunt, vel fuerint, inter Arnoyum flumẽ & Silum.

Itacius de Luco Auſtriam intelligit.

& Silum. A termino montis Buron, & per aquam Zore, vsque in fundum Arnoyi, & per ipsum discessum vsque in flumen Mineum, Iueza vsque Portelam de Vanati, & Ecclesias de Sallaz, inter Arnoyum & Silum, cum Ecclesijs de Barcoso, Castellam, Cunsancam, Barnantes, & Auion, Asmam, Carabam, Amancam, sicut dictam Ecclesiam Lucensem Reges Vandali dotauerunt.

Legio, quam condiderunt Romanæ Legiones, quæ antiquitus Flos fuit vocata, & per Romanum Papam gaudet perpetua libertate, & *extat sedes regia, atque alicui Metropoli nunquam fuit subdita, teneat per suos terminos antiquos, sicut eam dotauerunt Hermericus, Rechila, Recciarius, Maldra, Frumarius, Remismundus, Theodomundus Sueuorum Reges, & Theodomirus.

Legio teneat, per Pyrenæos montes, & per Pennam rubeam, vna cum Medialeuaca, Ceruera, Petras nigras. Anion vsque ad flumen Carrionem, per villam Sernam, per Riuulum siccum, vsque ad villam Ardegam. Per Ceresinos, vsque in Castrum Pepi. Per villam Manam vsque in arborem de Quadros.

Supra Fines terræ Galliciæ, tria Castella, Turtures, Datineus, Castellatum, & Nauiam.

Legio ciuitas Sacerdotalis, & regia, & Lucus, quam Vvandali ædificauerunt in Asturijs, teneant, per suos terminos antiquos, sicut eis diuisit Rex Theodomirus. Hæ nulli subdantur Archiepiscopo vel Primati.

Sedes etiam Portucaliæ permaneat in sua diuisione, sicut eis diuisit Rex Theodomirus cum his, etiam quæ nos eis adiecimus.

Bracara Metropolis teneat Centumcellas, Gentis millia, Laineto, Giliolis, Adoneste, Aportis, Aylo, Ceutendonis, Laubis, Cilioto, Letania, Ceresis, Petroneyo, Equisis ad saltum: item pagi, Panoias, Leta, Bregantia, Astiatigo, Tarego, Aunego, Metrobio, Berese, Palamtusico, Celo, & Senequumio, sub vno XXX.

Ad sedem Dumensem familia regia.

Egitamensis teneat totam Egitaniam, Mene, Cipio, & Francos.

Portugalensis teneat in Castronouo Ecclesias, quæ in vicino sunt; scilicet, Villanoua, Betaonia, Vesea, Menturio, Torebia, Bramaste, Pongoaste, Lumbo, Nestis, Napoli, Curmano, Magneto, Leporeto, Melga, Tangobria, Villagomedi, Tanuatta. Item pagi, Lambrencio, Aliobrio, Valericia, Turlango, Ceris, & Mendolis, & Palencia. Sub vno XXV.

Lamecum teneat ipsum Lamegum, Tuencia, Arauca, Cantabriana, Omnia, & Ceminus. Sub vno VI.

Conimbrensis sedes teneat ipsam Conimbriam, Eminio, Selio, Bime, Insula Astrucione, & Portugaliæ Castrum antiquum. Sub vno VII.

Vesensis teneat ipsum Vesco, Rodomiro, Submoncia, Suberbeno, Osania, Ouelione, Tutella, Goleia, & Caliabria, quæ apud Gothos postea sedes fuit. Sub vno VII.

Iriensis teneat ipsam Iriam: de Issum vsque Cusancaro, & de Caldas de Rege vsque in oram maris Oceani.

Lucensis teneat ipsam ciuitatem cum adiacentibus suis, cum Cantoquia, Somes, Carabarcos, Montenigro, Parraga, Latra, Azamana, Segios, Triauada, Pogonti, Saluatera, Monterroso, Doira, Deca, Colea. Sub vno XVI.

Auriensis teneat Vesugio, Ruuale, Teporos, Sedisos, Pincia, Casauio, Verèganos, Sanabria, & Calabazas maiores. Sub vno X.

Astoricensis teneat ipsam Astoricam, Legionem super Vibico, Berisо, Petra speranti, Antiribis, Caldelas, Marellos superiorem & inferiorem, Senure, Frogelos, & Pericos, sub vno XI.

Britonacensis teneat Ecclesias quæ in vicino sunt intro Britones, vna cum monasterio Maximi vsque in flumine Ouæ.

Tudensis teneat ipsam Tudem cum Ecclesijs quæ in vicino sunt, Torelo, Torobera, Ludo, Patre, Agnoue, Sagria, Erbilione, Aureas, Langetve, Carasino, Toruca. Item pagi, Cauda, Ouinia, & Cartasse, sub vno. XV.

TOLETO METROPOLI SVBIACEANT hæ sedes.

Oretum hæc teneat: de Galla vsque Eciga: de Betra vsque Campaniam.

Beatia.

Mentesa, hæc teneat: de Eciga vsque Securam: de Lila vsq; Pulixena.

Acci hæc teneat: de Secura vsque Montaneam: de Arcatel vsque Carachuel.

Basti hæc teneat: de Montanea vsque Egestam: de Rauca vsque Fusitam.

Vrgi hæc teneat: de Egesta vsque Carthaginem: de Castri, vsque Mundam.

Bigastrum hæc teneat: de Pugilla vsque Nisdomiam, de Serta vsque in Babam.

Illici hæc teneat: per terminos Bagastri & Setabis, & Denia.

Setabis hæc teneat: de Custo vsque ad Moletam: de Togola vsque ad Intam.

Denia hæc teneat: de Sosa vsq; in Intã: de Silua, vsq; Gil.

Valentia teneat de Silua vsque Musuetum: de mari vsque Alpont.

Valeria hæc teneat: de Alpont, vsque in Terrabelam: de Stizerola vsque Ninar.

Secobrica hæc teneat: de Tarabella vsque Obuiam, de Toga vsque Brecam.

Arcabrica hæc teneat: de Alcont vsque ad Obuiã, de Mora vsque Bastram.

Complutum hæc teneat: de Alcont vsque ad cortem, de Gusia vsque ad Costem.

Segontia hæc teneat: de Coste vsque Fuscam: de Godol vsque Pinam.

Oxoma hæc teneat: de Fusca vsque Arlanzon, quomodo currit in camino sancti Petri, qui vadit ad sanctum Iacobũ, de Garafe vsque Hermitas.

Secobia hæc teneat: de Almet vsque Mambellam, de Mõtel vsque Vasodoto.

Palentia hæc teneat: de Mambella vsque Caltam, de Valbona vsque Fortosam.

TARRACONENSI METROPOLI SVBIACEANT hæ sedes.

Barcinona hæc teneat: De Mina vsque Pagellam: de Vsa vsque Bordel.

Egara hæc teneat: de Bordel vsque Paladera, de Montesa vsque Portellam.

Gerunda hæc teneat: de Palada vsque Iustemate, de Alosa vsque Pinnas.

Empuriæ hæc teneant: de Iustamate vsq; Bercam: de Ventosa vsque Giluam.

Ausona hæc teneat: de Borga vsque Auratam: de Bulga vsque Mentiam.

Vrgela hæc teneat, de Aurata vsque Nasonam, de Murela vsque Valam.

Lerita hæc teneat, de Nasona vsque ad fontem Salam, de Lora vsque Matam.

Ictosa hæc teneat, de Font Salla vsque Portellam, de Morale vsque Tormelam.

Tortosa hæc teneat, de Portella vsque Deniam, de Tormoga vsque Catenam.

Cæsaraugusta hæc teneat, de Moouia vsque Splanam, de Ribas montes vsque Gordoto.

Osca hæc teneat, de Splana vsque Cobello, de Speflem vsque Riberam.

Pampilona hæc teneat; de Cobello vsque Mustelam, de Lotica vsque Tallam, de Mustele vsque Nampiam, de Sparga vsque Ostrual.

Calasorra hæc teneat, de Nampia vsque Spargam, de Mustela vsque Lacalam.

Tirasona hæc teneat, de Sparga vsque Platenam, de Altomonte vsque Millesam.

Auca hæc teneat: de Planta vsque Amayam, de Villaiaserno vsque Pedem Moram,

In Itacio est: Hæ sunt sedes XX. diuisę Episcopales de Toleto à mari vsque in caminum S. Petri, qui vadit ad S. Iacobum.

Insulæ Baleares, Maioricam, Minoricam Formenteram, Vseticam.

SPALI METROPOLITANAE SVBIA-ceant hæsedes.

Italica hæc teneat: de Vlea vsque Busam: de Asa vsque Iamolam.

Asidona hæc teneat: de Busa vsque ad Senam: de Lotesa vsque viam latam.

Elepla hæc teneat: de Sena vsque Datam: de Abisa vsque Cortesam.

Malaca hæc teneat: de Data vsque Malexcam: de Temia vsque sedes campo.

Maleoca, pro mala loca fortè hodiè, Mę lagon.

Eliberis hæc teneat: de Maleoca vsque Sotellam: de Almica vsque Sedille.

Astige hæc teneat: de Sotella vsque Parietem: de Luca vsque Raucam.

Corduba hæc teneat: de Pariete vsq; ad Vbetam: de la Galla vsq; Ranam.

Egabro teneat: de Vbeta vsq; ad Malam Sayam: de Gasta vsq; Suetam.

Tucci hæc teneat: de Mala saya vsq; à Balagar: de Gigara vsq; Calonam.

BRACARAE METROPOLI SVBIA-ceant hæ sedes.

Dumio hæc teneat: de Duma vsque Albiam: de Rianteca vsque Adasam.

Portucale hæc teneat: de Ibdia vsque Losolam: de Olmos vsq; Solam.

Tude hæc teneat: de Losola vsque Lagunam, de Monte albo vsque Fetosam.

Auria hæc teneat: de Cusanca vsque Silum, de Vereganos, vsque Calabacas maiores.

Iria hæc teneat: de Iso vsque Cusacam: de Chaldas de ære vsque in oram maris Oceani.

Luco hæc teneat: de Laguna vsque Bussam: de Monte soto vsque Quintanam.

Britonia: de Bussa vsque Torrentes, de Octoba vsque Tobellam & vsque ad Ouem.

Astorica hæc teneat: per oram vallis Carcer, & per fluuios, Humaria scilicet, & Vbigo, per Berco & Tauara.

EMERITAE METROPOLI SVBIA-ceant hæsedes.

Pace hæc teneat: de Balagar vsque ad Crocam, ad Montem de Olla vsque Marabal.

Olisibona hæc teneat: de Darca, vsque Ambiam: de Olla vsque Matam.

Elbora hæc teneat, de Sotobra vsque Petram: de Rucella vsque Paratam.

Exonoba hæc teneat, de Ambia, vsque Salam; de ipsa vsque Turrem.

Egeditania hæc teneat; de Sala vsque Nauam: de Sena vsque Muriellam.

Conimbria hæc teneat, de Naua vsque Bergam: de Torrente vsque Loram.

Vesęum hæc teneat, de Borga vsque Sortam: de Bonella vsque Ventosam.

Lamecum hæc teneat: de Sorta vsque Petram: de Tara vsque Ortosam.

Caliabria hæc teneat: de Sorta vsque Albeniam: de Soto vsque Faram,

Salmantica hæc teneat: de Albenia vsque Sotobram: de Russa, vsque Siberam.

Numantia hæc teneat: de Pennagodisse vsque ad Tormem super illos Balneos: de Valle de Rege vsque Dorium. De Villalalle vsque Oterum de fumus; secus Riuulum siccum vsque Breto: de Tauara vsque Dorium.

Abbula hæc teneat: de Petra vsque Villam: de Viasto vsque Torrero.

Cauria hæc teneat: de Villa vsque Tagum, de Asa vsque Pumar.

NARBONAE METROPOLI SVBIA-ceant hæsedes.

Beterris hæc teneat: de Staleth vsque Barcinona: de Macai vsque Ribafora.

Agatha hæc teneat: de Nusa vsque Ribaram: de Gallar vsque Mirlam.

Magalona hæc teneat: de Nusa vsque Ribogar, de Castello millia vsque Angoram.

Nemauso hæc teneat: de Busa vsque Angoram, de Castello vsque Sambiam.

Luteba hæc teneat: de Sambo vsque Rabaual, de Anges vsque montem Rufum.

Carcasona hæc teneat: de Monte Rufo, vsque Angeram, de Angosa, vsque montana.

Elna hæc teneat: de Angera vsque Rosinolam, de Laterosa vsque Lamusam.

Hæ sunt sedes harum duarum Hispaniarum octoginta, sub dominio Gothorum, tam Archiepiscopales quàm Episcopales, per quas nobis ministratur verbum Dei, quæ à Romano Pontifice accipiunt communionem catholicæ veritatis; vt secundum traditionem & Doctrinam Sanctorum patrum, animas sibi comissas valeant gubernare. Hæc igitur nostra institutio, quæ assensu omnium Archiepiscoporum & episcoporum dictarum sedium, auctore Deo, facta est, firma permaneat in æternum. Hæc omnia suprascripta legit gloriosus Rex Vvamba in Concilio Toletano, vbi omnes Archiepiscopi & Episcopi conuenerant; quæ subscriptione omnium confirmata sunt, Quiriaco Toletano Archiepiscopo primatiæ dignitate, & fide catholica consistente.

Statutum est præterea in dicto Concilio, vt omnes Clerici viuerent secundum regulam sanctissimi patris Isidori, prout continetur in libro eiusdem de honestate clericorum. Et quicunque Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, claustralis, vel secularis, pro dignitate, vel ordine, aut aliquo Ecclesiastico beneficio, minam daret regi, siue aliquæ aliæ personæ, ille excommunicatione perpetui anathematis innodetur.

Erat vlterius scriptum in dicto codice. M.S.

DIVISIO Prouinciarum secundum Plinium lib. III. cap. III. Hispaniæ citerioris: & diuiditur in VII. Conuentus: Primus Carthaginensis, secundus Tarraconensis, tertius Cæsaraugustanus, quartus Clunienſis, quintus Asturiensis, sextus Lucensis, septimus Bracarensis.

In Charthaginensi conueniunt populi XLII. exceptis insularum incolis. Ex colonia Accitana Gemellenses, & Libisosona cognomine Foroaugustana: quibus duobus ius Italiæ datum. Ex colonia Salarienſi Oppidani Latij veteris Castalorienses, qui Cæsari venales appellantur. Setabitani qui Augustani Valerienses; Stipendiariorum celeberrimi. Babarrenses, Bastitani, Consaburenses, Dianenses, Celestani, Iloricitani, Lamitani, Mentesani, qui & Oritani, Mentisani, qui & Bastriali, Oretani, qui & germani cognominantur, caputque Celtiberiæ, Segobrienses, Carpetani, Toletani Tago flumini impositi, dein Beacienses & Vrgilienses. Plin. 4. lib.

DIVISIO Prouinciarum secundum Imperatorem, hoc modo: Cæsar Constantinus anno 4. Imperij sui, sex Archiepiscopos, vt diuiderent Hispaniam in sex partes seu prouincias iussit, ita quod vnusquisque haberet terminos suos, quos nullo modo quis excedere attentaret.

NARBONÆ subsint, Piteus, Tolosa, Cazlora, Albi, Magalona, Nemis, Carcasona.

BRACARÆ subsint, Dumia, Portugal, Tude, Auria, Iria, Luco, Britona, Astorica.

TARRACONÆ Barcinona, Egara, Gerunda, Empuriæ, Ausonæ, Irita, Ictosa, Tortosa, Cæsaraugusta, Osca, Pampilona, Calaforra, Tyrasona, Auca.

TOLETO subsint, Secobia, Arcabrica, Segoncia, Valentia, Vrgi, Bagastri, Diania, Segorue, Complutum, Oxoma, Valeria, Oretum, Satiua, Beatia, Illici, Mentesa, Acci, Basta, Palencia.

MERIDAE subsint, Pace, Oxonoba, Olisipona, Egitania, Caliabria, Lamego, Viseo, Salmantica, Coria, Elbora, Abela, Numantia.

SPALI subsint, Italica, Asidona, Elepa, Malaga, Elberris, Astigi, Cordusia, Egabro, Tucci.

DIVISIO

DIVISIO PROVINCIARVM HISPANIArum secundum Regem Vvambam, factam tempore Quirici Primatis & Archiepiscopi Toletani. Cum inter Prælatos Hispaniarum magna fuisset exorta discordia, eo quòd vnusquisque inuaderet terminos diœcesanos, Rex Vvamba Synodum celebrari præcepit Toleti, conuocatis & congregatis Archiepiscopis & suffraganeis suis. Præsentato in medio numero ciuiratum & diœcesum, taliter diffinitur ibidem.

PRouinciæ Carthaginensis, vel Carpetaniæ Metropolis, Regia vrbs Toletum.

TOLETO subsint, Oretum, Beacia, Mentesa, Acci, Astigi, Vrgum, vel Almeria, Bagastri, Illici, Setabia, Denia, Valentia, Valeria, Segobria, Arcabrica, Iplicea, Segontia, Oxoma, Segobia, Palentia.

TARRACONAE subsint Barcinona Gerunda, Egara, Empurias, Ausona, Vrgelo, Ilerda, Ictosa, Tortosa, Cæsaraugusta, Osca, Pampilona, Auca, Calagurra, Tyrasona.

NARBONAE subsint Caucolibium, vel Tolosa, Carcasona, Bitterris, Agatha, Luteba, Magalona, Neumasum, Elena, vel Elna.

SOALI subsint Italica, vel Italia, Astigis, Corduba, Egabra, Tucci, Eliberi, vel Eliberis, Asidona, & Malaga.

EMERITÆ subsint Pace, Olisbona, Oxonoba, Egitania, Caliabria, Viseo, Lamego, Cauria, Salmantica, Abela, Elbora.

BRACARÆ subsint Dumium, Festabole, vel Portucale, Tude, Auria, Luco, Astorica, Iria, vel Vria, Ouetum, vel Britonia, exempta à Galleciæ Bracara.

Acta sunt hæc Toleto in Concilio generali, omnibus vna voce dicentibus, Placet, placet: præsentibus ac subscribentibus inuicto ac sereniſſimo Rege Vvamba, & Quirico Archiepiscopo Toletano, Hispaniarum primate, cæterisque Archiepiscopis, cum suis suffraganeis diœcesum prædictarum: in Ecclesia sanctæ Leocadiæ, Era DCC.X. per manum Petri de sancta Leocadia. Vixit autem plus hic Rex Vvamba annis quinque, & mortuus est.

Hæc omnia exscripta sunt ex C. Antiquo Ecclesiæ Toletanæ, & ex Codice Ouetensi, qui dicitur Itacius, & à me, vt potui melius emendata. Placuit etiam addere aliam diuisionem inter Oxomensem & Aucensem Episcopos, in Concilio Prouinciali factam, regnante Adefonso Sexto, & præsidente Ricardo Legato Sedis Apostolicæ, & Bernardo Toletano: quam ex archiuis Ecclesiæ Burgensis habui.

DIVISIO OXOMENSIS, ET AVcensis Episcopatuum.

ANno ab Incarnatione Domini millesimo, octogesimo octauo, Era M.C.XXVI. Regnante glorioſissimo Adefonso Imperatore in Toleto, Legione, Gallecia, Castella, & Nagara, facta est Synodus in Ecclesia sanctæ Mariæ de Fusellis, apud Castrum Montloy, præsidente domino Ricardo, Vicario sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, præsente cum eo domino Bernardo Archiepiscopo Toletano, & Archiepiscopo domino Petro Aquensi, residentibus cunctis Episcopis regni ipsius glorioſissimi Regis, videlicet Dumiensi Episcopo Gundisaluo, Aderico Tudensi Episcopo, Arriano Ouetensi Episcopo, Osmundo Asturicensi Episcopo, Raimundo Palentino Episcopo, Petro Legionensi Episcopo, nec non electis in ministerium Episcopi, Petro in Ecclesia Beati Iacobi, Martino in ecclesia Coimbrensi, Sigefredo in ecclesia Nagarensi, Petro in ecclesia Orensi, præsentibus itidem Abbatibus, Fortunio in monasterio Exiliensi, Vincentio in monasterio Ansilance, Didaco in monasterio sancti Facundi electis etiam in Abbatia Reginensi, Ioanne in monasterio Orensi, Petro in cœnobio sancti Petri Caradignæ; cum consilio, & consensu supradicti catholici Regis, & Episcoporum, Abbatum, Principum, & procerum ipsius regni, nec non totius Concilij, facta est diuisio inter Oxomensem, & Aucensem Episcopatum, qui nouiter Burgis translatus est. Et quia Oxomensis Episcopatus priùs à Sarracenis inuasus, quotidie per misericordiam Dei redintegratur; quoniam confinia eorum, & termini incerti habebantur, & quia iugis contentio erat inter Bernardum Toletanum Archiepiscopum, ad quem Oxomensis ecclesia Metropolitano iure pertinet, & Gomizonem Aucensem, seu Burgensem Episcopũ, assentiente videlicet vtraque parte visum est, saniori consilio, sic determinare parochias eorũ, vt à fine Canatanazor, & de Muriello, & Arganca, & Castri, quod dicitur Messella, & Castri, quod dicitur Espega, & à Villis, quæ dicuntur Congosto, & Buezo, & sicut aqua ipsa currit, & labitur in Arandam, aqua, quæ discurrit per Cluniam, & pertransit ipsam Cluniam, vsque ad Pennam de Aranda, donec labitur in fluuium Dorium, & omnes villæ ex hac parte fluminis Arandæ, in quibus currit Sayo de Clunia, nec non trans fluuium Dorium Castrum Materiolum, & Vociquellas, & vsque ad ciuitatem Septempublicensem, & quicquid vltra continetur, decerneretur esse Oxomensis ecclesiæ: illa verò quæ citra sunt terminum prænotatum, versus Septentrionalem plagam, Aucensis ecclesia iure perpetuo possideat. Sanè si quis Archiepiscopus, Episcopus, Rex, Comes, Princeps, aut aliqua potestas, seu quælibet ecclesiastica, secularisve persona definitionis huius paginam pertinaci audacia violare, vel in aliquo infirmare tentauerit, reum se de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine DEI, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atq; in extremo examine cum sinistris deputatus, districtæ vltioni subiaceat.

EGo Adefonsus, diuina præordinante gratia, Hispaniarũ Rex supranotatam diuisionem fieri volui, manuq; propria firmaui.

Ego Ricardus sanctæ DEI Romanæ Ecclesiæ Vicarius, huic Concilio præsidens laudo, manuque propria confirmo.

Ego Bernardus Toletanus Archiepiscopus finium Oxomensis Ecclesiæ defensor, & inuestigator, suprascriptam diuisionem laudo, manuque propria corroboro.

Ego Petrus Aquensis Archiepiscopus confirmo.

Ego Gomessanus Burgensis Episcopus confirmo.

Ego Gundisaluus Dumiensis Episcopus confirmo.

Ego Adericus Tudensis Episcopus confirmo.

Ego Arrianus Oueten. Episcopus confirmo.

Ego Osmundus Astoricensis Episcopus confirmo.

Ego Raimundus Palentinus confirmo.

Ego Petrus Legionensis Episcopus confirmo.

Ego Petrus in Ecclesia B. Iacobi electus confirmo.

Ego Martinus in Ecclesia Conimbriensi electus confirmo.

Ego Sigefredus in Ecclesia Nagarensi electus confirmo.

Ego Petrus in Ecclesia Orensi electus confirmo.

Ego Fortunio Exiliensis Abbas confirmo.

Ego Vincentius S. Petri Asilicensis Abbas confirmo.

Ego Didacus monasterij sancti Facundi Abbas confirmo.

Ego Ioannes in monasterio Onensi electus confirmo.

Ego Petrus in monasterio S. Petri Caradignæ electus confirmo.

Ego Garsias Nagarensis Comes confirmo.

Ego Petrus Comes de Carrion confirmo.

Ego Ferdinandus Comes confirmo.

Ego Martinus Comes confirmo.

Ego Rodericus Ordonez Princeps confirmo.

Ego Gundisalaus Nunnez Princeps confirmo.

Ego Rodericus Gonsaluez Princeps confirmo.

Ego Aluarus Diaz Princeps confirmo.

Ego Lope Sanchez Princeps confirmo.

Ego Didacus Sanchez Princeps confirmo.

Ego Bermudo Rodriguez Princeps confirmo.

Ego Petrus Aluarez Princeps confirmo.

Silos. Sahagun. Oña Cardeña.

AD EXACTIOREM HARVM DIVISIONum intelligentiam, nomina antiqua, cum neotericis Episcopatuum Hispaniæ, & Galliæ Narbonensis coniunxi; sequutus in hac interpretatione sedium diuisionem. CC. M. SS. superiùs positam. Prouinciam verò Carthaginis primò enodare constitui, propter eius dignitatem; breuirati studens potius, quàm labori prolixæ inquisitionis.

PROVINCIA CARTHAGINIS.

TOLETVM, *hodie Toledo, Plinius: Caput Carpetaniæ Toletani, Tago fluuinii impositi. Vnde Liuio Carpetanorum vrbs, Colonia Romanorum. Vt ex numis constat: insignis religionis cultu Metropolis, & Hispaniæ Primas.*

COMPLVTVM, *hodie Alcala de Henares, martyrio Iusti, & Pastoris conspicua. Prudentius:*

Sanguinem Iusti, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex geminumq́ donum
Ferre Complutum gremio tuabit,
Membra duorum.

Est nunc sub Toletano Præsule, illustrisq́ omnium bonarum artium academia, & doctissimorum hominum magistra.

3 OXOMA, *Orosio; Plinio Vxama, & Ptolemæo Ὄξαμα, in Areuacis; hodie Osma; ruina potius cognita, quam antiqua maiestate. Ecclesia Cathedralis in vicum translata, qui el Burgo de Osma dicitur. Alij scribunt Vxsamam per S. Florus lib. 3. ca. 1. Auxima. Episcopus est Toletano suffraganeus.*

4 PALLENTIA, *hodie Palencia; Episcopatus insignis, suffraganeus Præsulis Toletani: scribitur duplici. ll. apud Ptolemæum, & Appianum.*

5 VALERIA, *ciuitas antiqua propè Quoncam, à Mauris destructa, imposita fluuio Guadiela. Postea quum Rex Adefonsus nonus Quoncam munitissimum Castellum Mauris eripuisset, nouemq́ mensium obsidione expugnasset, vrbem in eo ædificauit, & cathedram Episcopalem plenissimam posuit, attributiq́ ei auctoritate Lucij III. Pont. Max. Valerienſem, & Arcabricenſem antiquas sedes, Ioanne Iannez primo in ea confirmato Episcopo. Extat nunc pusillus pagus, qui Arcas dicitur, quem, quidam Arcabricam veterem existimant. De Quonca Rodericus Toletan. libr. 7. cap. 26. est Toletano suffraganea.*

6 SEGONTIA: *nunc Siguenca. Per V. & T. habet Liuius, & Plinius, Saguntia, ponitq́ eam in Areuacis cum Vxama: rectè, nam parum vtraq́ distat: Antoninus inter Cæsaraugustam & Complutum ponit. De Segontia in Bætica alia est ratio. Episcopus est in spiritalibus, & temporalibus vrbis dominus, suffraganeus Toletano.*

7 SECOBIA: *nunc Segouia: sic etiam Plinius, estque in Areuacis aquæductu, lanificio, & populi frequentia insignis, Toletano suffraganea.*

8 ARCABRICA: *fuit olim Episcopalis sedes, nunc prope Quoncam, tenue magnæ quondam vrbis vestigium, Arcas vocatur: fuitque, vt diximus, Quonquensi Episcopatui ab Adefonso nono olim vnita, sub Lucio III. Pont. Maxim. vt eius diplomate constat, quod in Archiuo Quonquensis Ecclesiæ asseruatur. Aliud est Arcobrica & Arcobricenses apud Plinium, Metymnæ pagus. Quam Antoninus inter Segontiam & Bilbilim ponit Arcobricam, ea est, quæ nunc Arcos in itinere Hortæ, in finibus Aragoniæ distat à Quonca viginti & quinque leucas Hispaniæ; Arcas verò tantùm duas vel tres.*

9 ORETVM: *vnde Oretani, quos Plinius inter stipendiarios connumerat: Oretani, inquit, qui Germani cognominantur. Strabo, & Ptolemæus in Tarraconensi Hispania collocant: Ambrosio de Morales rudes solum propè Almagro & Granatulam, alijs Calatraua. Hæc nunc Episcopo caret, sed habet Cœnobium insigne religionis militiæ Calatraua, sub regula sancti Benedicti.*

10 VALENTIA, *nunc Valencia Contestanorum in Hispania Tarraconensi vrbs est Ptolemæo. Plinius, Valentia, inquit, Colonia III. M. P. à mari remota. Romam ante vocatam scribit Beutherus. Hæc à Mauris capta, per multos annos in seruitute iacuit, donec tandem à Cidio Roderico Bibar expugnata, Christiano cultui restituitur: sed eodem vita functo, iterum in potestatem Sarracenorum deuenit: vsque dum Iaimus inclytus Aragonum Rex secundò eam recepit, & in ipsa Præsulem Iaimum de Ferrena de S. Martin. constituit. Hæc summorum Pontificum altrix ab Innocentio VIII. ad petitionem Roderici Boria Episcopi Cardinalis Valentini, & demum Pontif. Max. in Metropolitanam fuit erecta, anno 1492. eidemq́ suffraganei Maioricenſis, & Carthaginenſis Episcopi dati. Sunt & alia eiusdem nominis parua opida in Hispania, in quibus Episcopalis sedes nunquam fuit.*

11 DIANIO, *Denia hodie, apud Plinium Dianium & Lucentum Latinorum stipendiarium: Lucentum hodie Luchento prope Valentiam, sicut Dianium in maris ora versus Occidentem, caretq́ Episcopo, & est in Valentina diœcesi. Florianus scribit idem esse cum Ferrariæ promontorio Melæ; quod verisimile est; nam, vt Strabo ait, bonæ ibi fiunt secturæ ferri.*

12 SETABIS, *hodie Xatiua. Scribitur fere cum diphthongo Sætabis, propè Valentiam. Episcopo caret. Inde Sætabitani, apud Plinium, qui Augustani: hanc Silius Italicus in li. 3. in arce excelsa sitam indicat.*

13 CARTHAGO, *hodie Cartagena: portum habet insignem & multarum nauium, atque triremium capacem. Plinius: Tarraco, Scipionum opus, sicut Carthago Pœnorum. Isidor. lib. 15. orig: num: Afri sub Annibale maritima Hispaniæ occupantes, Carthaginem Spartariam construxerunt, quæ à Romanis capta & colonia facta nomen etiam prouinciæ dedit; nunc autem à Gothis subuersa, atque in desolationem reducta est. Hæc Isidorus. Habet Episcopum, Toletano Præsuli suffraganeum; antiqua Gothorum sedes, ab eaq́ tota Toletana prouincia Carthaginensis fuit cognominata. Carthaginem Silius Italicus lib. 3. Teucro fundatori tribuit:*

Dat Carthago viros Teucro fundata vetusto.

Fuit conuentus vnus ex septem, qui à Plinio memorantur. Vetus inscriptio ibidem inuenta:

IMP. CÆSARI. T. AELIO. HADRIANO. ANTONINO. AVG. PIO. PP. COS. IV. PONT. MAX. TRIB. POTEST. CONVENTVS CARTHAG. CVRANTE POSTHVMIO CLARANO. FLAMINE.

14 BASTI. *Inde Bastitani, & Bastitania: cum B. scribo: hodie Basa in colonia Salarienſi. Plinius inter stipendarios celeberrimos Bastitanos connumerat: caret Episcopo, estque in diœcesi Accitana; quamuis Archiepiscopus Toletanus iuris aliquid in ea habeat. Quæ de re, vide quæ Aluarus Gomezius scribit in Ximenio.*

15 MENTESA: *de hac quod affirmem, nihil certi habeo: & nostri historici in varias distrahuntur sententias. Vide longam & eruditam commentationem, quam Hispano idiomate Ambrosius Morales hac ipsa de re edidit. Cui, cum ob ipsius singularem doctrinam, tum ob nostram, in Complutensi olim Academia amicitiam initam, lubens acquiesco. A Mauris ita hæc vrbs penitus destructa fuit, vt hinc nullum diuinandi certi aliquid, vestigium relictum sit. Plinio Oretani, Bastuli, & Mentesani, ijdem sunt lib. 3. c. 3. Mentesani, inquit qui & Oretani: Mentesani, qui & Bastuli. Bastulos ponit Ptolemæus in Hispania Bætica ad fretum Gaditanum, quos etiam Pœnos vocat. Nam teste Plinio lib. 3. cap. 1. & Pomponio Mela lib. 2. c. 6. ab vtraq; freti parte Pœni habitarunt; ad quod allusisse videri potest Horatius, vbi ait:*

Latiùs regnes, auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

16 ACCI: *hodie Guadix, Arabico idiomate: inde Accitanus. Episcopum habet Granatensi Archiepiscopo suffraganeum. In hac ciuitate S. Torquatus, Pauli Apostoli discipulus, prima Christianæ religionis fundamenta iecit, & Camerinus tempore Constantini Magni, Concilio Eliberitano interfuit.*

17 BEATIA. *hodie Baesa. Alij scribunt Biacia, antiqui Beatia. Inde Episcopus Beatiensis, vt habent Concilia. Ptolemæus Beatiã ponit in Oretanis, eo loco, quo Liuius libr. 26. ponit Lapides Atros in Auſetanis, vt Glareanoplacuit, inter Illiturgim & Mentesam, vbi Asdrubal castra habebat: estque in Episcopatu Gienensi versus Septentrionem. Beatiam autem per T. efferendum esse, constat ex antiqua lapidis inscriptione:*

Q. VALERIO. POSTHVMO. BEATIANO. Q. VALERII. CASTVLI. F. QVI. VIXIT. ANN. XXXII. ANTONIA. AVR. EX TESTAM. B. M. P.

Lego:

Lego: Antonia Aureliæ.

In Vetustiori partitione Carthaginensis Metropolis, non plures his septendecim Ecclesiæ erant attributæ: posteà aliæ sunt adiectæ, vt ex Concilijs & recentioribus diuisionibus colligimus; vt sunt quæ sequuntur.

SEGOBRICA: hodie Segorbe, in regno Valentiæ. Inde Episcopus Segobriensis, suffraganeus Archiepiscopi Valentini. Sunt qui legant ex numo, Sigobrica; Ambrosius aliter. Hoc certum, Episcopum Segobricensem sub Toleto fuisse. Vnde in antiqua diuisione, inter alios suffraganeos, ponitur Segorbe: & in Concilio Toletano, sub Gundemaro Rege, iam tunc adiecta Toletano Præsuli: nam ibi primò subscribit Poscarius Episcopus Segobricensis.

CASTVLO, hodie Cazlona, in Bætica propè vrbem Beatiam. Plinius Castulonenses Cæsari vacuales vocari ait. Silius Italicus, & ipse Hispanus lib. 3.

Fulget præcipuis Parnasia Castulo signis.

Liuius de bello Punico: Castulo vrbs valida & nobilis Hispaniæ, adeò coniuncta societate & amicitia Pœnis, vt inde vxor Annibali esset. Idem Plutarch. in vita Sertorij. In antiquo lapide cum aspiratione scribitur.

VALERIÆ CIPATINÆ TVCCITANÆ SACRVM COLONIAE PATRICIAE CORDVBENSIS FLAMINICAE COLONIAE. AVGVST. GEMELLA TVCCITANAE FLAMINICAE SIVE SACERDOTI MVNICIP. CHASTVLONENSIS.

Episcopum non habet.

BIGASTRVM. In Concilio Toletano, in quo tantùm Episcopi suffraganei Toletani Præsulis conuenerunt, subscribit Bigitinus Episcopus Bigastrensis. Erat propè Illicem & nouam Carthaginem, vt ex diuisione Vvambæ patet: non habet Episcopum, neque locum nunc certum. Alijs Bilueſtre in finibus Portugaliæ, opidum ditionis Rui Velazquez auunculi Infantium de Lara, ex historia antiqua.

ILLICIS. Hanc Plinius propè Carthaginem nouam ponit. Propè flumen Tader, ait, colonia immunis Illicis; vnde Illicitanus sinus. Idem Mela. Nonnulli ex nostratibus Alicante portum maris Mediterranei, alij Elche opidum nobile propè Carthaginem, non procul à mari existimant. Verùm quum Plinius Illicem propè flumen Tader collocet, hæreo hac in re: præsertim quum Florianus, & Naugerius Tader flumen Seguram esse dicant. Et fortè ea fuit Illicis, quæ nunc Origuela supra Seguram posita propè oram maris. Nunc habet Episcopum suffraganeum Archiepiscopatus Valentini, à Carthaginensi diœcesi hoc tempore disiunctum auctoritate Pauli IV. Pontif. Max.

ASTIGI. hodie Ecija. Mela vrbium de mediterraneis hanc clarissimam in Bætica appellat, cum Hispali & Corduba. Nunc caret Episcopo, estq; in diœcesi Hispalensi. Hanc coloniam fuisse & Augustam firmam cognominatam scribit Plinius.

ELOTONA. In Concilio Toletano sub Gundemaro Rege Era 648. quod coactum fuit ex solis Episcopis prouinciæ Carthaginis, subscribit Sanabilis Ecclesiæ Elotonæ Episcopus: fortè Eliocrotæ, sicut in Eliberitano subscribit Successus Eliocrotæ Episcopus. Eliocrota in itinerario Antonini ponitur à Carthagine Spartaria xxv. millibus passuum distans: fortè euersa à Gothis, sicut Isidorus Carthaginem fuisse tradit. Sunt tamen qui dicant esse Lorcam supra Carthaginem, Septentrionem versus. Et fortassis Episcopus, qui hic subscribit, aliunde fuit, & vel exsul, vel negotiorum causa, Gothorum Curiam sequens, Concilio huic interfuit: nam tales in Concilijs admittebantur, seruato loco, & voce.

PROVINCIA GALLOECIAE.

1 BRACARA Metropolis, hodie Braga. A Plinio ponitur conuentus Ciuitatum xxiij. vocatur Augusta Bracarum. Habet nunc Archiepiscopum & suffraganeos.

2 PORTVCALE. hodie el Puerto, ad ostium Durij fluuij sita in ora maris Oceani, habet amplum portum: Cale ab Antonino appellatur: sicque adiecta voce portu, nunc Portucale. Festabole quoque appellabatur. Cale aût appellatio multarum Ciuitatum, vt est in Campania, Flaminia, & in Gallia. Vide Seruium ad illud. 7. Aeneidos, *Quique Cales linquunt*: habet Episcopum.

3 CONIMBRIA: nunc Coimbra in Lusitania. Alij scribunt Conimbrica: alij ex marmorū inscriptionibus Conimbriga. Resendius & Barrerius Lusitani docti putant esse Condexā veterem, non Coimbram, vt multi putant nominis allusione decepti. Coimbra nunc Episcopatum habet, & insignem Academiam supra Mondegæ fluuium sitam.

4 EGITANIA, vel rectiùs, vt antiqua monumenta habent, Igæditania. & Igæditani, vt in veteri ponte Alcantaræ inscriptione est: nunc vicus obscurus Eidania dictus. Episcopalis sedes in Guardiam translata est. In Concilio Emeritensi Igædita in prouincia Lusitaniæ ponitur, Canone 8.

5 FESEO. siue Viseus, nunc Viseo in Lusitania. Ptolemeus in Hispania Tarraconensi Visontium collocat. Quem locum Varrerius Lusitanus in sua chorographia à Viseo multis leucis distare erudite docet. Hodie & sedis Episcopalis antiquam dignitatem, et nomen retinet; parum à fluuio Mondega versus Septentrionem distans.

6 LAMECO, vel Lameca, nunc Lamego, in Lusitania ad Durium amnem sita, sedem Episcopalem habet.

7 VECTICA: à Vectonibus, qui Plinio, Liuio, & Cæsari Hispaniæ populi sunt in Extremamburæ tractu. Ptolemæo etiam Vettones Lusitaniæ populi, quorum meminere Appianus, Strabo, Plinius, Prudentius, & alij. Vide Resendium in epistola ad Vasæum scripta. Prudentius Emeritam Coloniam Vettoniæ appellat lib. Περὶ στεφάνων de martyrio sanctæ Eulaliæ.

Nunc locus Emerita est tumulo,
Clara colonia Vettoniæ.
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lauat.

8 DVMIO Monasterium propè Bracaram, singularis obseruantiæ, in Hispania à Martino ædificatum, & cuius ipse fuit primus Abbas, & Episcopus, & ob eius honorem in Episcopalem sedem erectum. Hodie templum extat mirâ antiquitatis, de quo abundè ab historicis nostris scriptum. Attribuitur ei tantùm familia Regia, hoc est regimen sanctorum Monachorum: nam ipsi sunt ex Regia familia: & alibi dicitur familia seruorum, qui Christo Regi summo dicati, studium omne in cultu religionis & pietatis collocant.

9 AVRIA: hodie Orense ad amnem Minium sita. Inde Aurienſis Episcopus: agnoscit nunc pro Metropolitano Compostellanum Archiepiscopum.

10 TVDE: hodie Tuy, Episcopalis sedes Compostellano suffraganea, ad Minium sita, propè litus maris Oceani, vbi confluit Ana fluuius. Ab Antonino inter Bracaram & Asturicam collocatur: fortè hæc, quam Silius Italicus li. 3. Aetolan Tyden appellat.

11 LVCO: hodie Lugo, olim Sueuorum tempore sedes Metropolitana, post Bracaram. Nunc Episcopatum habet agnoscentē Metropolitanum Compostellæ. Apud Plinium, Lucenſis conuentus populorum est xv.

12 IRIA: hodie el Padron, in Regno Galloeciæ, vbi cum primò corpus D. Iacobi queuisset, posteà Compostellam translatum. In Iria autem dicitur verbum Dei primùm annunciasse. Episcopalis sedes Compostellam traducta, ad altiorem dignitatē, ob honorem sanctiſsimi Apostoli erecta, pietatē, & deuotione Alfonſi Casti Legionenſis Regis.

13 BRITONIA, vel BRITANIA, vel BRITINIA, seu BRITONIVM. Tempore Alfonſi Casti Legionenſis, anno Domini 873. in consecratione Ecclesiæ Compostellanæ ab ipso magnifice ædificatæ, inter alios decem & septem Episcopos interfuit Theodorindus Episcopus Britonienſis. Sunt qui dicant, esse Mondonnedo in Galloecia vel propè eam. Alij, vt Vasæus, ex sententia Resendij, ciuitatem in Portugalia Interamni, propè Vianam, quæ dicitur de Camigna, cuius etiam nunc vestigia extare Resendius affirmat. Verùm in antiquo C. M. S. in diuisione Episcopatuum legitur: Ouetum, hoc est, Britonia, exempta à Galloeciæ Bracara. In 4. Toletano subscribit Metopius Britanienſis Episcopus: & in 7. & 8. Tolet. Sonaſeu Sonanus, & in 3. Bracarenſi Bela Britanienſis Episcopus. Nunc exempta nullum Hispaniæ recognoscit Archiepiscopum. Habuit aliquando concessione Ioannis VIII. Pont. Max. ius Metropolitanum.

14 ASTVRICA, Asiorga hodie: Plinius in transmontanis eam ponit, & ait esse vrbem magnificam: hodie dignitatem retinet Episcopalem; insignior Sacerdotum copia, quàm ciuium multitudine: sequitur Compostellæ Metropolim. In antiqua partitione Ecclesiarum Hispaniæ, quam in Alueldensi codice videre licet, in prouincia Galloecia non ponuntur plures, quàm hæ quatuordecim: Verum ex diuisione Vvambæ, & Conciliorum prouincialium subscriptionibus additur

Caladonia, seu Caladunum, quæ Callaicorum Bracarorum vrbs est, apud Ptolemæum; & ab Antonino ponitur inter Asturicam, & Bracaram.

Provincia Lvsitaniæ.

1 Emerita *Metropolis: dicta Emerita Augusta, à militibus emeritis Augusti; vt Isidorus habet lib. 15. c. 1. Origmum: nunc Merida, Anæ fluuio imposita, omnique auctoritate expoliata, atque destructa nihil præter ruinas & magnæ antiquitatis vestigia retinet; estque militiæ D. Iacobi in spiritualibus attributa, nullum Episcopum agnoscens. Ius autem Metropolitanum in Compostellanam ecclesiam translatum à Calixt. II. P. M. est. Ex hac vrbe Diua Eulalia martyr fuit: de qua Prudentius in ipsius hymno:*

Carmine nobilis Eulalia,
Mortis indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cuius ab vbere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.

2 Avela, *nunc Auila: fortè scribendum Abella. Est eiusdem nominis vrbs in Aprutio, & altera in Campania: de posteriori Ambrosius Leo, cuius est patria, tres libros composuit: sicque dictam affirmat à Græca voce ἄβελα eo quod ventorum flatibus sit valde obnoxia. Quæ nominis ratio & nostræ Abellæ valde quadrat: quippè quæ & ipsa immoderatis ventis valde vexetur: Episcopum habet Cōpostellano Archiepiscopo suffraganeum.*

3 Salmantica, *hodie Salamanca, vrbs omnium literarum gymnasio, & frequentia, antiquaque nobilitate ciuium admodum clara. Episcopum habet Compostellano suffraganeum.*

4 Elbora. *Huius ferè nominis quinque sunt opida in Hispania. Ebora ab Antonino Liberalitas Iulia appellatur: à Mela Ebora alia, Castellum in litore maris, in sinu Gaditano: alia in Magno promontorio in Lusitania. Idem Strabo, & Stephanus. Ebora est apud Ptolomæum in Turdulis in Bætica, sed interius, versus mediterranea. Hanc Strabo, & Plinius Eburam Cerealem nominant. Ebura alia ab Ebora, est etiam apud Ptolemæum in Lusitania. Et Ebora in Heditanis. Concilia M. ss. habent Elbora, & Episcopus Elborensis. Resendius Lusitanus, & Quebedius Toletanæ Ecclesiæ Portionarius de hac re contendunt; alter Eboram in Lusitania; alter Talaueram in Regno Toletano, nobile opidum, Elboram esse affirmant. Scripsit de Eboræ in Lusitania, antiquitate, & dignitate, atque nobilitate Resendius eruditum commentarium: quæ Archiepiscopum habet: Talabrica sine Episcopo, sub ditione Archiepiscopi Toletani est, de qua Marianus noster, lib. 4. c. 13.*

5 Cavrio, *hodie Coria Lusitaniæ opidum Ptolemæo. Caurienses apud Plinium. Episcopum habet Compostellano subditum.*

6 Pace. *Nostri quidam non mali auctores Pacem Iuliam, & Pacem Augustam distinguunt; vt Pax Augusta sit, quæ nunc Badajoz, quæ habet Episcopalem sedem, posita ad Anam fluuium, Compostellanæ suffraganea; & inde Pacensis Colonia, & Pacensis conuentus, apud Plinium; Pax autem Iulia, quæ hodie Beja in Lusitaniæ, cuius meminit, Ptolemæus: & in ea etiam nunc extant huius rei nota argumenta: vt colligitur ex inscriptionibus ipsius, atque ruinis: distat octo leucis à Badajoz.*

7 Exonaba. *Plinius à flumine Ana, inquit, littore Oceani oppidum Ossonoba Lusitaniæ cognominatum. Plinius in Lusitaniæ cuneo ponit Myrtilem, Balsam, & Ossonobam, quæ nunc Stombar; alij Syluis putant: vtraque est iuxta maris oram. Verum Syluis Episcopum habet, cui Ossonobensis ecclesia antiqua est subdita: Stombar verò in eius est diœcesi.*

8 Olisibona. Olysippo *est apud Plinium, & Melam, pro Vlyssippo: Plinius lib. 4. c. 21. A Tago, in ora Olysippo, equarum è Fauonio vento conceptu nobilis: estque Tagi ostium, amnis aurum gemmasque generantis. Apud Ptolemæum ὄλισιπων. Hanc Plinius tradit postea Felicitatem Iuliam dictam. Nunc Lisboa Archiepiscopum habet, & est caput regni Lusitaniæ, & mercium peregrinarum receptaculum celebre. De ea Isidorus sic ait. Vlyssippona ab Vlysse condita & nuncupata; quo loco sicut historiographi dicunt, cœlum à terra, & maria distinguuntur à terris. Qui locus desumptus est ex Plinio lib. 4. c. 20. Olyssippo enim, inquit, ab oppido terras, maria, cœlum, disterminans. In diuisione Vvambæ adiectæ sunt Lusitaniæ Metropoli aliæ ecclesiæ ex Bracarensi Metropoli. De quibus in Concilio Emeritensi diximus: nimirum Egitania, Conimbria, Veseum, Lamecum: quas Bracarensi Metropoli C. M. S. attribuit. Verum alias duas ponit Vvamba, nimirum Caliabriam, & Numantiam. Inter Lusitaniam, & Gallæciam prouincias, graues lites, atque continuæ interfuerunt, frequenter de numero Episcopatuum, vt constat ex Concilio Emeritensi, & ex epistola summi Pontificis, quam eidem adiunximus. Vnde non mirum si in partitione Vvambæ adiectæ sunt Metropoli Lusitaniæ Egitania, Conimbria, Viseum, Lamecum: in hac verò quam ex C. M. S. posuimus, Bracarensi Metropoli adiudicantur. Quin & in partitione Vvambæ alij duo Episcopatus prouinciæ Lusitanæ adduntur; scilicet, Caliabria, & Numantia, de quibus dicemus.*

Caliabria. *Hanc hodie dicunt esse* Montanges. *In sexto, & septimo Concilio Toletano subscribit* Servvs Dei *Episcopus Caliabrienses, & non Colimbrienses.*

Nvmantia. *Plinius lib. 4 c. 20. de ea sic ait: Durius amnis ex maximis Hispaniæ, ortus in Pelenodibus, & iuxta Numantiam.*

Contendunt multi ex nostris docti ex loco Plinij, Numantiam esse Soriam: alij contra, esse Zamoram: vtraque nobilis vrbs. Soria est in Episcopatu Oxomensis, Zamora Episcopum habet ex primis Hispaniæ. Verum cum Soria non distet ab ortu Durij, sic distinguo locū Plinij: Durius amnis ex maximis Hispaniæ, ortus in Pelendonibus, & iuxta Numantiā, lapsus: deinde per Areuacos &c. &. lib. 3. c. 3. Pelendones Celtiberorum quatuor populis, quorum Numantini fuêre clari. Vnde Numantini sunt inter Pelendones; vbi est ortus Durij. Mela in Tarraconensi eam collocat: In Tarraconnensi, inquit, clarissimi fuerunt Pallentia & Numantia. Zamora, Pœnum nomen, Alfonso VI. oratore, Calixto II. R. P. circa annum Domini M. CXIX. in Episcopatum erecta; Ciuitas nobilis, Durio imposita, Compostellano suffraganea.

Provincia Bæticæ.

1 Spalis *Metropolis. Sicque constanter Gothi scribunt, vt Spania. Verum Romani, Hispalis. Nunc Seuilla, Metropolis insignis, vrbsque opulentissima auri & argenti, merciumque Indicarum. A Mela dicitur, clarissima in Bætica. Plinius: Hispalis Colonia cognomine Romulensis. Idemque vnum ex quatuor conuentibus Iuridicis Hispalensem esse dicit. Isidorus nomen eius deducit à situ, eo quod in solo palustri, suffixis in profundo palis, locata sit.*

2 Italica. *Hodie non extat. Conspiciuntur tantū eius ruinæ prope Hispalim. appellatur Hispalis vetus, ab Hispali sex passuum millibus disita. Plinius in Conuentu Hispalensi eam collocat, vocatq; Ilipam cognomento Italicam. Onuphrius inter Colonias Romanas connumerat ex loco Gellij. c. 13. lib. 16.*

3 Elipa. *Apud Plinium est Ilipa Italica, in Conuentu Hispalensi: quæ vocatur maior à Ptolemæo, & Ilipula minor, cum simplici, aut geminato. l. in Conuentu Astigitano. Et existimo diminutiuū esse ab Elipa. Inde episcopus Elipensis frequenter in Conciliis nostris subscribit. Dicunt esse hodie Niebla: alij aliter. Non habet Cathedrā Episcopalem.*

4 Astigis *Hodie Ecija. A Mela in Bætica ponitur Astigi, Hispalis, & Corduba. A Plinio, vt diximus, & Conuentus Iuridicus & Colonia Astigitana, cognomine Augusta firma, appellatur. Non habet episcopum sed est in diœcesi Hispalensi.*

5 Cordvba & Cordoba. *Plinius: Et dextra Corduba Colonia Patricia cognominata, inde primum nauigabili Bati. Hodie episcopum habet ex primis Hispaniæ. Vrbs nobilitate, & multitudine ciuium insignis, & Archiepiscopo Toletano suffraganea.*

6 Egabro. *Sunt qui scribunt Aegabro. Hodie Cabra, vbi situs est Baucade Episcopus Egabrienses, miliaribus sex & viginti à Corduba disita. Plinius in Bætica Bare amponit; pro quo in emendationibus Iacobi Dalencampij Vbeda repositum: Verum Morales legēdam existimat Egabro. Non habet nunc sedem Episcopalem. Gratianus. 16 quæst. 3. cap. prima actione, Aegabrensem Vrbem nominat, & in Cod. Gregor. Agabrensis scribitur, ex Concil. Hispalens. 2. c. 1.*

7 Eliberi, *Hodie Granada: de ea diximus in Concilio Eliberitano. Cauco Illiberis ad Prouinciam Narbonensem spectabat, nunc per syncopam Colibre; hæc verò ad Baticam & Hispalensem, est Metropolis magna Vrbs, Maurorum imperio, & diuitys olim conspicua, nunc Christiana pietate, & religionis cultu clarior.*

8 Malaca. *Hodie Malaga. Episcopum habet suffraganeū Archiepiscopo Hispalensi.*

9 Asidonia. *Plinius: Asido quæ Cæsariana. Hodie Medina Sidonia. Inde Episcopus Asidonensis in Conciliis subscribit. Nunc non habet Episcopum.*

10 Tvcci *in diuisione Vvambæ ponitur. Hodie est Martos. Non habet Episcopum. Tuccitanus Episcopus in Conciliis antiquis subscribit. Scribendum cum duplici. cc. Augustam Gemellam Plinius cognominari dicit, & in veteri marmore: Gemella Tuccitana. & in agnominari dicit, & in veteri marmore: Gemella Tuccitana. & in lio: Respub. Tuccillanorum:* Imp. Cæsari. M. Avrelio Antonino Avg. Divi Septimi. Severi. Pii Pertinacis. Avg. Arabici. Adiabenici.

Par thi-

PARTHICI, MAXIMI, PACATORIS ORBIS FILIO. DD. RESPVBLICA TVCCILLANORVM. *Est etiam Tucci vetus apud eundem Plinium Bastetaniæ vergentis ad mare.*

PROVINCIA TARRACONENSIS.

1 TARRACONA *Metropolis. Plinius eam ponit in regione Cossetania: fortè legendum, Sedetania: flumen, inquit, Subi, Colonia Tarraco. Scipionum opus. Alij Tarracon scribunt. Hanc Prudentius genitricem piorum appellat, hymno de. 18. Martyribus Cæsaraugustis: ab ea pars vna Hispaniæ, Tarraconensis appellata. In lapide antiquo est,* COL. I. V. TARRACO. *Colonia immunis, vel Iulia, victrix Tarraco. Archiepiscopum habet, qui de Primatu olim cum Toletano contendit.*

2 DERTOSA. *Hodie Tortosa, Plinius inter Tarraconenses connumerat Dertusanos. Est hæc vrbs ad Iberum fluuium prope mare, nobilis inprimis. Habet episcopum Tarraconensi suffraganeum.*

3 CÆSARAVGVSTA. *Apud Ptolemæum Cæsarea Augusta. Hodie çaragoça: de ea sic Plinius: Cæsaraugusta Colonia immunis, amne Ibero assusa, vbi oppidum ante vocabatur Salduba, regionis Sedetaniæ. In veteri inscriptione* COL. CAESARLA AVG. SALDVBA. *De ea sic Prudentius hymno de decem & octo Martyribus Cæsaraugustanis.*

Tu decem sanctos reuehes & octo,
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flauis oleis reuincta,
Pacis honore.

4 TYRASSONA. *Apud Plinium Turiaso & Turiasonenses. Hodie Tarazona. Episcopum habet suffraganeum Archiepiscopo Cæsaraugustano.*

5 CALLAGVRRIS. *Plinius Calagurritanos, ait, qui Fibularenses cognominantur. Hodie Calahorra: vocabatur prius Calagurris Nasica, & postea, à Iulio Cæsare Calagurris Iulia. Episcopum habet Archiepiscopo Burgensi suffraganeum. Est vrbs celeberrima cine M. Fabio Quintiliano, & Prudentio, vt ipse inquit: Nos Vasco Iberus diuidit. Habet duas sedes Cathedrales; nimirum Calagurrim, & D. Dominicum de la Calçada, & duas Collegiatas Locronium & Victoriam.*

6 AVCA *siue Oca nunc non extat. Olim enim in Vastatione Hispaniæ, à Mauris est diruta; verùm iterum ab ipsis erecta: pietate Vrracæ, & Eluiræ fœminarum Regio sanguine Ferdinandi primi procreatarum, ad oppidum Gamonal sub inuocatione D. Mariæ, anno 1074. translata & erecta, & episcopo Simeoni data est, Cidio Rudericio Diez confirmante. Demum Alfonsus Sextus Rex Hispaniarum, Fernandi Magni filius, vrbe Burgensi iam ædificata, à Gamonal, ad eius amplificationem, Aucensem Ecclesiam Burgos transtulit, concessa Regia Episcopo Simeoni, & in Basilica D. Laurentij Cathedra collocata. anno D. 1075. multis attributis oppidis, villis, & prædijs. Quin & Regio decreto sanxit, vt in Castella esset honorabilior omnibus alijs; Clericisque in ea degentibus maiorem & ampliorem dignitatem, inter cæteros totius regni, habere concesit (adeò antiqui illi Reges ad pietatem fuere propensi) Quam erectionem, & translationem Vrbani secundus diplomate Apostolico confirmauit, eximit que eam ab omni Metropolitano, cum antea Tarraconensi subdita fuisset, eamque immediatè Romanæ sedi subiecit, Bernardo Toletano Archiepiscopo reclamante: in templo D. Laurentij mansit, vsque dum Mauricius anno D. 1222. ea specie & forma Augusta, qua nunc est, alterum extruxit, quod Alfonsus Burgensis turribus muro opere ædificatis exornauit: Francisco Pacieco episcopo viro optimo & prudenti, Philippo secundo id flagitante, Archiepiscopoli hæc sedes dignitate aucta est, Gregorio. XIII. Romano Pontifice: attributis illi suffraganeis duobus, Pampilonensi, & Calagurritano.*

7 PAMPILONA, *opus Pompeij, vt D. Hieronymus est auctor ad Vigilantiũ. Hodie Pamplona à Rege Vvamba instaurata, & Vvambaluna appellata. Apud Plinium inter fœderatos ponuntur Pompalonenses, & inde Pompælon. Est hodie Caput Regni Nauarræ: habet conuentum Iuridicum, & episcopum suffraganeum Archiepiscopo Burgensi, Martuam olim vocatam sunt qui dicunt.*

8 OSCA *Ilergetum, in Tarraconensi Prouincia, vrbs. Etosta à Paterculo dicitur, vbi Sertorium interemptum scribit. Hodie Huesca. Hoscenses sunt apud Cæsarem lib. 1. de bello ciuili, & Plinium. Habet nunc episcopum Cæsaraugustano suffraganeum.*

9 ELERDA. *Plinius, Ilerdenses Surdaonum gentis, iuxta quos Sicoris fluuius: sic apud Cæsarem lib. 1. de bello ciuili. Hodie Lerida, & fluuius Segre. supra quem est imposita: Episcopum habet & gymnasium literarum vniuersale Cathaloniæ gentis.*

10 BARCINONA. *Plinio est Barcino: sic enim ait: In ora aũt colonia Barcino, cognomine Fauetia. In Galbæ numo sic est scriptum.* COL. BARCINO. FAVENTIA. *Vrbs est amplissima, caput Cathaloniæ, ad mare mediterraneum. Episcopum habet suffraganeum Tarraconensi.*

11 EGARA. *Extat Concilium Egarense antiquum. In quarto Toletano subscribit Eugenius Egarensis Episcopus. in 13. & 16. Ioannes. Verba Concilij Egarensis hæc sunt: Conuenientes in vnum Episcopi Prouinciæ Tarraconensis in locum Egara. In Episcopatuum limitibus in M. S. inuenio Exaram non Egaram appellatam: fortè Gea de los caualleros, propè Cæsaraugustam.*

12 AVSONA. *Apud Ptolemæum est Ausa. Hinc Ausetani, hodie Vich. Episcopus Ausonensis est in subscriptionibus Conciliorum. Episcopum habet suffraganeum Archiepiscopo Tarraconensi.*

13 GERVNDA. *Hodie Girona. Apud Plinium Gerundenses: Vrbs nota in Cathalonia, episcopum habet Tarraconensi Archiepiscopo suffraganeum.*

14 EMPVRIAS. *Emporiæ. Plinius: Opus Phocensium: est nunc Tarraconensis prouinciæ; vrbs maritima, vulgo Ampurias: Episcopum habet suffraganeum Tarraconensi Archiepiscopo. In subscriptionibus Conciliorum est: Empuritanæ Episcopus.*

15 ORGELLO. *siue Orgellum aut Vrgella: hodie Vrgel. Episcopum habet suffraganeum Cæsaraugustano Archiepiscopo.*

PROVINCIA GALLIÆ.

1 NARBONA. *Narbonensis prouincia. Bracata ante dicta, qui Celtæ sunt. Hodie Languedoc, prouence, & Daulphinè continet. Dicebatur postea & Gothica, quia à Gothis possessa; sub Hispanorum erat ditione, & sub primate Toletano.*

2 CAVCOLIBERI, *seu Caucoliberis, Hispaniæ versus Galliam limes: Hodie Colobre, Episcopum non habet, verùm attributa est Alnensi Episcopo. In subscriptionibus Conciliorum pro Caucoliberi: ponitur Liberitanus. Est alia Eliberis in Batica; nomine & situ longè ab hac distans; vt ostendimus in Concilio Eliberitano.*

3 CARCASONA *Olim Carcassum, aut Carcasio, Galliæ Narbonensis opidum apud Plinium, Hodie Carcasona: Episcopũ habet.*

4 BITERRIS *siue Bitunis, Vasconum Vrbs.*

5 AGATHA *Galliæ Narbonensis insula, & vrbs est, vt placet Plinio, Straboni, & Ptolemæo; nunc Agade: appellatur etiam Ciuitas nigra. Sunt qui Agatham montem pessulum esse volunt. Sed hæc in Continente est, vbi Ptolemæus quoque Agatham habet.*

6 LVTVVA. *Inde Luteuani, qui & Foroneronienses. Plinio, Galliæ Narbonensis populi sunt. Hos Pinetus Lodesne vertit in suo Plinio Gallico. In libro prouinciarum legitur: Lutumensium Ciuitas, id est, Lutana Castrum. In subscriptionibus Conciliorum, Luthonensis Episcopus.*

7 MAGALONA. *In libro notitiarum est: Magalonensium Ciuitas Montis pessulani: olim sedes Episcopalis, nunc domus tantũ cum templo: in medijs stagnis sita, suffraganea Narbonensi Archiepiscopo: vt ex multis subscriptionibus Conciliorum constat.*

8 NEMASO. *siue Nemasus. Apud Ausonium in descriptione Burdigalæ Nemasus Colonia Augusta. Nemausus legit Goltzius; ex veteri inscriptione: Hodie Nismes. Libellus extat de eius vrbis antiquitatibus idiomate Gallico. In Concil. 3. Toletano subscribit Nemasensis Episcopus.*

ELENA. *Hellenes Vrbs Callaicorum in Hispania Tarraconensi. est apud Strabonem. Hodie Elna. Quam dicunt Helenam Constantini Magni Matrem, vel Constantem in honorem auæ condidisse. Vbi etiam mortuus est Constans: vt post D. Hieronymum, scribunt Eutropius & Orosius: dignitatem Episcopalem retinet, Tarraconensi Archiepiscopo suffraganea.*

Atque hæc quidem de sedibus episcoporum antiquis delibauimus: vt nota sint nomina vrbium vetera & neoterica lectori, earumque situs; intelligantur que inscriptiones Conciliorum, & cui sedi primæ quisque episcopus subiacebat.

In Concilio Eliberitano aliæ veterum vrbium subscriptiones sunt, de quibus & hæc adijcienda duximus, propter Concilij illius antiquitatem.

ACCI. *Inde Felix Accitanus, qui subscribit. De hac vide quæ adnotauimus.*

CORDVBA. *Ex hac Osius ille Cordubensis. vide supra.*

SPALIS: *supra.*

TVCCI, *Vrbs Turdulorum in Betica, quam Plinius Augustam Gemellã cognominari ait. In veteri marmore est: Gemella Tuccitana,*

& Col. Augusta Gemella. Est apud Plinium altera Tucci vetus in Bastitania, vergens ad mare: quibusdam est Almeria, alijs Murcia: vide quid dicat de ea Resendius.

EPAGRA. *Inde Sanagius Epagrensis: fortè hic Episcopus fuit Græcus, & causa fidei relegatus. Nomen certè Sanagij Græcam originem sapere videtur. Epagris autem insula est Aegæi maris, prima inter Cycladas, teste Callimacho: qui eam Lasiam, Nonagriam, Hydrussam & Epagrin dictam affirmat. Hæc eadem Andros est. In alio C. est, Bigerrensis, & Bigertensis. Bigerra, est Bogarra hodie propè Alcaraz, in montibus Securæ: Ptolemæus eam ponit in Bastitanis: vnde non est Beiar quæ est in Lusitania, aut Vettonia.*

CASTVLO: *supra. Hinc Secundinus Castulonensis.*

MENTESA: *supra. Hinc Pardus Mentesanus,*

ELIBERIS: *supra. Hinc Flauius Eliberitanus.*

Vide quid scribat Vasæus de legione VII Germanica vel Gemina, ex sententia sua & Resendij Lusitani, tom. post. Chron.

CORSICA *siue Corsis. Inde Conantius Corsicanus: maris mediterranei insula Genuensibus hodie parens. Terapne ab Ouidio appellatur. In alio. C. M. S. Vrcitanus. De Vrci diximus supra.*

LEGIO. *Inde Decentius Legionensis. Hæc est legio septima Germanica siue Gemina. In Tarraconensi Hispania iuxta Astures à Ptolomæo ponitur: Hodie Leon, Caput Regni, & dignitate Episcopali celebris à temporibus Gothorum: tantum Apostolicæ sedi subiecta, & Metropolitanum nullum Hispaniæ Episcopum agnoscens.*

TOLETVM. *Inde Melanthius Toletanus supra.*

SALARIA. *Inde Ianuarius Episcopus de Salaria: colonia in Tarraconensi Hispania: vnde in veteri inscriptione. Col. Iul. Salariensis: nunc prope Cazorlam. Est & alia Salaria in Oretanis.*

OSSONOBA. *Inde Vincentius Ossobonensis, de ea supra.*

ELBORA, *vel Ebora. Inde Quintianus Elborensis supra.*

ELIOCROTA: *in Antonino M. s. est Eliocrota. Inde Successus Episcopus de Eliocrota: fuit olim sedes Episcopalis: dicitur nunc Lorca. Habuit templum D. Patricio dicatum, in quo erat Episcopalis Cathedra: quæ in Carthaginensem abijt. Meminit Eliocrotæ Antoninus, & XXV. mil. pass. à Carthagine Spartaria ponit.*

BASTA. *Inde Eutychianus Bastitanus Episcopus: de qua supra.*

MALACA. *Inde Patricius Malacitanus. De hac supra.*

In Monasterio Paraisses, in quo antiquitus vita Canonicorum regularium sanctè floruit, nunc obseruantia D. Hieronymi; dum Philippus II. ibi moratur, incidi in librum M. ss. in pelle pergaminea, in quo scriptum est.

ISTÆ SVNT INTERPRETATIONES CIuitatum in Hispania, quarum fuerunt nomina mutata tempore Sarracenorum.

Ispalis	.i.	Seuilla.
Assidona	.i.	Sidonia.
Eliberi	.i.	Granada.
Astigi	.i.	Berga, quæ nunc dicitur Ecija.
Egabro	.i.	Capta, quæ nunc dicitur Cepta.
Tuccis	.i.	Xerez.
Pace	.i.	Bocalgace, quæ nunc dicitur Badaioz.
Exonoba	.i.	Seduma.
Aguitania	.i.	Lucena.
Calabria	.i.	Montanges.
Oreto.	.i.	Calatraua.
Beacia	.i.	Baeça.
Mentesa	.i.	Iaen.
Acepridani	.i.	Guadix.
Basti	.i.	Baza.
Vrci	.i.	Almeria.
Acarta	.i.	Bagastri. Hic iacet Tiestis Episcop. Bergarę.
Illia	.i.	Belsa.
Setabis	.i.	Xatiua.
Valeria	.i.	Valentia.
Compluto	.i.	Gualdalfaiara.

Vrci, quæ modo Almeria vocatur: inde Versus:

Insistens operi venit Indalecius Vrci,
Quæ post mutata fuit Almeria vocata.

Finis Notar. Ioan. Garsiæ in Concilium apud Lucum celebratum.

CONCILIVM TVRONENSE SECVNDVM

in causa Ecclesiasticæ disciplinæ reformandæ celebratum, Anno Domini nostri Iesu Christi 570. tempore Ioannis Papæ III. & Anno 6. Chariberti Regis. Est verò Prouinciale.

A. D. 570.

TVRONICÆ SECVNDÆ Synodi capitula.

De conuentione Synodi per singulos annos. 1
De pace sacerdotali. 2
De compositione corporis Dominici super altaria. 3
Ne laici in ecclesia clericis misceantur. 4
De pastu pauperum proprietorum. 5
De epistolis dandis. 6
De remotione abbatum. 7
De his, qui excommunicatis communicant. 8
Vt in Britannia sinè consensu metropolitani vel comprouincialium episcopi non ordinentur. 9
Vt nullus clericorum familiaritate extranearum mulierum vtatur. 10
Vt episcopus nullam ignauiam ad distringendum habeat, sed etiam si necesse fuerit, ab alijs adiuuetur episcopis. 11
Vt nullam det episcopus occasionem ad detrahendum sibi. 12
Episcopus clericos, & in domo ac alias, habeat conuersationis testes. 13
Ne episcopum mulieres prosequantur. 14
Ne duo clerici in vno stratu recumbant. 15
Ne monachus coniugio copuletur. 16
Ne sola mulier monasterium adeat. 17
De obseruatione ieiuniorum. 18
De obseruatione psallendi. 19
Ne archipresbyteri coniugati, sine testimonio clericorum dormiant. 20
De virginibus & reliquis castitatem professis vel viduis, quæ post mutatam vestem coniugio copulatæ sunt. 21
De adulterinis, vel incestuosis coniunctionibus. 22
De Kalendis Ianuarij, & cathedra sancti Petri. 23
De hymnis recipiendis. 24
De his, qui per discordias regum, res ecclesiarum aut sacerdotum competunt. 25
De peruasoribus rerum ecclesiasticarum. 26
De iudicibus, qui pauperes opprimunt. 27
Ne sacerdotium per pecuniam acquiratur. 28

PROOEMIVM.



Ecclesiasticæ disciplinæ debet esse suffragium, congregatio sacerdotum: nec aliud erit suæ solicitudinis tam peculiare conscribere, quàm quidquid fundamentum religionis proficere recognouerit, operari non cesset, vt cũ pastoralis cautela propagatur in ouilis custodia, paucorum veneranda decreta, sint salutis publicæ documenta. Et quoniam quod omitti non decet, oportet implere, præsertim cùm cuius animarum intellectualium (de quibus Deo cura est) forma processit, eius traditionis lex ad pontifices manauit; necesse est vigilantissimè prouidere, repulso torpore, vt quicquid ab antiquis patribus statutum de tramite canonico, quarundam personarum temeritate cernitur imminutum, reuocandum est in statum pristinum, vt possint malè admissa corrigi, & non admittenda damnari. Magna est enim in ipsa seueritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam vbi infana libertas generat vulnera, sacerdotalis districtio dat medelam. Quapropter (CHRISTO auspice) in Turonica ciuitate Concilio concordante, iuxta conniuentiam gloriosissimi Domini * Chariberti regis annuentis, a coadunati

coadunati pro pace & instructione ecclesiæ, opportunũ credimus, subter annexa decreta conficere, & subscriptionibus proprijs roborare, vt retundãtur noxia, propagentur optata, nè taciturnitate silentij, vitiosorum criminum nutriri videretur licentia, non abscindi: & quæ opportuna erant pro qualitate temporis adijci, non paterentur negligi, sed procurentur impleri.

Capitulum Primum.

* Placuit itaque Sancto Concilio, interposito virtute domini Martini, in sancta basilica sua conscribi, vt bis ad synodum annis singulis metropolitanus & comprouinciales sui in locum, quem deliberatio metropolitani elegerit, Deo propiciante conueniant, aut necessitas, sicut hactenus, incuitabilis præpedierit, vel semel in anno, siue cuiuslibet excusatione, personæ, id est, regiæ vel priuatæ, sinè cuiuscunque vtilitatis obstacula, præter infirmitatis certissimæ * labore præuentum, nullius occasione velaminis habeat vnusquique concursum: sed (sicut dictum est) neque per impedimentum ordinationis regiæ, neque sub occasione vtilitatis, aut causæ propriæ debeat à Concilio separari, Apostolo prædicante: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? & reliqua. Non debet spirituali operi etiam regalis præferri præceptio, cum primum in Ecclesia sit mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Vndè non debet præcepto Domini persona cuiuslibet hominis anteponi, neque debet terrenę conditionis actio vel persona terrere, quos Christus spe crucis armauit. Si quis Episcopus (vt superius dictum est) ad synodum venire distulerit, vsque ad maiorem synodum à metropolitano, & comprouincialibus maneat excommunicatus, nec ei ex alia prouincia vllus Episcopus interè à communicare præsumat. Ipse enim suæ diuisionis præparat instrumenta, qui cum suis fratribus in membris Ecclesiæ non concordat.

2 Item decernitur propter illud cœleste mandatum, Pacem meam do vobis, vt pontificalis affectus inter sacerdotes inuiolabiliter conseruetur. Verum si pro peccatis (vt assolet) ex causa liuor emerserit, vt pendente certamine sibi inuicem reconciliari non possint, electis ab vtraque parte fratribus, id est, presbyteris, præponderante dulcedine litis iacula finiant, & vota pacis acquirant. Nam qua fronte festucam de alterius oculo velit eruere, qui in suo trabem non respicit imminentem? Aut quid in alijs arguit, à quo magis vitij fons inundat? Si qui autem ab vtraque parte (vt dictum est) electis presbyteris, atque mediantibus fratribus, hoc est, suis membris, reconciliari neglexerit, cùm ad synodum venerit, non solùm reatum coram coepiscopis se cognoscant incurrere, verùm etiam congruæ pœnitentiæ intelligat vindictam subire. Opportunum nanque est, illum animaduersione succumbere, qui intelligendo peccauit: & quod docere debuit, in seipso neglexerit.

3 Vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.

4 Vt laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias, quàm ad Missas, stare penitus non præsumant: sed pars illa, quæ à cancellis versus altareditur, choris tantum psallentium pateat clericorum. Adorandum verò & communicandum laicis & fœminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

5 Vt vnaquæque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, vt tam vicini presbyteri, quam ciues omnes, suum pauperem pascant: quo fiet, vt ipsi pauperes per ciuitates alias non vagentur.

6 Vt nullus clericorum vel laicorum, præter episcopos, epistolia facere præsumat.

7 Vt Episcopus nec abbatem, nec archipresbyterum, sinè omnium suorum compresbyterorum & abbatum consilio, de loco præsumat eijcere, neque per præmia alium ordinare, nisi facto Concilio tam abbatum quàm presbyterorum suorum, quos culpa aut negligentia eiecit, cum omnium presbyterorum consilio refutentur.

8 Quicunque episcopus illum, quem alter Episcopus excommunicatum habet, postquam fuerit de ipsius excommunicatione commonitus, communicare præsumpserit, vsque ad synodum excommunicatus habeatur.

9 Adijcimus etenim, ne quis Britannum aut * Romanorum in Armorico, sine metropolitani aut comprouincialiũ voluntate vel litteris, Episcopum ordinare præsumat. Quod si quis contraire tentauerit, sententiam in anterioribus canonibus prolatam obseruet, & à nostra charitate vsque ad maiorem synodum se cognoscat remotum & excommunicatũ: Quia meritò à charitate nostra vel nostris ecclesijs segregantur, qui patrum statuta contemnunt. *Romanũ

10 De familiaritatibus mulierum licèt crebrius sit in canonibus replicatum, attamen necesse est, vt si secti vir atque mulier, qui malè pullulauerant, redeant, rursus fidei falce succidantur, & iam radicitus eruantur: Nullus ergò deinceps clericorum pro occasione necessitatis faciendæ vestis, aut causa ordinandæ domus extraneam mulierem in domo sua habere præsumat. Et cùm iubeamur victum aut vestitum artificiolo quærere, & manibus proprijs laborare: quid opus est in domo serpentem includere pro veste, quæ multiformem vestem non propterèà deponit, vt nudetur, sed vt se, dum renouatur, ostendat clariorem?

11 Nullus ergò clericorum, non episcopus, non presbyter, non diaconus, non subdiaconus, quasi sanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam, pro confirmatione rerum in domo sua stabilire præsumat: quæ & ipsa extranea est, dum non est mater, aut soror, aut filia: quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoscitur subiecta dominatui. Si quis, aut presbyter, seu diaconus, aut subdiaconus, de hac re statuta patrum vel nostra temerare præsumpserit excommunicetur.

12 Si quis episcopus ad distringendum eos, qui in hac facilitate perdurant, negligens apparuerit, sicut in ipsa sancta basilica est publicè recitatum, ex consensu communi atque totius populi, sententiam prædecessorum canonum se incurrere omnino cognoscat, sic tamen, vt tam metropolitanus suis comprouincialibus, quam comprouinciales metropolitano suo, si resistere, aut contemnere episcopum clerici sui præsumpserint, dent omnino solatium. Et quia dixit sancta scriptura, Frater fratrem adiuuans, exaltabitur: quicunque pro causa Dei, fratri suo solatium commonitus dare distulerit, vsque ad synodum remoueatur. Nam si episcopus se contemni sentiens, fratres suos in solatium suum non commonuerit, ipse sciat, qualiter reddat DOMINO rationem. Prouer. 18.

13 Episcopus coniugem, vt sororem, habeat: & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem, tam ecclesiasticam, quam propriam, vt nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat. Et licet (Deo propicio) clericorum suorum testimonio castus viuat, quia cum illo tam in cella, quam vbicunque fuerit, secum habitent, eumque presbyteri, & diaconi vel deinceps clericorum turba iuniorum (Deo adiutore) conseruent: sic tamen propter zelotem Deum nostrum, tam longè absint, mansionis propinquitate diuisi, vt nec hi, qui ad spem recuperandam clericorum seruitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.

14 Episcopum, episcopam non habentem, nulla sequatur turba mulierum, licèt saluetur vir per mulierem fidelem, sicut & mulier per virum fidelem, vt Apostolus ait. Nam vbi talis custodia necessaria non est, quid est necesse, vt miseria prosequatur, vndè fama consurgat? Habeant ministri ecclesiæ, vtique clerici, qui episcopo seruiunt, & eum custodire debent, licentiam, extraneas mulieres de frequentia cohabitationis eijcere. 1. Cor. 7.

15 Et ne occasio famam laceret honestatis, quia aliqui laici, dum diuersa perpetrant adulteria, hoc quod de se sciunt, in alijs suspicantur, sicut ait Seneca, pessimum in eo vitium esse, qui in id, quo insanit, cæteros putat furere. Vt ergo ipse sinistræ existimationis aditus amputetur, nullus sacerdotum ac monachorum colligere alium in lecto suo præsumat. Nec liceat monachis cellulas habere communes, vbi aut bini maneant, aut * peculiares reponi possint, sed schola labore communi construatur, vbi omnes iaceant, aut Abbate, aut præposito gubernante: vt dum duo vel tres vicissim & legant & excubent, Seneca. *singulare

excubent, alij consolentur: vt non solùm sit custodia corporum, sed & surgat pro lectione assidua profectus animarum.

16 Si qui in monasterio conuersi sunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exindè habeant licentiam euagandi, nec (quod absit) vllus eorum coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere. * Nam sicut supra dictum est, si vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè sociatæ consortio, etiam iudicis auxilio separetur. Quòd si iudex adhoc solatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix monachus tali coniunctione fœdatus, si per cuiuscunque patrocinium se conatus fuerit defensare, & is, qui in hac pertinacitate perdurat, & illi, qui eum exceperint ad defensandum ab Ecclesia segregentur, donec reuertatur ad septa monasterij, & indictam ab abbate, quàm diu præceptum ei fuerit, agat pœnitentiam, & post satisfactionem reuertatur ad gratiam.

17 Vt mulier intra septa monasterij nullatenus introire permittatur. Si Abbas in hac parte, aut præpositus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non statim eiecerit, excommunicetur.

18 De ieiunijs verò antiqua à monachis instituta conseruentur, vt de Pascha vsque quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur. Post quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunét. Postea vsque ad Kale. Augusti, ter in septimana ieiuent, secunda, quarta, & sexta die, exceptis his, qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidiè Missæ sanctorum sunt, prandium habeant. In Septembri toto & Octobri & Nouembri, sicut prius dictum est, ter in septimana. De Decembri vsque ad Natalem Domini, omni die ieiunent. Et quia inter Natalem DOMINI & Epiphaniam, omni die festiuitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam Gentilium consuetudinem, patres nostri statuerunt priuatas in Kalend. Ianuarij fieri litanias, vt in Ecclesijs psallatur, & hora octaua in ipsis Kalendis circunisionis Missa Deo propicio celebretur. Post Epiphaniam verò vsque ad quadragesimam, ter in septimana ieiunent.

19 Itemque pro reuerentia domini Martini, vel cultu ac virtute, id statuimus obseruãdum, vt tam in ipsa basilica sancta, quam in ecclesijs nostris, iste psallendi ordo seruetur: Vt in diebus festis ad matutinum sex antiphonæ binis psalmis explicentur. Toto Augusto * manicationes fiant, quia festiuitates sunt & Missæ sanctorum. Septembri, septem antiphonæ explicentur binis psalmis. Octobri, octo ternis psalmis. Nouembri, Nouem ternis psalmis. Decembri, decem ternis psalmis. Ianuario & Februario, itidem vsque ad Pascha. Sed vt possibilitas habet, qui facit amplius pro se, & qui minus, vt potuerit: supereſt, vt vel duodecim psalmi expediantur ad matutinum, quia patrum statuta præceperunt, vt ad sextam sex psalmi dicatur, cum Alleluia: & ad duodecimam duodecim, itemque cum Alleluia, quod etiam (angelo ostendente) didicerunt. Si ad duodecimam duodecim psalmi, cur ad matutinũ non itemq; vel duodecim explicentur? Quicunque minus quam duodecim psalmos ad matutinum dixerit, ieiunet vsque ad vesperam, panem cum aqua manducet, & non illi sit altera in illa die vlla refectio. Et qui hoc facere contempserit, vna hebdomada panem cum aqua manducet, & ieiunet omni die vsque ad vesperum.

20 Archipresbyteri vicani, & diaconi & subdiaconi, non quidem omnes, sed plures in hac suspicione tenentur à populo, quod cum coniugibus suis maneant. Pro qua re hoc placuit obseruare, vt quotiescunque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulauerit, vnus lector canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero clericorum cum illo ambulet, & in cella, vbi ille iacet, lectum habeat pro testimonio. Septem tamen inter subdiaconos & lectores vel laicos habeat concessos, qui vicissim septimanas suas cum illo facere omninò procurent: & qui distulerit, fustigetur. Et si in hoc presbyter negligens inuentus fuerit, quòd non hoc sic implere contendat, triginta diebus communione priuetur, donec pœnitentiam agat, & sic reuertatur ad gratiam. Reliqui presbyteri, & diaconi, ac subdiaconi vicani, hoc * studio se custodiant, vt mancipiola sua ibi maneant, vbi vxores suæ: illi tamen segregatim solitarij in cella iacent, & orent, & dormiant. Nam qui vxores non habent, in parte de mancipiolis suis habeant cellulas segregatim, vbi & ipsi itidem & orent segregati, & dormiant. Nam si inuentus fuerit presbyter cum sua presbytera, aut diaconus cum sua diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur: & depositus ab omni officio clericali, inter laicos se obseruare cognoscat: eo tamen permisso, vt inter lectores in psallentium choro colligatur. Illi verò Archipresbyteri, qui talem cautelam superiuniores suos habere noluerint, & non eos habuerint studio distringendi, ab Episcopo suo in ciuitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducent, & pœnitentiam agant pro sibi credito clero: quia nulli clericorum, iuxta sententiam canonum, cum coniuge sua manere permittitur. Et quia hæresis Nicolaitarum per Nicolai facilitatem surrexit, vbi legitur ista hæresis presbyterorum à quo presbytero primum surrexerit? etiam quòd nullus potuit æstimare, quòd auderet ille, qui corpus Domini consecrat, talia perpetrare, nisi tempore nouissimo pro peccatis nostris ista surrexerunt. Si illi diaconi omnium sententia episcoporum damnati sunt, & hæretici reputati, ac si tales diaconi illi subiacent maledictioni, quos patrum statuta pro hac causa damnarunt: quid illi infelices presbyteri, qui tali sunt peccato subiecti, vt alios trahant in præceps secum, qui eos tali ordine viuere cernunt? Et qui deberent esse forma præcepti, ipsi inueniantur norma peccati? Rectius est, vt caput morbidum, si curari non potest, amputetur, quàm grex per eundem inficitur. Talis ergò sacerdos & pastor non debet à populo venerari, sed renui, qui non formam disciplinæ, sed vitij docet, dum seipsum non corrigit.

21 Et quia in sententia Papæ Innocentij ad Victricium Episcopum Rothomagensem lata, legitur scriptum de virginibus, quæ CHRISTO spiritaliter nupserunt, & velari à sacerdote meruerunt, si postea nupserint, quòd vix etiam adagendam pœnitentiam mereantur accedere, quia sic dicit: Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque (viuente viro) alteri nupserit, habeatur adultera: quanto magis & illa damnanda est, quæ ante immortali sponso se coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigrauit? Et adiecit: Hæ verò, quæ necdùm sacro velamine tectæ sunt, tamen in proposito virginali semper se manere simulauerant, licèt velatæ non sint, si postea nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solui sinè vindicta non debet? Post hoc de viduis adiunxit: Nam si Paulus Apostolus, si à proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere damnationem, vbi ait, quia primam fidem irritam fecerunt, &c. quis sacerdotem contra decreta talia, quæ à sede Apostolica processerunt, agere præsumat vel quis (quod peius est) contra sententiam, quam vas electionis Paulus Apostolus (spiritu sancto ministrante) promulgauit, aliud conscribere vlla ratione præsumat, cùm dicat ipse per spiritum sanctum, Qui prædicauerit præter id, quod prædicaui, anathema sit? Et quorum authorum valere possit prædicatio, nisi quos sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit? Et patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit authoritas. Nos ergo hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus, vel Papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes statuamus obseruandum, vt nullus sacratam Deo virginem quæ in honorem Christi vestem mutauit, aut rapere, aut competere, aut sibi coniugem sociare præsumat: quia etiam lex Romana constituit, vt quicunque sacratam Deo Virginem, vel viduam fortasse rapuerit, si postea eis de coniunctione conuenerit, capitis sententia feriatur. Item si quis, non dicam rapere, sed attentare matrimonij iungendi causa, sacram virginem ausus fuerit, capitis sententia feriatur. Cum etiã in chronicis habeatur de virginib. Gẽtil. liũ tẽpore, quæ se deæ Vestę sacrauerãt, postmisso proposito & corrupta virginali gratia, legali sententia vitas in terra fuisse defossas. Si prophana colentes, tali sunt sententia condemnatæ: quantò magis, quæ in honorem redemptoris sui se vouerunt, & perseuerare noluerint, vtiq; grauem debẽt

i. matutinæ conuẽtiones.

* studiosè

Locus obscurus.

Caput 9. Lit. Christo

Caput 10. Lit. Ego tò.

1. Tim. 5.

Ambrosius lectio Apostoli.

Galat. 1.

1. Cor. 7.

Gẽtil.

expectare

expectare sententiam? sicut in Arelatensi synodo habetur insertum: De puellis, quæ se vouerunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, si post 25. præsertim ætatis suæ annum ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreuimus, vt cum his, quibus se alligauerunt, communione priuentur, ita vt eis postulantibus, pœnitentia non negetur, cuius pœnitētiæ communio multo tempore differatur, cùm etiam id in antiquis Mileuitanis canonibus fuerit statutum. Item placuit, vt quicunque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cùm vel petitor potēs, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo perculsa compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet) velauerit virginem, seu velauit intra 25. annos ætatis, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitum est. Nos verò quos lex perimi iubet, (si cupiunt audire præconē) volumus vt conuertantur ad vitam. Nam perimendi sunt oris gladio, & à communione priuandi, si relicta sibi decreta seniorum obseruare noluerint, & pastorem suum audire despexerint, & esse separati noluerint. Qui ergo in hac peritia perdurare voluerint, & plus in volutabro malæ conuersationis permanere, quam se de vetito cōiugio separare, perenni excommunicatione damnentur. Et quicunque episcoporum, aut presbyterorū, vel diaconorū, aut subdiaconorū eos communicare præsumpserit, vsque ad synodum ab omnibus episcopis excommunicatus habeatur: & excludatur excusationis adinuentio, quam modò aliquæ dicere meditantur, quòd propterea se veste mutauerint, ne eas inferiores personæ macularent, cùm non solùm domini gloriosæ memoriæ Childebertus & Clotharius reges, constitutionem legum de hac re custodierint & seruauerint, (quā nunc dominus* Charibertus rex successor eorum, præcepto suo roborauit) vt nullus vllam puellam absque parentum voluntate trahere aut accipere præsumat. Quæcunque ergo timet violentiam, & non vult habere maritum, refugiat ad Ecclesiam, donec propinqui possint eam principis Imperio, aut sacerdotis vel Ecclesiæ beneficio liberare, & defensare, ac condigno sociare marito. Nam quæ se veste mutauerit, absque dolo, in eo proposito quod disposuit, perseuerare procuret. Illud verò, quod aliquid dicunt, vidua, quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cùm omnes sciant, quòd nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis: quia solum propositum illi sufficere debet, sicut in Epaunensibus canonibus à Papa Auito, vel omnibus episcopis conscriptum est: Viduarum consecrationem (quas diaconas vocant) ab omni religione nostra penitus abnegamus. Et expressius decretum est in synodo Arelatensi, professas viduas, si in incontinentia perstiterint cum raptoribus esse damnandas. In prophetis legitur, quia de alienigenis contra interdicta Dei, Hebræi sortiti vxores, populum à Dei à gentib. superatum. Post prædicante propheta, quia dimisere vxores & filios, & separauerunt se ab illicitis coniugijs, statim victoriam fuisse secutam. Quicunque ergò de laicis ingenuus, cum talibus excommunicatis participare præsumpserit, excōmunicatum se esse cognoscat.

22 De incestis verò coniunctionibus censuimus, statuta canonum vetera non irrumpi. Satis enim facimus, si in hac parte statuta prisca seruemus. Sed propterea fuit iterare necessarium, quia dicunt plures, quasi illud per prædecessorum negligentiam sacerdotum illis non fuisset apertum. Sed reuera mentiuntur, cùm sciamus tales ac tantos viros nullatenus huic negligentiæ subiacuisse, sed hoc, quod scripturæ sanctæ testantur, assiduè prædicasse. Propterea placuit etiam de voluminibus librorum pauca perstringere, & canonibus inserere, vt excerpta lectio de alijs libris in vnum, reciteturad populum. Sic enim Dominus locutus est: Custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Ego Dominus: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. Ego Dominus: Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem vxoris patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre, quæ domi vel foris genita est, non reuelabis. Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia, non reuelabis: quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non reuelabis. Turpitudinem sororis patris tui, non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis, eo quòd sit caro matris tuæ. Turpitudinem patrui tui, non reuelabis, nec accedes ad vxorem eius, qui tibi affinitate coniungitur. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filij tui est, nec discooperies ignominiam eius. Turpitudinem vxoris fratris tui, non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem sororis tuæ & filiæ eius, non reuelabis. Filiam filiæ eius, & filiam filiæ illius non sumes, vt reueles ignominiam eius, quia caro illius sunt: & talis coitus incestus est. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius. Cum vxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. Maledictus homo, qui faciet Deut. 27. sculptile & conflatile, abominationem Domino, opus manuū artificum, ponetque illud in absconditо: & respondebit omnis populus & dicet, Amen. Maledictus, qui non honorat patrem suum & matrem: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus, qui transfert terminos proximi sui: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus, qui errare facit cæcum in itinere: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus, qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli ac viduæ: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus, qui dormit cum vxore patris sui, & reuelat operimentum lectuli eius: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus, qui dormit cum sorore sua filia patris sui, siue matris suæ: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus, qui dormit cum socru sua: & dicet omnis populus, Amen. Maledictus, qui clàm percusserit proximum suum: & dicet omnis populus, Amen. Itemque ait sacra sententia legum, quæ in hac explanatione omni homini tam docto quàm indocto aperta est, vt quisquis aut sororis, aut fratris filiam, aut certè gradu consobrinam, aut fratris vxorem, sceleratis sibi nuptijs iunxerit, huic pœnæ subiaceat, vt de tali consortio separetur, & reliqua. Item alia, Quæcunque mulier sororis suæ maritum post mortem illius acceperit, vel si quis ex viris, mortua vxore, sororem eius alijs nuptijs sibi coniunxerit, nouerit tali cōsortio se esse notabilem. In synodo Aurelianen. quam inuictissimus rex Clodouæus fieri supplicauit, sic decretum est Can. 20. ne superstes frater torum defuncti fratris præsumat ascendere, neve sibi quisquam amissæ vxoris sororem audeat sociare: quod si fecerint, ecclesiastica districtione feriantur. In Epaunensibus canonibus à Papa Auito vel reliquis episcopis Can. 30. Epaunen. constitutum est: Incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Concil. Incestus verò nec vllo coniugij nomine prædicandos, præter illos quos dinumerare funestum est, hos esse censuimus: Vt si quis relictam fratris, quæ penè priùs soror extiterat, carnali coniunctione violauerit: Si quis insuper germanam vxoris suæ acceperit, si quis nouercam duxerit, si quis consobrinæ, sobrinæque se sociat, ab ecclesia segregetur. Quòd vt à præsenti tempore prohibemus, ita ea quæ sunt anteriùs instituta, non soluimus, ne quis relictæ auunculi misceatur, aut patrui, aut priuignæ concubitu polluatur. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij facultatem. In canonibus etiam Aruernensibus à beatissimis patribus sic habetur insertum: Si quis relictam fratris, sororem vxoris, priuignam, consobrinamve relictam, id est, patrui, vel auunculi, carnalis contagij macula crediderit violan- Can. 11. eiusd. Conc. dam, & ausu sacrilego authoritatem diuinæ legis, ac iura naturæ perruperit, & cui charitatis ac pij affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis ac pudicitiæ expugnator, vim inferre tentauerit, apostolicæ Constitutionis sententia feriatur. Et quàm diu in tanto versatur scelere, à Christiano cœtu atque conuiuio, & ecclesiæ communione priuabitur. Nos hoc, quod patres nostri statuerunt, in omnibus roboramus: quia præcepto Domini, Apostolo prædicante docemur, vt à nobis filij nostri seueritate potiùs corrigantur, quàm ignaua tepiditate ad perpetranda grauiora laxentur, vbi ait: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, 1. Cor. 4. 1. Cor. 5.

vt præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis in meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Ergo quia dixit Apostolus; Imitatores mei 1. Cor. 4. estote, sicut & ego Christi: non nos præsumptuosos existimet homo, si sequentes Apostolum, quenquam ab Ecclesia segregamus, donec reminiscatur, & reuertatur ad vitã, quam per Dominum nostrũ Iesum Christum & baptismum meruit habere perpetuam, ne iam, peccato faciente, ac diabolo persuadente, perdat & baptismi gratiam & vitam æternam. 1. Cor. 11.

23 Enimuerò, quoniam cognouimus nonnullos inueniri sequipedas erroris antiqui, qui Kalend. Ianuarij colunt, cùm Ianus homo gẽtilis fuerit rex quidem, sed Deus esse non potuit. Quisquis ergo vnum Deum patrem regnantem cum filio & Spiritu sancto credit, certè hic nõ potest integer Christianus dici, quia aliqua de gentilitate custodit. Sunt etiam, qui in festiuitate cathedræ * Domini Petri Apostoli * cibos mortuis offerunt, & post Missas redeuntes ad domos proprias, ad gentilium reuertuntur errores, & post corpus Domini, sacratas dæmoni escas accipiunt. Contestamur illam solicitudinẽ tam pastores quam presbyteros gerere, vt quemcunque in hac fatuitate persistere viderint, vel nescio ad quas petras, aut arbores, aut ad fontes designata loca gentilium perpetrare, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altario permittant, qui gentilium obseruationes custodiunt. Quid enim dæmonibus cum Christo commune, cùm magis sumendo iudicium delicta videatur addere, quàm purgare? * victimas

24 Licet hymnos Ambrosianos habeamus in canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, præter ea quorum authorum nomina non fuerint in limine prænotata: quoniam quæ fide constiterint, dicendi ratione non obstant. 1. Cor. 11.

25 Illud quoque, quanquam priorum canonica sit authoritate præfixum, quod dum inter se sæuiunt Domini nostri, ac malorum hominum stimulo concitantur, & alter alterius res rapida cupiditate peruadit, ne ista caduca actione, qua inter se aguntur, Ecclesiastica rura contingere, aut contaminare præsumant, inuiolabiliter obseruandum censemus, vt quicunque tam Ecclesię, quàm Episcopi res proprias (quæ & ipsæ Ecclesiæ noscuntur esse, quas pontifex actorib. Ecclesiæ dignoscitur assignasse) vel abbatum aut monasteriorum siue presbyterorum quaque temeritate peruadere, competere vel confiscare præsumpserit, tunc reseruato correctionis hoc loco adhuc presbyter eiusdem Ecclesiæ, cuius interest, peruaforem conuenit admonere: & si restitutionem distulerit, adhuc quasi filius ab omnibus fratribus ad reddendum missis epistolis compellatur. Qui si pertinaciter in peruasione perstiterit, & se tollere post tertiam commonitionem de re illa aut Ecclesiæ, aut propria noluerit, conuenit, vt omnes omnino vna cõniuentia simul cum nostris abbatibus ac presbyteris vel clero, qui stipendijs exipso alimento pascuntur, quia arma nobis non sunt alia, auxiliante Christo, circunsepto clericali choro, necatori pauperum, qui res peruadit Ecclesiæ, Psalmus 108. dicatur, vt veniat super eum illa maledictio, quæ super Iudam venit, qui dum loculos faceret, subtrahebat pauperum alimenta: vt non solùm excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur, & cœlesti gladio feriatur, qui in despectu Dei & Ecclesiæ & pontificum, in hac peruasione præsumit assurgere. Illud etiam annecti placuit, vt qui de fratribus ad dandum solatium venire pro certa infirmitatis necessitate non potuerit, abbates & presbyteros in vice sua transmittat. Qui si præter certam infirmitatis excusationem commonitus, aut venire, aut transmittere noluerit, remotum se à fratrum charitate esse cognoscat. Nam, quod quidem non credimus, si quis contra decreta nostra talis temeratori communicare præsumpserit, in se causam excommunicationis transformet, & cum eodem se à charitate omnium sacerdotum cognoscat esse remotum. Ioan. 13.

26 Placet itaque, ac omnibus nobis conuenit obseruare, vt quia nõnulli memores sui, per quaslibet scripturas pro captu animi, de facultatibus suis Ecclesijs aliquid contulisse probantur, quod à diuersis Deum minus timentibus, eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam: nec intueri corde possint diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicunque ergo immemor interitus sui, res Ecclesijs (vt suprà diximus) delegatas, iniustè possidens, præsumpserit retinere, & veritate comperta, res Dei seruis eius dissimulauerit reformare, ab omnibus Ecclesijs segregatus, à sancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, nisi cùm culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res Ecclesiasticas & audet rapere, & iniustè possidere iniqua defensione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi sunt, qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse prouisio, vt vindictam admonitio manifestè præcedat, vt res vsurpatas iniustè qui abstulit adhibita æquitate restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, postea prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat: neque quisquam per interregna res Dei nitatur defensare, quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit. In Parisiẽ. synod. 1. cap. 1.

27 Vt iudices aut potentes, qui pauperes opprimunt, si commoniti à pontifice suo se non emendauerint, excommunicentur.

28 Cauta enim est in * salute prouisio, ad effugiendam culpam delicti, aditum delinquendi repellere. Nullus episcoporum de ordinationibus clericorum præmia præsumat exigere, quia non solùm sacrilegum, sed & hæreticum est, (sicut in dogmatibus Ecclesiasticis habetur insertum) ad ordinandum clericum, per ambitionem (ad imaginem Simonis magi) pecuniam offerre sacerdoti, quia dicitur: Gratis accepistis, gratis date. Et cùm talis sit, qui gratiam Dei à sacerdote æstimat precio comparari, qualis ille, qui venit, vterque vsq; ad synodum ab Ecclesia segregetur. Cauta est enim in salute prouisio ad effugiendam culpam delicti, aditum delinquendi repellere. * al. Cauteta. Act. 8. Matth. 10.

Notaui sub die 15. Kal. Decemb. an. 6. regni Domini nostri * Chariberti gloriosissimi regis. * al. Cheriberti.

Prætextatus, etsi peccator, in Christi nomine episc. Ecclesiæ Rothomagens. hunc consensum nostrum secundùm patrum statuta, relegi, consensi, & subscripsi sub die 15. Kalend. Decemb. Turonis.

Germanus peccator, consensi, & subscripsi.
Felix peccator, consensi, & subscripsi.
Caletricus peccator, consensi, & subscripsi.
Domitianus peccator, consensi, & subscripsi.
Victurius peccator, consensi, & subscripsi.
Domnulus peccator, consensi, & subscripsi.
Leodobaudus peccator, consensi, & subscripsi.

NOTÆ in Concilium Turonense II.

Concilium.] *Cum multorum temeritate sacri canones in Gallia proculcarentur, sanctissimi Patres Galliæ ex aduerso consurgentes, pro muro se domui Israel opposuere, atq; viginti octo canones antehac constitutos, stabili firmitate corroborarunt, quibus Ecclesiastica disciplina collapsa resurgeret, pristinoq; nitore splendesceret. Octo tantum Episcopi huic Concilio interfuisse legunt ur, ex quibus sanctitate celebres sunt quatuor hi: Prætextatus Rothomagensis: Germanus Parisiensis: Domitianus Catalaunensis, & Domnulus Cænomanensis. Series Episcoporum intercisa & minimè integra esse videtur, ex eo quòd S. Euphronius, hoc tempore Turonensis Episcopus, neque per se, neque per vicarium subscripsisse reperiatur.* Causa Concilij. Numerus Episcoporum & eorum nomina. Tempus Concilij.

In causa, &c.] *Hac de causa Patres Concilij conuenisse, indicat ipsa præfatiuncula Actis synodalibus præfixa.* Scopus totius Libelli.

Anno Domini] *Anno sexto Chariberti Regis hanc synodum celebratam fuisse, habent Acta Concilij circa finem. Cum igitur auctoritate Gregorij Turonensis lib. 4. ca. 21. hist. Franc. aperte constet, quòd post obitum Clotharij Regis (qui contigit anno 51. post mortem Clodouei, postq; natũ Christum 565.) Franciæ regnum inter quatuor eius filios hosce; Charibertum, Chilpericum, Gunthermnum & Sigebertum diuisum fuerit, concedere oportet annum sextum Chariberti,*

berti, cum 570. Christi nati concurrere, eodemq; tempore hanc synodum celebratam esse.

Vt corpus Domini in altari, &c.] *Prohibetur, ne corpus Domini inter sacras imagines super altari poni solitas ponatur; sed potius collocetur sub ipsa cruce, quæ in medio tullio ipsius altaris poni consueuit. His temporibus corpus Domini intra columbam argenteam conseruabatur. Legitur enim in actis S. Basilij, quæ Amphilochij nomine inscripta habentur, isto sæculo sacram Eucharistiam intra columbas argenteas repositam fuisse. Has à Seuero furtim sublatas fuisse, monachi Antiocheni in libello, quem Quintæ Synodo obtulerunt, conqueruntur. Hic asseruandi modus à synodo prohibitus esse videtur, dum præcipit, ne in ordine imaginario collocetur. Probabile est quod occasione illius prohibitionis Felix Episcopus Bituricensis, cuius nomen huic synodo subscriptum est, ad sacratissimam Eucharistiam asseruandam, curauerit fieri instar turris vas aureum perelegans illud, quod Venantius Fortunatus celebrauit & descripsit subsequente Epigrammate, cui talem inscriptionem præfixit:*

Ad Felicem Bituricensem in Turrim eius.

Quam bene iuncta decent sacrati vt corporis Agni,
Margaritum ingens aurea dona ferant.
Cedant Chrysolitis Salomonia vasa metallis,
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data Christe tibi Felicis munere sic sint,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.
Et cuius tu corda vides pietate coæquas,
Par viduæ merito quæ dedit æra duo. *Hæc Venantius de Felicis aurea Turri.*

Commendatur à S. Hieronymo epistol. 4. S. Exuperius Tolosanus Episcopus, qui tempore exundantium barbarorum, ne istiusmodi aurea sacra vasa illorum rapinæ cederẽt, ipsa in vsum pauperum conflârat, canistro vimineo & vitreo calice corpus Domini portans. Non nisi de asseruata in Ecclesia Eucharistia intelligi potest illud execrandũ scelus Donatistarũ, quod ab Optato breuiter describitur his verbis. Iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iudicij: nam ijdem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice tanquam ignotos & inimicos laniauerunt. *Cyrillus Alexandrinus redarguit hũc primum emergentem errorem illorum, qui putabant Eucharistiam in sequẽtem diem non esse seruandam. Nam ad Calosyrium Episcopum Arsomotẽ scribens, sic ait:* Porro alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationẽ proficere dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur; sed benedictionis vis & facultas & viuificans gratia perpetuò in ipso existit. *Videant & cognoscant ex his Nouatores hæretici, nouum non esse, quod extra sumptionem, in Ecclesia Catholica sacrosanctum corpus Christi in altari asseruetur.*

De incœstis vero coniunctionibus.] *Sanctissimi Patres huius Concilij, hunc canonem statuisse videntur, ad corrigendum ipsum regem Charibertũ incœstus crimine labefactatum; vtpotè qui Marcouefam coniugis suæ Meroflendis sororem sibi nefariè copulasset. Sed cum huius canonis auctoritate apud eum nihil aut parum effectum fuisset, S. Germanus Parisiensis Episcopus eundem excommunicauit, cum ad pœnitentiam agendam monitus, peccare non desisteret.* Post hæc, *inquit Gregor. Turon. libr. 4. cap. 26. hist. Franc.* Marcouefam Meroflendis scilicet sororem coniugio copulauit: pro qua re à S. Germano Episcopo excommunicatus est vterq;: sed cum eam Rex relinquere nolet, primum illa percussa iudicio Dei obijt: nec multo post & ipse Rex post eam decessit Chariberti. *Hæc de incœstu Regis Chariberti Gregorius.*

Quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt formacantari.] *Huius Canonis sanciendi causam dedisse videntur hymni illi, quos Venantius Fortunatus haud pridem de cruce cecinerat; quique ab Ecclesia recepti, hactenus piè sanctèque concini consueuerunt.*

Quod dum inter se sæuiunt Domini nostri.] *His verbis insinuatur, qua occasione hæc constitutio, de bonis Ecclesiæ non inuadendis, hic repetita fuerit: nimirum, quod cũ Regis ærarium frequentia bellorũ ciuilium euacuatũ esset, milites inuaserint bona Ecclesiæ, atque inde sibi ipsis stipendia persoluerint.*

Vt non solũ excõmunicatus, sed etiã anathematizatus moriatur.] *Hoc loco Patres Concilij temporalem pœnam imprecantur direptoribus bonorum Ecclesiasticorum. Ea pœna sacrilegium punari, Deo gratum fuisse, plura exempla declarant. De quodam Diacono, qui relicta Ecclesia fisco se publicè iunxerat, narrat Gregor. Turon. lib. de gloria Mart. ca. 17. quod cum aliquando vsurpasset de gregibus sub nomine Martyris Iuliani, & inclamentibus pastoribus eos esse S. Martyris Iuliani, & ille irridẽs respondisset,* putasne quia Iulianus comedit arietes? *post multos dies cum non religione; sed casu transiens ante sepulchrum B. Martyris ibi obdormisset, tanta tamq; ardenti febre corriperetur, vt clamaret se incendi per Martyrẽ, & crimen confiteretur: cumq; deprecaretur, quanta proxima posset voce, iactari super se aquam, tanquam de fornace; ita fumus egrediebatur de corpore. Interea miseri artus combusti in nigredinem conuertuntur; vnde tantus procedebat fœtor, vt tolerari vix posset; atq; ita spiritum exhalauit. De Rege Chariberto narrat idem Greg. lib. 1. de miracul. S. Martyr. quod cũ loco sacro, qui fuerat in honorem S. Martini consecratus, stabulum erexisset, omnium equorum illuc introductorũ iacturam fecerit, monitusq; reddere, quod iniustè occupabat, responderit:* Siue iustè, siue iniustè reddi debeat, me regnante hanc basilicam non habebit. *Quo sacrilegio, cum haud dubie diuinum numen grauissime offendisset, paulo pòst regno simul & vita, iussu Dei vindicis exutus fuit.*

Pœna sacrilegorum.

Chariberti sacrilegium.

Prætextatus.] *De Prætextato, Germano, Felice, Domitiano & Domnulo hic subscriptis Episcopis, vide quæ dixi supra, &c.*

CONCILIVM LVGDVNENSE PRIMVM, ANno Domini 570. celebratum sub Ioanne III. Papa. Est Prouinciale.

Anno VI. Regni gloriosissimi Guntramni Regis, Indictione tertia.

CVM in nomine Domini in Lugdunensi vrbe ad synodale Concilium venissemus, tam pro renouandis sanctorum Patrum institutis, quę præsentis temporis necessario fecit opportunitas iterari, quàm his, quæ assurgentibus vndecunque querelarum materijs, recentis definitionis ordo popoſcit institui: tractantes quid saluti populi vtilius competeret, vel quid Ecclesiasticus ordo salubriter obseruaret.

Circa Anno D. 570.

1 Primo in loco vnitatem sacer dotum, quam & Dominus diligit, & scriptura commendat, & concordia charitatis expoſcit, cõuenit ab omnibus custodiri: ita vt in omni tractatu vel definitione, vno spiritu, vna sententia, sacerdotum constantia perseueret. Et si quid inter fratres, id est, coepiscopos nostros, contentionis ortum fuerit, si de vna prouincia sunt, metropolitani cum cõprouincialib. suis iudicio sint cõtenti. Si verò diuersæ prouinciæ duo fuerint sacerdotes, inter quos aliqua disceptatio oriatur, conuenientibus in vnum metropolitanis ipsorum, omnis eorum actio illorum iudicio terminetur: ita vt si vnus ex Episcopis ab alio episcopo, aut à quacunque persona iniquè fuerit aggrauatus, communi fratrum studio cum Dei solatio defensetur. Quòd si quis se ab hac conditione quacunque calliditate subtraxerit, tribus mensibus se à charitate fratrum nouerit esse sequestratum.

De causis Episcoporum.

2 Secundo loco, quia multæ tergiuersationes infideliũ, Ecclesiam quærunt collatis priuare donarijs, id conuenit inuiolabiliter obseruari, vt testamenta, quæ episcopi, presbyteri, seu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcunque instrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid Ecclesiæ, aut quibuscunque conferre videantur, omni stabilitate subsistant: id specialiter statuentes, vt etiamsi quorumcunque religiosorum voluntas aut necessitate, aut simplicitate aliquid à legum secularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere, & in omnibus, Deo propitio, custodiri. De quibus rebus si

Episcoporum, & clericorũ Testamenta sint rata.

quis animæ ſuæ contemptor aliquid alienare præſumpſerit, vſq; ad emendationis ſuæ, vel reſtitutionis rei ablatæ tempus, à conſortio Eccleſiaſtico, vel omnium Chriſtianorum conuiuio habeatur alienus.

3 Et quia peccatis facientibus, multi in perniciem animæ ſuæ ita conati ſunt, aut conantur aſſurgere, vt animas longa temporis quiete, ſine vlla ſtatus ſui competitione viuètes, nunc improba proditione atq; traditione aut captiuauerint, aut captiuare conentur, ſi iuxta præceptũ domini regis emendare diſtulerint, quouſque hos, quos abduxerunt, in loco, in quo longum tempus quietè vixerunt, reſtaurare debeant, Eccleſiæ communione priuentur.

11. q. 3 Si quis à proprio.

4 Illud etiam, quod ſancti patres ſalubriter ordinarunt, placuit iterari, vt ſi quicunq; epiſcopus pro reatu aliquo quenquam à communione ſuſpẽderit, apud omnes ſacerdotes eatenus à communione habeatur alienus, vſquequò eius iudicio debeat recipi, à quo meruerat, pro reatu ſuo, à charitate Eccleſiaſtica ſequeſtrari.

Ab epiſcopo excommunicatus, non accipiatur ad Communionẽ, niſi ab eodem abſolutus.

5 Et quia multa ſunt Eccleſiæ membra, quæ diuerſo genere pro vitæ ſuæ qualitate vel diſcretione ſacerdotali, aut oblectari conuenit, aut diſtringi, illud cenſuimus ſtatuendum, vt quaſcunque munificentias clericis aut ſeruientibus, ſiue de rebus Eccleſiæ in vſum, aut de proprijs in proprietatem præcedentes dederint ſacerdotes, ſubſequentes pontifices nullatenus auferre præſumant: Si quid tamen culpæ extiterit, pro qualitate perſonarum, vel regula canonum præcedentium, in perſona habeatur, non in facultate diſtrictio.

6 Placuit etiam vniuerſis fratribus, vt in prima hebdomada noni mẽſis, hoc eſt, ante diem Dominicam, quæ prima in ipſo menſe illuxerit, litaniæ, ſicut ante aſcenſionẽ Domini ſancti Patres fieri decreuerunt, deinceps ab omnibus Eccleſijs ſeu parochijs celebrentur.

SVBSCRIPTIONES Epiſcoporum.

Philippus in Chriſti nomine epiſc. Eccleſiæ Viennenſis, conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Nicetius in Chriſti nomine epiſcopus Eccle. Lugdunenſ. conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Agricola in Chriſti nomine epiſcop. Eccleſ. Cabilonenſ. conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Vincentius in Chriſti nomine epiſc. Eccleſiæ Beliſenſis, conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Siagrius in Chriſti nomine epiſco. Eccleſiæ Heduorum, conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Æoladius in Chriſti nomine epiſco. Eccleſiæ Niuernenſ. ſubſcripſi.

Salonius in Chriſti nomine epiſcop. Eccleſiæ Genauenſ. ſubſcripſi.

Cælodonius in Chriſti nomine epiſc. Eccleſ. Mateſcenſ. ſubſcripſi.

Valeſius presbyter, directus à Domino meo Siagrio epiſcopo Eccleſiæ Gratianopolitanæ, ſubſcripſi.

Vincentius presbyter, directus à Domino meo Lucretio epiſcopo Eccleſiæ, Dienſis, ſubſcripſi.

Euſebius presbyter, directus à Domino meo Victore epiſcopo Eccleſiæ Tricaſſinorum, ſubſcripſi.

Piolus presbyter, directus à Domino meo Treteco epiſcopo Eccleſiæ Lingonicæ, ſubſcripſi.

Cæſarius presbyter directus à Domino meo Tetradio epiſcopo Eccleſiæ Viſoncenſ. ſubſcripſi.

Aſtemius diaconus, directus à Domino meo Maximo epiſcopo Eccleſiæ Valentinæ, ſubſcripſi.

NOTÆ in Concilium Lugdunenſe primum.

Cauſa & acta Concilij.

Concilium.] *Ad euitandum ſcandalum, quod à quibuſdã malæ vitæ Epiſcopis Eccleſiæ Lugdunenſi illatum fuerat, per ſe ſuoſque legatos quatuordecim Epiſcopi conuenerunt, ſtatuerunt q; ſex duntaxat canones, quibus Eccleſiaſticæ paci atque indemnitati conſulitur. Quænam autem fuerint iſta allegata ſcandala, ex Gregorio Turonẽſi ita accipe.* Contra Salonium *(inquit)* Sagittariumq; Epiſcopos tumultus exoritur: hi enim à ſanct. Nicetio Lugdunenſi epiſcopo educati, diaconatus officium ſunt ſortiti: huiuſque tempore Salonius Ebredunenſis vrbis, Sagittariuſque Vapincenſis Eccleſiæ ſacerdotes ſtatuuntur. Sed aſſumpto Epiſcopatu, in proprium relati arbitrium, cœperunt in peruaſionibus, cædibus, homicidijs, adulterijs, diuerſiſque in ſceleribus inſano furore graſſari: ita vt quodam tempore celebrãte Victore Tricaſſinorum Epiſcopo ſolemnitatem natalitij ſui, emiſſa cohorte, cum gladijs & ſagittis irruerent ſuper eum: venienteſque ſciderunt veſtimenta eius, miniſtros cæciderunt, vaſa & omnia ad apparatum prandij auferentes, relinquentes Epiſcopum cum grandi cõtumelia. Quod cum Rex Guntheramnus comperiſſet, congregari Synodum ad vrbem Lugdunenſem iuſſit. Coniunctique Epiſcopi cum Patriarcha Nicetio beato, diſcuſſis cauſis, inuenerunt eos de his ſceleribus, de quibus accuſabantur, valde conuictos. Præceperuntque, vt qui talia commiſerant, Epiſcopatus honore priuarentur. At illi, cùm adhuc propitium ſibi Regem noſſent, ad eum accedunt, deplorantes ſe iniuſtè remotos: ſibique tradi licentiam, vt ad Papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epiſtolis, eos abire permiſit.

Qui accedentes, coram Papa Ioanne exponunt ſe nullius rationis exiſtentib. cauſis dimotos. Ille verò epiſtolas ad Regem dirigit, in quibus locis ſuis eoſdem reſtitui iubet. Quod Rex ſine mora, caſtigatis prius illis verbis multis, impleuit. Sed nulla, quod eſt peius, fuit emendatio ſubſecuta. Tamen Victoris epiſcopi pacem petierunt, traditis hominibus, quos in ſeditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti Dominici, non debere reddi inimicis mala pro bonis, *nihil his mali faciens, liberos abire permiſit: vnde in poſterum à communione ſuſpenſus eſt, pro eo quòd publicè accuſans, clam inimicis pepercifſet abſque Concilio, quibus accuſauerat, fratrum.

* malis

Lugdunenſe.] *Sic dictum à Lugduno: de quo hæc in theatro vrbium. Lugdunum, vulgo Lyon, ante Chriſti natiuitatem anno XXIII. à Numantio Plamitio Romano proconſule ſub Cæſare Auguſto extructum. Vrbs ſita eſt in monte, vbi fluuius Arar miſcetur Rhodano, atq; ad mare tendit. Fuit antiquitùs ſchola latina valde celebris; hodie emporium Galliæ celeberrimum. Dion ſcribit, hanc vrbem olim, (prout videre eſt in antiquis marmoribus, & numiſmatibus,) Lugdunum; poſtea triſyllabicãs, ſicut apud Tacitum & Plinium reperitur, Lugdunum vocatam fuiſſe. Paradinus in ſua Lugdunenſi hiſtoria, quam Gallica lingua, docet à Liuio & Plutarcho inſulam: in vetuſtis inſcriptionibus* ciuitatem Sequanorum, *à Sidonio* Rodanuſiam: *in hiſtoria S. Lupi Archiepiſcopi Lugdunenſis Arariam nominari; haud dubie à Rhodano & Arare fluminibus eam interfluentibus. Gregorius Turonenſis libr. 1. tradit eam quoque* nobiliſſimam *nominari, ex eo quòd Martyrum ſanguine illuſtrata fuerit. Plutarchi libellus de fluminibus & montibus ſcribit, ciuitatem* Lugdolum *vocatam, & montem cui inſidet* Lugdunum, *hiſtoriamq; fabuloſam, & rationes friuolas adducit. Plinius in epiſtolis hanc vrbem ornamentum prouinciarum dicit. De huius origine, nominisq; ratione lege hiſtoriolam, ſeu potius fabellam apud Plutarchum de montibus in voce Araris. Hæc ex theatris vrbium & Geograph. Ortelij, &c.*

Lugdunũ Galliæ decus.

Quo tempore habitum fuerit?

Anno Domini 570.] *Tempus celebrati huius Concilij, manifeſtè indicat ſextus annus Gũtheramni Fraucorum Regis, qui principio Actorum præfixus habetur. Cum enim Charibertus, Guntheramnus, aliiq; fratres eodem anno 565. poſt obitum patris Clotharij regnare cœperint; (prout ſupra in annotationibus præcedentis Concilij Turonenſis oſtendi) ſine vlla controuerſia credi debet, hanc ſynodum, quæ ſexto Guntheramni Regis habita ſcribitur, 570. poſt natum Chriſtum Dominum noſtrum Lugduni celebratam fuiſſe.*

(:)

CONCILIVM BRACARENSE II. SVB ARIAMIRO SVEVORVM REGE ANNO DOMINI 672. POST obitum Ioan. Pap. III. tempore interregni Pontificij celebratum.

EDITIO I. SIVE VVLGATA.

REgnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, currente æra 610. anno ſecundo regis* Ariamiri, die 18. Kalendarum Ianuariarum, cùm Gallaciæ prouinciæ Epiſcopi tam ex Bracarenſi, quam ex Lucenſi ſynodo cum ſuis metropolitanis, præcepto præfati glorioſiſſimi regis, ſimul in metropolitana Bracarenſi eccleſia conueniſſent, id eſt, Martinus, Nitigis, Remiſol, Andreas, Lucentius, Adoricus, Vectimer, Sardinarius, Viator, Auila, Polemius, Mailoc, conſidentibus his ſimul Epiſcopis, atque vniuerſo clero præſente, Martinus Bracarenſis Eccleſiæ Epiſcopus dixit: Inſpiratione hoc Dei credimus prouenisſe, ſanctiſſimi patres, vt per ordinationem glorioſiſſimi filij noſtri regis, ex vtroque concilio conueniremus in vnum, vt non ſolùm de viſione alterutrùm gratulemur, ſed etiam ea, quæ ad ordinationem & diſciplinam eccleſiaſticam pertinent, pariter colloquamur. Scriptum eſt enim in Euangelio, dicente Domino: Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum. Nitigis Lucen. Eccleſiæ epiſcopus, dixit: Nec aliud poteſt credi, niſi ea, quæ ad vtilitatem noſtrarum pertinent animarum, diuina inſpiratione & inchoari & perfici oportere. Et ideò vnanimes omnes, atque idipſum in Domino ſentientes, quæcunque ad inſtructionem noſtram pertinent, in medium prolata deſideramus agnoſcere. Martinus Epiſcopus dixit: Arbitramur veſtram beatitudinem recordari, quia cùm primùm in eccleſia Bracaren. epiſcoporum Concilium congregatum eſt, poſt multa, quæ ad concordiam rectæ fidei fuerant roborata, aliqua etiam, quæ regularem ſanctorum canonum continẽt diſcretionem, firmauimus. Quorum vtilitas vt poſſit euidentius in memoriam reuocari, ipſa (ſi vobis placet) epiſtola veſtra in præſentia relegatur. Omnes Epiſcopi dixerunt: Oportet omnimodè, vt in omnium auribus, qui hic aſſiſtunt, recitetur. Recitatis ergò capitulis ſuperioris Concilij, quæ ne prolixitatem facerent, his geſtis minimè ſunt inſerta, Martinus Epiſcopus dixit: Hæc ergo, quæ modò ſunt recitata, quæ nobis tunc aut varia, aut dubia, aut inordinata ſunt viſa, auxiliante Deo, directa ſunt, & ſuam inuiolabiliter obtinent firmitatem. Quæ autem tunc in memoriam non venerunt, aut oneroſum fuit, in illo primo Concilio multa ſimul ingerere, neceſſarium videtur, modò ad notitiam ſanctæ veſtræ charitatis deferri, eo ſpecialiter proſpectu, vt ſpirituali ventilata examine purgentur. Sancti enim patres ac præceſſores noſtri, aut generales ſynodos vndique colligi pro vnitate rectæ fidei fecerunt, ſicut in Nicæa contra Arium trecenti decem & octo, & in Conſtantinopoli centum quinquaginta contra Macedo-

EDITIO II. Ioan. Garſiæ.

TITVLI.

Vt epiſcopus ambulet per diœceſim ſuam, et ante triginta dies Paſcha catechumeni doceantur ſymbolum. 1
Vt epiſcopus per diœceſim ambulans, duos ſolidos tantum accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quærat: & Clerici non agantur more ſeruili. 2
Vt epiſcopus in ordinatione Clericorum cõmodum nullum accipiat. 3
Vt pro chriſma epiſcopus nihil accipiat. 4
Vt pro conſtitutione baſilicæ epiſcopus nihil exigat. 5
Vt qui oratorium pro quæſtu ſuo in terra propria fecerit, non conſecretur. 6
Vt de baptizatis nullum accipiat præmium. 7
Vt qui Clericum accuſauerit, & id non probauerit, excommunicetur. 8
Vt per ſingulos annos à Metropolitano epiſc. Paſcha pronuncietur. 9
Vt Presbyter, poſt cibum non teneat miſſam pro mortuis. 10

Innocent. III. in epiſtola ad Compoſtellanum Archiepiſc. de Concilio Bracarenſi. 2. inquit. De quo non dubitatur quin ſit authenticum.

REgnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, currente Era DC.X. Anno ſecundo Regis Mironis, die Kalendarum Iuniarum, cùm Gallœciæ Prouinciæ epiſcopi, tam ex Bracarenſi, quàm ex Lucenſi Synodo, cum ſuis Metropolitanis, præcepto præfati Regis ſimul in Metropolitana Bracarenſi, epiſcopi conueniſſent, id eſt, Martinus Nitigiſius, Remiſol, Andreas, Lucretius, Adorius, Vvittimer, Sardinarius, Viator, Auila, Polemius, Maylocus; conſidentibus his ſimul epiſcopis, atque vniuerſo clero præſente, Martinus Bracarenſis ſedis epiſcopus dixit: Inſpiratione hoc Dei credimus prouenisſe, ſanctiſſimi fratres, vt per ordinationem Domini glorioſiſſimi filij noſtri Regis, ex vtroque Concilio conueniremus in vnum, vt non ſolum de viſione alterutra gratulemur, ſed etiam ea, quæ ad ordinationem, & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, pariter conloquamur. Scriptum eſt enim in Euangelijs, dicente Domino: Vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Nitigiſius Eccleſiæ Lucenſis epiſcopus dixit: nec aliud poteſt credi, niſi ea quæ ad vtilitatem noſtrarum pertinent animarum, diuina inſpiratione & inchoari & perfici poſſe. Et ideò vnanimes atque idipſum in Domino ſentientes, quæcunque ad inſtructionem noſtram pertinent, in medium prolata deſideramus agnoſcere.

Erat Bracarẽſis antiquior Lucenſi, vnde primũ locum obtinebat. Iſt. 1. Concilio interfuit, nondum epiſcop. Bracarenſis. Nitigius verò erat Epiſcopus Lucenſis: vndeſecũdum dicẽdi tenuit locum.

Martinus epiſcopus dixit: Arbitramur veſtram beatitudinem recordari, quia cùm primùm in Eccleſia Bracarenſi epiſcoporum Concilium congregatum eſt, poſt multa, quæ ad concordiam rectæ fidei fuerant roborata, aliqua etiam, quæ regularem ſanctorum Canonum continent diſcretionem, firmauimus; quorum vtilitas, vt poſſit euidentiùs in memoriam reuocari, ipſa (ſi vobis placet) epiſtola in veſtra præſentia relegatur.

Omnes epiſcopi dixerunt. Oportet omnibus modis, vt in omnium auribus, qui hic adſtant recitetur. Recitatis ergo capitulis, quæ ne prolixitatem facerent, his geſtis minimè ſunt inſerta, Martinus epiſcopus dixit: Hæc ergo, quæ modo ſunt recitata, quæ nobis tunc, aut varia, aut dubia aut inordinata ſunt viſa, auxiliante Deo, directa ſunt, & ſuam immobiliter obtinent firmitatem: quæ autem tunc in memoriam non venerunt, aut oneroſum fuit in primo illo Cõcilio multa ſimul ingerere, neceſſariũ videtur modo ad notitiam ſanctæ veſtræ charitatis deferri, in eo ſpecialiter proſpectu, vt ſpirituali vẽtilata examine purgentur. Sancti enim patres, ac præceſſores noſtri, aut generales Synodos vndique collecti, pro vnitate rectæ fidei fecerunt; ſicut in Nicæa contra Ariũ. CCCXVIII

nium, & in Epheso contra Nestorium ducenti, & in Chalcedona contra Eutychen sexcenti triginta: aut certè speciales synodos per suas vnusquisque prouincias, pro resecandis cõtentionibus, vel emendandis aliquorum negligentijs, collegerunt: & prout euentus culparum, aut qualiscunque excessus exegit, per singulas quasque diuinas canonum sententias, mediante inter eos Dei spiritu conscripserunt, quas oportet nos relegere & intelligere, & tenere. Et quia opitulante Christi gratia, de vnitate & rectitudine fidei in hac prouincia nihil est dubiũ, illud nobis modò specialiùs est agendum, vt si quid fortasse extra Apostolicam disciplinam per ignorantiam, aut per negligẽtiam reprehensibile inuenitur in nobis, recurrentes ad testimonia sanctarum scripturarũ, vel ad antiquorum canonum instituta, adhibito communi consensu, omnia quæ displicuerint, rationabili iudicio corrigamus. Et primum (si placet) relectis B. Petri Apost. præceptis, quę pro regula sacerdotum in sua epistola euidenter adscripsit, quicquid non eodem tenore, sicut princeps Apostolorũ edocuit, agi videtur à nobis, sine vlla cunctatione ad emendationem deducere festinemus; ne fortè, dum alijs prædicamus, ipsi reprobi effecti, diuino illo condemnemur eloquio, dicente: Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Omnes episcopi dixerunt: Cupimus memoratam Apostoli Petri epistolam ad locum ipsum, vbi sacerdotes docet, audire. Tunc allato libro, hæc ex eadem epistola recitata sunt: Seniores, obsecro cõsenior, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregi, & ex animo, vt cùm apparuerit princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. His relectis, omnes episcopi dixerunt: Cognitis his, quæ ex epist. B. Petri Apostoli sunt recitata, desideramus, auxiliante DEI gratia, diuinis obedire præceptis, & Apostolicę epistolæ, quæ nobis recitata est, in his omnibus formulam imitari, ne fortè in aliquibus inordinatè ambulantes, diuino (quod absit) iudicio condemnemur, sed vt sanctorum Patrum vestigia subsequentes, in ipsorum requie mereamur esse participes, & immarcessibilẽ illam gloriæ coronam, quæ repromissa est, cum ipsis percipere mereamur. Ob hoc ergo tuam simul oẽs deposcimus charitatem, vt has omnes causas, singulis capitulis breuiter comprehensas, vel qualiter corrigi debeant, his gestis subter annectas. Quæ cũ studiosius relecta, & in notitiam omnium nostrum euidenter fuerint perducta, propria vnusquisq; manu pro eorum emendatione & confirmatione subscribat, vt non solùm nobis, sed etiam successoribus nostris, hæc ad perfectionem episcopalis officij decreta proficiant.

1. Cor. 9.

Psalm. 49.

1. Petr. 5.

1 Placuit omnibus episcopis, atq; conuenit, vt per singulas Ecclesias episcopi & diœcesses ambulantes, primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel Missarum, & qualiter quæcunque officia in Ecclesia peragant. Et si rectè quidem inuenerint, Deo gratias agãt: sin aũt minimè, docere debent ignaros, & hoc modis omnib. præcipere, sicut antiqui canones iubent, vt ante dies viginti baptismi, ad purgationem exorcismi cõcurrant catechumeni. In quib. viginti diebus omnes catechumeni symbolum, quod est, Credo in Deum Patrem Omnipotentem, specialiter doceantur, Postquam ergo in his suos clericos discusserint vel docuerint episcopi, alia die conuocata plebe ipsius Ecclesiæ doceant illos vt errores fugiant idolorum, vel diuersa crimina, id est, homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera: & quod nolunt sibi fieri, alteri nõ faciant: & vt credant resurrectionem omnium hominum, & diem iudicij, in quo vnusquisq; secundum opera sua recepturus sit. Et sic postea episcopus de Ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

2 Placuit, vt nullus episcoporum, per * suas diœceses ambulans, præter honorem cathedræ suæ, id est, solidos duos, aliquid aliud per Ecclesias tollat. Neq; tertiam partẽ ex quacunque oblatione populi in Ecclesijs parochialibus requirat, sed illa tertia pars pro luminaribus Ecclesiæ vel recuperatione seruetur, & singulis annis episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam episcopus tollat, lumẽ & sarta tecta abstulit Ecclesię. Similiter & parochiales clerici, seruili morẽ in aliquibus operibus episcopi seruire non cogantur, quia scriptum est, Neque vt dominantes in clero.

*suã diœceſim

1. Petr. 5.

3 Placuit, de ordinatione clericorum Episcopi munera

& in Constantinopoli cõtra Macedonium. CL. & in Epheso contra Nestorium. CC. & in Chalcedone contra Eutychen DCXXX. aut certè speciales Synodos per suas vnusquisque prouincias, pro secandis contentionibus, vel emendandis aliquorum negligentijs collegerunt; & prout euentus culparum aut qualiscunque excessus exegit, per singulas quoque diffinitas Canonum sententias, mediante inter eos Dei spiritu conscripserunt: quas oportet nos legere, & intelligere, & tenere. Et quia, opitulante Christi gratia, de vnitate, & rectitudine fidei in hac prouincia nihil est dubium, illud nobis specialius est agendum, vt si quid fortasse extra Apostolicã disciplinam, per ignorantiam, aut negligentiam, reprehensibile inuenitur in nobis; recurrentes ad testimonia sacrarum Scripturarum, vel antiquorum Canonum instituta, adhibito communi cõsensu, omnia quæ displicuerint, rationabili iudicio corrigamus. Et primu, si placet, relectis B. Apostoli Petri præceptis, quę pro regula Sacerdotũ in sua epistola euidenter adscripsit, quidquid non eodem tenore, sicut princeps Apostolorum edocuit, agi videtur, à nobis, sine vlla cunctatione, ad emẽdationem ducere festinemus; ne fortasse dum alijs prædicamus, ipsi reprobi effecti, diuino illo cõdemnemur eloquio dicente: Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Omnes Episcopi dixerunt: Cupimus memoratam Apostoli Petri epist. ad locum ipsum, vbi Sacerdotes docet, audire. Tunc allato libro, hæc ex eadẽ Epistola recitata sunt: Seniores obsecro cõsenior, pascite, qui est in vobis gregem Dei; prouidentes nõ coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè; nec vt dominãtes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; vt cùm apparuerit princeps pastorum, recipiatis immarcessibilem gloriæ coronam. His relectis, omnes Episcopi dixerunt: Cognitis his, quæ ex epist. B. Petri Apostoli recitata sunt, desideramus, auxiliante DEI gratia, diuinis obedire præceptis, & Apostolicę epist. quę nobis recitata est, in omnib. formulã imitari: Ne fortè in aliquibus inordinatè ambulantes diuino (quod absit) iudicio condemnemur. Sed vt sanctorum patrum vestigia subsequentes, in ipsorum requie mereamur esse participes, & immarcessibilem illam gloriæ coronam, quæ repromissa est, cum ipsis accipere mereamur. Ob hoc ergo tuam simel omnes deposcimus charitatem, vt has omnes causas singulis capitulis breuiter comprehensas, qualiter corrigi debeant, his gestis subter annectas: quæ cùm studiosius relecta, & in notitiam omnium nostrorum euidenter fuerint perducta, propria vnusquisque manu pro eorum emendatione, & confirmatione subscribat; vt non solùm nobis, sed etiam successoribus nostris, hæc ad perfectionem episcopalis officij decreta proficiant.

Et est apud Apostolum. Percipere. Apud Petrum. Percipiatis. Exc.

1 Placuit omnibus Episcopis, atque conuenit, vt per singulas Ecclesias episco. per diœceses ambulantes, primũ discutiant Clericos, quomodò ordinẽ baptismi teneant, vel Missarum, & quæcunq; officia in Ecclesia peraguntur. Et si rectè quidem inuenerint, Deo gratias agant: si autem minimè, docere debeant ignaros, & hoc modis omnibus præcipere, vt sicut antiqui canones iubent, ante viginti dies baptismi, ad purgationem exorcismi Catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino catechumeni Symbolum, quod est, Credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceantur. Postquam ergo in his suos Clericos discusserint, vel docuerint episcopi, alia die, cõuocata plebe ipsius Ecclesiæ, doceant illos, vt errores fugiant idolorũ, vel diuersa crimina (id est) homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera; aut quod nolunt sibi fieri, non faciant alteri: & vt credãt resurrectionẽ omnium hominum, & diem iudicij; in quo vnusquisq;, secundũ sua opera, recepturus est. Et sic postea episcopus de Ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

Ioan. 5. Ita cum omnib. his epist. Barth. ca. 7. libr. 2. Ioan. Pet. ca. 17. Sup. cap. 19. De cons. distinct. 1. Ante quam dies

2 Placuit, vt nullus Episcoporum, cùm per diœceses suas ambulant, præter honorem cathedræ suę, id est, duos solidos, aliquid aliud per Ecclesias tollat: neq; tertiam partem ex quacunque oblatione populi, in Ecclesijs parochialib. requirat; sed illa tertia pars pro luminarijs Ecclesiæ, vel recuperatione seruetur, & singulis annis Episcop. inde ratio fiat. Nam si tertiam partẽ illam Episcopus tollat, lumen & sacra abstulit Ecclesiæ. Similiter & vt parochiales Clerici, seruili more in aliquibus operibus, episcopis seruire non cogantur; quia scriptum est: Neque vt dominantes in clero.

3 Placuit, vt de ordinationib. Clericorum Episcopi mu-

nulla accipiant, ſed ſicut ſcriptũ eſt, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Non aliquo precio gratia Dei, & impoſitio manuum venundetur, quia antiqua definitio patrum, ita de Eccleſiaſticis ordinationibus ſtatuit, dicens: Anathema ſit danti & accipienti, propterea quia aliquanti multis ſceleribus obnoxij ſancto * indigni miniſtrantes altari, nõ hoc teſtimonio bonorũ actuũ, ſed profuſione munerũ obtinent. Oportet ergo, non per gratiam munerũ, ſed per diligentẽ prius diſcuſſionẽ, deinde per multorum teſtimonia, clericos ordinare.

4 Placuit, vt modicũ balſami, q̃ benedictũ pro baptiſmi ſacram. per Eccl. datur, quia à ſingulis tremiſſes pro ipſo exigi ſolent, nihil vlterius exigatur, ne fortè, q̃ pro ſalute animarũ per inuocationẽ S. ſpiritus cõſecratur, ſicut Simon Mag. donũ Dei pecunia emere, ita nos venũdare dãnabiliter videamur.

5 Placuit vt quoties ab aliquo fideliũ ad conſecrandas Eccl. epiſc. inuitãtur, nõ quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirant: ſed, ſi ipſe quidẽ aliquid ex ſuo voto obtulerit, nõ reſpuatur Si verò aut paupertas illũ, aut neceſſitas retinet, nihil exigatur ab illo. Attamen vnuſquiſque epiſcopo. meminerit, vt non prius dedicet Eccleſ. niſi antea dotẽ baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem chartulę confirmatum accipiat. Nam non leuis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminarijs, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſeruituri ſunt, tanquam domus priuata conſecretur Eccleſia.

6 Placuit, ſi quis baſilicã non pro deuotione fidei, ſed pro queſtu cupiditatis ædificat, vt quicquid ibid. de oblatione populi colligitur, mediũ cũ clericis diuidat, eo q̃ baſilicã in terra ſua quæſtus cauſa cõdiderit, q̃ in aliquib. locis vſq; modo dicitur fieri. Hoc ergo decætero obſeruari dẽt, vt nullus epiſ. tã abominabili voto cõſentiat nec baſilicã, quæ nõ pro ſanct. pa[illegible] ſed magis ſub tributaria cõditiõe eſt cõdita, audeat cõſe.

7 Placuit, vt vnuſquiſq; epiſcopus per eccleſias ſuas hoc præcipiat, vt hi, qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt, ſi quid voluntariè pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab eis. Si verò, per neceſſitatem paupertatis aliquid non habent, quod offerant, nullum ibi pignus violenter tollatur à clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios à baptiſmo retrahunt: qui ſi fortè, dum differuntur, ſine gratia baptiſmi de hac vita receſſerint, neceſſe eſt, vt ab illis eorũ perditio requiratur, quorum ſpolia pertimeſcentes, à baptiſmi gratia retraxerunt.

8 Placuit, vt ſi quis aliquem clericorũ in accuſatione fornicationis impetit, ſecundùm præceptum Pauli apoſtoli, duo vel tria teſtimonia requirantur ab illo. Quòd ſi non potuerit datis teſtimonijs approbare quod dixit, excommunicationẽ accuſati accuſator accipiat.

9 Placuit, vt, poſt quàm omnia in Concilio ſacerdotum fuerint ordinata, illud omnimodis obſeruetur, vt ſuperuenturum ipſius anni Paſcha, quota Kalendarum die, vel quota luna debeat ſuſcipi, à metropolitano epiſcopo nuncietur. Quod cæteri epiſcopi vel clerus reliquus breuiculo ſubnotãtes, vnuſquiſq; in ſua eccleſia, aduenientę natalis Domini die, adſtante populo poſt lectionem Euangelicam nuncient. In cuius principio conuenientes in vnum vicinæ eccleſiæ, per triduum cum pſalmis, per ſanctorum baſilicas ambulantes, celebrent litanias. Tertio autem die, celebratis hora nona ſiue decima Miſſis, dimiſſo populo, præcipiãt Quadrageſimæ ſeruare ieiunia & mediante Quadrageſima, ex viginti diebus baptizandos infantes, ad exorciſmi purgationem offerre.

10 Placuit, vt quia, per ſtultitiam præſumpti nuper erroris, aut certè ex veteris Priſcilliana adhuc hæreſis fœtore corrupto, cognouimus quoſdam presbyteros in huius præſumptionis audacia retineri, vt Miſſas mortuorum, etiam poſt acceptum merum vel oblationem, auſi ſint conſecrare: ideoq; hoc præfixæ euidentis ſententiæ admonitione ſeruetur, vt ſi quis presbyter poſt hoc edictum noſtrũ, amplius in hac veſania fuerit deprehenſus, hoc eſt, non ieiunus, ſed quocunque iam cibo præſumpto oblationem conſecrauerit in altari, continuò ab officio ſuo priuat⁹, à proprio deponatur Epiſcopo.

His ita geſtis, placuit omnibus, pro confirmando horum obſeruantia vnum quemque propria manu ſubſcribere, eo placitorum facto, vt ſi quis, horum capitulorum terminũ tranſgreſſus, ad inordinatas conſuetudines reuerti voluerit, totius Concilij excommunicatione correptus, veriſſimam ſibi de ſui ordinis inclinatione nouerit imminere ſententiam.

nera nulla ſuſcipiant. Sed ſicut ſcriptũ eſt, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo pretio gratia Dei & impoſitio manuum venũdetur: quia antiqua definitio patrum ita de Eccleſiaſticis ordinationib. ſtatuit, dicẽs: Anathema ſit danti, & accipienti. Propterea, quia aliquãti multis ſcelerib. obruti, ſanct. altario indignè miniſtrantes, nõ hoc teſtimonio bonorũ actuũ, ſed profuſione munerũ obtinẽt, oportet ergo nõ per gratiã munerũ, ſed per diligentẽ prius diſcuſſionẽ, deinde per multorũ teſtimonium, Clericos ordinare.

4 Placuit, vt modicũ balſami, q̃ benedictũ, pro baptiſmi ſacram. per eccleſ. datur; quia ſinguli tremiſſes, pro ipſo exigi ſolent, nihil vlterius exigatur: ne fortè q̃ pro ſalute animarũ, per inuocationẽ S. Spiritus cõſecratur, ſicut Simon Mag. donũ Dei pecunia emere, ita nos venundare dãnabiliter videamur. 1.q.1. Placuit, vt nullus. Materia chriſmatis eſt balſamũ cum oleo. Ita Greg. PP. exponens illud Cantici: Botrus Cypri.

5 Placuit, vt quotiens ab aliquo fidelium ad conſecrandas Eccleſ. epiſc. inuitantur, non quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirant; ſed ſi ipſi quidẽ aliquid ex ſuo voto obtulerint, nõ reſpuatur Si verò aut paupertas illũ, aut neceſſitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantũ vnuſquiſq; Epiſcop. meminerit, vt non priùs dedicet Eccleſ. aut baſilicam, niſi antea dotẽ baſilicæ, & obſequiũ ipſius per donationẽ charthulæ confirmatum accipiat: nam non leuis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminarijs, vel ſine ſubſtentatione eorum, qui ibidem ſeruituri ſunt, tanquam domus priuata, ita conſecretur Eccleſia.

6 Placuit, vt quis baſilicã, non pro deuotione fidei, ſed pro queſtu cupiditatis ędificat, vt quidquid ibid. de oblatione populi colligitur, mediũ cũ clericis diuidat; eo q̃ baſilicã in terra ſua ipſe cõdiderit: q̃ in aliquib. locis, vſq; modò dicitur fieri. Hoc ergo de cætero obſeruari dẽt. vt nullus Epiſcop. tam abominabili voto cõſentiat, vt baſilicã, quæ nõ pro ſanct. patrocinio, ſed magis tributaria cõe eſt cõdita, audeat conſecr. De cõſec. diſtin. 1. Si quis baſilicam.

7 Placuit, vt vnuſquiſq; epiſcopus, per Eccleſias ſuas hoc præcipiat, vt hi qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt, * ſi quid voluntariè pro ſuo offerũt voto, ſuſcipiatur ab eis; ſi verò per neceſſitatẽ paupertatis, aliquid non habent, quod offerant; nullũ illis pignus violẽter tollatur à clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios ſuos à baptiſmo retrahũt. Quod ſi fortè dum differũt, ſine gratia baptiſmi de hac vita receſſerint; neceſſe eſt, vt ab illis eorũ perditio requiratur, quorum expolia pertimeſcentes, à baptiſmi ſę gratia retraxerunt. 1 q. 1. Placuit, vt vnuſquiſq;. De Iuon. p. 1. c. 74. * An liceat ſponte oblatum recipere in adminiſtratione ſacramẽtum, diximus Concil. II. c. 8.

8 Placuit, vt ſi quis Clericorũ aliquem in accuſatione fornicationis impetit; ſecundùm præceptum Pauli Apoſtoli, duo vel tria teſtimonia requirantur ab illo: quod ſi non potuerit, datis teſtimonijs approbare, quæ dixit; excommunicationem accuſati accuſator excipiat.

9 Placuit, vt poſtquam omnia in Concilio Sacerdotũ fuerint ordinata, illud omnib. modis obſeruetur, vt ſuperuenturum ipſius anni paſcha, quoto Kalẽdarum die, vel quota luna debet ſuſcipi, à Metropolitano epiſcopo nuncietur. Quod cęteri epiſcopi, vel reliquus Clerus breuiculo ſubnotãtes, vnuſquiſq; in ſua Eccleſia, aduenientę natalis die Domini, adſtanti populo, poſt lectionem Euangelicam, nuncient; vt introitum Quadrageſimæ nullus ignoret: in cuius principio cõuenientes in vnum vicinæ Eccleſiæ, per triduum, cum pſalmis per ſanctorum baſilicas ambulantes, celebrent litanias. Tertio autẽ die, celebratis hora nona ſiue decima Miſſis, dimiſſo populo, præcipiant Quadrageſimæ ſeruare ieiunia; & mediãte Quadrageſima, ex diebus viginti baptizandos infantes, ad exorciſmi purgationem offerre. De conſec. diſt. 3. Placuit, vt poſtquam De Paſcha tis celebritate diximus, Concil. Tol. 10 ca. 1.

10 Placuit, vt quia per ſtultitiam præſumpti nuper erroris aut certè ex veteris Priſcillianæ adhuc hæreſis fœtore corruptos cognouimus quoſdam Presbyteros, in huius præſumptionis audacia detineri, vt in miſſa mortuorum etiam poſt acceptum merum, oblationem auſi ſunt conſecrare; ideoq; hoc præfixæ euidentis ſententiæ admonitione ſeruetur, vt ſi quis Presbyter poſt hoc edictum noſtrum amplius in hac veſania fuerit deprehenſus; id eſt, vt nõ ieiunus, ſed quocunq; iam cibo præſumpto, oblationem conſecrauerit, continuò ab officio ſuo priuatus, à proprio deponatur Epiſcopo. Sic inſtitutum eſt Concil. Tol. 5. c. 1. & Tol. 6. ca. 2. De miſſa à ieiunis celebranda diximus Concil. Tol. 7. c. 2.

His itaque geſtis, placuit omnibus pro confirmãda horum obſeruantia, propria vnum quemq; manu ſubſcribere; eo placito facto; vt ſi quis horum capitulorum terminum trãſgreſſus, ad inordinatas conſuetudines reuerti voluerit, totius Cõcilj increpatione correptus, ſeueriſſimam ſibi de ſui ordinis inclinatione, nouerit imminere ſententiam.

Martinus Bracarensis metropolitanę Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Remisol Visensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscr.

Lucentius Conimbricensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Adoricus Egitanæ Ecclesiæ episcopus, his gestis subscr.

Sardinarius Lamecēsis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Viator Magnetensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Nitigis Lucensis metropolitanæ Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Andreas Iriensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Auila Tudensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Polemius Asturicensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Mailoc Britinorum Ecclesiæ episcopus, his gestis subscr.

Victimer Aurensis Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Martinus Bracarensis metropolitanæ Ecclesię episcopus his gestis subscripsi.

Remisol, Visensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscr.

Lucentius, Conimbriensis episcopus, his gestis subscripsi.

Adorius, Egitanæ Ecclesiæ episcopus, his gestis subscr.

Sardinarius, Lamecēsis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Viator, Magnetensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Item ex Synodo Lucens.

Nitigisius, Lucensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Andreas, Iriensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

VVitimer, Aurensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subsc.

Auila, Tudensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Polemius, Asturiensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

Mailoc, Britonensis Ecclesiæ episcopus, his gestis subscripsi.

De subscriptionibus. Notæ Ioan. Garsiæ.

MArtinus, ex Dumiensi Abbate, creatus est episcopus Bracarensis: erat Metropolitanus & antiquior Nitigisio Lucensi, qui erat etiam Metropolitanus: nam vt diximus in prouincia Gallæciæ duo Metropolitæ continebantur. Successit Martinus Lucretio: Remisol Visensis: Lucentius, & non Lucretius Conimbriensis: Adorius Egitanæ: Sardinarius Lamecensis: Viator Magnetensis.

EX LVCENSI METROPOLI.

NItigisius, primæ sedis Lucēsis Ecclesiæ episcopus: Andreas Irienſis, qui subscribit in primo Bracaren. VVitimer, Aurensis: Auila Tudensis: Polemius Asturicensis: Mailoc Britonensis. Hinc colliges in Prouincia Gallæciæ fuisse duodecim cathedrales sedes, nimirum.

In Bracarensi Metropoli.	*In Lucensi.*
Viseo.	*Iria.*
Conimbria.	*Auria.*
Egitania.	*Tude.*
Lameco.	*Asturica.*
Magneto.	*Britona.*

Hæ omnes ciuitates, extincto Sueuorum Imperio, ad Bracaram sunt redactæ, sub Gothis.

Notæ in Concilium Bracarense secundum.

Concilium.] *In hoc Concilio statuti sunt canones decem ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentes. Obseruandum, in hac enumeratis quatuor Oecumenicis Concilijs, quintam Synodū omitti: quod in illis de fide, in hac de personis dunt taxat actum fuerit. Vide quæ dixi supra in Notis Quintæ Synodi verbo* approbatum. *Baron. an. 572. n. 13.*

Bracarense.] *Ad ea, quæ supra dixi de hac vrbe, adde quæ sequuntur:* Augusta Bracarum; *inquit Ortelius,* Plinio: Bracar Augusta Ptolomæo, citerioris Hispanię vrbs est, quę hodie Braga, Ambrosio Morali. Pro Bracar apud Ptolomæum Brecar scribendum suspicor, cum gentis illius caput sit, quam Strabo & Ptolomæus Brecarios nominant.

De tempore Concilij.

Anno secundo.] *Dicitur in excusis, hoc Concilium sub Honorio PP. I fuisse coactum, sed perperam; cum ex Eræ supputatione constet, Honorium primum, septuagesimum nonum à Petro Romanam sedem rexisse, ann. Domini 623. temporibus Sisebuti Regis: Concilium verò Bracar. 2. anno Domini 572. fuit gestum: forte sub Ioanne IV. temporibus Leouegildi Gothorum Regis. Neq; etiam prouinciale fuit stricte; cum à duobus Metropolitanis totius prouinciæ Gallæciæ fuerit celebratum.*

Forte sub Ioan. III. legēdum.

Cum suis Metropolitanis.] *Ecclesia Lucensis facta est Metropolitana, vt supra diximus, Era 609. in Concilio Lucensi, tempore Theodomiri Regis Sueuorum celebrato. De quo Ambrosius Morales, diligens nostrarum rerum indagator, post Vasæum li. 11. Chronici generalis. cap. 59. affirmat, se in tabulis archiui Ecclesiæ Lucensis legisse sic scriptum:* Tempore Sueuorum sub Era. DC. VII. die Kalendarum Ianuarij, Theodomirus Princeps Sueuorū, Concilium in ciuitate Lucensi fieri præcepit, ad confirmandam fidem Catholicam, vel pro diuersis Ecclesiæ causis. In eo, inquit, Concilio facta est Metropolitana Lucensis Ecclesia; *Ecclesiæ tamen Bracarensi subiecta. Oppositum lego in Concilio Lucensi. Hinc est quòd Ecclesia Bracarensis hac ratione & inuita Primatus Hispaniæ nomen sibi arroget.*

Acta Lucensis primæ synodi.

Mironis.] *Idem Theodomirus qui Era 607. congregauit Concilium Lucense: sic enim inuenio scriptum:* Ego Theodomirus Rex cognomēto etiam Mirus, Gallœciæ totius Prouinciæ Rex, &c. & infrà: His itaque determinationibus, seu definitionibus, à me Nitigio nutu Dei Lucensis sedis episcopo, diligentissimè exquisitis, per antiquorum virorū scientiam, seu scripturarum seriem vetustarum, studiosissimè prius peractam Bracarensem Synodum secundam ibidem in diebus gloriosissimi Domini Mironis Regis, sub Era DC. X. in præsentia ipsius Regis, & omnium Catholicorum Magnatum totius Gallœciæ. *Hæc ibi. Vnde constat, Theodomirum, & Mironem eundem esse Regem, qui huic Synodo interfuit.* hæc Garsias.

Sub eo Rege Suoiorū Bracarens. II. Conc. habitum fuit.

Hanc synodum celebratam esse anno secundo Ariamiri Regis, qui cum Era 610. Christiq; nati 572. coincidit, acta Concilij aperte testantur. Hæc tempora Theodomirus ante biennium defunctus attingere non potuit: vtpote qui, teste Ambrosio Morali, non nisi decem annis regnauerit, quorum primum cœpit anno Christi 560. vltimum anno eiusdem Christi Domini nostri 570. compleuit, consecutus hæredem, & successorem regni illum filium, quem S. Gregorij Turonens. auctoritate per Sanct. Martini reliquias miraculosè à morbo curatum supra recensui. Cum itaq; hæc Synodus celebrata fuerit æra 610. quam Theodomirus Rex Era 608. defunctus, attigisse non potuit, nullo pacto defendi potest, quod ait Garsias, eundem Theodomirum vtrumque Bracarense Concilium conuocasse. In constitutionem Regiam, cuius auctoritate Garsias nititur, mendum irrepsisse probat Baronius ann. 572. numer. 12. Hæc synodus mense Decembri prædicti anni celebrata, post Ioannem mense Iulio defunctum, habita fuit tempore Interregni Pontificij.

Cap. 1. Catechumenus quis?

Catechumeni Symbolum.] *Sic Concil. Laodi. ca. 46.* Baptizatos oportet fidei Symbolum discere, & quinta feria vltimæ septimanæ, vel episcopo, vel Presbytero reddere. *Idem Concil. 6. generali, cap. 78. Gregorius PP. lib. 3. epist. 4. Et nomen suum dabant quadraginta dies, vel eo amplius ante, & exorcismis, quotidianisque orationibus, & ieiunijs expiabantur: vt illa Apostolica in illis impleretur præceptio: Expurgate vetus fermentum; vt sitis noua conspersio, 1. ad Corinth. 5. Id constat ex epistola Siricij. PP. ad Himerium episcopum Tarraconensem, & Cœlestini PP. I. ad episcopos Galliæcia. ca. 12. Et cum venturum erat ad baptismi gratiam suscipiendam, illud reddebant. Ambrosius lib. 2. de Sacramentis, c. 7. Interrogatus es, inquit, Credis in Deum Patrem omnipotentem? & dixisti: Credo, & mersisti. Idem Hieronymus in 2. cap. Prouerb. & Augustinus, libro de Fide & operib. c. 12. & his antiquior S. Dionysius Areopag. de Eccles. Hierar. c. vltimo.*

Lumen

Lumen & sacra.] *Lumen & luminaria Ecclesiæ, ab origine nascentis Ecclesiæ, semper fidelibus magno in honore ad cultum Dei habita, ingentiq; cura obseruata. Vnde narrat Eusebius libr. 6. cap. 7. & Niceph. lib. 5. c. 9. quòd cum oleum deesset luminaribus, in die solemni vigilarum Paschæ, in Ecclesia Hierosolymitana, Narcyssius Hierosolymitanus episcopus aquam imperauit deferri, eamq; benedixit, & infundi lampadibus: tunc, ait Eusebius, repentè, miro, & seculis inauditogenere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem versa, splendorem luminũ etiam solito reddit clariorem. Simile miraculum commemorat Greg. lib. 1. Dialog. c. 5. & li. 3. c. 30. lampades immisso diuinitus lumine accensas fuisse.*

Antiqua diffinitio.] *Gratis ordines esse conferendos, ne Spiritui sancto contumelia irrogetur, dum eius donum pretio temporali æstimatur & traditur (Vile enim est omne quod in humanam æstimationem cadit) Id docuit primo Hormisda P P. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, cap. 2 & Concil. Aurelian. 2. cap. 3. & 2. Turon. cap. 28. & Toletan. 4. cap. 18. & octauum Tolet. cap. 3. & Tolet. 11. cap. 8. & 9. nouissimè sancta & vniuersalis Synodus Tridentina Session. 21. capite 1.*

Exigatur.] *Chrisma, vt gratis detur, statutum est ab Eugenio II. PP. ca. 20. & Alexand. PP. III. c. 10. & in Conc. Cabilon. tempore Caroli Magn. c. 16.*

Nisi antea dotem Basilicæ.] *Post extructam basilicam duo, ex antiquis decretis, Ecclesiæ sunt necessaria ad rem diuinam in ea agendam: vnum est dos, alterum consecratio. Dos opus est, vt Sacerdotum victui & vestitui aptius consuleretur, eorumq; rationibus prouideretur. In Concil. Tolet. 3. c. 15.* Episcopis interdicitur Ecclesiam consecrare, nisi prius dotem chartula confirmatam habuerint. *Sanctus Chrysostomus homil. 18. in Acta:* quasi, *inquit*, ducta vxore, vel sponsa, vel data virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis dotem; inscribe illi; ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur. *De consec. distinct. 1. ca. Nemo. & Can. Cum sicut. Formulã huius chartæ legi in archiuis Ecclesiæ Toletanæ. in dote quam, et inscripsit Adefonsus sextus, Rex, liberali munificentia.* Ego Rex (*inquit*) Adefonsus, constituo chartam dotis beat. Mariæ virgini, & omnibus Sacerdotib. castè & piè vitam agentibus, &c. *Consecratio verò Ecclesiæ ab Apostolis fluxit: ipsi à Domino eam acceperunt, & nobis tradiderunt. Clemens epistol. 2. ad Iacobum fratrem Domini, & epistol. 3. & Canon. Ecclesiast. 16. quæst. 7. & Can. Ecclesias, & omnes. de consecr. dist. 1. Athanasius ab Arrianis accusatus, quòd synaxem in Ecclesia nondum consecrata celebrasset, ipse respondit in epist. ad Constant. Imperatorem, frequentia populi, & necessitate, & periculi metu coactum fuisse.*

Missas mortuorum.] *Pro viuis & defunctis esse Missas celebrandas, antiquus Ecclesiæ Catholicæ retinet mos; vt ex Gregor. II. PP. epist. 8. constat, & ex Concil. Tribur. sub Arnulfo Imperatore capit. 15. & ex Concil. Tolet an. 17. & ex Augustin. lib. de cura pro mortuis agenda, capite primo, & quarto, & libr. de ciuitate Dei. 20. c. 9. & in Enchirid. cap. 100. & ex Chrysostom. sermon. 3. in epistolam ad Philippens. & ex Cypriano martyre, libr. 1. epist. 9. & Concilio Cabilonensi, cap. 39.*

FRAGMENTA QVAE CITANtur ex Concilijs Bracarensibus, & eis non extant, per Io. Garsiam

EX CONCILIO BRACARENS.
Cap. 3.

HOc omnimodis præcipimus, & antiqui Canones præcipiunt, vt ante baptismum, viginti dies ad purgationem exorcismi Catechumeni veniant, & in illis viginti diebus iuxta Canonicum præceptum & erudiantur & consecrentur.

EX CONCILIO BRACARENS.
Cap. 22.

Si in alicuius Presbyteri parochia infideles aut faculas incenderint, aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur; si hoc eruere neglexerit, sacrilegium se feciisse cognoscat præsumptor aut hortator rei ipsius: si admonitus hoc emendare neglexerit, communione priuetur.

EX CONCILIO BRACARENS.
Cap. 31.

Quicunque Presbyter de iure tituli sui quolibet modo aurum, argentum vel gemmas, vestes quoq; si sunt, vel si acceſſerint aliqua mobilia ad ornamenta diuina, aliquid in perpetuum alienare tentauerit, donator, alienator, ac venditor honoris sui amissione multetur. Burch. lib. 3. c. 180.

EX EODEM. Cap. 80.

Si quis balationes ante Ecclesias Sanctorum fecerit, seu qui faciem suam transformauerit in habitu muliebri; & mulier in habitu viri, emendatione pollicita. 3. annos pœniteat. Burch. lib. 10. c. 39.

EX CONCILIO BRACARENS. 3.
Cap. 8.

Quicunque sub hoc neglectu res diuinas laborare distulerit, speciali placito distringendus est; vt si de rebus, vel augmentis Ecclesiæ quæstum laboris suis propriè auxit; & ex hoc Ecclesiasticis rebus, aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit, quidquid in rebus Ecclesiæ minuit, ille restituat, ex cuius rebus, atque suffragijs suos conuictus fuerit ampliasse labores. Quod si aliquid pro vtilitatibus Ecclesiæ, aut substantiæ expendit, aut dispendij, vel perditionis quippiam pertulerit, si hoc comprobare potuerit, totum illi à rebus Ecclesiæ eiusdem reformabitur, pro cuius vtilitate id expendisse probatur. Si verò de rebus Ecclesiæ, tantummodò aliqua acquisisse noscũtur, & ad nomen Ecclesiæ instrumenta debent cõponere, nec aliquibus poterint illa donare. Gratianus 12. q. 4.

CONCILIVM
LVCENSE II. ANNO DOMINI 572. celebratum post obitum Ioannis III. tempore Interregni Pontificij.

NOTÆ.

Concilium.] *Hoc Concilium Lucense II. (vt videre est ex constitutione Regis, quæ est apud Antonium Moral. lib. 11. cap. 26.) habitum fuit, æra 610. anno secundo Ariamiri Regis, paulò post quam Bracarense secundum absolutum fuisset. Ab illo ergo Lucensi diuersum esse apparet, quod celebratum est sub Theodomiro parente æra 607. In constitutione Regis, quæ præd. loco apud Moralem habetur, Theodomirus hanc synodum conuocasse legitur, sed mendosè. Canones antiquorum Conciliorum authore S. Martino Dumense & Bracarens. Episcopo collecti ad hanc Lucensem Synodum missi fuerunt. Baron. an. 572. n. 10. 11. 12. item an. 569. num. 2.* Duo Lucensia Cõcilia habita fuerũt.

Editio. I.

SANCTI MARTINI DVMIENSIS MONASTERII ABBATIS, poſtea Epiſcopi Bracarenſis, Collectio Orientalium Canonum, ad Concilium Lucenſe miſſa.

IN LIBRVM CAPITVLORVM, EX Græcorum Synodis collectorum præfatio eiuſdem S. Martini Bracarenſ.

DOMINO *meo beatiſſimo, atque Apoſtolicæ ſedis honore ſuſcipiendo, in Chriſto fratri Nitigeſio Epiſcopo vel vniuerſo Conlio Lucenſis Eccleſiæ, Martinus epiſcopus.* Canones, qui in partibus Orientis ab antiquis patribus conſtituti ſunt, Gręco prius ſermone cõſcripti ſunt, poſtea autem ſuccedenti tempore in Latinam linguã translati ſunt. Et quia difficile eſt, vt ſimplicius aliquid ex alia lingua transferatur in aliam, ſimulque & illud accidit, vt in tantis temporibus ſcriptores, aut nõ intelligentes, aut dormitantes, multa prætermittant, & propterea in ipſis canonibus aliqua ſimplicioribus videantur obſcura: ideo viſum eſt, vt cum omni diligentia, & ea, quæ per translatores obſcurius dicta ſunt, & ea, quæ per ſcriptores ſunt immutata, ſimplicius & emendatius reſtaurarem, id primum obſeruans, vt illa, quæ ad epiſcopos vel vniuerſum clerum pertinent, vna in parte cõſcripta ſint: ſimiliter & quæ ad laicos pertinent, ſimul ſint adunata, vt de quo capitulo ſcire aliquis voluerit, poſſit celerius inuenire.

De electione epiſcopi. 1
De ordinatione epiſcopi. 2
De euacuãda ordinatione, quæ abſente metropolitano fuerit facta. 3
De primatu metropolitani. 4
De eo, qui per ambitionem de inferiori ciuitate ad maiorem tranſire voluerit. 5
De non mutandis parochijs. 7
De præſumptione alienæ diœceſis. 8
De non conſtituendo epiſcopo ſucceſſore. 8
De irruptione vacantis Eccleſiæ. 9
De epiſcopo, per neceſsitatem vacante. 10
De contemptore epiſcopo. 11
De ſeditioſo epiſcopo. 12
De diſſenſione iudicij. 13
De epiſcopi præſumptione in rebus Eccleſiæ. 14
De rebus Eccleſiaſticis gubernandis. 15
De rebus Eccleſiæ diſpenſandis. 16
De his, qui de miniſterio Eccleſiæ aliquid vendunt. 17
De ſynodo facienda. 18
De epiſcopo, qui noluerit venire ad Synodum. 19
De legitima ætate ordinandi presbyteri. 20
De eunuchis, qui ab alijs fiunt, vel qui ſibi naturalia abſcindunt. 21
De neophytis. 22
De pœnitente, non admittendo ad clerum. 23
De his, qui indiſcuſsi, aut presbyteri, aut diaconi ordinati ſunt. 24
De presbyteris vel diaconibus, qui poſt ordinationem denotantur. 25
De his, qui viduas aut dimiſſas ducunt. 26
De fornicatoribus clericis. 27
De his, quorum vxores mœchantur. 28
De viduis clericorum. 29
De filia epiſcopi vel presbyteri, quæ fuerit deuota, & peccauerit. 30
De deuota peccante, vel quæ ſe maritauerit. 31
De ſubintroductis adoptiuis mulieribus. 32
De non recipiendis clericis, & de infirmanda ordinatione eius, qui ſine epiſcopi ſui licentia ab alio epiſcopo ordinatur. 33
De clericis deſertoribus. 34
De importunis clericis. 35
De purganda opinione hæreſis. 36
De clericis excommunicatis. 37
De presbyteris, vt ad ſecundas non vadant nuptias. 38
De his, qui ad diaconatum eliguntur. 39

Editio II. Garſiæ.

CAPITVLA EX ORIENTALIVM Synodis à Martino Epiſcopo ordinata, atque collecta apud Lucenſe Concilium.

Martinus Bracarenſis Epiſcopus capitula edidit Synodorum Græcarum, quæ citantur à Gratiano, ca. Propter Eccleſiaſt. diſt. 18. Erat Græcus, & hæc capitula Græca Latina fecit: vocatur liber capitulorum Martini. Hic cum eſſet Græcus, ad vtilitatem Eccleſiarum Hiſpaniæ, hæc capit. Græca Latina fecit, & alia quædam ex Latinis addidit, & à Græcis aliqua detraxit, vt eſt in ca. Propter Eccleſiaſt. quòd deſumptum eſt ex Concil. Antioch. c. 20. Alia etiam ex Toletanis Concilijs poſuit Græcus homo, & ad mores noſtrorum hominum Græcos ritus ſanctè & prudenter accommodauit. Garſias.

DOMINO *beatiſſimo, atque Apoſtolicæ ſedis honore ſuſcipiendo in Chriſto fratri, Nitigeſio Epiſcopo, vel vniuerſo Concilio Lucenſis Eccleſiæ Martinus Epiſco.* Sancti Canones, qui in partib. Orientis ab antiquis Patribus cõſtituti ſunt, Græco prius ſermone conſcripti ſunt; poſtea autẽ ſuccedenti tempore, in Latina lingua trãslati ſunt. Et quia difficile eſt, vt ſimplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram, ſimulque & illud accidit, vt in tantis temporibus ſcriptores, aut nõ intelligentes, aut dormitantes, multa prętermittãt; & propterea in ipſos Canones aliqua apud ſimpliciores videantur obſcura; ideoq; viſum eſt, vt cum omni diligentia, & ea, quæ per translatores obſcurius dicta ſunt, & ea, quæ per ſcriptores ſunt immutata, ſimplicius, & emendatius reſtaurarem; hoc ſimul obſeruans, vt illa, quæ ad Epiſcopos, vel vniuerſum pertinent Clerum, vna parte conſcripta ſint; ſimiliter & quę ad laicos pertinent, ſimul ſint adunata: vt de quo capitulo aliquis ſcire voluerit, poſſit celerius inuenire.

Epiſcopus erat Lucenſis Metropolitanus.

TITVLI.

De electione Epiſcopi. 1
De ordinatione Epiſcopi. 2
De euacuanda ordinatione, quæ abſente Metropolit. fuerit facta. 3
De Primatu Metropolitani. 4
De eo, qui per ambitionem, de inferiori ciuitate ad maiorem tranſire vult. 5
De non mutanda parochia. 6
De præſumptione alienæ diœceſis. 7
De non conſtituendo Epiſcopo ſucceſſore. 8
De inruptione vacantis Eccleſiæ. 9
De Epiſcopo per neceſsitatem vagante. 10
De contemptore Epiſcopo. 11
De ſeditioſo Epiſcopo. 12
De diſſenſione iudicij. 13
De præſumptione Epiſcopi in rebus. 14
De rebus Eccleſiaſticis gubernandis. 15
De rebus Eccleſiæ diſpenſandis. 16
De his, qui de miniſterio Eccleſiæ aliquid vendiderint. 17
De Synodo facienda. 18
De Epiſcopo, qui noluerit venire ad Synodum. 19
De legitima ætate ordinandi Presbyteros. 20
De Eunuchis, qui ab alijs fiunt, & qui ſibi ipſis naturalia abſcindũt. 21
De Neophytis. 22
De pœnitente non admittendo ad Clerum. 23
De his, qui indiſcuſsi, aut Presbyteri, aut Diacones ordinati ſunt. 24
De Presbyteris, aut Diaconibus, qui poſt ordinationẽ denotantur. 25
De his, qui viduas, aut dimiſſas ducunt. 26
De fornicatoribus Clericis. 27
De his, quorum vxores mœchantur. 28
De viduis Clericorum. 29
De filia Epiſcopi, vel Presbyteri, quæ fuerit deuota, & peccauerit. 30
De deuota peccante, vel quæ ſe maritauerit. 31
De ſubintroductis adoptiuis mulieribus. 32
De non recipiendis Clericis, & de infirmanda ordinatione eius, qui ſine conſenſu Epiſcopi ſui, ab alio, Epiſcopo ordinatus eſt. 33
De Clericis deſertoribus. 34
De importunis Clericis. 35
De purganda opinione hæreſis. 36
De Clericis excommunicatis. 37
De Presbyteris, vt qui in ſecundis nuptijs non vadant. 38
De his, qui ad Diaconatum eliguntur. 39

De eo, quòd non licet, diaconum niſi iuſſum ſedere. 40
De eo, quod non licet, quem libet ſacra myſteria tangere. 41
De eo, quod non licet, quem libet ſacra myſteria tangere. 41
De eo, quod non licet, quem libet ſacra myſteria tangere. 41

3 Non debet ordinari epiſcopus abſq; conſilio & præſentia metropolitani epiſcopi. Adeſſe autem omnes oportet, qui ſunt in prouincia ſacerdotes, quos per ſuam debet epiſtolam conuocare. Et quidem ſi omnes cõcurrerint, bene: ſi autem hoc difficile fuerit, plures oportet occurere. Qui autem non conuenerint, præſentiam ſui per epiſtolas faciant. Et ſic omnium facto cõſenſu, ordinationem epiſcopi fieri oportet. Si autem aliter, prẽter quod terminatum eſt à nobis, fuerit factum, talem ordinationem nihil valere decernimus. Si autem ſecundùm canones ordinatio epiſcopi fuerit facta, & aliquis cum malitia in aliquo contradixerit, plurimorum conſenſus obtineat.

4 Per ſingulas prouincias oportet epiſcop. cognoſcere primatum metropolitani epiſc. & ipſum primatus curam ſuſcipere: nihil autẽ agere reliquos epiſc. præter eum, ſecundùm quod antiquitus à patribus noſtris conſtitutum continetur in canone. Propter quod & metropolitanus Epiſcop. nihil ſibi præſumptiuè aſſumat abſque conſilio cæterorum.

5 Si quis particeps alicuius fuerit ambitionis inuentus, ſiue epiſcopus, ſiue presbyter, vel diaconus, de inferiori ciuitate non tranſeat ad maiorem. Quòd ſi quis contra hæc magni Concilij conſtituta importunus extiterit, omni modo euacuetur huiuſmodi factum, & ſuæ iterum reſtauretur Eccleſiæ, cui epiſcopus, aut presbyter, aut diacon. prius fuerat conſtitutus.

6 Epiſcopum à propria parochia non liceat tranſire in aliam, neque ſua ſponte introire, neque inuitatum, neque ab epiſcop. coactum: ſed permaneat in loco, in quo à Deo eſt ordinatus, & in ea, quam ſortitus eſt, Eccleſia, ſecundùm antiquum Canonum conſtitutum.

7 Si quis epiſc. non per ſcripta metropolitani epiſcopi, aut qui cum eo ſunt, rogatus, de alia prouincia in aliam venerit, ſed prẽſumptiuè irruens ad ordinationem & conſtitutionem clericorum, qui ad illum non pertinent, importunus exiſtat: vacua ſint & inania omnia quæ ab eo fuerint conſtituta. Ipſe autam digna increpatione excommunicetur, & * alienetur à ſancto Concilio.

8 Epiſcopo non liceat, ante finem vitæ alium in loco ſuo conſtituere ſucceſſorem. Si quis autem hoc vſurpare tentauerit, talis conſtitutio irrita erit. Non ergò aliter fieri oportet, niſi cum conſilio & iudicatu epiſcoporum, qui poſt exitum præceſſoris poteſtatem habent dignum eligere.

9 Si quis epiſcopus vacans, in Eccleſiam nõ habentem epiſcopum * ſubrepens, populo ſine Concilio integri ordinis irruerit, etiam ſi populus, quem ſeduxit, deſideret illum, alienum eum ab Eccleſia eſſe oportet. Integrum autem & perfectum Concilium dicimus illud, in quo metropolitanus epiſcopus fuerit.

10 Si quis epiſcopus ordinatus per contentionem populi, aut pro aliqua ratione, & non pro ſua culpa, in parochiã, quæ ei fuerit data, non ierit: hunc oportet honorem ſacerdotij tantummodò contingere, ita vt de rebus Eccleſiæ, in quam cõuenit, nihil ſibi præſumat. Suſtineat autem, quid de eo ſanctum Concilium iudicare voluerit.

11 Si quis epiſcopus ab epiſcopo ordinatus, noluerit agere ſacerdotium, neque conſenſerit in ſibi commiſſa Eccleſia ambulare, iſtum talem excommunicari oportet. Quòd ſi coactus conſenſerit, ſanctum Concilium, quod placet de eodem terminet.

12 Si quis epiſcopus ordinatus fuerit, & non vult ipſam parochiam ſuſcipere, in qua nominatus eſt, ſed alibi vult ordinari, & vim facit, ac ſeditiones concitat contra eos, qui illum ordinauerunt, hunc ab honore oportet remoueri. Si autem in priſtino honore presbyterij vult ſtare, non vetetur, vt gradum, quem habuit, retineat. Quòd ſi reluctatus fuerit, etiam ab honore presbyterij deponatur.

13 Si quis epiſc. in aliquibus cauſationibus iudicatur, & viderit ipſos epiſcopos, qui in prouincia ſua ſunt, inter ſe in dicio diſcrepare, & alij videantur, eum, qui iudicatur, iuſtificare, alij condemnare: pro definitione huius diſſenſionis hoc placuit ſancto Concilio, vt de prouincia vicina alter metropolitanus conuocetur epiſcopus, vt per eum confirmetur, quod ſecundum rectum placuerit canonem.

3 Non debet ordinari Epiſcopus abſque conſilio, & præſentia Metropolitani Epiſcopi. Adeſſe autẽ oportet omnes, qui ſunt in prouincia Sacerdotes; quos per ſuam debet epiſtolam cõuocare. Et ſi quidem omnes occurrerint, melius: ſi autem hoc difficile fuerit, pluriores oportet occurrere. Qui autem non venerint, præſentiam ſui per ſuas epiſtolas faciant: & ſic omnium facto conſenſu, ordinationem Epiſcopi fieri oportet. Si autẽ aliter, præter quod à nobis terminatum eſt, fuerit factũ, talem ordinationem nihil prævalere decernimus. Si autem ſecũdum Canones ordinatio Epiſcopi fuerit facta, & aliquis cõtra, ſua malitia in aliquo contradixerit, plurimorum conſenſus obtineat.

4 Per ſingulas prouincias oportet Epiſcopum cognoſcere Primatum Metropolitani Epiſcopi: & ipſum curam ſuſcipere, nihil autem agere reliquos Epiſcopos præter eum, ſecundùm quod antiquitus à patribus noſtris cõſtitutum continetur in Canone. Propter quod & Metropolitanus nihil ſibi præſumptiuè adſumat, abſque conſilio cæterorum.

5 Si quis in parte alicuius fuerit ambitioſior inuentus, ſiue Epiſcopus, ſiue Presbyter, vel Diaconus, de inferiori ciuitate, non tranſeat ad maiorem. Quòd ſi quis cõtra hæc magni Concilij cõſtituta importunus extiterit, omnimodis euacuetur huiuſmodi factum; & ſuę iterum reſtauretur Eccleſię, cuius Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus prius fuerit cõſtitutus.

6 Epiſcopum à propria parochia non liceat tranſire in aliam, neque ſua ſponte introire, neque inuitatus, neque ab Epiſcopo coactus; ſed permaneat in loco, in quo à Deo eſt ordinatus, & in eam, quam ſortiuit Eccleſiam ſecundum antiquum Canonum inſtitutum.

7 Si quis Epiſcopus non per ſcripta Metropolitani Epiſcopi, aut qui cũ eo ſunt, rogatus, de alia prouincia in aliam venerit; ſed præſumptiuè irruens, ad ordinationem, & cõſtitutionem Clericorum, qui ad illum non pertinent, importunus exiſtat, vacua ſint, & inania, quæ ab eo fuerint ordinata. Ipſe autem digna excõmunicatione cenſeatur, & abominetur à ſancto Concilio.

8 Epiſcopum non liceat ante finem vitæ alium in loco ſuo conſtituere ſucceſſorem. Si quis autem hoc vſurpare tentauerit, talis conſtitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet, niſi cum conſilio, & iudicatu Epiſcoporum, qui poſt exitum præceſſoris poteſtatem habent, quem dignum elegerint.

9 Si quis Epiſcopus vacans, in Eccleſiam nõ habentem Epiſcopum, ſubripiens populos, ſine conſilio integri ordinis, inruerit; etiam ſi populus, quẽ ſeduxit, deſideret illum, alienum eum ab Eccleſia eſſe oportet. Integrum autem & perfectum Concilium dicimus illud, in quo Metropolitanus epiſc. fuerit.

10 Si quis Epiſcopus ordinatus, pro contemptione populi, aut pro aliqua alia ratione, & non pro ſua culpa, in parochia, quæ ei fuerit data, non læſit, hunc oportet honorem Sacerdotum tantummodò contingere: & de rebus Eccleſiæ, in qua conuenit, nihil ſibi præſumat. Suſtineat autem quid de eo ſanctum Concilium iudicare voluerit.

11 Si quis Epiſcopus ab epiſcopis ordinatus noluit agere Sacerdotium, neque conſenſerit in ſibi commiſſa Eccleſia ambulare, ſtatim talem excommunicari oportet. Quòd ſi coactus contempſerit; ſanctum Concilium, quod placet, de eodem terminet.

12 Si quis Epiſcopus ordinatus fuerit, & non vult ipſam parochiam ſuſcipere, in qua nominatus eſt, ſed alibi vult ordinare; & vim facit, & ſeditiones concitat contra eos, qui illum ordinauerunt, hunc ab honore oportet remoueri. Si autem in priſtino honore Presbyterij vult ſtare, non vetetur, vt gradum, quem habuit, retineat. Quod ſi reluctatus fuerit, etiam de honore Presbyterij, ab honore proprio deponatur.

13 Si quis epiſco. in aliquibus iudicatur, & viderit ipſos epiſcopos, qui in prouincia ſunt, inter ſe in iudicio diſcrepare; vt alij videantur, eum, qui iudicatur, iuſtificare, alij condemnare; pro definitione huius diſſenſionis, hoc placuit ſancto Concilio, vt de vicina prouincia alter Metropolitanus conuocetur Epiſcopus: vt per eum confirmetur, quòd ſecundùm rectum placuerit Canonem.

14 Si

14 Si quis Episcopus, nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, in suo Clero, aut vbi fortè nõ est presbyter, de rebus Ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere: & res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur, & in iudicio episcoporum deijciatur auditus, & tanquàm furti aut latrocinij reus suo priuetur honore.

15 Quæ sunt Ecclesiæ, conseruari cum omni diligentia, & bona conscientia, & fide Dei, (qui omnia videt & iudicat) & gubernari oportet cum iudicio & potestate Episcopi, cui & omnis populus, & congregatio commissa est animarum. Manifesta autem debent esse, quæ ad Ecclesiam pertinent, in conscientia eorum, qui circa episcopos sunt & presbyteri & diaconi, vt hi omnes sciant, quæ sunt Ecclesiæ propria: vt si episcopi contigerit transitus, eos nihil latere possit ex his, quæ ad ecclesiam pertinent, vt nullo modo possit minui & perire. Neque res propriæ episcopi, debent importunitatem pro rebus ecclesiæ pati. Dignum verò & iustum est apud Deum & homines, vt ea, quæ episcopi propria sunt, cui voluerit, derelinquat: & quæ ecclesiæ sunt, eidem conseruentur ecclesiæ: vt nec ecclesia patiatur damnum, neque Episcopus pro rebus ecclesiæ in suis proscribatur, ne post eius obitum in causas incidant, qui ad eum pertinent, nec ipse in maledictum incidere videatur.

16 Episcopus habeat potestatem in rebus Ecclesiæ, vt dispensẽt necessitatem habentibus, cum omni reuerentia & timore Dei. Participare etiam eum oportet, quæ necessaria sunt, si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquo, vt necessitatem nullo modo patiantur, secundùm sanctum Apostolum dicentem, Victu & tegumento, his contenti simus. Si autem res ecclesiasticas Episcopus in suas voluntates vsurpare voluerit, & loca ecclesiæ, & fructus agrorum nõ cum presbyterorum vel diaconorum consilio contaminauerit, aut fratribus vel filijs, vel quibuscunque propinquis suis dederit potestatem, vt per eos latenter lædantur res ecclesiæ, hunc oportet obnoxium esse Concilio. Similiter si Episcopus, vel qui cum eo sunt presbyteri, aut diaconi accusentur, quia quæ vel ex redditu, vel ex quolibet actu Ecclesię veniũt, in sinus suos colligunt, & pauperes fraudãt, & fame conficiunt: hos corripi oportet, secundùm quod ordinatum fuerit à sancto Concilio.

17 Si quis Presbyter, aut Diaconus inuentus fuerit aliquid de ministerijs Ecclesiæ venundâsse, quia sacrilegium cõmisit, placuit, eum in ordinatione Ecclesiastica non haberi. In iudicio tamen Episcopi dimittendus est, siue indignus in suo recipi debeat gradu: quia multoties hoc ipsum, quod de sacro sancto altario contaminatum est, id cum Episcopi potestate dimissum est.

18 Propter Ecclesiasticas curas & altercationum solutiones, benè placuit, per singulas prouincias bis in anno Concilium fieri, conuocante metropolitano Episcopo omnes prouinciæ Episcopos, ita vt ad Concilium procedant omnes Presbyteri & Diacones, vel hi, qui se læsos existimant, vt in Concilio causę examinatæ, ad iustum iudicium perducantur. Et si qui manifestè Episcopi vel Presbyteri, aut Diaconi inuenti fuerint in offensa, secundùm rationem excommunicentur, quam diù communi consensu de his placuerit dare sententiam. Nulli autem Episcopo liceat, propria apud semetipsum Concilia facere præter eos, quibus metropoles sunt creditæ.

19 Ad Concilium conuocatus Episcopus, non debet contemnere, sed ire, & ea, quæ ad vtilitatem Ecclesiæ vel cæterorum pertinent, aut docere, si nouit: aut doceri, si nescit. Nam si contempserit ire, extra ægritudinem, reus erit fraterni Concilij.

20 Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiam si valdè sit dignus: quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergò eum, qui ordinandus est, vsque ad hanc ætatem legitimam conseruari.

21 Si quis pro ægritudine naturalia à medicis habuerit secta, similiter & qui à Barbaris aut dominis stultis fuerint castrati, & moribus digni fuerint visi, hos Canon admittit ad Clericatus officium promoueri. Si quis autem sanus, non per disciplinam religionis & abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati à Deo corporis existimans posse à se carnales concu-

14 Si quis Episcopus nulla ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus, inscio Clero; aut vbi fortè non est presbyter, de reb. ecclesiasticis aliquid præsumpserit vendere, res ipsas ecclesiæ propriæ restaurare cogatur; & in iudicio episcoporum deijciatur auditus: & tanquam furti, aut latrocinij reus à suo priuetur honore. 10. q. 3. Si quis Episc. nulla. Burch. li. 1. c. 215. & li. 3. c. 181. Iuo. p. 3. c. 172. & 242 & p. 5. c. 329.

15 Quæ sunt ecclesiæ, conseruari cum omni diligentia, & bona conscientia, & fide Dei, qui omnia videt, & iudicat, gubernari ergo oportet, cum iudicio & potestate Episcopi: cui etiam omnis populus, & congregatio commissa est animarum. Manifesta autem debent esse, quæ ad Ecclesiam pertinent, in conscientia eorum, qui circa Episcopos sunt, Presbyteros, & Diaconos, vt hi omnes sciant, quæ sunt ecclesiæ propria: vt, si Episcopo contigerit transitus, nihil eos latere possit ex his, quæ ad ecclesiam pertinent, vt nullo modo possint minui & perire. Neq; res propriæ Episcopi debent importunitatem pro rebus ecclesiæ pati. Dignum re vera, & iustum est apud Deum, & homines, vt ea, quæ Episcopi propria sunt, cui voluerit, derelinquat, & neq; ecclesiam perpeti damnum, neque Episcopum pro rebus ecclesiæ condemnari, aut post eius obitum in causas, quæ ad eum non pertinent, aut in maledictum incidere. 12. q. 1. C. manifesta ex Can. 4. Concilij Antioch.

16 Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiæ, vt dispensẽt necessitatem habentibus, cum omni reuerentia & timore Dei: participare etiam eum oportet, quæ necessaria sunt; si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquid; vt necessitatem nullo modo patiantur, secundùm sanctum Apostolum dicentem: Victu & tegumento, his contenti sumus. Si autem res ecclesiasticas Episcopi in suas voluntates vsurpare voluerint, & lucra ecclesiæ, vel fructus agrorum, non cum Presbyterorum, vel Diaconorum consilio intaminauerint, aut fratribus, vel filijs, vel quibuscunque propinquis suis dederint potestatem, vt per eos latenter res lædantur ecclesiæ, hos oportet obnoxios esse Concilio. Similiter id, si Episcopus, vel qui cum eo sunt Presbyteri, aut Diaconi accusentur, vt quæ ex reditu, vel ex quolibet actu ecclesiæ veniũt, in suo sinu colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiuntur, hos corripi oportet, secundùm quod ordinatum fuerit à sancto Concilio. Ex Conc. Antioch. c. 25.

17 Si quis Presbyter, aut Diaconus inuentus fuerit aliquid de vasis ministerij ecclesiæ venundâsse; quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione ecclesiastica non haberi: in iudicio tamen Episcopi dimittendum esse, siue dignus sit, siue indignus, in suo recipi gradu: quia simul totiès per hoc ipso, quod de sacrosancto altario intaminauerint, id cum Episcopi potestate dimissum est. Dist. 50. Si quis. Iuo. p. 3 c. 173. Burc. li. 3. c. 179.

18 Propter Ecclesiasticas curas, & altercationum solutiones, benè placuit, per singulas prouincias bis in anno Concilium fieri, conuocante metropolitano Episcopo, omnes prouinciæ Episcopos; ita vt in his Concilijs prodeant omnes Presbyteri, Diaconi, vel hi, quorum in Concilio causæ examinatæ ad iustum iudicium prodantur. Et qui manifestè Episcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi inuenti fuerint in offensa, secundùm rationem excommunicentur, quam diù communi consensu de his placuit dare sententiam. Nulli autem Episcopo liceat propria apud semetipsum Concilia facere: præter eos, qui sunt Metropolis creditæ. Ex Conc. Antioch. c. 20. Habetur d. 18. c. propter Ecclesiast.

19 Non liceat ad Concilium conuocatos Episcopos continere; sed & ire, & ea, quæ ad vtilitatem Ecclesiæ, vel cæterorum pertinent, aut docere, si nouit, aut doceri, si nescit. Nam si extra ęgritudinem contempserit ire, reus erit fraterni Concilij.

20 Si quis xxx. ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi valdè sit dignus: quia ipse Dominus tricesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo eum, qui ordinandus est, vsque ad hanc ætatem legitimam conseruari. Affertur d. 78. c. Si quis xxx. Tribut. Bonifacio Papæ, verũ ex Neocæsarienſ. c. 11. Luc. 3.

21 Si quis pro causa ægritudinis naturalia à medicis habuerit secta, similiter, & qui à barbaris, aut à dominis stultis fuerint castrati, & moribus digni fuerint visi, hos Canon admittit ad Clericatus officium promoueri. Si quis autem sanus, non per disciplinam religionis & abstinentiæ, sed per absciſſionem plasmati à Deo corporis, extimans à se posse car- Dist. 55. c. Si quis pro ægritudine. Iuo. p. 6. c 374.

piſcentias amputari, caſtrauerit ſe, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatûs officium, Quòd ſi iam antè fuerit promotus ad clerum, prohibitus, à ſuo miniſterio deponatur.

22 Neophytus, ſi baptizatus fuerit iam ætate legitima, non continuò licebit eum ad Eccleſiaſticum ordinem promoueri: quia oportet illum priùs doceri, quod poſſit docere, & multo tempore poſt baptiſmum probari, vt benè probatus veniat ad clerum, ſecundùm præceptum Apoſtoli, dicentis: Non Neophytum, ne fortè in ſuperbiam elatus, in iudiciû incidat & laqueum diaboli. Si autem ſuccedente tempore, in aliquo graui peccato à duobus vel tribus fuerit deuictus, depoſitus de gradu ſuo, ceſſet à clero. Si quis contra hanc regulam facere præſumpſerit, quòd ſit contrarius magni Concilij, proijciatur à Clero.

23 Expœnitens, tantùm ſi neceſſitas aut vſus exegerit, inter oſtiarios priùs deputetur, vel inter lectores, ita vt Euangelia vel Apoſtolum non legat. Si quis autem antè ordinatus eſt, inter ſubdiaconos habeatur, ita vt manus non imponat, aut ſacra contingat. Ex pœnitẽte.n. dicimus eum, qui poſt baptiſmum pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, aut grauiſſimis peccatis, publicam pœnitentiam ſub cilicio gerẽs, diuino fuerit reconciliatus altario.

24 Si quis Presbyter aut Diaconus, ſine aliqua examinatione ordinati ſunt, aut certè, cùm diſcuterentur, criminoſa peccata * confeſſi ſunt, aut poſt ordinationem ab alijs ſunt detecti, abijciantur ex clero. Similiter verò & de vniuerſo ordine clericorum ſeruetur. Nam hoc ſibi, quod irreprehenſibile eſt, ſancta & Catholica defendit Eccleſia.

* non confeſſi ſunt

25 Si quis presbyter ante ordinationem peccauerit, & poſt ordinationem peccatum confeſſus fuerit, quòd antè erraverit, non offerat, ſed tantùm pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipſe confeſſus, ſed ab alio publicè fuerit conuictus, nec hoc ipſum habeat poteſtatem, vt nomẽ presbyteri portet. Similiter & de diaconibus obſeruandum eſt, vt ſi ipſi confeſſi fuerint, ordinem ſubdiaconi accipiant.

26 Si quis viduam, aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad clerum. Quòd ſi obrepſerit, deijciatur. Similiter ſi homicidij aut facto, aut præcepto, aut cõſilio, aut defenſione, poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad clericatum venerit, deijciatur, & in finem vitæ ſuæ communionem recipiat.

27 Si quis presbyter, aut diaconus fuerit fornicatus, aut mœchatus, proijciatur, & agat pœnitentiam.

28 Si alicuius laici vxor in adulterio fuerit deprehenſa, hic talis ad miniſterium Eccleſiaſticum nullo modo adducatur. Si autem poſt ordinationem alicuius clerici vxor adulterata fuerit, dimittat eam. Si autem cum ipſa voluerit permanere, à miniſterio alienus ſit.

29 Si qua vidua Epiſcopi, vel presbyteri, aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religioſa cum eo conuiuium ſumat, nunquam communicet: morienti tantùm ei ſacramenta ſubueniant.

30 De filia Epiſcopi, vel presbyteri, ſiue diaconi, ſi deuota fuerit, & maritum duxerit, ſi eam pater vel mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni. Pater vero cauſas in Concilio ſe nouerit præſtaturum. Mulier verò non admittatur ad communionem, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam. Sin autem viuente eo receſſerit, & pœnituerit, vel petierit communionem, in vltimo vitæ deficiens accipiat communionem.

31 Deuotam peccantem, non recipiendam in Eccleſiam, niſi peccare deſierit: & deſinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, & recipiat communionem. Priùs autem quàm in Eccleſia admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Chriſtianæ mulieris accedat. Quòd ſi admiſſa fuerit, etiam hæc, quę eam receperit, habeatur abſtenta. Corruptorem etiam par pœna conſtringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi, adhuc viuente ipſo marito, caſtè vixerit, aut poſtquàm ipſe de hac vita deceſſerit.

32 Nullus Epiſcopus, neque Presbyter, neque Diaconus, neque omninò aliquis ex Clero licentiam habeat intromittendi ad ſe, quaſi adoptiuam aliquam mulierem, quaſi in loco filiæ aut ſororis, aut matris, niſi fortè ſororem patris vel matris, & illas ſolas perſonas, quæ ab omni mala ſuſpicione

nales concupiſcentias amputari, caſtrauerit ſe, nõ eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus officium. Quod ſi iam antè fuerat promotus ad Clerum, prohibitus à ſuo miniſterio deponatur.

22 Qui nuper baptizati fuerint, iam ætate legitima, non continuò liceat, eos ad Eccleſiaſticum ordinem promoueri: quia oportet illũ priùs doceri, quod poſſit docere; quo multo tempore baptiſmum poſſit probare: vt benè probatus veniat ad Clerum, ſecundùm præceptum Apoſtoli dicentis: Non Neophytum; ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat, & laqueum diaboli. Si ſuccedenti tempore in aliquo graui peccato à duobus vel tribus teſtibus fuerit conuictus, depoſitus de gradu ſuo ceſſet à clero. Si quis contra hanc regulam facere præſumpſerit, quaſi contrarius magni Concilij, proijciatur à Clero. Paul. 1. ad Tim. 4

23 Pœnitens tantùm, ſi neceſſitas, aut vſus exegerit inter oſtiarios priùs deputetur, vel inter Lectores; ita vt Euangelia vel Epiſtolam nõ legat. Si qui autem antè ordinati ſunt, inter Subdiaconos habeantur: ita vt manum non imponant, aut ſacra non contingant. Ex pœnitente enim dicimus ideò, quòd poſt baptiſmum pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, aut grauiſſimis peccatis publicam pœnitentiam gerens, diuino fuerit reconciliatus altario.

24 Si quis presbyter aut diaconus ſine aliqua examinatione ordinati ſunt; aut certè cùm diſcuterentur, criminoſa peccata ſua celauerunt, & poſt ordinationem ab alijs ſunt detecti; abijciantur à Clero. Similiter, & de vniuerſo ordine cleri ſeruetur. Nam hoc ſibi, quod irreprehenſibile eſt, ſancta & catholica defendit Eccleſia. Dist. 81. Si quis presbyt.

25 Si quis Presbyter antè ordinationem peccauerit, & poſt ordinationem confeſſus fuerit, qui anteà errauit, non offerat; ſed tantùm pro religione, nomen Presbyteri portet. Similiter & de Diaconibus ſeruandum eſt: vt ſi ipſe confeſſus fuerit, ordinem Subdiaconatus accipiat. 16. q. 1. c. Si quis presbyt. & Neocæſ. c. 9. & 10. Burch. l. 2. c. 48. Ivo p. 8. c. 149.

26 Si quis viduam aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad clerum: aut ſi obrepſerit, reijciatur; ſimiliter ſi homicidij, aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut aſſenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad Clericatum venerit, deijciatur, & in finem vitæ ſuæ communionem non recipiat. *Hieron. epiſt. 128. ad Fabiol ſic interpretatur viduã, ejectam, & meretricem: vidua, inquit, eſt, cuius maritus eſt mortuus; ejecta eſt, quæ à marito viuente proijcitur; meretrix, quæ multorum libidini patet.*

27 Si quis presbyter, aut diaconus fuerit fornicatus, aut mœchatus, proijciatur, & agat pœnitentiam.

28 Si alicuius Laici vxor in adulterio fuerit deprehenſa, hic talis ad miniſterium Eccleſiaſticum nullo modo adducatur. Si autem poſt ordinationem, alicuius clerici vxor adultera fuerit, dimittat eam: ſi autem cum ipſa voluerit permanere, à miniſterio alienus ſit. Dist. 34. C. Si Laicus &c. Item, ex Concil. Martini Papæ.

29 Si qua vidua Epiſcopi, vel Presbyteri, aut Diaconi, maritum acceperit, nullus clericus, nulla religioſa, cum ea conuiuium ſumat, nunquam communicet; morienti tantùm ei ſacramenta ſubueniant. Dist. 81. Si qua vidua. ex concil. Tol. 2. c. 8.

30 Si deuota fuerit, & maritum duxerit, ſi eam pater vel mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni. Pater verò cauſas in Concilio ſe nouerit præſtaturum; mulier verò non admittatur ad communionem, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam. Si autem, viuente eo, receſſerit & pœnituerit, communionem in vltimo vitæ deficiens accipiat.

31 Deuotam peccantem non recipiendam in Eccleſia, niſi peccare deſierit, & deſinens egerit aptam pœnitẽtiam decem annis: & recipiat communionem. Priùs autem quàm in Eccleſia admittatur ad orationem, ad nullius conuiuiũ Chriſtianæ mulieris accedat. Quòd ſi admiſſa fuerit, etiam ea, quæ illam receperit, habeatur abſtenta. Corruptorem etiam par pœna conſtringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi adhuc viuente ipſo marito, caſtè vixerit, aut pòſt ipſe de hac vita diſceſſerit.

32 Nullus Epiſcopus, neque Presbyter, neque Diaconus, neque omnino aliquis ex Clero licentiam habeat intromittendi ad ſe quaſi adoptiuam aliquam mulierem, quaſi in loco filiæ, aut matris, niſi forte ſororem veram ex germanitate, aut ſororem matris, vel patris, & illas ſolas perſonas, qui

alienæ sunt. Similiter & religiosis fœminis laicorum alienorum familiaritatem & consortium prohibemus, eorum scilicet, qui nec Dei timori subiecti sunt, nec continentiæ retinẽt disciplinam.

33 Si quis in contemptu positus presbyter, aut diaconus, vel quicunque ex clero, recesserit ab Ecclesia sua, nullo modo in alia suscipiatur Ecclesia, sed omninò compellatur, vt ad suam reuertatur Ecclesiam. Si autem permanserit in superbia, & reuerti noluerit, excommunicetur & proijciatur. Si quis autem Episcopus ausus fuerit eum ordinare in sua Ecclesia, non consentiente Episcopo suo, à quo recessit, ordinatio illius vacua reputetur.

34 Si quis presbyter, aut diaconus, aut aliquis de clero, propriam Ecclesiam derelinquens, ad aliam Ecclesiam vadit, & multo tempore ibi demoratur, omninò nunquàm ministret in clero. Et si admonuerit eum Episcopus suus, vt ad suam redeat parochiam, & redire noluerit: vbi est, ibi de officio suo deponatur, ita vt nunquam in suum reuertatur gradũ, propter dissolutionis peccatũ. Si autem Episcopus alter eum receperit, qui de reatu eius est conscius, oportet ipsum Episcopum sine increpatione in communi Concilio non admitti, vt Ecclesiasticum canonem vltrà non soluat.

35 Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus excommunicatus, in Concilio iniustè se queritur condemnatũ, ad maiorum Episcoporum Concilium reuertatur, & eorum inquisitionem & iudicium expectans, si quas se iustas causas habere putat, exponat. Si autem contempserit, & * importans se palatio, aures principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit peruenire, neque spem futuræ reconciliationis habebit.

36 Si quis Episcopus, siue alicuius Episcopi presbyter, aut diaconus, in alicuius hæresis opinionem offenderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus: nullus Episcopus eum in communionem recipiat, nisi priùs in communi Concilio: porrecto fidei suæ libello, satisfaciat omnibus, & ita liberam suam teneat purgationem. Hoc idem & de fidelibus laicis fit decretum, si in aliqua hæresis opinione fuerint nominati.

37 Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, siue presbyter aut diaconus à suo Episcopo, & post excommunicationem præsumpserit siue Episcopus ille, aut presbyter, vel diaconus, facere oblationem, vel matutinum, aut vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere sicut priùs: non liceat ei, nec in alio Concilio spem reconciliationis habere, nec vltrà * reconciliari, sed etiam eos, qui ei communicauerint, omnes ab Ecclesia respui, maximè eos, qui sciebant eum esse delectum. Si autem permanserit, turbans & concitãs Ecclesiam per * forasticam potestatem, oportet eum sicut seditionarium, ab omni plebe expelli.

38 Presbyterum ad secundas nuptias conuitã fieri non oportet. Quòd si hi, qui ad secundas nuptias veniunt, pœnitentiam postulent, quomodo presbyter ille potest esse, qui propter conuiuium interest tali coniugio.

39 Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit, non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & posteà matrimonium desiderauerit, alienus sit à ministerio, & vacet à clero.

40 Non liceat, diaconum ante presbyterum sedere, nisi cum iussione presbyteri,

41 Non liceat cuilibet ministeria tangere, nisi subdiacono, aut acolytho in secretario vasa Dominica.

42 Non liceat mulieribus in secretarium ingredi.

43 Lector, si viduam alterius vxorem acceperit, in Lectoratu permaneat. Aut si fortè necessitas sit, subdiaconus fiat, nihil autem suprà. Similiter & si bigamus fuerit.

44 Si Subdiaconus secundam duxerit vxorem, inter lectores vel ostiarios habeatur, ita vt Apostolum non legat.

45 Non liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo lectores sunt ordinati.

46 Si quis obligatus est tributo seruili, vel aliqua conditione, vel patrocinio cuiuslibet domûs, non est ordinandus clericus, nisi probatæ vitæ fuerit, & patroni consensus accesserit.

47 Si quis seruum alienum, causa religionis, doceat con-

ab omni mala suspicione alienæ sunt. Similiter & religiosis fœminis laicorum alienorum familiaritatem & consortium prohibemus, & eorum, qui nec in Dei timore subiecti sunt, nec continentiæ retinent disciplinam.

33 Si quis in contemptu positus Presbyter, vel Diaconus, vel quicunque ex Clero, recesserit ab Ecclesia, nullo modo in alia suscipiatur Ecclesia, sed omnimodò compellatur, vt ad suam reuertatur Ecclesiam: si autem permanserit in superbia, & reuerti noluerit, excommunicetur, & proijciatur. Si quis autem Episcopus ausus fuerit in sua Ecclesia ordinare, non consentiente Episcopo suo, à quo recessit, ordinatio eius vacua deputetur.

34 Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut aliquis de Clero, propriam Ecclesiam derelinquens, ad alteram Ecclesiam vadit, & ibi mu'to tempore demoratur, omnino nunquam ministret in Clero: & si admonuerit eum Episcopus suus, vt ad suam redeat parochiam, & redire noluerit, vbi est, ibi de suo officio deponatur; ita vt nunquam in suo reuertatur gradu propter dissolutionis peccatum. Si autem Episcopus alter illum susceperit, qui de reatu eius est conscius, oportet ipsum Episcopum sine increpatione in communi Concilio non admitti; vt Ecclesiasticum canonem vltra non soluat.

35 Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus excommunicatus, in Concilio iniustè se queritur condemnatum, ad maius Episcoporum Concilium reuertatur: & eorum inquisitionem & iudicium expectans, si quas se iustas causas habere putat, exponat. Si autem contempserit, & importans se palatio, aures Principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit peruenire; neque spem futuræ reconciliationis habebit. 21.q.4. Si quis episc. excõc. Antioch. c.12

36 Si quis Episcopus, siue alicuius Episcopi Presbyter aut Diaconus in alicuius hæresis opinionem offenderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus; nullus Episcopus eum in communionem recipiat; nisi prius in communi Concilio, porrecto fidei suæ libello, satisfaciat omnibus, & ita liberam teneat suam purgationem. Hocidem, & de Fidelibus laicis sit decretum, si in aliquam hæresis opinionem fuerint nominati. 1.q.7. Si quis episc.

37 Si quis Episcopus in Concilio excommunicatus fuerit, siue presbyter, siue diaconus, facere oblationem, vel matutinum, vel vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere sicut priùs non liceat ei, nec in alio Concilio spem reconciliationis habere, nec vltra recolligi; sed etiã eos, qui ei communicauerint, omnes ab Ecclesia respui; maximè eos, qui sciebant eum esse delectum. Si autem permanserit turbans, & concitans Ecclesiam, per forasticã potestatem oportet eum sicut seditionarium ab omni plebe expelli. 11.q.3. Si quis episc. in ex can. 5. Concil. Antioch.

38 Presbyterũ ad secundas nuptias conuiuam fieri non oportet, propterea quòd hi, qui ad secundas nuptias veniunt, pœnitentiam postulant. Quomodo potest presbyter esse, qui propter conuiuium interest tali coniugio?

39 Si quis ad ministerium Diaconatus eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & posteà matrimonium desiderauerit, alienus sit à ministerio, & vacet à clero.

40 Non licet Diaconum ante presbyterum sedere, nisi cum iussione Presbyteri.

41 Non liceat quemlibet ministeria tangere; nisi subdiacono, aut Acolytho in secretario tangere vasa Dominica. Dist. 14. c. Non liceat cuilibet.

42 Non liceat mulieres in sacrario ingredi.

43 Lector si viduam alterius vxorem acceperit, in Lectoratu permaneat: aut si fortè necessitas sit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra; similiter & si bigamus fuerit. D. 34. c. Lector, & & in. C. Tol. 1. c. 3.

44 Si subdiaconus secundam duxerit vxorem; inter Lectores, vel Ostiarios habeatur; ita vt Apostolũ non legat.

45 Non liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lector est ordinatus. Dist. 29. c Nõ liceat in pulpito

46 Si quis obligatus tributo seruili, vel aliqua conditione, vel patrocinio cuiuslibet domus; non est ordinandus clericus, nisi probandæ vitæ fuerit, & patroni concessus accesserit. Dist. 53. Si quis obligatus est tributo. ex conc. To 1. c. 10.

47 Si quis seruum alienum causa religionis doceat con- 17. q. 4. Si quis seruũ alienum.

temnere dominum ſuum,& recedere à ſeruitio eius, duriſſimè in omnibus arguatur.

48 Non liceat, in quadrageſima natalitia martyrum celebrare,ſed tantùm ſabbato & Dominica pro cómemoratione eorum oblationem offerri. Sed nec natalitia, nec nuptias liceat in Quadrageſima celebrare.

49 Non liceat antè duas ſeptimanas Paſchæ, ſed ante tres ad baptiſmum ſuſcipere aliquem. Oportet autem, vt in ipſis diebus hi, qui baptizandi ſunt, ſymbolum diſcant, & in quinta feria nouiſſimæ ſeptimanæ, hoc epiſcopo vel presbytero reddant.

50 Non liceat quinta feria nouiſſimæ ſeptimanæ, ieiunium ſoluere,& omnem exhonorare Quadrageſimam, ſed ſyncerè abſtinentes totam Quadrageſimam peragere.

51 Omni tempore epiſcopo liceat Chriſma conficere, & per ſuas diœceſes deſtinare, ita vt ad dirigendum Chriſma diaconus, aut ſubdiaconus ante diem Paſchæ de ſingulis Eccleſijs ad epiſcopum deſtinetur.

52 Presbyter, præſente epiſcopo, non ſignet infantes, niſi fortè ab epiſcopo fuerit illi præceptum.

53 Non liceat presbytero, priùs epiſcopo introire in baptiſterium, ſed cum epiſcopo, niſi fortè aut abſens fuerit, aut ægrotus.

54 Si qua mulier prægnans deſiderauerit gratiam baptiſmi percipere, quando voluerit, habeat poteſtatem. Nam nihil participat in hoc mater infanti, qui naſcitur, propterea quòd vniuſcuiuſque propria voluntas in confeſſione monſtretur.

55 Non oportet, aliquid aliud in ſanctuario offerri, præter panem & vinum, & aquam, quæ in typo Chriſti benedicuntur, quia dum in cruce penderet, de corpore eius ſanguis effluxit & aqua. Hæc tria vnum ſunt in Chriſto Ieſu. Hęc hoſtia & oblatio Dei in odorem ſuauitatis. Ioan. 19.

56 Foraſticis presbyteris, præſente epiſcopo vel presbyteris ciuitatis, offerre non liceat, neque miniſtrare in populo, niſi fortè illis abſentibus.

57 Si quis presbyter; publica pœnitentia à ſacerdote accepta, aut aliqua neceſſitate, die Dominica pro quadam religione ieiunauerit ſicut Manichęi, anathema ſit. Similiter, quia quod ab Apoſtolis traditum eſt, canon tenet antiquus, placuit vt per omnes Dominicas, & per omnes dies paſchæ vſque ad quinquageſimam, non proſternant ſe in oratione humilitatis, ſed recto vultu ad Dominum ſungãtur orationis officio, quia in his diebus gaudium reſurrectionis Domini celebramus.

58 Si quis non pro abſtinentia, ſed pro execratione *eſcarum abſtinet, placuit ſancto Concilio, vt præguſtet, & ſic, ſi vult abſtinere, abſtineat. Si autem ſpernit, ita vt olera cocta cum carnibus non deguſtet, iſte non obediens, nec ſuſpicionẽ hæreſis à ſe remouens, deponatur de ordine clericatûs. *eſcarum à carne

59 Non liceat ſacerdotibus vel clericis, aliqua ſpectacula in nuptijs, vel in conuiuijs ſpectare: ſed oportet, antequàm ingrediantur ipſa ſpectacula, ſurgere, & *redire inde. *recedere

60 Non liceat, clericos incantatores eſſe, & ligaturas facere, quod eſt colligatio animarum. Si quis hæc fecerit, de Eccleſia proijciatur.

61 Non liceat, ſacerdotes vel clericos, ſed nec religioſos laicos, conuiuia facere de confertis.

62 Si quis oblitus timorem Domini, & ſanctam Scripturam, quæ dicit, Pecuniam ſuam non dedit ad vſuram: poſt hanc cognitionem magni Concilij fœnerauerit, & centeſimas exegerit, aut ex quolibet negocio turpe lucrum quæſierit, aut per diuerſas ſpecies vini, vel frugis, vel cuiuslibet rei, emendo vel vendendo aliqua incrementa ſuſceperit, depoſitus de gradu ſuo, alienus habeatur à clero.

63 Si quis presbyter, aut diaconus, vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra ciuitatem fuerit; aut in quolibet loco, in quo Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi ſacrificium matutinis vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, deponatur à clero, ſi tamen caſtigatus, veniam ab Epiſcopo per ſatisfactionem noluerit promereri.

64 Non liceat, quemlibet clericum die Dominico ab eccleſia abſentẽ eſſe, ſed Miſſarũ ſolennijs intereſſe & ieiunio.

65 Non oportet clericos vel laicos religioſos ante ſacram horam diei tertiam inire conuiuia, neq; aliquando cle-

temnere dominum ſuum,& recedere à ſeruitio eius, duriſſimè in omnibus arguatur.

48 Non liceat in Quadrageſima natales martyrum celebrare, ſed tantùm Sabbato & Dominico pro commemoratione eorum oblationes offerri; ſed nec natalitia, neque nuptias liceat in Quadrageſima celebrare. 33.q.4.a6 licet. Bur. li.13.c.10. Ino.p.4. c.34.

49 Non liceat ante duas ſeptimanas Paſchæ, ſed ante tres ad baptiſmum ſuſcipere aliquem. Oportet autem in ipſis diebus, vt hi, qui baptizandi ſunt, Symbolum diſcant, & quinta feria nouiſſimæ ſeptimanæ Epiſcopo vel Presbytero reddant. De conſ. d.4. Non liceat ante

50 Non liceat quinta feria nouiſſimæ ſeptimanæ ieiunium ſoluere, & omnem exhonorare Quadrageſimam, ſed ſyncerè abſtinentes toram Quadrageſimam perexire. De conſ. d.3. Nic. cæpiſco tu.

51 Omni tempore Epiſcopis liceat chriſma conficere, & per ſuas diœceſes deſtinare; ita vt ad dirigendum chriſma Diaconus, aut Subdiaconus ante diem Paſchæ, de ſingulis Eccleſijs ad epiſcopum deſtinentur.

52 Presbyter, præſente epiſcopo, non ſignet infantes, niſi fortè ab epiſcopo fuerit illi præceptum. Dist.93.c. Presb. de conſ.d.4. c. Omni tempore.

53 Non liceat Presbytero priùs ab epiſcopo in baptiſterium introire, ſed cum epiſcopo; niſi fortè, aut abſens fuerit, aut ægrotus.

54 Si qua mulier prægnans deſiderauerit gratiam baptiſmi percipere, quando voluerit, habeat poteſtatem: nam nihil in hoc participat mater infanti, qui naſcitur; propterea quod vnicuique propria poſſe voluntas, in confeſſione monſtretur. De conſe. d.4. Siqua mulier prægnans. Ex concil. Neocæſ. c.6.

55 Non oportet aliquid aliud in ſanctuario offerri, præter panem, & vinum, & aquam, quæ in typo Chriſti benedicuntur: quia dum in cruce penderet, de corpore eius effluxit ſanguis, & aqua: hæc tria vnum ſunt in Chriſto Ieſu; hæc hoſtia, & oblatio Dei in odorem ſuauitatis. de conſec. d.1. Non oportet.

56 Foraſticis presbyteris, præſente epiſcopo, vel presbytero ciuitatis, offerre non liceat, nec miniſtrare in populo; niſi fortè illis abſentibus. Alio nomine Presbyteros, vt dicitur. d.95. c. Presbyteri rurũ. ex concil. neoc. c.13. Dist.32.c. Si quis presbyt. Bure. li.13. c.20. Ino. p.4.c.52.

57 Si quis presbyter propter publicam pœnitentiam à ſacerdote acceptam, aut aliqua neceſſitate die Dominica pro quadam religione ieiunauerit, ſicut Manichæi, anathema ſit. Similiter & quod ab Apoſtolis traditũ canon tenet antiquus, placuit, tam per omnes Dominicas, quàm per omnes dies Paſchæ, vſq; ad Quinquageſimam non proſtrati, nec humiliati, ſed erecto vultu ad Dominum orationum ſungamur officio: quia in his diebus gaudium reſurrectionis Dominicæ celebramus.

58 Si quis non pro abſtinentia, ſed pro execratione eſcarum, abſtinet, placuit ſancto Concilio, vt præguſtet; & ſic ſi vult abſtineat: ſi autem ſpernit, ita vt olera cocta cum carnib. non deguſtet, iſte non obediens, neque ſuſpicionem hæreſis à ſe remouens, deponatur de ordine clericatus.

59 Non liceat clericis incantatores eſſe, & ligaturas facere, quod eſt conligatio animarũ. Si quis hæc facit, de Eccleſia proijciatur. Iſid. Ub. Orig. li.8. de Magis, Incantatores (inquit) dicti ſunt, qui arte verbis peragunt. Dist.44.c. non liceat facerdotes 14.q.4. Si quis obliti. Pſal.14.

60 Non liceat ſacerdotibus vel clericis aliqua ſpectacula in nuptijs, vel in conuiuio ſpectare: ſed oportet, antequàm ingrediantur ipſa ſpectacula, ſurgere, & recedere inde.

61 Non liceat ſacerdotibus vel clericis, ſed nec religioſis laicis conuiuia facere de confertis.

62 Si quis oblitus timorem Domini, & ſanctam Scripturam, quæ dicit: Pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, poſt hanc cognitionem magni Concilij fœnerauerit, & centeſimas exegerit, aut ex quolibet negotio turpia lucra quæſierit: aut per diuerſas ſpecies vini, vel frugis, vel cuiuslibet rei, emendo & vendendo incrementa ſuſceperit, depoſitus de gradu ſuo, alienus habeatur à clero. D.92.c.Si quis presbi. ex Tolet. c.5.

63 Si quis presbyter vel diaconus, vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Eccleſia eſt; & ad quotidianum pſallendi ſacrificium matutinis, vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenit, deponatur à clero; ſi tamen caſtigatus, veniam ab Epiſcopo, per ſatisfactionem noluerit promereri.

64 Non liceat quemlibet clericum die Dominico ab Eccleſia abſentem eſſe, ſed Miſſarum ſolennibus intereſſe.

65 Non oportet clericos vel laicos religioſos, ante ſacrã horam diei tertiam, inire conuiuia, neq; aliquando clericos,

ricos nisi hymno dicto, edere panem, & post cibos gratias authori Deo referre.

66 Non oportet, clericos comam nutrire, & sic ministrare: sed attonso capite, patentibus auribus, & secundùm Aaron, talarem vestem induere, vt sint in habitu ornato.

67 Non oportet, psalmos compositos & vulgares in Ecclesia dicere, neque libros, qui sunt extra canonem, legere, nisi solos canonicos noui & veteris testamenti.

68 Non oportet, clericos ignaros & præsumptores, super monumenta in campum mysteria portare, aut distribuere sacramẽta: sed aut in Ecclesia aut in basilica, vbi martyrum reliquiæ sunt depositæ, ibi pro defunctis oblationem offerri.

¶ Sequuntur canones ad laicos petinentes.

69 Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.

70 Non liceat laicis vel clericis, ab hæreticis eulogias accipere, quia maledictiones magis sunt quàm benedictiones. Neque liceat, aut cum hæreticis, aut cum schismaticis orare.

71 Si quis Paganorum consuetudinem sequens diuinos & sortilegos in domum suam introduxerit quasi vt malum foràs mittant, aut maleficia inueniant, vel lustrationes Paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agat.

72 Non liceat Christianis, tenere traditiones gẽtilium, & obseruare vel colere elementa, aut lunæ, aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, aut propter segetes vel arbores plantandas, vel coniugia sociandà. Scriptum est enim: Omnia, quæ facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, facite gratias agentes Deo.

73 Non liceat iniquas obseruantias agere Kalendarum, & ocijs vacare gentilibus, neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obseruatio, paganismi est.

74 Non liceat in herbarum collectionibus, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes aut incantationes attendere, nisi tantùm cum symbolo diuino & oratione Dominica, vt tantùm Deus creator omnium & Dominus honoretur.

75 Non liceat, mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificijs obseruare, sed Deum inuocent adiutorem, qui in eis sapientiam extendi donauit.

76 Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam vxorem irruerit, septem annis pœnitentiam agat.

77 Si qua mulier fornicata fuerit, & infantem, qui exinde fuerit natus, occiderit: & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est, necare: aut certè, vt non concipiat, elaborat, siue ex adulterio siue ex legitimo coniugio: has tales mulieres in morte recipere communionem priores canones decreuerunt: nos tamen pro misericordia, siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsorum decem annis agere pœnitentiam iudicamus.

78 Si quis voluntariè homicidium fecerit, ad ianuam Ecclesiæ Catholicæ semper subiaceat, & communionem in exitu vitæ suæ recipiat: si autem non voluntariè, sed casu aliquo homicidium fecerit, prior canon septem annis agere pœnitentiam iussit, secundus canon quinque mandauit.

79 Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, à communione abstineantur vsque ad mortem. In morte autem eis communio pro misericordia detur. Si verò superuixerint, communione accepta, & de infirmitate conualuerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

80 Si quis multis nuptijs fuerit copulatus, pœnitentiam agat: conuersatio autem & fides pœnitentis, compẽdiat tempus.

81 Si quis ante 20. annos in cuiuslibet animalis commixtione peccauerit, 15. annis in humilitate subiaceat ad Ecclesiæ ianuam: & post hos alijs quinque annis in orationis communionem receptus, pœnitentiam agat, & sic gratiam suscipiat sacramenti. Interrogentur autem alij de eo, qualem vitam in pœnitentia egerit, & sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post 20. annos habens vxorem, huic peccato irruerit, 25. annis humiliati subiaceat, & quinq; annis orationibus tantùm communicans, postea recipiat sacramentum. Quòd si hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum in exitu consequatur, oportet autem tales inter dæmoniosos orare.

nisi hymno dicto edere panem; & post cibos gratias auctori Deo deferre.

66 Non oportet clericos comam nutrire, & sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus; & secundùm Aaron talarem vestem induere; vt sint in habitu ordinato.

67 Non oportet psalmos compositos & vulgares in Ecclesia dicere, neque libros, qui sunt extra canonem, legere, nisi solos canonicos noui & veteris Testamenti.

68 Non oportet clericos ignaros & prę sumptores super monumenta in campo minisferia portare, aut distribuere Sacramenta; sed aut in Ecclesia, aut in basilica, vbi martyrum reliquiæ sunt depositæ, ibi pro defunctis oblationem offerre. De conse. dist. 1. Nõ oportet.

69 Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare de re mortuorum. De consec. d. 1. Non liceat.

70 Non liceat clericis, vel laicis Catholicis, ab hæreticis eulogias accipere: quia maledictiones sunt magis, quàm benedictiones: neq; licet, aut cum hæreticis, aut cum schismaticis orare. Burc. l. 10. c. 38. Iuo. p. 11. c. 63. 1. q. 1. Nõ liceat Clericis.

71 Si quis Paganorum consuetudinem sequens, diuinos & sortilegos in domo sua introduxerit; quasi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel lustrationes Paganorum faciant, quinque annis pœnitentiam agant. 26. q. 5. Nõ liceat Christian. Bur. l. 10. c. 6. Iuo. p. 11. c. 34.

72 Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, & obseruare vel colere elementa, aut lunæ, aut stellarum cursum, aut inanem signorum fallaciam, pro domo faciẽda. Scriptum est enim: Omnia, quæ facitis, aut in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo. 26. q. 6. Nõ liceat. Bur. li. 10. c. 3. Iuo. p. 11. c. 40. Col. 3.

73 Non liceat iniquas obseruationes agere Kalendarũ, & ocijs vacare gẽtilibus: neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obseruatio Paganismi est. 26. q. 7. Nõ licet. Bur. li. 10. c. 15. Iuo. p. 11. c. 42.

74 Non liceat in collectione herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes aut incantationes attendere, nisi tantùm cum Symbolo diuino, aut oratione Dominica, aut tantùm, Deus creator omnium, &, Dominus honoretur. 26. q. 5. Nõ liceat. Bur li. 10. c. 20. Iuo. p. 11. c. 47.

75 Non liceat mulieres Christianas aliquam vanitatem in suis lanificijs obseruare, sed Deum inuocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit. Dist. 50. c. Si quis voluntar. Iu. p. 10. c. 39.

76 Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam vxorem inruerit, septem annis pœnitentiam agat.

77 Si qua mulier fornicauerit, & infantem, qui exinde fuerit natus, occiderit: & quę studuerit abortũ facere, & quod conceptum est necare, aut certè, vt non concipiat, elaborat, siue ex adulterio, siue ex legitimo coniugio; has tales mulieres nec in morte recipere communionem priores canones decreuerunt. Nos tamen pro misericordia, siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsarum, decem annis agere pœnitentiam iudicamus.

78 Si quis voluntarium homicidium fecerit, ad ianuam Ecclesiæ Catholicæ semper subiaceat, & communionem in exitu vitæ suæ recipiat. Si autem non voluntariè, sed casu aliquod homicidium fuerit factum, prior canon septem annis agi pœnitentiam iussit, secundus canon quinque mandauit. Dist. 50. c. si qnis voluntarie. Iuo. p. 10. c. 39.

79 Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit, à communione abstineantur vsque ad mortem; in morte autem eis communio pro misericordia detur. Si autem superuixerint communione accepta, & de infirmitate conualuerint, agant plenam pœnitentiam tempore constituto.

80 Si quis multis nuptijs fuerit copulatus, pœnitentiam agat: conuersatio autem & fides pœnitentis compendiat tempus. 32. q. 7. Si quis fuerit Burc. li. 9. c. 63. Iuo. p. 8. c. 199. ex concil. Neoc. c. 3.

81 Si quis ante viginti annos in cuiuslibet animalis commistionem peccauerit, quindecim annis in humilitate subiaceat ad Ecclesiæ ianuam: & post hos alijs quinque annis in orationis tantùm communione receptus, pœnitentiam agat, & sic gratiam sacramenti susciṕiat. Interrogentur autem alij de eo, qualem vitam in pœnitẽtia egerit: & sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post 20. annos habens vxorẽ huic peccato inruerit, 25. annos humilitate subiaceat, & 5. annis orationibus tantùm communicans posteà recipiat sacramentum. Quòd si & hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum in exitu consequatur: oportet enim tales inter dæmoniosos ordinare.

82 Si quis de corpore exiens, nouiſſimũ & neceſſarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quòd ſi in deſperatione poſitus, poſt perceptam communionem iterum ſanus fuerit factus, tantùm in oratione particeps ſit. Nam non accipiat ſacramentum, donec conſtitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergò in exitu mortis ſunt, & deſiderant accipere ſacramentum, cum conſideratione & probatione Epiſcopi accipere debent.

83 Si quis intrat Eccleſiam Dei, & ſacras ſcripturas* audit, & pro luxuria ſua auertit ſe à communione ſacramenti, & in obſeruandis myſterijs declinat conſtitutam regulam diſciplinæ: illum talem, proijciendum de Eccleſia Catholica eſſe decernimus, donec pœnitentiam agat, & oſtendat fructum pœnitentiæ ſuæ, & poſſit communionem, percepta indulgentia, promereri.

84 Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introeuntes orare cum eis, neque liceat cum eis in aliqua Eccleſia ſegregari. Si quis autem epiſcopus aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet eccleſiaſticus excommunicauerit, quaſi perturbans omnem diſciplinam eccleſiaſticam, excommunicetur.

NOTÆ.

Explicit liber excerptorum ſancti Martini Bracarenſis Epiſcopi, ex ſynodis Orientalium. Vbi obiter admonendus eſt lector, per multis locis in Gratiani Decreto citari hæc capitula tanquàm Martini Papæ, cùm ſint potiùs tribuenda huic collectioni Martini Epiſcopi Bracarenſis.

82 Si quis de corpore exiens nouiſſimum & neceſſarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod ſi in deſperatione poſitus, poſt perceptam communionem iterum ſanus fuerit factus, tãtùm orationis particeps ſit: nam non accipiat ſacramentum, donec conſtitutum pœnitentiæ impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis ſunt & deſiderant accipere Sacramentum, cum conſideratione, & probatione Epiſcopi, accipere debeant. 26. q. 6. Si quis de corpore.

83 Si quis intrat Eccleſiam Dei, & ſacras Scripturas non audit, & pro luxuria ſua auertit ſe à communione Sacramenti, & in obſeruandis myſterijs declinat conſtitutam regulam diſciplinæ, iſtum talem proijciendum de Eccleſia Catholica eſſe decernimus, donec pœnitentiam agat, & oſtendat fructũ pœnitentiæ ſuæ; vt poſſit communionem percepta indulgentia promereri. De conſec. d. 2. Si quis intrat. cont. Do tiſch. c.

84 Non liceat communicare excommunicatis, neque in domos eorum introire, neque orare cum eis, neque liceat, vt in alia Eccleſia ſegregentur. Si autem aliquis Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet Eccleſiaſticus excommunicato communicauerit, quaſi perturbans omnem diſciplinam Eccleſiaſticam excommunicetur.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA BENEDICTI PAPÆ I.

Ex libro Pontificali.

A.D. 576. BENEDICTVS natione Romanus ex patre Bonifacio, ſedit annos quatuor, menſem vnũ, dies vigintiocto. Eiuſdem tempore gens Longobardorum inuaſit totam Italiam, ſimulque & fames nimia, vt etiam multitudo caſtrorum ſe traderet Longobardis, vt temperare poſſet inopiam famis. Quod dum cognouiſſet Iuſtinus pijſſimus Imperator, quia Roma periclitaretur fame & mortalitate, miſit in Ægyptum, & onerauit naues frumento, & tranſmiſit Romam. Et ſic miſertus eſt Deus Italiæ. In iſtis laboribus & afflictionibus poſitus ſanctiſſimus Benedictus Papa, mortuus eſt. Qui ſepultus eſt in baſilica B. Petri Apoſtoli in ſecretario, pridie Kal. Aug. Hic fecit ordinationem vnam per mẽſem Decembrem, presbyteros quindecim, diacones tres, epiſcopos per diuerſa loca numero vigintiunum. Et ceſſauit epiſcopatus menſes tres, dies decem.

NOTÆ in vitam Benedicti.

Benedictus.] *Cùm Romana ſedes ob tumultus bellicos vacaſſet menſes decem & tres dies, Benedictus, quem Græci Bonoſum nominant, creatus eſt Pontifex 16. Maij, anno Chriſti Redemptoris, 573. Huius tempore, Longobardi maxima ex parte Idolorum cultores, Eccleſiam dira perſecutione vexarunt, loca ſacra effoſis SS. Martyrum ſepulchris prof anarunt, ædificia in ſuburbijs Romæ diruerunt, S. Cerbonium Epiſcopum cum ſuis Clericis in exilium fugarunt, octoginta ruſticos, quorum 40. immolatitias carnes comedere; alij caput Capræ adorare recuſabant, ſupplicio mortis affecerunt. S. Gregorius. Hac perſecutione ea miracula contigerunt, quæ in libris dialo. recenſentur apud Greg. de S. Cerbonio epiſcopo; Santulo alijſq; presbyteris.* Benedict. Papa fact. quando? Longobardorum perſecutio.

Iuſtinus Imperator Anaſtaſium Antiochenũ, ob quædam crimina illi obiecta depoſitum relegauit. Quare cum magnã apud Deũ offenſam merito incurriſſet, omnia illi deinceps in peius ruere cœperunt. Perſa magna ſtrage exercitum eius proſtrauerunt. Cuius rei nuncium, dum ad ipſum Imperatorem perlatum eſſet, mente abalienatus fuit; dilucidis interdum interuallis ad modicum duntaxat temporis ſpatium reſipiſcens. Ab hoc malo corporis liberatus eſt, quando ad conciliandum ſibi diuinum Numen templum exſtruxit Dei genitrici Mariæ: quæ ei tantum ſanctitatis præſtitit, vt dilucido interuallo potitus cunctis rectè diſpoſitis ſtatum Reip. in tuto collocaret. Ex Miſcell. hiſt. Iuſtin. Imperat. res geſtæ.

Sedit annos tres.] *Annis quatuor, menſe vno & viginti octo diebus ſedem Pontificiam tenuit: Obijt enim anno Redemptoris noſtri 577. pridie Kal. Auguſti.* Benedict. quamdiu ſederit?

Eodem tempore gens Longobardorum.] *Quo tempore Longobardi in Italiam venerint, ſupra dixi in Notis ad vitam Ioannis. Hæc Anaſtaſij, fortaſſe intelligenda ſunt de eorundem graſſatione illa, quam S. Gregorius inter ſanas Eccleſiæ perſecutiones adnumerat.*

BENEDICTI PAPÆ PRIMA EPISTOLA decretalis.

Probat ex ſacris literis, ſummam Trinitatem vnitatem eſſe.

REVERENDISSIMO *fratri Epiſcopo Dauid, Benedictus ſalutem in Domino.*

Reſpondere literis veſtris pleniùs cogitaui: ſed cùm hoc meditarer, tantus me dolor tetigit, vt magis flere, quàm aliquid dicere, de lectatus ſim. Sed ne funditùs remaneret, pauca vobis reſcribere curaui, ad potiora vos tempora congruè inuitans. Quòd autem literæ tuæ teſtes ſunt, quoſdam intra prouinciam Bæticam eſſe, qui dicerent neminem veraciter poſſe probare, Trinitatem vnitatem fieri, cùm neque tres vnum, neque vnum in tribus poſſe quemquam propriè approbare; quas ob cauſas dilectiſſime fili, conſulta tibi Apoſtolicæ ſedis miſimus, vt aut his eos ad rectam fidem conuerti facias, aut ab Eccleſia, antequàm peſtis hæc latiùs diuulgetur, repellas. His (frater) ſcripturarum teſtimonijs vnitatem Trinitatis agnoſce, & deſine Arianorum prauitatem ſequi, vt ab eadem poſſis peccatorum indulgentiam promereri. Eſaia prophera dicente: Vidi Dominum Sabaoth ſedentem ſuper thronum excelſum, & Seraphim ſtabant in circuitu eius: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius: duabus autem velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant ad alterutrum, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Si Trinitas non eſt, quare tertiò ſanctus dixerunt? Et ſi vnitas non eſt, quare ſub trina repetitione vnum Deum ac Dominum intimârunt? Si Trinitas non eſt, cur in Geneſeos dicitur, Dixit Deus, fecit Deus, & benedixit Deus? Si vero vnitas non eſt, quare tertiò dixit, Deus, & non deos pluraliter commendauit? Et ſi Trinitas non eſt, quare in Exodo dictum eſt tertiò, Domine, domine, domine miſerator & miſericors? Si vnitas non eſt, quare dum tertiò diceret, Dómine, poſteà miſerator ſingulariter dixit, & non miſeratores, vt plures oſtenderet, intimauit? Si Trinitas non eſt, cur Abraham ad illicem Mambre ſedens, tribuſque occurrens vni, Domine, dixit: & non (vt viderat) tribus ſalutationis obſequium reddidit? Si vnitas nõ eſt, quare cum Moſi, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, tertiò diceret: vnitatem oſtendens, Hoc

mihi

mihi nomen est, dixit: & non, Hæc sunt nostra nomina, designauit? Si Trinitas non est, quare Dauid tertiò dixit: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus? Si vnitas non est, quarè cùm Deus tertiò nominasset, benedicat, & non, benedicant, adiunxit? Si Trinitas non est, cur Esaias denuò dixit, Domine Deus Sabaoth. Deus Israël, qui sedes super Cherubim? Si vnitas non est, quare, qui sedes dixit, & non, qui sedetis; &* adiũxit? Si Trinitas non est, quare in Regnorum libro dicitur, Domine Deus omnipotens, Deus Israël sermones tui fideles sunt? Si vnitas non est, quare tui dicitur, & non vestri potiùs intimatur? Si Trinitas non est, cur in Psalmo 58. cantatur, Domine Deus virtutum, Deus Israël, intende ad visitandas omnes gentes? Si vnitas non est, quare intẽde posuit, & non intendite, vt prædicatus est, intimauit? Si Trinitas non est, quare in Apocalypsi tertiò dixit: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat? Si vnitas non est, quare non, qui sunt, pluraliter, sed qui erat, designauit? Si Trinitas non est, quare in Deuteronomio dictum est, Dominus Deus tuus, Deus misericors est, & audiet vocem tuam? Si vnitas non est, quare audiet, posuit, & non audient, intimauit? Si Trinitas non est, quare in Iesu Nauæ dicitur libro, Dominus Deus Deorum est? Si vnitas non est, quare, est, dixit, & non, sunt, more locutionis induxit? Si Trinitas non est, quare Elias orando, Domine, Domine, Domine, Deus Israël, ostende, quia tu es Deus meus, dixit? Si vnitas non est, quare, ostende, & non, ostendite, posuit? Si Trinitas non est, cur Mardochæus orando, Domine, Domine Deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt, dixit? Si vnitas non est, quare, in tua, posuit, & non, in vestra, signauit? Si Trinitas non est, cur etiam Iudith orando dixit: Domine Deus omnium virtutum, respice in orationem meam? Si vnitas non est, quare, respice, posuit, & non, respicite, designauit? Si Trinitas non est, quare in Hieremia dicitur, Dominus Deus vester Deus verax est? Si vnitas non est, quare, verax est, dixit, & non, veraces, potius intimauit? Si Trinitas non est, quare in Apocalypsi scriptum est, Dominus Deus & spiritus Prophetarum misit Angelum suum, ostendere seruis suis, quæ oportet fieri citò? Si vnitas non est, quare, cùm Patrem & Filium, & Spiritum nominâsset, misit Dominus, dixit, & non, miserunt, sub prætextu trium personarum & nominum introduxit? Si Trinitas non est, quare in Deuteronomio dicitur, Dominus Deus vester hic est Deus? Si vnitas non est, quare, Hic est, dixit, & non, hi sunt, plurali numero designauit? Si Trinitas non est, quare in eodem dicitur libro, Dominus Deus tuus, Deus magnus & potens est? Si vnitas non est, quare, magnus & potens, non pluraliter nominatur? Si Trinitas non est, cur Tobias filium suum cùm in Rages ciuitatem cum Raphaele Angelo mitteret, benedicens eos, ita dixisse docetur: Deus Abraham, & Deus Isaac & Deus Iacob, ipse impleat benedictionẽ suam in vobis? Si vnitas non est, quare ipse impleat, dixit, & non ipsi impleant, intimauit? Postremò, si Trinitas non est, quare Dominus discipulos suos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vniuersas gentes misit baptizare? Si vnitas non est, quare, in nomine dixit, & non, in nominibus, præcipiendo perdocuit? Si Trinitas non est, quare Apostolus Paulus ait, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia? Si vnitas non est, quare, ex ipso, posuit, & non, ex ipsis, adstruxit? Si enim certo certiùs volueris vnitatem Trinitatis agnoscere, à sæpedicto Doctore gentium Apostolo poteris vniuersa condiscere, & sequi catholicam fidem, & Arianorum prauitatem respuere. Gratia Domini nostri Iesu Christi, inquit, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus. Ipsa est Patris, & filij, & Spiritus sancti. Quomodo autem in Trinitate vnum sunt? quia natura atque* ab inuicem separari non possunt. Cęterùm, frater charissime, quæ tua continebant scripta, ex subiectis sententijs maximè omnia poteris colligere. Necesse est, frater charissime, adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Et vt iuxta Apostolum Paulum, dicamus, licèt verba replicemus quæ ipse Timotheo scribit, dicens: Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum est veritatis. Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus, & his, qui cognouerunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus verbo fidei & bonæ doctrinæ, quam assecutus es. Ineptas autem & inanes fabulas deuita, & exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Fidelis sermo & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium hominum, maximeque fidelium. Præcipe hæc, & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Hæc meditare, in his esto, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt. Fame enim nimis affligitur populus Romanus, qua clade atque alijs anxietatibus vexatus, longam epistolam minimè scribere valui. Tempore congruo denuò (si necesse fuerit) mitte, & ea, quæ desideraueris, sume. Deus te incolumem custodiat, frater charissime, Amẽ. Data* quarto Nonas April. Iustino & Libio viris clarissimis consulibus.

CONCILIVM PARISIENSE QVARTVM, ANNO Christi 576. sub Benedicto celebratum.

NOTÆ.

Concilium.] *Cum in Gallia bellum ciuile recrudesceret, Gunthrammus Rex procurauerat, vt Parisijs Concilium celebraretur; si forte per sanctissimos Episcopos, res absque bello componi posset. Verum vbi semel res armis agi cœpta fuit, Ecclesiasticæ leges omnino siluerunt. Ait enim Gregorius de gestis Frãcorum lib. 4. cap. 47. & 48. his temporibus accidisse, vt Chilpericus per filium suum Theodobertum, Turonensibus, Pictauiensibus atq; aliarum ciuitatum Ecclesijs magnam cladem intulerit. Hanc ille paucis perstringens, sic ait.* Vastat, euertit, Ecclesias incendit, ministeria detrahit, Clericos interficit, monasteria virorum deijcit, puellas deludit, & cũcta deuastat: fuitque illo tempore peior in Ecclesijs gemitus, quam tempore persecutoris Diocletiani. *Vide Baron. anno 576.*

Causa Concilij.

Clades Galliæ sub Chilperico illata.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA PELAGII PAPAE II.

Ex libro Pontificali.

PELAGIVS natione Romanus ex patre Vuinigildo, sedit annos 10. menses duos, dies decem. Hic ordinatur absque iussione principis, eò quòd Lõgobardi obsiderent ciuitatem Romanam, & multa vastatio ab eis in Italia fieret. Eodem tempore tantæ pluuiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quia aquæ diluuiæ superinundarent. Et talis clades fuit, qualem à seculo nullus meminit fuisse. Eodem tempore inuestiuit corpus B. Petri Apostoli tabulis argenteis deauratis. Hic domum suam, xenodochium fecit pauperum senum. Hic fecit cœmeterium

B. Hermetis martyris. Hic fecit supra corpus B. Laurētij martyris basilicam à fundamento constructam, & tabulis argenteis exornauit sepulcrum eius. Qui mortuus est, & sepultus ad B. Petrum Apostolum, sexto Idus Februarias. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros 82. diacones 8. episcopos per diuersa loca numero 48. Et cessauit Episcopatus menses 6. dies 25.

NOTAE in vitam Pelagij II.

Pelagius quo tempore pontificatum adeptus?

Pelagius.] *Post vacationem trium mensium & vndecim dierū, vndecimo Nouembris anni 577. post Christum natum, sublegitur Pelagius iunior, eius nominis Secundus Romanus Pontifex, patre VVnigildo, & vt putatur ex nomine, Gothico potius, quam Romano genere. Pontificatus illius incidit in calamitosa tempora, quibus Longobardi Italiam vastabant, atq; Occidentalis Ecclesia propter quintam Synodum à sede Apostolica approbatam, diro schismate vsque ad Hibernos diuisa erat. His consulturus Pontifex sanctissimus, consilio & auxilio S. Gregorij successoris sui librum edidit pro quinta Synodo, quam defendens ait, tria capitula iure meritoq; condemnata esse. Meminit huius libelli Sanctus Gregorius in epistola ad Hibernos, quam inserta inter Epistolas Pelagij nunc primum ex annalibus Baronij in lucem emittimus. De qua plura vide infra in Notis ibidem. Huius temporibus à Ioanne S. R. E. presbytero erectum est oratorium apud Thermas Agrippinas, quod seruus Dei, monachis nimirum inseruiret, illudq; reddit ibus locupletauit. Scripto de his omnibus testamēto; quod cum Pelagio Papæ tradidisset, ex hac vita migrauit. Gregorius successor Pelagij mutata voluntate testatoris in eodē sacras virgines collocauit sub cura religiosæ fœminæ Bonæ abbatissæ. Extant de his omnibus ipsius S. Gregorij Epist. libr. 7. Vnde intelligis Romanum Pontificem, testamentorū ad pias causas conditorum arbitrum esse, ita vt in alium æquè pium vsum illa mutare possit, si id ratio persuadeat. Iustinus Imperator precibus S. Mariæ Virginis mentis sanitati restitutus, designato successore Tiberio, post exactos imperij annos sedecim mensesq; nouem cum diuitio, ex hac vita recessit. Tiberius antequam coronaretur, loca sancta obiit, Sophiæ vxoris Iustini insidias Dei auxilio euasit, & dum insidiantem bonis omnibus spoliasset, eandem in ordinem redegit. Extitit erga pauperes munificentissimus. Vnde factum sine dubio, quod non tantum contra hostes, sed etiam aduersus iteratam Sophiæ coniurationem, cum Iustiniano Iustini cognato initam, præclare triumpharit. Hic cum ægrotantem Eutychiū Constantinopolitanum Episcopum, Constantinopoli benedictionem ab eo percepturus, inuisisset; intellexit se post quatuor menses ex hac vita auocandum. Quarto mense aduenient e in morbum incidens, Mauritium ciuili & castrensi militia clarum, catholica quoque religione & virtutibus illustrem, Cæsarem creat, datáq; illi vxore filia Constantina, imperium eidem pro dote assignauit. Mense Augusto anni 586. Tiberius Imperator piissimus magno dolore bonorum omnium ab imperio inquieto, prout in somnis viderat, ad pacatum cœleste regnum transijt. Mauritius imperium adeptus, per literas ad Theodorum archimandritam datas rogauit prosecorari, vt imperium in pace tueri, & ab hostibus defendere posset.*

Pelagij liber aduersus schismaticos.

Romanus Pontifex arbiter testamentorum.

Obitus Iustini Imp. cui Tiberius successit.

Mors Tiberij & surrogatio Mauritij Imp. qualis?

Sedit annos decem, menses duos, dies decem.] *Anno Christi 590. sexto Idus Febru. defunctum esse Pelagium, cùm sedisset annos 12. menses 2. & dies 27. constat ex initio pontificatus S. Gregorij; qui, post quam sedes Apostolica 6. mensibus & 25. diebus pastore vacasset, 3. Nonas Septemb. anno 5. Mauritij Imperat. qui est Christi Redemptoris 590. Pelagio in Pontificatu successit. Manifesto igitur errore labuntur, qui depraua tum Anastasij textum secuti, huic Pōtifici annos duntaxat decem, menses 2. & dies 10. attribuunt. Et quidem maiore errore decipiuntur, qui obitum Pelagij, & creationem Gregorij, vel in sequentem annum reijciunt: vel diuerso anno contigisse scribūt. Longius verò hac in re aberrat Beda, qui de gestis Angl. lib. 1 c. 23. creationem Gregorij collocat sub anno decimo Mauritij Imperat. quam anno quinto eiusdem Imperatoris, inchoante Indictione nona contigisse, ipsiusmet Gregorij testificatione constat, principio lib. 2. Epist. vbi Pontificatus sui annum secundum, numerat Mauritij Imperatoris annum septimum. Vide Baron. an. 590. n. 2.*

Pelagius quamdiu sederit?

Errores de initio pontificat° S. Gregor. & obitu Pelagij.

Hic fecit supra corpus B. Laurentij Martyris] *Cùm S. Laurentij corpus ab operarijs quæreretur, miranda atque pauenda illa contigerunt, quæ S. Gregor. lib. 3. epist. 30. enarrat his verbis:* Sanctæ memoriæ decessor meus itidem ad corpus S. Laurentij martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbi venerabile corpus eius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subito sepulchrum eius ignoranter apertum est, & ij qui præsentes erant, atq; laborabant monachi & mensionarij, qui corpus eiusdem martyris viderunt, quod quidem minimè tāgere præsumpserunt, omnes intra 10. dies defuncti sunt, ita vt nullus superesse potuisset, qui sanctum & iustum corpus illius viderat. *Hæc Gregor. de inuentione corporis S. Laurentij.*

Quæ miracula contigerint in translatione S. Laurentij.

EPISTOLA I. B. PELAGII PAPÆ II.

Reprobat episcoporum de vna ad aliam ecclesiam transitus, Ecclesiæ vtilitate id non expostulante.

DILECTISSIMO *fratri Benigno Archiepiscopo, Pelagius Episcopus.*

Tenor Decretalium obtinet.

Lectis fraternitatis tuæ litteris, vigorem fidei tuæ, quem dudum noueramus, agnouimus, congratulantes dilectioni tuæ, quod ad custodiendum gregem Christi, pastoralem curam vigilanter impendis, & pro tibi subditis solicitus existis. Ad nostram enim lætitiam & benefacta peruenerunt, & si aliqua secus, quàm oportet, prouenerint, non modico nos mœrore conturbant. Magnam enim gratulationem diuina concedit gratia, quando tribuit inter nos & salutaris disciplinæ normam litteris conferre, & proficere ad pacificorum studia facit præoptata. Exigit ergo dilectio tua, consulta Sedis Apostolicæ, si licitum foret episcopum transire, aut mutare de ciuitate ad ciuitatem, dum quidam canones (vt tibi videtur) hoc fieri prohibeant. Significasti etiam litteris tuis, quendam fratrem, nomine & actu Dei seruum, causa vtilitatis mutare te velle in locum & ciuitatem defuncti, licèt quidam dicant hoc fieri non licere, nisi consensum Apostolicæ sedis habuisses. Quapropter scias, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis & vtilitatis, & aliud causam præsumptionis & propriæ voluntatis. Non ergo mutat sedē, qui non mutat mentem, id est, qui non causa auaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel fuæ electionis migrat de ciuitate ad ciuitatem, sed causa necessitatis aut vtilitatis mutatur. Nam plurimorum vtilitas, vnius vtilitati aut voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, & aliud mutari: sic aliud ministrare, & aliud ministrari. Vnde Dominus in Euangelio loquitur, dicens: Non veni ministrari, sed ministrare. Quod enim in canonibus legitur, non debere Episcopum de ciuitate ad ciuitatem transire, vel transferri, non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate maiorum hoc agunt: sed de his, qui auaritiæ ardore inflammati, sponte sua prosiliunt, & potius ambitioni, quàm vtilitati Ecclesiæ seruire, & vt dominationem agant, insistere cupiunt. Vnde & in subiectis canonibus continetur: Si aliquis extiterit temerarius, qui forsitan excusationem afferat, quod populi litteras acceperit, & ideo migrauerit, dum manifestum sit, præmio & mercede paucos, qui synceram fidem non habent, potuisse corrumpi, vt clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur, omnino has fraudes remouendas esse censemus. His verbis & alijs multis exemplis liquet non de his dicere (vt paulò superiùs prælibatum est) qui pulsi, aut non receptiā ciuibus, vel à quibuscunque, aut necessitate cogente, vel auctoritate Maiorum transeunt de ciuitate ad ciuitatem: sed de his, qui sponte prosiliunt, aut temeritatis, aut ambitionis causa hoc faciunt. Nam aliud est sponte transire, & aliud est coactè aut necessitate venire. Vnde non isti mutant ciuitates, sed mutātur: quia non spōtè, sed coactè hoc agunt. Quis enim vnquam audet dicere, sanctum Petrum Apostolorum principem nō benè egisse, quando mutauit sedem de Antiochia in Romam? Aut quis eum negat, ob id sanctum non esse, aut dignitatem, aut meritum vnquam Apostolatus tam in cœlis, quàm in terris perdidisse? Aut quis negat, sanctos non esse multos alios episcopos, qui de ciuitatibus ad ciuitates translati sunt, aut meritum pontificatus perdidisse? Quorum nomina si cœperim enumerare, ante dies pertransiet, quàm hæc omnia perscribere possem, & prolixior erit epistola, quàm necesse sit? Aut quis vnquam potest approbare, sanctum non esse Alexandrū qui Hierosolymam de altera ciuitate translatus est? aut sanctum Gregorium Nazianzenum, qui in Nazianzo constitutus est? aut sanctum Proclū, qui de Zyzico translatus, & Constantinopolim inthronizatus est? Non ergò benè intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negāt causa vtilitatis aut necessitatis pertis fieri non posse, quoties cōmunis vtilitas aut necessitas persuaserit.

Matt. 20.

fualerit. Nullum enim ex his, aut ex alijs, qui meliori concilio mutauerunt ciuitates necessitate quadam, vel vtilitate Ecclesiastica, aut laica communione carere reperimus, nec vllatenus vnquam fieri debet. Sententia verò, quę in Antiocheno Concilio habetur, vt Episcopus ab alia parochia nequaquam migret ad aliam, tota, atque omnes sententiæ de ea re vim superius comprehensam retinent, & nihil prætaxato modo translationibus episcoporum actis aut agendis nocét, sed magis robur eis ac Domini saluatoris, quæ omnes canonicos superexaltat libros, auctoritatem præstant. Tales autem quæstiones magis ex inuidia, quàm ex caritate aut vtilitate nasci videntur, cùm ipsa per se veritas dicat: Si vos persecuti fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam, & reliqua. Huic ergo sententiæ nullus catholicorum vsquam contradicere potest, quę non alterius, sed ipsius proprio Domini ore prolata, & firmata esse dinoscitur. Cui si aliquis contradixerit, non solùm extorris, sed etiam anathematizatus ab ecclesia pellatur. Et Dominus in Euangelio aliàs dicit: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Si eos Dominus beatos dicit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quis eos damnare potest? Et si ipse de ciuitate ad ciuitatem propter persecutionem fugere præcipit, quis eos detrahere, aut damnare propterea audet vel potest, quod verbis Dominicis obtemperant? Profectò is, qui contradicit aut resistit, seipsum damnat, quia ori Domini contumax & inobediens existit. Vnde & ipsa per se veritas dicit: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Omnino oportet Deo obedire plus quàm hominibus. Et idcirco, quod Deo obedimus, & de ciuitate ad ciuitatem (ipso precipiente) persecutionis causa, id est, necessitatis aut vtilitatis transimus, damnandi sumus? Non omnino, sed potius venerandi atque portandi, quoniam nec ipsis Episcopis hoc imputari potest. Qui his resistit, profectò Dei ordinationi resistit, & est infideli deterior: quia melius est non cognoscere viam veritatis, quàm post agnitionem retrorsum abire. Nam & ipse Dominus de loco ad locum secessit, id est, transiuit, Iudæis illum quærentibus. Fugiens ille quærentes & persequentes se, dedit nobis exemplum fugere nos persequentes, & de ciuitate ad ciuitatem transire, dicens: Si vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam, & cætera his similia. Nam si fugere, malum est: persequi, multò deterius. Hic quidem ne moriatur, absconditur: hic autem persequitur, vt occidat: & vt fugiatur, præcipitur: quia, qui quærit occidere, prævaricatur legem, & magis fugiendi præbet occasionem. Si fugam improperant persequentes, erubescant potius semetipsos, & quiescant insidiari, & quiescent continuò fugientes. Nemo enim mitem fugit aliquando, sed magis ferocem simul & callidum. Omnis enim, qui gemebat, & vexabatur à Saul, fugiebat & veniebat ad Dauid. Si ergo pijssimus atque iustissimus Dauid sciret peccatum esse, persecutionem fugientes, & transeuntes de loco ad locum, & de ciuitate ad ciuitatem, tales nequaquam reciperet, nec secum teneret, nec in alijs ciuitatibus eos collocaret. Qui enim persequuntur Domini Episcopos, eosq; de ciuitatibus ad ciuitates transire compellunt, non eos tantùm persequuntur, quantum Dominum nostrum Iesum Christum, cuius legatione funguntur. Nec ipsi in hoc peccant Episcopi: quoniam, non sponte, sed coactè hoc agunt: sed illi, à quibus persequuntur: nec ipsis episcopis hoc imputari potest, sed illis, qui eos hoc agere cogunt. Sanctus enim protomartyr Stephanus lapidabatur, sed Iesus suscipiebat plagas. Ideoque vnicuique prouidendum est, ne aliquem iniustè persequatur, iudicet, vel puniat, ne Iesum persequatur, iudicet, & puniat. Qui autem negant misericordiam faciendam fugientibus ac necessitatem patientibus, ipsum Christum negant, qui est misericordia & veritas, & omnibus necessitatem patientibus subuenire iubet. Pauca sunt, frater, quæ asserui: sed quanta ex his pendeant, tua prouidentia poteris æstimare. Quare hanc adnituntur malenoli irrumpere misericordiam? Cur illudere vanis intentionibus felicitatem? Excusationem iam non habet furor iste in credentibus: nec interest, quibus itineribus ad mundi principem currat, qui à benevolentia fratrum desciscit, aut necessitatem patientibus misericordiam negat. Negat misericordiam necessitatem patientibus, qui pijs indigentibus diuinis mysterijs, & non habentibus proprium episcopum, qui eos instruat, causa vtilitatis atque necessitatis, ex alia ciuitate (licèt minor sit) in eam, quæ non habet episcopum, doctiorem vel vtiliorem, meliori consilio, non sponte transeuntem, sed Maiorum exhortatione mutare, aut Episcopum eiectum & persecutionem patientem, causa vtilitatis aut necessitatis in thronizari non permittit. Apud veteres enim, sine vlla differentia de vna ciuitate ad alteram migrabat Episcopus, dum vtilitas aut necessitas euocaret. Quapropter ipsam etiam regulam huic epistolæ placuit inseri, vt monstretur, eos mentitos esse, qui episcopum non posse in thronizari dixerunt. Vnde & in canonibus legitur ita: Si quis episcopus ordinatus, ad parochiam in qua ordinatus est, minimè proficiscitur, non sua culpa, sed aut populo respuente, aut propter aliam quamlibet causam necessitate factam, hunc honore ministerioque participare, nec tamen misceri rebus Ecclesiæ, in qua collectas celebrat, sed sustinere quoque, quod prouinciæ synodus suo iudicio terminauerit, decernimus. Huic regulæ contradicere nullus potest, quæ etiam causa vtilitatis aut necessitatis in thronizari Episcopum iubet, & mutari ac transire eum de ciuitate ad aliam ciuitatem non proprium habentem episcopū, sinit. Pingues hostias litat diabolo, qui his resistere nititur, aut misericordiam & vtilitatem Ecclesiæ iam dictis negat, id est, & Episcopis & populis. In vanum ergo contra simplices, qui hæc olim dicentes agere prohibuerunt, tendicula deinceps parabunt, cum his & alijs armati adminiculis, nouerint, quid super his sit agendum, & quid vitandum. Nimis enim armatus est, qui illa, quæ aduersarius misericordiæ, vtilitatis atque concordiæ ministrat, tela contemnit. Sufficit ergo contra omnia iacula iurgiorum fidei nuda oppositio. Scio te non ignorare, frater, memoratas canonum sententias atque euangelicas sanctiones, nouas nō esse, sed nostro eas assensui mancipari. Cur his contradicentes, & emigrationes episcoporum vtilitatis & necessitatis causa fieri prohibētes, vt sæpè dictum est, & non auaritiæ aut temeritatis, in perniciem sacerdotum ac populorum, lædunt sacerdotale Concilium? Cur lacerant sententiam, in qua, inspirante Christo, oracula superna patuerunt, & inter Deum & homines, interpres extitit lingua pontificum? Illa enim cæli curia variarum dotibus aucta curulium, & multo Redemptoris nostri auro ostroq; decorata, nihil in illa decisione auctore se protulit, sed per humanæ linguę ministerium diuino militauit Imperio. Intellexit non esse suum, quicquid impulsa constituit: nihil quoque habet in illa sententia, nisi vnde de sola deuotione gratuletur. Nam dum profanis memoratorum verbis creditur, & suæ vesaniæ insciti am produnt, & liuorem. Quis hic locus erroris, vbi congruentia pari ductu exempli & historiæ verba concurrunt? Nec diuersum est ab intellectu Catholico & lectionibus, quod profertur. Nam non benè nodus in scirpo quæritur, dum inuoluit nebula prædicatæ lucis auctores. Fœda quoque à nitore Domini sui obligatione dissoluitur, qui statutis cœlestibus minus mera fide dependit officia. Talium ergo dictiones vel prohibitiones indignæ etiam fiunt memoratu. Profunda est ergo nimis imperitia eorum, & sepulcrum patens guttur eorum, quia linguis suis dolosè agunt. Non est enim in ore eorum rectum, interiora eorum insidiæ, densis cor eorum vepribus suffocatur, & interna vitia alijs certant ascribere. Nobilitatem ergo dat facinoribus, qui in talibus ventilationem ipsorum in exemplum sumit, aut ad aures posteras digna relatione transmittit. Tibi autem non sit cura talium quæstionum, sed sequere sententiam beati Pauli Apostoli, qui monet per discipulum cunctos, & clamat, dicens: Inanes quæstiones deuita. Inanes namque (iuxta Apostolum) quæstiones semper deuita, & age, quod meliori consilio, non auaritiæ vel temeritatis, sed vtilitatis & necessitatis (vt sæpè dictum est) causa, faciendum vtiliter perspexeris. Quapropter, carissime, his Apostolicis fultus auctoritatibus, muta episcopum causa necessitatis aut vtilitatis, super quo consulere nos voluisti: & alios fratres nostros, quibus hoc faciendum necessitas aut vtilitas compulerit, agere doce: quia hoc, quod tibi soli scribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Quia sicut potestatem habemus, Episcopos & sacerdotes regulariter titulare & ordinare, ita (vt prædictum est) causa necessitatis, aut vtilitatis habes & mutare, ac de titulo ad titulum translatare*, licèt de minori ad ma-

Antioch. conc. c. 19.

Psal. 5.

1. Tim. 4.

* trãsferre

iorem

iorem vrbem mutandus sit. Hoc tamen summoperè prævidendum est, ne causa arrogantiæ aut auaritiæ vnquam fiat: quia hi à prædictis canonibus damnantur, non illi, qui necessitate aut vtilitate, maiorum consilio, & sana ac pura & DEO placida intentione hoc faciunt. Tu frater, semper sectare iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam & mansuetudinem. 1.Tim.6. Certa etiam bonum certamen fidei, & apprehende vitam æternam, in qua vocatus es: quoniam spiritus timentium Dominum, quæritur ab illo, & in respectu illius benedicitur. Spes enim illorum in saluantem illos, & oculi Dei in diligentes se. Eccl.34. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima. Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius? Oculi Domini super timentes eum: protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & vmbraculum meridiani, & prædicatio offensionis, & adiutorium casus exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Immolantis ex iniquo oblatio, est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum. Dominus solus sustinentibus se in vita veritatis & iustitiæ. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniustorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propiciabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est: qui aufert in sudore panem, & sudanti cibos, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui facit fraudem mercenario, fratres sunt. Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis, nisi labor? vnus orans, vnus maledicens: cuius vocem audiet Deus? Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio ipsius? Sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis audiet? Eccl.35. Qui conseruat legem, multiplicat orationem. Sacrificium saluare est, attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate: & propitiatio, litare sacrificium super iniustitias: & deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia. Retribuit gratiam, qui offert similaginem: & qui facit misericordiam, offert sacrificium. Beneplacitum est Domino, recedere ab iniquitate: & deprecatio, recedere ab iniustitia. Non apparebis ante conspectum Dei vacuus. Hæc enim omnia, propter mandatum Domini fiunt. Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi. Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur Dominus. Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias frugũ tuarum. In omni dato fac hilarem vultum tuum, & in exaltatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundum datum eius, & in oculo bono adinuentionem fac manuum tuarũ: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi. Noli offerre munera praua: non enim suscipiet illa. Et noli inspicere sacrificium iniustum, quoniam Dominus iudex est, & non est apud illum gloria personæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem, & precationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli: nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillã descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis. Qui adorat Deum, in oblectatione suscipietur, & precatio illius vsque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur. Et non discedet, donec adspiciat altissimus: & Dominus non elongabit, sed iudicabit iniustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam, vt contribulet dorsum ipsorum, & gentibus reddat vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet, donec reddat omnibus secundum actus suos, & secundum opera Adæ, & secundum præsumptionem illius, donec iudicet iudicium plebis suæ, & oblectabit iustos misericordia sua. Deus autem (frater carissime) impleat desideriũ, & ministerium tibi diuinitus collatum, secundum diuitias suas in gloria in Christo Iesu Domino nostro. Deo autem & patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen Data decimotertio die Augusti mensis, Indictione quartadecima. A.D.581.

EPISTOLA II. B. PELAGII Papæ II.

Episcopos summo in honore esse habendos, nec posse à quolibet accusari.

DILECTISSIMIS *atque clarissimis fratribus vniuersis Episcopis, & cunctis specialiter per Campaniæ & Italiæ prouincias militantibus Domino, Pelagius salutem.*

Solicitudinem omnium Ecclesiarum (iuxta Apostolum) circunferentes, diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, quod nos per dignationis suæ Dominus misericordiam, ad hoc fastigium sacerdotale prouexit, vt mandatis ipsius inhærentes, in quadam sacerdotum eius specula constituti prohibeamus illicita, & sequenda doceamus. Omnes, carissimi, qui volunt in Christo piè viuere, necesse est, vt ab impijs & dissimilibus patiantur opprobria, & despiciantur tamquam stulti & insani, qui ideo præsentia bona perdunt, vt inuisibilia ac sibi profutura acquirant, Sed hæc despectio & irrisio in ipsos retorquebitur, dum & abundantia eorum in egestatem, & superbia eorum transierit in confusionem. Iusto enim iudicio datur plerunque potestas peccatoribus, qua sanctos eius persequantur, vt qui spiritu Dei iuuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Et quamquam, fratres, hæc ita se habeant, non tamen non sunt consentiendi, sed reprobandi, qui prælatos suos reprehendunt, vel accusant. Vnde canonica sanctorum patrum statuta, ne columnæ sanctæ Ecclesiæ vacillent, sequentes ac roborantes, omnes infames, cunctosq; suspectos vel inimicos, & eos, qui non sunt eorum gentis, vel quorum fides, vita; & libertas nescitur, & qui non sunt bonæ conuersationis, vel quorum vita est accusabilis, ab omni accusatione episcoporum funditus submouemus. Similiter & omnes, quos diuinę leges mortuos appellant, submouendos esse ab eadem accusatione, & publicæ pœnitentiæ submittendos iudicamus. Neq; dum Ecclesiæ alicuius episcopi, aut possessiones, vel res ab æmulis eius, vel à quibuscunque alijs non sua sponte detinentur, aliquid illi debet, aut potest à quoquam ante redintegrationem omnium rerum suarum obijci: sed priùs illi legibus redintegranda sunt omnia, & postea tempore à patribus præfinito, sunt negocia ventilanda. Refutandi sunt etiam raptores, fures, sacrilegi, adulteri, & horum similes. Manifestum est enim, quòd semper tales magis discordiam, quàm pacem sectantur. Nullus quoque monachus talia vnquam arripiat, nec sæcularia aut Ecclesiastica negotia perturbare præsumat: quia mortua in talibus vox est eorum. Immobiles enim Dominus suos summos semper vult manere prædicatores, & non à quibusdam temerari, sed sibi liberè & quietè famulari. Vndè & ipse ait: Zach.2. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et qui vos contristat, me contristat. Et qui fecerit iniuriam, recipiet quod iniquè gessit. Et alibi: Matt.10. Qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit. Ita quoque & à plebibus, vel cæteris generaliter omnibus sunt timendi, & ferendi, atque venerandi pastores, & prædicatores Ecclesiæ, vt sub exercitatione bonæ voluntatis sustineantur temporalia, sperentur æterna. Auget enim merita virtutis, qui propositum non violat, sed auget, religionis. Caritas verò semper hominem innouat. Et sicut malignitas veteres, ita dilectio nouos facit. Fides eorum, qui Deum visuri sunt, quod non videt, credit. Nam si videt, non est fides. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Tunc pretiosum pastoris diadema est, quando suasioni eius grex Ecclesiasticus, dum ad probitatem graditur, non repugnat. Ille sine fuco monitorem & veridico ore diligit, qui eius instituta sectatur. Præbent hominib. naturæ institutione, & muta respõsum. Redit ad mortales vicissitudo clamosæ solicitudinis, quia vnusquisque prout gesserit, recipiet. Nam perit, quod linguæ acceperũt, frustra beneficiũ, nisi legitimè cœptũ fuerit negotiũ, & canonicè peractum. De fiducia enim partiũ nostrarũ mittitur, quod Apostolica mandat auctoritas. Vos tantummodo præsules Christi, benignitatè vestrã, salua auriũ animorumq; æquitate, & bona voluntate seruate per præstate. Nam aduersus impetus iuuare, peregrinantem reducere post interualla, est iustitia. Libat enim Domino prospe-

proipera, qui ab afflictis pellit aduersa. Statutus venerandi præsules, fudoribus fructus est, cum iudicio puriſſimè reddẽdus, vt in vtroque congruus nitor, nec ſuſcipientem deuenuſtet, ſi indigno auctore prouenerit: nec, ſi conferatur immerito, maculet largientem. Sit ſemper aduerſus prauos & impios, atque ſeruorum Dei perſecutores, libera vox & oris gladio feriantur, & redarguantur. Perſequantur & repellantur, confundantur & auertantur, nec lædendi piè viuentes vllam habeant facultatem. Plerumque periculis plena ſunt, quæ videntur eſſe tutiſſima. Videte, quantis laborent tales inſidijs: ideò abſconditum eſſe non licet, quod audimus. Iam latebat noſtra perſecutio manifeſta: miſericordia eſt, circa perſecutores & facinoroſos ſeruata diſtrictio. Ergo ſopori quietem tribuite: cœleſtium mandatorum hoſtem quoque depellite, ne candida conuerſatio vobiſcum habitantium, fuſca ſuperuenientis contagione violetur. Ante enim prouidenda ſunt remedia, quàm morbus increſcat. Sanctorum quoque Apoſtolorum & reliquorum ſacerdotum petamus exercitum, & prædictorum perſecutorum ora claudamus. Sæculi conuerſatio, legum metu tenetur: Eccleſiaſtica quoque cuſtodia, regularum ſi enis ſeruatur & regitur. Deus, cariſſime, ſemper procul auertat inuidiam. Vos ergo armamini (iuxta Apoſtolum) gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, & Apoſtolicæ auctoritatis clypeo, vt Eccleſiaſticæ fœcunditatis iura, nulla fœuientis procellæ poſſint impulſione ſubuerti. Nullo vnquam præiudicio grauate quemquam, ſed inſpicite ſemper, quæ regularum teſtimonio declarantur. Supereſt, ſalute prælata, vt ad gaudia ſemper fratrum deuotè properetis: quia diuina beneficia gradibus ſemper accedunt, & quibus bona conferunt, meliora pollicentur. Semper enim incrementis ad culmen aſcenditur, vbi ſupernus fauor præſtat exordium. Deus omnipotens indulta ſemper cuſtodiat, augeatque ſucceſſibus profutura. Omnia enim veſtra ſemper, fratres, in caritate fiant. Et detrahentibus nolite detrahere: quoniam detrahentibus detrahere non eſt bonum, ne ad ea, quæ ſcripta ſunt, commoti minimè certamen faciamus. Non debemus omnino timere opprobrium hominum, neque eorum exprobrationibus vinci: quoniam hoc nobis Dominus iubet per Eſaiam prophetam, dicens: Audite me, qui ſcitis iudicium, populus meus, in quorum cordibus lex mea eſt. Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne timeatis, conſiderantes quod in pſalmo ſcriptum eſt: Nonne Deus requiret iſta? Ipſe enim nouit occulta cordis, & cogitationes talium hominum, quoniam vanæ ſunt. Vana autem locutus eſt vnuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt mala. Sed diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? Nam ſi hæc in memoria retinerent, minimè ad tantam proſilirent iniquitatem. Non enim per probabilem & paternam doctrinam hoc faciunt, ſed vt ſuam exerceant in ſeruos Dei vindictam. Scriptum eſt namque: Via ſtulti, recta in oculis eius. Et ſunt viæ, quæ videntur homini iuſtæ, nouiſſima autem earum deducunt ad mortem. Nos enim, qui hæc patimur, iudicio Dei hæc reſeruare debemus, qui reddet vnicuique iuxta opera ſua. Qui etiam per miniſtros ſuos intonuit, dicens: Mihi vindictam, ego retribuam. Vos enim in recta fide ac pura, in bona voluntate ſuccurrite viciſſim, nec aliquis à ſupplemento fratris ſubtrahat manum: quoniam in hoc (ait Dominus) cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Dat. Kalend. Decemb. Indictione XV.

NOTÆ.

Epiſtola.] *Cum bello Longobardorum, quo vniuerſa Italia flagrabat, adhuc vigente, cultus Epiſcopis deferri ſolitus nonnihil diminutus eſſe videretur, perſuaſiq; bellorum tempore iura ſilere, bonis eccleſiæ non parcerent; hanc decretalem epiſtolam de accuſationibus ac iudicijs Epiſcoporum Pontifex conſcribere debuit. Ea imprimis de cauſa, quod frequenter eueniret, vt cum Epiſcopi bona Eccleſiarum à Laicis vſurpata repetebant, atque in vſum priſtinum vindicare ſtudebant, in ſe illorum linguas prouocarent, qui ne quod abſtulerunt, redderent, criminoſos primum omnium Epiſcopos accuſationibus impetebant. Baron. an. 582. n. 8.*

EPISTOLA III. B. PELAGII Papæ II.

Vt ab Imperatore auxilium contra Longobardos ſibi impetret.

Tom. 1. ep. Dec. 5.

PELAGIVS *Epiſcopus dilecto Filio Gregorio Diacono.* Omnia quidem; quæ neceſſaria fuerunt, per Honoratum notarium tibi curauimus indicare; quem cum fratre, & coëpiſcopo Sebaſtiano ad dilectionem tuam direximus, vt quia illis in partibus ad Rauennam vſque nunc cum viro glorioſo domino Decio Patricio fuit, ipſe ſua relatione ſe ex omnibus ſtudeat informare, vel ſi qua neceſſaria iudicaueris, poſſit domino Imperatori ſuggerere. Quia tantæ calamitates ac tribulationes nobis à perfidis Longobardorum illatæ ſunt, contra ſuum proprium iuſiurandum, vt nullus poſſit ad referendum ſufficere. Prædictum autem fratrem Sebaſtianum quomodo ſuſceperimus, vel in quali apud nos, te ſuggerente fuerit caritate, ipſius poteris relatione cognoſcere. Qui etiam promiſit nobis, neceſſitates vel pericula totius Italiæ pijſſimo domino Imperatori ſuggerere. Loquimini ergò, & tractate pariter, quomodo noſtris poſſitis celeriter ſubuenire periculis: quia ita hic coangustata eſt Reſpub. vt niſi Deus pijſſimi in corde principis inſpiraverit, vt inſitam ſibi miſericordiam ſuis famulis largiatur, & ſuper illam diacoposin, vel vnum magiſtrum militum, & vnum ducem dignetur concedere, in omni ſimus angustia deſtituti: quia maximè partes Romanæ omni præſidio vacuatæ videntur. Et Exarchus ſcribit, nullum nobis poſſe remedium facere: quippe qui nec ad illas partes cuſtodiendas ſe teſtatur poſſe ſufficere. Imperet ergò illi Deus noſtris velociter periculis ſubuenire, antequàm nefandiſſimæ gentis exercitus loca, quæ adhuc à Republica detinentur, Deo ſibi contrario, quod abſit, præualeant occupare. Presbyterum* autem ad nos, Deo adiuuante, retranſmittere feſtina: quia & in monaſterio tuo, & in opere, cui eum præpoſuimus, neceſſarius eſſe omnino cognoſcitur Dat. 4. Non. Octob. Indictione III.

Ex Ioa. Diac. li. 1. vitæ S. Gregorij.

*Maximianũ, de quo S. Gregor. dial. lib. 3. c. 36. A. D. 584.

EPISTOLA IV. B. PELAGII Papæ II, ad Auxanium.

DILECTISSIMO *fratri Auxanio Pelagius Vrbis Romæ Epiſcopus.* Laudanda tuæ charitatis vota relegimus, quibus, niſi Gẽtilis motus ſubſiſteret, ad nos venire voluiſſe ſignificas. Licet. n. ſpiritaliter & ſimul & vnũ ſimus ſemper in Domino, verumtamen præſentias corporales & antiquiores Patres & ipſos quæſiſſe inuenimus Apoſtolos. Sed dum tua deſideria, cauſaſque quibus obſtareris exponeres, mirati ſumus minus te illud, quod ipſis obuiaret excuſationibus attendiſſe. Si enim mundo venerabilem iudicatis hanc vrbem, ſi ad pacem Sedis Apoſtolicæ cunctarum regere Eccleſiarum moderamina prædicatis: cur non & tribulationes noſtras, & temporales anguſtias charitatis compaſſione gemitis, ſcientes diuino per Apoſtolum nobis ore mandari, vt nos inuicem diligamus, vt onera inuicem noſtra portemus, vt quotiens fratrum quicunque vritur, nos vramur, dum pene in conſpectu veſtro tantus ſanguis innocentium ſit effuſus, ita ſacra violentur altaria, ita Catholicæ Fidei ab idololatris inſultetur. Nouimus & nos, quod temporalia iſta flagella ſint, vt ad probationem, ſicut de cœleſti confidimus miſeratione, proficiãt, * & proximum vobis ſicut ſcribitur, Dominus noſter de tribulatione dat gaudium, quia qui nequiter agunt exterminabuntur, & inimici Dei mox vt exaltabuntur, ſicut fumus deficient; & generaliter peribunt gentes de terra eius. Propter quod vos decuerat, qui illic Catholicæ membra eſtis Eccleſiæ, vni corpori vnius capitis gubernatione coniuncta, omnibus quibus viribus valeretis, paci quietiq; noſtræ pro ipſa Spiritus ſancti vnitate concurrere. Nec enim credimus ocioſum, nec ſine magna diuinæ prouidentiæ admiratione diſpoſitum, quod veſtri Reges Romano Imperio in Orthodoxæ Fidei confeſſione ſunt ſimiles: vt huic Vrbi, chariſſime frater, ne dum Regibus veſtris iuuandi nos virtus ſit data diuinitus, charitatis veſtræ circa nos leuitas arguatur, qui illis & in fide, & in conſilijs veſtro ſacerdotio ſic* deuotis ſuadere talia

* & ſicut proximè à vobis ſcribitur.

* debetis

talia aut negligitis, aut differtis. Sacras autem reliquias quas & tua charitas, & glorioſiſſimus filius noſter petijt dirigendas: cum cohærenti ſanctificatione tranſmiſimus. Propter quod nihilominus admonemus, vt quo ad virtutem quæritis, eorum templa à pollutione gentium liberari, in quantum vobis eſt poſſibile, feſtinetis: & veſtris Regibus inſtantiſſime ſuadeatis, quatenus ab amicitijs, & coniunctione nefandiſſimi hoſtis Longobardorum ſalubri ſe prouiſione ſegregare feſtinent, ne dum illorum vindictæ tempus aduenerit, ſicut & celere fieri diuina miſeratione confidimus, & eorum etiam illi inueniantur eſſe participes, quia ſcriptum eſt: Non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus puniẽdos. Deus te incolumẽ cuſtodiat chariſſime frater. Dat. 3. Non. Octob. Imperante domno Tiberio Conſtantinopoli Aug. anno VI. Coſ. eiuſdem ann. Regum.

EPISTOLA V. PELAGII PAPAE II. quæ eſt I. ad Eliam & Epiſcopos Iſtriæ.

ex Baron.

DILECTISSIMIS *fratribus Eliæ alijs q; Epiſcopis, vniuerſis filijs Eccleſiæ Iſtriæ partibus conſtitutis, Pelagius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Vrbis Romæ.*

Quod ad dilectionem veſtram, fratres, filijque chariſſimi, noſtra tardius ſcripta dirigimus, non maleuolæ voluntatis, aut diſſimulationis vel negligentiæ fuiſſe credatur: ſed ſicut nôſtis, temporalis qualitas & hoſtilis neceſſitas hactenus

Iſa. 49. impediuit. Nam ſicut ait Dominus per Prophetam: Nunquid obliuiſcetur mulier filium vteri ſui? Non ergo credatur nos viſcerum noſtrorum diuiſionem non cum graui fletu ac gemitu doluiſſe: ſed vtinam, chariſſimi, illuminet Dominus oculos cordis veſtri, vt noſtri cordis gemitus pro vobis videre

2. Cor. 11. poſſitis. Quis enim, ſicut ait beatus Apoſtolus, infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? & ali-

1. Cor. 12. bi: Quia ſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Poſteà ergo quam Deus omnipotens pro felicitate Chriſtianiſſimorum Principum, per labores atque ſolicitudinem filij noſtri excellentiſſimi Smaragdi Exarchi & Chartularij ſacri Palatij pacem nobis interim vel quietem donare dignatus eſt: cum omni ſolicitudine feſtinamus præſentia ad vos ſcripta dirigere, hortantes & obſecrantes, ne in diuiſione Eccleſiæ vlteriùs quiſquam ſtudeat permanere. Nos enim ſecundùm Euangelicam vocem ſtudemus fraternitati ac dilectioni veſtræ, in quantum fragilitas noſtra ſufficit, quæ nobis iuſſa ſunt, cum ſinceritate cordis humiliter exhibere. Nôſtis enim in Euangelio Dominum proclamantem: Simon,

Luc. 22. Simon, ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te Patrem, vt non deficiat fides tua, & tu conuerſus confirma fratres tuos.

Conſiderate, chariſſimi, quia Veritas mentiri non potuit, nec Fides Petri in æternum quaſſari poterit vel mutari: nam cùm omnes Diſcipulos diabolus ad excribrandum poposcerit, pro ſolo Petro ſe Dominus rogâſſe teſtatur, & ab eo voluit cæteros confirmari: Cui etiam pro maiori dilectione quàm præ cæteris Domino exhibebat, paſcendarum ouium

Ioan. 21. Matt. 16. ſolicitudo commiſſa eſt, cui & claues Regni cœlorum tradidit; & ſuper quem Eccleſiam ſuam ædificaturum eſſe promiſit, nec portas inferni, aduerſus eam prævalere teſtatus eſt. Sed quia inimicus humani generis vſque in finem ſæculi non quieſcit in Domini Eccleſiam bono ſemini ſuperſeminare zizania: ideoque ne fortè quiſquam maligno ſtudio aliqua de fidei noſtræ integritate, diaboli inſtigatione fingere præſumpſerit & argumentari, & ex hoc veſtri fortaſsè videantur animi perturbari: neceſſarium iudicauimus per præſentem epiſtolam noſtram, & ad viſcera vos matris Eccleſiæ vt reuerti debeatis, cum lachrymis exhortari, & de fidei noſtræ integritate vobis ſatisfactionem noſtram mittere: quatenùs nulla poſſit in cordibus veſtris de nobis remanere ſuſpicio, vt in diuini tremendiq; Iudicij die de taciturnitate mea reus inueniri non poſſim.

Nos enim illam fidem prædictam tenemus, & cum omni puritate conſcientiæ vſque ad ſanguinis effuſionem defendimus, quæ ab Apoſtolis tradita, & per ſucceſſores eorum inuiolabiliter cuſtodita, reuerenda Nicæna Synodus trecentorum decem & octo Patrum ſuſcepit atque * reliquit in Symbolum, ſed & Conſtantinopolitana centum & quinquaginta Patrum ſub piæ memoriæ Theodoſio ſeniore Principe factum; etiam Epheſina prima, cui præſedit beatæ recordationis prædeceſſor noſter Cæleſtinus Romanæ Vrbis Antiſtes & Cyrillus Alexandrinæ Epiſcopus; ſed & Chalcedonenſis ſexcentorum triginta Patrum, quæ ſub piæ memoriæ Martiano Imp. conuenit: cuique ſanctæ recordationis Papa Leo per Legatos vicarios ſuos præſedit; & vt diuerſarum hæreſum damnanda exigebat aduerſitas, eandem fidem vno eodemq; ſenſu * clamanter latiùs ediderunt. Sed & epiſtolam prædicti beatæ memoriæ Leonis ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum datã, quæ & Tomus appellatur, per omnia veneramur, tenemus, defendimus, atq; ſecundùm eius tenorem, adiuuante Domino, prædicamus. Et ſicut prædeceſſor noſter ſæpedictus beatæ memoriæ Papa Leo Synodum Chalcedonenſ. ſuſcepit atq; firmauit, ita & nos per omnia, operãte diuina gratia, veneramur, cuſtodimus, atq; defendimus.

Si quis autem contra hanc Fidem aut ſapit, aut credit, aut docere præſumit: ſecundùm eorumdem Patrum ſententiam, damnatum atque anathematizatum eſſe cognoſcat. Non ergo patiamini falſis ſuſpicionibus, aut rumoribus denuò agitari, & in diuiſione Eccleſiæ malorum hominum perſuaſionibus (quod auertat Dominus) remanere. Quid enim vos à ſanctæ Eccleſiæ vnitate diuiditis? quando nihil noui, nihil (quod abſit) contrarium in dicta Eccleſia prædicari cognoſcitis vel teneri? Sed vnam eandemque fidem, quæ ab Apoſtolis tradita, & à ſanctis Patribus & prædictis quatuor Synodis explanata atque confirmata dignoſcitur, ſynceriſſimè teneri atque defendi modis omnibus comprobatur. Vbi ergo de fidei firmitate nulla vobis poterit quæſtio vel ſuſpicio generari: in vnitate fidei, atque in ſinu ſanctæ matris Catholicæ atque Apoſtolicæ eccleſiæ permanete. Si quid fortè cauſæ eſt, vnde veſtri ſcandalizati animi videantur: manentes in vnitatis caritate, eligite de fratribus ac filijs noſtris, quos ad nos, * inquirendo de quibus mouemini, tranſmittere debeatis: & parati ſumus ſecundùm præceptionem Apoſtolicam, & cum caritate eos ſuſcipere, & cum humilitate ad placita ſatisfactionis reddere rationem: Et ſine aliquo impedimento cum omni dilectione, quando reuerti voluerint, voluntate ſynceriſſima relegare.

Audiamus autem Doctorem Gentium clamantem: Sicut accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum, in ipſo ambulate, radicati & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide, ſicut didiciſtis, abundanter in gratiarum actione. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, nec ad contentionem aut ſuperfluas quæſtiones veſtra vlteriùs ſtudia conuertantur. Vocem eiuſdem Apoſtoli cum humilitate cordis attendite: ſic enim ſcribens ad Timotheum ait: Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites: ſeruum autem Domini non oportet litigare, & iterum ad Corinthios: Si quis autem videtur inter vos contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei; & iterum poſt alia: Non eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis.

Conſiderate ergo, quia quicumque in pace & vnitate Eccleſiæ non fuerit, Dominum habere non poterit. Item ad Galatas ſcribens ait: Qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem ſcriptura, quia ex fide iuſtificat Gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quam ergo excuſationem apud Dominum poſt præſentem ſatisfactionem noſtram habere vlterius poteſtis, quãdo nulla vobis de fidei noſtræ ſinceritate & puritate contraria ſuſpicio remanebit? Audite proteſtantem & commonentem eundem Apoſtolum: Nolite ſeduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Non ergo circumueniamur à ſatana, non enim ignoramus cogitationem eius. Cum dilectione ergo fraterna & humilitate Deo placita, ſi cuius fortè animi ſcandalizari videntur in aliquo, manens in vnitatis caritate, perquirat atque cognoſcat. Nam ſicut beatus Iacobus Apoſtolus ait: Vbi zelus & contentio, ibi & inconſtantia & omne opus prauum. & iterum Doctor Gentium: Quis vos impediuit, veritati non obedire: perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocauit vos, modicum fermentum totam maſſam corrumpit. & alibi:

Ego

* redegit

* clamante

* in quærendo 1. Pet. 3.

Col. 2.

1. Tim. 6.

1. Cor. 11.

Gala. 3. Gen. 22.

1. Cor. 15.

Iacob. Gal. 5.

Ego confido in Domino, quòd nihil aliud sapiatis: qui autẽ conturbat vos, portabit iudicium quicunque est ille. & in subsequenti ait: Vtinam abscindantur qui vos conturbant. Et rursum admonens dicit: Quod si inuicẽ mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini: & iterum: Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus: non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes: Alter alterius onera portemus, & sic adimplebimus legẽ Christi, & alibi idem Apostolus ait: Flecto genua mea ad Dominum Patrem Domini nostri Iesu Christi; ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis. Et post alia: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis in vocatione qua vocati estis, cũ omni humilitate & mansuetudine, cũ patientia supportãtes inuicẽ in charitate, soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Vnũ corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptisma, vnus & Pater omnium, qui super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Et dum tales exhortationes Apostolicas habeamus: quis nos separabit à charitate, quæ est in Christo Iesu Dño nostro? Si enim cũ humilitate & fletu diligenter intẽdimus: cõsideramus & intelligimus quod ille sit insidiator noster, de quo dictũ est, quia aduersarius vester diabolus, sicut leo rugiens circuit quærens quẽ deuoret; cui secundũ eiusdem Apostoli exhortationẽ, cum omni nos concordia & vnitate in fortitudine fidei resistere atq; obuiare necesse est. Exemplo enim oẽs didicimus, chariſſimi fratres ac filij, quanta mala quantaq; flagella diuisionem Ecclesiæ fuerint subsecuta. Vnde in ipsius misericordia, licèt indigni, confidimus, quia si Ecclesiam suam adunare atq; pacificare concesserit, omnia à nobis quæ pro delictis nostris suscepimus flagella, celeriùs remouẽtur, & vnitas ac firmitas pacis Ecclesiæ pacem nobis & temporalem obtinet & æternam.

Tantummodo rogamus, & obsecramus, & per diuinum vos tremendumq; Dei iudiciũ obtestamur, vbi sibi nullus hominum poterit argumentis vel excusationibus subuenire; ne vlterius per vos Dei diuidatur Ecclesia, sed hæreditatem Dñi, communi possideamus & teneamus studio. Quæ aũt sit eius hæreditas, ipsius verba quæ ad discipulos dicta sunt, audiamus: Pacẽ meam do vobis, pacem meã relinquo vobis, & iterum. In hoc cognoscent oẽs, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Idipsum aũt, sicut ait Vas electionis, dicamus oẽs, & nõ sint in vobis schismata: simus autem perfecti in eodem sensu & in eadem scientia, vt in sinum matris Ecclesiæ congregati efficiamur vnus grex, vt vnius Christi pastoris custodia ab omnibus externis internisq; hostis insidijs eius protectione atque defensione seruemur illæsi. Hæc autem ad vos direximus per fratrẽ & Coepiscopum nostrũ Redemptum & Quodvultdeum Abbatẽ monasterij maioris basilicæ beati Petri Apostoli, quos vestra dilectio & complacita Deo charitate suscipiat, & ad nos cum vnitatis vestræ gaudio sine mora reuerti dimittat: quatenus cognoscentes dilectionem atque obedientiam charitatis vestræ cum S. Angelis communiter atque veraciter dicere mereamur. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

EPISTOLA V. PELAGII PAPÆ II.
quæ est 2. ad Eliam & Episcopos Istriæ.

Dilectissimis fratribus Aeliæ vel alijs Episcopis Istriæ Pelagius Episcopus. Dilectionis vestræ per eos quos direxistis scripta suscepimus: relectisq; his, graui sumus mœrore & dolore perculsi; cũ neq; his, quæ nos vobis scripsimus respondistis, neq; vt fraternã decuerat charitatẽ, fidei nostræ satisfactione suscepta ad vnitatem Ecclesiæ reuertendi obedientiam cõmodastis; postremo nec eos aliter qui venerũt dirigere pertulistis, vt apertissimã, lucidissimamq; satisfactionem sẽ paterentur accipere: sed scripto nobis quasi capitulare, vel interdictũ potius ostenderunt, nihil iniunctũ sibi à vobis aliud afferentes, nisi vt vestræ tantũmodo essent portatores epistolæ. In qua tamen nullã rationis satisfactionẽ quæsisse vos legitur, sed velut iudicatũ quid nobis expressisset. quod quam prauũ sit, quàm iniustum, Patrumq; regulis inimicum, si volueritis ad cognitionem veritatis accedere, splendidissimè cũ diuino auxilio potestis addiscere. Vnde nos cũ Propheta lachrymabiliter conuenit exclamare: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor cordis mei renouatus est. Renouatus est dolor cordis nostri, quãdo diuturnæ diuisionis scandalũ minimè tanto fidei fulgore superatur; maximè quia prauorum hominũ persuasione decepti, scripta nobis diuersis infecta contagijs direxistis: & quod in epistolis Patrũ quædam testimonia non incõgrua solum, sed nec ad causam pertinentia tentastis inserere: ita vt nec ordinem testimoniorum, qui in ipsis epistolis Patrũ legitur, seruaretis: quippe vt quod scriptum nomine alterius fuerat, alterius nominis titulo promeretur. In quo euidenter dictum vobis Apostolicum cõstat aptari: Nescientes neque de quibus dicunt, neque de quibus affirmant. Psal. 38. 1. Tim. 1.

Quod quidẽ non vestræ malitiæ vel calliditati credimus adscribendum, ved veneno hostis malignissimi perspicimus exquisitum: qui zizania seminare per visa iræ vsque in finẽ sæculi, in Dei Ecclesia non quiescit. Ex quo intelligimus, fraternitatem vestram epistolas, de quibus posuistis testimonia, non legisse, neque enim si vobis eorũ scriptura constaret, illa quæ apertissimè pro fidei tãtummodo causa sunt posita, alijs cõgruere fingeretis, propter quod ab errore diuisionis, in quem falsis opinionibus incidistis, hortor & opto vos celerius reuocari, & non (sicut scriptũ est) iugum cũ infidelibus ducere, sed illi iterum iugo mansueta colla submittere, de quo ipse Dominus dicit: Iugum enim meũ suaue est, & onus meũ leue est, quod nullo modo poterit quis vel ferre vel discere, nisi eidem iugo charitatis vinculis fuerit subiugatus, ipsi oneri per dilectionem quippe vt spiritali sarcinæ mentes, humeros, viresque subdiderit. Sicut namq; animositas abscissionis intellectum facit per superbiã colligare, ita recuperatæ charitatis humilitas mentes in vnitate fidei perseueranter ad cognitionem veritatis illuminat. 2. Cor. 6. Matth. 11.

Propter quod præsentium portatoribus quos fraternitas vestra direxit, & ex codicibus & ex antiquis polypticis scrinij sanctæ Sedis Apostolicæ relecta sunt aliqua, quibus euidenter apparet, nihil eorum quæ in vestra posuistis epistola causa trium Capitulorum, cõuenire vllatenus, aut verisimiliter coaptari. Ideoque necesse est, vos omnes epistolas synodales solicitè vigilanterque percurrere, vt euidentius agnoscatis, quia sancti Patres nihil aliud de Chalcedonẽsi Synodo in suis epistolis firmauerunt, nisi vt inuiolabilis fidei definitio seruaretur. Nam ad eandem Synodum confirmandam beatæ recordationis prædecessor noster Papa Leo scribens, inter alia sic ait: Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrum quæ in Synodo Chalcedonensi per vnanimitatem vestram de fide statuta sunt: approbarim, hæc omnes fratres & coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio iuterfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus & clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere, pro Catholicæ fidei amore dignabitur: vt & fraterna vniuersitas & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vicem meam executi sunt, sed etiam per probationem gestorum Synodalium, propriam vobiscum muniſſe sententiam: in sola videlicet fidei causa (quòd sæpè dicendum) propter quam generale Concilium & ex præcepto Christianissimorum Principũ, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari.

Sed ne fortè animis vestris aliqua adhuc videatur quæstio aut dubietas remanere, apertiùs quæ ad Maximum Antiochenæ Ecclesiæ Antistitem scripserit, pariter curauimus indicare. Post plurima itaque sic ait: Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit firmitatis: quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede directi sunt, vt excisis hæresibus, Catholicæ essent Fidei defensores. quicquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest dijudicandi habere rationem, &c. Ecce, sicut superiùs dictũ est, cognoscitis, fratres chariſſimi, nihil aliud sæpefatum prædecessorem nostrum, quàm ea quæ de fidei firmitate

definita sunt, confirmasse. quòd penè in omnibus epistolis eius, si volueritis, pleniùs potestis cognoscere. Nam priuatæ causæ, quæ illic post definitionem fidei actę sunt, nõ solum nõ minimè confirmauit, sed & retractari atque dijudicari concessit. In Encylicis verò (quod est Episcopalium collectio litterarum, ex quibus aliqua in scriptis vestris testimonia incongruè similiter posuistis) vnde mota sit causa, vel quid piæ recordationis Leo Imp. per vniuersas prouincias sacerdotibus scripserit consulendo, aut qualiter ab ipsis responsa susceperit, nobis quoque tacentibus, eorum lectione valebitis pleniùs informari: vt nulla de cętero in vestris cordibus malignæ excogitatio prauitatis locum subreptionis inueniat. Nos enim propter prolixitatem huius epistolę ordinem causæ ipsius declinauimus indicare. Nam si cum studio charitatis, quæ à nobis scribuntur, cum timore Domini solicitè vigilanterque relegitis: facilè sentietis, quantum sit periculum pro superfluis quæstionibus, & hæreticorum defensione capitulorum, tamdiu ab vniuersali Ecclesia segregari.

Nolite ergo amore iactantiæ quæ superbiæ semper est proxima, in obstinationis vitio permanere: quando in die Iudicij nullus vestrum excusare se valeat: & neq; Theodorus Mopsuestinę, neque Ibæ epistola, quæ ab aduersarijs est prolata, ante tribunal tanti Iudicis vobis valeat subuenire. Doctori itaque Gentium pareamus, qui in prima ad Corinthios epistola dicit: Æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Quæ ergo maiora sint, & à se demonstranda promittat, ex ipsius voce audiamus intentiùs. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatẽ aũt non habeam: factus sum sicut æs sonans aut cymbalum tinniẽs. Et si habuero prophetiam, & nouerim omnia mysteria, & si habuero omnem fidem, ita vt mõtes transferam, & si distribuero in cibos pauperum oẽs facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem uutem non habuero, nihil mihi prodest. & iterum: Fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem his charitas. Quã igitur ante Dominum poteritis habere fiduciam, quando nullum scandalum generari vobis de fidei nostræ integritate cernentes, tantis temporibus per superfluas quæstiones ab Ecclesia Dei, quæ vna est, & à fraterna charitate vos diuidi curatis. Vbi namque sit Ecclesia cõstituta, licet ipsius Domini voce in sancto Euangelio sit apertum, quid tamen beatus Augustinus eiusdem Dominicæ memor sentẽtiæ definierit, audiamus. In his namque, ait, esse Dei Ecclesiam constitutam, qui Sedibus Apostolicis per successionẽ Præsulum præsidere noscuntur. Et quicunq; ab earundem Sedium se communione vel auctoritate suspenderit, esse in schismate demonstratur. & post alia: Positus foris etiã si pro Christi nomine mortuus fueris, inter mẽbra Christi. * Patere pro Christo, hærens corpori, pugna pro capite. Sed & beatus Cyprianus egregius Martyr in libro quem de vnitatis nomine titulauit, inter alia sic dicit: Exordium ab vnitate proficiscitur: & primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & cathedra monstretur: & pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis vnanimi consensione pascatur. & post pauca: Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui cathedrã Petri, super quã Ecclesia fundata est, deserit, & resistit: in Ecclesia se esse cõfidit? Itẽ post alia: Ad pacis præmiũ peruenire non possunt, quia pacem Domini discordiæ furore ruperunt.

Item ex eodem libro sicait: Ad sacrificium cũ dissensione venientes reuocat ab altari, & iubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntes Dño munus offerre: quia nec ad Caim munera respexit Deus: neq; enim habere Dominum pacatũ poterat, qui cum fratre pacem per zeli discordiam non habebat. Quam sibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? Quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? Secum esse Christum cum collecti fuerint opinantur, hi qui extra Ecclesiam colliguntur? Tales etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est, ad Regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura est derelinquit. & post alia: Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimiter noluerunt: ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti bestijs animas suas ponant: nõ erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus: occidi talis potest, coronari non post. Item eiusdem: An esse sibi cum Christo videtur, qui aduersus sacerdotes Christi facit? qui se à cleri eius & plebis societate secernit? Arma ille contra Deum portat, cõtra Dei dispositionem repugnat: hostis altaris aduersus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis & Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare. Item cuius supra: Peius schismatis crimen est, quam quod hi qui sacrificauerunt: qui tamen in pœnitentia criminis constituti Dominum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur & rogatur, illic Ecclesiæ repugnatur. Hic potest necessitas fuisse, illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est, sibi tantum nocuit, illic qui hæresim vel schisma facere conatur, multos secũ trahendo decepit: Hic animæ vnius est damnum, illic periculum plurimorum. Certè se peccasse hic intelligit, & lamentatur & plangit: ille tumens in peccato suo, & ipsis sibi delictis placens, à matre filios segregat, oues à pastore solicitat, Dei sacramenta disturbat, & cum lapsus semel peccauerit, ille quotidiè peccat. Postremo lapsus martyrium postmodum consecutus potest Regni promissa percipere: ille si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest præmia peruenire. Item qui supra: Quòd si in scripturis sanctis frequenter & vbique disciplina præcipitur, & fundamentum religionis à fidei obseruatione ac timore proficiscitur, quid cupidiùs appetere, quid magis velle ac tenere nos cõuenit, quàm vt radicibus fortiùs fixis, & domicilijs nostris super petræ robustæ mole solidatis, inconcussi ad procellas ac turbines sæculi stemus, vt ad Dei munera per diuina præcepta venire possimus?

Et ideo hortamur dilectionem vestrã, & obsecramus, vt tam terribilia Patrum testimonia cognoscentes, nullo modo patiamini vlterius in diuisione Ecclesiæ perfistere; sed in viscera sanctæ matris Catholicæ atque Apostolicæ regredi tota mentis intentione * celeritate: vt radicati in charitate vnitatis atq; fundati dicere mereamur: Ecce quã bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum: veraciter exclamantes: Repletũ est gaudio os nostrũ, & lingua nostra exultatione. Quibus breuiore quidem stylo, abundanti tamen tamen charitate responsis, & de fraternitatis vestræ mentibus: & de diuinæ misericordiæ virtute confidimus, vos sanctæ citius reformari indubitanter Ecclesiæ. Si tũ pro nostris adhuc delictis aliquid inimicus animarũ vobis obstinationis (quod absit) aut dubietatis intulerit, secundũ quod interlocutio nostra Gestorum apud nos habitorum suprema complectitur, & sicut excellentissimo domino filio nostro Smaragdo Exarcho Italiæ supplicare curauimus: instructas huc ad nos personas, quibus facilius reddenda, recipiendaque sit ratio, mittere festinate, vt nulla deinceps consensus vestri dubietas supersit, aut tarditas, si eis satisfactio plena reddatur. Vel si hoc pro lõginquitate locorum, vel temporum qualitate paueścitis: illic Rauennæ fiat congregatio sacerdotum, quo nos etiam qui loco nostro interstint, diuinitate propitia, dirigemus, à quibus satisfactionem plenissimam capiatis; ne amplius animæ simplices diuisæ à sancta Ecclesia pro superfluis quæstionibus tam lõga obstinatione remaneant, nec per vos, quos Dominici gregis decet esse pastores, oues à septis Ecclesiasticis euagantes rapacis lupi dentibus consumantur.

* non numeraberis

* accelerate Psal. 121

Psal. 119

EPISTOLA VII. PELAGII PAPÆ II.
quæ est 3. ad Eliam & Episcopos Istriæ.

Dilectissimis fratribus Aeliæ vel vniuersis Episcopis in Istria partibus constitutis, Pelagius Episcopus. Virtutum mater charitas, quæ Redemptoris sui lucris seruiens, quæ nunquam ea quæ sua sunt quærit, desiderio anhelanti me impulit dudum fraternitati vestræ plena dulcedinis scripta transmittere, quæ disiuncta diu possint suo corpori Christi membra sociare. In quibus plus precibus quam monitis loquens, affectu quo valui, exhortari curaui, vt quos aptos discutiẽdæ

Matth. 5. Genes. 4.

1. Cor. 12.

1. Cor. 13.

rationi præuiderit, huc dilectio vestra dirigeret, quatenus in trium Capitulorum negocio, vel quæque aperta sunt cognoscerent: vel quæque forsan obscura viderentur, hæc eis collatio pacificæ intentionis aperiret: tandem dilectionis vestræ scripta susscepi, quæ non rationis causas quærerent, sed deliberata apud vos iudicij sententia imperarent. Hoc autem quod vos audere de vestra sapientia video, fateor, dolens miror, & quidem per epistolas exempla (vt puto) ostendi humilitatis, amoris specimen præbui. Sed dum nihil apud vos reperi admonitionis meæ verba proficere, flens, gemensque cũ propheta cogor exclamare: Curauimus Babylonem, & non est sanata. ignem quantum valui caritatis accendi, & tantæ scissionis exurere rubiginem volui, sed impletam Prophetæ sententiam peccatis exigentibus inueni, qui ait: Frustra conflauit conflator, scoriæ eius non sunt consumptæ. nulla in rescriptis flamma caritatis aspicitur, nullam vel post exemplum dulcedinem redolent in cunctis suis sermonibus, nihil quod ad pacem perueniat, sonat. Pensate, quæso, hoc (quod dicere nisi singultu interrumpente non valeo) longo diuisionis vsu quanto mentis frigore fraternitas vestra torpuerit, quæ nec confricta recalescit.

Quid igitur inter hæc faciam, nisi vt pro vobis ad lachrymas vertar? Quia enim leo rugiens circuit quærens quem deuoret, scio & vos stantes extra caulas ouium. †Non demptis fructibus palmites attendo, sed abscissas à radice vites aspicio. Et sudantes vos operarios cerno, sed tamen laborare extra vineam, non ignoro. Ecce vrgente fine, cuncta vastantur, ad solitudinem terra redigitur, atque (vt ita dixerim) procella diluuij mundum subruit, & vestra fraternitas arcam fugit. Cum Ieremia dicam: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & rursum: Deducant oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis. dicam cum illo iterum: Plorabo & requiescam: Quia enim quietem concordiæ in vestro corde non inuenio, fessæ menti lachrymas sterno: quæ enim mei spiritus requies esse potest, si ab occulto hoste inflictum vulnus mederi non potest? Ecce in cunctis mundi partibus sancta & vniuersalis Ecclesia vnitatis suæ radijs fulget, sed tamen adhuc vmbram vestræ diuisionis sustinet. Vbique in fidei statu perdurat; sed gaudere eam de sua salute prohibet vulnus, quod de vestra abscissione tolerat. neque enim sanum caput brachijs mœrentibus gaudet: nec se quasi incolume esse pectus lætatur, cum subiectorum viscerum doloribus tangitur: tota namque corporis compago afficitur, si pars eius vel extrema laceratur. Quicquid ergo est quod aliam pati sentit, in se harmonia caritatis attrahit, Paulo attestante, qui ait: Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur cætera membra. Nos itaque sumus, qui vestro dolore transfigimur, nos qui vestris scissionibus secamur. Tanto igitur damnis vestris festina debemus consolatione succurrere, quantò ea per caritatem cogimur vt nostra sentire. Nam etsi differre forsitan volumus, supernæ increpationis voce terremur, quæ ignauos pastores increpans, dicit: Quod fractum erat, non alligastis, & quod abiectum non reduxistis, & quod perditum non quæsistis. Si differre volumus, indiscretæ inuentionis increpamur, qua per prophetam Dominus dicit: Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Quid enim per resinam, quæ fomentum ignis est, quæ & in ornamentum domus marmora dissipata coniungit, nisi caritas designatur? quæ & in amore corda succendit, & vt sanctam Ecclesiam vnitatis ornamento componat, discordes hominum mentes per pacis in se studium ligat. Quid per Galaad, quæ Aceruus testimonij interpretatur, nisi in scripturæ altitudinem innumera sentẽtiarum dentitas dicit? Quid per medici vocabulum, nisi vnusquisque prædicator? quid per non obductam filiæ cicatricem, nisi culpa plebis ante Dei oculos nuda monstratur? Resina ergo in Galaad defuisse conuincitur, si pro ostendẽda veritate, cũ tãta adsint scripturæ sacræ testimonia, ad sociandũ vos sanctæ Ecclesiæ, nequaquã digne ardoris caritas exhibetur; & velut absente medico cicatrix non obducitur, si exhortatione cessante, tantæ scissionis culpa nullo velamine subsequentis pacis operitur. Sed iam tempus est, ipsa nos suspicionum vestrarum vulnera tangere, eisque auctore Deo medicamina patefactæ veritatis adhibere, per ea quæ piæ memoriæ Iustiniani Principis tẽporibus acta sunt.

Fraternitas vestra suspicatur, sanctam Chalcedonensem Synodum fuisse conuulsam. Sed absit hoc à Christiano opere, à Christiana cogitatione. In ipsa quippe Nicæna, Constantinopolitana, ac prima Synodus Ephesina firmata est; & quisquis illã partẽ aliqua conuellere nititur, illas nimirũ funditus, quæ per hãc firmatæ sunt, destruere cõnatur. Cui suspicioni in scriptis vestris ex sancti prædecessoris nostri Leonis epistolis, ac Encyclicis testimonia adiũgitis, vt præfatã sanctã Chalcedonẽsem Synodũ illibatã debere obseruari mõstretur: Quæ quidẽ, fratres carissimi, ex paucis epistolis sumptis permixto ordine confusoq; posuistis, vt dũ interiecta alia epistola, ad alia prioris epistolæ verba recurritur, quasi ex multis epistolis prolata viderẽtur. Et valde miramur, cur fraternitas vestra de tã (sicut diximus) paucis epistolis non pauca sumpserit: cũ cõstet quod de sãctæ Chalcedonẽsis Synodi inlibata veneratione & prædecessorũ nostrorũ assertio innumera, & multorũ Patrũ cõsensus in Encyclicis quasi quædã* semũdo, nobis infudit. Sed quia sẽper dictandi ordo tanta sibimet connexione subiungitur, vt & præcedentia subsequentibus seruiant, & subsequentia ex præcedentibus suspendantur; eorum sensum quæ prolata sunt melius pandimus, si infra supraq́ue legentes, vel quo tendunt, vel vnde pendeant, demonstremus.

*sumẽdo

A dilectione igitur vestra primum testimonium sancti prædecessoris nostri Leonis ponitur, quod in eius epistola vltima continetur, quo ait: De rebus apud Nicæam, & apud Chalcedonam, sicut Deo placuit, definitis, nullum audeamus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per Spiritum sanctum fixit auctoritas: cui secundum testimonium ex ea epistola à vobis adiungitur, quod illic paulò superius habetur, quo dicitur: quia sicut sanctè veraciterque dixistis, perfectio incrementum & adiectionem plenitudo non recipit. Interiectis autem duobus testimonijs de Encyclijs assumptis, præfati prædecessoris nostri Leonis item ad Leonem Principem scripto vestro verba replicantur, quibus dicitur: Legitimas & diuinitus inspiratas constitutiones velle mouere, non est pacifici hominis, sed rebellis, dicente Apostolo: Verbis contendere, ad nihil est vtile, nisi ad subuersionem audientium. Nam si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare. & eius rursus ad eum: Non sinas contra dexteræ omnipotentis Dei triumphos rediuiuis exurgere motibus extincta certamina. Cuius adhuc testimonium post pauca subdidistis: Nihil prorsus de bene cõpositis retractetur. 2. Tim. 2.

Vltimum verò à vobis ponitur testimonium quod in priori eius epistola, de qua multa iam testimonia prolata fuerant, continetur; primum quo dicitur: Quæ iam patefacta sunt quærere, quæ perfecta sũt retractare, & quæ sũt definita cõuellere quid aliud est, quã de adeptis gratias nõ referre, & ad interdictæ arboris cibũ improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extẽdere? Hæc sunt, fratres dilectissimi, quæ beati Leonis ad Leonẽ Principem verba posuistis, quæ, videlicet ab eo pro custodia inlibatæ fidei, nõ aurẽ pro causis Episcoporum specialibus, quæ apud Chalcedonam gestæ sunt, proferuntur. Nam quia pro solius fidei intemerata obseruatione dixerit, pensandum est in eadem epistola quid præmisit: ait enim ad eundem Principem loquens supra: Cura rerum temporalium religiosè prouidentiæ famulatum diuinis & æternis dispositionibus perseueranter impenditis, vt scilicet Catholica Fides, quę humanũ genus sola viuificat, sola sanctificat, in vna confessione permaneat; & dissensiones quæ de terrenarum opinionum varietate nascuntur, à soliditate illius petræ, supra quam ciuitas Dei ædificatur, abigantur. Si igitur Fidem, fratres chariſſimi, in cunctis mundi partibus vno ac solido statu vigere non cerneretis: conuulsum quicquã de sancta Chalcedonensi Synodo rectè diceretis. At postquam nihil nũc aliud nisi de personis agitur, nihil de sancta Chalcedonẽsi Synodi fide quæritis: auctoritatẽ Patrũ quasi sequẽdo declinatis. Nãq; vt ijsdẽ B. Leo ostẽderet, retractari quæ perfecta sunt,

nō deberi: qua hæc intentione dixisset, illico subdidit: Quia ad pacem vniuersalis Ecclesiæ, & ad custodiam Catholicæ fidei cura dignamini solicitiore viuere. Quid igitur cum prohiberet definita conuelli, admonitionem protinus de custodia Catholicæ Fidei subiūxit & quia non hoc de retractandis causis specialibus, sed de sola fidei professione dixisse indicauit? Illa namque nunc in vestra quæstione vertuntur, quæ ipse quoque prædecessor noster beatus Leo diiudicat: dum non nisi ea quæ apud Chalcedonam de Fide sunt statuta, confirmat. Ipse quippe ad Anatolium Constātinopolitanæ vrbis Episcopum scribens, dum eū de quodam nouo ausu corriperet, dicit: Vt sanctā Synodū ad extinguēdam solum hæresim, & ad confirmationem Fidei Catholicæ studio Christianissimi Principis congregatam, in occasionē ambitus trahas, & rursum: Ita abuti voluit Concilio synodali, vt fratres in Fidei tantummodo negocio conuocatos, & definitionis eius causa, quæ erat curanda pertractos, ad consentiendum sibi, aut deprauādo traduceret, aut terrendo compelleret. Qui vt nihil se omnimodo de Chalcedonensi Synodo suscipere, nisi quod de sola Fide gestum fuerat, demonstraret, eidem Synodo scribens, ait: Et fraterna vniuersitas, & fidelium corda cognoscant, non solum per fratres, qui vicem meam exequuti sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum inijsse sententiam, in sola videlicet Fidei causa, quod sæpè dicendum est.

Qui ergo vnit cum Chalcedonensi Synodo in sola Fidei causa conuocata, cuncta quæ illic specialiter gesta sunt: se procul dubio extraneum demonstrat. Hinc est rursum quod cum præfato Anatolio de recipiendo Attico presbytero scriberet, dicit, ita vt Chalcedonensis Synodi definitionem de fide, cui etiam dilectio tua scribendo consensit, & quam Apostolicæ Sedis firmauit auctoritas, profiteatur se per omnia seruaturum. Qui Chalcedonēsis Synodi definitionō dicens, vigilanter etiam, de Fide, nō adderet, nisi causas, quæ illic specialiter motæ fuerāt, reprobasset (solā nihilominus exciperet) quæ ei singulariter displicerent. At postquā nihil aliud Synodi, nisi Fidei definitionē recepit: quid est aliud, nisi quod cætera quæ illic specialiter mota sunt, refutauit? neq; enim si vellet, vnā tantummodo causam præfati Anatolij reprehendere vereretur, qui hanc suo iudicio nō approbatam & sereniſſimis Principibus, & auctori eius eidem Anatolio nō est veritus scriptis discurrentibus indicare. Cū verò & de illa præfato Anatolio priuate loquitur, & rursum ad Synodum scribens, quod de sola fide gestū fuerat, se recipere confitetur: constat quod & Anatolium de speciali criminis causa redarguit, & cuncta priuata negocia, quæ mota in Synodo fuerant, retractari concessit.

Rursum in scripto vestro testimonium ac exemplum de Encyclijs ponitur, quod multi Episcopi simul dicunt: Neq; vnum iota vel apicem possum aut commouere, aut commutare eorum quæ apud Chalcedonam decreta sunt: Cui aliud quoque testimonium, quasi ex eadem epistola subiūxistis, quod videlicet Anatolij Constantinopolitanæ vrbis Episcopi esse non dubium est, quo ait: De Chalcedonense verò sancta Synodo dico, quoniā ipsum quærere omnino aut reuolucre aliquid eorum, quæ ab ipsa finita sunt, hominum est insidiantium tantummodo Ecclesijs, & vniuersali Christi paci. In quo reuolui & conuelli prohibeat, ipse subiungat. ait enim: Quando Apostolica quidē & paterna dogmata olim nobis tradita, in eo roborata sunt atque firmata. Si igitur insidiātium est hominum Apostolica dogmata & paterna conuellere: qui eadem paterna & Apostolica dogmata inlibata recipiunt, constat proculdubio, quia insidiantes non sunt. Eiusdem namque Synodi fidem intemeratam Deo auctore retinemus, & sic priuata negocia quæ illic gesta sunt, cum sancto prædecessore nostro Leone præterimus, vt definitionem fidei illic prolatam, proposita etiam morte, reseruemus. In præcedenti autem testimonio multorum simul Episcoporum vtrum dictator, an scriptor errauerit, ignoramus, neq; enim in Encyclijs cōtinetur, vt ipsi in scriptis vestris posuistis: Neq; enim Iota vnum aut apicem possumus commouere aut violare eorum quæ ab ea rectè sunt & inuiolabiliter definita. At longe est aliud, non posse cōmoueri ea quæ decreta sunt, & nō posse commoueri ea quæ rectè & inculpabiliter sunt decreta. Sciebant enim viri doctissimi ea quæ illic gesta fuerant de causis specialibus à prædecessore nostro Leone recepta omnimodo non fuisse: & idcirco cautissimè scribunt, commoueri aut violari quæ recte ab ea & inculpabiliter definita sunt, non deberi; ne si cuncta confirmare se dicerent, sententiæ sæpefati prædecessoris nostri Leonis obuiarent: Vnde & illic illico subiungunt: Ita sapiamus semper, sicut sapit Apostolica Romanorum Sedes Ecclesia.

Post hęc quoque exempla eiusdem prædecessoris nostri Leonis ad† Basilium Episcopū testimonium posuistis, quo ait: Obsecro dilectionem tuam, vt Chalcedonensis Synodi definitionibus in nullo animum relaxetis. Et quæ ex diuina sunt inspiratione cōposita, nulla patiamini nouitate temerari. & rursum: Vt autem possit hæc exhortatio ad omnium fratrum & Coēpiscoporum notitiam peruenire, diligenti vestræ fraternitatis cura perspiciat, quia (quod sæpe dicēdū est) tota religio Christiana turbatur, si quicquā de his quæ apud Chalcedonam constituta sunt, conuellatur. Sed vtrū hæc de causis quarumdā personarum specialibus, an de sanctæ Fidei definitione asserat, inquiratur ipse quid superius dicat. ait enim: Hæc scripta direxi quibus dilectionē vestrā credidi commonendam, vt sceleratis ausibus sanctæ constātia resistatis ne in quoquā nostra communis Fides aut trepida inueniatur, aut tepida. Qui igitur admonitionem seruandæ fidei præmisit, vbi custoditi Synodum voluit, indicauit. Si autē in huius epistolæ sermonibus ambigimus, cū ex alijs suis epistolis quo sensu dixerat, requiramus. Martiano namq; Augusto scripta pro eadem Synodo dirigens, ait: Ad gloriam vestram & ad Constantinopolitanum Antistitem scripta direxi, quæ euidenter ostenderent, me, quæ de Fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerāt, approbare. Qui si cunctas & speciales causas eiusdem Synodi recepit, cur ea se approbare quæ de Catholica Fide in prædicta Synodo definita sunt, specialiter asserit? Rursum quoq; præfato Principi scribens: Quia omnibus modis obediendū est potestati vestræ & religiosissimæ voluntati, constitutionibus synodalium: quæ mihi de cōfirmatione Fidei Catholicæ placuerunt, libens adieci sententiam. Si ergo confirmationem Fidei Catholicæ sibi placuisse, eique sententiam adiecisse adstruit, in his in quibus confirmatio Fidei non fuit, constat quia sententiam non adjcit.

Adhuc autem ex eiusdem beati Leonis epistola testimonium scriptis vestris inseritis, quæ ad Basilium dicit: Pie nobis & constanter vtendum est, ne dum taliū disputatio admittitur, eorum quæ diuinitus definita sunt, auctoritati derogetur. & infra: Nec in aliquam disceptionem plenè definita reuocanda sunt, ne ad arbitrium damnatorum ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestū est per omnia propheticis & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonare. Quæ autem vel superius definita diuinitus, vel inferius plene definita asserat: ex ipsa vel ex alijs eius epistolis vestra fraternitas pensat: In quibus numquam specialia gesta commemorat, sed sola quæ de fide sunt prolata confirmat. Vnde in his quoque verbis vigilanter † imprimitur, & quæ plene definita dixerit † attenditur, cùm dicit: Ne de his ipsis videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonare.

† recipitur. † attenditur.

Pensate quæso, fratres carissimi, si scripta Theodoreti propheticis & Euangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonant, quæ Redemptorem nostrū iniquis ausibus Dominum negant: Pensate si illa epistola propheticis & Euāgelicis atq; Apostolicis auctoritatib. cōsonare videatur, in qua & hostis Ecclesiæ Nestoriº defenditur, & defensor Ecclesiæ Cyrillº accusatur. Pensate si illa Theodoreti scripta propheticis, Euangelicis atq; Apostolicis auctoritatib. consonāt quæ prius contra rectā Fidē edita, ipse postmodū cōuersus dānat. Extremū quoq; sæpefati Leonis ad† Aētium presbyterū testimoniū ponitis, quo ait: Ne patiatur sopita rū rerū certamē adferri, quarū retractator nonnisi sacrile gus inuenitur, quod de quibus rebus adstruat, ad eūdē Aē tiū scribēs ipse manifestat dicēs. Nihil Apostolicis vnquam potero sentire diuersum, nec à mea ipse deuiare sententia. Et quod sancto Spiritu reuelante confessus sum, quodque

† Actium

mecum

mecum totius Synodi professione prædicante patefeci, aliqua varietate commutem; cum facilius mihi sit quibuslibet & supplicijs ab hoc mũdo auferri, quam ab ea quam generaliter credidi professione mutari. Si ergò cũcta res quæ retractari non debet, sola est professio fidei: ille retractator rerum erit sacrilegus, qui professioni eius fuerit diuersus. Nã quod idem beatus Leo solã in Synodo professionem fidei summo ardore custodiat, in numeris epistolis demonstrat, ex quibus pauca breuiter perstringimus, vt in eis certior facta vestra fraternitas colligat quam multa taceamus.

Hinc est enim quod Martianum Augustum scripto suo alloquitur dicens: Fratri autem meo Iuliano Episcopo noueritvestra clemẽtia hoc me propriè delegasse, vt quicquid illic ad custodiam fidei pertinere probauerit: meo nomine vestræ fiducialiter suggerat potestati. Hinc est quod Pulcheriæ Augustæ scribens ait: Quod verò pijssimus Imperator ad omnes Episcopos qui Chalcedonensi Synodo interfuerũt, voluit me scripta dirigere, quibus ea quę illic de fidei regula sunt definita firmarem, libẽter impleui: Hinc est quod Iuliano Episcopo scribens dicit: Quod necessariñ credidit clementissimus Imperator, libenter impleui; vt ad omnes fratres qui Chalcedonẽsi Synodo interfuerunt, scripta dirigerẽ, quibus placuisse mihi quæ sanctis fratribus nostris de regula fidei cõfirmata sunt, demõstrarẽ. Hinc est quod Pulcheriæ Augustæ iterũ scribens ait: Circa fratrem autem meum veneratorem vestrum Iulianum Episcopum quantum debeat credere vestra dignatio, Apostolicæ Sedis æstimate iudicio: cum in causa fidei, cui gloriosa pietas vestra famulatur, vicem ipsi meam eatenùs delegarem, vt ab ea quę vobis debetur obseruantia nõ recedens, me pietati vestræ præsentare non desinat. Causam quippe fidei memorans nequaquam eatenùs diceret, nisi quicquid extra fidẽ ageretur, ex Synodo excludi voluisset.

Rursum per epistolam vestram dicitur, A Sede Apostolica vos doctos, atque ab scrinio sanctæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsumus, confirmatos, ne huic rei quæ sub piæ memoriæ Iustiniano Principe gesta est, cõsentire debeatis. atq; hãc opitulationem excusationi vestræ adiungitis dicentes, quod in causæ principio & Sedes Apostolica per Vigilium Papam & omnes Latinarum prouinciarum Principes damnationi trium Capitulorum fortiter restiterunt. In quibus verbis attendimus, quod res quæ prouocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa diuellit. Latini quippe homines & Græcitatis ignari, dum linguam nesciunt, errorem tarde cognouerunt: & tantò eis celerius credi debuit, quantò eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quieuit. quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent. at postquã diu ab eis laboratũ est, & longo tempore ad iniurias vsque certatum: hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sint agnouissent. Quid enim diuini consilij fuisse credimus, fratres, quod diu Saulum omnipotens Deus repugnatorem suæ fidei esse permisit, & sic eum suæ fidei prædicatorem fecit? nisi vt cunctis qui per illum fuerat prædicaturus, ostenderet, quia valde verum est Dei Euangelium, quod & tanta duritia inclinata, prædicaret: vtdũ ea auditores eius quæ ab illo contra fideles gesta recolerent, repente eum ad fidem versum nõ sine euidenti ratione sentirent. Vnde ipse quoque dum prædicationem suam debere facile ab infidelibus recipi, Domino diceret, ait: Domine ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcere, & cædens per synagogas eos qui credebant in te: & cum Galatas relicta Euangelij regula, in Iudaismi consp iceret errorẽ declinasse, suã eis priorẽ contra Euangeliũ duritiã retulit, & ab intẽtione perfidiæ eorũ mẽtes retorsit dicẽs. Auditis cõuersationẽ meã aliquãdo in Iudaismo, quoniã supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo abundantius, æmulator existens paternarum mearum traditionum: cum autẽ placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: Continuo non acquieui carni & sanguini. Ecce fratres carissimi, Paulus egregius Doctor quia diu veritati restitit, inde ad confirmanda corda audientium in eiusdem prædicatione veritatis adiutorium sumpsit: ostendens profectò, quia fidem, cui tanto prius labore restiterat, postmodum sine magnæ rationis certitudine non tenebat.

Debet ergo perpẽdere vestra dilectio, quia prędecessorũ nostrorũ in hac causa consensus tanto post inanis non fuit, quanto prius duris contradictionum laboribus insudauit. Sed his insuper factum Petri, qui & Paulum superat, vestra fraternitas ad memoriam reducat. Diu quippe restitit, ne ad fidem Gentes sancta Ecclesia sine circumcisione reciperet, diu se à conuersarum Gentium communione subtraxit. Paulo attestante, qui ait: Cum venissem Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat; prius enim quam venirent quidam ab Iacobo cum Gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant. & paulo post. Et cum vidissem quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij; dixi Petro coram omnibus: Si tu cum Iudæus sis, Gentiliter & non Iudaicè viuis: quomodo Gentes cogis iudaizare? qui tamen ab eodem Paulo postmodum ratione susceptа, dum quosdam conspiceret, quod Gentiles ad Ecclesiam venientes pondere seruandæ circumcisionis onerarent, dicit: Cur tentatis Deum imponentes iugum ceruicibus discipulorũ, quod neq; patres nostri neque nos portare potuimus? Nũquid fratres dilectissimi Petro Apostolorũ principi sibi dissimilia docenti debuit ad hæc verba respõderi: Hæc quæ dicis, audire non possumus, quia aliud ante prædicasti? Si igitur in trium Capitulorum negocio, aliud cum veritas quæreretur, aliud autem inuẽta veritate, dictũ est; Cur mutatio sententiæ huic sedi in crimine obijcitur, quæ à cũcta Ecclesia humiliter in eius auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti, intentio incommutabilis permaneat: quid obstat, si ignorantiam suam deserens verba permutet? De ipso quoque auctore omnium Deo scriptura attestante cognoscimus, quia dum consiliũ non manet, sæpe sententiam mutat: neque enim inopinatus ei prouentus accesserat, cum de eo quem ipse vngi præceperat, dicebat: Pœnitet me Saulem vnxisse Regem in Israël. Hoc quippe se facturum etiam tunc præsciuit, cum eum quasi approbando prætulit: nec ad pœnitentiam quasi inopinatus dolor accessit: sed tamen pœnitere se insinuat; quia non mutato consilio, ea quæ dudum dixerat de illo, verba permutat.

In his autem testimonijs quæ ex epistolis Leonis prædecessoris nostri posuistis, præmisistis dicentes: Doctrina vestræ reuerendæ Sedis est, per beatum Leonem, successoresq; eius, vnde pauca commemorare præsumpsimus, mortuum ab hominibus damnari nullatenus oportere; & tamen nulla eius testimonia subdidistis, quibus hanc sententiam firmaretis. Etenim quæ à vobis subiũcta sunt, retractationem fidei fieri prohibẽt, non autẽ damnari infideles mortuos cõtradicunt: Sed neque hoc beatum Leonem prædecessorem nostrum quodam loco dixisse meminimus: Quis autem nesciat, quod in nullo sibi eiusdem Leonis & beati Augustini prædicatio contradicat? Ipse namq; ad Bonifacium Comitem scribens ait: Si vera essent quæ ab eis obiecta sunt Cæciliano, & nobis possent aliquãdo monstrari: ipsum iam mortuum anathematizaremus. Sed tamen Ecclesiã Christi, quę non litigiosis opinionibus fingitur, sed diuinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus. Ecce mirabilis prædicator & confessionem Ecclesiæ propter hominem vetat, & si qua peruersa deprehendat, eum quem publicè defendebat Cæcilianum, se etiã post mortem anathematizare non abnegat. quia videlicet tunc viuẽtibus verè consulatur, cum culpa in fide perpetrata nec morte interueniente laxetur. Si vero hoc faciendum; dicere fortasse præsumimus, hoc proculdubio facim⁹, quod fieri vetamus. Theodorum quippe mortuum sancta Synodus prima Ephesina damnauit: Nam cum ab eius discipulis dictatum ab illo Symbolum in eadem Synodo fuisset prolatum: illico illic à sanctis Patribus cum auctore damnatum est. Et quidem ipsi sancti Patres in eadẽ Synodo residentes ad Dominum iam recepti sunt, postquam Theodorum dãnauêre: & si damnari mortuum non debuisse dicimus; proculdubio mortuos accusamus, & incepimus committere,

Gal. 2.

Act. 15.

1. Reg. 15.

quod nitimur prohibere. Sed cur diu, & quæ nostis loquimur? Eiusdem Theodori ex libris illius dicta replicemus.

Et si Iesum Dominũ ac Deum nostrũ, qui post mortem viuere, imò quia viuere creditur, post mortem Theodorus postposita dubitatione damnauit: neque enim nostra fides patitur, vt qui tot blasphemijs Redẽptori nostro hostis extitit, à vobis vlterius defendatur. Ipse quippe contra Apollinarem in libro tertio loquens ait: Quomodo igitur, tu, cui super omnes maximè decet demẽtium regimen, illum qui ex Virgine natus est, Dominũ esse, & ex Deo consubstantialem Patri existimari dicis, nisi fortè sancto Spiritui illius creationẽ imputare non iubes. Sed qui Deus est, & ex Deo, & consubstantialis Patri, & quidem qui ex Virgine natus erat. O mirande, & qui per Spiritum sanctum secundum diuinas scripturas plasmatus est, & confectionem in muliebri accepit ventre, inerat forsitan quia mox quam plasmatus est, & vt templum Dei esset accepit: non tamen existimandum nobis Dominum de Virgine natum esse. & post pauca: Nec secundum tuam vocem pronunciandum est omnino ex Virgine natum Dominum esse, & ex Deo consubstãtialem Patri. & post pauca: Si igitur cum carne eum natum esse dicunt, quod autem natum est, Deus & ex Deo, & consubstantialis Patri est, necesse est & hoc carnem dicere: quòd si non hoc caro est, quoniam nec Deus, nec ex Deo, nec ex consubstantialis Patri, sed ex semine Dauid, & consubstantialis ei cuius semen est, non id quod natum est ex Virgine Deus, & ex Deo & consubstantialis Patri. & post pauca. Non Deus Verbum ex Maria natum est, natus autem est ex Maria, qui ex semine est Dauid: non Deus Verbum ex Muliere natus est. & iterum: Quod enim dictum est, ducebatur è Spiritu, apertè hoc significat, quod ab eo regebatur, ab eo ad voluntatem propositorum confortabatur; ab eo ad hæc quæ oportebat docebatur, ab eo cogitationibus roborabatur, vt ad tantum certamen sufficeret, sicut & beatus Paulus docet: Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Idem cuius supra.

Blasphemiæ Theodori Mopsueteni.

Rom. 8.

Dicant igitur nobis omnium sapientissimi, si pro sensu Domino Iesu Christo, qui est secundum carnem, diuinitas facta esset, sicut dicũt: quid sancti Spiritus cooperatione ad hæc Christus indigebat? nec enim Vnigeniti diuinitas Spiritu indigebat ad iustificationem: Spiritu autem indigebat ad vincendum diabolum, Spiritu indigebat ad operãda miracula, Spiritu indigebat vt doceretur ea quæ docebat peragere, Spiritu indigebat vt immaculatus appareret. Et post pauca, ac si dicat Iesus: Ego quidem, quẽ videtis, nihil quidem facere possum secundum meam naturam, cùm homo sim, operor autem quia in me manens Pater omnia facit. Quoniam enim & ego in Patre, & Pater in me, Deus autem Verbum vnigenitus Dei in me est, certum est quod & Pater cum ipso in me manet, & opera facit. & non est mirandum de Christo hæc existimari, cum euidenter ipse de cæteris hominibus dicit: Qui diligit me, meum verbum obseruet, & Pater diliget eum, & ad eũ veniemus, & mansionem apud ipsum faciemus. & iterum: Sciebat subtiliter vt notam quidem faceret Gentibus pietatem, pateretur aũt laborantium infirmitates, & sic ad effectum suam voluntatem educeret: & iustificabatur inde, & immaculatus ostendebatur, siue reparatione, siue custodia meliorum, siue etiam paulatim ad meliora profectibus. Et post pauca eiusdem Theodori ex commento secundum Ioannem. Dicit ad Thomã: Infer digitum tuũ huc, & vide manus meas, & porrige manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis: Quoniam, dicit, non credis, & tactum solum sufficere tibi ad credendũ putas; hæc enim dicens non me latuisti: tange manu, & cape experimentum, & disce credere, & non diffidere. Thomas quidem cum sic credidisset; Dominus meus, & Deus meus, dicit, non solum ipsum Dominum & Deum dicens; non enim resurrectionis scientia docebat, & Dominum esse eum qui resurrexit, sed quasi pro miraculo facto Dominum collaudat.

Ioan. 14.

Ioan. 20.

Eiusdem Theodori ex commento quod est in Actibus Apostolorum libro primo: Ille autem dixit, oportere pœnitentiam agentes eos pro Crucis iniquitate, & agnoscentes Saluatorem & Dominum, & omnium auctorem bonorum Iesum Christum, quoniam per istam peruenit & assumptus est de diuina natura, in Spiritu quidem fidem susc ipere & eius discipulos fieri, ante omnia ad baptisma accedẽtes, quòd & ipse tradidit nobis, reformationem quidem habens inspirationis futurorũ, nomen autem celebrandum Patris & Filij & sancti Spiritus: Hoc enim quod est: Vt baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi, vt vocatione quæ in nomine Patris & Filij & sancti Spiritus est, relinquentes, Iesum Christum in baptismate vocẽt. Sed quale est hoc quod in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & diceres quia sub nube & in mari Ægyptiorum separati sunt, liberati eorum seruitute, vt Moysis leges attenderent. tale est, Vt baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi: vt cũ ad ipsum accessissent tanquam Saluatorem, & omnium bonorũ auctorem, & doctorem veritatis, ab ipso vtpotè auctore bonorum & doctore veritatis vocarentur: Sicut omnibus hominibus quamcunque sectam sequentibus consuetudo est ab ipso dogmatis inuentore vocari, vt Platonici, & Epicuræi, & Manichæi, & Marcionistæ: & quidem tales dicuntur. Eodem enim modo & nos nominari Christianos, iudicauerunt Apostoli.

Act. 11. Cor. 1.

Eiusdem Theodori in libris de Incarnatione: Plus inquietabatur Dominus, & certamen maius habebat ad animæ passiones quam corporis; & meliori animo libidines vincebat, mediante Deitate ad perfectionem. Vnde & Dominus ad hæc maximè instituere videtur certamen. Item eiusdem in libro contra Synoriastas vel Apollinaristas: Sed si caro erat, inquit, Crucifixi, quomodo sol radios auertit, & tenebræ occupauerunt terram omnem? & terræ motus, & petræ scissæ sunt, & mortui surrexerunt? Quid igitur dicant & de tenebris in Ægypto factis temporibus Moysi non per tres horas, sed per tres dies? Quid autem propter alia per Moysem facta miracula? & quæ per Iesum Naue, qui solem stare fecit. qui sol temporibus Ezechiæ Regis & contra naturam retrouersus est. Et de Elisæi reliquijs quæ mortuum suscitauerunt?

Eiusdem ex libro octauo de Incarnatione: Manifestum autem est quod vnitas conuenit: per eam enim collectæ naturæ vnam personam secundum vnitatem effecerunt. Sicut enim de viro & muliere dicitur, quòd iam nõ sunt duo, sed vna caro; dicamus & nos rationabiliter secundum vnitatis rationem, quòd non sunt duæ personæ, sed vna, scilicet naturis discretis. & post pauca: Quomodo igitur homo & Deus vnus per vnitatem esse potest? qui viuificat, & qui viuificatur, qui saluificat, & qui saluificatur, qui ante sæcula est, & qui ex Maria apparuit.

Eiusdem ex interpretatione Symboli trecentorum decẽ & octo Patrũ: Sed Christum quidem secundum assumptam serui formam; eum autem qui eum assumpsit, super omnia nominans Dominum: intulit tamen hoc secundum coniũctionem, vt per significationem nominum, naturarum manifestam diuisionem faciant. Nemo igitur, neque eum qui secundum carnem ex Iudæis est, dicat Dominum: nec iterũ Dominum qui est super omnia secundum carnem ex Iudæis: Iesum enim dicit à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto & virtute: qui autem de Spiritu vnctus est, omni modo aliquid assumpsit: Quis autem furẽs dicat, de Spiritu aliquid assumpsisse diuinam naturam? & iterum. Certus quidem & ipse Filium Dei se non secundum diuinitatis dicens natiuitatem, sed secundum quod domesticus Dei erat, per quod Filius Dei per voluntatem domestici Domino cõstituti homines interim vocabantur.

Hæc de innumeris pauca prætulimus, vt quasi per foramen angustum, quàm nimium barathrũ intus lateret, mõstraremus. Ecce quales plusquam decẽ millia libros Theodorus scripsisse perhibetur. Pensate quæso, si nõ tãto acriora tormenta promeruit, quantò pluriora conscripsit? Sed hæc illius dicta quę prolata sunt, vtrum eius sint, fortasse dubitatur. Patrum si placet scripta proferamus, ita apud vos libros eius, quos de perfidia illius testes deduximus, deductis insuper testibus affirmemus. Armeniæ quippe Episcopi Proclo Constantinopolitanæ vrbis Episcopo libellos contra Theodorum porrigentes, dicunt: Fuit aũt aliquis pestis homo, magis autem fera, hominis habens formã diabolicã, mentito nomine Theodorus, qui schisma & nomẽ Episcopi habuit, in angulo & ignobili loco orbis terrarũ latitans,

in Mopsſ-

in Mopsuestano Ciliciæ secundæ vel oppido, verè quidem & principaliter à Paulo Samosateno descendens, licet Photino & cæteris hæresiarchis in libro de Incarnatione Domini nostri Iesu Christi in toto suo proposito ipsis verbis inueniatur vsus. Et si quid peius, iste per machinationem & audaciam & errorem diaboli volebat homines acutæ suæ sicut colubræ linguæ veneno, quod sub lingua aspidis est, deperire. Et interim quidem retinebatur suo latibulo, timens potestatem eorum, qui à magno Deo & Saluatore nostro acceperãt Iesu Christo calcare super colubras, scorpios & omnes virtutes inimici. Dico autem sanctos Apostolos, & qui consequenter ab his susceperunt Martyres & Confessores & Episcopos, & cæteros Sanctos. Inuento autẽ, nescio quomodo, tempore cœpit repere, & extra fines suos fiduciã gerens, & in parochiam ad eum non pertinentem, tanquam eruditus sermocinator, & in Antiochia Syriæ in Ecclesia alloquens, sic dixit: Homo Iesus, quid est enim homo quod memor es eius? Apostolus autem de Iesu dictum fuisse hoc, dixit: Dum enim qui paulò minus ab angelis minoratus est vidimus, inquit Iesus. Quid ergo homo Iesus? similiter omnibus hominibus, nullam habens differentiam ab homine eiusdem generis, præter ea quæ gratia ei dedit.

Quibus Proclus Constantinopolitanus vrbis Episcopus rescribens ait: Fugiamus turbulentos & cænosos fallaciæ riuos septa Dei impugnantes, dico Arij furorem diuidentẽ indiuiduam Trinitatem, Eunomij audaciam circumcludẽtem scientia incomprehensibilem naturam, Macedonij rabiem separantem à Deitate inseparabiliter procedentem Spiritum, & nouam istam blasphemiam quæ Iudaismi multo amplius superat blasphemiam introducentes: nã illi quidem cum Filium negant, fraudant ramo radicem: isti verò eum qui est negantes, alterum introducunt, detrahentes sinceram naturam.

Rursus de huius errore Ioannes quoque Antiochenæ Ecclesiæ Antistes ait: Multo autem tempore perseuerans Theodorus, persuasit multis *vt Nestorio*, quòd Christus Filius Dei viui qui de sancta Virgine Maria natus est, non est qui ex Patre natus est Deus Verbum consubstantialis Genitori, sed homo pro qualitate suæ voluntatis ex Deo Verbo cooperationem suscipiens.

Rursus de eius errore Cyrillus ad Lamponem presbyterum scribens, ait: Cùm apud Heliam commorarer, vir aliquis ex his qui nobiliter militant in palatio, epistolam multorum versuũ & grandem obtulit mihi signatam, quam se dicebat accepisse ab Antiochenis Orthodoxis; subscriptiones autem erant in ea plurimorum clericorũ & monachorum & laicorum. Accusabant autem Orietales Episcopos, quasi tacentes quidem Nestorij nomen, & dissimulantes ei aduersari: Transientes autem ad Theodori codices de Incarnatione factos, in quibus multo peiores nefariæ blasphemiæ positæ sunt: pater enim fuit Nestorij perfidi, qui & illius mala locutus, impius & in his factus est.

Rursum de errore illius idem Cyrillus Alexandrinæ vrbis Episcopus ad Acatium Melitinæ vrbis Episcopum scribens, ait: Non oportebat latere sanctitatem vestrã, aut forsitan cognouit, quòd omnes Orietales religiosissimi in Antiochiam cõuenerunt, cùm transmisisset eis Thomam dominus meus sanctissimus Proclus bonorum plenus intellectu & rectorũ dogmatum: Erat enim ei ratio multa & lõga de dispensatione Domini nostri Iesu Christi. Suppositit verò capitula quædã collecta è Theodori codicibus, quæ consonantem Theodori perfidijs intellectum habent, & adhortatus eos etiam illa anathematizare.

Rursus de errore illius Edessenæ Ecclesiæ Antistes ad beatũ Cyrillum scribens, ait: Iam verò quidã vnitatẽ secundum subsistentiã omnibus modis abdicant. Morbus enim aliquis sublatens inueterauit Orienti immedicabilis modo vulneris depascens Ecclesiæ corpus apud aliquos quasi studiosos, & supercilia extollentes eruditione latenter.

Honoratus Episcopus enim quidam prouinciæ Ciliciæ: Theodorus vir verisimilis dicendi, & potens suadere, alia quidem supra tribunali de Ecclesiæ statu dicebat ad populi placentiam: alios autem laqueos in scriptis ponebat, qui in principijs quorundam eius codicum anathemate circumdedebant inspicientem non manifestare. Alijs scripta iste primus exposuit: non esse verè Dei Genitricem sanctã Virginem, tanquam Deo Verbo non susceipiente secundũ nos natiuitatem. & post pauca: Nec enim dicunt secundum substantiam, vel secundum subsistentiam vnitũ esse Deo Verbo hominem, sed bona voluntate quadam: tanquam diuina natura non susceipiente alterum modũ vnitatis propter non circumscriptibilem. Iste dixit Dominum nostrum Iesum Christum non oportere adorari sicut Dominum, sed relatione Dei honorari sicut imaginẽ quandam. magis aũt manifestiùs secundum eos dicere, sicut instar aliquid relatione assidentis dæmonis. Iste & carnem Domini pronunciauit nihil omnino prodesse, dissipãs Domini vocem: Quę est caro nihil prodest. Iste & Apostolos dicit non cognouisse Christum quod Deus erat, sed supra fidem quæ est in homine ædificatam esse Ecclesiam. Ioan. 6.

Rursum de errore illius Hesychius Hierosolymorum presbyter Ecclesiasticæ historiæ scriptor, ait: ita Photinum, in multis & alijs eos esse secutos; Theodorus quidam præcipuè imitatus est, malitiosus quidem loquendi, & in lingua paratissimus, & ipse tamen instabili voluntate, qui huc & illuc inclinans ferebatur: clericatui enim Antiocheno à prima ætate connumeratus, & benè conuersari pollicitus, ad sæculares libidines reuersus iterum delectabatur, in omnibus aũt donis † imitabilis. Et beatus vir Ioannes Constantinopolitanus Episcopus scripsit epistolam quæ vsque adhuc in codicibus legitur, & à peiore ad meliorẽ pœnitentiam eũ transferre præualuit, & iterum benè conuersari, iterum in clericatu esse cœpit. Et Antiochia relicta, in Tharso transmigrauit. In ea Episcopus, nondum Deo volente manifestam impietatis illius prędicationem fieri. Prima autem elementa suæ doctrinæ ex Iudaico vaniloquio Incipiens codicem in prophetiam Psalmorum conscripsit, omnes de Domino † prædicationes abnegantem: culpatus verò & periclitatus, contraria sibi dixit, non ex voluntate, sed compulsus omnibus cæremonijs: & codicem ipsum delere pollicitus, latenter conseruabat Iudaicæ impietatis viaticum. & post pauca: Christum enim Iesum generis nostri Saluatorẽ & Dominum (quem splendorem paternæ gloriæ & imaginem substantiæ Paulus vocat, ferre eum omnia dicens verbo suæ virtutis, qui purificationem nostrorum fecit peccatorum, & ad dexteram paternæ Maiestatis consedit, de quo ad Colossenses scripsit epistolam, quòd in eo omnia creata sunt, quæ sunt in cœlis, & in terris, visibilia & inuisibilia, quòd per eum in eum creata sunt omnia) hunc non incarnatum Verbum, sicut Euangelicis vocibus docti sumus, sed hominem per vitæ prouectionem & passionum perfectionem coniunctum Deo Verbo scripsit stultus in omnibus. Et hæc in mysticis sermonibus ausus est. † mutabilis. † prædictiones Hebr. 1. Coloss. 1.

Contra errores eiusdem Theodori, piæ recordationis Theodosius & Valentinianus legem promulgantes, inquiunt: Debitam à nobis venerationem pijssimæ doctrinę reddentes, eos qui ausi sunt contra Dominum impiè cõscribere debitæ condẽnationi subijcere, & nominibus dignis vocari oportere existimauimus. Iustum igitur circumdari eos confusione suorum peccatorum, & in tali vocabulo permanere in æternum: quatenùs nec viui liberentur, & post mortem permaneant contempti. Igitur doctrina Theodori & Nestorij impiorum & pestiferorum visa nobis abominanda esse, similiter autem & omnes qui sequuntur eorum errorem, & consentiunt eorum impietati, iustũ est ipsos eandem nominationem mereri, & confusionem indui, vt non Christiani sed Nestoriani nominentur, ne dum nominantur Christiani, ex ipso inueniantur decorati vocabulo, longe cõstituti à Christianorum proposito, & alienati à recta & immaculata Fide. & post pauca: Si quis præterierit præsentem nostram sanctionem, & Theodoro & Nestorio assenserit, & illorum socios imitatur, post gladij vltionem omnis eius substantia Fisco addicatur. Rursum contra errores illius piæ recordationis Theodosius & Valẽtinianus legẽ promulgantes, inquiunt: Nemo habeat, aut legat, aut scribat, aut proferat Nestorium, seu illius libros, vel codices omnino inutiles, vel ipsius Nestorij vel alterius, & maximè Nestorij aduersus solos Christianos conscriptos, aut Theodori; sed vnusquisque habens tales codices publicè illos proferat, & in conspectu omnium igni tradat.

Et si adhuc fortasse post tot prolatas Patrum cõtra illud sententias vestra fraternitas dubitat, Theodoreti libros legat, in quibus dũ contra Cyrillum Alexandrinæ vrbis Antistitem eũ defendere nititur, veriùs accusat dicens: Interpretationem Cyrillus accusat octaui Psalmi, & arguit hæc verba diuini Theodori: Consideremus igitur, quis est homo, de quo stupescit & miratur, quod vnigenitus dignatus est eius memoriã & visitationem facere. Sed quod quidem non dictũ est de omni homine, in superioribus demõstratum est; quod aũt de vno quolibet, ex hoc certũ est. Deductas itaque tot testibus blasphemias has eius esse quis dubitat? Et tantis blasphemijs illius cognitis, eum damnatũ iure, quis neget? Discusso ergo primo de Theodori damnatione capitulo, nunc ad dicta epistolæ Theodoreti indagãda transeamus, cuius tota series si solerter aspicitur, sanctæ Chalcedonensi Synodo quam sit aduersa pensatur. In Gestis namque eiusdẽ Synodi & scriptis Leonis Cyrillus prædicatur; in epistola verò illa Theodoreti Cyrillus in Apollinaris dogma corruens reprobatur: scriptum quippe in ea est: Cyrillus autem libros Nestorij volens destruere lapsus est, & inuentus est in Apollinaris dogma cadens; in Gestis Nestorius vt Redẽptoris nostri aduersarius iure damnatus ostẽditur, verbis verò epistolæ damnatus iniustè memoratur. Sic quippe in ea dicitur: Antequam in Synodo aduenirẽt reuerendissimus ac sanctissimus Archiepiscopus Ioannes, Nestoriũ ex Episcopatu deposuerunt iudicio & inquisitione nõ facta. In Gestis Synodi in Dei & Domini nostri vna persona duas naturas Cyrillus confessus ostenditur, in verbis epistolæ vnã naturam tradere dicitur, atque ab hoc sensu correptus vix resipuisse narratur. In Gestis Synodi anathematizatus Nestorius etiam post mortem dicitur; in verbis verò epistolæ etiam post depositionem suam, pro solo ciuiũ suorum odio ad ciuitatem suam non redisse perhibetur, sic quippe illic scriptum est: Nestorius aũt quia in suę erat odio ciuitatis, & virorum qui in ea sunt maximorũ, illuc reuerti non potuit. In Gestis ac definitionibus Synodi vnus Filius Iesus Christus dicitur, at iuxta doctrinã Theodori atque Nestorij Deus tacetur. Et in Gestis Synodi nusquam Theodorus veritatis doctor dicitur, in verbis verò epistolæ idẽ, cuius blasphemias supra protulimus, veritatis doctor clamatur: qui nimirum si vera dixit, falsa erunt quæ de veritate Synodus protulit: Quisquis igitur qui epistolã quæ Ibę dicitur, ostendere quòd sit de Synodo nititur; quid aliud quam gesta eiusdem Synodi destruere conatur? Si enim sibimetipsis diuersa sunt, nulla proculdubio auctoritate subsistent: quia quæ se impugnando destruunt, alios ædificare non possunt: si sibimetipsis diuersa sunt, nulla firmitate conualescunt, Domino attestante, qui ait: Regnum in se diuisum non stabit. Sed absit hoc, absit ab illo veneràdo Concilio, vt sibimet contraria sapiat: & vel superiora subsequentibus discordia præferat, vel inferiora præcedentibus impugnatura subiungat. Sancta enim fides, quæ vno illic spiritu accepta est, vno sensu credita, vna est & Fide prędicata. Idcirco in cunctis mũdi partibus forma nostræ professionis facta est, quia in precantium vocibus sibimet ipsa dissimilis non est.

Sed cur tantummodo sanctam Chalcedonensem Synodum conuelli dicimus, si auctoritatem huic epistolæ reprobemus? Quæ nimirum si vera creditur, etiam tota sanctæ Ephesinæ Synodi fides ac reuerentia dissipatur. Hæc quippe ait, quod in ea Cyrillus præmiorum medicamine sapientũ oculos excæcauit. Quid ergo illic de veritate certum dicitur, vbi ipsa veritas sacerdotibus vendita esse perhibetur? Sed quis hoc dicere, quis hoc consentiat patienter audire? Reprobetur ergo vna epistola mentiens, ne vtraque sancta Synodus tantæ falsitatis crimen sustineat. vestræ fidei fundamentum tenemus, ne postquam sancta prima Ephesina Synodus quasi venalis arguitur, Chalcedonensis etiam (quod absit) culpa varietatis notetur: quæ vt in verbis suis quantæ sit concordiæ clareat, necesse est, vt vestra fraternitas vbi sit completa cognoscat. Omnes namque nouimus, quod in Synodo nunquam canones, nisi peractis definitionibus Fidei, nisi perfectis Synodalibus gestis habeantur, vt seruato ordine cum prius Synodus ad Fidem corda ædificet, tunc per regulas canonũ mores Ecclesiæ actusque componat. Vigilãti ergo cura respicite, quæ in sexta illius Actione sanctæ Fidei professio consummatur: moxque in septima ad institutionem iam fidelium regula canonum figitur. Vlterioribus verò Actionibus nihil de causa Fidei, sed sola negotia priuata versantur. quod cum Responsales vestri ita esse ambigerent: curæ nobis fuit ex prolatis multis hoc codicibus demonstrare. Nos tamen hac de re nunquam dubitari posse credimus, quia & eadem series sic se insinuat, vt credi aliter contradicat.

Primum quidem, quia (sicut dictũ est) dum definita Fidei regula in Actione sexta ostenditur, ordo causæ indicat, vt in Actione subiuncta canonum forma sequeretur. Secundum verò est, quia & in Actionis sextæ terminum iam canonum norma prælibatur, dum illic à Principe venerabilibus Episcopis dicitur: Aliqua sunt capitula quæ ad honorem vestræ reuerentiæ vobis reseruauimus, iustum existimantes, hæc à nobis regulariter per singula Synodũ * firmari, & cætera. Prælibatione itaque sextæ actionis ostenditur, quia iure constitutiones canonum nonnisi in septima continentur. Quid enim supererat quod perfecta Fidei professione, fieret, nisi vt quorundam fidelium actiones inlicitas sancta Synodus positis regulis iudicaret? quamuis si solerter aspicimus canonum regulas positas, non sicut putatur, in septimæ, sed in textas sextæ Actioni inuenimus. Nã cum in eisdem Constitutionibus sanciendis, non dies, non Imperium ponitur, non qui residerent, describuntur: proculdubio cum non consueto exordio cœptæ sunt, quia prędecedenti Actioni subnixæ sunt demonstrantur, quia verò in Actione sexta Fidei causa perficitur, ipsa Episcoporum omnium generali subscriptione declaratur. Nam qui post subscripserunt sententiam, cuncta quæ de Fide agenda fuerãt, finita testati sunt. Vnde & in causis post specialibus nudis tantummodo verbis loquuntur, atque ea quæ decernentes dixerant, nulla suppositа subscriptione, firmauerunt. Quæ reuerendissimi Episcopi ita in Actione sexta omnia quæ de Fide agenda fuerant, cognoscebant: vt, sicut illuc scriptum est, clamarent: Supplicamus, dimitte nos, pie Imperator, dimitte nos: quodque non pro Fide, sed pro specialibus causis detenti sunt, principali illic responsione monstratur, cùm dicitur: Sacratissimus & pijssimus dominus noster Martianus Augustus ad sanctam Synodum dixit: Laborastis multo spacio fatigationem perpessi: sustinete autẽ tres aut quatuor dies adhuc, & præsentibus magnificentissimis iudicibus nostris, singula quæcunque vultis mouete, competens adepturi solatium. Qui igitur ad singula quæq; vellent motura retenti sunt, licet quia nequaquam vltra Actionis sextæ terminum pro Fidei causa restiterunt.

Sed cur de his extensa ratione agimus, qui tanta prædecessoris nostri beati Leonis auctoritate fulcimur? Ipse namque, sicut multa superius epistolarũ eius attestatione docuimus, Gesta multiplicia causarũ specialium reprobando, auctoritatẽ Synodi in sola fidei definitione consti inxit. Hinc est enim, quòd peracta Synodo, cunctas nobis suspicionũ nebulas tergens, apertè ad Maximũ Antiochenæ sedis Antistitem scribit, dicens: Si quid sanè ab his fratribus quos ad sanctã Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur: nullius erit penitùs firmitatis, quia ad hoc tantum sunt ab Apostolica Sede directi, vt exclis hæresibus, Catholicę essent Fidei defensores: quicquid enim ad examen Episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem. Sed solent nonnulli dicere, hæc cum pro Anatolij Constantinopolitanæ Vrbis Episcopi præsumptione dixisse: qui si & res gestas, & ea quæ nunc protulimus epistolæ verba cõsiderant, suspicari protinus falsa cessant. namque cũ prædictus Constantinopolitanæ vrbis Episcopus nouũ aliquid conatur arripere, constat illic ei Legatos Sedis Apostolicæ cum summa auctoritatis libertate restitisse. Quod & factu in Synodo legitur, & eiusdem Synodi ad præfatum prædecessorem nostrum epistolis approbatur. à sæpefato autẽ eòdem prædecessore nostro ad Maximum, sicut prędiximus, nouimus scriptum: Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestũ esse perhibetur, nullius erit penitùs firmitatis: quia ad hoc tantũ sunt ab Apostolica Sede directi, vt exclis hæresibus, Catholicæ

liæ essent Fidei defensores. Si ergo de Anatolij causa loquens, hoc quod à vicarijs suis actum in Synodo fuerat redarguit: nimirum quia contradixerant, reprehendit.

Et quis hæc vel stultus sentiat? dum constet quod hac de re beatus Leo Anatolio conquerenti multa in vicariorum suorũ, quia contradixerant, laude rescribat: cuius epistolæ nunc idcircò verba non ponimus, ne volumen hoc immoderatius extendamus: cum verò & subijcitur: Quicquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorũ ad examen episcopale defertur, potest aliquã dijudicandi habere rationem: aperte nobis licentia tribuitur, vt quicquid illic extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. Specialis quippe synodalium Conciliorũ causa est fides. quicquid ergo præter fidem agitur, Leone docente, ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudiciũ reuocetur. Quia verò & apud eosdem Episcopos qui in Chalcedona residerũt, in veneratione Synodus nonnisi vsque ad fidei definitionem fuit: per hoc apertè ostenditur; quòd pleriq; Græci antiquiores cõtinere Synodũ nonnisi in sex actionibus subiunctis canonibus demonstratur, vt omnino cætera quæ priuato studio fuerant mota, non habeant. Vnde & Encyclia hæc ita esse testantur. Nam Leoni Augusto Alipius Episcopus Cęsareę Cappadociæ scribens ait: Sic se habentibus vestræ pietati significo, quia ea quidẽ quæ particulariter examinata sunt, & quæ gesta à sanctis Episcopis in Chalcedonensi ciuitate collectis, non legi: neq; enim à sanctæ memoriæ tũc Episcopo Thalassio qui interfuit sancto Concilio hæc delata inspexi. Attestante ergo Alipio Episcopo perdocemur, quòd nõ aliquid est allatũ amplius ex his quæ gesta noscuntur, sed tantummodo definitionẽ expositã ab illo sancto Concilio hãc delatam inspexi. Attestante ergo Alipio Episcopo perdocemur, quia præter causam fidei nihil de Synodo in veneratione Thalassius tenuit: qui illic & præter causam fidei Episcoporũ negocijs priuatis interfuit. Si igitur in Actione sexta professio fidei consummatur, moxq; canonum regula figitur; si beatus Leo negotijs, quę illic priuatè mota sunt, contradicit; si hoc quod vltra fidem gestũ est, nec is qui fecit Thalassius tenuit: cur nos hæreticã epistolam retractasse reprehendimur, qui hac in re cunctorum nos præcedentiũ auctoritate roboramur? Et quamuis ab eadem epistola alienum se Iba respondeat; quamuis quia approbata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstretur: licenter tamen vnusquisque eam reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodẽ Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent: quia postquam, beato Leone scribente, ius retractandi & dijudicandi cõceditur, etiam si qua esse poterat eorum qui interfuerant, in priuatis negotijs auctoritas vacuatur.

Discusso itaque secundo capitulo, tertiũ superest: quod tanto debemus in breuitate constringere, quanto & vos nobis hac in re non credimus resultare, neque enim Theodoreti omnia scripta damnamus, sed sola quæ contra duodecim Cyrilli capitula, sola quæ contra rectam fidem aliquando scripsisse monstratur: quæ tamen & ipse dãnasse cognoscitur, qui in sancta Chalcedonensi Synodo vera confessus inuenitur. Nam quomodo post errorem rectè sapiat, & ea quæ prius scripserat, & ea quæ in Chalcedonensi Synodo ab illo sunt gesta, manifestant. Ipse namque Nestorio scribens ait: In his quæ in tuam venerationem iniustè atque iniquè prolata sunt, nec si mihi quis vtramque manum abscinderit, potero præbere consensum. Æmerio quoque Nicomediæ Episcopo scribens ait: Damnationi venerandi sanctissimi Episcopi Nestorij quæ facta dicitur, non debemus præbere consensum. Ad Alexandrum quoque Hieropolitanum Episcopum scribens ait: Et ante tuæ sanctitati prædixi, quasi domini mei venerabilis & sanctissimi Episcopi Nestorij fuerit dogma damnatum, nec ego, cum his qui faciunt, communicabo. Ad Alexandrum verò Syriæ Palæstinorum Præsulem scribens ait: Existimo præ omnibus maximè satisfactum esse domino meo sanctissimo ac venerando Ioanni Episcopo, quòd nullatenus acquiescam in damnatione domini mei sanctissimi & venerandi Nestorij Episcopi præbere consensum, quæ in Tharso & in Epheso facta est.

Qui postmodum tũ cum resistentium certamine sancto Chalcedonensi Concilio admissus, apertè anathema in Nestorium protulit; seq; Orthodoxũ ipso hæretico reprobato monstrauit. Dudum namque sanctæ Ecclesiæ diuersa sentiens, & contra beati Cyrilli duodecim capitula scribens ait: Sanctam Virginẽ Theotocam vocamus, non quod Deum peperit per naturã, sed quod hominem ediderit coniunctũ Deo, quẽ ipse formauit. & post pauca: Si naturalis cõiunctio facta est formæ Dei & formę seruili, & inuenietur legislator necessitatibus legis seruiens. Et rursum, nomine cõmunicationis vtentes, vt vnũ quidem Filiũ adoramus, & eum qui assumpsit, & eum qui assumptus est; differentiam tñ cognoscimus naturarum. Theophoron aũt dicere portãs vel Dominum indutus hominem Christum, vt à multis sanctis Patribus dictum est, non recusamus. & post alia: Considerate, inquit Apostolus, Pontificem confessionis vestræ Iesum fidelem ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo sua. Heb. 3. Facturam autem eum quis esse dixerit recta sentiens: increatum & cum Patre coæternum, & addam, verum: sed eum qui est ex semine Dauid, qui liber ab omni peccato Pontifex noster fuit, & victimam ipse se pro nobis obtulit Deo habens in se certè Dei Verbum adunatum sibi inseparabiliterque coniunctum. Et rursum, vt eum quasi ostenderet ad Diuinitatem per incrementa creuisse, in eodem opere subiungit dicens: Ait Angelus Virgini: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Luc. 1. Considerate hic etiam, quia cuncta humanitus dicuntur: Erit, inquit, magnus, non dixit, est, & Filius Altissimi vocabitur, non dixit, vocatur: & dabit ei Dominus sedem Dauid Patris sui, non dixit, habet, sed dabit ei Dominus, & regnabit, non dixit, regnat. & super quos? super domum Iacob, non dixit, super Angelos & Archangelos. Rursum in eodem libro secundo ait: Iesus autem Spiritu sancto regressus est à Iordane, & iterum: Regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, non Dei Verbum cooperatione vel auxilio eguisse Spiritus Sancti arbitreris, sed visibile templum varijs sancti Spiritus donationibus fruebatur. Et post alia: Iesus Heb. 13. Christus, inquit, heri & hodie ipse & in sæcula. Quomodo igitur, ô sapientissimi, debemus aduertere, quomodo idem ipse heri & hodie & in sæcula, & temporaliter & æternus, & in tempore & super tempora; nam si æternus est, temporalis non est, & si in tempore est, super tempus non est. & rursum: In Domino Deo nostro Iesu Christo deitatis & humanitatis quasi vnitatem adstruẽs ait: naturas discernimus Dei Verbi, naturam integram dicimus & personam sine dubitatione perfectam: nec enim sine persona fas est affeuerare substantiam, perfectam quoque humanam naturam cum sua persona similiter confitemur. Cùm vero ad coniunctionem respicimus, tunc demum vnam personam meritò nuncupamus.

Quis hæc, fratres chariſſimi, plena omni impietate nõ videat? A quibus tñ constat, quòd si postmodum ipse correxit qui in sancta Chalcedonensi Synodo Nestoriũ anathematizare consensit. Quis non videat quanta temeritate plenum sit, Theodoreti scripta superbiendo defendere? quæ eundem ipsum constat, recta post profitendo, damnasse? Dum verò eius & personam recipimus, & ea quæ dudum latuerant prauæ scripturæ probamus, in nullo à sanctæ Synodi actione deuiamus: quia sola eius hæretica scripta respuentes, & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo Theodoretum profitentẽ recta, veneramur. Alia verò scripta illius non solum recipimus, sed eis etiam contra aduersarios vtimur. Nam cum Theodorus Canticorum Canticum vellet exponere, & non ad commẽta, sed potius ad deliramenta laboraret: per hunc librum Æthiopissæ Reginæ blãditum fuisse, professus est. quod Theodoretus reprehendens, nomen quidem eiusdẽ Theodori supprimit, sed tamen vesaniam patefecit. Eiusdem namque libri commenta conscribens ait: Audio plures Canticũ Canticorum detrahentes, & non credentes spiritalẽ esse librũ; fabulas autem quasdam aniculares per vesaniam texentes componere, & præsumere dicentes: quia sapiens Salomon ad seipsum & filiam Pharaonis hunc librũ conscripsit. Quomodo ergo nulla scripta eiusdem Theodoreti recipimus, qui illum etiam contra Theodorum adsertorem veritatis inuenimus? hæc ad scripta vestra respondemus.

Sed oportunum valde iudicamus, vt ea quæ sine scripto à Responsalibus vestris audiuimus, breuiter verba replicemus. Dixerunt enim, Theodorum à Ioanne Antiochenæ verbis Episcopo mira per epistolam attestatione laudatum. quod verum nos nullo modo credimus. Si tamen & tale aliquid fortasse reperitur: plus fidei primę Ephesinæ Synodo plus Cyrilli libris, plus Helychij, quã alijs quæ innotescere nunc vsq; nequiuerũt, epistolis cõmodamus. Debemus tamen accedere, etiam concedentes aliquid dicere. ita ergo vt Responsales vestri asserũt, esse sentiamus. Vos scitis, fratres dilectissimi, quod res quæ dubietati subiacet, in partẽ semper est interpretanda meliorem. Quid itaque obstat, si dum de eius errore occultũ adhuc & dubium fuit, ab vno Patre laudatus est: & innotescente post perfidia, penè omniũ magnorum Patrum sententijs velut immanis bestia quasi crebrescentibus iaculis est confossus? An non & malos à bonis aliquando laudatos nouimus? nec tamen eisdem laudibus defensos. Quid namque in Hæresiarchis Origene deterius, & quid in Historiographis inueniri Eusebio honorabilius potest? Et quis nostrum nesciat in libris suis quantis Origenem Eusebius præconijs attollat? Sed quia sancta Ecclesia suorum fidelium corda benignius quam verba districtius pensat: Et plus in hæreticis sensum proprium, quam testatio Eusebij absoluere potuit: nec rursum Eusebium laudati Origenis culpa damnauit.

An non & Gregorius Nyssæ vrbis Episcopus cum Canticorum Canticum exponit, magnis Origenẽ laudibus præfert? An non & Hieronymus nostræ Ecclesiæ presbyter & singularis Hebræi sermonis interpres tãta erga Origenẽ fauore intẽditur, vt penè discipulus esse videatur? Sed quia plus causa quã verba pẽsanda sunt, nec istis suabenignitas nocuit, nec illũ à reatu proprio fauor alienæ attestationis excusauit.

Cogor post hęc, fratres carissimi, dolens cum Paulo dicere: Testimonium perhibeo vobis, quod æmulationem Rom. 10. Dei habetis, sed non secundum scientiam: cuius erga vnitatem sanctæ Ecclesiæ dum viscera charitatis aspicio, discordes vos intolerabilius ingemisco. Pensate, quæso, quo Philip 2. ardore sãctæ vnitatis anhelabat cũ Philippẽsibus diceret: Si qua cõsolatio in Christo, si quod solatiũ caritatis, si qua societatis spes si qua viscera & miserationes, implete gaudium meum, vt idem sapientes, eandem caritatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes. Qui igitur vnanimitatem locuturus, tot & tales inquisitiones præmisit: quantum esset huius virtutis meritum, non explendo, sed inquirendo monstrauit. At contra quãtũ sit malum discordiæ: loquens Corinthijs ostendit. ait enim: Significatum 1. Cor. 3. est mihi de vobis, fratres mei; ab his qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos: hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Christi. Quod cum quanta animaduersione loquatur, agnoscimus, si subiunctæ increpationis verba pensamus. ait enim: Diuisus est Christus? nũquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?

Considerate igitur, fratres mei, & dum Deo adhuc expectante, omni incerto vitæ fine permittimur, vigilanti cura perpendite, quia illam scissionem sanctæ Ecclesiæ pro Theodoro facere fraternitas vestra non metuat, quam pro se vel profiteri Paulus expauit. Cur non ad memoriam pro vnitate seruanda beati Augustini dictum reducitur? qui dum de vnico baptismate loqueretur, idcirco Cyprianum, martyrem, qui de iterando baptismate scripserat, defunctum perhibuit: quia licet prauum quid senserit, nunquam tamen se à totius Ecclesiæ communione suspendit. Sic igitur permanere in sanctitate * seruante constat fratres dilectissimi, quia dum vos ab Ecclesiæ vnitate disiungitis, omne virtutis meritum perdidistis, etiam si rectè teneatis: scriptum quippe est: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine Heb. 12. qua nemo videbit Dominum.

Multa loquuti sumus, quia & ad multa ratiocinando respondimus. Et cum testimonia ex Patrum dictis innumera suppeterent, perpauca posuimus: videlicet cupiẽtes vt scripta nostra in causis singulis narratio breuiata succingeret, ne fortasse tædium legenti generarent. Vnum tamen, quod iam superius diximus, non tædet si etiam crebrò replicemus: Quia fidem sanctæ Chalcedonensis Synodi illibatam per omnia, Deo auctore, seruamus, eiusque definitiones, sicut Ephesinæ, primæ Constantinopolitanæ, ac Nicænæ Synodi irretractabiles nunc vsque tenuimus, & vel morte proposita irretractabiles custodimus. Vestra igitur dilectio communionem fidelium Orthodoxorum fratrum non fugiat, ne præsentis vocis nostræ adiutorium si audire neglexerit, contra se in testimonium vertat. Nos autem ad Dominum post verba recurrimus, eumque quantum possumus fletibus exoramus, vt hoc quod vobis ad sequendam concordiam à nobis dicitur, ipse in vestris mentibus manu intimæ inspirationis operetur.

Notae in tres epistolas Pelagii ad Eliam & Episcopos Istriæ.

Epistola.] *Cum innotuisset Pelagio Romano Pontifici Mauritium Imperatorem post Tiberium coronatum, teste S. Gregorio in epistola ad Eulogium & Ioannem Constantinopolitanum; nouum, prout fieri consueuerat, Diaconum Cardinalem apocrisiarium nomine Laurentium ad eum misit. Gregorius igitur tempore Tiberij illo munere bene functus, magnisq; muneribus sacrarum reliquiarum; brachium vidit S. Andreæ, & capite S. Lucæ Euangelistæ donatus, post obitũ Tiberij Romã rediit, ibiq; iussu Pelagij, aduersus ingruentes ob tria capitula schismatico stylum exeruit. Eorum omnium caput fuit Paulinus Aquileiensis Antistes, posteaq; eius successor, inde verò Seuerus. De his epistolis Paulus Diaconus lib. 3. cap. 10. de gestis Longobard. hæc scribit.* Pelagius Papa Eliæ Aquileiensi Episcopo nolenti tria capitula Chalcedonensis Synodi suscipere (*potius nolentium Capitulorum damnationem in quinta Synodo factam approbare & ratã habere*) epistolam satis vtilem misit, quã B. Gregorius cum adhuc esset Diaconus scripsit. *Hæc epistola S. Pelagij à Gregorio adhuc Diacono conscripta, eiusde plane generis est, cuius erat illa B. Leonis decima ad Flauianũ scripta; quæ cũ epistolæ nomine scripta esset, ob sui amplitudinem atq; tractatũ, tomus dicebatur. Nã & ipsa Pelagij Epistola ab ipso S. Gregorio liber est nuncupatus, de: quo ad Hiberniæ Episcopos dum scribit epist. 36. lib. 2. hæc habet:* Vt igitur de tribus capitulis, animis vestris ablata dubitate, possit satisfactio abundanter infundi; librum quem de hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis vtile iudicaui trãsmittere: quẽ si posito volũtariæ defensionis studio puro vigilantiq; corde volueritis relegere, eũ vos per omnia secuturos, & ad vnitatẽ nostrã reuersuros nihilominus esse confido. *Quanta autem esset efficacia liber iste, ex his quæ mox idem Gregorius subdit, intelligere possumus. vbi ait:* Porro si post huius libri lectionẽ in ea, qua estis, volueritis deliberatione persistere: sine dubio non rationi operã; sed obstinationi vos dare monstratis. *Hanc epistolam per Illustriss. Cardinalem Baronium vna cum duabus præcedentibus eiusdem Pelagij à Nicolao Fabro Parisiensi viro doctissimo acceptam his locis inserendam esse duximus.*

Cum adhibitũ satis bene præparatũ pharmacũ animis schismaticorũ male affectis nihil prodesset, imitatus Pelagium 1. aduersus ipsos Smaragdũ Italiæ Exarchũ Rauennæ degentem exagitat aut: qui haud impigrè eosdẽ coercere aggressus est, nec cessauit, quousq; depasceret eam Ecclesiã morbum, ex iis regionibus, teste Diacono lib. 3. cap. 12. penitus auferret.

EPISTOLA VIII. B. PELAGII Papæ II.

Tom. 1. Concil. Decret. quæst. 1.

Ioannem arguit, qui vniuersalis episcopi nomen sibi vindicabat, qua de causa generalem Synodum conuocauerat.

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani Episcopi, ad synodum Constantinopolim conueniunt, Pelagius. Manifesto (sicut optauimus) per gratiam Dei lumine Euangelicæ veritatis, ab vniuersali Ecclesia, pernicioſissimi erroris nocte depulsa, inestimabiliter gaudemus in Domino: sed non modico contristamur mœrore, quia ea, quæ olim calcata fuerant, & funditus damnata, nec vnquam fieri debuerant, rediuiuis radicibus germinant atque pullulant. Et quoniã multa, quæ pẽnitudinẽ possunt generare, proueniũt; necesse est ea cassare, quę cõtra ordinem & omnem auctoritatem facta esse noscuntur:

Vnde

Vnde, fratres, reiecta penitus audacia, quę contra Apostolicam Sedem, & contra ipsam Domini saluatoris vocem, qua dictum est: Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam, sumpta est, disputandi contra Domini præcepta vana errantium corda conquiescant, nec liceat defendi, quod non liceat agere. Relatum est ergo ad Apostolicam Sedem, Ioannem Constantinopolitanum episcopum, vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad synodũ conuocare generalem, cum generalium synodorum conuocandi auctoritas, Apostolicæ Sedi B. Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam synodus rata legatur quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter, quicquid in prædicto vestro conuenticulo (quia synodus taliter præsumpta, esse non potuit) statuistis, ex auctoritate sancti Petri Apostolorum principis, & Domini saluatoris voce, qua beato Petro potestatem ligandi atque soluendi ipse Saluator dedit, quæ etiam potestas in successoribus eius indubitanter transiuit, præcipio omnia, quæ ibi statuistis, & vana, & cassata esse, ita vt deinceps quam appareant, nec ventilentur. Etenim ipse Saluator beato Apostolo Petro tanquam, ipsa per se veritas loquitur, dicens: Quæcunque ligaueris super terrã, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Multis denuo Apostolicis & canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari: quapropter (vt iam dictum est,) rectè non Concilium, sed vestrum conuenticulum vel Conciliabulum cassatur: & quicquid in eo actum est, irritũ habetur & vacuum. Vos quoque deinceps, vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis. Modo verò ideo suspenditur vltio, vt locũ possit habere correctio. Prædecessores verò Ioannis, & ipse Ioannes non semel, sed sæpissime epistolas atque libellos propria manu subscriptos, sanctis antecessoribus nostris miserunt, quibus coram Deo protestati sunt, nihil vnquam proterue contra Apostolicam Sedem agere, nec de illius, aut aliorum priuilegijs quicquam vsurpare. Qui hactenus in archiuo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sub sigillis ac chirographis eorum roborati habentur integri. In ipsis enim epistolis vel libellis, anathematis vinculo se & successores eorum constrinxerunt, si vnquam aliquod contra eos præsumpsissent, aut contra Apostolicam, vel vllius alterius episcopi sedem, quicquam aduersi quoquo modo essent moliti. Idcirco eos non est necesse excommunicare, aut anathematizare; quia ipsi anathematis vinculo, proprijs manibus professiones suas suaq; scripta roborando, constrinxerunt. Sciat se tamen & ipse Ioannes, nisi errorem suum cito correxerit, à nobis excommunicandum fore, & Apostolicæ Sedis atque omnium sanctorum episcoporum communione carere. Vniuersalitatis quoque nomen, quod sibi illicitè vsurpauit, nolite attendere, nec vocatione eius ad synodum, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, vnquam venire, si Apostolicæ Sedis & cęterorum episcoporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vnquam vtatur: quia si summus Patriarcha, vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cęteris derogatur. Sed absit hoc, absit à fidelis cuiusquam mente, hoc sibi vel velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter caritas vestra neminem vnquam suis in epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Aduersarius namque noster diabolus, qui contra humiles sæuiens, sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret, non iam, vt cernimus, cauas circuit: sed ita validè in quibusdam Ecclesiæ necessarijs membris dentem figit, vt nulli sit dubium, quia nisi vnanimiter, fauente Domino, cunctorum prouida pastorũ turba concurrat, omne quod absit, citius ouile dilaniet. Perpẽditis, fratres charissimi, quid è vicino subsequatur, cum & in sacerdotibus, erumpunt tam peruersa primordia. Quia enim iuxta est illi, de quo scriptum est: Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ (quod non sine graui dolore dicere compellor, dum frater & coepiscopus noster Ioannes mandata Dominica, & Apostolica præcepta, regulasq; patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine) vestræ beatitudini indicet omnipotens Dens, quam graui cõsiderationis huius gemitu torqueor, quod ille quõdam mihi notissimus, ille omnibus dilectus, ille, qui eleemosynis, orationibus, atque ieiunijs videbatur occupatus, & ex eo, quo fœtebat, cinere, ex ea, quam prætendebat, humilitate iactantiam tantam sumpsit, ita vt vniuersa sibi tẽtet adscribere, & omnia, quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per electionem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studeat membra subiungare. Nec mirum, quod ille tentator, qui initium omnis peccati scit esse superbiam, & tunc ea in primo homine ante omnia vsus est, & nunc eam in quibusdam hominibus ponit in fine virtutum: & qui aliquatenus bonis vitæ studijs videbãtur, crudelissimas manus eius effugere, eis in ipsis metis boni operis, & in ipsa quodammodo apponat perfectionis conclusione tendiculum. Vnde magnopere orandum est, & omnipotens Deus assiduis precibus implorandus, vt hunc à mente illius auertat errorem, hoc ab vnitate atque humilitate Ecclesiæ malum superbiæ & confusionis amoueat, & fauente Deo, omnibus viribus concurrendum atque prouidendum, ne in vnius veneno sermonis, viuentia in Christi corpore membra moriantur. Si enim dici hoc licenter permittitur, honor patriarcharũ omniu negatur: & fortasse is in errore perit, qui vniuersalis dicitur, & nullus iam episcovus remãsisse in statu veritatis inuenitur. Oportet ergo, vt constanter a csine præiudicio seruetis, sicut accepistis, ecclesias, & nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ vsurpationis ascribat. State fortes, state securi: scripta quę vniuersalis nominis falsitate condemnata sunt, nec dare vnquã, nec accipere præsumatis. Omnes episcopos curæ vestræ subiectos, ab huius adulationis inquinatione prohibete, vt vniuersa vos Ecclesia patriarchas non solum in bonis operibus, sed etiã in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem forsitan aduersa subsequãtur, vnanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostẽdere, quia in damno generalitatis, nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Audiamus, quod primus omnium Apostolorum dicit: Si quid patimini propter iustitiam, beati eritis. Mihi enim credite, quia honorem, quẽ pro prædicanda suscepimus veritate, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate relinquimus, quam tenemus. Orate, fratres, vt honor ecclesiasticus nostris diebus non euacuetur: nec vnquam Romana Sedes, quæ (instituente Domino) caput est omnium ecclesiarum, priuilegijs suis vsquam careat, aut expolietur. Confidimus aute de vobis, charissimi, meliora atque viciniora salutis: quia neque mors, neq; vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundũ, neque creatura alia (magistro gentium docẽte) poterit nos seperare à caritate Domini nostri Iesu Christi, & quæ in ipso est, recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim nobis necessaria est ad colluctationes aduersariorum, quatenus fidam intemeratam vsque in finem conseruãtes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his, qui legitimè certare deproperant. Adhuc enim modicum aliquãtulum, qui venturus est veniet, & non tardabit. Ecce enim iudex ante ianuam assistit, coronas hilariter promittens his qui pro eo passionibus submittuntur. Quod si quis se substraxerit, non placebit animæ meæ, sed cadet de promissione propter negationem. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem animæ. Propter quod assumite arma Dei, vt possitis resistere in die malo aduersus omnes inimicos sanctæ Dei Ecclesiæ & vestros, & induite loricam iustitiæ, calceati pedes in præparationẽ Euãgelij pacis, in omnibus assumẽtes scutũ fidei, in quo possitis omnia iacula nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationẽ & obsecrationẽ radicati & fundati in solatio fratrum pro Christo Iesu Domino nostro. Sed & nunc, fratres, commẽdamus vos omnes Domino, & verbo gratiæ eius, qui potest perficere & dare hæreditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem Deus pacis & consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, vt vobis inuicem succurratis, & non sitis diuisi, vt vnanimes, vnò ore & vno corde honorificemus

Eccl. 10.

Philip. 1. 2. Pet. 3.

Rom. Sedes caput omnium Ecclesiarum. Heb. 6. Rom. 8.

Heb. 10.

Abac. 2. iuxta LXX.

Iac. 5. Heb. 10. Ephes. 6.

Actor. 20.

Rom. 15.

mus eum in concordiam & consolationem fratrum, qui
Rom.16. potens est confirmare vos secundum Euangelium eius, & iuxta reuelationẽ mysterij æternis temporibus taciti, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Summoperè etiam considerare debetis, quod hi, qui fratribus inuident, eosque damnare aut perdere cupiunt, per se &
Matth.12. sua dogmata destruuntur. Dicit enim Dominus: Omne regnum in se diuisum, non stabit: & omnis scientia & lex aduersum se diuisa, non stabit. Ideoque necesse est, vt concorditer salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes diuinis & Apostolicis constitutionibus pareatis, & in nullo patiamini prouidẽtissima canonum decreta violari, quatenus & Nicenorum canonum constituta, & quæ à nobis,
Apoc.1. vel à prædecessoribus nostris sunt prouidè & salubriter decreta, intemerata permaneant in futuro, & in Apocalypsi Dñs per Ioannem loquitur dicens: Nolite timere, ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce sum
Apoc.2. viuens in secula seculorum. Et habeo claues mortis & inferni. Et paulò post: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Item idem: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et iterum: Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo ei potestatem super gentes, & reget illas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur. Item idem: Ecce sto
Apoc.3. ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum patre meo
Rom.1. in throno eius. Vos fratres, si non vultis cum eo damnari (quia non solum, qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, rei sunt) hortamini eum, & monete recedere à præfatis illicitis, & memor sit, vnde exciderit, & agat pœnitentiã, & prima opera faciat. Sin minus, non mea loquar verba, sed ipsa Domini saluatoris, quæ per prædictum Ioannem in iã
Apoc.2. dicto libro locutus est, replicans, aio: Veniam, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Ipse enim magis tenet doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum coram filijs Israel, sicut iste docet vos scandalizare sanctam matrem Ecclesiam, & vniuersum cœtum tam sacerdotum, quam religiosorum Christianorum atq; fidelium. Vnde & in supradicto libro continetur ita: (Semper enim potius vos verbis Domini saluatoris ferire & instrui copio, quam meis, licet & ipsa Apostolicæ auctoritatis sint ponderibus plena) noui opera tua nouissima
Ibid. plura prioribus. Sed habeo aduersus te, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetam, docere, & seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothytis. Et dedi illis tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere, à fornicatione sua. Ecce ego mitto eã in lectũ, & qui mœchantur cũ ea, in tribulationẽ maximã, nisi pœnitentiã egerint ab operibus suis, & filios eius interficiam in morte. Et sciẽt omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda & renes, & dabo vnicuique vestrũ secundum opera vestra. Hæc, fratres, valde cauenda sunt, & præcepta Domini, atq; sanctę Sedis Apostolicæ, quæ vice Domini saluatoris legatione fungitur, monita fideliter amplectenda & peragenda. De cætero, fratres, super prouinciæ causa, vnde Sedem Apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficiẽter tractatum à sanctis prædecessoribus nostris. Sed quia denuò nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignũ duxistis; scitote, certam prouinciam esse, quæ habet decem vel vndecim ciuitates, & vnum regem, & totidem minores potestates sub se, & vnum episcopum, aliosque suffragatores decem, vel vndecim episcopos iudices, ad quorum iudicium omnes causæ episcoporum, & reliquorum sacerdotũ, ac ciuitatum causæ referantur, vt ab his omnibus iustè consona voce discernantur, nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his, qui iudicandi sunt, appellatum. Vnde non oportet, vt degradetur, vel, vel dehonoretur vnaquæque prouincia, sed apud semetipsam habeat iudices, sacerdotes, & episcopos, videlicet iuxta ordines suos. Et quicunque causã habuerit, à suis iudicibus iudicetur, & non ab alienis, id est, à suæ iustis iudicibus prouinciæ, & non ab externis, nisi (vt iam prælibatum est) à iudicatis fuerit appellatum. Si verò in qualibet prouincia ortæ fuerint quæstiones, & inter ipsius prouinciæ episcopos discrepare cœperit ratio, atque inter ipsos dissidentes non conueniat, ad maiorem tunc Sedem referantur. Et si illæ facilè & iustè non discernuntur, vbi fuerit synodus regulariter congregata, canonice & iustè iudicentur. Maiores verò & difficiles quæstiones, (vt sancta synodus statuit, & beata consuetudo exigit) ad sedem Apostolicam semper referantur. Ceterum sanctorum patrum statuta sequentes, synodali auctoritate omnes qui aduersus patres armantur, vt patrum inuasores & matatores, infames esse censemus: quoniam ea vulnera, quæ fomentis non sanantur; ferro abscindi vel curari necesse est. Vnde fratres, cessent iniustæ æmulationes, cessent insidiæ, cessent falsæ criminationes, ne infirmus quisquam, propter quem Christus mortuus est, talibus laceretur insidijs: ne ouis, pretio Christi redemta, lupinis à fratre saucietur morsibus. Meritò ergo causa nos respicit, si talibus fauere cœperimus. Corripiantur semper talia, nec illis, qui hæc exercere conantur, aut patribus vel fratribus insidiantur, libere loqui concedatur, aut pro voluntate sermo proferri permittatur. Liquet omnino, quod conniueant illis, qui talia eos loqui permittunt: quoniam occurreret veritas, si falsitas & calumnia displiceret vel odium. Definat igitur falsitas incessere veritatem, desinat suspicio, quæ iustè repellitur, insidiari: desinat odium & inimicitia persequi patres vel fratres: desinat conspiratio, quæ ab omnibus est repudianda, infestare magistros. Horum igitur vitiorum auctores vel patratores, non sunt in accusatione pontificũ recipiendi, sed penitus repellendi: quoniam iubet canonica decreta patrum, vt accusatio vel testimonium eorum, qui odio quoslibet insequuntur, vel qui inimici aut suspecti habentur, nullo modo recipiantur. Quorum statuta & nos firmantes, eadem omnibus inuiolabiliter futuris temporibus tenere censemus. Quicquid autem super hac causa patres nostri decernendum duxere dignum, vt condecet, necesse est, cum labefactari vel infirmari cœperit, Apostolica denuo auctoritate firmari ac renouari, fratribus sque dari. Data Calendas martij, Anno Dom. 587. indictione quinta.

Notæ.

Epistola.] *Hæc est illa Epistola Pelagij, qua teste S. Gregorio, Synodi Constantinopolitanæ omnia acta, præterquam absolutionem Gregorij Antiocheni Episcopi cassauit & reprobauit: præcipuè verò illud decretum, quo Ioannes Constantinopolitanus Episcopus nomen Oecumenici sibi arrogantur vsurpauerat. Qua de re vide quæ infra dicam in notis allegatæ Synodi Constantinopolit. Ridiculum est, quod ex hac epistola nouantes hæretici primatum Ecclesiæ impugnent; cum hinc potius vndecim validissima argumenta colligi possint, quibus Romani Pontificis primatus firmissime corroboratur. Vide Baron. an. 587. n. 7. & 13. 14. & 15.*

EPISTOLA IX. B. PELAGII Papæ II.

Nouem præfationes, inter Missarum solemnia decantandæ, à Romana Ecclesia recipi.

Pelagius Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedis Episcopus, vniuersis Germaniarum ac Galliarum regionum episcopis. Cum in Dei nomine in Romana Ecclesia synodum episcoporum siue ceterorum consacerdotum Dei fidelium congregatam habuissemus, & de Ecclesiasticis statutis, vt sunt ab Apostolis & sanctis patribus tradita, diligentius tractaremus; super-uenere litteræ vestræ, & vt magnæ essent auctoritatis, etiam viuæ voces præcesserunt, rogantes, vt ordinem præfationum, quam sancta Romana Ecclesia hactenus haberet, nostris litteris vobis remandaremus. Tũc de vestra volũtate & studio tã bono, multũ gauisi sumus, & sacrũ ordinẽ Romanũ, sacraq; constituta nostrorũ antecessorũ solerter relegentes, inuenimus has nouẽ præfationes in sacro catalogo tantũmodo recipiẽdas, quas lõga retro veritas in Romana Ecclesia hactenus seruauit: Vnã in albis Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de

Natali

Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octauam de Cruce, nonam de Ieiunio & quadragesima tantummodò dicendam. Has præfationes tenet & custodit sancta Romana Ecclesia. Has tenendas vobis mandamus.

NOTÆ in Epist. præcedentem.

Ordinem præfationum] *De Præfationibus meminere Concilium Mileuit. cap. 12. & Afric. cap. 70. Earum nouem de quibus hic; auctor proditur Gelasius, in libro Pontificali. Decimam de B. Virgine, edidit Vrbanus secundus, in Concilio Placentiæ habito, vt ait Grat. ad d. 70. & alij.*

EPISTOLA X. PELAGII II. ad Benignum Archiepiscopum.

QVOD enim in canonibus legitur: Nō debere Episcopum de ciuitate transire vel transferri: non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate maiorum hoc agunt; sed de his qui auaritiæ ardore inflammati sponte sua prosiliunt, & potius ambitioni, quam vtilitati Ecclesiæ seruire, & vt dominationem agant, insistere cupiunt. Vnde & in subiectis canonibus continetur: Si aliquis extiterit temerarius, qui forsitan *accusationem afferat quod populi litteras acceperit, & ideo migrauerit, dū manifestum sit, præmio & mercede paucos qui sinceram fidem non habent potuisse corrumpi, vt clamarent, in Ecclesia, & ipsum *repetere viderentur Episcopum: omnino has fraudes remouendas esse censemus, his verbis & alijs multis exemplis liquet non de his dicere (vt paulo superius prælibatum est) qui pulsi, aut non recepti à ciuibus, vel à quibuscunque aut necessitate cogente vel auctoritate maiorum transeunt de ciuitate ad ciuitatem, sed de his qui spōte prosiliunt, aut temeritatis, vel ambitionis causa hoc faciunt: Nam aliud est sponte transire, & aliud est coacte aut necessitate venire; vnde non isti mutant ciuitates, sed mutantur, quia non sponte, sed coacte hoc agunt. Quis enim vnquam audet dicere sanctum Petrum Apostolorum Principē non benè gessisse, quando mutauit Sedem de Antiochia Romā? aut quis eum negat ob id sanctū nomen; aut dignitatem & meritum Apostolatus tam in cælis quam in terris perdidisse? aut quis dicat sanctos non esse multos alios Episcopos, qui de ciuitatibus ad ciuitates translati sunt, aut meritum Pontificatus perdidisse, quorum nomina si inciperem enumerare ante dies transiret, quam omnino transcribere possem, & prolixior fieret epistola quam necesse foret. Aut quis vnquam approbare potest, sanctos non esse Alexandrum, qui Hierosolymam de altera ciuitate translatus est; aut sanctum Gregorium Nazianzenum, qui Nazianzeno Constantinopoli constitutus est; aut sanctum Proclum qui de Cizico translatus est, & Constantinopoli est inthronizatus?

Non ergo benè intelligunt Ecclesiasticas regulas qui hoc negant causa vtilitatis aut necessitatis fieri non posse, quotiens communis necessitas, aut vtilitas persuaserit. Nullum enim ex his, aut ex alijs qui meliori consilio mutauerunt ciuitates, necessitate quadam vel vtilitate, Ecclesiastica, aut laica communione carere reperimus, ne vllatenus vnquam fieri debeat. Sententia verò quæ in Antiocheno Concilio habetur: Vt Episcopus ab alia parochia nequaquam migret ad aliam terram, atque omnes sententiæ de eadem re (vt superiùs comprehensa retinent) nihil prætaxato modo translationibus Episcoporum actis vel agendis nocent. Sed magis robur eis à Domini Saluatorisque omnes canonicos *superexaltetur libros auctoritate præstant. Tales autem quæstiones magis ex inuidia, quam ex caritate, aut vtilitate nasci videntur, cum ipsa per se veritas dicat: Si vos persecuti fuerint in vnam ciuitatem fugite in aliā & reliqua: Huic etgo sententiæ nullus Catholicorum vsquam contradicere potest, quæ nō alterius, sed ipsius proprio Domini ore prolata & confirmata esse dignoscitur, cui si aliquid contradixerit, non solum extorris, sed etiam anathematizatus ab Ecclesia pellatur.

DECRETA PELAGII HAEC SVNT, ex Gratiano, quæ secundo tribuuntur.

Pelagius Papa Antonina Patriciæ, & Decia. 16. q. 1. de Præsentiū

DE præsentium portitore, quòd defensor factus non est, nulla vobis animi molestia sit: quia verè satis amarissimum habeo de isto proposito ad illud *officium homines deduci, in quo nullo modo, quæ à monachis Deo promissa sunt, valeant adimpleri. Omnimoda enim est illius habitus, & istius officij diuersitas. Illic enim quies, oratio, labor manuum; at hic causarum cognitio, conuentiones, actus, publica litigia, & quęcunque vel ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit. Faciat autem Deus, vt tales sint hi, qui vel à nobis in isto habitu nutriuntur, vel in monasterijs crescunt; vt prouecta ætate, & vita probata non ad litigiorum officia, sed ad sacerdotium valeant promoueri. Iuo. p. 7. cap. 23. *al. aliud

PELAGIVS PAPA Florentino Episcopo. d. 34. Fraternitatis.

Qui post mortem, &c.

FRaternitatis tuæ relatione susceptā, eius latorem secundas quidem nuptias, expertum non fuisse didicimus; castitatem tamen eum *priori non seruasse coniugio designasti. Et quamuis multa sint, quæ in huiusmodi casibus obseruari canonice iubeat sublimitatis *auctoritas: tamen quia defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram, & ætas illius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dinoscitur; vt ad diaconatum possit prouehi, temporum, vt dictum est, condescendentes defectui concessisse nos noueris. *& infra.* Micenam *vero ancillā eius, de qua se post transitum vxoris filios habere confessus est, iubemus, vt tua dispositione cuiquam monasterio continentiam professura tradatur. Anst. l. 7. c. 68. al. 73. Poly. l. 2. titul. 1. *al. cum *al. subtilitatis *al. Micinam

PELAGIVS PAPA clero Catinensi. 8. q. 3. Talia

Qui in episcopum eligitur &c.

TAlia quidem iam dudum ad fratrem, & coepiscopum nostrum Eucarpum de visitatione Catinensis ecclesię scripta direximus, vt in eis iudicium nostrum potuisse tis agnoscere. Veruntamen, quia quosdam ibi non sana intentione, sed prauis studijs dissensiones suscitare, vestra etiam relatione, cognouimus, qui scientes se ad episcopatum nec ætate, nec scientia, nec vitæ meritis posse perduci, ad hoc tantummodo inquietare ecclesiam volunt, vt sibi de his, quæ ex ipsa præsumpta sunt, impunitatem futurus promittat episcopus, & fiat rapinæ securitas, episcopatus ambitio; hoc etiam vos duximus commonendos, vt decretum in Elpidium diaconum factum, & subscriptū ab omnibus, quos vestra relatio designauit, ad nos cum prædicti visitatoris epistola, & cum eodem diacono maturetis, Deo propitiante, perducere. *& post pauca.* Cum igitur huc filius noster magnificus vir Leo prætor venisset, retulit nobis de singulis, quæ ibi mota sunt, & quomodo vota prope totius ciuitatis in Elpidio diacono concordarent. Vnde quia de memorati viri testimonio dubitare omnino non possumus; idcirco, sicut dictum est, Elpidium diaconum ad nos facite properare: nec expectetis vlterius, vt admonitio ad eum nostra debeat destinari. * Quem tamen hoc per vestram dilectionem in præsenti iussione specialiter admonemus, ne cui se aliquid dare, vel daturum esse promittat: sed neque de ecclesiasticis præteritis causis aliquam securitatem cuiquam audeat facere, siue promittere, aut quasi factus episcopus ea quæ direpta sunt nō repetat, sed apud eos, à quibus direpta Anst. l. 6. c. 40. Polyc. l. 2. tit. 3. *al. iterari Emēdatus est hic locus ex Anselmo & Polycarpo

ſunt, permanere libere patiatur: ſciens, quòd ſi tale aliquid fecit, vel fecerit, nec à nobis omnino permittitur velere ipſa promiſſio, & cum iudicij noſtri, quod de ipſo habuimus, damno, paſtoralis conſecrationis ordinem promereri non poterit.

10.q.3.Illud.

PELAGIVS PAPA
Creſconio Illuſtri.

De exactionibus Epiſcoporum.

Iuo.p.3.c.236.

ILlud te volumus modis omnibus cuſtodire, ne qui epiſcoporum Siciliæ de parochijs ad ſe pertinentibus nomine cathedratici amplius quàm duos ſolidos præſumant accipere; neq; compellere preſbyteros, aut clerum parochiarum ſuarum ſupra vires ſuas eis conuiuia præparare.

11.q.1.Experientiæ.

PELAGIVS PAPA
Benegeſto Defenſori.

Ante Iudicem Ciuilem clerici non accuſentur.

EXperientiæ tuæ præſenti auctoritate mandamus, vt in cauſis, in quibus quælibet eccleſiaſtici officij perſona loco petitoris exiſtit, quẽquam laicum pulſatura apud ſuæ prouinciæ iudicem ſuas proponere actiones non deſerat*. In ijs vero negotijs, in quibus eccleſiaſtici officij perſona pulſatur, totius ſubmoto pulſationis obſtaculo, ad epiſcopi, vel preſbyterorum in loco, vbi quæſtio vertitur, conſtitutorum occurrat indifferenter examen.

*Tex.eſt pro hoc in l.1.& l.in criminali. C.de iur. om.iud & l.fi C vbi in rem act. non det.

ITEM SERGIO
Cancellario.

al. Idem.

SI quiſquam clericus, ſiue inferioris, ſiue potioris gradus petitor exiſtat, & contra laicam perſonam ſuas dirigat actiones; iſte modis omnibus non alibi, quàm apud prouinciæ iudicem negotium ſuum dicturus occurrat. Si quis autem laicus clericum cuiuſcunque gradus duxerit eſſe pulſandum, ad epiſcoporum iudicium in eadem ciuitate, vel territorio conſtitutorum proponat eas, quas ſe habere exiſtimat, actiones. Quem ordinem legibus per omnia conuenientem, atque conſentaneum demonſtrari illa regula manifeſtat, quæ præcepit actorem forum ſemper ſequi pulſati. Clericis vero pulſatis in epiſcopali iudicio forum competere, principalium quoque ſanctionum deſignat auctoritas.

Sup.3.q.6. neminem.

CONCILIVM PARISIENSE V. IN CAVSA PRAETEXTATI Rhotomagenſis Epiſcopi celebratum anno Domini 580. ſub Pontificatu Pelagij II.

NOTÆ.

Cauſa Concilij.

Concilium] *Cum Moroueus maior natu Chilperici filius, Brunichildem Sigeberti Regis ac patrui ſui relictam vxorem (quam Chilpericus apud Rhotomagum exulare iuſſerat) ſibi in matrimonium copulaſſet, patrem Chilpericum acerrimè offendit, & ad arma contra filium capeſſenda commouit. Hic victum & captum prælio filium, tonſurari & presbyterum ordinari curauit. Poſt aliquot tempora veſte ſæculari indutus inde fugiens ad baſilicam S. Martini profugit; ibique communionem à Gregorio per minas, (quod dolendum eſt in viro alioquin ſanctiſsimo,) excucullatus apoſtata extorſit. Vt è baſilica eijceretur filius apoſtata, Rex Chilpericus à Gregorio poſtulauit; ſed non fuit exauditus, propterea quod confugientes ad Eccleſiam ab ea per vim non ſint eijciendi. Interea Moroueus præſidio Eccleſia non diutius confidens, ab ea fugit, & ad Brunichildem Reginam peruenit. Factũ filij turpiſsimum, inſtantia Reginæ Fredegundis datũ eſt crimini Praetextato Rothomagenſi Epiſcopo; quaſi is cum filio rebelli & incæſtuoſo contra Regem rebellaſſet. Cum accuſatus de obiectis calumnijs ſe plenè purgaſſet; dolo tandem Regis inductus eſt, vt ſe reum profiteretur, & peteret veniam, quam Rex ſua clementia daturus eſſet. Damnatus iuxta propriam confeſsionem, in exilium actus eſt. Acta Concilij extant apud Gregor. Turon. lib. 5. hiſt. Franc. cap. 18. quæſic habent:*

Acta Concilij.

Adductus eſt igitur in Synodum Prętextatus Epiſcopus. Rex aduerſus eum cauſam agens, ſic eſt locutus: Quid tibi viſum eſt, ô Epiſcope, vt inimicum meum Meroueum, qui filius eſſe debuerat, cum amica ſua, id eſt, patrui ſui vxore coniungeres? An ignarus eras, quæ pro hac cauſa canonum ſtatuta ſanxiſſent? Etiam non hic ſolum exceſſiſſe probaris: ſed etiam cum illo egiſti, datis muneribus, vt ego interficerer, hoſtem autem filium patri feciſti, ſeduxiſti pecunia plebem, vt nullus mecum fidem habitam cuſtodiret; voluiſtique regnum meum in manus alterius tradere. Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque oſtia baſilicę rumpere, quaſi vt extractum ſacerdotem lapidibus vrgeret: ſed Rex prohibuit fieri.

Prætextatus accuſatus à Rege idem confitetur.

Cumque Prætextatus Epiſcopus ea quæ Rex dixerat, facta negaret: aduenerunt falſi teſtes, qui oſtendebant ſpecies aliquas, dicentes: Hæc & hæc nobis dediſti, vt Meroueo fidem promittere deberemus. Ad hæc ille dicebat: Verum enim dicitis, vos à me ſæpius muneratos; ſed non ex hac cauſa extitit, vt Rex eijceretur è regno. Nã & cùm vos mihi & equos optimos & res alias præberetis: nunquid poteram aliud facere, niſi & ego vos ſimili forte remunerarem? Recedente verò Rege ad metatum ſuum, nos collecti in vnum ſedebamus in ſecretario baſilicæ beati Petri. Confabulantibuſque nobis, ſubitò aduenit Ætius Archidiaconus Eccleſiæ Pariſiacæ, ſalutatiſque nobis ait: Audite me, ô ſacerdotes Domini, qui in vnum collecti eſtis. Aut enim hoctẽpore exaltabitis nomen veſtrum, & bonę famæ gratia refulgebitis: aut certè nullus vos amodo pro Dei ſacerdotibus eſt habiturus, ſi perſonas veſtras ſagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis. Hæc eo dicente nullus ſacerdotum ei quicquam reſpondit: timebant enim Reginæ *Fredegundis ſcilicet*, furorem, cuius inſtinctu hæc agebantur. Quibus intentis, & ora digito comprimentibus, ego aio: Attenti eſtote, quæſo, ſermonibus meis, ô ſanctiſſimi ſacerdotes Dei, & præſertim vos qui familiares Regi eſſe videmini. Adhibete ei conſilium ſanctum & ſacerdotale, ne exardeſcens in miniſtrum Dei, pereat ab ira eius, & regnum perdat & gloriam.

Ætij archidiaconi iuſſignio.

Illis verò ſilentibus, adieci: Mementote, domini mei ſacerdotes, verbi Prophetici, quod ait: Si viderit ſpeculator iniquitatem hominis, & non dixit; reus erit animę pereuntis. Ergo nolite ſilere, ſed prædicate, & ponite ante oculos Regis peccata eius, ne forte ei aliquid mali contingat, & vos rei ſitis pro anima eius. An ignoratis quid nouo geſtum fuerit tempore? quomodo apprehenſum Sigiſmundum Clodomeris retruſit in carcerem, dixitque ei Auitus Dei ſacerdos: Ne ejcias manuum in eum, & cum Burgundiam petieris, victoriam obtinebis. Ille verò abnuens quæ ei à ſacerdote dicta fuerant, abijt, ipſumque cum vxore & filijs interemit; petijtque Burgundiam, ibique oppreſſus ab exercitu, interemptus eſt. Quid Maximus Imperator? nonne cùm beatum Martinum compuliſſet communicare cuidam homicidæ Epiſcopo: & ille quò facilius addictos morti liberaret, Regi impio conſenſiſſet: proſequente Regis æterni iudicio, ab Imperio depulſus Maximus, morte peſſima condemnatus eſt? Hæc me dicente, non reſpondit vllus quicquam, ſed erant omnes intenti & ſtupentes.

Gregorij grauis ſententia. Ezech.3.

Duo autem adulatores ex ipſis (quod de Epiſcopis dici, dolendum eſt) nunciauerunt Regi, dicentes, quia nullum maiorem inimicum, quàm me haberet. Illicò vnus ex aulicis curſu rapido ad me repræſentandum dirigitur. Cumque veniſſem, ſtabat Rex iuxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram eius Bertheramnus Epiſcopus, ad lævam verò Ragnemodus ſtabat (*hic erat Epiſcopus Pariſienſis ſucceſſor S. Germani*) & erat ante nos ſcamnum pane deluper pleſſor S. Germani) & erat ante nos ſcamnum pane deluper pleſſum cum diuerſis ferculis. Viſoque me, Rex ait: O Epiſcope, iuſtitiam cunctis largiri debes: & ecce ego iuſtitiam à te non accipio, ſed (vt video) conſentis iniquitati, & impletur in te prouerbium illud, quod Coruus oculum corui non eruet. Ad hæc ego: Si quis de nobis, ô Rex, iuſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt: Si verò tu excelleris, quis te corripiet? Loquitur enim tibi: ſed ſi voleris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is

Quia Rex adiecerat Gregorio ingeria.

qui

qui se pronunciat esse iustitiam? Ad hæc ille (vt erat ab aduersatoribus contra me accensus) ait: Cum omnibus enim inueni iustitiam, & tecum inuenire non possum. Sed scio quid faciam, vt noteris in populis, & iniustum te esse omnibus perpatescat. Conuocabo enim populum Turonicum, & dicam eis: Vociferamini contra Gregorium, quòd sit iniustus, & nulli hominum iustitiam præstet. Illis quoque hæc clamantibus respondebo: Ego qui Rex sum, iustitiam cum eodem inuenire non possum: & vos qui minores estis, inuenietis? Ad hæc ego: Quòd sim iniustus tu nescis: scit enim ille conscientiam meam, cui occulta cordis sunt manifesta. Quod verò falso clamore populus, te insultante, vociferatur, nihil est: quia sciunt omnes à te hæc emissa; ideoque non ego, sed potiùs tu in acclamatione notaberis. Sed quid plura? habes leges & canones: hæc te diligenter rimari oportet: & tunc quæ præceperint, si non obseruaueris, noueris tibi Dei iudicium imminere. At ille quasi me demulcens (quod dolose faciens putabat me non intelligere) conuersus ad iuscellum, quod coram me erat positum, ait: Propter te hæc iuscella paraui, in quibus nihil aliud præter volatilia & parum perciceris continetur. Ad hæc ego, cognoscens adulationem eius, dixi: Noster cibus esse debet, facere voluntatem Dei, & non his delicijs delectari; vt ea quæ præcepit, nullo casu prætermittamus. Tu verò qui alios de iustitia culpas, pollicere prius quod leges & canones non omittas, & tunc credimus quod iustitiam prosequaris. Ille verò porrecta dextra, iurauit per omnipotentem Deum, quod ea quæ lex & canones edoceant, nullo prætermitteret pacto: Post hæc accepto pane, & hausto vino, discessi. *hactenus Gregorius de prima Synodi Actione: quæ autem post hæc facta sint, antequam iterũ Synodus cogeretur, sic narrat.*

Furtum regnum Neustrasiæ obiectũ.

Ea verò nocte decantatis nocturnalibus hymnis, ostium mansionis nostræ grauibus audio cogi verberibus: missosq; pueros nuncios Fredegundis Reginæ adstare cognosco, quibus introductis salutationem Reginæ suscipio. Deinde precantur pueri, vt in eius causis contrarius non existam: simulque ducentas argenti promittunt libras, si Prætextatus, me impugnante, opprimeretur, dicebant enim: Iam omnium Episcoporum promissionem habemus: tantùm tu aduersus non incedas. Quibus ego: Si mihi mille libras auri argentique donetis, nunquid aliud facere possum, nisi quod Dominus agi præcepit? Vnum tantum polliceor, quod ea quæ cæteri secundum canonum statuta consenserint, sequar. At illi non intelligentes, quæ dicebam, gratias agentes discesserunt. Manè autem facto aliqui de Episcopis ad me venerunt, simile mandatum ferentes: quibus ego similia respondi, &c. *sequitur modò Actio eiusdem Synodi secunda, quæ sic se habet.*

Actio Prætextati Synodi secunda.

Conuenientibus autem nobis ad basilicam S. Petri, manè Rex affuit, dixitque: Episcopus enim in furtis deprehensus ab Episcopali officio vt auellatur, canonum auctoritas sanxit. Nobis quoque respondentibus, quis ille sacerdos esset, cui furti crimen irrogaretur, respondit Rex: Vidistis enim species, quas nobis furto abstulit (ostenderat enim nobis ante diem tertiam Rex duo volucra speciebus & diuersis ornamentis referta, quæ pretiabantur amplius quàm tria millia solidorum, sed & sacculum cum numismatis auri pondere tenentem quasi millia duo) hęc enim dicebat Rex sibi ab Episcopo Prætextato fuisse furata. Qui respondit: Recolere vos credo, discedente à Rhotomagensi vrbe Brunichilde Regina, quod venerim ad vos: dixique vobis, quia res eius, id est, quinque sarcinas, commendatas haberem; & frequentius aduenire pueros eius ad me, vt ea redderem, & nolui sine consensu vestro. Tu autem dixisti mihi, ó Rex: Eijce hæc à te, & reuertantur ad mulierem suæ res; ne inimicitiæ inter me & Childebertum nepotem meum pro his rebus debeant pullulare. Rursus ergo ego ad vrbem, vnum volucrem tradidi pueris: non enim volebant amplius ferre. Reuersi iterum requirebant alia: Iterum consului magnificentiam vestram: tu autem præcepisti, dicens: Eijce, eijce hæc à te, ô sacerdos, ne faciat scandalum hæc causa. Iterum tradidi eis duo ex his, duo autem alia remanserunt mecum. Tu autem quid nunc me calumniaris, & me furti arguis, cùm hæc causa non ad furtum, sed ad custodiam debeat deputari?

Furti arguitur Prætextatus.

Ad hæc Rex: Si hoc depositum penes te habebatur ad custodiendum, cur soluisti vnum ex his, & limbum aureis contextum filis in partes desecasti, & dedisti per viros, qui me à regno deijcerent? Prætextatus Episcopus respondit: Iam dixi tibi superius, quia munera eorũ acceperant: ideoque cùm non haberem quod de præsenti darem, hinc præsumpsi, & eis vicissitudinem munerum tribui, proprium mihi esse videbatur, quod filio meo Moroueo erat, quem de lauacro regenerationis excepi. Videns autem Rex Chilpericus, quod eum his calumnijs superare nequiret, attonitus valde ac conscientia confusus discessit à nobis: vocauitque quosdam de adulatoribus suis, & ait: Victum me verbis Episcopi fateor, & vera esse quæ dicit, scio, quid nunc faciam, vt Reginæ de eo voluntas adimpleatur? Et ait: Ite, & accedentes ad eum dicite, quasi consilium ex vobismetipsis dantes: Nosti quod sit Rex Chilpericus pius atque cõpunctus, & citò flectatur ad misericordiam, humiliare sub eo, & dicito ab eo obiecta à te perpetrata fuisse: tunc nos prostrati omnes coram pedibus eius, dari tibi veniam impetramus. His seductus Prætextatus Episcopus, pollicitus est se ita facturum. *hactenùs secunda Actio Synodi. Sequitur rursus tertia & vltima.*

Actio tertia synodi Parisiensis.

Mane autem facto, conuenimus ad consuetum locum: aduenienq; & Rex, ait ad Episcopum: Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur sacramenta postulasti, vt fidem Moroueo seruarent? Respondit Episcopus: Petij, fateor, amicitias eorum haberi cum eo: & non solum hominem, sed si fas fuisset, Angelũ de cęlo euocassem, qui esset adiutor eius; filius enim mihi erat (vt sæpè dixi) spiritualis ex lauacro. Cumq; hæc altercatio altiùs tolleretur, Prætextatus Episcopus prostratus solo, ait: Peccaui in cælum & coram te, ô Rex misericordissime: ego sum homicida nefandus, ego te interficere volui, & filium tuum in solio tuo erigere. Hæc eo dicente, prosternitur Rex coram pedibus sacerdotum, dicens: Audite, ô pijssimi sacerdotes reum crimen execrabile confitentem. Cumq; nos flentes Regem eleuassemus à solo, iussit eum basilica egredi. Ipse verò ad metatum discessit, transmittens librum canonum, in quo erat quaternio nouus annexus, habens canones quasi Apostolicos, cõtinens hæc: Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehensus, à sacerdotio diuellatur.

His ita lectis, cùm Prætextatus staret, stupens Bertherãnus Episcopus ait: Audi, ô frater & coepiscope, quia Regis gratiam non habes, ideoque nec nostra charitate vti poteris, priusquam Regis indulgentiam merearis. His ita gestis, petijt Rex, vt aut ei tunica scinderetur, aut cẽtesimus octauus psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput eius recitaretur, aut certè iudicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret, quibus conditionibus ego restiti, iuxta promissum Regis, vt nihil extra canones gereretur. Tunc Prętextatus à nostris raptus oculis, in custodiam positus est: de qua fugere tentans, nocte grauissimè cæsus, in insulam maris, quæ adiacet ciuitati Constantinæ, in exilium est detrusus.

Prætextatus detruditur in carcerem.

CONCILIVM CABILONENSE I. IN CAVSA SAGITTARII & Salonij Episcoporum, celebratum anno 18. Guntheramni Regis; qui est 4. Childeberti & 782. Christi Redemptoris.

NOTÆ.

Acta Concilij.

Concilium] *De hac Cabilonensi prima, hæc summatim Greg. Turon. lib. 5. hist. Franc. c. 27.* Anno quoq; quarto Childeberti Regis, qui fuit decimus octauus Guntheramni & Chilperici Regum, apud Cabilonum ciuitatem synodus facta est ex iussu principis Guntheramni: discussisque diuersis causis contra Salonium & Sagittariũ Episcopos iteratur vetus iudicium, obijciunturq; eis crimina: & non solũ de adulterijs, verum etiam de homicidijs accusantur. Sed hæc per pœni-

tentiam purgari censentes Episcopi illud est additũ, vt constituerentur rei maiestatis & patrię proditores. Qua de causa ab Episcopatu deiecti, in basilicam B. Marcelli sub custodia detruduntur: ex qua per fugam elapsi discesserunt per diuersa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij subrogati sunt. *Hæc de Synodo Cabilonensi Greg. præd. loco. Baron. an. 582. n. 9.*

CONCILIVM MATISCONENSE PRIMVM, SVB PELAGIO II. Anno 18. Guntheramni Regis, qui est Christi Redemptoris nostri 582. celebratum.

Capitulum Primum.

CVM ex euocatione glorioſiſſimi domini Guntramni Regis, tam pro cauſis publicis, quàm pro neceſſitatibus pauperum in vrbe Matiſcenſi, noſtra mediocritas conueniſſet, Primo in loco nobis viſum eſt, vt in nomine Domini non tam noua, quàm priſca patrum inſtituta ſanctientes, idipſum conſtituamus, quod titulis præſentibus in canonibus legitur inſertum. Ideoque definitum eſt, vt epiſcopi, vel preſbyteri atque diaconi, ita ſanctæ conſcientiæ luce reſplendeant, vt effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, ac teſtimoniũ in ſe diuinum implere contendant, quod Dominus ait: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra opera bona, & magnificent patrem veſtrum, qui eſt in cælis. Igitur authoritate canonica, atque manſura in æuum conſtitutione ſancimus, vt fugiatur ab his extraneárum mulierum culpanda libertas, & tantùm cum auia, matre, ſorore, vel nepte, ſi neceſſitas fuerit, habitent.

Matth. 5.

Cum quibus tantũ fœminis cohabitare clericis liceat.

2 Vt nullus epiſcopus, preſbyter, diaconus, clericus, vel quicunque ſecularis, in monaſterijs puellarum, niſi probatæ vitæ & ætatis prouectæ, præter vtilitatem, aut pro quacunque reparatione monaſterij, in quacunque earum neceſſitate, habitare, aut ſecretas collocutiones habere præſumant: ne intra ſalutatorium aut oratorium ingredi permittantur: præcipuè Iudæi, non, pro quorumcunque negociorum occaſione, puellis intra monaſterium Deo dicatis aliquid ſecretiùs colloqui, aut familiaritatem vel moras ibidẽ habere præſumant.

De cautione circa puellarũ Monaſteria.

3 Vt nulla mulier in cubiculo epiſcopi, abſque duobus preſbyteris, aut certè diaconis, ingredi permittatur.

4 Vt qui oblationes fidelium defunctorum, quæ eccleſijs conferuntur, retinent, veluti retentores eccleſiæ & necatores egentium, ab eccleſiæ liminibus arceantur.

Clericalis habitus ſit religioſus.

5 Vt nullus clericus ſagum, aut veſtimenta, aut calceamẽta, niſi quod religionem deceat, induere præſumat. Quòd ſi poſt hanc definitionem clericus, aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit, à ſeniore ita coerceatur, vt 30. dierum incluſione detentus, aqua tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.

6 Vt archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat.

* pro Iudex ſecularis, clericum ne iudicet, præterquã in criminali cauſa.

7 Vt nullus clericus * de qualibet cauſa, extra diſcuſſionẽ epiſcopi ſui à ſæculari iudice iniuriam patiatur, aut cuſtodię deputetur. Quòd ſi quicunque iudex cuiuſcunq; clericũ abſq; cauſa criminali, id eſt, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortaſſe præſumpſerit, quàm diu epiſcopo loci illius viſum fuerit, ab eccleſiæ liminibus arceatur.

Clerici coram Iudice ſæculari ne cauſas agant.

8 Vt nullus clericus ad iudicem ſecularem, quemcunque alium fratrem de clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere, quocunque loco præſumat, ſed omne negocium clericorum, aut in epiſcopi ſui, aut in preſbyteri, aut archidiaconi præſentia finiatur. Quòd ſi quicunque clericus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat: ſi certè honoratior, 30. dierum incluſione mulctetur.

Clericis certum indictum ieiunium.

9 Vt à feria Sancti Martini vſque ad natalem Domini, ſecunda, quarta, & ſexta ſabbati ieiunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus canones legendos eſſe ſpeciali diffinitione ſancimus, vt nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe.

10 Vt preſbyteri, diaconi, vel quolibet ordine clerici, ita epiſcopo ſuo obedientiæ deuotione ſubiaceant, vt non alibi dies feriatos, niſi in obſequio illius, liceat tenere aut celebrare. Quòd ſi quis per quamcunque contumaciam, aut per cuiuſcunque patrocinium, hoc facere diſtulerit, ab officio ſegregetur.

11 Epiſcopi, preſbyteri, vel vniuerſi honoratiores clerici, cum ſublimi dignitatis apice ſublimentur, actibus omninò renuncient ſeculi, & ſacro electi miniſterio, repudient carnale conſortium, ac permixtionis priſtinæ contubernium permutent germanitatis affectu: & quiſquis ille eſt, diuino munere benedictione percepta, vxori priùs ſuæ frater ilicò efficiatur ex coniuge. Eos vero quos reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto religionis cingulo, ad vomitum priſtinum & inhibita rurſus coniugia repetiſſe, atque inceſti quodammodò crimine clarum decus ſacerdotij violaſſe, quod nati etiam filij prodiderunt, quod qui feciſſe cognoſcitur, omni in perpetuum, quam admiſſo iam crimine perdidit, dignitate priuabitur.

Clerici qui ad ſæculi honores reuertuntur, priuentur.

12 De puellis verò, quæ ſe Deo vouerint, & præclaræ decore ætatis ad terrenas nuptias tranſierint, id conſtituendum eſſe decreuimus, vt ſi qua puella voluntariè, aut parentibus ſuis rogantibus religionem profeſſa, vel benedictionem fuerit conſequuta, & poſteà ad coniugium, aut illecebras ſeculi (quod potiùs ſtuprum eſt, quàm coniugium) iudicandum) tranſgredi præſumpſerit, vſque ad exitum cum ipſo, qui ſe huiuſmodi conſortio miſcuerit, communione priuetur. Quòd ſi pœnitentia ducti, ſe ſequeſtrauerint, quãdiu epiſcopo loci illius viſum fuerit, à communionis gratia ſuſpendantur: ita tamen, vt propter infirmitatem, aut ſubitaneum tranſitum vitæ, communio illis (miſerationis intuitu) non negetur.

13 Nec Iudæi Chriſtianis populis iudices deputentur, aut telonarij eſſe permittantur, per quod illis (quod Deus auertat) Chriſtiani videantur eſſe ſubiecti.

14 Vt Iudæis à cœna Domini vſq; ad primam diem poſt paſcha, ſecundum edictũ bonæ recordationis domini Childeberti regis, per plateas aut forum, quaſi inſultationis cauſa, deambulandi licentia denegetur: & vt reuerentiam cunctis ſacerdotibus Domini vel clericis impendant, nec ante ſacerdotes cõſeſſum, niſi ordinati, habere præſumant. Qui hoc facere fortaſsè præſumpſerit, à iudicibus locorum (prout perſona fuerit) diſtringatur.

Conc. Aurel. 3. can.

15 Vt nullus Chriſtianus Iudæorum conuiuijs participare præſumat. Quod ſi facere quicunque (quod nefas eſt dici) clericus aut ſecularis præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe nouerit compeſcendum, quiſquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.

16 Et licet quod de Chriſtianis, qui aut captiuitatis incurſu, aut quibuſcunque fraudibus Iudæorum ſeruitio implicantur, debeat obſeruari, non ſolùm * canonicis, ſed & legum beneficio iam pridẽ fuerit conſtitutũ: tamen quia nũc ita quorundã querela exorta eſt, quoſdã Iudæos per ciuitates aut municipia conſiſtentes, in tantam inſolentiam & proteruiam prorupiſſe, vt nec reclamantibus Chriſtianis liceat, vel precio de eorum poſſe ſeruitute abſolui: idcircò præſenti concilio, Deo authore, ſancimus, vt nullus Chriſtianus Iudęo deinceps debeat deſeruire, ſed datis pro quolibet bono mancipio 12. ſolidis, ipſum mancipium quicunque Chriſtianus, ſeu ad ingenuitatem, ſeu ad ſeruitium licentiam habeat redimendi: quia nefas eſt, vt quos Chriſtus dominus ſanguinis ſui effuſione redemit, perſecutorum vinculis permaneant irretiti. Quòd ſi acquieſcere his, quæ ſtatuimus, quicunque Iudæus noluerit, quàm diu ad pecuniam conſtitutam venire diſtulerit, liceat, mancipium ipſum ſuum cum Chriſtianis, vbicunque voluerit, habitare.

for. * canonibus.

17 Id etiam pari conniuentia placuit, (quia in vniuerſo populo multi peccatis inuoluti eſſe dicuntur, qui ambitionis inſtinctu ſunt periurijs irretiti) vt ſi quis conuictus fuerit alios ad falſum teſtimonium vel periurium attraxiſſe, aut quacunque corruptione ſolicitaſſe, ipſe quidem vſq; ad exitum nõ cõmunicet: hi verò, qui ei in periurio cõſenſiſſe

Vtinam ſciretur ſolidorum illorum, quorum duodecim libertas hominis aut ſeruitus conſtabat, valor.

proban-

probantur, poſt ab omni ſunt teſtimonio prohibendi, & ſecundum legem infamia notabuntur.

18 De his verò, qui innocentes aut coram principe, aut iudicibus accuſare conuicti fuerint, ſi clericus honoratior fuerit, ab officij ſui ordine regradetur: ſi verò ſecularis, communione priuetur.

19 Et licet priori titulo legatur definitum, quid de puellis, quæ ſe diuinis cultibus, aut parentum aut ſua voluntate dicauerint, debeat obſeruari: tamen quia monacha nomine Agnes, quę de monaſterij ſeptis fuga ante aliquot annos diſceſſerat, in eodem eſt monaſterio reuocata, & dicitur (inſtigante diabolo) agellos vel quaſcunq; res ad ſe pertinentes, aliquibus potentibus velle donare, dummodò per eorum patrociniũ ſe poſſit de intra monaſterij ſua ſepta ſubtrahere, & voluptatibus ſeculi clandeſtina vel ſingulari habitatione vacare: ideò præſenti conſtitutione ſancimus, vt tam illa, quàm quæcunq; alia monacha, quæ ſub hac argumentatione ſe de religionis habitu, ad illecebras ſeculi, aut res ſuas pro tam iniqua indè liberationis cauſa quibuſcunque dare cenſuerit, tam illa, quæ hoc dare voluerit, quàm illi quicunq; hoc acceperint, (ne, quod Deus auertat, ambitionis inſtinctu, religionis videatur regula vitiari) tamdiu ſine à communionis gratia ſequeſtrati, quandiu res ipſas eis à quibus has acceperant, digna pœnitentię ſatisfactione reſtituant.

NOMINA EPISCOPORVM, QVI IN hoc Concilio ſubſcripſerunt.

Priſcus in Dei nomine epiſcopus eccleſiæ Lugdunenſ. conſtituens ſubſcripſi.

*Aunacharius in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ *Autricæ, conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Arthemius epiſcopus eccleſiæ Senonicæ, conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Agricola epiſcopus eccl. Niuerneñ. ſubſcripſi.

Arthemius epiſcopus eccl. Vaſeneñ. ſubſc.

*Eſitius epiſcopus eccleſ. Gratianopolitanæ, conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

*Eraclius epiſcopus eccleſiæ * Dieñ. conſtituens ſubſcripſi.

Euſebius epiſcopus eccleſiæ Matiſconeñ. ſubſcripſi.

Euantius peccator epiſcopus eccleſię Vienneñ. conſtituens ſubſcripſi.

Flauius epiſcopus eccleſ. Cabiloneñ. ſubſcripſi.

Gallomagnus in Chriſti nomine epiſcopus eccleſ. Treceñ. conſt. ſubſcripſi.

Iconius epiſcopus eccleſ. Maurianeñ. ſubſcripſi.

Martianus epiſcopus eccleſ. Tarentaſieñ. ſubſcr.

Namantius epiſcopus eccleſiæ Aurelianeñ. ſubſcripſi.

Pappus epiſcopus eccleſiæ Apteñ. ſubſcripſi.

Remigius in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Bituricæ, conſtit. noſtris ſubſcripſi.

Mummolus epiſcopus eccleſiæ Lingonicæ, ſubſcripſi.

Ragnoaldus epiſcopus eccleſiæ Valentinæ, ſubſcripſi.

Sylueſter in Chriſti nomine epiſcopus eccle. * Viſontineñ. conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Siagrius in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Eduorum, conſtit. noſtris ſubſcripſi.

Victor epiſcopus eccleſiæ Tricaſſinæ, conſtit. noſtris ſubſcripſi.

Explicit Synodus Mateſcenſis, (alias Matiſconenſis) quæ facta eſt anno 12. regni domini Guntrammi regis, die Kal. Nouemb. ind. ctione 15.

NOTÆ in Concilium Matiſconenſe I. ſub Pelagio II.

Concilium] *Hoc Concilium hortatu Guntheramni Regis celebratum eſſe, acta indicant. Ad mores eccleſiæ reformandos ac præcipuè Iudæorum petulantiam coercendam, in eo viginti canones conſtitutos fuiſſe, ſcripſit Ado Viennenſis Epiſcopus in Chronico his verbis.* Poſt Philippum Euantius vir ſanctus Epiſcopus Viennæ ſedit. Hic cum S. Priſco & Artemio Senonico, & Remigio Bituricenſi, & cum alijs ſanctis Epiſcopis viginti capitula Eccleſiaſtica perfectè roborauit, quibus conſenſit quoque Syagrius Eduenſis Epiſcopus vir ſummæ ſanctitatis. *Ex his viginti capitulis, quorum Ado mentionem facit, in Actis Concilij nouendecim duntaxat reperiuntur, &c.*

Matiſconenſe] *Sic dictum à Matiſcona, quæ eſt ciuitas Eduorum in Gallia ad Ararim ſita. De quo hæc Adrianus in ſuo theatro.* Matiſcona vulgo Maſſon, ſita eſt apud Ararim fluuium recto & longo tractu. Quamplurima damna paſſa eſt ab Attila, Francis Burgundiam impugnantibus, alijſque quamplurimis. Vltimo inſtituta eſt ſub Philippo Auguſto anno ſalutis 1222. Cum generoſioris animi ciues orſi ſunt vrbem nouis mœnibus concludere, & aduerſus prædonũ incurſiones vallo & propugnaculis munire; ſex tunc conſtituerunt portas, & oppidum oratorijs publicis decenter ornarunt. Inter quæ diuorum Petri & Pauli Eccleſia & Curia, quę pridem extra vrbem ſita erat, vt vrbis murorum veteres ruinæ declarant, quæ inter hanc Eccleſiam & S. Vincentij cœnobium à D. Niceta condita viſuntur. Sed iſtis à Lothario euerſis D. Petri & Pauli Eccleſia diuerſo loco reſtaurata fuit, atque apud eam canonici Regulares collocati. Nec longè ab his Prochdocij & cœmiterium publicum. Quod autem diui Petri cœnobium natura & opere munitum erat, & Carolus Burgundiorum Dux Canonicorum fidem ſuſpectam habebat, iuſſit illud deleri, eoque facto canonici receperunt ſe ad eam vrbis Eccleſiam, quæ ipſorum alioqui iuris, ab ijſdem etiam nunc tenetur. Erat & alia Eccleſia primi atque ſanctioris inſtituti Canonicorum, quos regulares vocant, D. Stephani titulo in colle extra vrbem ſita, quæ à Lothario euerſa in Iudæorum poſtea vſu fuit, ex quo & hodie pons eo pertinens Iudæorum vocatur. Sed exactis Gallia Iudæis illa Eccleſia paræcica & curialis facta eſt. Eccleſia autem cathedralis primo dicata fuit ſub nominibus Apoſtolorum Petri & Bartholomæi, & Martyrum Geruaſij & Protaſij. Sed Galliæ Rex Childebertus eius nominis primus, quo erat pietatis affectu erga Vincentium Martyrem reconditis ibi eius reliquijs multis eam Eccleſiam beneficijs auxit, quo euenit vt cum populi quoque affectio ad Regis pietatem accederet, appellaretur hæc D. Vincentij Eccleſia. Sed pulcherrimum apud Matiſconios ædificium eſt Dominicanorum cœnobium, quo loco antè Comitum erat palatium à S. Ludouico extructum. Quod cœnobium Hugonotica rabie anno 1561. & rurſus anno 1566. vaſtatum fuit, quod idem Minoritarum cœnobio, iudiciali foro, & collegio, & carceribus, & omnibus ferè vrbis Eccleſijs accidit. *Hæc de Matiſcona Adrianus.* Matiſcona quæ & qualis ciuitas.

Sub Pelagio II. Anno 18. Guntheramni Regis, &c.] *Infine Actorum Concilij ſcribitur, hanc Synodum anno 12. Guntheramni Regis celebratam eſſe; ſed mendosè & deprauatè. Nam ſi (vt ibi legitur) decima quinta indictione habita fuerit, non duodecimo; ſed decimo octauo Guntheramni Regis, eam celebratam eſſe dicere oportet. Nec eſt quod quis eam reuocet ad præcedentis Indictionis periodi itidem decimam quintam Indictionem: Nam illis temporibus Nicetius præerat Eccleſiæ Lugdunenſi: hoc autem tempore & Indictione regebat eam Eccleſiam Priſcus, qui huic ſynodo ſubſcriptus infra inuenitur.* Tempus Concilij.

Vt nullus Clericus ſagum, &c.] *Hoc canone ſuſtulerunt præuum illum vſum Clericorum, qui factione Salonij & Sagittarij Epiſcoporum, de quibus ſupra in Notis Concilij Cabilonenſis, ii repſerat.* Canon. 5.

Vt à feria S. Martini &c.] *Huiuſmodi ieunia in Gallijs a S. Perpetuo Turonenſi Epiſcopo primum inſtituta fuiſſe, docet Gregorius eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes lib. 10. hiſt. Franc. cap. 31. vbi inter alia ieunia* à depoſitione, *inquit*, S. Martini vſque ad natalem Domini, terna in ſeptimana ieiunia. *Fluxit inde vt nonnulli fidelium integrum tempus Aduentus, quod natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato tranſigerent.* Canon. 9.

Vt Iudæis à cœna Domini] *Vide quæ hac de re notauimus ſupra can. 28. Concil. Aurelianenſ. III.* Can. 14.

CONCILIVM BRENNACENSE IN GALLIA, ANNO QVINTO Childeberti Iunioris, Regis Sigeberti filij; anno Christi 583. celebratum in causa Gregorij Turonensis Episcopi.

Notæ.

Causa Concilij.

Concilium] *Cum Leudastes Præfectus siue Comes Turonensis, iniuste admodum se gessisset, Ecclesijsque plurima damna intulisset; ideoq; opera S. Gregorij Turonensis, præfectura eiusdem vrbis amotus fuisset, aduersus eum hanc vindictam parauit. Conspirans cum quodam Riculpho Turonensi presbytero, cui Episcopatum Gregorij promiserat apud Regem illum accusauit; dicens per Gregorium diffamatam esse Fredegundem Reginam, quasi ipsa cum Bertheramno Burdegalensi Episcopo commisceri consueuisset, & ad calumniam facilius comprobandam, Platonem Archidiaconum & Gallienum eiusdem Ecclesiæ æquè Diaconum produxit, qui de iniuria Reginæ illata testarentur. Interea Gregorius vsque ad futurum conuentum Episcoporum in villa Brennaco colligendum, iussus est custodiri. Facto autem Patrum conuentu dum se Gregorius per iuramentum debitè purgasset, reconciliatus est Regi Chilperico. Leudastes autem accusator ab audientia se subtraxit, estque ab omnibus Ecclesijs excommunicatus. Riculphus à morte per Gregorium ereptus, cui per sententiam Iudicis addictus fuerat, in tormentis confessus est, quicquid in S. Gregorium inter se & Leudasten malitiosè excogitatum fuerat. Totam rei gestæ seriem summatim recenset ipse Gregorius Turon. lib. 5. hist. Franc. cap. 47. 48. & 49. Venantius Fortunatus Fredegundem, de tanto crimine sacrilegij iniustè & innocenter diffamatam, insigni carmine celebrauit; vt quæ cum ignominia ad iudicium fuerat deducta, maiore cum laude & virtutis ornamento isthinc abduceretur. De seipso scribit S. Gregorius lib. 6. hist. Franc. cap. 5. quod qui ad Regem reus maiestatis aduenerat, à Regia maiestate non nisi maximo affectus honore recesserit, vtpotè à quo non nisi Episcopali benedictione Regi impertita dimitti potuerit. Vide plura apud Baron. ann. 583. num. 15. & seqq.*

Acta Concilij.

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA IN CAVSA Gregorij Antiocheni Episcopi celebrata anno Domini 587.

Notæ.

Qua occasione habita.

Synodus Constantinop.] *Hæc synodus habita fuit ista occasione: Gregorius Antiochenus Episcopus inuidia Præfectorum & totius populi* accusabatur, *inquit Euagrius lib. 6. c. 7.* cum propria sorore alteri viro in matrimonium data rem habuisse: Prosperumq; ciuitatis statum non semel; sed sæpius labefactasse. *De quo crimine cum se purgasset, & ad Concilium prouocasset profectus est Constantinopolim, vt ibidem se purgaret. Causa cognita,* post multas & graues contentiones, *inquit præd. loco Euagrius,* secundum Gregorium sententia promulgata est. *Hæc est illa causa, cuius prætextu S. Gregorius multis in locis ait Ioannem Constantinopolitanum Episcopum synodum fecisse, in qua se vniuersalem Episcopum appellaret. Verba S. Gregorij lib. 4. Indict. 13. epist. 36. ad Eulogium hæc sunt:* Ante annos octo S. memoriæ Pelagij Prædecessoris mei tempore frater & coepiscopus noster Ioannes in Cõstantinopolitana vrbe, ex causa alia occasionem quærens, synodum fecit, in qua se vniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis literis ex auctoritate S. Petri Apostoli eiusdem synodi acta cassauit: quarum videlicet epistolarum sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. *Sintne Acta huius Synodi à Pelagio ex parte, vel omnino reprobata, idem S. Gregorius declarat his verbis.* Cognoscat fraternitas vestra Ioannem Constantinopolitanum in synodo superbum ac pestiferum Oecumenicon, hoc est, vniuersalis sibi vocabulũ vsurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster, &c.

Gregorus absoluitur à calũnia accusatorum.

Ioannes Constantinopolit. Episcopus se vniuersalem nominat.

Acta Concilij ex parte reprobata.

CONCILIVM LVGDVNENSE SECVNDVM, SVB PELAgio II. Papa, celebratum anno Domini nostri 587.

SYNODVS HABITA IN CIVITATE LVGDVnensi mense Maio, Anno 22. regni gloriosissimi domini Guntramni regis.

MVLTA quidem anterioribus temporibus venerabilium patrum sanxit authoritas: nunc tamẽ, quia crescẽte, Deo propitio, fide, oportet in clero vel populo catholico meliora salubri pontificum consilio renouari: idcircò beatissimorum patrum statuta reminiscentes, huius tituli definitione sancimus, vt nullum clericum, ab ordine sancto antistitis vsque ad subdiaconi gradũ, mulierem, præter matrem, amitam & sororem, in hospitio suo habere liceat. Placuit etiam, vt si quicunq; vxoribus iũcti, ad diaconatus aut presbyteratus ordinem quoquo modo peruenerint, non solùm lecto, sed etiam frequentatione quotidiana debeant de vxoribus suis sequestrari. Quòd si, quod Deus auertat, de eorum familiari contubernio post acceptam benedictionem infans natus paruerit, ab officij gradu priuetur.

Clerici, quibus fœminæ habitare licet.

2 Id etiam de epistolis placuit captiuorum, vt ita sint sancti pontifices cauti, vt in seruitio pontificibus consistentibus, qui eorum manu vel subscriptione agnoscat epistolæ aut quælibet insinuationum literæ dari debeant, quatenùs de subscriptionibus nulla ratione possit, Deo propitio, dubitari, & epistola commendationis pro necessitate cuiuspiã promulgata, dies datarum, & precia constituta, vel necessitates captiuorũ, quos cũ epistolis dirigunt, ibidẽ inserãtur.

Locus mendosus.

3 Puellæ verò, quæ conniuentia parentum suorum se voluntariè dedicauerint, & intra monasterium puellarum cõclusionem elegerint, & se de eodem monasterio quacunq; animi leuitate, aut * vilitate corporis, extra captiuitatis incursum, voluntate sua subtraxerint, & de conuersatione religiosa cuiuscunq; vocationis spiritu, seculi delectationes elegerint, quousq; in monasterium, vndè egressę sunt, reuertantur, à communionis gratia segregentur: viaticum tamen illis miserationis intuitu præbeatur.

* virilitate Virgines Deo dicatæ a Monasterii exitu arceantur, earumque nuptiæ sunto, donec celebrent.

4 De incestis verò coniunctionibus hoc placuit custodiri, quod prisca canonum statuta sanxerunt.

5 Et vt nullus episcoporum natalem Domini aut Pascha alibi, nisi ad Ecclesiam suam, præter infirmitatis incursum aut ordinem regium, celebrare præsumat.

Episcopi laborent, vt omnes Natalem Domini, & Pascha in sua Ecclesia celebrent.

6 Placuit etiam vniuerso Concilio, vt vniuscuiusq; ciuitatis leprosi, qui intra territorium ciuitatis ipsius aut nascũtur, aut videntur consistere, ab episcopo ecclesiæ ipsius sufficientia alimenta & necessaria vestimenta accipiant, vt illis per alias ciuitates vagandi licentia denegetur.

Leprosi, vagari non permittantur.

SVBSCRIPTIONES Episcoporum.

PRiscus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lugdunensis, constitutionibus nostris subscripsi.

Euantius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Viennẽs. constitutionibus nostris subscripsi.

Siagrius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Heduorum, constitutionibus nostris subscripsi.

Isitius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Gratianopolitanæ, constitutionibus nostris subscripsi.

Ragnoaldus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Valentinæ, subscripsi.

Eusebius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Matescẽs. subscripsi.

Agricola in Christi nomine episcopus ecclesiæ Niuernẽs. subscripsi.

Flauius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Cabilonẽs. subscripsi.

Et missi episcoporum, qui hos canones subscripserunt, duodecim.

CONCI-

NOTÆ in CONCILIVM LVGDVNENSE II.

Concilium] *In hoc Concilio ad disciplinam Ecclesiæ reformandã, anteriorũ Cõciliorum constitutiones conformatæ sunt. Ex viginti dũ Episcopis duodecim per suos vicarios interfuerũt et subscripserũt. Qui sunt Euantius & Syagrius, dixi sup. in Notis Concilij Matisconens. 1. ex Adonis Viennensis Chronico.*

Anno Domini 587.] *Cum hoc n. anno, vigesimus secundus Regis Guntheramni coincidit: vt patet ex ijs, quæ supra diuersis in locis hac de re notata fuerunt.*

De Epistolis Captiuorum] *Literæ Captiuorum sunt, quas pro redemptione captiuorum Episcopi scribere solebant. Bar. an. 142. n. 9.*

CONCILIVM MATISCONENSE II. ANNO DOMINI NOstri Iesu Christi 588. celebratum sub Pelagio II. Papa. Est Prouinciale.

SYnodus habita in ciuitate Matisconens. anno 24. regni glorioſissimi Guntramni regis, residentibus Prisco, Euantio, Prætextato, Bertechranno, Arthemio, Sulpitio, metropolitanis episcopis, cum omnibus consacerdotibus eorum, Priscus episcopus Patriarcha dixit: Gratias agimus Domino Deo nostro, fratres & consacerdotes mei, qui nos in hac die congregans, alterna nos fecit sospitate gaudere. Cæteri episcopi metropolitani respõderunt: Gaudemus frater sanctissime, quod omnes episcopi, qui in regno glorioſi domini Guntramni regis episcopali honore funguntur, in vno se conspiciunt coadunati Concilio. Propterea indesinenter omnes nos orare oportet, vt Dei omnipotẽtis maiestas, & regis nostri incolumitatem solita pietate conseruet, & nos omnes, qui membra sumus vno sub nostro capite Christo coadunati, illa nos operari concedat, quæ serenitati ac maiestati eius ritè complaceant. Vniuersi episcopi dixerunt: Gratulamur, & nos patres sanctissimi, qui per interualla temporum separati, hodiè noscimur, post tot temporum curricula fraterna dilectione corporaliter iungi: ideoque petimus, vt quæ tractanda sunt, vobis præcipientibus, celeriter pertractentur, ne nos sæuæ hyemis procelloſa tempestas à sedibus proprijs, quia longè sunt, lõgitudine sua arceat. Metropolitani omnes dixerunt: DEO auxiliante, communi deliberatione singula, quæ necessaria sunt, à nobis diffinientur. Hoc vniuersæ fraternitati vestræ suademus, vt ea, quæ Spiritu sancto dictante per ora omnium nostrorum terminata fuerint, per omnes ecclesias innotescant, vt vnusquisque, quid obseruare debeat, sine aliqua excusatione condiscat. Quoniam nos indiuidua Trinitas, quemadmodum spiritu, corpore quoque in vno copulauit conuentu, debemus sapienti consilio omnibus subuenire, ne fortè taciturnitas nostra, & nobis præiudicium diuinitatis afferat, & subiectos in tentationem inducat.

1 Videmus enim populum Christianum temerario more diem Dominicam cõtemptui tradere, & sicut in priuatis diebus, operibus continuis indulgere: propterea per hanc synodalem nostram epistolam decernimus, vt vnusquisque nostrum in sacrosanctis ecclesijs admoneat sibi subditam plebem. Et si quidem admonitioni consensum præbuerint, suis proderunt vtilitatibus: sin autem, subiacebunt pœnis à nobis diuinitus definitis. Omnes itaque Christiani, qui non in cassum hoc nomine fruimini, nostræ admonitioni aurem accommodate, scientes quoniam nostræ est authoritatis, vtilitati vestræ prospicere, & à malis operibus coercere. Custodite diem Dominicam, quæ nos denuò peperit, & à peccatis omnibus liberauit. Nullus vestrum litium fomitibus vacet: nullus causarum actiones exerceat: nemo sibi talem necessitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat. Estote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis vestrum proximam habet ecclesiam, properet ad eandem, & ibi Dominico die semetipsum precibus lachrymisque afficiat. Sint oculi manusque vestræ toto illo die ad Deum expansæ: ipse est enim dies requietionis perpetuus, ipse nobis per septimæ diei vmbram insinuatus nosciturin lege & prophetis. Iustum igitur est, vt hanc diem vnanimiter celebremus, per quam facti sumus, quod non fuimus. Fuimus enim ante serui peccati, sed per eam facti sumus filij iustitiæ. Exhibeamus Domino liberam seruitutem, cuius nos nouimus pietate de ergastulis liberatos erroris: non quia hoc Dominus noster à nobis expetit, vt corporali abstinentia diem Dominicam celebremus, sed quærit obedientiam, per quam nos, calcatis terrenis actibus, ad cælum vsque misericorditer prouehat. Si quis itaque vestrum hanc salubrem exhortationem parui penderit, aut contemptui tradiderit, sciat se pro qualitatis merito principaliter à Deo puniri, & deinceps sacerdotali quoque iræ implacabiliter subiacere. Si causidicus fuerit, irreparabiliter causam omittet: si rusticus aut seruus, grauioribus fustium ictibus verberabitur: si clericus aut monachus, mensibus sex à consortio suspendetur fratrum. Hæc namque omnia, & placabilem erga nos Dei animum reddunt, & plagas morborum vel sterilitatum amouent atque repellunt. Noctem quoque ipsam, quæ nos inspiratæ luci inaccessibili reddidit, spiritualibus exigamus excubijs, nec dormiamus in ea, quemadmodũ dormitant, qui nomine tenus Christiani esse noscuntur: sed oremus & vigilemus operibus sacris, vt digni habeamur in regno cohæredes fieri Saluatoris. Genes. 1.

2 Pascha itaque nostrum, in quo summus sacerdos & pontifex, pro nostris delictis, nullam habens obnoxiationem peccati immolatus est, debemus omnes festiuissimè colere, & sedulæ obseruationis synceritate in omnibus venerari, vt illis sanctiss. sex diebus, nullus seruile opus audeat facere: sed omnes simul coadunati, hymnis paschalibus indulgentes, perseuerationis nostræ præsentiam quotidianis sacrificijs ostendamus, laudantes Creatorem ac regeneratorem nostrum vespere & meridie.

3 Relatione quorundam fratrum nostrorum comperimus, Christianos non obseruantes legitimum diem baptismi, penè per singulos dies ac natales martyrum, filios suos baptizare, ita vt vix duo vel tres reperiantur in sancto Pascha, qui per aquam & spiritum sanctum regenerentur: idcircò censemus, vt ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, præter illos, quos infirmitas nimia, aut dies extremus compellit filios suos baptismum percipere. Ideoque præsentibus admonitionibus à suis erroribus vel ignorantia reuocati, omnes omninò à die quadragesima cum infantibus suis ad ecclesiam obseruare præcipimus, vt impositionem manus certis diebus adepti, & sacri olei liquore perunctí, legitimi diei festiuitate fruantur, & sacro baptismate regenerentur, quo possint & honoribus (si vita comes fuerit) sacerdotalibus fungi, & singularis celebrationis solennitate frui.

4 Residentibus nobis in sancto Concilio, cognouimus quosdam Christianos relicto fratrum cœtu, à mandato Dei aliquibus locis deuiasse, ita vt nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum sacris altaribus illam admouent hostiam: propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini, vt per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris iustè offerentibus, promereantur esse consortes. Omnes autem qui definitiones nostras per inobedientiam euacuare contendunt, anathemate percellantur.

5 Omnes igitur reliquas fidei sanctæ catholicæ causas, quas temporis lõgitudine cognouimus deterioratas fuisse, oportet nos ad statum pristinum reuocare, ne nobis simus

aduersarij, dum ea, quæ cognoscimus ad nostri ordinis qualitatem pertinere, aut non corrigimus, aut (quod nefas est) silentio præterimus. Leges itaque diuinæ, consulentes sacerdotibus ac ministris ecclesiarum pro hereditaria portione, omni populo præceperunt, decimas fructuum suorum locis sacris præstare, vt nullo labore impeditiores, legitimè spiritualibus possint vacare ministerijs, quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodiuit intemeratas. Nunc autem paulatim præuaricatores legum penè Christiani omnes ostenduntur, dum ea, quæ diuinitus sancita sunt, adimplere negligunt. Vndè statuimus ac decernimus, vt mos antiquus à fidelibus reparetur, & decimas ecclesiasticis famulantibus cæremonijs populus omnis inferat, quas sacerdotes aut in pauperum vsum, aut captiuorum redemptionem prærogantes, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrent. Si quis autem contumax nostris statutis saluberrimis fuerit, à membris ecclesiæ omni tempore separetur.

6 Item decernimus, vt nullus presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut Missas priuatis festisque diebus concelebrare præsumat. Iniustum est enim, vt spiritali alimento corporale præponatur: sed si quis hoc attentare curauerit, dignitatem amittat honoris. Iam enim de tali causa & in Concilijs Aphricanis, definitum est. Quam definitionem nostro quoque dignam duximus sociare decreto, & *ad locum, Vt sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur. Quæcunque reliquię sacrificiorum post peractam Missam in sacrario superfederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cuius interest, ad ecclesiam adducantur, & indicto eis ieiunio, easdè reliquias conspersas vino percipiant.

Tempore Bonifacij Papæ c. 8. Et in Carthagin. 3.* cap. 29. for. *adlocare.

7 Quæ dum postea vniuerso cœtui secundum consuetudinem recitata innotescerent, Prætextatus & Pappulus viri beatissimi dixerunt: Decernat itaque & de miseris libertis vestræ authoritatis vigor insignis, qui ideò plus à iudicibus affliguntur, quia sacris sunt commendati ecclesijs, vt si quas quispiam dixerit contra eos actiones habere, non audeat eos magistratui contradere, sed in episcopi tantùm iudicio, in cuius præsentia litem contestans, quæ sunt iustitiæ & veritatis audiat. Indignum est enim, vt hi, qui in sacrosancta ecclesiæ iure nosc untur legitimo manumissi, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per longinquitatem temporis libertatis iure fruuntur, à quolibet iniustissimè inquietentur. Vniuersa sacerdotalis congregatio dixit: Iustum est, vt contra calumniatorum omnium versutias defendantur, qui patrocinium immortalis ecclesiæ concupiscunt. Et quicunque à nobis de libertis latum decretum superbiæ ausu præuaricare tentauerit, irreparabili damnationis suæ sententia feriatur. Sed si placuerit episcopo ordinarium iudicem, aut quemlibet alium secularem in audientiam eorum accersiri, cùm libuerit, fiat, & nullus alius audeat causas pertractare libertorum, nisi episcopus cuius interest, aut is, cui idem audiendum tradiderit.

8 Item Christianæ religionis negocia pertractantes, comperimus quosdam pseudochristianos, de sacrosanctis ecclesijs, suæ religionis oblitos, fugitiuos subtrahere: ideoq; vim illatam nequaquam inultam relinquentes, censemus pro Dei timore, vt quicunque culpa compellente, aut potẽtum importuna non sustinens, suæ gremium matris ecclesiæ petierit, vsque in præsentiam sacerdotis in eodem loco inconcusè permaneat, nulli permittẽtes quolibet dignitatis gradu functo, fugitiuo etiam in locis sacris violentiam inferre. Sic enim mundani principes suis legibus censuerunt, vt quicunque ad eorum statuas fugerit, illæsus habeatur: quanto magis hi permanere debent indemnati, qui patrocinia immortalis regni & cælestis adepti sunt? Si tamen aliquo facto tenentur obnoxij, qui ad ecclesiam sunt à fuga versi, coram sacerdote culpæ eorum innotescant, & ipse consultum ferat, qualiter Dei habitaculum per subtractionẽ non violetur illorum.

9 Licet reuerendissimi canones atque sacratissimæ leges, de episcopali audientia in ipso penè Christianitatis principio sententiam protulerint, tamen quoniam eadem postposita, humana in sacerdotes Dei grassatur temeritas, ita vt deatris, venerabilium ecclesiarũ violentur abstractos, ergastulis publicis addicant: censemus, vt episcopum nullus secularium fascibus præditus iure suo contumaciter ac peram agens, de sancta ecclesia, cui præest, trahere audeat. Sed si aliquid contentionis aduersus episcopum potentior persona habuerit, pergat ad metropolitanum episcopum, & ei causas alleget, & ipsius sit potestatis honorabiliter episcopum, de quo agitur, euocare, vt in eius præsentia accusatori respondeat, & oppositas sibi actiones extricet. Quòd si talis fuerit immanitas causæ, vt eam solus metropolitanus definire non valeat, aduocet secum vnum vel duos coepiscopos. Quòd si & ipsis dubietas fuerit, conciliabulum definito die vel tempore instituant, in quo vniuersa ritè collecta fraternitas coepiscopi sui causas discutiat, & pro merito aut iustificet, aut culpet. Nefas est enim, vt illius manibus episcopus aut iussione de ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat, & cui, inuocato nomine Domini, ad saluationem corporis animæque, eucharistiam sæpè porrexit. Hoc enim decretum à nobis præfixum, qui fuerit audacter transgressus, tam ipse, quàm omnes qui ei consenserint, vsque ad generale Concilium anathemate de ecclesia separentur.

Concilium debere fieri in singulis prouincijs bis per annum.

10 Quod de episcopis censuimus, obtineat & in clero, vt neque presbyter, neque diaconus, neque subdiaconus de ecclesijs trahatur, aut iniuriam aliquam inscio episcopo eorum patiantur: sed quicquid quis aduersus eos habuerit, in notitiam episcopi proprij perducat, & ipse causam (iustitia præeunte) discutiens, animo clericos accusantis satisfaciat.

11 Sectatores nos hospitalitatis esse non solùm Dominus Iesus admonet, cùm se dicit in hospitem receptum fuisse, sed etiam eius Apostolus, omnibus penè suis præceptis. Propterea, beatissimi fratres, vnumquenq; nostrum oportet, non solùm semetipsum ad hoc opus hortari, sed etiam omnium fidelium mẽtes, vt possint apud Deum misericordiæ operibus pro nostris peccatis intercedere, & nos ei per puram hospitalitatem reconciliare. Si quis ergò nostrum non admonuerit, aut exemplum exhortationis suæ ipse priùs non comprobarit opere, indignationem procul dubio incurret Domini maiestatis. Prædicetur hoc nostræ mediocritatis statutum in auribus omnium Christianorum.

Matth. 25. Fauitur in multis locis.

12 Quid autem scriptura diuina de viduis & pupillis præcipiat, nobis clam non est: ideoque quoniam prouisioni nostræ, Deo authore, causæ principaliter viduarum & pupillorum sunt commissæ, peruenit ad nos, quòd à iudicibus crudelius pro leuissimis causis, veluti defensore carentes, irremediabiliter affligantur. Ob quam causam decernimus, vt iudices non priùs viduas & pupillos conueniant, nisi episcopo nunciarint, cuius sub velamine degunt: Quòd si episcopus præsens non fuerit, archidiacono vel presbytero cuidam eius, vt pariter sedentes, communi deliberatione causis eorum terminos figant, ita iustè ac rectè, vt deinceps de talibus antedictæ personæ non conquassentur: Quòd si is qui iudex est, aut impetitor, eis aut iniuriam aliquam ingesserit, aut definitionem tanti Concilij transgressus fuerit, à communione suspendatur. Quibus igitur magnarum rerum causæ commissæ sunt, nec minimarum dignum est causas parui pendere personarum. Solent enim & minima, paulatim despecta, in malum magnum trahere.

13 Propterea tractatis omnibus, quæ diuini vel humani iuris fuerunt, & ad finem vsque perductis putauimus congruum esse, de canibus etiam vel accipitribus aliqua statuere. Volumus igitur, quòd episcopalis domus, quæ ad hoc (Deo fauente) instituta est, vt sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, canes non habeat: ne fortè hi, qui in ea miseriarum suarum leuamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus, laniantur, de tridentum versa visa vice suorum sustineant corporum. Cumentum est igitur episcopalis habitatio hymnis, non lastodienda ratibus: operibus bonis, non morsibus venenosis. Vbi igitur Dei est assiduitas cantilenæ, monstrum est & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare.

14 Ex interpellatione quorundam cognouimus, quòd

calcatis

calcatis canonibus & legibus, hi qui lateri regis adhærent, vel aliqui, qui potentia seculari inflantur, res alienas competere, & nullis exertis actionibus, aut conuictionibus prægatis miseros non solùm de agris, sed etiam de domibus proprijs exulare. Idcircò in remedium consulentes, decernimus, vt deinceps huius mali licentiam quispiam non habeat, sed secundum canonum atque legum tenorem, cauſarum suarum actionem proponant, vt nullus miserorum rebus suis per vim aut assentationem quamlibet defraudetur. Illi autem, qui contra dispositum non solùm nostrum, sed etiam antiquorum patrum & regum venire tentauerint, procelloſi anathematis vltione plectantur.

15 Et quia ordinatione sacerdotum (annuente Deo) cõgruit de omnibus disponere, & causis singulis honestum terminum dare, vt per hos reuerendissimos canones, & præteritorum canonum viror, ac florida germina maturis fructibus eniteſcant: statuimus, vt si quis secularium quempiam clericorum honoratorum in itinere obuium habuerit vsq; ad inferiorem gradum honoris veneranter (sicut condecet Christianum) illi colla subdat, per cuius officia & obsequia fidelissima Christianitatis iura promeruit. Et si quidem ille secularis equo vehitur, clericusque similiter, secularis galerum de capite auferat, & clerico synceræ salutationis munus adhibeat. Si verò clericus pedes graditur, & secularis vehitur equo sublimis, illicò ad terram defluat, & debitum honorem prædicto clerico synceræ charitatis exhibeat, vt Deus, qui vera charitas est, in vtrisq; lætetur, & dilectione sua vtrunque *adsciscat. Qui verò hæc, quæ Spiritu sancto dictante sancita sunt, transgredi voluerit, ab ecclesia, quam in suis ministris dehonorat, quamdiu episcopus illius ecclesiæ voluerit, suspendatur.

16 Illud quoque rectũ nobis visum est disponere, vt quæ vxor subdiaconi, vel exorciſtæ, vel acolythi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio. Quod si fecerit, separetur, & in cœnobijs puellarum Dei tradatur, & ibidem vsque ad exitum vitæ suæ permaneat.

17 Comperimus multos, necdum marcidatis mortuorum membris, sepulcra referare, & mortuos suos superimponere, vel aliorum (quod nefas est) mortuis suis religiosa loca vsurpare sine voluntate scilicet domini sepulchrorum: ideoque statuimus, vt nullus deinceps hoc peragat. Quòd si factum fuerit, secundum legum decreta, superimposita corpora de eisdem tumulis reiactentur.

18 Inceſtam copulationem, in qua nec *coniunx, nec nuptiæ rectè appellari leges sanxerunt, catholica omninò detestatur atque abominatur Ecclesia, & grauioribus pœnis eos afficere promittit, qui natiuitatis suæ gradus libidinoso ardore contemnentes, in merda (quod nefas est) vt sues teterrimi conuoluuntur.

19 Cognouimus etiam quosdam clericorum infrunitos, ad forales reorum sententias frequenter accedere. Propterea prohibitionis eorum accessus hunc canonem protulimus, definientes, vt ad locum examinationis reorum nullus clericorum accedat: neq; interſit atrio sauciolo, vbi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est. Si tamen nunc aliquis eorum definita contemnens, illuc accesserit, aut interfuerit: defraudatus honesti honoris stola, illis gregibus examinatorum societur, quos diuinis prætulit mysterijs.

20 Vniuersæ fraternitatis deliberatione ac definitione complacuit, vt antiquorum patrum iuribus in omnibus cu ſtoditis, ad synodum post *triennij tempus omnes conuenant, vt de alterna principaliter sospitate exhilarati, *caſarum exurgentium tam diuinæ religionis, quàm humanæ necessitatis discutiant, & omnibus iustum æquumq; finem imponant: & hoc adimplere, solicitudinis sit metropolitani Lugdunensis episcopi, vna cũ dispositione magnifici Principis nostri, priùs diffinientis locum mediterraneum, ad quem omnes episcopi sine labore alacres congregentur. Et si aliquis eorum contumax fuerit, aut excusationem falsæ necessitatis, quare non interſit, inuenerit, & posteà publicatum fuerit, quòd inepta erat eius excusatio, volumus, vt vſque ad Concilium vniuersale, à communione & charitate fraterna maneat alienus.

SVBSCRIPTIONES Episcoporum.

Priſcus episcopus ecclesiæ Lugdunensis, subscripsi.
Agricola episcopus ecclesiæ Niuerneñ. subscripsi.
Antidius episcopus ecclesiæ Agenneñ. subscripsi.
Amelius episcopus ecclesiæ Bigorritanæ, subscripsi.
Aridius episcopus ecclesiæ Vapinceñ. subscripsi.
Aunacharius episcopus ecclesiæ Antisiodoreñ. subscripsi.
*Agretius episcopus ecclesiæ Glandeteñ. subscripsi. *Agricius
Bertechrannus episcopus ecclesiæ Burdegaleñ. subscripsi.
Blaudisigilus episcopus ecclesiæ Cenomanneñ subscripsi.
Carterius episcopus ecclesiæ Petragoriceñ. subscripsi.
Cariatho episcopus ecclesiæ Gebenneñ. subscripsi.
*Esitius episcopus ecclesiæ Gratianopolis, subscripsi.
Euſebius Episcopus ecclesiæ Matisconeñ. subscripsi.
Emeritus episcopus ecclesiæ Ebreduneñ. subscripsi.
Fauſtus episcopus ecclesiæ Auſciorum, subscripsi.
Flauius episcopus ecclesiæ Cabiloneñ. subscripsi.
Ferreolus episcopus ecclesiæ Lemouiceñ. subscripsi.
Lucerius episcopus ecclesiæ Olorensium, subscripsi.
Mumulus episcopus ecclesiæ Lingonicæ, subscripsi.
Marius episcopus ecclesiæ Auenticæ, subscripsi.
Namantius episcopus ecclesiæ Aurelianeñ. subscripsi.
Nicasius episcopus ecclesiæ Auxitanæ, subscripsi.
*Oreſtis episcopus ecclesiæ Vasateñ. subscripsi.
Prætextatus episcopus ecclesiæ Rothomageñ. subscripsi.
Palladius episcopus ecclesiæ *Xanctoneñ. subscripsi.
Pappulus episcopus ecclesiæ Carnoteñ. subscripsi.
Ragnebodus episcopus ecclesiæ Parisieñ. subscripsi.
Ragnoaldus episcopus ecclesiæ Valentinæ, subscripsi.
Ruſticus episcopus ecclesiæ VicoIulieñ. subscripsi.
Rufinus episcopus ecclesiæ Conuenarum, subscripsi.
Theodorus episcopus ecclesiæ Maſſilieñ. subscripsi.
Trapetius episcopus ecclesiæ Auraſicæ, subscripsi.
Syluester episcopus ecclesiæ Viſontineñ. subscripsi.
Sauinus episcopus ecclesiæ Viuarieñ. subscripsi.
Sulpitius episcopus ecclesiæ Bituriceñ. subscripsi.
Veranus episcopus ecclesiæ Cauelliceñ. subscripsi.
Vrſinus episcopus ecclesiæ *Caturceñ. subscripsi.
Vrbicus episcopus ecclesiæ Rhegieñ. subscripsi.
Item missi episcoporum, qui in ea synodo subscripserunt.
Arthemius episcopus ecclesiæ Vaseñ. subscripsi.
*Agretius episcopus ecclesię Treceñ. subscripsi.
Boethius episcopus ecclesiæ Carpentoracteñ. subscripsi.
Catholinus episcopus ecclesiæ Nicieñ. subscripsi.
Deutherius episcopus ecclesiæ Venticeñ. subscripsi.
Deſiderius episcopus ecclesiæ Tolonensis, subscripsi.
Euſebius episcopus ecclesiæ Tricaſſinæ, subscripsi.
Eliodorus episcopus ecclesiæ Seduneñ. subscripsi.
Felix episcopus ecclesiæ Belicensis subscripsi.
Ioannes episcopus ecclesiæ Auinioneñ. subscripsi. *abroicēſ.
Laban episcopus ecclesiæ* Eluſensis, subscripsi.
Martianus episcopus ecclesiæ Tarentaſieñ. subscripsi.
Magnulphus episcopus ecclesiæ Toloſanæ, subscripsi.
Optatus episcopus ecclesiæ Antipoleñ. subscripsi.
Pappus Episcopus Ecclesiæ Apteñ. subscripsi.
Pienſius Episcopus ecclesiæ Aqueñ. subscripsi.
Paulus episcopus ecclesiæ Dieñ. subscripsi.
Pologronius episcopus ecclesiæ Siſtraceñ. subscripsi.
Sabaudius episcopus ecclesiæ Arelateñ. subscripsi.
Vigilius episcopus ecclesiæ* Senceñ. subscripsi. for. *Senonenſ.
Episcopi, qui in ea synodo fuerunt, non habentes sedes.
Fronimius episcopus. Promotus episcopus. Faucianus episcopus.

PRAECEPTIO GLORIOSISSIMI REGIS Guntramni ad episcopos data, qui in synodo suprascripta fuerunt, De obseruando die Dominico.

GVntramnus rex Francorum, omnibus pontificibus ac vniuersis sacerdotibus, & cunctis iudicibus in regione nostra constitutis. Per hoc supernæ maiestatis autho-

rem

rem (cuius vniuersa reguntur imperio) placari credimus, si in populo nostro iustitiæ iura seruamus, & ille pius pater & Dominus, qui humanæ fragilitatis substantiam suo semper adiuuare consueuit auxilio, melius dignabitur cunctorum necessitatibus, quæ sunt oportuna concedere, quos cognoscit præceptorum suorum monita custodire. Dum ergò pro regni nostri stabilitate, & saluatione regionis vel populi solicitudine peruigili attentius pertractauimus: agnouimus infra regni nostri spatia vniuersa scelera, quæ canonibus & legibus pro diuino timore puniri consueuerũt, suadente aduersario boni operis perpetrari, & ex hoc proculdubio indignatione cælesti, per diuersas seculi tempestates, homines ac pecora, aut morbo consumi censentur, aut gladio, dum diuina iudicia non timentur: atque ita fit, vt admittendo illicita per ignorantiam, multi depereant, & non solùm præsentem vitam celeriùs cogantur amittere, sed & inferni supplicia sustinere. Ad vos ergo sacrosancti Pontifices, quibus diuina clementia potestatis paternæ cõcessit officium, inprimis nostræ serenitatis sermo dirigitur, sperantis, quòd ita populum vobis prouidentia diuina commissum frequenti prædicatione studeatis corrigere, & pastorali studio gubernare, quatenus dum vniuersi diligendo iustitiam conuersatione* præcipua cum omni honestate studuerint viuere meliùs, cuncta rerum aduersitate remota, cælesti beneficio concedatur tranquillitas temporum, & congrua saluatio populorum. Et licet absque nostra admonitione ad vos specialiter prędicandi causa pertineat, attamen reliquorum peccatis vos omninò credimus esse participes, si filiorum vestrorum culpas non assidua obiurgatione corrigitis, sed silentio præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnãdi superni regis commisit authoritas, iram eius euadere possumus, si de subiecto populo solicitudinem non habemus. Idcircò huius decreti ac definitionis generalis vigore decernimus, vt in omnibus diebus Dominicis, in quibus sanctæ resurrectionis mysterium veneramur, vel in quibuscunque reliquis solennitatibus, quando ex more ad veneranda temporum oracula, vniuersæ plebis coniunctio deuotionis, congregatur studio, præter quod victum præparari conuenit, ab omni corporali opere suspendantur, nec vlla causarum præcipuè iurgia moueantur: sed vos apostolici pontifices, iungentes vobiscum consacerdotes vestros, & filios seniores ecclesiæ ac iudices locorum, quoscunque agnoscitis quòd vitæ qualitas honesta commendat, ita vniuersam populi multitudinem constanti vel Deo placita iugiter prædicatione corrigite, vt & benè viuentes mysticus adhortationis sermo mulceat, & excedentes, ad viam recti itineris correctio pastoralis adducat: quatenùs omnes vnanimi deliberatione laudabiliter studeant viuere, vel æquitatem & iustitiam conseruare, qualiter ab omni peccatorum fece liberos suos sancta suscipiat Ecclesia Christianos. Enimuerò quicunque sacerdotum aut secularium, intentione mortifera perdurantes crebrius admoniti, emendare neglexerint, iuxta quod conditiones causarum, aut excessus personarũ exegerint, alios canonica seueritas corrigat, alios legalis pœna percellat: quoniam nec innocentes potest reddere collata securitas liberos, nisi culparum probatio punierit criminosos: nec minor est pietas, proteruos conteri, quàm releuare compressos. Conuenit ergò, vt iustitiæ & æquitatis in omnibus vigore seruato, distringat legalis vltio iudicum, quos non corrigit canonica prædicatio sacerdotum: quo fiat, vt dum præterita resecantur scelera, nullus audeat perpetrare futura, & ita vniuersos excedentes pro disciplinæ tenore seruando correctionis frena constringant, vt in vniuersa regione nostra pacis & concordiæ iura proficiant. Cuncti itaq; iudices iusta (sicut Deo placet) studeant dare iudicia. Nam non dubium est, quòd acriùs illos condemnabit sententia nostri iudicij, à quibus non tenetur æquitas iudicandi. Non vicarios, aut quoscunque de latere suo, per regionem sibi commissam instituere vel destinare præsumant, qui (quod absit) malis operibus consentiendo, venalitatem exerceant, aut iniqua quibuscunque spolia inferre præsumant. Clericorum transgressiones, cùm aduersario instigante contigerint, quantùm illis pro diuino amore reuerentia maior impenditur, tantùm conuenit, vt acriùs resecentur: quoniam si sancti pastores aut instituti iudices (quod nefas est) subiectorum suorum scelera potiùs occultare, quam resecare tentauerint, se ex hoc ampliùs reos esse vel noxios non ignorent. Cuncta ergò, quæ huius edicti tenore decreuimus, perpetualiter volumus custodiri: quia in sancta synodo Matisconensi hæc omnia (sicut nostis) studuimus diffinire, quæ præsenti authoritate vulgamus. Subscriptio domini Guntramni regis, Data sub die 4. Idus Nouembr. 24. regni suprascripti regis.

*probata

Notæ in CONCILIVM MATISCONENSE II. ANNO DOM. 588.

Conciliũ] *Hæc Synodus cõuocata est iussu Regis Guntheramni: qui cũ magno dolore videret, statũ regni sui quotidiè in peius vergere, seq; contra Gothos aliquoties infeliciter pugnasse, malorum fontem altius inquirens, solos Episcopos hac in re culpãdos esse animaduerit; vt potè qui populũ corruptis suis moribus Dei vindictæ ira in se prouocantẽ, Euangelicis, vt par erat, doctrinis non instituerent. Quare in eo esse nonnihil cõmotus, omnes Metropolitanos in sua prouincia positos, cæteris omnibus Episcopis sibi subditis conuenire voluit: vt Synodo generali congregati, definirent & statuerent, quicquid ad mores Ecclesiæ vniuersæ reformandos necessarium esse, ipsi iudicarent.* Concil. Concilij.

Hæc Synodus generalis appellatur: quia in ea omnes Metropolitani Episcopi quot quot erant, in regno Guntheramni conuenerunt.

Ad hanc Synodum referendum est, quod Gregorius Turonensis lib. 8. cap. 12. hist. Franc. scribit de Theodoro Massiliensi Episcopo sanctissimo: quem secularis iudex à se antea satis exagitatum, ad præsentiam Regis Guntheramni, *inquit Gregorius prad. loco*, direxit, vt scilicet ad Synodum, quæ Matisconę futura erat, quasi ab Episcopis damnandus, adesset.

Præter ea, quæ in Actis Cõcilij habentur, in hac Synodo circa diuersorum Episcoporum causas & iudicia illa, contigerunt, de quibus ita Gregor. lib. 8. ca. 20. Interim dies aduenit: & Episcopi ex iussu Regis Guntheramni apud Matisconensem vrbem collecti sunt. Faustianus. a. qui ex iussu Gundebaldi, Aquensis vrbis fuerat Episcopus ordinatus, ea conditione remouetur, vt eũ Berthramnus, Orestesq; siue Palladius, qui eum benedixerant, verbis pascerent, cẽtenosq; ei aureos annis singulis ministrarẽt. Nicetius. a. ex laico, qui primo Chilperico Regi præceptum elicuerat, in ipsa vrbe Episcopatum adeptus est. Vrsicinus. a. Cardurcẽsis Episcopus excõmunicatur, pro eo quod Gundebaldũ excepisse publicè confessus est, accepto eiusmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis ageret, neq; capillum neq; barbam tõderet, vino & carnibus abstinere, Missas celebrare, clericos ordinare, Ecclesias Chrismaq; benedicere non præsumeret, eulogias dare pœnitus non auderet: vtilitas tamen Ecclesiæ, per eius ordinationem, sicut solita erat, omninò exerceretur. *Et paulò pòst.* Prætextatus verò Rothomagensis Episcopus, orationes quas in exilio positus scripsit, coram Episcopis recitauit: à quibusdam verò, quia artem secutus minimè fuerat, reprehendebantur: Stylus autem per loca Ecclesiasticus & rationabilis erat. *Hactenus de reb. in Concil. gest. Gregor.* Quia hoc Concilio gesta.

Episcopi 62. Concilio interfuerunt in propria persona: per legatos nonnulli præsto fuere: Ex his sanctitate celebres sunt, Priscus, Euantius, Prætextatus, Theodorus, Sulpitius, Veranus, alij q; plures. Ediderunt Canones, quorum hi sunt tituli: Quot & quot Episcopi interfuerint.

1 De intermisso Dominicæ diei cultu restituendo.
2 De Paschate per 6. dies festos agendo.
3 De Baptismo in Paschate celebrando.
4 De oblationibus in omnibus Dominicis diebus à populo faciendis.
5 De Decimis à populo Clericis ex antiquo more persoluendis.
6 De Missis ieiunè celebrandis.
7 De personis Ecclesiasticis ab Episcopis iudicandis.
8 De Reis ab Ecclesia non extrahendis.
9 De Episcopis ad secularia iudicia non trahendis.
10 De Clericis coram Episcopis conueniendis.
11 De Hospitalitate seruanda.
12 De Viduis & pupillis nõ nisi corã Episcopo iudicandis.

13 De canib. & accipitrib. ab Episcopis non alendis.
14 De Violentia potentum in miseros coercenda.
15 De honore Clericis honoratioribus à sęcularibus exhibendo, adeò vt Clerico pedestri eques, obuiam sæcularis, ad terram desiliat.
16 De vxoribus Clericorum, ne post eorum mortem ineant secunda matrimonia.
17 De alieno sepulturæ iure non vsurpando.
18 De incœstuosis copulationibus vitandis.
19 De Clericis, ne forũ criminale frequentent, nec reorum neci intersint.
20 De Concilio tertio quoquo anno celebrando.

Anno Dom. nostri 588.] *Qui cum initio vigesimi quarti, anni Regis Guntheramni coincidit. Fuisse aũt hãc Synodum initio anni 24. Guntheramni celebratam, testantur acta Concilij. Ex Greg. Turon. lib. 8. c. 7. constat indictam fuisse ad 11. Kal. Nouemb. quo Palladius & Bertheramnus Episcopi præsto esse iussi erant.*

Anno 24. regni glorioss. &c.] *Celebrata est. n. hæc Synodus, vt ex præcedentibus patet, in fine anni 588. quo 24. Guntheramni Regis numerari incipit.*

Priscus Episcopus Patriarcha] *Cum Venetiarum, Istriæ, atque Liguriæ Episcopi essent in schismate, de quo sup. in epist. Pelag. prima & secũda; Paulinus Aquileiensis his omnibus præemineret, placuit ijdem schismaticis, qui ab Ecclesia Rom. desciuerant, eundẽm Paulinum, teste Paulo Diacono lib. 2. de gest. Longobard. cap. 12. Patriarcham nominare, quem sibi loco summi Pontificis supremum Antistitem constituerant. Et quanquam in Italia hactenus nemo præter Roman. Pontific. apud veteres eiusmodi titulo insignitus fuisse legatur; temporibus tamen hisce prædictum nomen frequenter vsurpatum reperitur pro Archiepiscopo; nimirum, vt qui sub se alios haberet Episcopos, sicut dictus esset Archiepiscopus, ita pariter ex vocis significatione Princeps Patrum, & Graco nomine Patriarcha nominaretur. Sunt de his plura exempla: Gregorius. n. Turonens. libr. 5. cap. 20. histor. Franc. S. Nicetium Archiepiscopum Lugdunensem, Patriarcham appellat. Ita hic Priscus eiusdem Ecclesiæ Lugdunens. Archiepiscopus, Patriarcha vocatur. Apud Victorem & Gregorium inuenies, quod primarios suos Episcopos, Ariani Patriarchas appellare consueuerint. Et quia hoc nomen olim Apostolicarum tantum sedium nomen erat, cum amplissima dignitate coniunctum, etiam hæretici Patriarcham nominare consueuerunt illum, quem erroris sui principem sequebantur. Baron. ann. 570. numer. 10. & 11.*

De sacrosanct. Eccles. fugitiuos subtrahere] *Ad hæc iterum sancienda Patres inducti fuisse videntur, ob diuersos casus, quos diuersis in locis accidisse diximus supr. in Not. Concil. Parisiens V. Mouebantur exemplis recentibus, quæ etiam circa hæc tempora huius Concilij acciderant Turonis in atrio Ecclesiæ S Martini: quæque contigerant apud Agennensem ciuitatem in basilica S. Vincenty martyris. De quibus videatur Gregor. lib. 6. hist. cap. 21. & 22. & libr. 7. cap. 28. & 29.*

Præceptio gloriosissimi Regis Guntheramni] *Post peractam Synodum, Rex Guntheramnus hanc sanctionem ad Episcopos atque Iudices scriptam edidit: qua (vt decet religiosissimum Principem) eosdem hortatur Episcopos, Verbi inprimis prædicationi inuigilare, suumque vt officium non per Vicarios; sed per seipsos expleant. Vtinam omnes Christiani Principes, huius Regis exemplo, ad populi mores corrigendos, atque ad iudices emendandos se conuertant, dum peste, penuria, bello, aliisque calamitatibus affliguntur.*

(.*.)

CONCILIVM VALENTINVM GALLIAE II. SVB PELAGIO II. Papa, celebratum anno Domini nostri 589. Est Prouinciale.

SYNODVS HABITA IN VRBE VALENTINA 10. Kalend. Iulij, Anno 24. regni gloriosissimi domini Guntheramni Regis, (Indictione secunda.)

CVM in vrbe Valẽtina iuxta imperium gloriosissimi domini Gũtheramni regis nostra mediocritas pro diuersis pauperum querimonijs conueniisset, id primò, authore Deo, decreuimus sanciendum, quod pro salute regis & animæ suæ saluatione, vel religionis statu censuimus oportunum: Id est, vt quia prædictus rex per virum illustrem Asclipiodetum *ref. datis ad sanctam Synodũ epistolis suis iniunxit, vt quodcunque tam ipse, quam bonæ memoriæ iugalis sua Austrechildis regina, vel filiæ eorum, Deo sacratæ puellæ, id est, bonæ memoriæ Clodeberga, vel Clodehildis locis sanctis contulissent, aut adhuc conferre decreuerint, authoritate apostolica, deberet sancta Synodus præsenti titulo manuum suarum subscriptione firmare. Et quia tam laudabili deuotioni non solum sacerdotalem, sed etiam diuinam credimus posse conniuentiam conspirare: idcircò præsenti constitutione vnanimi consensu, Deo medio, Synodus sancta decreuit, vt si quid Basilicę sancti Marcelli, vel sancti Symphoriani, vel quibuscunq; locis, vel seruientibus Deo per quascunque authoritates aut scripturarum epistolas præfatus dominus rex, vel suprà nuncupata iugalis sua, filiæq; eorum siue in ministerio altariorum, siue in quibuscunque speciebus, quæ ad diuinum cultum pertinere noscuntur, contulisse vel adhuc conferre voluerint, neque ab episcopis locorum, neque potestas regia quocunque tempore successura, de eorum voluntate quicquam minorare aut auferre præsumat. Quòd si quis hoc quocunque tempore temerare aut auferre præsumpserit, veluti necator pauperum anathemate perpetui iudicij diuini plectatur, & veluti sacrilegij perpetrator, criminis sui reus, supplicij ęterni teneatur obnoxius.

for. * referendam.

SVBSCRIPTIONES Episcoporum:

*Sapaudus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Arelatensis, subscripsi.
Priscus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Lugdunens. subscripsi.
Euantius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Viennens. subscripsi.
Isitius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Gratianopolitanæ, subscripsi.
Ragnoaldus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Valentinæ, subscripsi.
Trapidius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Auraticæ, subscripsi.
Eusebius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Matasensis, subscripsi.
Flauius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Cabilonens. subscripsi.
Pappus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Aptensis, subscripsi.
Vrbicus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Rhegiens. subscripsi.
Aridius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Vapincens. subscripsi.
Arthemius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Vasens. subscripsi.
Martianus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Tarantasiensis, subscripsi.

Pologronius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Sigesticæ, subscripsi.
Eusebius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Tricassinæ, subscripsi.
Cariatto in Christi nomine episcopus ecclesiæ Genauens. subscripsi.
Boethius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Carpentoractens. subscripsi.

CONCILIVM VALENTINVM II.

Quid in hoc Concilio gestũ

Concilium] *In hoc Concilio nihil aliud factum inuenitur, quam quod ad instantiam Regis Gantheramnis, donationes, quas ad pias causas, nimirum in vsus pauperum, & Ecclesiæ, ipse, eiusque posteri contulerant, vel collaturi essent, priuilegijs & immunitatibus Ecclesiasticis donata fuerint.*

Quo tempore habitũ fuerit.

Anno Domini 589.] *Celebratum est hoc Concilium 10. Kalen. Iul. in fine anni 24. Regis Guntheramni: adeoque Anno Christi 589. Nam 24. annus Guntheramni incipit circa Septembrem, anno Christi 588. & finitur Anno Domini nostri Iesu Christi 589. mense eodem. Vnde patet, emendandum esse illud, quod in titulo inscriptum habetur; Indictione secunda. Nam cum anno 25. Guntheramni Regis Indictio septima coincidit, non secunda.*

CONCILIVM TOLETANVM III. SVB PELAGIO II. ANNO DOMINI 589. CELEBRATVM, IN QVO GOTHI in Hispania abiurata Arianæ hæreseos perfidia Orthodoxam fidem profitentur.

EDITIO I.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, anno quarto regnante glorioſissimo atque pijſſimo, & Deo fideliſſimo domino Reccaredo Rege, die octauo Iduum Maiarum, Era 600. & 27. hæc ſancta Synodus habita eſt in ciuitate regia Toletana ab epiſc. totius Hiſpaniæ vel Galliciæ, numer. 72.

1 Cùm pro fidei ſuæ ſynceritate idẽ glorioſiſſimus princeps omnes regiminis ſui pontifices in vnũ conuenire mandaſſet, vt tam de eius conuerſione quam de gentis Gothorum innouatione in Domino exultarent, & diuinæ dignationi pro tanto munere gratias agerent, ſanctiſſimus idem princeps ſic venerandũ Concilium alloquitur, dicens:

Non incognitũ reor eſſe vobis, reuerẽdiſſimi ſacerdotes, quòd propter inſtaurandã diſciplinę eccleſiaſticæ formam, ad noſtræ vos ſerenitatis præſentiã euocauerim, & quia decurſis retrò temporibus hæreſis imminens in tota Eccleſia catholica agere ſynodica negocia denegabat: Deus cui placuit per nos eiuſdem hæreſis obicem depellere, admonuit inſtituta de more eccleſiaſtica reparare. Ergò ſit vobis iucunditatis, ſit gaudij, quòd mos canonicus proſpectu Dei per noſtram gloriam ad paternos reducitur terminos. Priùs tamen admoneo pariter & exhortor, ieiunijs vos & vigilijs atque orationibus operam dare, vt ordo canonicus, quem à ſacerdotalibus ſenſibus detraxerat longa ac diuturna obliuio, quem ætas noſtra ſe neſcire fatetur, diuino dono vobis rurſus pateſiat. Ad hæc autem gratias Deo agentes, & religioſiſſimo principi vniuerſo Concilio in laudibus acclamante, triduanum eſt exindè prædicatum ieiunium. Sed cùm die octaua Iduum Maiarum in vnum cœtum Dei ſacerdotes adeſſent, & oratione præmiſſa, vnuſquiſq; ſacerdotum competenti loco reſediſſet, ecce in medio eorũ adfuit ſereniſſimus princeps, ſeq; cum Dei ſacerdotibus orationi communicans, diuino deinceps flamine plenus, ſic ad loquendum exorſus eſt, dicens. Non credimus veſtram latere ſanctitatem, quanto tempore in errore Arianorum laboraſſet Hiſpania, & non multos poſt deceſſum genitoris noſtri dies, quibus nos veſtra beatitudo fidei ſanctæ catholicæ cognouit eſſe ſociatos, credimus generaliter magnum & æternum gaudium habuiſſe: & ideò venerandi patres, ad hanc vos peragendam congregandos decreuimus ſynodum, vt de omnibus nuper aduenientibus ad Chriſtum, ipſi æternas Domino gratias deferatis. Quicquid verò verbis apud ſacerdotium veſtrum nobis agendum erat de fide atq; ſpe noſtra, quam gerimus, in hoc tomo conſcripta atq; allegata, noteſcimus. Relegatur ergò in medio veſtri, & in iudicio ſynodali examinata per omne ſucciduum tempus gloria noſtra eiuſdem fidei teſtimonio decorata clareſcat. Suſceptus autem eſt ab omnibus Dei ſacerdotibus, offerẽte

EDITIO II. Ioan. Garſiæ.

IN Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno regnante quarto glorioſiſſimo domino Reccaredo Rege, die octauo Iduum Maiarum, Era DC. XXVII. hæc ſancta Synodus habita eſt in ciuitate Regia Toletana ab Epiſcopis totius Hiſpaniæ, vel Galliæ, qui infra ſcripti ſunt.

Cum pro fidei ſuæ ſinceritate, idem glorioſiſſimus Princeps omnis regiminis ſui Pontifices in vnum conuenire mandaſſet, vt tam de eius conuerſione, quàm de gentis Gothicæ innouatione in Domino exultarent, & diuinę dignationi pro tanto munere gratias agerent, ſanctiſſimus idem Princeps ſic venerandum Concilium alloquitur, dicens:

Non incognitum reor eſſe vobis, reuerendiſſimi Sacerdotes, quod propter inſtaurandam diſciplinæ eccleſiaſticæ formam ad noſtræ vos ſerenitatis præſentiã deuocauerim. Et quia decurſis retro temporibus hęreſis imminens, in tota Eccleſia catholica agere Synodica negocia denegauit, Deus, cui placuit per nos eiuſdem hæreſis obicem depellere, admonuit inſtituta de more eccleſiaſtica reparare. Ergo ſit vobis iucunditatis, ſit gaudij, quòd mos Canonicus proſpectu Dei, per noſtram gloriam, ad paternos reducitur terminos. Priùs tamen admoneo pariter, & exhortor, ieiunijs vos, & vigilijs atque orationibus operam dare; vt ordo Canonicus, quem à Sacerdotalibus ſenſibus detraxerat longa, ac diutina obliuio, quo ætas noſtra ſe neſcire fatetur, diuino vobis rurſus dono pateſiant. Adhæc autem gratias Deo agentes, & religioſiſſimo Principi vniuerſo Concilio in laudibus acclamante, triduanum eſt exinde prædicatum ieiunium. Sed cum die octauo Iduum Maiarum in vnũ agmen Dei Sacerdotes adeſſent, & oratione præmiſſa, vnuſquiſq; Sacerdotum competenti loco reſediſſet, ecce in medio illorum adfuit ſereniſſimus Princeps, ſeque cum Dei Sacerdotibus orationi communicans, diuino deinceps flamine plenus, ſic ad loquendum exorſus eſt, dicens: Non credimus veſtram latere ſanctitatem, quanto tempore in errore Arrianorum laboraſſet Hiſpania, & nõ multos poſt deceſſum genitoris noſtri dies, quibus nos veſtra beatitudo fidei ſanctæ catholicæ cognouit eſſe ſociatos, credimus generaliter magnum, & æternum gaudium habuiſſe. Et ideò, venerandi patres, ad hanc vos peragendam congregari iuſſimus Synodum; vt de omnibus nuper aduenientibus ad Chriſtũ, ipſi æternas Deo gratias deferatis. Quidquid verò verbis apud Sacerdotium veſtrum nobis agendum erat de fide, atque ſpe noſtra, quæ gerimus in hunc tomum conſcripta, atque allegata noteſcimus. Relegatur enim in medio veſtri, & iudicio Synodali examinatus, per omne ſucceſſiuum tẽpus gloria noſtra eiuſdem fidei teſtimonio decorata clareſcat. Suſceptus eſt autem ab omnibus Dei Sacerdotibus, offerente

rege, sacrosanctæ fidei tomus, & pronunciante notario clara voce, recensitus est ita:

Quamuis Deus omnipotens, pro vtilitatibus populorum, regni nos culmen subire tribuerit, & moderamen gentium non paucarum regiæ nostræ curæ commiserit, meminimus tamen nos mortalium conditione perstringi, nec posse fælicitatem futuræ beatitudinis aliter promereri, nisi nos cultui veræ fidei deputemus, & conditori nostro, saltem confessione, qua dignus est ipse, placeamus. Pro qua re, quantò subditorum gloria regali extollimur, tantò prouidi esse debemus in his, quæ ad Deum sunt, vel nostram spem augere, vel gentibus nobis à Deo creditis consulere. Cæterum, quid pro tantis beneficiorum collationibus omnipotentiæ diuinæ valemus tribuere, quandò omnia ipsius sunt, & bonorum nostrorum nihil egeat, nisi vt in eum sic tota deuotione credamus, quemadmodum per scripturas sacras se ipse intelligi voluit, & credi præcepit, id est, vt confiteamur esse patrem, qui genuerit ex substantia sua filium sibi & coæqualem & coæternum? Nō tamen vt idem ipse sit natus & genitor, sed persona alius sit pater, qui genuit, alius sit filius, qui fuerit generatus, vnius tamen vterque substantiæ in diuinitate subsistat: pater, ex quo sit filius, ipse verò ex nullo sit alio: filius, qui habeat patrem, sed sinè initio, & sine diminutione, in ea, qua patri coæqualis & coæternus est, diuinitate subsistat. Spiritus S. cōfitēdus à nobis est & prædicandus, à patre & filio procedere, & cū patre & filio vnius esse substantiæ. Tertiā verò in Trinitate spiritus S. esse personam, qui tamē cōmunē habeat cum patre & filio diuinitatis essentiam. Hæc enim sancta Trinitas, vnus Deus est, Pater & Filius & Spiritussanctus, cuius bonitate, omnis licèt bona sit condita creatura, per assumptam tamen à filio humani habitus formam, à damnata progenie reformamur ad beatitudinem pristinam. Sed sicut veræ salutis indicium est, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate sentire: ita erit consummata iustitia, si eandem fidem intra vniuersalem Ecclesiam teneamus & *Apostolicam vnitatem, in Apostolico positi fundamento, seruemus. Tamen vos, Dei sacerdotes, meminisse oportet, quantis hucusque Ecclesia Dei catholica per Hispanias aduersæ partis molestijs laborauerit, dum & catholici constanter fidei suæ tenerent ac defenderent veritatem, & hæretici pertinaciori animositate propriæ niterentur perfidiæ: me quoque, vt re ipsa conspicitis, calore fidei accensum in hoc Dominus excitauit, vt depulsa obstinatione infidelitatis, & discordiæ submoto furore, populum, qui sub nomine religionis famulabatur errori, ad agnitionem fidei & Ecclesiæ catholicæ consortium reuocarem. Adest enim omnis gens Gotthorum inclyta, & ferè omnium gentium genuina virilitate opinata, quæ licet suorum prauitate doctorum à fide hactenus vel vnitate Ecclesiæ catholicæ fuerit segregata, tota nunc tamen meo assensui concordans, eius Ecclesiæ communioni participatur, quæ diuersarum gentium multitudinem materno sinu suscipit, & charitatis vberibus nutrit. De qua Propheta canente, dicitur: Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gētib. Nec. n. sola Gotthorū cōuersio ad cumulum nostræ mercedis accessit, quinimmò & Sueuorum gentis infinita multitudo, quam præsidio cœlesti nostro regno subiecimus, alieno licet vitio in hæresim deductam, nostro tamen ad veritatis originem studio reuocauimus. Proinde, sanctissimi Patres, has nobilissimas gentes, quæ Dominicis lucris per nos applicatæ sunt, quasi sanctum & placabile sacrificium, per vestras manus æterno Deo offero. Erit enim mihi immarcescibilis corona vel gaudium in retributione iustorum, si hi populi, qui nostra ad vnitatem Ecclesiæ solertia transcurrerunt, fundati in eadem & stabiliti permaneant. Sicut enim diuino nutu nostræ curæ fuit, hos populos ad vnitatem Christi Ecclesiæ pertrahere, ita sit vestræ docibilitatis, catholicis eos dogmatibus instituere, quo in toto cognitione veritatis instructi, nouerint ex solido errores hæresis perniciosæ respuere, & veræ fidei tramitem ex charitate retinere, vel catholicæ Ecclesiæ communionem desiderio auidiori amplecti. Cæterum sicut facilè ad veniam peruenisse confido, quod nescia hucusque tam clarissima errauerit gens, ita grauius esse non dubito, si agnitam veritatem dubio corde teneat, atque à patenti lumine (quod absit) oculos suos auertat. Vnde valdè perneccessarium esse perspexi, vestram in vnum conuenire beatitudinem, habens sententiæ Dominicæ

offerente Rege, sacrosanctæ fidei tomus, & pronunciante Notario clara voce recensitum est ita:

Quamuis Dominus Deus omnipotens pro vtilitatibus populorum, regni nos culmen subire tribuerit, & moderamen gentium non paucarum regiæ nostræ curæ commiserit; meminimus tamen nos mortalium conditione constringi, nec posse felicitatem futuræ beatitudinis aliter promereri, nisi nos cultui veræ fidei deputemus, & conditori nostro saltim confessione, qua dignus ipse est, placeamus. Pro qua re quanto subditorum gloria regali excellimus, tanto prouidi esse debemus in his, quæ ad Deum sunt, vel nostram spem augere, vel gentibus à Deo nobis creditis consulere. Cæterum, quid pro tantis beneficiorum collationibus omnipotentiæ diuinæ valemus tribuere, quando omnia ipsius sunt, nisi vt in eum tota deuotione credamus? Quemadmodum per scripturas sacras seipsum intelligi voluit, & credi præcepit, id est, vt confiteamur esse patrem, qui genuerit ex sua substantia filium sibi coæqualem & coæternum; non tamen vt ipse idem sit natus, & genitor; sed persona alius sit pater, qui genuit, alius sit filius, qui fuerit generatus; vnius tamen vterque substantię diuinitate subsistat. Pater ex quo sit filius; ipse verò ex nullo sit alio; filius qui habeat patrem, sed sine initio, & sine diminutione, in ea, qua patri coæqualis, & coæternus est, diuinitate subsistat. Spiritus æquè sanctus confitendus à nobis, & prædicandus est, à Patre, & à filio procedere, & cum patre & filio vnius esse substantiæ; tertiam verò in Trinitate Spiritus sancti esse personam: qui tamen communem habeat cum Patre & Filio diuinitatis essentiam. Hæc enim sancta Trinitas vnus est Deus, Pater & Filius, & spiritus S. cuius bonitate omnis licet bona sit condita creatura, per assumptam tamen à filio humani habitus formam, à damnata progenie reformamur ad beatitudinem pristinam. Sed sicut veræ salutis indicium est, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate sentire, ita erit consummatio iustitiæ, si eandem fidem intra vniuersalem Ecclesiam teneamus, & Apostolica monita in Apostolico positi fundamento seruemus. Vos tamen Dei Sacerdotes meminisse oportet, quantis hucusque Ecclesia Dei Catholica per Hispanias aduersæ partis molestijs laborauerit: dum & Catholici constantem fidei suæ tenerent, ac defenderent veritatem, & hæreses pertinaciori animositate propriam niterentur vindicare perfidiam. Me quoque, vt re ipsa conspicitis, calore fidei accensum in eo Dominus excitauit, vt depulsa obstinatione infidelitatis, & discordiæ submoto furore, populum qui sub nomine religionis famulabatur errori, ad agnitionem fidei & Ecclesiæ Catholicæ consortium reuocarem. Adest enim omnis gens Gothorum inclyta & ferè omnium gentium gemina virilitate opinata; quæ licèt suorum prauitate doctorum à fidei hactenus, vel vnitate Ecclesiæ fuerit Catholicæ segregata, toto nunc tamen mecum adsensu concordans eius Ecclesiæ communioni participatur, quæ diuersarum gentium multitudinem materno sinu suscipit, & charitatis vberibus nutrit; de qua Propheta canente dicitur: Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Nec enim Gothorum sola conuersio ad cumulum nostræ mercedis accessit; quinimo & Sueuorum gentis infinita multitudo, quam præsidio cœlesti nostro regno subiecimus, alieno licet in hæresim deductam vitio nostro tamen ad veritatis originem studio reuocauimus. Proinde, sanctissimi Patres has nobilissimas gentes, quæ lucris per nos Dominicis applicatæ sunt, quasi sanctum, & placabile sacrificium, per vestras manus æterno Deo offero. Erit enim mihi immarcessibilis corona, vel gaudium in retributione iustorum, si hi populi, qui nostra ad vnitatem Ecclesiæ solertia transcurrerunt, fundati in eadem, & stabiliti permaneant. Sicut enim diuino nutu nostræ curæ fuit, hos populos ad vnitatem Christi Ecclesiæ pertrahere, ita sit vestrę docibilitatis, Catholicis eos dogmatibus instituere; quo in toto cognitione veritatis instructi, nouerint ex solido errorem hæresis perniciosæ respuere, & veræ fidei tramitem ex charitate retinere, vel catholicæ Ecclesiæ communionem desiderio auidiori amplecti. Cæterum sicut facilè ad veniam peruenisse confido, quod nescia hucusque tam clarissima errauerit gens, ita grauius esse non dubito, si agnitam veritatem dubio corde teneat, atque à patenti lumine (quod absit) oculos suos auerrat. Vndè valdè per necessarium esse prospexi, vestram in vnum conuenire bea-

Matt. 18. fidem, qua dicit: Vbi fuerint duo vel tres collecti in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Credo enim, beatam sanctæ Trinitatis diuinitatem huic sancto interesse Concilio: & ideò, tanquam ante conspectum Dei, ita in medio vestri fidē meam protuli, conscius admodum sententiæ diuinę, dicentis: Pſal. 39. Non celaui misericordiam tuam, & veritatem tuam à congregatione multa. 1. Tim. 6. Vel Apostolum Paulum, Timotheo discipulo præcipientem, audiui: Certa bonum certamen fidei, appræhende vitam æternam, in qua vocatus es, confessus bonā confessionem coram multis testibus. Matt 10. Mar 8. Luc 9. Vera est enim redemptoris nostri ex euangelio sententia, qua confitentem se coram hominibus, confiteri dicit coram patre, & negantem se esse negaturum. Rom. 10. Expedit enim nobis, id ore profiteri, quod corde credimus secundum cæleste mandatum, quo dicitur: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Proinde, sicut anathematizo Arium cum omnibus dogmatibus & complicibus suis, qui vnigenitum Dei filium à paterna degenerem asserebat esse substantia, nec à patre genitum, sed ex nihilo dicebat esse creatum, vel omnia concilia malignantiū, quæ aduersus sanctam Synodum Nicænam extiterunt: ita in honorem & in laudem Dei, fidem sanctam Nicæni obseruo Concilij, & honoro ea, quæ contra eundem, rectæ fidei pestē, Arium trecentorum decem & octo sancta episcopalis scripsit synodus. Amplector itaque & teneo fidem centum quinquaginta episcoporum Constantinopoli congregatorum, quæ Macedonium Spiritus sancti substantiam minorantem, & à Patris & Filij vnitate & essentia segregantem, iugulo veritatis interemit. Primæ quoque Ephesinæ synodi fidem, quæ aduersus Nestorium, eiusque doctrinam lata est, credo pariter & honoro. Similiter & Chalcedonensis Concilj fidem, quam plenam sanctitate & eruditione aduersus Eutychen & Dioscorum protulit, cum omni ecclesia Catholica reuerenter suscipio. Omnium quoq; orthodoxorum venerabilium sacerdotum concilia, quæ ab ipsis supràscriptis quatuor synodis, fidei puritate non dissonant, pari veneratione obseruo. Properet ergo reuerentia vestra, fidem hanc nostram canonicis applicare monimentis, & ab episcopis vel religiosis aut gentis nostrę primoribus solerter fidem, quam in ecclesia catholica crediderunt, audire. Quam renouatam apicibus, vel eorum subscriptionibus roboratam, futuris olim temporibus in testimonium Dei, atque hominum reseruate, vt hæ gentes, quas in Dei nomine, regia potestate præcellimus, & quæ deterso antiquo errore per vnctionem sacrosancti chrismatis, vel manus impositionem paracletum intra Dei Ecclesiam perceperunt Spiritum, quem vnum & æqualem cum Patre & Filio confitentes, eiusque dono in sinu Ecclesiæ sanctæ catholicæ collatæ sunt, si eorum aliqui hanc rectam & sanctam confessionem nostram minimè credere voluerint, iram Dei cum anathemate æterno percipiant, & interitu suo fidelibus gaudium, infidelibus sint in exemplum. Huic verò confessioni meæ, sanctas suprà scriptorum Conciliorum cōstitutiones cōtexui, & testimonio diuino tota cordis simplicitate subscripsi.

FIDES NICÆNI CONCILII.

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, &c.

SYMBOLVM CL. PATRVM Constantinopolitani Concilij.

Vide quæ notauimus ibi. CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, &c.

Hoc Symbolum in eadem Synodo, itemque Chalced. habetur.

TRACTATVS CHALCEDONENsis Concilij.

SVffecerat quidem ad plenissimā pietatis agnitionem, &c. *Tractatus iste Concilij Chalced. habetur, suprà sub quadruplici translatione.*

titudinem, habens sententiæ Dominicæ fidem, qua dicit, Vbi fuerint duo, vel tres collecti in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Credo enim beatam sanctæ Trinitatis diuinitatē huic sancto interesse Concilio; & ideò tanquam ante conspectum Dei, ita in medio vestri fidem meam protuli; conscius admodum sententiæ diuinæ dicentis: Non celaui misericordiam tuam, & veritatem tuam à congregatione multa: vel Apostolum Paulum Timotheo discipulo præcipientem audiui: Certa bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus. Vera est enim Redemptoris nostri ex Euangelio sententia, qua confitentem se coram hominibus, confiteri dicit coram patre, & negantem, se esse negaturum. Expedit enim nobis id ore proprio profiteri, quod corde credimus, secundum cæleste mandatum, quo dicitur: Corde creditur ad iustitiam, oris autem confessio fit ad salutem. Proinde sicut anathematizo Arrium cum omnibus dogmatibus, & complicibus suis, qui vnigenitum Dei filium à paterna degenerem asseuerat esse substantia; nec à Patre genitum, sed ex nihilo dicebat esse creatum, vel omnia concilia malignantiū, quæ aduersus sanctam Synodum Nicænam extiterunt, ita in honorem & in laudem, fidem sanctam Niceni obseruo, & honoro Concilij, quam contra eundem rectæ fidei pestem Arrium trecentorum decem & octo sancta Episcopalis scripsit Synodus. Amplector itaque & teneo fidem centum quinquaginta Episcoporum Constantinopoli congregatorum, quæ Macedonium, Spiritus sancti substantiam minorantem, & à Patris & Filij vnitate & essentia segregantem, iugulo veritatis interemit. Primæ quoque Ephesinæ Synodi fidem, quæ aduersus Nestorium, eiusque doctrinam relata est, credo pariter & honoro: similiter & Chalcedonensis Concilij fidem, quam plenam sanctitate, & eruditione aduersus Eutychen, & Dioscorum protulit, cum omni Ecclesia catholica reuerenter suscipio. Omnium quoque orthodoxorum venerabiliū Sacerdotum Concilia, quæ à suprascriptis quatuor sanctis Synodis fidei puritate nō dissonant, pari veneratione obseruo. Properet ergo reuerentia vestra fidem hanc nostram Canonicis applicare monimentis, & ab Episcopis vel religiosis, aut gentis nostræ primoribus solerter fidem, quam in Ecclesia catholica Deo crediderunt, audire. Quam rem notatam & apicibus, vel eorum subscriptionibus roboratam, futuris olim temporibus in testimonium Dei, atque hominum reseruate; vt hæ gentes, quarum in Dei nomine regia potestate præcellimus, & quæ, deterso antiquo errore, per vnctionem sacrosancti chrismatis, vel manus impositionem Paracletum intra Dei Ecclesiam præceperunt spiritum, quem vnum, & æqualem cum Patre & Filio confitentes, eiusque dono in sinu Ecclesiæ sanctæ catholicæ collocatæ sunt. Si eorum aliqui hāc rectam & sanctam confessionem nostram minimè credere voluerint, iram Dei cum anathemate æterno percipiant, & de interitu suo, fidelibus gaudium, infidelibus sint in exemplum. Huic verò confessioni meæ, sanctarum supra scripturarum Conciliorum constitutiones contexui, & testimonio diuino, tota cordis simplicitate subscripsi.

INCIPIT FIDES A SANCTO NIcæno Concilio edita.

Habetur hæc fides in Chalc. Conc. act. 1. quod ci. cil. priùs est posteq. Leon. Ep. 1. & apud Athan. & 6. Conc. Carthag. Ruf. lib. hist. Eccl. c. 8. Socrat. lib. 1. c. 8. Niceph. lib. 8. c. 28.

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium conditorem, &c.

ITEM FIDES SANCTA, QVAM EXPOSVerunt. C. L. Patres, consona magnæ Nicænæ Synodo.

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli, & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, &c.

ITEM TRACTATVS CHALcedonensis Concilij.

SVffecerat quidem ad plenissimam pietatis agnitionem, & confirmationem cautissimum, hoc est, salutare diuitur, &c.

EGo Reccaredus rex, fidem hanc sanctam, & veram confessionem, quàm vnà per totum orbem Catholica cõfitetur Ecclesia, corde retinens, ore affirmans, mea dextera, Deo protegente, subscripsi.

Ego Badda gloriosa regina, hanc fidem, quam credidi & suscepi, manu mea de toto corde subscripsi.

Tunc acclamatum est in laudibus Dei, & in fauore Principis ab vniuerso Concilio.

Gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, cui cura est pacẽ & vnitatem Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ prouidere.

Gloria Domino nostro Iesu Christo, qui precio sanguinis sui Ecclesiam Catholicam ex omnibus gentib. congregauit.

Gloria Domino nostro Iesu Christo, qui tam illustrem gentem vnitati fidei veræ copulauit, & vnum gregem, & vnũ pastorem instituit.

Cui à Deo æternum meritum, nisi verò Catholico Reccaredo Regi?

Cui à Deo æterna corona, nisi vero orthodoxo Reccaredo Regi?

Cui præsens gloria & æterna, nisi vero amatori Dei Reccaredo Regi?

Ipse nouarum plebium in Ecclesia conquisitor.

Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum impleuit officium.

Ipse sit Deo & hominibus amabilis, qui tam mirabiliter Deũ glorificauit in terris, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti, in sæcula sęculorum.

ITEM FIDEI CONFESSIO EPISCOPORUM, presbyterorum, vel primorum Gotthicæ gentis, qui infra subscripserunt.

PRæcipiente autem vniuerso venerabili Concilio atque iubente, vnus episcoporum catholicorum, ad episcopos & religiosos clericos, vel maiores natu ab hæresi Ariana conuersos, eiusmodi allocutione exorsus est, dicens:

Officij nostri cura, & fidelissimi ac glorioſissimi Principis admonitione compellimur, diligenter à vestra charitate perquirere vel quid damnetis in hæresi, aut quid intra Dei sanctam Catholicam credatis Ecclesiam. Nam sicuti dicente Psalmista didicimus * incipite Domino in confessione: optimum est, & vestræ saluti conueniens, palàm confiteri, quod creditis, & sub auditu vniuersorum anathematizare, quod respuitis. Tunc prorsus optimè poteritis euangelicæ atque Apostolicæ fidei participes fieri, si eandem fidem Catholicam, ex confessione Catholica incipiatis, vel propria subscriptione firmetis: & sicuti Deo iam de bona consensione cogniti estis conscientia, ita & proximis vos fidei sanctæ adstipulatione monstretis. Ergo itaque fiet, vt & vos Christi esse corporis membra significetis, & nostra exiguitas nihil dubium, nihil infidum vnquam de vestra suspicetur fraternitate, dum patuerit vos pestem Arianæ perfidiæ, cum omnibus dogmatibus, regulis, officijs, communione, codicibus condemnare, vt detestandæ hæreseos expoliati contagione, innouati quodammodò, intra Ecclesiã Dei splẽdido habitu veræ fidei clareatis.

Tunc episcopi omnes vna cum clericis suis, primoresque gentis Gotthicæ, pari consensione dixerunt.

Licèt hoc, quod paternitas atque fraternitas vestra à nobis cupit audire, vel fieri, iam olim conuersionis nostræ tempore egerimus, quando secuti glorioſissimum Dominum nostrum Reccaredum regem, ad Ecclesiam transiuimus, & perfidiam Arianam cum omnibus superstitionibus suis anathematizauimus, pariterq; abiecimus: nunc tamen propter charitatem & deuotionem, quam vel Deo, vel ecclesię sanctæ catholicæ meminimus nos debere, non tamen hæc eadem quæ petitis, promptissimè agere properamus, & si qua adhuc congrua fidei esse perspicitis, nobis de charitate persuadere. Nos etenim semel rectæ fidei amor in eam deuotionem euexit, vt omne, quod nobis verius fraternitas vestra patefecerit, teneamus, & libera fateamur confessione.

Omnis ergò, qui fidem & communionem ab Ario venientem, & hucusque nobis retentam, adhuc tenere desiderat, & de tota cordis intentione non damnat, anathema sit.

EGo Reccaredus Rex fidem hanc sanctam, & veram confessionem, quam vnam per totum orbem Catholica confitetur Ecclesia, corde retinens, ore affirmans, mea dextera, Deo protegente subscripsi.

Ego Baddo, glorioſa Regina, hanc fidem, quam credidi, & suscepi, mea manu de toto corde subscripsi.

Badda, pia vxor Reccaredi Regis filia, vt tradunt Historiæ nostri, Arturi Regis Britanniæ.

Tunc adclamatum est in laudibus Dei, & in fauore Principis ab vniuerso Clero.

Gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, cui cura est pacẽ & vnitatem Ecclesiæ suæ sanctæ Catholicæ prouidere.

Gloria Deo nostro Iesu Christo, qui pretio sanguinis sui Ecclesiam Catholicam ex omnibus gentibus congregauit.

Gloria Deo nostro Iesu Christo qui tam illustrem gentem vnitati veræ fidei copulauit, & vnum gregem & vnum pastorem instituit.

Cui à Deo æternum meritum, nisi verò Catholico Reccaredo Regi?

Cui à Deo æterna corona, nisi verò orthodoxo Reccaredo Regi?

Cui præsens gloria, & æterna, nisi verò amatori Dei Reccaredo Regi?

Ipse nouarum plebium in Ecclesia Catholica conquisitor.

Ipse mereatur veraciter Apostolicum meritum, qui Apostolicum impleuit officium.

Ipse sit Deo & hominibus amabilis, qui tam mirabiliter Deũ glorificauit in terris, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti, in sæcula seculorum. Amen.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV Christi. Item fidei confessio Episcoporum, Presbyterorum, vel primorum Gothicæ gentis, qui infra subscripserunt.

PRæcipiente autem vniuerso venerabili Concilio: atque iubente, vnus Episcoporum Catholicorum ad Episcopos & religiosos, vel maiores natu, ex hæresi Arriana conuersos eiusmodi alloquutione exorsus est, dicens.

Officij nostri cura, & felicissimi, atque glorioſissimi Principis admonitione propellimur, diligenter à vestra charitate perquirere, vel quid dãnetis in hæresi, aut quid intra Dei Catholicam credatis ecclesiam. Nam sicut dicente Psalmista didicimus: Incipite Domino in confessione; optimũ est, vestręque saluti conueniens palam confiteri, quod creditis, & sub auditu vniuersorum anathematizare, quod respuitis. Tunc prorsus optimè poteritis euangelicæ, atque Apostolicæ fidei participes fieri, si eandem Catholicam fidem ex confessione Catholica incipiatis, vel propria subscriptione firmetis; & sicuti Deo iam de bona consensione cogniti estis conscientia, ita & vos proximos fidei sanctæ adstipulationem monstretis. Eo itaque fiet, vt & vos Christi esse corporis membra significetis, & nostra exiguitas nihil dubium, nihil infidum vnquam de vestra suspicetur fraternitate; dum patuerit, vos pestem perfidiæ Arrianæ cum omnibus dogmatibus, regulis, officijs, communione, codicibus prædamnare, vt detestandæ hæreseos expoliati contagione, innouati quodammodò intra Dei Ecclesiam splendidi habitu veræ fidei clareatis.

Psal. 146. Vide infra in notis.

Tunc episcopi omnes vnà cum Clericis suis, primoresque gentis Gothicæ pari consensione dixerunt:

Licet hoc, quod paternitas, atque fraternitas vestra à nobis cupit audire, vel fieri, iam olim conuersionis nostræ tempore egerimus, quando sequuti Dominum nostrum glorioſissimum Reccaredum Regem, transiuimus, & perfidiam Arianã cum omnibus superstitionibus suis anathematizauimus pariter & abiecimus; nunc verò propter charitatem & deuotionem, quam vel Deo, vel Ecclesiæ sanctæ Catholicæ meminimus nos debere, non tantum hæc eadem, quæ petitis promptissimè agere properamus, sed & quæ adhuc congrua fidei esse conspicitis, nobis de charitate persuadete. Vos etenim ita semel rectæ fidei amor in eam deuotionem aduexit, vt omne quod nobis verius fraternitas vestra patefecit, teneamus, & liberali fateamur confessione.

1 Omnis ergo qui fidem & communionem ab Arrio veniẽtem, & hucusque à nobis retentam, adhuc tenere desiderat, & de tota cordis intentione non damnat, anathema sit.

Quicunque filium Dei, Dominum Ieſum Chriſtum negauerit à paterna ſubſtantia ſinè initio genitum, & æqualem patri eſſe vel conſubſtantialem, anathema ſit.

Quicunque ſpiritum ſanctum non credit aut non crediderit, à patre & filio procedere, eumque non dixerit coæternum eſſe patri & filio & coeſſentialem, anathema ſit.

Quicunque in patre & filio & ſpiritu ſancto, & perſonas non diſtinguit, & vnius diuinitatis ſubſtantiam non agnoſcit. anathema ſit.

Quicunque filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ſpiritum ſanctum, eſſe patre minorem aſſeruerit, & gradibus ſeparauerit, creaturamque eſſe dixerit, anathema ſit.

Quicunque patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum vnius ſubſtantiæ, omnipotentiæ, & æternitatis eſſe non crediderit, anathema ſit.

Quicunque neſcire filium Dei, quod Deus pater ſciat, dixerit, anathema ſit.

Quicunque initium filio Dei & ſpiritui ſancto deputauerit, anathema ſit.

Quicunque filium Dei, ſecundum diuinitatem ſuam, viſibilem aut paſſibilem auſus fuerit proferre, anathema ſit.

Quicunque ſpiritum ſanctum, ſicut patrem & filium, verum Deum & omnipotentem eſſe non credit, anathema ſit.

Quicunque alibi fidem & communionem Catholicam, præterquam in eccleſia vniuerſali, quæ Nicæni & Conſtantinopolitani, & primi Epheſini, & Chalcedonenſis Concilij decreta tenet, pariter & honorat, anathema ſit.

Quicunque patrem & filium & ſpiritum ſanctum, honore & gloria & diuinitate ſeparat & diſiungit, anathema ſit.

Quicunque filium Dei, & ſpiritum ſanctum cum patre non crediderit eſſe glorificandum & honorandum, anath. ſit.

Quicunque non dixerit, Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, anathema ſit.

Quicunque rebaptizandi ſacrilegum opus eſſe, bonum credit, aut crediderit, agit, aut egerit, anathema ſit.

Quicunque libellum deteſtabilem, duodecimo anno *Leobigildi regis, à nobis editum, in quo continetur Romanorum ad Arianam hæreſim traductio, & in gloria Patri per filium, in ſpiritu ſancto, & malè à nobis inſtituta continentur, hunc libellum ſi quis pro vero habuerit anathema ſit in æternum.

*Leonigildi vel, Leubigildi.

Quicunque Ariminenſe Concilium ex toto corde non reſpuerit, & damnauerit, anathema ſit.

Confitemur enim, nos ex hæreſi Ariana toto corde, tota anima & tota mente noſtra ad Eccleſiam Catholicam ſuiſſe conuerſos. Nulli dubium ſit, noſtroſque deceſſores erraſſe in hæreſi Ariana, & fidem Euangelicam atque Apoſtolicam nũc intra Eccleſiam Catholicam didiciſſe. Proindè fidem ſanctã, quàm religioſiſsimus Dominus noſter patefecit in medio Concilij, & manu ſua ſubſcripſit, hanc & nos tenemus, hanc confitemur, pariter & ſuſcipimus, hanc in populis prædicare, atque docere promittimus. Hæc eſt vera fides, quam omnis eccleſia, dum per totum mundum tenet, Catholica eſſe creditur & probatur. Cui hæc fides non placet, aut non placuerit, ſit anathema maranatha in aduentu Domini noſtri IESV Chriſti.

1. Cor. 16.

Qui fidem ſpernit Nicæni Concilij, anathema ſit.

Qui fidem Concilij Conſtantinopolitani centum quinquaginta epiſcoporum, veram eſſe non dixerit, anathema ſit.

Qui fidem Epheſinæ ſynodi primæ, & Chalcedonenſis non tenet, & ea non delectatur, anathema ſit.

Qui Concilia omnium orthodoxorum epiſcoporum cõſona Concilijs, Nicæno, Conſtantinopolitano, primo Epheſino, & Chalcedonenſi non recipit, anathema ſit.

Proindè & damnationem hanc perfidiæ communionis Arianæ & omnium Conciliorum hæreſem Arianam fouentium, cum anathemate eorum, manu propria ſubſcripſimus. Conſtitutiones verò ſanctorum Conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, vel Chalcedonenſis, quas gratiſſima aure audiuimus, & conſenſione noſtra veras eſſe probauimus, de toto corde, & de tota anima, & de tota mente noſtra ſubſcripſimus, nihil ad cognitionem veritatis lucidius arbitrantes, quàm quæ ſupradictorum Conciliorum

2 Quicunque filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negauerit à Paterna ſubſtantia ſine initio genitum, & æqualem Patri eſſe, vel conſubſtantialem, anathema ſit.

3 Quicunque Spiritum ſanctum non credit, aut non crediderit à Patre & filio procedere, eumque non dixerit coæternum eſſe Patri & Filio, & coæqualem, anathema ſit.

4 Quicunque in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & perſonas non diſtinguit, & vnius Dei vnitatis ſubſtantiam non cognoſcit, anathema ſit.

5 Quicunque filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum eſſe Patre minores aſſeruerit, & gradibus ſeparauerit, creaturamque eſſe dixerit, anathema ſit.

6 Quicunque Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnius ſubſtantiæ, omnipotentiæ, æternitatis eſſe non credit, anathema ſit.

7 Quicunque neſcire filium Dei, quæ Deus Pater ſciat, dixerit, anathema ſit.

8 Quicunque initium Filio Dei, & Spiritui ſancto deputauerit, anathema ſit.

9 Quicunq; filium Dei, ſecundum diuinitatem ſuam viſibilem aut paſſibilem auſus fuerit profiteri, anathema ſit.

10 Quicunq; Spiritum S. ſicut Patrem & filium verum Deum omnipotentem eſſe non crediderit, anathema ſit.

11 Quicunque aliam fidem & cõmunionem Catholicam, præter eccleſiaſticam vniuerſalem, eſſe crediderit (Illam dicimus eccleſiam, quæ Nicæni, Conſtantinopolitani, & primi Epheſini, & Chalcedonenſis Concilij decreta tenet pariter, & honorat) anathema ſit.

Vide ante.

12 Quicunq; Patrẽ & filium, & Spiritum ſanctũ honore, & gloria & diuinitate ſeparat, & diſiungit, anathema ſit.

13 Quicunq; filium Dei & Spiritum ſanctum cum Patre nõ crediderit eſſe glorificandos, & honorandos, anathema ſit.

14 Quicunque non dixerit: Gloria & honor Patri & filio, & Spiritui ſancto, anathema ſit.

15 Quicunque rebaptizandi ſacrilegum opus bonum eſſe credit, aut crediderit, agit, aut egerit, anathema ſit.

16 Quicunque libellum deteſtabilem duodecimo anno Leouegildi regis à nobis editum, in quo continetur Romanorum ad hæreſim Arrianam traductio, & in quo gloria Patri, per filium, in ſpiritu ſancto malè à nobis inſtituta continentur, hunc libellum ſi quis pro verò habuerit, anathema ſit in æternum.

17 Quicunque Ariminenſe Concilium non ex toto corde reſpuerit, & damnauerit, anathema ſit.

18 Confitemur enim nos ex hæreſi Arriana toto corde, tota anima, & de tota mente noſtra ad Eccleſiam Catholicam ſuiſſe conuerſos. Nulli dubium eſt, nos, noſtroſque deceſſores erraſſe in hæreſi Arriana, & fidem Euangelicam, atque Apoſtolicam nunc intra Eccleſiam Catholicam didiciſſe. Proinde fidem ſanctam, quam præfatus religioſiſſimus dominus noſter patefecit in medio Concilij, & manu ſua ſubſcripſit, hanc & nos tenemus; hanc confitemur pariter, & ſuſcipimus, hanc in populis prædicare, atque docere promittimus: Hæc eſt vera fides, quam omnis Eccleſia Dei per totum mundum tenet, Catholica eſſe creditur & probatur. Cui hæc fides non placet, aut non placuerit, ſit anathema, maranatha in aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

19 Qui fidem ſpernit Nicæni Concilij, anathema ſit.

20 Qui fidem Concilij Conſtantinopolitani. CL. Epiſcoporum, veram eſſe non dixerit, anathema ſit.

21 Qui fidem Epheſinæ Synodi primæ & Chalcedonenſis non tenet, & ea non delectatur, anathema ſit.

22 Qui Concilia omnia Epiſcoporum orthodoxorum cõſona Concilijs Nicæno, Conſtantinopolitano, primo Epheſino, & Chalcedonenſi non recipit, anathema ſit.

23 Proinde & damnationem hanc perfidiæ, & communionis Arrianæ, & omnium Conciliorum hæreſim Arrianam fouentium, cum anathemate eorum propria manu ſubſcripſimus. Conſtitutiones verò ſanctorum Conciliorum Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, vel Chalcedonenſis, quas gratiſſima aure audiuimus, & confeſſione noſtra veras eſſe probauimus, de toto corde, & de tota anima, & de tota mente noſtra ſubſcripſimus. Nihil ad cognitionem veritatis lucidius arbitrantes, quam quæ ſuprà dictorum Conciliorum

con-

continent autho ritates. De Trinitate autem,& vnitate Patris & filij & ſpiritus ſancti,nihil his verius,nihil lucidius vnquàm poteſt vel poterit demonſtrari. De myſterio incarnationis vnigeniti filij Dei,pro ſalute humani generis,quo & vera probatur humanæ naturæ,ſinè peccati contagione ſuſceptio, & permanentis incorruptæ in eo diuinitatis plenitudo,dum & natura vtraque non deperit , & vna fit ex vtráque Domini noſtri Ieſu Chriſti perſona,ſatis plenè in his Concilijs,probatur patefieri veritate, & à nobis creditur,omni remota dubitatione.

Qui vnquam hanc fidem ſancta deprauare,corrumpere, mutare tentauerit,aut ab eadem fide,communione Catholica(quam nuper ſumus,Deo miſerante,adepti)egredi,ſeparari vel diſſociari voluerit,ſit Deo & vniuerſo mundo crimini infidelitatis in æternum obnoxius. Floreat autem Eccleſia ſancta Catholica per omnem mundum pacatiſſimè,& emineat doctrina,ſanctitate,& poteſtate. Si qui intra eam fuerint, crediderint,communicauerint, hi audient ad dexteram patris poſiti: Venite benedicti patris mei,percipite regnũ,quod vobis paratum eſt ab origine mundi.Si qui autem ab ea receſſerint,eiuſq; detraxerint fidei,& communionem reſpuerint, hi audient ex ore diuino in die iudicij:Diſcedite à me maledicti, neſcio vos. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.Sint ergò damnata in cœlo & in terra,quæcunque per hanc catholicam fidem damnantur: & ſint accepta in cœlo & in terra,quæcunque per hanc fidem accipiuntur, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto,cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt gloria in ſæculo ſæculorum.

SYMBOLVM CCCXVIII. PATRVM Nicæni Concilij.

Habetur hæc fides ſupra Tom.1. in diuerſis locis.

SYMBOLVM C L. PATRVM Conſtantinopolitani Concilij.

Hoc Symbolum in Concilij memorati loco adnotatur.

TRACTATVS FIDEI CHALCEDONENSIS Concilij.

SVffecerat quidem ad pleniſſimã pietatis agnitionem , & confirmationem, cautiſſimum hoc diuinæ gratiæ Symbolum &c.vt ſupra.

Anaſtaſius in Chriſti nomine epiſcopus Barchinonenſis, anathematizans hæreſim Ariani dogmatis ſuperius damnatã, fidem hanc ſanctam catholicam,quam in eccleſia Catholica, veniens credidi,manu mea de toto corde ſubſ.

Murila in Chriſti nomine Amalenſis epiſcopus, anathematizans hæreſim Ariani dogmatis,vt ſuprà.

Wiligiſcus in Chriſti nomine epiſcopus,anathematizans, &c.vt ſuprà.

Sumnila in Chriſti nomine ciuitatis*Veſenſis epiſcopus, anathemat.&c,vt ſuprà.

Cardingus in Chriſti nomine epiſcopus ciuitatis Tudertenſis,anathemat.&c.vt ſuprà.

Beccila in Chriſti nomine epiſcopus ciuitatis Lucenſis,anathemat.&c.vt ſuprà.

Arbitrus in Chriſti nomine epiſcopus ciuit.Portugalenſis,anathemat.&c.vt ſuprà.

Eruiſcius in Chriſti nomine ciuitatis Dertoſanæ epiſcopus anathemat. &c.vt ſupra.

continent auctoritates. De Trinitate autem & vnitate Patris,Filij,& Spiritus ſancti : nihil his verius,nihil lucidius vnquam poteſt,vel poterit demonſtrari.De myſterio incarnationis vnigeniti Filij Dei , pro ſalute humani generis,quo & vera probatur humanæ naturæ ſine peccati contagione ſuſceptio, & permanet incorruptè in eo diuinitatis plenitudo, cum ex natura vtraque non deperit,& vna fit ex vtraque Domini noſtri Ieſu Chriſti perſona , ſatis plenè in his Concilijs probatur patefieri veritate,& à nobis creditur omni remota dubitatione.

Quicunque hanc fidem ſanctam deprauare,corrumpere, mutare tentauerit,aut ab eadem fide,vel cõmunione catholica,quam nuper ſumus,Deo miſerante,adepti, egredi, ſeparari,vel diſſociari voluerint , ſint Deo & vniuerſo mundo crimine infidelitatis in æternũ obnoxij. Floreat aũt eccleſia ſancta per omnẽ mundum pacatiſſimè , & emineat doctrina, ſanctitate & poteſtate. Si qui intra eam fuerint , crediderint, communicauerint,hi audiant ad dexteram Patris poſiti : Venite benedicti Patris mei, percipite regnum , quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Si qui autem ab ea receſſerint,eiuſque deſtruxerint fidem , & communionem reſpuerint:hi audient ex ore diuino in die iudicij: Diſcedite à me maledicti,neſcio vos;ite in ignẽ æternum,qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.Sint ergo dãnata in cœlo & in terra,quæcunque per hanc catholicam fidem damnantur; ſint accepta in cœlo & in terra,quæcunque in hanc fidem accipiuntur:regnante Domino noſtro,Ieſu Chriſto,cui,cum Patre & Spiritu ſancto,eſt gloria in ſæcula ſæculorum.

INCIPIT FIDES A SANCTO NIcæno Concilio.

Credimus in vnum Deum Patrem, &c.

ITEM SANCTA FIDES, QVAM EXPOSVerunt centum quinquaginta Patres, conſona magnæ Nicænæ Synodo.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem,&c.

ITEM SANCTA FIDES, QVAM EXPOSVerunt tractatus Chalcedonenſis Concilij.

SVffecerat quidem ad pleniſſimam pietatis agnitionem,& confirmationem cautiſsimum , hoc eſt , ſalutare diuinæ gratiæ Symbolum, &c.

1 Vgnus in Chriſti nomine Epiſcopus anathematizans,hæreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata, fidem hanc ſanctã Catholicam , quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi,manu mea de toto corde ſubſc. Erat Barcinonenſis eccleſiæ epiſcopus.

2 Murila in Chriſti nomine Epiſcopus,anathematizans hęreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata, fidem hanc ſanctã Catholicam,quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi,manu mea,& toto corde ſubſc. Eſt hic Valentinus epiſcopus.

3 Vbiligiſculus in Chriſti nomine epiſcopus anathematizãs hæreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata , fidem hanc ſanctam catholicam,quam in eccleſiam catholicam veniens credidi,manu mea de toto corde ſubſc. Valentinę eccleſiæ epiſcopus.

4 Sumila in Chriſti nomine ciuitatis Veſenſis Epiſcopus, anathematizans hæreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata, fidem hanc ſanctam catholicam , quam in eccleſiam catholicam veniens credidi,manu mea de toto corde ſubſc.

5 Gardingus in Chriſti nomine ciuitatis Tudenſis epiſcopus,anathematizans hæreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata,fidem hanc ſanctam catholicam,quam in Eccleſiam Catholicam veniens credidi, manu mea de toto corde ſubſc.

6 Becila in Chriſti nomine ciuitatis Lucenſis Epiſcopus,anathematizans hæreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata, hanc ſanctam Catholicam fidem,quam in eccleſiam catholicam veniens credidi,manu mea de toto corde ſubſ.

7 Argiouittus in Chriſti nomine ciuitatis Portugalenſis epiſcopus,anathematizans hæreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata,fidem hanc catholicam,quam in Eccleſiam catholicam veniens credidi,manu mea de toto corde ſubſ.

Fruiſclus in Chriſti nomine ciuitatis Dertoſanæ epiſcopus, anathematizans hæreſis Arrianæ dogmata ſuperius damnata, fidem hanc ſanctam Catholicam,quam in Eccleſiam Catho-

Similiter & reliqui presbyteri & diacones, ex hæresi Ariana conuersi, subscripserunt.

for * signum

*Signum Gussini viri illustris proceris.

Fonsa vir illustrissimus, anathematizans, subscripsi,

Afrila vir illustriss. anathema. subscripsi.

*Ella

Achila vir illustris, anathe. subs. *Flauius vir illust. subsc.

Similiter & omnes seniores Gotthorum subscripserunt.

(In quodam vetustissimo manuscripto exẽplari presbyterorũ & procerũ ac virorũ illustrium permultorum hic nomina expressa habẽtur.

POst confessionem ergò & subscriptionẽ omniũ epĩscoporum, & totius gentis Gothicæ seniorum, glorioßimus Dominus noster Reccaredus rex, pro reparandis simul & cõfirmandis disciplinæ Ecclesiasticæ moribus, Dei sacerdotes taliter affatus est dicens: Regia cura vsque in eum modum protendi debet & dirigi, quẽ plenã constiterit ætatis & scientiæ capere rationẽ. Nã sicut in rebus humanis glorioßius eminet potestas regia, ita & prospiciendæ commoditati compro uincialium maior debet esse & prouidentia. At nunc, beatissimi sacerdotes, non in eis tantum modò rebus diffundimus solertiam nostram, quibus populi sub nostro regimine positi pacatissimi gubernentur & viuant, sed etiã adiutorio Christi extendimus nos ad ea, quæ sunt cælestia, cogitare, & q̃ populos fideles efficiant, satagimus non nescire. Cæterum si toti nitendum est viribus, humanis moribus modum ponere, & insolentium rabiem regia potestate refrenare, si quieti & pac propagendæ, opem debemus impendere: multo magis est adhibẽda solicitudo, desiderare & cogitare diuina, inhiare ad sublimia, & ab errore retractis populis, veritatem eis serenæ lucis ostendere. Sic enim agit, qui multiplici bono se à Deo remunerari cõfidit. Sic. n. agit, qui super id, q̃ ei cõmittitur, auget, dũ illi dicitur: Quicquid supererogaueris, ego, cũ rediero reddam tibi. Ergò, quia iã fidei nostræ & cõfessionis formam plena serie vestra beatitudo recensuit, simulq; & sacerdotum, nostrorumque procerum fides atque confessio sanctitati vestræ per patuit, hoc adhuc necessariò pro firmitate Catholicę fidei nostra Deo supplex instituere decreuit authoritas, vt propter roborandam gentis nostræ nouellã conuersionem, oẽs Hispaniarũ & Galliciæ ecclesiæ hanc regulã seruent, vt omni sacrificij tẽpore ante communicationẽ corporis Christi & sanguinis, iuxta Orientalium partium morem, vnanimiter clara voce sacratissimum fidei recensẽant symbolum, vt primum populi, q̃ credulitatẽ teneãt fateantur, & sic corda fide purificata, ad Christi corpus & sanguinẽ percipiendũ exhibeant. Dum. n. hæc constitutio fuerit perenniter conseruata in Dei ecclesia, & fidelium ex solido corroboratur credulitas, & perfidia infidelium confutata, ad id, quod repetitum sæpius recognoscit, facilimè inclinatur: nec se quisquã iam de ignorantia fidei excusabit à culpa, quandò vniuersorum ore cognoscit, quid catholica teneat & credat Ecclesia. Omnib. ergò capitulis, quæ adhuc per vestram sanctitatem regulis ecclesiasticis adijcienda sunt, hoc pro fidei sanctæ reuerentia & firmitate præponite, quod de proferendo symbolo nostra, Deo docente, decreuit serenitas. De cætero autem prohibendis insolentium moribus, mea vobis cõsentiente clementia, sententijs terminate districtioribus: & firmiore disciplina, quæ facienda non sunt, prohibete: & ea, quæ fieri debent, immobili constitutione firmate.

CAPITVLA EIVSDEM Concilij.

Vt Conciliorum statuta, & præsulum Romanorum decreta, custodiantur. 1

Vt in omnibus Ecclesijs die Dominica symbolum recitetur. 2

Vt ne quis extra necessitatem, rem Ecclesiæ alienet. 3

Vt liceat episcopo vnam ex parochijs basilicam monasteriũ facere. 4

Vt sacerdotes & Leuitæ, cum vxoribus suis non viuant. 5

Vt seruus ecclesiæ, ab episcopo manumissus, à patrimonio ecclesiæ nunquam recedat, & vt liberti aliorum ab episcopo defendantur. 6

Vt ad mensam episcopi scripturæ diuinæ legantur. 7

Vt clerici de familia fisci à principe non donentur. 8

licam veniens credidi, manu mea de toto corde subscripsi.

Similiter, & reliqui presbyteri & diaconi, ex hæresi Ariana conuersi subscripserunt.

Signum quo signarunt viri illustres proceres.

Fonsa vir illustris anathematizans subscripsi.

Aguila vir illustris anathemathizans subscripsi.

Eila vir illustris anathematizans subscripsi.

Similiter & omnes seniores Gothorum subscripserunt.

POst confessionẽ igitur & subscriptionem omnium episcoporũ & totius gentis Gothicæ seniorum, glorioßimus Dominus noster Reccaredus rex pro reparandis simul & cõfirmandis disciplinæ Ecclesiasticæ moribus, Dei sacerdotes taliter affatus est dicens: Regia cura vsque in eum modum protendi debet, & dirigi, quo possit veritatis & scientiæ capere rationem. Nam sicut in rebus humanis glorioßius eminet potestas regia, ita & prospiciendæ commoditati prouinciarũ maior debet esse prouidentia. Ac nunc, Beatissimi sacerdotes, non in eis tantum modò rebus diffundimus solertiam nostrã, quibus populi sub nostro regimine positi pacatissimè gubernentur, & viuant, sed etiam in adiutorio Christi extendimus nos ad ea, quæ sunt cœlestia cogitare, & quæ populos fideles efficiunt, satagimus non nescire. Cæterum si totis nitendum est viribus humanis moribus modum ponere, & insolentium rabiem regia potestate frenare, si qui etiam & paci propagandæ opem debemus impendere, multum magis est adhibenda solicitudo desiderare, & cogitare diuina, inhiare ad sublimia, & ab errore retractis populis veritatem eis serena luce ostendere. Sic enim agit, qui multiplici honore à Deo remunerari potest: sic enim audit, qui super id quã quod ei comittitur auget, dum illi dicitur: Quidquid supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Ergo quia iam fidei nostræ & confessionis formã plena serie vestra beatitudo recensuit, simulq; & sacerdotũ, nostrorumq; procerũ fides atq; confessio charitati vestræ præpatuit, hoc adhuc necessarium pro firmitate catholicæ fidei nostra Deo supplex instituere decreuit auctoritas, vt propter roborandam gentis nostræ nouellam cõuersionem, oẽs Hispaniarũ & Galliæ Ecclesiæ hanc regulam seruent, vt omni sacrificij tempore cõmunicationẽ corporis Christi vel sanguinis iuxta Orientaliũ Patrum morem vnanimiter clara voce sacratissimum fidei recensẽant symbolum: vt primum populi, quam credulitatem teneant fateantur, & sic corda fide purificata ad Christi corpus & sanguinem percipiendum exhibeant: dum enim constitutio hæc fuerit perenniter conseruata in Dei ecclesia, & fidelium ex solido corroboratur credulitas, & perfidia infidelium confutata, ad id quod repetitũ sæpius recognoscit, facillimè inclinatur. Nec se quisquam iam de ignorantia fidei excusabit à culpa, quando vniuersorum ore cognoscit, quid catholica teneat, & credat ecclesia. Omnibus ergò capitulis, quæ adhuc per vestram sanctitatem regulis ecclesiasticis adijcienda sunt, hoc pro fidei sanctæ reuerentia, & firmitate proponite, quod de proferendo symbolo, nostra Deo dicente decreuit Serenitas. De cætero autem pro inhibendis insolentium moribus, mea vobis consentiente clemẽtia, sententijs terminata districtioribus, & firmiori disciplina; quæ facienda non sunt, prohibete, & ea quæ fieri debent, immobili constitutione firmate.

INCIPIVNT CAPITVLA, QVÆ IN DEI nomine sancta synodus in Toletana vrbe constituit, tempore Domini Reccaredi Regis LXII. Episcoporum.

De obseruatione priorum canonum. 1

De Symbolo proferendo à populo in Ecclesia. 2

Vt Episcopo non liceat rem alienare ecclesiæ. 3

Vt episcopo liceat vnam de Parocitanis ecclesijs monasteriũ facere. 4

Vt episcopis, presbyteris, diaconibus ex hæresi venientibus, iam non liceat misceri vxoribus; vel quod hi qui semper catholici fuerunt, in cellulis suis cum mulieribus extraneis non morentur. 5

Quod liberti ab episcopis, vel ab alijs facti, & ecclesijs commendati, permanere debeant liberi. 6

Quod lectio in omnibus sacerdotalibus mensis legi debet. 7

Quod de clero, ex familijs fisci nullus vnquam postulet à Rege; & qui acceperit, 8

Vt ecclesiæ Arianorum ad catholicum episcopum, in cuius diœcesi sunt, pertineant. 9
Vt viduis pro castitate violentiam nullus inferat, & vt mulier inuita virum non ducat. 10
Vt pœnitens pœnitentiam agat. 11
De his, qui pœnitentiam poscunt, si vir est, prius tondeatur: si fœmina, prius habitum mutet. 12
Vt clerici, qui seculares iudices appetunt, excommunicentur.. 13
De Iudæis. 14
Vt serui fisci, qui Ecclesias construunt, eisdem dotem faciant. 15
Vt episcopi cum iudicibus, idola destruant, & domini, idololatriam seruis prohibeant. 16
Vt episcopi cum iudicibus, necatores filiorum acriore disciplina corripiant. 17
Vt semel in anno synodus fiat, & iudices & actores fisci præsentes sint. 18
Vt ecclesia cum rebus eius, ad episcopi ordinationem pertineat. 19
Vt episcopus angarias vel indictiones, in diœcesi non imponat. 20
Vt non liceat iudicibus, clericos vel seruos ecclesiæ, in suis angariis occupare. 21
Vt religiosorum corpora psallendo tantum deducantur. 22
*Vt in sanctorum natalicijs * ballimathiæ prohibeantur.* 23

DECRETA CONCILII.

Capitulum Primum.

POst damnationẽ hæresis Arianæ, & fidei sanctæ Catholicæ expositionem, hoc sanctum præcepit Concilium, vt quia in nonnullis vel hæresis, vel gentilitatis necessitate per Hispaniarũ ecclesias canonicus prætermissus est ordo, dum & licentia abundaret transgrediendi, & disciplinæ optio negaretur, dum omnis excessus hæresis foueretur patrocinio, & abundantia mali temporis, procul esset districtio disciplinæ. Atnunc pace ecclesiæ Christi misericordia reparata, omne, quod priscorum canonum authoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcepit fieri. Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul & synodicæ sanctorũ præsulũ Romanorum epistolæ. Nullus deinceps ad promerẽdos honores ecclesiasticos cõtra canonũ statuta adspiret indignꝰ. Nihil ex hoc fiat, qꝫ sancti patres, spiritu Dei pleni, sanxerũt, debere non fieri. Et qui præsumpserint, seueritate priorum canonum distringantur.

2 Pro reuerentia sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum inualidas mentes, consultu pijssimi & gloriosissimi Reccaredi regis constituit synodus, vt per omnes ecclesias Hispaniæ & Galliciæ secundum formam Orientalium ecclesiarum, Concilij Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta episcopotum symbolum fidei recitetur: & priusquã Dominica dicatur oratio, voce clara populo prædicetur, quo & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum, pectora populorum fide purificata accedant.

3 Hæc sancta synodus nulli episcoporum licentiam tribuit, res alienare ecclesiæ, quoniam & antiquioribus canonibus hoc prohibetur. Si quid verò quod vtilitatem non grauet ecclesiæ, pro suffragio monachorum, vel ecclesiarum ad suam parochiam pertinentium, dederint, firmum maneat. Peregrinorum, vel clericorum, & egenorum necessitati, saluo iuræ ecclesiæ, præstare permittuntur pro tempore, quæ potuerint.

4 Si episcopus vnam de parochianis ecclesijs suis monasterium dicare voluerit, vt in ea monachorum regulariter congregatio viuat, hoc de consensu Concilij sui habeat licentiam faciendi. Qui etiam, si de rebus ecclesiæ pro eorum substantia aliquid, quod detrimentum ecclesiæ non exhibeat, eidem loco donauerit, sit stabile. Rei enim bonæ statuendæ, sanctum Concilium dat consensum.

5 Cõpertum est à sancto Concilio, episcopos, presbyteros, & diaconos venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio

acceperit, irritata alis donatio maneat. 8
De Ecclesijs ab hæresi translatis, vt ad episcopos in quorum sunt parochijs permaneant. 9
De viduis, quæque vouerint, continentiam teneãt, & quæque nubere elegerint, quibus voluerint nubant: æquè & de virginibus. 10
Quòd pœnitentes, secundum modum antiquorum canonum, agere pœnitentiam debeant. 11
Quod qui voluerint pœnitentiam agere, priùs tondeantur, vt habitũ mutent. 12
Quod non liceat duos clericos in forum causare, 13
Vt Iudæis vxores vel concubinas Christianas habere, siue comparare mancipia Christiana, & Iudaizare non liceat, vel publica officia peragere. 14
Quod manere debeat firmum, si serui fisci ecclesias fecerint, easque peculio suo ditauerint. 15
Quod idololatriæ cultura à sacerdotibus, vel à iudicibus exquirenda est, atque exterminanda. 16
Quod qui filios suos necauerit, à sacerdotibus vel à iudicibus distringatur. 17
Quod semel in anno ad concilium sacerdotes & iudices, atq; actores patrimonij nostri debeant conuenire. 18
Quòd ecclesiarũ omniũ dos ad episc. ordinationẽ debeat pertinere. 19
Quod sacerdotes moderanter agere debent per parochias. 20
Quod serui ecclesiæ, siue clericorum, non debeant à iudicibus, vel ab actoribus in aliqua angaria fatigari. 21
Quod religiosorum corpora cum hymnis & canticis tantùm, deferenda sunt ad sepulchra. 22
Quod Vallemantiæ, & turpes cantici prohibendi sunt à Sanctorum solennitatibus. 23

DE OBSERVATIONE PRIORUM Canonum.

POst damnationem hæresis Arrianæ, & fidei sanctę catholicæ expositionem, hoc sanctum præcipit Concilium, vt quia in nonnullis vel hæresis vel gentilitatis necessitatibus per Hispaniarum ecclesias Canonicus prætermissus est ordo, dum & licentia abundaret transgrediendi, & disciplinæ optio negaretur: dumque omnis excessus hæresis foueretur patrocinio, vt abundãtiam mali temperet districtio disciplinæ; pace ecclesiæ Christi misericordia reparata, omne quod priscorum canonum auctoritas prohiber, sit resurgente disciplina inhibitum, & agatur omne, quod præcipit fieri: maneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul & Synodicæ sanctorum Præsulum Romanorum epistola: nullus deinceps ad promerendos honores ecclesiasticos contra vetita Canonũ adspiret indignus; nihil ex hoc fiat, quod sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt debere non fieri: & qui præsumpserit, seueritate priorum Canonum distringatur.

2 Pro reuerentia sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum inualidas mentes, consultu pijssimi, & gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis sancta constituit synodus, vt per omnes ecclesias Hispaniæ, vel Galleciæ secundum formam Orientalium ecclesiarum, Concilij Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta episcoporũ Symbolum fidei recitetur; vt priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara à populo decantetur; quo, & fides vera manifestũ testimonium habeat, & ad Christi corpus, & sanguinem prælibandũ pectora populorum fide purificata accedant.

3 Hæc sancta synodus nulli episcoporum licentiam tribuit res alienare ecclesiæ; quoniam & antiquioribus Canonibus prohibetur. Si quid verò quod vtilitatem non grauet ecclesiæ, pro suffragio monachorum, vel ecclesijs ad suam parochiam pertinentibus dederunt, firmum maneat. Peregrinorum verò vel Clericorum & egenorum necessitati, saluo iure Ecclesiæ, præstare permittantur, pro tempore, quo potuer int. 12 q 1. Sine exceptione. decr. Iuo. p 3. c. 167.

4 Si episcopus vnam de parochianis ecclesijs suis monasterium dicare voluerit, vt in ea monachorum regulariter congregatio viuat, hoc de consensu Concilij sui habeat licentiam faciendi; qui etiam si de rebus Ecclesiæ pro eorum substantia aliquid, quod detrimentum Ecclesiæ non exhibet, eidem loco donauerit, sit stabile. Rei enim bonæ statuendæ sanctum Concilium dat assensum.

5 Cõpertum est à sancto Concilio, Episcopos, Presbyteros, & diaconos venientes ex hæresi, carnali adhuc desiderio

Clerici cõiugati ab vxoribus omninò abstineãt.

vxoribus copulari. Ne ergò de cætero hoc fiat, præcipitur, quod & canonibus prioribus terminatur, vt non liceat eis viuere libidinosa societate, sed manente inter eos fide coniugali, communem vtilitatem habeant, & non sub vno conclaui maneant. Vel certè, si suffragatur virtus, in alia domo suam vxorem faciat habitare, vt castitas apud Deum & apud homines habeat testimonium bonum. Si quis verò post hanc conuentionem obscœnè cum vxore elegerit viuere, vt lector habeatur. Qui verò semper sub canone ecclesiastico iacuerunt, si contra veterum imperata in suis cellulis mulierum, quæ infamiæ suspicionem possunt generare, consortium habuetint: illi canonicè quidem distringantur, mulieres verò ab Episcopis venundentur, & preciũ ipsum pauperibus erogetur.

12. q. 2. De libertis aũt.

6 De liberis autem id Dei præcipiunt sacerdotes, vt si qui ab episcopis facti sunt, secundum modum, quo canones antiqui dant licentiam, sint liberi: & tamen à patrocinio ecclesiæ, tam ipsi, quàm ab eis progeniti, non recedant. Ab alijs quoq; libertati traditi, & ecclesijs commendati, patrocinio episcopi colligantur: & ne cuiquam donentur, à principe hoc episcopus postulet.

Dist. 44. Pro reuerentia. Ad mensas sacerdotum ad hibeatur lectio scripturarum

7 Pro reuerentia Dei & sacerdotum, id vniuersa sancta constituit Synodus, vt quia solent crebrò mensis ociosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali conuiuio lectio scripturarum diuinarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificatur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.

8 Iubente autem atque consentiente domino Reccaredo rege, id præcepit sacerdotale Concilium, vt clericos ex familia fisci nullus audeat à principe donatos expetere: sed tradito capitis sui tributo, ecclesiæ Dei, cui sunt alligati, vsque dum viuunt, regulariter administrent.

9 Decreto huius Concilij hoc statuitur, vt ecclesiæ, quæ fuerunt in hæresi Ariana, nunc autem sunt Catholicæ: ad eos episcopos cum suis rebus pertineant, ad quos parochiæ ipsæ in quibus ipsæ ecclesiæ fundatæ sunt, pertinere videntur.

31. q. 2. hoc sanctum confir.

10 Pro consultu castitatis, quod maximè hortamento Concilij proficere debeat, annuente glorioso domino nostro Reccaredo rege, hoc sanctum affirmat Concilium, vt de viduis, quib. placuerit tenere castitatẽ, nulla vidua ad nuptias iterandas venire cogatur. Quod si priusquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, nec citra voluntatem parentum vel suam, maritos cogantur accipere. Si quis verò propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, à sancta communione, & à liminibus ecclesiæ habeatur extraneus.

Pœnitentiæ imponendæ secundum Canones.

11 Quoniã cõperimus, per quasdã Hispaniarum ecclesias, nõ secundũ Canonẽ, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiã, vt quotiès peccare libuerit, toties à presbyteris se reconciliari expostulent: & ideo, pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio iubetur, vt secundũ formam Canonũ antiquorum detur pœnitentia, hoc est, vt prius eum, quem sui pœnitet facti, à cõmunione suspẽsum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere. Expleto aũt satisfactionis tẽpore, sicuti sacerdotalis contẽplatio probauerit, eum cõmunioni restituat. Hi verò qui ad propria vitia, vel infra pœnitentiæ tẽpus, vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum canonum seueritatem damnentur.

12 Quicunq; ab episcopo vel presbytero, sanus vel infirmus, pœnitentiã postulat, id ante omnia episcopus obseruet & presbyter, vt si vir est, siue sanus, siue infirmus, priùs eum tondeat, & sic pœnitentiã ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi priùs mutauerit habitũ. Sæpius enim laicis tribuendo, dum se pœnitentiam agere promittunt, ad lamentãda rurs' facinora post acceptã pœnitẽtiã relabũtur.

11 q. 1. In olita præsumptio. Clerici clericos ad sæcularia Iudicia non prouocẽt.

13 Diuturna indisciplinatio & licentiæ inolita præsumptio vsque adeò illicitis ausibus aditum patefecit, vt Clerici Conclericos suos, relicto pontifice suo, ad iudicia publica pertrahant. Proindè statuimus hoc de cæterò non præsumi. Si quis hoc præsũmpserit facere, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

14 Suggerente Cõcilio, id glorioſissimus dominus noster Canonibus inferendum præcepit, vt Iudæis non liceat Christianas habere vxores, vel concubinas, neque mancipiũ Christianum in vsus proprios cõparare: sed & filios, qui ex

vxoribus copulari. Ne ergo de cætero fiat, hoc præcipitur, quod & prioribus Canonibus terminatur, vt non liceat eis viuere libidinosa societate; sed manente inter eos fide coniugali, communem vtilitatem habeant, & non sub vno conclaui maneant: & certè si suffragatur virtus, in aliam domum suã vxorem faciat habitare; vt castitas, & apud Deum & homines habeat testimonium bonum. Si quis verò post hanc conuentionem obscœnè cum vxore elegerit viuere, vt lector habeatur. Qui verò semper sub Canone Ecclesiastico iacuerunt, si contra veterum imperata in suis cellulis, mulierum, quæ infamem suspicionem possunt generare, consortium habuerint, illi canonicè quidem distringantur, mulieres verò ipsæ ab Episcopis venundatæ, pretium ipsum pauperibus erogetur.

6 De libertis autem id Dei præcipiunt Sacerdotes, vt si qui ab episcopis facti sunt, secundum modum, quo Canones antiqui dant licentiam, sint liberi; & tamen à patrocinio Ecclesiæ tam ipsi, quam ab eis progeniti non recedant. Ab alijs quoque libertati traditi, & Ecclesijs commendati, patrocinio Episcopali regantur, à Principe hoc Episcopus postulet.

Dist. 44. Pro reuerentia Burch. lib. 2. c. 189. Ivo. p. c. 260 Reb. 1 gem. c. 28. Eadem distin. c. Quomodo autem. Vide de ordine mensarum Sacerdotum seruandis & in Cõc. Brac. 1. in decretis Martini cap 61.

7 Pro reuerentia Dei Sacerdotum, id vniuersa sancta constituit Synodus; vt quia solent crebrò mensis ociosæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali conuiuio lectio scripturarum diuinarũ misceatur. Per hoc enim & animæ ædificatur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.

8 Innuente, atque consentiente domino pijssimo, Reccaredo Rege, id præcipit Sacerdotale Concilium, vt Clericorum ex familia fisci, nullus audeat à Principe donatos expetere; sed reddito capitis sui tributo Ecclesiæ Dei, cui sunt alligati, vsque dum viuent, regulariter administrent.

9 Decreto huius Concilij hoc statuitur, vt Ecclesiæ, quæ fuerunt in hæresi Arriana, nunc autem sunt Catholicæ, ad Episcopos cum suis rebus pertineant, ad quos parochiæ ipsæ in quibus ecclesiæ ipsæ fundatæ sunt, pertinere videntur.

10 Pro consultu castitatis, quòd maximè hortamento Concilij proficere debet, annuente domino nostro gloriosissimo Reccaredo rege, hoc sanctum affirmat Concilium, vt viduæ, quibus placuerit tenere castitatem, nulla via ad nuptias iterandas venire cogantur.* Quòd si priusquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubãt, quos propria voluntate elegerint habere maritos. Similis conditio & de virginibus habeatur, nec citra voluntatem parentum vel suam, cogantur maritos accipere. Si quis verò propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, à sancta communione, & à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.

Iuop. 15. cap 19

11 Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canonem, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam; vt quotiens cunque peccare libuerit, totiens à Presbytero se reconciliari expostulent; & ideò pro coërcenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio iubetur, vt secundum formam Canonum antiquorum, dentur pœnitentiæ, hoc est, vt prius eum, quem sui pœnitet facti, à communione suspensum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere; expleto autem satisfactionis tempore, sicuti Sacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni restituat. Hi verò, qui ad priora vitia, vel infra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundum priorum Canonum seueritatem damnentur.

12 Quicunque ab episcopo, vel à Presbytero, sanus, vel infirmus, pœnitentiã postulat, id ante omnia Episcop. obseruet, vel Presbyter, vt si vir est, siue sanus, siue infirmus, priùs eũ tondeat, & sic pœnitentiam ei tradat: si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, nisi priùs mutauerit habitum: sæpius enim laicis tribuendo desidiosè pœnitentiam, ad lamentanda rursus facinora, post acceptam pœnitentiã relabuntur.

13 Diuturna indisciplinatio, & licẽtiæ inolita præsumptio vsque eo in illicitis ausibus aditum patefecit, vt Clerici Conclericos, suo neglecto Pontifice, ad iudicia publica pertrahant: proinde statuimus hoc de cætero non præsumi: si quis hoc facere præsumpserit, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

14 Suggerente Cõcilio, id glorioſissimus dñs noster Canonibus inferendum præcepit, vt Iudæis non liceat Christianas habere vxores vel cõcubinas, neq; mancipia Christiana comparare in vsus proprios: sed & si qui filij ex tali con-

tali coniugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum. Nulla officia publica eos opus est agere, per quæ eis occasio tribuatur, Christianis pœnam inferre. Si qui verò Christiani ab eis Iudaismi ritu sunt maculati, vel etiam circuncisi, non reddito precio, ad libertatem & religionem redeant Christianam.

15 Si qui ex seruis fiscalibus fortasse ecclesias construxerint, easque de sua paupertate ditauerint, hoc procuret episcopus prece sua authoritate glorioſi principis confirmari.

16 Quoniam penè per omnem Hispaniam siue Galliciam, idololatriæ sacrilegium inoleuit hoc, cum consensu gloriosissimi principis, sancta synodus ordinauit, vt omnis sacerdos in loco suo, vna cum iudice territorij sacrilegium memoratum studiosè perquirat, & exterminare inuentum non differat. Omnes verò qui ad talem errorem concurrunt, saluo discrimine animæ, qua potuerunt animaduersione, coerceant. Quod si neglexerint, sciant se vtrique excommunicationis periculum esse subituros. Si qui verò domini extirpare hoc malum de possessione sua neglexerint, & familiæ prohibere noluerint, ab epis. & ipsi à cõmunione pellantur.

17 Cùm multæ querelæ ad aures sancti Concilij deferrentur, inter cætera tantæ crudelitatis opus est nunciatum, quantum consedentium aures sacerdotum ferre non possent, vt in quibusdam Hispanię partibus filios suos parentes interiment, fornicationis auidi, nescij pietatis, quibus si tædium est, filios numerosiùs augere, prius seipsos debent castigare à fornicatione. Nam dum causa propagandæ prolis sortiuntur cõiugia, & parricidio & fornicationi tenentur obnoxij, qui fœtus necando proprios, docent, se non pro filijs, sed pro libidine sociari. Proinde tantùm nefas ad cognitionem glorioſiſſimi domini nostri Reccaredi regis perlatum est, cuius gloria dignata est iudicibus earundem partium imperare, vt hoc horrendum facinus diligenter cum sacerdote perquirant, & adhibita seueritate prohibeant. Ergò & sacerdotes ipsorum locorum hęc sancta synodus dolentiùs conuenit, vt idem scelus cum iudice curiosiùs quærant, & sinè capitali vindicta, acriori disciplina prohibeant.

18 Præcepit hæc sancta & vniuersalis synodus, vt stante priorum authoritate canonum, quæ bis in anno præcepit congregari Concilia, consulta itineris longitudine, & paupertate ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno in loco quẽ Metropolitanus elegerit, episcopi congregentur: iudices verò locorum, aut actores fiscalium patrimoniorum, ex decreto Domini nostri Reccaredi regis simul cum sacerdotali Cõcilio, autumnali tempore die Kalendarum Nouembrium in vnum conueniant, vt discant, quàm piè & iustè cum populis agere debeant, nec in angarijs, aut in operationibus superfluis, siue priuatum onerent, siue fiscalem grauent. Sint enim prospectores episcopi secundum regiam admonitionem, qualiter iudices cum populis agant, vt ipsos præmonitos corrigãt, aut insolentias eorum, principum auribus innotescant. Quòd si correptos emẽdare nequiuerint, & ab ecclesia, & à communione suspendant. A sacerdote verò & senioribus deliberetur, quid per prouincias in suo detrimento præstare debeant iudices, si ad Concilium non venerint. Concilium verò non soluatur, nisi priùs locum elegerint, quo succedente tempore iterum ad Concilium veniatur, vt iam non necesse habeat metropolitanus episcopus pro congregando Concilio literas destinare, si in priore Concilio tempus omnibus denuncietur & locus.

19 Multi contra canonum constituta ecclesias quas ædificauerint, postulant consecrari, vt dotem, quam eidem ecclesiæ contulerunt, censeant, ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum displicet, & in futuro prohibetur: sed omnia secundum constitutionẽ antiquam, ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

20 Multorum querela hanc constitutionem exegit, quia cognouimus, episcopos per parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desæuire: & dum scriptum sit: Forma estote gregi, neque vt dominantes in clero: exactiones diœcesi suę vel damna infligant: ideoque excepto quod veterũ constitutiones à parochijs habere iubent episcopos, alia quæ hucusq; præsumpta sunt, denegentur, hoc est, ne quis in angarijs presbyteri aut diacones, neque in aliquibus fatigentur indictionib. ne videantur in ecclesia Dei exactores potius, q̃ Dei pontifices nominari. Hi verò clerici tã locales

iugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum: nulla officia publica eos opus est agere, per quæ eis occasio tribuatur, pœnam Christianis inferre. Si qui verò Christiani ab eis iudaico ritu sunt maculati, vel etiam circumcisi, non reddito pretio, ad libertatem & religionem redeant Christianam.

15 Si qui ex seruis fiscalibus ecclesias fortasse construxerint, easque de sua paupertate ditauerint, hoc procuret episcopus prece sua, auctoritate regia confirmari.

16 Quoniam penè per omnem Hispaniam siue Galliã idololatriæ sacrilegium inoleuit, hoc, cum consensu glorioſiſſimi principis, sancta synodus ordinauit, vt omnis sacerdos in loco suo vnà cum iudice territorij sacrilegium memoratũ studioſe perquirat, & exterminare inuentum non differat: homines verò qui ad talem errorem concurrunt, saluo discrimine animæ, qua potuerint animaduersione coerceãt. Quòd si neglexerint, sciant se vtique excommunicationis periculũ esse subituros. Si qui verò domini extirpare hoc malum à possessione sua neglexerint, vel familiæ suæ prohibere noluerint, ab Episcopo & ipsi à communione pellantur.

17 Cum multæ querelæ ad aures sancti Concilij deferrentur, inter cætera tantæ crudelitatis est opus nunciatum, quantum ferre cõsedentium aures Sacerdotum non possent; vt in quibusdam Hispanię partibus filios suos parentes interimant, fornicationis auidi, nescij pietatis. Quibus si tædium est filios numerosos agere, prius se ipsos debent castigare à fornicatione: nam dum causa propagandæ prolis sortiuntur coniugia, hi & parricidio, & fornicatioui tenentur obnoxij, qui fœtus necando proprios, docent se, non pro filijs, sed pro libidine sociari. Proinde tantũ nefas ad cognitionem glorioſiſſimi domini nostri Reccaredi regis perlatum est; cuius gloria dignata est, iudicibus earundem partium imperare, vt hoc horrendum facinus diligenter cum Sacerdote perquirant, & adhibita seueritate prohibeant. Ergo & Sacerdotes locorum, hæc sancta Synodus dolentius conuenit, vt idem scelus cum iudice curioſius quærant, & sine capitali vindicta acriori disciplina prohibeant.

18 Præcipit hæc sancta & veneranda Synodus, vt stante priorum auctoritate Canonum, quæ bis in anno præcipit congregari Concilia, consulta itineris longitudine, & paupertate Ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno in locum, quẽ Metropolitanus elegerit, Episcopi congregentur: iudices verò locorum, vel actores fiscalium patrimoniorum, ex decreto glorioſiſſimi Domini nostri simul cum sacerdotali Concilio, autumnali tempore, die Calend. Nouembrium in vnum conueniant; vt discant, quàm piè, & iustè cum populis agere debeant, ne in angarijs, aut in operationibus superfluis, siue priuatum honorent, siue fiscalem grauent: sint enim prospectores Episcopi secundum regiam admonitionem qualiter iudices cum populis agant; ita vt ipsos præmonitos corrigãt, aut insolentias eorum auditibus Principis innotescant. Quòd si correptos emendare nequiuerint, & ab Ecclesia, & à communione suspendant. A Sacerdote verò & à senioribus deliberetur, quod prouincia sine suo detrimento præstare debeat iudicium; Concilium autem non soluatur, nisi locum prius elegerint, quo succedente tempore iterum ad Concilium veniatur: vt iam non necesse habeat Metropolitanus Episcopus pro congregando Concilio litteras destinare, si in priori Concilio tempus omnibus denuncietur, & locus.

Decr. Iuo. p. 4. c. 244.

19 Multi contra Canonum constituta sic Ecclesias, quas ædificauerint, postulant cõsecrari, vt dotem, quam ei Ecclesiæ contulerint, censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere: quod factum & in præteritum displicet, & in futuro prohibetur, sed omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem, & potestatem pertineant.

20 Multorum querela hanc constitutionem exegit; quia cognouimus, episcopos per parochias suas nõ sacerdotaliter, sed crudeliter desæuire: & dum scriptũ sit: Forma estote gregi, neque dominantes in clero, exactiones diœcesi suæ, vel damna infligunt. Ideoque (excepto quòd veterum constitutiones à parochijs habere iubent episcopos) alia, quæ huc vsque præsumpta sunt, denegentur; hoc est, ne quis in angarijs Presbyteros, & Diaconos, neque in aliquibus fatigent indictionibus: ne videantur in Ecclesia Dei exactores potius, quàm Dei Pontifices nominari. Hi verò Clerici, tam locales,

quàm diœcesani, qui se ab Episcopo grauari cognouerint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant, & Metropolitanus non moretur eiusmodi præsumptiones coercere.

12 q. 2. Ecclesiarum, seruos.

21 Quoniam cognouimus in multis ciuitatibus Ecclesiarũ seruos, & episcoporum vel omnium clericorũ, à iudicibus vel actoribus publicis in diuersis angarijs fatigari: omne Concilium pietate gloriosissimi domini nostri popposcit, vt tales deinceps ausus inhibeat, sed serui suprascriptorum officiorum, in eorum vsibus vel ecclesiæ laborent. Si quis verò iudicum aut actorum, clericum aut seruum clerici vel ecclesiæ, in publicis ac priuatis negotijs occupare voluerit, à communione Ecclesiastica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.

Ad ecclesias pertinentes, angarijs, Iudices, ne grauent.

22 Religiosorum omnium corpora, qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodò, & psallentium vocibus debere ad sepulchra deferri. Nam funebre carmen, quòd vulgò defunctis cantari solet, vel in pectoribus se aut proximos aut familias cædere, omninò prohibemus. Sufficiat autem, quòd in spe resurrectionis, Christianorum corporibus famulatus diuinorum impenditur canticorum. Prohibet enim nos Apostolus nostros lugere defunctos, dicens: De dormientibus autem nolo vos contristari, sicut & cæteri, qui spem non habent. Et Dominus non fleuit Lazarũ mortuum, sed ad vitæ huius plorauit ærumnas resuscitandũ. Si enim potest hoc Episcopus omnes Christianos prohibere, agere non moretur: à religiosis tamen omninò aliter fieri nõ debere, censemus. Sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum.

13. q. 2. Qui diuina vocat.

1. Thes. 4

Ioan. 11.

23 Exterminanda omninò est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per sanctorum solennitates agere consueuit. Populi, qui debent officia diuina attendere, saltationibus & turpibus inuigilant canticis, non solum sibi nocentes, sed & religiosorum officijs. hoc etenim vt ab omni Hispania depellatur, sacerdotum & iudicum à Concilio sancto curæ committitur.

De cons. dist. 3. Irreligiosa cõsuetudo est. Caueant episc. & Magistratus, ne solẽnitates sanctorum, prophanis saltationibus, & canticis, agantur.

EDICTVM REGIS DE CONfirmatione Concilij.

Glorioſiſſimus Dominus Reccaredus rex, vniuerſis ſub regimine noſtræ poteſtatis conſiſtentibus. Amatores nos ſui diuina faciens veritas, noſtris principaliter ſenſibus inſpirauit, vt cauſa inſtaurandæ fidei ac diſciplinæ eccleſiaſticæ, epiſcopos omnes Hiſpaniæ noſtro præſentari culmini iuberemus. Præcedente autem diligenti & cauta deliberatione, ſiue quæ ad fidẽ conueniunt, ſeu quæ ad morum correctionem reſpiciunt, ſenſus maturitate & intelligentiæ grauitate conſtant eſſe digeſta. Noſtra proinde authoritas id omnibus, ad regnum noſtrum pertinentib. iubet, vt ſi qua definita ſunt in hoc ſancto Cõcilio habito in vrbe Toletana anno regni noſtri feliciter quarto, nulli contemnere liceat, nullus præterire præſumat. Capitula enim, quæ noſtris ſenſibus placita, & diſciplinæ congrua, à præſenti conſcripta ſunt ſynodo, in omni authoritate, ſiue clericorum, ſiue quorumcunque omnium, obſeruentur & maneant: id eſt,

DE obſeruatione priorum, canonum.
De Symbolo proferendo à populis in Eccleſia.
De Epiſcopis, vt eis non liceat rem alienare Eccleſiæ.
Vt epiſcopo liceat, vnam de parochianis Eccleſijs monaſterium facere.
Vt epiſcopis & presbyteris & diaconibus, ex hęreſi conuerſis, iam non liceat miſceri vxoribus: vel quod hi, qui ſemper Catholici fuerint, in cellulis ſuis cum mulieribus extraneis non morentur.
Quòd liberti ab epiſcopis vel ab alijs facti, & Eccleſijs commendati, permanere debeant liberi.
Quòd lectio in omnibus ſacerdotalibus mẽſis legi debeat.
Quòd Clericos ex familijs fiſci noſtri, nullus vnquam à rege poſtulet: & qui acceperit, irrita talis donatio maneat.
De eccleſijs ab hæreſi translatis, vt ad epiſcopos, in quorum ſunt parochijs, pertineant.
De viduis, q, quæ voluerint, continentiã teneant: & q̃ nubere elegerint, quibus voluerint, nubant: æquè de virginibus.

quàm diœcesani, qui se se ab Episcopo grauari cognouerint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant: qui Metropolitanus non moretur huiusmodi præsumptiones districtè coercere.

12. q. 2. Ecclesiarum. Ioues. p. 3. cap.

21 Quoniam cognouimus per multas ciuitates Ecclesiarum seruos, & Episcoporum, vel omnium Clericorum à iudicibus, vel actoribus publicis diuersis angarijs fatigari, omne Concilium à pietate Domini nostri popposcit, vt tales deinceps ausus inhibeat; sed serui suprascriptorum officiorum, in eorum vsibus, vel Ecclesiæ laborent. Si quis verò iudicum, aut actorum, Clericum aut seruum Clerici, vel Ecclesiæ in publicis, ac priuatis negotijs occupare voluerit, à communione Ecclesiastica, (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.

22 Religiosorum omnium corpora, qui diuina vocatione ab hac vita recedunt, cum psalmis tantummodò, psallentium vocibus debere ad sepulchra deferri. Nam funebre carmen, quòd vulgò defunctis cantari solet, vel pectoribus se proximos, aut familias cædere, omninò prohibemus. Sufficiat autem, quod in spe resurrectionis, Christianorum corporibus famulatus diuinorum impenditur canticorum. Prohibet enim nos Apostolus lugere defunctos, dicens: De dormientibus autem nolo vos contristari, sicut & cæteri, qui spem non habent. Et Dominus non fleuit Lazarum mortuum, sed ad huius vitæ ærumnas plorauit resuscitandum. Si enim potest hoc Episcopus Christianorum omnium prohibere, agere non moretur. A religiosis tamen omninò aliter fieri non debere censemus. Sic enim Christianorum per omnem mundum humari oportet corpora defunctorum

12. q. 2. quia diuina vocatione. de qua admonuimus in Concilio Valentino cap. 4. de mortuorũ exequijs.

23 Exterminanda omninò est irreligiosa consuetudo, quàm vulgus per sanctorum solennitates agere consueuit; vt populi, qui debent officia diuina attendere, saltationibus, & turpibus inuigilent canticis; non solum sibi nocẽtes, sed & religiosorum officijs perstrepentes. Hoc etenim, vt ab omni Hispania depellatur, Sacerdotum, & iudicum à Concilio sancto curæ committatur.

INCIPIT EDICTVM REGIS, IN confirmatione Concilij.

Glorioſiſſimus, & pijſſimus dominus noſter Reccaredus Rex. Vniuerſorum ſub regni noſtri poteſtate conſiſtentium amatores nos ſuos diuina faciens veritas, noſtris principaliter ſenſibus inſpirauit, vt cauſa inſtaurandæ fidei, ac diſciplinæ eccleſiaſticæ, Epiſcopos omnes Hiſpaniæ noſtro præſentandos culmini iuberemus. Præcedenti autem diligenti & cauta deliberatione, ſiue quæ ad fidem conueniunt, ſeu quæ ad morum correctionem reſpiciunt. Cum enim ſenſus maturitate & intelligentiæ grauitate conſtant eſſe digeſta, noſtra proinde auctoritas id omnibus hominibus, ad regnum noſtrum pertinentibus iubet, vt ſi qua definita ſunt in hoc ſancto Concilio, habito in vrbe Toletana, anno regni noſtri feliciter, quarto, nulli contemnere liceat, nullus præterire præſumat: capitula enim, quæ noſtris ſenſibus placita & diſciplinæ congrua, à præſenti conſcripta ſunt Synodo, in omni auctoritate, ſiue Clericorum, ſiue Laicorum, ſiue quarumcumque omnium obſeruentur, & maneant.

1 DE obſeruatione priorum Canonum.
2 De Symbolo proferendo à populis in Eccleſia.
3 Vt Epiſcopo non liceat rem alienare Eccleſiæ.
4 Vt Epiſcopo liceat vnam de parochitanis eccleſijs monaſterium facere.
5 Vt Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus ex hæreſi venientibus, iam non liceat miſceri vxoribus; vel quòd hi, qui ſemper catholici fuerunt, in cellulis ſuis cum mulieribus extraneis non morentur.
6 Quòd liberti ab Epiſcopis vel ab alijs facti, & eccleſijs cõmendati, permanere debeant liberi.
7 Quòd lectio in omnibus Sacerdotalibus menſis legi debet.
8 Quòd de Clero ex familijs fiſci noſtri nullus vnquam poſtulet à rege; & qui acceperit, irrita talis donatio maneat.
9 De Eccleſijs ab hæreſi translatis, vt ad eos Epiſcopos, quorum ſunt parochijs; permaneant.
10 De viduis, quæq; vouerint continentiã, teneant, & q̃ nubere elegerint, quib. voluerint nubãt: æquè & de virginib.

11 Quòd

Quòd pœnitentes, secũdum modum canonum antiquorum, debeant agere pœnitentiam.

Quòd qui voluerint agere pœnitentiam, prius tondeantur, aut habitum mutent.

Quòd non liceat Iudæis de Christianis ducere vxores vel cõcubinas siue comparare mancipia Christiana: & iudaizare non liceat, vel publica officia peragere.

Quòd manere debeat firmum, si serui fisci nostri ecclesias fecerint, easque de peculio suo dotauerint.

Quòd idololatriæ cultura, à sacerdotibus vel iudicibus exquirenda sit atque exterminanda.

Quòd qui filios suos necauerint, à sacerdotibus vel iudicibus distringantur.

Quòd semel in anno ad Concilium sacerdotes, & iudices atque actores patrimonij nostri debeant conuenire.

Quòd Ecclesiarum omnium causa, ad episcopi ordinationem pertinere debeat.

Quòd sacerdotes moderanter agere debeant per parochias.

Quòd serui ecclesiæ siue clericorum, non debeant à nostris actoribus in angaria aliqua fatigari.

Quòd religiosorum corpora, cum hymnis & canticis tantũ deferenda sint ad sepulchra.

Quòd ballimathiæ & turpia cantica prohibenda sunt à sanctorum solennijs.

Has omnes constituriones Ecclesiasticas, quas summatim breuiterque perstrinximus, sicut plenius in canone continentur, manere perenni stabilitate sancimus. Si quis ergò clericus aut laicus, harum sanctionum obediens esse noluerit, si Episcopus, presbyter, diaconus aut clericus fuerit, ab omni cõcilio excommunicationi subiaceat: si verò laicus fuerit, & honestioris loci persona est, medietatem facultatum suarum amittat, fisci iuribus profuturam: si verò minoris loci persona est, amissione rerum suarum mulctatus, in exilium deputetur.

FLauius Reccaredus rex hanc deliberationem, quam cum sancta definiuimus synodo, confirmans, subscripsi.

Mausona in Christi nomine Ecclesiæ catholicæ Emeritensis metropolitanus episcopus prouinciæ Lusitanæ, his constitutionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, manu mea subscripsi.

Euphemius in Christi nomine ecclesiæ catholicæ Toletanæ metropolitanæ episcopus, pro *capitaneis constitutionibus quibus in vrbe Toletana interfui, annuens subscripsi.

*Nigetius in Christi nomine Narbonensis metropolitanus episcopus Galliæ prouinciæ, his constitutionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, annuens subscripsi.

Pantardus in Christi nomine ecclesiæ catholicæ Bracarensis metropolitanæ Galliciæ prouinciæ episcopus, his constitutionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, annuens, tã pro me, quàm pro fratre meo Nitigisio episcopo ciuitatis Lucensis, subscripsi.

Vngas in Christi nomine Barcinonensis Ecclesiæ episcopus, his constitutionibus, quibus interfui, annuens subsc.

*Andonius in Christi nomine Ecclesiæ Oretanæ episcopus, his consfiit. quibus interfui, annuens subsc.

Sedatus in Christi nomine Beterrensis Ecclesiæ episc. subsc.

Palmatius in Christi nomine Ecclesiæ Pacens. episcopus, subsc.

*Muttosæ Tabetanæ Ecclesiæ episcopus, subsc.

Stephanus Tarraconensis ecclesiæ episcopus, subsc.

Paulus Olyssipponensis ecclesiæ episc. sub.

Ioannes *Agabrensis ecclesiæ episc. subsc.

Polybius Ilerdensis ecclesiæ episc. subsc.

Proculus Segobrensis ecclesiæ episc. subsc.

Simplicius Cæsaraugustanæ ecclesiæ episc. subsc.

Aconius Cordubensis ecclesiæ episc. subsc.

Petrus Ergauicensis Celtiberiæ ecclesiæ episc. subsc.

11 Quòd pœnitentes, secundum modum antiquorum Canonum agere pœnitentiam debeant.

12 Quòd qui voluerint pœnitentiam agere, prius tondeantur, aut habitum mutent.

13 Quòd non liceat duos Clericos in forum causare.

14 Quòd Iudæis vxores vel concubinas Christianas habere, siue cõmparare mancipia Christiana, & iudaizare non licear, vel publica officia peragere.

15 Quòd manere debeat firmum, si serui fisci nostri ecclesias fecerint, easque peculio ditauerint.

16 Quòd idololatriæ cultura à Sacerdotibus, vel à iudicibus exquirenda est, atque examinanda.

17 Quòd qui filios suos necauerint, à sacerdotibus vel à iudicibus destringantur.

18 Quòd semel in anno ad Concilium Sacerdotes, & iudices atque Actores patrimonij nostri debeant conuenire.

19 Quòd Ecclesiarum omnium dos ad Episcopi ordinationem debeat pertinere.

20 Quòd Sacerdotes moderãter agere debeãt per parochias.

21 Quòd serui Ecclesiæ, siue Clericorum non debeant à iudicibus vel nostris Actoribus, in aliqua angaria fatigari.

22 Quòd religiosorum corpora cum hymnis & canticis tantùm deferenda sunt ad sepulchra.

23 Quòd Balimanthiæ, & turpes cantici prohibendi sunt à sanctorum solennitatibus.

Has omnes cõstitutiones Ecclesiasticas, quas summatim, breuiterq; perstrinximus (sicut plenius in Canone continentur) manere perenni stabilitate sancimus. Si quis verò Clericus, aut Laicus harum sanctionum obediens esse noluerit; si Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Clericus fuerit, ab omni Concilio excõmunicationi subiaceat: si verò Laicus fuerit, & honestioris loci persona est, medietatem facultatum suarum amittat, fisci iuribus profuturam: si verò inferioris loci persona est, amissione rerum suarũ multatus in exilio deputetur.

1 FLauius Reccaredus Rex hanc deliberationem, quam cũ sancta definiuimus synodo, confirmans subscripsi.

2 Massona in Christi nomine Ecclesiæ Catholicę Emeritensis Metropolitanus Episcopus prouinciæ Lusitaniæ, his constiturionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, annuens subscripsi.

3 Euphemius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Toletanæ Metropolitanus Episcopus prouinciæ Carpetaniæ, his constitutionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, annuens subscripsi.

4 Leander in Christi nomine Ecclesiæ Spalensis Metropolitanus prouinciæ Bæticæ, his constitutionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, annuens subsc.

5 Migetius in Christi nomine Narbonensis Metropolitanus Episcopus Galliæ prouinciæ, in his constitutionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, annuens subsc.

6 Pantardus, in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Bracarensis Metropolitanus Episcopus Galliciæ prouinciæ, his constitutionibus, quibus in vrbe Toletana interfui, annuens, tam pro me, quam pro fratre meo Nigisio Episcopo de Ciuitate Luci, subsc.

7 Vgnus, in Christi nomine Barcinonensis Episcopus, his constitutionibus, quibus interfui, annuens subsc.

8 Maurila, in Christi nomine Valentinæ Ecclesiæ episcopus, in his constitutionibus, quibus interfui, annuens subsc.

9 Andonius, in Christi nomine ecclesię Oretanę episcopus, his constitutionibus quibus interfui, annuens subsc.

10 Sedatus, in Christi nomine Beterrensis ecclesiæ episc. sub.

11 Palmatius, in Christi nomine ecclesiæ Pacencis episcopus, subscripsi.

12 Ioannes, in Christi nomine Mentesanæ ecclesiæ episcop. subsc.

13 Mutto Setabitanæ ecclesiæ episc. subscripsi.

14 Petrus Ossonobensis ecclesiæ episc. subsc.

15 Stephanus Tyrassonensis ecclesiæ episc. subsc.

16 Gabinus Oscensis ecclesiæ episc. subsc.

17 Neufila Tudensis ecclesiæ episc. subsc.

18 Paulus Olyssipponensis ecclesiæ episc. subsc.

19 Sophronius Egarensis ecclesiæ episc. subsc.

20 Ioannes Dumiensis Monasterij episcopus, subsc.

Carpetaniæ. Pro Carthag. vrbe egit Rex Gundematus in epistola missa Episcopis prouinciæ Carthag. vide locũ. Est enim Carpetania pars prouinciæ Carthag. non ipsa prouincia. Nitigesius, qui in 2. Bracar. subscripsit, vt Metropolitanus Luci.

Vviligiſcus eccleſiæ Valentinæ epiſcopus, ſubſ.
Sinula Viſen. eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Aquilinus Auſonen. eccleſiæ epiſc. ſubſc.
Sergius Carcaſſonen. eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Eleutherius Salmanticen. eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Iulianus Bracaren. eccleſiæ epiſcopus, ſubſ.
Fruiſtus Dertuſanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſ.
Theodorus Baſtitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Beccilla Lucenſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.
Gardingus Tudenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
*Argiouitrus Portugalenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
*Arruitus Tonantius Palentinenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Celſinus Valentinæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.
Protogenes Segontinæ eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Alitius Gerunden. eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Thalaſſius Arcobricenſis eccleſiæ epiſcop. ſubſ.
Laquintus Caurienſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Seruandus diaconus eccleſię Aſtigitanæ, agens vicem domini mei Pegaſij epiſ. ſubſ.
Ioannes in Chriſti nomine eccleſiæ Menteſanæ epiſc. ſubſ.
Petrus Oſſonobenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
Gabinius Oſcenſis eccleſiæ epiſ. ſubſ.
Neufilata *Aden. Eccleſ. epiſc. ſubſ.
*Abdianenſi. Sophronius Egarenſis eccleſiæ epiſ. ſub.
Benenatus Elnenſis eccleſiæ epiſc. ſub.
Ioannes Dumienſis *monaſterij epiſc. ſub.
for. *eccleſiæ Ernaricus *Labrionenſis eccleſ. epiſc. ſubſ.
*Liboren. vel, Lactoren. *Arterius Auzenſis eccleſ. epiſ. ſubſ.
Stephanus Eliberitanæ eccleſ. epiſc. ſubſ.
Simplicius Vrgellenſis eccleſ. epiſc. ſubſ.
*Litorius Ioannes *Vellenſis eccleſ. epiſc. ſubſ.
*Vennen. Philippus Lamecenſis eccleſ. epiſc. ſub.
Dominicus Irienſis eccleſ. epiſc. ſubſ.
Baſilius Ilipenſis eccleſ. epiſc. ſubſ.
Eulalius Italicen. eccleſ. epiſc. ſubſ.
Murila in Chriſti nomine Valentinæ eccleſ. epiſcop. his conſtitutionibus quibus interfui, annuens ſubſ.
*Abderitanæ Petrus *Illiberitanæ eccleſ. epiſc. ſubſ.
Petrus Segobienſis eccl. epiſc. ſubſ.
*Gidirius *Nibridius Agathenſis eccleſ. epiſc. ſub.
Lilliolus Pampilonenſis eccleſ. epiſc. ſub.
Theodorus Caſtulonen. eccleſ. epiſ. ſubſ.
Mummius Calaguritanæ eccleſ. epiſc. ſub.
Poſſidonius Eminienſis eccleſ. epiſc. ſubſ.
Agrippinus Lotonenſis eccleſ. epiſc. ſub.
Ganganus Archipresbyter Emeritanæ eccleſ. agens vicem domini mei Fructuoſi epiſc. ſubſ.
Ildimirus Archipresbyter Aurienſis eccleſ. agens vicem domini mei Pegalij epiſc. ſubſ.
Geneſius in Chriſti nomine Archidiaconus eccleſ. Megalonen. vicem agens domini mei Poeti epiſc. ſub.
Valerianus archidiaconus eccleſiæ Memauſen. agens vicem domini mei Pelagij epiſcopi ſubſc.
*Celatus. *Velatus Tuccitanæ eccleſ. epiſc. ſubſcripſi.

21 Benenatus Egabrienſis Eccleſiæ epiſcopus, ſubſ.
22 Ioannes Elnenſis Eccleſiæ epiſcopus, ſubſ.
23 Polybius Ilerdenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſ.
24 Proculus Segobrienſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.
25 Ermaricus Laniobrenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
26 Simplicius Cæſarauguſtanæ eccleſiæ epiſc. ſubſ.
27 Conſtantius Portugalenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
28 Simplicius Vrgelitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.
29 Aſterius Arcenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
30 Agapius Cordubenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
31 Stephanus Eliberitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſ.
32 Petrus Arcauicen. Celtiberiæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.
33 Vviligiſclus eccleſiæ Valentinæ epiſcop. ſubſ.
34 Ioannes Velenſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.
35 Sunila Velenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
36 Philippus Lamecenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
37 Aquilinus Auſonenſis eccleſiæ epiſc. ſubſcripſi,
38 Dominicus Irienſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.
39 Sergius Carcaſſonenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
40 Baſilius Ilipenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
41 Leuterius Salmanticenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
42 Eulalius Italicenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
43 Iulianus Dertoſanæ eccleſiæ epiſc. ſubſ.
44 Froiſclus item ibi, epiſc. ſubſ.
45 Theudorus Baſtitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.
46 Petrus Illiberitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſ.
47 Becilla Lucenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
48 Petrus Segobienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſ.
49 Gardingus Tudenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
50 Higridius Agathenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
51 Argiouitus Portucalenſis eccleſiæ epiſ. ſubſc.
52 Lilliolus Accitanæ eccleſiæ epiſcop. ſubſ.
53 Celſinus Valentinæ eccleſiæ epiſc. ſubſ.
54 Theudericus Caſtulonenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
55 Belatus Tuccitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.
56 Protogenes Sagontinæ eccleſiæ epiſ. ſubſ.
57 Muminius Calahorritanæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.
58 Alicius Gerundenſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.
59 Poſſidonius Eminienſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
60 Thalaſſius Aſtoricenſis Eccleſiæ epiſc. ſubſ.
61 Agrippinus ciuitatis Lutubenſis, prouinciæ Galliæ Epiſcopus ſubſcripſi.
62 Liliolus Pampilonenſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
63 Iaquintus Gaurienſis eccleſiæ epiſc. ſubſ.
64 Galanus Archipresbyter Empuritanæ eccleſiæ agens vicem domini mei Fructuoſi epiſcopi, ſubſ.
65 Seruandus Diaconus eccleſiæ Aſtigitanæ, agens vicem domini mei Pegaſij epiſcopi, ſubſ.
66 Hildemirus Archipresbyter Aurienſis eccleſiæ, agens vicem domini mei Lupati epiſcopi, ſubſc.
67 Geneſius Archidiaconus eccleſiæ Magalonenſis, agens vicem domini mei Boetij epiſcopi, ſubſc.
68 Valerianus Archidiaconus eccleſiæ Nemaſenſis, agens vicem domini mei Pelagij epiſcopi, ſubſcripſi.

Agapius, vt dicitur in 1. Concilio Hiſpal. c. 7. fuit ordinatus vt Ecclesiaſticæ diſciplinæ & ſtatim à ſeculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatus.

Froiſclus item ibi, habent. C.C. M. ſſ. inteſligit Dertoſanę, ſicut Iulianus, quamuis in Concilio Bracarenſi ſubſcribat Epiſcopus Menteſanæ.

Geneſius hic poſtea eruditiſſimus eccleſiæ epiſcopus creatur. Vt patet ex Concil. Toletan. III. Recaredi anno 10 celebrato.

HOMILIA SANCTI LEANDRI EPISCOPI, in laudem Eccleſiæ, ob conuerſionem gentis, poſt Concilium, & confirmationem canonum edita.

FEſtiuitatem hanc omnium eſſe ſolenniorem feſtiuitatũ, nouitas ipſa ſignificat. Quoniam ſicut noua eſt conuerſio tantarum plebium cauſa, & nobiliora ſunt ſolito Eccleſiæ gaudia: nam multas ſolennitates per anni diſcurſum celebrat Eccleſia, in quibus tametſi habet gaudia conſueta; noua verò ſicut in hac non habet. Aliter enim gaudet de rebus ſemper poſſeſſis, aliter de lucris magnis his nuper inuentis. Pro qua re, & nos maioribus gaudijs eleuamur, quia repentè nouos Eccleſiam parturiſſe populos intuemur: & quorum aſperitatem quondam gemebamus, de eorum nũc gaudemus credulitate. Ergo materia gaudij noſtri tribulationis præteritæ occaſio fuit. Gemebamus dum grauaremur, dum exprobraremur; ſed gemitus illi id egerunt, vt hi, qui per infidelitatem nobis erant ſarcina, fierent noſtra per ſuam conuerſionẽ corona. Hoc enim gratulatiuè profert in pſalmis Eccleſia dicẽs: In tribulatione dilataſti me; & Sarra dum ſæpe à Regibus concupiſcitur, nec maculam pudicitiæ ſentit, & Abraham cauſa pulchritudinis ſuæ diuitem facit: ab ipſis enim Regibus Abraham ditatur, à quibus Sarra concupiſcitur. Condignè ergo Eccleſia catholica gentes, quas ſimul ſenſerit fidei ſuæ decore, ad ſui eas ſponſi, hoc eſt, Chriſti lucra tranſducit, & per ea regna ſuũ virum diuitẽ reddit, per quę ſe inquietari perſenſerit: ſic enim dum ex initio laceſſitur, vel inuidentiũ dentibꝰ mordetur, dum premitur, eruditur; & dum inſectatur, dilatatur. Quoniam patientia ſua æmulatores ſuos, aut ſuperat, aut lucratur. Dicit enim ad eam diuinus ſermo: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu autẽ ſupergreſſa es vniuerſas. Sinon mirum quòd hæreſes filiæ dicuntur, ſed attendendum quòd loco ſpinarum ponuntur; filiæ ſunt, eo quòd ex ſemine Chriſtiano generantur; ſpinæ ſunt, eo quòd foris à Dei paradiſo, hoc eſt, extra catholicã Eccleſiã nutriuntur: & hoc nõ lectura ſenſus noſtri, ſed ſcripturæ diuinę authoritate probatur, dicẽte Salomone: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Ergo ne magnũ vobis videretur, quòd hæreſes dixerit filias

continuò eas numerat esse spinas; hæreses inquam, aut in alium angulum mundi, aut in vnam gentem inueniuntur versari: Ecclesia verò catholica, sicut per totum mundum tenditur; ita & omnium gentium societate constituitur. Rectè ergo hæreses in cauernis, quibus latent, congregant ex parte diuitias: Ecclesia autem catholica in speculo totius mundi locupletata supergreditur vniuersis. Exulta ergo, & lætare Ecclesia Dei, gaude, & consurge vnum corpus Christi, induere fortitudine, & iubila exultatione: quoniam tui mœrores in gaudium sunt mutati, tristitiæ habitum in amictum lætitiæ versum est: Ecce repentè oblita sterilitatis, & paupertatis tuæ, vno partu populos innumeros genuisti Christo tuo. Nã dispendijs tuis proficis, tuoque damno subcrescis: tantus denique est sponsus tuus, cuius imperio regeris, vt dum te patiatur deprædari ad modicum, rursum prædam tuam ad te reducat, & hostes tuos tibi conquirat. Sic autem agricola, sic piscator, dum lucra attendit futura, quæ seminat, & quæ amodò incesserit, non imputat damna. Tu proinde iam ne fleas, ne lugeas, temporaliter quosdam recessisse à te, quos cernis cum magnis lucris redijsse ad te. Exulta ergo fidei confidentia, & tui capitis merito, fide esto robusta; dum quæ recolis olim repromissa, nunc cernis fuisse completa. Ait enim in Euangelio ipsa veritas: Oportebat Christum mori pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Tu profectò in psalmis proclamas, odientibus pacem dicens: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in vnum; & rursum: In conueniendo populos in vnum, & regna vt seruiant Domino. Quàm dulcis sit charitas, quàm delectabilis vnitas, non nesciens per Prophetica vaticinia, per Euangelica oracula, per Apostolica documenta, non nisi connexionem gentium prędicas, non nisi vnitatem populorum suspiras, non nisi pacis, & charitatis bona disseminas. Lætare ergo in Domino, eo quòd non sis fraudata desiderio tuo: nam quos tanto tempore, gemitu teste, & oratione continua concepisti, nunc post glaciem, post hyemem, post duritiam frigoris, post austeritatem niuis; velut iocunditatem agrorum, frugem, & lætos verni flores, vel adridentes vinearum stipitibus palmites, repentè in gaudio peperisti. Ergo fratres tota charitate animi exultemus in Domino, & iubilemus Deo salutari nostro. Hoc de cætero per ea, quæ iam sublata sunt, ea, quę adhuc expectãtur implenda, vera esse credamus. Quæ enim præfata sunt, Domino dicente: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt sit vnus grex, & vnus pastor; ecce contuemur fuisse completa. Pro qua re non dubitemus totum mundum posse in Christo credere, atque ad vnam Ecclesiam conuenire. Quoniam rursus ipso testificante didicimus in Euangelio: Et prædicabitur (inquit) hoc euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus; & tunc (inquit) veniet consummatio. Si ergo remansit pars aliqua mundi, vel gens barbara, quam fides non irradiauerit Christi, profectò crediturum, atque in vnam Ecclesiã esse venturam nullo modo dubitemus, si ea, quæ Dominus dixit, vera esse putamus. Ergo fratres reposita est loco malignitatis bonitas, & errori occurrit veritas: vt quia superbia linguarum diuersitate ab vnione gentes separauerat, eas rursus gremio germanitatis colligeret charitas: & quemadmodum vnus possessor est totius mundi Dominus, ita vt possessionis eius esset vnum cor, & animus vnus, pete à me (ait) & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: propterea & ex vno homine propagatum est omne hominum genus, vt qui ex vno illo procederent, vnum saperent, vnitatem quærerent, & diligerent. Ordo ergo naturalis exposcit, vt qui ex vno homine trahunt originem, mutuam teneant charitatem; nec dissentiant à fidei veritate, qui non disiunguntur naturali propagine. Hæreses verò, & diuisiones è fonte manant vitiorum; vnde quisquis ad lenitatem venit, ex vitio ad naturam redit: quia sicut naturæ est fieri ex pluribus vnitatem, sic est vitij, fraternitatis declinare dulcedinem. Erigamur ergo tota mente in gaudio; vt quia gentes studio decertandi perierant, sibimet in amicitiam Christus vnam Ecclesiam procuraret, in qua eas rursus reduceret concordia charitatis. De hac profectò Ecclesia vaticinatur Propheta, dicens: Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus: & iterum: Erit (inquit) in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibũt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Mons enim Christus est, & domus Dei Iacob, vna Ecclesia est eius, ad quam, & gentium concursum, & populorum pronunciat confluere conuentũ: de qua rursum in alio loco dicit Propheta: Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: & ambulabunt (ait) gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitum oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi: & ædificabũt (inquit) filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Qui, vt notesceret, quæ ventura essent genti, vel populo, quæ ab vnius Ecclesiæ communione recidissent, secutus est: gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit. Alio denique loco similiter ait: Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis; & gentes, quæ non cognouerunt te, ad te current. Vnus enim est Christus Dominus, cuius est vna per totum mundum Ecclesia, sancta possessio: ille igitur caput, & ista corpus, de quibus in principio Geneseos dicitur; Erũt duo in carne vna, quod Apostolus in Christo intelligit & in Ecclesia: Dum ergo ex omnibus gentibus vnam vult Christus habere Ecclesiam, quicunque extraneus est ab ea, licet Christi nomine nuncupetur, Christi tamen corporis compage non continetur. Hæresis enim, quæ respuit catholicæ Ecclesiæ vnitatem; eo quòd adulterino amore diligat Christum, non vxoris, sed concubinæ obtinet locum. Quoniam re vera duos dicit Scriptura esse in carne vna; videlicet Christum, & Ecclesiam: quo locum meretrix nullum inuenit tertium. Vna est enim (ait Christus) amica mea, vna est sponsa mea, vna est genitricis suæ filia. De quo item eadem Ecclesia pronunciat, dicens: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Quærant nũc hæreses, à quo constuprentur, vel cuius sint prostibulum factæ: Quoniam ab immaculato thoro recesserunt Christi: à quo quanto pretiosam esse nouimus copulam charitatis, tantò Deum hac celebritate laudemus; quòd gentes, pro quibus sanguis fusus est vnigeniti sui, non passus est extrà vnum ouile, diaboli dentibus deuorari. Lugeat igitur veternosus prædo suam prædam amisisse, quia impletum videmus, quod Propheta vaticinante, audiuimus. Equidẽ (inquit) hæc captiuitas à forti tollitur, & quod ablatum fuerat à robusto, saluatur: parietem enim discordiæ, quẽ fabricauerat diabolus, pax Christi destruxit; & domus, quæ diuisione in mutuam certabat cædem, vno iam Christo lapide angulari coniungitur. Dicamus ergo omnes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nullum enim præmium charitati compensatur. Inde omni gaudio præponitur, quia & charitas facta est, quæ omnium virtutum obtinet principatum. Superest autem, vt vnanimiter vnum omnes regnum effecti, tam pro stabilitate regni terreni, quàm felicitate regni cœlestis, Deum precibus adeamus; vt regnum, & gens, quæ Christum glorificauit in terris, glorificetur ab illo, non solùm in terris, sed et iam in cœlis, Amen.

Esai. 60.

Esai. 55.

Gen. 2.

Ad Eph. 5.

Esai. 49.

Esai. 28. Rom 9. 1 Pet. 2. Luc. 2.

DE SVBSCRIPTIONIBVS.

NOTÆ Ioan. Garsiæ.

SVbscribunt in hoc Concilio Nationali Episcopi septuaginta octo: nimirum Massona ecclesiæ Emeriten. qui successit Liberio, in Eliberitano: Euphemius Toletanæ, qui Montano 2. Tolet. Leander Hispalensis, qui Sabino, in Eliberitano: Migetius Narbonensis: Pantardus Bracarens. qui Martino Bracar. 2. Vgnus Barcinonensis, qui Paterno in Ilerdensi: Maurila Valentinæ: Andonius Oretanæ: Sedatus Betorrensis in prouincia Narbonensi: Palmatius Pacensis: Ioannes Mentesanæ, qui Pardo, in Concilio Eliberitano: Mutto Setabitanæ: Petrus Ossonobensis (in aliquibus M. ss. dicitur Exonobensis, & Exonoba, quæ ad prouinciam Lusitaniam pertinet) qui successit Vincentio in Eliberitano: Stephanus Tyrassonensis: Gabinius Oscensis: Necfila Tudensis, qui Aulæ in 2. Bracar. Paulus Olyssponensis: Sophronius Egarensis, qui Nebridio in 1. Tarraconensi: Ioannes Dumiensis, qui successit Sancto Martino: Benenatus Egabrensis: Ioannes Elnensis (Elna in prouincia Narbonensi) Polybius Ilerdensis, qui Februario in Concilio Ilerden. Proculus Segobrensis: Ermericus Luthobiensis.

bienſis: Simplicius Cæraugustanæ, qui Ioanni in Can. Barcin. Conſtantius Portucalenſis: Simplicius Vrgelitanæ: Asterius Aucenſis, ab Auca: Agapius Cordubenſis, qui Oſio in Eliberitan. Stephanus Eliberitanæ, qui Flauio, in Eliberitano. Petrus Arcauicenſis Celtiberiæ: Vviligiſclus Valentinæ: Ioannes Valerienſis: Sunila Veſenſis, & Viſenſis, qui Remiſol, in Braca. 2. Philippus Lamecenſis, qui ſucceſsit Sardinario, in 2. Braca. Aquilinus Auſonenſis, ab Auſona, qui Camidio, in Tarracon. Dominicus Irienſis: Sergius Carcaſſonenſis: Baſilius Eliplenſis: Leuterius Salmanticenſis: Eulalius Italicenſis: Iulianus Dertoſanæ, qui Aſcelio: Theudorus Baſitanæ, à Baſti: Petrus Illiberitanæ à Caucoliberi: Becilla Lucenſis, qui Nitigiſio. 2. Bracar. Petrus Segobienſis: Gardingus Tudenſis, qui Auilæ. 2. Braca. Higridius Agathenſis: Argouitus Portugalenſis: Liliolus Accitanæ, qui Felici in Eliberitano: Celſinus Valentinæ: Theudericus Caſtulonenſis, qui Secundino in Eliberitan. Valerius Tuccitanæ, qui Camerino in Eliberitan. Protogenes Sagontinæ: Mammus Calahorritanæ: Alicius Gerundenſis, qui Staphilio in Can. Barcin. Poſidonius Eminienſis: Liliolus Pampilonenſis: Iaquintus Caurienſis: Thalaſsius Aſtoricenſis, qui Polemio in 2. Bracar. Agrippinus Luſitonenſis: Fructuoſus Emporitanæ per procuratorem: Pegaſius Aſtigitanæ per procuratorem: Lupatus Aurienſis per procuratorem: Boetius Magalonenſis per procuratorem: Geneſius Archidiaconus, qui poſtea eiuſdem Eccleſiæ fuit Epiſcopus creatus, vt patet ex Concilio Toletano, anno Reccaredi. 12. coacto: Pelagius Nemaſenſis per procuratorem. Eſt in prouincia Galliæ Narbonenſis Nemaſo.

Interfuerunt huic ſancto Concilio quinque Metropolitæ: nimirum Euphemius Toletanus: Leander Hiſpalenſis: Migentius Narbonenſis: Pantardus Bracarenſis: Maſſona Emeritenſis. Metropolita Tarraconenſis non adfuit. Vna cum Toletano fuerunt quindecim Epiſcopi eiuſdem prouinciæ: ſcilicet, Murila, Petrus: Liliolus Valentinæ: Andonius Oretanæ: Ioannes Mentesanæ: Muto Setabitanæ: Proculus Segobricenſis: Petrus Arcauicenſis: Ioannes Valerienſis: Petrus Secobienſis: Liliolus Accitanæ: Theudomirus Caſtulonenſis.

Cum Metropolitano Hiſpalenſi fuerunt Benenatus Egabrenſis: Agapius Cordubenſis: Stephanus Eliberitanus: Baſilius Eliplenſis: Eulalius Italicenſis: Valerius Tuccitanæ: Iaquintus Caurienſis: Pegaſius Aſtigitanæ: omnes cum Leandro ſanctiſsimo viro, numero nouem.

Cum Metropolitano Emeritenſi fuerunt Palmatius Pacenſis: Petrus Oſſonobenſis: Paulus Olyſſipponenſis: Leutherius Salmanticenſis: numero quatuor.

Cum Metropolitano Narbonenſi fuerunt Sedatus Biterrenſis: Ioannes Elnenſis: Sergius Carcaſſonenſis: Petrus Illiberitanus (eſt Caucoliberis:) Igidius Agathen. Agrippius, & Ermericus Lutubenſ. Boetius Magalonenſis: Pelagius Nemaſenſis: omnes nouem.

Cum Metropolitano Bracarenſi fuerunt Neufila, & Gardingus Tudenſis: Ioannes Dumienſis: Conſtantius, & Argouitus Portugalenſis: Sunila Veſenſis: Philippus Lamecenſis: Dominicus Irienſis: Theodorus Baſtitanæ: Becila Lucenſis: Talaſius Aſtoricenſis: Lupatus Aurienſis: omnes duodecim.

Ex prouincia Tarraconenſi non interfuit Metropolitanus, nec eius procurator. vnde ſuſpicor abiiſſe è vita. Sed adfuerunt ſancto Concilio ſedecim Epiſcopi eiuſdem prouinciæ: Vgnus Barcinonenſis, nō ſanctus Idalius, vt Beuther ſcripſit: Stephanus Tyraſſonenſis: Gratus Oſcenſis: Sophronius Egarenſius: Polybius Ilerdenſis: Simplicius Cæraugustanæ: Simplicius Vrgelitanæ: Asterius Aucenſis. ex Auca: Aquilinus Auſonenſis: Iulianus; & Froiſclus Dertoſanæ: Mumnius Calagurritanæ: Alicius Gerundenſis: Liliolus Pampilonenſis: Fructuoſus Emporitanæ. Sanctus Fulgentius nondum erat Epiſcopus Aſtigitanus, & ita non interfuit huic tertio Toletan. ſed potius Pelagius, ſeu Pegaſius Aſtigitan. per procuratorem, vt ex ſubſcriptionibus conſtat. Erat hoc tempore Epiſcopus Malacitanus Ianuarius, qui coniuratione peſsimorum hominum ab Epiſcopatu fuit deiectus; ſed Magn. Gregorius, miſſo in Hiſpaniam Ioanne Defenſore, eum reſtituit, & calumniæ, & impietatis authores debita pœna multauit, vt cōſtat ex Epiſtola D. Gregorij: quapropter non interfuit huic Concilio.

Maſſona.] *Maſſona Epiſcopus Emeritenſis, vir ſanctitate, & doctrina eximus, acerrimus catholicæ fidei propugnator, ac defenſor, Arrianæque perfidiæ hoſtis, pro fide catholica in exilium actus, ab Epiſcopatu à Leouegildo impio Rege relegatus, prouentibuſq; priuatus, inuicto animo religionem à maioribus acceptam puram corde tenuit, oreque publicè profeſſus eſt. Roderic. Arch. libr. 2. cap. 43. & Paulus Diaconus Emeritenſ. in eius vita. Primus ſubſcribit, eo quòd ſit antiquior Metropolitan. ſic enim in Concil. Bracarenſ. 1. ca. 4. definitum eſt: Item placuit, vt conſeruato Metropol. primatu ceteri Epiſcoporum, ſecundum ſuum ordinationis tempus, alius alio ſedendi deferat locum.*

Euphemius.] *Si ſeriem Toletanorum præſulum in capitulo Toletano ſculptam ſequamur, is Euphemius ſeu Epiphimius, vigeſimus quartus erit à Beato Eugenio martyre, primo Archiepiſcopo Toletano, & vigeſimus à Patruino, ſub quo fuit primum Concilium celebratum, & à Montano quintus, ſub quo fuit ſecundum. Rodericus lib. 2. cap. 15. incautè ſub Elladio tertiam Synodum fuiſſe actam affirmat.*

Leander.] *In Excuſ. malè omittitur Leandri ſubſcriptio; cum D. Iſidorus ſit author, cum huic tertio Concilio interfuiſſe, libr. 2. chron. ſic inquiens: Interfuit tunc dignitate Primas illic catholicus, & orthodoxus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & Romanæ Eccleſiæ Legatus, ſanctitate, & doctrina perſpicuus. Et Roder. lib. 2. ca. 15. Id etiam conſtat ex homilia ab eo habita in fine Concilij. Vitam eius ſcribit Iſidorus libello de Viris Illuſtribus.*

Viros doctos non parum torſit, quòd in his ſubſcriptionibus eiuſdem Eccleſiæ duo ſubſcribant Epiſcopi, vt de Tudenſi Eccleſia Nuſila Epiſcopus, num. 16. & Gardingus. numer. 49. de Lucenſi Eccleſia Nitigiſius, pro quo ſubſcribit Pantardus Metropolitanus Bracar. & Beccilla, num. 47. Similiter de alijs ecclesijs. Dicendum, vt authores ſunt Iſidorus, & Rodericus Toletanus, Leouegildum Regem Arrianum Epiſcopos Catholicos à ſedibus deiecisſe, & Arrianos ſubſtituiſſe: Vnde factum eſt, vt vnius Eccleſiæ duo ſubſcribant Epiſcopi, vnus Catholicus, alter ex hæreſi veniens. Præterea cum ſenectute confectus eſſet Epiſcopus, impotensque ad Eccleſiæ regimen, & onus ſubleuandum ſeruato honore Epiſcopali, alius muneri præfectus gubernabatur, quòd fortè in Nitigiſio Lucenſi eſt factum, qui in Concilio Bracar. 2. ſubſcribit vt Metropolita. Era 610. Hic verò de Nitigiſio Lucenſi, & Beccilla alia poteſt eſſe ratio; nam cum duo eſſent ciuitates Luco, altera Gallæciæ, altera Aſturum, Nitigiſius erat Epiſcopus Lucenſis in Gallæcia: vnde pro eo ſubſcribit in calce Concilij Pantardus Bracarenſis, cui ſubiacebat: Beccila verò erat Epiſcopus Lucenſis in Aſturibus.

Feſtiuitatem.] *Huius homiliæ meminit Roderic. Tolet. libr. 2. hiſtor. c. 15.* Hæc omnia Garsias.

Notæ in Concilium Toletanum tertium. Ioan. Garsiæ.

Habitum eſt hoc Concilium Era 627. vt habent. C. C. M. ſſ. ſub Reccaredo Rege, Gelaſio. II. PP. & Euphemio primæ ſedis Toletanæ Epiſcopo. De Reccaredo Rege pijſſimo Iſidorus in chronico Gothorum Era. 635. & Rodericus Toletanus lib. 2. hiſtor. Hiſpan. cap. 15. & Gregor. Mag. lib. 1. epiſtolarum, epiſt. 41. ad Leandrum, in qua de hac Gothorum conuerſione agitur. Exterminata eſt hæreſis Arriana in eo, quà gens Gothica per 213. annos infecta fuerat. Hæc Garsias. *Quid de tempore huius Concilij, & de initio Reccaredi Regis ſenſerit Baronius anno Domin. 591. dicā infra in Notis Concilij Narbonenſis.*

Ita in honorem.] *De quatuor Concilijs Gelaſius PP. in cap. Sancta Romana, & Gregor. Magn. epiſtol. lib. 1. epiſtol. 24. & libr. 2. epiſtol. 49. & Iſidorus libr. 6. ætymol. cap. 16. & Nicephor. libr. 15. cap. 13.*

Credimus in vnum Deum.] *Hæc eſt formula fidei in ſancto Concilio Nicæno edita, in qua formanda Oſius Cordubenſis Epiſcopus, totum laborioſæ inquiſitionis pondus ſuſtinuit: eam tradit Athanaſius in epiſtol. ad Iouinianum Imperatorem, de fide, his verbis:* Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inuiſibilium creatorem; & in dominum Iesum Chriſtum, filium Dei, natum ex Patre, & vnigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris; DEVM ex Deo, lumen de lumine, Deum verum, ex DEO vero; genitum, non factum, & consubſtantialem Patri. per quem omnia facta ſunt, tam in cœlis quàm in terra: qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus eſt, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die: & aſcendit in cœlos, venturus inde ad iudicandos viuos & mortuos, & in Spiritum ſanctum.

Hæc eſt regula Nicanæ fidei. Quod verò ſequitur: Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, *&c. anathematiſmi ſunt, decreti aduerſus impiam Arrij ſententiam, vt radicitus Eccleſia glaquibus*

quibus verbis à nostra versione discrepare: nam Symbolum Nicænū, Latinum est factum diuersis interpretibus: & ita apud Athanasium, & Basilium, epist. 78. & Synodum Chalcedonensem idem est sensus, sed sermo discrepans. Cuius verò dicit: & in Spiritum sanctum, subintelligitur vox prima, Credimus: vt adnotauit Epiphanius hæresi 74. prope finem; & Athanasius eadem epistola. Neque amplius de Spiritus sancti natura, & functione Patres dixerunt: quia tunc temporis de eare nulla controuersia mota est; vt Basilius animaduertit epist. 78. & Hieronym. epist. 65.

Item fides sancta.] *Hoc est Symbolum Concilij Constantinopolitani, à centum, & quinquaginta patribus celebrati aduersus Eunomium, Photinum, & Macedonium: in quo aliqua explicata sunt & posita in Symbolo, quæ in Nicæno non erant; vt est illud, quod ad personam Spiritus sancti spectat*: Credimus in Spiritum Sanctum, dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, &c. *Neque existimo, vt alij post eà hæc verba: Ex Patre, Filioq; addita in Synodo Romana, sed in ipsa prima Symboli formatione fuisse posita: vt constat ex D. Hieronymo in Symbolo, & ex lib. 9. Tripar. c. 16. & ex Concilio Florentino.*

Incipite.] *Sic Augustinus in Enarratione, in Psal. 146. legit: Græcè est ἐξάρξατε: quæ vox vtrumq; significat: Præcinite, & incipite. Vulgata editio habet*: Præcinite Domino.

Gloria & honor.] *In confessione Episcoporum, Concilium Tolet. quartum, c. 15. & 23. sic habet*: Statuimus, vt in fine Psalmorum non gloria Patri, sed, gloria, & honor Patri dicatur. *De quare scribit D. Hieronym. ad Dam. si eius est epistola, vel potius aduterina. Niceph. Calix. lib. 3. c. 8. Cassianus de institutis Cœnob. libr. 2. c. 9. Hymnum glorificationis, hoc est, gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, ab Apostolorum instituto fluxisse, author est D. Basilius, li. de Spiritu sancto, c. 7. 27. & 29. & eo tempore, quo ab Apostolis promulgatum est Euangelium, ab eisdem occini cœptum, cum iussu Domini sacrum Baptisma in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sit fidelibus collatum. In Concilio Nicæno adiectum aduersus Arrianos: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorū. Amen. Id constat ex Concilio Vasensi, c. 5. his verbis*: Et quia non solùm in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qui Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis, post gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum. Amen, dicatur; et iam nos in vniuersis Ecclesijs nostris hoc ita dicendum esse decernimus.

Cautissimum.] *Excus. sanctissimum, & salutare, diuinum: verum bene Goth. vt constat ex Euagrio, lib. 2. histor. Eccles.*

Communem quandam columnam] *Vnus Excus. paginam; alij scopum, vel columnam: quæ lectio alijs antiquis translationibus cõformatur, atq; ipsis Græci textꝰ verbis*: Κοινήν τινα σκηλὴν ὑπάρχουσαν.

Perfectum eundem.] *Excus. Pariter perfectum eundem in deitate Deum, & hominem verum, &c. Rectè vero Gothici nostri libri: Græcè enim apud Euagrium est*: Τέλειον τὸν ἐν θεότητι καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι θεὸν ἀληθῶς καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς, &c.

Et Patrum nobis.] *Excusi minus: & nobis tradidit Symbolū. Græcè est*, καὶ τὸ τῶν πατέρων ἡμῖν παραδίδωσι σύμβολον.

Illam dicimus Ecclesiam.] *Habet duas singulares notiones Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, quibus dignoscitur, & secernitur à conuenticulis clandestinis Hæreticorum: prima est continua successio Pontificum Romanorum, à Petro, vsque ad Clementem; qui piè, & sanctè hodie magna cum sui nominis laude, regit Petri nauiculam. Nam verbum illud Christi mane esse non potest: Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua: non enim deficiet in personis, in quibus regimen Ecclesiæ est, neque in doctrina vera, & indubitabilis fidei. Id Augustin. perpendens dicebat, c. 4. contra epistolam Manichæi*: Multa sunt alia, quæ in eius gremio mei iustissimè tenent; tenet consensio populorum, atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentẽ Episcopatum, successio Sacerdotum; tenet postremò ipsum Catholici nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit. *Secunda notio, est fides eadem in Concilijs œcumenicis, & vniuersalibus continenter stabilita, & propagata: & hoc est esse Catholicam Ecclesiam, vt Vincentius Lirinensis doctissimè adnotauit: quia in nomine, Catholica, complectuntur vniuersitas, antiquitas, & consensio. Idem Lactantius, lib. 4. ca. 30. & Augustinus supra. Et rectè hic dicitur: illam dicimus Ecclesiam, quæ Nicæni, Constantinopolitani, & primi Ephesini, & Chalcedonensis Concilij decreta tenet pariter, & honorat. Nos similiter possumus dicere: Illam dicimus Ecclesiam, quæ decreta sancti Concily Tridentini vniuersalis, œcumenici tenet pariter & honorat.*

Symbolum.] *Isidorus, lib. 6. etymol. c. 18.* Symbolum, *inquit*, per linguam Græcam, signum, vel cognitio interpretatur. Discessuri enim Apostoli ad Euangelizandum in gentib. hoc sibi prædicationis signum, vel indicium posuerunt. Continet enim confessionem Trinitatis, & vnitatem Ecclesiæ, & omne Christiani nominis Sacramentum. Quod Symbolum fidei, & spei nostræ, non scribitur in chartis, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus. *Adde hæc ex alijs. Symbolum annulus dictus, eo quòd sit nota, & signum, ex Plinio lib. 33. ca. 1.* Quod prisci vngulum (*loquitur de annulo*) vocabant, postea, & Græci, & nostri Symbolum. *Dicitur etiam Collatio à* συμβάλλω, *id est, confero, hoc est, quod plures in vnum conferunt. Dionysius Areop. Eccles. Hier. Augustinus de tempore. serm. 2. Dominicæ in Ramis Palmarum. Cassianus lib. 6. de incarnatione. cap. 3. & sanctus Clemens epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini, Rufinus in expositione Symboli. Etiam ciuitatum pacta, & conuenta, Symbola dicta; eo quòd in pactis & conuentis, tesseris quibusdam vtebantur, quæ loco tabularū, & syngrapharum erant: & illius dicebatur, Hispani vocant sennal, quod idem est quòd Symbolum, ne in contractu partes retrocedant. Rectè igitur Apostoli, & Christiani homines signum, quod Paulus signaculum dixit, & quod inter eos collatum, & statutum erat, ad Christi D. N. fidem in vniuerso orbe prædicandam, Symbolum appellarunt. Symbolum verò Nicænum publicè, occentu sacerdotum in sacris solennibus recitatum fuit, vt tradit Theodorus, lect. Collectaneorum Bibliot. Timotheus (inquit) (erat enim Constantinopolitanus Episcopus) ab amicis rogatus Symbolum fidei trecentorum, decem, & octo patrum per singulas synaxes dici curauit, ad reprehensionem Macedonij, quasi ille Symbolum hoc non receperit. Cum autem semel tantùm in anno, in parasceue scilicet Dominicæ passionis tempore, quo Episcopus catechizabat, recitatum esset, &c. Hæc Theodorus. Rupertus Tungren. de Can. obseruant. propos. vlt. est auctor à Marco Pont. Max. Symbolum alta voce dici iussum post Euangelium, à Damaso PP. solennibus diebus Symbolum Constantinopolitanū ad Missam eius institutione decantatum.*

Ca. 4. Monachorum.] *Nomen Monachi recens, professio antiqua, & abinitio nascentis Ecclesiæ instituta, & sanctè culta: adde quod Philo scribit de Iosseis, & Dionysius Areop. & August. in Ioan. tract. 97. Monasteria, & xenodochia posteà sunt appellata nouis nominib. res autem ipsæ ante sua nomina erant.* Garsias.

Ca. 5. Compertum est à S. Concilio.] *Ex hoc Canone euidenter colligitur, quod his temporib. neque in Sicilia, neque etiam in Hispania Subdiaconis continentia adhuc imperata fuerit: cum hoc loco Sacerdotes tantum atque Diaconi absq; vxorib. castè viuere admoneãtur. Refert S. Gregor. epist. 42. libr. 1. quam scripsit ad Petrum Subdiaconū Siciliæ, quod hoc anno in Sicilia constitutum fuerit, vt Subdiaconi cum vxorib. ante Subdiaconatum sibi coniunctis permanerent, moreq; Rom. Eccl. continentiam seruarent, etsi vsus coniugij eis antea concessus fuerit. Quod S. Gregorio durum & incompetens videretur, cuius sententia constitutum fuit, ne quis deinceps Subdiaconus ordinaretur, nisi qui se castè victurum promiserit. Vide præd. epist. Gregor. ad Petrum Subdiaconum.*

Ca. 8. Vt Clericorum ex familia fisci.] *Familiam fisci appellat conuentum eorum, qui res Ecclesiæ curabant, & fiscum Ecclesiæ regebãt. Gregor. lib. Reg. epist. 42. vocat ex familia Ecclesiastica Sacerdotes, vel familiam fisci vocat seruos fisco addictos. Fiscus vnde originem trahat, sunt qui dubitent: de eo sic Isidorus, lib. 20. orig. c. 9. ait*: Fiscus saccus est publicus, vnde & fiscellæ & fiscinæ dicũtur: hũc habent exactores, & in eo mittunt debitum publicum, quod redditur Regibus. Erat enim, vt ex multis legibus constat, fiscus, vt inquit Isidorus, vas quoddam rusticum, capax, contextum, sparteum, quo recipiebantur pecuniæ, & deferebantur. *Varro 4. de lingua Latina ait, fiscinam dici à ferendo, cui affinis est fiscus: & ideò accipitur continens pro contento, scilicet fiscus pro pecunia, quæ fiscis continetur. Quidam existimarunt, ærarium dici pecuniam publicam, fiscum verò principis peculiarem. Plinius in panegyr. Traian. sic ait*: At fortasse non eadem seueritate fiscum, qua ærarium cohibes; imò tanto maiore, quanto tibi plus licere de tuo, quàm de publico credis.

Alij aliunde trahunt originem fisci, à nomine Græco φισκὸς, *vel* φισκὴ,

φισκὴ, quod idem eſt ex Heſychio, quod vterus, vel inteſtinum craſſum; cuius natura eſt in perfectis animalibus, vt latitudine ſua contineat cibum immiſſum: & ideò continuò non egemus alimenti ſubminiſtratione: cuius ſimilitudinem retinet fiſcus in republica, vt inſtar vteri, pecunias recipiat, & paulatim eroget, ad eius conſeruationem, & amplificationem.

A Principe donatos.] *Donati ſunt ſerui & Eccleſijs commendati, & dati, vt illis inſeruiant: inde nomen donatorum adhuc in cœnobijs Monachorum durat.*

Ca. 5 Ex ſeruis fiſcalibus.] *Fiſcales res dicuntur, quæ fiſci patrimonio ſunt quaſi propriæ, & priuatæ principis, vt diximus ſupra, leg. 2. §. Hoc interdictum. ne quid in loco publico. Vnde dicitur ſeruus fiſcalis, qui erat ex fiſco Regis: id conſtat ex confirmatione Concilij.*

Ca. 17. Fornicationis auidi.] *Idem in Concil. Ilerdenſ. cap. 2. Primus huius nefandi parricidij auctor fuit Plato, vt Theodoretus affirmat oratione 9. de legibus.* Hæc omnia Garſias Loaiſa. *Exceptis notis ad Canon. 5.*

CONCILIVM ROMANVM SVB PELAGIO II.

NOTAE.

Concilium.] *Huius Concilij mentio habetur in Epiſtola Pelagij, quam ſcripſit ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, his verbis:* Cum in Dei nomine in Romana Eccleſia Synodum Epiſcoporum ſiue cæterorum conſacerdotum Dei fidelium cõgregatam habuiſſemus, &c. *Quid in ea actum ſit, indicat allegata Epiſtola, quam ſupra excuſam inuenies inter Epiſt. Pelagij.*

CONCILIVM NARBONENSE SVB RECCAREDO REGE SVEVORVM, ANNO Dom. 589. celebratum.

NArbonenſe Concilium anno quarto Reccaredi, atque Era ſexcenteſima vigeſima ſeptima. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno feliciter quarto regni domini noſtri glorioſiſſimi Reccaredi Regis Narbonæ.

Migetius, Sedatius, Benenatus, Boetius, Pelagius, Tigridius, Agrippinus, & Sergis* Epiſcopi Galliæ prouinciæ. *Sergius

Concilia ſanctorum antiquorum Patrum vel decreta obſeruare cum Dei timore cupientes, nos in vrbe Narbona, ſecundum quod ſancta Synodus per ordinationem glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi Regis in vrbe Toletana finiuit* die Kalend. Nouemb. Deo auſpice, in vnum conuenimus, & aliquanta quæ iuſtè & piè ſunt edita, & per patrocinationis* poteſtatem non ſupplebantur ad memoriam, nunc temporibus domini noſtri, ſub præfationibus deducẽtes recapitulare fecimus: & quæ pro regula & fidei Catholicæ diſciplina adhuc viſa ſunt, communi tractatu elegimus conſcribenda, & canonibus definiuimus adiungenda, quæ tenore capitulorum ſubſequenter euidenti iure declarantur. *definiuit *perſecutionis tempeſtatem

Hoc regulariter definitum eſt, vt nullus clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam* dignitatem: vt ſicut eſt deuotio in mente, ita & oſtendatur in corpore: quia purpura maximè laicorum poteſtate præditis debetur, non religioſis. Quod ſi quis non obſeruauerit, velut tranſgreſſorem legis coercendum. *religioſorum.

Hoc itaque definitum eſt, vt in pſallendis ordinibus per quemque pſalmum gloria dicatur omnipotenti Deo; per maiores verò pſalmos, prout fuerint prolixius, pauſationes fiãt, & per quamque penſationem gloria Trinitatis Domino decantetur.

Nam & hoc ſecundum priſcorum cenſuram canonum finitum, vt nullus clericus, ſubdiaconus, diaconus, vel presbyter in plateis reſideat, certè nec in plateis ſtare, & famulis diuerſis commiſci. Quod ſi quis facere præſumpſerit, repellendum omnino ab officio, & execrandum, ſi non emendauerit: & à communione & ab officio priuetur.

Vt omnis homo tam ingenuus, quàm ſeruus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Iudæus, die Dominico nullam operam faciant, nec boues iungantur, excepto ſi in murando* neceſſitas incubuerit. Quod ſi quiſquam præſumpſerit facere: ſi ingenuus eſt, det Comiti ciuitatis ſolidos ſex; ſi ſeruus, centum flagella ſuſcipiat. *fortè, mercando.

Secundùm Concilium Nicæni* ſanctiſſimi, concinnabula* vel coniurationes* non fiant clericorum, quæ ſub patrocinio ſolebant fieri laicorum. Nec vnuſquiſque de inferiore gradu ſeniorem ſibi elatus aut increpet, aut iniuriet. Quod ſi quis præter miſſo tam iuſtæ cenſuræ ordine auſus fuerit facere, diſtrictione ſæuiſſima corrigatur, vt ſub pœnitentiæ nomine vitia recedente*: id eſt, anno vno in monaſterio ſciat abijcere ſuperbiam, vnde inflatur, quod eſt diabolus; & addiſcat humiliationem Chriſti, quia per ipſam mortem guſtare dignatus. *Nicæni ſanctiſſimum. *concilibula *coniurationes *recedant, vel recedant

Secundùm Concilia priſcorum Orthodoxorum decreuit fraternitas, vt quicumque fuerit culpabilis inuentus clericus, aut honoratus de ciuitate, & ad monaſterium fuerit deputatus, ſic Abba qui eſt prædictus*, cum illo qui dirigitur, agat, ſicut ab Epiſcopo manifeſta correctione fuerit ordinatus. Aliter ſi Abba facere elegerit, pro correctione tempus aliquod ſuſpendatur: quia ab hac* cauſa dirigitur, vt emendetur, non paſſim ferculis diuerſis ſaturetur. *præfectus *ob hanc cauſam

Quicumque clericorum à maximo vſque ad infra, contra ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem agere, tractare, vel conari fuerit repertus, meritò deijciatur, qui fidem ſeruare minimè cognoſcitur.

Quicumq; clericus, ſubdiaconus, diaconus, presbyter ſine conſcientia Epiſcopi aliquid de poſſeſſionibus, vel de domo Eccleſiæ tulerint, aut fraudem fecerint, non ſolùm cum omni dedecore conſtricti reſtituant quod fecerunt, ſed etiã non debere ibi in Eccleſia eſſe, vbi fraudem viſus eſt operaſſe: duobus iaceat ſub pœnitentia annis, & cùm defleuerit factũ, reuertatur ad officium.

Hoc ante omnia decretum eſt, vt Iudæis non liceat corpus *defuncti* deducere pſallendo: ſed vt eorum habuit mos & conſuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant. Quòd ſi aliter facere præſumpſerint, inferant Comiti ciuitatis vncias ſex.

Hoc maxime definitum eſt, vt nullus audeat clericorum ordinationem ſui Epiſcopi contemnere: ſed vbi ordinatus fuerit, ambulare debeat cum gratia & obedientia, & quæ iuncta fuerint agere. Quòd ſi ſub cothurno ſuperbiæ neglexerit implere: non ſolùm à ſtipendio; ſed vno anno à cõmunione priuetur.

Amodò nulli liceat Epiſcoporum ordinare diaconũ; aut presbyterum litteras ignorantem. Sed ſi qui ordinati fuerint cogantur diſcere. Qui verò diaconus aut presbyter fuerit litteris ineruditus, & deſidiosè legere vel implere officium diſtulerit, & in Eccleſia ad omnia vtilis non fuerit, ab ſtipendio reijciendum, & inclinandum, quoadusque curuatus impleat & defendat, quod eſſe cognoſcitur. Ad quid erit in Eccleſia Dei, ſi non fuerit ad legendum exercitatus? Et ſi perſeuerauerit deſidiosè, & non vult proficere, mittatur in monaſterio* quia non poteſt ædificare populum. *monaſterium

Hæc maximè pro Dei timore & modo diſciplinæ canonicæ elegimus cuſtodienda, vel tenenda, vt dum Miſſa celebratur, nullus presbyter aut diaconus abſq; aliqua infirmitate, dũ Miſſa perficitur, egredi de altario audeat. Nec diaconus, aut ſubdiaconus certè, vel lector, antequam Miſſa conſummetur alba ſe præſumat exuere. Quod ſi quiſquam non impleuerit conſtitutum, presbyteri increpentur vt redeant, diaconos & execrandos & ſtipendio priuandos, reliquos diſtrictione ſtrictiſſima condemnandos.

Hoc regulariter ſecundum priorum ſtatuta canonum finitum eſt, vt tam ſubdiaconus, quàm oſtiarius, & reliqui, ſeruitium ſanctæ Eccleſiæ conſuetum abſque vlla deſidia impleant, & ſenioribus vel* ad oſteos ſubleuent. Qui contemſerint facere & adimplere, ſubdiaconos verbis corripiendos, & non emendauerint, ab ſtipendio probandos, reliquos flagris coercendos. *increpentur

Hoc itaq, propter ampliandam fidei Catholicæ diſciplinã elegi-

elegimus definiendum, vel tenendum: vt si qui viri ac mulieres diuinatores, quos dicunt esse caragios atq; sorticularios, in cuiuscumq; domo Gothi, Romani, Syri, Græci, vel Iudæi fuerint inuēti, aut quis ausus fuerit amodò in eorum vana carmina interrogare, & non publicè hoc voluerit annūciare: pro hoc quod præsumpsit, non solùm ab Ecclesia suspendatur, sed etiam sex auri vncias Comiti ciuitatis inferat. Illi verò qui tali iniquitate repleti sunt, & sortes & diuinationes faciūt, & populum præuaricando seducunt, vbi inuenti vel inuentæ fuerint, seu liberi, seu serui, vel ancillæ sint, grauissimè publicè fustigentur, & venundentur, & pretia ipsorum pauperibus erogentur.

Ad nos peruenit quosdam de populis Catholicæ fidei execrabili ritu diem quintam feriam (qui & dicitur Iouis) multos excolere, & operationem non facere. Quam rem pro Dei timore execrantes & blasphemantes, quicumque ab hac die præter festiuitates in eo die venientes ausus vel ausa fuerit vacare; & operam non facere, si ingenuus est, aut ingenua, de Ecclesia repellendus, & sub pœnitentia mittendus anno vno, & eleemosyna & metu satisfaciat, vt eis Dominus ignoscat: si seruus aut ancilla fuerit, contenta flagella correcti domino consignentur, & vltra talia eos obseruare non permittant.

Migetius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Narbonensis Episcopus in has constitutiones, secundum quod nobis cum fratribus nostris Deo conspirante placuit, relegi & subs.

Sedatius in Christi nomine Ecclesiæ Catholicæ Biterrensis Episcopus in his constitutionibus interfui & subscripsi.

Boetius in Christi nomine Ecclesiæ Magalensis Episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi.

Pelagius in Christi nomine Ecclesiæ Nemausensis Episcopus in has constituriones interfui & subscripsi.

Tigridius in Christi nomine Ecclesiæ Agathensis Episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi.

Sergis* in Christi nomine Ecclesiæ Carcasonensis Episcopus in has constitutiones interfui & subscripsi.

Agrippinus de ciuitate Loteba in Christi nomine Episcopus in has constitutiones interfui.

NOTÆ in Concil. Narbonens. sub Reccaredo.

Concilium.] *In hoc Concilio de disciplina Ecclesiæ reformanda, ab S. Episcopis prouinciæ Narbonensis in Gallia sexdecim canones editi reperiuntur. Descriptū est recens ex vetusto Codice Gothico monasterij S. Aemiliani in regiam bibliothecam translato. Manuscriptum Idib. Nouemb. anni Dom. 1576. Romam ad Greg. 13. eius nominis Pontificem, transmissum esse. scribit Baron. præd. loco: Cuius auctoritate illud nunc recens huic Conciliorum editioni inseruimus.*

Narbonense.] *Sic dictum à Narbone, quæ, teste Adriano Rom. in suo theatro vrbium, est metropolis Languedociæ, sita ad ripam fluuij Audæ. Antiquitus fuit Romanorum Colonia contra Barbaros: nūc vero est locus munitissimus contra Hispaniam. De eadem vrbe in suo Thesauro Geographico hæc Ortelius.* Narbo Colonia Tectosagū in Gallia Narbonensi vrbs, vt Ptolomæus eam describit. Decimanorum Coloniam esse, ait Plinius. *Et paulo infra.* Narbone hodie vulgo indigetatur. Iuniores hanc vrbem sæpius Narbonam nominant, sed perperam: Narbona enim in Illyrico est. Neq; quisquam veterum, præter Amarianum (quod sciā) Narbonem nuncupat Galliæ vrbem. *Hac Ortelius.*

Anno 4. Reccaredi.] *Reccaredus filius Leuvigildi Regis, frater germanus Hermenegildi, quem pater Arrianus, instigante vxore Gosuinda, post multos alios fideles relegatos, diuersis q; supplicijs affectos obtruncari mandauit ideo: quod oblatam sibi communionem ab Arriano Episcopo, constantissimè reiecisset. Hermenegildus opera Leādri Episcopi ad fidem Catholicam traductus, offensionem patris incurrerat ita, vt se inuitum bello peterent. Sed cum filius se patri virib. impares fore sentiret, impetrato subsidio Tiberij Imp. facilè, almam victoriæ obtinuisset, si à Græcis militib. quos pater pecunia corruperat, deseruus non fuisset. Fraude patris circumuentus, eidem sub iuramento securitatem promittenti se tradidit: qui promissæ fidei parum memor, filium in carcerem misit, & ea causa, quam sup. allegaui, coronam martyrij insigniri procurauit. Hac nece filij peracta, parens Arianæ sectæ iam agens, in Catholicam religionem propendens, è vita migrauit. Reccaredus filius non tantum patri succedit; sed etiam sanguine fratris Hermenegildi Martyris pro eo interpellante, factus est Catholicus, totumq; Regnum Hispaniæ & Galliæ Narbonensis, opera Leandri Gothorum Apost. ad fidem Catholicam perduxit. Gothorum Episcopos, populum & Magistratū, ad idem faciendū adhortatus, effecit Dei gratia, vt cum annis plus quā ducentis à temporib. Constantij Imp. Arianæ perfidiæ adhæsissent, oēs propè eandem cum Rege fide Catholicam profiterentur. Hæc ex Greg. Pap. Dial. l. 3. c. 21. & c. item ex Greg. Turon. hist. Baron. an. 583. & 584. Quibus temporibus ista contigerint, quove anno Christi incarnati initium regni Reccaredi collocari debeat, inter scriptores huius sæculi celeberrimos, non satis conuenit. Ad annum 5. Mauritij Imp. qui est Christi 590. & Gregorij 1. Gothorum conuersionem, & initium Reccaredi referendum esse, putat Baron. tum, quod S. Greg. l. 1. ep. 41. ad S. Leandrum de conuersione Reccaredi rescribens, illius non secus meminerit, quàm si nouiter exordio sui pontificatus contigisset; tum etiam, quod Ioannes Biclarēsis & Lucas Tudensis, huius sæculi scriptores recenter inuenti, expressis verbis scribant, obitum Leuvigildi, 5. anno Mauritij, exordio pontificatus S. Greg. æra 620, contigisse; eodemq; tempore Reccaredum filiū parenti in regno surrogatum fuisse. Hæc eadem in fine an. Christ. 589 sub Tiberio Imp. gesta fuisse, multorum Conciliorum Hispanicorum Acta testantur: in quib. ann. 4. Reccaredi cum æra 627. quintus, cum æra 628. coniunctus reperitur. Quæ si vera sunt, necessum est, primum Reccaredi, cum æra 624. Christiq; Redempt. nostri 585. coincidere; nisi Chronologiam æræ Hispanicæ, in omnib. Conciliis sub Reccaredo in Hispania celebratis, mendacem & erroneam esse sustinueris. Vtrius sententiæ rationes præponderent, doctiores hic dijudicent. Vide Bar. an. 584. n. 1. & 2. item 585. n. 5. & 12. an. 589. n. 9. item an. 591.*

Gothi Ariani ad fidē Catholicā perducuntur.

Quo tempore hæc contigerint.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA GREGORII PAPÆ I.

Ex libro Pontificali.

An. D. 590

GRegorius natione Rom. de patre Gordiano, sedit annos 13. menses sex, dies decem. Hic exposuit homilias euangeliorum numer. 40. in Iob 35. in Ezechiel. 22. Pastoralem quoque, & dialogorum libros quatuor edidit, & multa alia, quæ enumerare non possumus. Eodem tempore venit Romanus Patricius & Exarchus Romam & dum reuerteretur Rauennam, retinuit ciuitates, quæ à Longobardis tenebantur, id est, Sutrium, Polimartium, *Ortas Tuder, Ameriam, Perusiam, Luciolis, & alias multas. Eodem tempore beatissimus Gregorius misit seruos Dei, Mellitum, Augustinum & Ioannem, & alios plures cum eis monachos timentes Deum, in prædicationem ad gentem Anglorum, vt eos conuerterent ad Dominum Iesum Christum. Hic augmentauit precationem canonis, Diesque nostros in tua pace disponas &c. Hic fecit ad B. Petrum Apostolum, super altare ciboriū cum columnis quatuor ex argento puro. Hic præcepit, vt supra B. Petri & Pauli corpora, Missa celebraretur. Eodem tēpore dedicauit ecclesiam Gotthorum, quæ fuit in Subūrra, in nomine sanctæ Agathæ martyris. Hic domum suam constituit monasterium, qui mortuus, sepultus est in basilica B. Petri apostoli ante secretarium, 12. mensis Martij. Hic fecit ordinationes duas, vnam in quadragesima, & aliam in mense 7. presbyteros*38. diacones 5. episcopos per diuersa loca num. *42. Et cessauit episcopatus menses quinque, dies*16.

*Hortas

*39
*72
*18

NOTÆ in vitam Gregorij Pap. I.

Gregorius.] *Anno Domini 590. post quam sedes sex mensibus & 26. diebus vacasset, factus est pontifex S. Greg. qui natus atauo Felice Papa eius nominis tertio, non quarto, vt vult Ioan. Diac. Patrem habuit Gordianum, matrem nomine Siluiam inter sanctos relatā. Tarsillam atque Aemilianā Deo dicatas virgines, hom. 38. patrus sorores fuisse scribit; sed Gordianam à sanctis sororibus valde degenerē. Nutricis pontificatus sui tempore adhuc superstitis, meminit ad Rusticanam patriciam li. 4. epist. 34. Institutus fuit optimis moribus, & bonis literis; græcæ tamen linguæ ignarus extitit. Iuris quoque consultū fuisse, declarat ipse Epist. 54. lib. 11. Eo tempore quo Laurētius iunior Mediolanensis Episcopatus curam assumpserat, anno nimirum Domini 581. sub Pontificatu Pelagij, inter senatores militabat; primosq; ordines in ea forensi militia ducens, vrbanam præfecturam administrabat. Cum his sæcularibus negotijs foris inseruiret, intus, vt testatur in epist. ad S. Leandrum Hispalensem, ad solitudinem & vitam monaste-*

Greg. Papæ progenies deseribitur.

Greg. mores & doctrina.

Ex Præfecto vrbis factus est Monach.

monasticam anhelabat; postq3 sex monasteria in Sicilia ædificata, septimum in honorem S. Andreæ Romæ erexit in cliuo Scauri, eiq3 ex prouincia Valeria monasterio S. Equitij, in quo vigebāt instituta monastica, præfecit abbatem; à quo ipse Gregor. habitum monasticæ conuersionis accepit, regulisq3 monachorum S. Equitij, non quod vulgò putatur, S. Benedicti institutus fuit. Sed cum Pelagius Papa eius virtutem, doctrinam, pietatem & in rebus agendis dexteritatem atque industriam cognouisset, auulsum à monasterio destinat Apocrisarium sedis Apostolicæ Constantinopolim ad Tiberium: quod munus cum nō nisi S.R.E. Cardinalibus committi soleret, eū quantumuis plurimum reluctaretur, Cardinalem Diaconum creauit. Cum vero innotuisset Pelagio Roman. Pont. Mauritium Imperatorem Tiberio surrogatum fuisse, misso istuc, prout fieri consuevit, alio nouoq3 Cardinali Diacon. reuersus est Romam, brachio S. Andreæ, & cap. S. Lucæ, aliisque magnis muneribus donatus. Cumq3 post reditum Moralium libros à se inchoatos perficere laboraret, aduersus Eliam Aquileiensem, aliosq3 Hyberniæ & Istriæ Episcopos schismaticos, tres epistolas, supra sub nomine Pelagij extantes, de triū capitulorum iusta damnatione scripsit. Post obitum Pelagij totius Cleri ac populi consensu Pontifex factus, scripsit ad Mauritium Imperatorem, confirmationem electionis suæ illi dissuadens; sed cum paulo post ordinatus, sententia Imperatoris confirmaretur, latibula fugæ quærens, diuino iudicio capitur, trahitur, & ad B. Apostoli Petri Basilicam deductus 3. nonas Sept. consecratur, &c. Ordinatus Pontifex prout decebat optimum pastorē, verbo Dei alere populum aggreditur: habuitq3 in eadem basilica S. Petri illam homiliam, qua illius temporis ærumnas pluribus deplorauit. Ad subleuandam imminentem diram famem illam, quam vna cum peste, aliisq; calamitatibus euenturam prædixerat S. Benedict. frumentum è Sicilia aduehendum curauit. Præclarissimum illum de pastorali cura commentarium elaborauit. Cum vndique viri sanctissimi, de suscepto Pontificatus onere illi gratularentur, redditis literis suæ conditionis miseriam deplorauit. Ad curandum Romanæ Ecclesiæ patrimonium in Sicilia, Petrum subdiaconum istuc ablegauit. Ecclesias Italiæ per bella Gothorum & Longobardorum vastatas, vicinis Episcopis curandas commisit. Ex trium capitulorum defensorib. schismaticis alios Ecclesiæ reconciliauit: nonnullos vero sedibus suis exutos diuina vltione persecutus fuit. Quantopere vero pro conuertendis Arianis laborauerit, epist. eiusdem 17. li. 1. manifeste satis indicat.

Initio pontificatus quæ gesserit.

Act. secundi anni.

Anno Pontificatus sui secundo, Anthemio Subdiacono Campaniæ per literas mandauit, vt certis personis egestate pressis (prout ipsi cum reliquis subdiaconis mandatum fuerat,) præscriptam eleemosynam impertiat. Ex Synodo vicinorum Episcoporum more maiorum de sua fide synodicam Epistolam ad Oriēt alis Ecclesiæ patriarchas misit. Ad Anastasium Antiochenum cum claubus S. Petri quæ super ægros positæ (*verba Greg. scribo*) multis solent miraculis coruscare, priuatas addidit. Clericos coram secularibus conueniri prohibuit, omnesq3 Episcopos non tantum officij sui admonuit; verum etiā munera spernere, pauperumq3 inopiam subleuare, suo exemplo satis instruxit. Desertores monachos reuocauit: vxores, quas duxerant, ab eis abstraxit: ne quis ante decem & octo annos in monasterium reciperetur, constituit: curauit quoque vt monachorum secularia negotia, per prudentes seculares viros administrarētur, quo minus ipsi à spiritualibus curis auocentur. Clericos ex suorum canonum præscripto vitam componere curauit: aduersus vero contumaces pro meritis censuram exercuit. Nam Laurentium S. R. Ecclesiæ Cardinalē Archidiaconum, & Demetrium Neapolitanæ Ecclesiæ Episcopos, homines facinorosos officijs suis amouit. Ad ea, quæ de continentia, conuersatione & cohabitatione aut quis canonibus constituta fuerunt, addidit: ne quis in posterū subdiaconus ordinaretur, nisi continentiam Episcopo spopondisset: coniunctos vero etiam manere voluit, vt nulla ijs spes esset ascendendi ad superiorem ordinem, nisi ab ea, quam acceperant vxore se penitus separassent. Hoc de cœlibatu Clericorum vsque ad extremum vitæ spiritum sensisse Grego. epistolæ eiusdem posterioribus annis pontificatus sui scriptæ manifestè conuincunt. Ineptissima itaque fabula est, quam ex epistola alicuius nomine Vdalrici ad Nicolaum Papam scripta, Centuriatores contra cœlibatum recensent, his verbis: B. Gregorius magnus papa primus aliquādo suo decreto vxores sacerdotibus ademit. Deinde paulo post cū idem Gregor. iussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum repererunt. Quam cædē infantium cum intelligeret S. Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulterijs sacerdotum natam esse, cōtinuo reuocauit decretum, & peccatum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiauit. *Hæc, inquam, Nouatorum commenta esse, non tantū ex posteriorib. S. Gregor. scriptis & constitutionibus; verumetiam eo argumento euidenter ostenditur; quod Nicolaus I. plurib. quàm viginti annis ante natum Vdalricum mortuus fuerit: quodq3 Nicolaus secundus, octogesimo anno post mortē Vdalrici pontificatum iniuerit. Ex his tam certis demonstrationibus exclusi, ter miseri mendaciorū textores eo confugiunt, vt alium effingant Vdalricum Episcopum Augustanum; quem cum neque ipsi Augustani, neque vllus alius vel auditu vnquam agnouit, miserorum hoc solatium expetunt. His missis, redeo ad S. Gregor. qui eodem hoc anno vacantes Ecclesias nouorum Episcoporum electione curauit impleri, dedicationem Ecclesiarum fieri: & antiquas illas agapas in quibus pauperes simul cum diuitib. conuiuabantur, celebrari mandauit. Res Ecclesiarum diligenter voluit custodiri, & nihil tamen alienum ab ea possideri: de multis delinquētium rescripsit, vt ad subsidia pauperū duntaxat transferantur. Habebat Romana Ecclesia locupletissima vbiq3 ferè toto terrarum orbe patrimonia, quæ cum iam cultorum defectu pene destituta haberentur, in pristinum statum restituta fuerunt in Africa, diligentia Gennadij Exarchi; quem eius rei gratia maxima beneficia, ingentesq3 victorias contra hostes à Deo consecutum fuisse asserit Greg. epist. 73. lib. 1. Donatistarum conatus in eligendis sibi Episcopis Primatib. coercet, per literas rogauit. Scribens ad Vigilium Arelatensem & Theodorū Massiliēsē, aliosve Episcopos, prohibuit iudæos (quod factū fuisse audiuerat) per violentiam ad fidem compelli. Consultus à S. Leandro Hispalensi Episcopo, sitne vnica an trina mersio in baptismate adhibenda, respondit ea, quæ habentur infra lib. 1. epist. 41. Anno pontificatus sui tertio, Arnulphus Dux Longobardorum in Tusciā vrbem infestauit. Ex Numidia duo Donatistarum Diaconi Romam ablegati petuerunt, vt in vnaquaq3 ciuitate, in qua erant Donatistæ, Episcopus aliquis Donatistarum ordinari sineretur: & vt persoluta pecunia ijsdem Catholicos iterum baptizare permitteretur. Ad hæc tam enormia corrigenda, non modo Chartularium S. R. E. Cardinalem in Numidiam ablegauit, verumetiam de compescendis Donatistarum conatibus, ad Columbum Numidiæ Episcopum rescripsit. Schismaticos Hiberniæ ad vnionem Ecclesiæ perduxit. Hadrianum Thebanæ ciuitatis in Boetia Episcopum, à suæ prouinciæ coepiscopis condemnatum; ideoq3 ad sedem apostolicam appellantem, causa cognita absoluit: Archiepiscopum vero Primæ Iustinianeæ, qui eum damnauerat, ad certum tempus cōmunione priuauit. In causa Natalis Episcopi Salonitani rescribit, vt Honoratum Archidiaconum sub pœna priuationis pallij, & excommunicationis in pristinum locum restituat. Anno pontificatus sui quarto, impugnauit & emendauit illam impiam legē Mauritij Imperat. qua Romanū exercitum exhaustū videns constituerat, ne quis miles nondum expleta militia, monachus effici posset. Sabinianū sedis apostolicæ Diaconū, apocrisarium Constantinopolim misit, datis illi literis ad Ioannem Constantinop. Episcopū, quibus illū redarguit, quod monachum quendam fustibus puniri iussisset; quem non aliter, quàm virgis subijcere concessum fuerat. Concilium generale ab Episcopis Numidiæ celebratum, nullum planè reddidit, ideo quod in eo contra Ecclesiasticos canones aliqua statuta fuissent. Theolindam Longobardorum Regnam, quam cum gente sua schismatici in periculum schismatis pertrahere conabantur, de Chalcedonensi Concilio instruxit. Secedens in solitudinem, libros dialogorum latinè conscripsit, quos à Zacharia Pontifice græce translatos, impostores Græci in assertione de processione Spiritus sancti à Patre & filio procedentis, teste Ioanne Diacono, corruperunt. Ex hac solitudine Episcopos diuersos redarguit, atque de moribus Ecclesiæ rescripsit ea fere omnia, quæ lib. 2. Epistolarum continentur.*

Act. 2. anni.

Anno pōtificatus sui quinto, ad curandos schismaticos, qui per quintam synodum Chalcedonensi Concilio iniuriam irrogatam esse defendebant, de quinta synodo, cuius causa schisma obortum fuerat, ad tempus tacendum esse monuit: idq; sine scrupulo læsæ Catholicæ fidei fieri posse demonstrat, cum in ea non de fide, sed de personis tantùm actum fuerit. Ad comprimendos Donatistas in Africa inualescentes, Concilia cogi præcepit. De Iudæorū conuersione ad Cypriani Diaconum scribens ait, illos non violentia; sed spe præmij alliciendos esse. Quantum præterea laborarit, vt gentiles Barbaricinos in Sardinia commorantes, ad Christianam fidem ac religionem cōuerteret, Epistolæ eius ad diuersos hoc anno scriptæ ostendunt. Constantinæ Augustæ expetenti caput S. Pauli, quod inferretur in Ecclesiam à se honorificè exstructā respondit, sibi illud nequaquam licere. Anno sexto pontificatus sui, cū Longobardi violato pacis fœdere totam Italiam deuastarent, obsidionem Romæ data pecunia redemit: idque, non quod differet virtus; sed quod sanguinis effusionem in prælio horreret. Cum pacis conditionem ab Agilulpho oblatam ad Seuerum Exarchi scholasticum perscripsisset, derisus est ab Exarcho & Mauritio Imperatore; tanquam nimis simplex foret, qui ista crederet. Ioannem Constantinopolitanū

Quæ Gregorius 4. anno pontificatus sui gesserit.

Act. 3. anni.

Acta 7. anni pontificatus S. Gregorii.

Fabula Centuriatorum de S. Gregor. refellitur.

Episco-

Episcopum nomen Oecumenici & Vniuersalis sibi liberius hoc tempore arrogantem, literis & Concilijs est infectatus. Maximum Salonitanum Episcopum de simonia diffamatum suspendit: atq; contemnentem hortatu Imperatoris Mauritij suspēsionis pœnam, aliquoties excōmunicauit; donec corā Rauennatis Ecclesiæ Episcopo Mariniano, se per iuramētum de obiecto crimine expurgaret. Datis epistolis hortatorijs ad Episcopos vniuersi orbis, declarat se illius successorem esse, cui vniuersi gregis cura pastor alis demandata fuit. Candido presbytero, qui ad curādum patrimonium S. Petri in Gallias missus fuerat, in mandatis dedit, coemendi omnes Anglos adolescentes, qui iure belli ibidem detenti venales exponebantur: emptos q; in monasterio collocari iubet, qui ibidem in fide instructi paulo post Anglorum conuersioni operam necessariam præbere possent. Septimi anni Pontificatus sui exordio, post Ioannem arrogantem illum & fastuosum Constantinopolitanæ sedis Episcopum, Dei vindicta subito ex hac vita sublatum, Cyriaco successori illius optimo, communicatorias literas, quas per legatos petierat, communicauit. Ad conuertendam Anglorum gentem adhuc infidelem & incredulam, ex prædicto monasterio, Augustū atq; Mellitum cū alijs quibusdam sociis in Angliam misit. Qui dum iam in Galliam peruenissent, difficultatem operis cogitatione voluentes, animum despondent. Quod cum Greg. per Augustū huius rei causa Romā reuersum, innotuisset; ad inchoatum opus perficiendum, illo remisso, reliquos per literas exhortatus fuit; eosq; Regibus & Episcopis Galliarum plurimis Epistolis cōmendauit. Anno 8. Sabinianum Diacon. qui apocrisiarij munere Constantinopoli fungebatur, in vrbem reuocauit, eiusq; loco Anatolium substituit. Eodem tempore Aug. de licentia Pontificis à Germaniæ Episcopis, Anglorum Episcopus ordinatus cū sociis fere 40. transmissit in Britanniam, atque ab Edilberto Rege in Cantio Dorouerniæ prædicādi facultate permissa, adhibitis interpretibus secum è Gallia aduectis, subsequentibus apostolicis miraculis, gentem Anglicam ad fidem Christi amplectendam induxit; adeo vt hoc ipso anno circa Natalem Domini, plus quam decem millia hominum baptizata fuerint. Edilbertus Rex, qui iam antea Christianam vxorē habebat Aldibergam nomine ex regia stirpe Francorū, etiam Christo adunctus fuit. Anno 9. pontificatus Greg. Eulogius Alexandrin. plurimos in Ecclesiam reduxit. De pace ineūda cum Longobardis per Probum Abbatem S. Andreæ agit: ne quis tamen interea sub velamento pacis aliquid damni pateretur, singulos in diuersis locis positos, per literas huius rei admonuit. Cum audiuisset in Sicilia Iudæos existentes conuerti velle, Faustinum defensorem ad eos destinauit, eorumq; conuersioni incumbere mandauit. A Leontio exconsule viro maximè pio accepit Greg. hoc anno oleum S. Crucis, & lignum aloes: pro quib. munusculis S. Greg. misit ad eum clauem sepulchri Petri, vna cū ramentis ex catenis ipsius. Anno pontificatus Greg. 10. pax cum Longobardorum Rege ad biennium inita fuit. Primatem Africæ Bizacenæ de crimine accusatū iudicauit. Istbriæ schismaticos ad Ecclesiæ vnionē reuersos magno gaudio, magnaq; benignitate suscepit. Anast. Sinaita, Antioch. Episc. post sextum annum sedis suæ inchoatum obijt. Surrogatus est ei iunior Anast. ille, qui sub Phoca à Iudæis occisus fuit. Extat Epist. Greg. ad hunc transmissa, dum de electione Anastasij certior factus esset, eamq; quam ediderat fidei professione accepisset. Hoc fere toto anno Greg. grauissimè laborauit doloribus podagræ, nec tamē labores curæ pastoralis prætermisit. Ad Secundinū magni nominis Abbatē scribēs, venerandas imagines (quas petierat) ad eū misit, & qua ratione adorari deberent, eū admonuit. Serenū Massilienſem Episc. reprehendit, quod quosdā imaginū adoratores conspiciens, imagines confregisset. Et quidē zelū vos, inquit ep. 3. l. 6. Ind. 2. ne quid manu factū adorari possit, habuisse laudauimus; sed frangere eas dē imagines non debuisse iudicamus. Idcirco. n. pictura in Ecclesijs adhibetur, vt si qui literas nesciūt, saltē in parietib. vidēdo legāt, quæ legere in codicib. non valent. Docens non picturā; sed quē pictura designat, colendū esse. Anno pontificat. Greg. 11. Sclauis Istriam deprædati sunt, & per eam in Italiā intrarunt. Quas calamitates Italiæ intulerint, videre est ex epist. hac de re plurib. cōscripta. Duodecimo anno pontificatus sui labore corporis, Romæ symodū collegit, de qua infra. De extirpando simoniæ vitio Francorū Regē admonuit. Ad petitionē Aug. Angliæ Apost. plures verbi Dei præcones in Angliā misit. Hiber. consulentib. Pont. quid de Nestorianis ad Ecclesiā redeūtib. agendū sit, respōdit; nō esse rebaptizādos, qui in nomine sacrosanct. Trinit. baptizati fuerint. Anno pontific. Greg. 13. tempore pacis inter Romanos & Lōgobardos initæ absoluto, rursus vtrinq. cū magna clade Romanorū certatum fuit. Eutych. Aegyptij hæretici ad Catholicā fidē conuersi, Romā veniunt ad Apost. limina, quos Grego. redeūtes Eulogio Alexand. Episc. cōmendat, ne ab alijs hæreticis persecutionē paterentur. Mauritius Imperator, qui aduersus libertatē Ecclesiast. multa sanciuerat, sanctum Pont. de pace cum Longobardis agentem irreuerenter deriserat, tot captiuorum millia à barbaro Rege trucidari permiserat, pœnam delictorū suorum in hac vita sustinuit. Nam cum exercitus Phocam Centurionem, hominem audacem in seditione Imperatorem acclamassent; Phocas vero coram Cyriaco Episcopo & senatu Constantinopolitano fidei professionem edidisset, post eius coronationem, à populo tumultuante inclamatus est Mauritius, magnoque dolore Phocæ iussus adduci, post quinque filios iam ante oculos eius occisos, ipse quoque Mauritius interfectus fuit: cum illud Dauidicum: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, pronunciasset.

Occiso Mauritio. Phocas Imperator acclamatur.

Decimo quarto Gregorij anno inchoato, regnantium Augustorū imaginibus Romam allatis, Phocæ & Leontiæ eius vxori ab omni clero & senatu acclamatum fuit: conquerenti nouo Imperatori, quod nullum inuenerit Constantinopoli residentem ex more S. R. Ecclesiæ Apocrisiarium, excusat se Greg. ob temporis iniquitatem: indicat q; se Bonifacium defensorem, vita, fide ac moribus sibi approbatum, celeriter istuc transmittere. Tandem post pacem cum Agilulpho Longobardorum Rege iterum renouatam, quadriennali morbo podagrico grauiter excruciatus, in cœlestem patriam, quam multorū precib. impetrare sæpius optauerat, demigrauit. De scriptis S. Gregorij vide Possevinum in apparatu sacro. Traiani animam precibus S. Gregorij ab inferno liberatam fuisse, vulgata est, & antiqua fabula, vt prolixè probant auctor annalium anno Christi 604. nu. 30. & seqq. & Bellar. de purgatorio lib. 2. c. 8. An ministerium confirmationis presbyteris delegando in fide errauerit, dicam infra in Notis epist. 9. & 26. lib. 3. Plura de Gregorio apud Ioannem & Paulum Diaconum in vita eius. Quid de moribus, ac fide constituerit, compendiosè indicat Indiculus ille ab Illustriss. Card. Antonio Carafa congestus, quem post epistolas Gregorij infra subiungemus.

An Traianum ab inferno liberauerit.

SEQVVNTVR EPISTOLAE GREGORII PAPAE.

S. GREGORII MAGNI PAP. I. Registri Epistolar.

LIBER I. MENSE SEPTEMB. INDICT. IX. quæ fuit ordinationis eius prima.

EPISTOLA PRIMA.

Vt semel in anno in vnum conueniant, ad Prouinciale Concilium.

Inf li. eod. ep. 168. lib. 9. ep. 45.

GREGORIVS, *Vniuersis Episcopis per Siciliam constitutis.* Valde necessarium esse perspeximus, vt sicut prædecessorum nostrorum fuit iudiciū, ita vni eidemq; personæ omnia committamus, vt vbi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum, cui præcipimus, repræsentetur auctoritas. Quāobrem Petro subdiacono sedis nostræ, intra prouinciam Siciliam vices nostras, Deo auxiliāte, commisimus. Nec enim de eius actibus dubitare possumus, cui Deo auxiliante, totum nostræ ecclesiæ noscimur patrocinium cōmisisse. Illud quoq; fieri debere perspeximus, vt semel per annum ad Syracusanū siue Catanensium ciuitatem, vniuersaliter honore quo dignū est, sicut eidem iussimus, fraternitas vestra cōueniat, quatenus quæ ad vtilitatem ipsius prouinciæ, Ecclesiarumq; pertinēt, siue ad necessitatem pauperum oppressorumq; subleuandam, siue ad monitionem omnium atq; correctionem eorū, quorum excessus contigerit demonstrari, congrua cum eodē Petro subdiacono Sedis nostræ, debeatis moderatione disponere. A quo Concilio procul absint odia, facinorum nutrimenta, atque inuidia interna tabescat, & nimis execrabilis animorū discordia. Sacerdotes suos cōcordia Deo placita, & caritas recognoscat. Hæc igitur omnia cū ea maturitate ac trāquillitate gerite, vt dignissimè episcopale possit cōciliū nuncupari.

EPISTOLA II.

Redarguit eum ob frumenta non ex integro transmissa.

Inf. l. 2. ep. 23.

GRegorius, *Iustino Prætori Siciliæ.* Quod lingua loquitur, attestatur conscientia: quia dudum vos & nullius dignitatis occupationibus implicitos, multum dilexi, multumq; veneratus sum. Ipsa namque incessus vestri modestia quibusdam conatibus exigebat, vt diligi & venerari etiam à nolente debuisset. Et cum vos venisse ad administrandam præturam Siciliæ audiui, valde gauisus sum. Et quia quandā inter vos atq; ecclesiast. simulationē subrepere cōperi, vehemētissimè cōtristatus sū. Nūc verò quia & vos administratiōis cura, & me studiū huius regiminis occupat, in tātū vos rectè diligere special.

Li.7. ep.21 Ind.

possumus,in quantum generalitati minimè nocemus. Vnde per omnipotentem Dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorum actuum posituri rationes sumus, vt eius respectum semper gloria vestra ante oculos habeat, & nunquã quodlibet, ex quo inter vos vel parua dissensio proueniat, admittat: Nulla vos lucra ad iniustitiam pertrahant, nullius vel minæ vel amicitiæ ab itineris rectitudine deflectant. Quã sit vita breuis aspicite, ad quem quandoque ituri estis iudicem, qui iudiciariam potestatem geritis, cogitate. Solerter ergo intuendum est, quòd cuncta lucra hic relinquimus, & solas dispendiosorum lucrorum causas nobiscũ ad iudicium deportamus. Illa ergo sunt nobis commoda quærenda, quæ nequaquam mors adimat, sed mansura in perpetuum præsentis vitæ finis ostendat. De frumentis autem quæ scribitis, longè aliter vir magnificus Citonatus asserit: quia solummodo tanta transmissa sunt, quæ pro transactæ indictionis debito ad replendum Sitonicum sufficerent. De qua re curam gerite: quia si quid minus huc transmittitur, non vnus quilibet homo, sed cunctus simul populus trucidatur. Ad regendum verò Siciliæ patrimonium, talem, vt æstimo, virum, Deo auctore transmisi, cum quo vobis, si, vt ego expertus sum, recta diligitis, omnino conueniat. Quod autem me vt vestri memor esse debeam admonetis, verum fateor, si ex antiqui hostis insidijs iniustitia nulla subrepat, tantam gloriæ tuę modestiam didici, vt esse non tuus erubescam.

EPISTOLA III.

Maurentium magistrum militum & Petrum subdiaconum commendat.

Regorius, Paulo Scholastico. Quicquid mihi ex honore sacerdotalis officij extranei arrident, non valde penso. De vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minimum doleo, qui desiderium meum plenissimè scitis, & tamen profeciss̃e me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuissem implere quod volui: si voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem. At quia nunc in ciuitate teneor Romana, honoris huius vinculis religatus, habeo aliquid quod etiã vestræ gloriæ exultem. Et quia viro excellentissimo domno Leone exconsule veniente, vos in Sicilia remanere non suspicor: & cum ipse quoque tuo honore religatus, Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patiar agnosces. Veniente autem viro magnifico domno Maurentio Chartulario, ei quæso in Romanæ vrbis necessitate concurrite: quia hostilibus gladijs foris sine cessatione confodimur. Sed seditione militum, interno periculo grauius vrgemur. Petrum verò subdiaconum nostrum, quem pro regendo Ecclesiæ patrimonio, Deo auctore transmisimus, vestræ gloriæ per omnia commendamus.

De Pontificatu recusando inf. hoc li. ep. 4.5.6.7.24 & 25.

EPISTOLA IV.

De ipso confirmationem apud Imperatorem procurante amicè conqueritur, & eius orationibus se commendat.

Regorius, Ioanni Episcopo Constantinopolitano. Si caritas virtus in proximi dilectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos iubemur; quid est quòd beatitudo vestra me non ita sic vt se diligit? Quo enim ardore, quo studio, episcopatus pondera, fugere voluerit, scio, & tamen hæc eadẽ Episcopat⁹ pondera ne mihi deberent imponi non restitit. Constat ergo quia non me sicut vos diligitis, quia illa me voluistis onera suscipere, quę vobis imponi noluistis. Sed quia vetustam nauim vehementerque confractam indignus ego infirmusq; susce-pi (vndiq; enim fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ sonant) per omnipotentem Deum rogo, vt in hoc mihi periculo orationis tuæ manum porrigas: quia & tanto enixius potestis exorare, quanto & à confusione tribulationum, quas in hac terra patimur, longius statis. Synodicam verò epistolam subsequenti festinatione transmitto: quia latorem præsentium Bacandam fratrem & coepiscopum nostrum, in ipso meæ ordinationis initio multis & grauibus pressus, occupationibus relaxaui.

De Pontificatus onere inf. ep.5.6.7. & 25. & ep.43 Lib.eo.ep. 41.

Lib. 1 ep 8

EPISTOLA QVINTA.

Scribit de onere curæ pastoralis, & vitam actiuam & contemplatiuam per Rachel & Liam, Martham & Mariam significari luculenter declarat.

Regorius, Theoctistæ sorori Imperatoris. Mens mea vestræ veneratioñi quanta deuotione substernitur, explere verbis nequeo, nec tamen me prodere laboro: quia & me tacente in vestro corde legitis, quid de mea deuotione sentiatis. Miror autem quòd in me collatas dudũ continentias vestras ex hac moderna pastoralis officij continentia distraxistis, in qua sub colore episcopatus, ad sæculum sum reductus, in qua tantis curis inseruio, quantis me in vita laica nequaquam deseruisse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videor. Vnde me à conditoris mei facie longè expulsum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporum ab oculis mentis abigens, superna gaudia incorporaliter videre; & non solis vocibus, sed totis medullis cordis ad Dei speciem anhelans dicebam: Tibi dixit cor meũ, quæsiui vultum tuum: &, Vultum tuum Domine requiram. Nil autem in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita vt in me penè crederem impletum, quod pollicente Domino ex propheta didicissem: Sustollam te super altitudines terræ. Super enim altitudines terræ sustollitur, qui & ipsa quæ alta & gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat. Sed repente à rerum vertice tentationis turbine impulsus, ad timores pauoresque corrui: quia etsi mihi nil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, valde formido. Vndique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita vt rectè dicã: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum. Ex hoc ergo mihi longè factum est quod intra me est, ita vt obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur: Redite præuaricatores ad cor. Sed stultis pressus cogitationibus solummodo exclamare cõpellor: Cor meum dereliquit me. Contemplatiuæ vitæ pulchritudinem velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntẽ ac pulchram, quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo iudicio, nescio, Lia mihi in nocte coniuncta est, actiua videlicet vita, fœcũda, sed lippa, minus videns, quamuis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinaui, verba oris eius percipere: & ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, atq; erga multa satagere. Expulsa à me, vt credidi, legione dæmonum, voluptatis obliuisci quos noui, & ad Saluatoris pedes quiescere: & ecce mihi nolenti atque compulso dicitur: Reuertere in domũ tuam, & annuncia quanta fecerit tibi Dominus. Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula prædicare? cum iam mihi difficile sit saltem recolere. Pressus enim in hoc honore tumultu sæcularium negociorũ, ex eis me esse video, de quibus scriptum est: Deiecisti eos dum alleuarentur. Neq; enim dixit, deiecisti eos postquam alleuati sunt: sed, dum alleuarentur: quia praui quique dum temporali honore suffulti, foras videntur surgere, intus cadunt. Alleuatio ergo ipsa ruina est: quia dum gloria falsa subnixi sunt, à gloria vera euacuantur. Hinc iterum dicit; Deficientes quemadmodum fumus deficient. Fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando euanescit. Sic videlicet fit cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia vnde ostenditur vt altus sit, inde agitur, vt non sit. Hinc rursum scriptum est: Deus meus pone illos vt rotam. Rota quippe ex posterioribus attollitur, & in anteriora cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mũdi, quæ relinquimus: anteriora verò sunt æterna & permanentia, ad quæ vocamur, Paulo testante, qui ait: Quæ retro oblitus, in ea, quæ sunt priora me extendens. Peccator autem cum in præsenti vita profecerit, vt rota ponitur: quia in anterioribus corruens, ex posterioribus eleuatur. Nam cum in hac vita gloriam percipit quam relinquit, ab illa cadit, quæ post hanc venit. Et quidem multi sunt, qui sic exteriores proiectus regere sciunt, vt per eos nequaquã interius corruant.

Li.3 ep.13

Psal.16.

Esai.38.

Psal.54.

Esai.26.

Psal.39.

Gen.19.

Marc.5.

Psal.72.

Psal.36.

Psal.82.

Philipp.3

Vnde scriptum est: Deus potentes non abijcit, cum & ipse sit potens. Et per Salomonem dicitur. Et intelligens gubernacula possidebit. Sed mihi hæc difficilia sunt, quia & valde onerosa. Et quod mens sponte non recipit, congruè nō disponit. Ecce serenissimus Dominus Imperator fieri similiam leonem iussit. Et quidem pro iussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Vnde necesse est, vt omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit.

EPISTOLA SEXTA.

Dolet se à contemplationis delectatione deiectum.

Gregorius Narsi Patricio. Dum contemplationis dulcedinem altè descripsistis, ruinæ meæ mihi gemitum renouastis, quia audiui quid intus perdidi, dum foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, vt vix loqui sufficiam: oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obtident. Triste est quicquid aspicitur, quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penso enim ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quantum deiectus exterioris prouectus culmen ascendi, & pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus, quasi destitutæ viduæ vocibus cum propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me. Quod verò causæ & nominis similitudinem faciendo, per scripta vestra clausulas declamationesque formatis, certè frater carissime, simiā leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspicimus, quo nos scabiosos sæpe catulos, pardos vel tygres vocamus. Ego enim bonè vir quasi filios perdidi: quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noemi, id est pulchrum, sed vocate me Maram: quia amaritudine plenus sum. Quod autem me dicitis scribere non debuisse, vt in agro Dominico cum bubalis non ararem, quia in ostenso beato Petro linteo & bubali & omnes feræ oblatæ sunt; scis ipse quia subiunctum est, Macta & manduca. Tu ergo qui easdem bestias necdum mactaueras, cur iam manducare per obedientiā volebas? Aut nescis quia easdem quas scripsisti bestias oris tui gladius occidere recusauit? Quas ergo per compunctionem occidere potueris, de illis necesse est, vt in tui desiderij fame satieris. De causa autem fratrum nostrorum, vt scripsisti, ita futurum, si Deus adiuuet, æstimo, de qua modo serenissimis rerum dominis scribere omnino non debui: quia in ipso initio non est à quæstibus inchoandū: sed dilectissimo filio meo Honorato Diacono scripsi, vt opportuno tempore eis congruè suggerat, & mihi rescripsum sub celeritate indicet. Domnum Alexādrum, domnum Theodorum, filium meum Marinum, domnam Eusiriam, domnam Eudochiam, & domnam Dominicam, mea peto vice salutari.

EPISTOLA VII.

Aegre fert se multis occupationibus deprimi, & ab eo laudari.

Gregorius, Anastasio Episcopo Antiocheno. Epistolam beatitudinis vestræ, vt fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, vmbra æstuans accepi. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa, sed sic specialem amorem suum quem gestabat, aperuit, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit quod secutum est: quia amor vester terrena me portare onera præcepit: & quem prius spiritaliter diligebatis, postea, vt existimo, temporaliter amantes, vsque ad terram me superposito onere depressistis, ita vt omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque. Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, vt ad superna animus nullatenus erigatur. Multis enim causarum fluctibus quatior, & post illa quietis otia tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, ita vt rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Periclitanti igitur mihi orationis vestræ manum tendite, vos qui in virtutum littore statis. Quod verò me os Domini, quo lucernam dicitis, quòd multis prodesse multisque posse lucere perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accedit, vt cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. Quibus autem hoc in loco terrenarum rerum tumultibus premor, explere verbis nequeo: quod tamen colligere ex breuitate epistolæ potestis, in qua ei minus loquor, quem plus omnibus diligo. Præterea indico quia à Serenissimis dominis quantis valui precibus postulaui, vt vos honore restituto, ad sancti Petri Apostolorum principis limina venire, & quousque ita Deo placuerit, hic mecum viuere concedant, quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium de æterna patria inuicem loquendo releuemus.

Sup. ep. 5. Inf. ep 15. eod.

Ioā. Diac. li. 5. ep. 51. li. 4.

EPISTOLA VIII.

Minturnensem Ecclesiam desolatam Formiensi vnit.

Gregorius, Bacandæ Episcopo Formiensi. Et temporis necessitas nos perurget, & imminutio personarum exigit, vt destitutis Ecclesijs salubri ac prouida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quam plebis destitutam desolatione cognouimus, tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianæ ecclesiæ, in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cui fraternitas tua præsidet, adiungi debeat piam esse ac iustissimam prouidentes, necessarium duximus; consulentes tam desolationi loci illius, quàm ecclesiæ tuæ paupertati, reditus supradictæ ecclesiæ Minturnensis, vel quicquid ei antiquo modernoque iure, vel priuilegio potuit, potestve qualibet ratione competere, ad tuæ ecclesiæ ius potestatemque hac præcepti nostri auctoritate transmigrare, vt à præsenti tempore sicut de propria ecclesia debeas cogitare, eique competenti tua prouisione disponere, quatenus deinceps, quod perire nunc vsque potuit, pauperum ecclesiæ tuæ vtilitatibus plerisque proficiat.

EPISTOLA IX.

Vt discrepatio possessionis quadragenariæ fine debito terminetur.

Gregorius, Petro Subdiacono. Gregorius seruus Dei, presbyter & Abbas monasterij sancti Theodori in Sicilia prouincia, territorio Panormitano constituti, insinuauit nobis quòd homines fundi Saloniaci iuris sanctæ Ecclesiæ Romanæ, fines fundi Gerdimiæ, collimitantis eidem præfato fundo Ecclesiæ sanctæ Romanæ, quos quieto iure per innumeros annos possederunt, velint peruadere; & ideo volumus accedente te ad Panormitanam ciuitatem, quæstionem ipsam tali ratione discutere (dominio rei apud possessorem sicuti hactenus possessa est, videlicet permanente) vt si monasteriū præfatum sancti Theodori fines, de quibus causatio mota est, inconcussos, quadraginta annis possedisse repereris, nullam deinceps (etiam si quid sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit) patiaris sustinere calumniam; sed quietem eorum inconcussam modis omnibus procurare. Sin verò actores sanctæ Ecclesiæ non eos possedisse quadraginta annis inconcusso iure monstrauerint, sed aliquam intra hæc tempora motam fuisse aliquando quæstionem eorundem finium, electis arbitris, tranquillè & legaliter sopiatur. Nos enim non solùm numquam mota suscitari volumus, verumetiam quæ praua foris admouentur, sopire modis omnibus festinamus. Ita ergo experientia tua cuncta faciat effectibus mancipari, ne qua posthac huius rei ad nos quæstio reuertatur.

Testamentum autem Bacandæ quondam xenodochi in ea qua conditum est, volumus firmitate persistere.

Mense Nouembri, Indictione Nona.

EPISTOLA DECIMA.

Inf.li.2.ep. 16.& 19. Gratianus d.74.c 8

De contentione ipsius contra Episcopum suum, & de custodia rerum Ecclesiæ.

G*Regorius Honorato Diacono Salonitano.* Ea, quæ contra vos, tu,& episcopus tuus contraria direxistis scripta agnoscentes,doluimus , eo quòd inter vos nihil caritas recognoscit. Verumtamen te in officio ordinis tui administrare præcipimus;& si illic potest superante gratia causa vestri scandali definiri,multum credimus vestræ animæ acquisiuisse. Sin verò ita discordia inter vos partes suas armauit, vt in timore scandali voluntas vestra debeat remanere,tu ad nostram audientiam indifferenter occurre, & episcopus tuus pro se dirigat quam elegerit personam instructam, vt omnibus subtili ratione perpensis constituere,quæ visa fuerint partibus debeamus.Scire verò te volumus,quòd à te omnia districtè quæsituri sumus, si non ea quæ vel propriæ ecclesiæ, vel quæ de diuersis ecclesijs similia sunt collecta, sub omni nunc sollicitudine & fide seruentur. Quod si quid ex eis vel negligentia, vel cuiusquam fraude deperierit,tu in hoc reatu constringeris,qui per Archidiaconatus ordinem custodiæ eiusdem ecclesiæ arctius implicaris.

Mense Decembri, Indictione Nona.

Inf. l.8.ep. 16.

EPISTOLA XI.

Eam de morte Eutherij episcopi consolatur.

G*Regorius,Clementinæ Patriciæ.* Epistolam gloriæ vestræ suscipiens , quæ de transitu Eutherij quondam magnificæ memoriæ loquebatur,indicamus non minus animos nostros quàm vestros esse tali mœrore confusos, eo quòd opinionis probatæ viros hinc paulatim subtrahi mundo conspicimus, quorũ ruina in ipsis iam causarum effectibus comprobatur. Sed hinc nos solerti decet conuersionis cautela subducere,ne sua nos secum pariter ruina circumplicet.Et quidem amicorum nos amissio tanto debet tolerabilius contristare,quanto amissuros nos illos conditio mortalitatis exposcit.Sed tamen amissum carnalis vitæ subsidium potens est ille consolari,qui vt adimeretur permittendo concessit, & ipse ad locum, qui destitutus erat consolator accedere. Diaconum verò Anatholium,quem ad vos dirigi poposciſtis, hoc nos facere non posse,causæ magis modus quàm rigoris austeritas facit. Vicedominum enim eum constituimus, cuius arbitrio episcopiũ commissimus disponendum.

EPISTOLA XII.

Lib. 12.ep. 5.Ind 10. 16.q.1.c.12 Anselm. l. 5.c.66.Polyc.lib.2 tom 1.Inf. ep.54.l.eo

Vt iniusta vexatio monasterij tollatur.

G*Regorius,Ioanni Episcopo de Vrbe veteri.* Agapitus Abbas monasterij sancti Gregorij, insinuauit nobis plurima se à vestra sanctitate grauamina sustinere, & non solùm in his,quæ necessitatis tempore aliquod monasterio possint inferre subsidium, verumetiam,quod in eodem monasterio Missas prohibeas celebrari. Sepeliri etiam ibidem mortuos interdicas. Quod si ita est,à tali vos hortamur inhumanitate suspendi,& sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas,nulla vlterius habita contradictione permittas, ne denuo querelam de ijs, quæ dicta sunt,prædictus vir venerabilis Agapitus deponere compellatur.

EPISTOLA XIII.

Inf.li.10. ep.17.& 18

Commendat Luminosam viduam Zemarchi.

G*Regorius,Dominico Episcopo Centumcellensi.* Officij quidem sacerdotalis est,vt viduis ac maritali regimine desolatis, impertiri solatia debeatis : vt vnde in hoc mundo humana conditione priuantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. Quoniam ergo Luminosa honesta femina relicta carissimi Zemarchi tribuni , nostræ se post Deum tuitioni commisit,huic vos solatiari in quo sibi necesse fuerit, admonemus,nullusq; sit ei de quolibet molestus articulo. Sed quia comitiuam illam, quam vir eius agendam susceperat, nunc Theodoro Palatino concedente,ipsi est mulieri vt peragere debeat attributum,vel quem ipsi placuerit, donec præsentis indictionis celebretur impletio;nullum de ea re quousq; expleat inquietare permittas. Ita ergo facite,vt & Deum vobis faciatis pro rebus talibus debitorem,& noster huiuscemodi, de impensis à vobis solatijs,propensius animus gratuletur.

EPISTOLA XIV.

Præcipit hæreticos etiam cum periculo, in communionem suscipere.

G*Regorius,Demetrio Episcopo Neapolitano.* Stephanus præsentium portitor,cum de quibusdam fidei Catholicæ capitulis eius à via veritatis nutaret intentio , pro huius rei dubietate à Catholicæ se Ecclesiæ communione suspenderat, donec eum Deus veritatis iudex ad viam rectitudinis reuocaret,quem recepta satisfactione in fide catholica communicasse cognoscas.Sed quia eum quosdam dubietatis suæ socios ibidem in Neapolitana ciuitate habere comperimus:hoc nobis de his quoque præfatus Stephanus pollicitus esse dinoscitur,vt si eorum ambiguitatem animæ nostræ interpositionis periculo sanaremus,ipsos etiam ad communionem catholicam sine mora posse vel reluctatione conuerti. Pro qua re præsentibus epistolis admonemus, nostra fide, nostroque sicut ipsi videntur poposcisse,periculo,eos in fidem catholicã communionemque suscipite,quibus potestis modis ad lucem de tenebris reuocate. Nepostquam ad nos huiusmodi causa perlata est,si silentio prætermimus,de animabus eorum negligentiæ possimus subire iacturam.

EPISTOLA DECIMAQVINTA.

Populonensem Ecclesiam visitationis gratia commendat.

G*Regorius,Balbino episcopo Rosellano.* Peruenit ad nos quòd Populonensis Ecclesia ita sit sacerdotis officio destituta, vt nec pœnitentia decedentibus ibidem,nec baptisma possit præstari infantibus. Huius igitur tam piæ rei,tamque necessariæ mole permoti,iubemus dilectioni tuæ,vt huius præceptionis auctoritate commonitus,memoratæ Ecclesiæ visitator accedas,vt vnum cardinalem illic presbyterum,& duos debeas diacones ordinare. In parochijs verò præfatæ Ecclesiæ tres similiter presbyteros:quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ & morum grauitate præuideris, & quibus in nullo obuient constituta canonicæ disciplinæ , vt sanctæ cum digna cautela prouideatur ecclesiæ.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

Paul.Diac. l.1.c.11. Ioan.Diac. co.4.c.58. & 2.c.30.

Præcipit Romam ob fidei causam venire.

G*Regorius, Seuero Episcopo Aquileiensi.* Sicut gradiente per deuia,carpentem denuo rectum tramitem, tota Dominus auiditate complectitur; ita demum de deferente cognitam veritatis viam maiore mœrore,quàm gaudio, quo de conuertente lætatus fuerat, contristatur: quia minoris excessus est veritatem non cognoscere , quàm in eadem cognita non manere. Aliudque est quod ab errante committitur , aliud quod per scientiam perpetratur.Et nos si quidem quantum incorporatum te iam pridem fuisse in vnitatem Ecclesiæ gauisi fueramus,abundantius nũc dissociatum à catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi & serenissimi rerum domini iussionem, ad B. Petri Apostoli limina,cum tuis sequacibus venire te volumus, vt auctore Deo aggregata synodo, de ea quæ inter vos vertitur dubietate,quod iustum fuerit, iudicetur.

EPISTO

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

Vt filij Longobardorum in hæresi Ariana baptizati, ad fidem catholicam concilientur.

Regorius, Vniuersis Episcopis Italiæ. Quoniam nefandissimus Autharis in hac, quæ nuper expleta est, paschali solennitate Longobardorum filios in fide Catholica baptizari prohibuit: pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, vt solennitatem paschalem vlterius non videret; vestram fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia vbique grauis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Ariana hæresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient, quatenus super eos iram Domini omnipotentis placent. Quos ergo potestis admonete, quanta virtute valetis eos ad fidem rectam suadendo rapite, æternam eis vitam sine cessatione prædicate, vt cum ad districti veneritis conspectum iudicis, possitis ex vestra solicitudine lucrum in vobis ostentare pastoris.

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

Vt Marcello victus & vestitus necessaria ministrentur.

Regorius, Petro Subdiacono. Insinuatum nobis est, Marcellum *Barbicanæ Ecclesiæ, ibidem in Panormitana ciuitate, in monasterio sancti Hadriani, in pœnitentiam deputatum, non solùm victus necessitatem pati, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re necesse habemus fraternitati tuæ præsenti iussione præcipere, vt ipsi pro victu & vestimento, straroque ad continentiam, pueroque eius annonam quantum prospexeris satis esse, constituas: vt inopia nuditasque eius tali prouidentia possint habere consultum, & vt ea quæ eidem viro deputaueris, tuis postmodũ possint rationibus imputari. Ita ergo fac, vt & nostram iussionem impleas, & tu quoque hoc ipsum benè disponendo, hac ipsa possis participari mercede. Præterea hoc tibi indagandum mandare curauimus, veteri quæ iam inoleuerat consuetudine postposita, vt si quæ ciuitates in prouincia Siciliæ pro peccatis nostris per sacerdotum lapsus à pastorali regimine vacare noscuntur, de clero Ecclesiarum ipsarum, vel ex monasterijs, si qui digni ad sacerdotalem locum possint inueniri, perspicias: & ad nos inquisita primitus morum grauitate trãsmittas, vt grex vniuscuiusque loci per pastoris lapsum inueniri non debeat longo tempore destitutus. Si verò vacantia quidem loca repereris, & nullus tali dignitati ex eadẽ Ecclesia congruus inueniatur, ad nos similiter inquisitione solerti renuncia, vt Deus quem dignum talibus ordinationibus iudicauerit, valeat prouidere. Non enim oportet vt vnius excessu grex dominicus, per prærupta possit sine pastore diffluere. Ita enim & locorum ordinatio proueniet, & reuertendi lapsis ad gradum priorem, quo melius pœniteant, suspicio non manebit.*

EPISTOLA DECIMANONA.

Præcipit vt Honoratum archidiaconum suo gradui restituat.

Regorius, Natali Episcopo Salonitano. Gesta, quæ nobis in concilij vestri confecta secretario direxistis, in quibus Archidiaconus Honoratus addicitur, plena esse cognouimus semine iurgiorum, cum vno eodemque tempore vna persona nolens ad sacerdotij ordinem prouehitur, quæ tamquam immerita à diaconatus officio remouetur. Et sicut iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus, ita censendum puto similiter, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio deijciatur iniustè. Veruntamẽ quia inimica Deo discordia tuas partes accusat, locum & administrationem suam Honorato archidiacono restituas commonemus, atq; concordes diuinis ministerijs competentia exhibere seruitia. Audientiæ & quęstioni nostræ si adhuc inter vos causa nutritur scandali, præfatus archidiaconus occurrat admonitus, atque dilectio tua pro partibus suis dirigat personam instructam, quibus præsentibus solatiante Domino nobis depositio studio personarum quæ competunt fauori iustitiæ decernere valeamus.

EPISTOLA XX.

Scribit se, gregemque Dominicum, vt precibus adiuuet.

Sup. ep. 19 hoc li. ep. 20 Inf. ep. 14. & ep. 37 li. 2. ep. 14. D. 74. c. gesta.

Regorius, Natali episcopo Salonitano. Scripta reuerentiæ vestræ, quæ processioni nostræ gratias referebant, offerente Stephano diacono, quem direxistis, accepimus: & nimirum valde credenda sunt gratia & studio caritatis impẽsa, dum Pontificatus nostri congaudere ordinem ratio commonebat. Idcirco nos salutationis vestræ causa reddidit lætiores, conscientiam nostram indicamus, ipsius honoris onera me ægro animo susce pisse. Sed quia diuinis iudicijs non poteram resultare, necessariò mentem meam parti lætiori reuocaui. Pro qua re reuerẽtiam vestram epistolario sermone deposcimus, vt tam nos quàm Christianus grex curæ nostræ commissus, orationis vestræ solatijs perfruamur, quatenus ea valeamus prælidij firmitate procellas temporum superare.

Mense Februario, Indictione Nona.

EPISTOLA XXI.

Maurentium de possessione quam petijt, dicit se examinaturum.

Regorius, Nonnoso. Omnipotens Deus cordi vestro indicet quanta deuotione ac dilectione vobis coniungor. Et si hanc per epistolas implere nequeo, si quando tamen opportunitatem inueniam, rebus ostendere curabo. Salutationis præterea alloquium soluens indico, quia veniente humili vestro domno Maurentio de possessione, quam gloria vestra petijt, per omnia parebimus. —

EPISTOLA XXII.

Inf. ep. 36.

Gratiarum actiones facit.

Regorius, Georgio præfecto Italiæ. Bonitatem vestræ excellentiæ, quam semper cognitam habui, nunc experimẽto superaddito recognoui. Vnde omnipotentem Deum deprecor, vt sua vos protectione custodiat, vobisque & apud se gratiam, & apud serenissimos dominos largiatur. Si autem nullæ hominum, qui interfunt, prauitates vos diuidant, esse me vestrum proprium valde certum tenete, & vobis dilectione coniunctum. Quod in omnipotente Domino confido: quia hoc vobis etiam per documentum meæ attestationis ostendo. Salutationis igitur alloquium soluens peto, vt quotiens vsus exegerit, vestris me affatibus releuare curetis. Sup. ep. 21.

EPISTOLA XXIII.

Inf. eo. ep. 37 & 40. 48 53. 57 63. 65. 66. Ioã. Diac. 2. c. 55.

Ancillas Dei, Paulinum presbyterum & alios commendat.

Regorius, Anthemio Subdiacono. Insinuatum nobis est, ancillas Dei quasdam Nolanæ ciuitatis in Aboritana domo commorantes, nimiam victus vestitusque penuriam sustinere. Quibus ex præcepto DEI subuenire nos conuenit, & inopiam earum, in quantum possumus donante Domino subleuare. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione mandamus, vt de hac præsenti nona indictione, quadraginta in auro eis solidos dare debeas, & deinceps succedentibus indictionibus annuos viginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Præterea Paulino presbytero monasterij sancti Erasmi, quod in latere montis Soractis situm est: sed & duobus monachis in oratorio sancti Archangeli seruientibus, quod in Lucullano castro iuxta sancti Petri Basilicam esse dinoscitur, binos te in præsenti tantummodo solidos dare præcipimus, qui & ipsi tuis rationibus imputentur. Ita ergo fac, vt impensæ mercedis tu quoque participium sortiaris.

EPISTOLA XXIV.

Sup. ep. 4 eo. & li. 2. ep. 91.

De onere pastorali sibi nuper imposito, & de fide, quam iuxta decreta Conciliorum amplectitur.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Constantinopolitano, Eulogio Alexãdrino, Gregorio Antiocheno, Ioanni Hierosolymitano, & Anastasio Patriarchæ Antiocheno, à paribus.*

Consideranti mihi quòd impar meritis, at toto animo renitens, pastoralis curæ pondera portare compulsus sum, caligo mœroris occurrit, & triste cor nihil aliud, nisi eas quæ videri nil sinunt tenebras videt. Nam quid antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua itaque fiducia ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propris securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui & sibi iratus, & mihi esset incognitus, interceſſorẽ suum me fieri quæreret, protinus responderem: Ad intercedendum venire nequeo, quia eius notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur rectè homo apud hominem de quo minimè præsumptissem, fieri interceſſor erubescerem: quantæ hoc audaciæ est, quod apud Deum pro populo locum interceſſoris obtineo, cui familiarem me esse per vitæ meritum non agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud grauius formidandum: quia sicut cuncti liquido nouimus, cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus prouocatur. Et valde pertimesco, ne commissa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depereat, cuius nunc vsq; delicta Dominus æquanimiter tolerabat. Cum verò vtcunque huc timorem supprimo, & consolatam mentem ad pontificalis operis studia accingo, considerata ipsa rei immensitate deterreor. Perpendo quippe quod omni cura vigilandum est, vt rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, cõtra delinquentium vitia, per zelum iustitiæ erectus. Quæ videlicet cuncta dum subtili studeo inquisitione perscrutari, ipsa me in singulis latitudo considerationis angustat. Nam, sicut prædixi, curandum summoperè est, vt rector cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officij, vt in alienis quoq; cordibus pollutionis maculas tergat. Quia necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa insequens lutum tenet. Scriptum namque est: Mundamini qui fertis vasa Domini. Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad interna sacraria perducendas, in conuersationis suæ exemplo suscipiunt. Apud semetipsum ergo quãtum debeat mundari conspiciat, qui ad æternitatis templum vasa viuentia in sinu propriæ conuersationis portat. Hinc diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore rationale iudicij vittis ligantibus imprimatur, quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat. Nec indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exẽplum vitæ alijs constitutus, ex grauitate semper debet ostendere quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationale vigilanter adiungitur, vt duodecim patriarcharum nomina describantur. Ascriptos enim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur: cum sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis sui limitem, pedem operis tendat. Rursum cum me ad considerandа debita pastoris opera confero, perpendo quanta intentione curandum est, vt sit operatione præcipuus, quatenus vitæ viam subditis viuendo denunciet, & grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quàm per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quàm dicentis vita commendat: quia quod loquendo præcipit, ostendendo adiuuat vt fiat. Hinc enim per prophetam dicitur: Super mõtem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. Vt videlicet qui cœlesti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque subditos facilius ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat. Hinc diuina lege armum sacerdos in sacrificium & dextrum accipit & separatum, vt non solùm sit eius operatio vtilis, sed etiam singularis, nec inter malos tantummodo quæ recta sunt faciat, sed benè quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam mortua virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, vt quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso discat conditori suo immolare. Et non solùm pectore quæ recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia armo operis inuitet. Nulla præsentis vitæ appetat, nulla pertimescat blandimenta mundi, respecto intimo terrore despiciat, terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat. Vnde supernæ quoque vocis imperio, in vtroq; humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur, vt contra aduersa & prospera, virtutum semper ornamento muniatur, quatenus iuxta Pauli vocem: Per arma iustitiæ à dextris sinistrisque gradiens cum ad sola, quæ anteriora sunt nititur, in nullo delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera eleuent, non aduersa perturbent, nó blanda vsque ad voluptatem demulceant, non aspera ad desperationem premant: vt dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in vtroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur, ostendat. Quòd rectè etiam superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, & torta fieri byssо præcipitur, vt quanta sacerdos claresсere virtutum diuersitate debeat, demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, vt in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus qui aereo colore resplendet, adiungitur, vt per omne quod intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, sed ad amorem cælestium surgat, ne dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque ac hyacintho purpura permiscetur, vt videlicet sacerdotale cor, cum summa prædicat, etiam in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque veluti regia potestate contradicat, quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, & cælestis regni habitum moribus defendat. De hac enim nobilitate spiritus per Petrum dicitur: Vos autem genus electum, regale sacerdotium. De hac etiam potestate, qua vitia subigimus, Ioannis voce roboramur, qui ait: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri.

De cura pastorali. li. 2. c. 2.

1. q. 1 c. 93 Pan. li. 2 c 2.

Esai. 52.

Exod 52.

2. Cor. 6.

1. Pet. 2.

Ioan. 1.

Auro autem ac hyacintho & purpuræ bis tinctus coccus adiungitur, vt ante interni iudicis oculos, omnia virtutum opera ex caritate decorentur, & cuncta, quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet caritas, quia Deum simul & proximum diligit, quasi coccus ex duplici tinctura fulgescit.

Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, vt proximorum curam negligat, vel sic proximorum curam exequitur, vt à diuino amore tepescat, quia vnum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad præcepta caritatis tenditur, rectum nescit. Sed cum mens ad præcepta caritatis tenditur, restat proculdubio, vt per abstinentiam caro maceretur. Vnde & bis tincto cocco torta byssus adiũgitur: de terra enim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens nitore munditiæ corporalis castitas designatur? Quæ videlicet torta pulchritudini superhumeralis innectitur: quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Cumque inter virtutes ceteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diuersa superhumeralis specie byssus torta candescit. Rursum cum me ad considerandum debitum pastoris verbum ac silentiũ confero, pauenti cura perpendo, quòd valde necesse est, vt & discretus sit in silentio, & vtilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorẽ pertrahit, ita indiscretũ silentiũ, hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui recta liberè pertimescunt: & iuxta veritatis vocem, nequaquam iam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos Dominus per Pro-

Esai. 40.

pheram

phetam increpat, dicens: Canes muti non valentes latrare. Hinc rursum quæritur dicens. Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere, est pro defensione commissi gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere. Pastori etenim recta timuisse dicere, quid est aliud, quàm terga tacendo præbuisse? Qui nimirũ si pro grege se obijcit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursus delinquenti populo dicitur: Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Prophetæ quippe nõnunquam in sacro eloquio doctores vocantur, qui dum fugitiua esse præsentia indicant, quæ sunt ventura manifestant. Quos diuinus sermo falsa videre redarguit: quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentib. promissa securitate blandiuntur. Qui iniquitatem peccãtium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce cõticescunt. Clauis quippe aperitionis, sermo est correptionis: quia increpãdo culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetrauit. Hinc Paulus ait: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui cõtradicunt, redarguere. Hinc per Malachiam dicitur: Labia sacerdotis custodiũt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Hinc per Esaiam Dominus admonet, dicens: Clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam. Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium ascendit, vt ante aduentum iudicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos verò si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarũ specie Spiritus sanctus insedit: quia nimirum quos repleuerit, de se protinus loquẽtes facit. Hinc Moysi præcipitur, vt tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: vt videlicet voces prędicationis habeat, ne superni speculatoris iudiciũ ex silentio offendat. Scriptum quippe est: Audiatur sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Aptè autem tintinnabula vestimentis eius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis, quid aliud quã recta opera debemus accipere? propheta attestante, qui ait: Sacerdotes tui induantur iustitiam. Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitę viam cum linguę sonitu, ipsa quoque opera sacerdotis clament. Sed considerandum quoque est, vt rector cum se ad loquendum præparat, sub quantæ cautelæ studio loquantur attendat, ne si inordinatè ad loquendũ rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur, & cum fortasse sapiens videri desiderat, vnitatis compagem insipienter abscindat. Hinc namque veritas dicit: Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos. Per sal quippe, verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnoperè metuat, ne eius eloquio audientium vnitas cõfundatur. Hinc Paulus ait: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hinc in sacerdotis veste iuxta diuinam vocem, tintinnabulis mala punica coniunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei vnitas designatur? Nam sicut in malo punico vno exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctæ Ecclesię populos vnitas fidei contegit, quos intus diuersitas meritorum tenet. Tunc ergo tintinnabulis mala punica iungimus, cum per omne quod dicimus, vnitatem fidei custodimus. Rursum, cum me ad considerandum confero qualis rector in compassione, qualisque esse debeat in contemplatione perpendo, vt & singulis cõpassione sit proximus, & præ cunctis contemplatione suspensus, quatenus & per pietatis viscera in se infirmitatem ceterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoq; inuisibilia appetendo transcendat, ne aut alta petens, proximorum infima despiciat, aut infimis proximorum congruens, appetere alta desistat. Hinc est namq; quòd Paulus in paradisum ducitur, cælique tertij secreta rimatur: & tamen in illa inuisibilium contemplatione suspensus, ad cubile carnalium mẽtis aciem reuocat, & cum sanctum coniugium creandorum sit causa liberorum, aliquid etiam eis & de voluptate largitur, dicẽs: Propter fornicationes autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquęque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro. Ecce iam cælestibus secretis inseritur, & tamẽ per condescensionis viscera, carnalium cubile perscrutatur: & quem subleuatus ad inuisibilia erigit, hunc mentis oculum ad secreta coniugum inflectit. Cælum contemplatione transcendit, nec tamen stratum carnalium sollicitudine deserit: quia compage caritatis summis simul & infimis iunctus, & in semetipso virtute spiritus ad alta valenter rapitur, & pietate in alijs æquanimiter ad ima reuocatur. Pro hac suæ compassione caritatis, iterum dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Hinc rursus ait: Factus sum Iudæis tanquam Iudęus. Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, sed extendẽdo pietatem, & in se personam infidelium transfigurãs: vt ex semetipso disceret qualiter alijs misereri debuisset, quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, impendi rectè voluisset. Hinc iterum dicit: Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis: quia & semetipsum nouerat contemplando transcendere, & eundem se auditoribus cõdescendendo attemperare. Hinc Iacob Domino scalæ desuper innitente, & vncto deorsum lapide ascendentes & descendentes Angelos vidit: quia scilicet prædicatores recti, non solùm sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum contemplando appetunt, sed deorsum quoq; ad membra illius miserando descendunt. Hinc Moyses crebro tabernaculum intrat & exit, & qui intus in contemplatione rapitur, foris infirmantium negotijs vrgetur. Intus Dei arcana considerat: foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoq; dubijs semper ad tabernaculum recurrit, & coram testamenti arca Dominum consulit: exemplum proculdubio rectorib. præbens, vt cum foris ambigunt quid disponant, ad mẽtem semper quasi ad tabernaculum redeant, & velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his in quibus dubitant, apud semetipsos intus sacri eloquij paginas requirant. Hinc ipsa veritas per susceptionem nobis nostrę humanitatis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in vrbibus exercet: imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens, vt etsi iam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, & quo benignè descẽdit ad infima, valenter recurrit ad summa. In qua videlicet compassione necesse est, vt talem se quĩ præest exhibeat, cui subiecti quique occulta quoq; sua prodere non erubescant: vt cum tentationum suarum fluctus paruuli tolerant, ad pastoris mentẽ, quasi ad maris sinum recurrant, & hoc quòd se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio, & lachrymis orationis lauẽt. Vnde & ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum, id est, luterem, duodecim boues portãt, qui quidem facie exterius eminent, sed ex posteriorib. latent. Quid namque in duodecim bobus, nisi vniuersus pastorum ordo signatur? De quibus lex Paulo differente dicit: Non obturabis os boui trituranti. Quorum quidem nos aperta opera cernimus, sed apud districtum iudicem, quę illos posterius maneant in occulta retributione, nescimus. Qui tamen cum cõdescensionis suæ patientiam abluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant, vt quisquis intrare æternitatis ianuam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, & quasi in bouum lutere cogitationis vel operationis manus lauet. Et fit plerunque vt dum rectoris animus aliena tentamenta condescendendo recognoscit, auditis tentationib. & ipse pulsetur: quia & hæc eadem per quam populi multitudo diluitur, aqua proculdubio luteris inquinatur. Nam dũ sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam pastori timẽda sunt: quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius à sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur. Rursus cum me considerandum confero qualis in humilitate, qualisque esse rector debeat in districtione, perpendo quoniam necesse est, vt & benè agentibus sit per humilitatem socius, & contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, quatenus & bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, prioratus sui potestatem agnoscat, vt & honore suspenso, æqualem se subditis benè viuentibus deputet, & contra peruersorum culpas ex zelo iustitię excrescat. Hinc

2. Cor. 11. 1. Cor. 9. Past. 2. c. 5.

1. Cor. 5.

D. 88. c. 1.

Gen. 28.

Exod. 30.

1. Cor. 9.

Gregor. in Ezech. homi. 18. Regum ep. 38 lib. 4. past. 2. cap. 6.

est namq; quod Petrus auctore Deo S. Ecclesiæ principatum tenes, à benè agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente, immoderatius venerari recusauit, seque illi similem recognouit dicens: Surge ne feceris, & ego homo sum. Sed cum Ananiæ & Sapphyræ culpâ reperit, mox quanta potentia super ceteros excreuisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit, & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso, coram benè agentibus fratribus non agnouit. Hic cõmunionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, illic zelus vltionis vim aperuit potestatis. Hinc est quòd Paulus benè agentibus fratribus prælatũ se esse nesciebat, cum diceret: Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri. Ad quæ ideo adiunxit: Fide enim statis. Ac si id quod protulerat aperiret, dicens: Ideo non dominamur fidei vestrę, quia fide statis. Æquales enim vobis sumus in quo vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se esse fratribus nesciebat, cum diceret: Facti sumus paruuli in medio vestrum, & rursus: Nos autem seruos vestros per Christum. Sed cum culpam, quæ corrigi debuisset, inuenit, illico se magistrũ esse recoluit, dicens: Quid vultis, in virga veniam ad vos? Summus itaque locus tunc benè regitur, cum is qui præest, vitijs potius quàm fratribus dominatur. Benè acceptam potestatem regit, qui & tenere illam nouit & impugnare. Benè hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa ceteris in æqualitate componi. Sic autem seruanda est virtus humilitatis, vt non soluantur iura regiminis: ne dum prælatus quisque plus se quàm decet deijcit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit: & sic seruanda est disciplinæ seueritas, ne dum plus quàm necesse est zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur. Sæpe namque vitia virtutes se esse mentiuntur, vt tenacia parsimonia, effusio largitas, crudelitas zelus iustitiæ, remissio pietas velit videri. Disciplina ergo vel misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed magna discretionis arte seruanda est, & iustè cõsulens misericordia, & piè sæuiens disciplina. Hinc namq; est quod docẽte veritate per Samaritani studium, semiuiuus in stabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus eius adhibetur: vt per vinũ scilicet mordeantur vulnera, & per oleum foueantur. Necesse quippe est, vt is qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum, doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mordeantur putrida, per oleum sananda foueantur. Sit ergo amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans. Quod benè illa tabernaculi arca significat, in qua cũ tabulis virga simul & manna est: quia cum scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Suscepto itaque pastoralis curæ onere, cum cuncta hæc atq; alia huiusmodi multa contidero, video r quod esse non possum; maximè, quia hoc in loco quisquis pastor dicitur, curis exterioribus grauiter occupatur, ita vt sæpè incertũ fiat vtrum pastoris officium, an terreni proceris agat. Et quidem quisquis regendis fratribus præest, vacare funditus à curis exterioribus non potest, sed tamẽ curandum magnoperè est, ne ab his immoderatè deprimatur. Vnde rectè ad Ezechielem dicitur: Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua. Quid enim signant capilli in capite, nisi exteriores cogitationes in mente? Qui dũ super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimunt, quæ ex negligenti ac torpẽti sensũ quia inopportunè prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia ergo cuncti qui præsunt, habere quidem solicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire: vt cogitationes carnis de vita subditorum, nec à se funditus amputent, nec rursum ad crescendum nimis relaxent. Vnde benè dicitur. Tondẽtes tondeant capita sua: vt videlicet curę tẽporalis solicitudinis & ad quantũ necesse est prodeant, & tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescant. Dum igitur & per administratam exteriorem prouidentiam corporalis subditorũ vita protegitur, & rursus per immoderatam, alta cordis intentio non impenditur, quasi capilli in capite sacerdotis seruãtur, vt cutem cooperiant; & resecantur, ne oculos claudant. Sed hoc in loco huius discretionis moderamina video seruari non posse, quia tanti quotidie casus imminent, vt mẽtem simul obruant, cum vitam corporalem necant. Vnde fratres sanctissimi, per venturum iudicem rogo, per multorum millium Angelorũ frequentiam, per Ecclesiam primitiuorum, qui cõscripti sunt in cælis sub hoc pastoralis curę onere lassescentem orationis vestræ intercessione adiuuate, ne susceptа me pondera vltra vires premant. Memor verò quod scriptum est: Orate pro inuicem vt saluemini, etiam impendo quod peto. Sed recipiam quod impendo. Dum enim nos vobis per orationis opẽ coniungimur quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus, fitque ex magna prouisione caritatis, vt eo singulorum robustius pes figatur, quo in alterum alter innititur. Præterea, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutẽ, sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur. Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur. Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur. Chalcedonense verò, in quo Eutychis, Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ atque actionis norma cõsistit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ędificium iacet. Quintum quoq; Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur; Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus substantijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur, scripta quoque Theodoriti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò quas præfata venerandа Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit quisquis præsumit aut soluere quos ligant, aut religare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis verò prædictarum synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo patre per Iesum Christum Filium eius, qui cum eo viuit & regnat consubstantialiter Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Act. 10.
Act. 5.
2. Cor. 1.
1. Thess. 5.
2. Cor. 4.
1. Cor. 4.
Greg. 20. Mor. ca. 8.
Luc. 10.
Curis exterioribus occupari debent episcopi.
Ezech. 44.
Iacob. 5.
Infr. lib. 2. epist. 10. & lib. 3. ep. 31. & lib. 5. ep. 2. Rom. Quatuor Concilia tanquam quatuor Euangelica veneratus. d. 18. c. 4.
Quintum Synodum amplectitur. Li. 7. ep. 33.

NOTÆ in Epistolam 24. lib. 1.

Epistola.] *Huius epistolæ plura exstiterunt exemplaria ad diuersos Episcopos transmissa, quæ cum librarius eiusdem tenoris esse animaduertisset, visum fuit ei satis esse, si nomina illa sibi iungeretur, voxq; (à paribus) adderetur, vt significaret eam ad quatuor nominatos æquè missam fuisse. Ioannem Constantinopolitanum primo loco ponẽdum esse existimauit; quia is ob regiam ciuitatem clariore splendore fulgere videretur. Ex præscripto Nicæni Concilij statuto Episcopos in titulo assignatos dignitate disparesfuisse, non ignorauit S. Gregorius. Vnde quod de librariorũ imperito iudicio hac de re notatum est, magis eluescit. Quod autem hoc loco Gregorius & Anastasius duo Antiochenæ Ecclesiæ præsules & patriarchæ simul nominentur, accidit ea de causa, quod Iustinus Imperator anno Christi 572. Anastasium Smartam in exilium relegarit, & in locum illius teste Niceph. in Chron. Gregorium surrogarent. Vide Baron. an. 591. num. 4.*

Sup. ep. 24 in fine lib. 4. ep. 36.

EPISTOLA XXV.

Sup. ep. 7.

Conqueritur de onere pastorali.

GREGORIVS, *Anastasio Patriarchæ Antiocheno.* Scripta vestræ beatitudinis, vti sessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, vmbram æstuans accepi. Neque enim illa verba per linguam carnis videbãtur expressa: quia sic spiritalem amorem suum quem gestabant aperuerunt, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit quod scriptum est, quia amor vester terrena me portare onera præcepit, & quem prius spiritaliter diligebatis, postea, vt æstimo, temporaliter amantes, vsque ad terram me superposito onere depressistis, ita vt omnem mentis rectitudinẽ funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque. Tanta me quippe occupationum onera deprimunt, vt ad superna animus nullatenus erigatur. Multis causarum fluctibus quatior, & post illa quietis ocia, tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, ita vt rectè dicam:

Ioã. Diac. cap. 49.
Psal. 118.
Psal. 6.

Veni

Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Periclitanti igitur mihi manum orationis vestræ tendite, vos qui in virtutum littore statis. Quòd verò me os Domini, quod lucernam dicitis, quod loquendo multis prodesse, multisque posse lucere perhibetis æstimationem mihi meam, fateor, in dubietatem maximam perduxistis. Considero namque qui sum, & nihil in me ex huius boni signo deprehendo. Considero namq; qui estis, & vos mentiri posse non arbitror. Cum ergo credere volo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea. Cum discutere volo quod in laude mea dicitur, contradicit mihi sanctitas vestra. Sed quæso vir sancte nobis aliquid de hoc certamine nostro conueniat, vt etsi non quod dicitis ita est, sit ita quia dicitis. Præterea sicuti Patriarchis alijs fratribus à parib. synodicam vobis epistolam direxi: quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod ex voluntate hominum putamini non esse. Latori verò præsentium Bonifacio defensori aliqua iniunxi, quæ sanctitati vestræ debeat secretius infirmare. Amatoris autē vestri B. Petri Apostoli vobis claues transmisi, quę super ægro positæ, multis solent miraculis coruscare.

EPISTOLA XXVI.

Conqueritur de enere pastorali, & hortatur vt succurrat portitori præsenti.

GREGORIVS, *Anastasio Archiepiscopo Corinthij.* Iudicia Dei quanto sunt inuestigabilia, tanto debent humanis mentibus esse metuenda, vt quia ea ratio mortalis comprehendere nō valet, his se necesse est humili cordis ceruice substernat: quatenus quo eam regentis voluntas duxerit, illuc obedientibus mentis gressibus prosequatur. Ego autem considerans infirmitatem meam ad Apostolicæ Sedis culmē non posse pertingere, onus hoc malui declinare, ne in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberem. Sed, quia contraire nō est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum, quod misericors de me regētis manus voluerit operari. Nam fraternitati vestræ, & si præsens nō eueniret occasio, necessariò fuerat indicandum, quòd licet indignum, me Apostolicæ Sedi Dominus præesse dignatus est. Cū ergo fieri hoc & causa posceret, & directi à nobis præsentium latoris, id est, Bonifacij defensoris, eueniisset occasio; curauimus, non solùm scriptis fraternitati vestrę caritatis vota persoluere, sed etiam de ordinatione nostra, quod desiderabile vobis fuisse credimus, indicare. Propterea caritas vestra reciprocis literis nos de vnitate Ecclesiæ, & desiderabili nuncio salutis vestræ lætificet: quatenus absentia corporalis, quam nos locorum facit sustinere disiunctio, scriptorum sibi vicissitudine præsentetur. Adhortamur etiam, vt quia memoratum superius præsentium portitorē pro necessarijs quibusdam causis ad clementissimi principis vestigia destinauimus, & mutabilitas temporis multa solet impedimenta itineris generare, quicquid ei siue in terreni itineris prouisione, siue etiā in procuratione nauigij necessarium fuerit, vestra sacerdotalis impendat affectio, vt destinatum iter celerius Domino miserante valeat explicare.

EPISTOLA XXVII.

De reuersione Anastasij Patriarchæ.

GREGORIVS, *Sebastiano Episcopo Rhizinienſi.* Quamuis nulla merui beatitudinis vestrę scripta susciperе, tamen ego etiam obliuiscentem me non obliuiscor, negligentē pulso, torpentem amoris stimulis inquieto; vt qui ex semetipso non vult impendere, vel pulsatus sciat reddere quod debet. Præterea indico suggestionem me apud pijssimos Dominos summis precib. plenam feciſſe, vt virum beatissimum Dominum Anastasium patriarcham concesso vsu pallij ad B. Petri Apostolorum principis limina mecum celebraturum solennia missarum transmittere debuissent, quatenus si ei ad sedem suam minimè reuerti liceret, saltem mecum in honore suo viueret. Sed quę causa contigerit vt eadem scripta retinerem, præsentium lator vobis innotescet. Eiusdem tamen domni Anastasij animum cognoscite, & quicquid ei de hac re placuerit, vestris mihi epistolis indicate.

EPISTOLA XXVIII.

De expositione epistolarum suarum.

GREGORIVS, *Aristobolo expræfecto & Antigrapho.* Ad explendum affectum meum fateor, lingua non sufficit, sed quicquid de vobis sentio, vester vobis melius affectus dicit. Quibusdam verò vos aduersitatibus laborare audiui. Sed non hac de re valde contristor, quia plerunq; nauis, quæ peruenire ad altas pelagi tempestates per prosperitatem poterat, in ipso nauigationis initio vento aduersante repellitur, sed ad portum repulsa reuocatur. Præterea si prolixam epistolam ad interpretandum accipere fortasse contigerit: rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu trāsferte: quia plerunque dum proprietas verborum attenditur, sensuum virtus amittitur.

EPISTOLA XXIX.

Libr. 7. ep. 31. Ind. 2.

Transmittit clauem à corpore sancti Petri, & de catenis eius.

GREGORIVS, *Andreæ Illustri de Dibiria.* Omnipotens Deus dulcissimo cordi vestro indicet, quia & absens corpore à caritate vestra animo non recessi. Bona enim vestra etiam si volo obliuisci non valeo. Hoc autem quod ad me episcopatus ordinem cognoscitis peruenisse, si me diligitis, plangite: quia hic huius mundi tantæ occupationes sunt, vt per episcopatus ordinem penè ab amore Dei me videam esse separatum. Quod incessanter defleo, atque vt pro me Dominum exoretis rogo. Præterea, sanctissimam clauem, à S. Petri Apostoli corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare: nam etiam de eius catenis interius habet. Eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent. Catenæ S. Petri.

EPISTOLA XXX.

Clauem sancti Petri & de catenis eius transmittit.

GREGORIVS, *Ioanni exconsuli atque Patricio & Quæstori.* Bona excellentiæ vestræ expertus, tanto erga vos amore constringor, vt vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenus possit. Sed contra amorem nō modicè contristor, quia quietem me quærere cognouistis, & ad inquietudinem perduxistis: vobis quidem omnipotens Deus, quia hoc bono animo feciſtis, bona æterna retribuat, sed me à tanto loci huius periculo qualiter voluerit absoluat: quia sicut peccata mea merebātur, non Romanorum, sed Longobardorum episcopus factus sum, quorum synthiciæ spathę sunt, & gratia pœna. Ecce vbi me patrocinia vestra perduxerunt. Gemo quotidie occupationibus pressus, & respirare non valeo. Sed vos, qui adhuc valetis, huius mundi occupationes fugite: quia quanto in eo quisq; profecerit, tanto, vt video, ab amore Dei amplius decrescit. Præterea sanctissimam clauem à B. Petri Apostolorum principis corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare, nam etiam de eius catenis interius habet. Eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent. Ioan. Diac. l. 1. ca. 31. Sup. ep. 25. & 26.

EPISTOLA XXXI.

Ioan. Diac. l. 1. ca. 35.

Causas Italiæ commendat.

GREGORIVS, *Philippo Comiti excubitorum.* In quantum homo discutere & inuestigare iudicia superna non sufficit, in tantum sub eis debet ceruicē cordis inflectere: vt quia id quod sibi tribuitur quo iudicio disponatur ignorat, nec ad appetēdum locum procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inueniri. Vnde indignus ego ad susciпienda episcopatus onera iussioni omnipotentis Dei, vestræque me voluntati subdidi: cui me præesse largitate magis gratiæ quam

iudicij extimatione voluistis. Potens est enim Deus propter quem me indignum diligitis, hanc vobis in perpetuum compẽsare mercedem, vt gratiam, quam indignis famulis eius impenditis, apud eum inuenire multiplicius valeatis. Causas verò Italię, vestra quæso excellẽtia habeat cõmendatas, vt dum vos petentibus libenter impenditis, omne quod à Deo petitis, quantocitius impetretis.

EPISTOLA XXXII.

Vt Blandum Episcopum suæ Ecclesiæ liberè restituat.

Inf. libr 2. epi 31. li. 4. epist 18.

GREGORIVS, *Romano Patricio & Exarcho Italiæ.* Scribendi ad excellentiam vestram si causa omnino nulla suppeteret, nos tamen esse oportet caritate paterna de vestræ salutis incolumitate sollicitos, vt quod de vobis audire cupimus, internunciorum frequẽtia cognoscamus. Præterea peruenit ad nos, Blandum episcopum Hortensis ciuitatis, longo iam tempore in ciuitate Rauennate à vestra excellentia detineri. Et fit vt Ecclesia sine rectore, & populus quasi sine pastore grex defluat, & ibidem infantes pro peccatis absque baptismate moriantur. Et rursus quia non credimus quòd eum excellentia vestra nisi pro aliqua probabilis excessus causa tenuerit, oportet vt habita synodo palam fiat, si quod in eum crimen intenditur. Et si talis in eo culpa reperitur, quæ vsque ad degradationẽ sacerdotij perducatur, aliam necesse est ordinationem inquiramus, ne Ecclesia Dei in his, sine quib. eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta remaneat. Sin autem excellentia vestra aliter se habere quàm de eo quod dicitur esse perspexerit, eum ad Ecclesiam suam reuerti concedat, vt officium suum in commissis sibi animab. adimpleat.

Sup. cod. epist. 25.

Mense Martio, Indictione Nona.

EPISTOLA XXXIII.

Venantio exmonacho scribit, & increpat de habitu monastico dimisso.

Inf. ib. 5. ep 42.

GREGORIVS, *Venantio Cancellario Italiæ.* Multi hominum stulti putauerunt, quòd si ad ordinem episcopatus eueherer, vos alloqui per epistolas frequenter recusarem. Sed non ita est, quia ipsa iam loci mei ne cessitate compellor, vt tacere non debeam. Scriptum quippe est: Clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam. Et rursus scriptum est: Speculatorem dedi te domui Israel, audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Ex qua videlicet annunciatione vel retenta, vel exhibita, quid speculatorem vel auditorem sequatur, protinus intimatur: Si dicente me ad impium, Morte morieris: non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille nõ fuerit conuersus ab iniquitate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Hinc etiam Ephesijs Paulus dicit: Mundę sunt hodie manus meæ à sanguine omnium vestrum. Non enim subtersugi, quo minus annunciarem vobis omne DEI consilium. Mundus ergo à sanguine omnium eorum non esset, si eis Dei consilium annunciare noluisset: quia cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit. Hac igitur consideratione compulsus, velis nolis locuturus sum, quia omni virtute aut te cupio saluari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris recolis, & supernę districtionis animaduersione postposita, ad quid sis delapsus agnoscis. Culpam ergo tuam pensa dum vacat, districtionem futuri iudicis dum vales exhorresce, ne tunc illam amarã sentias, cum eam iam nullis fletibus euadas. Pensa quod scriptum est: Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Ad ambulandũ quippe in hyeme torpor frigoris obsistit, & iuxta præceptum legis, ambulare in sabbato non licet. Hyeme ergo vel sabbato fugere conatur, qui iram districti iudicis tunc appetit fugere, quando ei iam non licet ambulare. Dum vacat ergo, dum licet, animaduersionem tanti terroris fuge. Pensa quod scriptum est: Omne quod potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos, quo tu properas. Teste Euangelio, scis quia diuina seueritas de ocioso sermone nos arguit, & de verbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pensa ergo quid factura est de peruerso opere, si quosdã in iudicio suo reprobat de sermõe? Ananias pecunias DEO vouerat, quas pòst diabolica victus persuasione, subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit; considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed semetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti? Considera iudiciũ Dei quod mereatur qui semetipsum Deo vouit, continuoque mundi desiderijs irretitus, mentitus eũ quod vouit. Quapropter si mihi credideris, si correptionis meæ verba secuturus audieris, quàm sint blanda & dulcia in fine cognosces. Ecce fateor, mœrens loquor, & facti tui tristitia astrictus, edere verba vix valeo: & tamen animus tuus actionis suæ conscius vix sufficit ferre quod audit: erubescit, confunditur, auersatur. Si ergo nõ valet verba ferre pulueris, quid facturus est ad iudicium conditoris? Fateor tamen, quia supernæ gratiæ esse misericordiam maximam credo, quòd te fugere vitam conspicit, & tamen ad vitã adhuc reseruat: quòd superbientem te videt, & tolerat: quòd per indignos famulos suos verba tibi increpationis & admonitionis administrat. Tantũ est vt pensare sollicitè debeas, quod Paulus ait: Exhortamur vos fratres ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Sed scio quia cum epistola mea suscipitur, protinus amici conueniunt, literati clientes vocantur, & de causæ vitæ consilium à fautoribus mortis quæritur: qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi nisi quę ad tempus placeant loquuntur. Tales enim fuerunt, sicut ipse reminisceris, dudum consiliarij, qui ad tanti facinus te perduxerunt delicti. Vt tibi aliquid sæcularis auctoris loquar. Cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si verò in causa tua hominem consiliarium quæris, consiliariũ rogo me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quàm qui nõ tua, sed te diligit. Omnipotens Deus cordi tuo indicet, cor meum quanto te amore, quantaque caritate complectitur, in quantum tamen diuina gratia non offendatur. Nam sic culpam tuam insequor, vt personam diligam. Sic personam diligo, vt culpæ vitium nõ amplectar. Si igitur à me amari te credis, Apostolorũ liminibus præsentare, meque cõsiliario vtere. Si autem fortasse in causa Dei minus credor, & pro zeli mei ardore suspectus sum, cunctam simul Ecclesiam in consilio huius disceptationis adhibeo, & quicquid omnibus fieri salubriter placet, ego in nullo contradico, sed quod in commune decernitur, lætus implebo, & subscribam. Implentem quæ monui, gratia te diuina custodiat.

Ioan. Diac. 3. c. 48.

Esa. 58.

Ezech. 3.

Act. 20. D. 43. c. 4.

Ecclesi. 9.

Matth. 12.

17. q. 1. c. 3.

1. Cor. 6.

EPISTOLA XXXIV.

De Iudæis non persequendis.

Ino. p. 1. c. 2. 85. & p. 13 c. 101.

GREGORIVS, *Petro Episcopo Tarracinẽsi.* Ioseph, præsentium lator, Iudæus nobis insinuauit, quod de loco quodam in quo ad celebrandas festiuitates suas Iudæi in Tarracinensi castro consistentes conuenire consueuerant, tua eos fraternitas expulerit, & in alium locum pro colẽdis similiter festiuitatibus suis, te quoque nescente & consentiente migrauerint, & nunc de eodem loco expulsos se denuò cõqueruntur. Sed si ita est, volumus vt tua fraternitas ab huiusmodi se querela suspendat, & ad locum quẽ sicut prædiximus, cũ tua conscientia quò congregentur adepti sunt, eis sicut mos fuit, ibidem liceat conuenire. Eos enim qui à religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad vnitatem fidei necesse est congregare, ne quos dulcedo prædicationis, & prætẽsus futuri iudicis terror ad credendum inuitare poterat, minis & terroribus repellantur. Oportet ergo magis vt ad audiendum de vobis verbum Dei benignè conueniant, quàm austeritatem, quæ supra modum extenditur, expauescant.

Sup. epist. 12. eod.

Matth. 24

Ioan. Diac. li. 3. ca. 48.

EPISTOLA XXXV.

De controuersia Maurilionis & Georgij.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Rauennati.* Si professionem ordinis nostri & locum, cuius ministerium gerimus, attendamus; oportet nos afflictis, in quantum possumus, comitante iustitia subuenire. Quoniam ergo gloriosum virum Maurilionem expræfecto in septis Ecclesiasticis insontem residere cognouimus; vestra fraternitas, in quãtum possibilitas subest, opem ferre festinet: non quia, quod absit, de viri excellentissimi Domini Georgij præfecti iustitia dubitamus, aut in aliquo putamus eum à rationis tramite declinare, virũ quem in huius tantæ dignitatis administratione sicut nostris in bonis omnibus habemus expertum, sed quò & gloriosus vir Maurilio expræfecto rationes suas absque suspicione oppressionis exponat, & prædictus excellentissimus vir Dominus Georgius præfectus rationes sine laceratione suæ opinionis exequatur.

EPISTOLA XXXVI.

Vt Stephanus Episcopus ad eligendum iudicium compellatur.

GREGORIVS, *Marcho Episcopo Dalmatiensi.* Ioannes vir eloquentissimus, consiliarius viri excellentissimi Domini Georgij præfecti per Italiam, insinuauit nobis contra Stephanum Episcopum Scodrensis ciuitatis, quorundam se negociorum habere cõtrouersias: & petijt inter eum & se iudicium debere cõsistere. Propterea fraternitatem tuam præsenti præceptione curauimus admonendam, vt prædictum episcopũ ad eligendum compellas venire iudicium. Et quicquid inter prædictum Ioannem virum magnificum & sæpefatum episcopum electorum fuerit sententia diffinitum, ad effectũ perducere non omittas: vt & actor de consecuta iustitia gratias referat, & pulsatus cum ad cognitionem deducitur, nihil contra se de illata iniustitia conqueratur.

EPISTOLA XXXVII.

Vt domnis Paterichiæ palatinæ & Viuianæ necessaria subministret.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Discedenti tibi mandauimus, & postmodum præceptis discurrentibus iunxisse me memini, vt curam pauperum gereres. Et quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares: & vix de paucis hæc facere curasti. Volo autem vt domnæ Paterichiæ meæ mox vt præsentem iussionem susceperis, offeras ad talciarium puerorum solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos. Domnæ Palatinæ relictæ Vrbici, solidos viginti, & tritici modios trecentos, Domnæ Viuianæ relictæ Felicis, solidos vigiinti & tritici modios trecentos. Qui omnes simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur. Sũmam verò impensionum sub festinatione transmitto, & ad Paschalem diem Domino auxiliante occurrito.

EPISTOLA XXXVIII.

De monasterio sancti Theodori ordinando.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Messanensi.* Et tibi gratum confidimus si fratris tui viri venerabilis episcopi Paulini peregrinationis onera releuentur, & sub eius regimine cõmuni mercede beati Theodori monasterium in ciuitate tua fundatum studiosius omnipotenti Deo deseruiat. Quod etiam re iam voluisse facere, eius relatione didicimus. Ideoque rectori patrimonij nostri præcepimus, vt monachos monasterij memorati episcopi perquisitos ad vnum congreget: & in eodem monasterio cum ijs qui nũcibi sunt, collocare non differat, quatenus eo rectore digniusanimarũ suarum curam exerceant. Quam rem venerationi tuæ innotescendam præuidimus: ne te omisso aliquid ordinatum in tua contristeris diœcesi.

EPISTOLA XXXIX.

Sup. ep. 18. co. inf. ep. 44. 54. 67. 69. 70. 71. & lib 2. ep. 19. 23. 65. Plin. lib 3. ca. 5.

De monachis dispersis per Siciliam.

GREGORIVS, *Petro Diacono.* Venerabilis Paulinus Episcopus Tauri ciuitatis, prouinciæ Brutiorum, nobis asseruit monachos suos occasione dispersos barbarica, eosque nunc per totam vagari Siciliam, & eos, quippe sine rectore nec animarum curam gerere, nec disciplinę sui habitus indulgere. Qua de re præcipimus eosdem monachos te omni cura & sollicitudine perquisitos ad vnum reducere, & cum memorato episcopo rectoreque suo in monasterio sancti Theodori in Messanensi ciuitate posito collocare: vt & hi qui nunc ibi sunt, quos egere rectore comperimus, & illi quos de congregatione eius inuentos reduxeris, in vnum possint eo duce omnipotenti Domino deseruire. Quam rem venerabili Felici eiusdem ciuitatis episcopo nos significasse cognosce: ne præter suam notitiam in diœcesi sibi concessa ordinatũ quippiam contristetur.

EPISTOLA XL.

Sup. ep. 37 co. inf. ep. 48. co. ep. 53. 57. 63. 65 66. 67. li. 4 ep 21. Li 10. ep. 2. 3

De monachis circunquaque vagantibus.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Ioannes frater & coepiscopus noster directo per Iustum clericum suum capitulari, inter alia plura hoc nobis noscitur intimasse, aliquos monachos monasteriorum in Surrẽtina diœcesi positorum, de monasterio in monasterium, prout eis libuerit, transmigrare, & à proprij ablatis regula desiderio rei sæcularis abscedere. Sed & quod non licere notum est, peculiaritati eorum singulos studere. Si quos autem qualiber occasione à clericatu in monachicam conuersionẽ venire contigerit, non liceat eis ad eandem vel aliam Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuò remeare: nisi talis vitæ monachus fuerit, vt episcopus, cui ante militauerat, sacerdotio dignum præuiderit, vt ab eo debeat eligi, & in loco quo iudicauerit, ordinari. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione mandamus, vt neq; monacho vlterius de monasterio in monasterium liceat migrare, neque eorum aliquem peculiare quicquam habere permittas. Sed si quilibet hoc præsumpserit, in monasterio quo ab initio conuersatus est, & sub abbatis sui regula de qua fugerat, cum competenti coercitione reddatur: ne si tantam iniquitatem fluxam inemendatamq; dimittimus, pereuntium animæ à præpositorum anima requirantur. Et quia aliquos monachorum vsque ad tantum nefas prosilijsse cognouimus, vt vxores publicè sortiantur, eos omni habita vigilantia requiras, & inuentos digna coercitione in monasterijs abbatum, quorum monachi fuerũt, retransmittas. Sed & de clericis ad monachatum venientibus, sicut supra diximus, peragere non omittas. Ita enim Dei placabis oculos, & impletæ mercedis particeps inuenieris.

16. q. 1. c. 38

EPISTOLA XLI.

Inst. lib. 4. ep. 46. li. 7. ep. 125.

De Recharedo rege. Et de trina mersione baptismi.

GREGORIVS, *Leandro Episcopo Hispalensi.* Respondere epistolis vestris tota intentione voluissem, nisi pastoralis curæ ita me labor attereret, vt mihi magis flere libeat, quam aliquid dicere. Quod vestra quoque reuerentia in ipso literarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco huius mundi fluctib. quatior, vt vetustam ac putrescentem nauem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portũ dirigere nullatenus possim. Nunc ex aduerso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc à tergo tempestas insequitur. Interq; hæc omnia turbatus cogor modò in ipsam clauum aduersitate diri-

Sup. ep. 4.

gere, modò incuruato nauis latere, mînas & impetum fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quòd negligente me crescit sentina vitiorũ, & tempestate fortiter obuiante, iamiamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quòd perdidi meæ placitum littus quietis, & suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis aduersantibus tenere non possum. Si ergo me frater carissime diligis, tuæ mihi orationis in his fluctib. manum tende, vt quo laborantem me adiuuas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoq; laboribus valentior existas. Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quòd communem filium Recharedum gloriosissimum regem ad Catholicam fidem integerrima agnoui deuotione cõuersum. Huius dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare me etiam quem, nescio fecistis. Sed quia antiqui hostis insidias scitis, quoniam bellum durius contra victores proponit, nunc erga eundem solertius Sãctitas vestra cuigilet, vt benè cœpta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat, vt fidem cognitam, vitæ quoque meritis teneat: & quia æterni regni ciuis sit operib. ostendat: quatenus post multa annorum curricula, de regno ad regnum transeat. De trina verò mersione baptismatis, nil responderi verius potest quam quod ipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neq; ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate in aquã vel ter vel semel immergere, quando & in tribus mersionib. personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant; dumq; quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. Dulcissimæ autem mihi fraternitati vestræ codices direxi, quorum notitiam subter inserui. Ea autem quæ in beati Iob expositione dicta fuerant, & vobis dirigenda scribitis, quia hæc verbis sensibusq; petentibus per homilias direxeram, vtcunque studui in librorum ductum permutare, quæ nunc adhuc à librarijs conscribuntur. Et nisi portioris præsentium me festinatio coangustasset, cuncta vobis transmittere sine aliqua immutatione voluissem, maximè quia & hoc ipsum opus ad vestram reuerentiam scripsi, vt ei quem præ ceteris diligo, in meo iudicer labore desudasse. Præterea si vobis indulgeri tempora ab Ecclesiastica occupatione cognoscitis, quid sit iam faciendum scitis, quamuis etiam absentem corpore præsentem mihi te semper intueor, quia vultus tui imaginem intra cordis viscera impressam porto. Data mense Maij.

Cocil. 4. Tol. can. 5 de conf. d. 4. cap. 8. Iuo. p. 1. c. 230. Pan. lib 1 c 60. Trina mersio baptismi quid significet.

Hæreticorũ tirunum similitudo, vitanda.

EPISTOLA XLII.

Sup. ep. 39 inf ep 42. 44. cod.

De iniustis ponderibus rusticorum, alijs q̃, quamplurimis rebus necessarijs; ac de continentia subdiaconorum.

Io. Diac. 2. ca. 38. Vit.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono Siciliæ.* Quòd responsalẽ tuum tardè dimisimus, Paschalis festiuitatis occupationibus implicati, eum relaxare citius minimè valuimus. Causas verò de quibus indicandum curasti, omnes subtiliter perquirẽtes, qualiter disposuerimus, inferius cognosces. Cognouimus rusticos Ecclesiæ vehementer in frumentorum precijs grauari, ita vt instituta summa eis in comparatione abundantiæ tempore non seruetur. Et volumus vt iuxta precia publica omni tempore siue minus siue amplius frumenta nascantur, in eis comparationis mensura teneatur. Frumenta autem quæ naufragio pereunt, per omnia volumus reputari, ita tamen vt à te negligentia ad transmittendum minimè fiat, ne dum transmittendi tempus negligitur, damnum ex vitio vestro generetur. Valde autem iniquum & iniustum esse prospeximus, vt à rusticis Ecclesiæ de sextariaticis aliquid accipiatur, & ad maiorem modium dare compellantur, quam in horrea Ecclesiæ infertur. Vnde & præsenti admonitione præcipimus, vt plus quam decem & octo sextariorum modio nunquam à rusticis Ecclesiæ frumenta debeant accipi. Nisi fortè si quid est quod nautæ iuxta consuetudinem super accipiunt: quod minui ipsi in nauibus attestantur. Cognouimus etiam in aliquibus massis Ecclesiæ exactionem iniustissimam fieri, ita vt à septuagenis ternis semis, quod dici nefas est, conductores exigantur: & adhuc neque hoc sufficit, sed insuper aliquid ex vsu iam multorum annorum exigi dicũtur. Quam rem omnino detestamur, & amputari de patrimonio fundi tus volumus. Sed tua experientia siue in hoc quod per libram amplius, siue in alijs minutis oneribus & quod vltra rationis æquitatem à rusticis accipitur penset, & omnia in summam pensionis redigat, & prout vires rusticorum portant pensionem integram & pensantem ad septuagena bina persoluant, & neque siliquas extra libras, neque libram maiorem, neque onera supra libram maiorem exigi debeant: sed per æstimationem tuam prout virtus sufficit, in summam pẽsionis crescat, & sic turpis exactio nequaquam fiat. Ne verò post obitum meum hæc ipsa onera quæ super pensum illata subtraximus, & in capite pensionis fecimus crescere, iterum in quolibet addantur, & inueniantur, & summa pensionis augeri, & onera adiectionis insuper rustici soluere compellantur: Volumus vt securitatis libellos ita de pensionibus facias, quatenus imprimis, dicens tantam pensionem vnumquemque debere persoluere, inibi abiectis siliquis, oneribus, vel granaticis. Quod autem ex his minutijs in vsum rectoris accedebat, volumus, vt hoc ex præsenti iussione nostra, ex summa pensionis in vsum tuum veniat. Ante omnia hoc te volumus sollicitè attendere, ne iniusta pondera in exigendis pensionibus ponantur. Sed si qua talia inueneris, frange, & noua & recta constitue, quia & filius meus & seruus Dei diaconus iam talia inuenit, quæ & ipsi displicerent, sed licentiam hæc immutandi non habuit: Super iusta ergo pondera præter excepta & vilia cibaria nihil aliud volumus à colonis Ecclesiæ exigi. Præterea cognouimus, quòd prima illatio burdatonis rusticanos nostros vehementer angustat, ita vt priusquam labores suos venundare valeant, compellantur tributa persoluere; qui dum de suo vnde dare non debeant, nõ habent, ab auctionarijs publicis mutuò accipiunt, & gratia commoda pro eodem beneficio persoluunt; ex qua re fit vt dispendijs grauibus coangustentur. Vnde præsenti admonitione præcipimus, vt omne quod mutuum pro eadem causa ab extraneis accipere poterant, à tua experientia ex publico detur, & à rusticis Ecclesiæ paulatim vt habuerint accipiatur, ne dum in tempore coangustantur, quod eis postmodum sufficere poterat, in inferendum prius compulsi, vilius vendant, & hoc eis minimè sufficiat. Peruenit etiam ad nos, quòd de nuptijs rusticorum immoderata commoda percipiantur: de quibus præcipimus, vt omne commodum nuptiarum vnius solidi summam nullatenus excedat. Si qui sunt pauperes, etiam minus dare debeant. Si qui autem diuites, præfati solidi summam nullatenus transgrediantur, quod nuptiale commodum nullatenus volumus in nostram rationem redigi, sed ad vtilitatem cõductorum proficere. Cognouimus etiam quòd nonnullis conductoribus morientibus parentes sui non permittuntur succedere, sed res eorum ad vsus Ecclesiæ pertrahuntur: de qua re diffinimus, vt parentes morientium, qui in possessione Ecclesiæ degunt, hæredes eis succedere debeant, nec aliquid eis de substantia morientium subtrahatur. Si verò filios paruulos aliquis reliquerit, quousque ad ætatem talem perueniant, vt substantiam suam regere valeant, personæ eligãtur cautæ, quibus parentum eorum restradi debeant ad custodiendum. Cognouimus etiam quòd si quis ex familia culpam fecerit Ecclesiæ, non in ipso, sed in eius substantia vindicatur: de qua re præcipimus, vt quisquis culpam fecerit, in ipso quidem vt dignum est vindicetur. A commodo autem eius omnino abstineatur. Nisi fortè parum aliquid quod in vsum executoris, qui ad eum transmissus fuerit, proficere possit. Cognouimus etiam quia quotiens conductor aliquid colono suo iniustè abstulerit, hoc quidem à conductore exigitur, sed ei non redditur à quo ablatum est: de qua re præ-

Nou. 34. apud Iul. Antecess.

Lib. xi. epist. 39.

16. q. 4. c. 4.

re præcipimus, vt quicquid violenter cuilibet ex familia ablatum fuerit, ipsi restituatur, cui ablatum est, & vtilitati nostræ non proficiat, ne nos ipsi auctores violentiæ esse videamur. Præterea volumus, vt si quando eos, qui in obsequio sunt experientiæ tuæ, in aliquibus causis, quæ sunt extra patrimonium transmittas, parua quidem commoda ex eis accipiant, sed tamen ita vt in eorum vtilitatem proficiant: quia nos sæculum Ecclesiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari. Iubemus etiam vt hoc experientia tua summoperè custodiat, vt per commodum conductores in massis Ecclesiæ nunquam fiant, ne dum commodum quæritur, conductores frequenter mutentur: ex qua cõmutatione quid aliud agitur, nisi vt de Ecclesiastica prædia nunquã colãtur? Sed ipsa etiam libellatica, prout summa pensionis fuerit, moderentur, per cellas & cellaria non plus de massis Ecclesiæ te accipere volumus, nisi quantum consuetudo est: tua autem quæ comparari iussimus, ab extraneis comparentur. Peruenit autem ad nos, tres libras auri Petro conductori de Subpatriana iniustè ablatas: de qua causa Fantinum defensorem subtiliter require, & si manifestè, iniustè, & incompetenter ablatæ sunt, sine aliqua tarditate restitue. Cognouimus etiam rusticos burdationem, quam iam ab eis exactam Theodosius minimè persoluerat, iterum dedisse, ita vt in duplo exacti sint. Quod ideo factum est: quia eius substantia ad debitum Ecclesiæ non sufficiebat. Sed quoniam per filium nostrum Seruum Dei diaconum edocti sumus, quòd ex rebus substantiæ eius possit hoc ipsum damnum sufficienter refarciri, volumus quingentos septem solidos eiusdem rusticis sine aliqua imminutione restitui, ne in duplo videantur exacti. Si autem supra damnum rusticorum etiam quadraginta solidi de reb. Theodosij remanent, quos & apud te diceris habere, volumus vt filiæ eius reddantur, vt res suas, quas in pignore dederat, recipere debeat. Cui etiam Batiolam patris sui restitui volumus. Campanianus gloriosus magister militum duodecim solidos annuos Ioanni notario suo reliquerat ex massa Varronia, quos dare te annis singulis sine aliqua dubitatione præcipimus. Nepti Eupli conductoris, quamuis omne mobile eiusdem Eupli perceperit, exceptis duntaxat solidis; dare etiam de solidis illius te volumus solidos vigintiquinque. Suppositorium aliquod argenteum, pro vno solido dicitur esse oppositum, & calix pro sex solidis dicitur esse oppositus. Interrogato Domino secretario vel alijs, qui scire possunt, debitum recipe, & vascula præfata restitue. Agimus autem gratias sollicitudini tuæ, quia de causa fratris mei præcepi tibi vt argentum illius transmittere debuisses, & sic obliuioni mandasti, ac tibi aliquid ab extremo mãcipio tuo diceretur, quod iam vel modo non experientia, sed negligentia tua studeat implere, vel quicquid eius apud Antoninum fuisse cognoueris sub omni velocitate retransmitte. De causa Salpingi Iudæi epistola aliqua est inuenta, quam tibi fecimus transmitti, vt eam relegens, & subtiliter causam eius, vel viduæ cuiusdam, quæ in eodem negocio dicitur implicata cognoscens, de quinquaginta vno solidis, qui reddi debere noscuntur, sicut iustum tibi fuerit visum, responsum facias: ita vt res alienæ iniustè nullo modo à creditoribus defraudentur. Antonino medietas legati sui data est, medietas redimetur: quam medietatem ex cõmuni substantia ei voluimus adimpleri, & non solùm ei, sed etiam defensoribus & peregrinis, quibus legati titulo aliquid dereliquit, & familiæ legatum persolui volumus, quod tamen ad nos pertinet. Collecta ergo ratione pro nostra parte, id est, pro nouem vncijs persolue. De solidis Ecclesiæ Canusinæ volumus vt aliquid clericis eiusdem Ecclesiæ largiaris, quatenus & ij, qui nunc inopiam patiuntur, sustentationem aliquam habeant. Et si illic Deus voluerit ordinari episcopum, habeat vnde substistat. De lapsis sacerdotibus vel leuitis, vel quolibet ex clero, obseruare te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatione misceatis: sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum viuere sciuntur, & in eisdem monasterijs ad pœnitentiam lapsos trade, vt res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur: quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant, qui de correptione eorum sollicitudinem gerunt. Si verò parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita tamen vt eorum stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari. Si qui verò ex familia Ecclesiastica sacerdotes, vel leuitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alij lapsi fuerint; dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum Ecclesiastico iuri non subtrahi. Ad vsum tamen suum accipiant, vnde ad pœnitentiam subsistant: ne si nudentur, locis in quibus dati fuerint, oneroси sint. Si qui parentes in possessione habent, ipsis res eorum tradendæ sunt, vt in ipsis iura Ecclesiæ conseruentur. Ante triennium subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à sua vxore separari: atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Vnde videtur mihi vt à præsenti die episcopis omnibus dicatur, vt nullum subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit: quatenus & præterita mala, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caueantur. Qui verò post eandem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis voribus vixerunt, laudandi atque remunerandi sunt: & vt in bono sic permaneant, exhortandi. Eos autem qui post prohibitionem factam se à suis vxoribus continere noluerint, nolumus promoueri ad sacrum ordinem, quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Liberato negociatori, qui se Ecclesiæ commendauit, qui habitat in massa Cinciana, annuam continentiam à te volumus fieri. Cuius continentiæ summam ipse æstima quanta esse debeat: vt renunciata nobis in tuis possit rationibus imputari. De præsenti verò indictione, iam à filio nostro Seruo Dei diacono percepi. Fantinum defensorem Ioannes monachus quidam moriens in sex vncias hæredem dimisit: cui hoc quidem quod dimissum est trade, sed contestare eum vt hoc facere vlterius non præsumat. Sed pro labore suo statue quid accipiat, vt ei vacuus labor suus esse non debeat: & hoc meminerit, vt qui Ecclesiæ stipendijs subsistit, ad lucra propria non anhelet. Si quid verò sine peccato, sine appetitu concupiscentiæ per eos qui causas Ecclesiæ agunt ad Ecclesiam venerit, dignum est vt ex labore suo ipsi vacui esse non debeant: sed nostro seruetur iudicio, qualiter debeant remunerari. De argento Rusticiani, causam subtiliter require, & quidquid tibi iustum videtur, exequere. Alexandrum virum magnificum admone, vt causam suam cum sancta Ecclesia decidere debeat. Quod si facere fortè neglexerit, eandem causam cum timore Dei, honestate seruata, vt potes, exequere. In qua re etiam largiri te volumus aliquid, & si potest fieri, quod alij dandum est, ipsi relaxetur: dum modo causam, quam nobiscum habet, exerceat. Donationem ancillæ Dei, quæ lapsa est, & in monasterio data omni postposita tarditate restitue: quatenus ipse locus, vt superius dixi, rerum eius stipendia habeat, qui eius sollicitudinis labores portat. Sed & quicquid ab alijs ex eius substantia tenetur, recollige, & monasterio præfato trade. Pensiones Xenodochij de via noua quantas mihi indicasti, quia apud te habes, nobis dirige. Actionario autem, quem in eodem patrimonio deputasti, prout tibi videtur, ei aliquid largire. De ancilla Dei, quæ cum Theodosio fuit, Extranea nomine, videtur mihi vt ei continentiam facias, si vtile conspicis: aut certè donationem quam fecit reddas. Domum monasterij, quam Antonius datis triginta solidis à monasterio tulerat: receptis solidis omni postposita tarditate restitue. Amulas onychinas requisita subtiliter veritate restitue, quas per portitorem præsentium transmitte. Saturninum, si vacat, & occupatus apud te non est, eum ad nos dirige. Felix conductor dominæ Campaniæ, quem liberum reliquerat, atque esse indiscussum iusserat, dixit sibi à Maximo subdiacono septuaginta duos solidos ablatos, pro quibus dandis asseruit; quia omnes res suas quas in Sicilia habuit, vel venundedit, vel oppositi. Sed scholastici dixerunt, quòd de fraudibus indiscussus esse non potest, dum tamen ad nos de Campania reuertere retur, facta tempestate mortuus est: cuius te volumus vxorem & filios requirere, & quicquid oppositi. vel vendiderat oppositi absolue: & de venditis precium restitue, & insuper eis aliquod alimentum præbe: quia Maximus eum in Siciliam miserat, & ibi ei quæ asserebat, abstulerat. Cognos-

Subdiaconorum Castitas.

ce ergo quæ ablata sunt, & vxori, filijsque eius sine aliqua mora restitue. Hæc omnia sollicitè relege: omnemque illam familiarem tuam negligentiam postpone. Scripta mea ad rusticos quæ direxi, per omnes massas fac relegi: vt sciant, quid sibi contra violentias debeant defendere ex auctoritate nostra, eisque vel authentica vel exemplaria eorum dentur. Vide vt omnia absque imminutione custodias, quia de his quæ tibi pro seruanda iustitia scribo, ego absoluor: & tu si negligis, obligaris: terribilem iudicem considera venientem, & de aduentu illius nunc tua conscientia contremiscat, ne tunc sine causa iam timeat, cùm coram illo cælũ & terra tremuerit. Audisti quid volo: vide quid agas.

Li. 4. ep. 35

EPISTOLA XLIII.

Vt Episcopi ab hostibus expulsi suscipiantur & alantur.

Li. 2. ep. 17

GREGORIVS, *Vniuersis Episcopis per Illyricum.* Ionibus excellentissimus vir, filius noster, præpositus per Illyricum, scriptis suis nobis indicasse dignoscitur, ad se sacris apicibus destinatis iussum fuisse, episcopos quos à proprijs locis hostilitatis furor expulerat, ad eos episcopos, qui nunc vsque in locis proprijs degunt, pro sustentatione, & stipendijs præsentis vitæ esse iungendos. Et licet ad hoc fraternitatem vestram iussio principalis admoneat, habemus tamen maius his mandatum æterni principis, quo ad hæc terribilius peragenda compellimur, vt non dico fratres, & coepiscopos nostros, sed ipsos etiam quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas postulat, in conferendis subsidijs necessitatum carnalium diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem & cælesti primitus principi obedientes existere, & imperialibus etiam iussionibus consentire: quatenus fratres coepiscoposque nostros, quos & captiuitatis diuersarumque necessitatum angustiæ comprimunt, debeatis consolandos, conuicturosque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere. Non quidem vt per communionem episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab Ecclesia iuxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesijs auctoritatem tribuimus: sed tamen eos vestris solatijs contineri summoperè hortamur.

Mensis Iunij, Indictione Nona.

Sup. cod. 48. Inf. ep. 54 67. 69. 79. 71. li. 2. ep. 23. 39. Io. Diac. c. ca. 5. Sup. ep. 43

EPISTOLA XLIV.

Godestaldi filium quendam commendat.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono.* Diuina præcepta nos admonent diligere proximos sicut nosmetipsos: & cum hac eos præcipiamus caritate diligere, quanto magis debemus his in subsidijs necessitatum carnalium subuenire? vt eorum angustias si non ex omnibus, saltè aliquibus sustentaculis subleuemus. Quoniam ergo Godestaldi viri dignissimi filium non solùm amissione visus, sed etiam inopia victus egestatem pati conspeximus; necessarium duximus in quantum possibilitas suppetit, ei præbere consultum. Propterea experientiæ tuæ præsenti iussione præcipimus, vt ei annis singulis vigintiquatuor modios tritici, fabę quoq; modios duodecim, & vini decimatas viginti pro sustentatione vitæ debeat ministrare: quod tuis postmodum possit rationibus imputari. Ita ergo fac vt præsentium lator nullas de percipiendis Domini donis moras sustineat: & tu benè dispensatæ mercedis possis particeps inueniri.

(:)

Li. 4. ep. 31

EPISTOLA XLV.

Ne Iudæi vi baptizentur, sed ad fidem amplectendam moneantur.

Io. Diac. 4. c. 45.

GREGORIVS, *Virgilio Arelatens. & Theodoro Episcopo Massiliæ Galliarum.*

Scribendi ad fraternitatem vestram reddendique debitæ salutationis alloquium, licet nulla congrui temporis vel personarum esset occasio: actum est, vt vno in tempore & quæ decebant de dilectione proximitatis fraternæ persoluerem, & quorundam querimoniam, quæ ad nos perlata est quomodo errantium animæ saluandæ sint, non tacerem. Plurimi siquidem Iudaicæ religionis viri in hac prouincia commorantes, ac subinde in Massiliæ partes pro diuersis negocijs ambulantes, ad nostram perduxere notitiam multos consistentium in illis partibus Iudæorum, vi magis ad fontem baptismatis quàm prædicatione perductos. Nam intentionem quidem huiusce modi & laude dignam censeo, & de Domini nostri dilectione descendere profiteor. Sed hanc eandem intentionem, nisi competens scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliquid, animarum, quas eripi volumus, quòd absit, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non prædicationis suauitate, sed necessitate peruenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde deterius moritur, vnde renatus esse videbatur. Fraternitas ergo vestra huiusmodi homines frequenti prædicatione prouocet: quatenus mutare veterem vitam magis de doctoris suauitate desiderent. Sic enim & intentio vestra rectè perficitur, & conuersi animus ad priorem denuò vomitum non mutatur. Adhibendus ergo est illis sermo, & qui errorem in ipsis spinas vrere debeat, & prędicando quod in his tenebrescit illuminet, vt pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas vestra capiat, & eos quantum Deus donauerit, ad nouæ regenerationem vitæ perducat.

Inf. epist. prox. 47

EPISTOLA XLVI.

De Iuliana Abbatissa, & Pompeiana.

GREGORIVS, *Theodoro Duci Sardiniæ.* Iustitiam, quam mente geritis, oportet coram hominibus luce operum demonstretis. Iuliana siquidem abbatissa monasterij sancti Viti, quod Vitulana quondam recordandæ memoriæ construxerat, insinuauit nobis à Donato officiali vestro possessionem iuris prædicti monasterij detentari. Qui dum excellentiæ vestræ patrocinijs erigi se conspicit, ad examinandum iudicium venire contemnit. Sed nunc gloria vestra præcipiat eundem officialem, cum prædicta ancilla Dei arbitrale subire iudicium: quatenus quicquid eorum de tali controuersia arbitrorum iudicio fuerit diffinitum, effectui mancipetur, vt id quod se amittere siue retinere perspexerit, non hoc virtutis opere fieri, sed legis iustitiæ debeat reputari. Pariter & Pompeiana religiosa, quæ monasterio in domo propria construxisse dignoscitur, queritur matrem quondam generis sui defuncti testamentum eius velle cassare, quatenus vltimum filij eius arbitrium ad irritum deducatur. Pro qua re caritate paterna gloriam vestram necessariò duximus adhortandam, vt pijs de causis salua iustitia libenter accommodet, & quicquid his iuris ratio tribuit, benignè iubeat custodiri. Dominum autem petimus, vt viam vitæ vestræ propitius dirigat, dignitatemque susceptam administrationis prosperitate disponat.

(:)

EPISTOLA XLVII.

De oppositionibus Theodori ducis Gardiniæ.

GREGORIVS, *Honoratio Diacono.* Quia regiminis locum licet immeriti suscepimus, oportet vt fratrum nostrorum necessitatibus, in quãtum facultas suppetit, occurramus. Ianuarius ergo metropoleos Caralis frater & coepiscopus noster, veniens huc in Romanam ciuitatem, docuit nos, Theodorum gloriosum magistrum militum, qui ducatum Sardiniæ insulæ susceperit dignoscitur, multa illic contra pijssimorum dominorum iussa peragere, quibus plurima grauamina possessorum, vel ciuium imperij sui, competenti clemẽtia ac mansuetudine submouerũt. Pro qua re volumus, vt apto tẽpore pijssimis dominis, iuxta id quod prouinciales prædictæ insulæ iustè & competenter postulant, suggeras, dum & antea ad Edancium gloriosum magistrum militum, iam per indictionem septimam tunc ducẽ Sardiniæ, sacra imperialia cucurrerunt: quibus omnia præceperunt grauia nunc capitula submoueri, quatenus eorum iussa de pietatis fonte procedentia, à ducibus quos in tempre pręesse cõtigerit, inconcussa seruentur, merceseque eorum ab administratoribus non debeant dissipari; vt quietam sub imperio clementi dominorũ vitam transigant, & consultum quod subiectis suis tranquilla mente tribuunt, in aduentu æterni iudicis multiplicata compensatione recipiant.

EPISTOLA XLVIII.

Quod mulieres circa monasteria monachorum non maneant, nec pueri ante octodecim annos in monasterio suscipiantur.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Sicut regiminis locum Deo, vt ipsi placuit disponente suscepimus, ita nos oportet de commissis nobis animabus esse sollicitos. Comperimus autem in insula Orphiana, in qua situm B. Petri Apostolorum principis oratorium esse dignoscitur, multos virorum cum mulieribus suis diuersorum patrimoniorum, illuc pro necessitate feritatis barbaricæ refugisse: quod importunum iudicauimus, vt dum alia refugiorum loca vicina sint, cur ibidem cum monachis debeant mulieres habitare. Propterea præsenti iussione præcipimus experiẽtiæ tuæ, vt à præsenti tempore nullam illic vlterius mulierem, siue Ecclesiasticis iuris sit, siue cuiuslibet alterius habitare, commanere ve permittas, sed refugium sibi, cum sicut prædictum est, tot loca vicina sint, vbi maluerint ipsi prouideant, vt omnis exinde mulierum conuersatio submoueatur: ne si quæ in nobis est curam gerere desiltamus, atq; inimici laqueis obuiare, nos exinde, quodabsit, si quid aduersi contigerit, culpabiles existamus. Præsentium itaque latori Felici abbati mille quingentas plumbi libras, de quo in eadem insula egere dignoscitur, dare non differas: quod tuis postmodum cum totius quantitatis summa noscetur, rationibus imputetur. Ita ergo fac, vt ipse prouideas, si in eiusdem insulæ fabrica expendi vtiliter valent. Quia autem dura est in insulis congregatio monachorum etiam pueros in eisdem monasterijs ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tueos experientia auferat, & in Romanam vrbem transmittat. Hoc & in Palmaria alijsque insulis te per omnia volumus custodire.

EPISTOLA XLIX.

De Horosio Abbate suscipiendo.

GREGORIVS, *Vniuersis Monachis in Christi monte insula constitutis.*

Peruenit ad nos, nulla vos monachicæ regulæ præcepta custodire. Pro qua re compulsi sumus præsentis præcepti portitorem Horosium abbatem ad vos dirigere, vt omnia acta vestra subtiliter exquirens, quæq; ei recta fuerint visa disponat, & nobis quæ ab eo ordinata fuerint renũciet. Proinde admonemus, vt omnem ei obedientiam præbeatis. Et quicquid dispoſuerit, velut à me dispositum, cum debita reuerentia custodite.

EPISTOLA L.

De Horosio Abbate in Gorgone insula ordinando.

GREGORIVS, *Symmacho defensori.* Filius meus Bonifacius diaconus dixit mihi, quòd experientia tua scripsisset, monasterium quondam ab Albina religiosa femina constructum paratum existere, vt in eo debeant monachi ordinari. Et quidem laudaui sollicitudinem tuam, sed volo vt excepto eo loco, qui iam in eandem rem dimissus est, locus alter debeat prouideri: ita tamẽ vt pro incertitudine temporis locus super mare requiri debeat, qui aut loci dispositione munitus existat, aut certè non magno labore muniri valeat, vt illuc monachos transmittamus: quatenus insula ipsa, quæ monasterium nuncusq; non habuit, etiam in huius conuersationis via meliorari debeat. Ad quam rem implendam atq; prouidendam, Horosium abbatẽ præsentis præcepti portitorem direximus, cum quo tua experientia littora Corsicæ circumeat: & si cuiuslibet personę priuatæ locus talis inueniri dignus potuerit, dignum parati sumus precium dare, vt possimus aliquid firmè cõstituere. Cui præfato Horosio iniunximus, vt in Gorgonem insulam pergat, cum quo tua experientia pariter eat, & mala omnia quæ illic cognouimus admissa, ita vindicate, vt per vltionem vestram præfata insula etiam in posterum maneat correcta. Huius insulæ monasteria fæpefatus abbas Horosius instituat, atq; ita ad nos remeare festinet. Ita igitur experientia tua faciat, vt ex vtraquere, id est, vel prouidendo in Corsica monasterio, vel corrigendis monachis in Gorgonia, nõ nostræ sed voluntati omnipotentis Dei parere festinet. Præterea volumus vt sacerdotes, qui in Corsica commorantur, prohiberi debeant, ne cum mulieribus conuersentur, excepta duntaxat matre, & sorore, vel vxore, quæ castè regenda est. Tribus verò de quibus prædicto filio meo Bonifacio diacono tua experientia scripsit: quia vehementer egent, quicquid eis sufficere æstimas impende, quod nos in tuis postmodum rationibus imputabimus. Data mense Iulio.

Vrgonis insula Plin. li. 3. cap. 6.

Sacerdotes cum feminis conuersari non debẽt. D. St. cap. 24.

EPISTOLA LI.

Canusinam Ecclesiam commendat.

Inf. libr. 5. ep. 41 & 42 li. 3. ep. p. 17.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Sipontino.* Peruenit ad nos, quòd Canusina Ecclesia ita sit sacerdotij officio destituta, vt nec pœnitentia ibidem decedentibus, nec baptisma præstari possit infantibus. Huius igitur tam piæ rei tamq; necessariæ mole permoti, iubemus dilectioni tuæ, vt huius præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ Ecclesiæ visitator accedas, & vel duos parochiales presbyteros debeas ordinare, quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitę, & morum grauitate præuideris, & quibus in nullo obuient constituta canonicæ disciplinæ, vt sanctæ cum digna cautela prouideatur Ecclesiæ.

Ead. sup. ep. 32.

EPISTOLA LII.

Præcipit consecrationem monasterij sancti Stephani.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Surrentino.* Religiosis desiderijs facilè est præbere consensum, vt fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Et quoniam Sauinus abbas monasteri S. Stephani insulæ Capris suggessit nobis, se S. Agathæ martyris reliquias iam olim apud se habere concessas, & in monasterio suo vult ipsa sanctuaria collocari: ideoq; ad prædictum monasterium te iubemus accedere, & si ibidem nullum corpus constat humatum, prædicta sanctuaria solenniter collocabis: vt deuotionis suæ potiatur effectu.

Reliquiæ martyrũ cultæ. Sãctuaria.

EPI-

EPISTOLA LIII.

Scribit de oppreßione Gaudioſi.

Sup. ep. 13. 37. 48. co. li. 4 ep. 23. & lib. 10. epiſt. 2. 3.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Non ſolùm frequentibus præceptionibus, ſed etiam præſentem te ſæpius monuiſſe me memini, vt illic vice noſtra, nõ tantùm pro vtilitatibus Eccleſiaſticis, quantum pro ſubleuandis pauperum neceſſitatibus fungereris, & eos magis cuiuslibet oppreſſionibus vindicares. Præſentium ergo lator Gaudioſus inſinuauit nobis ab actoribus ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſiæ, ſibi violentiam irrogari, aſſerens quod filios ſuos iuri prædictæ Eccleſiæ velint vindicare. Oblatis etenim ab eo documentis, agnouimus, Siricam vxorem præſentium portitoris ab Ecia quondã glorioſæ memoriæ, Morenæ cuidam feminæ, titulo donationis fuiſſe largitam, & ab eadem Morena per epiſtolam manu miſſam: & ideo indecens eſſe credimus, vt progeniti ex libera muliere filij ad ſeruitiũ retrahantur. Propterea experientiæ tuæ præſenti auctoritate præcipimus, vt his ipſis documentis ſicut & nos didicimus, exuto à curis animo, diligenter intendat, quatenus ſi documenta nulla ſunt ab Eccleſiæ parte, quæ documentis huius hominis debeant obuiare; ab eius ſe moleſtia ſine aliqua retractatione ſuſpendat. Durum enim eſt, vt ſi alij pro mercede ſua libertates retribuunt, ab Eccleſia, quam tueri has oportuerat, reuocentur. Iterum ergo atque iterum experientiam tuam neceſſariò ſubmonemus, vt illic ſi quæ inter pauperes & Romanam Eccleſiam ſanctam quæſtiones vertuntur, omni mentis integritate diſcutiat, ſicque patrimoniales vtilitates peragat, vt à benignitate iuſtitiæ non recedat.

EPISTOLA LIV.

De ſtipendijs in dedicatione Eccleſiæ ſanctæ Mariæ dandis.

Sup. ep. 29 30. 42. & 44 & 54. eo. & li. 2. ep. 9. 23. 39. 1.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono.* Feſtiuitatibus ſanctorum deſiderabiliter inſiſtentes, præſentis præceptionis noſtræ paginam, ad experientiam tuam neceſſe duximus dirigẽdam: indicantes ei, oratoriũ B. Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædificatum eſt, vbi Marinianus abbas præeſſe dignoſcitur, Auguſto menſe diſpoſuiſſe nos adiuuante Domino ſummoperè dedicari, quatenus cœpta noſtra operante Domino debeant conſummari. Sed quia cellæ ipſius tenuitas exigit, debere nos in ipſa diei feſtiuitate concurrere, propterea volumus, vt ad celebrãdam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus, in auro ſolidos decem, vini amphoras triginta, annonę modios ducẽtos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum, quæ in tuis poſſint rationibus poſtmodum imputari. Statim ergo fieri hæc nulla moræ interiectione conſtitue, vt vota noſtra Deo auctore celerem ſortiantur effectum.

Eccleſiæ dedicatio.

EPISTOLA LV.

Viſitationem Ariminenſis Eccleſiæ iniungit.

Sup. lib. 1. 16. & inf. epiſt. 55.

GREGORIVS, *Seuero Epiſcopo.* Fraternitatis tuæ edocti ſumus epiſtola, in perſona Odeatini de electione epiſcopatus aliquos conſenſiſſe: quem quoniam nos non concedimus, in eius non debent immorari perſona. Sed habitatoribus eiuſdem ciuitatis edicito, vt ſi in eadem Eccleſia dignum ad hoc opus inuenerint, in ipſius cuncti electione declinent. Alioquin præſentium tibi portitor perſonam de qua ei diximus indicabit, in cuius debeat fieri electione decretum. Vos etenim in eiuſdem viſitatione Eccleſiæ eſtote ſolertes atque ſolliciti, vt & res eius illibatæ ſeruentur, & vtilitates vobis diſponentibus more ſolito peragantur.

(?)

Electio epiſcopi à Pontifice improbatur.

EPISTOLA LVI.

De Epiſcopo eligendo.

Iuo p. 16. ca. 73.

GREGORIVS, *Vrſicino Duci, clero, ordini & plebi Ariminenſis ciuitatis.* Dilectionis veſtræ quàm ſit in expectatione pontificis prona deuotio, directæ relationis textus inſinuat. Sed quia ordinatorem vehementer in his oportet eſſe ſollicitum, noſtræ in hoc vtique cura deliberationis inuigilat. Ideoque caritatem veſtram ſcriptis præſentibus admonemus, vt nullus ſe debeat pro Odeatini ad nos fatigare perſona: ſed ſi in eadẽ ciuitate qui ad hoc ſit vtilis inuenitur, ita vt à nobis reprehendi non poſſit, veſtra concurrat electio. Si verò ad hoc dignus inuentus non fuerit, nos in quo pariter debeatis prębere conſenſum, præſentium diximus portitori. Vos autem vnanimes orate fideliter, vt quicunque fuerit ordinandus, & vobis vtilis poſſit exiſtere, & dignum Deo noſtro ſacerdotale exhibere ſeruitium.

Sup. ep. 40. 48. inf. 61. 65. 66. 67. & li. 4. ep. 31. lib. 9. ep. 23. eadem inſcr. ep. 65. lib. 11. epiſt. 25.

EPISTOLA LVII.

Palatinam illuſtrem feminam pro ſuſtentatione commendat.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Si proximorum neceſſitatibus habita compaſſione benigna mente concurrimus, noſtris proculdubio neceſſitatibus clemẽtem Dominum reperimus. Palatina ſiquidem femina illuſtris, continua hoſtilitate inſinuauit ſe plurimis neceſſitatib. ſubiacere. Propterea experientiæ tuæ præſenti auctoritate præcipimus, vti pro ſuſtentatione eius annuos triginta ſolidos dare nõ differas, qui tuis poſtmodum poſſint rationibus imputari. Ita ergo fac, vt & tu benè miniſtrando mercedis commodum percipias, & noſtra ad effectum præcepta perducas.

EPISTOLA LVIII.

De Epiſcopo eligendo.

Inf. epiſt. 39. eod.

GREGORIVS, *Clero & ordini & plebi conſiſtenti Perußiæ.* Miramur cariſſimi fratres in Chriſto, quare Eccleſiam Dei tanto tempore abſque rectore conſpicitis, ac de veſtro totiuſq; plebis regimine minimè cogitatis. Notum eſt enim, quòd grex, ſi paſtoris cura defuerit, per auia gradiatur, & ob hoc familiarius inimici laqueos inſidiantis incurrat. Vnde neceſſe eſt de his, qui Eccleſiæ militant, vnum, habito timore Domini perquirere, qui paſtoris miniſterium poſſit dignè ſuſcipere, atq; illic protegente Domino ſacramentorum diuinorum diſpenſator inſiſtere; quatenus & pro filijs Eccleſiæ veſtræ puræ quotidie mentis holocauſtum offerat, & viam gregi quomodo ad ſupernam patriam gradiatur, oſtendat.

Inf. lib. ep. 41. epiſt. ep. 58. 72. 77. 80. epiſt. 82.

EPISTOLA LIX.

De violentijs Theodori magiſtri militum.

GREGORIVS, *Gennadio Patritio & Exarcho Africæ.* Dei præ oculis vos indeſinenter habere timorem, ac ſectari iuſtitiam, ſubmiſſa hoſtium colla teſtantur: ſed vt gloriam veſtram in eadem proſperitate gratia Chriſti cuſtodiat, quæcunque perperam committi cognoſcitis, celeri, ſicut conſuetudo eſt, cohibitione compeſcite, vt armis iuſtitiæ prænuniti, hoſtiles impetus fidei virtute, quod eſt totius culmen virtutis, ſuperetis. Marinianus ſiquidem Turritanæ ciuitatis frater & coepiſcopus noſter, nobis lachrymabiliter indicauit, ciuitatis ſuæ pauperes omnino vexari, & commodalibus aſſligi diſpendijs. Inſuper & religioſos Eccleſiæ ſuæ homines, grauem ab hominibus Theodori magiſtri militum ſuſtinere moleſtiam, ac pati corporales iniurias; & quòd ad hoc vſque prorumpitur, vt in carcerem, (quod dici nefas eſt) retrudantur. Sæpe quidem etiam in cauſis ad Eccleſiam ſuam pertinentibus à præfato glorioſo viro grauiter impediri. Quæcunque ſint, ſi tamen vera ſint, reipublicæ diſciplinæ contraria vos ſcitis. Et quia hæc omnia veſtram excellen-

tiam

tiam conuenit emendare, salutans eminentiam vestram exposco, vt ea vlterius fieri non sinatis: sed ex opere illi iubete diligenti, vt ab Ecclesię se læsione remoueat, & nullus eorum in angarijs seu commodis vltra quam sinit ratio prægrauetur, aut si quæ causæ fuerint, non potentatus metu, sed legali ordine finiantur. Ita igitur quæso aspirante vobis Domino hæc omnia præceptionis nostræ interminatione corrigite, vt si non rectitudinis contemplatione, saltem formidine nostræ iussionis à talibus se gloriosus Theodorus, vel homines eius abstineant: quatenus, quod ad laudem vestram proficiat & mercedem, in partibus vobis commissis possit florere cum libertate iustitia.

EPISTOLA LX.

Catellam illustrem feminam commendat.

GREGORIVS, *Ianuario Archiepiscopo Caralitano Sardiniæ.* Si ipse Dominus noster viduarum se maritum, orphanorumq; patrem scripturæ sacræ profitetur testimonio, nos quoque membra corporis eius ad imitandum caput summo debemus mentis affectu intendere, & salua iustitia, orphanis & viduis præsto, si necesse sit, esse. Et quia insinuatum est nobis Catellam religiosam feminam, habentem filium suum hic in Sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, militantem, quorundam immissionibus vel inquietudinib. molestari: de ea re fraternitatem vestram scriptis præsentib. necesse duximus adhortandam, vt eidem prædictæ feminæ tuitionem ferre, salua iustitia, non declinet: sciens quòd de huiusmodi rebus & Dominum sibi debitorem faciat, & nostram circa se caritatem magis astringat. Causas enim prædictæ feminæ, siue sint, siue fuerint, nostro volumus iudicio terminari, vt foralis illi inquietudo submoueri debeat, & tamen à iudicij iustitia nullatenus excusetur. Oro autem Dominum, quò viam vestram cursu ad se prospero dirigat, & ad regnum venturæ gloriæ propitiatus ipse perducat.

EPISTOLA LXI.

Pompeianam religiosam commendat.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Calar. Sardiniæ.* Licet fraternitas vestra zelo iustitiæ se in diuersorum tuitionem congruenter impendat: proniorem tamen eam credimus prorsus existere in eorum solamina, quos ei nostra commendat epistola. Pompeiana igitur religiosa femina per hominem suum suggessit nobis, multa se quorundam hominum sustinere assiduè irrationabiliter grauamina, & ob hoc nobis supplicasse dignoscitur, vt nostris eam vobis commendaremus apicibus. Propterea salutantes fraternitatem vestram, debito caritatis affectu prædictam vobis feminam necessario duximus commẽdandam, vt comitante iustitia, in nulla eam fraternitas tua contra æquitatem grauari causa permittat, nec aliqua inconsultè pati dispendia. Sed si quas eam habere causas contigerit, in electorum iudicio, altercantium ventiletur contentio: & quæcunq; fuerint diffinita, ita tranquille ad effectum vobis solatiantibus perducantur, vt & vobis pro tali opere merces inhæreat, & nostris apicibus commendata gaudeat se inuenisse iustitiam.

EPISTOLA LXII.

Catellam religiosam commendat.

GREGORIVS, *Item Ianuario Archiepisco. Calaritano Sardiniæ.*

Pastoralis regiminis necessitate compellimur, vt orphanorum, viduarumque causis solertius quàm curis ceteris insistamus: & quia insinuatum nobis est Catellam religiosam feminam, habentem filium hic in sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, militantem; quorundam immissionibus vel inquietudinibus molestari: de ea re fraternitatẽ vestram scriptis præsentibus necesse duximus adhortandam, vt eidem prædictæ feminę tuitionem ferre salua iustitia non declinet: sciens quòd de huiusmodi rebus & sibi Dominum faciat debitorem, & nostram circa se caritatem astringat. Causas enim prædictæ feminæ siue sint, siue fuerint, nostro volumus iudicio terminari, vt foralis illi iniquetudo submoueri debeat, & tamen à iudicij iustitia nullatenus excusetur. Oro autem Dominum quò viam vestram cursu ad se prospero dirigat, & ad regnum venturæ gloriæ propitiatus ipse perducat.

EPISTOLA LXIII.

Scribit domum Petronij iniustè titulatam.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Sicut res ad ius Ecclesiæ pertinentes amittere non debemus, ita alienas appetere in ciuile esse nihilominus iudicamus. Et quoniam edocti sumus, domnum Petronij notarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, à Cõstantio tunc defensore irrationabiliter titulatam: experietiæ tuæ præsentis præcepti pagina demandamus, vt omni excusatione vel dilatione omissa, deposito titulo eandem domum præsentium latrici Theodoræ relictæ antedicti Petronij sine mora restituas: ne, quod absit, viduis inde præiudicium oriatur, vnde consolationis debent inuenire solatium.

Sup. 23. 37. 48. & 53. Inf. 65. 66. li. 4. ep. 23. lib. 8. ep. 9. 11. libr. 10. ep. 2. 3. li. 9. ep. 11. 10.

EPISTOLA LXIV.

Scribit vt consuetudines antiquas obseruet.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Messanensi.* Consuetudines, quæ Ecclesijs grauamẽ noscuntur inducere, nostra nos decet consideratione remittere: ne illuc aliqua cogantur inferre, vnde sibi inferenda debent potius expectare. Clericorum siquidem aliorum consuetudinem te oportet illibatam seruare, eisque annis singulis quæ sunt consueta, transmittere. Nobis autem de cetero ne quid transmittere debeas inhibemus. Et quoniam non delectamur xenijs, palmacianas quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus: sed eas, ne quod exinde potuisses sentire dispendium, digno fecimus precio venundari, & id fraternitati tuę transmisimus singillatim. Sed quia caritatem tuam ad nos venire velle cognouimus, scriptis præsentibus admonemus, vt ad veniendum non debeas laborem assumere, sed ora pro nobis, vt quanto nos itineris interualla dissociant, tanto animis nostris adinuicem Christo adiuuante simus in caritate coniuncti: quatenus nos alterna obsecratione iuuantes, susceptum officium venturo integrum iudici resignemus.

Sup. ep. 38. 64. Inf. lib. 2. epist. 10. 64. libr. 7. epist. 100. Ind. 2.

EPISTOLA LXV.

Pastorem quendam infirmum oculis commendat.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Si proximorum necessitatibus habita compassione benigna mẽte concurrimus, nostris proculdubio petitionibus Dominum clementem reperimus. Pastorem siquidem, qui nimia visus imbecillitate laborat, habentem coniugem, duoque mancipia, qui & cum Ionatha quondam glorioso fuerat, plurimis cognouimus necessitatibus subiacere. Propterea experientiam tuam per præsentis præcepti paginam admonemus, vti pro sustentatione eius annuos tritici modios XXIII. necnon & fabæ modios XI. dare non differas, quæ postmodum possint tuis rationib. imputari. Ita ergo fac, vt & tu benè ministrans mercedis & commodum percipias, & nostra ad effectum præcepta perducas.

Mense Augusto.

Sup. 37. 48 13. & 63. 65. 66. Inf. l. 4. epi. 23. 48. 59. 57. 62. 65. 66. Inf. hoc libr. 65. 66.

Sup.37.48. 53. 63. 65. 66. 67. & in 4.epist. 23. libr.10. epist. 2.3. & 58.

EPISTOLA LXVI.

Castigationem iniungit illorum, qui sacra vasa & ministeria Ecclesiastica Iudæis vendiderunt.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Fuscus Archiater ardore fidei prouocatus preces effudit, dicens Opilionem diaconum, sed & seruum Dei Crescentium, clericos Venafranæ Ecclesiæ, oblitos timorem futuri iudicij ministeria antefatæ Ecclesiæ Hebræo cuidam, (quod dici nefas est) vendidisse: id est, in argento calices duos, coronas cum delphinis duas, & de alijs coronis lilios, pallia maiora sex & minora septem. Et ideo mox vt præsentem iussionem experientia tua susceperit, memoratos Ecclesiasticos ad se faciat indifferenter occurrere, & requisita veritate, si ita esse sicut suggestum est constiterit, memoratum Hebræum, qui oblitus vigorem legum, præsumpsit sacra ciuiliter comparare, per iudicem prouinciæ faciat conueniri, & sine aliqua mora antefata ministeria restituere compellatur, vt ex eis sæpefatæ Ecclesiæ nihil possit imminui. Ipsum autem diaconum vel clericos, qui tantum nefas commiserunt, in pœnitentia relegare non differas, vt tale tantumque delictum suis lachrymis possint diluere.

Sup.ep.19. 18. 35. 39. 42. 44. 54. Inf.67.69. 78.71. li.2 epi. 19 23. & 29.&39.

EPISTOLA LXVII.

Vt exteriorem curam monasterij Fausto commendet.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono Siciliæ.* Sicut studij nostri esse condecet, à litigijs foralibus monachos submouere, vt diuinis ministerijs piè ac solerter inuigilēt; ita necesse est nostra prouisione, quemadmodum negocia eorum disponi debeant ordinare, ne distenta mens per varias causarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum eneruata torpescat. Præsentium itaque lator Abbas Ioannes plurima se monasterij sui asserit habere negocia. Pro qua re experientiam tuam per præsentis scripti paginam admonemus, quatenus cum Fausto, qui Romani viri magnifici ex prætore cancellarius fuerat, loqui debeat. Cuius si pronam ad hanc rem compereris voluntatem, ei monasterij ipsius generaliter debeas constituto solatio commendare negocia. Expedit enim paruo incommodo à strepitu causarum seruos DEI quietos existere, vt & vtilitates cellæ per negligentiam non pereant, & seruorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant.

Sup.epi.1. lib.eod. & inf. ep.45. lib.9.

EPISTOLA LXVIII.

Vt hi caueant de his qui fallaciter angarias accipiunt.

GREGORIVS, *Vniuersis Episcopis per Siciliam.* Fraternitatis vestræ diu iam probata deuotio tanto nos compellit pro vobis cautè prouidere, quanto vos astruit audito nostræ Ecclesiæ damno, studiosè concurrere. Cognouimus quosdam in Sicilia insula simulantes se Sedis Apostolicæ defensores, de frumento vos in angarijs, alijsque rebus affligere: necessarioque duximus eorum fallaciæ scriptis præsentibus obuiare. Ideoque fraternitatem vestram caritate debita salutantes magnoperè commonemus, vt nullo modo talibus deinceps apud vos locus surrependi remaneat: sed quisquis ille est, si reuera sedis nostræ fuerit notarius vel defensor, nisi nostra vos specialiter, vel rectoris nostri patrimonij scripta detulerit, nullis per nomen Ecclesiæ nostræ potiatur angarijs: nec aliqua vobis ab eo grauamina imponi permittatis, sed suis vtilitatibus iter suum proprijs, vt nouit, disponat expensis. Nec quemquam ab eo in locis istis patiamini molestari. Hæc etenim quæ nostris apicibus pro vestra vestrorumque quiete inhibuisse cognoscimur, sic constantius conseruate, vt hoc exuti grauamine, diuinis obsequijs deuoti ac paratiores inueniri valeatis.

Sup. ep. 3. 67. 18. 39. 42. 44. 54. & 67. 69. 70.71.li.2. ep.19.23. & 39.

EPISTOLA LXIX.

Tuitionem Cyriaci & Ioannæ commendat.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono.* Egentibus nostræ commendationis auxilio, oportet nos, in quantum ratio patitur, benigna mente præbere subsidium. Proinde experientiæ tuæ Cyriacum & Ioannam coniugem eius, præsentium portitores, nostra præceptione duximus commendandos, quatenus à nullo eos contra iustitiam opprimi vel grauari permittas. Sed vbi necesse fuerit tuis, annuente iustitia, solatijs perfruantur: vt salua æquitate, nostram sibi in omnibus commendationem te concurrente prodesse lætentur. Quia verò præfata femina, pro eo quòd post acceptas sponsalitias arrhas, ex Iudæa ad Christianam religionem conuersa est, dicitur sustinere molestiam; & eandem causam iam dictam asseruit, & finitam experientia tua diligenter exquirat: & si causam iudicatam cognouerit, nullam exinde querelam aduersus suprascriptam feminam vlterius quolibet modo reserpere permittat. Sed quæ iudicata sunt, modis omnibus conseruentur, ne ob id quod meliorem partē elegisse dignoscitur, malorum hominum controuersijs quatiatur.

Sup.ep. 18. 35. 42. 14.15.17. & 69.

EPISTOLA LXX.

Ne Episcopi ante hyemem ad se veniant. Et de comparatione frumenti.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono.* Quia fratres & coepiscopos nostros in Sicilia insula commorātes, ad beati Petri Apostoli natalitium diem conuenisse voluimus, scriptis præcedentibus agnouisti. Sed quia ea causa, quæ cum viro magnifico Iustino exprætore dicitur, eorum iter interim præpediuit, & quia iam tempus veniendi & redeundi non sinit, eos nolumus ante hyemem fatigari. Gregorium verò Agrigentinum, & Leonem Catanensem, & Victorem Panormitanum per omnia volumus ad te ante hyemem proficisci: Quinquaginta verò auri libris, quas habes, noua frumenta ab extraneis compara, & in Sicilia in locis in quibus non pareant, repone: vt mense Februario illuc naues quantas possumus, dirigamus, & eadem ad nos frumenta deferantur: sed etsi nos transmittere cessamus, ipse naues prouide, & ad nos auxiliante Domino Februario mense transmitte hæc eadem frumenta, exceptis duntaxat frumentis, quæ nunc mense Septembri vel Octobri, iuxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ita ergo experientia tua faciat, vt sine alicuius vexatione coloni Ecclesiæ, frumenta congregentur: quia tantū hic parua natiuitas fuit, vt nisi auxiliante Deo frumenta de Sicilia congregentur, fames vehementer immineat. Naues verò quæ commendatæ Ecclesiæ sanctæ semper fuerunt, in omnibus tuere, ad quod tibi etiam directæ glorioſi viri Leonis exconsulis epistolæ concurrunt. Multi verò huc veniunt, qui terras aliquas vel insulas in iure Ecclesiæ nostræ, in emphyteusim sibi postulant dari: & aliquibus quidem negamus, aliquibus verò iam concessimus. Sed tua experientia sanctæ Ecclesiæ vtilitatem conspiciat, memor, quòd ante sacratissimum beati Petri Apostoli corpus, potestatem patrimonij eius acceperit. Et licet hinc scripta decurrant, quod vtilitatem patrimonij impendit, fieri nullo modo permittat, quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscimur, vel dare disponimus.

(:)

S. Leon. 4.cap.

EPISTO-

EPISTOLA LXXI.

De possessionibus Tauromenitanæ Ecclesiæ iniustè occupatis.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono.* Quanto Apostolicæ Sedi ab Ecclesijs reuerẽtia cæteris exhibetur, tanto eam in earum decet esse tuitione sollicitam. Et quia domus vel fines vel possessiones Tauromenitanæ iuri Ecclesiæ pertinentes, ab actionarijs dicuntur nostræ Ecclesiæ contra rationis ordinem occupatæ, experientiæ tuæ præsentis huius præcepti paginam deputamus, quatenus cognita veritate, si ita est, cuncta quæ occupata didiceris, in antefatæ Ecclesiæ pristina iura restituas. Quia verò peruenit ad nos, viuente adhuc Victorino Episcopo eiusdem Ecclesiæ perisse pecunias, ad earum requisitionem te Secundino fratri & coëpiscopo nostro volumus præbere solatia: & vtilitatibus eiusdem Ecclesiæ in quo necessarium fuerit, salua æquitate concurrere. Ita etenim cuncta quæ in huius præcepti pagina continentur, effectui mancipare festina, vt de æquitate seruata præfati Episcopi relationibus ipse lauderis.

EPISTOLA LXXII.

De concilio contra hæreticos faciendo.

GREGORIVS, *Gennadio Patricio & Exarcho Africæ.* Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet etiam inimicis Ecclesiæ omni viuacitate mentis & corporis obuiare, quatenus eius ex vtroque triumpho magis ac magis enitescat opinio; cùm & forentibus bellis aduersarijs Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistitis, & Ecclesiastica prœlia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viros si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda, si valuerint, Christiani corporis membra transfundant. Cognouimus enim eos contra Ecclesiam Catholicam, Domino eis aduersante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premat. Concilium verò Catholicorum Episcoporum admoneri præcipite, vt primatem non ex ordine loci, postpositis vitæ meritis, faciat: quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Ipse verò primas non passim sicut moris est, per villas, sed in vna iuxta eorum electionem ciuitate resideat, quatenus adeptæ dignitatis meliori ingenio resistendi Donatistis possibilitas disponatur. Ex concilio verò Numidiæ, si qui desiderarint ad Apostolicam Sedem venire, permittite, & si quilibet eorum viæ contradicere voluerit, obuiate. Magna profectò excellentiæ vestræ apud creatorem gloria proficit, si per eam dispersarum Ecclesiarum potuerit societas restaurari. Cùm enim largita munera ad nominis sui gloriam conspicit reuocari, tanto largiora tribuit, quanto per ea religionis suæ dignitatem viderit ampliari. Persoluentes præterea paternæ caritatis affectum, Dominum petimus, quo brachium vestrum ad comprimendos hostes fortè efficiat, & mentem vestram zelo fidei velut mucronem gladij vibrantis exacuat.

EPISTOLA LXXIII.

Gratiarum actiones facit pro beneficijs sancto Petro collatis.

GREGORIVS, *Gennadio Patricio & Exarcho per Africam.*

Si non ex fidei merito, & Christianæ religionis gratia, tanta excellentiæ vestræ bellicorum actuum prosperitas eueniret, non sum moperè miranda fuerat, cùm sciamus etiam hæc antiquis bellorum ducibus fuisse concessa. Sed cùm futuras Deo largiente victorias non carnali prouidentia, sed magis orationib. præuenitis, fit vt hoc in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat. Vbi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio? Quæ bella vos frequenter appetere non desiderio fundendi sanguinis, sed tantum dilatandæ causa reipublicæ, in qua Deum coli conspicimus, loquitur; quatenus Christi nomen per subditas gentes, fidei prædicatione circumquaque discurrat. Sicut enim exteriora vos virtutum opera eminentes in hac vita constituunt, ita & interna morum ornamenta ex corde mundo procedentia, in futuram vitam cœlestium gaudiorum participatione glorificant. Plurima enim pro pascendis ouibus beati Petri Apostolorum principis vtilitatibus, excellentiam vestram præstitisse didicimus: ita vt non parua loca patrimonij eius proprijs nudata cultoribus, largitis * Datitiorum habitatoribus restauraverit. Quæcunque igitur illic Christiana mente confertis, horum retributionem per spem in futuro iudicio sustinetis. Quamobrem præsentium quoque latorem Hilarium nomine, eminentiæ indicauimus commendandum vestræ, vt in his quæ sibi necessaria, iustitia tamen præeunte, suggesserit, solitum ei impendatis affectum. Persoluentes autem paternæ charitatis alloquium, petimus Dominum Saluatoremque nostrum, quo eminentiam vestram pro solatio reipublicæ sanctæ, misericorditer protegat, & ad dilatandum per finitimas gentes nomen eius, magis magisque brachij sui firmitate confortet.

* al. Daratitiorum Daraticæ Mauritaniæ populi. Plin. li. 5. ca. 1.

EPISTOLA LXXIV.

Congratulatur pro beneuolentia eius.

GREGORIVS, *Gaudioso magistro militum Africæ.* Sicut lucernæ lumen per collimitantia quæq; quo lucet loca diffunditur; ita cuiuslibet personæ bonorum affectuum probitas non solùm quo degit, sed per diuersas prouincias fama loquente cognoscitur; vt quoniam præsentiæ nulla potest esse notitia, hoc discursus opinionis efficiat, quod rei veritas per præsentiam poterat exhibere. Didicimus enim diuersos iudices, qui ad ministrandam Africanam prouinciam diriguntur, summa gloriam vestram familiaritate diligere. Quod non procederet, nisi apud eosdem iudices mentis eius sinceritas appareret, vt adeptam administrationem consilij vestri participatione disponerent. Et quidem maximas Deo gratias referimus, cùm tales habere proprios prouincias habitatores agnoscimus, qui ingenita nobilitate polleant, & potentibus viris adhæreant, prouincialibusque suis ad remedium, adepta temporum opportunitate consistant. Persoluentes itaque paternæ caritatis affectum, præsentium latorem, quem illuc ad ordinandas res pauperum direximus vestræ gloriæ commendamus: quatenus ei quæ necessaria fuerint, salua iustitia tribuatis. Oro autem Dominum, quo vitam vestram in omni bono custodiat, actusque vestros misericordiæ suæ dono disponat.

EPISTOLA LXXV.

Vt nullum ex Donatistis ordinent.

GREGORIVS, *vniuersis Episcopis Numidiæ.* Si quando carissimi in Christo fratres, inter virentes segetes zizaniorum quædam se infert importuna commixtio, hanc radicitus necesse est cultoris manus adimat, ne futurus fœcundæ segetis fructus possit intercipi. Et nos ergo, qui licèt indigni, Dominici agri culturam suscepimus, ab omni zizaniorum scandalo ingenuam reddere segetem festinamus, quatenus ager Domini redditu abundantiori fructificet. Petistis etenim per Hilarium chartularium nostrum, à beatæ memoriæ prædecessore nostro, vt omnes vobis retro temporum consuetudines seruarentur, quas à beati Petri Apostolorum principis, ordinationum initijs hactenus vetustas longa seruauit. Et nos quidem iuxta seriem relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, siue de primatibus constituendis, cæteris{q}; capitulis, exceptis his, qui ex Donatistis ad episcopatum perueniũt, quos prouehi ad primatus dignitatem,

Dist. 11. c. 6. Iuo. p. 65.

tatem, etiam cùm ordo clericorum eos ad locum eũdem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis tantummodò curam gerere: non autem etiam illos antistites, quos Catholica fides in Ecclesiæ sinu & edocuit & genuit ad obtinendum culmen primatus anteire. Vos ergo fratres carissimi, admonitiones nostras zelo caritatis Dominicæ præuenite, scientes, quòd districtus iudex ad examinandum deducturus est cuncta quæ gerimus, & vnumquemque nostrum non ex prærogatiua sublimioris gradus, sed ex operum meritis approbabit. Quæso ergo, vosmetipsos inuicem alterna pace diligite in Christo, & hæreticis vel inimicis Ecclesiæ vno cordis intuitu obuiate. De proximorum animabus estote solliciti, ad fidem quos valetis prædicatione caritatis, prætenso etiam terrore iudicij suadere: quoniam pastores constituti estis, & Dominus gregum ab ijs quibus commisit pastoribus, fructum multiplicati gregis expectat. Qui si proprij gregis augmentum adhibito studio diligentiori prospexerit, multiplicibus profectò vos cœlestis regni muneribus decorabit. Persoluens præterea fraternæ dilectionis alloquium, oro Dominum, qui nos animarum pastores quos elegit, antè se dignos efficiat; sed hic actus nostros, quos in futura vita dignè suscipiat, ipse disponat.

EPISTOLA LXXVI.

Lib. 1. ep. 51. li 8. ep. 49. ind. 3.

Visitationem iniungit Alerienſis Eccleſiæ.

GREGORIVS, *Leoni Epiſcopo in Corſica.* Paſtoralis nos cura conſtringit, Eccleſiæ ſacerdotis moderamine deſtitutæ, ſolicita conſideratione concurrere. Et quoniam Eccleſiam Alerienſem ante annos plurimos, obeunte eius pontifice, omnino deſtitutam agnouimus; fraternitati tuæ viſitationis eius operam duximus iniungendam, quatenus tuis diſpoſitionibus eius poſſit vtilitas propagari. In qua etiam Eccleſia vel eius parochijs, diaconos atque presbyteros tibi concedimus ordinandi licentiam. De quibus tamen tui ſit ſtudij diligentius perſcrutari, vt eorum perſonæ à ſacris nullo modo canonibus reſpuantur. Sed quos fraternitas tua tanto dignos miniſterio perſpexerit, eorumque mores & actus huic ordinationi concordare cognouerit, eos auctoritatis noſtræ permiſſione, ad prædictum promoueat licenter officium. Cunctis igitur rebus ſuperſcriptæ Eccleſiæ, vt proprium te volumus vti pontificem, vſque ad ſecundam noſtram epiſtolam. Ita ergo in omnibus his diligens eſto ac ſollicitus, vt tua diſpenſatione vtilitates Eccleſiaſticæ ſalubriter modis omnib. Deo valeant auctore diſponi.

Sup. ep. 51. eo. inf. ep. 31. li. 2. & ep. 39. li. 4.

EPISTOLA LXXVII.

Lib. 11. ep. 11.

Præcipit de Tamitana Eccleſia tranſire in Alerienſem.

GREGORIVS, *Martino Epiſcopo in Corſica.* Iuſta poſcentibus, aurem nos oportet beniuolam commodare, quatenus & petentes remedia ſperata, reperiant, & Eccleſiæ non deſit ſollicitudo paſtoris. Et quoniam Eccleſia Tamitana, in qua dudum fuerat honore ſacerdotali tua fraternitas decorata, ita eſt delictis facientibus, hoſtili feritate occupata atque diruta, vt illuc vlterius ſpes remeandi nulla remanſerit: in Eccleſia Alerienſi, quæ iam diu pontificis auxilio deſtituta eſt, cardinalem te ſecundùm petitionis tuæ modum, hac auctoritate conſtituimus ſine dubio ſacerdotem. Ita ergo ſtudio vigilanti cum Dei amore ſecundùm canonum præcepta, cuncta diſpone vel ordina, vt & fraternitas tua ſuis deſiderijs ſe gaudeat fuiſſe potitam, & Eccleſia Dei alterno gaudio repleatur cardinalem te ſuſcepiſſe Pontificem.

Io. Diac. 3. c. 15.

Inf. ep. 79.

(·.·)

EPISTOLA LXXVIII.

Inf. li. 7. ep. 75.

De epiſcopo eis ordinando.

GREGORIVS, *Clero, & Ordini, & Plebi Vianenſis Eccleſiæ.* Quotiens res aliqua pluribus agenda committitur, dum quiſquis diſſentit ab altero, diſpendijs potiùs quàm vtilitatibus aditus reſeratur. Quod nos prouidentes, ne hoc veſtræ contingere poſſit Eccleſiæ, eius curam vtilitateſque Honorato presbytero ad præſens committendas elegimus, quatenus res vtilitateſq; Eccleſiæ per eum & procurari valeant, & modis omnibus cuſtodiri. Ideoq; dilectionem veſtram ſcriptis præſentibus adhortamur, quatenus, vt vobis poſſit ordinari ſacerdos, inuicem veſtræ voluntatis omnino in vnius digna electione concordet aſſenſus, nec amplius Dei Eccleſiam officio patiamini vacare pontificis. Quouſq; verò Eccleſiæ ipſi ſacerdos fuerit ordinandus, omnem ſupradicto presbytero, ſicut diximus, ſollicitudinis eius curam commiſimus. Ita ergo ſe veſtra dilectio in his omnibus exhibere feſtinet, vt amorem vos Eccleſiæ habere, pronæ deuotio mentis oſtendat.

EPISTOLA LXXIX.

Sup. eo. ep. 24. & li. 5. ep. 19.

De Martino epiſcopo eis de alia Eccleſia ordinando.

GREGORIVS, *Clero, & Nobilibus Corſicæ à paribus.* Et ſi vos multo iam tẽpore ſine pontifice eſſe Dei eccleſiam nõ doletis, nos tamẽ de eius regimine cogitare & ſuſcepti cura compellit officij, & veſtræ quamplurimùm caritas dilectionis aſtringit, ſcientes quòd in eius gubernationibus animarum veſtrarum ſimul conſiſtit vtilitas. Nam ſi gregi paſtoris cura defuerit, facilè laqueos inſidiatoris incurrit. Ea de re quoniã Eccleſia Alerienſis ſacerdotis diu eſt auxilio deſtituta, neceſſarium duximus, Martinum ſtatrẽ & coëpiſcopum noſtrum ibidem cardinalem conſtituere ſacerdotem: Leoni verò fratri & coëpiſcopo noſtro operam eius viſitationis iniungere. Cui etiam in ea, parochijſque ipſius presbyteros atque diaconos conceſſimus ordinandi licentiam, cumq; rebus eius quouſq; illic fuerit, vt propriũ pontificem vti permiſimus. Ideoque ſcriptis præſentibus admonemus, vti præfatum viſitatorem caritas veſtra cum omni deuotione ſuſcipiat, eiq; obedientiam in ijs, quæ rationi conueniunt, ſicut Eccleſiæ decet filios, exhibete, quatenus omnia, quæ ad vtilitatem ſuprascriptæ pertinere cognoſcuntur Eccleſiæ, veſtra valeat ſuffultus deuotione implere.

Sup. ep. 24. cod.

EPISTOLA LXXX.

Lib. 1. ep.

De quibuſdam poſſeſſionibus iniuſtè detentis.

GREGORIVS, *Laurentio Epiſcopo Mediolanenſi.* Scripta fraternitatis veſtræ ſuſcipiens, gratias omnipotenti Deo retuli, qui deſiderabili me ſoſpitatis eius nuncio releuauit. Quod autem perhibetis ab exactione patrimonij Siciliæ prouinciæ ſanctæ, cui Deo præſidetis auctore, Eccleſiæ, certam redhiberi pecuniæ quantitatem, pro eo quòd ab actorib. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ illo in tempore patrimonij Eccleſiæ veſtræ celebrabatur exactio; neceſſarium fuit iuxta tenorem ſcriptorum à vobis directorum, acceptarum illatarumq; pecuniarum ſummam inſpicere, & totius ratiocinij meritũ ſubtiliter indagare; quibus perſpectis nihil à ſancta Romana Eccleſia Eccleſiæ veſtræ allegatum eſt redhiberi. Sed quia dum Conſtantius diaconus veſter ad ea quæ obiecta à noſtris fuerant, aliud allegauit; examen negocij venit in dubium, quòd ſubtilius poterat ventilari, ſi qua perſona exiſteret, cum qua definiri aliquid ſtabiliter potuiſſet. Proinde neceſſe eſt, Sanctitas veſtra hac de re perſonam inſtituat, cum qua Romana Eccleſia aliquid debeat ſolidè definire, vt ſiue nihil debet, ex iudicio pateat, ſeu aliquid debet, reſtituat: & perſonam quam inſtituitis, ſecuritatem ſolenniter emittat.

EPISTOLA LXXXI.

De superbia Liberati diaconi comprimenda.

GREGORIVS, *Ianuario archiepiscopo Caralis Sardiniæ.* Scriptis tuis cor nostrum lætificasse dignosceris, quòd te mandatorum nostrorum memorem fuisse testatus es. Et quia memoriter retinemus ea, quæ nos fraternitati tuæ mandasse commemoras, quemadmodum disponendum sit, vbi voluntatis nostræ expectatur auctoritas, scriptis præsentibus breuiter respondemus. Liberatus igitur de quo nobis tua fraternitas indicauit, qui diaconij fungi perhibetur officio, si à decessore tuo non factus est cardinalis, ordinatis à te diaconibus nulla debet ratione præponi; ne eos, quos consecrando probasse cognosceris, reprobare supponendo quodammodo videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia ab intentus sui prauitate compesce, & vltimum inter diaconos stare constitue, ne dum se illicitè præferri contendit immeritus, loco in quo nunc situs est, iudicetur. Cuius tamen si obedientia fuerit inuitatus, & cum post hæc cardinalem facere volueris, nisi pontificis sui concessionem solenni more meruerit, abstinendum ab omni eius incardinatione memineris: quoniam æquitati conuenire non ambigis, vt alijs seruare non differas, quod ipse quoq; tibi seruari desideras.

EPISTOLA LXXXII.

Quod de Episcopi facinore perquiratur.

GREGORIVS, *Hilario Monacho Africæ.* Felicissimus atque Vincentius diacones Ecclesiæ Lamigensis, oblata petitione, quæ tenetur in subditis, suggesserunt ab Argentio eiusdem ciuitatis episcopo grauem se iniustitiam pertulisse, & accepto præmio Donatistas in Ecclesijs fuisse præpositos, eúque inter alia non leue aliud facinus, quod dici nefas est, commisisse commemorant. Propterea experientiæ tuæ præsenti pagina præcepti duximus iniungendum, quatenus præfatum Episcopum idoneæ satisfactioni cómittere non omittas, tuaque instantia in locis illis fiat ex more Concilium, & omnia secundùm oblatæ petitionis textum canonicè coram positis partibus subtili indagatione perquirantur. Et quæcunque eorum iudicio fuerint terminata, te exequente modis omnibus compleantur. Ita ergo cum omni te viuacitate huic causæ volumus præbere instantiam, vt ad examinanda quæ iussimus, nulla possit subnecti dilatio, sciturus non in leuem te offensam incurrere, si nostra quacunque excusatione lentata fuerit præceptio.

LIBER SECVNDVS.

IN NOMINE DOMINI.

INCIPIT DE INDICTIONE DECIMA, & de anno ordinationis eius secundo.

Mense Septembri.

IMPORIBVS Papæ Gregorij, consulatus Mauricij Augusti anno septimo, depositus est Laurentius, qui primus fuerat in ordine diaconij Sedis Apostolicæ, propter superbiam & mala sua, quæ tacenda duximus: & factus est archidiaconus Honoratus coram omnibus presbyteris & diaconibus notarijsque, subdiaconibus, vel cuncto clero in basilica aurea.

Charta quæ relicta est de letania maiore, in Basilica sanctæ Mariæ.

SOLENNITAS annuæ deuotionis nos filij dilectissimi admonet, vt letaniam quæ maior ab omnibus appellatur, sollicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare, per quam à nostris excessibus eius misericordiæ supplicantes, purgari aliquatenus mereamur. Considerare etenim nos conuenit dilectissimi, quàm varijs, continuisque calamitatibus pro nostris culpis atque offensionibus affligamur, & qualiter item cœlestis pietatis nobis subinde medicina subueniat. Sexta igitur feria veniente à titulo beati Laurentij martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes ad beatum Petrum Apostolorum principem, Domino supplicantes cum hymnis & canticis spiritalibus properemus, vt ibidem sacra mysteria celebrantes, tam de antiquioribus quàm de præsentibus beneficijs pietati eius, in quantum possumus, referre gratias mereamur. Inf. eo ep. 54.

EPISTOLA I.

De monachis in monasterio sancti Michaelis.

GREGORIVS, *Petro Notario.* Monasterium sancti Archangeli, quod Tropeis est constitutum, indicante præsentium portitore, victus habere necessitatem didicimus. Ideoque experientia tua diligenter inuigilet: & si eiusdem loci monachos benè se tractare noueris, in quibus eos necessitatem habere manifesta veritate patuerit, eis subuenire hac auctoritate suffultus, modis omnibus festinabis, sciturus tuis rationibus quicquid nostra præceptione præbueris, imputandum. Sed & terrulam Ecclesiæ nostræ vicinam, quam solidum vnum & tremisses duos pensitare asserunt, si ita est, sibi libellario nomine ad summam tremissis vnius habere concede. Studij ergo tui sit hæc omnia ita complere: (sicut diximus) eius loci monachi in Dei seruitio, sicut decet, solerter persistiterint.

EPISTOLA II.

De mortalitate & conuersione Longobardorum.

GREGORIVS, *Præiectitio Episcopo Narnienſi.* Peruenit ad nos, peccatis imminentibus, in ciuitate vestra Narnienſi mortalitatem omnino grassari: quæ res nos nimis afflixit. Quamobrem salutantes fraternitatem tuam modis omnibus suademus, vt à Longobardorum siue Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione siue exhortatione nulla ratione cessetis, & maximè à gentilium & hæreticorum, vt ad veram, rectamque fidem Catholicam conuertantur. Sic enim aut diuina misericordia pro sua eis forsitan conuersione, & in hac vita subueniet, aut si eos migrare contigerit, à suis quod & magis optandum est, transient facinoribus absoluti. Ioa. Diac. 8. c. 50.

EPISTOLA III.

De Episcopo eligendo.

GREGORIVS, *Clero, & Nobilibus, ordini & plebi consistentibus Neapoli.*

Quamuis spiritalium sincera deuotio filiorum pro matre Ecclesia nullius adhortationis indigeat: ne tamen se neglectam existimet, epistolari debet alloquio prouocari. Propter quod dilectionem vestram commonitione paternæ caritatis aggredior, vt profusis lachrymis Redemptori nostro vnanimiter gratias referatis, qui sub tam peruerso doctore vos per auia gradientes, ad iter rectum perduxit, & tam indigni pastoris crimina publicauit. Demetrius siquidem, qui necantè Episcopus dici meruerat, tantis ac talibus nequitijs inuentus est inuolutus, vt si secundùm suorum qualitatem facinorum iudicium sine misericordia recepisset, diuinis mundanisque legibus durissima proculdubio fuerit morte plectendus. Sed quia pœnitentiæ reseruatus, sacerdotij honore priuatus Inf. ep. 6. 7. li. 8. ep. 40. Lib. 7. ep. 39.

p. iuatus est, Ecclesiam Dei sine ductore diu vacare non patimur: quia & canonicis regulis est constitutum, vt defuncto vel sublato pastore, diu sacerdotio priuari Ecclesia non debeat. Ideoque caritatem vestram scriptis præsentibus duximus necessariò commonendam, vt ad eligendum Pontificem nec mora, nec discordia, quæ consueuit scandala generare, proueniat. Sed talem vobis cum omni sollicitudine personam exquirite, in qua & omnium adunata possit gaudere concordia, & sacris nullo modo canonibus respuatur, quatenus officium quod nefandissimus hominum malè gerendo polluerat, quisquis ille per Dei gratiam fuerit ordinatus, ipso quoq; suffragante, digna valeat administratione complere.

Inf. l. 2. ep. 18. 28. 38 & l. 3. ep. 42. 53.

EPISTOLA IIII.

Præcipit vice sua esse super omnes Ecclesias Siciliæ.

Ioa. Diac. 3. c. 25.

GREGORIVS, *Maximiano Episcopo Syracusano.* Mandata cœlestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur. Proinde super cunctas Siciliæ Ecclesias reuerendissimum te virum Maximianum fratrem & coëpiscopum nostrũ vices Sedis Apostolicæ ministrare decernimus, vt quisquis illic religionis habitu censetur: fraternitati tuę ex nostra auctoritate subiaceat: quatenus eis non sit necessarium post hæc pro paruulis ad nos causis tanta maris spacia transmeando peruenire: sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ iudicio nequaquam dirimi possint, hæc solummodo nostrum iudicium flagitent, vt subleuati de minimis, in causis maioribus efficacius occupemur. Quas videlicet vices non loco, sed personæ tribuimus: quia ex transacta in te vita didicimus, quid etiam de subsequenti tua conuersatione præsumamus.

Mense Decembri, Indictione Decima.

Sup. li. 1. ep. 12.

EPISTOLA V.

Ægrotis quæ ab Ecclesia consueta perceperunt neganda non esse.

7. q. 1. c. 2.

GREGORIVS *Candido Episcopo de Vrbe veteri.* Cùm percussio corporalis imminet, vtrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc iudicium ignoratur; & ideo non debet à nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ quod absit, offensa respiciat. Et quia præsentiũ lator Calumniosus pro hac percussione quam sustinet, consueta sibi commoda ab Ecclesia vestra asserit negari. Idcirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis, quatenus nihil eum ad percipienda quæ consueta sunt, hæc ægritudo debeat impedire: quia diuersis in Ecclesia militantibus, varia, sicut nôsti, sæpè contingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cætero qui Ecclesiæ militet, poterit inueniri: sed secundùm loci eius ordinem quæque ei si sanus esset, poterit ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accedere, fraternitas tua diuini contemplatione iudicij ægrotanti præbere non desinat, quatenus in huius rei administratione ad eleemosynam potius videaris, quæ sunt consueta exoluendo conuertere.

Ioa. Diac. 4. c. 33.

Sup. ep. 5.

EPISTOLA VI.

De eligendo Paulo Episcopo.

Inf. ep. 7.

GREGORIVS, *Ordini & Plebi consistenti Neapoli.* Quale de Paulo fratre, & coëpiscopo nostro habeat caritas vestra iudicium, directa à vobis relatio patefecit. Quem quoniam ita estis in paucis diebus experti, vt eum cardinalem habere desideretis Episcopum, gratulamur. Sed quia summis in rebus citum non oportet esse consilium, & nos quid fiendum sit, matura subinde Christo adiuuante deliberatione disponimus, & vobis melius tractu temporis qualem se exhibeat innotescet. Ideoq; filij dilectissimi prædicto viro, si eum verè diligitis, obedite, deuotisq; ad eum mentibus occurrione pacifica conuenite, quatenus ita vos ad alterutrum dilectio mutuæ caritatis astringat, vt inimicus sæuiendo circumuolans, in nullo viam nanciscatur ad vestram dissociandam vnanimitatem, qua labrepat. Præfatum quoq; Episcopum dum fructum animarum, quem desideramus Deo nostro, ipso quoque suffragante facere senserimus, quidquid post hæc de eius persona, vestroque desiderio cordi nostro inspiratio diuina ministrauerit, faciemus.

Inf. ep. 11.

EPISTOLA VII.

De officio Sacerdotali.

GREGORIVS, *Paulo Episcopo Neapolitano.* Si sacerdotale quod suscepimus, securè ministramus officium, & diuinũ adiutorium, & dilectio nobis spiritalium aderit sine dubio filiorum. Propterea ita se fraternitas tua in cunctis studeat exhibere, quatenus testimonium quod de ea Neapolitanæ ciuitatis clerus, nobilitas simul habet & populus, bonitatis tuæ roboretur augmento. Sic ergo in te præfati populi adhortatione assidua debes occupatione constringere, vt verbi tui fructum, quem ex eis fueris operatus, in suis horreis diuinus condat agricola. Quousq; verò de ijs quæ à nobis prædicti filij nostri fienda depostulant, reuelante Domino deliberare possimus, clericos ex laicis ordinari, necnon & manumissiones apud te in eadem Ecclesia solenniter celebrari concedimus. Consuetudines autem cleri suprascriptę Ecclesię, & presbyterorum te volumus sine cunctatione persoluere. In cuius etiam instructione ita diligenter inuigila, quatenus ab incongruis vel illicitis omnibus abstinentes, in Dei nostri seruitium digno obsecundationis ministerio te quoque hortante consistant.

Mense Ianuario, Indictione Decima.

EPISTOLA VIII.

De Leontio illuc transmisso, vt ei obediant.

GREGORIVS, *Clero, Ordini, & plebi consistenti Nepæ.* Leontio huic viro clarissimo præsentium portitori curam sollicitudinemq; ciuitatis iniunximus, vt in cunctis inuigilans quæ ad vtilitatem vestram, vel reipublicæ pertinere dinoscet ipse disponat. Ideoq; dilectionem vestram scriptis præsentibus admonemus, quatenus ei exhibere obedientiam in omnibus debeatis, nec quisquam vestrum eum pro vtilitate tractâtem existimet contemnendum, quia quisquis congruæ ordinationi eius restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscetur. Quicunq; verò eum in ijs, quæ supra retulimus audierit, nos audiet. Si quis autem, quod non credimus, eum post hanc admonitionem nostram contemnendum putauerit, ad suum proculdubio sciat pertinere periculum.

Lib. 2. ep. 11. l. 4. ep. 43.

EPISTOLA IX.

De oratorio sanctæ Crucis consecrando.

GREGORIVS, *Castorio Episcopo de Arimino.* Timothea illustris femina petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, intra ciuitatem Ariminensem in loco iuris sui oratoriũ, se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem sanctæ Crucis desiderat consecrari. Et ideo frater carissime, si in tuæ ciuitatis iure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum esse, perceptæ primitus donatione legitima, id est, totius facultatis eius excepta familia, prius mobilium vel immobilium, seque mouentium vncijs octo retento sibi vsufructuario diebus vitæ suæ, gestisque municipalibus alligatam, prædictum oratorium absque missis publicis solenniter consecrabis, ita vt in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Et si missas fortè maluerit fieri sibi, à dilectione tua presbyterum nouerit postulandum, quatenus nihil aliàs, à quolibet sacerdote alio vllatenus præsumatur. Sanctuaria verò susceptæ sui cum reuerentia colloca-

cabis.

EPI-

EPISTOLA X.

Transmittit Dominicum presbyterum.

GREGORIVS, *Importuno Episcopo.* Ea quæ prouidè dispo-
nuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia Ecclesiam sanctæ Mariæ quondam Pisonis in tua parochia positam, presbytero vacare cognouimus, præsentium portitorem Dominicum presbyterum in eadem Ecclesia, vt præesse debeat, nos scito deputasse. Ideoq; fraternitas tua ei emolumenta eiusdem Ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari, & decimæ fructus indictionis, qui iam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui: quatenus eiusdem Ecclesiæ vtilitates, cuius emolumenta consequitur, Deo adiutore sollicitè valeat procurare.

EPISTOLA XI.

Episcoporum sedes ex vno in alium tutiorem locum transferuntur.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Vellitrano.* Temporis qualitas admonet, Episcoporum sedes antiquitus certis ciuitatibus cõstitutas, ad alia, quæ securiora putamus, eiusdem diœceseos loca transponere; quo & habitatores nunc degere, & barbaricum possint periculum facilius declinare. Propterea te Ioannem fratrem, coëpiscopumq; nostrum Vellitrensis ciuitatis, sedemq; tuam in loco quondam Harenata, ad sanctum Andream Apostolum, præcipimus exinde transmigrari: quatenus & ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, & illic consuetudinum solennium festa disponas.

EPISTOLA XII.

Committit Ecclesiam Neapolitanam, scribitq; de persona Petri.

GREGORIVS, *Paulo Episcopo.* Ad hoc fraternitatem tuam Neapolitanæ Ecclesiæ ad præsens præesse constitui, vt quoscunque potuisses, suasoria ad Deum prædicatione conuerteres. Et dum tota te oporteat hoc intentione peragere, priusquam hunc Domini fructum opereris, reuerti festinas, petisque à me vt celeriter eandem debeam Ecclesiã ordinare, dum meus non sit animus in hac re ociosus. Sed quia vtilitates eius summa cupio firmitate vallare, diuturna de hoc necesse habeo deliberatione tractare, vt eas digna possim ordinatione, Christo reuelante, disponere. Interea ergo fraternitas tua ita inuigilare animarum lucris studeat, vt iudicium quod de te habeo, operationis tuæ roboretur effectu. De persona verò Petri Diaconi quæ scripsisti, omnia mihi Theodorus vir cõsularis nunc indicauit. Et ideo postquam tibi adhærere, & Ecclesiasticis eum vtilitatibus, tua testificatione studere cognoui, nullius debet aduersitatem vel inimicitias formidare; sed quanto sibi alios inuidere perpendit, tanto vigilamus, vt ei nihil nocere valeant, in vtilitatibus Ecclesiæ, & Dei seruitio perseueret. Fraternitas autem tua pro eius persona post hoc non debet esse suspecta: quia apud me nulla subreptio locum inueniet.

EPISTOLA XIII.

Liparitanam Ecclesiam sua auctoritate commendat.

GREGORIVS, *Paulino Episcopo.* Scire te volumus, quia Maximiano fratri & coëpiscopo nostro scripsimus, vt fraternitatem tuam Ecclesiæ Liparitanæ ex nostra auctoritate præesse constituat. Cui te modis omnibus obedire necesse est, cuiusq; te Ecclesiæ vtilitatibus præcipimus decenter insistere, & quæq; eius commoditatibus agnoueris oportere, te volumus siue cunctatione peragere. Ecclesiam verò Tauritanensem, quotiens opportunum tempus crediderit, visitabis. Ita ergò fraternitas tua hæc omnia implere festinet, vt & sui præsentiam Liparitanam salubriter disponat Ecclesiam, & visitationis studio Tauritanensem Ecclesiam congregare & fouere non desinat.

Data Mense Martij, Indictione decima.

EPISTOLA XIV.

De Honorato Archidiacono in locum suum restituendo.

Sup. li. 1. ep. 19. & 20. 37.

GREGORIVS, *Natali Episcopo Salonitano.* Multis ab vrbe tua venientibus frater carissime didici, pastorali cura derelicta, solis te conuiuijs occupatum. Quæ audita non crederem, nisi hæc actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi inuigiles, sed ipsum quoque vsum Ecclesiastici ordinis ignores: hoc est in testimonium, quòd eis sub quibus es positus, reuerentiam seruare nescis. Cùm enim sanctæ memoriæ decessoris mei fueris scriptis prohibitus, ne contra Honoratum Archidiaconum tuum dolorem tam longæ ingratitudinis in corde retineres, cumq; à me sæpè correptus fueris, & hæc tibi summoperè fuerint interdicta, & mandata Dei negligens, & scripta nostra contemnens, præfatum Honoratum Archidiaconum tuum, quasi ad fortiorem honorem prouehens, conatus es callida arte degradare. Vnde actum est, vt eo de Archidiaconatus loco summoto alium accersires, qui tuis moribus obtemperare potuisset, cùm præfatus vir pro nulla tibi re, vt arbitror, displicuit, nisi quòd vasa sacra & velamina tuis te parentibus dare prohibebat. Quam causam subtili voluimus & nunc ego, & tunc sanctæ memoriæ decessor meus indagatione discutere: sed tu tuorum tibi actuum conscius personam ad iudicium instructam trãsmittere distulisti. Proinde fraternitas tua vel post frequentatam totiens admonitionem a culpæ suæ errore resipiscat, & præfatum Honoratum in suum mox, vt mea scripta susceperit, locũ suscipiat. Quod si fortè facere distuleris, vsum tibi pallij, qui ab hac Sede concessus est, noueris esse sublatum. Si verò etiam amisso pallio in eadem pertinacia adhuc perstiteris, Dominici corporis ac sanguinis te scias participatione esse priuatum. Post quæ iam necesse est, vt causas tuas subtiliùs indagantes, an in Episcopatu ipso persistere debeas, summa cura atque inquisitione debeamus tractare. Eum verò qui contra iustitiæ regulam, in Archidiaconatum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem Archidiaconatus honore deponimus. Qui si vlterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione communionis sacræ nouerit esse priuatum. Tu igitur frater carissime, nequaquam nos amplius prouoces, ne duros valdè in asperitate sentias, quos erga te positos in caritate contemnis. Restituto igitur loco suo Honorato Archidiacono, instructam personã sub festinatione transmitte, qui mihi hoc debere ex ratione fieri suis possit allegationib. demonstrare. Eundem namque Archidiaconum ad nos venire decreuimus, vt quicquid iustum, quicquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed auctore Deo normam iustitiæ, postposita cuiuslibet personæ acceptione custodimus.

D. 44. c. 5. Iuo. p. 6. c. 204. Burc. li. 2. c. 130.

Lib. 1. ep. 19. sup. ep 14.

7 q. 1. c. 40. Iuo. p. 5. c. 357.

EPISTOLA XV.

Inf. l. 3. ep. 15. 16.

De Natali Episcopo, & Honorato Archidiacono è suo loco honoris causa deiecto.

GREGORIVS, *vniuersis Episcopis per Dalmatiam constitutis.*

Fraternitatem vestram, licèt desideremus scriptis discurrentibus frequenter visitare, tamen præterea cùm res exigit, vtraq; cupimus negocij vnius occasione persoluere, vt & fraternos de visitatione releuemus animos, & quę superueniunt, ne mẽtem possint ignorata confundere, subtilius explicemus. Frater itaque noster Natalis Salonitanæ ciuitatis Episcopus, cùm Honoratum Archidiaconum sedis suæ ad ordinem presbyteratus vellet prouehere, ac deinceps ille ad sublimiorem gradũ crescere declinaret, à sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione popoſcerat, ne ad hunc ordinem inuitus accederet. Hoc enim fieri sibi non prouehẽdi gratia, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re nũc iam sanctæ memoriæ decessor noster scripta Natali fratri coëpiscopoq; nostro

direxerat, interdicens ne prædictum Honoratum Archidiaconum inuitum proueheret, neve dolorem conceptæ ingratitudinis in corde suo retineret. Cumq; & à nobis sæpè correptus fuerit, & hæc eidem summoperè fuerint interdicta, nõ solùm mandata Dei negligens, sed & scripta nostra contemnens, præfatum Archidiaconum, vt dicitur, contra morem, quasi ad fortiorem honorem prouehens, conatus est callidè degradare. Vnde actum est, vt eo de Archidiaconatus loco submoto, alium adscisceret, qui in loco depositi Archidiaconi ministraret. Quem scilicet Honoratum arbitramur antistiti suo propterea displicere potuisse, quòd eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam causam & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego subtili voluimus indagatione discutere: sed is ipse sibi conscius, personam ad iudicium postposuit destinare, ne actuum eius discussa potuisset veritas apparere. Nos itaq; tot iam scriptis admonitum, & hactenus pertinaciter obstinatum, scriptis iterum directis per presentium latorem curauimus admonendum, quatenus Honoratum archidiaconum coniungente statim præsentium latore in priore loco susciperet. Qui iam obdurato adhuc corde contumaciter ad eundem reuocare gradum si fortè posponeret, vsu eum pallij, qui ab hac Sede concessus est, pro contumacia tot vicib. admissa priuari præcipimus. Si verò etiam amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseuerauerit, à Dominici quoque corporis ac sanguinis eum participatione submoueri. Æquum enim est, vt asperos de iustitia sentiat, quos erga se positos in caritate contempsit. Nos itaque nec nunc quidem à iustitiæ, quam præfatus antistes despexit, semita deuiamus: sed restituto in locum suum eo, cuius nobis culpa minimè patuit, præcipimus Natalem Episcopum instructam ad nos debere dirigere personam, quæ rectam eius esse intentionem suis possit nobis allegationibus demonstrare. Nam & eundem archidiaconum venire fecimus, vt quicquid iustum, quicquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nullum namque pro personali amore defendimus, sed auctore Deo normam iustitiæ, postposita cuiuslibet acceptione personæ, custodimus.

Inf. ep. 9. ep. 22. Ind. 11.

EPISTOLA XVI.

De Natali Episcopo, & Honorato Archidiacono.

Sup. ep. 14 & 15. Dist. 74. c. 8. Anfel ii. 7 c. 75. Io. Diac. 3. c. 9.

GREGORIVS, *Antonino Subdiacono.* Honoratus Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ, à sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione popoſcerat, vt ab antistite suo inuitus prouehi ad fortioris gradus ordinem contra morem nullatenus cogeretur. Hoc enim fieri sibi non prouehendi gratia, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc iam sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali fratri coëpiscopoque nostro interdixerat, ne prædictum Honoratum archidiaconum inuitum proueheret, neve dolorem concepræ ingratitudinis diutius in corde retineret. Cumque & à nobis hæc eidem summoperè fuerint interdicta, non solùm mandata Dei negligens, sed & scripta nostra contemnẽs, præfatum archidiaconum quasi ad fortiorem honorem prouehens, conatus est arte callida degradare. Vnde actum est, vt eo de archidiaconatus loco summoto, alium adscisceret, qui eius obtemperare moribus potuisset. Quem Honoratum archidiaconum arbitramur antistiti suo aliunde displicere non potuisse, nisi quòd eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam causam subtili voluimus, & tunc sanctæ memoriæ decessor meus, & nunc ego indagatione discutere: sed is ipse suorum sibi actuum cõscius, personam ad iudicium postposuit destinare. Proinde experiẽtiam tuã præsentis præcepti auctoritate duximus fulciendã, quatenus cõiungens in Salonã Natalem fratrem coëpiscopumque nostrum saltem tot scriptis admonitum studeat adhortari, vt supra memoratum archidiaconum in suo statim loco suscipiat. Quod si facere hoc contumaciter, vt consueuit, fortè distulerit; vsum ei pallij, qui ab hac Sede concessus est, ex auctoritate Sedis Apostolicæ contradicito. Quem si etiam amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseuerare perspexeris, Dominici quoque corporis ac sanguinis eundem antistitem participatione priuabis. Eum verò qui contra iustitiæ regulam, in locum alterius se prouehi consensit, ab eiusdem Archidiaconatus honore deponi præcipimus. Quem, si vlterius in loco eodem ministrare præsumpserit, communionis sacræ participatione priuamus. Æquum enim est vt asperos de iustitia sentiat, quos erga se positos in caritate contemnit. Restituto ergo loco suo Honorato archidiacono, instructam personam supradictus antistes te compellente dirigat, qui intentionem eius esse vel fuisse iustam, suis mihi allegationibus possit demõstrare. Sed & eundem archidiaconum ad nos venire præcipimus, vt quicquid iustum, quicquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus: sed auctore Deo normam iustitiæ, postposita cuiuslibet acceptione personæ, seruamus. Malchum verò fratrem coëpiscopumque nostrum curabis fideiussori committere, vt ad nos quantocyus veniat, quatenus omni mora ac dilatione postposita, actionum suarum expositis ratiocinijs, ad propria cum securitate valeat remeare.

Sup. ibid.

EPISTOLA XVII.

Li. 1. ep. 41.

Plurimum gaudet prouinciam à barbaris vastatam, eius regimine recreari, & de Natali Episcopo loquitur.

GREGORIVS, *Iobino Episcopo Illyrici.* Licèt ad reddenda paternæ caritatis officia, hostilitate itineribus occupatis, raritas portitorum impediat: quotiens tamen occasio inciderit, excellentiam vestram non desistimus scriptis discurrentibus visitare, quatenus hos quorum aspectum præsentium videre non possumus, eos aliquatenus scriptis valeamus alternantibus intueri. Gaudemus itaque quòd eminentiæ vestræ regimine, afflictæ Dominus voluit prouinciæ consulere, vt quam ex vna parte flagello barbaricæ vastationis vlcerat, hanc ex alia per eminentiam vestram, quasi per superductam salutem curet. Largitam ergo vobis dignitatem ex solo munere donantis attendite, & ex ipsa concessi regiminis administratione conditorem vestrum erga vos placabilem facite, quatenus cùm ipse quod largitus est meritis bonorum operum, ad suam viderit gloriam reuocari, & in hac vos vita clariores efficiat, & præmia vobis regni cœlestis concedat. Præsentium igitur latorem, quem illuc pro ipsa exigui patrimonij administratione direximus, vestræ excellentiæ commendamus. Nos enim caritatis vestræ connexi vinculo, Dominum petimus, quo sic actus vestros in hac vita dirigat, vt ipsorum merito ad æterna vos regna perducat. Natali autem fratri & coëpiscopo nostro in nullo gloria vestra opem contra iustitiam ferat: quia tanto necesse est vt canonicæ vltionis vindictam sentiat, quanto & ipse regulam canonicam ignorat.

Sup. ep. 14 15 & 16.

EPISTOLA XVIII.

Sup. ep. 4. li. 1. ho. 14 in Euan. ep. 26. & li. 3. ep. 52. 53.

De quodam presbytero digno prouehi ad Episcopatus ordinem.

Io. Diac. 3 c. 15.

GREGORIVS, *Maximiano Episcopo Syracusano.* Felix vir cõsularis, præsentium lator, edocuit nos, esse quendã in illis partibus presbyterum, qui ad Episcopatus ordinem prouehi probatæ vitæ merito dignus appareat. Hunc ergo fraternitas tua coram se deduci faciat, eumque, sicut certus sum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc gradum prouehi dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, vt eum disponente Deo, loco, cui prouideri-mus, possimus ordinare pastorem. Præsentium verò latorem Felicem virum consularem vestræ caritati, salua fraternitatis tuæ iustitia, commendamus; quatenus in ijs, quæ iustè popoſcerit, fraternum inuenire possit affectum.

(∴)

EPI-

EPISTOLA XIX.

Visitationem iniungit Cumanæ Ecclesiæ, in qua Episcopus eligendus est.

GREGORIVS, *Benenato Episcopo Visitatori Cumanæ Ecclesiæ.* Quoniam Cumanæ Ecclesiæ Liberius quondam antistes de hac luce migrasse cognoscitur; propterea visitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus: quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerioque vel quicquid illud est, à quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo caritas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit; & assiduis adhortationibus clerum plebemque eiusdem Ecclesiæ admonere te volumus, vt remoto studio diuersarum partium, vno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos sacrandus occurrat. Commonemus etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter clericos ipsius ciuitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri. Prouisurus antè omnia, ne ad cuiuslibet conuersationis meritum laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.

EPISTOLA XX.

Visitationem Nepesinæ iniungit Ecclesiæ.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Visitatori Nepesinæ Ecclesiæ.* Quoniam Paulo fratri & coëpiscopo nostro Neapolitanæ Ecclesiæ visitationis operam iniunximus, idcirco fraternitas tua visitationem Ecclesiæ Nepesinæ non desistat assumere, quatenus exigente Paschali festiuitate, quicquid sacrorum solennitas poscit, te operante, modis omnibus impleatur. Donec igitur quid de persona prædicti fratris & coëpiscopi nostri agendum sit, deliberare possimus, ita in cunctis te fraternitas tua solertem vigilantemque studeat exhibere, vt prædictus vir absens nullo modo sentiatur.

Mense Aprili, Indictione decima.

EPISTOLA XXI.

Reprehendit illam à voto visitationis sanctorum locorum deflexisse, & de insidijs Passiui agit.

GREGORIVS, *Rusticianæ Patriciæ.* Epistolam excellentiæ vestræ suscipiens, votiuo sum incolumitatis eius nuncio reuelatus, optans vt vitam actusque vestros sua Dominus misericordia protegat & disponat. Valdè autem miratus sum cur deliberatæ viæ eundi ad loca sancta intentionem, & votum boni operis deflexistis, dum si quando bonum aliquod dono conditoris in corde concipitur, celeri necesse est deuotione compleri: ne dum callidus insidiator animum irretire nititur, subinde impedimenta suggerat, quibus ad effectum minimè desideria sua mens occupationibus debilitata perducat. Vnde necesse est excellentiam vestram omnibus impedimentis pijs causis obuiantibus anteire, & ad fructum boni operis totis cordis nixibus inhiare, vt & in præsenti sæculo trãquillè viuere, & in futuro cœleste regnum valeat possidere. Illud autem quod scripsistis, Passiuum contra vos aliquas molimina fuisse calumnias, pijssimos verò Imperatores non solùm libenter non audisse, sed etiam asperè suscepisse: cuius hoc fuerit donum, perpendite, & ad eum qui hominibus in hoc sæculo ne quantum appetunt nocere valeant, potenter obuiat, totam spem mentis inflectite: quatenus prauas hominum voluntates brachij sui oppositione reuerberet, conatusque eorum vt consueuit misericorditer ipse confringat. Gloriosum domnum Appinionem & domnam Eusebiam, domnum Eudoxium & domnam Gregoriam, mea per vos deprecor vice salutari.

EPISTOLA XXII.

Commendat Episcopos longè à se positos.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Rauennati.* Dominicis mandatis præcipimur proximos sicut nosmetipsos diligere, eorumque languoribus tamquam proprijs infirmitatibus condolere. Quorum memor fraternitas vestra, competenti sibi more Castorium fratrem coëpiscopumque nostrum, & prius compassione habita studuit visitare, & eum postmodum pro excrescenti molestia corporis in Rauennati vrbe susscipere. Vnde non solùm nos impensæ caritatis, sed & Deum vobis feciſtis proculdubio debitorem, cui in fratris infirmitate condoluisse probamini, ipsumque ægrum in sui membri molestia, non solùm visitasse, sed etiam susscepisse. Quem quidem ipse pro sua simplicitate illic ordinare omnimodè renuebam: sed petentium importunitas fecit, vt contradicere nullatenus potuissem. Si autem fieri potest, multum mihi & ipsi consuletis, si eum ad me per Siciliam transmittatis; si tamen ei graue non esse perpenditis. De Episcopis verò ad nos pertinentibus, qui tamen huc pro interpositione hostium venire non possunt, curam vestra fraternitas gerat. Ita tamen vt pro causis suis ad Rauennatem vrbem nullatenus reuocentur, nec eos hoc tempore vexare aut fatigare in aliquo videamur. Sed si qua sunt quæ in eis videantur iustè reprehendi, debent semper per fraternitatis vestræ epistolas admoneri: Sin verò (quod absit) aliqua grauiora contigerint, hæc ad nos salubriter referre vos volumus, vt inquisitionis vestræ testimonio roborati, quæ legibus canonibusque conueniunt, salubri, iuuante Domino, consilio disponamus.

Mense Iulio, Indictione Decima.

EPISTOLA XXIII.

De Leone Episcopo susscipiendo, quem sacramento purgauerat.

GREGORIVS, *Iustino Presbytero.* Habet hoc proprium antiqui hostis inuidia, vt quos in prauorum actuum perpetratione, Deo sibi resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de Leone fratre & coëpiscopo nostro siniſter rumor aspersit, vtrum vera essent districta diutius fecimus inquisitione perquiri, & nullam in eo de ijs, quæ dicta fuerant, culpam inuenimus. Sed ne quid videretur omissum, quod nostro potuisset dubium cordi remanere, ad beati Petri sacratissimum corpus districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. Quibus præstitis, magna sumus exultatione gauisi, quòd huiusmodi experimento innocentia eius euidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni caritate susscipiat, & reuerentiam ei, qualem sacerdoti decet, exhibeat: nec aliqua in cordibus remaneat de ijs, quæ sunt iam purgata, dubietas. Sed ita suprascripto vos Episcopo deuotissimè oportet in omnibus adhærere, vt congruè decenterque Deum in eius persona, cuius minister est, videamini honorare.

Sup. ep. 35 li. 1. & ep. 22. 32. 54. 55. 28. li. 2. 60. & li. 4. ep. 11. 15.

Io. Diac. 4. c. 9. Sup. ep. 9. l. 2. Inf. ep. 24. Ind. 11.

Sup. li. 1. ep. 2.

2. q. 5. c. 6. Iuo p. 5. c. 309. Burc. li. 1. c. 194. Pan. l. 5. c. 5.

EPISTOLA XXIIII.

De contentione inter ipsum & Maximianum Episcopum.

Io.Diac. 1.c.55. GREGORIVS, *Eustbio Abbati.* Credat mihi caritas tua, quia valdè contristatus sum de tristitia tua, ac si in te iniurism ipse pertulissem. Sed cùm postmodum agnoui, quia etiam reddente reuerendissimo, viro fratre & coëpiscopo nostro Maximiano gratiam atque communionem, tua dilectio ab eo communicare nolebat. Cognoui & illud prius iustum fuisse quod factum est. Seruorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere. Qui verò se contra præpositos suos erigunt, profectò ostendunt quia serui Dei esse contemnunt. Et quidem ab illo hoc quod factum est, minimè fieri debuit, à te tamē omnino debuit humiliter suscipi; & rursum cùm gratiam reddebat, ad eum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita à te factum non est, adhuc cognosco, quia nobis omnino lachrymarum opus est. Non enim grande est ijs non esse humiles, à quibus honoramur; quia & hoc sæculares quilibet faciunt. Sed illis maximè humiles esse debemus, à quibus aliqua patimur: nam Psalmista dicit: Vide humilitatem meam de inimicis meis. Nos cuius vitæ sumus, qui humiles esse etiam patribus nolumus? Proinde dilectissime fili rogo, vt omnis amaritudo de corde tuo transeat, ne fortasse finis vicinus sit, & antiquus hostis per iniquitatem discordiæ, viam regni cœlestis intercludat. Præterea centum solidos per Petrum subdiaconū dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto vt absque iniuria sui suscipiat.

Ep.4.li.2. & inf.ep. 26.

Psal.9.

EPISTOLA XXV.

Visitationem cuiusdam iniungit Ecclesiæ.

7.q.1.c.42 Iuo p.5.c. 223. Burc. 1.1 c.123. Ans.l.6.c. 99. Io.Diac. 3.c.15. GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Scyllatino.* Pastoralis officij cura nos admonet destitutis Ecclesijs proprios constituere sacerdotes, qui gregem Dominicum debeant pastorali sollicitudine gubernare. Propterea te Ioannem ab hostibus captiuatæ Lilitanæ ciuitatis Episcopum in Scyllatina Ecclesia cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, vt susceptam semel animarum curam, intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet à tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam quæ pastore vacat Ecclesiam debes gubernare: ita tamen vt si ciuitatem illam ab hostibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem statum cōtigerit reuocari, ad eam in qua prius ordinatus es, Ecclesiam reuertaris. Sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac in qua à nobis ordinatus es vel incardinatus debeas Ecclesia permanere. Præcipimus autem ne vnquam illicitas ordinationes facias. Nec bigamum, aut qui virginem non est fortitus vxorem, aut ignorantem literas, vel in qualibet parte corporis vitiatum, vel pœnitentiæ, vel curiæ, vel cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere. Sed si quos huiusmodi repereris, non audeas promouere.

Dist.34.c. 10. Iuo p.8 c.288.

D 98 c.3. Iuo p. 6.c. 351. Afros passim, vel incognitos peregrinos, ad Ecclesiasticos ordines tendentes, nulla ratione suscipias: quia Afri quidem aliqui Manichæi, aliqui rebaptizati: peregrini verò plurimi etiam in minoribus ordinibus constituti, ad sortiores prætendisse honores sæpè probati sunt. Admonemus etiam fraternitatem tuam, vt commissis sibi animabus solerter inuigilet, & animarum magis lucris quàm commodis vitæ præsentis intendat. In continendis aut disponendis rebus Ecclesiæ diligens insistas, vt omni ex parte susceptum, dignè te gessisse pastoris officium venturus iudex, cùm ad iudicandum venerit, debeat approbare.

(·.·)

EPISTOLA XXVI.

De Ecclesia Liparitana ordinanda.

Deest epistola altera ad Io. Scyllatinū Vide inf. ep.38. Sup. ep.4. 12.38 Ind.11.& li.3.ep.42. 55. ho.34. in Euan. *al. minus

GREGORIVS, *Maximiano Episcopo Syracusano.* Locis *inimicis Ecclesiæ constituta, pastoris vacare non debet officio. Quia igitur Ecclesia Liparitana sacerdote priuata dinoscitur: ideo Paulinum Taurianensis Ecclesiæ Episcopum in prædicta Ecclesia Liparitana fraternitas tua sine mora præesse constituat, vt officij sui administrationem in eadem Ecclesia vigilanter exhibeat, & quæq; eius vtilitatibus conuenire didicerit, ordinare non desinat. Cunctumque clerum vt in omnibus canonicè ei obedire debeat, admoneas: quatenus præfatæ Ecclesiæ in cunctis vtilitas, prædicto fratre & coëpiscopo nostro disponente, Christo adiuuante procurari valeat.

EPISTOLA XXVII.

De Ioanne visitatore Crotonen. Ecclesiæ.

Io.Diac. l.1.c.22. Sup.ep.26 Inf.ep.38. li.2.&l.7. ep.25.li.4. ep.29.ep. 21.li.4. GREGORIVS, *Ioanni, Clero, Ordini & plebi consistenti Crotonæ.*

Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri & coëpiscopo nostro Ioanni solenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministerijsq; à quoquam vsurpari patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus obedire conuenit, & remoto strepitu, vno eodemq; consensu, talem vobis præficiendum expetite sacerdotem, qui & à venerandis canonibus nulla discrepet ratione, & tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet vitę vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Nam non solùm talem ad Episcopatus apicem nulla ratione prouehendum, verumetiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite: sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirâsse constiterit, ab officio & à communione alienos faciendos proculdubio noueritis.

Inf.ep.15. li.7.Sup. ep.26.Inf. ep.39.li.4 ep.3.

EPISTOLA XXVIII.

De Viulando & Gauiniano diacono.

Sup.ep.22 l.2.ep.22. &8.32.34. 55.&l.4. ep. 15. GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Rauennati.* Iurgantium controuersias celeri sententia terminare, & æquitati proculdubio conuenit & vigori. Quia ergo Viulandus præsentium lator, fraternitatis tuæ cognitionem implorat, diaconem Gauinianum, contra quem se habere causam commemorat, fraternitas tua ad suum faciat accersiri iudicium, & amota dilatione, causæ veritatem subtili inquisitione discutiat, & quæcunque iustitiæ ordo dictauerit, ac tua fuerit sententia definitum, & obseruare & implere partes modis omnibus compellantur.

EPISTOLA XXIX.

Visitationem Velinæ, Buxentinæ, & Blandanæ iniungit Ecclesiarum.

Plin.li.3 c.5.&6. GREGORIVS, *Felici Episcopo de Acropoli.* Quoniam Velina, Buxentina & Blandana Ecclesiæ, quæ tibi in vicino sunt constitutæ, sacerdotali noscuntur vacare regimine: propterea fraternitati tuæ earum solenniter operam visitationis iniunximus, illud præ omnibus commonentes, vt vbi præfatarum Ecclesiarum siue diœceseos earum, vel diaconi, siue religiosæ personæ inuentæ fuerint, districtè canonicēq; vt viuant, modis omnibus admonere studebis. Ne passim et in qualibet re sit excedendi licentia, sed tuo moderamine atque prouisione inculpabiliter in qua sunt, conuersatione vel habitu perseuerent: sciturus, quia si quid secus accesserit,

12.q.1.c. 14. Ans.l.1.c. 7.

tuo

tuo neglectui modis omnibus imputari. Presbyteros quoque vel diaconos, si in aliquibus Ecclesijs præuideris ordinandos, si tales personæ fuerint, quæ canonicis regulis morum vel vitæ qualitate nullo modo reprobentur, habebis per omnia ordinandi licentiam. Ministeria verò earundem Ecclesiarum vbi sint recondita, sollicita indagatione perquire: quibus repertis ad nostram notionem perducere festinato, vt cognoscentes quid fiendum sit, adiutore Domino disponamus.

EPISTOLA XXX.

De Clericis terras Africanæ Ecclesiæ tenentibus.

GREGORIVS, *Lucillo Episcopo de Mellita.* Officij nostri decet valdè propositum, subiectis magnoperè suadere, vt rebus debeant seruare fidem in placitis; ne dum inconsideratè lucrandi rapiuntur studio, pacificam vertant conuentionem in iurgium. Peruenit itaque ad nos, fraternitatis tuæ clericos, terras Africanæ tenentes Ecclesiæ, quòd passionem earundem possessionum dare contemnant. Quod si verum est, & ad fraternitatis tuæ hæc sunt perlata notitiam, tua in hoc desidia eorum culpa nutrita est. Ob quam rem scriptis te præsentibus admonemus: quatenus ad persoluendam pensionem nulla mora, nullaq; excusatione eosdem clericos vti permittas. Sed si fidem, honestatis contemplatione seruare postponunt, tua districtione compulsi, quæ rationi conueniunt, cogantur implere. Nam si huius rei ad nos denuò querela recurrerit, & de te aliam æstimationem habere incipiemus, & in illo vt dignum est vindicabimus.

EPISTOLA XXXI.

Cumanam & Misenantem præcipit esse Ecclesias.

GREGORIVS, *Benenato Episcopo.* Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat, vt Cumanam atque Misenatem vnire debeamus Ecclesias: quoniam cæ non longo itineris spatio à se iunctæ sunt (nec peccatis facientibus) tanta populi multitudo est, vt singulos, sicut olim fuit, habere deberent sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum vitæ huius expleuit, vtrasque nos Ecclesias præsentis auctoritatis pagina vnisse, tibique commisisse cognosce, proprium vtrarumque Ecclesiarum scito te esse pontificem. Et ideo te quæcunque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione siue promotione, iuxta canonum statuta visa fuerint ordinare atque disponere, habebis vt proprius reuera sacerdos, liberam ex nostræ auctoritatis consensu atq; permissione licentiam. Vbi verò commodius atque vtilius esse perspexeris, ibi habitato, ita sanè vt alteram Ecclesiam cui corporaliter præsens non es, sollicita prouidentique cura disponas: quatenus diuina illic mysteria solenniter auxiliante Domino peragantur. Fraternitas ergo tua tanto in adhortatione populi, lucrandisq; animab. sollicitiori cura semper inuigilet, quanto se vnitarum Ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit.

EPISTOLA XXXII.

De Arnulpho. De episcopis Hystriæ. De baptizatis non rebaptizandis. Et de ordinandis non reordinandis. Aliaq; quàmplura.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Rauennæ.* Quod multis scriptis vestræ beatitudinis minimè respondi, non hoc torpori meo, sed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, eo tempore quo Arnulphus apud Romanam vrbem veniés, alios occidit, alios detruncauit, tanta mœstitia affectus sum, vt incolicam molestiam caderem. Valdè autem mirabar, quid esset, quòd illa mihi notissima sollicitudo vestræ sanctitatis huic Vrbi meisque necessitatibus minimè prodesset; sed scriptis vestris discurrentibus, agnoui vos quidem sollicitè agere, sed tamen apud quem agere possitis non habere. Peccatis ergo hoc meis reputo: quia iste, qui nunc interest, & repugnare contra inimicos nostros dissimulat, & nos facere pacem vetat, quamuis iam modo, etiam si velit facere, omnino non possumus: quia Arnulphus exercitũ Ancturith, & Nordulphi habens, eorum sibi dari precaria desiderat, vt nobiscu aliquid loqui de pace dignetur. De causa verò Episcoporum Hystriæ, omnia quæ mihi vestra fraternitas scripsit, ita esse iam antè deprehendi in ijs iussionibus, quæ ad me à pijssimis principibus venerunt: quatenus me interim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro ijs, quæ scripsistis, zelo atque ardori vestro valdè congaudeo, debitoremque me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re sereniss. dominis cum summo zelo Dei & libertate rescribere non cessabo. Mouere autem vos non debet præfati excellentissimi viri Romani Patricij animositas: quia nos quanto eum loco & ordine præimus, tanto si qua sunt eius leuia, tolerare maturè & grauiter debemus. Si quando tamen est aliquis cum eo locus obtinendi, agat apud eum fraternitas vestra, vt pacem cum Arnulpho, si ad aliquid parum possumus, faciamus: quia miles de Romana vrbe ablatus est, sicut ipse nouit. Theodosiani verò, qui hic remanserunt, rogam non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam se accommodant: & destituta ab omnibus ciuitas, si pacem non habet, quomodo subsistet? Præterea de puella de qua scripsistis nobis, quæ de captiuitate redempta est, vt requiri qualiter orta sit debuissemus; sciat Sanctitas vestra quæ ignota persona non facilè inuestigari potest. Illud autem quod dicitis, vt is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valdè ridiculum est, & ab ingenij vestri consideratione extraneum: nisi fortè quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicandus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem à fraternitate vestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari. Sed si quis forsitan cum leui culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen ordo seruari. De Neapolitana verò vrbe excellentissimo viro exarcho instanter imminente vobis indicamus: quia Aroges, vt cognouimus, cum Arnulpho se fecit, & reipublicę contra fidem venit, & valdè insidiatus est eidem ciuitati, in quam si celeriter dux non mittatur, omnino iam inter perditas habebitur. De hoc quod dicitis incensæ ciuitati Seueri schismatici eleemosynam esse mittendam, idcirco vestra fraternitas sentit: quia quæ contra nos præmia in palatium mittat, ignorat. Quæ etli non transmittere nobis, considerandum fuit, quia misericordia prius fidelibus, ac postea Ecclesię hostibus est facienda. Iuxta quippe est ciuitas Fanum, in qua multi captiuati sunt, ad quam ego iam transacto anno transmittere volui, sed inter hostes medios non præsumpsi. Videtur ergo mihi, vt Claudium abbatem cum aliquanta pecunia illuc trãsmittere debeatis: & liberos quos illic pro precio suo in seruitio teneri inuenerit, vel si qui adhuc sunt captiui, redimat. De summa verò eiusdem pecuniæ transmittenda, vobis certum sit: quia quicquid vos decernitis, mihi placet. Sin autem cum excellentissimo viro Romano Patricio agitis, vt pacem facere cum Arnulpho debeamus: ego ad vos personam aliam transmittere paratus sum, cum qua mercedis causę melius fiant. De fratre autem & coëpiscopo nostro Natali valdè contristabar; quòd de illo quædam superba cognoueram, sed quia mores suos ipse correxit, meam tristitiam simul meipsum vincendo consolatus est. Pro qua fratrem & coëpiscopum nostrum Malchum admone, vt priusquam ad nos veniat, rationes suas ponat, & tunc demum alibi si necesse est proficiscatur. Et si eius actus bonos cognoscimus, ei fortasse vbi necesse est, vt hoc ipsum patrimonium quod tenuit, restituamus.

(*)

Sup. ep. 32. l. 1. Ind. 11.

D. 68. c. 1. Ino. p. 6 c. 82.

Lib. 1. ep. 24. Paul. Diac. li. 4. cap. 6. de gest. Longob.

Inf.ep.33. 47. l.2.in. 11.li.5. ep. 36.li.9.ep. 2.li.10.ep. 6.

EPISTOLA XXXIII.

De Maximiano Episcopo, qui præmio corruptus Donatistarum, Episcopum fieri permisit. Et de cura pastorali.

GREGORIVS, *Columbo Episcopo Numidiæ.* Notum est carissime in Christo frater, quòd antiquus hostis, qui primum hominem de paradisi delicijs in hanc ærumnosam vitam callida persuasione deposuit, & in eo iam tunc humano generi pœnam mortalitatis inflixit, eadem nunc calliditate ouium Dominicarum pastores, quò facilius gregem capiat, transfusis conetur venenis inficere, & iure iam potestati propriæ vendicare. Sed nos qui, licèt immeriti, sedem Apostolicam vice Petri Apostolorum principis suscepimus gubernandam, ipso pontificatus officio cogimur generali hosti, quibus valemus nisibus obuiare. Porrecta igitur petitione insinuauerunt nobis præsentium latores, Constantius & Mustellus, vt asserunt, Ecclesiæ Pudentianæ diacones in Numidia prouincia constitutæ: Maximianum eiusdem ecclesiæ antistitem in loco quo degit, corruptum præmio Donatistarum, Episcopum noua licentia fieri permisisse, cùm etsi hoc anterior vsus permitteret, manere atque persistere fides Catholica prohiberet. Ob hoc ergo fraternitatem tuam scriptis præsentibus necessariò duximus adhortandam, vt veniente ad te Hilario chartulario nostro, adunato Episcoporum vniuersali concilo, habito præ oculis terrore venturi iudicis, causa eadem subtili ac solerti debeat indagatione perquiri. Et si capitulum hoc à præsentium latoribus prædicto Episcopo documentis idoneis fuerit approbatum, à dignitate officioque quo fungitur, modis omnibus degradetur, vt & ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, & cæteri tentare talia nõ præsumant. Æquum enim est, vt qui Iesum Christum Dominum nostrum hæretico accepta pecunia venundedit, vt fertur, ab eius videlicet sacrosancti corporis ac sanguinis tractandis mysterijs submoueatur. Si qua autem inter eos extra crimen hoc damnorum quorundam vel priuatorum negociorum, sicut petitio diaconorum ipsorum continet, versatur intentio, hanc tua fraternitas cum prædicto chartulario nostro priuata cognitione perquirat, & inter vtramq; partem iustitia procedente definiat. Porrò antem præsentium latorum insinuatione didicimus, Donatistarum hæresim pro peccatis nostris quotidie dilatari, & valdè plures data per venalitatem licentia, post Catholicum baptisma à Donatistis denuo baptizari. Quod quàm graue sit frater, oportet nos tota mentis intentione perpendere. Ecce lupus Dominicum gregem non iam in nocte latenter, sed in aperta luce dilaniat, & nos eum grassari in ouium nece cernimus, & nulla ei sollicitudine, nullis verborum iaculis obuiamus. Quos ergo fructus Domino multiplicati gregis ostendemus, si & ipsum quem pascendum suscepimus, ociosa mente cernimus à bestia deuorari? Studeamus igitur cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hyemales noctes, imbribus geluque constricti, ducunt sæpè peruigiles, ne vel vna ouis, & non fortè vtilis pereat. Quam etsi insidiator ore voraci momorderit, quomodo satagunt, quibus cordis anhelant æstibus, in quas voces vt eruant captum pecus angustia stimulante prosiliunt, ne à gregis Domino quicquid per incuriam perdiderint, exigatur? Vigilemus ergo ne quid pereat etsi captum fortè quid fuerit, vocibus diuinorum eloquiorum ad gregem Dominicum reducamus, vt ille qui pastor pastorum est, vigilasse nos circa gregem suum suo misericors dignetur iudicio comprobare. Hoc quoque vos necesse est solerter attendere, vt si qua contra latores præsentium eiusdem Episcopi recta fuerit petitio, subtili debeat indagatione perquiri, etsi fortasse ipsi quoq; pro sua culpa iure feriendi sunt, nequaquam censemus esse parcendum.

(∴)

Mense Augusti, Indictione Decima.

Simoniaci pœna.

Vigilans pastorum cura.

EPISTOLA XXXIV.

Inter alia scribit de Isidoro sine causa excõmunicato.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Si sacerdotale quod administramus officium mentis integritate pensemus, sic nos cum filijs nostris indiuiduæ caritatis debet vnire concordia, vt sicut patres in nomine, ita affectu probemur in opere. Dum ergo tales nos esse quales prælati sumus oporteat, miramur cur aduersus fraternitatem tuam tanta querimoniarum moles exorta est. Quod quidem nos adhuc credere dubitamus. Sed vt veritatem valeamus agnoscere, Ioannem sedis nostræ notarium nostra illic præceptione suffultum direximus, qui partes in electorum compellat adesse iudicio, & sua ad effectũ executione quæ fuerint iudicata perducat. Quo circa fraternitatem tuam scriptis præsentibus adhortamur, vt causarum apud se antè debeat merita pertractare. Et si qua se iniustè tulisse vel habere cognoscit, antè iudicium, sacerdotij contemplatione restituat. Inter querelas autem multiplices, Isidorus vir clarissimus à fraternitate tua frustra se excommunicatum, anathematizatumq; conquestus est. Quod ob quam rem factum fuerit, dum à clerico tuo qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi pro eo quòd te iniuriauerat, factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit. Quod si ita est, nihil te ostendis de cœlestib. cogitare, sed terrenam te cõuersationem habere significas, dum pro vindicta propriæ iniuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis inuexisti. Vnde de cætero omnino esto circũspectus atq; sollicitus, & talia cuiquam pro defensione propriæ iniuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.

Sup.ep.52 & 60.61. 6. & 11.li. 1. ep. 8. Ind. 11.li. 3.ep. 9.10. Ind. 1.li. 8. ep. 38 li. 9. ep.20.

14. q.4.c. 27 Ioan. 7. 5.c.31. Io.Dist.2. c.31.

Sup.ep.11. l.1.Ind.10

EPISTOLA XXXV.

Trium tabernarum Ecclesiam suæ Ecclesiæ vniri præcipit.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Veletrano.* Postquam hostilis impietas diuersarũ ciuitatũ (ita peccatis facientibus) desolauit Ecclesias, vt reparandi eas spes nulla populo deficiẽte remanserit; maiori valdè cura constringimur, ne defunctis earũ sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernatæ per inuia fidei, hostis callidi rapiãtur, quod ablit, insidijs. Huius ergo rei sollicitudine sæpè commoti, hoc nostro sedit corde consilium, vt vicinis eas mandaremus pontificib. gubernãdas. Ideoq; fraternitati tuæ curam gubernationemq; Trium tabernarum Ecclesiæ prouidimus committendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari vniriq; necesse est: quatenus vtrarumq; Ecclesiarum sacerdos rectè, Christo adiutore, possis existere, quæq; tibi de eius patrimonio, vel cleri ordinatione, seu promotione, vigilanti ac canonica visa fuerint cura disponere: quippe vt pontifex proprius, liberã habeas ex nostra præsenti permissione licentiam. Quapropter, frater charissime, Dominicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in commissæ plebis regimine, lucrandisq; animabus inuigila, vt ante tribunal æterni iudicis constitutus, fructum bonę operationis, quod ad mercedem tuam pertineat, eidem Redemptori nostro, in quo lætari possis, exhibeas.

16.q.1.c. 49. Aut. li.5.c.22. Polyc.l.1. 9.c. Sup. li.2.ep.31. & 32. Ind. 10.

EPISTOLA XXXVI.

Inf.ep.61. li.9.Ind.1.

De causa trium capitulorum.

GREGORIVS *vniuersis Episcopis per Hyberniam.* Scripta vestra summa cum gratulatione suscepi: sed erit in me vberior valdè lætitia, si mihi de vestra contigerit reuersione gaudere. Prima itaq; epistolæ vestræ frons, grauẽ vos pati persecutionẽ innotuit. Quæ quidẽ persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequaquã proficit ad salutẽ. Nam nulli fas est retributionẽ præmiorum expectare pro culpa. Debetis enim scire, sicut B. Cyprian. dixit, quia martyrẽ non facit pœna, sed causa. Dum igitur ita sit, incongruũ nimis est de ea vos, quam dicitis, persequutione gloriari, per quã vos constat ad æterna præmia minimè prouehi. Reducat ergo charitatem vestram tandem integritas fidei ad matrem, quæ vos generauit, Ecclesiã, nulla vos animorũ intentio à cõcordiæ vnitate dissocietur, nulla persuasio rependo vos à recto itinere defatiget. Nam in

Sup.ep. 24.li.2. & li.3.ep.8.

synodo,

synodo, in qua de tribus capitulis actum est, aperto liquet nihil de fide conuulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed sicut scitis, de quibusdam illic solummodo personis est actitatum: quarum vna, cuius scripta euidenter à rectitudine Catholicæ fidei deuiabant, non iniustè damnata est. Quod autem scribitis, quia ex illo tempore inter alias prouincias maximè flagelletur Italia, non hoc ad eius debetis intorquere opprobrium, quoniam scriptum est: Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Si igitur ita est, vt dicitis, ex eo tempore magis dilecta est apud Deum, & modis omnibus approbata, ex quo Domini sui meruit sustinere flagella. Quia verò non ita sit, quemadmodum vos in eius insultatione affirmare conamini, rationem attendite. Postquam recordandæ memoriæ Vigilius Papa in vrbe regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam, & Acephalos damnationis promulgauit sententiam: tunc Romana vrbs ab hostibus adita & captiuata est. Ergo bonam causam habuerunt Acephali, & iniustè damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? Absit. Hoc enim nec nostrum quempiam, nec alios, qui Catholicæ fidei mysterijs instituti sunt, vel dicere, vel aliquo modo confiteri conuenit. His denique cognitis, ab hac quandoque iam deliberatione recedite. Vt igitur de tribus capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sanctæ memoriæ discessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis vtile iudicaui transmittere. Quem si depositò voluntariæ defensoris studio, puro vigilantique corde sæpius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad vnitatem vestram nihilominus reuersuros esse confido. Porrò autem si post huius libri lectionem in ea, qua estis, volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Vnde iterum habita locutione charitatem vestram admoneo, vt quoniam Deo suffragante fidei nostræ integritas in causa trium capitulorum inuiolata permansit, mentis tumore depositò, tanto citius ad matrem vestram, quæ filios suos expectat & inuitat, Ecclesiam redeatis, quanto vos ab ea quotidie expectari cognoscitis.

EPISTOLA XXXVII.

De conuiuijs iustis & iniustis, alijsq; rebus: Et de Honorato Archidiacono.

GREGORIVS *Natali Episcopo Salonitano.* Quasi oblita præcedentium scriptorum serie, sola vestræ beatitudini, quæ ad dulcedinem pertinerent loqui decreueram: sed dum vestra epistola ad priora scripta ratiocinando reuocat: iterum forsitan quædam quæ minus libeant, narrare compellor. In conuiuiorum etenim defensionem vestra fraternitas Abrahæ conuiuium memorat, in quo teste sacro eloquio, tres angelos susceptisse perhibetur. Sed hoc exemplo neque nos beatitudinem vestram de conuiuio reprehendimus, si hanc suscipere angelos in hospitalitate cognoscimus. Rursum narrat, Isaac satiatum, benedictionem filio dedisse. Quæ vtraque veteris testamenti, quia ita sunt gesta per historiam, vt tamen signarent aliquid per allegoriam, vtinam valeamus sic res gestas legendo percurrere, vt possimus etiam gerendas prouidendo sentire. Ille quippe in tribus angelis vnum salutans, Trinitatis subsistentias vnius substantiæ esse declarauit. Iste vera satiatus benedixit filium: quia qui diuinis epulis repletur, illius sensus in prophetiæ virtutem tenditur. Diuinæ autem epulæ sacri eloquij verba sunt. Si igitur assiduè legitis, si exemplum ab exterioribus trahentes, interna penetratis, quasi de agri venatione satiati; mentis ventre repletis, vt ante posito filio, suscepto videlicet populo, possitis ventura nunciare. Sed iam in hoc sæculo caligat, qui de Deo aliquid prophetat: quia profectò dignum est, vt hic iam per concupiscentiam minus videat, cuius sensus per allegoriam intus coruscat. Hæc ergo ad vosmetipsos trahite, & si vos tales cognoscitis, nihil est quod de vestra æstimatione dubitetis. Gaudere quoque beatitudinem vestram inuenio, si voracis nomen cum rerum auctore sustineat. Quod ego breuiter expono: quia si de vobis falsum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum auctore sustinetis. Si verò de vobis verum est, hoc de illo falsum fuisse quis dubitet? absoluere vos non valet per nomen, quorum dispar est causa. Nam cum eo crucem etiam periturus latro suscepit: sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absoluit. Ego autem quantis valeo precibus deposco, vt sanctissimam fraternitatem vestram auctori nostro non solùm nomen, sed etiam causam coniungat. Conuiuia autem communia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, rectè Sanctitas vestra in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, & nec inanes in eis sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur: cùm non plus quàm necesse est seruitur corpori, sed sola eius infirmitas reficitur, vt ad vsum exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque si vos in vestris conuiuijs agitis, absti nentium fateor magistri estis. Quod ergo Pauli Apostoli testimonium ad me posuistis, in quo ait: Qui non manducat, manducantem non iudicet, omnino existimo incongruum fuisse: quia neque ego non comedo: neque ad hoc à Paulo dictum est, vt membra Christi, quæ in eius corpore, id est, in Ecclesia innicem sibi charitatis compage connexa sunt, nullam de se vllo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, iure tacere compellerer, vt eum non reprehenderem, quem emendare non possem. Hæc ergo sententia solummodo propter eos dicta est, qui illos iudicare student, quorum sibi cura commissa non est. At postquam nos auctore Deo vnum sumus, si ea quæ nobis corrigenda sunt tacemus, valdè delinquimus. Ecce fraternitas tua ægrè tulit se de conuiuijs à me esse reprehensam, cùm ego qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim. Et hunc solùm mihi amicum æstimo, per cuius linguam antè apparitionem districti iudicis meæ maculas mentis tergo. Illud autem, frater dulcissime, quod tribulationibus pressum te legere posse abnegas, minus ad excusationem idoneum puto, cùm Paulus dicat: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Si igitur ad consolationem nostram sacra scriptura præparata est, tanto magis eam debemus legere, quanto magis nos conspicimus sub tribulationum face lassari. Si verò in ea solummodo sententia est fidendum, quam in epistola vestra posuistis, qua Dominus dicit: Cùm tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis: sacra ergo ad nos eloquia frustra mandata sunt, qui repleti spiritu, verbis exterioribus non egemus. Sed aliud est, frater charissime, quod angustiati persecutionis tempore absque dubitatione confidere, aliud quod in tranquillitate Ecclesiæ agere debemus. Oportet enim nos, per spiritum hunc modo legendo percipere quæ possumus, si contigerit causa in nobis esse, etiam patiendo demonstrare. Valdè verò in epistola vestra gauisus sum, quod vos exhortationi studium dare fatemini. In hoc etenim scio, quia curam vestri ordinis solerter agitis, si ad auctorem vestrum, & alios trahere curatis. Quod autem in eodem loco dicitis vos mei similes non esse, post oborta mihi lætitiam me illico contristatis: quia laudes meas per irrisionem dici existimo, quas per veritatem minimè recognosco. Ago autem omnipotenti Deo gratias; quia per vos quidem hæretici ad sanctam Ecclesiam reuocantur. Sed curare vobis necesse est, vt ipsi quoque, qui intra sanctæ Ecclesiæ gremium continentur, ita viuant, quatenus eius aduersarij prauis moribus non existant. Nam si non diuino desiderio, sed terrenis cupiditatibus, voluptatibusque deseruiunt, intra eius gremium filij alieni nutriuntur. Quod autem vos fatemini Ecclesiasticos ordines ignorare non posse, ego quoque hoc de vobis per omnia scio, atque idcirco valdè contristor: quia cùm rerum ordinem scitis, in me quod peius est sciendo deliquistis. Postquam enim ad beatitudinem vestram, & decessoris mei, & mea in causa Honorati Archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta vtriusque sententia,

Grat. dist. 44. cap. 6.

Rom. 14.

Rom. 15.

Matt. 10.

præfa-

præfatus Honoratus proprio gradu priuatus est. Quòd si quilibet ex quatuor Patriarchis fecisset, sine grauissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset. Tamen postquàm fraternitas vestra ad suum ordinem redijt, nec ego meæ, nec decessoris mei iniuriæ memor sum. Quod verò dicitis nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam: quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo. Sed cùm responsales vestri aduenerint, quæ inter vos & præfatum Honoratum Archidiaconũ sunt gesta cognoscam, & ex ipso meo examine perpendetis, quia si pars vestra per iustitiam fulta est, nihil aduersi à me perferetis, sicut nec ante pertulistis. Sin verò sæpefato Honorato Archidiacono in assertione sua iustitia suffragatur, ex eius absolutione monstrabo: quia personas etiam quas noui, in iudicio non agnosco. De excommunicationis verò articulo, quæ tamen interposita conditione gradus, secundo vel tertio iam vt ita dicam, ex necessitate subiuncta est, beatitudo vestra immerito queritur, cùm Paulus Apost. dicat: In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. Sed ista iam trãseant, ad nostra redeamus. Si enim rectè agit, ego domno Natali non possum coniunctus non esse, cuius me affectui valdè esse debitorem noui.

Grat. 15. q. 2. c. 10.

Sup. epist. 14. ep. 14. & 15. & 16. lib. 2.

Grat. 24. q. 3. c. 25.

2. Cor. 10.

EPISTOLA XXXVIII.

Visitationem Ecclesiarum Tauriatinensis & Turritanæ imponit.

GREGORIVS *Ioanni Episcopo Scyllatino.* Obitum Paulini Tauriatinensis Ecclesiæ, sed & illius Turritanæ Ecclesiæ antistitum, directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutarum Ecclesiarum fraternitati tuæ operam solemniter delegamus, quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum reditu, ornatu ministerijsque, vel quidquid illud est, in patrimonio eiusdem à quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictas Ecclesias ire properet, & assiduis adhortationibus clerum plebemque earundem Ecclesiarum admonere festinet, vt remoto studio, vno eodemque consensu talem sibi præficiendum expectant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & directionis tuæ testimonio litterarum ad nos veniat consecrandus. Commonentes etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter clericos earundem ciuitatum, in quibus visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri: prouisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis vel meriti laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem si qua sunt in ipsius parochia constituta, sub tua cura disponito, neque quousque illic priùs fuerit Episcopus ordinatus, esse concedimus, vt solicitudinis tuæ vigilantia, proposito suo congrua, Deo iuuante, actione respondeat.

Sup. epist. 18. 255. li 2. Ioa. Diac. li. 3. c. 22.

Sup. ep. 19 l. 2.

Inf. ep. 25. l. 9. Ind. 2.

Sup. ep. 19 l. 2.

Grat. dist. 61. c. cap. 11.

Lib. 2. ep. 26. l. 11. ep. 32.

Data Pridie Kalend. Martij. Indictione decima.

EPISTOLA XXXIX.

Gratiarum actiones reddit. Et de cura pastorali admonet, & de ecclesiasticis priuilegijs.

GREGORIVS *Dominico Episcopo Carthaginensi.* Perlatas ad nos serius per Donatum atque Quoduultdeum reuerendissimos fratres & coëpiscopos nostros, necnon & Victorem diaconum, vel Angelum notarium vestræ fraternitatis epistolas, summa cum gratulatione suscepimus. In quarum etsi nos sustinuisse dispendium tarditate putauimus: tamen de vberiori reperimus charitate compendium, vt hac dilatione temporis non interrupta videatur, sed nutrita dilectio: quam miserante Domino, contemplatione sacerdotij, lectionis vsu, ætatisque in vobis cognoscimus iam maturitate fundatam. Non enim tam large de te flueret, si in tuis plurimas atque vberrimas venas mentibus non haberet. Hanc ergo matrem custodemque virtutum sanctissime frater inconcussa stabilitate teneamus. Nullo in nobis eam subdolorum linguæ imminuant, nullæ antiqui hostis insidiæ corrumpant. Hæc namque diuisa iungit, & coniuncta custodit. Hęc humilia sine tumore subrigit. Hæc erecta sine deiectione submittit. Per hanc vniuersalis Ecclesię vnitas, quę est compago corporis Christi, exæquatione mentis gaudet in singulis, cùm sit ei disparilitas in diuersitate membrorum. Per hanc eadem membra & alieno gaudio in suis afflicta exiliunt, & alienis mœroribus etiam in suis læta contabescunt. Teste enim magistro gentium, dum si quid patitur vnum membrorum, compatiuntur cætera membra: & si gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: vos non ambigo de nostra perturbatione ingemiscere, cùm nos omnino certum sit de vestra pace gaudere. Quod verò ordinationi nostræ fraternitas vestra congaudet, affectum mihi integerrimæ charitatis exhibet. Sed ex consideratione huius ordinis mentem meam, fateor transuerberat vis doloris. Graue namque est pondus sacerdotij: prius quippe est sacerdoti necesse, vt cæteris ad exemplum viuat, ac deinde seruandum, vt mentem per ostensa exempla non eleuet. De prædicationis semper ministerio cogitet: intentissimo timore considerans, quòd recessurus ad percipiendum regnum Dominus & talenta seruis distribuens, dicat: Negotiamini, dum venio. Quod profecto negotium tunc verè nos agimus, si viuendo & loquendo, proximorum animas lucramus, si infirmos quosque cœlestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus, si proteruos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si supernis amicitijs dediti, humanas inimicitias non timemus. Quod nimirum exhibens, quasi quoddam se sacrificium obtulisse Deo Psalmista nouerat, cùm dicebat: Nonne qui oderant te Deus oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expauesco, & quod accepto regno, paterfamilias redeat rationem nobiscum positurus, aspicio. Sed qua eum mente sustineo, cui de susceptо negotio animarum lucrum aut nullum, aut, pene nullum reporto? Tua ergo me oratione, frater charissime, adiuua, & quæ de me formidare me conspicis, in temetipso quotidie timore prouidæ solicitudinis pensa. Per charitatis quippe compagem, & tua sunt quæ de me loquor, & mea quæ te agere concupisco. De Ecclesiasticis verò priuilegijs, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat: quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesijs sua iura seruamus. Nec cuilibet, fauente gratia, vltra quàm meretur impertior, nec vlli hoc quod sui iuris est, ambitu stimulante derogo, sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subuehi, dummodo non sit quod alteri iure ab altero possit opponi. Responsalium verò vestrorum moribus valde congaudeo: in quibus mihi ostensum est quantum me diligitis, qui ad me electos fratres & filios transmisistis.

1. Cor. 12.

Luc. 19.

Psal. 138.

Grat. 24. q. 2. c. 8. Polyc. l. 3. tit. 15. Ioa. Diac. li. 4. tit. 2. vit.

Data 10. Kalend. Augusti. Indictione decima.

INCI-

INCIPIVNT EPISTOLÆ EX REGISTRO BEATI GREGORII, INDICTIONE XI.

EPISTOLA I.

De persecutione Pauli Episcopi.

GREGORIVS *Petro subdiacono Campaniæ.* Quale in castello Luculano sit scelus in Paulum fratrem,& coepiscopum nostrum commissum, directa nobis fecit relatio manifestum. Et quia his diebus Scholasticus vir memorabilis, Campaniæ iudex hic præsens inuentus est, specialiter ei iniunximus, vt tantæ peruersitatis insaniam districta debuisset emendatione corrigere. Sed quia nunc prædictæ relationis portitor nos, vt personam dirigeremus,admonuit: ideo Epiphanium subdiaconum illuc direximus,qui vna cum præfato iudice à quibus excitata sit, vel commissa seditio,inuestigare ac cognoscere possit, & digna vltione vindicare. Experientia ergo tua ita tota virtute in hac causa solatiari festinet,quatenus & cognosci veritas,& in delinquentes valeat vindicta procedere. Quoniam igitur mancipia gloriosæ Clementiæ in eodem scelere interfuisse,& voces quæ seditionem commouerent iactitasse dicuntur:si ita est, districtè ea imminenti vltioni substerne, nec pro persona illius sit vestra seueritas remissior: quia tanto amplius ferienda sunt, quanto, vtpote nobilis feminæ pueri, ex sola superbia deliquerunt. Sed & illud subtili vos oportet indagatione perquirere, vtrumne prædicta femina in tanta habuerit sceleris immanitate consilium,aut si cum eius est scientia perpetratum:vt quam sit periculosum non solum manibus, sed etiam in sacerdotē verbis excedere, & nostra cuncti possint defensione cognoscere.Si quid enim in hac causa lentatū fuerit,vel omissum, ad tuam culpam,ac potius cognoscas pertinere periculum; nec aliquem apud nos excusationis locum inuenies. Nam quanto te apud nos res ista,si districtissimè fuerit perscrutata& emendata,commendat:tanto si lentata fuerit,nostram contra te scito indignationem exacui. Mancipia autem si qua de cætero in monasterio sancti Seuerini vel in alia Ecclesia eiusdem castelli de ciuitate refugerint:mox vt ad notitiam tuam peruenerit,nullo modo illic ea immorari permittas,sed intra ciuitatem in Ecclesiam reuocentur:& si iustam contra Dominos suos querelam habuerint,cum congrua ordinatione de Ecclesijs exire necesse est. Si vero venialem culpam commiserint, Dominis suis accepto de venia sacramento,sine mora reddantur.

EPISTOLA II.

Consolatoriam scribit Epistolam.

GREGORIVS, *Paulo Episcopo.* Licet non mediocriter nos contristauerit cognita,quàm es perpessus,iniuria:habemus aliquam tamen consolationis materiam,quod laudem tuam huic rei inesse cognouimus:ob id quòd pro æquitatis rectitudine hoc, quantum directa nobis patefecit relatio, pertulisti. Vt ergo ad maiorem fraternitatis tuæ gloriam applicetur, hæc res constantiam tuam nec frangere, nec a via debet veritatis auertere. Nam maior in in sacerdotibus merces est, in veritatis tramite etiam post iniurias permanere. Ac ne tantæ impietais insania inulta remaneat,& in peius indisciplinatio pernicioſa prorumpat, Scholastico viro memorabili Campaniæ indici,quia hic præsens inuentus est,vt hæc digna correctione vindicare debuisset,iniunximus.Sed quia homines tui à nobis,vt personam dirigeremus, petiuerunt: propterea Epiphanium subdiaconum illuc nos transmisisse cognosce, quia vna cum suprascripto iudice inuestigare valeat, ac cognoscere veritatem: quatenus in eos à quibus tantum nefas immissum constiterit vel perpetratum,sua instantia dignam faciat exerceri vindictam.

EPISTOLA III.

De Bonifacio præposito. De tunica S. Ioannis. De causa Floriani. De cura animarum. De hospitibus,& de pauperibus.

GREGORIVS *Ioanni Abbati.* Petijt dilectio tua, vt frater Bonifacius in monasterio tuo à te debeat ordinari præpositus:quod ego valde miratus sum,quia ante factum non est. Nam ex quo illum tibi dari feci,iam eum ordinare debuisti.De tunica vero sancti Ioannis omnino grate suscepi, quia solicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut quod melius est, eundem episcopum,qui eam habet, cum clericis suis, & cum ipsa ad me transmittere:quatenus &benedictione tunicę perfruamur, & de eodem episcopo vel clericis mercedem habere valeamus. Causam vero, quæ cum Floriano vertitur,indicere volui,etiam ei vel octoginta solidos mutuos dedi.Quos ille credo disponit sibi pro monasterij debito recompensari, & omnino volo eandem causam decidi: quia Stephanus chartularius dicitur imminere, vt eam prædictus Florianus in publico transferat,&graue nobis est cum publico litigare. Vnde necesse est nobis aliquid cedere,vt possimus eandem causam ad compositionem perducere. Quod dum factum fuerit,dilectioni tuæ,Deo auxiliante,nunciabimus.De fratrum vero animabus omnino esto solicitus. Sufficiat iam quod opinio monasterij per vestram negligentiam inquinata est. Non frequenter foras egrediaris. In causis istis procuratorem instituе,&tu ad lectionem atque orationem vaca.De hospitalitate esto solicitus:quantum potes,pauperibus largire;ita tamen vt serues,quod Floriano restitui debeat.In ipsis autem fratribus monasterij tui quos video, nō inuenio eos ad lectionem vacare.Vnde considerare necesse est quantū peccatum est, vt ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam transmiserit,& vos mandata Dei discere negligatis.De sex vero vncijs domus, si authenticam chartulam non videmus aut exemplaria,nil possumus facere. Sed Florentino Dei famulo præceptum transmisi,vt si ei veritas constiterit,easdem sex vncias vobis restituat. Quibus restitutis,reliquas sex vncias aut in emphyteusim damus,aut in redditus commutamus.

Sup. ep. li. 4. ep. 48. Ioā. Diac. li. 3. c. 69.

EPISTOLA IV.

De humanis laudibus vitandis.

GREGORIVS *Bonifacio Episcopo Regiensi.* Quibusdam venientibus agnoui fraternitatem tuam misericordiæ operibus vehementer insistere, atque omnipotēti Deo gratias retuli:quia iuxta egregij prædicatoris vocem, nunc viuimus,si vos statis in Domino. Sed illud, fateor, non leuiter mentem meam momordit, quod eadem opera multis vosipsi nunciastis: ex qua re collegi, quòd mens vestra nō studeat Dei oculis,sed humano iudicio placere. Vnde necesse est,frater charissime,vt cum bona exterius agis,hæc interius cum magna cautela custodias: ne appetitus placendi hominibus subrepat, & omnis labor boni operis incassum fiat. Nos enim qui sumus, quibus placeri ab hominibus quæritur? Quid namque aliud quàm puluis & cinis sumus? Sed illi tua fraternitas placere desideret, qui & non longe est, vt appareat & omne quod retribuerit,finem nullo modo habebit.

Epist. 43. li. 5. Ind. 11. epist. 5. li. 3 Ind. 11. li. 5. epist. 9. li. 8. ep. 58. 1. Thess. 3.

Mense Octobri Indictione Vndecima.

EPISTOLA V.

De violentijs laicorum reprimendis.

Sup. ep. 1. li. 2. Ind. 11 ep. 19. 23. 39. c. 50. & li. 1. epist. 9. 18. 65. 39 42. 44. 54. 67. 69. 70. 71.

GREGORIVS *Petro Subdiacono Campaniæ.* Sicut in iudicijs laicorum priuilegia turbare non cupimus, ita eis præiudicantibus, moderata te volumus auctoritate resistere. Violentos namque laicos coercere, non cõtra leges est agere, sed legi ferre subsidium. Quia igitur Deus dedit gener Felicis de Orticello præsentium latrici violentiam dicitur irrogasse, præfatamque rem illicitè detinere: ita vt viduitatis eius deiectio non misericordiam prouocare, sed eius inueniatur roborare malitiam: præcipimus experientiæ tuæ, vt tam contra præfatum virum, quam in cæteris causis, in quibus se asserit præfata femina præiudicium sustinere, nostræ ei solatium tuitionis impendas, nec à quolicet eã prægrauari permittas: ne vel ea, quæ tibi salua tamen æquitate mandantur, in aliqua inueniaris parte negligere, vel viduis alijsque pauperibus, dum illic auxilium non inueniunt, ex huius itineris profligentur longinquitate dispendia.

EPISTOLA VI.

De iniusta condemnatione Hadriani Episcopi.

Inf. li. 4. Ind. 13. ep. 8. 10. & li. 10. epi. 22.

GREGORIVS *Ioanni Episcopo primæ Iustinianæ.* Post longas tribulationes suas Hadrianus Thebanæ ciuitatis episcopus à cõsacerdotibus suis, velut ab hostibus, pertulit, in Romanam ciuitatem confugit. Et licet aduersus Ioannem Lariſſæum episcopum eius fuisset prima suggestio, non ab eo in causis pecuniarijs reseruatis legibus iudicatũ: tamen post hæc magis contra personam fraternitatis tuæ, à qua non iustè se à sacerdotij gradu flagitabat esse deiectum, grauissimè querebatur. Sed nos, indiscussis petitionibus non credẽtes, eadem quæ apud Ioannem fratrem & coepiscopum nostrũ, vel quæ apud fraternitatem tuam sunt acta, relegimus. Et quidẽ de memorati Ioannis episcopi Lariſſæ iudicio, quod fuerat appellatione suspensum, satis & pijssimi rerum Domini ad Corinthi episcopum missis iussionibus decreuerũt. Et nos quoque per præsentium latores epistolis nostris, ad præfatum Ioannem Lariſſæum directis, Christo auxiliante decreuimus, cum diuersi discrepatione iudicij, cuius examinationem tibi imperialia iussa tradiderant, & inspecta gestorum apud Ioannem episcopum de criminalibus habitorum scire ventilatis, reperimus prope nil te quod ad nominatas indictasque sibi causas attinuit, exquisisse: sed machinationibus quibusdam testes aduersus Demetrium diaconum in damnatione eiusdem episcopi produxisse. Qui cum de illo, quod nec audiri fas est, testimonium dicentem se audisse perhiberent. Quod dum præsens Demetrius contradiceret, se dixisse, aduersus sacerdotalem morem disciplinamque canonicam, deiectum honore suo diaconum proconsuli prouinciæ tradidisse. Qui cum multis laniatus verberibus, aduersus episcopum suum forsan aliqua potuisset tormentorum necessitate mentiri, vsque ad finem negotij nihil eum de quibus interrogabatur penitus inuenimus fuisse confessum. Sed nec alia in gestis ipsis, siue per depositionem testium, siue per Hadriani professionem quod ei potuisset obesse, reperimus. Sed tantum fraternitas tua nescio quo mentis motu, diuino humanoque iure contempto, abruptam protulit in eius damnatione sententiam: quæ licet non esset appellatione suspensa, contra leges tamen canonesque prolata, ipso non poterat iure subsistere. Postquam autem ex abundanti appellationem tibi constat esse porrectam, mirati sumus cur nec homines tuos secũdum cautionem Honorato diacono nostro per responsales tuæ Ecclesiæ expositam, qui tui iudicij rationem potuissent reddere, transmisisti. Quod factum te vel de contumacia, vel de conscientiæ trepidatione redarguit. Si igitur hæc quæ nobis aperta sunt veritate vallantur: quoniam occasione vitium nostrarum consideramus vos iniusta præsumere: de his alias secũdum id quod à nobis deliberatum fuerit, Christo auxiliante decernemus. Quod verò ad præsens attinet, cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis: ex beati Petri principis Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierũ spacio te sacra communione priuatum, ab omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lachrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognouerimus implesse remissius, non iam tantum iniustitiam, sed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, adiuuante Domino, seuerius puniendam. Præfatum vero Hadrianum fratrem & coepiscopum nostrum ex tua sententia, vt diximus, nequaquam canonibus, neque legibus existente damnatum, in suum locum atque ordinem reuerti Christo comitãte disponimus: vt nec illi fraternitatis tuæ noceat contra iustitiæ tramitem prolata sententia: nec claritas tua pro placanda futuri indignatione iudicis, incorrecta remaneat.

Grat. 24. q. 3. c. 6.

EPISTOLA VII.

De iniusta condemnatione Hadriani.

Inf. ep. 11. li. 7. Ind. 2. Grat. 16. q. 1. c. 51. Poly. li. 2. tit. 7.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Lariſſæo.* Frater noster Hadrianus, Thebanæ ciuitatis episcopus, de Romanam vrbem veniens lachrymabiliter est cõquestus, de quibusdam capitulis se à fraternitate tua, nec non à Ioanne primę Iustinianæ vrbis episcopo, non legitime, neque canonice condemnatum. Cumque per diuturnum tempus nullam diuersæ partis videremus huc aduenire personam, quę eius debuisset obiectionibus respondere, necessario cognoscẽdæ veritatis intuitu, ea quæ penes vos acta sunt, relegenda tradidimus. Ex quibus cognouimus Ioannem atque Cosmam diaconos, vnum pro lubrico corporis, alterum pro fraudibus Ecclesiasticarum rerum proprio depulsos officio, de pecuniarijs criminalibusque capitulis aduersus eum pijssimis nostris Imperatoribus suggessisse. Qui per iussiones suas te voluerunt, seruata videlicet iuris canonumque districtione, cognoscere: ita vt de pecuniarijs quidem ferres firmam iure sententiam. De criminalibus vero, eorum clementiæ, habita subtilius examinatione suggereres. Quod si tam rectas iussiones tua fraternitas rectis quoque mentibus accepisset, nunquam viros pro suis excessibus proprio amotos officio, atque iam immutabilis animi, ad accusationem passim sui suscepisset episcopi: maximè cum ex suggestione pijssimis Dominis oblata, eorum sit detecta fallacia: quia cum consensu omnium clericorum hæc contra suum pontificem se suggessisse professi sunt. Post hæc tamen, vt breuiter quædam strictimque quę apud te sunt acta percurram: primum capitulum penes fraternitatem tuam motum est Stephani Thebani diaconi: cuius vitam quasi scies turpissimam Hadrianus episcopus, non eum sui ordinis honore priuauerat. Quod capitulum, nullus deductorum testium ad Hadriani episcopi dicit peruenisse notitiam: nisi quod solus Stephanus turpis vitæ suaque professione damnabilis, dicitur esse confessus. Secundum capitulum aduersus eum videtur esse propositum, de infantibus eius iussu à sacri baptismatis susceptione prohibitis, atque ita inabluta sorde peccati defunctos in tenebris. Sed nullus aduersus eum deductorum testium professus est nosse se tale aliquid ad Hadriani episcopi peruenisse notitiam, sed à matribus infantum, quarum viri remoti pro culpis, vt dicitur, ab Ecclesia fuerant, se cognouisse dixerunt. Sed nec in baptizatos eos mortis tempus professi sunt occupasse, sicut accusatorum continebat inuidiosa suggestio: cum in Demetriade ciuitate baptizatos eos esse constiterit. Et hæc quidem de criminalibus causis. De pecuniarijs vero qualiter à te fuerit iudicatum, inquisitio deputatorum à principe virorum pijssima iussione sereniſſimis principibus attestatur. Nam cum tuam sæpefatus Hadrianus suspendisset appellatione sententiam, quantum ex quatuor testium depositionibus apud Ioannem primæ Iustinianę episcopum prolatis agnouimus, arctissima detrusus custodia libellum in quo obiecta sibi confiteretur capitula, tua coactus est fraternitate porrigere. Qui quidẽ in porrecto à se libello de pecuniariis inuenitur tuæ consensisse sententiæ. Criminalia vero medio quodam dubioque verborum calle transcurrit, vt & tua quibusdã subiectis nebulis fruſtraretur intentio, & ipse porro à confessione imperplexæ locutionis obscuritate refugeret.

Sup. ep. 10. li. 10. 34. Ind. 5.

fugeret. Cumque porrecta appellatio per homines eius, cæteraque quæ penes te gesta sunt, pijssimis fuissent deportata principibus deputatis: vt diximus, honorato diacono sedis nostræ, & Sebastiano glorioso antigrapho, cunctisque examinatis subtiliter à sereniſſimis est Dominis ab omnibus iussionibus absolutus. Sed nescio, quibus machinationibus exquisitis alia rursus est principalis iussio elicita: vt de cunctis antefatis capitulis Ioannes primæ Iustinianæ episcopus requirens subtiliter iudicaret. In cuius iudicio omnes clerici Hadriani episcopi, & Demetrius diaconus inter tormenta professus est, omnem hanc contra Hadrianum episcopū calumniam, fraternitatis tuæ machinatione confectā, Nec aliqua de capitulis ipsis, quæ in tua audientia criminaliter obiecta fuerant, Hadriano episcopo sunt probata. Sed prouenit alia contra canones ac leges in Demetrio diacono eius alijsque personis crudelis atq; dolorosa discussio, in qua nihil pene repertum est, ex quo sæpe memoratus Hadrianus damnari legitimè debuisset, sed magis ex quo potuisset absolui. Sed de Ioanne primæ Iustinianæ vrbis antistite, ac de nequissimo eius damnando que iudicio alias sumus iuuante Domino tractaturi. Hadrianum vero episcopum reperimus, & tuo contra sacerdotales mores odio laborasse, & nullo iure pecuniarijs in causis eum fraternitatis tuæ cōdemnatum fuisse sententia. Quia igitur & ab antefato Ioanne primæ Iustinianæ episcopo contra ius canones que depositus, honoris sui gradu carere nō potuit, in sua eum reformari Ecclesia, atque in proprię dignitatis ordinem decreuimus reuocari. Et cum opportuisset te ex eo, Dominici corporis communione priuari, quod admonitione sanctę memoriæ decessoris nostri contempta: per quam eum Ecclesiamque eius de tuæ iurisdictione potestatis exemit, rursus in eis aliquid tibi iurisdictionis seruare præsumpseris: tamen nos humanius decernentes, communionisque tibi sacramentū interim conseruātes, decernimus, vt fraternitas tua ab eo, Ecclesia quæ eius omnem antehabitæ suæ potestatē iurisdictionis abstineat, & secundum scripta decessoris nostri, si qua causa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria aduersus præfatum Hadrianum consacerdotem nostrum potuerit euenire, vel per eos qui nostri sunt vel fuerint in vrbe regia respōsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur: vel huc ad Apostolicam sedem, si ardua est, deducatur: quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur. Quod si contra hæc quę statuimus, quolibet tempore, seu qualibet occasione, vel surreptione venire tentaueris, sacra scias te communione priuatum: nec eam te, excepto vltimo vitæ tuæ tēpore, nisi concessa Romani pontificis decernimus iussione percipere. Hæc enim consona sanctis patribus definitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionē capere sit dignus altaribus. Res autem siue sacras, siue alias mobiles immobilesque eius Ecclesiæ, quas hactenus diceris retinere, quarum notitiam nobis oblatam præsentibus annectimus litteris, sine aliqua ei dilatione fraternitas tua restituat. De quibus si qua inter vos quæstio vertitur, volumus vt apud Responsalem nostrum in vrbe regia ventiletur.

EPISTOLA VIII.

Vt non deponatur Episcopus nisi in conuentu Episcoporum.

GREGORIVS, *Natali Episcopo Salonitano.* Cum cuncta negotia indagandæ solicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad deiectionem sacerdotalium graduū pertinent, districtiùs sunt trutinanda: in quibus non tandem humanis constitutis, quā diuinæ quodammodo benedictionis refragatione tractatur. Quæ res quoque nos in Florentij Epidauritanæ ciuitatis episcopi persona ad exhortationem vestræ fraternitatis admonuit. Nunciatum siquidem nobis est, à quibusdam fuisse eū in causis criminalibus accusatū: & nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis consilij præueniente iudicio, eū ab honoris officio iure, sed auctoritate depositū. Quia ergo non potest quemquam episcopatus gradu, nisi iustis ex causis, concors sacerdotū summouere sententia: hortamur fraternitatem vestram, vt præfatum virum ex eodem, in quo detrusus est, eijci faciatis exilio, causamque eius episcopali disceptatione perquiri. Et si in his in quibus accusatur, canonica fuerit probatione conuictus, canonica proculdubio est vltione plectendus. Quòd si aliàs, quàm de eo æstimatum, est, synodali fuerit inquisitione compertum: necesse est, vt & criminatores iusti districtionem iuris exhorreant, & in criminato innocentiæ suæ seruentur illibata suffragia. Executionem vero antefati negotij Antonino subdiacono nostro, ex nostra præceptione mandauimus: quatenus eius instantia & quæ sunt legibus canonibusque placita decernantur, & decreta, iuuante Domino, mancipentur effectui. Inf. ep. 9. li. 2. Ind. 11

EPISTOLA IX.

De Florentio Episcopo iniustè depositio.

GREGORIVS, *Antonino Subdiacono.* Peruenit ad nos Florentium Epidauritanæ ciuitatis episcopum, præreptis prius rebus eius, pro quibusdā non approbatis criminibus, sine sacerdotali consilio fuisse damnatum. Et quia non debet is pœnam sustinere canonicā in cuius damnatione non est canonica prolata sententia: præcipimus experientiæ tuæ vt Natali fratri & coēpiscopo nostro debeas imminere, quatenus supradictum virum de eodē eijci faciat, quo nunc dicitur detrusus exilio. Conuocatoque episcoporum concilio, si hæc in quibus accusatus est canonicè fuerint approbata, præfati Natalis fratris & coepiscopi nostri volumus in eū proprium robur obtinere sententiam. Sin autem generali fuerit iudicio absolutus, nec eum deinceps cuiuslibet prę iudicio subiacere permittas: & præfatæ res districta tuæ solicitudinis restituantur instantia. Necesse est ergo, vt quanto grauiora talium negotiorum perpendis pondera, tanto ea maturiori vigilantiorique studeas executione complere. Sup. ep. 16 l. 2 Ind. 10 Inf. ep. 22. tra. 2. Indict. 11. Grat. 11. q. 3. c. 44.

EPISTOLA X.

De Chalcedonensi synodo: & de alijs tribus synodis recipiendis.

GREGORIVS, *Sauino Subdiacono.* Exeuntes maligni homines turbauerunt animos vestros, nō intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, astruentes quod aliquid de sancta Chalcedonensi synodo piæ memoriæ Iustiniani temporibus sit imminutum, quam omni fide omnique deuotione veneramur. Et sic quatuor synodos sanctæ vniuersalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Euāgelij recipimus. De personis vero de quibus post terminum synodi aliquid actum fuerat, eiusdem piæ memoriæ Iustiniani temporibus est ventilatum: ita tamen, vt nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eandem sanctam Chalcedonensem synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem si quis ex diffinitione fidei, quæ in eadem synodo prolata est, aliquid imminuere præsumit, vel quasi corrigendo eius sensum mutare: sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo, fili chariſſime, decet ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ remeare: vt finem tuum valeas in pace concludere ne malignus spiritus, qui cōtra te per alia opera prævalere non potest, ex hac causa inueniat, vnde tibi in die exitus tui in aditu regni cælestis obsistat. Inf. ep. 46. li. 7. Ind. 11 li. 8. ep. 56 li. 11. ep. 27 28 Ioā. Diac. li. 4. c. 59. vit. Sup. ep. 24 l. 7. Inf. ep. 53. lib. 7. Ind. 2.

EPISTOLA XI.

De ordinatione Episcopi.

GREGORIVS, *Ordini & plebi consistenti in Albano.* Probabilibus desiderijs nihil attulimus tarditatis: fratrem namque & coepiscopum nostrum hominem bonum vobis ordinauimus sacerdotem.

Mense Nouembri, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XII.

De causa Gregorij Agrigentini Episcopi.

Sup. ep. 18 li. 2. 26. 28. li. 3. ep. 42. 53. ho. 34. in Euang.

GREGORIVS, *Maximiano Episcopo Syracusano.* Pridem quidem fraternitati vestræ scripseram, vt eos qui aduersus Gregorium episcopum Agrigẽtinæ ciuitatis aliqua dixerant, ad Romanam ciuitatẽ trãsmittere deberetis. Quod & nunc vt instantius fieri debeat, præsentibus adhortamur epistolis. Vnde personas ipsas, cæteraq; documenta, id est gesta & petitiones quæ data sunt, festinate cum celeritate transmittere. Nec moram aliquam excusationemque perquiri penitus permittimus: quatenus eis in Romanam, sicut diximus, ciuitatem transmissis, sub celeritate sciamus quid auxiliante Domino de persona salubrius eius disponere debeamus.

EPISTOLA XIII.

Præcipit vt in Terracinensi Ecclesia sit Episcopus.

Inf. ep. 10. li. 6. Ind. 15. & ep. 16 Ioã. Diac. li. 5. ca. 15. Grat. 21. q. 1. c. 5. Polly li. 1. tit. 8.

GREGORIVS, *Agnello Episcopo de fundis, qui nunc in ciuitate incardinatus est Terracina.* Relatio cleri simul & populi Terracinæ degentis: nos valde lætificat, ob hoc quod de tua fraternitate bona testatur. Et quia defuncto Petro Pontifice suo, sibi cardinalem postulant, constitui te sacerdotẽ, eorum vota necessario complenda esse præuidimus: quatenus & illi se gaudeant impetrasse quod postulant, & nos cõcessisse quod expedit videamur. Quia igitur ob cladem hostilitatis nec in ciuitate, nec in Ecclesia tua est cuiquam habitãdi licentia: ideo te auctoritate nostra Terracinensi Ecclesiæ cardinalem constituimus sacerdotẽ; admonentes vt ita de animabus populorum illic consistentiũ Deo protegẽte debeas esse sollicitus: quatenus callidi peruersiq; hostis insidię commisso tibi gregi, qualibet arte nocere non valeant. Sed sollicitudinis tuæ grex circũseptus custodia, digni se pastoris gaudeat meruisse tutamina. In tuis actibus plebi exẽpla bene viuendi existant, auaritia in te vires non habeat. Tua prædicatione qui litteras nesciunt, quid diuinitus præcipiatur agnoscant. In Dei timore populum quemadmodũ viuere possit, tui mores instituãt. Operibus exerce quod subiectos doces, & prædicas. Actus tui in aliorum correptionẽ proficiant, in adiutorium sibi vitæ tuæ imitationẽ assumãt. Sicque te in cunctis operibus exhibere festina, vt scripturã construction emque in te habeat, quicunque aut negligit, aut non potest lectione formari. Tota igitur mentis intentione ita lucrũ animarum Domino nostro facere festinato, vt digna te merces ante eius conspectũ in die retributionis inueniat. Quicquid verò de prædictæ rebus Ecclesiæ, vel eius patrimonio, seu cleri ordinatione promotioneve, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, solerter atque canonicè ordinare facereq; prouideris; liberã habebis, quippe vt sacerdos proprius, modis omnibus facultatem. Illud quoque fraternitatẽ tuam scire necesse est: quoniam sic te prædictæ Terracinensis Ecclesiæ cardinalem esse constituimus sacerdotem, vt & Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse nõ desinas, nec curam gubernationemque eius prætereas: quia ita fraternitatem tuam sæpedictæ Terracinensi Ecclesiæ sicut præfati sumus, præesse præcipimus, vt antedictæ Fundensis Ecclesiæ tibi iura potestatemve nullo modo subtrahamus.

Grat. 21. q. 1. c. 6. Inf. ep. prox. 14. & sup. ep. 25. li. 2.

EPISTOLA XIV.

De Agnello Episcopo suscipiendo.

Sup. ep. 13.

GREGORIVS, *Clero, ordini, & plebi consistenti in Terracina.* Dilectionis vestræ desideria insinuata nobis quã abstulistis petitio retulerat, electionemque vestrã valde laudauimus: quia Agnellum fratrem & coepiscopum nostrum probatum iam meritis, cardinalem vobis constitui deprecamini sacerdotẽ. Et quoniam gratæ laudandæque petitioni nec effectum negari, nec morã licebat innecti, secundum desideria petitionemque vestram supradictum Agnellum directa præceptione Ecclesiæ vestræ cardinalem esse statuimus sacerdotem. Pro qua re dilectionem vestram paterna adhortatione commoneo, vt ei obedientiam præbere in omnibus debeatis: quatenus charitatis vestræ solatio roboratus, curã gubernationemque Ecclesiæ, quam vobis probatur petentibus suscepisse, adiuuante Domino salubriter valeat implere.

Mense Decembri, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XV.

De Episcopo in Neapoli eligendo.

Sup. ep. 10

GREGORIVS, *Scholastico Duci Campaniæ.* Dum de Neapolitanæ ciuitatis cura destituta sacerdotis solatio vehementius angeremur: superuenientes præsentiũ latores cum decreto in Florentiũ subdiaconum nostrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationũ pondere releuationis inuerant. Sed dũ præfatus subdiaconus noster refugiens ciuitatẽ ipsam, ordinationem suã lachrymabiliter euasisset, quasi ex maiori quadam desperatione nostram cognoscite creuisse mœstitiam. Atque ideo salutãtes hortamur magnitudinem vestram, vt conuocantes priores vel populũ ciuitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus possit cum Christi solatio ad sacerdotium promoueri. In quo decreto solenniter facto, atque ad hanc vrbẽ transmisso, ordinatio illic tandẽ Christo auxiliante proueniat. Sin aũt aptam non inuenietis in quã possitis consentire personã; saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc vrbem generalitatis vice mittatis, quorum & iudicio plebs tota consentiat. Forsitan huc venientes, præstante Dei misericordia, talẽ reperient, qui vobis antistes irreprehensibiliter ordinetur: quatenus destitutæ ciuitati vestræ nec intrinsecus actuum suorum desit inspector, nec extrinsecus, adhibita sollicitudine sacerdotis, hostilibus aditus præstetur insidijs.

EPISTOLA XVI.

Valerianum presbyterum commendat.

GREGORIVS, *Petro Episcopo Baricis.* Licet fraternitatẽ tuã pijs de causis non dubitemus sponte impendere: veruntamen quia proniorem eã nostra fieri arbitramur epistola; idcirco præsentibus tibi indicamus apicibus, horum latore Valerianum presbyterum pro redemptione captiuorum in illas partes aduenisse: cui tanto enixius in omnibus debetis ferre solatium, quanto eum mercedis intentione lõginqui itineris laborem assumpsisse cognoscitis. Sic enim & hic quod intendit, te adiuuante perficiet, & fraternitas tua pro impẽso solamine magnam apud Deum, sicut desiderat, retributionem inueniet.

Mense Ianuario, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XVII.

De possessionibus Florę abbatissę reddendis.

Sup. ep. 17 Greg. 12. q. 2. cap. 7. Anf. li. 5. c. 32.

GREGORIVS, *Gratioso Subdiacono.* Religiosam vitã elegentibus congrua nos oportet consideratione perspicere, ne cuiusdã necessitatis occasio aut desides faciat; aut robur, quod absit, conuersationis infringat. Idcirco præsenti tibi auctoritate præcipimus, quatenus domũ positam in hac vrbe, regione quarta, iuxta locũ qui appellatur, Ad gallinas albas: vel hortum iuris sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, in qua Campana quondam Patritia mansisse dignoscitur, simul & hortum atque hospitia, quæ intra eandem domum ianua concludit, Florę abbatissæ debeas tradere, proprietatis iure proculdubio possidendam. In qua domo monasterium virginum, vbi cum congregatione sua habitare possit, Christo queat adiuuante, construere: vt tam ipsa, quàm etiam quæ in eius loco hoc noreque successerit, prædictam domum & hortum cum omnibus ad se pertinentibus, sicut diximus, quieto incon-

cussoque

cuſſoque iure, à nobis pietatis conſideratione conceſſa, valeat poſſidere.

EPISTOLA XVIII.

Acoſimum puerum dono dat per epiſtolam.

GREGORIVS, *Theodoro Conſiliario.* Eccleſiaſticis vtilitatibus deſudantes, Eccleſiaſtica dignũ eſt remuneratione gaudere, vt qui te volũtarijs obſequiorũ neceſſitatibus ſpõte ſubijciunt, dignè noſtris prouiſionibus cõſolẽtur. Quia igitur te Theodorum virũ eloquentiſſimum conſiliarium noſtrum mancipiorum cognouimus miniſterio deſtitutũ, ideo puerũ nomine Acoſimum, natione Siculũ, iuri dominioque tuo dari tradiq; præcipimus. Quem quoniã traditũ ex noſtra volũtate iam poſſides, huius te neceſſe fuit ſcripti pro futuri temporis teſtimonio ac robore largitantis auctoritate fulciri: quatenus dño protegente ſecurè eũ ſemper & ſine vllius retractationis ſuſpicione, quippe vt dñs, valeas poſſidere. Neque enim quemquam fore credimus, qui tam paruam largitatem pro tua tibi deuotione conceſſam deſideret, vel tentet vllo modo reuocare: cum vno eodemque tempore, & verecundum ſit à deceſſoribus bene geſta reſoluere: & verecundum ſit docere cæteros in ſua quandoque reſolutoriam proferre largitate ſententiam.

EPISTOLA XIX.

Vt de reliquijs ſancti Seuerini tranſmittat.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono Campaniæ.* Cor noſtrũ pia diuinitatis inſpiratione cõpungitur, loca quondã execrandis erroribus deputata, in catholicæ religionis reuerentiam dedicare. Quia igitur eccleſiã poſitã iuxta domũ Merulanã regione tertia, quam ſuperſtitio diu Ariana detinuit, in honorem ſancti Seuerini cupimus conſecrare, experientia tua reliquias beati Seuerini ſummoperè debita cum veneratione tranſmittat: quatenus quæ noſtris animis perficienda decreuimus, implere omnipotentis gratia ſuffragante poſſimus.

EPISTOLA XX.

Curam committit Eccleſiæ ſancti Anthemij.

GREGORIVS, *Gratioſo Epiſcopo Numentano.* Poſtquã hoſtilis impietas diuerſarum ciuitatũ ita peccatis facientibus deſolauit Eccleſias, vt reparãdi eas ſpes nulla populo deficiente remanſerit, maiori valde cura cõſtringimur, ne defunctis earum ſacerdotibus, reliquiæ plebis, nullo paſtoris moderamine gubernãte, per deuia fidei, hoſtis callidi, quod abſit, rapiantur inſidijs. Huius ergo rei ſollicitudine ſæpe commoti, hoc noſtro ſedit cordi conſilium, vt vicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoque fraternitati tuæ curam gubernationemque ſancti Anthemij Eccleſiæ, in Curium Sabinorum territorio conſtitutæ præuidimus committendam, quam tuæ Eccleſiæ aggregari vniriq; neceſſe eſt: quatenus vtrarumque Eccleſiarum ſacerdos rectè Chriſto adiuuante poſſis exiſtere, & quæque tibi de eius patrimonio vel de cleri ordinatione ſeu promotione vigilanti ac canonica viſa fuerint cura diſponere, quippe vt Pontifex proprius, liberam habebis ex præſenti noſtra permiſſione licentiam. Quapropter frater chariſſime, Dominicorum reminiſcens mandatorum, ſalubriter ita in cõmiſſæ plebis regimine lucrandisque animabus inuigila, vt ante tribunal æterni iudicis conſtitutus, fructum bonæ operationis, qui ad mercedem tuam pertineat, eidem Redemptori noſtro in quo lætari poſſis, exhibeas.

(:)

Menſe Februario, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XXI.

Reddit ſubſtantiam patris eorum.

GREGORIVS, *Paſchali, Demetiano, atque Caſtorio filijs Vrbici defenſoris de Tiburtina.* Officij noſtri eſt, orbatis ita parentibus ferre conſultũ, quatenus aliquid de his quæ iuſtè debentur eccleſiæ relaxantes, eorum poſſimus ſubuenire miſerijs. Quia igitur facta ſubtilius ratione, patrem veſtrum Vrbicũ, quondam defenſorem, de patrimonio Sabinenſi atque Cardiolano, quod eius fuerat curæ cõmiſſum, conſtat in non modicam ſummã debitorem fuiſſe defunctum: & quamuis tota eius ſubſtantia pro hoc ſit Eccleſiæ obligata, nec tamen ad ſatisfactionem eorũ quæ conſumpſerat poſſit ſufficere; nos tamen pietatis intuitu, eiuſdem patris veſtri ſubſtantiam vos habere ac poſſidere permittimus atq; concedimus, veſtris proculdubio vtilitatibus profuturam, ſecuri quòd nullus vos denuò de ijs, quæ vobis relaxantes conceſſimus, aliqua ratione concutiat.

Menſe Martio, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XXII.

De obitu Natalis Epiſcopi, & de ordinatione Epiſcopatus eius.

GREGORIVS, *Antonio Subdiacono, rectori patrimonij in Dalmatia.* Natalem Salonitanæ Eccleſiæ fratrem & coepiſcopum noſtrũ obijſſe, diſcurrẽs in partibus iſtis fama vulgauit. Quod ſi verũ eſt, experientia tua omni inſtantia omnique ſollicitudine clerum & populũ eiuſdem ciuitatis admonere feſtinet: quatenus vno cõſenſu ordinandũ ſibi debeant eligere ſacerdotem, factoq; in perſonam quæ fuerit electa decreto, ad nos tranſmittere ſtudebis, vt cum noſtro conſenſu, ſicut priſcis fuit temporibus, ordinetur. Illud quidem præ omnibus tibi curæ ſit; vt in hac electione, nec datio quibuſque modis interueniat præmiorum, nec quarumlibet perſonarum patrocinia cõualeſcant. Nam ſi quorundam patrocinio fuerit quiſquam electus, voluntatibus eorum cum fuerit ordinatus, obedire reuerentia exigente compellitur; ſicque fit vt & res illius minuantur Eccleſiæ, & ordo Eccleſiaſticus non ſeruetur. Talem ergo te admonente perſonam debent ſibi eligere, quæ nullius incongruæ voluntati deſeruiat, ſed vita ac moribus decorata, tanto ordine digna valeat inueniri. De rebus verò vel ornamẽto eiuſdem Eccleſiæ, fideliter rerum inuentarium facito te præſente conſcribi. Et ne de rebus ipſis poſſit aliquid deperire, Reſpectum diaconum atque Stephanum primicerium notariorum, vt ipſarum rerum omnino gerant cuſtodiam admoneto; interminans eis, de propria eos ſatisfacturus eſſe ſubſtantia, ſi quicquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum. Malchum autem fratrem & coepiſcopum noſtrum conteſtari te volumus, vt ſe penitus in hac cauſa non miſceat. Nam ſi per eum aliquid contra voluntatem noſtrã factum vel tentatum potuerimus addiſcere, non modicam ad ſe culpam & periculum pertinere cognoſcat. Sed & hoc eum admonere curato, vt ad pondas explendasque rationes patrimonij noſtri quod geſſit, debeat eſſe ſollicitus, pro quibus etiam faciendis, ex Siciliæ partibus ad nos poſtpoſita excuſatione venire feſtinet. In rebus igitur Salonitanæ Eccleſię nullo modo ſe miſcere preſumat, ne amplius ei aut obnoxius, aut poſſit eſſe culpabilis. Nam multa habere de rebus prædictæ Eccleſiæ fertur, eumque opinio penè auctorem extitiſſe in venditione rerũ eius, vel alijs illicitis aſſeuerat. Quod ſi ita eſſe ſicut dicitur, manifeſta veritate patuerit, certus ſit inultum hoc nullatenus remanere. Expenſa verò quæ neceſſaria fuerit, per œconomum, qui tempore mortis prædicti epiſcopi inuentus eſt, erogetur, quatenus rationes ſuas futuro epiſcopo ipſe, vt nouit, exponat. Cuncta ſiquidem quæ tibi agenda mandauimus, cum conſilio magnifici atque eloquentiſſimi Marcelli filij noſtri te agere profectò neceſſe eſt, quatenus ita omnia quæ huius præ-

Sup. ep. 9. 16. & 22. l. 2. Ind. 11. Sup. lib. eod. ep. 19 & 20. li. 1.

Electio fauoribus fieri non debet. Grat. 8. q. 2. c. 1. Iuo. p. 5. c. 129. Polyc. li. 2. tit. 3.

Sup. ep. 32 Ind. 10. li. 2.

cepti pagina continet, sollicitè strenueque possis implere, vt nulla te neglectus culpa respiciat.

EPISTOLA XXIII.

De lapsu Secundini, & ordinatione Theodosij.

Sup. ep. 18 & 42. & 67 69. 70. li. 1. & li. 2. ep. 19 & inf. ep. 39.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono Campaniæ.* Quamuis horrenda execrandaque nimis Secundinũ ad aures nostras peruenerit crimina commisisse, hoc tamen solum ad eius damnationem potest sufficere, quod etiã ipse de se dicitur fuisse confessus. Cognouimus autem ab eo dictum, quòd dũ tertius à loco esset abbatis, à statu habitus sui lapsu corporis ceciderit: & licèt ad abbatis ordinem tanto coinquinatus facinore nulla debuerit ratione proficere: tamẽ quia temerario post ausu ac tanta pollutione detentus, hoc indignus arripuit, experientiæ tuæ huius auctoritatis tenore præcipimus, vt præfato Secundino remoto ab abbatis officio, Theodosium, quem congregatio ipsa sibi petijt ordinari, in monasterio sancti Martini abbatem solenniter per eum cuius prouisio interest, facias ordinari: quatenus in cura congregationis subiectæ, adiuuãte Deo, cauta possit sollicitudine vigilare. Possessiones verò vel hortos eiusdẽ monasterij ecclesiastica, in quantum ratio patitur, tuitione defende.

EPISTOLA XXIV.

De infirmitate Castorij, & visitatione eius Ecclesiæ.

Inf. ep. 42. Ind. 13. li. 4. lib. 5. ep. 45. Ioã. Diac. li. 4. c. 53. Sup. ep. 22 li. 2. Ind. 10. Inf. ep. 25.

GREGORIVS, *Leontio Episcopo.* Castorium fratrem & coepiscopum nostrum hic pro corporis sui molestia retinemus. Et quia nunc ad suam Ecclesiam non valet remeare; propterea eo absente, Ecclesiæ ipsius fraternitati tuæ operam prouidimus visitationis delegandam, admonentes charitatem tuam, vt ita efficaciter omnes vtilitates eius exerceat, quatenus tui præsentia proprium se, absentem habere non sentiat sacerdotem. Quicquid autem tibi visum fuerit pro vtilitatibus eiusdem Ecclesiæ ordinare, habebis modis omnibus ex nostra permissione licentiam. Reditus verò vel ornamenta, ministeriaque ipsius, sollicitudinis tuæ intuitus & cura conseruet. Et præter ordinationes clericorum, cætera omnia in prædicta Ecclesia tanquam cardinalem & proprium te volumus agere sacerdotem.

EPISTOLA XXV.

De infirmitate Castorij, & visitatione Leontij.

Ioã. Diac. lib. 4. c. 53.

GREGORIVS, *Vniuersis habitatoribus Arimini.* Si in culpã vestram filij dilectissimi intentius velitis attendere, assidua vos apud Deum debetis oratione purgare, quòd episcopum vestrum non deuota mente, nec vt filij suscepistis: quẽ inquietudo & tribulatio à vobis illata ad hoc vsque perduxit, vt molestiam corporalem incurreret; quamuis in eo nihil de his quæ nobis sunt scripta cognouimus, sed solam inesse debilitatem vidimus, pro qua eum hic retinere curauimus. Et quia illuc modo ad præsens non valet remeare, Ecclesiæ vestræ necessario prouidimus Leontium fratrem & coepiscopum nostrum visitatorẽ per omnia deputare, cui etiam nostris scriptis iniunximus, vt omnia quæ ad curam vtilitatemque Ecclesiæ pertinent, tanquã proprius episcopus debeat ordinare. Vos ergo ita ei in omnibus obedite, quatenus operam sibi visitationis iniunctam vestra virtute, salubri in omnibus deuotione possit complere.

Sup. ep. 24.

EPISTOLA XXVI.

De excommunicatione eius, & de Episcopo eligendo.

Grat. 24. q. 3. c. 2. Iuo. p. 4. c. 17. Pann. li. 5. c. 119. Polyc. lib. 1. tit. 22. Ioã. Diac. li. 4. c. 35.

GREGORIVS, *Magno Presbytero Ecclesiæ Mediolanensi.* Sicut exigente culpa, quis à sacramento communionis dignè suspenditur, ita insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta. Comperimus siquidem, quòd Laurentius quondam frater & coepiscopus noster nullis te culpis exigentibus communione priuauerit: ideoque huius præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuũ securus perage, & communionem sine aliqua sume formidine. Illud præterea necessario te duximus adhortandum, vt ita te cũctis vtilitatibus Ecclesiæ tuæ purè ac diligenter exhibeas, quatenus nec offensa te aliqua de neglectu respiciat, & culpam si qua in te, propter quam Dominici corporis & sanguinis communione fueras priuatus, vel latens inuẽta est, tuæ fidei puritate detergas. Admone igitur clerum & populum, vt ad eligendum nullatenus dissentiant sacerdotem: sed vno consensu talem sibi eligant consecrandum episcopum, cuius & actus laudabiles, & grata Deo & hominibus possit esse persona, ne si aliter actum fuerit, in diuersis (quod absit) studiis, damnum Ecclesiasticis rebus eueniat.

Mense Aprili, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XXVII.

De Bonifacio à Victore iniustè damnato.

Inf. ep. 41. li. 9. Ind. 4. Grat. 23. q. 4. c. 30.

GREGORIVS, *Mariniano Abbati de Panormo, & Benenato notario rectori patrimonij Panormitanensis.* Si ea de quibus vehemẽter Deus offenditur, insequi vel vlcisci differimus, ad irascendum vtique diuinitatis patientiam prouocamus. Multa etenim ad nos mala de quibusdam in Panormitana ciuitate degentibus peruenerunt, quæ quoniam maiorem coercionem expectant, nec temerè credenda, nec desidiosè quærenda sunt. Pro qua re Victori fratri & coepiscopo nostro iniunximus, vt si vera essent, & ea insequi debuisset, & vlcisci. Nunc itaque huc veniens Bonifacius vir clarissimus præsentium lator, frustra se & communione priuatũ, & alia se grauiora à prædicto episcopo queritur fuisse perpessum. Quia ergo nullus sine cognitione damnandus est, eidem fratri & coepiscopo nostro scripsimus, vt si persona quæ de ipso quædam dicere possit, inuenta fuerit, eã ad nostram debeat cognitionem dirigere. Ideoque huius præcepti vos pagina necessariò duximus adhortandos, quatenus nullius personam attendentes, sed Dei timorem habentes præ oculis, ibi cum omni æquitate, si qua vobis de eo dicta fuerint, memores futuri iudicij, subtili debeatis indagatione perquirere. Et si in vestra cognitione cuiusquam eũ facinorosi criminis reum esse patuerit, tunc ex nostra auctoritate non solum Dominici corporis & sanguinis communione priuatus sit, verum etiam in monasterium vbi pœnitentiam agere debeat, retrudatur; vt criminis sui maculas conuenienti valeat apud æternum iudicem lamentatione purgare. Si verò aut nihil aduersus eum in cognitione vestra dictum fuerit, aut si quid dici contigerit, & verum non esse constiterit, nec aliquibus illum indicijs in hoc quod dicitur incidisse, potueritis agnoscere, modis omnibus renũciare nobis curabitis. Prædictum enim Bonifacium nullam à quolibet volumus molestiam sustinere: quoniam sicut iustum est, vt in delinquentes digna debeat vindicta procedere, ita iniquum est quibusdam afflictionibus quenquam irrationabiliter subiacere.

EPISTOLA XXVIII.

Vt Armenio in necessitatibus subueniant.

Li. ep. 7 Sup. ep. 24 li. 1. Ind. 4

GREGORIVS, *Vniuersis Episcopis per Italiam.* Quicquid misericorditer ac respectu pietatis impeditur, & hic auctorem suum adiuuat, & optatum ei præmium in die retributionis apportat. Quod cum ita sit, quia eminentiam vestrã valde diligo, mercedis vobis causas insinuo. Armenius itaque magnificus filius quondam Antonini illustrissimi viri, sua me egestate compulit, vt pro ipso vobis debuissem scribere. Qui quoniam, sicut nostis, vtroque parente orbatus est, eminentiæ vestræ tuitionem & continentiam præstolatur. Vnde pietas vestra piæ considerationis, vt cõsueuit, intuitu, in quantum vtile prospicit, ei locum vel actionẽ prouideat, ex qua quotidianis stipendijs valeat contineri: quoniam hæc maxima laus & merces est, si illa orphanis impendantur, quę eorum pro suis obsequiis poterant genitoribus exhiberi.

EPISTO-

EPISTOLA XXIX.

De ordinando ad Episcopatum Constantio diacono. Et admonitio de die iudicij.

GREGORIVS, *Presbyteris, Diaconibus & clero Mediolanẽsis Ecclesiæ.* Epistolam dilectionis vestræ susscepimus, cui tñ nullius erat inserta subscriptio, sed fidẽ Magni presbyteri, & Hippolyti clerici portitorũ personæ faciebãt. Qua relecta, comperimus omniũ vestrum in Constantio filio nostro Ecclesiæ vestræ diacono cõuenire consensum, qui dudũ mihi benè cognitus fuit. Et cũ in vrbe regia responsa Sedis Apostolicæ facerẽ, longo mihi tempore adhæsit, sed mihi vnquã in illo quod reprehendi passim potuisset, inueni. Veruntamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, ad susscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius vnquam miscerí persona, orationibus prosequor electionẽ vestrã, vt omnipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper est præscius, talem vobis pastorem præbeat, in cuius lingua & moribus exhortationis diuinæ pascua valeatis inuenire: in cuius mente & humilitas cum rectitudine fulgeat, & seueritas cum pietate: qui vobis viam vitæ non solum legendo vel loquendo, sed etiam viuendo possit ostendere: quatenus exemplo illius discat vestra dilectio ad æternæ patriæ desiderium suspirare. Itaque vos filij carissimi, officij nostri censura commoniti suademus, vt in hac susscipienda antistitis causa nullus vestrum neglecta vtilitate communi suo lucro prospiciat: ne si quisquam propria commoda appetit, friuola æstimatione fallatur: quia nec libero iudicio præferendam sibi personam examinat mens quam cupiditas ligat. Pensantes igitur quæ cunctis expediunt, ei quem vobis diuina gratia prætulerit, integerrimam semper in omnibus obedientiam præbete: id est, talem eligite, cui semper debeatis obedire. Iudicari namque à vobis vltra non debet semel prælatus, sed tanto nunc subtiliter iudicandus est, quanto postmodum iudicandus non est. Consecrato autem vobis Deo auctore pastori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti Domino, qui vobis hunc prætulit deseruite. Sed quia iuxta meritum plebium, solent superno iudicio personæ prouideri pastorum, vos spiritualia quærite, cælestia amate, temporalia vt fugitiua despicite: & certissimum tenete, quia placentem Deo pastorem habebitis, si vos in vestris actibus Deo placetis. Ecce iam mundi huius omnia perdita conspicimus, quæ in sacris paginis audiebamus peritura. Euersæ vrbes: castra eruta: Ecclesiæ destructæ: nullus terram vestram cultor inhabitat. In nobisipsis paucissimis, qui ad modicum derelicti sumus, cum supernæ percussionis cladibus, humanus gladius incessanter sæuit. Mundi igitur mala, quę dudum ventura audiebamus, aspicimus, quasi paginæ nobis codicum, factæ sunt ipsæ iam plagæ terrarum. In interitu ergo rerum omnium pensare debemus, nil fuisse quod amauimus. Appropinquantem itaque æterni iudicis diem sollicita mente conspicite, & terrorem ipsius pœnitendo prævenite. Delictorum omnium maculas fletibus lauate. Iram quę æterna imminet, temporali lamento compescite. Pius enim conditor noster cum ad iudicium venerit, tanto nos maiore gratia consolabitur, quanto nunc conspicit, quod à nobis nostra delicta puniuntur. Latorem verò præsentium Ioannem subdiaconum nostrum ad hoc Deo fauente transmisimus, vt electum vestrum sua imminentia cum Dei omnipotentis solatio secundum morem decessoris eius faciat episcopum consecrari. Nam sicut ab alijs nostra exigimus, ita singulis sua iura seruamus.

EPISTOLA XXX.

De electione & consecratione Constantij.

GREGORIVS, *Ioanni Subdiacono.* Quanto Apostolica Sedes Deo auctore cunctis prælata constat Ecclesijs, tãto inter multiplices curas, & illa nos valdè sollicitat, vbi ad cõsecrandum antistitẽ nostrũ expectatur arbitriũ. Defuncto igitur Laurentio Ecclesiæ Mediolanensis episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit, in electione se filij nostri Constantij diaconi sui vnanimiter consensisse. Sed quoniã eadẽ non fuit subscripta relatio, ne quid quod ad cautelã pertinet omittamus, huius idcirco præcepti auctoritate suffultum, Genuã te proficiscí necesse est. Et quia multi illic Mediolanensiũ coacti barbarica feritate consistunt, eorũ te voluntates oportet eis conuocatis in cõmune perscrutari. Et si nulla eos diuersitas ab electionis vnitate disterminat, siquidẽ in prædicto filio nostro Constantio omniũ voluntates atq; consensum perdurare cognoscis, tunc eũ à proprijs episcopis, sicut antiquitatis mox exigit, cum nostræ auctoritatis assensu, solatiante & auxiliante Domino, facias consecrari: quatenus huiusmodi seruata consuetudine, & Apostolica Sedes propriũ vigorem retineat, & à se concessa alijs iura non minuat.

Sup. ep. prox. 29. in fine. Grat. dist. 63. cap. 10 Ioã Diac. l. 4. Ansel. li. 2. c. 26. Poly. li. 1. tit. 5. Sup. ep. 27. & 29 li. 2. & li. 1. ep. 80.

EPISTOLA XXXI.

De obitu Laurentij, & de consecratione Constantij.

GREGORIVS, *Romano Patritio & Exarcho Italiæ.* Obitum Laurentij Ecclesiæ Mediolanensis episcopi excellentiã vestram iã credimus cognouisse; & quia quantũ ex cleri relatione didicimus, in Constantio filio nostro diacono eiusdem Ecclesiæ omniũ cõsistit electio, necesse fuit pro seruãda consuetudine, militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eũ in quo omniũ voluntates atque cõsensum concorditer cõuenire cognouerit, à suis episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari. Proinde paterna dilectione persoluentes debitum salutationis officium; quæsumus, vt prædicto Constantio, seu fuerit consecratus episcopus necne, excellentia vestra vbi necesse fuerit, suum dignetur impendere, iustitia fauente, solatiũ: quatenus hæc vos merces, & hic apud inimicos vestros exaltet, & in futura vos vita apud Deum prævenienter commendet. Meus est enim proprius, olimque mihi magna fuit familiaritate coniunctus. Et vos quos nostros cognoscitis, habere vt vestros, & peculiariter diligere debetis.

Sup. ep. 32 li. 1. Ind. 9 li. 2 ep. 31. li. 4. ep. 18. Sup. ep. 26 & 30 li. 2. Ind. 11. Sup. ep. 30

Sup. ep. 29

EPISTOLA XXXII.

De absolutione Honorati.

GREGORIVS, *Honorato Archidiacono Salonitano.* Dudum quidem decessoris nostri, nostraque præceptio ad dilectionem tuam cucurrerat, in qua & de obiectis tibi calumniosè capitulis fueras absolutus: & in tui gradus ordinẽ sine aliqua te instituimus altercatione restitui. Sed quia rursus ante non multum temporis spacium, ad Romanã ciuitatem veniens, de aliquibus illic actis incongruè, & de sacrorum es conquestus alienatione vasorũ: atq; dum pro hac re, quæ tuis obiectionibus responderet potuissent, sustineremus in hac ciuitate personas, Natalis episcopus tuus de hac luce migrauit: necessariũ iudicauimus easdẽ præceptiones tam decessoris nostri, quam nostras quas dudum, vt dictum est, pro tua absolutione trãsmisimus, præsentibus deinceps apicibus confirmare. Quamobrem à cunctis tibi obiectis capitulis te plenius absoluẽtes, in tui te ordinis gradu sine aliqua volumus altercatione permanere, vt nihil tibi penitus mota à præfato viro quæstio qualibet occasione præiudicet. De his autem capitulis, de quibus conquestus es Antonino subdiacono, & rectori illic patrimonij sanctæ (cui Deo auctore prę̃sidemus) Ecclesię̃, instãter iniũximus, vt si quidẽ in his Ecclesiasticas inuenerit immixtas esse personas, cum summa causas ipsas districtione atque auctoritate diffiniat: Sin autem cum talibus res agitur, in quas

Li. 1. ep. 10. & 14. 47. Sup. ep. 14. li. 2. Ind. 10. ep. 15. 16. li. 11. epist. 27. Ioã. Diac. li. 3. c. 9.

Iurisdictio Ecclesiastica in laicos.

Ecclesiasticæ vigor non possit iurisdictionis extendi, de singulis quibusque capitulis probationes inter publica gesta depositas, ad nos absque vlla dilatione trãsmittat, vt instructi subtiliter sciamus quid de his debeamus, Christo auxiliante, disponere.

EPISTOLA XXXIII.

Crucem transmitit, in qua de craticula sancti Laurentij reliquiæ continebantur.

Inf. ep. 33. l. 6. Ind. 15

GREGORIVS, *Dinamio Patricio Galliarum, &c.* Monstrat quàm benè dispenset propria, qui fideliter administrat aliena. Quod vestra nobis gloria ostendit, quę perenni muneri intenta, beato Petro Apostolorum principi suorum reddituum fructus intulit. Cui dum sua fideliter impenditis, hæc apud eum vestra munera fecistis. Sic quippe agere huius terræ glorioſos de æterna gloria cogitantes decet, vt in eo cp tẽporaliter præualent, mercedẽ sibi non tẽporalẽ parẽt. Proinde debitum salutationis alloquiũ persoluẽtes, omnipotentem Dominum deprecamur, vt vitam vestram & bonis præsentibus repleat, & ad sublimia gaudia æternitatis extendat. Susceпimus namque per Hilarium filium nostrũ de præfatis Ecclesiæ nostræ redditibus gallicanos solidos quadringentos. Transmisimus autem beati Petri Apostoli benedictionem crucem paruulam, cui de catenis eius beneficia sunt inserta. Quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, sed vestra colla in perpetuum à peccatis soluant. Per quatuor verò in circuitu partes de beati Laurẽtij craticula in qua perustus est, beneficia continentur: vt hoc vbi corpus illius pro veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat.

Reliquiæ Sanctorũ transmittuntur. Sup. li. 1. ep. 30. in fine.

EPISTOLA XXXIV.

De Festo Episcopo à ciuibus suis contempto.

Lib. 1. ep. 19. 28. 39. 42. 44. 54. 67 69 70. 71. & hoc li. 21. ep. 19. 23.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono Campaniæ.* Queritur Festus frater & coepiscopus noster à suis se clericis ac ciuibus despici atque contemni. Pro qua re experientiæ tuæ præcipimus, vt tranquilla eos adhortatione cõuenias, quatenus sedatis, si quæ fortè odiorum causæ sunt, mutua eos, eos, & Deo placita charitate concilies: vt & ille quod filijs decet impendat, & illi quod patri oportet exhibeant. Si qua verò aliæ causæ sunt, prædicto episcopo te impendere præcipimus, salua tamen iustitia & æquitate, solatium.

Mense Maio, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XXXV.

Vt ad eligendum Neapolitanæ ciuitatis episcopum aliquos ex clero Romam transmittat.

Sup. ep. 34

GREGORIVS, *Petro Subdiacono Campaniæ.* Sæpius à vobis Paulus frater & coepiscopus noster expetijt, vt eum ad propriam reuerti faceremus Ecclesiã. Quod quia rationabile esse perspeximus, eius petitionem necessariò duximus adimplendam. Proinde experientia tua clerum Ecclesiæ Neapolitanæ conueniat, quatenus duos vel tres de suis eligere, & huc ad eligendum episcopum transmittere non omittant. Sed & sua nobis relatione insinuent, quoniam ij quos transmiserint, omniũ in hac electione vice fungantur, vt Ecclesiæ illi Deo auctore suus antistes valeat ordinari. Nam amplius eam sine proprio non patimur esse rectore. Qui si fortasse admonitionem tuam quolibet modo differre tentauerint, Ecclesiasticum in eos vigorem exerce. Nam prauitatis se dabit indicium, quisquis in hoc nõ sponte consenserit. Prædicto autẽ Paulo fratri & coepiscopo nostro cẽcum solidos, & vnum puerulum orphanũ quẽ ipse elegerit, pro labore suo de eadem Ecclesia facies dari. Illos autem qui cunctorum vice huc venerint ad eligendum episcopum, admone, vt vestiarium omne episcopi sui sciãt deferendum, & quantum præuiderint secum argẽtum adducant, quod in vsu suo habere possit, qui fuerit episcopus ordinatus. Hæc verò omnia viuaciter, districteque implere festina, & sub omni huc celeritate electos, sicut diximus, de clero transmitte: vt quia diuersi hic nobiles ciuitatis Neapolitanæ præsentes sunt, vnà cum eis de episcopali ordinatione & tractare, & adiutore Domino deliberare possimus.

EPISTOLA XXXVI.

De Ianuario Episcopo Romam perducendo, & de Epiphanij presbyteri facinoribus.

Sup. ep. 33. 57. & 63. li. 1.

GREGORIVS, *Sabino defensori Sardiniæ, & Anthemio subdiacono.* Quædam ad aures nostras grauia peruenerunt, quæ quoniam canonicam emendationem expectant, idcirco experientiæ tuæ præcipimus, quatenus vna cum Ioanne notario, omni excusatione postposita, Ianuarium fratrem & coepiscopum nostrum summa huc exhibere instantia non omittas: vt eo corã posito, ea quæ ad nos perlata sunt, subtili valeant indagatione perquiri. Pompeiana verò atque Theodosia religiosæ feminæ iuxta postulationem suã, si huc venire voluerint, vestra eis in omnibus præbete solatia, vt desideria sua vobis queant succurrentibus adimplere: præcipuè autem Isidorum eloquentissimum, sicut petijt, studij vestri sit per omnia vobiscum adducere, vt causæ eius qualitas, quam contra Ecclesiam Caralitanam habere dignoscitur, interius trutinata, legalem valeat finem accipere. Præterea quoniam aliqua nobis de persona Epiphanij presbyteri facinora nunciata sunt, necesse est, vt diligentius cuncta perscruteris, & seu mulieres cum quibus perisse dicitur, seu alios quos de causa eadem scire aliquid senseris, huc pariter festines adducere: quatenus Ecclesiasticæ districtioni liquidè possint aperiri quæ vera sunt. Hæc verò omnia ita efficaciter vtrique curabitis adimplere, vt nulla vos de neglectu culpa respiciat, scientes ad vestrum omnino pertinere periculum, si hæc nostra quoquo modo fuerit lentata præceptio.

Ext. de test. & attest.

EPISTOLA XXXVII.

De præsumptione Nasæ Iudæi, qui altare sub nomine B. Heliæ construxerat, & de mancipijs Christianis comparatis.

Lib. 7. ep. 20. Ind. 11. li. 8. ep. 34. Ioã. Diac. li. 4. c. 44.

GREGORIVS, *Libertino præfecto Siciliæ.* Ab ipso administrationis exordio, Deus vos in causæ suæ voluit vindicta procedere, & hanc vobis mercedem propitius cũ laude seruauit. Fertur siquidem quod Nasas quidam sceleratissimus Iudæorum, sub nomine beati Heliæ altare puniendа temeritate construxerit, multosque illic Christianorum ad adorandum sacrilega seductione deceperit. Sed & Christiana, vt dicitur, mancipia comparauit, & suis ea obsequijs, ac vtilitatibus deputauit. Dum igitur seueriſſimè in cũ pro tantis facinoribus debuisset vlcisci, glorioſus Iustinus medicamento auaritiæ, vt nobis scriptum est, delinitus, Dei distulit iniuriam vindicare. Gloria autem vestra hæc omnia districta examinatione perquirat, & si huiusmodi manifestum esse repererit, ita districtissimè ac corporaliter in eundem sceleratum festinet vindicare Iudæum, quatenus hac ex causa & gratiam sibi Dei nostri conciliet, & his se posteris pro sua mercede imitandum monstret exemplis. Mancipia autem Christiana quæcunque eum comparasse patuerit, ad libertatem iuxta legũ præcepta, sine omni ambiguitate perducite, ne, quod absit, Christiana religio Iudæis subdita polluatur. Ita ergo omnia districtissimè sub omni festinatione corrigite, vt non solum pro hac vobis disciplina gratias referamus, sed & testimonium de bonitate vestra, vbi necesse fuerit, præbeamus.

Sup. li. 1. ep. 2.

Grat. Aug. 54. c. 13. 10. q. 3.

Inf. li. 8. ep. 4. Ind.

EPISTO-

EPISTOLA XXXVIII.

De Hadriano Episcopo, qui cum suis accusatoribus episcopis in gratiam redierat.

GREGORIVS, *Vniuersis Episcopis Corinthijs.* Desiderij nostri est ad concordiam redigere discordes, & vnitos esse in gratia eos quos diuisos ab alterutra dilectione voluntatis fecit esse diuersitas. Scripta igitur fraternitatis vestræ relegentes, agnouimus, quòd hi, qui contra Hadrianum fratrem & coepiscopũ nostrũ aliqua dixerant, modo cum eodem episcopo in amicitiam conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorũ vnitate lętitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt, indiscussa remanere non patimur, Sedis nostræ diaconum ad ea inuestiganda dirigimus: quia nunciati nos facinoris qualitas vehementer impellit, vt ea quæ audiuimus dissimulare nullatenus debeamus, præsertim cũ accusatores & accusatum inter se feciſſe gratiã indicastis; hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia, quæ si (quod absit) non ex charitate, sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectẽdum est. Nam nos qui canonicè, reuelante Deo, mala si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus; commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.

PRIVILEGIVM MONASTERII sancti Medardi.

De Gairaldo Abbate sancti Medardi, & de illius monasterio Sueßionensi, quod amplißimis priuilegijs decorat.

GREGORIVS, *omnibus Episcopis.* Preciosissimis lapidibus in diademate Christi meritò renitentibus, omnibusque sanctæ Dei Ecclesiæ membris, quorũ vniuersale caput est Christus, Gregorius licèt sanctæ Romanæ Sedis pontificio sublimetur, humillimus tamen seruorum Dei seruus.

Quando catholicorum regũ corda ad ea ad quæ pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltro poscantur; tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quãto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerãt. Proinde iuxta filiorum nostrorũ præcellentissimorũ scripta regum Brunichildis ac nepotis eius Theodorici monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, ac beatorũ Petri Apostolorũ principis, necnõ protomartyris Christi Stephani, quod est in Suessorũ ciuitate situ, vbi sanctus Medardus requiescere, & vir venerabilis Gairaldus abbas præesse videtur, huiusmodi priuilegia auctoritatis nostræ decreto indulgemus, & ea plenius confirmamus priuilegia, quæ à bonæ memoriæ domino Papa Ioanne, comitante illustrium regum clementia, Clotarij scilicet & Sigeberti huius nostræ filiæ iugalis ipsi loco sub anathematis vinculo sunt concessa vel indulta, concedimus atq; firmamus. Statuentes nullum regũ, antistitum, vel iudicum, nullũ quacunque prędito dignitate, ea quæ à præcellentissimis regibus vel quibuslibet alijs Deũ timentibus loco concessa sunt vel cõferentur, sub cuiuslibet occasionis specie minuere vel auferre, vel suis vsibus applicare: sed cuncta quæ Deo seruientibus monachis oblata sunt vel offerri contigerit, perenni tempore illibata, & sine aliqua inquietudine volumus possideri, eorũ vsibus pro quorum sustentatione concessa sunt, modis omnibus profutura. Concedimus etiam vt obeunte abbate, non alius ibi quicunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem communis consensus monachorũ elegerit, aut præuiderit ordinandum. Caueant aũt præfati monachi Simoniacam hæresim, ne potentia regũ vel antistitum conuicti, loco patris suscipiant tyrannum. Quod omnino fieri prohibemus, & eundem abbatẽ causa ordinationis suæ aliquid dare præsumere vetamus, ne hac occasione, quæ à fidelibus pijs locis offeruntur vel oblata sunt, consumantur. Et quia fama religionis Deo seruientium monachorũ nostras peruenit ad aures, quibus vir vitæ venerabilis Gairaldus præesse dignoscitur, iustis petitionibus præcellentissimorũ regum Brunichildis atque Theodorici fauentes, ob amorẽ domini Medardi tantã diuini honoris dignitatẽ & securitatẽ cõcedimus perenni tempore mansuram. Auctoritate igitur diuina vice beati Petri Apostolorum Principis, consensu omnium Romanorum Pontificũ, & voluntate totius senatus Romani, suadẽte nobis viro Apostolico Anserico Suessorũ vrbis pontifice, & omnium Galliæ episcoporum fauẽte iudicio decernimus, vt nullus archiepiscoporum vel archidiaconorum fratres præfatæ basilicæ de ordinatione sui abbatis, vel Ecclesiasticorum graduũ assumptione inquietet: sed secundũ prærogatiuam ipsius loci vobis modo recitatam beatissimi prædecessoris nostri domini Ioannis Papæ tempore decretam, & Apostolica auctoritate firmatam ordinationem sui Abbatis ipsi fratres peragant, & Ecclesiasticorum graduũ dignitatem suscipiant: consecrationes quoque fontiũ & † scrutinij mysteria in ipso monasterio celebrent. Chrismatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis, à quocunque voluerint Pontifice benedictionem expetãt, ne tantus honor à quoquam rectore vllius occasionis causa, vel necessitatis intermittatur, ne vilescat tantæ sublimitatis locus sanctæ Mariæ & beati Petri, necnõ & protomartyris, & domini Medardi meritis sacratus, quem caput monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusque ditioni patimur subesse. Sed velut hæc Sedes Romana speculationem suã toto orbi indicit, & nouas consuetudines omnibus mittit, & omnium personarum seruitio caret: ita præfatus locus remota omni consuetudine pessima regũ, antistitum, iudicum, exemplum diuinæ religionis & honestatis cæteris exhibeat monasterijs, & super ea plena gaudeat libertate. Cuius rectores & filij præsentes & successuri tantũ sub regum custodia positi admonitionẽ sancti Petri & successorum suorum huius sanctæ Romanæ Sedis Pontificum auctoritate proclament: & si incumbit necessitas, ad eam. Huius rei gratia fratribus dirigendis in via tanti itineris, filia nostra Brunichildis regina XX. mansos ingenuos, & totidem seruiles, cũcta integritate æternaliter facta præceptione iuxta finem Alpiũ contulit, & multos alios redditus terrarum ob hanc causam delegauit, sitos in eiusdem itineris spacio. Tusiacum verò & Mottinetum fiscos regios cõmuniter ad stipendia fratrum dedit, & ita omnes villas Deo & sancto Medardo traditas vel tradendas sua præceptione cõclusit, vt quicunque super terras domini Medardi habitare voluerit, vel steterit, siue seruus, siue liber cuiuscunque sit, alterius dominio priuetur, & sanctæ genitricis seruitio aptetur, nec vltra redeundi licentiam habeat. Quòd si fugerit, reputetur vt seruus nunc eiusque sanctæ DEI Ecclesiæ. De altaribus quoque iuxta institutionem domini Papæ Ioannis Apostolica auctoritate confirmamus, vt qui fuerit rector præfati monasterij, fiat præterea altarium præsul & omnium Ecclesiarum sibi pertinentium, & inde præfatorum sanctorum præcipuo altari luminaria exhibeantur, & hospitalitas peregrinorum cum reuerẽtia agatur. Subiungimus & aliud edictum, si causa capitalis criminis abbas est deponendus, non prius deponatur, donec depositores Apostolicam auctoritatem requirant: & ita sint tres metropolitani cum suffraganeis suis, & abbates quamplurimi. In ipso autem concilio accusatores vnusquisque cum XII. testibus præsentes assistant, & ita veri iudicij examine probent se vidisse, vt audiente concilio obtestentur. Ad vltimum verò ipse Abbas rationes suæ excusationis reddat, & iureiurandi pacto supra sacrorum mysteria quatuor Euangeliorum satisfaciat. Tunc verò si coniunctus fuerit, correctione deponatur: sin autem, suo honori reddatur, & Ecclesiasticæ dignitatis mysteria recipiat, & inter sacra missarum solemnia benedictionem & prædicationem iuxta instituta domini Papæ Ioannis peragat, & suæ conuersationis vitam melioribus exemplis deducat. Monachis quoque hãc proponimus sententiam, vt nullus eorum inuidia aut odio Abbatis, quod absit, comprimatur, vel extranearum personarum censura plectatur. Quòd si culpa principalis vitij deliquerit, priuatim intra clausstrum eiusdem monasterij ab ipso abbate & spiritalibus fratribus arguatur, & à corpore sanctæ congregationis segregetur. Quòd si perseuerante contumacia abscissus fuerit, præcipimus illi, vt precatorias

† al. sacra

Ecclesia Rom. totius orbis speculationibus inrẽta nouas cõsuetudines omnibus mittit.

accipiens

accipiens litteras, quodcunque voluerit ingrediatur monasterium, aut causa pœnitentiæ huius Sedis Apostolicæ licentiam petat, & susceptis à domino Papa litteris liber suũ monasterium repetat. Hæc igitur omnia, quæ huius Apostolicæ auctoritatis & nostræ præceptionis priuilegio continẽtur, præfati monasterij rectoribus, & filijs præsentibus & futuris, & omnibus monasterijs ipsi loco subiectis vel sociatis, sub anathemate seruanda constituimus. Si quis aũt regum, antistitum, iudicũ, vel quarumcunque sæcularium personarum, huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, & vt Catholicæ fidei depraua tor, vel sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio sæculi vsq; in præsens damnati sunt, cum Iuda traditore Domini, in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum sanctorum sibi propitiauerit clementiam, & fratrum communem reconciliauerit concordiam.

Interminatur Regibus iacturam dignitatis, si hoc priuilegiũ violauerint.

Ego Gregorius sanctæ Romanę Sedis antistes huic priuilegio subscripsi. Euterius Arelatensis archiepiscopus subscripsit. Gregorius Portuensis Episcopus subscripsit. Andreas Albanensis episcopus subscripsit. Augustinus Canthuariorum Episcopus subscripsit. Anastasius Tyburtina episcopus subscripsit. Sergius Prænestinæ episcopus subscripsit. Petrus Ananiæ episcopus subscripsit. Agnellus Sutrinę Episcopus subscripsit. Mellitus Lundoniæ episcopus subscripsit. Ioannes Veliternensium episcopus subscripsit. Tiberius Siluæ candidę episcopus subscripsit. Marinianus Rauennatis Ecclesiæ episcopus subscripsit. Vitulinus Sipontinensis episcopus subscripsit. Ioannes Syracusanorum episcopus subscripsit. Sabinianus Tudertinorum episcopus subscrip. Eulogius Alexandriæ episcopus subscripsit. Dominicus Carthaginensis episc. subsc. Fortunatus Neapolitanorum episcopus subscr. Ioannes Surrentinus episco. subscripsit. Primæuius Nuncinensium episcopus subscripsit. Felix Portuensium episcopus subsc. Gloriosus Ostiensium episcopus subsc. Constantius Narniensis episcopus subscr. Constantius Mediolanensis episcopus subscripsit. Sutellius Burdegalensium episcopus subscripsit. Vitalis Vesoncensiũ episcopus subscripsit. Bonifacius Placentiæ episcopus subscripsit. Siagrius Augustodunensium episcopus subscripsit. Flauius Remorum archiepiscopus subscripsit. Ansericus Suessorum episcopus subscripsit. Theodoricus Rex subsc. Brunichildis Regina subscripsit. Ego Petrus sanctæ Romanæ Sedis subscripsi & sigillaui. Datum VII. Cal. Iunij, Anno ab Incarnatione Domini, DXCIV. Indictione vndecima.

Mense Iunio, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XXXIX.

De Numerio diacono transmittendo vt in Episcopũ consecrari possit, & Catella puella, quæ ab habitu conuersionis impediebatur.

Sup. li. 1. ep. 19. 18. 35. 39. 42. 44. 54. 67. 70. & ep. 23. lib. 2. Ind. 11. & 39.

GREGORIVS, *Petro Subdiacono Campaniæ.* Ante aliquot dies tibi scripsimus, vt Numerium diaconum Nucerinæ Ecclesiæ interrogare subtiliter debuisses, & si nihil esset qd ei ad sacerdotij gradum potuisset obsistere, huc eum consecrandum Deo auctore transmitteres. Et ideo si facta interrogatione quam diximus, suprascriptum ad nos diaconum transmissurus es, clerũ & populum ciuitatis ipsius admonere curabis, vt cum eo quantumcunq; potuerint, venire non differant, quatenus eis præsentibus si Deo placuerit, qui ordinandus fuerit, consecretur. Præterea quia Felix defensor puellam nomine Catellã habere dicitur, quæ cũ magnis lachrymis, & vehementi desiderio habitũ conuersionis appetit, sed eam præfatus dominus suus conuerti minimè permittit; proinde volumus, vt experientia tua præfatum Felicem adeat, atque puellæ eiusdem animũ sollicitè requirat, & si ita esse cognouerit, pretium eiusdem puellæ suo domino præbeat, & huc eam in monasterio dandã cum personis grauibus Domino auxiliante transmittat. Ita verò hæc age, vt non per lentam actionem tuam præfatæ puellæ anima detrimentum aliquod in desiderio suo sustineat.

EPISTOLA XL.

De filia diaconi à Felice Episcopi nepote stuprata.

GREGORIVS, *Panthaleoni Notario.* Questus est nobis Euangelus Sipontinæ Ecclesiæ diaconus, filiam suam à Felice fuisse, (quod dici nefas est,) stupratam. Pro qua re huius præcepti auctoritate suffultum, ad Sipontinam ciuitatem te proficiscí necesse est, & adhibitis tibi sapientibus illic viris, cum omni subtilitate veritatem curabis addiscere: & si ita reperies, eam quã stuprauit, aut vxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum in monasterium eum priuatum communione, vbi pœnitentiam peragat, tradere festinabis, ita vt nulla exinde ei sit quoquomodo egrediendi licẽtia, nisi hoc nostra permiserit fortasse præceptio. Præterea quia supradictus diaconus de hostibus se redemptum, ac propterea debitum habere commemorat; ideo si talem eius substantiam non esse cognoueris, quę ad reddendum debitum ipsum possit sufficere, Felici fratri & coepiscopo nostro te imminere præcipimus, vt eius pretium de Ecclesia dare non differat, quatenus supradictus Euangelus diaconus sine tarditate aliqua à debiti possit necessitate, cui est suppositus, liberari.

Inf. ep. 41. lib. 3. Ind. 11. ep. 13.

Inf. ep. 41. 42.

EPISTOLA XLI.

De diuersis causis emendandis.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Sipontino.* Propositi nostri sollicitudo nos vehementer adstringit, vt ita rerum Ecclesiasticarum, Deo auxiliante, debeamus prouidere cautelam, quatenus in eis nulla possit ex neglectu euenire iactura. Proinde fraternitas tua vna cum Bonifacio, nec nõ & Panthaleone datore præsentiũ Sedis nostræ notarijs res Ecclesiarum, quæ apud Sipontinam noscuntur esse Ecclesiã, curet subtiliter singulas quasque describere: vt tam ministeria Ecclesiarum, quàm etiam vsuale argentum, vel quicquid aliud est, idem Breuis à vobis conscriptus, veraciter rerũ facta inspectione contineat. Nec quandam ad hoc morã vel excusationem fraternitas tua tentet adducere: sed omni excusatione cessante, hæc quæ à nobis iniuncta sunt, modis omnibus implere festina, eundemque nobis Breuem manu tua subscriptum, per antedictum Panthaleonem transmitte; quatenus quid de hoc fieri salubriter debeat, diuina possimus gratia suffragante disponere.

Sup. lib. 1. ep. 51. & 1. ep. 41. lib. 3. ep. 17.

EPISTOLA XLII.

De peruersitate Felicis nepotis eius.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Sipontino.* Expectabamus fraternitatem tuam sua aliquos ad Deum prædicatione conuertere, & malè agẽtes ad rectitudinem reuocare. Qua de re nimis contristamur: quia è diuerso in nepotis tui Felicis prauitate, tua euidenter, qui talem nutristi, culpa monstrata est. Peruenit itaque ad nos, quòd supra scriptus Felix Euangeli tui diaconi filiam quod nefas est dici, stupro decepit. Quod si verum est, quamuis graui esset de lege pœna plectendus, nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, huiusce modi disponendo præcipimus: vt aut quam stuprauit vxorem habeat, aut certè si renuẽdum putauerit, districtius ac corporaliter castigatus, excommunicatusque in monasterium, vbi pœnitẽtiam peragat, retrudatur; de quo ei nulla sit egrediendi sine nostra præceptione licentia. Ita ergo fraternitas tua vt hæc compleantur studeat, quatenus nihil de his aliquo modo possit omitti. Nam si quid, quod non credimus, lentatum fuerit, & illi graue postea periculũ imminebit, & te non leuis incipiet culpa respicere.

Sup. ep. 41. & lib. 1. ep. 51. Sup. ep. 1. Ind. Dial. li. 4. c. 40. Iuo. p. 6. c. 41.

EPISTO-

EPISTOLA XLIII.

De iniustitia Stephaniæ factæ.

GREGORIVS, *Bonifacio Episcopo Regitano.* Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore inuadere alienas nō oportet. Stephania siquidē latrix præsentium, quasdā res suas temporibus decessoris tui Lucij quondā episcopi ab actoribus eius vi queritur occupatas. Et quia sibi eas petijt iustitia fauēte debere restitui, propterea fraternitas tua cum Dei timore hæc quæ asserit subtiliter curet addiscere. Et si ita, quemadmodum supra scripta femina ait, esse repererit, quæcunq; malè ablata sunt, faciat sine aliquo damno vel dilatione restitui. Nam valde durum est res alienas contra rationem, Ecclesiam detinere. Ita ergo querimoniam præfatæ mulieris salubriter finire festina, vt nec nos exinde denuò molestiam patiamur, nec te auarum vel desidiosum hæc causa demonstret.

EPISTOLA XLIV.

De concubina eius: & muliere de Matriculis verberata.

GREGORIVS, *Andreæ Episcopo Tarentino.* Tribunal iudicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius digna eum modo pœnitentia placare contendit. Habuisse te siquidem concubinā, manifesta veritate comperimus: & te illius criminis participationem habere. De qua etiā contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium; hoc tuę conscientiæ elegimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus eius te permixtione esse recolis maculatū, sacerdotij honore depositō, ad administrandū nullo modo præsumas accedere: sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, & Deo nostro sine dubio te reddere rationē: si huius sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem permanere volueris. Vnde te iterū adhortamur, vt si te deceptum antiqui hostis calliditate cognoscis, competenti eū dum licet, pœnitentia superare festines: ne cum eo particeps, quod non optamus, in die iudicij deputeris. Si verò huius reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est, quo es ordine permanere. Præterea quoniam mulierem de Matriculis contra ordinem sacerdotij cædi crudeliter fustibus deputasti: quā licèt post octo menses exinde minimè arbitramur fuisse defunctam, tū quia ordinis tui habere noluisti respectū, propterea duobus te mensibus ab administratione missarū statuimus abstinere. In quibus ab officio tuo suspensum, flere te conuenit quod fecisti. Nam valde dignum est, vt postquā te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non prouocant, saltē correptionis medicina compellat.

EPISTOLA XLV.

De Andrea Episcopo, & Matricula verberata.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Calliopolitano.* Ex gestis quę ad nos fraternitas tua direxit, inuentum est, Andream fratrem & coepiscopum nostrum habuisse sine dubio concubinam. Sed quia incertū est si eam in sacro ordine constitutus contigerit; necesse est vt eum sollicita adhortatione commoneas, vt si positus in sacro ordine, cū ea se nouit immixtum, ab eo in quo est officio quiescat, & nullatenus administrare præsumat. Quòd si fortè conscius sibi huius rei, peccatum suū supprimens, administrare præsumpserit, animæ suæ periculū diuino iudicio imminere cognoscat. Matriculam verò quam fecit fustibus castigari, quamuis exinde post octo menses obijsse non credimus: quia tamen eam contra propositi sui ordinem huiusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus à missarum solennitate suspende, vt vel hæc eum verecundia qualem se decætero possit exhibere, instituat. Præterea oblata nobis petitione, quæ tenetur in subditis, clerici prædicti episcopi multa se mala ab eo sustinere commemorant. Ob quam rem fraternitas tua subtiliter cuncta curet addiscere, & ita ea rationabili modo emendare atque disponere, vt nulla eis pro hac re huc remeandi decetero necessitas imponatur.

Mense Iulio, Indictione Vndecima.

EPISTOLA XLVI.

Honoratum ad Episcopatum electum fuisse probat.

GREGORIVS, *Clero Ecclesiæ Salonitanæ.* Dilectionis vestræ scripta relegentes, electionem vos in Honoratū archidiaconum vestrum feciſſe didicimus, & omnino nobis gratum fuisse cognoscite, quòd olim expertum virū, & grauem moribus, ad episcopatus ordinē elegistis. Cuius etiam & nos personam, quia dudū est nobis benè cognita, cōprobamus: eumque vobis iuxta desiderium vestrū & nos ordinari voluimus sacerdotem. Pro qua re hortamur vos in eius electione sine aliqua ambiguitate persistere. Nec quædā vos res ab eius debet persona deflectere: quia sicut ista laudabilis nunc probatur electio, ita si quod absit, dilectionē vestram ab eo quisquā deuiare seduxerit, & animæ vestræ grauamē, & opinioni maculam infidelitatis imponet. Eos verò qui ab electionis vestræ vnitate incōsideratè discordant, vt vobiscum sentire possint, ab Antonino subdiacono nostro fecimus admoneri. Cui etiam de persona Malchi fratris & coepiscopi nostri quid oporteat fieri, iam pridem iniunximus. Sed quoniam & ipsi scripsimus, credimus eum ab inquietudine vestra sine mora quiescere. Qui si fortasse obedire quocunque modo neglexerit, contumacia eius modis omnibus canonicæ vltionis districtione mulctabitur.

Inf. ep. 27. l. 5 Ind. 14 Sup. ep. 14 15. 16. lib. 4. Ind. 10.

Sup. ep. 36 li. 1.

EPISTOLA XLVII.

Ne pueri venalitate, vel alicuius potentia ordinentur, & de concilio faciendo.

GREGORIVS, *Columbo Episcopo Numidiæ.* Antequam fraternitatis tuæ scripta susciperē, bonum te Dei famulum esse, nunciante veridica opinione cognoui. Et postquā suscepi, certum fuisse hoc quod fama dudū asperserat, plenius intellexi: meritisque tuis valde congaudeo, quòd testes vitæ laudabilis mores tuos & actus ostēdis. Hæc ergo quoniā superna tibi sentio maiestate collata, gratulor: & Deū creatorem nostrum vtique benedico, qui seruis humilibus misericordiæ suæ dona non denegat. Qua de re verum fateor: quia sic me fraternitas tua ad amorem suum flamma charitatis accendit, sicq; tibi vnitus est meus spiritus, vt & videre te cupiam, & absentem corde semper attendam. Hæc igitur ita esse ex te bene considera. Nam profectò plus in charitate animorum vnitas, quàm corporalis potest venerari præsentia. Præterea tota te mente, toto corde, totaque anima Apostolicæ Sedi inhærere ac esse deuotum & nunc scio, & priusquam epistola tua hoc testimonium perhiberet, manifestè cognoui. Præmisso ergo debito ex charitate salutationis alloquio adhortor, vt eorum quæ beato Petro Apostolorum principi promisisti, memor esse non desinas. Itaque erga primatem synodi tuæ esto sollicitus, vt pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant. Nulla sit in ordinatione venalitas, potentia vel supplicatio personarum, nihil aduersus hæc quæ prohibemus, obtineat. Nam proculdubio Deus offenditur, si ad sacros ordines quisquam non ex merito, sed ex fauore, quod absit, aut ex venalitate prouehitur. Hæc autem si fieri cognoscis, non taceas, sed instanter obsiste: quoniam si hæc aut inuestigare fortasse neglexeris, aut intellecta celaueris, non solum illos qui hæc agunt, peccati vinculum illigabit, sed & te huius rei non leuis ante DEVM culpa respiciet. Oportet ergo canonica vltione si quid tale committitur, coerceri: ne tantum facinus, cum aliorum peccato parcitur, vires ex dissimulatione percipiat. Præsentium igitur portitorem Victorinum fraternitatis tuæ diaconum, quem tuum reor imitatorem existere, & cum charitate suscepi, & ad remeandum citius relaxaui: per quem etiam claues beati

Inf. ep. 48. in princ.

Grat. 1. q. 1 cap. 120. Anſ. li. 7. c. 46. Ne pueri ordinētur. S. Bon. li. 1. c. 20.

Sup. ep. 33. hoc ipſo lib. Ind. 10 Inf. l. 3. ep. 30. in fine.

Claues B. Petri,

Petri, in quibus de catenis ipsius inclusum est, tibimet pro benedictione transmisi. Propterea de vnitate ac pace concilij, quod Deo auctore congregare disponitis, charitas tua animos nostros subtiliter omnia indicando lætificet.

EPISTOLA XLVIII.

Vt nullus ad sacros ordines pretio ascendat, sed eius vitæ mores q; prius discutiantur.

Inf. ep. 14. li. 1. Ind. 1. GREGORIVS, *Adeodato Episcopo primatiprouinciæ Numidiæ.* Qualiter erga nos fraternitatem vestram charitas dilectionis adstrinxerit, scriptorum vestrorũ series euidenter innotuit: Magnumq́ue fomitem nobis cõtulere lætitiæ, quòd ea & benigna pietate composita, & Deo placita dilectione feruere cognouimus. Vt igitur breuiter diximus, ita mentem vestram epistola quam direxistis exposuit, vt auctor eius abesse minimè crederetur. Nec enim absentes iudicandi sunt, quorum animus ab alterutra charitate non discrepat. Quamuis autem nec virtus, nec ætas vos, sicut scribitis, ad nos venire permittat, vt de fraternitatis vestræ corporali possimus gratulari præsentia: tamen quia animus noster vobis, vesterq́ue nobis vnitus est, vicissim nobis per omnia præsentes sumus, dum nos vnita per amorem mente conspicimus. Salutantes præterea fraternitatem vestram, congruo charitatis affectu hortamur, vt officium primatus, quod Deo habetis auctore, tota intentione sic studeatis sagaciter exhibere: quatenus ad hunc vos ordinem peruenisse & animæ vestræ proficiat, & alijs in futuro exemplum bonæ imitationis existat. Estote ergo præcipuè in ordinatione solliciti: & ad sacros ordines aspirate, nisi prouectiores ætate, & mundos opere, nullatenus permittatis, ne fortè semper esse desinant, quòd immaturè esse festinant. Eorum enim qui in sacro sunt ordine collocandi, prius vitam moresq́ue discutite: & vt dignos huic officio adhibere possitis, non vobis potentia, aut supplicatio quarumlibet surrepat personarum. Ante omnia autem cautos vos esse oportet, vt nulla proueniat in ordinatione venalitas; ne, quòd absit, & ordinatis & ordinantibus periculum maius immineat. Si quãdo igitur de his tractari necesse est, graues expertosq́ue viros consilijs vestris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione pensate. Præ omnibus autem Columbum fratrem & coepiscopum nostrum in cunctis adhibere vos conuenit. Credimus enim quia si illa quæ agenda sunt, cum eius consilio feceritis, nullus in vobis quod quibusq́ue modis redarguere possit, inueniet: nobisque ita gratum esse tanquam si cum nostro consilio agantur, cognoscite: quoniam vita moresq́ue illius ita in omnibus sunt approbati, vt cunctis liquidò cõstet, quia quod cum eius consensu agitur, nullius culpæ macula fuscetur. Præsentium verò lator Victorinus suprascripti coepiscopi nostri diaconus, vestrorum præco ita extitit meritorum, vt animos nostros de vestra vehemẽter actione reficeret. Et oramus omnipotentem Dominum, vt bona quę de vobis oretenus retulit, placita sibi plenius faciat operatione claresc ere. Concilium itaque quod congregare disponitis, dum Deo fuerit solatiante peractum, de eius nos vnitate atque concordia lætificate, ac reddite per omnia certiores.

Sup. ep. prox. 47.

Grat. 1. q. 1. c. 119.

Sup. ep. 47

EPISTOLA XLIX.

De Paulo in pœnitentiam dato.

Inf. ep. 63. li. 8. Ind. 3. GREGORIVS, *Theodoro Episcopo Lilibætano.* Fraternitatis tuæ grata nobis omnino sollicitudo est: quia ea quæ de sacerdotum vita cognoscit, & perscrutari curat, & inuestigata renunciat. Vt ergo in hac sollicitudine, quam in te laudamus, possis sine diminutione persistere, studiosus esto ac vigilans: & si quos illic à quibuslibet, quod absit, excessus perpetrari cognoueris, si quidẽ tales sunt qui emendari ibidem possint, rationabiliter emendentur: alioquin fratri nostro Maximiano episcopo scriptis renũciare festina, vt quid fidendum sit, à vobis informatus agnoscat. Nulla igitur res ab inuestigatione prauorum actuũ, vel insinuatione te reuocet, nam quanto vigilantiam tuam modo laudamus, tãto culpabilior inuenieris, si huiusmodi actus qualibet dissimulatione celaueris. Paulum præterea quondam Episcopũ in monasterio in quo est, in pœnitentia volumus permanere. Res autem quæ apud eum inuentæ sunt, in cimiliarchio Ecclesiæ tuæ seruare modis omnibus studebis. De quibus etiam secundum rerum inuentarum paginam desuscepti te facere volumus, & in scrinium Ecclesiæ tuæ transmittere. Sed & clericis eius, si tamen illic aliqui præsentes sint, à pari aliud facere desuscepti te conuenit, in quo tua fraternitas fateatur, quia desuscepti de eisdem rebus in scrinio nostro emiserat: quatenus dum necesse fuerit, competenti personæ res omnes possint sine detrimento restitui. De Bonifacio verò quædam grauis ad nos accusatio peruenit, cuius scelera volumus vtrum vera sint, fraternitas tua cum loci seruatore prætore examinet.

EPISTOLA L.

De Gestis sanctorum per Italiam.

GREGORIVS, *Maximiano Episcopo Syracusano, &c.* Fratres mei, qui mecum familiariter viuũt, omni modo me cõpellunt aliqua de miraculis patrum, quæ in Italia facta audiuimus, sub breuitate scribere. Ad quam rem solatio vestrę charitatis vehementer indigeo, vt ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæq́ue cognouisse vos contigit, mihi breuiter indicetis. De domno enim Nonnoso abbate, qui iuxta domnum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ obliuioni mandaui. Et hoc igitur, & si quæ sunt talia, tuis peto epistolis imprimi, & mihi sub celeritate transmitti, si tamen ad me ipse non properas.

Sup. ep. 38. Ind. 11. & Inf. li. 13. ep. 1. & 12.

Li. 1. ep. ca. 6.

EPISTOLA LI.

De humilitate tenenda in prosperis & aduersis.

GREGORIVS, *Prisco Patricio Orientis.* Si vitæ istius cursum veraciter attendamus, nihil in eo firmum, nihil inuenimus stabile, sed quemadmodum viator modo per plana, modo per aspera graditur: sic nobis vtiq; in hac vita manentibus nunc prosperitas, nunc occurrit aduersitas. Denique alternis sibi succedunt temporibus, & mutua se vice confundunt. Dum igitur omnia in hoc mundo mutabilitatis ordo confundit, nec eleuari prosperis, nec frangi debemus aduersis. Tota ergo mente ad illum nos cõuenit anhelare, vbi quicquid est, firmum permanet, vbi non mutatur aduersitate prosperitas. In hac ergo vita miro Dei omnipotentis moderamine idcirco agimur, vt vel prosperitatem aduersitas, vel aduersitatem prosperitas subsequatur: quatenus & humiliati discamus quicquid deliquimus flere, & iterum exaltati, aduersitatis memoriam quasi humilitatis anchoram in mente teneamus. Non in hoc ergo creatoris nostri ira est deputãda, sed gratia, per quam discimus, vt eius dona tanto seruemus verius, quanto humilius tenemus. Quia igitur perfectam vos dominorum gratiam auctore omnipotente Deo reparasse cognouimus, magna pro vobis exultatione gaudemus, optantes vt vitam vestram rerum omnium gubernator & bonis semper prę sentibus fulciat, & ad gaudia perpetua extendat. Hæc vobis ideo loquor: quia multum vos diligo, atque me à vobis diligi scio. Sed hoc quod me diligitis, in latorem præsentium Sabinianum diaconum demonstrate, vt vbi vsus exegerit, vestra patrocinia consequatur. Vir autem gloriosus Castus præco laudum vestrarum, in Romanis partibus existit, quem vestræ excellentiæ paterna dilectione commendo.

(:)

EPISTOLA LII.

De Ioanne presbytero, & de monachis Isauriæ cæsis.

GRegorius, *Ioanni Episcopo Constantinopolitano.* Quamuis causæ consideratio me mouet ad scribendum, tamen & caritas impellit: quia & semel & bis sanctissimo fratri meo domno Ioanni scripsi, sed non eius epistolas recepi. Alter enim mihi sæcularis quidam sub eius nomine loquebatur, quæ si epistolæ eius fuerint, ego vigilans non fui, qui longè de eo aliter credidi, quàm inueni. De causa enim reuerendissimi viri Ioannis presbyteri scripseram, atque de quæstionibus monachorum Isauriæ, quorum vnus & in sacerdotio positus, in Ecclesia vestra fustibus cæsus est: & rescripsit mihi, sicut ex nomine epistolæ agnosco, sanctissima fraternitas tua, quia nescierit de qua causa scriberem. Ad quod scriptum vehementer obstupui, mecum tacitus voluens, si verum dicit quid esse deterius potest, quam vt agantur talia contra seruos Dei, & ipse nesciat qui præsto est? Quæ enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit? Si autem sciuit Sanctitas vestra, & de qua causa scripserim, & quid vel contra Ioannem presbyterũ, vel contra Anastasium Isauriæ monachum atque presbyterum gestum sit, & mihi scripsit nescio: contra hoc, ego nescio, quid respondeam: quando per scripturam suam veritas dicit: Os quod mentitur, occidit animam. Requiro frater sanctissimè: illa tanta abstinentia ad hoc peruenit, vt fratri suo ea quæ nouit gesta, negando velit abscondere? Nunquid non melius fuerat in illud os carnes ad vescẽdum ingredi, quàm de eo falsum sermonem ad illudendum proximum exire? præcipuè cum veritas dicat: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quę exeunt de corde, illa sunt quę coinquinant hominem. Sed absit hoc, vt ego de sanctissimo corde vestro tale aliquid credam. Illæ epistolæ vestro nomine prænotatæ sunt, sed vestras eas fuisse non arbitror. Ego beatissimo viro Domno Ioanni scripseram: sed credo quòd mihi familiaris vester ille iuuenculus rescripsit, qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera caritatis nescit, qui in scelestibus rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diuersorum mortibus dicitur per occulta testamenta, nec Dominum metuens, nec homines erubescens. Mihi crede frater sanctissime si zelum caritatis perfectè habes, ipsum prius corrige, vt ex his qui vobis vicini sunt, & ij qui vicini non sunt exemplo melius emendentur. Illius linguam noli recipere: ille ad consilium vestræ sanctitatis debet dirigi, non autem Sanctitas vestra ad verba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit. Ego enim attestante mihi conscientia fateor: quia cum nullo homine habere scãdalum nolo, & quanta valeo virtute declino. Et quamuis cum omnibus homnibus pacem habere summoperè cupiam, vobiscum præcipuè, quos vehementer amo; si tamen ipsi quos noui, vos estis. Nam si canones non custoditis, & maiorum vultis statuta conuellere, non cognosco qui estis. Age ergo frater sanctissimè atque carissimè, vt nos inuicem recognoscamus, ne si antiquus hostis duos per scandalum mouerit, per nequissimam victoriam multos necet. Ego enim vt apertè indicem, quia per elationis tumorem nil quæro, sed si ille iuuenculus de quo prælocutus sum, apud fraternitatem tuam culmen præuæ actionis minimè teneret, ipsa etiam quę mihi de canonibus suppetunt, interim tacere potuissem, & ab ipso initio venientes ad me personas ad eam fiducialiter retransmisissem, sciens, quòd eas sanctitas tua cum caritate susciperet: sed etiam nunc iam dico, aut easdem personas in suis ordinibus suscipe, eisque quietem præbe: aut si hoc fortasse nolueris, omni mihi altercatione postposita, de eorum causa statuta maiorum & canonũ terminos custodi. Si verò neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamẽ venientem à vobis non deuitamus. Quid aut de episcopis, qui verberibus timeri volunt canones dicant, benè vestra fraternitas nouit. Pastores etenim facti sumus, nõ percussores. Et egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Noua verò atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Sed de his multa in epistolis loqui non debeo, quia dilectissimum filium meum Sabinianum diaconum pro responsis Ecclesiasticis faciendis, ad dominorum vestigia transmisi, qui vobiscum cuncta subtilius loquetur. Si nobiscum litigare non vultis, paratum eum ad omnia quæ iusta sunt, inuenietis. Quem vestræ beatitudini commendo, vt saltem ipse dominum illum Ioannem inueniat, quem ego in vrbe Regia scitui olim.

EPISTOLA LIII.

Vt Agathoni episcopo alimenta tribuantur.

GRegorius, *Maximiano Episcopo Syracusano.* Postquam in Agathonem quondam episcopum, iuxta qualitatem excessuum districtione est canonica vindicatum; necesse est humanitatis intuitu, quemadmodũ sustentari possit, disponere. Propterea fraternitas tua ad Liparitanam Ecclesiam, in qua supradictus Agatho sacerdotis gessit officiũ, festinet dirigere, eique ad præsens exinde quinquaginta solidos, qui in eius possint proficere victum, trãsmittat. Nam nimis est impium, si alimentorum necessitati post vindictã subiaceat.

Sup. ep. 12. 18. & 38. & 50. hoc ipso lib. inf. ep. 11. li. 3. Ind. 12. ho. 34. in Euangel.

EPISTOLA LIIII.

De illicita vsurpatione pallij, & de mappulis à Rauennatis clericis non ferendis.

GRegorius, *Ioanni Episcopo Rauennati.* Non multum temporis interuallum est, quòd quædam nobis de tua fraternitate fuerant nunciata, de quibus vobis veniente illuc Castorio notario sanctæ, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiæ, subtiliter nos indicasse meminimus. Peruenerat namque ad nos quædam in Ecclesia vestra contra consuetudinis atque humilitatis tramitem geri, quæ sola, vt benè nostis, est officij sacerdotalis erectio. Quę si sapientia vestra mansuetè, vel cum episcopali suscepisset studio, non de illis accendi debuerat, sed oportuerat te hæc eadem cum gratiarum actione corrigere. Contra morem quippe Ecclesiasticum est, si non patientissimè toleratur, quod à vobis absit, etiam iniusta correctio. Mota autem nimis est vestra fraternitas, atque cum tumore cordis quasi satisfaciens, scripsit nobis pallio te non nisi post dimissos de secretario filios Ecclesiæ, & missarum tempore, atq; in litanijs vti solennibus, verbis aliquid te vsurpasse contra generalis Ecclesiæ cõsuetudinem apertissima veritate professus. Quomodo enim fieri potest, vt illud cineris atque cilicij tempore per plateas inter populorum strepitus agas licitè, quod te agere in conuentu pauperum nobilium, & in secretario Ecclesiæ velut illicitum excusasti? Illud tamen frater carissimè tibi nõ putauimus ignotum, quod penè de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra missarum tempus vsus sibi pallij vendicasse. Et quòd bene hanc consuetudinem generalis Ecclesiæ noueritis, vestris nobis manifestissimè significastis epistolis, quibus præceptum beatæ memoriæ decessoris nostri Ioannis Papæ nobis in subditis transmisistis annexum, continens omnes consuetudines ex priuilegio prædecessorum nostrorum concessas vobis, Ecclesiæque vestræ, debere seruari. Confitemini igitur aliam esse generalis Ecclesiæ consuetudinem, postquam ea quæ vos geritis, vobis ex priuilegio vendicatis. Nulla ergo vobis in hac re, vt arbitramur, poterit remanere dubietas. Aut enim mos omnium Metropolitanorum etiam à tua est fraternitate seruãdus, aut si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum, præceptumve à prioribus Romanæ vrbis pontificibus; quòd hæc Rauennati Ecclesiæ sunt concessa, à vobis oportet ostendi. Quòd si hoc non ostenditur, restat postquam talia agere neque consuetudine generali, neque priuilegio vendicas, vt vsurpasse te comprobes quod fecisti. Et quid dicturi sumus futuro iudici, frater carissime, si illud quoq; graue iugum atque vinculum ceruicis nostræ non dico pro Ecclesiastica, sed pro quadam sæculari nobis dignitate defendimus, grauari nos iudicantes, si tanto ponderem vel parui temporis spatio careamus? Decorari pallio

Sup. lib. 1. ep. 35. & li. 2. 22. sup. ep. 28. 32. 54. 55. li. 2. Ind. 10. & infr. li. 4. ep. 15. Grat. dist. 100. c. 7. Anf. lib. 6. c. 87.

Grat. dist. 100. ca. 8. Anf. lib. 6 ca. 95. Polyc. lib. 2. c. 20. Inf. lib. 11. ep. 56. Ind. 6. sup. eod. lib. c. 1. initio. Letaniæ tempus, cineris & cilicij.

volumus, forsan moribus indecori, dum nihil in episcopali ceruice splendidius fulget quàm humilitas. Oportet igitur fraternitatem tuam si honores suos sibi quibuslibet argumentis stabili proposuit mente defendere, aut generalitatis vsum ex non scripto sequi, aut ex scriptis priuilegijs se tueri. Quòd si postremò nihil horum est, alijs Metropolitanis huiusmodi te præbere nolumus præsumptionis exemplum. Sed ne fortè putes, nos hęc vobis scribentes, quæ pro fraterna sunt caritate neglexisse, scitote in nostro scrinio de priuilegio Ecclesiæ tuæ subtiliter perquisitum. Et quidē quædam inuenta sunt, quę omnino possint fraternitatis tuæ intentionibus obuiare, nihil autē in quo de huiuscemodi capitulis pars vestræ possit Ecclesiæ roborari. Nam & de ipsa consuetudine tuæ quam opponis Ecclesiæ, quę vobis olim, vt à patribus vestris probaretur, scripsimus: iam non satis sollicitudinem gessisse cognoscite, inquirētes filios nostros Petrum diaconum, atque Gaudiosum primicerium, necnon & Michaëlium defensorem sedis nostræ, vel alios, qui pro diuersis responsis Rauēnam à nostris decessoribus sunt transmissi, & hęc te in præsentia sua egisse districtissimè negauerūt. Apparet igitur secretò nō potuisse geri, nisi quod vsurpabatur illicitè. Vnde quod latenter subintroductum est, nulla debet stabilitate persistere. Quæ ergo superfluè à te vel à tuis decessoribus sunt præsumpta, cum caritatis intuitu, atq; cum fraterna stude benignitate corrigere. Nullatenus, non dico per te, sed per aliorum vel decessorum tuorum normam ab humilitatis tentes regula deuiare. Vt enim ea quæ superius dixi breuiter colligam, admoneo quatenus nisi decessorum meorum munificentia tibi hæc per priuilegium attributa docueris, vt in plateis pallium vlterius ferre non præsumas, ne non habere & ad missas incipias, quod audacter & in plateis vsurpas. De secretario autem, quod fraternitas tua resedisse cum pallio, & filios Ecclesiæ suscepisse & fecit & excusauit; nūc interim nihil querimur, quia synodorum sententiam sequentes, minores culpas quæ negantur, vlcisci recusamus. Hoc tamen quia semel & iterum sit factum cognouimus, sed fieri vlterius prohibemus. Fraternitas autem tua sit omnino sollicita, ne hoc quod præsumptioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiēte deterius vindicetur. Cōquesti pręterea estis, quod quidā de sacerdotali ordine Rauennatis ciuitatis peccatis imminētibus, grauibus sint criminibus inuoluti. Quorum causam vel illic te discutere volumus, vel huc eos, si tamen probationum difficultas pro locorum longinquitate non impedit, ad hæc ipsa discutienda transmittere. Quòd si vel ad tuum iudiciū, vel ad nos, maiorum fulti patrocinio, quod non credimus, venire despexerint, & in obiectis sibi capitulis contumaciter respondere noluerint, volumus, vt eis post secundam & tertiam admonitionem tuam, ministerium sacri interdicas officij, atque nobis de contumacia eorum, scriptorum tuorum tenore renuncies, vt deliberemus quemadmodum actus eorum debeas subtiliter perscrutari, atque secundum diffinitiones canonicas emendare. Cognoscat igitur fraternitas tua de causa hac nos plenissimè absolutos, ex eo quòd vobis causas ipsas commisimus subtiliter perquirendas, atque omnia peccata eorum si inulta venerint, omne pondus discussionis huius in tuæ animæ redundare periculum, sciēs nullam dilectionem vestram excusationem apud futurum iudicem habituram, si nō excessus cleri tui cum summa canonici rigoris seueritate correxeris, & hos quibus hæc fuerint approbata, sacros vlterius ordines temerare permiseris. Illud autem quod pro vtendis à clero vestro mappulis scripsistis, à nostris est clericis fortiter obuiatum, dicētibus nulli hoc vnquam alio cuilibet Ecclesiæ concessum fuisse: nec Rauennates clericos illic, vel in Romana ciuitate tale aliquid cum sua conscientia præsumpsisse: nec si tentatum esset, ex furtiua vsurpatione sibi præiudicium generari. Sed etiam si in qualibet Ecclesia hoc præsumptum fuerit, asserunt emendandum, quod non concessione Romani Pontificis, sed sola surreptione præsumitur. Sed nos seruantes honorem fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem antedicti cleri nostri, tamen primis diaconibus vestris, quos nobis quidam testificati sunt etiam ante eis vsos fuisse, in obsequio duntaxat tuo mappulis vti permittimus: alio aūt tempore vel alias psonas hoc agere vehemētissimè prohibemus.

Grat. 25. q. 1. c. ideo §. priuileg. Burch. li. 1. c. 181.

Ioā. Diac. li. 4. c. 2.

Grat. dist. 93. c. 22. Ioā. Diac. li. 4. c. 2. Anſ. li. 7. c. 188.

Vide quæ de priuilegijs Rauēnatis Ecclesiæ supranotaui tom. 1.

EPISTOLA LV.

De vsu pallij, & mappulis, & diuersis ornatibus.

IOANNIS *Rauennatis Episcopi ad Gregorium Papam.* Reuerēdissimus conseruus meus Castorius Apostolicæ Sedis vestræ notarius reddidit mihi domini mei epistolam, confortem mellis & vulneris. Quæ sic tamen in fixit aculeos, vt locum non subtraheret medicinæ. Nam qui superbiam, diuinum sequens iudicium, reprehendit; meritò se mitem ac placidum quodammodo profitetur. Commemoratis igitur, quòd ego nouitatis ambitione, pallij vsum supra quàm antecessoribus meis indultum fuerat vsurpassē: Quam rem proprij domini mei conscientia, quæ diuina regitur dextetera, nullo modo credere patiatur, nec ad opinionis incerta aures sacratissimas aperire. Primum, quia licet peccator, noui tamen quàm graue sit terminos nobis à patribus affixos transcēdere, & quòd omnis elatio nihil aliud habeat quàm ruinam. Nam si maiores nostri in regibus superbiam non tulerunt, quanto magis non est in sacerdotibus sustinenda? Deinde recolo me in sinu atque in gremio sacrosanctæ Ecclesiæ vestræ Romanæ enutritum, & Deo auxiliante prouectum. Et quibus ausibus ego sanctissimæ illi Sedi, quæ vniuersali Ecclesiæ iura sua transmittit, præsumpserim obuiare, propter cuius conseruandam auctoritatem, sicut Deo manifestum est, multorum contra me inimicorum inuidiam grauiter excitaui? Sed beatissimus dominus meus nihil me cōtra priscam cōsuetudinem existimet attentasse, quod & à multis & propè ab omnibus ciuibus huius vrbis attestatur, inter gesta etiam si acquieuisset, & suprascriptus reuerendissimus notarius potuerat attestari: quoniam iam de secretario descendentibus filijs Ecclesiæ, & ingredientibus diaconibus vt mox procedatur, tunc primus diaconus episcopo Rauennatis Ecclesię pallium consueuit induere, quo & in letanijs solennibus vti pariter consueuit. Nullus ergo cōtra me Domino meo conetur surripere: quia si vult, Deo custode non potest probare, quòd à me aliqua nouitas fuisset introducta. Qualiter enim iussionibus vel vtilitatibus vestris vbi causa exegerit, paruerim, omnipotens Deus cordi vestro purissimo faciat manifestum: & hoc peccatis meis imputo, quòd post tot labores atque angustias, quas intus foriſque sustineo, talem vicissitudinem mercar inuenire. Sed iterum me illa res inter alia consolatur, quòd interdum sanctissimi patres ob hoc tantummodo castigant filios suos, vt eos faciant potiores, & post hanc deuotionem ac satisfactionem sanctæ Rauennati Ecclesię, quæ peculiariter vestra est, non solùm vetera priuilegia conseruetis, sed & maiora vestris temporibus conferatis. Nam quod de mappulis à presbyteris & diaconibus meis præsumptum apostolatus vester scribit, verè fateor, tædet me aliquid exinde commemorare, cum per se veritas, quæ apud dominum meum sola prævalet, ipsa sufficiat. Nam cum hoc minoribus circa vrbem constitutis Ecclesijs licitum sit, poterit etiam apostolatus mei domini si venerabilem clerum primæ Apostolicæ Sedis suæ requirere dignatur, modis omnibus inuenire: quia quoties ad episcopatus ordinationem seu responsi sacerdotes velleuitæ Rauennatis Ecclesię Romam venerunt, quod omnes in oculis sanctissimorum decessorum vestrorum cum mappulis sine reprehensione aliqua procedebant. Quare etiam eo tempore quo isthic à prædecessore vestro peccator ordinatus sum, cuncti presbyteri & diaconi mei in obsequium domni Papæ mecum procedentes vsi sunt. Et quia prævidens Deus noster omnia in manu vestra, & in conscientia purissima collocauit, adiuro vos per ipsam Sedem Apostolicam, quam antea moribus, nunc etiam honore debito gubernatis, vt in nullo Rauennati Ecclesiæ quæ familiariter vestra est, pro meo merito priuilegia quibus huc vsque vsa est minuatis, sed & secundum vocem propheticam, in me & in domo patris mei seeundum suum meritum transferatur. Quia ergo vniuersa priuilegia, quæ sanctæ Rauennati Ecclesiæ à prædecessoribus vestris indulta sunt, pro maiori satisfactione subiecit eam scrinijs venerabilibus secundum consecrationis decessorum meorū tempora, fidem nihilominus reperientes, nunc

Li. 1. ep. 35. li. 2. ep. 22. 28. 32. 54.

Ecclesia Romana tota vniuersalis ecclesiarum mater.

verò

verò in Dei & in vestra est potestate, quicquid veritate cognita fieri iusseritis; quoniam ego iussionibus apostolatus domini mei parere desiderans, quamuis antiqua consuetudo obtinuit, vsque ad secũdam iussionem abstinere curaui.

EPISTOLA LVI.

De Cosma multis debitis obligato.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono.* Cosmas ex varijs perículorum necessitatibus multis se dicit debitis obligatum, ita vt pro eis à creditoribus suis, suos dicat filios detineri. Quæ res si ita est, nos omnino commouit. Quamobrẽ hortamur dilectionem tuam, vt quia de rebus pauperum dandis agitur, causam eius cum summa subtilitate perquiras: & si inueneris eum prædictis debitis veraciter inuolutum, vt non sit substantia, vnde possit hæc ipsa persoluere, prędictos creditores eius adeas, & propter recolligendos filios eius, quanta cognoueris quãtitate componas. Et quia, sicut dictum est, non habet vnde restituat, de rebus pauperũ ex præsenti nostra auctoritate persolue, sciens quicquid illic te prouidente datum fuerit, patrimonij nostri pensionibus esse reputandum.

Mense Augusto, Indictione Vndecima.

EPISTOLA LVII.

De auferẽdo baptisterio de monasterio monachorũ.

GREGORIVS, *Secundino Episcopo Tauromitano.* Pridem præcipimus vt de monasterio sancti Andreæ, quod est super Mascalas, baptisterium propter monachorũ insolentias debuisset auferri, atque in eodem loco quo fontes sunt, altare fundari. Cuius rei perfectio hactenus est protracta. Admonemus igitur fraternitatem tuam, vt nullam iam morã post susceptas præsentes litteras nostras inferere debeas, sed repleto loco ipsorum fontium, altare ad sacra celebranda mysteria illic sine aliqua dilatione fundetur, quatenus & prædictis monachis opus Dei securius liceat celebrare, & non de negligentia vestra, contra fraternitatem tuam noster animus excitetur.

EPISTOLA LVIII.

De rebus pauperum cum mansuetudine disponẽdis.

GREGORIVS, *Italicæ Patriciæ.* Suscepimus plenas dulcedine litteras vestras, atque de incolumitate excellentiæ vestræ nos lætificauit auditus. Circa quas tanta est nostræ mẽtis sinceritas, vt nihil in earum tranquillitate simultatis reconditum, paternus nos suspicari permittat affectus. Sed omnipotens Deus faciat, vt sicut de vobis nos bona sentimꝰ, ita mens vestra nobis bona respondeat, & dulcedinem, quã verbis impenditis, exhibeatis operibus. Nihil enim prodest gloriosissima sanitas & pulchritudo in superficie corporis, si vulnus animæ latet intrinsecus. Atque illa magis cauenda est discordia, cui satellitium pax præbet exterior. Illud verò quod epistolis prædictis reuocare in memoriam nostram excellentia vestra studiosè contendit, scriptum vobis sciat nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu vobiscum nos velle de causis pauperum definire. Hæc nos & scripsisse meminimus, & scimus nosmetipsos iuuante Domino à causarum litigijs Ecclesiastica moderatione compescere, atque secundum Apostolicum illum sensum, rapinam bonorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire vos volumus, taciturnitatem atq; patientiam nostram futuris post me pontificibus in rebus pauperum præiudicium non futuram. Vnde & nos explẽtes supra memoratam promissionem nostram, iam de causis ipsis præuidimus reticẽdum, nec in his in quibus minus agi benignè cognouimus, desideramus nos per nosmetipsos immiscere negocijs. Sed ne fortè ex his conijciatis, gloriosa filia, ea quæ ad concordiam pertinent, adhuc nos omnino renuere: filio nostro Cypriano diacono venienti ad Siciliæ partes indiximus, vt si quid de his salubriter, & sine peccato animæ vestræ ordinare disponitis, ex nostra auctoritate vobiscum definiat, vt nos non amplius illis vexemur negocijs, quorum cum mansuetudine est dispensandus effectus. Deus autem omnipotens, qui ea quæ omnino impossibilia sunt, ad possibilitatem benè nouit inflectere, ille vobis aspiret, & causas vestras cum pacis intentione disponere, & pro mercede animæ vestræ, de rebus eis competentibus huius Ecclesiæ consulere pauperibus.

EPISTOLA LIX.

De monasterio Gratiosæ Abbatissæ consecrando.

GREGORIVS *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Religiosis desiderijs sine difficultate pręstari decet effectum. Atque ideo Gratiosa abbatissa vna cum cõgregatione sua, oblata petitione, quæ tenetur in subditis, postulauit quòd patriciæ recordationis Rustica per vltimum voluntatis suę arbitrium in ciuitate Neapolitana, in domo propria, in regione Herculensi, in vico in quo Lampadius monasterium ancillarum Dei constituit, sepeliretur: in quo præfatam Gratiosam abbatissam præesse disposuit, simulq; & oratorium extruxisse dinoscitur, cui & pro voto suo quattuor vncias totius substantiæ suæ dimisisse suggessit, quodq; in honorẽ beatæ Mariæ semper virginis, genitricisque Dei, & Domini nostri Iesu Christi desiderauit consecrari. Et ideo frater carissime præsenti præceptione dilectionem tuam duximus adhortandam, vt inspecto primitus testamento, si iure subsistat, & easdem quattuor vncias verissimè eidem monasterio collatas esse compereris, ad prædictum locum cum postulauerint, ingrauanter accedas, venerandæ solennia dedicationis impendens, vt quoties necesse fuerit, à presbyteris Ecclesiæ in suprascripto loco deseruientibus, celebrentur sacrificia veneranda missarum, ita vt in eodem monasterio neque fraternitas tua, neque presbyteri præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiarum inferant. Aut si quid pro diuersorum deuotione cõmoditatis accesserit, sibi æstimet vendicandum; siue aurum, siue argentum, siue prædium, siue vestimentum, omnibus modis constructio præfata possideat, cũ ancillis Dei in eodem loco deseruientibus, debeat proficere, quicquid offerri ibidem contigerit.

Inf. l. 2. ep. 60. Ind. 11. li. 5. ep. 11. 31. li. 6. ep. 1. li. 7. ep. 91. 107. 108. li. 8. ep. 13. 24. & 25.

EPISTOLA LX.

De cultoribus idolorum conuertendis.

GREGORIVS, *Euticio Episcopo Tyndaritano.* Scripta fraternitatis tuæ Benenato Ecclesiæ tuæ clerico deferente suscepi, gratialq; omnipotenti Deo retuli, quòd in causis animæ & ijs quæ ad Deum pertinent, te occupatum esse cognouimus. Scripsisti si quidem nobis quosdam idolorũ cultores, atq; Angelorum dogmatis in ijs in quibus constitutus es partibus inueniri, de quibus plures asseruisti esse conuersos, aliquos autem potentum nomine atque locorum se qualitate defendere. Auxiliantes igitur bonis tuæ caritatis operibus, viro glorioso prætori Siciliæ nostra scripta transmisimus, quatenus iuuante Domino, qua potest tibi virtute concurrat, vt quod laudabiliter cœptum est, valeat salubriter adimpleri. Oportet ergo fraternitatem tuam maximam in hoc sollicitudinem gerere. Verè enim episcopalem vitam sequeris, si per zelum linguamque tuam, hos qui à fidei veritate dissentiunt, in Ecclesiæ vnitatem reduxeris.

EPISTOLA LXI.

Quomodo in Ecclesia sua conuersari debeat.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Scripta tuæ caritatis accepimus, quibus nobis indicasti Deo propitio te benè à filijs tuis Neapolitanis ciuibus esse susceptum. De quibus Omnipotenti gratias retulimus. Oportet ergo affectui eorum te tuis moribus compensare, malos coercere, bonis te discretè atque benignissimè relaxare, ad sequendas eos meliores partes frequentius admonere:

Sup. ep. 58 li. 60. & li. 5. ep. 11. & 31. li. 6. ep. 1. li. 7. ep. 91. 107. & 108. li. 8. ep. 13. 24. & 25.

quatenus & illi paternos in te mores inuenisse se gaudeant: & tu creditam tibi regiminis causam cooperante Domino studiosius exequaris.

EPISTOLA LXII.

Conqueritur de lege eius iniusta, qua prohibuit ne milites in monasterio susciperentur.

Lib. 4. ep. 31. & 32. Ind. 13. l. 7. ep. 11. Ind. 1.

GREGORIVS, *Mauricio Augusto.* Omnipotenti Deo reus est, qui sereniſſimis dominis in omne quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestrę famulus, in hac suggestione neque vt episcopus, neque vt seruus iure reipublicæ, sed iure priuato loquor: quia Sereniſſime domine, ex illo iam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino viro clariſſimo stratore veniente dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nil valui. In qua dominorum pietas sanxit, vt quiſquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudaui, euidentiſſimè sciens, quia qui sæcularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quòd verò in eadem lege dicitur, vt ei in monasterio conuerti nõ liceat, omnino miratus sum; dum & rationes eius possint per monasterium fieri, & agi potest, vt ab eo loco in quo suscipitur, eius quoque debita soluantur. Nam etsi quiſquam deuota mente conuerti voluisset, prius res malè ablatas redderet, & de sua anima tanto verius, quanto expeditior cogitaret. In qua lege subiunctum est, vt nulli qui in manu signatus est, conuerti liceat. Quam constitutionem ego, fateor dominis meis, vehementer expaui: quia per eam cælorum via multis clauditur, & quod nuncuſque licuit, ne liceat prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui niſi omnia reliquerint, saluari apud Deum nullatenus possunt. Ego verò hæc dominis meis loquens, quid sum niſi puluis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati cælitus data est super omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cælorum via largius pateat, vt terrestre regnum cæleſti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, vt ei qui semel in terrena militia, signatus fuerit, niſi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino Ieſu Christo militare non liceat. Ad hæc, ecce per me seruum vltimũ suum & vestrum respondebit Christus dicens: Ego te denotario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperat. nec solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci, ego sacerdotes meos tuæ manui commiſſi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Respondere rogo pijſſime domine seruo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur. Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in monasterio milites conuerſi miracula fecerunt, signa & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam nẽ quiſquam talium conuerti valeat, prohibetur. Requirat rogo dominus meus pijſſimus quis prior Imperatorum talem legem dederit, & subtilius æstimet si debuit dari. Et quidem considerandum valde est: quia eo iam tempore prohibentur quique relinquere sæculum, quo appropinquat finis ipse sæculorum. Ecce enim mora non erit, & ardente cælo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principatibus & Potestatibus tremendus iudex apparebit. Si omnia peccata dimiserit, & solam hanc legem contra se dixerit esse prolatam, quæ rogo erit excusatio? Vnde per eundem tremendum iudicem deprecor, ne illæ tantæ lachrymæ, tantæ orationes, tanta ieiunia, tantæque eleemosynæ domini mei ex qualibet occasione apud omnipotentis Dei oculos fuscentur, sed aut temperando pietas vestra, aut immutando vigorem eiusdem legis inflectat: quia tunc magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quanto Dei exercitus ad orationem creuerit. Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè cõcordat, ecce per suggestionis meæ paginam sereniſſimis dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minimè tacui.

NOTÆ in Epist. 62. lib. 2. ad Mauritium A.

Sacerdotes meos tuæ manui commiſi] *Verbis ferè ijsdem ad Theodorum, Mauritij medicum scribens hæc ait:* Ei & omnia tribuit, & dominari eum nõ solum militibus; sed etiam sacerdotibus concessit. *Quibus verbis significat S. Gregorius, sacerdotes Mauritio Imperatori sic à Deo subiectos fuisse, vt olim eosdem Neroni atque Diocletiano Imperatoribus subiecerat. Nam in Psalm. pœnit. scribens ait:* Quid Nero, quid Diocletianus, quid deniq; iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? nunquid non omnes inferi? *Vnde quam solidè ex hoc loco probent Nouatores hæretici sacerdotium Imperatoribus subiectum esse, nemo non videt. Imò si quid flaccidum, eneruatum & indignum apostolico vigore S. Gregorius hac epistola ad Mauritiũ Imperatorem scripsisset, nihil veritati & iuribus Ecclesiæ præiudicaret. Ipse enim Gregorius in exordio huius epistolæ præfatus & contestatus est, se hæc non vt Episcopum scribere; sed iure priuato loqui: quod satis ad excusationem Gregorij esse potest: cum aliam agat personam tãquam in scena, vbi eius, quam quis personam induit, verbis vti debet. Vide Bar. an. 593. nu. 17. & 18.*

EPISTOLA LXIII.

De diabolo corruptore animæ, Sichemitis iustè occisis, & varijs sacræ scripturæ sensibus.

Anſel. c. 6 ad Gal. Inf. lib. 5. ep 65. in prin. ep. 62

Ioã. Diac. li. 3. c. 49. Potestas Imperatori à Deo data, vt terrestre regnũ cælesti famuletur.

GREGORIVS, *Domitiano Metropolitano.* Scripta dulciſſimæ & suauiſſimæ beatitudinis vestræ suscipiens, valde gauisus sum: quia multa mihi de sacra scriptura loquebantur. Et quia delectas in eis epulas reperi, eas auidè comedi. In quibus quædam quoq; de causis exterioribus & necessarijs sunt permixta. Et quali menti conuiuium præparantes egistis, vt oblatæ epulæ ex diuersitate melius placerent. Etsi quidẽ exteriores causæ velut inferiores & abiecti cibi minus sapiunt, ita tamen à vobis prudenter dictæ sunt, vt libenter sumantur: quia & cibi contemptibiles plerunque dulces ex condimento benè coquentes fiunt. Seruata autem veritate historiæ, hoc quòd dudum de diuina significatione direxeram, respui nullo modo debuit. Nam etsi mihi, quoniam ita vultis, significatio eius nõ congruit, ex ipsis tamen locis suis circunstantibus, hoc quod ex ea dictum est, incunctanter teneri potest. Nam & corruptor eius princeps terræ dicitur, per quem apertè diabolus designatur: quia Redemptor noster ait: Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Qui etiam vxorem petit: quia malignus videlicet spiritus festinat, vt licenter possideat animam, quam prius occulta seductione corruperit. Vnde Iacob filij vehementer irati contra omnem Sichem domum, eiusque patriam, gladios sumunt: quia à cunctis zelum habentibus, ipsi quoque insequendi sunt, qui maligni spiritus adiutores fiunt. Quibus prius circuncisionem præcipiunt, quos in dolore positos postmodum occidunt. Quia plerunque magistri seueriores si zelum suum moderari nescIunt, quamuis per prædicationem vitia corruptionis relecent, cum iam à delinquentibus plangitur quod fuerat perpetratum, adhuc tamen ipsi per asperitatem disciplinæ læuiunt, & duriores exiſtunt. Qui enim iam & præputia abscíderant, mori minimè debebant: quia qui culpam plangunt luxuriæ, & voluptatem carnis in dolorem vertunt, à magistris sentire non debent asperitatem disciplinæ, ne ipse humani generis Redemptor minus ametur, si pro eo anima plus quàm debet atteritur. Vnde & eisdẽ filijs Iacob dicit: Turbaſtis me, & odiosum feciſtis Chananæis. Quando enim & hoc quod iam delinquentes plangunt, adhuc magistri crudeliter insequuntur, infirmæ mẽti ipse Redemptoris sui amor tepescit: quia ibi se affligi considerat, vbi sibi & ipsa non parcit. Hęc igitur dixerim, vt intellectum quem protuli, nõ esse improbabilem ex locis circunstantibus demonstrarem. Ea verò quæ ex eodem loco à vestra sanctitate in meam consolationem dicta sunt, liben-

Past. p. 3. cap. 30.

Ioan. 12.

Genes. 34.

Genes. 34.

ter ac-

ter accipio: quia in intellectu sacræ scripturæ respui non debet quicquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim ex vno auro alij murenulas, alij annulos, alij dextralia ad ornamentum faciunt: ita ex vna sacræ scripturæ sententia expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cælestis sponsæ proficiunt. Valde autem gaudeo, quòd dulcissima beatitudo vestra etiam causis sæcularibus occupata ad intellectū sacri eloquij vigilanter ingenium reducit. Sic quippe necesse est, vt si illa omnimodo caueri non possint, ista non omnimodo postponantur. Sed per omnipotentem Dominum rogo, mihi in tantis tribulationum fluctibus laboranti, tende orationis manū, vt ex vestra intercessione ad summa releuer, qui culparum mearum pōdere ad profundum premor. Imperatorem verò Persarum etsi non fuisse conuersum doleo, vos tamen ei Christianam fidem prædicasse omnimodo exulto: quia etsi ille ad lucem venire non meruit, vestra tamen sanctitas prædicationis suæ præmium habebit. Nam & Aethiops in balneum niger intrat, & niger egreditur, sed tamen balneator nummos accipit. De Mauritio autem benè dicitis, vt in actione eius ab vmbra statuā cognoscam, id est, in minimis maiora perpendam. In hoc tamen ei credimus: quia eius nobis animam, sacramenta, & obsides ligant.

EPISTOLA LXIIII.

De Ioanne Episcopo, qui Apostolicæ sedis canones contemnebat, & presbyterorum eius.

GREGORIVS, *Narsæ Patricio.* Multa mihi dulcissima caritas vestra per epistolas suas in bonæ operationis laudibus est locuta, ad quæ omnia breuiter ego respondeo. Nolite me vocare Noemi, id est pulchrum: sed vocate me Mara, id est amarum: quia amaritudine plenus sum. De causa verò presbyterorum, quæ cum fratre meo & coepiscopo, viro reuerendissimo Ioanne Patriarcha agitur, ipsum, puto, aduersarium patimur, quem asseris velle canones custodire. Caritati autem tuæ breuiter fateor: quia omni virtute & omni pondere, eandem causam, auxiliante omnipotente Deo, exigere paratus sum. In qua si videro sedis Apostolicæ canones non seruari, dabit omnipotens Deus quid contra contemptores eius faciam. Quòd autem scripsit mihi caritas vestra, vt filio meo domno Theodoro Archiatro & expræfecto pro vobis gratias agerem, feci: & quantum potui vos commendare minimè cessaui. Peto autem mihi ignoscas, quòd epistolis tuis sub breuitate respondeo: quia tantis tribulationibus premor, vt mihi neque legere, neque per epistolas multa loqui liceat. Hoc solùm tibi breuiter dico: quia oblitus sum manducare panem meum, à voce gemitus mei. Omnes qui vobiscum sunt, mea peto vice salutari. Domnæ Dominicæ salutes meas dicite: cui minime respōdi; quia cum sit Latina, Græce mihi scripsit.

EPISTOLA LXV.

Conqueritur de iniusta lege Imperatoris, ne milites conuertantur in monasterio.

GREGORIVS, *Theodoro Medico, &c.* Quanta bona omnipotentis Dei & serenissimi domini mei Imperatoris habeam, lingua mea nō sufficit explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia purè amare? Peccatis autem meis facientibus, ex quorum suggestione vel cōsilio, nescio an vestro, transacto anno talem in republica sua legem protulit, vt quisquis eum purè amat, flere vehementer debeat. Ad quam legem tunc respondere non potui, quia ægrotus fui. Modo autē eidem domino aliqua suggessi. Præcepit enim vt nullus qui actionē publicā egit, nullus qui officio, vel manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio conuerti liceat, nisi fortè si militia eius fuerit expleta. Quam legem primum, sicut ij dicunt qui leges veteres nouerunt, Iulianus protulit, de quo scimus omnes quantum Deo aduersus fuerit. Quòd si ideo serenissimus dominus noster fecit, quia fortè multi milites conuertebantur, & exercitus decrescebat; nunquid per virtutem militum subiugauit ei omnipotens Deus imperium Persarum? Nunquid non solæ lachrymæ illius auditę sunt, & eo ordine quem ipse nescivit, eius imperio Persarum regnum subdidit? Valde autem mihi durum videtur, vt ab eius seruitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non solùm militibus, sed etiam sacerdotibus concessit. Nunquid si intentio est seruandarum rerum, non poterant ea ipsa monasteria, quæ milites suscepissent, alienas res reddere, atque ad conuersionem homines tantummodo habere? Hæc quia mihi valde dolent, eidem domino suggessi. Sed vestra gloria opportuno tempore secretè suggestionem meam ei offerat. Nolo eam à responsali meo publicè dari, quia vos qui ei familiarius seruitis, loqui ei liberius & apertius potestis, quæ pro eius sunt anima: quoniam in multis est occupatus, & vix animus eius inuenitur à curis maioribus vacuus. Tu quidem gloriose fili, pro Christo loquere. Si auditus fueris, lucrum operatus es animæ prædicti domini tui, & tuæ. Si verò auditus non fueris, lucrum solummodo tuæ feceris.

EPISTOLA LXVI.

De illo quod scriptum est: Erat illis cor vnum, & anima vna.

GREGORIVS, *Theotimo Medico.* Fuerunt quidam veterum philosophorum, qui in duobus corporibus vnam esse animam dicerent, non affectus iungentes duos, sed vnam in duobus animę substantiam partientes. At contra nos esse in duorum mentibus vnam animam dicimus, non diuidendo substantiam, sed corda iungendo. Nam de illis primis fidelibus scriptum est: Erat in eis cor vnum, & anima vna. Quod ego sic in Actibus Apostolorum lego, vt in me, & domno Theotimo recognoscam; quia sic vna animis mecum est, vt præsens corpore, nunquam mihi defuerit, & absens corpore, semper per spiritum præsens fiat. Ago autem omnipotenti Deo gratias, qui caritatis suæ gratiam in mentis vestræ visceribus infundit, & deprecor, vt magis magisque in vobis dona sua augeat, & hic bona nobis præsentia, & in futuro sæculo gaudia æterna concedat. Filium meum Sabinianum diaconum venientem caritati vestræ commēdo, petens, vt eo amore quo me diligitis, etiam nostros ametis. Data Indictione XI. Act. 4.

Explicit de Anno tertio, & de Indictione XI.

LIBER TERTIVS EPISTOLARVM EX REGISTRO BEATI GREGORII PAPÆ MENSE SEPTEMBRI.

Indictione XII. ex Anno ordinationis eius IIII.

EPISTOLA I.

Congratulatur quòd benè receptus sit à suis, & munus episcopale describit.

Infr. hoc lib. ep. 2. & 3. 37. & 38. li. 4 ep. 17. li. 6. ep. 14. li. 5 ep. 17. Ind. 13. li. 9 ep. 78. 86. li. 8. ep. 30.

GREGORIVS, *Constantio Episcopo Mediolanensi.* Scripta fraternitatis vestræ suscipiens, magnas omnipotenti Deo gratias retuli, quia ordinationis vestræ merui celebratione releuari. Quòd verò ex superno munere in electionem vestram concorditer omnium conuenit assensus, hoc fraternitas tua cum summa debet consideratione pensare: quia post Deum valde est debitrix eis, qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt. Decet igitur vos sacerdotali benignitate eorum moribus in omnibus respon-

Munus Episcopale.

dere, eorumque necessitatibus pia compassione succurrere. Si quorum fortasse sunt vitia, hæc maturis obiurgationibus increpare, vt ipsa quoque sacerdotalis indignatio virtute sit admixta dulcedinis: quatenus & tunc à subiectis amari debeat, etiam cum grauiter timetur. Quæ res personam vestram apud eorum iudicium in magnam quoque reuerentiam adducit: quia sicut præceps furor vsitatusque despicitur, ita contra culpas discreta indignatio plerunque quò tarda fuerit, eò amplius fit timenda. Ioannes verò subdiaconus noster multa nobis bona tuæ fraternitatis rediens nunciauit. De quibus omnipotentem Deum petimus, vt hæc qui cœpit, ipse perficiat, quatenus te interius exteriusque profecisse, & nunc inter homines, & pòst inter Angelos ostendat. Præterea pallium ad sacra missarum solemnia vtendum ex more transmisimus. Sed peto vt dum hoc suscipitis, eius honorem ac genium ex humilitate vendicemus.

EPISTOLA II.

De tribus capitulis, & Theodelinda Regina. De Episcopis à communione eius separatis, & Agone Rege Longobardorum.

Sup. ep. 1. inf. ep. 3.

GREGORIVS, *Constantio Episc. Mediolan.* Dilectissimus filius meus Bonifacius diaconus quoddã mihi ex scripto fraternitatis tuæ secretò nunciauit, quòd exquisita occasione potius quàm inuenta, tres se Episcopi à pia fraternitatis vestræ cõmunione separauerint, dicentes vos in damnationem trium capitulorum consensisse, atq; cautionem fecisse. Et quidem si quid de tribus capitulis in quocunque vel verbo vel scripto nominatum est, benè fraternitas tua reminiscitur: quamuis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem sedi Apostolicæ emiserit, in qua viri nobilissimi, ex legitimo numero subscripserunt. Inter quos ego quoq; tunc Vrbanam præturam gerens, pariter subscripsi: quia postquam talis scissura pro nulla re facta est, iustum fuit vt sedes Apostolica curam gereret, quatenus vnitatem vniuersalis Ecclesiæ in sacerdotum mentibus per omnia custodiret. Quod autem dicitur, filiam nostram Theodelindam Reginam sese à communione tua hoc audito nuncio suspendisse, constat per omnia: quia etsi prauorum hominum verbis ad paululum seducta est; venientibus tamen Hippolyto Notario, & Ioanne Abbate, erit modis omnibus vestræ fraternitatis cõmunionem quæsitura: cui etiam meas epistolas direxi, quas fraternitas vestra sine dilatione transmittat. De Episcopis verò, qui se suspendere visi sint, aliam epistolam feci, quam cum eis ostendi feceris, eos non ambigo de superstitione suæ superbiæ apud fraternitatem tuam pœnitentiam acturos. Subtiliter autem mihi & breuiter indicastis, vel de Agone Rege, vel de Francorum Regibus quæ gesta sunt. Peto, vt fraternitas quæ adhuc recognouerit, mihi modis omnibus innotescat. Si autem videritis, quia cum Patricio nihil facit Ago Longobardorum Rex, de nobis ei promittite: quia paratus sum in causa eius impendere, si ipse vtiliter aliquid cum republica voluerit ordinare.

Sup. li. 2. ep. 36. inf. ep. 4. li. 3.

Cautio datur Sedi Apostolicæ pro tribus capitulis.

EPISTOLA III.

De Episcopis ab eo diuisis, & Synodo Chalcedonensi.

Sup. ep. 1. & 2. & inf. li. 6. & ep. 14. & hoc li. ep. 37. li. 4. ep. 17. Ind. 13. li. 5 ep. 17. Li. 2. ep. 24

GREGORIVS, *Constantio Episcopo Mediolanensi.* Peruenit ad nos quòd quidam Episcopi vestræ diœcesis exquirentes occasionem potius quàm inuenientes, sese scindere à fraternitatis vestrę vnitate tẽtauerint, dicentes te apud Romanam vrbem in trium capitulorum damnationem cautionem fecisse. Quod videlicet idcirco dicunt: quia quantum fraternitati tuæ etiam sine cautione credere soleam, nesciunt. Si enim hoc esset necessarium fieri, verbis nudis vobis credi potuisset. Ego tamen nominata inter nos neque verbo, neque scripto tria capitula recolo. Sed eis, si citius reuertuntur, de suo errore parcendum est: quia iuxta Pauli Apostoli vocem: Non intelligunt neque quę loquuntur, neq; de quibus affirmant. Nos enim auctore veritate, teste conscientia, fatemur nos fidem sanctæ Chalcedonensis synodi per omnia illibatam custodire, nihilque eius definitioni addere, nihilq; subtrahere audere. Sed si quis contra eam, eiusdemq; synodi fidem, siue plus minusve ad sapiendum appetit vsurpare; eum omni dilatione postposita, anathematizamus, atq; à sinu matris Ecclesiæ alienum esse decernimus. Quem igitur ista mea confessio non sanat, non iam Chalcedonensem synodum diligit, sed matris Ecclesiæ sinum odit. Si ergo ea ipsa quæ audere visi sunt, zelo loqui animæ præsumpserunt; superest, vt hac satisfactione suscepta, ad fraternitatis tuæ vnitatem redeant, seque à corpore Christi quod est sancta vniuersalis Ecclesia non diuidant.

2. Tim 1. Inf. ep. 4. in med.

EPISTOLA IIII.

De Synodo Chalcedonensi, & Constantio Episcopo.

Lib. 7. ep. 48. Ind. 1. inf. ep. 39. l. 3. Ind. 9. Sup. 1. 2.

GREGORIVS, *Theodelindæ Reginæ Longobardorum.* Quorundam ad nos relatione peruenit, ab aliquibus Episcopis gloriam vestram vsque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, vt sese à catholicæ vnanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos purè diligimus, tantum de vobis fortius dolemus: quia vos imperitis, stultisq; hominibus creditis, qui non solùm ea quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea percipere quæ audierint possunt. Dicunt enim piæ memoriæ Iustiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem synodum fuisse constituta: qui dum neque legunt neque legẽtibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim teste conscientia, fatemur de fide eiusdem sancti Chalcedonensis concilij, nihil motum, nihil esse violatum: sed quicquid prædicti Iustiniani temporibus actũ est, ita actum est, vt fides Chalcedonensis concilij in nullo vexaretur. Si quis autem contra eiusdem Synodi fidem aliquid loqui præsumit vel sapere, nos eius sensum sub anathematis interpositione detestamur. Cum ergo integritatem nostram ex conscientiæ nostræ attestatione cognoscitis; superest, vt nunquam vos à catholicæ Ecclesiæ communione separetis, ne tot vestræ lachrymæ, tantaque bona opera pereant, si à fide vera inueniuntur aliena. Decet ergo gloriam vestram ad Reuerendissimum fratrem & coepiscopum meum Cõstantium, cuius & fides, & vita benè olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eiq; directis vestris epistolis indicare, ordinationem eius quàm benignè susceperitis, & quia ab eius Ecclesiæ communione in nullo separamini. Quamuis in hac re me vobis superfluè dicere arbitror: quia etsi quid in vestro animo dubietatis fuit, veniẽte filio meo Ioanne Abbate, atque Hyppolito Notario ex corde vestro arbitror fuisse sublatum.

Sup. ep. 4. in fine.

EPISTOLA V.

De correctione Cleri eius.

Sup. li. 2. ep. 4. ep. 43. Ind. 11. & hoc li. ep. 4. & 5. ep. 5.

GREGORIVS, *Bonifacio Episcopo Regiensi.* Contumelia siquidem sacerdotum est, de diuinis cultibus admoneri. Quod enim ipsi debent exigere, turpiter exiguntur. Tamen ne, quod non æstimamus, in aliquo fraternitas tua ea quæ ad opus Dei pertinent, negligat; de hoc ipso specialiter te præuidimus adhortandum. Admonemus itaque, vt nulla te latenus clerus Regitanæ ciuitatis in causis, quas eorum possit officium, fraternitatis tuæ remissione laxetur. Sed in ijs quæ ad Deum pertinent, instantissimè atque studiosissimè compellantur. Opinionem quoque prædicti cleri tui studere te volumus, vt nihil de ijs prauum, nihil quod contra Ecclesiasticam disciplinam pertinet, audiatur. Ad ornatum quippe eius, non ad fœditatem actuum eorum pertinere debet officium. Subdiaconis verò tuis hoc quod de Siculis statuimus, decernimus obseruari. Nec illam definitionem nostram cuiusquam sinas contumacia aut temeritate corrumpi, quatenus dum prædicta omnia per te fuerint conseruata districtissimè, nec admonitionis nostræ, sicut & ceteris accuset pastoralis tibi commissus ordo regiminis.

S. Bonifac. epist. 2. 3.

Greg. ad Ecl. Ep. 2.

EPISTOLA VI.

De Petronella conuersa, & Agnello corruptore eius.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono nostro, & Rectori Siciliæ.* Perlatum est ad nos, Petronellam nomine de prouincia Lucania genitam, per exhortationem Agnelli Episcopi fuisse conuersam, resque suas omnes, quas habere potuit, licet sibi iure potuissent competere; tamen easdem monasterio, quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse. Morientemque prædictum Episcopum dimidiam partem substantiæ suæ Agnello cuidam filio suo, qui notarius nostræ esse fertur Ecclesiæ, atque dimidiam eidem monasterio reliquisse. Sed cum propter irruentem Italiæ cladem ad Siciliã refugissent; dicitur eam sæpenominatus Agnellus corruptis eius moribus stupratse, atq; sentiens grauidam, de monasterio seduxisse, resque eius omnes tam proprias, quàm eas, quas de parte patris ipsius habere poterat, abstulisse, ac post perpetratum tale tantumque facinus, in sui eam dominij iure defendere. Hortamur igitur dilectionem tuam, vt prædictum virum vel ante fatã feminam sub districta ad te facias executione perduci, causamque ipsam secundum suum meritum summa subtilitatis examinatione perquiras. Etsi ita inueneris vt nobis nunciatum est, negotium tot iniquitatibus inquinatum, cum summæ purgationis seueritate determina, quatenus & in antefatum virum, qui nec suum, nec illius attendit habitum, & tantorũ causa fuit scelerũ, vltio districta proueniat: & illa prius procedente vindicta, atque in monasterium sub pœnitentia redacta omnes res, quæ de sæpe dicto loco ablatæ fuerant, cũ omnibus illis suis fructibus atq; accessionibus reuertantur.

EPISTOLA VII.

De peruerso concilio Numidiæ, & de studio erga Ecclesiæ pacem adhibendo.

GREGORIVS, *Gennadio Patricio & Exarcho Africæ.* Satis credimus religiosam excellentiæ vestræ mentem aduersus ea maximè, quæ in Ecclesijs geruntur incongrua, diuini auctoris æmulatione succendi. Tanto igitur Ecclesiasticarum correptionem causarum vobis libẽter ingerimus, quanto de pia vestræ mentis intentione confidimus. Cognoscat siquidem excellentia vestra quibusdam de Africanis partibus venientibus ad nos fuisse perlatũ, plura in concilio Numidiæ contra patrum tramitem atq; canonum statuta committi. Quarum rerum frequentes querelas, quia diutius tolerare nullatenus potuimus, Columbo fratri & coepiscopo nostro, de cuius grauitate ipsa eius quæ percrebruit dubitare iam nos non permittit opinio, commisimus perquirendas. Quamobrem paterno salutãtes affectu, hortamur excellentiam vestram, in cunctis quæ ad Ecclesiasticam correptionem pertinent, vestri robur ei subrogetis auxilij, ne si quod malè geritur, quæsitum vel vindicatum non fuerit, longorum vsurpatione temporum, cum maiori licentia in futuris crescat excessibus. Scito autem excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis prouinciæ securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quàm zelari sacerdotum vitas, & intestina Ecclesiarũ, quantum possibile est, bella compescere.

EPISTOLA VIII.

De Theodosia religiosa, & monasterio construendo.

GREGORIVS, *Ianuario Episc. Caralitano Sardiniæ.* Theodosia religiosa femina in cõstruendo monasterio voluntatem Stephani quondam viri sui complere desiderans, petijt à nobis, vt ad fraternitatem tuam nostras transmitteremus epistolas, quibus per commẽdationem nostram tuum facilius mereretur auxilium. Asserit siquidem hoc à suo coniuge constitutum, vt in prædio, quod appellatur Piscenas, quod ad Xenodochi Thomæ quondam Episcopi iura peruenit, monasterium construi debuisset. Quia igitur in alienis hoc fundare rebus licet possessor permitteret, dominus tamen videtur cum ratione refugere; petitionem eius præuidimus annuendam, id est, vt in domo iuris sui, quam Caralis asserit se habere, ancillarum Dei monasterium debeat Domino adiuuante construere. Sed quia prædictam domum suam dicit ab hospitibus, atque superuenientibus onerari; hortamur fraternitatem tuam, vt studeas ei in cũctis concurrere, deuotioniq; eius tuæ præbeas tuitionis auxilium, vt mercedis defuncti, atque eius studij, tuus te concursus faciat & sollicitudo participem. Reliquias verò quas ibidem postulat collocandas, volumus vt à fraternitate tua sub debita veneratione condantur.

EPISTOLA IX.

De monasterijs ancillarum Dei, & de concilio Episcoporum, de seruis & ancillis Iudæorum. Et quòd Presbyteri baptizatos infantes in frontibus signare non debeant, sed semel in pectore tangere, & Episcopi in fronte.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Satis quidem te ipse pastoralis zelus instigare debuerat, vt gregem, quem susceperas, etiã sine nostro solatio, salubriter ac prouidè tuereris, & à callidis inimicorum surreptionibus eum diligenti circumspectione seruares. Sed quia caritatem tuam pro suæ firmitatis augmento, nostrę quoque pagina auctoritatis indigere comperimus; necessarium nobis fuit titubantes animos tuos ad religiosi vigoris studium fraternæ dilectionis exhortatione firmare. Peruenit siquidem ad nos minus te monasterijs ancillarum Dei in Sardinia sitis tuitionis impendere: & cum dispositum à tuis prudenter fuisset decessoribus, vt quidam de clero probati viri curam gerentes, earum se necessitatibus adhiberent; nunc ita funditus esse neglectum, vt per publicas personas, pro tributis, alijsq; munijs ipsæ per se principaliter Deo dedicatæ feminæ compellantur subire, necessitatemq; habeant pro supplendis fiscalibus per villas, prædiaq; discurrere, atque virilibus incompetenter se miscere negotijs. Quod malum fraternitas tua facili correctione remoueat, vt vnum probatum virum vita moribusq;, cuius ætas atque locus nihil de se prauæ suspicionis inijciat, sollicitè deputet, qui sic monasterijs ipsis cum Dei timore possit assistere, quatenus vlterius eis pro quibuslibet causis priuatis, vel publicis extra venerabilia loca contra regulam vagari non liceat, sed quicquid pro his agendum est, per eum quem deputaueris, rationabiliter peragatur. Ipsæ verò referentes Deo laudes, atque coercentes semetipsas, in monasterijs suis nullam occasionem vlterius fidelium mentibus prauæ suspicionis inijciant. Si qua autem earum vel per anteriorem licentiam, vel per impunitatis prauam consuetudinem ad lapsum adulterij deducta fuerit; aut in stupri fuerit perducta voraginem; hanc post competentis seueritatem vindictæ, in aliud districtius virginum monasterium in pœnitentiam volumus redigi, vt illic orationibus atque ieiunijs vacet, & sic pœnitendo proficiat, & metuendum ceteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. Is autem qui cum huiusmodi feminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, omni communione priuetur, si laicus est: si verò clericus fuerit, à suo quoque remotus officio, pro suis continuò lugendus excessibus in monasterium detrudatur. Episcoporum etiã Concilia, sicut tam tuæ mos dicitur fuisse prouinciæ, quàm quod sanctorum canonum auctoritate præcipitur, bis in anno celebrare volumus, vt etsi quis inter eos à sui forma propositi actionis atque morum qualitate discordat, sociali possit fratrum increpatione redargui: & pro securitate commissi gregis, animarumq; statu, paterna valeat circumspectione tractari. Peruenit etiam ad nos, seruos ancillasq; Iudæorum, fidei causa ad Ecclesiam refugiẽtes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, ne restituãtur, precium dari. Hortamur igitur, vt nullatenus tam prauam consuetudinem manere permittas: sed si quilibet seruus Iudæorum ad venerabilia loca confugerit causa fidei, nullatenus eũ patiamini præiudicium sustinere. Sed siue olim Christianus, siue nũc fuerit baptizat⁹, sine vllo Christianorũ pauperũ dãno, religioso Ecclesiasticæ

Sup. l. 2. ep. 34. & li. 3. ep. 8. & 10.

Ioã. Diac. li. 4. c. 46.

Nemonia les extra monasteria vagentur. Grat. 27. q. 1. c. 28. Iuo. p. 7. c. 123.

Concilia bis in annó celebrari debere.

Canone Apost. 37. Anacl. ep. 7. ante fin. Leo ep. 62 & 82. Burch. li. 1. c. 42.

Iuo.li.4. tit.2.c 1. Inf.li. 7. ep.108. Grat. de conſ. diſt. 4.c. 120. Iuo.p.1. c.264. Confirmatio ab epiſcopo datur. Vide quæ infra notabimus lib. 3. Epiſt.26 Grat.16. q.1.c.14.

pietatis patrocinio, in libertatem modis omnibus defendatur. Preſbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus chriſmate non præſumant: ſed preſbyteri baptizatos vngant in pectore, vt epiſcopi poſtmodum vngere debeant in fronte. Pro fundandis etiam monaſterijs, quæ à diuerſis iuſſa ſunt conſtrui, ſi iniuſta perſpicis hæc aliqua ab ijs quibus indicta ſunt, excuſatione differri, ſolerter ſecundum quod leges præcipiunt imminere te volumus, ne piæ viuorum aut defunctorum voluntates, tua, quod abſit, remiſſione caſſentur. De monaſterio autem, quod in domo ſua conſtruendum quondam Petrus aſſeritur præcepiſſe, præuidimus vt fraternitas tua ſubtiliter requirat relictorum illic reddituum quantitatem. Et ſi quidem modus habetur ſubſtantiæ, recollectis omnibus quę de rebus ipſis imminuta dicuntur eſſe vel diſperſa, cum omni ſtudio hoc & ſine aliqua dilatione fundetur. Sin autem vel minus idonea vel damnoſa facultas eſt; omnibus, vt edictum eſt, ſubtiliter inquiſitis, nobis renunciare te volumus, vt ſciamus quid deliberare iuuante Domino de eius conſtructione poſſimus. Fraternitas igitur tua ita in cunctis prędictis capitulis ſe ſolerter impendat, vt nec noſtræ admonitionis ſeriem inueniatur fuiſſe tranſgreſſa, nec diuini rea iudicij, de minori zelo paſtoralis exiſtat officij.

EPISTOLA X.

Vt voluntatem Stephani defuncti, de monaſterio conſtruendo faciat adimplere.

Sup.ep.89 & li 1 ep. 61.62.&81 & li.2.ep. 84.Ind.11.

GREGORIVS, *Ianuario Epiſcopo Caralitano.* Nos quidem arbitramur, quòd ad imminentiam expletionis piarum rerum, ipſe te tuus ſatis ordo compellat. Sed ne zelum tuum cuiuslibet interuentus remiſſionis emolliat, de his etiam te ſpecialiter iudicauimus exhortandũ. Peruenit ſiquidem ad nos Stephanum veſtrum de hac luce migrantem, ſupremæ voluntatis elogio, monaſterium præcepiſſe fundari. Cuius deſiderium a Theodoſia honeſta femina hærede eius, fertur quòd hactenus dilatione protrahitur. Quamobrem hortamur fraternitatem tuã, vt maximum de prædicta cauſa ſtudium geras, atque ante nominatam feminam cõmoneas, quatenus intra annale ſpatium monaſterium, quod iuſſum eſt, debeat ordinare, & cuncta ſecundũ defuncti voluntatem ſine altercatione conſtruere. Quòd ſi intra prædicti temporis metam aliqua perficere negligentia vel calliditate diſtulerit, vt ſiue in loco eo quo conſtitutum fuerat, ſeu certè ibi non poterit & alibi placet ordinari, & dilatione interueniente negligitur: tunc volumus vt fraternitatis tuæ ædificetur ſtudio, ordinatiſq; omnibus, res atque redditus qui relicti ſunt, per te loco ipſi venerabili, ſine inminutione aliqua ſocientur. Sic enim & ante tremendum iudicem tuum ſententiam remiſſionis effugies, & ſecũdum pijſſimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates epiſcopali ſupplebis ſtudio.

Sup.ep. hoc lib.

EPISTOLA XI.

De redditibus Eccleſiarum. Et nullum clericorum in monaſterijs abbatem eſſe debere. Iuuenculas fieri abbatiſſas vehementiſsimè prohibet. Nullam virginem niſi ſexagenariam velandam.

Inf.ep.12. ſup ep.53. li.2. ep. 4. 12.18.26 38 li.3. ep. 11. 53.

GREGORIVS, *Maximiano Epiſcopo Syracuſano.* Olim quidem fraternitati tuæ noſtra fuerat auctoritate commiſſum, vt ſi quæ in Sicilia exciderent Eccleſiæ, cæteriſq; venerabilibus locis, vel incongruè gererentur, noſtra vice corrigeres. Sed quia poſt hæc de quibuſdam neglectis hactenus capitulis ad nos querela peruenit, rurſus ad eorũ correptionem tuam fraternitatem ſpecialiter præuidimus excitandã. Cognouimus namque de redditibus Eccleſiarum nouiter acquiſitis, canonicam diſpoſitionem quartarum minimè prouenire: ſed epiſcopos locorum tantummodo diſtribuere quartam antiquorum reddituum; nunc verò quęſita ſuis vſibus retinere. Quam rem prauam ſubintroductamq; conſuetudinem fraternitas tua viuaciter emendare feſtinet: vt ſiue de præteritis redditibus, ſiue de ijs quæ nunc obuenerunt, vel obuenerint, quartæ ſecundum diſtributionem canonicam diſpenſentur. Incongruum namq; eſt vnam eandemq; Eccleſiæ ſubſtãtiam duplici quodammodo iure cenſeri, id eſt, vſurpationis & canonum. Preſbyteros, diaconos, cæteroſq; cuiuslibet ordinis clericos, qui in Eccleſijs quomodo militant, abbates per monaſteria eſſe non permittas, ſed aut admiſſa clericatus militia, monaſticis non prouehantur ordinibus: aut ſi in abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum eſt, ſi cum vnum ex his pro ſui magnitudine diligenter quis nõ poſſit explere, ad vtrũq; iudicetur idoneus: ſicq; inuicem & Eccleſiaſticus ordo vitę monachicæ, & Eccleſiaſticis vtilitatibus regula monachatus impediatur. Illud quoq; caritatem tuam commonere curauimus, vt ſi quiſquam epiſcoporum de hac luce migrauerit, vel quod abſit, pro ſuis fuerit remotus exceſſibus, conuenientibus hierarchicis cunctiſq; cleri primoribus, atque in ſui præſentia inuentarium Eccleſiæ rerum facientibus, omnia quæ reperta fuerint, ſubtiliter deſcribantur: nec ſicut antea fieri dicebatur, ſpecies quædam aut aliud quodlibet de rebꝰ Eccleſiæ, quaſi pro faciendi inuentarij labore tollatur. Sic namq; ea quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent, deſideramus expleri, vt nulla penitus in rebus eorum ambitioſis hominibus venalitatis relinquatur occaſio. Viſitatores eccleſiarum, clericiq; eorum, qui cum ipſis per non ſuæ ciuitatis parochias fatigantur, aliquod labores ſui capiant te diſponente ſubſidium. Iuſtum namq; eſt, vt illic conſequantur ſtipendium, quo pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium. Iuuenculas abbatiſſas fieri vehementiſſimè prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, niſi ſexagenariam virginem, cuius ætas hoc atq; mores exegerint, velari permittat: quatenus tam prioribus, quàm præſenti capitulo tuę diſtrictionis inſtantia, Domino adiuuante correctis, & diu diſſolutum rerum venerabilium ſtatum canonicis nexibus religare feſtines, & diuina negocia non per incongruas voluntates hominum, ſed competenti poſſint diſtrictione diſponi.

Grat.12.q. 2.ca.19. Anſel.lib. 5.c.70. Ioã.Diac. li.4.c.34.

Gra 16.q. 1.c.38. Ioã. Diac. li.2.c.54.

Grat.q. 3.ep.41. Ioã. Diac. lib.3.c.13.

Viſitatores Eccleſiæ habeãt ex vſitatione ſubſidium. Grat.q.1.c.12.

Menſe Octobris, Indictione duodecima.

EPISTOLA XII.

De vxore cuiuſdam ablata, & alteri venundata.

GREGORIVS, *Maximiano Epiſcopo Syracuſano.* Tanto nobis ſubinde mala, quæ aguntur in iſta prouincia, nunciantur: vt peccatis facientibus (quod auertat omnipotens Deus) celeriter eam perituram credamus. Præſentium namq; portitor veniens lachrymabiliter queſtꝰ eſt, ante plurimos annos ab homine neſcio quo, de poſſeſſione M. ſanctiſſimæ Eccleſię, de fontibus ſe ſuſceptum, & violenter diuerſis ſuaſionibus puellæ ipſius iunctum, ex qua iuuenculos filios iam habere ſe aſſeruit: & nunc violenter huic diſiunctam abſtuliſſe dicitur, atq; cuidam alij venum dediſſe. Quod ſi verum eſt, quàm ſit inauditum atque crudele malum, tua benè dilectio perſpicit. Ideoque admonemus, vt hoc tantum nefas ſub ea viuacitate, quam te in cauſis pijs habere certiſſimè ſcimus, requiras atque diſcutias. Et ſi ita vt ſupra dictus portitor inſinuauit, eſſe cognoueris, non ſolùm quod malè factũ eſt, ad ſtatum priſtinum reuocare curabis, ſed & vindictam, quę Deum poſſit placare, exhibere modis omnibus feſtinabis. Epiſcopum verò qui homines ſuos talia agentes corrigere negligit atque emendare, vehementer aggredere, proponens, quia ſi denuo talis ad nos de quoquam qui ad eum pertinet, querela peruenerit, non in eum qui exceſſerit, ſed in ipſum canonicè vindicta procedet.

Iuo.p.8. c.58. Ioã.Diac. li.4.c.54.

EPISTOLA XIII.

De Adeodati preſbyteri iniuſta expulſione.

GREGORIVS, *Maximiano Epiſcopo Syracuſano.* Præſentium latoris Adeodati querelam, qui ſe à ſui preſbyteratus loco incongruè dicit expulſum, licet ſubditæ tibi textus petitionis explanet, tamen paulò latius iudicauimus apertiuſq; retexendam. Aſſerit namq; à Quintiano fratre & coepiſco-

Sup.ſic exeãdo hoc lib. ep.8. Grat.q.1. c.4.

po nostro in loco suo pro quibusdam se suis ordinandis negocijs relaxatum, ægritudinisq; causa per duorum mẽsium spatium suæ se Ecclesiæ defuisse: cuius rei occasionem captantem prædictum fratrem nostrum alium loco eius illic presbyterum ordinasse. Hortamur igitur fraternitatem tuam vt causam eius sollicitè perquiras, districteq; discutias. Et si manifestæ ægritudinis, sicut dicitur, causa, Ecclesiæ suæ eum defuisse repereris, nullum ei ex ordinatione alterius presbyteri permittas præiudicium generari: sed in locum suum sine aliqua eum fac dubietate restitui. Sin autẽ aliter se res habere dicitur, quàm porrecta ab eo contin ere videtur suggestio, causam eiusdem canonicè legitimeq; perquire, & quicquid tibi secũdum Deum visum fuerit, iuuante Domino, ita studе decernere, vt nulla de hac re quæstio ad nos vlterius reuertatur. Illud autem caritatem tuam specialiter admonemus, vt si vera fuerit huius suggestio, atque in suum fuerit ordinem restitutus, de presbytero, qui in loco eius ordinatus est, subtiliter districteque debeas esse sollicitus. Etsi quidem sine datione aliqua ad eundem ordinem peruenerit, vt in Simoniacam hæresim non potuisset incidere, in alia quacunque vacante Ecclesia, eum volumus cardinari. Sin autem in eo quippiam, quod auertat Dominus, fuerit tale repertum, ipso etiam presbyteratus priuetur ordine, quem non causa replendæ necessitatis Ecclesiæ, sed sola comprobatur ambitione suscepisse.

EPISTOLA XIIII.

Vt Felicem Diaconum in sua Ecclesia suscipiat.

GREGORIVS, *Maximiano Episcopo Syracusano.* Præsentium lator Felix diaconus, cum nullatenus in hæreticorũ dogmata lapsus sit, nec à catholica fide decesserit, prauis electus aduersus Constantinopolitanam synodum suspicionibus, * in Hystricorũ se separatione remouerat. Qui cum Romam venisset, recepta à nobis, iuuante Domino, ratione, excessum suum, recepta Dominici corporis & sanguinis communione, correxit. Quia ergo, vt dictum est, nõ in hæresim incidit, sed à sacris generalis Ecclesiæ mysterijs quasi rectæ studio intentionis errauit, imbecillitati eius atque necessitatibus consulentes, maximeq; sustentationi eius, pietatis intuitu prouidentes in tua Ecclesia Syracusana eum præuidimus cardinandum: siue vt officium diaconatus expleat, seu certè vt sola eiusdem officij pro sustentanda paupertate sua commoda consequatur, in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere iudicio. Quod hortamur vt tua fraternitas implere festinet. Commendantes etiam personam eius, quatenus nullis eum patiaris molestijs aut necessitatibus subiacere: ne vel nostræ cõmendationis inueniaris tramitem neglexisse, vel minus exhibuisse quàm tuus exigit ordo pauperibus: quia & nos ei annuum quid de nostra Ecclesia dari fecimus, vt eiusdem operis, quod te hortamur exhibere, participes esse possemus.

EPISTOLA XV.

Vt nulli in Salonitana Ecclesia sine sua permissione manus imponant: & de Maximi præsumptione.

GREGORIVS, *Vniuersis Episcopis per Dalmatiam.* Oportuerat quidem fraternitatem vestram diuini respectu iudicij clausis carnalibus oculis, nihil quod ad Deum pertinet, à recta mentis intentione omittere, nec cuiuslibet hominis faciem rectitudini iustitiæ præponere. Sed postquam mores vestri ita sunt sæcularibus traducti negocijs, vt obliuiscentes omnem sacerdotalis in vobis honoris tramitem, cunctumq; superni metus intuitũ, non quid Deo, sed quid vobis placeat studeatis explere, necesse habuimus hæc ad vos districtiora specialiter scripta transmittere: quibus ex beati Petri principis Apostolorum auctoritate precipimus, vt nulli penitus extra consensum permissionemq; nostram, quantum ad episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana ciuitate manus præsumatis imponere, nec quemquam in ciuitate ipsa aliter quàm diximus ordinare. Quòd si contra hæc quippiã vel sponte vestra, vel à quolibet coacti præsumpseritis vel tentaueritis agere, decernimus vos à Dominici corporis & sanguinis participatione priuatos, quatenus ex eadem vobis ipsa attrectatione vestra, vel voluntate transgrediendæ præceptionis nostræ, à cælestibus mysterijs alieni sitis, nec is quem ordinaueritis, habeatur episcopus. Nos namq; nullum cuius vita reprehendi potest, ordinari temerè volumus. Quòd si Honoratus diaconus indignus ostenditur, de vita moribusque eius qui electus fuerit, nobis renunciari volumus, vt quicquid in hac re agendum est, cum consensu nostro salubriter permittamus impleri. Confidimus enim in omnipotentem Dominum: quia quãtum ad intentionem nostram pertinet, nũquam quòd nostram grauare possit animam, nunquam sinemus fieri quòd vestram grauare possit Ecclesiam. Sin verò in qualibet persona ita voluntarius omnium consensus accesserit, vt auctore Deo digna sit, & non sit qui ab eius ordinatione dissentiat, hanc à vobis in eadem Salonitana Ecclesia ex præsentis epistolæ nostræ concessa licentia volumus consecrari: excepta dũtaxat persona Maximi, de qua ad nos multa mala perlata sunt: quæ si ab appetitu maioris ordinis non cessat, restat, vt arbitror, quatenus subtiliter discussa, ipso quoque in quo est officio careat. Excõmunicatio.

EPISTOLA XVI.

De ministerijs vasisq; Ecclesiarum per Siciliam recolligendis.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono rectori Siciliæ.* Peruenit ad nos diuersos Italiæ sacerdotes Siciliam confugientes, plurima secum Ecclesiarum suarum ministeria detulisse, eaq; siue defunctis eis, siue malè dispergentibus, propè omnia deperijsse. Qua in re moti hortamur dilectionem tuam, quatenus transmittens per omnia Sicilię loca, sicubi vasa sacra, resq; Ecclesiarum positas incautè repereris, ea cum summa districtione recolligi facias, atq; adunatas sub notitia testium suscipias, susceptasque apud singulos episcopos Ecclesiarum deponas, apud quos vsque dum pacis tempus exposcerit, iuuante Domino debeant tutissimè conseruari. Omnium autem rerum ipsarum nõ solùm de suscepta, eos, qui eas tradunt percipere volumus, sed etiã à te notitias earum subtiliter retineri: vt dum necesse fuerit, ex hac cautela iuuante Domino, possint ab ijs quibus traduntur, sine imminutione restitui. Sup. ep. 6. hoc li. & sup. l. 2 ep. 56. Ind. 10. l. 3. ep. 6. 16

Mense Septembri, Indictione duodecima.

EPISTOLA XVII.

De Tribuno ab hostibus redimendo ex Ecclesiæ pecunijs.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Sipontino.* Qualiter succurrendum sit redemptionibus captiuorum, & sanctorũ canonum, & mundanarum legum sanctio euidenter edocuit. Quod cũ omnibus notum sit, mirati sumus, vt fraternitas tua in redemptionem Tribuni clerici tui præsentium latoris nulla mota misericordia subueniret. Quod ergo spõtè facere distuliisti, nostra saltem facere festina adhortatione commonitus; ne si, quod non credimus, negligendum putaueris, incipiat tibi necessitas, quod voluntas fugit, imponere. Quia igitur supradictus Tribunus ab hostibus se prædatum, ac centum duodecim solidis se perhibet comparatum, ad quorum se defletrestitutionem vrgeri, hæc te oportet diligenter inquirere. Et si ita est, nec eum vnde precium in se datum reddere possit habere cognoueris, supradictos solidos de Ecclesia redemptori eius restitue. Nam valde durum est si de Ecclesia cui militat, remedium nullum inueniat. Omissa itaque excusatione, precium quod in eo datum manifesta veritate patuerit, sine aliqua mora, sicut sumus præfati, restitue: quatenus nec creditorem eius tempore necessitatis afflicto subuenisse pœniteat, & hic onere mœroris exutus, mente libera, officij sui ministerium sollicitè ac competenter exhibeat. Sup. li. 1. ep. 51. li 2. ep. 41. 42. Ind. 11.

Mense Ianuario, Indictione duodecima.

EPISTOLA XVIII.

Commendat Ecclesiam sancti Pancratij, vt ad eius corpus Dei opus peragatur.

GREGORIVS, *Mauro Abbati à sancto Pancratio.* Ecclesiarum cura, quæ sacerdotalibus officijs euidenter infixa est, ita nos cogit esse sollicitos, vt nulla in eis neglectus culpa appareat. Quoniam verò Ecclesiã sancti Pancratij, quæ erat commissa presbyteris, frequẽter neglectam fuisse cognouimus: ita vt venientes Dominico die populi missarum solemnia audituri, non inuento presbytero, murmurantes redirent: hoc matura deliberatione nostro sedit arbitrio, vt eis remotis, monachorum congregationem in monasterio eidẽ Ecclesiæ cohærenti constituere cum Dei gratia deliberemus, quatenus Abbas, qui illic præesset, curam & sollicitudinem antefatæ Ecclesiæ habere modis omnibus debuisset. In quo etiam monasterio te Maurum Abbatem præuidimus præponendum: statuentes vt terras præfatæ Ecclesiæ, vel quicquid illuc intrauerit, seu de redditibus eius accesserit, antedicto monasterio tuo debeat applicari, atque illic sine diminutione aliqua pertinere: ita sanè, vt quæcunque in ipsa suprascripta Ecclesia fienda reparandaque sunt, per te sine dubio reparentur. Sed ne remotis presbyteris, quibus Ecclesia ipsa fuerat ante commissa, vacare mysterijs videatur: idcircò huius tibi auctoritatis tenore præcipimus, vt peregrinũ illic debeas adhibere presbyterum, qui sacra missarum possit solennia celebrare. Quem tamen & in monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere necesse est. Sed & hoc præ omnibus curæ tuæ sit, vt ibidem ad sacratissimum corpus beati Pãcratij quotidie opus Dei procul dubio peragatur. Hæc igitur quæ tibi præcepti huius facienda serie deputamus, non solùm te perficere, verùm etiam ab his qui in officio locoque tuo successerint, sic & in perpetuum seruari volumus & impleri, vt nullus deinceps in supra dicta Ecclesia possit inueniri neglectus.

EPISTOLA XIX.

Ecclesiam sanctæ Agathæ in Suburra commendat.

Lib. 3. Dialog. ca. 30.

GREGORIVS, *Leoni Acolytho.* Locorum venerabilium cura nos admonet de eorum vtilitate per omnia cogitare. Quia ergo Ecclesia sanctæ Agathæ sita in Suburra, quæ spelunca fuit aliquando prauitatis hæreticæ, ad catholicæ fidei culturam Deo propitiante reducta est: ideo huius auctoritatis tenore commonitus, pensiones omnium domorũ in hac vrbe constitutarum, quas prædictam ecclesiam temporibus habuisse Gothorum constiterit, & annis singulis congregare non desinas, & quantum in sartis tectis vel luminaribus, aliaq; reparatione eiusdem Ecclesiæ necessarium fuerit, erogare modis omnibus studebis. Quicquid verò exuberare potuerit, fideliter rationibus te Ecclesiasticis inferre præcipimus.

Mense Aprili, Indictione duodecima.

EPISTOLA XX.

De excommunicatione illorum Episcoporum, qui ei manus contra canonum statuta imposuerunt.

Sup. lib. 3. ep. 15. in fi. inf. li. 5. ep. 3. Ind. 14. & li. 7. ep. 81. Iuo. p. 5. c. 133. & 134. Inf. lib. 4. ep. 78. Imperator non se immiscet in causis sacerdotum. Gra. 9. q. 1. cap. 1. Iuo p. 14. cap. 74.

GREGORIVS, *Maximo præsumptori in Salona.* Licet cetera cuiuspiam talia vitæ sint merita, vt nihil sit quod ex his sacerdotalibus valeat ordinationibus obuiare; tamen solius nefas ambitus seueriſſima canonum districtione damnatur. Cognouimus itaq; quòd vel surrepta vel simulata pijssimorum principum iussione, dum vita dignus non fueris, te sacerdotij ordinem cunctis venerabilẽ præripuisse. Quod nos ideo sine vlla hæsitatione credidimus, quia vitam ætatemque tuam non habemus incognitam: ac deinde, quia sereniſſimi domini Imperatoris animum non ignoramus, quod se in causis sacerdotalibus miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis grauetur. Additur inauditum nefas quòd post interdictionem quoq; nostram, quę sub excommunicatione tua, ordinantiumq; te facta est, cæsis presbyteris, diaconibus, ceteroq; clero, manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis est hominibus celebrata. Quia igitur sine vllius exempli forma violasti talem tantamq; sacerdotij dignitatem; præcipimus vt vsque dum dominicis vel responsalis nostri cognouerimus apicibus quòd non surreptitia, sed vera fueris iussione ordinatus, nullatenus tu ordinatores; tui attrectare quicquam præsumatis sacerdotalis officij, neq; vsq; ad rescriptum nostrum, ad cultum sacri altaris accedere. Quòd si contra hæc agere præsumpseritis, anathema vobis sit à Deo, & à beato Petro Apostolorum principe; vt contemplatione iudicij vestri, ceteris quoq; catholicis Ecclesijs, vltionis vestræ prębeatur exemplum.

Mense Maio, Indictione duodecima.

EPISTOLA XXI.

Quòd Iudæi non possint Christiana mancipia habere: sed coloni & originarij pensiones illis præbere debeant.

Inf. ep. 56. 61. 4. Ind. 11. & ep. 16. Ioã. Diac. li. 4. c. 44.

GREGORIVS, *Venantio Episc. Lunensi.* Multorum ad nos relatione peruenit, à Iudæis in Lunensi ciuitate degẽtibus in seruitio Christiana detineri mancipia: quæ res nobis tanto visa est asperior, quanto ea fraternitati tuę patientia operabatur. Oportebat quippe te respectu loci tui, atq; Christianæ religionis intuitu, nullam relinquere occasionem, vt superstitioni Iudaicæ, simplices animæ nõ tam suasionibus, quàm potestatis iure quodammodo deseruirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, vt secundum pijssimarum legum tramitem, nulli Iudæo liceat Christianum mancipium in suo retinere dominio. Sed si qui penes eos inueniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum sanctione seruetur. Hi verò qui in possessionibus eorum sunt, licet & ipsi ex legum districtione sint liberi; tamen quia colendis eorum terris diutius adhæserunt, vtpotè conditionem loci debentes, ad colenda quæ consueuerant rura permaneant, pẽsionesq; prædictis viris prębeant: & cuncta quę de colonis vel originarijs iura præcipiunt, peragant, extra quod nihil eis oneris ampliùs indicatur. Quòd si quisquam de his vel ad aliuna migrare locum, vel in obsequio suo retinere voluerit, ipse sibi reputet, qui ius colonarium temeritate sua, ius verò iuris dominij sui seueritate damnauit. In his ergo omnibus ita te volumus solerter impendi, vt nec direpti gregis pastor reus existas, nec apud nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehensibilem reddat.

EPISTOLA XXII.

Vt Venantio Episcopo Lunensi concurrat, ad religiosos emendandos.

Sup. hoc li. ep. 124. & sup. li. 2. ep. 36. 4. ep. 17. Ind. 11. 5. ep. 17. inf. hoc. ep. 87. Sup. ep.

GREGORIVS, *Constantio Episc. Mediolan.* Quorũdam de Lunensium venietium partibus ad nos relatione peruenit, religiosos locorum ipsorum ita ab Ecclesiasticæ disciplinæ tramite deuiasse, vt nullatenus in suis moribus, actionibusq; canonicè dispositionis statuta respiciant. Quæ quia erant & examinanda subtilius, & seuerius vlciscenda; præsentium latorem Venantium fratrem & coepiscopum nostrum vt instanter emẽdarentur, admonui. Sed pro magnitudine inquietudinis excedentium personarum, solum se non iudicauit in huiusmodi inquisitione sufficere: ideoque postulauit à nobis vt in eodem examinãdo negocio fraternitatis tuę ei adijceretur auctoritatis auxilium. Quanquam igitur fraterna dilectio hoc à te & sine nostris scriptis debeat exigere, tamen præsentibus quoque vos specialiter epistolis adhortamur, vt adhibito vobis prędicto fratre nostro cunctos clericos ceteroſq; religiosos prænominatæ ciuitatis & territorij eius de excessibus, quorũ aliquid est suspicionis ad te venire cõpellas, atq; cuncta secundum Deum propter

futuri

futuri metum iudicij subtiliter inquirentes, si quem à canonum statutis recessisse reperitis, canonica eum vltione corrigite. Nec patiamini in locis vestris eos qui non gerunt in moribus quod ostendunt in habitu, per abrupta diutius euagari. Quos oportet & ad rectitudinis normam pastorali vos circumspectione reducere. Ita ergo fraternitas tua cuncta solertius indagatis, quæ nobis in talibus nunciata sunt corrigat, ordinet, atque in futurum sopire festinet, vt & animæ tuæ proficiat, si tui causas vigilanter atque viuaciter perscrutaris officij, & nostrum minimè frustrari permittas, quod semper de tuæ maturitatis habuimus districtione iudicium.

EPISTOLA XXIII.

Vt diligenter inuigilent rusticos à cultu idolorum auertere.

GREGORIVS, *Nobilibus ac Possessoribus in Sardinia Insula consistentibus.* Fratris & coepiscopi mei Felicis, & filij mei Ciriaci serui Dei, relatione cognoui, penè oēs vestros rusticos in vestris possessionibus idololatriæ deditos haberi. Et valde hac de re contristatus sum, quia scio quòd subiectorum culpa, præpositorum deprimit vitā, & cum in subiecto peccatum non corrigitur, in eos qui præsunt sententia retorquetur. Vnde magnifici filij exhortor, vt omni cura omniq; sollicitudiue animarum vestrarum zelum habere debeatis, & quas rationes omnipotēti Deo de subiectis vestris reddituri estis, aspicite. Ad hoc quippe vobis illi commissi sunt, quatenus & ipsi vestræ vtilitati valeant ad terrena seruire, & vos per vestram prouidentiam eorum animabus ea quæ sunt æterna, prospicere. Si igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non soluitis quod debetis? id est, vt assiduè illos magnitudo vestra commoneat, ab idololatriæ errore compescat, quatenus eis ad fidem ductis, omnipotentem Dominum erga se placabilem faciat. Ecce enim mundum hunc, quia vicinus finis vrget aspicitis, quòd modò humanus in nos, modò diuinus seuiat gladius videtis: & tamen vos veri Dei cultores, à commissis vobis lapides adorari cōspicitis, & tacetis? Quid, quæso, in tremendo iudicio dicturi estis, quando hostes Dei & sub potestate vestra suscepistis, & tamen eos Deo subdere, atque ad eum reuocare contemnitis? Vnde debitum salutationis alloquium soluens peto, vt magnitudo vestra attendere erga zelum Dei vehementer inuigilet, & quis quantos ad Christum perduxerit suis mihi epistolis indicare festinet. Quod ergo vos agere ex aliqua occasione forsitan minimè valetis, prædicto fratri & coepiscopo nostro Felici vel filio meo Ciriaco iniungite, eisq; ad opus Dei solatium præbete, vt in remuneratione vitæ tanto possitis esse participes, quanto nunc bono operi solatium præbetis.

EPISTOLA XXIIII.

Vt Xenodochia ab eo diligenter gubernentur. Item de Epiphanio presbytero. De Paulo clerico malefico. De ordinationibus & nuptijs clericorum. De virginibus velandis. De mulieribus à monasterijs egressis.

GREGORIVS, *Ianuario Episc. Caralitano.* Oportebat siquidem fraternitatem tuam ita de rebus pijs esse sollicitam, vt nihil ad explendas eas nostris admonitionibus penitus indigeret: tamen quia quædam ad nos peruenerunt, quæ sunt corrigenda capitula, nihil est incongruum si nostræ quoq; vobis pagina auctoritatis accedat. Quamobrem significamus peruenisse ad nos, cōsuetudinem fuisse, vt Xenodochia, quæ sunt in Caralitanis partibus cōstituta, apud Episcopum ciuitatis singulis quibusq; temporibus suas subtiliter rationes exponerent, eius videlicet tuitione atq; sollicitudine gubernanda. Quod quia tua hactenus fertur caritas neglexisse; hortamur, vt sicut dictum est, tibi singulis quibusque temporibus rationes suas Xenodochi, qui in eis sunt constituti vel fuerunt, subtiliter reddant. Atq; tales in eis qui præsint ordinentur, qui vita, moribus, atq; industria inueniantur esse dignissimi; religiosi duntaxat, quos vexandi iudices non habeant potestatem: ne si tales personæ fuerint, quas in suum possint euocare iudicium, vastandarū rerum debiliū, quæ illic reiacent, præbeatur occasio: de quibus rebus summam te curam gerere volumus, vt nulli sine tua licentia detur notitia, ne vsque ad direptionem earum, ex fraternitatis tuæ peruenietur incuria. Præterea nosti latorem præsentium Epiphanium presbyterum quorundam sacerdotum litteris criminaliter accusatum. Cuius nos, vt valuimus, discutientes causam, nihilq; in eo obiectorum reperientes, vt ad locum suum reuerteretur, absoluimus. Criminis ergo eius auctores te volumus perscrutari. Et nisi qui easdem trāsmisit epistolas paratus fuerit hoc quod obiecit, canonicis atque districtissimis probationibus edocere; nullatenus ad sanctæ mysterium communionis accedat. Paulum verò clericum, qui sæpe dicitur in maleficijs deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicam reuersus vitam, in Africam fugerat: si ita est, corporali prius prouenientē vindicta, præuidimus in pœnitentiam dari, quatenus & secūdum Apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus salu⁹ fiat: & terrenas peccatorum sordes, quas prauis contraxisse fertur operibus, lachrymarum possit assiduitate diluere. Eis verò qui ab Ecclesiastica communione suspensi sunt, nullus religiosus secundum canonum præcepta iungatur. De ordinationibus verò vel de nuptijs clericorum, aut de ijs quæ velantur virginibus, nullus, vt nunc fieri dicitur, quicquam præmij præsumat accipere, nisi quippiam sua sponte offerre maluerint. De mulieribus quæ de monasterijs ad laicam vitam sunt egressæ, viroſq; sortitæ, quid fieri debeat, cū prędicto fraternitatis tuæ presbytero subtilius fuimus collocuti: cuius relatione Sanctitas vestra potest plenius informari. Religiosi verò clerici cōuentus, patrocinia laicorū caueant, & tuæ modis omnibus secūdum canones iurisdictioni subdantur, ne remissione fraternitatis tuę, eius cui præes, disciplina dissoluatur Ecclesiæ. Eos autem qui in prædictas mulieres, quæ egressæ sunt de monasterijs, excesserunt, & nunc dicuntur communione suspensi: si fraternitas tua de tali facinore dignè pœnituisse præuiderit, ad sacram communionem te volumus reuocare.

Ino. p. II. c. 23.

Gra. 27. q. 1. c. Eos aūt

EPISTOLA XXV.

De Barbaricinis conuertendis.

GREGORIVS, *Zabardæ Duci Sardiniæ.* Scriptis fratris & coepiscopi mei Felicis & Ciriaci serui Dei, glorię vestrę bona cognouimus. Magnaſq; omnipotenti Deo gratias agimus, quòd talem ducē Sardinia suscepit: qui sic sciat quæ terrena sunt reipublicæ exoluere, vt benè etiam nouerit omnipotenti Deo obsequia patriæ cælestis exhibere. Scripserunt etenim mihi quòd eo pacto cū Barbaricinis facere pacem disponitis, vt eosdem Barbaricinos ad Christi seruitiū adducatis. Hac de re valde lætatus sum, & dona vestra, si omnipotenti Deo placuerit, citius sereniſſimis principibus innotesco. Vos ergo quod cœpistis, explete: omnipotenti Deo deuotionem vestræ mentis ostendite, eos quos illuc ad conuertendos Barbaricinos transmisimus, quantum valetis adiuuate, scientes quòd talia opera multum vos & ante terrenos principes, & corā cælesti rege prędualeant adiuuare.

Sup. ep. 25. hoc li. inf. ep prox. 26. Ioā. Diac. li. 4. c. 47.

EPISTOLA XXVI.

De ordinatione Ecclesiarum. De rusticis Paganis. De lapsis sacerdotibus ad pristinum officium non reuocandis. Et de chrismate.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Fratris & coepiscopi nostri Felicis, & Ciriaci abbatis relatione cognouimus, quòd in Insula Sardinia sacerdotes à laicis iudicibus opprimātur, & fraternitatem tuam ministri sui despiciant: dūq; solū simplicitati à vobis studetur, quantū videm⁹, disciplina negligitur. Vnde hortor, vt omni excusatione postposita, Ecclesiam quam suscepisti, auctore Deo regas, disciplinam clericos tenere cogas, nullius verba metuere studeas. Archidiaconum verò tuum, vt audio, cū mulieribus habitare prohibuisti, & nuncuſq; in ea prohibitione despiceris.

Sup. ep. 10 & 24. 25. hoc li.

Sup. ep. 22 23. in fine. & 25 hoc lib. & sup. li. 1. ep. 47. 60. 61. 62. 81 82. & sup. lib. 2. ep. 64. 84. Grat. 11. q. 1. ca. 11. Idē di. 81. c. 29.

Qui nisi iussioni tuæ paruerit, cum sacro ordine volumus esse priuatum. Accidit autem aliud valde lugendum: quia ipsos rusticos, quos habet Ecclesia tua nuncusq; in infidelitate remanere, negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo vt extraneos ad Deũ adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Vnde necesse est vos per omnia in eorum conuersionem vigilare. Nam si cuiuslibet episcopi in Sardinia insula Paganum rusticum inuenire potuero, in eundem episcopum fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus, vt ad Dominum Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare. Peruenit etiam ad nos quosdã de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitẽtiam, vel ante ad ministerij sui officium reuocari: quod omnino prohibuimus, & in hac re sacratissimi quoq; canones cõtradicunt. qui igitur post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, vt ad altaris ministerium vlterius non accedat. Sed ne vnquã ij qui ordinati sunt pereant, prouideri debet quales ordinentur, vt prius aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium orationis, si eleemosynæ amorem habuerunt. Quærendum quoque est, ne fortè fuerit bigamus. Videndum etiam ne sine litteris, aut obnoxius curiæ, compellatur post sacrum ordinem ad exactionem publicam redire. Hæc itaque omnia diligenter fraternitas vestra inquirat, vt dum diligenter quilibet exquisitus ordinatur, non celeriter post ordinationem deponatur. Ea autem quæ fraternitati vestræ scripsimus, cunctis sub vobis episcopis innotescite, quia ego illis scribere nolui, ne honorem vestrum viderer imminuere. Peruenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quòd presbyteros chrismate tangere in fronte eos qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum vsum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizandos, chrismate tangere debeant, concedimus.

Grat.23.q. 6.c.4.

Qui ad Deũ venire noluerint grauiori pensionis onere affligãtur.

Grat. dist. 50.c.9. Iuo.p.6. cap.78.

Ordinandorũ qualitates.

Grat.dist. 95.c.6.ep. 9.hoc li. ib.4.sent. dist.7.c.1. Inf.ep.9. Innocentius ad Decentiũ c.3.

NOTÆ in Epist.26.lib.3.Indict.12.ad Ianuarium, alias ad Ioannem.

Vbi Episcopi desunt, vt presbyteri etiam in frõtibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus] *Ex hoc loco Durandus & Adrianus conclusionem prorsus inanem hanc eliciunt, Romanos Pontifices etiam in ijs, quæ sunt fidei, errare posse. Sed grauiter à veritate aberrant viri doctissimi, auctoritate enim Cõcilij Florentini & Tridentini Episcopi dicuntur esse ordinarij ministri Cõfirmationis; ita vt ex delegatione summi Põtificis etiã quilibet sacerdos idem ex iusta causa administrare possit. Quod aiunt ministerium Episcopale esse de essentia huius sacramẽti, verum non est. Nam quod confirmatio ordinariè ab Episcopis; non autem à Presbyteris administretur, factum reperitur, inquit Hieronym. aduersus Luciferianos, ad honorem potius sacerdotij, quam ad legis necessitatem. Vide Baro. an. 594. nu. 14. & 15. Suarez. de sacram. Confirmat. Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 10.*

EPISTOLA XXVII.

Vt ad Barbaricinos conuertendos solatia prabeat.

GREGORIVS, *Hospitoni Duci Barbaricinorum.* Cùm de gẽte vestra nemo Christianus sit, in hoc scio, quia omni gente tua es melior, quia tu in ea Christianus inueniris. Dum enim Barbaricini omnes, vt insensata animalia viuant, Deũ verum nesciant, ligna aũt & lapides adorent: in eo ipso quòd Deum verum colis, quantũ omnes antecedas, ostendis. Sed fidem quã percepisti etiam bonis actibus, & verbis exequi debes, & Christo cui credis, offerre quod præuales, vt ad cũ quoscunq; potueris adducas, eosq; baptizari facias, & æternam vitam deligere admoneas. Quòd si fortasse ipse agere non potes, quia ad aliud occuparis, salutans peto, vt hominibus nostris, quos illuc transmisimus, fratri scilicet & coepiscopo meo Felici filioq; meo Ciriaco seruo Dei, solatiari in omnibus debeas, vt dum eorum labores adiuuas, deuotionem tuam omnipotenti Domino ostẽdas, & ipse tibi in bonis actibus adiutor sit, cuius tu in bono opere, famulis solatiaris. Benedictionem verò S. Petri Apostoli per eos vobis irransmisimus, quam peto, vt de beatis benignè suscipere.

Sup.ep.22 23 24.26. hoc li.

Mense Iunio. Indictione duodecima.

EPISTOLA XXVIII.

Vt Albino luminibus priuato singulis annis duo tremisses prabeat.

GREGORIVS, *Candido Defensori.* Necessitatem patientibus pontificale conuenit adesse subsidium. Pro quare experientiæ tuę præsenti auctoritate præcipimus, quatenus Albino priuato luminibus, filio quondam Martini coloni, singulis annis duo tremisses sine aliqua dilatione præstare non desinat, non dubitatura suis hoc sine dubio rationibus imputari.

Ios. Diac. lib.2.c.11.

EPISTOLA XXIX.

De Episcopo ordinãdo in eo loco, vbi pridẽ extiterat.

GREGORIVS, *Ianuario Episc. Caralitano.* Peruenit ad nos, in loco qui intra prouinciam Sardiniam situs est, & dicitur Phausiana, consuetudinem fuisse Episcopum ordinãdi: sed hanc pro rerum necessitate longis aboleuisse temporibus. Quia autem nunc sacerdotum indigentia, quosdam illic paganos remanere cognouimus, & ferino degẽtes modo, Dei cultum penitus ignorare: hortamur fraternitatem tuam, vt illic secundum pristinum modum ordinare festinet antistitem, talem videlicet, qui ad hoc opus moribus ac verbo existat idoneus, & oberrantes ad gregem Dominicum pastorali studeat æmulatione deducere: quatenus eo illic ad animarum vacante compendium, nec vos inueniamini superflua popposcisse, nec olim destructa frustra nos reformasse pœniteat.

Sup.ep.10 24.& 25. hoc li.1. epi.42.ep. 6.ep.12. & 2.& sup. li.2.ep.44 &c.

EPISTOLA XXX.

Ne reliquiæ Sanctorum iuxta veterem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, ex suis locis extrahantur. Item de Apostolorum Petri & Pauli, & S. Laurentij miraculis quæ circa illorum corpora contigerunt, Et de monachis Græcis mortuorum ossa effodientibus, & de S. Pauli catenis.

Inf.li.4. ep.30.Ind. 13.ep.14.

GREGORIVS, *Constantinæ Augustæ.* Serenitas vestrę pietatis, religionis studio, & sanctitatis amore cõspicua, propter eam, quæ in honorem sancti Pauli Apostoli in palatio ædificatur Ecclesiam, caput eiusdẽ sancti Pauli; aut aliud quid de corpore ipsius, suis ad se iussionibus, à me præcipit debere trãsmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obediẽtiam exhibens, vestram erga me amplius potuissem gratiam prouocare: maior me mœstitia tenuit, quòd illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, tantis in Ecclesijs suis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, quia argentum quod supra sacratissimum corpus beati Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore ferè quindecim pedum spatio mutare voluit: signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Pauli Apostoli meliorare volui; & quia necesse erat vt iuxta sepulchrum huiusmodi effodi altius debuisset, præpositus loci ipsius ossa aliqua non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit. Quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdã tristibus signis, subita morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus, itidem ad corpus sancti Laurentij martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subitò sepulchrum ipsius ignoran-

Ios. Diac. li.3.c.33.

Religuiæ SS. Petri & Pauli multis insignes miraculis.

ter per-

ter apertum est: & ij qui præsentes erant atque laborabant, monachi & mansionarij, quia corpus eiusdem martyris viderunt, quod quidem minimè tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita vt nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum iusti corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præsumant de corpore: sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorũ ponitur. Quod leuatum, in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent; prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere, quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa leuare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur & vix credimus. Nam quidam monachi Græci huc ante biẽnium venientes, nocturno silentio iuxta Ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo iacentia effodiebant, atque eorũ ossa recondebant, seruantes sibi, dum recederent. Qui cum deprehensi, & cur hoc facerent diligenter fuissent discussi, confessi sunt quòd illa ossa ad Græciam essent tamquam Sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut prædictum est, maior nobis dubietas nata est: vtrum verum sit quòd leuare veraciter ossa Sanctorum dicuntur. De corporibus verò beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet, quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut ciuium suorum reperterent? Quæ ducta vsque ad secundum vrbis miliarium, in loco, qui dicitur ad Catatumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque disperdit, vt talia denuò nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis quibus nunc sunt condita, posuerunt. Quis ergo nunc sereniſſima domina tam temerarius possit existere, vt hæc sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi à vobis præcepta sunt, de quibus parere nullatenus potuissem, quantum inuenio, non vestrum est: sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt; vt mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent, & propterea quæsierunt, capitulum, de quo vobis quasi inobediens inuenirer. Sed in omnipotente Domino confido, quia nullo modo benignissimæ voluntati derepitur, & sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, non ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habebitis. Sudarium verò, quod similiter transmittis iussistis, cum corpore eius est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia sereniſſimæ dominæ tam religiosum desiderium esse vacuum nõ debet, de catenis quas ipse sanctus Paulus Apostolus in collo & in manibus gestauit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere festinabo; si tamen hanc tollere limando præualuero: quia dum frequenter ex catenis eisdem multi venientes benedictionem petunt, vt parum quid ex limatura accipiant, assistit sacerdos cum lima: & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipsis excutitur, vt mora nulla sit. Quibusdam verò petentibus, diu per catenas ipsas ducitur lima, & tamen vt aliquid exinde exeat, non obtinetur.

Mense Iunio, Indictione Duodecima.

EPISTOLA XXXI.

Ne Iudæi conuersi victus inopiam patiantur.

Sup. li. 1. ep 23. 17. 40. & 48 53 57 63. 66. & li. 2. ep 36. inf. li. 5. ep. 22. Ind. 14.

Gregorius, Antemio Subdiacono. His quos de Iudaica perditione Redemptor noster ad se dignatur conuertere, rationabili nos oportet moderatione concurrere: ne victus, quòd absit, inopiam patiantur. Ideoque tibi huius præcepti auctoritate mandamus, quatenus filiabus Iustæ ex Hebræis, id est, Iulianæ, Redemptæ, & Fortunatæ à tertiadecima succedenti indictione annis singulis solidos dare non differas, quos tuis noueris modis omnibus rationibus imputandos.

EPISTOLA XXXII.

Vt Donatistæ qui Catholicos iterum rebaptizare tentant, comprimantur.

Gregorius, Panthaleoni præfecto Africæ. Hæreticorum nefandissimam prauitatem, qualiter lex persequatur instantius, excellentiæ vestræ non habetur incognitum. Hi igitur quos & fidei nostrę integritas, & legum damnat districtio mundanarum, non leue peccatum est, si vestris inueniant tẽporibus licentiam reserpendi. In illis igitur partibus, quantũ didicimus, ita Donatistarum creuit audacia, vt non solum de suis Ecclesijs auctoritate pestifera eijciant catholicæ fidei sacerdotes: sed & quos vera confessione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuunt. Valdeq; miramur, si tamẽ ita est, vt vobis illic positis huiuscemodi liceat hominibus in prauis excedere. Primũ siquidẽ quale de vobis iudiciũ hominibus relinquatis, attendite; si hi qui aliorũ temporibus iusta ratione compressi sunt, vobis administrantibus viam suis excessus inueniant. Deinde perditorum animas Deum nostrum de manu vestra sciote requirere, si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligitis. Hæc enim excellentia vestra non amare suscipiat. Nam quia vos vt filios proprios diligimus, propterea hæc quæ vobis prodesse non ambigim⁹, indicamus. Paulum verò fratrem & Coepiscopum nostrum ad nos sub omni festinatione dirigite, ne cuiquam impediendi eum aliqua occasio vel excusatio detur, vt veritatem plenius agnoscentes, qualiter tanti facinoris vltio debeat prouenire, Deo adiuuante rationabili possimus tractatu disponere.

Donatist. impietas.

EPISTOLA XXXIII.

De quatuor synodis venerandis, & amplectendis, & Constantio Episcopo.

Sup. ep. 4. h. li. inf li. 7. ep. 42. Ind. 2.

Gregorius, Theodelindæ Reginæ Longobardorum. Quorundã ad nos relatione peruenit, ab aliquibus Episcopis gloriam vestram vsque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, vt sese à Catholicæ vnanimitatis cõmunione suspenderet. Quod quantum vos purè diligimus, tanto de vobis fortius dolemus: quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solum ea quæ loquuntur nesciũt, sed vix ea quæ audierunt, percipere possunt. Qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quẽ sibijpsi de nobis finxerũt. Nos enim veneramur sanctas quattuor synodos: Nicænam, in qua Arius: Constantinopolitanam, in qua Macedonius: Ephesinam primam, in qua Nestorius: Chalcedonensem, in qua Eutyches atque Dioscorus dãnatus est; profitentes quia quisquis aliter sapit, quàm hæ quattuor synodi, à fide veritatis alienus est. Damnamus autem quoscunque damnant, & quoscunque absoluunt absoluimus: sub anathematis interpositione ferientes eum, qui earundem quattuor synodorum maximè autem Chalcedonensis, de qua quibusdam imperitis hominibus nata est dubietas & superstitionis occasio, fidei addere, vel adimere præsumit. Cũ itaque integritatem nostram ex aperta mea traditione seu professione cognoscitis, dignum est vt de Ecclesia beati Petri Apostolorum principis nullum vlterius scrupulum dubi-

Quatuor Conciliorum auctoritas.

Chalced. fides amplectenda

Inf. ep. 41. & ep. 76. li. 4.

etatis habeatis: sed in vera fide persistite, & vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est, in confessione beati Petri Apostolorũ principis soliditate: ne tot vestræ lachrymæ tantaq; bona opera pereãt, si à fide vera inueniãtur aliena. Sicut. n. rami sine virtute radicis arefiũt; ita opera quãtũlibet bona videãtur, nulla sunt, si à soliditate fidei disiungũtur. Decet ergo gloriam vestram ad reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum Constantium, cuius & fides & vita olim mihi benè est approbata, sub omni celeritate transmittere, eique directis epistolis indicare ordinationem eius, quam benignè susscipitis: & quia ab eius Ecclesiæ communione in nullo separamini, vt verè, sicut de bona ac fideli filia, communi exultatione gratulemur. In hoc autem vos ac vestra opera Deo placere cognoscite, si prius quam eius examen veniat, sacerdotum illius iudicio comprobentur.

EPISTOLA XXXIV.

Ne Subdiaconi cum suis vxoribus misceantur, & de vxore Speciosi Subdiaconi in monasterium detrusa.

Lib. 8. ep. 21. & lib. 9. ep. 5. Grat. dist 32. c. 2. & 27. Ansli. 7. c. 138. Poly. lib. 4. tit. 31.

G *Regorius, Leoni Episcopo Cathanensi.* Multorum relatione comperimus, hanc apud vos olim consuetudinem tenuisse, vt subdiaconi suis licitè miscerentur cõiugibus. Quod ne denuo quisquam præsumeret, à Seruo dei, sedis nostræ diacone, ex auctoritate nostri decessoris est isto modo prohibitum: vt eodem tempore hi, qui iam vxoribus fuerant copulati, vnum ex duobus eligerent, id est, aut à suis vxoribus se abstinerent, aut certè nulla ratione ministrare præsumerent. Et quantum dicitur. Speciosus tunc subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit officio, & vsque in obitus sui tempus notarij quidem gessit officium, & à ministerio, quod subdiaconum oportuerat exhibere, cessauit. Post cuius obitũ, quia relicta eius Honorato marito est sociata, à tua eam fraternitate in monasterio cognouimus esse deputatam. Ideoq; si, vt fertur, eius se maritus ab administratione suspendit, antedictæ mulieri non debet officere quòd ad secundam coniugij copulationem migrauit: præsertim si non tali mente subdiacono iuncta est, vt à carnis voluptatib⁹ abstinerte. Si ergo ita se veritatem, quemadmodum edocti sumus, habere cognoscis; prædictam te mulierem de monasterio per omnia cõuenit relaxare, vt ad suum maritum sine aliqua possit formidine remeare. Deceterò vero fraternitas tua sit omnino sollicita, vt quos ad hoc iam officium contigerit promoueri, hoc quam maximè diligenter inspiciat, ne si vxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis Apostolicæ eos cuncta obseruare, sua nihilominus districtione constituat.

Subdiaconi vxores habere nõ debent.

EPISTOLA XXXV.

De hæresi Donatistarum iterum pullulante.

Sup. l. 2. ep. 47 Indict XI. Inf. l. 7. ep 25. Ind. 1. & l. 6. ep 2. Ind. 15.

G *Regorius, Victori & Columbo Episcopis Africæ.* Qualiter neglectus inter initia morbus vires accipiat, ex nostris necessitatibus, quas patimur in hac ciuitate constituti, probauimus. Huic igitur nascenti morbo, si doctorum obstaret prouisio medicorum; scimus quidem quia ante cessaret, quàm tardè procuratus plurimum noceret. Huius ergo considerationis ratio vehementer nos debet impellere, vt animarum morbis initiantibus, tota festinemus possibilitate resistere, ne dum salubria adhibere medicamenta negligimus, multorum nobis vita, quos Deo nostro contendimus lucrari, subripiatur. Vnde nos oportet ita caulas ouium, quibus nos custodes videmur esse præpositi, vigilanti custodia atque sollicitudine prẽmunire, quatenus lupus insidians vndiq; pastores sibi repugnantes inueniat, & viam ingrediendi in eas non habeat. Comperimus siquidem Donatistarum stimulos sic in illis partibus gregem turbasse Dominicum, ac si nullius pastoris moderamine regeretur. Nunciatuq; nobis est, quod dicere sine graui dolore non possumus, quod plurimi eorum venenatis iam sint dentibus laniati. Denique sacerdotes canonicos prauissima de suis Ecclesijs temeritate repellere. Et multos insuper quibus salutem regenerationis aqua præbuerat, rebaptizantes, prauitate nefandissima necauisse dicuntur. Quæ res animos nostros valde mœstificant, quòd vobis illic positis damnatæ præsumptioni tantum scelus perpetrare licuerit. Qua de re fraternitatem vestram scriptis decurrentibus adhortamur, vt habito tractatu, initoque concilio, ita nascenti huic adhuc morbo inhianter ac tota virtute debeatis obsistere, dummodo nec vires ex neglectu percipiat, nec in commisso vobis grege pestilentiæ damna concutiat. Nam si quolibet modo, quod non credimus, incipienti negligitis iniquitati resistere, plurimos erroris sui gladio vulnerabunt. Et est profectò grauissimum, laqueo diabolicæ fraudis irretiri permittere, quos prius possumus ne alligentur eripere. Melius est autem ne quisquam vulneretur obsistere, quam vulneratus qualiter sanari possit exquirere. Hoc itaque considerantes, sacrilegam prauitatem sedula oratione ac virtute qua valetis obruere festinate, vt & subsequens nuncius Christi gratia suffragante, de eorum nos vltione lætificet, magis quã de excessu contristet. Paulum præterea fratrem & coepiscopum nostrum ad nos quo potestis studio omni sub festinatione dirigite, quatenus ab eo causas subtilius tanti facinoris agnoscentes, huic nefandissimæ priuitati cum creatoris nostri solatio medicinam dignæ possimus correptionis imponere.

EPISTOLA XXXVI.

Præcipit vt Euplo patris bona reddantur.

Sup. lib. 2. ep. 12. 38. Ind. XI & sup. lib. 3. ep. 53.

G *Regorius, Maximiano Episcopo Syracusano.* Euplus præsentium portitor Eusanium Agrigentinæ ciuitatis episcopum suum fuisse memorat genitorem, matrisq; suæ res apud eum plurimas indicat mansisse. Quem quoniam intestatum asserit esse defunctum, ideo & res maternas sibi petit debere restitui, & antedicti episcopi patris sui se permitti, substantiã adipisci. Qua de re fraternitati tuæ huius præcepti serie deputamus, quatenus diligenter curet addiscere, & si quid apud prædictam Ecclesiam de rebus matris ipsius inueniri potuerit, si quidem nihil est quod antedicto Euplo rationabiliter possit obsistere, ei secundum suam faciat portionem restitui. Proinde & de rebus paternis, quas ante episcopatum dignoscitur habuisse, si eas in ius Ecclesiæ suæ quolibet modo non transtulit, ei quantum portioni eius legaliter scit competere, vt satisfieri possit, immineat. Nam omnino & contra rationẽ & contra nostrum probatur esse propositum, si cui ea quæ iustè competunt, restitui ac satisfieri denegemus. Ira ergo hæc fraternitas tua implere festinet, vt suprascripto portitori ad nos denuo ex hac re nulla remeandi necessitas imponatur. Nam quod beatæ recordãtionis decessor noster præceptum direxerat, vt lapso eo omnes res eius Ecclesiæ remanerent, hoc ideo cum credimus præcepisse, ne per eas adhuc amplius deperiret: nunc verò æquum esse pensamus, vt filium patris culpa non ingrauet. Sed fraternitatis tuæ dispensantione, quic quid ei legaliter potest competere, consequatur.

EPISTOLA XXXVII.

De iuramento non dando ciuibus Brixiæ. Et de nominatione Ioannis inter missarum solemnia. Et de quinta synodo.

Sup. ep. 22. & epist. 3. huc. inf. lib. 2. ep. 2. lib. ind. 10. l. 4. ep. 1.

G *Regorius, Constantio Episcopo Mediolanen. &c.* Scriptis sanctitatis vestræ percursis, in graui vos mœrore esse cognouimus, maximè propter episcopum & ciues Brixiæ, qui vobis mandant, vt eis epistolam trãsmittatis, & in qua iurare debeatis vos tria capitula minimè damnasse. Quod si decessor fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, à vobis quæri non debet. Si autem fecit, aut cum vniuersali Ecclesia non fuit, aut cautionis suæ iuramenta transcendit. Sed quia eundem virũ sua credimus sacramenta seruasse, atque in vnitate Catholicæ Ecclesiæ permansisse, dubium non est, quod nulli Episcoporum suorum iurauerit se tria capitula minimè damnasse. Ex qua re colligat sanctitas vestra, quia cogi non debet ad hoc

Lib. 2. ep. 2. l.

quod

quod à decessore vestro factum nullo modo est. Sed ne ij qui vobis ista scripserunt, scandalizari videantur, transmittite eis epistolam, in qua sub anathematis interpositione fateamini, neque vos aliquid de Chalcedonensis synodi imminuere, neque eos qui imminuunt recipere; & quoscunque damnauit, damnare; & quoscunque absoluit, absoluere. Vnde credo eis posse celerrimè satisfieri. Quod autem scripsistis, quia scandalizantur plurimi eorum, quia fratrem & coepiscopum nostrũ Ioannem Rauennatis Ecclesiæ inter missarum solennia nominetis, requirenda vobis consuetudo antiqua est, & si consuetudo fuit, modo à stultis hominibus reprehẽdenda nõ est. Si verò consuetudo non fuit, fieri non debet, vnde quibusdã scandalum moueri possit: tamen sollicitè perquirere studè, si idem Ioannes frater & coepiscopus noster vos ad altare nominet, quod minimè dicunt fieri. Etsi ille vestri nominis memoriam non facit, quæ necessitas cogat ignoro, vt vos illius faciatis. Quod quidem si sine aliquorum scandalo fieri potest, vos tale aliquid facere valde laudabile est, quia caritatem quã erga fratres vestros habetis, ostenditis. Quod autem scripsistis, quia epistolam meam Reginæ Theodelindæ transmittere minimè voluistis, pro eo quod in ea quinta synodus nominabatur: si eam scandalizari posse credidistis, rectè factum est vt minimè transmitteretis. Vnde nunc ita facimus sicut vobis placuit, vt quattuor synodos solummodo laudaremus. De illa tamen synodo quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ à multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quatuor sanctissimas synodos constituerit vel senserit, quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his personis de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos canones facta contentio & extrema actio de personis ventilata est. Nos tamen sicut voluistis ita fecimus, vt eiusdem synodi nullam memoriam faceremus. Sed & de episcopis quæ scripsistis, prædictæ filiæ nostræ Reginæ scripsimus. Vrsicinum qui vobis scripsit aliqua contra Ioannem fratrem & coepiscopum nostrum, vos per epistolas vestras & dulcedine & ratione ab intentione sua compescere debetis. De Fortunato autem fraternitatem vestram esse sollicitam volumus, ne vobis à malis hominibus in aliquo subripiatur. Nam audio eum cum decessore vestro Laurentio ad mensam Ecclesiæ per annos plurimos nuncusque comedisse, inter nobiles consedisse, & subscripsisse: eumque fratre nostro sciente innumeris annis militasse. Et post tot annos modò videtur fraternitati vestræ vt de status sui conditione pulsetur. Quod mihi omnino incongruum videtur. Et ideo hoc per ipsum vobis sed secreto mandaui. Tamen si quid est rationabiliter quod ei possit opponi, in nostro debet iudicio ventilari. Ad filium verò nostrum domnum Dinamium, si omnipotenti Deo placuerit, per hominem vestrum scripta transmittemus.

EPISTOLA XXXVIII.

De præsumptore Maximo.

Gregorius, Marcello Scholastico. Gloriæ vestræ caritas sic in nostro corde semper inuigilat, vt nihil sibi corporalis defendat absentia. Nam quamuis à carnalibus oculis longè est, mentis tamen aspectibus nunquam deest. Frequenter enim nos voluntas ad scribendum desideranter impellit, sed occupatio non permittit. Dum ergo nobilitatis vestræ peritia nõ ignoret, quantis sit locus noster occupationibus inuolutus: quod à scribendi interdum cessamus officio, non voluntatis, sed necessitatis esse consideret. Gloria autem vestra quòd tardius sua nos requirit epistola; qua possit excusatione defendere, non videmus. In hoc igitur sola me debui taciturnitate defendere, sed feruor caritatis linguam meam non pertulit habere silentium. Salutantes itaque cum omni affectu atque dulcedine, indicamus, nos grauiter contristatos, quòd illa à nobis voluistis experiri, in quibus dum voluntatem vestram perficere, quia obstitit ratio non valemus; contristare vos, quod nolumus, videmur. Nam hoc nos sine correctione relinque re, Ecclesiastica non sinit aliquo modo disciplina: nec vos pro talibus decet petere, ne non rectitudini sed indisciplinationi, quod absit, videamini consentire. Causa verò eiusdem Maximi, pro quo nobis scribitis, quem si missarum solennia celebrare præsumpserit, iam sacri corporis communione priuauimus; matura quando oportuerit deliberatione, sicut Deo nostro placuerit, iudicabitur atque disponetur. Oramus autem omnipotentem Dominum, vt & hic vos sua protectione custodiat, & ad æternæ vitæ præmia perducat.

Mense Augusto, Indictione Duodecima.

EPISTOLA XXXIX.

De obitu Episcopi eorum, & visitatione Ecclesiæ.

Gregorius, Clero, Ordini & plebi consistenti Hortonæ. Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit, destitutæ Ecclesię visitationem fratri & coepiscopo nostro Barbaro solenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, vt nihil de redditu, ornatu, ministerijsque à quoquam vsurpari patiatur: cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire. Hoc tamen scitote: quia ei ordinandi presbyteros ac diaconos, si necesse fuerit, quos dignos ad hoc officium inuenire potuerit, dedimus licentiam: quatenus in Ecclesiastico obsequio sacerdos, qui & venerandis canonibus vlla non discrepet ratione, & tanto ministerio dignus valeat reperiri, communiter eligatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solẽnitate decreti omniũ subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehatur, verumetiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse, cognoscite. Sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & à communione alienos faciendos proculdubio noueritis.

Sup lib. 1. ep. 15. 76. & 79.

Sup. li. 2. ep. 27. Inf. li. 11. ep. 18 & 17. Ind. 6.

EPISTOLA XL.

Ne monachi fœminas in monasterium inducant, aut eas sibi commatres faciant.

Gregorius, Valentino Abbati. Peruenit ad nos, quod in monasterio tuo passim mulieres ascendant, & quod adhuc est grauius, monachos tuos sibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos, quod absit, calliditate decipiat: ideo huius te præcepti serie commonemus, vt neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque monachos tuos eas commatres sibi facere. Nam si hoc denuò ad aures nostras quocunque modo peruenerit, sic te seueriſſimæ noueris vltioni subdendum, vt emendationis tuæ qualitate ceteri sine dubio corrigantur.

Grat 18 q. 2. c. 20. Iuo p. 3. c. 18. Ans. lib. 7. c. 183. Ioan. diac. li. 2. c. 54.

EPISTOLA XLI.

De fide sua apud sanctum Petrum exponenda.

Gregorius Bonifacio magnifico Africæ. Si ita vt audieram, magnitudo vestra intentione sollicita de animæ suæ salute cogitaret, nequaquam se mihi de fide suæ per epistolas, sed per semetipsam potuit respondere. Nam quod in excusationem molestia corporalis adducitur, expectato salutis tempore, laborem summoperè potuistis pro commodo æternæ salutis assumere, vt & vos de nostra ratione, & nos de vestra credulitate gauderemus. Ea enim quæ in meis scripsi epistolis replicanda nunc non sunt, neque aliqua ratiocinatione monstranda: quia apud nolentis animum, quamuis sit euidens ratio, hæc ipsa obstaculum esse solet. Sed per vos venite, & beati Petri Apostolorum principis liminibus vosmet præsentate, & cuncta quæ scripsi, nisi ex lectione monstrauero, cum qua vultis disputatione recedite. Hortor vos tamen, vt dum vitæ spatium supereſt, ab eiusdem beati Petri Ecclesia, cui claues cælestis regni commissæ sunt, & ligandi ac soluendi potestas attributa, vestra anima non inueniatur diuisa, ne si hic beneficium eius despicitur, illic vitæ aditum claudat. Hi autem qui dubitationis vestræ participes sunt, si ad me venire voluerint, nullam in me quasi ex potestate prodeuntem violentiã pertimescant. Nam nos licet in omnibus causis, in his tamen

Lib. 7. ep. 17. Ind. 1.

S. Bonau. li. 2. phar. c. 44. Inf. li. 4. ep. 32. Ab ecclesia B. Petri recedere non debemus.

præcipuè quæ Dei sunt, ratione magis stringere homines, quàm potestate festinamus.

EPISTOLA XLII.

De clericis Bacandæ per Siciliam dispersis.

Lib. 2. ep. 4 18. 16 38. hom. in Euang. 34. tom. 2. Episc. Forojulien. li. 1. ep. 4. 8. lib. 12. ep 18.

GRegorius, *Maximiano Episcopo Syracus.* Indicauit nobis Bacanda frater & coepiscopus noster, quosdam de clero suo in Siciliæ partibus ad sacros ordines peruenisse. Qui quoniam neque presbyterum, neq; diaconos se habere commemorat, eos ad se petijt debere transmitti. Proinde fraternitas tua vbicunque illos latore præsentium indicante, repererit, huc eos sine dilatione transmittat: quatenus & illi ad Ecclesiam in qua olim militauerunt, reuocentur, & antedictus episcopus optatum de eis possit habere solatium.

EPISTOLA XLIII.

De Cosma Syro multis debitis obligato.

Inf. li. 7. ep. 24. lib. 10. ep 42.

Ioan. diac. li 2. c. 55.

Nou. 134. §. 12. apud Iuli. Antecess.

GRegorius, *Fantino Defensori.* Lator præsentium Cosmas Syrus in negocio quod agebat, debitum se contraxisse perhibuit, quod & multis alijs & lachrymis eius attestantibus verum esse credidimus. Et quia 150. solidos debebat, volui vt creditores illius cum eo aliquid pacisc erentur: quoniam & lex habet vt homo liber pro debito nullatenus teneatur, si res defuerint, quæ possint eidem debito addici. Creditores ergo suos, vt asserit, ad 80. solidos consentire possibile est. Sed quia multum est vt à nil habente homine 80. solidos petant, 60. solidos per notarium tuum tibi transmisimus, vt cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris, rationem reddas, quia filium eius quem tenere dicuntur, secũdum leges tenere nõ possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minus quam nos dedimus, condescendant. Et quicquid de eisdem 60. solidis remanserit, ipsi trade: vt cum filio suo exinde viuere valeat. Si autem nil remanet, vel ad eandem summam debitum eius incidere stude, vt possit sibi liberè postmodum laborare. Hoc tamen solerter age: vt acceptis solidis ei plenariam munitionem scripto faciant.

EPISTOLA XLIV.

Reprehendit eam à monte Sina propere rediisse.

Sup. lib. 2. ep. 21. Ind. 10. li. 4 ep. 44. inf. lib. 7. Ind. 13. ep. 23.

GRegorius, *Rusticianæ Patriciæ.* Excellentiæ vestra scripta suscipiens, libenter agnoui, qualiter ad montem Sina perrexerit. Sed mihi credite; ego quoque voluisse vobiscum ire, sed vobiscum minimè redire. Quamuis mihi valde difficile sit credere quia ad loca sancta fuistis, patres multos vidistis. Nam credo si vidisse tis, tam celeriter ad Constantinopolitanam vrbem redire minimè poteratis. At postquam talis ciuitatis amor de corde vestro nullo modo recessit, suspicor quia excellentia vestra sancta quæ corporaliter vidit, ex corde minimè attendit. Sed omnipotens Deus mentem vestram gratia suæ pietatis illustret, donet vobis sapere, & temporalia omnia quam sint fugitiua, pensare: quia dum hæc loquimur, & tempus currit, & iudex superuenit, & mundum quem sponte volumus, ecce iam propè est, vt relinquamus intuiti. Domnũ Apionem & domnam Eusebiam, eorumque filias mea peto vice salutari. Domnam verò illam nutricem meam, quam mihi per litteras commendatis, omnino diligo, & grauari in nullo volo. Sed tantis angustijs premimur, vt ab angarijs atque oneribus hoc iam tempore, nec nos metipsos excusemus.

Ind. 1. li. 8. ep. 39.

Expliciunt de Anno Quarto, & Indictione duodecima.

LIBER QVARTVS IN NOMINE DOMINI.

INCIPIVNT EPISTOLAE ex Regesto Beati Gregorij Papæ.

INDICTIONE XIII. ET DE Anno ordinationis eius V.

EPISTOLA I.

Monasterium Monachorum non per clericos nec laicos gubernandum.

Sup. li. 2. ep. 12. 28. 32. 54. 55. Ind. 11. & ep. 32. eo. li. Ind. 5 ep. 18. eo. lib. Greg. 16. q. 1. c. mero. Gratian. q. 1. c. 20. Iuo p. 1. c. 18 Anselm. 7. c. 18. Ioan. diac. li. 2. c. 54.

GRegorius, *Ioanni Rauennati Episcopo, &c.* Peruenit ad me, quòd in Ecclesia fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasterijs consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sunt; dumque hi, qui sunt Ecclesijs, fingunt se religiosè viuere, monasterijs præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest & Ecclesiasticis obsequijs deseruire, & in monachica regula ordinatè persistere: vt ipse monasterij districtionẽ teneat, qui quotidie in ministerio Ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua, hoc quolibet in loco factum sit emendare festinet: quia ego nullo modo patiar vt loca sacra per clericorum ambitum destruantur. Vos itaque ita agite, vt mihi hac de re correctam causam sub celeritate nuncietis.

EPISTOLA II.

De ordinando monasterio Theodosiæ.

Sup. epist. 23. li. 3. Ind. 12. Sup li. 3. ep. 8. Ind. 12.

GRegorius, *Felici Episcopo & Cyriaco Abbati.* Querelã Theodosiæ religiosæ fœminæ subditæ vobis, satis series relationis explanat, in qua plura & non ad sacerdotalem pertinẽtia mansuetudinem, contra Ianuarium fratrem & coepiscopũ nostrum capitula comprehensa relegimus: ita vt post fundatum à te seruorum Dei monasterium, omne quod ad auaritię turbulentiam præiudicium que pertinet, tempore, dicatur oratorij ipsius dedicationis exhibitum. Quamobrem si ita est, vt antefata eius suggestione comperimus, & in hoc quicquam cognoscitis indecentius fuisse commissum: hortamur vt Musicum abbatem monasterij Agilitani, remotis prius omnibus præiudicijs, studeatis vt in monachos suos illic ordinare cœperat, summoperè vacare festinet: quatenus ipso venerabili loco, decenti regularique modo per vos, Domino iuuante disposito, nec frequens nos prædictæ religiosæ fœminæ de nõ impletis bonis desiderijs suis querela concutiat: nec cum vestræ detrimento sit animæ, si tam pium propositum aliqua vobis negligentibus, quod non credimus, dilatione torpescat.

EPISTOLA III.

De compescendis hæreticis sub grauissimis pœnis.

Sup. lib. 4 ep. 39. Ind. 10. inf. lib. ep. 19 Ind. 14. lib. 8. ep. 4. ind. 3. lib. ep. 2.

GRegorius, *Dominico episcopo Carthaginensi.* Veniens ad nos Prosper præsentium lator, responsalis vester post alios vestræ caritatis affectus, secundò nobis vestras epistolas cum allegatione principalium iussionum apud vos habitæ synodi chartulam porrexit. Quibus relectis, & de vestro gratulati sumus, quem pastoraliter geritis, zelo: & pijssimos dominos occasione religionis illatas venalium personarum remouisse calumnias. Maximè autem quia ita studuit fraternitas vestra Africanam inconcussam seruare prouinciam, vt nullatenus deuias hæreticorum sectas cum feruore sacerdotali coercere negligeret. De quibus etiam omnibus sopiendis, & antequam caritatis vestræ consuleremur apicibus, in tantum nos subtiliter definisse meminimus, vt nihil rursus de his vobis responderi necessariũ credamus. Quãquã ergo hæc se ita habeãt, & desiderem oẽs hæreticos à catholicis sacerdotib. vigore semper rationeq; cõpesci: tamẽ subtiliter intuentes omnino rostergit, ne per ea q̃ apud vos gesta sunt, aliorũ cõsiliorũ primatib.

(quod

(quod auertat Dominus) generetur scandalum. Sententia namque à vobis prolata est in conclusione gestorum. In qua dum pro inuestigandis illis hæreticis admonetis, subintuliſtis eos, qui negligunt, substantiarum dignitatumque priuatione plectendos. Optimum est igitur frater carissime, vt in his quæ foris corrigenda sunt, prius caritas interna seruetur, vt simus mente subiecti. Quod maximè vestræ grauitatis propriù iudicamus, etiam personis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis viribus hæreticorum commodius obuiatis erroribus, cum secundum morem sacerdotij vestri studueritis ecclesiasticam interius custodire concordiam.

EPISTOLA IV.

De Gregorio abbate, & Martia abbatissa.

Gregorius, Victori Episcopo Panormit. Latorem præsentiũ Gregorium Abbatem atque presbyterum monasterij sancti Theodori nulla quidem ratio permittebat, vt post lapsum cellæ ipsius generali pœna, vltra ei præesse debuisset. Qui enim tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis vnquam præponi non debuit. Sed quia longa hic est apud nos pœnitẽtia afflictus, fraternitatẽ tuam necesse est eum in monasterium prædictum recipere, locoque suo constituere: ita tamen, vt Vrbicus monasterij mei præpositus dare aliquẽ de seruis Dei debeat, qui ei præpositus fiat, vt quod istius incuria negligitur, illius sollicitudine seruetur. Præterea ex monasterio ancillarum Dei, quod est sancti Martini, Martiam sanctimonialem feminam in monasterium aliud iniustè audio fuisse migratam: & Victoriam, quæ locum illius sequebatur, sicut audio res monasterij distrahere, vt ad prioratus locum pertingeret, & ipsa post abbatissam interim inuenire debuisset. Quam rem fraternitas tua sub omni studeat celeritate corrigere: cuius enim iam culpæ sit intelligis, vt ego tam longè positus, quæ in ciuitate tua agũtur agnoscam, & tot curis occupatus, quæ fieri debeant, disponam. Prædictam itaque Martiam in monasterium suum & locum suum volumus reuocari. Victoriam verò Fantino defensori nostro tradi, quatenus ipse eam discutiens, cui quid de rebus monasterij dedit, inueniat. Quam discussam in monasterium aliud dari volumus, nobisque per Fantinum defensorem subtiliter renunciari, vt sciamus quid de ea debeat sententia certiori constitui. Multa autem mala in eodem monasterio per Anastasiũ medicum audio contigisse. Quũ si quando in monasterium virginum seu ipse, seu alius fuerit ingressus, fraternitatem tuam culpa respiciet, quæ gregem commissum tenet, & custodire dissimulat.

EPISTOLA V.

De Saturnino presbytero lapso.

Gregorius, Venantio Episcopo Lumensi. Accedens ad Gorgonam insulam fraternitas vestra discutiat id quod ad nos de Saturnino expresbytero est perlatum. Peruenit namque ad nos, quia postquam pro crimine lapsus sui, à sacerdotij ordine est dejectus, ad explendum ministerium sacerdotij præsumpsit accedere, & omnipotenti Deo hostias immolare. Quod si ita factum fraternitas vestra repererit, eum sacri corporis & sanguinis Domini participatione priuatum, in pœnitentiam redigat: ita vt vsque ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodo in die exitus sui percipiat. Sin autem eum fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognouerit, vt ei iustè ad recipiendam inter laicos communionem etiam ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate.

Mense Octobri, Indictione Decimatertia.

EPISTOLA VI.

De Manichæis comprimendis, & de tollendis pensionibus Iudæis impositis, vt ad fidem Christi facilius cõuertantur.

Sup. lib. 2. ep. 56. Ind. X. li. 1. ep. 4. lib. 6. ep. 19.

Gregorius, Cypriano Diacono & Rectori patrimonij Siciliæ. De Manichæis qui in possessionibus nostris sunt, frequenter dilectionem tuam admonui, vt eos persequi summoperè debeat, atque ad fidem catholicam reuocare. Quòd si tempus exigit, per te, si autem pro causis alijs non licet, per alios soleter inquire. Peruenit ergo ad me, esse Hebræos in possessionibus nostris, qui conuerti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi vt per omnes possessiones in quibus ipsi Hebræi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quòd quicunque ad verum Dominum Deum nostrum Iesum Christum ex eis conuersus fuerit, onus pensionis eius ex aliqua parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, vt si quis ex eis conuersus fuerit; si solidi pensionẽ habet, tremissis ei relaxari debeat: si tres vel quattuor, vnus solidus relaxetur. Si quid amplius, iam iuxta eũdem modum debet relaxatio fieri, vel certè iuxta quod dilectio tua præuidet: vt & ei qui conuertitur onus releuetur, & ecclesiastica vtilitas non graui dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro leuandis pensionum oneribus, eos ad Christi gratiam perducamus: quia etti ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, iam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur. Et ideo non est graue quicquid de pensione pro Christo dimittimus. Præterea ante hoc tempus Ioanne subdiacono veniente, mihi tua dilectio aliqua scripsit, quæ omnia hora eadem relegens, multos dies interposui, & post multorum dierum moram tanquam in memoria retinens quæ legeram, ad singula respondi. Sed nunc, vt arbitror, vnum mihi capitulum excidit: & de eo suspicor nihil respondisse. Scripseras enim, vt mutui solidi rusticis per manus quorundam debiti conductorum darentur, ne tollentes ab alijs, aut in angarijs, aut rerum precijs grauarẽtur. Quod capitulum mihi gratissimum fuit. Et siquidem iam scripti, ea serua quæ scripta sunt. Si autem ex eo, vt suspicor, minimè aliquid rescripsi, commonitione certa dandos solidos pro vtilitate rusticorum non debes immorari: quando & res ecclesiastica non perit, & ex ea vtilitas rusticorum leuatur. Sed & alia si qua sunt, quæ vtilia esse consideras; omni ambiguitate postposita debes exhibere.

Ioann. Diacon. li. 2. c. 44.

Hebræi quo pacto ad fidem perducendi.

EPISTOLA VII.

Ordinationem Ioannis Episcopi Apostolica auctoritate confirmatam.

Sup. li. 1. ep. 43. Ind. 9. li. 4. ep. 53.

Gregorius, Vniuersis episcopis per Illyricum. Et nobis confert de sollicitudine vestra lætitiam, & fraternitatem vestram de sua reddit ordinatione securam, si antiquæ consuetudinis ordo seruatur. Quia ergo ex epistolis, quas ad nos per Maximianum presbyterum, & Andream diaconum direxistis, in persona Ioannis fratris & coepiscopi nostri consensum omnium vestrum & serenissimi principis conuenisse cognouimus voluntatem; magna nos exultatio habuit: talem Deo auctore ad sacerdotij officium fuisse prouectum, qui dignus cũctorum est electionis iudicio comprobatus. Proinde iuxta postulationis vestræ desiderium, prædictum fratrẽ & coepiscopum nostrum in eo in quo est sacerdotij ordine constitutus, nostri assensus auctoritate firmamus: ratamque nos eius consecrationem habere, dirigentes pallium indicamus. Cui quoniam iuxta morem nostras vices cõmissimus peragendas, ideo fraternitatem vestram necessariò præuidimus adhortandam, quatenus ei in his quæ ad ordinem Ecclesiasticum, rectitudinemque pertinent disciplinæ, siue in alijs quibus canonum decreta non obstant, parere nullo modo differatis: vt caritatem vestram sincero eum iudicio elegisse, exhibita valeat obedientia declarare.

EPISTOLA VIII.

De vsu pallij, & cura pastorali diligenter exhibenda.

Sup. ep. 7. & 10. hoc l. li. 7. & li. 10 ep. 33. Ind. 5.

Grat. d. 63. c. Quia

G *Regorius, Ioanni Episcopo primæ Iustinianæ Illyrici.* Manifestum bonitatis esse liquet indicium, in vnius electione cunctorum conuenire consensum. Quia igitur susceptа fratrum & coepiscoporum nostrorum relatio, ad locum vos sacerdotij totius concilij vnito consensu, & sereniſſimi principis voluntate declarat accersiri ; gratias omnipotenti Deo creatori nostro magna cum exultatione retulimus: qui vitâ actusque vestros ita de præteritis fecit esse probabiles, vt omnium vos, quod est valde laudabile, faceret placere iudicio. Quibus nos quoque in personam fraternitatis tuæ per omnia consentimus. Atq; omnipotentem Dominum deprecamur, vt caritatem vestram sicut sua gratia elegit, ita in omnibus sua protectione custodiat. Pallium verò ex more transmisimus, & vices vos Apostolicæ sedis agere iterata innouatione decernimus: admonentes vt ita vos circa subiectos debeatis exhibere placabiles, vt rectitudinem vestram diligere prouocentur potius quam timere. Quorum si culpa fortè poposcerit, ita excessus emendare curabitis, vt paternum affectum de nimo nullo modo relinquatis. Estote in custodia cõmissi gregis vigilantes atq; solliciti, & disciplinę zelo districti, ne lupus insidiãs, nec ouile turbare Dominicũ, nec nocere ouib. aliqua fraudis occasione præualeat. Animarum lucrum Deo nostro tota mentis intentione ferre festinate : nomen nos pastoris non ad quietem , sed ad laborem suscepisse, cognoscite. Exhibeamus ergo in opere quod signamur in nomine. Sacerdotij prærogatiuam si recta consideratione pensemus, sollicitis & benè gerentibus in honore, negligentibus autem profectò erit in onere. Sicut igitur laborantes, & circa animarum salutem sollicitos hoc nomen ante Deum æternam ducit ad gloriam; ita desides ac torpentes vrget ad pœnam. In lingua vestra vitam esse aliam plebs commissa agnoscat. Sit illis fraternitatis vestræ doctrina, gratus coercitionis stimulus, & vita imitationis exemplum. Quid enim diligere, & quid timere debeant, caritatis vestræ sermo prædicationis aperiat, fructũ efficacia vestra æternæ huiusmodi retributionis acquiras. Inter hæc verò & huiusmodi ista vos principaliter deliberationis cura constringat, ne vnquam ordinationes facere tentetis illicitas, sed si quos ad clericatus ordinem vel potiorem fortè gradum promoueri contigerit, non præmijs aut precibus, sed meritis ordiñentur. In nulla ordinatione fraternitati vestræ commoda quolibet modo surrepant, ne laqueis Simoniacę, quod absit, hæreseos illigetur. Quid enim prodest homini, si cut veritas docet, si totum mundum acquirat, & suæ faciat animæ detrimentum? Vnde necesse est , vt Deum in omni quod gerimus attendamus, peritura & temporalia contemnamus, atque ad æternitatis bona cordis desiderium dirigamus. Xenia autem vestræ sanctitatis susciperе omnino nolueram: quia valde esset incongruum, vt à prædatis atque afflictis fratribus munera percepisse videremur. Sed responsales vestri alio me argumento vicerunt, ad eum illa deferentes, à quo non possent oblationes vestræ fraternitatis repelli. Illud enim vobis præ omnibus studendum est, vt venturo iudici animarum, sicut prædiximus, non peritura munera procuretis, quatenus & vos de vestra mercedis operatione, & nos pariter de nostra adhortatione respiciat.

Epiſcopus Iustinianæ Ecclesiæ vices gerit Sedis Apostolicæ.

Ordinationes quomodo fieri debeant

Matt. 16.

EPISTOLA IX.

De ministeriȳs Alirienſis Ecclesiæ recipienda.

Sup. li. 2. ep. 1. Ind. 12.

G *Regorius, Petro notario in Sardinia.* Ministeria Ecclesiæ Alirienſis, quæ secum Syllacium quondam Episcopus Seuerinus detulerat, præsentium sibi portitores restitu postulant. Quia ergo res Ecclesiasticæ cauta debent sollicitudine præmuniri, hoc vobis visum est, vt in eadem Ecclesia seu ciuitate, episcopus cui ministeria ipsa tradi possint, debeat ordinari. Sed quoniam Leonem archidiaconum, alioſque clericos eiusdem Ecclesiæ illic esse commemorant : experientiæ tuæ præcipimus, quatenus eos ad suam Ecclesiam proficiſci, ac eligere ordinandum Episcopum tibi commoneat : vt dum Deo illic fuerit propitio consecratus , ipse Ecclesiæ suæ res sine aliqua ambiguitate recipiat.

EPISTOLA X.

De obedientia maioribus exhibenda.

Sup. ep. 8. h. lib. & li. 10. ep. 33.

Hicentio Illyrico primæ Iustinianæ episcopo subrectus. ep. 15.

G *Regorius, *Felici Episcopo Sardicæ.* Qualiter obedientia vel sit reuerentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subiectis ipse non ambigis. In qua re valde est vtile, si id quod diseruauerit. Peruenit itaque ad nos, quod fraternitas tua Ioanparere despiciat, & nec decreto eius, nec relationi , quam ad nos direxit, iuxta consuetudinem voluisse subscribere. Quod si ita est, contristamur : quia superbiæ de te manifestum præbes indicium. Quòd quàm sit, præcipuè in sacerdote, culpabile, diuinæ clamant admonitionis eloquia. Propterea hortamur, vt mentis tumore depositо , ordinatori tuo antedicto fratri, & coepiscopo nostro humilem te exhibere, ac parere nõ desinas: quatenus & Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia , & alij de te sumant bonitatis exemplum. Nam si (quod non credimus) te in superbia permanere contigerit, districtam canonicamque disciplinæ correctionem, contumaciæ tuæ nos scito vlciscenter imponere. Benè ergo facis, talem te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse canonica coercitione exigente compelleris. Nam nec tibi denuò post nostram admonitionem, licebit ad tuæ voluntatis arbitrium contra morem maioribus tuis inobedientem existere, nec tantæ nos indisciplinationis Ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam.

EPISTOLA XI.

De vsu pallij.

Sup. li. 1. ep. 55. li. 2. ep. 22. 28. 32. 51. 55. hoc lib. inf. ep. 25.

G *Regorius, Ioanni Episcopo Rauennati.* Fraternitatem vestram valde inuenio contristatam, pro eo quod in letanijs indu ere pallium rationis censura prohibetur. Sed per excellentissimum Romanum patricium, & per eminentissimum præfectum, atque per alios ciuitatis suæ nobiles viros importunè expetit, vt hoc debeat concedi. Nos autem sollicitè requirentes ab Adeodato diacono quondam fraternitatis tuæ cognouimus, quia nunquam consuetudo fuerit decessoribus tuis, vt in letanijs pallio nisi in solennitate beati Ioannis Baptistæ, & beati Petri Apostoli, & beati martyris Apollinaris vterentur. Cui quidem nequaquam credere debuimus , quia nulli apud ciuitatem fraternitatis vestræ responsales sæpius fuerunt, qui se fatentur tale aliquid nunquam vidisse. Et hac de re multis potius credendum est, quam vni pro sua Ecclesia aliquid atteſtanti. Sed quia nos fraternitatem vestram contristari nolumus , & petitionem filiorum nostrorum apud nos minime frustari: vsum pallij, donec subtilius veriusque aliquid cognoscamus, in letanijs solennibus, id est, die natalitio beati Ioannis Baptistæ, & beati Petri Apostoli, & beati Apollinaris martyris , atque in ordinationis vestræ celebratione concedimus. In secretario vero secundum morem præstinum susceptis ac dimissis Ecclesiæ filijs, induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad missarum solennia ita proficiſci, & nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare: ne dum in exteriori habitu inordinatè aliquid arripitur, ordinatè etiam quæ licere poterant adimantur. Dat. mense Octobris, Indict. 13.

Palliũ in letanijs non debet deferri.

EPISTOLA XII.

De visitatione Agrigentinæ Ecclesiæ.

Tricala Agrigentina vicina vrbi. Plinius 3. c. 8.

G *Regorius, Petro Episcopo Tricalitano.* Quoniam Agrigentinæ Ecclesiæ à nobis fraternitati tuæ visitationis commissa est cura, laboribus tuis aliquid ex ea vtile prospeximus consulẽdum. Propterea Maximiano fratri & coepiscopo nostro scripsimus, vt quartam, quam eiusdem Ecclesiæ Episcopum

opor-

oportebat accipere, à die visitationis tuæ vel quousque illic eam solicitudinem gesseris, tibi debeat applicare. Vnde fraternitatem tuam necesse est mente sollicita cogitare, vt cuius fructus Ecclesiæ percipit, operam studeat solerter impendere, atque ad Deum illic animas congregare, prauos ab iniquitate compescere, & incipientes bona opera, verbo exhortationis nutrire, memor quod de Ecclesia vniuersali dictum est: panem ociosa non comedit.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

Visitationem Capuanæ iniungit Ecclesiæ.

Gregorius, Gaudentio episcopo Nolano. Quoniam Festus Capuanæ Ecclesiæ Episcopus, in Romana ciuitate positus, de hac luce migrauit, curæ nobis fuit, quæ vniuersis Ecclesijs à nobis impenditur, ad fraternitatem tuam præsentia scripta dirigere; vt memoratæ Ecclesiæ visitator accedas: sic tamen vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque vel quicquid præfati loci esse patuerit, à quoquam præsumi patiaris: sed omnem vigilantiam atque cautelam circa clerum plebemque eiusdem Ecclesiæ exhibere te conuenit, vt in vigilijs obsequioque Ecclesiastico sedulò ac deuotè debeant deseruire: quatenus fraternitatis tuæ instantia atque adhortatione tales se in seruitio diuino exhibeant, vt irreprehensibile eorum valeat obsequium reperiri.

EPISTOLA XIV.

De visitatione Ecclesiæ Capuanæ Gaudentio commissa.

Gregorius, Clero Ecclesiæ Capuanæ degenti Neapoli. Quoniam Festus Capuanæ Ecclesiæ Episcopus hic positus de hac luce migrauit, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri & coepiscopo nostro Gaudentio Nolanæ ciuitatis Episcopo solenniter delegare, cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque à quoquam vsurpari patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire: quatenus in ecclesiastico obsequio, atque in Dei laudibus vigilanti debeatis cura persistere, moresq; vestros sub digna Ecclesiastici regiminis disciplina componere. Nec quisquam vestrum eius audeat præceptionib. obuiare, sed omni tam Ecclesiastica obseruatione, quam etiam Ecclesiæ vestræ custodia, eius prouisionibus obedientiam exhibere: quatenus dum eius regimini vestra fuerit obedientia commodata, & Ecclesiæ vestræ in nullo negligatur vtilitas, & eius sit cura propensior.

EPISTOLA XV.

Ne irrisorio sermone obloquatur, aut scribat, & de inordinato vsu pallij, & cura pastorali, alijsq; quamplurimis.

Gregorius, Ioanni Episcopo Rauennæ. Primum me hoc contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit, & alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua sæculariter ostendit. Deinde graue mihi est, quia trrisiones illas quas habere notarij adhuc pueri solent, vsque hodie frater meus Ioannes in lingua sua retinet. Mordaciter loquitur, & quasi de tali astutia lætatur. A micis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertiò graue mihi & omnino execrabile est, quia seruis suis qua hora furit, turpia crimina imponit, vt effeminati, & adhuc grauiter hoc apertius vocentur. Post hoc accessit quod disciplina ad vitam clericorum custodiendam nulla est: sed tantummodo se clericis suis dominum exhibet. Vltimum verò est, quòd tamen pondere elationis primũ est: scilicet de vsu pallij extra Ecclesiam. Quod decessorum meorum temporibus facere nunquam quisquam præsumpsit: nunquam à decessoribus eius præsumptum est, sicut responsales nostri testantur, excepto si reliquiæ conderẽtur. Quod tamen de reliquijs, vnus tantummodo potuit inueniri, qui meis diebus in despectum meum cum summa audacia nõ solum faciebat, sed etiam frequentabat. Ex quibus omnibus inuenio, quia honor Episcopatus vestri totus foris ostensione est, non in mente. Et quidem omnipotenti Deo gratias ago: quia eo tempore quo ad me hoc peruenit, quod ad aures decessorum meorum nunquam peruenerat, Longobardi inter me & Rauennatem ciuitatem positi fuerant. Nam ostendere forsitan hominibus habui, quantum scio esse discretus. Ne autem credas quia ego Ecclesiam tuam in aliquo grauari aut minui volo; recordare in missarum Romanarum solẽnibus, vbi Rauẽnas diaconus stabat, & require vbi hodie stat, & cognosces quia Ecclesiam Rauennatem honorare desidero. Sed vt quicunque quodlibet ex superbia arripiat, hoc ego tolerare non possum. Tamen hac de re iam diacono nostro Constantinopolim scripsi, vt per omnes qui sub se etiam tricenos & quadragenos episcopos habent, inquirere debeat. Et sicubi iste vsus est, vt in letanijs cum pallijs ambulent; absit vt per me Rauennatis honor Ecclesiæ in aliquo imminui videatur. Hæc ergo omnia, quæ superius dixi, frater charissime, recogita, diem tuæ vocationis attende, quas rationes de sarcina Episcopatus redditurus es, cogita atque considera. Emenda illos mores notarij. Vide quid in lingua, quid in actu Episcopum deceat. Esto totus purus. Fratribus tuis non aliud loquaris, & aliud in corde habeas. Nec appetas vltra videri quam es, vt possis vltra esse quam videris. Crede mihi, quando ad hunc locum veni, tantæ deliberationis fui, tantæque caritatis circa fraternitatem tuam, vt si eandem caritatem meam custodire voluisses, adhuc talem fratrem, sicque te purè diligentem, tibique omni deuotione concurrentem, nunquam inuenires: sed cognitis verbis ac moribus tuis, fateor, resilui. Rogo ergo per omnipotentem Deum, emenda omnia illa quæ præmisi, maximè duplicitatis vitia. Permitte me amare te, & ad præsentem, & ad futuram vitam vtile tibi esse poterit, vt à tuis fratribus ameris. Adhæc autem mihi non verbis, sed moribus responde.

Sup. ep. 10 h. l. & ep. 54.

EPISTOLA XVI.

De lapsu presbyterorum, diaconorum, & subdiaconorum

Gregorius, Venantio Episcopo Lunensi. Relectæ textus, quam fraternitas tua direxit epistolæ, sollicitudinem tuam diligenter innotuit: sed cognita nos corporis tui molestia cõtristauit. Verumtamen Dominica patienter debent sustineri flagella. Nam frequenter ad emendationem ægritudo conceditur. Et hoc ante Deum hominem purgatum statuit, quòd in hac illum ad præsens vita contristat. Vnde necesse est vt creatori nostro etiam in infirmitate positi gratias referamus, & vt in illa nobis vita castigatio ista proficiat exoremus. Præterea ad fraternitatis tuæ consulta respondentes, statuimus diaconum & abbatem de portu Veneris, quem indicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere vel posse vllo modo reuocari. Quem quidem sacro ordine priuatum, in pœnitẽtiam deputare te conuenit. Cuius si postea actus, conuersatioque meruerit, priorem inter alios monachos, vbi tu tamen decreueris, standi locum obtineat. Subdiaconi quoque, quos similis culpa constringit; ab officio suo irreuocabiliter depositi, inter laicos communionem accipiant. In portu autem Veneris loco lapsi diaconi, alium qui hoc officium implere debeat, ordinabis. Saturninum verò expresbyterum, vt nunquam ad sacri ordinis ministerium prẽsumat accedere, scriptis cauere decreuimus. Sed eum in insula Gorgona atq; Capraria solicitudinem de monasterijs gerere, & in eo in quo est statu, sine cuiusquam aduersitate manere permittimus. Fraternitas ergo tua commissos sibi vigilanti cura custodiat, à malis actibus sua, vt valet, prædicatione corripiat, quatenus & officij sui inueniatur, sicut decet, implere propositum, & Deum sibi retributorem suæ faciat actionis existere. Nos verò omnino vos videre cupimus, atque in Deo de vestra præsentia & salute gaudere. Vestem verò ei, quæ baptizanda est, direximus, atque vt nobis talia scribatis, semper optamus. Codicem verò regulæ pastoralis domno Columbo presby-

Sup. ep. 5. h. l. & l. 3. ep. 21. inf. l. 7. ep. 6 Ind. 1.

Dist. 50. c. 10. §. præterea Iuo. p. 6. c. 83.

Sup. ep. 5. & ep. seq. 17.

Vestis baptizandorum.

Regulę pastoralis liber.

tero transmittendum per harum portitorem direximus, quē vos nolite detinere. Nam vlui vestro alium sub celeritate transmittemus.

EPISTOLA XVII.

De his qui depositi sunt quomodo ad pœnitentiam deputentur.

Sup. l. 3. ep. 1. 2. 3. 37. 38. Ind. 12. lib. 4. l. 6. ep. 14.

G *Regorius, Constantio Episcopo Mediolanensi.* Si lapsis ad suū ordinem reuertendi licentia concedatur, vigor canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum pro reuersionis spe praue actionis desideria quisque cōcipere non formidat. Fraternitas siquidem vestra nos consulit, si Amandinus ex presbytero & Abbate, qui à suo est decessore culpa exigente depositus, in eo quo fuerat ordine constitutus, debeat reuocari. Quod quidem nec licet, nec fieri posse aliqua ratione decernimus. Eius tamē si conuersio fortè meruerit, sacro per omnia sicuti est priuatus officio in monasterio eum ante alios vt præuideritis monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus studete, vt lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquomodo reuocare suadeat, ne huiusmodi non stabilita, sed temporalitet dilata credatur eis esse vindicta. Vitalianum verò expresbyterum, de quo scribitis vt districtè debeat custodiri, in Siciliam dirigi faciemus, vt spe discedendi sublata, in pœnitentiæ se saltem tunc lamenta constringat. Iobinum quoque de portu Veneris quondam diaconum & & abbatem suo decreuimus priuandum officio, atque vt alter in eius loco debeat ordinari, scripsimus. Similiter etiam & tres subdiaconos, quos fraternitas vestra lapsos innotuit, à suo semper vacare, ac decernimus priuatos officio, quibus nihil aliud quam inter laicos sacra est præbenda communio. Saturninum verò expresbyterum ne ad sacri ordinis ministerium præsumat vnquam accedere, deputauimus facere cautiorem. Eumque in eadem qua fuerat insula cum sacri ordinis priuatione volumus permanere, permittentes ei curam & sollicitudinem de monasterijs habere vel gerere, quē & ex suo lapsu cautiorem factum, eum credimus commissos sibi iam nunc sollicitius custodire. De Ioanne autem ecclesiæ vestræ notario caritas, qua vos diligimus, olimque dileximus, vt scriberemus admonuit, ne dum eius culpa prouocat, aliquid quod ad peccatum pertinet, fieri mandaretis. Hoc ergo cauentes, Ecclesiæ vestræ res subtiliter modis sic quibus potueritis inquirite, vnde nec Deum offendatis, nec ille vos vnde apud homines accuset, valeat inuenire. Nam nos Ioannem non defendendo, vel contra rationem commendando eius personā, sed ne vestra magis anima, stimulante furore, in aliquo grauaretur, scripsimus. Vnde necesse est vt sicut præfati sumus, Ecclesiæ vestræ res subtili inuestigatione cum Dei timore perquirere minimè negligatis. Præterea multum nos de Fortunati persona carissimæ fraternitatis vestræ mirari fecit epistola. Sed aut à vobis minimè scripta ipsa dictata sunt, aut certè si vestra sunt, nos in eis fratrem nostrum Domnum Constantium nequaquam agnoscimus. Debuistis etenim & adhuc debetis attendere, quia pro vestra est opinione quod scribimus. Nam dum illic se prædictus Fortunatus violentiam sustinere, nec defensoris auxilio muniri potuisse commemorat, quid aliud nisi vestram attingit inuidiam? Ergo vt nec opinionem vestram hæc res apud quosdam obfuscet, nec Ecclesiæ vestræ possit fieri in aliquo, si bona causa est, detrimentum: instructam huc debetis mandare personam, vt causæ qualitas trutinata, sine vestra possit inuidia terminari: quoniam præsertim post eius querelam, si illic pro vestris partibus fuerit dicta sententia, non rationabiliter, sed sola potestate credetur superatus. Nos verò pro caritate qua vobis adstringimur, quæ pro opinione vestra sunt, vt facere debeatis, non desistimus admonere. Scientes quia etsi vos ad tempus adhortatio ista contristat, postea tamen deposita contentionis intentione lætificat.

Mense Decembri, Indictione Decimatertia.

EPISTOLA XVIII.

De Speciosopresbytero, & ne sanctimonialibus ad sæculum reuersis auxilium præbeat.

Sup. lib. 1. epist. 32. li. 2. ep. 32.

G *Regorius, Romano Exarcho per Italiam residenti Rauenna.* Apud excellentiam vestram prauorum audacia correptionis debet aculeos, magis quā defensionis inuenire solatium. Nam satis graue est, si illic habere prauam cōtingat actionem refugium, vnde disciplinę decet prodire censura. Peruenit itaque ad nos, Speciosum quendam presbyterum, qui causa poscente in monasterio à Ioanne fratre & coepiscopo nostro fuerat deputatus, contra sui pastoris exinde voluntatem exijsse, & Ecclesiasticæ constitutionis vigore despecto, antedicto episcopo, vestra fretum tuitione, resistere. Quod quia excellentiæ vestræ sine dubio pulsat inuidiam, necesse est vt ab eius vos, habita discretione, debeatis tuitione suspendere: ne si nominis vestri occasione pastori suo inobediens vel contumax fuerit, ad tempus & vestros contra vos iudices defensare, atque excellentiam vestram hac ex re cogatur offendere, & nos pariter de vestra discordia contristare. Comperimus præterea, quod dici nefas est, quasdam mulieres, quæ nuncusque in religioso atque monachico habitu permanserunt, sacram vestem & suam velaturam deponere, & coniugibus (quod sine graui referre non possumus dolere) sociari. Sed hoc quidem vt facere vel attentare præsumant, fauoris vestri patrocinio fulciri dicuntur: quod nos credere peruersitatis ipsius acerbitas non permittit. Petimus ergo vt in tanto vos peccato miscere nullatenus debeatis. Nam huiusmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo patimur remanere. Vnde iterū quæsumus, vt excellentia vestra in talium se causarum defensione non misceat, ne & Deus suam defendat iniuriam, & inter nos aliorum pariat culpa discordiam.

Sacramonialium vestis.

Mense Februario, Indictione decimatertia.

EPISTOLA XIX.

Sup. l. 2. epist. 51. inf. li. 5. ep. 4. li. 6. ep. 19.

De obitu Maximiani, & de Episcopo eligendo.

G *Regorius, Cypriano Diacono.* Amarissimas tuæ dilectionis epistolas de domni Maximiani obitum mense Nouembris susceptas. Et quidam ille ad præmia desiderata peruenit, sed infelix populus Syracusanæ ciuitatis lugendus est, qui pastorem talem diu habere non meruit. Proinde dilectio tua sollicitudinem gerat, vt in eadem Ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post domnum Maximianum eiusdem regiminis locum non videatur immeritò sortiri. Et quidem credo quod Traianum presbyterum maxima pars eligat, qui, vt dicitur, bonæ mentis est: sed quantum suspicor, ad regendum locum illum, idoneus non est. Tamen si melior inueniri non valet, & ipse nullis criminibus tenetur inuolutus, condescendi ad eum cogente nimia necessitate potest. Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secreto indico quod volo: quia nullus mihi in eadem Ecclesia post domnū Maximianum tam dignus videtur quam Ioannes archidiaconus Catanensis Ecclesiæ. Qui si fieri potest vt eligatur, credo quod apta valde persona inueniatur. Sed ipse quoque prius de criminibus, quæ impedire possunt, à te secretò requirendus est. A quibus si liber inuentus fuerit, eligi iure potest. Quod si factum fuerit, etiam frater & coepiscopus noster Leo ei cessionem præstare debebit, vt liber ad ordinandum possit inueniri. Hæc ergo dilectioni tuæ indicare curaui: tuæ iam sollicitudinis intererit, vt omnia sollicitè circumspicias, & ea quæ sunt Deo grata, disponas.

EPISTOLA XX.

Visitationem Ecclesiæ Rauennatis commendat.

GRegorius, *Seuero Ficulino Episcopo.* Obitum Ioannis antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus: quam ita te conuenit exhibere nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque, vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem à quoquam præsumatur Ecclesiæ, &c. secundum modum præhabitum.

EPISTOLA XXI.

De visitatore Seuero.

GRegorius, *Clero, Ordini & Plebi consistenti Rauennæ.* Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit visitationé destitutæ Ecclesiæ fratri & coepiscopo nostro Seuero Ficulino solenniter delegare, cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque à quoquam vsurpari patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire, &c. secundum morem habitum.

EPISTOLA XXII.

De obitu Theodori, & alio episcopo eligendo.

GRegorius, *Cypriano Diacono.* Obitum Theodori Episcopi dilectionem tuam iam credimus cognouisse. Sed quia ipse testamentum dicitur condidisse, subtiliter ne quid de rebus Ecclesiæ suæ cõsumpsisset, te oportet inquirere. Et siquidé eũ exinde aliquid incongruè minuisse didiceris; ita age, vt res ipsæ ab eo, cuius interest, modis omnibus reparentur. Clerum verò & populum loci ipsius admonere te conuenit, vt omni dilatione postposita, eligant qui sibi reuelante Deo debeat Episcopus ordinari.

EPISTOLA XXIII.

Ne ob pecunias quisquam eligatur ad sacerdotium, sed ob merita.

GRegorius, *Castorio Notario.* Nimis nos Ioannis fratris & coepiscopi nostri mors cognita contristauit: maximè quod ciuitas illa hoc tempore amisit pastoralis curæ solatium. Quia igitur plurimæ vtilitates exposcunt, vt in Ecclesia ipsa sacerdos sine mora Christo auctore debeat ordinari; ideo experientiæ tuæ præcipimus, quatenus clerum & populum omni instantia studeat adhortari, vt consecrandum sibi non differant eligere sacerdotem. Quos tamen & præ omnibus admonere volumus, vt in generali causa vtilitates proprias non attendant. Nulla ergo sit in hac electione venalitas, ne dum præmia appetunt, virtutem discretionis amittant: & illum dignũ ad hoc esse arbitrentur officium, qui non meritis sed datione placuerit. Specialiter enim & absolutè cognoscant, quia non solum indignus est sacerdotio, sed & alijs profectò erit culpis obnoxius, quisquis Dei donum precij præsumpserit venali tate mercari. Non itaque largus præmijs, sed dignus meritis eligatur. Nam & electum & eligentes par pœna respiciet, si sacerdotij sinceritatem mente sacrilega violare tentauerint. Sive autem vnus, siue duo electi fuerint, quinque de prioribus presbyteris, & quinque de præcedentibus diaconibus simul venire ad nos per omnia commoneto. De clericis verò præter eos, qui venire deliberant, si quos alios præsentes esse necessarios æstimas, ad nos sine mora transmitte, vt ad ordinandam Dei Ecclesiam, nec excusatio, nec aliqua possit præuenire dilatio.

EPISTOLA XXV.

Vt renunciet si fortasse de sacerdotibus quidquam indignum audierit, & de Valerio monacho.

GRegorius, *Castorio Diacono.* Quædam ad nos de Pisaurensi episcopo perũenerunt, quæ indiscussa nullo modò sunt relinquẽda. Propterea experientiæ tuæ præcipimus, vt de vita & actibus ipsius subtili indagatione studeat perscrutari. Et si quid fortasse repererit, quod sacerdotij, quod absit, integritatem valeat maculare, ad nos eum cum scriptis tuis de his quę in veritate cognoueris, omnimodo sub competenti cautela transmitte: vt informati Deo reuelante subtilius veritatem, quid fieri debeat, pertractemus. Non solum autem de eo, sed & de aliorum quoque sacerdotum te vita conuenit esse sollicitum. Etsi de quolibet siniſtrum quippiam sentire potueris, nobis renunciare festina, vt actuum prauitas salubriter cũ Dei solatio debeat emendari. Peruenit quoque ad nos, Adeodatum quendam ciuem Pisaurensem filio atque vernaculo suo de quibusdam hæredibus institutis, Thomam deputasse tutorem: hanc conditionem adijciens, vt si fortè hæredes ipsius in pupillari ætate de hac vita transirent, omnis eius substantia per manus antedicti tutoris debuisset pauperibus erogari. Sed ab ijs qui hæredes fuerunt instituti, ne defuncti possit voluntas impleri, suprascriptus tutor dicitur impediri. Propterea si sicut edocti sumus, ita esse in veritate compereris, curæ atque sollicitudinis tuæ sit, antedictum tutorem rationabiliter tueri, atque defendere, vt quæque sibi iniuncta sunt, valeat effectui mancipare. Sed quoniam dicitur, eundem tutorem velle aliquid in diaconia, quæ ibidem constituta est, emere, summoperè ei solatiari festina, vt ea quæ mercedis intuitu pijs causis relicta sunt, te concurrente sine cuiusquam possint impedimento compleri. Valerianum verò monachũ quem emendatum in monasterio beati Ioannis in classe posito tradidisti, in eodem eum monasterio sine dubio volumus permanere. Præterea ne quam necessitatem in expensis tua experientia patiatur, de redditibus sanctæ Rom. Ecclesiæ, qui illic te prouidente aggregati sunt, omnes expensas tuas te facere volumus. Et si quid superfuerit, nobis cum veneris, defer.

Sup. epist. 23. inf. ep. 53. l. 5.

Ioan. diac. 2. c. 55.

EPISTOLA XXV.

Dat sibi potestatem vt munus defensoris accipiat.

GRegorius, *Vincomali Defensori.* Ecclesiasticę vtilitatis intuitu id in nostro sedit arbitrio, vt si nulli conditioni vel corpori teneris obnoxius, nec fuisti clericus alterius ciuitatis, aut in nullo tibi canonum obuiant statuta, officium Ecclesiæ defensorum accipias: vt quicquid pro pauperum commodis tibi à nobis iniunctum fuerit, incorruptè & viuaciter exequaris, vsurus hoc priuilegio, quod in te habita deliberatione cõtulimus, vt omnibus, quæ tibi à nobis fuerint iniuncta complendis, operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis sub Dei nostri iudicio rationem. Hanc autem epistolam Paterio notario Ecclesiæ nostræ subscribendam dictauimus.

Inf. l. 9. ep. 22.

Mense Martio, Indictione Decimatertia.

EPISTOLA XXVI.

Vt Capuanis clericis Neapoli degentibus quartam impendat.

GRegorius, *Gaudentio Episcopo Nolano.* Qui Ecclesiasticis famulantur obsequijs, Ecclesiastica, vt possibilitas exigit, debent adipisci subsidia. Proinde fraternitatem tuam præsentibus hortamur affatibus, vt clericis Capuanæ Ecclesię, qui in ciuitate Neapolitana consistunt, quartam in presbyterum eorum de hoc quod ante Ecclesiæ singulis annis accesserit, iuxta antiquam consuetudinem distribuere secundum

Sup. epist. 13. & 14. h. l.

per-

personarum studeat qualitatem: quatenus aliquod stipendiorum habentes solatium, ministerium officiúq; suum circa eádem Ecclesiam deuotiori mente prouocentur impendere. Præterea decem solidos, quos rustico Archiacono suo Festus quondam Episcopus suprascriptæ Ecclesiæ abstulit, fraternitas tua omni cessante ambiguitate restituat: quia in tantam dicitur eum pauperiem peruenisse, vt conferendum illi potius esset quam aliquid ab eo auferendum. Durum enim est & procul à sacerdotis officio, & personam positam sub necessitate negligere, & studio congregandi indecenter inhiare pecunijs.

S. Bonau. li.1.c.20. Phar.

EPISTOLA XXVII.

De Cicerone Monacho lapso.

Lib. 2. ep. 56. Ind.10. lib.4.ep 6 l.5.ep. 4. l. 6.ep. 19. inf.l.12.ep. 13.

Ioan.diac. 3.c.11.

GRegorius Cypriano Diacono. Benenatus frater & coepiscopus noster, Ciceronem quendam monachum, qui pro suis excessibus à dilectissimo filio nostro diacono Petro, tunc autè subdiacono & rectore patrimonij nostri, est in pœnitentia deputatus, iuris Ecclesiæ suæ famulum esse perhibet, eumque sibi cum rebus suis postulat debere restitui. Necesse est ergo vt dilectio tua studiosè perquirat. Et si ita verum esse constiterit, suprascriptum Ciceronem cum rebus suis, quæ apud Fantinum defensorem dicũtur esse depositæ, dominio Misenatis Ecclesiæ sine aliqua dilatione restitue, vt postquam à monachica conuersatione culpæ lapsu se abripuit, iugum domini sui, quod euadere in conuersatione permanens poterat, recognoscat.

Mense Maij, Indictione decimatertia.

EPISTOLA XXVIII.

Sup.ep.27 Inf.lib 5. ep.4.

De Monachis Theodosij abbatis.

GRegorius, Cypriano Diacono. Peruenit ad nos insinuãte Theodosio abbate monasterij S. Martini tres illic in Sicilia monachos, quos pro vtilitate monasterij sui transmiserat, remansisse, & petijt à nobis, vt cum tuo eos solatio in suum debeat monasterium reuocare. Dilectio ergo tua, quæ nos huiusmodi causas zelare valde feruenterque cognouit, eos sollicita faciat indagatione perquiri, & inuentos ad suprascriptum abbatem cui contumaces extiterunt, sub competenti cautela atque districtione transmitti. Esto itaque sollicitus ne regularis districtio vel dilatione aliqua, vel deputatorum remissione lædatur. Præsentium verò portioribus, qui pro agendis eiusdẽ monasterij vtilitatibus à supradicto Theodosio abbate noscuntur esse transmissi, in omnibus te instanter volumus præbere solatia, quatenus te concurrente, rationabiliter quæ sibi iniuncta sunt, valeant explicare. Mancipia autem eiusdem monasterij, quæ prædictus abbas ab hominibus Ecclesiæ nostræ indebitè perhibet detineri, necesse est te modis omnibus perscrutari. Et si ita repereris, sine aliqua ea facito dilatione restitui.

EPISTOLA XXIX.

Lib. 7. ep. 61.

Vt persuadeat Exarcho cum Agilulpho Rege Longobardorum pacem inire.

Munus Scholastici quale.

GRegorius, Seuero Scholastico Exarchi. Qui assistunt iudicibus, & sinceris erga eos dilectionibus obstringũtur, illa eis suadere debent atque suggerere, quæ & animam saluent, & opinioni non derogent. Proinde quoniam nouimus quanta fidei sinceritate excellentissimum Exarchum diligatis; idcirco magnitudini vestræ quæ acta sunt indicare curauimus, vt hæc cognoscentes, ad consentiendum eum rationabiliter prouocetis. Scitote autem quia Agilulphus Longobardorum Rex, generalem pacem facere non recusat, si tamen ei dominus Patricius iudicium esse voluerit. Nam multa sibi in locis suis intra pacis terminum queritur esse commissa. Et quoniam sibi, si ratio iudicantium inuenerit, satisfieri postulat, & ipse quoque se satisfacturum modis omnibus pollicetur, si quid à partibus suis constiterit in pace esse commissum. Quia ergo ratio ni non ambigitur conuenire quod petit, oportet esse iudiciũ, vt si qua ab vtraque parte malefacta sunt, componantur: dum modo generalis pax fiat, atque Deo valeat protegente firmari. Nam qualiter sit nobis omnibus necessaria, benè nostis. Sapienter itaque sicut consueuistis agite, vt excellentissimus Exarchus ad hoc sine mora debeat consentire, ne per eum pax renui, quod non expedit, videatur. Si enim consentire noluerit, nobiscum quidem specialem pacem facere repromittit: sed scimus quia & diuersæ insulę & loca sunt alia procul dubio peritura. Hæc autem consideret, & pacem habere festinet, quatenus in hac saltem dilatione & nos quietem possimus habere ad modicum, & reipublicę resistendi vires adiuuãte domino melius reparentur.

EPISTOLA XXX.

De Epiphanio diacono, & de solidis.

GRegorius, Heliæ presbytero & Abbati prouincia Isauria. Dulcissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, in quibus mihi satisfeciſtis, vt contristari non debeam quòd secundum meum desiderium ad beati Petri Apostolorum principis limina non veniſtis. Et ego quidem omnino vos videre volui: sed si molestia corporis aut ætatis infirmitas obstitit, aut impedimento fuit, hoc mihi sufficit, vt vbicunque tua sanctitas fuerit, pro me sollicitè oret: quia & si locis corpore diuidimur, caritate semper indisiuncti sumus. Euangelia autem sicut mãdastis, transmisimus. Filium verò nostrum Epiphanium mãdastis, vt ad sacrum ordinem proue here deberemus, vobisq; retransmittere. Sed in vno vos audiuimus, in alio autem minimè audire potuimus. Diaconus quidem factus est, sed quisquis semel in hac Ecclesia ordinem sacrum acceperit, egredienti ex ea vlterius licentiam non habet. Si ergo vos videre non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio vestro requiesco. Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus cellæ quinquaginta transmitti, quos multum esse æstimantes, ex eis nobis decem donastis, vt quadraginta mitteremus. Sed ne forsitan vel hoc graue esset, adhuc alios nobis ex eis estis dignati largiri. Sed quia vos valde in continentia nostra benignos inuenimus, eidem benignitati vice simili respondemus. Quinquaginta transmisimus, & ne forsitan minus essent, alios decem superaddidimus. Ne verò & hoc adhuc minus esset, alios duodecim iungi fecimus. In hoc autem cognoscimus caritatem vestram: quia de nobis ita præsumitis, sicut vos præsumere debetis. Sed per omnipotentem Dominum rogo, vt assiduas preces pro nobis facias, quatenus de peccatis in quibus obligatus teneor, & tribulationibus quibus premor, citius absoluar, & patriæ cęlestis gaudijs perfruar. Hoc autem quod pro me qualiter oratis, in epistolis vestris indicastis, cognoscite quia valde me releuauit. Sed iam post petitionem meam amplius facite, quàm etiam me non petente fecistis. Præfatum verò dilectissimum filium meum Epiphanium diaconum, quia huic Ecclesiæ diaconatu interueniente ligauimus, sanctitatem tuam non debet contristare, quod sancto Petro Apostolorum principi, quia per temetipsum corpore non vales, ei per filium tuum ipse deseruias, & lucro cælestis renumerationis perfruaris. Sãcta autem Trinitas te sua protectione custodiat, & in præsentis vitæ eremo à subsequentibus atque obuiantibus hostibus tegat, vt etsi qua sunt vestra præterita peccata relaxet, & ea quæ adhuc, ante faciem veniunt, à vobis manu suæ pietatis amoueat. Ipsa te ducat, & ipsa perducat, atque in æterno gaudio ipsa susciplat. Det tibi ad electorum sortem pertingere, & pro peccatis meis, vt absolui merear, orare.

1.q.1.c.22. Anf.lib.3. c.78.

Diaconus ecclesiæ Romanæ in nulla alia potest ecclesia militare Greg. vi in prin. Ep. ad Rom.

Mense Iunij, Indictione decimatertia.

EPISTOLA XXXI.

Conqueritur se fatuum appellatum, Deinde sacerdotes honorandos, exemplo Constantini confirmat. De plagis quibus affligitur, & de frumentis.

GRegorius, Mauritio Augusto. In serenissimis iussionibus suis dominorum pietas dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit. Nam in eis vrbanè simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. In scriptura etenim sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, vigilanti sæpè prudentiæ atque rectitudini sociatur. Vnde etiam de beato Iob scriptum est: Erat vir simplex & rectus, & beatus Paulus Apostolus admonet, dicens: Estote simplices in malo, prudentes in bono. Et per semetipsam admonet veritas, dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Esse valde inutile indicans, si aut simplicitati prudẽtia, aut prudentiæ simplicitas desit. Vt ergo seruos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos & simplices sicut columbas, & prudentes vt serpentes voluit: quatenus in eis & serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret. Ego igitur, qui in serenissimorum dominorum iussionibus ab Arnulphi astutia deceptus, non adiuncta prudentia simplex denuncior, constat proculdubio quia fatuus appellor: quod ita esse ego quoque ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceat, causæ clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda, quæ inter Longobardorum gladios hoc in loco patior, minimè venissem. In ea autem re, quam de Arnulpho perhibui, quia toto corde venire ad rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed etsi sacerdos non sum: scio grauem esse hanc iniuriam sacerdoti, vt veritati seruiens, fallax credatur. Et dudum noui, quoniam Arnulpho plus est creditum quàm mihi, Leoni amplius est creditum quàm mihi: & nunc eis qui esse ad medium videntur, plus quam meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captiuitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atque irrisione lætus tacerẽ. Sed & hoc me vehementer affligit: quia ego vnde crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorum iugo captiua. Dumque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen pijssimo domino suggero, vt de me mala omnia quælibet existimet, de vtilitate verò reipublicæ & causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facilè pias aures præbeat, sed plus rebus quã verbis credat. Sacerdotibus autem non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquijs aliquando sacerdotes Dij, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Mosen de eo qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: Applica illum ad Deos, id est ad sacerdotes. Et rursum est: Dijs non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et propheta ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum si illos vestra pietas dignetur honore, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij estis, à verò Deo cõstituti. Ite, & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est vt nos iudicemus Deos. In qua tamen sententia pie domine, sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, Deos ligneos, & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani (vt prædiximus) principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt: qui Dijs ligneis & lapideis seruiebant? Hæc ergo pietati dominorum nõ pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccator sum. Et quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantib⁹ quotidie plagis ferior. Et credo, quia eundem omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei malè seruientem districtius affligitis. Multas enim iam plagas acceperam, & superuenientibus dominorum iussionibus inueni consolationes, quas non sperabam. Si enim possum, has celeriter plagas enumero. Primum, quòd mihi pax subducta est, quam cum Longobardis in Tuscia positis sine vllo reipublicæ dispẽdio feceram. Deinde corrupta pace, de Romana ciuitate milites ablati sunt. Et quidem alij ab hostibus occisi, alij verò Narnijs, & Perusij positi, & vt Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga grauior fuit aduentus Agilulphi, ita vt oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos qui intra ciuitatem fuimus, Deo protegente manus eius euasimus: quæsitum est vnde culpabiles esse videremur, videlicet, cur frumenta defuerint, quæ in hac vrbe diu multa seruari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicaui. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientia fateor, aduersa quælibet pati parat⁹ sum, dũmodo hęc omnia cum salute dumtaxat meæ animæ euadã. Sed de gloriosis viris Gregorio præfecto, & Castorio magistro militũ non mediocriter sum afflictus, qui & omnia q̃ potuerũt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarum, & custodiæ ciuitatis, in eadem obsessione vehementissimos pertulerunt, & post hæc omnia graui dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intelligo: quia eos non sua acta, sed mea persona grauat. Cum qua, quia pariter in tribulatione laborauerant, post laborem pariter tribulantur. Quod autem dominorum pietas illud mihi pauẽdum, & terribile omnipotentis Dei iudicium intentat, rogo per eundem omnipotentem dominum, ne hoc vlterius quidem faciat. Nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit. Et Paulus egregius prædicator ait: Nolite iudicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Hoc tamen breuiter dico, quoniam indignus & peccator plus de venientis Iesu misericordia, quam de vestræ pietatis iustitia præsumo. Et sunt multa quæ de iudicio illius homines ignorant, quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet, & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Inter hæc ergo omnia incerta, ad solas lachrymas redeo, petens vt idem omnipotens Deus pijssimũ dominum nostrum, & sua hic manu regat, & in illo terribili iudicio liberum ab omnibus delictis inueniat. Et me ita placere, si necesse est hominibus faciat, vt æternam eius gratiam non offendam.

Lib. 12. ep. 23. In præf. li. 8. hom. sup. Ezec. li. 2. ep. 2.

1. Cor. 4.

EPISTOLA XXXII.

De Ioanne Episcopo Constantinopolitano, qui sibi vniuersale nomen arripuit.

Sup. ep. 31. h l. & l. 2. ep. 61. Inf. ep. 32. h. l.

GRegorius, Mauritio Augusto. Pijssimus atque à Deo constitutus dominus noster, inter cæteras augustorum ponderum curas, conseruandæ quoque sacerdotali caritati rectitudine studij spiritalis inuigilat: videlicet pie veraciterque considerans, neminem posse rectè terrena regere, nisi nouerit diuina tractare, pacemque reipublicæ ex vniuersalis Ecclesiæ pace pẽdere. Quæ enim serenissime domine virtus humana, quodque carnei robur brachij contra vestri Christianissimi culmẽ imperij irreligiosas præsumeret manus erigere, si studeret concors sacerdotum mens redemptorem suum lingua pro vobis atque vt oportebat meritis exorare? Aut quis ferocissimæ gentis gladius in necem fidelium tanta crudelitate grassaretur, nisi nostra vita, qui sacerdotes nominamur, & non sumus, à prauissimis grauaretur operibus? Sed dum nos per cõpetentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata nostra barbaricis viribus sociamus, & culpa nostra hostium gladios exacuit, quæ reipublicæ vires grauat.

Idem inf. ep 30. l. 7. & ep. 31. Ioan diac. 3. c 53.

Quid

Quid autem dicturi sumus, qui populum Dei, cui indignè præsumus, peccatorum nostrorum oneribus premimus? qui quod per linguam prædicamus, per exempla destruimus? quia iniqua docemus operibus, & sola voce ea quæ sunt iusta prætendimus? Ossa iciunijs atteruntur, & mente turgemus. Corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus. Iacemus in cinere, & excelsa non despicimus. Doctores humilium, duces superbiæ, ouina facie, lupinos dentes abscondimus. Sed quis horum finis est, nisi quòd hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus? Quamobrem prouidentissimè pijssimus dominus noster ad compescendos bellicos motus pacem quærit Ecclesiæ, atque ad huius compagem sacerdotum dignatur corda reducere. Quod quidem ego opto atque quantum ad me attinet, serenissimis iussionibus obedientiam præbeo. Quia verò non causa mea, sed Dei est; & quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia, quia piæ leges, quia venerandæ synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata superbi atque pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbantur: pijssimus Dominus locum secet vulneris, atque resistentem ægrum augustæ auctoritatis vinculis constringat. Adstringendo enim, statum reipublicæ subleuatis: & dum talia reciditis, de regni vestri prolixitate tractatis. Cunctis ergo Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura cõmissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? pasce oues meas. Ipsi dicitur: Ecce Satanas expetijt cribrare vos sicut triticũ, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ipsi dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum; & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Ecce claues regni cælestis accipit, potestas ei ligandi ac soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur; & vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari vniuersalis episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere: O tempora, ô mores. Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum iuri sunt tradita, destructæ vrbes, euersa castra, depopulatæ prouinciæ, nullus terram cultor inhabitat: fæuiunt, & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum, & tamen sacerdotes, qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt: & nouis ac profanis vocabulis gloriantur. Numquid ego hac in re pijssime domine propriam causam defendo? Numquid specialem iniuriam vindico? & non magis causam omnipotentis Dei, & causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta, nouum sibi vsurpare nomen præsumit? Vtinam vel sine aliorum imminutione vnus sit, qui vocari appetit vniuersalis. Et certè multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem incidisse nouimus sacerdotes, & non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Indè quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum Iesum Christum duas esse personas existimans: quia Deum fieri hominem potuisse nõ credidit, vsq; ad Iudaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum Deũ esse denegauit. Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit: vniuersa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is qui appellatur vniuersalis cadit. Sed absit à cordib⁹ Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotũ honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certè pro beati Petri Apostolorum principis honore, per venerandam Chalcedonensem synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis nomen assumpsit, nec vocabulo vti consensit, nedum priuatum aliquid daretur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergo quod nos huius vocabuli gloriam & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam presumit? Ille ergo magis est pijssimorum dominorum præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus est, qui sanctæ vniuersali Ecclesiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque imperij vestri se per priuatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad vitam ergo rectam reuertatur auctor scandali, & omnia sacerdotum iurgia cessabunt. Ego enim cunctorum sacerdotum seruus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem atque contra statuta patrum suam ceruicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladijs flectit. Quid autem nuper in hac vrbe ex huius auditu vocabuli gestum sit, Sabiniano diacono ac responsali meo subtilius indicaui. Cogitet ergo dominorum pietas de me proprio suo, quem specialiter præcæteris semper fouit atque continuit, qui & vobis obedientiam præbere desidero, & tamen de mea negligentia reperiri reus in superno tremendoque iudicio pertimesco. Ac secundum petitionem prædicti Sabiniani diaconi, aut pijssimus Dominus ipsum dignetur iudicare negotium, aut sæpè nominatũ virum, vt ab hac tandem intentione cesset deflectere. Si ergo iudicio pietatis vestræ iustissimo vel clementibus admonitionibus cesserit, omnipotenti Deo gratias referimus, atque de concessa per vos omni Ecclesiæ pace gaudemus. Sin autem in eadem diutius contentione perstiterit, hac de re iam veritatis sententiam certam tenemus, quæ ait: Omnis qui se exaltat humiliabitur. Et rursus scriptum est: Ante ruinam exaltabitur cor. Ego autem dominorum iussionibus obedientiam præbens, prædicto consacerdoti meo & dulciter scripsi, vt humiliter, vt ab hac inanis gloriæ appetitione sese emẽdet, admonui. Si igitur me audire voluerit, habet deuotum fratrem. Si verò in superbia perstiterit, iam quid assequatur aspicio, quia illum sibi aduersarium inuenit, de quo scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Sup. ep. 41. li. 3. inf. l. 6. ep. 37. in pr.

Ioan. 21. Luc. 22.

Matt. 16.

Inf. ep. 34. h. l.

Hom. vlt. in Ezech. in fin.

Lib. 7. ep. 30. Inf. ep. 36. & 38.

Luc. 14. & 18. Prou. 16. Inf. ep. 34.

Iac. 4.

EPISTOLA XXXIII.

De peruersitate iudicij in Sardinia, Corsica, & Sicilia.

Sup. l. 4. ep. 30 inf. ep. 34. h. l.

12. q. 2. c. 2 Iuo. p. 3. c. 36.

Gregorius, Constantinæ Augustæ. Cum serenissimam dominam sciam de cælesti patria atque animæ suæ vita cogitare, culpam me committere vehementer existimo, si ea quæ pro timore omnipotentis Domini sunt suggerenda, siluero. Dum in Sardinia insula multos esse gentilium cognouissem, eosque adhuc prauæ gentilitatis more, idolorum sacrificijs deseruire, & eiusdem insulæ sacerdotes ad prædicandum Redemptorem nostrum torpentes existerẽt, vnum illuc ex Italiæ episcopis misi, qui multos gentilium ad fidem Domino cooperante conuertit. Sed quidam rem mihi sacrilegam nunciauit: quia hi qui in ea idolis immolant, iudici præmium persoluunt, vt ei hoc facere liceat. Quorum dũ quidam baptizati essent, & immolare iam idolis deliuissent, adhuc ab eodem insulæ iudice, etiam post baptismum præmium illud exigitur, quod dare prius pro idolorum immolatione consueuerant. Quem cum prædictus episcopus increpare, tantum se suffragium promisisse respondit, vt nisi de causis etiam talibus impleri non possit. Corsica verò insula tanta inimicitate exigentium, & grauamine premitur exactionum, vt ipsi qui in illa sunt, eadem quæ exiguntur complere, vix filios suos vendendo sufficiant. Vnde fit, vt derelicta pia republica, possessores eiusdem insulæ ad nefandissimam Longobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim grauius, quid crudelius à Barbaris pati possunt, quàm vt constricti atque compressi suos vendere filios compellantur? In Sicilia autem insula Stephanus quidam marinarum partium charitularius, tanta præiudicia, tantasque oppressiones operari dicitur, inuadendo loca singulorum atque sine dictione causarum per possessiones ac domos titulos ponendo, vt si velim acta eius singula: quæ ad me peruenerunt dicere, magno vorumina solerter aspiciat, & oppressorum gemitus compescat. Hæc enim ego ad pijssimas aures vestras peruenisse non suspicor. Nam si peruenire potuissent, nuncusque minimè permansissent. Quæ pijssimo domino apto sunt tempore suggerenda, vt ab anima sua, ab imperio, atq; à filijs suis tale hoc detũq; facinus peccatiq; põdus amoueat. Qui scio qm̃ dicturus est, quia nobis in Italiæ expẽsis trãsmittitur, quicquid de prædictis insulis aggregatur. Sed ego suggero ad hoc, vt etsi min-

Inf. l. 6. ep. 28.

expensæ

expensæ in Italia tribuantur, à suo tamen imperio oppressorum lachrymas compescat. Nam & idcirco fortasse tantæ expensæ in hac terra minus ad vtilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur. Præcipiant ergo serenissimi domini, nil cum peccato colligi. Nam scio, quia etsi parum reipublicæ attribuitur vtilitatibus, ex eo multum respublica adiuuatur. Quod etsi fortasse cõtingat expensis minoribus minus adiuuari, melius est tamen temporaliter nos non viuere, quàm vos ad æternã vitam obstaculum aliquod inuenire. Quæ enim mentes, qualia viscera parẽtum esse possunt, perpendite, quando filios suos distrahunt ne torqueantur? Qualiter autem miserendum sit filijs aliorum, hoc benè sciunt qui habent proprios. Vnde mihi hæc breuiter suggessisse sufficiat, ne si ea quæ in his partibus aguntur, pietas vestra non cognosceret, me apud districtum iudicem silentij mei culpa mulctaret.

EPISTOLA XXXIV.

De superbia Ioannis episcopi, & de Maximo præuaricatore.

Gregorius, Constantinæ Augustæ. Omnipotens Deus, qui pietatis vestræ cor suæ dextera maiestatis tenet, & nos ex vobis protegit, & vobis pro temporalibus actibus æterna præmia remunerationis parat. Nam Sabiniano diacono responsali meo scribente cognoui in causis B. Petri Apostolorum principis contra quosdam superbos, humiles facie tenus & blandos, quanta se iustitia vestra serenitas impendat. Et in Redemptoris nostri largitate confido, quia bonum hoc in serenissimo domino & pijssimis filijs in cœlestis quoque patriæ retributione recipietis. Nec dubium est peccatorum vinculis solutis æterna vos bona recipere, qui in causis eius Ecclesiæ ipsum vobis, cui potestas ligandi & soluendi data est, debitorem fecistis. Vnde adhuc peto, vt nullius prævalere contra veritatem hypocrisim permittatis: quia sunt quidã, qui iuxta egregij prædicatoris vocem, per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, qui veste quidem despecti sunt, sed corde tument. Et quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt, simul cuncta adipisci quærunt. Qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed priuatis vocabulis contenti esse non possunt: quia illud appetunt, vnde omnibus digniores esse videantur. Vestra itaque pietas, quam omnipotens Deus cum serenissimo domino vniuerso mundo præesse constituit, illi per fauorem iustitiæ famulatum suum reddat: à quo ius tantæ potestatis accepit, vt quanto verius in executione veritatis auctori omnium seruit, tanto securius commisso sibi mundo dominetur. Præterea indico, quia pijssimi domini scripta susceperi, vt cum fratre & consacerdote meo Ioanne debeam esse pacificus. Et quidẽ sic religiosum dominum decuit, vt ista præciperet sacerdotibus. Sed cum se noua præsumptione atque superbia idem frater meus vniuersalem episcopum appellet, ita vt sanctæ memoriæ decessoris mei tempore adscribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamuis cuncta acta illius synodi, sede contradicente Apostolica soluta sint: triste mihi aliquid serenissimus dominus innuit, quod non eum corripuit qui superbit, sed magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Euangeliorum & canonum statuta, humilitatis atque rectitudinis virtute defendo. Qua in re à prædicto fratre & consacerdote meo contra Euangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contraque canonum statuta agitur. Sed est omnipotens Dominus, in cuius manu sunt omnia, de quo scriptum est; Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Et quidem sæpefatus sanctissimus frater serenissimo domino multa suadere conatur: sed benè noui, quia tantæ illæ orationes eius & lachryme, nil ei à quoquam contra rationem aut animam suam surripi permittunt. Triste tamen valdè est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & coepiscopus meus solus conetur appellari episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tẽpora designatur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: Super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, & ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo. Vnde per omnipotẽtem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari, neque tam peruerso vocabulo vllum quoquo modo præbeatis assensum, atque hac in causa nequaquam me pietas vestra despiciat: quia etsi peccata Gregorij tanta sunt, vt pati talia debeat, Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati ista mereatur. Vnde iterum atque iterum per omnipotẽtem Dominum rogo, vt sicut parentes priores vestri principes, sancti Petri Apostoli gratiam quæsierunt: ita vos quoque & hanc vobis quærere, & conseruare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indigne seruimus, eius apud vos honor nullatenus minuatur, qui & modo vobis adiutor esse in omnibus, & postmodum vestra valeat peccata dimittere. Viginti autem iam & septem annos ducimus, quòd in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus. Quibus quàm multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, vt inter eos viuere possimus, suggerenda non sunt. Sed breuiter indico, quia sicut in Rauennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ sacellarium habet qui causis superuenientibus quotidianas expensas faciat, ita & in hac vrbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamen hæc Ecclesia, quæ vno eodemque tempore clericis, monasterijs, pauperibus, populo, atque insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum premitur afflictione, quæ de hac vnius hominis superbia multum gemũt, etsi nihil dicere præsumunt. Salonitanæ verò ciuitatis episcopus meo ac responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus euenit. Quod ego audiens, ad eumdem prævaricatorem, qui inordinatè ordinatus est, protinus misi, vt omnino missarum solennia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à serenissimis dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me atque despecto, in audaciam quorumdam sæcularium hominum, quibus denudata sua Ecclesia præmia multa præbere dicitur, nuncusque missas facere præsumit, atque ad me venire secundum iussionem dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me vel responsalem meum prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxaui, ac si me auctore fuisset ordinatus. Alia verò peruersa illius, scilicet mala corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pecunijs est electus, vel quia excommunicatus missas facere præsumpsit, propter Deum irrequisita præterire non possum. Sed opto, & dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his quæ dicta sunt, valeat inueniri, & fine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur. Priùs tamen quàm hæc cognoscantur, serenissimus dominus discurrente iussione præcepit, vt eum venientem cum honore suscipiam. Et valde graue est, vt vir de quo tanta & talia nunciantur, cum antè requiri & discuti debeat, honoretur. Et si episcoporum causæ mihi commissarum apud pijssimos dominos aliorum patrocinijs disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt episcopi mei me despiciant, & contra me refugiũ ad sæculares iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto, & si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam pijssimis dominis vitam tribuet, & nobis sub manu vestra non secundum peccata nostra, sed secundum gratiæ suæ dona disponet. Hæc ergo tranquillissimæ dominæ suggero: quia integerrima serenitatis eius conscientia quanto moueatur zelo rectitudinis, atque iustitiæ, non ignoro.

Sup. li. 3. epist. 20

NOTAE in Epist. 34. lib. 4.

Sacellarium habet.] *Baronius anno 595. num. 17. pro Sacellarium, putat legendum esse Saccellarium, quasi à Sacellis sumptum nomen: quod sanè ipse Gregorius docet, dum ostendit Sacellarium fuisse thesaurarium pecuniæ publicæ, cuius rei gratia oportuit ipsi creditos esse pecuniarum sacculos, ob id q; Saccellarium dictum esse. Huic*

sententiæ, inquit Baronius, suffragatur idem Gregor. in epist. 27. li. 12 ad Honoratum Diaconum, vbi agens de solutione consuetæ pecuniæ, pro dignitate Consulari ad piscenda, ait: Magis ex se agit dilectio tua, quatenus oblatis in saccella consuetudinibus, honores mereatur accipere. *vbi per saccella certum est intelligi Principis pecuniarum capsam, & proinde per saccellarium Thesaurarium. In quam sententiam & Isidorus libr. 20. cap. 9. Fiscus, inquit, saccus est publicus. Hinc accidit, vt in actis S. Maximi Martyris sæpe per saccellarium in causis criminalibus appellatum inuenias Fiscalem Procuratorem. Reperio etiam cõtigit eandem vocem Saccellarij in Ecclesiasticis ministerijs apud Græcos (vt auctor est Curopalata) proijs, qui curam gerunt monasteriorum tam virorum, quam mulierum. Itemq; Theodorus habet, in Meditatis, idem esse nomen Oeconomi, Custodis, Sacellarij, vel Præfecti Sacellis. apud Latinos si Saccellarius scribitur à Saccello, Thesaurarius Ecclesiæ intelligitur: si verò simplex, c, Sacellarius à Sacello, qui scilicet Sacello præest, intelligitur. Hac Baron. prædicto loco.*

EPISTOLA XXXV.

De malitia Romani, & Bonifacio defensore.

Sup. l. 1. ep. 27.

Gregorius Sebastiano Episcopo Rhizinensi. Dulcissima atq; suauissima fraternitatis tuæ scripta suscepi. Quæ mihi, quamuis numquam desit à corde, sanctitatem tamen vestram, quasi corporaliter præsentem fecerunt. Sed omnipotentem Dominum rogo, vt sua vos dextera protegat, nobisque & hic tranquillam vitam, & quando ei placuerit, præmia æterna concedat. Sed peto, si illo me amore diligitis: quo præsentem semper amastis, vt pro me enixius exoretis: quatenus omnipotens Deus à peccatorum meorum nexibus me citius soluat, & corruptionis huius pondere exutum suo conspectui liberum existere faciat. Quamuis enim inæstimabilis sit cælestis patriæ dulcedo, quæ trahat; multi tamen in hac vita dolores sunt, qui ad amorem cælestium quotidie impellãt. Qui mihi in hoc ipso solùm vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt. Quæ enim frater sanctissime de amici vestri domni Romani persona in hac terra patimur, loqui minimè valemus. Breuiter tamen dico, quia eius in nos malitia gladios Longobardorum vicit, ita vt benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quàm reipublicæ iudices, qui nos malitia sua, rapinis atque fallacijs in cogitatione consumunt. Et vno tempore curam episcoporum, atque clericorum, monasteriorum quoque, & populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra ducum fallacias, atque malitias suspectum semper existere, cuius laboris, cuius doloris sit, vestra fraternitas tanto verius pensет, quanto me qui hæc patior, purius amat. Præterea debitum sa-

Sup. l. 1. ep. 27.

lutationis alloquium soluens, indico quod ad me Bonifacio defensore referente peruenerit, quia vir sanctissimus frater noster domnus Anastasius patriarcha in vna suarum ciuitatũ regendam vobis Ecclesiam committere voluit, & consentire noluistis. Quem sensum, ac sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum, laudaui vehementer, & vos felices, me infelicem esse deputaui, qui hoc tali tempore regimen Ecclesiæ suscipere consensi. Si tamen animus vester fortasse fratribus condescendendo, & misericordiæ operibus intentus, ad hoc vnquam consentire decreuerit peto vt amori meo alium minimè præponatis. Sunt enim in Sicilia insula Ecclesiæ vacantes episcopis, & si vobis placet auctore Deo Ecclesiam regere, iuxta beati Petri Apostoli limina, cum eius adiutorio melius potestis. Sin verò non placet, feliciter insta, vt ista in vobis intentio permaneat, & pro nobis infelicibus exora.

Omnipotens autem DEVS in quocunque vos esse loco voluerit, sua protectione custodiat, & ad cœlestia vos dona perducat.

EPISTOLA XXXVI.

Vt communiter insequantur superbiam Ioannis episcopi, qui nomen vniuersalis sibi arrogabat.

Sup. l. 1. ep. 24. Inf. ep. 37. l. 1. ep. 24. 25.

Gregorius, Eulogio Episcopo Alexandrino, & Anastasio episcopo Antiocheno.

Dum prædicator egregius dicat: Quamdiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo: qui rursus aliàs dicens: Facti sumus vt paruuli in medio vestrum: exemplum procul dubio nobis sequentibus ostendit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. Ante hos siquidem annos octo sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij tempore, frater & coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe ex causa alia occasionem quærens synodum fecit, in qua se vniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis litteris ex auctoritate S. Petri Apostoli eiusdem synodi acta cassauit. Quarum videlicet epistolarum sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. Diaconum verò, qui iuxta morem pro responsis Ecclesiæ faciendis pijssimorum dominorum vestigijs adhærebat cum præfato consacerdote nostro missarum solennia celebrare prohibuit. Cuius ego quoque sententiam sequens, similia prædicto consacerdoti nostro scripta transmisi, quorum exemplaria vestræ beatitudini censui transmittenda: hoc præcipuè intendens, vt hac de re, qua ex noua superbia tota vniuersalis Ecclesiæ viscera perturbantur, prius sæpefati fratris nostri animum modesta intentione pulsemus. Qui si nequaquam à suæ elationis rigore voluerit inclinari, tunc quid fieri debeat, cũ omnipotentis Dei solatio subtilius pertractetur. Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas nouit, vni per sanctam Chalcedonensem synodum pontifici Sedis Apostolicæ, cui DEO disponente deseruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit: quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiã arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur. Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere; pensate quàm ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter vsurpasse voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis epistolis neminem vnquã vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Nec hac in re de sereniſſimis dominis animum vestrum mordeat siniſtra suspicio, quia omnipotentem Dominum metuit, & contra statuta Euangelica, contra sacratissimos canones agere aliquid nullo modo consentit. Ego verò quamuis à vobis per longa terrarum atque maris spatia disiunctus sim, sum tamen omnino vobis corde coniunctus. Idque de vestra beatitudine erga me modis omnibus confido: quia cum me vicissim diligitis, à me non longè estis. Et magis gratias referimus grano illi sinapis, quia ex modici despicabilisque seminis specie, ita est ramis ex eadem radice surgentibus, atque se distendentibus vsque quaque diffusus, vt in eis volatilia cæli cuncta nidificent. Gratiaque illi fermento illi quo tribus farinæ satis totius humani generis massam in vnitate conspersit. Atque paruo lapidi, qui absciſſus de monte sine manibus, occupauit vniuersam faciem orbis terræ. Qui ad hoc se vsque quaque distendit, vt ex omni humano genere in vnitatem redacto totius corpus perficeretur Ecclesiæ, atque ita ad totius compaginis pertineret commodum, membrorum partialis ista distinctio. Vnde nos quoque à vobis non longè sumus: quia in illo qui vbique est, vnum sumus. Agamus ergo ei gratias, qui solutis inimicitijs, in carne sua fecit, vt in omni orbe terrarum vnus esset grex, & vnum ouile sub se vno pastore; memores semper quid nos prædicator veritatis admoneat, dicens: Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: & pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Quia-

Matt. 17.

Dan. 2.

lijs quoque discipulis dicit: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Vidit enim pacem bonos cum malis habere nõ posse: & idcirco sicut nostis præ-

Ephes. 4. Hebr. 12. Rom. 12.

misit, Si fieri potest. Sed quia pax nisi in duabus partibus firmari non valet, cum hanc mali fugiunt, boni tenere medullitus debent. Vnde & mirè dicitur, Quod ex vobis est: vt videlicet in nobis maneat, etiam cum à prauorum hominum mente repellitur. Quam videlicet pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas, caritate simul & iustitia insistente prosequimur, cum eos diligimus, & eorum vitia odio habemus. Opus quippe Dei homo est, sed opus hominis vitium. Nos ergo discernamus quid Deus, quid item homo fecerit: & neque propter errorem odio habeamus hominem, neq; propter hominem diligamus errorem. Vnita ergo mente insequamur in homine malum superbiæ, vt ab hoste suo videlicet errore, prius ipse homo liberetur. Præstabit vires omnipotens Redemptor noster caritati atque iustitiæ; præstabit nobis longè à nobis positis vnitatem spiritus sui, ipse cuius artificio quasi in arcæ modum quattuor mundi constructa lateribus, atque imputribilium lignorum compage, & bitumine caritatis adstricta, nullius aduersitate spiritus, nullius venientis extrinsecus tumore fluctus perturbetur Ecclesia. Sed quemadmodum illius gubernante gratia petendum est, vt nulla nos superueniens exterius vnda conturbet; ita ex totis orandum est visceribus fratres carissimi, vt suæ prouidentiæ dextera cumulum sentinæ in nobis interioris exhauriat. Aduersarius quippe diabolus qui contra humiles sæuiens, sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret, non iam, vt cernimus, caulas circuit, sed ita valide in quibusdam Ecclesiæ necessarijs membris dentes figit, vt nulli sit dubium, quia niti vnanimiter fauente Domino cunctorum prouida pastorum turba concurrat, omne, quod absit, citius ouile dilaniet. Perpendite fratres carissimi, quid è vicino subsequitur, cuius & in sacerdotibus erumpunt tam peruersa primordia. Quia en iam iuxta est ille de quo scriptum est: Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ, quod non sine graui dolore dicere compellor, frater & coepiscopus noster Ioannes mandata Dominica, Apostolica præcepta, regulas patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine. vestræ autem beatitudini indicet omnipotens Deus, quàm graui consideratione huius gemitu torqueor, quòd ille quondam mihi modestissimus, ille omnibus dilectus, ille qui in eleemosynis, orationibus atque ieiunijs videbatur occupatus, ex eo in quo sedebat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate, iactantiam sumpsit, ita vt vniuersa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi sibi studeat membra subiugare. Nec mirum, quòd ille tentator qui initium omnis peccati scit esse superbiam, & tunc ea in primo homine ante omnia vsus est, & nunc eam quibusdam hominibus ponit in fine virtutum, vt qui aliquatenus bonis vitæ studijs eius videbantur crudelissimas manus effugere, eis in ipsa mea boni operis, & in ipsa quodammodo apponat perfectionis conclusione tendiculum. Vnde magnoperè orandum est, & omnipotens Deus assiduis precibus implorandus, vt hunc à mente illius auertat errorem, hoc ab vnitate atque humilitate Ecclesiæ malum superbiæ, & confusionis amoueat. Et fauente Domino omnibus viribus concurrendum atque prouidendum, ne in vnius veneno sermonis, viuentia in Christi corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit, qui vniuersalis dicitur, nullus iam episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Obtestor ergo vt constanter ac sine præiudicio seruetis sicut accepistis Ecclesias, & nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ vsurpationis adscribat: State fortes, state securi, scriptaque cum vniuersalis nominis falsitate nec dare vnquam, nec suscipere præsumatis. Omnes episcopos curæ vestræ subiectos, ab huius elationis inquinatione prohibete, vt vniuersæ vos Ecclesiæ Patriarchas, non solùm in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscant. Si qua autem forsan aduersa subsequuntur, vnanimiter perstantes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damnando generalitatis nomine nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Audiamus quod primus omnium pastorum dicit: Si quid patiamini propter iustitiam, beati eritis. Mihi enim credite, quia honore, quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate relinquimus quàm tenemus. Pro me autem, sicut vestram carissimam beatitudinem decet orate: vt hoc quod vobis loqui audeo, operibus ostendam.

EPISTOLA XXXVII.

Congratulatur de reuersione eius.

Sup. ep. 36

Gregorius, Anastasio Episcopo Antiocheno. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia magnus ille fluuius, qui quondam arentia Antiochiæ saxa reliquerat, tandem ad proprium alueum reuersus, & subiectas & iuxta positas valles rigat, vt & vnum tricesimum, & aliud sexagesimum, aliud vero centesimum fructum ferat. Iã nunc dubium non est, multos in eius vallibus animarum flores excrescere, eosque ad maturos vsque fructus per linguæ vestræ fluenta peruenire. Vnde omnipotenti Deo debitam laudem cordis atque oris vocibus ex omnibus medullis reddimus, & in vestra beatitudine non vobis tantummodo, sed omnibus qui vobis subiacent, congaudemus. Suscepi vero epistolas dulcissimæ mihi atque suauissimæ sanctitatis vestræ, ipsum, vt ita dicam, laborem sudantes. Et quidem scio, quòd post illa quietis culmina, in quibus secreta cælestia cordis tangebas manu, graue valde sit exteriora tolerare. Sed memento quia Apostolicam sedem regis, & dolorem citius temperas: quoniam omnibus omnia factus es. In libris Regum, sicut perfecta vestra sanctitas nouit, quidam describitur, qui vtraque manu pro dextera vtebatur. In qua re ego de dulcissimo atque sanctissimo dudum patrono domno meo Anastasio dubius non sum: quia dum terrena opera ad cælestem vtilitatem pertrahit, in vsum dextræ vertit sinistram, vt & cælestis intentio opus suum videlicet dextra peragat, & cura temporalium dum ad iustitiæ vtilitatem ducitur, ad fortitudinem dextræ sinistra permutetur. Et quidem hæc esse sine graui labore & tædio, nequaquam possunt. Sed recordemur labores præcedentium, & dura non erunt quæ toleramus. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Et supra modum grauati sumus: supra virtutem, ita vt & nos etiam tæderet viuere. Sed & ipsi in nobis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis. Et tamen non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenientem gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quomodo igitur sine labore transire possumus æstum huius sæculi, nos infirmæ oues, in quo grauiter sudasse nouimus & arietes. Quantas verò in hac terra tribulationes de Longobardorum gladijs, de iniquitatibus iudicum, de insolentia atque importunitate causarum, de cura subiectorum, de molestia etiam corporis quam patior, explere nec calamo, nec lingua sufficio. De quibus etsi qua breuiter possum loqui, dubito ne vestræ sanctissimæ caritati, dum de suis tribulationibus affligitur, etiam meas augeam. Sed omnipotens Deus, & suæ largitate pietatis sanctissimæ vestræ beatitudinis mentem omni consolatione repleat, & indignum me aliquando ab his quæ patior malis quiescere pro vestra intercessione concedat, Amen. Gratia. Quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, vt de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat: quia non solùm vester est, sed etiam noster. Sicut enim magistrum eius Apostolorum principem habemus communè, ita quoque eiusdem principis discipulum nullus nostrum habeat priuatum. Benedictionem autem vestram, qua debuimus mente suscepimus, benè redolentem, benè sapientem. Et omnipotenti Deo gratias agimus: quia & odora sunt & sapora quæ agitis, quæ dicitis, quæ datis. De vita igitur vestra dicamus pariter, dicamus omnes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Luc. 2.

1. Paral. 12.

Act. 14.

2. Cor. 1. Rom. 8.

Sup l. 3. epist 30. in fi. Inf. l. 11. ep. 29. in fin.

Luc. 2.

EPISTOLA XXXVIII.

De pace sanctæ Ecclesiæ ab eo per vniuersale nomen turbata. De synodo per Pelagium papam cassata. Exemplum proponit diaboli contra Deum superbientis. Et de superbia eius nimia.

Sup. l. 1 ep. 24. Ind. 9. & l. 2 ep. 32. & 91. & 52. inf. l. 5. ep. 15.

Io. Diac. 3 c. 54.

G*Regorius, Ioanni Episcopo Constantinopolitano.* Eo tempore quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed quo ausu, quoue tumore nescio, nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum peruenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitiosæ desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, adhoc quandoq; perductus es, vt despectis fratribus, episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus synodi, quæ apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorij causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum, acta dissoluit: & archidiaconum, quem iuxta morem ad vestigia dominorum transmiserat, missarum vobiscum solennia celebrare prohibuit. Post eius verò obitum, cum indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum, & ante per alios responsales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum diaconum alloqui fraternitatem vestram, vt à tali se præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curaui. Et si emendari nollet, eum missarum solennia cum fraternitate vestra celebrare prohibui, vt sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reuerentia pulsarem: quatenus si emendari nefandus, ac profanus tumor verecundè non posset, tunc ad ea debuisset, quæ sunt districta, atque canonica peruenire. Et quia resecanda vulnera prius leui manu palpanda sunt: rogo, deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, vt fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen defendentibus contradicat, ne stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat. Verè enim flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis deputo, quod ille meus frater nunc usque ad humilitatem reduci non valuit: qui ad hoc in episcopatus gradu constitutus est, vt aliorum animas ad humilitatem reducat, quòd ille, qui veritatem docet alios, semetipsum docere, nec me quoque deprecante, cõsensit. Perpende rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. In qua nimirum ipse tantum crescere poteris, quantum penes temet ipsum decreueris. Tantoque maior efficeris, quanto te à superbi, & stulti vocabuli vsurpatione restringis. Atque in tantum proficis, in quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Humilitatem ergo frater carissime totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum concordia, & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vnitas valeat custodiri. Certè Paulus Apostolus cum audiret quosdam dicere: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ: hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius alijs quodammodo se capitibus sociabant, vehementissimè perhorrescens exclamauit, dicens: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis subijci particulariter euitauit: tu quid Christo vniuersalis Sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere? Quis rogo in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nihil subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit: In cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim fratres tui omnes vniuersalis Ecclesiæ episcopi, nisi astra cœli sunt? Quorum vita simul & lingua inter peccata, errore sque hominum quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumq; nomẽ tui comparatione calcare; quid aliud dicis, nisi in cœlum conscẽdam: super astra cœli exaltabo solium meum? An non vniuersi episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce & miraculis coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens, sub se premere conatur: quid aliud dicit nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur: Ascendam super altitudinem nubium? Quæ cuncta ego cum flens conspicio, & occulta Dei iudicia pertimesco, augentur lachrymæ, gemitus se in meo corde non capiunt, quod ille vir sanctissimus Domnus Ioannes, tantæ abstinentiæ, atque humilitatis, suorum familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbè esse similis Deo voluit, etiam donatę similitudinis gratiam amisit, & veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsiuit. Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctę, & vniuersalis Ecclesię est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite oẽs membra sunt Ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo locutionis astringam: sancti ante legẽ; sancti sub lege, sancti sub gratia, oẽs hi perficiẽtes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquam vniuersalem vocare voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Numquid non, sicut vestra fraternitas nouit, per venerãdum Chalcedonense Concilium huius Apostolicæ sedis antistites, cui Deo auctore disponente deseruio, vniuersales a oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. Sed hæc scio, quia vestræ sanctitati ab illis oriuntur, qui vobis deceptiosa familiaritate deseruiunt: contra quos peto, vt vestra fraternitas solerter inuigilet, nec se eorum verbis fallendum præbeat. Tanto enim maiores hostes credendi sunt, quanto magis laudibus adulantur. Relinque tales, etsi omnino decepturi sunt, saltem terrenorum hominum, & non sacerdotum corda decipiant. Sine mortuos sepelire mortuos suos. Vos autem cum Propheta dicite: Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge. Et rursus: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Vnde & benè quidam sapiens admonet: Multi sint pacifici tui, consiliarius autem sit vnus tibi de mille. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Antiquus enim hostis cum robusti cor irrumpere non valet, subiectas & infirmas personas quærit, & quasi cõtra alta mœnia scalis appositis ascendit. Sic Adam per subiectam mulierem decepit. Sic beato Iob cum filios occidit, infirmam mulierem reliquit: vt qui eius cor per se minimè poterat saltem si posset per mulieris verba penetraret. Quicunque ergo iuxta vos infirmi, ac seculares sunt, in sua semper persuasione, atque adulatione frangantur: quia inde æternas Dei inimicitias pariunt, vnde ipsi peruersi amatores videntur. Certè olim clamabatur per Apostolum Ioannem: Filioli, nouissima hora est, secundũ quod veritas prædixit. Pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgũt in gẽtes, terra cõcutitur, orbis cũ habitatoribus suis terra dehiscente sorbetur. Omnia. n. quę prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ prope est, & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exitus, quia ceruici militat elationis, qui ab hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiam si nostra lingua minimè contradicat, illius virtus contra elationem in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Hinc enim scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hinc rursus dicitur: Immundus est apud Deum, qui exaltat cor. Hinc contra superbientem hominem scriptum est: Quid superbis terra, & cinis? Hinc per semetipsam veritas dicit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Quæ vt nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in semetipsa dignata est, quod nos admonet, demonstrare, dicens: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc nanque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc inuisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit,

Pelagius d ssoluit synodi Constantinopolitanæ acta. de quib. supra.

Petri. mattui.

Sup. l. 1 ep. 6 & l. 7. ep. 30.

Luc. 9. Psal. 69. Psal. 140. Eccl. 6. 1. Cor. 15.

Gen. 3. Iob. 2.

1. Ioan. 2.

Isa. 4. Eccl. 10.

Luc. 14.

Matt. 11.

ad hoc

2. Cor. 12.

Esa. 14.

ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis DEVS. Quanta igitur humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem mortis factus est paruus? Quia enim originem perditionis nostræ se præbuit superbia diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas DEI. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri supra omnia voluit elatus. Redẽptor aũt noster magn' manẽs supra omnia, fieri inter oĩa dignatus est paruus. Quid ergo nos episcopi dicimus, qui honoris locũ ex Redẽptoris nostri humilitate susc epimus, & tamẽ superbiam hostis ipsius imitamur? Ecce nouimus creatorem nostrum de suæ celsitudinis culmine, vt humano generi daret gloriam, descendisse: & nos de infimis creati, de fratrum minoratione gloriam quærimus. Humiliauit se vsque ad nostrum puluerem DEVS, & in cælos os suum ponit, & super terram lingua pertransit puluis humanus, & non erubescit: non metuit extolli homo putredo, & filius hominis vermis. Reducamus ad animum frater carissime hoc quod per sapientissimum Salomonem dicitur: Ante tonitruum præibit coruscatio, & anteruinam exaltabitur cor. Vbi è diuerso subiungitur, ante gloriam humiliabitur. Humiliemur ergo in mente si ad solidam conamur venire celsitudinem. Nequaquam per elationis fumum oculi cordis obscurentur: qui quanto magis excreuerit, tanto celerius euanescit. Pensemus quid nos præcepta admoneant Redemptoris nostri dicentis: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hinc etiam per prophetam dicit: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementẽ sermones meos? Certè cum Dominus ad humilitatis viam adhuc infirmantium discipulorum corda reduceret, dixit: Si quis vult inter vos primus esse, erit omnium minimus. Qua in re apertè cognoscitur, quoniam ille veraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur. Formidemus ergo in illorum numerum adscribi, qui primas in synagogis cathedras quærunt, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Quo contra discipulis Dominus dicit: Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus enim magister vester est, vos autem omnes fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester. Quid ergo frater carissime in illo terribili examine venientis iudicis dicturus es, qui non solum pater, sed etiam generalis pater in mundo vocari appetis? Caueatur ergo malorum praua suggestio, fugiatur omnis instigatio scandali. Oportet quidem vt veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Ecclesia scinditur. Fratrum omnium corda ad scandalum prouocantur. Nunquid nam mente excidit, quod veritas dicit: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris? Scriptum verò est: caritas non quærit quæ sua sunt. Ecce vestra fraternitas sibi arrogat etiam aliena. Rursus scriptum est: Honore inuicem prævenientes. Et tu conaris eum omnibus tollere, quem tibi illicitè desideras singulariter vsurpare. Vbi est frater carissime quod scriptum est: Pacem habete cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum? Vbi est quod scriptum est: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur? Considerare vos conuenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinentur multi. Quod tamen si considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem iudicia superna vigilabunt. Et nos quidem in quos talis tantaque per ausum nefariũ culpa committitur, seruamus quod veritas præcepit, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui: nunc per meipsum scribo. Quicquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeam adhibere. Hæc itaque dicens, omnipotens Deus fraternitati vestræ indicet, quanto circa vos amore constringor: quantumque in hac causa non contra vos, sed pro vobis lugeo. In qua tamen præceptis Euangelicis, institutionibus canonum, vtilitatibus fratrum personam præponere non possum, nec eius quem multum amo. Scripta autem sanctitatis vestræ dulcissima atque suauissima de causa presbyterorum Ioannis & Athanasij suscepi, de qua vobis in subsequentibus Domino adiuuante respondebo: quia sub tantis tribulationibus circunfusus Barbarorum gladiis premor, vt non dico multa tractare, sed mihi respirare vix liceat.

Dat. Kalendas Ianuarij, Indict. XIII.

NOTÆ in Epist. 38. lib. 4.

Tali vocabulo appellari voluit, &c.] *Nomen vniuersalis dupliciter sumitur, vno modo pro solo vnico & singulari Patriarcha, præter quem nemo est alius, cuiq; reliqui omnes subsunt, vt filij, non, vt fratres & collegæ administrationis. Hoc modo Ecclesia dicitur vniuersalis, vnaq; toto orbe diffusa, extra quam nulla potest esse alia Ecclesia. Item Christus Dominus noster hoc sensu à S. Gregorio in epist. 52. libr. 12. ad omnes Episcopos de priuilegio Monasterij S. Medardi, dicitur vniuersale caput Ecclesiæ. Altero modo sumitur vniuersale, pro eo, quod remanentibus partibus integris ipsum cæteris supereminet. Nomen vniuersalis Patriarchæ primo modo sumptum, à nemine citra fastum & arrogantiam vsurpatum fuit: Cum illud soli Christo Domino nostro conueniat: Posteriore modo soli Romano Pontifici competit, cui ex commissione Christi Domini cura pastoralis vniuersi gregis Dominici incumbit. Hac acceptione non tantum Gregorius; verum etiam Vrbanus, Leo, aliiq; plures, se vniuersalis Ecclesiæ Episcopos nominarunt, vt videre est in epistola S. Leonis ad Marcianum & Eudociam Augustam, earumque annotationibus, supra tom. 1. Sanctus Gregorius si non voce, saltem reipsa & opere manifestissimè ostendit, se vniuersalis Ecclesiæ pastorem & Episcopum esse, qui Orientalibus & Occidentalibus iura dedit, omnes audiuit, omnes iudicauit, atque appellationes ex toto orbe ad se interpositas accepit. Si Gregorius hic vel alibi nomen vniuersalis Episcopi suo muneri & officio minime conueniens quandoque repudiauit, factum id est, vel ex humilitate eadem, qua qui erat sacerdos epist. 31. libr. 4. ad Mauritium scripta, se sacerdotem esse negabat; vel etiam accidisse potuit ea de causa, quod putarit multum differre vniuersalem Episcopum, & vniuersalis Ecclesiæ pastorem. Illud prius, non hoc posterius nomen recusauit. Vide Baron. ann. 595. num. 32. 50. & 52. Item anno 598. numer. 4.*

EPISTOLA XXXIX.

De superbia Ioannis episcopi vitanda.

GRegorius, Sabiniano Diacono. De causa fratris nostri viri reuerendissimi Ioannis episcopi Constantinopolitani, duas epistolas facere nolui. Sed vna breuiter facta est, quæ vtrumque habere videretur admixtum, id est, & rectitudinem, & blandimentum. Tua itaque dilectio eam epistolam, quam nunc direxi, propter voluntatẽ Imperatoris dare studeat. Nam de subsequenti talis alia transmittitur, de qua eius superbia non lætetur. Ad hoc enim vsque peruenit, vt sub occasione Ioannis presbyteri gesta huc transmitteret, in quibus se penè per omnem versum ἀκουμενικὸν patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrisim illius superna maiestas soluet. Miror autem quomodo dilectionem tuam fallere potuit, vt permitteres domno Imperatori persuaderi, quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admonerer, vt cum eo pacem habere debuissem. Qui si iustitiam tenere vult, illum debuit admonere, vt se à superbo vocabulo compesceret, & protinus inter nos pax fieret. Tamen qua id calliditate à prædicto fratre nostro Ioanne factum sit, minimè suspicor, pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit, vt audiretur domnus Imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non à me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectam vitam tenemus, nihil in hac causa aliud nisi omnipotentem Dominum metuentes. Vnde tua dilectio in nullo trepi- Ioã. Diac. 3. c. 55.

Omnia quæ in hoc sæculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat: in omnipotentis Dei gratia, atque beati Petri Apostoli adiutorio confidat. Vocem veritatis recolat dicentis: Maior est, qui in cælis est, quàm qui in mundo. & in hac causa quicquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladijs nullo modo possumus: postquam pro vtilitate reipublicæ, argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus: nimis ignominiosum est, vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quàm fidem perdere. Vnde sicut tibi iam transactis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere præsumas.

Ioan. 14.

EPISTOLA XL.

Sup. li. 2 ep 64. & 65 Ind 11. Inf. l. 6. ep. 25.

Gratias refert de pecunia pauperibus transmissa.

GRegorius, Theodoro Medico. Ego omnipotenti Deo gratias ago: quia eorum, qui se viciſſim veraciter diligunt, loca animum non diuidunt. Ecce enim dulciſſimè, & glorioſiſſime fili longè à vobis diſtamus corpore, & tamen præſentes vobis exiſtimus caritate. Hoc veſtra opera, hoc ſcripta teſtantur, hoc de præſenti expertus ſum, hoc de abſenti veſtra gloria recognoſco. Hoc vos & hominibus amabiles, & omnipotenti Deo dignos in perpetuum faciat. Quia enim virtutum mater eſt caritas, idcirco bonos operum fructus profertis, quia ipſam eorundem fructuum in mente radicem tenetis. Ea autem quæ in redemptionem captiuorum, DEO vobis inſpirante tranſmiſiſtis, lætus, fateor, & triſtis accepi. Lætus videlicet vobis, quos de præparanda manſione cœleſtis patriæ vos cogitare cognoui: triſtis verò vehementer mihi, qui ſuper curam rerum Sancti Petri Apoſtoli, adhuc etiam de rebus dulciſſimi filij mei domni Theodori rationes poſiturus ſum: ſollicitè an negligenter eas expenderim, requirendus vado. Omnipotés a Deus, qui menti veſtræ ſuæ miſericordiæ viſcera inſudit, qui vobis ſollicitè cogitare cõceſſit, hoc quod de Saluatore noſtro per egregium prædicatorem dicitur: quia pro nobis egenus factus eſt, cum diues eſſet, in eiuſdem Saluatoris aduentu, vos virtutibus diuites oſtendat, ab omni culpa liberos aſſiſtere faciat, & pro terrenis cæleſtia, pro tranſitoriis gaudia vobis æterna concedat. Hoc autem quod pro vobis agi apud ſacratiſſimum corpus Sancti Petri Apoſtoli ſcribitis, certum tenete, quia etſi lingua veſtra taceat, fieri caritas veſtra iubet. Sed vtinam digni ſimus, qui pro vobis orare debeamus. Quia verò dignus ego non ſum, non ambigo. Sed multi hic digni ſunt, qui ex oblatione veſtra ab hoſtibus redimuntur, & fideliter noſtro creatori deſeruiunt, de quibus hoc egiſtis quod ſcriptum eſt: Abſconde eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Sed quia ille plus diligit, qui plus præſumit: erga dulciſſimam mentem glorioſiſſimi filij mei domni Theodori habeo aliquam querelam: quia donum ingenij, donum rerum, donum miſericordiæ atque caritatis à ſancta Trinitate percepit; ſed tamen ſæcularibus indeſinenter cauſis adſtringitur, aſſiduis proceſſionibus occupatur, & quotidie legere negligit verba Redemptoris ſui. Quid eſt autem ſcriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Et certè ſicubi eſſet gloria veſtra alibi conſtituta, & ſcripta terreni Imperatoris acciperet, non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi prius quid ſibi Imperator terrenus ſcripſiſſet, agnouiſſet. Imperator cœli, Dominus hominum & Angelorum, pro vita tua tibi ſuas epiſtolas tranſmiſit: & tamen glorioſe fili eaſdem epiſtolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quæſo, & quotidie creatoris tui verba meditare. Diſce cor Dei in verbis Dei, vt ardentius ad æterna ſuſpires, vt mens veſtra ad cœleſtia gaudia maioribus deſiderijs accendatur. Tanto enim tunc maior ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris ſui requies nulla fuerit. Sed ad hæc agenda infundat vobis omnipotens Deus conſolatorem ſpiritum. Ipſe mentem veſtram ſua præſentia impleat, & implendo leuet. De me autem cognoſcite, quia multas hic & innumeras amaritudines patior. Sed ago omnipotenti Deo gratias, quia minus affligor valdè quàm mereor. Cariſſimum autem filium meum ſuſceptum veſtrum domnum Narſetem gloriæ veſtræ commendo. Quem quidem ſcio, commendatum in omnibus habetis; ſed facere vos rogo quod facitis; vt dum peto quod fieri video, mercedi veſtræ me petendo ſubiungam. Præterea excellentiæ veſtræ benedictionem, ea qua tranſmiſſa eſt caritate ſuſcepi. Vnam verò anatem cum duobus paruulis Atticis pro veſtri amoris gratia tranſmittere præſumpſi; vt quotiens ad reſpiciendum eam veſter oculus ducitur, memoria etiam mei inter occupationes, tumultuſque cauſarum in animo veſtro reuocetur.

1. Cor. 8.

Eccl. 29.

Scriptura ſacra quid

EPISTOLA XLI.

Scribit omnia grauamina à monaſterio illius auferenda.

Inf. ep. 49

GRegorius, Luminoſo Abbati Monaſterij ſancti Thomæ de Ariminо.

Petitionem tuam congregationiſque tuæ libenter ſuſcepimus, ſecundum ſtatuta patrum iuriſque formam tuis precibus accommodantes effectum. Caſtorio fratri & coepiſcopo noſtro, noſtra præceptione tranſmiſſa eſt epiſtola, ſucceſſoribusque eius, & à te monaſterioque tuo cunctâ læſionis fundituſ abſtulimus poteſtatem, vt nec vltra in veſtro verſetur gremine, nec monaſterij res deſcribat, nec publica illic debeat eſſe proceſſio: illa videlicet ei iuriſdictione relicta, vt in defuncti abbatis locum, alium quem dignum communis conſenſus cõgregationis elegerit, debeat ordinare. His autem ita perfectis, in Dei opere eſtote ſolliciti, & aſſiduè operam orationi date, ne non videatur magis vobis quæſita mentis in oratione ſecuritas, ſed malè, quod abſit, de gentibus, epiſcopalis euitata diſtrictio.

EPISTOLA XLII.

De viſitatione Ariminenſi meliùs procuranda.

Sup. li. 2. ep. 1. Inſt. 5. ep 41. Iuo p. 7. c. 11. & 13. 18 q. 2 c. 4.

GRegorius, Leontio epiſcopo viſitatori Ariminenſis Eccleſiæ. Clero Ariminenſis Eccleſiæ, cuius viſitator es, conquerente comperimus, quòd remotis omnibus clericis, fraternitas tua hominibus ſuis, patrimonij eius gubernationem, cæteraſque vtilitates commiſerit peragendas. Quod ſi ita eſt, quærelam eiuſdem cleri ineptam eſſe non credimus. Ea de re his te hortamur affatibus, vt omnia quæ ad ſupraſcriptam Eccleſiã pertinent, per proprios eius homines, quos ipſe præuideris, ſiue per diaconum latorem præſentium gubernari agique diſponas, vt nulla eis aduerſum te iuſta murmurandi relinquatur occaſio. Si verò quædam de eis infidelitatis eſt fortaſſe ſuſpicio, cum eis quoque homines tuos in actione conſtitue, vt alterna erga ſe ſollicitudine debeant eſſe cuſtodes, rationes tibi modis omnibus poſituri. Quicquid verò de redditibus Eccleſiæ ipſius acceſſerit; quattuor iuxta conſuetudinem oportet fieri portiones: vnam ſcilicet, quæ clero præbenda ſit, aliam quæ pauperibus. De reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus: Vnam ſartis tectis profuturam: aliam pro Inf. ep. 49 ſuſtentatione ſua, Caſtorio proprio epiſcopo dirigẽdam: reliquam tibimet retinendam. Si quis igitur in ſupraſcriptæ Eccleſiæ clero dignus fuerit presbyter, vel diaconus, ſiue in gradu alio ordinari, liberam habebis ex noſtra auctoritate eum promouendi licentiam. In lucrandis ergo animabus inuigila, circa cleri rectitudinem eſto ſollicitus. Vtilitates Eccleſiæ, cuius viſitationem geris, iniuſtè perire vel deteriorari nulla ſurreptione permittas: ne, quod abſit, & apud DEVM perpetui labem periculi, & apud nos reatum culpæ poſſis incurrere. Comperimus præterea aliquid te annonæ de publico conſequi, & hac ex re verecundia comprimi, atque in cauſis Eccleſiæ, cuius viſitationem geris, iniuſtè perire vel deteriorari nulla ſurreptione permittas: ne, quod abſit, & apud DEVM perpetui labem periculi, & apud nos reatum culpæ poſſis incurrere. Comperimus præterea aliquid te annonæ de publico conſequi, & hac ex re verecundia comprimi, atque in cauſis Eccleſiæ, vel defenſione pauperum, vt congruit, non eſſe efficacem. Propterea abſtinendum eſt ab hoc quod verecundiam incutit, & ſtipendijs, quæ de Eccleſia conſequeris, debes eſſe contentus. Nam ſi aliter facere poſt noſtram adhortationem volueris, aliam de te æſtimationem habebimus. Quippe qui commiſſos tibi auaritiæ militare doces, quos ſufficientibus ſtipendijs inſtituis non eſſe contentos.

Epiſcopus munera non accipiat

EPISTOLA XLIII.

Vt Luminoso abbati, eiusq; monasterio nullam inquietudinem faciat.

GRegorius, Castorio Episc. Ariminensi. Luminosus abbas monasterij sanctorum Andreæ & Thomæ, in Ariminensi ciuitate constituti, quas nobis lachrymabiliter preces effuderit, inditæ textus petitionis informat. Pro qua re fraternitatem tuam hortamur, vt obeunte abbate monasterij ipsius, Ecclesia tua in describendis, prouidendisque acquisitis acquirendisve eiusdem monasterij rebus, nulla se occasione permisceat. Abbatem verò eidem monasterio non alium, sed quem dignum moribus atque actibus monasticæ disciplinæ communi consensu congregatio tota poposcerit, te volumus ordinare. Missas autem illic publicas per episcopum fieri omnimodo prohibemus, ne in seruorum Dei secessibus populatibus occasio præbeatur vlla conuentibus, & simpliciores ex hoc animas plerunque (quod absit) in scandalum trahat, frequentior quoque introitus mulieribus arceatur. Hanc autē scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore à te, vel post te episcopis ordinandis, firmam statuimus illibatamque seruari, vt & tua Ecclesia iuuante Domino, suo tantummodo sit iure contenta, & monasterium illud nulli vlterius aliqua ratione generali canonicæve iurisdictioni deseruiens, remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus, diuinum opus cum summa animi deuotione perficiat. Mense Iulij, Indictione XIII.

Mense Augusti, Indictione XIII.

EPISTOLA XLIV.

Gesta synodi habitæ à B. Gregorio Papa, tempore Mauricij Augusti, & in vrbe Romana.

REgnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, temporibus pijssimi ac serenissimi dominorum Mauricij, Tiberij, & Theodosij Augustorum eiusdem domini, imperio Mauricij anno tertiodecimo, indictione tertiadecima, quinto die mensis Iulij: Gregorius Papa coram sanctissimo B. Petri corpore, cum episcopis omnibus ac Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus diaconibus, & cuncto clero dixit. In sancta Romana Ecclesia, cui diuina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat. Vnde fit plerumque, vt ad sacrum ministerium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua in re præsenti decreto constituo, vt in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque Euangelicæ lectionis officium inter missarum solennia exoluant: psalmos verò ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretū meū venire tentauerit, anathema sit, & omnes responderunt, Anathema sit. Verecundum mos torporem indiscretionis inuoluit, vt huius sedis pontificibus ad secreta cubiculi seruitia laici pueri ac sæculares obsequantur, & cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici qualis in secreto sit vita sui pontificis nesciunt, quàm tamen, vt dictum est, pueri sciunt sæculares. De qua re præsenti decreto constituo, vt quidam ex clericis, vel etiam ex monachis electi, ministerio cubiculi pontificalis obsequantur: vt is qui in loco est reginiinis, habeat testes tales, qui vitam eius in secreta conuersatione videant, & ex visione sedula, exemplum profectus sumant. Consuetudo noua in Ecclesia hac, & valde reprehensibilis erupit, vt cum rectores eius patrimonij vrbana, vel rustica prædia iuri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant, atque hoc quod competere pauperibus æstimant: non iudicio, sed manibus defendant. Et cum per prædicatores suos veritas dicat: Nihil per contentionem, etiam ipsum litigiosè contentionis malum transcendunt, & res quælibet cum æstimatur Ecclesiæ posse competere, per vim tenetur. Proinde præsenti decreto constituo, vt si quis ecclesiasticorum vmquam titulos ponere siue in rustico, siue in vrbano prædio sua sponte præsumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. Is autem qui Ecclesiæ præest, si hoc vel ipse fieri præceperit, vel sine sua præceptione factum digna punire animaduersione neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. Sicut indignos nos pro beati Petri Apostoli reuerentia mens fidelium veneratur; ita nostram infirmitatem decet semetipsam semper agnoscere, & impensè sibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium, huius sedis rectoribus mos vltra meritum erupit, vt cum eorū corpora humana deferuntur, hæc dalmaticis contegant, easdem dalmaticas pro sanctitatis reuerentia sibimet partiendas populus scindat, & cum adsint multa à sacris corporibus Apostolorum, martyrumque velamina, à peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reuerentia reseruatur: de qua re præsenti decreto constituo, vt feretrum quo Romani pontifices corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere, sedis huius presbyteros ac diaconos censeo. Si quis verò ex eorum ordine hæc curare neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes, Anathema sit. Antiquam patrum regulam sequens, nihil vnquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallij, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam noua per ambitionem simulatio inuenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum imponit, Euangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit, sicut pontificem non decet, manum quam imponit vendere: ita minister vel notarius nō debet in ordinatione eius vocem suam, vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel pallio seu chartis atque pastello, eundem qui ordinandus, vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre forte præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatu subiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas chartas & pallium aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causa dare voluerit; hoc accipi nullo modo prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit. Multos de Ecclesiastica, seu sæculari familia, nouimus ad omnipotentis Dei seruitium festinare, vt ab humana seruitute liberi, in diuino seruitio valeant familiarius in monasterijs conuersari, quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici iuris dominium occasionem præbemus. Si verò festinantes ab omnipotentis Dei seruitio incautè retinemus, illi inuenimur negare quædam, qui dedit omnia. Vnde necesse est, vt quisquis ex iuris ecclesiastici vel sæcularis militiæ seruitute, ad Dei seruitium conuerti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus, & si mores eius atque conuersatio bono desiderio eius testimonium ferunt, absque retractatione seruire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, vt ab humano seruitio liber recedat, qui in diuino obsequio districtiorem appetit seruitutem.

Subscriptio Episcoporum.

GRegorius Dei gratia Episcopus his decretis subscripsit. Marinianus episcopus ciuitatis Rauennæ, subscripsit. Paulus episcopus ciuitatis Nepesinensis. Ioannes episcopus ciuitatis Surrentinæ. Gratianus ciuitatis Nomentanæ. Ioannes episcopus ciuitatis Falegninæ. Aelius episcopus ciuitatis Tarracinensis. Romanus episcopus ciuitatis Bletranæ. Dominicus episcopus ciuitatis Centumcellensis. Pelagius episcopus ciuitatis Anagninæ. Felix episcopus ciuitatis Portuensis. Ioannes episcopus ciuitatis Viliternæ. Candidus episcopus ciuitatis Bulcinensis. Luminosus episcopus ciuitatis Ferentinæ. Baldinius episcopus ciuitatis Rosellas. Secundinus Episcopus ciuitatis Tauromeniæ. Martianus episcopus ciuitatis Ferensis. Homobonus Episcopus ciuitatis Albanensis. Dominicus Episcopus ciuitatis Vtriculanæ.

Philip. 2.

Idem Gregorius in syn. Rom. c. 5. inf. li 12 Iuo l. 3. tit 2. c 7. & p. 5. c 109. Anselm. 6. c 83. Grat 2. q. 7. c. 38.

Dist. 54. c. 23.

Li. 3. ep 59 60 l. 5. ep. 11. 31. l. 7. ep. 91.

Constantius episcopus ciuitatis Narnienſis. Fortunatus episcopus ciuitatis Neapolitanæ. Anastasius episcopus ciuitatis Tiburtinæ. Proculus episcopus ciuitatis Prænestinæ.

Subscriptio presbyterorum.

LAurentius presbyter tituli sancti Silueſtri subscripſit. Ioannes presbyter sancti Vitalis. Speciosus presbyter sancti Clementis. Deusdedit presbyter sancti Ioannis & Pauli. Andromachus presbyter tituli Apostolorum. Cræseus presbyter sancti Laurentij. Rusticus presbyter sanctæ Susannæ. Vibilus presbyter sancti Marcelli. Petrus presbyter sancti Iulij & Callisti. Spectatus presbyter sancti Vitalis. Stephanus presbyter sancti Marci. Felix presbyter sancti Sixti. Petrus presbyter sanctæ Balbinæ. Iustus presbyter sanctorum Nerei & Achillæi. Speciosus presbyter sancti Damasi. Maurus presbyter sanctæ Priscæ. Placitus presbyter sanctæ Balbinæ. Victor sanctæ Cæciliæ. Ioannes sancti Chrysogoni. Auentius sanctæ Praxedis. Andreas sancti Marci. Ioannes sancti Ioannis & Pauli. Agapitus Apostolorum. Felix sanctæ Sabinæ. Bonus sancti Eusebij. Bassus sancti Prudentis. Ioannes sancti Silueſtri. Albinus sanctorum Marcellini & Petri. Antonius sanctæ Balbinæ. Candidus sancti Clementis. Romanus sancti Marcelli. Leo sancti Damasi. Auentius sancti Quiriaci. Fortunatus sanctorum quattuor coronatorum.

EPISTOLA XLV.

Inſ. l. 6. ep. 43. l. 7. ep. 4

De ordinatione Mariniani presbyteri ad episcopatum quem suscepit inuitus.

Regorius, Andreæ Scholastico. Excellentissimi viri domni patritij voluntatem in persona Donati archidiaconi implere voluimus: sed quia valde periculosum est animæ temerè cuiquam manum imponere; curæ nobis fuit, vitam actusque eius subtili inuestigatione discutere. Et quoniam multa inuenta sunt, sicut eidem domno patricio scripsimus, quæ eum pro culpa ab episcopatu remouent, Dei iudicium metuentes in ordinando eo non præsumpsimus consentire. Sed nec Ioānem presbyterum psalmorum nescium præsumpsimus ordinare, quia hæc eum res minus sui profectò habere studium demonstrabat. His igitur remotis cum ad eligendum de suis à nobis partibus vrgerentur, & nullum se habere ad hoc officium faterentur idoneum, maiorque nos vnà cum eis teneret afflictio, tandem venerabilem virum fratrē presbyterumque Marinianum, quem diu mecum didiceret in monasterio conuersatum communi concordantique voce atque consensu sæpius petiuerunt. Cuique refugienti, diuersis modis vix aliquando potuit suaderi, vt eorum præberet petitioni consensum. Et quia benè nobis eius vita est cognita, atque in lucrandis animabus illum nouimus esse sollicitum, nullam in ordinatione ipsius moram attulimus. Gloria itaque vestra eum, sicut decet, suscipiat, nouitatique eius consolationis auxilium porrigat. Nam omnibus, sicut nostis, cuiuslibet officij valde onerosa est nouitas. Ego autem magnam confidentiam habeo, quia omnipotens DEVS, qui eum dignatus est suo gregi præponere, & ad interiora illum curanda exacuet, & ad exteriora gerenda gratiæ suæ pietate confortabit. Sed quia post longa quietis otia, eius, vt prædiximus, nouitas proculdubio perturbatur; peto, vt cum venerit tempestatum sæcularium procellas fugiens, semper apud vestram mentem portum quietis inueniat, & de vestræ bono caritatis hilarescat. Quantum verò vobis cum illo conuenire valeat, citius cognoscetis, quia ad episcopatum venit inuitus.

Qui psalmos ignorat, episcopus ne ordinetur.

EPISTOLA XLVI.

Sup. l. 1. ep. 41. Inf. l. 7. ep 125.

Libros in expositionibus B. Iob, & librum regulæ pastoralis transmittit.

Regorius, Leandro Episcopo Hispalensi. Quanto ardore videre te sitiam, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis legis. Sed quia longo terrarum spatio disiunctum te videre nequeo, vnum quod mihi te dictauit caritas feci, vt librum regulæ pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi, & libros quos in expositionem B. Iob, iam dudum me fecisse cognouisti, sanctitati tuæ cum communi filio Probino presbytero veniente transmitterem. Et tuæ quidem caritati in eo opere tertiæ & quartæ partis codices nō transmisi, quia eos solummodo inuenio, quos ex eiusdem partibus codicis, quos iam monasterijs dedi, excerpsi. Hos itaque sanctitas tua studiosè percurrat, & peccata mea studiosius defleat, ne mihi culpæ grauioris sit, quòd quasi scire videor, quod agere prætermitto. In hac verò Ecclesia quantis causarum tumultibus premor, ipsa caritati tuæ epistolæ meæ breuitas innotescit, quando ei parum loquor, quem magis omnibus diligo.

Regula pastoralis.

EPISTOLA XLVII.

De episcopo eis eligendo, qui antecessoris probitatem imitari possit.

Regorius, Nobilib. Syracusanis. Laudis vestræ testimoniū, quam direxistis epistola, electionis vos onera sapienter declinasse significat. Et quoniam nostro hoc arbitrio commisistis, ac multa bona de venerandæ memoriæ quondam Maximiano episcopo referentes, talem vobis ordinari deposcitis, vos quidem sicut decet fideles filios, facitis: quia hæc de digno sollicitoque patre testamini, & obtrectantibus alijs bona ipsius etiam post obitum non tacetis. Vnde oramus omnipotentem Dominum, vt & vobis pro sinceritatis vestræ voluntate retribuat, & obloquentibus clementer ignoscat. Hoc tamen sciat magnitudo vestra: quia ciuitati illi quem dare possimus, Maximiano reuerendissimo similem non habemus. Sed quia à clero, & plebe Ecclesiæ Syracusanæ Agatho, ab aliquibus autem alter eligitur; hunc qui à clero, & plebe electus est, ad nos interim venire necesse est, vt vtrisque cominus constitutis, ille qui Deo placuerit, & vtilior visus fuerit, ordinetur. Nam desiderij nostri est, talem illic cum Christi gratia ordinare pontificem, qui bonorum supradicti episcopi cuius vos actionibus testimonium perhibetis, in omnibus debeat, Deo adiutore, imitator existere.

Lib. 1. ep. 12. 17. 26. 38 Ind. 11. ep. 44. 55

EPISTOLA XLVIII.

Sup. l. 2. ep. 3. Ind. 11.

De correctione monasterij S. Andreæ.

Regorius, Ioanni Abbati de Regio. Ea quæ ad correptionem religiosarum pertinent personarum, nos præterire nec decet, nec conuenit. Peruenit itaque ad nos, in monasterio S. Andreæ; quod iuxta Vulcanum est positum, multa perpetrari facinora. Atque ideo auctoritatis nostræ præceptione suffultum, ad id te monasterium proficisci necesse est: & omnia quæ dicuntur, subtili inuestigatione discutere. Et si ita, quod absit, inueneris, sic in illos regulariter vindicabis, vt digna eos coercio à prauis, & illicitis de cetero doceat actibus abstinere.

EPISTOLA XLIX.

Ioā. Diac. l. 4. c. 87.

Scribit de fide eis satisfacturum se, promittit q. Romam venientibus nullam molestiam illaturum.

Regorius, Petro, & Prudentio Episcopis de Histria. Deus qui lętatur in vnitate fidelium, & reuelat quærentibus veritatem, cordibus vestris dilectissimi fratres aperiat, quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ vniuersalis Ecclesiæ contineri, & in eius manere vnitate concordes. Quod fore non dubito, si abiecto contentionis stimulo, satisfieri vobis verciter de his quibus est dubietas, intendatis. Remeantis autem Castorij notarij mei relatione edoctus sum, fraternitatem vestram ad me habere desiderio veniendi, si promissum fuerit, quia nullam molestiam sustinebit. Hoc ego cognoscens & opto, & succensus ardore caritatis inuito, vt ad me veniendi debeatis laborem assumere, quatenus pariter cōferentes, quæ vera, & Redemptori nostro sunt placita, & communiter loquamur, & modis omnib. teneamus. Ego verò diuinæ protectionis gratia suffragante, satisfacere vobis de quib. dubitatis parat⁹ sum, & confido de omnipotētis Dei miseric. quòd ita

vobis

vobis satisfactio mea interius inhærebit, vt nihil caritati vestræ de cetero possit ambiguum remanere. Nam illa quæ sanctissimæ quattuor synodi sapuerunt atque definierunt, sicuti prædecessor noster sanctissimus Leo Papa, ita ea & nos sapimus, sequimur ac tenemus, nec ab earum fide aliquo modo dissentimus. Sed quia plus persona præsens, quàm epistola satisfacit, hortor dilectissimi fratres, vt ad me venire, sicut præfatus sum debeatis, dummodo ratione percepta à concordia sanctæ vniuersalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet. Hoc tamen certa sit vestra caritas, quia vos & cum affectu quo decet suscipiam, & cum gratia relaxabo. Nec aliquam vos vel quoscunque alios qui pro hac ad me causa venire voluerint, afflictionem, vel molestiam sustinere promitto. Sed seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia diuina compunxerit, siue quod absit, in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos remeare quando volueritis, iuxta promissionem meam sine læsione, vel molestia relaxare curabimus.

Mense Augusto, Indictione decimatertia.

EPISTOLA L.

De vsu pallij, & de sacris ordinibus per venalitatem non dandis, & de Simoniaca hæresi condemnanda, & de neophitis ad sacros ordines non promouendis.

*Gregorius, *Virgilio Episc. Arelatensi.* O quàm bona est caritas, quæ absentia per imaginem, præsentia sibimet ipsis exhibet per amorem, diuisa vnit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat. Quã rectè prædicator egregius vinculum perfectionis vocat, quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas caritas etiam ligat, vt ab amantis mente dissolui iam nequeant. Hac itaque virtute frater charissime plenum te esse reperio, sicut mihi de te, & hi qui ex Gallicanis partibus veniunt, & epistolæ tuæ ad me directæ verba testantur. Quòd verò in eis iuxta antiquũ morem vsum pallij, ac vices sedis Apostolicæ postulasti, absit, ne aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum in vicibus nostris ac pallio quæsisse te suspicer. Sed quia cunctis liquet, vnde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis Apostolicæ fraternitas vestra repetit; quid aliud quàm bona soboles ad sinum matris Ecclesiæ recurrit? Libenti ergo animo postulata concedimus, ne aut vobis quicquam de debito honore subtrahere, aut præcellentissimi filij nostri Childeberti regis petitionem contempsisse videamur. Sed iam nunc studio maiori res indiget, vt cum honor crescit, etiam sollicitudo proficiat, & erga ceterorum custodiam vigilantia excrescat, vitæ quoque merita subiectis in exemplum veniant, & numquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cælestis patriæ vestra fraternitas exquirat. Nostis enim quid beatus Apostolus gemens dicat: Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Christi Iesu. Quibusdam namque narrantibus agnoui, quod in Galliarum, vel Germaniæ partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum, cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere, est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, vt prædixi malo iam innuitur quid sequatur. Quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt, qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui precio ad sacrum ordinem perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus, paratior est alijs venundare quod emit. Et vbi est quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date? Et cum prima Simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum precio ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat? Alia quoque nobis res est valde deflebilis nunciata, quod quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis, defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt subito sacerdotes. Qua in re iam notum est qualis ad sacerdotium venit, qui repentè de laico habitu ad sacrum transit ducatum. Et qui miles nunquam extitit, dux religiosorum fieri, non pertimescit. Quam iste prædicationem habiturus est, qui fortasse numquam audiuit alienam? Aut quando aliena mala corrigat, qui nec dum sua fleuit? Et cum ad sacros ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibeat, sciendum nobis est, quia sicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide; ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc nouus est in sancta conuersatione. Scimus autem, quòd ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi nouitatis suæ humore siccentur, ne si ante pondera quàm solidantur accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant. Et cum ad ædificium arbusta succidimus, vt prius viriditatis humor exiccari debeat, expectamus: ne si eis adhuc recentibus fabricæ pondus imponitur, ex ipsa nouitate ruruentur, & confracta citius corruant, quæ immature in altum leuata videbantur. Cur ergo hoc non subtiliter in hominibus custoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus tanta consideratione perpenditur? Qua de re necesse est, vt vestra fraternitas præcellentissimum filium nostrum Childebertum regem admonere studeat, vt huius peccati maculam à regno suo funditus repellat: quatenus omnipotens DEVS tanto illi apud se maiora retribuat, quanto eum conspicit, & amare quod ipse diligit, & vitare quod odit. Itaque fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesijs, quæ sub regno sunt præcellentissimi filij nostri Childeberti, iuxta antiquum morem Deo auctore committimus. Singulis siquidem metropolitis secundum priscam consuetudinẽ proprio honore seruato, pallium quoque transmittimus, quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola missarum solennia vtatur. Sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere fortè voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate ei ad loca alia transire non liceat. Si qua verò inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiuerit, discussa veritate ad nostrum iudicium referatur. Omnipotens autem DEVS sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vos in moribus seruare concedat.

Dat. die 6. Iunij Indict. XIII.

Neophyti qui dicantur. D. 48. c. 2. Iuo. p. 5. c. 131. & 132. l. 7. ep. 110.

Ad sacerdotium noui in sancta cõuersatione eligi nõ debent.

Sup. ep. 15. & inf. ep. 55 h. l. D. 100 c. 6 Anſ. l. 6. c. 98.

Cauſę d ficiles ſi decidi à epiſcopis nõ poſſint ad Sedem Apoſtolicam referantur.

EPISTOLA LI.

De Anastasio episcopo deposito, & diacono eius, & de alijs plurimis.

Inf. ep. 55 h. l.

Gregorius, Ioanni Episcopo Corinthiorum. Aequitatem atque sollicitudinem Secundini fratris, & coepiscopi nostri, quæ olim benè nobis est cognita, etiam series indicata scriptorum vestrorum monstrauit. In qua re valde placuit, lætosque nos reddidit, quia in causa Anastasij quondam episcopi, quam ei examinandam iniunximus, vigilantiam suam, & diligenter exercuit, & cognita crimina, vt iustitia poscebat & oportuit, vindicauit. Sed in his omnibus gratias omnipotenti DEO referimus, qui desistentibus quibusdam accusatoribus, cognitioni eius veritatem, ne tantorum causa facinorum latere potuisset, ostendit. Quoniam verò in eadem sententia in qua suprascriptum Anastasium iustè damnatum constat atque depositum, sic quasdam suprascriptus frater & coepiscopus noster vltus personas est, vt nostro arbitrio reseruaret: idcirco quid de eis tenendum seruandumque sit, præsenti epistola significare perspeximus. Paulum itaque diaconum latorem præsentium, quamuis culpa sua vehementer confundat atque redarguat, quòd deceptus promissione, ab accusatione nuper depositi quondam episcopi sui destiterit, & cupiditatis studio silere contra animam suam potius quam prodere vera consenserit: tamen quia plus esse conuenit nos misericordes quàm districtos, hanc ei culpam ignoscimus, atque eum in ordine locoque suo recipiendum esse censemus. Nam ei à tempore prolatæ sententiæ afflictionem, quam pertulit, credimus ad vindictam huius posse culpæ sufficere.

Euphemium verò atque Thomam, qui pro deferenda accusatione episcopi sui sacros ordines acceperunt, eisdem sacris priuatos ordinibus esse censemus, atque ita sicuti sunt depositi, volumus permanere, nec vnquam eos sub qualibet excusationis specie sacros in ordines reuocari decernimus. Nam nimis indignum, & cõtra Ecclesiasticæ regulam disciplinæ est, vt honore quem non ex meritis, sed pro sceleris præmio perceperunt, fungantur. Quia tamen plus misericordiæ, quàm districtæ nos conuenit operam dare iustitiæ, eosdem Euphemium atque Thomam in ordine locoque tantummodo, vnde ad ordines sacros promoti fuerant, volumus reuocari, & cunctis diebus vitæ suæ eorundem locorum continentiam sicut cõsueuerant, ante percipiant. Clematium verò lectorem similiter benignitatis intuitu, in ordinem locumque suum reuocandum esse constituo. Quibus etiam omnibus, id est, Paulo diacono, Euphemio, Thomæ, atque Clematio commoda sua secundum locum & ordinem, in quo quisque eorum est, sicut solitus erat accipere, à præsenti tertia decima indictione vestra fraternitas sine aliqua studeat imminutione præbere. Quia igitur suprascriptus Paulus diaconus multa se pro vtilitate Ecclesiæ vestræ memorat expendisse, & vt ea possit recipere, fraternitatis vestræ solatio desiderat adiuuari; hortamur, vt si ita est, omni ei possibilitate ad recipienda quæ dedit, debeas concurrere, atque vestris eum auxilijs adiuuare: quia nulla ratio patitur, vt in his quæ pro vtilitate generalitatis impendit, aliquod sustineat iniustè dispendium. Præterea tres libras auri, quas imminente suprascripto fratre & coepiscopo nostro Secundino, eundẽ Paulũ diaconum pro vtilitate vestræ dedisse constat Ecclesiæ, fraternitas vestra eas cessante dilatione restituat: ne, quod absit, non rationabiliter, sed sola eum grauare voluntate tantummodo videatur.

EPISTOLA LII.

De Virgilio eis prælato, qui vices Sedis Apostolicæ gerat, & de synodo.

GREGORIVS, *Vniuersis Episc. Galliarum, Qui sub regno Childeberti sunt.*

Ad hoc dispensationis diuinæ prouisio gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minorib. delectionem impenderent, vera concordiæ fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentiæ ordo seruaret. Quia verò quæque creatura in vna eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, & sunt Archangeli; liquet, quod non sunt æquales, sed in potestate & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt, ista constat esse distinctio: quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere, cui nouit etiam Angelos obedire? Hinc etenim pax, & caritas mutua se vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna, & Deo placita dilectione sinceritas. Quia igitur vnumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit vnus ad quem possit recurri præpositus: idcirco opportunum esse perspeximus, in Ecclesijs, quæ sub regno præcellentissimi filij nostri Childeberti regis sunt, secundum antiquam consuetudinem fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis episcopo vices nostras tribuere: quatenus & Catholicæ fidei integras, id est, sanctarum quatuor synodorum, Deo protegente, sollicita deuotione seruetur: & si inter fratres, consacerdotesque nostros aliqua euenerit fortè contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione compescat. Cui etiam iniunximus, vt si quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti fratribus & coepiscopis nostris, salubriter hoc seruata æquitate discutiat, & canonica integritate definiat. Si quam verò contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit, aut negocium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat; examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem: quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Et quoniam necesse est, vt ad eum cui nostras vices iniunximus, quotiens oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis deberi episcopi temporibus conuenire: hortamur, vt nullus mandatis eius inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse postponat; nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cuiusdam eum causæ iusta excusatio minime venire permiserit. Hi tamen qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in synodum conuenire, loco suo presbyterum aut diaconum dirigant: quatenus quæ à nostro Vicario Deo auxiliante fuerint definita, ad eum qui absens est, per ipsum quem miserit, fida relatione perueniant, vt inconcussa firmitate seruentur, & nullius ea quæ constituerit, audeat occasionis excusatio violare. Hoc etiam vos pariter præuidimus admonendos, vt nullus vestrũ ad longinquiora loca sine præfati fratris & coepiscopi nostri Virgilij auctoritate tentet aliquo modo proficisci, scientes, quia & prædecessorum nostrorum, qui vices suas eius prædecessoribus commiserunt, sic proculdubio mandata definiunt. Hortamur præterea, vt de officio suo sit quisque vestrum sollicitus, vt qui promissam cupit mercedem pastionis accipere, commissum sibi gregem sollicitudine, & oratione custodiat, ne lupus insidians oues creditas inuadendo dilaniet, & sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur fratres charissimi, & totis omnipotentem Dominũ precibus exoramus, vt dilectionem vestram in amoris sui constantia faciat magis magisque feruescere, atque in pace Ecclesiæ manere, & in vna vos concedat magnopere retineri concordia. Nunciatum verò nobis est, quod per Simoniacã hæresim ad sacros quidam ordines adducantur, & hoc suprascripto fratri & coepiscopo nostro Virgilio per omnia prohibẽdum mandauimus, quod vt vestra fraternitas recognoscat, & studio se custodiat, & ipsa coram vobis est epistola relegenda. Dat. die 11. mensis Augusti, Indict. 13.

Integritas fidei in sertis quatuor synodis consistit.

Res graues ad sedem Apostolicam referantur.

EPISTOLA LIII.

Ne laici statim ad episcopatum eligantur, & ne precio dignitates Ecclesiæ conferantur, alijs q́ quamplurimis in regno eius emendandis.

GRegorius, *Childeberto Regi Francorum.* Lætos nos excellentiæ vestræ vehementer fecit epistola, quæ pia vos affectione de honore, & reuerentia sacerdotali testatur esse sollicitos. Hinc etenim cunctis ostenditis fideles Dei vos esse cultores, dum sacerdotes ipsius grata ac debita veneratione diligitis, & Christiana deuotione quicquid ad eorum augmentum pertinet, agere festinatis. Vnde & grataanter ea, quæ scripsistis, accepimus, & quæ voluistis, animo libenti concessimus: atque ideo fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis episcopo, vices nostras iuxta antiquum morem, & excellentiæ vestræ desiderium, Deo fauente commisimus; cui etiam, & pallij vsum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus. Sed quia aliqua ad nos perlata sunt, quæ, & omnipotentem Deum nimis offendunt, & quamplurimum sacerdotij honorem reuerentiamque confundunt; quæsumus, vt potestatis vestræ annitente censura, modis omnibus emendentur, ne dum laudandæ deuotioni vestræ res temerariæ ac peruersæ repugnant: aliorum, quod absit, culpa aut regnum vestrum grauetur, aut anima. Peruenit autem ad nos, obeuntibus episcopis quosdam ex laicis tonsurari, atque ad episcopatum precipiti saltu conscendere. Et qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur. Et quoniam quod posset docere, non didicit, sacerdotium tantummodo gerit in nomine, nam laicus in sermone pristino perseuerat, & opere. Quomodo ergo pro aliorũ peccatis intercessurus est, qui sua primitus non defleuit: Talis enim pastor non munit gregem, sed decipit, quia dum contradicente verecundia non potest alijs hoc quod ipse nõ facit suadere, quid est aliud nisi vt plebis Dominica prædonibus populanda remaneat, & inde sumus interitum, vnde salutiferæ protectionis magnum debuit habere subsidium? Quod quàm prauum sit, quamue peruersum

ex sua

ex sua quoque ordinatione excellentiæ vestræ celsitudo perpendat. Certum namque est, non vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor eius fidesque probata constiterit, nisi eum anteactæ vitæ virtus, & sollicitudo aptum esse monstrauerit. Si verò non alijs, nisi huiusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarũ, ex istius rei consideratione seu comparatione benè colligitur. Sed verecundum nobis est, & dicere pudet, quia ducatum sibi sacerdotes arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ nõ viderunt. Simul autem & illud valde execrandum nobis est nunciatum, quòd sacri ordines per Simoniacam hæresim, id est, accepto præmio conferuntur. Et quia pestiferum nimis est, & sanctæ Ecclesiæ vniuersali cõtrarium, in sacrum quempiam ordinem non meritis, sed precio collocari; hortamur, vt tam detestabile facinus de regno suo excellentia vestra prohiberi præcipiat. Nam ipse se ad hoc officium ostendit prorsus indignum, qui donum Dei pecunia mercari nõ metuit, & commodis præsumit appetere, quod habere per gratiam non meretur. Hæc igitur præcellentissime fili idcirco admoneo, quia animam vestram saluari desidero. Quæ etiam dudum scribere volui, si voluntatem meam innumeræ occupationes minimè præpedissent. At postquam se congruũ rescribendi tempus ingessit, quod facere me oportuit, non omisi. Salutantes itaque excellentiam vestram, paternæ caritatis affectu petimus, vt cuncta quę suprascripto fratri, & coepiscopo nostro fieri seruarique mandauimus, fauoris vestri præsidio compleantur, ne cuiusquam ea aliquo modo elatione aut superbia conuelli permittatis. Sed sicut per prædecessores eius singulos sub glorioſi patris vestri regno seruata sũt; ita quoque auxilio vestro sollicita omnino deuotione seruentur. Oportet ergo, vt hoc nobis vicariè rependatur, & sicut nos vestram implere non distulimus voluntatem, ita & vos propter Deum, & B. Petrum Apostolorum principem nostra faciatis in omnibus seruari statuta: quatenus excellentiæ vestræ laudabilis, & Deo placita se circunquaque tendat opinio. Dat. die 12. mensis Augusti, Indict. 13.

EPISTOLA LIV.

De vsu pallij ei concesso.

G*Regorius, Mariniano Episcopo Rauennæ.* Apostolicæ sedis benevolentia, & antiquæ consuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Rauennati Ecclesia gubernationis suscepisse constat officium, pallij vsum præuidimus concedẽdum. Quo non aliter te vti memineris, nisi in propria tuæ ciuitatis dimissis iam filijs Ecclesia procedens, à salutatorio ad sacra missarum solennia celebranda; peractis verò missis, idẽ in salutatorio rursum curabis deponere. Extra Ecclesiam verò non amplius illo tibi, nisi quater in anno, in letanijs quas ad decessorem tuum Ioannem expressimus, vti permittimus: hoc nihilominus admonentes, vt sicut à nobis huiusmodi decoris vsum ad sacerdotalis officij honorem largiente Domino percepisti, ita etiam morum atque actuum probitate ad Christi gloriam susceptum adornare contendas officijs. Sic etenim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huiusmodi corporis habitum mentis quoq; tuæ bona concordẽt. Omnia etiam priuilegia, quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

EPISTOLA LV.

Quomodo gregem Dei gubernare debeat.

G*Regorius, Ioanni Episcopo Corinthiorum.* Postquam Deus noster, cui nihil occultum est, de Ecclesiæ suæ gubernatione nefandam pollutionis pestem abijciens, vos ad eius voluit regimen adducere, magna vobis præcauendum est sollicitudine, vt post vulnera & diuersa prioris mali pastoris contagia, in fraternitate vestra grex Dominicus consolationem ac salubre medicamentum inueniat. Sic ergo præcedentis contagij maculam manus vestræ actionis abstergat, vt nulla exerandæ prauitatis illius vestigia, nullam sinat manere memoriã. Sit igitur erga subiectos sollicitudo laudabilis. Exhibeatur cum mansuetudine disciplina. Sit cum discretione correptio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat, & ita alterum cõdiatur ex altero, vt nec immoderata vltio plus quàm oportet, affligat, nec iterum frangat rectitudinem disciplinæ remissio. Instructio commissi populi, fraternitatis vestræ sit actio. Videat in vobis quod diligat, cernat quod imitari festinet. Exemplo vestro viuere doceatur. A recto itinere te duce non deuiet, ad Deum vos sequendo perueniat, vt tot ab humani generis Saluatore retributiones accipias, quot lucra ei operatus fueris animarum. Labora itaque frater carissime, & ita totam mentis, & cordis ad hoc efficaciam dirige, quatenus dignè in futuro merearis audire: Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium domini tui. Pallium verò sicut per epistolam vestram, quam per Andream fratrem & coepiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus, quo ita vos vti necesse est, sicut prædecessores vestri vsi, concedentibus nostris prædecessoribus, approbantur. Præterea peruenit ad nos, quod in illis partib. nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuncio: quia cũ sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoq; diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas. n. vendere, est de S. Spiritu, quem Deus omnipotens consubstãtialem sibi per impositionem manuũ hominibus tribuit, cõmodum temporale percipere. Ex quo (vt prædixi) malo, iam innuitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vẽdere præsumpserunt, eorũ Deo iudice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoq; qui ad sacrum ordinem perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus, paratior est alijs venundare quod emit. Et vbi est quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date? Et cum primo contra sanctam Ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta; cur non perpenditur? cur non videtur, quia eum quem quis cum precio ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat? Quia ergo hanc nefandissimam prauitatem sãcta vniuersalis omnino damnat Ecclesia; hortamur fraternitatẽ vestram, vt tam detestabile, & tam immane peccatum de locis omnibus, quæ sub se sunt, sollicitudinis suæ modis omnibus cõpescat instantia. Nam si quid tale aliquid deinceps fieri senserimus, iam non verbis, sed canonica hoc vltione corrigemus: & de vobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere iudicium. Nouit autem fraternitas vestra: quia prius pallium nisi dato commodo non dabatur. Quod quoniã incongruum erat, facto concilio ante corpus B. Petri Apostolorum Principis, tam de hoc, quàm de ordinationibus aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus. Oportet ergo vt neque per commodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationem aliquos ad sacros ordines cõsentiatis vel permittatis adduci. Nam & peccatum (sicut diximus) graue est, & sine correptione hoc non patimur remanere. Suprascriptum verò Andream fratrem & coepiscopum nostrum ob hoc tardè suscepimus, quia renunciante fratre & coepiscopo nostro Secundino didicimus, epistolas vestras sibi eum in Ioan. Lariſſæi episcopi excusatione finxisse. Et nisi bona vestra nobis quæ audiuimus suasissent, nulla illum habuimus ratione suscipere. Dat. die 15. mensis Aug. Indict. 13.

Inf. ep. 56.

1. q. 1. c. 117

Simoniacos detestatur. Matt. 21.

Matt. 10.

Ne pallium accepto cõmodo conferatur.

Li. 2. ep. 7.

EPISTOLA LVI.

Plin. l. 35. c. 1.

Vt nullus per præmium ordinetur. Pariterq; exponit, quòd Dominas cathedras columbas venditium euertit.

G*Regorius, Vniuersis Episcopis per Helladiam prouinciam constitutis.*

Gratias omnipotenti Deo vobiscum fratres carissimi refero, qui latens vulnus quod antiquus hostis intulerat, ad omnium fecit peruenire notitiam, & de Ecclesiæ suæ corpore salutifera illud incisione compescuit. Ex quare & gaudendum nobis est, & dolendum. Gaudendum quippe de correctione facinoris, dolendum verò de casu fratris. Sed quoniã plerumque alterius casus, alterius solet esse cautela; quo quisque cadere timet, attendat, aditum hosti non præbeat, non putet latere quod agitur; nam veritas clamat: Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur.

Hæc

Hæc enim vox actionis nostræ iam præco est, & ipso teste modis omnibus adducit ad publicum, quod agitur in secreto. Aut quis actus suos ante illum nitatur abscondere, qui eorum & testis & iudex est? Quia verò nonnumquam dum aliud attenditur, aliud non cauetur: oportet vt contra omnes hostis insidias quisque debeat esse sollicitus, ne dum in vno vincit, superetur in altero. Nam & terrenus hostis, qui munita loca cupit inuadere, pugnandi arte sic vtitur. Latenter quidem ponit insidias, & ad vnius loci se expugnationem totus ostendit, vt dum ad defensionem loci illius vbi instat periculum conuenitur, loca alia de quibus nulla est suspicio, capiantur. Et euenit, vt qui cognitus resistentis virtute repulsus est, latens obtineat quod certando non potuit. Sed quia in his omnibus diuinæ protectionis auxilio opus est, voce cordis singuli clamemus ad Dominum, dicentes: Domine, ne longè facias auxilium tuum à me, ad defensionem meam respice. Manifestũ namque est, quia nisi ipse auxiliatus fuerit, & ad se clamantes defenderit, hostis noster vinci non poterit. Præterea epistolam caritatis vestræ per Andream fratrem & coepiscopum nostrum suscipientes, pallium Ioanni fratri nostro Corinth. episcopo nos trãsmisisse cognoscite: cui vos magnoperè conuenit obedire, præsertim dum hoc sibi & antiquæ consuetudinis ordo defendat, & bona eius quibus ipsi testimonium perhibetis, inuitent. Quibusdam namque narrantibus agnoui, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine comodi datione perueniat. Quod si ita est, flens dico, gemensque denuncio, quia cum sacer dotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus in templum, cathedras vendentium columbas euertit. Columbas quippe vendere, est de sancto spiritu, quem sibi consubstantialem Deus omnipotẽs per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, vt prædixi innuitur quid sequatur: quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque, qui ad sacrum ordinẽ perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus, paratior est alijs vendere quod emit. Et vbi est quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date? Et cum primò contra sanctam Ecclesiam Simoniaca hæresis sit exorta; cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum precio ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat? Ideoque hortamur, vt nullus vestrum denuo hoc fieri patiatur, sed neque gratia alicuius, neque supplicatione, aliquos ad sacros ordines audeat promouere, nisi eum quem vitæ, & actionis qualitas ad hoc dignum esse monstrauerit. Nam si aliter factum denuo sensserimus, districta ac canonica illud noueritis vltione compesci. Dat. die 15. mensis Augusti, Indictione decimatertia.

Psal. 39.

1 q.1.c.117 Iuo. p.5.c.108

Matt.21

Matt.10

EPISTOLA LVII.

Hortatur eos qui Angliam proficiscuntur, vt nullis laboribus perterreantur, sed inchoata perficiant.

Ex Paulo diacono li.2.c.34

GRegorius, Episcopus, Seruus Seruorum Dei, seruis Domini nostri Iesu Christi. Quia melius fuerat bona non incipere, quàm ab his, quę cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire: summo studio, dilectissimi filij, oportet, vt opus bonum, quod cœpistis, auxiliante Domino, compleatis. Nec labor vos ergo itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant, sed omni instantia, omnique feruore, quæ inchoastis, Deo auctore, peragite; scientes, quòd laborem magnum maior æternæ retributionis gloria consequetur. Remeanti autem Augustino præposito vestro, quem & abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite, scientes vestris animab. per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, & nostri laboris fructum in æterna me patria videre concedat: quatenus & si vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare scilicet volo.

Expliciunt Epistolæ Indictionis 13.

LIBER QVINTVS.

INCIPIVNT EPISTOLAE EX REGESTO BEATI GREGORII PAPAE.

INDICTIONE XIV. ET DE Anno ordinationis eius VI.

EPISTOLA PRIMA.

De testamento à Ioanne Episcopo condito.

Sup.l.4.epist.31.l.5.epist.44

GRegorius, *Mariniano Episcopo Rauennæ.* Sicut iniusta poscentib. nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantium non est differenda petitio. Presbyteri igitur ac diaconi, atque clerus fraternitatis vestræ oblata nobis petitione conquesti sunt, Ioannem quondam decessorem tuum, condito testamento, diuersa in Ecclesiæ suæ grauamina conscripsisse. Et petiuerunt vt hæc in damnum Ecclesiæ suæ, prohibente quippe lege, nulla deberent occasione persolui. Et quamuis postquam hæreditas illius, successioque repudiata est, ad hæc te satisfacienda ratio nulla cõstringat: verumtamen ex abundanti his te hortamur affatibus, vt ea quæ de Ecclesia sua, vel de acquisitis in episcopatu rebus contra legum fieri statuta disposuit, fraternitas vestra nec auctoritatem præbeat, nec aliqua in his ratione consentiat. Si quid autem de proprijs rebus, quas ante episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ suæ non contulit, fieri voluit vel decreuit, firmum per omnia robur obtinere necesse est: nec quisquam Ecclesiasticorum id contra rationem tentet qualibet excusatione conuellere. Quia verò dum viueret, sæpius à nobis expetijt, vt ea quæ in monasterio illo contulerat, quod iuxta Ecclesiam sancti Apollinaris ipse construxerat, nostra debuissemus auctoritate firmare, & nos facturos hoc esse promisimus: fraternitatem vestram necessariò duximus adhortandam, vt nihil de his quæ illic contulit atque constituit, aliquo modo patiatur imminui, sed omnia firma studeat stabilitate seruari. Huius igitur monasterij & collectarum illic rerum, quia in testamento quod condidit fecisse noscitur mentionẽ, sciendum vobis est non ea nos ideo confirmasse, quoniam supremam eius sequimur voluntatem, sed quia ei hoc, sicut diximus, viuenti promisimus. Hæc itaque omnia sic sollicitè fraternitas vestra implere festinet, quatenus & quæ in suprascripto monasterio constituit, & à nobis sunt firmata, seruentur, & illa quæ in damnum dari vel fieri per testamentum suæ decreuit ecclesiæ, nullam prohibente nempe lege, obtineant firmitatem.

EPISTOLA II.

De Mariniano Episcopo, quod rectæ fidei sit.

Sup.l.1.ep.33.l.4.ep.49.l.5.ep.53.in mon.l.11.ep.1.l.12.ep.10.

GRegorius, *Clero & plebi Ecclesiæ Rauennæ.* Peruenit ad nos, quosdam homines maligni spiritus instigatione peruasos erga opinionẽ fratris, & coepiscopi nostri Marinianimentes vestras corrumpere falsa locutione voluisse, dicentes quod idem frater noster minus quam decet sanctam Chalcedonensem synodum veneretur. De qua re omnibus vobis, & ipse præsens de integritate suæ fidei satisfaciat, & nos per omnia testamur eum à cunabulis in sanctæ vniuersalis ecclesiæ gremio nutritum, rectam prædicationem fidei cum vitæ suæ attestatione tenuisse. Veneratur enim sanctam Nicænam synodum, in qua Arius; Constantinopolitanam, in qua Macedonius; Ephesinam primam, in qua Nestorius; & sanctam Chalcedonensem synodum, in qua Dioscorus atque Eutyches damnatus est. Si quis autem contra harum quatuor synodorum fidem, & contra sanctæ memoriæ Leonis Papæ tomum atque definitionem aliquid vnquam loqui præsumit, anathema sit. Proinde satisfactionem plenissimam recipientes, caritate integra, puro corde, pastorem vestrum diligite, vt apud Deum purius fusa eiusdem vobis valeat prodesse intercessio pastoris.

Quatuor concilia suscipiuntur

Leonis p. ad Flauian.

EPISTOLA III.

Maximus per simoniacam hæresim ordinatus, Romam citatur.

GREGORIVS, *Maximo Præsumptori Ecclesiæ Salonitanæ.* Quotiens contra Ecclesiasticã quid gestum dicitur disciplinã ne nos ante Deum culpa ex dissimulatione redarguat, irrequisitum hoc relinquere non audemus. Peruenit itaque ad nos, quòd per simoniacam hæresim fueris ordinatus. Sed & alia de te multa hic dicta sunt, de quib. vnum quam maximè fuit, propter quod necesse habuimus te summoperè per scripta nostra prohibere, ne missarum solennia celebrare debuisses, donec quid esset, verius potuissemus addiscere. Ne ergo filij Ecclesiæ diu videantur non habere pastorem, & ne per hæc quæ dicuntur, si indiscussa remanserint, huiusmodi se vitium tendat in plurimos, hortamur, vt ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus seruata iustitia, hæc & cognoscere, & finire secundum canonica instituta Christo reuelante possimus. Ita autem fac vt ad veniendum amplius iam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxiũ his quę dicuntur assignet, & nos in te hæc res non solùm propter dicta crimina, quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam durius, scilicet vt in contumacem, cogat ex Concilio ferre iudicium.

EPISTOLA IV.

Præcipit modios tritici pauperibus erogare duo millia.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono.* Zenon frater, & coepiscopus noster quosdam in ciuitate sua alimoniarum necessitatem inuotuit sustinere, quib. quoniam, vt possibile est, aliquod desideramus ferre consultum; idcirco dilectionem tuam ante dicto fratri, & coepiscopo nostro mille modios tritici, aut si plus leuare potuerit, vsque ad duo millia scriptis te dare præsentibus deputamus. Hortamur igitur, vt in his præbendis nullam moram aut excusationem adducas, quatenus dum tempus finit, & hic cum Dei adiutorio sine periculo ad propria remeare, & citius valeat necessitatem patientibus subuenire.

EPISTOLA V.

Candidum presbyterum rectorem patrimonij, quod erat in Gallia, commendat.

GREGORIVS, *Brunichildæ Reginæ Francorum.* Excellentiæ vestræ prædicandam ac Deo placitam bonitatem, & gubernacula regni testãtur, & educatio filij manifestat. Cui non solùm incolumem rerum temporalium gloriam prouida solicitudine cõseruastis, verumetiam æternæ vitæ præmia prouidistis, dum mentem ipsius in radice veræ fidei materna, vt decuit, & laudabili institutione plantastis. Vnde non immeritò cõtigit, vt cuncta gentium regna præcelleret: quippe qui earundem gentium creatorem & purè colit, & veraciter confitetur. Sed vt laudabilius in eo fides cum operibus enitescat, adhortationis vestræ eum verba succendant: quatenus sicut sublimem illum inter homines potentia regalis ostendit, ita ante Deum magnum faciat pietas actionis. Quia verò multarum rerum experimẽta nos admonent de excellentiæ vestræ Christianitate confidere: idcirco paterno salutantes affectu, quæsumus, vt propter amorem B. Petri Apostolorum principis, quem toto vos scimus corde diligere, dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum præsentium portitorem, vna cum patrimoniolo, ad cuius eum gubernationem transmisimus, auxilij vestri patrocinio foueatis: quatenus potestatis vestrę gratia roboratus, patrimoniolum ipsum, quod pauperum constat expensis proficere, & salubriter regere, & si qua exinde ablata sunt, vestro fultus auxilio diligenter inquirere, & Deo propitio in pristinũ possit reformare statum. Ad ipsius verò patrimonioli regimen proprius Ecclesiæ homo transmissus est. Excellentia ergo vestra ita se libenter in his quæ poscimus dignetur impendere, vt B. Petrus Apostolorũ princeps, cui à Domino Iesu Christo ligandi, ac soluendi data est potestas, & hic excellẽtiam vestram in sobole gaudere concedat, & post multorum curricula à malis omnibus absolutam, ante conspectum æterni faciat iudicis inueniri.

EPISTOLA VI.

Illum ob fidei Catholicæ pietatem laudat, & Candidum presbyterum commendat.

GREGORIVS, *Childeberto Regi Francorum.* Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profectò culmẽ excellit. Esse autem regem, quia sunt & alij, non mirum est: sed esse Catholicum, quod alij non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in terrę noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit; ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quicquid autem reges se ceteri gloriantur habere, habetis. Sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis. Vt ergo sicut fidelita & actione vincantur, benignam se excellentia vestra suis subiectis semper exhibeat. Et si qua sunt quæ eius animum offendere valeant, ea indiscussa non sinat. Tunc enim verè regi regum, id est, omnipotenti Domino amplius placebit, si potestatem suam restringens minus sibi crediderit licere quàm potest. Quia igitur sinceritatem fidei, & mente seruatis & opere, B. Petri Apostolorum principis amor, qui in vobis est, euidenter ostendit, cuius res, Christianæ religionis intuitu, sub vestri culminis potestate benè hactenus gubernatæ & cõseruatæ sunt. Sed quoniam Dinamius patricius, qui ex nostra commendatione rebus ipsis sollicitudinem impendebat, eas modò gubernare, vt cognouimus, non potest: ne patrimoniolum ibidem constitutum faciente negligentia deperiret, idcirco præsentium portitorem dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum ad id gubernandum transmisimus, quem excellentiæ vestræ, præmisso paterna caritate salutationis alloquio in omnibus commẽdamus: petentes vt si aliquod illic fortasse præiudicium factum est, aut res eiusdem patrimonioli ab aliquo detinentur, potestatis vestræ iustitia corrigatur, & iuri pristino quæ ablata sunt, reformẽtur: quatenus sicut fides vestra, ita & æquitas omnibus (quod est valde gloriosum atque laudabile,) gentibus enitescat. Claues præterea sancti Petri, in quibus de vinculis catenarum eius inclusum est, excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ à malis vos omnibus tueantur.

Sup. lib. 4. ep. 53.

Claues S. Petri.

EPISTOLA VII.

Do ordinatione Andreæ Episcopi. De vsu pallij: & quid sit in templo Dei columbas vendere.

GREGORIVS, *Theodoro & Demetrio, Philippo Zenoni, & Alcissono Episcopis Epiri.*

Scriptorum vestrorum insinuatio, fratres charissimi, patefecit Andream fratrem nostrum Nicomedianæ ciuitatis episcopum Deo propitio solenniter ordinatum. Cuius consecrationem quoniam cleri & prouincialium proueniſſe signatis assensu gaudemus; atque bona, quæ de ipso testamini, vt in eo maneant, & Dei gratia cooperante augmentũ accipiant, exoramus: quia bonitas præpositorum, salus est vtique subditorum. Oportet ergo vt ea, quæ in persona ipsius placere vobis laudantes ostenditis, imitari studiosius festinetis. Nam & apud homines culpa, & apud Deũ pœna est nolle quemquam bonum imitari quod placet. Testimonio itaque vestro obedientia fidem accõmodet, nullus ei in his quæ integritate seruata Ecclesię pro communi vtilitate iniunxerit, contradicat. Deuotionem suam quisq; vestrum libenter exhibeat, vt dum Deo placita inter vos sacerdotalis fuerit & non ficta concordia, nulla vos à caritatis mutuę vinculo inuidia soluere valeat, aut turbare diuersitas. Nec enim callido hosti in cordibus vestris vllus erit accessus: quoniã scit se nullatenus nec capi posse

D. 100. ca. 1. Anst. 6. c. 100.

nec recipi, vbi plenè sincereq; locum caritas inuenerit. Estote præterea solliciti fratres carissimi, & commisso gregi vigilantiam quam susscepistis, vt debetis, impendite: inimici fraudibus sollicitudine & oratione resistite, & obedite incõtaminata fide, Deo nostro cui præestis populum resignate, vt officium vobis sacerdotale ante cõspectum æterni iudicis non ad pœnam, sed proficiat ad coronam. Suprascripto igitur Andreæ fratri & coepiscopo nostro pallium nos direxisse cognoscite, atque priuilegia cuncta concessisse quę prædecessores nostri eius prædecessoribus contulêre. Præterea peruenit ad nos, quod sacri ordines in illis partib. cum datione commodi conferantur. Quod si ita est, flens dico, gemensque denuncio: quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoq; diu stare nõ poterit. Scimus quippe ex Euangelio quid Redemptor noster per semetipsum fecerit: quia ingressus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere, est de Spiritu sancto, quẽ Deus omnipotens cõsubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, vt prædixi, malo iam innuitur quid sequatur: quia qui in templo Dei columbas vẽdere præsumpserunt, eorũ, Deo iudice, cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cũ augmẽto propagatur. Nam eo ipso quod quisque ad sacrum ordinem perducitur, iam in ipsa prouectus sui radice vitiatus, paratus est alijs vendere quod emit. Et vbi est quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date? Et cum primò contra sanctam Ecclesiam Simoniaca hæresis orta sit; cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum precio ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat? Pro qua re admoneo atque contestor, vt omnino debeatis esse solliciti, vt nihil sibi commodi datio, nil gratia, nil quarumlibet supplicatio personarum in sacris ordinibus vendicet: sed ille ad hoc officium perducatur, quem morum grauitas commendat & actio. Nam si, (quod nõ credimus) fieri tale aliquid senserimus, canonica illud, vt dignũ est, seueritate corrigemus. Deus autem omnipotens, qui sapientiæ suæ potestate cũcta mirabiliter ordinat, & misericorditer ordinata custodit: ipse vobis & velle tribuat, & operari quod præcipit.

quæst. 1. c. 1. 7. Sup. lib. 4. ep 5. Sup. ep 25 lib. 4. 55. & 56. eiusdẽ. Marc. 11.

Matth. 10.

EPISTOLA VIII.

De vsu pallij.

Inf. ep. 18. 34. h l. & l. 6 epist. 54. l. 9. ep. 46.

GREGORIVS, *Dono Episc. Messanensi.* Apostolicæ sedis benevolentia atque antiquæ consuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Messanensis Ecclesię gubernatione susscepisse constat officium, pallij vsum præuidimus concedendum, illis videlicet temporibus atque ordine, quibus decessorem quoque tuum vsum esse non ambigimus: hoc nihilominus admonentes, vt sicut à nobis huiusce modi decoris vsum ad sacerdotalis officij honorem accepisse te gaudes, ita etiam morũ atque actuum probitate ad gloriam Christi, nostra susceptum auctoritate, adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huiusce modi corporis habitum mentis quoq; tuæ bona omnia concordent. Omnia enim priuilegia, quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

EPISTOLA IX.

Sup ep. 5. h. lib. 2 ep. 43. Ind. 11. li. 3. ep. 5. Ind 11.

Ei Carinensem coniungit Ecclesiam.

GREGORIVS, *Bonifacio Episc. Regiensi.* Postquam Ecclesiæ Carinẽsis, defuncto eius antistite, alium ordinare, nec loci deserti habitatio, nec finit imminutio personarum, maiori cura constringimur, ne defunctis earum sacerdotibus si consistentes ibidem pastoris fuerint moderamine destituti, per inuia fidei hostis callidi rapiantur insidijs: Hoc ergo nostro sedit cordi consilium tuæ eam sollicitudini debere committi, quod facere per præsentia scripta perspeximus. Cuius vt curam gubernationemque studiosius habere gerereque festines, tuæ eam Ecclesiæ aggregari vniriq́ue censemus, quatenus vtrarumq́ue Ecclesiarum sacerdos rectè Christo adiutore possis existere, & quæq́ue tibi de eius patrimonio, vel cleri ordinatione vigilanti ac canonica visa fuerint cura disponere, quippe vt sacerdos proprius, liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiam. Quapropter frater carissime, Dominicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in commissæ plebis regimine, lucrandisq́ue animabus inuigila, vt ante tribunal æterni iudicis constitutus, fructum bonæ operationis, qui ad mercedem tuam pertineat, Redemptori nostro in quo lætari possit, exhibeas.

EPISTOLA X.

Sup. ep. 1 li. 3. ep. 22

Patrimoniolum sancti Petri commendat in Gallijs, ex quo pueros Anglos emat & vestimenta pauperum.

Io Diac. l. c. 11.

GREGORIVS, *Candido Presbytero eunti Ad patrimonium Gallia.*

Pergens auxiliante Domino Deo nostro Iesu Christo ad patrimonium, quod est in Gallijs gubernandum, volumus vt dilectio tua ex solidis quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui sunt ab annis decem & septem, vel decem, & octo, vt in monasterijs dati Deo proficiant, comparet, quatenus solidi Galliarũ, qui in terra nostra expendi non possunt, apud locum proprium vtiliter expendantur. Si quid verò de pecunijs reddituum, quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris; ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus: vel, sicut præfati sumus, pueros qui in omnipotentis Dei seruitio proficiant. Sed quia pagani sunt qui illic inueniri possunt; volo vt cum eis presbyter trãsmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via, vt quos morituros conspexerit, debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, vt hæc diligenter implere festinet.

EPISTOLA XI.

Sup lib 2. ep 59 60. 61. Ind. 11. & inf. li. 4. ep. 1. li. 7 ep 9. 107. 108. D. 71. ca 5. Io Diac 3. c. 20.

De Gratiano diacono & cura pastorali.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Fraternitatem tuam à nobis petisse recolimus, vt Gratianum Ecclesiæ Venefranæ diaconum tuæ concederemus Ecclesię ordinandum. Et quoniam nec episcopum cui obsecundare, nec propriam habet Ecclesiã, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non præuidimus differendam; idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessario duximus concedendũ, habituro licentiam diaconum illum nostra interueniẽte auctoritate Ecclesiæ tuæ Deo propitio constituere cardinalem. Quia verò peruenit ad nos, clericos aliasq́ue ciuitatis ac parochiæ tuæ religiosas personas ab alijs conueniri, fieri hoc de cetero prohibemus, & neq; clericum tuum, & neq; monachum, vel quamlibet ciuitatis aliam religiosam personam parochiæ tuæ cõueniri à quoquam, vel ad alterius volumus iudicium exhiberi. Sed si quis contra huiusmodi personas cuiuslibet negocij mouere voluerit quæstionem, fraternitatem tuam nouerit adeundam. Aut si forte, vt assolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata suspicio, & electorum desiderauerint fortasse iudicium, sub tua executione eligẽdi fas habeant cognitores, quatenus hoc modo nec tu amisisse iurisdictionem, nec actor apud suspectum litigando videatur præiudicium sustinere. Hoc etenim seruandum & Anthemio subdiacono nos præcepisse cognosce. Oportet ergo vt fraternitas tua erga monasteria ciuitatis, parochiæque suę omnesque subiectos pastorali cura diligenter inuigilet, & de vita actuque eorum sit omnino sollicita, vt sicut nos hæc tibi priuilegia seruare dignoscimur, ita & tu vigilãtiam tuam in cũctis, vt decet, solerter exhibeas, quatenus in nulla re possis de neglectu reprehensibilis inueniri. Porrò autem si tu, quod non opinamur, dissimulandum putaueris, rectori patrimonii Ecclesiæ nostræ, qui illic est, vel fuerit constitutus, noueris esse licentiam, vt quod sponte postponis, eius facere instantia modis omnibus vrgearis. Sed & illud studere te conuenit, vt hi, qui contra quoslibet iurisdictioni tuæ suppositos causam habuerint, nullis apud fraternitatem tuam frustratorijs debeant dilationibus lacessiri, ne ad fatigationem, & damnum alterius hæc tibi seruasse priuilegia videamur.

Religiosæ personæ apud locum Episcopum conuenire.

EPI-

EPISTOLA XII.

Libertatem dat, & eos ciues Romanos efficit.

GREGORIVS, *Montanæ & Thomæ.* Cum Redemptor noster totius conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere, vt diuinitatis suæ gratia dirupto quo tenebamur captiui vinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati; salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium iugo subdidit seruitutis, in ea natura in qua nati fuerant, manumittentis beneficio, libertati reddantur. Atque ideo pietatis intuitu, & huius rei consideratione permoti, vos Montanam atq; Thomam famulos sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui, Deo adiutore, deseruimus, liberos ex hac die ciuesque Romanos efficimus, omneque vestrum vobis relaxamus seruitutis peculium. Et quia tu montana animum ad conuersionem fateris appulisse monachicam; idcirco duas vncias, quas tibi quondam Gaudiosus presbyter per supremæ suæ voluntatis arbitrium institutionis modo noscitur reliquisse, hac die tibi donamus, atque concedimus, omnia scilicet monasterio sancti Laurentij, cui Constantia abbatissa præest, in quo conuerti Deo miserante festinas, modis omnibus profutura. Si quid verò de rebus suprascripti Gaudiosi te aliquo modo celasse constiterit, id totum Ecclesiæ nostræ iuri sine dubio mancipetur. Tibi autem suprascripto Thomæ, quem pro libertatis tuæ cumulo etiam inter notarios volumus militare, quinque vncias, quas præfatus Gaudiosus præbyter per vltimam voluntatem hæreditario tibi nomine dereliquit, simul & sponsalia, quæ matri tuæ conscripserat, similiter hac die per huius manumissionis paginam donamus, atque concedimus, ea sanè lege, atq; conditione subnexa, vt si sine filijs legitimis, hoc est, de legitimo susceptis coniugio te obire contigerit, omnia quæ tibi concessimus, ad ius S. R. E. sine diminutione aliqua reuertantur. Si autem filios de coniugio, sicut diximus, cognitos lege susceperis, eosque superstites reliqueris, earundem te rerum dominum sine quadam statuimus conditione persistere, & testamentum de his faciendi liberam tibi tribuimus potestatem. Hæc igitur, quæ per huius manumissionis chartulam statuimus, atque concessimus, nos successoresque nostros, sine aliqua scitote refragatione seruare. Nam iustitiæ, ac rationis ordo suadet, vt qui sua à successoribus desiderat mandata seruari, decessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiat. Hanc autem manumissionis paginam Paterio notario scribendam dictauimus, & propria manu vna cum tribus presbyteris prioribus, & tribus diaconis pro plenissima firmitate subscripsimus, vobisque tradidimus. Actum in vrbe Roma.

EPISTOLA XIII.

De ordinando Episcopo Lilybetanæ Ecclesiæ.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono Rectori Siciliæ.* Lilybetanæ clerus Ecclesiæ huc pro ordinando sibi veniens sacerdote, licentiam eis de exquirendo sibi episcopo nos dedisse cognoscas. Qui rapientes Decium Forensem presbyterum, sibi eum consecrari multis precibus poposcerunt, quorum petitionem necessarium duximus adimplere: & ideo dilectio tua in omnibus ei solatiari non negligat, vt quia Theodorus quondam eiusdem Ecclesiæ Episcopus dereliquit plurima, quæ emendari debeant, tuo in omnibus adiutus auxilio, duntaxat æquitate seruata, causarum inquietudinibus liberior, in Dei laudibus possit existere.

(?)

EPISTOLA XIV.

De Pelagiana hæresi. De anima Adæ in peccato mortua. De Synodo Ephesina, & de causa Ioannis presbyteri.

GREGORIVS, *Narsi Comiti.* Caritas vestra sollicitudinem nostræ opinionis habens, scribere studuit quid de illo codice, qui contra Athanasium presbyterum transmissus est, sensi. Quem nos ex parte aliqua subtiliter percurrentes, in Manichæi inuenimus dogma cecidisse. Sed is qui loca aliqua esse hæretica signo contrapositio ostendit, ipse quoque in Pelagianam hæresim labitur: quia quædam loca Catholicè dicta, & omnino orthodoxa, velut hæretica annotauit. Hoc enim vbi scriptum est: quia cùm peccauit Adam, eius est anima mortua, qualiter mortuam dixerit, inferiùs ostendit: quia status sui beatitudinem amisit. Hoc quisquis negat, Catholicus non est. Deus autem dixerat: Qua hora comederitis, morte moriemini. Cùm ergo comedit de ligno vetito Adam, quia in corpore mortuus non est, nouimus, quia post hoc filios genuit, atque annis multis vixit. Si itaq; in anima mortuus non est, quod dici nefas est, ipse mentitus est, qui prædixit, die qua peccasset, moriturum. Sed sciendum est, quia mors duobus accidit modis, aut absentia viuendi, aut à qualitate viuendi. In hoc ergo quòd comedendo vetitum eius anima dicitur mortua, non absentia viuendi, sed à qualitate viuendi, vt postmodum viueret in pœna, qui ad hoc creatus fuerat, vt beatè viueret in lætitia. Hunc ergo locum, qui in eo codice, qui mihi à fratre meo Ioanne Episcopo transmissus est, annotauit hæreticum, Pelagianus est, quia sententia ista euidenter Pelagij est. Quam Paulus Apostol. apertè in suis epistolis destruxit. Quæ loca epistolarum eius singula dicere prætermitto, quia scienti loquor. Pelagius verò qui in Ephesina synodo damnatus est, ea intentione hoc dixit, vt ostenderet nos à Christo vacuè redemptos. Si enim nos per Adam in anima mortui non sumus, quod dicere nefas est, vacuè redempti sumus. Ephesinâ autem synodum perscrutantes, de Adelfio & Saua, & ceteris alijs, qui illic dicuntur esse damnati, omnino nihil inuenimus: & existimamus, quia sicut Chalcedonêsis synodus in vno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid in Ephesina synodo factum est. Caritas ergo vestra vetustos omnino codices eiusdem synodi requirat, & illic inde videat si quid tale inuenitur, mihique eundem codicem quem inuenerit, transmittat, quem mox vt legero, retransmitto. Nouis enim codicib. passim non credat, ex qua re dubius factus sum, & nihil adhuc volui de causa prędicto fratri meo Ioanni Episcopo rescribere. Romani autem codices multò veriores sunt quàm Græci: quia nostri sicut non acumina, ita nec impostoras habent. De Ioanne verò presbytero cognoscite, quia illius causa per synodum decisa est, in qua apertè cognoui, quia eius aduersarij eum facere hęreticum voluerunt, & diu conati sunt, sed minimè potuerunt. Vestros, qui nostri sunt, mea vice salutate; & nostri, qui vestri sunt, per me vos multum salutant. Omnipotens Deus sua te manu inter tot spinas protegat, vt eos illæsus, quos Dominus elegit, flores decerpas.

EPISTOLA XV.

De Ioanne presbytero iniustè damnato, quem liberum esse pronunciat.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Constantinopolitano.* Sicut hæreticorum prauitas zelo rectæ fidei comprimenda, ita veræ confessionis est integritas amplectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores ex incauta generantur districtione mortiferi. Et hinc non solum errantes oues ad caulas minimè dominicas reuocantur; sed etiam intro positæ ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo frater sanctissime subtiliter perpendamus, & sub prætextu hæresis afflig quempiam veraciter profitentem fidem Catholicam non sinamus: ne, quod absit, hæresim fieri sub emendationis magi specie permittamus. Valde autem mirati sumus, cur hi qui ir

Sup. lib. 1. ep. 6. lib. 2. ep. 63. li. 6. epist. 27.

Inf. ep. 64. & libr. 6. ep. 4.

Gen. 2.

Adã post peccatum mortus est in anima. Li. 6. ep 31.

Pelagius in Ephesina Synodo damnatus.

Synodi Ephesinæ & Chalced. codices falsati.

Latini codices veriores Græcis. Io. Diac. 4. c. 36.

Sup. lib. 1. ep. 4 & 24. li. 2. ep. 52. Ind. 11. ep. 91. & sup. li. 4. ep. 18. Io. Diac. 4. c. 36.

Li. 6. ep. 4.

causa fidei iudices contra Ioannem Chalcedonensis Ecclesiæ presbyterum, à vobis fuerant deputati, negligentes veritatem, opinioni crediderint, & credere districtè profitenti noluerint, maximè dum accusatores ipsius Marcianistarũ, quam commemorabant, hæresim, vnde eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ esset, nescire se manifesta professione responderunt. Ex qua re euidenter agnoscitur, quia personam ipsius sine Dei respectu non iustè, sed contra animas suas sola grauare voluntate tantummodo voluerint. Nos itaque facto Concilio, sicut gestorum apud nos habitorum tenor ostendit, cuncta quæ erunt necessaria subtiliter perscrutantes ac tractantes, quoniam in nullo antedictum presbyterum, reum inuenire potuimus; præcipuè quia libellus quem delegatis à vobis iudicibus obtulit, rectæ fidei per omnia synceritati concordat: ea propter eorundem iudicium reprobantes sententiam, nostra eum diffinitione Catholicum, & ab omni hæretico crimine liberum esse Christi Dei redemptoris nostri misericordia & gratia reuelante denunciauimus. Quem quoniam ad vestram retransmisimus sanctitatem, oportet vt eum, sicut se cunctis exhibet, benignè suscipiat, & caritatem illi sacerdotalem impendat, atque à cuncta eum inquietudine tueatur, nec quemquam se in eius molestia occupare permittat; sed sicut alios ab oppressiõe defenditis, ita huic vestra subtrahere solatia non debetis.

EPISTOLA XVI.

De Ioanne presbytero recipiendo iniustè damnato.

Sup. lib. 2. ep. 62. Ind. 11. li. 4. ep. 31. 32. Ind. 13. lib. 7. ep. 11.

GREGORIVS, *Mauricio Augusto.* Cum syncera in vobis Christianissime principum velut emissum cælitus iubar fidei rectitudo resplendeat, cumque notum sit omnibus serenitatem vestram, integram professionem, qua Deo pollet propitio, vehementer amplecti, & toto corde diligere; necessarium esse valde perspeximus pro his, quos vna eademque fides illustrat, suggerendo deposcere, quatenus dominorum pietas sua eos gratia protegat, & ab omni molestia tueatur. Quorum dum confessionem quidam despiciunt, veræ fidei contradicere videntur. Nam cum oris confessionem fieri clamet Apostolus ad salutem, qui rectę professioni credere non consentit, in eo q̃ alium improbat, se accusat. Relatis igitur in Concilio quę contra Ioannem Chalcedonensis presbyterum Ecclesiæ acta sunt, simul & serie iudicati, maiorem illum iniustitiam sustinuisse cognouimus; quippe quem clamantem se atque monstrantem Catholicum esse non reatus culpa, sed diu accusatio incerta contriuit: in tantum, quia accusatores ipsius, Marcianistarum quam commemorabant hæresim, se nescire aperta responsione professi sunt. Et qui illico in ipso fuerant iudicij limine repellendi, in accusatione eius permanere incerti permissi sunt: sed ne dicta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei protulit, in quo se patenter ostendere fidei rectè professorem studuit & sequacem. Sed hunc à sanctissimo Ioanne fratre & coepiscopo nostro iudices deputati, iniustè ac irrationabiliter negligentes, dum in eius se niterentur occupare grauamine, se potius reprehensibiles

Io. Diac. 4. cap. 36. Sup. epist. prox. 15.

Infidelitas

ostenderunt. Nam nullus ambigit, infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. Quia ergo omnibus subtiliter rimatis atque tractatis, Catholicum supra scriptum Ioannem presbyterum, sancti Concilij mecum definitio, diuinæ potentiæ reuelante gratia declarauit, nec quædam in ipso hæreticę macula prauitatis inuenta est; obsecro, vt pia serenitatis vestræ protectio illæsum ab omni molestia seruari præcipiat, nec Catholicę fidei confessorem aliquam sinat inquietudinem sustinere. Nam veraciter confitenti non credere, non est hæresim putgare, sed facere. Quod si licuerit, surget infidelitatis occasio, & ipsi in eas in quas incautè volunt emẽdare culpas incurrunt. Hæc igitur serenissimus dominus pia prouisione consideret, & sicut popposci, profusis iterum precibus rogo, vt affligi denuo innocentem velut obnoxium non permittat; quatenus Deus omnipotens, qui placitam sibi Catholicę rectitudinis integritatem clementiam vestram amare cernit atque defendere, & hic deuictis hostibus pacatæ vos imperare reipublicæ, & cum sanctis suis in æterna faciat vita regnare.

EPISTOLA XVII.

Commendat Ioannem presbyterum iniustè damnatum.

GREGORIVS, *Theoctisto Cognato Imperatoris.* Scimus excellentiæ vestræ Christianitatẽ bonis intentam semper operibus; & idcirco mercedis vobis causas, quas vos diligere certum est, prouidemus, vt nos vestris meritis prouidendo iungamur. Indicamus itaque vobis, Ioannem presbyterum latorem præsentium liberum ab his quibus accusatus fuerat extitisse. Cuius fidem facto Concilio subtili examinatione, vt potuimus, perscrutantes, nullam in eo culpam prauæ confessionis inuenimus. Sed quia rectæ fidei Deo miserante professor ac cultor apparuit, nostra eum diffinitione absoluimus: præsertim cum accusatores ipsius, quæ esset Marcianistarũ quam memorabant, hæresim se nescire professi sunt. Ea propter paterno salutantes affectu, quęsumus, vt fauoris vestri eum gratia tueri dignemini. Et ne quisquam illum frustra post hoc velit affligere, aut aliquam ei pro hac re quolibet modo molestiam irrogare, ita eum excellentiæ vestræ defensio contra hæc instantius pro sua mercede protegat ac defendat, vt nec hunc amplius tribulatio iniusta cõsumat, & eius vobis vicem humani generis cõditor ac redemptor, quem sincera confessione colitis, inter bona plurima quæ agitis, recompenset.

Mense Octobri, Indictione decimaquarta.

EPISTOLA XVIII.

De vsu pallij.

Sup lib. 4. epi. 18. li. 5. ep. 18. li. 8. ep. 9. lib. 7. ep. 22. 27. 101 l. 9. ep. 37 eadem sup. ep. 8. li.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Apostolicę Sedis beneuolentia, & antiquæ consuetudinis ordine prouocati, fraternitati tuæ, quam in Syracusana Ecclesia gubernationis officium constat suscepisse, pallij vsum prouidimus concedendum, illis videlicet temporibus atque eo ordine, quibus decessorem quoque tuum vsum esse non ambigis; hoc nihilominus admonentes, vt sicut à nobis huius decoris vsum ad sacerdotalis officij honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atq; actuum probitate, ad gloriam in Christo nostram, susceptum adornare contendas officium. Sic enim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huius corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent. Omnia enim priuilegia quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, & illibata decernimus permanere.

EPISTOLA XIX.

Petit se orationibus iuuari.

Sup. lib. 4. epist. 3. l. 2. ep. 39. Ind. 10. li. 5. ep. 19. 62. Ind. 13. li. 8 ep. 32. li. 8. ep. 41. li. 10. epist. 1.

GREGORIVS, *Dominico Episco. Africæ.* Epistolarum vestrarum plena sacerdotali caritate elocutio, ita sanctitatẽ vestram memoriter nostris facit mentib. inhærere, vt nõ credatur abesse corpore, quippe quæ per affectus semper manet in corde. Vt ergo hæc quam ad alterutrũ habemus dilectio, cælestium nobis commodum acquirat gaudiorum, nostri simus inuicem adiutores, & auxilium nobis orationis mutuæ porrigamus, quatenus diuina misericordia clemẽtiæ suæ nobis dono concedat, & prædicare quod diligit, & sequi hoc quod per nos prædicare concessit. Sicq; officij nostri ministerium pietatis suæ protectione disponat, vt fructum de creditis eidem venienti Domino reportemus, & ad futura æquitatis præmia cum aliorum lucro eius adiuuante gratia perducamur. Quia verò scriptum est: Orate pro inuicẽ, vt saluemini, vt ad hæc peruenire mereamur, & me pro vobis apud sacratissimum B. Petri Apostolorum principis corpus, & vos pro me apud sanctum Cyprianum martyrem, orationibus decet incumbere. Preces etenim nostrę tanto celerius in Dominicæ pietatis aurem subleuantur, quanto eas vicissim pro vobis fusas caritatis ardor exacuit. Sed quia sanctitas vestra nudis me verbis alloqui recusat, epistolis quoq; xenia coniunxit. Quæ nos cum gratiarum actione suscepimus: sed tamen plus mentis vestræ affectu, quàm rerum copia delectamur.

Iac. 5.

EPI-

EPISTOLA XX.

Præcipit adiutorium impendere Ioanni Episcopo.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono.* Sicut dilectio tua studiosè laborauit pro persona fratris & coepiscopi nostri Ioannis, vt in Syracusana Ecclesia auctore Deo debuisset ordinari: ita nunc necesse est, vt per dilectionis tuæ studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. Quendam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen à fratre & coepiscopo nostro Leone in Catanensi Ecclesia dicitur ordinatus: & quia in nouam Ecclesiam vadit, & suos illic proprios homines habere necesse est, vt cum causarum tumultibus premitur, in secreto suo inueniat vbi requiescat; prædicto fratri & coepiscopo nostro Leoni blandè & leniter persuadere debes, vt ei præfatum presbyterum cedere debeat, ne quem tam benignus ad ordinãdum cessit, ordinatum destituere fortasse videatur. Sed sicut idé frater & coepisc. noster Ioannes, quantum ego in eius mente didici, eius se esse archidiaconum, nec ob episcopatum susceptũ obliuiscitur: ita eum sæpefatus frater & coepiscopus noster Leo suum proprium debet attendere, & non solùm de vnius persona presbyteri, sed in quacunque re eius solatio indiguerit, sua ei ministrare auxilia.

Mense Nouembri, Indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXI.

Visitationem Brundusij & Gallipolis iniungit.

GREGORIVS, *Petro Episcopo Hydrontino.* Pastoralis nos cura constringit Ecclesijs sacerdotis moderamine destitutis, sollicita consideratione prospicere; ne proprio decedente rectore, contrarium, quod absit, aliquid patrum regulis oriatur. Quia igitur Ecclesias Brundusij, Lippias, atq; Gallipoli, obeuntibus earum pontificibus, omnino destitutas agnouimus; idcirco fraternitati tuæ visitationis earum operam duximus iniungendam. Quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque, vel quicquid illud est in patrimonio earũ, à quoquam patiaris imminui. Et ideo fraternitas tua ad prædictas Ecclesias ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemque earundem Ecclesiarum admonere festinet, vt remoto studio, vno eodemque consensu tales sibi præficiendos expetant sacerdotes, qui & tanto ministerio digni valeant reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuantur. Qui dum fuerint postulati, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio literarum ad nos veniant consecrandi: prouisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis seu meriti, laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem si qua sunt in earum parochia constituta, sub tua cura dispositioneque, quousq; illic fuerit proprius episcopus ordinatus, esse concedimus, vt sollicitudinis tuæ vigilantia proposito suo congrua, Deo adiuuante, actione respondeant.

Mense Ianuario, Indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXII.

De baptisterio faciendo in possessione Cellascupias.

GRegorius, *Petro Episc. Alerienſi de Corſica.* Quoniam in insula Corsica in loco Nigeuno, in possessione quæ Cellascupias appellatur, iuris sanctæ Romanæ, cui Deo adiutore deseruimus Ecclesiæ, basilicam cum baptisterio in honorem beati Apostolorum principis Petri, atque Laurentij martyris pro lucrandis animabus fundari præcipimus; idcirco fraternitatem tuam his hortamur affatibus, quatenus ad prædictum locum debeat incunctanter accedere: & venerandæ solennia dedicationis impendens, prædictam Ecclesiam, & baptisterium solenniter consecrare te volumus. Sanctuaria verò suscepta summa cum reuerentia collocabis.

EPISTOLA XXIII.

De Pimenio Amalphitano episcopo, qui in Ecclesia sua non residebat.

Sup. l. 1. epist 23 37. 40 48. 53 57. 63. 66: & l. 4. ep. 23 42 53 57 63 65 66. l. 10. ep. 2. 5. 7. q. 1. c. 80. Ansel. li. 6. c. 178. Ioã. Diac 3. c: 37 Episcopi residere debent.

GRegorius, *Anthemio Subdiacono.* Peruenit ad nos Pimenium Amalphitanæ ciuitatis episcopum in Ecclesia sua residere non esse contentum, sed foris per diuersa loca vagari: quod videntes alij nec ipsi in castro se retinent, sed ipsius exemplũ sequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes ipsi potius ad suam hostes deprædationem inuitant: idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, vt supradicto episcopo interminari non desinas, quatenus hoc de cetero facere nó præsumat, sed in Ecclesia sua sacerdotali more resideat. Quem si fortè non emendari post tuam interminationem cognoueris, in monasterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, vt quid facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas.

EPISTOLA XXIV.

Sup. lib. 4. epi. 10. 24. 54. l. 5. ep. 18 26. 38. l. 14. in Euãgel l. 2. ep. 10. l. 3. ep. 11.

De disceptatione inter Ecclesiam Rauennatem, & Claudium Abbatem, commemoratq; dubias causas Romæ terminandas.

GRegorius, *Mariniano Episcop. Rauennæ.* Scripta fraternitatis vestræ Virgilio diacono deferente suscepimus, in quibus indicastis quosdam de clero, & populo clamitasse, contra leges & canones esse, vt inter Ecclesiam vestram, & Claudium abbatem causa hic examinari ac iudicari debeat. Qui si Ecclesiasticum ordinem, vel inter quos vertitur, nossent aduertere, se à superflua querela modis omnibus abstinerent, præsertim quia nec causa dici illic possit, vbi se prædictus abbas à decessore vestro questus est iniustitiam pertulisse, & ea hactenus laborare. Hoc enim poterat fortassis opponi, si non ad maiorem recurreret, & apud eum causæ suæ peteret meritum terminari. Nunquid non ipse nosti, quia in causa, quæ à Ioanne presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem & coepiscopum nostrum orta est, secundum canones ad iedem Apostolicam recurrit, & nostra est sententia definita? Si ergo de illa ciuitate vbi princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est; quanto magis negocium quod contra vos est, hic est veritate cognita terminandum? Vos autem ibi stultorum verba non moueant, nec per nos credatis aliquod dispendium Ecclesiæ vestræ fieri. Nam si seruum Dei Secundinum diaconum vestrum, atque Castorium nostrum requiritis, ab eis agnoscetis qualiter causam istam iam decessor vester voluerit ordinare. Fraternitas autem vestra sapienter egit personas pro negocio ipso transmittere, & verba inania non audire. Confidimus autem in omnipotenti Deo: quia examinata subtilius veritate, ita Deo placitus huic causæ finis imponetur, vt nec aliqua denuo querela remaneat, nec pars quælibet contra iustitiam prægrauetur. Spatam verò quam apud decessorem vestrum dilectissimus filius noster Petrus diaconus tunc illic defensor reliquerat, nobis per Secundinum seruum Dei, atque Castorium notarium præsentium portitores transmittite.

Causæ Ecclesiæ Cõstantinopolitanæ Romam adductæ.

Inf. ep. 33

Li.3.ep.10 & 18. Ind. 12. epist 15 li.4. ep.25. & h.l ep.3. li.7. ep.81.

EPISTOLA XXV.

Præcipit vt humiliatus Romam veniat, & Paulino Episcopo, & Honorato Archidiacono amplius vim non inferat.

GREGORIVS, *Maximo in Salona, qui episcopatum arripuit.* Dum scriptis nostris, quæsitis quibusdam excusationibus, differs obedientiam exhibere, dum pro veritatis satisfactione toties à nobis admonitus venire postponis; ijs quæ aduersum te dicta sunt, fidem ex hoc magis accommodas: & vel si qua alia deesse videbantur, quæ grauent aut noceant, id agis vt sola dilatio faciat, & accusat te esse culpabilem. Humiliare tandem, & obedientiæ te submitte, atque ad nos sine excusatione aliqua venire festina, vt requisita, & cognita veritate, secundum Dei timorem, quicquid æquum canonicumque fuerit, decernatur. Certus enim esto, quia iustitiam tibi, & canonum statuta seruabimus, atque causæ tuæ reuelante Domino veritatis auctore, amicum iustitiæ finem imponemus. Nam quod postulas vt illuc personam dirigere debeamus, qua præsente de his quæ dicuntur, possit esse probatio; esset vtcunque excusabile, si vnquam ratio ei qui accusatur, necessitatem probationis imponeret. At postquam non tibi, sed accusantibus hoc onus incumbit, ad nos, sicut præfati sumus, dilatione cessante venire non detinas; & aut sine mora aderit accusator, qui ea quæ de Simoniaca hæreti vel alijs dicta sunt, congruenti probatione suffulciat: aut certè in his quæ ad salubritatem negocij ipsius pertinent, interueniente beato Petro Apostolorum principe, dispensatio iusta proueniet, quatenus nulla nos ante Deum dissimulatione, pro eo quòd hęc ad nostram conscientiam peruenere, reatus culpa possit confundere. Quòd verò indicas sereniſſimos dominos, vt illic debeat esse cognitio, præcepisse: nos quidem nullas eorum alias de hac re, nisi vt ad nos venire debeas iussiones accepimus. Sed & si forsitan pro reipublicæ suæ vtilitate, quæ diuina sibi largitate concessa est, multa cogitantibus, & in diuersis sollicitudinibus occupatis suggestum est, & eorum iussio per obreptionem elicita, postquam & nobis & omnibus notum est pijssimos dominos disciplinam diligere, ordines seruare, canones venerari, & se in causis sacerdotalibus non miscere; instanter exequimur quod illorum iuuat animam atque rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendique iudicis respectus impellit. Quiesce ergo à cunctis excusationibus, & huc adesse non differas, vt veritatis indagatione roborati, causæ tuæ tandem terminum imponamus. Quod autem valde te pertimescere ac omnino trepidare cognouimus, ne hoc fortasse in te vlciscamur, quod sine nostro consensu ad sacerdotalem ordinem cognoscens inordinate prorupisse; intolerabilis quidem culpa est, sed hanc secundum iussiones sereniſſimi domni Imperatoris, si nequaquam amplius in contumaciæ tuæ errore perstiteris, laxamus; atque de hac re contra te minime mouemur. Sed & alia quæ nobis dicta sunt irrequisita præterire non patimur. Quia verò dudum scripta tibi transmisimus, vt quoadusque voluntatem eiusdem sereniſſimi domini cognoscere mus, missarum solennia nullo modo celebrare auderes: sed tu elatamente egisti callidè ne eadem scripta susciperes, quæ tamen eorum esset sententia, quoquo modo cognouisti, sed seruare noluisti, ideoque ea quæ tibi prius scripta transmisimus confirmamus, vt missarum solennia celebrare non audeas, donec omnia, quæ contra te dicta sunt, subtiliter inquisita fuerint ac discussa. Quòd si peruerso forsitan ausu celebrare præsumpseris, ab interdictæ pridem communionis interminatione liberum te non esse cognoscas. Nam etiam si alij excessus desint, pro hac solummodo culpa superbiæ, Dominici te corporis ac sanguinis cõmunione priuamus. Pro qua re obedientiam, quam decet, exhibẽs, ad nos summopere, sicut diximus, venire festina, ita vt triginta dierum spacium habeas, quatenus iter tuum præpares, & omni excusatione post posita, huc adesse non differas. Si qua autem à iudicibus, vel manu militari, vel à populo ad contradicendum itineri tuo occasio fuerit exorta, qua calliditate agatur, agnoscimus. Ipse ergo iam videas, quam vel hic hominibus, vel in futuro iudicio omnipotenti Deo de tua reddas obligatione rationem, qui districtam in te ex tuo contemptu prouocasti sententiam. Præterea peruenit ad me, quia Paulinus frater & coepiscopus meus, & Honoratus Ecclesiæ Salonitanæ Archidiaconus, pro eo, quòd præsumptioni tuæ noluerunt præbere consensum, graues à te molestias patiantur, ita vt datis fideiussoribus sint constricti, quatenus eis ciuitatem, vel domos suas egredi omnino non liceat. Quod si ita est, vel sero iam ad sensus salutis rediens, scriptis præsentibus acceptis, ab vtrorumque te suspende molestia, vt eis libera sit licentia vel ad me veniendi si voluerint, vel quomodolibet alibi pro suis vtilitatibus proficisci.

6.q.5.ca.1.

Imperator impedire nõ debet, ne episcopus Romã citatus veniat.

Ob inobedientiam sedis Apostolicæ suspenditur episcopus à celebratione Missarum.

EPISTOLA XXVI.

Can.lib.3. cap.46. Ind.12.

Canonicè Maximum euocat Romam, vt suorum criminum rationem redderet.

GREGORIVS, *Dilectissimis Filijs, Clero, & nobilibus Salonæ consistentibus.*

Peruenit ad me, quosdam peruersæ mentis homines, vt dilectionis vestræ animos vulnerarent, vobis insinuare conatos, quia ego cõtra Maximum quodam odio moueat, & non magis quæ canonica, sed ea quæ furoris sunt exequi concupiscam. Sed absit hoc, absit à sacerdotali animo, vt in qualibet causa priuato zelo moueatur. Ego autem & vestræ dilectioni prouidens, & meæ animæ omnipotentis Dei iudicium pertimescens, eiusdem Maximi causam subtiliter exquiri desidero, si nullis criminibus pressus, quæ sacro ordini contradicunt, si non per Simoniacam hæresim, id est, præmia quibusdam se eligentibus præbendo, ad sacerdotale pertingere officium conatur. Tunc enim liber pro vobis apud Dominum interceſſor erit, si non obligatus de suis ad locum intercessionis venerit. Cuius tamen iam culpa superbiæ in aperto monstratur, quòd euocatus vt ad nos venire debeat, diuersis excusationibus renititur, refugit, metuit. Vnde ergo trepidat, si eum de his quibus inclamatus est, conscientia non accusat? Ecce enim iam diu dilectio vestra sine pastore est, & sicut vobis omnipotens Deus innotescat, vehementer destitutioni vestræ, & medullitus, ex toto corde compatior. Audio enim quæ in grege Domini dilaniationes fiunt. Sed cum pastor deest, quis contra lupos inuigilat? Ideoque prædictum Maximum, vt huc ad nos veniat vrgeo, quatenus si hunc innocentem inuenire possimus, confirmemus. Sin verò ea quæ de eo dicta sunt, vera patuerint, non iam tamdiu dilectio vestra per interpositionem personæ eius destituta sit. De me enim certum tenete, quia nec odio, nec priuati studij zelo contra eum moueor; sed quicquid canonicum, iustumque fuerit, auctore Deo decerno. Miratus autem valde sum, quia in tanto Salonitanæ Ecclesiæ clero vel populo vix duo ex sacris ordinibus inuenti sunt, frater scilicet & coepiscopus noster Paulinus, & dilectissimus filius meus Honoratus Archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, qui communicare Maximo sacerdotium rapienti, minimè consentirent, & se Christianos esse cognoscerent. Debuistis enim filij carissimi pẽsare ordines vestros, & quem sedes Apostolica repellebat, repulsum cognoscere, vt prius si posset, ab illatis criminibus mundaretur; & tunc ei vestra dilectio communicaret, ne particeps obligationis eius existeret. Nos tamen erga caritatem vestram visceribus pietatis adstringimur, & quia quosdam vestrum violenter pressos ad consentiendum ei, & ad communicandum cognouimus; omnipotentem Dominum deprecamur, vt vos ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis absoluat, vobisque, & in præsenti vita suæ protectionis gratiam tribuat, & nos de vobis in æterna patria gaudere concedat.

Inf.ep.41

1.q.6.ca.2. Ant.lib.6. ca.76 Vol. lib.1.ep.

D.93.ca.3.

Mense Martio, Indictione decima quarta.

EPISTOLA XXVII.

De monachis in presbyteros ordinandis.

GREGORIVS, *Candido Episcopo de vrbe Veteri maiore.* Indicauit nobis fraternitas tua non se habere presbyteros, & ex hac causa necessitatem non modicam sustinere. Et quia in quibusdam monasterijs in sua parochia constitutis quosdam esse monachos perhibet, qui ad hoc apti possint esse officium, & eos se cum nostra auctoritate ad hunc postulat ordinem promoueri: propterea præsentibus vobis licentiam damus epistolis, monachos de monasterijs in tua parochia positis, cum consensu abbatis sui tollere, & presbyteros ordinare. Sed illud præ omnibus estote solliciti, vt vitam actusque eorum qui in hoc sunt officio constituendi, subtiliter debeatis inquirere, & tunc eos si digni fuerint, ordinare. Si verò aliqua in eis culpa claruerit, quę hos ad hunc ordinem canonica prohibitione prouehi non permittat, nullius vobis supplicatio aut gratia personæ surrepat, vt talibus debeatis manum imponere: ne, quod absit, hic honor, & illis pœna, & vobis incipiat esse peccatum.

EPISTOLA XXVIII.

Ne monasterium à decessore constitutum pergrauetur, & de importunitate clericorum.

GREGORIVS, *Mariniano Episc. Rauennæ.* Miramur cur sic in breui fraternitatis tuæ fuerit immutata discretio, vt ea quæ postulat, non aduertat, ex qua re dolemus; quia manifestum præbes indicium plus apud te verba malè suadentium valuisse, quàm diuinæ lectionis studium profecisse. Cumque ergo monasteria te oporteat defensare, & religiosos illic summoperè congregare, vt lucrum de animarum congregatione possis efficere, in eorum te è diuerso grauamina sicut literæ tuæ testantur, desideras exercere, & quod est deterius, nos tuæ culpæ studes fieri debere participes, scilicet, dum cum nostro consensu monasterium, quod decessor tuus condidit, cupis sub cura quarundam rerum atque causarum nomine prægrauare. Debes enim recolere, quia te præsente, diuersis etiam presbyteris & diaconis, clericisque tuis præsentibus, contra testamentum ipsius præceptum sicut postulauere concessimus. Vbi tamen eiusdem decessoris tui dispositio, quam fecerat de monasterio ipso, firmata est; tu nunc ista dissimulans, contraria nos poscis debere præcipere. Et hæc quidem scimus non tua sunt, sed dum incongrua dicentes audire non renuis, non solùm opinionem tuam, sed gratias & animas. Quia ergo te multum diligo, instanter admoneo, quòd sic rectè consideres, vt non plus pecuniæ quàm animabus studeas. Illud à latere respiciendum est, ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, ac vehementius intuendum. Huic rei operam & sollicitudinem vigilanter impende, quia Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. Præterea peruenit ad nos, quia monasteria, quæ sub fraternitate tua sunt constituta, clericorum importunitatibus, & diuersis eorum molestijs prægrauentur, quod ne de cetero fiat, districta hoc interminatione compesce, quatenus monachis illic degentibus, liberè in Dei nostri laudibus liceat exultare. Romanum verò atque Dominicum clericos, qui de hac vrbe ausu temerario sine nostra præsumpserunt benedictione discedere, licet maiori fuerant vltione plectendi, tamen relaxari eis benignitatis studio debet, vt ad suum remeare officium vrgeantur.

Suprascripto Mense Aprili, Indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXIX.

De pace Agilulfi, & Mariniano Episcopo increpando, quod elemosynam pauperibus non daret, sine qua vacuum est episcopi nomen.

GREGORIVS, *Secundino Seruo Dei non aparibus.* Postquam reuertens Castorius omnia nobis, quæ inter vos & Agilulfum Regem acta sunt indicauit, ne excusationem contra nos de mora potuisset aliquis inuenire, sub omni eum celeritate illuc transmittendum præuidimus. Ab eo ergo quæ sunt agenda cognoscens, esto sollicitus, & omnimodò immine, vt pax ista debeat ordinari: quia, quātum dicitur, aliqui hoc impedire conantur, pro qua re festina sollicitè agere, vt labor vester sine effectu non valeat remanere. Nam iam & partes istæ, & diuersæ insulæ in graui sunt periculo positæ. Fratrem nostrum Marinianum episcopum verbis quibus vales excita, quia obdormisse eum suspicor. Nam venerunt quidam ad me in quibus erant senes mendicantes, qui à me discussi sunt, à quibus quid acceperint, & per singula retulerunt quanta eis & à quibus in itinere data sint. Quos dum sollicitè de prædicto fratre requirerem quid eis dedisset, responderunt se eum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse, ita vt neq; panem in via acceperint, cum dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis, dicens: Non habeo quod vobis dare possim. Et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet. Dic ergo ei, vt cum loco, mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minimè fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum episcopi nomē tenet. Quædam verò eum per epistolā meam de anima sua admonui, sed nihil mihi omnino respondit: vnde credo quia ea neque legere dignatus est. Pro qua re iam necessarium non fuit, vt eum per epistolam meam admonere aliquid debuissem; sed tantum illa scripsi, quæ in causis terrenis consiliarius dictare potuit. Nam ego ad hominem non legentem fatigari in dictatu non debui. Tua ergo dilectio secreto ei omnia loquatur, & admoneat qualiter se disponere debeat, ne per præsentem negligentiam, vitam, quod absit, priorem perdat.

EPISTOLA XXX.

Sup. lib. 4. epist. 21.

Excommunicat quendam, qui de nocte contestatorios libellos contra Castorium posuit.

GREGORIVS, *Fratribus & Coepiscopo, Sacerdotibus, Leuitis, & omni populo Rauennæ.*

Quidam maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium notarium ac responsalem nostrum nocturno silentio in ciuitatis loco contestationē posuit in eius crimine loquentem, mihiq; etiam de facienda pace callidè contradicentem. Et quia quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare; oportet vt publicè exeat, & quæcunque in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat: quòd si non exierit, neq; publice confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpsit, vel cōsensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex DEI & Domini nostri Iesu Christi spiritu definimus, vt sancti eius corporis ac sanguinis participatione priuatus sit. Si verò quia latet, & quoniam nescitur, teneri à disciplina non valet, si tanti mali conscius, etiam prohibitus corpus ac sanguinem Domini percipere præsumit; anathematis vltione percussus sit, & vt fallax ac pestifer à sanctæ Ecclesiæ corpore diuisus. Si quis autem fortasse talis est, quem nos huius facti auctorem ac participem esse nescientes, ad eum bona optantes, epistolas transmittimus, ipsa pro eo apud omnipotentem Dominum deprecatio sit vacua. Sin autem in eadem ciuitate egressus ad publicum potuerit docere qua dixit, vel certe sciens se non posse quæ scripsit ostendere, errorem suum fuerit apertè confessus, Dominici corporis ac sanguinis participatione non sit priuatus, neque à corpore sanctæ

sanctæ Ecclesię alienus existat; quia nos apud omnipotentem Dominum ex nostris quotidie culpis agnoscimus, vt quatenus seruato disciplinę moderamine, aliorũ tamen erratis parcendo indulgeamus,

Mense Aprili, Indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXXI.

Sup. lib. 2. ep 59. li. 5. ep. 11. Ind. 11. 31. lib. 6. ep. 1. lib. 7. ep. 91. 107. 108.

Ne mancipia, quæ Christianam fidem suscipere volunt, Iudæis venundentur; sed precium à Christiano emptore percipiant.

Lib. 7 ind. 2. epist. 35.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Fraternitati vestrę ante hoc tempus scripsimus, vt hos qui de Iudaica superstitione ad Christianam fidem Deo aspirante venire desiderant, dominis eorum nulla esset licẽtia venundandi: sed ex eo quo voluntatis suæ desiderium prodidissent, defendi in libertatem per omnia debuissent. Sed quia quantum cognouimus, nec volũtatem nostram, nec legum statuta subtili scientes discretione pensare, in paganis seruis hac se nõ arbitrantur cõditione constringi: fraternitatem vestram oportet de his esse sollicitam, & si de Iudæorum seruitio nõ solùm Iudæus, sed etiam quisquam paganorum fieri voluerit Christianus, postquam voluntas eius fuerit patefacta, ne hunc sub quolibet ingenio, vel argumento cuipiam Iudęorum venundandi facultas sit: sed is qui ad Christianam cõuerti fidem desiderat, defensione vestra in libertatem modis omnibus vendicetur. Hi verò quos huiuscemodi oportet seruos amittere, ne forsitan vtilitates suas irrationabiliter æstiment impediri, sollicita vos hæc conuenit consideratione seruare: vt si Paganos, quos mercimonij causa de externis finibus emerint, intra tres mẽses dum emptor cui vendi debeant non inuenitur, fugere ad Ecclesiam fortè contigerit, & velle se fieri dixerint Christianos, vel etiam extra Ecclesiam, hanc talem voluntatem prodiderint, precium eorũ ibi à Christiano, scilicet emptore percipiant. Si autem post præfinitos tres menses quisquam huiusmodi seruorum velle suum edixerit, & fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venundare, sed ad libertatis proculdubio præmia perducatur: quia hunc non ad vendendum, sed ad seruiendum sibi intelligitur comparasse. Hæc igitur omnia fraternitas vestra ita vigilanter obseruet, quatenus ei nec supplicatio quorundam valeat, nec persona surrepere.

D 54. c. 15. Iuo p. 15. ca. 116.

EPISTOLA XXXII.

Li. 5. ep 34 Ind. 12. l 8. epist 2. 10. li 9. ep. 5.

De Samaræis, qui Pagana mancipia emerunt, & circunciderunt.

GREGORIVS, *Leoni Episcopo Catanensi.* Res ad nos detestabilis, & omnino legibus inimica peruenit, quæ si vera est, fraternitatem vestram vehementer accusat, quia eam de minori sollicitudine probat esse culpabilem. Comperimus autem quòd Samaræi degentes Catanæ, Pagana mancipia emerint, atque ea circuncidere ausu temerario præsumpserint. Atque idcirco necesse est, vt omnimodo zelum in hac causa sacerdotalem exercens, cum omni hoc viuacitate ac sollicitudine studeas perscrutari: & si ita repereris, mancipia ipsi sine mora in libertatem modis omnibus vindica, & Ecclesiasticam eis tuitionem impende, nec quicquam dominos eorum de precio quolibet modo recipere patiaris: qui non solùm hoc damno mulctandi, sed etiam alia erant pœna de legibus feriendi.

EPISTOLA XXXIII.

Sup. lib 2. ep 9. lib 4 epist. 49 laf. lib 10. ep 9 lib 1 ep. 19. li. 7. epist. 66.

De vsu pallij secundum morem antiquum Rauennati Episcopo restituendo.

GREGORIVS, *Castorio Notario.* Vir magnificus domnus Andreas crebro mihi imminet de vsu pallij secundum antiquam consuetudinem in Rauennati Ecclesia restituendo. Et scis quia Ioannes episcopus mihi scripserit, quòd in lętanijs solennibus consuetudo fuit eiusdem Ecclesiæ, episcopos vti pallio. Huius Ecclesiæ diaconus Adeodatus, cum me pro eadem causa fortiter rogaret, iureiurando satisfecit, quia quater in anno vti in lætanijs pallio eiusdẽ loci episcopi solebant. Prędictus autem domnus Andreas in epistolis suis dicit, quia prętерquam in Quadragesima, omni tempore Rauennas episcopus in lætanijs pallio vtebatur. Et ipsas asserit lætanias solennes, quas non erubescit dicere quotidianas. Vnde omnino miratus sum. Sed tua experientia nullius personam, nullius verba consideret, solum Dei timorem, & rectitudinem ante oculos habeat, & seniores personas, & eiusdem Ecclesiæ Archidiaconum, quem non suspicor pro alterius honore periurare, & alios antiquiores, qui in sacris ordinibus ante Ioannis episcopi tempora fuerant, requirat, vel si qui maturiores sunt extra sacros ordines, & veniant ante corpus sancti Apollinaris, & tacto eius sepulchro iurent, quæ consuetudo ante Ioannis episcop. tempora fuerat: quia sicut scis, idem vir multum præsumptor extitit, & multa sibi per superbiam conabatur arrogare. Et quicquid à fidelioribus viris, & grauibus iuratum fuerit, secundum indiculum qui subter annexus est, hoc volumus in eadem Ecclesia conseruari. Sed vide ne negligenter agas, ne quis fidem tuam aut deuotionem tuam in hac causa corrumpat, zelum enim tuum scio: age sollicitè, ita tamen vt prędicta Ecclesia contra iustitiam non grauetur: sed vsus qui ante Ioannis episcopi tempora extitit, ei conseruetur. Personas autem non duas, vel tres ad satisfaciendum tibi, sed quantas antiquiores, & grauiores inueneris require, vt neque quod vsus fuit antiquior eidem Ecclesiæ denegemus, neque quod nouo ausu appetitum est, concedamus. Sed omnia age blandè, & dulciter, vt & actio tua districta sit, & lingua mitis. Spatam quæ illic dimissa est, sicut iam pridem scripsimus, tecum reuoca, & hoc quod tibi filius noster Bonifacius diaconus, & vir magnificus Maurentius chartularius scripsit, sollicitè attende.

Iuro ergo per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, inseparabilem diuinæ potentiæ Trinitatem, & hoc corpus beati Apollinaris martyris, me pro nullius fauore personæ, neque commodo aliquo interueniente testari: sed hoc scio, & per memetipsum cognoui: quia ante tempora Ioannis quondam episcopi, Rauennas episcopus præsente Apocrysario Sedis Apostolicæ illo atque illo, illis atque illis diebus consuetudinem vtendi pallio habuit; & non cognoui, quia hoc latenter, vel absente Apocrysario vsurpasset.

Io. Diac. 4 ca. 4.

Indicatũ instrumentũ præscribitur.

EPISTOLA XXXIV.

Li. 1. ep 37. 40. 53. 57. 65 66 67. 4 ep. 25. 8. epi. 8. 8. 10. ep 3.

De redemptione captiuorum qui in Campania tenti sunt.

GREGORIVS, *Anthemio subdiacono.* Quantus dolor, quantaque sit nostro cordi afflictio de his, quæ in partibus Campaniæ contigerunt, dicere non possumus: sed ex calamitatis magnitudine potes ipse cognoscere. Ea de re pro remedio captiuorum qui tẽti sunt, solidos experientiæ tuæ per harum portitorem Stephanum virum magnificum trãsmisimus, admonentes vt omnino debeas esse sollicitus, ac strenuè superagas, & liberos homines, quos ad redemptionem suam sufficere non posse cognoscis, tu eos festines redimere. Qui verò serui fuerint, & dominos eorũ ita pauperes esse compereris, vt eos redimere non assurgant, & hos quoque comparare non desinas. Pariter etiam & seruos Ecclesiæ, qui tua negligentia perierunt, curabis redimere. Quoscunque autem redemeris, subtiliter notitiam, quę nomina eorum, vel quis vbi maneat, siue quid agat, seu vnde sit contineat; facere modis omnibus studebis, quam tecum possis afferre cum veneris. Ita

autem

autē in hac re te studiosè exhibere festina, vt ij qui redimendi sunt, nullum te negligente periculum possint incurrere, & tu apud nos postea vehementer incipias esse culpabilis. Sed & hoc quam maximè age, vt si fieri potest, captiuos ipsos minori possis precio comparere. Substantiam verò sub omni puritate atque subtilitate describe, & ipsam nobis descriptionem cum celeritate transmitte.

Mense Maio, Indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXXV.

De Sincero latore præsentis epistolæ.

GREGORIVS, *Secundino Episcopo Tauromitano.* Et legum ratio, & æquitas admonet naturalis, vt quisquis hæreditatem aut renuit, aut parentum successione se abstinet, hæreditaria non debeat onera sustinere. Quia ergo Sincerus lator præsentium, Hilarum socerū suum omnino inopem defunctum innotuit, & vxorem suam filiamq; ipsius in qualibet re eius se substantiæ minimè miscuisse, & ad persoluendum paternum debitum eam ab eius creditoribus queritur perurgeri: ideirco fraternitas vestra diligenter inquirat, & si ea quæ ait, veritate subsistunt, sacerdotalem illis studeat tuitionem impendere, nec eos contra rationis ordinem vexari, aut damnum permittat aliquod sustinere. Nam valde durum est, vt vnde nullum sensit cōmodum, sustineat iniustè dispendium. Supradictus autem portitor, si huc cum vxore sua venire voluerit, quia illic se dicit non posse subsistere, vestris propter Deum solatijs potiantur, nec cuiusquam eos illic aduersitas pro sua tantū voluntate retineat, aut eis irrationabiliter molestus existat, sed liberam habeant quò voluerint eundi licentiam; quatenus viuendi subsidium alibi saltem Deo largiente reperiant.

Mense Iunio: Indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXXVI.

De Petro quodam episcopo, & ne Donatistarum baptismo baptizari permittat.

GREGORIVS, *Columbo Episcopo Numidiæ.* Scripta fraternitatis vestræ sacerdotali plena dulcedine præsentium portitore Rogatiano diacono deferente suscepimus. Et valde nos eorum lętificauit benigna locutio: præsertim, quia per ea de vestra, quod de ideri j nostri est, incolumitate cognouimus. Deuotionem verò sanctitatis vestræ & olim nouimus, & nunc sicut scribitis, sic habemus. Nam qualis erga nos sinceritas fraternitatis vestræ sit, satisfactione non egemus, quia eam ex mentis nostræ, quæ circa vos est, dilectione cognoscimus. Suprascripto autem latori, quē nobis epistolariter commendastis; scripta ad rectorem patrimonij Siciliæ dedimus, vt aduersam partē facere quæ iusta sunt vrgeat: quatenus frustratoria excusatione postposita, ad finem citius perducatur totius causæ contentio. Indicamus itaque sanctitati vestræ, venisse ad nos quendam hominem Petrum nomine, qui se asserit fuisse episcopum, atque causæ suæ à nobis remedium postulasse. Et prius quidem retulit quæ digna esse miseratione potuissent: sed requirentes, postea multo aliter quàm indicauit inuenimus, & vehementer nos eius actio contristauit. Sed quia causæ ipsius interna, subtiliter nequaquam addiscere tam longo itineris interuallo disiuncti potuimus, eam, incerti quippe, definire nequiuimus. Nunc verò quoniam remeans supradictus diaconus secum eum relaxari poposcit, & ipse ad vos se petijt debere transmitti, scientes sanctitatem vestram, zelum, sicut decet, fidei, & amorem habere iustitię, nobis gratum fuit, & ea quæ petiuerunt concessimus. Quia ergo præsentes causam subtilius potestis scire, hortamur vt eidem Petro, ita seruare quicquid iustum canonicumque fuerit debeatis, quatenus & rectitudinis vigor à vobis in omnibus impleatur, & causa ipsius secūdum Dei timorem, & Ecclesiæ vidēatur regulas iudicata. Si quis verò conscius vel particeps præfato Petro in his quibus accusatur, dicitur extitisse, subtiliter requirēdum est, & veritate cognita, similiter canonicè iudicādum. Præterea res ad nos omnino dura, & rectæ fidei inimica peruenit, quia, quod dici nefas est, Catholici homines, & religiosi, quod est deterius, filios, mancipiaque sua, vel alios quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt: & ideo si verum est, fraternitas vestra hoc summoperè studeat emēdare, quatenus sinceritas fidei vestra sollicitudine intemerata cōsistat, & innocentes animæ, quæ Catholico baptismate saluari poterant, hæreticorum infectione non pereant. Quisquis ergo de his personis, quas superius memorauimus, quem quam suorū apud Donatistas passus est baptizari, ad Catholicam eos fidem omni virtute omniq; instantia studeat reuocare. Si quis verò talium de cetero hoc fieri de suis qualibet excusatione pertulerit, à clero sit modis omnibus alienus.

EPISTOLA XXXVII.

Sup. ep. 34 li. 1. & li. 1. 23. 37. 48. 51. 63. 65. 66 67. li. 4. ep 23. & li. 10 epi. 2. 3. Sup. li. 4 ep. 25.

Alexandriam relictam Vincomali commendat.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Quanto viduæ benè viuentes virorū sunt solatio destitutæ, tanto eis enixius Ecclesiastica est impendenda tuitio. Atq; ideo huius tibi præcepti pagina deputamus, quatenus Alexandriæ magnificæ feminæ relictæ quondam Vincomali omni instantia, omniq́ue sollicitudine, vbi necesse fuerit, seruata scilicet æquitate, tuitionem festines impendere, atque eius vtilitatibus studiosè concurrere: nec eam à quoquam vexari permittas, aut molestiam sustinere: sed ita, sicut prædiximus, vbi causa poposcerit, ope tuæ sollicitudinis potiatur, vt nullus se in afflictione oppressioneq; ipsius te illic coram posito tentet aliquatenus occupare.

EPISTOLA XXXVIII.

Sup. ep. 13. li 2. ep. 56. lib. 3 ep. 6. Ind. 12 l. 4 ep 6 27. 37 & l. 6. ep. 19

Ioannem religiosum commendat è schismate reuersum.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono.* Ioannem religiosum præsentium latorem, qui ex Histricorum schismate ad sinum sanctæ Ecclesiæ Deo reuelante accepta ratione reuersus est, dilectionem tuam, æquitate seruata, habere necesse est in omnibus commendatum, atq; ei in quibus causa poposcerit, Ecclesiastica tuitionem impendere. Cui etiam pro dispendiorum suorum subsidio, ab hac quartadecima prę sentis anni indictione, annis singulis octo solidos dare te volumus, quos tuis per omnia noueris rationibus imputandos.

EPISTOLA XXXIX.

Li 8. ep. 54 li. 9. ep. 46.

Georgium si emendare se voluerit, commendat.

GREGORIVS, *Dono Episcopo Messanensi.* Georgius præsentium portitor degere, vt ait, in ciuitate vestra desiderans, apud fraternitatem vestram nostra se petijt epistola commendari. Cui quoniam à praua se promisit actione compescere, quod petebat præuidimus non negandum. Et ideo sanctitas vestra de anima eius studeat propter Deum esse sollicita, atque eum adhortationibus suis ad viam Deo placitam reuocare: & si adiuuante Domino, vt promisit, ab omni se prauitate suspendens, viuere honestè voluerit; fraternitas vestra pro mercede sua, vt prospexerit, eius sustentationi subueniat, ne forsitan ad malè agendum excusationem sibi ex necessitate videatur assumere. Quid autem fraternitas vestra ex eius importunitate sit passura consideret, qui ad vos cum nostris epistolis venit, quem nos sine auctoritate aliqua importunum valde in prece pertulimus.

(?)

Lib. 1 ep. 68. li. 7. ep. 65.

EPISTOLA XL.

De presbytero ordinando in Ecclesia Massæ Nichoterana.

GREGORIVS, *Rusino Episcopo Viuonensi.* Exhabitatorum Massæ Nichoteranæ, quorũ episcopus pro quibusdam culpis in pœnitentiam deputatus est, relatione comperimus, nullum illic esse presbyterum, qui sacra possit missarum solẽnia celebrare; in tantum vt etiam filios suos sine baptismate asserant remansisse. Et quia hac pro causa magnoperè petiuerunt sibi in eadem Ecclesia, cui fraternitas vestra operam visitationis impendit, debere presbyterum ordinari: ea propter scriptis vos præsentib. adhortamur, vt de clero eiusdem Ecclesiæ requirere debeatis, cuius vita & mores ad hoc possint officium conuenire, & eum illic presbyterum festinetis auxiliante Domino consecrare. Nam valde durum est, vt quousque causa episcopi eorum subtiliter requiratur, non habeat Ecclesia illa presbyterum, qui sacrum illic opus valeat celebrare.

Mense Iulio, Indictione decimaquarta.

Sup. ep. 4. libr. 4. Ind. 13.

EPISTOLA XLI.

Vt in monasterio presbyterum ordinet.

GREGORIVS, *Victori Episcopo Panormitano.* Vrbicus abbas monasterij S. Hermæ, quod Panhormi situm est, à nobis cum cõgregatione sua magnoperè postulauit in eodem monasterio presbyterum, qui sacra missarum solennia celebrare debeat, ordinari: & quia huiusmodi non est differenda petitio, fraternitatem vestram scriptis præsentibus necessariò duximus adhortandam, vt eum qui ad hoc ministerium de eadem cõgregatione electus fuerit, cuius vita, mores, & actio tanto possint ministerio cõuenire, sine mora auxiliante Domino debeat consecrari; quatenus nec ille de monasterio suo hac pro causa egredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur adducere.

Sup. libr. 1. epist. 33.

EPISTOLA XLII.

De discordia inter ipsum & Ioannem Episcopum Syracusanum.

Io. Diac. 3. c 48.

GREGORIVS, *Venantio Patricio Exmonacho.* Multum ea quã direxistis iam nos contristatos inuenit epistola, quod inter vos & Ioannem fratrem & coepiscopum nostrum, de quorum desiderabamus gaudere concordia, scandalum prodijsse cognouimus. Quamuis enim causa fuisset, non vsque ad hoc debuit furor erumpere, vt armati homines vestri, sicut audiuimus, in episcopium irruerent, & diuersa hostili more mala committerent, atque vos hęc res à paterna caritate interim diuideret. Nunquid non poterat, quælibet cõtentio fuerit, tranquillè disponi, vt nec partium vtilitas detrimentum, nec sentiret gratia læsionem? Cuius autem grauitatis, cuius sanctitatis, cuius mansuetudinis supradictus frater noster sit, non habemus incognitum. Ex qua re colligimus; quia nisi vis eum doloris nimia coegisset, ad hanc rem de qua vos contristatos asseritis, eius fraternitas nullatenus peruenisset. Nos tamen vt hoc eo scribente comperimus, illico ei scripsimus, admonẽtes, vt & oblationes vestras sicut ante susciperet, & missas in domo vestra nõ solùm celebrari permitteret, sed si velitis etiam ipse perageret, causamq; suam seruata caritate exequi debuisset. Et quia nullos discordes vel fieri volumus vel manere, eandem adhortationẽ iterandam esse prospeximus. Vnde necesse est cariſſime fili, vt & vos sacerdotalem illi reuerẽtiam exhibere, sicut decet filios, debeatis, nec eius ad iracundiam animos prouocetis. Nam cũ quo fidam estis gratiam habituri, si vobis, quod absit, cum sacerdote fuerit discordia? Itaq; animi tumore depositio, sic agere causas quas habetis inuicem studete, vt & caritas inter vos intemerata permaneat, & alterutra mansuetè procuretur vtilitas.

EPISTOLA XLIII.

De discordia inter ipsum, & Venantium patricium facta.

Sup. ep. 18. & 41. li. li. sup. li. 4 & inf. l. 6. ep. 9. lib. 7 ep. 21. 27.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Quamuis causa fuerit, quæ fraternitatis vestræ animos ad iracundiam non immeritò prouocaret, vt nec oblationes domini Venantij voluisse tis susciperè, nec in domo ipsius sacra missarum sineretis solennia celebrari: tamen quia ita terrena agi debet vtilitas, vt nullum vos iurgium à caritatis valeat connexione disiungere; proinde caritatem vestram, sicut dudum scripsimus, adhortamur, quatenus & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine & Deo placita debeatis synceritate susciperè, & in domo ipsius missarum peragi mysteria permittatis; vt sicut scripsimus, si fortasse voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum missas priorem gratiam reformare. Oportet namq; filijs sacerdotalem in vos affectum impendere, & in causis, prout ratio suffragatur, iurisdictionẽ Ecclesiæ vestræ minimè præterire. Hoc ergo cõsiderans, necesse est, vt ita se circa eos fraternitas vestra discreta moderatione exhibere studeat, vt & quod negocij qualitas exigit, salubriter peragat, & à paternæ caritatis gratia non recedat.

EPISTOLA XLIV.

De monasterio eius in melius transmutando.

Lib. 7. ind. 2. epist. 48.

GREGORIVS, *Bonæ Abbatissæ.* Ecclesiastica damnũ non sentit vtilitas, si res alijs competentes, cognita veritate restituat: atq; ideo cognouimus Ioannem quondam presbyterũ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deseruimus, in domo iuris sui posita in hac vrbe Roma, iuxta thermas Agrippinas, oratorium construxisse; ibique quosdam redditus legati titulo per testamẽti sui seriem reliquisse. In quo etiam oratorio seruorũ Dei congregationem esse constituit, & hæc omnia vt debuissent impleri, testamẽti sui pagina sanctæ memoriæ decessori nostro Pelagio noscitur deputasse. Sed quia morte occupatus, necdũ hoc occurrit implere, & domus ipsa cum horto suo ab actoribus nostræ Ecclesiæ detinetur, & idcirco hactenus nec dum voluntas defuncti completa est; Iustitiæ ratio nos vehemẽter incitat, huiusmodi piæ dispositionis arbitrium vestra sollicitudine, & hoc quod decessori nostro iniunctum est adimplere: sed quoniam illic pro difficultate temporis, noua seruorum Dei congregatio adhiberi non potuit, feminarum saltem congregationem constituendam esse decernimus, atq; ideo & locum ipsum solenniter dedicare. Et quia monasterium vbi tu prius fuisti, in ruinæ erat periculo constitutum, te illic cum congregatione tua constituere per omnia debere Deo annuente perspeximus, quatenus in suprascriptæ domus monasterio iuxta voluntatem defuncti, Domino redemptori nostro seruiens, esse congregatio potuisset, & imminens posses periculum euitare. Vnde necesse est, vt & nũc, & in futuris temporibus Dei illic laudes per eam quę modò est, vel successura est congregationem modis omnibus celebrentur. Considerantes igitur antedicti presbyteri voluntatem, perpetuo illic tempore monasterium esse, atque ad id eandem domũ in integro cum horto suo, & rebus infrius designatis, quæ à testatore relictæ sunt, proprietatis iure cõstituimus pertinere, id est, massam Magulianensem cũ appẽdicijs suis via Nomẽtana, milliario plus minus vndecimo, tabernam in hac vrbe, quę est posita iuxta Palacenas, & Salgamum positum ante domum suprascripti monasterij. His igitur ita concessis atq; dispositis, oportet vt ita dilectio tua diligenter inuigilet, vt & Dei illic, sicuti præfati sumus laudes salubri studio deuotè, vt moris est, celebrentur, & suprascriptæ res ad ius ipsius pertinentes, nulla te negligente occasione depereant. Hanc enim sollicitudinem non solùm te, sed etiam quæ suo loco successerint in prædicto monasterio & rebus superius designatis constituimus nihilominus exhibere.

Pignatarius cuius

EPI-

EPISTOLA XLV.

De Ecclesia Sancti Stephani dedicanda.

GREGORIVS, *Leontio Episcopo Ariminensi.* Basilicam beati Stephani martyris, quam fraternitas vestra incendio asserit cõcrematam, quam etiam nuper instauratam esse commemorat, facultatem tribuimus dedicandi, in qua etiam reliquiarum sanctuaria eiusdem B. Stephani martyris volumus collocari. Et ideo frater carissime ad prædictam te Ecclesiam ire necesse est, & tam Ecclesiæ quàm etiam altaris nouiter cõstructi dedicationem solenniter exhibere, vt expectantium de eadem consecratione deuotio, Domino valeat auxiliante compleri. Quicquid præterea eidem loco à fundatorib. olim concessum est, in ea qua dimissum est voluntate ac firmitate volumus permanere.

EPISTOLA XLVI.

De Missis publicis, cathedra in Ecclesia posita in monasterio à Ioanne constructo non celebrandis.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Pisaurensi.* Miramur fraternitatem vestram, quod serie præcepti neglecta, quod ad vos sanctæ memoriæ decessor noster dederat, monasterium à Ioanne præsentium portitore constructũ, aliter quàm antiquæ consuetudinis vsus exigit, consecrares. Dum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum sit, vt locum ipsum absque missis publicis dedicares, vt ad nos peruenit, cathedra posita sacra illic publicè missarum solẽnia celebrantur. Quod si verum est, his vos hortamur affatibus, vt omni excusatione cessante, cathedram vestram exinde amoueri modis omnibus faciatis, nec denuo illic missas publicas peragatis. Sed & sicut consuetudo & præcepti tenor eloquitur, si missas ibidem sibi celebrari vouerint, à te presbyter dirigatur, in eodem autem monasterio congregationem seruorum Dei, sicut prædictus Ioannes & petijt & nunc esse, & cũ Dei gratia semper volumus permanere. Calicem verò quem sibi à fraternitate vestra ablatum innotuit ei, si ita est, restituere festinate. Hæc ergo Sanctitas vestra ita studeat adimplere, vt denuo ad nos prædictus portitor pro hac causa necessitatem remeandi non habeat.

EPISTOLA XLVII.

De schismaticis ad vnitatem Ecclesiæ redeuntibus.

GREGORIVS, *Leoni Episcopo Fanẽsi.* Sicut schismatici prauo studio perdurantes, obiurgandi detestandique sunt, sic ad sinum matris Ecclesiæ redeuntes, consolandi, & nihilominus refouendi. Quia igitur Ioannes religiosus præsentium lator recepta ratione, ad vnitatem sanctæ Ecclesiæ ab errore Hiſtoricorum Deo miserante conuersus est; ea propter fraternitatem vestram hortari præuidimus, vt eum salua ratione, habere debeat in omnibus commendatum, atq; suo fauore protegere. Cui etiam ne possit post conuersionem alicui necessitati succumbere, aliquid de Ecclesia illi præuidimus annis singulis consulendum. Quia ergo vestræ sanctitati se summoperè petijt commendari; prouidendum vobis pro vestra mercede est, vt, sicut diximus, vestris in omnibus solatijs fulciatur.

EPISTOLA XLVIII.

Hortatur vt à Maximi præuaricatoris communione abstineant, & ab illis sacramenta percipiant, qui Maximo non communicarunt.

GREGORIVS, *Presbyteris, Diaconibus, & clero, nobilibus, ac populo Iaderæ consistentibus, & militibus qui Maximo præuaricatori communicauerant.* Peruenit ad me quosdam vestrum ignorantia vel necessitate deceptos, his qui ab Apostolica Sede culpa, sicut nostis exigẽte, communione priuati sunt, communicasse: quosdam verò se salubri discretione, protegente Domino, suspendisse: & quantum de cõstantibus gaudeo, tantum de deuiantibus ingemisco: quoniam sacrę communionis mysteria, quo ad absolutionem nobis diuina pietate concessa sunt, in detrimentum magis suæ animæ perceperunt. Et quia sicut vobis omnipotens Deus innotescat vehementer, caritati vestræ medullitus & ex toto corde compatior, paterno affectu obtestor atq; suadeo, vt ab illicita communione se quisque suspendat, & quos Apostolica Sedes in communionis suæ consortium non recipit, omnino refugiat, ne inde reus ante conspectũ æterni iudicis vnde poterat saluari consistat. Comperi autem quòd quidam peruersæ mentis homines illic insinuare conati sunt, quia ego contra Maximum quodam odio mouear, & nõ ea quæ canonica, sed ea potius quę furoris sunt, exequi concupiscam. Sed absit hoc, absit à sacerdotali animo, vt in qualibet causa priuato zelo moueatur. Ego verò populo in illis partib. consistenti, ac meæ animæ prouidens, & omnipotentis Dei iudicium pertimescens, causas eiusdem Maximi exquiri volo, & cum omni synceritate reuelante Domino quod est canonicum definire. Cui quoniam frequẽter scripsimus, vt non prius sacra missarũ solennia celebraret, quã causam eius potuissemus agnoscere, alioquin esset communione priuatus; & ex hoc iam superbiæ ipsius culpa in aperto monstratur, quòd sæpius, sicut dixi, admonitus vt ad nos veniret, diuersis excusationibus renititur, refugit, metuit. Vnde ergo trepidat, si eum de his quę dicta sunt, conscientia non accusat? Hęc ergo cognoscentes, postquã vobis nullam de ignorantia excusationem assumere potestis, rogo, hortor, & moneo, vt à prohibitæ vos communionis consortio per omnia suspendatis, nec cuiquam sacerdoti suprascripto Maximo communicanti, contra animam suam quisquam vestrum communicare præsumat. Quia tamẽ audio, (sicut præfatus sum) quosdam vestrum ignorantia lapsos, quosdam etiam ad communicandum violẽter esse oppressos; omnipotentem Dominum deprecor, vt & eos qui huic prauitati minimè cõsenserunt, perpetua gratiæ suæ protectione custodiat, & optata eis largitate respondeat. Et illos quos aut studium, aut ignorantia, aut alia quælibet causa traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atq; ab omnibus vinculis alienæ obligationis absoluat, omnibusq; in præsenti vita protectionis suę gratiam tribuat, & nos de vobis in æterna patria gaudere cõcedat. Vt igitur hæc vobis intercessio apud Deum saluatorem nostrum proficiat: adhortationibus nostris, pro animæ vestræ salute obedientiam exhibete, & ab illis sacram communionem percipite, quos se ab antedicti Maximi communione abstinuisse vel abstinere cognoscitis.

Sup. epist. 26. h. l.

11. q. 3. c. Rogo.

EPISTOLA XLIX.

Libr. 9. ep. 41. & 43.

De Agathone suscipiendo, si eius quoque vxor fieri monialis voluerit.

GREGORIVS, *Vrbico Abbati Monasterij Sanct. Hermetis, quod in Panhormo situm est.*

Quisquis diuina inspiratione compunctus relictis sæculi huius actionibus, ad Deum conuerti festinat, ita & cum caritate suscipiendus est, & blandis per omnia consolationib. refouendus, vt in ea quam elegit, Deo adiuuãte, delectetur modis omnibus conuersatione persistere. Quia igitur Agatho præsentium lator in monasterio dilectionis tuæ conuerti desiderat; hortamur, vt cum omni eum dulcedine dilectioneq; suscipias, atque ad ęternam vitam eius desiderium assidua adhortatione succendas, & circa animæ ipsius salutem diligenter studeas esse sollicitus, quatenus dum in Dei nostri seruitio te admonente deuota mente perstiterit, & illi prosit sæculum reliquisse, & tibi eius cõuersio proficiat ad mercedem. Quem tamen ita suscipiendum esse cognosce, si & vxor ipsius similiter conuerti voluerit. Nam dum vnum vtrorumque corpus coniugij copulatione sit factum, incongruum est partem conuerti, & partem in sæculo remanere.

27. q. 2. ca. Quia Agatho.

Inf. ep. 52.

EPISTOLA L.

De reliquijs Apostolorum Petri & Pauli suscipiendis.

GREGORIVS, *Palladio Episcopo Sanctionis.* Veniens lator præsentiũ Leupаricus presbyter vester insinuauit nobis fraternitatem vestram, Ecclesiam in honorẽ beat. Petri & Pauli Apostolorum, necnon Laurentij atque Pancratij martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remãsisse, ob hoc quòd suprascriptorum sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente disponitis. Et quia reliquias sanctorum Petri & Pauli, necnon Laurentij atque Pancratij martyrum cum veneratione prębuimus; hortamur, vt eas cum reuerẽtia suscipere, & collocare, auxiliante Domino debeatis: prouisuri ante omnia, vt seruientibus ibidem nõ debeant alimoniarum deesse suffragia.

Dedicatio altarium cum reliquijs.

EPISTOLA LI.

Inf. h. lib. ep. 59. li. 7. ep. 5. lib. 9. epi. 50. 57. 64. l. 10. 11. epist. 8. Ind. 6.

De reliquijs Apostolorum Petri & Pauli collocandis.

GREGORIVS, *Brunichildæ Reginæ Francorum.* Epistolarum vestrarum series, quæ religiosum animum, & piæ mentis studium continebat, non solùm voluntatis vestræ fecis nos laudare propositum, sed etiam libenter inuitauit postulata concedere. Nec enim nos negare decuit, quod Christiana deuotio, & recti cordis desiderium flagitabat, præsertim dum illa postulari, & tota amplecti mente cognouimus, quæ & credentium fidẽ valde protegere, & animarũ salutem operari nihilominus poterunt ac seruare. Atque ideo cõgruo honore vestram excellentiam salutantes, indicamus latori præsentium Leuparico, quem vos esse presbyterũ scripsistis, per quem eloquia vestrarum suscepimus literarum, reliquias nos beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, iuxta excellentię vestræ petitionem cum ea veneratione qua dignum est præbuisse. Sed vt in vobis magis magisque laudabilis, & religiosa possit clarere deuotio, prouidendum vobis est, vt sanctorum beneficia cum reuerentia & debito honore condantur, & seruientes ibidem nullis oneribus, nullisq; molestijs affligantur: ne forsitan necessitate exterius imminente in Dei seruitio inutiles segnesq; reddantur, & iniuriam, quod absit, neglectumque beneficia sanctorum collocata sustineant. Quieti ergo eorum excellẽtia vestra prospiciat, quatenus dum vestro beneficio liberi & ab omni fuerint inquietudine custoditi, & illi Deo nostro secura mente laudes exoluant, & vobis in æterna vita merces accrescat.

Ecclesijs seruientes nullis debent oneribus affligi.

EPISTOLA LII.

Sup. ep. 47. 50.

Commendat Augustinum, quem in Angliam miserat.

GREGORIVS, *Palladio Episcopo de Sanctonis, Pelagio de Turonis, & Sereno de Massilia, episcopis Galliarum aparibus.* Licet apud sacerdotes habentes Deo placitam caritatem, religiosi viri nullius commendationis indigeant: quia tamen aptũ scribendi tempus ingessit, fraternitati vestrę nostra mittere scripta curauimus, insinuantes latorem præsentium Augustinum seruum Dei, de cuius certi sumus studio, cum alijs seruis Dei illuc nos pro vtilitate animarum, auxiliante Domino, direxisse. Quem necesse est, vt sacerdotali studio sanctitas vestra adiuuare, & sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam vt promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis iniunximus subtiliter indicare, scientes quòd ea cognita, tota vos propter Deũ deuotione ad solatiandum, quia res exigit, commodetis. Candidum præterea presbyterum communem filium, quem ad gubernationem patrimonioli Ecclesiæ nostræ transmisimus, caritati vestræ in omnibus commendamus.

Li. 9. ep. 9. Inf. ep. 53. 54 56. & li. 12. ep. 15. & 31.

EPISTOLA LIII.

Inf. libr. 7. ep. 115. l. 9. epi. 49 65. sup. li. 4. ep 30.

Augustinum commendat, quem in Angliam propagandi Euangelij causa transmiserat.

GREGORIVS, *Virgilio Episcopo Arelatensi Metropol. Galliæ.*

Quamuis fraternitatem vestram bonis esse intentam operibus. & spontè se exhibere in causis Deo placitis cõfidamus: verumtamen vtile esse fraterna vos alloqui caritate credidimus, vt solatia, quæ vos vltrò decet impendere, nostris quoq; prouocati epistolis augeatis. Atque ideo indicamus sanctitati vestrę, Augustinum seruum Dei præsentium portitorem, cuius zelus & studium benè est nobis cognitum, cum alijs seruis Dei pro animarum nos illuc compendio transmisisse, sicut ipse vobis coram positus poterit indicare. In qua re oratione vos eum & auxilijs adiuuare necesse est, atque vbi opus exegerit, solatiorum vestrorum ei præbere suffragia, & paterna ac sacerdotali illum cõsolatione, sicut conuenit, refouere: quatenus dũ sanctitatis vestræ fuerit solamina consecutus, si quid Deo nostro lucrifacere sicut optamus, valuerit, & vos possitis pariter mercedẽ acquirere, qui ad bona opera suffragij vestri deuotè copiam ministratis. Candidum autem presbyterum, communem filium, & patrimoniolum Ecclesiæ nostræ fraternitas vestra, quippe vt vnanimis nobis, studeat habere commendatum, vt aliquid inde pauperum alimonijs sanctitate vestra valeat adiuuante proficere. Quia igitur patrimoniolum ipsum per annos plurimos prędecessor vester tenuit, & collectas apud se pensiones seruauit; fraternitas vestra cuius sint res, vel cui erogentur consideret, atque eas animæ suæ respectu suprascripto filio nostro Candido presbytero nobis restituat dirigendas. Nam valde est execrabile, vt quod à regibus gentium seruatum est, ab episcopis dicatur ablatum.

EPISTOLA LIV.

Epist. 30. libr. 7. epi. 115. & 119.

Augustinum commendat.

GREGORIVS, *Desiderio Viennensi et Syagrio Augustudunensi episcopis Galliæ aparibus.*

De fraternitatis vestræ sincera caritate benè confidimus, quòd amore beati Petri Apostolorum principis hominibus nostris vestra deuota solatia cõmodetis, præsertim dum causæ qualitas exigat, vbi etiam spontè concurrere, & laborare magis optetis. Indicamus itaque sanctitati vestræ, nos Augustinum seruum Dei præsentium portitorẽ, cuius zelus & studium benè nobis est cognitum, cum alijs seruis Dei pro animarum illuc causa, disponente Domino, direxisse: cuius relatione quid sibi iniunctum sit, subtiliter agnoscens, fraternitas vestra ei modis omnibus in quibus causa poposcerit, impendat solatia, vt boni operis adiutores, sicut decet & conuenit, possitis existere. Ita ergo fraternitas vestra in hac re se deuotam studeat demõstrare, vt bona quæ de vobis opinione narrante didicimus, vera esse opere comprobemus. Dilectissimum verò communem filium Candidum, cui patrimoniolum Ecclesiæ nostræ commisimus in illis partibus constitutum, vobis per omnia commendamus.

EPISTOLA LV.

Vt Virgilio Episcopo Arelatensi de pensionibus Ecclesiæ insinuet.

GREGORIVS, *Prostasio Episc. de Aquis Galliæ.* Quantus in vobis beati Petri Apostolorum principis amor excellat, non solum officij vestri prærogatiua, sed etiam deuotio, quã circa vtilitates Ecclesiæ ipsius geritis patefecit. Quæ quia Augustino seruo Dei præsentium latore cognouimus referente, de affectu, & veritatis studio, quod in vobis est, valde gaudemus, & gratias agimus: quia etsi corpore absentes, mente tamẽ & animo nobiscum vos esse monstratis, quippe ergà quos caritatem fraternam, vt conuenit, exhibetis. Vt igitur bona, quæ de vobis prædicauit opinio, rerum possit veritas confir-

confirmare, Virgilio fratri, & coëpiſcopo noſtro dicite, vt penſiones quas prædeceſſor eius per annos plurimos de patrimoniolo noſtro percepit, & apud ſe retinuit, ad nos, quia pauperum res ſunt, ſtudeat deſtinare. Qui ſi fortè aliquo ſe modo, quod non credimus, excuſare voluerit: vos qui veritatem ipſam ſubtilius noſtis, reuera qui in Eccleſia ipſa tunc temporis curam vice domini gerebatis, qualiter ſe habeat cauſa differite, & ne res ſancti Petri & pauperum eius apud ſe retinere debeat, imminete. Sed etſi fortaſſe hominibus noſtris neceſſarium fuerit, veſtrum in cauſa teſtimonium non negate, vt tam pro veritatis quàm pro voluntatis veſtræ deuotione beatus Petrus Apoſtolus, cuius amore hæc facitis, ſua vobis & hic & in futura vita interceſſione reſpondeat. Candidum presbyterum communem filium, cui patrimoniolum ipſum cõmiſimus, ſanctitati veſtræ magnoperè commendamus.

EPISTOLA LVI.

Vt ſollicitus ſit circa congregationem ſibi commiſſam.

GREGORIVS, *Stephano Abbati de Monaſterio Quirilino Galliæ.*

Lætos nos relatio Auguſtini ſerui Dei præſentium portitoris effecit, quòd dilectionem tuam, vt oportet, vigilantem eſſe narrauit: denique & presbyteros & diaconos, cunctamque congregationem vnanimes viuere, ac concordes affirmat. Et quoniam præpoſitorum bonitas ſubiectorum ſalubris eſt regula, omnipotentem Dominum deprecamur, vt in bonis te ſemper operibus gratiæ tuę pietatis accendat, & commiſſos tibi ab omni Catholicæ fraudis tentatione cuſtodiat, & tecum cum caritate, & placita ſibi viuere conuerſatione concedat. Quia verò humani generis inimicus inſidiari noſtris actibus non quieſcit, ſed aſſidua calliditate hoc nititur, vt Deo ſeruientes animas in qualibet parte decipiat; ideo dilectiſſime fili hortamur, vt ſollicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita commiſſos tibi oratione & cura prouidenti cuſtodias, vt lupus circumiens, nullam dilaniandi occaſionem inueniat: quatenus dum Deo noſtro incolumes, quorum ſuſcepiſti curam reddideris, & præmia labori tuo gratia ſua rependat, & tibi æternæ vitæ deſideria multiplicet. Cocleares verò & circulos quos direxiſti, ſuſcepimus, & caritati tuæ gratias agimus: quia qualiter pauperes diligas oſtendiſti, qui ad vſus eorum quæ ſunt neceſſaria tranſmiſiſti.

EPISTOLA LVII.

Auguſtinum & Candidum Presbyterum commendat.

GREGORIVS, *Arigio Patricio de Gallijs.* Quanta in vobis bonitas, quantaque manſuetudo cum Chriſto placita caritate reſplendeat, latore præſentium Auguſtino ſeruo Dei referente comperimus: atque omnipotenti Deo gratias agimus, qui hæc vobis pietatis ſuæ dona conceſſit, per quæ inter homines valdè laudabiles, & ante cõſpectum ipſius, quod eſt veraciter vtile, glorioſi poſſitis exiſtere. Oramus ergo omnipotentem Dominum, vt hæc in vobis quæ conceſſit dona multiplicet, & ſua vos cum omnibus veſtris protectione cuſtodiat; & ita actionem gloriæ veſtræ in hoc ſæculo diſponat, vt & hic vobis, & in futura, quod magis optandum eſt, vita proficiat. Salutantes itaque gloriam veſtram paterna dulcedine petimus, vt lator præſentium, & ſerui Dei qui cum eo ſunt, veſtra in quibus neceſsè fuerit, ſolatia conſequantur: quatenus dum veſtrum fauorem inuenerint, iniũcta ſibi melius, adiuuante Domino valeant adimplere. Præterea filium noſtrum Candidum presbyterum, quem ad gubernationem patrimonioli Eccleſiæ noſtræ, quod illic eſt, tranſmiſimus, vobis per omnia commendamus, confidentes à Deo noſtro vos mercedis vicem recipere, ſi rebus pauperum ſolatia ſua gloria, veſtra deuota mente præſtiterit.

EPISTOLA LVIII.

De Auguſtino ſeruo Dei ad gentem Anglorum miſſo.

Inf. li. 9. ep. 53. & l. 11. ep. 9. Ind. 6.

GREGORIVS, *Theodorico & Theodeberto, Regibus Francorum Auſtrasiorum.*

Poſtquam Deus omnipotens regnum veſtrum fidei rectitudine decorauit, & integritate Chriſtianæ religionis inter gentes alias fecit eſſe conſpicuum; magnam de vobis materiam præſumendi concepimus, quòd ſubiectos veſtros ad eam conuerti fidem per omnia cupiatis, in qua eorum nempe reges eſtis & domini. Atque ideo peruenit ad nos, Anglorum gentem ad fidem Chriſtianam Deo miſerante deſideranter velle conuerti, ſed ſacerdotes veſtros è vicino negligere, & deſideria eorum ceſſare ſua adhortatione ſuccendere. Ob hoc igitur Auguſtinum ſeruum Dei præſentium portitorem, cuius zelus & ſtudium benè nobis eſt cognitum, cum alijs ſeruis Dei illuc præuidimus dirigendum. Quibus etiam iniunximus, vt a liquos ſecum è vicino debeant presbyteros ducere, cum quibus eorum poſſint mentes agnoſcere, & voluntates admonitione ſua, quantum Deus donauerit, adiuuare. In qua re vt efficaces valeant atque idonei apparere, excellẽtiam veſtram paterna ſalutantes caritate quæſumus, vt hi quos direximus fauoris veſtri inuenire gratiam mereantur. Et quia animarum cauſa eſt, veſtra eos poteſtas tueatur & adiuuet, vt Deus omnipotens, qui vos in cauſa ſua deuota mente, & toto ſtudio ſolatiari cognoſcit, cauſas veſtras ſua protectione diſponat, & poſt terrenam poteſtatem ad cœleſtia regna perducat. Præterea dilectiſſimum filium noſtrum Candidum presbyterum, & patrimoniolum Eccleſiæ noſtræ, quod in illis partibus eſt conſtitutum, vt commendatum excellentia veſtra habere debeat, poſtulamus: quatenus beatus Petrus Apoſtolorum princeps ſua vobis interceſſione reſpondeat, qui mercedis intuitu, tuitionem in rebus pauperum eius impenditis.

Sup. ep. 53. 54. 56. Inf. li. 12. ep. 15. & 31.

EPISTOLA LIX.

De conuerſione Anglorum, & Auguſtino.

Lib. 1. ep. 31. 9. l. 10. ep. 64. l. 9. ep. 56. 57.

GREGORIVS, *Brunichildæ Reginæ Francorum.* Excellentiæ veſtræ Chriſtianitas ita nobis veraciter olim innotuit, vt de bonitate eius nullatenus dubitemus, ſed magis certum modis omnibus teneamus, quia in cauſa fidei deuotè & ſtudioſè concurrat, & religioſæ ſinceritatis ſuæ ſolatia copioſiſſimè ſubminiſtret. Ex qua re benè confidentes paterna caritate ſalutantes indicamus ad nos peruenisſe, Anglorum gẽtem Deo annuente, velle fieri Chriſtianam, ſed ſacerdotes qui in vicino ſunt, paſtoralem erga eos ſollicitudinem nõ habere. Quorum ne animæ in æterna damnatione valeant deperire, curæ nobis fuit præſentium portitorem Auguſtinum ſeruum Dei, cuius zelus & ſtudium benè nobis eſt cognitum, cum alijs ſeruis Dei illuc dirigere, vt per eos potuiſſemus ipſorum voluntates addiſcere, & de eorum conuerſione vobis quoque annitentibus, in quantum eſt poſſibile, cogitare. Quibus etiam iniunximus, vt ad agenda hæc è vicino ſecum debeant presbyteros ducere. Excellẽtia ergo veſtra, quæ prona in bonis conſueuit eſſe operibus, tam pro noſtra petitione, quàm etiam diuini timoris conſideratione, eum dignetur in omnibus habere commendatum, atque ei tuitionis ſuæ gratiam vehementer impendat, & labori eius patrocinij ſui ferat auxilium: & vt pleniſſimè poſſit habere mercedem, ad ſuprafcriptam Anglorum gentem ſua tuitione ſecurum ire prouideat: quatenus Deus noſter qui in hoc ſeculo vos bonis ſibi placitis decorauit; hic & in æterna requie cum ſuis vos ſanctis faciat gratulari. Præterea dilectum filium noſtrum Candidum presbyterum, & patrimoniolum Eccleſiæ noſtræ, quod illic conſtitutum eſt, veſtræ Chriſtianitati commendantes, petimus vt tuitionis veſtræ gratiam in omnibus conſequatur.

Lib.8.ep. 42.Ind.3. l.11.ep.46. 47.

EPISTOLA LX.

De laude caritatis, & persecutione Longobardorum, & de muneribus, quæ ab eo transmissa susceperat.

GREGORIVS, *Eulogio Episcopo Alexandrino.* Mater & custos bonorum omnium caritas, quæ multorum corda veniendo constringit, absentem non æstimat eum quem oculis mentis habet præsentem. In huius ergo radice cùm frater carissime teneamur, nihil sibi in nobis corporalis absentia, nihil poterit regionum vindicare longinquitas, quippe quia scilicet longè à nobis non sumus qui vnum sumus. Hanc autem esse nobis cum cæteris fratribus communem semper optamus. Est tamen aliquid quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, & in eius amore proniores existere speciali quodammodo lege compellit. Nam sicut omnibus liquet, quòd Beatus Euangelista Marcus sancto Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic huius nos magistri & discipuli vnitate constringimur, vt & ego sedi discipuli præsidere videar propter magistrum, & vos sedi magistri propter discipulum. Ad hanc autem vnitatem cordium etiam vestræ sanctitatis meritis ligamur, quos auctoris sui salubriter sequi instituta cognoscimus, & semper ad magistri sui gremium vnde illi prædicatio salutis exorta est, tota se conferre deuotione sentimus. Atque ideo sanctitatis vestræ susceptis apicibus, quantum cor nostrum de fraterna visitatione gauisum est, tantùm de indictis quæ significastis oneribus mœstitia premitur, & fraterna compassione vobiscum gemimus quod doletis. Sed quia in diuersa se tendit vbique concussio, in communi necessitate, minus est de propria dolendum, sed studendum magis est, vt patienter tolerando vincamus quod omnino deuitare non possumus. Quanta autem nos à Longobardorum gladijs in quotidiana nostrorum ciuium depræ-

S. Petrus Apostol. S. Marcũ Alexandriã transmisit.

datione vel detruncatione atque interitu patimur, narrare recusamus: ne dum dolores nostros loquimur, ex compassione quam nobis impenditis, vestros augeamus. Præterea antè aliquantum temporis communi filio Sabiniano diacono responsa Ecclesiæ in vrbe regia facienti, scripta nostra transmisimus, quæ vestræ fraternitati dirigere debuisset. Quæ si suscepistis, miramur cur nobis ad ea minimè respõdistis. Et ideo quia cauendum est, ne cuiuslibet superbia scandalum Ecclesijs introducat; necesse est, vt eadem scripta subtiliter relegentes, omni studio & tota intentione quæ ad honorem vestrum & pacem Ecclesiæ pertinent, conseruetis. Omnipotens autem Deus qui pietatis suæ gratia sacerdotalem vobis animum & caritatem contulit, in suo vos seruitio protegat, atque ab omni aduersitate interius exteriusque custodiat, & conuerti ad se errantium animas vestra propitius prædicatione concedat. Latorem autem præsentium Isidorum diaconum communem filium cum ea qua oportuit caritate suscepimus, benedictionem nobis sancti Marci Euangelistæ deferentem. Et vos quidem bonæ vitæ merito resplendentes, ea quæ paradiso vicina beneuolentia nobis ligna transmisistis: Nos verò quia videlicet peccatores sumus, ab Occidente vobis ligna transmisimus, quæ construendis apta nauibus, nostræ mentis tumultum signantia, in marinis semper fluctibus agitantur: & quidem transmittere maiora voluimus, sed hæc nauis angustia non recepit.

(·.·)

Mense Augusto, Indictione decimaquarta.

EPISTOLA LXI.

Lib.7. ep. 6. & li.1. ep.69.72. 73. & li.9. ep.61. li.6. ep.3.

De Paulo Episcopo qui impediebatur Romam proficisci.

GREGORIVS, *Gennadio Patricio Africæ.* Excellentiam vestram non ambigimus reminisci, qui antè biennium pro Paulo fratre & coëpiscopo nostro scripsimus, vt ei ad nos venire desideranti, dignitatis vestræ suffragia præberetis, ob hoc quòd à Donatistis insecutionis dicebatur molestiam sustinere: quatenus postquam dum contra eos nunciatum est habere subsidium non posse, cognita veritate, fraterna ei compassione potuissemus ferre consultum, & salubri dispositione quid contra pestiferæ præsumptionis insaniam debuisset fieri, tractaremus. Et quantum nobis prædictus frater innotuit, non solùm nullum meruit cuiusquam habere solatium, sed vt minimè ad Romanam potuisset vrbem accedere, diuerso est impedimento prohibitus. Cui tamen dum vestram relegi fecissemus epistolam, respondit se non quorundam odio, quia Donatistas prohibebat laborare, sed magis pro defensione Catholicæ fidei, multorum perhibet ingratitudines sustinere: multaque alia retulit, quæ quoniam aptum dicendi tempus non extitit, silentio reticere præuidimus. Quia ergo non de rebus terrenis, sed de animarum salute tractatur, & vestra atque illius diuersa existit assertio, nihil indiscussa veritate subtiliter respondere potuimus, quia tempore quo excellentiæ vestræ scripta suscepimus, corporis ægritudine tenebamur. Sed dum nos omnipotens Deus si ei placuerit, pristinæ saluti reddiderit, veritatem diligenti vt possumus inquisitione rimabimur: Et secundùm ea quæ valuerimus addiscere, ita causam Deo miserante disponemus, vt animarum quarum vos curæ pro vestra mercede studere dignamini, salus non solum quæ ab errantibus iam amissa est, reparetur, sed etiam quæ in veræ fidei cultoribus est, Redemptoris nostri gratia disponente seruetur. De suprascripto autem Episcopo, quem communione priuatum esse asseritis, valdè mirati sumus, cur nobis hoc non primatis eius, sed excellentiæ vestræ epistola indicauit.

EPISTOLA LXII.

Sup. li.2. ep.39. Ind. 10 li.4.ep. 3. li.5.ep. 19. Ind.14. li.10.ep.1.

De laude caritatis & cura pastorali.

GREGORIVS, *Dominico Episcopo Carthaginis.* Verè mirabilis caritas virtus est, dilecte frater, quæ aduentu supernæ gratiæ postquam spiritalia inclinauit ad infima, postquam ipsum sibimet vnumquemque carnalibus illecebris discordãtem pacauit hominem; ita in humanis se dilatauit mentibus, vt sublimia inclinaret, humilia sublimaret, pacaret discordantia, ferocia mansueta faceret, dissociata conglutinaret, scissa sarciret, diuisas tot aquarum terrarumque spatijs, climatumque diuersitatibus hominum nationes, compaginatis ad vnũ mentibus, suæ vinculo suauitatis adstringeret. Huius amplitudinis præconia quando humanæ infirmitatis exponere lingua sufficiat? Huius autem laus in cœlis perfecta est, in terris verò forma eius ostẽdenda potiùs est, quàm dicenda, vt qualis quantaque sit, postquam ore nostro plenè non potest, ex nostra magis compassione monstretur. Quam & si vtcunque laudamus ore, simul necesse est vt faciamus manu: ne si laudator eius tantùm est quisquam & non factor, sententiam sibi magis exacuat, quia in conspectu iudicis hoc fauoribus exaggerat quod omisit. Hãc nos licèt locorum interuallis disiuncti, atque corpore longè à vobis positi, auxiliante Dei porrecti, atque corpore longè à vobis positi, auxiliante Dei porrentia erga vos studiosissimè conseruamus: hanc vos non solùm circa nos, sed erga fratres filiosque vestros paternis fraternisque oportet visceribus exhibere. Nam quomodo hoc non sit studiosissimè faciendum, quando eius non tam in fratrum filiorumq; est, quàm in inimicorum quoque dilectione perfectio? Quamobrem, carissimè, nos quos pastoralis curæ constringit officium, diligamus fratres. Ipsos quoque aduersarios nostros propter mandatum Dominicum, nostro circa nos copulemus affectu. Pacem sequamur cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. In pijs verse-

Hebr.12.

mur

mur operibus, virtutibus polleamus, fulgeat in noſtro pectore rationale iudicij cum ſuperhumeralis actione cõiunctum. Ita proceſſamus in conſpectu Dei, atque totius Iſraël. Huiuſmodi commiſſo nobis gregi præbeamus exempla, vt videant noſtra opera bona, & glorificent patrem noſtrum qui in cœlis eſt. Sit in lingua fermo, ſit zeli feruor in animo, vt verè de illorum dicamur numero, de quibus legitur: Apparuerunt illis diſpartitæ linguæ ſicut ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. Verè enim in nobis igneæ linguæ reſident, ſi in fratrum filiorumque exhortatione diuini feruore ſpiritus accendamur. Creditum nobis agrum Dominicum exerceamus dum licet, ſeminemus in timore dum tempus eſt, bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes. Simus de illis, de quibus Pſalmiſta dicit: Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Ad cuius rei fructum nos prouocans ſubdidit: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Vigilemus itaque, & relinquentes terrena negocia cœleſtibus anhelemus. Et quæ retrò ſunt obliuiſcentes, in ea quæ antè ſunt noſmetipſos enixius extendamus. Mens noſtra in ſæculari varietate non diffluat, ſed tota in vnum currat atque confluat finem, quem mira ſuauitate Dauid reſpexerat, cùm dicebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Hoc amore liquefiant boni corda rectoris. In his ſe mens tota ſuſpendat. Dum adhuc in terris ſumus poſiti, frequens à nobis lachrymarum imber in cœlo compunctionis nube fructificet. Tunc enim benè atque verè dilecte mi frater ad proximorum dilectionem deſcendimus, ſi in dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima & mente, atque ex totis viribus perſiſtimus. Xenia verò temporalia à vobis directa, licèt nos talibus non egeamus, tamen cum debita caritate ſuſcepimus. Egemus autem de veſtra debita caritate atque commiſſi vobis regiminis ſollicitudine gratulari. Multo enim nobis hæc dulciſſima fiunt, cùm ſacerdotum mentes, piæ conuerſationis fuerint ſuauitate conditæ.

EPISTOLA LXIII.

De neglectis Imperatoris legibus, quæ aduerſus Donatiſtas lata erant, & de Epiſcopis ad eum tranſmiſſis.

GREGORIVS, *Mauricio Auguſto.* Inter armorum curas & innumeras ſollicitudines, quas indefeſſo ſtudio pro Chriſtianæ reipublicæ regimine ſuſtinetis, magna mihi cum vniuerſo mundo lætitiæ cauſa eſt, quòd pietas veſtra cuſtodię fidei, qua dominorum fulget imperium, præcipua ſollicitudine ſemper inuigilat. Vnde omnino confido, quia ſicut vos Dei cauſas religioſæ mentis amore tuemini, ita Deus veſtras maieſtatis ſuæ gratia tuetur & adiuuat. Qualiter autem pietatis veſtræ ſerenitas contra Donatiſtarũ flagitioſiſſimam prauitatem conſideratione iuſtitiæ & ſinceriſſimæ religionis zelo commota ſit, directarum lucidiſſimè tenor inſinuat iuſſionum. Sed venientes viri Reuerendiſſimi ex Africana prouincia Epiſcopi, aſſerunt ita eſſe incauta diſſimulatione poſtpoſitas, vt nec Dei illic iudicium haberetur in metu, nec principales hactenus iuſſiones ſortirentur effectum: hoc etiam ſubiungentes, quòd in præfata prouincia Donatiſtarum præmijs prævalentibus, fides Catholica publicè venundetur. At contra glorioſus vir Gennadius de vno eorum mihi ſimilia queſtus eſt, qui talia querebatur. Cui etiam duo alij certi in re eadem teſtimonium ferebant. Sed quia cauſa ipſa ſæcularis iudicis intererat, eoſdem Epiſcopos ad pietatis veſtræ exiſtimaui eſſe veſtigia dirigendos: vt per ſemetipſos ſereniſſimis auribus ſuggerant, quæ ſe fatentur pro fide Catholica pertuliſſe. Ea propter obſecro, vt dominorum Chriſtianitas pro ſalute animæ & vita pijſſimæ ſobolis ſua eos quos tales eſſe cognoſcit, diſtricta vlciſci iuſſione præcipiat, & ruinam peruentium ereptionis manu ſuſpendat, atque inſanis mentibus correptionis medicinam adhibeat, & errorum ab eis morbos expellat: quatenus dum piæ prouiſionis veſtræ remedio, peſtiferæ prauitatis fuerit caligo depulſa, & vera illic fides radios ſuæ ſerenitatis aſperſerit, cœleſtis vos antè Redemptoris noſtri oculos triumphus expectet: quia quos exterius ab hoſte defenditis, etiã interius à diabolicæ fraudis veneno, quod eſt glorioſius, liberatis.

EPISTOLA LXIV.

Abſoluit illum de hæreſi ſuſpectum.

GREGORIVS, *Anaſtaſio presbytero de Iſauria.* Sicut de eis, quos ab vnitate Eccleſiæ hæreticæ prauitatis error abſcidit, affligimur & dolemus: ita hos quos intra ſinum ſuum catholicæ fidei profeſſio continet, congaudemus. Et vt paſtoralis ſolicitudine illorum nos oportet impietatibus obuiare; ſic pijs horum profeſſionibus congruit fauorem impendere, & ſincera eſſe quæ ſapiunt declarare. Atque ideo dum de te Athanaſio presbytero monaſterij ſancti Mile, cui eſt vocabulum Tannaco, quod in Lycaonia eſt prouincia conſtitutum, contraria integræ fidei fuiſſet orta ſuſpicio, vt profeſſionis tuæ potuiſſet integritas apparere, ad Apoſtolicam Sedem cui præſidemus, elegiſti recurrere, aſſerens etiam te corporaliter verberatum aliqua iniuſtè, ac violenter feciſſe. Et quanquam ea quæ vi impulſionis fiunt, canonum minimè cenſura recipiat, & iurè habeantur infirma: quia ipſe ea diſſoluit qui iniuſtum fateri fieriq; compellit: ſed magis illa ſuſcipienda eſt & amplectenda confeſſio, quæ ex ſpontanea voluntate monſtratur procedere, ſicut apud nos feciſſe dignoſceris; ne quid tamen nobis ambiguum potuiſſet exiſtere, ſanctiſſimo Ioanni quondam fratri & coëpiſcopo noſtro Conſtantinopolitanæ ciuitatis antiſtiti, de te præuidimus ſcribendum, vt ſuis nos quid actum eſſet epiſtolis informaret. Qui ſæpè à nobis admonitus, reſcribẽs innotuit, codicẽ apud te fuiſſe inuentũ, in quo plurima continebantur hæretica: & ob hoc ſe aduerſùs dilectionem tuam fuiſſe commotum. Quem quia ad nos ſtuduit pro ſatisfactione tranſmittere, priores eius partes ſolicita lectione percurrimus. Et quoniam manifeſta in eo hæreticæ prauitatis venena reperimus, ne denuò debuiſſet legi, vetuimus. Sed quia hunc te ſimpliciter teſtatus es legiſſe, & ad amputandam ambiguæ ſuſpicionis materiam libellum nobis manu tua porrexiſti per ſcriptum, in quo fidem tuam exponens omnes generaliter hæreſes, vel quicquid aduersùs Catholicæ fidei vel profeſſionis integritatẽ eſt, apertiſſimè condemnaſti: & cuncta quæ ſanctæ quatuor vniuerſales Synodi recipiunt, te ſemper recepiſſe ac recipere, & quæ condemnãt, condemnaſſe, condemnareq; profeſſus es: eam quoque ſynodum quæ Iuſtiniani Imperatoris temporibus de tribus capitulis facta eſt & ſuſcipere & cuſtodire promiſiſti, & prohibitus à nobis codicem ipſum legere, in quo peſtiferæ fraudis virus innexum eſt, libentiſſimè conſenſiſti, reprobans etiam atque condemnans ea omnia, quæ contra Catholicæ fidei integritatem in eo dicta vel latenter inſerta ſunt, nec eum te legere denuò promiſiſti. Hac ratione permoti, poſtquam etiam ex probata à te libelli pagina, fides tua nobis catholica Deo cuſtodiente perclaruit, ab omni te hæreticæ peruerſitatis macula iuxta profeſſionem tuam liberum eſſe decernimus atq; catholicum, & ſinceræ fidei in omnibus profeſſorem, atq; ſequacem Chriſti Ieſu Saluatoris gratia clariſſe pronũciamus: liberam quoq; tribuimus licentiam ad tuum monaſterium in tuo te loco vel ordine nihilominus remeare. De hoc quoque & dilecto fratri noſtro Conſtantinopolitanæ ciuitatis antiſtiti, qui in ſupradicti S. Ioannis loco ordinatus eſt, noſtra volumus ſcripta tranſmittere. Sed quia conſuetudo non eſt, vt prius quàm ad nos eius ſynodica deferatur, debeamus ſcribere; idcirco diſtulimus. Sed poſtquam ea nobis delata fuerit, ei hæc dum oportunum fuerit, indicabimus.

Cauſæ hæreticorum à Sede Apoſtolica iudicãtur.

Papa prohibet libros hæreticorum legi.

Quattuor Synodos generales cõplectitur. Suſcipit quintam ſynodum.

Papa non ſcribit ad Patriarchas niſi prius ab illis ſynodicam ſuſceperit.

Expliciunt Epiſtolæ Indictionis decimaquartæ.

LIBER SEXTVS

INCIPIVNT EPISTOLAE ex Regesto Beati Gregorij Papæ.

PER INDICTIONEM QVINTAMDECIMAM, de anno ordinationis eius septimo.

EPISTOLA PRIMA.

De muliere quadam viro iungenda.

Sup.li.2. ep.59.61. Ind.11.li.5. ep.11.31. li.6.ep.20. li.7.ep.91. 107. 108. li.8.ep.13. 23.24 & 25 Greg.29. q.2.c.6.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Cuius rei causa cum matre sua huc compulsa anno præterito præsentium venerit latrix, fraternitas tua cautius nouit. Quia scilicet maritus suus vester clericus, ob hoc, quòd de seruili fuerat conditione pulsata, à suo noscitur eam remouisse consortio: vosq; hic positos asserunt promisisse, vt si probare se liberam adiuuante Domino valuisset, suo eam vos coniugi reformaretis. Fraternitas igitur vestra cognoscat, quòd reuelante Deo libertatis auctore approbata sit libera, nullaq; seruilis in ea macula inuenta est. His ergo cognitis, sine mora aliqua suo per vos eam volumus marito restitui, nec vlterius idem vir eius argumenta sibi aliqua occasione exquirat, quibus eam possit abijcere. Nam si à vobis, quod non credimus, minimè fuerit adimpletum, eamq; recipere fortè distulerit, nos illum cognoscatis cum districta vindicta correcturos.

EPISTOLA II.

De Paulo Episcopo Gennadÿ calumnÿs exposito.

Sup.li.3. ep.35. Ind. 12.li.2.ep. 33. 47. Ind.11.inf. l.7.ep.15. Ind. 1. li.5.ep.36. li.10.ep.8.

GREGORIVS, *Columbo Episcopo Numidiæ.* Epistolam fraternitatis vestræ harum latore diacono vestro deferente suscepimus; in qua nobis de persona Pauli Episcopi, quæ apud vos acta sunt indicastis. Quod tam sero factum est, vt persona ipsa hic iam valuisset minimè reperiri. Nam & vir excellentissimus filius noster Gennadius patricius, suum ad nos pro causa eadem cancellarium destinauit. Sed dum fecissemus inquiri, vtrum cum eo nobis coram positis vellet inire conflictum; respondit ad hæc se minimè fuisse transmissum, sed solum modo tres quosdam huc de eius Ecclesia deduxisse, qui contra eum plurima dicere debuissent. Dum ergo neq; illum ad inferendas actiones paratum inuenimus, neq; personarum illarum nos qualitas mouit, quòd in accusatione Episcopi valuissent idonei reperiri, sæpedicto Paulo Episcopo ad vrbem se regiam relaxari debuisse precibus speranti, non potuimus contradictionis moras afferre: sed mox eum secundùm petitionem suam cum alijs duobus secum deductis Episcopis ambulare permisimus. Si qua ergò fuêre, quæ contra eum dici rationabiliter poterant; mox eo huc veniente vestra debuit, quod nunc fecit, fraternitas cuncta subtiliter indicare. Quòd enim multorum vos inimicitias ob hoc quòd nostris vos frequentius visitamus epistolis, pati signastis; dubium non est reuerendissime frater bonos prauorum odia sustinere, diuinisq; intentos operibus peruersorum aduersitatibus lacerari. Sed quanto hæc quæ sunt praua circumstant, tanto in commissi vobis cura regiminis debetis instantius occupari, & circa gregis Christi vigilare custodiam: quantoq; iniquorum vos contrarietas premit, tanto alacriores, ac de promissa remuneratione certissimos, pastoralis sollicitudinis cura debet accendere: quatenus pastori summo lucrum de iniuncto vobis opere valeatis offerre.

EPISTOLA III.

Ruferium & Anastasium per litteras commendat.

Sup.li.1. ep.59. 62. 63.64.li.5. ep.61.li.7. ep.61.

GREGORIVS, *Gennadio Patricio de Africa.* His, qui se apud excellentiam vestram nostris desiderant epistolis commendari, securi de vestra benignitate facimus quod petimur. Ruferius siquidem comes cum alijs conciuibus suis à vobis, vt cognouimus, ad Africanam euocati prouinciam, petierũt scriptorum nostrorũ apices, sperantes sibi apud vos prodesse suffragia. Quapropter excellẽtiam vestram paterno salutantes affectu, petimus, vt eos in nullo à quoquam patiamini apud vestros animos cõtra iustitiam prægrauari: sed sicut circa commissos vobis pia discretaq; vos nouimus inuigilare cautela, ita & de his tranquillè disponere, inspirante vobis Domino debeatis, atque de insulæ ipsius sollicitius tractare cautela: ne si illuc exercitus sine persona vtili, quæ hunc gubernare valeat, incauta dispositione transmittitur, adiumentum hostibus præbeatur. Quia autem Anastasium tribunum, quem illic excellentia vestra ordinauerat, benè secum egisse, atq; in nulla læsione eum asserunt miscuisse se prouinciæ, quẽ etiam nunc & remotum grauiter ferunt: præcipiat excellentia vestra illuc eum iterum destinari, suisq; adhortationibus firmari; vt qui de bona actione iam placuit, nullius ad malè agendum suasionibus inciteturne tantorum iudicium, quod ex bona administratione habere meruit, deteriùs perdat, quod non optamus, agendo contraria. Ita ergo petimus, vt vestra excellentia faciat quatenus bonum vestrum quod testatur Africa, etiam Corsica cognoscat.

EPISTOLA IIII.

Inf.ep.5.l. 1.& l.6.ep. 28.

De custodienda caritate & vnitate sanctæ Ecclesiæ, de pastoralis muneris difficultatibus, & de vniuersalis nomine reijciendo.

GREGORIVS, *Cyriaco Episcopo Constantinopolitano.* Communes filios Georgium presbyterum & Theodorum diaconum vestrum, ea qua decuit caritate suscepimus, vosq; ab Ecclesiasticarum rerum cura ad animarum regimen venisse gaudemus: quia iuxta veritatis vocem, qui in modico fidelis est, & in maiori fidelis erit; & benè ministranti seruo dicitur: Quia in pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam. Cui etiam mox de æterna retributione subiungitur: Intra in gaudiũ Domini tui. In scriptis autem vestris vos magnoperè requiem quæsisse narratis. Sed per hoc ad pastoralem sollicitudinẽ vos congruè venisse ostenditis: quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus est. Et sicut scriptum est: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Et rursùs idem prædicator egregius dicit: Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & vnus pro omnibus mortuus est Christus: superest vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro eis mortuus est, & resurrexit. Et pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur: Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas. Ex quibus verbis colligitur; quia si is qui valet, omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit se pastorẽ summum minimè amare. Si enim vnigenitus patris pro explenda vtilitate omnium de secreto patris egressus est ad publicum nostrum; nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus vtilitati proximorũ? Quies itaq; nobis & ex corde appetenda est, & tamẽ pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui prædicet, occupationis onus libẽti necesse est humero subire. Quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorum vnus prædicationis officiũ vitare conatus est, & alter appetijt. Nã mittenti se Domino Hieremias respondit dicens: A, a, a, Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum. Et cùm omnipotens Deus personam ad prædicandum quæreret, dicẽs: Quem mittam, & quis ibit ex vobis? vltrò se Esaias obtulit dicens: Ecce ego, mitte me. En ab vtrisq; exterius diuersa vox prodijt, sed non à diuerso fonte dilectionis emanauit. Duo quippe sunt

Matt.25.

Heb.5.

2.Cor.5.

Ioan.21. Cura pastoralis benenti animo suscipienda.

Hiere.1.

Esa.6.

præ-

præcepta caritatis, Dei videlicet amor, & proximi. Per actiuam igitur vitam prodesse proximis cupiens Esaias, officium prædicationis appetijt; per contemplatiuam verò Hieremias amori conditoris sui sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter vnus appetijt, hoc laudabiliter alter expauit. Iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet; ille damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in vtrisque est subtiliter intuendum; quia & is qui recusauit, plenè non restitit, & is qui mitti voluit, antè se per altaris calculum purgatum vidit; ne aut non purgatus adire quisquam sacra ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbè contradicat. Magno autem desiderio vos in epistolis vestris inuenio serenitatem mentis quærere, & repulsa perturbatione ad tranquillitatem cogitationis anhelare. Sed qua ratione ad hoc vestra fraternitas pertingere possit, ignoro. Qui enim regendam nauem susc ipit, tanto amplius necesse est vigilet, quanto amplius littus relinquit; vt aliquando futuras procellas ex signis præuideat, aliquando venientes aut directo clauo si paruæ sint superet, aut si vehementer intumescunt, dato in obliquum latere irruentes declinet; & sæpè solus vigilet, cùm cuncti illi quibus nulla nauis cura commissa est, quiescunt. Quomodo autem suscepto pastorali onere habere serenitatem cogitationum potestis, cùm scriptum sit: Ecce gigantes gemunt sub aquis? Iuxta Ioannis etenim vocem, aquæ populi sunt. Et gigantes sub aquis gemere est, quia quisquis in hoc mundo quasi quadam corporis mole, ordine potestatis excreuerit, tanto pondera maioris tribulationis sentit, quanto super se regendorum populorum curam susceperit. Sed si sancti Spiritus virtus afflictam mentem afflauerit, protinus hoc quod Israëlitico populo corporaliter factum est, nobis spiritaliter contingit. Scriptum quippè est: Filij Israël ambulauerunt per siccum & medium mare. Et per Prophetam Dominus pollicetur dicens: Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Illos enim flumina operiunt, quos actiones huius sæculi mētis perturbatione confundunt. Nam qui sancti Spiritus gratiam tenet in mente, transit aquas, & tamen fluminibus non operitur; quia etiam inter medias populorum turmas sic peragit gressus sui itineris, vt non submittat actionibus sæculi caput mentis. Ego quoque qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conscius, secretiora loca petere aliquando decreueram: sed superna mihi iudicia aduersarij conspiciens, iugo conditoris subdidi ceruicem cordis: hoc præcipuè perpendens, quia quælibet occulta loca sine Dei gratia animam saluare non possunt: quod aliquando in ipsis quoque conspicimus erratibus electorum. Nam Lot in ipsa peruersa ciuitate fuit iustus, in monte peccauit. Sed ista cur dicimus, cùm maiora nouerimus? Quid enim paradiso iocundius? Quid cœlo securius? & tamen homo ex paradiso & angelus de cœlo peccando cecidit. Illius ergo nobis virtus quærenda est, & gratia postulanda, sine quo nusquam absque periculo & culpa, cum quo nusquam sine iustitia esse non possumus. Curandum ergo est, vt perturbatio cogitationum non exuperet animum: nam repelli funditus nullatenus potest. Quisquis enim est in loco regiminis, aliquando necesse est habeat etiam terrena cogitare, & exteriorum quoq; curam gerere, vt grex commissus valeat ad ea quæ sibi sunt explenda subsistere. Sed magnopere semper prouidēdum est, ne hæc eadem cura modum transeat, vt cùm ad cor licenter admittitur, nimis excrescere non permittatur. Vnde rectè per Ezechielem Prophetam dicitur: Sacerdotes caput suum non radant, neque comam suam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua. Quid enim per significationem sunt capilli in capite, nisi cogitationes in mente? qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis designant, quæ ex sensu negligenti, quia importunè aliquando prodeunt, quasi à nobis non sentientibus proceedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere; sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitationes carnales de vita subditorum, nec à se funditus amputent, nec rursus ad crescēdum nimis relaxent. Vbi & benè dicitur: Tondentes tondeant capita sua: vt videlicet curæ temporalis sollicitudines, & quantum necesse est prodeant, & tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescāt. Dum igitur & per administratam exteriorem prouidētiam corporum vita protegitur, & rursus per immoderatam cordis intentio non impeditur, capilli in capite sacerdotis & seruantur vt cutem cooperiant, & resecantur ne oculos claudant. Præterea Epistolas vestras directas plenas fide suscepimus, atq; omnipotēti Deo gratias agimus, qui inconsutilem tunicam desuper contextam, videlicèt Ecclesiam suam vicaria confessione fidelium in vnitate gratiæ ab omni erroris scissione custodit, & contra pereuntis mundi, vt ita dicam, tot culparum diluuium, ex multis lignis arcam construit, in qua omnipotentis Dei electi seruentur ad vitam. Nam cùm vicissim nobis fidei nostrę confessionem transmittimus, & caritatem nostram erga nos ostendimus; quid aliud in sancta Ecclesia agimus, nisi arcam bitumine linimus, ne vnda erroris intret, & vel spiritales quosq; tamquam homines, vel carnales tamquam animalia occidat? Sed cùm sapienter à vobis recta fides prolata sit; restat vt proculdubio debeatis pacem cordium prudentius custodire, propter hoc quod veritas dicit: Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos: Et Paulus Apostolus admonet dicens: Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. qui rursus ait: Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Quam videlicet pacem tunc vobiscum veraciter habebitis, si profani nominis superbiam declinetis, iuxta quod idem magister gentium dicit: O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates. Nimis quippè iniquum est, si hi qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur, cùm verus prædicator dicat; Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Ille ergo verè glorioſus est, qui non de temporali potentia, sed pro Christi nomine de sua passione gloriatur. In hoc itaq; vos medullitus amplectimur. In hoc sacerdotes vos esse recognoscimus, si repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione nominis scandalizati sumus, & non minimas querelas seruamus in mente, & promimus in voce. Vestra autem fraternitas nouit, quia veritas dicit: Si offers munus tuū antè altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Qua in re pensandum est, quia cùm omnis culpa oblato sacrificio deleatur, tantum est malum scandali alieno corde generati, vt ab eo qui peccauerit, nec ipsum sacrificium Dominus accipiat, quod delere peccatum solet. Curate ergo cordis vestri scandalum festinè detergere, vt possit omnipotens Deus oblationis vestræ sacrificium acceptabile habere. Præterea cùm recta à vobis fides veraciter & subtiliter sit prolata, inter eos quos per sanctissimas generales synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium quendam vos damnasse reperimus: cuius nomen in Latina lingua neque in Synodis, neque in libris beatæ memoriæ Episcoporum Epiphanij, Augustini, & Philastri, quos contra hæreticos præcipuè disputasse nouimus, positum reperimus. Quod si quis eum veraciter de catholicis patribus damnat, eius proculdubio sententiam sequimur. Vos tamen si in synodica vestra epistola eos quoque nominatim damnare voluistis, qui extra sanctas synodos per patrum scripta damnantur, multos scriptis suis vestra fraternitas minus posuit, si autem eos quos generales synodi respuunt, hunc vnum amplius. Sed inter hæc sciendum est, quia vt nobis liceat rectam fidem liberè fateri, & cuncta quæ agenda sunt, concorditer in pace disponere, pro sereniſſimorum dominorum vita, propria quoque sobole incessanter orandum est, vt omnipotens Deus eorum pedibus barbaras nationes subijciat, longa eis & felicia tempora concedat, quatenus per Christianum imperium ea quæ in Christo est fides regnet.

Matt. 9. Ephes. 4. Hebr. 12.

1. Tim. 6.

Gal. 6. Ep. 36. & 38. l. 4.

Reprehēdit nomē vniuersalis patriarchæ quo Constantinopolitani vtebantur. Matt. 5.

Quattuor synodos amplectitur.

In synodica epistola omnes hæreses damnabantur.

EPISTOLA V.

Sup. ep. 4. h. l. & inf. ep. 28.

De conseruanda pace sanctæ Ecclesiæ.

GREGORIVS, *Ciriaco Episcopo Constantinopolitano.* Dudum dum in vrbe regia responsa Sedis Apostolicæ facerem, bona vestræ sanctitatis agnoui. Et quia vobis animarum nunc cura commissa est, valdè gaudeo. Et quamuis indignus omnipotentem dominum quibus valeo precibus exoro, vt in vobis suam gratiam semper augeat, vosque ad æternam patriam faciat animarum lucra congregare. Quia verò ad hoc opus ad quod perducti estis, infirmos vos esse dicitis; scimus quia prima virtus est cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus posse vos benè susceptum ministerium implere: quia vos videmus infirmitatem propriam ex humilitate cognoscere. Omnes enim infirmi sumus, sed ille est infirmior, qui suam considerare non valet infirmitatem. Vos verò beatissimi fratres ideo fortes estis, quia de fortitudine propria diffidentes, in omnipotentis Dei virtute confiditis. Quantum verò mens mea caritati vestræ ligata sit, verbis epistolaribus explere nó possum. Sed oro vt omnipotens Deus, eandem quæ inter nos est caritatem, ex gratiæ suæ dono multiplicet, omnemque occasionem scandali auferat: ne sancta Ecclesia confessione veræ fidei vnita, & coniunctis fidelium cordibus constipata, detrimentum aliquod, quod ablit, sacerdotibus inter se discrepantibus sentiat. Quamuis ego in omne quod loquor, in omne quod superbis quorundam actibus contradico, ex omnipotentis Domini largitate caritatis intimæ custodiam numquam relinquo, sed sic ea quæ sunt iustitiæ, foris exequor, vt ea quæ intus amoris & dilectionis sunt, minimè postponam. Vos autem semper mihi amoris mei vicem reddite, & ea quæ pacis & dilectionis sunt, custodite: vt vnum in mente permanentes, quò nullam dissensionem inter nos intrare permittimus, cò obtinere quæ petimus, apud Dominum ex ipsa melius cordium nostrorum vnitate valeamus: Præterea Ioannẽ Chalcedonẽsem presbyterum, & Athanasium Lycaoniæ sanctitati vestræ commendo, vt nullus vobis contra eos falcidia locutione surrepat, quia eorum fidem subtiliter discussi, eosq; rectos in suis confessionibus, quæ & scripto datæ sunt, inueni. Sancta autem Trinitas sua vos manu protegat, & circa animarum custodiam semper vos vigilantes & sollicitos reddat: quatenus in æterna retributione valeatis non solùm de vestro opere, sed etiam de subditorum vestrorum melioratione coronari.

EPISTOLA VI.

De electione Ciriaci Episcopi gratias agit.

Sup. li. 2. ep. 62. li. 4. ep 31. & 32. Ind. 13. li. 7. ep. 11.

GREGORIVS, *Mauricio Augusto.* Omnipotens Deus, qui pietatem vestram pacis Ecclesiasticæ fecit esse custodem, ipsa vos fide seruat, quâ vos sacerdotali vnitate seruatis; cumque supernæ pietatis iugo cor humiliter subditis, cœlesti gratia agitur, vt hostes vestros pede fortitudinis prematis. Non enim paruæ potuit esse mercedis, quòd Ioanne sanctæ memoriæ de hac luce subtracto, ad ordinandum sacerdotem pietas vestra diu hæsitauit, tempus paulò longius distulit, cum metu omnipotentis Domini consilium quæsiuit, vt videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Vnde & aptum valdè existere in pastorali regimine fratrem atque consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eundem ordinem pietatis vestræ consilia longa genuerunt. Qui in administrandis dudum rebus Ecclesiasticis quàm sollicitus & quo modo fuerit exercitatus, cuncti nouimus. Vnde & superna gestum dispositione non ambigo: vt qui benè minima gesserat, congruè maiora susciperet, atq; à cura rerum, ad animarum regimina transiret. Pro qua re totis precibus deprecamur, vt bonum hoc omnipotens Deus serenitati dominorum, piæque eorum soboli & in præsenti sæculo, atq; in perpetua remuneratione retribuat, & prædicto fratri & consacerdoti meo, qui Dominico gregi prælatus est, animarum curam plena sollicitudine exhibere concedat, vt irreprehensibiliter possit subiectorum suorum & praua corrigere, & recta ad crescendum fouere, quatenus de eo pietatis vestræ iudicium, nõ solùm antè homines, sed etiam antè supernæ quoque maiestatis oculos conualescat. Venerabiles autem viros Georgium presbyterum & Theodorum diaconum pro iussione dominorum, atq; pro imminentia hyemalis temporis in hac vrbe moras perpeti non permisi.

Electio sacerdotum magno metu disponenda.

EPISTOLA VII.

Reprehendit eos, qui in Cyriaci ordinatione clamarunt: Hæc dies quam fecit Dominus. Demonstrat præterea ex culpa præsidentium deteriores fieri subditos.

GREGORIVS, *Mauricio Patricio, Petro Domitiano, & Elpidio Episcopis, &c.*

Ordinatione viri sanctissimi Cyriaci fratris & consacerdotis mei, cum magna vos lętitia suscepisse vehementer exulto: & quia Paulo Apostolo prædicante didicimus, Si gaudet vnum membrum, congaudent cetera membra; pensare vos necèsse est, quanta vobis hac in re exultatione congaudeo, in qua non vnum membrum, sed multa Christi membra gauisa sunt. Sicut tamen scripta fraternitatis vestræ potui, transcurrendo perpendere, magna lætitia in immoderatam eiusdem fratris mei laudem vos rapuit. Nam hunc sicut solem in Ecclesia apparuisse dicitis, ita vt cũcti clamaretis: Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Et certè sequentis vitæ promissio est, qua dicitur: Fulgebunt iusti sicut sol. Nam in hac vita ad huc quisque positus quantalibet virtute polleat; quomodo sicut sol fulget, in qua corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem? In qua videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mẽtis nostræ, & captiuos nos ducentem in lege peccati, quæ est in membris nostris, in qua & in nobismetipsis responsum mortis habemus, vt non simus fidentes in nobis. In qua etiam propheta clamat: Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Nam & quod scriptum est: Sapiens vt sol permanet, fatuus vt luna mutatur: non ad claritatis fulgorem, sed ad perseuerãtiam boni operis comparatio est solis deducta. Bonum verò ordinationis eius initium potuit videri, sed nõdum potuit de perseuerantia à vobis laudari. Quod autem hæc dies quã fecit Dominus, clamasse vos dicitis, de quo hoc dictum sit, pensare debuistis. Præmissum quippe est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Atque de hoc eodem lapide protinus subditur: Hæc dies quam fecit Dominus Ipse enim qui pro fortitudine constructionis dicitur lapis, pro illuminationis gratia appellatus est dies, qui etiam factus est, quia incarnatus est. In quo exultare, & lętari præcipimur, quia erroris nostri tenebras suę in nobis virtutis luce superauit. In creaturæ autem laudem vox illa dari non debuit, quæ soli conuenit creatori. Sed cur istam reprehendo, qui quantum gaudia mentem rapiunt scio? Caritas etenim vestra magnam vobis lætitiam genuit, quam videlicet mentis lætitiam in fauore lingua secuta est. Quod cum ita sit, laus ista culpa iam dici non potest, quam caritas inuenit. Mihi verò de sanctissimo fratre meo dici breuiter debuit, quod sufficienter acciperem, quia scirem quis esset qui hanc mihi præcipuè dudum suę magnitudinis probationem dedit, quod in tam multis dispensationis Ecclesiasticæ cautis occupatus tranquillum cor inter turbulentas frequentias tenuit, seque ipsum semper sub mansuetudine restrinxit. Quod videlicet non parua laus magni & inconcussi est animi, inter causarum turbas non fuisse turbatum. Præterea assiduis insistere fraternitas tua precibus debet, vt omnipotens Deus in prædicto fratre & consacerdote nostro bene cœpta custodiat, & semper ad meliora perducat. Hoc sanctissimis vobis, hoc subiecto ei populo semper orandum est. Nam ita sibi regentium merita connectuntur & plebium, vt sæpe ex culpa præsidentium deterior fiat vita subiectorũ, & sæpè ex merito plebium delinquat vita pastorum. Quia. n. mala actio præsidẽtis valdè noceat subditis, testantur Pharisæi, de quib. scriptum est: Claditis regnũ cœlorũ antè homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis introire. Et quia culpa plebiũ multum noceat vitæ pastorum, Dauid facto cognoscimus. Ille enim DEO attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum con-

Sup. ep. 4. h. l. 1. Cor. 12.

Matt. 13. Sap. 10.

Rom. 7.

Psal. 54. Eccl. 27.

Psal. 117.

Exculpa præsidentium deteriora fieri subditorum. Matt. 23. 3. Reg. 3. 3. 4.

conscius, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit, & tamen vindictam populus, Dauid peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicèt secundùm meritum plebium disponuntur corda regẽtium. Iustus verò iudex peccantis vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Sed quia ipse sua scilicet voluntate superbiens, à culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæuiens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostrauit. Hæc itaq; considerate inuicem, & sicut is qui vobis, plebibusque prælatus est, intercedere pro omnibus, ita pro eius cõuersatione, & moribus orare omnes debetis, vt apud omnipotẽtem Deum, & vos illius valeatis imitatione proficere, & ille meritis vestris adiuuetur. Cuncti autem concorditer pro serenissimis dominis, eorumq; pia sobole cum magnis in quantum possumus assiduè fletibus oremus, vt eorum vitam gratia protegens superna custodiat, & Christiano imperio gentium colla substernat.

EPISTOLA VIII.

De Maria patricia conuersa, & Constantinum præfectum commendat.

GREGORIVS, *Stephano Episcopo.* Scripta vestræ sanctitatis medullata mihi caritatis verba locuta sunt: ita vt per calamum sic in epistolis animus transiret, ac si mihi per semetipsam mens ipsa loqueretur. Qua de re magnas omnipotenti Deo gratias refero, quia & diuisi corporibus, nobisq; à vobis recedentibus longè, caritas inter nos permanet indiuisa. Et quidem multum mihi, & vltra quàm indignus audire debui, fauorem in epistolis demonstratis. Et scriptum est: Ne laudes hominem quamdiu viuit. Tamen & si audire talia dignus non fui, orationibus vestris peto, vt dignus efficiar, vt ibi bona in me non ideo dixistis quia sunt, ideo sint quia dixistis. De gloriosa autem Maria patricia valdè lætatus sum, quia in sancto Dei ouili aggregata est, quod ex vestra factum assidua prædicatione non dubito: quia ex ipso fructu ostenditis quantum pro fide catholica laboratis. Multos etiam per illam venire ad Ecclesiam suspicor, quod totum vestræ laudi proficit, quia scriptum est: Vbi plurimæ segetes, ibi maxima fortitudo bouum. Manifestatur enim virtus prædicantium, vbi surgit seges animarum. Communem verò filium excellentissimum virum domnum Constantinum præfectum quantum plus diligitis, tantum exhortari continuè debetis, vt in causis in quibus mixtus est, semper omnipotentis Dei iudicium antè oculos cordis habeat, eiq; soli placere studeat, qui & in præsenti vita valet protegere, & cœlestis patriæ præmia compensare.

EPISTOLA IX.

Gratias agit de bonitate eleemosynarum, & præcipit ne sua scripta ad mensam legeret.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Benedictionem quam pauperibus fraternitas vestra transmisit, lator præsentium homo vester Candidus nobis dispensantibus suis manibus erogauit: quod vobis secundùm animum vestrum fortasse parum visum est. Nos tamen secundùm modum vestræ substantiæ esse nimium & vltra modum æstimamus, vt qui illic apud vos innumeros pauperes habetis, pro explenda largitate misericordiæ, etiam loca alia & longè posita requiratis. De causis verò alijs à vobis scriptis prioribus iam respondisse memini, & nihil aliud quærere debetis, nisi vt sub consideratione solius omnipotentis Dei cuncta faciatis, & nullius persona vos à vigore disciplinæ emolliat, neq; vehemens dedignatio in rigore, quod absit, aliquo immoderatæ districtionis obduret. Præterea audio quòd aliqua de his quæ scripsisse me memini, fraternitas vestra ad mensam suam coram extraneis legi faciat: quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc quod vos pro caritate facitis, possunt quidam quantum ad me est, vanæ gloriæ deputare. Ideoq; coram extraneis antiquorũ dicta legite: ex quorum auctoritate valeant qui audierint informari.

EPISTOLA X.

De Præposito ordinando & cura monasterij.

GREGORIVS, *Agnello* * *Episcopo de Arimino.* Filio nostro Secundino seruo Dei renunciante didicimus, quòd dilectio tua Præpositum non habens, omnino in regendis fratribus elaboret. Si ergo qui vos ex ordine sequitur, talis est vt circa cellæ ordinationem fratrumq; custodiam, necnon & in lucrandis animabus solers valeat inueniri, is debet ad hũc locum incunctanter accedere. Si verò talis non est, qualem locus exposcit, de quolibet etiam vltimo gradu, si talis inter fratres, Domino protegente, fuerit repertus, qui vitæ meritis dignum conuersationis suæ præbeat documentum, diuiniq; in eo timoris vigor inuigilet, huius nó locus, sed est vtilitas profectò prouidenda, vt tali exemplo ad bonæ imitationis normam cuncti se fratres extendant, nec eos adhuc locus inferior ad benè operandum tepidos reddat, dum in illo qui profecerit, de præsenti quod imitentur aspiciunt. Dilectioni quapropter tuæ in hac ordinatione sit nulla dubietas, quòd non locus, sed actio apta perquiritur: quia & antè Deum ille prioris obtinet locum, qui in eiusdem oculis etiam si hic abiectus sit, bonæ actionis instrumento placuerit. Circa fratres namque sollicita vos, sicut confidimus, decet inuigilare custodia, ne à recto conuersationis itinere per illicitas euagando cogitationes exorbitent, atque inimico per inertem custodiam irruptionis aditum præstent. Sed eos orationi decet instantius adhærere, quatenus pia cœpta eorum, suæ propitiationis dono perficiant, & imperfecta ad cumulum faciant perfectionis ascendere.

* al. Abbati

EPISTOLA XI.

Commendat clericum quendam litteras nescientem.

GREGORIVS, *Rufino Episcopo Ephesi.* Amicitiarum vestrarum antiqua nos caritas monuit fraternitatẽ vestram scriptis præsentibus visitare. Magno etenim sumus gaudio releuati, quòd de vestræ salutis indicio prospera cuncta cognouimus: sed in his omnipotẽtem Dominum deprecamur, vt sicut nos in præsenti vita, quæ quodammodo vmbra futuræ est, de transitoria præstitit corporis incolumitate gaudere, ita in illa cœlesti patria, in qua vita vera est, de perfecta animę salute gratulari, communiq; faciat exultatione gaudere. Harum itaq; lator nostris se apud vos desiderans epistolis commendari, à nobis inquisitus, vtrum sicut decet clericum, litteras didicisset, eas se ignorare respondit. Quid ergo commendationis de eo apud fraternitatem vestram amplius agamus ignoro, nisi vt de eius anima debeatis esse solliciti, ac circa eũ pastorali inuigilare custodia: vt qui nescit legere, lingua vestra illi sit codex, vt in bono prædicationis vestrę vel operis quod imitetur aspiciat. Solet enim plerunq; strictius cor viua vox trahere quàm lectio dicta per transitum. Sed dum hæc ei interius spiritalis à vobis magisterij doctrina tribuetur, exterior quoq; sollicitudo non desit, vt eius adiumento ad spiritalia appetenda perueniat. Transitoria quoq; percipiat: ne si hoc despicitur, desit cui prædicatio ministretur.

EPISTOLA XII.

De priuilegijs monasterij sui.

GREGORIVS, *Respectæ Abbatissæ de Gallijs Massiliæ.* Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri: quatenus & deuotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & vtilitas postulata vires indubitanter assumat. Proinde monasterio quod in honorem sancti Cassiani est consecratum, in quo præesse dinosceris, iuxta petitionem filiorum nostrorum Dinamij atque Aureliani, qui id religiosa deuotione domui sui iuris, iniunctis vnijsse ædificijs comprobantur, hæc priuilegia præuidimus indulgeri: constituentes vt obeunte antedicti monasterij abbatissa, non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur: quam tamen si digna huic ministerio

Lib. 2. ep. 33. Ind. 11. & h. l. ep. 37. Ind. 15.

sterio iudicata fuerit, eiusdem loci Episcopus ordinet. In rebus autem vel in dispositione monasterij eiusdem, nec Episcopum, neq; Ecclesiasticorum quemquam habere decernimus potestatem, sed hæc ad sollicitudinis tuæ, vel quæ post te in eodem loco fuerit abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere. Die siquidem natalis vel dedicationis supradicti monasterij, Episcopo illic missarum sacra conueniat solennia celebrare, à quo tamen ita est hoc officium exoluendum, vt cathedra eius nisi prædictis diebus dum illic missarum solennia celebrat, non ponatur. Quo discedente, similiter etiam cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Cæteris verò diebus per presbyterum, qui ab eodem Episcopo fuerit deputatus, missarum officia peragantur. Præterea erga vitam actusq; ancillarum Dei siue abbatissæ, quæ in suprascripto fuerit monasterio constituta, Episcopo secundùm Dei timorem, sollicitudinem statuimus adhibere, vt si aliquam de illic habitantibus exigente culpa oportuerit vltioni submitti, ipse iuxta sacrorum canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare. His ergo à nobis statutis atq; concessis, ita te in congregationis tuæ dispositione custodiam stude sollicitiorem enixius in omnibus exhibere, vt iniqui hostis malitia nihil ibi quod maculari possit inueniat. Hæc igitur omnia quæ huius pagina præceptionis amplectitur, monasterio tuo in omnibus, & ab omnibus in perpetuum seruari Christo protegente censemus: quatenus indultorum priuilegiorum beneficia, in sua semper inuiolabiliter firmitate permaneant,

Cathedra Episcopi.

Mense Nouembri, Indictione decimaquinta.

EPISTOLA XIII.

Scribit sacra vasa pro redemptione captiuorum venundanda.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Faenensi.* Sicut reprehensibile & vltione dignum est sacrata quæpiam vasa, præterquam in his quæ lex & sacri canones præcipiunt, venundare: ita nulla est obiurgatione vel vindicta plectendum, si pietatis causa pro captiuorum fuerint redemptione districta. Quia ergo fraternitate vestra indicante comperimus ad redemptionem captiuorum mutuam se fecisse pecuniam, & eam vnde soluere possitis non habere, atque ob hoc cum nostra vos auctoritate sacrata velle vasa distrahere: in hac re, quia & legum & canonum decreta consentiunt, nostrum consensum præbere curauimus, & in distrahendis sacratis vasis vobis licentiam indulgemus. Sed ne eorum venditio ad vestram possit inuidiam pertinere, oportet vt in Ioannis defensoris nostri præsentiam vsq; ad quantitatem debiti distrahi; & eorum solui precium creditoribus debeat: quatenus dum hæc res huiusmodi fuerit obseruatione completa, nec creditores mutuatæ pecuniæ damna sentiant, nec fraternitas vestra inuidiam nunc vel quandoque sustineat.

EPISTOLA XIV.

Sup. li. 3. ep. 1. 2. 3. 58. Ind. 12. l. 4. ep. 17. Ind. 13.

De non curandis obtrectationibus malorum.

GREGORIVS, *Constantio Episcopo Mediolanen.* Antiquus humani generis inimicus, quib. vos linguarum iaculis & malorum cordium insidijs existimauit impetendos, relatione multorum iamdudum me audisse cognoscite. Sed in cunctis quæ in hac vita aduersa proueniunt, sola est sicut nostis, omnipotentis Dei districtio pensanda, atq; ad cor semper propriũ recurrendum, vt nullius nos ibi lingua implicet, vbi conscięntia non accusat. Quem enim conscientia defendit, & inter accusationem liber est, & liber vel sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius addicit conscientia accusat. De vestra igitur sanctitate absit à Christianorum iudicio, vt ea quæ maledicorum hominum rumoribus conficta sunt, credamus in qualicunq; modulo suspicionis adducere: quia & sacri eloquij testimonium tenemus, vt maiora mala cùm forsitan dicuntur nisi probata credi nõ debeant, sed probata citius vlcisci. Nam ipse qui omnia creauit, & cuncta quæ condidit intuetur Deus, malorum grauium vltione commotus ait: Clamor Sodomæ & Gomorrhæ ascendit ad me, descendam vt videam vtrum clamorem quem audiui, opere compleuerint, & vlciscar; an non est ita vt sciam. Quò enim descẽderet Deus, vt quæ essent facta cognosceret? Aut quid non is qui vbiq; est sciret? Sed vt nostræ ignorantiæ exemplum discretionis daret, quatenus deberemus mala grauia audita non credere, ipse se dicit ad cognoscendum descendere, de quo omnibus liquet quia & non descendẽs omnia sciret. Hæc igitur dixi, vt nimiæ esse leuitatis ostenderem, si quis mala grauia credere studeat, quæ probari non possunt. Vnde sanctitas vestra debet mẽtem suam à maledicorum hominum rumorib. atq; obtrectatione disiungere, & sola quæ æternæ vitæ sunt, atq; ad vtilitatem subditorum proficiunt, cogitare: quia & ad hoc fortasse antiquus hostis tali cura implicari vos voluit, vt dum fraternitatis vestræ animus erga ea quæ sua sunt indefinẽter occupatur, aliena minus cogitem: & nullum verbi solatium subditis inferat, atq; peruersè agentibus nulla districtione contradicat. Sic namq; in corporali prælio fieri solet, vt is qui in certamine vexillum portat, ipsum hostis vehemẽter impetat: quatenus si ipse qui à cæteris attenditur, vulnus acceperit, multitudo omnis citius dispersa capiatur. Hoc igitur opinionis illatæ vulnus sentire vestra fraternitas non debet, sed vitam atq; melioratione sibi commissorum curare: quatenus vẽturo iudici bonam possitis & de vestra innocẽtia, & de subiectorum melioratione ponere rationem. Cætera autem quæ ad vtilitatem temporis congruunt, per Marianum defensorem nostrum vobis verbo intimãda mandauimus. Illum verò Episcopum quem à fraternitate tua inuenimus esse de depositum, postquam sacri canones, sicut nostis, vltra tres menses Ecclesiam præcipiant non vacare, si manifestum in eo crimẽ apparuit, loco eius Episcopum studij vestri sit modis omnibus ordinare: quia diu sine proprio rectore esse non debet Ecclesia.

Gen. 18.

Mense Maio, Indictione decimaquinta.

EPISTOLA XV.

Dominum descendentem ad inferos, illos secum assumpsisse ac liberasse, qui in illum crediderant, & eius præcepta seruauerant.

GREGORIVS, *Georgio presbytero & Theodoro diacono Ecclesiæ Constantinopolitanæ.* Memor bonitatis vestrę atq; caritatis, memetipsum valdè reprehẽdo, quòd vos ad remeandum citius relaxaui: sed quia semel ac secundo importunè mihi de relaxatione vestra vos insistentes vidi; perpẽdi ne graue esset, si vestra apud nos dilectio moraretur. Postquam verò cognouimus vos propter hyemis tempus tam longo tempore in itinere remansisse, fateor, citius dimissos esse vos dolui. Si enim iter propositum vestra dilectio peragere non valebat, melius fuerat vt apud me moram quàm extra me faceret. Præterea post discessum vestrum dilectissimis filijs meis diaconis narrantibus agnoui, quòd dilectio vestra dixisset: omnipotẽtem Dominum Saluatorem nostrum Iesum Christum ad inferos descendantem, omnes qui illic confiterentur eum Deum, saluasse, atq; à pœnis debitis liberasse. De qua re volo vt fraternitas vestra longè aliter sentiat. Descendens quippè ad inferos, solos illos per suam gratiam liberauit, qui eum & venturum esse crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant. Constat autem quia post incarnationẽ Domini nullus etiam ex his saluari potest, qui fidem illius tenent, & vitam fidei nõ habent: quia scriptum est: Confitentur se nosse Deum, factis autẽ negant. & Ioannes ait: Qui dicit quia nouit eum, & mandata eius non custodit, mendax est. Iacobus quoque frater Domini scribit dicens: Fides sine operibus mortua est. Si ergo fideles nunc sine bonis operibus non saluantur, & infideles ac reprobi sine bona actione Domino ad inferos descendente saluati sunt: melior illorum fors fuit, qui incarnationem Domini minimè viderunt, quàm horum qui post incarnationis eius mysterium nati sunt. Quod quantæ fatuitatis sit dicere vel sentire, ipse Dominus testatur discipulis dicẽs: Multi reges & prophetæ cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Sed ne dilectionẽ vestram in mea disputatione immorer; quid de hac hæresi Philaster in libro quem de hæ-

Fides sine operibus mortua. Iac. 2.

Matth. 13.

Philastrij verba.

resibus scripsit, dixerit, cognoscat. Cuius hæc verba sunt: Sunt hæretici qui dicunt, Dominum in infernum descendisse, & omnibus post mortem suam etiam ibidem se nunciasse, vt confitentes ibidem saluarentur: cùm hoc sit contrarium dicenti prophetæ Dauid: In inferno autem quis confitebitur tibi? Et Apostolus: Quotquot sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Cuius verbis beatus quoque Augustinus in eo libro concordat, quem de hæresibus scripsit. Hæc itaque omnia pertractantes, nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet: quia descendens ad inferos Dominus illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide & bona operatione seruauit. Quod enim per Euangelium dicit. Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, omnia videlicet electa; nam trahi ad Deum post mortẽ non potuit, qui se à Deo malè viuendo separauit. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, vt vbicunq; estis, & in anima & in corpore, gratiæ eius auxilium sentiatis.

EPISTOLA XVI.

De obitu Bacandæ, & visitatione Ecclesiæ eius.

GREGORIVS, *Agnello Episcopo Terracinensi.* Obitum Bacandæ antistitis directa relatio patefecit, quapropter visitationis Ecclesiæ destitutæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus, quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, reditu, vel ornatu, ministerijsq;, vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem à quoquam præsumatur: & ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiã ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemq; eiusdẽ Ecclesiæ admonere festinet, vt remoto studio, vno eodemque consensu talem tibi præficiendum experat sacerdotem, qui tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuatur; qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat: commonentes etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittatis Ecclesia, nisi fortè inter clericos ipsius ciuitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri. Prouisurus antè omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis meritum laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.

EPISTOLA XVII.

De non communicando Maximo præuaricatori.

GREGORIVS *Sabiniano Episcopo Iadertino.* Si dispensationis Ecclesiasticæ regulam, & antiquæ consuetudinis ordinem sollicita studuisses consideratione pensare, nec tibi aliqua illicitæ præsumptionis culpa surreperet, nec alij occasione tui peccati discrimen incurrerent. Itaque cognouisse te non est ambiguum, quia dum ad nos quædam de Maximo peruenissent, quæ sacerdotij prouectum non leuiter impedirent nostrum in eius persona non fuisse consensum, nec prius eum nos voluisse ad hoc quod nitebatur accedere, quàm digna de his quæ dicta erant satisfactio proueniret. Quod cùm seruare & tu omnino debuisses, actum magis est vt antè dictus Maximus cæcæ mentis suæ auiditate Episcopatum arripiẽs, ad suam te incautè voluntatem, contra nostrum vetitum inclinaret. Sed ne vel tunc irrequisita quæ ad nos perlata fuerant, permanerent, nostris vt huc venirent epistolis est accersitus. Quem etiam prauo studio differentem, curæ nobis fuit sub interdictione communionis iteratis epistolis admonere, vt ad nos pro sui purificatione venire excusatione postposita properaret, sed elegit excommunicationi succumbere, quàm obediẽtiam exhibere. Vnde contigit vt peruersæ ipsius mentis praui-tas in suam alios secum, quod dici nefas est, perditionẽ conuolueret. Nunc autem qui ab eius te nequitia cognouimus dissentire, deniq; vt nec ei communices, nec nominis ipsius facias inter sacra missarum solennia mentionem, vt animæ tuæ vel ferò te ab eo discordasse proficiat, scriptis te præsentibus adhortamur, quatenus ad nos mora submota venire non differas, sed & alios tecum, quos tamen potueris, Episcopos cæteroſque religiosos festines adducere: vt causa subtilius examinata & nostra, si res exegerit, congruè, decenterq; debeat absolutio prouenire, & hi qui in peccato eiusdem temeritate collapsi sunt, ad viam salutis auxiliante B. Petro Apostolorũ principe, dispositione Deo placita reuocentur. Sciat autem quisquis ad nos Episcopus vel religiosus venerit, nullum se præiudicium vel iniustitiam sustinere, sed ita interim cognita veritate, quæ Redemptori nostro placuerint ordinari: quatenus ex ipsa nostra dispensatione Domino suffragante cunctis appareat non nos proprio odio contra aliquem, sed Dei zelo & Ecclesiasti ordinis libramine commoueri.

EPISTOLA XVIII.

De absolutione eius.

GREGORIVS, *Martino Diacono & Abbati.* Sicut veraciter aduersus religiosos dicta crimina digna sunt vltione plectenda: ita ab illatis sunt nihilominus absoluẽdi, quando nullus eos culpæ reatus adstringit. Quia igitur aliqua nobis de te fuerant nunciata, quæ officij tui propositum non leuiter macularent, curæ nobis fuit ea diu ac subtili inuestigatione perquirere. Et quoniam nil quod tibi noceret inuenimus, ne qua de his quæ dicta fuerant, suspicio remaneret, ad plenissimam te satisfactionem si ab eis insons extiteris, ad sacratissimum corpus B. Petri Apostolorum principis districta fecimus sacramenta præbere. Et ideo postquam nobis, vt oportuit, satisfactum est: dilectionem tuam præuidimus modis omnibus absoluendam, atque ad tuam te Ecclesiam, in eo videlicet quo fuisti loco & ordine per omnia statuimus remeare, & nullam te à quoquam contradictionem vel inquietudinem de his, quæ ad nos perlata fuerant sustinere: admonentes vt ita te de cætero cautum sollicitumque debeas exhibere, quatenus & officio tuo moribus & actione respondeas, vt omnis contra te penitus aduersæ opinioni dicendi subtrahatur occasio.

Mense Maio, Indictione decimaquinta.

EPISTOLA XIX.

Vt Episcopi Siciliæ Romam accedant sine prætoris impedimento, & de consolatione Libertini.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono.* Nouit dilectio tua, hanc olim consuetudinem tenuisse, vt fratres & coëpiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia conuenirent: sed nos eorum labori consulentes, constituisse, vt suam hic semel in quinquennio præsentiam exhiberent. Et quia iam diu est quòd huc minimè conuenerunt, eos hortari te volumus, vt natalem sancti Petri hic Deo perducente nobiscum debeant celebrare. Sed ne fortè prætori aliqua possit nasci suspicio, si eos huc admonitos venire cognouerit: voluntatem nostram intelligens, ita hoc ex te facere studе, vt & ipsi, sicut prædiximus, ad diem constitutum huc veniant, & nulla de eis prætori possit esse suspicio. Liparitanum verò & Regitanum Episcopos vt huc veniant, pariter commonebis. Circa Libertinum verò virum magnificum esto sollicitus, vt nullus illum dolus decipiat; quia aliqua nobis de Rauennati vrbe scripta sunt, ipsamq; ad te epistolam misimus, vt ex ea qualiter te erga eum debeas exhibere, possis addiscere. Consolare autem eum, vt se non affligat; quia credimus quòd nos dilectissimus atq; excellentissimus filius noster Exarchus non contristet. Nam de persona ipsius scribere non distulimus. Sed quia in Pado idem Exarchus occupatus est, minimè scripta eius suscepimus.

Episcopos Siculos semel in triẽnio Romam conuenire solitos.

(∴)

Sup. li 5. ep. 59. 61. Ind. 11 li. 5. ep. 11. 31. li. 6. ep. 1. li. 7. ep. 91.

EPISTOLA XX.

Desponsatam in monasterio conuersam, nullo damno mulctandam.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo & Anthemio defensori.* Catellus præsentium lator nobis innotuit, sororem suam quæ Stephano cuidam fuerat desponsata, diuinæ propitiationis instinctu Neapoli in monasterio fuisse conuersam, atque eundem Stephanum domum & res eius aliquas indebitè detinere. Et quia decreta legalia desponsatam si conuerti voluerit, nullo omnino censuerunt damno mulctari, fraternitas tua vnà cum Anthemio subdiacono veritatem diligenti curiositate studeat perscrutari. Et si, vt edocti sumus, domũ vel quid aliud suprascriptum Stephanum iniustè tenere cognoscitis, eum adhortatio vestra instanter admoneat, vt quæ indebitè detinet, sine aliqua mora, vel altercatione restituat, ne rerum alienarum restitutionem sub qualibet excusationis specie differat. Quem si adhortationem vestram negligere fortasse cognoscitis, nobis tam hoc quàm etiam qualiter se causæ veritas habeat subtiliter indicate, quatenus cognito negocij merito, aliter cogatur æquitate suadẽte restituere, quod facere propria sponte honestatis consideratione contẽnit. Latorẽ verò præsentium fraternitati tuæ commendantes hortamur, vt eum illic moras pati hac pro causa diutius non permittas.

EPISTOLA XXI.

De redemptione captiuorum à Iudæis detentorum.

Lib. 6. ep. 21. Inf. l. 9. ep. 65.

GREGORIVS, *Candido Presbytero nostro per Gallias.* Dominicus præsentium portitor lachrymabiliter nobis innotuit, quatuor fratres suos de captiuitate à Iudæis redemptos esse, atque eos nunc Narbonæ in eorundem Iudæorum seruitio detineri. Et quia omnino graue execrãdumq; est, Christianos esse in seruitio Iudæorum, dilectionem tuam scriptis præsentibus adhortamur, vt cum omni subtilitate, & sollicitudine studeat perscrutari. Et si reuera ita est, atque manifesta tibi veritate constiterit, quia neq; ipsi vnde se redimant, neq; suprascriptus portitor habet, eos studij tui sit redimere: sciens quia quicquid in eis dederis, tuis sine dubio rationibus imputabitur.

Mense Iunij, Indictione decima quinta.

EPISTOLA XXII.

De eo quod scriptum est: Dimissa sunt ei peccata multa, alijs q; testimonijs multis. De misericordia Dei.

GREGORIVS, *Gregoriæ Cubiculariæ Augustæ.* Desiderata dulcedinis vestræ scripta suscepi, in quibus vos omnino de peccatorum multitudine fluduistis accusare; sed scio quia omnipotentem Dominum feruenter diligitis, atq; in eius misericordia confido, quia illa de vobis sententia ex ore veritatis procedit, quæ de quadam sancta muliere dicta est: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quomodo autem fuerint dimissa, in hoc etiam monstratum est, quod postmodum est secutum, quia ad pedes Domini sedebat, & verbum ex ore illius audiebat. In contemplatiua enim vita suspensa, iam actiuam transcenderat, quam adhuc Martha illius soror tenebat. Sepultum quoq; dominum requisiuit, studiosè ad monumentum inclinata corpus illius nõ inuenit. Sed etiam recedentibus discipulis ipsa antè ianuam monumenti plorans perstitit, & quem mortuum quærebat, viuentem videre meruit, & resurrexisse Dominum discipulis nunciauit. Et hoc quidem mira dispensatione pietatis Dei fuit, vt ex ore mulieris nunciaretur vita, quia ex ore mulieris mors fuerat in paradiso propinata. Quæ alio quoq; tempore cum Maria altera Dominum post resurrectionem vidit, & accedẽs, pedes eius tenuit. Ducrogo antè oculos, quæ manus, cuius tenuerũt pedes? Illa mulier quæ fuerat in ciuitate peccatrix, illæ manus quæ fuerant iniquitate pollutæ, illus tetigerunt pedes, qui ad patris dexteram super angelorum verticem sedet. Pensemus si possumus quæ sint ista supernæ pietatis viscera, vt mulier quæ in profundo voraginis fuerat demersa per culpam, ex amoris penna sic in altum leuaretur per gratiam. Impletum est dulcissima filia, impletum quod de hoc sanctæ Ecclesiæ tempore prophetica nobis voce promissum est: Et in die illo erit domus Dauid fons patens in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Domus enim Dauid nobis peccatoribus fons patens in ablutionem est, quia ab iniquitatum nostrarum sordib. per Dauid filium Saluatorem nostrum aperta iam misericordia lauamur. Quod verò dulcedo tua in suis epistolis subiunxis, importunam se mihi existere, quo aduso; scribã mihi esse reuelatũ, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem etiam, & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui reuelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vitæ tuæ vltimo plangere eadẽ peccata minimè valebis. Quæ dies quousq; veniat semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atq; eas quotidianis fletibus lauare. Certè Paulus Apostolus iam ad tertium cœlum ascẽderat, in paradisum quoq; ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret; & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & seruituti subijcio, ne fortè alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet qui iam ad cœlum ducitur, & iam timere non vult qui adhuc in terra conuersatur? Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatẽ, per quam negligẽs reddaris. Scriptum est enim: Beatus vir qui semper est pauidus. Et rursus scriptũ est: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In pauco ergo huius vitæ tempore mẽtem vestram necesse est vt tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet. Omnipotens Deus sancti Spiritus sui gratia mentem vestram repleat, & post fletus, quos quotidiè in oratione funditis, ad gaudia vos æterna perducat.

Luc. 7.

Matt. 28. Luc. 24.

In hac vita nullus securus de peccatorũ remissione est. 2. Cor. 12.

1. Cor. 6.

Prou. 28. Psal. 2.

EPISTOLA XXIII.

De duobus generibus compunctionis: Nec non gratias agit de pecunia in redemptione captiuorum collata. Et de miraculo per clauem sancti Petri facto.

GREGORIVS, *Theotistæ pariter & Andreæ.* Quòd in tanto tumultu causarum vestra excellentia posita, sacri verbi vbertate plena est, atq; ad æterna incessanter gaudia suspirat, magnas omnipotenti Deo gratias ago, quia hoc in vobis esse impletũ video, quod de electis patribus scriptum est: Filij aũt Israël ambulauerũt per siccum per medium mare. at contra: Ego veni in altitudinẽ maris, & tempestas demersit me. Vos verò ad repromissionis patriam inter vndas causarum sæcularium siccis, vt video, gressibus ambulatis. Agamus ergo gratias ei spiritui, qui corda quæ implet leuat, qui inter tumultus hominum, solitudinẽ in mente facit. In cuius præsentia nullus locus compunctæ animæ est secretus. Æternæ enim suauitatis odorem trahitis, atq; ideo sponsum animæ ardẽter amatis, ita vt cum cœlesti sponsa ei dicere possitis: Trahe me post te, in odorẽ vnguentorum tuorum currimus. In epistolis aũt excellentiæ vestræ hoc minus reperi: quia mihi de sereniſſima domina indicare noluit, quàm studiosè legat, vel in lectione qualiter compungatur. Prodesse quippe ei multum debet vestra præsentia, vt inter causarum fluctus, quos assiduè patitur, ex quibus velit nolit foras trahitur, semper ad amorẽ cęlestis patriæ interitus reuocetur, & hoc quoq; inuestigare debetis, quotiens ei pro sua anima lachrymæ dantur, vtrum adhuc ex timore, an iam ex amore compungatur. Duo quippe sunt compunctionis genera, sicut scitis. Vnum quod æternas pœnas metuit, aliud quod de cœlestibus præmijs suspirat, quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. Antè enim semetipsam in lachrymis afficit: quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At verò cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædã iam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cęlestium gaudiorũ animus inflammatur.

Cant. 1.

Compunctionis genera duo.

Et qui

Et qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissimè incipit, quia differtur à regno. Contemplatur etenim mēs, qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ visio internæ claritatis Dei, & amplius plangit, quia à bonis perennibus deest, quàm flebat prius cum mala æterna metuebat, sicque fit vt perfecta compunctio formidinis trahat animum ad compunctionem dilectionis. Quod benè in sacra veracique historia figurata narratione describitur, quæ ait: Axa filia Caleph sedens super asinam suspirauit. Cui dixit pater suus: Quid habes? At illa respondit: Da mihi benedictionem. Terram Australem & arentem dedisti mihi iunge & irriguam. Et dedit ei pater suus irriguum inferius, & irriguum superius. Axa quidem super asinam sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans à patre terram irriguam petit: quia à Creatore nostro cum magno desiderio quærenda est lachrymarum gratia. Sunt namque nonnulli, qui iam in dono percipiunt liberè pro iustitia loqui, oppressos tueri, indigentibus propria tribuere, ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lachrymarum non habent. Hi nimirum terram Australem & arentem habent, sed adhuc irrigua indigent. In bonis enim operibus positi, in quibus magni atque feruentes sunt, optant valdè vt aut timore supplicij, aut amore regni cœlestis peccata, sine quibus viuere non possunt, quotidiè plorent. Sed quia, vt dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cùm se in lachrymis regni cœlestis desiderio affligit. Irriguum verò inferius accipit, cùm inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, & post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris magna dignitate præeminet, necesse fuit vt prius irriguum superius, & post irriguum inferius diceretur. Vos ergo quæ operante omnipotente Domino vtraque compunctionis genera experimento nostis, quantum per verba sereniss imę dominæ vestræ prodestis, quotidiè sollicitè perscrutari debetis. Peto autem vt paruulos dominos quos nutritis, præcipuè moribus instruere curetis, & glorioſos eunuchos qui eis deputati sunt, admonete, vt ea illis loqui debeant, quæ eorum mentes in caritate circa se inuicem, & erga subiectos in mansuetudinem compungant, ne si quid odij modò inter se conceperint, in aperto postea erumpat. Verba siquidem nutrientium aut lac dant si bona sunt, aut venenum si mala. Talia ergo nunc eis suggerant, quæ postmodùm ostēdant quàm bona fuerint, quæ à nutritorum suorum ore suxerunt. Præterea triginta auri libras dilectus filius meus Sabinianus diaconus ab excellentia vestra transmissas in redemptionem captiuorum dandas, atque pauperibus erogandas detulit, de quibus vobis gaudeo, sed mihi pertimesco, quia apud tremendum iudicem non solùm de sancti Petri Apostolorum principis substantia, sed etiam de vestris rebus rationem reddituros vado. Vobis autem omnipotens Deus pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna restituat. Indico verò quia ex Crotonensi ciuitate, quæ super Adriaticum mare in terra Italiæ posita, transacto anno à Longobardis capta est, multi viri ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ sunt, & filij à parentibus, parentes à filijs, & coniuges à coniugibus diuisi, ex quibus aliqui iam redempti sunt: Sed quia grauia precia eis indicunt, multi apud nefandissimos Longobardos hactenus remanserunt. Mox autem medietatem pecuniæ quam transmisistis, in eorum redemptionem transmisi. De medietate verò ancillis Dei, quas vos Græca lingua monastrias dicitis, lectisternia emere dispositi, quia in lectis suis graui nuditate in huius hyemis vehementissimo frigore laborant, quæ in hac vrbe multæ sunt. Nam iuxta notitiam qua dispensantur, tria millia reperiuntur. Et quidem de sancti Petri Apostolorum principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt? maximè in hac vrbe, vbi omnia graui precio emuntur. Harum verò talis vita est, atque in tantùm lachrymis & abstinentia districta, vt credamus quia si ipsæ non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset. Præterea benedictionem sancti Petri Apostoli clauem à sacratissimo eius corpore transmisi, de qua videlicet claui hoc est gestum quod narro miraculum, Dum quidam Longobardorum ciuitatem ingressus in Transpadanis partibus inuenisset, quia sancti Petri clauis esset despiciens, sed pro eo quòd eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum vt eam incideret. Qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora extinctus cecidit. Et dum illic rex Longobardorum Antharith atque alij multi eius homines adessent, & is qui se percusserat, seorsum mortuus, clauis verò hæc seorsum iaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, vt eandem clauem de terra leuare nullus præsumeret. Tunc quidam Longobardus Catholicus, qui sciebatur orationi & eleemosynis deditus, Minulphus nomine, vocatus est, atque ipse hanc leuauit de terra. Antharith verò pro eodem miraculo aliam clauem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo vestræ excellentiæ transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem & perfidum hominem peremit, vt per eam vos qui eum timetis & diligitis & præsentem salutem, & æternam habere valeatis.

EPISTOLA XXIV.

De Cyriaco Episcopo Constantinopolitano, & profano vocabulo vniuersalis, quo temerè vtebatur. Sup. li. 7. ep. 7. 24. 25. li. 4. ep. 36. 37.

GREGORIVS, *Anastasio Episcopo Antiocheno.* Desideratam suauissimæ vestræ sanctitatis epistolam communi filio meo Sabiniano diacono deferente suscepi, in qua non linguæ, sed animæ verba profluebant. Et non mirum si benè loquitur qui perfectè viuit. Quia enim per magistrum spiritum in schola cordis per præcepta vitæ didicistis terrena cuncta despicere, ad cœlestem patriam festinare; quantum vos in bono profeciſtis, tantùm bona etiam de alijs sentitis. Dum verò in scriptis vestræ beatitudinis multa de me dici laudabilia audirem, intellexi studium, quia commemorare voluistis non quid sum, sed quid esse debeam. Illud verò quòd me dicitis morum meorum debere reminisci, & maligno spiritui quærenti animas cribrare pro nulla causa locum dare; ego quidem me semper malis moribus fuisse recolo, atque eosdem in me mores si possum vincere ac delere summoperè festino. Si tamen, vt vos creditis, aliquid boni habui, in omnipotentis Dei adiutorio confido, quia oblitus non sum. Sed sanctitas vestra, vt video, in præmissis verbis dulcedinis, & subsequenti hoc verbo epistolam suam api esse similem voluit, quæ mel simul & aculeum portat, vt me & melle satiaret, & aculeo pungeret. Sed inter hæc ego ad meditandam Salomonis vocem redeo, quia meliora sunt vulnera diligentis, quàm inimici blandientis oscula. Quòd verò dicitis pro nulla causa dare nos locum scandalo debere, hæc mihi & pijssimus domnus filius noster, pro cuius vita incessanter orandum est, iam sæpiùs scripsit, & quod ille ex potestate, scio quia hoc vos ex amore dicitis. Nec miratus sum vos in vestris epistolis imperialia verba posuisse, quia habent inter se maximam cognationem amor & potestas. Nam vtraque principaliter præsunt, vtraque per auctoritatem semper loquuntur. Et quidem in suscipienda fratris & consacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola dignum non fuit, vt pro causa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem: sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo eum admonere studui, dicēs: quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit. Vos tamen eandē causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquaniminter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidē corrumpimus. Scitis enim quanti non solùm hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constātinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et vt de honoris vestri iniuria taceam, si vnus Episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit; si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis. In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit, citius impleturus est. Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Hæc occupatus in multis ad epistolarum vestrarum dicta in breuitate respondi. Nam quæ modò loqui per scripta non debeo, in animo signata manent. Peto vt me beatitudo vestra in suis

Pro. 27.

Multi hæretici de Ecclesia Constantinopolitana egressi sunt.

Luc. 14. & 18.

sanctis

sanctis orationibus semper ad memoriam reducat, quatenus à malis me temporalibus & æternis vestræ intercessiones eripiant. Pro serenissimo autem domino Imperatore studiosè & seruenter orate, quia valdè est eius vita mundo necessaria. Cessо autem amplius dicere, quia & vos non dubito scire.

EPISTOLA XXV.

Largitatem eleemosynarum eius plurimum laudat.

Sup.li.2. ep.65.li.4. ep.40.li.6 ep.25.

GREGORIVS, *Theodoro Medico Constantinopolitano.* Dilectissimus filius meus Sabinianus diaconus ad me reuersus, nulla mihi gloriæ vestræ scripta detulit, sed ea quæ transmissa sunt, captiuis & pauperibus deportauit, vnde & intellexi causam: ideo enim homini loqui per epistolas noluistis, quia omnipotenti Deo verbum in bona operatione feceratis. Habet enim hæc eadem vestra operatio vocem propriam, quę ad aures Dei secreta clamat, sicut scriptum est: Eccl.29. Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te orabit. Et quidem mihi, fateor, triste est aliena expendere, & super eas quas de substantia Ecclesiastica habeo, adhuc etiam de rebus suauissimi filij domni Theodori rationes ponere. Vestræ autem benignitati congaudeo, quia sollicitè attenditis, Luc.11. atque custoditis hoc quod veritas dicit: Date eleemosynam, Eccl.3. & ecce omnia munda sunt vobis. Et hoc quod scriptum est: 2.Cor.8. Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Paulus quoque Apostolus ait: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ sit Tob.4. inopiæ supplementum. Tobias filium admonet, dicens: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem parum, etiam de exiguo libenter impartire. Vos itaque hæc omnia præcepta seruatis, sed pro nobis vt oretis petimus, ne laborum vestrorum fructus indiscretè & non sicut necessè est dispensemus, ne vnde vos peccata minuitis, nos inde cumulemus. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, sicque vobis in terreno palatio humanam gratiam tribuat, vt post longa vos tempora ad cœlestis palatij gaudia æterna perducat. Benedictionem verò sancti Petri Apostolorum princi- Clauis S. Petri. pis, quem multum diligitis, clauem à sacratissimo eius corpore vobis transmisimus, in qua ferrum de catenis eius clausum est, vt quod illius collum ligauit ad martyrium vestrum, ab omnibus peccatis soluat.

EPISTOLA XXVI.

De contemnendo hoc sæculo, vt cœlestibus studijs vacare possit.

Lib.4. ep. 45. Ind. 13. li.6.ep. 23. li.7.ep.4.

GREGORIVS, *Andreæ.* Magnitudinis vestræ scripta suscipiens, cognita salute vestra gauisus sum, & de benignitate pijssimæ domnæ, quæ erga vos suam gratiam ostendere dignata est, valdè lætatus. Et quòd domna Constãtina clarissima puella priusquam nuptias faceret, ab huius mundi illecebris est erepta, vehementer exulto. Illud autem quod vos in malitiam sponsi eius intrasse dixistis, & quòd sereniissimo domno Imperatori commendari voluistis, vt vobis aliqua iniungat, vbi vos vtiles esse existimat, mentem meã non modico mœrore tetigit, quia ego bonitatem morum vestrorum ad aliud tendere semper existimaui. Multos autem noui, qui in seruitio reipublicæ positi vehementer affliguntur: quia eis non licet vacare, & peccata sua plangere, & vos quare, nescio, occupari desideratis. Cur enim magnifice fili non consideras, quia mundus in fine est? Omnia vrgentur quotidiè; ad reddendas rationes æterno & tremendo iudici ducimur. Quid ergo aliud nisi de aduentu illius cogitare debemus? Vita enim nostra nauiganti est similis. is namq; qui nauigat, stat, sedet, iacet, vadit: quia impulsu nauis ducitur. Ita ergo & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, siue ambulantes, siue volentes, siue nolentes per mométa temporum quotidiè ad finem tendimus. Cùm igitur finis nostri dies aduenerit, vbi nobis erit, omne quod modò cum tãta cura quæritur, & cum sollicitudine congregatur? Non ergo honor, non diuitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur. Hoc ipsum verò esse in obsequio pijssimi principis, quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ, & quantus est timor, ne hæc eadem gratia perdatur si adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna sit aut prosperitatis desiderio fatigari, aut aduersitatis timore paueſcere. Vnde magis suadeo, vt magnitudo vestra in suo proposito quòdam, in pauco tempore delectabili receptaculo peregrinationis viuere studeat, & quietam ac tranquillam vitam ducere, sacris lectionibus vacare, cœlestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere, de terrenis rebus secundùm vires bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione sperare. Sic autem viuere, iam in æternitatis vita partẽ habere est. Hæc magnifice fili loquor, quia multum te diligo. Et quia in procellas & ructus cordis tendis, verborum meorum sunibus te ad littus reuoco, & si trahentem sequi volueris, quæ pericula euaseris, quæ gaudia inueneris, in ipso quietis tuæ littore positus agnosces. Præterea gratias ago, quia me de duab. personis, quæ cum glorioso Gallitio venerunt, cautum reddere studuistis: quamuis personæ eius quam prius magnitudo vestra nominauit, iam in malis non modicum experimẽtum tenemus. Sed quia mala sunt tempora, omnia cum gemitu portamus. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, detq; vobis & hic benè agere, & apud se in perpetuum in æterna vita gaudere.

EPISTOLA XXVII.

De persecutione non timenda, & salute plurimorum amicorum acquirenda.

Sup.li.1. ep.6.19.43. & li.2.ep. 64.

GREGORIVS, *Narsæ religioso.* Cùm Romanum defensorem ad vrbem regiam mitterem, diu scripta vestra requisiui; sed inueniri minimè potuerunt: postmodum verò inter multas aliorum epistolas sunt inuenta, in quibus mihi dulcedo vestra suas afflictiones & tribulationes spiritus indicat, & aduersitates malorum hominum manifestat, Sed rogo in his omnibus reuoca ad mentem hoc quod credo, quia nunquam obliuiscaris: Quia omnes qui piè volũt viuere in Christo, persecutionẽ patiuntur. Qua in re ego fideliter dico, quia minus piè viuis, si minus persecutionẽ pertuleris. Idem quoq; doctor gentium quid aliud discipulis dicat audiamus: Ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed antè passi & contumelijs affecti. Ecce dulcissime fili, prædicator sanctus ingressum suum vacuum fuisse perhibuit, si contumelias non pertulisset: & tua caritas dicere bona vult, sed mala perpeti recusat. Vnde necessè est, vt inter aduersa se districtius accingat, vt desiderium ad amorem Dei atque studium bonæ operationis ipsa plus aduersitas augeat. Sic semina messium gelu cooperta fertilius germinant. Sic ignis flatu premitur vt crescat. Scio quidem quia ex tot malarum linguarum sermonibus peruersis tempestatem validam pateris, in mente contradictionum fluctus sustines. Sed redeat ad animum, quod per Psalmistam Dominus dicit: Exaudiui te in abscondito tempestatis, probaui te ad aquas contradictionis. Si enim inter contradicentes quæ Dei sunt egeris, tunc verus operator probaris. Dulcissima autem vestra caritas mihi scripsit, vt monasterijs quæ per orationes & magisterium vestrum à filio nostro domno Paulo instituta sunt, aliquid admonendo scriberem. Sed si Dei sunt vasa, scio quia per compunctionis gratiam fontem sapientiæ intus habent, & meæ siccitatis gutta paruulas susciperenon debent. Perfecta verò vestra sapientia recolit, quia in paradiso pluuia non fuit, sed fons ascẽdebat de medio paradisi, qui irrigaret faciem terræ. Illæ ergo animæ quæ per compunctionis fontem in semetipsis habent, de aliena lingua pluuiam necessariam non habent. Per scripta autem vestra mihi transitum domnæ Eſychiæ nunciastis: & magna exultatione gauisus sum, quia illa bona anima feliciter ad patriam peruenit, quæ in patria laborabat aliena. Gloriosis autem filias meas domnam Dominicam, & domnam Eudochiam mea vice salutate. Sed quia prædictam domnam Dominicam iam diu est quòd audio præpositam factam, in hoc

circa

circa eam vestra charitas vigilet, vt quia iam seruire in labore terreni palatij non cõpellitur, omnes mundi huius strepitus perfectè fugiat, totã se Deo conferat, nihil de se extra se relinquat: sed & quantas valet animas in creatoris sui seruitiũ colligat, vt earum mentes per verbum eius gratiã cõpunctionis accipiant, & tanto celerius ipsa ab omnibus peccatis suis absoluta sit, qùanto per eius vitã & linguam etiam aliarum animæ peccatorũ suorum nexibus eruperint. Quia aũt nemo hominum in hoc mundo sine peccato est (& quid est aliud peccare nisi à Deo fugere?) fiducialiter dico etiam eandem filiã meã peccata aliqua habere. Vt ergo Dominæ suæ, id est, æternæ sapientiæ perfectè satisfaciat, quæ sola fugit, cũ multis redeat. Auersionis enim suę culpa nulli imputabitur, quæ reuertẽs lucrũ reportat. Domnum aũt Alexãdrũ & domnum Theodorũ mea per vos peto vice salutari. Quòd verò scribitis, vt excellentissimæ filiæ meæ domnæ Gurdiæ, & sanctissimæ filiæ eius domnæ Theotistæ, & magnificis earũ hominibus domno Marino & domno Christodoro scribere debeam, eosque aliquid de anima sua admonere, benè scit dulcissima vestra magnitudo, quia hodie in Constantinopolitana ciuitate, qui de Græco in Latinum & de Latino in Græcũ dictata benè transferant, non sunt. Dum enim verba custodiunt, & sensus minimè attendunt, nec verba intelligi faciunt, & sensus frangunt. Pro quare prædictæ filiæ meæ domnæ Gurdiæ breuiter scripsi; nã cæteris tacui. Duas aũt camisias, & quatuor oraria vobis transmisi, quæ prædictis viris ex benedictione S. Petri peto humiliter offerri. Præterea quidã moriens vnũ mihi puerulũ dimisit: de cuius anima cogitans, eum dulcedini vestræ trãsmisi, vt in eius viuat in hac terra seruitio, per quẽ ad libertatem cæli valeat peruenire. Dilectissimum aũt filium meum Anatholium diaconũ, quem ad facienda responsa Ecclesiæ in vrbem regiam transmisi, peto, vt frequenter dulcissima vestra charitas visitet: vt post labores quos in causis sæcularibus patitur, in verbo Dei vobiscũ requiẽ inueniat, & quasi quodam candido linteo eiusdem laboris terreni sudorem detergat. Quẽ personis omnibus, quæ vobis notæ sunt cõmendate: quãuis scio quia si perfectè cognoscitur, cõmendatione non eget. Vos aũt quantum sanctum Petrum Apostolum, quantum me diligitis, in ipso modo mõstrate. Omnipotens aũt Deus dulcissimam mihi charitatem vestram ab interioribus hostibus exterioribusque custodiat: & quãdo ei placuerit, ad cælestia vos regna perducat.

EPISTOLA XXVIII.

De submouendo profano vocabulo, vt pax Ecclesiæ conseruetur, & scandala multorũ auferantur.

GREGORIVS, *Cyriaco Episcopo Constantinopolitano.* Scripta beatitudinis vestræ suscepimus, quæ nobis nõ linguæ, sed animæ verba loquebãtur. Aperiebant etenim mẽtem, quæ tũ mihi clausa nõ erat, quia per memetipsum suauitatis ipsius experimentum tenebam. Vnde omnipotenti Deo incessanter gratias refero, quia si erga nos in corde vestro virtutũ mater charitas permanet, bonorũ operum ramos nunquã amittitis, qui ipsam bonitatis radicem tenetis. Oportet ergo vt mihi atq; omnibus fratribus vestris eiusdẽ charitatis pulchritudinem in hoc primum opere monstretis, vt verbũ superbiæ, per quod graue scandalum in Ecclesijs generatur, auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes, quod scriptũ est: Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et rursus: Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia. Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typhum superbiæ inter nos schisma non fuerit. Ego enim Iesum testem inuoco in anima mea, quia à summo vsque ad vltimũ nulli hominum dare scandali occasionẽ volo. Omnes magnos esse, & honorabiles cupio, quorũ tamen honor, honori omnipotentis Dei non detrahat: Nam quis quis se contra Deũ honorari appetit, mihi honorabilis non est. Sed vt cognoscatis quam erga vestram beatitudinem habeam voluntatem, dilectissimum filium meũ Anatholium diaconum ad pijssimorum dominorum vestigia transmisi, qui eorum pietati ac vestræ fraternitati satisfaciat, quia nullũ in hac causa nocere appeto, sed humilitatem Deo placitã, & sanctæ Ecclesiæ concordiã custodire. Et quia hostis omnipotẽtis Dei Antichristus iuxta est, studiosè cupio ne proprium quid inueniat non solum in moribus, sed etiam nec in vocabulo sacerdotum. Ea ergo quæ nouo modo introducta sunt, ipso ordine quo illata sunt, auferantur, & pax nobis illibata in Domino permanebit. Nam quæ erit inter nos dulcedo, quæ charitas, si nosmetipsos vocẽ refouemus, & rebus pungimur? Hoc ergo vestra sanctitas agat, vt bona quæ dicitis, nos in cordis medulla sentiamus, quatenus dũ in vnanimitate corda fuerint sacerdotum, pro pijssimorum dominorum vita deprecantes tanto citius exaudiri mereamur, quanto & orationes vestras ante Dei oculos pax illuminat, & discordiæ macula non obscurat.

EPISTOLA XXIX.

De contentione tollenda, quæ inter patrem monasterij quod Neas dicitur, & Hierosolymorum Episcopum exorta erat.

GREGORIVS, *Anastasio Presbytero.* Quia bonus homo de bono thesauro cordis sui bona profert, hoc tua charitas & spiritualiter viuendo, & modo mihi in epistola sua loquẽdo monstrauit: in qua inueni duos quosdam de virtutibus litigantes, te videlicet pro charitate, atque aliũ pro timore & humilitate contendere. Et quamuis in multis occupatus, quamuis Græcæ linguæ nescius, in contentione tamen vestra iudex resedi, sed requisita veritate, in meo iudicio contradictorem tuum ipse vicisti, per Apostolicam sentẽtiam, quam vobis contendentibus protuli, quia timor non est in charitate, sed Perfecta charitas foras mittit timorẽ: quoniã timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate. Tua itaque fraternitas, quantũ in charitate perfecta sit scio. Et quia omnipotentem Deum multũ diligit, oportet vt de proximo multum præsumat. Non enim loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed ei nos merita bona iungunt, aut mala disiungunt. Quia ergo adhuc incertum est quis interius qualis sit, cur non audebas scribere, dũ inter me & te quis sit superior ignores? Et quidem benè te viuere scio, me aũt multis oneratum peccatis noui. Sed etsi ipse peccator es, me tamen multo melior: quia tu tua tantum modo, ego vero & eorum qui mihi commissi sunt peccata porto. In hoc ergo te altum, in hoc te magnũ aspicio, qui ante humanos oculos in magno atq; in alto loco minimè profecisti, in quo sæpe dum exterius ab omnibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus grauatur. Tibi autem omnipotens Deus iuxta hoc quod scriptum est: Ascensus in corde disposuit, in conualle lachrymarum. Multo aũt me altior, multo sublimior videri poteras, si neque ducatum monasterij quod Neas dicitur suscepisses: quia in eodem monasterio (sicut audio) monachorum quidẽ species tenetur, multa verò sub sanctitatis habitu sæcularia agũtur. Sed etiam ad hoc te existimabo cælesti gratia peruenisse, si ea quæ in loco illo omnipotenti Deo displicẽt, te fuerint duce correcta. Sed quia inter patrem eiusdem monasterij & pastorem Hierosolymorum Ecclesiæ semper esse iurgia consueuerunt, credo quod omnipotens Deus idcirco dilectionem tuam & sanctissimum fratrem & consacerdotem meũ ambos esse vno tempore Hierosolymis voluit, vt ea quæ prædixi iurgia tollerentur. Nunc ergo ostendite quantum vos prius amastis. Scio quia vtrique abstinentes, vtrique docti, vtrique humiles estis, vnde necesse est vt Saluatoris nostri gloria in vobis, iuxtà vocem Psalmi resonet & in tympano & choro laudetur. In tympano etenim sonus ex pelle sicca est, in choro verò vocum concordia. Quid igitur per tympanum nisi abstinentia; quid per chorum, nisi vnanimitas designatur? Quia ergo per abstinentiam Dominum laudatis in tympano, peto vt per vnanimitatem laudetis in choro. Per semetipsam quoque veritas dicit: Habete sal in vobis, & pacẽ habete inter vos. Quid per sal nisi sapientia designatur? Paulo attestante qui ait: Sermo vester in gratia semper sale sit conditus. Quia ergo per doctrinam verbi cælestis sal habere vos nouimus, restat vt per charitatis gratiam etiam inter

Matt. 12.

1. Ioan. 4.

Dist. 40. c. 4. Poly. lib. 3. tit. 74 Ioã. Diac. 4. c. 61.

Psal. 83.

Psal. 149.

Mar. 9. Col. 4.

vos nouimus, restat vt per charitatis gratiam etiam inter vos pacem toto corde teneatis. Hæc charissime frater dico, quia vtrosque vos multum diligo, atque omnino pertimesco ne orationum vestrarũ sacrificia ex aliqua inter vos dissensione maculentur. Benedictionem verò quam & prius per Exhilaratum secundicerium, & postmodum per Sabinianum diaconum transmisistis, cum gratiarum actione suscepi, quia de sancto loco decuit vos sancta transmittere, & cui assiduè ministratis, ex vestro ipso munere demonstrare. Omnipotens Deus sua vos dextera protegat, atque à malis omnibus seruet illæsos.

EPISTOLA XXX.

Defendit se temere indiscretum nominatum fuisse, quod Cyriacum Episcopum Constantinopolitanũ, qui vniuersalem se nominat, reprehenderit.

Sup. lib. 5. ep. 16. li. 2. ep. 62. Ind. 11. li. 6 ep. 30. li. 4 ep. 31. Ind. 13. lib. 6. ep. 11.

GREGORIVS, *Mauritio Augusto.* Dominorum pietas prouida ne quid fortasse scandali in vnitate sanctæ Ecclesiæ ex sacerdotum dissensione generari potuisset, semel ac bis me admonere dignata est, vt responsales fratris & cõsacerdotis mei Cyriaci benignè susciperem, eosque ad remeandum citius relaxarẽ. Et licet pijssime domne aptè & prouidè cuncta præcipiatis, ego tamen inuenio quia eorum iudicio indiscretus esse ex hac tali admonitione reprehẽdor. Nunquid nam si ex superbo ac profano vocabulo meus nõ in modico est animus vulneratus, tantæ indiscretionis esse potui, vt nescirem quid vnitati fidei, quid concordię Ecclesiasticæ deberem, & fratris mei responsales & synodicam epistolam suscipere cuiuslibet causæ amaritudine interueniente recusarem? Absit hoc. Nimis mihi fuerat despuisse sic sapere. Aliud namque est quod conseruandæ vnitati fidei, atque aliud quod debemus cõprimendæ elationi. Distinguenda ergo erant tempora, ne prædicti fratris mei ex quolibet articulo charitas turbaretur. Vnde & responsales eius cũ magno affectu suscepi. Quicquid debui charitatis exhibui, meliusque eos quàm consuetudo prisca fuerat honoraui, & mecum feci eos sacra missarum solennia celebrare, quia sicut meus diaconus ad exhibenda sancta mysteria illi non debet ministrare, qui elationis culpam aut commisit aut commissam ab alijs ipse non corrigit, ita ministri illius in celebratione missarum mihi adesse debuerũt, qui custodiente Deo, in superbiæ errorem non cecidi. Eundem verò fratrem & consacerdotem meum studiosè admonere curaui, vt si habere pacem omnium concordiamque desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione cõpescat. De qua re mihi in suis iussionibus dominorum pietas præcepit dicens; vt pro appellatione friuoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo, vt imperialis pietas pẽset quia alia sunt friuola valde innoxia, atque alia vehementer nociua. Nunquid non cum se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valde erit, sed tamen nimis pernicioſum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ; si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego aũt fidenter dico, quia quisquis se vniuersalẽ sacerdotẽ vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiẽdo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines; ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super cęteros sacerdotes se extollit. Sed quoniam veritas dicit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, scio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis ergo pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem friuoli nomnis scandalũ gignant, qui in superbiæ typhum ceciderunt. Nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem nõ sum. Omnipotens autem Deus sereniſſimi domni nostri vitam & ad pacem sanctæ Ecclesiæ, & ad vtilitatem reipublicæ Romanæ per tempora longa custodiat. Certi etenim sumus, quia si vos viuitis, qui cęli dominum timetis, nulla contra veritatem superbia prævalere permittetis.

Luc. 14. & 18.

EPISTOLA XXXI.

De responsalibus Cyriaci Episcopi in causa fidei admissis. De suo diacono cum eo non processuro. De damnatione Eudoxij sibi incognita. De historia Sozomeni ab Apostolica sede reprobata. De anima Adæ, quòd in peccato mortua est. Dicit quoq; eum per pœnitentiam saluatum. Et quod diabolus cor hominis ingreditur.

GREGORIVS, *Eulogio Episcopo Alexandrino & Anastasio Episcopo Antiocheno.* Charitas qua vobis valde constrictus sum, tacere me minimè permittit, vt sanctitas vestra quæcunque apud nos aguntur agnoscat, & falsis rumoribus nõ decepta, suæ iustitiæ atque rectitudinis viam, sicut perfectè cœpit, perfectius teneat. Responsales siquidem fratris & coepiscopi nostri Cyriaci venientes, eius ad me synodicam detulerunt epistolam. Et quidem inter nos & ipsum sicut vestra beatitudo nouit, propter apppellationẽ profani nominis est grauis discordia, sed in causa fidei transmissos responsales eius existimaui esse suscipiendos, ne culpa elationis quæ in Constantinopolitana Ecclesia penè contra omnes sacerdotes exorta est, dissensionem fidei & rixã Ecclesiasticæ faceret vnitati. Eosdem verò responsales, quia hoc omnino humiliter precabantur, missarum solẽnia mecum celebrare feci, quia sicut & sereniſſimo domno Imperatori nostro intimare studui, responsales fratris & consacerdotis nostri Cyriaci mihi communicare debuerunt; quia auctore Deo in elationis errorem non cecidi. Meus verò diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco missarum solennia celebrare non debet: quia per profanum vocabulum culpam superbiæ aut commisit, aut sequitur: ne si, quod absit, procedit, ei in tali elatione posito, vanitatem stulti nominis cõfirmare videamur. Eundem verò fratrẽ admonere studui, vt se à tali elatione corrigat: quia si hanc non correxerit, pacem nobiscum nullo modo habebit. Præterea idem frater noster omnia in suis synodicis catholicè, Deo auctore, locutus est. Quendam verò Eudoxium damnauit, quẽ neque in synodis damnatum inuenimus, neque à decessoribus eius in suis synodicis reprobatum. Et canones quidem Constantinopolitani concilij Eudoxianos dãnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minimè dicunt. Romana aũt Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses quæ illic memoratæ sunt, ab alijs iam patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis verò nihil hactenus agnouit. In historia autem Sozomeni, de quodam Eudoxio qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, atque vsque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo vt si quis illam historiam recipit, synodo quę piæ memoriæ Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat. Qui verò huic contradicere non valet, illam historiam necesse est vt repellat. In Latina verò lingua de hoc Eudoxio nunc vsque, neque in Philastro, neque in beato Augustino, qui multa de hæresibus conscripserunt, neque in alijs patribus aliquid inuenimus. Charitas igitur vestra si quis apud Græcos probatorum patrum, de eo sermonem fecit, suis mihi epistolis innotescat. Præterea ante triennium, cogẽte causa monachorum Isauriæ, qui hæretici accusabantur, satisfaciens mihi quondam frater & consacerdos meus domnus Ioannes litteras misit, quibus nitebatur ostẽdere eos Ephesinæ synodi diffinitionibus contradixisse, & velut ex eadem synodo certa nobis quibus ipsi obsisterent capitula destinauit. Inter alia autem scriptum illic continebatur de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quòd diabolus in cor hominis non ingrediatur, & si quis hoc dixisset, anathema esset. Quæ cũ mihi relecta fuissent, valde contristatus sum. Si enim Adæ, qui primus peccauit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno vetito ei dictum est: In quacunque die

Lib. 6. ep. 60. li. 7. ep. 30. li. 8. ep. 42 li. 11. ep. 46 47. Li. 1. ep. 7. 24. 25. li. 4. ep. 36. & 37

Eudoxius incognit' Gregorio.

Canones Constantinopolitani Concilij 1. Ecclesia Romana non accipit.

Sozomeni historiã nõ recipit Ecclesia Romana.

Synodus de tribus capitulis.

Monachi Isauriæ. Ephesinæ Synodo contradicũt.

Gen. 2.

die comederitis ex eo, morte moriemini? & certe comedit Adam & Eua de ligno vetito, & tamen in carne sua vltra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, & dici nefas est, falsam sententiã de illo protulit Deus qui dixit, quia qua die comederet, moreretur. Sed absit hic error, absit à vera fide. Nos enim primum hominẽ qua die peccauit; anima mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanũ in hac mortis & corruptionis pœna dãnatum. Per secundum verò hominem & modo à morte animæ, & postmodum ab omni corruptione carnis in æterna resurrectione liberari nos posse confidimus. Sic aũt & prædictis responsalibus diximus: Adæ animam in peccato mortuam dicimus, non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi. Quia enim aliud est substantia, atque aliud qualitas, non est eius anima ita mortua, vt non esset; sed ita mortua, vt beata non esset. Qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam redijt. Quod verò diabolus cor hominis ingrediatur, si Euangelio creditur, non negatur. ibi enim scriptum est: Et post buccellam introiuit in eum Satanas. Et rursus ibi dicitur: Cum diabolus iam se misisset in cor Iudæ, vt traderet eum Iudas. Hoc autem qui negat, in Pelagianam hæresim cadit. Quia ergo perscrutantes Ephesinam synodum, nihil in ea tale inuenimus cõtineri, de Rauennati quoque Ecclesia vetustum valde codicem eiusdem synodi ad nos deferri fecimus, & synodo quam habemus, eum ita concordare inuenimus, vt in nullo discreparet, & nihil aliud contineret in definitione anathematis & reprobationis, nisi quod duodecim capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobant. Hanc autem totam rationem multo latius subtiliusque prædictis responsalibus eius in præsenti positis reddidimus, atque ei plenissimè satisfecimus. Igitur ne vel hæc, vel alia similia illic surrepant, quæ sanctam Ecclesiam scandalizent; necesse nobis fuit hæc ipsa sanctificati vestræ indicare. Et quamuis fratrem & coepiscopum nostrum Cyriacum nouerimus orthodoxum, tamen propter alios cauti esse debemus, vt antequam ad publicum prodeant, errorum semina conculcentur. Scripta autem vestræ sanctitatis communi filio Sabiniano diacono veniente suscepi. Sed quia harum lator iam ad egrediendum paratus, retineri non potuit, ad hæc responsali meo diacono veniente respondebo.

EPISTOLA XXXII.

Vt monachi contra abbates insurgentes ab Episcopis corrigantur.

GREGORIVS, *Dominico Episcopo Carthaginensi.* Licet fraternitatem tuam erga monasteriorum curã pastorali vigilantia credamus esse sollicitam; ea tamẽ quæ de monasterio in Africana prouincia posito cognouimus, vobis necessario præuidimus indicare. Queritur autẽ Cumquodeus abbas lator præsentiũ, quia si quando monachos, quibus præesse dignoscitur, sub regulari voluerit disciplina restringere, monasterium temerè deserant, & licitè quocunque voluerint vagantes existant. Quia ergo hoc & ipsis omnino pernicioſum est & alijs perditionis mõstrat exemplũ, hortamur fraternitatem vestram, vt si ita est, Ecclesiasticã in illos correptionem exerceat, & congrua eos vltione à tali proculdubio præsumptione compescat, atque ita ad obediendum salubri prouisione superbientes animos iugo disciplinæ subijciat, vt quos ad huius prauitatis excessum eorum poterat imitatio prouocare, emendatio à culpa reuocet, & suis, vt dignum est, doceat præpositis obedire. Quia verò à quibusdam Episcopis excedentes monachos perhibet defensari, fraternitas vestra in hoc studeat esse sollicita, & eos à tali defensione, sua modis omnibus interminatione compescat.

Mense Iulio, Indictione decimaquinta.

EPISTOLA XXXIII.

Vt ad meliora orationi semper intenti proficiant: Et de codice transmisso.

GREGORIVS, *Dinamio & Aureliæ per Franciam.* Scriptorum vestrorum pagina lectione percursa, magnam nobis studio vestro contulit indicato lætitiam, quia per hoc quod vos sacræ lectionis pabula quærere, & supernæ patrię desiderare gaudia nunciauit, dilectionem vestram religiosam conuersationem non solum amare nomine, sed etiam tenere vita monstrauit. Et quoniam desiderata vos adepturos esse confidimus, vehementi vobis cor nostrum exultatione congaudet. Nam quia huiusmodi desiderium gratia diuina non deserat, ipsa nos veritas testimonio suę vocis informat dicens: Omnis qui quærit, inuenit: qui petit, accipit, & pulsanti aperietur. Hac itaque fulti certitudine, de eiusdem Redemptoris nostri misericordia nihil ambigere, sed spe debemus indubitata præsumere. Nec enim muneris sui largitate frustrabitur, sed vires obtinendi prorsus indulget, qui velle concessit. Nam iam hoc ipsum desideranter appetere, donum est. Quia tamen ita de gratia debemus superna præsumere, vt non simus negligentes in oratione vel opere, voce item eiusdem veritatis exprimitur: Oportet semper orare, & non deficere. Petamus igitur orando, quæramus legendo, pulsemus operando. Sit igitur mens vigilans, sit vndique suspecta, sit vbique sollicita, vt insidiantis possit semper laqueos præcauere. Sed quia quanto hostis noster cautum contra se vnumquemque cognoscit, tanto corda sibi resistentium subtili molitur arte subuertere, omnipotentem Dominum assiduis lachrymis, & deprecatione poscamus, vt nos veneni eius non sinat infectione corrumpi, sed contra certamina, & latentes suggestiones quas ingerit, potentiæ suæ nos scuto circumtegat, in quo iacula illius illisa frangantur, & cor nostrum percussionis ipsius contactu non vulnerentur, sed gratiæ suæ dono eius nobis insidias & intelligere donet, & vincere. Codicem verò quem dirigeremus, talem qui vos vt petistis instrueret, minimè paratum habuimus, sed in subsequenti transmittemus.

Matth. 7. Luc. 11.

Luc. 17.

EPISTOLA XXXIV.

Hortatur vt ad virum suum Romæ occupatum veniat.

GREGORIVS, *Dominicæ vxori Ioannis.* Lætos nos vestræ nimis epistolæ reddiderunt, quòd vos vnitati Ecclesiæ sociatam Deo protegente cognouimus. Et quidem sicut & ipsa scribis ante hoc facere debuisti, quia talis viri coniugem, nec ad modicum esse decuit à communionis vnitate disiunctam. Considerare enim debuisti, gloriosa filia, quanta multitudo fidelũ in matris Ecclesiæ sinu consistat, quãtisque virtutibus sacerdotes, qui in ista fide defuncti sunt, coruscarunt, vel quanta adhuc corpora sua miracula faciant, atque eos non dijudicare, sed plus tantis viris ac sacerdotibus quàm tibi credere debuisti. Inter hæc tamen omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cordi vestro lumen suæ veritatis infundit, vt erroris sui pulsa caligine, rectam vobis viam, quam sequi & tenere debeatis, ostenderet. Gloriosum autem coniugem vestrum quousque viuimus, à nobis dimittere nolumus, & ideo eum ad vos reuerti nullatenus confidatis. Et quidem ipse ad vos venire desiderat, sed postquam in ciuitate Romana est, non potest, non ei licet, quia amoris nostri omnino tenetur vinculis alligatus. Melius est ergo vt vos ad eum venire modis omnibus festinetis, quia caput suum potius membra & sequi debent, & quocunque iuerit, comitari.

Ecclesiæ splendor maximus.

EPISTOLA XXXV.

De vasis sacris pro redemptione captiuorum distrahendis.

Inf. li. 5. ep. 39. li. 8. ep. 54. li. 9 ep. 46.

GREGORIVS, *Domno Episcopo Messanensi.* Et sacrorum canonum, & legalia statuta permittunt, ministeria Ecclesiæ pro captiuorum esse redemptione vendenda. Et ideo quoniam Faustinus lator præsentium vt filias suas de iugo potuisset captiuitatis exuere trecentorum triginta solidorum probatur debitum contraxisse, ex quibus triginta redditis, ad reliquæ quantitatis restitutionem eum certum est non posse sufficere; fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt de argento Merienſis Ecclesiæ cuius miles esse dignoscitur, quod apud vos est, quindecim ei libras accepto ab eo desuscepto dare modis omnibus debeatis, vt eo venundato, & restituto debito, necessitate valeat obligationis absolui. Sed & illud fraternitas vestra debet esse sollicita, vt siquidem de prædicta Ecclesia vsuale argentum est, suprascriptam quantitatem accipiat, alioquin de sacratis vos vasis hac in re eam quam prædiximus quantitatē præbere necesse est. Nam sicut omnino graue est frustra Ecclesiastica ministeria venundare, sic iterum culpa est imminenti huiusmodi necessitate, res maximè desolatæ Ecclesiæ captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.

EPISTOLA XXXVI.

Vt contentiones monasteriorum ob Agri fines exortas, terminentur.

Sup. li. 4. ep. 18. li. 5. ep. 18. li. 6. ep. 9. li. 7. ep. 22. 27.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Ne religiosorum virorum corda sæcularium rerum contentio à mutua, quod absit, charitate disiungat, magna est sollicitudine studendum, vt facillimum finem res possit in altercationem deducta percipere. Quia ergo indicante Cæsario abbate monasterij sancti Petri, quod in loco est qui Baias dicitur constitutum, comperimus inter eum & Ioannem abbatem monasterij sanctæ Luciæ in Syracusana ciuitate constituti, grauem esse exortam de quibusdam finibus quæstionem, ne ipsa inter eos valeat contentio prolongari, certamina eorum agrimensoris definitione prospeximus finienda. Et ideo scripsimus Fantino defensori, vt Ioannem agrimensorem, qui de Romana vrbe Panhormum profectus est, illuc ad fraternitatem vestram debeat destinare. Hortamur ergo vt cum eo ad loca de quibus est contentio debeatis accedere, & vtraque parte cominus constituta, per loca quæ in lite sunt, vestra faciatis præsentia terminari, quadraginta tamen annorum vtrique parti præscriptione seruata. Quæcunque verò definita fuerint, ita seruari fraternitas vestra sollicitè studioseque prouideat, vt denuo nec iurgium exinde aliquod excitari, nec querela aliqua ad nos valeat peruenire. Cæsarius abbas venerabilis, quia noster olim fuerit, fraternitatem vestram credimus non latere, & ideo eum vobis salua æquitate in omnibus commendamus. Et quia in sæcularibus causis omnino inexpertus est, vestra eum sollicitudine necesse est adiuuari: sic tamen, vt in cunctis, sicut decet, rationem & iustitiam conseruetis.

EPISTOLA XXXVII.

De tribus Apostolicis sedibus, & de lignis transmissis.

Li. 6. ep. 60 li. 7. ep. 29. 30. li. 8. ep. 42 li. 11. ep. 46. & 47. Petrus nūc in suis successoribus sedet.

GREGORIVS, *Eulogio Episcopo Alexandrino.* Suauissima mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis de sancti Petri Apostolorum principis cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc vsque in suis successoribus sedeat. Et quidē ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quòd ille mihi de Petri cathedra locutus est, qui Petri cathedram tenet. Et cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum; quia vos sanctissimi quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur? cui veritatis voce dicitur: Tibi dabo claues regni cælorū. Cui rursus dicitur: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Iterumque: Simon Ioannis amas me? pasce oues meas. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua Euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. Cum ergo vnius atque vna sit sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc episcopi præsident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate: quia in illo vnum sumus, qui ait: Vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Debitum autem salutationis alloquium persoluens, indico quia magno gaudio exulto, quòd vos contra hæreticorum latratus assiduè laborare cognoui: atque omnipotentem Dominum deprecor, vt beatitudinem vestram sua protectione adiuuet, quatenus per linguam vestram de sinu sanctæ Ecclesię omnem radicem amaritudinis euellat, ne rursum germinans impediat multos, & per illam coinquinentur multi. Accepto etenim talento cogitatis quod præceptum est: Negociamini dum venio. Ego autem etsi negotiari non valeo, lucris tamen negotij vestri congaudeo, hoc videlicet sciens: quia & si me participem operatio non facit, laboris vestri me participem charitas facit: quia, sicut æstimo, bonum proximi etiam otioso commune fit, qui de alterius actibus gaudere cōmuniter scit. Præterea ligna transmittere volui, sed beatitudo vestra si essent necessaria nō indicauit, & maiora multo mittere possumus, sed nequaquam talis nauis huc mittitur, quæ hæc capere valeat. Minora autem mittere verecundum puto. Quid tamē facere debeam, beatitudo vestra suis mihi epistolis innotescat. Paruulam verò benedictionem de amatoris vestri sancti Petri ecclesia sex minora Aquitanica pallia, & duo oraria transmisi: quia enim multum diligo, etiam de paruis præsumo. Habet enim ipsa dilectio auctoritatem suam, & omnino certa est, quia iniuria non erit in omne quod amando præsumpserit. Suscepi autem benedictionem sancti Euangelistæ Marci, iuxta breue vestris epistolis insertum. Sed quia collatum ac iuritheum non libenter bibo, præsumens cognidium requiro, quod in hac vrbe post multa tempora vestra innotescere transacto anno sanctitas fecit. Nam nos hic à negotiatoribus nomen cognidij, & non substantiam comparamus. Peto autem vt contra omnes amaritudines quas in hac vita patior, vestræ me sanctitatis oratio fulciat, atque ab his apud omnipotentem Dominum suis intercessionibus defendat.

EPISTOLA XXXVIII.

De Episcopo Locrensi, Ecclesiæ ordinando.

GREGORIVS, *Cypriano Rectori nostro per Siciliam.* Habitatores Locrensis ciuitatis quendā ad nos presbyterū adduxerunt, qui eis debuisset episcopus ordinari. Sed quia minimè dignus inuētus est, ne diu sine proprio posśut consistere sacerdote, à nobis admoniti in scrinio promiserunt aliū studioseè se quærere, & ad nos consecrandum Deo adiuuante perducere. Et id eo ad dilectionē tuā latore præsentiū veniente Marcianum presbyterum diœceseos Taurianensis Ecclesiæ, qui nunc habitat in Ecclesia quæ est in Massalargia cōstituta, diœcesis Catanensis Ecclesiæ, ad te fecito modis omnibus euocari, atque eum studij tui sit de crminibus quæ ad Episcopatum accedere non permittunt cum omni subtilitate requirere. Et si eorū se experte esse responderit, cum præsentium portitore eum festina dirigere, vt facto in eū decreto ad nos veniat Deo adiuuāte ordinandus. Si

Ecclesia in Petri soliditate firmata. Matt. 16. Luc. 22. Ioan. 21. Sedes Petri in omnium principum cōualuit. Tres sedes Petri auctoritate præcipuæ.

Ioan. 17.

Luc. 19.

Sup. li. ep. 18. li. 6. ep. 6. 7. li. 4. ep. li. 5. ep. 38.

dus. Si verò est aliquid quod ei possit obsistere, hunc qui ad dilectionem tuam venit, cum omni cura & celeritate dimitte, vt eo ad loca sua remeante, aliter secundum ea quæ præmissa sunt, requiratur. Datum Mense Augusti, Indictione XV.

EPISTOLA XXXIX.

De ordinando Episcopo in Cornelienſi Eccleſia, loco alterius lapſi.

GREGORIVS, *Mariniano Episcopo Rauennæ.* Fraternitatis vestræ epistola nunciante comperimus, Cornelienſis Ecclesiæ filios assidua supplicatione in loco lapsi quõdam episcopi sui consecrandum sibi à vobis poscere sacerdotem, atque vos quid de ea re fieri debeat dubitare, & nostrum euidens expectare mandatum. Postquam ergo quẽquam criminaliter abscedentem in locum de quo lapsus est nulla permittit ratio reuocari, & vltra tres menses Ecclesiam vacare pontifice statuta sacrorum canonum non permittunt, ne cadẽte pastore, Dominicum gregem antiquus (quod absit) hostis insidiando dilaniet; fraternitas vestra deprecationi eorum consentire, & in loco lapsi debet episcopum ordinare. Nam dum non petentes eos etiam ante vestris ad hoc debueratis adhortationibus admonere, postulantes nulla vos oportet excusatione differre, quia Ecclesia DEI diu viduata proprio episcopo remanere non debet.

EPISTOLA XL.

De submouendo clericorum dominio in monasterijs.

GREGORIVS, *Mariano Episcopo Rauennæ.* Dudum ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennæ partibus constituta omnino clericorum vestrorum dominio prægrauari, ita vt occasione quasi regiminis ea, quod dici graue est, velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes decessori vestro epistolas misimus, vt hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citius occupatus, ne hoc onus monasterijs remaneret, fraternitati vestræ hæc eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, vt comperimus, in huius rei hactenus correctione cessatum est, hæc ad vos iterum præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergo, vt omni mora, omniq́ excusatione submota, ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullam deinceps in eis clerici vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant nisi orandi tantummodo causa accedendi licentiam, aut si fortè ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati mysteria. Sed ne pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione aliquod onus monasteria fortasse sustineant, studendum vobis est, vt si quispiam abbatũ aut monachorum ex quocunque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat vlterius, vt diximus, potestatem, ne monasteria huius occasionis velamine, ea quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare iam secundo commonita sanctitas vestra non differat, ne si post hæc negligentes vos esse, (quod non credimus) senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam vobis notum sit, quia tantæ necessitati seruorum Dei congregationem amplius subiacere non patimur. Ne verò ali qua vobis excusatio de monachis oriatur, personam huc quam præuiderit vtilem ex opere fraternitas vestra transmittat, & ei nos, qui cũ eo ad vos venire possint, monachos deputabimus: quos vt prospexeritis, debeatis in monasterijs ordinare; si tamen talia loca sunt, vt sit vnde ibi subsistere valeant.

EPISTOLA XLI.

De Paula & quodam Iudæo malefico.

GREGORIVS, *Cypriano Diacono per Siciliam.* Questa nobis est Paula præsentium latrix, quendam Theodorum ex Iudæo sibi nimis frustra inimicum existere, in tantum vt quod dici nefas est, iniquitate maleficiorũ eam lædere moliatur, atque ab hominibus Ecclesiæ Messanensis eundem Theodorum contra hoc facinus fortius instigari. Dilectio igitur tua studeat, vt nullus Ecclesiasticorum prædictæ mulieri in hac causa tentet aduersus existere. Sed ad inuestigãdum hoc ipse, vt potueris, esto sollicitus. Et si suprascriptus Theodorus tantæ iniquitati obnoxius esse patuerit, ita hoc districta vltione per hos quorum inter est facias vindicari, vt & Deus placari possit, & alijs exemplum coercitionis sit. Sup. l. 2. ep. 56. li. 4 ep. 6. 27. 37.

Expliciunt Epistolæ Beati Gregorij de Indictione XV.

LIBER SEPTIMVS.

INCIPIVNT EPISTOLAE Beati Gregorij Papæ.

De Indictione prima, & de anno ordinationis eius octauo.

DE CAVSA MAXIMI PRAEVARICATORIS, eiusque Satisfactione, & Pœnitentia.

LEVATVS est Maximus præsumptor in Dalmatia contra votum Domni Papæ Gregorij à militibus, per indictionẽ XI. & in contumacia vel præsumptione fuit annis VII. post hæc, post castigationem & flagella beatissimi atque apostolici Papæ Gregorij egressus Dalmatias venit in ciuitatem Rauennatem ad beatissimum Marinianum Archiepiscopum, & iactauit se tensus intra ciuitatem in media silice, clamãs & dicens: Peccaui Deo, & beatissimo Papæ Gregorio. Et acta pœnitentia per ttes horas, cucurrit Exarchus Gallinicius, Castorius Chartularius Ecclesiæ Romanæ cum Archiepiscopo Marinianno, & eleuatus, cœpit ampliorem pœnitentiam corã eis agere, tunc duxit eum ad sanctũ corpus beati Apollinaris, & iurauit de omnibus quæ aduersus eum dicta de mulieribus vel ex schismate simoniaco fuerant, mixtũ se non esse. Tũc reuertens Castorius Chartularius adduxit secũ diaconum eiusdem Maximi, nomine Stephanum relatorem omniũ, quæ à Maximo satisfacta essent. Tunc motus ad misericordiam beatissimus Papa Gregorius, direxit pallium ad confirmationem eiusdem Episcopi, id est VII. Kal. Septembris Indictione secunda. Ex regesto. M. S.

EPISTOLA I.

Dolet Maximum præuaricatorem contra consuetudinem ordinatum scripta sedis Apostolicæ abscidisse.

GREGORIVS, *Sabiniano Diacono.* De causa Maximi præuaricatoris quid actum sit cognouisti. Sed postquã serenissimus domnus Imperator iussiones transmisit vt ordinari minimè debuisset, tunc ad altiorẽ superbiã erupit. Nam homines glorioſi viri Patricij Romani ab eo præmia acceperunt, eumq́ ita ordinari fecerunt, vt Antonium subdiaconũ, & rectorem patrimonij nisi fugisset occiderent. Ego aũt epistolas transmisi, postquam eum ordinatum contra rationem cognoui, & contra consuetudinem, vt missarũ solennia celebrare nõ præsumeret, nisi prius à sereniſſimis dominis cognoscerẽ, quid de eius persona iussissent. Sup. li. 4. ep. 39.

iussissent. Quæ scripta mea publicè relecta, vel in ciuitate posita, publicè scindi fecit, atque in contemptum sedis Apostolicæ apertius exilijt. Quòd ego qualiter patiar scis, qui ante paratior sum mori, quàm beati Petri Apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores etiã meos benè cognitos habes, quia diu porto: sed si semel deliberauero nõ portare, contra omnia pericula lætus vado. Vnde necesse est cũ Dei auxilio periculo succurrere, ne cogatur excedendo peccare. Vide quæ dico, & pensa ex quanto dolore sunt. Peruenit verò ad me quia transmisit nescio quẽ clericũ, qui diceret quia Malcus Episcopus in custodia ꝓ solidis occisus sit. De qua re vnum est quod breuiter suggeras sereniſſimis dominis nostris, quia si ego seruus eorũ in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gẽs, nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa. Sed quia Deũ timeo, in mortẽ cuiuslibet hominis me miscere formido. Malcus aũt Episcopus neque in custodia fuit, neq; in aliqua afflictione, sed die qua causam dixit, & addictus est, nesciente me, à Bonifacio notario in domum eius ductus est, cui & prandiũ factũ est, ibique prandit, & honoratus est ab eo, & nocte subitò mortuus est quod iam dilectionem tuã arbitror cognouisse. Exilaratum aũt nostrum pro ea re dirigere volui. Sed quia iam eandẽ causam actã existimaui, idcirco me retinui. Domno aũt Romano dilectio tua dicat, quia ꝓ Felice, sicut scripsit ad virũ excellentissimum magistrũ epistolas, si Deus iusserit facio, & per hominem meum transmitto. Nam modo postquam nulli alteri scribo, durum mihi fuit soli magistro scribere. Cui etiam dicendũ est, quia Catellus palatinus substãtiam eius quantũ Virigantinus dicit, malè exterminat. Cui vix potui imponere, vt expensas eidem Virigantino in monasterio quo lectioni vacat, & laborare non potest, parum aliquid de substantia matris suæ dare debuisset.

Paulus Diaconus li. 4. c. 9. Gregorius in nullius mortem se immiscuit. 23. q. 8. c. 20.

EPISTOLA II.

De conuertendis ab idolorum cultura: Et de quinquaginta solidis baptizandis transmissis.

GREGORIVS, *Petro Episcopo Corsicæ.* Susceptis epistolis fraternitatis vestræ magnas omnipotenti Deo gratias retulimus, quia de congregatione multarum animarũ nos dignatus es releuare. Et ideo fraternitas vestra sollicitè studeat opus quod cœpit, auxiliante Domino, ad perfectionẽ deducere. Et siue eos qui aliquando fideles fuerunt, sed ad cultum idolorũ negligentia aut necessitate faciente reuersi sunt, festinet cum indicta pœnitentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, vt reatum suum plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc ad quod Deo adiuuãte reuertuntur, quanto illud perfectè defleuerint vnde discedunt. Siue eos qui nec dum baptizati sunt admonendo, rogando, de venturo iudicio terrendo, rationem quoque reddendo, quia ligna & lapides colere non debent, festinet fraternitas tua omnipotenti Domino congregare, vt in aduentu eius cũ districtus dies iudicij venerit in numero sanctorũ, possit tua sanctitas inueniri. Quod enim opus vtilius & sublimius acturus es quam vt de animarum viuificatione & collectione cogites, & tuo Domino, qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes? Transmisimus autem fraternitati tuæ quinquaginta solidos pro vestimentis eorum, qui baptizandi sunt comparandis, presbytero quoque Ecclesiæ, quæ in Negeugno monte sita est, possessionem quã tua fraternitas petijt, dari fecimus, ita vt quantum præstat, tantum de solidis quos accipere consueuerat, minus accipiat. Vestra autem fraternitas petijt, vt sibi Episcopum in Ecclesia, quæ non longè ab eodem monte est, facere debeat: quod omnino libenter accepi, quia quantum vicina fuerit, tantum prodesse animabus illic consistentibus amplius poterit. Latorem verò præsentium per intercessionem sanctitatis vestræ acolythum fecimus, quem ad obsequia vestra transmisimus, vt si in lucrandis animabus amplius seruierit, proficere amplius possit.

Sup. li. 5. ep. 22.

Quo pacto infideles ad fidẽ cõuertẽdi sunt.

EPISTOLA III.

Consolatoriam scribit epistolam de aduersitatibus huius mundi: De barbarorum gladijs, ac diuersis aduersitatibus.

GREGORIVS, *Anastasio Episcopo Antiocheno.* Suscepi epistolas suauissimæ beatitudinis vestræ, quæ pro verbis lachrymas pluebant. Vidi namque in eis nubem more suo in altum volantem, sed quandam caliginẽ tristitiæ ferentem, nec penetrare in ipso exordio facilè valui: vnde & quo iret, quia pro ipsa quã dixi caligine, ad plenum causas nõ intellexi. Hoc tamen sanctissimos vos semper sicut & facitis reducere ad mentem decet, quòd prædicator gentiũ dicit: In nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa, & erũt homines seipsos amantes, cupidi, elati, & cætera, quæ mihi labor est dicere, & vobis non est necessarium audire. Ecce in senectute vestra sancta beatitudo multis tribulationibus laborat, sed perpendat cuius sedem teneat. Nunquid nõ illius cui voce veritatis dictum est: Cum senueris, alius te cinget, & ducet quo non vis? Sed hæc dicens recolo quod sanctitas vestra in multis aduersitatibus etiam à iuuentute desudauit. Cum bono ergo rege dicat: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sunt autem multi qui delectationem suam, sicut scribitis, de nostris sibi vulneribus faciunt, sed scimus qui dixit: Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos aũt contristabimini, vbi & protinus adiunxit: Sed tristitia vestra vertetur in gaudiũ. Quia verò iam prædicta patimur, restat vt etiam promissa sperare debeamus. Hi enim de quibus dicitis, quia ipsi addunt onera qui subleuare debuerunt, scio quia illi sunt qui veniunt in vestitu ouium, & intus sunt lupi rapaces. Sed tãto magis tolerandi sunt, quanto nos non solum per malitiosam mentem, sed etiam per religiosum habitum persequuntur. In hoc autem quod soli præ alijs habere appetunt, quòd dignum non fuerat vt vel cum fratribus haberent, nullo modo turbamur: quia in omnipotenti Deo confidimus, quòd hi qui aliena appetunt, etiam suis citius priuantur. Scimus enim qui dixit: Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. Et rursum scriptum est: Ante ruinam exaltatur cor. His autem diebus, sicut inuenio, noua hæreticorũ bella consurgunt, de quibus vestræ beatitudini iam antea scripsi, ita vt Prophetas, Euangelia, & dicta Patrum omnia euacuare moliantur. Sed permanente vita vestræ sanctitatis, in protectoris nostri gratia speramus, quòd eorum ora citius obmutescant, quæ contra soliditatem veritatis aperta sunt, quia & quamlibet acuti gladij immittantur cum saxum feriunt, fracti resiliunt. Hoc aũt magna Dei omnipotentis est gratia, quòd in ipsis qui à sanctæ Ecclesiæ doctrina diuisi sunt, vnitas non est: quoniam omne regnum in se diuisum non stabit. Et sancta Ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum hæreticorum quæstionibus impugnatur, ita vt apertè impleatur quod per Psalmistam contra hæreticos de Deo dictum est: Diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Nam dum ipsi in suo prauo errore diuiduntur, cor nobis Deus appropiat: quia eruditi aduersitatibus, intellectum eius subtilius inuenimus. Quæ autem mala à Barbarorum gladijs, quæ à peruersitate iudicum patimur, beatitudini vestræ narrare refugio, ne eius gemitum augeam, quem minuere consolando debueram. Sed in his omnibus auctoris nostri me præcepta consolantur dicentis: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis. Penso enim quibus dictum est: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Si ergo potestas lucis postea erit, quia electis dictum est: Vos estis lux mundi, & sicut scriptum est: Obtinebant eos iusti in matutino: omne quod in hora & potestate tenebrarum patimur, lugendum non est. Indicat autem mihi suauissima sanctitas vestra, quòd mecum, si potuisset fieri, sine charta & calamo loqui voluisset, & dolet quòd nobis Orientis penè & Occidentis spacium interiacet. Sed hoc quod sentio, verum dico, & in charta mihi mens vestra sine charta loquitur; quæ in verba vestræ sanctitatis

Sup. li. 1. ep. 7. 24. & li. 4. ep. 36. & 37.

2. Tim. 3.

Ioan. 21.

Esa. 38.

Ioan. 16.

Matt. 7.

Luc. 14. Prou. 16.

Hæretici ruinam patere Ecclesiæ instruunt.

Luc. 11.

Psal. 54.

Ioan. 16.

Luc. 22. Matth. 6. Psal. 48.

ctitatis sola charitas sonant, & diuisi locis non sumus, qui ex dono omnipotentis Domini dilectionis vinculo coniuncti sumus. Cur igitur accipere pennas columbæ deargentatæ quæritis, quas iam habetis? Pennæ quippe eius sunt charitas Dei & proximi. Per ipsas enim sancta Ecclesia euolat, per ipsas terrena omnia transcendit: quas si vestra sanctitas non haberet, ad me cum tanta charitate per epistolas non venisset. Rogo autem vt pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam à malis omnibus pro vestra intercessione tueatur, & citius me de tot procellis huius tempestatis eripiat, atque in æternæ quietis littore perducat. Benedictiones verò locupletissimas omnes quæ directæ sunt suscepi, quæ mihi vir Dei pauper spiritu transmisisti, de quibus dicitis: Quid enim debet pauper nisi ea quæ paupera sunt? Sed nisi vos per humilitatis spiritum pauperes essetis, benedictiones vestræ locupletes non fuissent. Omnipotens Deus sua vos à malis omnibus protectione custodiat, & quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad cælestis patriæ gaudia perducat.

EPISTOLA IV.

De pretio pro sepultura aliqua nunquam recipiendo, vbi proponit exemplum Abrahæ, & Sichimitarum.

GREGORIVS, *Domno Episcopo Messano.* Filius noster Faustinus vir eloquentissimus ad nos veniens questus nobis est, quod pater eius quondam Peltrasius aliqua vestræ Ecclesiæ sepulturæ suæ gratia iuris alieni reliquerit. Et quidem quid de hac re sæculi leges habeant & ipsi nostis, & nos audiuimus, quia hæres ad soluendum cogitur, si auctor eius vel testator aliena legauerit. Sed quia fraternitatem vestrã lege Dei, non autem lege sæculi nouimus viuere, valde mihi iniustum videtur, vt calix electrinus, & puer qui cuiusdam Ecclesiæ, in possessione eius positę, diœceseos Consentinæ Ecclesiæ esse perhibetur, à tua fraternitate teneatur. Cum enim & vir reuerendissimus Palumbus nunc episcopus, tunc verò archidiaconus ita fuisse testatus est, vos omnino eius fidei credere, & aliena restituere debuistis. Tabulam verò auream quam prædictus vir moriens pariter reliquit considerare, vt arbitror, debuistis, quę esset summa eius substantiæ, si quid esset vnde hi quos reliquerat, sustentari debuissent, & tunc pro sepultura eius accipere: cum secundum nostrum institutum noueris nos illicitam antiquam consuetudinem à nostra Ecclesia omnino vetuisse, nec cuiquam assensum præbere, vt loca humani corporis pretio possint adipisci. Nam si gentiles, vt arbitramur, viri Sichimitæ Abrahæ pro Sara mortua, atque in loco proprio humanda sepulturam gratis obtulerunt, & vix magna eius importunitate coacti sunt, vt pretiũ de loco sepulturæ perciperent; nos qui episcopi dicimur, de humandis fidelium corporibus pensa quid facere debemus. Hoc ergo fraternitatis vestræ iudicio committimus. Et hoc quoque nobis prędictus eloquentissimus vir questus est, Sisinnium defensorem Ecclesiæ tuæ irrationabiliter iuri suo mancipia competentia detinere. De quibus etiam iudicio sanctæ memoriæ Maximiani episcopi, vt ea detentator redderet, esse asserit definitum, sed eorum restitutionem hactenus voluntarię distulisse. Hortamur ergo fraternitatem tuam, vt si manifestè causa iam iudicata est, quæ statuta sunt, compleantur. Alioquin deputato defensore ad fratris & coepiscopi Secundini nostri partes fac iudicium conuenire, vt dum cuius sint iuris mancipia, de quibus quæstio vertitur, eius fuerit sententia declaratum, nec hic præiudicium, nec ille videatur iniuriam sustinere.

(?)

EPISTOLA V.

De pallio Siagrio episcopo concedendo, & sacris ordinibus præmio non conferendis, & de schismaticis & de idololatris corrigendis.

GREGORIVS, *Brunichildæ Reginæ Francorum.* Quanta in omnipotentis Dei timore excellentiæ vestræ mens soliditate firmata sit, inter alia bona quæ agitis, etiam in sacerdotum eius laudabiliter dilectione mõstratis: & magna nobis fit de Christianitate vestra lætitia, quoniam quos venerantes vt famulos reuera Christi diligitis, augere honoribus studetis. Decet enim vos excellentissima filia, decet tales existere, vt subiectæ possitis esse dominatori. In eo enim regnum potestatis vestræ & subiectis gentibus confirmatis, in quo timori omnipotentis Domini mentis colla subijcitis, & vnde vosmetipsas seruitio creatoris subijcitis, inde vobis vestros subditos ad seruitium deuotius obligatis. Susceptis itaque epistolis vestris, valde nobis excellentiæ vestræ studium placuisse signamus, atque fratri & coepiscopo nostro Siagrio pallium dirigere secundum postulationem vestram voluimus: propter quod & serenissimi domini Imperatoris, quantum nobis diaconus noster qui apud eum respõsa Ecclesiæ faciebat, innotuit, prona voluntas est, & concedi hoc omnino desiderat, atque multa de prædicto fratre nostro tam vobis quàm etiã alijs testificantibus ad nos bona perlata sunt, maximè vitam eius Ioanne regionario ad nos remeante cognouimus. Et quod in fratre nostro Augustino fecerit audientes, Redemptorem nostrum benedicimus, quia eum sacerdotis nomen etiam operibus implere sentimus. Sed res plurimæ restiterunt, quæ nos hoc interim facere minimè permiserunt. Primum si quidẽ quia is qui pallium ipsum venerat accepturus, schismaticorum tenetur errore implicitus. Deinde, quòd non id ex vestra petitione, sed ex nobis transmissum voluistis intelligi. Extra hoc autem quia nec is qui eo vti desiderat, directa ad nos hoc sibi largiri speciali petitione poposcerat, & tantam causam nullo modo præbere sine eius postulatione debuimus, maximè quia, & prisca consuetudo obtinuit, vt honor pallij nisi exigentibus causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat. Nos tamen ne vestræ excellentiæ desiderium sub prætextu cuiusdam excusationis forsitan videremur velle differre, dilectissimo filio nostro Candido presbytero pallium præuidimus dirigendum, iniungentes ei vt vice nostra congrua id debeat obseruatione tribuere. Vnde necesse est vt ex opere suo suprascriptus frater & coepiscopus noster Siagrius facta cum aliquantis suis episcopis petitione hoc sperare, atque eam prædicto debeat dare presbytero: quatenus dignè eiusdem pallij vsum cum Dei gratia valeat adipisci. Vt ergo hæc vobis cura ante oculos creatoris nostri in fructu sit, Christianitatis vestræ sollicitudo diligenter inuigilet, & nullum qui sub regno vestro est, ad sacrum ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum seu proximitatis iure patiatur accedere: sed ille ad episcopatus vel alterius sacri ordinis officiũ eligatur, quem dignum & vita & mores ostenderint: ne si, quod non optamus, honor venalis fuerit sacerdotij, Simoniaca in illis partibus hæresis, quæ prima in Ecclesia prodijt, & Petri sententia damnata est, consurgat, & regni vestri, q̃ absit, vires imminuat. Nam graue omnino & vltra quàm dici potest facinus est, Spiritum sanctum, qui omnia redemit, venundari. Sed & hoc curæ vobis sit, vt quia sicut nostis, neophytum egregius prædicator ad sacerdotij regimen omnino vetat accedere, nullũ ex laico patiamini episcopum consecrari: Nam qualis magister erit, qui discipulus non fuit? Aut quemadmodum ducatum gregi dominico præbeat, qui disciplinæ pastoris subditus ante non fuit? Si cuius ergo vita talis constiterit, vt ad hunc dignus sit ordinem promoueri, prius ministerio debet Ecclesiæ deseruire, quatenus longo exercitationis vsu videat quod imitetur, & discat quod doceat: ne fortè onus regiminis conuersionis nouitas non ferat, & ruinæ occasio de prouectus immaturitate consurgat. Qualiter autem se excellentia vestra

Li. 7. 9. ep. 50. 56. 57. li. 10. ep. 64. li. 11. ep. 8. Ind. 6.

Pallium ad preces Reginæ & desideria Imperatoris concedit.

Dist. 100. c. 2. Anst. 6. c. 91. Ioã. Diac. 3. c. 5

Pallium fortiter postulanti cõceditur.

Iuo p. 5. c. 90.

Laicus ãtim in episcopũ consecrari nõ debet.

stra erga fratrem & coepiscopum nostrum Augustinum exhibuerit, quantamque illi sibi Deo aspirante charitatem impenderit, diuersorum fidelium relatione cognouimus, pro qua gratias referentes, diuinæ potentiæ misericordiam deprecamur, vt & hic vos sua protectione custodiat, & sicut inter homines ita quoque & post multorum annorum tempora in æterna faciat vita regnare. Præterea hos quos ab vnitate Ecclesiæ schismaticorum error dissociat, ad vnitatem pro vestra mercede studeat reuocare concordia. Nam non ob aliud in ignorantiæ suæ hactenus cæcitate voluuntur, nisi vt Ecclesiasticam fugiant disciplinam, & peruersè habeant, vt voluerint, viuendi licentiam: quia nec quid defendant, nec quid sequantur intelligunt. Nos autem Chalcedonensem synodum de qua illi sibi pestiferæ nebulas excusationis assumunt, per omnia veneramur & sequimur; & si quis de fide eius minuere aut addere aliquid præsumpserit, anathematizamus. Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ suæ credentes vniuersam Ecclesiam atque omnes quatuor Patriarchas non ratione, sed malitiosa mente tantummodo refugiant, ita vt is qui ad nos à vestra excellentia missus est, cum quæreretur à nobis cur ab vniuersali Ecclesia separatus existeret, se ignorare professus sit. Sed neque quid diceret, neq; quid aliud audiret, valuit scire. Hoc quoque pariter hortamur, vt & cæteros subiectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, vt idolis non immolent, cultores arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant: quia peruenit ad nos quòd multi Christianorum & ad Ecclesias occurrant, & quod dici nefas est, à culturis dæmonum non abscedant. Quoniam verò omnino Deo nostro hæc displicent, & diuisas mentes non possidet; prouidete vt ab his debeant illicitis salubriter coerceri: ne quod absit, non eis ad redemptionem, sed pœnam sacri fiat baptismatis sacramentum. Si quos igitur violentos, si quos adulteros, si quos fures vel alijs prauis actibus studere cognoscitis, Deum de eorum correctione placare festinate, vt super vos flagellum per fidarum gentium, quod (quantum videmus) ad multarum nationum vindictam excitatum est, non inducat: ne si, quod non credimus, diuinæ vltionis iracundia sceleratorum fuerit actione commota, belli pestis interimat quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non reuocant. Necesse est ergo vt omni studio & oratione assidua ad Redemptoris nostri conuerti misericordiam festinemus, vbi tutus omnibus locus est & magna securitas. Nam illic quenquam solidè persistentem nec periculum conterit, nec metus exagitat. Codicem verò, sicut scripsistis, prædicto dilectissimo filio nostro Candido presbytero vobis offerendum transmittimus, quia boni vestri studij esse participes festinamus. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, atque à perfidis gentibus regnũ vestrum sui brachij extensione defendat, vosque post longa annorum curricula ad gaudia æterna perducat. Datum Mense Octob. Indict. I.

Synodi Chalcedonensis auctoritas. Li. 1. ep. 24. li. 3. ep. 34. Historicorũ schismaticorũ ignorãtia.

EPISTOLA VI.

De monasterio suo consecrando.

Sup. li. 3. ep. 21. Ind. 12. li. 4. ep. 5. Ind. 13. & ep. 10.

GREGORIVS, *Venantio Episcopo Lunensi.* Fraternitatis vestræ insinuatione didicimus, quæ habentur in subditis, intra ciuitatem Lunensem in domo propria monasterium ancillarum Dei pro vestra deuotione fundasse, quod in honore beati Petri Apostolorum principis, & sanctorum martyrum Ioannis & Pauli, atque Hermæ & Sebastiani desideras consecrari. Et ideo frater chariſſime, si nullum corpus ibidem constat humatum, data primitus à fraternitate tua donatione legitima: id est, calicem argenteum vnum habẽtem vncias sex, patenam argenteam habentem libras duas, syndones duas, coopertorium super altare vnum, lecta strata numero x. in æramentis capita xx. in ferramentis capita xxx. in cespite fundum Faborianum, & lubricate in integro constitutum in territorio Lunensi milliario ab Vrbe eadem plus minus secundo, iuxta fluuium Macram, cum seruis duobus, id est Mauro & Ioanne, & boum parium II. tantum, gestisque municipalibus alligatis prædicti monasterij oratorium absque missis publicis solenniter consecrabis, & cætera secundum morem.

Legitima donatione facta monasteria cõsecrari debent.

Mense Nouembrio, Indictione prima.

EPISTOLA VII.

De Petro Acoluthofugitiuo.

GREGORIVS, *Amos Episcopo Hierosolymitano.* Cum fraternitatem vestram confidamus canonum statuta & vigorem diligere disciplinæ, ne clerici nostri vobis ad euitandam districtionem Ecclesiastici ordinis falsitas surripere valeat, eius culpam sanctitati vestræ indicare prospeximus, vt sollicitudine vestra disciplinæ possit submitti quã refugit. Comperimus autem quod Petrus Acoluthus, quem dilectissimo filio nostro Sabiniano diacono responsa Ecclesiastica facienti obseruare in vrbe regia feceramus, fugiens ad vestram Ecclesiam venerit: Quod si verum est, in tuto eum facere fraternitas vestra, & inuenta huc studeat occasione remittere. Aut si fortè hoc metuens à vestra discesserit Ecclesia, & per diuersa loca, ne comprehendi valeat, latitet in omnibus parochijs vestris, vt diligenter requiratur iniungite, & inuentum ad nos, sicut prafati sumus, transmittite, quem etiam volumus per vos quia sit communione priuatus agnoscere, nec Dominici corporis ac sanguinis quousque ad nos redeat, audeat mysteria sumere, nisi fortè vicino mortis insistente periculo.

EPISTOLA VIII.

De portionibus clericorum.

Sup. l. 3. ep. 34. Ind. 12. li. 8. ep. 10. li. 9. ep. 5.

GREGORIVS, *Leoni Episcopo Catinensium.* Ad hoc locorum gradus rationis ordo distinxit, & iudicia esse cõstituit, vt nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subiectos, nec subiectis iterum contra suos præpositos effrenata sit resultandi licẽtia. Et ideo quia per xv. nuper indictionem elapsam Ecclesiæ tuæ acoluthi, dato cõtra te capitulari, quædã conquesti sunt, ne aut in tuæ fraternitatis inuidia remanerent, aut illos in suis videremur petitionibus non audire, dilectissimo filio nostro Cypriano diacono ea subtiliter inquirenda mandauimus. Qui iniuncta cognoscens, quid de capitulo vnoquoque decreuerit, inquisitioni nostræ est subtilius patefactum. Et quia inter alia de quarta portione clerus hoc tenendum statuit, vt vnã portionem hi qui in sacro loco sunt positi, & reliquas duas clerus accipiat, & latores præsentium Donatus presbyter, necnon, & Theodosianus atque Viator diaconi, aliorum quoque qui in sacrato sunt ordine constituti, relationem ad nos deferentes conquesti sunt, hoc contra antiquam consuetudinem in suo grauamine præiudicialiter statutum, quippe quia de eadem quarta semper se duas partes, & tertiam clerum perhibent consecutum, & petierunt ne hæc diffinitio in suo præiudicio permaneat; nos hoc fraternitatis tuæ dispositioni oportere præuidimus committendum. Volumus ergo vt quicquid Ecclesiæ tuę ex redditu vel quolibet alio titulo fortasis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbyteris, diaconis, ac clero, vt tibi visum fuerit, discretè diuidere: ita sanè vt vnicuique sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, iuxta quod præuideris largiendi licentia, quatenus & hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, & alij adiuuante Domino eorum ad melius contendant imitatione proficere.

Quarta portio clericorum.

(?)

EPISTO

EPISTOLA IX.

De filia Tulliani magistri militiæ, ad pristinum habitum reuocanda & in monasterio detrudenda.

GREGORIVS, *Vitaliano Episcopo Sipontino.* Si custos religiosi habitus aut esse nosses Episcopus, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito nec proiectis religiosis vestibus ad sæcularem reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolam destinare. Sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo decore res ad præsens illicita impunè commissa est. Nam si vt præfati sumus, sollicitus extitisses, prius ad nos vltio mulieris prauissimæ, quàm culpa debuit peruenire. Quia ergo tantum hebes, tantumque es negligens, vt nisi canonicam in te fueris coercionem expertus, in alijs districtionem & disciplinam nescias custodire, qualiter debeas esse sollicitus, congruo tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrabimus. Præsentia igitur scripta suscipiens euigila, & excitatus saltem exequere, quod pressus vsque nunc ignauia distulisti. Instantiæ ergo tuæ sit, prædictam mulierem vna cum Sergio defensore nostro comprehendere, & statim non solum ad male contemptum habitum sine aliqua excusatione reuocare, sed etiam in monasterium, vt omnino districtè valeat custodiri, detrudere: & ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere, vt quàm sit nefarium quod commisit, ex tua possit districtione cognoscere. Qua in re si quis, quod non credimus, clericorum vel laicorum aliquo tibi ingenio tentauerit obsistendum, à sacratissimæ eum communionis participatione suspendere, nobisque renunciare festina, vt quantum sit execrabile quod præsumpserit, postquam consideratione propria non aduertit, emendationis qualitate cognoscat. In his autem omnibus ita te cautum stude ac vigilantem ostendere, vt culpam tuam nõ geminare neglectus, sed aliquantisper valeat sollicitudo minuere.

EPISTOLA X.

De filia Tulliani magistri militiæ.

GREGORIVS, *Sergio defensori.* Si homo esses, aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, vt ea quæ illicitè illic committuntur, ante vindicta corrigeret, quàm ad nos eorum nuncius perueniret. Sed dum nimia te facit stultitia negligentem, non solum de illis offendimur, sed etiam ad vlciscendam desidiam tuam nihilominus prouocamur. Omni ergo dilatione omnique excusatione postposita, filiam gloriosę memoriæ Tulliani magistri militiæ, quæ proiectis quas sponte assumpserat religiosis vestibus, indumentis se laicis deturpauit, vna cum fratre & coepiscopo nostro Vitaliano festina comprehendere, atque ad religiosum rursus habitum reuocare, ac in monasterium mittere, vbi strictè omnino valeat custodiri. Nec eius custodiam aliquatenus releuari permittas, quousque nostra denuo scripta susceperis. Nam si quolibet modo in hac re negligens vel lentus extiteris, ita in te noueris districtissimè vindicandum, vt quod ex te nescis, pœna possis referante cognoscere: quia sicut diximus, si intellectum hominis habuisses, hæc quæ modo facere præciperis, à te debueramus etiam cum vltione facta cognoscere.

EPISTOLA XI.

De lege Imperatoris, & quòd ex militari habitu nullus nisi ante triennium probatus suscipiendus sit. Sup. ep. 6. & inf. 69.

GREGORIVS, *Eusebio Thessalonicensi, Vrbitio Diracitano, Constantino Mediolanens. Andreæ Nicopoli, Ioanni Corinthi, Ioanni primæ Iustinianæ, Ioanni Cretensi Scorintano, Ioan. Larissæ, Mariniano Rauennæ, Ioan. Caral. Sard. & omnibus episcopis Siciliæ.* Dist. 53. c. 1. Iuo p. 16 c. 124.

Legem quam pijssimus Imperator dedit, ne fortasse hi qui militiæ vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in monasterijs cõuertantur, vestræ studui fraternitati transmittere: hoc maximè exhortans, quod hi qui sęculi actionibus implicati sunt, in clero Ecclesiæ præpropere susciendi non sunt: quia dũ in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quàm vixerant viuunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare. Quòd si etiam tales quoque monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius rationibus publicis absoluti fuerint. Si qui verò ex militaribus numeris in monasterijs conuerti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum Deo auctore susciperе. Qui si ita sunt probati atque suscepti, & pro anima sua pœnitentiam de perpetratis culpis agere studẽt, pro eorum vita & lucro cæleſti, non est eorum conuersio renuenda. Qua de re etiam sereniſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conuersionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.

Mense Decembri, Indictione Prima.

EPISTOLA XII.

De pœnitentia eius acta propter communionem Maximi præuaricatoris, & Florentino Episcopo.

GREGORIVS, *Sabiniano Episcopo Iadertino.* Sicut perseueranti culpæ debetur iure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Nam vt res illa contra se meritò iracundiam excitare, sic hæc in sua prorsus dilectione solet cõcordiam propagare. Et ideo quia fraternitatem tuam à consortio & communione Maximi, vbi te prius neglectus impulerat; in tantum postea grauitas sacerdotij ad animum reducta suspendit, vt eius sola nullatenus patereris esse segregatione contentus, nisi & in monasterij te clausira recipiens dudum commissa defleres: ea propter in nostra te gratia ad communionem receptum esse non dubites, nam quantum nos prius culpa tuæ charitatis offenderat, tantum pœnitentia mitigauit. Hortor igitur dilectissime frater, vt gregi Dominico pastoralem sollicitudinem instanter impendas, lucrumque de commissis ouibus facere diligenter inuigiles, vt tantum tibi copiosæ retributio mercedis exuberet, quãtum in aduentum æterni iudicis multiplices laboris fructus obtuleris. Stude itaque in culpa lapsos erigere, stude errantibus regrediendi viam ostendere, stude communione priuatos ad communionis salubriter gratiam reuocare. Sit cæteris charitatis vestræ reuersio ereptionis officium, sit salutis exemplum, quatenus dum errantes gressus ouium ad septa summi pastoris sollicitudinis vestræ cura direxerit, nec ipsæ luporum dentibus relinquãtur expositæ, & te in æterna vita, quod summoperè petendum est, dignæ compensatio retributionis excipiat. De causa verò quam nobis scripsistis, vt debeamus ne in vrbe regia contra vos furripiatur esse solliciti, animos vestros res ista non turbet. Nam respõsali nostro omnino studiosè mandauimus, vt sollicitũ cautumque se debeat exhibere. Et confidimus de Dei nostri potentia, quia id agitur vt vos nullius contra rationem aut turbare quoquomodo aut premere possit aduersitas. Præterea habitatores Epidaurienſis ciuitatis Florentium, Li. 6. ep. 17 & inf. ep. 25. Ioã. Diac. 4. c. 11.

quem

quem suum esse dicunt episcopum, sibi à nobis restituendũ studiosissimè popoſcerunt, asserentes frustra eum ad solam tantummodo voluntatem Natalis quondam episcopi detrusum exilio. Et ideo quid de eius causa fraternitas vestra cognouit, nobis suis subtiliter epistolis innotescat. Si autem necdum cognouit, requirat, nobisque renunciet, vt quicquid de eo statuendum sit certi, deliberare adiutore Domino valeamus.

Mense Februario, Indictione prima.

EPISTOLA XIII.

Confirmat concordiam & transactionem inter monasterium Sancti Andreæ & Maurentium magistrum militiæ.

GREGORIVS, *Candido Abbati Monasterij Sancti Andreæ ad cluuum Scauri.* Sicut loci nostri consideratio prouidere nos admonet, vt monasteriorũ negotia pacis intentio salubri fine distinguat; sic iterum ratione constringimur, consensus nostri auctoritate quæ vtiliter decisa fuerint roborare: ne fortè cuiusquam excusationis obiectu, quod à religioso proposito & æquitate valde dissentit, aliquid in dubium contentio recidiua perducat, & gignat ex pace litigium. Proinde quoniam inter te & Candidum abbatem monasterij sancti Andreæ Apostoli positi in hac vrbe Romana in cliuo Scauri, agentẽ vtilitates eiusdem monasterij, & Maurentium gloriosum magistrũ militiæ, causa successionis hereditatisq; Ioannis fratris cõsanguinei prædicti viri, qui in suprascripto monasterio conuersus est ac defunctus, cũ nostro quoque consensu cõmodæ sollicitæque transactionis pagina interueniente decisa est: deniq; quia cum fidei memorati glorioſissimi magistri militiæ sinceritas olim nobis veraciter nota sit & benè cõperta, vt ad satisfactionem posset omnino sufficere, etiã dato corporaliter sacramento, firmaret nihil se in fraude versatũ, aut aliquid occultasse, sed omnia integrè prodidisse: idcirco huius decreti præceptiq; nostri serie transactionẽ decisionemque inter te & præfatũ Maurentium gloriosum habitam, ratã habentes, per omnia confirmamus, nec in totũ partem ve aliqua ratione conuelli, sed eam habere perpetuam decernimus firmitatem. Cui rei si quis, quod non credimus, cõtrariam afferre quoquomodo tentauerit voluntatem; ille quidem reũ se ante Deũ esse nouerit, qui nititur ea quæ vtiliter sunt finita rescindere: nam eidem decisioni transactionique nihil se derogare cognoscat. Vt ergo & sæpe dicti glorioſi Maurentij maneret illibata securitas, & tu nihil de his quæ decisa sunt valeas dubitare; simile ei præceptum pro vtraque partium munitione concessimus.

EPISTOLA XIV.

Perseuerantiam boni operis commendat, laudatq;.

Sup. li. 2. ep. 48. Ind. 11.

GREGORIVS, *Adeodato & Maurentio Episcopis Africæ aparibus.* Multum frater chariſſime sinceritatis tuæ bono congaudeo, quòd grauitatem qua præditũ te dudum audieram, præsentiũ portitoris Pauli fratris & coepiscopi nostri testificatio confirmauit. Qui tanto latius quanta in nobis sollicitudo Ecclesiastici ordinis, quantaq; cura sit rectitudinis indicauit, quanto hoc & præsens comperit, & in sua amplius defensione cognouit. Quia ergo magnũ, sicut nostis, coram Deo nostro est in bonis quenquã indesinenter operibus permanere, fraternitatis vestræ se sollicitudo ad fouẽdas partes iustitię decenter exacuat, & cõtra Ecclesiastici vigoris moderamina prout possibile fuerit prouisionis suæ solatio fieri nihil permittat. Nec vos res aliqua ab huiusmodi intentione remoueat: sed si qua sunt quæ dilectionis vestræ sinceritatem offendũt, & regulas canonicæ discretionis excedunt, vigilantẽ studete curam impendere, atq; ea hortando, suadendo, terrendo emendare, charitatis vnitatẽ seruare, in quantũ vires suppetunt, Deo adiuuante cõtendite, & excessus auctorẽ coercitionis freno sacerdotali cõstringite, atque eum ab inuio itinere lingua ducite & actione reducite, & ita vestrã in omnibus efficaciã exhibete, vt Deus omnipotens qui bonæ voluntatis auctor & intentionis inspector est, velle vestrũ & hic adiuuet, & in futura vita remuneret. Supradictum verò Paulum fratrẽ & coepiscopũ nostrũ fraternitati vestræ cõmendantes hortamur, vt idoneè charitatem vestram debeat experiri quam prædicat.

EPISTOLA XV.

De contentione parochiarum dirimenda.

GREGORIVS, *Victori & Columbo Episcopis Numidiæ aparibus.* Quanto cordi nostro lætitiam Ecclesiæ ordo inculpabiliter custoditus infundit, tanto rescisus tædium doloris imponit, quòd prauitatis temeritas in euersionem disciplinæ tentat, & quæ sunt olim laudabiliter statuta, dissoluere; & quæ fortius punienda, præsumere. Præsentium itaq; portitoris Crisconij fratris & coepiscopi nostri querela ad nos insinuante peruenit, quòd nulla exigente culpa, vel concilij definiente sententia, Ecclesiæ eius parochiæ antiquitus deputatæ, à Valentione fratre & coepiscopo nostro, ante ferè quindecim annos sint irrationabiliter occupatæ, atque eũ insuper res decessoris ipsius ad suum, quod dici graue est, arbitrium abstuliſſe. Quòd si ita veritas se habet, quã peruersum, quam ve sit execrandum, præcipuè religioso præposito, dicere non valemus. Hac igitur in re, quia nec lenitas, nec aliqua debet esse dilatio, fraternitatem vestram præsenti epistola cõmonemus, vt sollicitius requiratis: Et si querela eius manifesta esse constiterit, ablatarum rerũ & occupatarum parochiarum restitutione dilectio vestra sine mora succurri prouideat, & ita omnia vobis solatiantibus cessante excusatione, iustitia fauente recipiat; vt nec hunc labor obseruationis afficiat, nec de eius damno aliquid lucri inuasor acquirat. Accendat ergo vos zelus æquitatis, accendat iustitiæ rectitudo. Ad custodiendam in cunctis antiquam ecclesiastici ordinis dispositionem, operam instanter impẽdite, districtosque vos inter culpas & innocentiã exhibete: quatenus & iustitiæ causam habentibus magna de rectitudinis vestræ sit zelo fiducia, & inquietis de futuro omnis excedendi amputetur occasio.

Li. 2. ep. 4. Ind. 11. Sup. li. 7. ep. 55. Ind. 11. li. 6. ep. 2. Ind. 15.

EPISTOLA XVI.

Paulum Episcopum commendat.

GREGORIVS, *Columbo Episcopo Numidiæ.* Qualiter de fraternitatis vestræ debeamus charitate præsumere, ex mẽtis nostræ quam circa vos habemus, qualitate colligimus. Nec aliter vos Apostolicam sedem diligere, quàm ipsa vos diligit arbitramur. Vnde necesse est, vt eos quos in Ecclesia beati Petri Apostolorum principis, vt oportet, deuotos esse cognoscimus, vobis cuius vitam & actio sacerdotis ornat & dignitas, peculiarius commendemus, de cuius scilicet sinceritate firmum experimentum de præteritis iam tenemus. Frater igitur & coepiscopus noster Paulus præsentium portitor, quãtis illic fluctibus, quantisque aduersitatibus quatiatur, sanctitatem vestram memorat non latere. Qui quoniam querelas quas de eo ad vos perueniſſe signastis, non veras esse, sed instigatione aduersantium cõtra se asserit excitari, & omnia se fidit patrocinante veritate, vobis cognoscentibus, adiutore posse Domino superare: hortamur dilectiſſime frater, vt ei in quibus fuerit iustitiæ ratio manifesta, manum decenter præbere solatij, atque sacerdotali eum compassione debeas adiuuare. Nulla ergo vos res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum. Sed intus nitens præceptis Dominicis, omnia quæ sunt rectitudini aduersa, contemne. In defendendis partibus iustitiæ constanter insiste. Odia pro veritate, si qua sunt, sustinere non renuas: vt tanto maiorem in aduentu Redemptoris nostri fructum mercedis inuenias, quanto eius mandata non negligens, in fauorem iustitiæ & defensionem impenderis.

Sup. ep. prox. li. 2. ep. 47. li. 5. ep. 36. lib. 6. ep. 2.

Mense Martio, Indictione prima.

EPISTO-

EPISTOLA XVII.

Vt defensores septem existant, qui regionariorum, notariorum & subdiaconorũ priuilegijs vtantur.

GREGORIVS, *Bonifacij Primo defensori.* Ecclesiasticis vtilitatibus fideliter insudantes congruæ remunerationis sunt beneficio prosequendi; vt & nos respondisse eorum dignè obsequijs videamur, & illi ex indulta consolationis gratia vtiliores existant. Quia igitur defensorum officium in causis Ecclesiæ & obsequijs noscitur laborare Pontificum, hac eos concessa prospeximus recompensationis prærogatiua gaudere: constituentes, vt sicut in schola notariorum atque subdiaconorum per indultam longè retro pontificum largitatẽ sunt regionarij constituti: ita quoque in defensoribus septem qui ostensa suę experientiæ vtilitate placuerint, honore regionario decorẽtur. Quos quolibet per absentiam pontificis & sedendi in conuentu clericorum habere licentiam, & honoris sui priuilegia in omnibus statuimus obtinere. Præterea si quis ad prioris locum veniens, in alia fortasse prouincia propter vtilitatem propriam deget, hunc necesse est primatus locum per omnia curare, vt ille prior defensorũ omnium possit existere, qui & ante prioratus locum in Ecclesiasticis vtilitatibus obsequijsque pontificis non destitit per sedulam præsentiã permanere. Hæc itaque constitutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum sunt priuilegijs & ordinatione dispositа, perpetua stabilitate & sine aliqua constituimus refragatione seruari: siue quæ scripto decreuimus, seu quæ in eis in nostra præsentia videntur esse dispositа, nec à quoquam pontificum in totum partemve qualibet occasione conuelli decernimus vel mutari. Nam nimis est asperum, & præcipuè bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiã quacunque rationis excusatione, & quæ benè sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere, cæteros sua quandoq; posse constituta dissoluere.

NOTÆ in epistolam 17. lib. 7.

Defensorum.] *Defensores inseruiebant pauperũ potissimũ defensioni & Ecclesiarum, mittiq; solebant ab ipso Romano Pontifice in diuersas prouincias ad subueniendum oppressis apostolicæ sedis auxilium implorantibus, & ad curanda Romanæ Ecclesiæ patrimonia in diuersis Ecclesijs constituta. Formulam autẽ constituendi defensores, habes inter eiusdem Gregorij epistolas lib. 4. epist. 25. Horum officiũ in vrbe, honore, & dignitate auxit; vt sicut Notarij & subdiaconi Regionarij, essent septenario numero mystico designati, qui absente Pontifice cum clero sedebant: præsente verò stabant. Vide Baron. ann. 508. nu. 16.*

Mense Aprili, Indictione Prima.

EPISTOLA XVIII.

Concedit priuilegia monasterio sanctorum Ioannis & Stephani in vrbe Claßitana constituto.

GREGORIVS, *Mariniano Episcopo Rauennati.* Quàm sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorũ perpetua securitate tractare, anteactum vos officium, quod in regimine monasterij exhibuistis, informat. Et ideo quia monasterium beatorum Ioannis & Stephani, quod in Classitana est ciuitate constitutum, cui communis filius Claudius abbas præesse dignoscitur, multa à prædecessoribus vestris præiudicia atque grauamina pertulisse cognouimus; oportet vt fraternitatis vestræ prouisio eorũ de futuro quietem salubri ordinatione disponat, quatenus conuersantes illic in Dei seruitio ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseuerent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine, quisquam illic quolibet tempore quicquam molestiæ præsumat inferre; necesse est vt hæc quæ inferius enumeranda curauimus, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, vt ex eis non possit vlterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur, vt nullus episcoporum aut sæcularium vltra audeat de redditibus, de rebus vel chartis prædicti monasterij, vel de loco aliquo qui ad id pertinet, quocunq; modo qualibet occasione minuere, nec immissiones dolosas aliquas facere. Sed si qua fortè causa inter Rauennatem Ecclesiam & præfatum monasterium euenerit, & pacificè non potuerit ordinari apud electos à partibus, timentes Deum, sine voluntaria dilatione, medijs sacrosanctis Euangelijs finiatur. Defuncto verò abbate, cuiuscunque congregationis non extraneus nisi de eadem conuersatione, quem sibi propria voluntate cõcors fratrum societas elegerit, & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur: quòd si aptam inter se personam inuenire nequierint, solerter de alijs monasterijs sibi similiter eligant ordinandum. Neque viuenti abbati quæcunque persona qualibet occasione in suo monasterio præponatur, nisi fortè extantibus, quod absit, criminibus, quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est vt inuito eiusdem monasterij abbate ad ordinãda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, & ad celebrandas Deo laudes vel vtilitates monasteriorum complendas sufficiant: abbas cum deuotione de his qui superfuerint offerat quos dignos coram Deo inuenire potuerit. Quòd si sufficienter habens dare noluerit, tunc Rauennas Episcopus ad ordinanda alia monasteria de his qui supersunt tollat. Ad Ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto monasterio ad Ecclesiasticum ordinem peruenerit, vlterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat habitandi. Obseruandum quoque est vt descriptio rerum, aut chartarum eiusdem monasterij ab Ecclesiasticis fieri non debeat, si quando res exigit, sed abbas loci cum abbatibus alijs rerum inuentarum attestationem faciat. Quotiens autem pro vtilitate monasterij sui ad Romanum Pontificem abbas venire vel transmittere fortè voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cum episcoporum aduentus desideranter à monasterijs debeant expectari, quia tamen hospitandi occasione prædictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nunciatum est prægrauatum; oportet vt hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, vt visitandi, exhortandique gratia ad monasterium, quotiens placuerit, ab eiusdem ciuitatis antistite accedatur: Sed sic charitatis officium illic Episcopus impleat, vt grauamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram quoque fraternitatem prædictus abbas non solum nõ metuat ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscat: sciens quòd per vos substantia monasterij omnino grauari non possit. Dat. Mense Aprili, Indict. I.

Ne episcopi prægrauent monasteria in visitatione.

EPISTOLA XIX.

Claudium Abbatem commendat.

GREGORIVS, *Mariniano Episcopo Rauennati.* Quòd communem filium Claudium Abbatem latorem præsentiũ longa apud nos hactenus mora retinui, res illa fecit quòd magnum nobis, sicut nostis, erat in verbo Dei solatium: quem etiam hic adhuc volueramus diutius retinere, nisi & ipsum ad suum monasterium festinare, & nos congregationi fratrum eis præsentiam esse omnino necessariã sciremus. Et ideo quia illum sicut petijt & exigebat vtilitas, relaxandum esse prospeximus; commendantes eum hortamur, vt sanctitas vestra sacerdotali eum affectione susçipiat, paternam illi monasterioque ipsius charitatem, sicut decet, impendat: benignitatis suę eum consolatione refoueat, in eius se tuitionem instanter accommodet, & præsidij sui beneficio liberum ab omni inquietudine redditum, quieti & vtilitatibus fratrum vacare permittat, atque peculiariter sicut à nobis eum scit diligi, diligat: quatenus & charitatis vestræ affectum, quem olim expertus est, in se multiplicius recognoscat, & nos in vobis inuenisse se gaudeat.

Sup. ep. 18. li. 4. ep. 10. 24. & seq. vt sup.

EPISTO-

EPISTOLA XX.

De his qui idola colebant & arbores.

GREGORIVS, *Agnello Episcopo Terracinensi.* Peruenit ad nos quosdam illic, quod dici nefas est, arbores colere, & multa alia contra Christianam fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas vestra districta emendare vltione distulerit. Ea propter scriptis vos præsentibus adhortamur, vt hos diligenti inuestigatione perquiri, & veritate cognita, talem in eis faciatis exerceri vindictam, quatenus & Deus placari possit, & alijs eorum vltio correptionis exemplum sit. Scripsimus autem & Mauro nunc vicecomiti, vt fraternitati vestræ in hac re debeat adhibere solatia, dum modo ad comprehendendos eos inuenire excusationem aliquam non possitis. Quia verò comperimus multos se à murorum vigilijs excusare, sit fraternitas vestra sollicita, vt nullum neque per nostrum vel Ecclesiæ nomen aut quolibet alio modo defendi à vigilijs patiatur, sed omnes generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus, melius auxiliante Domino ciuitatis valeat custodia procurari.

Nullus à murorum vigilijs excusatur.

EPISTOLA XXI.

Commendat vxorem Ioannis, quæ in controuersiam suæ conditionis vocabatur.

GREGORIVS, *Marimano Episcopo Rauennæ.* Ioannes præsentium portitor queritur vxorem suã molestias Gregorij cuiusdam refugientem, diu in septis venerabilibus residere, & nullum hactenus inuenisse solatium. Cuius quia de conditione esse controuersiam asserit, & vestræ eam fraternitati petijt commendandam, his vos hortamur affatibus, vt eidem mulieri, seruata æquitate, debeatis tuitionem impendere, & à nullo eam contra rationis ordinem grauari aliquo modo permittatis. Sed si de statu eius quæstio perseuerat, studij vestri sit, vt sine oppressione aliqua, legali modo ad iudicium veniatur, quatenus dum veritate cognita quod iuris ordo suaserit fuerit definitum, neutra se pars aliquod doleat præiudicium pertulisse.

Sup. h. l. ep. 18. 19. li. 4. ep. 10. 24. 54. li. 5. ep. 1. 26. 38 li. 6. ep. 3. hom. 34. in Euang.

Mense Maij, Indictione prima.

EPISTOLA XXII.

De Felice quodam Christiano à Samaræi seruitio liberato.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Felix præsentiũ portitor questus nobis est, cum sit de Christianis natus parentibus, à quodam Christiano Samaræo se, quod dici scelus est, esse donatum. Et dum huiusmodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mãcipia possidere nec ratio legis, nec reuerentia religionis admittat; se tamen per decem & octo annos in eius asserit seruitio permãsisse. Sed cognoscente hoc sanctæ memoriæ decessore vestro Maximiano ab eo se zelo, sicut decuit, sacerdotali commoto, de Samaræi seruitio nefario dicit liberatum. Sed quia eiusdem Samaræi filius post quinque annos factus dicitur Christianus, & supradictum Felicem in eius seruitium, quantũ ipse dicit, quidam nituntur redigere, sanctitas vestra hæc quæ edocti sumus, diligenter inquirat, & si ita ei esse constiterit, eum tueri studeat, & à nullo sub qualibet occasione grauari permittat, quia dum superstitiosæ sectæ mancipia dominos suos ad fidem præcedentia seruitio eorum apertè redigi iura prohibeant, quanto magis hic de Christianis parentibus natus, & factus à paruulo Christianus, hanc nõ debet quæstionem aliquo modo sustinere, maximè quia nec patris eius esse seruus potuit; quem liquet ex praua potius præsumptione pœnam posse venientem de legibus sustinere? Et ideo sicut diximus, ita eum sanctitatis vestræ defensio rationabiliter tueatur, vt nulli eum sub quolibet argumento sit aliquatenus affligendi licentia.

Sup. li. 4. ep. 18 li. 5. ep. 18. li. 6. epist. 9. Iuo. p. 13. cap. 103. Ioã. Diac. li. 4. c. 48.

EPISTOLA XXIII.

Hortatur vt Romam veniat. Et de pretio in captiuos expenso.

GREGORIVS, *Rusticianæ Patritiæ.* Iamdudum vestræ excellentiæ me scripsisse, & sæpius monuisse reminiscor, vt beati Petri Apostolorum principis limina reuidere festinet. Et quæ tanta sit Constantinopolitanæ ciuitatis delectatio, quæve Romanæ vrbis obliuio, ignoro; obtinere apud vos hac ex re nunc vsque nihil merui. Quantum enim ad colligendas æternæ vitæ mercedes vestræ animæ expedire possit, quantum etiam glorioſæ filiæ vestræ domnæ Eusebiæ in omnibus congruat & nos subtiliter attendimus, & vos considerare subtilius potestis. Filium verò meum Petrum hominem vestrum, quem vltra ætatem suam sapere, & maturitati studere cognoui, si requiritis, inuenietis quãtus hic omnium habitantium circa excellentiam vestram amor sit, quantumque desiderium vt vos reuidere meream tur. Et si præcipiente Domino sacris eloquijs admonemur, vt etiam inimicos diligere debeamus, pensandum nobis est quantæ culpæ sit etiam amantes minimè amare. At si fortè dicitur quod amamur, nos certissimè scimus, quia nemo potest diligere quos non vult videre. Sin verò gladios Italiæ ac bella formidatis, sollicitè debetis aspicere quanta B. Petri Apostolorũ principis in hac vrbe protectio est, in qua sine magnitudine populi, & sine adiutorijs militum tot annis inter gladios illæsi, Deo auctore, seruamur. Hæc nos, quia amamus vos, dicimus. Sed omnipotens Deus quicquid animæ vestræ in perpetuũ, quicquid opinioni domus in præsenti conspicit expedire, concedat. Decem verò auri libras, quas in captiuorum redemptionem excellentia vestra trãsmisit, præfato filio meo deferente suscepi. Sed peto vt superna gratia, quæ vobis concessit eas pro animæ vestræ mercede tribuere, mihi etiam concedat sine aliquo peccati contagio dispensare, ne vnde vos peccata detergitis, nos inde maculemur. Omnipotens Deus qui debilitatem corporis vestri & peregrinationem vestram conspicit, de sua semper gratia & dulcissimi filij mei domni Strategij vos vita & salute consoletur, quatenus eum & vobis per longa tempora, & sibi ad æternitatem nutriat, vosque cum omni domo vestra & bonis præsentibus repleat, & supernam gloriam habere concedat. Glorioſum verò domnum Eudoxium nostra petimus vice salutari.

Sup. li. 1. ep. 2. 27. li. 4. ep. 44. Ind. 3. li. 5. epist. 2. Ind. 1. li. 9. ep. 58.

B. Petri protectio in vrbe Roma defendit.

EPISTOLA XXIV.

De conuersione Iudæorum in Agrigentino territorio.

GREGORIVS, *Faustino defensori.* Domnina abbatissa monasterij sancti Stephani, quod in Agrigentino est territorio constitutum, indicante comperimus, multos Iudæorum ad Christianam fidem diuina gratia inspirante velle conuerti, sed esse necessarium, vt aliquis illuc ex nostro mãdato debeat proficiscì. Proinde huius tibi auctoritatis tenore præcipimus, vt omni excusatione submota, ad prædictum locum pergere, & desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adiuuare festines. Quibus tamen si longum vel triste videtur solennitatẽ sustinere Paschalem, & eos nunc ad baptisma festinare cognoscis, ne quod absit longa dilatio eorum retro possit animos reuocare, cum fratre nostro episcopo loci ipsius loquere, vt pœnitẽtia ac abstinẽtia quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festiuitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet: quia & temporis qualitas propter eam quæ sibi imminet cladem, impellit vt desideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoscunque verò ex eis pauperes & ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis vestem, quam ad baptisma habeant comparare volumus, ac præbere: in quibus pretium quod dederis, tuis noueris rationibus imputandum

Sup. li. 5. ep. 42. 10. ep. Ioã. Diac. 2. c. 48.

tandum. Si verò sanctum Pascha elegerint expectare, iterũ cũ episcopo loquere, vt modò quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratq; sollicitudinem, & animos eorum admonitione suæ adhortationis accendat, vt quanto expectatur eis longa festiuitas, tanto se præparare & eam desiderio feruenti debeant sustinere. Præterea cũ omni studio ac diligentia studij tui sit perscrutari, vtrum supradictum monasterium cui antedicta Domnina præest, sufficiens sibi sit, an necessitatem aliquam patiatur. Et quicquid in veritate cognoueris, vel quid de his qui baptizari desiderant, actum fuerit, nobis subtiliter indicare festina.

Mense Iunio, Indictione prima.

EPISTOLA XXV.

Obedientiam eius laudat, & ob contumaciam Maximi turbari non debere suadet.

GREGORIVS, *Sabiniano Episcopo Iadertino.* Satis frater carissime de sinceritate tua lætificor, quòd eam solliciti discretione iudicij & vbi obediendum est obedire, & vbi resistendum est resistere, studio sacerdotali cognosco. Cum quanta namque te deuotionis alacritate submiseris his quæ ob culpam præteriti excessus indiximus, litterarum tuarum quas per latorem præsentiũ direxisti, pagina reserauit. Nec enim poterat aliter à dilecto fratre suscipi, quàm à diligente mandatum est. Vnde in omnipotentis Dei miseratione cõfido, quia ita eius te gratia protegit, vt per hoc etiam ab alijs absolutus, salubriter paruisse te gaudeas. De hoc verò quòd se contristari caritas tua Maximi præuaricatoris & excommunicati æmulatione signauit, turbari non decet vt ad modicum tumentes inaniter fluctus patienter tolerando sustineas, & vndarum spumas perseuerãtiæ virtute substernas. Nouit enim patientia leuigare quod graue est, & constantia superare quod sæuit. Animos ergo tuos aduersitas non deijciat, sed accendat. Audaciorem te in omnibus vigor sacerdoralis ostendat. Nam vera documenta veritatis sunt, promptiorem in duris, & fortiorem se quenquam in cõtrarijs exhibere. Vt igitur rectitudinis robur à bono deliberationis suæ nulla valeat impulsione cõuelli, mẽtis gressus in eius petræ soliditatem, sicut cœpistis, dirigite, in qua Redemptorem nostrum per totum mundum fundasse nostis Ecclesiam, quatenus recta sinceri cordis vestigia in deuio itinere non offendant. Ea verò quæ nobis scripsistis, vel præsentium lator coram positus explicauit, nos non credatis negligenter omittere, sed de his omnino sollicitè cogitamus. Dilectissimo autem filio nostro Anatholio diacono iam & prius & nunc iterum omnia subtiliter indicauimus: hortantes vt quicquid ad vtilitatem ac quietem caritatis vestræ vel filiorum vestrorum pertinet, Creatoris nostri auxilio suffragante augere stricte ac studiosè festinet. Et ideo fraternitatem vestrã nec mœror afficiat, nec inimicitia cuiuslibet affligat. Nam diuinitatis gratia opitulante, in proximo adesse confidimus, vt & præfati præuaricatoris & excommunicati præsumptio districtius reprimatur, & vestra quies, sicut desideratis, adueniat. Excellentissimo quoq; filio nostro Exarcho, qui nobis eum studet commendare, de prauitate ipsius scribere nequaquam omisimus. Presbyterum verò de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere, aut reuocari posse cognoscas. Circa quem tamen mitius agendum est, propterea quòd commissum facinus facili dicitur professione confessus. Præterea pariter hic portitor quædã Ecclesiæ vestræ priuilegia à nostris concessa prædecessoribus intimauit. De quibus scriptis caritatis vestræ nos subtilius volumus informari, vel si qua ex eis scripta in Ecclesiæ vestræ scrinio reiacent, eorum huc exemplaria transmitti necesse est, vt quicquid ad honoris vestri reuerentiam vel gentium præfatæ Ecclesiæ pertinet, libenti animo parare possimus. Glorioso autem communi filio domino Marcello, si huc venire voluerit, instantius suadete, quia omnino eum videre desidero. Si verò illic stare elegerit, ita vos ei in caritate qua conuenit exhibete, vt affectui ipsius quem circa vos habet, respondere, sicut condecet, valeatis. Omnipotens Deus gratiæ suæ dono vos & custodia protegat, & cor vestrum in ea quæ ei sunt placita semper accendat.

EPISTOLA XXVI.

De Iudæis non opprimendis iniuste.

GREGORIVS, *Victori Episcopo Panormitano.* Sicut Iudæis non debet esse licentia quicquam in synagogis suis vltra quàm permissum est lege præsumere; ita in his quæ eis concessa sunt, nullum debent præiudicium sustinere. Quæ autem nobis in hac vrbe Romana habitantes Hebræi pro his qui Panormi degunt, conquesti sunt, data vos ab eis petitio quæ in subditis tenetur, informat. Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur; oportet vt fraternitas vestra, legis serie diligenter inspecta, ita eis quicquid hac de re decretum est, custodire debeat ac seruare, vt nec ipsa aliquid iniustum facere, nec illi pati præiudicium videantur. Si verò est aliquid quod ad restituendum ea quæ sunt postulata rationabiliter possit obsistere, iudices à partibus eligantur, qui ea quæ æquitati conueniunt, valeant definire. Quod si fortè illic contentio ipsa finiri nequiuerit, ad nos venire causam necesse est: quatenus sine vestra inuidia, quæ amica iustitiæ visa fuerint decernantur. Quousque ergo causa ipsa finem accipiat, à consecratione locorum quę ablata dicuntur, fraternitas se vestra suspendat.

Sup. ep. 4. li. 4. ep. 13. li. 5. ep. 41. Ind. 14.

EPISTOLA XXVII.

De clericis sacra vasa vendentibus.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Quia peruenit ad nos, quòd quidam ex Italiæ Ecclesijs clerici vasa sacra in Sicilia venundarunt: idcirco Panthaleonem notariũ nostrum direximus, vt eadem vasa sollicita inuestigatione requireret. Qui postquam in vestræ sanctitatis est obsequio occupatus, eandem causam eum cognouimus neglexisse. Oportet ergo vt fraternitas vestra congrua debeat sollicitudine prouidere, vt tempore quo vtile esse crediderit, eum ad peragenda ea ipsa debeat relaxare, quatenus & ipsa de illo possit habere solatium, & ipse salubriter valeat quæ sibi sunt mandata Deo adiuuante peragere: quia necesse est vt indictione subsequenti huc veniat, & subtiliter nos coram positus de cunctis informet.

Li. 4. ep. 18 li. 5. ep. 18. li. 6. ep. 9. 18. li. 6. ep. 9. li. 7. ep. 22. & 27. li. 9. ep. 37. Ind. 4.

EPISTOLA XXVIII.

De præsumptione clericorum Catanensium, qui in Ecclesia compagis calceati incedebant.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Ecclesiastici vigoris ordo confunditur, si aut temerè illicita præsumantur, aut impunè non concessa tententur. Peruenit itaque ad nos, diaconos Ecclesiæ Catanensis calciatos compagis procedere præsumpsisse, quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo diaconis Ecclesiæ Messanensis, quibus olim à prædecessoribus nostris non dubitatur esse cõcessum, benè recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus non est leuiter attendendus, cum omni hoc fraternitas vestra subtilitate perquirat: & si ita sicut ad nos peruenit inuenerit verum esse, vtrum vel à se, vel alicuius hoc auctoritate præsumpserint, nobis subtiliter innotescat, vt cognita veritate, quid fieri debeat, disponamus. Nam si negligenter ea quę malè vsurpantur omittimus, excessus viam alijs aperimus.

Sup. epist. prox. 27. & 22. h. l.

Cõpagũ, Capitolinus in Galieno. Luitprandus lib. 3. cap. 9.

Mense Iunio, Indictione prima.

EPISTOLA XXIX.

De libris Eusebij, & lignis transmissis.

GREGORIVS, *Eulogio Episcopo Alexandrino.* Vtilis semper est docti viri allocutio: quia aut discit audiens quod nescire se nouerat, aut cognoscit, quod est amplius, id quod

Sup. lib. 6. ep. 60. Inf. ep. 30. hoc li. li. 8 ep. 42. li. 11 ep. 46. & 47.

se & nescisse nesciebat. Qua in re ex audientium numero ego nunc factus sum, cui sanctissima vestra scribere studuit, vt cunctorum martyrum gesta quæ piæ memoriæ Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt, transmittere debeamus. Sed hæc neque si collecta non sint, neq; si sint, ante vestræ beatitudinis scripta cognoui. Ago ergo gratias, quia sanctissimæ vestro doctrinæ scriptis eruditus cœpi scire quod nesciebam. Præter illa enim quæ in eiusdē Eusebij libris de gestis sanctorum martyrum continentur, nulla in archiuo huius nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ vrbis bibliothecis esse cognoui, nisi pauca quædam in vnius codicis volumine collecta. Nos autem penè omnium martyrū distinctis per dies singulos passionibus collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorū veneratione missarum solennia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantūmodo nomen, locus & dies passionis ponitur. Vnde fit, vt multi ex diuersis terris atq; prouincijs per dies, vt prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatissimos credimus. Ea verò quæ transmitti voluistis, quærentes quidem non inuenimus, sed adhuc non inuenientes quærimus, & si potuerint inueniri, trāsmittemus. De lignis autem, quod scribitis, quia breuia fuerint, nauis per quam transmissa sunt, qualitas fecit: quia si maior nauis venisset, potuimus ligna etiam maiora transmittere. Quod autē dicitis, quia si maiora trāsmittimus, precium dabitis, largitati quidem gratias agimus, sed accipere precium, Euangelio interdicente, prohibemur. Nos enim ea quæ trāsmittimus ligna non emimus, & quomodo possumus precium accipere, cū scriptum sit: Gratis accepistis, gratis date? Nūc ergo iuxta modum nauis per nauclerum parua ligna transmisimus, quorum notitia subter annexa est. Sequenti verò anno, si omnipotenti Deo placuerit, maiora pręparabimus. Benedictionem aūt S. Marci Euangelistæ, imò quod est verius S. Petri Apostoli in ea dulcedine qua est transmissa suscepimus, & salutationis alloquium persoluentes, petimus vt beatitudo vestra pro nobis orare dignetur, quatenus & à malis præsentibus mereamur citius eripi, & à futuris gaudijs non excludi.

Martyrologiū Romanū quæ contineat.

Ioā. Diac. 3. c. 26.

Matth. 10.

EPISTOLA XXX.

Agit de conuersione gentis Anglorum, cōmemoratq; in sancta Chalcedonēsi synodo Papam Romanum vniuersalem appellatum fuisse.

Sup. ep. 29 hoc li. & l. 6. ep. 60. li. 8 ep. 42. li. 11. ep. 46. 47.

GREGORIVS, *Eulogio Episcopo Alexandrino.* Communis filius præsentium laror sanctitatis vestrę scripta deferens, ægrum me reperit, ægrum reliquit, qua ex re contigit vt ad largum vestræ beatitudinis fontem, breuis epistolę meæ vix parua potuisset aqua reludare. Superni autem muneris fuit, vt in dolore corporis positus, suauissimæ vestræ sanctitatis scripta susciperem, quę me de doctrina Alexandrinæ Ecclesiæ, de conuersione hæreticorum, de concordia fideliū sublimiter lætificaret, quatenus ipsa mentis lætitia immanitatē mihi molestię temperaret. Et quidem de bonis vestris noua semper exultatione gaudemus, sed tamen ita vos perfectè agere, noua esse nullo modo deputamus. Quòd enim crescit sanctæ Ecclesię populus, quòd ad cælestę horreum spiritales segetes multiplicātur; hoc de omnipotentis Dei gratia quæ in beatissimis vobis largè influit, nūquam habuimus incertum. Gratias itaq; omnipotenti Deo soluimus, quia impletum videmus in vobis esse, quod scriptum est: Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo boum. Si enim bos fortis arattrum linguæ in terram cordis audientium non traxisset, tanta fidelium seges minimè surrexisset. Sed quoniam verè in bonis quæ agitis accrescit quod & alijs cōgaudetis, vestræ vobis gratiæ vicem reddo, & non dissimilia nuncio: quia dū gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfidia nuncusque remaneret, ex vestræ mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam monasterij mei monachum in prędicationē transmittere Deo auctore debuissem. Qui data à me licentia, à Germaniarum Episcopis Episcopus factus, cum eorum quoque solatijs ad prædictā gentem in finem mundi perductus est, & iam nunc de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt: quia tantis miraculis vel ipse, vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, vt Apostolorum virtutes in signis quæ exhibēt, imitari videantur. In solennitate autem Dominicæ natiuitatis quæ hac prima indictione transacta est, plus quàm decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre & coepiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narraui, vt cognoscatis quid in Alexandrino populo loquendo, & quid in mundi finibus agitis orando. Vestræ enim orationes sunt in eo loco vbi non estis, quorum operationes sanctæ monstrantur in eo loco in quo estis. Præterea de Eudoxij hæretici persona, de cuius errore in latina lingua nihil reperi, mihi à vestra beatitudine largissimè gaudeo satisfactum. Virorum quippe fortissimorum Basilij, Gregorij, atq; Epiphanij testimonia protulistis, & manifestè peremptum cognoscimus eum in quem heroes nostri tot iacula dederunt. De his verò erroribus qui nunc in Constantinopolitana Ecclesia probantur exorti, doctissimè omnia, & vt iudicium tantę sedis proferre decuit respondistis. Vnde omnipotenti Deo gratias agimus, quia adhuc arcæ Dei insunt tabulæ testamēti. Quid est enim sacerdotale cor nisi arca testamenti? in qua quia spiritalis doctrina viget, procul dubio tabulę legis iacent. Indicare quoq; vestra beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens. Sicut iussistis: quod verbum iussionis peto à meo auditu remouete, quia scio quis sum, qui estis. Loco enim mihi fratres, estis moribus patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui. Non tamen inuenio vestram beatitudinem, hoc ipsum quod memoriæ vestræ intuli, perfectè retinere voluisse. Nā dixi nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, & ecce in præfatione epistolæ, quam ad me ipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur quod alteri plus quàm ratio exigit præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namq; honor est honor vniuersalis Ecclesiæ. Meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tūc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusq; honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersū. Sed absit hoc. Recedant verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi synodo, atq; post à subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit. Sed tamen nullus eorū vti hoc vnquam vocabulo voluit, vt dum in hoc mūdo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum. Proinde debitum salutationis alloquium soluens peto, vt in sanctis orationibus vestris mei memores esse dignemini, quatenus à peccatorū meorum nexibus, quia meis meritis non valeo, vestris intercessionibus me Dominus absoluat.

Li. 6. epist. 31. De Eudoxio hæretico.

Recusat Gregorius se vniuersalem Episcopum dici.

Synodus Chalcedonensis nomen vniuersale Ro. Pontifici obtulit.

Prou. 14.

Anglorū conuersio

EPISTOLA XXXI.

De querimonia monachorum monasterij Castellensis.

Sup. ep. 57. lib. 11. & lib. 12. ep. 31. & 5. ep. 56.

GREGORIVS, *Secundino Episcopo Tauromitan.* Querimoniam monachorū monasterij Castellensis oblata ab eius petitio quæ tenetur in subditis, patefecit. Proinde fraternitas vestra hæc quæ asserunt, sollicita perscrutari cura studeat. Et si ea inuenerit veritate subsistere, rationem tuitionis illis impendat, & monasterium, quod monasterio eorum vnitum est, secundum consuetudinem deputatis de congregatione eorum illic monachis prouideat ordinari: quia rationis ordo non patitur, vt monasterium ipsum, & maximè contra voluntatem fundatorum, ab eorum dispositione ad arbitrium suum præsertim laica persona subducat, aut aliquis sibi in id ius debeat vendicare.

EPISTOLA XXXII.

De laude caritatis.

GREGORIVS, *Dominico Episcopo Carthaginis.* Scripta sanctitatis vestræ, quæ latore præsentium deferēte suscepimus, ita sacerdotalem modestiam loquebantur, vt auctoris sui corporalem nobis quodammodo præsentiam blandirentur. Nec enim sermo rarus aliquid officit, vbi manet in animis continuus dilectionis affectus. Magna autem caritas virtus est dilecte frater, quæ sinceritatis suæ vinculo alterna mutuo affectu corda constringit, & ea à gratię non sinit compage dissolui, disiuncta coniungit, vnita custodit, & ignotos sibi imagine reddit cognitos per amorē. Quisquis igitur in huius cardine mētem figit, eum de supernæ patriæ habitaculo cuiuslibet aduersitatis impulsio nō euellit: quoniam quocunque se verterit, à mandatorum limite non excedit. Vnde & in eiusdem caritatis laude per egregium prædicatorem dicitur: Quæ est vinculum perfectionis. Quantę itaque sit laudis aspicimus, quę perfectionem non solùm in mente generat, sed etiam ligat. Quia igitur huius virtutis igne succensum tuarum te prodit locutio litterarum, vberi in Domino exultatione lætificor, atque opto, vt hæc in te magis magisq; resplendeat, quia lux gregis flamma est pastoris. Decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus & vita claresc̄ere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs commissa & eligere quod sequatur, & videre possit quod corrigat. Scientes præterea vnde in Africanis partibus sumpserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis quod eidem Apostolicam diligendo ad officij vestri originem prudenti recordatione recurritis, & probabili in eius affectum constantia permanetis. Certum quippe est, quia vestro honori additis, quicquid reuerentiæ ac deuotionis ordini sacerdotali exhibetis, quia per hoc vt vicaria erga vos dilectione adstringi debeat, inuitatis. Quod superest carissime frater, omnipotētem Dominum assidua oratione poscamus, quatenus cordis nostri gressus in veritatis suæ tramitem dirigat, & vt ad cælestia regna perducat, nominis officium protectionis suæ gratia operibus nos exhibere concedat.

Mense Augusto, Indictione prima.

EPISTOLA XXXIII.

De oppressione monachorum Castellien. monasterij.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Schillitano.* Graue nimis & contra sacerdotale constat esse propositum, velle cuiusquam monasterij priuilegia olim indulta confundere, & ad irritum quę sunt p o quiete disposita niti deducere. Questi itaq; nobis sunt monachi Castellienſis monasterij, quòd in fraternitatis vestræ ciuitate est constitutum, quia eidem monasterio quædā contra ea quæ à prædecessoribus vestris promissa, ac consuetudine longa seruata sunt, festinetis superinducere, & antiquam ordinationem quadam præiudicij nouitate turbare. Proinde his fraternitatem vestrā hortamur affatib⁹, vt si ita est, ab eius molestia se sine aliqua excusatione cōtineat, & quæ ei sunt diutius custodita, nullius occasionis tentet vsurpatione conuellere: sed cuncta illibatè, & sine aliqua studeat refragatione seruare, & plus sibi in eodem monasterio quàm prędecessoribus suis licuit, nouerit non licere. Quia verò pariter questi sunt fraternitatem tuam quędā de monasterio sub xenij quasi specie abstulisse; necesse est vt si quid te indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne auaritię te grauiter culpa redarguat, quē largum erga monasteria sacerdotalis magis debuerat munificentia demōstrare. Seruatis itaq; omnibus, quæ à tuis (sicut diximus) prædecessoribus promissa sunt ac seruata, curę tuæ sit circa actus ac vitam consistentium illic monachorū te vigilantem insistere, & si quempiam illic prauè conuersari, aut in aliquam immunditiæ, quod absit, culpam inuenerit incidisse, districta ac regulari emēdatione corrigere. Nā sicut ab ijs quæ incongruè vsurpantur, fraternitatem vestrā volumus abstinere, ita in his quæ ad disciplinæ rectitudinē vel animarum custodiam pertinent, esse sollicitam modis omnibus admonemus. Indicauerunt etiam prędicti monasterij monachi, castrū quod Schillitanū dicitur, in solo iuris monasterij eorum esse fundatum, atq; ob hoc habitantes: illic factis libellis solatium annis singulis spopōdisse persoluere, sed postea contempsisse, & ab eadem se prestatione superuacuè suspendisse. Fraternitas ergo vestra subtiliter veritatem curet addiscere, & si ita repererit, instanter studeat vt ea quæ promiserunt (quia & ratio exigit) præbere non differant, quatenus & illi quietè quod tenent, possideant, & monasterij iura præiudicium nō incurrant. Præterea questi nobis sunt prædicti monasterij monachi, abbatē suum terram intra Schillitanum castrum, quę in sexcentos pedes extenditur, sub prætextu fabricandæ Ecclesiæ fraternitati tuæ donationis titulo concessisse: & ideo volumus, quātum parietes possunt ædificatæ Ecclesiæ circundare, iuri Ecclesiæ vendicari. Quicquid verò extra parietes eiusdē Ecclesię esse potuerit, ad iura monasterij sine difficultate aliqua reuertatur: quia nec mūdanarum legum, nec sacrorum canonum statuta permittūt, res monasterij de iure ei⁹ quolibet titulo segregari. Eapropter donationem eiusdem terræ, quę cōtra rationem facta est, sine aliqua dilatione restitue.

EPISTOLA XXXIIII.

De cælesti Hierusalem & Babylone.

GREGORIVS, *Leontio Exconsuli* Quia in magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam; quis ignoret quòd & in vniuersæ Ecclesiæ sinu alij velut vasa contumeliæ rebus deputantur infimis, alij verò vt honoris vasa rebus aptantur mundis? Et tamen plerumq; contingit, vt & ciues Babyloniæ in angaria seruiant Hierusalem, & ciues Hierusalē, id est, cælestis patriæ, in angaria deputentur Babyloniæ. Cum enim electi Dei magnis moribus prædditi, modestia ornati, lucra propria non quærentes, terrenis deputantur rebus, quid aliud quàm sanctæ Hierusalem ciues in Babyloniæ opere seruiūt? Et cum quidam in prauis moribus effrenati, locū sancti honoris tenēt, atq; in ipsis quæ benefacere videntur, propriam laudē quærunt, quid aliud quàm ciues Babyloniæ supernæ Hierusalē angarias exoluunt? Sic enim Iudas apostolis admixtus diu Redemptorem humani generis prædicauit, signa cum ceteris fecit. Sed quia Babyloniæ ciuis fuerat Hierusalem cælesti opus suum in angaria persoluit. At contra Ioseph in Ægyptum ductus, terreno palatio seruiuit, curam ministerij in rebus temporalibus gessit, quicquid iniustè regno transitorio debebatur, exhibuit. Sed quia sanctæ Hierusalem ciuis extitit, seruitium Babylonię in sola vt prædictum est, angaria ministrauit. Huius ergo bone vir esse te sequacē credo, quem terrenis actibus implicatum, mansueto spiritu agere, humilitatis arcem per omnia custodire, & singulis quę iusta sunt tribuere cognosco. Tanta enim de vestra gloria à multis bona referuntur, vt mihi hæc non libeat audire, sed cernere; eius tamen quem videre non licet, bona me pascit opinio. Sanctæ autem Ecclesiæ, id est, omnium electorum typum tenens mulier, quę alabastrum fudit, domum repleuit vnguento. Et nos quotiens de bonis aliquid audimus, suauitatis auram quasi per narem trahimus. Et Paulus Apostolus cum dicebat, Christi bonus odor sumus Deo, patenter datur intelligi, quia saporem se quidem præsentibus, sed odorem absentibus exhibebat. Nos itaq; qui per præsentiæ saporem non possumus, per odorem vestræ absentiæ nutrimur. De hoc etiam valde gaudemus, quòd munera quę trāsmisistis, vestris moribus dissimilia nō fuerint. Oleum quippe sanctæ Crucis & aloes lignum suscepimus. Vnum quòd tactu benedicat, aliud quòd incensum benè redoleat. Decebat igitur vt bonus vir ea trāsmitteret, quæ iram nobis Domini placare potuissent. Alia quoq; in cellarijs multa misistis, quia sicut & mente & carne subsistimus, necessarium fuit vt à vobis nūc in vtroq; cōtineri deberemus. De quib⁹ transmissis cur dulcissima mens vestra valde se erubescere fatetur, atq; eidē verecūdiæ scut caritatis opponere? Sed in his ego verbis omnimodo gaudeo: quia in tali mentis attestatione cognosco, quòd nunquā possit aliena tollere, qui &

Li. 8 ep. 49 Ind. 3.

Luc. 7.

2. Cor. 2.

hoc ipsum erubescit, quòd propria largitur. Parua verò appellatis munera vestra, quæ magna sunt, sed credo vt adhuc amplius ex ipsa gloriæ vestræ humilitate proficiant. Et petitis vt hæc bona mente suscipiam. Sed inter ista ad memoriã cuiusdam viduæ duo minuta reducite. Si enim illa Deo placuit, quę bono animo pauca obtulit: cur nõ hominibus placeat, qui mente humili multa dedit? Præterea benedictionẽ vobis sancti Petri apostolorum principis, clauem sacratissimi sepulchri eius, in qua benedictio de catenis illius est inserta, transmisimus, vt quod eius collum ligauit ad martyrium, hoc vestrum ab omnibus peccatis absoluat.

Luc. 21.

Clauis S. Petri.

NOTÆ in Epist. 34. lib. 7. Indict. I. ad Leontium Exconsulem, &c.

Oleum quippe sanctæ Crucis] *Quid per oleum sanctæ Crucis intelligere debeamus, satis perspicuè indicat Beda de locis sanctis cap. 20. in fine hisce verbis:* De nodis enim ligni sancti liquor odorifer oleo similis profluit, cuius si etiam modica particula cõtingat, omnem ægritudinem sanat. *Huius olei apud Cyrillum in vita Sabæ mẽtio habetur, quod Saba vir sanctus adhibere solebat ad fugandos dæmones & edenda miracula. Posset dici illud vocari oleu S. Crucis, quod Hierosolymis ante precioſum lignum crucis ardebat sicut dictum fuit oleum Martyrum illud, quod accipi consueuerat ex lampadibus, quæ in confessionibus Martyrum, loco nimirum, quo sepulti erant, ardere solebant, quoue pij ad curandos morbos vtebantur. Vide Baron. an. 598. nu. 23.*

Expliciunt Epistolæ Indictionis primæ.

INCIPIVNT EPISTOLAE INDICTIONIS Secundæ, ex Regesto Beati Gregorij Papæ.

Mense Septembri, Indictione secunda.

EPISTOLA PRIMA.

De exarata messe cuiusdam ante Missarum solennia Dominicorum die, & terminis eradicatis post missarum solennia.

Sup. li. 1. ep. 47. 60. 61. 62. 81. li. 2. ep 84. Ind. 12. li. 3 epi. 9. 10. Ind. 12.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Prædicator omnipotentis Domini Paulus Apostolus dicit: Seniorem ne increpaueris. Sed hæc eius regula tunc in eo seruanda est, cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum. Vbi autem senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est, nam scriptum est: Laqueus iuuenum omnes vos. Et rursus propheta dicit: Et puer centum annorum maledict' est. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua senectute peruenit, vt eam nisi adhuc humanitus pẽsaremus, fixa iam maledictione feriremus. Dictũ quippe mihi est, quòd Dominico die priusquã Missarum solennia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti, & post exarationem eius Missarum solennia celebrasti. Post Missarum solemnia etiam terminos possessionis illius eradicare minimè timuisti. Quod factum quæ pœna debeat insequi, omnes qui audiunt sciunt. Dubij autem de tanta hac peruersitate fueramus: sed filius noster Cyriacus abbas à nobis requisitus, dum esset Caralis, ita se cognouisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur vt aliquando resipiscas miser senex, atque à tanta te leuitate morum, & operum peruersitate compescas. Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri sollicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ sententia in te fuerat iaculanda: sed quia simplicitatem tuam cum senectute nouimus, interim tacemus. Eos verò quorum consilio hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus: ita tamen vt si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus euenerit, benedictione viatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum consilijs cautus existe, te quoque sollicitè custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus in bono magister esse debuisti, nec simplicitati tuæ vlterius, nec senectuti parcamus.

Esa. 42. Esa. 65.

Excõmunicationẽ ad tempus duorum mensium imponit.

EPISTOLA II.

De pace facta cum rege Longobardorum, & de messe die Dominicorum exarata.

Sup. ep. prox. h. li.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Quod in Sardinia hostes nostri fuerint operati, priusquã fraternitatis vestræ epistola ad nos peueniret, agnouimus. Et quia hoc futurũ dudũ metuimus, eueniſſe quod præuidimus nobiscum nunc gemimus. Quòd si secundum ea quæ tam vobis, quàm excellentissimo filio nostro Gennadio hoc fore nunciantes scripsimus, sollicitudo fuisset adhibita; inimici illuc aut nõ accederent, aut accedentes periculum quod fecerunt incurrerent: vel nunc ergo ea quæ contigerunt, vigilantiam vestram in futuris exacuant. Nam & nos quicquid prodesse possumus, facere Domino auxiliante nequaquam omittimus. Cognoscatis autem abbatem quem ad Agiulphum ante multum iam tempus trãsmisimus, pacem cum eo, Deo propitio, quantum nobis ab excellentissimo Exarcho scriptum est, ordinasse. Et ideo quousque pacta de confirmatione pacis ipsius conscribantur, ne fortè hostes nostri in hac dilatione ad partes illas iterũ velint accedere, murorum vigilias, & solicitudinem in locis facite omnibus adhiberi. Et confidimus in Redemptoris nostri potentia, quia aduersariorum nobis incursus vel insidiæ denuò non nocebunt. Hoc verò quod scribitis, multos contra vos vobis querelas deponere, verum est: sed inter diuersas nõ nos sic res alia contristauit quomodo id quod nobis dilectissimus filius noster Cyriacus abbas retulit: quia die Dominico ante Missas messem de agro quem Donatus possidebat, feceris exarari: Quod ne parum esset, expleto sacrificio, per temetipsum illuc accedens terminos effodisse. Ob quam rẽ hortor vt officium quod geris sollicita mente consideres, & quicquid grauare potest aut opinionem tuam aut animam, omnino refugias, & te cõmittere illud nullius suasione consentias. Nam non terrenarum rerum curam, sed animarum te ducatum suscepisse cognosce. Ibi ergo cor figere, ibi solicitudinem, ibi totum debes studium adhibere, atque de earum lucro diligentius cogitare, vt dum venienti Domino multiplicata quæ tradidit talenta reddideris, remunerationis ab eo fructum consequi, & inter fideles famulos in æterna mercaris gloria exaltari, Hoc autem quod obiurgo vel increpo, non exasperitate, sed ex fraterna scito dilectione descendere: quia sacerdotem te apud omnipotentem Deum non nomine, quod solum ad pœnam est, sed etiam meritis, quod ad mercedem respicit, inueniri desidero. Nam dum vnum in Redemptoris nostri corpore membrum sumus, sicut in culpa tua dilaceror, ita quoq; & in bona actione lætificor. Illud præterea quod vultis, vt personam à nostro latere deputemus, cui causas vestras insinuare nobis referendas subtiliter debeatis, dilectissimo filio Petro & Theodoro cõsiliario quæcunq; vultis scribite, vt per eos nobis insinuata, quicquid de his ratio suaserit, Domino valeat reuelante disponi. De fratre autem & coepiscopo nostro Mariniano, dum pax cum prædicto Agiulpho perfectè fuerit cõfirmata, erit cognitio, & fiet quicquid rationis ordo dictauerit.

Supra epist. 1.

EPISTOLA III.

Redarguit de fauore Maximo præuaricatori præstito.

GREGORIVS, *Marcellino Proconsuli Dalmatiæ.* Epistolam magnitudinis vestræ suscepimus, in qua vos nostram incurrisse ingratitudinem indicastis, atq; ob hoc per directã satisfactionẽ habere nostram velle vos gratiam. Et quidem tanta ad nos de vestra magnitudine peruenerunt, quanta à fideli viro minimè cõmitti debuerant. Vos enim tanti mali de causa Maximi omnes astruũt auctores existere, per quos spoliatio illius Ecclesiæ vel tantarum animarum perditio, atque inauditæ præsumptionis audacia sumpsit initium. Et quidem quòd nostram vos velle gratiã habere petitis, conuenit vt Redemptori nostro pro his talibus satisfacere tota intentione mentis, vt dignum est, cum lachrymis debeatis: quia si illi satisfactum non fuerit, quid nostra relaxatio vel gratia poterit certè conferre? Dum tamen adhuc in præ-

sumpto-

sumptorum ruinis vel errantium defensionibus inesse vos cernimus, qualis vel Deo, vel hominib⁹ vestra sit satisfactio non videmus. Tunc enim Deo & hominibus se satisfacere magnitudo vestra patenter euidenterq; cognoscat, si & deuia ad rectitudinem, & præsumptiua ad humilitatis normã reducat. Quod si factum fuerit, per hoc vos & Dei percepturos & hominum gratiam cognoscatis.

EPISTOLA IIII.

Castorium chartularium commendat.

GREGORIVS, *Andreæ Scholastico.* Qualiter de gloriæ vestræ debeamus sinceritate præsumere, cognitæ deuotionis qualitas, quam B. Petro apostolorum principi olim exhibuistis, ostendit. Cuius licet causis mente vos adesse promptissima confidamus, non tamen ab re est, si ea quæ spontè egistis, nostra, ex abundanti, epistola deposcamus. Atque ideo salutantes paternæ caritatis affectu petimus, vt quia latorem præsentium Castorium chartularium nostrũ pro necessarijs illic causis direximus, vestra eum ope in omnibus adiuuetis, atq; illi bonitatis vestræ consilio quocũq; necesse fuerit concurratis, quatenus fultus Christianitatis vestræ solatio, ad explenda quæ sibi iniuncta sunt, solers & idoneus possit inueniri. Sic etenim & vos quæ vestra sunt facitis, & nos pro vobis enixius orare compellitis. Omnipotens Deus gratiæ suæ vos tuitione præmuniat, & ita actus vestros in suo sicut desideratis ꝓpitius timore disponat, vt & à malis omnib⁹ hic exuat, & ad gaudia vos ęterna ꝓducat.

EPISTOLA V.

Scribit vt excessum Petri Neophyti contra Iudæos emendet diligenter, & Synagogam à Iudæis vi ablatam restitui iubeat.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Iudæi de ciuitate vestra huc veniẽtes questi nobis sunt, quòd synagogam eorum quæ Caralis sita est, Petrus qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Deo volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est, Dominico in ipsa festiuitate Paschali, cum graui scandalo sine vestra occupauerit voluntate, atq; imaginem illic genitricis Dei Dominiq; nostri, & venerandam crucem, & birrum album, quo de fonte resurgens indutus fuerat, posuisset. De qua re & filiorũ nostrorum Eupaterij glorioſi magistri militum, atq; magnifici pij in Domino præsidis, aliorumq; nobilium ciuitatis vestræ ad nos hæc eadem scripta attestantia cucurrerunt. Qui etiã adiecerunt à vobis hoc præsensum, & prædictum Petrũ ne hoc auderet fuisse prohibitum. Quod cognoscentes, omnino laudauimus: quia sicut reuera bonum decuit sacerdotem, nil fieri vnde iusta esset reprehensio voluistis. Sed quia per hoc quod minimè vos in his quæ praue acta sunt miscuistis, displicere vobis quod factum est demonstrastis, considerantes hac de re vestræ voluntatis intentum, ac magis iudicium, his hortamur affatibus, vt sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare; quia sicut legalis diffinitio Iudæos nouas non patitur erigere synagogas, ita quoq; eos sine inquietudine veteres habere permittit. Ne ergo supradictus Petrus, vel alij qui ei in hac indisciplinationis prauitate præbuere solatium, siue consensu hoc zelo fidei se fecisse respõdeant, vt per hoc quasi eis necessitas fieret conuertendi, admonendi sunt, atque scire debent, quia hac circa eos temperantia magis vtendum est, vt trahatur ab eis velle non reniti, non vt adducantur inuiti, quia scriptũ est: Volũtariè sacrificabo tibi: id est, ex voluntate mea confitebor tibi. Sanctitas ergo vestra gratiam inter ciuitatis sua habitatores adhibitis sibi filijs suis, quibus vna vobis hæc displicent, sacerdotali adhortatione, sicut eam decet, studeat facere: quia in hoc maximè tempore quãdo de hoste formido est, diuisum habere populum nõ debetis. Quia verò nõ minorem de vobis, quàm de nobis solicitudinem gerimus; hoc quoq; pariter indicandum curauimus, quòd finita hac pace Agilulphus Longobardorum rex pacem nõ faciet. Vnde necesse est vt fraternitas vestra, dum licet, ciuitatem suam vel alia loca fortius muniri prouideat, atq; immineat vt abundanter in eis condita procurẽtur: quatenus dũ hostis illuc Deo sibi irato accesserit, non inueniat quod lædat, sed confusus abscedat. Sed & nos pro vobis quãtum possumus cogitamus, & ijs quorũ interest, vt le ad obsistendũ Deo adiutore præparare debeant, imminemus: quia sicut vos nostras tribulationes vestras attenditis, ita quoque nos vestras afflictiones nostras similiter reputamus.

EPISTOLA VI.

De pacis laudibus, & de Luca & Petro hæreticis, qui Concilium Chalcedonense reijciebant.

GREGORIVS, *Eusebio Archiepiscopo Thessal.* Si quàm magna sit frater carissime pacis virtus attendimus, quo à nobis studio sit colenda agnoscimus. Hanc quippe Dominus & redemptor noster in magno munere discipulis suis relinquere ac dare dignatus est, vt eos qui firmitate ei fidei cohęrebant, per hanc sibi pia faceret participatione consortes. Scriptũ namq; est: Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur. Quisquis ergo patris hęres esse desiderat, filius existere, hanc custodiendo non renuat. Nam qui locum præbet discordiæ, ipse profectò tanti se muneris exortem esse constituit. Cũ igitur fidei tuæ sinceritas catholica nobis, vt oportuit, Deo propitio sit rectitudine declarata; magna nimis admiratione suspẽdimur, vt eos quos benè credere, & rectè sentire cognoscis, frustra quorundam scandalizari vitio patiaris, vt aliorum culpa fraternitatis tuæ fuscetur opinio. Nam quomodo sine erroris suspicione sit, qui patientiam præstat erranti? Aut quam de se æstimationem prębeat, si ea quæ feruor fidei postulat, aperta purgari satisfactione non præuidet? Fertur siquidem Lucam presbyterũ tuum & Petrum Chalcedonensem synodum nolle suscipere, atque ex hoc filiorum tuorum orthodoxorum corda non leui scandalo perturbari. Quorum quia zelus nõ solùm laudandus, verùm etiam omnino fouendus est, hortamur te vt cũ omni viuacitate ac sollicitudine fraternitatis hoc vestræ rimari cura non desinat. Et si in hac eos fontes prauitate repererit, scandalum de filiorum suorum mẽtibus habita eorum satisfactione remoueat, atq; inter omnes hæreses specialiter Seuerum ac Nestorium anathematizent, vt quibus sinistra de eis suspicio genuit discessionẽ, amor fidei remoueat, gignatq; purificatio caritatem: Et salubriter vnus cõcordiæ nectat affectus, quos catholicæ sincera & vna tenet cõfessio veritatis. Nec satisfactio dubitantibus æstimetur indigna, quia Dominica voce præcipitur: Ne contemnatis vnum ex his minimis. Qui ergo non despici à præcipiente desiderat, præceptoris verba non renuat, quia & is quem vas electionis Redemptor sibi noster testatus est esse, seruare nos vnitatem spiritus in vinculo pacis admonuit. Vnde quisquis hoc se teneri salutis vinculo nõ recusat, quæ sunt pacis, studeat, & locum hosti nõ præbeat, vt facta fortius valeat vnitate calcari, qui in fratrum sæua poterat diuisione grassari. Si verò (quod non optamus,) erroris huius deprehenduntur iaculo vulnerati; Ecclesiasticæ adhortationis est eis adhibenda curatio, vt aut inter oues Dominicas si sanati fuerint, permaneant, aut ab vnitate Ecclesiastici corporis excidantur, quatenus & magnum ex damno modico lucrũ fiat, & totum faciat liberum pars amissa. Nam & prouidi sollicitudo pastoris ouem languidam quæ curationem non recipit, ne alias languoris sui labe contaminet, à sanarum consortio non differt eijcere, sciens ceterarum se sanitatem nõ aliter nisi huius posse eiectione seruare. Proinde iterum fraterna caritate cõmoneo, vt summa hoc vigilantia perscrutari, & summo quæ scripsimus seruare studio debeatis, ne rectam fidem quam geritis, dubiam aliorum consortio faciatis. Nam qui non corrigit resecanda, committit. Itaque magna vobis solicitudine, magna omnino prouisione pensandum est, vt nec alijs eorũ persona scandalum, nec vobis opinio sit nociua, quatenus tanto fraternitati vestræ de cõmissis ouibus pastoris lucra proficiant, quanto vos ad earũ custodiã & sincera dilectio, & credita fecerit cura sollicitos.

Inf. epi. ii. hoc l. & 69

Matth. 5.

Matth. 18.

Ephes. 4.

Abscindẽdi sunt ab Ecclesia hæretici, ne fideles inficiant.

EPISTOLA VII.

De Grauiniæ abbatissæ sacramento.

Sup. li. 1. ep. 47. 90. 61. 62. & 81 & li. 2 ep. 84. Ind. 11. li. 3. ep. 9. & 10. Ind. 12.

19. q. 3. c. Quia ingredien.

Vestes monachicæ. Vestes presbyterarũ seminarũ.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Quia ingredientibus monasterium cõuertendi gratia, vlterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusdem monasterij iuris fiant, aperta legis definitione decretum est. Quod cum penè omnibus notum sit, in magnam nos Grauiniæ abbatissæ monasterij sanctorum Grauini atq; Luxorij insinuatio admirationem perduxit. Quę Siricam monasterij sui abbatissam postquam regendi suscepit officium, condito testamento legata quibusdam asseruit reliquisse. Et dum de sanctitatis vestrę solicitudine quęreremus, cur res monasterio competentes ab alijs pertulerit detineri, communis filio Epiphanius archipresbyter vester præsens inuentus respondit, prędictam memoratam abbatissam vsque ad diem obitus indui se monachica veste noluisse, sed in vestibus quibus loci illius vtuntur presbyteræ permansisse. Ad hæc replicabat prædicta Grauinia hoc penè ex consuetudine licuisse, adeo vt abbatissam quæ ante suprascriptam Siricam fuerat, talibus vsam fuisse vestibus allegaret. Cum ergo de qualitate vestium nec nos mediocriter cœpissemus ambigere; necessarium visum est nobis, tam cum consiliarijs nostris quàm cum alijs huius ciuitatis doctis viris quid esset agendum de lege tractare. Qui tractantes respõderunt: Postquã solenni more abbatissa ab Episcopo ordinata est, & in monasterij regimine per annos plurimos vsq; ad vitæ suæ transitũ præfuit; vestis qualitatem ad culpam fortè episcopi respicere, qui eam sic esse permiserit, non tamen potuisse monasterio præiudicium irrogare, sed res ipsius eidem loco, ex eo quo illuc ingressa & abbatissa constituta est, manifesto iure competere: Et ideo quia ex dimissis illicitè rebus Xenodochium possessionem asserit indebitè retinere; his vos hortamur affatibus, vt quia & monasterium, & Xenodochium ipsum in vestra est ciuitate positum, omni cura ac studio prouidere debeatis, quatenus si possessio ipsa ex nullo præcedenti contractu, sed ex memoratæ Siricæ legato descendit, antedicto monasterio postposito strepitu vel excusatione reddatur. Si verò ex alio fortè dicitur obuenisse contractu, aut fraternitas vestra inter partes cognita veritate, quod legalis suaserit ordo definiat, aut mutuo sibi consensu arbitros eligant, qui earum valeant allegationes discindere. A quibus quicquid fuerit statutum, ita vestra prouisione seruetur, vt nullum inter venerabilia loca iurgium remaneat, quæ magnoperè alterna pacis sunt fouenda concordia. Alia igitur omnia quæ ex testamento prænominatæ Siricæ detinentur, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur; necesse est vt iuri monasterij fraternitatis vestræ sollicitudine sacerdotali per omnia studio reparentur: quia imperiali cõstitutione apertè sancitum est, vt ea quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.

EPISTOLA VIII.

De tempore Paschæ requirendo à Metropolitano, & de licentia abeundi à prouincia ab eodem postulanda.

Inf. ep. 21.

GREGORIVS, *Innocentio, Mariniano, Libertino, Agathoni, & Victori Sardiniæ Episcopis.* Cognouimus quòd mos vestræ sit insulæ post Paschalem festiuitatem, vobis euntibus, aut directis responsalibus vestris ad Metropolitanum vestrum, vtrum sciatis, an minimè, ipse vobis de venturo Pascha scripta debeat denunciatione mandare. Et quantum dicitur quidam vestrum hoc facere secundum consuetudinẽ postponentes, aliorum quoque ad non obediendum corda peruertunt. Additur etiam quòd ex vobis aliqui pro Ecclesiæ suæ emergentibus causis transmarina petentes, sine prædicti Metropolitani sui cognitione, vel epistolis, sicut canonũ ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem vestram, vt antiquam Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de suscipienda Paschali denũciatione quàm etiam si quendam vestrũ pro causis proprijs vbicũq; compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro secundum indictam vobis regulam petere licẽtiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto, sicut non optamus, contra eundem Metropolitanum vestrum habere vos aliquid causæ contingat, vt ob hoc sedis Apostolicæ iudicium requiratis. Nam ijs qui petere festinant licentiam quod scitis, per canones etiam antiquorum patrum institutione habere permissum est.

EPISTOLA IX.

De schismaticis, & de peruerso consilio Iustini.

Sup. li. 4. ep. 34. li. 5. ep. 1. 18. 26 & 38.

GREGORIVS, *Gallinico Exarcho Italiæ.* Inter hæc quòd mihi de Sclauis victorias nunciastis, magna me lætitia reuelatum esse cognoscite, quòd latores pręsentium de Capritana insula vnitati sanctę Ecclesiæ coniungi festinantes, ad beatum Petrum Apostolum principem ab excellentia vestra transmissi sunt. In hoc enim cõtra hostes vestros amplius prævaletis, si eos quos Dei esse hostes agnoscitis, sub iugo veri Domini reuocatis, tantoque vestras causas apud homines fortiter agitis, quanto Dei causas in hominibus sincera ac deuota mente feceritis. Quod autem exemplar iussionis quæ ad vos pro schismaticorum defensione transmissa est, mihi ostendi voluistis, pensare sollicitè dulcissima mihi vestra excellentia debuit, quia quamuis iussio ipsa subrepta est, non tamen ea vobis præceptum est, vt venientes ad vnitatem Ecclesiæ repellatis, sed vt venire nolentes hoc incerto tempore minimè compellatis. Vnde necesse est vt hæc ipsa pijssimis Imperatoribus nostris suggerere festinè debeatis, quatenus cognoscant quòd eorum temporibus schismatici cum omnipotentis Dei solatio & labore nostro sua sponte reuerti festinant. Quæ autem de insulæ Capritanæ ordinatione decreuerim, per reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum Marinianum vestra excellentia agnoscet. Illud verò cognoscite, quia me non modicè contristauit, quòd maior domus vestræ qui petitionem episcopi volentis reuerti suscepit, eam se perdidisse professus est, & postmodum ab aduersarijs Ecclesiæ tenebatur. Quod ego non negligentia, sed venalitate eius factum arbitror. Vnde miror quia in eo culpam hanc minimè vestra excellentia vindicauit. Sed tamen quia hoc miratus sum, memetipsum citius reprehendi. Nam vbi dominus Iustinus consilium præbet qui pacem cum catholica Ecclesia non habet, ibi non possunt hæretici adduci. Præterea sancti Petri Apostolorum principis natalitium diem in Romana ciuitate vos facere velle perhibetis. Et oramus omnipotentem Dominum vt sua vos misericordia protegat, & vota vestra implere concedat. Sed prædictus vir eloquentissimus, peto, vt simul veniat, qui si non venerit, à vestris obsequijs recedat. Vel certè si vestra excellentia fortasse emergentibus causis venire nequiuerit, ipse aut sanctæ Ecclesiæ vnitati communicet, aut peto vt vestrorum consiliorum particeps non sit. Bonum enim virum audio, si pessimi non esset erroris. De causa verò Maximi, quia importunitatem dulcedinis vestræ iam ferre non possumus, quid decreuimus Castorio notario suggerente cognoscetis.

EPISTOLA X.

De Episcopis Histriæ, scilicet Nouano & Caprulensi.

GREGORIVS, *Mariniano Episcopo Rauennæ.* Latores ad nos pręsentium viri clarissimi vice dominus atque defensor venerunt, asserentes quòd in castello quod Nouas dicitur, episcopus quidam Ioannes nomine, de Pannonijs veniens fuerit constitutus, cui castello eorum insula, quæ Caprilana dicitur, erat quasi per diœcesim coniuncta. Adiungunt autem quòd eodem episcopo violenter ab Histrico episcopo expulso, alius illic fuerit ordinatus. De quo tamen hoc placuisse referunt, vt non in prædicto castro, sed in sua insula habitare debuisset. Qui cum illic cum eis degeret, in errore se schismatis detinere noluit, atque cum omni plebe sua excellentissimo filio nostro Callinico exarcho petitionem dedit, vt Catholicæ cum omnibus qui cum ipso

erant,

erant, sicut prædiximus, vniri debuisset. Qui, vt aiũt, à schismaticis persuasus post semetipsum redijt, & nunc omnis ille populus qui in prædicta insula consistit, sacerdotis protectione priuatus est: quia dum sanctæ Ecclesiæ vniri desiderat, illum iam recipere non potest qui ad schismaticorum errorem reuersus est, & petunt sibi ordinari alium debere. Sed nos quia cuncta necesse est districtè ac subtiliter perscrutari; hoc ordinandum esse præuidimus, vt fraternitas tua ad eundem episcopum mittat, eumque reuerti ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem & ad propriam plebem admoneat. Qui si iam monitus redire contempserit, grex Dei decipi non debet in errore pastoris. Et idcirco sanctitas tua illic episcopum ordinet, eandemq; insulam in sua diœcesi habeat, quousque ad fidem catholicam Histrici episcopi reuertantur, vt & vnicuique Ecclesiæ suæ diœceseos iura seruentur, & destituto à pastore populo non desit protectio & cura regiminis. In his tamen omnibus fraternitatem tuam decet sollicitè vigilare, vt plebs eadem quæ ad Ecclesiam venit, studiosius admoneatur, quatenus constanter in sua reuersione fixa sit, ne vagis cogitationibus in erroris iterum foueam relabatur. Excellentissimum verò exarchũ petere studeat, vt hæc ipsa suis suggestionibus pijssimis imperatorum auribus innotescat: quia quamuis iussio quæ ad eum delata est, subrepta esse videatur, non tamen in ea iussione ei præceptum est, vt volentes ad Ecclesiam redire nõ permittat, sed vt inuitos hoc interim tempore minimè compellat. Huius ergo causæ ordinationem in suam curam prædictus filius noster suscipiat; quatenus suis responsis agat, vt quicquid ordinauerit, dubium non fiat. Quod tamen & nos communi filio Anatholio scripsimus, vt hæc pijssimis principibus subtiliter innotescat. Excellentissimi filij mei domni Callinici exarchi assiduè & importunè pro persona Maximi scripta suscepi. Cuius importunitate victus, nihil habui quod amplius facere debuissem, nisi eiusdem Maximi causam tuæ fraternitati committerem. Si igitur ad fraternitatem vestram venerit idem Maximus, deducatur & Honoratus eius Ecclesiæ archidiaconus, vt cognoscat sanctitas tua si rectè ordinatus est, si in simoniacam hæresim lapsus non est, si ei de criminibus corporalibus nihil obuiauit, si se nõ cognouit excõmunicatum quãdo missas facere præsumpsit, & quicquid sub timore Dei tibi visum fuerit, decerne; vt nos dispositioni tuæ consensum Deo auctore præbeamus. Si autem tuam fraternitatem suspectam prædictus filius noster habuerit; etiam reuerendissimus vir frater noster Cõstantius Mediolanensis episcopus Rauennã veniat, tecum resideat, & de eadem causa pariter decernite, & quod vtrisque vobis placuerit, mihi placiturum esse certum tenete. Sicut enim obstinati esse humilibus non debemus, ita districti existere superbis debemus. Vestra ergo fraternitas sicut in Scripturæ sacræ paginis didicit, quicquid iustum perpenderit, in eius negocio decernat.

EPISTOLA XI.

De reliquijs concedendis Gregorio expræfecto.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Sorẽtino, Agnello episcopo Terracinensi, Felici episcopo Portuensi, Fortunato episcopo Neapolis, Primerio episcopo Nuceriæ, Glorioso episcopo Ostiensi, Aluino episcopo Firmiæ.* Glorioſus filius noſter Gregorius expræfectus ſanctuaria beatorũ martyrũ in diœceſis veſtræ locis quieſcẽtium ſibi poſtulat debere concedi, in quorum honorem baſilicam proprijs ſumptibus ædificari deſiderat. Et ideo fratres cariſſimi præfati viri deſiderijs ex noſtra vos præceptione conuenit obedire, vt deuotionis ſuæ in conſecratione quam poſtulat potiatur effectu.

Menſe Nouembris, Indictione ſecunda.

EPISTOLA XII.

De reliquijs collocandis in Eccleſia ſanctæ Mariæ.

GREGORIVS, *Chriſanto Epiſcopo Spoletano.* Paulus Eccleſiæ Reatinæ diaconus petitoria nobis inſinuatione popoſcit, vt ad fontes in baſilica beatæ Mariæ ſemper Virginis genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ eſt intra ciuitatem Reatinam poſita, reliquiæ beatorum martyrum Hermetis & Hyacinthi & Maximi debeant collocari. Et ideo frater cariſſime ſi in eodem loco nullum corpus conſtat humatum, ſanctuaria prædictorum martyrũ cum reuerentia ſine ambiguitate ſuſcepta diligenter conſecrabis.

EPISTOLA XIII.

De argento Eccleſiæ apud Serenum diaconum depoſito, requirendo.

GREGORIVS, *Seuero Epiſcopo Anconitano.* Vir reuerendiſſimus Paſſiuus frater & coepiſcopus noſter ad nos veniẽs indicauit, argentum Eccleſiæ ſuæ à deceſſore ſuo Fabio apud Serenum diaconum tuum pro temporis qualitate eſſe depoſitum. Cuius parte aliqua reſtituta, partem apud eum aſſerit reiacere, & reſtituere eam quadã excuſatione differre. Proinde his fraternitatem tuam hortamur affatibus, vt eum admonere ſtudeat, quatenus quæ accepit, ſine contentione reſtituat. Aut ſi forte ab eius reſtitutione aliqua ſe excuſari ratione confidit, neceſſe eſt vt inter eum & actores Firmanæ Eccleſiæ vnà cum Armenio fratre & coepiſcopo noſtro cognoſcere debeatis, & ſubtiliter veritate diſcuſſa, ita huic cauſæ finem imponere, vt nec antedictus diaconus pati præiudicium, nec præſata iniuſtè dmnum videatur Eccleſia ſuſtinere.

Inſ. ep. 71. li. 9. ep. 12. & 13. li. 11. ep. 28.

EPISTOLA XIIII.

De pecunia expenſa ab Eccleſia pro eorũ redẽptione.

GREGORIVS, *Demetriano & Valeriano clericis Firmanis.* Et ſacrorum canonum ſtatuta & legalis permittit auctoritas licitè res Eccleſiaſticas in redemptionem captiuorum impendi. Et ideo quia edocti à vobis ſumus, ante annos ferè decem & octo, virum reuerendiſſimum quondam Fabium epiſcopum Eccleſiæ Firmanæ pro redemptione veſtra, ac patris veſtri Paſſiui fratris & coepiſcopi noſtri, tunc verò clerici, necnon matris veſtræ libras vndecim argenti de eadem Eccleſia hoſtibus impendiſſe, atque vos ex hoc quandam habere formidinem, ne hoc quod datum eſt, à vobis quolibet tempore repetatur; huius præcepti auctoritate ſuſpicionem veſtram præuidimus auferendam, conſtituentes nullam vos exinde hæredeſq; veſtros quolibet tempore repetitionis moleſtiam ſuſtinere, nec à quoquã vobis aliquã obijci quæſtionem: quia ratio æquitatis expoſcit, vt quod ſtudio pietatis impenſum eſt, ad redemptorum onus vel afflictionem non debeat pertinere.

12. q. 2. c. §. Iuo. p. 3. c. 145.

EPISTOLA XV.

Quod conſecret Eccleſiam ſancti Petri Apoſtoli, & ſancti Michaëlis Archangeli.

GREGORIVS, *Fortunato Epiſcopo Neapolitano.* Theodoſius abbas monaſterij ſancti Martini petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit, quę habetur in ſubditis, in domo quondam Marini, ex eius voluntate deceſſorem ſuum Andream abbatem, monaſterium in quo monachi habitare debeant, conſtruxiſſe. Et quia id in honorem beati Petri Apoſtolorum principis, & ſancti Archangeli Michaëlis poſtulat dedicari; dilectionem tuam pręſentibus apicibus duximus adhortandam, quatenus ad prędictum locum cum poſtulauerit ingrauanter accedas, venerandæ ſolennia dedicationis impendens. Et quotiens neceſſe fuerit, à preſbyteris Eccleſiæ tuæ in loco ſancto deſeruientibus celebrentur ſacrificia veneranda miſſarum, ita vt in eodem monaſterio nec fraternitas tua, nec preſbyteri præter diligentiam diſciplinæ aliquid moleſtiarum inferant, aut ſi quid illic pro diuerſorum deuotione commoditatis acceſſerit, ſibi exiſtiment vendicari, cum monachis in eodem loco deſeruientibus debeat proficere quicquid à fidelibus offerri contigerit.

Sup. li. 2. ep. 59. 61. Ind. 11. lib. 5. ep. 11. 31. li. 6. ep. 1. & 20. li. 7. ep. 91. 107. 108.

EPISTOLA XVI.

De monasterio in Sicilia construendo.

Inf.li. 9. ep.34. 35. lib.10.epi. 40.47. Ind.5.

GREGORIVS, *Romano defensori.* Filius noster Theodosius abbas monasterij à Liberio quondam Patricio in Campaniæ parte constructi, nobis noscitur intimasse, Rusticam quondam illustrem feminam ante nos ferè viginti & vno annis, condito testamento Felicem iugalem suum hæredem instituisse, eiq; de construendo illic in Sicilia monasterio hac conditione interposita delegasse, vt si intra anni spacium omnia libertis dimissa legata non solueret, vel prædictum monasterium ita, vt voluit, minimè ordinaret; tunc sancta Romana Ecclesia portionem quã in fundo Cumas habere visa est, sibi deberet sine dubio vendicare, & ipsa ad persoluenda eadem legata, vel constructionem ipsius monasterij solatia commodare. Vnde quia, quantum dicitur, dimissa res hactenus minimè ipsi monasterio est completa, atque ab eius nuncusque hæredibus possessionis pars aliqua detinetur; cum omni subtilitate experientia tua causam exquirat atque discutiat. Et primum quidem si in conditione testamenti hæres incidit, per quod nostra habeat causas Ecclesia, inuestigare te volumus atque euidenter addiscere, & vtilitatem pauperum, sicut rei ordo poposcerit, exequi; & tũc pro ordinatione cellę illius, vel redintegratione dimissæ rei instanter esse sollicitum; quatenus pia testatricis voluntas in vtroque valeat adimpleri, & detentores iniusti culpam retentionis indebitæ ex iusta amissione cognoscant. Cum omni ergo viuacitate causam hanc & exquirere, & ad effectum te volumus Domino auxiliante perducere, vt pia ordinantis deuotio tandem sortiatur effectum. Sed & monasterio ipsi in omnibus, salua iustitia, solatiari te volumus, vt laicæ personæ quasi ex conditoris nomine quæ iuuaminis debuerunt ferre solatium, lędendi non habeant, sicut asseritur, facultatem.

EPISTOLA XVII.

Patrimonium Ecclesiæ in Sicilia commendat.

Sup.ep.16

GREGORIVS, *Romano defensori.* Propositi nostri cura nos admonet Ecclesiasticas vtilitates strenuis agẽdas mandare personis. Et Ideo, quia te Romanum defensorem fidelem sollicitumque probauimus extitisse, patrimonium sanctæ Romanæ, cui Deo miserante deseruimus Ecclesiæ, in partibus Syracusanis, Catinensibus, Agrigentinis, vel Milensibus constitutum, à præsenti secunda indictione gubernationi tuæ peruidimus committendum. Vnde necesse est te illic indifferenter accedere, vt diuini considerationeiudicij, nostræ quoq; admonitionis memoria te efficaciter ac fideliter studeas exhibere, vt nullius neglectu vel fraudis, quod absit, inueniaris sustinere periculum. Magis autem id agas, quatenus de fide & industria tua diuinæ possis gratiæ commendari. Ad familiam verò eiusdem patrimonij secundum morem præcepta direximus, vt nihil sit quod te ad peragenda ea, quæ tibi iniũcta sunt, in aliquo valeat impedire.

EPISTOLA XVIII.

Vt obediant Romano defensori.

GREGORIVS, *Colonis Patrimonij Syracusani.* Cognoscatis volo, quia ad sollicitudinem vos defensoris nostri dispositio nostra pertinere constituit. Et ideo præcipimus, vt ea quæ vobis peragenda pro vtilitatibus Ecclesiasticis præuiderit, & iniunxerit, sine aliqua debeatis difficultate obedire. Cui talem dedimus potestatẽ, vt eos qui inobediẽtes, vel attentauerint contumaces existere, districta vltione corripiat. Pariterq; illi demandauimus, vt mancipia quæ foris latitant, vel à quoquam aliqui fines inuasi sunt, sollicitudinis suæ instantia iure Ecclesiastico reuocare non differat. Noueritis etenim cum periculo suo fuisse cõmonitum, vt nullam aliquando violentiam rebus alienis, vel raptum qualibet excusatione facere præsumat.

EPISTOLA XIX.

Quod Romano patrimonium Ecclesiæ commẽdasset.

GREGORIVS, *Petro Sicilienſi.* Scientes deuotionis affectum paternis commendationibus ampliari; necesse est, vt ea quæ agere vos sponte confidimus, gloriæ vestræ in his fauorem nostris augere epistolis festinemus. Indicamus itaque Romano defensori latori præsentium, patrimonium Ecclesiæ nostræ, quod in Syracusanis, Catinensibus & vicinis locis noscitur esse constitutum, Dei protegente gratia credidisse. Et propterea salutantes paterno affectu petimus, vt vestra eum fouere prouidentia debeatis, atque ei in omnibus vestrum, sicut de vobis confidimus, auxilium cõmodetis, vt dum in gloriæ vestro solatio, vel fauore subsidium consolationis habuerit, & vos qualem circa nos caritatem geritis, manifestius ostendatis, & nos voluntati vestræ respondere, dum necesse fuerit, per omnia festinemus.

Sup. li. 1. ep. 9. 18. 35 39. 42. 44. 45. 67. 69. 70. 71. li 2. ep. 19. 23. 39. Sup. ep. 17. 18. inf. ep 20.

EPISTOLA XX.

De patrimonio in Sicilia Romano commendato.

GREGORIVS, *Libertino Exprafecto.* Gloriæ vestræ & experta & cognita nos deuotio prouocat, epistolari vos alloquio, causis Ecclesiasticis exhibere adiutores. Et ideo quia Romano defensori pręsentium portitori curam patrimonij Ecclesiæ nostræ, quod in Syracusano atque Catinẽsi territorio situm est, Deo auctore commisimus, salutantes gloriam vestram petimus, vt concurrere illi, ac ferre solatium in omnibus debeatis. Et ne forsan de nouitate minus aliqua quæ sunt vtilia comprehendat, vestris eum subtiliter consilijs informate, atque ad agenda hæc vestram illi, sicut consueuistis, operam adhibete: quatenus dum vobis opitulantibus vtiliter quæ ei iniuncta sunt peregerit, & vos de bono vestro mercedem recipere valeatis, & nos pro gloriæ vestræ vita omnipotentis Dei misericordiam exorare enixius inuitemur. De capitulo autem de quo mihi lator præsentium est locutus, vel reuerendissimus frater noster Ioannes episcopus scripsit, interim vel tentari vel agi nil potuit: quia persona apud quam agi poterat, nec dum est in potestate aliqua confirmata.

Sup. lib. 2. ep. 37. Ind. 11. lib. 8. ep. 31.

EPISTOLA XXI.

Romanum defensorem commendat.

GREGORIVS, *Libertina Ciridano.* Gloriæ vestræ bonitas nuncio veraci diffusa, tantam nobis de se certitudinẽ præbet, vt in nullo de ea diffidere, sed magis sicut reuera sapienti filio Ecclesiæ nostræ debeamus specialiter causam commendare. Et ideo Romanum defensorem nostrũ præsentium portitorem ad gubernationem patrimonij Ecclesiæ nostræ in Catinensibus ac Syracusanis partibus constituti, Deo protegente tansmisimus. Salutantes igitur paterna dilectione gloriã vestram, petimus vt in cũctis affectum vestræ caritatis inueniat, & fauoris vestri solatijs quocunque necesse fuerit potiatur, vt vobis præsentibus nos absentes esse non sentiat, quatenus cum iniuncta sibi salubriter vestra ope expleuerit, & nos vobis gratiarum possimus existere debitores, & beatus Petrus Apostolorum princeps, in cuius causis vos impenditis, hic vobis & in futuro compensęt.

Inf li.10. ep.31.

EPISTOLA XXII.

De querimonia Leontij contra Leonem Episcopum.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Filius noster gloriosus vir Leontius exconsul de fratre & coepiscopo nostro Leone grauiter est questus, nosq; eius querela omnimodo turbauit, quia ita præcipitanter & leuiter ab episcopo agi non debuit. Quam causam subtiliter exequendam

Li 4 ep. 3. lib 6 ep 3. li. 7 ep 22. 27. lib 8. ep. 37.

venien-

venienti Romano defensori cõmisimus. De vestra autem fraternitate is qui ab eo directus est queritur, quòd Marchilai viri clarissimi medici defensione fratris & coepiscopi nostri Domitiani Metropolitæ vtilitas grauetur. Et quidem tueri iustè filios suos, vel sicut est fortè sanctæ Ecclesiæ negotia, fraternitas vestra debet, & nullam occasionem dare aduersarijs maledicti gratia. Quod tamen vos per omnia custodire etiam ista loquendo non ambigo, eidem tamen Romano venienti etiam de hac causa iniunximus, vt vobiscum debeat quæ sunt recta disponere.

EPISTOLA XXIII.

De Stephania, & Calixeno filio eius.

GREGORIVS, *Romano defensori* Quanquam ea quæ ad Ecclesiæ iura perueniunt, alienari legis ratio non permittat; temperanda tamen interdum est censura districtionis, vbi misericordiæ respectus inuitat, maximè quando tanta est quantitas, quæ nec dantem onerat, & accipientis pauperiem iuxta aliquid consolatur. Et ideo quia Stephania præsentium latrix cum Calixeno filio suo paruulo, quem de Petro quondam viro suo se suscepisse & nimia asserit pauperie laborasse, huc veniens assidua obsecratione & lachrymis à nobis exegit, vt domum possessionis in ciuitate Catinensium, quam Ammonia quondam socrus eius, Ecclesiæ nostræ titulo donationis obtulerat, eidem Calixeno restitui faceremus: memoratam Ammoniam asserens alienandi eam non habere licentiam, sed antefati Calixeni filij sui per omnia iuris esse. Cui rei dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus, qui causam cognitam habuit, contradictor extitit, inquiens quòd prædictæ mulieris queremonia non haberet iustitiam, nec posse rationabiliter ad filij sui nomen domum ipsam vendicare siue repetere. Sed ne suprascriptæ mulieris lachrymas inanes relinquere, & plus sequi rigoris viam quàm causas videamur pietatis complecti, hac tibi præceptione mandamus, vt memoratam domum sæpefato Calixeno simul & donationẽ ab Ammonia factam de domo ipsa, quæ illic in Sicilia esse noscitur, reddere debeas: quia sicut diximus, melius est in dubijs non districtionem exequi, sed ad benignas potius partes inflecti, præsertim dum ex paruæ rei cessione nec Ecclesia grauatur, & orphano atque pauperi misericorditer subuenitur.

EPISTOLA XXIIII.

Laicis non temerè tuitionem Ecclesiasticam impendendam.

GREGORIVS, *Romano Defensori.* Peruenit ad nos quia quidam homines minorem omnimodo discretionẽ tenentes, in suis nos periculis implicari desiderant, atque ita volunt ab Ecclesiasticis personis defendi, vt ipsæ quoque personæ Ecclesiasticę ex eorum culpa teneantur. Idcirco præsenti te præceptione admoneo, & per te fratrem & coepiscopum nostrum domnum Ioannem, vel ceteros qui interesse possunt, vt patrocinia Ecclesiastica, siue mea suscipiatis scripta, siue etiam minimè fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati sunt, à nobis non videantur iniustè defendi, ne opinionem malè agẽtium ex indiscretæ defensionis ausu in nos vllo modo transferamus: sed quãtum decet Ecclesiam, admonendo & verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, vt & illis opem feratis, & opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis.

EPISTOLA XXV.

Visitationem Messenatensis Ecclesiæ iniungit.

GREGORIVS *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Cognoscentes Messenatem Ecclesiam sacerdotis regimine destitutam, visitationis eiusdem Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus. Quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorũ, redditu, ornatu, ministerijsq; vel quicquid aliud est in patrimonio eiusdem, à quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo caritas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemque eiusdem Ecclesiæ admonere festinet, vt remoto contentionis diuerso studio vno eodemq; consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotẽ, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia nisi fortè inter clericos ipsius ciuitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, (quod euenire nõ credimus) potuerit inueniri: prouisurus ante omnia ne aut cuiuslibet conuersationis vel meriti laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculũ ordinis tui, quod absit, incurras.

EPISTOLA XXVI.

De eligendo Episcopo.

GREGORIVS, *Clero, ordini & plebi Consistenti Messena.* Cognoscentes Ecclesiam vestram sacerdotis regimine destitutam, curæ nostræ fuit visitationem eiusdẽ Ecclesiæ fratri & coepiscopo nostro Fortunato solẽniter delegare. Cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsq; à quoquam vsurpari patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire, & remoto strepitu, vno eodemq; consensu talem vobis præficiendum expetere sacerdotem, qui & à venerandis canonibus nulla discrepet ratione, & tanto ministerio dignꝰ valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatu, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus; prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et nõ solùm ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehetur, verumetiam vos nullis intercessionibꝰ veniã promereri posse cognoscite: sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & à communione alienos faciendos proculdubio noueritis.

Sup. epist. prox. 25.

Laici non debent ad episcopatũ designari.

EPISTOLA XXVII.

De concordia facta inter Ecclesias & Monasteria.

GREGORIVS. *Antonio Subdiacono & Dometi. no abbate atq; pre. bytero aparibus.* Sicut graue & plenum vituperationis est, inter personas omnipotenti Deo militãtes, de sæcularibus negocijs ortam diu controuersiam permanere; ita laudabile & studio est religioso cõueniens, terrenis gratam Deo pacẽ præferre compendijs, & ex rebus transitorijs mãsura semper caritatis lucra mercari. Et ideo quia de possessionibꝰ Faiano, Nasoniano & Labiniano positis in prouincia Sicilia territorio Panormitano, de quibus inter prępositos monasterij sanctorum Maximi & Agathę, quod Lucuscanum dicitur, & è diuerso administratores Xenodochij in hac vrbe Roma constituti, quod Valerij nuncupatur, lõga se traxit contentio: nunc verò inter te Antonium subdiaconum nostrum memorati Xenodochij prępositum, & è diuerso dilectissimum filium nostrum Dometianum abbatem atque presbyterum prædicti monasterij pactis interuenientibus salubris processit, Deo auctore, decisio: necesse est, vt omnis discordiæ possit occasio præueniri, ea quæ gesta sunt, interueniente auctoritate firmari. Proinde per huius præcepti seriem hoc decernendum esse perspeximus, vt omnia instrumenta, vel quicquid est aliud quod partibus, quod absit, adinuicem contra se venire cupientibus, quoquo modo vel ex temporis præscriptione, seu aliter opem delege, aut quocunque priuilegio poterat ministrare; sit, sicut & vos poscitis, vacuum & omni virtute cassatum, & sola pactorum inter vos nunc habitorum, pagina validum perpetuumque robur obtineat.

Li. 2. ep. 9. 22. Ind. XII.

Cui si quid fortè incuria, vel imperitia minus firmitatis insertum est, vires plenissimæ munitionis & soliditatis ex hac nostra auctoritate suscipiat, nec superesse aliquid valeat, vnde ea quæ religioso studio prouidè, vt oportuit, ac pacificè terminata sunt, ne quocunq; tempore quicquam dubietatis incurrant: sed omnia quæ in eisdem pactis tenentur adscripta, firma, illibata & sine aliqua refragatione persistant: quatenus amota penitus totius altercationis materia, inter eos quos caritatis immutabiliter decet manere concordia, nulla queat deinceps litigiosæ contentionis occasio generari. Pro munitione verò suprascripti monasterij memorato Dometiano abbati atque presbytero præceptum simile dedimus.

Mense Ianuarij, Indictione Secunda.

EPISTOLA XXVIII.

De contentione Adeodatæ & matris eius.

Sup. lib. 3. ep. 21. Ind. 12. & li. 4. ep. 5. & 16. Ind. 13.

GREGORIVS, *Venantio Episcopo Lunensi.* Quæ sit Adeodatæ ancillæ Dei latricis præsentium aduersus Fidentiã matrem suam querimonia, ex pagina petitionis oblatæ quę tenetur in subditis, fraternitas vestra cognoscet. Et quoniã æquitatis censura admonet, vt maximum conuersis salutis ratione episcopale debeat adesse solatium: idcirco his fraternitatem vestram epistolis adhortamur, vt prædictam matrem ipsius ad se faciat euocari, & tranquilla ei adhortatione suadeat, vt facere sponte non desinat, ad quod legali potest ratione compelli: quatenus nec illa affligi, nec ista videatur præiudicium sustinere. Quæ si, quod non credimus, admonitionem vestram deferre voluerit, prædictæ Adeodatæ religiosæ contra eam tuitionem impendite, atque vestris eam solatijs apud iudicem, vel quocunque vsus exegerit, instantius adiuuate. Et ita in exequendam vos hãc causam impendite, vt legali ratione cõstricta, inuita vrgeatur facere quod sponte postponit. Memoratam verò latricem fraternitas vestra ita seruata æquitate habeat in omnibus commendatam, vt vobis ei tuitionem impendentibus, in eo quem assumpsit habitu, sine aliqua, Deo protegente, concussione permaneat.

EPISTOLA XXIX.

De massa Veneris Stephano abbati restituenda.

Sup. li. 1. ep. 53. 37. 40. 48. 32. 57. 63. 65. 66. 67. l. 4. ep. 23. & l. 10. ep. 23.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiac. Neapolitano.* Æquitatis ius exigit, vt hoc quod à prædecessoribus nostris cognita veritate est redditum, nostra indebitè denuo Ecclesia tenere non debeat: ne quod omnino contra religiosum cõstat esse propositum, non vera, sed imaginaria ac magis dolosa fuisse restitutio videatur. Et ideo quoniam Stephanus abbas monasterij sancti Marci, quod cõstitutum iuxta muros Spoletanę ciuitatis esse dinoscitur, quest nobis massam Veneris in prouincia Campania sitam, territorio Minturnensi, quam ei beatæ memorię decessoris nostri Benedicti redditam præceptione cognouimus, ab Ecclesia nostra nunc indebitè detineri: idcirco hic tibi auctoritate præcipimus, vt si manifestè ab Ecclesiæ nostræ hominibus detinetur, in iura eam prædicti monasterij sine aliqua mora vel altercatione restituas. Si verò non à nostris, sed à quibusdam forsitan extraneis detinetur, strenua te agere solicitudine volumus, vt in iure modis omnibus memorati debeat monasterij reformari: quatenus & ipse quod suum est, te solatiante sine aliqua fatigatione recipiat, & alter de dispendio monasterij iniustè lucrum non habeat.

EPISTOLA XXX.

De ministerijs Ecclesiasticis à filio Constantij recipiendis.

GREGORIVS, *Fausto.* Sicut res Ecclesiasticæ competentibus personis sine aliqua sunt dilatione reddendæ, ita restituentis attendenda cautela est, vt nulla ei possit postmodum ex ipsa nasci restitutione molestia. Et ideo quoniam tempore quo quondam Consentius defensor paternæ gloriæ vestrę commissi sibi patrimonij Campaniæ curam gessit, ministeria Ecclesiæ Vulternæ, quæ erat pro peccatis clero & Pontifice destituta, apud se propter iniunctam sibi solicitudinem tulisse dignoscitur, quæ vos nunc reddere sine nostro consensu dubitare cognouimus: ea propter his vos hortamur epistolis, vt ea Anthemio subdiacono sub de suscepti emissione restituere sine aliqua difficultate debeatis: quatenus & res Ecclesiæ in tuto apud eos quos conuenit habeantur, & gloria vestra ab omni dubitatione sit libera.

EPISTOLA XXXI.

De ministerijs Ecclesiæ Vulternæ.

Sup. ep. 29. Loc lib.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Comperimus ministeria Ecclesię Vulternæ, quæ Consentius defensor propter iniunctam sibi solicitudinem deficiente clero vel Episcopo eiusdem Ecclesiæ tulerat, apud hæredem ipsius remãsisse. Et quia glorioſum virum Faustum filium ipsius ea reddere sine nostro consensu dubitare cognouimus, nostris eum hortati sumus epistolis, vt experientiæ tuæ ministeria eiusdem Ecclesiæ reddere sine dubietate aliqua debuisset. Et ideo experientia tua ministeria ipsa sub de suscepti emissione suscipiat, atque in tuto habere studeat, & modum ac qualitatem ipsorum nobis facta notitia omni subtilitate innotescat.

EPISTOLA XXXII.

De infirmitate eius, & quòd flagellat Deus omnem filium quem recipit,

Li. 1. ep. 29. li. 4. ep. 45. li. 6. ep. 23. 26. & sup. hoc l. ep. 4.

GREGORIVS, *Andreæ.* Audiens quòd gloriam vestram vehementer afflixerit luctus & ægritudo, valde condolui. Sed protinus agnoscens quòd te moribus perfectè relinquit, dolorem mox in lętitiam verti, magnasque omnipotenti Deo gratias retuli, quia percussit, vt sanaret; afflixit, vt ad gaudia vera perduceret. Hinc enim scriptum est: Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Hinc per semetipsam veritas dicit: Pater meus agricola est, & omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: omnem verò qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Palmes enim infructuosus tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes verò fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, vt ad vberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis attrita, aristis & paleis nudantur. Sic oliuæ prælo pressæ, in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearum tunsi calcibus, in vinum liquescunt. Gaude igitur bone vir, quia in hoc flagello tuo & prouectu conspicis, quòd ab æterno iudice amaris. Præterea filiam meam Gloriosam coniugem vestram mea peto vice salutari. Omnipotens autem Deus cælesti vos protectione custodiat, vosque & modò consoletur de largitate donorum, & postmodum de retributione præmiorum.

Heb. 12. Ioan. 15.

EPISTOLA XXXIII.

De presbyteris & diaconis Aldioni ordinandis.

Sup. li. 2. ep. 11. Ind. 12. li. 4. ep. 5. 16. Ind. 13.

GREGORIVS, *Venantio Episcopo Lunensi.* Quotiens ea quę hortari nos conuenit postulamur, moras ad concedendum facere non debemus, ne differre bona desideria, quæ magis fouenda sunt, videamur. Et ideo quia gloriosus Aldio magister militum in ciuitate ipsius presbyteros vel diaconos omnino, sicut suis nobis epistolis indicauit, desiderat ordinari, eos qui ad consecrandum eliguntur, fraternitas vestra diligenter inquirat. Et si nihil est quod canonicè eorum ordinationem impediat, Deo illos propitio studeat ordinare. Cum quibus etiam loqui vos cõuenit, vt addere, atque eos in omnipotentis Dei doceant timore persistere, & præmia æternæ vitæ diligere; quatenus hæc cõsecra-

tio &

tio & illis ante Deum ad gloriam, & habitanti illic populo proficiat ad salutem.

EPISTOLA XXXIIII.

De Virgilio, qui commendationis occasione pecuniam mutuo accepit.

GREGORIVS, *Constantio Episcopo Mediolanen.* Quamuis ita fraternitas vestra conuenienti sibi grauitate discreta sit, vt non admonita, sed ex se quid cui sit impendendū intelligat: veruntamē quia lator præsentium Ioannes vir memorandus, qui præfecturæ vices illic acturus aduenit, nostra se petijt epistola commendari, sanctitas ei vestra, dum necesse fuerit, salua ratione præsidium sui fauoris impēdat, & ita eum sacerdotaliter suis studeat solatijs adiuuare: quatenus vobis præsentibus nec aliorum debeat iniustè oppressionibus laborare, nec ipse alijs contra rationem grauis existat. Quia verò peruenit ad nos, quòd Virgilius, qui vices illic ante hunc præfecturæ gessit, per scriptorum nostrorum occasionem, quibus eum petitione eius compulsi commendauimus, mutuas à vobis, vt ita dicamus, pecunias exegisset, ægrè si verum est sustinemus, vt hoc non ex se, sed quasi per nostram epistolam obtineret. Et ideo fraternitatem vestrā scire necesse est, ita sibi à nobis eos qui hoc exigant cōmendari, vt eis adesse in quantum possibile & iustum est debeat, non tamen vt Ecclesiæ suę huius rei occasione aliquod grauamen imponat. Dat. Mense Sept. indictione 2.

EPISTOLA XXXV.

De Iudæis & Christianis mancipijs.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Cognoscētes qualis fraternitatem vestram zelus pro Christianis mancipijs, quæ Iudæi de Galliarum finibus emunt accēderit, adeo nobis sollicitudinem vestram placuisse signam⁹, vt inhibēdos eos ab huiusmodi negociatione nostra etiam deliberatio iudicaret. Sed Basilio Iudæo cum alijs Hebræis veniente comperimus, hanc illis à diuersis iudicibus reipublicæ emptionem iniungi, atque euenire vt inter paganos & Christiani pariter comparētur. Vnde necesse fuit ita causam cauta ordinatione disponi, vt nec mādantes frustrari, nec hi qui contra voluntatem suam se inquiunt obedire, aliqua sustineant iniustè dispendia. Proinde fraternitas vestra hoc vigilanti sollicitudine obseruari ac custodiri prouideat, vt reuertentibus eis à præfata prouincia, Christiana mancipia quæ ab ipsis adduci contigerit, aut mandatoribus contradantur, aut certè Christianis emptoribus intra diem quadragesimum venundentur. Et transacto hoc dierum numero, nullus apud eos quolibet modo remaneat. Si autem quædam ex eisdem mancipijs talem ægritudinem fortassis incurrerint, vt intra statutos dies vendi non valeant, adhibenda sollicitudo est, vt dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur, quia res quæ culpa caret, ad damnum vocari non conuenit. Quoniam verò quotiens nouum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, vt multis dispendijs præterita non commodent, si qua apud eos mancipia de emptione anni præteriti remanserunt, vel à vobis nuper ablata sunt, dum apud vos sunt posita, ea habeant alienandi licentiam, ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos dignum est postmodum vetitos sustinere. Nunciatum præterea nobis est, suprascriptum Basilium filijs suis Deo propitio Christianis quædam mancipia ad hoc velle titulo donationis concedere, vt ei huius occasionis obtentu, domini solummodo nomine ablato deseruiant, & post hoc si ad Ecclesiam confugiendum fore crediderint, vt fieri debeant Christiana, non in libertatem, sed eorum dominio, quibus antea donata sunt, vendicentur. In qua re fraternitatem vestram decenter conuenit vigilare. Et si qua filijs suis mancipia donare voluerit, vt cuncta fraudis tollatur occasio, fiant modis omnibus Christiana, & in domo eius non maneant, sed cum res exegerit, vt eorum debeat vti solatijs, hoc illi iubeatur impendere, quod etiam à suis filijs ei decet & propter Deum conuenit exhiberi.

EPISTOLA XXXVI.

De monachis ab eo non defensis.

GREGORIVS, *Chrisanto Episcopo Spoletano.* Cum sit proprium disciplinæ ab illicitis prohibere, & excessus culpas salubriter resecare, studiosè eius seruanda censura est. Nam si negligitur, cuncta in cōfusionem deueniunt, dum alter destruit quicquid ea custodiendo alter ædificat. Valentinus itaque presbyter questus est nobis, quia si monachus monasterij ipsius exigente culpa fuerit communione priuatus, ad loca vestra se conferat, & communionem sine aliqua reseruatione percipiat. Quòd si ita se res habet, quoniā non solum regularis ordo dissoluitur, sed etiam perditionis ex hoc materia ministratur, qui sub vobis sunt presbyteris districtè ac solicitius interdicere vos necesse est, vt hoc facere deceterò non præsumant. Sed si fortè iniustè se excommunicatum quis queritur, fraternitas vestra subtili indagatione cognoscat, & ita causam cognita veritate disponat, vt nec iniustitia diu insontis afflictione præualeat, nec disciplinæ vigor aut frangi, aut indiscreta valeat præsumptione dissolui. Et quia pariter suprascriptus presbyter nobis questus est, diaconum quendam duo iuris sui sub hac cōditione manumisisse mancipia, vt monachi fieri & in eodem monasterio debuissent, vbi ipse fuerat permanere; adijcies vt si quis contra facere præsumpsisset, iugo iterum seruitutis per omnia subderetur, atque vnum ex eis hanc omnino conditionem despexisse, & monasterium temerario ausu deseruisse, atque se inter clericos sociasse. Fraternitas igitur vestra & hoc subtili indagatione discutiat, & si ita repererit, sic sacerdotali se zelo hac in re decenter exhibeat, vt nec illi monasterium deserendi facultas sit, & manumittentis voluntas nihilominus conseruata, aliqua præteriri excusatione non valeat.

Sup. ep. 12. hoc li. & 77 Ind. eiusdem.

EPISTOLA XXXVII.

De Mauro multis debitis obligato.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Maurus præsentium portitor in quadringentis solidis quasdam merces à Felice viro memorando se asserit suscepisse, atque promisisse sex siliquas per solidum lucri causa persoluere precij. Quam lucri quantitatem in vno congestam, duas se cautiones, id est, vnam de quadringentis quinquaginta, & alterā de quinquaginta solidis emisisse, spondens certo tempore quod debebat exoluere. Sed quia, vt perhibet, in eisdem mercibus passus est non leue dispendium, & restitutis quadringentis decem solidis, quod reliquum lucri est, implere cōpellitur, atque ex hoc maiori se necessitati ac potius desperationi ingemit subiacere, & propterea aliquo sibi subueniri petit auxilio: experientia tua, si ita est, apud magnificum filium nostrum vnà cum reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Fortunato, ac glorioso filio nostro Maurentio Magistro militum quia & ipsi scribimus, agere studeat, vt hac in re sicut Christianum decet & nobilem, plus benignus quàm rigidus, plus misericors esse debeat quàm districtus, & lucrū de damno alterius non expectet, sed recepta precij sit sorte contentus; quatenus quicquid pauperi cesserit, omnipotens ei Deus multiplicata sicut promisit restitutione compensēt. Ita ergo studiosè experientia tua agat, vt illi modis omnibus hoc pro mercede ipsius imponere, & hunc ab afflictione possit obligationis exuere.

Sup. li. 1. ep 23 37. 48. 53. 57. 63. 65. 66. 67. li. 4. ep 23. & li. 10. ep. 2. 3.

EPISTOLA XXXVIII.

De Gaudiosi penuria sustentanda.

GREGORIVS, *Romano Defensori Siciliæ.* Diuinorū nos admonent eloquia præceptorū, necessitatem patientibus, Ecclesiasticum præbere subsidium. Quia ergo dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus, Gaudiosum defensorem

Lib 7. hoc li. sup. ep. 23. 24 h. Ind. inf. li. 9. ep. 34. 35 li. 10. ep. 40. 46. 47. Ind. 5.

sedis

sedis nostræ, qui Syracusis degere comprobatur, paupertatis asserit inopia constringi; idcirco experientiæ tuæ præsentium auctoritate mandamus, vt à præsenti secunda indictione sex solidos annis singulis ei dare non differas, vt & ille huius remedij solatio potiatur, & tu quod dederis tuis sine dubio noueris rationibus imputandum.

EPISTOLA XXXIX.

Vt Episcopi cum mulieribus non habitent.

Sup. ep. prox.

GREGORIVS, *Romano defensori, Fantino defensori, Sabiniano subdiacono, Hadriano notario, Eugenio notario, Felici subdiacono, Sergio defensori, Bonifacio defensori, aparibus & sex patronis.* Quia sicut cauta prouisio & culparum vias obstruere & nouit quæ sunt noxia declinare, ita neglectꝰ paret excessibus, & quæ sunt cauenda solet incurrere; magnam nos sollicitudinis oportet curam impendere, & fratrum sacerdotumque nostrorum opinioni pariter & cautelæ prospicere. Peruenit autem ad nos quosdã episcoporum sub prætextu quasi solatij in vna domo cum mulieribus conuersari. Et ideo ne per hoc aut subsannatoribus iusta obtrectationis detur occasio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis assumat; huius tibi seriem præceptionis iniungimus, vt strenuum te studeas & sollicitum exhibere. Et si qui episcoporum, quos commissi tibi patrimonij finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino compescas, & de cetero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis quas sacrorum canonum censura permittit, id est, matre, amita, germana, & alijs huiusmodi, de quibus praua non possit esse suspicio. Melius tamẽ faciunt, si etiam à talium se cohabitatione contineant. Nam legitur quòd beatus Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens: Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ nõ sunt. Docti ergo viri cautela, magna nobis esse debet instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pauet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non vti concessis. Et quidem nos nullos in hoc nolentes adstringimus, sed sicut facere solent medici, & si ad tempus tristem curam, tamẽ pro salute dictamus. Et idcirco non necessitatem imponimus, sed si imitari doctum sanctumq; virum elegerint, ipsorum voluntati relinquimus. Tua igitur experientia, vt seruari debeant ea quæ prohibenda mandauimus, studium & sollicitudinem gerat. Nam si aliter postmodum inueniri contigerit, non leue se apud nos nouerit periculum incursuram. Præterea curæ tuę sit eosdem fratres nostros episcopos adhortari, vt subiectos sibi in sacris videlicet ordinibus constitutos, quod ipsi seruant, ad similitudinem sui modis omnibus seruare commoneant: hoc tantummodo adiecto, vt hi, sicut canonica decreuit auctoritas, vxores quas castè debent regere, non relinquant. Dat. Mense Martio, Indict. II.

Quæ fœminæ possint cũ sacerdotibꝰ habitare.

EPISTOLA XL.

Vt Calixeno filio Stephaniæ donationem restituat.

Vt sup. ep. prox.

GREGORIVS, *Romano defensori.* Mense Nouembrio præsentis secundæ indictionis, experientiæ tuæ præceptione nostra mandauimus, vt Calixeno filio Stephaniæ domum Catinæ possessionis, quam Ammonia auia eiusdẽ Calixeni Ecclesiæ nostræ facta donatione contulerat, reddere ei donationem eandem tandem debuisses. Quod hac, vt dicitur, excusatione facere distulisti; quia notitia eiusdẽ donationis non esset de polipticis caraxata. Quod incongruè te dixisse cognoscas, dum ad munitionem tuam præcepti nostri pagina posset valde sufficere. Proinde præsenti auctoritate suscepta, prędictam domum & donationem antefato Calixeno orphano sine mora restitue. Nam quod iustum & ipse sentias nouimus, & nos tamen prædicto eidem orphano supradictam domum ex benignitate largimur.

EPISTOLA XLI.

Gratias agit de pace facta.

GREGORIVS, *Agilulfo Regi Longobardorum.* Gratias excellentiæ vestræ referimus, quia petitionem nostram audientes, pacem quæ vtrisque esset partibus profutura, sicut de vobis confidentiam habuimus, ordinastis. Ex qua re excellentiæ vestræ prudentiam & bonitatem valde laudauimus, quia pacem diligendo, vos Deum qui ipsius est auctor, amare monstrastis. Nam si (quod abesse gaudemus) facta non fuisset; quid aliud agi debuit, nisi vt cum peccato & periculo partium, miserorum rusticorum sanguis, quorum labor vtrisq; proficit, funderetur? Sed vt prodesse nobis eandem pacem quemadmodum à nobis facta est sentiamus; paterna caritate salutantes petimus, vt quotiens se occasio dederit, ducibus vestris per diuersa loca, & maximè in his partibus constitutis, vestris præcipiatis epistolis, vt hãc pacem, sicut promissum est, summoperè custodiant, & occasiones sibi aliquas non quærant, vnde aut contentio quædam aut seditio aliqua aut ingratitudo nascatur, quatenus voluntati vestræ amplius agere gratias valeamus. Latores verò præsentium sicut re vera homines vestros, in eo quo decuit affectu suscepimus: quia iustum fuit vt viros sapientes & qui pacem factam Deo propitio nunciauerunt, cum caritate & suscipere & dimittere deberemus.

Paulus Diaconus lib. 4. c. 3.

EPISTOLA XLII.

Gratias refert de pace facta.

GREGORIVS, *Theodelindæ Longobar. Reginæ.* Quia excellentia vestra ad faciendam se pacem studiosius & benignè, sicut solet, impenderit, renunciante filio nostro Probo Abbate cognouimus. Neque enim aliter de Christianitate vestra fuerat confidendum, nisi quia in causa pacis laborem & bonitatem vestram modis omnibus monstrare-tis. Vnde omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cor vestrum sua pietate regit, vt sicut rectã fidem tribuit, ita quoque placita sibi vos semper operari concedit. Non enim excellentissima filia de sanguine qui ab vtraque parte fundendus fuerat, paruam te credas acquisisse mercedem. Ex qua re voluntati vestræ gratias referentes, Dei nostri misericordiam deprecamur, vt bonorum vobis vicem & retributionem in corpore & in anima hic & in futuro compensẽt. Salutantes vos præterea paterna dilectione hortamur, vt apud excellentissimũ coniugẽ vestrum ita agatis, quatenus Christianæ reipublicæ societatem non reijciat. Nam sicut & vos scire credimus, multis modis est vtile si se ad eius amicitias conferre voluerit. Vos ergo more vestro, quæ ad gratiam & conciliationem partium pertinent, semper studete; atque vbi causa mercedis se dederit laborate, vt bona vestra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis.

Sup. lib. 3. ep. 4. & ibi Ind. ii. lib. 7. ep. 42. Ind. i. Paulus Diaconus lib. 4. c. 3.

EPISTOLA XLIII.

De reuerentia & iustitia Ioannis Episcopi, qui cum Felici iudicium inire volebat.

Inf. ep. prox. 44.

GREGORIVS, *Felici in Sicilia.* Cùm reuerendissimi fratris nostri Ioannis Episcopi benè nobis nota sit grauitas; mirari nos gloriæ vestræ valde fecit epistola, quòd nihil eum secundum admonitionem nostram facere voluisse signabat. Et quidem durum nobis videbatur, aut vobis non credere, aut de illo talia suspicari: quippe cuius cogniti nobis mores & actio non permittebant tale habere iudicium. Cum ergo noster animus dubius in vtroq; penderet; comperimus eum inter vos & Ecclesiam suam voluisse esse iudicium, sed vestram magis gloriam distulisse. Quod negare neque homo vester lator præsentium potuit. Et contristati sumus cur gloria vestra quæ iudicium refugit, contra eum queri voluerit, postquam constat, quia quod rationis fuit, vel vltro, vt scripsimus, obediuit. Nec ei scribere iterum necessarium erat, ne distulisse prius secundum animum

videre-

videretur. Sed ne vos contristare forsitan videremur, ex abundati rursus præuidimus scribendum. Et quoniam certi sumus quia quicquid æquitas ordinauerit, facere non recuset, oportet vt gloria vestra animos suos contra eius inuidiam non accendat, sed studeat inire iudicium, in quo vna eademque cognitione & momenti proprietatis causa valeat distingui. Nam nos venire ad iudicium cupienti, præiudicialiter scribere quædam non possumus: quia ita nos vni parti accommodare decet auditum, vt tamen alteri, præsertim inauditæ allegationis, sine dubio rem integram reseruemus. Et ideo agite, sicut diximus, vt negotiorum vestrorum merita veritate cognita iudicij censura definiat. Nã dum nullum velimus præiudicium sustinere, multo magis vobis sicut re vera filijs, volumus seruari quod iustum est.

EPISTOLA XLIV.

Hortatur vt de possessionibus iniustè peruasis iudicium cum Felice subeat.

Gregorius, Ioanni Episcopo Syracusano. Ante aliquantum tẽporis filius noster vir gloriosus Felix suis nobis epistolis questus est, quarundam possessionum suarum fines ab hominibus Ecclesiæ vestræ violenter esse peruasos, & nullam se apud vos inuenire iustitiam. Sed nobis incredibile visum est hoc aut nobis esse præsentibus perpetratum, aut certè si ad aures vestras peruenit, non fuisse correctum. Ne tamen eius prætermittere querimoniam videremur, fraternitati vestræ scripsimus, vt aut ea si vera essent compesci, aut certè actores Ecclesiæ suæ cum eo faceret subire iudicium. Post hæc verò hominem cum epistola ad nos dirigens, indicauit nihil vos facere voluisse. De qua re, scientes sanctitatis vestræ discretionem, dum noster animus dubitaret, comperimus illum magis distuliſſe. Nam vos paratos extitisse, vt debuisset esse iudicium. Et quamuis hac de causa denuo vobis non fuerat scribendum; quippe quia ea quæ rationis sunt, ante vos manifestum est facere voluisse: verumtamen ne querelam ipsius neglexisse forsitan videamur, hanc ad vos idcirco epistolam dedimus, hortantes vt cum eo etiam nunc mora postposita, vestros ad iudicium homines transmittatis, in quo & momẽti & proprietatis valeat quæstio terminari, vt post hoc nec ille habeat quod queratur, nec ecclesia vestra tenere aliquid præiudicialiter videatur. Quia verò homo quem ad nos misit, schedam compromissi ac iudicati protulit, vbi legebatur possessionem eam quæ Asinaria dicitur, quam ab hominibus vestris inuasam nuper asseruit, decessoris vestri recordandæ memoriæ Maximiani temporibus esse ex iudicio restitutam: necessarium esse præuidimus eius exemplar transmittere: & idcò si ita actũ manifestè cognoscitis, id est, si possessio ipsa decessore vestro consentiente restituta est, & à prædicto viro possessa, sine aliqua eam facite contentione restitui, manente scilicet proprietatis, sicut in eodem iudicio constitutum est, quæstione. Si verò aliter est, & hoc pariter iudicij necesse est diffinitione distingui. Hæc igitur omnia ita fraternitas vestra indita sibi tranquillitate sine aliqua mora fieri prouideat, quatenus nec contra vos murmur excitetur inuidiæ, nec nobis prædictus vir importunus denuo cogatur existere.

EPISTOLA XLV.

De Panthalone notario, & de substantia auunculi eius, qui intestatus discesserat.

Gregorius Sergio defensori. Quia Panthaleon notarius sit in Ecclesiasticis vtilitatibus occupatus, experientia tua non habet incertum. Et ideo quia Ioannes auunculus Megalis socrus ipsius nullo alio proximiore existente obisse intestatus & sine filijs memoratur, ne per absentiam generi sui illa damnum possit incurrere: quia si ita est, lex prædictam mulierem ad intestati auunculi successionem vocare dinoscitur; hac tibi præceptione iniungimus, vt reuerendissimum fratrẽ & coepiscopum nostrum Vitalianum atque Bonifacium notarium in solatio tuo adhibeas, & quascunque res eum qui defunctus est constiterit reliquisse, sub breui annotare, quosque prædictus Panthaleon redeat in tutum, studiose facere debeas. Quod vt melius possis implere, filium nostrum Ioannẽ virum memorandum tribunum in tuo pariter studе adhibere solatio. De quo omnino confidimus, quia si ei voluntatem nostram prodideris, deuotè se tibi accommodare non deneget. Pariter etiam studij tui sit, quoniam quædam apud se sacrata prædictus Ioannes habuisse ministeria perhibetur, & ea diligenter inquirere, & cum omni cautela in tutum facere, nobisque subtiliter quicquid inuentum fuerit indicare. Ita ergo experientia tua, hæc quæ scripsimus facere sollicitè & curare festinet, vt non possit esse culpabilis. Nam si negligens esse potueris, ita te nostros noueris motus incurrere, vt nulla te postmodum possis excusatione defendere. Dat. Mense April. Indict. II.

EPISTOLA XLVI.

Vt Bonifacij Episcopi à clero suo accusati causa diligenter vna cum quinque Episcopis inquiratur.

Inf. epist. prior 47. & l. 2. ep. 10. 46. & li. 5. ep 56. l. 11: ep. 27. & 28.

Gregorius, Sabino Diacono. Clerus Ecclesiæ Regitanæ multa contra reuerendissimum fratrem nostrum Bonifacium Episcopum suum data nobis petitione conquestus est, petens vt ad nos debuisset habere veniendi licentiam; quatenus causæ ipsæ hic subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum huc modo non præuidimꝰ deducendum, visum nobis est illic deputare personam ad causam eandem cognoscendam. Et ideo medijs sacrosanctis Euangelijs experientia tua vnà cum Paulino, Proculo, Palumbo, vel Venerio, atque Martiano reuerendissimis fratribus coepiscopisque nostris, sine cuiusquam personæ respectu tam clericorum querela, quam aduersus suum, sicut diximus, habent episcopum: vel si quam fortè ille contra eos habuerit, cum omni æquitate ac sollicitudine perscrutetur. Et quicquid in veritate cognouerit, nobis vna cum prædictis fratribus nostris subtiliter diligenterque significet, vt renũciatione vestra redditi certiores, quid fieri debeat decernamus.

EPISTOLA XLVII.

Lib. 7. ind. 11. post ep. 46. hæc alia repertiũtur in manuscriptis exemplaribus.

Gregorius, Paulino episcopo Tauren. Proculo episcopo Nicotera, Palumbo episcopo Consentiæ, Venario episcopo Vinomensi, Marciano episcopo Locrensi.

Clerum Ecclesiæ Regitanæ multa contra reuerendissimũ fratrem nostrum Bonifacium episcopum suum data nobis petitione cõquestus est, petens vt ad nos debuisset habere veniendi licentiam; quatenus causæ ipsæ subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum huc modò non præuidimus deducendum; visum nobis est, illic personã deputare ad causam eandem cognoscendam: & ideo medijs sacrosanctis Euangelijs, fraternitas vestra vna cùm Sabino diacono resideat; & sicut officio est sacerdotali conueniens, sine cuiusquam personæ respectu, & cetera vt supra.

Sup. epist. 46.

EPISTOLA XLVIII.

De cura pastorali. De eo quod non rectæ fidei homines ad sacros ordines minimè prouehi debeãt. Et de corrupta synodo Ephesina ab hæreticis. Et de damnatione Pelagij, & Cælestini.

Sup. lib. 1. ep. 7. 24. 25 li. 4. ep. 36.

Gregorius Anastasio Episcopo Antiocheno. Fraternitatis tuę scripta suscepi, professionem fidei rectæ seruantia: magnasque omnipotenti Deo gratias retuli, quòd & immutatis gregis sui pastoribus fidem quam semel sanctis patribus tradidit, etiam eam post eos immutabilem custodit. Prædicator autem egregius dicit: Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quisquis ergo cum dilectione Dei & proximi fidei, quæ in Christo est, firmitatem tenet, eundem Iesum Christum Dei & hominis filium apud se posuit fundamentum. Sperandum ergo est, quòd vbi Christus fundamentum est, bonorum quoque operum sequatur ædificium: Ipsa quoque per se veritas

1. Cor. 3.

Ioan. 10. dicit: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem per ostium intrat, pastor est ouium. Qui paulò post subijcit dicens: Ego sum ostium. Ille ergo ad ouile ouium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodē creatore ac redemptore humani generis vera sentit & prædicat, & prædicata custodit: Culmen regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorij honoris. Curæ quoque suscepti ouilis solerter inuigilat, ne oues Dei aut peruersi homines praua loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum suadentes deuastent.

Quis dicatur intrare per ostiū.

Gen. 31. Certè B. Iacob qui pro vxorib. suis diu seruierat, dixisse meminimus: Viginti annis fui tecū, oues tuę & capræ tuę steriles non fuerunt. Arietes tui gregis non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quicquid furto perierat, à me exigebas. Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat & vigilat qui pauit oues Laban; quanto labori, quantisque vigilijs debet intendere qui pascit oues Dei? Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui propter nos homo factus est, qui dignatus est fieri quod fecit. Ipse & infirmitati meæ, & tuæ caritati spiritum sui amoris infundat, atque in omni sollicitudine & custodia circumspectionis oculum nostri cordis aperiat.

Quòd verò ad sacros ordines rectæ fidei viri perducantur, eidem omnipotenti Deo gratię sine cessatione soluendę sunt, & pro vita pijssimi & Christianissimi domini nostri Imperatoris, & tranquillissima eius coniuge, & mansuetissima eius sobole semper orandum est, quorum temporibus hæreticorū ora conticescunt: quia & si eorum corda in insania peruersi sensus ebulliunt, catholici tamen Imperatoris tempore praua quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. Præterea dum de sanctorum conciliorum custodia tua fraternitas loqueretur, sanctam Ephesinam synodum primam se custodire professa est.

Synodus Ephesina ab hæreticis corrupta. Sed quia ex annotatione hæretici codicis, qui ad me ex regia vrbe transmissus est, agnoui per hoc quod quædam capitula Catholica cum hæreticis fuerant reprehensa, quia quidam illā Ephesinam primam synodum in eadem vrbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita, omnino necesse est vt caritas vestra eandem synodum apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam requirat, & qualiter in veritate habeatur inueniat. Vel si placet, hinc dirigemus quæ ab antiquitate seruata in scrinijs habemus. Illa enim synodus quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quędam in se oblata capitula asserit approbata, quæ sunt Cælestij atque Pelagij prædicamenta. Et cum Cælestius atque Pelagius in ea synodo sint damnati, quomodo poterant illa capitula recipi, quorum damnabantur auctores? Quia verò peruenit ad nos, in orientis Ecclesijs nullum ad sacrum ordinem nisi ex præmiorum datione peruenire, si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, vt à subiectis sibi Ecclesijs errorem simoniacæ hæreseos compescat. Nam, vt alia taceam, quales esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hoc non merito, sed præmijs euehuntur? Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cælesti custodiat, & de ijs qui sibi commissi sunt, fructum multiplicem ac mensuram superaffluentem ad æterna gaudia reportare concedat.

EPISTOLA XLIX.

De monasterio eius in melius transmutando.

Hæc epist. eadem est cum 44. li. 5. ind 13. quare iure prætermitti poterat, si alicuius exemplaris auctoritate niteremur.

G *Regorius, Bonæ Abbatissæ.* Ecclesiastica damnum non sentit vtilitas, si res alijs competentes cognita veritate restituat. Cognouimus itaque Ioannem quondam presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui auctore Deo deseruimus, in domo iuris sui posita in hac vrbe Roma iuxta termas Agrippinas oratorium construxisse, atque illic quosdam redditus legati titulo reliquisse, in quo etiam oratorio seruorum Dei congregationem esse constituit. Et hæc omnia vt debuissent impleri, testamēti sui pagina sanctæ memoriæ Pelagio decessori nostro mandauerat. Sed quia morte occupatus hoc non occurrit implere, & domus ipsa cum horto suo ab actoribus nostræ Ecclesiæ detinetur; iustitiæ nos ratio vehementer incitat, huiusmodi piæ dispositionis arbitrium adimplere. Sed quoniam illic pro difficultate temporis noua seruorum Dei congregatio adhiberi non potuit, seminarum saltem ibi congregationem constituendam esse decreuimus, atque ideo & locum ipsum solenniter dedicare. Et quia monasterium tuū, vbi prius fuisti, in ruinæ erat periculo constitutum; te illic cū congregatione tua constituere Deo annuente perspeximus: quatenus & in supradictæ domus monasterio iuxta voluntatem defuncti, Domino redemptori nostro seruiens habitare congregatio debuisset, & imminens potuisset periculum euitare. Præterea considerantes antedicti presbyteri voluntatē perpetuo illic tempore monasterium esse, atque ad eandem domum in integro cum horto suo & rebus inferius designatis, quæ à testatore relictæ sunt, proprietatis iure cōstituimus pertinere: id est, massam Magulianēsem cum appendicijs suis, via Numentana milliario plus minus XI. tabernam in hac vrbe quæ est posita iuxta Palacenas, & Salgamam positum ante domum supradicti monasterij. His igitur ita concessis atque dispositis, dilectio tua diligenter inuigilet, vt & Dei illic laudes salubri studio deuotissimè, vt moris est, celebrentur, & supradictæ res ad ius ipsius pertinentes, nulla te negligente occasione depereant. Hanc enim sollicitudinem non solùm te, sed etiam eas quæ loco tuo successerint, in prædicto monasterio & de rebus superius designatis constituimus nihilo minus exhibere. Dat. Mense Maij, Indictione vndecima.

EPISTOLA L.

De Ariminensi Ecclesia propter infirmitatem Episcopi destituta. Atque hortatur ciues alium eligere.

Inf epist. prox. fi.

G *Regorius, Mariniano Archiepiscopo Rauennæ.* Qualiter ordinati à nobis sacerdotis, capitis vt notum est impediente molestia, Ariminensis Ecclesia pastorali hactenus & iacerdotali sit regimine destituta, dudum fraternitas vestra cognouit. Quem dum habitatorum loci illius precibus permoti sæpius hortaremur, vt si de eadem capitis qua detinebatur molestia, melioratum se esse sentiret, ad suam auxiliante Domino, reuerteretur Ecclesiam; qui datis inducijs in hoc quadriennio expectatus est. Quem dum monitu cleri ciuiumque illinc venientium, nosque precibus arguentium, instantius hortaremur, vt si valeret, cum eis auxiliante Domino remearet: data in scriptis supplicatione nos petijt, vt quia ad eiusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium pro eadem qua detinetur molestia assurgere nullatenus posset, Ecclesiæ ipsi ordinare Episcopum deberemus. Vnde quia cunctarum Ecclesiarum iniuncta nos sollicitudinis cura constringit, ne diutius gregi fidelium desit custodia pastoralis, illorum precibus huiusque ex sui impossibilitate renūciatione compulsi, visum nobis est eidem Ariminensi Ecclesiæ debere Episcopum ordinari, & datis ex more præceptis clerum plebumque eiusdem Ecclesiæ non destitimus admonere: quatenus ad eligendum sibi antistitem concordi prouisione concurrant. Hortamur igitur vt fraternitas vestra eum quem vno consensu omnes elegerint, sicut & ipsi à nobis popposcisse noscuntur, ad se faciat euocari, quem cauta ex omnibus examinatione discutite. Et si ea in eo quæ in textu heptatici morte multata sunt, minimè DOMINO fuerint opitulante reperta, atque fidelium personarum relatione eius vobis quidem vita placuerit, ad nos eum cum decreti pagina vestræ quoque addita testificationis epistola destinate; quatenus eiusdem à nobis Ecclesiæ disponente Domino consecretur antistes.

7. q. 1. c. 13. Iuo. p. 1. c. 301. Burc. li. 1. c. 189.

Ioan. diac. 4. ca. 39.

Papa cunctarum ecclesiarum curam gerit.

Li. 10 ind. 5 ep. 21. li. 12 ep. 30.

EPISTOLA LI.

Propter infirmitatem Episcopi sui præcipit alium eligendum.

Regorius, Clero & Plebi Consistenti Arimini. Pastoralis nos cura constringit, Ecclesijs sacerdotis moderamine destitutis, sollicita consideratione concurrere. Et ideo quia Ecclesia vestra diu sacerdotis proprij capitis, qua nostri impediente molestia, pastorali est regimine destituta; vestris precibus permoti, eundem episcopum non destitimus admonere, vt si ex eadem molestia se melioratum esse sentiret, ad susceptum sacerdotij debuisset remeare ministerium. Qui semel à nobis sæpiusue commonitus, eadem vrgente molestia, nunc in scriptis nobis supplicatione porrecta noscitur intimasse, nullatenus se ad regimen eiusdem Ecclesiæ vel susceptum officium, impediente molestia assurgere posse. Qua personæ eiusdem desperatione compulsi, necessarium duximus de ordinatione nos eiusdem Ecclesiæ cogitare. Hortamur ergo vt vno omnes eodemq; consensu, remoto strepitu, talem vobis præficiendum eligatis auxiliante Domino sacerdotem, qui & à venerandis canonibus nullatenus respuatur, & tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: quatenus Ecclesia vestra, disponente Domino, proprium habere valeat sacerdotem. Volumus autem vt eum quem vnanimitas vestra elegerit, ad fratrem & coepiscopum nostrum Marinianum Rauennam sine dilatione aliqua perducatis, vt ab eo subtiliter inquisitus atque perspectus, ipsius quoque ad nos veniens testimonio roboretur.

EPISTOLA LII.

De eligendo Episcopo in Arimino.

Regorius, Sebastiano Episcopo. Pastoralis nos cura constringit, Ecclesijs sacerdotis moderamine destitutis, sollicita consideratione concurrere. Et ideo quia Ariminensis Ecclesia cui fraternitas vestra visitationis impendit officium, diu sacerdotis proprij, capitis qua nostis impediente molestia, pastorali est regimine destituta, cleri vel ciuium precibus permoti, eundem episcopum non destitimus admonere, vt si ex eadem molestia se melioratum esse sentiret, ad susceptum sacerdotij debuisset ministerium remeare. Qui semel à nobis sæpius ve commonitus, eadem vrgente molestia nunc in scriptis nobis supplicatione porrecta noscitur intimasse, nullatenus se ad regimen eiusdem Ecclesiæ vel susceptum officium impediente molestia assurgere posse. Qua personæ eius desperatione compulsi necessarium duximus de ordinatione nos eiusdem Ecclesiæ cogitare. Hortamur ergo vt clerum, plebemque Ecclesiæ eiusdem sollicita debeatis admonitione compellere, vt sibi cum Domini auxilio talem præficiendum eligant sacerdotem, qui & aptus tanto ministerio valeat inueniri, & à venerandis canonibus nullo modo respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, vestrarum quoque testimonio litterarum huc sacrandus occurrat: quatenus Ecclesiæ ipsa proprium auxiliante Domino habere valeat sacerdotem.

EPISTOLA LIII.

De testamento Importuni Attellanæ ciuitatis Episcopi.

Regorius Anthemio Campaniæ Subdiacono. Quorundam ad nos relatione peruenit, quòd Importunus Attellanæ ciuitatis episcopus, dum de hac luce migraret, condito testamẽto in octo vncijs totius substantiæ suæ nurum suam hæredem instituerit, & Ecclesiam suam in reliquis quattuor. Hortamur ergo experientiam tuam, vt sollicita inquisitione discutias, & quicquid Ecclesiæ ipsius esse patuerit, à qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc solùm quod eum ante episcopatus ordinem proprium habuisse constiterit. Quicquid verò vel ante Ecclesiæ ipsius esse cognoueris, vel in episcopatus ordine prædictum episcopum acquisisse, in eiusdem Ecclesiæ conseruetur dominio, ne quisquam exinde aliquid vsurpare qualibet occasione præsumat. Clerum verò plebemque eiusdem Ecclesiæ cum omni te volumus instantia commonere: quatenus præficiendum sibi sine dilatione aliqua eligant sacerdotem, qui clerum plebemque vel res Ecclesiæ ipsius, cauta regularique valeat obseruatione disponere. Pariter etiam clerum plebemque ipsius Ecclesiæ, vel quæ ei vnitæ sunt Cumanæ instantius commoneto: quatenus & ipsi omni mora dilatione que postposita, aptum sibi eligere debeant sacerdotem, ne diu, & tali præsertim tempore, pastoris proprij sint regimine destitutæ.

Episcopũ de rebus in Ecclesia cui præest, inuentis, vel in episcopatu acquisitis, testamentum facere non posse.

EPISTOLA LIIII.

De insidijs antiqui hostis. De Chalcedonensi sydo omnimodò recipienda. De Iba & Cyrillo. De ordinatione Apostolicæ Sedis. De sacerdotali officio post lapsum, si pœnitentia secuta fuerit, in pristinum gradum restituendo. De muneribus ab eo transmissis. De paruulorum animabus, quæ sine baptismo moriuntur. Et de imaginibus transmissis.

Sup li 5. ep. 29. Ind. 14. & li. 8. ep. 59. Ind. 3.

Regorius, Secundino Seruo Dei Incluso. Dilectionis tuę scripta suscepi, quæ in meo sensu amoris melle condita sapuerunt. O quanta aspiratione vitæ plena sunt, quæ per gratiam spiritus proferuntur. Non in eis cultus eloquentiæ, non verborum typhus apparebat, sed solam veritatis atque caritatis radicem tenentia, per omne quod locuta sunt, cælestis patriæ amorem efflabant. In eis verò tua à me dilectio petere studuit, vt ad hanc libellum exhortatorium scribere deberẽ. Sed scire te necesse est, fili carissime, quia tantis podagræ doloribus, tantisque curarum tumultibus premor, vt quamuis nunquam me aliquid fuisse reminiscar, valde tamen me videá nõ esse qui fuerim. Quod autem tua se charitas & vltra ætatem quinquagenariam ad huc iuuenilibus desiderijs asserit subiacere, in hoc quoque diuini oraculi implet præceptum, quo scriptum est: Iustus in principio accusator est sui. Nec tamen dubito, maiores te insidias hostis callidi perpeti, qui maiora contra eum bella præparasti. Tãto quippe ille deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto te cælesti patriæ feruentius inhiare cognoscit. Et nos quidem qui vitam cum pluribus ducimus, etsi formidolosi ac timidi, tamen quia contra antiquum hostem bella proposuimus, quasi in acie stamus. Vos autem qui solitariam vitam ducitis, quid aliud quam monachos dixerim qui feruore virtutis etiam ante aciem exire festinatis? Cur ergo eum non singulariter hostis impetat, à quo se impeti singulariter spectat? Et nos quidem qui inter homines viuimus, sæpe per homines à callido hoste tẽtamur. Vos autem qui viam vitæ præsentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto maiora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse tentationum magister accedit. Neque enim vacare orationibus ac laudibus Dei sine aliqua interruptione temporis potestis: quia etsi intentio continuè prompta est, ipsa tamen humanitatis infirmitas ad semetipsam relabitur, vt aliquando fessa iaceat, atque ab studij sui exercitatione torpescat. Antiquus verò hostis mox vt otiosam mentem inuenerit, ad eam sub quibusdam occasionibus locuturus accedit, & quędam ei de gestis præteritis ad memoriam reducit, audita quondam verba indecenter cogitationi resonat; & si qua dudum turpiter acta sunt, eorum species oculis cordis apponit: vt quem de præsentibus non valet inquinare, de malis transactis violet. Et decepta mens sæpe inde in delectationem rapitur, vnde diu iam se per pœnitentiam afflixit: ita vt verè cum Psalmista dicat: Computruerunt & deterioratæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Cicatrix quippe figura est vulneris, sed sanati. Cicatrix ergo ad putredinem redit, quãdo peccati vulnus, quod iam per pœnitẽtiam sanatum est, in delectatione sui animum concutit. Sæpe quod nũquam fecimus, per hostis callidi insidias cordis oculis vi-

Prou. 18.

Monachi grauius tentantur, & ante actæ vitæ peccata ipsis in memoriam recurrũt.

Psal. 37.

lis videmus. Cumque insensibiliter in hoc delectatio surripit, quamuis iam plangat quæ fecerat: tædet tamen infelicem animum quædam non fecisse quæ plangat. Hæ sunt cordis nostri tenebræ, quas in hac vita volentes nolentesque sustinemus. Quis contra hæc quærendus est, nisi adiutor in opportunitatibus in tribulatione? Valde autem libenter accepi quòd tua me caritas de sua dubitatione requisiuit, an Orientales Ecclesiæ fidem atque doctrinam sanctæ memoriæ Leonis sequantur, ne fortasse earum sensus inter semetipsas pro trium capitulorum defensione diuisus sit. Vnde certam dilectionem tuam esse desidero, quia prędictæ sanctissimæ Orientales Ecclesiæ vno sensu, vna doctrina fidem eiusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent, sanctamque Chalcedonensem synodum ita nobiscum custodiunt atque denerantur, vt nullus esse episcopus reputetur, qui eiusdem synodi defensor sectatorq; non fuerit. Hinc est enim vt quotiens in quattuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum alijs generalibus synodis custodire fateantur: licut & nos auersamur, atque anathemate plectendos ducimus, si quis de fide eiusdem synodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere præsumit. Nam synodus quæ post eam generaliter facta est, idcirco à nobis recipitur, quia eiusdem synodi in omnibus sequax, honorem illius auctoritatemque custodit. Vnde necesse est vt dulcissima mihi tua dilectio in hoc quòd præcipuè in bonis moribus viuit, quòd se per abstinentiam affligit, quòd doctrinæ Dei vehementius insistit, hoc studiosius cogitet, ne errorem schismaticorum sequens, à sancta vniuersali Ecclesia diuisa possit inueniri. Et quid tot labores proderunt, si in vnitate fidei inuenta non fuerit quæ ante Dei omnipotentis oculos in bonis actibus animam præcipuè custodit? Hinc enim dicitur: Vna est columba mea, perfecta mea. Hinc ad Moysem Dominus dicit: Est locus penes me, & stabis super petram. Quis est locus qui non sit in Deo, dum cuncta ab ipso per quem creata sunt continentur? Sed tamen est locus apud eum, videlicet sanctæ Ecclesiæ vnitas: in qua super petram statur, dum confessionis eius soliditas humiliter tenetur. De quo loco subiungitur: Tunc videbis posteriora mea. In petra enim, id est, in sancta Ecclesia stantes, Dei posteriora videbimus, quando iam ea quæ in fine promissa sunt cælestis patriæ gaudia contemplabimur. Peruersi autem homines, qui trium capitulorum occasione reperta, Ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalib. actibus reprehendi pertimescunt, subesse sedis Apostolicæ præceptis nolunt, & nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nescisunt. Et dum neque in fide recti sunt, neque in bonis operibus intenti, studentvt certare pro fide videantur. Sicq; fit vt quotidie deteriores fiant, dū in eis culpa grossescit, qui quasi de zelo feruoris videri etiam laudabiles appetunt. Sed iuxta hoc quod scriptum est: Ex operibus eorum cognoscetis eos, vitam eorum tua caritas attendat, & meritum intentionis aspiciat. Vt enim dilectioni tuæ de eadem re breuiter loquar, sancta Chalcedonensis synodus vsque ad definitionem fidei, & prolationem canonum, de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem canonum specialia episcoporum certamina sopire curauit. Epistolam verò quam in ea Reuerendissimus Ibas denegat suam, quòd in extrema parte synodi iaceat, agnoscis. Quæ videlicet epistola Nestorium inauditum & inquisitione non facta damnatum asserit, Cyrillum verò in Apollinaris dogma cecidisse suspicatur. Et si totus superior textus prædictæ synodi legitur, quantū hæc epistola eidem synodo aduersetur, inuenitur: quia scilicet sancta synodus & Nestoriū, sicut est, hæreticum denunciat, & Beatum Cyrillum patrem catholicum veneratur. Epistola ergo quæ illum defendit qui à synodo damnatus est, & eum accusat qui à synodo veneratus est; procul dubio definitioni sanctæ synodi probatur aduersa. Sed quia eius defensores solēt dicere, quòd hanc Ibas eo tempore scripsit, quo adhuc Cyrillus propter duodecim capitula quæ necdum exposuerat, dubius habebatur; in ipsa hac epistola perpende, quia legitur quòd inter Orientales episcopos, & B. Cyrillum pax fuerit celebrata. Si ergo post concordiam pacis, post satisfactionem amotæ dubitationis, hæc eadem epistola scripta est; constat quia nō est catholica, quæ patrem catholicum, atque in toto synodi volumine laudatum, hæreticum appellat. Hæc paucis dixi, quia ex quibus præcipuè causis hac in re dubitationem tua caritas habet, in epistolis non inueni. Et quia tua sanctitas hoc à nobis requisiuit, vt sibi de sacerdotali officio post lapsum resurgendi auctoritates scriberemus, dum se dicit de hoc canones diuersos legisse, & diuersas sententias inuenisse, alias resurgendi, alias nequaquam posse: Ideo sanctas nos generales synodos à Nicæna incipientes, hanc cum reliquis quatuor veneramur: quia ipsum sequentes, ceteræ in cunctis canonicis sententijs vnanimiter concordant. Nam & nos præcedentes patres sequi debemus, qui auctore Deo à sacra doctrina illorū non discordamus. A capite itaq; incipientes, vsq; ad quartum altaris ministrum, hanc formam seruandam cognoscimus, vt sicut minorem maior præcedit in honore, ita & in crimine; & quē maior sequitur culpa, maiori plectatur vindicta, & sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. Quid enim prooest triticum seminare, & fructum illius non colligere? aut domū construere, & non illic habitare? Post dignam igitur satisfactionē credimus posse rediri ad honorem, dicente propheta: Num quid qui cadit, non adijciet vt resurgat? &, Qui auersus est, nō reuertetur? Et peccatori ait: In quacunque die conuersus ingemueris, tunc saluus eris. Vnde & Psalmista ait: Cor mundū crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in viscerib. meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum S. ne auferas à me. Dū enim petijt, ne à Domino proijceretur pro culpa sua, alienam rex propheta simul rapuisse vxorem tremefactus expauit; & propheta indicante flagitium suum, pœnitentiam agens addebat: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Si enim condignam Deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam alijs prædicaret. Ait enim: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te cōuertentur. Dum enim peccata prospexit propheta mundatus per pœnitentiam, non dubitauit prædicando curare aliena, & sacrificium de semetipso Deo offerre studuit, cum dicebat: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Ad hoc ista sufficerent, sed omnis sententia quo plus sacræ Scripturæ testimonijs cōfirmatur, facilius creditur. De hoc enim propheta dicit: Nolo mortem peccatoris, sed vt cōuertatur & viuat. De hoc peccātibus dicitur: Peccator in quacunque die conuersus ingemuerit, saluus erit: omnes iniquitates eius obliuioni tradētur. Si enim Redemptor noster, qui peccatores nō perdere, sed iustificare venit, in obliuione peccantium delicta dereliquit; quis hominum condemnanda reseruat, cū Apostolus dicat: Si Deus iustificat, quis est qui condemnet? Ad fontem misericordiæ recurrentes, Euangelij proferamus sententiam: Gaudeo, inquit, super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Et ouem perditam, nonaginta nouem non errantibus relictis, humero pij pastoris ad ouile reportatam Dominus ipse testatur. Si ouis perdita errans post inuentionem ad ouile humero reportatur, cur iste post pœnitentiam ad Ecclesiæ ministerium lapsus non reuocetur? Sicut in Apocalypsi dicitur, de ministerio Ecclesiæ; Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Quid enim est grauius, aut carnale delictum admittere, sine quo pauci inueniuntur, aut Dei filium iureiurando negare? In quo verbo hunc ipsum B. Petrum Apostolorū principem, ad cuius sacrum corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus. Sed post negationem pœnitentia secuta est, & post pœnitentiam misericordia data est: quia postea ab Apostolatu eum non expulit, qui ante quidem ipsum se negare prædixit. Tibi hæc fili carissime dicta sufficiant, vt illum quē conspicis delicta fletu delere, in conspectu diuinitatis nō dubites misericordiam cōsequi: quia ille peccatorem reuersum non despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. De ordinationibus verò Apostolicæ sedis pontificum, vtrū post beatissimum virum Hormisdam aliqua sint addita, vestra caritas requirit. Sed vsque ad Vigilij Papæ tempora, expositas ordinationes præsulū esse cognoscas. Aloem verò, thymiama, styracem & balsamum, sanctorum martyrum corporib. offerenda, latore præsentium deferente transmisimus. In extremo verò epistolæ quæsisti, quid eis respondendum sit, qui dilectionem tuam de paruulorum animabus requirunt, qui sine gratia baptismatis moriuntur, dicens: Si corpus originali tenetur culpa, vnde anima quæ à Deo datur rea erit, quæ adhuc in actuali delicto corpori non consensit? Sed hac de re dulcissima mihi tua caritas sciat, quia de origine animæ inter

sanctos

Orientales Ecclesiæ Chalcedonensem synodum amplectuntur.

Synodales epistolæ.

Quinta synodus recipitur.

Cant. 6. Exod 33

Trium capitulorū controuersia.

Matt. 7.

Chalcedonensis synodus quid contineat.

Ibæ epist. qua de causa damnetur.

Ibæ epist. non est catholica.

Synodos quatuor veneratur S. Gregor.

Pſal. 40. Hier. 8. Eſa 10. ſecundum 70. Pſal. 50.

Ezech. 18.

Rom. 8 Luc. 15.

Lapſis pœnitentia concedenda.

Apoc. 2.

Ad corpus B. Petri Rom. dēt Rom. Pontifices

Veneranda corpora Martyrū offerūtur.

sanctos Patres requisitio non parua versata est, sed vtrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit. Eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum hoc sit incertum, illud incertum non est; quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta. Hinc enim scriptum est: Non est mundus in conspectu eius, nec vnius diei infans super terram. Hinc Dauid ait: In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Hinc ipsa veritas dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum. Hinc Paulus Apostolus ait: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vluificabuntur. Cur ergo infans qui nihil egit, in conspectu omnipotentis Dei non valet esse mundus? Cur Psalmista ex legitimo coniugio prolatus, in iniquitate conceptus est? Cur nisi qui mundatus aqua baptismatis fuerit, mundus non est? Cur in Adam omnis homo moritur, si originalis peccati vinculis non tenetur? Sed quia genus humanum in parente primo velut in radice putruit, & ariditatem traxit in ramis, & inde omnis homo cum peccato, nascitur, vnde primus homo permanere noluit sine peccato. De his autem subtilius & latius loqui debueram: sed dum me & curarum tumultus premunt, & harum portitor vt laxari debuisset importunus extitit; vnde multa debui, pauca locutus sum. Rogo autem omnipotentem Deum, vt sua te gratia protegat, & beati Petri Apostolorum principis intercessione à malis omnibus illæsum seruet: quatenus feruor cælestis desiderij in tua mente quotidie ardentius excrescat, vt semper nouus, & semper seipso robustior ad cælestia præmia multiplicius percipienda pertingas. Transmisi autem duos homiliarum codices, quas dixi in Ecclesia dum adhuc loqui præualerem, vt quia ipse te videre, tibique sedulò colloqui non possum, caritati tuæ vel per ea quæ scribere valui, absens non sim. Exiguum quoque vestimentum transmittere studui, per quod tua caritas, quia Australi in animo calore feruet, foris à corpore Arcturi frigus repellat. Peto autē vt pro me orare enixius debeas, vt tuæ intercessionis ope & à malis præsentibus eripi, & æternis merear gaudijs præsentari. Imagines quas tibi dirigendas per Dulcidum diaconum rogasti, misimus. Vnde valde nobis tua postulatio placuit: quia illum toto corde, tota intentione quæris cuius imaginem præ oculis habere desideras, vt te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum; vt dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cuius imaginem videre desideras. Abs re non facimus, si per visibilia inuisibilia demōstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans videre conatur, si contigerit eam ad balneū, aut ad Ecclesiam ire, statim per viam incedenti se præparat, vt de visione eius hilaris recedat. Scio quidem quòd imaginē Saluatoris nostri non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante diuinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi surtarias duas, imaginem Dei Saluatoris, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli continentes, per supradictum filium nostrum diaconum, & vnam crucem, clauem etiam probenedictione à sanctissimo corpore Petri Apostolorum principis, vt per ipsum à maligno defensus permaneas cuius signo te esse munitū credis, & ex eo te protegat, qui iuuenilia semper suggerit recordari, vt in bonis tuis actibus perseueres, vt in eius amore vsque ad fidem permaneas, pro cuius amore solitarius desideras habitare, vt alios in eius amore accendas, propter quem te fecisti haberi, vt vitæ huius mala, quæque inimicus suggerit retroacta mentis prouentibus quasi facibus inardescas, pro cuius amore vitam etiam velis finire; ipse quoque te protegat vsque in finē, qui cunctū mundū dignatus est redimere Iesus Christus Dñs noster, q viuit & regnat in sæcula sæculorū Amē.

EPISTOLA LV.

Eam ad superna meditanda corroborat.

Inf. l 8. ep. 62 Ind. 3.

GRegorius, Adeodatæ Illustri. Magnam nobis lætitiam gloriæ vestræ ingressit epistola, quæ æternæ vitæ desiderium vos habere signauit: sed quia huiusmodi studium fugitiua solet mundi gloria præpedire; hortamur vt mentis vestræ saluberrimam deliberationē res quælibet transitura non reuocet, nec ab incepto eam tramite deuiet. Sed magis supernæ patriæ amor accendat, præmia mansura sollicitent, & ad venturi iudicis promissionem certam semper aspiret, atque ex temporalibus æterna mercetur; vt ex hoc & in vera gloria esse, & inter matronas possitis cælestes adscribi. Reducite ad animos prosperitates temporum, multitudines hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, diuitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia vbi vel quid facta sunt, & ex hoc pensate quod nulla sint, & quia qui ista diligit, somnium vigilans videt. Hæc itaque recordatio magna vobis debet esse instructio, quoniam pro magno diligi non debet quicquid fine concluditur. Illa ergo appetenda, illa summoperè diligenda sunt, quæ nec inuenta transeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad horum desiderium anhelare sine diuinæ misericordię gratia nullus valet; oramus omnipotentem Dominum, vt hæc vobis & eligendi velle, & posse tribuat obtinendi: quatenus & hic vos in suo viuere timore concedat, & postea in sanctarum matronarum sortē recipiat. Paterna itaque caritate gloriam vestram salutantes, indicamus de causa fratris & coepiscopi nostri Decij hoc nobis visum fuisse, vt eam audiendā fratri & coepiscopo nostro Ioanni & Leontio viro glorioso, quia bonus & iustus vir dicitur, committere deberemus: securi maximè quia vbi prædicti fratris & coepiscopi nostri in iudicio caritas interest, nec eis surripiatur, nec pars Ecclesiæ possit præiudicium sustinere.

EPISTOLA LVI.

Quod nihil pro sepultura exigendum aut accipiendum est, nisi sponte pro luminaribus Ecclesiæ aliquid offerretur.

Li. 1. ep. 47 60. 61. 62. 81. l. 1. ep. 84. ind. 11. l. 3. ep. 10. ind. 12. 13. q. 2. c. 12. Iuo. p. 3. c. 10.

GRegorius, Ianuario Episcopo Caralitano. Questa est nobis Nereida clarissima femina, quòd ab ea centum solidos pro filiæ suæ sepultura fraternitas vestra non erubescat exigere; atque ei super doloris gemitum, maiorem dispendij studeat inferre molestiam. Quòd si ita se veritas habet, quia graue nimis est & procul nimis est à sacerdotis officio, precium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium; ab hac se petitione fraternitas vestra cōtineat, & molesta ei deceterò non existat: maximè quia & Hortulanum quondam de quo se ipsam asserit filiam suscepisse, Ecclesiæ vestræ non in parua quantitate munificū memorat extitisse. Hoc autem vitium & nos postquam, Deo auctore, ad episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & prauam denuò consuetudinem nequaquam vsurpari permisimus: memores quia dum Abraham à filijs Emor, hoc est, Ephron, filio Seor, sepulchrum precio ad humandum corpus coniugis postularet, precium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit; quanto magis nos qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Vnde ne hoc auaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi vel hæredes pro luminaribus spontè quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omnino prohibemus: ne quod valde irreligiosum est, aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaueribus studeatis quærere quolibet modo compendium. Alias verò causas quas prædictæ Nereidæ est complexa petitio, hortamur vt aut pacifica, si fieri potest, ordinatione definias: aut certè in deputatum à

Gen. 23.

nobis iudicium personam instructam dirigere non omittas: quia ad hoc Redemptum defensorem nostrum præsentium portitorem illic direximus, vt & partes in iudicio obseruare compellat, & executionis suæ instantia ad effectum quæ fuerint iudicata perducat.

EPISTOLA LVII.

Promittit clericis Comanis ad vnitatem Ecclesiæ redeuntibus possessionem Aurianam, licet in ea nullum ius habeant.

Li. 6. ep. 14 li. 3. ep. 12. 3. 37. ind. 12. li. 4. ep. 17. ind. 13.

GRegorius, Constantio Episcopo Mediolanensi. Latore præsentium communi filio Euentio diacono, qui fraternitatis vestræ nobis scripta detulit referente cognouimus, clericos Ecclesiæ Comensis, quos sacerdotali studio reuerti ad vnitatem Ecclesiæ monuistis, respondisse, non sibi talem à vobis affectum impendi, vt ad hoc redire caritate suadente præualeant: asserentes res diuersas suas iniustè ab alijs, inter quos & à nostra Ecclesia possessionem quæ villa Auriana dicitur, detineri. Nos quidem sanctitatis vestræ sollicitudinem omnino laudauimus, quia quod vos oportuit facere, minimè neglexistis. Sed nec nos prædictam possessionem, si eis iure competit, etiam si ad communionem fortè reuerti distulerint, contra rationis ordinem patimur detineri, sed eam cognita volumus veritate restitui. Si verò ad vnitatem Ecclesiæ, quod optamus, Deo se inspirante conuerterint, etiam si nihil illis competat, eam illis parati sumus concedere. Nam nulla occasione excusare se volumus quos ad matris Ecclesiæ sinum redire desiderabiliter expectamus. De hortis verò quos in capitulare transmisso ex substantia tali, Ecclesiæ vestræ competere signastis, vel prædictus vobis portitor indicauit, in sub sequenti illuc personam transmittemus, cui inter alia curabimus euidenter iniungere vt veritatem congrua indagatione cognoscat, & quicquid iustum fuerit, faciat. Nam nos qui alios contristare contra æquitatem non patimur, multo magis vos quos valde diligimus tristes relinquere non valemus. De alijs autem causis, quale nostrum ad singula sit responsum, supradicti communis filij relatione cognoscetis. Scripta verò ad dilectissimum filium nostrum Anatholium diaconum pro commendatione hominum vestrorum, sicut voluistis, fecimus.

EPISTOLA LVIII.

Homines Constantij Episcopi commendat.

GRegorius Anatholio Diacono Constantinopolitano. Reuerendissimus frater & coepiscopus noster Constantius suos homines illuc pro Ecclesiæ suæ vtilitatibus festinans transmittere, tuæ eos dilectioni volui commendari. Proinde in quantum, Deo iubente, potueris, eis salua ratione, vbi necesse fuerit, concurras atque solatium feras: quatenus dum tua fuerint, sicut dignum est opitulatione suffulti, & ipsi illic minus valeant laborare, & prædictus frater noster Ecclesiæ suæ melius vtilitates adiutas, te suffragante, cognoscat.

EPISTOLA LIX.

De synagogis Iudæorum irrationabiliter occupatis.

Li. 3. ep. 43 li. 7. ep. 14. lib. 10. ep. 42.

Li. 3. ep. 4. ind. 13. li. 5. ep. 41. & h. l. inf. ep. 42.

GRegorius Fantino Defensori Panormitano. Ante aliquantum tempus Victori fratri & coepiscopo nostro scripsimus, vt quoniam quidam Iudæorum data nobis petitione quæsti fuerunt, synagogas in ciuitate Panormitana positas, cum hospitijs suis fuisse ab eo irrationabiliter occupatas, quousque causa vtrum iustè factum esset, potuisset agnosci, ab eorum suspenderet se congregatione; ne fortè in eorum sola voluntate versari præiudicium videretur. Et quidem nos prædictum fratrem nostrum incongruè aliquid egisse, sacerdotij eius respectus facilè credere non permisit. Sed quia Salerio notario nostro, qui illic præsens postea inuentus est, renunciante cõperimus, nullam extitisse causam pro qua potuissent rationabiliter occupari, atque eas esse inconsultè ac temerè consecratas; idcirco experientiæ tuæ præcipimus, vt quia quod semel consecratum est, Iudæis vltra non valet restitui, quantum à filijs glorioso Venantio Patricio & Vrbicio abbate, synagogæ ipsæ cum his hospitijs quæ sub ipsis sunt, vel earum parietibus cohærent, atque hortis ibi coniunctis æstimatę fuerint, studij tui sit, vt præfatus frater & coepiscopus noster dare precium debeat: quatenus hoc quod occupari fecit, in ius Ecclesiæ ipsius valeat prouenire, & illi opprimi, aut aliquam pati iniustitiam nullo modo videantur. Codices verò vel ornamenta pariter ablata quærantur. Quæ si manifestè culta sunt, & ipsa sine ambiguitate aliqua volumus restitui: quia sicut illis quicquam in synagogis suis facere, vt & ipsi prius scripsimus, vltra quam lege decretum est, non debet esse licentia, ita eis contra iustitiam & æquitatem nec præiudicium, nec aliquod debet inferri dispendium.

EPISTOLA LX.

De Iamno Iudæo.

GRegorius Fantino Defensori. Indicauit nobis Iamnus Iudæus præsentium portitor, nauem suam atque res suas Candidum defensorem nostrum cum alijs creditoribus occupasse, atque eas pro credita quam dederant pecunia venundedisse, & à cunctis debitis cautionibus restitutis solum apud se præfatum defensorem obligationis chirographum tenuisse, & sæpius se supplicantem ideo reddere contempsisse, quia vt ait, sors est debiti satisfacta: experientiæ ergo tuæ præcipimus, vt cum omni subtilitate curet addiscere; & si ita repererit, districta compulsione perurge, quatenus omni mora postposita, cautionem prædicti portitoris restituat. Ita ergo sollicitudo tua studeat, vt denuo ad nos hac de causa querela non redeat.

EPISTOLA LXI.

Gesta inter ipsum & Fantinum defensorem approbat.

GRegorius, Proiectæ Illustri. Quotiens in conuentionibus quibusdam noster expectatur assensus, ne in dubium veniant quæ geruntur; ratio ea pro securitate partium debet habita solidare. Proinde cognoscentes quid inter dilectionem tuã & Fantinum defensorem nostrum ac rectorem patrimonij partium Panormitanarum conuenerit de portionibus tibi competentibus in Massalenas, & Samanteria, in prouincia Sicilia, & in territorio Panormitano, & domo in Panormitana ciuitate sita, quam Ecclesiæ nostræ dudum titulo donationis obtuleras, nostrum his accommodamus assensum, atque omnia sicuti inter vos gesta sunt, per huius tuitionis paginam cõfirmamus, nec quicquam eorum à nobis, successoribusque nostris deduci in irritum profitemur: quia valde Ecclesiasticæ est moderationi conueniens, vt quæ ordinata fuerint vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari.

EPISTOLA LXII.

Quod Episcoporum causæ magna cum diligentia sunt perscrutandæ.

GRegorius Martino Scholastico. Cum de negotijs ciuilibus exorta causatio maioris, vt magnitudini tuæ notum est, requisitionis indigeat; quanta cura, quantaque vigilantia episcoporum causæ debeant perscrutari, sapientia, tua consideret. In ea verò epistola, quam per latorem præsentium transmisisti, pro quibus ad nos causis à Crementio fratre & coepiscopo nostro transmissus fueris, superficie tenus indicasti, & earum radicem penitus tacuisti. Quarum si nobis origo vel fuisset qualitas interius manifesta, quid de his diffiniendum esset, prædicti fratris nostri animos responsione vtique patenti ac congrua firmaremus. Illud tamen nobis omnino displicuit, quod aliquos episcoporum sine primatis sui epistolis ad comitatum præfectos esse, vel conuentus significas illicitos celebrare. Sed quia, sicut præfati sumus, causarum origo

vel

vel qualitas omnino nobis ignota est; pronunciare aliquid definitiuè non licet, nec possumus; ne quod reprehensibile nimis est, de rebus non benè cognitis proferre sententiam videamur. Vnde valde necessarium fuerat, si hic pro plenissima instructione nostra, magnitudo tua nostris interrogationibus responsura, tempore quo in Sicilia dilata est, perrexisset. Sed tamen postquam fratrem & coepiscopum nostrum Ioannem vidistis, in eo & nos vidisse vos credimus. Et ideo quia de eisdem nobis & ipse causis scribere studuit, ei quæ nobis sunt visa rescripsimus. Qui quoniam maturi prouidique consilij sacerdos est, si cum ipso causas pro quibus missus est tractare volueris, certi sumus quia in eo & quod vtile est, & quod rationem habet inuenies.

EPISTOLA LXIII.

Ad deponendum Lucillum Episcopum quattuor Episcopos adhibeat.

Gregorius, Ioanni Episcopo Syracusano. Quæ aduersus Lucillum Melitæ ciuitatis episcopum querela commota sit, ex epistolarum vestrarum & gestorum quæ ad nos direxistis pagina declaratum est. Et ideo quia tanti facinoris vltio nulla debet dilatione differri; fraternitas vestra tres vel quatuor de fratribus ac consacerdotibus sibi nostris adhibeat, vt ipsis quoque præsentibus prædicta ac satisfacta veritate prædictũ Lucillum de episcopatus ordine quem huiuscemodi sceleris contagio maculauit, studeat sine ambiguitate deponere. Quia verò presbyteri vel quidam diaconi proditæ iniquitatis fuisse consciij ac participes memorantur; sanctitas vestra subtili indagatione discutiat. Et si ita repererit, ab honoris sui & ipsos similiter gradu deijciat, & in monasterijs vbi dignè valeãt pœnitentiam agere, deputet. Sed quia per hos multi in huius labem peccati perhibentur esse collapsi, cunctos qui rei esse claruerint, Dominici corporis ac sanguinis participatione priuare vos conuenit, atque eos vestris epistolis districtius admonere, vt letanijs & orationibus operam dent, & peccati quam contraxerunt maculam flendo tergant. Quibus quando sit secundum modum pœnitentiæ reddenda communio, iudicio vestro committimus. Hoc tamen sollicitè vos prouidere necesse est, vt ijs qui mortis vrgentur periculo, viaticum non negetur. Curæ præterea sit vobis, clerum & populum Melitę ciuitatis hortari, vt quia sine proprio pastore esse non poterunt, ordinandum sibi eligant Deo propitio sacerdotem. Causam verò presbyterorum ac diaconorum, qui in lapsu accusati sunt, sollicitè omnino rimamini. Et si rei criminis esse patuerint, seueram in eis vltionem canonicam exhibete; vt quanto illorum iniquitas Deum potuit ad iracundiã prouocare, tanto eum vos placare emendatione districtissima valeatis.

EPISTOLA LXIV.

Contra aliquorum murmurationem rationem reddit de Missæ ordinatione.

Gregorius Ioanni Episcopo Syracusano. Veniens quidam de Sicilia mihi dixit, quòd aliqui amici eius vel Græci vel Latini, nescio, quasi sub zelo sanctæ Romanæ Ecclesiæ de meis dispositionibus murmurarent, dicentes: Quoniam Ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere qui eius cõsuetudines per omnia sequitur. Cui cum diceré: Quas consuetudines sequimur? Respondit: Quia Halleluia dici ad Missas extra Pẽtecostes tempora fecistis: quia subdiaconos spoliatos procedere: quia Kyrie eleison dici: quia orationem Dominicam mox post canonem dici statuistis. Cui ego respondi: Quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam vt Halleluia hic diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum: & ideo magis in hac sede illam consuetudinem amputauimus, quæ hic à Græcis fuerat tradita. Subdiaconos autem vt spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. Sed quia placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit. Nam vestræ Ecclesiæ nunquid traditionem à Græcis acceperunt? Vnde habent ergo hodie vt subdiaconi lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc à matre sua Romana Ecclesia perceperunt? Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus sicut à Græcis dicitur, quia in Græcis simul omnes dicunt: apud nos autem à clericis dicitur, & à populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quot apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis alia quæ dici solent taceamus, tantummodo Kyrie eleison & Christe eleison dicimus, vt in his deprecationis vocibus paulò diutius occupemur. Orationem verò Dominicam idcirco mox post precem dicimus: quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconueniens visum est, vt precem quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem quam Redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem taceremus. Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos verò à solo sacerdote. In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparauimus, aut nouas & vtiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari? Ergo vestra caritas cum occasio dederit, vt ad Catanensem ciuitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia, eos quos credit aut intelligit quia de hac re murmurare potuerunt, facta collatione doceat, & quasi alia ex occasione eos instruere non desistat. Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & pijssimus domnus Imperator, & frater noster Eusebius * eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera Ecclesia habet ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, vt bona quæ viderit, discere contemnat.

Kyrie eleison alio modo apud Græcos, & alio modo apud Latinos dicitur.

Oratio Dominica in Missa dicitur à solo Sacerdote.

*Cyriacus

Constantinopolitana Ecclesia Romanæ sedi subiecta est.

EPISTOLA LXV.

De Episcopo Bizaceno prouincia Africa de crimine accusato.

Gregorius Ioanni episcopo Syracusano. Fraternitatis vestræ scripta suscepi, in quibus indicatis Martinum virum eloquentissimum de Africana prouincia Syracusas venisse, vobisque aliquid secretum locutum fuisse. Et quidem fraternitas vestra quotiens occasionem reperit, amorem suum circa beatum Petrum Apostolum non cessat ostendere. Vnde omnipotenti Deo gratias agimus, quia vbi illa est, ibi nos absentes non inuenimur. Causam tamen de qua agitur, necdum sanctitas vestra subtilius agnouit. In quodam enim crimine Bizacenus primas fuerat accusatus, & pijssimus Imperator eum iuxta statuta canonica per nos voluit iudicari. Sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus magister militum obstitit vt minimè fieret. Tamen pijssimus Imperator admonuit vt transmitteremus, & quicquid esset canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, eandem causam inire noluimus. Nunc autem idem primas aliqua de consilio suo loquitur. Et valdè dubium est vtrum purè; an certè quia à coëpiscopis suis impetitur, nobis modò talia loquatur. Nam quòd se dicit Sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt. Tamen quod vestræ fraternitati placeat, cum prædicto eloquentissimo Martino loquimini. Vos enim tractate quid agere debeat. Cui nos de causa breuiter rescripsimus, quia & hominibus incognitis passim nos credere non debemus. Si tamen vos qui eum in præsenti conspicitis, ei loquendum fixius aliquid iudicatis; vestræ hoc caritati committimus, de cuius amore in omnipotentis Dei causa certi sumus. Quæ autem vos agitis, nos egisse non dubitetis.

Sup. epist. 65. h. l.

Apostolicæ Sedi subduntur episcopi omnes.

EPISTOLA LXVI.

Inf.l.9.cp. 18.

Quod præsidium defensionis non præstet clericis ab Episcopis suis punitis pro eorum excessibus.

GRegorius, Vitali Defensori Sardiniæ. Indicatũ nobis est, quòd quidam Caralitanæ Ecclesiæ clerici disciplinam sui refugientes episcopi, contra eum solatium tuæ defensionis exquirant, atque per hoc illi, quod dici graue est, contumaces existant. Quam rem, si ita est, omnino durè suscepimus. Dicitur etiam quòd suæ actus deferentes Ecclesiæ, in aliorum se obsequijs ac laboribus occupantes, vbi nomen dederunt militiæ inueniantur extranei. Experientiæ ergo tuæ denunciamus, vt nihil deinceps tale aliquid facere præsumant: sed si cuiusquã clerici, vt assolet, culpæ casus emerserit, in qua te sibi petere debeat adiutorem, ad eundem episcopum reuerenter accede, & sicut causæ meritum cognoueris, apud eum non defensor culpæ, sed potius intercessor existe, vt hac prouisione & posscenti feras auxilium, & iura præpositi non turbentur. Si qui verò sunt qui iusta popoſcerint, eis per te auxilium Sedis Apostolicæ non est negandum. Sed tamen ita seruandum est, vt vniuscuiusque Episcopi reuerentia, & clericorum disciplina per defensionis tuæ experientiam minimè soluatur. Dictum est nobis etiam quod rustici possessionis eiusdem Caralitanæ Ecclesiæ iura propria deferentes, in priuatorum possessionibus culturam laboris exhibeant. Ex qua re agitur, vt possessiones Ecclesiæ proprio in alias occupato cultore depereant, atque ad tributa sua persoluenda idoneæ non existant: in qua re experientiam tuam volumus omnino esse sollicitam, nec tale quicquam fieri post hac nostra auctoritate data tibi permittere debeas, sciturus quòd si neglexeris, nostros exinde de minori tua sollicitudine contra te animos commoueri. Cognouimus etiam quòd monasteria seruorum Dei, vel etiam feminarum pro suo quisque libitu, & diuersarum causarum executione perturbet: quod omnino non gratè suscepimus, tuamque experientiam ex hoc commonemus, ne quenquam hoc vsurpare denuo accepta nostra auctoritate permittas; sed episcopis loci ipsius sub cuius degunt moderamine, curæ sit eorum causas vtilitatesque disponere. Valde enim est incongruum, vt omisso eo, alius quilibet eorum se causis admisceat. Sed ille eorum vitam competenti regulariq́ue debet moderatione disponere, qui pro commissis eorum sibi animabus compellitur reddere rationem.

EPISTOLA LXVII.

Lib. 1. ep 47.60.61. 62.81. li. 2. ep.84 ind. 11.li. 3 ep. 9.10.ind. 12.

De clericis suis ei non obedientibus, & de sortilegis & idolorum cultoribus puniendis.

GRegorius, Ianuario Episcopo Caralitano. Peruenit ad nos quòd quidam de vestris clericis spiritu elationis inflati (quod dici graue est) fraternitatis vestræ iussionibus obedire postponant, atque in aliorum se magis obsequijs ac laboribus occupantes, suæ deserant vbi sunt necessarij actus Ecclesiæ. Ex qua re nimium admiramur, cur in eis Ecclesiasticæ non teneatis regulam disciplinæ, nec eos dissolutè vagantes in deuijs, ad normam susceptiofficij districti moderaminis freno restringatis. Dicitur etiam quod aliqui ex eisdem contumacibus clericis, vt defendi contra vos valeant, ad Vitalis defensoris nostri patrocinia conuolarint. Vnde ad eum scripta nostra direximus, ne quenquam clericorum vestrorum contra vos irrationabiliter denuo audeat defensare: sed si culpæ casus emerserit, & grauis non est, sed veniam mereatur; intercessor apud vos magis accedere debeat, quàm defensor. Ne ergo tale ad nos deinceps de subiectorum vestrorum contemptu quicquam perueniat, præcauete. Cognouimus etiam quod monasterio sancti Iuliani quædam vidua suam substantiam derelinquens, ac clerico vestro, qui eiusdem defunctæ mulieris actus, dum adhuc viueret, gubernabat; ipsa sit direpta substantia, nunćque callidum ad reddendum existere. Hortamur ergo, vt eum, si vt dicitur, ita verum esse patuerit, districta faciatis executione constringi, quatenus res monasterio derelictas restituere sine imminutione festinet, & quod adire seruata fidei suæ puritate non debuit, vel cum pudoris sui damno reddere compellatur. Quam verò verecundum sit, vt fraternitatem vestram nos admonere videamur, quatenus clericum suum sub disciplinæ vigore restringat, credo quod eadem fraternitas vestra tacita etiam ipsa consideret. 26.q.5.c. 10. Contra idolorum namque cultores vel aruspicum atque sortilegorum, fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur inuigilare custodia, atque publice in populo, contra huius rei viros sermonem facere, eosque à tanti labe sacrilegij & diuini intentatione iudicij, & præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria reuocare. Quos tamen si emendare seà talibus atque corrigere nolle repereris, feruenti comprehendere zelo te volumus; & siquidem serui sunt, verberibus, cruciatibusque, quibus ad emendationem peruenire valeant, castigare; Si verò sunt liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentiam dirigendi: vt qui salubria & à mortis periculo reuocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desiderandam mentis valeat reducere sanitatem. Dist. 23. c. 5. Anst. 6. c. 146. Indicatum etiam nobis est, quod laicis quibusdam curam vestri patrimonij committentes, postmodum in rusticorum vestrorum deprædationibus, atque per hoc ex fatigationibus fuerint deprehensi, & reddere res, quas indecenter retinent habitas, quasi suæ ditionis, quippe vestræ non suppositi curationi, postponant, vobisque despiciant actuum suorum reddere rationem. Quod si ita est, districtè à vobis discuti cõuenit, atque inter eos Ecclesiæque vestræ rusticos causam examinare subtilius. Et quicquid in eis fuerit fraudis inuentum, cum pœna legibus statuta reddere compellantur. De ceterò vero cauendum à fraternitate vestra est, ne sæcularibus viris, atque non sub regula vestra degentibus, res Ecclesiasticę committantur, sed probatis de vestro officio clericis. In quibus si quid reperiri poterit prauitatis, vt in subditis, emendare quod illicitè gestum fuerit valeatis, quos apud vos habitus sui magis officium commendet, quàm excuset.

EPISTOLA LXVIII.

De his qui ex Histriæ schismate ad vnitatem fidei venerunt.

GRegorius, Anatholio Diacono Constantinop. Latores præsentium, qui de Histricorum schismate ad vnitatem Ecclesiæ Deo miserante reuersi sunt, multa de prauitate episcoporum qui in illis partibus sunt, conqueruntur. Et quia ea pro re Constantinopolim festinantes tua sibi petunt adesse debere solatia; dilectionem tuam his hortamur affatibus, vt eis salua ratione solatiari debeat atque concurrere, quatenus te opitulante & minus illic fatigari, & quod iustum est facilius valeant adipisci. Sup. epist. 57. h. l.

EPISTOLA LXIX.

Maximi Salonitani Episcopi causam, quam Marinano commiserat, Episcopo Mediolanensi iniungit.

Li 3. ep. 1. 2. 3. 37. lib. 4. ep. 17. Ind 13 lib. 9 ep. 17. li. 6. ep. 14. Ioan. diac. 4. c. 12.

GRegorius, Constantio episcopo Mediolanensi. Maximus Salonitanæ Ecclesiæ præuaricator, postquam per potestates maiores sæculi obtinere nihil valuit, ad minores sese contulit: nobisque tam nimietate precum, quam attestatione bonorũ operum præualere contendit. Ex qua re inhumanum credidi, si is qui se multum timere me dicit, in aliquo me temperatiorem minimè inuenire potuisset. Et ideo decreui vt reuerendissimus frater & coepiscopus noster Marinianus eius causam debeat in Rauennati vrbe cognoscere. Si autem persona eius suspecta forsitan habetur, volumus vt vestra quoque fraternitas, si ei laboriosum non est, ad eandem ciuitatem fatigare se debeat, & cum prædicto fratre in eodem iudicio pariter sedere. Quicquid autem vestræ vtrorumque sanctitati placuerit, scitote mihi modis omnibus placiturum, vestrum ego iudicium meum deputo; & quæ vtrique vos relaxanda esse censetis, me relaxare certũ tenete: hoc tamẽ sollicitè pẽsantes, ne aut cũ peccato remissi, aut cum iniuria sanctæ Ecclesiæ esse videamur

videamur austeri. Huius autem causæ executionem Castorio chartulario iniunximus, vt ipse nobis debeat cuncta quæ acta fuerint, subtiliter renunciare.

EPISTOLA LXX.

Iubet ob superbiam Ioannis Episcopi Constantinopolitani, & Cyriaci qui superbum vniuersalis nomen vsurpabant, ne quisquam in illorum subscriptionibus hanc vocem, Vniuersalis, adijciat.

GRegorius, Eusebio Thessalonicensi, Vrbico Dirachino, Andreæ Nicopolitano, Ioãni Corinth o, Ioãni primæ Iustinianæ, Ioãni Cretensi, Ioanni Larissæo & Excodritano, alijs q; compluribus Episcopis. Susceptæ regiminis curæ constringimur, officij nostri sollicitudinem vigilanter extendere, & fratrum nostrorum animos sermone admonitionis instruere, vt nec ignorantes præsumptio praua decipere, nec scientes dissimulatio quædam valeat excusare. Cognoscat siquidem fraternitas vestra, Ioannem quondam Constantinopolitanæ ciuitatis antistitem contra Deum, contra pacem Ecclesiæ in omnium despectu & iniuria sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse, & illicitè in synodo superbum ac pestiferum Oecumenicum, hoc est, vniuersalis sibi vocabulum vsurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta eiusdem synodi, præter illa quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorij episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione cassauit, districtissima illum increpatione corripiens, vt se à nouo & temerario superstitionis nomine cohiberet, adeo vt suum illi diaconum nisi tantũ nefas emendaret, procedere prohiberet. Cuius nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione Deo protegente seruamus: quia dignum est vt rectam decessoris sui viam gressibus inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem æterni iudicis tribunal expectat. In qua re ne quid omittere quod ad pacem Ecclesiæ pertinet videremur, nostris eundem sanctissimum Ioannem scriptis semel iterumque conuenimus, vt amoto superbiæ vocabulo cordis sui elationem ad humilitatem quam magister & Dominus noster docuit, inclinaret. Quem quoniam neglexisse comperimus, hæc eadem & beatissimum fratrem & cõsacerdotem nostrum Cyriacum successorem ipsius concordiæ studio non destitimus admonere. Sed quia hoc iam vt videmus, mundi huius termino propinquante, in præcursione sua apparuit humani generis inimicus, vt ipsos qui ei cõtra dicere bene atque humiliter viuendo debuerunt, per hoc superbiæ vocabulum præcursores habeat sacerdotes; hortor atque suadeo vt nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus consentiat, nullus scribat, nullus vbi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adijciat: sed sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab huiusce modi venenata infectione custodiat, & callido insidiatori in se locũ non præbeat: quoniam & hoc in totius Ecclesiæ iniuriam ac discissionem, & sicut diximus, in omnium vestrum despectũ fit. Nam si vnus, vt putat, vniuersalis est, restat vt vos episcopi non sitis. Præterea peruenit ad nos, quòd fraternitas vestra ad vrbem Constantinopolim sit conuocata. Et quamuis pijssimus noster Imperator agi illic illicita non permittat; tamẽ ne peruersi homines conuentus vestri occasione reperta, aut pro huius nominis superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere synodum cogitent: quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamuis sine Apostolicæ Sedis auctoritate atque consensu nullas quæcunque acta fuerint vires habeant: verumtamen coram omnipotenti Deo contestor & admoneo, vt nullius vestrum illic quibuslibet suasionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet præmijs, quibuslibet terroribus teneatur assensus: sed pro æterni iudicij consideratione, aduersus praua desideria salubriter atque vnanimiter vos exhibete, & pastorali constantia atq; Apostolica auctoritate suffulti prædonem irruentemque lupum excludite, & in discissionem Ecclesiæ sæuienti non cedite, ne de hac re quacunque surreptione synodum patiamini, quæ neque legitima quidem, nec synodus dicenda est, celebrari. Hoc quoque pariter admonemus, vt si fortè nil actum de hius peruersi nominis mentione fuerit, sed de alia re synodus fortè colligitur, omnino sitis cauti, circumspecti, vigilantes, atque solliciti, ne quid illic contra locum aliquem vel personam præiudicialiter siue illicitè, vel aduersus canones censeatur. Sed si quid incidentis vtilitatis causa tractandum est, sic causa de qua agitur formam accipiat, vt statuta vetera nulla conuellat. Vnde iterna, coram Deo & sanctis ipsius admonemus, vt hæc omnia summo studio, & tota mentis intentione seruetis. Nam si quis (quod non credimus) scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, à beati Petri Apostolorum principis pace se nouerit se gregatũ. Ita ergo fraternitas vestra agat, vt cum pastor pastorum in iudicio venerit, de loco regiminis quem accepit, reatum habere non possit.

EPISTOLA LXXII.

Theodorum oppressum commendat.

Inf. ep. 74. & lib. 10. ep. 20. 23. 24.

GRegorius, Maurentio Magistro Militum. Valde mirati sumus, quòd vobis in Neapolitana ciuitate positis, venire ad nos pro quibusdam causis Theodorus vir memorandus præsentium portior cogeretur, maximè dum in illa se re contra antiquum morem à fratre & coepiscopo nostro Fortunato queratur præiudicium pertulisse; quam ad curam dispositionemque patroni ciuitatis eiusdem gloria vestra teste asserit sine dubio pertinere. Quod si ita se res habet, omnino contristamur, cur in eius vos defensione veritas non permouit, vt & liberè quod esset ratio diceretis, & reseruari quod longa sibi consuetudo iure vendicat faceretis. Quia ergo graue nimis est, contra veterem vsum sacerdotes sibi quicquam arripere, vnde in laicorum videntur actus incidere; prædicto fratri coepiscopoque nostro scribere quæ nobis sunt visa curauimus, ipsorumque ad vos scriptorum exemplar transmisimus, vt ex eis quid debeat quamcitius scrutari gloria vestra cognoscat. Præterea indicauit nobis supradictus portitor, Vectano qui comes fuit in Missinati castello, propterea quod eum nobilẽ fuisse nouerat, & paupertate nimia laborabat, viginti vrnas vini per duos annos de insula Prochita, quæ ei vicina erat, misericordiæ intuitu se fuisse largitum, & nunc eas de eadem insula successorem ipsius tamquam debitas violenter exigere. Et quoniam hoc ne de cætero tentari debeat, postulat prohiberi; gloria vestrá curet addiscere. Et si hoc quod quæritur, veritate subsistit, & hæc ante consuetudo non fuit, huiusmodi grauamen iustitia suadente compescat, & studeat vt pietatis administratio in præfata insula onus præiudicij non imponat. Quia verò priuilegia ciuitatis suæ, vel causas insulæ illius à nobis gloriæ vestræ petit commendandas: hortamur vt vestram eis tuitionem impendere seruata æquitate quocunque necesse fuerit debeatis; & si qua in re vtilitas populi cui præest, contra rationis, sicut ait, ordinem prægrauatur, imposita onera vsque ad modum iustitiæ vobis suffragantibus releuentur, nec priuilegia eorum quolibet modo calcentur: sed omnia quæ vsus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata seruentur. Ita ergo in his gloria vestra se decenter exhibeat, vt & ipsa partes fouere iustitię comprobetur, & hi qui commendati sunt, bona nobis vestra, quæ de vobis cupimus semper audire, renuncient.

EPISTOLA LXXIII.

Mandat consecrare oratorium sancti Sauini.

Sup. h. lib. ep 13. li. 9. ep 12. & 13. & li. 11. ep. 18.

GRegorius, Paßiuo Episcopo Firmano. Valerianus notarius Ecclesiæ Firmanæ fraternitatis tuæ petitoria nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in fundo Visiano iuris sui iuxta muros ciuitatis Firmanæ oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem beati martyris Sauini desiderat consecrari. Et ideo frater carissime, si in tuæ parochiæ memorata constructio iure consistit, & nullum corpus ibidẽ constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est, in redditu solidos tres liberos à tributis fiscalibus, gestisq; municipalibus alligata, prædictum oratorium absque Missis publicis solenniter consecrabis: ita vt in eodem loco nec temporibus futuris baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Et si Missas ibi fieri fortè maluerit, à

Donatio legitima Ecclesiæ facta quæ.

dilectione tua presbyterum nouerit postulandum; quatenus nihil tale à quolibet alio sacerdote vllatenus præsumatur. Sanctuaria vero susceptа sui cum reuerentia collocabis.

EPISTOLA LXXIV.

Mandat sanctuaria sancti Sauini Valeriano notario Firmano dari.

Sup ep 12 & 36.h.l. Inf. ep. 12.

Sup. epist. prox.

Gregorius Chrisanto Episcopo Spoletano. Valerianus notarius Ecclesiæ Firmanæ sanctuaria beati martyris Sauini oblata petitione sibi postulat debere concedi: quatenus in eius nomine oratorium proprijs constructum sumptibus possit solenniter consecrari. Et ideo frater carissime præfati desiderijs ex nostro te mandato conuenit obedire, vt deuotionis suæ in consecratione quam postulat, potiatur effectu.

EPISTOLA LXXV.

Ecclesiæ Terracinensis visitationem committit.

Gregorius, Constantio Episcopo Narniensi. Fraternitati vestræ Ecclesiæ Terracinensis visitationis operam nos olim mãdasse recolimus. Sed quia peruenit ad nos, quod peccatis facientibus nec clerus illic, nec plebs tanta remanserit, quibus debeat interim episcopus ordinari, vtile esse perspeximus eandem Ecclesiam, vel quicquid ipsius est, quousquam illam vt Domino placuerit ordinemus, vestræ Deo auctore dispositioni committere. Et ideo sollicitudinem vos conuenit adhibere, vt quicquid de possessionibus Ecclesiæ ipsius in qualibet re accedere potuerit, vobis vel in reparatione eiusd em Ecclesiæ siue cleri ipsius subuentione proficiat: quatenus & nos remedium pro vestro labore capere, & illi aliquod valeant sustentationis habere solatium. Mobilè verò prædictæ Ecclesię facta subtiliter volumus describi notitia, nobisque transmitti, vt ex hoc quid fieri debeat, auctore Domino disponamus. Circa actus autem disciplinam cleri vel filiorum Ecclesiæ ipsius magnam te habere curam necesse est, atque ita super pastorali studio vigilare, vt de animabus eorum non culpabilis sis; sed apud omnipotentem Deum mercedem potius possis acquirere.

EPISTOLA LXXVI.

Theodosium abbatem commendat, ne grauius in murorum vigilijs affligatur.

Sup. epist. 70.h.l & li.1. ep.3.

Gregorius, Maurentio Magistro Militum. Filius noster Theodosius abbas monasterij quod à Liberio quondam Patricio in Campaniæ partibus noscitur esse constructum à nobis precibus impetrauit, vt eum cum congregatione sua vestræ deberemus gloriæ commendare. Asserit enim se in murorũ vigilijs vltra vires suas vehementer affligi. Petimus ergo gloriam vestram, vt siquidem est possibile de eodem per vos onere releuetur. Si verò ex toto, vt non fiat hoc est omnino difficile, vel ita illi ex nostra commendatione ipsum leuigantes pondus sollicitudinis temperetis, vt dum in Dei laudibus liberior vacare voluerit, pro vobis cuius opere vt leuationẽ aliquam habeat factum est, securior valeat Dominum exorare, sed & nostram sibi apud gloriam vestram sentiat epistolam profuisse.

EPISTOLA LXXVII.

De ordinatione clericorum Viuanensis Ecclesiæ.

Sup.ep.12. 36. 72. h. l.

Sup. lib. 1. ep.68 & h. l. ep.65.

Gregorius Chrisanto Episcopo Spoletano. Ante hoc biennium fraternitati tuæ Viuanensis Ecclesiæ visitationis deputaueramus officium, in quo de more scrinij nostri nihil vos de prouectionibus facere voluimus clericorum. Nunc verò venientes huc præsentium portitores prædictæ Ecclesiæ clerici, dixerunt sacerdotes se neque in eadem Ecclesia, neque in eius parochijs habere. Hortamur igitur fraternitatem tuam, vt si quidẽ talem potuerit reperire personã, quæ digna ad episcopalis officij apicem valeat promoueri, huc eam cum solennitate decreti, vestrarumque testimonio litterarum celerius dirigatis. Sin verò hoc nunc inueniri non potest, cum omni studio, ac viuacitate personas exquirite quæ illic in presbyterij ordine valeant consecrari. Quarum vitam actusque subtili prius inquisitione discutite, vt in nullo eis vel sacri canones, vel Ecclesiasticæ regulæ valeant obuiare: vt hac prouisione populus illic degens communionem, qua se priuatos ob sacerdotum necessitatem flebiliter conqueruntur, recepisse se gaudeant, & in Ecclesijs illis sacra missarum solennia deesse non debeant. Sed & pro consignandis infantibus fraternitas tua illuc curet accedere, vt nihil sit quod pastoralis sollicitudinis neglecta vos cura remordeat.

EPISTOLA LXXVIII.

Vt de legitimo vsu pallij quo Archiepiscopi Rauennas vtebatur inquirat.

Lib. 4. ep. 43. li. 5. ep. 29 Inf. lib. 10. ep 9.

Ioan. diac. 4.c.7.

Gregorius Castorio Notario Rauenna. Dum Florentinus Rauennatis Ecclesiæ diaconus apud nos pro reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Mariniano de vsu pallij ageret, requisitus à nobis quæ esset antiqua consuetudo, respõdit quòd in omnibus letanijs pallio Rauennatis Ecclesiæ episcopus vteretur. Quod ita non esse & ab alijs didicimus, & ex epistolis Ioannis quondam episcopi quas ei ostendi fecimus, euidenter apparuit. Sed hoc asseruit quod dicere iussus est. Nam tempore quo à te idem Ioannes quondam episcopus est inhibitus, ne pallio inordinatè ac temerè vti præsumeret, scripsit nobis hanc fuisse priscam consuetudinem, vt ciuitatis ipsius episcopus pallio in letanijs solennibus vteretur. Quarum tibi litterarũ exemplaria pro tua informatione transmisimus. Adeodatus verò prædictæ Ecclesiæ diaconus, dum apud nos tempore quo hic fuit similiter de eiusdem vsu palli agere enixius studeret, volentes cognoscere veritatem, cum similiter quæ esset consuetudo curauimus requirendum. Qui vt credi sibimet suaderet, atque à nobis valeret quod petebat exigere, sub iureiurando testatus est, antiquam consuetudinẽ fuisse, vt in quattuor aut in quinque solennibus letanijs pallio ciuitatis suæ episcopus vteretur. Experientia ergo tua diligẽter inuigilet, & cum omni sollicitudine quot letaniæ solennes ab antiquitate fuerint, requirat. Nec eas solennes nominando requirere studeat, sed maiores, vt per hoc quod nobis præfatus Adeodatus diaconus testatus est, & prædicti Ioannis episcopi fatetur epistola, dum constiterit quantæ letaniæ solennes fuerint, quotiens indui solebat in letanijs pallium cognoscentes, libentissimè concedamus. Sed hoc non ab illis perquirat, qui ab Ecclesiasticis exhibentur, sed ab alijs quos sine fauore partis esse cognoscit, & quæque sollicita indagatione repererit, nobis subtiliter indicet; vt veritate, sicut diximus, cognita fratris coepiscopi nostri reuerendissimi Marinianiani animos releuemus.

Mense Iulij, Indictione Secunda.

EPISTOLA LXXIX.

Inf. ep. 21 h.l.

De eo quod anima amat amantem se.

Gregorius Domello Erogatori. In nostra mente vestra magnitudo quantæ sit dulcedinis, ex vestra, vt suspicor, mente pensatis: quia sicut scriptum est, Amat anima amantem se. In eo ergo quod me diligitis, vos quoque à me diligi scitis. Et quod prius illuc Castorio chartulario nostro veniente, vobis minimè scripsi, non torporis fuisse credite, sed & ægritudinis & occupationis. Nam nos & præsentes vos videre cupimus, & absentibus colloqui saltem per epistolam desideramus. Vnde & optamus, vt vos B. Petrus Apostolorum princeps ad sua limina feliciter perducat: quatenus in omnipotentis Dei gratia perfrui præsentia vestra mereamur.

EPISTOLA LXXX.

De possessione Ecclesiæ, & lignis.

Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandr. Scripta dulcissimæ vestræ sanctitatis latore præsentium deferente suscepi, quæ mihi de eius causa citius terminanda locuta sunt. Sed mox vt venit, qualiter possessio quam quærebat, ab Ecclesia nostra tenebatur agnouit, sibique ipsi citius rationem reddidit. Ea autem quæ cum alijs habuit, sine strepitu decidit. De causa verò de qua mihi omnino scribendum fuerat, nihil vestra sanctitas scripsit, in qua me & tardum esse iudicauit, quæ ne fortasse in scandalo diuisionis erumperet, eiusdem diuisionis nolui auctor existere. Eligi enim vt ea quæ secutura sunt, per alios exirent. Sed subsequenti tempore Deo auctore probabitis: quia in causa in qua Deo placere cupio, homines non formido. De qua vobis iam etiam in Constantinopolitanâ vrbem venientibus scribere curaui. Ligna verò sicut beatitudo vestra scripserat, maiora paraueram; sed ita parua nauis huc transmissa est, vt nisi rescissa essent, ferre non posset. Quæ rescindi nolui, sed vestro iudicio quid de his fieri debeat reseruari. Si autem non sunt necessaria vobis, hic ea in alijs vsibus aptabimus. Peto autem vt pro me enixius vestra sanctitas orare debeat: quia & Podagræ doloribus, & Barbarorum gladijs, & curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestræ opem impenditis, credo quod me cõtra aduersa omnia fortiter iuuabitis.

EPISTOLA LXXXI.

Quid de Maximo agendum sit.

Gregorius, Mariniano Episcopo Rauennæ. Quæ de causa Maximi sint agenda, ex epistolis quas ad vos ante transmisimus agnouistis. Sed quia qualis hac de re fraternitatis vestræ voluntas sit, ac magis petitio, præsentium latore Castorio chartulario nostro renunciante cognouimus: ideoque si idẽ Maximus coram vobis & prædicto chartulario nostro de simoniaca hæresi præstito se sacramento purgauerit, atque de alijs ante corpus sancti Apollinaris, sicut scripsimus, tantummodo requisitus, liberum se esse responderit: causam ipsius fraternitatis vestræ, de eo quod excommunicatus Missarum solennia agere præsumpsit iudicio committimus, qua debeat pœnitentia talis culpa purgari. Et ideo quicquid vobis secundum Deum placet, securi disponite: nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quidquid à vobis hac de causa fuerit ordinatum, nos & gratè suscipimus, & libenter admittimus. Hortamur tamen vt debeatis esse solliciti, & ita quæ fienda prospicitis temperetis, quatenus & illi si ita videbitur benignè præstetis, & vigoris Ecclesiastici genium, vt oportet, cõgrua dispensatione seruetis. Supra scriptum verò portitorem in præsenti quid vobiscum ei sit agendum, instruximus. A quo cuncta subtiliter addiscentes, sic vos in omnibus exhibete, vt in vestra sollicitudine nostram fuisse præsentiam sentiamus.

EPISTOLA LXXXII.

Post pœnitentiam, consolatoriam Maximo dare iubet epistolam.

Gregorius, Castorio Notario. Quanto credi tibi à nobis & necessarias vides causas iniungi, tanto te strenuum debes & sollicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus præstito sacramento firmauerit, se simoniaca hæresi non teneri, atque de alijs ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, innoxium se esse responderit, & de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputauimus egerit: volumus vt ad consolandum illum epistolam quam ad eum scripsimus, vbi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse significauimus, experientia tua dare debeat: quia sicut in contumacia persistentibus seueros nos esse conuenit, sic iterum humiliatis & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus. Præterea de fratre nostro Sauiniano episcopo Iadertino, atq; Honorato archidiacono Salonitano, vel alijs qui se ad Sedem Apostolicam contulerunt, cum eodem Maximo omnino studiosè agẽdum est, vt illos in ea qua decet caritate suscipiat; & dolorem contra eos nullo modo in corde retineat, sed pura cum eis gratia & syncera dilectione viuat.

EPISTOLA LXXXIII.

Admittit ad communionem, & vsum pallij confert.

Sup. lib. 3. ep. 15. in fi. & ep 20. & li. 4 ep. 34. & lib. 5. ep. 3. ind. 14.

Gregorius, Maximo Salonitano episcopo. Quamuis culpabilibus ordinationis tuę primordij, graue malũ per inobedientiæ culpam addideris; nos tamen sedis Apostolicæ auctoritatem eo quo decuit moderamine temperantes, nunquã contra te vsq; adhuc ꝙ causa poscebat, exarsimus. Sed vt longius se ingratitudo nostra, quam tu tibi excitasti produceret, credita nos sollicitudo vehementer angebat, ne quędã illicita quæ de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quę si benè consideres, ipse per te satisfacere differendo firmabas, atque ex hoc aduersum te zelum nostrum acrius incitabas. At vbi tandem salubri consilio vsus, iugo te obedientiæ humiliter submisisti, & tua dilectio pœnitentiam agens, digna se, vt deputauimus, satisfactione purgauit; redditam tibi gratiam fraternæ caritatis intellige, atque in nostro te receptum consortio gratulare: quia sicut perseueranibus in culpa districtos, ita resipiscẽtibus nos benignos esse decet ad veniam. Postquam ergo fraternitas tua Apostolicæ sedis communionem se reparasse cognoscit; personam ad nos transmittat, quæ pallium tibi deferendum, ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, sic quæ sunt consuetudinis non negamus. Licet autem & adhæc concedenda dispensatio nos loci nostri vocauerit; multum tamen à nobis petitio dulcissimi atque excellentissimi filij nostri domni Galinici exarchi vt temperantius erga te ageremus, exegit. Cuius carissimam voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contristare.

EPISTOLA LXXXIIII.

Marcellinum commendat.

Sup. ep. 57 & 67. h. l. li. 9. ep. 3.

Gregorius, Anatholio Diacono Constantinop. Bonis deuotisque filijs ita nos opere dignum est respondere, vt quia debitum reddimus, id quod vltro nos conuenit impendere duplicemus. Quia igitur lator præsentium filius noster magnificus Marcellinus sic in causa se fratris & coepiscopi Maximi atque Histricorum exhibuit, & in Ecclesiæ nostræ vtilitates festinat impendere, vt sinceritatis suæ affectum non solùm verbis, sed etiam opere magis magisque valeat demonstrare; idcirco dilectionem tuam his hortamur affatibus, vt ei in vrbe regia venienti toto studio, totaque intentione concurras, atque eum ita in omnibus tuis studeas solatijs adiuuare, vt omnipotentis Dei ac tuis fultus auxilijs, minus illic debeat laborare. Quem etiam ita sicut re vera nostrum proprium attendere, atque ei affectum tuæ caritatis in omnibus studebis impendere: quatenus & de præteritis sibi vicem redditam recognoscat, & magnam de futuro deuotionis suæ, quam se Ecclesiasticis exhibere vtilitatibus pollicetur, spem possit retributionis assumere. Quoniam verò quantum didicimus, prædictum magnificum filium nostrum sereniſſimus dominus Imperator ad sua subsestinatione iusserat vestigia properare, quæsita opportunitate inferre te conuenit: quia non inobedientiæ culpa, sed fratris & coepiscopi nostri Maximi eum causa retinuit. Quæ etsi tardè, finem tamen eo studente percepit. Hoc autem dilectionem tuam voluimus sollicitè attendere, ne se in quacunque causa vbi grauamen est pauperũ, misceri consentiat; ne fortè potentia personarum aliquatenus pressus, cogatur agere quod animæ illius non possit expedire. Cuncta ergo cum Dei timore tractantes, æternam maximè mercedem perpendite.

EPISTOLA LXXXV.

De molestia Ianuariæ ab Anastasio.

Lib. 3. ep. 43. & h. l. ep. 24. 58. l. 10. ep. 41. Inf. epist. prox. 86.

GRegorius Fantino Defensori Panormitano. Ianuaria præsentium latrix, maximam se molestiam ab ingenuo Anastasio atque Bonifacio contra iustitiam pati commemorat, adeo vt possessione quam per plurimos annos asseritur possedisse, eam, sicut ipsa ait, nitantur expellere. Et quia contra eos se Ecclesiastica debere petijt tuitione defendi; experientia tua prædictos viros ad se euocet, eosq; admoneat, vt illi mali facere nihil præsumant. Sed si quid sibi contra suprascriptam mulierē credunt iustè posse competere, iudices cum ea eligāt, & quæ inter eos fuerint diffinita, tuo pro quiete partium solatio compleantur. Si verò eos differre cognouerit, antefatæ mulieri, salua æquitate tuitionem impendat, & eam contra rationis ordinem nullo modo grauari permittat.

EPISTOLA LXXXVI.

Inf. epist. prox. 87.

Vt oratorium in honorem sanctorum Seuerini & Iulianæ consecret.

GRegorius Benenato Episcopo Fundaritan. Ianuaria religiosa femina, petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, in massa Furiana iuris sui oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem sanctorum Seuerini confessoris & Iulianæ martyris desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, si in tuæ parochiæ memorata constructio iure consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est, in redditu præstantes liberos à tributis fiscalibus solidos decem, gestisque municipalibus alligata, prædictum oratorium absque Missis publicis solenniter consecrabis, ita vt in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed si Missas ibi fieri suprascripta conditrix fortè voluerit, à dilectione tua presbyterū nouerit postulandum, quatenus nihil tale à quolibet alio sacerdote nullatenus præsumatur. Sanctuaria verò susceptа sui cum reuerentia collocabis.

EPISTOLA LXXXVII.

Lib. 2. ep. 59. 61. Ind. 11. lib. 5. ep 11. 31. lib. 6. ep. 2. 20. li. lib. 6. inf. ep. 91. 107. 108 h l. Sup. epist. prox. 86.

Ianuariæ reliquias sanctorum Seuerini & Iulianæ dare iubet.

GRegorius, Fortunato episcopo Neapolitano. Ianuaria religiosa semina sanctuaria beatorum Seuerini confessoris & Iulianæ martyris oblata petitione sibi postulat debere concedi: quatenus in eorum nomine oratorium proprijs sumptibus constructum possit solenniter consecrari. Et ideo frater carissime præfatæ Ianuariæ desiderijs ex nostra te præceptione conuenit obedire: vt deuotionis suæ in consecratione quam postulat potiatur effectu.

EPISTOLA LXXXVIII.

Sup. lib. 3. ep. 1. 2. 3. 37 38. Ind. 12. lib. 4 ep 17 Ind. 13. li. 5. ep. 17. li. 6. ep. 14. & Sup. epist. 68. h. l.

De reliquijs sanctorum Pauli Apostoli, Ioannis & Pancratij martyrum.

GRegorius, Constantio Episcopo Mediolanensi. Lator præsentium Euentius diaconus fraternitatis vestræ nobis talia intimauit sibi à vobis iniuncta, vt reliquias beati Pauli Apostoli, sed & beatorum Ioannis & Pancratij per eum ad vos dirigere deberemus. Quam petitionem vestram curauimus effectui mancipandam. Fraternitas ergo vestra solito studio perscrutari non differat: quatenus in locis quibus recondendæ sunt, luminaria vel alimoniæ ibidem seruientium ante dedicationem loci ipsius debeant erogari, & tunc in eisdem locis directa sanctuaria, sui cum reuerentia collocemur: ne loca Deo dicata, si prædicta prouisio omissa nunc fuerit, futuris temporibus destituta, quod absit, seruientium reperiantur obsequijs.

EPISTOLA LXXXIX.

De visitatione Tadinatis Ecclesiæ

Li. 1. ep. 89. & 90.

GRegorius, Gaudioso Episcopo Eugubino. Cognoscentes Ecclesiam Tadinatem diu sacerdotis proprij regimine destitutam, fraternitati tuæ eiusdem Ecclesiæ visitationis operam solenniter delegamus. Quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministerijsque vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem, à quoquā præsumatur Ecclesiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemque eiusdem Ecclesiæ admonere festjnet, vt remoto studio, vno eodemque consensū talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter clericos ipsius ciuitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri; prouisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conuersationis seu meriti laicæ personæ aspirare præsumant, & tu periculum ordinationis tuæ, quòd absit, incurras.

EPISTOLA XC.

De Episcopo eligendo.

Sup. ep 87 h. l. ind. 2. Sup. epist. prox. 89

GRegorius, Clero, Ordini & Plebi consistenti Tadinæ. Cognoscentes Ecclesiam vestram diu sacerdotali regimine destitutam, curæ nobis fuit eiusdem Ecclesiæ visitationem fratri & coepiscopo nostro Gaudioso Eugubinæ Ecclesiæ solenniter delegare. Cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque à quoquam vsurpari patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire, & remoto strepitu, vno eodemque consensu talem vobis præficiendum expetere sacerdotem, qui & à venerandis canonibus nulla discrepet ratione, & tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solùm ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehetur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite. Sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & à communione alienos faciendos proculdubio noueritis.

EPISTOLA XCI.

Visitationem iniungit Ausinæ ciuitatis.

Sup ep

GRegorius, Seuero episcopo Anconitano. Postquam ciuitas Ausina Deo iuuante recuperata est, atque à republica teneri dinoscitur, magna de ecclesia ipsa de sollicitudo habenda est, maximè quia gloriosus filius noster Bahan magister militum à nobis pro hac re auxilium speraſſe dinoscitur: atque ideo ad fraternitatem tuam præsentia curauimus scripta dirigere, vt eidem ecclesiæ ex more visitator accedas. Quam ita te conuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, &c. vt supra Epistola lxxxvij.

EPISTOLA XCII.

De eligendo Episcopo.

Gregorius Clero, Ordini & Plebi. Ausinæ ciuitatis. Cognoscentes Ecclesiam vestram diu pastorali sollicitudine destitutam, postquam ciuitatem vestram recuperatam, & in iure reipublicæ, auxiliãte Domino, cognouimus restitutam; curæ nobis fuit Ecclesiæ vestræ visitationem fratri & coepiscopo nostro Seuero Anconitanæ ciuitatis episcopo solemniter delegare. Cui etiam dedimus in mandatis, &c. vt supra epistola 88.

EPISTOLA XCIII.

De Abbate instituendo & ordinando.

Gregorius Fortunato Episcopo Neapol. Quia seruorum Dei' pater quem in Neapolitana ciuitate transiniseram Deo, sicut ei placuit, disponente defunctus est; visum mihi est latorem præsentium Barbatianum monachum pro eorundem monachorum gubernatione transmittere. Quem ad præsens præpositum esse decernimus, vt si eius vita tuæ fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis eorum patrem debeas ordinare. Sunt enim bona quæ in eo placent. Sed hoc est in illo vehemens vitium, quia valde sibi esse sapiens videtur. Ex qua radice quanti rami peccati valeant prodire, patenter agnoscitur. Tua itaque sanctitas circa eum instanter inuigilet & si hunc & cautum in regimine, & humilem in suo sensu fieri cognouerit, tunc eum ad abbatis honorem, Deo auctore, perducat. Si verò minus in humilitate proficit, eius ordinationem differat, mihique renunciet.

EPISTOLA XCIV.

De ordinando sacerdote in monasterio Præcoritano.

Gregorius Victori Episcopo Panormitano. Desiderium quod ad religiosum propositum, & animarum salutem pertinere monstratur, sine aliqua, Deo auctore, est dilatione complendum. Et ideo quia monachorum congregatio quæ in monasterio Præcoritano consistit, pro sacris Missarum solennibus peragẽdis presbyteri indigere probatur officio, atque de sua sibi congregatione in hoc ordine postulant consecrandum; fraternitatem vestram scriptis præsentibus adhortamur, vt eum quem sibi de congregatione sua vnanimes duxerint eligendum, in prædicto monasterio sine mora vel excusatione aliqua presbyterum debeat ordinare, atque eum nec in Ecclesia, nec in loco alio obseruare, sed illic iugiter permanere ex nostra quoque auctoritate constituat: quatenus & ille dũ alibi non fuerit occupatus, in officio suo assiduus possit & vtilis inueniri, & congregatio quæ sibi eum postulat ordinari, quotiens necesse fuerit, ipso sacrificij solẽnitatem veneratione debita celebrante, valeat resoueri.

EPISTOLA XCV.

De schismate Historicorum.

Gregorius Basilio. Multum cor nostrum vestræ magnitudini congaudet, quòd sic vos studiosos in vestris actibus inuenimus, vt vobis & apud homines gloriam, & apud omnipotentem Deum præmia mercedis acquiratis. Inter alia igitur laudanda quæ agitis, qualiter vos contra Historicorum schisma pro vnitate Ecclesiæ amoris olim feruor accenderit, & multorum testificatione, & nostrum modo plenè relatione cognouimus. Vnde Redemptoris nostri misericordiam exoramus, vt sua vobis in omnibus gratia suffragetur, & effectu vos implere tribuat, quod velle concessit. Quia ergo hac in re tanto commoda retributionis accrescunt, quanto & studium laboris augetur; paterna vos dilectione salutantes hortamur, vt opportunitate occasionis inuenta efficaciã vestram exercere enixius debeatis: atque id modis quibus possibile fuerit, omni studio agere cõtendatis, quatenus prædicabile desideriũ vestrum de reuersione errantiũ adiuuante Dño compleatis. Præsentium verò portitorem Castorium chartularium nostrum, quem pro quibusdam illic causis trãsmisimus, magnitudo vestra vt bona sua multiplicet, suis in omnibus studeat solatijs adiuuare. Omnipotens Deus sua vos protectione cum filijs & omni domo vestra ab omni aduersitate tueatur atque custodiat, vobisque & præsentis vitæ prosperitatem, & lætitiam futuræ concedat.

EPISTOLA XCVI.

Laudat zelum eius iustum pro Domino.

Gregorius Mastaloni. Responsalium nostrorum relatione comperimus, quòd pro amore vnitatis Ecclesiæ tantus vos diuini zeli ardor accenderit, vt quoscunque valueritis non desinatis ad sinum matris Ecclesiæ reuocare, atque vt bonus fidelisque famulus lucrum quotidie de accepto dono tuo, Domino & Redemptori nostro cum summa mentis intentione facere non desistatis. Et quidem venientem ad nos vt potuimus ex corporalis visus ostensione didicimus: bonum verò quod ex diuina inspiratione in mentis tuæ caritate manebat occultum, desiderabilius nunc operis attestatione cognoscimus. Vnde diuinæ misericordiæ gratias ineffabili laude reddentes, hortamur dilectionem tuam, atque quibus valemus admonitionibus confortamus, vt quantum te acceptum talentum occultantis pœna perturbat, tantum lucrum facientium, atque per hoc de cœlestis regni perceptione lætantium, Dominicæ vocis imitatio te desiderabiliter ad petenda corroboret. Scire te namque dilectissime fili conuenit, quòd fructus huius quem apprehẽdisti studij, retributionis suæ non careat fine. Et ideo præpedientium te nulla, vel si est, debet contrarietas perturbare: quia quanto ex difficultate causæ bonum perfici Domino cooperante valuerit, tanto tibi erit & glorioſior retributionis spes. Excellentior namque nascitur ex desperatione victoria, quæcunque fuerit laboris nimij adepta sudoribus. Cognouimus etiam quòd Theodosius filius noster tui sequax, bonique cooperator studij, pariter tecum in sollicitudine lucrandarum animarum solerter inuigilet. Cui omnipotentem DEVM intercessione beati Petri Apostolorum principis retributorem citius esse confidimus.

EPISTOLA XCVII.

Vt melius quotidie proficiat in schismaticis reducendis ad Ecclesiam.

Gregorius Gulfari Magistro militum. Latores præsentium de Histriæ ad nos partibus venientes, tanta nobis bona gloriæ vestræ retulerunt, vt in reddendam nos vobis gratiarum actionem vehementer accenderent. Cognouimus namque quòd inter curas iniunctæ vobis gubernationis illarum partium præcipuam de animarum lucris sollicitudinem habeatis, & ita errantium corda ad vnitatem festinare vos Ecclesię reuocare, vt quantum ad desiderium vestrum pertinet, nullum illic ab Apostolica segregatum remanere velitis Ecclesia; tantusque vos beati Petri Apostolorum principis amor accẽderit, vt ouile ipsius cui à Domino omnes creaturæ sunt traditæ, summo redintegrare cum desiderio cupiatis. Habe glorioſe fili ex tanto talique opere præfixam de diuina retributione fiduciam, in qua vos non solùm nostra adhortatio, sed & Apostolicus quoque sermo confirmat: quia is qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Quantalibet enim sit temporalis affluentia vel certe prosperitas, habet finem suum terminum mortis. Hoc verò quod de animarum lucris apprehendistis studium, tenet fixam spei suæ certitudinem, æternæ scilicet vitæ retributionem. Quapropter præmisso paterno salutationis affectu hortamur gloriã vestram, vt pro vnitate sanctæ fidei zelum quem vobis ipse vnitatis auctor tribuit, studioſius peragatis, & quoscunque potueritis, in sinum matris Ecclesiæ ab schismatis sui reuocantes errore, adhortatione continua foueatis. Hoc etiam peragentes, vt & quos per vos Dominus suo ouili redintegrari

Petro omnes creaturæ sunt traditæ.

Iac. 5.

concesserit, ita defensionis vestræ solatijs protegatis, vt non sit quo hi qui adhuc in errore sunt positi, reuertentes ad salubre consilium valeant applicare. Dum enim vos causas DEI in terra agitis, ipse & hic actus vestros protectionis suæ feliciter ope disponit, & in æterna vobis vita quam cupitis, pro tãto bono vestro retributio existet.

EPISTOLA XCVIII.

De Histrianis ad vnitatem Ecclesiæ reuersi.

Sup. ep. 23. 24. ind. 2. h. l. Inf. l. 9. 34. 35. l. 10. ep. 40. 46. 47. Ind. 5.

GRegorius Romano defensori. Præsentium portitores huc de Histriæ partibus venientes, ad episcopum suum, qui nunc in Siciliæ degit partibus, cum nostro se pergere solatio poposcerunt. Quos hinc ordinantes fecimus ambulare. Suscipiens ergo eos experientia tua ordinet, qualiter ad prædictum episcopum suum velocius valeant peruenire, ne sicut astruunt, schismaticorum illarum partium eos alij ad persuadendum præueniant. Quantum enim indicant, ipse episcopus pro vnitate fidei ad nos habet desiderium veniendi. Concurrendum ergo illis est, vt bona quæ cupiunt, Domino adiuuante valeant perficere. Sed experientia tua aut per se si in vicino est, aut suis epistolis eundem episcopum adhortetur, vt propitiante Domino, ad Apostolorum limina properare festinet; sciturus quòd à nobis cum omni susceptur affectu. Cui expensam itineris qualiter ad nos peruenire, præbere te volumus. Sin verò oneroſum illi est huc venire, & Siciliam habitare disponit, atque in vnitate Ecclesiæ apud scripturarum peruersores cum cautela permanere consentit, & hoc nobis tua suggestione indicare non differas, vt qualiter illic consultum habere valeat, expensare auxiliante Domino disponamus. Sed & harum latores quemadmodum ad eundem episcopum suum veniant, tuæ concursionis sit atque solatij, vt venientes à nobis nihil minus sentiant.

EPISTOLA XCIX.

Sup. ep. 9. h. l.

De schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus.

GRegorius Gallinico Exarcho Italiæ. Apud excellentiam vestram tanto nobis quæ petimus, velut impetrata iam credimus, quanto & hoc quod petitur, ab officio nostro non discrepat, & vos inter curas fluctuationum sæcularium æternæ quoque ex hoc cumulus retributionis expectat. Harum siquidem latores de Histriæ ad nos partibus venientes, schismaticorum, inter quos erant positi, vitantes errorem, vnitati Ecclesiæ subdi salubriter cupierunt. Quorum boni intentionem operis perpendentes, in sinum matris Ecclesiæ competenti cum exhortatione suscepimus, eosque nostræ desiderantes Ecclesiæ militare gratè concessimus. Præmisso quapropter excellentiæ vestræ paternæ salutationis affectu, petimus vt eos pro bono desiderij sui quo ad Apostolorum principis petram solidam concurrerunt, ne fluctuantium adhuc erroribus mixti naufragium desperatæ salutis incurrerent, habere dignemini commendatos: quatenus ad propria remeantes, nullis propter hoc bonum quod appetisse noscuntur, peruersorum inquietudinibus perturbentur; sed magis in omnibus auxilium vestræ tuitionis inueniant, vt ex eorum quiete, aliorum adhuc in schismate positorum corda flectantur, atque horum per bonum vestri patrocinij prouocati sequaces existant. Ad augmentum namque mercedis vestræ pertinet, si inter curas bellicas sicut corpus ab exteriori hoste, sic animam ab interni insidiatoris impugnatione protegatis.

Ad petrã Apostolorum principis confugere.

EPISTOLA C.

De schismaticis ad Ecclesiæ vnitatem reuersis.

Sup. lib. 4. ep 54 l. 5. ep. 1. 18. 26. 38.

GRegorius Mariniano Episcopo Rauennæ. Latores præsentium ad nos de Histriæ partibus venientes, vnitati se Ecclesiæ subdi auxiliante Domino cupierunt. Quos pro sui laude desiderij cum affectu suscepimus, eosque de conuersatione adeptæ vnitatis præmissa exhortatione, nostræ quoque, sicut eorum desiderium erat, Ecclesiæ fecimus militare. Quos fraternitas vestra gratãter excipiat, eisque opem cum exegerint libenter impendat: quatenus ad propria reuertentes, nullis, vt bonum operis sui peragere valeant, peruersorum inquietudinibus fatigentur. Magis autem apud excellentissimum filium nostrum Exarchum id studiosius peragite, vt suis illos iussionibus apud eos quorum illic interest, securos in omnibus reddat, vt horum quiete aliorum quoque adhuc in schismate positorum animi ad conuersionis gratiam prouocentur.

Sup. ep. prox 99.

EPISTOLA CI.

De Episcopo eis constituendo, si schismaticus vnitatem fidei amplecti noluerit.

GRegorius habitatoribus *Capreæ insulæ. Redemptor noster Dei hominumque mediator conditionis humanæ non immemor, sic imis summa coniungit, vt ipse in æternitate permanens, ita temporalia occulto instinctu pia consulens moderatione disponit, quatenus de eius manu antiquus hostis nullatenus rapiat, quos ante sæcula intra sinum matris Ecclesiæ coadunandos esse præsciuit. Nam etsi quisquam eorum inter quos corporaliter degit, flatibus motus ad tempus vt palmes tubet: radix tamen rectæ fidei, quæ ex occulto prodit, diuino iudicio virens manet, quæ accepto tempore fructum de se ostentare valeat qui latebat. Quod in vobis nunc ex desiderio vestro gestum esse superni respectus illustratione cognoscimus, qui schismaticorum inter quos habitatis pertinaciam refutantes, coadunari ouili Dominico mente promptissima ipsa rei operatione monstratis. Quibus enim scissura displicet, sanos se velle esse testantur, & reprobantes errorem, ostenditis vos amare quod rectum est, vitare quod deuium. Hinc est quòd nos & vestra dudum directa petitio, & latorum præsentium & responsalium vestrorum salubria postulantium lætificauit aduentus, per quos significastis vos & deuios reprobare gressus errantium, & rectum salutis iter quærere, per quod vnitati vos sanctæ Ecclesiæ reformantes, ad retributionem bene operãtium, qui intra eius sinum constituti sunt debitam tenderetis. Vnde sic laudabilem, vestræque in æternum animæ profuturam voluntatem vestram cum omni gaudio sumus libenter amplexi: hoc cum Domini auxilio disponentes, vt si quidem episcopus quem vobis in vestra reformari petiueratis Ecclesia, à schismaticorum lapsu se segregans, Ecclesiæ voluerit vnitati coniungi, fratri & coepiscopo nostro Mariniano euidenter scripsimus, qualiter petitionem vestram ex nostra auctoritate debeat confirmare. Sin verò, quod optandum nobis non est, ab illorum se noluerit schismate separare, idem quomodo vestra Ecclesia proprium habere valeat sacerdotem, prædicto fratri & coepiscopo nostro scripsimus: quatenus in vtroque & pia mentis vestræ deuotio fortiatur effectum, & grex Dominicus contra insidiantis inimici iacula sit securus.*

*al. Histriæ Provinciæ.

Sup ep. prox.

EPISTOLA CII.

Lib. 1 ep. 38. 64. l. 12 ep. 10.

Conqueritur ab Ecclesia suas possessiones fuisse occupatas.

GRegorius Felici in Sicilia. Susceptis magnitudinis vestræ epistolis contristati sumus, quòd ab actoribus Ecclesiæ Syracusanæ quasdam possessiones, quas vos tenuisse dicitis, occupatas irrationabiliter indicastis. Sed credimus quia hoc ad fratris & coepiscopi nostri Ioannis notitiam non peruenit. Nam absolutè poterat cognita veritate si quid illicitè factum est, emendare. Et ideo quia legali prouisione decretum est tam momenti quàm proprietatis causam in vno eodemque iudicio debere cognosci, nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire, prædicto fratri nostro scripsimus, vt actores Ecclesiæ suæ deputare debeat, qui vobiscum sine mora electorum possint subire iudicium, ne aut vos res vestras sine cognitione, sicut querelam facitis, amittere; aut pars altera videatur præiudicium sustinere.

Gloria ergo vestra nullas ad eligendos iudices moras aut difficultates interserat, vel differat ad causam accedere. Nam omnino de supradicti fratris & coepiscopi nostri morib. certi sumus, quia facere quicquid rationis ordo exegerit, non recuset.

EPISTOLA CIII.

Quod cum Felice iudicium subeat.

GRegorius Ioanni Episcopo Syracusano. Felix vir memorandus suis nobis epistolis questus est, fraternitatis vestræ actionarios possessiones quas tenuerat, illicitè & contra iuris ordinem peruasisse, petens ablata sibi restitui, & se cum eis, si tamen causam voluerint dicere, paratum esse in iudicio sine aliqua dilatione consistere. Quod si ita est, quia quid legalis ratio habeat non nescitis, oportet vt omni mora postposita, actores vestræ Ecclesiæ deputetis, vt cum eo debeant eligere cognitores, qui tam momenti quàm principalis rei quæstiones cognoscere valeant & finire: ne si qualibet occasione dilatum fuerit, & ipse pati præiudicium, & partes Ecclesiæ non habere iustitiam videantur. Ita ergo agite, vt sub omni celeritate iudicium eligatur. Nam nos sic causas Ecclesiæ vestræ fieri volumus, vt nec dispendium contra æquitatem sustineat, nec ad vestram possit aliquid inuidiam pertinere.

EPISTOLA CIV.

De pace facta cum Longobardis.

GRegorius Theodoro Curatori Rauenna. Licèt multa de vobis ad eos olim, referentibus responsalibus nostris, quæ animos nostros lætificarent peruenerint; nunc tamen remeans filius noster Probus abbas, tanta de gloriæ vestræ amplius caritate retulit, quanta de bono re vera & Christianissimo decet filio prædicari. Et quoniam tantum sibi affectum à nobis impensum, ac tale studium in ordinanda pace vos habuisse narrauit, quale nec in nostris ciuibus, qui illic ante inuenti sunt, extitit supernæ protectionis misericordiam postulamus, vt hanc vobis vicem in corpore & in anima & hic & in futuro retribuat, qui pro multorum salute vigilanter agere quæ erant vtilia non cessastis. Indicamus itaque Arnulfum de seruanda pace, non vt rex ipsius iurauit, sed sub conditione si sibi in quoquam excessum non fuerit, aut si nullus contra Arogis exercitum ambulauerit, sacramenta præstitisse. Quod quia omnino iniquum & dolosum est, nos tamquam si non iurasset habemus: quia in aliquid parum facilem sibi excedendi occasionem inueniet, & plus nos quasi de eo suspecti non fuerimus, decipiet. Vuarnilfrida verò ad cuius consilium idem Arnulfus cuncta agit, omnino iurare despexit. Et id contigit vt ex pace quam multum desiderauimus, nos in his partibus nullum penè remedium habere possimus: quia de eisdem hostibus de quibus suspecti nuncusque fuimus, ad huc & in posterum suspecti sumus. Cognoscat præterea gloria vestra homines regis, qui huc transmissi sunt, imminere, vt in pacto debeamus subscribere. Sed recordantes eorum quæ Agilulphus Basilio viro clarissimo conuitia super nos in beati Petri dixisse fertur iniuriam, quamuis hoc penitus idem Agilulphus negauerit, à subscriptione tamen abstinere præuidimus: ne nos qui inter eum & excellentissimum filium nostrum domnum Exarchum petitores sumus & medij, si quid fortè clam sublatum fuerit, falli in aliquo videamur, & nostra ei promissio in dubium veniat; & si qua de futuro, quod absit, necessitas fuerit, occasionem inueniat qualiter nostræ petitioni consentire non debeat. Et ideo petimus, vt sicut & à prædicto filio nostro excellentissimo popposcimus, gloria vestra ea qua nobis caritate vnita est peragat: quatenus antequam homines ipsi ab Arogis reuertantur, rex eis sub festinatione scripta transmittat, quæ tamen ad nos deferantur, in quibus eis præcipiat vt nos subscribere non petat. Sed si tantum est, Gloriosum fratrem nostrum, vel de episcopis vnũ, aut certè archidiaconum subscribere faciemus. De persona verò Augusti gratias agimus, atque studemus, vt cum aduersario suo causam suam secundum æquitatem definiat, qui ita illi ne illuc exhiberetur, laborem imponi noluimus, vt tamen aduersario ipsius iustitiam non negemus. De alijs autem quia dignè vobis gratias agere necdum occurrimus, in subsequenti responsalem dirigimus, per quem in caritate qua ad alterum nexi sumus, amplius miserante Domino constringamur. Præterea gloriæ vestræ mœror nos vehementer afficit: sed quia vir sapiens ea quæ per consolationem dicenda sunt, cuncta nouit, verbis vos consolari cessamus, sed oratione prosequimur; petentes vt omnipotens Deus vitam & salutem vestram vestrorumque omnium pietatis suæ protectione custodiat, & cor vestrum in afflictione positum consoletur.

EPISTOLA CV.

Sabinum Episcopum commendat.

Inf. ep. 106 h. l.

GRegorius Occiliano Tribuno Hydruntino. Cognoscentes magnitudinem vestram de Rauennatis partibus cum ordinatione excellentissimi filij nostri domni Exarchi ad Hydruntinam ciuitatem feliciter remeasse, gratè suscepimus, & Dominum exoramus, quo actus vestros suæ propitiationis opitulatione disponat. Sabinus siquidem frater & coepiscopus noster ad nos veniens, graues nobis ciuium suorum querelas innotuit, asserens à Viatore ex tribuno Hydruntinæ ciuitatis multa se hactenus illicita pertulisse. Magnitudinem ergo vestram paterno salutantes affectu hortamur, vt quicquid pridem malè gestum esse cognoscitis, iudiciaria debeatis emendatione corrigere. Scitis etenim quòd locus ipse Ecclesiæ nostræ sit proprius, & ipsi pauci qui illic rustici remanserunt, si in aliquibus incompetentibus angarijs vel oppressionibus affliguntur, locum ipsum deserunt, & quod non optamus, hostibus datur illum occasio peruadendi. Prædictum ergo episcopum, omnesque habitatores loci ipsius vobis peculiariter commendamus, vt non solùm nullis illicitis iniunctionibus onerẽtur, sed magis ex commendatione nostra vestra sibi in omnibus sentiant adesse solatia, vt & beatus Petrus Apostolorum princeps, cuius res ipsa est, vobis retributor existat, & nos in vestris promptius vtilitatibus commodemus.

EPISTOLA CVI.

Ne patiatur res Ecclesiæ angarijs prægrauari.

Sup. li. 2. ep. 45. Ind. 11.

GRegorius Sabiniano Episcopo Callipolitano. Indicatum nobis est, quòd homines Callipolitani castri, in quo te propitiante Domino esse constituimus sacerdotem, grauibus diuersorum molestijs affligantur, atque in longinquis angarijs multisque dispendijs conterantur. Hortamur ergo fraternitatem tuam, vt quia & locus ipse nostræ, sicut cunctis notum est, Ecclesiæ esse dinoscitur, sollicitudinem tuam rectæ defensionis zelo succendas, eosque non permittas illicitis prægrauari: quia & exemplaria tibi priuilegiorum Ecclesiæ de scrinio nostro ob hoc fecimus dari; quatenus informatus ex omnibus qualiter habitatores loci illius defensare valeas, non ignores. Volumus etiam vt massæ ipsius Callipolitanæ homines sub sollicitudinis tuæ cura, à futura tertia indictione habere debeas, atque de eorum releuandis molestiis esse cautissimum, & adhibita sollicitudinis cura, vniuscuiusq; vires quid præstare de sua pensione Ecclesiæ vtilitatib. valeant, cautè cognoscere, ac secundum vires suas ad persoluendum quemque disponere. De qua ordinatione fraternitas tua subtiliter facta notitia quid dare ipsi homines totius Callipolitanæ massæ possunt, indicare non differat, vt sciamus quid exinde disponere auxiliante Domino valeamus. Ad Sergium verò defensorem præcepta direximus, vt, in hac vobis re non solum non audeat esse contrarius, sed vobis magis vbi valuerit solatia subministret.

EPISTOLA CVII.

De Frumiscendo obnoxio Ecclesiæ Hydruntinæ.

Sup. ep 39 & 45. h.l. Inf. ep. 108

Gregorius Sergio Defensori. Reuerendissimus frater noster Petrus Hydruntinæ ciuitatis episcopus, questus est nobis per Vincentium diaconum suum, Frumiscendum Ecclesiæ suæ quondam filium in multis existere debitorem, & non solùm nolle satisfacere de his quibus tenetur obstrictus, sed etiam contemnere subire iudicium. Vnde experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, vt eum admonere studeat: quatenus si quid de obstrictu Ecclesiæ se redhibere cognoscit, satisfacere dilatione postposita nó desistat. Alioquin mora cessante ad electorum te compellente accedat iudicium. Et quicquid veritate cognita medijs sacrosanctis Euangeliis fuerit statutum, ita ad effectum executionis tua instantia perducatur, vt huius rei querela ad nos denuo non redeat.

EPISTOLA CVIII.

De Petro puero fuga lapso.

Gregorius Sergio Defensori. Filius noster vir magnificus Occillianus tribunus Hydruntinæ ciuitatis ad nos veniens puerum vnum Petrum nomine, artis pistoriæ ex iure germani nostri ad eum noscitur perduxisse. Quem nunc fuga lapsum ad partes illas reuerti cognouimus. Experientia ergo tua antequam ad Hydruntinam ciuitatem valeatis ipse cõtingere, sub qua valueris celeritate, vel ad Episcopũ Hydruntinæ ciuitatis, vel ad prædictũ tribunũ, vel ad alium quem in loco tuo te habere cognoscis, scripta dirigas, vt vxorem vel filios prædicti mãcipij sub omni habere debeãt cautela, atq; de ipso sollicitudinem gerere, vt peruenies valeat detineri, & mox cum rebus suis omnibus quæque ad eum pertinent, naui impositis per fidelem personam huc modis omnibus destinari. Experientia itaque tua cum omni hoc studeat efficacia solertiaque perficere, ne de neglectu vel mora nostros, quod non optamus, animos offendas.

EPISTOLA CIX.

Inf. ep. 110 Sup l. 2. epist 59. 60. l. 5 ep. 11. ep 31.

Ne milites in monasterio virginum hospitentur.

Gregorius Fortunato Episcopo Neapolitano. Insinuauit nobis latrix præsentium Agnella abbatissa, quòd intra monasterium ipsius milites hospitentur. Et omnino de fraternitatis vestræ sollicitudiue mirati sumus, cur hoc patienter tulerit, & non illud cum omni celeritate fecerit emendari. Vnde hortamur, vt vel nunc studij vestri sit instanter eis quorum interest imminere: quatenus sine aliqua exinde excusatione tollantur, vt nullus illic vlterius hospitium & metatum accipiat, ne callidus hostis occasionem inueniens de deceptione religiosi habitus, quod ablit, valeat exultare.

Iuo. p. 7. c. 82.

EPISTOLA CX.

Sup h.l. & ep. 91 & 107. l. 2. ep. 59 61. Ind. 11. l. 5 ep. 11 31. l 6 ep. 1. & 20.

De diuisione populi Neapolitani.

Gregorius Fortunato Episcopo Neapolitano. Quorundam in Neapolitana consistentium ciuitate relatione de quibusdam capitulis Stephano deferente suscepimus. De quibus Theodorus vir magnificus maior populi ad nos veniens, ante conquestus iam fuerat, à fraternitate tua in eis fuisse præiudicia irrogata. Sed & alteram quorundam relationem in prædicta vrbe degentium, qui prædicti maioris populi partem sequuntur, accepimus. Ex quibus liquidò comperimus in duas se partes populum diuisisse. Et quia nobis triste & tibi graue est inter habitatores memoratæ ciuitatis prodisse discordiam, quorũ vnitati studere debueras ac concordiæ: ideo fraternitatem tuã his hortamur affatib. vt cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinatione transmittas, quæ aut in electorum, aut certè in deputatorum à nobis iudicio, si qua pro tuis partibus sunt agenda, aduersariorum intentionibus ac obiectis per omnia valeat respondere, vt veritate cognita, salubrem hic finem causa suscipiat: quatenus rationabiliter omnibus capitulis quæ in altercationem venerant terminatis, nullas in hac contentione ingrauedo vires accipiat, sed sola inter te & filios tuos pax sicut decet, & caritas perseueret. Quia ergo exortæ contentiones nulla illic possunt ratione distingui; quippe vbi tanta in habitatoribus est nata dissensio, vt nullus sit qui possit in iudicio respondere, siue defendendæ alternæ partis studio remanere; ita fraternitas tua agat, vt in transmittenda persona, sicut diximus, nullam tarditatem qualibet excusatione subiungat.

EPISTOLA CXI.

De imaginibus in Ecclesijs non confringendis.

Sup l. 5. ep. 12. & l. 9. ep. 9.

Gregorius Sereno Episcopo Massilienſi. Quòd fraternitati vestræ tam serò scripta transmittimus, non hoc torpori, sed occupationi deputate. Latorem verò præsentium dilectissimum filium nostrum Cyriacum monasterij nostri patrem vobis in omnibus commendamus, vt nulla hunc in Massilienſi ciuitate mora detineat, sed ad fratrem & coepiscopum nostrum Syagrium cum sanctitatis vestræ solatio Deo protegente proficiscatur. Præterea indico dudum ad nos peruenisse, quòd fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit atq; proiecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari posset, habuisse laudamus, sed frangere easdem imagines non debuisse iudicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesijs adhibetur, vt hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas seruare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & litterarum nescij haberent vnde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.

Imagines quid prosint.

EPISTOLA CXII.

Li. 9. ep. 10 Ind 4 & Inf. h.l ep. 112. 118 l. 9

De Simoniaca hæresi, & quòd neophytus non ordinetur, nec clerici cum mulieribus maneant.

*Gregorius Syagrio, *Betherio, Virgilio, & Desiderio episcopis Galliarum aparibus.* *al. Thaonio.

Caput nostrum, quod Christus est, ad hoc sua esse membra nos voluit, vt per compagem caritatis & fidei vnum nos in se corpus efficeret. Cui ita corde adhærere nos conuenit, vt quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus esse quod dicimur. Abarce capitis nostri res nulla nos diuidat, ne ab ea, si eius esse membra refugimus, relinquamur, & velut eiecti de vite palmites arescamus. Vt ergo Redemptoris nostri esse habitaculum mereamur, in dilectione ipsius toto mentis studio maneamus. Ipse namque ait: Qui diligit me, Ioan. 14. sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sed quoniam bonorum auctori hærere aliter non valemus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus; per scripta præsentia quæ alterno adinuicem desideratæ visitationis sermone nos sociant, fraternitatem vestram institutis Apostolicis conuenimus, vt patrum regulis & præceptis Dominicis innitentes, de templo fidei auaritiam, quæ idolorum est seruitus, excludamus, vt in domo Domini nil noxium, nilque sinamus adesse confusum. Nuncio siquidem apud nos olim discurrente vulgatum est, quod in Galliarum partibus sacri ordines per simoniacam hæresim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, si in Ecclesiasticis officijs quemquam habeat locum pecunia, & sit seculare quod sacrum est. Quicunque verò hoc precij studet datione mercari, dũ non officium, sed nomẽ attendit, sacerdos nõ esse, sed tur. Neclerici fiatica munera precio dare.

dici tantummodo inaniter concupiscit. Quid scilicet? quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solum modo dignus, qui dare precium suffecerit, æstimetur? Ex qua re si recti libraminis examen pensetur, dum improbe ad inanem gloriam locum festinat vtilitatis arripere, eo ipso magis

quòd

quòd honorem quærit, indignus est. Sicut autem is qui inuitatus tenuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus; sic qui vltrò ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius ad profunda descendat? Itaque fratres carissimi in sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, vt ad summa sacerdotij non suffragio venditorum prouectus, sed Dei credatur esse iudicio. Nam quàm graue omnino sit facinus, DEI donum velle precio comparare vel vendere, Euangelica est testis auctoritas. Templum enim Dominus & redemptor noster ingressus cathedras vendentium columbas euertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi precium de manuũ impositione percipere, & sanctum Spiritum quem omnipotens DEVS hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium ante DEI oculos cadere, cathedrarum vtique patenter euersione signatum est: Et tamen exerit adhuc nequitiæ prauitas vires suas. Nam cogit vendere quos decipit vt temerent. Et dum non attenditur quod diuina voce præcipitur: Gratis accepistis, gratis date, agitur vt crescat, & geminata fiat in vno eodemque delicti contagio, ementis scilicet & vendentis. Et cum liqueat hanc hæresim in Ecclesia ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam, cur non cauetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus, promouetur? Plerumque ergo aduersarius animarum dum non potest in his quæ ad faciem sunt praua surrepere, callidè specie quasi pietatis iniecta, nititur supplantare. Suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, vt sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram, aut auem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut illi laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda & cauenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subuertere, latente telo sæuius valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, vt quasi benè dispenset, grauatur potius quàm iuuatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & benè acquisitis impenditur. Vnde etiam illud certum est, quia etsi monasteria aut xenodochia vel quid aliud de pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, construantur, mercedi non proficit: quoniam dum peruersus emptor honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad suam similitudinem sub commodi datione constituit; plura malè ordinãdo destruit, quàm ille potest ædificare qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, apertè Scripturæ sacræ ordo nos prohibet dicens: Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Quicquid enim in DEI sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis DEI non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursus scriptum est: Honora Dominum de tuis iustis laboribus. Qui ergo malè tollit, vt quasi benè præbeat, constat sine dubio quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi victimat filium in conspectu patris. Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in eius conspectu filius victimetur. Et hinc facilè cognoscimus, quantus apud DEVM dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est dilectissimi fratres, sub obtentu eleemosynæ, peccata Simoniacæ hæresis perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere. Hoc quoque ad nos peruenisse non dissimili dignum detestatione complectimur, quòd quidam desiderio honoris inflati, defunctis episcopis tonsurantur, & fiunt repentè ex laicis sacerdotes, atque inuerecundè religiosi præpositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt. Quid putamus quòd isti subiectis præstaturi sunt, qui antequam discipulatus limen attingant, tenere locum magisterij non formidant? Qua de re necesse est, vt si & quamuis inculpati quisquam sit meriti, ante tamen per distinctos ordines Ecclesiasticis exerceatur officiis. Videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod teneat, vt postea non debeat errare qui eligitur viam errantibus demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur vt placeat, & sic lucerna super candelabrum posita luceat, vt aduersa ventorum vis irruens, conceptam eruditionis flammam non extinguat, sed augeat. Nam cum scriptum sit, vt prius quis probetur, & sic ministret, multo amplius ante probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ populi sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio, quia cunctis liquidò notum est quæ sit in huius rei diligentia sancti & egregij sollicitudo doctoris, qui neophytum ad ordines vetat sacros accedere. Sicut autem tunc Neophytus dicebatur, qui initio in sanctæ fidei erat conuersatione plantatus, sic modo Neophytus habendus est, qui repentè in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinatè ergo ad ordines ascendendum est: nam casum appetit qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Et cum idem Apostolus doceat inter alia sacri ordinis instituta discipulum, manum non esse cuiquam citius imponendam; quid hoc celerius, quidve præcipitantius, quàm vt exoriatur à summitate principium, & ante esse incipiat episcopus quàm minister? Quisquis ergo sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc quod est subiturus onere metiatur; & si impar abstineat, & ad id cum metu etiam cui se sufficere existimat, accedat. Ab re autem non facimus, si ad argumentum rationabilium, vsum rerum irrationabilium colligamus. Apta namque ædificationibus de siluis ligna succiduntur, nec tamen adhuc viridibus ædificii pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccauerit, & apta ad necessarium vsum effecerit. Quæ obseruantia si fortè negligitur, citius superposita mole franguntur, & gignit ruinam ad auxilium res prouisa. Hinc etenim & medici, qui curam gerunt de corpore, quædam adiutoria recenti adhuc confectione formata, indigenti non offerunt, sed maceranda temporibus derelinquunt. Nam si immaturè quis dederit, dubium non est quia sit causa periculi, res salutis. Discant itaque, discant in officio suo sacerdotes, quibus animarum credita est cura, seruare quod diuersarum etiam artium homines docente ratione custodiunt, & à præcipiti se ambitione & si non metu, saltem pudore contineant. Sed ne forsan ab hoc se prauæ consuetudinis quisquam velit obiectu defendere, fraternitatis vestræ discretio rationis eos freno coerceat, & labi in illicitis non permittat: quia quicquid vltione dignum est, non ad imitationis, sed in exemplum potius debet correptionis adduci.

Neophytus quis dicatur.

1. Tim. 5.

Neque autem hoc quod similiter corrigendum est, patimur negligenter omittere. Nam quid prodest cuncta muniisse, si per vnum locum pernicioso hosti præbeatur accessus? Cum his itaque qui in sacro sunt ordine constituti, habitare mulieres prohibeantur. De quibus, ne antiquus humani generis inimicus exultet, omnium definiendum consensu est, vt præter eas quas sacri canones complectuntur, alias secum mulieres habere non debeant. Quæ interdictio etsi fortè aliquibus ad tempus amara est, certum est quia postmodum ex ipsa animæ vtilitate dulcescit, si vnde inimicus superare potuit, superetur. Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias conciliis, patrum prouidentia vtilitatis causa sancitum est. Vnde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos & subiectos sint fomenta discordiæ, in vnum conuenire sacerdotes necesse est, vt & de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatione collatio: quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens Dominus fratrum concordia collaudetur. Cuius vobis adesse præsentiam, si hæc obseruabitis, scitote; quia scriptum est: Vbi fuerint cõgregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorũ. Si ergo adesse dignatur, vbi duo vel tres fuerint, quãto magis non deerit, vbi plures conuenerint sacerdotes? Et quidem quia de habendo bis in anno concilio patrum sit regulis statutum, non latet. Sed ne fortè aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen in anno sine excusatione aliqua decernimus congregari, vt expecta-

Synodus cur haberi debeat.

Matt. 18.

tione concilij nihil prauum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerumque etsi non amore iustitiæ, metu tamen examinis abstinetur ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio. Hanc fratres carissimi obseruantiam nostris relinquendam posteris teneamus, & omnia quæ ad eruditionem nostram sacris apicibus scripta sunt meditemur, atque ad ea quoscunque possumus incitemus. Certum quippe est, quia si toto corde præceptis nos salutaribus occupamus, omnem vitiorum labem effugimus, quia dum in his quibus ædificamur innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus. De his itaque quæ superius dicta sunt, fraternitatem vestram, auctore DEO, volumus synodum congregare, atque in ea reuerendissimo fratre nostro Syagrio coepiscopo, & dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnentur, id est, vt nullus pro adipiscendis Ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere, nec ex laico habitu quisquam repentè valeat ad locum sacri regiminis peruenire. Neque vt aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi hæ, quæ sacris, vt prædictum est, canonibus sunt permissæ. De quibus cunctis reuerendissimus frater noster Syagrius episcopus cum omni synodo dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate remeante, nobis quæ acta sunt, studeat renunciare, vt subtiliter agnoscentes quid & cum qua cautela, vel qualiter sit decretum, omnipotenti DEO de vita vestra ac moribus gratias inessabiliter persoluamus.

EPISTOLA CXIII.

Consolatoriam scribit epistolam de interitu hominum suorum, & vsum Dalmaticarum concedit, & de synodo facienda hortatur.

Li. 9. ep. 57 62. Ind. 4. l. 5. ep. 57. Inf. li. 12. ep. 12 in med.

GRegorius Aregio Episcopo de Gallijs. Fraternitatis vestræ afflictio, quam de amissione vestrorum vos hominum habuisse cognouimus, tantam nobis causam mœroris iniecit, vt quia nos de duobus caritas vnum fecit, cor nostrum in vestris specialiter vri tribulationibus sentiremus. Sed in hoc dolore multum me consolata est sanctitatis tuæ ad animum reducta discretio, quam & patienter ferre tristitiam, & decet de morte, spe vitæ alterius, longam non habere mœstitiam. Ne tamen aliqua adhuc tribulatio in vestra mente remaneat, hortor quiesce dolere, desine tristis esse. Nam indecens est de illis tædio afflictionis addici, quos credendum est ad veram vitam moriendo peruenisse. Habent forsitan illi iustam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc sæculo ad melius esse transitum non confidunt. Nos autem qui nouimus, qui hoc credimus & docemus, contristari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit. Nam diffidentiæ quodammodo genus est, contra hoc quod quisque prædicat, torqueri mœstitia, dicente Apostolo: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Hac itaque frater carissime ratione perspecta, studendum nobis est, vt sicut diximus, de mortuis non affligamur, sed affectum viuentibus impendamus, quibus & pietas ad vtilitatem, & sit ad fructum dilectio. Proinde obiurgando, hortando, suadendo, blandiendo, consolando prodesse quibus possumus festinemus. Lingua nostra bonis fomentum sit, prauis aculeus; tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortatu succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur: & quia ductores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. Simus in custodia vigilantes, aditus contra hostis insidias solliciti muniamus. Et si quando per deuia ouem de commissis gregibus error abduxerit, toto illam adnisu ad caulas reuocare Dominicas contendamus, vt de pastoris nomine quod habemus, non supplicium, sed præmium consequamur. Quia ergo in his omnibus diuinæ gratiæ adiutorio opus est, omnipotentis Dei assiduis precibus clementiam exoremus; quatenus ad hæc nobis operanda & velle tribuat, & posse concedat, atque in ea nos via cum fructu boni operis, quam se pastor pastorum esse testatus est, dirigat: vt sine quo facere nihil assurgimus, per ipsum implere omnia valeamus. Præterea communis filius Petrus diaconus nobis innotuit, quòd fraternitas vestra tempore quo hic fuit, popoposcerit vt sibi & archidiacono suo vtendi Dalmaticis licentiam præberemus. Sed quia ita hominum suorum infirmitate compulsus festinanter abscessit, vt nec ipsum mœror incumbens diutius, vt dignum erat, & res desiderata poscebat, sineret imminere, & nos in multis implicitos, Ecclesiasticæ rationis consideratio nouum hoc inconsultè & subitò non permitteret indulgere; idcirco postulatæ rei prolongatus effectus est. Nunc verò caritatis tuæ bona reuocantes ad animum, huius auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te & archidiaconum tuum Dalmaticarum vsu decorandos esse concessimus, easdemque Dalmaticas dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate deferente transmisimus. Præterea in ea synodo, quam contra Simoniacam hæresim per fratrem & coepiscopum nostrum Syagrium decreuimus congregari, sanctitatem vestram volumus interesse, atque eidem fratri ita pallium quod transmisimus tribui, si prius se promiserit illicita quæ prohibuimus, per definitionem synodicam à sancta Ecclesia remouere. De qua synodo omnem nobis subtiliter ordinem tuam fraternitatem volumus scriptis decurrentibus nunciare, vt ipse cuius nobis sanctitas valde experta est, nos reddas de omnibus certiores.

Vsus Dalmaticarū Episcopo & archidiacono cōceditur.

EPISTOLA CXIV.

De conuersione gentis Anglorum, & Augustino episcopo. De vsu pallij, & de loco & dignitate Ecclesiæ Augustodunensis, & de synodo.

Sup. li. 7. ep. 100 & l. 11. 5. 119.

GRegorius Syagrio Episc. Augustodunensi. Magistra bonorum omnium caritas, quæ nil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, ita exercet corda & corroborat, vt nihil graue, nil difficile existimet, sed fiat totum dulce quod agitur. Huius igitur cum sit proprium nutrire concordiam, seruare coniuncta, dissociata coniungere, praua dirigere, & virtutes ceteras perfectionis suæ munimine solidare; quisquis in eius radices se inserit, nec à viriditate deficit, nec à fructibus inanescit: quia humorem fœcunditatis opus efficax non amittit: Atque ideo multum tibi dilectissime frater condelector atque congaudeo, quòd sic eadem caritate te præditum multorum testificatione comperio, vt & ipse quæ sacerdotis sunt decenter exhibeas, & alijs te laudabiliter imitandum ostendas. Quia igitur in prædicationis opere, quam diu cogitans Anglorum genti per Augustinum quondam monasterij mei præpositum, nunc fratrem & coepiscopum nostrum impendere studui, ita sollicitum atque deuotum, adiutoremque in omnibus te, vt oportuit, fuisse cognouimus, vt magnum me sibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem; tantæ rei consideratione commonitus, ne infructuosus erga te viderer existere, fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione postponere. Proinde secundum postulationis tuæ desiderium pallij te vsu, quod intra Ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantum missarum solennia celebranda, Deo auctore, præuidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum esse decreuimus, si prius per synodi definitionem emendari promiseris quæ corrigenda mandauimus: quia dignum profectò esse credimus, vt cum mentis grauitate qua Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accresceret: præsertim cum te hunc non ad superfluæ elationis pompam, sed pro genio & honore tuæ arbitramur Ecclesiæ petiuisse. Cuius ne indumenti munificentiam nudâ videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prouideamus speximus concedendum, vt metropolitæ suo per omnia loco & honore seruato, Ecclesia ciuitatis Augustodunæ, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum & ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vendicare. Ceteros verò episcopos secundum ordinationis suæ tempus, siue ad considendum in concilio, siue ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decernimus, & suorum sibi prærogatiuam ordinum vindi-

Effectus caritatis varij.

Ecclesia Augustodunensis post Lugdunensem gradum obtinet. Episcopi extra ordinationis suæ locum in Concilio obtinent.

Episcopi munus describitur.

1. Thess. 4.

vindicare: quia omnino rationis ordo nos admonet, vt cum vsu pallij aliqua simul, sicut diximus, largiri priuilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento, cura quoque sollicitudinis debet accrescere, vt cultui vestium actionis quoq; ornamenta conueniant; oportet vt enixius in cunctis se studijs vestra fraternitas exerceat. Et circa subiectorum actus sit cura vigilans, vt vestrum illis exemplum instructio & vita magistra sit. Linguæ vestræ exhortatione discant quod metuant, & doceantur quod diligant, vt dum talenta credita lucro multiplicata reddideris, in die retributionis audire ſis meritus: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Curam præterea congregandæ synodi, quam vobis atq; alijs fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione fiẽdam scripsimus, vestræ specialiter sollicitudini noueritis incumbere. Vnde quia præcellentissimos filios nostros Francorum reges magnam vobis nouimus dilectionem impendere, omni vos studio omniq́ue agere annisu necesse est, vt quod de synodo congreganda mandauimus, fraternitatis vestrę vigilantia compleatur, atque omnia illic quæ pro animarum salute scripsimus censeantur: quatenus per hoc & vos zelum vestrum, & qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, & nos vtiliter prouidisse, qui vestram ad hoc præ ceteris personam eligimus, videamur.

EPISTOLA CXV.

De laicis ad episcopatum non adhibendis. De Simoniaca hæresi. De synodo. De Iudæis Christianam mancipia possidentibus.

GRegorius Brunichildæ Reginæ Francorum. Postquam excellentiæ vestræ sollicitudo, regia est vbique gubernatione laudabilis, ad augmentum gloriæ suæ vigilantiorem se debet & prouidam exhibere, vt quos consilio regit exterius, perire interius non permittat: quatenus per fructum piæ sollicitudinis post huius, quod geritis, temporalis regni fastigium, ad æterna, Deo auctore gaudia possitis & regna pertingere. Quod quidem hac vobis confidimus posse ratione contingere, si inter alia bona de ordinandis curam sacerdotibus gesseritis. Quorum officium in tantam illic, sicut didicimus, ambitionem perductum est, vt sacerdotes subitò, quod graue nimis est, ex laicis ordinentur. Sed quid isti acturi, quid populo præstaturi sunt, qui non ad vtilitatem, sed fieri ad honorem episcopi concupiscunt? Hi ergo qui necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agunt nisi vt paucorum proiectus illicitus, fiat multis interitus, & in confusionẽ Ecclesiasticæ moderationis obseruantia deducatur? quippe vbi nullus regularis ordo seruatur. Nam qui ad eius regimen improuidus, & ob hoc præcipitatus accedit, qua admonitione subiectos ædificet, cuius exemplum non rationem docuit, sed errorem? Pudet profectò, pudet alijs imperare, quod ipse nescit custodire. Nec illud quidem quod simili emendationi tradendum est, præterimus, sed omnino execrabile, & esse grauissimum detestamur, quòd sacri illic ordines per Simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta, & districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur vt sacerdotij dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur disciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit; & nefaria ambitione, honorabilis sacerdotij ducitur in deprauatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur, aut quis non vile putet esse quod emitur? Vnde valde contristor, & terræ illi condoleo, quia dum sanctum Spiritum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam vbi dona, supernæ gratiæ venalia iudicantur, ad Dei seruitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Quia igitur tantum facinus non solùm illis periculum, verùm etiam vestro regno satis est noxium, salutantes excellentiam vestram paterno affectu petimus, vt de huius prauitatis emẽdatione Deum vobis placabilem faciatis. Et vt nulla deinceps valeat occasione committi, synodum fieri iussio vestra constituat, vbi præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub districta anathematis interpositione debeat interdici, ne vllus ex laico habitu subitò ad episcopatus audeat gradum accedere, neque pro Ecclesiasticis ordinibus cuilibet quicquã dare, vel ausus sit accipere, vt Dominus & Redemptor noster sic quæ vestra sunt faciat, sicut excellẽtiam vestram in ijs quæ sua sunt, pia esse viderit deuotione sollicitam. Curam verò & sollicitudinem eiusdem synodi, quam fiendam decreuimus, fratri coepiscopoq́ue nostro Syagrio, quem vestrum proprium nouimus specialiter delegare curauimus, quem petimus, vt & supplicantem libenter audire, & ope iuuare dignemini: quatenus quod ad mercedem vestram respiciat, remoto huius mali cõtagio in cunctis finibus iuri vestro subiectis, pia & Deo placita procedat ordinatio sacerdotum. Cui fratri nostro pro eo quod se in ea prædicatione quæ Anglorum genti, auctore Domino, facta est, deuotum vehemẽter exhibuit, pallium ad missarum solemnia vtendum transmisimus, vt quia adiuuare spiritalia studuit, Apostolorum principis solatio in ipso quoque inueniatur spiritali ordine profecisse. Omnino præterea admirati sumus, cur & in regno vestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes nisi membra Christi? Quorum videlicet membrorum caput cuncti nouimus quia fideliter honoratis. Sed quàm diuersum sit, excellentia vestra perpendat, caput honorare, & membra ipsius hostibus calcanda submittere. Atque ideo petimus vt excellentiæ vestræ constitutio de regno suo huius prauitatis mala remoueat, vt in hoc vos amplius dignas cultrices omnipotentis Domini demonstretis, quòd fideles illius ab inimicis eius absoluitis.

Iudæi christiana mancipia ne habeãt.

EPISTOLA CXVI.

De Simoniaca hæresi. Et vt ex laicali habitu nullus fiat episcopus.

Li. 5. ep. 58. & Inf. 120. h. l.

GRegorius Theoderico & Theodeberto Regibus Francorum apa ribus.

Cum regni vestri nomen inter ceteras gentes gratia olim Christianæ religionis effulserit, valde studendum est, vt vndegloriosiores ceteris gentibus eminetis, inde omnipotenti Domino qui dat salutem regibus, perfectius placeatis, & fidẽ quam colitis, adiutricem in omnibus habeatis. Optaueramus quidem, præcellentissimi filij, nostrum ad vos solita dirigere visitatione sermonem, vt caritatis officijs paternum monstraremus affectum. Sed quia nimium nos res contristat illicita, sic vnum conuenit exhibere, vt aliud sub silentio, quod emendatione indiget, minimè relinquamus. Quod si diligenter attenditis, pro salutis vestræ nos loqui prorsus incolumitate cognoscetis. Fertur autem Simoniacam hæresim quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica subplantatione surrepsit, & in ipso ortu suo, telo Apostolicæ vltionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita. Si enim vita deest, fides meritum non habet, beato Iacobo attestante, qui ait: Fides sine operibus mortua est. Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti conuincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, vt ipsi quoque qui sacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed diuitias quibus honor sacer emitur satagant congregare. Hinc fit etiam vt insontes & pauperes à sacris ordinibus prohibiti, despectiq; resiliant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quòd præmium illic delicta commendet: quia vbi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non solùm in ordinatoris & ordinati animam letale vulnus infligitur, verùm etiam excellentiæ vestræ regnum vestrorum episcoporum culpa, quorum magis interceſſionibus iuuari debuerat, prægrauatur. Si enim is dignus in sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat vt nihil sibi ad honores Ecclesiasticos grauitas, nil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. Et dum vitia remunerantur honore, in locum vltoris is qui fortasse fuerat vlciscendus

Iuo. Diac. 3. c. 1.

Sup. ep. 112. 1. q 1 c. 28. Iuo p. 3. c. 111. Anſili. 90. c. 78.

Ne muneribus sacerdotia conferantur.

adducitur, atque hinc sacerdotes non proficere, sed perire potius iudicantur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? Aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis se hostilibus feriendum exponit? Aut qualem de se fructum productus est, cuius graui peste radix infecta est? Maior ergo metuenda est locis illis calamitas, vbi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui DEI in se magis iracundiam prouocant, quam per semetipsos populis placere debuerant. Audiuimus autem quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna super hoc admiratione susp endimur, si ab eis illicita quę-
Ne ex laicis repentè episcopi fiant. rantur accipi, quibus etiam licita relaxantur. Nec hoc quoq; malum sollicitudo nostra patitur negligēter omittere, quòd quidam instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repentè habitu sacerdotij honorem arripiunt, & (quod dicere pudet, & graue tacere est) regendi rectores, & qui docendi sunt doctores nec erubescunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est, & quò vel ipsi gradiantur, ignari sunt. Quod quàm prauum, quamve sit temerarium, sæculari etiam ordine & disciplina monstratur. Nam dum dux exercitus non nisi labore & sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui ad episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere, huius saltem rei comparatione considerent, & aggredi repentè inexpertos labores abstineant, ne cæca honoris ambitio & ipsis in pœnam sit, & alijs pestifera erroris semina iaciat: quippe qui non didicerunt quod ipsi doceant. Proinde paterno salutantes affectu petimus præcellentissimi filij, vt hoc tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inueniat: quia facientis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Qua de re vt magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, synodū congregari præcipite: in qua sicut fratribus, coepiscopisq; nostris mādauimus, præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub anathematis debeat obligatione constitui, nullum pro Ecclesiastico ordine aliquid vnquam dare, nullum accipere, nec quemquam ex laicis ad sacerdotium repentè transire: quatenus hanc vobis mercedem & hic & in futura vita redemptor noster, cuius sacerdotes interius ab hoste periri non finitis, recompensęt. Omnino præterea admirati sumus, quod in regno vestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis.
Iudæi christiana mācipia habere non debent. Quid enim sunt Christiani oēs nisi membra Christi? Quorū videlicet membrorum caput cuncti nouimus, quia fideliter honoratis: sed quam diuersum sit excellentia vestra perpendat, caput honorare, & membra ipsius hostibus calcanda permittere. Atque ideo petimus vt excellentiæ vestræ constitutio de regno suo huius prauitatis mala remoueat, vt in hoc vos amplius dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis, quod fideles illius ab inimicis eius absoluitis.

EPISTOLA CXVII.

Sup. lib. 4. ep. 50 li. 5. ep. 53. Ind. 14. l 7. ep. 115 l. 9. ep. 49. & 63.

De priuilegio monasterij Arelatensis auctoritate Apostolica confirmato, quod inuiolabiliter seruari debet.

25. q. 2. c. Cū piæ 9.

GRegorius Virgilio Episcopo Arelatensi. Cum piæ desiderium voluntatis, & laudandæ deuotionis intentio sacerdotalibus sit semper studijs adiuuanda: cura est solicitudinis adhibenda, vt ea quæ pro quiete monachorum religiosęque conuersationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Sed sicut hoc quod ratio exigebat vtilitatis, oportuit definiri: ita quod definitum est (nisi fortè vbi maior est auctoritas) non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ Childebertus Francorum rex catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatensis ciuitatis monasterium virorum, vt scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cuius ne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete monachorum dispositā fuerant, turbarentur, quæque contulit in iure eiusdem monasterij, epistolis suis Apostolica petijt auctoritate firmari: hoc quoque suæ petitioni subiungens, vt eidem monasterio tam in dispositione rerum, quam in ordinatione abbatis quædam pariter priuilegia largirentur. Sciens quippe eam Apostolicæ Sedi
Priuilegia Sedis Apostolicę auctoritate firmata, inuiolata sunt. reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ vsurpationis molestia quaterentur. Vnde quia effectum & regia voluntas, & res valde desiderata poscebat, à prædecessore nostro Vigilio Romanæ sedis antistite ad prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, vbi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat, Apostolicæ auctoritatis libenter annisu firmata sunt: quia difficultatem pati non potuit huiusmodi res petita. Sed vt fraternitas vestra, quæ fuerint tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his præuidimus scriptis adiungi. Quibus lectione percursis hortamur vt omnia sacerdotali, sicut decet, studio inuiolata conserues, nihilque illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam patiaris vsurpatione conuelli. Nam licèt ea quæ semel Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nil egeant firmitatis: ex abundantia tamen
Priuilegia ab vno pō tifice confirmata, nihil egēt firmitatis. nostra cuncta quæ pro huius rei quiete à prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat: quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & alijs hæc operari suadeat, dum se in custodienda defuncti pijssima voluntate, sollicitam, vt decet, exhibuerit & deuotam.

EPISTOLA CXVIII.

De priuilegijs Ecclesiæ suæ.

Sup. epist. 120. l. & l. 9. ep. 48.

GRegorius Desiderio Episcopo Galliarum. Fraternitatis vestræ desiderium Ioannis regionarij relatione cognouimus: quod quidem libenter parati sumus implere, si diligenter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem à vestra sibi relatum dilectione quòd Ecclesiæ vestræ quædam olim priuilegia ab Apostolica Sede concessa sint, atque vsum pallij eius sacerdotes antiquitus habuisse. Quod quia vobis magnoperè poscitis reformari, in Ecclesiæ nostræ scrinio requiri fecimus, & inueniri nil potuit. Sed quoniam quanto studiosius ista cupitis adipisci, tanto vos arbitramur esse sollicitos, in requirendis chartis Ecclesiæ vestræ vigilantius curam impendite; & si qua exinde scripta inueniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ vestræ sit transmittere. Nā qui noua concedimus, vetera libentissimè reparamus.

EPISTOLA CXIX.

Inf. l. 6. ep. 115. 119. Sup. ep. 111 li. 1.

Quod in Episcopis actiones debent cum nomine consentire, & de Menatę, & Theodoro episcopis malè viuentibus.

GRegorius Syagrio Episc. Augustodunensi. Cum sacerdotalis dignitas alijs videatur dignitatibus eminere, ita quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandum debet ostendere, vt exemplo suo nulli nocere, sed vitam potius valeat componere subiectorum. Nam si actus dissentiat à nomine, quanto pontificatus ipse plus erigit, tanto magis addicit. Itaque Menatem quendam episcopum, qui illic de diœceſi Romanæ Ecclesiæ nostra ordinatione profectus est, in tanta se leuitate didicimus exhibere, vt & nobis de eo maior sit verecundia, & illi episcopatus nomen non sit in honore, sed onere. Quod quia pudoris nobis est de eo illa cognoscere, quæ in aliarum prouinciarum omnino reprehendimus sacerdotibus; fraternitas vestra eum illic immorari amplius non permittat, sed ad nos quantocyus reuerti compellat, ac magis inuenta per omnia occasione transmittat, vt sub ea qua dignum est obseruantia refrenatus, sæculares mores ad sacerdotalem studeat conuertere grauitatem. Nam satis noxium atque perniciosum est, vt imitatione ipsius, quæ ædificari debuerant, destruantur. In qua re non solùm ille culpabilis, sed etiam qui non restiterit inuenitur: nam consentire videtur erranti qui corrigenda vt resecari debeant, non corrigit.

Quia

Quia verò Theodorus quidam episcopus de diœcesi reuerendissimi fratris nostri Constantij Mediolanensis Ecclesiæ episcopi disciplinam, vt dicitur, euitans, illic veniſſe firmatur; hortamur vt & isto diligentius requisito, ad episcopum suũ vestra fraternitas retransmittat. Et quia sicut legitur: Qui abijcit disciplinam, infelix est; nulla eum illic se excusatione patiamini retinere: quatenus ipsi qui leuitatis eorum vitio possunt decipi, liberentur, & de ipsis habere mercedem ne in hac stultitia pereant valeatis.

EPISTOLA CXX.

De Syagria defendenda, quæ cum fuisset religiosa, violenter est matrimonio sociata.

Gregorius Virgilio & Syagrio Episc. Galliæ. Commissi officij qualitas me fratres carissimi in vocem cogit doloris erumpere, & dilectionem vestram anxietate caritatis exasperare, quòd illic vos nimium negligentes & remissos dicitur extitisse, vbi studium vestrum acriter iustitiæ rectitudo & zelus debuit castitatis accendere. Peruenit autem ad nos, Syagriam quondam vitam religiosam, mutatis etiam vestibus assecutam, posteaque marito violenter esse, quod dici iniquũ est, sociatam, & nullo vos in eius defensione dolore permotos. Quod si ita est, vehementius ingemisco, ne apud omnipotentem Dominum, quod abſit, mercenarij officium, & nõ pastoris meritum habeatis. Quippe qui in ore lupi ouem laniandam sine certamine reliquistis. Quid enim dicturi, quam veritatis rationem futuro estis iudici reddituri, quos stupri sic ortatio non commouit, quos ad defendendum fauor nequaquam religiosi habitus excitauit, quos ad tutandam pudicitiæ integritatem sacerdotalis consideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, huius recordatio culpæ sollicitet, & officij vestri consideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne fortè per tempus transisset in voluntatem necessitas, lingua illi vestra medela sit, atque admonentibus vobis, orationibus operam det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, Redemptori nostro cor pœnitens exhibeat, & castitatis damna quam ei corpore seruare non licuit, fletu reſarciat. Quia ergo prædicta mulier res suas etiam nunc pijs, vt fertur, desiderat causis impendere; hortamur, vt fraternitatis vestræ hac in re fauorem inueniat, solatiis potiatur, & seruata competenti filiis portione, fas illi sit de substantia sua iudicare quod velit. Vestrum enim sine dubio bonum facitis, si bona volentibus opem fertis. Hæc igitur dilectissimi fratres quæ loquimur, ex quanto procedant amore pensate, & omnia cum ea qua dicuntur caritate suscipite. Nam dũ vnum in Redemptoris nostri corpore corpus sumus, in his quæ vobis nocere sentio, simul vror. Qua autem intentione, quoue affectu hanc vobis epistolam miserim, cordi vestro veritatis auctor aperuit. Et ideo hæc fraterna vos admonitio non contristet: quia & asperum poculum libenter accipitur, quod intentione salutis offertur. Quod superest, carissimi fratres, iunctis Dei nostri misericordiam precibus exoremus, vt vitam nostram in suo propitius timore disponat: quatenus & hic illi sacerdotaliter deseruire, & in conspectu ipsius in futuro securi assistere & sine metu valeamus.

EPISTOLA CXXI.

De Vrsicino Taurinæ ciuitatis episcopo absq; causa à sua Ecclesia electo.

Gregorius Syagrio Episcopo Augustodunensi. Si in rebus sæcularibus suum cuiq; ius & proprius ordo seruandus est; quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inueniat, vnde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione seruabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Perlatum siquidem ad nos est, dilectissimum fratrem nostrum Vrsicinum Taurinæ ciuitatis episcopum post captiuitatem & depræda-
tionem quam pertulit, graue in parochiis suis, quæ in Frãcorum sitæ terminis perhibentur, præiudicium pertulisse; denique vt alter illic contra Ecclesiastica statuta nullo eius crimine deposcente constitueretur antistes. Et ne leue forsitan videretur huius rei præiudiciale commissum, etiam aliquid doloris est additum, vt res ei Ecclesiæ suæ quas habere potuit, tollerentur. Quòd si hæc veritate subsistunt, quia crudele nimis est, & apertè sacris canonibus inimicum, vt ab altari proprio insontem ambitio remoueat sacerdotem, qui non meretur ex crimine successorem, suam in huius præiudicij cuncti causam attendant, vt qui nolunt perpeti, nec alijs imponant. Nam si prauæ rei aditus antequam diu patescat nõ clauditur, vsu fit latior; & erit consuetudine licitum, quod ratione constat esse prohibitum. Sed præ cæteris fraternitatis vestræ sollicitudo pro nostra commendatione, ac diuinæ considerationis intuitu, in eius se enixius defensione impendat, & à suis illum amplius contra rationem remotum esse parochiis non permittat. Sed tam per se, quàm supplicando præcellentissimis regibus, quos vos in nullo credimus contristare, id peragat, vt & hoc quod malefactum est corrigatur, & quæ violenter ablata sunt veritate patrocinante reddantur: quia dum scriptum sit: Frater fratrem adiuuans exaltabitur: tanto se ab omnipotente Deo caritas vestra nouerit recepturam, quanto præcepta ipsius in adiuuando fratre libenter atque constanter fuerit executa.

Aditus prauus consuetudini intercludendus

Prou. 18.

EPISTOLA CXXII.

De Vrsicino episcopo Taurinæ Ciuitatis.

Sup h. l. ep. 114. l. 5. ep. 58.

Gregorius Theodorico & Theoberto Regibus Francorum. Summum in regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare, & subiectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodire. Quod quia vos & diligere & omnino confidimus studere; excellentiæ vestræ indicare ea quę emendationem expetunt inuitamur, vt per hoc & oppressis succurrere, & vobis mercedem acquirere nostris epistolis valeamus. Fratrem itaque & coepiscopum nostrum Vrsicinum Taurinæ ciuitatis antistitem in parochijs suis quæ intra regni vestri sunt terminum constitutæ, graue omnino dicitur præiudicium sustinere, adeo vt contra Ecclesiasticam obseruantiam, contra sacerdotalem grauitatem, & contra sacrorum canonum instituta, nullo eius exigente crimine, alter illic non metuerit episcopus ordinari. Et quia parum visum est si illicitis non iungerentur illicita, etiam res Ecclesiæ suæ, vt fertur, ablatæ sunt. Quòd si ita se veritas habet, quoniam intolerabile nimis est, vt vi opprimeretur cui culpa non nocuit, præmisso paterna caritate salutationis alloquio petimus, vt quod excellentia vestra amore Ecclesiasticæ reuerentiæ, & æquitatis contemplatione spontè possit impendere, nostra studeat benignius intercessione concedere. & iustitiam illi, sicut de æquitatis eius bono confidimus, faciat in omnibus custodiri, atque patefacta veritate, & quod illicitè actum est corrigi, & res ei violenter ablatas æquitate iubeat fauente restitui. Nec quod ad tempus ab hostibus eius Ecclesia detinetur, debet illi aliquid officere: sed hoc ad subueniendum Christianitatis vestræ magis magisque debet animos permouere, vt largitatis vestræ munere consolatus, captiuitatis quam pertulit, non possit damna sentire. Pro vtilitate ergo animæ vestræ, hæc nostra apud vos exhortatio locum inueniat, vt ad mercedem vestram deiectionẽ ipsius porrecta manu iustitiæ releuetis: quatenus per hoc quod æquitatem sacerdotibus custoditis, eorũ precibus ante Dei semper oculos floreatis.

EPISTOLA CXXIII.

Hilarium commendat.

Li. 5. ep. 59 & sup. 113. h. l. & inf. l. 9 ep 50. 56 57. li 10. ep. 54. l. 11. ep. 8

Gregorius, Brunichildæ Reginæ Francorum. Cum in regimine virtus iustitia, & potestas egeat æquitate, nec, ad hoc alterum sine altero possit sufficere: quanto in vobis amore horum cura præfulgeat, ex hoc vtique patenter ostenditur, dum turbas gentium laudabiliter gubernatis. Quis ergo hæc considerans, de excellentiæ vestræ bonitate diffidat? aut de impetratione sit dubius, quando illa à vobis

quæ subiectis vos libenter posse nouit impendere, duxerit postulanda? Lator itaque præsentium Hilarius excellentiæ vestræ famulus, nostra se interuentione apud potestatem vestram æstimans adiuuari, commendationis nostræ sibi popo-scit epistolas suffragari; certum tenens vberius, sicut ceteris conceditis, promereri, si nostra pro eo intercessio loqueretur. Proinde paternæ caritatis affectu salutationis persoluentes alloquia petimus, vt quia quorundam se perhibet nequitia aduersitatibus laborare, excellentiæ vestræ eum tuitio muniat, & ne contra rationem valeat prægrauari, sua illum iussione tutum esse præcipiat: quatenus dum vobis iubentibus atque propitijs nullius aduersitas iniustè & pro sola tantummodo voluntate locum habuerit, & nos de impetratis quæ pro vestra magis mercede poscimus gratias referamus, & excellentiæ vestræ beatus Petrus Apostolorum princeps, quem in nobis concedendo quę petimus Christiana deuotione veneramini, recompenset.

EPISTOLA CXXIV.

Sup. ep 57. h. l. & inf. l. 9 ep. 57. 62. Ind. 4. l. 5 ep 57. l. 12. ep. 12. in med.

Hilarium commendat, vt illi tuitionem impendant.

GRegorius Vantilono, & Aregio. Ad magnam gloriæ vestræ laudem accedit, quod Hilarius præsentium lator valido se fidit præsidio releuari, si assequi fauorem tuitionis vestræ meruerit. Quod adeo, sicut est magnum existimat, vt ad hoc obtinendum etiam nostram sui commendationem adhibere studuerit adiutricem. Hunc igitur quoniam ad vestrum patrocinium videmus desideranter velle confugere, scribere pro eo non iudicauimus differendum; confidentes tanto vos defensionem petentibus libenter impertiri, quanto & eam in tristitia, & in stricto positos cognoscitis supplici-ter expectare. Ea de re gloriam vestram paterna dulcedine salutantes, petimus vt quia prædictus portitor aliquorum inimicitijs se contra rationem asserit subiacere, patrocinium vestrum quod magnoperè cupit, inueniat, & nullam illum contra æquitatem molestiam, nullam vexationem patiamini sustinere: sed ab omni eum afflictione, quam non ratio, sed aduersantium volùtas ingesserit, patrocinij vestri gratia tueatur; vt & hic optatum se in vobis, vt sperat, lætetur inuenisse refugium, & aliquid vobis ad mercedem proficiat, ac vestrũ quidem in nobis alij similiter quærere discant in tribulatione solatium.

EPISTOLA CXXV.

Hilarium commendat.

GRegorius Asclipiadoto Patricio in Gallijs. Qui terrenis regibus adhærent, quantum eis præstandi locus conceditur, tanto debent in causis mercedis proniores existere, vt fructu boni operis & hic eorum quibus seruiunt gratia perfruantur, & cælestis regni aulam introire postea mereantur. Vnde licèt hoc diligere & in hoc vos esse confidamus intentos, veruntamen quia paternum alloquium aliquid bonis mentibus semper addit, hortamur vt quoties congruum iuuandi tempus astiterit, nequaquam quod operandum vobis est differatis. Nam qui fratrem luctu releuat, oppressum erigit, mœrentem consolatur, ab illo sibi retribui, cui totum impendit non dubiter, qui ait: Quod vni ex minimis istis feciſtis, mihi feciſtis. Matth. 25. Quia igitur Hilarius præsentium portitor pro eo quod frustra contra se quorundam perhibet inimicitias exarsisse, vestræ se tuitioni nostra petijt epistola cõmendari, certus quòd patrocinantibus vobis cuiusquam contra rationem aduersitas ei nocere non valeat: idcirco paterno gloriam vestram salutantes affectu, petimus vt fauoris vestri gratia muniatur, & quod ceteris iusta petentibus indulgetis, huic quoque pro nostra intercessione largius impendatis, atque eum contra æquitatem opprimi non sinatis, sed manum illi auxilij vbi rationis ordo vocauerit, porrigatis: quatenus ad mercedẽ gloriæ vestræ & ipse in vobis quod omnino arduè quæsiuit inueniat, & vos afflicto & humiliter supplicanti videamini, quod valde glorioſum est, subuenisse.

EPISTOLA CXXVI.

Ei familiariter regibus Gothorum vso, Cyriacum Monachum commendat.

GRegorius Claudio in Hispanijs. Quia vnguenti more bonorum fragrat opinio vestræ gloriæ, de occidentibus partibus hucusque odor tetendit. Cuius profectò auræ suauitate respersus, multum fateor quem nesciebam dilexi, atque intra sinum cordis amoris manu te rapui: nec iam eum nesciens diligebam, cuius bona cognoueram. Qui enim mihi magna intentione notus, sed corporis visione manet incognitus, de eo proculdubio veraciter dicere possum, quia personam illius scio, sed domum nescio. Magna autem vestræ laudis datur assertio, quòd excellenti Gothorum regi vestra gloria sedulò adhærere perhibetur: quia dum malis boni semper displiceant, bonos vos esse certum est, qui bono placuistis. Propterea debitum salutationis alloquium soluens, opto vos in his quæ cœpistis exerceri, vt in oobis compleatur veridica Salomonis illa sententia quæ ait: Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Nũc enim cùm lux nobis veritatis infulget, cum lese regni cœlestis suauitas mentibus aperit, iam quidem dies est, sed adhuc perfectus non est. Tunc autem dies perfectus erit, quãdo iam Prou. 4. quicquam de nocte peccati in mente nostra non erit. Vos autem vsque ad perfectum diem crescite: vt quousque patria æterna videatur, bonorum hic operum augmenta dilatentur: quatenus tanto post in retributione maior sit fructus muneris, quanto nunc studium creuerit laboris. Propterea dilectissimum filium nostrum Cyriacum monasterij nostri patrem vestræ gloriæ commendamus, vt peractis quæ ei iniuncta sunt, nulla illum remeandi mora præpediat. Omnipotens Deus cœlestis vos brachij protectione tueatur, & nunc glorioſos inter homines, & post longa annorum curricula inter angelos esse concedat.

EPISTOLA CXXVII.

Sup. li. 2. ep. 41. l. 4. ep. 46.

De laude caritatis. De onere suæ prælationis. De pallio ad sacra tantum missarum solemnia transmisso.

GRegorius Leandro Episcopo Hispalensi. Sanctitatis tuæ suscepi epistolam, sollius caritatis calamo scriptam. Ex corde enim lingua tinxerat quod in chartæ pagina refundebat. Boni autem sapientesque viri cum legeretur affuerunt, quorum statim viscera in compunctione commota sunt. Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere: quia in illa epistola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur & mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat qui fuerit ardor dicentis. Nisi enim prius in se faces ardeant, alium non succẽdunt. Ibi ergo vidimus, quanta caritate tua mens arserit, quæ sic & alios accendit. Vitam verò vestram, cuius ego semper cum magna veneratione reminiscor, minimè nouerant, sed eis altitudo vestri cordis patuit ex humilitate sermonis. Vitam autem meam cunctis esse imitabilem illa vestra epistola loquitur. Sed quod non est ita vt dicitur, sit ita quia dicitur, ne qui non solet, mentiatur. Ad hæc autem breuiter cuiusdam bonæ mulieris verba Ruth. 1. loquor: Nolite me vocare Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, quia amaritudine plena sum. Neque enim bene vir hodie ego sum ille quem nosti. Multum fateor exterius proficiendo, interius cecidi: meque de eorum numero Psal. 72. esse pertimesco, de quibus scriptum est: Deiecisti eos dum allevarentur. Cum alleuatur enim deijcitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit. Ego enim vias mei capitis sequens summoperè esse decreueram opprobrium hominum, & abiectio plebis: atque in eius sortem currere, de quo rursus per Psalmistam dicitur: Ascensus in corde suo disposuit in conualle lachrymarum: vt videlicet tanto verius intus ascenderem, quanto per conuallem lachrymarum foris humilius irrem. At me multum nunc deprimit honor onerosus, curæ innumeræ perstrepunt, & cum sese ad Deum animus colligit, hunc suis impulsibus, quasi quibusdam gladijs scindunt.

Nulla

Nulla cordis quies est. Prostratum in infimis iacet suæ cogitationis pondere depressum. Aut ... valde aut nulla hoc in sublimia penna contemplationis leuat. ... orpet ignaua mens, & circumlatrantibus curis temporalibus, ... penè ad stuporem deducta, cogitur modò terrena agere, modò etiam quæ sunt carnalia dispensare. Aliquando verò fastidio ... gente compellitur, quędam etiam cum culpa disponere. Quid ... ta loquar? Victa suo pondere sanguinem sudat. Nisi enim sanguinis nomine culpa censeretur, Psalmista non diceret: Libera me de sanguinibus. Cum verò culpas culpis iniungimus, hoc quoq; quod per alium prophetam dictum est implemus: Sanguis sanguinem tetigit. Sanguis enim sanguinem tangere dicitur, cum culpa culpæ adiungitur, vt iniquitatis cumulus multiplicetur. Sed inter hæc per omnipotentem Deum deprecor, vt in perturbationis fluctibus lapsum tuæ orationis manu me teneas. Quasi enim prospero flatu nauigabam, cum tranquillam vitam in monasterio ducerem: Sed procellosis subito motibus tempestas exorta, in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi: quia quiete perdita mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in vndis versor, & tuæ intercessionis tabulam quæro, vt qui naui integra diues peruenire non merui, saltem post damna ad littus per tabulam reducar. De podagræ verò molestia sanctitas vestra vt scribit affligitur, cuius dolore assiduo & ipse vehementer attritus sum. Sed facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur, quæcunque fecimus ad memoriam delicta reuocamus: atque hæc non iam flagella sed dona esse conspicimus, si quæ carnis delectatione peccauimus, carnis dolore purgemus. Præterea ex benedictione beati Petri Apostolorum principis pallium vobis transmisimus, ad sola Missarum solennia vtendum. Quo transmisso, valde debui qualiter vobis esset viuendum admonere. Sed locutionem supprimo, quia verba moribus aptis. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, atq; ad cælestis remunerationē patriæ cum multiplici animarum fructu perducat. Ego autem quanta occupatione deprimor ex debilitate breuis attestatur epistola, in qua ei, quē multum diligo, parum loquor.

EPISTOLA CXXVIII.

Laudat eius opera gentem Gothorum ad Catholicam fidem conuersam. Agit de muneribus sancto Petro transmissis, commendans eius animum, quòd licet summa pecuniarum à Iudæis offerretur, constitutionem in eos edictam mutare noluerit: denique Crucem transmittit, in qua de ligno Domini erat, & de capillis sancti Ioannis Baptistæ.

GRegorius Recharedo Regi Visigothorum. Explere verbis excellentissime fili non valeo, quantum tuo opere, tua vita delector. Audita quippe noui diebus nostris virtute miraculi, quòd per excellentiam tuam cuncta Gothorum gens ab errore Arianæ hæresis in fidei rectæ soliditatem translata est, exclamare cum propheta libet: Hæc est immutatio dexteræ excelsi. Cuius enim vel saxeum pectus tanto hoc opere cognito, non statim in omnipotentis Dei laudibus, atque in tuæ excellentiæ amore mollescat? Hæc me fateor quæ per vos acta sunt, sæpe conuenientibus filijs meis dicere, sępe cum eis pariter admirari delectat. Hæc me plerunque etiam contra me excitat, quòd piger ego & inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in animarum congregationibus pro lucro cælestis patriæ reges laborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine iudici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero, vbi tua excellentia greges post se fidelium ducet, quos modò ad veræ fidei gratiam per studiosam & cōtinuam prædicationem traxit? Sed est mihi bone vir hoc ex Dei munere in magna consolatione, quia opus sanctum quod in me non habeo, diligo in te te. Cumque de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea quæ per laborem tua sunt, per caritatem mea fiunt. De conuersione igitur Gothorum in vestro opere & in nostra exultatione libet cum angelis exclamare: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Nos enim, vt existimo, gratiarum amplius omnipotenti Domino debitores existimus: quia & si vobiscum nihil egimus, vestro tamen operi congaudendo participes sumus. Beatus verò Petrus Apostolorum princeps quàm libenter munera excellentiæ vestræ susceperit, ipsa cunctis liquidò vita vestra testatur. Scriptum quippe est: Vota iustorum placabilia. Neque enim in omnipotentis DEI iudicio quid datur, sed à quo datur aspicitur. Hinc est enim quod scriptum est; Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Dicturus quippe quia Dominus respexit ad munera, præmisit sollicitè, quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur, quia ... offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. V... ra itaque oblatio quàm sit grata ostenditis, qui daturi aurum, ... ius ex conuersione gentis subditæ animarum munera dedistis. Quòd verò transmissos abbates, qui oblationem vestram Beato Petro Apostolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipso itinere ad Hispanias remeasse, non munera vestra repulsa sunt, quæ postmodum peruenerunt, sed eorum qui transmissi fuerant constantia est probata, an scirent sancto desiderio obiecta pericula vincere, & in fatigatione corporis mente minimè lassari. Aduersitas enim quæ bonis votis obijcitur, probatio virtutis est, non iudicium reprobationis. Quis enim nesciat quàm prosperum fuit quòd Beatus Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit? Sed nauis cordis in marinis fluctibus integra stetit. Præterea indico, quia creuit de vestro opere in laudibus DEI, hoc quod dilectissimo filio meo Probino presbytero narrante cognoui: quia cum vestra excellentia constitutionem quandam contra Iudæorum perfidiam dedisset; hi de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestræ mentis inflectere pecuniarum summam offerendo moliti sunt: quam excellentia vestra contempsit, & omnipotentis Dei placere iudicio requirens, auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi Dauid regis factum ad memoriam venit: cui dum concupita aqua de cisterna Bethleemitica, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset allata, protinus dixit: Absit à me vt sanguinem iustorum hominum bibam. Quam quia fudit & bibere noluit, scriptum est: Libauit eam Domino. Si igitur ab armato rege in sacrificium DEI versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius non aquam sed aurum accipere contempsit? Itaque fili excellentissime fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti. Magna sunt hæc & omnipotentis Dei laudi tribuenda. Sed inter hæc vigilanti sunt studio antiqui hostis insidiæ cauendæ, qui quanto maiora in hominibus dona conspicit, tanto hæc auferre subtilioribus insidijs exquirit. Neque enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos qui auri vascula vel argenti ferunt. Via quippe est vita præsens. Et tanto quisque necesse est vt insidiantes spiritus caueat, quanto maiora sunt dona quæ portat. Oportet ergo excellentiam vestram in tanto hoc de conuersione gentis subditæ munere quod accepit, summoperè custodire prius humilitatem cordis, ac deinde munditiam corporis. Cum enim scriptum sit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur; profectò liquet quia ille veraciter alta amat, qui mentem suam ab humilitatis radice non desecat. Sæpe namque malignus spiritus vt bona destruat quibus prius aduersari non valuit, ad operantis mentem post peractam operationem venit, eamque tacitis cogitationibus in quibusdam suis laudibus excutit, ita vt decepta mens admiretur ipsa quàm sint magna quæ fecit. Quæ dum per occultum tumorem apud semetipsam extollitur, eius qui donum tribuit, gratia priuatur. Hinc est enim quòd per prophetæ vocem contra superbientem animam dicitur: Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo. Fiduciam quippe animam in pulchritudine sua habere, est in semetipsa de iusta actione præsumere. Quæ in suo nomine fornicatur, quando in hoc quod rectè egit, non conditoris laudem dilatari appetit, sed suæ opinionis gloriam requirit. Hinc rursum per prophetam scriptum est: Quò pulchrior es, descende. Anima etenim vnde est pulchrior, inde descendit, quando ex virtutis decore quo exaltari apud DEVM debuit, ab eius gratia per suam elationem cadit. Quid ergo in his agendum est, nisi vt malignus spiritus cum nobis ad eleuandam mentem reducit bona quæ egimus, nos semper ad memoriam mala nostra reuocemus: quatenus & nostra cognoscamus

Prou. 15.

Gen. 4.

Act. 17.

1. Paral. 11.

Hostis insidiæ.

Luc. 14. & 18.

Laudes propriæ fugiendæ.

Ezech. 16.

Ezech. 32.

esse

esse quæ peccando fecimus, & solius omnipotentis Dei munera, cum peccata declinamus. Custodienda est quoque munditia corporis in studijs bonæ actionis: quia iuxta vocem prædicantis Apostoli: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Qui rursus ait: Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: Quam sanctificationem quid dixerit, ostendens protinus adiunxit: Vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, & non in passionibus desiderij. Ipsa quoque regni gubernacula erga subiectos magno sunt moderamine temperanda, ne potestas mentem surripiat. Tunc enim regnum bene regitur, cum regnandi gloria animo non dominatur. Curandum quoque est, ne ira surripat. Ne fiat citius omne quod licet. Ira quippe etiam cum delinquentium culpas exequitur, non debet mentem quasi domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, vt ad faciem iussa veniat. Nam si semel mentem possidens cœperit, iustum esse deputat etiam quod crudeliter facit. Hinc enim scriptum est. Ira viri iusticiam Dei non operatur. Hinc rursus dicitur: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Hæc autem vos auctore Deo omnia seruare non ambigo. Sed occasione admonitionis exorta, bonis vestris actibus me furtiuè subiungo, vt quod non admoniti facitis, quando vobis & admonens additur, iam non soli faciatis. Omnipotens autem Deus in cunctis actibus vestris, cælestis brachij extentione vos protegat, vobisque & præsentis vitæ prospera, & post multa annorum curricula gaudia concedat æterna. Clauim verò paruulam à sacratissimo beati Petri Apostoli corpore vobis pro eius benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis eius inclusum, vt quod collum illius ad martyrium ligauerat, vestrum ab omnibus peccatis soluat. Crucem quoque dedi latori præsentium vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ crucis inest, & capilli beati Ioannis Baptistæ. Ex qua semper solatium nostri Saluatoris per intercessionem præcursoris eius habeatis. Reuerendissimo autem fratri & coepiscopo nostro Leandro pallium à beati Petri Apostoli sede transmisimus, quod & antiquæ consuetudini, & nostris moribus, & eius bonitati atque grauitati debeamus. Item Anagnostico ante longum tempus, dulcissima mihi vestra excellentia, Neapolitano quodam iuuene veniente, mandare curauerat, vt pijssimo Imperatori scriberem: quatenus pacta in cartophylacio requireret, quæ dudum inter piæ memoriæ Iustinianum principem & iura regni vestri fuerant emissa, vt ex his colligeret, quid vobis seruare debuisset. Sed ad hoc faciendum duæ res mihi vehementer obstiterunt. Vna quia chartophylacium prædicti piæ memoriæ Iustiniani principis tempore, ita surripiente subitò flamma incensum est, vt omnino ex eius temporibus penè nulla charta remaneret. Alia autem, quia quod nulli dicendum est, ea quæ contra te sunt, apud temetipsum debes documenta requirere, atque hæc pro me in medium proferre. Ex qua re hortor vt vestra excellentia suis moribus congrua disponat, & quæque ad pacem pertinent, studiosè peragat, vt regni vestri tempora per longa sint annorum curricula in magna laude memoranda. Præterea transmisimus clauim aliam à sacratissimo beati Petri Apostoli corpore, quæ cum digno honore reposita, quæque apud vos inuenerit benedicendo multiplicet.

Corporis munditia seruanda. 1. Cor 3. 1. Thess. 4.

Ira à Regibus vitanda.

Iacob. 1.

Clauis B. Petri.

Ex reli. quiis sanctorum intercessione iuuamur.

Pacta inter Imper. & regem Gothorũ.

Iustiniani chartophylacium cõbustum.

EPISTOLA CXXIX.

Conqueritur de doloribus eius, & de temporis calamitatibus & morbis, qui se, Romam, Africam & Orientem vexabant.

Li. 1. ep. 33. li. 5. ep. 42.

Io. Diac. 4. c. 67.

GReg. Italicæ Patriciæ, & Domno Venantio, Cancellario Italiæ. Quosdã de Sicilia veniẽtes affectu quo debui de sospitate vestræ excellẽtiæ requirere curaui. Sed de assiduitate egritudinũ mihi tristia responderũt. Hæc aũt dicens nec ego vobis de meipso inuenio aliud quod debeam nunciare, nisi quod peccatis meis exigentibus, ecce iam vndecim menses sunt quòd valde rarum est si de lecto surgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ tantisque molestiarum doloribus premor, vt vita mea mihi grauissima pœna sit. Quotidie enim in dolore desicio, mortis remedium expectando suspiro. In clero verò Ciuius Vrbis & populo tanti febrium languores irruerunt vt penè nullus liber, nullus seruus remanserit, qui esset idoneus ad aliquod officium vel ministerium possit. De vicinis autem vrbibus strages quotidie mortalitatis nunciantur. Africa autem qualiter mortalitate & lãguoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo quòd subtilius cognouistis. De Oriente verò qui veniunt, grauiores desolationes nunciant. In his itaque omnibus quia appropinquãte fine mundi generalẽ percussionem esse cognoscitis, affligi nimis de proprijs molestijs non debetis. Sed sicut sapientes nobiles decet omne cor ad animarum curam reducite, districtum iudicium quanto fit vicinius, plus timete. Studijs pietatis intendite, de qua scriptum est, quod promissionem habeat vitæ præsentis & futuræ. Potens est autem omnipotẽs Deus vitam vestræ excellentiæ & hic in longo tempore conseruare, & post multa annorum curricula ad gaudia æterna perducere. Dulcissimas filias meas domnam Barbaram & domnam Antoniam mea peto vice salutari. Quas oro vt superna gratia protegat, eisque prosperari in omnibus concedat.

1. Tim. 5.

EPISTOLA CXXX.

De prouisione Romanæ ciuitatis.

Sup. ep. 77 li. 1.

GRegorius Donello Erogatori. Epistolam gloriæ vestræ plenam boni filij caritate suscepimus, ex qua quidem de molestia corporis vestri noster est animus contristatus. De diuina tamen miseratione confidimus, quòd qui vos miseram & dilectam diligere fecit Italiam, ipse vobis & corporis salutem restituat, & in æterna retributione compenset. De militari enim roga, quam vos contra voluntatem vestram principali significastis iussione iterum susceptisse, omnino sumus libenter complexi: scientes quia magnitudo vestra cautiori salubriorique prouisione militari necessitati concurrat. De sex verò centenarijs, qui in cimiliarcho, Rauennati Ecclesiæ fuerant commendati, sicut vestra testatur epistola, ab excellentissimo Exarcho in quotidiana militum præfectura sunt mutuati, qui vt hactenus minimè restituantur, cuius sit causa cognoscitis. Quod enim scripsistis, hoc prædicto filio nostro Exarcho visum esse, vt quia pax ad conclusionem tenuit de pecuniis hinc competentibus, primùm vt rogam illarum partium faciatis, gloria vestra cautè prospiciat, si vel fieri debet, vel sit quoquo modo præsumendum, vt si præfectura illarum partium acceptas pecunias recuperare negligit, hæ partes ob hoc periculum de militis nuditate sustineant. Sed ij quibus mutuatæ ipsæ dicuntur pecuniæ, debent à mutuante constringi: quatenus sicut nouerunt expensa centenaria ipsi restituant, & pecuniæ quæ sine erogantis non possunt tangi periculo, subtractæ quibus debentur, admisso quod nobis imminet periculo, minimè alijs dispergantur indebitè. Et hoc quidem nos nec cum nouo in causa viro, nec Romanarum partium ignaro agimus. Cui quippe constat, quòd si pax reparata minimè fuerit, belli tempore in his locis nisi solius diuinæ potentia maiestatis humanum non prẽualet subuenire remedium. Sciens ergo magnitudo vestra voluntatem dominorum principum, quanta de Romanæ ciuitatis cura præcipuè subuentione sit prouida, quod ex donis eorum euidenter agnoscitur, sed & partium istarum imminens periculum, omnino curæ tuæ est, & ciuitatis, cum pecunijs huc venire. Quod si omissum fuerit, & aduersi aliquid, quod non optamus, euenerit, neque apud DEVM, neque apud rerum dominos cuiuslibet obtentu personæ vos excusare quoquo modo valeatis. Romana enim ciuitas peccatis nostris facientibus, diuersis est attrita languoribus, vt nec qui in murorum custodia sint, idonei persistant.

EPIS-

EPISTOLA CXXXI.

De vsu pallij, & ratione significationeq; eius.

GREGORIVS, *Maximo Episcopo Salonitano.* Susceptis fratris & coepiscopi nostri Mariniani epistolis, sed & Castorio chartulario nostro remeante, fraternitatem vestram plenissimè de his quibus dubietas fuerat, satisfeciſſe cognouimus, magnasq; omnipotẽti Deo gratias agimus, quia de meo corde medullitus omnis rãcor siniſtrę ſuſpicionis euulſus eſt. Pro qua re Stephanum cõmunem filium diaconum veſtrum cum ſumma volui celeritate laxare. Sed hunc apud me vel paucis diebus immorari, dolores crebri mearum ægritudinum compulerunt. At poſtquam meliorari vel modicum cœpi, eum protinus cum gaudio retranſmittere curaui. Itaque pallium ad ſacra miſſarum ſolennia vtendum ex more tranſmiſimus, cuius vos volumus per omnia genium vendicare. Huius enim indumenti honor, humilitas atque iuſtitia eſt. Tota ergo mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in aduerſis, ſi quando eueniunt, cum iuſtitia erectam amicam bonis, peruerſis contrariam: Nullius vnquam faciem pro veritate loquentis præmens, miſericordiæ operibus iuxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtens, & tamen inſiſtere etiam vltra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudijs tamquam de proprijs exultans: in corrigendis autem vitijs ſæuiens, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens, in ira iudicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeueritatis ſuæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt frater cariſſime pallij accepti ratio, quam ſi ſollicitè ſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes. Præterea fratrem & coepiſcopum noſtrum Sabinianum fraternitati veſtræ in omnibus cõmendo, & ſi quæ cauſæ ſint, interim poſtponantur. Caritas inter vos fixa permaneat, vt ſic de exterioribus, ſi quando contentio vertitur, examen veniat: quatenus mentem caritas non relinquat. Communem quoque filium Honoratum archidiaconum commendamus. De quo ſi ita eſt, ſicut per Caſtorium chartularium noſtrum didicimus: quia per eum iam tres antea archidiaconi ſeruare conſuetudinem Eccleſiaſticam, qui quinquennio expleto exeundo compulſi ſunt, tuæ quidem volumus, vt caritatem ſanctitatis inueniat. Nam flagitari iudicium non debet de cauſa quam ipſe iudicauit. Sin verò ita non eſt, omni mentis tumore depreſſo, omnique odio poſtpoſito, debet in caritate recipi, & nullatenus à loco in quo inuentus eſt, amoueri. Meſſianum quoque clericum, qui ad nos confugerat, communi filio Stephano diacono fiducialiter dedimus; certi quia quem nos veſtræ fraternitati tranſmittimus, vos in eo non odium, ſed gratiam poteſtatis oſtendere debeatis. Omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, deręque nobis ita agere, vt poſt huius temporalitatis fluctus, ad æterna valeamus ſimul gaudia peruenire.

EPISTOLA CXXXII.

Philagrium cæcum Episcopo commendat.

GREGORIVS, *Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi.* Licet multum fraternitatem veſtram ad ſeruandam ſibi iuſtitiam Philagrij portitoris præſentium flagellum cæcitatis inuitet: verumtamen quia ad reſtauranda quæ ſibi præiudicialiter aſſerit detineri, per nos vos voluit fieri promptiores, præſentia ad vos ſcripta præuidimus dirigenda. Queſtus autem eſt campum cum vinea ſua ab Eccleſiæ veſtræ hominibus irrationabiliter occupatum. Quod ſi ita eſt, quanquam ante iudicium poſſeſſio ei debuerat violenter ablata reſtitui: tamen quia peruenit communis filius Euentius diaconus veſter, conſentiente præfato latore, conſtituit per quinque teſtes partem Eccleſiæ veſtræ ſatis facere poſſe, eiuſdem Eccleſiæ iuris illum eſſe. Ideoq; fraternitas veſtra prædictũ Philagrium cõtra iuſtitiam laborare non faciat, ſed modis quib. potuerit, veritatem diligenter inquirat. Et ſi manifeſtè ſicut hic cõſtituit, probari potuerit; veſtri iuris eſſe, huic propter Deũ citius ſatisfaciendum eſt, vt in ſua intentione ſine labore diſcedat. Alioquin ante omnem contentionem res eius culta veſtra proniſione reddatur, vt ſua cuiq; parti integra poſt hoc maneat de proprietate cognitio. Quia verò pro eo quòd vobis neſcientibus inde deceſſit, veſtros ſe æſtimat animos offendiſſe, fraternitas veſtra ei dulcedinem ſuæ caritatis oſtendat, vt cognoſcat ſe longè aliter quàm debuit de ſacerdote credidiſſe. Sed quoniam & ſanctorum Apoſtolorum ſe ſæpe liminibus, vt ait, præſentare deſiderat: quoties venire voluerit nullius impedimẽto auertatur, ſed veſtrum magis habeat in hac parte ſolatium. Indicauit præterea prędictus portitor, quòd collecta facta inter alios ciuitatis Ianuenſis habitatores, & ipſe dare pariter compellatur. Et miramur quòd qui magis miſericordia dignus eſt, vobis præſentibus prægrauetur. Quod ſi ita eſt, denuo ab eo per quemlibet exigi veſtra ſanctitas non permittat: quia eum quem cæcitas ſua grauat, inhumanum nimis eſt in collatione affligere, cui ſi eſſet magna neceſſitas, debuit ex collatione miſereri. Quia verò ab Eccleſia Dertonenſi puerum ſuum iniuſtè queritur detineri, fraternitas tua prædictæ ciuitatis epiſcopo curet ſcribere, vt ſi ita eſt, ſine aliqua illum contentione reſtituat. Qui ſi aliter eſſe fortè reſponderit, aut apud vos, aut apud arbitros cauſa hæc cognoſcenda ſine excuſatione eſt aliqua facienda. Nam idem Philagrius puellam ſuam cum filijs & nepotibus, de qua, vt ait, nulla eſt quæſtio, eundem puerum ſuum nomine Maurum maritum ſuum ſecutam innotuit. Ex qua re actum eſt, vt per eum de quo eſt contentio, etiam alij de quibus nulla eſt quæſtio, teneantur. Quod ſi veritate ſubſiſtit, puella illi cum filijs & nepotibus ſine aliqua altercatione reddenda eſt; & tunc de ſupraſcripto Mauro quæſtione ventilata, quod ratio ſua ſerit, terminetur. Quòd ſi fortè de vxore ipſius aliqua dicitur eſſe contentio, & hoc quoq; ita interuentu iudicij finiatur, vt vobis illic præſentibus ad nos de memoratis cauſis denuo prædictus portitor neceſſitatem remeandi non habeat.

Expliciunt Epiſtolæ Indictionis ſecundæ.

LIBER OCTAVVS.

INCIPIVNT EPISTOLAE EX RE-GESTO B. GREGORII PAPÆ Indictionis tertiæ.

EPISTOLA PRIMA.

De Lucillo Epiſcopo, qui miniſteria Eccleſiaſtica iniuſtè abſtulit.

Sup ep. 130. 24. Ind. 26 Inf. lib 9 ep. 34 35. l. 10. ep. 40. 46. 47. Ind 5.

GREGORIVS, *Seruus Seruorum Dei Romano defenſori Siciliæ.*

Nihil proficit ſacerdotum culpas vlciſci, & commiſſa digna deiectione crimina vindicare, ſi eis qui cõuincente facinore deponuntur, amiſſio honoris ſolatium, & caſus ſui cœperit eſſe compendium. Queſtus itaq; nobis eſt frater & coepiſcopus noſter Traianus, Lucillum quondam inſulæ Melitenſis epiſcopum, flagitij ſui iniquitate perterritum, non ſolùm res Eccleſię cuius non rector, ſed inimicus potius extitit, abſtuliſſe, verumetiam plurima eum eidem Eccleſiæ competẽtia, de præteritis retinere. Quippe qui in fabricam, vel ſartatecta ipſius nihil pertulit expendere, ſed mente ſacrilega ſuis totum ſtuduit compendijs applicare. Et quia graue nimis ac contra Deum eſt, vt ſua illi deiectio non ſit pœna, ſed commodum; experientia tua eum diſtrictè commoneat, vt quicquid abſtulit, vel apud ſe de præteritis retinet, ſine mora reſtituat. Qui ſi indita ſibi nequitia negare fortaſſe voluerit, quia facile dicitur poſſe conuinci, vna cum reuerendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Ioanne Syracuſano reſidens ſubtili inquiſitione huius rei veritatem rimamini: quatenus probatione habita, quicquid tuliſſe vel ſuppreſſiſſe claruerit, palam verecundia contuſus reſtituat quod inuerecundè clam abſtulit. Perrum autem

tem prædicti Lucilli filium similiter tui studij sit admonere, vt quia & ipse supradictæ Ecclesiæ tulisse plurima perhibetur, honesta ea consideratione restituat: alioquin vestro & ipse est iudicio præsentandus, vt precedente subtili inquisitione, vtrorumque causa valeat vno fine concludi. Præterea petijt à nobis suprascriptus Traianus frater noster, vt de monasterio suo, quod in ciuitate Syracusana situm est, ei quatuor vel quinque dari monachi debuissent. Quod pro eius solatio nequaquam æstimauimus denegandum: quia ad locum proficiscens incognitum, si proprios quorum consolatione vtatur non habeat, mens affecta tristitia minus se ad ea quæ vtilitatis sunt erigit, & ante incipit succumbere quàm laboret. In qua re ne suprascripti reuerendissimi fratris & coepiscopi nostri Ioannis priuilegiorum videremur prærogatiuam minuere, ita hoc illi noueris esse concessum, vt tamen fratris & coepiscopi nostri Ioannis sit arbitrio per omni reseruatum. Quia ergo petitioni suæ prædictus frater noster adiecit, vt pueros quos de propria pecunia comparauit, ac suos patrisque sui codices, aut res alias proprias, quas in eodem monasterio habet, ei sit tollendi licentia, ratio nos hoc negare non pertulit. Sed ne postulata videamur indiscretè concedere, hanc tenendam obseruantiam scito: id est, vt quicquid postquam ab abbatis semotus est officio, comparauit, vel quolibet titulo acquisiuit, libera illi tollendi facultas sit. Sed & hoc quod de monasterio illo in quo conuersus est, quod in prouincia Valeria in possessione iuris sui patrem eius manifestum est construxisse, pellente hostilitate decedens abstulit, secumque detulit, sine aliqua dubietate ei reddēdū est; quia alterius acquisitionis ius effugit, quod semel monasterij fuerit dominio sociatum. Si quid autem dum adhuc illic abbatis fungeretur officio acquisiuit, nō suum, sed monasterij ipsius esse cognoscat. Et ideo de iure illud eiusdē monasterij auferri vlterius quolibet modo non patimur. Legatum autem illud quod antedictum fratrem nostrū Capitulana conditrix supradicti monasterij singulis annis de eodem monasterio per vltimam voluntatem suam habere constituit, experientia tua solatiante, iustitia faciente, sine aliqua faciat dilatione percipere.

EPISTOLA II.

De denarijs sancto Petro transmissis.

Sup. lib. 2. ep. 62. Ind. 11 li epi. 4. 31. 32. Ind. 13. li 5. epi. 16. lib. 7. epist. 11.

GREGORIVS, *Mauritio Augusto.* Dominorum pietas, quæ suos consuevit misericorditer famulos continere, ita benigna hic subuentione resplenduit, vt cunctorum debilium inopia, largitatis eius sit consolatione subleuata. Pro qua re lachrymabili prece omnes deposcimus, vt omnipotēs Deus, qui clementiæ vestræ ad hoc corda compunxit, incolume in amoris sui cōstantia dominorum seruet imperium, vt victorias eorū in cunctis gentibus auxilio suæ maiestatis extendat. Triginta itaque libras auri, quas confamulus meus * Busa detulit Scribo, sacerdotibus egenisque & alijs fideliter erogauit. Et quia quędam in hanc vrbem sanctimoniales feminæ ex diuersis prouincijs venerunt, post captiuitatem fugientes, ex quibus quantum locorum possibilitas recipit, aliquæ in monasterijs datæ sunt: quæ verò in eis minimè capi potuerunt, singulariter degentes inopem vitam ducunt; placuit vt hoc quod cęcis, truncis, alijsque debilibus superesse posset, eis erogari debuisset: dummodo nō solùm dominorum misericordiam indigentes indigenæ, sed aduenientes etiam peregrini susciperent. Vnde actum est, vt simul omnes pro vita dominorum cōcorditer orarent: quatenus omnipotens Deus longa vobis & quieta tempora tribuat, & pietatis vestræ felicissimam sobolem diu in Romana republica florere cōcedat. Rogæ quoque militum ita per prædictum confamulum meum Scribonem, præsente quoque glorioso Casto magnæ factæ sunt, vt dona dominorum cuncti sub disciplina debita gratias agendo susciperent, & hoc quod eis prius donari consueuerat, accipiendo omne murmur auerteret.

* al. Busa

EPISTOLA III.

De oratorio Romani sine Missis publicis consecrando.

Li 2. ep 19. 61. Ind. 11. li 5 ep 32. lib. 6. ep 1. 20 li 7 ep. 91. 107. 108

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Fraternitati vestræ esse non putamus incognitum, quia Romanus clarissimæ memoriæ vir, per vltimæ suæ voluntatis arbitriū, in domo iuris sui Ecclesiam, quę in ciuitate vestra sita est, ædificari deputauit. Et quia Deo miserante, defuncti noscitur voluntas impleta; sanctitas vestra illic ingrauanter accedat; & si nullum ibidem corpus constat humatum, locum ipsum in honorem sanctorum Hermetis, Sebastiani, atque Cyriaci, necnon & Pancratij solenniter studeat absque Missis publicis cum veneratione debita consecrare, ita vt in eodem loco baptisterium nunquam construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed quoties Missas ibi degētes illic monachi fieri voluerint, à dilectione vestra presbyterum nouerint postulandum: quatenus nihil tale à quolibet alio sacerdote vllatenus præsumatur.

Sine Miss. sis publicis oratoria sunt consecranda.

EPISTOLA IV.

De mancipijs Romani spectabilis viri.

Lib. 3 ep. 43. li 7 ep. 24. 58 25. l. 10. epist. 42.

GREGORIVS, *Fantino Defensori.* Mancipia iuris Romani spectabilis memoriæ viri, qui in domo sua, quæ Neapoli sita est, monasterium ordinari constituit, habitare in Sicilia perhibentur. Et quia monasterium ipsum iuxta voluntatem eius Deo auctore nosc itur ordinatum; experiētia tua præsentium portitoribus, qui ad recolligenda mancipia ipsa illuc directi sunt, omni studio solatiari festinet. Et recollectis eis, possessiones illis vbi laborare debeant, te solatiante cōducat. Et quicquid eorū labore accesserit, reseruato vnde ipsi possint subsistere, reliquum ad prædictum monasterium experientiæ tuæ cura annis singulis auxiliante Domino transmittatur.

EPISTOLA V.

De Sisinnio presbytero sodomia, & cultura idolorum detecto.

Libr. 2. ep 10. 46.

GREGORIVS, *Sabino Subdiacono Regionario.* Cum plerunque, quod in laicis culpa non est, hoc crimen in sacro sit ordine constitutis, quanta in eis districtione puniendum sit piaculare flagitium, qui zelo rectitudinis vritur, non ignorat. Quorundam siquidem relatione perlatum est: quia Sisinnius Regitanæ ciuitatis presbyter (quod auditu ipso intolerabile nimis est) idolorum venerator ac cultor sit, adeo vt in domo sua quoddam idolum positū habere præsumeret. Sed & quod non dissimile nefas est, sodomię illum scelere maculatum. Et ideo quia tanti facinoris iniquitas districta atque subtili inuestigatione quærenda atque plectenda est; hac tibi auctoritate præcipimus, vt vigilanti studio, & diligenti omnino cura perquiras: & si qua indicia apprehendere huius rei potueris, eum in custodia districta, quousque nobis renuncies, redigas: vt qualiter immanissimum facinus discuti debeat ac puniri, deliberare possimus. Scito autem quia studium, zelusque tuus qualis contra nefandissima sit crimina, hæc causa est sine dubio monstratura, per quam te apud nos aut multum de sollicitudine commendari, aut periculosè de neglectu noueris accusari. Vnde necesse est, vt ita te vigilantem in hac requisitione studeas exhibere: quatenus & nos de sollicitudine tua lætifices, & Deum tibi facias esse placabilem. Hoc quoque nobis de prædicto presbytero nunciatū est, quòd Victorianus quidam presbyter ei cum diuersis rebus vel ornamentis, auctoritate sua, pecuniam commendasset; qui dum depositum abnegaret, iudicio habito conuictus est, & vt reddere debuisset, addictus. Et quia eo restituere id quod condemnatus est differente, is qui deposuisse dicitur obijt, & necessitate eius perhibentur filij laborare, & hoc experientia tua diligenter inquirat, atq; ita, salua ratione, ad finem hanc causam perducat,

dummo-

dummodo, si ita est, nec ille res alienas perfida mẽte retineat, & orphani quod suum est, vel amissio patre recipiant.

EPISTOLA VI.

Vt commoneat Mariam, quatenus voluntatem patris sui implere non differat, & duas uncias substantiæ libertis relictas persoluat.

Sup. epist. prox.

GREGORIVS, *Sabino Subdiacono.* Latores præsentium Stopaulus, atque Marcellus liberti quondam Comicioli excubitoris, questi nobis sunt, afferentes duas substantiæ suę uncias quas libertis suis idem dominus eorũ per paginam testamẽti sui ab ære legauerat, à filia ipsius Maria uxore Pardi clerici necdum sibi esse completas. Et vt legatum ipsum differre valeat, ab hærede eadem ipsius statu sui sibi fieri terrorẽ insinuant. Et quoniam ea quæ relicta sunt, tua postulant instantia adimpleri; idcirco tibi hac auctoritate pręcipimus, vt prędictam Mariam commoneas, quatenus volũtatem patris auctorisque sui implere non differat, studijque tui sit, vt nullis contrationem dispendijs debeant subiacere. Quòd si fortè ab hac se solutione aliqua nititur excusatione defendere, medijs sacrosanctis Euangelijs causam subtiliter perscrutari, & ita quæ legis ac iustitiæ ordo postulauerit, diffinire te conuenit, atque diffinita effectui mancipare, & vt hęc ad nos denuo querela non redeat. Quia verò comperimus, duas uncias substantiæ suæ prædictum testatorem Ecclesiæ sancti Gregorij vbi se sepelire voluit legauisse, curæ tuæ sit, vt easdẽ duas uncias, si necdum completæ sunt, prędicto loco modis omnibus vendicare debeas, vt pię voluntatis intentio, etiam inuito hęrede ad effectum per omnia perducatur, nec in hac re amplius differri quę relata sunt patiaris. Nam sacrilegium & contra leges est, si quis quod venerabilib. locis relinquitur, prauæ voluntatis studijs, suis tentauerit compendijs retinere.

Inuito hæredę piæ voluntatis intentio, etiam inuito. Lib. 7. ep. 41.

EPISTOLA VII.

Ioannem Præfectum commendat.

GREGORIVS, *Theodoro Curatori.* Quamuis gloriæ vestræ bonitas semel sibi commendatos nesciat obliuioni mandare; verumtamen scientes hæc eadem iterata cariſſimum filium nó onerosè susscipere, scribere nos quæ iam dudum scripsimus, nõ piget. Quia ergo Ioannes glorioſiſſimus filius noster Præfectus vrbis, ad deducendam huc coniugem suam latorem præsentium Ioannem clariſſimum virum illic noscitur transmisisse, hunc paterna dilectione salutantes petimus, vt quia memoratus glorioſiſſimus filius noster diuisus hic cõsistere non potest, venienti coniugi ipsius gloriæ vestrę sinceritas patrocinij sui opem ferat. Et vt securius iter suum, Deo custodiente, peragere valeat ad Perusinam ciuitatem, militari eam solatio fulciri disponat: quatenus & antedictus glorioſus vir amplius patrocinijs vestris sit deditus, & nos dulciſſimæ gloriæ vestræ gratias referamus.

EPISTOLA VIII.

Ioannem Præfectum commendat.

Libr. 4. ep. 18. l. 5. ep. 18. l. 6. ep. 9. l. 7. ep. 22. 27. 201. l. 9. ep. 37. Ind. 4.

GREGORIVS, *Mariniano Episcopo Rauennæ.* Glorioſiſſimus filius noster Ioannes præfectus vrbis ad hoc illuc latorem præsentium Ioannem virum clariſſimũ destinauit, vt glorioſam coniugẽ ipsius Deo debeat protegente huc perducere. Quam & nos huc volumus per omnia aduenire, vt prædictum glorioſiſſimum filium nostrum non diuisum, sed totum habere possimus. Fraternitas itaque vestra sollicitudinem gerat, ne quod impedimentum ad veniendum sustineat, atque vt hic citius adesse valeat, studioſè concurrat. Et ita se circa eam quocunque exegerit vsus exhibeat, vt nec suam abesse coniugem sentiat, & nos in vobis modis omnibus præsentes esse cognoscat.

EPISTOLA IX.

De sanctimoniali ex monasterio egressa, quam impudicè Petrus nequissimus homo retinebat.

Sup. epist. prox.

GREGORIVS, *Mariniano Episcopo Rauennæ.* Si latoris præsentium Stephani viri clariſſimi querela veritate subsistit, omnino nos fraternitas vestra cõtristatos intelligat, cur tam pigra vel deses extiterit, vt ante ad nos facti prauitas quã correctio perueniret. Questus itaq; est, quòd cognatam eius, cui aliquãdo Petrus quidam nequiſſimus diabolico instinctu de monasterio exire suaserat, atque à Gratioso notario nostro fuerat mutato habitu vnde exierat reuocata, nequiſſimus vir iniqua suasione de monasterio rursus eijciens, apud se nunc usque impudicè retineat. Ex qua re valde nos, sicut diximus, tua desidia contriſtauit, cur necdum in monasterium reuocata sit ac retrusa. Vel nunc ergo propositi tui consideratio & zelus te castitatis accendat, id summoperè modis quibus potueris studere, vt asperitatem quam de tantæ iniquitatis perpetratione concepimus, eius citius valeas correctione mollire. Nam & Vitali defensori præcipimus, vt vobis hac in causa solatiari non differat. Sed quia memoratus Petrus ab homine filij nostri magnifici Filoxeni dicitur defensari, apud eum vobis cum omni studio & caritate instanter agẽdum est, vt eam sine aliqua faciat dilatione restitui, quem credimus hoc, quia bonus omnino vir esse dicitur, sine mora facturum. Quòd si fortè, quod non credimus, aliqua hoc fuerit excusatione dilatum; tunc etiam publicè contestandus est. Atque fraternitas nobis vestra renunciet, vt exinde in Vrbẽ regiam scribamus, quatenus, quod fieri honestè negligitur, ea qua dignum est vltione plectatur.

EPISTOLA X.

De decem auri libris Basilio Capuano episcopo transmissis.

Libr. 4 ep. 18. l. 5 ep. 18. l. 6. ep. 9. l. 7 ep. 22. 27. 201. l. 9. ep. 37. Ind. 4.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Glorioſi filij nostri Cethegus atq; Flora iugales, pro certis causis suis Maximum virum clariſſimum Palatinum priuatarum ad Siciliam transmittentes, decem libras auri reuerendiſſimo filio nostro Basilio Capuanæ ciuitatis episcopo, qui illic iam esse dignoscitur, suis vtilitatibus profuturas dari de pensionibus Ecclesiastici patrimonij voluerunt. In quarum restitutione, ne qua mora fieret, aut difficultas fortè contingeret, quantitatem ipsi dilectiſſimo filio nostro Bonifacio diacono tradiderunt. Et ideo quia nostros nos filios, & præsertim vbi dãnum minimè sentit Ecclesia, non conuenit contriſtare; his fraternitati tuæ mandamus apicibus, vt suprascripto fratri, coepiscopoque nostro Basilio & Maximo viro clariſſimo secundum voluntatem prædictorum filiorum nostrorum Cethegi atque Floræ glorioſarum personarum, decẽ libras auri sine tarditate post subditam desuscepto paginam dare debeatis: quatenus dum nulla in accipiendo eis mora prouenerit, & illi mandata sibi, vt nouerint, vtiliter exequantur, & pars Ecclesiæ rationabiliter sit munita.

EPISTOLA XI.

L. 7. ep. 23. 24. Ind 2. l. 9 ep. 64. 65 l. 10. ep. 40 46. 47. Indict. 5.

De Basilio episcopo in causis forensibus occupato.

GRegorius Romano defensori nostro Siciliæ. Perlatum ad nos est reuerendiſſimum fratrem nostrum Basilium episcopum velut vnum de laicis in causis sæcularibus occupari, & prætorijs inutiliter deseruire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reuerentiam sacerdotalem annihilat, statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad reuertendum districta executione compellat: quatenus ei illic te insistente quinque diebus sub qualibet excusatione immorari nõ liceat, ne si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis. Dat. mense Decembr. Indict. III.

EPISTOLA XII.

Do infractione portarum monasterij sancti Archangeli.

GREGORIVS, *Guidiscalco Duci Campaniæ.* Illa Præpositorũ sollicitudo vtilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vendicat. Restringẽda ergo sub ratione potestas est, nec quicquam agendũ priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore iustũ omne putat ira quod fecerit. Peruenit itaq; ad nos magnitudinem tuam vsque ad hoc esse impetu furoris impulsam, vt non solum frangi ianuas monasterij S. Archangeli, verum etiam diripi exinde quod ibi inuẽtum est feceris. Insuper autem sic contra abbatem eiusdem monasterij diceris exarsisse, vt nisi occultans se, iracũdiæ tuæ tempore latuisset, non leue discrimen incurrisset: denique vt metu tuo perterritus, de domo in qua se olim receperat, exire nuncusque non audeat. Quod ne frustra feciſſe forsitan videreris; fugam monachi ipsius, qui ad hostes abijt, ad eius quantũ ad nos perlatum est crimen impingis, asserens quòd cum ipsius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, & valde vestram sapientiam miramur. Nam si licitum putatis, vt aliorum culpa alijs sit nociua, multi huic possunt crimini subiacere. Diuersorum enim nobilium serui, multarum Ecclesiarum clerici, diuersorum monasteriorum monachi, multorum iudicum homines, sæpe se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, seruorum vtiq; domini, clericorum episcopi, monachorum abbates, diuersorum fugitiuorum iudices, omnes sub culpa sunt & crimine constituti. Nunquid & diebus magnitudinis tuæ multi de ciuitate in qua consistis, ad Longobardos milites fuga non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantæq; possit stultitiæ reperiri, vt eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam? Hæc itaque sollicitè pensa, atq; ex te aliorum causas æstima, vt in quorundam aduersitates falsis suspicionibus non ducaris. Si verò est aliquis qui de prædicti monasterij abbate possit aliquid dicere, quod ad culpam reatumq; eius pertineat, nos hoc non negligi, sed magis vna quidem cum eis quorum interest, causam omnino districtè & sollicitè volumus perscrutari, vt aut feriat vindicta culpabilem, aut absoluat veritas innocentem. Si autem nullus inueniri potuerit, qui contra eum hoc quod solus ipse perhibes asserat; hortamur magnifice fili, vt à memorati monasterij abbatisq; ipsius te aduersitate contineas, & potius tuitionem illis, & propter Deum caritatem impendas. Et si quid est vnde animi vestri fortassis offensi sunt, pro nostra eis interuentione remittite, & ita vos, sicut Christianos conuenit & prudẽtes, in eorum magis iuuamine commodate: quatenus & nos vobis gratias referamus, & ante omnipotentem Dominum mercedem pro impẽsis seruis eius beneficijs ac solatijs acquiratis. Dat. mense Febr. Indict. III.

EPISTOLA XIII.

Fuscum abbatem, & monasterium eius commendat.

GREGORIVS, *Fortunato Episcoo Neapolitano.* Quamuis & ratio & loci sui qualitas fraternitatem vestram commoneat tuitionem monasterijs, & maximè sub se constitutis impendere: verumtamen quia lator præsentium Fuscus abbas suum à nobis voluit ex abundãti monasterium commendari; his vos hortamur affatibus, vt quia frustra monasterium ipsum inquietudine asserit laborare, sanctitatis vestræ illud defensio tueatur, & ab aliquo illud grauari contra rationis ordinem non permittat: quatenus dum nullum id iniustæ rei pondus afflixerit, & vos videamini quod sacerdotis est saluberiter impendisse, & degens illic congregatio quæ in Dei laudibus occupatur, nullis irrationabiliter molestijs valeat subiacere.

EPISTOLA XIV.

De Fusco abbate, & Xenodochio sancti Theodori.

GREGORIVS, *Romano defensori.* Fuscus abbas monasterij sanctorum Erasmi, Maximi, atq; Iulianæ, quod Neapoli ab Alexandra clarissimæ memoriæ femina, sicut nosti, fundatum est, quæ etiam & hæredem instituit, massam Papyrianensem, quæ illic in Sicilia sita est, cum Xenodochio sancti Theodori, suprascriptum monasterium suum asserit habere communem. Sed vt ad diuidẽdam eam, cum his quorum interest, dilationem non debeat sustinere; experientiæ tuæ sibi petit adesse solatium. Proinde huius tibi serie præceptionis iniungimus, vt ei concurrere, atque in omnibus solatiari festines: quatenus massa ipsa secundum portiones competentes sine mora aliqua diuidatur. Sed ne fortè dicatur, quia à prædicto monasterio possessiones quæ hic cõmunes sunt, detinentur, esse ex hoc excusatio non debet, quia & ipsas paratus est sine difficultate diuidere. Quia verò legatum quod prædictæ Alexandræ à Pompeio relictũ dicitur, ab eodem quippe Xenodochio quod ei in octo vncijs iure perhibetur hæreditario successisse, memoratus abbas suo faciat monasterio redhiberi, & hoc quoque experientia tua curet addiscere; & si ita est, agere studeat, vt quod relictum est, modis omnibus exoluatur. Ita ergo sollicitudo tua in hac se re exhibeat, vt suffragante iustitia, prædicti abbatis labor quem ad nos veniendo assumpsit, vacuus esse non debeat.

EPISTOLA XV.

De Fusco abbate, & Constantio presbytero, qui secum codices & vela monasterij deportauerat.

GREGORIVS, *Fantino defensori Neapolitano.* Fuscus abbas monasterij sancti Archangeli, quod Macharis dicitur, atq; sanctorum Maximi, Erasmi & Iulianæ, asseruit Constantium cellæ suę presbyterum ob temporis qualitatem se in Siciliam transmigrasse, & codices monasterij sui atq; vela secum pariter deportasse. Quem quoniam defunctum perhibet, & ea quæ cellæ suæ esse commemorat, sibi postulat debere restitui, experientia tua veritatem curet addiscere; & si ita est, omnia quæ monasterij ipsius sunt, sine aliqua faciat dilatione restitui. Nam contra rationem est, vt quod de monasterio pro temporis, sicut dictum est, qualitate sublatum est, ab eius debeat iure separari. Ita ergo experientia tua agat, vt veritatem addiscẽs, prædictum illic abbatem vel quem vice sua transmiserit, dilationem frustra sustinere minimè patiatur.

EPISTOLA XVI.

De malis hominibus discordiam seminantibus, & de offensa contemnenda.

GREGORIVS, *Clementinæ Patriciæ.* Abbate quodam ad nos referẽte peruenit, quòd gloriæ vestræ à quibusdam sit maledicis nunciatum, quia aliquem, quod absit, cõtra vos stimulum habeamus. Quod si ita est, quicunque hoc fallaciter confinxerunt, sub puritatis vobis specie duplices extiterunt, vt se quasi fideles ostenderent, & vos de nobis prauè facerent dubitare. Ego autem glorioſa filia, bona tua olim cognoscens, & præcipuè castitatem quæ tibi ab adolescentia comes fuit, in magna semper veneratione & dilectione te habui. Sed ne vel nunc aliud cor meum esse gloria vestra suspicetur; nullum mihi odij vel iracundiæ circa vos scrupulum inesse significo, sed paternam me vobis dilectionem exhibere cognoscite. Vnum tamen quod ad me perlatum est, reticere non debeo, ne minus esse caritatis incipiat; si silentio prematur quod ad emendationem dicendum est. Nunciatum siquidem mihi est, quòd si quando vos quisquam offenderit, dolorem irremissibiliter retinetis. Quod si verum est, quia quantum vos diligo, tantum contristor; peto vt hoc à vobis vitium nobiliter excludatis, & secus boni operis segetem, inimici semen crescere non sinatis. Dominicæ orationis verba ad memoriam

Sup. h. l. ep. 11. li. 7. ep. 23. 24. Ind. 2. li. 9. ep. 34. 65. li. 10. ep. 8. 40. 46. 47. Ind. 5.

li. 3. ep. 43 li. 7. ep. 24. 58. 83. Sup. epi. 4. h. l. li. 10 ep. 42.

Li. 1. ep. 11.

11. q. 3. c. 68 Io. Diac. 5. ca. 47.

Li. 2. ep. 61 Ind. 11. l 5. ep. 31. li. 6. ep. 120. l. 7. epist. 91.

riam reducantur, & non apud vos plus valeat culpa quàm venia. Excessus gloriæ vestræ bonitas superet, & magis salubriter ignoscendo deuotum faciat quem potest persistens facere asperitas indeuotum. Relinquatur illi vnde verecundiam habeat, & non seruetur quod doleat. Nam plerunque plus virium habet discreta in correctione remissio, quàm in exequenda vltione districtio; adeo vt nonnumquam hæc fideliorem atque subiectum, illa verò obstinatum faciat & æmulum. Et quidem hæc non ad hoc dicimus, vt à zelo vos rectitudinis subtrahatis, sed ne tales sitis in minimis, quales esse debetis in maximis. Nam si quando seueritatem excessus qualitas exigit, agendum est, vt & culpam vltio corrigat, & correctis post gratia non negetur. Hæc igitur quia paterna suadente dilectione pro vestra vos anima commonemus, cum ea qua dicuntur caritate suscipite, atque ea ad gloriæ vestræ vtilitatem assumite: vt bona vestra & apud homines clariora, & apud omnipotentem Dominum possint esse purissima. De nobis autem sicut reuera carissima filia fiducialiter in cunctis præsumite. Et quia de vestra cupimus prosperitate semper audire, discurrentibus nos sæpius epistolis releuate.

EPISTOLA XVII.

De Amando à Surentinis electo.

GREGORIVS, *Clementinæ Patriciæ.* Amandum presbyterum à Surentinis ad episcopatū gloriosa filia electum esse cognoscas. Quem quia huc scripsimus debere transmitti, contristari de eius absentia non debetis: quia nec abscedere creditur qui mēte vobiscum est. Et quoniam pastorem quærentibus, is qui vobis olim placuit, gratus est; omnipotentem Deum benedicentes Christi misericordia magis in hac deuotione gaudete, & vt ad nos celerius alijs profuturus venire debeat, hilariter studete: quia sinceræ caritatis est exultare, quādo is qui diligitur, ad hoc vocatur vt crescat.

EPISTOLA XVIII.

De Amando presbytero ad se dirigendo, & de eius vita inquirenda.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono Campaniæ.* Postquam is qui ad episcopatum Surentinæ ciuitatis electus fuerat, aptus nobis visus non est, Amandum presbyterū oratorij sancti Seuerini, quod in castro Luculano situm est, elegerunt. Ea propter experientiæ tuæ præcipimus, vt eundem presbyterū excusatione postposita, sub omni ad nos studeat festinatione trāsmittere: quatenus petentium desideria cum Christi auxilio, si nihil est quod eum impediat, impleantur. Cuius vita vel actus, quia melius possunt illic vbi diu est conuersatus agnosci: curæ tuæ sit cum fratre & coepiscopo nostro Fortunato de eo diligenter inquirere. Et si nulla sunt quæ ad sacrum ordinem obsistere valeant, ad nos debet omni postposita tarditate transmitti. Ne aūt gloriosa filia nostra Clemētina hoc molestè suscipiat, ad eam experientia tua pergat, & cum eius voluntate hoc faciat. Sin verò reniti fortasse voluerit, huc eum, sicut diximus, sine mora experientia tua transmittat: quia ita animi filiorum nostrorum à nobis pacandi sunt, vt tamen animarum vtilitas non debeat præpediri.

EPISTOLA XIX.

Ne Monachi Surentini incautè & vitiosè pecunias expendant.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono Campaniæ.* Peruenit ad nos quòd monachi, quos in Surentina ciuitate pro complēda, sicut nosti, Antonini quondam defensoris voluntate transmisimus, pecuniam quam acceperant, ad emendas possessiones expendant. Quæ res quoniam non leuem eis necessitatem in breui indicat imminere; ideo experientia tua hac auctoritate commonita prouideat atque dispensēt, vt solidos incautè vitioseque erogare non debeant. In qua re vt sollicitudo tua possit esse laudabilis, cum omni eis studio ac vigilantia possessiones ad comparandum exquire. Ex quarum fructibus serui Dei alimoniam consequentes, nec acceptos solidos incassum expendere, nec ipsi valeant victus necessitatem incurrere. Ita ergo omni vigilantia, omnique intentione in hoc te exhibere festina, vt efficacia tua & ab illis periculum, & à nobis omnem possit curam sollicitudinis amouere.

EPISTOLA XX.

Conqueritur de annona Neapolitanæ diaconiæ subtracta.

GREGORIVS, *Ioanni Proconsuli Italiæ.* Quicquid tribuitur pauperibus, si subtili consideratione pensetur, non est donum sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur. Scripsistis autem nobis, vt Dulcitio agenti vices vestras dicere deberemus, ne quid super diatyposim auderet expēdere. Et quamquam sit laudabile futura prospicere: quia tamen infirma omnino cautela est, quæ pietatis adiutorio non munitur, in hac sollicitudine vestra est, quod nos pro vobis contristare inuenimus. Fertur itaque quòd annonas atque consuetudines diaconiæ, quæ Neapoli exhibentur, eminentia vestra subtraxerit. Quod minus fortasse fuerat obstupendū, si Ioannis decessoris vestri non fuissent tempore ministratæ. Si igitur hæc ille cuius cunctis notū est quàm fuerit grauis actor nō negauit, qualis sit sapientia vestra consideret, si vel in aliquo bono opere malus homo vos superet. Nulla enim occasione hoc subtrahere vos decuit. Quod etsi fortè nullus vestris voluisset rationib. imputare, hoc de proprio vos impendere, non debuit grauare precatio; vt huiusmodi pietas in vestro esset patrona iuuamine, quæ ministra fuit in opere. Hæc itaque eminentia vestra potentia qua pollet inspicere, atque hoc quod subdecessoribus eius non est ademptum, vt solitè valeat ministrari, largitatem bonitatis suæ debeat magis ostendere: quatenus hic in his quæ secundū iussionem Domini agitis, aduersitatem aliquam non incurratis, & huius vobis officij administratio, & coram hominibus laudem parare, & corā omnipotenti Deo possit prouidere mercedem. Dat. mense April. Indict. III.

EPISTOLA XXI.

Quod monachi monasterij sancti Viti tam nequiter viuant, vt mulieribus se coniungere sine metu audeant.

Li. 3. ep. 34 Indict. 12. lib. 9. ep. 5.

GREGORIVS, *Leoni Episcopo Catanensi.* Martianus monachus monasterij sancti Viti, quod in Ætna monte est positum, consensu, vt ait, congregationis eiusdem monasterij ad nos veniens, questus est multas monasterium ipsum à quibusdam molestias ac præiudicia sustinere. Inter quę illud nos quoque vehementissima exacerbatione commouit; quòd in tantum monasterium ipsum innotuit calcari ac despici, vt etiam monachis ibidem degentib. mulieribus se iungi sine metu sit licitum. Quod si ita est, quàm graue vestram fraternitatem & apud Deum peccatum, & apud homines culpa respiciat, ipse poteris iudicare; quippe quia nulla te præuales excusatione defendere. Aut enim hæc fieri nescisti, & culpa neglectus vehementer argueris, aut certè factum recognouisti, & grauiorem erga te videris indignationem exigere, cur tātum facinus vltione districtissima non punisti. Itaque scriptis fraternitatem vestram præsentibus commonemus, vt cum omni hoc vigilantia inuestigare festinet. Et si huiusmodi iniquitatem à quibusdam perpetratam inuenerit, ita huius peruersitatis facinus digna studeat emendatione corrigere: quatenus & Deum placare, & alijs ne de cetero quid simile perpetretur, custodiæ possit disciplinam ostendere. Molestias verò quas prædictum monasterium pati, vel ea quæ ei perhibentur inuasa, sanctitas vestra cognoscat, & ita se inquātum iustum est, in protectione eiusdem exhibeat, vt in nullo contra æquitatis

ordinem valeat aliquo modo prægrauari. Præceptum verò beatæ recordationis nostri prædecessoris Pelagij datum ad *Lapidium prædecessorem vestrum, cuius subtus exemplaria fecimus ascribi, sine aliqua volumus refragatione seruari.

*al. Eluidium.

EPISTOLA XXII.

De supradictis monachis.

Li.9.ep.44

GREGORIVS, *Hadriano Notario Siciliæ.* Res ad nos omnino detestabilis & nefanda peruenit, & miramur cur si veritate subsistit, eam minimè cognouisti. Veniens autem ad nos Martianus monachus monasterij S. Viti, quòd in monte Ætna est positum, oblata nobis petitiõe questus est inter alia, ita monachos eiusdem monasterij peruersè ac nequiter viuere, vt etiam mulieres sibi sociare (quod dici nefas est) audeant. De qua re quia fratri & coepiscopo nostro Leoni scripsimus, vt requisita veritate, si ita repereri, districtissima hoc studeat seueritate corrigere; necesse quoque est, vt in hac re tua se experientia ad inuestigandam veritatem, & puniendum tantum scelus omnimodo sollicita debeat exhibere, vt neq; remissè, neque negligenter agi aliquid videatur. In alijs verò vtilitatibus memorati monasterij solatia tua in quantum ratio poposcerit æquitatis, impende: quatenus & si quid ei, sicut dicitur, inuasum est, secundum iustitiam reformetur, & de cetero præiudicium illic aliquod contra Dei timorem & legum ordinem nullo modo generetur.

EPISTOLA XXIII.

Inf. ep.24. h l. sup. li. 2 ep.59.61 Ind 11. l 5. epist.11.31. lib. 6. ep.1. & 20. li. 7. ep.91.107. 108 & sup. h.l ep 13.

De Mauricio monacho cum alijs fuga lapso, & ne milites Sine Papæ consensu in monasterijs recipiantur.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Cum fraternitas vestra minùs erga monasteria sibi subiecta studeat esse sollicita, & ipsa culpam reprehẽsionis incurrit, & nos de sua ignauia & leuitate contristat. Peruenit autem ad nos, Mauricium quendam qui nuper in monasterio Barbaciani cõuersus est, ablatis secum alijs monachis, fuga de eodem monasterio discessisse. Qua in re prædictum nobis Barbacianum sua præcipitatio vehementer accusat, qui temerè sæcularẽ hominem & non ante probatum tonsurauit. Nunquid non vobis scripsimus vt prius eum probaretis, & tunc si aptus esset, abbatem facere deberetis? Vel nunc ergo circa eum quem elegistis, estote solliciti. Nam vos illo delinquente delinquitis, si ita cœperit exhibere vt se ad fratrum ostendat regimen indignum. Propterea monasterijs omnibus fraternitas vestra districtius interdicat, vt eos quos ad cõuertendum susceperint, priusquam biennium in cõuersatione compleant, nullo modo audeant tonsurare. Sed hoc spatio vita moresque eorum sollicitè comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus quod voluit, aut ratum non habeat quod elegit. Nam dum graue sit, inexpertos hominum obsequijs sociari, quis possit dicere quanto sit grauius ad Dei seruitium improbatos applicari? Miles verò si cõuerti voluerit, nisi prius nobis renuncietur, nullus eum sine nostro cõsensu qualibet præsumat ratione suscipere. Quod nisi diligenter fuerit custoditum, omnem subiectorum in te culpam inexcusabiliter noueris redundare, qui minus te erga eos rebus ipsis testaris esse sollicitum.

Tonsura Monachorum.

EPISTOLA XXIV.

Sup.ep.23. h.l & li.3. ep. 59. 60. li.5. ep.10. 51. libr.7. epist. 91.

De restituendis iniustè ablatis.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Si scriptorum nostrorum seriem voluisses diligenter aduertere, aut sponte restituere quæ tulisti, aut certè personã secundum admonitionẽ nostram in causa transmittere debuisti. Et dum te modo quodam excusare contendis, asserens in his quę contra fraternitatem tuam à parte cõtraria gesta sunt, non voluntariè, sed magnis te constrictum coniurationib. miscuisse; ea quę scripsimus, quasi intelligere distulisti, & magnificos viros Faustum atq; Dominicum non à te, sed à quibusdam alijs tuis indicasti esse transmissos, ac per hoc, vt alijs litigantibus ipse quæ tuleras retineres. Pars verò altera epistolæ tuæ textum addiscens, crebra nobis allegatione cœpit insistere, vt ea quæ abstuleras redderentur, paratam se inquiens si quid cõtra eam magnifici viri prędicti suorum vel aliorum nomine mouere voluerint, respondere. Quod quia nec nobis à rationis visum est ordine dissentire, præsertim postquam admonitus instructam personam ad dicendam causam transmittere neglexisti; idcirco fraternitatẽ tuam hortamur, illico vt præsentia scripta susceperit, Theodorico viro magnifico maiori populi portas, & Rustico viro clarissimo seniori aquæ ductum sine aliqua contentione restituat, ne in hac re moram, vel aliquam excusationem interserat, ne culpam indiscretionis incurrat, si quod vltro facere debuerat, admonita differendum qualibet forte putauerit. Hæc itaque memoratis viris primitus reformata, liberum tibi sit, si quam contra eos postea apud nos hic causam mouere volueris: Sin verò non ipse, sed filij tui, vt asseris, causam se habere querantur, vnde eos publico debeant pulsare iudicio; eis est liberum in quolibet loco voluerint, causæ suæ negotium contra eos legaliter propositum terminare.

EPISTOLA XXV.

Sup ep.14

De Petro à pueris falsò de sceleris tentatione criminato.

GREGORIVS, *Eortunato Episcopo Neapolitano.* Valde nos vestra mirari fecit fraternitas, vt causam clerici sui aut noluisset, aut non assurgeret definire. Petrus itaque præsentium portitor ad nos veniens, questus est, pueros à quibus de tentatione sceleris falsò se asserit criminatum, nõ vt oportuit esse discussos: sed tantummodo verbotenus inquisitos, & sibi propter hoc solum ne vobiscum procedere audeat, interdictum. Aut enim vera fuêre quæ dicta sunt, & iuxta causæ qualitatem canonicæ fuit correctioni subdendus; aut falsa, & diu non debuit in crimine remanere. Quia ergo & ratio indixit, & hic pro sui purificatione sollicitus; quæ aduersum se dicta sunt, Apostolicam Sedem adijt, & iusta examinatione finiri perquirit; necesse est vt vna cum Anthemio subdiacono nostro, subtiliac districta discussione à pueris illis veritatem exigere debeatis. Et si prędictus portitor attentati facinoris reus esse patuerit, canonica modis omnibus vltione plectatur. Si verò insons fuerit declaratus, celeri absolutione respiret, & vobiscum habeat procedendi licentiam: quia sicut reis competens exercenda vindicta est, ita innocentibus non est absolutio differenda. Sic ergo huic causæ sollicitè fraternitas vestra finem studeat imponere: quatenus nullam de neglectu valeat reprehensionem incurrere.

EPISTOLA XXVI.

Li.1.ep.25. 37.40.41. 53.57.61.63 66.67.11. ep.21.22 ep.18.19 & h.l.ep. 25.

De Petro à pueris falsò accusato.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono Campaniæ.* Petrus clericus lator præsentiũ questus est nobis, à quibusdam se pueris fallaciter criminatum, & causam suam non vt oportuit districta examinatione discussam, nec se ab aliquo condemnatum, sed solùm ab episcopo suo, ne cum eo procedere auderet inhibitum. Quod audientes omnino ægrè tulimus: quia veritate subtiliter perquisita aut reum, vt causæ exigebat qualitas cõdemnare, aut certè debuit innocentem absoluere. Quia igitur & causa exigit, & memoratus portitor magnoperè postulat, vt hac de re subtilis debeat haberi discussio, præsenti tibi auctoritate prẽcipimus, vt vnà cum reuerendissimo fratre nostro Fortunato coepiscopo, atq; si visum tibi fuerit, glorioso filio nostro Maurentio attentati criminis veritatem subtili nimis indagatione ac discussione studeatis addiscere: & ita aut culpam vlciscì, aut festinetis innocentiam reuelare, vt nec vos videamini negligentes in aliquo extitisse, nec hæc amplius sine definitione causa remaneat.

(:)

EPISTOLA XXVII.

De Saponarijs ciuitatis suæ, quos Ioannes multis affligebat incommodis.

GREGORIVS, *Fortunato Episcopo Neapolitano.* Augustinus præsentium portitor, qui reliquorum Saponariorum ciuitatis vestræ vice sese dixit esse transmissum, questus nobis est, quòd Ioannes vir clarissimus Palatinus multis eos frustra affligat incommodis, atque noua plurima eorum corpori præiudicialiter nitatur imponere. Denique vt, sicut ait, eos promittere sibi compellat, vt si quis arti eorũ sociari voluerit, quicquid commodi de introitu eius accesserit, ipsi proficiat. Adijciens quoque pactum inter se de quibusdam rationabilibus artis suæ capitulis iuxta priscam cõsuetudinem omnium consensu interposita esse pœna confectum, atque id sacramento interueniente firmatum, & ab eo nunc velle quosdam ex suis, eius videlicet patrocinio fretos, abscedere; atque ita contrauenire tuitionem cupientibus impendere, vt quod dici graue est, plus in defensione eius præsumptionẽ habeant, quàm de pœna penuriam, vel de sacramento præstito possint habere formidinem. Quòd si ita se res habet, quia etiam ipsi quod agit aduersum est, quippe qui alieno se peccato sua defensione constituit esse participem; fraternitas vestra paterna eum adhortatione conueniat, vt ab huiusmodi se actu cohibeat, & præiudicialiter illis nihil imponat, nec eos dispendijs quibuslibet cõtra rationem affligat. Pariter etiam prouidendum est, vt & pactum vbi sacramenta sunt præstita conseruetur, & cum dispendio animæ suæ temporalia lucra contraueniendo non appetat; ne & periurij crimen incurrat, & commoda prauè desiderata non capiat. Et si, quod non credimus, admonitionem vestram prędictum Ioannem virum clarissimum videtis fortè differre, cum eminentissimo filio nostro Præfecto strictè loquimini, vt ipse hoc sicut in præsenti dici fecimus quomodo præuiderit, rationabiliter faciat emendari; quatenus & eos qui tuitionis nostræ suffragia quæsiuerunt, quorundam voluntas iniustè non opprimat, & ille ab opere se indecenti prohibitum, pro suæ magis animæ vtilitate cognoscat. Dat. mense Maij, Indict. III.

EPISTOLA XXVIII.

De Rebus Ecclesiasticis in publico competentibus.

GREGORIVS, *Zittano Zizasimæ Magistro militum.* Epistolas vestras Græco sermone dictatas me indico suscepisse, in quib. dicitis quòd quædam religiosa loca responsum iuri publico de rebus ei competentibus reddere contemnat. Quæ res me omnino contristauit: quia nostri est habitus, non solùm præiudicia minimè facere, sed etiam facta æquanimiter portare; nisi fortè quia res pauperũ defendere rationabiliter cogimur, ne apud omnipotentem Deum culpabiles inueniri valeamus. Proinde Fantino defensori quę scripserim gloriæ vestræ transmisi, vt ipse religiosos quosq; in Panormitanis partibus apud electos iudices venire compellat, & suorum actuum rationem reddant. Omnipotens Deus cælestis vobis misericordiæ largitatem præbeat, vt per cuncta quæ agitis, eius gratiæ seruiatis.

EPISTOLA XXIX.

De redditibus Ecclesiæ hospitibus dandis.

GREGORIVS, *Fantino defensori.* Sabinianus vir clarissimus præsentiũ lator nobis indicauit, hanc olim ibi consuetudinẽ conuenisse, vt diuersis superuenientibus, ciues eiusdem ciuitatis de proprio expensas impenderent. De qua re dum se quererentur affligi, hoc illis cũ Theodoro quondam episcopo conuenisse, vt in Ecclesia eius certæ portiones substantiæ suę donatione conscriberentur, & hoc in se onus susciperet, atque securis eis redditis, ipse de Ecclesia quicquid esset necessariũ erogaret. Se verò per tertiamdecimam & primam indictiones, quibus prædictæ ciuitati defensoris officium tenuit absente episcopo de proprio expẽdisse, quod de Ecclesia poterat erogari. Et quia sibi quòd expendit, postulat debere restitui; idcirco experientiæ tuæ præcipimus, vt reuerendissimo fratri & coepiscopo nostro Decio studeat imminere: quatenus aut pacifica, si ita est, cum eo ordinatione decidat, aut certè si qua se ratione à restitutione expẽsarum credit defendere posse, in iudicio tuo assistat; & exquisita diligentius veritate, ita quicquid tibi æquitatis ordo suaserit, mora postposita definito, vt & rationabiliter causa finem accipiat, & partes apud te nulla fatiget in obseruatione dilatio. Si autem donationes, de quibus dictum est, Ecclesiæ suæ esse onerosas existimat, & reddere eas donatoribus fortasse voluerit, si qui ex eis qui eas recipiunt, clerici sunt, à te similiter moneantur, vt aut secundum portiones suas quæ erant soliti dare persoluant, aut certè si causari voluerint, contentiones partium, tua necesse est cognitione distingui, vt nulla se pars inaudita queratur præiudicium sustinere. Alias verò causas quas cum memorato reuerendissimo viro fratre nostro suprascriptus portitor habere præsentes se asserit, tuo similiter volumus, medijs sacris Euangelijs, iudicio definiri.

EPISTOLA XXX.

Li. 3. ep. 1. a. 3. 37. 38. Ind. 12. l. 4. ep 17. Ind. 13. li. 5. epi. 17. li. 6. ep. 14 libr. 7. epist. 68. Io. Diac. 4. ca. 28.

De Pompeio episcopo innocenter condemnato.

GREGORIVS, *Constantio Episcopo Mediolanensi.* Relectis epistolis vestris, quas ad nos per Marianum latorem præsentium, transmisistis, gratam nobis sollicitudinem vestram fuisse rescripsimus, quòd ea quæ ad vos de fratre & coepiscopo nostro Pompeio, qui adhuc ita à nobis nominandus est, peruenerunt, dissimulare minimè pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum est, fuisset ambiguum. Sed vtrum verum an esse compositum sciri potuisset, iam contra ipsum dudum in Sicilia apud reuerendæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum episcopum talis quæstio, vt cognouimus, mota est. Sed quia causa ipsius subtili omnino inuestigatione quæsita est, omnino inuentus est innocens qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniam illa quæ cõtra eum dicta sunt, non sub illa qua decuit districtione quæsita sunt; & gesta quæ exinde apud fraternitatem vestram cõfecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem eius probantur posse sufficere, non leuis res agitur, vt incautè vel in transcursu debeat definiri. Nam graue est satis & indecens, vt in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidẽ gesta esse poterant ad definiendum satis idonea, si accusati ea confessio sequeretur; si tamen eandem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter agit, vt & noxios sese fateri etiam cogantur innoxij. Nam postquam præfatus episcopus, vt dicitur, cruciari custodia, cremarique fame se asserit, scire debetis si ita est, vtrùm noceat si sic fuerit extorta confessio. Numquid quando sententiam tales causæ suscipiunt, & ad sedem Apostolicam appellatur, nonne & persona quæ iudicatur præsens est, & districtissimè atque ab omni latere veritas quæritur, vt tunc si debeat necne manere sententia decernatur? Necnon & si prædictus episcopus ad sedem Apostolicam appellare voluerit, causa ipsius interius, & cum omni est diligentia perscrutanda. Et ideo postquam & persona absens est, & gesta quæ ad nos transmisistis, nobis, sicut præfati sumus, satisfeciſſe idoneè non videntur; temerè aliquid de episcopi persona decernere nec possumus nec debemus, ne quod absit reprehensibiles inueniamur in nostris, quibus aliorum iure competit retractare sententias. De Alemanis autem quod vobis indicatum est, nos & longius quàm vos positi scimus. Et quod verum non sit, minimè dubitamus. Vestra tamen fraternitas bene fecit pro informatione nostra scribere quod audiuit. Dat. mense Iunij, Indict. III.

11. q. 3. c. 64

Papa iure aliorum retractat sententias.

(:)

Li. 7. ep. 20 Ind. 2. & h. l. ep. 51.

EPISTOLA XXXI.

De aduersitatibus patienter tolerandis.

Ioan. diac. 4. c. 55.

GREGORIVS, *Libertino Expræfecto.* Quantæ vos sæculi huius premant angustiæ, incognitum non habemus. Sed quia in summa tribulatione positis sola est cõsolatio misericordia Creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsumque tota vos mente conuertite, qui & iustè quem vult permittit affligi, & confidentem in se misericorditer liberat. Ipsi ergo gratias agite, & patiẽter quæq; illata sunt sustinete. Nam rectæ mentis est Deum non solùm in prosperis benedicere, sed etiam in aduersitatibus collaudare. In his igitur quæ patimini, nullum contra Deum murmur cordi vestro surrepat: quia ad quid hoc creator noster operetur, ignotum est. Forsitan enim magnifice fili aliquid illum in prosperis positus offendisti, vnde te clementi amaritudine vult purgare. Et ideo nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna discrucient: quia si in aduersis gratias referens Deum tibi patientia feceris esse placabilem, & quæ amissa sunt, multiplicata redduntur, & super hæc gaudia æterna præstantur. Peto autem ne iniurioſum ducatis, quòd viginti annuos vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus præberi: quia de beati Petri Apostoli rebus quamuis parua sint quæ offeruntur, pro magna semper benedictione susciplenda sunt: quoniam & hic vobis valebit maiora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare.

Inf. ep. 33. li. 2. ep. 57. li. 3. ep. 31. li. 5. ep. 35. li. 7. ep. 101 Ind. 1.

EPISTOLA XXXII.

De vxore Leonis Chartarij, quæ suspicione fornicationis à marito discesserat.

GREGORIVS, *Secundino Episcopo Tauromitano.* Præsentium portitor Leo Chartarius ad nos veniens indicauit vxoris suæ causam, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, quo vehementius stimulatam aiebat, atque ob hoc religiosam vestem induerat, se culpabilem nullatenus extitisse: adeo vt, sicut ait, requirente fraternitate vestra, cui huius rei cognitionem ante hoc ferè triennium mandaueramus, in nullo claruerit eum post initum coniugium in fornicationis culpam collapsum: adijciens quoque quòd eidem vxori suæ districtissima sacramenta præbuerit, insontem se ea de re, vnde etiam illam mordebat suspicio, permansisse: & idcirco propria eam sponte ad se reuersam. Sed quia communione illam cum familia sua pro hoc solummodo à fraternitate vestra priuatam asserit, quod ad eum clam postpositis vobis redierit: volumus vt familia quidem ipsius sacram communionem recipiat, & dominæ ea culpa in huius afflictionis pœna familiam diu non teneat. De ipsa verò, hoc est de vxore prædicti portitoris, hoc vos obseruare necesse est, vt si manifestè constiterit, quia contra coniugem suum dicere nihil potuit, sed & insuper suspicio ipsius præstito, vt edocti sumus, sacramento amputata est, & vtique post hoc sua ad eum sponte reuersa est; in ea quoque temperanda est censura iudicij, vt longo iam tempore minimè communione priuetur. Si autem aliter se veritas quàm nobis insinuatum est, fortassis habuerit; fraternitatis vestræ subtiliter scripta nos instruant, vt quid fiendum sit, nostris iterum discurrentibus epistolis agnoscatis.

Li. 2 ep. 57 Ind. 11. l. 7. ep. 101. Ind. 1.

EPISTOLA XXXIII.

De mendacio Marciani episcopi nescienter dicto, & de Dulcinij elogio constituto.

GREGORIVS, *Secundino Episcopo Tauromitano.* Scripta fraternitatis vestrę suscepimus, in quibus indicastis, reuerendissimum fratrem nostrum Marcianum Locrensis ciuitatis episcopum aliter nobis de causa Ecclesiæ contra monasterium S. Christophori, quod in vestra diœcesi est constitutum, intimasse; non quidem fallendi voluntate, sed quia à clericis suis non fuerat de veritatis natura diligenter instructus. Et quoniam scribitis Dulcinum decessorem ipsius nihil de rebus Ecclesiæ suæ fuisse testatum, sed de proprijs ac magis quę in prędicto monasterio fidelium oblatione collata sunt, elogium condidisse, atque sex vncias Ecclesiæ, & sex eidem monasterio iure hæreditario reliquisse; necesse est, vt si ita etiam non ex opinione sed absolutè in veritate esse recolitis, nullam prædicto monasterio sinatis molestiam irrogari, præcipuè dum eandem causam iam temporibus reuerendæ memoriæ Maximiani episcopi vos atque fratrem & coepiscopum nostrum Ruffinum ex eius deputatione accessione audisse, ac decidisse testemini, adeo vt inter partes ea quæ inueniri poterãt, partirentur, & quod Ecclesię fuit intrinsecus redderetur. Volumus ergo vt pars vtraque conticeat, & ea quæ à fraternitate tua vna cũ prædicto Ruffino quõdam episcopo statuta sunt, inconuulsa consistant: quatenus nec pars Ecclesiæ denuò iniustè quæstionem inferre, nec monasterium irrationabiliter videatur post vestram maximè definitionem controuersiam sustinere.

Inst. epist. 46. b. l.

EPISTOLA XXXIV.

De Ioanne Episcopo ordinando.

GREGORIVS, *Eulogio Episcopo Clusino.* Gloriosus filius noster Aufridus ad nos scripta transmisit, indicans quòd in castro Balneum regis dicto, vna cum habitatorib. loci ipsius sibi Ioannem diaconum elegerit episcopum ordinandum, de cuius omnino vita bona testatus est. Sed quia quæ sunt canonica nesciunt, & nos inexpertis vel incognitis manus temerè non audemus imponere; fraternitas vestra cum omni sollicitudine ac vigilantia diuersis quibus potuerit modis, de vita actibusque ipsius requirere studeat. Etsi nihil est quòd ei canonicè possit obsistere, requirendum quoque est si in opere Dei studium habuit, vel psalmos nouit. Et si talis fuerit, eum ad nos cum testificationis suæ epistola dirigat. Si verò aliter fuerit, vestris nobis similiter epistolis indicate, & habitatores loci ipsius adhortamini, vt si iste aptus non fuerit, sicut & suprascripto Aufrigido filio nostro scripsimus, aliũ sibi eligant, qui ad hoc officium cum gratia Dei aptus valeat inueniri. Dat. mense Iulij, Indict. III.

Episcopus psalmos nosce debet. Synodus septima Can. 2.

Sup. lib. 2. ep. 42. lib. 3. & inf. li. 10. ep. 14. li. 11. epist. 46. 47.

EPISTOLA XXXV.

De hæresi Agnoitarum quæ Græcorum & Latinorum patrum consensu confutata est.

Podagra ægritudo. Io. Diac. 4. ca. 67.

GREGORIVS, *Eulogio Patriarchæ Alexandrino.* Transacto anno suauissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respondere nuncusque non valui. Ecce enim iam biennium penè expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, vt vix in diebus festis vsque ad horarum trium spacium surgere valeam, Missarumque solennia celebrare. Mox autem cum graui compellor dolore decumbere, vt cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius. Sed neque ita lentus vt recedat, neque ita nimius vt interficiat. Vnde fit vt qui quotidie in morte sum, quotidie repellar à morte. Nec mirum, quia peccator grauis talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Vnde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Sed quia meis

hoc precibus adhuc obtinere non mereor; rogo vt vestræ sanctitatis oratio suæ mihi intercessionis adiutorium præbeat, meque à peccati & corruptionis pondere liberum reddat in illam quam benè nostis libertatem gloriæ filiorum Dei. Scripsit autem mihi dulcissima & semper honoranda beatitudo vestra, quòd ei communis filius Anatholius diaconus de Constantinopolitana vrbe scripserat, ad me quosdam monachos de Hierosolymorum partibus venisse, qui me aliquid de Agnoitarum errore requirerent; & dicitis quia petijt, vt vestra mihi sanctitas scriberet quid de eadem debuisset inquisitione sentire. Sed neque ad me de Hierosolymorum partibus requirentes aliqui monachi venerunt, neque eundem commune filium nobis potuisse aliquid aliud quàm erat scribere, sed interpretem suspicor in eius epistolis errauisse. Nam idem diaconus mihi iam antè biennium scripsit: quia à prædictis partibus ad Constantinopolitanam vrbem talia requirentes monachi venerunt, meque studuit requirere quid sentirem. Cui ego antè longum tempus quàm vestra scripta susciperem contra eandem hæresim respondi, quæ postmodum in epistola vestræ sanctitatis inueni, atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorum atque Græcorum patres, quorum nos sequaces sumus, vno spiritu sunt locuti. In multis enim eandem vestram epistolam ita reperi, ac si contra prædictam hæresim scripta Latinorum patrum legerem. Et quantum potui de sanctissimo fratre meo amare & laudare bonum perpendi, in cuius ore venerandos patres, quos multum diligo, recognoui. Sit ergo illi laus, sit in excelsis & gloria, cuius dono adhuc in sede Petri clamat vox Marci, de cuius effusione spiritus cum sacerdos ad perscrutanda mysteria, scilicet ad sancta sanctorum intrat, in sancta Ecclesia velut in tabernaculo ex verbis prædicationis spiritalia tintinnabula resonant. Recta itaque & valdè laudabilis est vestra prædicatio. Sed omnipotentem Dominum deprecamur, vt diu vos etiam in hac vita custodiat, vt de Dei organo quod estis, in hoc mundo latius vox veritatis resonet. Pro me autem peto intercedite, vt huius peregrinationis via, quæ mihi asperior facta est, cum celeritate finiatur: quatenus qui ex meis non valeo, ex vestris meritis possim ad æternæ patriæ promissa pertingere, & cum cœli ciuibus gaudere.

EPISTOLA XXXVI.

De Sclauorum gente, de Iuliano Scribone iniquo iudice, de pauperibus modestè defendendis, & de Frontinianistis Hæreticis.

GREGORIVS, *Maximo Episcopo Salonitano.* Ad Romanam veniens vrbem communis filius presbyter Veteranus, ita me podagræ doloribus debilem reperit, vt fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenus valuissem. Et quidem de Sclauorum gente, quæ vobis valdè imminent, & affligor vehementer & conturbor. Affligor in his, quæ iam in vobis patior; cõturbor, quia per Histriæ aditum iam Italiam intrare cœperũt: De Iuliano aũt Scribone quid dicam nescio; quando vbiq; video, quia nobis peccata nostra respondeant, vt & foris à gentibus, & intus à iudicibus conturbemur? Sed solite de talibus omnino contristari: quia qui post nos vixerint, deteriora, tempora videbunt, ita vt in comparatione sui temporis, felices nos æstiment dies habuisse. Inquantum verò prevalet fraternitas tua, opponere se pro pauperibus, & oppressis debet. Quę etiam si prodesse minimè valuerit, ipsa omnipotenti Deo mẽtis deuotio sufficit quam debet. Scriptum est enim: Eripe eos eos qui ducuntur ad mortem, & qui pertrahũtur ad interitum liberare ne cesses. Quòd si dixeris, Vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit. In omni ergo quod agis, inspectorem cordis appete habere placatum. Quicquid verò est vnde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores & gratię fumo sunt similes, qui leui aura raptus euanescit. Hoc certissimè scito, quia placere Deo & prauis hominibus nullus potest. In tanto ergo æstimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se peruersis hominib. displicuisse cognouerit. Ipsa tamen defensio pauperum moderata & grauis sit, ne si quid nimis rigide agitis, ex iuuentute vos arbitrẽtur homines superbire. Sed talis necesse est vt inueniatur pro oppressis vestra defensio: quatenus & humiles protectionem sentiant, & oppressores non facilè inueniant quod ex maleuola mente reprehendant. Attende ergo quod ad Ezechielem dicitur: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Et B. Iob ait: Frater fui draconum, & socius struthionum. Et Paulus discipulis dicit: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Tanto ergo debemus cautius ambulare, quanto nos scimus inter Dei inimicos viuere. De Frõtinianistis autem fraternitas tua sit omnino sollicita, & sicut cœpit, studeat: quatenus ad sinum sanctæ Ecclesię reuocentur. Si qui verò ad me venire voluerint, & rationem recipere, prius iusiurandum præbeant, quia non permittent suis quod in eorum errore, etiam ratione recepta, persistant. Et postmodum eis tua sanctitas promittat, quia à me nullam violentiam patientur, sed rationem reddo. Si veritatem cognouerint, susciam; si non cognouerint, illæsos dimittam. Si qui verò contra vos ex eis ad nos venire voluerint, minimè eos fraternitas tua retineat: quia venientes aut rationem recipient, aut scito quia aliter profectò terram illam vlterius non videbunt.

Esech. 2.

Iob 30.

Phil. 2.

Frontonianistæ hæretici.

EPISTOLA XXXVII.

Inf. lib. 9. epist. 1.

Dolet & gaudet simul ob præfecturam quam acceperat, agit de libris Iob transmittendis, & de libris S. Augustini.

GREGORIVS, *Innocentio Africæ Præfecto.* Luculenta eminentiæ vestræ & condita cordis melle facundia ita sui nobis saporẽ medullitus infudit, & in suo amore nos rapuit, vt nobis & dulce sonet quod scribitis, & sapiat suaue quod agitis: nec immeritò, quia qui bonis studijs comptus est, iudicio magnus est, non fauore. Præfecturæ autem vos susceptisse cingula cognoscentes, lætitiæ se miscuit nostræ tristitia. Nam ex vna parte lætati de prouectu dulcissimi filij, contristati sumus ab altera: quia quàm graue sit confusis temporibus locis maioribus esse præpositos, ex nostro prorsus dolore sentimus. Vnde omnino studendum est, vt res aspera fiat mercedis occasio. Nam sicut nostis, de terra plena carduis frumentũ egreditur, & de spinis rosa producitur. Dum ergo seminandi vobis congruum tempus est, bonorum operũ serere semina non cessetis, vt maiores in die messis lætitiæ manipulos reportetis, atque ad æternam gloriam ex transitorij honoris merito veniatis. Cognoscentes igitur quale studium in præparandis drumonibus gesseritis, sollicitudinem vestram, desiderato nuncio, releuamus, indicantes cũ Longobardorum rege vsq; ad mensem Martium futuræ quartæ Indictionis, de pace propitiante Domino, conuenisse. Quæ si retineatur ignoramus, quia idem rex obijsse postea nunciatus est, licet adhuc habeatur incertũ. De Anamundaro autem quæ scripsistis fecimus, sed voluntatem vtinam sequatur effectus: quia quantum ad nos pertinet, afflictis intercessionis nostræ solatium non negamus. Quod verò in expositione S. Iob transmitti vobis codicẽ voluistis, de vestro omnino studio gaudemus: quoniam illi rei eminentiam vestram studere cõspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, & ad cor iterum sæcularib. curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem nõ quæratis. Quale præterea patrocinium, qualemque affectum in vtilitatibus pauperum B. Petri Apostolorum principis amatoris sui gloria vestra præbuerit, Hilario chartulario nostro testificante didicimus. Ex qua re vberes gratias exoluentes omnipotentis Dei misericordiam exoramus, vt gratiæ suæ protectione vos muniat, & nec malos contra vos homines exterius, nec malignos spiritus interius prævalere permittat: sed ita actiones vestras in suo propitius timore disponat, vt sicut fecit inter homines, ita quoque post longæuæ ætatis discursus, in Sanctorum suorum vos esse faciat numero glorioſos.

Augustin. opuscula.

(?)

EPI-

Li. 1. ep. 60 61. 62. & 81 l. 3. ep 8. 9. & 10. Ind. 11.

EPISTOLA XXXVIII.

De oppressionibus minorum à maioribus, & de ijs, qui ad Ecclesiam confugiunt.

GREGORIVS, *Ianuario Episcopo Caralitano.* Qualiter in Sardinia minores vel pauperes ab eis qui illis maiores sunt opprimãtur, reuerẽdissimi fratris nostri Dominici Carthaginensis episcopi atque eminentissimi filij nostri Innocentij præfecti epistolæ testantur, à quibus vt quæ nobis scripta sunt noueritis, ipsarum vobis epistolarum exemplaria præuidimus transmittenda. Et ideo quia ea quæ petenda sunt, offeruntur; studiosè agendum est, vt ea quæ promittuntur, opere compleantur. Si qui eorum de quibus est quæstio, in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa diligẽtia vestra disponi, vt nec ipsi violentiam patiantur, nec ij qui dicũtur oppressi, damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit, vt eis sacramentum ab ijs quorum interest, de seruanda lege & iustitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem, quibus etiam Ecclesiæ vestræ defensorem deputare vos conuenit. Cuius sollicitudine ea quæ ea quæ illis fuerint promissa seruentur: quatenus nec alijs noxia sint, & ipsis Ecclesiastica, salua ratione, possint prodesse refugia. Ita ergo fraternitas vestra faciat vt hæc quæ eius studio emendanda sunt, mora per eam vel impedimentum aliquod non contingat.

Qui ad Ecclesiam confugiunt, exire cõmonendi sunt, vt iniuria seruetur.

EPISTOLA XXXIX.

De vnione monasterij Gazarensis cum Neapolitano & & Puteolano.

GREGORIVS, *Adeodato Abbati Neapolitano.* Quorundam monachorum eiusdem monasterij ad nos relatione peruenit, monachos monasterij Gazarensis, quod situm in Plagia est, & monachos S. Sebastiani monasterij, quod Neapoli in domo quondam Romani constructum est, vbi Deo miserante, sicut dictum est, abbatis geris officium, se monasteriumque suum vniri magnoperè poposciisse, adeo vt chartas omnes eiusdẽ monasterij tuo monasterio, vt dicitur, tradidissent. Sed quia monasterium ipsum in Neapolitana est diœcesi constitutum, ne quid constituere, quod absit, præiudicialiter videamur, volumus vt quousque Neapoli ordinetur antistes, tuo interim monasterio antefatum Gazarense monasterium cum omnibus ad se pertinentibus sit vnitum. Cum verò propitiante Domino Neapoli fuerit episcopus ordinatus, vtrum in perpetuum hæc vnitio extendi, an temporalis esse debeat, maturius ac solidius cum Dei gratia pertractabimus. Quia verò monasterium Puteolis constitutum, quod Falcidis dicitur, ita esse destitutum à monachis perhibetur, vt non solùm Dei illic opus minimè celebretur, sed etiam penè pro derelicto (quod dici graue est) habeatur: idcirco illud monasterio tuo præsenti auctoritate cum omnibus ad se pertinentibus in perpetuum duximus vniendum; admonentes, vt monachos in prædicta vtraque monasteria debeas deputare, qui & curam illic diligenter habeant, & opus Dei regulari studeant institutione peragere, atque ita se in his sicut conuenit, exhibere, vt nec illos de neglectu, nec te de minori sollicitudine culpa confundat. Quicquid verò ad eadem monasteria pertinere cognoscis, si ab aliquibus irrationabiliter detinẽtur, ex hac nostra auctoritate repetendi, exigendique atque tuo monasterio vendicandi habebis per omnia, Deo adiuuante, licentiam: quia dignum est, vt quorum curam geris, rebus nullo modo defrauderis. Monachos autem quos in monasterio Puteolis sito depũtaueris, sub tua quidem disciplina, sed tamen Puteolano episcopo, cuius diœcesis est, non Neopolitano noueris subiacere.

EPISTOLA XL.

Ne is qui habet filios, aut simplex fuerit, aut vsurarius ad episcopatum eligatur.

8. q. 1. c. Nec nouum.

GRegorius Clero & Nobilibus ciuibus Neapolitanis. Nec nouum nec reprehensibile est, in eligendo episcopo populi se vota in duas partes diuidere: sed graue est, quando in huiusmodi causis non ex iudicio, sed de solo fauore venit electio. Prius enim quàm scripta ad nos vestra recurrerent, Iohannem diaconum qui ab altera parte electus est, paruulam habere filiam ex quorundam relatione cognouimus. Vnde si rationem voluissent attendere, nec alij eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad episcopatũ audet accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam, filiola teste, conuincitur non habere? Petrus item diaconus quem à vobis electum asseritis, omnino quantum dicitur, simplex est. Et nostis quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce constitui, qui non solùm de salute animarum, verumetiam de extrinseca subiectorum vtilitate & cautela sciat esse sollicitus. Nam de eo insuper ad nos peruenisse cognoscite, quòd solidos dederit ad vsuras: quod vos oportet cum omni subtilitate perquirere, & si ita constiterit, alium eligite, & ab huiusmodi vos persona sine mora suspendite. Nam nos amatoribus vsurarum nulla ratione manus imponimus. Si verò subtili habita inquisitione hoc falsum esse patuerit, quia persona eius nobis ignota est, & vtrum ita sit de simplicitate eius quod ad nos perlatum est ignoramus, cum decreto à vobis facto ad nos eum venire necesse est, vt de vita moribusque ipsius sollicitius inquirentes, sensum quoque pariter agnoscamus, vt si huic iudicio aptus extiterit, vestra in eo, adiuuante Domino, desideria compleamus. Studij præterea vestri sit etiam alium qui aptus sit prouidere, vt si fortè huic ordini hic non videatur idoneus, sit in quem se vestra declinare possit electio. Nam graue cleri illius erit opprobrium, vt si hic fortasse approbatus nõ fuerit, alium se dicant qui eligi debeat, non habere. Mense Augusti, Indict. III.

Dist. 61. c. 4.

EPISTOLA XLI.

De pestilentia Africana, & quid eo tempore præstare debeat Episcopus.

GRegorius Dominico Episcopo Carthaginensi. Quanta in Africanis partibus lues irruerit, iam pridem cognouimus: & quia nec Italia de hac cladis percussione est libera, geminati in nobis dolorum sunt gemitus. Sed inter hæc mala, & alias calamitates innumeras desperata cor nostrum carissime frater tribulatione deficeret, nisi fragilitatem nostram vox Dominica præmunisset. Olim enim fidelibus Euangelicæ tubæ electionis insonuit, appropinquante fine mũdi, pestilentiam, bella & alia multa quæ adhuc, sicut nostis, in metu sunt, euentura. Quæ ergo præscientes patimur, affligi ex his nimium tãquam de incognitis non debemus. Nam plerumque & genus mortis in alterius mortis consideratione leuamen est. Quantas ergo detruncationes, quantasque crudelitates vidimus, quibus mors sola remedium, & erat vita tormentum? Nonne cum Dauid optio esset mortis oblata, recusatis fame & gladio, populum suum elegit manu Dei succumbere? Ex qua re colligite, in his qui diuina percussione intereunt, quanta sit gratia, quando ea vocatione obeunt, quam prophetæ sancto pro munere constat oblatam. Itaque creatori nostro in cunctis aduersitatibus gratias referamus, atque de eius misericordia confidentes, patienter omnia toleremus, quia satis minus patimur quàm meremur. Quoniam tamen ita temporaliter flagellamur, vt sine æternæ vitæ consolatione minimè relinquamur; necesse est vt quanto his signis nunciantibus venturum iudicẽ in proximo nó nescimus, tanto rationes nostras, quas in eius, sumus examine posituri, bonæ actionis studio & fletu pœnitentiæ muniamus; vt tantæ nobis percussiones, sperante eius gratia, non damnationis initium, sed beneficiũ purgationis existant. Quia verò ea infirmitatis nostræ natura est, vt nõ possimus de obeũtib. nó dolere; fraternitatis vestræ do-

Sup. l. 2. ep. 38. l. 3. ep. 61. Ind. 1. l. 8. ep. 10. ep.

ctrina tribulatis sit solamen. Mansura illis bona quæ promittuntur, insinuet, vt spe certissima roborati in comparatione futuri muneris discant de amissione temporalium non dolere. Vestra eos lingua, sicut & credimus, magis ac magis à praui operis perpetratione coerceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat, vt qui bona minus diligunt, saltem mala pertimescant, & ab his se quæ sunt plectenda contineant. Nam inter flagella positos, flagellis digna committere, contra scientem est specialiter superbire, & sæuientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis iustè quiescere, & Deum iniustè à sua velle vltione cessare. Sed quoniam in his diuino adiutorio opus est, iunctis dilecte frater precibus, omnipotentis DEI clementiam exoremus, vt & nos dignè ista tribuat exhibere, & populorum ad hæc operanda misericorditer corda compungat: quatenus in timore ipsius actus nostros salubriter ordinantes, & ab ingruentibus malis erui, & ad superna venire gaudia, eius duce gratia, sine qua nihil possumus, mereamur.

EPISTOLA XLII.

De hæreticis Agnoitis, & expositione ficulneæ ex Augustini sententia. De eo quod scriptum est: Nemo scit diem iudicij, nec filius, nisi pater solus. De eo quod dicitur: Adam vbi es? Et ad Cain: Vbi est frater tuus? Et de Lazaro: Vbi posuistis eum? quæ omnia vtiliter exponuntur.

GREGORIVS, *Eulogio Patriarchæ Alexandrino.* Sicut aqua frigida animæ sitienti, sic nuncius bonus de terra longinqua. Quis verò mihi esse nuncius bonus ad sanctæ Ecclesiæ adiutorium potest, nisi vita atque incolumitas suauissimę mihi vestræ sanctitatis, quæ ex percepta luce veritatis, & eandem Ecclesiam prædicationis verbo illuminat, & ad meliorem viam morum suorum exemplis informat? Quotiens autem in corde meo vnanimitatem vestram relego, atque in corde vestro fixum me permanere cognosco, ago omnipotenti Deo gratias: quia diuidi locis caritas non potest. Nam etsi corpore longè disiungimur, mente tamen semper indiuisibiles sumus. Communis autem filius Anatholius diaconus suis mihi scriptis innotuit, in vrbe regia nonnulla Ecclesiastica, quædam tamen de causis terrenis mota. Sed credo quòd prius hoc mihi nunciauerit, quàm de causis Ecclesiæ beatitudo vestra loqueretur. Et gaudeo, quia vbi vos adesse contingit, me non arbitror defuisse. Nam veritatis minister Petri sequax, & sanctæ Ecclesiæ prædicator scit quia illa sic loqui potuisti, quæ de sede Petri Apostoli per os doctoris sonare debuerunt. Ante hos autem dies Abramio Alexandrino venienti sanctitati vestræ rescripseram, vel quid de scriptis vestris quæ contra hæreticos Agnoitas edidistis sentirem, vel cur tardè responderim. Sed Abramius nauigij necessitate compulsus, diu perhibetur in Neapolitana ciuitate demoratus, atque in eo sensu quod dudum scripseram, ita rescribo: quia de doctrina vestra contra hæreticos, qui dicuntur Agnoitæ, fuit valde quod admiraremur: quod autem displiceret, non fuit. In eodem autem sensu iamdudum communi filio nostro Anatholio Diacono plurima scripseram. Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis patribus concordauit, vt mirum mihi non esset quod in diuersis linguis spiritus non fuerit diuersus. Nam hoc quod de ficulnea dixistis, in eo sensu propriè beatus Augustinus loquitur, quia cum Euangelista subiungit: Nondum enim erat tempus ficorum, aperte cognoscitur, quòd per ficum Dominus in synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat creator omnium nescire quia fructum ficus non habuit, quod dum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire. De eo verò quod scriptum est: Quia diem & horam neque filius, neque Angeli sciunt: omnino rectè vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem filium, iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius quod sumus nos, est certissimè referendum. Qua de re multis in locis idem beatus Augustinus eo sensu vtitur. Dicit quoque & aliud quod de eodem filio possit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraham dicit: Nunc cognoui quia times Deum. Non quia se Deus tunc timeri cognouerit: sed quia tunc eundem Abraham fecit agnoscere quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quod ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit: Ita & omnipotens filius nescire se dicit diem, quem nescire facit, non quòd ipse nesciat diem, sed quia nunc sciri minimè permittat. Vnde & pater solus dicitur scire, quia consubstantialis ei filius, ex eius natura, quæ est super Angelos, habet vt hoc sciat quod Angeli ignorant. Vnde & hoc intelligi subtilius potest: quia incarnatus vnigenitus, factusque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis nouit diem & horam iudicij, sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit qua Deus est homo factus, diem & horam iudicij non nisi per Deitatis suæ potentiam nouit, sicut & in nuptijs cum mater Virgo diceret vinum deesse, respondit: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Neque enim Iesus Angelorum Dominus horæ subiectus erat, qui inter cuncta quæ creauerat, horas & tempora fecerat: sed quia mater cum Virgo vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, statim ei responsum est: Quid mihi & tibi est mulier? Ac si apertè diceret: Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura patris miracula faciebat. Vnde & in cruce positus, eandem matrem moriens recognouit, quam discipulo commendauit, dicens: Ecce mater tua. Ait ergo: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Quod est dicere: In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè matrem recognosco, sed cum hora mortis venerit, cognosco te matrem, quia vnde mori possum, hoc ex te habeo. Itaque scientiam quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hanc se cum Angelis, qui creaturæ sunt, habere denegauit. Diem ergo & horam iudicij scit: quia Deus est homo. Res autem valde manifesta est: quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam DEI sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid quod Dei sapientia ignoret? Scriptum est: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & DEVS erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Si omnia, procul dubio etiam dies iudicij & hora. Quis ergo ita delirat vt dicere præsumat, quia verbum patris fecit quod ignorat? Scriptum quippe est: Sciens IESVS quia omnia dedit ei pater in manus. Si omnia, profecto diem iudicij & horam. Quis ergo ita stultus est, vt dicat quia accepit filius in manibus quod nescit? De eo verò loco in quo mulieribus de Lazaro dicit: Vbi posuistis eum? Ipsa specialiter sentimus quæ sensistis: quia si negant sciisse Dominum vbi fuerat Lazarus sepultus, atque ideo requisisse, procul dubio compellentur fateri quia nesciuit DOMINVS in quibus locis se Adam & Eua post culpam absconderant, cum in paradiso dixerat: Adam, vbi es? aut cum Cain corripuit, dicens: Vbi est Abel frater tuus? Qui si nesciebat, cur protinus adiunxit: Sanguis fratris tui de terra clamat ad me? Quamuis hoc in loco Seuerianus Gaualensis aliud loquitur, dicens quia hoc mulieribus DOMINVS per increpationem quasi dixerit, quòd mortuum Lazarum vbi posuerunt requisiuit. Ac si apertè Euæ culpam memorans mulieribus diceret: Ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulchro. Ad hoc verò mihi idem communis Filius Anatholius diaconus reposuit aliam quæstionem dicens: Quid si obijciatur mihi, quia sicut immortalis mori dignatus est, vt nos liberaret à morte, & æternus ante tempora fieri voluit temporalis: ita DEI sapientiam ignorantiam nostram susc ipere dignatam esse, vt nos ab ignorantia liberaret? Sed ad hoc ei necdum respondi, quia graui nuncusque infirmitate detentus sum. Iam nunc autem vestra cœpi oratione conualescere, & ei, si ita perfectè conualuero vt dictare valeam, adiuuante DOMINO respondebo. De quibus vobis nihil dicendum est, ne videar docere quæ nostis: quia & medicamina vim medendi perdunt, quæ membris sanis & fortibus apponuntur. Indicamus præterea quia grauem hic difficultatem interpretum patimur.

Gen. 22.

Ioan. 2.

Ibidem.

Ioan. 19.

Ioan. 2.

Agnoitæ sunt Nestoriani.

Ioan. 1.

Luc. 10.

Ioan. 11.

Gen. 3.

Gen. 4.

De Seuerian Gaualensi Gennadius c. 21.

Dum

Difficultas interpretum magna.

Dum enim nõ sunt qui sensum de sensu exprimant, sed transferre semper verborum proprietatem volunt, omnem dictorum sensum confundunt. Vnde agitur vt ea quæ translata fuerint, nisi cum graui labore intelligere nullo modo valeamus. Benedictiones verò sancti Marci Euangelistæ, & vestræ beatitudinis accepi. Ligna autem transmittere volui: sed quia nauis parua fuit quæ venit, ea portare non potuit. Quamuis hæc ipsa qui viderunt Alexandrini venientes dixerunt quòd parua sunt. Nam alia omnino vobis maiora parauera m, quæ necdum ad Romanam ciuitatem tracta sunt: quia expectaui vt veniente Alexandrina naui trahi debuissent, & in loco vbi incisa fuerunt remansserunt: Omnipotens Deus vitam vestram ad ædificationem sanctæ Ecclesiæ per longa tempora custodiat, vobisque aspiret vt pro me enixius oretis, vt quem propria peccata deprimunt, vestræ apud omnipotentem Deum preces leuent. Mense Februarij, Indictione tertia.

EPISTOLA XLIII.

Inf. 44 ep. & sup. epi. 21. l 3. Ind. 12. & li. 4. ep 5. Ind. 13.

De abbatissa ordinanda, & de subsidio ei exhibendo.

GREGORIVS, *Venantio Episcopo Lunensi.* Fraternitatis vestræ adeo nobis sollicitudinem placuisse scribimus, vt nostri studij esset ea quæ voluistis effectu complere. Quia ergo scripsistis vt personam transmittere deberemus, quæ in monasterio, quod in ciuitate vestra situm est, abbatissæ regere possit officium, quam diuina misericordia suffragante, in regimine eiusdem monasterij strenam posse existere arbitramur, illuc præuidimus dirigendam, vt à vobis Deo protegente abbatissa debeat ordinari. Nam ad nos huc tantummodo causa orationis venit. Quia ergo memoratam ancillam Dei ad vestram voluntatem & scripta transmisimus; hortamur vt circa eam monasteriumque ipsius fraternitas vestra sollicitudinem gerat, atque degentem illic congregationem in Iesu Christi Dei & redemptoris nostri seruitio adhortationis suæ voce, & bonorum operum exhibitione corroboret, & ita se erga exteriores vtilitates eius, vbicunque necesse fuerit, & causas exhibeat, vt conuersantes ibidem magnum in vobis subsidium, sicut decet, inueniant, & nullius rei eas necessitas deprimat: quatenus dum vobis prouidentibus omnis eis fuerit amota necessitas, in oratione DEI & laudibus assiduè secura valeant mente persistere. Sic etenim agetur vt & illis electa conuersatio ad salutem, & vobis proficiat ad mercedem. Nam gratia prorsus maior acquiritur, si de commissis ouibus lucrum offerat Domino sollicitudo pastoris.

Episcopus abbatissam debet ordinare.

EPISTOLA XLIV.

Vt ad reparationem Ecclesiarum viginti vel plus solidos conferat.

GREGORIVS, *Venantio Episcopo Lunensi.* Quid petitio Agrippini presbyteri & Seruandi diaconi contineat Ecclesiæ Felulanæ, subiecta vobis pagina patefacit. Et ideo si ea quæ illic continentur veritate subsistunt, atque tales personæ ad vos venerint, quibus credi aliquid debeat, vsque ad viginti solidos, aut si plus vobis visum fuerit, in reparationem Ecclesiarum, quæ in ruinis esse perhibentur, sub testamenti pagina dare vos conuenit: quatenus & illic remedium sit, & vestra debeat esse munitio. De ceteris verò rebus quæ apud vos sunt, pro memoria futuri temporis ex eisdem desuscepturn emittite, vt dum Deus pacem donauerit, res ipsæ iuri Ecclesiæ cuius sunt, sine aliqua valeant dilatione vel controuersia reparari.

(?)

EPISTOLA XLV.

De detractionibus non curandis.

GREGORIVS, *Palladio Presbytero De monte Sina.*

Epistolis dilectionis tuæ susceptis, Filium meum Simplicium requirere curaui, & qua tentatione tua caritas vrgeretur, inueni; de qua tamen verbi mei solatione non indiget, cum ipsa veritas dicat. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Quæ iterum dicit: Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mundum videlicet corda carnalia designans, quæ diligunt mundum. Hæc igitur cum perfectè te scire audiam, miror dilectionem tuam verbis hominum contristatam. Inter verba enim laudantium siue vituperantium, ad mentem semper recurrendum est, & si in ea non inuenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non inuenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudant, & conscientia accusat? Aut quæ debet esse tristitia si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoque dicit: Ecce in cælo testis meus. Si ergo nobis est testis in cælo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, vt vnde plus detrationis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi tamen sunt etiam ipsi, tranquillè admonendi, eisque satisfieri modis omnibus debet, scientes quid de eis veritas dicit: Ne fortè scandalizemus eos. Si autem satisfieri sibi ex veritate noluerint, habes consolationem quam in sancto Euangelio conspicias, quia cum Domino dictum fuisset: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? respondit; Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum. Paulus quoque Apostolus admonet dicens: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Dicturus quippe vt cum omnibus pacem habeamus, quia prospexit & hoc esse difficile, præmisit, Si fieri potest. Sed tamen adiunxit quòd possit fieri, cum dixit: Quod ex vobis est. Quia si nos in mente caritatem erga odientes seruare cupimus, etsi illi nobiscum pacem non habent, nos tamen cum illis sine dubio habemus. In omnibus ergo fili dilectissime cor custodi, sicut scriptum est: Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Hæc breuiter pro caritatis commemoratione rescripsi. Sed peto vt pro me orare debeas: quatenus omnipotens Deus & à malignis me spiritibus, & à peruersis hominib. custodire dignetur: quia in hac vitæ meæ peregrinatione mala me simul multa circundant, ita vt cum Psalmista iure dicam: In me pertransierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. Cælestis gratia & nos in vrbibus, & vos in eremo protegat: qui antiquus hostis terrarum locis à tentatione non excluditur, quia si in paradiso hominem strauit, qui locus extra paradisum esse potest, in quo mentem hominum penetrare non valeat? In sola ergo creatoris nostri protectione fidendum est, cui ex intimo corde clamemus: Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias. Transmisimus vobis de benedictione sancti Petri Apostoli cucullam & tunicam, quæ ea petimus caritate suscipi, qua à nobis transmissa sunt.

(:)

In mutationibus ad solatium conscientiam recurrendum. 2. Cor. 1. Iob 16.

Detractores quibus similes dicantur. Matth. 17. Matth. 15. Rom. 12.

Prou. 4.

Psal. 87.

Psal. 70.

EPISTOLA XLVI.

De episcopo cautè eligendo, & in visitatione Christianos consignandos ab episcopo.

GRegorius Eulogio Episcopo Clusino. Scripta fraternitatis vestræ suscipientes, contristati sumus quòd vos per ea & grauiter infirmatos, & adhuc debiles esse cognouimus. Et licet sanctitatem vestram vidēdi desiderium haberemus, benè tamē feciſtis iſto vos illic tempore continere, ne venientes huc de ægritudinis vestræ molestia, recidiuam nobis tristitiam faceretis. De episcopatu autem laudauimus quod personam non temerè elegiſtis, sed cauti, sicut decuit, extitiſtis. Venientibus enim vobis, si Deo placuerit, communi deliberatione tractabimus, & quod vtile visum fuerit, Deo auxiliante disponemus. Vnum autem caballum vobis qualem inuenire potuimus, de benedictione sancti Petri transmiſimus, vt habeatis post infirmitatem cum quo vectari positis. De causis verò pro quibus latores præsentium huc venerunt, quid actum sit, ipsorum omnia renunciatione cognoscetis. Præterea Ecclesijs ad quas sine labore potestis accedere, fraternitas vestra officium visitationis impendat, vt ij qui illic Deo propitio baptizantur, inconsignati non debeant remanere.

EPISTOLA XLVII.

Crescentium Vicarium commendat, cui publicæ vtilitatis causa è monasterio egredi permittit.

GRegorius Ioanni Episcopo Syracusano. Cum lator præsentium Crescētius Vicarius noster, quem ad se filius noster gloriosiſſimus Dominus Leontius exconsul præcepit occurrere, exire de septis venerabilibus dubitaret; ne qua per eum excusatio alijs fortasse nasceretur, aut publica diceretur vtilitas impediri, ei vt egredi debuiſſet, æquitate seruata permitti fecimus. Et ideo quia hæc illi res, sicut iuſſus fuerat, illic suasit occurrere; fraternitas vestra ei salua ratione concurrat, atque apud prædictum gloriosiſſimum dominum vestrum agere cum ea qua consueuit charitate studeat, vt in nullo eum contra leges aut rationem patiatur aliquo modo prægrauari: sed iuſtitiam ei sicut Christianitati eius conuenit, in omnibus faciat custodiri: quatenus & ipse ad mercedem suam, quod æquitatis ordo exigit, videatur salubriter seruasse, & hic se contra ea quæ promitti fecimus, grauari non sentiat.

EPISTOLA XLVIII.

Appollonium magiſtrum militum commendat.

GRegorius Ioanni Episcopo Syracusano. Quamuis glorioso Appollonio magiſtro militum communi filio paternam vos pietatem nouerimus impendere: quia tamē eundem dilectionis modum quem circa eum sacerdotaliter exhibetis, nostris credidit apicibus augmentandum; idcirco eum fraternitati vestræ his epiſtolis commendamus, hortātes vt paternam in vobis, sicut decet, consolationem inueniat, & solatijs vestris, sicut vsus exegerit, comitante iuſtitia potiatur: quatenus dum vestram erga se amplius fuerit dilectionem expertus, & ipse quod de vobis cōfidit agnoscat, & nostram sentiat epiſtolam profuisse.

EPISTOLA XLIX.

Appollonium commendat.

GRegorius Leontio Exconsuli. Scientes gratia paterna vos scripta suscipere, si illud peragere studeamus, gloriam vestram vltrò non est dubium operari: quia filiorum nostrorum desideria non patimur contristari. Et ideo quia gloriosus filius noster Appollonius magiſter militum lator præsentium nostris se apud vos voluit apicibus commendari; salutantes gloriam vestram paterna dilectione petimus, vt salua ratione gratiam vestri fauoris inueniat, & patrocinij opem in quocumque neceſſe fuerit, consequatur: quatenus dum gloria vestra ea quæ sponte consueuit impendere, nostræ quoque commendationi præstiterit, & ipse se optatum in vobis gaudeat inuenire subsidium, & nos vberes sinceriſſimæ bonitati vestræ gratias referamus.

EPISTOLA L.

De Leontio, & substantia Theodori episcopi.

GRegorius Dominico Domitiano Episcopo Metropolitano. Quā magnæ caritatis sit in mente vestra sinceritas, etiam res ipsa testatur, quòd dilectionis affectum quem coram positis exhibetis, seruare absentibus non cessatis. Proinde multum nos ad diligendum glorioſum Leontium cōmunem filium epiſtolarum vestrarū testificatio prouocauit: quia dum illum sanctitati vestræ in amicitijs indicaſtis esse coniunctum, qualis iam sit ostēditur, scilicet quia bono viro nisi bonus placere non potuit. Et ideo non immeritò diligendus est, qui vobis inuenitur familiariter coniunctus. Idem autē glorioſus vir in Sicilia se retinuit, & ad Romanā vrbem necdum venit. In his tamen quæ ei pro publica vtilitate sereniſſimorum dominorum iuſſione mandata sunt, in quantum ratio sinit, minimè suffragari distulimus. Glorioſum enim Gregorium expræfecto vel alios qui in septis Ecclesiaſticis residebant, hortari studiosè curauimus, exire & rationes suas exponere debuiſſent. Qui egredientes cum Marco viro magnifico Scribone, qui ad exhibitionem eorum venerat, accepto verbo ad Siciliam ire parati sunt. Præterea de substantia Theodori episcopi quam ecclesiæ vestrę iuri scripſiſtis fuiſſe subpositā, plus amplius aliud quod fieri posset non fuit, quàm vt antefato glorioſiſſimo Leontio de quo tanta testificamini, cui & causam ipsam asseritis commendatam, atque Ioanni fratri & coepiscopo nostro, de cuius sanctitate & sollicitudine certi sumus, huius negocij audientiam mandaremus: hortantes vt & veritatem cum omni studeant subtilitate perquirere, & ita contentionibus partium secundum iuſtitiam citius finem imponere: quatenus hæc homines sanctæ fraternitatis vestræ longa valeat illic dilatio retinere, nec pars altera inaudita se pati præiudicium cōqueratur. Quicquid enim alteri hac de re fuerit statutum, certi estote quia sine mora complebitur. Nam sicut sine iudicio quenquam nolumus condemnari, ita quæ diffinita fuerint, nulla patimur excusatione differri. Omnipotens autem Deus sua vos protectione atq; propitiatione circumtegat, greſſuſque vestros in timoris sui tramite conseruet, vosque pro me ad orandum excitet, vt & vestris intercessionibus mea studia in viam vitæ dirigantur.

EPISTOLA LI.

De causa Libertini, & quia ira viri cauta esse debeat, ne iudicij ac iuſtitiæ ratio perturbetur. Iuo p.16.c. 53. & 54.

GRegorius Leontio Exconsuli. Cautionis exemplar Libertini ad me studuit gloria vestra transmittere, quatenus mihi ostenderet cum qua obligatione vel mente ad præfecturæ dignitatem idem Libertinus accesserit. Quæ à glorioso fratre meo Palatino patricio vel consiliario meo viro magnifico Theodoro relecta, mihi subtiliter insinuata est, atque execrabilis mihi & cunctis apparuit, qui cognoscere voluerunt. Sed debet gloria vestra meminiſſe, quia nunquam epiſtolas meas pro commendatione alicuius accepit, nisi vt protectionem vestram, fauente iuſtitia, præstaretis. Et quia de eodē Libertino tota simul prouincia gratias referebat, indicaui. Nam vel quis esset, vel quales causas habuerit, neque vnquam profeſſus sum, nec hactenus subtiliter scio. Nam licet in iſta causa cautionis culpabilis inueniatur, & de alijs causis quid pro se alleget neſcio: vnum hoc tamen benè atq; constanter noui; quia & si quam rebus publicis fraudem fecit, substantia eius cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quòd liberi cæduntur, vt taceam quòd omnipotēs Deus offenditur, vt taceam quòd vestra opinio vehementer grauatur; pijſſimi tamen Imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter reges gentium, Io. Diac. 3. c. 47.

Imperatoris ad aliorũ regũ differimẽ. li.11.ep.56.

& Imperatores Romanorum distat: quia reges gentium domini seruorum sunt, Imperator verò Romanorum, dominus liberorum. Vnde & vos quicquid agitis, prius quidem seruata iustitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis, Scriptum est: Quod tibi non vis fieri, vide ne ipse alteri feceris. Et per semetipsam veritas dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite eadem illis. Libertatem ergo eorum qui vobis in discussionem commissi sunt vt vestram specialiter attendere debetis, & si ipsi à maioribus vestris iniuriari libertatem vestram non vultis, subiectorum vestrorum honorando libertatem, custodiri debetis. Scimus enim qui dixit: Cælum & terra transibunt, verba autẽ mea non transibunt. Cuius quia verba non transeunt, sed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis. Quid autem gloria vestra existimat, quia si superbè, si crudeliter agimus, despecto Deo nobis homines placamus? Nullo modo. Nam ipse qui despicitur, eum cõtra nos quem despecto Deo placare volum⁹, irritat. Curemus ergo per omnia placere Deo, qui potens est etiam iratos homines ad mansuetudinem reducere. Nam, sicut dixi, etiam mansueti homines indignante Deo ad iracundiam prouocantur. Si autem dicitur quia sine verberibus atque terroribus fraudes publicæ inueniri nõ possunt, hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa dominus Leontius non venisset. Nam verũ est, quia illi solent manibus excedere, qui in sensu & linguâ deficiunt: de qua re se mihi vestra gloria nõ valet excusare. Nam vel quæ auditis, vel quid dicitis, subtiliter exquirens, inueni quia homines sine causa cæditis, qui auxiliante Deo verbis agere omnia potestis. De causis verò eorum quos discutitis, verum fateor quia multa audiens quæ nunquam ante cognoui, vehementer erubesco. Vnde & vobis & pijssimo Domino Imperatori taceo. Nam si mihi constare potuisset, quæ iustas causas de suis rationibus haberent, prius per epistolas vos pulsare habui, & si audit⁹ minimè fuissem, serenissimo domino Imperatori suggererem. Sed quia mihi de suorum rationibus nihil constat, ideo sicut dixi & vobis & pijssimo principi hactenus nihil dico. Turpe est enim me hoc defendere, quod prius mihi non constiterit iustum esse: quia ego homines propter iustitiam diligo, non autem iustitiam propter homines postpono. Ita ergo age glorioſe fili, vt in actione commissa prius illum habeas placatum, qui continet omnia, ac deinde sereniſſimi principis vtilitatem cum omni sollicitudine impleas. Nam & in eius actione à quo tibi commissa est, esse negligentem, nõ sine peccato existimo. Sed quia omnipotente Deo largiente, idonea est vestra sapientia, & rationes vigilanter ac subtiliter exquirere, & creatoris vobis iudicium per mansuetudinem placare, quotiens ira animum inuadit, mentem edoma, vince teipsum. Differ tempus furoris, & cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. Ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non præire, vt quasi ancilla iustitiæ post tergum veniat, & non lasciua ante faciem prorumpat. Aliquando verò ostendenda est, & non exhibenda. Aliquãdo exhibenda est, sed nunquam sequenda. Quando enim in executione iustitiæ placata mente irascimur, iracundiam & non sequimur, & exhibemus. Ira enim quæ animũ perturbat, quanta consideratione cauenda est, monstratur. De qua scriptum est: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Hinc rursum scriptum est: Quis potest habitare cum homine, cuius spiritus facilis est ad irascendum? Hinc iterum dicitur: Noli esse cum homine iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Contra hanc in laude patientiæ dictum est. Melior est vir qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem magnam. Hinc Dauid personam in se infirmorum sumens, ait: Turbatus est præ ira oculus meus. Atque ex ipsa turbatione quid sequatur, adiunxit: Inueteraui inter omnes inimicos meos. Ex ira quippe cum turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos nostros ad vetustatem deducimur: quia inter malignos spiritus ad vetusti hominis similitudinem reuocamur. Cum igitur ira, quæ cor permouet, sacra eloquia tot testimonijs detestẽtur, perpendamus qua intẽtione debemus hoc vitium fugere, quod Deo iudice, in testimonio illius totiens reprobatur. Alia quoque occurrit opinio: quia alij præ alijs grauantur, & ex quibusdam, quæ ex principali iussione expẽsa sunt, minimè reputatur. Quod si verum sit, nescio. Si tamen ita est, hoc omnino facere & pro timore æterni iudicij, & pro ipsius humanæ cõsiderationis ratione minimè debetis. Ecce glorioſe fili amore Dei tuoque prouocatus, cuncta quæ sensi, cuncta quæ audiui, breuiter indicaui. Sapientis autem viri est & breuiter audita latius pensare, & quæque Deo displicent, in celeritate corrigere. Omnipotens Deus cælesti vos gratiæ protectione circũdet, vt hic vos & à prauis actibus, & à peruersis hominibus tueatur, & apud se postmodum in æterna patria pia remuneratione lætificet.

Ne in tormentis reorum excedatur.

Matt.14.

Matth.7.

Matth.7.

Iac.1.

Prouer.18. Prouer.22

Prouer.16. Psal.6.

EPISTOLA LII.

De cautionibus Ioãnis Palatini. De persona Libertini.

GRegorius Amantino Domestico. Ea quæ per Paulum latorem præsentium & Timarchum excubitorem gloria vestra transmisit, eo quo voluistis modo susceptа sunt. Sed & excellentissimo filio nostro Exarcho per suprascriptũ excubitorem qui ad eum profectus est scripsimus vt cautiones agentium vices Ioannis præfecti simul & Palatini huc trãsmittere debeat: indicantes ei, quia nisi illas direxerit, vsque ad aduentus vestros ea quæ à gloria vestra transmissa sunt, non tangantur, sed vobis remeãtibus conseruentur. De persona autem glorioſi Libertini quædam ad nos ante peruenerant, & necesse fuit vt ea vobis sicut reuera filijs quos diligimus, minimè taceremus. Et quãtum in gloriæ vestræ epistolis inuenim⁹, molestè illa, quod non decuit, suscepistis: quando nihil asperum scripsisse meminimus, sed hortati sumus vt cum eo caritatem & gratiam haberetis. Sed quia ad hæc aspera vobis rescribentibus, ne ipsam ad nos epistolam mitteretis, per somnium vos scripsistis esse prohibitos, omnipotenti Deo gratias agimus, qui sic vos vigilantes custodit, vt etiam dormientes admoneat. Sed quia in eodem somnio & à me vos de eadem causa reprehensos scribitis, qualis sim vel ex hoc colligite. Et quando vos paterna adhortatione commoneo, moleste suscipere non debetis: quia qui dormientibus purus sum, vigilantibus duplex esse non patior.

Gregor. p insomniũ alios à male faciẽdo dehortatur.

EPISTOLA LIII.

De insulis Neapolitanis.

GRregorius Romano defensori. Peruenit ad nos quòd quidam prauæ voluntatis studio, contra seniores & ciues Neapolitanæ ciuitatis de insulis iuris eorum Leontio glorioſo filio nostro nitantur surripere, vt eos iniustè damnis possint afficere atq; affligere. Idcirco tibi hac præceptione iniunximus, vt debeas esse sollicitus, quamuis apud eum nullus locus surreptionis hac de causa inueniatur, vbi fortè aliquid dictum fuerit, vel ipsum præiudicialiter quid, quod non credimus, facere fortè cognoueris, ex nostro illi mandato dicere te volumus, vt malorum hominum verbis assensum præbere, & in hoc peccato se immiscere nõ debeat: quia licet retro principum iussionibus omnino de eisdẽ insulis sint muniti, nobis tamẽ dum in regia vrbe fuimus suffragantibus, ita sereniſſimi domini Mauricij principis elicita iussione, eorum strictè iura munita sunt, vt non habeant vnde iustè debeant formidare. Pro qua re vt & tu diligẽtius informari, & antedicto glorioſo filio nostro, si causa se dederit, liquidò satisfacere valeas, earum tibi iussionũ exemplaria præuidimus transmittenda. Sed si necessarium fuerit, ipsas facimus authenticas destinari. Tantum est, vt sicut diximus, studeas esse sollicitus, vt surripiendi cuiquam illic locus non pateat.

Li.7.ep.23 24. Ind.2 sup.h.l.ep 11.14.

EPISTOLA LIIII.

Gregorium exprofecto commendat.

GRegorius Bono Episcopo Messanensi. Licet glorioſus filius noster Gregorius exprefecto magnam de fraternitate

Sup.lib.6. ep.3.&cit. li.8.ep.14. l.9.ep.48.

vestra

vestra certitudinem habeat, vt sacerdotalē sibi à vobis impendi affectū non dubitet: quia tamen caritatis vestræ modum nostra rogante commendatione fidit augeri, his vos epistolis præuidimus adhortandos, vt vtilitati ipsius cōcurrere, atque in eius iuuamine impendere vos quæcunque sua serit ratio debeatis. Et quia aliqua apud fraternitatem vestrā pro sua, vt ait, cautela agere desiderat, locum apud vos, sicut reuera decet sacerdotes, inueniat, & paterna sibi compati dilectione vos cognoscat: quatenus dum sollicitudinis cura ipsius vestræ caritatis studio fuerit reuelata, & ipse confidē tiam quā de vobis gerit operibus valeat experiri, & fraternitas vestra postulantium desiderijs se videatur salubriter impendisse.

EPISTOLA LV.

Gregorium expræfecto commendat.

Gregorius Leontio exconsuli. Cum iustitiæ vigor in cognitione vestra, & veritas iuuare sufficiat quos tuetur; cuiusquam apud vos commendatione opus nun fuerat: quippe qui ea quæ pro æquitate petenda sunt, ex vobis impenditis. Sed ne postulantium desideria, qui bonorum filiorum studium paterna crescere adhortatione cōfidunt, postponere videamur: idcirco illa apud gloriam vestram agere quæ vltrò exhibetis, omnibus modis inuitamur. Ea propter paterna dilectione vos salutantes petimus, vt glorioso viro filio nostro Gregorio expræfecto caritatis gratiā, qua estis præditi, largius tribuatis: quatenus & ille quicquid æquitatis in vestra benignitate confidit, veris possit effectibus experiri, & nos bona, quæ de vobis multipliciter prædicantur addiscentes, assiduè pro gloriæ vestræ incolumitate omnipotentem valeamus Dominum deprecari.

EPISTOLA LVI.

Gregorium expræfecto commendat.

Gregorius Amantino domestico. Confidentes quòd gloria vestra se in amicorum suorum solatijs deuotam semper exhibeat, eorum vobis causas commendare quos diligitis, studemus. Atq; ideo salutantes petimus, vt gloriosus filius noster Gregorius, quales nos hic habuit, illic vos tales inueniat, & tam apud glorioſum filium nostrum Leōtium, quàm alibi quocunque necesse fuerit, glorię vestræ solatia consequatur, ac magnam in vobis consolationem inueniat; & quantum possibile est, ne cuiquam iniustæ possit afflictioni vel grauamini subiacere, gloriæ vestræ sollicitudo studio vigilanti prouideat, vt tranquillo maturoque hoc studeat consilio declinare: quatenus dum vos, sicut decet, adiutores habuerit, & ipse & nos amplius cognoscere valeamus quia sicut de gloria vestra præsumimus, non ad faciem, sed q̄ est valdè laudabile, puras nostis amicitias exhibere.

EPISTOLA LVII.

Gregorium commendat.

Gregorius Secundino & Ioanni Episcopis Siciliæ. Bonorum nos hortatur dilectio filiorum, vtilitatibus eorum studiosè concurrere, & eos in quantum ratio suppetit, adiuuare. Et ideo quia quantum se gloriosus filius noster Gregorius expræfecto benignè cunctis exhibuit, tanto omnium debeat vtilolatijs; fraternitatem vestram his hortamur affatibus, vt illic venienti tam apud Leontium glorioſum exconsulē in disponendis rationibus suis, quā apud alios vbi causa poscerit, opem ferre, & partes illius subleuare fauente iustitia festinetis, vt vobis sacerdotaliter concurrentibus, nullā molestiā vel dispendiū contra ordinē possit æquitatis incurrere. Quem si, quod non credimus, grauari frustra in aliquo senseritis, apud prædictū glorioſum virū agere vos episcopali modestia seruata necesse est, vt verbū quod ei per Alinarcū virū magnificū Scribonē præbuit, custodire debeat ac seruare, atq; illū irrationabiliter affligi vel sustinere dispēdiū minimè patiatur. Ita ergo fraternitas vestra se erga eū sollicitā curet ostēdere, & in eius se causis secundum Deum studeat exhibere, vt & sacerdotale in vobis subsidium & paternam inueniat caritatem.

EPISTOLA LVIII.

De querimonia Gregorij aduersus eum.

Gregorius Bonifacio Episcopo Regio. Sacerdotali proculdubio cōuenit grauitati, vt si quas ecclesiæ suæ causas habuerit, aut pacifica eas ordinatione si fieri potest, aut certè iudicio interueniente sine mora diffiniat, vt sublata è medio contentionis materia, sola illi cū filijs suis pacis possit concordia permanere. Indicauit itaque nobis glorioſus filius noster Gregorius expræfecto, quòd inter se & ecclesiam vestram de locis quæ competunt, aliqua sit orta contētio. Ob quam rem hortamur, vt eam aut cessante iurgio finiatis, aut certè dilatione submota ecclesiæ vestræ actores ad electorum ire iudicium faciatis, vt eorū diffinitione precedente, nec ille contra iustitiam grauari, nec vestra præiudicium videatur ecclesia sustinere. Quia verò homines suos & possessiones quas illic habet, vobis voluit commendari; oportet vt vestra se caritas in eius causis quodcunque ratio inuitauerit, non omittat impendere. Atque ita eum in quibuscunque valuerit iuuare festinet, vt concurrentibus vobis, absentem se à suis vtilitatibus esse non agnoscat.

Li 2. ep. 45 Ind. 11 li. 3. ep. 5. Ind. 13. li. 5. ep, 9. Ind. 14.

EPISTOLA LIX.

Homines Gregorij commendat.

Gregorius Ioanni & Fortunato Episcopis, & Anthemio subdiacono. Ea quæ filijs nostris vltrò nos decet impendere, negare eis petentibus non debemus. Et ideo quoniā filius noster glorioſus Gregorius expræfecto possessiones quas illic habet, vel homines suos fraternitati vestræ à nobis studuit commendandos; scriptis vos præsentibus adhortamur, vt vtilitatibus eius salua ratione cōcurrere, & possessiones eius atque homines tueri, sicut desiderat, debeatis: nec eos cōtra iustitiam à quibuslibet vexari, aut patiamini pregrauari. Sed id agite, vt tuitione vestra prædicti filij nostri supplere præsentiam valeatis: quia ita se sicut nostis, benè exhibuit cunctis: vt omnium solatia habere mereatur.

EPISTOLA LX.

De infirmitate Gregorij.

Inf. li. 10. ep. 17. 18.

Gregorius Azimarco Scriboni. Quòd præsentium portitor glorioſus filius noster Gregorius tardè ad Siciliā venit, non voluntate distulit, sed ita infirmitate corporis debilis factus est, vt vix in multis dieb' reparari potuerit. Cuius debilitatis indicia etiam ipsi adhuc in eo cognoscetis. Mox autem vt aliquantum conualuit, venire illuc sicut magnitudini vestræ promiserat, non neglexit. Quod ideo his apicibus scribendum præuidimus, ne eum distuliſſe spontè credentes, hanc moram eius forsitan studio factam putaretis.

Sup. h. l. ep. 54. 55. 56. 57. 58. 59.

EPISTOLA LXI.

De gentione viro magnifico.

Gregorius Romano defensori. Quoniam filius noster Gentio vir magnificus scribō tantæ, Deo propitio, bonitatis est, vt valde sit diligendus, si quid ei potuissemus conferre, debuimus. Voluerat enim possessionem iuris ecclesiastici sub specie libellorum tenere. Sed propter malos scribones iudicauimus in hac nos causa, nec bono committere. Proinde excepta de possessione quæ potuerunt in eius vtilitatem verti, eadem volumus eius magnitudini singulis annis offerri: idest, porcos viginti qualiter ipse præuideris, veruices viginti & gallinas sexaginta.

Quæ omnia volumus in exceptis reputari.

Sup. h. l. ep. 14. ep. 53. li. 7. ep. 23 24. Ind. 2. li. 9. ep. 34. 35. li. 10. ep. 40. 46. 47. Ind. 5.

EPISTOLA LXII.

De reliquijs ei concessis, quæ multitudine miraculorũ differebantur,

Regorius Adeodatæ illustri Feminæ. Vt moram in dandis reliquijs, quas gloria vestra petit faceremus, non voluntate distulimus, sed præcedentis rei nos casus fecit ambigere. Deus autem omnipotens cordis vestri deuotionem intuens, miraculorum signis admonentibus à vestra vos intentione fraudari non pertulit. Sed ideo desiderium vestrum modica voluit dilatione differri, vt docẽtibus miraculis & amor vobis cresceret in veneratione Sanctorum, & maior fieret exultatione gaudiorum. Quia ergõ in affectu postulatæ rei gloriæ vestræ vota completa sunt, hortamur vt cuius prædicatores colitis, eius sollicitè mandata seruetis. Et sicut religiosa deuotione terrena Sanctorum honoribus loca construitis, sic quoq; cum eis mansionem vobis procurare in cælestibus festinetis: quatenus & hic illos in omnibus adiutores, & in futura mereamini habere vita consortes.

Sup. li. 7. ep. 54.

Miracula reliquiarum.

EPISTOLA LXIII.

De consecratione Ecclesiæ & eius dote.

Regorius Decio Episcopo Lilybitano. Adeodata gloriosa femina petitoria nobis insinuatione suggessit quod habetur in subditis. In domo siquidem iuris sui intra ciuitatem Lilybetanam monasterium ancillarum Dei à solo se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem beati Petri principis Apostolorum, & sanctorum Christi martyrũ Laurentij, Hermetis, Pancratij, Sebastiani & Agnetis desiderat consecrari. Et ideo frater charissime, quia in tua ciuitate memorata constructio iure consistit, si nullum corpus ibidem constat humatum, percepta prius donatione legitima: id est, in redditu præstantes liberos à tributis fiscalibus solidos decem, pueros tres, boum paria tria, mancipia alia quæ seruiant in ipso monasterio numero quinque, equas numero decem, vaccas decem, hastulas vinearum numero quatuor, oues numero quadraginta, & cetera secundum morem.

Sup. li. 3. ep. 49. Ind. 11.

Dos ecclesiæ assignatur.

EPISTOLA LXIIII.

De naui Adeodatæ abbatissæ data.

Regorius Hilario Notario. Nauem in qua Vitalis præsentium portitor nauigat, ad dilectissimam filiam nostrã Adeodatam abbatissam pro sustentatione monasterij sui emissam cognoscas. Qua illuc veniente, hac tibi auctoritate præcipimus, vt ita eam in cunctis tuearis, atque ab omni angaria vel onere exuere excusareque festines, ac si specialiter nostra sit. Nam nostri causa in eodem monasterio tanta congregatio Deo propitio degere comprobatur, vt plus illi solatiari atque concurrere quàm nostræ in omnibus festinemus ecclesiæ. Et ideo postquam voluntatem nostram experientia tua circa prædictum monasterium talem esse cognoscit, ita se in tuitione supradictæ, vt diximus, nauis impendat, vt te illic posito, nullam moram vel impedimentum ab aliquo valeat sustinere. Nam si, quod non credimus, in aliquo negligens esse tentaueris, vehementer te nostram noueris offensam incurrere.

Res ecclesiæ ab angarijs immunes.

EPISTOLA LXV.

De obitu Constantij episcopi, & alio episcopo eligendo.

Regorius populo, Presbyteris Diaconis, & clero Mediolanensi. Quantus nos de obitu fratris & coepiscopi nostri Cõstantij mœror afficiat, paginali explere locutione non possumus. Sed quàm multa bona partes illæ in vno homine perdiderunt, vtinam vicinæ, repentina calamitate, non sentiant. Nam quemadmodum sollicitus in ecclesiasticæ regulæ disciplinę, vel quam fuerit vigilãs in tuitione ciuitatis vestræ, non habemus incognitum. Sed quoniã obeunte pastore sine proprio vos esse nõ decet antistite, omnino gratè suscepimus quòd Deus dedit diaconum vestrum ad episcopatus officium vos vnanimes elegisse, Deo auctore, signastis. Vnde quia bonorum studiorum desideria nulla debet tarditas impedire, vota in eo vestra complere cum Dei gratia festinamus, Et quia prædictus vir nobis nõ moribus sed solum specietenus notus est; oportet vt quãto in hac electione non solùm vestrã vtilitatem, sed etiam causam Dei agi cognoscitis, tãto debeatis esse solliciti. Et si subtiliter requirentes, nihil est quod ei ex anteacta vita criminis per sacros possit canones obuiare, aut si ad tenendum disciplinam, vel exhibendum regimen idoneus reperitur, atque cunctorum in eius, sicut scribitis, electione concordet assensus, diuinitatis gratia suffragante eum præsentium scriptorum auctoritate solenniter decernimus ordinari. Illud autẽ quod vobis ab Agilulfo indicastis scriptum, dilectionem vestrã non moueat. Nam nos in hominem qui nõ in Catholicis, & maximè à Longobardis eligitur, nulla præbemus ratione consensum. Nec si alicuius præsumptionis vsurpatione factus fuerit, in locũ vel ordinẽ illum sacerdotis suscipimus: quia vicarius S. Ambrosij indignus euidenter ostenditur, si electus à talibus ordinatur. Nec enim est quod vos hac ex causa deterreat, vel aliquam vobis necessitatem incutiat: quia vnde possunt alimenta S. Ambrosio seruientibus clericis ministrari, nihil in hostiũ locis, sed in Sicilia & in alijs reipub. partibus, Deo protegente, consistit. Vt igitur in ordinando eo qui à vobis electus est, nulla possit mora cõtingere, Panthaleonem notarium nostrũ transmisimus, qui cum, vt moris est, annuente consensus nostri auctoritate, faciat cõsecrari. Cui etiam quia de possessiunculis, quas quõdam Magnus presbyter commissas habuerat, vel de alijs Ecclesiæ nostræ vtilitatibus curã gerere, vel quid aliud agere debeat, in præsenti mandauimus, vestra se ei dilectio in omnibus deuota, vt decet, studeat exhibere.

Papa non præbet cõsensum in electione episcopi, qui ab hæreticis electus est.

Alimenta & redditus ecclesiæ Mediolanensis in Sicilia cõsistebant.

Expliciunt Epistolæ Indictionis tertiæ.

LIBER NONVS.

INCIPIVNT EPISTOLAE EX REGESTO B. GREGORII PAPAE INDICTIONIS QVARTAE.

EPISTOLA PRIMA.

De victore Fausianensi episcopo, qui conqueritur multas in sacris locis fieri, & alia indigna exerceri.

REGORIVS seruus seruorum Dei Innocentio Africæ præfecto. Qui prauorũ actuum eminentiam vestram vindicem esse desiderat, quid de æquitatis eius bono sentiat æstimatis. Proinde reuerendis. fratris & coepiscopi nostri Victoris Fausianen. episcopi plenã vobis doloribus querelã deferimus, vt & malos ab actione propera corrigatis, & ab iniustitia quam sustinent, oppressos eruatis. Queritur siquidem supradictus frater noster mulctas in locis sacris violétas, multaq; alia contra Dei timorẽ Africanos iudices exercere. Deniq; vt duplicia illic tributa, quod auditu ipso intolerandum est, exigantur. Et quia huius mali emendatio vestrę specialiter auctoritatem dignitatis expectat; petimus vt subtili indagatione perquirere, & ita hoc Deo vobis imperante debeatis corrigere: quatenus afflictis pro mercede animæ vestræ protectione iustitiæ succurratis, & huius emẽdationis exẽplo alios in futuro à prauis actionibus arceatis.

Sup. lib. 4. ep. 10. 24. 54. li. 5. ep. 2. 18. 26. 58.

EPISTOLA II.

Pollicetur se diaconũ Anatholio cõmendaturum, & de persona quædam ad sacrũ ordinem promouenda agit.

Rregorius Mariano episcopo Rauennæ. Fraternitatis vestræ scripta suscepimus, in quibus indicastis Florentiũ diaconum vestrum pro vtilitatibus ecclesiæ vestrę ad vrbem regiam vos velle trãsmittere. Et quia voluistis vt eum dilectis. filio nostro Anatholio diacono superscriptis debuissemus apicibus cõmendare; scribere ei curauimus, vt illi in quibus necesse fuerit & valuerit adesse nõ differat, ipsaq; scripta ad vos transmisimus, vt secũ ea, quã direxeritis, persona debeat deportare. De persona verò quã in sacro vos dicitis velle ordine promouere, videtur nobis vt si nihil est quod vitæ eius obsistat, & ei à nullo res quã indicastis obijcitur, & visum vobis fuerit, faciatis. De alijs verò causis, voluimus vobis vt sollicitudinem gereretis scribere. Sed postquam

quam vnã vobis commiſimus, quæ per neglectum veſtrum deperijt; de alijs tacere elegimus, ne & ipſas ſimiliter perderemus.

EPISTOLA III.

Diaconum Mariniani Epiſcopi commendat.

Regorius Anatholio diacono Conſtantinopolitano. Frater & coepiſcopus noſter Marinianus ad vrbem regiam pro Eccleſiæ ſuæ vtilitatibus diaconum ſuum ſcripſit ſe velle tranſmittere. Et quia eum dilectioni tuæ magnoperè Et quia eum dilectioni tuæ magnoperè voluit commendari; ſcriptis præſentibus adhortamur, vt vbicunque neceſſe fuerit, ſalua ei ratione concurras, & ita in cunctis illi opitulari feſtines, vt caritatē tuam de qua prædictus frater noſter valde confidit, cognoſcat in opere.

EPISTOLA IIII.

Patrimonium Eccleſiæ Rauennæ diminutum commendat.

Regorius Alexandro Presbytero Siciliæ. Qui de filij caritate non dubitat, commendare ei quos diligit, non recuſat. Et ideo quia patrimonium Eccleſię Rauennatis, quod in Sicilia conſtitutum eſt, ita dicitur diminutum ac ſi nullus eſſet qui vtilitates ipſius illic agere potuiſſet; neceſſe fuit reuerēdiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Marinianum de ordinando patrimonio ipſo ne amplius decreſceret cogitare. Ad cuius gubernationem quia Ioannem diaconum ſuum tranſmiſit, paterno ſalutantes affectu petimus, vt ei tamquam à nobis miſſo, ſicut de vobis confidimus, caritatem in omnibus impendatis.

EPISTOLA V.

Seuerum commendat.

Regorius Leoni Epiſcopo Catanenſi. Filius noſter Seuerus vir magnificus præſentium lator ad Siciliam venire deſiderans, noſtris ſe apud fraternitatem veſtram petijt epiſtolis commendari. Venientem ergo eum ſacerdotali qua decet caritate ſuſcipite, eiq́ue in quo vſus exegerit veſtra ſolatia miniſtrare: quatenus vobis coram poſitis in nullo ſe contra iuſtitiam ſentiat laborare, ſed magis auxilij veſtri ope ſuffultus, quiete ſua quam ſtudiosè diligit, ſecurus perfruatur, noſq́ue de eius tranquillitate quæ illic per vos fuerit procurata, lætificari poſſimus.

EPISTOLA VI.

Patrimonium Eccleſiæ commendat à publicorum hominum moleſtijs defendendum.

Regorius Talitano. Cum tanta nos de vobis oporteat caritate præſumere, vt ſi eccleſiæ noſtræ vtilitates apud alios agerentur, veſtram illic gloriam adhiberemus adiutricem; ſatis debemus quoniam in vobis eſt cauſa, gaudere: quia vos non oportet negligere quod amore B. Petri Apoſtolorum principis præſtare ipſi apud alios poteratis. Quia igitur comperimus publici patrimonij curam veſtræ ordinationi eſſe commiſſam: idcirco paterna dulcedine ſalutantes, patrimoniū vobis, quod eſt noſtræ eccleſiæ, ſecundum iuſtitiam commendamus. In quo ſi fortè, vt fieri aſſolet, occaſione inuenta homines publici aliquam velint inferre moleſtiam, hoc magnitudinis veſtræ bonitas fieri nō permittat, ſed ab omni illud, hominumq́; inquietudine tueatur. Sicq́; ſalua ratione pauperum partes attēdat, vt eleemoſynæ vicē impleat ſeruata iuſtitia, & vobis ex hoc ante Dei oculos maior merces accreſcat. Hortamur ergo dilectiſſime fili, vt ſic vos benignos exhibere tam circa Eccleſiæ noſtræ, quam diligitis vtilitates, quàm etiā in omnibus curis eccleſiarum debeatis: quatenus & iniuncta ſalubriter explea ris, & omnipotentem Deum vobis, quod ſummopere ſtudendum eſt, placabilem faciatis.

EPISTOLA VII.

De Tecla abbatiſſa defendenda.

Sup. lib. 8. ep. 11. 14. 53 110. l. 7. ep. 23. 24. Ind. 2. Inf. h. l. ep. 34. 35. li. 10. ep. 40. 47. Ind. 5.

Regorius Romano defenſori. Quia Tecla abbatiſſa monaſterij S. Mariæ, quod Neapoli in domo quondam Felicis ſcholaſtici conſtitutum eſt, contra Alexandrū virū magnificum generum ipſius de quibuſdā rebus cauſam habere dinoſcitur, & ad hoc præſentium portitorem tranſmiſit, vt cauſa ipſa illic cū eo ſi poteſt fieri pacificè decidatur: hac experientiæ tuæ auctoritate præcipimus, vt ei quocunq; vſus exegerit, ſalua ratione, ſolatiari ac cōcurrere non omittat. Sed & prędictum virum magnificum hortari ſtudeat, vt omni contentione ceſſante, ad deciſionē cauſæ ipſius, pacis & ipſe intentione perueniat, ne ſi negligēdum putauerit, cū ſtrepitu poſtea & diſpendio cogatur efficere quod bona voluntate implere poſtponit: quia ſicut edocti ſumus, frequēter iam prædictæ abbatiſſæ per epiſtolas ſuas ꝓmiſit ipſam decidere, & facere hoc hactenus ſuperſedit. Tua ergo experientia ita agat, vt aut ipſa cauſa, ſicut diximus, decidatur: aut ſi certè differre voluerit, & videris quia facere q̄ pacis ſunt non volet, ſubtiliter nobis ea ipſa renuncia, vt quid pro vtilitate monaſterij memorati agi debeat, ſciamus.

EPISTOLA VIII.

De cauta prouiſione monaſterij, & de diligenti eius gubernatione.

Regorius † Bononi Abbati monaſterij Lirinenſis. Præpoſitorum ſollicitudo ſubiectorum eſt cautela: quia qui ſuper rem creditā vigilat, hoſtis inſidias declinat. Quàm autem ſoler's ſis in regēdis fratribus, quantoq́; ſtudio in eorum cuſtodia vigilans, reuerendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Menna reuerente cognouimus. Et ſicut nos audita deceſſoris tui incauta remiſſio ſępius contriſtauit, ita prouiſionis tuæ ſollicitudo lætificat: quia ſtudij tui cautelā & tibi ad remunerationem, & alias ad vtilitatis exemplum prodeſſe non dubium eſt. Sed quia quantum ſe aduerſarius noſter ex omni parte præcaueri cognoſcit, tanto per occulta quærit irrumpere, & repugnantem ſibi callida arte nititur deijcere; dilectionis tuæ vigilantia ardētiori ſe ſemper cura ſuccendat, & ita cuncta, Deo adiuuāte, præmuniat, vt lupus ſæuiens huc illucq́; diſcurrens, in oues Dominicas ingrediendi locum non habeat. Eos ergo qui tibi commiſſi ſunt, à gula, à ſuperbia, ab auaritia, à vaniloquio, & ab omni immunditia, redemptoris noſtri ſuffragāte gratia prohibere, ac ſtudij tui ſit per omnia cuſtodire, vt tanto tibi maior de commiſſa gubernatione merces accreſcat, quāto ſubiecti tui cōtra aduerſarij nequitias te fuerint vigilante victores. Itaque boni te dulcem, praui ſentiāt correctorem. In qua videlicet correctione hunc eſſe ordinem noueris obſeruandū, vt perſonas diligas, & vitia perſequaris: ne ſi alter agere fortaſſe volueris, tranſeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emēdare deſideras. Sic enim vulnus debes abſcindere, vt nō poſſis vlcerare quod ſanū eſt: ne ſi plus quàm res exigit ferrum impreſſeris, noceas cui prodeſſe feſtinas. ipſa enim in te dulcedo cauta, nō remiſſa ſit: correctio verò diligens ſit, non ſeuera. Sed ſic alterum condiatur ab altero, vt & boni habeant amando quod caueant, & praui metuēdo quod diligant. Hæc dilectiſ. fili ſollicitè, attēde, ſtudiosè cuſtodi, vt dū tali moderatione Deo noſtro incolumes quos ſuſcepiſti reddideris, in die æternæ retributionis eo dicente audire ſis meritus: Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui. Filium præterea noſtrum Columbum presbyterū, qui caritati tuæ ſuis eſt meritis cōmendatus, in tua dilectione proficere optamus, & ex noſtra commendatione.

† al. Cononi.

Correctionis fraternæ ordo.

Luc. 19.

EPISTOLA IX.

Li. 5. ep. 52.

De Sanctorum imaginibus non confringendis, & de earum in Eccleſia vſu, & malis hominibus non admittendis in ſocietatem.

Regorius Sereno Epiſcopo Maſilienſi. Litterarum tuarū primordia ità ſacerdotalem in te eſſe beneuolentiam demonſtrabant, vt maior nobis fieret de fraternitate tua lætitia. Sed tantum earum finis à ſuis diſſenſit initijs, vt non vnius, ſed diuerſarum eſſe mentium talis crederetur epiſtola.

ſtola. Ex illo autem quod de ſcriptis noſtris quæ ad te miſimus dubitaſti, quàm ſis incautus apparuit. Nam ſi diligenter ea quæ fraterno amore monuimus attendiſſes, non ſolùm minimè dubitaſſes, quinimò quid te ſacerdotali grauitate oporteret agere, cognouiſſes. Neque enim Cyriacus quondã abbas, qui ſcriptorum noſtrorum portitor extitit, iſtius diſciplinæ vel eruditionis fuit, vt vel ipſe aliud facere, ſicut putas, auderet, vel iſtam de eius tibi perſona ſuſpicionem falſitatis aſſumeres. Sed dum monita ſalubria penſare poſtponis, cõtigit, vt iam non ſolùm actu, verumetiam eſſes interrogatione culpabilis. Perlatum ſi quidem ad nos fuerat, quòd incõſiderato zelo ſuccenſus, Sanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris. Et quidẽ qa eas adorari vetuiſſes, omnino laudauimus; fregiſſe verò reprehendimus. Dic frater à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne deſpectis alijs fratribus, ſolum te ſanctum & eſſe crederes ſapientem? Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus: quia in ipſa etiam ignorantes vident quod ſeqũi debeant, in ipſa legunt qui literas neſciunt. Vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt. Quod magnoperè à te qui inter gentes habitas, attendi debuerat, ne dum recto zelo incautè ſuccenderis, ferocibus animis ſcandalum generares. Frangi verò non debuit quod non ad adorandum in Eccleſijs, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes fuit neſcientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi hiſtorias non ſine ratione vetuſtas admiſit, ſi zelum diſcretione condijſſes, ſine dubio & ea quæ intendebas ſalubriter obtinere, & collectum gregem non diſpergere, ſed potius diſperſum poteras congregare, vt paſtoris in te meritum nomen excelleret, non culpa diſperſoris incumberet. Hæc autem dum in hoc animi tui incautè nimis motus exequeris, ita tuos ſcandalizaſſe filios perhiberis, vt maxima eorũ pars à tua ſe communione ſuſpenderet. Quando ergo ad ouile Dominicum errantes oues adduces, qui quas habes retinere non præuales? Proinde hortamur vt vel nunc ſtudeas eſſe ſollicitus, atque ab hac te præſumptione compeſcas, vt eorum animos quos à tua diſiunctos vnitate cognoſcis, paterna ad te dulcedine, omni adniſu, omniq́ue ſtudio reuocare feſtines. Conuocãdi enim ſunt diſperſi eccleſiæ filij, eiſq́ue ſcripturæ ſacræ eſt teſtimonijs oſtendendum, quia omne manufactum adorari non licet: quoniam ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Ac deinde ſubiungendum eſt: quia picturas imaginũ, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, vt neſcientes literas, ipſam hiſtoriam intendentes quid actum ſit diſcerent, quia tranſiſſe in adorationem videras, idcirco commotus es vt eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si ad hanc inſtructionem, ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere vultis in eccleſia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atque indica quòd non tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ pictura teſte pandebatur, diſplicuerit: ſed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam reuoca. Et ſi quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines, modis omnibus deuita. Sed hoc ſollicitè fraternitas tua admonet, vt ex viſione rei geſtæ ardorẽ compunctionis percipiãt, & in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur. Cuncta verò hæc ex amore ſanctæ eccleſiæ, tuæ fraternitati loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur à zelo rectitudinis, ſed magis adiuuetur in ſtudio piæ diſpenſationis. Præterea peruenit ad nos, quòd dilectio tua libenter malos homines in ſocietate ſua recipiat, adeo vt presbyterũ quendam, qui poſtquam lapſus eſt & in ſuæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione verſari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus: quia qui talem recipit, ſcelera non corrigit, ſed magis alijs talia perpetrandi videtur dare licentiam. ſed ne fortè aliquis tibi, ſurreptione vel diſſimulatione, vt à te reciperetur, atque adhuc haberetur gratus ſuaſerit, non ſolùm hunc longius à te expellere, verumetiam exceſſus ipſius ſacerdotali te zelo modis omnibus conuenit reſecare. Alios verò qui praui eſſe memorantur, paterna adhoratione à ſua prauitate compeſce, & ad viam ſtudere rectitudinis reuocare. Quòd ſi, quod abſit, ſalubri monitione eos videris in nullo proficere, & hos quoque curabis à te procul abijcere, ne prauitates eorum ex eo quod recipiuntur, diſplicere minimè videantur. Et non ſolùm ipſi inemendati remaneant, ſed etiam eorum receptione alij corrumpantur. Et conſidera quàm & hominibus execrabile & periculoſum ante Dei ſit oculos, ſi per eum à quo plectenda ſunt crimina, nutriri vitia videantur. Hæc igitur dilectiſſime frater aure cordis diligenter attende, & ita agere ſtude vt & prauos ſalubriter corrigas, & ſcandalum de malorum ſocietate filiorum tuorum animis non inducas.

Imagines non ſunt adorandæ. ſed per eos q d ſit adorandũ addiſcimus.

Hiſtoriæ SS. in eccleſia pingebãtur.

Luc. 4.

Imagines quo colẽdæ ſint modo.

Prauos homines quo pacto corrigẽdi.

EPISTOLA X.

De Arethuſæ legato.

Li. 2. ep. 29. Ind. 11. & li. 3. ep. 65.

Gregorius Populo Presbyteris Diaconis & clero Eccleſiæ Mediolanen. Latrix præſentium Arethuſa clariſſima femina, propter cauſam legati quod ei coniugiq́ue vel filijs ipſius Laurentius frater noſter reuerendæ memoriæ epiſcopus veſter reliquerat, diu apud nos eſt, vt recolitis, demorata. Vnde ſcripta noſtra recordandæ memorię fratri & coepiſcopo noſtro Conſtantio miſeramus, vt cum ea ſacerdotali ſtudio cauſam ipſam definire iurgiorum ceſſante ſtrepitu debuiſſet. Quod ſicut ſcire vos credimus ſe & olim facere voluiſſe, & adhuc facere tunc velle reſponderat. Sed quia latrix harum diu eſt in hac vrbe demorata, atque illuc diſtulit remeare, nuncuſque decidi non potuit. Idcirco dilectionem veſtram ſcriptis præſentibus adhortamur, vt memoratæ mulieri illuc venienti caritatem quam decet eccleſiæ filijs impendatis. Et cum auctore Deo eccleſia fuerit ordinata, id agatis, quatenus cauſa ipſa quæ tempore diuturno dilata eſt, ita ſine mora, æquitate ſeruata, debeat terminari, vt nec antedicta femina amplius fatigari, nec vos videamini contra eccleſiaſticum propoſitum, petentibus negaſſe quod iuſtum eſt.

EPISTOLA XI.

Theodoram relictam Sabini commendat, ne ob filij ſui crudelitatem inopiæ ſubiaceat.

Li. 1. ep. 23. 37. 40. 67. li. 4 ep. 23. 48. 53. 57. 63. 65. 66. 67. li. 8. ep. 19. 26.

Gregorius Anthemio Subdiacono Campaniæ. Theodora relicta Sabini defenſoris, miſſo huc homine ſuo queſta eſt nobis, à filio ſuo & Aligerno quondam, cuius filiam idem filius eius in coniugio ſuo ſortitus eſt, deceptam eſſe, vt omnes res ſuas tempore nuptiarum eidem filio donationis titulo legaret, & nunc ſe ab eis valde deſpici atque contemni; adeo vt ablatis rebus ipſius, nihil ei vnde poſſit nutriri remanſerit. A quibus inſuper etiam tantam ſe aduerſitatem aſſerit ſuſtinere, vt nec ſeruum iuris ſui ei deſeruire, nec in aliquo ſolatiari permittant. Et quia, ſi ita ſe res habet, graue nimis & contra Deum eſt, huius tibi auctoritatis tenere præcipimus, vt veritatem cures addiſcere. Et ſi ita repereris, Eccleſiaſticam tuitionem impendere, atque eam ſalua in omnibus ratione adiuuare feſtines: quatenus te illic poſito nullum denuo grauamen vel oppreſſionem à prædictis viris quolibet modo ſuſtineat, ſed prouidere ſtudij tui ſit, vt in id quod ſe deceptam queritur, legaliter valeat ſubueniri: quia omninò crudele eſt, vt mulier quæ ex filij perſona debet ſperare ſolatium, per eum magis neceſſitati cogatur vel inopię ſubiacere. Quòd ſi fortè quies vel ſolatiũ ipſius, te procurante non potuerit ordinari, nobis renunciare feſtina: vt quid poſt hæc facere debeas, noſtra iterũ præceptione cognoſcas.

Sup. ep. prox. Inf. ep. 43.

EPISTOLA XII.

De Helenæ hominibus ab Eccleſia iniuſtè detentis.

Gregorius Anthemio Subdiacono. Glorioſa filia Helena per ſuos nobis homines indicauit, quoſdam de ſuis ab eccleſiæ noſtræ actoribus irrationabiliter deteneri. Et quia eos

petit

petit sibi restitui; idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, vt cum omni diligentia veritatem studeas perscrutari. Et si ita est, nec est quod in eis ad nostræ nomen ecclesiæ possit vendicari, omni mora postposita aut ipsos restitue, aut si fortè mancipijs ecclesiæ nostræ coniuncti sunt, dando pro eis vicarios recompensa. Si verò aliquid nostræ dicuntur ecclesię competere, sit sine aliqua dilatione compendium; & quæ iudicata fuerint, ita experientia tua ad effectum sine aliqua difficultate perducat, vt prædictæ filiæ nostræ denuo non sit huc necessitas transmittendi.

EPISTOLA XIII.

Donatum commendat.

Regorius Anthemio Subdiacono. Donatus lator præsentiũ diuersis se illic oppressionibus grauari commemorãs, Ecclesiastica se petijt tuitione fulciri. Quapropter hac tuæ experientiæ auctoritate mandamus, vt eundem Donatum seruata æquitate defendas, & nullis eum grauaminibus vel damnis contra iustitiam subdi permittas: quatenus te sibi opitulante, nulla ei sit huc remeandi necessitas.

EPISTOLA XIIII.

De conduma Calumnioso episcopo danda, & Episcopio restituendo.

Regorius Scholastico defensori. Ante aliquantum temporis experientiæ tuæ nos præcepisse recolimus, vt quia reuerendissimus frater & coepiscopus noster Calumniosus necessitatem se de solatijs asseruit sustinere, vnam illi de iure ecclesiæ deputare condumam debuisses. Sed quia conduma ipsa vineolam paruam iuris eiusdem ecclesiæ nostræ tenere dicitur, & ipse sibi pariter vineolam petit debere locari; hac tibi auctoritate præcipimus, vt ad tres siliquas aureas factis libellis ei vineolam ipsam locare debeas: quatenus & ipse exinde aliquod remedium consequatur, & ius ecclesiæ sine diminutione aliqua conseruetur. Præterea quæstus nobis est suprascriptus reuerendissimus frater noster, quòd & episcopium ecclesiæ ipsius hactenus detineas, & occasione blandiaris, vt episcopi patris tui vestes tibi, vel alia quæ in episcopio inuenta sunt, applices. Et ideò si ita est, & ab episcopio te præcipimus sine mora recedere, & quicquid prædictus pater tuus episcopatus sui tempore de proprio ecclesiæ constiterit conquisisse, ne tollas: quia & sacris canonum legibus esse noscitur definitum, vt in his quæ antistes episcopatus tempore acquisiuerit, non alius, nisi sola succedat ecclesia. Asserit etiam Ferocinatum quendam condito testamento hæredem nostram instituisse ecclesiam, atq; ecclesiæ S. Ioannis quæ ante portas Hortonensis ciuitatis sita est, duos casales fundi campos per Ausinianum legati titulo reliquisse, & à nostra eos nunc ecclesia detineri. Quos quia secundum voluntatem defuncti sibi petit debere contradi, experientia tua lecta serie testamenti, si ita esse repererit, nec est quod rationabiliter à parte nostræ possit opponi ecclesiæ, prædictos casales tradere suprascripto fratri nostro non differat: quia dum talibus nos etiam de proprio conuenit impartiri, ea quæ illis competunt, nullo modo à nostris irrationabiliter patimur detineri.

EPISTOLA XV.

De Alexandro Frige ecclesiæ Colono.

Regorius Sholastico defensori. Alexander Frix præsentiũ portitor, colonus ecclesiæ nostræ questus est nobis in domo, id est, Ecclesia quæ Catanea à dilecto filio nostro Cypriano diacono fabricata est, triennij se tempore laborasse, & mercedem nõ vt dignum est accepisse. Et quamquam per tempora ipsa dicatur apud plurimos laborasse, vnde etiam dum hic esses notitiam accepisti; hac tibi tamen auctoritate præcipimus, vt diligenter inspicias: & si plus in eadem como quã mercedis acceperit operatus est, volumus vt secundum laboris modum, si quid super quatuor solidos & tremisses duos quos à memorato diacono accepisse dictus est, meritus sit, addere ei quod iustum videris debeas, sciens tuis rationibus imputandum.

EPISTOLA XVI.

Sup. lib. 7 ep. 23. 24. Ind. 2. li. 8. ep. 11. 14. 53 116. lib. 9. ep. 34. 35. l. 10. ep. 40. 46. 47. Ind. 5.

Targentio colono terram Ecclesiæ concedat.

Regorius Romano defensori. Quia præsentium portitorẽ Argentium colonum ecclesiæ nostræ curam hospitalitatis habere cognouimus; necesse est vt in parte aliqua eius studium adiuuemus: Idcirco huius tibi præceptionis auctoritate mandamus, vt terrulam modiorum plus minus, sicut asserit, decem possessionis Disterianæ quam tenuit, reddere ei sine mora aliqua vel excusatione festines, vt eam diebus vitæ suæ habeat, atque ex ipsa rationibus ecclesiasticis nihil impendat, sed in ea ille quam exhibet hospitalitate proficiat: quia dignum est, vt bono laudandoque operi concurrere ac ferre consultum modis omnibus debeamus.

EPISTOLA XVII.

De Barbaris Sardiniæ conuertendis.

Regorius Spesindeo Præsidi Sardiniæ. Particeps proculdubio mercedis existit qui bonorum se operum exhibet adiutorem. Quia ergo multi de barbaris prouincialibus Sardiniæ ad Christianam fidem dicuntur Deo propitio deuotissimè festinare; magnitudo vestra studium suum hac in causa decenter accommodet, & fratri coepiscopoq; nostro Victori in conuertendis baptizandisque eis studiosè concurrat: quatenus dum de interitu multorum animæ per baptismatis gratiam vobis fuerint solatiantibus liberatæ, & aqud homines laudem habere, & apud omnipotentem Dominum, (quòd summoperè studendum est) magnam mercedem possitis acquirere, atque nos vobis gratias referentes, magnitudini vestræ possimus modis omnibus existere debitores.

EPISTOLA XVIII.

Li. 7. ep. 65

De Barbaricinis mancipijs comparandis.

Regorius Vitali defensori. Bonifacium præsentium portitorem, notarium scilicet nostrum, ad hoc nos experientia tua illuc transmisisse cognoscat, vt in vtilitatẽ ptochij Barbaricina debeat mancipia comparere. Et ideo experientia tua omnino ei studiosè solliciteque concurrat, vt & bono pretio, & talia debeat comparare, quæ in minister io † parochiæ vtilia valeant inueniri, atque emptis eis huc Deo protegente is ipse celerius possit remeare. Ita ergo te in hac re exhibere festina, vt te quasi seruientium amatorem, quorum vsibus emuntur, ostendas, & nobis te ipsi de tua valeant sollicitudine commendare.

† al. prochij.

EPISTOLA XIX.

De violentia Bonifacij notarij.

Regorius Ioanni Tribuno Sipontino. Lator præsentium de status sui conditione nobis sæpius conquestus est, à Bonifacio nostro notario sibi violentiam irrogari. Cuius rei cognitionem in fratris & coepiscopi nostri Vitaliani notitiam præuidimus perferendam. Cuius causæ meritum se examinasse professus est. Sed quia ad proferendum iudicium se assurgere nullatenus dicit; hortamur magnitudinem vestram, vt pro causa mercedis æternæ, cum prædicto resideatis episcopo, & rei meritum euidentius perscrutantes quicquid vobis suadẽte iustitia visum fuerit, scripto decernite: & si de eius vobis certius libertate constiterit, nullis deinceps quorumlibet inquietudinibus ad rei decisæ meritum prouocetur, sed in ea qua vobis visum fuerit libertate declaratus, securè permaneat.

EPISTOLA XX.

li.1.ep.47 60. 61. 62. 81.li.2 ep. 84. Ind.11. lib.3.ep.9. 10.Ind.12. li.8.ep.38.

De monasterio construendo.

Gregorius Ianuario Episcopo Caralitano. Gratam vobis fraternitatis vestræ sollicitudinẽ fuisse cognoscite, quòd pastorali se vigilantia pro tutamine animarum vt oportebat exhibuit. Nunciatum siquidem nobis est: quod in domo quondam Epiphanij lectoris Ecclesiæ vestræ idcirco secundum voluntatem ipsius monasterium construi vetuistis, ne pro eo quòd domus ipsa ancillarum Dei monasterio cohærebat, deceptio exinde contingeret animarum. Et valde laudauimus: quia antiqui hostis insidias prouisione congrua, vt decuit, præcauistis. Sed quia perlatum ad nos est Pompeianam religiosam feminam velle de eodem monasterio ancillas Dei tollere, & ad sua vnde acceptæ fuerant monasteria reuocare, atque illic congregationem cõstituere monachorum; necesse est vt si impletum hoc fuerit, defuncti dispositio modis omnibus conseruetur. Si verò factum hoc non fuerit, ne testatoris voluntas in totum videatur esse frustrata, volumus vt quia monasterium Vrbani quondam abbatis positum foris extra ciuitatem Caralitanã ita dicitur destitutum, vt ne vnus illic monachus remaneret; Ioannem quem memoratus Epiphanius in monasterio quod sicut dictum est, in domo sua fiendum decreuerat, abbatem esse constituas: si tamen nihil est quod eum impediat, abbas debeat ordinari. Atque reliquiæ quæ in domo antedicti Epiphanij condendæ fuerant, ibi recondantur, & ei modis omnibus applicetur quicquid idem Epiphanius in monasterio quod deputauerat, ædificari contulerat: quatenus & si de loco propter supradictam cautelam voluntas eius non disponitur, merces nihilominus illibata seruetur. Et hæc quidem omnia fraternitas vestra vna cum Vitali defensore disponat, & ita ea vtiliter studeat ordinare, vt sicut de laudabili prohibitione, ita quoq; de bona habere possit constructione mercedem. Ipsum verò monasterium licet fraternitati vestræ sit superuacuum commẽdari; hortamur tamen ex abundanti vt id salua iustitia, sicut vos decet, habeatis commendatum.

EPISTOLA XXI.

Sup.lib.2. epist. 40. Ind.11.

De Deusdedit diacono ad Episcopatum Mediolani ordinando.

Gregorius Panthaleoni Notario. Experientia tua præsenti auctoritate suffulta, ad Ianuensem vrbem, auxiliante Domino, proficiscens, Deusdedit diaconum Ecclesiæ Mediolanensis, si tamen à cunctis electus est, & si nihil est quod ei ex anteacta vita per sacros possit canones obuiare, episcopum solenniter faciat ordinari. Præterea, quia multæ illic Ecclesiæ nostræ vtilitates sunt, quæ Deo propitio peragantur, sollicitum te esse necesse est, & ita omnia secundum capitularem subter annexum requirere, vtiliterque disponere, vt in nullo te neglectus culpa respicere, sed magis vigilantia Deo & hominibus valeat commendare.

PRIVILEGIVM.

Testandi facultatem concedit.

Gregorius Probo abbati Monasterij sancti Andreæ. In nomine Domini Dei nostri & Saluatoris Iesu Christi. Imperantibus domino Mauritio, & Tiberio Augustis, anno Incarnationis Dominicæ sexcentesimo primo, eodemque domino vndecies consule, sub die tertio nonarum Octobrium, præsidẽte beatissimo & Apostolico Papa Gregorio: atque considentibus reuerendissimis Menna episcopo Telesino, Basilio Capuano, Constantio Numentano, Montano Sauonense, Victore Fausanense, Ioanne presbytero tituli sanctorum Geruasij & Protasij, Deusdedit tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Andromacho presbyt. tituli Eudoxiæ, Rustico presbyt. tituli sanctæ Susannæ, Vibulo presbytero tituli sancti Marcelli, Probino presbytero tituli sancti Cyriaci, Ioanne presbytero tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Agapito presby. tituli Eudoxiæ, Felici presbyt. tit. S. Sabinæ, Gratioso presbyt. tit. SS. Nerei & Achillei, Bonifacio presbyt. tit. S. Sixti: astantibus etiam diaconis & clero, Paterius Secũdicerius dixit: Probus abbas monasterij SS. Andreæ & Luciæ vestris, si præcipitis, desiderat aspectibus præsentari. Gregorius episcopus S. ecclesiæ catholicæ vrbis Romæ dixit: Veniat. Cumq; ingressus fuisset, dixit: Cur adesse volueris, fateri te conuenit. Probus abbas dixit: Petitionem præmanibus habeo. Postulo à beatitudine domini mei, vt eam suscipi, & vobis relegi iubeatis. Gregorius dixit, Fiat. Quæ cum suscepta fuisset, Paterius in his recitauit: In nomine domini Dei nostri Iesu Christi, imperãte domino Mauritio & Tiberio pijssimo Aug. die 3. Kal. Oct. Indict. 4. Ea quæ nunc beatitudini vestræ intimare desidero, olim dño meo comperta sunt, vestramq; mihi conscientiam testem esse scio quæ suggero: quoniam dum ante hos annos ex laico ad religiosum migrassem officium, dispoueram in cellula mea super me solitarius habitare, ibiq; ipsis paucis diebus qui supersunt, vitam transigere: propter quod nec aliquid de substantiola mea ante ordinaui siue disposui, sciens tam ab intestato quàm ex testamẽto filium mihi posse succedere. Quadam autem die dum inter alios ad obsequia domini mei fuissem ingressus, subitò atq; inopinato introire in monasterium, atq; vt onera abbatis debuissem suscipere, præcepistis. Statimq; surgentes, non indulto ad deliberandũ vel tractandum mihi spatio, ad monasterium iam cũ monachis ambulare coactus sum. Vnde quia nihil antea quod de substantiola mea occurrit, potui ordinare; idcirco lachrymabiliter supplico, vt concessa per constituti vestri licentia, fas mihi sit de omnibus rebus meis voluntatẽ meam disponere: quatenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio pauperi posset esse damnosa. Nam cunctis notum est, quia illos legalis sanctio quicquã de substantia sua prohibet, postquã monasteriũ ingressi fuerint ordinare, quibus disponendarũ rerum suarum suppetit ante licentia; non autẽ eos, quos adhuc quod numquam tractauerant præpositorum suorũ parere cogit instantia. Quia sicut legis voluntas hoc ex deliberatione facientibus contradicit, ita eis qui cõpelluntur, maiore prouidentia succurrit. Hanc autem suggestionem supplicationemq; meam AEmiliano notario S. ecclesiæ Rom. noto meo scribendam dictaui, eiq; propria manu ego Probus seruus vester subscripsi, & vobis beatis. domino meo Gregorio Papæ porrexi. Ego Probus seruus vester huic petitioni à me oblatæ subscripsi. Gregorius dixit: Postquam textus oblatæ petitionis nobis innotuit, Probus abbas paulisper abscedat, vt de his quæ petit, cum fratribus filijsq; nostris quid statuendum sit deliberare possimus. Quo recedẽte, postquam diu de eius petitione tractatum est, dixit: Probus abbas quem abesse paululũ feceramus, rursus aduenias, vt ea quæ nobis cum fratribus filijsque nostris in commune visa sunt, censeamus. Cumque præsentatus fuisset, dixit: Vbi veritas cum ratione concordat, desideria petentis implere non minus iustum est quàm benignum. Perpensa igitur serie à te petitionis oblatæ, omnia quæ in ea locutus es, ita esse recolimus. Neque enim vel in nostram vnquam antea cogitationem ascenderat, vt in quocunque monasterio abbatis tibi curam debuissemus iniungere. Sed quodam die dum de ordinando monasterio cui præesse dignosceris, cum nostris filijs tractaremus, atque diu aptam personam huic officio quæreremus, ex improuiso te ingrediente, cordi nostro & eorum qui nobiscum ad tractandum aderant, subitò natum est, vt te illic abbatem Deo propitio constituere deberemus. Quod quia renitenti tibi constat impositum, & voluntatis tuæ rigorem vix nostræ potuerunt adhortationes inflectere; necesse fuit, ne fortè habere potuisses post te spatium redeundi, vt iam ordinatum abbatem ad ipsum te monasterium cuius nec monachus fuisti, antea mitteremus. Ne ergo hęc obedientia vel dilectioni tuæ tristitiã, vel alijs possit inferre iacturam; vniuersas res tuas alienandi, vel vt volueris disponendi liberam tibi per huius constituti nostri tribuimus ad statuta licentiam. Per quę eam te in disponendis eis vt tibi placuerit, habere noueris facultatem, quã habere poteras antequam monasterium introires. Nec quicquam tibi abbatis officium, quod sicut dictum est, repentè ac inuitus nosceris suscepisse, formides obsistere; quia vt in ordinandis disponendisq; rebus tuis nõ haberes licentiã, di-

Papa concedit Abbati vt testamentũ condat.

lectio-

lectionem tuã ne poſt ſe rediret, noſtra, vt diximus, coegit inſtãtia. Proinde ne qua te dubium faciat de his quæ voluerís ordinare ſuſpicio, nullum vnquam eccleſiæ noſtræ vel monaſterij tui, ſiue quolibet nomine alio ex monachicę cõuerſionis ſtatu vel abbatis officio, quocunq; ingenio, vel cuiuſlibet excuſationis ſpecie, contra præſentis ſeriem conſtituti venire poſſe decernimus, ſed tamquam ſi ingreſſus monaſterium non fuiſſes, ita omnia quæ de vniuerſa facultate tua ordinaueris diſpoſueriſve illibata & ſine aliqua Deo auctore ſtatuimus refragatione ſeruanda. Dat. Menſ. Nouem. Indict. IIII.

EPISTOLA XXIII.

De Ioanne argentario afflicto iuuando, & fide eius.

Gregorius Ioanni Subdiacono Rauennæ. Qualiter Ioannes argentarius indigentibus fideiuſſione fuit ſæpe remedium, experientia tua bene nouit. Vnde contingit vt nunc importuno cuidam palatino fideiuſſor accedens, neceſſitatem non modicã patiatur, adeo vt in eccleſia diu iam reſidens vehementius affligatur. Sed quia quibuſdam non deerat ſuſpicio quòd prædicto Importuno non ſimpliciter ſed compendij cauſa fideiuſſor acceſſerit, ad ſacratiſſimum corpus beati Petri Apoſtolorum principis diſtricta omnino ſacramenta, quantum nobis renunciatum eſt, præbuit, non ſolùm nullum ſe ab eo commodum ex toto recepiſſe, verùmetiam nec aliquid promiſſum habuiſſe, ſed ei vt cæteris ſimpliciter acceſiſſe. Et quia tam longo tempore innocentis hominis ſimplicitas non debet affligi, apud eminentiſſimum filium noſtrum præfectum modis quibus valueris age, vt vna ipſa ſtatio, quæ in Romana ciuitate remanſit, eius temporibus claudi non debeat: ſed ei pro mercede ſua in hac afflictione ſubueniat, atque eum directa iuſſione dignetur abſoluere, & amplius illum in hac eſſe neceſſitate minimè patiatur: quia quemadmodum ſimplex benignuſque ſit, vel diuerſis fuerit ſæpe in tribulatione remedium, nec ipſi habetur incognitum. Et ideo ita ſicut diximus, cum omni dulcedine apud eum ſtude agere, vt in huius abſolutione multis poſſit ferre conſultum, & hæc via remedij, ſicut diximus, eius temporibus non claudatur. Dat. menſe Decem. Indict. IIII.

EPISTOLA XXIIII.

Ioannem menſis pauperum præponit.

Gregorius Ioanni Religioſo. Licèt eos qui pia intentione ſollicitudinis curam debilibus ac egenis impendunt, ſua apud omnes valeat tueri deuotio; melius tamen eſt ſi pro quiete ſua de his muniti fuerint quæ geſſerint, ne inde eius inquietudinis occaſio vnde magis laudandi ſunt oriatur. Quia igitur te Ioannem, religioſo intentionis tuę ſtudio prouocati, menſis pauperum & exhibendæ diaconiæ eligimus præponendum, ne qua tibi ex hac adminiſtratione naſcatur dubietas, hac te munitione proſpeximus fulciendum, conſtituentes vt de hoc quod ad menſes pauperum vel diaconiæ exhibitione percepiſti, ſiue ſubinde perceperis erogandum, nulli vnquam hominum quolibet modo ſeu ingenio cogaris ponere rationem, vel aliquam debeas moleſtiã ſuſtinere. Sed quia ita ab humanis te omnibus volumus rationibus eſſe ſolutum, vt Deo noſtro non hominibus de his quæ tibi commiſimus, rationem te noueris poſiturum, hortamur vt fidei in te integritas ac ſinceritas vigeat, ſit mẽs in rebus intenſior, cura propenſior, voluntas pronior, ſtudiũ vigilantius, deuotio clarior, exhibitio efficacior: quatenus dum diuino iutus auxilio hoc opus ſolerter impleueris, & illi pro quibus ſollicitudinem geris, ſtudij tui ſolatio vtiliter conſolentur, & tu mercedis tuæ bonum in æterna vita Redemptoris noſtri gratia compenſante recipias. Dat. Menſe Ianuarij, Indict. IIII.

EPISTOLA XXV.

De infirmitate ſua, de pœnis præſentis ſæculi, quæ à Dei miſericordia proficiſcuntur.

Gregorius Venantio epiſcopo Syracuſano. Debitũ ſalutationis alloquium ſoluens, ea volui loqui, quæ patior. Sed incongruum puto narrare quæ noſtis. Podagræ enim doloribus torqueor, qui & mihi & vobis non diſpariliter noti, dum apud nos vehementer excreſcunt, nos decreſcere à vita fecerunt. Inter quos quid aliud debemus niſi ſemper delicta noſtra ad memoriam reuocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccauimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendũ quoque eſt nobis, quia pœna præſens, ſi animum afflicti cõuertit, finis eſt culpæ præcedentis. Si autem ad timorem Domini minimè conuertit, initium eſt pœnæ ſequentis. Curãdum igitur nobis eſt, & ſummoperè in fletibus tota mentis conuerſione vigilandũ, ne de tormento ad tormenta tranſeamus. Conſiderandum quoque eſt, quanta erga nos diſpẽſatione pietatis agat conditor noſter, quòd morte dignos aſſiduè percutit, & tamen adhuc minimè occidit. Minatur enim quod facturus eſt, nec tamen facit, vt dolores nos prẽcurrentes terreant, & conuerſos ad timorem diſtricti iudicis ab eius nos animaduerſione in æternum abſcondant. Quis enim dicat, quis enumerare ſufficiat quanti in ſua luxuria dimiſſi, in blaſphemijs quoque & ſuperbia proruentes, in rapinis & iniquitatibus permanentes vſque ad diem obitus ſui ita in hoc ſæculo vixerunt, vt nunquam dolorem vel capitis paterentur, & ſubitò percuſſi ignibus inferni ſunt traditi? Nos ergo habemus indicium quia derelicti non ſumus, qui aſſiduè flagellamur, teſte ſcripturã, quæ dicit: Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In ipſis itaque verberibus Dei reuocemus ad memoriam & eius munera, & noſtri reatus damna Penſemus quãta bona ſuper noſtram malitiam fecerit Dominus, & quanta mala ſub eius bonitate commiſimus. Impleamus quod per prophetam Dominus dicit: Reduc me in memoriam, vt iudicemur ſimul. Iudicemur modò in noſtra cogitatione cum Deo, ne diſtrictè poſtmodum iudicemur à Deo. Quid etenim Paulus dicit? Si noſmetipſos iudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur. Quiſquis ergò feſtinat euadere diſtrictionem ſententię iudicijque ſequentis, per amaritudinem pœnitentiæ omnem ſibi dulcedinem intermittat vitæ præſentis. Quæcunque autem huius mundi bona ſunt, cuius dona ſunt niſi conditoris? Sed haberi à nobis non debet donum Dei, quod per delectationem ſui ſeparat ab amore Dei: ne data danti præferamus, & dum bona percipimus etiam mala, vnde creſcere in eius timore debuimus, inde à timore illius diſiungamur. Creator autem omnium idem omnipotens Deus. hæc quæ vobis in epiſtolis loquimur, mẽti veſtræ per aſpirationem ſui ſpiritus infundat, voſque ab omnibus culpæ inquinationibus tergat, & hic vobis conſolationis ſuæ gaudium, & apud ſe quandoque præmia æterna cõcedat. Dulciſſimas filias meas dominam Barbaram & dominam Antoniã mea peto vice ſalutari.

Pœnę præſentis effecta varia.

Eſa. 43. 1. Cor. 11.

EPISTOLA XXVI.

De petitione pro ſanctuarijs ſancti Seuerini concedendis.

Gregorius Paſchaſio Epiſcopo Neapolitano. Ioannes ſeruus & actor domini Venantij ſanctuaria beati Seuerini confeſſoris, obblata petitione, ſupraſcripto domino ſuo à nobis poſtulat debere concedi; quatenus in eius nomine oratorium, proprijs conſtructum ſumptibus, poſſit ſolemniter conſecrari: & ideo frater cariſſime præfatis deſiderijs ex noſtra te præceptatione conuenit obedire, vt deuotionis ſuæ conſecratione quam poſtulat potiatur effectu, Dat. menſe Februarij. Indict. IIII.

Inf. 29. & li. 11. ep. 25. Ind. 6.

EPISTOLA XXVII.

De laude Candidi abbatis, & de podagræ doloribus quibus cruciabatur.

GRregorius Maximiano Episcopo Arabiæ. Latore huc præsentium Candido abbate pro petendis reliquijs veniente, quæ & concessæ sunt, quanto de fraternitatis tuæ nutrimento lætatus sum, quòd in eo studium tuæ fraternitatis apparuit, tanto contristatus sum quòd eius, vt volui, præsentia frui non potui, quòd me ægrotum reperit, & discedens in infirmitate adhuc positum dereliquit. Multum enim iam tempus est quòd surgere de lectulo non valeo. Nam modò me podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit, & fit plerunque, vt vno in me tempore ardor cum dolore affligat, & corpus in me animusque deficiat. Quantis autem alijs necessitatibus extra hæc quæ retuli infirmitatis afficiar, enumerare non valeo. Sed breuiter dico, quia sic me infectio noxij humoris imbibit, vt viuere mihi pœna sit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo posse remedium. Proinde frater sanctissime diuinę pro me pietatis misericordiam deprecare, vt percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat: ne nimio, quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, & ea quæ benè curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure. Dat. Mense Febr. Indict. IIII.

EPISTOLA XXVIII.

Sup. ep. 1. & li. 4. ep. 54. li. 5. ep. 1. 18. 26. 38. li. 7. ep. 98.

Hortatur vt dispositæ Ecclesia Romam contendat, vt ab ægritudine & vomitu sanguinis curari possit & vt à ieiunijs & vigilijs, alijsq; rebus abstineat.

GRegorius Marinano Episcopo Rauennæ. Veniente quodam Rauennate homine, grauissimo mœrore percussus sum, quia fraternitatem tuam de vomitu sanguinis retulit ęgrotare. Ex qua re sollicitè & singillatim eos quos hic doctos lectione nouimus medicos fecimus inquiri, & quid singuli senserint, quidve dictauerint, sanctitati vestræ scriptum transmisimus. Qui tamen quietem & silentium præ omnibus dictant: quam si tua fraternitas in sua ecclesia possit habere, valde sum dubius. Et ideo videtur mihi vt ordinata illic ecclesia, vel qui missarum solennia explere valeãt, vel qui episcopij curam gerere, hospitalitatemque & susceptiones possint exhibere, quive monasterijs custodiendis præesse norint, tua fraternitas ad me ante æstiuũ tempus debeat venire, vt ægritudinis tuæ ego specialiter in quantũ valeo, curam geram, quietem tuam custodiam: quia huic ægritudini æstiuum tempus medici vehementer dicunt periculosum; & valde pertimesco, ne si curas aliquas cum aduersitate temporis habueris, amplius ex eadem molestia pericliteris. Ego enim ipse valde sum debilis, & omnino valde est vtile vt cum Dei gratia sanus ad tuam redeas Ecclesiam; aut certè si vocandus es inter tuorum manus voceris: & ego qui me proximum morti video, si me omnipotens ante te vocare Deus voluerit, inter tuas manus transire debeam. Si autem qualitas temporis ad veniendum præpedi erit, aliquo paruo remedio dato, apud Agonem agi potest, vt ipse vobiscum hominem suum vsque Romam transmittat. Si autem eadem ægritudine grauari te sentis, & venire disponis; cum paucis tibi veniendum est, quia mecũ in episcopio manẽs quotidiana obsequia de hac ecclesia habebis. Præterea nec hortor nec admoneo, sed districtè præcipio, vt ieiunare minimè præsumas: quia dicũt medici huic molestiæ valde esse contrarium, nisi fortè si grandis solennitas exigit, quinque in anno vicibus concedo. Sed & à vigilijs quoq; temperandum est, & preces quæ super cæreum in Rauennati ciuitate dici solent, vel expositiones Euangelij, quæ circa Paschalem solennitatem à sacerdotibus fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem, laborem sibi minimè imponat. Hæc autem dixi, vt si te melius senseris, & venire distuleris, scias quid debeas ex meo mandato custodire.

Aegrũ absoluit à ieiunij obligatione. Preces super cæreũ paschalẽ fiebãt Rauennæ.

EPISTOLA XXIX.

Sup. ep. 26 h. l. & li. 11. ep. 15. Ind. 6.

Disponit de pecunia Ecclesiastica in pauperes distribuenda.

GRegorius Pascasio Episcopo Neapolitano. Tempore quo fraternitas tua ad episcopatus officium, Deo auctore prouecta est, constituisse nos recolit, vt ex pecunijs Ecclesiæ vestræ portio cleri vel pauperum, quam minimè decessor vester præbuerat, id est, quadringenti solidi seorsum fieri debuissent, qui eiusdem cleri atque pauperum erogationi proficerent: quod quia diutius non est differendum, volumus vt secundum distributionem præsentibus scriptis insertam, coram Anthemio subdiacono nostro sine difficultate aliqua fraternitas vestra debeat erogare. Præbendi itaq; sunt clericis vestris per singulos, sicut prospexeritis, simul omnis summa solidi centum: præiacentibus, quos centum viginti sex esse cognouimus, dãdi sunt solidi sexaginta tres, id est, medius solidus per singulos: presbyteris ac diaconis & clericis peregrinis solidi quinquaginta: hominibus honestis ac egenis, quos publicè petere verecundia nõ permittit, solidi centum quinquaginta; ita vt quidam eorum ad singulos tremisses, quidam ad binos, quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit amplius dimittantur. Reliquis verò pauperibus qui eleemosynam publicè petere consueuerunt, solidos triginta sex. Ecce nos quãtum vel quibus dari debeat, distribuimus. Sed quia sicut præuidimus, non omnibus æqualiter est præbendum; necesse est vt vnà cum prædicto subdiacono prout præuideritis, dare singulis debeatis, atque id modis omnibus studeatis: quatenus hoc quod alter iniustè detinuit, vos deuotè ac celerius impendendo, ad vestrã possitis applicare mercedem.

EPISTOLA XXX.

Consolatur eas de infirmitate patris.

GRegorius Barbaræ & Antoniæ. Susceptis gloriæ vestræ epistolis, quæ pro verbis lachrymas loquebantur, nõ minor nos de dilectissimi filij nostri quàm vos de patris ægritudine mœror afficit. Nec enim extraneam possumus reputare tristitiam, quippe quæ nobis caritatis lege fit propria. Sed quia in nulla desperatione de Redemptoris nostri est misericordia diffidendum; animos vestros ad consolationem patris erigite, spem vestram in omnipotentis Dei manu ponite: & in ipsius protectione confidimus, quia & ab omni vos aduersitate custodiat, atque tribulationem vestrã exhilaret, & secundum paterna desideria propritius vos ordinari cõcedat. Si verò debitum humanæ sortis impleuerit, nec tunc desperatio aliqua vos comprimat, vel quorundam vobis verba terrorem incutiant. Nam post Deum, qui orphanorum gubernator ac protector est, sic de dulcissima gloria erimus vestra solliciti, atque vtilitati vestræ prouidere vt possumus adiuuante Domino festinabimus, vt nec vos iniustorum hominum concussio vlla perturbet, & nos debitum quod de parentum vestrorum benignitate contraximus, vobis per omnia repensemus. Gratia itaque cælestis vos suo fauore nutriat, sua protectione à malis omnib' defendat, vt vitæ vestræ incolumitas gaudium nostrũ fiat.

EPISTOLA XXXI.

Sup. li. 4. ep. 18. l. 5. ep. 18. li. 6. ep. 9. li. 7. ep. 22. 27.

De infirmitate Venantij, & filiabus eius.

GRegorius Ioanni Episcopo Syracusano. Fraternitatis vestræ scripta susccpi, quæ mihi de dulcissimi filij mei domini Venantij ægritudine loquebantur, & cuncta circa eum qualiter acta sunt enarrabant. Sed vno tempore audiui & illum desperatè ac grauiter ægrotare, & in rebus orphanorum homines iniquos insistere; vix se dolor in corde meo capere poterat. Sed in hoc fuit solatium, quòd lachrymæ mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas, prima quam decet curam negligere non debet, vt de anima eius cogitare debeat, exhortando, rogãdo, Dei terribile iudicium proponẽdo, ineffabilem eius misericordiam promittendo

mittendo, vt ad habitū ſuum redire vel in extremis debeat, ne ei tantæ culpæ reatus in æterno iudicio obſiſtat: ac deinde veſtrum eſt cogitare, quomodo filiæ eius Barbara & Antonia debeant ordinari, vt nulla occaſio malis hominibus præbeatur. Nam poſtquam me de eis ſollicitudinis curam gerere coniurauit, addens vt earum debeam ordinationi proſpicere, aliud in epiſtola ſua ſecutum eſt, quod hoc mihi ſtudenti dubium non eſt quia poſſit obſiſtere. Ait enim vt ſereniſ. dño Imperatori ſæpius ſupplicē, quatenus ipſe eas faciat vt præuiderit ordinari. Quod quàm ſit cōtrarium priori voluntati perpenditis. Ex qua re dubito ne hominibus in Sicilia poſitis & querentibus occaſionem in rebus ipſius apta detur occaſio. Nam ex hoc cognoſcite, quid facturi ſunt qui nulla exiſtente cauſa, iam ſigillum in ſubſtātia ipſius, quantum dicitur nitebantur imponere. Nunquid non illos videtur ratio ad faciem adiuuare, & adhoc illis iuſtam quaſi præbere materiam? Si dixerint Domino Imperatori commendatæ ſunt, negligere non poſſumus, periculi noſtri intereſt? res in tutum faciamus, quouſque dominus Imperator Conſtantinopolim duci præceperit. Dic rogo quid ad hæc facturus ſum, quando homini habenti poteſtatem paterna videtur commendatio concordare? Me enim coniurat, vt ita eas ordinari prouideam, quatenus aut in Romana ciuitate ſint, aut de Sicilia non tollantur, & ille id agit vt eas nulla nec huc deducendi nec illic ſit ratio retinendi. Vos autem in quantum poteſtis, malis hominibus obuiate. Earum ſubſtantiam propter Deum omnipotentem velut propriam defendite, & ſi adhuc licet, quomodo omnis occaſio remoueatur violentiæ, in prædicti viri domini Venātij teſtamento prouidete. Si autem ita placet vt palatio commendentur, mihi non debet imponere pondus, vt in anima mea curam ordinationis earum velit impingere: de quarū ordinatione qualiter cogitem, omnipotentem Deum ſufficiat ſcire. Vnde ſtatim filio meo Anatholio dilectiſſimo diacono, vt cū glorioſa patricia Ruſticana loqui ſtudeat, & qualiter de perſonis quarum mihi nomina tranſmiſſa ſunt deberet exquirere & iudicare, ſcribere curaui, vt nobis omnia ſub celeritate indicet: & quæ fienda ſunt, Deo ordinante diſponantur. Præterea in ſcriptis quæ ad nos miſiſtis, fraternitatem veſtram contriſtatam inuenimus, eo quòd huic eā quaſi pro ingratitudine aliqua venire noluiſſemus, quando non illud ob aliud niſi ſola vtilitatis cauſa fecimus ſcientes propter perſonas ibidem conſiſtentes valde neceſſariam illic veſtram fuiſſe præſentiam. Sed ne fortè ex hoc ingratum erga vos animum noſtrum credatis, quod abſit, exiſtere, ſi veniendi vobis voluntas eſt, apto vos tempore Apoſtolorū liminibus præſentate. Nam quantum ad nos pertineat, ita caritatem veſtrā diligimus, vt videre vos ſæpius cupiamus.

EPISTOLA XXXII.

Deferendos eſſe clericos ad epiſcopos ſuos, ne eorum iuriſdictio tollatur.

Regorius Romano defenſori Siciliæ. Peruenit ad nos, quòd ſi quis contra clericos quoſlibet cauſam habeat, deſpectis eorum epiſcopis eoſdem clericos in tuo facias iudicio exhiberi: quod ſi ita eſt, quia valde conſtat eſſe incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus, vt hoc denuo facere non præſumas. Sed ſi quis cōtra quemlibet clericum cauſam habuerit, epiſcopum ipſius adeat, vt aut ipſe cognoſcat aut certè ab eo iudices deputentur: aut ſi fortè ad arbitros eundum eſt, partes ad eligendum iudicem ab ipſo executio deputata compellat. Si quis verò vel clericus vel laicus contra epiſcopum cauſam habuerit; tunc te interponere debes, vt inter eos aut ipſe cognoſcas, aut certè te admonēte ſibi iudices eligant. Nam ſi ſua vnicuiq; epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur? Item nunciatum eſt nobis, quia quoſdam clericos qui à reuerendiſ. fratre Ioanne epiſcopo exigente culpa in pœnitētiam miſſi ſunt, neſciente illo tua illos exinde auctoritate eieceris: quod ſi verū eſt, rem te omnino inhoneſtam & non leuiter increpandā feciſſe cognoſcas. Eoſdem ergo clericos epiſcopo ſuo ſine mora reſtitue. Et hoc deceterò caue cōmttere: qa ſi neglexeris, noſtros te noueris non mediocriter motus incurrere.

EPISTOLA XXXIII.

Iniungit officium Eccleſiæ defenſoris.

Regorius Vito defenſori. Si nulli conditioni, vel corpori teneris obnoxius, nec fuiſti clericus alterius ciuitatis, aut in nullo tibi canonum obuiant ſtatuta; Eccleſiaſticæ vtilitatis intuitu id noſtro ſedit arbitrio, vt officium eccleſiæ defenſoris accipias, & quicquid pro pauperum commodis tibi à nobis iniunctum fuerit, incorruptè & grauiter exequaris. Vſurus hoc priuilegio, quod in te habita deliberatione contulimus: vt omnibus quæ tibi à nobis iniuncta fuerint complendis operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus ſuis ſub Dei noſtri iudicio rationem. Hāc aūt epiſtolā Paterio Secundicerio notario Eccleſiæ noſtræ ſcribendam dictauimus, cuiq̃ ſubſcripſimus.

EPISTOLA XXXIIII.

Inf. ep. 35. Inf. ep. 32. Sup. ep. 33.

Vitum defenſorem conſtitutum commendat.

Regorius Romano defenſori. Vitum præſentium portiorē experientia tua olim noſtrum fuiſſe cognoſcat. Cuius quoniam benè fidem & ſolertiam nouimus, in defenſorum ſchola, data ei ſolenniter epiſtola, militandum eſſe præuidimus. Et ideo ſi quid ei pro Eccleſiaſticis vtilitatibus iniungere fortè volueris, nullam de eo dubietatem habeas: ſed omnino de puritate ipſius certus eſt, nec eum fraudulenter vel dupliciter aliquid acturum exiſtimes. Vnum eſt, tu ei caritatem, quæ fidelibus debetur, impendas.

EPISTOLA XXXV.

Sup. ep. 24. Inf. lib. 10. ep. 40. 46. 47. Ind. 5.

De poſſeſſionibus Fauſti iniuſtè peruaſis.

Regorius Romano defenſori. Glorioſiſſimus filius noſter Fauſtus epiſtola directa nos petijt, aſſerens ab actionarijs Syracuſanæ eccleſiæ fines poſſeſſionis ſuæ illic intra Siciliam poſitos nuper violēter ablatos. Vnde quia à cognitione fratris & coepiſcopi noſtri Ioannis hoc omnino credimus alienum, eum videre te volumus. Et ſi quidem res nuper vt aſſeritur, à poſſidente ſublata eſt, & hoc apud te manifeſta ſatisfactione claruerit; eius cui ſubtracta eſt dominio reformetur. Et tunc ſi quid actores prædictæ eccleſię rationabiliter ſibi in finibus ſuis credunt poſſe competere, electorum ſubeant ſine dilatione iudicium; vt cuius ſit proprietas, iudicantium ſententia decernatur: quatenus per hoc epiſcopalis de illicita, quæ prætenditur, inuaſione, auferatur inuidia, & cauſa legali valeat ordine finiri.

EPISTOLA XXXVI.

Sup. ep. 31. h. l. & l. 4. ep. 16. li. 5. ep. 18. li. 6. ep. 9. li. 7. ep. 7. ep. 22 27. 101.

De poſſeſſionibus cuiuſdam iniuſtè peruaſis.

Regorius Ioanni Epiſcopo Syracuſano. Glorioſiſſimus filius noſter Fauſtus directa petitione nos adijt, aſſerens fines poſſeſſionis ſuæ illic intra Siciliam poſitos, à veſtris nuper hominibus occupatos, atq; ob hoc rem violenter ablatam ſibi per præceptionis noſtræ ſeriem debere petijt reformari. Quod quia ſi ita vt aſſerit factum eſt, à fraternitatis veſtræ cognitione omnino credimus alienum, diligenter inquirite. Et ſi, vt aſſerit, contra iuris ordinem fines ipſius à poſſidente ſublati ſunt, in poſſeſſoris redeat res peruaſa dominium. Et tunc ſi quid eſt, quod à veſtra eccleſia proprietatis iure vtiliter opponatur, electorum debet iudicium prouenire, eorumq̃ iudicio terminari, dummodo indecenter poſſeſſoris ius minimè perturbetur. Sed cauſa iudiciliali termino diffinita, ſine ſacerdotali inuidia Dominum atque iuſtitiam res manifeſta cognoſcat.

EPISTOLA XXXVII.

Sup. lib. 4. ep. 18. li. 5. ep. 18. li. 6. ep. 9. li. 7. ep. 22. 27. & Sup. ep. prox. 36.

De poſſeſſionibus Ruſticiani occupatis.

Regorius Ioanni Epiſcopo Syracuſano. Petrus vir clariſſimus vicedominus glorioſæ filiæ noſtræ Ruſticianæ

patriciæ

patriciæ, suis nobis epistolis quæstus est, asserens postquam fraternitas vestra de Romana ciuitate reuersa est, fines cuiusdam possessionis prædictæ patriciæ ab hominibus ecclesiæ vestræ vi esse peruasos. De qua re sæpius de vobis querelam deposuisse significauit, & aliquando ad dicendam vobis causam Martianum tabularium deputasse, quem asserit diuersis dilationibus distulisse, vt nunc vsque ad causæ dictionem partes accedere minimè potuissent. Et quia quãto fraterna vos caritate diligimus, tanto audire aliquid quod ad vestram pertineat inuidiam contristamur; idcirco scriptis vos præsentibus adhortamur, vt omni mora vel excusatione cessante, de finibus qui dicuntur inuasi, subire homines vestros iudicium cum parte altera faciatis: quatenus & peruasionis quæstio, & si qua est proprietatis contentio finiatur. Hæc igitur fraternitas vestra fieri sine dilatione prouideat, vt nec vos inuidia tangere, nec nos denuo exinde valeat querela pulsare.

EPISTOLA XXXVIII.

Sup. lib. 2. ep. 21. li. 3. ep. 48. lib. 4. ep. 44. Ind. 13. li. 7. ep. 29. Ind. 1.

Dolet ipsam graui infirmitate vexari, narratq́; miracula monasterij sancti Andreæ ad Cliuum Scauri.

Gregorius Rusticianæ Patriciæ. Excellentiæ vestræ scripta suscepi, qui me in grauissima ęgritudine positum de salute, de deuotione, ac de dulcedine suo omnino releuarunt. Vnum verò ægrè suscepi, quia in eisdem epistolis ad me, quod semel esse poterat, sæpius dicebatur: Ancilla vestra & ancilla vestra. Ego enim qui per Episcopatus onera seruus sum omnium factus, qua ratione se illa mihi ancillam dicit, cuius ante susceptum episcopatum proprius fui? Et ideo rogo per omnipotentem Deum, ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis vestris inueniam. Ea autem quæ ex purissimo, sincerissimoque corde beato Petro Apostolorum principi munera transmisistis, præsente omni clero suscepta, atque illic suspensa sunt. Filius enim meus vir memorandus dominus Symmachus, quia ægrotum me ex podagræ dolore, & penè desperatum reperit, scripta vestra mihi dare distulit, & post multum temporis quàm vela susceptа sunt, dedit. Postmodum verò in scriptis excellentię vestræ inuenimus, vt cum litania ad beati Petri Ecclesiã portari debuissent. Quod ideo minimè factum est: quia, sicut prædixi: ante vela quam scripta suscepimus. Tamen prædictus vir cum omni familia domus vestræ, hoc fecit, quod nos cum clero facere voluistis. Sed & si voces defuerunt hominum, habet ipsa vestra oblatio apud omnipotẽtem Deũ vocem suam. In eius enim pietate confido, quia cuius corpus vos cooperuistis in terra, eius vos intercessio ab omnibus peccatis proteget in cælo; omnemq́; domum vestrã sua prouisione reget & sua vigilãtia custodiet. De podagræ autem molestia quam vobis euenisse signastis, & contristatus vehementer sum & lætatus. Lætatus, quia humor noxius inferiora, petens, superiora perfectè deseruit: contristatus verò, quia in tam tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Vbi enim caro deest, quæ virtus esse poterit doloribus resistens? Me etenim quẽ qualis fuerim nostis, ita amaritudo animi & assidua exacerbatio, atque præter hoc podagræ molestia affecit, vt corpus meum tanquam in sepultura ita siccatum sit. Vnde fit, vt iam de lectulo rarò surgere valeam. Si ergo mei molem corporis in tantam podagræ dolor ariditatẽ redegit, quid de vestro corpore sentiã, quod nimis siccum ante dolores fuit? De eleemosina verò quam B. Andreæ Apostoli monasterio fecistis, quid necesse est me aliquid dicere, cum scriptum sit: Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & hęc pro te exorabit? Si ergo apud secretas aures Dei habet ipsa bona operatio vocem suam: siue nos clamemus, siue taceamus, hoc ipsum quod bene egistis, clamat. Indico autem, quia ob tanta miracula, tanta cura, tanta custodia monachorum in eodem monasterio eiusdem Apostoli est; ac si specialiter abbas monasterij ipse sit. Nam vt pauca de multis loquar, quæ abbate ac præposito monasterij narrantibus agnoui, edicam. Quadam die duo exinde fratres transmissi sunt, qui aliquid emere pro monasterij vtilitate debuissent; vnus iunior qui prudentior videbatur, alter senior, qui custos iunioris esset. Perrexerunt vtrique, & de precio quod acceperunt, ipse qui custos missus fuerat, nesciente altero de eodem precio furtum fecit. Qui vt ad monasterium sunt reuersi, atque ante oratorij limen venerunt, arreptus à dęmonio is qui furtum fecerat cecidit, & vexari cœpit. Dimissus autem à dæmonio, cõcurrentibus monachis requisitus est num forsitan de eo quod acceperat furtum feciſſet: negauit, iterum vexatus est. Dimissus atque iterum requisitus negauit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negauit, octo vicibus est vexatus. Post octauã verò negationem, necnon vexationem confessus est, quantos nummos furto abstulerat. Et agens pœnitentiam, professus se peccasse testatus est. Vlterius verò ad eum dæmonium non accessit. Alio quoque tempore dum in die natalitio eiusdem Apostoli iam meridianis horis fratres quiescerẽt, subitò quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrẽtes fratres viderunt cæcum apertis oculis tementem, & clamantem, & à præsentibus alienum nihilq́; quod foris agi poterat sentientem. Eumque in manibus leuauerunt, atque ante altare sancti Andreæ Apostoli proiecerunt, ipsique pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est: quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum delaniandum dimisit dicens: Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumque euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, & eundem senem pro me rogauerunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam cõfessus est: quia eo die quo ista pertuli, consilium habueram de eodem monasterio fugere. Alius quoque monachus discedere ex eodem monasterio latenter voluit. Cumque hoc mente tractasset, voluit oratorium ingredi, sed statim dæmonio traditus vehementissimè vexatus est. Relinquebatur verò à dæmonio, & si extra oratorium stetisset, nihil patiebatur aduersi. Si verò conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cumque hoc sæpius fieret, culpam suam confessus est, quia de monasterio egredi cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres, sese per triduum in precibus astrinxerunt, atque ita curatus est, vt ad eum postmodum numquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eundem beatum Apostolum dum vexaretur vidisse, seque ab eo increpatum esse cur de monasterio voluisset abscedere. Alij quoque duo fratres de eodem monasterio fugerunt, atq; aliqua prius colloquẽdo fratribus signa dederunt, quòd per viam Appiam descendentes Hieroiolymam tenderent. Qui exeuntes diuerterunt ab itinere. Et vt à sequentibus inueniri minimè potuissent, retrusas cryptas iuxta Flamineam portam inuenientes, in eis sese occultauerũt. Cùm verò vespertinis horis requisiti minimè in cõgregatione inuenti essent, ascensis caballis eos quidam fratres secuti sunt, perque Metroni portam exeuntes, vt eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur. Subitò autem eis consilium ortum est, vt eos jn Salaria via requirerẽt. Extra ciuitatem igitur pergẽtes deflexerunt iter in Salariam. Eos verò minimè inuenientes, per portam Flamineam decreuerunt reuerti. Cumq́; reuerterentur, mox vt equi eorum ante cryptas illas venerunt, in quibus se absconderant, fixerunt gradum, pulsati & compulsi passum mouere non potuerunt. Considerauerunt monachi rem talem sine mysterio esse non posse. Attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus missa maceria damnatos, sed caballis eorum nusquã euntibus descenderũt. Deposuerunt lapides qui in ore cryptarum positi fuerant, ingressi sunt, eosque in eisdem tenebrosis latibulis terræ consternatos inuenerunt. Qui ad monasterium reducti, ex eodem miraculo ita sunt meliorati, vt eis multum profuerit ad parum temporis de monasterio fugisse. Hæc djxi, vt excellentiæ vestræ innotescerẽt cuius oratorio eleemosynam feciſtis. Omnipotens autem Deus & in anima & in corpore & in omni domo, cælesti vos protectione custodiat, & ad consolationem nostram diu vos viuere concedat. Dilectissimum filium meum dominum Strategium cum gloriosis parentibus suis filijs vestris, mea peto vice salutari.

Dæmon monachũ qui furtũ fecerat vexat.

Qui fugere voluerat è monasterio canis occursu perterretur.

Vela suspendebãtur in Ecclesijs.

Monachi qui egredi volebat è monasterio à malo dæmone vexatur.

Dona cũ Litania deferebãtur ad Ecclesiam.

Eccl. 29.

EPISTO-

EPISTOLA XXXIX.

Detractiones multorum curandas non esse, si nostra conscientia non accusat, plurimis exemplis ostendit. Quòd religionis gratia coniugia non soluantur, & in baptismo omnia peccata dimittuntur. De his etiam agit qui asserunt post pœnitentiam triennio factam, licentiam esse peccandi, quos omnes anathematizat.

GREGORIVS, *Theoctistæ Patriciæ.* Magnas omnipotenti Deo gratias agere debemus, quòd pijssimi & benignissimi Imperatores nostri tales de suo genere iuxta se propinquos habent, de quorum conuersatione nobis omnibus grande sit gaudium. Vnde & pro eisdem dominis continuè nobis orandum est, vt eorum vita cum suis omnibus, protegente cœlesti gratia, per longa tempora & tranquilla seruetur. Indico autem, quòd leuitate populi tumultum contra vos detractionis exortum nunciantibus quibusdam agnoui. Qua ex re excellentiam vestram audio fuisse tædio non modico contristatam. Quod si ita est, valdè miror cur vos qui cor fixistis in cœlo, verba hominum agitent in terra? Beatus enim Iob cùm amici eius qui ad consolandum venerant, in increpationem prosilijssent, ait: Ecce enim in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Qui enim vitæ suæ in cœlo testem habet, iudicia hominum in terra pertimescere non debet. Dux quoque bonorum Paulus dicit: Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Qui iterum dicit: Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero. Si enim laudibus lætamur, & detractionibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. Et fatuæ virgines in vasis suis oleum non sumpserunt, sapientes autem sumpserunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Lampades quippè nostræ, bona sunt opera. De quibus scriptum est: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Tunc autem oleũ in vasis cum lampadibus sumimus, quando de bonis actibus nitorem gloriæ non à laudantibus proximis quærimus, sed hunc in testimonio conscientiæ seruamus. In omne autem quod agimus, vel quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Et si omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat. Quia etsi omnes laudent, liber esse non potest si hunc conscientia accusat. Vnde de Ioanne veritas dicit: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Quod videlicèt per negationem dicitur, non per confirmationem, cùm subditur: Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Quamuis enim iuxta veritatem Euangelij, Ioannes vestimento aspero fuerit indutus: per significationem tamen mollibus vestiti sunt, qui adulationibus ac laudibus delectantur. Negatur autem quia Ioannes arundo vento agitata fuerit: quoniam mentis eius fortitudinem nulla humani oris aura flectebat. Nos enim si laudibus erigimur, aut vituperationibus humiliamur, arundo vento agitata sumus. Sed absit hoc, absit à corde excellentiæ vestræ. Scio, quia magistrum gentium studiosè legistis, qui ait: Ego si hominibus adhuc placerem, Christi seruus non essem. Si qua tamen vel parua tristitia hac ex re menti vestræ exorta est; credo quòd hoc fieri omnipotens Deus benignè permisit. Neque enim electis suis in hac vita promisit gaudia delectationis, sed amaritudinem tribulationis, vt medicinæ more, per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant. Quid namq; dicit? Mundus gaudebit, & vos lugebitis. Sed qua spe? qua promissione? paulò post additur: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Hinc iterum discipulis dicit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Pensate, quæso, vbi erit patientia, si deest quod toleretur. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, *perfecti esse boni non possunt, quia minimè purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. Tres in arca filij Noë fuerunt, vnus irrisor patris extitit, qui etsi in se benedictus fuit, maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham priusquam vxorem Cethuram acciperet, filios habuit: sed tamen carnalis eius filium est repromissionis filium persecutus. Quod magnus doctor exponit, dicens: Sicut autem is qui secundùm carnem est, persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc. Duos Isaac filios habuit, sed vnus qui spiritalis extitit, antè minas carnalis fratris fugit. Duodecim Iacob filios habuit, sed vnum qui rectius viuebat decem in Ægypto vendiderunt. In Dauid Propheta, quia fuit quod purgari debuisset, actum est vt persecutorem filium pateretur. Beatus Iob de societate reproborum dicit: Frater fui draconum, & socius struthionum. Ad Ezechielem Dominus ait; Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. In duodecim Apostolis vnus reprobus mixtus est, vt esset cuius persecutione vndecim tentarentur. Apostolorum princeps discipulis loquitur, dicens: Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria & conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Paulus quoque Apostolus discipulis scribit dicens: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Quia ergo scriptura teste cognoscimus in hac vita bonos sine malis esse non posse, de stultorum vocibus excellentia vestra turbari nullatenus debet, maximè quia in omnipotentis Dei misericordia tunc certè fiducia est, quando pro bono opere aduersitatis aliquid in hoc mundo recipitur, vt plena merces in æterna retributione seruetur. Vnde & in sancto Euangelio veritas dicit: Beati eritis cùm aduersum vos omne malum dixerint homines, mentientes propter nomen meum. Qui in consolatione nostra sua in exemplum adducere opprobria dignatus est: Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Sunt autem plurimi qui vitam bonorum amplius quàm debent laudant, & ne qua elatio de laude surrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem & obiurgationem prorumpere, vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est ergo quòd doctor gentium se in prædicatione currere testatur per infamiam & bonam famam. Qui etiam dicit: Vt seductores & veraces. Si ergo fuerunt qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc seductorem vocarent, quis rogo nunc Christianus debet indignum ducere, pro Christo iniurias audire? Quantæ autem virtutis præcursor nostri Redemptoris fuit, nouimus, qui per sacrum eloquium non solùm plusquàm propheta, sed etiam angelus vocatur; & tamen sicut mortis eius historia testatur, post mortem à persecutoribus eius corpus incensum est. Sed quid ista de sanctis hominibus dicimus? De ipso sancto sanctorum, id est, de Deo, qui pro nobis homo factus est, loquamur, qui antè mortem iniuriam, quia dæmonium haberet audiuit. Post mortem verò à suis persecutoribus seductor appellatus est, cùm diceret: Scimus quia seductor ille dixit, Post tres dies resurgam. Quãta ergo nos peccatores à lingua vel manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in aduentu æterni iudicis iudicandi sumus, si & ipse tanta tam antè quàm post mortem pertulit, qui & iudex venit? Hæc dulcissima & excellentissima filia breuiter dixi, ne quotiens stultos homines tibi derogare cognoscis, qualibet vel paruula mentis tristitia tangaris. Sed quia sedari hoc ipsum stultorum hominum murmur tranquilla ratione potest, esse peccatum credo, si ne bonum quod valet fieri, negligitur vt fiat. Nam cùm placare insanas mentes, atque ad salutem reducere possumus, scandalizare eos minimè debemus. Sunt enim quædam scandala, quæ omnino despicienda sunt, quædam verò cum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa seruentur. Quod sacro Euangelio testante cognouimus, quia cùm veritas diceret: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem: & discipuli responderunt, dicentes: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt? protinus respondit: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et tamen cùm tributum peteretur, prius rationem reddidit, per quam tributum soluere non deberet, atque illicò subiunxit: Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui pri-*

Gen. 9. Gal. 4. Iob 30. Ezech. 2. 1. Pet. 2. Philip. 2. Matt. 5. Matt. 10. Quæ vtilitas ex detractorib. oriatur. 2. Cor. 6. Corpus Ioannis combustũ Ioan. 6. Matt. 27. Scandala quãdo despicienda sunt & fugienda. Mar. 7. Matt. 15. Matt. 17.

mus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies staterem. Illum sumens da eis pro me & te. Quid est quod de scandalizatis, alijs dicitur: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: & alijs ne scandalizentur à Domino tributum soluitur, quod etiam non debetur? Quid est autem quod aliud scandalum esse permisit, aliud verò alijs venire prohibuit? nisi vt nos docere, & illa scandala quæ nos ad peccata implicant, contemnere, & ea quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus mitigare. Vestra itaque excellentia potest, protegente Domino, prauorum hominũ scandala cum magna tranquillitate declinare. Priores enim eorum sponte vobis secretò vocandi sunt, atque ipsis ratio reddenda, & peruersa quædam capitula quæ tenere vos existimant, coram ipsis anathematizanda. Quòd si etiam, sicut dicitur, dari à vobis anathema fictè suspicantur, etiam iureiurando firmandum est vos numquam eadem capitula tenere, numquam tenuisse. Nec vobis indignum videatur tali eis modo satisfacere, nec de imperiali genere sit contra eos aliquod in vestra mente fastigium. Omnes etenim fratres sumus, vnius Imperatoris potestate conditi, & sanguine redempti. Et ideo fratres nostros quantumlibet pauperes & abiectos in nullo despicere debemus. Certè etenim Petrus potestatem regni cœlestis acceperat, vt quęque in terra ligaret vel solueret, essent in cœlo ligata vel soluta: super mare ambulauit, ægrotantes vmbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione suscitabat. Et quia ex admonitione spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio à fidelibus facta est, cur ad gentiles intrasset, & comedisset cum eis, cur eos in baptismate suscepisset. Et tamen idem Apostolorum primus tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum potestate sustultus, querelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exposuit: quomodo vas quoddam velut linteum, in quo quadrupedia terræ & bestiæ & reptilia atque volatilia inerant, de cœlo submitti viderit, vocemque audierit: Surge Petre, occide & manduca, qualiter tres viri venerint, eum ad Cornelium vocantes, qualiter Spiritus sanctus hunc cum eis ire præceperit: qualiter idem Spiritus sanctus qui venire in baptizatos in Iudæa post baptismum consueuerat, in gentibus antè baptismum venit. Si enim cùm à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset; respondere poterat vt pastorem suum oues, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placauit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit, dicens: Venerunt autem mecum sex fratres isti. Si ergo pastor Ecclesiæ Apostolorum princeps signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere: quanto magis nos peccatores cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus? Ad me etenim, sicut nostis, cùm apud vestigia dominorum in regia vrbe demorarer, multi ex eis venire consueuerant, qui de prædictis capitulis accusabantur. Sed teste conscientia fateor numquam in eis aliquid erroris, aliquid prauitatis, aliquid de his quæ contra eos dicebantur, inueni. Vnde & eos opinione contempta familiariter suscipere, & magis ab insequentibus defendere curabam. Dicebatur namque contra eos, quia sub obtentu religionis coniugia soluerent, & quia dicerent, quòd baptisma peccata penitùs non auferret, & si de iniquitatibus suis quis in triennium pœnitentiam ageret, postmodum ei peruersè viuere liceret. Et quia si compulsi aliquid de quibus reprehendebantur anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et si sunt qui certissimè talia sentiunt vel tenent, quia Christiani non sunt dubium non est. Eosque & ego & omnes Catholici Episcopi, atque vniuersa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, contraria loquuntur: Si enim dicunt religionis causa coniugia debere dissolui, sciendum est: quia etsi hoc lex humana concessit, lex diuina tamen prohibuit. Per se enim veritas dicit: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Quæ etiam ait: Non licet dimittere vxorem, excepta causa fornicationis. Quis ergo huic cœlesti legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est: Erunt duo in carne vna. Si ergo vir & vxor vna caro sunt, & religionis causa vir dimittit vxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita vota migrantem; quæ est ista migratio vel conuersio, in qua vna eademque caro, & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si verò vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accusare, quando certum est quòd omnipotens Deus qui minora concessit, maiora non prohibuit? Et quidem multos sanctorum nouimus cum suis coniugibus & prius cõtinentem vitam duxisse, & postmodum ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse. Duobus enim modis sancti viri etiam à licitis abstinere solẽt. Aliquando vt merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando verò vt anteactæ vitæ culpas detergant. Tres etenim pueri in regis Babylonici obsequium deducti legumina ad vescendum petentes, cibis regijs vti noluerunt, non quia culpa esset, si ea quæ Deus creauerat ederent. Noluerunt ergo ea sumere quæ licebat, vt per continentiam virtus excresceret. Dauid verò qui alienam coniugem rulerat, & pro sua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longè post de Bethleemitica cisterna voluit. Quam cũ ei fortissimi milites detulissent, bibere recusauit, eamq; fundendo Domino libauit. Licebat enim ei bibere si voluisset: sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter & à licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum si aquam biberet, etiam viuentium militum sanguinem se fudisse iudicauit, dicens: Num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Proinde cum boni coniuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere; vt se ad continentiam adstringant, & meliorem vitam appetant, licet. Si verò continentiam quam vir appetit, vxor non sequitur, aut quam vxor appetit, vir recusat, diuidi coniugium non licet, quia scriptum est: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Similiter si qui sunt qui dicunt peccata in baptismate superficietenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant soluere? in quo principaliter ad cœlestis munditiæ mysterium anima ligatur, vt absoluta radicitus à peccatis omnibus, soli illi inhæreat, de quo Propheta ait: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Certè enim maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alij contra faciem in eremo sunt inuenti. Sic quippè omnes, qui in sancto baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur: quia eis veluti Ægyptij hostes à tergo moriuntur. Sed in eremo alios hostes inuenimus: quia dum in hac vita viuimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multæ nos tentationes fatigant: & ad terram viuentium tendentibus iter intercludere festinant. Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori: quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quàm vmbra veritatis. In Euangelio Dominus dicit: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed mundus est totus. Si igitur peccata in baptismate funditus minimè dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait: Qui lotus est, mundus est totus. Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse qui redemit. Si qui autem sunt qui dicunt, quia de peccato quolibet triennio pœnitentia agenda est, & post triennium in voluptatibus viuendum; isti adhuc nec prædicamenta veræ fidei, nec sacræ scripturæ præcepta & testimonia nouerunt. Contra hos prædicator egregius dicit: Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Contra hos iterum dicit. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vbi discipulis subiungit: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Hi quippè in carne sunt, qui in carnalibus voluptatibus viuunt. Contra hos dicitur: Neque corruptio incorruptionem possidebit. Si autem dicunt pauci temporis pœnitentiam contra peccatum debere sufficere, vt iterum liceat ad peccatum redire, rectè eos pastoris primi percutit sententia, qui ait: Contigit illis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Magna est e-

nim

Petri potestas.

Petrus Apostolorũ primus.

Act. 10.

Prælati si reprehendantur, reprehensores humiliter audire debent. Act. 10.

Causa religionis coniugia non dissoluuntur. Iulianus, nouel 123. cap. 58. Matt. 19. Marc. 10. Luc. 16. 1. Cor. 6.

Sanctiviri duobus modis à licitis se abstinent. Dan. 1.

1. Par. 11.

1. Cor. 7.

Peccata in baptismo omnino dimittuntur.

Psal. 72.

Ioan. 13.

Post pœnitentiam non esse voluptatibus indulgendum. Gal. 6. Rom. 8.

2. Cor. 15.

2. Petr. 2.

nim contra peccatum virtus pœnitentiæ: sed si quis in eadem pœnitentia perseueret. Nam scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hinc rursum scriptum est: Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum; quid proficit lauatio eius? Mortuum quippe est omne opus peruersum, quod pertrahit ad mortem, quod vita iustitiæ nó viuit. Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit mortuum, qui praua opera quæ se meminit egisse deplorat; sed in eisdem se iterum post lachrymas implicat. Anima itaque quælibet eiusdem mortui lauatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem iustitiæ exurgit. Pœnitentiam enim verè agere, est commissa flere, sed iterum plangenda declinare. Si verò sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur; ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ varijs se existimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas eius veras esse atque valere non æstimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia despiciendi per omnia & anathematizandi sunt, vt vnde veritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur. Si qui sunt igitur qui sub nomine Christiano hæc quæ prædiximus errorum capitula aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere; hos proculdubio & anathematizauimus & anathematizamus. Ex omnibus tamen capitulis in eis, sicut prædixi, qui ad me in vrbe regia venire consueuerunt, nullum omnino errorem cuiuslibet prædicti capituli agnoui: sed neque fuisse existimo. Nam si fuisset, agnouissem. Quia verò sunt multi fidelium, qui imperito zelo succenduntur, & sæpè dum quosdã quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt, eorum infirmitati consulendum est: & sicut prædixi, ratione & mansuetudine sunt placandi. Illis quippe sunt similes de quibus scriptum est: Testimonium illis perhibeo, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam. Vestra itaque excellentia quæ in lectione, in lachrymis, atque in eleemosynis incessabiliter viuit, eorum sicut petij imperitiam placare mansuetis exhortationibus ac responsionibus debet, vt non solùm de semetipsa, sed etiam de illis gloriam æternæ retributionis inueniat. Hæc me vobis dicere nimius amor suasit: quia & in vestra lætitia me crescere, & in vestra tristitia me existimo minorari. Omnipotẽs Deus gratia vos cœlesti custodiat, & salua domini nostri pietate, & pijssimæ dominæ tranquillitate, pro dominorum paruulorum nutrimento vitam vestram longius extendat.

EPISTOLA XL.

Synodicæ epistolæ respondet, agit q̃. de vnitate Ecclesiæ seruanda cura pastorali, & de Simoniaca hæresi fugienda.

GREGORIVS *Isicio Episcopo Hierosolymorum.* Seruata veritate historiæ, quid aliud est quod diluuij tempore humanum genus extra arcam moritur, ad vitam verò in arca seruatur, nisi hoc quod apertè nunc cernimus: quia infideles quosque extra Ecclesiam peccati sui vnda perimit, & fideles suos in fide atque in caritate sanctæ Ecclesiæ vnitas, quasi arcæ compago custodit? Quæ arca videlicèt de imputribilibus lignis compingitur, quia de animabus fortibus atque in bono suo perseuerantibus ædificatur. Et cum à sæculari vita vnusquisque conuertitur, quasi adhuc ligna de montibus succiduntur. Cùm verò ad sanctæ Ecclesiæ ordinem ad aliorum custodiã ducitur, quasi de excisis atq; cõpositis lignis ad seruandam vitam hominum arca ædificatur. Quæ profectò arca cessante diluuio in monte requieuit: quia huius vitæ corruptione cessante, cùm malorum operum fluctus transierint, in cœlesti patria sancta Ecclesia velut in monte requiescet excelso. In huius itaque arcæ ædificatione vos currere relecta fraternitatis vestræ epistola rectæ fidei compage gaudemus: magnasq; omnipotenti Deo gratias exoluimus, qui & immutatis gregis sui pastoribus, fidẽ quam semel sanctis patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit. Prædicator autem egregius dicit: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quisquis igitur cum dilectione Dei & proximi fidei, quæ est in Christo, firmitatem tenet, eundem Iesum Christum Dei & hominis filium apud se à Patre posuit fundamentum. Sperandum ergo est, quia vbi Christus fundamentum est, bonorum quorumque operum sequatur ædificium. Ipsa quoque veritas per se dicit: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Et paulò post subijcit dicens: Ego sum ostium. Ille ergo ad ouile ouium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodem creatore redemptore humani generis vera sentit & prædicat, prædicata custodit, culmen regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorij honoris. Curæ quoque suscepti ouilis solerter inuigilat, ne oues Dei aut peruersi homines praua loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamẽta vitiorum persuadentes deuastent. Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui propter nos homo factus est. Qui dignatus est fieri quod fecit ipse, & infirmitati meæ, & tuæ caritati spiritum sui amoris infundat, atque in omni sollicitudine & custodia circumspectionis oculum nostri cordis aperiat. Quod verò ad sacros ordines rectæ fidei viri perducuntur, eidem omnipotenti Deo sine cessatione gratiæ soluendæ sunt, & pro vita pijssimi & Christianissimi Imperatoris domini nostri, & tranquillissima eius coniuge, & eius mansuetissima sobole semper orandum est, quorum temporib. ora hæreticorum conticescunt: quia etsi eorum corda in insaniam peruersi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen Imperatoris tempore praua quæ sentiunt, eloqui non præsumunt; ita vt apertè videamus impleri quod scriptum est; Congregans sicut in vtre aquas maris. Aqua enim maris sicut in vtre congregata est: quia amara hæreticorum scientia quicquid hodie prauum sentit, in pectore comprimit, & apertè dicere non præsumit. Tua ergo fraternitas spiritaliter edocta rectam per omnia fidem protulit, & quæ quærenda erant, subtiliter enarrauit. Fides itaque vestra, fides est nostra. Ea tenemus quæ dicitis, ea dicimus quæ tenetis. Quia verò peruenit ad nos in Orientis Ecclesijs nullum ad sacrum ordinem nisi ex præmiorum datione peruenire; si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, vt à subiectis sibi Ecclesijs errorem Simoniacæ hæreseos compescat. Nam vt alia taceam, quales esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hos non merito, sed præmio prouehuntur? Scimus autem quanta animaduersione hanc Apostolorum princeps insecutus est, qui primam damnationis sententiam contra Simonem protulit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possidere. Ipse quoque creator ac redemptor humani generis Dominus Deus noster cùm flagellum de resticulis fecisset, de templo cathedras vendentium columbas euertit. Quid est enim aliud in templo columbas vendere, nisi in sancta Ecclesia eam, per quam Spiritus sanctus datur, ad precium manus impositionem dare? Sed cathedræ vendentium columbas euersæ sunt: quia talium sacerdotium in sacerdotio non deputatur. Præterea peruenit ad me, quia in ea Ecclesia quæ Neas dicitur, sæpe in Hierosolymorum vrbe vestræ Ecclesiæ iurgia nascuntur. Vnde sanctitas vestra debet sollicitè cuncta pensare, & quædam mansuetè corrigere, quædam verò quæ corrigi nequeunt, æquanimiter tolerare. Apertè enim videmus, quòd per Psalmistæ vocem à sancta Ecclesia dicitur: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. In dorso quippè onera portantur. Supra dorsum ergo nostrum fabricant peccatores, quando eos quos corrigere non possumus, patiendo portamus. Nauis etenim gubernator cùm aduersari sibi ventum considerat, quosdam fluctus directo clauo exuperat, quosdam verò quos superari non posse præuidet, inflexo cursu prudenter declinat. Sic itaque sanctitas vestra quædam compescendo, quædam tolerando mitiget, vt in sancta Hierosolymorum Ecclesia pacem cohabitantium per omnia conseruet. Scriptum quippe est; Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. In rixa etenim mentis ipsum lumen clauditur bonæ intentionis. Vnde Psalmista dicit: Turbatus est præ ira oculus meus, Et quid iam in nobis boni operis remanet, si pacem ex corde perdimus, sine qua Dominum videre non valemus?

Ioan.10. Quis optimus pastor censeatur. Psal.32. Simonia detestanda est. Act.8. Matt.21. Lib.6.ep.29. Ecclesia quos non potest corrigere æquanimiter tolerat Psal.128. Heb.12. Psal.6.

lemus? Vos itaque ita agite, vt de his quoque qui per iurgiũ perire poterant, mercedis vestræ lucra colligatis. Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cælesti custodiat, & de his qui tibi commissi sunt, fructum multiplicet, ac mensuram supereffluentem ad æterna gaudia reportare concedat.

EPISTOLA XLI.

Li. 7. ep. 57 67 82. & sup. h. l. ep. 3.

De Ioanne Episcopo primæ Iustinianæ, quòd nec ipse nec alius propter infirmitatem deponatur.

GRegorius Anatholio Diacono Constantinop. Scripsit mihi tua dilectio, pijssimum domnum nostrum reuerendissimo fratri meo Ioanni primæ Iustinianæ episcopo pro ægritudine capitis quã patitur, præcipere succedi, ne fortè dũ episcopi iura eadem ciuitas nõ habet, quod absit, ab hostibus pereat. Et quidem nusquam canones præcipiunt, vt pro ægritudine episcopo succedatur. Et omnino iniustum est, vt si molestia corporis irruit, honore suo priuetur ægrotus. Atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in mea anima ex eius depositione veniat. Sed suggerendum est, vt si is qui est in regimine, ægrotat, dispensator illi requiratur talis, qui possit eius curam omnem agere, & locum illius in regimine Ecclesiæ, ipso non deposito conseruare, ac in custodia ciuitatis implere, vt nec omnipotens Deus offendatur, neque ciuitas inueniatur esse neglecta. Si verò idem reuerendissimus Ioannes fortasse pro molestia sua petierit, vt ab episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non † audemus. Quod si hoc ita petere ille noluerit, quod pijssimo Imperatori placet, quicquid iubet facere, in eius potestate est. Sicut nouit, ipse prouideat. Nos tantummodo in depositione talis viri, non faciat permisceri. Quòd verò ipse fecerit, si canonicum est sequimur: Si verò canonicum non est, inquantum sine peccato nostro valemus, portamus.

† al. valemus.

EPISTOLA XLII.

Inf. ep. 43.

De dissensione congregationis eius, & Abbate ordinando.

GRegorius Vrbico Abbati. Valde me contristatum dilectio tua cognoscat, quod tantam in congregatione monasterij nostri confusionem euenisse cognoui, quòd dum de ordinãdo abbate aliquid in Lucusiano monasterio disponeres, non vnum, sed duos penè abbates fecisti; mane, sicut audio, Domitium presbyterum, vespere verò latorem præsentium. Bonum seruum Dei. Ex qua re aspicio quàm dissoluta sit regula monasterij, dum nec monachi eiusdem monasterij tibi ad obediendum parati exiterint, nec tu constanter aliquid disponere potuisti. Vnde vehementer ingemisco, quia aliter esse monasterium nostrum quàm putabam inuenio. Quod ex nulla alia re euenire valuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est, nec cum grauitate aliquid valet disponere: sed modo studet peccantibus leniter blandiri, modò inordinatè & extra modum nimiè irasci. Nam si semetipsam in mentis suæ ratione tenere potuisset, ipsa eius maturitas haberi in reuerentia potuit, & disciplinæ in monasterio ordo seruari. Hoc autem factum deterius puto, quòd prædictum Bonum monachum de monasterio quod construxit, sine iussione mea tollere præsumpsisti, maximè, quia nec ætati eius expedire suspicor, vt possit in regimine præesse. Ideoque volumus vt Domitius presbyter abbas esse Lucusiani monasterij debeat, eique præpositus Lucifer monachus fiat, in cuius requiescere solatio valeat. Ex nostra itaque auctoritate hæc te disponere DEO adiuuante præcipimus. Cui dispositioni si quis præsumpserit ingratus existere, ad nos sine dubio transmittatur. Acceptis ergo scriptis nostris, fratrem & Coepiscopum nostrum Victorem ad Lucusianum monasterium dilectio tua inuitet: quatenus ipse illic missarum solennia celebrare, & prædictum Domitium auctore Deo abbatem ordinare debeat, nedum tuum consilium sequimur, in errorem sicut cæci ducamur. Nam Catellum monachum in Lucusiano monasterio præpositum dilectio tua fieri voluerat. Quod postquã fieri mandauimus, quia monachus non sit, agnouimus. Ex parua enim eulogia, quam Bonus monachus accepit, partem petendo contentionẽ facere in itinere minimè timuit. Quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, tua poterit dilectio scire, si regulam monachorum nosse voluisset. Ex discipulo autem tuo cognouimus: quia tu qui abbas diceris esse, adhuc esse monachus nescis. Et credo, quod non disparis mentis sit in hac diuisione cellarius etiam Lucifer, quem præpositum fieri diximus. Sed tolerabilius est antiquiorem fratrem, quàm nouum & puerum tolerare.

Episcopus abbatem ordinat.

EPISTOLA XLIII.

De xl. solidis Petro Tricalitano dandis.

Sup. ep. 42 prox.

GRegorius, Vrbico, Abbati. Dilectio tua præsentia scripta suscipiens, de solidis Lucusiani monasterij, quos apud eum Salerius notarius noster esse renunciauit, sine mora vel excusatione aliqua xl. solidos fratri nostro Petro Tricalitano episcopo dare studeat: Sed & monachis quos apud se pro eorum salute de eodem monasterio præfatus frater noster abstulit, studij tui sit abbati antefati Lucusiani monasterij districtius imminere, vt alimoniam & vestimenta annis singulis exinde præbere modis omnibus debeat.

EPISTOLA XLIV.

Li. 1. ep. 41

Præcipit vt Agathosæ maritum iam tonsuratum & monachum factum reddere debeat.

GRegorius Hadriano Notario Panormitano. Agathosa latrix præsentium questa est, maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Vrbici abbatis esse cõuersum. Quod quia ad eiusdem abbatis culpam & inuidiam non est dubium pertinere; experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquisitione discutiat, ne fortè cum eius voluntate conuersus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, & illum in monasterio permanere prouideat, & hanc sicut promisit, mutare compellat. Si verò nihil horum est, nec quoddã fornicationis crimen, propter quod viro licet relinquere vxorẽ, prædictam mulierem commisisse cognoueris, ne illius conuersio vxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio; volumus vt maritum suum illi, etiam si iam tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante: quia etsi mundana lex præcipit, conuersionis gratia, vtrolibet inuito posse solui coniugium; diuina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis causa: vir vxorem dimittere nulla ratione conceditur; quia postquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere.

Iulianus Aecl. nouel. tit. 6 §. 8 Sup. eod. l. ep. 59.

EPISTOLA XLV.

Sup. li. 1. ep. 1. & li. 9. ep. 45.

Vt in hostium inuasione, litaniæ fiant, & praui hominum mores emendentur.

GRegorius Vniuersis Episcopis Siciliæ consistentibus. Super afflictiones & gemitus quos annosa hic continuatione de hostibus sustinemus, maior nos metus excruciat, quòd inimicos nostros omni adnisu ad Siciliæ inuasionem cognoscimus festinare. Sed ne hæc illis morientibus, prosperitatem multitudo nostrorũ præbeat peccatorũ, toto nos corde ad Redemptoris nostri remedia conferamus, & quibus resistere virtute nõ possumus, lachrymis obuiemus. Nã quid vobis cauendũ, quidue sit vehementius formidandum, ex istius prouinciæ debetis desolatione colligere. Itaq; hortor, fratres charissimi

vt omni

vt omni hebdomada quarta, & sexta feria litaniam inexcusabiliter indicatis, & contra Barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium imploretis. Sed vt ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilantius studendum est, vt voces actibus adiuuentur. Nam inanis fit oratio, vbi prauа est actio. Quia igitur quanto immane cernitis imminere periculum, tanto simul omnes in fletu debetis & gemitu occupari, filios vestros à sæculari peruersitate sacerdotali quamprimùm adhortatione compescere. Discant iniusta contemnere, & quæ Deo placita sunt amare, vt illos possitis habere ad impetrandam diuinæ misericordiæ gratiam adiutores; ne si neglexeritis, actio eorum preces orationum superet, & sæuientis inimici gladius, quod absit, rescet quos monentis verba non corrigunt. Deus autem noster iustus & pius est, & sicut perseuerantibus in prauitate districtus est, ita conuersis misericors. Ad ipsum ergo tota mente contriti cordis eiulatione curramus, ab ipso ereptionis nostræ solatia postulemus. Quoniam benignus & mitis est, si nos à malis nostris emendatos sua viderit mandata diligere, & hic nos potens est ab hoste defendere, & in futuro æterna nobis gaudia præparare.

EPISTOLA XLVI.

De contentione inter Placidum & Ecclesiam eius.

GREGORIVS, *Dono Episcopo Messanensi.* Nullus vmquam contentionibus finis imponitur, si impleri ea quæ iudicata fuerint differantur. Filius itaque noster Placidus, vir memorandus questus est nobis ea quæ inter eum & actores Ecclesiæ vestræ Dei iudicio definita sunt, fraternitatem vestram nolle complere. Quod si ita est miramur, vt dum quieti vestræ vos deceat studere, contentionis vobis scrupulum reseruetis. Proinde scriptis vos præsentibus adhortamur, vt subtiliter requirere debeatis. Et si quid minus impletum est; si tamen nihil est quod iustè possit obsistere, sine discordia compleatur: quatenus nec sint quibus supradictus magnificus vir se queratur irrationabiliter fatigari, nec vos contra ordinis nostri propositum videamini despexisse quod iustum est. Dat. mense Iunij, Indict. IV.

EPISTOLA XLVII.

De incantationibus & sortilegijs insequendis.

GREGORIVS, *Hadriano notario.* Peruenit ad nos, quòd quosdam incantatores atque sortilegos sueris insecutus. Et omnino nobis sollicitudinem zelumque tuum gratum fuisse cognoscas: sed molestè tulimus, quòd te dubitare ne ab eis nobis contra experientiam tuam surripi potuisset didicimus, cùm certus esse ac scire debueras, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam adscribi. Et ideo studij tui sit sollicitè quærere, & quoscunque huiusmodi inimicos Christi inueneris, ita districta vltione corrigere, vt & nos de experientia tua melius debeamus habere iudicium, & Deo nostro te, quod maximè studendum est, valeas commendare.

EPISTOLA XLVIII.

Quod Episcopus grammaticam artem docere non debeat.

GREGORIVS, *Desiderio Episcopo Galliæ.* Cùm multa nobis bona de vestris fuissent studijs nunciata, ita cordi nostro nata est lætitia, vt negare ea quæ sibi fraternitas vestra concedenda poposcerat, minimè valeremus. Sed post hoc peruenit ad nos, (quod sine verecundia memorare non possumus) fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, vt ea quæ prius dicta fuerunt, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in vno se ore cum Iouis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quàm graue nefandumq; sit Episcopis canere quod nec laico religioso conueniat, ipse considera. Et quamuis dilectissimus filius noster Cãdidus presbyter postmodum veniens, hac de re subtiliter requisitus negauerit, atque conatus vos fuerit excusare, de nostris tamen adhuc animis non recessit: quia quanto execrabile est hoc de sacerdote enarrari, tanto vtrum ita necne sit, districta & veraci oportet satisfactione cognosci. Vnde si post hoc euidenter ea quæ ad nos perlata sunt, falsa esse claruerint, nec vos nugis & sæcularibus literis studere constiterit, Deo nostro gratias agimus, qui cor vestrum maculati blasphemis nephandorum laudibus non permisit, & de concedendis quæ poscitis, securi iam & sine aliqua dubitatione tractabimus. Monachos verò quos vnà cum dilectissimo filio nostro Laurentio presbytero, & Mellito abbate ad reuerendissimum fratrem & coëpiscopum nostrum Augustinum transmisimus, vobis in omnibus cõmendamus, vt fraternitate vestra solatiante, nulla illos ad proficiscendum mora valeat impedire.

EPISTOLA XLIX.

Quod auaritiæ, quæ Idolorum seruitus est, sacerdotes non studeant.

GREGORIVS, *Virgilio Episcopo Arelatensi.* Cùm diuinæ lectionis testimonio idolorum seruitus auaritia nuncupetur, quo studio de templo Dei sit pellenda cognoscitur, & à quibusdam sacerdotibus, quod gementes dicimus, non cauetur. Tenet enim captiuum cor sæua cupiditas, & licitum suadet esse malum quod imperat, atque id agit, vt vno eodemque gladio & dantem & accipientem interimat. Quis igitur post hoc locus contra auaritiam tutus esse præualeat, si Dei illi à prauis sacerdotibus aperitur Ecclesia? Quando ouium septa inuiolata custodiet, qui intrare lupum inuitat? Proh nefas manus illicito munere polluit, & alios se benedictione credit erigere, cùm ipse iam sit propria iniquitate substratus, & sua nihilominus ambitione captiuus. Huius ergo mali rapacitas, quia arcem vestræ mentis nunquam intrauerit, & innoxias habere vos manus de ordinationibus perhibetis; omnipotenti Deo gratias agite, & tanto vos Dei debitores esse cognoscite, quanto illæsi ab huius morbi contagione eo custodiente manssistis. Sed hæc vobis minus quàm poterant bona proficiunt, si hæc & in alijs sollicitè non vetastis. Sicut autem in te istud tibi malum displicuit, ita hoc & in fratre cum dolore zelare debueras. Nam dum diuina præcepta moneant proximos nostros sicut nosipsos debere diligere, non paruæ culpæ est despicere, & quod sibi quisque metuit, alijs non timere. Vel nunc ergo dilectissime frater da operam, vt quod à correptione quiescendo in alijs perdidisti, resarcias, & ab hac quos potueris prauitate compescas, atq; vt synodus aduersandam ipsam hæresim congregari possit insiste: quatenus cum dilectionis vestræ mercede melius ab omnibus caueatur, quod auctore Deo omnium fuerit constitutione damnatum. Peruenit præterea ad nos, fratrem & coëpiscopum nostrum Serenum Massilienſem prauos homines omnino in societate sua recipere, ita denique vt presbyterum quendam, qui post lapsum in suis adhuc dicitur iniquitatibus volutari, familiarem habeat. Quod à vobis subtiliter requirendum est. Et si ita constiterit, curæ vobis sit nostra hoc sic vice corrigere, vt & qui talem recipit, non familiaritate fouere, sed discat potius vltione comprimere: & qui receptus est, idem discat cum lachrymis peccata diluere, non iniquitatem in immunditijs cumulare. Monachos verò quos ad reuerendissimum fratrem & coëpiscopum nostrum Augustinum transmisimus, fraternitas vestra habeat in omnibus commendatos: & ita eis ad proficiscendum solatiari studeat, atq; concurrere, vt vobis sibi opitulantibus celeriter Deo protegente quò directi sunt, valeant peruenire.

Sup.li.7. ep.115.

EPISTOLA L.

De cura pastorali, & de synodo congreganda, & vt in dandis Ecclesiæ ordinibus nihil pecunia vel gratia valeant.

Lib.7.ep. 110.

GREGORIVS *Aetherio Episcopo Galliæ.* Epistolarum vestrarum plena venerabili grauitate locutio ita sibi cordis nostri fixit affectum, vt mutuum semper libeat miscere sermonem: quatenus & si corporali vestra præsentia frui non valemus, nil sibi contra nos absentia hoc intercurrente valeat commercio vendicare. Quantus autem in vobis Ecclesiastici ordinis amor eniteat, quanta sit dilectio disciplinæ, quantum obseruantiæ studium salubrium decretorum, ex illo quod nostram submisse & omnino libenter adhortationem accipitis, & seruandam inuiolabiliter prædicatis, ostenditis. Quia igitur ad aliorum emendationem promptum cor geritis, & vetustatis malum libera, sicut decet, voce damnatis, postquam & alijs fratribus coëpiscopisque nostris ipsa voluntas est, oportet vt vnanimes contra dominicos hostes insurgere, & auaritiam de domo Dei synodali debeatis definitione proijcere, nihil in dandis Ecclesiasticis ordinibus auri fames inueniat, nil blandimenta surripiant, nil gratia conferat, honoris præmium vitæ sit prouectus, sapientiæ incrementum, modestia morum: vt obtinente huiusmodi obseruantia, & indignus qui præmijs quærit ascendere iudicetur, & dignè cui bonum testimonium actio perhibet, honoretur. Hæc vobis dilectissime frater cura sit, hæc animis vestris sollicitudo semper inuigilet, vt & zelum quem litteris ostenditis, cordis vestri testem opere demonstretis. Itaque assiduè instanterq; ad congregandam synodum imminete, & ita vos enixius exhibete, vt nominis dignitatem officij administratione compleatis. De eo verò quod Ecclesiæ vestræ concedendum ex antiqua consuetudine deposcitis, requiri in scrinio fecimus, & nihil inuentum est. Vnde nobis epistolas ipsas quas vos dicitis habere, transmittite, vt ex eis quid concedendum est colligamus. Gesta verò vel scripta beati Irenæi iam diu est quòd sollicitè quæsiuimus: sed hactenus ex eis inueniri aliquid non valuit. Præterea fraternitas vestra monachos quos ad reuerendissimum fratrem & coëpiscopum nostrum Augustinum direximus, habere studeat in omnibus commendatos, suamque illis caritatem propter Deum exhibeat, atq; illis ita studio sacerdotali obnixè concurrat, & suo eos solatio ad agẽdum iter adiuuare festinet, vt dum nulla eis illic res morandi causas intulerit, & hi celerius pergere, & vos mercedem de præstitis inuenire possitis. Dat. die 10. Iulij, Indict. IV.

Irenæi scripta Gregorij tempore non inueniebantur.

EPISTOLA LI.

De Simoniaca hæresi, & monachis Augustino transmissis.

Lib.5.ep. 57.li.12. Inf.62. h.l.

GREGORIVS, *Aregio Episcopo Galliæ.* Cùm in fraterna dilectione vnum cor, vnus sit animus, sicut in alterius prosperis mens lætatur, ita in aduersis affligitur: quia in vtroque participes esse lege caritatis adstringimur. Atque ideo maior nos de tristitia vestra mœror inuaserat, ne fortasse prolixi luctus afflictio assiduo cor vestrum dolore pulsaret, & vitam gemitibus oneraret. Sed susceptis caritatis vestræ epistolis, optato sumus gaudio consolati, atque omnipotenti Deo gratias egimus, quia & humanitatem vestram incolumem, & animum ad consolationem redijsse cognouimus. Nec enim aliter de vobis fuerat existimandum, nisi quia quicquid aduersitatis esset, sacerdotali sine dubio patientia vinceretis. Qualiter præterea in abscindenda Simoniaca hæresi fraternitatis vestræ zelus olim exarserit, benè recolimus. Vnde hortamur vt operam studiosius impendentes, districta inter alia quæ scripsimus, Concilij definitione damnentur: quatenus dum voluntatis nostræ intentio sollicitudinis vestræ fuerit ope completa, & omnipotenti Deo oblationem gratissimam de vitiorum correptionibus offeratis, & ad aliorum ædificationem, qualiter in vobis pastoralis officij cura fulgeat, ostẽdatis. Experientia autem vitæ vestræ nos prouocat, quam valdè multis præminere cognouimus, vt de vobis hac in re grande solatium præsumamus. Et ideò feruorẽ vestrum sicut Deo auctore cœpistis, explete, vt bona quæ in vobis recta intentione cœpta sunt, iuuante Deo creatore omnium rectius impleantur. Præterea monachis quos ad reuerendissimum fratrem & coëpiscopum nostrum Augustinum transmisimus, caritatem suam fraternitas vestra, vt consueuit impendat, & ita eis tam per se quàm per alios quos potuerit ad proficiscendum solatiari studeat, vt dum vobis prouidentibus nullas illic difficultates vel moras habuerint, & nos quod de vobis cõfidimus sentiamus, & Deus vobis omnipotẽs pro conuersione animarum, pro quibus transmissi sunt, suam gratiam recompenset.

EPISTOLA LII.

De Augustino Episcopo Anglorum, & conuersione gentis ipsius.

GREGORIVS, *Mennæ Tolosano, Sereno Massiliæ, Lupo Cauilonn, Agilio Meris, Simplicio, Parisijs, Melantio Rotomagensi & Licinio Episcopis Francorum à paribus.* Licèt fraternitatem vestram suscepti officij cura commoneat, vt religiosis viris, & præcipuè in causa animarum laborantibus, omni debeat adnisu concurrere; non tamen ab re est, si sollicitudinem vestram epistolarum nostrarum sermo pulsauerit: quia sicut ignis aura flante fit grandior, ita bonæ mentis studia commendatione proficiunt. Quia igitur Redemptoris nostri gratia cooperante tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo conuertitur, vt reuerendissimus communis frater & coëpiscopus noster Augustinus eos qui secum sunt, ad hoc opus exequendum per diuersa loca asserat non posse sufficere; aliquantos ad eum monachos cum dilectissimis & communibus filijs Laurentio presbytero & Mellito abbate præuidimus transmittendos. Et ideo fraternitas vestra eis caritatem quam decet exhibeat, atque ita illis vbicunque necesse fuerit auxiliari festinet: quatenus dum vobis opitulantibus nullas illic remorandi causas habuerint, & ipsi vestra se relevatos consolatione congaudeant, & vos solatiorum exhibitione in causa pro qua directi sunt, possitis participes inueniri.

Li.5.ep.52 h.l.ep.9.

EPISTOLA LIII.

Vt ad Simoniacam hæresim eradicandam synodus congregetur.

GREGORIVS, *Theodorico Regi Francorum.* Excellentiæ vestræ index cordis epistola, quanta in vobis fulgeat cum regia potestate prudentia, ita luculenti copia sermonis edocuit, vt dubium esse non valeat quicquid laudabile de vobis fama narrauerat. Et quoniam adhortationem nostram adeo regijs animis vestris per laudis prædicamenta placuisse signastis, vt quicquid ad Dei nostri cultum, quicquid ad Ecclesiarum reuerentiam, quicquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, & studiosè statui, & velitis in omnibus custodiri: iterata vos pro vestra magna mercede adhortatione pulsamus, vt congregari synodum iubeatis, & sicut dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus vitia, & Simoniacæ hæreseos prauitatem omnium Episcoporum definitione damnari, atque de regni vestri amputari finibus faciatis, nec plus illic pecuniam obtinere quàm præcepta Dominica permittatis. Nam cùm omnis auaritia idolorum sit seruitus, quisquis hanc & maximè in dandis Ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni subijcitur, etiam si tenere fidem quam negligit videatur. Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoque contra interiores animarum aduersarios studete esse solliciti, vt per hoc quod DEI nostri inimicis fideliter repugnatis, & hic feliciter ipsius protectione regnetis, & ad æterna postmodum gaudia eius duce gratia veniatis. Quanta præterea bona reuerendissimo fratri, & coëpiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem proficiscenti excellentia vestra præbuerit, reuertentes ab eo quidam monachi retulerunt.. Vnde vberes gratias referentes petimus, vt his quoque monachis qui ad eum

Sup.li.5. ep.58.

directi

directi sunt, suffragia vestra copiosius præbere, atque eos ad proficiscendum iuuare dignemini: vt quanto beneficia vestra eis amplius exhibetis, tanto maiorem vicissitudinem ab omnipotente Deo, cui seruiunt, expectetis.

EPISTOLA LIIII.

Simoniacam hæresim confutandam congregato concilio.

GREGORIVS, *Theodeberto Regi Francorum.* Qui paternę adhortationis verba libenti animo susçipit, & sinu cordis amplectitur, emendatorem se vitiorum fore procul dubio profitetur. Ex qua re satis nos excellentiæ vestræ certos reddit absoluta promissio. Nam eius quem idoneum ad soluendum esse cognoscimus, verba pro pignore retinemus. Itaque excellentia vestra Dei nostri mandatis inhærens, studium ad congregandam synodum pro sua mercede adhibere dignetur, vt omne à sacerdotibus corporale vitium, & Simoniaca hæresis, quæ prima in Ecclesijs iniqua ambitione surrexit, potestatis vestræ imminente censura concilij definitione tollatur, & abscissa radicitus amputetur, ne si plus illic aurum quàm Deus diligitur, qui modò tranquillus in suis præceptis despicitur, iratus in vindicta postmodum sentiatur. Et hæc quidem quia pro vobis loquimur, idcirco imminere sæpius non cessamus, vt prodesse excellentissimis ac dulcissimis filijs nostris vel importunitate possimus. Nam regno vestro per omnia proficit, si quod contra Deum in illis partibus geritur, emendatione vestræ excellentiæ corrigatur. Quanta præterea bona proficiscenti ad Anglorum gentem reuerendissimo fratri & coëpiscopo nostro Augustino excellentia vestra impenderit, referentibus quibusdam monachis, qui ab eo reuersi sunt cognouimus. De qua re maximas gratias exoluentes petimus, vt & monachis præsentium portitoribus quos ad eundem fratrem nostrum direximus, vestra vberius beneficia ministretis: quatenus dum vobis patrocinantibus nullas illic difficultates inuenerint, sed cœptum iter facilè Christo adiuuante, peregerint, vberiorem mercedis vestræ fructum antè Dei nostri oculos faciatis.

EPISTOLA LV.

De socijs Augustini susçipiendis, & Simoniaca hæresi tollenda.

GREGORIVS, *Clothario Regi Francorum.* Inter tot curas & sollicitudines, quas pro subiectarum vobis gentium regimine sustinetis, existere vos in causa Dei laborantibus adiutores, eximiæ laudis & magnæ mercedis est. Et quia tales vos bonis præcedentibus ostenditis, vt præsumere de vobis meliora possimus, petere quæ pro mercede vestra sunt, libentissimè prouocamur. Quidam igitur qui cum reuerendissimo fratre & coëpiscopo nostro Augustino ad Anglorum gẽtem perrexerant, reuertentes, quanta eundem fratrem nostrum excellentia vestra in præsentia positum, caritate refecerit, quantisque suffragijs proficiscentem adiuuerit, narrauerunt. Sed quia illa Deo nostro opera grata sunt semper, quæ à bonis cœptis non recedunt; paterno affectu salutantes petimus, vt monachos præsentium portitores, quos ad prædictum fratrem nostrum vnà cum dilectissimis filijs nostris Laurentio presbytero & Mellito abbate transmisimus, habeatis peculiariter commendatos. Et quicquid illis antè exhibuistis, his quoque ad laudis vestræ cumulum vberius impendatis: quatenus dum vobis prouidentibus cœptum sine mora iter expleuerint, bonorum vestrorum omnipotens Deus recompensator existat, atq; vobis & in prosperis custos, & in aduersitatibus sit adiutor. Præterea peruenit ad nos, quòd sacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et vehemẽter affligimur, si ad Dei dona non meritis acceditur, sed præmijs profilitur. Et quia hæc Simoniaca hæresis prima in Ecclesia surgẽs Apostolorum est auctoritate damnata; petimus vt pro mercede vestra congregari synodum faciatis: quatenus omnium sacerdotum definitione compressa, & radicitus amputata, nullas illic vires deceterò in periculum animarum inueniat, nec vlterius sub qualibet excusatione permittatur exurgere: vt tanto vos omnipotens Deus noster contra aduersarios vestros exaltet, quanto vos in suis mandatis zelum habere, & pro animarum salute, quæ huius fuerant sceleris gladio perituræ, viderit cogitare.

EPISTOLA LVI.

Gratias agit quòd Augustinum adiuuerit, hortaturq; vt monachos ad eam directos susçipiat.

GREGORIVS, *Brunichildæ Reginæ Francorum.* Gratias omnipotenti Deo referimus, qui inter cætera pietatis suæ dona, quæ excellentiæ vestræ largitus est, ita vos amore Christianę religionis impleuit, vt quicquid ad animarum lucrum, quicquid ad propagationem fidei pertinere cognoscitis, deuota mente, & pio operari studio non cesseris. Quanto autem fauore, quantaque opitulatione excellentia vestra reuerẽdissimum fratrem & coëpiscopum nostrum Augustinum proficiscentem ad Anglorum gentem adiuuerit, nec antè silentio fama conticuit, & postea quidam ab eo ad nos monachi redeuntes subtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Christianitate vestra mirentur alij, quibus adhuc beneficia vestra minus sunt cognita: nam nobis, quibus experimentis iam nota sunt, non mirandum est, sed gaudẽdum: quia per hoc quòd alijs impenditis, vos iuuatis. Qualia autem, quantaque in conuersione suprascriptæ gentis Redemptor noster fuerit miracula operatus, excellentiæ vestræ iam notum est. Ex qua re magnam vos oportet habere lætitiam: quia maiorem sibi partem hac in re præstitorum vestrorum solatia vendicant, cuius post Deum auxilijs verbum illic prædicationis innotuit. Nam qui alterius bonum adiuuat, suum facit. Sed vt mercedis vestræ magis magisque sit fructus vberior, petimus vt monachis præsentium apicum portitoribus, quos cum dilectissimis filijs nostris Laurentio presbytero, & Mellito abbate ad prædictum reuerẽdissimum fratrem & coëpiscopum nostrum pro eo quòd illos qui secum sunt, sufficere sibi dicit non posse, transmittimus, patrocinij vestri suffragia benignius ministretis, atque ita eis in omnibus adesse dignemini: quatenus dum bonis excellentiæ vestræ initijs meliora successerint, & nullas illic moras vel difficultates inuenerint, tanto erga vos ac dulcissimos nobis nepotes vestros Dei nostri misericordiam prouoccetis, quanto pro eius vos amore in huiusmodi causis misericorditer exhibetis.

Sup. li. 5. ep. 5. 51. 59 li. 7. ep. 5 lt 9. ep. 50. 56. 57. li 10 ep. 64.

EPISTOLA LVII.

Præcepta Domini custodienda esse regibus, si velint victores euadere.

GREGORIVS, *Brunichildæ Reginæ Francorum.* Quanta in vobis bona diuino munere sint collata, quantaq; vos supernæ gratiæ pietas impleuerit, inter cætera vestrorum testimonia meritorũ illud etiam cunctis patenter insinuat: quia & effera corda gentilium prouidi gubernatis arte consilij, & regiam, quod maioris adhuc laudis est, ornatis sapientia potestatem. Et quoniam sicut multis in vtroque gentibus eminetis, ita quoque eius fidei sinceritate præcellitis, magnam de vobis in emendandis illicitis fiduciam capimus. Nam qualiter adhortationem nostram excellentia vestra amplexa sit, quantaque eandem deuotione gestiat adimplere, scriptorum vestrorum emissa dudum pagina testis est. Sed quia ipse bonarum mentium esse consueuit adiutor, qui etiam earum largitor est; confidimus quòd tanto propitius causas vestras sua pietate disponat, quãto ipse de sua vos videt esse causa sollicitos. Facite quod Dei est, & Deus faciet quod vestrum est. Itaque synodum congregari præcipite, & peccatum Simoniacæ hæresis de regno vestro inter alia, sicut antea scripsimus, definitione concilij studiosius prohibete. Sacrificium Deo deuicto, interiori hoste offerte, vt exteriores aduersarios, ipso adiuuante vincatis, vt quale vos contra inimicos ipsius studium gesseritis, talem illum in vestro iuuamine sentiatis. Mihi autem credite, quia sicut iam experimento multorum didicimus, in damno expenditur quicquid cum peccato

Sup. epist. prox. 56.

congregatur. Si vultis igitur nihil iniustè perdere, summoperè studete per iniustitiam nihil habere. In terrenis etenim rebus semper causam damni est origo peccati. Vos itaque si eminere aduersantibus gentibus vultis, si earum, auctore Deo, victrices existere festinatis, eiusdem omnipotentis Dei cum tremore præcepta suscipite, vt ipse pro vobis contra aduersarios vestros pugnare dignetur, qui per sacrum eloquium pollicitus est dicens: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Exod.14.

EPISTOLA LVIII.

De conuersione gentis ipsius: & vt non glorietur in operationem virtutes, quas plerumque faciunt mali.

Lib.5.ep. 53.54.56. 58.li.12. ep.15.31. Luc.2. Ioan.12. GREGORIVS, *Augustino Episcopo Anglorum.* Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia granum frumenti mortuum cadens in terram, multum fructum attulit, ne solum regnaret in cœlo, cuius morte viuimus, cuius infirmitate roboramur, cuius passione à passione eripimur, cuius amore in Britannia fratres querimus quos ignorabamus, cuius munere quos nescientes quærebamus inuenimus. Quis autem narrare sufficiat quanta hic lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quòd gens Anglorum operante omnipotentis Dei gratia, & tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris sanctæ fidei luce perfusa est, quòd mente & deuotione integerrima iam calcat idola, quibus prius væsano timore subiacebat, quòd omnipotenti Deo puro corde substernitur, quòd à praui operis lapsibus sanctæ prædicationis regulis ligatur, quòd præceptis diuinis animo subiacet, & intellectu subleuatur, quòd vsque ad terram se in oratione humiliat, ne mente iaceat in terra? Cuius hoc opus Ioan.5. est, nisi eius qui ait: Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor? Qui vt mundum ostenderet non sapientia hominum, sed sua se virtute conuertere, prædicatores suos quos in mundum misit, sine litteris eligit, hoc etiam modò faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus est per infirmos operari. Sed est in isto dono cœlesti frater carissime, quod cum magno gaudio vehementissimè debeat formidari. Scio enim quòd omnipotens Deus per dilectionem tuam in gête quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Vnde necesse est vt de eodem dono cœlesti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas verò ne inter signa quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se eleuet, & vnde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus, quòd discipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes, dum cœlesti magistro dicerent: Domine in nomine tuo Luc.10. dæmonia nobis subiecta sunt, protinus audierunt: Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. In priuata enim & temporali lætitia mentem posuerant, qui de miraculis gaudebant. Sed de priuata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam reuocantur, quibus dicitur; In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Non enim omnes electi miracula faciunt, sed tamen eorum omnium nomina in cœlo tenentur adscripta. Veritatis enim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent. Restat itaque frater carissime, vt inter ea quæ operante Deo exterius facis, semper te interius subtiliter iudices, ac subtiliter intelligas & temetipsum qui sis, & quanta sit in eadem gente gratia, pro cuius conuersione etiam faciendorum signorum dona percepisti: Et si quando te creatori nostro seu per linguam, siue per opera reminiscaris deliquisse, semper hæc ad memoriam reuoces, vt surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis signis acceperis vel accepisti, hæc non tibi, sed illis deputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt. Occurrit autem mẽti ista cogitanti, quid de vno Dei famulo actum sit, etiam egregiè electo. Certè Moyses dum Dei populum ex Ægypto educeret, mira (sicut tua fraternitas nouit,) signa in Ægypto operatus est. In Sina monte quadraginta diebus & noctibus ieiunans legis tabulas accepit, inter coruscos tonitruos, pertimescente omni populo, omnipotentis Dei seruitio solus familiari etiam collocutione coniunctus est, rubrum mare aperuit, in itinere ducem habuit nubis columnam, esurienti populo manna de cœlo deposuit, carnes desiderantibus vsq; ad satietatem nimiam in eremo per miraculum ministrauit. Sed cùm iam sitis tẽpore ad petram ventũ fuisset, diffisus est, seq; de eadẽ aquam educere posse dubitauit, quam, iubẽte Domino, percussit, atq; aquas effluentes aperuit. Quanta autem post hæc per triginta & octo annos in deserto miracula fecerit, quis enumerare, quis inuestigare valeat? Quotiens res dubia minimum pulsasset, recurrens ad tabernaculum, secreto Dominum requirebat, atque de ea protinus, Deo loquente, docebatur. Iratum populo Dominum placabat suæ precis interuentione, surgentes in superbia atq; in discordia dissidentes dehiscentis terræ hiatibus absorbebat, victorijs premebat hostes, signa monstrabat ciuibus. Sed cum iam ad repromissionis terram ventum fuisset, vocatus in mõtem est, & quam culpam ante annos triginta, vt dixi, & octo fecerat, audiuit: quia de educenda aqua dubitauit. Et propter hoc quia terram repromissionis intrare non posset, agnouit. Qua in re considerandum nobis est quàm timendum sit omnipotentis Dei iudicium, qui per illum famulum suum tot signa faciebat, cuius culpam tam longo tempore adhuc seruabat in cogitatione. Igitur frater carissime, si & illum agnoscimus post signa pro culpa mortuum, quem omnipotenti Deo nouimus præcipuè electum; quanto nos debemus metu contremiscere, qui necdum adhuc nouimus si electi sumus? De reproborum verò miraculis quid dicere debeo, cùm tua benè fraternitas nouerit quid in Euangelio veritas dicit: Multi venient Matt.7. in illa die dicentes mihi, Domine in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Sed dicam illis, quia nescio qui estis. Recedite à me omnes operarij iniquitatis. Valdè ergo pre- Luc.13. mendus est animus inter signa & miracula, ne fortassis in his propriam gloriam quærat, & priuato suæ exaltationis gaudio exultet. Per signa enim animarum lucra quærenda sunt, & illius gloria, cuius virtute ipsa eadem signa geruntur. Vnum verò Dominus nobis signum dedit, de quo & vehementer gaudere, & electionis gloriam in nobis possimus agnoscere, dicens: In hoc scietur quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Quod signum Prophetare- Ioan.13. quirebat, cùm diceret: Fac mecum Domine signum in bonũ, vt videant qui oderunt me, & confundantur. Hæc autem dico, quia auditoris mei animum in humilitate sternere cupio. Pſal.85. Sed ipsa tua humilitas habeat fiduciam suam. Nam peccator ego spem certissimam teneo, quia per omnipotentis creatoris ac redemptoris nostri Dei & Domini Iesu Christi gratiam iam peccata tua dimissa sunt, & idcirco electus es, vt per te dimittantur aliena. Nec habebis luctum de quolibet reatu in posterum, qui de multorum conuersione gaudium conaris facere in cœlo. Idem verò conditor & redemptor noster cùm de pœnitentia hominis loqueretur, ait: Ita dico vobis, maius gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, quibus non opus est pœnitentia. Et si de vno pœnitente grande fit gaudium in cœlo, quale gaudium factum credimus de tanto populo à suo errore conuerso, qui ad fidem veniens, mala quæ egit pœnitendo damnauit? In hoc itaque cœli & angelorum gaudio repetamus ipsas, quas prædiximus voces angelorum. Dicamus igitur, dicamus omnes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc.2.

De miraculis non esse gloriandum.

De Moysi virtutibus & morte.

EPISTOLA LIX.

De coniuge eius ad meliora exhortando.

GREGORIVS, * *Aldibergæ Reginæ Anglorum.* Qui post terrenam potestatem regni cœlestis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum creatori suo debet enixius laborare, vt ad ea quæ desiderat, operationis suæ gradibus possit ascendere, sicut vos fecisse gaudemus. Romeantes igitur dilectissimus filius noster Laurentius presbyter, & Petrus monachus, qualis erga reuerendissimum fratrem & coëpiscopum nostrum Augustinum gloria vestra extiterit, quantaque illis solatia vel qualem caritatem impenderit, retulerunt. Et omnipotentem Deum benedximus, qui conuersionem gentis Anglorum mercedi vestræ dignatus est propitius reseruare. Nam sicut per recordandæ memoriæ Helenam matrem pijssimi Constantini Imperatoris ad Christianam fidem corda Romanorum accendit, ita & per gloriæ vestræ studium in Anglorum gentem eius misericordiam confidimus operari. Et quidem iamdudum glorioſi filij nostri coniugis vestri animos prudentiæ vestræ bono, sicut reuera Christianæ, debuistis inflectere, vt pro regni & animæ suæ salute fidē quam colitis sequeretur: quatenus & de eo & per eum de totius gentis conuersione digna vobis in cœlestibus gaudijs retributio nasceretur. Nam postquam, sicut diximus, & recta fide gloria vestra munita, & litteris docta est; hoc vobis nec tardum nec debuit esse difficile. Et quoniam, Deo volente, aptum nunc tempus est, agite vt diuina gratia cooperante eum augmento possitis quod neglectum est reparare. Itaque mentem glorioſi coniugis vestri in dilectione Christianæ fidei adhortatione assidua roborate, vestra illi sollicitudo augmentum in in Deum amoris infundat, atque ita animos eius, etiam pro subiectæ sibi gentis plenissima conuersione succendat, vt & magnum omnipotenti Domino de deuotionis suæ studio sacrificium offeratis, & ea quæ de vobis narrata sunt, crescant, & vera esse modis omnibus approbentur: quia bona vestra non solùm iam apud Romanos, qui pro vira vestra fortius orauerunt, sed etiam per diuersa loca, & vsque Constantinopolim ad sereniſſimum principem peruenerunt: vt sicut nobis de Christianitatis vestræ solatijs lætitia facta est, ita quoque de perfecta operatione vestra angelis fiat gaudium in cœlis. Sic vos in adiutorio supradicti reuerendissimi fratris & coëpiscopi nostri, & seruorum Dei quos illuc misimus, in conuersione gentis vestræ deuotè ac totis viribus exhibete, vt & hic feliciter cum glorioso filio nostro coniuge vestro regnetis, & post longa annorum tempora futuræ quoque vitæ gaudia, quæ finem habere nesciunt capiatis. Oramus autem omnipotentem Deum, vt gloriæ vestræ cor & ad operanda quæ diximus, gratiæ suæ igne succendat, & æternæ mercedis fructum vobis de placita sibi operatione concedat.

EPISTOLA LX.

Gratulatur de conuersione gentis ipsius.

GREGORIVS, *Aldiberto Regi Anglorum.* Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat. Quod in Anglorum gente factum cognouimus, cui vestra gloria idcirco proposita est, vt per bona quę vobis concessa sunt, etiam subiectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo glorioſe fili eam quam accepisti diuinitus gratiam sollicita mente custodi. Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum conuersione multiplica, idolorum cultus insequere, fanorum ædificia euerte, subditorum mores in magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monstrando ædifica; vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atq; cognitionem dilatueris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris glorioſius reddet, cuius vos honorem quæritis & seruatis in gentibus. Sic enim Constantinus quondam pijssimus Imperator Romanam Rempublicam à peruersis idolorum cultibus reuocans, omnipotēti Deo nostro Iesu Christo secum subdidit, seque cum subiectis populis tota ad Deum mente conuertit. Vnde factum est, vt antiquorum nomen principum suis vir ille laudibus vinceret, & tanto in opinione prædecessores suos, quanto & in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem vnius Dei Patris & Filij & Spiritus sancti regibus ac populis sibimet subiectis festinet infundere, vt & antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat, & quanto in subiectis suis aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis proprijs ante omnipotentis Dei terribile examen securior fiat. Reuerendissimus autem frater noster Augustinus Episcopus in monasterij regula doctus, sacræ scripturæ scientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque vos admonet, libenter audite, deuotè peragite, studioſè in memoria reseruate: quia si vos eū in eo quod pro omnipotente Deo loquitur auditis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudiet. Si enim quod absit, verba eius postponitis, quando eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in feruore fidei stringite, atque adnisum illius, virtute quam vobis diuinitas tribuit, adiuuate; vt regni sui vos ipse faciat esse participes, cuius vos fidem in regno vestro recipitis, & facitis custodiri. Præterea scire vestram gloriam volumus; quia sicut in scriptura sacra ex verbis Domini omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi iam terminus iuxta est, & sanctorum regnum venturum est, quod nullo vnquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent quæ ante non fuerunt, videlicet immutationes aëris, terroresque de cęlo & contra ordinem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræmotus per loca. Quæ tamen nō omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies omnia subsequentur. Vos itaque si qua ex his euenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo vestrum animum perturbetis: quia idcirco hæc signa de fine sæculi præmittuntur, vt de animabus nostris debeamus esse solliciti, de mortis hora suspecti, vt venturo iudici in bonis actibus inueniamur præparati. Hæc nunc glorioſe fili paucis locutus sum, vt cùm Christiana fides in regno vestro excreuerit; nostra quoque apud vos locutio latior excrescat; & tanto plus loqui libeat, quanto se in mente vestra gaudia de gentis vestræ perfecta conuersione multiplicant. Parua autem xenia transmisi, quæ vobis parua non erunt, cùm à nobis ex beati Petri Apostoli fuerint benedictione susceptа. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam quam cœpit custodiat atque perficiat, atque & hic vitam vestram per multorum annorum curricula extendat, & post longa tempora in cœlestis patriæ congregatione suscipiat.

Reges sacerdotum monita audire debēt.

Signa futuri iudicij cur à Domino ostendātur.

EPISTOLA LXI.

De his qui ab hæreticis in Trinitatis nomine baptizantur non rebaptizandis, qui in Occidente per manus impositionem, chrismate verò in Oriente, sanctæ Ecclesiæ reconciliantur. De his verò qui in Trinitatis nomine non baptizantur rebaptizandis. Scribit etiam de sancta Maria, quare dicatur mater & ancilla. Et Nestoriani hæretici ad fidem reuersi, quid promittere debeant.

GREGORIVS *Quirino Episcopo, & cæteris Episcopis in Hybernia Catholicis.*

Quia caritati nihil est longè, quos diuidunt loca, iungat epistola. Lator itaq; præsentium ad beati Petri Apostolorum principis limina veniens, fraternitatis vestrę se asseruit ad nos epistolas accepisse, easq. in Hierosolymorum vrbe cum reb. quoque alijs perdidisse. In quibus, sicut ipse ait; studuistis inquirere, sacerdotes ac plebes quæ Nestorianæ hæreseos errore confusæ sunt, cùm ad matrem electorum omnium Catholicam Ecclesiam reuertuntur, vtrum debeant baptizari, an certè solius veræ fidei confessione eiusdem matris Ecclesiæ viscеribus adiungi. Et quidem ab antiqua patrum institutione didicimus, vt qui apud hæresim in Trinitatis nomine

De conf. dist. 4. c. 44.

bapti-

baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ reuocentur. Vnde Arianos per impositionem manus Occidens, per vnctionem verò sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophisitas verò & alios ex sola vera confessione recipit: quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ viscera fuerint vniti. Hi verò hæretici qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani & Cathaphrygæ, quia & illi Christum Dominum non credunt, & isti sanctum Spiritum peruerso sensu esse quẽdam prauum hominem Montanum credunt, quorum similes multi sunt, & alij tales cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, baptizãtur: quia baptisma non fuit, quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt. Nec potest hoc ipsum iteratum dici baptisma: quod, sicut dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum. Nestoriani verò quia in sanctæ Trinitatis nomine baptizantur, sed eos Iudaicæ perfidiæ similes, Incarnationem vnigeniti non credentes, suę hæreseos error obscurat. Et ideo ad sanctam Ecclesiam Catholicam venientes de veræ fidei firmitate & confessione docendi sunt, vt vnum eundemque Dei & hominis Filium, Deum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM credant, ipsum existentem in diuinitate ante sæcula, & ipsum factum hominem in fine sæculorum: quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Verbum verò carnem sic dicimus factum, non immutando quod erat, sed suscipiendo quod non erat. Incarnationis enim suæ mysterio vnigenitus patris nostra auxit, sua non minuit. Vna itaque persona est verbum & caro, sicut ipse ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo. Qui filius Dei in cœlo, erat filius hominis qui loquebatur in terra. Hinc Ioannes ait: Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum. Qui nobis quem sensum dederit, illico subiunxit: Vt cognoscamus verum Deum. Quem in hoc loco verum Deum insinuat, nisi patrem omnipotentem? Sed quid etiam de omnipotente filio sentiat adiunxit: Et simus in vero eius filio Iesu Christo. Ecce ait verum Deum patrem, verum eius Filium Iesum Christum. Quem verum filium quid esse sentiat, apertius ostendit: Hic est, inquit, verus Deus & vita æterna. Si igitur iuxta errorem Nestorij alius verbum, atque alius esset homo Iesus Christus, qui verus est homo, vtique verus Deus non esset & vita æterna. Sed vnigenitus filius verbum ante sæcula factus est homo. Hic est ergo verus Deus & vita æterna. Certè cum hunc sancta virgo conceptura esset, & loquentem ad se Angelum audiret, ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi sicut dicis. Quæ cum eum concepisset, & ad Helizabeth cognatam suam pergeret, ab eadem Helizabeth protinus audiuit: Vnde ego digna, vt mater Domini mei veniat ad me? Ecce eadem virgo & ancilla Domini dicitur & mater. Ancilla enim Domini, quia verbum ante sæcula vnigenitus æqualis est patri: mater verò, quia in eius viscera ex sancto Spiritu de eiusque carne factus est homo. Neq; alterius ancilla, alterius mater: quia dum vnigenitus Dei existens ante sæcula ex eius vtero natus est homo, inuestigabili miraculo facta est & ancilla hominis per diuinitatem, & mater Verbi per carnem. Non autem prius in vtero virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem: sed mox vt verbum venit in vtero, mox verbum seruata propriæ veritate naturæ factum est caro. Et perfectus homo, id est, in veritate carnis & animæ rationalis, natus est per vterum virginis vnigenitus Filius Dei. Vnde & vnctus præ participibus dicitur, sicut Psalmista ait: Vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vnctus quippe est oleo, dono videlicet Spiritus sancti. Sed præ consortibus vnctus est: quia omnes nos prius peccatores homines existimus, & postmodum per vnctionem sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem qui existens Deus antè sæcula, per sanctum Spiritum in vtero virginis homo conceptus est in fine sæculorum, ibi ab eodẽ spiritu vnctus est, vbi conceptus. Nec antè conceptus & postmodum vnctus est, sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne virginis concipi, à sancto Spiritu vngi fuit. Hanc ergo natiuitatis eius veritatem quicunque à peruerso errore Nestorij reuertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ congregatione fateantur, eundem Nestorium cum omnibus sequacibus suis, & reliquas hæreses anathematizantes. Venerandas quoque synodos quas vniuersalis Ecclesia recipit, se recipere, & venerari promittant, & absque vlla dubitatione eos sanctitas vestra seruatis eis proprijs ordinibus in suo cœtu recipiat, vt dum & per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atq; eos per veram scientiam recta quæ tenere debeant docetis, & per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de proprijs suis ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis. Et tanto vobis apud omnipotentem Deũ æternæ gloriæ crescat retributio, quanto multos colligitis qui vobiscum in Domino sine fine glorientur. Sancta itaque Trinitas orantes pro nobis sua vos protectione custodiat, vobisq; in amore suo dona adhuc multipliciora concedat.

Damascenus in lib. de duabus Christi voluntatib. De conſ. dist. 4. c. 34

Ioan. 1.

Ioan. 3.

1. Ioan. 1.

Luc. 1.

Virgo quo modo mater & ancilla dicatur.

Psal. 44.

Qui ab hæresi reuertuntur, se synodos amplecti profiteri debent.

EPISTOLA LXII.

Candidum presbyterum commendat.

GREGORIVS, *Aregio Episcopo Galliarum.* In quanta ad nos memoria fraternitatis vestræ sit caritas, cordis vestri secreta requirite, & ex eo quem circa nos habet amorem colligetis. Et quoniam sincera in dilectione, nec vires absentia, nec locum habet obliuio; ita sibi sæpius imaginata vestræ fraternitatis præsentia mens nostra reficitur, ac si corporeis vos oculis coram nobis sisti cernamus: quia nec abesse creden dus est, qui per dilectionis vinculum animis inhæret. Quia ergo tanta in vobis sacerdotalis grauitatis ornamenta conspeximus, vt de vestro omnino instituto & moribus lætaremur, multa animis nostris de sollicitudine vestra promittimus. Vnde quia sic ea quæ Dei sunt agitis, sic in commissi vobis gregis custodia vigilatis, vt tamen ea quæ ex latere sunt, prudenti moderamine dispensetis, latorem vobis præsentium Candidum presbyterum communem filium commẽdamus, vt opem illi, in quibus necesse fuerit, pro vtilitate pauperum impendatis: quatenus dum fraternitatis vestræ fuerit, sicut confidimus, fultus auxilio, in eius vos consolatione nos inuenisse se sentiat.

Sup. ep. 51. h. l. & li. 5. ep. 57. l. 12. ep. 12. in med.

EPISTOLA LXIII.

Augustinum Episcopum commendat.

GREGORIVS *Virgilio Episcopo Arelatensi.* Quantus sit affectus venientibus spontè fratribus impendendus, ex eo quòd plerunque solent caritatis causa inuitari, cognoscitur. Et ideo si communem fratrem Augustinum Episcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio vestra sicut decet affectuosè dulciterque suscipiat, vt & ipsum consolationis suæ bono refoueat, & alios qualiter fraterna caritas colenda sit doceat. Et quoniam sæpius euenit, vt hi qui longè sunt positi, prius ab alijs quæ sunt emendanda recognoscant, si quas fortasse fraternitati vestræ sacerdotum vel aliorum culpas intulerit, vnà cum eo residentes, subtili cuncta inuestigatione perquirite. Et ita vos in ea quæ Deũ offendũt, & ad iracundiam prouocant, districtos ac sollicitos exhibete, vt ad aliorũ emendationem, & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falsa opinio non affligat. Dat. die x. Kalend. Iul. Indict. IV.

Sup. li. 4. ep. 50. & li. 5. ep. 55. & li. 7. ep. 115. li. 9. ep. 49.

EPISTOLA LXIV.

De emendandis sacerdotibus qui prauè vitam instituunt.

GREGORIVS, *Brunichildæ Reginæ Francorum.* Cùm scriptum sit, Iustitia eleuat gẽtem, miseros autem facit populos peccatum; tunc regnum stabiliri creditur, cum culpa quæ cognoscitur, citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione peruenit, quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus, ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudicè ac nequiter conuersari, vt & audire nobis opprobrium, & lamentabile sit referre. Ne ergo postquam huius nequitiæ huc usq; se tetendit opinio, aliena prauitas aut nostram animam,

Sup. li. 5. ep. 59. l. 7. ep. 5. & 8. l. sup. ep. 50. 56. 57. Prou. 14.

aut vestrum regnum peccati sui iaculo feriat, ardenter ad hæc debemus vlciscenda consurgere, ne paucorum facinus multorum possit esse perditio. Nam causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim populi se peccatis intercessor obijciat, si sacerdos qui exorare debuerat, grauiora committat? Sed quoniam eos quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem, nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrat, vt personam si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ vnà cum alijs sacerdotibus hæc & subtiliter quærere, & secundùm Deum debeat emendare. Nec enim sunt dissimulanda quæ dicimus: quia qui emendare potest & negligit, participem se proculdubio delicti constituit. Prouidete ergo animæ vestræ, prouidete nepotibus quos cupitis regnare feliciter, prouidete prouincijs; & priusquam creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione huius sceleris studiosissimè cogitate, ne tanto postmodum acrius feriat, quanto modò diutius & clementer expectat. Scitote autem, quòd Deo nostro magnũ sacrificium placationis offertis, si tanti labem facinoris de vestris citius finibus amputatis.

EPISTOLA LXV.

Aurelium presbyterum commendat.

GREGORIVS *Candidæ presbytero Galliæ.* Lator præsentium filius noster Aurelius presbyter à Galliarum partibus veniens petijt, vt sicubi in possessionibus beati Petri Apostolorum principis oratorium aut locus qui presbytero vel abbate indiget, inueniri potuerit, ei debeat committi: quatenus & ipse subsidium vitæ præsentis inueniat, & nos inueniamur petitioni illius paruisse. Proinde dilectioni tuæ eum omnibus modis commendamus, vt in quo vsus exegerit, ei tua dilectio concurrat, & scriptorum nostrorum illic solatium inueniat.

EPISTOLA LXVI.

De Hilario criminatore Ioannis non punito, & si negligens sit episcopus in vicedomino eligendo, cum clerus possit eligere.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono Campaniæ.* Cùm fortius punienda sint crimina quæ insontibus, & maximè sacratis ordinibus ingeruntur; quàm sitis culpabiles omnes qui in causa Ioannis diaconi residistis attende, vt Hilarium criminatorem ipsius nulla ex definitione vestra pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram credatis esse idoneum, quod vobis quasi iudicare volentibus, solus frater & coepiscopus noster Paschasius dicitur distuliſſe. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius vni à multis rationabiliter suaderi, quàm multi ab vno poterant sine causa differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet vltione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, vt eundem Hilarium prius subdiaconatus quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum, faciat in exilium deportari, vt vnius pœna multorum possit esse correctio. Cuius si fortè lenitatem diaconi sui adhuc opinio lacerata non commouet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit; experiẽtia tua hæc quæ diximus faciat, & de illius nobis neglectu renunciet. Hortandus præterea idem frater ex nostro mandato est, vt se in omnibus vigilantem exhibeat, & Ecclesiæ suæ amplius disciplinam non negligat, ne & peccatum de his qui ei commissi sunt sustineat, & nos contra se vehementer stimulet, si in officij sui cura, quod non optamus, incautus vel lentus extiterit. Volumus autem vt memoratus frater noster Paschasius & vicedominum sibi ordinet, & maiorem domus: quatenus possit vel hospitibus superuenientibus, vel causis quæ eueniunt, idoneus & paratus existere. Si verò & negligentem eum prospicis, & ea quæ diximus implere differentem; omnis clerus eius adhiberi debet, vt communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea quæ prædiximus valeant ordinari.

EPISTOLA LXVII.

De monasterio Marciano, illius monasterio coniungendo.

GREGORIVS, *Agapito Abbati.* Ne rebus venerabilibus vel cuilibet cultui desit obsequium, nostra debet sollicitè cura prospicere. Quia igitur monasterium quod in fundo Marciano prouinciæ Campaniæ situm est, ita hostilitate facientes, à congregatione funditus dicitur desolatum, vt ne vnus exinde monachus, qui aliquam illic sollicitudinem, vel curam debeat adhibere, remanserit; tuo illud monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actiones, vtile prospeximus vniendum, vt res eius tenendi, vel à detinentibus vendicandi libera tibi sit, & sine aliqua dubietate licentia. In quo etiam studij tui sit monachos deputare, qui illic tempore quo interuallum de hoste fuerit, & opus Dei celebrare, & decenter debeant deseruire. Nec aliqua illud præsumas excusatione negligere; quod ideo curæ tuæ, vt sollicitudinem illic debeas adhibere committitur. Ipsum autem monasterium sic tuæ nos ordinationi commisisse cognoscas, vt tamen iurisdictionem illic non Episcopus Surrentinus, in cuius ciuitate monasterium tuum est, sed Nucerinus cuius est diœcesis habeat. Nam sic huius loci ordinationem disponimus, vt tamen iura sua singulis Episcopis inuiolata seruemus.

EPISTOLA LXVIII.

De Ecclesia sancti Georgij restauranda.

GREGORIVS *Mariniano Abbati.* Quia Ecclesiam sancti Georgij positam in loco, qui ad sedem dicitur, minorem quàm oportet diligẽtiam habere cognouimus, vtile esse prospeximus, quoniam monasterium tuum eidem Ecclesiæ noscitur esse coniunctum, eius tibi curam committere: hortantes vt & sollicitudinẽ illic congruam studeas adhibere, & psalmodiæ officium soleniter exhibere facias. Et quia Ecclesiam ipsam reparatione certum est indigere; volumus vt quicquid illuc accedere potuerit, ipse accipere, atq; in eius reparationẽ, vt præuideris, debeas erogare. Hãc verò sollicitudinis curam, quam tibi huius pagina præcepti mandauimus, tam te quàm etiam successores tuos, qui monasterij regimen Deo auctore susceperint, exhibere, & quæ constituimus per omnia volumus obseruare.

EPISTOLA LXIX.

Lib. 7. ep. 6. 15. & 69

De peruersitate Andreæ monachi, qui falsauit litteras Gregorij, qui græcam linguam ignorabat.

GREGORIVS, *Eusebio Episcopo Thessalonicensi.* Lator præsentium Theodorus Ecclesiæ vestræ lector ad sanctorum Apostolorum limina veniens, dum omnes, homo quippè nouus, haberet incognitos, Andreæ monacho, qui ad sanctum Paulum inclusus fuerat, res & chartas quas detulit, vt reuera olim noto, innocenter deposuit, credens quidem quòd mens ipsius, sicut & nos antè habueramus, cùm habitu concordaret. Sed tantæ ille prauitatis inuentus est, vt si eius stultitiæ sub inclusionis suæ specie paulò adhuc ampliùs licuisset, multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet, & quocunq; potuisset, non leuia scandala generaret. Nam inter alia quæ idẽ Andreas pessimè cogitauit & fecit, eam quoq; quã ad nos misistis, dum apud ipsum à præfato latore esset deposita, ita falsauit epistolam, vt quicunq; eam legeret, vos nec catholica, nec recta sapere euidẽter argueret. Ex qua re contigit, vt dum veritatem studiosè quæreremus, eius quæ latebat iniquitas vulgaretur. Et tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocunq; laico crederẽtur. Et quia inter diuersa mala aliquos etiam sermones scripsit, atq; eos ex nostro nomine titulauit, & suspecti sumus ne eos alicubi transmiserit, fraternitas vestra sollicitudinẽ gerat, & si quid tale repererit, eos & exscindi, & omnino faciat aboleri, vt quod imperitus litterarum, & scripturæ

diuinæ

diuinæ nescius, nostro, sicut diximus, nomine prænotauit, quorundam animos non possit inficere. Nam nos nec Græcum nouimus, nec aliquod opus aliquando Græcè conscripsimus. Alia verò mala ipsius, vel quid de eo à nobis in Concilio statutum sit, antedicti portitoris, quem fraternitati vestræ in omnibus commendamus, quia præsens inuentus est, relatione cognoscetis. Hortamur præterea atque admonemus, vt communem filium Lucam presbyterum, de quo populus, quantum dicitur, non modica suspicione mordetur, publicè de se satisfacere, & fidem suam moneas confiteri, atq; sanctas Synodos, quas Apostolica veneratur Ecclesia, se suscipere & sequi modis omnibus fateatur, atque inter alia Nestorium & Seuerum, ac sequaces eorum specialiter anathematizãdo condemnet, vt hac satisfactione in filiorum vestrorum cordibus nullum per illius occasionem contra vos possit scandalum remanere. Qui si fortè, quod non credimus, facere hoc aliqua excusatione distulerit; nihil vobis cum illo commune sit, sed à familiaritate atque communione vestra per omnia segregandus est. Nam sicut antè iam scripsimus, melius est de ouili Dominico morbosam ouem eijcere, quam vnius vitio sanas amittere. Hæc igitur frater carissime diligenter attende, & ita stude, vt & filios vestros vnitos ac deuotos, sicut decet, habere possitis, & hac de causa denuo ad nos querela non redeat. Latorem verò præsentium, vt præfati sumus, in omnibus cõmendamus: qui quoniam prius à malo monacho innocenter deceptus est, & postmodùm in conuictione eius fortiter perstitit, laboris sui retributionem hic apud vestram fraternitatem inueniat: quamuis quia in æterna ei patria compensetur, certus existo. Si autem rursus ad orationem huc ad sanctos Apostolos venire voluerit, eum fraternitas vestra sine aliqua mora retransmittat.

gregorius nihil græcè scripsit.

Suspecti fidem publicè confiteri debent & hæreses detestari. Lib. 7. Indict. 2. ep 6

EPISTOLA LXX.

De morte fratris eius, & vt operibus caritatis studeat.

GREGORIVS, *Aurelio ex Francis.* Audito dulcissimi filij mei fratris vestri transitu, quo sim mœrore perculsus, epistolaris non valet explere locutio. Sed omnipotẽtem Deum rogo, vt suæ vos gratiæ aspiratione consoletur; vosq; & à malignis spiritibus, & à peruersis hominib. cœlesti protectione custodiat. Nam si quos post illius obitum tumultus quorundam aduersantiũ sustinetis, nolite mirari. Si vos frui bonis in terra vestra, id est, in terra viuentium quæritis, mala hominum in terra aliena portare debetis. Peregrinatio quippe est vita præsens, & qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus, etiam si blandus esse videatur. Vobis autem qui patriam quęritis, inter suspiria quæ habetis, etiam gemitus audio humanæ oppressionis exurgere. Quod mira omnipotentis Dei dispensatione agitur, vt dum veritas per amorem vocat, mundus præsens à seipso animum vestrum per tribulationes quas ingerit, repellat: tantoque facilius ab amore huius sæculi mens exeat, quanto & impellitur dum vocatur. Itaque quod cœpistis, hospitalitatis curam impendite. In oratione & lachrymis instantissimè laborate. Eleemosynis, quas semper amastis, iam nunc largius atque vberius operam date; vt tanto post in retributione crescat vobis fructus operis, quanto hic excreuerit studium laboris.

EPISTOLA LXXI.

Dat mandata Augustino episcopo porrigenda in gentium conuersione.

GREGORIVS, *Mellito Abbati in Francijs.* Post discessum congregationis nostræ, quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi: quia nil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cum verò vos Deus omnipotens ad reuerẽdissimum virum fratrem nostrum Augustinum episcopum perduxerit: dicite quòd diu mecum de causa Anglorum cogitans tractaui, videlicet quia fana idolorũ destrui in eadem gẽte minimè debeant, sed ipsa quæ in eis sunt, idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur: quia si fana eadem benè constructa sunt, necesse est vt à cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari, vt dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consueuit, familiarius concurrat. Et quia boues solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari: vt die dedicationis vel natalitio sanctorum martyrum quorũ illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa eas dem Ecclesias quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solennitatem celebrent. Nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esuo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant: vt dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est: quia is qui locum summum ascendere nititur, necesse est vt gradibus vel passibus, non autem saltibus eleuetur. Sic Israelitico populo in Aegypto Dominus se quidẽ innotuit: sed tamen eis sacrificiorum vsus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reseruauit, vt eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet: quatenus cor mutantes aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent, vt etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueuerant, veruntamen Deo hæc & non idolis immolantes, iam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, vt ipse in præsenti illic positus perpendat qualiter omnia debeat dispensare. Dat. die 12. Kal. Iulij, Indictione IV.

Festa paganorum in Christianismũ sensim cõmutanda sunt.

Sacrificiorum vsus cur ab Israelitico populo retineretur.

EPISTOLA LXXII.

Præcipit vt Romam quantocyus veniat.

GREGORIVS, *Claudio Abbati.* Veniente viro reuerendissimo Seuero Episcopo, tuam quoque dilectionem credidi ad beati Petri Apostolorum principis limina pariter venire: quia & ita mihi fuerat nunciatum, & valdè ex eodem nuncio lætabar. Sed credo te occupationibus monasterij præpeditum, & idcirco ad me minimè venisse. Epistolas verò quas dilectio tua antè hoc tempus transmiserat accipiens, sicut voluisti, secreto relegi. Sed de tribus personis, de quibus scripseras, nihil vidi esse possibile, de ea maximè persona, quæ hic apud me fuit, non suspicor posse aliquid tale vtiliter fieri, quæ aut naturæ simplicitate, aut negligentia torpere mihi visa est. Et ideo dilectio tua si quid valet illic requirat & sollicitè disponat, atque ad me veniat. Si verò venire non valet, vel post aliquantum temporis venire debet: vt vsque ad quinque vel sex menses, si vita comes fuerit, mecum faciat, & posteà ad propria reuertatur. Omnipotentis Dei gratia ab omni te aduersitate custodiat:

EPISTOLA LXXIII.

De reliquijs sancti Laurentij.

GREGORIVS, *Petro Episcopo Hidruntino.* Opportunus abbas monasterij sancti Leontij, quod in quinto Romanæ vrbis milliario situm est, sanctuaria eiusdem martyris, quæ de Ecclesia nomini ipsius dicata, vt astruit, furto ablata sunt, sibi denuò postulat debere concedi, vt in loco eodem recondantur. Et ideo frater carissime, quia eiusdem beatissimi martyris corpus in Brundusij Ecclesia, cui visitationis impendis officium, esse dignoscitur; præfati viri desiderijs ex nostra te præceptione conuenit obedire, vt in deuotione quam postulat, sortiatur effectum.

Dat. mense August.
Indict. IV.

(·.·)

Ne templa idolorum destruantur, sed ipsa idola.

Aqua benedicta aspergantur fana.

EPISTOLA LXXIIII.

De Aleria atque Adiacio ciuitatibus sine episcopis.

GREGORIVS, *Bonifacio defensori Corsicæ.* Experientia tua non sine culpa est, quòd Aleriam atque Adiacium ciuitates Corsicæ diu sine episcopis esse cognoscens, clerum & populum earum ad eligendum sibi sacerdotem distulerit commonere. Quæ quoniam sine proprio amplius non debent esse rectore, præsenti auctoritate susceptа, clerum & populum singularum ciuitatum hortari festina, vt inter se dissentire non debeant, sed vno sibi consensu, vnaquæque ciuitatis consecrandum eligat sacerdotem. Et facto decreto ad nos is qui fuerit electus, adueniat. Si autem in vno consentire noluerint, sed in duorum se electione diuiserint, similiter decretis ad nos de more factis adueniant, vt requirentes de vita, actu & moribus eorum, is qui vtilior visus fuerit, ordinetur. Quia verò multi illic pauperes opprimi ac pati præiudicium perhibentur; experientia tua sollicitudinem gerat, & grauari eos contra iustitiam non permittat, sed ita studeat, vt nec agentes contra rationem impediri, nec hi contra quos agitur iniustè valeant dispendium sustinere. Præterea peruenit ad nos, quòd quidam clericorum te illic posito à laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ noueris reputari: quia hoc fieri si homo esses, non debuit. Et ideo decetero sollicitudinem te habere necesse est, vt hoc fieri non permittas: sed si quis contra aliquem clericum causam habuerit, episcopum ipsius adeat. Qui si fortè suspectus fuerit, executor vel ab ipso, aut si & hoc actor refugerit, à tua est experientia deputandus, qui partes sibi mutuo cõsensu iudices compellat eligere. A quibus quicquid fuerit definitum, ita vel tua vel episcopi sollicitudine, seruata lege, modis omnibus compleatur, vt non sit vnde se possint litigijs fatigare.

EPISTOLA LXXV.

De eo quòd eas commendauerit Ioanni episcopo, & Romano defensori. Et de xenio ab eis sibi transmisso.

GREGORIVS, *Barbaræ & Antoniæ.* Susceptis epistolis vestris, omnimodo cognita vestra sospitate lætatus sum, atq; omnipotentem Deum deprecor quò vos & à malignis spiritibus in cogitatione, & à peruersis hominibus atque ab omni contrarietate sua protectione custodiat; sicq; vos cũ timoris sui gratia dignis coniunctionibus ordinet, vt omnes nos in vestra ordinatione lætificet. Vos autem dulcissimæ filiæ in eius adiutorio spem vestram ponite, & sub vmbra defensionis illius semper & orando & benè agendo malorum hominum insidias declinate. Quæcunque enim humana solatia vel aduersitates fuerint, nulla sunt, nisi aut eius gratia protegat, aut eius offensa perturbet. In nullo igitur hominum spem ponatis, sed totam mentem in fiducia Dei omnipotentis astringite. Nobis ergo dormientibus, ille vos protegat, de quo scriptum est: Ecce non dormitauit neque obdormiet, qui custodit Israël. Quòd autem ad beati Petri Apostolorum principis limina festinare vos dicitis, opto nimis, & æstuanti animi desiderio expecto, vt dignis meritis iunctas vos in eius Ecclesia videam: quatenus & vos de me solamen aliquantulum, & ego de vestri præsentia non paruam lætitiam acquiram. Viro autem reuerendissimo fratri meo episcopo Ioanni & Romano defensori causas vestras studui commendare: vt quæ cœperunt, Deo auctore debeant perficere. Xenium autem vestrum duas racanas, quas de labore vestro esse mandastis, libenter accepi. Sed tamen cognoscite, quia non mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, quæ fortasse adhuc ad fusum manum nunquam misistis. Nec tamen me res ista cõtristat: quia opto vt sanctam scripturam legere ametis, vt quamdiu vos omnipotens Deus coniunxerit, sciatis qualiter viuere, & domum vestram quomodo disponere debeatis.

Expliciunt Epistolæ Indictionis quartæ.

LIBER DECIMVS.

INCIPIVNT EPISTOLAE INDICTIONIS QVINTÆ.

Et de anno ordinationis eius duodecimo.

EPISTOLA PRIMA.

Docet post ægritudines sæpe nobis vitæ inducias concedi, vt paratiores ad iudicium veniamus.

Sup. lib. 2. ep. 39. Ind. 2. li. 4. ep. 3. li. 5. ep. 19. 41. 62. Ind. 14. ep. 92. li. 8. ep. 31. 41. Ind. 3.

GREGORIVS, *Episcopus seruus seruorum Dei Dominico episcopo Carthagin.* Quàm copiosa cordis vestri sit caritas, lingua interprete demõstratis, dum sic eius suauitate epistolarum vestrarum verba conditis, vt dulce & iucundũ sit omne quod scribitis. Vnde fit, vt fraternitatem vestram quam corpore non possumus, dilectionis brachijs amplectamur. Nam quod animis concordibus longitudo negat itineris, præstat officium caritatis. Et quoniam sicut amantissimorum fratrum sanitate reficimur, ita ægritudine contristamur, omnipotẽti Deo gratias agimus, qui mœstitiam nostram nuncio solatus est prosperorum. Qui audientes vos infirmitatem grauissimam incurrisse, priusquã scripta vestra suscepissemus, maiori tristitia tenebamur. Sed quia quando de periculo mortis eripimur, ad quid frater carissime reseruemur, incertum est. Induciarum ergo tempus ad vtilitatem animæ conuertamus, & posituri venturo iudici rationes, causam nostram apud eum lachrymis & bonis operibus muniamus, vt securitatem de his quæ gessimus, accipere mereamur. Nam & in causis sæcularibus ad hoc frequenter benignus concedit iudex inducias, vt qui ante paratus non fuerat, postmodum paratus ad iudicium veniat. Et quale est, si quod in terrenis iudicijs custodimus, pro salute animæ negligamus? Et ideo, quia iuxta Ioannis Apostoli vocem, nullus sine peccato est, cogitationum illecebras, linguæ incontinentiam, delictorum opera ad memoriam reuocemus; & dum licet, magno pulsatu, iniquitatum nostrarum maculas deleamus, vt iustus & pius Redemptor noster, non iuxta merita nostra vindictam exerceat, sed secundum misericordiam suam flectatur ad veniam. Et quia officium nostrum sua solùm flere non sufficit, nisi & de alienis sollicitudinem gesserit; curam in commissi gregis custodia studiosius impendamus: & suadendo, hortando, terrendo, prædicando, in quantũ superna clementia vires donat, officium opere implere festinemus, vt desideratum, creatore nostro largiente, præmium expectemus. Sed quia boni aliquid operari sine diuino auxilio non valemus, iunctis omnipotentem Deum dilectissime frater precibus exoremus, vt in mandatorum suorum viam cum commisso grege gratia sua duce nos dirigat, atq; ipse nobis & intelligere & agere quæ sibi placita sunt, concedat: qui misericordiæ suæ dono nomen nos voluit habere pastorum. Præterea ex transmissione vestræ sanctitatis, B. Agilei martyris benedictionẽ ea caritate qua nobis est à vobis transmissa percepimus.

Vita cur ægrotis prorogetur.

1. Ioan. 1.

Mense Septembri, Indictione quinta.

EPISTOLA II.

De Matthæo viro clarissimo.

Sup. lib. 1. ep. 23. 37. 40. 48. 53. 57. 63. 65. 66. 67. li. 4. ep. 23. li. 8. ep. 18. li. 9. epist. 11. & inf. ep. 3.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Quotiens digna consideratione, sustentationis causa aliqua merentibus conceduntur, & Deum lætificant, & ipsum ditant sine dubio largientem. Ideo experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus: quatenus Matthæo viro clarissimo scholastico duodecim solidos dare non differas, quos tuis scito rationibus proculdubio imputandos. Ita ergo cum gratiarum actione iussionem nostram festina implere, vt nulla accipientẽ possit fatigare dilatio.

EPISTOLA III.

De puero quodam de transmarinis educto, qui habitum religionis susceperat.

Sup. lib. 1. ep. 23. 37. 40. 48. 53. li. 4. ep. 23.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Lator præsentium Gallus nauclerus oblata nobis petitione noscitur intimasse, asserens puerum se quendam de Siciliæ partibus venientem orationis gratia ad Campaniæ partes perduxisse, qui in Messenati portu coniungens illic in monasterio conuersionis causa sese retinuit. Quem cum hic de conditione sua pro sui periculo diligenter inquireret, quantum astruit, iurisiurandi interueniente vinculo, liberum se, nulliq; conditioni obnoxium publica voce professus est. Pro quo ab actionarijs publicis se remeantem queritur esse cõstrictum, impetentibus cur seruum iuris publici furtim de illis partibus auferre præsumpserit. Qui post illata sibi damna, cautione se quoque ostendit obstrictum, eundem puerum ad partes illas, quibus valeret viribus reuocare. Vnde pietatis causa permoti, hoc experientia tua nos decreuisse cognoscat, vt ad Panormitanas partes vbi res agitur, ipsum mancipium, licet iam monachi habitum sumpserit, debeat reuocare, eumque Fantino defensori nostro contradere: vt ipse quid de eo fieri debeat, secundum præceptionis nostræ seriem, cuius & te quoque textus poterit informare, salubriter exequatur. A latore ergo præsentium experientiam tuam volumus fideiussionem accipere, qui mancipium ipsum in sua à te manu susscipiens, illic tibi in Neapolitana ciuitate pro eo scriptis euidenter spondeat, quòd illum Fantino defensori nostro sine aliqua excusatione contradat; vt hac præueniente cautela & precator liber à cautionis suæ reddatur vinculo, & causa mancipij, sicut constituimus, auxiliante Domino disponatur.

EPISTOLA IIII.

De causa Maurentij magistri militum.

Lib. 3. ep. 43. li. 7. ep. 7. 24. 58. 83 & li. 8 ep. 4. 29. & infr. ep. 15. hoc l. Ind. 4. ep. 42. hoc lib.

GREGORIVS, *Fantino defensori.* Gloriosissimus filius noster Maurentius magister militum, causam se de massa Gentina contra Panormitanam Ecclesiam habere se queritur; & ad hoc latorem præsentium facto mandato transmisit, quòd debeat sine excusatione aliqua terminari. Ideoque experientia tua reuerendissimum fratrem & coepiscopum Victorem nostrum, seruato honore commoneat, vt aut pacificè causam ipsam sine dilatione studeat terminare, aut certè si vtilius sibi esse crediderit, eam iudicio diffiniri omni mora cessante vice sua personam legaliter instituat, quæ de eadem massa apud gloriosissimum filium nostrum domnum Venantium Patricium, & experiẽtiam tuam debeat subire iudicium, vt causa ipsa possit cognita veritate distingui, aut certè alios sibi, si partes voluerint, te imminente eligant cognitores. Et quicquid medijs sacrosanctis Euangelijs ab eis fuerit statutum, ita lege seruata tua volumus ad effectum executione perduci, vt nihil inter partes remaneat, vnde post hæc recidiuo possint litigio fatigari.

EPISTOLA V.

Homines Maurentij commendat.

Sup. lib. 4. ep. 10. 24. 54. li. 5. ep. 1. 26. 38. li. 8. ep. 48. li. 9. ep. 11. hom. 34. in Euangel.

GREGORIVS, *Mariniano Episcopo Rauennæ.* Postquam gloriosissimo filio nostro Maurẽtio hoc apud vos solùm potest sufficere, quòd eum nostrum esse proprium nõ nescitis, qualiter ei à vobis sit concurrendum, scribere non debemus. Sed ne data occasione, fraternitatẽ vestram in causa ipsius prętermittere videamur; latores præsentium cõmendantes hortamur, vt quia eos pro percipiendo precario suo illuc noscitur transmisisse, vestra ope in omnibus fulciantur. Cui, vt melius præstare possitis, quia vos in multis esse non est dubium occupatos, Mennam notarium quia bene nouit esse sollicitus deputate, vt ipse eos vestro nomine in cunctis vbi necesse fuerit, studeat adiuuare: quia quid agere debeant, dato sibi capitulari, vt perhibent, sunt instructi. Cumq; ergo sanctitatem vestram sua in præsenti relatione informauerim; ita vos in eius causis impendite, vt sicut & nos de fraternitate vestra certi sumus, & ille omnino confidit, vobis suffragantibus vtilitas ipsius, Deo adiutore, salubriter peragatur.

EPISTOLA VI.

Maurentium magistrum militum commendat.

GREGORIVS, *Theodorico Curatori.* Quia sic de gloria vestra, sicut de carissimo reuera filio omnino præsumimus, certi de vobis eos qui nostri sunt, commendamus. Ob quam rem paterno salutantes affectu, quæsumus vt præsentium portitoribus, quos gloriosissimus Maurentius magister militum ad precarium suum accipiendum transmisit, vestram tuitionem impartire dignemini: quatenus vobis patrocinantibus, nec moram illic contra rationem, nec laborem debeant sustinere: sed quicquid prædicto gloriosissimo viro competit, gloriæ vestræ opitulatione sine difficultate percipiat, vt & ipse nostris amplius sit deuotus obsequijs, & nos pro eo referre gratias, sicut dignum est, valeamus.

Li. 7. ep. 62. lib. 8. ep. 7.

EPISTOLA VII.

De elemosyna sæpius facienda.

GREGORIVS, *Sabinellæ Columbæ & Gallæ aparibus.* Satis me gloriosa filia operationis tuæ audita bona lætificant, quòd illa agere perhibetis, per quæ dum egentibus misericorditer subuenis, ipsa misericordiam consequaris, & alios temporaliter nutriendo, bonis in æternum cælestibus satieris. Et ideo quia fidelis est cui credis, secura commoda ea quæ tribuis, vt in die retributionis recipias quod impendis. Ait namque egregius prædicator. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est seruare depositum meum in illum diem. Ecce gloriosa filia quanta sit bonorum operum certitudo considera, & larga sit semper manus in opere, vt fiat vobis quod scriptum est: Abscondе eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit. Quisquis igitur copiosum in cælis fructum habere desiderat; seminare dum tempus est, non omittat, vt manipulos in die messis cum lætitia colligat. Nam qui seminant in lachrymis, in exultatione ac gaudio metent. Sed qualis messis ex huiusmodi semente futura sit, dicat Apostolus: Qui seminat in carne sua de carne, & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam. Ne verò inopia nos egestatis inueniat, hanc nobis messem in satione multiplici præparemus, & quanto vberius satiari cupimus, tanto ei à quo totum accepimus, largius conferamus. Nam ipse de se Dominus ait: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes fui, & collegistis me; nudus fui, & operuistis me, &c. atque in conclusione subiungitur: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Hoc igitur studiosius agite, & hæc agentes in terra vobis retribui nil quæratis: quia superna desiderantibus, temporalia nulla sunt. Sed ibi desideria vestra figite, vbi quicquid retribuitur, finem non suscipit. Bonum ergo facientes non deficiatis, vt illic vobis thesauros thesaurizare possitis, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Prætereà gloriam vestram paterno salutantes affectu indicamus per latorem præsentium Hilarium chartularium nostrum, clauim nos à sacratissimo corpore beati Petri Apostolorum principis transmisisse, in qua de catenis quoque ipsius benedictio continetur. Quæ collo vestro suspensa, hoc vobis eo intercedente gratia absolutionis fiat, quod illi fuit causa martyrij. Omnipotens Deus in suo vos timore custodiat, atq; sic cor vestrum ad bonam semper operationem accendat, vt & hic vobis suam gratiam tribuat, & ad gaudia vos postmodum æterna perducat.

2. Tim. 1.

Eccles. 29.

Psal. 125.

Gal. 6.

Matth. 25.

Claues S. Petri.

EPISTOLA VIII.

De Donadeo diacono iniustè damnato.

GREGORIVS, *Columbo Episcopo Numidiæ.* Quàm grauis & auditu ipso intolerabilis Donadei latoris præsentium qui se asserit fuisse diaconum sit querela, ab eo data petitio quæ tenetur in subditis, fraternitati vestræ faciet manifestum. Sed quia peruenit ad nos, quòd pro corporali pec cato fuisset depositus; dilectio vestra subtili hoc inquisitione perquirat, & si ita est, in pœnitentia retrudatur, vt commissi flagitij vinculum lachrymis possit absoluere. Si verò insons ab huiusmodi perpetratione claruerit, vna cum primate concilij vel alijs fratribus, coepiscopisq; nostris omnia quæ petitio eius continet, diligenti à vobis examinatione quærenda sunt. Et si querela eius veritate fulcitur, & in episcopo eius Victore, qui contra Deum & sacerdotale propositum tantum committere nefas non metuit, canonici vigoris ita districtio teneatur, vt ex diffinitione vestra quàm sit iniquum quod fecit intelligat, & hic suo ordini reformetur: quia satis peruersũ & contra Ecclesiasticã probatur esse censuram, vt frustra pro quorundam voluntatibus quis priuetur, quem sua culpa vel facinus ab officij quo fungitur gradu non deijcit. Dat. mense Octobri, Indictione quinta.

EPISTOLA IX.

De monasterio Marci, Marcellini & Feliculæ.

GREGORIVS, *Castorio Notario.* Experientię tuæ in præsenti nos recolis præcepisse, vt de possessione quę monasterio sanctorum Marci, Marcellini & Feliculæ, quod Rauennæ situm est, largitatis titulo dicitur esse concessa: quia causam benè nosti, debuisses quod iustum est facere. Pro quare hac te iterum nostra præceptione duximus commonendum, vt in re ipsa vigilans debeas esse atque sollicitus. Et si manifestè donatam esse cognoueris, & nihil est quod à partibus nostræ obijci possit Ecclesiæ, impedimentum aliquod monasterio ad tenendum ipsam possessionem non facias. Si verò quia prout diximus, causa benè tibi est cognita, habes quod iustè possit pro Ecclesiæ partibus allegari; electorum te cum parte altera necesse est subire iudicium, vt & veritas cognosci, & quod æquitatis ordo suaserit, valeat diffiniri.

EPISTOLA X.

De Adeodato & constructione basilicæ.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono.* Indicauit nobis Adeodatus præsentium lator, ante multos annos in solo se iuris Ecclesiæ nostræ hac conditione ædificium posuisse, vt duos solidos annis singulis Ecclesiasticæ rationi persolueret, & post eius obitũ, solum ipsum cũ imposito ædificio ad ius Ecclesiæ sine dubitatione aliqua remaneret. Sed quia asserit se in tantam pauperiem peruenisse, vt eosdem duos solidos, sicut promiserat, singulis non possit annis impendere, & ob hoc vnum sibi petijt relaxari, experientia tua curet addiscere. Et si pauper ita vt asserit, manifestè est, nostra præstatione partem mediam relaxatam volumus, vt annis singulis nõ amplius quàm vnum solidum exoluat; quia & ætatis senium, & pauperies eius indicat, vt onus quod petit ei debeat relaxari. Ita ergo hoc seruari studij tui sit, vt tamen proprietatem soli, atque impositi ædificij post obitũ ipsius, Ecclesiæ sollicitudine & vigilanti cura conserues.

EPISTOLA XI.

De Xenodochio construendo.

GREGORIVS, *Fantino Defensori.* Ea quæ fienda mandat piæ voluntatis intentio, vt ad effectum valeant peruenire, curæ debet sacerdotalis existere. Proinde experientiæ tuæ præcipimus, vt hæredibus Isidori illustris memoriæ vri, assiduè & fortius debeat imminere, vt Xenodochiũ quod auctor eorum per vltimæ voluntatis arbitrium in Panormitana fieri ciuitate constituit, sine aliqua difficultate secundum ea quæ sunt disposita implere festinent, ne si amplius hoc adhuc negligẽdum putauerint, tam nostrã quàm Dei iram de legibus venientem, quam huiusmodi dispositionem implere differentes merentur, incurrant. Si verò deputata in eorum xenodochio quod fiendum est, quantitas videtur fortè non posse sufficere; locus in quo xenodochium ipsum fuerat constituendum, vel quicquid ibi relictum est, xenodochio S. Theodori, quod in prædicta ciuitate à Petro quondam constitutum est, applicetur: quatenus & hæredes à sollicitudine vel labore constituendi xenodochij valeant exui, & voluntas defuncti salubriter sumat effectum, dum etsi in loco alio, ipsi tamen rei quicquid à testatore deputatum est, erogetur. Ita ergo experientia tua sollicitudinem gerat, vt vnum è duobus sine aliqua debeat fieri tarditate.

EPISTOLA XII.

Mandat oratorium consecrare facta primum donatione legitima.

GREGORIVS, *Paßiuo Episcopo Firmano.* Anio comes castri Apretiensis, Firmensis territorij, petitoria nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in suprascripto castro oratorium se sumptu proprio pro sua deuotione fundasse, quod in honorem beati Petri Apostolorum principis desiderat consecrari. Et ideo frater carissime, si in tuæ diœceseos, in qua visitationis impendis officiũ, memorata constructio iure consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est fundos campulos cum conduma vna, boues domitos parium vnum, vaccas duas, argenti libras quatuor, lectum stratum vnum, in peculio capita quindecim, armẽti capita duo, ferramenta numero quinque, præsentes liberos à tributis fiscalibus solidos sex, gestisq; municipalibus alligata, prædictũ oratorium solenniter consecrabis. Presbyterum quoque te illic constituere volumus cardinalem, vt quotiens præfatus conditor fieri sibi missas fortasse voluerit, vel fidelium concursus exegerit, nihil sit quod ad missarum sacra exhibenda solennia valeat impedire: sanctuaria verò susceptа sui cum reuerentia collocabis.

Inf. ep. 13. hoc li. sup. li. 7. ep. 71. li. 11. ep. 18.

Donatio legitima Ecclesiæ.

Presbyter Card.

EPISTOLA XIII.

De Aprutina ciuitate diu pastore viduata.

GREGORIVS, *Paßiuo Episcopo Firmano.* Benè nouit fraternitas vestra, quàm longo sit tempore Aprutium pastorali sollicitudine destitutum. Vbi diu quæsiuimus quis ordinari debuisset, & nequaquam potuimus inuenire. Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, in psalmodiæ studio, in amore orationis valde laudatur, & religiosam vitam omnimodo agere dicitur; hunc volumus, vt fraternitas vestra ad se faciat venire, & de anima sua admoneat, quatenus in bonis studijs crescat. Et si nulla ei crimina quæ per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt obuiant; tunc hortandus est, vt vel monachus, vel à vobis subdiaconus fiat. Et post aliquantulum temporis si Deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoueri. Si quæ verò grauia obuiant, multo magis admonendus est, vt sæculum relinquat, & hęc perfectius desleat. Peto autem vt pro me orare debeas, quia cũ tribulationibus cordis fatigor nimijs doloribus corporis.

Sup. ep. 9. 12. hoc li. li. 7. ep. 71.

EPISTOLA XIIII.

Contristari non debere de admonitione sua.

GREGORIVS, *Opportuno de Aprutio.* Peruenit ad me quia ex eo tempore quo dilectionem tuam verbis asperis propter quædam quæ mihi iurè displicuerant contristaui, magna tibi sit oborta tristitia, atque continuus animi mœror. Vnde te dilectissime fili volo cognoscere, quia ego illa

verba non asperitate cordis, sed amore tuæ animæ sum locutus. Tu itaque ad omnipotentem Deum tota mente conuertere, quantum sit fugitiua præsens vita considera, æterna præmia lucrari festina; in quantum virtus sufficit, castiga carnem, quæ quamdiu in voluptatibus vixit, animam castigat. Benignitatem proximis exhibe, psalmodię & lachrymis horas vitæ frequentius impende, illata mala à proximis æquanimiter tolera. Si contra veritatem iniuriam pertuleris, lucrum puta; vt hæc agens, per temporalia quæ despiciendo pateris, ad cælestia regna pertingas. Omnipotens autem Deus & cor & corpus tuum cælestis gratiæ salute perfundat, vt de eius spiritu & recta interius sentire, & recta exterius sufficias agere.

EPISTOLA XV.

De morte Primogeniti notarij, qui hæredem Ecclesiam Romanam reliquerat.

Sup. ep. 4. & 11. hoc li. & li. 3. ep. 43. li. 7. ep. 24.

GREGORIVS, *Fantino Defensori.* Cognoscat experientia tua Primogenitum notarium nostrũ de hac pro peccatis luce transisse. Et quoniam sanctam Romanam cui auctore Deo deseruimus Ecclesiam, & coniugem suam, quæ se tuitioni Ecclesiasticę postea commendauit hæredes, necnon & filium fratris sui, in vnam vnciam hæredem idẽ noscitur reliquisse: ea propter statim vt hoc præceptum susceperis, antequam eum quisquam obijsse cognoscat, & in substãtia illius aliquid fraudis committat, ad locum in quo res eius sunt reconditæ, sine mora curabis accedere, & cum omni sollicitudine ac diligentia studij tui sit præsente Consentio puero, qui rerum ipsarum esse custos asseritur, adhibitis testibus solenniter ac subtiliter facere, eosque res in loco tutissimo, vt vtile præuideris collocare: quatenus apto tempore huc cum eodem puero, Deo auxiliante, valeant transmitti. Sed & cetera in quibuslibet rebus siue corporalibus quæ de substantia ipsius esse dideceris, cum omni strenuitate in vnum congregare & constituere festina, vt nihil de eius possit qualibet occasione deperire substantiæ. Hæc igitur omnia ita sollicita & subtili stude cura peragere, vt te illic posito ne dispendium in rebus ipsis eueniat, & cuiuslibet fraudis sub qualibet occasione sine exquisitione locus aliquis patere non valeat. Summa verò redditum eius quæ sit, nobis pariter tuis scriptis indicare festina.

EPISTOLA XVI.

De rationibus Bonifacij Numerarij.

Lib. 7. ep. 35. 23. 24. Ind. 2. li. 2. li. 8. ep 11. 14. 53 110. li. 9. ep. 32. 34. 35. l. 10 ep. 40. 47. Ind. 5.

GREGORIVS, *Romano Defensori.* Experiẽtiam tuam non latet quòd in rationibus Bonifacij Numerarij nostri, fuorum aliquid apud te interesse audiuimus; propter quod partem aliquam substantiæ suæ xenodochio, quod ad beatum Petrum Apostolorum principem constitutum est, dereliquit, & suam nobis coniugem commendauit. Et ideo quia Laurẽtius vir clarissimus præsentium portitor pro rationibus ipsis, id est, nonæ ac decimæ indictionis faciendis transmissus est; huius tibi præceptionis serie iniungimus, vt ei hac in causa quocunque necesse fuerit præbere solatia, atque cum æquitate seruata iuuare festines: quatenus dum te sollicito rationes ipsæ salubriter fuerint terminatæ, & pauperum fiat vtilitas, & mulieris quæ commendata est, quies procuretur atque securitas. Quia verò nosti quemadmodũ causę, & maximè tales agantur, si forsitan videris, quia rationes ipsæ finiri sine dispendio non possunt, ad gloriosissimũ Leontium vna cum reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Ioanne, te ire necesse est, & communi cum eo consilio agere, & ad quantum potueris eloqui ei promittere quicquid vel ipsi, vel diuersis dandum suffragatoribus fuerit, dummodo per partes non eat, sed celerius finem accipiat. Illud autem præ omnibus tractare vos cõuenit, vtrum cum prædicto gloriosissimo viro antequam rationes incipiantur, aut certè loqui propterea debeatis; ne fortè causa in examinatione missa, nobis postea ad decidendum difficultatem adducat. Sed quia melius in præsenti quid oporteat, poteris aduertere, quod vtilius visum fuerit, agite. In hac tamen promissione sollicitos vos esse necesse est, vt omnia inibi comprehensa pro totius causæ decisione plura solida nullo modo promittantur, indicantes ei, si causa exegerit, quia pauper omnino defunctus est. Quod vt ita esse cognoscat, exemplar rerum inuentarum de substantia ipsius sibi præuidimus dirigendum. Quòd si fortè apud prædictam solidorum quantitatem consentire noluerit, eligimus potius hoc quod peruenit ad xenodocium reddere, quàm inanem inuidiam sustinere. Si verò consenserit, studiosè agendum est, vt exinde securitas remittatur: quatenus post datam securitatem & decisionem, causa recidiua exinde alteri° nullo modo valeat quęstionis suscitari. Quod autem dederis, tuis rationibus imputamus.

EPISTOLA XVII.

De naufragio eius.

Inf. lib. 8. epist. 60. Ind. 3.

GREGORIVS, *Azimarcho Scriboni.* Quanto nos cognitus casus vestri naufragij contristauit, tanto subsequens epistola reuelauit, quòd magnitudinem vestram incolumem ad Siciliã peruenisse cognouimus. Et creatori nostro gratias agimus, qui solita vos pietate protexit, & de maris periculo liberauit. Vnde necesse est, vt Dei misericordiam quam in vobis sæpe collatam inspicitis, ita semper in omni actu præ oculis habeatis, vt eius in vobis gratia cumuletur, & sicut ab exterioribus periculis, ita quoque ab interioribus eripiat. Paterna igitur dulcedine salutantes petimus, vt de vestra nos incolumitate quotiens se occasio dederit releuetis.

EPISTOLA XVIII.

De rationibus Bonifacij.

Sup. ep. 17 hoc lib. li. 11. ep. 13.

GREGORIVS, *Azimarcho Scriboni.* Magnitudinem vestrã quo tempore hic in Romana vrbe fuit, cognouisse recolimus, Bonifacium quondam numerarium condito testamento partem aliquã hæreditatis suæ xenodochio quod ad sanctum Petrum apostolorum principem situm est, reliquisse. Et quoniam gerere nos sollicitudinem diximus vt ad gloriosum filium nostrum Leontium persona pro exponendis ratiocinijs ipsius mitteretur; curam vt cõpleri debuisset, habuimus. Ideirco quia Laurentius vir clarissimus præsentium portitor, ad hoc illuc noscitur esse transmissus; magnitudinem vestram paterna dilectione salutantes, petimus vt ei hac in causa concurrere, atque vestra, sicut de vobis confidimus, salua iustitia impendere patrocinia debeatis: quatenus dum sinceriſſimæ bonitatis vestræ fuerit ope suffultus, & de viduitate mulieris quondam Bonifacij, & de pauperibus quibus, sicut diximus, idem Bonifacius hæreditatis suæ partem aliquam dereliquit, mercedẽ apud omnipotentem Deum acquiratis.

EPISTOLA XIX.

Vt sæpius scripta sua ei dirigat.

Li. 1. ep. 6.

GREGORIVS, *Maurilioni expræfecto.* Valde miramur, quòd nos diuersis de Sicilia venientibus gloria vestræ incolumitatis suæ nuncio releuare postponit. Et vtrum obliuioni caritatis, an occupationi debeat reputari, nescimus. Et ideo salutantes paternæ caritatis affectu petimus, vt quotiens scribendi se occasio dederit, de vestra nos salute, & qualiter circa vos agatur, refouete: quatenus dum secundum desiderium nostrum de prosperitate vestra læti fuerimus effecti, Redemptori nostro pro vobis agere gratias valeamus. Omnipotens Deus misericordiæ suæ vos gratia tueatur, & ab omni aduersitate seruet illæsos atque custodiat.

EPISTO-

EPISTOLA XX.

Comitiolum commendat.

GREGORIVS, *Maurentio magistro Militum.* Veniens dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus laudabile Comitioli studium, & quam nobis vtilitatem Vrminati castro fecerit indicauit. Sed & multa de eo bona diuersis testificantibus olim cognouimus. Et quia eum apud vos, sicut ante fuit, modò non esse audiuimus; gloriam vestram petimus, vt si quid est vnde iustè vestros animos fortassis offendit, nobis quicquid illud est, remittatis, eique plenam gratiã reddere, atque illum in ea qua apud vos dudum fuit familiaritate recipere debeatis, & vestrum illi fauorem, sicut reuera proprio, salua ratione quocunque vsus exegerit, impẽdatis. Ita ergo facite, vt deintegrò ei gratia restituta, aut ipso renunciante, aut alijs referentibus possimus agnoscere.

EPISTOLA XXI.

Valdarichum commendat.

GREGORIVS, *Eupatori Duci Sardiniæ.* Cum lator præsentium Valdarichus illa nos pro sua commendatione scribere postulet, quæ magnitudinem vestram æquitatis intuitu sine cuiusquam etiam intercessione non dubitamus efficere; petitionem ipsius minimè despiciẽdam prospeximus. Quia ergo cum vxore sua, quam hic de Romana ciuitate esse perhibet, reuerti sicut desiderat valeat; vestris se poscit patrocinijs adiuuandum: paternæ dilectionis salutantes affectu petimus, vt hac in re magnitudinis vestræ tuitionem habeat, & à nullo eos illic contra rationis ordinem impediri permittas, sed desiderijs eorum pro vestra mercede adesse & concurrere debeatis: quatenus & illi se adiutos vestra ope congaudeant, & magnitudo vestra poscentibus impendisse quod iustum piumque est, videatur.

EPISTOLA XXII.

De monachis monasterij Claudij abbatis. De peculiaritate à monasterijs funditus extirpanda. Et de quibusdam scriptis B. Gregorij non rectè à Claudio abbate exceptis.

GREGORIVS, *Ioanni Subdiacono Rauennæ.* Venientes monachi monasterij quondam abbatis Claudij, petiuerunt sibi Constantium monachum abbatem debere constitui. Quos valde ego in sua petitione detestatus sum: quia mihi terrenæ mentis esse omnimodo apparuerunt, quia terrenum nimis hominem abbatẽ quæsiuerunt habere. Cognoui enim quòd idem Constantius peculiaritati studeat. Quæ res maximè testatur eum cor monachi non habere. Ac deinde cognoui, quia ad monasterium quod in Piceni prouincia situm est, solus pergere sine aliquo fratrum suorum præsumpsit. Ex qua eius actione cognoscimus, quia qui sine teste ambulat, recte non viuat. Aut quomodo alijs regulam teneat, quam sibimetipsi nescit tenere? Ab hoc igitur recedentes, cellarium quendam nomine Maurum petiuerunt, cuius vitæ atq; industriæ multa testificantur: quia & quondam abbas Claudius eum quibusdam laudauit. Tua itaque experientia sollicitè requirat, & si eius vita ad locum regiminis digna est, à reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Mariniano huncabbatem ordinari faciat. Si verò est quod ei omnino obuiet, & ex sua congregatione inuenire aptum minimè possunt; ipsi sibi aliunde eligant, & is quem elegerint, fiat. Hoc autem prædicto fratri & coepiscopo nostro omnino dicere studе, vt peculiaritatem à quatuor aut quinque monasterij monachis, in quibus corrigi hactenus minimè potuit, studiosissimè compescat, & hoc ipsum monasterium à tali peste mundare festinet: quia si illic peculiaritas à monachis habetur, neque concordia, neque caritas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus monachi, nisi despectus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt, qui in monasterio positi aurum quærunt? Ita igitur tua experientia faciat, vt neque loci ordinatio differatur, neque ad nos vlterius hac de re querela perueniat. Præterea quia idem carissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Prouerbijs, de Canticis canticorum, de Prophetis, & de libris quoque Regum, & de Heptateuco audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu & stylo dictauit, ne obliuione deperirent, vt apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legisset, inueni dictorum meorum sensum valde in multis inutilius fuisse permutatum. Vnde necesse est vt tua experientia omni excusatione atque mora cessante, ad eius monasterium accedat, conuenire fratres faciat, & sub omni veritate quantascunque de diuersis scripturæ charitas detulit, ad medium deducant. Quas tu suscipe, & mihi celerrimè transmitte. De tuo autem reditu quia molestiam te validam incurrisse cognouimus, Deo propitio in subsequentibus cogitamus. Illud autem quod ad me quorundam relatione perlatum est, quia reuerendissimus frater & coepiscopus meus Marinianus legi commenta beati Iob publicè ad vigilias faciat, non gratè suscepi: quia non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis quàm prouectum generat. Sed dic ei vt commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes sæcularium ad bonos mores præcipuè informant. Neque enim volo dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facilè hominibus innotesci. Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatholius diaconus quærenti ac iubenti domno Imperatori librum regulæ pastoralis dedit, ægrè susceпi, quem sanctissimus frater & coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et sicut mihi scriptum est, ei valde placuit, sed mihi valde displicuit, vt qui meliora habent, in minimis occupentur. In parte autem tertia beati Iob in eo versu in quo scriptum est: Scio quòd redemptor meus viuit, suspicor quia prædictus frater & coepiscopus meus Marinianus mendosum codicem habeat. Nam in scrinio nostro idem locus aliter habetur quàm in aliorum codicibus esse cognoui, atque ideo eundem locum releuari feci, vt sicut in scrinio nostro est, ita quoque hunc & sæpe fatus frater meus habeat. Quatuor enim verba sunt, quæ si eidem loco defuerint, non modicum possunt lectori scrupulum generare. Hæc omnia subtiliter & celeriter exequere. Et si apud excellentissimum exarchum nihil potes, vel hęc non videaris neglexisse quæ potes. De loco autem Albini quid dicam, de quo nobis apertè contra iustitiam respondetur? De quo tamen debes districtius cogitare. Præterea aute aliquantum temporis experientiæ tuæ præceperamus, vt apud eminentissimum filium nostrum præfectum ageret: quatenus cura formarum committi Augustino viro clarissimo debuisset, pro eo quòd omnino sollicitus atque strenuus vir est. Et ita hactenus distulisti, vt nobis nec quid egeris indicares. Et ideo apud eundem eminentissimum filium nostrum vel modò omni agere intentione festina, vt formæ prædicto clarissimo viro per omnia committantur: quatenus sollicitudine sua aliquid in eas valeat reformare. Nam sic despiciuntur atque negliguntur formæ ipsæ, vt nisi maior sollicitudo fuerit, intra paucum tempus omnino depereant. Sicut ergo nosti, quàm necessaria causa sit, & generalitati vtilis, sic studẽdum tibi est, vt prædicto, sicut diximus, viro per sollicitudinem tuam modis omnibus committantur. Dat. Mense Februarij, Indict. V.

Libri scripturæ S. Gregorij eo loquente à Claudio excepti.

Cõmenta S. Gregorij in Iob rudibus non legenda, sed explicationes in psalmos.

Regula pastoralis in græcum sermonẽ translata.

Locũ mendosum in Commentarijs Iob fuisse animaduertit

EPISTOLA XXIII.

De sellis plectilibus dirigendis.

GREGORIVS, *Maurentio magistro Militum.* Cognoscat gloria vestra mandasse nos Anthemio subdiacono, vt aliquantas sellas plectiles nobis dirigere studeat. Aut si factas non inuenerit ipsum apud se artificem tollat, vt in domo ipsius debeat laborare, & vel 24. sellas omnino bonas faciat. Et ideo quia omnino nobis sunt necessariæ, gloria vestra vt hoc fieri possit prouideat. Et si fortè vos iam aliquas conquisistis, nobis eas transmittite. Sed & Iuliano viro clarissi-

Inf. ep. 14. Sup. ep. 9.

clarissimo maiori excellentiæ vestræ, aut si quis alter habuerit, eas nobis mittere procuret. Ita ergo gloria vestra faciat, vt hæc quæ scripsimus, sollicitudinis vestræ debeant modis omnibus instantia procurari.

EPISTOLA XXIIII.

De trabibus in Ecclesia sancti Petri necessarijs.

Sup. lib. 9. ep. 3. hoc l. epi. 23. Inf. ep. 25.

GREGORIVS, *Maurentio magistro Militũ.* Propterea quòd in Ecclesijs beatorum Petri & Pauli trabes sunt necessariæ; omnino Sabino subdiacono iniunximus, vt aliquantas de partibus Britannorum incidere, & ad locum vnde huc per mare duci possint, trahere debeat. Sed quoniam solus hoc facere non assurgit, Arogi scripsimus, vt homines qui sub eo sunt, cum bobus suis, in eius deputet iri solatijs: promittentes quia dum res perfecta fuerit, dignum ei xenium transmittemus. Gloria ergo vestra epistolam nostram ad eũ sub vrbana persona studeat sub celeritate transmittere, quæ ei hoc quod scripsimus deferat, vt ante dictus subdiaconus voluntatem ipsius possit agnoscere. Si verò nauigij prosperitate inuenta discesserit, cuncta ei gloria vestra per suas epistolas innotescat, vt sciat quid agere debeat: sed & nobis similiter quæ acta fuerint, indicate.

EPISTOLA XXV.

De trabibus in Ecclesijs sanctorum apostolorum Petri & Pauli.

Li. 1. ep. 22 36. sup. ep. 25.

GREGORIVS, *Gregorio Exprafecto.* Scientes quanta erga beatorum Petri & Pauli Ecclesias in gloriæ vestræ mẽte maneat dilectio, vestrum nobis post Deum adiutorium scriptis decurrentibus adhibere necessariò procuramus, confidentes vos facilè & deuotè quicquid pro earum vtilitate cognoscitis impartire, quibus gloriam vestram etiam spontè non dubitamus velle præstare. Et ideo quia in prædictis Ecclesijs trabes omnino sunt necessariæ, atque Sabino subdiacono vt interim vsque ad 20. incidere festinet, & ad mare trahere debeat iniunximus: paterno salutantes affectu petimus, vt gloria vestra de possessionibus quas illic in emphiteosim habet, hac in re homines cum bobus suis faciat præbere solatia: quatenus & ipse vestra opitulatione suffultus, ad ea explenda quæ sibi iniuncta sunt, possit esse idoneus, & vos mercedem valeatis acquirere. Ita ergo, sicut diximus, & vt de vobis confidimus, agite glorioſe fili, vt & nos vobis gratias referamus, & beatos Apostolorum principes pro amore & deuotione vestra, quam eorum Ecclesijs exhibetis, habeatis in omnibus adiutores.

EPISTOLA XXVI.

De trabibus conducendis.

Li. 1. ep. 36 *al. Venetio.

GREGORIVS, * *Stephano Episcopo.* Quamuis fraternitatem vestram officij sui qualitas pro Ecclesiarum vtilitatibus, vltrò solatiari commoneat; non tamen ab re est, si illud ex abundanti nostra hortemur epistola, quod facere vos conuenit prona voluntate. Proinde in Ecclesijs beatorum Petri & Pauli trabes valde necessarias fraternitati vestræ duximus indicandum. Et quoniam Sabino subdiacono vt ali quantas incidere, & vsque ad mare trahere debeat, vnde huc adduci valeant adiunximus, atque in ea re manifestũ est eum opus habere solatijs: sanctitas vestra vt oportuerit, eo toto studio totaque intentione opem ferre studeat, ac in eius solatio boues, homineſq; transmittat, vt nullam excusationem inueniat, sed quæ ei præcipimus, vobis opitulantibus implere sufficiat. Ita ergo fraternitas vestra faciat, vt ei se quantum valet impendat. Nam quantum prædicti subdiaconi culpa est, si vobis concurrentibus piger extiterit, tanto culpabilius erit & grauius, si qua se occasione fraternitas vestra aut excusare, aut indeuotam, quod non credimus, monstrare voluerit. Debes autem scire hanc fraternitati tuæ curam vehementer incumbere, cuius Ecclesiæ trabes olim cultu proprio consueueras procurare.

EPISTOLA XXVII.

De filijs Petri defensoris extra massam in qua nati sunt non iungendis.

Li. 7. ep. 24. Ind. 2. li. 8. epi. 22. 14. 53. lib. 9 ep. 34. 35. hoc li. Inf. hoc li. ep. 40. 46. 47. Ind. 5.

GREGORIVS, *Romano Defensori.* Petrus quem defensorem fecimus, quia de massa iuris Ecclesiæ nostræ quæ Vitelas dicitur, oriundus sit, experientiæ tuæ bene est cognitum. Et ideo quia ita circa eum benigni debemus existere, vt tamen Ecclesiæ vtilitas non lædatur; hac tibi præceptione mandamus, vt eum districtè debeas commonere, ne filios suos quolibet ingenio vel excusatione foris alicubi in coniugio sociare præsumat, sed in ea massa cui lege & conditione ligati sunt, socientur. In qua re etiam & tuam omnino necesse est experientiam esse sollicitam, atque eos terrere, vt qualibet occasione de possessione cui oriundo subiecti sunt, exire non debeant. Nam si quis eorum exinde, quod non credimus, exire præsumpserit; certum illi sit quia noster consensus nunquam illi aderit, vt foris de massa in qua nati sunt aut habitare, aut debeant sociari, sed & superscribi terram eorum. Atque tunc sciatis vos non leue periculum sustinere, si vobis negligentibus quisquam ipsorum quicquam de ijs quæ prohibemus, facere qualibet forte tentauerit.

EPISTOLA XXVIII.

De filio Domitij relaxando.

Sup. ep. 9. 23. 24. hoc l.

GREGORIVS, *Maurentio magistro Militum.* Petijt Domitius vir magnificus, vt vestræ gloriæ scribere deberemus: quatenus nauigantibus alijs, & filio suo similiter esset licentia nauigandi. Et quamuis de gloria vestra certi sumus quia nihil quod indiscretum est faciat, sed omnia sapienter intendat: hortamur tamen vt si alij relaxantur, ille non debeat retineri, ne forsitan non ex ratione, sed sola fratrum inimicitia retineri videatur. Vos tamen qui præsentes estis, æquitatis consideratione generalem etiam vtilitatem attendentes, melius quid expediat potestis aduertere.

EPISTOLA XXIX.

De Bonito viro glorioso qui præfecturæ administrationem expetebat.

GREGORIVS, *Quertino Exprafecto.* Epistolam gratiæ vestræ suscepimus, in qua scripsistis vt pro glorioso Bonito filio nostro agere debeamus, quatenus præfecturæ illi administratio committatur. Equidem nos eundem filium nostrum non modò, sed multi sunt anni quòd nouimus, & idcirco concurrere illi per omnia festinamus, sed non in illa re de qua amaritudines possit & tribulationes assumere. Nam administratio ipsa vni priori ipsius & alteri minori ipsius oblata est, & miscere se nullo modo voluerunt, scientes omnino graue esse, & præsertim hoc tempore administrationem suscipere. Si ergo illis graue fuerit, quanto magis isti debet esse difficile, qui nobis in actione est? Additur quia inutile & valde laboriosum est, hominem litterarum rationicinorum causas assumere, & in eis se, quod non expedit, obligare. Super hæc autem re illa nos reuocat: quia nullum de hac actione bene exisse recolimus nisi gloriam vestram, de qua omnipotentem Dominum petimus, vt eam vsque ad finem cõtinua protectione custodiat. Et ideo hoc considerantes in eius læsione miscere nos nolumus. Nam quod modò putatur vtile, certum est quia postmodum plenum laboris erit atque dispendij. Si autem sic vtilitatibus suis æstimat oportere, & vult agere vt hæc administratio sibi committatur; nos contrarij non sumus, sed etiam modò futuris tribulationibus ipsius condolemus: quia quid passurus sit, exemplo præcedentium non nescimus.

EPISTO-

EPISTOLA XXX.

PROMISSIO CVIVSDAM EPISCOPI HAEresim suam anathematizantis, quam soluit fecit in nomine Domini Imp. Constantinopoli, sub die 10. Mensis Feb. Indict. V.

QVotiens cordis oculus nube erroris obductus, superne illustrationis lumine fit serenus; magna cautela nitendum est, ne latenter auctor schismatis irruat, & ab vnitatis radice eos qui ad eam reuersi fuerant, telo iterum erroris abscindat. Et ideo postquam ego ille ciuitatis illius episcopus, comperto diuisionis laqueo quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona & spontanea volũtate ad vnitatem sedis Apostolicæ diuina gratia duce reuersus sum. Et ne non pura mente, seu simulatè reuersus existimer, sub mei ordinis casu spondeo, & anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te sancto Petro Apostolorum principi, atque eius vicario beatissimo Gregorio, vel successoribus ipsius, me nunquam quorumlibet suasionibus vel quocunque alio modo ad schisma, de quo Redemptoris nostri misericordia liberante ereptus sum, reuersurum: sed semper me in vnitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permansũrum. Vnde iurans dico per Deum omnipotentem, & hæc sancta quattuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & salutem geniumq; illustrium dominorum nostrorũ Rempublicam gubernantium, me in vnitate, sicut dixi, Ecclesiæ catholicæ, ad quam Deo propitio sum reuersus, & communione Romani pontificis semper & sine dubio permanere. Quòd si, (quod absit) aliqua excusatione vel argumento ab hac me vnitate diuisero; periurij reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inueniar, & cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem. Hanc autem confessionis promissionisque meæ chartulam notario meo cum consensu presbyterorum & diaconorum atque clericorum, qui me in hac vnitate obligantes, in suprascriptis omnia prona simul voluntate secuti atque proprijs manibus subscripturi sunt, scribendam dictaui, & propria manu subscribens tibi tradidi. Acta in loco illo, die & consulibus suprascriptis. *Subscripta episcopi illius.* Ego ille episcopus ciuitatis illius huic confessioni promissioniq; meæ præstito de conseruandis suprascriptis omnibus sacramento subscripsi.

NOTÆ.

Promissio] *Cum in hac professione Catholica vnitatis nulla prorsus mentio habeatur de fidei dogmatibus, quorum causa cõflatum est schisma, vt non nisi eorum confessione facta esset quis in Ecclesiam admittendus; desiderari videtur in ea pars illa professionis, quæ quinta Synodus asseruit & probatur, quam à Nicolao Fabro Parisijs acceptam, Epistolis S. Gregorij in appendice subiungẽdam esse putauimus. Incipit sic* Professio fidei orthodoxæ. Fateor me, &c.

EPISTOLA XXXI.

De peruersitate Paulini Regensis episcopi, qui in suum clerum excesserat, & per Simoniam subditos ordinabat.*

GREGORIVS, *Columbo Episcopo Numidiæ.* Quia benè olim nobis est cognitum fraternitatem tuam sacerdotali grauitate & zelo esse Ecclesiastico decoratam; satis oportere prospeximus, vt interesse ad cognoscenda ea quæ correptionis indigent debeat, ne si fuerint dissimulatione postposita, licitum esse sibi credat quisque quod potest. Qualiter autem fratrem nostrum Paulinum *Regensis ciuitatis episcopum clerus suus, vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, in se perhibeant corporaliter excessisse, audire non indiges: quippe quia priusquam hæc ad nos querela pertingeret, tibi iam factũ est sicut eis asserentibus didicimus manifestum. Et quoniam præpositis in subiectorum pœnam fas esse non debet sæuiendi, Victori fratri & coepiscopo nostro qui primatus inter vos locum tenet, curauimus scribendum, vt vna cum tua fraternitate vel cum alijs fratribus & coepiscopis nostris quos adhibere prospexeritis, inter memoratum fratrem cõsacerdotemque nostrum & clerum ipsius causa subtili debeat inuestigatione cognosci. Et ideo dilectio tua immineat atque sollicitudinem gerat, vt ea quæ ad nos perlata sunt, inaudita non transeant, ne discordia in Ecclesia vnde magnoperè pellenda est nutriatur: Et si quidem contra eum clericorum suorum vera querela est, culpam suam quam sponte emendare despexit, in Ecclesiastici vigoris diffinitione cognoscat, vt & de præsenti sentiat quàm sit graue quod fecit, & discat de futuro nil se plus agere posse quàm licet. Præ omnibus igitur hortamur, vt zelum quem propter Deum habere te nouimus, ardentius studeas exercere. Et quia memoratus frater noster Paulinus Ecclesiasticos ordines per Simoniacam dare hæresim, quod auditu nefas est, dicitur; vna cum antedicto primate vel alijs subtilius hoc & cum omni tibi diligentia sit curæ perquirere. Et si ita, quod absit, inuentum fuerit, studendum atque agendum est, vt & eum qui præmium accipere, & eum qui dare non metuit, canonicæ vltionis sententia feriat: quatenus horum emendatio multorum possit esse correptio. Et priusquam hæc radix mortifera conualescat, & plures interimat, totius cõcilij diffinitione damnetur, vt nullus vnquam pro quouis ordine accipere, nullus dare aliquid audeat, nec quisquam ex gratia sed promoueatur ex merito: ne & ordo Ecclesiasticus confundatur, & sit probitas vitæ despectui, si præmium meriti indignus acceperit. Hilaro autem chartulario nostro iniunximus, vt si causa poposcerit, cognitioni vestræ interesse non renuat. Si ergo necessarium fuerit, vestris illum apicibus vt illuc venire debeat, facite certiorem: quatenus simul cum ipso tractantes, melius decernere quæ statuenda sunt debeatis.

Ex merito nõ ex præmijs promoueri debent ad ecclesiasticos gradus

EPISTOLA XXXII.

De querela aduersus Paulinum Episcopum.

GREGORIVS, *Victori Episcopo.* Quanto lætitiæ nobis est fratres nostros cognoscere erga filios suos paterna caritate decenter esse sollicitos, tanto tristitiæ deputamus, quando eos ab illicitis nec aliorum fratrum reuerentia, nec sacerdotij præualet consideratio temperare. Quàm igitur grauis & aspera aduersus fratrem nostrum Paulinum *Regensis ciuitatis episcopũ, clericorum eius vel eorum qui in sacro sunt ordine positi, sit querela, fraternitati tuæ liquere non dubium est: quia latere te in vicino non potuit quod ad nos in longinquo peruenit. Et quoniam valde cauendum est ne hoc quod eum frustra in se corporali iniuria queruntur excedere, aut licitè præsumatur, aut fiat dissimulatione deterius; sic manifesti excessus canonica semper moderatione premendi sunt, vt vna res & præteritorum correptio & esse possit regula futurorum. Proinde simul cum dilectissimo communi fratre Columbo episcopo vel alijs sacerdotibus, quos præuideris, inter suprascriptum fratrem nostrum & clericos ipsius causam subtili inuestigatione rimari te conuenit. Et si supplicantium querela veritate subsistit, ita hoc regulari emendatione corrigite, vt & quàm sit malum quod fecit agnoscat, & officij sui terminos discat de cetero non exire. Nec loci tui, sicut dicitur, ab eo postponi ordinem patiaris, ne illi despectus tuus ad periculum & tibi fiat ad culpam. Nam ad personam in priori loco positam respicit quicquid à minori committitur, nisi sollicitè corrigatur. Illud autem quod idem frater noster Paulinus Ecclesiasticos ordines dare sub præmio perhiberur, subtilius à vobis & omnino districtè quærendum est. Et si ita, quod non optamus, esse claruerit, sic ad vlciscendum hoc vester se propter Deum zelus accendat, vt & ordinanti auaritia sua conuertatur ad pœnam, & illicita ordinatio effectu carens, ambitionis suę desiderio non fruatur. In qua re hortamur atque præ omnibus admonemus, vt ita fraternitas

Li. 4. ep. 4 li. 5 ep. 41. li. 7. ep. 92.

*al. Tugensis

vestra studeat esse sollicita; quatenus priusquam vnius vitio Simoniacæ illic hæreseos nequitia conualescat, sententiæ vestræ falce, facto ex opere concilio radicitus amputetur. Nam quisquis ad hoc facinus emendandum officij sui consideratione vehementer non arserit, cum ipso de non dubitet habere portionem, à quo prius hoc piaculare flagitium sumpsit exordium. Et ideo, sicut diximus, hinc vigilanter atque studiosè agendum est, vt concilium vestrum, quod nuncusque sine huiusmodi praua opinione Deo custodiente seruatum est, huius sceleris venena nec polluere possint nec perdere. Præterea Hilaro chartulario nostro præcepimus, vt si res exegerit, interesse vobiscum non differat. Vnde si necesse fuerit vestris illi vt ad vos venire debeat, epistolis indicate: quatenus hæc omnia vna cum eo salubriter Deo possitis adiuuante dirimere.

EPISTOLA XXXIII.

De Paulo Doclealinæ ciuitatis episcopo lapso, qui res quoque Ecclesiæ depræd atus fuit.

Sup. lib. 4. ep. 8. ante med.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo primæ Iustinianæ.* Quando mala quæ pœnitentiæ fletu purganda sunt augentur excessibus, ita maior delinquentibus est adhibenda correptio, vt & ipsi facinus suum saltem pœna vindicãte cognoscant, & alios ab illicitis Ecclesiæ vltione timor inhibeat. Dilectissimus itaque lator præsentium Neemesion ad nos veniens indicauit, sicut & gestorum exemplaria quæ huc detulit continebant, Paulum Doclealinæ ciuitatis episcopum inter alia mala in corporale crimen lapsum, à suis fuisse clericis accusatum, atque habita cognitione ita, quod sine dolore dicere non possumus, claruisse, atq; insuper postquam conuictus est, etiam eum libellum in quo ea de quibus accusatus fuerat vera esse confessus est, obtulisse. Qua de re sentẽtia illum episcopali depositum, & eius loco se cum fraternitatis vestræ consensu esse episcopum ordinatum. Sed nũc eundem Paulum cum auxilio quorundam sęcularium iudicum venientem episcopum more prædonis ingressum, ablatisq; violẽter rebus Ecclesiæ ab eo se proiectum, à summa iniuria ad necem penè perductum. Et quoniam tantæ nequitiæ prauitas nec dissimulanda, nec leuiter attendẽda est; fraternitas vestra hęc omnia diligenter curet addiscere, & si ita se, vt edocti sumus, veritas habet, prædictum Paulum districta faciat executione compelli, vt quæcunque abstulit, omni mora vel excusatione cessante restituat. Si verò nihil Ecclesiæ, sed suum proprium se dixerit abstulisse, quamuis graue & iniquum fuerit, vt non à vobis vel à metropolitano eius hoc peteret, sed temerario ausu manu præsumeret agere; veruntamen si quid proprium tulit, sub fraternitatis vestræ debet examinatione constare, si verum est. Sed & illud diligenter quærendum est, si quid malè de rebus dilapidauit Ecclesiæ, vt ex eo quod nunc abstulit, hoc reformare ac satisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentauerit, quousque omne quod dilapidauit vel de substantia tulit Ecclesiæ restituat, in monasterium mittendus est, vt saltem coactus reddat quod male auferre non timuit. Qui si fortè, quod non credimus, post depositionem suam inuerecundè ac mente peruersa aliquid de episcopatu loqui, atque rursus ad hoc qualibet aspirare præsumptione tentauerit; fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnino vigor accendat, atq; Dominici corporis ac sanguinis communione priuatum in monasterium eum vsque ad diem obitus sui ad agendam curet pœnitentiam retrudendum: quatenus perpetrati sceleris maculas dignis dilcat fletibus emendare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter augere desiderat. Suprascriptus autem dilectissimus frater noster Neemesion in loco suo & episcopatus officio proculdubio reformetur, & ne denuo hac de re inquietudinẽ ac molestiã patiatur, sollicitos vos esse necesse est: quia hoc nõ solùm ad huius monitionem, verùmetiam ad aliorum constat emendationem proficere, vt prauorum hominum præsumptio nihil de cetero contra sacrorum canonum statuta, vel Ecclesiasticam disciplinam vllo modo audeat attentare.

EPISTOLA XXXIIII.

De Pauli Doclealini facinore.

GREGORIVS, *Constantio Episcopo Scodritano.* Quæ dilectissimus nobis lator præsentium Neemesion, qui se dicit Doclealinæ ciuitatis esse antistitem, de facinore Pauli Doclealini, vt ipse asserit, quondam episcopi questus sit, fraternitati tuæ fuerant subtilius indicanda, nisi scire te omnia testaretur: quippe quem & compassum sibi, & voluisse subuenire perhibet, sed minimè potuisse. Et quia visa tanti causa flagitij negligi vel transiri non debet impunita, ne eius imitatione, sceleſta ab alijs, quod absit, sumatur audacia; fraternitas tua exemplaria scriptorum his subdita, quæ ad reuerendissimum fratrem nostrum Ioannem primæ Iustinianę ciuitatis episcopum seruantem vices nostras direximus, diligentius relegat. Et si secundum eorum seriem explere se cuncta posse cognoscit, ea quæ illi mandauimus, ipse omnia ex nostra auctoritate exequatur & faciat. Si verò hoc tibi quibusdam fortè aduersantibus obstaculis vides esse difficile, studendum est, vt eadem scripta nostra ad antedictũ fratrem nostrum sine excusatione perueniant. Cui etiam & te conuenit imminere, vt ea quæ ei à nobis mandata sunt, districtius exequi, & nulla debeant occasione lentari: sed ita quæ nequiter acta sunt, emendatione congrua corrigãtur, quatenus vna res & vltio competens delinquentis, & formido sit alijs in eodem ordine constitutis.

Sup. ep. 27 & lib. 1. ep. 36.

EPISTOLA XXXV.

Vt de Clementij primatis eorum causa diligenter inquirant.

GREGORIVS, *Vniuersis Episcopis Concilij Bizacij.* Sicut laudabile discretumq; est, reuerentiam & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si qua in eis correctione indigent, nulla dissimulatione postponere, ne totum, quod absit, corpus incipiat morbus inuadere, si languor non fuerit curatus in capite. Ante multum siquidem temporis quædam ad nos de fratre nostro Clementio primate vestro perlata sunt, quæ cor nostrum non modico mœrore transfigerunt. Sed prementibus diuersis tribulationibus, & maximè circunsæuientibus hostibus, ea nobis non fuit spatium requirendi. Et quoniam ita sunt grauia, vt transire indiscussa nullo modo debeant; fraternitatem vestram his hortamur affatibus, vt cum omni sollicitudine ac viuacitate veritatis indagare substantiam multis modis debeatis, vt aut si ita sunt vt audita sunt, vltione canonica resecentur, aut si falsa, fratris nostri innocentia diu sub nefandæ opinionis dilaceratione non iaceat. Vnde ne quis desidiæ torpor in requisitione sit, admonemus vt non cuiusquam personæ gratia, non fauor, nõ blandimenta, vel quodlibet aliud quenquam vestrum vel ad discutiendum quæ nobis nunciata sunt, molliat, vel à tramite veritatis excutiat: sed sacerdotaliter ad inuestigandam vos propter Deum veritatem accingite. Nam si quis in hoc aut pigrum se aut negligentem præsumpserit exhibere, dictis criminibus aut omnipotentem Dominum se nouerit esse participem, cuius zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi causas facinoris non mouetur.

EPISTOLA XXXVI.

De conuersione eius ad sanctam Ecclesiam catholicam.

Inf. lib. 11. ep. 38. ante med.

GREGORIVS, *Firmino Episcopo Histriæ.* Quem Redemptor noster de seruorum suorum numero perire nõ patitur, ita misericordiæ suæ inspiratione cor eius illustrat, vt deserto erroris obscuro, ad cognitionem lucis & viam redeat veritatis. Vnde susceptа carissime fraternitatis tuæ epistola, magna in Domino exultatione gaudemus, quòd diuinitatis gratia ad vnitatem Ecclesię, à qua pertinacium & imperitorum hominum instinctu disiunctus fueras, reuocauit. Sed quia quanto antiquus hostis superatum se conspicit, tanto insi-

to insidiari acrius non quieſcit; omnino ſollicitum vigilantemq; te eſſe conuenit, atque ſcutum conſtantiæ contra iacula ipſius præparare, vt illiſa frangantur, & vim interius penetrandi non habeant. Nulla ergo te cariſſime frater rerum deſideria, nulli terrores, nulla blandimenta, nullæ ſeductiones, quę venenatis verborum ſagittis animas inficiunt, à reuerſionis tuæ feruore te molliant, aut retro redire compellant; ne qui fortem ſuperaueras, grauius à forti ſupereris, & captiuus, quod abſit, poſt victoriam tenearis; ſed magis vt mater Eccleſia per totum Deo propitio orbem diffuſa, ad ſuum te redijſſe gremium non inertem agnoſcat, ſtudioſiſſimè tibi vigilandum ac laborandum eſt, vt tecum poſſis & alios reuocare: quatenus damna quæ tuæ auerſionis exẽplo commiſeras, non ſolùm reuerſionis bono reſarcias, ſed etiã lucrum exhibeat, vt & ad promerendam præteritorum veniam, & futurorum præmia capeſſenda plus Domino tuo videaris reuocaſſe quàm tuleras. Nobis ergo omnino curæ erit, de fraternitatis tuæ quiete, vt dignũ eſt, cogitare: quia poſtquam nobiſcum iam Deo protegente vnus es, non aliter vtilitates tuas quàm noſtras attendimus. Aliqua verò nobis de neceſſitatibus veſtris Ioãnes ſubdiaconus ſcripſit, ſed credimus de Dei noſtri potentia: quia ſanctus Petrus ad quem reuerſi eſtis, vos deſerere non habet. Modò autem de benedictione eiuſdem ſancti Petri tranſmiſimus fraternitati veſtræ paraturam vnam, quam vos neceſſe eſt cum ea caritate qua à vobis eſt tranſmiſſa ſuſcipere.

Menſe Maij, Indictione quinta.

EPISTOLA XXXVII.

De cura Sitonici.

GREGORIVS, *Ciridano.* Gloriæ veſtræ dudum ſcripta ſuſcepimus, in quibus indicaſtis ſollicitudini veſtræ ſereniſſimorum principum iuſſione, curam Sitonici fuiſſe mandatam, atque præceptum eſſe vt omnis tritici quantitas quę in horreis noſtræ Eccleſiæ ſuſcepta fuerat, vobis tradi per omnia debuiſſet, & ſcripſiſtis vt hoc ipſum parare in ſpecies faceremus. Quod quidem quia veſtrum, cuius ad nos quidem bona tanta perlata ſunt, non fuerit, nouimus; & ſcitis quàm durum quamque omnino difficile ſit, vt res quæ nec ſeruari, nec eo tempore ad emendum poterat inueniri, in ſpecie reſtitui peteretur. Veruntamen vt exui ab huius rei ſollicitudine valeremus, ſtudij noſtri fuit, vt etſi cum maiori diſpendio omnino frumenta ipſa, ſicut voluiſtis, in ſpecie faceremus præparari. Poſt verò per latorem præſentium Eutychium virum magnificum qui ſe illuſtrẽ præfectum eſſe commemorat, aliam nobis epiſtolam tranſmiſiſtis, vt quæ ſumma eiuſdem Sitonici ab horrearijs Eccleſiæ ſit ſuſcepta, prodi inter acta publica debuiſſet. Et ideo ne per occaſionem Eccleſiæ, quædam cuiquam naſci videatur occaſio, ſeu excuſatio, & quantitatem, ſicut ſcripſiſtis, defenſores Eccleſiæ prodiderunt, & quæ putauerunt vtilia, petiuerunt. Quod gloria veſtra diligenter ſolliciterque pertractet, & verba eorum non negligat. Nam quicquid poſt hæc in prædicti Sitonici ſpecie damni contigerit, amplius iam ad Eccleſiæ diſpendium ſciatis nullo modo pertinere: quia nec habitatores ciuitatis iſtius, afflicti reuera homines, prædictum Sitonicum in ſuo ſe aſſerunt detrimento poſſe ſuſcipere. Hæc igitur omnia gloria veſtra cognoſcens, ita de his quæ ſibi ſunt commiſſa ſtudeat cogitare, vt & vtilitatem publicam faciat, & huius operis pondus Eccleſiæ noſtræ denuo ad grauamen pauperum non incumbat.

EPISTOLA XXXVIII.

Vt Pancratium in monaſterium monachorum admittat.

GREGORIVS, *Deſiderio Epiſcopo.* Pancratius lator præſentium, vt aſſerit, diaconus Apoſtolorum ſe liminibus repræſentans, à nobis noſcitur petijſſe, vt eum fraternitati veſtræ deberemus ſpecialiter commendare. Intimauit etiã nobis quòd in clericatus officio veſtræ ſit Eccleſiæ mãcipatus. Vnde diuini motus inſpiratione compunctus, gratiam monaſticæ conuerſationis appetijt, illicque in eodem quem ſumpſit habitu, deſiderans permanere, etiam diaconum ſe eiuſdem monaſterij factum eſſe commemorat. De cuius loci ſeruitio auelli nulla patitur ratione. Nunc quantum aſſerit, fraternitas veſtra non quidem impedimentis intentum, ſed affectu beneuolentiæ, in officium eum ſuæ vult reuocare Eccleſiæ. Hortamur igitur vt tam promptæ deuotioni eius, quam in ſancto ſtudet habere propoſito, minimè veſtra ſit impedimento fraternitas; magis autem quibus valetis adhortationibus paſtorali admonitione ſuccendite, vt feruor huius deſiderij in eo non tepeſcat: vt qui à turbulento curarum ſæcularium tumultu ſe ſegregans, quietis deſiderio portum monaſterij appetijt, rurſum in Eccleſiaſticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, ſed in Dei laudibus permittatur ſecurè ab his omnibus remanere vt poſtulat.

EPISTOLA XXXIX.

De mancipio Fortunati abbatis.

GREGORIVS, *Bonito Defenſori.* Filius noſter Fortunatus abbas monaſterij ſancti * Seuerini quod in hac vrbe Romana ſitum eſt, latores præſentium monachos ſuos illic pro recolligendis mãcipijs iuris ſui monaſterij, quæ illic latitare dicuntur, dirigens, petijt vt experientiæ tuæ ei debeant adeſſe ſolatia. Ea propter præſenti tibi auctoritate præcipimus, vt eis in omnibus ſalua ratione concurrere ac opitulari feſtines: quatenus te illic coram poſito, atq; in hac cauſa ferente ſolatia, ſalubriter hæc citius valeant quæ ſibi iniuncta ſunt ad effectum Deo auctore perducere. Sup. ep. 29 *al. Hemeterij

EPISTOLA XL.

Romanum cum hominibus ſuis commendat.

GREGORIVS, *Romano defenſori, Anthemio Subdiacono, & Sauino Subdiacono.* Ea quæ ſponte præbere nos conuenit, petiti negare nõ poſſumus. Et ideo quia glorioſus filius noſter Romanus exprætore poſſeſſiones ſuas & homines qui in illis ſunt partibus, veſtræ voluit experientiæ commendari; hac vobis præceptione mandamus, vt poſſeſſiones hominesq; ipſius ſeruata æquitate tueri non deſinatis, atq; ita in omnibus cauſis vtilitatibuſq; ipſius concurrere ac ſolatiari ſtudeatis: quatenus & ille ſe hac adiutum cõmendatione cognoſcat, & vos ſalubriter iniuncta exhibuiſſe cõprobemini. Sup. lib. 8. ep. 11. 14. 53. & li. 9. ep 32. 34. 35 Ind. 5. inf. hoc li. ep. 46. 47.

EPISTOLA XLI.

De Luminoſa ancilla Dei, & teſtamento Conſtantij fratris.

GREGORIVS, *Deodato Epiſcopo Mediolanenſi.* Nulli dubium eſt, quia ſicut ſacerdotibus res in epiſcopatu acquiſitas, nulla eſt alienandi licentia, ita de eis quas ante habuerint, quicquid iudicare voluerint non vetantur. Itaque fraternitatem veſtram tempore quo ad nos fuit, queſtam eſſe recolimus, quòd quædam immobilia quæ Conſtantius deceſſor veſter Luminoſæ ancillæ Dei filiæ fratris ſui teſtamẽti ſerie legati titulo dereliquit, iam epiſcopus acquiſiſſet, decreuiſſeque nos vt ſi hoc conſtaret, nullum ex his Eccleſia veſtra præiudicium pateretur. Quod & vos oportet recolere, & moleſtiam aliquam prædictæ ancillæ Dei non facere, nec ei ſine cognitione de his quæ poſſidet, quicquam auferre. Sed ſi hoc Eccleſiæ veſtræ actores probari poſſe confidunt, veſtris nobis epiſtolis indicate, vt qualiter hoc ipſum conſtare debeat diſponamus: dummodo, cognita veritate, nec Eccleſia veſtra pati præiudicium, nec illa iniuſtè videatur affligi: quia, quantum aliqui perhibent, hoc ſupradictus deceſſor veſter non in epiſcopatu, ſed dum adhuc eſſet diaconus acquiſiuit. Vnde neceſſe eſt vt, ſicut diximus, facta probatione debeat conſtare quod verum eſt. Eandem verò ancillam Dei fraternitati veſtræ com-

mendamus, vt à nullo eam patiatur grauari vel opprimi: ne si inquietata fuerit, ex huius causę occasione hoc pati quod non decet existimetur. Et ideo si quid fortè fuerit quod debeat emendari, aut à plano adhortationis vestræ moderamine corrigatur, aut certè nobis subtiliter nũcietur: quatenus & vos ab inuidia sitis extranei, & nos quod conuenit facere nullatenus omittamus.

Mense Augusti, Indictione quinta.

EPISTOLA XLII.

De capitibus equarum Florentino dandis.

Lib.3 ep. 43. lib.7. ep.24.

GREGORIVS, *Fantino Defensori.* Experientiam tuã iam credimus cognouisse, dilectissimum filium nostrum Seruum Dei diaconum hæredem sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore deseruimus, reliquisse. Et quia legati titulo, quatuor equarum capita Luminosæ ancillæ Dei proximę suæ dari constituit, atque nos petente dilectissimo filio nostro Florentino diacono xenodochio Anichiorum, cui præesse dinoscitur, decem equarum capita cum emissario suo præuidimus largienda: hac tibi idcirco præceptione mandamus, vt latori præsentium, qui ad hoc illic ex opere missus est, tam quattuor quæ legata sunt, quàm decem equarũ capita, quas xenodochio cõcessimus, de equabus prędicti quidem diaconi, simul & emissarium sine aliqua debeas excusatione vel mora contradere.

EPISTOLA XLIII.

Droculfum de hostibus reuersum commendat.

Sup. li.1. ep.51.72. 73.74. li.3. ep.7. lib.5. ep.7.61. li. 6.ep.3 li. 7.ep.61.

GREGORIVS, *Gennadio Patricio Africæ.* Droculfus præsentium potitor de hostibus ad rempublicam veniens, opinionis vestræ, quæ longè latęque diffusa, est bono successus, ad excellentiæ vestræ obsequia summo desiderio festinauit occurrere. Et quoniam nostra se apud vos poscit epistola commendari, paterna dulcedine salutãtes, petimus vt eum sicut Deus vobis in cor miserit ac vtile fuerit, excellentia vestra ordinare dignetur: quatenus bona quæ de vobis etiam positus adhuc in er hostes audiuit, in se valeat experiri, & excellentiæ vestræ eius quoque ante omnipotentis Dei oculos inter ceteras merces accrescat.

EPISTOLA XLIIII.

Asserit se propter ægritudinem facta Samsonis allegoricè exponere non posse.

Inf. epi. 14. hoc li. Ind. 6.

GREGORIVS, *Venantio Patricio Panormitano.* Desideratissimæ excellẽtiæ vestrę scripta suscepi, in quibus tantum de absentis collocutione gauisus sum, quantum ipsum qui locutus est, semper mihi cupio esse præsentem. Vultis ergo vt quædam de Samsonis factis allegoricè differantur: sed tanta mihi debilitas corporis accidit, vt si qua subire valuerim, exercere animus non assurgat. Bono autem desiderio vestro congaudeo: quia dum expositionem sacrorum verborum cupitis, quàm strictè ipsum auctorem eorũdem verborum quæritis, demonstratis. Si igitur vires salutis recepero, auctore omnipotente Domino, vestris desiderijs parebo. Oro autem vt in cunctis actibus vestris gratia vos superna custodiat: quatenus in bono opere & aspirando vos repleat & adiuuando confortet.

EPISTOLA XLV.

De argento Ecclesiarum secum deferendo.

Lib.11.ep. 39.

GREGORIVS, *Panthaleoni notario.* Expectabamus vt nos experientia tua de argento Ecclesiarum, vel alijs quas inuenit rebus omnino subtiliter redderet certiores; vt ex eius renunciatione quod fieri debuisset, deliberare minutius potuissemus. Sed non nos ita renunciatio tua vt oportebat instruxit. Curæ ergo tuæ sit, vt argentum Ecclesiarum, quod clerus & populus habet, apud quos præuideris, in cimiliarcho Ecclesiæ sub omni sollicitudine atque cautela deponas, atque de eodem deposito desuscepto accipias. Argentum verò Ecclesiarum, quod pro peccatis à clero & populo destitutum est, tecum huc defer. Si fortè tres aut quattuor clericos de ipsis Ecclesijs cognoueris remansisse, facta notitia, quis, quomodo est, vel vbi habitat, nobis defer: vt eius si necessarium viderimus, quid singulis annis accipere debeant, statuere valeamus. Res verò quæ vetustate perire possunt, tecum similiter defer, vt ex eis quod vtile visum fuerit disponatur. Tu autem protegente Domino inuenta nauigij prosperitate reuertere.

EPISTOLA XLVI.

De præsumptione tonsuratorum in Sicilia, qui nomẽ defensorum temerè vsurpabant.

GREGORIVS, *Romano Defensori.* Peruenit ad nos quòd tonsuratores in Sicilia praua sibi præsumptione nomen defensorum sumerent, atque eos non solùm vtilitatibus Ecclesiasticis non esse vtiles, sed etiam hac occasione multa indisciplinata committere. Proinde experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, vt hoc diligenter inquirat. Et si quos sibi, præter eos qui huius rei epistolas habent, hoc denuo nomen vsurpare repererit, districta illud emendatione compescat. Si verò quosdam strenuos ac fideles in Ecclesiasticis negocijs esse probaueris, subtiliter nobis de eis te renunciare necesse est, vt vtrum digni sint epistola iudicemus. Præterea à Fortunato de ijs quæ gessit, rationes subtiliter perscrutari te volumus, & satisfactis omnibus quæ debere constiterit, eum per patrimonium vel actionem aliquam Ecclesiæ nostræ transire vlterius permittas: quia ita se, quãtum ad nos peruenit, exhibuit, vt commune aliquid deinceps cum nostris habere non debeat. Præterea nunciatum est nobis, Martianum quendam qui nomen sibi defensoris assumpsit, fratri & coepiscopo nostro Ioanni, cui curam patrimonij nostri commiseramus, exhibere obedientiam distuliſſe. Require ergo, & si verum est, exilio transmittatur: vt ex cuius Ecclesia honoris sibi falsum nomen arripuit, administranti vtilitates ipsius minimè obedisse impunitum non sit. Sed & si qui sunt alij ordinationi memorati fratris nostri inobedientes, districta in eos vltione modis omnibus vindicabis.

Inf. ep. 47.

Qui non obedit epi scopo, exilio multatur.

EPISTOLA XLVII.

Vt Luminosum violentiam passum ecclesiastica tuitione defendat.

Sup. hoc l. ep. 40. li. 9 ep. 34. 35. sup. ep. 46. hoc li. 11. ep. 34. 35.

GREGORIVS, *Romano Defensori.* Luminosus præsentium portitor violentiam se, vxoremque suam à Salustio viro clarissimo asserens sustinere, huc necessitate eadem faciente venire compulsus est. Vnde quia seruum sanctæ Mariæ, quod est parochiæ Grumentinæ, se esse asserit, necesse est vt Ecclesiastica tuitione valletur. Experientia itaque tua præfato supplici Ecclesiastica non desistat impartire solatia, eumque de quo queritur admonere, quatenus se ab eorum inquietudine compescat. Sin verò est quod sibi in eis rationabiliter dicat posse competere, electorũ iudicio terminetur, tuaq; quicquid definitum fuerit, executione modis omnibus impleatur.

EPISTOLA XLVIII.

De redditibus Ecclesiæ suscipiendis.

Sup. li. 4. ep. 18. li. 5. ep. 18. li. 6. ep. 9. li. 7. ep. 21. 22. 29. 32.

GREGORIVS, *Ioanni Episcopo Syracusano.* Filij nostri Paschasius vir magnificus & Plancho vir clarissimus conquesti sunt nobis, sanctitatem vestram redditus qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ debentur, nõ alibi nisi aut in suburbano ciuitatis, aut in massa, quæ dicitur Gelas, velle percipere. Quod ego nõ ita actum intelligo, sicut hi qui murmurant, putant. Scio enim sapientiam fraternitatis vestræ, & idcirco vos arbitror sic talia proposuisse, vt per eandem propositionem quocunq; in loco redditus vtiles potuissetis accipere.

Laudo

Laudo frater carissime intentionem caritatis tantæ, & vehementer amplector: quia sic curam Ecclesiæ nostræ agitis: quæ profectò vestra est, sicut & vestræ quæ nostra est. Tamen nec in suburbano, nec de massa Gelas filij mei excellentissimi Italici & domus Venantij redditus quos promiserunt sunt petendi. Sed siue in Syracusana, siue in Panormitana parte dare voluerint, ad hoc solum vestra sanctitas sit intenta, vt vtiles per omnia redditus accipiat secundum promissionem pacti vel cautionis quam misimus. Ita ergo sanctitas vestra prouideat, vt nec dilecti filij mei prædicti derelictis suburbanis sibi necessarijs contristentur, nec nostra Romana Ecclesia damnum aliquod vel minorem vtilitatem in eorum reddituum perceptione sustineat.

EPISTOLA XLIX.

De vxore Stephani redimenda.

GREGORIVS, *Anthemio Subdiacono Campaniæ.* Stephanus præsentium portitor, qui vxorem se Ecclesiæ nostræ ancillam habere perhibet, octo se solidis ab Accello seniore de hostibus comparatum innotuit. Et quia ad eorum restitutionem se inopem esse commemorat, experientia tua diligenter inquirat, & si ita esse cognouerit, nec habere vnde suum possit pretium reddere, cũ prædicto seniore ad quantum potueris ordina, & pretium ei quod tibi statuerit, restitue: securus quia tempore quo rationes tuas positurus aduenerís, de captiuorum redemptione quod dederis, tibi restitui faciemus.

EPISTOLA L.

De seruis Dei Blerana ciuitatis.

GREGORIVS, *Eugenio Diacono.* Serui Dei monasterij qꝑ in Blerana ciuitate est constitutum, de terris suggesserunt necessitatem se grauissimam sustinere. Et quia talibus nos personis oportet ferre consultum, experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus, quatenus appendicem quæ Agellus dicitur, ex corpore massæ Gratilianæ cum suis finibus eis debeas contradere, quod eis saluo iure Ecclesiæ nostræ in 36. annorum spatium concessimus habere. Sed & terrulam modiorum 30. ex prædicta massa, quam pridem à nobis sibi datam possidere noscuntur, pariter in prædicto annorum spacio eos habere concedimus: quatenus tali prouisione congregatio illic consistens huius rei valeat habere solatium. Experientia itaque tua huius præcepti auctoritate suffulta, prædictas terras eis tradere non moretur, vt liberiori animo in Dei laudibus valeant permanere.

EPISTOLA LI.

Ioannem famulum dat.

GREGORIVS, *Felici Episcopo Portuensi.* Caritatis vestræ gratia prouocati, ne infructuosi vobis videamur existere, præcipuè cum & minus vos habere seruitia nouerimus; ideo Ioannem iuris Ecclesiastici famulum, natione Sabinum, ex massa Flauiana, annorum plus minus decem & octo, quem nostra voluntate diu iam possidetis, fraternitati vestræ iure directo donamus atque concedimus, ita vt eum habeatis, possideatis, atque iuri proprietatique vestræ vendicetis atq; defendatis, & quicquid de eo facere volueritis, quippe vt dominus, ex huius donationis iure libero potiamini arbitrio. Contra quã munificentiæ nostræ chartulã, nunquam nos successores esq; nostros noueris esse venturos. Hanc autem donationẽ à notario nostro perscriptã legimus, atque subscripsimus, tribuentes etiam non expectata professione vestra, quo volueritis tempore alligandi licentiam legitima stipulatione & sponsione interposita. Actum Romæ.

EPISTOLA LII.

De Ecclesio episcopo frigore laborante.

GREGORIVS, *Venantio Episcopo Perusino.* Fratrem & coepiscopum nostrum Ecclesium frigore omnino laborare cognouimus, pro eo quòd hyemalem vestem nõ habeat. Et quia aliquid sibi à nobis petijt debere transmitti; fraternitati tuæ ad hoc per latorem præsentium trãsmisimus amphimalum tunicam, vel pectoralem, vt à te ei debeat sine mora transmitti. Et ideo ad prædictum fratrem nostrum sub omni illud celeritate stude transmittere, atq; nobis, hoc ipsum quia transmiseris, tuis renunciare epistolis nõ omittas: sed ita fac vt ad transmittendum, quia vehemens frigus est, moram aliquam minimè facias.

EPISTOLA LIII.

Vt ordinet in presbyterum quem Ioannes Abbas pro sua congregatione delegerit.

GREGORIVS, *Lucido Episcopo Leontino.* Filius noster Ioannes Abbas presbyterum sibi in monasterio suo, ex congregatione eadem petit ordinandum. Itaque fraternitatem vestram præsenti auctoritate duximus adhortãdam: quatenus virum, quem vobis de congregatione sua ad ordinationem presbyteri obtulerit consecrandum, de eo, sicut est consuetudinis, quæq; sunt discutienda subtiliter perquiras; & si nihil in eo repertũ fuerit, quod ei possit obuiare, canonicè, sicut moris est, consecres. Nihil ei aliud priuilegij concedentes, nisi vt in congregatione sua quoties opportunum fuerit, sacra missarum debeat tantummodo celebrare mysteria. Ex manuscripto Vaticano.

EPISTOLA LIIII.

De conuersione Monophisitarum.

GREGORIVS, *Eulogio Patriarchæ Alexãdrino.* Latores præsentium Siciliam venientes, à Monophisitarum errore conuersi sunt, atque sanctæ vniuersali Ecclesiæ semetipsos adunauerunt. Qui ad beati Petri Apostolorum principis Ecclesiam peruenientes, popoſcerunt à me, vt eos meis epistolis vestrę beatitudini commendare debuissem: quatenus ab hæreticis qui iuxta ipsos sunt positi, nullam iam violentiam perpeti permittantur. Et quia vnus eorum dicit monasteriũ in quo fuit, à parentibus fuisse constructum; auctoritatem desiderat à sanctitate vestra percipere, vt hi qui in eo sunt hæretici, aut ad sinum sanctæ Ecclesiæ redeant, aut de eodem monasterio repellantur. Hæc à nobis indicata vobis esse sufficiant; nã de vestra beatitudine nouimus, quia quicquid ad zelum Dei omnipotentis pertinet, cum omni facere feruore festinet. Pro me verò vt oretis peto: quia inter gladios Longobardorum quos sustineo, podagræ doloribus vehementer affligor. Sup. li. 8. ep. 42 Ind. 3. li. 10. ep. 54. li. 11. ep. 46.

EPISTOLA LV.

EXEMPLVM CONCESSIONIS PALLII.

DIlectissimo fratri Petro * Gregorius. Omni conuenire nouimus rationi, vt eos amictu pallij decoremus, quos in illis ciuitatibus, diuina inspirante misericordia, sacerdotij honor illuminat; in quibus hoc etiam illis qui præteritis temporibus pontifices fieri meruerunt, & ab Apostolica sede constat esse indultum. Ideoque caritati tuæ vsum pallij sicut decessores tui habuisse noscuntur, præsenti auctoritate concedimus, atque ea omnia circa honoris tui priuilegium volumus permanere, quæ anterioribus temporibus Ecclesiæ tuæ constat esse seruata, vt nihil prorsus de priuilegijs eius doleas diminutum, *& subscriptio domni Papæ.* Deus te incolumem custodiat. Dat. 10. Kal. Octob. Imperante domno * Iustino Aug. *& subscripsit domnus Papa.*

Explic iunt Epistolæ Indictionis quintæ.

Hæc eadẽ formula Ioanni Papę in multis manuscriptis exemplaribus ascribitur. *al. Ioannes

*al. Mauritio

LIBER VNDECIMVS.

INCIPIVNT EPISTOLAE EX REGESTO B. GREGORII PAPÆ INDICTIONIS SEXTÆ.

EPISTOLA PRIMA.

DE PHOCA CORONATO, ET MAVRITIO interfecto cum filijs suis.

Amalarius lib. 4. de Ecclesiasticis officijs, c. 25.

IN nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi per indictionem sextam die 23. mensis Nouembris, tẽporibus domini & beatissimi Papæ Gregorij, coronatus est Focas & Leontia Augusta septimo in palatio, ꝙ dicitur Secundianas, & occisus est Mauritius Imperator cũ omnibus filijs suis masculis, id est, Theodosio iam coronato, Tiberio, Petro, Paulo & Iustiniano simul & Petro fratre suprascripti Mauritij Augusti. Sed & aliqui procerum qui ei cohærebant, id est, Constantius patricius & curator & Placidas, sed & Georgius notarius principis. Venit autem icona suprascriptorum Focæ & Leontiæ Augustorum Romã 7. Kalend. Maij, & acclamatũ est eis in Lateranis in basilica* Iulij ab omni clero vel senatu. Exaudi Christe, Focæ Augusto & Leontiæ Augustæ vita. Tunc iussit ipsam iconam dominus beatissimus & Apostolicus Gregorius Papa reponi in oratorio sancti Cæsarij martyris intra palatium.

*al. Vigilij

EPISTOLA II.

SERMO BEATI GREGORII PAPAE tempore mortalitatis.

Denunciatio pro septiformi litania. Vt plebs faciat septem litanias diuisim secundum status rationem in vno die.

Sup. lib. 2. initio.

Amalarius vt sup.

OPortet fratres carissimi, vt flagella Dei quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa iam quam patimur pœna dissoluat. Vt enim propheta teste prædictum est: Peruenit gladius vsque ad animam. Ecce enim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur. Nec languor mortem præuenit, sed & languoris moras, vt cernitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo qualis ad conspectum districti iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quippe nõ ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut prophcta admonet: Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per prophetam clamat. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit, & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus, nos iam percepisse quod petimus. Citius ad precem iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio, nos importunis precibus insistamus. Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudici veritatis placet: quia pius ac misericors Deus à se vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicitur: Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet vt inuocetur. Proinde fratres carissimi contrito corde & correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem litaniam iuxta distributionem inferius designatam deuota mente cum lachrymis veniamus: Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negocium agere præsumat: quatenus ad sanctæ genitricis Domini Ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala quæ fecimus deploremus: vt districtus iudex dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat. Litania clericorum exeat ab Ecclesia beati Ioannis Baptistæ. Litania virorum, ab Ecclesia beati martyris Marcelli. Litania monachorum, ab Ecclesia martyrum Ioannis & Pauli. Litania Ancillarum Dei, ab Ecclesia beatorum martyrum Cosmæ & Damiani. Litania feminarum coniugatarum, ab Ecclesia beati primi martyris Stephani. Litania viduarum, ab Ecclesia beati martyris Vitalis. Litania pauperum & infãtium, ab Ecclesia beatæ martyris Cæciliæ. Facta sunt hæc in basilica sanctæ Sabinæ sub die quarto Kalend. Septembris, Indictione 6.

Hiere. 4.

Ezech. 18.

Marc. 23.

Psalm. 49

EPISTOLA III.

De sabbato non custodiendo, cum præcepta legis per figuram tradita abolita sint, & quod die Dominico corpus necessitatis causa lauari possit.

GREGORIVS, *Gratia Dei Episcopus Dilectissimis filijs suis Romanis ciuibus.* Peruenit ad me, quosdam peruersi spiritus homines, prauainter vos aliqua & sanctæ fidei aduersa seminasse, ita vt die sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi antichristi prædicatores dixerim? Qui veniens, diem sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum, & quia Iudaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult sabbatum. Hoc enim quod per prophetam dicitur: Ne inferatis onera per portas vestras die sabbati: tam diu teneri potuit, quãdiu legem licuit iuxta litteram custodiri. At postquam gratia omnipotentis Dei Domini nostri Iesu Christi apparuit, præcepta legis quæ per figuram dicta sunt, iuxta litteram seruari non possunt. Nam si quis dicit hoc de sabbato esse seruandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persoluenda, dicat præceptum quoque de circumcisione corporis hucusque retinendum. Sed contra se Paulum Apostolum audiat dicentem: Si circuncidamini, Christus vobis nihil prodest. Nos itaque hoc quod de sabbato scriptum est, spiritaliter accipimus, spiritaliter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem sabbatum ipsum redemptorem nostrum Iesum Christum Dominum habemus. Et qui lucem fidei eius agnoscit, si peccata concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die sabbati per portas introducimus onera, si in Redemptoris nostri gratia constituti pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac redemptor noster multa in die sabbati legitur operatus, ita vt Iudæos reprehenderet dicens: Quis vestrum bouem aut asinum suum non soluit in die sabbati, & ducit adaquare? Si ergo ipsa per se veritas non custodiri iuxta litteram sabbatum præcipit, quisquis otium sabbati secundum legis litteram custodit, cui alteri nisi ipsi veritati contradicit? Aliud quoque ad me perlatum est, vobis à peruersis hominibus esse prædicatum, vt Dominicorum die nullus debeat lauari. Et quidem si pro luxuria ac voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus. Scriptum namque est: Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam. Et rursum scriptum est: Carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Qui igitur carnis curam in concupiscentijs fieri prohibet; profectò in necessitatibus concedit. Nam si Dominicorum die corpus lauare peccatum est, lauari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate toti corpori negatur? Dominicorum verò die à labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insisten-

Hiere. 17.

Gal. 6.

Luc. 14.

Ephes. 5.

Rom. 13.

dum,

dum, vt si quid negligentiæ per lex dies agitur per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur. Hæc filij carissimi certa constantia & recta præditi fide custodite, stultorũ hominum verba despicite, & omnia quæ ab eis dici cognoscitis nolite facilè credere; sed in rationis trutina pensate: vt dum erroris vento forti stabilitate resistitis, ad solida cælestis regni gaudia peruenire valeatis.

EPISTOLA IIII.

De Craterensi monasterio suo iungendo.

GRegorius Adeodato Abbati Neapolitano. Quantum benè dispositæ fratrum congregationi animus noster ex interni desiderij intentione cõgaudet, tantum ex destitutis & penè in desolatione positis fratribus monasterij sancti Marcellini, vt pastoralis sollicitudinis eis citius cura subueniat, vehementi mœrore concutitur. Monachi siquidem monasterij, quod Cratera dicitur, Neapolitanæ vrbi è vicino fundati, porrecta nos petitione informasse noscuntur, locum ipsum ita penè funditus seruorum Dei obsequijs destitutum, vt vix illic remanserint qui loci ipsius solummodo valeant esse custodes. Ob quam rem lachrymabiliter supplicantes à nobis popposcisse noscuntur, vt monasterio vestro ipsum vnire monasterium deberemus: quatenus per sollicitudinem tuam, & deinceps succedentibus alijs locus ipse auctore Deo regulari valeat ordinatione disponi. Sed dum huic rei frater & coepiscopus noster Basilius Capuanę ecclesiæ præsens fuisset inuentus, extitit valde cõtrarius, asserens locum ipsum olim monasterio alio diœcesis suæ fuisse coniunctum, & idcirco minimè in alterius ecclesię ius debere contradi. Contra quam obiectionem Neapolitanæ rursus clerus ecclesiæ multo esse aliter quàm dicebatur oppositis allegationibus replicabat, quibus diuersa sentientibus ne constituere quicquam dubiè videremur, deputatis cognitoribus instituimus inter eos esse iudiciũ. Quibus renunciantibus, manifesta ratione comperimus, fratrem & coepiscopum nostrum Basilium nullum in prædicto Craterẽsi monasterio ius habere. Quo cognito, monachis pia poscentibus, necessariò duximus præbere consensum. Præsentis itaque præcepti nostri auctoritate idem Craterense monasterium cellæ vestræ constituimus vniendum. Hoc præcipuè commonẽtes, vt locus ipse ita cum diuino solatio per vos deinceps debeat ordinari: quatenus dum ab hoste licuerit, deputati à vobis illic monachi debeãt iugiter in Dei laudibus permanere; perturbationis verò tempore intra vrbẽ, in cellam quippe propriam reuocari. Res omnes eidẽ monasterio competentes, diligenti volumus cura perquiri atq; recolligi, easque vt tibi visum fuerit aptè disponi. Nihilque quod eidem monasterio competit, à quoquã detineri permittas: sed omnia in ius cellæ, quippe iam tuæ, reformare non negligas, vt cunctis salubri ordinatione dispositis, quæ Deo placita & nostra sunt auctoritate suffulta, perpetuis maneant inconuulsa temporibus.

EPISTOLA V.

Permittit donationem ante susceptum monachatum verbo factam, scriptis consignari & firmam haberi.

GRegorius Adeodato seruo Dei. Effectum iusta postulantibus indulgere & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem & pietas adiuuat, & veritas non relinquit. Quia igitur priusquam in monasterio sancti Hadriani, vbi es conuersus, intrares, rerumque tuarũ illic donationem emitteres, domos & hortos intra ciuitatem, seu terras sationales, vel vineas in fundo, sicut nos docuisti, Carsiniano pariter & portiones tuas in fundo Fulloniaco, vel ex aliquibus mancipijs tuis quibus ante concessa à te libertas est, verbo largitus es: ipsa quoque donatio licet possit iure subsistere, præcipuè in hoc quod ab illis tribuitur, qui cum pompis suis sæculum relinquentes, ad Dei se eligunt conferre seruitium; tamen ne quid futurum tempus obliuionis nubilo huic derogare quicquam valeat largitati, scripturæ hoc desideras tradere monumẽtis. Quod vt queat robustum existere, à nobis tibi poscis dari licentiam. Idcirco huius præcepti nostri pagina liberam tibi hoc faciendi concedimus facultatem: quatenus dum omnia à te fuerint diligenter expressa, & designatione tua nouerint esse suum, quod cunctis modò commune est, & ipsi sine contentione donata possideant, & voluntas tua quid ad quem pertinere voluerit, esse nõ possit ambigua. Quicquid enim huiusmodi scriptura interueniente feceris, firmum stabileque & ex rei ipsius veritate, & hac nostra auctoritate nõ dubites: quippe qui nõ nouum aliquid facere quod lege est vetitum, sed dudum factum videris exprimere, & salubriter amputandi causa litigij litterarum memoriæ seruanda reponere.

EPISTOLA VI.

De abbatissa Desideria.

GRegorius, Ianuario Episcopo Caralitano. Quando inter religiosas personas de terrenis rebus controuersia nascitur, ita sacerdotali est sollicitudine finienda, vt crescere non possit ex mora contentio. Desideria siquidem abbatissa, latrix præsentium, huc veniens questa est, substantiam parentum suorum pariter & germani sui sibi rationabiliter competentem, à Ioanne abbate indebitè detineri. Et quia eandem causam interueniente petit iudicio terminari; fraternitas vestra adhibitis sibi Innocentio atq; Libertino fratribus & coepiscopis nostris, cum eis negocij huius qualitatem diligenter examinet, & pari consilio communique tractatu ita se in definiendo ex omni latere festinet exhibere sollicitam: quatenus & ipsa omni inuidia fauoris ac negligentiæ careat, & inter illos post definitionem vestram aliquod non possit litigium remanere. Si verò aliqua ex lege vobis ad proferendam sententiam fuerit nata dubietas; sapientem virum & quem nostis Dei timorem habere præ oculis, requirite, vt ab eo quid sit legitimum informati, nullã reprehensionẽ vestrę definitionis valeat calculus sustinere.

Li. 1. ep. 47 60. 61. 62. 81. li. 2. ep. 84. Ind. 11. lib. 3. ep. 9. 10. Ind. 12. li. 8. ep. 38. li. 9. ep. 20.

Mense Nouembri, Indictione sexta.

EPISTOLA VII.

Li. 7. ep. 100.

Vt propter infirmitatem episcopus non deponatur, nisi petierit.

Cura Ro. Pont. in alijs Ecclesijs disponendis.

GRegorius Etherio Episcopo. Quamuis triste sit nobis valde quod loquimur, atque fraterna nos compassio flere potius vrgeat quàm aliquid de auditis diffinire permittat: suscepti tamen sollicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos ecclesijs cura prospicere, & ne qua earũ possit vtilitas deperire, & fieri debeat, Deo auctore disponere. Peruenit igitur ad nos, quibusdã referentibus, quẽdam episcopum ita passionẽ capitis incurrisse, vt quod mẽte alienata agere soleat, gemitus & fletus audire sit. Ne ergo languente pastore grex, quod absit, insidiatoris laniandus, dentibus exponatur, vel ecclesiæ ipsius vtilitates depereant; cauta nos necesse est prouisione tractare. Et ideo quia viuẽte episcopo quem ab officio suo necessitas infirmitatis non crimen abducit, alium loco eius recusante eo, nulla finit ratio ordinari. Sed si interualla ægritudinis habere est solitus, ipse data petitione non se vlterius adhoc ministerium intellectum habere, nec ad alia officia subuertente infirmitate posse fateatur assurgere, & alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto omnium solenniter electione alter qui dignus fuerit episcopus consecretur; sic tamen vt quousque eundem episcopum in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem ecclesia ministrentur. Enimuerò si nullo tempore ad sanæ redit mentis officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad regimen ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum vtilitate cogitare, inquietos sub disciplinæ vinculo constringere, ecclesiasticarũ rerum curam gerere, & maturum atque efficacem se in omnibus exhibere. Qui etiam si episcopo, qui nunc ægrotat superstes extiterit, loco eius debeat consecrari. Ordinationes verò presbiterorum vel diaconorum, seu alterius ordinis, si fieri in eadem ecclesia causa popposcerit, fraternitati tuæ no

ueris reseruandum: quatenus si tuæ est diœceseos, de eius qui ad hoc eligitur vita, moribus, actuque perquiras. Et si placuerit, nec est quod in eo canonicæ districtionis iudiciũ reprehendat, ad destinatum ordinem non aliter nisi te ordinante perueniat. Ita ergo fraternitas tua faciat, atque hæc vigilanti prouidentia disponat, vt nec Dei Ecclesia neglectum vlterius habeat, & consacerdotes suos nõ solùm verbo, sed etiam exemplo locorum venerabilium curam laudabiliter habere commoneat.

EPISTOLA VIII.

Sup. l. 5. ep. 5. & 59. li. 7. ep. 5. li. 9. ep. 5. 56. 57. 64. lib. 10. ep. 64.

De legatis pacis ordinandæ causa ad Pontificem transmissis. De Menna episcopo. De quodam episcopo capitis infirmitate detento. De priuilegijs monasteriorum eius.

Gregorius Brunichildæ Reginæ Francorum. Inter alia bona hoc apud vos præ cæteris tenet principatum, quòd in medijs huius mundi fluctibus qui regẽtis animos turbulenta solent vexatione confundere, ita cor ad diuini cultus amorem & venerabilium locorum disponendam quietem reducitis, ac si nulla vos alia cura sollicitet. Vnde quia huiusmodi præpositorum actio, subiectorum magna solet esse munitio, præ alijs gentibus gentem Francorum asserimus felicem, quæ sic bonis omnibus præditam meruit habere reginam. Epistolis autem vestris indicantibus agnoscentes ecclesiam vos sancti Martini in suburbano Augustodunensi, atque monasterium ancillarum Dei, necnon & xenodochium in vrbe eadem construxisse, valde lætati sumus, & gratias omnipotenti Deo retulimus, qui cordis vestri sinceritatem ad hæc operanda compunxit. Qua de re vt & nos bonis vestris in aliquo participes haberemur; priuilegia locis ipsis pro quiete & munitione illic degentium, sicut voluistis, indulsimus, nec excellentiæ vestræ amplectẽda nobis desideria vel ad modicum differre pertulimus. Paterna præterea caritate salutationis præmittentes alloquiũ, indicamus illustribus filijs nostris, vestræ verò excellentiæ famulis ac legatis Burgoaldo & Varmaricario nostrum nos secundum vestra scripta præbuisse secretum. Qui omnia quæ sibi iniuncta dixeratis, subtili nobis insinuatione reseraſſe noscuntur. De quibus curæ nobis erit, sequenti tempore excellentiæ vestræ quid actum fuerit indicare. Nam nos quicquid possibile & vtile ad ordinandum pacem inter vos & rempublicam pertinet, summa Deo auctore cupimus deuotione compleri. Mennam verò reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum, postquam ea quæ de eo dicta fuerant requirentes, in nullo inuenimus esse culpabilem, qui insuper ad sacratissimum corpus beati Petri Apostoli sub iureiurando satisfaciens, ab his quæ obiecta eius opinioni fuerant, se demonstrauit alienum, reuerti illuc purgatum absolutumque permisimus: quia sicut dignum erat vt si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonicè puniremus, ita dignum non fuit vt eum adiuuante innocentia diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus. De quodam autem episcopo quem capitis infirmitas, sicut nobis prædicti magnifici viri dixerunt, administrare suum non sinit officium, fratri coepiscopoque nostro Etherio scripsimus: vt si interualla eiusdem infirmitatis habuerit, data petitione ad implendum se locum suum profiteatur non posse sufficere, sed alium Ecclesiæ suæ postulet ordinandum: quia viuente episcopo, quem ab administratione officij sui non culpa sed ægritudo subducit, alium loco ipsius sacri nullo modo permittunt canones ordinari. Si verò nullo tempore ad mentis sanæ redit officium, quæri persona debet vita & moribus decorata, quæ & animarum curam gerere, & eiusdem ecclesiæ causas vtilitatesque salubri valeat ordinatione disponere, talisque si supersites extiterit, eius possit loco succedere. Sed & si qui sunt in sacro ordine, vel ad clericatus ministerium promouendi, antefato reuerendissimo fratri nostro Etherio, si tamen ipsius est diœceseos, reseruandum nunciãdumque decreuimus, vt inde habita inquisitione, si nullæ culpæ, quas sacri canones insequũtur, subiecti sunt, ipse eos debeat ordinare. Excellentiæ ergo vestræ cura nostræ se dispositioni coniungat: quatenus nec Ecclesiæ vtilitates, quarum nobis maximus amor est, pereant; & bonis excellentiæ vestræ mercedis augmenta succrescant. Similiter verò de quodam digamo requisiti, an ad sacrum ordinem potuisset accedere, iuxta canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim ne vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra ecclesiasticum institutum fieri permittatis. Præfati autem viri magnifici filij nostri dato capitulari inter cætera petierunt, quòd sibi ex vestra perhibuere iussione mandatum, vt talis debeat à nobis in Gallijs persona transmitti, quæ facta synodo cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore possit corrigere. In qua re gloriæ vestræ curam cognouimus, quàm de vita animæ & de regni vestri soliditare cogitatis: quia Redemptorem nostrum formidantes, eiusque in omnibus præcepta seruantes, & hic agitis vt diu regni vestri gubernacula subsistant, & post longa annorum curricula vos quoque de terreno regno ad regnum cæleste transeatis. Apto autem tempore si Deo placuerit, venerandę excellentiæ vestrę desideria implere curabimus. Nos itaque pro munitione locorum de quibus excellentia vestra scripsit, omnia sicut voluit sancire studuimus. Sed ne fortasse ab eorum locorum præpositis eadem decreta nostra quoquo tempore supprimantur, pro eo quòd eis quædã interdicta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inserenda: quatenus sicut in nostris, ita quoque in regalibus scrinijs teneatur. Omnipotẽs Deus excellentiam vestram in suo semper timore custodiat, atque ita vestra vota in filiorum excellentissimorum Regum nepotum vestrorum intercedẽte beato Petro Apostolorum principe, cui eos commendatis, sospitate adimpleat, vt stabile vobis gaudium de eorum semper incolumitate sicut cupitis, habere concedat. Dat. mense Nouemb. indict. v 1.

Digami ne ordinentur.

Loca sacra pontificum priuilegijs muniũtur.

Reges cõmendant filios suos B. Petro.

EPISTOLA IX.

Li. 5. ep. 51. li. 9. ep. 51.

De pace in Republica facienda.

Gregorius Theodorico Regi Francorum. Scriptorum vestrorum eloquia incolumitatem vestram signantia læti suscepimus, ex quibus ita transcendere vos prudentia ætatem agnouimus, vt euidenter appareat pro gentis Francorum felicitate excellentiæ vestræ potestatis regiæ gubernacula supernæ gratiæ fauore fuisse commissa: inter quæ hoc quoque in vobis satis laudabile mirandumque est, quòd in his quæ filiam nostram præcellentissimam auiam vestram pro omnipotentis Dei amore desiderare cognoscitis, iuuare sic studiosissimè festinatis, vt per hoc & hic feliciter viuatis & in futura vita regnum cum angelis teneatis. Quia ergo hoc Deo donante ex magna venit discretione iudicij, ita omnia quæ excellentia vestra voluit, cititius ac libenter impleuimus, vt quantum nobis, bona vestra placuerint, effectus nostri celeritate monstraremus. Salutantes præterea vos paterna dulcedine, indicamus, omnia quæ viris illustribus famulis vestris Burgoaldo & Varmaricario filijs nostris apud vos aganda mandastis, facta nobis fuisse habito secreto colloquio manifesta. Et valde laudauimus quia & præsentia sapienter, sicut decet, attenditis, & sic munire futura sempiternæ pacis interuentu inter vos & Rempublicam festinatis, vt vnum facti, regni vestri firmitatem in perpetuum extendere salubriter possitis. De quibus succedenti vobis tempore quæ Deo fuerint placita nunciamus. Nam nos quicquid vtile, quicquid probatur esse pacificum desideramus, & vt fieri valeat studemus. Tantum est vt sicut nostra, ita quoque Dei, quo sine nihil possumus, in ea quę expediunt sit voluntas. Sancta Trinitas in suo semper faciat vos timore proficere, & ita cor vestrum placita sibi moderatione disponat, vt & nunc subiectis vestris de vobis, & postmodum vobis de se gaudium sine fine concedat.

(***)

PRI-

PRIVILEGIVM XENODOCHII.

EPISTOLA X.

De Xenodochio quod in Augustodunēsi ciuitate à Siagrio & Brunichilda constructum est.

Gregorius Senatori Presbyteri & Abbati. Quando Catholicorum Regum corda ad ea quæ pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succeduntur, vt ab eis vltrò poscantur; tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum regum Brunichildæ ac nepotis ipsius Theodorici, xenodochio quod in ciuitate Augustodunensi à Syagrio reuerendę memoriæ episcopo, & prædicta excellentissima filia nostra regina constructum est, cui tu præesse dinosceris, huiusmodi priuilegia præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus: statuentes nullum regū, nullum antistitum, nullum quacunque præditum dignitate, vel quenquam alium, de his quæ xenodochio à suprascriptis præcellentissimis filijs nostris regibus iam donata sunt, vel in futuro à quibuslibet alijs de proprio fuerint iure collata sub cuiuslibet causæ, occasioniſve specie minuere vel auferre, siue suis vsibus applicare, vel alijs quasi pijs causis, pro suæ auaritiæ excusatione posse concedere: sed cuncta quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit, tam à te quàm ab eis qui in tuo officio locoque succesſerint, perenni tempore illibata & sine inquietudine aliqua volumus possideri. Eorum tamen vsibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus, vt obeunte abbate atque presbytero, suprascripti xenodochij atque monasterij, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem rex eiusdem prouinciæ cum consensu monachorum, secundum timorem Dei elegerit, ac præuiderit ordinandum. Hoc quoque capitulo præsenti subiungimus, vt locum auaritiæ excludamus, nullum de regibus, nullum de sacerdotibus, vel quemcunque alium per se suppositamve personam de ordinatione eiusdem Abbatis, vel quibuscunque causis xenodochio ipsi pertinentibus, audere in auro siue alia qualibet specie commodi quicquām accipere, neque eundem abbatem ordinationis suæ causa dare aliquid præsumere: ne hac occasione, ea quæ à fidelibus pijs locis offeruntur, aut iam oblata sunt, consumantur. Et quoniam multæ occasiones in deceptionē religiosarum personarum à prauis illis, vt dicitur, hominibus exquiruntur, abbatem atque presbyterum prædicti xenodochij nullo modo priuandum deponēdum que censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Vnde necesse est, vt si qua contra eum huiusmodi querela surrexerit, non solus episcopus ciuitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis sex alijs episcopis suis, subtili hoc inuestigatione perquirāt: quatenus cunctis concorditer iudicantibus, canonicæ districtionis censura aut reum punire, aut innocentem possit absoluere. Simili quoque definitione iuxta desiderium conditorum decernimus, vt nullus eorum qui eidem xenodochio atque monasterio abbas aut presbyter in posterum fuerit ordinatus, ad episcopatus officium quacunque obreptione sit ausus accedere: ne res xenodochij vel monasterij iniqua erogatione consumēs, grauissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis vel cæteris exinde viuentibus generet. Episcopum verò tollendi de eodem loco monachum, ad Ecclesiasticum ordinem promouendum, vel pro aliqua quacunque causa, sine consensu abbatis atque presbyteri habere licentiam prohibemus: ne huius rei vsque ad hoc vsurpatio perducatur, vt loca quæ acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur. Hæc igitur omnia quæ huius præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quàm cunctis qui in eo quo es ordine locoque succesſerint, vel eis quorū interesse potuerit, in perpetuum seruanda decernimus. Si quis verò regum, sacerdotum, iudicum, personarumque sæcularium hanc constitutionis nostræ paginam agnoscēs, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo malè ablata sunt restituerit, vel digna pœnitentia illicitè acta defleuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruātibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

huic priuilegio contrauenerint.

EPISTOLA XI.

De monasterio S. Mariæ, quod in Augustodunensi ciuitate erectum est, & priuilegio eius.

Gregorius Thessaliæ Abbatissæ. Quando ad ea ad quæ Catholicorum regum corda, pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltrò poscantur; tanto sunt alacri & læto animo concedenda, quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum regum Brunichildæ ac nepotis ipsius Theodorici monasterio sanctæ Mariæ, vbi ancillarum Dei congregatio est constituta, in vrbe Augustodunensi, &c. vt supra.

EPISTOLA XII.

De Ecclesia S. Martini, quæ est in suburbano Augustodunensi, & priuilegio eius.

Gregorius Lupponi presbytero & abbati. Quando ad ea ad quæ Catholicorum Regum corda pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltrò poscantur; tanto sunt alacri & læto animo concedenda, quanto ea ipsa quæ cupiūt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum regum Brunichildæ ac nepotis Theodorici Ecclesiæ sancti Martini, quæ in suburbano ciuitatis Augustodunensis, &c. vt supra.

EPISTOLA XIII.

Li. 3. ep. 20 Sup. li. 4. ep. 34. li. 5 ep. 5. Ind. 14. li. 7. ep. 8.

De scriptis eius sine subscriptione non suscipiendis.

Gregorius Maximo Episcopo Salonitano. Alia quidem scripta ad fraternitatem tuam antea feceramus: sed tempore quo homines tuos quos ad nos misisti relaxare voluimus, scripsisse te quibusdam nostris comperimus, quòd Veteranum presbyterum atque Optatum defensorem tunc minimè in causa transmiseris, & ideo ea quæ cum eis acta sunt, non debere subsistere. Sed & Thomas Ecclesiæ tuæ defensor sibi verbo à te dictum perhibuit. Ex qua re iam nec præsentium portitoribus iudicauimus esse credendum, nec de ipsis quoque post hæc similiter diceres. Quia ergo hæc res nos valde fecit ambigere, & cautos esse debere præmonuit, si causam vultis dicere, instructam deceterò personam cum mandato legaliter facto, tuis ac presbyterorum seu diaconorum in testimonium subscriptionibus roborato, gestisque ex more indito transmittite, vt quicquid cum ea actum fuerit, possit iure subsistere. Nam nos non solùm tibi, sed etiam omnibus quod iustum legitimumque fuerit, parati sumus Deo iuuante per omnia custodire; tantùm vt tu quod lege præcipitur, facere non omittas.

EPISTOLA XIIII.

Sup. ep. 44 h. l. Ind. 5.

De persona Vrbici abbatis.

Gregorius Venantio Patricio Panormitano. Excellentiæ vestrę electionem in persona Vrbici abbatis quia valde nobis placuit indicamus: quoniam sicut iudicij vestri discretione oportuit, ad Ecclesiæ gubernationem virum quæsistis vigilantem atque sollicitum, & diuinæ scripturæ scientia,

quod maximè in sacerdotibus eligendum est, institutum. Sed quia cæteris sic est aliquis præponendus, vt dum ipse exterius proficit, interius non decrescat, quietem ipsius turbare non possumus: ne cum eum ad eum ad altiora producimus, minorem illum seipso fieri missum in fluctibus compellamus. Persona verò Crescentis diaconi propterea quòd omnino nobis ignota est, prima nobis cura fuit requirere quemadmodú xenodochiú cui præfuerat, gubernasset; vt ex minimis qualis esse possit in maximo nosceremus. Sed quid nobis portitores scriptorum vestrorum responderint, ab ipsis addiscetis. Hunc autem presbyterum dare omnino vobis excellentia vestra sciat esse difficile: quia personarum nos necessitas ad ordinanda alia loca pastoribus destituta non leuis angustat. Et ideo quia Deum timere, & animæ vestræ nouimus vos habere respectum, paterna caritate salutationis alloquium præmittentes hortamur, vt sicut decet, cauta diligentiq́ue inuestigatione scrutari interius de vita, moribus, actuq́ue præfati diaconi debeatis. Et si enim ad ecclesiæ assurgere regimen agnoscatis, vestra adhortatione omnes in eo concordent. Si autem aliud vestri sentit sollicitudo iudicij, & eum pastoralem curam efficatiter administrare non posse considerat; agendum est cum omnibus cõcorditer, vt alterum qui aptus visus fuerit, de ecclesia ipsa possint eligere, vt venientes ad nos tam diaconus qui iam electus est, quàm etiã qui adhuc eligendus est, is qui Deo placuerit, ordinetur. Enimuerò si in ecclesia illa neque de presbyteris vel diaconis, neque de reliquo clero huiusmodi inueniri potuerit, de alia sibi ecclesia talem ordinandum eligere festinent antistitem, qui vigilanti sollicitudine in exterioribus eorum vtilitatibus & sacerdotali adhortatione animabus valeat Deo miserante vtilis reperiri. Præterea ne qua in hac causa possit esse dilatio, & peccatis facientibus nullus de electis aptus existat; hortandus est clerus & populus, vt eis qui ad nos venerint, sua debeant vice mandare: quatenus hic habeant eligendi licentiam, nobisq́ue hoc ipsum apicibus suis roboratis proprijs subscriptionibus innotescant, vt si vel hic inueniri potuerit, sine difficultate aliqua Christi cooperante gratia consecretur. Quod tamẽ nos non voluntate impulsi loquimur, sed necessitate compulsi: quia quantum est ad nostræ auctoritatis iudicium, de suis volumus vt debeant habere pastorem.

EPISTOLA XV.

Sup. l. 9 ep. 26. & 29.

Ne Iudæos opprimat, sed illis suas solennitates seruare permittat.

Gregorius Paschasio Episcopo Neapolitano. Qui sincera intẽtione extraneos ad Christianam religionem & ad fidem cupiunt rectam adducere, blandimentis non asperitatibus debent studere: ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat prouocare, pellat procul aduersitas. Nam quicunque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis quàm Dei causas probantur attendere. Iudęi siquidem Neapoli consistentes, questi nobis sunt, asserentes quòd quidã eos à quibusdam feriarum suarum solennitatibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festiuitatum suarũ solemnia colere, sicut eis nuncusque & parentibus eorum longis retro temporibus licuit obseruare vel colere. Quòd si ita se veritas habet, superuacuæ rei videntur operam adhibere. Nam quid vtilitatis est, quando, & si contra longum vsum fuerint vetiti, ad fidem illis & conuersionẽ nihil proficit? Aut cur Iudæis qualiter cæremonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari nõ possumus? Agendum ergo est vt ratione potius & mansuetudine prouocati, sequi nos velint, non fugere; vt eos ex eorum codicibus ostendentes quæ dicimus, ad sinum matris ecclesię Deo possimus adiuuante cõuertere, Itaq; fraternitas tua eos monitis quidem prout potuerit Deo adiuuãte ad conuertendũ accendat, & de suis illos solennitatibus inquietari denuo nõ permittat: sed omnes festiuitates, feriasq́ue suas, sicut hactenus tam ipsi, quàm parentes eorum per lõga colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant obseruandi celebrandiq́ue licentiam.

Iudæi mãsuetudine conuertẽdi.

EPISTOLA XVI.

De obitu Victoris Episcopi, & de alio eligendo.

Li. 4. ep. 4. Ind. 13. li. 5. ep. 41. li. 7. ep. 92.

Gregorius Barbaro Episcopo. Obitum Victoris Panormitanę ciuitatis antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ ecclesiæ fraternitati tuæ operam solenniter delegamus. Quam ita te cõuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque, vel quicquid est in patrimonio eiusdem, à quoquam præsumatur ecclesiæ. Et ideo dilectio tua ad prædictam ecclesiam ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemque eiusdem ecclesiæ admonere festinet, vt remoto studio, vno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solennitate decreti omniũ subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat. Commonemus etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas ecclesia, nisi fortè inter clericos ipsi⁹ ciuitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri: prouisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet çonuersationis vel meriti laicã personam aspirare permittas, ne & conatus eorum habeatur inefficax, & in periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem si qua sunt in ipsius constituta parochia, sub tua cura dispositioneque quousque illic proprius fuerit ordinatus episcopus, esse concedimus.

EPISTOLA XVII.

Ex manuscripto Vaticano, Li. 11. ep. 17 †al. Cusen.

Vt Venerio Episcopo visitatori obemperent.

Gregorius Plebi consistenti Turritanen. † & Taurianen. Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ ecclesiæ visitationem fratri & coepiscopo nostro Venerio solenniter delegare, cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu ministerijsque à quoquam vsurpari patiatur: cui vos assiduis adhortationibus conuenit obedire, & remoto strepitu, vno eodemque consensu, talem vobis præficiendum expetite sacerdotem, qui & à venerandis canonibus nulla discrepet ratione, & tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, & visitatoris pagina prosequente, &c. vt in alijs continetur.

EPISTOLA XVIII.

Ex manuscripto Vaticano. Li. 11. ep. 18 †al. Cusen.

Munus visitationis iniungit.

Gregorius Venerio episcopo. Obitum Paulini † Tauritanen. & Turritanen. ecclesiæ antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutarum Ecclesiarum fraternitati tuæ operam solenniter delegamus: quam ita te cõuenit exhibere, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque à quoquam vsurpari patiaris. Et ideo dilectio tua ad prædictas ecclesias ire properabit, & assiduis adhortationibus clerum plebemque earundem ecclesiarum admonere festinet, vt remoto strepitu vno eodemque consensu &c. vt superius; commonentes etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter clericos earundem ciuitatum, in quibus visitationis impẽdis officium, nullus ad episcopatũ dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri.

EPISTOLA XIX.

De eligendo Episcopo.

Gregorius Clero, ordini, & plebi Panormitanæ ciuitatis. Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ ecclesiæ visitationem fratri & coepiscopo nostro Barbaro soleniter delegare. Cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouectionibus clericorum, redditu, ornatu, ministerijsque

à quoquã vsurpari patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus conuenit obedire, & remoto strepitu, vno eodemque consensu talem vobis præficiendum expetite sacerdotem, qui & à venerãdis canonibus nulla discrepet ratione, & tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solẽnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & visitatoris pagina prosequente ad nos veniat ordinandus: prouisuri ante omnia, ne cuiuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere, & non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione prouehatur, verùmetiam vos nullis intercessionibus veniã promereri posse cognoscite: sed & omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio & à communione alienos faciẽdos proculdubio noueritis.

EPISTOLA XX.

De reliquijs sancti Sauini, & oratorio construendo.

G *Regorius Passiuo Episcopo Firmano.* Proculus diaconus Ecclesiæ Asculanæ petitoria nobis insinuatione suggessit, in fundo Gressiano iuris sui ministerium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorẽ S. Sauini martyris desiderat cõsecrari. Et ideo frater carissime, si in tuæ parochiæ memorata constructio iure consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum; percepta primitus donatione legitima, id est, cõduma vna, boues par vnũ, armenta capita quinque, oues & capras, pmiscuas capita viginti, in fundo Gressiano vbi ipsum monasterium fundatur vncias octo, in fundo Staciani vncias octo, fundum Paterni in integro, porcos decem, lectisternia, gestisque municipalibus alligata, &c. secundum morem. Dat. Mẽse Decembri, Indict. VI.

EPISTOLA XXI.

De Exuperantio episcopo, qui in aliena diœcesi oratorium construxerat.

G *Regorius Ioanni Subdiacono Rauennæ.* Lator præsentium Ioannes frater & coepiscopus noster aliqua nobis de causis ecclesiæ suæ dato capitulari noscitur intimasse. Quibus cognitis, culpanda à nobis experientia tua fuerat, si ad te perlata hactenus indefinita remanserint. Sed inquirẽtes agnouimus quòd ad notitiam tuam minimè sunt perducta. Ipsum ergo quod nobis capitulare porrectum est, his fecimus subterannecti. Agnitis itaque omnibus ac discussis, si ita apud te esse vt suggestum est, manifesta veritate patuerint, fratrem & coepiscopum nostrum Marinianum adire te volumus, eumque modis omnibus adhortari, vt his quorum in peragendis negotijs ecclesię ipsius interesse dinoscitur, debeat deputare: quatenus perpensis omnibus cum prędicto viro de his quæ mota fuerint, ecclesiastica inter se debeant tranquillitate decidere. Sin verò elegerint renitendũ, experientia tua immineat esse iudicium; & quicquid cognitorum inter eos fuerit sententia definitum, te debeat exequente compleri: ne diutinis protractionibus dilata paupertas ecclesiæ ipsius diuersis, sicut iam factum asserit, dispendijs ingrauetur. Indicauit etiam nobis, quòd quidam Exuperantius episcopus ausu temerario in diœcesi ipsius oratorium construxerit, idque sine præcepti auctoritate contra morem præsumpserit dedicare; missasque illic publicas celebrare non metuit. Quam rem cum summa te celeritate ac districtione conuenit emendare, ne vlterius tale aliquid attentare permittas. Oratorium verò quod ab incompetenti persona repereris esse constructum, huic cum proprio te volumus episcopo, si res, vt dictum est, ita se habere constiterit, sine mora aliqua reformare.

(***)

EPISTOLA XXII.

Ne ad consignandos infantes egressi nimium aggrauent Ecclesias.

G *Regorius Leoni Episcopo Secundino. Ioanni, Donno, Lucido, Traiano Episcopis Siciliæ.* Sicut nos nobis inuicem specialia per Apostolorum orationem admonemur impartiri suffragia; ita in his quæ necessitate iniuncti regiminis pro dispensatione rerum pauperum, Deo per nos fuerint auctore disposita, sacerdotalia dignum est solatia non deesse. Latorem siquidem præsentium Hadrianum chartularium nostrum ad regendum ecclesiæ nostræ patrimonium, Syracusanarum videlicet partium dirigentes, fraternitati vestræ necessariò duximus commendandum, vt in quo vsus exegerit, vestra eis solatia conferatis: quatenus dum & ad agendum per vos corporalibus, & ad facilitatem explendi quæ cœperit spiritalibus orationum fuerit fultus auxilijs, prosperè ea quæ à nobis ei iuncta sunt, Deo quoque valeat cooperante perficere. Vosmetipsos autem ita ante conspectum omnipotentis Dei in bonis operibus debetis exhibere, vt inueniri in vestra actione nequeat quod vel Deo iudice Percuti, vel quolibet homine insidiãte valeat accusari. Nam eidem præfato chartulario nostro iniunximus, vt si qua de reuerendissimis fratribus nostris episcopis inordinatè acta cognouerit; prius quidem secreta ac modesta adhortatione ipse corripiat. Quæ si ita emendata non fuerint, nobis celeriter innotescat. Præterea relatum est nobis, sanctæ memorię decessoris mei temporibus per Seruum Dei diaconũ, qui iam tunc Ecclesiastici patrimonij curam gessit, fuisse dispositum, vt sacerdotes per vniuersas vestras diœceses constituti quotiens ad consignandos infantes egredimini, vltra modũ grauari minimè debuissent. Summa enim præfixa fuerat, vobis vt audio cõsentientibus, quæ ab eisdem sacerdotibus pro labore clericorum dari debuisset. Atque hoc quod tunc placuit, sicut nunc dicitur, minimè custoditur. Vnde fraternitatem vestram admoneo, vt subiectis vestris graues non studeatis existere; sed si qua sunt grauamina temperetis: quia nec ab eo quod semel definitum est, deflectere debuistis. Etenim in futura & in præsenti vobis vita prospicitis, si eos qui vobis commissi sunt, sine grauamine conseruatis.

EPISTOLA XXIII.

De beneficio eius monasterio collato.

G *Regorius Iuliano.* Gloriæ vestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui; sed tristis perlecta replicaui. In eis quippe dicebatur, quòd pudoris causa fuerat, mihi vos ea quæ dicenda erant, tempore multo tacuisse. Et certum est quia minus amatur qui adhuc erubescitur. Atque omnimodo contristatus sum: quia me à vobis comperi minus quàm æstimaueram amari. In hoc autem valde me contemnitis, si mercedis causas mihi assiduè prouidendas studiosè non requiritis. Nec vobis debet esse verecundiæ ei aliquid de eleemosynis importunè dicere, quem constat non res suas, sed ad dispensandum res pauperum habere. De causis itaque mercedis apud episcopum liberè agere debuistis, etiam si meum animum qualis in amore vestro existeret nesciretis. Episcopus dispensator pauperum. Postquam enim & nos omnino gloriam vestrã diligimus, & dispensatoris locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus; vestra fateor verecundia valde accusabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando insequor, vt hanc à corde vestro funditus repellam, & in mercedis causa magnum solatium vestræ prouisionis habeam. Monasterio itaq; vestro, quod à vobis in Catanensi vrbe constructum est, per Hadrianum notarium & rectorem patrimonij emissa pręcepti pagina decem annuos solidos dari deputauimus, quos petimus sine iniuria suscipi: quia non hæc vobis nostra oblatio, sed S. Petri Apostolorum principis benedictio offertur.

Mense Februarij, Indictione sexta.

EPISTOLA XXIIII.

De baptisterio construendo.

Gregorius Honorio Episcopo Tarentino. Fraternitate tua indicante didicimus in ciuitate Tarentina, in qua præesse dinosceris, in Ecclesię sanctæ Mariæ baptisterium te nouiter construxisse. Et ideo frater carissime præsenti auctoritate suscepta, tui desiderij complebis effectum: quatenus per sacrum lauacrum peccatorum illic maculæ deleantur.

EPISTOLA XXV.

De spe ad æternam patriam tenenda.

Gregorius Paschali Consuli Siciliæ. Epistolam magnitudinis vestræ latore præsentium deferente suscepimus. Et licèt tempora restituendæ pecuniæ in inducijs data defluxerint; petitionem tamen vestram nullo modo duximus contristandam. Hadriano itaque chartulario nostro, quem illuc ad regendum Ecclesiæ nostræ patrimonium direximus, de præsenti iniunximus quæ vobiscum exinde loqui debeat, vt nec Ecclesiastica in aliquo negligatur vtilitas, & postulatio vestra sortiatur effectum. Quia ergo plus de animæ vestræ salute quam de terrenarum rerum vtilitate debemus esse solliciti, salutantes paterno affectu hortamur, vt mens onere tribulationis oppressa, contra Deum non murmuret, ne post amissionem rerum, etiam animæ sequantur dispendia. Nihil de prauis actibus, nil cum peccato, necessitate quasi faciente, festinetis acquirere: sed spem in Redemptoris nostri misericordia habentes, qui confidentes in se non deserit, tolerabiliter quæ pertulistis incommoda sustinete. Erigite animos. Tribulatio vires non opprimat. Aduersa sæculi patientia superet. Pompam mundi mens secura despiciat. Actio vestra se ad ea quæ Dei sunt occupet. Considerantes quàm nullum sit quicquid casibus subiacet, quicquid fine concluditur. Et cor se vestrum vltrà quàm conuenit, non affligat, sed studeat quatenus in omnipotentis Dei protectione iure confidat, qui & non habita donat, amissaque reparat, & reparata custodit. Potens est enim si vos in mandatorum suorum viam ambulare cognouerit, & hic illata damna multiplici compensatione sarcire, & vitam vobis quæ toto magis adnisu petenda est, æternam concedere.

EPISTOLA XXVI.

Li.2.ep.21 li.3 ep.24. li.4.ep.44 Ind.13.li.7 ep.29. Ind.1.

Conqueritur de quodam Beatore, qui plurima iniusta faciebat.

Gregorius Rusticiæ Patriciæ. Quotiens de vrbe regia ad nos aliquis venit, curæ nobis est de corporis vestri sospitate requirere: sed peccatis meis facientibus ea semper audio quæ me tædet audire: quia in tanta tenuitate atque debilitate adhuc in vobis referuntur podagræ dolores excrescere. Sed oro omnipotentem dominum vt omnia quæ in vestro corpore aguntur, ad salutem animæ dirigantur, vt flagella temporalia æternam quietem vobis præparent, & per eos dolores qui cum fine sunt, gaudia vobis sine fine cõcedat. Ego autem in tanto genitu & occupationibus viuo, vt ad dies quos ago, me peruenisse pœniteat, solaque mihi cõsolatio sit mortis expectatio. Vnde peto vt & me debeatis orare: quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear. Præterea indico quendam hic nomine Beatorem, qui quasi Comes priuatorum dici vult, venisse, & multa contra omnes agere, maximè autem cõtra excellentiæ vestræ homines, vel nobilissimarum neptium vestrarum quasi res publicas quærens. Et nos quidem perversè eum agere non permittimus, sed neque vtilitatibus publicis possumus obuiare. Vos ergo apud pijssimos principes, sicut potestis, agite, vt ei agere praua contradicant. Nam cum omni strepitu neque vtilitas publica agitur, neque magni est compendij quod repetere videtur. Dulcissimum filium meum dominum Strategium mea peto vice salutari, quem omnipotens Deus sibi vobisque nutriat, vosque semper de sua gratia & de vita illius consoletur. De reuersione autem vestra quid scribere debeo, qui quantum eam desiderem scitis? Sed dum causarum obligationes aspicio, mihi in desperatione est, atque ideo creatorem omnium exoro, vt vbicunque estis, vbicunq; fueritis, sue vos dextere extensione protegat, atque à malis omnibus conseruet.

EPISTOLA XXVII.

De Ioanne Rauennate clerico.

Gregorius Bonifacio Notario Constantinopolit. Ea quæ nobis experientia tua de Ioanne Rauennate clerico indicauit facere idcirco distulimus, quia de qualitate personæ absentis iudicare non possumus. Sed hortare eum vt ad nos venire festinet: quatenus in præsenti mores & personæ ipsius qualitatem subtiliter addiscentes, quid de his quæ petit fieri debeat, sine dubietate aliqua disponamus.

EPISTOLA XXVIII.

De obitu Andreæ Presbyteri.

Gregorius Philippo Episcopo. Suscepi epistolas dilectionis tuæ, in quibus mihi innotescere curauit, quòd vir venerabilis Andreas presbyter de hac luce migrauerit. De cuius ereptione gauisus sum: quia ad ea quæ semper expetijt, gaudia æterna peruenit. De solidis verò qui pro faciẽdo xenodochio à filio nostro Probo abbate Hierosolymis relicti sunt, hoc quod deliberatum fuerat, vt fieri debuisset, immutari non potuit. Sed benedictionem paruulam quinquaginta solidos sanctitati vestræ transmisi. Vos igitur pro me (sicut credo quia facitis) enixius orate, vt de præsentis vitæ pelago me omnipotens Deus sua manu eripiat, atque me quiescere in æternæ vitæ littore concedat. Graues enim hîc gladiorum oppressiones & causarum tumultus patior. Sed si me diligitis orando monstrate; quatenus orationis vestræ intercessionem sentiam, & amplius in tot malis atque perturbationibus non affligar. Omnipotens Deus sua vos manu protegat, & peruenire cũ vestris ad cœlestia bona concedat.

Mense Martij, Indictione sexta.

EPISTOLA XXIX.

Inf.ep.16. h.l.

De negligentia Proculi Episcopi.

Gregorius Sauino Subdiacono Regionario. Quare venerabilis frater noster Proculus episcopus ab Ecclesia sua diu absuerit, experientia tua non ignorat. Ad quam quoniam Deo propitio habita nunc, vt oportuit, satisfactionis purgatione reuersus est, ne fortè per eius absentiam in aliquo ecclesiæ ipsius sit neglecta vtilitas, aut aliqua sint de eius iure subtracta, reparare ea vel corrigere cupienti, illi in omnibus æquitate seruata, solatiari te volumus atque concurrere: vt tua opitulatione suffultus, in his quæ ab eo agenda sunt, nec difficultatem aliquam quorundam impedimento sustineat, nec diutius debeat laborare.

EPISTOLA XXX.

Sup.ep. prox.

De absentia Proculi episcopi.

Gregorius Sauino Subdiacono Regionario. Peruenit ad nos reuerendissimum fratrem & coepiscopum nostrum Proculum ita, quod dici graue est, Ecclesiæ suæ vel parochiarum causas & vtilitates negligere, vt non solùm res aliquas vel mancipia earum, sed etiam & ministeria apud diuersos esse incautè patiatur. Quod ita esse hoc etiam nobis ex parte aliqua innuit ac confirmat, quòd Gregorius lator præsen-

præsentium, qui iuris se Emolitanæ ecclesiæ, quæ in eius diœcesi constituta est, esse perhibet, ab alio se indebitè eo præsente queritur seruitio subiugari. Ideoque experientia tua prædictum fratrem nostrum studeat commonere, vt res ecclesiarum vel parochiarum suarum siue ministeria rationabiliter vendicet atque defendat, & ab alijs detineri nullo modo patiatur. In qua re ne quam fortè excusationem valeat inuenire, tua ei volumus salua æquitate adesse solatia. Quem si fortè, vt hactenus extitit, videris esse negligentem, ea quæ eum facere oportuerat, te agere volumus & implere in omnibus; quatenus ecclesiarum vtilitas nulla occasione depereat: sed & nobis quæque acta fuerint, renunciare festina, vt à nobis quid post hoc facere debeas inistruaris. Dat. mense Martij, indict. v i.

EPISTOLA XXXI.

De increpanda desidia Paschasij episcopi qui relicta sacerdotali cura naues fabricabat.

Regorius Anthemio subdiacono Campaniæ. Peruenit ad nos, fratrem & coepiscopum nostrum Paschasium ita desidè negligentemque in cunctis existere, vt in nullo quia est episcopus agnoscatur: adeo vt neque ecclesia ipsius, neque monasteria, siue filij ecclesiæ, vel oppressi pauperes eius erga se dilectionis studium sentiant, nec aliquam supplicantibus sibi his in quibus iustum est, opem defensionis accommodet: & quod adhuc dici est grauius, consilia sapientum, & recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere, vt quod per se nequit attendere, ab alio saltem possit addiscere: sed rebus quæ ad pastoris curam pertinent prætermissis, ad fabricandum naues toto se studio inutiliter occupare. Vnde, sicut fertur, contigit quadringentos illum aut amplius iam solidos perdidisse. Hoc quoque eius culpis adiungitur, quòd ita quotidie despectus cum vno aut duobus clericis dicitur ad mare descendere, vt & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis ac despicabilis videatur, vt nihil habere episcopalis vel genij vel reuerentiæ iudicetur. Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscas, qui eum obiurgare atque coercere, vt dignum est, distulisti. Quia ergo hoc totum non solùm ipsum reprobat, sed etiam ad sacerdotalis officij pertinere probatur opprobrium; volumus vt eum coram alijs sacerdotibus, vel quibusdam de filijs suis nobilibus contestari pro hac re debeas ac hortari, vt vitio torporis excusso, desses esse non debeat: sed in ecclesiæ suæ ac monasteriorum cura sit vigilans, paternam filijs suis caritatem exhibeat, in defensionem pauperum cum discretione, in quibus iustitia suaserit, sit erectus, consilia sapientium libenter suscipiat: quatenus & ciuitas illa eius queat sollicitudine consolari, & ipse desidiæ suæ culpas valeat operire. Si verò, quod non credimus, post hanc adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse tentauerit, ad nos est modis omnibus transmittendus, vt hic positus discere possit, quid vel qualiter secundum timorem Dei agere conueniat sacerdotem. Dat. Mense Martij, Indict. v i.

EPISTOLA XXXII.

De facinoribus Benenati Messenatis Episcopi.

Regorius Anthemio subdiacono. Comperimus Benenatum Messenatem facinus quod de se per scripturam manus prius professus est, abnegare. Et ideo quia huius sceleris negatio sicut maiori discussione, ita & maiori indiget vltione; experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, vt eundem Benenatum accusatoremque ipsius simul & personas de quibus accusatus est, atque omnes qui accusationis chartula leguntur, sub omni huc cauta & celeritate transmittat: quatenus causæ huius veritas districta vt dignum est inquisitione examinari valeat & agnosci.

(***)

EPISTOLA XXXIII.

De Benenato Messenate episcopo, qui pecuniam pro cõmuni vtilitate datam sibi applicauerat.

Regorius Anthemio subdiacono. Peruenit ad nos, quondã Benenatum Messenatum episcopum pro construendo illic castro solidos accepisse. Et quia pars eorum solidorum apud eum dicitur remansisse; experientia tua subtili indagatione perquirat, & si quid manifestè de ipsis solidis cognoueris remansisse, Comitatio comiti prædictæ ciuitatis sub desuscepti illud pagina contradat, atque immineat, vt in constructione eiusdem loci, sicut sunt dati, Deo adiuuante proficiant: quia ratio nulla permittit, vt proprijs cuiusquam vsibus applicetur quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur.

EPISTOLA XXXIIII.

L.i.4.ep.54 li.5 ep.1.18 26.36.

De infirmitate & medicamine eius.

Regorius Mariniano episcopo Rauennæ. Multa nos frater carissime cogit infirmitas, ex quibus si sani essemus, iure reprehensibiles videremur. Sed quia aliter subsistere in hoc fragili corpore positi non valemus, nisi eius languoribus seruiamus, erubescere quod imponit necessitas, non debemus. Et ideo quoniam eruptionem sanguinis patientibus ieiunia medici omninò dicunt esse contraria; his fraternitatem tuam hortamur affatibus, vt reducens ad animũ ea quæ est solita de ægritudine sustinere, ieiunandi sibi laborem minimè imponat. Si autem Deo miserãte adeo melioratam se esse, ac virtutem suam sufficere posse cognoscit, semel aut bis in hebdomada ieiunare permittimus. Sed illud te præ omnibus studere conuenit, vt exasperationem sentire nullo modo debeas, ne ægritudo quæ modò leuior & quasi suspensa creditur, per exacerbationem postmodũ grauior sentiatur.

Tempore ægritudinis nõ esse ieiunãdum.

EPISTOLA XXXV.

Sup.ep.30 31.h.l.

De negligentia & desidia episcoporum Campaniæ.

Regorius Anthemio subdiacono Campaniæ. Quotiens illa de fratribus coepiscopisque nostris audimus, quæ & illos reprehensibiles ostendere, & nobis tristitiam valeant generare, & de eorum nos emendatione non mediocriter cogit necessitas cogitare. Quia ergo nunciatum nobis est Campaniæ episcopos ita negligentes existere, vt immemores honoris sui genijque neque erga Ecclesias neque erga filios suos paternæ vigilantię curam exhibeant, vel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum & pauperum se tuitionem impendant; ideo hac tibi auctoritate præcipimus, vt eis à te conuocatis, ex nostro illos mandato districtè commoneas, quatenus desides vlterius esse non debeant: sed sacerdotalem se habere zelum & sollicitudinẽ opere doceant, atque ita in his quæ eos iustè secundùm Deũ agere conuenit, vigilantes existant, vt nullum nos de eis denuo murmur exsaperet. Si quem verò eorum post hæc negligẽtem esse cognoueris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmitte: vt quàm sit graue nolle ab his quæ reprehẽsibilia & valde vituperãda sunt corrigi, regulari in se valeãt districtione sentire.

EPISTOLA XXXVI.

L.i.1.ep. 33. li.2.ep. 22. 28.32.54. 55 li.4.ep. 11. & 15.

De Cosma, & de benignitate erga subiectos.

Regorius Ioanni episcopo Syracusano. Quorundam ad nos relatione peruenit, Cosmam qui ex monacho monasterij S. Luciæ à decessore vestro memorandæ memoriæ Maximiano in ecclesia Syracusana factus subdiaconus, atq; à vobis postea in possessione, quæ Iuliana dicitur, presbyter est ordinatus, ita nimia tristitia & loci qualitate vehementer afflictã, vt vitam sibi pœnã existimet, & cõtritionis suæ fuga quærat auxilium. Et ideo quia tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nobis si subiecti fuissemus

nostros volueramus esse præpositos ; magnæ benignitatis est, si eum in Ecclesia vbi subdiaconi est functus officio, sanctitas vestra reducere, atque illic presbyterum voluerit cõstituere cardinalem. Quod & facere quantum arbitramur debetis : si tamen nihil est quod iustè contra ipsum animos vestros exasperet. Si verò aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis fraternitatis vestra vt scire possimus insinuet. Dat. Mense Apr. indict. v 1.

EPISTOLA XXXVII.

De querimonia Theodori episcopi.

G *Regorius Deusdedit episcopo Mediolanensi.* Frater & coepiscopus noster Theodorus multa queritur se contra iustitiam atque promissionem tuæ sanctitatis perpeti: quæ nos facilè non duximus credenda. Sed quia hæc relinquere sine inquisitione non possumus; fratri & coepiscopo nostro Venantio eius causam deputauimus ventilandã: vt subtiliter ipse cognoscat, nobisque renunciet. Tua itaque fraternitas eundem episcopum cum defensore Ecclesiæ suę sub festinatione ad prædictum fratrem dirigat, vt nos eiusdem negocij cognita veritate suis ipse epistolis certiores reddat.

EPISTOLA XXXVIII.

Docet peßimos reges ad populi peccata deprimenda constitui : hortaturq; vt Reipub. afflictæ subueniat.

G *Regorius Phocæ Augusto.* Gloria in excelsis Deo, qui iuxta quod scriptum est, mutat tempora, & transfert regna: & qui hoc cunctis innotuit, quod per prophetam suum loqui dignatus est dicens, Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit, ipse dat illud. In omnipotẽtis quippe Dei incõprehensibili dispensatione alternatim vitę mortalis sunt moderamina, & aliquando cum iniustorum multorum peccata ferienda sunt, vnus erigitur, per cuius duritiã tribulationis iugo subiectorum colla deprimantur: quod in nostra diutius afflictione probauimus. Aliquando verò cũ misericors Deus mœrentium multorum corda sua decreuit collatione refouere, vnum ad regiminis culmen prouehit, per cuius misericordiæ viscera in cunctorũ mentibus exultationis suæ gratiam infundit. De qua exultationis abundãtia roborari nos citius credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad imperiale fastigium peruenisse gaudemus. Lætentur cæli, & exultet terra, & de vestris benignis actibus vniuersæ Reipublicæ populus nuncusque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur iugo dominationis vestræ superbæ mentes hostium. Releuentur vestra misericordia contriti ac depressi animi subiectorum. Virtus cælestis gratiæ inimicis terribiles vos faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris vniuersa Respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus proprijs secura possessio, vt sine timore habere se gaudeant quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur iam singulis sub iugo imperij pij libertas sua. Hoc namque inter reges gentium & reipublicæ imperatores distat, quòd reges gentium domini seruorum sunt, imperatores verò reipublicæ, domini liberorum. Sed melius hoc orando quàm suggerendo dicimus. Omnipotens Deus in cuncta cogitatione & opere cor vestræ pietatis suæ gratiæ manuteneat, & quæque clementer agenda sunt, inhabitator vestri pectoris Spiritus sanctus benignè disponat, vt de temporali regno vestra clementia post multorum annorum curricula ad cælestia regna pertingat. Dat. Mense Iunij, Indict. v 1.

Dan. 4.

Psal. 95.

Li. 3. ep. 51.

EPISTOLA XXXIX.

Hortatur ad salutem animæ suæ.

G *regorius Eusebiæ Patriciæ.* Et si occupata mens vestra diuitijs, aut fortasse regiæ ciuitatis tumultuosis implicationibus nos per epistolas suas visitare postponit : nostrum est tamen etiam aduersa filiorum corda dulci caritate prosequi, eaque ad benignum animum & admonendo & orando reuocare. Vnde nunc debitum salutationis alloquium soluens hortor, vt excellentia vestra à ciuitatis illius superfluis tumultibus animum auertat, plusque ea quæ animæ quàm quæ sunt corporis cogitet. Transitoria esse omnia perpendat. Venturi iudicis examen tremendum cum metu & lachrymis quotidie sine cessatione consideret, illumque diem in quo perturbanda sunt omnia cum timore ad animum reducat, vt iram iudicis in ipso iam die nõ timeat. Omnipotens autem Deus hæc vestris cogitationibus aspiratione sui spiritus infundat, vosque & hîc cum nobilissimo coniuge vestro & tranquillè viuere, & de domini Strategij salute gaudere faciat, atque post longa tempora ad æterna præmia peruenire concedat.

EPISTOLA XL.

De violentia Seueri contra Firminum episcopum ab Historicorum erroribus reuersum.

Sup. li. 10. ep. 86. Ind. 9.

G *Regorius Smaragdo Patricio Exarcho.* Olim nouimus excellentissime fili quo desiderio, quave conuersione animi, pro adiuuanda Dei Ecclesia in Histriæ videlicet partibus, zelo redemptoris nostri, amore æternæ mercedis, studij vestri feruor extiterit. Quod cum ita sit, ea quæ nobis de illis nuper sunt partibus nunciata, ad vestrã non destitimus perferre notitiam. Firminus siquidem frater & coepiscopus noster Tergestinæ antistes Ecclesiæ, ante aduentum vestræ excellentiæ salubri consilio ab schismate cui inhæserat, resipiscens, atque ad vnitatem matris ecclesiæ rediens, nostris est epistolis confirmatus : quatenus in vero quem cognouerat sinu matris Ecclesiæ fortitudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo audito Seuerus Gradiẽsis episcopus, eiusdem caput schismatis, eum diuersis prę̃miorum cœpit si posset, suasionibus à bono reuocare proposito. Quod dum perficere Deo auctore minimè valuisset, seditionem illi suorũ ciuium excitare non timuit. Quanta verò prædictus frater & coepiscopus noster Firminus ex eadem immissione pertulerit, plenius illic ac verius à vicino poteritis agnoscere. Directis itaque excellentiæ vestræ iussionibus his qui in Histriæ partibus locum vestrum agere, Deo auctore noscuntur, districtius iubetote: quatenus & sæpedictum fratrem nostrum ab illatis debeant defensare molestijs, & quietem illius multis ad imitandum profuturam modis omnibus procurare, vt hæc vestra prouisio & conuersorum sit optata securitas, & occasio apta sequentium. Excellentiam quapropter vestram paterno salutantes affectu petimus, vt zeli vestri in hac causa olim exhibiti, nunc vehementius feruor incandeat, tantoque vos contra hostes Dei vindices defensoresque reperiant, quanto apud Deum precisiosior est animæ quàm defensio corporis. Armet vos contra deuios ipsa quæ in vobis fidei viget rectitudo, redintegretur vestris tẽporibus quod in illis est partibus scissum corpus ecclesiæ. Habetis in hac causa retributorem vestri operis, rectitudinis ac integritatis auctorem. De diuina namque miseratione confidimus, quòd tanso exteriores hostes nostri valentiores vos contra se reperient, quanto vos inimici rectæ fidei diuino in se senserint amore terribiles. Præterea duas ad † Tilquinum epistolas misimus, si pacem quæ ab excellentia vestra in triginta dieb⁹ facta est, custodiret, & rescripsit, eam se seruaturum ; si tamen ipsi à reipublicæ partibus fueris custodita. Homines autem illos quos tenuerat, omnes cum rebus suis relaxauit; sed de occisis hominibus suis valde dolet, atque de vobis vehementer suspectus est : quia si, quod Deus auertat, locum inuenerit, etiam in pace eum nõ est dubium excessurum. Ad Pisanos autem hominem nostrum dudum qualem debuimus, & quomodo debuimus, transmisimus, sed obtinere nil potuit. Vnde & dromones eorum iam parati ad egredien dum nunciati sunt.

† al. Vacillantẽ

EPISTOLA XLI.

De mensura rusticorum iniusta.

GRegorius Panthaleoni Notario. Experientia tua quod vel quale apud sacratissimum corpus beati Petri Apostoli iusiurandum præbuerit memor est. Vnde nos quoque securi discussionis tibi causâ in patrimonio partis Syracusanæ commisimus. Oportet ergo te fidem tuam & eiusdem B. Petri apostoli timorem semper ante oculos habere, atque ita agere, vt neque ab hominibus in præsenti vita, neque ab omnipotente Deo in extremo iudicio valeas reprehendi. Valerio siquidem chartulario nostro narrāte cognouimus, quia modium cum quo coloni ecclesiæ frumenta dare compellebantur, xxv. sextariorum inueneris. Quod omninò exectati sumus, atque eandem excussionis causam tardè fecisse doluimus. Quia ergo eundem modium te fregisse, & iustum fecisse commemoras, gauisi sumus. Sed quia prædictus chartularius summam nobis quoq; indicare studuit, quæ de fraudibus conductorum apud experientiam tuam iam de duobus territorijs est collecta, sicut te studiosè fecisse fracto iniusto modio gaudemꝰ, quia in futuro nobis prospicimus; ita etiam de peccatis præteritis cogitamus, ne si ea quæ fraudulenter conductores à rusticis abstulerūt, ad nos perueniunt; peccata quæ ab ipsis perpetrata sunt, ad nos trahantur. Et ideo volumus cum omni fide, omni puritate, cōsiderato timore omnipotentis Dei, reducto ad memoriam districtione beati Petri Apostoli per vnamquamq; massam colonos pauperes & indigentes experientiam tuam describere, atque ex eis pecunijs quæ in fraudibus sunt inuentæ, vaccas, oues, porcosque comparare, & in singulis colonis pauperioribus ea distribuere. Quod facere te cum consilio viri reuerendissimi domini Ioannis episcopi atque Hadriani chartularij nostri & rectoris volumus. Si autem necesse propter consilium fuerit, etiam filius noster dominus Iulianus debet adhiberi, ita vt nullus alius agnoscat, sed omnino secretum sit. Vos ergo inter vos pertractate, vtrum in auro aut certè in pecunijs eisdem colonis pauperibus dari eadem continentia debeat. Quicquid verò communiter steterit, prius descriptionem sicut dixi facito, & postmodum singulis iuxta qualitatem suæ paupertatis distribuere studē. Ego enim sicut Magister gentium testatur, habeo omnia, & abūdo; nec pecunias, sed mercedem quæro. Ita ergo age, vt in die iudicij de causa mercedis quæ experientię tuę commissa est, fructum quem feceris, ostendas. Quod si purè fideliter & strenuè egeris, & hic illud in filijs tuis recipies, & postmodū retributionem plenariā in æterni iudicis examine habebis.

EPISTOLA XLII.

Quod qui in sacro ordine constituti sunt, cum mulieribus habitare non debeant.

GRegorius Catulo Romano & Victori. Peruenit ad nos quòd qui sunt in sacro ordine constituti, in territorio Nursino cū mulieribus extraneis habitent. Quod quia graue & valde indecens est, Optato defensori præcepimus, vt eos debeat adhortari: quatenus si ita est, nullus eorum cum extraneis mulieribus de cætero audeat habitare. Quòd si fortè adhortationem eius neglexerint; hoc quoq; ei iniunximus, vt ad notitiam fratris & coepiscopi nostri Chrysanthi illud perducere debeat, dummodo aut per illum corrigantur, aut cum eius auctoritate prædictus defensor studeat emendare. Et ideo magnitudo vestra in hoc capitulo, sicut eam condecet, concurrat, atque eundem desuper fratrem habeat in omnibus commendatum, vt vobis solatiantibus & quæ ei iniuncta sunt salubriter expleat, & in alijs contra rationem laborare non valeat.

NOTAE.

Ex hac epistola circa finem vitæ S. Gregorij scripta constat, quod decretum illud de cœlibatu Apostolorum nunquam, vt mentiuntur Centuriatores, reuocauerit. quodq; plane fabulosum sit, quicquid ex epistola sub nomine S. Vldarici conficta, de infanticidio crudelissimo comminiscuntur. Vide quæ dixi supra in Notis ad vitam sancti Gregorij.

EPISTOLA XLIII.

Vt Sacerdotes Nursiæ cum mulieribus cohabitantes coerceat.

GRegorius Chrysantho Episcopo Spoletano. Ex quorundam relatione cognouimus, sacerdotes territorij Nursini cum mulieribus extraneis commanere. Pro qua re valde nos fraternitas tua contristatos agnoscat, quæ dudum talia, si tamen cognouit, minimè passa est coerceri. Sed quoniam Optato præcepimus defensori, vt hæc debeat modis omnibus emendare; si quisquam ex eis in tali capitulo contumax voluerit apparere, ad fraternitatis tuæ eum debeat euocare iudicium. Ideoque sanctitati tuæ necessariò duximus scribendum, vt si quos de Sacerdotibus ad tuam diœcesim pertinētibus cum extraneis mulieribus cognouerit habitare, vel certè de quibus antedictus Optatus tuæ renunciauerit sanctitati, procaces inuenerit, admonitione sacerdotali præmissa, & si res ita exegerit, etiam canonicam adhibens disciplinam, deceterò emendare festinet: quia nos audire talia nulla patimur ratione. Sed & presbyterum quē dicunt sine Dei respectu plurimis violētias irrogare, admonere eum vel increpare pro talibus fraternitas tua studeat. Qui si te audire noluerit, à communione eum suspende, vt vel sic incipiat à prauis se actibus remouere.

Mense Iulij, Indictione sexta.

EPISTOLA XLIIII.

De vsu pallij.

Inf. ep. 48, 49.

GRegorius Ioanni Episcopo Panormitano. Apostolicæ sedis grata benevolentia prouocati, fraternitati tuæ quam Panormitanæ ecclesiæ speculatoris constat susceptisse officium, pallij vsum præuidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, vt alios quoque in insula Siciliæ sacerdotes vel decessores tuos vsos esse non ambigis. Illud autem admonemus, vt Apostolicæ sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. Tūc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsēt iniuria, & canonum manet incolumis atque intemerata semper auctoritas: vt sicut à nobis huiusce modi decoris vsum ad sacerdotalis officij honorem accepisse te gaudes, ita etiam morū atque actuum probitate susceptum adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris inuicem decore conspicuus, si ad huiusce modi corporis habitum mētis quoque tuæ bona concordent.

EPISTOLA XLV.

Sup. ep. 36. h. l.

De responsalibus Apostolicis, qui in palatio Imperatoris permanebant.

GRegorius Phocæ Augusto. Considerare cum gaudijs & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti Domino laudes debemus, quòd remoto iugo tristitię ad libertatis tempora sub imperiali benignitatis vestræ pietate peruenimus. Nam quòd permanere in palatio, iuxta antiquam consuetudinem, Apostolicæ sedis diaconum vestra serenitas non inuenit, non hoc meæ negligentiæ, sed grauissimæ necessitatis fuit: quia dum ministri omnes huius nostræ Ecclesiæ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, vt ad vrbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam vestrā clementiam omnipotentis Dei gratia disponente ad culmen imperij peruenisse cognouerunt; ipsi quoque suadente lætitia ad vestra vestigia venire festinant, qui prius illuc accedere valde timuerant. Sed quia eorum quidam ita senectute sunt debiles, vt laborem ferre vix possint; quidam ecclesiasticis curis vehementer

Amalarius lib. 4. de Ecclesiasticis officijs, c. 25.

impli-

implicantur, & lator præsentium qui primus omnium defensor fuit, benè mihi ex longa assiduitate compertus, vita, fide ac moribus approbatus, hunc aptum pietatis vestræ vestigijs iudicaui. Vnde eum auctore Deo diaconum feci, & sub celeritate transmittere studui, qui cuncta quæ in his partibus aguntur, inuento opportuno tempore valeat clementiæ vestræ suggerere. Propter quod rogo vt serenitas vestra ei pias aures inclinare dignetur, vt tanto nobis valeat celerius misereri, quanto afflictionem nostram verius ex eius relatione cognouerit. Qualiter enim quotidianis gladijs, & quantis Longobardorum incursionibus, ecce iam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere vocibus suggestionis valeamus. Sed in omnipotente Domino confidimus, qui quæ cœpit, consolationis suæ nobis bona perficiet. Et qui suscitauit in republica pios dominos, etiam extinguet crudeles inimicos. Sancta itaque Trinitas vitam vestram per tempora longa custodiat, vt de bono vestræ pietatis quod tardè suscepimus diutius gaudeamus.

EPISTOLA XLVI.

Gratulatur Augustæ de dignitate quam fuerat assequuta: & hortatur Ecclesiam S. Petri specialiter honorare.

G*Regorius Leontiæ Augustæ.* Quæ lingua loqui, quis animus cogitare sufficiat quantas de serenitate vestri imperij omnipotenti Deo gratias debemus, quòd tam dura longi temporis pondera ceruicibus nostris amota sunt, & imperialis culminis leue iugum subijt quod libeat portare subiectis? Reddatur ergo creatori omnium ab hymnidicis angelorum choris gloria in cœlo, persoluatur ab hominibus gratiarum actio in terra: quia vniuersa respublica quæ multa mœroris pertulit vulnera, iam nunc consolationis vestræ inuenit vomenta. Vnde nobis necesse est omnipotentis Dei misericordiâ enixius exorare, vt cor vestræ pietatis sua semper dextra teneat, eiusq; cogitationes cælestis gratiæ ope dispenset; quatenus tranquillitas vestra tanto rectius valeat sibi seruientes regere, quanto dominatori omnium nouerit verius deseruire. In amore Catholicæ fidei faciat defensores suos, quos fecit ex benigno opere imperatores nostros. Infundat in vestris mentibus zelum simul & mansuetudinem, vt semper pio feruore valeatis & quicquid in Deo exceditur non inultum relinquere, & si quid vobis delinquitur parcendo tolerare. Det vobis in vestra pietate Pulcheriæ Augustæ clementiam, quæ pro zelo Catholicæ fidei in sancta synodo Helena noua vocata est. Omnipotens Dei misericordia largiora vobis cum pijssimo domino spatia viuendi concedat, vt quò vestra longius vita extenditur, subiectorum omnium consolatio validius confirmetur. Rogare forsitan debui, vt Ecclesiam beati Petri Apostoli, quæ nuncusque grauibus insidijs laborauit, haberet vestra tranquillitas specialiter commendatam. Sed quia scio quia omnipotentem Deum diligitis, non debeo petere quod sponte ex benignitate vestræ pietatis exhibetis. Quanto enim plus timetis conditorem omnium, tanto amplius eius potestis Ecclesiam amare, cui dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & cui dicitur: tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælo. Vnde nobis dubium nō est quàm forti amore ad eum vos stringitis, per quem solui ab omnibus peccatorum nexibus desideratis. Ipse ergo sit vestri custos imperij, sit vobis protector in terra, sit pro vobis intercessor in cælo: vt per hoc quod reuelatis duris ponderibus in vestro imperio subiectos gaudere facitis, post multa annorum tempora in cælesti regno gaudeatis.

Act. 1. Synodi Calcedonensis.

Matt. 16.

EPISTOLA XLVII.

De pace & vnitate sanctæ ecclesiæ, & de vniuersalis vocabulo fugiendo. Li. 6. ep. 45 58.

G*Regorius Cyriaco Patriarchæ Constantinopolitano.* Quanta sit pacis virtus, carissime frater, ex voce Dominica diligentius intuentes, quæ ait: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis? ita in eis nos decet dilectione persistere, vt locum præbere discordiæ nullo modo debeamus. Sed quia in radice ipsius viuere aliter non valeamus, nisi mente & actu humilitatem, quã ipse auctor pacis docuit, teneamus; cum ea caritate qua dignum est suademus, vt profanam elationem quæ animabus semper aduersa est, cordis pede calcantes, peruersi superbique vocabuli scandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis: ne à pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis. Sed vnus in nobis spiritus, vna mens, vna caritas, vna in Christo, qui sua membra esse nos voluit, sit compago concordiæ. Nam quam durum, quàm indecens, quàm crudele, quamq; à sacerdotali proposito sit extraneũ, pacem illum quam alijs prædicat nõ habere, sanctitas vestra cõsideret: & suos de superbia fratres scandalizare abstineat. Sed hæc magis studeat, vt vanæ aut superfluæ elationis auctorẽ, humilitatis queat ense prosternere: quatenus ex eiusmodi victoria, suum vos habitaculum sancti spiritus gratia sibi vẽdicet, & apertè impleatur in vobis quod scriptum est: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Præsentium verò portiorem dilectissimum communem filium Bonifaciũ diaconum vobis in omnibus commendamus, vt quocunq; necesse fuerit, solatia vestræ sicut decet inueniat sanctitatis. Ioan. 14. 2. Cor. 6.

EPISTOLA XLVIII.

De puero ordinato in diaconum, & de Simoniacæ hæresi tollenda. Inf. ep. 47. Sup. li. 8. ep. 42. li. 10. ep. 14.

G*Regorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino.* Quadam die inter me & familiares meos de consuetudinibus Ecclesiarum cum sermo fuisset exortus; quidam qui in magna ciuitate Alexandrina medicinali arte erat imbutus, collectorem se apud sophistam suum habuisse perhibuit, summæ prauitatis puerum, quem repentè dixit esse diaconum ordinatum. Atque addidit quòd per præmia & donationes ordinatus fuisset: quia eandem consuetudinem in sancta Alexandrina Ecclesia conualuisse fatebatur. Quod ego audiẽs obstupui, & valde miratus sum: quia sanctis, ac beatis. viri dñi Eulogij lingua, quæ tam multos hæreticos ad fidem Catholicam reuocat, Simoniam hæresim de sancta Alexandrina Ecclesia non erasit. Et quis erit cuius exhortatio vel correctio hoc poterit emendare, si magna & admirabilis doctrina eius hoc sine emendatione reliquerit? Vnde pro absolutione animæ vestræ, proque augmento mercedis vestræ, vt ante tremẽdi oculos iudicis vestra in omnibus perfecta sint opera, festinare debetis, Simoniacam hæresim, quæ prima in ecclesia exorta est, à sanctissima sede vestra, quæ nostra est, funditus euellere, atque eradicare. Propter hoc etenim contigit vt Ecclesiasticorum ordinum à plurimis sanctitas caderet; quia personæ non pro vita & actibus, sed pro præmijs ad eos ordines adducuntur. Si autem morũ merita & non præmia quæruntur, ad ordinationem personæ indignæ non venient. Et tanto plus incipiet vobis merces accrescere, quanto boni quique qui adducti ad sacros ordines fuerint, de animarum lucris studuerint cogitare. Sedes Alexãdrina.

EPISTOLA XLIX.

De verbo Dei instantius prædicando. Sup. lib. 7 ep. 29. & 30. ep. 46. h. l. Sup. li. 8. ep. 42. Ind. 3. li. 10 ep. 54. Prouer. 25.

G*Regorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino.* Magnas omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis dulcis sit sapor caritatis, cum impletur quod scriptum est: Sicut aqua frigida sitienti, sic nuncius bonus de terra longinqua. Ante hoc enim temporis Bonifacij chartularij responsalis mei, qui in vrbe regia demoratur, vehementer me scripta turbauerunt, quæ dicebant, dulcissimam mihi atque suauissimam sanctitatem vestram defectum corporei luminis pertulisse. Ex quibus scriptis graui mœrore percussus sum. Sed subitò creatoris ac redemptoris nostri gratia prosperante beatitudinis vestræ suscepi epistolam, & sanam

tanam de ea quam audiui corporis molestia agnoscēs, exultaui vehementer: quia tanta lætitia cordis secuta est, quanta prius tristitiæ amaritudo præcesserat. Scimus enim quia in omnipotentis Dei adiutorio multorum salus est vita vestra. Nam tunc inter fluctus nautæ securi nauigant, quando gubernator doctus atque artifex ad claui regimen sedet. In salutis autem vestræ gaudio, hæc quoque mihi est exultatio addita: quia & imminutos ore vestro Ecclesiæ hostes, & multiplicatos dominicos greges agnoui. Crescunt enim quotidie per linguæ vestræ vomerem grana cœlestia, atque in supernis horreis multiplicantur, ita vt in vobis impletum esse gaudeamus quod scriptum est: Vbi plurimæ seges, ibi manifesta fortitudo boum. Vnde aperte colligimus, quia quantum plus ad seruitium Dei omnipotentis fugitiuos eius reducitis, tantum apud eum maius meritum habetis. Et quanto meritum maius accipitis, tanto potestis amplius impetrare quæ petitis. Rogo ergo vt pro me peccatore enixius oretis, quia & dolor corporis, & amaritudo cordis, & immensa vastitas mortalitatis inter tot barbarum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, sed intercessione vestrę beatitudinis hanc me obtinere confido.

Secundo verò anno nulla sanctitatis vestrę scripta suscepi. atque omnino contristatus sum. Et quidem vestra benedictio, quam sine epistola transmisistis, data atque suscepta est. Sed quia plus me lingua vestra quàm data lætificant, minoris gratiæ esse credidi quæ dabantur. Communem autem filium Epiphanium diaconum, Alexandro atque Isidoro sanctissimæ Ecclesiæ vestræ diaconis feci scribere, vt constaret quia ea quæ transmissa sunt, suscepissem. scripsi verò quia grandia ad arbores ac temones faciendos ligna paraueram, sed nauis parua quæ venerat, hæc portare non potuit, & nihil mihi exinde rescripsistis. Vnde si sunt necessaria, communi filio Bonifacio diacono nostro, quem nunc ad vrbem regiam pro faciendis responsis transmittimus, scribite vt mihi ipse rescribat quatenus præparentur, vt cum beatitudo vestra transmiserit, parata valeant inueniri. Præterea transmisimus crucem paruulam, in qua de catenis amatorum vestrorum sanctorum Petri & Pauli Apostolorum inserta est benedictio, quæ oculis vestris assiduè supponatur: quia multa per eandem benedictionem miracula fieri consuerunt. Omnipotens Deus cordi beatitudinis vestræ aspiret, vt pro me orare assiduè curetis. Et vos vestrosque omnes sua dextera protegat, atque post longa annorum curricula ad cælestia regna perducat. Eulogias verò sancti Marci à beatissima fraternitate vestra transmissas, cum ea caritate qua sunt directæ, secundum notitiam earum suscepimus, & gratias affectui vestro referimus: quia ex his exterioribus, quales erga nos interius sitis, agnoscimus.

EPISTOLA L.

De videndo eo.

GRegorius Ioanni Episcopo Panormitano. Amorem circa nos vestrum, quem corporali nobis visione voluistis exhiberi, scriptis & operibus assiduè demonstratis. Sed quid aliud hæc exhibendo agitis, nisi vt plus quæramus videre quem docemur amplius amare? Et paulò minus iam etiam murmur accepimus, quia non possumus videre quem amamus. Sed affuit qui mihi impossibilitatem nauigij de vestra gloria narraret, atque ideo quod amaui retinui, & quod iratus fueram peperci. Omnipotēs Deus sua vos protectione custodiat, & à malis omnibus gratia assidua defendat.

EPISTOLA LI.

De caritate clericis suis exhibenda.

GRegorius Ioanni Episcopo Panormitano. Implenda sunt semper postulantium desideria, quotiens illa poscuntur quæ à ratione non deuiant. Et ideo quia quædam capitula, quæ seruaturum te clericis tuis petentibus promisisti, nostra ab eis postulatur auctoritate firmari, fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt ea quæ præsentia scripta continent, sine aliqua debeat refragatione seruare. Primùm vt de redditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem Ecclesiæ tuæ clericis secundum meritum, vel officium, siue laborem suum, vt ipse vnicuique dare prospexeris, sine aliqua præbere debeas tarditate. De hoc verò quod ex fidelium oblatione accesserit, id est, quartam partem in solidis, vel cellario eis iuxta pristinam consuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua retineas potestate. Immobilia enim Ecclesiasticis redditibus aggregentur, vt multiplicata quantitate clericorum tuorum vtibus, Deo largiente proficiant. Tabullarium vnà cum consensu seniorum & cleri memineris ordinandum, qui annis singulis ad amputandam fraudis suspicionem solenniter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum autem tempore idem clerus emendi vinum de possessionibus Ecclesiæ tuæ ad iusta precia, in quantum vendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est, vt quod potest extraneis venundari, clericis dato precio denegetur. Possessiones igitur, vel si qua sunt ecclesiastico iuri competentia, & ab extraneis indebitè detinentur, cum omni studio seruata ciuilitate, in ius ecclesiæ tuæ præparare festina, vt negligens in aliquo videri non valeas. Si quid igitur de quocunque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè possit offendere, facilè non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita: sed præsentibus senioribus Ecclesiæ tuæ diligenter est veritas perscrutanda; & nunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis. Hæc itaque omnia sic sollicitè ac mansuetè studij tui sit custodire: quatenus nec tu promissionis tuæ videaris immemor extitisse, nec illi contra te iustam occasionem inuenire valeant murmurandi. Dat. Mense Aug. Indict. VI.

cleſiarum capitula ordinationeſque cōfirmat.

CAPITVLARE.

EPISTOLA LII.

Inf. ep. 52. h.l.

Vt Ianuarium Malachitanum restituat, & causam Stephani episcopi examinet.

IOanni defensori in nomine Domini eunti in Hispaniam. In primis requirendum est de persona presbyteri dilectissimi fratris coepiscopi nostri Ianuarij, & si ita se veritas habet, sicut eiusdem episcopi petitio continet, in Ecclesia atque in loco suo, modis omnibus idem presbyter reuocetur. Si autem dictum fuerit, quia contra ipsum causa aliqua mota siue probata est, subtiliter ipso præsente, & pro se rationem reddente, quærendum est & genus causæ, & modus probationis, vt ex hoc colligere valeas, vtrum adhuc in exilio demorari, an certè in ecclesia sua & officio suo debeat reuocari. De episcopi supradicti persona hoc statuendum est, vt si nulla contra eum criminalis causa, quæ exilio vel depositione digna est, mota siue probata est, is qui eo superstite episcopus peruersè ac contra canones in Ecclesia eius ordinari præsumpsit, sacerdotio priuatus, ab omni ecclesiastico ministerio repellatur. Qui etiam eidem dilectissimo Ianuario fratri & coepiscopo nostro tradendus est, vt ab ipso aut in custodia habeatur, aut certè ab eo ad nos per omnia transmittatur. Episcopi verò qui eum ordinauerunt, vel ordinationi eius consentientes interfuerunt, sex mensibus Dominici corporis & sanguinis communione priuati, agere pœnitentiam decernantur in monasterio; & suprascriptus Ianuarius loco & ordine suo modis omnibus reformetur. Si verò communione priuatis mortis contigerit imminere periculum, benedictio eis viatici non negetur. Si autem episcopi in præiudicium condemnationis vel depositionis memorati episcopi, se metu iudicis consensisse, ac talia fecisse non sua sponte fassi fuerunt, & tempus eis abbreuiandum est, & modus pœnitentiæ temperandus. Si verò ille qui locum eius inuasit, de hac fortasse luce migrauerit, & alter est ordinatus: quia leuioris culpæ videtur, cum non quasi isti superstiti, sed successisse defuncto videatur, episcopatus illi officium ab illa ecclesia tantummodo in-

do interdicatur, vt in alia Ecclesia quæ sacerdote vacauerit, si electus fuerit, posset esse episcopus; ad Malachitanam tamen ecclesiam nunquam aliquo modo reuersurus. Gloriosus autem Comitiolus quicquid prædictus episcopus per violentiam atque insecutionem ipsius expendisse vel damnum pertulisse dato sacramento firmauerit, eidem episcopo restituere condemnetur. Si autem aliter quàm antefati episcopi petitio continet, actum esse forsitan perhibetur, subtiliter quærendum est, & veritate cognita cum Dei timore quod iustitiæ ordo suaserit iudicandum. Quia ergo Stephanus episcopus in odio suo quædam ficta, & de falsis se capitulis quæritur accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed iniustè se asserit condemnatum: diligenter quærendum est, primò si iudicium ordinabiliter est habitum, id est, si alij accusatores, alij testes fuerunt. Deinde causarum qualitas est examinanda, si digna exilio vel depositione fuit. Aut si eo præsente qui accusatus est sub iureiurando contra eum testimonium dictum est, seu scriptis actum est, vel si ipse licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est: cuius vitæ, cuius conditionis, cuiusque opinionis, aut ne fortè aliquas contra prædictum episcopum inimicitias habuissent, & vtrum testimonium ex auditu dixerunt aut certè se scire specialiter testati sunt: si scriptis iudicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est. Quòd si fortè hæc solenniter acta non sunt, nec causa probata est quæ exilio vel depositione digna sit, in Ecclesiam suam modis omnibus reuocetur. Hi verò qui eum contra Dei timorem & canonum statuta condemnauerunt, excommunicati in monasterium ad agendam pœnitentiam sex mensibus mittendi sunt: ita sanè vt si cuiquam eorum mortis contigerit imminere periculum, viatici benedictio non negetur. Ipse autem qui eo viuente locum eius temerariè ambiuit, priuatus sacerdotio ab omni ministerio Ecclesiastico repellatur, atque eidem dilectissimo fratri & coepiscopo nostro tradatur, vt eum aut ipse ad nos transmittat, aut apud se in custodia habeat. Episcopi verò qui eum ordinare præsumpserunt, vel peruersæ ipsius ordinationi præbuere consensum, ijdem communione priuati, sex mensibus ad agendam pœnitentiam in monasterio deputentur. Si autem episcopi in præiudicium commendationis vel depositionis memorati Stephani se metu iudicis consensisse, ac talia fecisse non sua sponte professi fuerint; tempus eis abbreuiandum est, & modus pœnitentiæ temperandus. Si igitur is qui prædicti Stephani locum inuasit, fortasse defunctus est, atque alius in ecclesia eius episcopus ordinatus est; illud de eo statuendum est, quod superius de causa fratris & coepiscopi nostri Ianuarij diximus. Quòd si fortè aliqua de obiectis contra memoratum Stephanum episcopum probata sunt, aliqua verò doceri minimè potuerunt; cauta omnino consideratione pensandum est, vtrum leuiora capitula, an certè grauiora probata sint, vt ex eis qualiter diffinitionem tuam formare debeas, possis scire. Gloriosus verò Comitiolus, si suprascriptus episcopus innocens esse claruerit, quicquid de rebus eius, vel Ecclesiæ ipsius tulit, ei sine aliqua restituat dilatione. Sed & quæque se in persecutionem ac violentiam eius expendisse, vel damnum idem episcopus pertulisse iurauerit, idem memoratus gloriosus Comitiolus reddat ac satisfaciat. Si autem talem culpam antedictum episcopum commisisse constiterit, quod absit, vt constet eum non irrationabiliter fuisse depositum; eadem eius depositio confirmetur, & ecclesiæ res suæ omnes restituantur, quæ ablatæ claruerint: quia delictum personæ in damnum ecclesiæ non est conuertendum. Si enim vt dicunt, Comitiolus defunctus est, ab hærede eius quæ ab illo iniustè ablata sunt, sine excusatione reddantur.

EPISTOLA LIII.

De consiliarijs excommunicatis Ianuarij episcopi. Inf. ep. 57.

Gregorius vitali Defensori Caralitano. Quid de fratre nostro Ianuario episcopo agnouimus & lator præsentiū & exemplaria scriptorū nostrorū te poterunt informare; atque ideo excommunicationem quam super peruersos eius consiliarios dari decreuimus, tua experientia solerter exequatur, vt cadentes discāt, quatenus incautè ambulare non debeant. Præterea pretium tritici quod nobis xenij nomine fuerat transmissum, per latorem præsentium redemptorem defensorem transmisimus. Videat experientia tua, ne vel tu, vel ipse qui detulit, aliquid ex eo in precio commodi participare præsumat, sed totum singulis vel simul omnibus illibatum restituat, eorumque mihi scripta de eodem pretio transmittat: quia si aliter quàm admoneo factum cognouero, vindictam ex eadem causa non mediocriter exercebo.

EPISTOLA LIIII.

De monachis Capricanæ insulæ. Sup. ep. 49.

Gregorius Ioanni defensori. Vbi canonicam districtionem culparum contra se qualitas excitat, postponere quæ corrigēda sunt nō debem⁹; ne dissimulatione vires dare prauis actibus, quos falce disciplinæ resecare nos conuenit, videamur. Quia ergo peruenit ad nos, monachos monasterij in Capricana insula, quæ iuxta Maioricam insulam est posita, ita peruersè agere, ac vitam suam diuersis facinoribus submisisse, vt non omnipotenti Deo, sed antiquo hosti, quod cum gemitu dicimus, ostendantur potius militare; experientia tua præsenti auctoritate commonita, ad prædictum monasterium accedere, & vitam moresque illic conuersantium subtili studeat inuestigatione perquirere, & ita quæ resecatione digna repererit, sicut canonicus ordo desiderat, congrua vltione corrigere, atque eos quæ obseruare debeant studeat informare; quatenus emēdationis tuæ modus, & istos ad viam rectæ conuersationis reducere, & te apud nos nullo modo valeat accusare culpabilem.

SENTENTIA IOANNIS DEFENSORIS.

EPISTOLA LV.

De cognitione de qua inter episcopos resedit, & de Ianuario Malachitano quem absoluit.

In nomine Domini Imp. illo, illa die, illa Indictione. Ille cui officium cognitoris iniungitur, ita se pura ac intemerata conscientia debet in omnibus exhibere, vt ex his quæ in alijs iudicat, ipse vltionem æterni examinis non incurrat. Dum igitur ex dubitatione & iussione beatissimi atque Apostolici domini mei Papæ Gregorij, Ego Ioannes defensor inter Ianuarium episcopum Malachitanæ ciuitatis, atq; inter illos & illos episcopos cognitor resedissem, necesse habui huiusmodi causam prædicti Ianuarij interna inquisitione discutere, & à partibus subtiliter quærere veritatem, si vt petitio eius cōtinet, transmissis clericis à memoratis episcopis vnà cum hominib⁹ glorioſi Comitioli de ecclesia fuerit violenter abstractus. Qui dum multa cōtra se inuicem, sicut gesta testantur, obijcerent, ad conclusionis hunc vtrāq; partes aliquando terminum peruenerunt, petentes me de agnitis debere iudicare. Vnde solicitè relegens quæ acta sunt, & veritatem diligēti inuestigatione perquirens; nullā in antedicto Ianuario culpā quæ exilio vel depositione digna esset puniri, sed magis illum eiectum de ecclesia violēter inueni. Et quamquā huiusmodi temeritatē legū cēsura districtissimè feriat: ego tñ legū vigorem sacerdotali moderatione temperans, medijs sacrosanctis Euangelijs, quibus præsentibus ab initio in hoc cognitor resedi iudicio, ea quæ cōtra eū statuta sunt, licet iure nō teneant, nec alicuius sint momēti, iniusta tñ & infirma esse pronūcio, atq; illos & illos memoratos episcopos, qui postposita consideratione sacerdotali, in fratris sui præiudiciū atq; condemnationē iniustè & contra Dei timorem versati sunt, condemnans, in monasterio recipien-

recipiendos ad agendum in tempus pœnitentiam ſtatuo atque decerno. Illum verò qui locum antedicti ſanctiſſimi Ianuarij contra ſacrorum canonum ſtatuta nequiter præſumpſit inuadere condemnans, priuari ſacerdotio & ab omni Eccleſiaſtico ordine remoueri ſtatuo; & vt hoc quod malè eſt adeptus amittat, nec ad officium quod ante indignè geſſerat, reuertatur. Sæpè dictum autem ſanctiſſimum Ianuarium epiſcopum abſolutum loco ſuo in epiſcopatus gradu Deo auctore reuerti, ac modis omnibus reformari conſtituo.

EPISTOLA LVI.

CAPITVLARE LEGVM IMPERIALIVM pro immunitate clericorum Ioanni defenſori eunti Hiſpaniam.

DE pluribus cauſis examinandis.

DE perſona presbyteri hoc attendendum eſt, quia ſi quam cauſam habuit, non ab alio teneri, ſed epiſcopus ipſius adiri debuit, ſicut Nouella conſtitutio manifeſtat, quæ loquitur de ſanctiſſimis & Deo amabilibus ac reuerentiſſimis epiſcopiſcopis, clericis, & monachis. Imperator Iuſtinianus Auguſtus Petro glorioſiſſimo præfecto prætorio: Si quis contra aliquem clericum aut monachum, aut diaconiſſam, aut monaſtriam, aut aſcetriam habet aliquam actionem, adeat prius ſanctiſſimum epiſcopum, cui horum vnuſquiſque ſubiaceat. Ille verò cauſam inter eos dijudicet. Et ſi quidem vtraque pars his quæ iudicata ſunt, non acquieuerit, iubemus per loci iudicem hæc executioni perfectè mandari, &c. Ne verò obijciatur quia de clerico hoc loquitur, non de presbytero; ſciendum eſt quia in eadē conſtitutione lib. C. 1. legitur, appellatione clericorum, etiam presbyteros cōtineri. Verba autem legis iſta ſunt: Preſbyteros autem & diaconos & ſubdiaconos, cantores & lectores, quos omnes clericos appellamus, & reliqua. De perſona Ianuarij epiſcopi ſciendum eſt grauiter & omninò cōtra leges eſſe actum, vt violenter de Eccleſia traheretur; dum ſi quamlibet aliam iniuriam à quocunque epiſcopus paſſus fuerit in Eccleſia, iniuriantem lex capitali pœna percuriat; & ſicut maieſtatis reum omnibus det accuſandi illum licentiam, vt huius legis ſeries loquitur Codicis libro primo, titulo ſexto, conſtitutione decima. Imperatores Arcadius & Honorius Auguſti Theodoro præfecti præt. Si quis in hoc genus ſacrilegij proruperit, vt in Eccleſias Catholicas irruens ſacerdotibus & miniſtris, vel ipſi cultui locoque aliquid importet iniuriæ quod geritur, à prouinciæ rectoribus animaduertatur; atque ita prouinciæ moderator, ſacerdotum & clericorum & Catholicæ Eccleſiæ miniſtrorum, loci quoque ipſius & diuini cultus iniuriam capitali in conuictos ſeu confeſſos reos ſententia nouerit vindicandum. Et poſt pauca. Sitque cunctis laudabile, factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris iniurias veluti publicum crimen inſequi, atque de talibus reis vltionem mereri, &c. Dat. VIII. Calendas Maij, Mediolani Honorio Auguſto quater, & Eutychiano conſulibus. Libri ſupraſcripti titulo decimoquinto, conſtitutione ſecunda. Imperator Honorius & Theodoſius Auguſti Ionio præfecto prætor. Fideli ac deuota præceptione ſancimus, nemini licere ad ſacroſanctas Eccleſias confugientes adducere, ſub hac videlicet definitione, vt ſi quiſquam contra hanc legem venire tentauerit, ſciat ſe maieſtatis crimine eſſe retinendum. Data Calendis Aprilis, Honorio ſepties & Theodoſio tertiò conſulibus. Idem eiuſdem tituli conſtitutione quinta. Imperator Leo Auguſtus Eutychiano præfecto prætor. Præſenti lege decernimus per omnia loca valitura, excepta hac vrbe regia, in qua nos diuinitate propitia degentes, quotiens vſus exegerit inuocati, ſingulis cauſis atque perſonis præſentanea conſtituta præſtamus, nullos penitus cuiuſcunque conditionis de ſacroſanctis Eccleſijs orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas. Et poſt pauca: Qui hoc moliri, aut facere, aut nuda cogitatione ſaltem, atque tractatu auſi fuerint tentare, capitali & vltima ſupplicij animaduerſione plectendi ſunt. Ex his ergo locis, eorumque finibus, quos anteriorum legum præſcripta ſanxerunt, nullos eijci aut expelli aliquando patimur, nec in ipſis Eccleſijs reuerendis ita quemquam detineri atque conſtringi, vt ei aliquid aut victualium rerum, aut veſtis negetur, aut requies, &c. Data pridie Calend. Martij Conſtantinopoli: Leone Auguſto tertiùm conſule. De perſona Stephani epiſcopi hoc attendendum eſt, quia nec inuitus ad iudiciū trahi, nec ab epiſcopis alieni Concilij debuit iudicari, ſicut prædicta nouellarum conſtitutio continet quæ de epiſcopis loquitur. Ait enim: Sed neque pro qualicunque pecuniaria vel criminali cauſa ad iudicem ciuilem ſiue militarem inuitum epiſcopum producere vel exhibere citra Imperialem iuſſionem permittimus: ſed iudicem qui tale aliquid ſiue ex ſcripto, ſiue ex non ſcripto præſumpſerit imperare, poſt cinguli priuationem 20. librarum auri pœnam exoluere iubemus Eccleſię cuius epiſcopus produci aut exhiberi iuſſus eſt: executorem ſimiliter poſt cinguli priuationem & verberibus ſubdendum, & in exilium deportandum. Item poſt multa: Si autem & à clerico aut laico quocunque aditio contra epiſcopum fiat, propter quamlibet cauſam, apud ſanctiſſimum eius mētropolitam ſecundùm ſanctas regulas & noſtras leges cauſa iudicetur. Et ſi quis iudicatis contradixerit, ad beatiſſimum Archiepiſcopum, & Patriarcham dicœceſeos illius referatur cauſa, & ille ſecundùm canones & leges huic præbeat finem. Contra hæc ſi dictum fuerit, quia nec metropolitam habuit nec patriarcham, dicendum eſt quia à ſede Apoſtolica, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, cauſa hæc audienda ac dirimenda fuerat, ſicut & prædictus epiſcopus petiſſe dinoſcitur, qui epiſcopos alieni Concilij habuit omninò ſuſpectos. Quia ergo ſententia non à ſuo iudice dicta, nihil firmitatis obtineat, lectionis huius tenor oſtendit lib. C. 7. titul. 48. conſtitutione quarta. Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Auguſti ad Potitum vicarium. Et in priuatorum cauſis huiuſmodi forma ſeruetur, ne quenquam litigatorum ſententia, non à ſuo iudice dicta, conſtringat. Data 12. Calend. Octob. Romæ Auſonio & Olibrio conſulibus. Illud autem quod dicitur à ſeruis ſuis accuſatus, ſciendum eſt quia minimè audiri debuerunt, vt hæc conſtitutio pateſacit ſic dicens Cod. lib. 9. tit. 1. conſtitutione 20. Imperatores Arcadius & Honorius Auguſti Eutychiano præfecto præt. Si quis ex familiaribus vel ex ſeruis cuiuſlibet domus cuiuſcunque criminis delator atque accuſator extiterit, eius æſtimationem, caput atque fortunas petiturus, cuius familiaritati vel dominio inhæſerit, ante exhibitionem teſtium, ante examinationem iudicij, in ipſa expoſitione criminum atque accuſationis exordio, vltore gladio feriatur. Vocem enim funeſtam intercidi oportet potius quàm audiri: maieſtatis autem crimen tantùm excipimus. Data 5. idus Nouembr. Cæſario Atticoque conſulibus. Si verò dictum fuerit quia de hoc accuſatus eſt, quòd maieſtatis crimen intendit, nec ipſum de eo credendum fuit, ſi vita vel opinio eius talis ante non extitit, ſicut libro Pandectarum 48. ad legem Iuliam maieſtatis ſcribit Modeſtinus, lege Famoſi, paulò poſt principium. Hoc tamen crimen à iudicibus non in occaſione ob principalis maieſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate rei iudicatæ. Nam & perſona ſpectanda eſt, an poterit facere, & ante quid fecerit, & an cogitauerit. Quod autem dicit idem epiſcopus quia ſe abſente aliqui viliſſimi ſint teſtes exhibiti: hoc ſi verum eſt, nullius eſſe momenti lege noſcendum eſt: Conſtitutione nouella quę de teſtibus loquitur ca. 16. Hoc quoque ſæpius agnouimus, quoniam quidam aut apud locorum defenſores, aut apud clariſſimos prouinciarum iudices, aut etiam, vt uolet, hic apud virum clariſſimum magiſtrum cenſus ingrediuntur, & queruntur tanquā ab alio paſſi aliquid contra leges, aūt aliter læſi aut damnificati teſtes volentes producere. At ne poſteà obijciatur eis, quia per vnam partem geſta confecta ſunt; oportet & illum qui impetitur in ipſa ciuitate conſtitutum vbi teſtimonia dantur admonitum à iudice ſiue à defenſore aduenire, & audire atteſtationes. Si verò noluerit aduenire, ſed contempſerit, vt ex hoc ab vna parte teſtimonia aduerſus eum inutilia ſint; ſancimus huiuſmodi teſtimonia ita valere, ac ſi non ex vna parte conſiſterent, ſed etiam ipſo præſente fuiſſent facta. Si enim recuſauerit, & venire noluerit, & audire quæ deponuntur, cùm vtique in publico ſit, & non ex ineuitabili

Sedes Apoſtolica omnium Eccleſiarum caput.

Si à non cōpet. iud. C. lib. 7. l. & in priuatorum.

De his qui accuſ. non poſſ. C. li. 9. l. ſi quis.

Auth. de teſtib. §. & hic verò.

quadam necessitate venire non possit; similis aduenienti non erit, & nulla vtilitas ex contemptu suo ei adhibebitur, sed videbuntur quidem in vtriusque præsentia probationes factæ. Ecce admonendus est semper aduersarius vt ad auditos testes adueniat. Quod quia hic omissum est, necesse est, vt quod contra leges actum est, firmitatem non habeat. Quales autem testes vel cuius opinionis ad testimonium admittendi sunt, plurimæ leges ostendunt, quæ penè nulli habentur incognitæ, quæ etiam & illud sanciunt, vt vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat. Quod autem dicitur quia nihil scriptis iudicatum est, legendus est tit. 44. lib. 7. Codicis, quia scriptis debuit iudicari. Nam ibi inter alia dicitur atque præcipitur, vt sententia quę sine scripto dicta fuerit, ne nomen quidem sententiæ habere mereatur.

Vbi suprà §. testes.

EPISTOLA LVII.

De Petro viro magnifico.

Lib. 7. ep. 102. li. 8. epist. 7 lib. 10. ep. 6.

Gregorius Theodoro Curatori. Postquam sic de gloriæ vestrę sinceritate præsumimus, vt vestros vos credamus reputare qui nostri sunt; latori præsentium Petro viro magnifico ad promerendam bonitatis vestræ gratiam hoc solùm sufficere poterat, indicare quia noster est. Sed quoniam paterna commendatio boni filij mentem solet semper accendere, paterna dulcedine salutantes petimus, vt memorato filio nostro, atque memoratæ filiæ nostrę glorioſę matri ipsius patrocinij vestri gratiam ostendatis, eosque & illic positos tuitionis vestræ remedio foueatis, & venientes ad nos vestris subsidijs adiuuetis: quatenus dum ea quæ gloria vestra ex se solet impędere, nostra benignius epistola interueniente præstiterit, & ipsam rem consuetam videatur laudabiliter exhibere, & nos sibi pro sua bonitate gratiarũ esse per omnia faciat debitores.

EPISTOLA LVIII.

De vltione eius in maleficos.

In multis exemplar. manuscriptis exhoc loco Ind. 7. incipit.

Gregorius Paulo Scholastico. Quanto nos gloria vestra tristes dudum effecerat, propter quod se aduersus fratrem, & coepiscopum nostrum Leonem reuerendissimum virum querelas habere aliquas perhibebat: tanto eodem fratre ad nos modò veniente, cor nostrum gauisum est: quia in pristinam vos concordiam, Deo propitio, ad inuicem redisse testatus est. Qui etiam inter alia bona quæ vestris laudibus inferebat, adiecit omninò vos in vltione maleficorum sollicitos ac districtos, sicut reuera nobiles & Christianos oportuit, extitisse. Vnde valde in nobis lætitia quam de vobis sumpseramus, excreuit: quia illum vobis per hoc placabilem reddidistis, contra cuius inimicos zeli vestri rectitudinem exercetis. Propterea gloriam vestram paterna dulcedine salutantes hortamur, vt quia satis est moribus vestris accommodũ pacem diligere, reparatam inter vos gratiam nullius lingua perturbet: sed sic in vobis erga paternum amorẽ caritas ardeat, vt eam aduersi flatus more flãmæ non extinguant, sed augeant. Nam & eundem ante dictum fratrem nostrum hortati sumus, vt ita paternam vobis dilectionẽ impendat: quatenus reciprocũ gloriæ vestræ affectum non odiosè: sed velut mutuum tanquam fœnerator semper possit exigere.

EPISTOLA LIX.

Sup. ep. 51. li. 7. ep. 65. li. 9. ep. 18.

De xenodochijs neglectis. De Ecclesijs vacantibus. De Pompeiana. De infirmitate Ianuarij Episcopi tempore sacrificij.

Gregorius *Vitali defensori Sardiniæ.* Experientia tua indicante comperimus xenodochia in Sardinia constituta, grauem habere neglectum. Vnde reuerendissimus frater & coepiscopus noster Ianuarius vehementissimè fuerat obiurgandus, nisi nos eius senectus ac simplicitas, & superueniens ægritudo, quam ipse retulisti, suspenderet. Quia ergo ita est positus vt ad aliquam ordinationem esse nõ possit idoneus, œconomum eius Ecclesię, atq; Epiphanium archipresbyterum ex nostra districtionis auctoritate cõmone, vt eadem xenodochia sine periculo suo sollicitè ac vtiliter studeant ordinare. Nam si quis illic post neglectus extiterit, nulla se nouerit posse apud nos ratiõe aliquatenus excusare. Quoniam verò possessores nos Sardiniæ petiuerunt, vt quia diuersis oneribus affliguntur, Constantinopolim pro eorum debeas remedio proficisci, licentiam tibi eundi concedimus. Sed & dilectissimo filio nostro Bonifacio scripsimus, vt suum tibi pro remedio illius prouinciæ studeat adhibere solatium. De Ecclesijs autem quas vacare sacerdotibus indicasti, prædicto reuerendissimo fratri & coepiscopo nostro Ianuario scripsimus, vt eas debeat ordinare: sic tamen vt non omnes ad episcopatum de Ecclesia ipsius eligantur. Nam sic eum conuenit alias ordinare, vt Ecclesiæ suæ de personis quæ in ea possint proficere necessitatem non faciat. Illud igitur qd ad gubernationem quorundam monasteriorum personas esse præpositas, quæ ante dum adhuc in minori essent ordine monachico habitu lapsæ sunt indicasti, officium quidam Abbatis susciperе, nisi omninò correcta vita & digna præcedente pœnitentia minimè debuerunt. Sed quoniam iam Abbatum, sicut dicis, officium susceperunt, de vita, moribus ac sollicitudine eorum cura gerenda est. Et factus eorum inuenti contra officium non fuerint in eo quo sunt ordine perseuerent: alioquin remotis eis, alij qui commissis sibi animabus prodesse valeant, ordinentur. Causa pręterea de monasterio sancti Hermæ, quòd in domo Pompeianæ religiosæ fœminæ à fratre nostro constructum est, quia plus blandimẽtis quàm districtione agenda est, experientia tua apud eandem mulierem cum dulcedine agere studeat: quatenus nec illa in peccato proprio auctoris sui debeat postponere voluntatem, & tu vtilitates monasterij valeas salubriter procurare. Puellas autem suas quas antedicta Pompeiana in monasterio mutata olim religiosa veste conuertit, abstrahi ab ea, vel inquietari nullo modo patiaris; sed in ea qua sunt conuersione, Deo protegente, permaneant. Pro requirendis verò rebus Ecclesiarum, vel monasteriorum, siue piarum causarum quod scripsisti, prius quidem hi quorum interest, admonendi sunt, vt ab eis te insistente atque solatiante modis omnibus requirantur. Quòd si fortè vel ipsi negligentes extiterint, vel certè qui eas requirere debeant, inuenti non fuerint; tunc omnia ipse perquire, atque ita reperta recollige, vt manu aliquod iudicium inferre cuiquam minimè videaris. De xenodochijs itaque Hortulani atq; Thomæ nil hactenus horum quæ indicasti, cognouimus. Ea propter experientia tua iussionem principis ex hoc datam diligenter inspiciat, & omnia secundùm eius tenorem disponat, & nobis quicquid egerit, innotescat. De hoc igitur quod scripsisti, fratrem & coepiscopum nostrum Ianuarium tempore quo sacrificium celebrat, tantam pati frequenter anguistiam, vt vix post longa interualla ad locum canonis redire valeat quem reliquit, atque ex hoc multos dubitare si communionem debeant de eius consecratione percipere, admonendi sunt, vt nullatenus pertimescant; sed cum omni fide & securitate communicent: quia ægritudo personæ, sacri mysterij benedictionẽ nec mutat nec polluit. Secretius tamẽ omninò idẽ frater noster hortãdus est, vt quotiens aliquam molestiam senserit, non procedat, ne ex hoc se & despiciendum præbeat, & infirmorum animis scandalum faciat. Prætereà * Pompeiana religiosa fœmina questa nobis est, hæreditatem quondam generi sui Epiphanij, in qua Epiphanius idem Matronam coniugem suam filiam antefatæ * Pompeianæ vsufructuariam constituerat, monasterio quod in domo sua fundari statuerat, & postea extincto vsufructu modis omnibus profuturam, atque alia quæ eidem Matronæ proprietatis iure probantur competere, ab experientia tua, & à reuerendissimo fratre & coepiscopo nostro Ianuario iniustè sublata, & exinde nihil hactenus vel filiæ suæ redditum, vel profecisse monasterio. Quòd si ita veritas se habet, & aliquid te indecenter fecisse cognoscis, absque vlla mora ablata restitue: aut certè si aliter esse putas, ne grauari pars aduersa præiudicialiter videatur, electorum cum ea iudicium hac de causa nullo modo subire postponas, vt vtrùm vera iustaque eius sit querimonia, definitione iudicij declaretur.

Aegritudo personæ nõ mutat sacri mysterij benedictionem. * al. Pomponiana.

* al. Pomponiana

EPI-

EPISTOLA LX.

In transmutatione rerum Ecclesiæ liberam licentiam concedit.

Gregorius Ioanni Episcopo Panormitano. Sicut rationi contraria procul est abijcienda petitio; ita & in his quæ benè desiderantur, effectum negare non conuenit. Quia igitur vt fraternitatis tuæ petitio, quæ tenetur in subditis, cõtinet, in qua tecum vna presbyteri & diaconi, cæteraque Ecclesiastica officia subscribentes præbuêre consensum, domũ cum horto & balneo suo, atque omnibus ad eam pertinentibus in hac vrbe Roma posita, quæ ad ius Panormitanæ Ecclesiæ ex hereditate quondam Flori viri magnifici peruenisse dinoscitur, cum dilectissimo filio nostro Epiphanio diacono permutare desideras, propter hoc quòd domus ipsa ita parte detecta, parte diruta, parte igne probatur esse consumpta, vt nihil exinde commodi, sicut testaris, ante multos iam annos nunc vsque Ecclesiasticis vtilitatibus potuisset accedere, atque hac in re nostra tibi dari postulas auctoritate licentiam, prouisionis tuæ intentionem diligentius intuentes, postquam & nobis cognitum est, domum ipsam in eo esse statu quo asseris, atque ita minante ruina quotidie deteriorem fieri, vt non solùm Ecclesiæ tuæ non vtilis, sed potius subinde damnosa posse videatur existere: idcircò permutandi tibi eam cum balneo & horto suo, omnibusque generaliter ad eam pertinentibus iuxta petitionem tuam, quam & veritatis & rationis apud nos ordo suffulcit, huius auctoritatis nostræ serie liberam per omnia concedimus facultatem: quatenus huiusmodi accepta licentia, nec te culpa de temeritate, vel incautela respiciat, nec ille aliquid dubietatis incurrat. Nam prouidum salubreque est aliquid compendij procurare; vnde nulla spes est lucri, sed magis damni formido.

EPISTOLA LXI.

De Exhilarato Episcopo, qui diu Romæ propter a delicta retentus fuit.

Gregorius Fantino defensori Panormitano. Talia ad nos de fratre & coëpiscopo nostro Exhilarato, sicut & ipse nosti, peruenerunt, quæ districta omninò essent vltione plectenda: sed quoniam bis eam reuerendissimus frater & coëpiscopus noster Leo, qui etiam in causa eius iudicem se fuisse testatus est, leuigauit; ad Ecclesiam suam illum retransmittendum esse præuidimus, iudicantes sufficere illi hoc quod eum hîc diutius retinentes affliximus. Itaq; experientiæ tuæ præcipimus, vt erga mores actusq; illius curam habeat, atq; eum frequenter admoneat: quatenus se ad impendendam clericis suis caritatem benignum, & si res exegerit, ad corrigendas culpas debeat se exercere sollicitum. Sed & clerum eius admonere te volumus, vt humilitatem illi, ac obedientiam, quam Dominus mandat exhibeat, ne in aliquo illi superbus præsumat existere. Quòd si quis eorum, id est, laicus siue clericus admonitionem tuam neglexerit, ex hac nostra auctoritate canonica coercitione inobedientiæ culpam aut tu, sicut præuideris, corrige, aut nobis renunciare festina; vt disponere valeamus qualiter disciplinæ frenum extra iter suum eos pergere non permittat, quos ad excessum aculeus prauæ mentis irritat.

EPISTOLA LXII.

De Fantino defensore, & Petro.

Gregorius Ioanni Episcopo Panormitano. Quia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam; quærenda semper est veritas, vt inquiri debeat vtrùm accusatum noxa cõdemnet, an à pœna innocentia patefacta subducat. Itaque peruenit ad nos Fantinum defensorem vltionem exercere in Petrum latorem præsentium voluisse, pro eo quòd, quantùm dicitur, relictam cuiusdam diaconi tempore quo cõductor fuerat, marito tradiderit. Sed quoniam iste coniugem diaconi asserit non fuisse, dicens nec virginem illam ad eum venisse, denique nec religiosam mutasse vestem, postquam ille in ordine sacro promotus est; adiciens etiam priusquam ad diaconatum peruenire, & postea, praua illam opinione vixisse: ideoque fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt cum Dei (sicut decet) timore, causam hanc subtili omninò inuestigatione perquirat, etsi enim in coniugio diaconi mulierem de qua agitur iunctam fuisse cõstiterit, & supra scriptus lator memorato defensori & rectori patrimonij ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione hi qui malè sociati sunt, disiungãtur. Si verò in eius coniugio non fuit, memoratum Fantinum ex nostro mandato commonere te volumus, vt ei facere nil præsumat, nec illum accusatio apud eum in aliquo prægrauet. Quia verò res suas antedictus Petrus apud Ecclesiæ colonos perhibet retineri; retineri volumus vt sine cuiusquam impedimento eas habeat, si tamen ita est exigendi licentia. Nam si inuêtus fuerit esse culpabilis, non solum res suas amittere, sed in se debet dignam vltionem suscipere.

Expliciunt Epistolæ Indictionis sextæ.

LIBER DVODECIMVS.

INCIPIVNT EPISTOLAE EX REGESTO B. GREGORII PAPAE INDICTIONIS SEPTIMAE.

EPISTOLA PRIMA.

Sup. lib. 4. ep. 54. li. 5. ep. 1. 18. 26. 38. lib. 7. ep. 98.

Vt Fortunatum Abbatem iniustè depositum restituat, & episcopum reprehendat, quòd prædecessoris sui absque causa ordinationem destruxerit.

GREGORIVS seruus seruorum Dei Mariniano Episcopo Rauennæ. Quia incongruum valdè est à suscepto officio sola quemquam voluntate suspendi, quem culpa non remouet: sollicitè disponendum est, vt nec prior ordinatio irrationabiliter destruatur, nec sine emendatione quæ malè secuta fuerint, relinquantur. Fortunatus itaque lator præsentium in monasterio sanctorum Laurentij & Zenonis, quod in Cæsenati castro est constitutum, à Natali quondam episcopo officium sibi Abbatis asserens esse commissum, nunc se à successore eius Concordio nulla existente causa vel culpa exinde remotum, atque alium in loco suo queritur ordinatum. Quod etiam coram testibus quibusdam diaconis nostris, præsente diacono prędicti Concordij episcopi sui causas allegante ex parte ita esse perclaruit. Sed quoniam certior in partibus illis vbi res acta est potest esse probatio, fraternitas tua diligenter atque sollicitè hoc studeat perscrutari. Et si nulla manifesta causa depositionis extitit, quæ prædictum Fortunatum abbatis officio remoueret, eum in suo loco reformare festinet, atque eius episcopum digna reprehensione increpare non desinat, cur decessoris sui nullis prouocatis excessibus destruere ordinationem molitus sit. Si verò aliter quàm ndocti sumus, causam esse pars altera dixerit; subtili veritas inuestigatione quærenda est, & ita quicquid canonicus ordo popoſcerit terminandum, vt nulla ea de re denuò querela remaneat. Dat. mense Octobri, Indictione VII.

EPISTOLA II.

Inf. ep. 8.

Vt Cassiopi castrum iniustè peruasum restituatur.

Gregorius Alcysono Episcopo Corcyræ. Non immeritò elati cordis retundi postulatur ambitio, quando sacrorum canonum vigore postposito, temerariæ pręsumptionis excessus aliena illicitè concupiscendo, non solùm ad generanda dispendia fit noxius, verùm etiam paci Ecclesiasticæ probatur esse contrarius. Relectis igitur fraternitatis tuæ epistolis, quæ de Cassiopi castro, quod in tua situm est diœcesi ab episcopo Isauriæ ciuitatis vel prius vel modò sint acta cognouimus, & contristati sumus, quòd hi qui Ecclesiæ tuæ pro impensa sibi caritate debitores esse debuerant, ei inimici ma

gis fieri nullo pudore sunt prohibiti. Denique vt contra ecclesiasticam ordinationem, contra sacerdotalem modestiã, contra sacrorum canonum statuta, prædictum castrum de iurisdictione tua abducere, ac suæ molirẽtur potestati subijcere, vt fierent quodammodò domini, vbi prius suscepti fuerant peregrini. Qua de re quoniam Andreas venerabilis memoriæ frater noster Nicopolitanus Metropolita adnitẽte sibi quoque principali iussione, in qua ei causæ huius fuerat iniuncta cognitio, prolata sicut nobis patuit nosc itur statuisse sententia, antefatum Cassiopi castrum sub iurisdictione Ecclesiæ tuæ, quemadmodum semper fuit, debere persistere, formam eiusdem sententiæ comprobantes, Apostolicæ sedis auctoritate eam fauente iustitia comprobamus, cõfirmamus, atque per omnia robustam manere decernimus. Nam nulla æquitatis ratio, nullus canonum ordo consentit, vt parochiam alterius alter aliquo modo debeat occupare. Vnde licèt districtionẽ cõtra se non modicã huius litigij culpa videatur exigere, propter quod ab eis mala pro bonis sint reddita: studendum tamen est, vt excessu benignitas non vincatur, nec illud quod extraneis debetur, fratribus etiam necessitatem patientibus denegetur, ne nihil caritas agere in episcoporum mentibus iudicetur, si sine consolationis remedio hi quibus magna est habenda compassio relinquantur. Oportet ergo vt sacerdotes vel clerus Isauriæ ciuitatis ab antefati Cassiopi Castri habitatione nullatenus repellantur, sed & beati Donati sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in vna Ecclesiarum ante dicti loci quam elegerint, siue intus siue foris habeant recondendi debita cum veneratione licentiam. Sic tamen vt dilectioni tuæ in cuius parochia castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione munitio, per quam promittat episcopus Isaurię nullam sibi in eo potestatem, nullum priuilegium fore, nullam iurisdictionem, nullam tanquam cardinalis episcopus vlterius auctoritatem defendere: sed post pacem Deo propitio redditam, ablato venerabili S. Donati si maluerint corpore, ad propria se modis omnibus reuersuros. Vt huius promissionis persistente memoria, nec de cæterò quicquam sibi illic principaliter quacunque occasione audeant vendicare, sed omni se tempore esse ibidem hospites recognoscãt: & fraternitatis tuæ Ecclesia iuris vel priuilegij sui in qualibet parte præiudicium non incurrat.

S. Donati corpus.

Episcopus Cardinalis.

EPISTOLA III.

Supr. ep. 2. hoc lib.

Decernit inter episcopos quid in peruasione castri Cassiopi agendum sit.

Regorius Bonifacio Diacono. Quotiens nos eorum discordia tristes facit qui pacis prædicatores esse debuerant, magna sollicitudine studendum est, vt litigij ablata materia ad concordiam redeant qui diuersa ab inuicem voluntate discordant. Quæ igitur de Cassiopi castro, quod in insula Corcyra est positum, acta sint, qualiterve id de iurisdictione Corcyritani episcopi episcopus Isauriæ moliatur subtrahere, & suæ nequiter iurisdictioni subijcere, valde prolixũ est dicere. Sed dilectioni tuæ vt cuncta subtiliter cõprehendat, fratris nostri Alcysoni episcopi Corcyræ scripta transmisimus, atque eius illuc venire homines fecimus, qui etiam verbo minutius te ad singula possit instruere. Hoc tamen breuiter indicamus, quia dum Imperatori esset quoddam in præiudicio ecclesiæ Corcyritanæ subreptum, nec iussio eius, quippe quæ contra leges & sacros canones data fuerat, habuisset effectum, & indecisa inter partes contentio remãsisset: talem illum ad Andream quondam fratrem & coepiscopum nostrum tunc Nicopolitanum metropolitam iussionem dedisse: vt quoniam vtraque pars eius erat iurisdictioni subiecta, ipse hanc causam cognoscere & finire canonicè debuisset. Qui metropolita cognita causa prolataque sententia, cuius tibi exemplaria misimus, prædictum Cassiopi castrum sub potestate ac iurisdictione Corcyritani episcopi, cuius & semper fuit diœcesis, esse distinxit. Quam nos sententiam comprobantes, Apostolicæ Sedis auctoritate præuidimus confirmandam. Et ne ea quæ decreuimus, ita potuissent esse districta, vt nihil benignitatis habere viderentur admixtum; curæ nobis fuit ita causam temperatè disponere, sicut sententiæ nostræ, quam ad te misimus, textus ostendit, vt neque episcopus, neque clerus Isauriæ ciuitatis necessitatem habitationis incurrerent, nec Corcyritanæ Ecclesiæ priuilegia in aliquo turbarentur. Sed quia inter ipsa primordia sereniss imo domino Imperatori surreptum est, atque contra iudicatum Nicopolitani metropolitæ, quòd Ecclesiastica rectitudine & canonica ratione fulsultum est, episcopo Isauriæ, quod nec sine dolore audire, vel loqui sine gemitu possumus, cum maiori iniuria episcopi Corcyritani, atque clericorum eius antefatum Cassiopi castrum traditum memoratur, vt amota (quod graue est dici) iurisdictione Corcyritanæ Ecclesiæ, ipse illic omnem tanquam principalis habeat potestatem, sententiam nostram nulli dare præuidimus, ne contra iussionem clementissimi domini Imperatoris, vel quod absit, in despectum ipsius aliquid facere videremur. Itaque dilectio tua pietati eius cuncta diligenter insinuet, atque constanter astruat hoc omninò illicitum, omninò prauum, omninò iniustum, & sacris esse valdè canonibus inimicum. Et ideò huiusmodi peccatum temporibus suis introduci in Ecclesiæ præiudicium non permittat. Sed quid de hoc negotio iudicatum antefati quondam metropolitæ contineat, vel qualiter à nobis ea quæ ab illo decreta sunt, confirmata fuerint suggerat, atq; id agere studeat, vt cùm eius iussione nostra illic sententia transmittatur: quatenus & serenitati ipsius, sicut dignum est, reseruasse & rationabiliter correxisse quæ malè præsumpta sunt, videamur. Qua in re omninò danda opera est, vt si fieri potest, etiam iussionem suam ipse tribuat, in qua ea quæ à nobis definita sunt, seruari præcipiat. Nam hoc facto omnis de cæterò surreptionis locus obstruitur. Ita ergo ad compescenda hæc præiudicia vigilantiam tuam cum omnipotentis Dei adiutorio exercere festina, vt nec modò voluntas eorum qui peruersa moliuntur, aliquid contra antiquum Ecclesiasticæ consuetudinis statum obtineat, nec post ad exemplum res nefanda proficiat. Quãta præterea mala, quantasque oppressiones suprascriptus Alcysonus frater & coepiscopus noster ab actionarijs Ecclesiæ Thessalonicensis asserat sustinere, vt possis cognoscere, ipsam quam ad nos misit epistolam, dilectioni tuæ transmisimus. Ideoque prædictæ Ecclesiæ responsalem venire ad te facito, atque causam ipso præsente cognosce, & de capitulis quibus te ratio mouerit, fratri & coepiscopo nostro Eusebio scribe, vt homines suos agere iniusta prohibeat, & minores non premere, sed magis in quibus iustum fuerit, moneat adiuuare. Hoc quoque volumus, vt ei qui in ciuitate Nicopolitana metropolita fuerit ordinatus, dilectio tua scribere debeat: quatenus causam de damnis quę Ecclesiæ sue illata prædictus frater noster Alcysonus queritur cognoscere, & quod iustum est debeat definire: quia à decessore ipsi negotium ipsum non decisum, sed dicitur reseruatum. Dat. mense Decembri, Indict. VII.

EPISTOLA IIII.

Inf. ep. 6. li. 2. ep. 10. 46. li. 8. ep. 36. lib. 11. ep. 26. 28.

Tribuit licentiam vt Ecclesiam sanctæ Mariæ consecrare posset.

Regorius Ioanni Episcopo. Basilicam quam à dilectione tua in honorem beatæ semperque virginis Mariæ per Sauinum subdiaconum nostrum, & rectorem patrimonij suggeris esse perfectam, consecrandi tibi præceptionis nostræ serie noueris facultatem attributã: quatenus frater carissime deuotionis tuę desiderium complens celebritatis perfectione gratuleris. Dat. mense Decembri, Indict. VII.

EPISTOLA V.

De milite qui ancillam dei de monasterio rapuit.

Regorius Gudoino Duci Neapolitano. Cùm inter multa bona quæ nobis de magnitudine vestra sępius nunciatur, illud in vobis plus laudabile dicitur existere; quòd castitatem diligitis, & disciplinam, sicut dignum est, custoditis: satis mirati sumus quòd in milite illo qui ancillam Dei diabolica instigatione perdiderit, districtissima vindicta hactenus facta

non

non fuerit. Nam & moribus & bonitati vestrę valdè conueniens fuit, vt antè ad nos vltio quàm perpetratæ culpæ iniquitas peruenire t. Sed quia vindictam huius sceleris non voluntate vestra, sed aliorum credimus surreptionibus esse suspensam, neque hoc peccatum vel humerum indisciplinati militis, vel loca illa in quibus commissum est, valeat premere: hortamur vt sine excusatione aliqua vel modò qualis vobis feruor sit erga castitatis custodiam demonstrantes, ita pro exemplo aliorum districtè emendare tantum facinus festinetis, vt & Deum vobis, in cuius ille hoc iniuriam perpetrauit, & timoré eius despexit, placabilem faciatis, & nos vobis de zeli vestri rectitudine gratias referamus. Nam tantam iniquitatem inultam remanere nullo modo patimur.

EPISTOLA VI.

De eligendo episcopo Anconitanæ Ecclesiæ.

Regorius Ioanni Episcopo. Ne de incauta eorum ordinatione qui ad episcopatum eliguntur, valeat prouenire cõfusio; vigilanti de eorum personis sollicitudine est requirendum. Indicatum siquidem nobis est Florentinum archidiaconum Ecclesiæ Anconitanæ qui ad episcopatum fuerat electus, scripturæ quidem sacræ scientiam habere: sed ita ætatis senio iam confectum accepimus, vt ad regiminis officium non possit assurgere. Adijcientes etiam ita illum tenacem existere: vt domum eius amicus ad caritatem nunquam introeat. Rusticus autem diaconus eiusdem Ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur; sed quantum asseritur, Psalmos ignorat. Florentinum verò diaconum Ecclesię Rauennatis, qui electus ab omnibus memoratur, sollicitum esse nouimus, sed qualis sit interius, omninò non scimus. Ideoque fraternitas tua vnà cum fratre & coepiscopo nostro Armenio suprascriptæ Anconitanæ ecclesiæ visitatore illuc festinet accedere, & diligenter de vita ac moribus singulorum requirere, si de nullo sibi sunt crimine conscij, quòd eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est, si hoc quod de præfato archidiacono dictum est, quia nunquam amicus domum eius ingressus est, si ita se veritas habet, & vtrùm ex necessitate, an ex tenacia talis sit: aut si ita senex est, vt ad regendum non possit assurgere, vel si tactis sacrosanctis Euangelijs, sicut nobis nunciatum est, iusiurandum præbuerint, nunquam se ad episcopatum accedere. Sed etiam de Rustico diacono, quantos Psalmos minùs teneat, perscrutandum est. Florentio autem diacono Rauennati, si nullum, sicut diximus, crimen est quod obsistat, apud episcopum eius agi necesse est, vt ei debeat cessionem concedere: non tamen ex nostro mandato, vel edicto, ne contra suam voluntatem eum cedere videatur. Sed hoc vt norunt ij, qui eum eligunt, ex se agant: tu verò de singulis cum omni studio ac sollicitudine omnia quæ scripsimus require, atque nobis studè subtiliter indicare, vt renunciatione tua redditi certiores, quid post hęc Deo auctore fieri debeat, disponamus.

EPISTOLA VII.

De scriptis Secundini.

Regorius Theodelindæ Reginæ Longobard. Scripta quæ ad nos dudum à Ianuensibus partibus transmisistis, gaudij vestri nos facere participes, propter quod omnipotentis Dei gratias ago, quòd & filium vobis donatum, & quod valde excellentiæ vestræ est laudabile, Catholicæ eum fidei nouimus sociatum. Nec enim de Christianitate vestra aliud credendum fuerat, nisi id studere vos, vt quem diuino munere suscepistis, Catholicæ rectitudinis auxilio muniretis, vt & Redemptor noster familiarem te suam famulam cognosceret, & Longobardorum genti nouum regem in timore suo feliciter enutriret. Vnde oramus omnipotentem Deum, vt & vos in mandatorum suorum via custodiat, & eundem excellentissimum filium nostrum Adulouualdum in suo faciat amore proficere: quatenus sicut hic inter homines iã magnus est, sic quoque ex bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus. Illud autem quod excellentia vestra scripsit, vt dilectissimo filio nostro Secundino abbati ad ea quæ scripsit, subtiliter respondere deberemus; quis vel petitionem illius vel vestra desideria quę multis esse profutura cognoscit, si ægritudo non obsisteret, duceret postponenda? Sed tanta nos podagrę nunc infirmitas tenet, vt non solùm non dictare, sed etiam nec ad loquendum possimus assurgere, sicut & præsentium portitores legati vestri cognouerunt, qui nos & venientes infirmos inuenerunt, & discedentes in summo vitæ periculo atque discrimine reliquerunt. Sed si omnipotente Deo disponente conualuero, ad cuncta quæ mihi scripsit, subtiliter respondebo. Eam tamen synodum quæ piæ memoriæ Iustiniani tempore facta est, per latores præsentium transmisi, vt prædictus filius meus dilectissimus ipsam legens, agnoscat, quia falsa sunt omnia quæ contra sedem Apostolicam vel Catholicam Ecclesiam audierat. Absit enim nos cuiuslibet sensum hæretici recipere, vel à tomo sanctæ memoriæ Leonis prędecessoris nostri in aliquo deuiare: sed quæcunque à sanctis quatuor synodis sunt definita, recipimus, & quæcunque reprobata sunt, condemnamus. Excellentissimo autem filio nostro Adulouualdo regi transmittere philateria curauimus, id est, crucem cum ligno sanctæ crucis Domini, & lectionem sancti Euangelij theca Persica inclusam. Filiæ quoque meæ sorori eius, tres annulos transmisi, duos cum hyacinthis, & vnum cum albula: quæ eis per vos peto dari, vt apud eos nostra caritas ex vestra excellentia condiatur. Paterna præterea caritate persoluentes salutationis officium, petimus vt excellentissimo filio nostro regi coniugi vestro, pro nobis de facta pace gratias referatis, atque eius animum, sicut consueuistis, ad pacem de futuro per omnia prouocetis: quatenus mercedem populi innocentis, qui in scandalo perire poterat, ante conspectum Dei inter multa bona quę agitis, inuenire possitis. Dat. mense Ianuarij, Indict. VII. Quinta synodus.

EPISTOLA VIII.

Sup. ep. 2. Ind. 7.

De corpore beati Donati in Cassiopi castro cum Episcopi licentia recondendo.

Regorius Alcysono Episcopo Corcyræ. Respiscentibus fratribus, & ad salubre se consilium conuertentibus, non est neganda benignitas, ne plus in episcoporum mentibus culpa videatur posse quàm caritas. Venientem igitur ad nos Petrum Ecclesiæ Isauriæ lectorem cum scriptis fratris & coepiscopi nostri Ioannis, coram responsalibus dilectionis tuæ suscepimus, atque eum post relecta scripta quæ detulerat, curæ nobis fuit requirere, si quid contra allegationem eorundem responsalium tuorum haberet, quod diceret. Qui dum nihil aliud sibi iniunctum vel responsurum se penitus perhiberet, extra hoc quod episcopi ipsius epistola continebat, ea quæ canonibus congruebant, Deo auctore sine tarditate decreuimus. Post longum verò tempus suprascriptus Petrus capitulare protulit, quod sibi datum à suo asserebat episcopo; & idcircò moras causa sustinuit. Sed quia in eodē capitulari memoratus speraſse legebatur antistes, vt in Ecclesia beati Ioannis, quæ in Cassiopi castro est posita, sanctũ ac venerabile corpus beati Donati haberet recondendi licentiam, paratum se esse inquiens dilectioni tuæ, propterea quòd tua probatur esse diœcesis, munitionem emittere, nullum tibi ex hoc præiudicium generari: petitionem eius sine effectu non præuidimus relinquendam, post quam ita tibi necessitatis tempore desiderat fieri consultum, vt Ecclesiæ tuæ iurisdictionem seruare se in omnibus fateatur. Hac itaque ratione permoti, fraternitatem tuam scriptis præsentibus adhortamur, vt sine mora, vel aliqua excusatione, in prę nominata B. Ioannis Ecclesia recondendi suprascripti sancti venerabile corpus præbeat facultatem; ita sanè vt prius scriptura interueniente te muniat, nunquam se in antefata Ecclesia vel castro sub quolibet argumento, aliquam iurisdictionem vel priuilegium tanquam proprius episcopus vẽdicare, sed omne illic ius ac potestatem Ecclesiæ tuæ, quippe cuius est parochia, inuiolabiliter custodire. Pariter quoque te sicut idem frater noster petijt, conuenit respondere: vt tempore quo miserante Deo pace reddita illi ad propria fuerit reuertendi licentia, antedictum venerabile corpus ausferendi

rendi secum sine aliqua obiectione fas habeat. Qua de re ne personale esse videatur quod geritur, & inueniri possit vnde recidiua rursus excitetur contentio, & successores vestri in hac promissione pro conseruandis omnibus sunt per omnia complectendi: quatenus huiusmodi præueniente cautela, nec ille ibidem de cæterò sibi quicquã in diœcesi tua contra æquitatem, & sacrorum canonum decreta præsumat defendere, & ius Ecclesiæ tuæ ex huiusmodi concessione præiudicium aliquod nulla vnquam ratione sustineat.

EPISTOLA IX.

De redditibus Ecclesiæ S. Pauli ad aquas Saluias concessis.

GRegorius Felici subdiacono rectori patrimonij Appiæ. Licèt oĩa quæ hęc Apostolica habet Ecclesia beatorũ Petri & Pauli, quorum honore & beneficijs acquisita sunt, Deo sint auctore communia: esse tamẽ debet in administratione actionum diuersitas personarum, vt in assignatis cuique rebus cura adhiberi possit impensior. Cùm ergo pro Ecclesia beati Pauli Apostoli, sollicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis impleuit, & valdè incongruum esse, ac durissimum videretur, vt illa ei specialiter possessio non seruiret, in qua palmam sumens martyrij capite est truncatus vt viueret; vtile iudicauimus eandẽ massam quæ aquas Saluias nuncupatur, cum omnibus fundis suis, id est, cella vinaria, Antoniana, villa Pertusa in foro Primiano, Cassiano Silonis, Cornelij, Thessalata, atque Corneliano, cum omni iure, instructu, instrumentoque suo & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, cum eius Christi gratia luminaribus deputare, adijciẽtes etiam eidem cessioni hortos duos inter Tiberim & porticum ipsius Ecclesiæ, euntibus à porta ciuitatis parte dextera, quos diuidit fluuius Almon, inter affines horti monasterij S. Stephani, quod est ancillarum Dei, positum ad sanctum Paulum, & ad fines possessionis Pissiniani, simul & terrulas, quę vocantur Fossa latronis positas, id est, iuxta eandem porticum euntibus, similiter parte sinistra ad portam vbi nunc vineæ factæ sunt, quæ terrulæ cohærent ab vno latere possessioni Eugentis quondam scholastici, & ab alia parte possessionibus monasterij sancti Edistij: quæ omnia Deo adiuuante per ante dictæ Ecclesiæ præpositos, qui per tempora fuerint subsequẽtia & à præsenti septima indictione volumus ordinari. Et quicquid exinde accesserit, luminaribus eius impendi, atque ipsos exinde ponere rationes. Idcircò experientiæ tuæ præcipimus, vt suprascriptam massam aquas Saluias cum prænominatis omnibus fundis suis, necnon hortos, atque terrulas quæ superius continentur, de breuibus suis deleri facias, ac auferri, & cuncta ad nomen prædictæ Ecclesiæ beati Pauli Apostoli tradere: quatenus seruientes ibi præpositi omni posthac carentes excusatione de luminaribus eius ita sine nostra studeat sollicitudine cogitare, vt nullus vnquam illic neglectus possit existere. Facta verò suprascriptarum omnium rerum traditione, volumus vt hoc præceptum in scrinio Ecclesiæ nostræ tua experientia restituat.

B. Paulus ad aquas Saluias capite truncatur.

EPISTOLA X.

De construenda Ecclesia.

GRegorius Felici Episcopo Messanensi. Ianuarius subdiaconus ecclesię Messanẽsis petitoria nobis insinuatiõe suggessit, quæ habetur in subditis, in ciuitate Messanẽsi basilicã se pro sua deuotione fundasse, quam in honorem sancti Stephani & Pancratij, atque Eupli desiderat consecrari. Et ideò frater carissime si in tuæ diœcesis ciuitatis iure consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est, à præsenti annuis tributis liberos fiscalibus solidos decem, & reliqua, de substantia sua sibi tantummodò vsumfructum retineat. Quæ omnia diligenter inquire, & si eorum quæ offeruntur reddituum quantitas, vel quę tẽpore mortis reliquerit, sartis tectis, & luminaribꝰ, necnon alimonijs seruientium annua possunt præstatione sufficere; ipsa munificentia sit gestis municipalibus alligata. Quòd si hæc quæ diximus, per sollicitudinem tuam impleta non fuerint, de propria substantia quanti interfuerit, vtilitati Ecclesiæ te vel hæredes tuos satisfacturum esse non dubites. His igitur procuratis, benedictio optata proueniat. Nec ante dedicationis munus impertias, quàm superius comprehensus fuerit ordo donationis impletus, enunciaturus ex more nihil illic conditoris iuri vlterius iam deberi, nisi processionis gratia, quæ Christianis omnibus in commune debetur: Sanctuaria verò susceptа sui cum reuerentia collocabis.

Sup. l. 1. ep. 38. & 64. Sup. lib. 7. ep. 100. in dict. a.

Donatio legitima Ecclesiæ facta.

EPISTOLA XI.

De Maximi inquisitione, quæ propter palatij & populi voluntatem, cum Dei offensa omittenda non est.

GREGORIVS Iuliano Scriboni. Si sæcularibus officijs ordo suus & tradita à maioribus disciplina seruatur; quis ferat Ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, & emendanda non benè remittendo postponere? Et quidem benè vos facitis caritatem diligere, & ad concordiam suadere. Sed quoniam loci nostri consideratione compellimur, ea quæ ad nostram notitiam peruenerunt, minimè propter Deum irrequisita relinquere; idcircò veniente Maximo, subtiliter ab eo quæ de ipso dicta sunt, perscrutari curauimus. Et confidimus de creatoris nostri custodia: quia cognita veritate, à statu canonum & æquitatis rectitudine, nec gratia cuiusquam, nec culpa deflectimur, sed libenter, quæ congruunt rationi, seruamus. Nam si, quod absit, Ecclesiasticam sollicitudinem vigoremque negligimus, perdit desidia disciplinam, & animabus profectò fidelium nocebitur, dum talia à suis pastoribus exempla suscipiunt. Illud autem quod scribitis, quia voluntas palatij & amor ab eo populi non discordet; hæc res à iustitiæ nos zelo non reuocat, nec intentionem nostram facit in requirenda veritate peccando deficere. Studendum ergo est fili magnifice, vt amorẽ sibi Dei quisque conciliet. Nam sine diuina gratia humana dilectio quid dicã in posterum, dummodò quoque apud nos amplius nocet.

EPISTOLA XII.

Quod eos Arigio patricio commendauit.

GRegorius condutoribus massarum per Galliam. Quamuis inter medias sitis turbas gentium constituti: tamen ratio nos ipsa suspicari compellit, multùm vos ab alijs bona actione distare. Sicut enim appellatio sancti Petri Apostolorũ principis familiam Ecclesiæ tantæ multitudini clariorem demõstrat; ita debetis cæteros morum claritate præcedere, atque eos quibus præestis, vt benè agant, vt agnoscant cui seruiunt assiduè commonere: vt à rapinis gentium, atque prauitatibus abstineant, & familia Ecclesiæ non solùm nomine, sed meritis honoretur. Nos enim de vobis cognoscite studiosissimè cogitare. Dispositumus enim hominem nostrum, qui vos possit tueri & regere, cum litteris commẽdatitijs ad excellentissimum regem Christo auxiliante transmittere. Sed viam tempus hyemis impediuit. Viro ergo glorioso Arigio patricio præuidimus vos commendandos, cui interim summa benignitate, atque obedientia, sicut beati Petri famulos decet, obedire studete, atque ea quæ pro Ecclesiastica vtilitate vobis præcipiuntur, implete. Visum autem nobis est, vt consuetudinaria excepta eius vtilitate debeatis inferre. Pensiones verò fideliter cum omni collectæ diligentia, vt apud vnumquemque vestrum, quem communi consensu elegeritis reiaceant, à quo cùm veneritis, quem à latere nostro transmiserimus, eas possit accipere. Non enim sumus dubij, quòd per eum qui vobis visus fuerit, possint fideliter conseruari. Ita ergo in omnibus irreprehensibiles, atq; obedientes existite: quatenus veniens ad vos is qui patrimonium ipsum recturus est, sciat quemadmodum vnicuique vestrum pro sua debeat strenuitate rependere.

EPI-

EPISTOLA XIII.

De persequendis maleficijs, quæ vulgò cantermæ dicuntur.

GREGORIVS *Cypriano Diacono.* Vir sanctissimus Maximianus coepiscopus noster Ecclesiã Dei prauis hominibus purgare desiderans, laudabiliter erga Ecclesiasticorum vitam, sicut nosti, sollicitus fuit. Qui dum eorum actus vigilanter cura pastorali intenderet, maleficio quod vulgò canterma dicitur, quosdã didicit maculatos. Quos etiã sicut & dilectionis tuæ nunciauit epistola, dedit in custodia retinendos. Sed quia peccatis nostris facientibus morte prẽuentus, crimen ipsum vlcisci nõ valuit; necesse est vt dilectio tua cũ omni hoc subtilitate indagare festinet, atque in eos secundũ immanitatẽ facinoris studeat vindicare: qualiter secundùm leges suprascriptum episcopum zelo correptionis ac iustitiæ in hac vltione propter Deum nouit potuisse si viueret commoueri. Omni ergo virtute, omniq; instantia tua dilectio in hac causa zelum suum erga omnipotẽtem Deum curet ostẽdere, & inimicis illius aduersitatem dignam inflictis vltionibus exhibere, vt impleas quod scriptum est: Nónne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Si ergo hoc zelo dilectio tua accẽditur, in eos qui Deum dereliquerunt, & contra eum maleficijs aliquid egerunt, pœna monstretur. Quod si rectè illic exequi non vales, nobis qui tales sunt transmitti debent, si tamen hic monstrari poterint, vnde illic possunt absque difficultate conuinci. Sed quia hoc impossibile esse existimo, illic per te debet districta, atque fortis correctio prouenire. Virum autem gloriosum D. Libertinum prætorem in tali loco per cõtemplationem omnpotentis Dei adiutorem te habere confido. In hac tamen causa mitescere minimè debuisti, etiam si tibi quilibet sæcularis iudex aduersarius potuisset existere. Possessiones prætereà Archilai medici dilectio tua rationabiliter tueatur, vt ab aliquibus iniustè cum minimè grauari permitatis.

EPISTOLA XIV.

De Barbarorum gladijs.

GREGORIVS *Datiano Episcopo Metropolitano.* Scripta dulcissimæ & cordis vlnis omnibus amplectendæ vestræ beatitudinis tristis accepi, lętus relegi. Quis enim in hac terra non lugeat, quæ Barbarorum gladijs tradita, penè iam nõ habet qui in ea viuant, & tamen habet quotidiè qui morian tur? Sed in quantalibet tristitia, quem non vestræ epistolæ in gaudium exultationis excuterent? in quibus cum oris efficacia cum prepollentis sapientiæ ingenio mihi medullitùs loquebatur non carnis lingua, sed caritatis. Quia verò ego de fonte vestræ securitatis hauriens, ex aliquanto lætificatus sum; vos quoque rogo nostræ tristitiæ luctum tangite, & afflictionem nostram in vobismetipsis magistra caritate pertrahite. Neque enim nostri mœroris sordes mundabitis, nisi ipsi quoque per compassionem manum vestri cordis inquinetis. Nam sordida vascula, vt inquinatione terræ careant, cum terra mundari solent: & vos si parumper ad curam nostram vestrum animum ducitis, vt nobis opitulari valeatis, quasi cum luto lutum mundatis. Sed quia hoc operando simul & orando agitis, si quid pro nobis in vobis terrena actio inquinat, statim aqua orationis lauat. Quia enim si quid patitur vnum membrũ, compatiuntur omnia membra, compatiendo laboribus nostris ostendite, quia vnum sumus. Narrare enim mala quæ extrinsecùs & intrinsecùs patior, epistolari breuitate prohibeor. Sed communis filius Sabinianus diaconus vestræ dulcissimæ sanctitati curanda vulnera nostra aperiet; sed ex opere supernæ gratiæ subsequente salute cognoscat, quia medicus est, qui vulnus videt. Pueros verò EPISCOPO similes non transmitto, nisi prius cum omnipotentis Dei & beatitudinis vestræ solatio à terrenis implicationibus exutus ipse EPISCOPUS fuero. Quando enim me apud meipsum inuenero, tunc foris mei similes videlicet deformes quæro. Dat. 10. Kal. Ianuarij.

EPISTOLA XV.

De vsu pallij, & de Londonienſi & Eboracenſi Ecclesia.

GREGORIVS *Augustino Episcopo Anglorum.* Cùm certum sit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia ęterni regni præmia reseruari; nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere, vt in spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multipliciùs insudare. Et quia noua Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente, & te laborante perducta est, vsum tibi pallij in ea ad sola missarum solemnia agenda cõcedimus, ita vt per loca singula duodecim episcopos ordines qui tuæ ditioni subiaceant: quatenùs Londonienſis episcopus ciuitatis semper in posterum à synodo propria debeat consecrari, atque honoris palliũ ab hac sancta & Apostolica, cui auctore Deo deseruio, sede percipiat. Ad Eboracam verò ciuitatẽ te volumus EPISCOPUM mittere, quem ipse iudicaueris ordinandum: ita vt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim EPISCOPOS ordinet, vt metropolitani honore perfruatur: quia ei quoq; si vita comes fuerit, pallium tribuere Domino fauente proponimus, quẽ tamẽ tuæ fraternitatis volumus dispositioni subiacere. Post obitum verò tuum ita EPISCOPIS quos ordinauerit, prę sit, vt Londonienſis EPISCOPI nullo modo ditioni subiaceat. Sit verò inter Londoniæ & Eboracæ ciuitatis EPISCOPOS in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. Communi autem consilio, & cõcordi actione quæcunque erunt pro Christi zelo agenda dispo nant, vnanimiter recta sentiant, & ea quæ senserint, non sibimet discrepando perficiant. Tua ergo fraternitas non solùm eos EPISCOPOS quos ordinauerit, neq; eos tantummodò qui per Eboracensem episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat Domino Deo nostro auctore subiectos: quatenus ex vita & lingua tuæ sanctitatis, & rectè credendi & benè viuendi formã percipiant, atque officium suum fide ac moribus prosequentes ad cœlestia, cùm Dominus voluerit, regna pertingent.

Metropolita duodecim habeat episcopos sibi subditos.

EPISTOLA XVI.

Petit pro se orare.

GREGORIVS *Ioanni Abbati de monte Sina.* Sanctitatem vitæ tuæ humilitatis tuæ testatur epistola, vnde omnipoten ti Deo magnas gratias agimus, quia adhuc esse cognoscimus qui pro peccatis nostris valeant exorare. Nos enim sub colore Ecclesiastici regiminis mundi huius fluctib⁹ voluimur, qui frequenter nos obruunt. Sed cœlestis gratiæ manu protegente de profundo releuamur. Vos ergo qui in tanta quietis vestræ serenitate tranquillam vitã ducitis, & securi quasi in littore statis, nobis nauigantibus, aut potiùs naufragantibus orationis vestræ manum tendite, & conantes ad terram viuentium pergere, quantis potestis precibus adiuuate, vt nõ solùm de vestra vita, sed etiam de ereptione nostra mercedem habere in perpetuum valeatis. Sancta Trinitas dilectionem tuam suæ protectionis dextera protegat, detq́ue tibi commissum gregem orando, admonendo, boni operis studium ostendendo, in conspectu sui redemptoris rectè pascere, vt ad æterna vitæ pascua valeas cum ipso quem pascis grege peruenire. Scriptum quippe est: Oues meæ venient, & pascua inuenient. Quæ videlicet pascua tunc inuenimus, quando huius vitæ hyeme carentes, de æternæ vitæ quasi denoui veris viriditate satiamur. Filio nostro Simplicio renunciante cognouimus, lectos vel lectisternia in Gerontocomio, quod à quondam illic Isauro cõstructum est, deesse. Propterea misimus lenas 15. rachanas 30. lectos 15. precium quoq; de emẽdis culcitris vel naula dedimus; quę dilectionem tuam petimus non indignè susc ipere, sed in loco quo transmissa sunt, præbere.

Ioan. 10.

EPISTOLA XVII.

Patrimonium Ecclesiæ, quod erat in Gallijs, ipsi & regibus commendat.

GREGORIVS *Asclepiodoto Patricio Gallorum.* Prudentes viros, sicut estis, regibus adhærere, multorum solamen est. Nam dum præstantiorem sibi locum ad animæ vtilitatem datum intelligunt, certum est quia mercedis causas, vbi inueniunt, non postponunt. Quanto igitur affectu, quantaque deuotione gloria se vestra in causis pauperum studio pietatis impenderit, dilectissimo filio nostro Candido presbytero renunciante comperimus. Sed quoniam hanc sibi quodammodò nobilitas legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit æstimet; & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil præstitisse se reputet: paterna dilectione salutantes gloriæ vestræ suprascriptum presbyterum & patrimonium Ecclesiæ nostræ fiducialiter commendamus, vt ope gratię vestræ pręmunitum, molestias & onera nulla sustineat. Sic igitur boni studij in vobis cura proficiat, vt vtilitates pauperum vobis annitentibus nutriantur, & sentiamus quod de caritate vestra præsumimus. Augete fauoris vestri præsidia: quia apud nobilium mentes semiplenũ bonum videtur quod sine adiectione relinquitur. Et quoniam ab excellentissimis regibus Francorum filijs nostris poposcimus, vt ipsum patrimoniolũ sub sua cura habere dignentur, vobis adminiculantibus impleatur, vt vestrum possit esse quod poscimus: quatenùs & nos gratias referẽtes pro gloriæ vestræ incolumitate orare enixiùs valeamus, & vestrorum bonorum vicissitudinem Deus vobis omnipotens & hic & in futuro recompenset. Clauim verò à sacratissimo beati Petri corpore in qua de catenis eius benedictio continetur, transmisimus, quæ collo vestro suspensa contra omnia aduersa vos muniat.

EPISTOLA XVIII.

De synagoga Iudæorum transferenda, si Ecclesiæ officia impediat.

GREGORIVS *Baciudæ & Agnello Episcopis.* Supplicauerunt nobis Hebræi Terracinæ degentes, vt locum quem synagoge hactenùs habuerunt, eum illis nostra quoque auctoritate esset habendi licentia. Sed quia peruenit ad nos quòd locus ipse sic vicinus esset Ecclesiæ, vt etiã ad eam vox psallentium peruenire: ideo scripsimus fratri & coepiscopo nostro Petro, si ita esset vt vox de eodem loco in Ecclesia resonaret, Iudæi celebrationibus priuarentur. Itaque fraternitas vestra cum suprascripto fratre & coepiscopo nostro locum ipsum diligenter inspiciat, & si ita est vt aliquid vobis in Ecclesia visum fuerit obfuisse, alium locum intra ipsum castellum præuidere, vbi prędicti Iudæi conueniant, quo possint suas sine impedimento cæremonias celebrare. Talem verò fraternitas vestra locum præuideat, si hoc fuerint loco priuati, vt nulla exinde in futuro querela nascatur. Prædictos verò Iudæos grauari vel affligi contra ordinem rationis prohibemus: sed sicut Romanis viuere legibus permittuntur, sic annuente iustitia, actus suos, vt norunt, nullo impediente disponant; eis tamen Christiana mancipia habere non liceat.

EPISTOLA XIX.

De horto Feliciani monasterio ancillarum Dei tradendo.

GREGORIVS *Sabino Subdiacono.* Officio pietatis impellimur monasterijs prouida consideratione ferre consultum, ne hi qui in seruitio Dei deputati esse noscuntur, necessitatem aliquam, quod auertat Dominus, possint sustinere. Ideoque experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus, vt hortum quondam Feliciani presbyteri positum in regione prima, ante gradus sanctæ Sabinæ, excusatione postposita, monasterio Euprepiæ, in quo ancillarum Dei congregatio esse dinoscitur, iure proprietario possidendum tradere sine ambiguitate festinet: quatenùs nostræ beneficio largitatis in Dei seruitio ipso quoque suffragante securis mentibus perseuerent.

EPISTOLA XX.

De monachis fugitiuis restituendis, & ne nouæ consuetudines monasterijs imponantur.

GREGORIVS *Stephano Chartulario.* Scientes magnitudinem caritatis vestræ toto Dominum corde diligere, ob hoc ea quæ in massis de iure quondam Patricij viri piæ recordationis contra præcepta Dominica, contraque canonum regulam commissa esse didicimus, ad eius necesse duximus referre notitiam: quatenùs hæc quæ perpetrata sunt, corrigi debeant, & alij deinceps tentare non præsumãt. Insinuatum igitur nobis est, in massa quæ nuncupatur Marato, de Abbate monasterij sancti Georgij, quod in eadem situm est, duos monachos refugisse, & vnum quidem ex eis iam coniugem accepisse, alium autem laicum effectum sæculariter viuere: cùm nec ex familia massæ homines ipsi esse liberi asserantur; & vel si secundùm conditionem debuissent agere, contra Deum erat, vt post adeptum diuini officij cultum, ad sæcularem vitam atque habitum remearent. Vnde hortor, vt habita iudicis æterni consideratione, monachos ipsos retrudi sine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cum vestro, quod absit, peccato, cæterorum monasteriorum districtio dissipetur: sed magis vt magnitudinis vestræ solatio alijs monachis spes gerendi talia submoueatur. Asseruit autem prædictus Abbas presbyterum prædictæ massæ nouas monasterio ipsi velle imponere consuetudines, quæ ex tempore conditi monasterij per triennale tempus hactenùs non fuerunt: si quidem si quid Deo illic munificentiæ gratia à fidelibus viris oblatum fuerit, portionem se asserat debere percipere. Quòd magnitudo vestra studeat diligenter agnoscere; & si hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud nouiter imponi non concedat: quia maximè exiguę substantiæ, & monasterium pauperum esse didicimus, & Abbatem ipsum hospitalem omninò esse multorum attestatione didicimus.

EPISTOLA XXI.

De persecutione Ariulphi.

GREGORIVS *Veloci Magistro Militum.* Et pridem expressimus gloriæ vestræ, quia milites illuc erant parati venire: sed quoniam inimicos congregatos & huc discurrere epistola vestra significauerat, hæc eos hic causa retinuit. Nunc verò vtile est visum, vt aliquanti illuc milites transmittãtur, quos gloria tua admonere & hortari, vt parati sint ad laborem, studeat. Et occasione inuenta cum glorioſis filijs nostris Mauricio & Vitaliano loquere, & quæcunque vobis Deo adiutore pro vtilitate Reipublicæ statuerint, facite. Et si huc vel ad Rauẽnates partes, nec dicendum Ariulphum cognoueritis excurrere, vos à dorso eius ita sicut viros decet fortes, laborate: quatenùs opinio vestra ex laboris vestri qualitate ampliùs in Republica, Deo auxiliante, proficiat. Illud tamen præ omnibus admonemus; vt familiam Maloin, & Adobin, Vigildi, atque Grussingi, qui cum glorioſo Mauricio magistro militum esse noscuntur, sine aliqua mora vel excusatione relaxes: quatenùs venientes illuc homines prædicti viri cum eis sine aliquo impedimento debeant ambulare.

EPISTOLA XXII.

Inscript.

De Ariulpho.

GREGORIVS *Mauricio & Vitaliano. Magistris militum.* Gloriæ vestræ suscipientes epistolas, Deo gratias egimus quia de salute vestra cognouimus, & de sollicitudine vestra,

multum

multum gauisi sumus, & mox ea quæ scripsistis, parata fuerunt. Sed Aldio vir memorandus post aduentum hominum vestrorum nobis scripsit, quia in proximo iam Ariulphus esset, & timuimus ne milites qui ad vos diriguntur, in manus eius inciderent. Et tamen hîc, quantum Deus adiuuerit, contra eum filius noster gloriosus magister militum se parauit. Sed & gloria vestra, si huc perrexerit ipse hostis quomodo consueuistis, cum auxilio Dei à dorso eius quod potestis perficite. Speramus enim in omnipotentis Dei virtute, & in ipsius beati Petri Apostolorum principis, in cuius ille natali sanguinẽ effundere desiderat: quia ipsum sibi contrarium sine mora inueniet.

EPISTOLA XXIII.

De fide Suanensium.

GREGORIVS *Mauricio & Vitaliano Magistris militum.* Suppliciter gloriæ vestræ per filium nostrum Vitalianum cum quo & tractaretis & verbo & scripto mandauimus. Vndecimo autem die mensis Ianuarij Ariulphus hanc epistolam, quam vobis direximus, transmisit. Et ideo relegentes eam, videte si in fide sua Suanenses quam Reipublicæ promisêre perstiterunt. Obsidesque dignos de quibus possitis confidere, ab eis percipite, & insuper eos denuò à sacramentis obstringite, reddentes eis quod loco pignoris sustulistis, & sermonibus vestris eos sanantes. Si autem manifestissimè coguoueritis eos cum Ariulpho de sua subditione locutos fuisse, vel certè obsides ei dedisse, sicut nos Ariulphi epistola quam vobis direximus, dubios reddidit: salubri consilio pertractantes, ne in aliquo anima vestra vel nostra de sacramentis grauetur, quicquid vtile Reipublicæ iudicaueritis, peragite. Sed ita faciat gloria vestra, vt neque sit aliquid vnde possimus ab aduersarijs reprehendi, neque in quo quod vtilitas Reipublicæ exigit, quòd auertat Dominus, negligatur. Prætereà glorioſi filij estote solliciti: quia quantum comperi, hostem collectum habet, & in Narina dicitur residere, & si huc cursum Deo sibi irato mittere voluerit, vos loca ipsius, quantum vos Dominus iuuerit, deprædamini, aut certè scultas quot mittitis, sollicitè requirãt, ne dolens factum ad nos discurrat.

EPISTOLA XXIV.

De obedientia Constantio Tribuno exhibenda.

GREGORIVS *Vniuersis Militibus Neapolitanis.* Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ Reipublicæ vtilitatibus exhibere, quodque sibi vtiliter imperatum fuerit, obtemperare: sicut & nunc deuotionem vestram feciſſe didicimus, quæ epistolis nostris quibus magnificum virum Constantium tribunum custodiæ ciuitatis deputauimus præesse, paruit, & congruam militaris deuotionis obedientiam demonstrauit. Vnde scriptis vos præsentibus curauimus admonendos, vti prædicto viro magnifico tribuno, sicut & feciſtis, omnem debeatis pro serenissimorum dominorum vtilitate, vel conseruanda ciuitate obedientiam exhibere: quatenùs quicquid à vobis hactenùs benè gestum agnoscitur, per præsentis temporis vigilantiam ac sollicitudinem augmentetis.

EPISTOLA XXV.

De societate legendi.

GREGORIVS *Maurentio Magistro Militum.* Dilectissimus filius meus Cyprianus diaconus reuertens mihi valdè placuerat, si ad me totus rediisset. Sed postquàm gloria vestra in Sicilia sese retinuit, certissimè scio, quia prædictus filius meus ad me quidem corpore redijt, sed mente in Sicilia remansit. Hæc tamen dicens, tantum quieti vestræ congaudeo, quantum de meis occupationibus ingemisco. Atque hoc summoperè exhortor, vt si palatum cordis dulcedo tetigit intimæ suauitatis, ita introrsus rapiatur animus, vt triste sit omne quod foris sonat, omne quod foris delectat. Laudo autem quòd humana conuenticula cauetis: quia sæpè animus qui renouari in Deo per compunctionis gratiam desiderat, per praua colloquia atque verba iterum veterascit. Quæsiui autem qui vobis adhæreant in lectionis sacræ collegio, & neminem reperi, & vehemẽter ingemui paupertatem boni. Et quamuis peccator ego valdè occupatus sum: tamen si ad B. Petri Apostoli limina venire volueritis, in sacro eloquio strictum poteritis me habere collegam. Omnipotens Deus cœlesti vos protectione custodiat, atq; ab antiqui hostis insidijs munitos, permanere concedat. Cõuenticula vitanda.

EPISTOLA XXVI.

De Eusebio Abbate quem excommunicauerat refouendo.

GREGORIVS *Maximiano Episcopo.* Frequenter me admonuisse vos recolo, vt in proferenda sententia esse præcipites nullatenùs deberetis. Et nunc ecce cognoui, quia reuerendissimum virum abbatem Eusebium commota furore vestra fraternitas excommunicauit. Quod ego valdè miratus sum, vt non antiqua eius conuersatio, non ætas longa, non ægritudo diuturna, ab ira vestrum animum flecteret. Quilibet enim in eo fuerit exceſſus, ipsa ægritudinis afflictio ei debuit pro flagello sufficere. Quem enim diuina disciplina cõterit, ei humana flagella addi superfluum fuit. Sed fortasse ideo excedere in tali persona permissus es, vt cautior in vilioribus fias, & diu trutines cùm aliquem per sententiã ferire disponis. Eundem tamen præfatum virum quãto furore exasperasti, tanta nunc dulcedine cõsolare: quia valdè iniustum est, vt qui te plus amauerũt, ipsi te sine causa atrociorem contra se sentiant.

EPISTOLA XXVII.

De Venantio honorando, qui chartas ex consulatus oblatis triginta auri libris postulabat.

Lib. 2. ep. 14. 15. 16. & 32.

GREGORIVS *Honorato Diacono.* Filius meus dominus Venantius nepos quondam Opilionis patricij ad beatum Petrum Apostolum venit, hoc à me summoperè petiturus, vt causam eius tuæ dilectioni commendare debuissem. Honores enim non habet, & chartas ex consulatus petijt, pro quibus triginta auri libras transmisit, vt ei debeant comparari. In qua re volo vt dilectio tua se summoperè impendat: quia talis vir est, cui etiam honor sine pretio debeatur. Et quia eadem chartas emere paratus est vt dixi, non valdè necesse est, vt ex me aliquid serenissimis Principibus dicatur; sed magis ex se agat dilectio tua: quatenùs oblatis in sacella consuetudinibus honores mereatur accipere. Si quid tamẽ potueris mitiùs agere, maximam de eo mercedem habebis. Sed ita fac vt labor eius quo hic ad nos fatigatus est, vacuus non sit. Si verò in eadem causa difficile aliquid esse perspexeris, etiam quia per me hoc postulet indicare debes, & cuius bonitatis, cuius modestiæ sit, atque sapientiæ, serenissimis dominis intimare.

EPISTOLA XXVIII.

De malis quæ patiebatur Romana ciuitas.

Sup. lib. 1. ep. 23. 37. 40. 46. 53. 57. 63. 65. 66.

GREGORIVS *Anthemio Subdiacono.* Quia gloriam vestram fixam valdè atque stabilem in suis esse moribus audio; multum lætificor, & sic vobis quæ mihi displicent, sicut speciali filio fiducialiter loquor. Excellentissimus enim exarchus aliqua loquitur. quæ omnes qui illum amant, ad inimicitias illius valeant prouocare. De qua re ei per latronem præsentium in excepto, quæ mihi visa sunt relegenda dictaui: quæ si placet, & vobis relegantur, vt sciatis quid ei de re eadem scribere debeatis. Hic autem quanta necessitas, & quæ nos mala constringant, & præsentis responsalis nostri relatione, & ex epistolis fratris & coepiscopi mei Mariniani potestis agnoscere. Vnde gloriam vestram decet studiosè cogitare: quia nos de sapientia vestra magnam in omnipotente Domino fiduciam habemus, &

vbi vos estis, illic causam negligi nullo modo credimus. Ita ergo facite vt confidentia nostra à sua certitudine nō inueniatur aliena. Gratia vos superna custodiat, & prosperè agere omnia concedat.

EPISTOLA XXIX.

Sup. lib. 9. ep. 34. 35. & lib. 10. ep. 40. 46. 47. Ind. 5.

De necessitatibus annonæ quas in vrbe Roma officia palatij patiebatur.

GRegorius Romano Defensori. Qualem necessitatem diuersa officia palatij vrbis Romæ de annonis suis sustineant, experientiam tuam credimus non latere. Et ideo quia latores præsentium vice sua illuc omnes elegerunt trasmittere, vt apud filium nostrum gloriosum Leontium agere debeant, qualiter ipsæ eis annonæ, sicut à serenissimis Principibus largitæ sunt, deputentur impendi, & in hac re etiam sibi petiuerunt experientiam tuam debere concurrere: ea propter quia hoc & etiam illis non petentibus eorum exigit paupertas ac necessitas impartiri, dum aptum opportunumque esse conspexeris, eis de quibus valueris studij tui sit ita præbere solatia: quatenùs hoc quod illis clementissimi Principes pietate sibi ingenita concesserunt, & illi consequi valeant, & tu indefessus non videaris existere.

EPISTOLA XXX.

Lib. 1. ep. 15. 18. 19. 39 42. 44. 54. 67. 69. 70. 71.

De diuersis causis ad patrimonij S. Petri gubernationem necessarijs.

GRegorius Petro Subdiacono Siciliæ. Indicante Romano defensore cognoui, quia monasteriū ancillarū Dei, quod est in fundo Monotheo, ab Ecclesia nostra de villa noua, de fundo iuris sui violentiam pertulit, qui eidem monasterio dicitur dimissus. Quod si ita est, experientia tua eis & fundum restituat, & eiusdem fundi de duabus quas exegisti indictionibus pensiones restituat. Quia autem multi Iudæorum in massis Ecclesiæ cōmanent, volo vt si qui ex eis Christiani voluerint fieri, aliquātum eis depensi relaxetur, quatenùs isto beneficio prouocati, tali desiderio & alij † vrgeantur. Vaccæ autem quæ iam sunt ętate steriles, vel boues masculi qui omninò inutiles esse videntur, vendi debent, vt saltem eorum precium ad aliquam vtilitatem crescat. Greges verò equarum quas valdè inutiliter habemus, omnes volo distrahi, & tantummodò quadringentas iuniores seruari ad fœtum, ex quibus quadringentis singulis conductoribus singulæ condonari debent: quatenùs ex ipsis annis singulis aliquid reddant: quia durum est valdè vt sexaginta solidos pastoribus expendamus, & sexaginta denarios ex eisdem gregibus non habeamus. Ita ergo experientia tua faciat, vt alia per conductores omnes, sicut diximus, partiantur; alias distrahe, & in nummum redige. Pastores verò ipsos per possessiones ordina, vt ex cultura terræ ferre aliquid vtilitatis possint. Aeramenta verò omnia quæ vel in Syracusis, vel in Panormo, iuris Ecclesiastici esse possunt, distrahenda sunt priusquàm ipsa vetustate funditùs pereant. Veniente autem fratre Cyriaco Romam, de illo subtiliter requisiui, si cum tua conscientia fuerit de accipiendo præmio in causa mulieris cuiusdam locutus. Quod idem frater ita se dicit te referente cognouisse: quia ex te immissus est, vt quis esset ad conferendum præmium immissor probaret. Quod ego credidi, moxque eum in gratiam familiariter recepi, coram populo & clero eum perduxi, presbyterium ei auxi, in loco superiori inter defensores posui, collaudans coram omnibus fidem eius: quia ita se in obsequio tuo fideliter gesserit, quem idcirco ad te celeriter retransmisi. Quia verò multum festinas, & ego quamuis ægrotus videre te desidero; quem ipse in omnibus probatum habes, loco tuo in Syracusana parte derelinquere, & ipse ad me venire festina vt si omnipotenti Deo placuerit, communi consilio pertractemus, vtrùm ipse illuc reuerti, an alter in loco tuo illic debeat ordinari. Benenatum verò notarium pariter transmisi, vt in Panormitana parte locum tuum in patrimonio quoadusque omnipotens Deus ordinet quòd ei placuerit, ipse conseruet. Romanum de leuitate sua vehementer increpaui: quia sicut nunc reperi, in xenodochio quod tenuit, magis suis vtilitatibus quàm mercedibus occupatus fuit. Et ideo si fortasse tibi visum fuerit, loco tuo ipsum relinquere: vide quemadmodum eum terrendo & admonendo præmunias, vt sciat se circa rusticos piè & sollicitè agere, & circa extraneos & vrbanos se in omnibus mutatum, & strenuum exhibere. Ego tamen hæc loquens, nullam personam eligo, sed tuo hoc iudicio derelinquo. In Panormitana autem parte loci seruatorem tui me sufficit elegisse. Et videre volo quòd ipse in Syracusana parte prouideris. Veniens autem, pecunias & ornamenta de Antonini parte vel substantia tecum defer. Pensiones quoque nonæ & decimæ Indictionis quas exegisti, & rationes omnes pariter deporta. Stude si Deo placuerit, vt in hanc Vrbem ante natalem beati Cypriani transeas, ne ex signo quod diebus istis mari semper imminet, quod absit, aliquod periculum possit euenire. Prætereà cognoscas, quia pro eo quod pretiosum Dei seruum, nō pro graui culpa, grauiter auersatus sum, eumque à me tristem amaricatumque repuli, non leuiter in mea cogitatione mordear. Et scripsi domino Episcopo, vt eum transmittere debuisset si vellet, sed omninò noluit. Quem contristare ego nec debeo, nec possum: quia in causis Dei occupatus, consolatione fulciri debet, non amaritudine deprimi. Idem verò Preciosus, sicut audio, omninò contristatur, quòd ad me non reuertitur. Ego verò domnum Episcopum vt dixi, contristare non possum, qui eum non vult dimittere, & inter vtrosq; anceps maneo. Tu ergo, si quidem in paruo corpusculo maiorem sapientiam habes, eandem causam ita dispone, vt & mea voluntas fiat, & dominus episcopus non contristetur. Quem tamen si leuiter contristari videris, omninò exinde nihil loquaris. Aegrè tamen tuli quòd dominum Eusebium excommunicauit, virum tantæ ætatis, & tantæ ægritudinis. Vnde necesse est, vt eidem domno episcopo secretè dicas, quatenùs in proferendis sententijs præceps non sit: quia causæ quæ per sententiam decidendæ sunt, necesse est vt priùs studiosa & frequentissima consideratione mensurentur. Venientibus scribonibus, nam sicut audio iam illic tyrones colligunt, loci tui seruatoribus deputa, vt parùm aliquid xenij offerant, quatenùs sibi eos placabiles reddant. Sed & officio prætoris, prius quàm venias, aliqui antiquam consuetudinem tribue, per manus tamen illius quem dimittis, vt ei gratiam eorum concilies. Ne & nos omninò eis inhumani esse videamur, ea quæ danda per præceptum singulis quibusque personis vel monasterijs tuæ experientiæ iniunxi, loci seruatoribus tuis præcipe, vt per omnia impleant. Hæc verò auxiliante Domino cùm veneris, qualiter disponenda sunt, pertractabimus. Trecentos verò solidos quos per te pauperibus direxi, eorum arbitrio non arbitror committendos: Illa ergo de singulis locis & personis impleant. Ante verò hoc tempus iam scripsisse memini, vt legata quæ ex tenore Antonini defensoris à nobis debentur, monasterijs vel alijs prout statutum fuit, soluerentur. Et quare nescio tua experientia hoc implere tardauerit. Proinde volumus vt pro portione nostra ex pecunijs Ecclesiæ eadem legata impleas, vt cùm ad me veneris, illic contra te gemitum pauperum non relinquas. Cautiones verò quæ in eiusdem Antonini substantia sunt inuentæ, pariter defer. Cognoui autem Romano referente, quia moriens vxor Redempti vnam concham argenteam nudis verbis dixerit venundari, & libertis suis tradi. Scutellam quoque argenteam monasterio cuidam reliquerit: in quibus vtrisque voluntatem eius per omnia volumus impleri, ne ex rebus minimis peccata maiora capiamus. Fratre autem Mariniano Abbate indicante cognoui, quia fabrica in prætoriano monasterio, nec ad medietatem quidem adhuc perducta est. Ex qua re quid aliud quàm feruorem tuæ experientiæ collaudamus? Sed vel nunc admonitus excitare, & quantum potes, in eiusdem monasterij constructione te exhibe. Ego nihil dari eis in expensis dixi, non autem monasterium de eis fabricare prohibui. Sed ita fac, vt ei quem loco tuo Panormi dimiseris, modis omnibus iniungas: quatenùs expensis & annona Ecclesiastica hoc idem

Iudęis pēsa relaxanda si conuerti volunt. † al. assurgant.

Supra ep. 26.

mon-

monasterium construat, & ad me priuati Abbatis querela non redeat. Præterea cognoui quòd quasdam res vel plures fundorum alieni iuris esse cognoscis, sed pro quorundam obtestatione vel metu, dominis suis restituere reformides. Qui si veraciter Christianus esses, plus Dei iudicium, quàm voces hominum formidares. Attende quia ego te quoque hac de re indesinenter admoneo. Quod si implere neglexeris, etiam meas voces contra te in testimonium habebis. Si verò de laicis Deum timentibus inueneris, vt tonsurari debeant, & actionarij sub rectore fieri, omninò libenter fero. Quibus necesse est vt etiam epistolæ transmittantur. De causa verò filij Commissi scholastici consuluisti, & non sunt legibus iusta quæ repetit: vtilitatem pauperum grauare nolumus, sed pro eo quod se hic fatigauit, quinquaginta solidos ei dare te volumus, quos tuis certum est rationibus imputari. In causa verò Ptochisi quas expensas de rebus Ecclesiæ fecisti, aut illic de pensione reddituum eius tibi satisfacito, aut si certè ipsi redditus minimè ad recompensandum sufficiunt, hic necesse est, vt à diacono hoc recipiantur. De Gelasio autem subdiacono loqui aliquid non præsumas: quia scelus illius vsque ad finem vitæ grauissima pœnitentia indiget. Præterea vnum nobis caballum miserum, & quinque bonos asinos transmisisti. Caballum illum sedere non possum, quia miser est; illos autem bonos sedere non possum, quia asini sunt. Sed petimus vt si nos continere disponitis, aliquid vobis cõdignum deferatis. Eusebio autem Abbati dare te volumus auri solidos centum, quos tuis certum est rationibus imputari. Cognouimus autem Sisinniũ qui iudex Samnij fuit, graui inopia in Sicilia laborare, cui volumus 20. decimatos vini, & quatuor solidos annuos debeas ministrare. Anastasius autem religiosus iuxta Panormitanam ciuitatem dicitur habitare in oratorio sanctæ Agnetis, cui dari volumus auri solidos sex. Matri autem Vrbici præpositi dari volumus solidos sex, qui tuis rationibus imputentur. De Honoratę verò ancillæ Dei causa hoc mihi videtur, vt omnem substãtiam quæ constat, quia ante tempus episcopatus Ioannis episcopi Larinensis fuit, veniens tecum deferas. Eadem verò ancilla Dei cum filio suo veniat, vt nos cum ea loqui, & quòd Deo placitum fuerit facere debeamus. Codicem autem Heptatici de substantia Antonini dari volumus in monasterio Prætoriano, reliquos tecum deferri.

EPISTOLA XXXI.

Incipit Epistola de expositione diuersarum rerum B. Gregorij Papæ Vrbis Romæ, quam transmisit in Saxoniam trãsmarinam ad Augustinum, quem ipse pro se ad prædicandum misit.

Prima interrogatio Augustini.

QVAERO Pater beatissime, de Episcopis qualiter cum suis clericis conseruentur. Vel de his quę fidelium oblationibus accedunt ad altaria, & quantæ debeant fieri portiones, & qualiter Episcopus agere in Ecclesia debeat.

De obuentionibus Ecclesiasticis diuidendis.

Responsio beatissimi Gregorij Papæ vrbis Romæ.

Qualiter Episcopus agere debet in Ecclesia, sacra scriptura testatur, quam te benè nosse nõ dubium est, & specialiter beati Pauli ad Timotheum epistolæ, in quibus eum erudire studuit qualiter in domo Dei conuersari debuisset. Mos autem Apostolicæ sedis est ordinatis Episcopis præceptum tradere, vt de omni stipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones. Vna videlicet Episcopo & familiæ eius propter hospitalitatem & susceptionem. Alia clero. Tertia verò pauperibus. Quarta Ecclesijs reparandis. Sed quia tua fraternitas monasterij regulis erudita, seorsum viuere non debet à clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erãt illis omnia cõmunia.

Secunda interrogatio Augustini.

Opto enim doceri, an clerici continere non valentes, possint contrahere: Et si contraxerint, an debeant ad sæculum redire.

De clericis contrahentibus post clericatum.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Si qui verò sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere nõ possunt, sortiri vxores debent, & stipendia sua exteriùs accipere: quia & de eisdem patribus, de quibus præfati sumus, nouimus scriptum quod diuidebatur singulis prout cuique opus erat. De eorum ergo stipendio cogitandum atque prouidendum est, & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi, vt bonis moribus viuant, & canẽdis psalmis inuigilent, & ab omnibus illicitis cor & linguam & corpus Deo auctore conseruent. Communiter autem viuentibus, iam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, & adimplenda misericordia, nobis quid erit loquendum, cùm omne quod supereſt necessitatibus, in causis pijs ac religiosis erogandum est? Domino & magistro omnibus dicente: Quod supereſt, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Dist. 32. c. si qs verò. Item 12. q. 1. c. quia tua. §. si q. verò. Luc. 11.

Tertia interrogatio Augustini.

Cur cùm vna sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diuersæ? Et altera consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesijs tenetur.

De diuersis consuetudinibus diuersarum Ecclesiarum non improbandis.

Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, vt siue in Romana, siue in Galliarum, siue in quâlibet Ecclesia aliquid inuenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide noua est, institutione præcipua qua de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesijs quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. Dist. 32. c. nouit.

Quarta interrogatio Augustini.

Obsecro edisseras mihi quid pati debeat si quis aliquid de Ecclesia furto abstulerit.

De pœnitentia furum, & restitutione Ecclesiasticarum rerum.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Hoc tua fraternitas ex persona furis pensare potest, qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam qui habẽtes subsidia furtum perpetrant, & sunt alij qui hac in re ex inopia delinquunt. Vnde necesse est vt quidam damnis, quidã verò verberibus, & quidam districtiùs, quidam verò leuiùs corrigantur. Et cũm paulò districtiùs agitur, ex caritate agẽdum est, & non ex furore: quia ipsi hoc præstatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filijs solẽt, quos & pro culpis verberibus feriunt, & tamen ipsos quos doloribus affligunt, habere hæredes quærunt, & quæ possident, ipsis seruant, quos irati insequi videntur. Hæc ergo caritas in mente seruãda est. Et ipsa modũ correctionis dictat, vt mens extra rationis regulam omninò nihil faciat. Addis etiam quomodo augmento ea quæ furto de Ecclesijs abstulerunt, reddere debeãt. Sed absit, quòd Ecclesia cũ augmento recipiat, quod de rebus terrenis videtur amittere, & lucra de damnis quærat.

Quinta interrogatio Augustini.

Peto an debeant duo germani fratres singulas sorores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ.

Quòd duo fratres possunt contrahere cum duabus sororibus.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquàm enim in sacris eloquijs inuenitur, quòd huic capitulo contradicere videatur.

Sexta interrogatio Augustini.

Vsque ad quotam generationem fideles debeant cum propinquis sibi coniugio copulari: & nouercis & cognatis si liceat coniugio copulari.

Qui sint in contrahendo prohibiti gradus consanguinitatis & affinitatis.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Quædam terrena lex in Romana Republica permittit, vt siue fratris, siue sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde necesse est, vt iam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi iungi debeat. Nam secunda quam diximus, à se omnimodò debet abstinere. Cùm nouerca autem misceri, graue est facinus; quia & in lege scriptum est: Turpitudinem patris tui nō reuelabis. Neq; enim turpitudinem patris filius reuelare potest: sed quia in lege scriptum est: Erunt duo in carne vna, qui turpitudinem nouercæ, quæ vna caro cum patre fuit, reuelare præsumpserit; profectò patris turpitudinem reuelauit. Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quæ per coniunctionem priorem caro fratris facta est. Pro qua re etiam Ioannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio coronatus. Cui non est dictum, vt Christum negaret; & pro Christi confessione occisus est: quia idem Dominus noster Iesus Christus dixerat: Ego sum veritas: quia pro veritate occisus est Ioannes, pro Christo sanguinem fudit.

Soboles ex marrimonio agnatorū non succrescit. Leuit. 18.

Gen. 2.

Ioan. 14.

Septima interrogatio Augustini.

Declarari posco an si turpiter coniunctus sit indicenda separatio & sacræ communionis deneganda oblatio.

Quòd neophyti in gradu prohibito iuncti, nec separandi sunt, nec sacra communione priuandi, sed admonendi, vt abstineant.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Quia verò multi sunt in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando coniugio dicunt admixti, ad fidem venientes admonendi sunt, vt se abstineāt, & graue hoc peccatum esse cognoscant. Tremendum Dei iudicium pertimescant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re sacri corporis ac sanguinis Domini communione priuandi sunt, ne in eis illa vlcisci videantur, in quibus se per ignorantiam ante lauacrum baptismatis astrinxerunt. In hoc enim tempore sancta Ecclesia quædam per feruorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat atque portat, vt sæpè malum quod auersatur, portando & dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt, admonendi sunt ne aliquid tale audeant perpetrare. Si qui autem perpetrauerint, corporis & sanguinis Domini communione priuandi sunt: quia sicut in his quæ per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenùs toleranda est; ita est in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare.

Octaua interrogatio Augustini.

Peto si longinquitas itineris magna interiacet, vt Episcopi facilè non possint conuenire, an debeat sine aliorum Episcoporum præsentia Episcopus ordinari?

Quòd sunt necessarij Episcopi in Episcopi consecratione.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Et quidem in Anglorum Ecclesia in qua adhuc solus tu Episcopus inueniris, ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis potes. Nam quando de Gallijs Episcopi venient, illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent. Sed fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Episcopos ordinare, vt ipsi sibi Episcopi longo interuallo minimè disiungantur: quatenus nulla sit necessitas, vt in ordinatione alicuius Episcopi conuenire non possint. Pastorum quoque aliquorum præsentia, valdè est vtilis vt facillimè debeant conuenire. Cùm igitur Deo auctore, ita fuerint Episcopi etiā in propinquis sibi locis ordinati, per omnia Episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritalibus, vt sapienter & maturè disponantur, exemplum trahere à rebus etiam carnalibus possumus. Certè enim dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quique conuocantur, vt qui in via iam coniugij præcesserunt, in subsequenti quoque gaudio misceantur. Cur non ergo in hac spiritali ordinatione qua per sacrum mysterium homo Deo coniungitur, tales conueniant qui vel in profectu ordinati Episcopi gaudeant, vel pro eius custodia omnipotenti Domino preces pariter fundant?

Nona interrogatio beati Augustini.

Postulo etiam qualiter debeamus cum Galliarum atq; Britannorum Episcopis agere.

Qualiter Metropolitanus in aliena prouincia se habere debeat.

Responsio beati Gregorij Papæ.

In Galliarum Episcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minimè debemus. Si igitur contingat vt fraternitas tua ad Galliarum prouincias transeat, cum eodem Arelatensi Episcopo debet agere, qualiter si qua sunt in Episcopis vitia corrigantur. Qui si fortè in disciplinæ vigore tepidus existat, tuæ fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiam epistolas fecimus, vt cùm tuæ sanctitatis præsentia in Gallijs fuerit, ei ipse tota mente subueniat, vt quæ sunt creatoris nostri iussioni contraria, ab Episcoporum moribus compescatis. Ipse autem auctoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris: sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reformando, quia scriptum est: Per alienam messem transiens falcem mittere non debet; sed manu spicas conterere & manducare. Falcem ergo iudicij mittere nō potes in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa, sed per affectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis expolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo quasi mundando conuerte. Quicquid verò ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi Episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc quod antiqua Patrum institutio inuenit. Britannorum verò omnium Episcoporum curam tuæ fraternitati committimus, vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, peruersi auctoritate corrigantur.

Deut. 23.

Obse-

Obsecratio Augustini.

Obsecro vt reliquiæ sancti Sixti martyris nobis transmittantur.

Concessio Gregorij.

Fecimus quod petisti, quatenus populus qui in loco quondam sancti Sixti martyris, corpus dixerunt venerari: quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi & probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quia si corpus, quod à populo cuiusdam martyris esse creditur, nullis illis miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se à parentibus passionis eius ordinè audisse fateantur: ita reliquiæ quas petisti, seorsum condendæ sunt, vt locus in quo præfatum corpus iacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari.

Decima interrogatio Augustini.

Si prægnans mulier debeat baptizari, aut postquam genuerit, post quantum tempus possit Ecclesiam intrare, Aut etiam ne morte præoccupetur quod genuerit, post quot dies hoc liceat sacri baptismatis sacramẽta percipere. Aut post quantum temporis huic vir suus possit in carnis copulatione coniungi. Aut si menstrua consuetudine tenetur, an Ecclesiam introire ei liceat, aut sacræ communionis sacramẽtum percipere. Aut vir suæ coniugi permixtus antequam lauetur aqua, si Ecclesiam intrare possit, vel etiam ad mysterium sacræ communionis accedere. Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet habere comperta.

Quòd mulier prægnans & puer natus possit baptizari, quæ menstrua patitur ab Ecclesiæ ingressu non prohibetur; sed post concubitum, coniuges ab Ecclesiæ ingressu se abstinere debent.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Hoc non ambigo fraternitatem tuã esse requisitam, cui etiam & respõsum addidisse me arbitror. Sed hoc quod ipse dicere & sentire potuisti, credo quòd mea apud te volueris responsione firmari. Mulier etenim prægnans cur non debeat baptizari, cum non sit ante omnipotentis Dei oculos culpa aliqua fœcunditas carnis? Nam cum primi parentes nostri in paradiso deliquissent, immortalitatem quam acceperant, recto Dei iudicio perdiderunt. Quia itaque omnipotens Deus humanũ genus pro culpa sua funditus extinguere noluit, & immortalitatẽ homini pro peccato suo abstulit, & tamen pro benignitate suæ pietatis, fœcunditatem ei sobolis reseruauit. Quod ergo naturæ humanæ ex omnipotentis Dei dono seruatum est, qua ratione poterit à sacri baptismatis gratia prohiberi? Illi quippe mysterio in quo omnis culpa funditus extinguitur, valde stultum est si donum gratiæ contradicere posse videatur. Cum verò enixa fuerit mulier, post quot dies debeat Ecclesiam intrare, testaméti veteris præceptione didicisti: vt pro masculo xxxiij. pro fœmina verò lxvj. diebus debeat abstinere. Quod tamẽ sciendum est: quia in mysterio accipitur. Nam si eadem hora qua genuerit, actura gratias intrat Ecclesiam, nullo peccati pondere grauatur. Voluptas etenim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est, in prolis verò partu dolor & gemitus. Vnde & ipsi primæ matri omnium dicitur: In doloribus paries. Si itaque enixam mulierem prohibemus Ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam in culpam deputamus. Baptizari autem vel enixã mulierem, vel hoc quod genuerit sine mora si mortis periculo vrgetur, vel ipsa hora eadẽ qua gignit, vel hoc quod gignitur, eadem qua natum est, nullo modo prohibetur: quia sicut sancti mysterij gratia viuentibus atq; discernentibus cũ magna discretione prouidenda est; ita his quibus mors imminet, sine vlla dilatione offerenda est, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interueniente paululum morte inueniri non valeat qui redimatur. Ad eius verò concubitum vir eius accedere non debet quousque qui gignitur ablactetur. Praua autem in coniugatorum moribus consuetudo surrexit, vt mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosque alijs mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inuentum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex praua consuetudine alijs ad nutriendũ tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri: quippe quia & sine partus causa, cũ consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeãtur, ita vt morte lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierẽ accedat. Quæ tamen mulier dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet: quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet imputari. Et per hoc quod inuita patitur, iustum non est vt ingressu Ecclesiæ priuetur. Nouimus namque quod mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, post tergum Domini veniens vestimenti eius fimbriam tetigit, atque statim ab ea sua infirmitas receſſit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit Domini vestimentum tangere; cur quę menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini Ecclesiam intrare? Sed dices: Illam infirmitas compulit, has verò de quibus loquimur, consuetũdo cõstringit. Perpende frater chariſſime, quia omne quod in hac mortali carne patimur, ex infirmitate naturæ est, digno Dei iudicio post culpam ordinatum. Esurire namque & sitire, æstuare, algere, lassescere, ex infirmitate naturæ est. Et quid est aliud contra famem alimenta, contra sitim potum, contra æstum auras, contra frigus vestem, contra lassitudinem requiem quærere, nisi medicamenta quædam cõtra ægritudines explorare? Fœminis namque & menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est. Si igitur benè præsumpsit quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod vni personæ infirmanti conceditur, cur nõ concedatur cũctis mulieribus quæ naturæ suæ vitio infirmantur? Sanctæ autem cõmunionis mysterium in eisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si perceperit, non iudicanda. Bonarum quippe mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, vbi culpa non est: quia sæpè sine culpa agitur quod venit ex culpa. Vnde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est vt esuriremus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quia naturaliter accidit: sed tamen quod natura ipsa ita vitiata est, vt etiam sine volũtatis studio videatur esse polluta, ex culpæ venit vitio, in quo seipsam qualis per iudiciũ facta sit humana, natura cognoscat, vt homo qui sponte culpã perpetrauit, reatum culpæ portet inuitus. Atque ideo fœminæ quæ cũ semetipsas considerant in menstrua consuetudine, si ad sacramentũ Dominici corporis & sanguinis accedere non prę sumũt, de sua recta consideratione laudandæ sunt. Dum verò percipiendi ex religiosa vitæ consuetudine eiusdem mysterij amore rapiuntur; reprimendæ, sicut diximus, non sunt. Sicut enim in veteri testaméto exteriora opera seruabantur; ita in testamento nouo non tam quod exterius agitur, quã id quod interius cogitatur, sollicita intentione attenditur, vt subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda non manducari præcipiat, in Euangelio tamen Dominus ait: Non quod intrat in os, coinquinat hominẽ, sed quæ exeunt de corde, illa sunt quæ coinquinant hominem. Atque paulo post subiecit exponens: Ex corde exeunt cogitationes malæ. Vnde vbertim indicatum est, quia illud ab omnipotenti Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutę cogitationis radice generatur. Vnde Paulus quoque Apostolus dicit. Omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. Atque mox eiusdẽ coinquinationis causam annuncians subiungit. Coinquinatæ sunt enim eorum & mens & conscientia. Si ergo ei cibus im-

Post ablactationem infantis vir aduxoris concubitum accedere debet, vel post tẽpus purgationis.

Mulier cũ patitur menstrua, ab Ecclesiæ ingressu priuari nõ debet. Luc. 8.

Mẽstruata nõ debet a communione prohiberi.

Matth. 15.

Tit. 1.

bus immundus non est, cuius mens immunda non fuerit; cur quod munda mente mulier ex natura patitur, ei in immunditiam reputetur ? Vir autem cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua intrare Ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet. Lex autem veteri populo præcepit, vt mixtus vir mulieri, & lauari aqua debeat, & ante solis occasum Ecclesiam non intrare. Quod intelligi spiritaliter potest : quia mulieri vir miscetur, quando illicitæ concupiscentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur. Qui nisi prius ignis conscientiæ à mente deferueat, dignum se congregatione fratrum æstimare non debet : quia se grauari per nequitiam prauæ voluntatis videt. Quamuis enim de hac re diuersæ hominum nationes diuersa sentiant, atque alij alia custodire videantur ; Romanorum tamen semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum reuerenter abstinere. Nec hæc dicentes deputamus culpam esse coniugium. Sed quia ipsa licita commixtio coniugum sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu abstinendum est : quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio vel fornicatione; sed de legitimo coniugio natus fuerat qui dicebat : Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Qui enim in iniquitatibus conceptum se nouerat, in delicto se natum gemebat: quia portat arbor in ramo humorem vitij quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non ipsam admixtionem coniugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt enim multa licita ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur : sicut sæpe irascendo culpas insequimur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus. Et cum rectum sit quod agitur, non est tamen tunc approbabile quod in eo animus perturbatur. Contra quippe vitia delinquentium iratus fuerat qui dicebat: Turbatus est præ ira oculus meus. Quia enim non valet nisi tranquilla mens in contemplationis lucem se suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat: quia dum malè acta deorsum insequitur; confundi tamen atque turbari à summorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo est ira contra vitium, & tamen molesta: quia turbatum se reatum aliquē incurrisse æstimabat. Oportet itaque legitima carnis copula vt causa prolis sit, non voluptatis & carnis commixtio, creandorum liberorum sit gratia, nō satisfactio vitiorum. Si quis ergo sua coniuge nō cupidine voluptatis raptus, sed solummodo liberorum creandorum gratia vtitur, iste profectò de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio, suo est relinquendus iudicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio, & tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cum Paulus Apostolus diceret : Qui se continere non potest, habeat vxorem suam: statim subiungere curauit: Hoc autem dico secūdum indulgentiam, non secundum imperium. Non enim indulgetur quod licet & iustum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse demonstrauit. Vigilanti ergo mente pensandum est quod in Sina monte Dominus ad populum loquuturus, prius eundem populum abstinere à mulieribus præcepit. Et si illic vbi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta prouisione est munditia corporis requisita, vt qui verba Dei perciperēt, mulieribus mixti non essent ; quanto magis qui corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsi inæstimabilis mysterij magnitudine prægrauentur? Hinc etiam ad Dauid de pueris suis per sacerdotem dicitur, vt si à mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent: quos omnino non acciperēt, nisi prius mundos eos Dauid à mulieribus fateretur. Tunc autem vir qui post cōmixtionem coniugis lotus fuerit aqua, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cum ei iuxta præfinitam sententiam Ecclesiam etiam licuerit intrare.

Qui suam cognouit vxorē, ab ingressu Ecclesiæ se abstinere debet. Psal. 50.

Psal. 6.

Qui prolis causa agnouerit vxorē, Ecclesiā ingredi, & corpus Domini potest accipere.

1. Cor. 7.

Munditia carnis in cōiugatis requiritur ad sacramentum Eucharistiæ percipiendum.

Vndecima interrogatio Augustini.

Quæro etiam si post illusionem quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare.

Quando nocturna pollutio celebrationem & communionem impediat.

Responsio beati Gregorij Papæ.

Hunc quidem testamentum veteris legis, sicut in superiori capitulo iam diximus, pollutum Dño dicit, & nisi lotum aqua etiam vsque ad vesperam intrare Ecclesiam non concedit. Quod tamen tunc specialiter ad illum populum, spiritaliter autem intelligens sub eodem intellectu accipiet quem præfati sumus : quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia, vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lauandus est aqua, vt culpas cogitationis lachrymis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi vsque ad vesperam cognoscat. Sed est in eadē illusione valde necessaria discretio, quia valde subtiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormiētis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate, vel infirmitate, aliquando ex cogitatione cōtingit. Et quidem cum ex naturę superfluitate vel infirmitate euenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quàm fecisse. Cum verò vltra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum; non tamen vsque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterij, vel missarum solennia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alij qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta, à perceptione sacri mysterij prohibere non debet; sed ab immolatione sacri mysterij abstineri, vt arbitror, humiliter debet : si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus ita plerunque illusio nascitur, vt eorum animus etiā in somno corporis positus turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re vnum ibi ostenditur quod ipsa mens rea non sit tunc, sed suo iudicio penitus libera, cum se etsi dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamē in vigilijs corporis meminit in ingluuiem cecidisse. Si verò ex turpi cogitatione vigilantis, oritur illusio in mente dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim à qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitauit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio vtrum in suggestione, an delectatione, vel, quod maius est, peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum : quia cum primam culpam serpens suggessit, Eua velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, vt inter suggestionem, delectationem & consensum iudex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum nō est. Cum verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est. In delectatione fit nutrimentum. In consensu perfectio. Et sæpe contingit, vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatiōne, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit; sed ligatus se vehementer ingemiscat. Vnde & ille cælestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens : Video aliam legem in membris Rom. 7.

membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Si autem captiuus erat, minimè pugnabat. Quapropter & captiuus erat, & captiuus non erat, sed pugnabat. Igitur legi mentis, lex quæ in membris est, repugnabat: pugnabat autem, quapropter captiuus non erat. Ecce itaque homo est, vt ita dixerim, & captiuus & liber. Liber, ex iustitia quam diligit, captiuus ex delectatione quam portat inuitus.

EPISTOLA XXXII.

Neophytis in affinitatis coniunctione dispensat. De episcopis non detrahendis. De synodo congreganda.

*Gregorius *Felici Episcopo Messanæ.* Reuerendissimo fratri Felici episcopo, Gregorius seruus seruorum Dei. Caput nostrum quod est Christus, ad hoc sua membra nos esse voluit, vt per eius largam caritatis & fidei compagem, vnum nos in se corpus efficeret; cui ita nos adhærere conuenit, vt quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus esse quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos diuidat; ne ab eo, si membrum eius esse refugimus, relinquamur: & velut deiecti de vite palmites arescamus. Vt ergo redemptoris nostri habitaculum esse mereamur, in dilectione ipsius toto mentis studio maneamus. Ipse namque ait: Qui diligit me, sermonem meũ seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Exegit ergo dilectio tua frater carissime, vt ex auctoritate sedis Apostolicæ tuis deberemus consultis respondere. Quod licet non prolixè, sed succinctè agere festinaremus, propter quasdam importunitates, quæ nostris præpedientibus peccatis in nos superuenere, tuis tamen hæc, per reliqua sanctorum patrum instituta, studijs perquirere latius & inuestigare committimus. Non enim potest mens attrita & oneribus atque importunitatibus prægrauata tantum boni peragere, & liberè de his loqui, quantum delectata & oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id prætulimus, vt hæc & alia quæ necessaria fore cognouerimus, tuæ sanctitati velimus denegare, sed vt quod hic minus inuenitur, latius perquiratur. De tribus enim Apostolicam sedem, in qua alitus es & edoctus, capitulis consulendam prædecessorum tuorum sequens exempla credidisti, id est, de consanguinitatis coniunctione, & de vexatione episcoporum à subditis, & de Ecclesiarum dubitatione consecrationum. Quod autem scripsi Augustino Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet vt recordaris tuo, de consanguinitatis coniunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet; specialiter & non generaliter ceteris me scripsisse cognoscas. Vnde & mihi omnis Romana ciuitas extitit testis, nec ea intentione hæc illis scriptis mandaui, vt postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam fuerint consanguitatem inuenti, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, vsque ad septimã generationem coniungantur; sed adhuc illos neophytos existentes sæpissimè eos prius illicita docere vitare, & verbis ac exemplis instruere, & quæ post de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam iuxta Apostolum qui ait: Lac vobis potum dedi, non escam; ista illis modò non posteris, vt supradictum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum erat, erueretur, sed cœptum firmaretur, & vsque ad perfectionẽ custodiretur. Sanè si in his secus quàm debuimus aliquid egimus, non propter ipsam, sed commiserando actum esse cognoscas. Vnde & testem inuoco DEVM, qui cogitationes omnium hominum nouit, cuius etiam oculis omina nuda sunt & aperta: Nam si ea destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse iustè comprobarer, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in seipsum diuisum non stabit, & omnis scientia, & lex aduersus se diuisa destruetur. Ideoq; necesse est, vt omnes concorditer statuta sanctorum patrum nostrorum teneamus, nihil videlicet per contentionem agentes, sed ad omne studium bonæ deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus auxiliante Domino pareamus. O quàm bona est caritas, quæ absentia per imaginem, præsentia sibimetipsis exhibet per amorem; diuisa vnit, confusa ordinat; inæqualia sociat, imperfecta cõsummat. Quam rectè prædicator egregius vinculum perfectionis vocat, quia virtutes quidem ceterę perfectionem generant, sed tamen eas ita caritas ligat, vt ab amantis mente dissolui iam nequeant. His ritè perpensis, caritati tuæ iam dictis indulsi, nec præceptum dedi, sed consilium: nec regulam in his posteris vllis tenendam tradidi, sed de duobus periculis quod facilius sit, vitandum ostendi. Si igitur in rebus sæcularibus suum cuique ius & proprius ordo seruandus est; quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inueniat, vnde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione seruabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Quapropter multum cor nostrum magnitudini vestræ cõgaudet, quòd sic vos in vestris actibus studiosos inuenimus, vt & nostri curam habeatis, & talia sciscitando inquirere studeatis; quatenus vobis non solùm apud homines gloriam, sed & apud omnipotentem Dominum præmia mercedis acquirant. Ceterum super vexatione episcoporum de quo nos consulere voluistis; scimus quia à nullis vita præsulum perturbari debet excessibus: quia valde indignũ est, vt hi qui throni Dei vocantur, aliqua motione à regibus vel subditis turbentur. Quoniam si Dauid regum iustissimus in Saul, quem constabat iam à Domino reprobatum & abiectum esse, manũ mittere non præsumpsit; quanto magis cauendum est, ne manum detractionis, aut vituperationis, siue indiscretionis, aut dehonorationis, quidam mittant in vnctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Ecclesiæ? quia eorum vexatio siue detractio ad Christum pertinet, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur. Vnde summoperè cauendum est omnibus fidelibus, ne clanculò aut publicè episcopum suum, id est, vnctum Domini detractionibus aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ, quia pro eo quòd Moysi famulo Dei propter Aethiopissam detraxit, immunditia lepræ mulctata sit: & illud Psalmistæ; Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Et in lege diuina legitur: Dijs non detrahes: & populi tui principi nõ maledices. Vnde valdè præuidendum est subditis tam clericis quàm laicis, ne episcoporum, ne præpositorum suorum vitam temerè reprehendere audeant, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne vnde mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt etiam ne culpas præpositorum suorum considerant, contra eos audaciores fiant. Sed sic eorum praua apud semetipsos considerent, vt diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent: quoniam facta suorum episcoporum vel præpositorum oris gladio non sunt ferienda, etiam cum rectè reprehendenda videntur: quoniam à prædecessoribus nostris & à reliquis multis sanctis episcopis statutum fore cognoscimus, vt oues pastores suos nõ facilè reprehendant, nec eos criminari vel accusare præsumant; quia cum in præpositos delinquimus, eius ordinationi qui nobis eos prætulit, obuiamus. Vnde Moyses dum contra se & Aaron conqueri populum cognouisset, ait: Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra DEVM. Quapropter admonendi sunt subditi vtriusq; ordinis viri, vt cum magistrorum facta conspiciunt, ad suum cor redeant, & de eorum increpationibus non præsumant: quia non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suũ. De dedicationum verò Ecclesiarum dubitatione, super qua inter cetera nos consulere voluistis, hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus; id est, vt quotiens tam de baptismo aliquorum vel confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur vtrum baptizati, vel confirmati, siue Ecclesiæ consecratæ sint; vt baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum quod non certis indicijs ostenditur ritè peractum. Hæc vos adminiculante diuina gratia ita tenere cupimus, vobisque vt postulastis

Caritatis laudes. Coloss. 3.

Episcopi à subditis reprehendi, aut criminari nõ debent. Num. 12. Psal. 104. Exo. 22.

Oues suos pastores ne temerè reprehendere, aut accusare præsumãt Exo. 16. Matt. 10.

Si de Ecclesiæ dedicatione non constat, ea dedicari debet.

astis tenere & docere mandamus, & ea quæ à sanctis Patribus ante nos sunt statuta, non proteruè irrumpere, sed fideliter seruare optamus. Vnde redemptoris misericordiam exoramus, vt sua vobis in omnibus gratia suffragetur, & effectu implere vos tribuat quod velle concessit; quia in hac re tanto commoda retributionis accrescunt, quanto & studium laboris augetur. Progeniem verò suam vnumquemque de his qui fideliter edocti sunt, & iam firma radice plãtati stant inconuulsi, vsque ad septimam obseruare decernimus generationem. Et quamdiu se affinitate agnoscunt propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem præsumant: nec eam quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli profectò licet Christianorum vel licebit: quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo, & cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos à sanctis patribus dudum statutum esse legimus. Ideo nolumus nos in hac re à vobis siue à cæteris fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed cõsideratione, ne Christianitatis bonum quod cœperant, imperfectum dimitterent, egimus. Paterna ergo vos dilectione salutantes hortamur, vt propositas opportunitate occasiones in vestra efficacia enixius elaborare debeatis, atque id modis quibus possibile fuerit, omni studio agere contendatis: quatenus prædicabile desiderium vestrum in auxilium omnium adiuuante Domino compleatis. Incestuosi à liminibus Ecclesiæ separẽtur. Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quòd omnes incestuosi à liminibus sanctæ Ecclesiæ sint separandi, quousque per satisfactionem precibus sacerdotum canonicè eidem sanctæ Ecclesiæ catholicæ reconcilientur. Sunt enim mali segregandi à bonis, & iniqui à iustis, vt saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, & conuertantur à prauitatibus suis. At si incorrigibiles apparuerint, segregẽtur à fidelibus vsque ad satisfactionem, iuxta saluatoris Domini sententiam, qua inter cætera de peccante in se fratre præcipiendo, ait: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem non audierit te, adhibe tecũ vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si eos non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. His ergo & alijs multis sanctorum patrum authoritatibus segregandi sunt mali à bonis, ne pereant iusti pro iniustis, sicut scriptum est: Perit iustus pro impio. Debet enim discretio semper fieri inter bonos & malos, sicut est inter hœdos & oues. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palam sunt arguendi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, ij qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est vt pro multorum salute vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum & inter iumenta hoc fieri persæpe cognouimus, vt ea quæ scabiem aut impetiginem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cætera damnentur & pereant. Satius est ergo vt mali apertè corrigantur, quàm pro illis boni pereant. Vnde volumus omnes in vnum conuenire episcopos, vt de incidentibus causis fiat disceptatio, & salubris de Ecclesiastica obseruatione collatio; quatenus dum per hoc & præterea corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotẽs vbique Dominus fratrum concordia collaudetur. Cuius vobis adesse præsentiam si hæc obseruaueritis, scitote; quia scriptum est: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Si ergo dignatur adesse duobus vel tribus congregatis; quanto magis nõ deerit vbi plures conueniunt sacerdotes? Et quidem quia adhibendum bis in anno concilium, patrum sit regulis institutum, non latet. Concilij episcoporum semel in anno habeatur. Sed ne fortè aliqua excusatio sit, semel decreuimus congregari, vt expectatione concilij nihil prauum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerique & sine amore iustitiæ, metu examinationis abstinent ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio. Hanc frater chariſſime obseruantiam nostris relinquendam posteris teneamus, & omnia quæ ad eruditionem nostram sacris apicibus scripta sunt custodiamus, atque ad ea quoscunque possumus excitemus. Certum quippe est, quia si toto corde præceptis salutaribus nos occupamus, omnem vitiorum labem effugimus: quia dum his quibus ædificamur innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus. Quapropter oportet vt enixius in cunctis studiosum vos circa fratres atque subiectos ostendatis, vt omnes cum quibus aliti estis, atque didicistis sanctæ Romanæ Ecclesiæ præceptionibus parere, Apostolicæ sedis præcepta multiplicare, apertissimeque nota facere cognoscant: quia quod specialiter tibi tuisque & fratrum tuorum charitati, vt tuæ litteræ innotuerunt, consultis scribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Circa subiectorum autem actus fraternitas tua sit vigilans, vt vestrum illis exemplum instructio & vita magistra sit, linguæ vestræ exhortatione discant quod metuant, & doceantur quod diligant: vt dum talenta credita cum lucro multiplicantur in diem retributionis annuente diuina gratia audire mereamini: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Matt. 25. Curam præterea de omnibus quæ vobis alijsque fratribus nostris, & generaliter cunctis pro illicitarum rerum prohibitione scripsimus, habere vos per omnia cognoscamus: quia omni studio omnique adnisu necesse est vt fraternitatis vestræ vigilantia compleantur, atque illic omnia quę pro animarum scripsimus salute, fideliter recenseantur; quatenus & vos per hoc vestrum zelum qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, & nos vtiliter prouidisse, qui vos ac vestram ad hoc præ cæteris personam elegimus, videamur. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vobis moribus seruare concedat. Amen.

B. Gregorij Epistolarum libri duodecimi & vltimi Finis.

APPENDIX EPISTOLARVM S. GREGORII PAPÆ I.

EPISTOLA GREGOR. PAP. I. ad Augustini socios.

GREGORIVS *seruus seruorum Dei.* Quia melius fuerat bona non incipere, quàm ab his quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire: summo studio, dilectissimi filij, oportet vt opus bonum, quod auxiliante Deo incepistis, impleatis. Nec ergo labor vos itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: sed omni instantia, omnique feruore, quæ inchoastis, auctore Deo peragite, scientes quòd laborem magnum æternæ retributionis gloria sequitur. Remeante autem Augustino Præposito vestro, quem & Abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius ordinatione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, & vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat: quatenus etsi vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare scilicet volo. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi filij. Data die decima Kalendarum Augustarum, imperãte domino nostro Mauritio Tiberio pijssimo Augusto anno decimoquarto, post Consulatum eiusdem anno XIV. Indictione decimaquarta.

(:)

Extat apud Bedã lib. 1. cap. in supputatione annorum mendosa.

EPISTOLA SVB GREGORII PAP. I. nomine ficta potius, quam scripta ad Marinianum Episcopum Rauennatem, de priuilegijs eiusdem Ecclesiæ Rauennatis.

GREGORIVS *Episcopus seruus seruorum Dei, dilectissimo Mariniano, Rauennati Archiepiscopo, confratri, filioq; charissimo, & per eum in sanctam Rauennatem Ecclesiam, suisq; successoribus in perpetuum.* Cum omnis Ecclesia sanctorum ab ipso Domino, & beato Petro, & à sancta Romana Ecclesia, quâ Deo auctore, regendam suscepimus, duxerit principium, dignum est, vt à successoribus Petri, cui à Domino dictum est, Confirma fratres tuos, interius conformationis, & exterius meliorationis, inde recipiat semper augmentum religionis, vnde sumpsit exordium. Quapropter cognoscat deuota fidelitas omnium populorum, tam præsentium, quàm futurorum, quòd dilectissimi filij nostri sanctæ Rauennatis Ecclesiæ, Mariniani, Venerabilis Archiepiscopi petitionibus, necnon, & pijssimorum dominorum nostrorum, Mauritij, & filiorum eius iussionibus annuentes, confirmamus omnia præcepta, quæ à pijssimis Imperatoribus, Valentiniano, Theodosio, Arcadio, & Honorio, necnon Iustiniano, Tiberio, & domino nostro Mauritio, pijssimo Cæsare semper Augusto, eidem sanctæ Rauennati Ecclesiæ sunt facta, & omnia, quæ per eadem præcepta eidem Ecclesiæ sunt attributa, & omnia priuilegia, quæ à sanctiss. prædecessoribus nostris, innocente Innocentio, & sanctissimo Leone, & glorioſissimo Gelasio, Feliciſſimo, & Agapito, & spiritus sancti feruore repleto beatissimo Pelagio, ob amorem summi omnipotentis Dei, sanctiq́ue Apollinaris Pontificis, & martyris reuerentiam, eidem Ecclesiæ, tibi, tuisq; successoribus in perpetuum sunt data; & honores, & possessiones omnes, quæ per eadem præcepta, & priuilegia vidimus collocata, & confirmata: idq́ue maximè tuæ dilectionis causa confirmantes, & corroborantes, quod in priuilegio sanctissimi Leonis primi, huius Apostolicæ sedis Pontificis, te aperiente, & monstrante. reperimus. Confirmationem constitutionis pijssimorum Imperatorum, sub sacrosanctæ Rauennatis Ecclesiæ ditione, continentẽ ita, cõfirmamus Episcopatum totius Æmiliæ Prouinciæ ciuitatum omnium Deo amabilium Episcoporum creationes, & consecrationes, id est, Sassinatis, Cæsenatis, Foripopuli, Foriliuij, Fauentiæ, Fori Cornelij, Bononiæ, Mutinę, Regij, Parmæ, Placentiæ, Brixilli, Vicohabentiæ, Hadrienſis, Comaclenſis, Ficoclenſis, necnon & omnia monasteria, tam monachorum, quamq́ue monachorũ sub eius ditione degentium, atque sub monastica Domino militantium norma. Conferentes tibi, tuisq́ue successoribus, honorem pallij in perpetuum, seu omnem Põtificalem decoris vsum, sicut in Epistola tibi transmissa cõcedendo confirmauimus: muniendo etiam sanctam Rauennatem Ecclesiam, te, tuosq́ue successores in perpetuum roboramus permanſuras omnes collationes, atque conscriptiones quorumlibet hominum in eadẽ Ecclesia factas, vel faciẽdas, siue donationes Christianorum fidelium, vel quæ pij, ac religiosi homines, hactenus per eulogia suorum testamentorum, vel per quemlibet modum, vel titulum in eadem sancta Rauẽnate antiquitus dimiserunt Ecclesia, vel in futurũ sunt, pro redemptione animarum suarum, tempore, collaturi. Sanciendo etiã confirmamus sanctæ Rauennati Ecclesiæ, sicut primæ, inter cęteras sanctæ huius Romanæ Ecclesiæ, filiæ, secundum cõstitutiones Longobardorum Regum, & aliorum pijssimorũ Romanorum Imperatorũ, vt si quisquam Episcoporũ, ex consecratione Rauennatũ Pontificum, totius Æmiliæ, decesserit, nullus Dux Marchio, Comes, aut aliquis minister publicus, aliquam ibi prædationem, aut contrarietatem faciat, sed liceat Archiepiscopis sanctæ Rauennatis Ecclesiæ, ad ipsum Episcopatum, & ad ipsam Ecclesiã, secundũ antiquam consuetudinem, pro descriptione facienda, atq; electione, missum transmittere, & ipsum electũ ex more inuestire, & libere, atq; solenniter consecrare. Sed, & istud cẽsendo tuæ dilectioni, chariſſime frater, & fili, ob peruersitatem futuræ gentis, & Ecclesiarũ Dei desolationem, quã appropiare, & ferè in liminibus esse videmus, confirmamus, & sub Diuini iudicij obtestatione præcipimus, vt nulli vnquã successorum meorũ liceat, ad ipsum Episcopatum, pro descriptione facienda, siue electione, aut aliquid contra consuetudinem exigendo, suum Legatũ transmittere, aut per ministrum publicũ, vel per quamlibet personam, ipsam Ecclesiam occupare, aut ibi Episcopum indebitè consecrare, aut ibi aliquid, absque Rauennatis Ecclesiæ Pontificis consensu, ordinare: Quia abominabile, & nefandiſſimum, & omni fraude digniſſimũ, atque pleniſſimum, semel cõcessum, reuocari denuo. Confirmamus interea, & corroboramus oẽs constitutiones in eadem Ecclesia à pijssimis Imperatoribus factas, & ita decernimus ab omnibus obseruãdas, sicut præcepta huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ tradita, scilicet de Ciuitatibus, Castellis, Villis, Vicis, Vicolis, pratis, pascuis, Cãpis, Syluis, salictis, fundis, casalibus, & de omnibus publicis, ac priuatis sibi concessis. De colonis verò super terram eiusdem Ecclesiæ habitantibus, & de eorũ angarijs, redditibus, placitis, siue districtionibus, sicut in præceptis, & priuilegijs vidimus, & legimus. De familiaribus verò, ac famulis, & de centum annorum præscriptionibus rerum habeat ipsa Ecclesia sancta Rauennas, & omnia monasteria eius, sicut hæc antiqua Roma: Hæc omnia, & alia multa, quæ sancta Rauẽnas Ecclesia continet, præcepta, & priuilegia confirmamus, & confirmata corroboramus. Si quis verò, quod nõ credimus, aliquid de Rauennatis Ecclesiæ ditione, ex his suprascriptis subtrahere tentauerit, vel in aliquo, contra hoc nostrum priuilegium, molestare, diminuere, temerario ausu præsumpserit, sciat se, ex parte Dei omnipotentis, & sanctorum tercentum decẽ, & octo patrũ, necnon, & nostræ mediocritatis auctoritate, & sanctæ Synodi Romæ, præsenti Indictione congregatæ, anathematis vinculis innodatũ, & cum Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi, æternis supplicijs deputatum. Qui verò obseruator extiterit, benedictionẽ à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto paraclito, in perpetuum consequatur. Benè Valete. Dat. nono Kal. Aprilis, Romæ per manus Ioannis Leuitæ, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarij.

PROFESSIO FIDEI ORTHODOXÆ per S. Gregor. Pap. I.

FAteor me, sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia recipere & venerari, Nicęnum, scilicet, in quo peruersum Arij dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur, Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur, Chalcedonense, in quo Eutychis Dioscoriq́ue prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio; quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ Fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ atque actionis existit. Quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibæ dicitur erroris plena reprobatur, Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentijs separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur ausu dementiæ reprobata refutantur. Cuncta verò quæ præfata Concilia respuunt, respuo, quæ venerantur amplector, quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere quos religarint, aut ligare quos soluerint. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit: Quisquis ergo prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo Patre per Iesum Christum Filium eius, qui cum eo viuit & regnat consubstantialiter Deus, in vnitate Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum, Amen.

SEQVVNTVR CONCILIA CELEBRATA
sub Gregor. Pap. I.

CONCILIVM HISPALENSE PRIMVM, CIRCA TEMPORA GREGORII PAPÆ PRIMI. EST PROVINCIALE.

Editio I. Vvlgata.

HISPALENSIS CONCILII PRIMI Capitulorum Tituli.

De disponendis Ecclesiæ rebus post episcopi excessum. 1
De mancipijs Ecclesiæ, ab episcopo proximis suis collatis. 2
De clericis, cum quibus mulieres cohabitant. 3

A.D.590.

DOMINO sancto & reuerenter à nobis honorando, charissimo fratri Pegasio episcopo, Leander, Ioannes Agapius, Stephanus, Basilius, Velatus, * Fintitio & Petrus episcopi, qui vna in vrbe Spalensi adfuimus, sanctitatem tuam charitatis studio salutãtes, precamur Dominum, qui nos de salute mutua vel visione lætificare dignetur, te lętum multo conseruet in tempore.

* Sintitio

Capitulum primum.

Interea considentibus nobis in Ecclesia Spalensi sancta Hierusalem, Breuem mancipiorum Ecclesiæ, quæ liberasse visus fuerat decessor tuus sanctæ recordationis Gaudentius episcopus, vestri nobis diaconi obtulerunt : & non solum, quæ liberauerat ibidem relegimus, sed etiam, quæ proximis suis de familijs Ecclesiæ donauerat, in eadem Breui inuenimus annotata. Qua de re canonum instituta consuluimus, si talis libertas aut transactio potuisset esse stabilis. Comperimus autem in canone, vt episcopus qui res proprias, * excepto filijs & nepotibus, alteri, & non ecclesiæ suæ, dimiserit, quicquid de ecclesiæ rebus aut donauit, aut vendidit, aut quoquo modo ab ecclesia transtulit, irritum haberetur. Et ideo si res præcessoris tui Gaudentij episcopi ecclesia vestra non possidet, liberi, qui ab eo facti sunt, non sunt legitimè absoluti. Cæterum, si res illius in compensationem ecclesiæ vestræ deseruiunt, illi prorsus maneant liberi. Nam (vt dictum est) si præstitum de rebus suis non fecit, * tale damnum vtique * ferre non debuit. Propterea ergo de vno consensu omnes significamus, magis humanius, quàm seuerius cogitantes, vt hi, quos constat tali conditione fuisse liberatos, in iure ecclesiæ maneant, vt idonei : & peculium suum non alijs personis, sed tantum filijs suis derelinquant. Ipsis quoque filijs & nepotibus, cum peculijs ipsorum quasi idoneis, in iure Ecclesiæ permanentibus, in extraneam eis non liceat personam quippiam transmittere. Si qui eorum sine hærede decesserint, peculium eorum sanctæ proficiat Ecclesiæ.

Agathen. Cõc. c. 33.

Episcopus nõ potest alienare quomodocunque bona Ecclesiæ.

* ecclesiæ * inferre

2 Ea verò mancipia, quæ memoratus de iure Ecclesiæ sublata, suis proximis contulit, si similia de proprio suo Ecclesiæ ipsi non compensauit, Ecclesia vestra absque aliqua oppositione recipiat. Hanc formam non solum vestra, hoc est, Astigitana seruabit Ecclesia, sed & omnes, qui per omnem Bæticam prouinciam tali conditione vel sorte de iure Ecclesiæ commearunt, pari sententiæ subiacebunt. Durum est enim atque irreligiosum, vt episcopus, qui Ecclesiasticis stipendijs viuit, & proprietatem suam lucris ecclesiæ minimè confert, aliorum oblationes à iure Ecclesiastico priuet.

3 Inter cætera verò cognoscite, à nobis hoc definitum, pro abolendis maculis clericorum, quia quidam episcoporum, non obseruantes nuper editum concilij Toletani decretum, minus solliciti in subiectis existunt, placuit proinde, vt si presbyter, diaconi, vel clerici consortia extra-

Ca. 3. cõc. 2. Toletani.

nearum

Editio II. Ioan. Garsiæ Loaisæ.

INCIPIT EPISTOLA EPISCOPORVM de Concilio Spalensi, ad Pegasium Episcopum missa.

De mancipijs Ecclesiæ, ab Episcopo manumissis. 1
De mancipijs Ecclesiæ, ab Episcopo proximis suis collatis. 2
De Clericis, cum quibus mulieres cohabitent. 3

DOMINO sancto, & reuerenter à nobis honorando, charissimo fratri Pegasio Episcopo, Leander, Ioannes, Agapius, Stephanus, Basilius, Velatus, Sintitius, & Petrus Episcopi, qui in vnum, in vrbe Spalensi adfuimus, sanctitatem tuam charitatis studio salutantes, precamur Dominum, qui nos de salute tua, vel visione lætificare dignetur.

Interea considentibus nobis in Ecclesia Spalensi sancta Hierusalem, breuem mancipiorum Ecclesiæ, quos liberasse visus fuerat decessor tuus, sanctæ recordationis Gaudentius episcopus, vestri nobis Diacones obtulerunt : & non solum quos liberauerat ibidem relegimus, sed etiam quos proximis suis, de familijs Ecclesiæ donauerat, in eodem breue recensuimus adnotatos. Qua de re Canonum instituta consuluimus, si talis libertas aut transactio potuisset esse stabilis : comperimus autem in Canone, vt Episcopus, qui res proprias, excepto filijs & nepotibus, alteris, & non ecclesiæ suæ dimiserit, quidquid de ecclesiæ rebus, aut donauit, aut vendidit, aut quoquomodo ab ecclesia transtulit, irritum haberetur. Et ideo, si res præcessoris tui Gaudentij Episcopi ecclesia vestra non possidet, liberi qui ab eo facti sunt, non sunt absoluti. Cæterum si res illius in compensationem ecclesiæ vestræ deseruiunt, illi prorsus maneant liberi : nam si (vt dictum est) præstitum de suis rebus non fecit ecclesiæ, damnum vtique inferre non debuit. Propterea ergo de vno consensu omnes significamus, magis humanius, quàm seuerius cogitantes, vt hi, quos cõstat tali conditione fuisse libertos, in iure Ecclesiæ maneant, vt idonei; & peculium suum non alijs personis, sed tantum suis filijs derelinquant: ipsis quoque filijs, & nepotibus cum peculio ipsorum, quasi idoneis, in iure Ecclesiæ permanentibus, in extraneam eis personam non liceat quippiã transmutare: sed si qui eorum sine hęrede discesserunt, peculium eorum vestræ proficiat Ecclesiæ.

Conc. Agathensi. Can. 33. Sic supra Concilio Bracarens. 3. can. 7. pro exceptis, & alibi.

2 Ea verò mancipia, quæ memoratus Episcopus de iure ecclesiæ sublata, suis proximis contulit, si similia de proprio suo ecclesiæ ipsius non compensauit, ecclesia vestra, absque alia oppositione recipiat. Hanc formam non solum vestra, hoc est, Astigitana seruabit ecclesia; sed & si qui per omnem Bæticam prouinciam tali conditione, vel sorte de iure ecclesiæ commearunt, pari sententię subiacebũt: durum est enim, atque irreligiosum, vt Episcopus, qui ecclesiasticis stipendijs viuit, & proprietatem suam lucris ecclesiæ minimè confert, aliorum oblationes à iure ecclesiastico priuet.

Alias Accitanæ sed Astigitanæ legendum docui Pegasius Astigitanus subscribit in 3. Toletano, an. 61. Cõc. Tol. 2. ca. 3. & Tol. 4. ca. 42. de hac re scripsimus.

3 Inter cætera verò cognoscite à nobis hoc definitum, pro abolendis maculis Clericorum; quia quidam Episcoporum non obseruantes nuper editum Concilij Toletani decretum, minus solliciti in subiectis existunt, proinde placuit, vt si Presbyteri, Diacones, vel Clerici consortia extra-

nearu m

nearum fœminarum, vel ancillarum familiaritatem per sacerdotis sui admonitionem à se minus remouerint, sæculi iudices easdem mulieres cum voluntate & permissu episcopi comprehensas, in suis lucris vsurpent, vt vitium hoc, dũ sacerdos inhibere non prævalet, potestas iudicialis coerceat, dato tamen ab eisdem iudicibus sacramento episcopo, vt eas clericis nulla arte restituant. Quòd si restituerint, ipsi iudices sententia excommunicationis feriãtur. Mulieribus verò illis, iuxta priores canones à sacerdote distractis, pretium earum indigentibus dispensetur.

Quæ statuta manu nostra subscripsimus. Data ad sanctitatem vestram die secundo Nonas Nouembris, anno quinto glorioſi domini nostri Reccaredi regis æra 628.

Leander ecclesiæ sanctæ Spaleñ. episcopus hanc constitutionem firmaui & subscripsi.

Ioannes episcopus * Agrabensis, hanc constitutem firmaui & subscripsi.

Agapius ecclesiæ sanctæ Cordubensis episcopus, hanc constitutionem firmaui & subscripsi.

Stephanus episcopus Eliberitanus, hanc constitutionẽ firmaui & subscripsi.

Basilius episcopus Ilipensis, hanc constitutionem firmaui & subscripsi.

Velatus episcopus Tuccitanus, hanc cõstitutionem firmaui & subscripsi.

Petrus episcopus * Illiberitanus, hanc constitutionem firmaui & subscripsi.

* Sintitio episcopus Italicenũ. hanc constitutionem firmaui & subscripsi.

nearum fœminarum, vel ancillarum familiaritatem, per sacerdotis sui admonitionem à se minus remouerint, in secũdis iudices easdem mulieres, cum volũtate & permissu episcopi comprehensas, in suis lucris vsurpent: vt vitium hoc dum sacerdos inhibere non prævalet, potestas iudicialis coerceat: dato tamen ab ijsdem iudicibus sacramento Episcopis, vt eas Clericis nulla arte restituãt. Quod si restituerint, ipsi iudices sententia excõmunicationis feriantur: mulieres verò illæ iuxta priores Canones, à sacerdotibus distractæ, in monasterio Deo votarum tradantur seruituræ. Tol. 3. c. 5 Tol. 4. c. 42. Tol. 8. c. 5. Carthagin. 3. c. 17.

Quæ statuta manu nostra subscripsimus, data ad sanctitatẽ vestrã die primo Nonarũ Nouembrium, anno quinto regni glorioſissim. domini nostri Reccaredi regis, æra 628.

Leander Ecclesiæ sanctæ Spalensis Episcopus, hanc constitutionem firmaui, & subscripsi.

Ioannes Episcopus Egabrẽsis, hanc constitutionem firmaui, & subscripsi. Benenat. in 3. Tolet. num. 21.

Agapius ecclesiæ sanctæ Cordubensis Episcopus, hanc constitutionem firmaui, & subscripsi.

Stephanus episcopus Eliberitanus, hanc cõstitutionem firmaui, & subscripsi..

Basilius episcopus Eliplensis, hanc constitutionem signaui, & subscripsi.

Velatus episcopus Tuccitanus, hanc cõstitutionem firmaui, & subscripsi.

Sintitius episcopus Italicensis, hanc constitutionem firmaui, & subscripsi.

Petrus episcopus Abderitanus, hanc cõstitutionem firmaui, & subscripsi.

De subscriptionibus Notæ Ioan. Garsiæ.

Leander, Agapius, Stephanus, Basilius, Velatus, subscribunt in tertio Concilio Toletano. Ioannes, & Sintitius, & Petrus, post tertium Toletanum sedibus præfecti sunt.

Ad Hispalen. Metropolim pertinent ex his

Hispalis.	Elipla.
Egabro.	Tucci.
Corduba.	Italica.
Eliberis.	Abdera.

Additur antiquæ partitioni Tucci, & Abdera, & deficiunt Asidona, Malaca, Astigis.

Notæ in Concilium Spalense I. Ioan. Garsiæ.

Concilium Spalense.] *De Hispali, seu Spali, vt Gothi efferũt, Baticæ prouinciæ vrbe clarissima, habes apud Plinium lib. 3. cap. 1. & Strabonem lib. 3. Ptolemæum lib. 2. cap. 4. Fuit hoc Concilium congregatum anno Domini 590. Era 628. anno quinto Reccaredi regis. Existimo hoc Concilium non extare integrum, sed esse tantum epistolam ex Concilio missam Pegasio Astigitano Episcopo: alia verò plura in Concilio fuisse decreta, quæ non extant.*

FRAGMENTA, QVÆ EX CONCILIO HISPALENSI citantur, per eundem Garsiam.

EX CONCILIO SPALENS. Cap. 1.

NE passim Episcopus multitudinem Clericorum faciat: sed secundum meritum, vel reditum ecclesiarum numerus moderetur.

EX CONCILIO SPAL. Cap. 2.

Vt nullus Episcopus, vel infra positus, die Dominico causas iudicare præsumat.

EX CONCILIO SPAL. Cap. 3.

Accusationes aduersus doctorem nemo suscipiat: quia non potest humano condemnari examine, quem Deus suo iudicio reseruauit. Burch. li. 1. ca. 166. Iuo. p. 5. c. 176.

EX CONCILIO SPAL. Cap. 4.

Vt singulis annis quisque Episcopus parœciam suam circumeat, populumque confirmet, ac doceat; & ea, quæ vitanda sunt, prohibeat, & ea, quæ agenda sunt, viriliter agere studeat. Iuo. p. 5. c. 189. Simile quid est in Conc. Bracarẽs. 2. c. 1.

EX EODEM. Cap. 5.

Quoniam multi Episcoporum, amore propinquorum suorum, de rebus sibi commendatis, suo aut quolibet amicorum nomine prædia & mancipia emunt, &, vt in propinquorum suorum ius cedant, statuunt; & ob hoc iura ecclesiastica conuelluntur, & ministerium Sacerdotale fuscatur, imò à subditis detrahitur, & contẽnitur, placuit omnibus, vt deinceps auaritię hoc genus caueatur: fixumque abhinc, & perpetuo mansurum esse decreuimus, vt Episcopus res sui iuris, quas aut ante Episcopatum, aut certè in Episcopatu hæreditaria successione acquisiuit, secundum auctoritatem Canonicam, quidquid vult faciat, & cui vult conferat. Postquam aũt Episcopus factus est, quascunq; res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparauerit, decreuimus, vt non propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, iura deueniant. Burch. li. 1. ca. 214. Iuo. p. 5. c. 328. Gratia. 12. q. 5. Fixũ. Habes integrũ hoc caput in Concil. Paris. li. 1. c. 14. vnde potius esse iudicãdum est.

EX CONCILIO SPAL. Cap. 8.

Si quis Episcopus à quoquam impetitur, vel ille aliquã quæstionem retulerit, per Episcopos iudices causa finiatur, siue quos eis primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex cõsensu elegerint. Burch. li. 1. c. 145. Iuo. p. 5. c. 258.

EX CONCILIO SPAL. Cap. 8.

Episcopum non liceat ante finem vitæ, alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem hoc vsurpare tentauerit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri Burch. li. 1. c. 187.

oportet, nisi cum consilio & iudicio Episcoporum; qui post exitum prædecessoris, potestatem habent dignum eligere.

EX EODEM CONCILIO SPAL. Cap. 9.

Burch. li. 1. ca. 146. Iuo. p. 5. c. 159.

Iudices autem Episcopos, quos communis consensus elegerit, non liceat quenquam, prouocare: & quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare iudicibus, cum hoc primæ sedis Episcopo fuerit probatū, det litteras, vt nullus ei communicet Episcoporum, donec obtemperet.

EX CONCILIO SPAL. Cap. 10.

Burch. li. 1. c. 50.

Si quis autem Episcoporum Synodo adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Cōcilium dissoluatur, crediderit deserendum, alienum se à fratrum communione cognoscat; nec eum recipi liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus.

EX CONCILIO SPAL. Cap. 10.

Burch. li. 1. c. 213. Iuo. p. 5. c. 327.

Vt Episcopi in rebus Ecclesiæ circa propinquos suos exponendis reprehensionem caueāt, & vt discretionis modum teneant.

EX CONCILIO SPALENSI.

Iuo. p. 2. c. 174.

Vt vnicuique Ecclesiæ mansus integer, absque vllo seruitio attribuatur. Omnes primitias, & decimas, tam de pecoribus, quàm de frugibus diues simul & pauper ecclesijs suis rectè offerant. Dicit enim Dominus per Prophetam: Apportate omnem decimam in horreo meo; vt cibus sit seruientibus in domo mea. Omnis rusticus, & artifex quisque de negotio iustam decimationem faciat. Sicut enim Dominus omnia dedit, ita de omnibus decimam exigit; vt de fructibus agri, ita de nutrimento omni; vt de apibus, ita de melle; vt de agnis, ita de velleribus & caseis; vt de porcellis, ita de capris, de bubus & equis; vt de minoribus, ita de maioribus exigimus, & cæteris. Si quis autem hæc omnia non decimauerit, prædo Dei est, & fur, & latro: & maledicta, quæ intulit Dominus Cain, non rectè diuidēti congeruntur. De his verò omnibus, nullus sit, qui de Sacerdotibus requirat censum, vel aliquod seruitium, præter Ecclesiasticum.

CONCILIVM ROMANVM I. PRO VNIONE SCHISMATICORVM ANNO DOMINI 590. sub Gregorio celebratum.

NOTÆ.

Causa Synodi.

Concilium.] *Hac Synodus congregata est Romæ ad petitionē Mauritij Augusti. Scripserat enim ad Gregorium Romanum Pontificem, vt auctoritate sua omnes schismaticos Romam ad synodum cōuocaret, vt synodali decreto ijs quæ ab ipsis reuocata sunt in dubium amotis, perfecta Ecclesiæ vnitas sanciretur. Addidit, vt nolentes venire, sedibus suis eijcerentur. Acquieuit petitioni Imperatoris Pontifex, citatus est Seuerus Aquileiensis cum reliquis schismaticis Episcopis. Recusans accedere, iusto Dei iudicio ab hostibus Aquileia accensa, sede priuatus est, factusq; profugus, ad summā inopiam deductus fuit. Huius synodi meminit Greg. epist. 16. lib. 1. ad Seuerum Aquileiensem Episcopum scribens, his verbis.* Pro qua re imminente latore præsentiū, iuxta Christianissimi & sereniss imi Domini iussionem, ad B. Petri Apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, vt auctore Deo aggregata synodo, de ea quę inter nos vertitur, dubietate, quod iustum fuerit, iudicetur. &c. *Baron. an. 590. n. 28. Hoc fortasse Concilio accidit, quod de Stephani cuiusdam schismatici conuersione ad Ecclesiam refert Gregorius epist. 14. lib. 1.*

Acta Synodi.

CONCILIVM ANTISIODORENSE SVB GREGORIO I. ANNO DOMINI 590. celebratum.

Antisiodorensis Concilij Canones.

1 Non licet Kalend. Ianuarij * vecola aut * ceruolo facere, vel strenas diabolicas obseruare: sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicut & reliquis diebus.

2 Vt omnes presbyteri ante Epiphaniam missos suos dirigant, qui eis de principio quadragesimæ nuncient, & in ipsa Epiphania ad populum indicent.

3 Non licet * compensas in domibus proprijs, nec vigilias in festiuitatibus sanctorum facere, nec inter sentes aut arbores * sacriuos, vel ad fontes vota exoluere: sed quicunque votum habuerit, in ecclesia vigilet, & matricolę ipsum votum, aut pauperibus reddat, nec subtilia pede, aut hominem lineo fieri penitus præsumat.

* for. * conuenarius
* locus obscurus

4 Non licet ad sortilegos vel auguria respicere, nec ad characteres, nec ad sortes: quas sanctorum vocant, vel quas de ligno aut de pane faciunt, adspicere: sed quæcunq; homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.

5 Omnino & inter supradictas conditiones, vigilias, quas in honore domini Martini obseruant, omnimodis prohibete.

6 Vt à media quadragesima presbyteri chrisma petant, & si quis infirmitate detentus, venire non potuerit, ad archidiaconum suum, vel archisubdiaconum transmittat, sed cum chrismario & linteo, sicut reliquiæ sanctorum deportari solent.

7 Vt medio Maio omnes presbyteri ad synodum in ciuitatē veniant, & Kalend. Nouemb. omnes abbates ad Cōcilium conueniant.

8 Non licet in altario in sacrificio diuino mellitū, quod mulsum appellant, nec vllum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum offerre: quia ad grande * reatum & peccatum pertinet presbytero illi, quicunque aliud poculum, extra vinum, in consecrationem sanguinis Christi offerre præsumpserit.

9 Non licet in Ecclesia choros sæcularium vel puellarum cantica exercere, nec conuiuia in Ecclesia prępparare: quia scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur.

Matt. 21. Esa. 56.

10 Non licet, super vno altario in vna die duas Missas dicere: nec in altario vbi episcopus Missas dixerit, presbyter in illa die Missas dicat.

11 Non licet, in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis, vigilias expedīre: quia in illa nocte nō licet post mediam noctem bibere, nec in natali Domini, nec in reliquis solennitatibus.

12 Non licet, mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.

13 Non licet diacono, velo vel palla scapulas suas inuolui.

14 Non licet, in baptisterio corpora sepelire.

15 Non licet, mortuum super mortuum mitti.

16 Non licet, die Dominico boues iungere, vel alia opera exercere.

17 Quicunque se propria voluntate in aquam iactauerit, aut collo ligato se suspenderit, aut de arbore præcipitauerit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione voluntariæ se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur.

18 Non licet, absque Paschæ solennitate, vllo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos * grauatarios dicunt. Quòd si quis in alio pago, contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit in ecclesias nostras, non recipiantur. Et quicunque presbyter ipsos extra nostrum permissum recipere præsumpserit, tribus mensibus à communione Ecclesiæ sequestratus sit.

for. * Grabatarios.

19 Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono, post acceptum cibum vel poculum Missas tractare, aut in ecclesia dum Missæ dicuntur, stare.

20 Quòd

20 Quòd si presbyter (quod nefas est dicere) aut diaconus, aut subdiaconus, post acceptam benedictionem infantes procreauerit, aut adulterium commiserit, & archipresbyter hoc episcopo aut archidiacono non intimauerit, integro anno non communicet.

21 Non licet presbytero, in vno lecto post acceptam benedictionem cum presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec diacono, nec subdiacono.

22 Non licet relictæ presbyteri, nec relictæ diaconi, nec subdiaconi, post eius mortem maritum accipere.

23 Si monachus in monasterio adulterium commiserit, aut peculiare habere præsumpserit, aut furtum fecerit, & hoc abbas per se non emendauerit, aut episcopo, aut archidiacono non intimauerit, ad pœnitentiam agendam in alio monasterio retrudatur.

24 Non licet abbati, nec monacho, ad nuptias ambulare.

25 Non licet abbati, filios de baptismo habere, nec monachis commatres habere.

26 Quòd si quis abbas mulierem in monasterio suo ingredi permiserit, aut festiuitates aliquas ibi spectare præceperit, tribus mensibus in alio monasterio retrudatur, pane & aqua contentus.

27 Non licet, vt aliquis suam nouercam accipiat vxorem.

28 Non licet, vt filiam vxoris suæ quis accipiat.

29 Non licet, vt relictam fratris sui quis in matrimonio ducat.

30 Non licet, duas sorores, si vna mortua fuerit, alteram in coniugium accipere.

31 Non licet consobrinam, hoc est, quæ de duobus fratribus, aut de duabus sororibus procreantur, in coniugium accipere: nec qui de ipsis nati fuerint in coniugio socientur.

32 Non licet vt nepos auunculi vxorem accipiat.

33 Non licet presbytero, nec diacono, ad *trepalium, vbi rei torquentur, stare.

34 Non licet presbytero, in iudicio illo sedere, vnde homo ad mortem tradatur.

35 Non licet presbytero, aut diacono, vel cuiquam clericorum, de qualibet causa conclericum suum ad iudicem secularem trahere.

36 Non licet, mulieri nuda manu eucharistiam accipere.

37 Non licet mulieri manum suam ad pallas Dominicas mittere.

38 Non licet cum excommunicato communicare, nec cum eo cibum sumere.

39 Si quis presbyter, aut quilibet de clero, aut de populo excommunicatum absque voluntate ipsius, qui eum excommunicauit, sciens receperit, aut cum illo panem mãducauerit, vel colloquium habere decreuerit, simili sententiæ subiacebit.

40 Non licet presbytero, inter epulas cantare vel saltare.

41 Non licet presbytero, nec diacono, quenquam inscribere, sed in vice sua, causam habuerit: aut fratrem, aut quemcunque sæculam roget.

42 Vt vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat. Quòd si qua non habuerit, vsque in alium diem Dominicum non communicet.

43 Quicunque iudex, aut sæcularis presbytero aut diacono, aut cuilibet de clero, aut de iunioribus, absque audientia episcopi, aut archidiaconi, vel archipresbyteri, iniuriam inferre præsumpserit, anno ab omnium Christianorum consortio habeatur extraneus.

44 Si quis ex sæcularibus institutionem aut commonitionem archipresbyter sui, contumacia faciente, audire distulerit, tam diu à liminibus sanctæ ecclesiæ habeatur extraneus, quamdiu tam salubrem institutionem adimplere nõ studuerit: insuper & mulctam, quam gloriosissimus Dominus rex præcepto suo instituit, sustineat.

45 Si quis hanc diffinitionem, quam ex authoritate canonica communi consensu & conniuentia conscripsimus, ac instituimus tam ad clerum quàm ad populum commonendum, vel ad id, quod constitutum est conseruandum negligens inuentus fuerit, & hoc obseruare distulerit, aut eos, qui ipsum audire neglexerint, celauerit, aut suppresserit, & in notitiam episcopi non deposuerit, anno à consortio fratrum, vel ab omnium Christianorũ communione habeatur extraneus.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORUM, qui huic Concilio interfuerunt.

*Vnacharius in Dei nomine Episcopus, constitutionem hanc subscripsi. *Aunacharius.
Vinobandis abbas subscripsi.
Baudonius abbas subscripsi.
Francolus abbas subscripsi.
Cæsarius abbas subscripsi.
Desideratus abbas subscripsi.
Amandus abbas subscripsi.
Tegredus abbas subscripsi.
Vigilius presbyter subscripsi.
Gregorius presbyter subscripsi.
Claudius presbyter subscripsi.
Amamus presbyter subscripsi.
Saupandus presbyter subscripsi.
Theodulphus presbyter subscripsi.
*Roricius presbyter subscripsi.
Niobaudis presbyter subscripsi. *Rurici.
Antonius presbyter subscripsi.
Seuardus presbyter subscripsi.
Addo presbyter subscripsi.
Sindulphus presbyter subscripsi.
Audonius presbyter subscripsi.
Medardus presbyter subscripsi.
Badericus presbyter subscripsi.
Siagrius presbyter subscripsi.
Friobandis presbyter subscripsi.
Eominus presbyter subscripsi.
Elladius presbyter subscripsi.
Theodemodus presbyter subscripsi.
Launonius presbyter subscripsi.
Leonastis presbyter subscripsi.
Medardus presbyt. subscripsi, per diaconũ Leudigisylum.
Eunius presbyter subscripsi.
Filmatius presbyter subscripsi.
Nonnonius presbyter subscripsi.
Ballomeris presbyter subscripsi.
Romacharius presbyter subscripsi.
Medardus presbyter subscripsi.
Audila presbyter subscripsi.
Genulphus presbyter subscripsi.
Siagrius presbyter subscripsi.
Sindulphus presbyter subscripsi.
Vinobandis presbyter subscripsi.
Apronius diaconus subscripsi.
Barbario diaconus subscripsi.
Leudegisylus diaconus pro Medardo subscripsi.

In hac Synodo fuerunt congregati, Episcopus vnus, Abbates nouem, Presbyteri triginta & duo, Diaconi, qui in vice presbyterorum subscripserunt, tres tantum.

NOTÆ in Concilium Antisiodorense sub Greg. Pap. I.

Concilium.] *Ad Ecclesiasticam disciplinam & monasticã obseruantiam retinendam, in hoc Concilio sanciti reperiuntur quadraginta quinque canones; quorum nonnulli etsi in vsu esse desierint; antiquitatis tamen indices remanserunt. Concilium fuit nũ prouinciale; sed Diœcesanum duntaxat, cui solus Aunacharius eiusdem ciuitatis Episcopus, cum Abbatibus & presbyteris eiusdem diœcesis præfuit. Plura ex ijs, quæ in Matisconensi II. Concilio statuta fuerant, cuiq; ipse Aunacharius interfuit, & sexto loco subscripsit, pariter hic repetita esse reperiuntur.* Causa & Acta Cõcilij quæ? Concilij Diœcesanum.

Antisiodorense.] *Antisiodorum, inquit* Ortelius, vrbs est in Burgundionibus, vino quod inde nomen habet, plurimũ Locus Cõcilij.

nobili-

nobilitata. Hodie Auxerre dicitur ſecundum quoſdam. *Ita Ortelius: alijs eſt ciuitas Galliæ Lugdunenſis iuxta Sequanam ſita, quæ à Ptolomæo Antricum dicitur. memmit eius Antonius in Itinerario.*

Tempus. Anno Domini.] *Paulo poſt Concilium Matiſconenſe II. hanc ſynodum habitam fuiſſe, hoc indicio colligitur; quòd Aunacharius vtrique interfuerit, quæq; illo Matiſconenſi ſecundo communi Patrũ conſenſu ſancita fuerant, hac ſynodo diœceſana, ſuis ſubditis intimauerit.*

Cap. 3. Quæ vigiliæ prohibeãtur? Non licet &c. vigilias in feſtiuitatibus Sanctorum facere.] *Prohibentur vigiliæ, quæ cum quadam ſuperſtitione quam admixtam habebant, in priuatis domibus fieri conſueuerant. Cum enim immediatè ante dixiſſet,* Non licet cõuentus in domibus proprijs facere, *ſubiunxerũt,* nec vigilias in feſtiuitatibus ſanctorum. *Et paulò poſt:* ſed quicunque votum habuerit in Eccleſia vigilet. *Ita intelligenda ſunt, quæ de ſuperſtitioſa Vigiliarum obſeruatione canone quinto habentur. Hæc expoſitio confirmatur eo argumento, quod Patres Concilij Matiſconenſis ſecundi, quemlibet diem dominicum, præcedentibus nocturnis vigilijs à fidelibus celebrari conſtituerint. Quod decretum prouincialis Concilij, cum ipſe Aunacharius Antiſiodorenſis Epiſcopus ſua præſentia & ſubſcriptione confirmauerit, non eſt probabile, vt per hoc Diœceſanum Concilium illi conſtitutioni aliquid derogatum voluerit, cum præſertim canone vndecimo huius Concilij, de Vigilijs Paſchæ religioſè ſeruandis, ſanctiſſimam conſtitutionem ediderit. Quam frequens fuerit hoc tempore vſus Vigiliarũ in Gallia, ex præcedente canone primo Concilij Matiſconenſis II. ſatis liquido apparet. &c.*

Can. 42. Dominicale quid? Vt vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem ſuum habeat.] *Quid per* Dominicalem *intelligi debeat, accipe ex S. Auguſtino, qui de hoc agit ſermone centeſimo quinquageſimo ſecundo, de tempore, vbi ait:* Omnes viri, quando communicare deſiderant, lauent manus, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant, &c.

CONCILIVM CAESARAVGVSTANVM. II. ERA DC. XXX. ANNO VII. RECCAREDI regis ſub Gregor. Pap. I. celebratum, per Ioan. Garſiam.

I.

QVVM in Dei nomine vrbem Cæſarauguſtanam prouinciæ Tarraconẽſis, ex permiſſu glorioſi, atque ſanctiſſimi Principis, Reccaredi regis, in anno ſeptimo regni eius, congregati fuiſſemus, pro Dei amore tractantes, id placuit ſanctæ & venerabili Synodo, vt Preſbyteri, qui ex hæreſi Arriana ad ſanctam catholicam Eccleſiam conuerſi ſunt; qui ſanctam & puram fidẽ, atque caſtiſſimam tenuerint vitam, acceptam denuò benedictionem Presbyterij ſanctè & purè miniſtrare debeant: cæteri verò, qui hanc ſupraſcriptam vitam adimplere, vel tenere neglexerint, ab officio depoſiti ſint in Clero. Ita & de Diaconibus, ſicut & de Preſbyteris conſtitutum eſt.

2 Statuit ſancta Synodus; vt reliquiæ, in quibuſcunque locis de Arriana hæreſi inuentæ fuerint, prolatæ à ſacerdotibus, in quorum eccleſijs reperiuntur, Pontificibus preſentatæ, igne probentur. Quòd ſi à quibuſlibet occultatæ fuerint, & detegũtur, à ſacroſanctæ catholicæ Eccleſiæ cœtu ſegregentur.

3 Statuit ſancta Synodus, vt Epiſcopi de Arriana hæreſi venientes, ſi quas eccleſias ſub nomine catholicę fidei cõſecrauerint, necdum benedictione percepta, à catholico ſacerdote conſecrentur denuò.

1 Sub die Calendarum Nouembrium, Era DC. XXX. Anno quo ſupra, Artemius, in Chriſti nomine Epiſcopus, Tarraconenſis Prouinciæ Metropolitanus hanc conſtitutionem ſubſcripſi.

2 Sophronius, in Chriſti nomine Epiſcopus, hanc conſtitutionem ſubſcripſi.

3 Stephanus, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.

4 Iulianus, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſc.

5 Simplicius, in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſc.

6 Aſterius, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſc.

7 Mumius, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcr.

8 Liliolus, in Chriſti nomine Epiſcopus ſubſc.

9 Magnus, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcr.

10 Ioannes, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcr.

11 Galanus, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſc.

12 Iulianus, in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſc.

13 Antedius, in Chriſti nomine Diaconus, agens vicem domini Gauini Epiſcopi, ſubſc.

14 Stephanus, in Chriſti nomine Diaconus, agens vicem domini mei Aquilini Epiſcopi, ſubſc.

De ſubſcriptionibus Notæ Ioan. Garſiæ.

Hoc Concilium fuit actum anno ſeptimo Reccaredi Regis, Era 630. Toletanum vero tertium, Era 627. vnde ferè omnes Epiſcopi, qui in Toletano, in hoc etiam ſubſcribunt. Præfuit Artemius Tarraconenſis, qui ſucceſſit Stephano, deinde Sophronius Egarenſis, Stephanus Tyraſſonenſis, Iulianus Dertoſanus, Simplicius Cæſarauguſtanus, vel potius Vrgelitanus, Aſterius Aucenſis, Mumius Calagurritanus, Liliolus Pampilonenſis, Ioannes Menteſanus, Gauinus Oſcenſis, Aquilinus Anſonenſis, Galanus, in Barcinonenſi, Empuritanæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Magnus.] *Lego Maximus, qui fuit Cæſar auguſtanus, de quo infra in Concilio Barcinonenſi, & Simplicius eſt Vrgelitanus.*

DE FISCO BARCINONENSI, Era DC. XXX

DOminis ſublimibus, & magnificis filijs, aut fratribus Numerarijs, Artemius Epiſcopus Tarraconenſis, vel omnes Epiſcopi, ad ciuitatem Barcinonenſem fiſcum inferentes.

Quoniam ex electione domini, & filij, ac fratris noſtri, Scipionis, Comitis patrimonij, in anno feliciter ſeptimo glorioſi domini noſtri Reccaredi Regis, in officium Numerarij, in ciuitatem Barcinonenſem prouinciæ Tarraconenſis electi eſtis, & à nobis, ſicut conſuetudo eſt, conſenſum ex territorijs, quæ nobis adminiſtrare conſueuerunt, poſtulaſtis, idcirco per huius conſenſus noſtri ſeriem decreuimus, vt tam vos, quàm agentes, ſiue adiutores veſtri, pro vno modio Canonico ad populum exigere debeatis, hoc eſt ſiliquas VIII. & pro laboribus veſtris ſiliquam vnam; & pro ineuitabilibus damnis, vel interpretia ſpecierum, ſiliquas IV. quæ faciunt in vno ſiliquas. XIV. Inibi hordeo, quod pro noſtra definitione, ſicut diximus, tam vos, quàm adiutores, atque agentes exigere debeant, nil amplius præſumant vel exigere, vel auferre. Si quis ſanè ſecundũ conſenſum noſtrum acquieſcere noluerit, vel tibi inferre minimè procurauerit in ſpecie, quod tibi conuenerit, fiſcum ſuum inferre procuret. Quod ſi ab agentibus veſtris aliqua ſuperexacta fuerint, quam huius conſenſus noſtri tenor demonſtrat, vos emẽdare, & reſtituere, cui malè ablata ſunt, ordinetis.

IN quo conſenſu, ſubter, qui conſenſimus, manibus noſtris ſubſcripſimus factum conſenſum, ſub die pridie Nonas Nouembris, Era DC. XXX. anno ſeptimo regni domini noſtri.

Artemius, in Chriſti nomine Epiſcopus, conſenſum noſtrum ſubſcripſi.

Sophronius, in Chriſti nomine Epiſcopus, conſenſum noſtrum ſubſcripſi.

Galanus, in Chriſti nomine Epiſcopus, conſenſum noſtrũ ſubſcripſi.

Ioannes, in Chriſti nomine Epiſcopus, conſenſum noſtrũ ſubſcripſi.

De subscriptionibus.

Artemius erat Metropolitanus Tarraconensis Sophronius, Egarensis, Ioannes Gerundensis, in Barcin. Galanus, Empuritanæ Ecclesiæ Episcopus in Barcin.

Notæ eiusd. Ioan. Garsiæ.

Comitis patrimonij.] *Comes sacri patrimonij erat, qui regis patrimonium, possessiones, & mensam procurabat: vnde procurator à Lampridio in Commodo dictus: & meminit de hoc Cassiodor. ad Iulianum comitem patrimonij, scribente Theodorico lib. 1. variar. & 4. 6.*

Numerarij.] *Sub arte supputandi numerarij continentur, qui à Iustiniano Tabularij dicti sunt; eo quod in tabulis tota ratio ærarij amplectcretur, l. 2. de numerarijs, & auctuarijs, lib. 12. C. titul. 50. & calculatores; eo quod calculis supputatio fiat; olim & nunc lapillis, id est, calculis numeratum, nemo est qui ambigat: vnde titulus est de errore calculi. Persius.*

Diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

» Isidorus, lib. 8. etymol. cap. 4. Numerarij (inquit) vocati, qui publicum numum ærarijs inferunt.

Modio Canonico.] *De modio vide Isidorum, lib. 16. etymol. cap. 25. est mensura librarum. 44. Plinius, lib. 18. c. 7.*

Siliqua.] *Ex eodem cap. 24. vigesimaquarta pars solidi est, ab arboris nomine vocabulum tenens.*

CONCILIABVLVM NVMIDIAE A' S. GREGORIO REPROBATVM.

Notæ.

Concilium.] *De cogendo Numidiæ Concilio, Gregorius scripserat ad prouinciæ Numidiæ Episcopos, Adeodatum & Columbum illum, cui etiam pro benedictione, claues S. Petri cum ramentis de catena eiusdem S. Petri in eis inclusis transmiserat. Qui dum ad Cōcilium celebrandum cum reliquis Episcopis Numidiæ conuenissent, & præterius fasq; aliqua statuissent, S. Gregorius sacrorum canonum rigidus obseruator, illa nullius auctoritatis esse voluit. Legatur eiusdem Gregor. epistol. 7. lib. 3. Indict. 12. ad Gennadium Exarchum scripta.*

CONCILIVM PICTAVIENSE, IN CAVSA DVARVM REGIARVM MONIALIVM, VNIVERSAM FERE Galliam commouentium, anno Domini 593. celebratum, sub Gregorio Papa & Childeberto Rege Francorum.

Notæ.

Concilium.] *Duæ Francorum Regum filiæ, Chrodieldis filia Chariberti Regis, & Basina Chilperici filia, sub S. Radegunde virginitatem & monastica instituta, sub regula S. Cæsarij Arelatensis Episcopi professæ, post obitum prædictæ Radegundis, extra claustra eruperant; tractisq; secum quadraginta & amplius virginibus, Reges Francorum adierant, conquerentes, quòd ab Abbatissa malè tractarentur. Sed cum apud Reges nihil profecissent, Pictauos regressæ, cum armato satellitio nefariorum & perditorum hominum Basilicam S. Hilarij inuaserunt, indeq; sceleratissimos homines ad inuadendum monasterium, & alligandam vinculis abbatissam miserunt. Qua de causa cum duplici synodali sententia excommunicatæ fuissent, rursum per suos armatos Monasterium inuaserunt, cæsisq; & fugatis pluribus Episcopis, Monachos plures occiderunt, atque Abbatissam planè denudatam à monasterio suo abstraxerunt. Quæ cum Childebertus Rex audiuisset, legationem misit ad Regem Guntheramnum; vt scilicet Episcopi ex vtroque regno coniuncti, hæc quæ gerebantur, canonica sanctione emendarent. Maconi comiti datum est negotium, vt seditionem comprimeret: quod non nisi per multas factiosorum cædes fieri potuit. Constituto demum iudicio Abbatissa de leuibus rebus confessa, grauioribus non probatis absoluitur, & Monasterio restituitur. Chrodieldis eiusque consortium flagitijs & sceleribus comprobatis, omnes communione priuatæ fuerunt, vsquequo condignam pœnitentiam agerent. Hæc ex Gregorij Turonensis hist. Franc lib. 9. & 10. apud quem extat epistola synodalis ad glorioſissimos Reges Francorum de rebus in Concilio gestis trāsmissa: quam hoc loco subiungere placuit.* Acta Cōcilij.

Dominis gloriosissimis Regibus, Episcopi qui adfuerunt.

Propitia Diuinitate, pijs atque Catholicis populo datis Principibus, quibus concessa est regio, rectissimè suas causas patefacit religio, intelligens sacrosancto participante spiritu, eorum qui dominantur se sociari & constabiliri decreto. Et quia ex iussione potestatis vestræ cum ad Pictauā ciuitatem pro conditionibus monasterij sanctę recordationis Radegundis conuenimus, vt altercationes inter Abbatissam eiusdem monasterij & monachas quæ de ipso grege non salubri deliberatione progressæ sunt, ipsis disceptantibus, agnoscere deberemus: euocatis Patribus, interrogata Chrodieldis & Basina, quare tam audacter contra suam regulam foribus monasterij confractis discesserant, & hac occasione congregatio adunata discessit? Quæ respondentes, professæ sunt, famis, nuditatis, insuper & cædis se iam non ferre periculum. Adijcientes etiam, eo quod diuersi earum in balneo lauarentur incongruè: ad tabulam ipsa luserit, atque sæculares cum Abbatissa reficerent: etiam sponsalia in monasterio facta sint: de palla holoserica vestimenta neptis suæ temerariè fecerit: foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, inconsultè sustulerit, & ad collum neptis suæ facinorosè suspenderit: vittam de auro exornatam eidem nepti suæ superfluè fecerit: barbatorias intus eo quod celebrauerit.

Interrogantes Abbatissam, quid ad hæc responderet? dixit: De fame quod conqueruntur, secundum quod temporis penuria permitteret, nunquam ipsæ nimiam egestatem pertulerunt. De vestimento verò dixit: Si quis earum arcellulas scrutaretur, amplius eas habere, quàm necessitas indigeret. De balneo verò quod opponeretur, retulit, hoc factum diebus Quadragesimæ, & pro calcis amaritudine, ne lauantibus noceret nouitas ipsius fabricæ, iussisse domnam Radegundem vt seruientes monasterij publicè hoc visitarent, donec omnis odor nocendi discederet: quod per Quadragesimam vsque ad Pentecosten in vsu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis respondit: & postea similiter multi per tempora lauerunt. Retulit Abbatissa, se nec probare quod dicerent, & se nescire an factum sit. Sed adhuc inculpās eadem, quod si ipsæ vidissent, cur Abbatissæ non proderent? De tabula verò respondit: Et si lusisset viuente domna Radegunde, se minus culpa respiceret: tamē nec in regula per scripturā prohiberi, nec in canonibus retulit: sed ad iussionem Episcoporum repromisit, ceruice se inflexa, per pœnitentiam quicquid iuberetur, implere.

De conuiuijs etiam ait, se nullam nouam feciſſe consuetudinem, nisi si vt actum esset sub domna Radegunde, se Christianis fidelibus eulogias obtulisse, nec sibi comprobari cum illis vllatenus conuiuasse. De sponsalibus quoque ait: Coram Pontifice, clero vel senioribus pro nepte sua orphanula arrhas accepisse: & tamen si hæc culpa sit, veniam se coram cunctis petere professa est; tamen nec tunc conuiuium in monasterio fecerit. De palla quod reputarent, protulit monacham nobilem, quæ ei *mafortem holosericum quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit, & inde partem abscidisset, vnde quod vellet & faceret: de reliquo verò quantum opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam condignè condiderit: & de illa sciſſura, quæ pallæ superfuit, purpuram nepti suę in tunica posuerit, quam ibi dedisse dixit, quo monasterio profuit: quæ per omnia donatrix Didimia confirmauit.

* Quid sit mafortes, vide Baron. ann. 593. n. 80.

De foliolis aureis & vitta auro exornata Macconem famulum vestrum præsentem testem adhibuit, eo quod per manum eius à sponso puellæ prædictæ neptis suæ viginti solidos accepit, vnde hoc publicè fecerit, nec de re monasterij quicquam ibi permixtum sit. Interrogata Chrodieldis cum Basina, si forsitan aliquid Abbatissæ (quod absit) adulterij reputarent, siue quid homicidij vel maleficij fecerit, aut crimen capitale, quo percuteretur, edicerent: respondentes protulerunt, non habere se aliquid, nisi per hæc quæ dixerant, eam ista feciſſe contra regulam proclamarent.

Ad extremum pro peccatis, quia clausura disrupta sunt, & miseris licuit sine disciplina Abbatissæ suæ, quod vellent committere per tot mensium spatia, quas credebamus innocentes monachas, nobis protulerunt prægnantes: quibus per ordinem discussis, nec inuento crimine quod Abbatissam deijceret, de leuioribus causis paterna commonitione contestati sumus, vt hæc nullatenus deinceps pro reprehensione repeterent. Tunc nobis percunctantibus causam aduersæ partis, quæ maiora crimina commiserunt, id est, quæ prædicationem sui sacerdotis, intra monasterium, ne foras procederent, despexerunt, Pontifice conculcato, & in summo contemptu monasterio relicto, confractis seris & ianuis, irrito facto discesserunt, & ad suum peccatum aliæ tractæ trãsgressæ sunt: Insuper & Gundegisilus Pontifex cum suis prouincialibus pro ipsa causa commonitus per præceptionem Regum Pictauos accessisset, & ad audientiam eas ad monasterium conuocarent, despecta commonitione, ipsis occurrentibus ad beati Hilarij confessoris basilicam, vbi ipse commorabatur, accedentes, vt condecet pastorum sollicitudinem, dum commonerentur, facta seditione, fustibus tam Pontifices quàm ministros affecerunt, & intra basilicam fuderunt sanguinem Leuitarum.

Dehinc ex iussione dominorum Principum cum vir venerabilis Theutarius presbyter in causa directus fuerit, & statutum fuisset quando iudicium fieret: non expectato tempore, monasterium seditiosissimè accensis in corte cuppis, vectibus ac securibus confractis posticis, igne accenso, intra sepia cæsis & vulneratis monachabus, in ipsis oratoriis spoliato monasterio, denudata & discissa capillis Abbatissa, grauiter ad ridiculum ducta & tracta per compita, & in locum retrusa, & si non ligata, nec libera, superueniente diei Paschæ festo per sæculum, offerente Pontifice pro condemnata pretium, vt spectaret vel baptismum, nec vlla suasione hoc impetrasset vox supplicum: atque respondente Chrodielde, eo quod tale facinus nec sciissent nec iusserint, adhuc Chrodielde asserente ad interfignium suum, ne à suis interficeretur, obtentum sit: vnde certum est tractari quid ex hoc datur intelligi, quod additur crudelitati, ad sepulchrum beatæ Radegundis fugientem seruum monasterij sui occiderent, & scelere crescente nihil petendo sanauerint, sed per se post intrantes monasterium ceperint, & ad dominorum iussionem, vt seditiosos illos in publico repræsentarent, nolentes acquiescere, & contra Regum præcepta magis arma tenerent, & se sagittis vel lanceis contra Comitem & plebem indignanter erigerent: hinc denuo egressæ ad audientiam publicam, extrahunt Crucem sanctam sacratissimamque occultè, & ad iniuriam indecenter & ad culpam, quæ postea restituere coactæ sunt in Ecclesia.

Excõmunicantur discolæ moniales.

Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec refrenatis, sed iugiter magis auctis criminibus, nobis ijsdem dicentibus, vt Abbatissæ pro culpa veniam peterent, aut quod malè directum fuerat, emendarent; & nolentes hoc facere, sed magis de eius interfectione tractarent, quod publicè sunt professæ: reseratis à nobis & recensitis canonibus, visum est æquissimum, eas, vsquequo dignam agerent pœnitentiam, à communione priuari, & Abbatissam loco suo permansuram restitui.

Hæc nos pro vestra iussione, quod ad Ecclesiasticum pertinuit ordinem, circumscriptis canonibus, absque personarum aliqua acceptione suggerimus peregisse. De cætero quod de rebus monasterij, vel instrumentis chartarum dominorum Regum parentum vestrorum de loco subreptum est, quæ se habere professæ sunt, sed nobis inobedientes nullatenus erunt voluntariè reddituræ: qualiter vestra vel anteriorum Principum merces æterna permaneat, ad loci instaurationem vestræ pietatis atque potestatis est, auctoritate regia cogere reformari: neque ipsas ad locum quê tam impiè & profanissimè destruxerunt, ne peiora proueniant, vel redire concedite, vel permittatis iterum aspirare: quatenus his in integrum, præstãte Domino, restitutis, sub Catholicis Regibus totum acquiratur Deo, nihil perdat religio: vt status conseruatus tam Patrum, quàm canonũ nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructũ. Christus vos Dominus alat, regatque, regnum tribuens prolixius, vitamque conferat beatam.

SYNODVS METENSIS IN GALLIA ANNO DOMI. 594. CELEBRATA, IN CAVSA ÆGIDIJ Rhemensis Episcopi.

NOTÆ.

Synodus.] *In hac synodo, quæ Metis in Gallia habita fuit, redigitur in ordinem Aegidius Rhemensis Episcopus, de crimine læsæ maiestatis conuictus. Rei gestæ seriem habet Gregorius Turonensis lib. 10. cap. 20. vbi in fine hæc subiungit.* In hac synodo Basina Chilperici Regis filia, quam supra cum Chrodielde à communione remotam diximus, coram Episcopis, solo prostrata veniam petijt, promittens se cum charitate, Abbatissæ monasterium ingredi ac de regula nihil transcendere. &c.

Ob crimen læsæ maiestatis Ægidius Rhemensis Episcopus deponitur.

CONCILIVM ROMANVM II. SVB GREGORIO I. TEMPORE MAVRITII INDICTIONE 13. anno Domini 595. celebratum.

Excusum est supra lib. 4. Epist. Gregor. epist. 44.

NOTÆ.

Concilium.] *Hoc Concilium indictum est à Gregorio Papa in causa Ioannis presbyteri Chalcedonensis Ecclesiæ, qui dum à Ioanne Episcopo Constantinopolitano hæresis inuisè damnatus fuisset, ad sedem apostolicam appellauerat, auctoritate Pontificia synodum hanc ibidem congregari fecit, in qua eum post cognitionem causæ innocentem esse repertum, ideoque retractato Constantinopolitano synodali iudicio desuper habito iustè absolutum fuisse, testatur Gregorius lib. 5. epist. 15. 16. & 17. ad Ioannem Episcopum Constantinop. In hac eadem synodo, post sex canones supra extantes, S. Gregorius implendum indixit illud, de quo lib. 5. epist. 1. Indict. 14. agit, vt nullius sint ponderis, qua de bonis post Episcopatum adeptis Episcopus testamento disposuisset: secus vero de his, quæ ante Episcopatum possedisset.* Reperimus in scripto codice Sublacensi, *inquit Baron. an. 595. n. 59.* in Concilio Romano eundem Gregorium regulam S. Benedicti probasse & confirmasse.

Causa Concilij.

Mauritij anno tertio decimo.] *Corrige,* Decimo. *Nam cum Indictione decima tertia, decimus Maurity, non decimus tertius currebat, vt apparet ex principio lib. 2. epist. Gregor. vbi annum septimum Mauritij Imperatoris decimæ Indictioni annumerat.*

Acta Concilij emendantur.

CONCILIVM TOLETANVM SVB RECCAREDO

Anno XII. regni eius, Era 635. Anno Christi 597. habitum sub Gregor. Pap. I. ex Ioann. Garsia Loaisa.

IN NOMINE DOMINI, CONSTITVTIO SYNODI Episcoporum, numero decem & sex, qui conuenerunt in vrbem Toletanam, in Ecclesiam Apostolorum sanctorum Petri, & Pauli, sub die sextodecimo Kalendas Iunias, anno feliciter duodecimo regni Christianissimi & amatoris Dei, gloriosissimi domini Reccaredi Regis.

I.

PRiscorum Patrum sequentes monita, id præcipiunt Dei Sacerdotes, vt quæ sanctæ Trinitati conueniunt, operibus fidei Catholicæ in omnibus coniungantur: ita vt sanctam, & amicam Dei obseruantes castitatem, non solum retinendam Pontifices suo corpore censeant, sed & Presbyteris, & Diaconibus ministrantibus Dei altaribus, modis omnibus obseruandam constituant: vt ex his qui castitatis voluerit patientiam violare, tali sorte coerceatur, vt vltimus à quo est gradu, deiectus. Deo amplius non ministret; sed Sacerdotis sui electione, sit tali claustro conseptus; vt cæteros suo exemplo corrigat, & ille ex pœnitentia reuiuiscat.

II.

Id etiam placuit Dei Sacerdotibus, ne quisquam Antistes infra suam parœciam, Dei aulam inquirat; & munificus ille, qui sanctam Dei ædificauerit Ecclesiam, quod ibidem, pro suo hærede largitus est, eodem loco Presbyter secundū priorum Canonum instituta deseruiens, habeat. Etsi Presbyterū ea, facultas habere non permittit, vel Diaconus instituatur. Certè si minor est census, Osstraius à Sacerdote sit electus, qui nitorem infra sinus sanctæ Ecclesiæ faciat; qui & sanctorum reliquiarum luminaria omni subsequenti nocte accendat.

1 MAssona, in Christi nomine Emeritensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
2 Migetius, in Christi nomine Narbonensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
3 Adelphius, in Christi nomine Toletanæ Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
4 Motto, in Christi nomine Setabitanæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.
5 Petrus in Christi nomine Arcauicensis Ecclesiæ Episcop. subscripsi.
6 Asterius in Christi nomine Aucensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
7 Eleutherius, in Christi nomine Cordubensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
8 Ioannes in Christi nomine Oxomensis Ecclesiæ Episcop. subscripsi.
9 Baddo, in Christi nomine Eliberitanæ Ecclesiæ Episcop. subscripsi.
10 Licerius, in Christi nomine Egitanæ Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
11 Ginesius, in Christi nomine Magalonensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
12 Stephanus, in Christi nomine Oretanæ Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.
13 Iosimus, in Christi nomine Elborensis Ecclesiæ Episcop. subscripsi.

DE SVBSCRIPTIONIBVS NOTÆ eiusdem Garsiæ.

ADelphius] *Qui successit Euphemio viro sancto, qui 3. Toletano interfuit.*

Motto] *Lege Mutto, ex subscriptionibus 3. Toletani*: Mutto (*inquit*) Setabitanæ Ecclesiæ Episcopus.

Petrus] *Subscribit in 3. Toletano, sicut Asterius, & Migetius, & Massona.*

Iosimus] *Elbora, an sit Talauera, quæ nunc est in Carpetana prouincia insigne oppidum, an in Lusitana, Ebora, disceptant viri doctissimi, Resendius, & Bartholomæus Albornoz, & Queuedo Toletanus Portionarius.* Elbora quæ.

CONCILIVM OSCENSE, ANNO TERTIODECIMO regni Domini nostri gloriosissimi Reccaredi Regis, Era 636. Anno Christi 598. celebratum per Ioan. Garsiam recens editum.

I.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, conuenientes omnes in vnum, Concilio Oscensi, hoc Synodus sancta fieri, elegit, vt annuis vicibus vnusquisque nostrum omnes Abbates monasteriorum, vel Presbyteros, & Diaconos suæ diœcesis ad locum, vbi Episcopus elegerit, cōgregare præcipiat, & omnibus regulam demonstret ducendi vitas, cunctosque sub Ecclesiasticis regulis adesse præmoneat; quosque etiam parsimoniæ, & sobrietati, atque veridicæ castimoniæ honestorum virorum testimonio fama commendet.

II.

Solicitum etiam pro hac re vnumquemque nostrum esse conuenit, vt curiosa indagine perquiramus, si Presbyteris & Diaconibus, atque Subdiaconibus, & Clericis pudica & casta sit vita. Quòd si (quod absit) quicquam malum de quoquam fama Dictauerit, per veram & certissimam Clericorum probationem, vel virorum ad manuensium; vel certè illarum fœminarum, de quibus fama percurrit, atque etiam diuersis argumentis, ex quibus adulterorum indicia certissimè suspicari solent, omnia argutissimè perquirantur: vt neque per falsitatis obumbrationem quisquam notetur, neque per quasdam excusationes admissum facinus operiatur; dum per publicam probationem minimè reconuinci garriant; sed probatæ vitæ se vixisse, honestorum Clericorum testimonio clarere demonstrent.

NOTÆ Ioann. Garsiæ.

De Concilio Oscensi sit mentio infra, in Concilio Tarraconensi, siue Egarensi, sub Sisebuto rege.

SYNODVS CONSTANTINOPOLI HABITA, ANNO Domini 599. sub Gregorio Pap. I.

NOTAE.

Synodus.] *Huius Synodi memoria reperitur duntaxat apud S. Gregorium lib. 5. epist. 70. Indict. 2. qua scripsit ad omnes Episcopos (licet in inscriptione epistolæ, Eusebius Thessalonicensis Episcopus duntaxat nominetur) monens eos, vt si Cyriacus Constantinopolitanus Episcopus de nomine Oecumenici Constantinopolitano Antistiti attribuendo, vel quid simile canonibus contrarium decernendo attentaret, fortiter illi omnes resistant.* Synodus Constantinopolitana.

CONCILIVM BARCINONENSE, ERA DC. XXXVII.

Anno. 14. Regis Reccaredi. Anno Christi 599. habitum per Ioan. Garsiam.

CVm, duce Domino Iesu Christo, die Kalen. Nouemb. anno feliciter 14. regni Christianissimi, & pijssimi domini Reccaredi Regis, Tarraconensis prouinciæ episcopi in vrbem Barcinonensem, in Ecclesia sanctæ Crucis, fuissent congregati, hoc sancta Synodus statuere elegit.

I.

Vt cum ad officia Ecclesiastica Clerici prouehuntur, nihil pro benedictione, aut Subdiaconij, vel Presbyterij conlata, quicquam, vel sub obligationis nomine à quocunque episcopo, vel ab eius Clero inquiratur: illud Domini Iesu meminétes edictum, quod ait: Gratis accepistis, gratis date. Matt. 10.

II.

Simili etiam statutum conditione est, vt cum chrisma presbyteris diœcesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur; ne gratia Dei pretio benedictionis affecta, simoniacum interitum ementibus, vendentibusque adiociet.

III.

Hoc etiam innouandum, custodiendùmue in omnibus sancta statuit Synodus, vt secundum priscorum Canonum constituta, vel Synodalium epistolas Præsulum præmonentes, nulli deinceps laicorum liceat ad Ecclesiasticos ordines, prætermisso Canonum præfixo tempore, aut per sacra regalia, aut per cõsensionem Cleri, vel plebis, vel per electionem, assensionemque Pontificum, ad summum Sacerdotium aspirare, ac prouehi; sed, cum per Canonum conscripta tempora, Ecclesiasticos per ordinem, speciali opere desudando, probatæ vitæ adminiculo comitante, conscenderit gradus, ad summum Sacerdotium, si dignitati vita responderit, auctore Domino prouehatur. Ita tamen, vt duobus, aut tribus, quos ante cõsensus Cleri, & plebis elegerit, Metropolitani iudicio, eiusque Coepiscopis, præsentatis, quem sors, præeunte episcoporum ieiunio, Christo Domino terminante, monstrauerit, benedictio consecrationis adcumulet. Aliter deinceps, quod absit, præsumptum, & ordinatores, & ordinatos proprij honoris depositio subsequatur.

IV.

Pari etiam consideratione sancientes, vt si qua virgo, propria voluntate, abiecta laicali veste, deuotarum more induta, castitatem seruare promiserit; vel si qui hominum vtriusque sexus pœnitentiæ benedictionem expetendo, à Sacerdote perceperint, & ad terrena connubia sponte transierint; aut violenter abstractæ fœminæ, pudicitiæ violatore se sequestrare noluerint, vtrique ab Ecclesiarum liminibus expulsi, ita ab hominum catholicorum communione sint separati, vt nulla prorsus eis vel conloquij consolatio sit relicta.

1 ASlaticus, in Christi nomine Episcopus Tarraconensis Metropolitanæ ciuitatis, his constitutionibus interfui, consensi, & subscripsi.
2 In Christi nomine, Vgnus Barcinonensis Episcopus hunc consensum subscripsi.
3 Simplicius, in Christi nomine Vrgelitanæ Ecclesiæ Episcopus, hanc constitutionem consentiens subscripsi.
4 In Christi nomine, Aquilinus Ausonensis Ecclesiæ, hanc constitutionem consentiens subscripsi.
5 Iulianus, in Christi nomine Ecclesiæ Dertosanæ Episcop. annuens subscripsi.
6 Mumius, in Christi nomine Ecclesiæ Calahorritanæ Episcop. his constitutionibus annuens subscripsi.
7 Galanus, in Christi nomine Ecclesiæ Empuritanæ Episcopus, his constitutionibus annuens subscripsi.
8 Froisclus, in Christi nomine Ecclesiæ Dertosanæ Episcopus, annuens subscripsi.
9 Ioannes peccator de Gerunda, in his constitutionibus annuens subscripsi.
10 Maximus, Ecclesiæ Cæsaraugustanæ minister, in his constitutionibus annuens subscripsi.
11 Amelius, in Christi nomine Ecclesiæ Ilerdensis Episcop. his constitutionibus annuens subscripsi.
12 Ilergius, in Christi nomine Ecclesiæ Egarensis Episcop. in his constitutionibus annuens subscripsi.

DE SVBSCRIPTIONIBVS

ASlaticus Metropolita Tarraconensis successit Artemio, qui subscribit in Cæsaraugustano. 2. Vgnus Barcinonensis subscribit in 3. Toletano similiter Simplicius Vrgelitanæ, & Aquilinus Ausonensis in 2. Cæsaraugustano: & Iulianus Dertosanæ: in vtroque etiam, & Mumius. Galanus in 2. Cæsaraugustano sine titulo Ecclesiæ: in 3. Toletano subscribit Froisilus, non adiecto nomine Episcopatus. Iam diximus supra, qua ratione duo eiusdem Ecclesiæ haberent titulum, Iulianus Dertosæ in 2. Cæsaraugustano, & 3. Toletano, & Mumius similiter. Maximus Cæsaraugustanus fuit vir editione, & pietate conspicuus; scripsit de rebus gestis Gothorum in Hispania, vt refert. S. Isidorus. Hæc Garsias. Episcopi delenbuntur.

Concilium.] *Cum S. Gregorius per Cyriacum Abbatem, ad præcipuos Galliarum episcopos scripsisset epistolas plures lib. 7. Indict. 2. extantes, vt Simoniaca haeresis, & nefanda crimina corrigerentur, cuius ibidem per acta fuissent, videtur idem Abbas iussu S. Gregorij in Hispanias profectus esse, vt ad extirpandam vbique Simoniacam haeresim, idem fieret in Hispanijs, quod in Gallijs factum fuerat. Nam secundũ argumentum illarũ epistolarũ S. Greg. quas in Gallias detulit Cyriacus, hosce quatuor canones Patres Barcinonenses Concilij edidisse reperiet, quisquis prædictas epistolas legerit. Hac Baron. Anno 599. n. 23.* Causa Concilii huiusque

CONCILIVM ROMANVM III. SIVE LATERANENSE TEMPORE Gregor. Pap. I. in quo Anno Domini 601. pro Monachis sequens constitutum edidit.

Gregorius Episcopus omnibus Episcopis. Quam sit necessarium monasteriorum quieti conspicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine cœnobij exhibuimus, informat. Et quia in plurimis monasterijs multa à Præsulibus præiudicia atq; grauamina monachos pertulisse cognoscimus: oportet vt vestræ fraternitatis prouisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus cõuersantes in illis in Dei seruitio, gratia ipsius suffragante, liberè perseuerent. Sed ne ea quæ magis emendanda est consuetudine quisquam monachis quic quam molestiæ præsumat inferre; necesse est, vt hæc quæ inferius enumerare curauimus, ita studio fraternitatis Episcopi debeant custodire, vt ex eis non possit vlterius inquietudinis occasio reperiri.

Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi & ex auctoritate beati Petri Apostorum principis cuius vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, prohibemus, vt nullus episcoporum aut sæculariũ vltra præsumat de reditib⁹, rebus, vel chartis monasteriorũ, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocunq; modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Si qua causa fortè interterrã venientem ad partẽ suarũ ecclesiarũ & monasteriorũ euenerit, & pacificè non potuit ordinari: apud electos Abbates & alios Patres timentes Dominum siue voluntaria delatione, medijs sacrosanctis Euangelijs finiatur.

Defuncto autem Abbate cuiusque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem fibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit: & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur.

Quod

Quod si ipsi inter se personam inuenire nequeant, solerter sibi curent de alijs monasterijs similiter ordinandum. Neque constituto Abbate, quæcunque persona qualibet occasione præponatur, nisi fortè extantibus (quod absit) criminibus, quæ sacri canones punire monstrantur.

Pariter autem custodiendum est, vt inuito Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Descriptiones quoque rerum & chartarum monasterij ab Episcopo Ecclesiasticas fieri omnino vetamus: sed si quando res exigit, Abbas loci cum alijs fratribus causas rerum inuentarum faciat, & eorum consilio & iudicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in describendis prouidendisque rebus monasterij acquisitis, vel datis perquirendis nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in seruorum Dei recessibus & eorum receptaculis vlla popularis præbeatur occasio conuentus, vel mulierum fiat nouus introitus, quod omnino nec expedit animabus eorum: neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationē quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate. Nullumque monachum sine testimonio vel concessione Abbatis in aliqua Ecclesia teneat, vel ad aliquem promoueat honorem.

Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatamque seruari, vt & suæ Ecclesiæ iuuante Domino tantūmodo iure contenti, & monasteria Ecclesiasticis conditionibus, seu angarijs, vel quibuslibet obsequijs sæcularibus nullo modo subiaceant, nullis canonicis iuribus deseruiant, sed remotis vexationibus in cunctis grauaminibus diurnum opus cum summa animi deuotione perficiant. *Hactenus Gregorij Constitutum.*

Vniuersi Episcopi respondere: Libertati monachorum congaudemus, & quæ nunc de his statuit beatitudo vestra, firmamus. *Sequuntur ista omnia subscriptiones, & primo loco eiusdem Pontificis hoc modo.*

Gregorius Episcopus Catholicæ & Apostolicæ Romanę Ecclesiæ, huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Agnellus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Ferentinensis huic Constituto à vobis promulgato subscripsi.

Humilis Episcopus Belitrensis huic Constituto à vobis promulgato subscripsi: & sic alij omnes Episcopi numero viginti, quatuordecim presbyteri, & diaconi quatuor, die Nonas Aprilis, Indictione quarta.

NOTÆ in Concil. Rom. III. sub Gregor. Pap. I.

Concilium.] *S. Gregorius probè per experientiam agnoscens, quantas interdum molestias monachi ab Episcopis pati solerent, paulo ante vitæ suæ exitum, quem ob iugem corporis aduersam valetudinē proximè imminere sentiebat, Monachorum quieti & indemnitati consulere voluit. Quare collectis Episcopis viginti, presbyteris atque Diaconis Cardinalibus, Nonis Aprilis Anno 601. pro monachis edidit hoc synodale decretum, quod Constitutum appellari consueuit. Ex Vaticana Bibliotheca nunc demum integrum & perfectum nobis suppeditarunt annales Baronij. Nam in Veneta Conciliorum editione subscriptiones Episcoporum desiderantur.*

Causa Concilii.

CONCILIVM ROMANVM IV. SVB GREGORIO IN CAVSA Andreæ monachi impostoris & falsarij celebratum Anno Domini 601.

NOTAE.

Concilium.] *In hoc Concilio damnatus est Andreas Græcus homo, Sub monachali habitu degens apud basilicam S. Pauli, detestatus impostor atque falsarius. Qua de re plura Greg. lib. 9. epist. 69. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum.*

Causa Concilii quæ.

CONCILIVM BYZACENVM, IN CAVSA CLEMENTIJ Primatis prouinciæ Byzacenæ, celebratum in Africa, Anno Domini 602. tempore Gregorij Papæ primi.

NOTÆ.

Concilium.] *Cum Clementius Primas prouinciæ Byzacenæ grauium criminum reus constitutus esset apud ipsum Romanum Pontificem, visum est ipsi* PONTIFICI, *qui inter Longobardorum gladios sæpius versabatur, vt collecto Episcoporum Concilio, hæc causa ab Episcopis comprouincialibus exactissime tractaretur. Vide Greg. 35. lib. 10.*

Causa Cōcilii.

CONCILIVM NVMIDIÆ, IN CAVSA DONADEI Diaconi, & Paulini Regensis Episcopi, iussu S. Gregorij in Numidia celebratum.

NOTÆ.

Concilium.] *Donadeus Africanæ Ecclesiæ Diaconus, in Numidia à Victore Episcopo iniustè degradatus, ad sedem Apostolicam appellauit: Quem dum S. Gregorius audisset, causam eius à Primate Numidiæ, aliisque eius prouinciæ Episcopis, in publico Concilio cognosci voluit; vt si Diaconus re vera innocens repertus esset, Victor Episcopus, qui eum damnarat, digna censura percelleretur. In eodem Concilio cognosci mandauit causam Regini Numidiæ Episcopi, qui à suis clericis accusatus fuerat, quod Simoniacis ordines Ecclesiasticos conferret: quod si verum esset, iussit tam Episcopos dantes, quam accipientes canonica pœna damnari. De innouandis Simoniacorum pœnis, in eodem Concilio aliud præceptum addidit. Vide epist. Greg. 8. & 31. lib. 10.*

Causa Concilii.

QVAE SEQVVNTVR VITAE PONTIFICVM, EX ANASTASIO BIBLIOTHECARIO MOGVNTIAE EDITO, DESVMPTAE SVNT.

SABINIANI PAP. VITA.

SAbinianus, natione Tuscus, de Ciuitate *Vlera, ex patre Bono, sedit* annum vnum, menses quinq;, dies nouem. Eodem tempore fuit fames in ciuitate Romana grauis. Facta autem pace cum gente Longobardorum, & iussit aperire horreū ecclesiæ, & venundari frumentum populo *per solidum vnum tritici modios triginta. Hic in ecclesia beati Petri Apostoli luminaria *dedit. Quo defuncto, funus eius* eiectum est per portam sancti Ioannis, & ductum est foris muros ciuitatis per Pontem Miluium. Qui & sepultus est in ecclesia beati Petri Apostoli die 22. mensis Februarij. Hic ecclesiam de clero impleuit. Hic episcopos fecit per diuersa loca numero sex & viginti, & cessauit episcopatus menses 11. dies. 26.

*B. Volaterra.
*B. menses 5. d. 19.
*per solidos 13 B. pro modio fol 30.
* addidit.
* euectum

NOTÆ in vitam Sabiniani Papæ.

Sabinianus.] *Post quam defuncto B. Gregorio, sedes Apostolica mensibus quinque, & nouendecim diebus vacasset, ipsis Kalend. Septembris anno Christi nati 604. Sabinianus non sine tumultu, (vt ex Bonifacij successoris illius constituto colligere licet) electus fuit. Hoc tam Latini, quam Græci omnes confirmant. Qua auctoritate igitur fretus scribat Nicephorus Callistus, quendam Innocentem S. Gregorio surrogatum fuisse, non video. Tempore Mauritij functus est munere Apocrisarij apud vrbem Constantinopolim: habuitq; in officio successorem Anatolium, & post eum temporibus* PHOCÆ *Bonifacium, qui secundus etiam in sede Apostolica successor esse meruit.*

An Sabinianus S. Gregorio immediate successerit, & quando.

Sedit annum vnum, menses quinque, dies nouem.] *Mensibus quinq; & nouendecim diebus sedit ex sententia Baronij, omniumq; veterum & Græcorum: qui omnes asserunt defunctum esse vndecimo Kal. Martias, Indictione octaua eadē, qua pontificatū obtinuerat.*

Quamdiu sedetit.

Eodem tempore fuit fames in ciuitate Romana, &c.] *De hac fame Paulus Diaconus lib. 4. c. 9. ait*: Fuit hyems frigida nimis, & emortuæ sunt vites pene in omnibus locis, messesque percussæ vredine passim euanuere. *Huius famis tempore, in detestationem auaritiæ contigisse videtur illud miraculum, quod sub Pontificatu Sabiniani Sigebert. in Chron. verbu hisce describit.* Hoc tempore, *inquit*, pauper quidam, cum à nautis eleemosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero: Desiste petere à nobis eleemosynam, qui nihil præter lapides habemus: cum subiecisset pauper: Omnia ergo vertantur in lapides; quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum est, colore & forma rerum eadem permanente.

Cibaria in lapides conuersa.

Quo defuncto.] *Causam repentini obitus Sabiniani* Pontificis *terribiliorem adfert Sigebertus in Chron. his verbis descriptam*: Cum Sabinianus Papa & ipse libertatis Gregorij prædecessoris sui derogaret, Gregorius eum per visum ter pro culpa tenaciæ & huius derogationis increpatum, quod non resipisceret, etiam quarto horribiliter increpans, & comminans in capite percussit. Quo ille dolore vexatus, non multo post mortem obijt. *Huius rei gratia accidit sine dubio, quod de sepultura eius, supra enarrat Anastasius. Quanquam dubium nullum sit aduersus eum grauius commotum fuisse populum ideo maximè, quod triticum Ecclesiæ non (vt consueuerat S. Gregorius) in pauperes erogasset; sed potius vnum modium triginta solidis venum exposuisset. De eodem Onuphrius, nescio quo auctore, scribit:* Hic Gregorij prædecessoris sui actis maximè aduersatus est, ipsum maximis prosequens calumniis, adeo vt aliquando non veritus sit referre de eius operibus cremandis, tanquam haud sanam doctrinam sentientibus, quæ tamen à Petro viro doctissimo S.R.E. Diacono defensa sunt. Hic Papa campanarum vsum inuenit, iussitque vt ad horas canonicas & missarum sacrificia pulsarẽtur in Ecclesia. *Hæc qua auctoritate scriptor sæculi præcedentis asserat, nondum mihi satis compertum est.*

Obitus Sabinitani qualis.

Onuphrius quid de Sabiniano scribat.

Cessauit Episcopatus menses vndecim, dies 26.] *Huius interregni tempore, Phocas tyrannus magis quam Imperator deinceps habitus, rebellantem Romanorum ducem, multis victorijs contra Persas obtentis gloriosissimum Narsetem, iteratis iuramentis redire persuasum. fœdifragus & periurus Imperator viuum combari iussit. Cedrenus & auctor Miscell. hist. anno 3. Phocæ.*

Narses occisus.

BONIFACII III. PAP. VITA.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne Cataudioce, sedit menses octo, dies *viginti octo. Hic obtinuit apud Phocam Principem, vt sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est, Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Hic fecit *constitutum in Ecclesia beati Petri, in qua sederũt Episcopi septuaginta duo, Presbyteri Romani triginta quatuor, Diaconi, & omnis clerus, sub anathemate, vt nullus Pontifice viuente, aut Episcopo ciuitatis suæ, præsumat loqui de successore aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis eius, adunato clero, & filijs Ecclesiæ, tunc electio fiat, * & quem quisque voluerit habebit licentiam eligendi sibi sacerdotem. Qui defunctus, sepultus est in Ecclesia beati Petri Apostoli die 12. mensis Nouemb. Hic fecit Episcopos per diuersa loca numero 21. & cessauit Episcopatus menses decem, dies sex.

*B. 23.

Iocam.

*id est decretum

* & quem voluerunt habeant.

NOTÆ in Vitam Bonifacij III. Pap.

Bonifacius.] *Post interregnum vndecim mensium, & 26. dierum, decimoquinto Kalend. Martias, anno Christi Redemptoris sexcentesimo sexto, qui est quartus Imperatoris Phocæ, Bonifacius, quẽ, S. Gregorius Apocrisarij munere fungentem miserat Constantinopolim ad Phocam Imperatorem, ex Diacono creatus est Pontifex; ideo quod is gratus esset Imperatori, cum quo Constantinopoli vsque ad obitum S. Gregorij amicè vixerat. Cum enim tyrannica vsurpatione Imperatorum Orientalium, oporteret ad electionem cleri Romani accedere consensum Imperatoris, eum eligere studebant, quem eidẽ gratum fore sciebant. Sic factum fuit, quod sicut hoc loco Bonifacius; ita etiam supra Vigilius, Gregorius, atque Sabinianus munere Apocrisarij fungentes electi fuerunt.*

Bonifacius quando Pontifex factus

Cur Apocrisarii plures ad Pontificatum assumpti.

Hic obtinuit apud Phocam. &c.] *In odium Cyriaci Constantinopolitani Patriarchæ, contra morem suorum antecessorum Imperatorum, Romano Pontifici plusquam Constantinopolitanæ vrbis Antistiti fauens, hoc, de quo cum Episcopis Constantinopolitanis, Pelagius, Gregorius, & Bonifacius pontifices contendebant, decidit Phocas Imperator: nimirum, quod Constantinopolitanus Episcopus nomen Oecumenici indebitè vsurpet; vtpotè quod soli Romanæ Ecclesiæ iure diuino debeatur. Romanam Ecclesiam semper tenuisse primatum super omnes totius orbis Ecclesias, satis declarant ea, quæ supra in singulis pontificibus annotaui: & singulariter ea, quæ de primatu Romanæ Ecclesiæ dixi in Notis Concilij Nicæni 1. can. 6. & 7. quæque de nomine Oecumenico à Romanis Pontificibus vsurpato vel attributo, notaui supra in Epist. Leonis & Concilio Chalced. Romanæ Ecclesiæ primatum agnouerunt etiam ipsi refractarij & ambitiosi Episcopi Constantinopolitani Ioannes & Cyriacus: quando hic professionem fidei ad S. Gregorium misit: ille verò suo de Presbyteris ad Romanam sedem appellantibus iudicio per Gregorium retractato, non grauatè acquieuit. Nomen Oecumenici longe ante tempora Phocæ à Synodo Chalcedonensi & à Patriarcha Alexandrino, Pontifici Romano oblatum fuisse, præter ea, quæ ego locis allegatis supra annotaui, testatur S. Gregorius epist. 30. lib. 7. Indict. 1. Quid ergo Phocas suo edicto Romanæ Ecclesiæ contulit? Nihil planè, nisi quòd sua sententia declararit, vt non Constantinopolitanus; sed tantum Romanus Pontifex solus, Oecumenicus appellaretur. Idque præter morem suorum Antecessorum, vt supra dixi, fecit in odium Cyriaci Episcopi: à quo se impeditum aiebat, quòd Germanus Patricius imperij perduellis, iustam sceleris vindictam effugisset.* Post detectam coniurationem consciæ seditionis fœminæ ad Ecclesiam confugerant, *inquit Theophanes*, volenti eas inde abstrahere, Cyriacus patriarcha restitit, non ferens è templo abduci. *Qua occasione cum expetita præda è manibus Imperatoris opera Cyriaci esset elapsa, viderenturq; eo ipso noui Imperatoris creandi fomenta subministrari, redditus est infensior Cyriaco: cæpitq; Romanæ Ecclesiæ fauere. Quod cum Bonifacio innotuisset, ille odio Cyriaci bene vsus, hoc, quod à Mauritio Imperatore S. Gregorius sæpe licet frustra petierat, à Phocа facilè impetrauit; vt in primis Ioannem de titulo Oecumenici vana blateratẽ; deinde vero Cyriacum eius successorem coerceret: promulgato tali edicto, ne quis nomen Oecumenici, soli Romano* Pontifici *debitum, sibi ambitiosè arrogaret. Vnde manifestissimè constat, quod* Phocas *hoc edicto, cuius etiam mentio reperitur apud* Paulum Diaconum *lib. 4. cap. 11. de gestis Longobardorum, Romanæ Ecclesiæ primatum non cõtulerit, vt malitiosè calumniantur Nouatores nostri temporu; sed tantum declarauerit Nomen Oecumenici illi soli iure diuino competere. Quæ cum tam aperta luce veritatis constent, non dubito, quin supra modum pœniteat Nouatores hæreticos, hanc rem in controuersiam adduxisse. Vide Baron. an. 606. Bellar. lib. 2. de Conciliis.*

Anne Phocas Romanæ Ecclesiæ primatum contulerit

CONCILIVM ROMANVM SVB BONIFACIO III. celebratum Anno 606 de modo eligendi Romanum Pontificem.

NOTAE.

Concilium.] *Per ambitionem multorum clericorum, in electionem* Pontificis *irrepserat, vt superstite adhuc* Pontifice, *de eo qui post obitum eius in successorem eligendus esset, tractaretur. Quæ facinorosa molitio, etiamsi ante sacris Legibus* Pontificijs *vetita fuisset, tamen è re Ecclesiæ futurum existimauit Bonifacius, si ad tollendum prauum illum vsum electionis, synodale decretum ederetur. Quare vbi primum sedem* Pontificiam *adeptus fuit, in basilica Vaticana hanc Synodum 72. Episcoporum conuocauit, qua ad reformandos prauos electionis* Pontificiæ *mores, sub pœna anathematis constitutũ fuit, vt nõ prius de eligendo successore* Pontificis *agatur, quàm defunctus* Pontifex *triduo sepultus fuerit. Acta Concilij summatim recensentur ab Anastasio supra in vita Bonifacij III.*

Causa & acta Concilii.

BONIFACII IV.
PAP. VITA.

BONIFACIVS, natione Marsorum, de ciuitate Valeria, ex patre Ioanne medico, sedit annos sex, menses octo, dies tredecim. Huius temporibus fames, pestilentiæ, & inundationes aquarum grauissimæ fuerunt. Eodem tempore petijt à Phocate Principe templum, quod appellatur Pantheon. In quo fecit Ecclesiam sanctæ Mariæ semper virginis, & omnium *Martyrum. In qua Ecclesia Princeps multa *bona obtulit. Hic domum suam monasterium fecit, quod & ditauit. Qui defunctus sepultus est ad beatum Petrum Apostolum die 25. mensis Maij. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decemb. Diaconos octo, Episcopos per diuersa loca *triginta quinque.

NOTÆ in Vitam Bonifacij IV.

Bonifacius IV.] *Decima octaua Septembris, anni sexcentesimi septimi, post interregnum decem mensium & sex dierum creatus est Pontifex Bonifacius eius nominis quartus. Huius temporibus, Persa fusis aliquoties Romanorum exercitibus, Armeniam, Cappadociam, Galatiam & Paphlagoniam occuparunt. Heraclius prætor Africæ, à Prisco Phocæ genero adiutus, & ad rebellionem sollicitatus, habitâ pugnâ Imperatoris exercitum profligauit, atque captum in prælio, cum fratribus & necessarijs omnib. obtruncari iussit, inferens illi pro suo merito idem vitæ supplicium, quod de Mauritio eiusq; cognatione ipse sumpserat. De Phoca Imperatore apud Cedrenum & Nicephorum memorabile legitur illud, quod monacho quærenti,* cur tam impium Christianis imposuisti Imperatorem? *Deus respondent, deteriorem illo alium inueniri non potuisse vllum, & hoc meruisse Constantinopolitanorum flagitia; præterea eundem magnopere contendisse, sed resistentibus Episcopis, quod molliebatur, non effecisse: nimirum vt qui in bello contra Christianæ fidei hostes certantes cecidissent, inter martyres censerentur, eo consilio, vt collapsam Romanorum militiam erigeret & firmaret. Per hoc tempus Saraceni apud Damascum, templum S. Theodori Martyris conspurcarunt, & ex ijs vnus sagittam immisit in eius imaginem, & dextro eius humero est infixa defluente sanguine. Damasc. orat. 3. de imagimib.*

Petijt à Phoca templum quod appellatur Pantheon. &c.] *Cũ Bonifacius videret Phocã Imperatorem erga Romanos Pontifices propensiorem esse, ille quod nemo antecessorum suorum vnquam tentarat, Pantheon nobile delubrum ab Imperatore sibi dari petijt, vt expurgatum ab antiquæ sordibus Idololatriæ consecraret. Quod cum impetrasset, absque mora templum, quod etiamnum hodie B. Mariæ ad Martyres nominatur, ab idolis expurgatum, diuino cultui dedicauit. Sic mirandum illud tot antiquorum scriptorum præconijs celebratum, à Marco Agrippa ter consule, tempore Augusti imperatoris erectum, Iouique vindici consecratum, post sexcentos triginta duos annos, Christianæ religionis vsui cesserit. Quod non prius diuino cultui dicatum fuerit, factum est, quia execrabile videbatur delubra Idolis consecrata, Christianæ religionis vsui mancipare, vt patet ex Gregorio, qui templa Angliæ idolis consecrata potius dirui, quam religiose vsurpari decreuerit. Quod vero Christiani Romanæ Ecclesiæ, sedem dæmonis hactenus non fuerunt demoliti, accidit ob solidæ molis structuram firmissimè stabilitam. Quando autem S. Gregorius nouellis Christianis in Anglia indulsisset, vt delubra Deorum gentilium integra eliminarentur, rituque solenni expurgata, ex profanis sacra efficerentur, institerunt Romani, & simul impetrarunt, vt Pantheon in Ecclesiam commutaretur, dictoque titulo B. Mariæ Virginis & SS. Martyrum consecraretur. Quàm inepte hinc inferant Centuriatores, Romanum Pontificem hisce temporibus in Antichristum esse mutatum: vt qui Pantheon templũ omnium Deorum aperuerit, nemo non satis manifestè intelligit. Nam si, quod legimus Daniel. 11. Antichristus pugnaturus est contra omnes Deos, & solum in occulto adoraturus est Deum Maozim, seque supra omnia, quod dicitur Deus, teste Paulo 2. ad Thessal. cap. 2. est eleuaturus, nulla ratione ex hoc facto Bonifacij concludi potest, Romanum Pontificem in Antichristũ mutatum esse. Quod aiunt erexisse eum templum omnium Deorum, ea quæ supra dixi, id falsum esse ostendunt. Ante hac tempora Sanctorum cultum in Ecclesia frequentatum: reliquias eorundem piè & religiosè cultas, Ecclesias in honorem sanctorum Deo erectas fuisse, contra Nouatorum calumniam supra multis locis annotaui: ita vt superuacaneum esse putauerim, eadem hic sæpius repetere.*

CONCILIVM
ROMANVM SVB BONIFACIO IV. in causa Anglicanæ Ecclesiæ celebratum Romæ Anno Domini 610.

NOTAE.

Concilium.] *De loco tempore & rebus in hac synodo gestis Beda lib. 2. cap. 4. histori. Anglicæ: summatim scribit hac quæ sequuntur.* His temporibus venit Mellitus Lundoniæ Episcopus Romam, de necessarijs ecclesiæ Anglorum causis cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Reuerendissimus cogeret synodum Episcoporum Italiæ, de vita Monachorũ & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno octauo Imperij Focatis Principis, indictione decima tertia, tertia die Kalendarum Martiarum: vt quæque erant regulariter decreta, sua quoque auctoritate subscribens, confirmaret, ac in Britaniam rediens, secum Anglorum ecclesiæ mandata atque obseruanda deferret, vna cum epistolis, quas idem Pontifex Deo dilecto archiepiscopo Laurentio, & clero vniuerso, similiter & Edilbertho regi atque genti Anglorum direxit. Hic est Bonifacius quartus à beato Gregorio Romanæ vrbis episcopo, qui impetrauit à Focatis Principe donari Ecclesiæ Christi templum Romæ, quod Pantheon vocabatur ab antiquis, quasi simulacrum esset omnium deorum: in quo ipse eliminata omni spurcitia, fecit ecclesiam sanctæ Dei genitricis, atque omnium martyrum Christi, vt excluſa multitudine dæmonum, multitudo ibi sanctorum memoriam haberet. Locus, tẽpus & causa Concilij.

Extra mœnia Londini ciuitatis, recens erat exstructum monasterium, pro cuius regulari obseruantia, Mellitus plurimum sollicitus, Romam se contulerat: vtpote quod illud ipsum fore sciret, si bene custoditur, amplum seminarium, ex quo omnes Ecclesiæ, quæ erant in Anglia, sibi Antistites adsciscerent. His accedebat alia causa, quæ & potissima videri poterat, an nimirum rata sit habenda Ecclesiæ S. Petri eiusdem Monasterij dedicatio diuinitus facta, de qua plura valde mirandaref ert Ealredus Abbas, scriptor grauissimus, in vita S. Eduardi Regis Anglorum, apud Surium die 5. Ianuarij. Vide Baron. Anno 610. num. 10.

TOLETANA SYNODVS, SVB GVNDEMARO, ERA 648. Anno Christi 610. De Primatu Ecclesiæ Toletanæ habita, tempore Bonifacij Papæ IV. per Ioan. Garsiam.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV Christi: Constitutio Carthaginensium Sacerdotum, in Toletana vrbe apud sanctissimum Ecclesiæ eiusdem Antistitem.

CONuenientibus nobis in vnum, pro religione, & fide, quã Christo debemus, placuit; ne quid vltra in nobis absurdum, vel inlicitum oriatur, alterna conlatione decretum iustissimæ promulgare sententiæ; quo perspicuè clareat inter nos De Primatu Ecclesiæ Toletanæ in Hispania.

nos, ordo, ac disciplina Ecclesiasticæ dignitatis, & agnoscatur fraternæ concordia pacis.

Tali ergo dispositione, necessarium contuentes, ob studium nostri ordinis, communi electione decreuimus, congruũ esse prouida dispositione iudicium, fatentes huius sacrosanctæ Toletanæ Ecclesiæ sedem Metropolitani nominis habere authoritatem, eamque nostris Ecclesijs, & honoris anteire potestate, & meritis.

Cuius quidem principatus nequaquam conlationis nostrę conniuentia nuper eligitur, sed iam dudum existere antiquorum Patrum Synodali sententia declaratur; ea dumtaxat Cõcilij forma, quæ apud sanctum Montanum Episcopum in eadem vrbe legitur habita. Proinde ergo dispositionem nostrã instructæ conlationis definitione celebrantes, elegimus, ne quis vltra comprouincialium Sacerdotum inani, ac peruersa contentione obnitatur huius sacrosanctæ Ecclesiæ Toletanæ Primatum contemnere: neque peruicaci schismatum studio ad summos Sacerdotalium insularum ordines, remota huius sedis potestate, à nobis quempiam, sicut hactenus factum est, prouehere. Talem itaque specialiter à nobis, ac successoribus nostris deferri dignitatis honorificentiã huic Ecclesiæ pollicemur, qualem in decretis sanctorum Conciliorum beatissimi Patres Metropolitanis Ecclesijs decreuerunt. Huius ergo, & nos reuerentiæ obseruationem fideli custodia pollicemur: huius honorificentiam conseruari diligenti prospectu à successoribus nostris, per metas sequentium ætatum, volumus. Sanè quicunque ex nobis, vel successoribus nostris, hæc statuta transcenderit, anathema sit Domino nostro Iesu Christo, atque culmine Sacerdotali deiectus, perpetuæ excommunicationis sententia prædamnetur.

Facta constitutio Sacerdotum in vrbe Toletana, sub die 10. Kalendarum Nouembriũ, anno regni primo pijssimi atq; glorioſissimi Gundemari Regis. Era DC.XLVIII.

DCC. XLIX. C.A.

1 Protogenes sanctæ ecclesiæ Segontiensis episcopus, hanc decreti nostri professionem, pro firmitate subscripsi.

2 Theodorus sanctæ ecclesiæ Castulonensis vrbis episcopus subscripsi.

3 Minitianus sanctæ ecclesiæ Segobiensis, subscripsi.

4 Stephanus sanctæ ecclesiæ Oretanæ episcopus, subscripsi.

5 Iacobus Mentesanæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

6 Magnentius, sanctæ ecclesiæ Valerienſis episcopus, subscripsi.

7 Theodosius sanctæ ecclesiæ Arcauicensis episcopus, subscripsi.

8 Marinus sanctæ ecclesiæ Valentinæ episcopus, subscripsi.

9 Conantius sanctæ ecclesiæ Palentinæ episcopus, subscripsi.

Porcarius C.A. in 3. Tol. Proculus.

10 Poscarius sanctæ ecclesiæ Segobiensis episcopus, subscripsi.

11 Vincentius sanctæ ecclesiæ Bigastrensis episcopus, subscripsi.

12 Eterius sanctæ ecclesiæ Bastitanæ episcopus, subscripsi.

13 Gregorius sanctæ ecclesiæ Oxomensis episcopus, subscripsi.

14 Præsidius sanctæ ecclesiæ Complutensis episcopus, subscripsi.

15 Sanabilis sanctæ ecclesiæ Elotanæ episcopus, subscripsi.

DE SVBSCRIPTIONIBVS NOTÆ eiusdem Garsiæ.

Cur Toletanus episcopus nõ subscripserit.

Svbscriptio Toletani Episcopi deest: nam cùm de eius Primatu, & authoritate ageretur, & decerneretur, non erat æquum, vt ipse subscriberet; quamuis præsens adesset, vt in principio Concilij dicitur. Erat his temporibus Episcopus Toletanus Aurasius, virtute, eruditione, & vitæ sanctitate clarus, & illibatæ Catholicæ doctrinæ acerrimus defensor. Vixit in Sacerdotio 12. annos regnante Victerico, & Gundemaro, & initijs Sisebuti. ex sancto Adefonso.

Stephanus.] *Solus hic Episcopus, ex omnibus huius Concilij, subscribit in altero Toletano, sub Reccaredo Rege, Anno. 12. Sedes quæ ad Carthaginensem prouinciam pertinebant, ex hoc Concilio etiam animaduertere licet: erant enim*

Segontia.	Palentia.
Castulo.	Segobrica.
Secobia.	Bigastrum.
Oretum.	Bastitana.
Mentesa.	Oxoma.
Valeria.	Complutum.
Arcauica.	Elotana. *De quibus supra diximus.*
Valentia.	

NOTÆ in præcedens Concil. Toletan. Ioann. Garsiæ.

Cur duobus Toletanis Cõcilijs non sit adscriptus numerus.

Toletana Synodus.] *In his Toletanis Concilijs à me additis in hoc volumine numerum consultò non posui; ne antiquorum ordinem à patribus & generalibus Concilijs citatum euerterem, & confunderem: vnde consultius existimaui, ea sine serie ponere, seruata tantum annorum antiquitate. Erant enim aliqua Concilia, in Canone posita, alia non: prior a sunt quæ citantur certis numeris, alia sine numeris traduntur. Vnde apud Rodericum Archiep. inuenies: Hoc Concilium est in Canone, hoc non est in Canone.*

Gundemarus.] *Hic fuit tertius à Reccaredo Rege optimo, & sancto, cui Loiba filius natu maior Victericus, deinde Gundemarus, seu Gundemirus successit, Era 648. Vixit in regno annos duos, in principio hanc Synodum coegit.* Hæc Garsias.

Causa huius Concilij quæ.

De primatu, &c.] *Quænam huius Concilij celebrandi causa præcesserit, ex actis Concilij, nec non ex constitutione Gundemari Regis hoc anno edita colligitur. Cum enim Toletanæ Ecclesiæ primatum aliqui labefactare studerent, quasi ipsa non totius Carthaginensis, sed tantùm Carpetaniæ prouinciæ Metropolis esset, hac de causa hoc Concilium congregari oportuit. Euphemius Toletanus Episcopus Concilio Toletano III. subscribens, ex modestia se nominauit Metropolitanum prouinciæ Carpetaniæ. Ne quid ergo iuris Toletanæ Ecclesiæ per hoc factum: Euphemij decederet, hoc synodali & sequente Regio decreto opus erat. Hæc ex Edicto Gundemari Baron. an. 610. n. 12.*

Sanctum Montanum.] *Montanus præsul Toletanus, Era 565. præfuit secundo Concilio Toletano, vt Metropolita, in eoque subscripsit.* Garsias.

SVGGESTIO SERVI VESTRI SESVLDI.

MEam extremitatem ad sanctitatis vestræ deduco memoriam: & vt sæpe pro extremitate seruitutis orare iubeas instanter suggero. [a] De cætero ad relatus sanctitatis vestræ deduco, quod conuenientia seruorum vestrorum fuit [b] pro humili vestro domino Emiliano; vt per voluntatẽ Dei & vestram, in Ecclesia vestra Sacerdotio fungatur. Et quia in ipsa diœcesi talis, nec melior inuenitur, pro eo domino suas suggestiones miserunt; vt si Deus domino aditum dederit iubeatis venire: vt per manus vestras, & illud perficiatur, & aliud, quod adhuc insuper suspensum est: & desiderantes dominum, de vultu vestro lęti efficiamur. Si verò aliter est vestra præuisio, cui vultis ordinationem vestram dirigite, qui causam vestram perficiat: & ordo vester incolumis persistat.

a De cætero sunt A C.

b Per humilem vestrum dominum Emilianũ C.A.

ALIA PROPRII VERNVLI VEstri Sunilani suggestio.

AD relatum sanctitatis vestræ deducimus, quòd per Dei electionem, omnes Sacerdotes vestri, & cuncti filij Ecclesiæ, in vnum conuenientes, requisierunt à me, [c] pro humili vestro domino Emilano: vt [d] prædictus vestra ordinatione in Ecclesiam Mentesanę ciuitatis Pontifex ordinetur. Et quia eum humilitas cum sanctitate adornat, & origo generis reddit inlustrem, suggero clientulus tuus, vt si Deus beatitudini vestræ aditum dederit, ob restaurandas Ecclesias vestras, ad vestros vsque humillimos non dedigneris accedere: quatenus famulorum vestrorum electio vestris sacris manibus compleatur: si tamen casus seculi in aliquid excellentiæ vestræ obuiauerit, ordinare, cui iusseritis, ex fratribus vestris scribere, qui vestra compleat iussa, & amplius Ecclesia vestra in deso-

c Per humilem vestrũ dominum Emilianũ. C.A. Vt per Dei & vestrã ordinatione. Alias

latione

lationenon permaneat. Sic Christi gratiam eximietas vestra sine fine percipiat.

ALIA SVGGESTIO SERVORVM Ioannis, Viuendi, Ermegeldi, vel omnium seruorum vestrorum.

PEr Sesuldum filium vestræ Beatitudinis notuit, humilem vestrum dominum Emilanem, vt si Deo & domino placitum fuerit, in Ecclesiarum ordine Pontifex ordinetur: ita & nos serui vestri suggerimus; vt si Deus aditum dederit domino iubeatis eum hoc fastigium pati, vt per manus vestras sit completum: si verò, quod absit, aliqua occasio seculi domino obuiauerit, suggerimus, vt cui vult sanctitas vestra domino* vestros notescat: quia persona vestra electionem vestrorum impleat. Sic vitæ æternæ præmium accipiatis.

NOTÆ Ioan. Garsiæ.

Suggestio serui vestri Sesuldi.] *Erat in C. antiquo. M. S. post hoc Concilium hæ tres suggestiones, quas libenter posui: sunt enim libelli supplices, & postulationes populi, vel ecclesiæ vacantis ad Concilium, vel Metropolitanum; vt in Episcopatu vacanti Pastor præficeretur: vnde inquit:* Quòd conuenientia seruorum vestrorum fuit. *Habebat quæ hæc commendatio maximum pondus apud Concilium, in nominando Antistite: debebat enim esse postulatus ad honorem sacerdotij, ex 4. Concilio Tolet. cap. 19. & eligi ibidem, cum omni Clericorum, vel ciuium voluntate, ab vniuersis comprouincialibus Episcopis.*

INCIPIT DECRETVM PIISSIMI, ATQVE GLORIOSISSIMI Principis nostri, Gundemari Regis, Era 548. per Ioan. Garsiam Loaisam.

FLAVIVS GVNDEMARVS REX, Venerabilibus Patribus nostris Carthaginensibus Sacerdotibus.

LIcet Regni nostri cura, in disponendis, atque gubernandis humani generis rebus promptissima esse videatur; tunc tamẽ maiestas nostra maximè gloriosiori decoratur fama virtutum, quum ea, quæ ad diuinitatis, & religionis ordinem pertinent, æquitate rectissimi tramitis disponuntur: scientes, ob hoc pietatem nostram, non solum diuturnũ temporalis imperij consequi titulum, sed etiam æternorum adipisci gloriam meritorum. Nonnulli enim in disciplinis Ecclesiasticis, contra Canonum authoritatem, per moras præcedentium temporum, licentiam sibi de vsurpatione præteriti Principis fecerunt: Ita, vt quidam Episcoporum Carthaginensis prouinciæ non reuereantur, contra Canonicæ authoritatis sententiam, passim, ac liberè, contra Metropolitanæ Ecclesiæ potestatem, per quasdam fratrias, & conspirationes, inexploratæ vitæ omnes Episcopali officio prouehi, atq; hanc ipsam præfatæ Ecclesiæ dignitatem, imperij nostri solio sublimatam contemnere; perturbantes Ecclesiastici ordinis veritatem, eiusque sedis authoritate, quam prisca Canonum declarat sententia, abutentes. Quod nos vltra modò vsque in perpetuum fieri nequaquam permittimus: sed honorem Primatus, iuxta antiquam Synodalis Concilij authoritatem, per omnes Carthaginensis prouinciæ Ecclesias, Toletanæ Ecclesiæ sedis Episcopum habere ostendimus: eumq; inter suos Coepiscopos, tam honoris præcellere dignitate, quàm nominis: iuxta quod de Metropolitanis, per singulas prouincias antiqua Canonum traditio sanxit, & auctoritas vetus permisit. Neque eandem Carthaginensem prouinciam in ancipiti duorum Metropolitanorum regimine, contra Patrum decreta permittimus diuidendam; per quod oriatur varietas schismatum, quibus subuertatur fides, & vnitas scindatur. Sed hæc ipsa sedes, sicut prædictum est, antiqua, nominis sui, ac nostri cultu imperij, ita & totius prouinciæ polleat Ecclesiæ dignitate, & præcellat potestate.

Illud autẽ, quod iam pridem in generali Synodo Concilij Toletani, à venerabili Euphimio Episcopo, manus subscriptione notatum est, Carpetaniæ prouinciæ Toletanam esse sedem Metropolim, nos eiusdem ignorantiæ sententiam corrigimus: scientes proculdubio Carpetaniæ regionem non esse prouinciam, sed partem Carthaginensis prouinciæ, iuxta quod & antiqua rerum gestarum monumenta declarant. Ob hoc, quia vna eademque prouincia est, decernimus, vt sicut Bætica, Lusitania, vel Tarraconensis prouincia; vel reliquæ ad regni nostri regimina pertinentes, secundum antiqua Patrum decreta, singulos noscuntur habere Metropolitanos, ita & Carthaginensis prouincia vnum; eundemque, quem prisca Synodalis declarat auctoritas, & veneretur Primatem, & inter omnes Comprouinciales summum honoret Antistitem; neque quicquam contempto eodem vltra fiat, qualia hactenus arrogantium Sacerdotum superba tentauit præsumptio. Sat è per hoc auctoritatis nostræ edictum, amodò & viuendi damus tenorem, & religionis, vel innocentiæ legem; nec vltra postmodum, inordinata licentia, ab episcopis similia fieri patimur: sed per nostram clemẽtiam præteritæ negligentiæ, pietatis intuitu, & veniam damus, & indulgentiæ opem concedimus; & dum sit magna culpa hactenus deliquisse, maioris tamen, ac inexpiabilis censura tenebit obnoxios, qui hoc nostrum decretum, ex auctoritate priscorum Patrum veniens, temerario ausu violare tentauerit, nec vltra veniam delicti faciemus admissi, adempti, si de hinc honorem eiusdem Ecclesiæ quilibet Carthaginensium sacerdotum contempserit; subiturus proculdubio inobediens tam degradationis, vel excommunicationis Ecclesiasticæ sententiam, quam etiam nostræ seueritatis censuram. Nos enim talia in diuinis ecclesijs disponentes credimus fideliter regnum imperij nostri ita diuino gubernaculo regi, sicut & nos cultum ordinis, zelo iustitiæ accensi, & corrigere studemus, & in perpetuum perseuerare disponimus.

In Concilio Tolet. 3. vbi subscribit Euphemius inter Metropolitanos.

FLauius Gundemarus Rex, huius edicti constitutionem pro confirmatione honoris sanctæ Ecclesiæ Toletanæ propria manu subscripsi.

1 Ego Isidorus Hispalensis Ecclesiæ prouinciæ Beticæ Metropolitanus Episcopus, dum in vrbem Toletanam prooccursu Regio aduenissem, agnitis his constitutionibus adsensum præbui, atque subscripsi.

2 Ego Innocentius Emeritensis prouinciæ Lusitaniæ Metropolitanus Episcopus, dum in vrbem Toletanam pro occursu Regio aduenissem, agnitis his constitutionibus adsensum præbui & subscripsi.

3 Ego Eusebius Tarraconensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

4 Ego Sergius Narbonensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

5 Ego Ioannes Gerundensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

6 Ego Ilergius Egarensis Episcopus, subscripsi.

7 Ego Licerius Ecclesiæ Egæditanæ Episcopus, subscripsi.

8 Ego Maximus Ecclesiæ Cæsaraugustanæ Episcopus, subscripsi.

9 Ego Mumius Ecclesiæ Calagurritanæ Episcopus, subscripsi.

10 Ego Fluridius Ecclesiæ Tyrassonensis Episcopus, subscripsi.

11 Ego Elias Ecclesiæ Caurensis Episcopus, subscripsi.

12 Ego Goma Ecclesiæ Olysipponensis Episcopus, subscripsi.

13 Ego Fulgentius Ecclesiæ Astigitanæ Episcopus, subscripsi.

14 Ego Emila Ecclesiæ Barcinonensis Episcopus, subscripsi.

15 Ego Theudorus Ecclesiæ Ausesinæ Episcopus, subscripsi.

16 Ego Ioannes Pampilonensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.

17 Ego Beniamin Ecclesiæ Dumiensis Episcopus, subscripsi.

18 Ego Agapius Tuccitanæ Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.

19 Ego Gundemarus Ecclesiæ Vesensis Episcopus, subscripsi.

20 Ego Argebertus Portucalensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.

21 Ego Teueristis Salmanticensis Ecclesiæ Episcopus, subscripsi.

22 Ego Vitulatius Ecclesiæ Lauerricensis Episcopus, subscripsi.

23 Ego Leontianus Lutobensis Episcopus, subscripsi.

24 Ego Pisinus Ecclesiæ Eliberitanæ Episcopus, subscripsi.

25 Ego Iustinianus Ecclesiæ Abelensis Episcopus, subscripsi.

26 Ego Venerius Ecclesiæ Castulonensis Episcopus, subscripsi.

DE SVBSCRIPTIONIBVS NOTÆ Ioann. Garsiæ.

Qui Episcopi huic edicto subscripserũt.

SVbscribunt in hoc decreto, Gundemarus Rex, Isidorus Hispalensis, Innocentius Emeritensis, qui successit Mausonæ: Eusebius Tarraconensis, qui Asiatico; Sergius Narbonensis, qui Successit Migetio, in tertio Toletano; Ioannes Gerundensis, & Ilergius Egarensis in Barcinon. Egeditanæ Licerius, in Toletanæ, Era 635. Maximus Cæsaraugustanæ in Barcinonensi; Mumius Calagurritanæ, in tertio Toletano, & Cæsaraugustano secundo, & Barcinonensi; Fluridius Tyrassonensis; Elias Caurensis, Goma Olyssiponensis; Fulgentius Astigitanæ frater Leandri, & Isidori, ex genere Regio, sapientia, & sanctitate clariores: Emila Barcinonensis, qui Vgno, Theudorus Ausesinæ, qui Aquilino: Ioannes Pampilonensis: Beniamin Dumiensis, Agapius Tuccitanæ, Gundemarus Vesensis, Argebertus Portucalensis in tertio Toletano: Theueristus Salmanticensis, Vitulatius Lauerricensis, Leontius Lutobensis, Pesinus Eliberitanæ, qui Baddo; Iustinianus Abelensis; Venerius Castulonensis, qui successu Theodoro.

NOTÆ in Decretum Gundemari Ioann. Garsiæ.

Fratriæ quæ.

FRatrias.] *Fratriæ apud Aristotelem in Politicis, dicuntur hominum cõuentus, propria, & peculiaria sibi sacra colentium: ij enim homines communiter eo vtebantur, quod Græcè dicitur φρατρίαν. Hæc Budæus ad tit. de officio Quæst. Inde fraternitates pro collegijs Christianorum, apud Cyprianum, Hieronymum, Tertull. lib. de velandis virginibus, & lib. ad Martyres. Quandoque etiam pro coniuratione, & sodalitate factiosa vsurpatur; vt in Concilio Chalced. Can. 18. & 11. quæst. 1. cap. Coniurationum.*

In his duobus decretis Reccaredi & Gundemari, opportunus se offert locus de Primatu Ecclesiæ Toletanæ, in Hispania, & Gallia Narbonensi differendi: de qua re, dum Toleti agerem, sequentem Commentarium feci.

Origo Primatus Toletani quę

QVi accuratius Ecclesiæ Toletanæ Primatum prosequuti sunt, Romæ à Diuo Petro Apostolorum Principe, totiusque Ecclesiæ catholicæ Pontifice, Summoque Sacerdote institutum, ortumque affirmant. [a] *Nam cum primùm Petrus in vrbem venit; ibique cœlestis vitæ semina fundamentaque iecit, Dionysium in Galliam, Eugenium in Hispaniam misit, viros doctrina, & sapientia excellentes, qui Paulum ex Græcia fuerant sequuti; eosque Primates in prima prouinciarum diuisione instituit, vt facilius, & ardentius muneri Apostolico incumberent.*

Diuisio Apostolorum quare facta.

Factam autem fuisse ab Apostolis totius orbis & prouinciarum partitionem, ad Euangelij faciliorem propagationem, testatur Anacletus Pont. Max. ad Episcopos Italiæ, his verbis: Prouinciæ (*inquit*) multo, antè Christi aduentum, tempore, diuisæ sunt maxima ex parte: posteà ab Apostolis, & B. Clemente, prædecessore nostro, ipsa diuisio est renouata: Et in capite Prouinciarum, vbi dudum Primates legis seculi erant, ac prima iudiciaria potestas, ad quos, qui per reliquas ciuitates commorabantur quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatoris, vel Regũ confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus, vel iniustitijs suis, ipsosque appellabant, quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat: ipsis quoque in ciuitatibus, vel locis nostros Patriarchas, vel Primates, qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ, & Ecclesiasticæ poni, & esse iusserunt: ad quos Episcopi si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent: & ipsi Primatum nomine fruerentur, & non alij. Reliquæ verò Metropolitanæ ciuitates, quæ maiores iudices habebant (licet maiores Comitibus essent) haberent Metropolitanos suos, qui prædictis iustè obedirent Primatibus: sicut in legibus seculi olim ordinatum erat; qui non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. *Hæc Anacletus. Quam sententiam libenter posui, vt Episcopi, Archiepiscopi, & Primatis discrimen, discrepantesque functiones intelligas ab Apostolis acceptas, distinctasque. Idem enim testatur Anicetus Papa ad Episcopos Galliæ.* Nulli [a] (*inquit*) Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi, qui primas tenent ciuitates, quarum Episcopos Apostoli, & successores Apostolorum, regulariter Patriarchas, & Primates esse constituerunt.

Discrimen episcopi, archiepiscopi & Primatis.

Eugenius igitur, vt in Hispaniam venit, elegit primam, & præclaram eius regionis vrbem, in qua cultum religionis Christianæ collocaret, [b] *in medio totius prouinciæ sitam; à qua velut à corde spiritus vitalis, & sanguis Christi in totum corpus diffunderetur, & membra cœlesti pabulo augerentur: indeque summi consilij gubernatione reliquas ciuitates facilius propagari, effundique posset. Nam Anacletus Pontifex ad Episcopos Galliæ, in capite Prouinciarum esse Primatis collocandos, ex decreto Apostolorum decreuit; & vocem Primatis à primis sedibus vsurpatam arbitratur, & ita suprenum & altum, cæleste que munus in suprema, & prima institutit ciuitate, & iura cœlestia in eo hominum conuentu, qui iure & libertate inter alios eminet Hispaniæ populos, collocauit.*

Cur Eugenius Toletanam tedem elegerit.

Hic sanctus vir, verè homo Dei, primus Ecclesiæ Toletan. Præsul fuit, totiusque Hispaniæ Primas. A quo fonte ampliſsimi doctrinarum riuuli deducti, vberrimum pietatis incrementum reddiderunt. Is enim Ecclesiam, quam plantauerat, studioſusq; regeneratione sacrosancta baptismatis genuerat, sanguine proprio fusoque rigauit, & auxit. Nam postquam gentem Toletanam conuertit ad Christum, & fonte baptismatis, & fidei sacramentis, & doctrina imbuit, ad Dionysium prædicationis gratia reuertens, in territorio Parisiensi, in persequutione sæua Domitiani, consummato martyrij cursu, coronam beatæ passionis gloriosè à Domino accepit. Corpus eius postea sub Philippo II. Rege clementissimo, fuit Toletum translatum: ibique magna populi veneratione, & pietate colitur. Eugenio vita functo, Sacerdotij dignitas in [c] *Melanthium deriuatur. Et inde perpetua quædam Præsulum successio stirpem Primatus in milleſimum quingentesimum & nonagesimum annum produxit, hoc ordine, vt ex annalibus Ecclesiæ Toletanæ accepimus: S. Eugenius, Melanthius, Pelegius, Patruinus, Toribius, Quintius, Vincentius, Paulatus, Natalius, Olympius, Audentius, Asturius, Isicius; Maiorinus, Castinus, Campenus, Statius, Palmatius, Petrus I. Celsius, Montanus, Iulianus I. Eucandus, Petrus II. Euphemius, Exuperius, Adelphius, Auraſius, Helladius, Iustus, Eugenius II. Eugenius III. Sanctus Illefonsus, Quiriacus, Sanctus Iulianus II. Sigebertus, Felix, Gunericus, Sinderedus, Vrbanus; quo Pontifice Toletũ à Saracenis oppugnatum, dolo captum est. Quibus imperantibus, dum misera seruitute oppressa ciuitas tenetur, hoc ordine sequuti sunt: Cixilla, Petrus Pulcher, Sunieredus, Concordi, Elipandus, Vvestremirus, Sanctus Eulogius electus, martyr, Gumesindus, Bonitus, Ioannes. Restituta deinde vrbe in priſtinam Christianæ religionis dignitatem, Primatus Bernardo datus est. Quem subsequuti sunt Raymundus, Ioannes, Zerebrunus, Gundisaluus I. Petrus Cardona, Martinus, Rodericus, Ioannes. II. Gutierius. II. Sanctius Infans, Paschalis, Sanctius. II. Infans. Gundisaluus. II. S. R. E. Cardinalis, Ioannes, Aragoniæ Infans. III. Rodericus Ximenius, Gundisaluus. III. Gutierius. III. Gilius de Albornoz Cardinalis. Vasæus*

Eugenius I. Toletepiscopus quis.

Toletanæ ecclesiæ episcopi quot & quos.

[a] 99. Dist. nulli Archiep. & in decretis Stephani. 1. apud Iuo. lib. 4.

[b] Nam in capite prouinciarum ponebantur Primates ex decreto Apostolorum, ex Anacleto in epistola ad episcopos Italiæ. & habetur. dist. 99. cap. Prouinciæ: & vbi erat primo iudiciaria potestas, ibidem & Anicetus PP. inquit, illi Primates vocãtur, qui primas tenent sedes in epistola ad Episcopos Galliæ, & habetur. d. 99. c. Nulli.

[c] Ex Concil. Eliberit. in subscriptionibus.

[a] Rodericus Archiepiscopus Toletan. in defensione Primatiæ in Concil. Lateranensi: est etiam diuisio prouinciarum facta ab Apostolis, vt cõstat ex Anacleto PP. & habetur. d. 99. ca. Prouinciæ, & apud Iuonem 5. p. c. 35.

Vasæus de Toledo, Gometius Manrichius, Petrus Tenorius, Petrus de Luna, Sanctius de Rojas. III. Ioannes de Contreras. III. Ioannes de Cereçuela. IV. Gutierrius de Toledo, Illefonsius Carillo, Petrus Gonçalez, Mendoça Cardinalis, Franciscus Ximenius Cardinalis, Guillelmus de Croy Cardinalis, Illefonsius de Fonseca, Ioannes Tauerra Cardinalis V. Ioannes Martinus Siliceus Cardinalis. VI. Bartholomæus Carrança, Gaspar Quiroga Cardinalis. In hac verò longa Sacerdotũ serie non similis dignitatis splendor, atque felicitas fuit. Nam Romanorum Imperio, à Nerone, vsque ad Constantinum Magnum, eius amplificatio, [a] persequutione feruente, nequissimi temporis calamitate oppressa, radices potius egit, quam trunco, ramis, & foliis in altum dilatata in hominum conspectu cresceret. At post diuinæ memoriæ Magni Constantini baptismum, postquam veritatis lux menti eius infulsit, & propulsatis tenebris lumen clarissimum doctrinæ, & cælestis consilij, mundo in vniuerso refragante, gentibus luxit, officia Primatus, quæ parum antè splendoris dederant, vsque ad Gothicæ gentis in Hispaniam aduentus, magnum nitoris, ac dignitatis ornamentũ Christianis hominibus attulerunt. Quamuis Gothorum, & Romanorum interstinum de Imperio bellum, & Arriana, Priscillianaque hæresis religionis incrementum debilitauit, atque impeduit; quo vsque sanctissimus Rex Reccaredus, abiurata, & extirpata in tota Hispania hæresi Arriana, remouit omnia, quæ impedimentum poterant afferre, ad fidem augendam, & amplificandam. Tandem Rodericus Rex turpis, & effœminatus, vno prælio à Sarracenis miserè deiectus, & victus, Regiam, & Ecclesiasticam maiestatem funditus euertit. Gens enim arrogans, victurisque superba, sine cultu veræ religionis, barbarica insolentia feruens, inhumanè cuncta vastauit, ciuitates succendit, & templa, Pontifices, Sacerdotes, sine delectu trucidati, corpora sanctorum secundo igni, & gladio tradita, virgines, & matronæ ludibrio expositæ; ferum tandem, & funestum spectaculum Hispaniatoti orbi fuit. Imperialis etiam, Regiaque ciuitas, quæ libertate, & iure Imperiali florebat, in oppressionem, seruitutemque immanem data, per trecentos, & septuaginta octo annos, miserè, velut in gurgastulo succubuit. Quo tempore non tam ùm Primatus amplitudine, verùm Metropolis splendore spoliata, informem quandam dignitatem sustinuit: ita vt caput totius Cleri, & sex parœciarum Christianorum, qui cum Arabis mixti vitam in seruitute degebant, Sacerdos simplex esset: indeque Mixtarabi appellati. Summa ergò illa auctoritas coarctata, & imminuta, veluti terra inculta, & siluestris, horridaque, noxiam, & veneficam illam Elipandi [b] plantam, produxit, quæ iustè eradicata, summorumque virorum scriptis tanquam falcæ præcisa, radices non egit.

At diuina hæc Christianæ religionis lux, quæ tot annos extincta pene fuerat, emicuit iterum, quando Illefonsus Sextus Rex, cœlesti adiuuante numine, Sarracenos profligauit, vrbemque expugnauit, & reducto in eam diuino cultu, Primatum restituit, & vt erat in more Gothorum tempore, Pontificem designauit. Nam expiato templo, quod impia Sarracenorum superstitione, & execrando ritu fuerat inquinatum, Bernardum præfecit. Is enim post hanc templi instaurationem primus Pontifex creatus fuit: à quo continua Pontificum series, vsque ad nostra tempora deriuata est.

Persequar ergo huius Primatus historiam, quæ quatuor rerum vicissitudinibus, quas Ecclesia Toletana Hispaniarum Primas, experta est, continetur; & quam in his commutationibus retinuerint dignitatem, vt ex antiquis annalibus potui colligere, aperiam; vt prudens lector intelligat, inanes fuisse nostrorum hominum cogitationes, & effrænatam audaciam eorum, qui adducti cupiditate dominandi, sanctæ Ecclesiæ Toletanæ ius Primatus negant, & in eius maiestatẽ diplomatibus, & priuilegijs summorum Pontificum, & Regum tam longa annorum serie stabilitam, variè inuehuntur. Qui Primatus titulus à sanctissimis illis priscis viris, egregijsque Pontificibus tanti semper habitus fuit, vt ad eius auctoritatem retinendam, & conseruandam, sumptui, & labori non parcerent, soleretque potius de ea, quam de Archiepiscopatus iure gloriari; cuius defendendæ, aut augẽdæ ergo, coram Romano Pontifice per seipsos causam egerunt.

§. II.

Sanctus Eugenius primam Ecclesiasticæ dignitatis sedem Toleti collocauit, quo iacto fundamento, superædificari cœptum est, eoq; Ecclesiæ Toletanæ auctoritatis culmen peruenit, vt secũdum à Romana sede, quæ caput & magistra totius Catholicæ religionis est, videatur locum obtinere. Templum verò in quo primo litatum Deo Christo est, dum sanctissimus vixit Eugenius, non ædificij pulchritudine, operisque magnificentia floruit, sed ministrorum sanctitate, & excellentia; in quibus conscientiæ puritas, ingens desiderium propagandæ Euangelicæ veritatis vigebat adeo, vt eo tempore cessauerit Primatus in coercendo actio, Episcopique munus fuerit in puniendo veluti ociosum. Quippè cum ea esset viuendi cõstituta ratio, tam incorrupti omnium, & inculpati mores, vt nihil esset, quod Ecclesiastica deberet potestate coerceri. falceue amputari: imò nec vllum erat inter Ecclesias commercium; cuncta namque in angustias maximas insanus sæuiendi in Christianos furor adduxerat: qui innoxio, & religioso, sanctoque sanguine effuso, Christianam religionem radicitus extirpare conabatur. Quicunque tamen in Hispania fuerunt illis temporibus, Episcopi omnes, & reliqui Christiani Toletanum templum ab Eugenio ædificatum, velut omnium caput veneratisunt. Cuius fundamenta, licet parua, ibi tamen sunt iacta, vbi nunc est pulcherrimè, magnificeque instructum. Sed in illa adhuc humilitate, hodiernæ altitudinis, & magnificentiæ certa signa apparuerunt, conspicuumq; fuit, multis argumentis, quàm grata Deo essent in eo templo oblata sacrificia. Præterea omnium ciuitatum Episcopi templi Toletani Antistitem, veluti vnicum [a] Metropolitanum suspiciebant. Cùm enim adhuc non esset prouinciarum Hispaniæ singularis facta distributio, omnis auctoritas, & Patriarchalis, Metropolitanaq; iurisdictio ad vnicam sedem Toletanam referebatur. Quam formam, & speciem Ecclesia Hispanica, vsque ad Magnum Imperatorem Constantinum retinuit: cuius tempestate summam religio Christiana tranquillitatem, & pacem assequuta, longè lateq; diffusa est. Dilatatis verò Christianæ religionis finibus subsequitur prouinciarum [b] distributio, in quinque Metropolitanas Ecclesias, Carthaginensem, Bæticam, Lusitanam, Tarraconensem, & Gallœciam, quæ Bracarensis est. Sed primaria super his sedibus auctoritas Carthaginensi prouinciæ, quæ Toletana Ecclesia est, semper delata fuit. Athanaricus Gothorum Rex, qui primus omnium [c] anno quinto Imperij [d] Valentis in Hispania dominari cœpit, Ecclesiæ ordinem in quinque Metropolitas distinctum reperit: quas hic expugnauit prouincias, & impia Arrianorum hæresi, quam Valentis Imperatoris opera didicerat, infecit. Ad hæc, cum essent assidua dimicatione, à Romanis Gothi lacessiti, esset que incertus belli exitus, pax, qua religionis cultus, & morum integritas continetur, omnino turbata, sublataq; est. Imò & Episcopi Regia potentia timidi eorum gratiam adulatione, & mendaci assentatione aucupantes, omnia ad voluntatem, nihil ad veritatem audentes loqui, vt canes muti, sectas & hæreses impias, animo & sermone sequebantur. At Gothi postquã secundis vsi prælijs, Romanam potentiam fregissent, prouinciam vniuersam, Ataulpho regnante, inter se partiti sunt. Alanis Carthaginẽsis; Lusitanaque Vuandalis, qui etiam Silingui dicuntur; Batica contigit Sueuis, & Vuandalis nonnullis Gallœcia; Celtiberia verò, quæ Tarraconensis est, in Romanorum ditione permanente.

Seculari Hispaniæ Imperio in prouincias, hac ratione, veluti in partes scisso simili partitioni Ecclesiasticus ordo subiacuit. Nam vnusquisque Rex in Regni sui nobiliori vrbe, Primatus, & Metropolitæ ornamentum erigendum, ad Imperij secularis auctoritatem retinendam, vtile iudicabat. Præterea vt summa Pontificis auctoritate suffulta hæresis, quam sequebantur, altius fixa hominum mentibus inhæreret, latissimeq; nullo alio iudice propagaretur. AVuandalis ergo Hispalis Bæticæ caput, Primatus nomine decoratur; ab Alanis in Carthaginensi prouincia Toletum; Tarraco à Romanis, Bracara & Luco à Sueuis.

Primatus igitur Toletani cursum ab Eugenio vsque ad Athanaricum Gothorum regem, trecentis & sexaginta nouem annis, à Christi domini passione comprehensum, vtcunque narrauimus. Quo tempore

Eugenius Templũ Tolet. ædificauit.

Ante Constantinum solus Toletanus Hispaniæ primas.

Hispania in quinq; prouincias distributa.

[a] De persequutionibus Eccles. August. lib. 18. de ciuitate Dei. c. 52 & Paul. Orosius lib. 7. c. 7.

[b] Hæresim Elepandi primo refutauit Etherius Episcopus Oxom. & Beatus Presbyter Hispanus, & Ionas Episcop. Aurel. postea Concil. Francofor. eam damnauit.

[a] Ex antiquo iure in vna prouincia non poterant esse duo Metropolitani. Ex Conc. Chalc. c. 12. & apud Iuonem. 5. parte. c 146.

[b] De hac diuisione extat in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ processus quidam, factus in lite ordinationis Ecclesiæ Valentinæ, vbi dicitur ex sententia Rasi, & Abi Capaza habi temporibus Constantini Magni fuisse Hispaniam in quinque prouincias, & Metropoles distinctam: & Ioannes Gerundensis in Concil. Eliberitan. fuisse factum existimat lib 1. Parali. in diuisione Hispaniæ, ex sententia Apij. quamuis nos hanc diuisionem, sine auctoritate positam, existimauimus, supra.

[c] Era. 407.

[d] Rodericus in Chro. lib. 2. c. 1.

pore [a] *Eliberitana Synodus celebrata est, sub Constantino Magno; qui post Baptismum, Ecclesiæ patrocinium ardenter susceperat. Concilium hoc nationale fuit, cui Melanthius Toletanus Episcopus interfuisse creditur; qui tamen in serie Archiepiscoporum, supra ianuam sacrarij Toletani in scripta non refertur. Ex* [b] *quo apertè efficitur inter Eugenium, & Pelagium, quosdam alios Antistites huius sedis gubernacula, tot annorum interuallo, rexisse.*

§. III.

Primatus Toletanus probatur ex Conciliis.

PRogressus Toletani Primatus *ab Athanarico, vsque ad Rodericũ vltimum Gothorum regem continenter peruenit. Cum primum enim reges Gothi in Hispaniam irruerent, secularis Principatus trãquillitate & otio, quo fruebantur Romani, perturbato, Ecclesiasticus etiam ordo vna immutatus est, & magnas subiuit calamitates, & infortunia; vnde plures prouinciæ Ecclesias suas primas Primatus auctoritate extulerunt. Conatus tamen iste tanquam violentus diu permanere non potuit.* [c] *Nam post quam Leouigildus rex, totius Hispaniæ atque Narbonensis Galliæ Principatum pacifice tenuit, Ecclesia etiã Hispanica ad vnitatem reducta, incredibiles dignitatis & gloriæ progressus fecit: prius enim res vniuersæ Hispaniæ militari furore, ferro & flamma, impijsq; Arrij, & Priscilliani hæresibus perturbatæ, atque ferè penitus fuerant euersæ.* Quæ Concilia hoc tempore celebrata fuerint. *Et licet nonnulla eatempestate essent celebrata Concilia, tamen absque ea maiestate, qua agi deinceps consueuerunt. Primò namque Toletana Synodus aduersus Priscillianum Toleti coacta est, imperantibus Arcadio, & Honorio, & Toletanam Ecclesiam regente Paruino, qui ordine quartus numeratur Archiepiscopus. Post hanc Synodum inter Romanos, & Gothos maximi bellorum impetus excitantur; nonnunquam tamen de Ecclesiastica dignitate stabilienda, atque restauranda agebatur: eaque de casa peculiaria quædam Concilia coacta sunt, nimirum, Tarraconẽse, Ilerdense, Valentinum, Gerundense, & Cæsaraugustanum. Similiter in Baetica quædam alia sunt celebrata; ex quibus quæ nunc habentur edita, siue manuscripta, nullius Toletani Præsulis subscriptione consignantur. Nam spiritalis Præsulum congressus impediebatur assiduis bellorum motibus, quibus de regno certãtes, principes agitabantur. In Concil.* [d] *Tarraconensi impresso, hæc est appensa subscriptio: Episcopus Carthaginensis Metropolitanus; licet in codicibus manuscriptis litteris Longobardis, qui asseruantur in Bibliotheca Toletana, & D. Laurentij, subscribat Hector Episcopus Carthaginensis Metropolis. Vnde quidam docti suspicantur, hunc Hectorem vrbis Carthaginis episcopum Metropolitanum fuisse; cum ea ciuitas prouinciæ Tarraconensis Primatum illis temporibus obtinerent; idq; ea sibi ratione persuadent, quod Hectoris appellatio, inter nomina Toletanorum Præsulum sculpta in sacrario minimè reperiatur.* [e] *Ego verò magistri Aluari Gometij viri doctissimi (quem honoris causa nomino propter intimam mihi cum eo viro amicitiam, cum Toleti agerem) auctoritate in contrariam sententiam adducor. Cuius historiam de Archiepiscopis Toletanis nondũ editã, in hoc de eorum Primatu breui cõmentario, sequi decreui, & D. Isidori, qui Carthaginem etiam illis tẽporib. funditus à Gothis, in Romanorũ odium, euersam affirmat.*

Conc. Tolet. II. quã do celebratum.

Secunda [f] *Toletana Synodus, Amalarico Gotho regnante, assiduisque iam bellorum tumultibus inter Romanos & Gothos, nõnihil pacatis, coacta est; cum iam centesimus, & trigesimus quintus annus, à primo Concilio Toletano verteretur. Neque celerius potuit Concilium Toleti celebrari: cum enim inter Romanos, & Gothos de pulcherrimæ prouinciæ Carpentanæ, cuius caput Toletum erat, dominio ageretur, ciuitas illa armis assuefacta, ac de religionis incremento parum solicita, omnem curam & studium ad Imperij fines tuendos, & propagandos contulerat. Amalaricus tandem Rex Concilium conuocari iussit: cui* [a] *Montanus vndeuigesimus Præsul, admirandæ sanctitatis vir, & singularis doctrinæ, miraculis clarus ac conspicuus, interfuit. Deinde verò Romanis superatis de pace, & otio constituendo, decernitur; quo Gothorum Imperium ita est auctum, vt multorũ partito dominatu, ad vnius tandem potestatem peruenerit. Inde illa sanctitatis, & sapientiæ lumina excitata, nimirum Leander, Isidorus, & Fulgentius; qui omnem suam operam, & industriam, ad extinguendam, extirpandamque Arrianam validam hæresim adhibuerunt. Ad* [b] *quam etiam funditus euertendam, inclytum Hermenegildi martyrium; cuius profusus sanguis semper clamabat, vehementer profuisse credendum est; & vt eleganter scripsit vir pius, de sceleribus aduersus Christianos, auitam, & Catholicam pietatem seruantes perpetratis.*

Felices animæ, quorum per funera Christi
Crescit Euangelium: vester pro semine sacro
Est cruor; ille pijs inolescit mentibus vltro:
Vt quanto magis innocui profunditur vsquam
Sanguis, eo vernat magis, augescitque premendo
Sancta fides; viresque nouas calcata resumit.

Tandem magnorum virorum supplicationibus, assiduisq; precibus diuina iracundia, & in mortales iustè concepta indignatio, placata est, eaque mens Spiritus sancti magisterio vniuerso populo inuecta, vt abnegatis impijs erroribus, veritatem catholicam profiteretur & ex animo amplecteretur.

Concil. Toler. III. quando.

Octauo deinde anno regni Reccaredi, qui etiam fuit octauus Imperij Mauricij, cum Toletanæ sedi præesset Euphemius, vir pietate celebris, [c] *3. Toleti Concilium nationale celebratum est, astantibus omnibus Metropol. Episcopis primæ sedis, & alijs totius Hispaniæ, & Galliæ Narbonens. populoque omni Gothorum; licet in ea historia quam Rudericus Toletanus edidit,* [d] *non Euphemius, sed Eladius corruptè legatur. In eo Arrianam hæresim, quam per 213. annos pertinaciter, & obstinatè defenderant, Gothi omnes detestati sunt. Huic* [e] *Synodo Leandrum Hispalensem Archiep. sedis Apostolic. legatione functum, præfuisse, non absque ratione docti asserunt. Nam licet Toletum regiæ ciuitatis nomine ornaretur, & Gothorum Imperij caput esset, in eaque regis curia, & supremus Senatus, Conuentusque iuridicus esset constitutus, distributio munerum, & magistratuum secularium, & Ecclesiasticorum, hæcque in omnire tam sancta, quam profana summam teneret auctoritatem; erat tamen ratiom maximè consonum, vt sanctissimus Leander sanguinis propinquitate cum rege coniunctissimus, cuius anunculus erat, qui splendorem generis, & nobilitatis gloriam admirabilis vitæ sanctimonia doctrinæque præstantia illustrauerat, primas in Hispania partes, singulari Summi Pontificis concessione, inter Præsules ageret. His* [f] *enim animi dotibus & virtutibus egregijs gratissimum se Romanis Pontificib. præstiterat, atq; dignissimum, qui hoc maximo munere, aliisq; maioribus in dies singulos augeretur. In quam sententiam libenter ingredior, et iam propter homiliam, quæ in calce prædicti Concilij affixa est: vbi nomine totius Concilij, sanctus Leander, tanquam eius caput & Præses, ingentes gratias Deo agit, qui gentem Gothicam veritati repugnantem, in sui nominis cognitionem adduxerit. Iisdem prorsus rationibus Sanctus Isidorus, Leandri frater, g successor huius dignitatis fuit. Ab hoc igitur tempore Gothi omnes Catholicis documentis informati, cœlesti pace, otioque diutino perfrui cœperunt. Vnde effectum est, vt candidi & sinceri mores Christianæ religionis, aptiores animos, puriores mentes ad diuinas, humanasq; artes addiscendas redderent. Celebrato Toleti hoc 3. Concilio, quantus pietatis feruor, & sanctitatis amor cõtinuò subsequutus sit, vel inde licet cõiectari; quod breui temporis spatio plura sunt Toleti aggregata Concilia, quæ satis apertè Toletanæ*

[a] De Montano Toletano Antistite scribit Ildefonsus in additionibus virorum illustrium Isidori.

[b] Gregor. est auctor lib. 3. dial. c. 31. & Isidor. de viris illustribus: & de Hermenegildo id tradit D. Greg. eodem lib. c. 1. & Greg. Turon.

[c] Era. 627.

[d] Lib. 2. c. 15.

[e] De hac abiuratione extat epistola Greg. Mag. ad Reccaredum regẽ lib. 7. reg. epist. 127.

[f] Vt ex epistolis Greg. Mag. liquet lib. 1. regist. epist. 41. & li. 4. epist. 90. & lib. 7. epist. 125 & 126. ad Leandrum, & Reccaredum regem: & vocat eum Episcopum Hispaniarum, eo quod toti Hispaniæ præ ff t.

[g] Id affirmat sanctus Ildefon. in additione ad Chron Isidor. in præfatione, & ideo vocatur a Braulione Episcopotũ summus in epist. lib. 1. etymol.

[a] Era. 361.

[b] In Topographia sanctorum ponitur Honoratus indictione Concan.

[c] Rodericus lib. 2. c. 14. Era. 610. & Ioannes Magnus lib. 16. c. 19 Nam ante diram persequutionem mouit aduersus Christianos ex Ruderic. lib. 12. c. 4. & D. Greg. lib. 3 Dialogor. c. 31. sed postea signis & miraculis Martyrij Hermenegildi filij commotus animo, secretè hæresim reuocanit.

[d] Concil. Tarraconense celebratum fuit Era. 554. sub Theodorico rege, & Ioanne episcopo, & habet magnam auctoritatem: nam fere totum in collect. decretorum Gratiani ponitur.

[e] In vita Eugenij martyris primi Præsulis Toletani.

[f] Era 565. in codicibus M. ff. Era. 562. Anno quinto Amalarici regis.

Toletanæ sedis maiestatem, auctoritatemque indicant exprimunt. Quippè, quæ veluti mater filiorum incolumitati diligenter prouidebat, & tanquam omnium aliarum magistra, in vniuersa Gothorum ditione & imperio, diuinum cultum, Ecclesiasticos ritus, & reliqua omnia, quæ ad componendos hominum mores, & summi Dei honorē in debito officio retinendum pertinent, sedulò docebat. Id verò apparebit manifestius, si singula repetamus Concilia. [a] Quarto namque præfuit [b] Iustus Primas Toletanus, in re monastica S. Helladij discipulus, & dignitatis successor. Non desunt qui affirment Isidorum Apostolicæ sedis legationem in hoc Concilio obijsse, eidemq; præfuisse.

Primo deinde anno Regni Cinthilæ [c] Regis, quinta Synodus Tolet. cogitur, in qua Eugenius II. Helladij etiam discipulus, primum locum, & summam tenuit potestatem. Interfuit etiam huic Concilio Braulius Cæsaraug. cū magna sui nominis gloria, & celebritate. Huius Eugenij temporibus, regnante Cindasuintho [d] sexium, [e] septimumque Conc. actum est. Hic enim Rex Leandro, & Isidoro vita functis, Apostolicæ sedis auctoritate, Primatus dignitatē ecclesiæ Tol. iterum restituit. Vnde in septimo Concilio sancitū [f] est, vt pro reuerentia, ac Regiæ sedis honore, vel Metrop. ciuitatis ipsius consolatione, conuicini Toletanæ sedis Episcopi, iuxta quod eiusdem Pontificis admonitionē acceperint, singulis per annum mensibus in eadem vrbe debeant commorari. [g] Quæ sanctio ita est singularis, vt nulla Metropolis ea vtatur apud Hispanos. Marianus Societatis Iesu, doctissimus Theologus, & diligens, & elegans rerum Hispan. scriptor. lib. 6. de rebus Hispan. ait se auctorem habere, in quo scriptum est, in hoc 7. Concil. o, controuersiam de Primatu inter Tol. & Hispal. exortam fuisse compositam.

Celebrantur deinde alia Concilia, regni potestate Recesuintho, à Gothis tradita, octauum nempè, nonum & decimum, quibus is, qui D. Illefonsum Eugenius 3. anteceßit, præfuisse scribitur. Hisce verò temporibus Primatus auctoritatem Tolet. sedes, absq; vlla controuersia, & disceptatione obtinebat. Cuius rei certissimum extat argumētum in duodecima Synod. Tol. cui, Eruigio regnante, [h] Diuus præfuit Iulianus [i]: capite enim sexto concessa est à toto Concilio facultas Archiepiscopo Tol. creandi, & præficiendi Episcopos in vniuersa Hispania, & Narbonensi Gallia, qui in defunctorum locum succederent; ne vacante sede, & legitimo Pastore diu orbata, quidquam detrimenti Ecclesiastica iurisdictio caperet, iacturamq; ordo Ecclesiasticus & perturbationem [k] sustineret. Quam sanctionem, vt iustam sanctamque Gratianus inter alia collegit & inseruit Conciliorum & patrum decretis. Qua non potuit veri Primatus primæque dignitatis apertius testimonium desiderari: in eaq; condenda Iulianus Hispalensis Episcopus, Luiba Bracarensis, Stephanus Emeritensis, interfuerunt, & cum his triginta quinq; alij Episcopi, multiq; in absentium locum suffecti vicarij: Abbates præterea, virique plures illustres, ex officio Palatino. Qui omnes pari animorum consensione decretum à se sancitū, in omnibus prouincijs promulgari seruarique iusserunt. Itaque quod ante totius prouincialis Concilij auctoritate fiebat in creandis, præficiendisque prouinciæ Episcopis, Toletanæ sedi adiudicatum est, illique soli tributum. Deinde verò magnus cœpit Episcopo Toletano honos ab omnibus clericis haberi; tum propter primæ sedis auctoritatem; tum etiam quod in instituendis Episcopis eius esset opus suffragio. Idem etiam Iulianus sanctitatis opinione conspicuus, ac literarum gloria clarus, [a] tertiodecimo, [b] quartodecimo, & quintodecimo Concilijs præfuit. Felix autem nomine & re, qui innocentia vitæ, ac literarum sacrarū cognitione futuræ felicitatis argumentum per se ferebat, [c] decimisexti & decimiseptimi Concilij Præses fuit. In hoc decimosexto Concilio acta causa est Sisiberti Præsulis Toletani, qui aduersus Egicam regem temerè conspirauerat, cuius imperium anteà sacrosancto confirmauerat iureiurando: dignusque optima ratione visus est vniuerso Concilio, vt læsæ maiestatis reus, è sublimi dignitatis fastigio [d] deijceretur, atq; deturbaretur. In huius locum suffectus est [e] Felix, qui etsi tunc denuò & recenter electus, in subscriptione tamē Concilij omnibus in subscribendo [g] præponitur antiquioribus Metropolitanis, Faustino nempè Hispalensi, Maximo Emeritensi, Verę Tarraconensi, & Felici Bracarensi: siquidem Felix ad Toletanam sedem ex Hispalensi, veluti minori fertur conscendisse.

Acta 16. Conc. Tol.

Hæc sufficient ex actis Conciliorum Hispaniæ, quæ Primatum Toletanæ sedis probant. Sunt & alia argumenta non infirmiora, quæ idē manifestant, nimirum [h] vnctio regum: nam vngebantur illis temporibus oleo sancto, qui ex Gothis assumebantur in reges. Vnctum enim fuisse Vuambam, testatur Concilium Toletanum duodecimum, in quo Eruigij assumptio ad regiam amplitudinem, ab omnib. Ecclesiastici ordinis & Palatinis viris est confirmata, Vũbam rege in id consentiente & iubente, cum abiecta regali potentia, pauperem & monasticam decreuisset vitam agere. Nam à Iuliano Toletano Antistite Vuambarex emixè efflagitauit, cum se regno abdicaret, vt studiose curaret, Eruigium in Regem vngi. Qua ratione constat, munus vngendi reges, plenum honoris, & dignitatis, cui reliqui episcopi, & equites, primoresque Palatini interesse debebant, ad Toletanum tantum spectare Præsulem. Qui etiam eundem, quem vngebat Regē, sacramento astringebat, vt iustitiam coleret inuiolatam, Regnumque summa fide, & æquitate administraret: sicut in Toletana Synodo [i] sexta, & [k] octaua legitur.

Primatus Cōc. Tol. probatur ex vnctionibus Regum.

His ergò gradibus Ecclesia Tolet. eo perducta est, vt inter magnificas, ac celeberrimas totius orbis Christiani Ecclesias, insignem dignitatis, & auctoritatis locū occuparet. Nam erat in ea ciuitate sita, quæ Gothici Regni caput tenebat: eiusque Præsulius erat omnib. Hispaniæ Ecclesijs præficiendi Episcopos: eiusq; consilio sæpè Reges ad res pacis, & belligerendas vtebantur, & ad munera hominibus Gothis conferenda. Cum verò ministrorū copia, & multitudine, cultuq; pietatis, & Regum præsentia, multisq; alijs nominibus celeberrima esset templum

Dignitas Ecclesiæ Tolet.

[a] Era. 671. sub Rege Sisinando.
[b] De Iusto vide Illefonsum de viris illustribus.
[c] Era. 664 Anno primo Cinthilæ Regis.
[d] Era. 676.
[e] Era. 684.
[f] Propter hæresim Theodich Hispalensis Præsulis, qui Leandro successit, in quo speciale priuilegium extinguitur, & ad ordinariam potestatem reducitur. Vide S. Illefon. in additione ad Chron. Isidori, in præfatione, & Aluarū Gometium in vita Eugenij. Vasæum tom. 1. Anno. 641.
[g] Zacharias PP. instituit, vt singulis annis Apostolorum limina visitent episcopi, qui ordinationibus Apostolicis subiacent: habetur dist. 93. cap. Cyprianus. lib. 4. epistolarum, epist: 9. Greg. Magn. ad quinquennium id redegit.
[h] Era. 719.
[i] Sic etiam erat in Africa, in qua factæ sunt sex prouinciæ, vt in quit sextus Rufus, Carthago Proconsularis, Numidia Consularis, Bizancena, Tripolis, Mauritaniæ duæ, Sitiphensis, ac Cæsariensis. Quot autem erant prouinciæ, tot erant in Africa Primates, siue primæ sedis episcopi, vt patet in dist. 63. c Cum longe, lateque.
[k] Cum ad Primatem spectet electionem episcopi approbare, ex epist. Leonis PP. ad Anastasium epist. 84. & habetur d. 65. cap. de persona. & apud Iuonem. 5. p. c. 348. Concilio Carthag. 6. & 7. item Africano, c. 52. 53. 57. 92. Horum omnium primus erat episcopus Carthaginensis, vt patet ex dicto Concilio Africano, & apud illum summa erat potestas in creationibus episcoporum quos vellet per Africam: vnde vocatur à D. Augustin. epist. 162. Carthag. Africa caput. Vt patet ex Cōcilio Nicæno c. 4. & Antioch. c. 19. & Cabilon. 1. c. 10. Quæ habentur hæc & alia d. 65. per totam distinctionem, & apud Iuonem; p. 5. c. 137. & c. 117. affertur decretum Nicæni Concilij.

[a] Era. 722. Anno quinto Eruigij.
[b] Era. 726. Anno primo Egicanij, sub Iuliano.
[c] Era. 731. sub Felice vrbis regiæ Primate & Egica rege.
[d] Era. 732. sub Felice & Egica.
[e] Vt cautum erat in Concil. Tolet. 4. c. 75.
[f] Qui erat episcop. Hisp. Ruderic. lib. 4. c. 3.
[g] Id patet ex M. S. codice ecclesiæ Toletanæ, & S. Emiliani: præterea ordo sedendi & subscribendi præcedentiam indicant, vnde cautum est in multis Concilijs vt posterior priori episcopo non præponatur, Sed prius ordinatus episcopus priorem habeat locum. Agath. Can. 23. 1. Brac. c. 24. & Lucius PP. in 2 pist. ad episcopos Galliæ in 6. Synodo Const. act. 4. Agar. PP. primo subscribit, & Imperator in Concilijs post episcopos subscribit, nam nulla dignitas, licet Imperialis, honori, & dignitati episcoporum æquatur. ex Greg. in epist. ad Hermanum Metensem episcopum. Similis ratio est de Rege, vt patet in Cōcilijs Toletanis, & ex subscriptionibus præeminentiarum Primatum. Cassaneus collegit p. 4. cons. 19. In 8 Synodo, quæ fuit 4. Constantinop post episcopos subscripserunt Imperatores Basilius, Constantinus, & Leo perpetui Augusti, &c. quod adnotauit Osius lib. 1. de legitimis iudicibus.
[h] De vnctione regum vide tit. de sacra vnctione.
[i] 6. cap. 17.
[k] 8. cap. 6.

templum Toletanum, tum præcipuè, vt D. animaduertit [a] Illefonsus, quod cum terrorem omnibus, & quasi formidinē incuteret, à pijs, & improbis magna religione colebatur, eiusque dignitati omnis cultus videbatur inferior. Quibus verbis tacitè innuit cœleste pignus, quòd à sanctissima Angelorum, hominumq; Regina accepit, & templum Toletanum quod vna virgineo, diuinoque conspectu, atq; genitricis Dei præsentia fuit amplicatum, & summè auctum. Tunc enim cœlesti amictu Illefonsus indutus, ad peragendam solennioribus diebus rem sacram, speciem toti populo ciuis Sanctorum, & domestici Dei potius, quam terreni habitaculi præseferebat. Addo etiā alios Præsules sanctissimos, qui eximijs virtutū ornamentis sede hanc illustrarūt, Eugenium Martyrē, Patruinum, Montanū, Iulianum. I. Euphemium, Helladium, vtrumque Eugenium. II. & III. Felicē, Illefonsum, Iulianum. II. Gundericum, quorum mores integri, & sanctissimi, virtutesque excellentes, & singulares, eos segregarunt ab omni consuetudine mortali; ita vt miracula in hominum conspectu viui, & mortui ederent. Conciliatandem in ea vrbe coacta, admirabili, & penè diuina sapientia, à summis Pontificibus, & œcumenicis Concilijs, magno consensu approbata, illi celebritatem frequentissimam, splendoremque, per vniuersum orbem attulerunt.

Peruenerat iam Toletana Ecclesia ad summum auctoritatis, & maiestatis culmen. Verum ita est inconstans rerum vicissitudo, statusque rerum humanarum labilis, vt ilicò ægrotare cœperit, & abauit a religione, & optimis grauibusq; moribus, veluti flosculi solent ex arboribus, deciderit. Vvisitanamq;, & Rodericus Reges Gothi, luxuria diffluxerunt: quorum turpi vita homines Gothi cœperunt emollescere, atq; effœminari, religionisque candorem, & morum integritatem sceleris contagione polluere. Quæ vitia teterrima in Sacerdotes etiam deriuata, indignissimam calamitatem toti populo attulerunt. Nam prouecato flagitijs ad iracundiam diuino numine, miseria statim, & ærumna, instar flagelli sunt factorum, & scelerum vindices. Inuadunt igitur in Hispanicam prouinciam Mauri; breui tempore depopulantur vrbes, vastant agros, diripiunt domos, munitiones expugnant, sæuiunt miserè in omnes, diuina, & humana violant, & vexant; Reges ipsos, à quibus iusta vindicta ortum habuit, de opulentissima possessione deturbant, totiusque populus in seruitutem ex libertate deiectus, capitur à barbaris. Neque tam sæuæ vastationis alia est studiosius perquirenda ratio, quam vbertatis prouinciæ abusus, libidinisq; effrænatæ luxus, cui optima quæque molles animi inseruire fecerunt. Et licet Rodericus Rex aduersus irruentium Maurorū furorem delectus habere, equitatū parare, arma, & stipendia populis cōtribuere, vt facilius tantus impetus sustineretur, curauit, tandem miserè, vt mollis, profligatus, & funditus euersus est, anno [b] Domini septingentesimo decimo quarto, post quam imperium Gothicum ab Athanarico, vsque ad eum per trecentos & quadraginta quatuor annos fuit productum. Improbi enim Vvitisæ, Rodericique mores, vita eorum infamis, effœminata, & crudelis, multo ante, luctuosum hunc interitum, summamq; ruinam videbantur quasi prædicere, præsagireque. Nam primò ad imperium sunt prouecti morte aliorum: deinde totum suum studium ad opprimendos populos contulerunt; nulla sanis adhibita reuerentia, neque Sacerdotibus obseruantia; diuina omnia profanata ab ipsis, & euersa sunt, viaque ad omnem turpitudinem aperta: exēploque suo iniqui, & sceleratigratia, & auctoritate aucti, totam reipublicæ effigiem, & animum deformarunt.

§. IV.

Tertius Toletani Primatus status nihil aliud, quam funestam complectitur ruinam. Nā fuso, atque deleto turpiter Roderico, in Maurorū ditionē post varias expugnationes, ciuitas intra annum venit. Vrbanus Præsul, eo quod Sineredus abesset, Primatis honorem suscepit. Qui, vt erat vir sanctus, constanti, & forti animo, inuictoq;, insignem illam sustinuit calamitatem. Cui multum adiumenti ad pōdus miseræ seruitutis ferendum attulit [c] Euantius Archidiaconus Toletanus. Erant enim ambo præclara docti disciplina, & ea cognitione Ecclesiastica informati, qua Toletanam Ecclesiam sanctissimus instruxerat Illefonsus. Vrbanus igitur in tanta rerum commutatione non destitit, quibus potuit rebus prouidere: libros complures, sacras diuorum reliquias, atque corpora studiosè, & accuratè collecta, & [d] capsam summa cū veneratione inclusa, in montanos Astures diligēter deportanda curauit. Hæc verò beata capsa in Ecclesia Ouetipostea cum multis alijs reliquijs sanctè collocata, magna cum pietate hodie colitur; & vbi illa asseruatur, Cameræ sanctæ nomen est indutū. Miserandis Vrbani temporibus diuinus cultus, & sacramentorum vsus cœpit Toleti magna ex parte immutari, immmutq;: illa namq; amplitudo, summaq; auctoritas Præsulis Toletani ad sextantum parœcias, & exiguum fidelium numerum redacta, iniquis admodum finibus inclusa est. Neque satis fuit paucitate esse immmutos, verum qui superfuerunt fideles, assidua Maurorū familiaritate, & consuetudine vsi, & sæuissima persequutione deterriti, in religione, Christianisq; institutis turpiter fluctuare cœperunt. Quos, vt firmos in fide efficerent, & ad pericula subeunda excitarent, curam, & studium maximum adhibuerunt Vrbanus, Euantius, aliiq; pij, & officiosi Sacerdotes. Idem munus Cixila non minori diligentia præstitit, qui Vrbano vita functo, Toletanæ sedis Episcopus ab vniuerso Clero renunciatus est. Is erat pietate, & disciplina Spiritus sancti conspicuus. Cùm verò Toletani templi dignitas miserè trueret, alijs in partibus (vt est Dei Opt. Max. bonitas) cœpit cultus Ecclesiasticus oriri, augeriq;. Nam Compostellanum D. Iacobi templum, & Ouetense alterum in montanis Asturum situm, attributa illis Metropolitana dignitate, vigere cœperūt. [a] Compostellanæ enim Basilicæ tantum veneratione, & cultus propter sanctissimi Iacobi corpus, quod ibi religiosè quiescit, delatum est, vt in eius honorem Iriæ Flauiæ episcopatus, ex Bracarensi iurisdictione exemptus, eò fuerit translatus. Cui [b] posteà Calixti. II. temporibus honos Metropolitanæ accessit, & Emeritensis primæ sedis illi auctoritas est data. Is enim Pontifex Compostellanam Ecclesiam omni officio prosecutus, Archiepiscopatus titulo, & Legati decorauit: tum quòd in ea eius pater fuerat conditus; tum etiam, quòd ibi Alfonsum Hispaniæ Imperatorem Vraccæ filium sacro fonte lauerit, oleoq; deinde consecrato in Regem vnxerit. Quas potissimum ob causas, Compostella exemptæ sibi nomen vendicauit, & ex potestate Toletani Primatis se illis temporibus cœpit subtrahere. Ouetum ortum habuit à Gothorum calamitate. Vagantes namq; primū sedem ibi collocarunt. [c] Regnante Froila in pretio habita, ab eoq; condita vrbis titulo, & Episcopali dignitate exornatur; Hermegildumque primo in Episcopali sede constituit. Alfonsus verò cognomento, vt re, Castus, templum magnificentissimè extruxit, [d] ad illius instar, quod erat Toleti in Maurorum potestate; vt tristitia de amissi templi iactura, imitatione noui, aliquo pacto leniretur. Labente tempore Alfonsus. III. ex decreto Ioannis Papæ. VIII. [e] Ouetensem sedem in Metropolitanā extulit auctoritatem. Fuit [f] hæc ciuitas domicilium certum, & portus tutissimus multorum Episcoporum, qui, amissis in vastatione Hispaniæ sedibus fidem, & religionem amplexi, auxilium, commeatūq; Regium experti, in eam appulsi cum quam ex procelloso enatarūt naufragio: ibiq; sanctissimam agentes vitam, tandem fato functi, cœlestib. copulati in cathedra perennis gloriæ sedent. Toletum verò licet in Maurorum ditione esset, primatus iure, & auctoritate vtebatur. Nam in defuncti Cixilæ locum, Petrus, qui propter elegantem corporis formam, Pulcher cognominatur, cooptatus est. Fuit hic vir literis apprimè eruditus, & in religionis obseruantiam, & pietatem, ita accensus, vt non modò in vrbis suæ curam solicitè incumberet, omnibusque periculis diligenter prouideret; verùm & aliorum Hispaniæ Præsulum necessitatibus consulendum esse arbitraretur. Nam cùm ad eum peruenisset, Paschatis computum ritè, & canonicè Hispali non obseruari, ad Episcopum, & Hispalensem Clerum super ea re scripsit quid tenendum esset. [g] Quod verò attinet ad Paschatis computum, ex Conciliorum decretis, nemini licebat, præterquā primis Episcopis, quid constans, & firmum esset, decernere. Petrus Pulcher Elipandum habuit, post alios quosdam successorem, qui tantum munus sibi demandatum, non solùm negligenter, verum & iniquè admodum

Tertius Toletani Primatus status tempore Vibani quis? quæue Primatum series?

Status Toletanæ Eccles. sub Cixila.

Sub Petro Pulchro quis status Eccles. Toletanæ.

[a] De viris illust.
[b] Anno Domini. 714.
[c] Iulianus in vita Illefonsi, quam apud me habeo: & Rodericus lib. 4. c. 3.
[d] Rodericus lib. 4. c. 3. Vrbanus Sinderedi successor arcam reliquiarum, & scripta B. Illefonsi, & Iuliani Pomerij, & vestem sacram, quam B. Virgo dederat Illefonso, ad Asturias dicitur detulisse.
[a] De Compostellana Ecclesia extat opus, quod dicitur historia Compostellana. Rod. lib. 4. c. 17. & 18.
[b] Id constat ex literis Calixti Papæ.
[c] Rodericus lib. 4. c. 6.
[d] Rodericus lib. 4. c. 8.
[e] Rodericus lib. 4. c. 18. vbi agitur de sublimatione Ouetensis vrbis.
[f] Vnde vocatur ciuitas Episcoporum: & ita cautum erat in Concil. Sardic. c. 21. ex decreto Osij Episcopi Corduben. vt Episcopi à suis sedibus pulsi in alijs ciuitatibus reciperentur benignè, & humanè.
[g] Contendebatur olim, quo die foret Paschacelebrandum; vnde cautum est, vt Ecclesia maior minori præscribat diem. 3. Conc. Carth. c. 1. & 41. 1. Arelat. c. 2. & 4. Carth. 65. 5. Carth. 7. 4. Aurel. 12. 4. Tolet. 4. 2. Brac. 9.

admodum expleuit. Vsus enim frequenti Maurorum commercio; cum longè abesset ab illorum temporum felicitate, in quibus Ecclesiastica, sinceraq; doctrina vigebat; parumq; accuratè in sacris literis versatus esset, in hæresim de adoptione Christi Seruatoris nostri, arroganter, & ignoranter impegit. Quæ posteà fuit Francofordiensi Concilio damnata.[a] Cum verò quibusdam Episcopis, & Hispaniæ vrbibus per literas impietatem suam persuadere conaretur, reiectus est elegantibus scriptis Heterij Episcopi Oxomensis, & B. Presbyteri, qui literis sacris apprimè eruditi, aduersus Elipandum præclara edidere monumenta. Sublato Elipando, Toletana sedes [b] Vviestrimiro Præsuli egregio, atq; optimo commissa est; de quo Eulogius Martyr, hæc literis consignata reliquit.

Post quintum diem Toletum reuerti, vbi adhuc vigentē sanctissimum senem nostrum, faculam Spiritus sancti, & lucernam totius Hispaniæ Vviestrimirum Episcop. comperi: cuius vitæ sanctitas totum orbem illustrans, hactenus honestate morum, celsisque meritis catholicum gregem refouet: multis apud eum diebus degimus, eiusque Angelico contubernio hæsimus.

Vita functo Vviestrimiro, idem Eulogius sufficitur; qui ad aliud excellentius munus vocatus, antequam Toletum venire potuisset, constanti animo subijt Cordubæ martyrium, in ea persequutione, quam barbari Mauri in religionem Christianam excitarunt. Quibus hoc cordi erat, vt eas, quæ superfuerant, Christiani cultus & doctrinæ scintillas, omnino delerent, & extinguerent. Inde furentes vniuersas Hispaniæ vrbes, pagos, & domos, purissimo Martyrum sanguine compleuerunt. De Cordubensibus [c] martyribus adhuc extat particularis historia ab Eulogio Martyre conscripta. Sanguis iste innocentissimus, qui impiè & immaniter fundebatur, sine intermissione clamabat ad Deum, debitam q; pœnam, & tanto scelere dignissimam repetebat; vt afflictum, desolatumq; populum Catholicum in libertatē vendicaret. In hac persequutione non modò Toleti, verum etiam in reliquis ciuitatibus, ex Maurorum ditione, vniuersa ferè religio & auctoritas Ecclesiastica sublata est. Fuerunt namque plures Episcopi, qui ambitione capti, Sarracenorum regum aulas sequebantur; & in id potissimum enixè operam dabant, vt dignitatum, & opum accessionibus indies augerentur, nouosq; honores, & sacerdotia ampliora obirent. Quod cum assequi non possent, nisi Maurorum gratia, & auctoritate, à quibus accessiones pendebant, ad eam habendam, ea calliditate, malignitateq; vtebantur, vt studiosè animaduerterent, quo pacto Dei populum acerbissimis exactionibus, & vectigalib. minimè ferendis vexarent. Turpissimam hanc infidelitatis notam subijt Hostigesius [d] Malacitanus Episcopus. Ioannes verò Dei seruus vita & miraculis clarus, qui eisdem ferè temporibus, quibus martyrium sustinuit Eulogius, primam Toleti sedem, consentientibus clero & populo, tenuit, in tanta rerum permutatione & aperto discrimine suas partes strenuè atque viriliter egit. Nam & furori indomito, sanctissimisq; moribus immanitati restitit, impotentemq; tyrannidem institutis vitæ præclaris oppugnauit. Quamobrem Ioanne vsura vitæ priuato, designari successorem Mauri non sunt passi. Fuit ergo Ioannes ferè vltimus Episcoporum, qui Toleto in Maurorum seruitute præfuit. Vnde Pastore centum & quinquaginta caruit annos, donec ab Alfonso sexto rege ciuitas pppugnata est. Christiani autem Mozarabi, quamuis carebant publico primoq; pastore, in spiritualib. veluti Episcopum S. Iustæ parochum constituebant, quem electum summa cum obseruantia suspiciebant, ac venerabantur. Hæc fuit Primatus series in tertio statu Toletanæ Ecclesiæ; quæ ex amplitudine illa & insigni maiestate, qua Gothorum regum temporibus floruit, in tantas est redacta angustias, vt antiqua illius Præsulis dignitas in priuatum quendam ac peculiarem Sacerdotem inciderit. In hac igitur paucitate, & inopia religionis, diuini cultus nimis erat immutata auctoritas, ac debilitata, cum Alfonsus sextus Rex, die sacro D. Vrbani Papæ, & Martyris Toletum expugnauit, & ex Maurorum potestate eripuit,[a] anno millesimo octogesimo tertio à Virgineo partu, cum Toletum, per trecentos & sexaginta octo annos seruitutem miserè pertulisset.

Pugnandus contra Vviestrimirus & Eulogius martyr accedit.

Posthabitū annis Toletanos Episcopo defuncto fuit an. 150.

§. V.

Toletum in Maurorum potestate fuit per LXVIII. annos supra CCC. Quo tempore religio Christiana eam habuit iacturam, quam paulò ante memoratimus. Labent etiam religione, ab Alfonso rege, die festo S. Vrbani expugnata ciuitas, & ex Maurorum ditione erepta fuit statim, vt erat in religionem Christianam eius animus propensius, egit de restituēda antiqua Archiepiscopali dignitate. Quod vt li bentius efficeret, totius regni Præsulum ac virum Principum conuentum indixit; ex quorum sententia & Consilio [b] Bernardum monachum ex instituto D. Benedicti, virum optimum, rerum scientia, & exemplo vitæ insignem, religioni præfecit, & Archiepiscopi titulo decorauit. Deinde verò Bernardi & reginæ opera, rege inuito, Ecclesia S. Deigenitrici Mariæ, D. Petro Apostolorum principi, & Protomartyri Stephano dicata est. Rex autem [c] prædia & oppida & alia magni pretij munera, Regali magnificentia Diuæ Virgini in dotem assignauit, vt ex eius literis lectione dignis conspicitur, quæ in Archiuo Toletano hodie religiosè asseruantur. [d] Dum hæc agerentur in Hispania, Apostolicam sedem Romæ tenebat Greg. septimus.

Bern. Toletanus Ecclesiæ factus Episcop quando & qua occasione.

Bernardus ad tantam euectus dignitatem in id potissimum cœpit incumbere, vt fidem Catholicam, & Christianos mores antiquos, & sinceros in Metropolim suam reuocaret: qua in re omnem suam operam collocabat. Verùm ab hoc instituto legatione Ricardi Abbatis S. Victoris, retardatus est, & emergentibus difficultatibus coactus Romam proficisci ad Pont. Max. à quo tanquam ab oraculo de dubijs, quæ in tanta dignitatis institutione exoriebantur, sanctissima acciperet responsa. Romam tandem per Alfonsum regem Pontifici commendatus peruenit, quum sanctissimam illam sedem regebat [e] Vrbanus. Fuit ergo Bernardus perhumanè exceptus à Pontifice, qui rebus cum ipso actis, electionem eius libenter confirmauit, & in pristinam auctoritatem, vt Gothorum tempore, & iurisdictionem restituit, & Primatus auctoritatem, quam olim in Hispania, & Narbonensi Gallia obtinuerat, iterum erexit. Vt ex eius diplomate liquidò constat.

Res gestæ à Bernard.

Vrbani rescriptum.

VRbanus Episcopus, seruus seruorum Dei Reuerendiss. fratri Bernardo Archiepiscopo Toletano, eiusque successoribus in perpetuum. Cunctis sanctorum decretales scientibus institutiones liquet, quantæ Toletana Ecclesia dignitatis fuerit ex antiquo, & quantæ in Hispanis & Gallicis regionibus auctoritatis extiterit, quantæque per eam in Ecclesiasticis negocijs vtilitates accreuerint. Sed peccato populi in latitudine promerente, à Sarracenis eadem ciuitas capta, & ad nihilum Christianæ religionis illic libertas redacta est, adeò vt per annos CCC. penè LXX. nulla illic viguerit Christiani Pontificij dignitas. Nostris autem temporibus diuina populum suum respiciente clementia, studio Ildephonsi gloriosissimi regis, & labore populi Christiani Sarracenis expulsis, Christianorum viribus, Toletana ciuitas est restituta. Igitur voluntate & cōsensu vnanimi comprouincialium populorum

Vrbani diploma.

a Rudericus lib. 6 c. 23. capta est ciuitas Era. 1133. quod est annus Domini 1095. sed in C. M. S. Ecclesiæ Toletan. est Era 1123. quod est ann. D. 1085. in C. M. S. Cœnobij D. Ioannis ex familia Franciscana, est Era 1121. Quod est annus Domini 1083. & in Chronico perantiquo Ecclesiæ Toletan. est: Capta est ciuitas Era 1121. Quod est anno Domini 1083. Vrbanus Pontifex in priuilegio Primatiæ Bernardo cōcesso, inquit, quod per 300 ferè & 70. annos, nulla illic viguerit Christiani Pontificij dignitas: & in donatione Alphonsi regis Toletan Ecclesiæ facta dicitur, quod absconditō Dei iudicio, 366. annos, possessa fuit à Mauris.

b De Bernardo sermonem longum instituit Rud. lib. 7. c. 25.

c Extat in lib. priuileg. Ecclesiæ Tolet. & in historia Ruder. li. 6. c. 24.

d Ciuitas in deditionem venit sub Grego. 7. Pont. Max. innuit id Ruder. li. 6. c. 26.

e Vrbanus PP. Bernardo duobus priuilegijs Primatus honorem concessit: alterum datum est anno Domini 1088. Pontif. sui anno 1, alterum anno Domini 1099. Pont. sui ann. 12. Vnde ex primo diplomate liquidò constat, temporibus Gregorij septimi Toletum fuisse cultui Christiano restitutam: id etiam constat ex Platina in vita Vrbani secundi.

lorum, Pontificum, atque Principum & Ildefonsi excellentis regis, te frater chariss. B. primum illius vrbis, post tanta tempora, Præsulem eligi diuinæ placuit examini Maiestatis. Et nos ergo miserationi supernæ gratiæ respondentes, quia per tanta tempora, mariumque discrimina, Romanæ auctoritate Ecclesiæ, suppliciter experisti, auctoritatem Christianam Toletanæ Ecclesiæ restituere non negamus. Gaudemus, & etiam corde lætissimo magnas, vt decet, Deo gratias agimus, qui tãtam nostris temporibus dignatus est Christiano populo donare victoriam; statumq; eiusdem vrbis, quoad nostras etiã facultates, stabilire atque augere, ipso adiuuante, præoptamus. Tamen benevolentia Romanæ Ecclesiæ, solita & digna Toletanæ Ecclesiæ reuerentia, tum charissimi filij nostri præstãtissimi regis Ildefonsi precibus inuitati, pallium tibi frater venerabilis B. ex Apostolorum Petri, & Pauli benedictione contradimus; plenitudinem scilicet omnis Sacerdotalis dignitatis, teq;, secundùm quòd eiusdem vrbis antiquitus cõstat extitisse Pontifices, & in totis Hispaniarum regnis Primatem priuilegij nostri sanctione statuimus, &c. Primatẽ te vniuersi Præsules Hispaniarum respicient, & ad te, si quid inter eos quæstione dignum exortum fuerit, referent: salua tamen ratione, Ecclesiæ auctoritate, & Metropolitanorum priuilegijs singulorum. Toletanam ergo Ecclesiam iure perpetuo tibi, tuisq;, si diuina præstiterit gratia, successoribus Canonicis, tenore huius priuilegij confirmamus, &c. dati Anginæ, per manus Ioannis Diaconi S. Romanæ Ecclesiæ, & præsignatoris domini Vrbani II. Papæ, idibus Octob. anno Dominicæ Incarnationis M.LXXXVIII. indictione XI. anno Pontificatus eiusdem domini Vrbani Papæ, primo.

Bernard. factus Legatus Pontificis.

Bernardum etiam, cuius prudentiam & mores probauerat, legati munere auxit; vt ex secundo eius rescripto constat, in ea prouincia, cuius Primas iam erat: vt curam susciperet condendi templa, amplificandi, & conseruandi vniuersam Hispanicam Ecclesiam, in eisq; ciuitatibus Episcopos constitueret, quæ ex Maurorum potestate eriperentur (Nam Christiani sub barbarorum dominatu ferè omnes rudes, & ignari doctrinæ Catholicæ erant, & earum rerum, quas & cognoscere, & seruare ex ritu Ecclesiastico tenebãtur) quod & strenuè fecit. Nam prudentia sua & iudicio errata correxit, & depraua tos mores emendauit, atque ritus Sacramentorum, & diuini cultus cæremonias docuit. In qua re stabilienda Ecclesiæ Romanæ doctrinam, & mores sequutus est: nam eam semper coluit, vt magistram Christianæ pietatis, & vt radicem atque matricem, vt D. Cypriani a verbis vtar, totius Ecclesiæ Catholicæ. Quam operam Tarraconæ Ecclesiæ potissimum nauauit. Nam illa ciuitas, quæ apud Gothos Metropolis fuerat, & caput religionis, à Mauris euersa, postea virtute Comitis b Barcinonensis expugnata, orbata religione & ciuibus, diligentia Bernardi rursus erigitur: & in Gallia Gothica Synodo coacta, Pyrenæis superatis, Tarraconam peruenit, c templum consecrauit, Præsulem constituit Berengarium Episcopum Osonensem, quam diœcesim in Tarraconensem transtulit Ecclesiam. Itaque eodem ferè tempore Toletana, & Tarraconensis Ecclesiæ, quæ regnantib. Gothis fuerant præclarissimæ, opera Bernardi Christiano cultui & antiquæ celebritati redditæ sunt: & eodem quasi partu in lucem veritatis editæ, ab vno patre spiritualibus sunt auctæ diuitijs. Verũ Tarraconensis Episcopus dignitate elatus, Bernardo obseruantiam Primatus debitam præstare recusauit, & primò à summo Pontifice Vrbano pallij honorem, atque suffraganeos antiquos impetrauit: deinde vi Metropolitæ Primatis iurisdictionem modis omnibus refugit: quod vt consequeretur, nihil non tentauit. Tamen Pontificis Maximi d Vrbani decreto & auctoritate reiectus est, qui his literis eius conatus repressit.

Epist. Vrbani Papæ

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Tarraconensi salutem & Apostolicam benedictionem. Nouit dilectio tua, frater in Christo venerabilis, quo tenore, qua conditione pallium tibi priuilegiumq; concessimus, &c. Memineris tamen ita te Archiepiscopum constitutum, vt tam tu, quàm vniuersi prouinciæ Tarraconensis Episcopi, Toletano tanquam Primati debeatis esse subiecti; sic ei à nobis in Toletanæ Ecclesiæ priuilegio constitutũ est; quod nos omninò ratum volumus permanere. Nunc autem multo ampliùs, quia nostræ solicitudinis vices in Hispania vniuersa, & Narbonensi prouincia ministrandas iniunximus, &c. Dat. Kalend. Maij.

Primatus Bernardo confirmatus.

Pontifices Romani, qui Vrbano successerunt, Bernardum in Primatu confirmarunt: a vt Paschalis & b Gelasius secundus, qui eidem ius concessit c Mauricium Bracarensem deponendi, alio suffecto Præsule. Is enim Mauricius vnitatem vniuersalis Ecclesiæ scidit, summi Pontificis nomine vsurpato; supremaq; auctoritate arroganter vti cœpit, non ritè & canonicè in sede locatus, seu potius sine sede & cathedra, à vero Christi Vicario disiunctus. d *Calixtus deinde eidem Primatum confirmauit & legationem; suffraganeosq; adscripsit, Ouetum, Legionem, & Palentiam. Maximus tamen hic Pontifex, qua erat animi propensione, & reuerentia in sacrum, ac venerandum B. Iacobi corpus, quod Compostellæ in Gallæcia summa cum religione & pietate colitur, & honorificè asseruatur; & quòd ibidem Remonus Comes, eius pater situs esset, sedem illam magnis quoad potuit honoribus decorauit; & Didacum eius Episcopum ad legate auctoritatem in prouincijs Emeritensi, & Bracarensi prouexit; & ex vniuersali Bernardi in Hispania Primatu exemit. Qua de re multis inter eos epistolis actum est, & vterq; suas partes diligenter egit. Vsus est Bern. auctoritate Primatis multis coactis nationalibus* f *Concilijs, & prouincialibus;* g *instituens, atq; consecrans cunctos ferè Hispaniæ Archiepiscopos, & Episcopos: in quare liberam Primatus exercuit potestatem. Quo officio vsque ad* h *Honorium* Pontificem *functus est. Hic vero Honorius* i *Raymundum Bernardi successorem Romæ Primatẽ instituit, quò, vt debita obseruantia supremam illã & sanctissimam sedem veneraretur, se contulerat. Idem præstiterunt Innocentius, Cœlestinus &* k *Lucius, qui singulari sanxit diplomate, vt Toletano Præsuli oës Episcopi Hispaniæ Primatis honorẽ deferrent, his verbis:*

Diploma Lucii Papæ de Primatu Toletano.

Lucius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Raymundo Toletan. Archiepiscopo, eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, &c. vt supra. Per præsentis ergo priuilegij paginam auctoritate Apostolica statuimus, vt per vniuersa Hispaniarum regna Primatus obtineas dignitatem, &c. Primatem te vniuersi Hispaniarum Præsules recipient, &c. Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscribo. Deinde subscribunt viginti Cardinales & Episcopi. Dat. Lateranen. per manum Varonis Capellani, & scriptoris, tertio idus Martii, indictione septimâ, incarnationis Domini anno M.C.XLIV. Pontificatus domini Lucii Pap. II. anno primo.

Raymũdo Ioannes successit.

Raymundo vita functo Ioannes successit, qui causam egit coram Eugenio. III. aduersus Ioannem Archiepiscopum Bracarensem, compulitq; l *vt Toletum veniens Præsuli Toletano Primatus publicè auctoritatem deferret, quam solenni confirmauit iureiurando. Hic Ioannes Toletanus partes Alexandri tertij aduersus Imperatorẽ Fredericum* m *sequutus, Concilio Turonensi interfuit, vt schismati Victoris Antipapæ consuleretur. Ioanne sublato, Toletanã sedem Cerebrunus obtinuit, à magnitudine cerebri nomen sortitus, qui in tẽplo Toletano vnà cum Ioanne iacet. Ii duo Præsules Alexandri tertij tempora attigerunt, neque Archiepiscopatu vnquam se abdicarunt.*

Vnde

a Paschalis, anno D. 1100.

b Gelasius, anno D. 1119.

c Ruderic. li. 6. c. 28. hic Mauricius fuit in schismate electus & vocatus Gregor. 8. & fuit Clericulus primo in Ecclesia Toletana, deinde Episcopus, postea Archiepiscopus Bracarensis, vltimò Antipapa.

d Calixtus, anno D. 1122.

e Id constat ex historia Compostellana.

f Legionensi, & apud S. Facundum, & Palentino & Tolosano, ex Compostellana histor.

g Vt Giraldum Bracarensem, Petrum Oxomensem, Bernardũ Seguntinum, & postea Compostellanum, Petrum Secobiensem, Petrum Palentinum, Raymundum Oxomensem. Ruder. l. 6. c. 27. & Burdinum Coimbricensem, & posteà Bracarensem.

h Honorius II. anno D. 1125.

i Raymundus in Concil. Palentino vocatur Primas & Legatus: in Compostellana.

k Lucius, anno D. 1144.

l Id constat ex diplomate Eugenij III. quod est in archiuo Ecclesiæ Toletanæ.

m Platina in vita Alexandri. III.

Vnde coniecturam facio, titulum [a] *decretalis, Requisiuit, corruptè legi Toletano, pro Tolosano, aut Colonienſi;* [b] *vt à viris doctis diligenter animaduerſum eſt. Alexander non tantum Primatum Cerebruni peculiari decreto ſtabiliuit, ſed & Anaſtaſius Papa Pelagio Cõpoſtellano conceſſerat, vt à Primatu Toletano immunis eſſet, irritum fecit.*

His temporibus nobilis illa Cardinalis Iacinthi in Hiſpaniam legatio habita eſt, qui inter alia magni momenti negocia, de controuerſia excitata ſuper Primatu, inter Epiſcopos Toletanum, & Compoſtellanum dirimenda, atque ſedanda egit: cauſa cognita & rationibus perpenſis, aduerſus Compoſtellanum ſententiam tulit, quem iuſſit ſimul cum alijs Hiſpaniæ Epiſcopis Cerebrunum tanquam Primatem ſuſpicere, atque colere. Quod præceptum Bracarenſi potiſſimum Epiſcopo impoſitum eſt; cui cum dies eſſet dicta, iudicio adeſſe recuſauit. Sententia Cardinalis Iacinthi ſic ſe habet:

Iacinthus Dei gratia Diaconus Cardinalis, venerabili dilectoq; fratri, eadem gratia Archiepiſcopo Toletano, & Hiſpaniarum Primati ſalutẽ, & veram in Chriſto Ieſu dilectionem. Officij noſtri debitum nos admonet, & affectio paterna compelliit, Eccleſiarum tranquillitatem ſatagere, & earum lites, ac omnimodas vexationes de medio tollere, &c. Cum igitur à Romanis Pontificibus literas impetraueris, ad venerabilem fratrem noſtrum Ioan. Bracarenſem Archiepiſcopum, vt vel tibi vſque ad terminum aſſignatum, vel deinceps ſuſpenſus maneret, &c. ipſe autem ſicut contumax & rebellis, nec venit, nec Canonicam excuſationem prætendit. Nos itaque de rigore canonico procedentes, eum à Pontificali officio ſuſpendimus, & ſuffraganeos ſuos à perſonæ ſuæ obedientia abſoluimus, &c. quouſq; de contẽptu ſatisfaciat dignè, &c.

Cerebrunum conſequutus eſt Gundiſaluus primus, qui ab Vrbano tertio Primatus confirmationem [c] *obtinuit, ſuffrageneoſq; ei ſignauit Palentinum* [d], *Segobrienſem, Oxomenſem, Conchenſem Epiſcopos: Poſt Gundiſaluum,* [e] *Martinus cognomento Piſuerga Præſul efficitur, qui à Cœleſtino tertio Alfonſi Regis & Imperatoris Hiſpaniæ patruo, in Primatu confirmatus eſt. Qui cum Cardinalis honore fungeretur, ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ cultum, & maieſtatem mirificè auxit, impetrata gratia à Pontifice Romano, vt in Pontificalibus Præſulis Toletani Dignitates thiaris vterentur: & poſtquam ipſe ad apicem Põtificatus peruenit, idipſum Theſaurario & ſcholæ Præfecto conceſſit. Poſt Martinum Rudericus Ximenius, belli & literarum gloria conſpicuus, ſedem occupat, qui prælio* [f] *Nauarrum de Toloſa inſigni, & poſteà celeberrimo Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio tertio, interfuit: in altero maximi Præſulis, in altero verò, militis excellentiſſimi illuſtria documenta dedit. Fuit enim acerrimus propugnator, atque defenſor Primatus, & in Romanis archiuis, & tabularijs omnia diplomata à Romanis Pontificibus data Toletanis Præſulibus, diligenter conquiſita in vnum volumen collegit, & noua alia ad eiuſdẽ Primatus confirmationem à Pontificibus Innocentio* [g] *tertio, Honorio tertio, Gregorio nono, impetrauit. Huius temporibus acta cauſa eſt Archiepiſcopi Bracarenſis, de qua fit mentio in* [h] *Decretalibus. Cum autem ex parte Epiſcopi Bracarenſis non eſſet, qui cauſam tueretur, præfixaq; ad reſpondendum dies elapſa eſſet, Honorius Ruderici Primatum confirmauit, & ipſum Legati Hiſpanici honore auxit; vt populi Sarracenorum ad fidem conuerſi ſaluti, aut extirpationi diligentius incumberet. Interfuit Romæ celeberrimo Concilio Lateranenſi primo, in quo Primatus antiqua iura aduerſus Hiſpaniæ Archiepiſcopos egregie tutatus eſt. Quæ tamen ibi fuerunt acta, quoniam ſcitu digna ſunt, ex libro manuſcripto, qui aſſeruatur in bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ, exſcripta huic narrationi libenter, atq; fideliter annectam.*

Anno Domini ducenteſimo ſupra milleſimum, quinta decima die menſis Nouembris celebrata eſt ſancta & vniuerſalis Synodus Romæ in Eccleſia ſancti Saluatoris, præſidente domino Innocentio Papa III. Pontificatus eius anno decimo octauo. In qua fuerũt Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus. Antiochenus Patriarcha graui morbo oppreſſus venire non potuit; Secundum miſit pro ſe Vicarium Antadorenſem Epiſcopum. Alexandrinus verò Patriarcha ſub dominio Sarracenorum conſtitutus, ſimiliter venire non potuit, ſed miſit pro ſe Vicarium Petrum Diaconum, germanum ſuum. Vnus, & ſeptuaginta Primates, & Archiepiſcopi huic Concilio interfuerunt, Epiſcopi verò CCCCXII. Abbates autem, & alij religioſi, Decani, Priores, Præpoſiti, Archi Diaconi, & alij Cleri computari ferè non poterant. Deinde Procuratorum Principum, communitatum, & ciuitatum, qui ex vniuerſis mundi partibus eò confluxerunt, incredibilis fuit numerus. In hac generali Synodo Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, & Hiſpaniarum Primas, de facultate Pontificis, Latinè concionatus eſt. Sed quia ex diuerſis mundi prouincijs, tam Cleri, quàm laici conuenerant; vt omnibus ſatisfaceret, rationes, & teſtimonia Latino ſermone prolata, laicis & maternis linguis ſingulis exponebat, Romanis videlicet, Theutonicis, Francis, Anglis, Nauarris, et Hiſpanis. Huiusmodi autem prædicationis expoſitio valde placuit; vt potè quæ admirationem omnibus propter concionatoris acumen, & ingenij ſubtilitatem, attulit: cum ab Apoſtolorum tempore auditum non ſit, aut ſcriptum reperiatur, quemquam ad populum eandem concionem habuiſſe, tot, ac tam diuerſis linguis cuncta exponendo. In eodem autem Concilio obtinuit, vt per decennium legati munere in Hiſpania fungeretur. Sed vltra permiſſum eſt illi, vt cum trecentis illegitimè natis diſpenſare poſſet; vt ex his ad ſacros ordines quidam, alij verò ad beneficia et iam animarum curam habentia, reliqui ad dignitates, & honores, eius voluntate promouerentur: & vt cum aliquibus excommunicatis, ſacrilegis, irregularibus, & concubinarijs diſpenſaret. Eſt etiam conſequutus, vt quamprimum ciuitas Hiſpalenſis redderetur cultui Chriſtiano, ſine ſtrepitu iudicij, iure Primatus Eccleſiæ Toletanæ ſubeſſet. Obtinuit etiam, vt oẽs Eccleſias tam cathedrales, quàm alias, quæ in omnibus Hiſpaniarũ Regnis ex Maurorum poteſtate in Chriſtianorum ditionem peruenirent, poſſet pro ſuo libito canonicè ordinare, & non ſolũ Clericos, ſed Canonicos, & Prælatos in eiſdẽ recenter creare. Et quoniã velut vmbra cũcta prætereũt, & quæ geruntur in tẽpore, cum tẽpore dilabuntur, non abs re priſcis, noſtriſq; temporibus ſtatutũ eſt, quæ æterna digna ſunt propagatione, ſcriptis mandentur, & monumentis æternis; vt nulla poſſint obluuione deleri. Ideoq; notũ ſit omnib. hominibus præſentem paginã inſpecturis, quod in eodem Concilio apud Lateranum præfatus Dominus Rudericus Toletanæ ſedis Archiepiſcopus, Hiſpaniarum Primas, impetrata audientia ab eodem Papa, propoſuit in pleno conſiſtorio coram ipſo, & Cardinalibus, & pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & Abbatibus, & Canonicis, & alijs Clericis querimoniam de Bracarenſi, & Compoſtellano, & Tarraconenſi & Narbonenſi Archiepiſcopis; quod nollent ei, tanquam Primati ſuo, debitam obedientiam præſtare. Et vt probaret illorum ſe primatem eſſe, oſtendit priuilegia, & legit Honorij, Gelaſij, Lucij, Adriani, & eiuſdem Innocentij tertij Romanorum Pontificum; quibus continebatur & manifeſtiſſimè probabatur, Toletanum Archiepiſcopum Hiſpaniarum eſſe Primatem. Addidit etiam idem Archiepiſcopus Toletanus habere ſe alia plura priuilegia, & monimẽta, & ſcripta, quibus oſtendebatur eſſe ſe Hiſpaniarum Primatem. Oſtendit etiam eadem die, & legit ibi ſententiam Iacinti Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legati, latam in Archiepiſcopum Bracarenſem, qua iubebatur, vt Toletano Archiepiſcopo, tanquam Primati ſuo obediret. Legit etiam exequutionem eiuſdem Iacinti miſſam ſuffraganeis Eccleſiæ Bracarenſis, in qua eis præcipiebat, vt Toletano Archiepiſcopo, tanquam Primati ſuo, debitam reuerentiam, & obedientiam exhiberent. Vnde obnixè petebat, vt ius ſuum ſibi redderetur.

Cui reſpondit Archiepiſcopus Bracarenſis, qui fuerat ad hoc ſpecialiter citatus, ſicut fuit poſteà per ipſum Papam, & teſtes legitimos ſufficienter probatum, conteſtari ſe vtem in præſentia eiuſdem Papæ, propterea, quod non fuerat ad hoc citatus, & ideo ſe non debere reſponſum dare: & ſententiam prædicti Iacinti penitus ſe ignorare affirmauit. Dominus autem Toletanus, impetrata à Domino Papa audientia, reſpondit:

Pater ſancte, mirum non eſt, ſi Bracarenſis, qui præſens eſt, citationem Apoſtolicam, & Toletanæ Eccleſiæ Primatũ & domini Iacinti ſententiam, hac de re latam deneger, ſeu non erubeſcat ſupprimere: cum olim prædeceſſor ſuus Burdinus, Archiepiſcopus Bracarenſis, non ſolum contra Romanam Eccleſiam, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt, & magiſtra, nõ erubuit recalcitrare: ſed tanquam alter Arrius, vitus ſit in-

Qui quales & quot Epiſcopi interfuerit.

Acta Concilij Later.

Rodericus Tolet. Epiſc. in hac ſynodo multa priuilegia eſt conſecutus.

Rudericus in Concil. Later. de primatu contendet

Exceptio Bracarẽſis Epiſcopi contra primatum Tolet.

Replica Ruderici Tolet. Epiſc. pro Toler. primatu.

a Titulo de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatum li. 1. tit. 12.

b Antonius Concius & Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarrac. in collectaneis decret. & codex M. S. antiquus Eccleſiæ Tolet. legit Colon. Archiep.

c Anno Domini 1187.

d Albarracin caput Eccleſiæ Segobricenſis fuit à Ioanne 22. adiudicat. Archiepiſ. Cæſaraugustano in eius creatione, & à iuriſdictione Archiepiſ. Tolet. liberata: doctiſſ. Zurita li. 6. ann. c. 33.

e Anno Domini 1192.

f In bello Nauarrum de Toloſa, & in Concilio Lateranenſi.

g Innocentius, anno D. 1209. Honorius An. D. 1218. Greg. Anno D. 1231.

h Li. 1. decretalium cap. Coram de reſtitutione in integrum.

ter Catholicos sempiternam schismatis discordiã seminare. Cuius rei talem affero probationem. Cum dominus Bernardus quondam Archiepiscopus Toletanus Romanam Curiã visitasset, & ad propria rediens, per Lemouicensem ciuitatem transisset, deduxit secum inde clericos & pueros in Toletana Ecclesia collocandos & nutriendos: inter quos Burdinum, de quo sit sermo: quem nõ solùm bonis ditauit, sed etiam literis erudiendum curauit; quem deinde creauit Archidiaconũ Toletanum. Hic verò cooptatus in Conimbricensem Episcopatum, antiquum nomen mutauit, & pro Burdino, Mauricius appellari voluit. Progressu temporis ad instantiam domini Bernardi, cuius alumnus extiterat, in Archiepiscopum Bracarensem assumptus est. Cum autem videret dominum Bernardum senio confectum, immemor acceptorum beneficiorum, deposita ouina pelle, non erubuit lupinam induere. Accessit itaque ad Curiam, & à domino Paschali Papa secundo obnixè petijt, vt domino Bernardo sene iã & inutili amoto, in eius locum se substitueret in Toletana Ecclesia. Cuius preces dominus Papa tanquam friuolas & inanes, nihili fecit. Interim orta est discordia inter Paschalem Papam II. & Othonem Imperatorem. Hic autem Mauricius, siue Burdinus, existimans notam sibi esse inustam, quod in petitione Ecclesiæ Toletanæ repulsam sit passus, accessit ad Imperatorẽ, & modis omnibus ad summum Pontificatum ascẽdere conatus est: & validissimo Imperatoris instructus exercitu vrbẽ Romanam ingressus, tanquam sacrilegus, & apostata, non erubuit Paschalis veri Pontificis Apostolicam vsurpare sedẽ: & sumpto Gregorij octaui nomine, commẽtitijs & falsis bullis, per vniuersum orbem Apostolicas, imò apostaticas literas dirigebat. Interim vita functus est Paschalis, in cuius locum suffectus est Gelasius secundus: permanẽte adhuc discordia mortuus etiam est. Huic successit Alexander tertius, qui cum Imperatore Othone in gratiam redijt, & pacem inter Imperium & Ecclesiam Romanã constituit. Deinde Burdinus, seu Mauricius, tanquam sacrilegus, & excommunicatus, inclusus est in perpetuum in Calabria, in quandam caueam, in monasterio sanctæ Trinitatis Scapile. Hoc non solùm authentica historia testatur, verum etiam laicorum pictura hoc asserit & protestatur. Si quis astantium hac de re dubitat, tollat oculos ad præsentes loci huius parietes, & videbit huiusmodi historiam picturatam. *Erigentes autem oculos, omnia, vt dixerat, viderunt: & domini Toletani subtilitatem, & peritiam collaudantes, cœperũt tum admurmurare, tum etiam in domini Bracarensis faciem intendere, quæ magno iam erat rubore perfusa.*

Exceptio Compostellani Episc. cõtra primatum Toletanũ.

Compostellanus similiter eadem die in pleno consistorio respondit: Pater sancte, certè derisoria videtur petitio domini Ruderici, quòd Ecclesia Compostellana tam antiqua, & nobilis condita in honorem Apostoli Iacobi Domini consanguinei, qui primo in Hispania verbum Domini seminauit, & infinitos ad fidem Christi conuertit, cuius corpus in eadem Ecclesia requiescit, nunc (quod absit) obediat Ecclesiæ Toletanæ. *Dominus autem Rudericus Archiepiscopus Toletanus, petita & obtenta à Domino Papa facultate respondit:* Pater sancte, o vtinam causa ista in rationibus reuerendi Archiepiscopi Compostellani nunc propositis remaneret, & aliæ vndique allegationes cessarent, maximè si per prædicta credat se posse defendere Toletanæ Ecclesiæ nullam se debere obedientiam: ad quod breuiter respondeo. Causa mea derisoria fortasse videbitur, non tamen sapientibus, sed insipientibus. Si antiquitatem Cõpostellanæ Ecclesiæ pro te facere existimas, antiquitas ista centum & nouem annorum spatio continetur: quod sic persuadeo. Dominus Calixtus Papa, ad instantiam Principis, Cleri, & populorum Hispaniæ Metropoliticum ius antiquæ & celeberrimæ ciuitatis Emeritensis Compostellam transtulit, anno Domini 1124. tum quia ciuitas Emeritensis erat sub dominio Sarracenorum constituta; tum quia peregrinantium deuotio, qui ob reuerentiam beati Iacobi, cuius corpus ibidẽ creditur esse sepultum, in melius semper crescebat. Nam vsq; ad hæc tempora oratorium quoddam admodum paruum erat locus ille, in quo nũc sita est Compostellana Ecclesia. Antiquior est ergo Ecclesia Toletana, quæ fundata est à tempore Eugenij, qui Pauli Apostoli fuit discipulus. Si nobilitate Ecclesiæ suam tueri causam nititur, propter inuocationem B. Iacobi: licèt Apostolorum appellatio nobilis sit & illustris, nobilior tamen est & illustrior B. Virginis, cuius inuocatione & nomine Ecclesia quæcunque augustissima, & celeberrima efficitur, & potissimum Toletana, quam ipsa Virgo sanctissima præsentia sua inuisere voluit, atque dignata est, cũ quondam B. Illefonso Archiepiscopo Toletano sacrificium Domino offerenti, & omnibus præsentibus, qui diuinum audiebant officium, se visibilem præbuit. Si prætereà in suæ causæ confirmationem cõsanguinitatem Domini inducit; certè nemo sanæ mentis ignorat, arctiori consanguinitatis vinculo B. Virginem Domino copulatam esse, quem concepit, peperit, nutriuit, & vsque ad crucis patibulum & sepulchrum sequuta est.

Replica Ruderici contra Compost. pro primatu.

Si inducat etiam primam diuini verbi promulgationem & plurimorum conuersionem ad fidem Christi in Hispania, qui diuinam paginam nouerunt, testimonium perhibeãt. Ego tantum legi datam ei fuisse potestatem prædicãdi [a] in Hispania: sed interim, cum per Iudæam, & Samariam diuinã legem seminaret, sub Herode Hierosolymis truncato capite, exhalauit animam & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicauit, quò nondum ingressus est? Aut sine prædicatione, quos obsecro conuertit ad Dominum? Memini benè in primis me annis accepisse à quibusdam sanctis Monialib. & religiosis viduis, paucos admodum eius prædicatione ad fidem conuersos esse: in qua cum tam exiguos progressus effici videret, in patriam reuersus fato functus est. Si nobilitatem etiã sepulturę inducant, quod ibi D. iaceat Iacobus, libenter assentior cum his, qui istud asserunt: licet quidam affirment, corpus eius Hierosolymis requieuisse; postea raptum à discipulis delatum esse & sepultum apud Compostellam. Absit autem, vt propter gloriam huius primatus asseram Corpus B. Virginis, quod firmiter credimus in cœlestibus cũ Domino gloriosum esse, in Ecclesia Toletana fuisse aliquando sepultũ pedibus humanis quotidie conculcandum. Membratim enim dilaniari me potius paterer quàm ad hoc affirmandum animum adijcere. Videat ergo dominus Compostellanus, an debeat Ecclesiæ Toletanæ fasces submittere. Sed omissis rationibus, si placet, respondeat propositæ quæstioni. *Dominus autem Compostellanus respondit, quod licet Toletanus esset Hispaniarũ Primas, quod falsissimum erat, non tamen eius suffraganei deberent ei in aliquo are obedire. qua responsione multi crediderunt Compostellanum contestatum esse litem.*

Exceptio Tarraconensis & Narbonẽsis Episc. contra primatũ Toletan.

Pro Tarraconensi autem Archiepiscopo, qui non aderat, respondit Episcopus Vicensis, suffraganeus eius, pro se & pro alijs suffraganeis eius absentibus, Toletanum Archiepiscopum nec esse Primatem, nec se debere illi in aliquo obedientiam præstare.

Narbonensis, qui tunc aberat, sequenti die in pleno consistorio respondit, se ad hoc citatum non fuisse. Acta sunt hæc apud Lateranũ octauo idus Octob. anno Incarnationis Dominicæ, millesimo ducentesimo decimoquinto, Pontificatus domini Innocentij Papæ III. anno decimo octauo. Hæc ex lib. M. f. Ecclesiæ Toletanæ.

Primatus Ruderico adiudicatus.

Quæ omnia peregit publicè Rudericus Ximenius Romæ in sui Primatus causſa, quam obtinuit. Nam summus Pontifex Primatus honorem eidem coram omnibus detulit; sicut ante in diplomate concesserat: idemq; Honorius, & Gregorius eius successores probauerunt. [b] *Alteram etiam sedauit Rudericus controuersiam in Aragonia,*

a Beatus Iacobus Apostolus, filius Zebedæi in Hispaniam venit & ibi prædicauit Christi Euangelium: & in tota prouincia nouem tantum ad fidem asserunt conuertisse. Verum Beatus Calixtus PP. in epistola translationis ipsius dicit illum plures fecisse discipulos, sed duodecim habuisse speciales, quorum nouem, dum adhuc viueret in Gallœcia elegisse: præterea dum Cæsaraugustæ prędicationis gratia moratur, virginis Mariæ admonitu templũ erexisse ipsi dicatum, quod nunc dicitur, nuestra Sennora del Pilar. Atque hæc fuit prima in toto orbe Christianorum Ecclesia, in qua semper cultus diuinus viguit, estque innumeris nobilitata miraculis. Iacobus vero relictis dnobus in Hispania discipulis, cum reliquis in Iudæam redijt, ibique martyrium primus omnium Apostolorũ subijt anno primo Tiberij Cæsaris, occisus est 25. die Martij: corpus à discipulis nauigio impositum ab Ioppe soluentibus in Hispaniam appulit. 8. Calend. August. quo die præcipuum eius festum ab Ecclesia colitur, & in ciuitate Iria situm, demum Compostellam translatum tertio Calend. Ianuar. quo die in tota Hispania translatio eius celebris est.

b Hanc controuersiam vide apud Zuritam li. 6.

gonia, cum Petro de Albalate Archiepiscopo Tarraconensi orta ex a constitutione quadam, aduersus Toletanum Primatem in illa diœcesi lata, quam Gregorius Papa nonus irritam fecit. Rudericus igitur Ximenius ius Primatus Toletani acerrimè tutatus est, suisq; successoribus summam in hac parte auctoritatem moriens reliquit, nimirum Ioanni secundo, & Gutierio, qui ab Innocentio quarto confirmationem horum omnium consequuti sunt. Gutiero Sanctius Castellæ Infans b filius regis Ferdinandi tertij, successit, qui à prima ætate omni fuit in Ecclesia Toletana officij genere informatus, & ex Canonico in Archiepiscopum assumptus, qui vt strenuus miles, in prælio Sarracenorum occubuit. In huius locum suffectus est Sanctius Iacobi primi Aragoniæ regis filius. Eo Præsule sancta c Synodus Lugdunensis coacta est, in qua procuratores habuit, qui ab Alexandro quarto Primatus confirmationem obtinuerunt, Demum Archiepiscopi omnes, qui à Sancio Aragonio, vsque ad Ioannem Aragoniæ Infantem, Iacobi secundi Regis filium, continenter processerunt, Primatus munere pacificè functi sunt. Ioannes verò Infans in Aragonia, vbi creatus fuit Præsul Toletanus, cum Archiepiscopis Ximenio & Petro de Luna vtroq;, illo Tarraconensi, hoc vero Cæsaraugustano, intestina dissensione, quòd sublatam crucem ante se ferret, inuicem contenderunt; quas Ioannes Tolet. regio fretus adiumento sustinere potuit. Nam pater rex ægrè tulerat iniuriam, à Petro de Luna, Archiepiscopo Cæsaraugustano illatam filio, quem percusserat anathemate ob erectam ante se crucem Cæsaraugustæ, vt insigne Primatus, filioq; auxilium dedit, quo posset se à vinculo anathematis enodare, iniuriamq; illatam propulsare. Fuit hæc res maximi momenti; quippe, quæ ad Regiam dignitatem spectare videbatur, in cuius, & Archiepiscopi Toletani conspectu, iniuria filio irrogata est, neque aliter regis animus placari potuit, quam Apostolicæ sedis auctoritate, ad quam causam, veluti rem magni ponderis, deferre voluit. Neque Cæsaraugustano, & Tarraconesi est data vnquam facultas cohibendi Toletanus Præsulibus ius Primatus in suis diœcesibus: irritum enim est & inane, quod fit ab Episcopis aduersus auctoritatem Romani Pontificis, à qua Primatus Hispanici dignitatis Toletana sedes ortum habet: quandoquidem ipsemet Ximenius à Luna, cum sedem Tarraconensem, pro Toletana cum eodem Ioanne Infante commutasset, iure Primatus in Tarraconensi ditione est vsus. Idem aliqui posteriores præstiterunt, nimirum Ioannes Contreras, Petrus Gonçalez de Mendoza, frater Franciscus Ximenius, quemadmodum suis locis dicemus. Compositis autem his motibus, & controuersijs, aliisq; compluribus, quæ Ioannem Infantem ad deponendum vltrò Archiepiscopatum Tolet. compulerunt; cum Sanctius de Roias inclytus, & egregius Præsul, è vita migrasset, cooptatur in eius locum Ioannes Contreras, qui à Martino Papa V. diploma impetrauit, quo posteriores controuersiæ futuraq; dissidia omnino sublata sunt. Nam illo Pontificis decreto cautum est, vt in omnibus sacellis Pontificis, in conuentibus, & Concilijs generalibus Archiepiscopo Toletano, veluti Patriarchæ, supra omnes Archiepiscopos sedes superior decerneretur, & vt in tota Hispania tamquam in prouincia sua Primatis titulo & potestate decoraretur, & vt ab omnibus vt Primas veneraretur, vt Primatus & Patriarchæ insignia ante se semper ferret, absque cuiuspiam repugnantia, aut contradictione. Concessione hac & priuilegio vsus est in Concilio Basilienſi: vbi Cardinalis Iacobatius refert, & sedendo, & sententiam dicendo Primatem egisse Hispaniarum. Qua etiam potestate est vsus in regnis Castellæ, Aragoniæ, & Nauarræ, vt apertè constat ex epistola Ioannis secundi regis ad ciuitatem Burgensem missa, in qua rex testatur se vidisse Archiepiscopum Ioannem Riazam tam in hoc regno, quam aliys cruce præcedente, etiam in ipsius regis præsentia incedere solitum esse, & præcipuè Tyrassonæ; in qua aliquot commoratus dies, causas ad regem spectantes absoluit. Efficitur ergo ex his, Primatus dignitatem tantæ auctoritati esse, & in Regis maiestatem ita cedere, vt nullus debeat de eius propagatione esse solicitior quam Rex ipse. Et licet Regium ex more vexillum Regem antecedat, non tamen ideò pati debet, vt Archiepiscopi Toletani crux, quod Primatus est insigne, è medio tollatur, sed potius vt erecta semper maneat. Exemplo nobis sunt excellentissimi & inuictissimi Reges Christianæ religionis lumina, & firmissima propug-

Ioannes Infans E. pisc. Tol. defendit Tolet. pri matum contra quas

Ioannes Contreras Episcop. Tolet. Pri matus de fuit.

a Hanc constitutionem edidit Petrus de Luna Archiepiscopus Cæsaraug. in qua continebatur, vt nullus Archiepiscopus Crucem efferret in prouincia Cæsaraug. sub anathematis pœna, & cessatione diuinorum officiorum: id patet ex diplomatibus Eccles. Tolet. & Zurita.

b Filius Ferdinandi tertij ex prima vxore.

c Concil. Lugdunens. de processione Spiritus Sancti, anno Domini 1246.

propugnacula, vterq; Alfonsus, qui in difficillimis magnisque prælijs Nauarrum, & Tarifæ, socios certaminis Archiepiscopos præstantes habuerunt, cruce eorum erecta, Rudericum Ximenum, & Gilium Albornoz: sicut etiam maximi Reges Catholici Archiepiscopos Alfonsum Carrillo, & Petrum Gonçalez de Mendoza. Decet ergo Regiam maiestatem Primatis crucem præferre, sub cuius tutela, ac summa potentia amplissimas victorias, ac triumphos de religionis Christianæ immanissimis hostibus reportarunt, & quo propensius ad Primatis crucem exaltandam animum adiecerunt, eo excellentiorem suis vexillis & insignibus gloriam contulerunt; in cruce Primatus eum venerantes, qui chirographum decreti aduersus nos stabilitum abrupit & deleuit.

Ioannes Cerezuela Episc. Tolet. quid pro prima tu Tolet.

In locum Ioannis Contreras cooptatus est Ioannes Cerezuela, frater Aluari de Luna, militiæ D. Iacobi supremi Magistri, qui confirmationem Primatus à Martino V. obtinuit. Deinde ad Alfonsum Carrillo sedes deriuata est, virum certè spiritu erecto, & cerebroso præditum, quo vsus est, non tantùm in regni regimine, verùm etiam in hac dignitate tuenda, & conseruanda: ipse namque dissidia omnia & controuersias super hac re excitatas, non modo compressit, sed penitus extinxit. Nam Alfonsus Carthagena Episcopus Burgensis, diuinis & humanis literis eruditus, omni studio conatus est, ne Toletan. præcedente cruce Burgos veniret: quem nihilominus vrbem ingressũ Burgensis sacris interdixit. Imo & ciuitas ipsa, cum sibi persuasisset, ab antiqua illa auctoritate se deyci (qua veluti Castellæ caput, Toleto nititur in omnibus comitijs præire) si Primati Ecclesiæ Toletanæ subderet, ingressum vrbis Archiepiscopo intercluſit, idque armis impedire conata est. Nihil tamen profecit: nam Toletanus coram Ioanne secundo Rege de vi, & ciuitatis oppressione conquestus, ad supremũ Senatum causam remisit: quò etiam Burgensis se contulit: ibiq; omnia sunt exhibita diplomata Romanorum Pontificum superius memorata, & vltimum etiam Martini V. Ioanni Contreras concessum. Quibus consideratis, Episcopo a Burgensi præceptum est, ne Toletani Archiepiscopi antiquum ius peruerteret. Cumque Burgensis causa caderet, sacrorum prohibitiones, atq; interdicta sublata sunt: etiam Senatui ciuitatis in mandatis datum est, ne veteri Præsulem Toletanum possessione deyceret; quod & fecerunt Episcopus, & ciuitas. Et Alfonsus Carrillo facultate vsus possessione recuperata, sublata cruce Burgos iterum ingreditur, lustratque omnia eius diœcesis oppida. Causa nihilominus vehementiùs agitabatur, donec composita per arbitros in hunc modum est; videlicet, vt Toletanus Antistes Episcopum Burgensem immediatum sedi Apostolicæ cognosceret, & fateretur; Burgensis verò Toletanum, vt Primatem Hispaniarum; qui posset in vniuersa Burgensi diœcesi sublatam crucem præ se ferre, & populũ benedicere, & publicè, & priuatè sacra peragere. Hoc autem decretũ inuiolabili vtriusque iureiurando stabilitum est. Qua in re Alfonsus Carrillo præstantioris animi, atque maioris virtutis documenta dedit, quàm Gundisaluus secundus, qui amicitiæ causa, b cum Petro Burgensi crucem publicè, dum Burgos ingrederetur, non erexit; licet coram notario professus sit, nolle se præiudicium aliquod Primatui inferre, sed tantùm amicitiæ pristinæ consulere. Etiam Gometius Manrichius reprehensione non caret: nam Episcopatu Burgensi vacante, cum ipse vna cum Eurichio secundo Rege, Burgos ingressus esset, iniquam cum Burgensibus de Primatu pactionem fecit; vt aperè constat ex eius protestatione, ab eadem ciuitate exhibita, cum Petrus Tenorius Archiepiscopus ad Regalia comitia esset vocatus, quæ Ioannes primus rex Burgis haberi instituerat: qui etiam reclamante populo Burgensi, non nisi cruce elata ciuitatem ingredi voluit, vt in archiuis Ecclesiæ Toletanæ latiùs testatum reperitur. Et quoniam literis Ioannis regis in gratiam Alfonsi Carrillo datis multa continentur animaduersione digna, quippe quæ complectantur ea quæ ad ius Primatus & auctoritatem spectant, non absre fore putaui, si eas hic inserrem, non versas in Latinum idioma, sed eodem, quo datæ fuerunt vernaculo, in quo est summa grauitas & auctoritas.

Literæ Ioannis Regis in gratiam Alfonsi Carrillo datæ.

Don Iuan por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Toledo, de Galizia, de Seuilla, de Cordoua, de Murcia, de Iaen, del Algarue, de Algezira, sennor de Vizcaya, y de Molina. A vos el reuerendo padre don Alonso, Obispo de la Yglesia de la muy noble ciudad de Burgos, cabesa de Castilla, mi camara, Oydor de la mi Audiencia, è mi Refrendario, è del mi Refrendario, è del mi Conseio. (como aquel que precio, è de quien mucho fio) Ya sabedes el debate y question que ha sido, entre el reuerendo padre, en Christo, don Alonso Carrillo,

a Anno Domini 1448.

b Anno Domini 1448. die 27. Augusti.

rillo, Arçobiſpo de Toledo, Primado de las Eſpañas, è Châciller major de Caſtilla, è del mi Conſejo, de la vna parte, y vos de la otra: ſobre razon que el dicho Arçobiſpo metio en eſſa çiudad la Cruz infieſta al tiempo, que en ella entrò, è el entredicho que por la cauſa vos puſiſtes, y mandaſtes guardar en la dicha vueſtra Yglesia, y en las otras Yglesias de eſſa Ciudad; è en como el dicho Arçobiſpo embio à mi ſobre ello ſus menſageros; è an ſi meſmo vos veniſtes por vueſtra perſona à las coſas que ante mi, y en el mi Conſejo fueron propueſtas è alegadas por ambas las dichas partes, cada vno en guarda de ſu derecho: y lo que por mi fue mandado è acordado que por entonces ſe fizieſſe; de que mas largamente ſe face mencion en ciertos mis autos, que ſobre ello yo mande dar. E agora por parte del dicho Arçobiſpo fue propueſto y alegado ante mi, y en el mi Conſejo, que ſu derecho, en eſta parte, è de ſu dignidad è Primacia eſtà muy claro, ſegun ſe cõtiene en ciertas bulas, que ſobre ello fueron falladas en el ſagrario de la ſanta Yglesia de la muy noble ciudad de Toledo; los tranſumptos y copias de las quales autorizados, è autenticados le fueron embiados por el Cabildo de la dicha ſu yglesia: por las quales ſe contiene expreſſamente, que los Arçobiſpos de Toledo ſon Primados, no ſolo de las yglesias de mis reynos, mas de todas las otras yglesias de los reynos de las Eſpañas, ſegun que lo fueron antiguamente, antes que los Moros, enemigos de nueſtra ſanta Fee, ganaſſen eſtas mis reynos, è los otros reynos delas dichas Eſpañas; è que eſpecialmente agora en nueſtros tiempos el Papa Martin V. de bienauenturada recordacion dio ſus bullas à don Iuan de Riaça, Arçobiſpo que fue de Toledo, Primado delas Eſpañas, Chanciller mayor de Caſtilla: por el tenor de las quales, por la autoridad Apoſtolica dicernio, y declarò, è eſtablecio, que el dicho Arçobiſpo de Toledo, è ſus ſuceſſores, en las Capillas del dicho Papa Martin, è delos otros Papas ſus ſuceſſores, y en los generales conſiſtorios è Concilios, y en otros qualeſquier lugares publicos è priuados tuuiſſen lugar, y fueſſen antepueſtos è preferidos, aliende de los Protonotarios de la Sede Apoſtolica, è aliende de todos los otros Arçobiſpos que antes dellos auian ſeido promouidos, que Primados è electores del Imperio non fueſſen. E otroſi, que el dicho Arçobiſpo de Toledo, è ſus ſuceſſores libre y licitamente puedam vſar è gozar de todas è qualeſquier prerrogatiuas, è preuilegios, è inſignias, que en qualquier manera puedan competer à los venerables Patriarcas, à ſemejança de los quales ſon los Primados: è han eſſa meſma dignidad, è ſon de enſalzar igualmẽte por adminiculos de eſſa miſma preeminencia è honor, aunque ayan diuerſos nombres. Lo qual todo el dicho Papa Martin conſtituyo è decernio, è declarò; è mando que ſe guardaſſe aſſi irrefragable y perpetuamente en todos los tiempos aduenideros, no embargantes qualeſquier conſtituciones Apoſtolicas è eſtatutos, è coſtumbres de qualeſquier yglesias, è lugares, aunque fueſſen confirmados por la ſede Apoſtolica, o por qualquier iuramento, o en otra qualquier manera; ni otras qualeſquier coſas, que en contrario fueſſe: è diputò ciertos executores; à los quales mando, que lo fizieſſen aſſi guardar, è dieſſen para ello toda ayuda; è non permitieſſen, que el dicho Arçobiſpo de Toledo, ni ſus ſuceſſores, ni alguno dellos fueſſen moleſtados dende en adelante en alguna manera contra lo ſuſodicho; è que compelieſſen por toda cenſura Eccleſiaſtica à qualeſquier contraditores: ſegunque eſto y otras coſas mas largamente ſe contiene en las dichas bulas. Segun lo qua fue viſto en el mi Conſejo, que el dicho Arçobiſpo dõ Alfonſo Carrillo, como Primado de las Eſpañas igual de Patriarca, puede infieſta, è alſada, traer la dicha Cruz, no ſolamente en vueſtra yglesia y dioceſi, y en todas las otras yglesias y dioceſis de mis reynos, anſi de Arçobiſpos, como de Obiſpos, quanto quier que ſeades eſſentos, mas aun en todas las Eſpañas, como en Prouincia de ſu Primacia, o Patriarcado. E que pues el Papa otorgo eſto à los Arçobiſpos de Toledo, lo qual redunda en gran ſeruicio mio, è honor de la Corona Real de mis reynos, no eſtà en razon que le ſea embargado por vos, ni por los Perlados, Arçobiſpos, ni Obiſpos, ni otros qualeſquier de las yglesias de mis reynos: è que no ſolo yo deuo mandar, que en mis reynos ſe faga y guarde anſi, mas procurar, con todas mis fuerças, que en los otros Reynos de las Eſpañas ſea guardada eſta prer rodatiua è preeminencia à los Arçobiſpos de Toledo, como Primados, o Patriarcas de las dichas Eſpañas. Lo qual no es ſin cauſa, pues como vos bien ſabedes, la muy noble ciudad de Toledo es Merropolitana en todas las Eſpañas, è la ſanta Igleſia della es vna de las quatro mayores de todo el mũdo. Por lo qual cõ gran razõ los sãtos Padres de la Yglesia de Dios antiguamente dieron y otorgaron la Primacia, o Patriarcado de las Eſpañas à los Arçobiſpos de Toledo: è deſpues que la tierra ſe gano del poder de los Moros, gela reſtituyeron è tornaron, ſegun y enel eſtado que antiguamente la tenian. E agora poſtrimera è nueuamente gela renouo, è conſtituyo, è decernio, è declaro el dicho Papa Martino V. por las dichas ſus bulas. Mayormente que yo ſo bien cierto, que el dicho Arçobiſpo don Iuan de Riaza todo el tiempo que anduuo comigo en mi Corte, traxo la Cruz in fieſta por qualeſquier ciudades, villas è lugares, è dioceſis de qualeſquier Arçobiſpados è Obiſpados de los dichos mis reynos, quãto quier q̃ ſe digã ſer eſſentos dõde yo iua, y el comigo: eſpecialmẽte por villas y lugares de la dioceſi de vueſto Obiſpado. E aũ ſo informado por perſonas dignas de creer, q̃ deſpues q̃ el dicho Papa Martin le dio y cõcediolas dichas bulas, ſiẽpre traxo Crux infieſta por qualeſquier partes fuera de mis reynos, do quier que anduuo: è eſpecialmente que el, è los otros por mi diputados, ſobre los debates que eran entre mi, è los Reyes de Aragon, è de Nauarra, quieron de entraren Aragon; y ſeñaladamente en Taraçona, el dicho Arçobiſpo ſiempre metio, o traxo la Cruz alçada è infieſta ante ſi: è que le fue tolerado por los Perlados, no ſolo de mis reynos, mas fuera dellos. Segun lo qual, graue coſa ſeria, que agora le fueſſe impedido por vos, ni por otro Prelado Arçobiſpo, ni Obiſpo de mis reynos; nin ſeria coſa razonable, que prejudicaſſe al dicho Arçobiſpo, nin a ſu dignidad, è Yglesia, qualeſquier autos que algunos ſus predeceſſores contra eſto huuieſſen fecho, o conſentido: mayormente, pues deſpues de todo aquello el dicho Papa Martin V. conſtituyo è decernió è declarò, que el dicho dõ Iuan Arçobiſpo de Toledo, y ſus ſucceſſores igualmente, ſin otra differencia, nin diſtincion Real, pudieſſen gozar è gozaſſen de las inſignias, è prerrogatiuas è priuilegios, que à los Patriarcas en qualquier manera pueden competer. Porque vos ruego, è mando, que veades los dichos tranſumptos è copias de las dichas bulas autorizadas, que en eſta razon vos ſeran moſtradas: è conformando vos con ellas, como de razon lo deuedes fazer, è an ſi miſmo con mi voluntad en eſta parte, eſpecialmente por eſto redundar tanto en ſeruicio mio, è honor de la Corona Real de mis reynos, como ſuſo es dicho; è porque ſi por vos le fueſſe contradicho, ſeria dar exemplo à los otros Perlados, no ſolo de mis reynos, mas aun de fuera dellos, para fazer ſemejantes cõtradiciones, dedes lugar que el dicho Arçobiſpo, como Primado de las Eſpañas, ſin embargo, ni contradicion vueſtra libremente pueda fazer traer ante ſi infieſta è alſada la Cruz, por eſſa ciudad y vueſtra dioceſi, pues ſe falla por las dichas bulas que licita y libremente le compete lo ſuſo dicho, como inſignias de ſu Primacia, o Patriarçado, è lo puede bien fazer: è luego alcedes de todo el entredicho, que por la dicha cauſa ouiſtes pueſto, è publicado, o declarado en eſſa ciudad: en lo qual me faredes ſingular plazer è ſeruicio: è por coſa alguna non cumple que fagades ende al; ca por eſta miſma via entiẽdo mandar, que lo guarden todos los otros Prelados de mis reynos, aſſi Arçobiſpos, como Obiſpos, è otros qualeſquier; è procurar è trabajar, porque ſe guarde anſi en todas las Eſpañas. E por eſto no es mi intencion de preiudicar, ni que ſe haga preiudicio alguno à vos, ni à vueſtra yglesia è dignidad en otras coſas algunas, tocantes ala ingenuidad è eſſencion de vueſtra yglesia è dignidad: mas que vos queden ſiempre à ſaluo en todas otras qualeſquier coſas como dicho es. Dada en la villa de Nauarrete, veynte dias de Agoſto, anno del nacimiento de nueſtro ſeñor Ieſu Chriſto, de mil y quatrocientos è quarenta y ocho annos. Yo el Rey. Yo el Doctor Fernãdo Diaz de Toledo, Oydor, è Refrendario del Rey, è ſu Secretario, lo fize eſcriuir por ſu mandado.

Demum Alfonſus Carrillo eodem iure Primatus vſu teſte in Regalibus comitijs habitis in Oppido Fontiduenna, quo Epiſcopi omnes Hiſpaniæ congregati ſunt, illiuque præfuit, & primum locũ in ſedendo & dicendo inter omnes obtinuit; cum tamen adeſſet ibi Petrus Gonçalez de Mendoza Epiſcopus Segontinus, & Eccleſiæ Romanæ Cardinalis.

Alfonſus Carrillo vſus eſt pri mate.

*Cardinalis. Et non solum Archiepiscopi ipsi Toletani, quoties Conuentus Ecclesiastici fiunt, cæteris etiam Cardinalibus, dum Episcopi sint, & antiquioribus Archiepiscopis præferuntur, verum etiam si fortè Toletana sedes Apostolico Gubernatore regatur, ipse rector reliquis Hispaniæ Episcopis præeminet: vt * Ioanne secundo regnante euenit. Nam Petro Tenorio vita functo, sedes Toletana per aliquot annos Præsule caruit: verùm Petro à Luna concessione Benedicti Papæ patrui sui Pontificium adepto, non suffragante Capitulo, adduci Rex non potuit, vt illum in sedem admitteret, nisi Capituli Toletani præcessisset electio. Dum hæc agebantur, octo fermè annos rexit & administrauit Ecclesiam Toletanam Ioannes Episcopus Seguntinus, qui in Regalibus comitijs Toleti habitis, in conuentu Ecclesiastico Episcoporum primus sedit, & primus sententiam dixit; non pro se tantum, verum etiam pro omnibus Episcopis qui aderant & aberant. Imò & quod maius est, testamentum à Rege Henrico factum sigillo muniri voluit gubernatoris Episcopi Seguntini, vt referentis Hispaniæ Primatis auctoritatem.*

Primatus Tolet. defenditur à Iurisconsl.

Epilogus luctoris de primatu Tolet.

Petrus Gonçalez de Mendoza, qui Alfonso Carrillo successit, (ambo genere illustres & ex nobilibus Hispaniæ familijs orti) supremam hanc auctoritatem tueri, & augere curauit: quod & refecit: nam in omni Hispania, & Narbonensi Gallia crucem erectam, vt Primatis insigne, præ se tulit, quam argenteam & deauratam, in testimonium iuris atque dignitatis huiusmodi, sanctæ Ecclesiæ Toletanæ legauit his verbis.

Petrus Mendoza Archiep. Tolet.

Otrosi, porque la nuestra Cruz, que en señal de Primado auemos traydo ante nos, por las prouincias de Santiago, Seuilla, Granada, çaragoça, Valencia, Tarragona. Narbona, y por las dioceſis de las yglesias que se dizen essentas de los Metropolitanos susodichos, à donde nos auemos estado, es la primera Cruz, que se puso sobre la mas alta torre de la Alhãbra de la ciudad de Granada al tiempo que fue ganada, è quitada de poder de los Moros infieles enemigos de nuestra santa Fee Catolica: a donde en la toma de las mas principales ciudades del dicho reyno de Granada, nos fallamos con la dicha Cruz en seruicio de Dios nuestro señor, è del Rey è de la Reyna mis señores, con nuestra gente y estado: mandamos, que la dicha nuestra Cruz, con su hasta guarnida de plata, assi como la nos traemos, sea puesta en el Sagrario de la dicha nuestra santa Yglesia, en memoria de tan gran Victoria, è por decor, è honor della, è de los Prelados della: è alli queremos que este perpetuamente, è que no pueda ser sacada dende, sino a las processiones.

Petrum Mendozæ

Franciscus Ximenius Cisneros Cardinalis, acerrimè etiam tutatus est dignitatem suam: nam cum iter ageret per Castellam, & Aragoniam, semper Cruce est vsus, & de Primatu contendit cum Alfonso Fonseca, Archiepiscopo Compostellano: aduersus quem, vt Primas, inhibitorias literas dedit: quod egerrimè Compostellanus ferens, causam defendit libello exhibito eleganti satis & acuto, sed à veritate alieno.

Franciscus Ximenius quid pro To et primatu.

Postea Ioannes Tauera Cardinalis eadem vsus est auctoritate, in comitijs Toleti habitis, iussu Imperatoris Caroli V. Abi enim Ecclesiasticæ congregationi totius regni coactæ, cum magna sui nominis gloria præfuit. Inter alios, qui in eum locum conuenerunt, fuit Garsias Loaisa, Cardinalis, & Præsul Hispalensis, qui in[b] Cardinalitiæ dignitatis antiquitate Toletano anteerat. Inter eos, vt erant viri sapientia præstantes, vrbanissima cõtentio, & comitatis plenissima de priori loco exorta est. Dicebat enim Cardinalis Tauera, primum locum Cardinali Loaisæ non sibi deberi, propter Cardinalatus antiquitatẽ. E contra verò Cardinalis Garsias Loaisa, primam in omnibus congregationibus sedem Toletano Præsuli, quòd Hispaniarum Primas esset, iure conferri asserebat: cuius tandem sententia, vt æquior vicit; amboq; in capite sederunt, licet digniorem tenuit locum Ioannes Tauera, qui iure Primatus auctoritatem Præsidis in omnibus semper exercuit. Exteri etiam Doctores Iurisconsulti Primatum Ecclesiæ Toletanæ comprobant, præsertim Alexandrinus ex c. Cum longè. 63. D. & Speculator titul. de dispens. §. Sunt quoque nonnulli, & Albericus in rubric. ff. de statu homin. Quam sententiam Alberici Felinus maximè probat in rubric. de maior. & obed. nouissimè etiam in Concilio Tridentino inter Petrum Guerrero, Archiepiscopum Granatensem, & Bartholomæum à Sanctis Bracarensem, orta est quæstio, patribus Concilij iudicantibus Granatensi antiquitatem consecrationis esse seruandam, præferendumq; Bracarensi, in loco, & voce.

Ioannes Tauera defensor primatus Tolet.

Hunc igitur cursum Ecclesiæ Toletanæ Primatus, ab Eugenio primo Præsule, vsque in hanc ætatem habuit: & licet (vt sunt res humanæ) vicissitudinibus varijs, & commutationibus, veluti procellis agitatus fuerit, semper tamen in tam longa, continuataque serie, tot Pontificum maximorum, tot Imperatorum, & Regum Gothorum, Vvandalorum, Sueuorum, Castellanorum illibatus, firmusq; permansit. Tametsi temporum iniuria, aut hominum studio labi cœpit; quam primum restituta est Toletana vrbs cultui Christiano, Primatus est iterum erectus, restitutusq;. Ex quo coniectari licet, diuino afflante spiritu, ex Apostolis manasse, radices q; egisse, & eodem sancto numine curante, Beataq; Virgine Maria, sub cuius tutela militat, deprecante, reliquum temporis cursum, vsque ad extremum iudicij diem, beato, feliciq; progressu, acturum.

CONCILIVM TARRACONENSE, SIVE EGARENSE, IN EGARA, SVB SISEBVTO,

Anno regni eius tertio, Era DC.LII. anno Dom. 614. Sub Bonifacio IV. per eundem Io. Garsiam, cum eiusdem notis.

IN NOMINE DOMINI IESV CHRISTI. sub die Idus Ianuarias, anno feliciter tertio glorioſiſſ. mi domini noſtri Siſebuti Regis.

Eius exem. plar suprà ponitur.

Conuenientes in vnum Episcopi prouinciæ Tarraconensis in locum Egara, id sancta instituit Synodus, vt constitutio, quæ dudum in anno tertio decimo regni, diuæ memoriæ Reccaredi Regis, in Concilio Oscensi constituta quidem, sed conscripta minimè fuit cõfirmata, vt in perpetuum valitura perduret. Et omne quicquid ex castimonia Presbyterorum, & inferius Clericorum conscriptum fuit, eadem forma etiam de omnibus Episcopis sub tali industria, solertiaque omni tempore pepigendo scrutetur, vt auxiliante Domino, & adminiculante talis vitæ solicitudinem nulla (quod absit) reprehensionis occatio subripere aliquando præualeat.

1 Eusebius subscripsi.
2 Mumius subscripsi.
3 Ioannes subscripsi.
4 Maximus subscripsi.
5 Emila subscripsi.
6 Rufinus subscripsi.
7 Visus subscripsi.
8 Vincentius subscripsi.
9 Stephanus subsc.
10 Pompedius subsc.
11 Sintharius subsc.
12 Iustus subsc.

Maximus Presbyter agens vicem domini mei Stephani Episcopi subscripsi.

*Fructuosus in Christi nomine Diaconus, agens vicem domini mei Gomarelli Episcopi, subscripsi. *Dictinius.

DE SVBSCRIPTIONIBVS.

Eusebius Episcopus Tarraconensis erat, vt ex epistola Gundemari apparet, & prouinciæ Tarraconensis Metropolitanus; Mumius Calagurritanus; Ioannes Gerundensis; Maximus Cæsaraugustanus; Emila, siue Emilianus Barcinonensis; Rufinus (lege Pisinus) Eliberitan. Visusius (lege Vitulatius) Lauricensis; Vincentius Bigastrensis; Stephanus Oretanus.

Gomar Lelli.] *Goma Olyssiponensis, subscribit in epistola Gundemari.*

NOTÆ.

Siſebutus Rex 8. annis regnauit.

Siſebutus Rex succesſit Gundemaro, regnauit annos octo, anno Domini. 612. Era. 650. Eo imperante, coactum est apud Egaram Concilium. Est Egara in prouincia Tarraconensi, in C. M. S. legi Exara.

a In Chronica Ioan. secundi regis Castellæ. Historia Henrici, c. 16. Aluarus Gomezius lib. de rebus gestis à Francisco Ximenio.

b Onufrius de Cardinalibus: Garsias creatus in quinta creatione Clementis VII. an. D. 1529.

* Eodem anno, sed posteà Ioan. Tauera.

DEVSDEDIT.
PAP. VITA.

*C.23. B.an tres minus dieb 5. C.ex iu- *icibus. d& Iudi- *ium.

DEVSDEDIT, natione Roman. ex parte Stephano subdiacono, sedit annos tres, dies *24. Hic Clerum multum dilexit, sacerdotes, & clerum ad loca pristina reuocauit. Eodé tempore veniens Eleutherius Patritius, & Cubicularius Rauennam, occidit omnes, qui in nece Ioannis Exarchi, *& Iudicis reipublicæ fuerant mixti. Hic venit Romam, & susceptus est à sanctissimo Deusdedit Pap. optime. Qui egressus de Roma, venit Neapolim, quæ tenebatur à Ioanne Compsino* intarta. Qui Eleutherius Patritius pugnando ingressus est Neapolim, & interfecit Tyrannum, reuersusq; est Rauennam, & data roga militibus pax facta est in tota Italia. Hic cõstituit secundam Missam in clero. Eodem tempore factus est terræmotus magnus mense Augusto Indict.* 11. Post hæc secuta est clades in populo, percussio scabierum, vt nullus* potuisset mortuum suum cognoscere. Qui defunctus, & sepultus est ad B. Petrum Apostolum* die 8. mensis Nouemb. Hic dimisit* per obsequia sua, & ad omnem Clerum * rogam vnã integram. Hic fecit ordinationes tres, presbyteros * nouem, Diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca num. viginti nouem. Et cessauit Episcopatus mensem vnũ, dies* sexdecim.

Pax in Italia.
* sexta C.
*C. posset
*C 6 Idus Nouemb.
*C. pro eb sequis.
Rogã, donatio est dicta ab erogando.
*C 14.
*Sex.

NOTAE in vitam Deusdedit.

deusdedit quando Pontifex factus.

Deusdedit.] *Cum post obitum Bonifacij IV. sedes Apostolica mensibus quinque & duodecim diebus vacasset, Deusdedit egregijs virtutibus & sanctitate conspicuus, creatus est Pontifex. De hoc publice cantatur in Ecclesia 8. die Nouemb. eum tanti meriti extitisse, quod cum visitaret egrotos, leprosum vnum osculo sanauerit, & à lepra mundum reddiderit. Sub initium pontificatus illius, Cosrhoes Persarum Rex Hierosolymam ciuitatem expugnauit & incendit. Crucem sanctam Domini nostri Iesu Christi, vna cum Zacharia Hierosolymitano Antistite, alijsq; innumeris Christianis in Persidé transtulit. De qua historia hæc paucis Theophanes in suis annalibus.* Anno quinto imperij Heraclij: *qui est Christi 614.* Persæ Iordanẽ bello & Palæstinam & sanctam ciuitatem & multos in ea per manus Iudæorum interfecerunt, id est vt quidam aiunt, millia nonaginta. Isti enim mentes Christianos prout vnusquisque habere poterat, occidebãt eos. Zachariam vero Hierosolymitanum P. æsulem comprehensum, & pretiosa & viuifica ligna S. Crucis cum multa præda abduxerunt in Persidem. *In hac translatione, teste Suida in Heraclio, illud admiratione dignum contigit, quod Rex impius salutu nostræ trophæum adeo reueritus fuerit, vt nec ausus fuerit ab ipsa theca, qua operiebatur, signaculum amouere; eodemq; modo & honore asseruarit eam Perfide, quo Hierosolymis asseruata & honorata fuerat.*

Osculo sanat leprosum.

Crux Christi in Persidem translata.

Quamdiu sederit.

Sedit annos tres, dies 24.] *Annis trib. minus quinque diebus. Octauo enim die Nouembr. huius anniuersaria memoria in Ecclesia recolitur, adeoq; facta computatione ab ingressu Pontificatus, prædicto tempore sedisse reperitur.*

Eodem tempore veniens Eleutherius.] *Vide Baron. anno Dom. 615. n. 6. & 7.*

Roga quid.

Roga.] *est donatio sic dicta ab erogando.*

Cessauit dies sexdecim.] *Alij codices legunt dies sex.*

EPISTOLA VNICA DEVSDEDIT PAPÆ.

Qui proprios filios de sacro fonte suscipiunt, ab vxoribus separentur: & prohibetur, nequis commatrem suam in vxorem accipiat

Ex Manuscr. Cod.

DEusdedit Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ Episcop. Gordiano Hispalensis ecclesiæ coepiscopo, & fratri dilectissimo.

Peruenit ad nos diaconus vester, vestræ sanctitatis epistolam ferens, quòd quidam viri etiam & mulieres, præterito sabbato paschali die, pro magno populorum incursu, nescientes proprios suos filios suscepissent ex lauacro sancto. Cupis ergo scire, si pro tali accidente ratione debeant viri & mulieres ad suum proprium redire vsum, an non. Nos enim ex hoc mœsti, inquisiuimus priorum patrum nostrorum dicta. Inuenimus autem in archiuis huius Apostolicæ Sedis, iam talia contigisse Ecclesiæ Isauriæ & Ephesiorum, simulque Hierosolymæ, & etiam aliarum ciuitatum. Episcopis etiam earum ciuitatum, ab hac Apostolica Sede volentibus scire, si viri & mulieres redirent ad proprium torum, beatæ memoriæ sanctiss. patres, Iulius, Innocentius & Cælestinus cum episcoporum plurimorum & sacerdotum conuentu in Ecclesia B. Apostolorum principis, prohibentes talia perscripserunt & cõfirmauerunt, vt nullo modo iam in coniugio se reciperent mulieres aut viri, qui quacunq; ratione suos susceperunt natos: sed separent se, ne suadente diabolo, tale vitium peccati inolescat per mundum, & vniuersorum error accrescat. Scitis, quia quomodo sunt septem dona Spiritus sancti, ita sunt septẽ dona baptismi, à primo pabulo sacrati salis & ingressus sanctæ Ecclesiæ, vsque ad confirmationem Spiritus Sãcti per chrisma. Ab hoc primo Spiritus sancti dono vsq; ad septimũ nullus Christianus suam cõmatrem in coniugio recipere debet; & qui præsũpserit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, nisi pœnitentiam egerit dignè. Mulieres verò, cum separatæ fuerint pro hac illicita re, à proprijs viris totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali recepit; & post expletũ annum recipiant alium virũ, similiter & vir vxorem.

Septem baptismi dona.

BONIFACII V. PAP.
VITA, ET EPISTOLAE.

*B. ann. 7. m. 10. d. 1.

BOnifacius, natione Cãpanus, de ciuitate Neapoli, sedit* annos quinque, dies tredecim. Hic constituit, vt testamentum valeat secundum iussionem Principis. Hic constituit, vt nullus trahatur de Ecclesia. Hic constituit, vt Acolytus non præsumat reliquias sanctorum martyrum leuare, nisi presbyter. Hic constituit, vt in Lateranis Acolytus non baptizaret cum Diacono, sed subdiaconi sequentes. Hic perfecit cimiterium S.* Nicodemi, & dedicauit illud. Erat enim beatiss. Bonifacius mitissimus super omnes homines, & misericors. Hic Clerum amauit, rogam integram clero suo dedit. Eodem tempore ante dies ordinationis eius Eleutherius Patritius & Eunuchus factus* Intarta assumpsit regnũ, & veniente eo ad Ciuitatem Romanam* in Castrum, quod dicitur, Luceolis ibidem* Amites Rauennatis interfectus est. Cuius caput ductum est Constantinopolim ad pijssimum Principem. Qui defunctus sepultus est ad B. Petrum Apostolum, die 25. mensis Octobr. Hic dimisit omni clero* obsequia sua rogam vnam integram. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrẽ, Presbyteros viginti septem, Diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca num. 29. Et cessauit Episcopatus menses sex, dies 18.

*Nicomedis.

*Antara. *in castro. *à militib. Rauennaticis.

*pro obsequiis suis.

NOTAE in vitam Bonifacij V.

Bonifacius.] *Decima quarta, vel secundum aliam lectionem 24. mensis Decemb anno Domini 617. post interregnum vnius mensis & sex vel sexdecim dierum, Bonifacius eius nominis quintus, patria Neapolitanus, creatus est Pontifex. Huius temporibus cum Romanũ Imperium à Persis plurimum affligebatur, Eleutherius Exarchus, post quam iustum supplicium de alijs defectionem & tyrannidem molientibus sumpsisset, factus est ipse tyrannus, ideoq; iustas vsurpati imperij pœnas luit, quas Anastasius hic describit. Heraclius Imperator cum aduersus Persas viribus non subsisteret, ante non semel repulsus missa legatione pacem petijt, cõditiones satis iniquas offerens: at Cosrhoes Rex Persarum non aliter, concedendam pacem esse respondit, quam si ipse cum toto Romano Imperio Christi cultum abnegaret, & cum Persis solem diuino cultu adoraret. Imperator reparatis viribus & quæsita vndique pecunia, tyrannum bello aggressus. S. Crucis subsidio adiutus, contra hostes victoriam gloriosissimè retulit. Huius temporibus florut Mahometes Arabs, pseudopropheta, pestis orbis terrarum, à quo Mahometanorum secta originem cœpit: qui vt omnes populos in suam sectam attraheret, ex cunctis fermè sectis aliquid adsciuit. Ex Iudæis circumcisionem, vnius Dei cultum, & abstinentiam à carne suilla. Ex Christianis Christum; sed cum Arianis creatũ: cum Nestorianis purum hominem: cum Manichæis non vere; sed tantum apparenter crucifixum. Ex gentilibus cultum Lunæ, seu alicuius astri. Legem quam proposuit stultissimam, armis propagandam esse docuit, eamq; disputationibus examinari prohibuit. Vide Damascenum de hæresib. Theophanem & Cedrenum in Heraclio. Baron. an. 630.*

Bonificius quo tempore factus sit Papa.

Heraclius à Persis pacem petit

Mahometes quis & qualis.

Sedit

Sedit annos 5.] *Annis 7. mensibus decem, & die vno pontificatum tenuisse probat Baron. ex eo, quòd anno Domini 617. vigesima quarta mensis Decemb. pontifex creatus, eundem administrauerit ad illum vsque annum, quo Paulinus Eboracensis Episcopus, à Iusto Archiepiscopo ordinatus, monitu Pontificis Bonifacij, qui de suscipienda fide & deferenda idololatria literas ad Regem & eius coniugem scripserat, Anglis Borealibus conuertendis operã impendit. Illud contigisse anno à natiuitate Dom. 625. qui est octauus Bonifacij Papæ, disertis verbis profitetur Beda l. 2. c. 9. Vnde apertè constat, quod quem Anastasius 25. Octob. vita functum esse scribit, non quinque tantum; sed annis septem, mensibus 10. & vno die, sedem Pontificiam obtinuerit.*

SEQVVNTVR EPISTOLAE TRES BONIF. V.

EPISTOLA I. B. BONIFACII PAPÆ V. Ad Iustum Roffensem Episcopum.

Commendat eum, quòd Adelualdum regem ad fidem perduxerit. Sperat eum etiam alios perducturum. pallium mittit, iusq; ordinandi episcopos concedit.

Dilectissimo fratri Iusto Bonifacius. Quam deuotè, quamque etiam vigilanter pro Christi Euangelio elaborauerit vestra fraternitas, non solùm epistolæ à vobis directæ tenor, imò indulta desuper operi vestro perfectio indicauit. Nec enim omnipotens Deus aut sui nominis sacramentum, aut fructum vestri laboris deseruit, dum ipse prædicatoribus Euangelij fideliter repromisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quod specialiter, iuncto vobis ministerio, eius clementia demonstrauit, aperiens corda gentium ad suscipiendum prædicationis vestræ singulare mysterium. Magno enim præmio fastigiorum vestrorum, delectabilem cursum bonitatis suæ suffragijs illustrauit, dum creditorum vobis talentorum fidelissimę negociationis officijs, vberem fructum impendens ei, quod signare possitis multiplicatis generibus, præparauit. Hocq; etiam illa vobis repensatione collatum est, qui iuncto ministerio iugiter persistentes, laudabili patientia redemptionem gentis illius expectatis, & vestris vt proficerent meritis eorum est saluatio propinata, dicente Domino: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saluati ergo estis spe patientiæ, & tolerantiæ virtute, vt infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata, sui consequerentur misericordiam Saluatoris. Susceptis namque apicibus filij nostri Adelualdi regis, reperimus quanta sacri eloquij eruditione eius animũ ad veræ conuersionis, & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cœlestis certam assumentes fiduciam, non solùm suppositarũ ei gentium plenissimam salutem, imò quoque vicinarũ, vestræ quoque prædicationis ministerio credimus subsequendum: quatenus sicut scriptum est: Consummati operis vobis merces à retributione omnium bonorum Domino tribuatur. Et verè per omnem terram exisse sonum eorum, & in fines orbis terræ verba ipsorum, vniuersalis gentium cõfessio (suscepto Christianæ sacramento fidei) præstetur. Pallium præterea per latorem præsentium, fraternitati tuæ benignitatis studijs inuitati, direximus: quod videlicet tantum in sacrosanctis mysterijs celebrandis licentiam vtendi imperauimus, concedentes etiam tibi ordinationes episcoporum, exigente opportunitate, Domini præueniente misericordia celebrare: ita vt Christi Euãgelium plurimorum annunciatione in omnibus gentibus, quæ necdum conuersæ sunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas hoc, quod sedis Apostolicæ humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate seruare intendens: cuius rei similitudine tam præcipuum indumentum humeris tuis baiulandum susceperis: talemque te Domini implorata clementia exhibendum stude, vt indulti muneris præmia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal summi & venturi iudicis repræsentes. Deus te incolumem custodiat dilectissime frater.

EPISTOLA II. B. BONIFACII PAPÆ V.

Hortatur vt Christianam fidem amplectatur.

Viro Glorioso Eduino Regi Anglorum Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei. Licèt summæ diuinitatis potentia humanæ locutionis officijs explanari non valeat; quippe quæ sui magnitudine ita inuisibili atq; inuestigabili æternitate cõsistit, vt eam nulla ingenij sagacitas, quanta sit, comprehendere differe reque sufficiat: quia tamen eius humanitas ad insinuationem sui reseratis cordis ianuis, quæ de semetipsa proferẽtur, secreta humanis mentibus inspiratione clementer infundit, ad annunciandam vobis plenitudinem fidei Christianæ, sacerdotalem curauimus sollicitudinem prærogare, vt perinde Christi Euangelium, quod Saluator noster omnib. præcepit gentibus prædicari, vestris quoque sensibus inferentes, salutis vestræ remedio propinentur. Supernæ igitur maiestatis clementia, quæ cuncta solo verbo præceptionis suæ condidit & creauit, cælum videlicèt & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt (dispositis ordinibus quibus subsisterent) coæterni verbi sui consilio, & sancti Spiritus vnitate dispensans, hominem ad imaginem & similitudinem suam ex limo terræ plasmatum constituit, eique tantam præmij prærogatiuã indulsit, vt eum cunctis præponeret, atque seruato termino præceptionis æternitatis subsistẽtia præmuniret. Hunc ergo Deũ Patrem, Filium & spiritum sanctum, quod est indiuidua Trinitas, ab ortu solis vsque ad occasum humanum genus, quippe vt creatorem omnium, atque factorem suum salutifera confessione fidei veneratur & colit; cui etiam summitates Imperij rerumq; potestates submissæ sunt: quia eius dispositione omnium prælatio regnorũm conceditur. Eius ergo bonitatis misericordia, totius creaturæ suæ dilatandæ subsidijs, etiam in extremitate terræ positarum gentium corda frigida sancti S. feruore in sui quoque agnitione mirabiliter est dignata succendere. Quæ enim in glorioso filij nostri Audubaldi regis, gentibusque ei suppositis illustratione, clementia redemptoris fuerit operata, plenius ex vicinitate locorum vestram gloriam conijcimus cognouisse. Eius ergo mirabile donum, & in vobis certa spei cælesti longanimitate conferri confidimus. Cum profectò glorioſam coniugem vestrã, quæ vestri corporis pars esse dignoscitur, æternitatis præmio per sacri baptismatis regenerationem illuminatã agnouimus. Vnde præsenti stylo gloriosius vos adhortandos cum omni affectu intimæ caritatis curauimus: quatenus abominatis idolis, eorũq; cultu, spretisque fanorum fatuitatibus, & auguriorum deceptilibus blandimentis, credatis in Deum Patrem omnipotentem, eiusque filium Iesum Christum, & Spiritum sanctum, vt credentes à diabolicæ captiuitatis nexibus, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis cooperatæ potentia absoluti, æternæ vitæ possitis esse participes. Quanta autem reatitudinis culpa teneãtur adstricti hi, qui idololatriarum perniciosissimã superstitionem colentes amplectuntur, eorum, quos colunt exempla perditionis insinuant. vnde de his per psalmistã dicitur: Omnes dij gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit. & iterum, Oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt; nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: Similes ergo efficiuntur his, qui spem suæ confidentiæ ponunt in eis. Quomodo enim iuuandi quemlibet possunt habere virtutem hi, qui ex corruptibili materia inferiorum etiam suppositorumque tibi manibus construuntur, quibus videlicet artificium humanum accõmodans eis inanimatam membrorum similitudinem contulisti. qui nisi à te moti fuerint, ambulare non poterunt: sed tamquam lapis in vno loco positus, ita constructi, nihilque intelligentię habẽtes, ipsaque insensibilitate obruti; nullam neque lædendi, neque iuuandi facultatem adepti sunt. Qua ergo mentis deceptione eos deos, quibus vos ipsi imaginem corporis tradidistis, colẽtes sequimini, iudicio discreto reperire non possumus. Vnde oportet vos suscepto signo sanctæ crucis, per quod humanum genus redemptũ est, execrando diabolicæ versutiæ supplantationem, qui diuinæ bonitatis operibus inuidus, æmulusq; consistit, à cordib. vestris abijcere, iniectisque manibus hos, quos eatenus materiæ compage vobis Deos fabricastis, cõfringendos, diminuẽdosque summopere procurare. Ipsa enim eorum dissolutio, cor-

Ex Beda l. 2. c. 10.

Psal. 95: Psal. 113:

ruptio-

ruptioque quæ nunquam viuentem spiritum habuit, nec sensibilitatem à suis factoribus potuit quolibet modo suscipere, vobis patenter insinuet, quòd nihil erat, quod eatenus colebatis, dum profectò meliores vos, qui spiritum viuentem à Domino percepistis, eorum constructioni nihilominus existatis: quippe quos Deus omnipotens ex primi hominis, quē plasmauit, cognatione deductos, per sæcula innumerabilibus propaginibus pullulare constituit. Accedite ergo ad agnitionem eius, qui vos creauit, qui in vobis vitæ insufflauit spiritum, qui pro vestra redemptione filium suum vnigenitum misit, vt vos ab originali peccato eriperet, & ereptos de potestate diabolicæ nequitiæ cęlestibus præmijs muneraret. Suscipite verba prædicatorum, & Euangelium Dei, quod vobis annunciant: quatenus credentes (sicut sæpius dictum est) in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum eius filium, & Spiritum sanctum, & inseparabilem Trinitatem; fugatis dæmoniorum sensibus, expulsaque à vobis solicitatione venenosi & deceptibilis hostis, per aquam & Spiritum sanctum renati ei, cui credidistis, in splendore gloriæ sempiternæ, cohabitare eius opitulatione, & munificentia valeatis. Præterea benedictionem protectoris vestri B. Petri Apostolorum principis vobis direximus, id est camisiam cum ornatura in auro vna, & læna anciriana vna: quod petimus, vt eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo à eobis noscitur destinatum.

EPISTOLA III. B. BONIFACII PAPAE V.

Gratulatur fidem recepisse; monet, det operam vt coniux idem faciat, & munuscula quædam mittit.

Ex Beda lib 2. c. 11.

DOminæ Gloriosæ Filiæ Edelburgæ Reginæ, Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei.

Redemptoris nostri benignitas, humano generi, quod precioſi sanguinis sui effusione à vinculis diabolicæ captiuitatis eripuit, multa prouidentia quibus saluaretur, propinauit remedia: quatenus sui nominis agnitionē diuerso modo gentibus innotescens, creatorem suum suscepto Christianæ fidei agnoscerent sacramento: quod quidem in vestræ gloriæ sensibus cælesti collatum munere mystica regeneratio vestræ purgationis patenter innuit. Magno ergo largitatis Dominicæ beneficio mens nostra gaudio exultauit, quòd scintillam orthodoxæ religionis in vestri dignatus est conuersione succendere. Ex qua re non solùm glorioſi coniugis vestri, immo totius gentis suppositæ vobis intelligentiam in amorem sui facilius inflammaret. Didicimus namque referentib his, qui ad nos glorioſi filij nostri Audubaldi regis laudabilem conuersionem nunciantes peruenerunt, quòd etiam vestra gloria Christianæ fidei suscepto mirabili sacramento pijs & Deo placitis iugiter operibus enitescat: ab idolorum etiā cultu, seu fanorum auguriorumque illecebris se diligenter abstineat, & ita in amore Redemptoris sui immutata deuotione persistens inuigilet, vt ad dilatandam Christianam fidem incessabiliter non desistat operam commodare. Cumque de glorioſo coniuge vestro paterna caritas solicitè perquisisset, cognouimus, quòd eatenus abominandis idolis seruiens, ad suscipiendam vocem prædicatorū suam distulerit obedientiam exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo congesta est ab eo quòd pars corporis vestri ab agnitione summę & individuæ Trinitatis remansit extranea. Vnde paternis officijs vestræ glorioſę Christianitati nostram commonitionem non distulimus conferre, adhortantes quatenus diuinæ inspirationis imbuta subsidijs importunè & opportunè agendum non differas, vt & ipse Saluatoris nostri Domini Iesu Christi cooperante potentia Christianorum numero copuletur, vt perinde intemerato societatis fœdere iura teneas maritalis consortij. Scriptum namque est: Erunt duo in carne vna. Quomodo namque vnitas vobis coniunctionis inesse dici poterit, si à vestræ fidei splendore interpositis detestabilis erroris tenebris remanserit ille alienus? Vnde orationi continuò intistens à longanimitate cœlestis clementiæ illuminationis illius beneficia impetrare non desinas: vt videlicet, quos copulatio carnalis affectus vnum quodammodo corpus exhibuisse monstratur, hos quoque vnitas fidei etiam post huius vitæ transitum in perpetua societate conseruet. Instiste ergo glorioſa filia, & summis conatibus duritiam cordis ipsius religioſa diuinorum præceptorū insinuatione mollire summopere dematura, infundens sensibus eius, quantum sit præclarum, quòd credendo suscepisti mysteriū: quantum ve sit admirabile, quòd renata præmium consequi meruisti. Frigiditatem cordis ipsius Sancti spiritus annunciatione succende, quatenus amoto corpore pernicioſissimi cultus, diuinæ fidei calor eius intelligentiam tuarum exhortationum frequentatione succendat: vt profectò sacræ Scripturæ testimonium per te expletum indubitanter præclareat: Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem. Ad hoc enim misericordiam Dominicæ pietatis consecuta es, vt fructum fidei, creditorumque tibi beneficiorum Redemptori tuo multiplicem resignares. Quod equidem suffragante præsidio benignitatis ipsius, vt explere valeas, assiduis non desistimus precibus postulare. His ergo præmissis, paternæ vobis dilectionis exhibentes officia, hortamur, vt nos (reperta portitoris occasione) de his, quæ per vos superna potentia mirabiliter in conuersatione coniugis vestri, submissaque vobis gentis dignatus fuerit operari, prosperis quantocyus nunciis reueletis: quatenus sollicitudo nostra, quæ de vestri vestrorūque omnium animæ salute optabilia desideranter expectat, vobis nunciantibus reueletur, illustrationemque diuinæ propitiationis in vobis diffusam opulentius agnoscentes, hilari confessione largitori omnium bonorum Deo, & beato Petro Apostolorū principi vberes meritò gratias exoluamus. Præterea benedictionem protectoris vestri Beati Apostolorum principis vobis direximus, id est, speculum argenteum, & pectinem eburneum inauratum: quod petimus, vt eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo à nobis noscitur destinatum.

1. Cor. 7.

Matt. 19.

CONCILIVM MATISCONENSE III. PRO REGVLA COLVMBANI CELEBRATVM, ANNO Domini 617. tempore Bonifacij Papæ V. & Clotharij Regis Francorum.

NOTAE.

Causa Concilij.

Concilium.] *Agrestinus olim Theodorici Regis Notarius, post Luxouiensis monachus factus, non post longum tempus importune institit apud Eustasium Abbatem, vt gentium prædicator & Apostolus esse permitteretur. A quo proposito cum Eustasius dissuadendo eum (vtpote qui ad tantum munus subeundum adhuc nimis rudis esset) deterrere & auocare non posset, tandem ire permisit. Profectus in regionem Boioariorum, nullo ibi operæ pretio facto, paulo post transijt ad Aquileienses: factus schismaticorum consors, & schismatis sectarius, Attalam cœnobij Bobiēsis patrem, & Eustasium Columbani successorem, cum alijs quibusdam in eundem secum errorem pertrahere conatus fuit. Quod cum ei nusquam succederet, sermonem conuertit in Regulam B. Columbani, eamq; calumniari cœpit, pellectis secum Apellino Genuensi, alijsve pluribus Episcopis. Vt calumnijs suis fidem adhiberet Rex Clotharius, ipse quidem ausu temerario conatus fuit; sed cum B. Columbani sanctitas, eiusq; discipulorum doctrina Regi cognita esset, frustra illud aliquoties attentauit: tandem vero vt hominis petulantem linguam compesceret, statuit, inquit Ionas in vita Eustasij apud Bedam,* vt Synodali examinatione probaretur, nō ambigens de auctoritate venerabilis viri Eustasij, quin omnes aduersantes sanctæ regulæ sua prudentia superaret.

Tunc emanante regali auctoritate, multi iam Burgundiæ Episcopi in suburbio Matisconensis vrbis conueniunt: inter quos maximus hæreticorum Vuarnacharius quidam, dū & ipse fieri vellet assentator Agrestinianæ partis, ipso die quando aduersus Eustasium altercatio futura erat, mortē præuentus interijt. Sed nec eo terrore turbati cæteri contefautores aduersæ partis, qui conuenerunt, deductum in medium Agrestinum depromere cogunt, quid contra regulam Columbani vel Eustasij obijciendum haberet. Tum ille trementibus labijs assistens, & nihil auctoritatis vel elucubrati eloquij habens, ait superflua quædam & canonicæ institutioni contraria in eorum studijs teneri, cochleam videlicèt, quam lamberent, Crucis signo crebro signari, & in in-

gressu

greſſu cuiuslibet domus intra cœnobium tam introeuntem quàm egredientem benedictionem poſtulare: Columbanum etiam à cæterorum Eccleſiaſticorum more deſciſcere, & ſacra Miſſarum ſolemnia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare.

Auditis huiuſmodi obiectionibus, beatus Euſtaſius conuerſus ad ſuæ partis Epiſcopos dixit: Vos, o decus ſacerdotij, probare debetis, qui in Eccleſijs veritatis ac iuſtitiæ ſeminarium diſtribuant, & qui veritati ac religioni aliena tradant. Quicquid enim à norma veri tramitis diſſentit, extra eccleſiæ corpus ſegregari debet. Veſtrum eſt diſcernere obiecta, an ſint à Scripturarum ſerie aliena. Agreſtinus ait: Tuo ore nobis edicito: noſſe enim à te volumus, quod dignum ſuper hoc reſponſum reddas. S. Euſtaſius reſpondit: Nequaquam, ait, reor contrarium eſſe religioni, ſi cochleam quam Chriſtianus ambit, vt quodcunque vas, aut poculum Crucis ſigno munit, cum per aduentum ſigni Dominici pellatur peſtis aduerſantis inimici.

Introeuntem verò monachum cellulam, vel exeuntem, benedictione Domini armari, ratum duco, iuxta Pſalmiſtæ vocem: Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animã tuam Dominus: Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & vſque in ſæculum. Licet enim hoc ad vnumquemque Chriſtianum referatur, vt gratia baptiſmi per fidem in Eccleſia ſeruetur, in eo videlicet, qui ad eam ingreditur, & vſque ad finem perſeuerantiæ vigore firmetur: de quotidiano tamẽ motu, ſiue ingreſſu vel egreſſu, ſeu progreſſu vnumquemque noſtrum ſigno Crucis armari, vel benedictione ſodalium fas duco roborari.

Multiplicationem verò orationum in ſacris officijs credo omnibus proficere Eccleſijs: quia dũ plus Dominus quæritur, plus inuenitur; & cum vberius operatione pulſatur, eo citius exaudire probatur: Nihil enim ampliùs deſiderare debemus quàm orationi incumbere, ſicut Dominus ſub Apoſtolorum numero hortatur: Vigilate & orate; ne intretis in tentationem. Sic & Apoſtolus nos ſine intermiſſione iubet orare: ſic omnis Scriptura ſacra hortatur nos ad Dominum ſine ceſſatione clamare. Nihil equidem tam vtile, tamque ſalutare, quàm Creatorem multiplicatione precum & aſſiduitate orationum pulſare. Matt. 26. & Luc 22. 1. Theſſ. 2.

His & horum ſimilibus reſponſis confuſus Agreſtin. addit garrulitatis noxam: calumniatur capitis comam ineptè præcidi, & ab omnium hominum more deſciſci. Euſtaſius autem, vt erat virtute patientiæ & ſcientiæ comptus: In præſentia, ait, omnium horum qui præſto ſunt ſacerdotum, ego eius diſcipulus & ſucceſſor, cuius tu diſciplinam & inſtituta damnas, te ad diuinum iudicium cum eo intra præſentis anni circulum cauſaturum inuito, vt iuſti Iudicis examine ſententias, cuius famulum tuis detractionibus maculare procures. His dictis, metus quoſdam eorum qui Agreſtinianæ partis fautores erant, perculit, hortanturque omnes vt pacis neu corda iungerent, & vt iſte temeritatis audaciam tolleret, & ille paterno affectu labentem pijs correptionibus ſolueret. Ad hæc Euſtaſius: Veſtris, inquit, libens ſatisfacerem precib. ſi miſera mens duritiam vecordiæ molliret, & correctis cauterio morbis, vel antidoto viſceribus defectis, redux ad ſalutifera monita remeare nititur. Cogentibus ergo cunctis, Agreſtinus ſimulatam pacem poſtulat, quod poſtea actibus deprompſit. Euſtaſius verò mitis animi ſuaſione flexus poſcentium, pacem tribuit, & pacis oſculum illi porrexit.

CONCILIVM HISPALENSE SECVNDVM, SVB DIE IDVVM NOVEMBRIVM, AERA 657. TEMPORE *SISEBVTI REGIS, SVB BONIFACIO PAPA V.

Eſt Prouinciale.

Editio I. Vulgata.

CAPITVLA CONCILII HIſpalenſis ſecundi.

De Theodulphi Malacitanæ Eccleſiæ epiſcopi querimonijs, aduerſus reliquos epiſcopos pro quibuſdam parochijs. 1
De querimonijs Fulgentij & Honorij epiſcoporum, pro quibuſdam parochijs. 2
De deſertoribus clericis, vt epiſcopis ſuis reſtituantur. 3
De bigamis, ad presbyterium vel diaconatum non promouendis. 4
Ne presbyteri diaconum vel presbyterum ordinare præſumant. 5
De presbyteris vel diaconibus, ab vno epiſcopo non deponendis. 6
De his, quæ prohibentur chorepiſcopis vel presbyteris in Eccleſiaſticis ſacramentis agere. 7
De ſuperbis eccleſiæ libertis, vt ad ſeruitium reuocentur. 8
De œconomis, ne ex laicis conſtituantur. 9
De monaſterijs non conuellendis. 10
De monaſterijs virginum, vt à monachis tueantur. 11
De quodam Acephalorum epiſcopo. 12
De duabus in Chriſto naturis, & vna perſona. 13

IN nomine Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Iſidorus, Biſinnus, Rufinus, Fulgentius, Cambra, Fident. Theodulphus & Honorius epiſcopi, qui pariter in vrbe Spalen. pro aliquibus eccleſiaſticis negocijs adunati ſumus. Conſidentibus ergo nobis in ſecretario ſacroſanctæ Hieruſalem Spalen. eccleſiæ, cum illuſtribus viris, Siſibuto rectore rerum publicarum, atque Sualane actore rerum fiſcalium, ſtante religioſiſſimo clericorum cœtu.

Cap. I. Prima actione, Theodulphi Malacitanæ antiſtitis eccleſiæ ad nos oblata precatio eſt, aſſerentis, antiquam eiuſdẽ vrbis parochiam, militaris quodam hoſtilitatis diſcrimine fuiſſe deciſam, & ex parte aliqua ab Eccleſijs Aſtigitanæ, Eliberitanæ, atque Agabrenſis vrbium, eſſe retentam. Pro qua re placuit, vt omnis parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe eccleſiam ſuam com-

proba-

Editio II. Garſiæ Loayſæ.

De Theodulfi Malacitanæ Eccleſiæ Epiſcopi querimonijs aduerſus reliquos Epiſcopos, pro quibuſdam parochijs. 1
De querimonijs Fulgentij, & Honorij Epiſcopi, pro quibuſdam parochijs. 2
De deſertoribus Clericis, vt Epiſcopis ſuis reſtituantur. 3
De bigamis ad Presbyterium, vel ad Diaconatum non promouẽdis. 4
Ne Presbyter Diaconum, aut Presbyterum ordinare præſumat. 5
De Presbyteris, vel Diacombus ab vno Epiſcopo non deponendis. 6
De his, quæ prohibentur Presbyteris in Eccleſiaſticis ſacramentis. 7
De ſuperbis Eccleſiæ libertis, vt ad ſeruitium reuocentur. 8
De œconomis, ne ex laicis conſtituantur. 9
De monaſterijs non conuellendis. 10
De monaſterijs virginum, vt à monachis tueantur. 11
De quodam Acephalorum Epiſcopo. 12
De duabus in Chriſto naturis, & vna perſona. 13

IN nomine Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Iſidorus, Biſinus, Rufinus, Fulgentius, Cambra, Fidentius, Theodulfus, & Honorius Epiſcopi, qui pariter in vrbe Spalenſi pro aliquibus Eccleſiaſticis negocijs coadunati ſumus. Conſedentibus nobis in Secretario ſacroſanctæ Hieruſalem Spalenſis Eccleſiæ, cum Illuſtribus viris Siſiſclo Rectore rerum publicarum, atque Suanilane Actore rerum fiſcalium, adſtante religioſiſſimo Clericorum cœtu.

I Prima actione Theodulfi Malacitanæ Antiſtitis Eccleſię, ad nos oblata precatio eſt, aſſerentis antiquam eiuſdem vrbis parochiam militaris quondam hoſtilitatis diſcrimine fuiſſe deciſam, & ex parte aliqua ab Eccleſijs Aſtigitanæ, Eliberitanæ, atque Agabrenſis vrbium eſſe retentam. Pro qua re placuit, vt omnis parochia, quæ ab antiqua ditione ante militarem hoſtilitatem retinuiſſe Eccleſiam ſuam com- 16. q. 3. Prima &c.

proba-

probaret, eius priuilegio reſtitueretur. Sicut enim per legem mundialem his, quos barbarica feritas captiua neceſſitate transuexit, poſtliminio reuertentibus redditur antiqua poſſeſſio; non aliter eſt eccleſia receptura parochiam, quam antè tenuit cum rebus ſuis, ſiue ab alijs eccleſijs poſſideantur, ſiue in cuiuslibet poſſeſſionem transfuſa ſint. Non enim erit obijcienda præſcriptio temporis, vbi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

Cod. de capt. & poſtli. l. Si quos, & ibid. l. fi. C. diuerſarũ, ho. &c. Vbi dicitur, Quos barbarica feritas, &c

2 Secundo examine inter memoratos fratres noſtros Fulgentium Aſtigitanum, & Honorium Cordubenſem epiſcopos, diſcuſſio agitata eſt propter parochiam baſilicæ cuiuſdam, quam horum alter Celciten. alter Reginenſem aſſeruit. Et quia inter vtraſque partes hactenus limitis actio vindicata eſt, cuius quamuis vetuſta retentio nullum iuris præiudicium afferret: ideoque ne in dubium vltrà inter eos noſtra deuocaretur, ſententia prolatis canonibus, ſynodalia decreta perlecta ſunt: quorum authoritas præmonet, ita oportere inhiberi cupiditatẽ, vt ne quis terminos alienos vſurpet: Ob hoc placuit inter alternas, inſpectionis viros mittendos, ita, vt ſi in dicœceſi poſſidentis ſitam baſilicam, veteribus ſignis limes peruiſus monſtrauerit, eccleſiæ, cuius eſt *ius retentionis, ſit æternum dominium. Quod & ſi limes legitimus eandẽ baſilicam non concludit, & tamen longi temporis probatur obiecta præſcriptio, appellatio repetentis epiſcopi non valebit, quia illi tricenalis obiectio ſilentium imponit. Hoc enim & ſecularium principum edicta præcipiunt, & præſulum Romanorum decreuit authoritas. Sin verò infra metas tricenalis temporis extra alienos terminos baſilicæ iniuſta retentio reperitur, repetentis epiſcopi iuri ſine mora reſtituetur.

* iuſta retentio.

3 Tertia definitione ad nos oblata precatio eſt à reuerendiſſimo fratre noſtro Cambra Italicenſi epiſcopo, pro quodam clerico Paſſando, qui *de eccleſiæ ſuæ cultu, in qua dicatus ab exordijs infantiæ fuerat, ad eccleſiam Cordubenſem ſe contulit. Quem elegimus, vt ſi nihil proponeretur de eo, ſine dilationis obiectu, proprio reformetur epiſcopo, Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, vt vbi eſſe quiſque iam cœpit, ibi perduret. Non aliter & de clericis, qui in agro eccleſiæ operantur, canonum decreto præcipitur, niſi vt ibi permaneant, vbi eſſe cœperunt. Ideoque placuit, vt ſi quis clericus, miniſterijs eccleſiæ propriæ deſtitutis, ad aliam tranſitum fecerit, compellente ad quem fugerit, ſacerdote, ad eccleſiam, quam priùs incoluerat, remittatur. Qui verò eum ſuſceperit, nec ſtatim ſine vllo niſu exceptionis ad propriam eccleſiam remittendum elegerit, quamdiu eum reſtituat, cõmunione ſe priuatum agnoſcat. Deſertorem autem clericũ, cingulo honoris atque ordinis ſui exutum, aliquo tempore monaſterio religari conuenit, ſicque poſteà in miniſterio Eccleſiaſtici ordinis reuocari. Nam non poterit in talibus peruagationis aboleri licentia, niſi fuerit in eis propter correptionem diſciplinæ ſubſecuta cenſura.

*derelinquens eccleſiæ ſuæ cultum.

C. de agri. & cenſ. & colo. li. 11. in plurib. legibus, Peculiariter autem l. cum ſatis. &c.

4 Quarta actione nunciatum eſt nobis, apud Aſtigitanam Eccleſiam quaſdam nuper ordinationes illicitas extitiſſe, ita vt quidam viduarum mariti, Leuitarum miniſterio ſacrarentur. Quos quidem conuenit à gradu ſuſcepto in irritum deuocari, nec vltra prouehi ad diaconij miniſterium, qui contra diuina atque Eccleſiaſtica iura inſtituti reperiuntur.

5 Quinto iudicio ad agnitionem * noſtri examinis, Agabrenſis diaconi relatu deductum eſt, de quibuſdam ipſius Eccleſiæ clericis quorũ dum vnus ad presbyterium, duo ad Leuitarũ miniſterium ſacrarentur, epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantùm poſuiſſe, & presbyter quidam illis, contra Eccleſiaſticum ordinem, benedictionem dediſſe: qui licet, propter tantam præſumptionis audaciam, poterat accuſatus iudicio pręſenti damnari, ſi, adhuc in corpore poſitus, nõ fuiſſet mortis vocatione præuentus: ſed quia iã ille examini diuino relictus, humano iudicio accuſari nõ poteſt, hi, qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potius elogium perceperunt, ne ſibi licentiam talis vſurpatio faciat, decreuimus, vt à gradu ſacerdotalis vel leuitici ordinis, quem peruersè adepti ſunt, depoſiti, æquo iudicio abijciantur. Tales enim meritò iudicati ſunt remouendi, quia prauè inuenti ſunt conſtituti.

* noſtram Aniani. Diſt. 24. Quorunda cleric.

probaret, eius priuilegio reſtitueretur. Sicut enim per legem mundialem, his, quos barbarica feritas captiua neceſſitate trãsuexit, poſtliminio reuertẽtibus redditur antiqua poſſeſſio; non aliter eſt Eccleſia receptura parochiam, quam antè retinuit cum rebus ſuis, ſiue ab alijs Eccleſijs poſſideantur, ſiue in cuiuslibet poſſeſſionem transfuſa ſunt. Non enim erit obijcienda præſcriptio temporis, vbi neceſſitas intereſt hoſtilitatis.

2 Secundo examine inter memoratos fratres noſtros, Fulgentium Aſtigitanum, & Honorium Cordubenſem, Epiſcopos, diſcuſſio agitata eſt; propter parochiam baſilicæ, quam horum alter Cœleſticenſem, alter Reginenſem aſſeruit. Et quia inter vtraſq; partes hactenus limitis actio vindicata eſt (cuius, quamuis vetuſta retentio nullum iuris præiudicium adferret) ideoque ne in dubium vltra inter eos noſtra aduocaretur ſententia, prolatis Canonibus Synodalia decreta perlecta ſunt; quorum auctoritas præmonet, ita oportere inhiberi cupiditatẽ, vt ne quis terminos alienos vſurpet. Ob hoc placuit inter alternas partes inſpectionis viros mittendos: ita vt ſit in dicœceſi poſſidentis (ſi tamen Baſilicam veteribus ſignis limes præfixus monſtrauerit) Eccleſiæ, cuius eſt iuſta retentio, æternum dominium. Quòd ſi & limes legitimus eandem baſilicam non concludet, & tamen longi temporis probatur obiecta præſcriptio, appellatio repetentis Epiſcopi non valebit: quia illi tricennalis obiectio ſilentiũ ponit: hoc enim & ſecularium Principum edicta præcipiunt, & Præſulum Romanorum decreuit auctoritas. Sin verò infra metas tricennalis temporis, extra alienos terminos baſilicæ iniuſta retentio reperitur, repetentis Epiſcopi iuri ſine mora reſtituetur.

Butch. l. 4. c. 2.

Vide C6c. Carthag. 2 c. 10 11. & Carthag. 3. c. 20. Conc. Emeri c. 3. vocantur Inſpectores.

Detricennali poſſeſſione, & præſcriptione extat epiſtola Gelaſij ad Siliciẽſes c. 2. & Conc. Tolet. 4. c. 34. Legum Viſegos. li. 10. tit. 3. li. 4. & li. 2. tit. 2. l. 3.

3 Tertia definitione ad nos oblata precatio eſt, à Reuerendiſſimo fratre noſtro Cambrane, Italicenſi Epiſcopo, pro quodam Clerico Iſpaſſando, qui deſerens Eccleſiæ cultum ſuæ, in qua dicatus ab exordijs infantiæ fuerat, ad Eccleſiam Cordubenſem ſe contulit. Quem elegimus, vt ſi nihil proponeretur de eo, citra dilationis obiecta, proprio reformaretur Epiſcopo: ſcribitur enim in lege mundiali, de colonis agrorum, vt vbi eſſe iam quiſque cœpit, ibi perduret. Non aliter, & de Clericis, qui in agro Eccleſiæ operantur, Canonum decreto prçcipitur; niſi vt ibi permaneant, vbi cœperunt. Ideoque placuit, vt ſi quis Clericus miniſteriis Eccleſiæ propriæ deſtitutis, ad aliam tranſitum fecerit, compellente, ad quem fuerit Sacerdote, ad Eccleſiam, quam priùs incoluerat, remittatur. Qui verò eum ſuſceperit, nec ſtatim ſine vllo nixu exceptionis ad propriam Eccleſiam remittendum elegerit, quamdiu eum reſtituat, communione ſe priuatum agnoſcat. Deſertorem autem Clericum cingulo honoris, atque ordinis ſui exutum, aliquo tempore monaſterio deligari conuenit; ſicque poſteà in miniſterio Eccleſiaſtici ordinis reuocari. Nã non poterit in talibus peruagationibus aboleri licentia, niſi fuerit in eis propter correptionem diſciplinæ ſubſequuta cenſura.

21 q. 2. Placuit vtiſ.

4 Quarta actione nunciatum eſt nobis, apud Aſtigitanã Eccleſiam quaſdam nuper ordinationes illicitas extitiſſe; ita vt quidam viduarũ mariti Leuitarum miniſterio ſacrarẽtur: quos quidem conuenit à gradu ſuſcepto in irritum deuocari, nec vltra prouehi ad Diaconij miniſterium, qui contra diuina, atque Eccleſiaſtica iura inſtituti reperiuntur.

5 Quinto indicio ad cognitionem noſtram Aniani Egabrenſis Diaconi relatu deductum eſt, de quibuſdam ipſius Eccleſiæ Clericis, quorum, dum vnus ad Presbyterium, duo ad Leuitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantùm poſuiſſe, & Presbyter quidam illis, contra Eccleſiaſticũ ordinem benedictionem dediſſe. Qui licet, propter tantam præſumptionis audaciam, poterat accuſatus iudicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vocatione præuentus; ſed quia iam ille examini diuino relictus, humano iudicio accuſari non poteſt, hi qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potiùs eulogiũ perceperunt; ne ſibi licentiam talis vltra vſurpatio faciat, decreuimus, vt à gradu Sacerdotalis, vel Leuitici ordinis, quem peruersè adepti ſunt, depoſiti æquo iudicio abutantur. Tales enim meritò iudicati ſunt remouendi, quia prauè inuẽti ſunt conſtituti.

Diſt. 23 c. quorundã Clericorũ er Tolet. & Hiſpalenſi 2 c. 1. apud Burch li 3 c. 2. & Iun. p. c. 102. apud Burch. li. 3. c. 2. Conc. Bracaren.

6 Sexta actione comperimus, Fragitanum Cordubensis Ecclesiæ presbyterum, à pontifice suo iniustè olim deiectum, & innocentem exilio condemnatum: quem rursus ordini suo restituentes, id denuo aduersus præsumptionem nouam decreuimus, vt iuxta priscorum patrum synodalem sententiam, nullus nostrum sine Concilij examine, * deijciendum quemlibet presbyterum vel diaconum audeat. Nam multi sunt, qui indiscussos, potestate tyrannica, non authoritate canonica, damnant. Et sicut nonnullos gratia fauoris sublimat, ita quosdam, odio inuidiaq; permoti, humiliant, & ad leuem opinionis auram condemnant, quorum crimen non approbant. Episcopus enim sacerdotibus ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest. Si enim hi, qui in seculo à dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in seruitutis nexum nõ reuoluuntur, nisi publicè apud prætores tribunali foro fuerint accusati: quanto magis hi, qui diuinis altaribus consecrati, honore Ecclesiastico decorantur? qui profectò nec ab vno damnari, nec, vno iudicante, poterũt honoris sui priuilegijs exui: sed præsentati synodali iudicio, quod canon de illis præceperit, definiri.

7 Septimo examine relatum est nobis, venerãdissimum quondam Agapium Cordubensis vrbis Episcopum, frequenter chorepiscopos vel presbyteros destinâsse, (qui tamen iuxta canones vnum sunt) qui absente pontifice altaria erigerét, basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse virum, Ecclesiasticæ disciplinæ ignarum, & statim à seculari militia in sacerdotale ministerium delegatum. Ergò nè vltrà talis à nobis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit, sciẽtes, quia sicut presbytero vel chorepiscopo illicita cõsecratio est altaris, ita & constitutio. In diuinis enim literis, præcipiente Domino, solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit, quia summus vtiq; sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo: Moses & Aaron in sacerdotibus eius. Ideoque id, quod tantùm facere principibus sacerdotum iussum est, quorum typum Moses & Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamuis cum Episcopis plurima illis mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam nouellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint, sicut presbyterorum & diaconorum ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris, benedictio, vel vnctio. Siquidem nec licere eis Ecclesiam, vel altaria consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizandis, vel conuersis ex hæresi, paracletum spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare: sed nec publicè quidé in Missa quenquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc omnia illicita esse presbyteris vel corepiscopis, quia pontificatus apicem non habent, quod solis debere Episcopis, authoritate canonum præcipitur, vt per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur. Sed neq; coram Episcopo licere presbyteris, in baptisterium introire, nec præsente antistite, infantem tingere aut signare, nec pœnitentes sine præcepto Episcopi sui reconciliare: nec eo præsente, sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere: nec, eo coram posito, populum docere vel benedicere, aut salutare, nec plebem vtiquè exhortari, quæ omnia eis à sede Apostolica prohibita esse noscuntur.

8 Octaua discussio agitata est de quodam Helisæo, ex familia Agabrensis Ecclesiæ, qui ab Episcopo suo traditus libertati, de libertate confestim ad contumaciæ morbum transiliuit: sicq; per superbiam non solum eiusdem Episcopi veneficis artibus salutem lædere voluit, sed etiam patronam Ecclesiam, libertatis immemor, prædemnauit. Aduersùs quem ingrati actio canonum ac legum authoritate iusti dirigitur, scilicèt, vt, immeritæ libertatis damno mulctatus, ad seruitutis nexum reuocetur. Talium enim status, qui contra Episcopum suum vel patronam Ecclesiam nituntur, decidi potiùs, quàm conseruari conuenit: vt quorum libertas pernicioſa est, sit salutifera seruitus: & qui superbire nouerint adepta libertate prædi ti, discant obedire subiecti.

9 Nona actione didicimus, quosdam ex nostro collegio, contra mores Ecclesiasticos, laicos habere in rebus diui-

6 Sexta actione comperimus, Fragitanum Cordubensis Ecclesię Presbyterũ à Pontifice suo iniustè olim deiectum, & innocentem exilio cõdemnatum. Quem rursus ordini suo restituentes, id denuò aduersus præsumptionem nostram decreuimus, vt iuxta priscorum Patrum synodalem sententiam, nullus nostrum, sine Concilij examine deijciendum quemlibet Presbyterum, vel Diaconum audeat. Nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica dãnant: & sicut nonnullos gratię fauore sublimant: ita quosdam odio, inuidiaque permoti humiliant, & ad legum opinionis auram cõdemnant, quorum crimen non approbant. Episcopus enim Sacerdotibus, ac ministris solus honorẽ dare potest, auferre solus nõ potest. Si enim hi, qui in seculo à dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in seruitutis nexum non reuoluuntur; nisi publicè apud Prętores ac Præsides tribunali foro fuerint accusati: quanto magis hi, qui diuinis altaribus consecrati, honore Ecclesiastico decorantur? Qui profectò, nec ab vno damnari, nec vno iudicante, poterunt honoris sui priuilegijs exui: sed prętentati Synodali iudicio, quod Canon de illis præceperit, definiri.

7 Septimo examine relatũ est nobis, venerandissimum quondam Agapium, Cordubensis vrbis Episcopum, frequenter Presbyteros destinasse, qui absente Pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum id præcepisse virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum, & statim à seculari militia in Sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne vltra talis à nobis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit; scientes quia sicut Presbytero illicita consecratio est altaris, ita & constitutio. In diuinis enim literis pręcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse vnxit; vtique quia summus Sacerdos Dei erat: sicut scriptum est: Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius. Ideoque id quod tantùm facere principibus sacerdotum iussum est, quorum typum Moyses, & Aaron tenuerunt, Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamuis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam nouellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint: sicut Presbyterorum & Diaconorum, ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris; benedictio, vel vnctio: siquidem nec licere eis Ecclesiam, vel altarium consecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conuersis ex hæresi paracletum Spiritũ tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontem signare; sed nec publicè quidem in Missa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita esse Presbyteris, quia Pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis auctoritate canonum præcipitur: vt per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Põtificis demonstretur: sed neque coram Episcopo licere Presbyteris in baptisterium introire; nec præsente Antistite infantem tingere, aut signare; nec pœnitentes, sine præcepto Episcopi sui reconciliare; nec eo præsente, sacramentum corporis, & sanguinis Christi conficere; nec eo coram posito, populũ docere, vel benedicere, aut salutare; nec plebem vtiq; exhortari.

8 Octaua discussio agitata est, de quodam Elisseo ex familia Agabrensis Ecclesiæ, qui ab Episcopo suo traditus libertati, de libertate confestim ad contumaciæ morbum transilijt; sicque per superbiam non solùm eiusdem Episcopi veneficis artibus salutem lædere voluit, sed etiam patronam Ecclesiam, libertatis immemor, prædamnauit. Aduersus quem ingrati actio, canonum, ac legum auctoritate iustè dirigitur; scilicet, vt immeritæ libertatis damno multatus, ad seruitij nexum, quo natus est, reuocetur. Talium enim status, qui contra Episcopum suum, vel patronam Ecclesiam nituntur, decidi potiùs, quàm conseruari conuenit: vt quorum libertas pernicioſa est, sit salutifera virtus; & qui superbire nouerunt adepta libertate prædi ti, discant obedire subiecti.

9 Nona actione didicimus, quosdam ex nostro collegio, contra mores Ecclesiasticos, laicos habere in rebus diui-

15. q. 7. Sexta actio. & distin. 64. Episc.

15. q. 8. ca. Episco & d. 67. cap. Episcop. Vide leges Vvisegoth lib. 5. tit. 7. per totũ, præsertim libr. 10. Si libertus.

Agapius, interfuit 3. Conc. Toletano, & primo Hispalensi, Era 628. ibiq; subscribit.

12. q. 2. Octaua discuſ. Iuo p. 10. c. 66.

Vide leges Vvisig. li. 5. tit. 7. l. 10 Si libertus

16. q. 7. In nona act.

nis conſtitutos œconomos. Proinde pariter tractantes eligimus, vt vnuſquiſque noſtrum ſecundum Chalcedonenſium patrum decreta, ex proprio clero œconomum ſibi conſtituat. Indecorum eſt enim, laicum vicarium eſſe epiſcopi, & ſeculares in Eccleſia iudicare. In vno enim eodemque officio, non debet diſpar eſſe profeſſio. Quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente Moſe: Non arabis in boue ſimul & aſino, id eſt, homines diuerſæ profeſſionis in officio vno non ſociabis. Vnde & oportet nos & diuinis libris & ſanctorum patrum obedire præceptis, conſtituentes, vt hi, qui in adminiſtrationibus Eccleſiæ pontificibus ſociantur, diſcrepare non debeant nec profeſſione, nec habitu. Nam cohærere & coniungi nō poſſunt, quibus & ſtudia & vota diuerſa ſunt. Si quis autem epiſcopus poſthac Eccleſiaſticam rem, aut per laicalem procurationem adminiſtrãdam elegerit, aut ſine teſtimonio œconomi gubernandam crediderit, verè, vt contemptor canonum, & fraudator Eccleſiaſticarũ rerum nõ ſolùm à Chriſto de rebus pauperum iudicabitur reus, ſed etiam Concilo manebit obnoxius.

Deu 22.

10 Decima actione, poſcentibus monaſteriorum patribus, pari ſententia ſtatuimus, vt cœnobia nuper condita in prouincia Bætica, ſicut & illa, quæ ſunt antiqua immobili & inconcuſſa ſtabilitate permaneant ſolidata. Si quis autẽ (quòd abſit) noſtrum, vel nobis ſuccedentium ſacerdotum, quodlibet monaſterium aut vi cupiditatis expoliandum, aut ſimulatione aliqua fraudis conuellendum, aut diſſoluendum tentauerit, anathema effectus, maneat à regno Dei extraneus: nec proficiat illi bonum fidei vel operis ad ſalutem, qui tantæ & tam ſalutaris vitæ deſtruxerit tramitem. Super hoc etiam vniuerſi Bæticæ prouinciæ epiſcopi congregati, eundem ſacrilegum, cœtuſque ſui euerſorem, à communione ſuſpendant, conuulſum monaſterium cum rebus ſuis reſtaurent, & quod impiè vnus ſubuerterit, omnes piè reforment.

11 Vndecima actione communi conſenſu decreuimus, vt monaſteria virginum, in prouincia Bætica condita, monachorum adminiſtratione ac præſidio gubernentur. Tunc enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus prouidemus, quando eis patres ſpirituales eligimus, quorum non ſolum gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſint, ea tamen circa monachos cautela ſeruata, vt remoti ab earum * familiaritate, nec vſq; ad veſtibulum habeant accedendi familiare permiſſum. Sed neque abbati, vel ei qui præficitur, extra eam, quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti aliquid, quod ad inſtitutionem morum non pertineat, licebit: neque cum ea ſola, quæ præeſt, frequenter eis loqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum, vel trium ſororum, ita vt rara ſit acceſſio, & breuis omnino locutio. Abſit enim, vt monachos (quod etiam dictu nefas eſt) Chriſti virginibus familiares eſſe velimus: ſed, iuxta quod iuſſa regularum vel canonum admonent, longè diſcretos atque ſeiunctos, eorum tantum eaſdem gubernaculis deputamus, conſtituentes, vt vnus monachorum probatiſſimus eligatur, cuius curæ ſit, prædijs earum ruſticis vel vrbanis intendere, fabricas extruere, & ſi quid aliud eſt, ad neceſſitatem monaſterij prouidere, vt Chriſti famulæ pro animæ ſuæ tantum vtilitate ſolicitæ, ſolis diuinis cultibus viuant, operibuſque ſuis inſeruiant. Sanè is, qui ab abbate præponitur, iudicio ſui Epiſcopi comprobetur. Veſtes autem illæ ijſdem faciant, à quibus tuitionem expectant, ab ijſdem denuò (vt prædictum eſt) laborum fructus, & procurationis ſuffragium recepturæ. Si qui autem monachorum hanc ordinationem aut contempſerint, aut qualibet inertię diſſolutione neglexerint, ſciant, quod eorũ * temeritas atq; ſuperbia, excommunicationis ſit plectenda cenſura.

* peculiaritate.

* tepor

12 Duodecima actione ingreſſus eſt ad nos quidam ex hæreſi Acephalorum natione Syrus (vt aſſerit ipſe) epiſcopus, duarum in Chriſto naturarum proprietatem abnegans, & deitatem paſſibilem aſſerens. Cuius dum noſtris ſenſibus tanti erroris confuſio patuiſſet, prolatis illi de incarnatione Domini Ieſu Chriſti teſtimonijs, ſanctorumque patrum ſententijs recitatis, omni eũ deinde exhortatione ad veræ fidei rectitudinem ſacerdotali modeſtia inuitauimus. Qui ſalutaribus monitis pertinaciter per multos diuturnoſque conflictus renitens, tandem gratia diuina edoctus, cunctis coram adſtantibus, hæreſim propriam abdicauit, duaſque naturas & vnam perſonam, in vno eodemque Domino noſtro IESV

nis conſtitutos œconomos. Proinde pariter tractantes elegimus, vt vnuſquiſque noſtrum, ſecundum Chalcedonenſium patrum decreta, ex proprio Clero œconomum ſibi conſtituat. Indecorum eſt enim laicum vicarium eſſe Epiſcopi, & ſeculares in Eccleſia iudicare: in vno enim, eodemq; officio, non decet diſpar profeſſio. Quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente Moyſe: Non arabis in boue, & aſino ſimul; id eſt, homines diuerſæ profeſſionis in officio vno non ſociabis. Vnde oportet nos, & diuinis libris, & ſanctorum Patrum obedire præceptis, conſtituentes, vt hi, qui in adminiſtrationibus Eccleſiæ Pontificibus ſociantur, diſcrepare non debeant, nec profeſſione, nec habitu. Nam cohærere, & coniungi non poſſunt, quibus & ſtudia, & vota diuerſa ſunt. Si quis autem epiſcopus poſthac Eccleſiaſticam rẽ aut laicali procuratione adminiſtrandam elegerit, aut ſine teſtimonio œconomi gubernandam crediderit, verè vt contemptor Canonum, & fraudator Eccleſiaſticarum rerum, non ſolùm à Chriſto de rebus pauperum iudicatur reus, ſed etiam & Concilio manebit obnoxius.

Burch. l. 1. c. 89. Iuo. p. 16. c. 66. Can. 26. Chalced. Conc.

10 Decima actione, poſcentibus monaſteriorum patribus, pari ſententia ſtatuimus, vt cœnobia nuper condita in prouincia Bætica, ſicut & illa, quæ ſunt antiqua, immobili & incõcuſſa ſtabilitate permaneãt ſolidata. Si quis autem (quod abſit) noſtrum, vel nobis ſuccedentium Sacerdotum, quodlibet monaſterium, aut vi cupiditatis ſpoliandum, aut ſimulatione aliqua fraudis cõuellendum, vel diſſoluendum, anathema effectus, maneat à regno Dei extraneus; nec proficiat illi bonum fidei, vel operis ad ſalutem, qui tantæ & tam ſalutaris vitæ deſtruxerit tramitem. Super hoc etiam vniuerſi Bæticæ prouinciæ Epiſcopi congregati, eundem ſacri cœtus euerſorem à communione ſuſpendant; conuulſum monaſterium cũ rebus ſuis reſtaurent, & quod impiè vnus ſubuerterit, omnes piè reforment.

11 Vndecima actione, conſenſu communi decreuimus, vt monaſteria virginum in prouincia Bætica condita Monachorum adminiſtratione, ac præſidio gubernẽtur: tunc enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus prouidemus, quando eis patres Epiſcopi tales elegimus, quorum non ſolum gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſint: ea tamen circa Monachos diſciplinæ cautela ſeruata, vt remoti ab earum peculiaritate, nec vſque ad veſtibulum habeant accedendi familiare permiſſum; ſed nec Abbati, vel ei, qui præficitur, extra eam, quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti aliquid, quod ad inſtitutionem morum pertinet, licebit: nec cum ſola, quæ præeſt; frequenter eis loqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum, aut trium ſororum; ita, vt rara ſit acceſſio, & breuis omnino locutio. Abſit enim, vt Monachos, (quod etiam dictu nefas eſt,) Chriſti virginibus familiares eſſe velimus: ſed iuxta quod iuſſa regularum, vel Canonum admonent, longè diſcretos, atque ſeiunctos eorum tantum eaſdem gubernaculis deputamus; conſtituentes, vt vnus Monachorum probatiſſimus eligatur, cuius curæ ſit, prædia earum ruſtica, vel vrbana intendere, fabricas extruere, vel ſi quid ad neceſſitatem monaſterij prouidere: vt Chriſti famulæ, pro animæ ſuæ tantum vtilitate ſollicitæ, ſolis diuinis cultibus viuant, operibuſque ſuis inſeruiant. Sanè is qui ab Abbate præponitur, iudicio ſui epiſcopi comprobetur. Veſtes autem illę ijſdem cœnobijs faciant, à quibus tuitionem expectant; ab eiſdem denuo (vt prędictum eſt) laborum fructus & procurationis ſuffragium recepturæ. Si autem monaſteriorum, hanc ordinationem aut contempſerint, aut qualibet inertię diſſolutione neglexerint, ſciant, quòd eorum tepor, atq; ſuperbia excommunicationis ſit plectenda cenſura.

18. q. 1. In decima.

Decret. Iuo. p. 7. cap. 71. & Burch. l. 8. cap. 55.

12 Duodecima Actione ingreſſus eſt ad nos quidam ex hæreſi Acephalorũ, natione Syrus (vt aſſerit ipſe) Epiſcopus, duarum in Chriſto naturarũ proprietatem abnegans, & deitatem paſſibilem aſſerens: cuius, dum noſtris ſenſibus tanti erroris confuſio patuiſſet, prolatis illi de incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti teſtimonijs, ſanctorumque patrum ſententijs recitatis, omni eundem exhortatione ad veræ fidei rectitudinem, Sacerdotali modeſtia inuitauimus: qui ſalutaribus monitis pertinaciter, per multos diuturnosque communionis conflictus, renitens, tandem gratia diuina edoctus, cunctis coram adſtantibus hæreſim propriam abdicauit, duaſque naturas, & vnam perſonam, in vno eodemque Domino noſtro

Chriſto confeſſus eſt, credens impaſſibilem naturam Deitatis, atque in ſola humanitate ſuſcepiſſe infirmitates paſſionis & crucis. Conuerſus itaque, atque receptus, ſuſceptæ fidei cõfeſſionem cum adſtipulatione protulit, atq; ab omnibus ſuis erroribus purgatus apparuit. Taliq́ue pro merito gaudentes, Chriſto gratias egimus, quòd eundem poſt prauitatem hæreſis, ad rectitudinem fidei diuina gratia promouiſſet: quem optamus, vt permanens in Chriſti fide, purè ac deuotiſſimè conſeruetur.

13 Tertiadecima proſecutione breuiter narrandum putauimus, ad refutationem eorundem hæreticorum, qui duas naturas Chriſti poſt vnionem delirantes confundunt, & paſſibilem in eo diuinitatis ſubſtantiam aſſerunt. Contra quorum blaſphemias oportet nos in vna perſona Chriſti, geminæ naturæ proprietatem oſtendere, paſſionemq́ue eius in ſola humanitatis ſuſceptione manifeſtare, vt ſi fortè aliqui ſtultorum, huius ſententiæ errore decepti ſunt, dum iſta legerint, reſipiſcant, rectæq́ue fidei veritatem firmiter teneant. Nam proculdubio multi ſunt, qui ſecundùm Apoſtoli vocem, prurientes auribus à veritate auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur. Ergo, ſicut immaculata fides & ſancta Dei Eccleſia docet, confitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in temporaliter ex patre Deum natum, temporaliter ex vtero glorioſæ virginis Mariæ hominem editum: & ob hoc, in vna ſubſiſtente perſona, duas naturas habentem: Deitatis, qua ante ſecula genitus eſt: & humanitatis, in qua diebus vltimis editus eſt: in illa ſecundùm formam Dei, in iſta ſecũdùm formam ſerui conſiſtens: in illa patri manens æqualis, in iſta ſine peccato ſimilis noſtræ conditioni: in illa inuiolabilis, in iſta paſſibilis: in illa, ex qua mori non potuit: in iſta, in qua mortem ſuſcepit. Cuius geminæ naturæ diſtinctio, primùm ex literis legis, deinde ex propheticis & Euangelicis atque Apoſtolicis depromenda eſt paginis, vt ea, quæ aſſerimus, non argumentis, ſed exemplis ſcripturarum firmemus. Lex, in vna eademq́ue Saluatoris noſtri perſona ſic demonſtrat vtranque naturam. Diuinam, Domino loquente ad Moſen: Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te. Obſerua eum, & audi vocem eius, quia eſt nomen meum in illo. Humanam, loquente eodem Domino ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, id eſt, in carne Chriſti, quæ de Abrahæ ſtirpe deſcendit. Prophetia in Pſalmis, ſub vna eademq́ue Chriſti perſona ſic oſtendit vtranque naturam. Diuinam, ſecundùm illud: Ex vtero ante Luciferum genui te. Humanam, ſecundùm hoc: Et homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Diuinam, ſecundùm illud: Eructauit cor meum verbum bonum. Humanam ſecundùm hoc: Speciosus forma præ filijs hominum. Prophetia in Prouerbijs, in vna eademq́ue Chriſti perſona, ſic declarat vtranque naturam. Diuinam, ſecundum illud: Ante colles genuit me. Humanam, ſecundum hoc: Dominus creauit me in initio viarum ſuarum. Diuinam ſecundùm illud: Necdum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. Humanam, ſecundùm hoc: Sapientia ædificauit ſibi domum, corporis vtiq́ue ſui templum, in quo filius Dei inhabitaret, dum verbum eſt caro factum. Prophetia in Eſaia, ſub vna eademq́ue Chriſti perſona, ſic demonſtrat vtranque naturam. Deitatis, ſecundùm illud: Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Humanitatis, ſecundùm hoc: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium. Diuinitatis, ſecundùm illud: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. Humanitatis, ſecundùm hoc, Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul. Item alibi: Humanitatis, ſecundùm hoc, Paruulus natus eſt nobis. Diuinitatis, ſecundùm illud: Filius datus eſt nobis. Paruulus enim * Chriſtus, ad ſuſceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo eſt factus: filius autem datus, ad diuinitatem, quia Dei Filius. Et vt oſtenderet in vtraque natura vnam eſſe perſonam paruuli nati, & filij dati, adiecit: Vocabitur nomen eius, magni conſilij Angelus, Deus fortis, pater futuri ſeculi. In Euangelio quoque in vno eodemq́ue Chriſto, diuinæ naturæ ſignificatio, Ego & Pater vnum ſumus. Humanæ naturæ inſinuatio, Pater maior me eſt. Diuinæ naturæ ſignificatio, Ego ſum via, veritas & vita. Humanæ naturæ inſinuatio: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem. Diuinæ naturę ſignificatio, Omnia per ipſum facta ſunt:

1 Tim. 4.

Iſod. 23.

Gen. 22.

Pſal. 109. Pſal. 88.

Pſal. 44. Ibidem.

Prou. 8. Ibidem. Ibidem. Prou. 9.

Ioan. 1.

Eſa. 66.

Eſa. 7.

Eſa. 45.

Ibidem.

Eſa. 9. * natus.

Eſa. 9.

Ioan. 10. Ioan. 14.

Ioan. 14. Matth. 26.

ſtro Ieſu Chriſto cõfeſſus eſt; credens impaſſibilem naturam deitatis, atq; in ſola humanitate ſuſcepiſſe infirmitates paſſionum & crucis. Conuerſus itaque, atq; receptus, ſuſceptæ fidei confeſſionem, cum ſtipulatione iureiurando protulit, atq; ab omnibus purgatus apparuit: taliq́ue pro merito gaudentes, Chriſto gratias egimus, quòd eundem, poſt prauitatem hæreſis, ad rectitudinẽ fidei diuina gratia promouiſſet. Quem optamus, vt permanens in fide Chriſti, purè ac deuotiſſimè conſeruetur.

13 Tertia decima, id eſt, vltima proſecutione breuiter narrandum putauimus, ad refutationem eorundem hæreticorum, qui duas naturas Chriſti, poſt vnionem delirantes confundunt, & paſſibilem in eo diuinitatis ſubſtantiam aſſerunt. Contra quorum blaſphemias oportet nos in vnam perſonam Chriſti geminæ naturæ proprieratem oſtendere, paſſionemq́ue eius in ſola humanitatis ſuſceptione manifeſtare; vt ſi fortè aliqui ſtultorum huius inſcientiæ errore decepti ſunt, dum iſta legerint, reſipiſcant, rectæq́ue fidei veritatem firmiter teneant. Nam proculdubio multi ſunt ſtultorum qui ſecundùm Apoſtoli vocem prurientes auribus, à veritate auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur. Ergo (ſicut immaculata fides, & ſancta Dei Eccleſia docet) confitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intemporaliter ex patre Deo natum; temporaliter ex vtero glorioſæ virginis Mariæ hominem editum; & ob hoc in vna ſubſiſtenti perſona duas naturas habentem Deitatis, qua ante ſecula genitus eſt; humanitatis, in qua diebus vltimis editus eſt: in illa, ſecundum formam Dei; in iſta, ſecundum formam ſerui conſiſtens; in illa patri manens æqualis, in iſta ſine peccato ſimilis noſtræ conditionis; in illa inuiſibilis, in iſta viſibilis, in illa inuiolabilis, in iſta paſſibilis, in illa ex qua mori non potuit, in iſta, in qua mortem ſuſcepit. Cuius geminæ naturæ diſtinctio primùm ex literis legis, deinde ex propheticis, & Euangelicis, atque Apoſtolicis depromenda eſt paginis. Vt ea quæ aſſerimus non argumentis, ſed exemplis ſcripturarum firmemus, lex in vna eademq́ue Saluatoris noſtri perſona, ſic demonſtrat vtramq́ue naturam: diuinam loquente Domino ad Moyſen: Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, & introducat ad locum quem præparaui: obſerua eum & audi vocem eius, quia eſt nomen meum in illo: humanam, loquente eodem Domino ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, id eſt, in carne Chriſti, quæ de Abrahæ ſtirpe deſcendit. Prophetia in Pſalmis, ſub vna eademq́ue Chriſti perſona, ſic oſtendit vtramque naturam: diuinam, ſecundum illud: Ex vtero ante luciferum genui te: humanam, ſecundum hoc: Et homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus: diuinam, ſecundum illud: Eructauit cor meum verbum bonum: humanam ſecundum hoc: Speciosus forma præ filijs hominum. Prophetia in Prouerbijs in vna eademq́ue Chriſti perſona ſic declarat vtramq́ne naturam: diuinam, ſecundùm illud: Ante colles genuit me; humanam, ſecundùm hoc: Dominus creauit me in initio viarum ſuarum: diuinam, ſecundùm illud: Nec dum erant abyſſi, & ego iam concepta eram: humanam, ſecundum hoc: Sapientia ædificauit ſibi domum, corporis vtiq́ue ſui templum, in quo Filius Dei inhabitaret, dum Verbum caro factum eſt. Prophetia in Eſaia ſub vna eademq́ue Chriſti perſona ſic demonſtrat vtramq́ue naturam: Deitatis, ſecundùm illud: Nunquid, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? humanitatis, ſecundùm hoc: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, diuinitatis, ſecundùm illud: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, humanitatis, ſecundùm hoc: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul. Item alibi humanitatis, ſecundùm hoc: Paruulus natus eſt nobis, diuinitatis, ſecundùm illud: Filius datus eſt nobis. Paruulus enim Chriſtus ad ſuſceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo eſt factus: filius autem datus, ad diuinitatis, quia Dei Filius. Et vt oſtenderet in vtraq́ue natura vnam eſſe perſonam paruuli nati, & filij dati, adiecit: Vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus, Deus fortis, Pater futuri ſeculi. In Euangelio quoque, in vno eodemq́ue Chriſto diuinæ naturæ ſignificatio: Ego & Pater vnum ſumus, humanæ naturæ inſinuatio: Pater maior me eſt, diuinæ naturæ ſignificatio:

Humanæ naturæ insinuatio, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris. Paulus quoque Apostolus in vno eodemque Christo naturam diuinitatis exprimit, cùm dicit: Primogenitus omnis creaturæ, Ipse est ante omnes, & omnia in illo constant. Humanitatis declarat naturam, cùm dicit: Ipse est caput corporis Ecclesiæ. Et alibi: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Per hoc enim quod dicit, qui cùm in forma Dei esset, naturam in eo diuinæ maiestatis ostendit: per hoc autem quod adiecit, formam serui accipiens, naturam humanitatis significat. Et iterum: Cùm esset (inquit) diues, pauper factus est, vt illius inopia *nos diuites essemus. Vbi n. dixit, cùm esset diues, diuinæ naturæ gloria panditur: & vbi adiecit pauper factus est, humanæ infirmitatis subiectio demonstratur. Item, in ipso initio Apostolici symboli, geminæ sic ostenditur in vno eodemque Christo naturæ distinctio; Deitatis ex patre, dum dicit: Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, & in Christum Iesum Filium eius vnicum, Dominum nostrum. Humanitatis ex matre, dum adiecit: Natum de Spiritu Sancto ex vtero Mariæ virginis. Ecce, ex vtroque testamento duæ naturæ in Christo: diuinitatis vna, humanitatis altera. Quæ quidem gemina vnam fecit personam, quia vnus idemque, mediator Dei & hominum: homo Christus Iesus. Iam verò de passione eiusdem Saluatoris nostri & Domini Iesu Christi, quam in sola humanitate, non in Deitate sustinuit, sicut superius, legis & prophetarum authoritas, Euangeliorum quoque & Apostolorum prædicatio adhibenda est. Lex, de passione corporis Christi sic dicit: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Quid hic pallium, quid stola, nisi caro Christi, passionis sanguine decorata? Hæc enim sola contumelias crucis sustinuit, diuinæ verò naturæ maiestas nihil iniuriæ sensit. Prophetia quoque in psalmis passionem Christi in carne sola sic asserit: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Vbi non Deitatis, sed tantum crucifixi corporis iniuria intelligitur. Ibi enim membrorum significatione, sola caro, clauis suspensa in ligno atque suffixa, pronunciatur. Sicut & in Hieremia legitur: Venite, mittamus lignum in panem eius, id est, crucem in corpore eius. Neque enim diuinitas ligno suspendi potuit, sed sola humanitas in cruce suffixa pependit. Cuius etiam caro, tolerantiam mortis perpessa sic ostenditur alibi, dum dicitur: Caro mea requiesceт, in spe: vtique, quia sola in Christo materia carnis, mortis fragilitate defuncta, spem resurrectionis suæ expectabat, etiam sine corruptione receptura, dum adiecit: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Salomon autem in canticis canticorum passionem carnis Christi sic prædicans, dicit: Manus (inquit) meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei guttam. Vbi specialiter ostenditur, in manibus ac digitis solam carnem Christi infixam stipite, sicut in psalmo 118. legitur: Confige clauis timoris tui carnes meas. Esaias autem Christum sola humanitate, quæ apparuit, passionis iniuriam suscepisse ita prædixit: Homo (inquit) in plaga existens, & sciens ferre infirmitates, verè languores nostros ipse portauit. Qui ipse, nisi vtique homo? Nam pati & deficere, in illo natura Dei non potuit: sed homo portauit in eo passionem & mortem, in quo & ipsa mors habet conditionem. Nam & cùm eundem diceret venire de Edon, tinctis vestibus de Bosra, adiecit: Quare rubrum est vestimentum tuum, & indumentum tuum tanquam calcantium in torculari? Quid hic indumentum & vestimentum rubrum voluit ostendere, nisi solam Christi carnis passionem, crucis infectam cruore? Vnde & in ipsa passione chlamyde coccinea Christus induitur, vt imago sanguinis tantùm in carne demonstretur. Esaias quoque, corpus suum obtulisse Christum in passione, sic loquitur: Non sum (inquit) contumax, neque contradico. Corpus meum dedi percutientibus. Non dixit, Diuinitatem, quæ passionem nescit perferre. Et iterum: Posui scapulas meas ad flagella, maxillas ad palmas. Quod & ipsum ad carnis patientiam, non ad Deitatis refertur iniuriam. Et Zacharias: Videbunt, inquit, in quem confixerunt. Quem alium, nisi indubitantem hominem quem Iudæi crucifixerunt, & in carne iudicantem videbunt? Ecce pronunciata est passio corporis Christi, ex lege & prophetis. Cuius quidem fidei veritas est

Ego sum via, veritas, & vita; humanæ naturæ insinuatio: Tristis est anima mea vsque ad mortem; diuinæ naturæ significatio: Omnia per ipsum facta sunt; humanæ naturæ insinuatio: Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Paulus quoque Apostolus in vno eodemque Christo naturam diuinitatis exprimit, dum dicit: Primogenitus omnis creaturæ, ipse est ante omnes, & omnia in illo constant. Naturam humanitatis declarat, dum dicit: Ipse est caput corporis Ecclesiæ. Et alibi: Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Per hoc enim, quod dicit: Qui cum in forma Dei esset, naturam in eo diuinæ maiestatis ostendit: per hoc autem quod adiecit: Formam serui accipiens, naturam in eo humanæ humilitatis significauit. Et iterum inquit: Cùm esset diues, pauper factus est, vt illius inopia nos diuites essemus. Vbi enim dixit: Cùm esset diues, diuinæ naturæ gloria panditur; & vbi adiecit: Pauper factus est, humanæ infirmitatis susceptio demonstratur. Item in ipso initio Apostolici Symboli geminæ sic ostenditur in vno eodemque Christo naturæ distinctio; Deitatis ex Patre, dum dicit: Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum; humanitatis ex Matre, dum dicit: Natum de Spiritu sancto, ex vtero Mariæ Virginis. Ecce ex vtroque Testamento duæ naturæ in Christo; diuinitatis vna, altera humanitatis: quæ quidem gemina vnam fecit personam, quia vnus, idemque mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus. Iam verò de passione eiusdem Saluatoris nostri, & Domini Iesu Christi, quam in sola humanitate, non in Deitate sustinuit (sicut superius) legis, & Prophetarum auctoritas, Euangeliorum quoque, & Apostolorum prædicatio adhibenda est. Lex de passione corporis Christi sic dicit: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Quid hic pallium, quid stola, nisi caro Christi passionis sanguine decorata? hæc enim sola contumelias crucis sustinuit; diuinæ verò naturæ maiestas nihil iniuriæ sensit. Prophetia quoque in psalmis passionem Christi in carne sola sic asserit: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Vbi non Deitatis, sed tantum crucifixi corporis iniuria intelligitur. Ibi enim in membrorum significatione sola caro clauis suspensa in ligno, atque suffixa pronunciatur. Sicut & apud Hieremiam legitur: Venite mittamus lignum in pane eius, id est, crucem in corpore eius. Neque enim diuinitas ligno suspendi potuit, sed sola vtique humanitas cruce suffixa pependit. Cuius etiam caro tolerantiam mortis passa sic ostenditur alibi, dum dicit: Caro mea requiescit in spe; vtique quia sola in Christo carnis materia, mortis fragilitate defuncta: spem resurrectionis suę expectabat, etiam, sine corruptione receptura, dum dicit: Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Salomon autem in Canticis Canticorum passionem carnis Christi prædicat, dicens: Manus meæ (inquit) distillauerunt myrrham, digiti mei guttam. Vbi specialiter ostenditur in manibus, ac digitis solam carnem Christi suffixam stipite; sicut in Psalm. 118. legitur: Confige clauis timoris tui carnes meas. Esaias autem Christum in sola humanitate, quæ apparuit, passionis iniuriam suscepisse ita prædixit: Homo (inquit) in plaga, & sciens ferre infirmitates. Verè lãguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Quis ipse, nisi vtique homo? nam pati, & deficere in illo natura Dei non potuit: sed homo portauit in eo passionem & mortem, in quo & ipsa mors habet conditionem. Nam & cum de eo idem Propheta dixisset: Quis iste, qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra? & adiecit: Quare rubrum est vestimentum tuum, tanquam calcantium in torculari? quid hic per indumentum, & vestimentum rubrum voluit ostẽdere nisi solam carnis Christi passionem, crucis infectã cruore? vnde & in ipsa passione chlamyde coccinea Christus induitur; vt imago sanguinis in carne tantùm demonstraretur. Esaias quoque corpus solum obtulisse Christum passioni sic loquitur: Non sum (inquit) contumax, neque contradico, corpus meum dedi percutientibus. Non dixit diuinitatem, quæ passionem nescit perferre. Et iterum: Posui scapulas meas ad flagella, & maxillas ad palmas, quod & ipsum ad carnis patientiam non ad Deitatis refertur iniuriam. Et Zacharias: Videbunt (inquit) in quem confixerunt: quem

tam efficax, vt eam nec tyranni ſua potuerint crudelitate confundere, nec hæreticorum ſubdola circunuentio peſſundare, nec hypocritarum diminuere fallax ſimulatio. Tranſeamus inde ad Euangelia. Ibi quæramus Chriſtum Filium Dei in ſola carne portaſſe valetudines paſſionis, & iniuriam crucis, loquente ipſo diſcipulis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Quod totum in Chriſto ſecundum hominem dictum, non ad ſubſtantiam Deitatis, ſed ad naturam pertinet carnis. Quòd etiam in ſequentibus docetur, Iudæis dicentibus Chriſto. Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Et dixit Ieſus: Soluite templum hoc, & poſt triduum ſuſcitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis ſui. Nam & in paſſione ſua, dum corripiens proditorem, diceret: Iuda, oſculo filium hominis tradis: quem tradere proditorem ſignificat, niſi hominem, quem & compræhenderunt? non Deitatem, quam cæcati perfidia, agnoſcere non potuerunt. Beatus autem Apoſtolus Paulus Chriſtum in homine ſolùm pertuliſſe crucem, ſic aſſerit: Vt homo, inquit, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem auté crucis. Qui proinde dixit, vt homo, vt nuncupatione hominis, diſtinctio naturæ inſinuaretur paſſibilis. Quod confirmans alias, ait: An experimẽtum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis. Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute Dei. Paſſus eſt ergo Chriſtus, & mortuus, ſed ex noſtra infirmitate. Viuit autem impaſſibilis & immortalis, ſed ex ſua virtute; quæ tanta eſt, vt in ſe nec paſſionem recipiat, nec mortem admittat. Petrus quoque Apoſtolus princeps Apoſtolorum, Chriſti ſupplicium ſic prædicat in ſolo corpore conſummatum: Qui peccata (inquit) noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuam⁹, cuius liuore ſanati ſumus. Et paulò pòſt: Chriſto igitur paſſo in carne. Ergo ſi Chriſtus in carne paſſus eſt, non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm hominem crucifixus eſt. Ecce perpatuit de filio Dei, quod paſſus eſt, quod mortuus eſt, corporis hoc tantùm fuiſſe, non Deitatis. Aliena ſunt enim iſta à Deo, teſtante propheta de illo: Deus ſempiternus, Dominus creans fines terræ, non laborabit, neque deficiet. & in Pſalm. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Omnes enim in Chriſto infirmitates humanitas ſola portauit. Caro enim habuit vagitus infantiæ, non diuinitas. Caro eſt pannis inuoluta, non Deitas. Caro habuit alimenta, caro portauit ætatum commercia. Nam & quod fatigatus eſt, quòd eſurijt, quòd dormiuit, quòd fleuit, quòd paſſioni proximus, triſtis fuit, quòd poſtremò ipſam paſſionem & mortis conditionem ſuſtinuit, totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehenſibilem ſubſtantiam Deitatis. Vnus eſt enim Chriſtus, Deus, & homo, caro & verbum. Sed vnde Deus, inde habet immortalitatem: vnde homo, inde pertulit paſſionem: & vnde caro, inde mortuus: & vnde verbum, inde æternus. Neque enim poteſt eſſe Deitate paſſibilis, qui eſt virtute paternæ gloriæ naturæ æqualis. Vnde & patri derogatur, dum natura Deitatis in filio paſſibilis creditur. Nam ſi vna patris & filij ſubſtantia eſt, vtique ſicut pater, ita & filius immortalis eſt. Et ſi Ego & pater vnum ſumus, ſicut in patre non eſt mors, ita nec in Dei filio mors. Et ſi verum eſt, omnia quæ habet pater, mea ſunt, ergo immortalitas patris cum filio communis eſt. Nam quod ait Apoſtolus de infidelium ignorantia; Si enim cognouiſſent, nũquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: non quaſi Dominus gloriæ ſit crucifixus, vt natura Deitatis videatur eſſe paſſibilis, ſed quia vnus in vtraque natura eſt Chriſtus, ſecundùm aſſumpti hominis formam, Dominus gloriæ dicitur paſſus, ſicut e contrario eſt illud: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis. Dum de cœlo non deſcendiſſet, niſi tantum Dei filius, nondum idem factus filius hominis. Propter perſonæ ergo vnitatem, & ad hominem referuntur in Chriſto, quæ Dei propria ſunt: & diuinitati aſcribuntur, quæ hominis ſunt. Et ideo dum pati ac mori dicitur, non eſt Deitatis, ſed carnis proprium: ſic tamen propter vnitatem perſonæ, ipſe Deus & natus ex virgine, & paſſus, & mortuus prædicatur, ſed infirmitate carnis alium, niſi indubitanter hominem, quem Iudæi crucifixerunt, & in carne iudicantem videbunt? Ecce prænunciata eſt paſſio corporis Chriſti ex lege, & Prophetis. Tranſeamus inde ad Euangelia: ibi quæramus Chriſtum Filium Dei in ſola carne portaſſe valetudines paſſionis, & iniuriam crucis; loquente ipſo diſcipulis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Quod totum in Chriſto, ſecundùm hominem dictum, non ad ſubſtantiam Deitatis, ſed ad naturam pertinet carnis: quod etiam in ſequentibus docetur, Iudæis dicentibus Chriſto: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis. Et dixit Ieſus: Soluite hoc templum, & poſt triduum ſuſcitabo illud: hoc autem dixit de templo corporis ſui: nam & in paſſione ſua, dum corripiens proditorem diceret: Iuda oſculo filium hominis tradis? Quem interrogat tradere proditorem, niſi hominem? Et comprehenderunt non Deitatem, quam cæcati perfidia, nec agnoſcere potuerunt. Beatus autem Apoſtolus Paulus, Chriſtum in homine ſolo pertuliſſe crucem, ſic aſſerit: Vt homo (inquit) humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: qui proinde dixit, vt homo, vt nuncupatione hominis, diſtinctio naturæ inſinuaretur paſſibilis: quod confirmans alias ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur? Chriſtus non infirmatur, ſed potens eſt in vobis: nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute Dei. Paſſus ergo Chriſtus, & mortuus; ſed ex noſtra infirmitate: viuit autem impaſſibilis, & immortalis; ſed ex ſua virtute, quæ tanta eſt, vt in ſe, nec paſſionem recipiat, nec mortem admittat. Petrus quoque Apoſtolorum princeps crucis Chriſti ſupplicium ſic prædicat in ſolo corpore conſummatum: Qui peccata (inquit) noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus: cuius liuore ſanati ſumus. Et paulò poſt: Chriſto igitur paſſo in carne. Ergo ſi Chriſtus in carne eſt paſſus, non eſt ſecundùm Deum, ſed ſecundum hominem crucifixus. Ecce perpatuit de filio Dei, quòd paſſus eſt, quòd mortuus eſt, corporis hoc tantum fuiſſe, non Deitatis. Aliena ſunt iſta à Deo, teſtante Propheta de illo: Deus ſempiternus, Dominus creans fines terræ, non laborabit, neque deficiet. Et pſalmus: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Omnes enim in Chriſto infirmitates humanitas ſola portauit: caro enim habuit vagitus infantiæ, non diuinitas: caro eſt pannis inuoluta, non Deitas: caro habuit alimenta, caro portauit ætatum commercia: nam & quòd fatigatus eſt, quòd eſurijt, quòd dormiuit, quòd fleuit, quòd paſſioni proximus, triſtis fuit, quòd poſtremò ipſam paſſionem, & mortis conditionem ſuſtinuit: totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehenſibilem ſubſtantiam Deitatis. Vnus eſt enim Chriſtus, Deus, & homo, caro, & verbum: ſed vnde Deus, inde habet immortalitatem: vnde homo, inde pertulit paſſionem: & vnde caro, inde mortuus: & vnde verbum, inde æternus. Nec enim poteſt eſſe Deitate paſſibilis, qui eſt virtute, paternæ gloriæ naturæ æqualis. Vnde & patri derogatur, dum natura deitatis in filio paſſibilis creditur. Nam ſi vna Patris, & filij ſubſtantia eſt: vtique ſicut Pater, ita & filius immortalis eſt. Et ſi ego, & Pater vnum ſumus, ſicut in Patre non eſt mors, ita nec in Dei filio mors. Et ſi verum eſt: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: ergo immortalitas Patris cum filio communis eſt. Nam quod ait Apoſtolus de infidelium ignorantia: Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: non quaſi Dominus gloriæ ſit crucifixus, vt natura Deitatis videatur eſſe paſſibilis: ſed quia vnus in vtraque natura eſt Chriſtus, ſecundum aſſumpti hominis formam, Dominus gloriæ dicitur paſſus. Sicut è contrario eſt illud: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis; dum de cœlo non deſcendiſſet, niſi tantum Dei filius nondum idem factus filius hominis. Propter perſonæ ergo vnitatem, & ad hominem referuntur in Chriſto, quæ Dei propria ſunt; & diuinitati adſcribuntur, quæ hominis ſunt. Et ideo dum pati, ac mori dicitur, non eſt deitatis, ſed carnis proprium: ſic tamen propter vnitatem perſonæ, ipſe Deus, & natus ex virgine, & paſſus, & mortuus prædicatur: ſed infirmitate carnis noſtræ, non vir-

nostræ, non virtute diuinitatis suæ. Quòd verò idem Apostolus ait; Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: sic dicitur Dei filius mortuus, sicut dicitur de martyribus passis ac mortuis, quorum tamen non sunt animæ occisæ in corporis passione, ore veritatis testante: Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Vbi agnosci oportet, si animæ martyrum, corpore perempto, supplicijs extingui nõ possunt: Deus, qui cõditor est animarum, quomodò per crucem carnis pati potuit exitium mortis? Quod etiam alibi apertius declaratur, eodem filio Dei loquente: Potestatẽ habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Quòd si ipsa Deitas mortua extitit, quæro, quis animam ipsius resumpsit? Stultum est ergo, crucis passionem diuinæ applicare naturæ, sed tantum creabili & humanæ. Sola enim caro crucis exitium sensit, sola caro lanceam pertulit, sola caro sanguine & aqua manauit. Ipsa sola mortua, ipsa sola in sepulcro posita, ipsa sola tertia die resuscitata: quæ etiam glorificata cœlos adijt, in qua & venturus est iudex in gloria patris, iudicaturus de viuis ac mortuis. Prolatis ergo noui ac veteris testamenti testimonijs, in quibus duæ naturæ Christi patefactæ sunt, in vna subsistentes persona, in quibus & passio eius apparuit, in homine solo expleta: deinde oportuit sententias subnecti sanctorum patrum, qui in sacris literis ingenti gloria refulserũt, vt etiam eorum traditione perpateat, quia Dominus noster Iesus Christus, ex duabus naturis & vna persona subsistit, & quia mortem & passionem in sola carne susceperit. Sanctus ergo Hilarius in explanatione epistolæ ad Timotheum, sic loquitur: Nam & cùm dicit scriptura, Homo Christus: & cùm dicit, Christus mortuus est: & cùm dicit, verbum caro factum est, non est spoliandus per fraudulentiam legentis expositionibus suis sermo. Nam vbi homo Christus est, præcedit mediator Dei atque hominum, vt ex vtroque, Deo & homine, vnus subsistat: sitque inter hominem & Deum medius confessione in se vtriusque naturæ. Vbi verò Christus mortuus est, subijcitur, qui resurrexit, qui est in dextera Dei. In morte eius, carnis nostræ infirmitas est: in resurrectione, virtus eius: in confessu Dei, dignitas. Sanctus quoque Ambrosius in expositione Euangelij secũdùm Lucam, sic asserit: Non enim suam, sed nostram crucem Christus ascendit: nec mors illa diuinitatis, sed quasi hominis fuit. Et paulò pòst. Et enim Christus omnia, & in Christo omnia, licet in singulis Christus operetur caro tamen moritur, vt resurgat. Item in eodem libro exponẽs inter alia dicit: Tristis est anima mea. Et alibi: Nunc anima mea turbata est valde. Non ergò suscipiens, sed, suscepta, turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, diuinitas libera. *Etenim spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem non ipse est, sed anima. Non est tristis sapientia, non diuina substantia, sed anima. Suscepit corpus meum, non me fefellit, vt aliud esset, & aliud videretur. Sanctus Athanasius in tractatu quem scripsit de Christi natiuitate, sic dicit: In hoc sit ergo, fratres charissimi, fides nostra, in hoc tota salus & vita consistat, vt credamus, Deum Dei filium primùm ante omnia secula, à Deo patre inuisibiliter genitum, deinde à Maria virgine secundùm hominem natum, secundùm hunc hominem passum, mortuum, sepultum, resurrexisse ab inferis, ascendisse in cœlum. Item idem in expositione fidei: Verbum (inquit) nascitur de Maria virgine, accipiens corpus animale: sed neque sermo comprehensus est carne, sed in carne, & supra carnem, & sicut *Deus præscius, ita Dei virtus, Dei veritas. Passus autem humana carne, sed sermo Dei impassibilis est: In passione quidẽ moritur homo, vt viuificaret protoplastum, qui ceciderat per inobedientiam. Sanctus Gregorius scribens ad *Celidonium, dicit: Naturæ enim duæ in Christo, Deus & homo. Non autem duo filij, nec dij duo. Item idem in sermone de filio: Vno autem (inquit) capitulo moneo, vt altiora quidem ascribas diuinitati & illi naturæ, quæ passionibus & corpore probatur esse superior: humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis nostræ assumpta est. Item ipse in quarto libr. contra Eunomium: Et ne aliquis incorruptibili naturæ Deitatis, crucem passionis applicet, per alia manifestius talem emendat errorem, mediatorem ipsum Dei & hominum, & Deum ipsum nominans, vt cùm duo denuo dicantur, congruum intelligatur circa vtrunque. Circa Deitatem quidem impassibilitas,

Rom. 5.

Matth. 10.

Ioan. 10.

Ambr. lib. 10. cap. 99. sup. Luc. 22.

Idem in eodem lib. cap. 104. super Luc. 23. Idem in eodem lib. ca. 94. super Lucæ 23.

Matth 26. Marc. 14. Ioan. 11.

*Denique

*Deus dicitur

Greg. Nazianzen. epist 1.

*Cledonium idem.

Idem.

tute diuinitatis suæ. Quod verò idem Apostolus ait: Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius; sic hic dicitur Dei filius mortuus, sicut dicitur de martyribus passis, ac mortuis, quorum tamen non sunt animę occisæ in corporis passione; ore veritatis testante: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Vbi agnosci oportet, si animę martyrum corpore perempto supplicijs extingui non possunt, Deus qui conditor est animarum, quomodo per crucem carnis, pati potuit exitum mortis? Quod etiam alibi apertius declaratur, eodem filio Dei loquente: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem iterum sumendi eam. Quod si ipsa Deitas mortua extitit, quæro, quis animam ipsius resumpsit? Stultum est ergo crucis passionem diuinæ applicare naturæ; sed tantum creabili, & humanæ. Sola enim caro crucis exitium sensit, sola caro lanceam pertulit, sola caro sanguine, & aqua manauit, ipsa sola mortua, ipsa sola in sepulchro posita, ipsa sola tertia die resuscitata: quæ etiam glorificata cœlos adijt, in qua & vẽturus est iudicare in gloria Patris, iudicaturus de viuis ac mortuis. Prolatis ergo noui, ac veteris Testamenti testimonijs, in quibus duæ naturæ Christi patefactæ sunt, in vna subsistentes persona, in quibus & passio eius apparuit in homine solo expleta, deinde oportuit sententias subnecti sanctorum Patrum, qui in sacris literis ingenti gloria refulserunt: vt etiam eorum traditione perpateat, quia Dominus noster Iesus Christus ex duabus naturis, & vna persona subsistit, & quia mortem, & passionem in sola carne susceperit. Sanctus ergo Hilarius in explicatione epistolæ ad Timotheum sic loquitur: Nam & cùm dicit Scriptura, Homo Christus; & cùm dicit, Christus mortuus est; & cùm dicit, Verbum caro factum est, non est spoliandus per fraudulentiam legentis, expositionibus suis sermo. Nam vbi homo Christus est, præcedit mediator Dei, atque hominum; vt ex vtroque, Deo & homine vnus subsistat, sitque inter hominem & Deum medius, confessione in se vtriusque naturæ. Vbi verò Christus mortuus est, subijcitur: Qui resurrexit, qui est in dextera Dei. In morte eius carnis nostræ infirmitas est, in resurrectione virtus eius, in confessu Dei dignitas. Sanctus quoque Ambrosius in expositione Euangelij, secundùm Lucam, sic asserit: Non enim suam, sed nostram carnem Christus ascendit: nec mors illa diuiniratis, sed quasi hominis fuit. Et paulò pòst: Et enim Christus omnia, & in Christo omnia: licet in singulis Christus operetur, caro tamen moritur, vt resurgat. Item idem in eodem libro exponens inter alia dicit: Tristis est anima mea: turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur: anima enim obnoxia passionibus, diuinitas libera. Etenim spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem non ipse est, sed anima. Non est tristis sapientia, non diuina substantia sed anima. Suscepit corpus meum; non me fefellit, vt aliud esset, & aliud videretur. Sanctus Athanasius in tractatu, quem scripsit de Christi natiuitate, sic dicit: In hoc sit ergo, fratres charissimi, fides nostra, in hoc tota salus, & vita consistat, vt credamus, Deum Dei Filium primùm ante omnia secula à Deo patre inuisibiliter genitum, deinde à Maria virgine, secundum hominem natum, & secundùm hunc hominem passum, mortuum, sepultum, resurrexisse ab inferis, ascendisse in cœlum. Item idem in expositione fidei. Verbum (inquit) nascitur de Maria Virgine, accipiens corpus animale: sed neque sermo comprehensus est carne, sed in carne, & supra carnem: & sicut Deus dicitur, ita Dei virtus, Dei veritas: passus autem humana carne, sed sermo Dei impassibilis est. In passione quidem moritur homo, vt viuificaret protoplastũ, qui ceciderat per inobediẽtiam. Sanct. Gregorius scribens ad Celidonium, dicit: Naturę enim duæ in Christo, Deus, & homo; non autem duo filij, nec dij duo. Item idem in sermone de filio, Vno autem (inquit) capitulo moneo, vt altiora quidẽ adscribas diuinitati, & illi naturæ, quæ passionibus, & corpore probatur esse superior: humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis nostræ assumpta est. Item ipse in quarto libro contra Eunomium: Et ne aliquis incorruptibili naturę Deitatis crucem passionis applicet, per alia manifestius talem emendat errorem, mediatorem ipsum Dei, & hominum, & Deum ipsum nominans; vt cum duo de vna dicantur, congruum intelligatur circa vtrumque; circa Deitatem quidem impassibilitas, circa humanitatem autem dispensatio passionis. Sanctus

circa humanitatem autem diſpenſatio paſſionis. Sanctus quoque Baſilius in quarto libro contra Eunomium, ita ſcribit: Quid eſt, Dominus creauit me, & ante omnes colles genuit me? Vbi intelligendum eſt hoc, quod dicit, genuit, de Dei Filio: hoc autem, quod dicit, creauit, de ea parte, qua in forma ſerui eſt, vt vtranq; naturam in vna perſona oſtenderet. Sanctus Cyrillus in prima ad Succeſſum epiſtola dicit: Ergo quantum quidem ad intellectum pertinet & ad fidem tantundem oculis animę, quemadmodum incarnatus eſt vnigenitus duas naturas eſſe dicimus, vnum autem Filium, & Chriſtum & Dominum Deum verbum incarnatũ, & hominem factum confitemur. Item in ſecunda ad eundem Succeſſum epiſtola, ſic ait: Cùm vnus (inquit) ſit, & ſolus filius Chriſtus, idem ipſe Deus & homo, ſicut in Deitate perfectus, ita & in humanitate perfectus. Non autem ipſum vnigenitum Filium Dei, ſecundùm quod intelligitur & eſt Filius Dei, paſſum eſſe in ſua natura dicemus. Oportet etenim neceſſario vtraque * ſeruare vni & vero filio, & non pati ſecundùm Deitatem, & dici, paſſum eſſe eundem ſecũdùm humanitatem. Ipſius enim paſſa eſt caro. Item in expoſitione Leuitici inter alia: Totum in his iterum circunſpice Saluatoris noſtri myſterium, & emundationem, quæ per ſanctum baptiſma fit. Duas enim auiculas ſumi iubetur, viuas & mundas, vt intelligas per volatilia, cæleſtem hominem ſimul & Deum in duabus naturis, quantum pertinet ad rationem, diuidendum, vnicuiq; conuenientem. Item ſanctus Auguſtinus: Neque enim illa ſuſceptione alterum eorum in alterum conuerſum atque mutatum eſt. Nec diuinitas quippe in creaturã mutata eſt, vt deſiſteret eſſe Diuinitas: nec creatura in Diuinitatem, vt deſiſteret eſſe creatura. Nam ſi ſubſtantia hominis (quod abſit credere) in diuinitatem conuerſa eſt, augmentauit aliquid Deitatis. Sed abſit, vt augmentum recipiat ineffabilis & incomprehenſibilis plenitudo. Manet ergo vtraque filij Dei natura & vna perſona. Rurſus ipſe aduerſus Maximinum: Si ergo attendas diſtinctiones naturarum, filius Dei de cœlo deſcendit, filius hominis crucifixus eſt. Si vnitatem perſonæ, & filius hominis de cœlo deſcendit, & filius hominis crucifixus eſt in terra. Idem in ſequentibus: Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortis die tertia. Vbi reſurgit, niſi in eo, quod potuit cadere? Vbi reſurrexit, niſi in eo, vbi mortuus? Quære mortem, in verbo nunquam eſſe potuit: Quære mortem, in anima, nunquam ibi fuit: Quære mortem in carne, planè ibi fuit. Et ideo ibi fuit, quia mors vera fuit. Et paulò poſt: Quid miraris? Certè vita eſt Chriſtus; Quare mortua eſt vita? Nec anima mortua eſt, nec verbũ mortuum eſt, Caro tantũ mortua, eſt. Quare? Vt in ea mors moreretur. Idẽ in expoſitione Ioan. Euangeliſtę: * Quis ergo eſt per quẽ factus eſt mundus? Chriſtus Ieſus, ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Põtio Pilato crucifixus? Idẽ ipſe Ieſus Chriſtus, ſed in forma ſerui. Beatus quoq; Leo Apoſtolicæ ſedis antiſtes, in ſua epiſtola, quã ſcripſit ad Flauianum Conſtãtinopolitanum epiſc. ſic ait. Salua ergo proprietate vtriuſq; naturæ, & in vnã coeunte perſonã, ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Et ad reſoluendum conditionis noſtræ debitum, inuiolabilis natura eſt vnita naturæ paſſibili, vt quod noſtris remedijs cõgruebat, vnus atque idem, mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, & mori poſſet ex vno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura, verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Et paulò poſt: Qui manens in forma Dei, fecit hominem: idem in forma ſerui, factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam vtraque natura. Et ſicut forma ſerui, Dei formam non ademit: ita forma Dei, formam ſerui non minuit. Item paulò poſt: Agit enim vtraq; forma, cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurijs. Et ſicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit. Sanctus quoque Fulgentius in libro, quẽ de incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcripſit, inter alia ſic intulit: Dico itaque vobis, iuxta ſanctorum Patrum traditionem, Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum in duab. naturis incõfuſis, id eſt, diuinitatis & humanitatis, vnam perſonã ſiue ſubſiſtentiam cõfiteri. Idem poſt alia: Si quis ergo in Domino noſtro Ieſu Chriſto aut duas naturas, aut vnã noluerit,

quoque Baſilius in quarto libro contra Eunomium ita ſcribit: Quid eſt, Dominus creauit me, & ante omnes colles genuit me? Vbi intelligendum eſt hoc, quod dicit, Genuit, de Dei Filio: hoc autem, quod dicit, Creauit, de ea parte, qua in forma ſerui eſt; vtramque naturam in vna perſona oſtenderet. Sanctus Cyrillus in prima ad ſucceſſum epiſtola dicit: Ergo quantum quidem ad intellectum pertinet, & ad fidem tantundem oculis animæ, quemadmodum incarnatus eſt vnigenitus, duas naturas eſſe dicimus, vnum autem Filium, & Chriſtum, & Dominum, Deum verbum incarnatum, & hominem factum confitemur. Item in ſecunda ad eundem Succeſſum epiſtola ſic ait: Cùm vnus (inquit) ſit, & ſolus Filius Chriſtus, idem ipſe Deus, & homo, ſicut in Deitate perfectus, ita & in humanitate perfectus. Non autem ipſum vnigenitum Filium Dei, ſecundùm quod intelligitur, & eſt Filius Dei, paſſum eſſe in ſua natura dicemus. Oportet enim neceſſariò vtraque ſeruare vni, & vero filio, & non pati ſecundùm Deitatem, & dici, paſſum eſſe eundem ſecundùm humanitatem: ipſius enim paſſa eſt caro. Idem in expoſitione Leuitici inter alia: Totum in his iterum circunſpice Saluatoris noſtri myſterium, & emundationem, quæ per ſanctum baptiſma fit. Duas enim auiculas ſumi iubetur, viuas, & mundas; vt intelligas per volatilia cœleſtem hominem, ſimul & Deum in duabus naturis, quantum pertinet ad rationem, diuidendum, vnicuique conuenientem. Item ſanctus Auguſtinus: Nec enim illa ſuſceptione alterum eorum in alterum conuerſum, atque mutatum eſt. Nec diuinitas quippè in creaturam mutata eſt, vt deſiſteret eſſe diuinitas: nec creatura in diuinitatem, vt deſiſteret eſſe creatura. Nam ſi ſubſtantia hominis (quod abſit credere) in diuinitatem conuerſa eſt, augmentauit aliquid Deitatis. Sed abſit, vt augmentum recipiat ineffabilis, & incomprehẽſibilis plenitudo. Manet ergo vtraque Filij Dei natura, & vna perſona. Rurſus ipſe aduerſus Maximum: Si ergo attendas diſtinctiones naturarum, Filius Dei de cœlo deſcendit, & filius hominis crucifixus eſt in terra. Idem in ſequentibus: Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia. Vbi reſurgit, niſi in eo quòd potuit cadere? Vbi reſurrexit, niſi in eo vbi mortuus? Quære mortem in Verbo; nunquam eſſe potuit: quære mortem in anima; nunquam ibi fuit quære mortem in carne; planè ibi fuit: & ideo ibi fuit, quia mors vera fuit. Et paulò poſt: Quid miraris? Certè vita eſt Chriſtus: quare mortua eſt vita, nec anima mortua eſt, nec Verbum mortuum eſt? Caro tantum mortua eſt. Quare? Vt in ea mors moreretur. Idem in expoſitione Ioannis Euangeliſtæ: Quis ergo eſt, per quem factus eſt mundus? Chriſtus Ieſus: ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pontio Pilato crucifixus? Idem ipſe Ieſus Chriſtus; ſed in forma ſerui. Beatus quoque Leo Apoſtolicæ ſedis Antiſtes in ſua epiſtola, quam ſcripſit ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſic ait: Salua ergo proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Et ad reſoluendum conditionis noſtræ debitum, inuiolabilis natura eſt vnita naturæ paſſibili; vt, quod noſtris remedijs congruebat, vnus atque idem mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, & mori poſſet ex vno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis, perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Et paulò poſt: Qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma ſerui factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam vtraque natura. Et ſicut forma ſerui, Dei formam non ademit, ita forma Dei formam ſerui non minuit. Item paulò poſt: Agit enim vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium eſt; Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt; & carne exequẽti, quod carnis eſt. Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurijs. Et ſicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit. Sanctus quoque Fulgentius in libro, quem de incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcripſit, inter alia ſic intulit: Dico itaque vobis iuxta ſanctorum Patrum traditionem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in duabus naturis inconfuſis, id eſt, diuinitatis & humanitatis, vnam perſonam, ſiue ſubſtantiam confiteri. Idem poſt alia: Si quis ergo in Domino noſtro Ieſu Chriſto aut duas naturas; aut vnam noluerit,

rit ſiue dubitauerit credere aut prædicare perſonã, vel ſi quis noluerit confiteri eundem Deum atque hominem, id eſt, verbum incarnatum de Maria Virgine, pro noſtra ſalute veraciter natum: tantùm à Catholica fide deprehẽditur ac demonſtratur extraneus, vt ſacramento redemptionis humanæ reſiſtat ingratus. Et paulò pòſt: Verbum caro factum, vnus & plenus eſt Chriſtus, vnus ex vtraq; & in vtraque, id eſt, in humana diuinaque natura, in quo ſic vtriuſque naturæ prorſus vnitio glorioſa perſiſtit, vt ſiue diuinitati Chriſti humanitatem quis demat, ſiue humanitati diuinitatem detrahat, Chriſtum ſacrilega infidelitate & blaſphema prædicatione diſſoluat. Item paulò poſt: Chriſtus pro nobis carne eſt paſſus, qui de Deo pater natus ſolus eſt impaſſibilis Deus. Ipſum itaque Chriſtum filium Dei, pro nobis mortem carne guſtaſſe, ſalua immortalitate diuinitatis eius, veraciter credimus. Item poſt: Quia non eſt alter Deus, alter homo, ſed idem vnus eſt Chriſtus, Deus & homo: profectò idem Deus Chriſtus, qui & mortẽ ſuam carne ſuſcepit: & idem homo Chriſtus eſt, qui mortem ſuam diuinitate deſtruxit. Idem quippe Chriſtus Dei Filius, qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus eſt: quam mortalem Deus immortalis accepit: & ideo Chriſtus Dei Filius, carne mortuus reſurrexit, quia immortalitatem ſuæ diuinitatis, carne mortuus, non amiſit. Hinc eſt, quòd etiam poſt reſurrectionem ſuam, ſicut in cicatricib. veris, & in vera comeſtione piſcis & mellis, ſoliditatem in ſe veræ carnis edocuit: ita clauſis foribus ingrediens, veram in ſe virtutem ſempiternæ diuinitatis oſtendit, vt agnoſceretur & naturalis fuiſſe Chriſti morientis infirmitas, & eidem reſurgenti naturalis ineſſe maieſtas. Hæc quidem, quæ tam diuinæ ſcripturæ, quam etiam ſanctorum patrum eloquia docuerunt, decretis noſtris breuiter inſerta protulimus, demõſtrantes geminam carnis & Deitatis naturam in vna Domini & Saluatoris noſtri perſona: paſſum quoque eundem in ea natura, quæ Deitatis eſt. His ergo concordi ſententia in tribus ſecretarijs definitis, pro cõfirmatione ſui, propriam ſubſcriptionem ſubiecimus.

Idem.

Idem.

Idem.

Iſidorus in Chriſti nomine Eccleſiæ Spalenſis epiſcopus, ſubſcripſi.

Biſinnus in Chriſti nomine Eccleſiæ *Eliberitanæ epiſc. ſubſcripſi.

Rufinus in Chriſti nomine Eccleſiæ Aſindonenſ. epiſco. ſubſcripſi.

Cambra in Chriſti nomine Eccleſiæ Italicenſ. epiſcopus, ſubſcripſi.

Fidentius in Chriſti nomine Eccleſiæ Tuccitanæ epiſco. ſubſcripſi.

Theodulphus in Chriſti nomine Eccleſiæ Malacitanæ epiſcopus ſubſcr.

Honorius in Chriſti nomine Eccleſiæ Cordubenſ. epiſc. ſubſcripſi.

*Ilibetitanæ.

rit, ſiue dubitauerit credere, aut prædicare perſonam; vel ſi quis noluerit confiteri Deum atque hominem; id eſt, Verbum incarnatum de Maria virgine, pro noſtra ſalute veraciter natum, tantum à Catholica fide deprehẽditur, ac demonſtratur extraneus, vt ſacramento redemptionis humanæ reſiſtat ingratus. Et paulò poſt: Verbum caro factum vnus, & plenus eſt Chriſtus, vnus ex vtraque, & in vtraque, id eſt, in humana, diuinaque natura: in quo ſic vtriuſque naturæ prorſus vnitio glorioſa perſiſtit, vt ſiue diuinitati Chriſti humanitatem quis demat, ſiue humanitati diuinitatem detrahat, Chriſtum ſacrilega infidelitate, & blaſphema prædicatione diſſoluat. Item paul ò poſt: Chriſtus pro nobis carne eſt paſſus, qui de Deo Patre natus ſolus eſt impaſſibilis Deus. Ipſum itaque Chriſtum Filium Dei, pro nobis mortem carne guſtaſſe, ſalua immortalitate diuinitatis eius, veraciter credimus. Iterum poſt hoc: Quia non eſt alter Deus, alter homo, ſed idem vnus eſt Chriſtus, Deus & homo, profectò idem Deus Chriſtus eſt, qui & mortem ſua carne ſuſcepit: & idem homo Chriſtus eſt, qui mortem ſua diuinitate deſtruxit. Idem quippè Chriſtus Dei Filius, qui diuinitate mori non potuit, carne mortuus eſt, quia mortalẽ Deus immortalis accepit, & idem Chriſtus Dei filius carne mortuus reſurrexit, quia immortalitatem ſuæ diuinitatis carne mortuus non amiſit. Hinc eſt quòd etiam poſt reſurrectionem ſuam, ſicut in cicatricibus veris, & in vera comeſtione piſcis & mellis, ſoliditatem in ſe veræ carnis edocuit, ita clauſis foribus ingrediens, veram in ſe virtutem ſempiternę diuinitatis oſtendit, vt agnoſceretur, & naturalis fuiſſe Chriſti morientis infirmitas, & eidem reſurgenti naturalis ineſſe maieſtas. Hæc quidem, quæ tam diuinæ Scripturæ, quàm etiam ſanctorum Patrum eloquia docuerũt, decretis noſtris breuiter inſerta protulimus, demonſtrantes geminam carnis, & deitatis naturam in vna Domini, & Saluatoris noſtri perſona: paſſum quoque eundem in ea natura, quæ corporis eſt; non paſſum in ea natura, quæ deitatis eſt. His ergo concordi ſententia in tribus Secretarijs definitis, pro confirmatione ſui, proprias ſubſcriptiones ſubiecimus.

Luc. 24. Ioan. 20.

Iſidorus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Spalenſis epiſcopus, ſubſcripſi. 1

Biſinus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Eliberitanæ epiſcopus, ſubſcripſi. 2

Rufinus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Aſidonenſis epiſcopus, ſubſcripſi. 3

Fulgẽtius, in Chriſti nomine Eccleſiæ Aſtigitanæ epiſcopus, ſubſcripſi. 4

Cambra, in Chriſti nomine Eccleſiæ Italicenſis epiſcopus, ſubſcripſi. 5

Fidentius, in Chriſti nomine Eccleſiæ Tuccitanæ epiſcopus, ſubſcripſi, 6

Theodulphus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Malacitanæ epiſcopus, ſubſcripſi. 7

Honorius in Chriſti nomine Eccleſiæ Cordubenſis epiſcopus, ſubſcripſi. 8

DE SVBSCRIPTIONIBVS NOTÆ Ioan. Garſiæ.

Biſinus.] *In Epiſtola Gundemari, ſubſcribit, Piſinus Eliberitanæ, non Biſinus: Fidentius ſucceßit Agapio viro ſancto, Epiſcopo ex Monacho. De Iſidoro, & Fulgentio Epiſcopis ſanctißimis, ſupra, vt potuimus, diximus.*

Ex ſubſcriptionibus conſtat, ſub Hiſpali eſſe.

Eliberim. *Tucci.*
Aſidonam. *Malacam.*
Aſtigi. *Cordubam.*
Italicam.

Ex diuiſione antiqua deeſt Elipla, & Egabro.

De Siſebuto Rege.

Numiſmata cum inſcriptione Siſebuti Regis.

Siſebuti Regis extat nunc memoria, in numis, vt auctores ſunt Reſendius Luſitanus, & Ambroſius Morus, cum hac ſubſcriptione, D. N. SISEBVTVS, *In reuerſo.* CIVITAS EBORA. DEVS AD-

IVTOR MEVS. *Etiam in lapide fracto hæc leguntur:* SACERDOS. OCCVRRIT AMATOR. ÆTATIS SVÆ XLIII. DIE ID. FEBR. ERA. DCLII. FELICITER. II. SISEBVTI REGIS EPISCOPATVS. AN. I. ET MEN. X. T. IN PACE. AMEN. *Vnde conſtat Siſebutum regnare cœpiſſe, Era 649. quod cũ anno huius Concilij optimè conuenit. Situs fuit Siſebutus Rex in Baſilica D. Leocadiæ, Tago impoſita, in ſuburbio.*

NOTÆ in Concilium Hiſpalenſe ſecundum. Ioan. Garſ. Loaiſæ.

Tempus, locus & cauſa Concil.

In ciuitate Spalenſi.] *Anno nono regni Siſebuti celebratum eſt, ſub D. Iſidoro Metropolitano ſecundum Concilium Hiſpalenſe, pro Eccleſiaſticis negocijs, & contra Acephalos hæreticos, negantes temere in Chriſto duas naturas, in vna diuina perſona.* Acephali, ſine capite dicti, quia nullus reperitur erroris huius auctor, à quo exorti nomen & ſectam ſibi arrogent, *vt Iſidorus inquit, lib. etymol. 8. capit. quint. & Auguſtinus. De his etiam multa tradit Nicephorus, libr. 18. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 45. plura infra. Interfuit huic Concilio Epiſcopus quidam Syrus, ſtoluidus huius hæreſis propugnator;*

qui

qui post longam disputationem, rationibus & argumentis Diu. Isidori & aliorum patrum victus, ad rectam & orthodoxam fidem conuersus est: vt ex. 12. actione huius Concilij constat. Est q; Concilium eruditum & doctum, iuris ciuilis, & Canonici sapientia refertum; ita vt appareat à viris eruditione diuina, & seculari præstantibus esse editum.

Cingulo honoris.] *Sic. l. 3. de domesticis, & protect. libr. duodecim. Cod. Quinquennium enim si fuerit diuagatus, ipse iam cingulo spoliandus est; id est dignitate, & magistratu priuandus, & deijciendus. In omni republica benè constituta, dignitates & honores, magistratusque solent peculiaria habere insignia, quæ dum munus confertur, illa pariter conferuntur; dum verò exauctorantur qui habent, adimuntur. Habebant apud Romanos reges & consules fasces, & seculares, & purpuram: Senatores latum clauum, seu laticlauum, & calceum lunatum, & vestem album: equites anulum: Hispani nunc calcar & ensem: milites Romani, & aliarum nationum cingulum, à quo ensis pendebat: erat enim Zona cum gladio, ex Suida in Auxentio. Vnde Ioab in prælio aduersus Absalonem, promisit se daturum balteum occisori. Inde & testamentum militare in procinctu factum dicitur, cũ milites ad prælium progrederentur, se gladijs cingentes, vtcunque poterant, de suis rebus disponebant. Hinc per translationem dignitatis, & honoris insignia, etiam aliorũ quàm militum, dicitur cingulum: ita est duplex, & militiæ, & dignitatis, siue honoris.*

Contra diuina, atque Ecclesiastica iura.] *In Concil. Carthaginens. quart. cap. 69. Episcopus pro hac re deponitur.* Simili sententiæ (*inquit*) subiacebit Episcopus, si sciens ordinauerit Clericum eum, qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit, aut secundam. *Et in excerptis Martini, cap. Vigesimosexto. Si quis viduam. Et in epistola Innocentij ad Victorium, cap. 5. & ad Rufum, cap. 1.*

Depositi æquo iudicio abutantur.] *Ordinans enim contra patrum instituta, & sanctiones, auctoritatem in ordinationibus, vel Concilijs minimè retinebit; & ordinatus ordinis honore priuatur. Sic Innocentius PP. primus epistola. 24. cap. 3. dum ait:* Aduersus formas Canonum ad ordinem venire tentans, ordine & honore priuetur, vnà cum ordinatore. *Idem Zozimus PP. epistol prim. cap. 1. & Concilium Arelatense. 3. cap. 3. ab eo die ad annum auferi celebrandi potestatem. Idem Hilarius PP. Primus epistola ad Episcopum Tarraconensem, cap. 4. & Simplius PP. epistola. 3. ad Florentium.*

Iuxta priscorum patrum Synodum sententiam.] *A gradu suo deijcitur Episcopus, Presbyter, aut Clericus ex omni ordine, qui postquam promotus erat, grauibus reperiebatur criminibus, & sceleribus coopertus. Id constat ex epistol. 1. Gelasij PP. cap. 20. & Zachariæ PP. cap. epistol. 5. ad Bonifacium. Patet etiam ex causa Potamij Concil. Toletan. decimo, & in causa Siseberti Concil. Toletan. 16. qui à tribus Episcopis degradatur: & nouissimè in Concil. Trident. sess. 3. cap. 4.*

Presbytero est illicita consecratio altaris.] *Altare consecrari à presbytero non debet. Concil. Agathens. capit. quadragesimotert. Solus Episcopus constituit, & vngit. Felix PP. IV. cap. prim. epistolæ decretalis, & primo Bracarensi, cap. decimonon. 8. Toletan. cap. septim. Et consecratur Episcopi benedictione, & chrismatis vnctione.*

Formatas cuilibet epistolas.] *Formatæ vocantur Canonicæ epistolæ, quæ peregrinaturo Clerico dabantur, fidei & religionis ergo. Concil. Antioch. cap. 8. & Laod. cap. 41. Et Concil. Milenit. Can. 20. dicitur:* Placuit vt quicunque Clericus propter necessitatem suam, alicubi ad comitatum ire voluerit, Formatam ab Episcopo suo accipiat: quòd si sine formata voluerit pergere, à communione remoueatur. *& infra:* Formatæ, quæ à Primatibus, vel à quibuscunque Episcopis, Clericis proprijs dantur, habeant diem Paschæ. *Concil. Laod. cap. 41. literas Canonicas vocat Formatam:* Non oportet ministrum altaris, vel etiam laicum sine Canonicis literis, id est, Formata alicubi proficisci. *Habetur de consec. d. 5. cap. Non oportet. Accipiebant etiam Episcopi à Primate, si peregrinandum esset, Formatam, vel commendationem. Concil. Carthaginens. cap. 28. Dicebantur etiam communicatoriæ literæ Eliberitano. c. 58. (multiplex. n. erat literarum vsus) studij, & officij indices. Erant etiam literæ confessoriæ, quæ confessoribus, vt munere suo possent fungi, dabantur: eodem Eliberitano cap. 25. Erant & tractatoriæ epistolæ, in quibus Imperatores & Reges, suos Præsides vocabant, vel euectionem aliquam concedant: in Codice Theodosiano, libr. 8. titul. 6. de tractatorijs, & statutis: à Diu. Augustino vocatoriæ nominantur. Vide notata in cap. Placuit. dist. 18.*

Nec eo præsente sacramento.] *Concilio Carthaginensi. 2. cap. 9. sic dicitur:* Quisquis presbyter, præsente & inconsulto Episcopo, agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit. *Agenda verò dicitur Missæ celebratio, eo quòd in agendo consistat: est enim agere: verba q; formæ sacramenti sunt corporis & sanguinis Domini effectiua & operatiua.* Cap. 7.

Vel benedicere.] *Concilio Agathensi. ca. 30.* Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut pœnitentem in Ecclesia benedicere Presbytero penitus non licebit. Cap. 7.

In prouincia Bætica.] *Fuerunt multa virorum, & mulierum monasteria cõstructa in prouincia Bætica: quod facilè perspiciet quisquis librum D. Eulogij de martyribus legerit.* Cap. 10.

Familiares esse velimus.] *Diuus Leander in libello de institutione virginum, cap. 2. quem. M. s. apud me habeo, sic inquit:* Iam quali fuga virum fugias, soror tu pudica, si tam solicitè fœminas seculi declinabis? Quisquam vir si sanctus est, nullam tecum gerat familiaritatem; ne virili ingitate, aut infametur vtriusque sanctitas, aut pereat, aut decidat à charitate proximi. Quæ & si malum non agit, opinionis tamen pessimæ famam nutrit. Dispar enim sexus in vnum locatus, eo titillatur instinctu, quo nascitur. Et naturalis mouetur flamma, si quod incendi possit, attingitur. Quis conligauit ignem in sinu suo, & non comburetur? Ignis, & stupa sibi vtraque contraria, in vnum redacta, flammas enutriunt. Viri sexus, & fœminæ diuersa: quę si coniungũtur, ad quod lex naturæ prouocat commouentur. *Hæc Leander.* Cap. 11. Virginib. consortia virorum fugienda.

Ex hæresi Acephalorum.] *De Acephalis multa tradit Nicephorus libr. 18. Ecclesiast. histor. cap. 45.* Eodem tempore, & Acephali, quorum dux Seuerus Antiochenus fuit, vnam Verbi & carnis naturam malè prædicantes. Et mox: Acephali autem ob eam causam dicti sunt, quòd sub Episcopis non fuerint. Proinde Episcopis & Sacerdotibus apud eos defunctis, neque baptismus iuxta solennem, & receptum Ecclesiæ morem apud eos administratus, neque oblatio, aut res aliqua diuina facta, ministeriumue Ecclesiasticum, sicuti mos est, celebratum est. Communionem verò illi à plurimo tempore asseruatam habentes, ferijs Paschalib. in minutissimas incisam partes conuenientibus ad se hominibus dederunt. Quo tempore, quam quisque voluisset, placitam sibi sumebat potestatem. Et propterea, quod quilibet, quod sibi visum esset, fidei insertũ volebat, quàm plurima defectorum, & hæreticorum turba exorta est, &c. *Lege Isidorum lib. Etymolog. 8. ca. 3.* Cap. 12. Acephali qui & quales?

HONORII PAP. I.

VITA ET EPISTOLAE.

HONORIVS, natione Campanus, ex patre Petronio Consule, sedit annos 12. menses * 11. dies 17. Hic temporibus suis multa bona fecit. Hic erudiuit clerum. Temporibus suis renouauit omnem * familiam beati Petri Apostoli, & inuestiuit confessionem beati Petri ex argento puro, quod pensat libras centum octuaginta & septem. Inuestiuit regias ianuas in ingressu Ecclesiæ maioris, quæ appellantur medianæ ex argento, quæ pensant libras noningentas septuaginta quinque, fecit & * ceroſtatas maiores ex argento paria duo, quæ sunt ante corpus beati Petri Apostoli pensan. singul. libras 272. Fecit & ad beatum Andream Apostolum, vbi supra, ante confessionem tabulas ex argenteo, quæ pensan. libr. septuaginta tres. Huius temporibus leuatæ sunt trabes in Ecclesia beati Petri Apostoli numero sexdecim. Hic cooperuit Ecclesiam omnem ex * tabulis æreis, quas leuauit de templo, quod appellatur * Romæ ex cõsensu pijssimi Heraclei Imperatoris. Eodem tempore fecit Ecclesiam beatæ Agnetis Martyris miliario ab Vrbe Roma tertio, via Numentana, à solo, vbi requieſcit: quam vndiq; ornauit, & exquisiuit vbi posuit multa dona. Ornauit autem sepulchrum eius ex argento, quod pensan. libras 252. Posuit & desuper * ciburium

* B. 5. minus 3 dieb.

* Cimiliã. C. cemiliã B. cymil. ã. vel suppel lectilem. Dona Honorij.

* ceroſtatas maiora.

* Tegulis * Romuli

* Ciboriũ

rium æreum deauratum miræ magnitudinis. Fecit & * Gabathos aureos quatuor pens. sing. libras singulas. Fecit absidam eiusdem basilicæ ex * musibo, vbi etiam multa * bona obtulit. Item fecit basilicam B. Apollinaris mart. in Vrbe Roma, in porticu B. Petri Apostoli quæ appellatur * ad palmata à solo, vbi dona multa largitus est.

Hic fecit constitutum in Ecclesia, & decreuit, vt per omnem hebdomadam sabbatho die exeat Litania ad beatum Apollinarem, & ad beatum Petrum Apostolum cum hymnis, & canticis populus omnis occurrere debeat. Fecit & Ecclesiam beato Cyriaco martyri à solo via Ostiensi miliario septimo, vbi & donum obtulit. Eodem tempore fecit Ecclesiam beatorum Martyrum quatuor coronatorum, quam & dedicauit, & donum obtulit. Fecit Ecclesiam beato Seuerino à solo iuxta ciuitatem Tiburtinam miliario ab Vrbe Romana vigesimo, quam ipse dedicauit, & dona multa obtulit. Renouauit & cimiterium beatorum Martyrum Marcellini, & Petri, via Lauicana. Eodem tempore fecit basilicam beato Pancratio martyri, via Aurelia miliario secundo à solo, & ornauit sepulchrum eius ex argento, quod pensan. libras centum viginti. Et ibi constituit mola in murum in loco Traiani iuxta murum ciuitatis, & formam, quæ deducit aquam in lacum sabbatinum, & sub se formam, quæ cõducit aquam Tyberis. Fecit & ciborium super altare ex argento quod pensan libras * 287. & arcus argenteos quinque, qui pensan. singuli libras 15. Fecit & candelabra aurea tria q̃ pens. sing. libras. singul. vbi multa dona simul obtulit. Fecit Ecclesiam beatæ Luciæ in Vrbe Roma iuxta sanctum Siluestrum, quam & dedicauit, & dona multa obtulit. Fecit Ecclesiam beato * Adriano martyri in tribus * fatis, quã & dedicauit, & dona multa obtulit. Sed & * multas alias fecit, quę enumerare longum est. Fecit autem ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros 13. Diaconos * 12. Episcopos per diuersa loca numero vnum & octuaginta. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri Apostoli sub die quarto Idus Octobris. Et cessauit Episcopatus annum vnum, menses septem, dies 17.

* Gabatas 3.
* musiuo.
* Dona.
* palmaria
* C. 187.
* C. Æriano.
* C. foris.
* multa alia bona fecit.
* C. 11.

Notæ in vitam Honorij Papæ.

Honorius.] *Anno Redemptoris nostri 606. decimatertia die mensis Maij, Honorius Campanus creatus est Pontifex Romanus. Ionas Abbas huius temporis historicus, postquam recensuisset, quomodo Bertolfus Abbas Arioualdum Regem Longobardorum Arianum in ijs, quæ mores concernunt, ad meliorem frugem reuocasset, eiusque tutela præsidio ac subsidio ad Honorium Papam perductus fuisset, de eodem Honorio hæc subiungit :* Erat venerabilis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, dulcedine & humilitate pollens. Lætabatur è gentibus socium reperisse, cum quo dulcia promeret effamina : nec prorsus delectabatur, vt citius ab eius consortio segregaretur: sed cum vehemens æstus quiescendi longum prohiberet spacium, præbuit optatum munus sanctus Papa patri memorato Bertolfo, priuilegia scilicet sedis Apostolicæ, quatenus nullus Episcoporum in præfato cœnobio quolibet iure dominari conaretur. *Huius temporibus Cosrhoëm Regem Persarum, (cuius iussu paulò antè Anastasius Persa & monachus, post atrocissima tormenta capite truncatus fuerat, quemque Heraclius Imperator aliquoties gloriosè fugarat ac deuicerat,) iam ante turpiter delusum occidi iussit filius natu maior Syroes; qui facta cum Romanis pace, Zachariam Hierosolymorum Pontificem aliosque captiuos à vinculis relaxauit, ipsumque sanctæ Crucis lignum cum ereptis prouincijs plenè intactum restituit. Magno cum triumpho Constantinopolim allatum, Heraclius Hierosolymam transtulit; simulque tunc ea contigerunt, quæ de festo exaltationis sanctæ Crucis, deque miranda crucis in vrbem introductione in Ecclesiasticis ritualibus describuntur. Eandem crucem sanctam sub hoc eodem Pontifice, Hierosolymâ iterum Constantinopolim transtulit Heraclius, quando totam Palæstinam à Persis occupandam præuidit. Regnum Persarum, regibus eorum alijs post alios occisis, ad Arabes delatum est iustâ Dei sententia; quando Cosrhoës (regnum auctore Deo, & precibus Sergij Martyris impetrãs,) contra religionem Christianam & crucem dominicam insanire cœpit. Eduinus Rex Nordumbrorum in Anglia cum omnibus gentis suæ nobilibus & magna plebe à Paulino Eboracensi Episcopo baptizatus, fidem Christi suscepit. Hæresis Monothelitarum vnam voluntatem, vnamque operationem in Christo asserentium, Cyro Alexandrino, & Sergio Constantinopolitanæ vrbis Episcopis auctoribus, orta & propagata fuit : quam cum Heraclius, fraude Anastasij Iacobitarum patriarchæ deceptus, animo defendendi Chalcedonensis Concilij suscepisset, eamq; paulò post hac tempora Ecthesi quadam, vt infra dicemus, defendisset, se, totumq; Romanum Imperium in summum periculum induxit. Nam dum ille præter munus & officium quæstionibus fidei suo iudicio defendendis persuasu diaboli totus esset occupatus, accidit vt Mahometis successores Sarraceni, & Arabes viribus aucti, vniuersam Syriam, Aegyptum & Palæstinam Imperio Romano ademerint, Hierosolymam post anni vnius obsidionem expugnauerint, eamq; ab hoc tempore annis 463. donec à Francis vicissim eriperetur, suo dominio adiecerint. Has Syriæ & Palæstinæ deuastationes Heraclius Imperator, paulò antè præuidès, Lignum Sanctæ Crucis Constantinopolim reduxit, ne detenta locis illis, quibus Sarracenos dominaturos quasi præuidit, debito cultu & honore destitueretur. Fueritne Honorius Monothelita hæreticus, grauis est quæstio, diu multumq; hactenus ventilata. Ipsi olim Monothelitæ, aliorum Pontificum nominibus, è sacris Dyptichis expunctis, huius solius nomen sibi retinuerunt asserentes, & publicè euulgantes, Honorium vnam in Christo voluntatem & operationem agnouisse, ideoque Epistola sua ad Sergium Constantinopolitanum redditâ, de duabus operationibus silentium indixisse. Nilus in libr. de primatu Romani Pontificis, & Centuriatores Magdeburgens. in vita Honorij idem senserunt : tum quod duabus Epistolis ad Sergium Constantinopolitanum scriptis Monothelitarũ hæresim approbat, atq; de duabus operationibus Christi silere iubet : tum etiã quòd in actis Synodalibus Sexti & Septimi Concilij Oecumenici ipsi Honorio anathema dicatur, eiusue epistolæ velut hæreticæ comburantur. His rationibus non benè consideratis, accidit Patribus septimæ & octauæ Synodi : Melchiori Cano aliisue nostri temporis scriptoribus orthodoxis, quòd eandem Monothelitarum & Magdeburgensium hæreticorum sententiam alibi propugnauerint. Pro hac sententia adferri posset, quod cùm edixisset Constans Imperator promulgata lege, quam Typum nominabat, de vna aut duabus voluntatibus & operationibus in CHRISTO silendum esse, Theodorus Papa Concilio congregato, eundem Typum damnauerit : existimans sine periculo hæreseos hac in re Imperatori obtemperari non posse. Cùm itaque Honorius Epistolis suis ad Sergium scriptis id præstitisset, quod Constans Imperator edicto suo fieri volebat: quodq; Theodorus Papa Synodali decreto fieri inhibebat, nulla iniuria affici videtur, si de Monothelitarum hæresi accusetur.*

Honorius quãdo factus sit Papa?

Honorij Encomiũ.

Cosrhoes Rex Persarum à filio occiditur.

Crux sancta restituitur & exaltatur.

Eduinus Rex baptizatur.

An Honorius Monothelita fuerit?

His præmissis, verior est sententia omnium ferè Orthodoxorum nostri temporis illa, qua Honorius ab omni labe & suspicione hæreseos expurgatur : ideo maximè, quod aduersariorum argumenta, si benè examinentur, nihil hæreseos vel criminis alterius Honorio impingere valeant. Priore enim Epistola ad Sergium scripta, quam primo loco obijciunt, de vna aut duabus operationibus tacendum esse existimauit, ad euitandum scandalum, & contentionis materiam auferendam : Nam cum Cyrus isto tempore vnam in Christo operationem nouiter prædicare cœpisset ; Sophronius vero Hierosolymitanus, prædicando duas in Christo operationes, se Cyro Alexandrino opposuisset, relata est controuersia per Sergium ad Pontificem Romanum Honorium. Qui cum metueret (quod post ea euenit, sæpiusq; præcedentibus sæculis de voce Homoousion, alijsue pluribus accidisse nouerat) ne ista contentio in graue aliquod schisma excresceret, simulque videret sine his vocibus fidem saluam esse posse, voluit conciliare vtramque opinionem, & simul de medio tollere scandali & contentionis materiam. Scribens itaque ad Sergium, consulit abstinendum esse à vocabulo vnius operationis, ne videamur cum Eutychianis vnam naturam ponere in Christo : rursum à duarum operationum vocabulo, ne videamur cum Nestorio duas personas ponere. Idem sensit cum Honorio Sophronius Hierosolymitanus Episcopus, vt constat ex Epistol. Sergij ad Honorium : sicut itaque Sophronius nullius hominis iudicio de Monothelitarum hæresi accusatus fuit, (quòd ob prædictas causas de controuersia periculosa tacendum esse putauit ;) ita nulla ratione Honorius Monothelitarum hæresim sustinuisse dici potest, propterea, quod de controuersia noua, necdum ab Ecclesia definita, scandali & erroris periculo exposita silentium indixerit. Nec enim necessarium est, vt omnes curiosorum hominum quæstiones, Pontifex statim quàm fuerint exortæ ex officio definiat : potest eas pro sua prudentia quandoq; supprimere, quandoq; doctiorum iudicio ac disputationi discutiendas relinquere : neque tamen ideo hæreticus dici vel haberi potest.

Honorius ab hæresi expurgatur.

Prima obiectio diluitur.

Quòd alibi in ijsdem Epistolis scribit. Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi. *Intelligendum est de vna voluntate humana, vt exponit is, qui hanc Epistolam scripserat, Secretarius Honorij, in disputatione illa celebri inter Maximum & Pyrrhum habitâ.* Cum enim Sergius scripsisset prædicare quosdam esse duas CHRISTI voluntates contrarias, *inquit Secretarius ibidem*, nos rescripsimus, CHRISTVM duas voluntates cõtrarias, *vnam spiritus, alteram carnis*, non habere; *sed vnam tantum voluntatem Spiritus, quia caro in Christo nihil absolutè contra rationem potuit. Eandem expositionem confirmant verba Honorij sequentia hæc:* quia profectò à diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa, &c. *Quæ ratio nulla est, si adferatur ad probandum in Christo Deo & homine vnam tantum esse voluntatem: est autem efficacissima, si inde probetur, non fuisse in Christo homine duas contrarias voluntates; carnis & spiritus. Nam contrarietas ista ex peccato nata est: Christus autem habet humanam naturam sine peccato.*

Quod tertio obijciunt, Honorium in actis Synodalibus VI. & VII. Concilij velut hæreticum anthematizari, & cum Monothelitis ibidem recenseri, multum huic nostræ communi Orthodoxorum sententiæ præiudicaret, si non euidenter constaret, Acta Sextæ Synodi impostura Theodori Constantino. & Monothelitæ Episcopi, corrupta esse. Anastasius Bibliothecarius in compendio actionum synodalium sextæ Synodi, disertis verbis affirmat, Theodorum Constantinopolitanũ Episcopũ, qui Vitalianũ è sacris Dyptichis eraserat, inter hæreticos nominatum fuisse: verum si acta eiusdem synodi illa, quæ nunc extant, diligentissimè omni ex parte lustres, nusquam Theodori: vbique fere Honorij nomen inter damnatos Monothelitas reperies. Quis credat, illud sine fraude impostoris Episcopi accidisse? Accedit, quod si Concilium sextum Oecumenicum condemnasset Honorium tanquam hæreticum, cum epistola Sanct. Agathonis, quam actione 8. & 18. velut Oraculum S. Petri approbauerat, manifestè pugnaret. Nam Agatho Papa in epistola I. ad Imperatorem, quæ lecta est in ipso Concilio sessione 4. ait: Omnes suos prædecessores, quorum vnus est Honorius, hæresibus semper restitisse, suosque fratres in vera fide confirmasse. Quod si verum est, non potuit sexta Synodus Honorium iam multis ante temporibus defunctum, velut hæreticum condemnasse, quodque ad Imperatorem scripserat Agatho Pontifex, velut oraculum sancti Petri approbasse. Præterea si Concilium Oecumenicum, Honorium, prout asseritur, velut hæreticum condemnauit, necessum est affirmare, illud intolerabili errore & impudentia laborasse: vtpotè quod nullo hæreseos indicio comperto, Pontificem Catholicum, & orthodoxum condemnauerit. Nam illæ, quas aduersarij prætendunt epistolas Honorij, Monothelitarum doctrinæ fauentes, Catholicæ sunt, duasque in Christo voluntates & operationes esse profitentur, nisi quod à nonnullis, Vnius vel Duarum, ad scandalum tollendum & contentionem sedandam, abstineri velint. Quare cum nemo pro hæretico damnari possit, qui rem ipsam confitetur, licet nomen iusti de causa tacendum esse arbitretur, præsertim ante definitionem Ecclesiæ, grauissimè sane errasset Concilium, si hac de causa Pontificem condemnasset. Quod cum nullo vnquam tempore ne ipsi quidem hæretici affirmauerint, dicendum est, quod impostura à Græcorum hæc de condemnato Honorio actis Synodalib. sexti Concilij Oecumenici per fraudem & dolum surreptitiè addita fuerint.

Et quidem maximè propterea, quod in Lateranensi sub Martino, & Romana Synodo sub Agathone celebratis, nulla reperiatur mẽtio Honorij, quando nominatim omnes Monothelitæ synodali iudicio condemnati ibidem recensentur.

Quæ rationes si necdũ aliquam corruptelam & depravationem actorum synodalium sexti Concilij persuadeant, addo Concilium Oecumenicum, (quod fieri posse sentiunt omnes Catholici,) in quæstione facti aberrasse, adeo vt eadem acta quæ vel corruptè, vel erroneè Honorium damnatum fuisse referunt, causam dederint Patribus 7. Concilij Oecumenici, statuendi ac decernendi de Honorio illud, quod in Actis Concilij sexti, vel corruptis vel erroneis decisum fuisse legerant.

Epistolam Leonis quam obijciunt, Bellarminus corruptam: Baronius commentitiam esse scribunt: ita vt nihil planè supersit, quod Honorium in suspicionem hæreseos pertrahere possit. Sunt qui illum accusent: neque desunt scriptores eiusdem sæculi, qui eundem defendant, & ab omni macula hæreseos expurgent. Monothelitæ suum fuisse aiebant. Maximus contra Pyrrhum, Ioannes IV. Martinus primus, Agatho, alijque plures Pontifices Romani Honorium sibi vendicabant. Et ne quis Theodorum Papã Typum Constantis condemnantem, aliter sensisse putet, legat quæ notaui infra sub eodem Theodoro, in Notis allegati Typi: Vnde patebit quod iustam ob causam Honorius silentium indixerit de ista controuersia, quam Theodorus Papa, aliter quam ab Imperatore mandatum fuerat, Synodica sententia cõdemnauit. Vide quæ notaui in vitam S. Ioannis IV. in disput. Maximi, & in Typũ Constantis Imperator, sub Theodoro. itẽ in Concilium Constantinop. Oecumenicum sextum infra; item Bellarmin. libr. quart. de Roman. Pontif. capit. vndecim. Baron. ann. 633. & 681.

Cur Honorius nõ Theodorus de vna aut duab. voluntatibus Christi taceri voluerit?

Sedit annos 12. menses 11. dies 17.] *Ex actis Concilij Romani infra sub Martino constat, Honorium quarto Idus Octobris anno Domini 638. qui est Heraclij 29. ex hac vita migrasse, adeoque non nisi 12. annis, & quinque mensibus minus tribus diebus Pontificem egisse.*

Tempus sedis.

Cessauit Episcopatus eius anno vno, mensib. septem, diebus 17.] *Hoc tanto tempore, sedes Apostolica vacasse dicitur Põtifice non simpliciter; sed tali quem auctoritas Imperatoria (prout tunc tyrannicè fieri moris erat,) confirmasset. Seuerinum successorem Honorij, iam hoc tempore electum fuisse, manifestis verbis asserit Anastasius in vita eiusdem Seuerini. Vide Baron. an. 638.*

EPISTOLA PRIMA HONORII PAPÆ ad Isacium Rauennatem Exarchum, qua Adalualdum Longobardorum Regem Catholicum regno restitui, & surrogatum illi Arioualdum hominem Arianum & perfidum inde eijci: Cisalpinos Episcopos, quorum opera scelus patrarat, ad pœnam suscipiendam ad se mitti petit.

Ext. apud Iuonem. Baron. an. 626. n. 29.

DELATVM est ad nos, Episcopos Transpadanos Petro Pauli filio suadere conatos esse, vt Adalualdum Regem desereret, Arioualdoq́; tyranno se applicaret. Quamobrem quia Petrus prauis eorum consilijs respuit obedire, & sacramenta Regi Agoni (*Agilulpho videlicet*) Adalualdi patri præstita sanctè cupit seruare: & quia hoc Deo & hominibus est ingratum, vt qui tale facinus vindicare deberent, eorum ipsi suasores existant; rogamus vos, vt postquam Adalualdum diuino in regnum (vt speramus) auxilio reduxeritis, prædictos Episcopos Romam mittere velitis, ne scelus huiusmodi impunitum relinquamus.

NOTÆ in Epistol. I. Honorij.

Paulus Diaconus carpitur.

Adalualdum.] *De Adalualdo Rege Longobardorum, hæc Paulus Diaconus libro quarto, capite quinto.* Sed cum Adalualdus euersa mente insaniret, postquam cum matre decem regnauerat annis, de regno eiectus est, & à Longobardis in eius locum Arioualdus substitutus est. *Quæ si vera essent, minimè putandum est, pro insano & planè demente in regnum restituendo Honorium tanto-perè laborasse.*

(:)

EPISTOLA II. HONORII PAPÆ AD Episcopos Venetiæ & Istriæ de Fortunato Gradensi Patriarcha deiecto : & Primogenio in locum, eius surrogato.

Ex Chro. M. S. Andreæ Danduli Ducis Venet. Baron. an. 630. n. 14.

HONORIVS *Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis per Venetiam & Istriam constitutis.*

Suademus, & decretales apices fraternitati vestræ dirigimus, per quos expetimus vt loco Iudæ alius vitæ probabilis ad regendum gregem Dominicum promoueatur. Et non immeritò is qui deiectus est, & Iudæ actibus comparatur & moribus. Nam quod ille in capite, hoc iste videtur exercuisse in corpore. Primogenitum itaque subdiaconum & Regionarium nostræ sedis Gradensi Ecclesiæ Episcopali ordine cum pallij benedictione direximus consecrandum. Oportebit ergo fraternitatem vestram iuxta legem Ecclesiasticam cuncta disponere, capitique vestro sinceram obedientiam exhibere. Nos enim dirigentes homines nostros ad excellentissimum Longobardorum Regem, iniunximus, vt eundem Fortunatum, vti relicta ab eo Republica, ad Gentesque prolapsum, & abnegata concordiæ vnitate Deo rebellem & perfidum, necnon res quascunque secum aufugiens abstuliſſe monstratur, expetat, & repetere non moretur : vt & hi à quibus repetuntur, à partibus Christianissimæ Reipublicæ parem iustitiam consequantur.

NOTÆ.

Venetæ Reip. encomium.

Christianissimæ Reip.] *Hoc titulo Venetam Rempublicam merito exornat : quia ipsa relictus schismaticis Romanæ Ecclesiæ adhærebat, & à Romana Ecclesia Episcopum petere solebat, ne schismaticorum laqueis implicaretur.*

EPISTOLA SERGII CONSTANTINOPOlitani Episcopi ad Honorium Papam : qua illi originem contentionis de vna aut duabus voluntatibus aperit : veram fidem de natura Christi secundum Epistol. Leonis & Chalced. Concilium profitetur : Sophronium Hierosolymitanum Episcopum, qui Cyro Alexandrino contradixerat, suo hortatu consensisse, vt de noua & periculosa contentione abstineatur, & silentium fiat.

Extat act. 12. sext. synod. Incipit sic.

In tantum vobis sanctissimis, &c. *præced. loco.*

NOTÆ.

Quid Sophronius Hierosolymitanus ad Sergiũ scripserit?

Epistola Sergij.] *Cum Sophronius ad Sergium dedisset literas, quibus petebat deleri caput illud synodi Alexandrinæ, quo asserebatur vna voluntas in Christo, contenderetq; duas omnino voluntates & operationes in Christo concedendas esse : tandem vbi inter vtrumque de re & veritate Orthodoxæ fidei conueniisset, vterq; duas naturas, voluntates & operationes in Christo, secundum Epistolam Leonis & Chalcedonensis Concilij decreta agnouisset, cõsilio Sergij vtrique placuit, vt ad euitandum scãdalum, & hæreseos periculum, quod ex nouitate vocabulorum emergere solet, à vocabulis* vnius *aut* duarum *voluntatum abstineretur. Rem gestam per hasce literas Sergius Constantinopolit. Episcopus Honorio Pontifici Romano indicat : Quidum Epistolam hanc, qua nihil contrarium orthodoxæ fidei aut Chalcedonensi Concilio continetur : Leonis epistola defenditur : duæ naturæ in Christo asseruntur, accepisse, non potuit, aliter, quin illi velut præsuli Catholico responderet : maximè ideo quod in fine Epistolæ, se suaq; omnia censuræ Ecclesiæ & sedis Apostolicæ subijciat. Vnde manifestissimè constat (quod & maximoperè est attendendum, & sæpius inculcandum) Sergium ipsum etsi postea fuerit detectus hæreticus & condemnatus, præsenti tamen tempore, quo hanc Epistolam ad Honorium scripsit : anno nimirum Christi 633. pontificatus Honorij octauo, non tantùm orthodoxum creditum fuisse ab Orientalibus & Occidentalibus ; sed etiam magnæ existimationis Episcopum habitum esse, vt constat ex Epist. Sophronij ad Sergium.*

Argumentum Epistolæ Sergij ad Honorium.

EPISTOLA III. HONORII PAPÆ AD SERgium Constantinopolit. Episcopum, qua post veram Orthodoxæ fidei doctrinam, de duabus voluntatibus Christi assertam, causam indicat, quare Sergio de nouis vocabulis silentium indicenti, consentiendum esse iudicet.

Extat act. 12. sext. Synodi General. Incipit sic.

Scripta fraternitatis vestræ. &c.

NOTÆ.

Epistola, &c.] *Hæc Epistola Honorij, est lapis offensionis, & petra scandali antiquioribus & Nouatoribus hæreticis ; ex qua Pontifici, auctoritate Bedæ, sanctissimo, ipsiq; sedi Apostolicæ grauissimum crimen hæreseos impingere conantur. Et quidem sine omni iusta causa. Nam rescripsisse Sergio, non potuit ipsi vitio verti : vtpotè qui hoc tempore ab omnibus adhuc Catholicus habebatur, nihilq; hæreticum adhuc dixerat aut scripserat, suaq; omnia censuræ Ecclesiæ subiecerat, vt supra patet. Et si hæc crimini vertas Honorio, quidnam quæso, adfers ad excusationem Sophronij, qui iam ante Honorium, illi per literas non tantum communicauit ; verumetiam de vna aut duabus voluntatibus ob causas suprad. silentium indicenti planè consensit? Cui si nullum crimen hæreseos impingendum esse sentias, non video qua ratione aliter quam per calumniam Honorium Monothelitarum numero adscribendum esse iudices. De nouitate vocum initio contentionis silentium indicere, suspectum esse non potest : cum de nouis vocabulis habitæ contentiones, grauissimas aliquando hæreses excitarint, vt supra vidimus. Rem & veram fidem de Christo confitetur hac epistola Honorius : De vocabulis ob pericula scandali, & maiorem contentionem abstinendum esse, prudenter admonet. Quod sanè nemo nisi imprudẽs, sanctissimo viro vitio aut crimini dare poterit. Quomodo intelligendum sit, quod dicit :* Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi : quia profecto à diuinitate assumpta est nostri natura non culpa : *iussu S. Ioannis Papæ IV. Secretarius Honorij, in disput. Maximi cum Pyrrho explicat istis verbis, quæ & supra in Notis ad vitã Honorij : item infr. in allegata disputatione asignaui. Vide plura apud. Bar. an. 633. num. 25. & seq.*

Ex hac Epistola Honorij hæreticum Monotheliten fuisse malè probatur.

Exemplo Sophronij sanctissimè defenditur Honorius.

Explicatur Epistolæ locus.

EPISTOLA IV. HONORII AD EVNDEM Sergium eiusdem argumenti.

Extat eius fragmentum act. 13. sext. Synod. in fi. Incipit sic.

Scripta dilectissimi filij nostri, &c.

EPISTOLA V. HONORII PAPÆ AD Eduinum Regem Angliæ.

Hortatur vt in fide perseueret, eiusq; precibus Paulino & Honorio Metropolitanis duo cuiq; pallia mittit, vt altero mortuo, superstes in locum defuncti alium possit ordinare.

Ex Beda li. 2. Hist. Angl. c. 17.

DOmino Excellentissimo atque Præcellentissimo filio Eduino regi Anglorum, Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, salutem.

Ita Christianitatis vestræ integritas circa conditoris sui cultum fidei est ardore succensa, vt longè lateque resplẽdeat, & in omni mundo annunciata, vestri operis multipliciter referat fructum. Sic enim vos reges esse cognoscitis, dum regem & creatorem vestrum orthodoxa prædicatione edocti Deum venerando colitis, eique quod humana valet conditio

mentis

mentis vestræ sinceram deuotionem exoluitis. Quid Deo nostro aliud offerre valebimus, nisi vt in bonis actibus persistentes, ipsumque auctorem humani generis confitentes, eum colere, eique vota nostra reddere festinemus? Et ideo excellentissime fili, paterna vos caritate qua cõuenit, exhortamur, vt hoc quod vos diuina misericordia ad suam gratiam vocare dignata est, sollicita intentione, & assiduis orationibus seruare omnimodo festinetis, vt qui vos in præsenti sæculo ex omni errore absolutos, ad agnitionem sui nominis est dignatus perducere, cœlestis patriæ vobis præparet mansionem. Prædicationis igitur vestri domini mei Apostolicæ memoriæ Gregorij lectione frequenter occupati, præ oculis affectum doctrinæ ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit, habetote: quatenus eius oratio & regnum vestrum populumque augeat, & vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repræsentet. Ea verò quæ à nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda speraſtis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo attribuere illis sine vlla dilatione præuidemus. Et duo pallia vtrorumque metropolitanorum, id est, Honorio & Paulino direximus, vt dum quis eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterũ Episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare: quod quidẽ tam pro vestrę caritatis affectu quam pro tantarum prouinciarum spatio; quæ inter nos & vos esse noscuntur, sumus inuitati concedere, vt in omnibus deuotioni vestræ nostrum concursum, & iuxta vestra desideria præberemus. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

EPISTOLA VI. B. HONORII PAPÆ I. ad Honorium Dorouernienſem Epiſcopum.

Monet, vt in Euangelij prædicatione perſiſtat, & pallium vt in ſuperiori epiſtola mittit.

Bed. hiſt. l. 2. c. 18.

DILECTISSIMO *Fratri Honorio, Honorius.* Inter plurima, quæ Redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare; illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affatus vnanimam dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repræsentat, pro quibus maiestati eius gratias indesinenter exoluimus, eumque votis supplicibus exoramus, vt vestram dilectionem in prædicatione Euangelij elaborantem & fructificantem, sectantemque magistri vestri & capitis sui sancti Gregorij regulam, perpetí stabilitate confirmet: & ad augmentum Ecclesiæ suæ potiora per vos suscitet incrementa, vt fide & opere in timore Dei, & caritate vestra acquisitio decessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorij exordium pullulat, conualescendo amplius extendatur, vt ipsa vos Dominici eloquij promissa in futuro respiciant. Vosque vox ista ad æternam festiuitatem euocet: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. & iterum: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Et nos equidem fratres carissimi hæc vobis pro æterna caritate exhortationis verba præmittentes, quæ rursus pro Ecclesiarum vestrarum priuilegijs congruere posse conspicimus, non desistimus impartire. Et tam iuxta vestram petitionem, quàm filiorum nostrorum regum vobis præsenti nostra præceptione, vice beati Petri Apostolorum Principis, auctoritatem tribuimus, vt quando vnum ex vobis diuina ad se iusserit gratia vocari; is qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, vt per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere: quia vt hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque interualla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coëgerunt, vt nulla possit Ecclesiarum vestrarum iactura per cuiuslibet occasionis obtentum quoquo modo peruenire: sed potius commissi vobis populi deuotionem plenius propagare. Deus te incolumem custodiat dilectissime frater. Data die tertia Idus Iunias, imperantibus Dominis nostris pijssimis Augustis: Heraclio, anno vigesimo quarto, proconsulatus eiusdem anno vigesimo tertio, & consulatus eius anno tertio: sed & Heraclio felicissimo Cæsare, id est, filio eius, anno tertio, Indictione septima.

SYNODVS ALEXANDRINA, A CYRO MONOthelita coacta sub Honorio, Anno Domini 633.

Acta Concilij extant in sexta Synodo act. 13. Incipiunt sic.

Domino Christo vero Deo nostro, &c.

NOTÆ.

Synodus.] *Hanc synodum, mense Maio anno Domini 633. collegit Cyrus Alexandrinus Episcopus: quæ sub nomine pacis, Monothelitarum hæresi viam aperuit; eo simulato prætextu, quod hæreticos omnes in Aegypto positos, Ecclesiæ Catholicæ iungere posset, si duarum voluntatum & operationum voces silentio supprimeret: satis esse dicens, si in Christo tantum Deitatis voluntas & operatio diceretur, ex qua duarum naturarum in Christo exacta professio ederetur, eò quod etsi non voces; res ipsa tamen expressa haberentur. Hac itaque de causa edidit synodale decretum, quod satisfactio inscribitur, in quo nouem sunt capita, quibus non quidem apertè; sed tantùm callidè & latenter Monothelitarum hæresis confirmabatur. Acta Concilij vna cum synodali Epistola, quæ simul extant act. 13. sextæ synodi, ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum transmiserunt. Sophronius Hierosolymorum Episcopus de his constitutionibus certior factus, ad eundem Sergium Constantinopolitanum episcopum, non tantum scripsit, vt illud de vnica operatione capitulum huius synodi deleretur; verum etiam ipse (vt testatur Sergius in epist. ad Honorium Papam) hac de causa ad eundem Sergium Constantinopolim profectus fuit: metuebat enim id, quod exitus postea declarauit, ne hæc ad destructionem Catholicæ veritatis hæretici molirentur. Verum dum fraudulento relatu Sergij, hæresim suam hoc tempore adhuc occultantis Sophronius Præsul Hierosolymitanæ vrbis sanctissimus audiuit, rem bona fide & intentione pacis ineunda agi, duas naturas in Christo imõ fusè & indiuisè vnitas asseri, suspicione fraudulenti sepositæ, Sergio de vna aut duabus naturis ad tempus silendum esse suadenti, vt fatetur ipse in epistola ad Honorium, consensit. Vide Baron. an. 633. item quæ notauimus supra ad epist. Sergij ad Honorium, & Honorij ad Sergium.*

Tempus Concilij.

Acta Concilij.

CONCILIVM TOLETANVM QVARTVM, SEPTVAGINTA EPISCOPORVM. AERA 671. sub Honorio. Anno Domini 633. celebratum.

EDITIO I. VVLGATA.

CAPITVLA QVARTI CONcilij Toletani.

De rectæ fidei confessione, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur. 1
Nulla penè res magis disciplinæ mores ab Ecclesia Christi depulit, quàm inordinata diuersitas officij. 2
De formula, secundùm quam debeat sancta synodus in Dei nomine fieri. 3
De solennitate paschali, qualiter solet in Hispanijs varietas existere prædicationis. 4
De baptismi sacramento. 5

Comperimus, quòd per nonnullas ecclesias in die sexta feriæ passionis Domini clausis basilicarum foribus, non celebretur officium. 6
Quidam in die eiusdem Dominicæ passionis, ad horam nonam ieiuniũ soluunt. 7
Lucerna & cereus in priuilegijs apud quasdam ecclesias non benedicuntur, &, cur à nobis benedicantur, inquirunt. 8
Nonnulli sacerdotum per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Saluator noster docuit, & præcepit, non quotidiè, sed tantùm die Dominico dicunt. 9
Quòd sacerdotes Hispaniæ diebus quadragesimæ alleluia decantent. 10
Quòd in quibusdam Hispaniarum ecclesijs laudes post Apostolum decantentur. 11
De hymnis etiam canendis. 12
De hymno quoque trium puerorum, in quo vniuersa cœli terræq; creatura Deum collaudat. 13
Quòd in fine psalmorum, non (sicut à quibusdam) Gloria patri, sed, Gloria & honor patri, dicatur. 14
Sunt quidam, qui in fine Responsoriorum gloriam non dicunt. 15
De Apocalypsi libro, vt teneatur, & quando legatur. 16
Quòd quidam sacerdotes non ritè, post dictam orationem Dominicam, statim communicant, & posteà benedictionem in populo dant. 17
Quòd perniciosa consuetudo nequaquam est retinenda. 18

Quòd in veteri lege ab anno vigesimoquinto Leuitæ ordinari mandantur. 19
Quòd sacerdotes Dei irreprehensibiles esse debent. 20
Quòd apud Deum conscientiam puram, & apud homines famam optimam nos habere oporteat. 21
Quemadmodum antistes, ita presbyteri & Leuitæ, sicut nomine, ita & meritis vitam teneant & testimonium vitæ. 22
Quod prona sit hominis ætas ab adolescentia in malum. 23
Quòd maximè in sacerdotibus Dei vitanda est errorum ignorantia. 24
De presbyteris parochianis, dum ordinantur, quòd libellum officialem à sacerdote suo accipere debent. 25
Quando presbyteri aut diaconi per parochias constituuntur, oportet eos professionẽ Episcopo suo facere. 26

Si Episcopus, presbyter, diaconus, aut subdiaconus à gradu suo deiecti fuerint, & in secunda synodo innocentes inuentantur, qualiter recipi debeant. 27
Si Episcopus, presbyter, seu diaconus, vel ex ordine clericorum, magos, aruspices, ariolos, augures, vel sortilegos consulere fuerint deprehensi, quid de eis agendum sit. 28
Confinium hostium sacerdotes, præter eos qui à regia potestate licentiam acceperint, in synodo mundandi sunt. 29
Quod sæpè principes contra quoslibet maiestatis obnoxios, sacerdotibus sua negocia committunt. 30

EDITIO II. IOAN. GARSIÆ LOAISÆ.

TITVLI CONCILII TOletani quarti.

De euidenti Catholicæ fidei veritate. 1
De ordine in ministerijs, vel officijs in cunctis Ecclesijs celebrando. 2
De qualitate Conciliorum, vel quare aut quando fiant. 3

Formula qualiter Concilium fiat. 4

De annunciatione Paschæ ante Epiphaniam inter Episcopos exquirenda. 5
De trina & simpla in Baptismo mersione. 6

De celebrando officio in sexta feria Paschæ. 7

De non soluendo ieiunio in sexta feria Paschæ, exceptis languidis, senibus, & paruulis. 8
De benedicendo cereo, & lucerna in vigilijs Paschæ. 9

De Dominica oratione quotidie patenter pronuntianda. 10

De non decantando in Quadragesima alleluia. 11

Quòd laudes non post Apostolum, sed post Euangelium sint dicendæ. 12
De non renuendo pronunciare hymnos. 13

De hymno trium puerorum in cunctis Missarum solennitatibus decantando. 14
Quod in fine psalmorum: Gloria, & honor Deo sit dicendum. 15
De discretione Gloriæ in fine responsoriorum. 16
De Apocalypsis libro in omnibus recipiendo. 17

Quod post benedictionem populo datam, sic communicare debent Sacerdotes. 18
De ordinatione Episcoporum. 19

De numero annorum, quo Sacerdotes, & Leuitæ ordinentur. 20
De castitate Sacerdotum. 21

Vt Episcopus in conclaui suo idoneum testimonium habeat. 22

Vt Presbyter, vel Diaconus similiter, vitæ suæ habeant testes. 23
De conuersatione clericorum; vt in vno conclaui sint. 24

Vt Sacerdotes scripturarum sacrarum, & Canonum cognitionem habeant. 25
Quod parochianis presbyteris, cùm ordinantur, officialis libellus debeat dari; & ideo Presbyteri in Litanijs sint de officio quærendi. 26
De professione presbyterorum, vel Diaconum episcopo facienda, cùm in parochijs ordinantur. 27

De ordine, quo depositi iterum ordinantur. 28

De sacerdotibus, Leuitis, vel clericis magos, aut aruspices consulentibus. 29
De sacerdotibus ad gentem extraneam nuncios mittentibus. 30

Vt episcopi in protegendis populis ac defendendis, impositam à Deo sibi curam non ambigant. 31

Tim. 6. Quòd auaritia radix cunctorum malorum, aliquorum sacerdotum mentes obtineat. 32

Quicunque Episcopus alterius episcopi diœcesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, vt teneat eam. 33

Vt sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorij contentum non amittit. 34

Quòd episcopus per cunctas diœceses parochiasq; suas ire oporteat per singulos annos. 35

Quicunque episcopi suffragio cuiuslibet aliquid de ecclesiasticis vtilitatibus prouiderint, quid agendum sit. 36

Præbendum à sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maximè his quibus restituenda vicissitudo est. 37

Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, vt presbyteris se præferant. 38

Si non licet episcopis, nec presbyteris, oraria duo indui: quanto magis nec diaconis, qui ministri eorum sunt. 39

Vt omnes clerici vel lectores, sicut Leuitæ & Sacerdotes, detonso superiùs capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant. 40

Vt extraneæ fœminæ cum clericis non habitent. 41

De clericis, qui non habentes legitimum coniugium, extranearum mulierum vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt. 42

De clericis, qui sine consultu episcopi sui, vxores duxerint. 43

De clericis, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint. 44

Si quis clericus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus. 45

De præcepto Domini nostri Sisenandi regis. 46

De eligendis œconomis. 47

De professione monachi, vt quicquid fuerit alligatum, teneat. 48

De clericis, qui monachorum propositum appetunt. 49

Quale ius episcopi in monasterijs habere debeant. 50

De monachis, qui egredientes de monasterio, non solùm ad seculum reuertuntur, sed etiam vxores accipiunt. 51

De religiosis propriæ regionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur. 52

De eis, qui in discrimine constituti, pœnitentiam accipiunt. 53

De secularibus qui accipientes pœnitentiam, se totonderant: & rursùs prauaricantes, laici effecti sunt. 54

Quòd duo sunt genera viduarum, seculares & sanctimoniales. 55

De Iudæis, ne vi ad credendum cogantur. 56

De cupiditate episcopi, presbyteri, vel diaconi siue clericorum, qui contra fidem Christianam, Iudæis suffragium præstant. 57

De prauaricatione eorum, qui dudum ex Iudæis ad Christianam fidem promoti sunt. 58

De Iudæorum filijs vel filiabus, ne parentum vltrà inuoluantur erroribus. 59

De Iudæis baptizatis si posteà prauaricati fuerint in Christo. 60

De malorum consortijs, quòd etiam bonos corrumpunt. 61

De Iudæis, qui Christianas mulieres in coniugio habent. 62

Non potest ergà homines esse fidelis, qui extiterit impius in Deum. 63

Præcipiente Domino atque excellentissimo Sisenando rege, vt Iudæi, aut qui ex Iudæis sunt, officia publica nullatenùs appetant. 64

Vt Christianos seruos non liceat Iudæis habere. 65

De his, qui de rebus suis, pauperibus Christi nullatenus distribuunt. 66

De episcopis, qui mancipium iuris Ecclesiæ, non retento Ecclesiastico patrocinio, manumitti desiderant. 67

Vt sacerdotes, qui aut res suas Ecclesiæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua prædia Ecclesijs suis conquirunt, si voluerint, possint de Ecclesiæ famulis aliquos libertos facere. 68

De libertis Ecclesiæ, quia nunquam moritur eorum patrona, vel à patrocinio eiusdem nunquam discedant. 69

De libertis Ecclesiæ, qui à patrocinio eiusdem discedunt. 70

De discretione causarum, in quibus Sacerdotes iudices fieri possunt. 31

De cura populorum, & pauperum, quam Episcopi sibi impositam nouerint. 32

Ne ex facultatibus Ecclesiarū diœcesis, excepta tertia oblationum, tributorum, aut frugum episcopus aliquid auferat. 33

De tricennij tempore, & propter prouincias causarum discretione. 34

De conuentu territorij, & basilicis nouiter constructis, ad quem episcopum pertineant. 35

De requisitione episcoporum per singulos annos in parochijs peragenda. 36

De promisso pro suffragio præstito, ex rebus Ecclesiæ persoluendo. 37

De suffragio fundatoribus Ecclesiarum, vel filijs eorum, ex rebus ab ipsis collatis, impertiendo. 38

De discretione Presbyterorum, vel Diaconorum; vt in vtroque choro consistant. 39

De vno oratorio Diaconibus vtendo, nec ornato, sed puro. 40

De qualitate tonsuræ à cunctis clericis, vel lectoribus communiter habenda. 41

De remotione mulierum à consortio clericorum. 42

De venditione mulierum, quæ clericis coniunctæ noscuntur. 43

De personis mulierum, quas non conuenit clericis copulari: & si nesciente episcopo, clericus ducat vxorem. 44

De clericis, qui arma sumpserint, vel sumpserunt. 45

De clericis sepulchra demolientibus. 46

De absolutione à laboribus, vel indictionibus clericorum ingenuorum. 47

De institutione œconomorum, id est, qui res Ecclesiasticas tractant. 48

De professione monachorum, & deuotione parentum eorum. 49

De clericis, qui monachorum propositum appetunt; vt licitum habeant. 50

De discretione potestatis Episcoporum, quam in monasterijs habere potuerunt. 51

De monachis vagis, & à monasterijs egressis. 52

De religiosis vagis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur. 53

De discretione pœnitentium, & qui possunt ad honores Ecclesiasticos prouehi, vel qui non possunt. 54

De pœnitentibus viris, ac viduis, siue virginibus, qui diuertentes laici fiunt, aut vestem mutant, vel coniugijs copulantur. 55

De discretione secularium & sanctimonialium viduarum. 56

De discretione Iudæorum; qui non, vel qui credere vi cogantur. 57

De his, qui contra fidem Christi, Iudæis munus, vel fauorem præstant. 58

De Iudæis dudum Christianis, & posteà in priori ritu diuersis, ac seruis, vel filijs eorum circumcisis. 59

De filijs Iudæorum, vt à parentibus separati, Christianis debeant deputari. 60

De filijs fidelibus Iudæorum; ne prauaricatis parentibus & damnatis, à rebus parentum exules fiant. 61

De Iudæis baptizatis, qui se sociant infidelibus Iudæis; vt Christianis illi donentur, & isti cædibus deputentur. 62

De Christianorum Iudæorumq; coniugijs communibus, & filijs eorum. 63

De Iudæis conuersis, & post prauaricantibus, vt ad testimonium non admittantur. 64

Ne Iudæi, vel si qui ex Iudæis sunt, officia publica agant. 65

Ne Iudæi quodcunque mancipium Christianum quocunque titulo habeant. 66

De libertis ex familia Ecclesiæ factis si nihil ex proprio conferant Sacerdotes, qui eos faciunt. 67

De discretione ex familia Ecclesiæ manumissorum; qualiter manumittantur, & ne aduersa testificent, vel accusent. 68

Quòd liberti ex familia Ecclesiæ, pro compensatione acquisitarei, à Sacerdotibus possint fieri. 69

De professione libertorum Ecclesiæ, & posteritatis eorum Sacer-

De libertis, qui à quibuscunque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt. 71
Vt qui libertatem à Dominis suis ita percipiunt, vt nullum in eis obsequium patronus detentet, suscipiantur ad clerum. 72
De famulis Ecclesiæ constituere presbyteros vel diaconos per parochias, licet. 73
De Ecclesiastici ordinis institutis vel decretis, qua ad quorũd ampertinent disciplinam. 74
dotibus facienda; ne longinquitas temporis eos oblitescere faciat splendorem libertatis.
De libertis Ecclesiæ eiusdem patrocinium relinquentibus. 70 71
De libertis patrocinio Ecclesiæ commendatis. 72
De discretione libertorum, qui ad ecclesiasticos honores peruenire possunt, vel qui prouehi prohibentur. 73
De libertis familiarum Ecclesiæ, qui, vel qualiter ad Sacerdotium promoueantur; & de rebus eorum quid fiat, ac ne obuium testificent, vel accusent. 74
De commonitione plebis, ne in principes delinquatur, & de electione Principum, & de transgressione fidei, quæ Principibus promittitur, ac de monitione Principum qualiter iudicent, & de vltione Principum nequiter iudicantiũ, atq; de execratione Suintilanis & coniugis, ac prolis eius, similiter & de Geilane germano eius, ac rebus eorum.

ANNO tertio, regnante domino nostro gloriosissimo principe* Sisenando, die Nonarum Decemb. æra 681. dum studio amoris Christi, ac diligentia religiosissimi Sisenandi regis, Hispaniæ atque Galliciæ sacerdotes apud Toletanam vrbem in nomine Domini conuenissemus, vt eius imperijs atque iussis communis à nobis agitaretur de quibusdam Ecclesiæ disciplinis tractatus, primùm gratias Saluatori nostro Deo omnipotenti egimus, post hæc antefato ministro eius excellentissimo & glorioso regi, cuius tanta erga Deum deuotio extat, vt non solùm in rebus humanis, sed etiam in causis diuinis solicitus maneat. Hic quippe, dum in basilica beatissimæ & sanctæ martyris Leocadiæ omniũ nostrũm pariter iam cœtus adesset, pro merito fidei suæ cum magnificentissimis & nobilissimis viris ingressus, primùm coram sacerdotibus Dei humi prostratus, cum lacrhrymis & gemitibus pro se interueniendum Domino postulauit. Deinde religiosa prosecutione synodum exhortatus est, vt paternorum decretorum memores, ad* confirmanda in nobis iura Ecclesiastica studium præberemus, & illa corrigere, quæ, dum per negligentiam in vsum venerunt, contra Ecclesiasticos mores licentiam sibi de vsurpatione fecerunt. Talibus ergò eius monitis congaudentes necessarium extitit, iuxta eius nostrumq; votum tractare, quæ competunt, siue in sacramentis diuinis, quæ diuerso atque illicito modo in Hispaniarum ecclesijs celebrantur, seu quæ in moribus prauè vsurpata noscuntur. Et quoniam generale Concilium agimus, oportet primùm nostrę vocis sermonem de Deo esse, vt post professionem fidei, sequentia operis nostri vota quasi super fundamẽtum firmissimum disponantur.

*conseruanda

Capit. I. Secundùm diuinas scripturas & doctrinam, quam à sanctis patribus accepimus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnius deitatis atque substantiæ confitemur, in personarum diuersitate Trinitatem credentes, in diuinitate vnitatem prædicantes: nec personas confundimus, nec substãtiam separamus. Patrem à nullo factum vel genitum dicimus, filium à patre non factum, sed genitum, asserimus. Spiritum verò sanctum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex patre & filio, profitemur. Ipsum autem Dominum Iesum Christum, Dei filium & creatorem omnium, ex substantia patris antè secula genitum, descendisse vltimo tempore pro redemptione mundi à patre, qui nunquam desijt esse cum patre. Incarnatus est enim ex spiritu sancto, & gloriosa sancta Dei genitrice Virgine Maria, & natus ex ipsa, solus idem Dominus Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate, anima & carne perfectus, sine peccato susciens hominẽ, manens quod erat, assumens quod nõ erat, æqualis patri secundùm diuinitatem, minor patre secundùm humanitatem, habens in vna persona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ, Deus & homo. Non autem duo filij, & dij duo, sed idem vna persona in vtraq; natura, perferẽs passionem & mortem pro nostra salute, non in virtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis. Descẽdit ad inferos, vt sanctos, qui ibi tenebantur, erueret: & deuicto mortis imperio, resurrexit. Assumptus in cœlos, venturus est in futurum ad iudicium viuorum & mortuorum. Cuius morte & sanguine mundati, remissionem peccatorum consecuti sumus, resuscitandi ab eo in die nouissima,

GESTA synodalia in Toletana vrbe, in Concilio lxij. Episcoporũ Hispaniæ, & Galliæ prouinciarum edita, anno 3. regnante gloriosissimo domino nostro, Principe Sisenando, die 9. Decemb. æra DC. LXXI. Dum studio amoris Christi, ac diligentia religiosissimi Sisenandi Regis, Hispaniæ atq; Galliæ Sacerdotes apud Toletanam vrbem, in nomine Domini conuenissemus, vt eius imperijs atq; iussis cõmunis à nobis agitaretur de quibusdam Ecclesiæ disciplinis tractatus, primũ gratias salutari nostro Deo omnipotenti egimus, post hæc antefato ministro eius excellentissimo, & gloriosissimo Regi, cuius tanta erga Deum deuotio extat, vt non solùm in reb. humanis, verumetiam in causis diuinis solicitus maneat. Hic quippe, dum in basilica beatissimæ & sanctæ confessoris Leocadiæ omnium nostrorum pariter iam cœtus adesset, tali pro merito fidei suæ, cum magnificentissimis viris ingressus, primum coram sacerdotibus Dei humo prostratus, cũ lacrymis & gemitibus pro se interueniendum Domino postulauit: deinde religiosa prosecutione Synodum exhortatus est, vt Paternorum decretorum memores ad conseruanda in nobis iura ecclesiastica studium præberemus, & illa corrigere, quæ dum per negligentiam in vsum venerunt contra Ecclesiasticos mores licentiam sibi de vsurpatione fecerunt. Talib. igitur eius monitis congaudentes, necessarium extitit, iuxta eius nostrumque votum tractare, quæ competunt siue in sacramentis diuinis, quæ diuerso atque illicito modo in Hispaniarum Ecclesijs celebrantur, seu quę in moribus prauè vsurpata noscuntur. Et quoniam generale Concilium agimus; oportet primum nostræ vocis sermonem de Deo esse; vt post professionem fidei, sequentia operis nostri vota, quasi super fundamentum firmissimum disponantur.

1 Secundùm diuinas scripturas, & doctrinam, quam à sanctis Patribus accepimus, Patrem, & Filium, & Spiritu sanctum vnius deitatis, atque substantiæ confitemur; in personarum diuersitate Trinitatem credentes, in diuinitate vnitatem prædicantes, nec personas cõfundimus, nec substantiam separamus. Patrem à nullo factum, vel genitum dicimus; Filium à Patre non factum, sed genitum asserimus; Spiritum verò sanctum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur. Ipsum autẽ Dominum nostrũ Iesum Christum Dei filium, & creatorẽ omnium, ex substantia Patris antè sæcula genitum, descendisse vltimo tẽpore pro redẽptione mundi à Patre, qui nunquam desijt esse cum Patre. Incarnatus est. n. ex Spiritu S. & sancta glorioſa Dei genitrice virgine Maria, & natus ex ipsa. solus idẽ Dominus Iesus Christus; vnus de sancta Trinitate, anima & carne perfectũ, sine peccato, susci- videnus piens hominem, manens quod erat, adsumens quod non erat; æqualis Patri secundùm diuinitatẽ; minor Patre secundũ humanitatẽ; habens in vna persona duarum naturarum proprietatẽ: naturæ enim in illo duæ, Deus & homo; non autem duo Filij, & Dei duo, sed idem vna persona in vtraq; natura, perferens passionem & mortẽ pro nostra salute: non in virtute diuinitatis, sed infirmitate humanitatis. Descendit ad inferos, vt sanctos, qui ibidem tenebãtur, erueret: deuictoq; mortis imperio resurrexit: assumptus deinde in cœlum, venturus est in futurum ad iudicium viuorum & mortuorũ: cuius nos morte & sanguine mundati, remissionem peccatorum consecuti sumus; resuscitandi ab eo in die nouissima, in ea, qua nunc viui-

mus

in ea, qua nunc viuimus carne, & in ea, qua resurrexit idē Dominus, forma, percepturi ab ipso, alij pro iustitiæ meritis vitā æternā, alij pro peccatis supplicij æterni sententiā. Hæc est Ecclesiæ catholicæ fides. Hanc confessionem conseruamus atq; tenemus. Quam quisquis firmissimè custodierit, perpetuam salutem habebit.

2 Post rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur, placuit vt omnes sacerdotes, qui Catholicæ fidei vnitate complectimur, nihil vltra diuersum aut dissonū in Ecclesiasticis sacramētis agamus, ne quælibet nostra diuersitas apud ignotos seu carnales schismatis errorem videatur ostendere, & multis extet in scandalum varietas ecclesiarum. Vnus ergò ordo orandi atq; psallendi, à nobis per omnē Hispaniam atq; Galliciam cōseruetur: vnus modus in Missarum solennitatibus, vnus in vespertinis officijs: nec diuersa sit vltra in nobis Ecclesiastica consuetudo, quia vna fide continemur & regno. Hoc enim & antiqui canones decreuerunt, vt vnaquæque prouincia & psallendi, & ministrandi parem consuetudinem teneat.

3 Nulla penè res, disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quàm sacerdotum negligentia, qui contemptis canonib. ad corrigēdos Ecclesiasticos mores synodum facere negligūt. Ob hoc à nobis vniuersaliter definitum est, vt quia iuxta patrum antiqua decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltē vel semel à nobis celebretur, ita tamen, vt si fidei causa est, aut quælibet alia Ecclesiæ, communis, generalis totius Hispaniæ & Galliciæ synodus conuocetur. Si verò nec de fide, nec de communi Ecclesiæ vtilitate tractabitur, speciale erit Concilium vniuscuiusq; prouinciæ, vbi metropolitanus elegerit peragendū. Omnes aut, qui causas aduersùs episcopos ac iudices ac potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrant: & quæcunq; examine synodali à quibuslibet prauè vsurpata inueniuntur, regij executoris instantia iustissimè his, quibus iura sunt, reformentur, ita vt pro compellendis iudicibus vel secularibus viris ad synodum, metropolitani studio quidam executor à principe postuletur. 15. autē Kalen. Iun. cōgreganda est in vnaquaq; prouincia synodus, propter vernale tēpus, quando herbis terra vestitur, & pabula germinū inueniūtur. Hora itaq; diei prima manè ante solis ortū, eijciantur omnes ab ecclesia: obseratisq; forib. cunctis ad vnam ianuā, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarij stent. Et conuenientes oēs Episcopi pariter introeant, & secundùm ordinationis suæ tēpora resideant. Post ingressum omnium Episcoporū atq; consessum, vocentur deinde presbyteri quos causa probauerit introire. Nullus se inter eos ingerat diaconorū. Post hos ingrediantur diacones probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Et corona facta de sedib. Episcoporū, presbyteri à tergo corū resideant, diaconi in conspectu Episcoporum stent. Deinde ingrediantur laici, qui electioni concilij interesse meruerint. Ingrediantur quoq; & notarij, quos ad recitandū vel excipiendum ordo requirit. Et obserentur ianuæ. Sedentibusq; in diuturno silētio sacerdotib. & cor tantùm habētibus ad Deū, dicat archidiaconus: Orate. Statimq; omnes in terrā prosternētur, & orantib. diutiùs tacitè cum fletib. atq; gemitib. vnus ex Episcopis seniorib. surgens, orationē palam ad Dominum fundat, cunctis adhuc in terra iacentib. Finita autem oratione & responso ab omnib. Amen, rursùs archidiaconus dicat: Erigite vos. Et confestim oēs surgant, & cum omni timore Dei & disciplina, tam Episcopi, quàm presbyteri sedeant. Sicq; omnibus in suis locis in silentio considentib. diaconus alba indutus, codicem canonum in medio proferens, capitula de cōcilijs agendis pronunciet. Finitisq; titulis, metropolitanus Episcopus concilium alloquatur, dicens: Ecce, sanctissimi sacerdotes, recitatæ sunt ex canonib. priscorum patrū sententiæ de concilio celebrando. Si qua ergò quempiam vestrūm actio commouet, coram suis fratribus proponat. Tunc si aliquis quamcunq; querelam, quæ contra canonem agit, in audientiā sacerdotalē protulerit, non priùs ad aliud transeatur capitulū, nisi primùm, quæ proposita est actio, terminetur. Nam & si presbyter aliquis aut diaconus, vel clericus; siue laicus, de his qui foris steterint, cōcilium pro qualibet re crediderit appellandū, Ecclesiæ metropolitanæ archidiacono causam suā intimet, & ille concilio denunciet. Et tunc illi & introeundi, & proponendi licentia concedatur. Nullus autem Episcoporū à

Formula habendæ Synodi.

mus carne; & in ea, qua resurrexit idem Dominus forma; percepturi ab ipso, alij pro iustitiæ meritis, vitam æternam, alij pro peccatis, supplicij æterni sententiam. Hæc est Catholicæ Ecclesiæ fides; hanc confessionem conseruamus, atque tenemus: quam quisquis firmissimè custodierit, perpetuam salutem habebit.

2 Post rectæ fidei confessionem, quæ in sancta Dei Ecclesia prædicatur, placuit vt omnes sacerdotes, qui Catholicæ fidei vnitate complectimur, nihil vltra diuersum, aut dissonū in Ecclesiasticis Sacramentis agamus, ne quælibet nostra diuersitas apud ignotos, seu carnales schismatis errorem videatur ostendere, & multis existat in scandalum varietas Ecclesiarum. Vnus igitur ordo orandi atq; psallendi nobis per omnem Hispaniam atque Galliam conseruetur, vnus modus in Missarum solennitatibus, vnus in vespertinis matutinisq; officijs: nec diuersa sit vltra in nobis Ecclesiastica consuetudo, qui in vna fide continemur, & regno: hoc enim & antiqui canones decreuerunt, vt vnaquęq; prouincia & psallendi & ministrandi parem consuetudinem contineat.

3 Nulla penè res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi depulit, quàm sacerdotum negligentia, qui contemptis canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores synodū facere negligūt. Ob hoc à nobis vniuersaliter definitū est, vt quia iuxta antiqua patrum decreta, bis in anno difficultas temporis fieri conciliū non sinit, saltē vel semel à nobis celebretur. Ita tamē vt si causa fidei est, aut quælibet alia Ecclesię cōmunis, generalis totius Hispaniæ & Gallię synodus conuocetur: si verò nec de fide, nec de communi Ecclesiæ vtilitate tractabitur, speciale erit Concilium vniuscuiusq; prouinciæ, vbi metropolitanus elegerit peragendum. Omnes autē, qui causas aduersus Episcopos, aut iudices aut potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrunt, & quæcunq; examine synodali, à quibuslibet prauè vsurpata inueniuntur, regij executoris instantia iustissimè his, quibus iura sunt, reformētur. Ita vt pro cōpellendis iudicib. vel secularib. viris ad synodum, Metropolitani studio idē executor à Principe postuletur. 15. autem Kalend. Iun. congreganda est in vnaquaq; prouincia synodus, propter vernale tempus; quando herbis terra vestitur, & pabula germinum inueniuntur.

4 Hora itaq; prima diei, antè solis ortū eijciantur omnes ab Ecclesia, obseratisq; forib. cuncti ad vnam ianuā, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarij stent: & conuenientes oēs Episcopi pariter introeant. & secundùm ordinationis suæ tēpora resideant. Post ingressum omnium Episcoporū, atq; consessum, vocentur deinde presbyteri quos causa probauerit introire. Nullus se inter eos ingerat Diaconorū. Post hos ingrediātur diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse: & corona facta de sedib. Episcoporū, presbyteri à tergo eorum resideant. Diacones in cōspectu Episcoporum stent. Deinde ingrediantur laici, qui electione Concilij interesse meruerint. Ingrediātur quoq; & Notarij quos ad recitandū vel excipiendum ordo requirit, & obserētur ianuæ. Sedentesq; in diuturno silentio sacerdotes, & cor totum ad Deum habentes, dicat archidiaconus: Orate. Statimq; omnes in terra prostrabūtur, & orantes diutius tacitè cum fletibus, atq; gemitibus vnus ex Episcopis seniorib. surgens orationē palam fundat ad Dominum, cunctis adhuc in terra iacentibus. Finita autem oratione & responso ab omnib. Amen, rursus dicat archidiaconus: Erigite vos. Et confestim oēs surgant, & cum omni timore Dei, & disciplina tam Episcopi, quàm presbyteri sedeant. Sicq; omnibus in suis locis in silentio considētibus, diaconus alba indutus codicem canonum, in medio proferens capitula de concilijs agendis pronunciet. Finitisq; titulis, Metropolitanus Episcopus cōcilium alloquatur dicens: Ecce sanctissimi sacerdotes, recitatæ sunt ex canonibus sanctorū Patrum sententiæ de concilio celebrando. Si quā igitur quempiam vestrūm actio commouet, coram suis fratribus proponat. Tunc si aliquis quamcunq; querelam, quæ contra canonem agit, in audientia sacerdotali protulerit, non priùs ad aliud transeatur capitulū, nisi primum, quæ proposita est actio terminetur. Nam & si presbyter aliquis, aut diaconus, clericus, siue laicus de his, qui foris steterint; concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Ecclesiæ Metropolitanæ archidiacono causam suam intimet, & ille concilio denunciet. Tunc illi, & introeundi, & proponendi licentia concedatur. Nullus autem Episcoporū à

Ordo celebrandi Conciliū, positus est in principio. Brac. 5. c. 4

cœtu communi secedat, antequam hora generalis successionis adueniat. Concilium quoque nullus soluere audeat, nisi fuerint cuncta determinata, ita, vt quæcunque deliberatione communi finiuntur, Episcoporum singulorum manibus subscribantur. Tunc enim Deus suorum sacerdotum concilio interesse credendus est, si tumultu omni abiecto, solicitè atq; tranquillè ecclesiastica negocia terminentur.

4 Solet in Hispanijs de solennitate Paschali varietas existere prædicationis. Diuersa enim obseruantia laterculorum Paschalis festiuitatis, interdum errorem parturit. Proinde placuit, vt ante tres menses Epiphaniorum metropolitani sacerdotes literis se inuicem inquirant, vt communi scientia edocti, diem resurrectionis Christi comprouincialibus suis insinuent, & vno tempore celebrandum annuncient.

5 De baptismi autem sacramento, propter quod in Hispanijs quidam sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & vnitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diuersæ in baptizandis *aliqua contrario modo agunt, alij alios non baptizatos esse contendunt. Proinde, quid à nobis in sacramenti diuersitate faciendum sit, Apostolicæ sedis informemur præceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ ergò memoriæ Gregorius, Romanæ Ecclesiæ pontifex, qui non solùm partes Italiæ illustrauit, sed & longè existentes ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro episcopo de hac Hispaniæ diuersitate, quid potiùs esset sequẽdum, inter cætera rescribens ei, sic ait: De trina verò mersione baptismatis, nihil responderi verius potest, quàm ipsi sensistis, quia in vna fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanę sepulturæ sacramenta signamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis fortè, etiam pro summæ Trinitatis veneratione, existimet fieri, neque ad hoc aliquid obstitit, baptizandum semel in *aquas mergere: quia dum in tribus subsistentijs vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate in aquam vel ter, vel semel mergere, quando & in trib. mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Sed si nunc vsque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse, non censeo, ne, dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant: dumque, quod faciebant, morem vestrum se vicisse glorientur. Quapropter, quia de vtroque sacramento, quod fit in sancto baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quòd vtrunque rectum, vtrunque irreprehensibile in sancta Dei ecclesia habeatur: propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne fortè cuiquam sit dubium huius simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi ad infernum descensio est: & rursùs ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo vnitatem diuinitatis, & Trinitatem personarum ostendi. Vnitatem, dum semel mergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizamus. Panditur huius singularis baptismi mysterium etiam scripturarum sanctarum exemplis, Paulo Apostolo attestante: Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari. Mare quippe rubrum, significat baptismum, Christi sanguine consecratum, per quod populus Dei semel transijt, vbi tamen tota erat Trinitas, præcedens populum in columna ignis & nubis. Ignge quippe significatur pater, in columna filius, in nube Spiritus sanctus. Iordanis quoque fluenta cum arca populus Dei semel transijt, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cuius sacramento ecclesia abluitur, & de seculi huius laboribus per baptismum quasi per Iordanem ad terram cœlestis repromissionis ingreditur.

6 Comperimus, quòd per nonnullas ecclesias in die sextæ feriæ passionis Domini, clausis basilicarum foribus, nec celebretur officium, nec passio Domini populis prædicetur, dum idem Saluator noster Apostolis suis præcepit, dicens: Passionem, & mortem, & resurrectionem meam omnibus

*quasi

*aquis

1. Cor. 10.

Exod. 3. & 14.

Iosue 3.

Ibid. 4.

Marc. 16. sententia Iter non literaliter

cœtu communi secedat, antequam hora generalis successionis adueniat. Concilium quoque nullus soluere audeat, nisi fuerint cuncta determinata: ita vt quæcunq; deliberatione communi finiuntur, episcoporum singulorum manibus subscribantur. Tunc enim Deus suorum sacerdotum concilio interesse credendus est, si tumultu omni abiecto, solicitè, atq; tranquillè ecclesiastica negotia terminentur.

5 Solet in Hispanijs de solennitate Paschali varietas existere prædicationis: diuersa enim obseruantia laterculorum Paschalis festiuitatis, interdum errorem parturit. Proinde placuit, vt antè tres menses Epiphaniorum Metropolitani Sacerdotes literis inuicem se inquirant: vt communi scientia edocti diem resurrectionis Christi, & comprouincialibus suis insinuent, & vno tempore celebrandum annuncient.

Isidorus de Laterculo, li. 6. etymo. c. 17. de cyclo Paschali.

6 De baptismi autem sacramento, propter quod in Hispanijs quidam sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & vnitas fidei scindi videtur (. Nam dum Patres diuerso, & quasi contrario modo agunt, alij alios non baptizatos esse contendunt) proinde quid à nobis in hac sacramenti diuersitate finiendum sit, Apostolicæ sedis informemur præceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ igitur memoriæ Gregorius Romanæ ecclesiæ Pontifex, qui non solùm partes Italiæ illustrauit, sed & longè existentes ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro episcopo, de hac Hispaniæ diuersitate, quid potius esset sequendum, inter cætera rescribens ei, sic ait. De trina verò mersione baptismatis nihil responderi veriùs potest, quàm ipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus; vt dum tertiò ab aquis infans educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizãdum semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentijs vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter, vel semel mergere, quando, & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Sed si nunc vsque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant; dumque quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur. Quapropter, quia de vtroque sacramento, quod fit in sancto baptismo à tanto viro reddita est ratio, quod vtrunque rectum, vtrunque irreprehensibile in sancta Dei ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismi mersionem; ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum probare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne fortè cuiquam, sit dubium huius simpli mysterium sacramenti, videat in eo mortem, & resurrectionem Christi significari: nam in aquis mersio, quasi in infernum descensio est; & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo vnitatem diuinitatis, & Trinitatem personarum ostendi; vnitatem dum semel immergimus; Trinitatem, dum nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, baptizamus. Panditur huius singularis baptismatis mysterium, etiam sacrarum scripturarum exemplis; Paulo Apostolo attestante: Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari. Mare quippe rubrum significat, baptismum Christi sanguine consecratum, per quem populus Dei semel transijt. Vbi tamen tota erat Trinitas, præcedente populum columna ignis, & nubis. In igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus sanctus. Iordanis quoque fluenta, cum arca populus Dei semel transijt: per quod significatur simpla mersio baptismatis, cuius sacramento ecclesia abluitur, & de seculi huius laboribus per baptismum, quasi per Iordanem, ad terram cœlestis repromissionis ingreditur.

Lib. 1. regestri, epistol. 41.

De cõsec. d. 4. cap. de trina mersione.

De consec. d. 4. propter vitandum. Et in decr. Iuo li. 5. c. 129

7 Comperimus, quòd per nonnullas ecclesias in die sextæ feriæ passionis Domini, clausis basilicarum foribus, nec celebratur officium, nec passio Domini populis prædicatur; dum idem Saluator noster Apostolis suis præceperit dicens: Passionem & mortem, & resurrectionem meam omnibus

prædicate. Ideoque oportet, eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis annunciandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, vt pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mereamur, corporisque eius & sanguinis sacramentum, mundi à peccato, sumamus.

7 Quidam in die eiusdem passionis Dominicæ, ab hora nona ieiunium soluunt, conuiuijs * adhibentur: & dum sol ipse eadem die tenebris palliatus, lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata, mœstitiam totius mundi ostenderint, illi ieiunium tanti diei polluunt, epulisque inseruiunt. Et quia totum eundem diem vniuersalis Ecclesia propter passionem Domini in mœrore & abstinentia peragit, quicunque in eo ieiunium, præter paruulos, senes & languidos, ante peractas indulgentiæ preces soluerit, à Paschali gaudio depellatur: nec in eo sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis eius per abstinentiam non honorat.

8 Lucerna & cereus in peruigilijs apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, & cur à nobis benedicantur, inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipsius sacramentum, hæc solenniter benedicimus, vt sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tẽpore huius noctis votiuè aduenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus. Et quia hæc obseruatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniæ, in Ecclesijs commendatur, dignum est propter vnitatem pacis, vt in * Gallecianis Ecclesijs conseruetur. Nulli autem impune erit, qui hæc contempserit, sed patrum regulis subiacebit.

9 Nonnulli sacerdotum in Hispanijs reperiuntur, qui Dominicam orationé, quam Saluator noster docuit & præcepit, non quotidiè, sed tantum die Dominica dicant. Et quia sine intermissione vt oremus, Apostolus docuit, qualiter autem oremus, Christus præcepit, dicens: Cùm autem oratis, dicite: Pater noster qui es in cœlis: Quomodò ergo quotidiè non dicitur, quod sine intermissione dici iubetur? Nam intantum quotidiè hæc oratio dicenda est, quantum & ipso titulo vtitur, dum vocatur oratio quotidiana. Sic eam sancti patres nuncupauerũt, quod etiam apud doctores, quorum illustris doctrina est, inuenitur. Sanctus quippe Cyprianus dicit: Itaque in oratione Dominica panem nostrum, id est, Christum, dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione & corpore eius non recedamus. Sanctus Hilarius dicit, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Quid enim tam vult Deus, quàm vt quotidiè Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ, & panis è cœlo? Et quia quotidiana oratio est, quotidiè quoque vt detur, oratur. Sanctus Augustinus dicit: De quotidianis autem, breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere, Pater noster qui es in cœlis, qui iam patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet ergo hæc quotidiana oratio, minima & quotidiana peccata: delet & illa, à quibus vita fidelium, etiam scelerate gesta, pœnitendo in melius mutata discedit. Ergo sicut Christus præcepit, sicut Apostolus monuit, & quemadmodum doctores Ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidiè hanc orationem effundere in conspectu DEI debemus. Quisquis ergo sacerdotũ vel subiacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie aut in publico, aut in priuato officio præterierit, propter superbiam iudicatus, ordinis sui honore * priuetur.

10 Item cognouimus quosdam Hispaniæ sacerdotes, qui in Quadragesimæ diebus Alleluia decantant, præterquam in vltima hebdomada Paschæ, quòd deinceps fieri interdicimus, statuentes, vt in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus (quia tempus non est gaudij, sed mœroris) Alleluia non decantetur. Tunc enim opus est fletibus ac ieiunijs insistere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus deijcere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus resurrectionis Christi, quando oporteat iam Alleluia in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare. Hoc enim Ecclesiæ vniuersalis consensio in cunctis terrarum partibus roborauit, quod & à nobis in omnib. vt conseruetur per

prædicate. Ideò oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis nunciandum voluit, prædicari, atq; indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare: vt pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ resurrectionis, remissis iniquitatibus suscipere mereamur; corporisque eius, & sanguinis sacramentum mundi à peccatis sumamus.

8 Quidam in die eiusdem Dominicæ passionis ad horam nonam ieiunium soluunt, conuiuijs abutuntur, & dum sol ipse eodem die tenebris palliatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata mœstitiam totius mundi ostenderint, illi ieiunium tanti diei polluunt, epulisque inseruiunt. Et quia totum eũdem diem vniuersalis ecclesia propter passionem Domini in mœrore, & abstinentia peragit; quicunque in eo ieiunium, præter paruulos, senes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces, resoluerit, à paschali gaudio repellatur; nec in eo sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis ipsius per abstinentiam non honorat.

9 Lucerna & cereus in præuigilijs Paschæ apud quasdam ecclesias non benedicuntur, & cur à nobis benedicantur inquirunt. Propter glorioſum enim noctis ipsius sacramentum solenniter hæc benedicimus, vt sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tempore huius votiuæ noctis aduenit, in benedictione sanctificati luminis suscipiamus. Et quia hæc obseruatio per multarum loca terrarum, regionesque Hispaniæ, in ecclesijs commendatur, dignum est, vt propter vnitatem pacis, in Gallicanis ecclesijs conseruetur. Nulli autem impune erit, qui hæc statuta contempserit, sed Patrum regulis subiacebit.

10 Nonnulli sacerdotum per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Saluator noster docuit & præcepit, non quotidie, sed tantùm die Dominica dicunt. Et quia vt sine intermissione oremus, Apostolus docuit, qualiter autem oremus Christus præcipit, dicens: Cùm oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis; quomodo ergò quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici iubetur? Nam in tãtum quotidie hæc oratio dicenda est, quantum & ipso titulo vtitur dum vocatur oratio quotidiana; sic enim sancti Patres nuncupauerunt. Quod etiam apud Doctores, quorum doctrina illustris est, inuenitur: sanctus quippe Cyprianus dicit: Itaque in oratione Dominica panem nostrum (id est) Christum dari nobis quotidie petimus: vt qui in Christo manemus, & viuimus, à sanctificatione, & corpore eius non recedamus. Sanctus Hilarius dicit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quid enim tam vult Deus, quàm vt quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ, & panis è cœlo, & quia quotidiana oratio est, quotidie quoque vt detur, oratur. Sanctus Augustinus dicit: De quotidianis autem breuibus peccatis, sine quibus vita hæc non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit: eorum est enim dicere: Pater noster, qui es in cœlis, qui iam Patri tali regenerati sunt, ex aqua & spiritu. Delet igitur hæc quotidiana oratio minima quotidiana peccata; delet & illa, à quibus vita fidelium etiam scelerate gesta pœnitendo in melius redacta discedit. Ergò sicut Christus præcepit, sicut Apostolus admonuit, & quemadmodum Doctores ecclesiastici instituerunt, quia quotidie, vel cogitatione, vel verbo, vel opere delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus. Quisquis ergò sacerdotum, vel subiacentium clericorum, hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in priuato officio præterierit, propter superbiam iudicatus, ordinis sui honore multetur.

11 Item cognouimus quosdam Hispaniæ Sacerdotes, qui in Quadragesimæ diebus Alleluia decantant, præter in vltima hebdomada Paschæ, quod deinceps interdicimus fieri: statuentes, vt in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus, quia tempus est, non gaudij, sed mœroris, Alleluia non decantetur. Tunc enim opus est fletibus, ac ieiunijs insistere, corpus cilicio, & cinere induere, animum mœroribus deijcere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus resurrectionis Christi, quando oportet Alleluia in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare. Hoc enim ecclesiæ vniuersalis consensio in cunctis terrarum partibus roborauit. Quod & à nobis omnib. vt conseruetur per

In sermo. de oratio. Dominic.

In Enchiridio ad Laurentiũ

In Enchir. c. 11. tit. 3.

Hispanias Galliasq; prouincias oportebit. In temporib. verò reliquis, id est, Kalen. Ianuar. quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omninò Alleluia non decantabitur. In quibus etiam præter piscē & olus, sicut & in illis quadraginta diebus, cæteris carnibus abstinetur, & à quibusdam etiam nec vinum bibitur. Si quis ergò episcopus, aut presbyter, aut diaconus aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus, qui arbitrium suum huic cōstitutioni æstimet præferendum, ordinis sui officio carere cogatur, & cōmunione eiusdem Paschæ priuetur.

11 In quibusdam quoque Hispaniarum Ecclesijs laudes post Apostolum decantantur, priusquàm Euangelium prædicetur, dum canones præcipiant, post Apostolum non laudes, sed Euangelium annunciari. Præsumptio est enim, vt anteponantur ea, quæ sequi debeant. Nam laudes Euangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Euangelium prædicatur. Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur, excommunicationis pœnam suscepturis, qui hunc ordinem perturbauerint.

12 De hymnis etiam canendis, & Saluatoris & Apostolorum habemus exemplum. Nam & ipse Dominus hymnum
Matt. 26. dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista attestante: Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Et Paulus Apostolus
Ephes. 5. ad Ephes. scripsit, dicens: Implemini spiritu sancto, loquētes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus. Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atq; Apostolorum & martyrū triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quòd de scripturis sanctorum canonum, vel Apostolica traditione non existunt. Respuant ergò & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidiè publico priuatoque officio, in fine omnium Psalmorum dicimus, Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen. Nam & ille hymnus, quem nato in carne Christo, Angeli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus
Luc. 2. bonæ voluntatis, reliqua quæ ibi sequuntur, Ecclesiastici doctores composuerunt. Ergò nec ipsi in ecclesijs canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum libris non inueniuntur? Componuntur Missæ, siue preces, vel orationes, siue commendationes, seu manûs impositiones, ex quibus si nulla decantentur in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Admonet hæc fieri, atque hortatur Timotheum Apostolus, dicens: Obsecro ergò primò omnium fieri obsecrationes, ora-
1. Tim. 2. tiones, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & pro omnib. qui in sublimitate sunt. Sicut ergò orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrum vlteriùs improbet, sed pari modo in Gallicia: Hispaniaq; celebrent; excommunicatione plectendi, qui hymnos reijcere fuerint ausi.

13 Hymnum quoque trium puerorum, in quo vniuersa cœli terræque creatura Deum collaudat, & quem ecclesia Catholica, per totum orbem diffusa, celebrat, quidam sacerdotes in Missa Dominicorum dierū & in solennitatibus martyrum canere negligunt. Proinde sanctum Concilium instituit, vt per omnes Hispaniæ ecclesias vel Gallicię, in omnium Missarum solennitate idem in publico decantetur, communionem amissuri, qui & antiquam huius hymni consuetudinem, nostramque definitionem excesserint.

Psal. 28. 14 In fine Psalmorum, non sicut à quibusdam hucusq;, Gloria patri, sed, Gloria & honor patri, dicatur, Dauid propheta dicente: Afferte Domino gloriam & honorem. & Ioannes Euangelista in Apocalypsi audiuit vocem cœlestis exApoc. 5. ercitus, dicentē: Honor & gloria Deo nostro sedenti in throno. At per hoc hæc duo sic oportet in terris dici, sicut in cœlis resonant. Vniuersis ergò Ecclesiasticis hanc obseruantiā damus: quā quisquis præterierit, cōmunionis iacturā habebit.

15 Sunt quidam, qui in fine respōsoriorum, Gloria non dicunt: propter quod interdum inconuenienter resonat. Sed hæc est discretio, vt in lætis sequatur Gloria, in tristioribus repetatur principium.

16 Apocalypsim librum, multorum Conciliorum authoritas & synodica sanctorum præsulum Romanorum decreta, Ioannis Euangelistæ esse præscribunt, & inter diuinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt, qui eius authoritatem non recipiunt, eumque in ecclesia

Hispanias Galliasq; prouincias oportebit. In temporib. quoque reliquis, id est, Kalen. Ianuar. quę propter errorem gentilitatis aguntur, omninò Alleluia non decantetur. In quibus etiam præter piscem, & olus sicuti in alijs 40. diebus à cæteris carnib. abstinetur, & à quibusdam nec vinum bibitur. Si quis igitur Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum fuerit repertus, qui arbitrium suum huic constitutioni extimet præferendum, ordinis sui officio carere cogatur, & à communione eiusdem Paschæ priuetur.

12 In quibusdam quoque Hispaniarum Ecclesijs laudes post Apostolum decantantur, priusquam euangelium prædicetur; dum Canones præcipiunt post Apostolum nō laudes, sed euangelium annunciari. Præsumptio est enim, vt antea ponantur ea, quæ sequi debent. Nam laudes ideò Euangelium sequuntur propter gloriam Christi, quæ per idem Euangelium prædicatur. Circa omnes igitur sacerdotes hic ordo deinceps retineatur: excommunicationis pęnam suscepturi, qui hunc ordinem perturbauerint.

13 De hymnis etiam canendis & Saluatoris & Apostolorum habemus exemplum: nam & ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista testante: Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Et Paulus Apostolus ad Ephesios scripsit dicens: Implemini spiritu, loquentes vos in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus. Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum & martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius, atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de scripturis sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione non existunt; respuant ergò & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico priuatoq; officio in fine omnium psalmorum dicimus: Gloria & honor Patri, & filio, & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen. Nam & ille hymnus, quem nato in carne Christo Angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Reliqua quæ ibi sequuntur ecclesiastici Doctores composuerunt. Ergò nec idem in ecclesijs canendus est, quia in scripturarum sanctarum libris non inuenitur. Componuntur ergò hymni, sicut componuntur Missæ, siue preces, vel orationes, siue commendationes, seu manus impositiones: ex quib. si nulla dicantur in ecclesia, vacant officia omnia ecclesiastica. Admonet hæc fieri, atq; hortatur Timotheum Apostolus dicens: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt. Sicut igitur orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos, nullus vestrum vlterius improbet, sed pari modo Gallia, Hispaniaque celebret: excommunicatione plectendi, qui hymnos reijcere fuerint ausi. De consec. dist. 1. de hymnis.

14 Hymnum quoque trium puerorum, in quo vniuersa cœli terræque creatura Dominum collaudat, & quem ecclesia Catholica per totum orbem diffusa celebrat, quidam sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, & in solennitatibus martyrum canere negligunt: proinde hoc sanctum Conciliū instituit, vt per omnes ecclesias Hispaniæ, vel Galliæ in omnium Missarum solennitate idem in pulpito decantetur: communionem amissuri, qui & antiquam huius hymni consuetudinem, nostramque diffinitionem excesserint.

15 In fine psalmorum non sicut à quibusdam hucusque: Gloria Patri, sed gloria & honor Patri dicatur; Dauid prophe ta dicente: Afferte Domino gloriam & honorem: & Ioannes Euangelista in Apocalypsi. Audiui vocem cœlestis exercitus dicentem: Honor & gloria Deo nostro, sedenti in throno: ac per hoc hæc duo sic oportet in terris dici, sicut in cœlis resonant. Vniuersis igitur ecclesiasticis hanc obseruātiam damus, quam quisquis præterierit, communionis iacturam habebit.

16 Sunt quidam, qui in fine respōsoriorum Gloria non dicunt: propter quod interdum inconuenienter cōsonat. Sed hæc est discretio, vt in lætis sequatur gloria, in tristioribus repetatur principium.

17 Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas, & synodica sanctorum Præsulum Romanorum decreta Ioannis Euangelistæ esse perscribūt, & inter diuinos libros recipiendum, atque in ecclesia Dei prædicare contemnunt. Si quis eum deinceps, aut non receperit, aut à Pascha,

Dei prædicare contemnunt, si quis eum deinceps aut non receperit, aut à Pascha vsque ad Pentecosten Missarum tempore in Ecclesia non prædicauerit, excommunicationis sententiam habebit.

17 Nonnulli sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: sed post orationem Dominicam & coniunctionem panis & calicis, benedictio in populum sequatur, & tunc demùm corporis & sanguinis Domini sacramentum sumatur, eo videlicet ordine, vt sacerdos & Leuita antè altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.

18 Pernicioſa consuetudo nequaquam est * recipienda, quæ, Maiorum statuta præteriens omnem Ecclesiæ ordinem perturbauit, dum alij per ambitum sacerdotis appetunt, alijs oblatis muneribus pontificatum assumunt. Nonnulli etiam sceleribus implicati, vel seculari militiæ dediti, indigni ad honorem summi ac sacri ordinis peruenerunt. De quorum scilicet causa atque remotione oportuerat quædam statuere. Sed ne perturbatio quàm plurima Ecclesiæ oriretur, præteritis omissis, deinceps, qui non promoueantur ad sacerdotium, ex regulis canonum necessariò credimus inferendum. Id est, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota adspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam se admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos abscíderunt, aut naturaliter defectu membrorum vel defectione, aliquid minus habere noscuntur, qui secundæ vxoris coniunctionem sortiti sunt, aut numerosa coniugia frequentauerunt, qui viduam vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas aut fornicarias habuerunt, qui seruili conditioni obnoxij sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti vel laici sunt, qui seculari militiæ dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscij literarum sunt, qui nondum ad triginta annos peruenerunt. Qui per gradus ecclesiasticos non * accesserunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à decessoribus in sacerdotium eliguntur. Sed nec ille deinceps sacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriæ ciuitatis elegit, vel authoritas metropolitani, vel comprouincialium sacerdotum assensus non exquisiuit. Quicunque ergò deinceps ad ordinem sacerdotij postulatur, & in his, quæ prædicta sunt exquisitus, in nullo horum deprehensus fuerit, & examinatus, probabilis vita atque doctrina extiterit, tunc secundùm synodalia vel decretalia cõstituta, cum omnium clericorum vel ciuium voluntate, ab vniuersis comprouincialibus episcopis, aut certè à tribus, in sacerdotem die Dominica consecrabitur, conniuentibus cæteris, qui absentes sunt, literis suis, & magis authoritate vel præsentia eius, qui est in metropoli constitutus. Episcopus autem comprouincialis ibi consecrandus est, vbi metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem non nisi in ciuitate metropoli, cõprouincialibus ibidem conuenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum, ad gradum sacerdotij indignus adspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.

19 In veteri lege ab anno 25. Leuitæ in tabernaculo seruire mandantur, cuius authoritatem in canonibus, & sancti patres secuti sunt. Nos & diuinæ legis, & Conciliorum præcepti immemores, infantes & pueros Leuitas facimus antè legitimam ætatem, & ante experientiam vitæ. Ideoque ne vlteriùs fiat à nobis, & diuinæ legis, & canonum admonemur sententijs. Sed vigintiquinq; annorum ætatis, Leuitæ consecrentur: & triginta, presbyteri ordinentur, ita vt secundùm præceptum Apostolicum probentur primùm, & sic ministrent, nullum crimen habentes.

20 Quicunque in sacerdotio Dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent, Paulo attestante: Oportet episcopum irreprehẽsibilem esse. Inoffensos ergò & immaculatos decet Dei existere sacerdotes, * nec vllo eos fornicationis contagio pollui, sed castè viuentes, mundos semetipsos celebrandis exhibeant sacramentis. Abstineamus ergò nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus, vt mundi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificiũ Christi digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

vsque ad Pentecosten, Missarum tẽpore in Ecclesia non prædicauerit, excommunicationis sententiam habebit.

18 Nonnulli sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: sed post orationem Dominicam, & coniunctionem panis, & calicis, benedictio in populum sequatur, & tunc demum corporis & sanguinis Domini sacramentum sumatur; eo videlicet ordine, vt Sacerdos & Leuita antè altare cõmunicent, in choro clerus, extra chorum populus.

19 Pernicioſa consuetudo nequaquam est reticenda, quæ maiorum statuta præteriens, omnem Ecclesiæ ordinem perturbauit; dum alij per ambitum Sacerdotium appetunt, alij oblatis muneribus pontificatum assumunt, nonnulli etiam sceleribus implicati vel seculari militiæ dediti, indigni ad honorem summum, ac sacri ordinis peruenerunt. De quorum scilicet casu atq; remotione oportuerat quidem statuendum; sed ne perturbatio quàm plurima Ecclesiæ oriretur, præteritis omissis, deinceps qui non promoueantur ad Sacerdotium ex regulis canonum necessariò credimus inferendum (id est) qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, qui in hæresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos abscíderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur, qui secundæ vxoris coniunctionem sortiti sunt, aut numerosa coniugia frequentauerunt, qui viduam, vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas ad fornicationes habuerunt, qui seruili conditioni obnoxij sunt, qui ignoti sunt, qui neophyti sunt, vel laici sunt, qui seculari militiæ dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscij literarum sunt, qui nondum ad triginta annos peruenerunt, qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus honorem obtinere moliuntur, qui à decessoribus in sacerdotium eliguntur. Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec clerus, nec populus propriæ ciuitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitani, vel comprouincialium sacerdotum assensio exquisiuit. Quicunq; igitur deinceps ad ordinem sacerdotij postulatus, & in his quæ prædicta sunt, exquisitus, in nullo horum deprehensus fuerit, atque examinatus, probabilis vitæ atque doctrinæ extiterit, tunc secundùm synodalia vel decretalia constituta, cum omni clericorum vel ciuium voluntate, ab vniuersis comprouincialibus episcopis, aut certè à tribus in sacerdotium die Dominica consecrabitur, conuenientibus cæteris, qui absentes fuerint literis suis, & magis auctoritate vel præsentia eius qui est in Metropoli constitutus. Episcopus autem comprouincialis ibi consecrandus est, vbi Metropolitanus elegerit: Metropolitanus autem non nisi in ciuitate metropoli, comprouincialibus ibidem cõuenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum ad gradum sacerdotij indignus aspirare contenderit, cum ordinatoribus suis adepti honoris periculo subiacebit.

Dist. 51. c. qui in aliquo.

Fornicationes] Videtur intelligendum de concubinis ad tempus adhibitis; de quib. dist. 34. cap. Is qui.

20 In veteri lege, ab anno 25. Leuitæ tabernaculo seruire mandantur: cuius auctoritatem in canonibus & sancti Patres secuti sunt. Nos & diuinæ legis, & Conciliorum præcepti immemores, infantes, & pueros Leuitas fecimus antè legitimam ætatem, antè experientiam vitæ: ideoq; ne vlterius fiat à nobis, & diuinæ legis, & canonicis admonemur sententijs: sed à viginti & quinq. annis ætatis Leuitæ consecrentur, & à triginta annis presbyteri ordinentur: ita vt, secundùm Apostolicum præceptum, probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes.

Dist. 77. in vet. leg. Iuo. p. 6. c. 32. Burc. l. 2. c. 12.

21 Quicunq; in sacerdotio Dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent; Paulo Apostolo attestãte: Oportet episcopum irreprehensibilẽ esse. Inoffensos igitur & immaculatos decet Dei existere sacerdotes, nec vllo eos fornicationis contagio pollui: sed castè viuentes, mundos semetipsos celebrandis exhibeant sacramentis. Abstineamus ergò nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamẽto carnis liberi maneamus: vt mũdi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificiũ Christi, digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

21 Quamuis conſcientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen & apud homines famam optimam cuſtodire conuenit, vt iuxta præceptum Apoſtolicum, nõ tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, vitæ ſanctæ teſtimonium habeamus. Quidam enim hucuſque ſacerdotum, non modicum ſcandalum creauerunt, dum in conuerſatione vitæ, non bonæ famæ exiſtunt. Vt ergò excludatur deinceps omnis nefandæ ſuſpicionis occaſio, & ne detur vltrà ſecularibus locus obtrectandi: oportet epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum conuerſationis & vitæ in conclaui ſuo habere, vt & Deo placeant per conuerſationem bonam, & eccleſiæ per optimam famam.

Rom. 12. & 2. Cor. 8

22 Similiter placuit, vt quemadmodum antiſtites, ita presbyteri atque Leuitæ, quos fortè infirmitas, aut ætatis grauitas in conclaui* ſuo manere non ſinit, vt & ijdem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant.

*epiſcopi

23 Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum. Nihil enim incertius, quàm vita adoleſcentium. Ob hoc conſtituendum oportuit, vt ſi qui in clero puberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrũ diſciplinæ, & teſtem vitæ habeãt. Quòd ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, ſacerdotali tutela foueantur, vt & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis reſultauerint, monaſterijs deputentur, vt vagantes animi, & ſuperbi, ſeueriori regula diſtringantur.

Prou. 30. Gen. 6.

12. q. 1. omnis ætas. Anſ. li. 7. c. 1. Idem Concil. Tol. 10. c. 1.

24 Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in ſacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas ſcripturas frequenter admonet Paulus Apoſtolus, dicens ad Timotheum: Intende lectioni & exhortationi, doctrinę quoque, & ſemper permane in his. Sciant igitur ſacerdotes ſcripturas ſanctas, & canones meditentur, vt omne opus eorum in prædicatione diuina & doctrina conſiſtat, atque ędificent cunctos tam fidei ſcientia, quàm operum diſciplina.

1 Tim. 4.

Diſt. 38. Ignorantia, mater. Burc. li. 1. c. 100. Anſel. li. 7. c. 114. 1. Tim. 4. Ex conc. Arel. 4. c. 3

25 Quando presbyteri in parochijs ordinantur, libellum officialem à ſuo ſacerdote accipiant, vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuccedant, ne per ignorantiam, etiam in ipſis diuinis Sacramentis offendant, ita vt quando vel ad litanias, vel ad Concilium venerint, rationem epiſcopo vt reddant, qualiter ſuſceptum officium celebrent, vel baptizent.

26 Quando presbyteri aut diaconi per parochias conſtituuntur, oportet eos primùm profeſſionem epiſcopo ſuo facere, vt caſtè & purè viuant ſub Dei timore, vt dum eos tali profeſſione obligauerit, ſub ſancta diſciplina retineantur.

27 Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, ſi à gradu ſuo iniuſtè deiectus, in ſecunda ſynodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu epiſcoporum. Si epiſcopus eſt, orarium, annulum* & baculum: Si presbyter, orarium & planetam: Si diaconus, orarium & albam: Si ſubdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ, cùm ordinarentur, perceperant.

Planeta eſt, quam alias caſulam vocamus.

Diſt. 31. quando presb. Iuo p. 3. c. 129. Burc. li. 2. c. 157. Anſel. li. 7. c. 113. Diſt. 28. quando pres. Iuo. p. 3. c. 130. & p. 6. c. 248. Burc. li. 2. c. 157. Anſel. 7. c. 106. Pan. li. 2. c. 157. 11. Qu. 3. Epiſcopus presb. Iuo. p. 5. c. 367.

28 Si quis epiſcopus, aut presbyter, ſiue diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum, magos, aut aruſpices, aut ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut, aliquem eorum ſimilia exercentem conſuluiſſe fuerit deprehenſus: ab honore dignitatis ſuæ depoſitus, monaſterij cenſuram excipiat: ibiq; perpetuæ pœnitentiæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegij ſoluat.

29 Confinitimi hoſtium ſacerdotes, præter eos, qui à regia poteſtate licentiam acceperunt, quodlibet mandatum ad gentem extraneam occultè accipere vel dirigere non præſumãt. Qui autem depræhenditur aut conuincitur, denunciatus principi, apud concilium condigna animaduerſione mulctabitur.

26. Qu. 5. quis epiſc. Burc. l. 10. c. 48. Iuo. p. 11. c. 5. & 34. concil. Brac. 2. tit. 77.

30 Sæpè principes contra quoslibet maieſtatis obnoxios, ſacerdotibus negotia ſua committunt. Et quia ſacerdotes à Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentiant regibus fieri iudices, vbi iureiurando ſupplicij indulgentia promittitur, non vbi diſcriminis ſententia pręparatur. Si quis ergò ſacerdotum, contra hoc commune conſultum,

22 Quamuis conſcientiam puram apud Deum nos habere oporteat, tamen apud homines famam optimam cuſtodire conuenit: vt iuxta præceptum Apoſtolicum, nõ tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, vitæ ſanctæ teſtimonium habeamus. Quidam enim hucuſq; Sacerdotum non modicum ſcandalum creauerunt, dum in conuerſatione vitæ non bonæ famæ exiſtunt. Vt igitur excludatur deinceps omnis nefanda ſuſpicio, aut caſus; & ne detur vltra ſecularibus obtrectandi locus, oportet Epiſcopos teſtimonium probabilium perſonarum in conclaui ſuo habere; vt & Deo placeant per conſcientiam puram, & Eccleſiæ per optimam famam.

23 Non aliter placuit, vt quemadmodum Antiſtites, ita Presbyteri, atque Leuitæ, quos fortè infirmitas, aut ętatis grauitas in conclaui epiſcopi, manere non ſinit, vt ijdem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamque ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant.

24 Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum: nihil enim incertius quàm vita adoleſcentium. Ob hoc conſtituendum oportuit, vt ſi qui in Clero puberes, aut adoleſcẽtes exiſtunt, omnes in vno conclaui atrij commorentur: vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem magiſtrum doctrinæ, & teſtem vitæ habeant. Quòd ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, à ſacerdotali tutela foueantur; vt & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis reſultauerint, monaſterijs deputentur; vt vagantes animi, & ſuperbi ſeueriori regula diſtringantur.

25 Ignorantia, mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas ſcripturas admonentur, Paulo Apoſtolo dicente ad Timotheum: Intende lectioni, exhortationi doctrinæ; ſemper permane in his. Sciãt igitur Sacerdotes ſcripturas ſanctas, & Canones; vt omne opus eorum in prædicatione, & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientia, quàm operum diſciplina.

26 Quando presbyteri in parochijs ordinantur, libellum officialem à ſacerdote ſuo accipiant; vt ad Eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuccedant: ne per ignorantiam etiam diuinis Sacramentis offendant; ita vt quando ad litanias, vel ad concilium venerint, rationem epiſcopo ſuo reddant qualiter ſuſceptum officium celebrant, vel baptizant.

27 Quando presbyteri, vel diacones per parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionem epiſcopo ſuo facere, vt caſtè, & purè viuant, ſub Dei timore: vt dum eos talis profeſſio religat, vitæ ſanctæ diſciplinam retineant.

28 Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, ſi à gradu ſuo iniuſtè deiectus, in ſecundo ſynodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario, de manu Epiſcopi, orarium, anulum & baculum; ſi presbyter, orarium & planetam; ſi diaconus orarium, & albam; ſi ſubdiaconus, patenam & calicem: ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cùm ordinarentur, perceperunt.

29 Si epiſcopus, aut presbyter, ſiue diaconus, aut quilibet ex ordine clericorum, magos, aut aruſpices, aut ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel eos, qui profitentur artẽ aliquam, aut aliquos eorum ſimilia exercentes conſulere fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus monaſterij pœnam excipiat, ibiq́ue perpetuæ pœnitentiæ deditus, ſcelus admiſſum ſacrilegij luat.

30 Confinitimi hoſtium Sacerdotes, præter eos, qui à regia poteſtate licentiam acceperunt, quodlibet mandatum à gente extranea occultè accipere, vel dirigere nõ præſumant: qui autem deprehenditur, atque conuincitur denunciatus Principi, apud Concilium condigna animaduerſione multabitur.

23 q. 8. §. Sed Princ. Burc. li. 2. c. 140. Iuo p. 6. c. 222.

31 Sæpè principes contra quòslibet maleſtatis obnoxios, ſacerdotibus negotia ſua committunt. Et quia ſacerdotes à Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentient Regibus fieri iudices, vbi iureiurando ſupplicij indulgentia promittatur, non vbi diſcriminis ſententia præparetur. Si quis ergò ſacerdotum contra hoc commune cõſultum

diſcuſ-

discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

31 Episcopi, in protegendis populis ac defendendis, impositam à Deo sibi curam non ambigant. Ideoque dum conspiciunt iudices ac potentes, pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentiam regis auribus intiment, vt quos sacerdotalis admonitio non flectit ad iustitiam, regalis potestas ab improbitate coërceat. Si quis autem Episcoporum id neglexerit, Concilio erit reus.

32 Auaritia radix est cunctorum malorum, cuius sitis etiam sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium, in honorem Christi & martyrum, in parochijs Episcoporum basilicas construunt, oblationes sanctas * tribuunt: sacerdotes hæc auferunt, atque in vsus suos conuertunt. Inde est, quòd cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium basilicarum ruinæ non reparantur, quia auaritia sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est à præsenti Concilio, Episcopos ita diœceses suas regere, vt nihil ex earum iure præsumant auferre: sed iuxta priorum authoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quàm de decimis, tributis ac frugibus, tertiam consequantur. Quòd si amplius quippiam ab eis præsumptum extiterit, per concilium restauretur, appellantibus aut ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, si iam illi à seculo discesserũt. Nouerint autem conditores basilicarum, in rebus, quas eisdem Ecclesijs conferunt, nullam se potestatem habere: sed iuxta canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem eius ad ordinationem Episcopi pertinere.

33 Quicunque episcopus alterius episcopi diœcesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundùm ius legis, eius videtur esse diœcesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi. Sed hoc intra vnam parochiam, extra verò nullo modo, ne, dum diœcesis defenditur, prouinciarum termini confundantur.

34 Sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorij conuentum non adimit. Ideoque basilicæ, quæ nouæ conditæ fuerint, ad eum proculdubiò episcopum pertinebunt, cuius conuentus esse constiterit.

35 Episcopum per cunctas diœceses parochiasque suas, per singulos annos ire oportet, vt exquirat, quo vnaquæque basilica in reparationem sui indigeat. Quòd si ipse aut languore detentus, aut alijs occupationibus implicatus, id explere nequiuerit, presbyteros probabiles, aut diacones mittat, qui & redditus basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirant.

36 Quicunque episcopi suffragio cuiuslibet, aliquid ecclesiasticę vtilitatis prouiderint, & pro eo quodcunque commodum in remunerationem promiserint, promissi solutionem eos exoluere oportebit, ita vt ad Concilium prouinciale deductum, eorum cõniuentia confirmetur: quia, sicut Paulus ait, Dignus est operarius mercede sua.

37 Præbendum est à sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maximè his, quibus restituenda vicissitudo est. Quicunque ergò fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid deuotione propria contulerint, si fortè ipsi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitæ pro temporis vsu percipiant. Si enim clericis, seu monachis, vel peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu, in vsum res Ecclesiasticæ largiuntur: quanto magis consulendum est, quibus retributio iusta debetur?

38 Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, vt sese presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare præsumant, presbyteris in secundo choro constitutis. Ergò vt sublimiores * sibi presbyteros agnoscant, tam hi, quàm illi in vtroque choro consistant.

discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

32 Episcopi in protegendis populis ac defendendis, impositam à Deo sibi curam non ambigant: ideoque dum conspiciunt iudices, & potestates, pauperum oppressores existere, prius eos Sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendare, eorum insolentiam Regis auribus intiment: vt quos Sacerdotalis admonitio nõ flectit ad iustitiam, regalis potestas ab improbitate coërceat. Si quis autem Episcoporum neglexerit, Concilio reus erit. Iuo. p. 16. c. 2. Bur. l. 15. c. 1.

33 Auaritia radix cunctorum malorum: cuius sitis etiam Sacerdotum mentes obtinet. Multi enim fidelium in amore Christi, & martyrũ, in parochijs Episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt. Sacerdotes hæc auferunt, atque in vsus suos conuertunt. Inde est, quòd cultores sacrorum deficiunt, dum stipendia sua perdunt. Inde labentium basilicarum ruinæ non reparantur; quia auaritia Sacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re constitutum est à præsenti Concilio, Episcopos ita diœceses suas regere, vt nihil iure præsumant auferre, sed iuxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quàm de tributis, ac frugibus tertiam consequantur. Quòd si amplius quippiam ab eis præsumptum extiterit, per Concilium restauretur: appellantibus, aut ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, si iam illi à seculo decesserunt. Nouerint autem conditores basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesijs conferunt, nullam potestatem habere: sed iuxta canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem eius ad ordinationem Episcopi pertinere. Iuo. p. 3. c. 255. Bur. l. 3. c. 103. 16. q. 1. constituti est Bur. l. 3. c. 203. Iuo. p. 3. c. 255. 10. q. 1. Nouerint. Bur. l. 3. c. 203. Iuo. p. 3. c. 355.

34 Quicunque Episcopus alterius Episcopi diœcesim per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quia secundùm ius legis, eius iam videtur esse diœcesis, admittenda non est contra eum actio reposcendi: sed hoc intra vnam prouinciam; extra verò nullo modo: ne dum diœcesis defenditur, prouinciarum termini confundantur. Dist. 16. q. 3. quicũque. Iuo. p. 3. c. 131. Bur. l. 1. c. 67.

35 Sicut diœcesim alienam tricennalis possessio tollit, ita territorij conuentum non adimit. Ideoque basilicæ, quæ nouæ conditæ fuerint, ad eum proculdubio Episcopum pertinebunt, cuius conuentus esse constiterit. *16. q. 2. Possessio & 16. q. 3. sicut diœcesim. Iuo. p. 3. cap. 212. Burch. lib. 3. c. 147.*

36 Episcopum per cunctas diœceses, parochiasq; suas per singulos annos ire oportet, vt exquirat quo vnaquæque basilica in reparationẽ sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut alijs occupationibus implicatus id explere nequierit, Presbyteros probabiles, aut diaconos mittat, qui & reditus basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirant. 10. q. 1. c. Episcopũ. Iuo. p. 3. c. 103. Bur. l. 1. c. 137.

37 Quicunq; Episcopi suffragio cuiuslibet aliquid Ecclesiasticæ vtilitati prouiderint, & pro eo quodcunque modicum in remunerationem promiserint; promissi solutionem eos exsoluere oportebit: ita vt ad id Cõcilium comprouinciale deductum, eorum conniuentia cõfirmetur: quia sicut Paulus Apostolus ait, dignus est operarius mercede sua. 12. q. 2. Quicunqs suffrag.

38 Præbendum est à sacerdotibus vitę solatiũ indigentibus; & maximè his, quibus restituenda vicissitudo est. Quicunque ergò fidelium de facultatibus suis ecclesiæ aliquid deuotione propria contulerunt; si fortè ipsi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesiæ suffragium vitæ, pro temporis vsu percipiant. Si enim Clericis, vel monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu, in vsum res ecclesiasticæ largiuntur, quanto magis his consulendum est, quibus retributione iusta debetur. 16. q. 7. quicunq; fidel.

39 Nonnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, vt se Presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare præsumant, Presbyteris in secundo choro constitutis. Ergò vt sublimiores sibi Presbyteros agnoscant, tam hi, quàm illi in vtroque choro consistant. *Dist. 93. Nonnulli. Iuo. p. 6. c. 297. Burc. li. 1. c. 222.* In vtroque choro.] *In vulgatis Gratiani, in vtroque ordine Verum in omnibus. MSS. CC. Ecclesiæ Toletanæ, & bibliothecæ Regiæ D. Laurentij legitur, in vtroque choro. Præterquam in vno Lucensi codic. vbi habetur: in vtroque consistant. quam lectionem optimè sequutum est Decretum Gregorianum.*

39 Si oraria duo nec Episcopo induere quidem licet, nec presbytero, vtiquè multò minùs diacono, qui ministeri eorum est. Vnum ergò orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, vt expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat. Caueant ergò amodò Leuitæ gemino vti oratorio, sed vno tantùm, & puro, nec vllis coloribus aut auro ornato.

40 Omnes clerici vel lectores, sicut Leuitæ & sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronã relinquant, Non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis vt laici comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanijs, hucusque hæreticorum fuit. Vnde oportet, vt pro amputando ab Ecclesijs scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.

41 Cum clericis extraneæ fœminæ nullatenus habitẽt, nisi tantum mater, soror, filia, amita, in quibus personis nihil sceleris æstimari naturæ fœdus permittit. Id enim & constitutio antiquorum patrum decreuit.

42 Quidam clerici, legitimum non habentes coniugium, extranearum mulierum vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt. Ideò, quæ cum clericis taliter coniunctæ sunt, ab Episcopo auferantur, & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos sua libidine infecerunt.

43 Clerici, qui sine consultu Episcopi sui vxores duxerint, aut viduam, aut repudiatam, vel meretricem in coniugium acceperint, separari eos à proprio Episcopo oportebit.

44 Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, aut sumpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterium contradantur * pœnitentiæ.

* pereaniter.

45 Si quis clericus in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, quia sacinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vindicatur: oportet, canonibus in tali scelere proditum, à clericatus ordine submoueri, & pœnitentiæ triennio deputari.

46 Præcipiente domino nostro atque excellentissimo Sisenando Rege, id constituit sanctum Concilium, vt omnes ingenui clerici, pro officio religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, vt liberi Deo seruiant, nullaque prædicta necessitate ab Ecclesiasticis officijs retrahantur.

47 Eos, quos œconomos Græci vocant, hoc est, qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractant, sicut sancta synodus Chalcedonensis instituit, omnes Episcopos de proprio clero ad regendas Ecclesias habere oportet: qui autem deinceps contempserit, obnoxius eiusdem magni Concilij erit.

48 Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus.

49 Clerici, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasterijs largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

50 Nunciatum est præsenti Concilio, quòd monachi Episcopali imperio seruili operi mancipentur, & iura monasteriorum contra institutа canonum, illicita præsumptione vsurpentur, ita vt penè & cœnobio possessio fiat, atque illustris portio Christi, ad ignominiam seruitutemq; perueniat. Quapropter monemus eos, qui Ecclesijs præsunt, vt vltra talia non præsumant. Sed hoc tantùm sibi in monasterio vendicent sacerdotes, quod præcipiunt canones, id est, monachos ad conuersationem sanctam præmonere, abbates, aliaque officia instituere, atq; extra regulam facta corrigere. Quòd si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut vsurpare quippiam de monasterij rebus tentauerint, non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab illicitis.

40 Orarijs duobus, nec Episcopo quidem licet, nec Presbytero vti, quanto magis Diacono, qui ministeri eorum est. Vnum igitur orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat: dextram autem partem oportet habere liberam, vt expeditus ad ministerium Sacerdotale discurrat. Caueat igitur amodò Leuita gemino vti orario, sed vno tantùm, & puro, nec vllis coloribus, aut aut auro ornato. Dist. 25. vnum orarium.

41 Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Leuitæ, & sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque hæreticorum fuit. Vnde oportet, vt pro amputando Ecclesiæ scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & vna sit tonsura, vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.

42 Cum clericis extraneæ fœminæ nullatenus habitẽt; nisi tantùm mater, & soror, filia, vel amita, in quibus personis nihil sceleris extimari fœdus naturæ permittit. Id enim & cõstitutio antiquorum Patrum decreuit.

43 Quidam Clerici legitimum non habentes coniugium, extranearum mulierum, vel ancillarum suarum interdicta sibi consortia appetunt: ideoque quæcunque clericis taliter adiunctæ sunt, ab Episcopo auferantur, & venundentur, illis pro tempore religatis ad pœnitentiam, quos sua libidine infecerunt. Dist. 81. quidam Cleri.

44 Clerici, qui sine consultu Episcopi sui, aut viduam, vel repudiatam, vel meretricem in cõiugio acceperint, separari eos à proprio Episcopo oportebit. 23. q. 2. Clerici. Iuo p. 8. c. 286.

45 Clerici, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, vel sumpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu in monasterium pœnitentiæ contradantur. 23. q. 2. Clerici qui. Anf li. 7. c. 187. Iuo. p. 13. c. 49. Bur li. 11. c. 63.

46 Si quis clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, quia sacinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguine vendicatur, oportet canonibus in tali scelere proditum clericatus ordine submoueri, & pœnitentiæ triennio deputari.

47 Præcipiente domino, atque excellentissimo Sisenando Rege, id constituit sanctum Concilium, vt omnes ingenui clerici pro officio religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes; vt liberi Deo seruiant, nullaque præpediti necessitate ab Ecclesiasticis officijs retrahantur.

48 Eos, quos œconomos Græci appellant, hoc est, qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractant, sicut sancta Synodus Chalcedonensis instituit, omnes Episcopos de proprio Clero ad regendas Ecclesias habere oportet: qui autem deinceps contempserit, obnoxius eiusdem magni Concilij erit. Chalced. Conc. 1. Can. 26.

49 Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reuerti intercludimus, & omnem ad seculum interdicimus regressum. 20. q. 1. Monachũ Iuo p. 7. c. 3. Burc. li. 8. c. 6. Ansel. li. 7. c. 186. & li. c. 6.

50 Clerici, qui Monachorum postpositum appetunt; quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasterijs largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur. 19. q. 2. Clerici qui. Burc. li. 8. c. 21. Iuo p. 6. c. 371. 18. q. 2. hoc tantũ sibi. Vide Ancel. li. 2. c. 21. & Ancira apud Grat. 18. q. 2. c. monasteria, &c. Hisp. c. 11. Episcopis hoc ius adimit. 1. Later. Vide concil. Trid. sess. 21. c. 8. & sess 24. c. 3

51 Non-

52 Non-

51 Nonnulli monachorum egrediẽtes à monasterio, nõ solùm ad seculum reuertuntur, sed etiam vxores accipiunt. Igitur reuocati in eodem monasterio, à quo exierant pœnitentiæ deputentur: ibiq́ue defleant crimina sua, vnde decesserunt.

52 Religiosi propriæ *regionis, qui nec inter clericos, nec inter monachos habentur, siue hi, qui per diuersa loca vagi feruntur, ab episcopis, in quorum conuentu commorari noscuntur, licentia eorum coerceatur, vt aut in clero, aut in monasterio deputentur, præter eos, qui ab episcopo suo, aut propter ætatem, aut propter languorem fuerint absoluti.

53 Hi, qui in discrimine constanti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantùm se peccatores esse prædicantes, huiusmodi si reuelauerint, possunt etiam pro morum probitate ad gradus ecclesiasticos peruenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum se perpetrasse publicè fateantur, ad clerum, vel honores ecclesiasticos peruenire nullatenus poterunt, quia confessione se propria notauerunt.

54 Quicunque ex secularibus, accipientes pœnitentiam, totonderunt se, & rursus præuaricantes, laici effecti sunt: compræhensi ab episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, reuocentur. Quòd si aliqui per potentiam irreuocabiles sunt, nec admoniti reuertuntur, vt veri Apostatæ, coram ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter & hi qui à parentibus detonsi fuerunt, aut sponte sua, amissis parentibus, seipsos religioni deuouerunt, & postea habitum secularem sumpserunt: & ijdem à sacerdote compræhensi, ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, reuocentur. Quòd si conuerti non possunt, velut apostatæ, anathematis sententiæ subijciantur. Quæ forma seruabitur etiam in viduis, virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutauerunt, aut ad nuptias transierunt.

55 Duo sunt genera viduarum, seculares & sanctimoniales. Seculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere, laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt, quæ, iam mutato habitu seculari, sub religioso cultu in conspectu sacerdotis, vel ecclesiæ apparuerunt. Hæ si ad nuptias transierint, iuxta Apostolum, non sine dam natione erunt: quia, se primùm Dei vouentes, postea castitatis propositum abiecerunt.

56 De Iudæis autem præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult, Deus miseretur: & quem vult, indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens perijt, sic vocante gratia Dei, propriæ mentis conuersione homo quisque credendo saluatur. Ergò non vi, sed libera arbitrij voluntate vt conuertantur, suadendi sunt, non penitus impellendi. Qui autem iam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti, quia iam constat, eos sacramentis diuinis sociatos, & baptismi gratiam suscepisse, & chrismate vnctos esse, & corporis Domini & sanguinis extitisse participes, oportet, vt fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur.

57 Tanta est quorundam cupiditas, vt quidam eam appetentes, iuxta quod ait Apostolus, etiam à fide errauerint. Multi quippe hucusque ex sacerdotibus atque laicis accipientes à Iudæis munera, perfidiam eorum suo patrocinio fouent: qui immeritò, ex corpore Antichristi esse noscuntur, qui contra Christum faciunt. Quicunque ergò deinceps episcopus, siue clericus, siue secularis, illis contra fidem Christianam suffragium vel munere, vel fauore præstiterit, verè (vt prophanus & sacrilegus) anathema effectus ab Ecclesia catholica & regno Dei habeatur extraneus: quia dignus est, vt à corpore Christi separetur, qui inimicis Christi patronus efficitur.

58 Plerique, qui ex Iudæis dudum ad Christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes in Christum, non solum Iudaicos ritus perpetrasse noscuntur, sed etiam abomi-

52 Nonnulli Monachorum, egredientes à monasterio, non solum ad seculum reuertuntur, sed etiam vxores accipiunt. Hi igitur reuocati, in eodem monasterio à quo exierunt, pœnitentiæ deputentur, ibiq́ue defleant crimina sua vnde decesserunt.

53 Religiosi propriæ regionis, qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur, siue hi, qui per diuersa loca vagi fuerint, ab Episcopis, in quorum conuentu commanere noscuntur, licentia eorum coerceatur, in Clero, aut in monasterijs deputati præter illos, qui ab Episcopo suo, aut propter ætatem, aut propter languorem, fuerint absoluti.

54 Hi, qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes; sed tantũ peccatores se prædicantes, huiusmodi si reualuerint, possunt etiã, pro morum probitate, ad gradus Ecclesiasticos peruenire. Qui verò ita pœnitẽtiam accipiunt, vt aliquod mortale peccatum perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum, vel ad honores Ecclesiasticos peruenire nullatenus poterunt: quia se confessione propria notauerunt.

55 Quicunque ex secularibus accipientes pœnitentiam, totonderunt se, & rursus præuaricantes Laici effecti sunt: comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, reuocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irreuocabiles sunt, nec admoniti reuertentur, verè vt apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur. Non aliter & hi, qui detonsi à parentibus fuerint, aut sponte sua, amissis parentibus, seipsos religioni deuouerunt, & postea habitum secularem sumpserunt, & ijdem à Sacerdote comprehensi ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, reuocentur. Quòd si reuerti non possunt, verè vt apostatæ anathematis sententiæ subijciantur. Quæ forma seruabitur etiam in viduis virginibusque sacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ sanctimonialem habitum induerunt, & postea aut vestem mutauerunt, aut ad nuptias transierunt.

56 Duo sunt genera viduarum, seculares & sanctimoniales: seculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere, Laicalem habitum non deposuerunt: sanctimoniales sunt: quæ iam mutato habitu seculari, sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis vel Ecclesiæ apparuerint. Hę si ad nuptias transierunt, iuxta Apostolum, non sine damnatione erunt: quia se primum Deo vouentes, postea castitatis propositũ abiecerunt.

57 De Iudæis autem hoc præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre: cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes; vt integra sit forma iustitiæ: sicut enim homo proprij arbitrij voluntate serpenti obediens perijt, sic vocante gratia Dei, propriæ mentis conuersione homo quisque credendo saluatur. Ergo non vi, sed libera arbitrij facultate, vt conuertantur suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem iam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti; quia iam constat eos esse sacramentis diuinis associatos, & baptismi gratiam percepisse, & chrismate vnctos esse, & corporis Domini & sanguinis extitisse participes, oportet, vt fidem, etiam quam vi, vel necessitate susceperunt, tenere cogantur; ne nomen diuinum blasphemetur, & fides, quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur.

58 Tanta est quorundam cupiditas, vt quidam eam appetentes, iuxta quod ait Apostolus, etiam à fide errauerunt: multi quippe hucusque ex Sacerdotibus, atque Laicis accipientes à Iudæis munera, perfidiam eorum patrocinio suo fouebant; qui non immeritò ex corpore Antichristi esse noscuntur, qui contra Christum faciunt. Quicunque igitur deinceps Episcopus, siue Clericus, siue Secularis illis cõtra fidem Christianam suffragium vel munere, vel fauore præstiterit, verè vt prophanus & sacrilegus anathema effectus, ab Ecclesia Catholica & regno Dei efficiatur extraneus: quia dignum est, vt à corpore Christi separetur, qui inimicis Christi patronus efficitur.

59 Plerique qui ex Iudæis dudum ad Christianam fidem promoti sunt, nunc blasphemantes in Christum, non solùm Iudaicos ritus perpetrasse noscũtur, sed etiam abomi-

Vide Cõc. Turo. c. 11 ex quo decretũ est.

Concil. 13 cap. 10.

Iuo. p. 7. c. 47. Burc. lib. 8. c. 27.

Timo. 5.

Rom. 9.

Genes. 3.

Tim. 6.

Dist. 45. de Iudæis. Iu. p. 1. c. 276. & p. 13. c. 94. & Pan. lib. 1. c. 72. Burch. lib. 4. c. 82.

Sic legendũ ex chronico Isidori Era D. XL. vbi dicit eum æmulatione Dei habuisse, sed nõ secundum scientiam. Vide legẽ Sisebuti in annotatione ad c. 59 huius Cõc. Matè. Sisenãdi. Iuo. & Burch.

Idẽ habes in ll. Vvisegoth. li. 12 t. 10. tit. 3. suo p. 13. c. 95.

Decõc. di. 4. Plerique; Burch. lib. 4. cap. 85. Iuo. p. 1. c. 279.

nandas circunciſiones exercere preſumpſerunt. De quibus conſultu pijſſimi ac religioſiſſimi Domini noſtri Siſennandi Regis hoc ſanctum decreuit concilium, vt huiuſmodi tranſgreſſores, pontificali authoritate correcti, ad cultum Chriſtiani dogmatis reuocentur: vt quos voluntas propria non emendat, animaduerſio ſacerdotalis coerceat.* Eos autem, quos circunciderunt, ſi filij eorum ſunt, à parentum conſortio ſeparentur: ſi ſerui, pro iniuria corporis ſui, libertati tradantur.

59 Iudæorum filios vel filias baptizatos, ne parentum vltra inuoluantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus, vt deputatos aut monaſterijs, aut Chriſtianis viris, ac mulieribus Deum timentibus, vt ſub eorum conuerſatione cultum fidei diſcant, atque in melius inſtituti, tam in moribus quàm in fide proficiant.

60 Iudæi baptizati, ſi poſtea præuaricantes in Chriſtum, qualibet pœna damnati extiterint, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit: quia ſcriptũ eſt, Filius non portabit patris iniquitatem. Ezech. 18.

61 Sæpè malorum conſortia etiam bonos corrumpunt: quanto magis eos, qui ad vitia proni ſunt? Nulla ergò communio vltra ſit Hebræis, ad fidem Chriſtianam tranſlatis, cum his, qui adhuc in veteri ritu conſiſtunt, ne fortè eorum *participio ſubuertantur. Quicunque ergò amodò ex his, qui baptizati ſunt, infidelium conſortia non vitauerint, & hi Chriſtianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur. *participatione

62 Iudæi, qui Chriſtianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Epiſcopo ciuitatis ipſius, vt ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur. Quòd ſi admoniti noluerint, ſeparentur: quia non poteſt infidelis in eius permanere coniunctione, quæ iam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem, Filij autem, qui ex talibus nati exiſtunt, fidem atque conditionem matris ſequantur. Similiter & hi, qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris, Chriſtianam religionem ſequantur, non Iudaicam ſuperſtitionem.

63 Non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidus. Iudæi ergò, qui dudum Chriſtiani effecti ſunt, & nunc Chriſti fidem præuaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti non debent, quamuis eſſe ſe Chriſtianos annũcient: quia ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita in teſtimonio humano dubij habentur. Infirmari ergò oportet eorum teſtimonium, qui in fide falſi docentur. Nec eis eſt credendum, qui veritatis à ſe fidem abiecerunt.

64 Præcipiente Domino atque excellentiſſimo Siſenando rege, conſtituit id ſanctum Concilium, vt Iudæi, aut hi qui ex Iudæis ſunt, officia publica nullatenus appetant: quia ſub hac occaſione Chriſtianis iniuriam faciunt. Ideoque iudices prouinciarum cum ſacerdotibus, eorum ſubreptiones fraudulenter relictas ſuſpendant, & officia publica eos agere non permittant. Si quis autem hoc permiſerit, velut in ſacrilegum excõmunicatio proferatur: & is, qui ſubrepſerit, publicis cædibus deputetur.

65 Ex decreto glorioſiſſimi principis hoc ſanctum elegit Concilium, vt Iudæis non liceat Chriſtianos ſeruos, nec Chriſtiana mancipia emere, nec cuiuſquam conſequi largitates. Nefas enim eſt, vt membra Chriſti, ſeruiant Antichriſti miniſtris. Quòd ſi deinceps ſeruos Chriſtianos, vel ancillas Iudæi habere præſumpſerint, ſublati ab eorum dominatu, libertatem à principe conſequantur.

66 Et ſi illi, qui nulla ex rebus ſuis pauperibus Chriſti diſtribuunt, æterni iudicis voce in futuro condemnabuntur: quanto magis hi, qui auferunt pauperibus, qui non dederunt? Quapropter epiſcopi, qui nihil ex proprio ſuæ Eccleſiæ Chriſti compenſauerunt, hanc diuinam ſententiam metuant, & libertos ex familijs Eccleſiæ ad cõdemnationẽ ſuam facere non præſument. Impium eſt enim, vt, qui res ſuas Eccleſiæ Chriſti non contulerit, damnum inferat, & ius eccleſiæ alienare contendat. Tales ergò libertos ſucceſſor epiſcopus abſque aliqua oppoſitione ad ius eccleſiæ reuocabit, quia eos non æquitas, ſed improbitas abſoluit.

67 Epiſcopus qui mancipium iuris eccleſiæ, non retento eccleſiaſtico patrocinio, manumitti deſiderat: duo me-

nandas circunciſiones exercere præſumpſerunt: de quibus conſultu pijſſimi, ac religioſiſſimi Principis domini noſtri Siſenandi Regis, hoc ſacrum decreuit Concilium, vt huiuſmodi tranſgreſſores Pontificali auctoritate correpti, ad cultum Chriſtiani dogmatis reuocentur: vt quos voluntas propria non emendat, animaduerſio Sacerdotalis coerceat: eos autem, quos circunciderunt; ſi filij eorum ſunt, à parentum conſortio ſeparentur; ſi ſerui, pro iniuria corporis ſui, libertati tradantur.

60 Iudæorum filios vel filias; ne parentum vltrò inuoluantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus: deputatos aut monaſterijs, aut Chriſtianis viris, ac mulieribus Deum timentibus: vt ſub eorum conuerſatione cultũ fidei diſcant, atq; in melius inſtituti, tam in moribus, quàm in fide proficiant. 28. queſt. 1 Iudeorum fil. Burc. lib. 4. c. 83. Iuo. p. 1. c. 277. Cõc. Tolet. 17. cap. 8. 1. q. 4. Iudæi bapt.

61 Iudæi baptizati, ſi poſtea præuaricantes in Chriſtum, qualibet pœna damnati extiterunt, à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit: quia ſcriptum eſt: Filius non portabit iniquitatem patris.

62 Sæpe malorum conſortia etiam bonos corrumpunt, quanto magis eos qui ad vitia proni ſunt. Nulla igitur vltra communio ſit Hebræis ad fidem Chriſtianam translatis, cum his qui adhuc in vetere ritu conſiſtunt; ne fortè eorum participatione ſubuertantur. Quicunque igitur amodò ex his, qui baptizati ſunt, infidelium conſortia non vitauerint; & hi Chriſtianis donentur, & illi publicis cædibus deputentur. 29. q. 1. Sæpe malorũ. Burch. lib. 4. c. 8. Iuo. p. 1. c. 278.

63 Iudæi, qui Chriſtianas mulieres in coniugio habent, admoneantur ab Epiſcopo ciuitatis ipſius, vt ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur. Quòd ſi admoniti noluerint, ſeparentur: quia non poteſt infidelis in eius permanere coniugio, quæ iam in Chriſtianam translata eſt fidem. Filij autem qui ex talibus nati exiſtunt, fidem, atque conditionem matris ſequantur. Similiter & hi, qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus & fidelibus viris Chriſtianam ſequantur religionem, non Iudaicam ſuperſtitionem. 28. q. 1. Iudæi qui Chriſtianas, legũ Vviſegoc. lib. 12. tit. 2.

64 Non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidelis. Iudæi ergo, qui dudum Chriſtiani effecti ſunt, & nunc in Chriſti fidem præuaricati ſunt, ad teſtimonium dicendum admitti nõ debent; quamuis eſſe ſe Chriſtianos annuncient. Quia ſicut in fide Chriſti ſuſpecti ſunt, ita & in teſtimonio humano dubij habentur. Infirmari ergo oportet eorum teſtimonium, qui in fide falſi docentur; nec eis eſſe credendum, qui veritatis à ſe fidem abijciunt. 2. q. 7. non poteſt. Idẽ legib. Vviſegoth. li. 12. tit. 2. l. 9. & 10. Iuo. p. 13. c. 96.

65 Præcipiente domino atque excellentiſſimo Siſenando Rege, id conſtituit ſanctum Concilium, vt Iudæi, aut hi qui ex Iudæis ſunt, officia publica nullatenus appetãt: quia ſub hac occaſione Chriſtianis iniuriam faciunt. Ideoq; iudices prouinciarum cum Sacerdotibus, eorum ſubreptiones fraudulenter elicitas ſuſpendant, & officia publica eos agere nõ permittant. Si quis autem Iudicum hoc permiſerit, velut in ſacrilegum excommunicatio proferatur, & is, qui ſubrepſerit, publicis cædibus deputetur. 17. qu. 4. conſtitut. ſanct. Idẽ eſt ll. Vviſegoth. li. 12 tit. 3. l. 17. Iuo. p. 13. cap. 97.

66 Ex decreto glorioſiſſimi Principis hoc ſanctum elegit Concilium, vt Iudæis non liceat Chriſtianos ſeruos habere, nec Chriſtiana mancipia emere, nec cuiuſquam cõſequi largitate: nefas eſt enim vt membra Chriſti ſeruiant Antichriſti miniſtris. Quod ſi deinceps ſeruos Chriſtianos, vel ancillas Iudæi habere præſumpſerint, ſublati ab eorum dominatu libertatem à Principe conſequantur. Iuo. p. 13. c. 99.

67 Et ſi hi, qui nulla ex rebus ſuis pauperibus Chriſti diſtribuunt, æterni iudicis voce in futurum condemnabuntur: quanto magis hi, qui auferunt pauperibus, quod non dederunt? Qua propter Epiſcopi, qui nihil ex proprio ſuo Eccleſiæ Chriſti compenſauerunt, hanc diuinam ſententiam metuant, & liberos ex familijs Eccleſiæ ad condemnationem ſuam facere, non præſumant. Impium eſt enim, vt qui res ſuas Eccleſiæ Chriſti non contulit, damnum inferat, & ius Eccleſiæ alienare intendat. Tales igitur libertos ſucceſſor Epiſcopus abſque aliqua oppoſitione ad ius Eccleſiæ reuocabit: quia eos non æquitas, ſed improbitas abſoluit. 12. q. 2. Et ſi illi qui Burc. lib. 5. c. 189. Iuo. p. 3. c. 244.

68 Epiſcopus, qui mancipium iuris Eccleſiæ, non retento Eccleſiaſtico patrocinio, manumitti deſiderat, duo me- 12. q. 2. Epiſcop⁹ qui Burc. lib.

riti eiusdem & peculi, coram Concilio ecclesiæ, cui præminet, per commutationem, subscribentibus sacerdotibus, offerat, vt * rata & iusta inueniantur diffinitio commutantis. Tunc enim liberam manumissionem sine patrocinio ecclesiæ concedere poterit, quia eum, quem libertati tradere disponit, iam iuri proprio acquisiuit. Huiusmodi autem liberto aduersus ecclesiam, cuius iuris extitit, accusandi vel testificandi denegetur licentia. Quod si præsumpserit, placet, vt stante commutatione, in seruitutem proprię ecclesię reuocetur, cui nocere conatur.

68 Consensus totius concilij definiuit, vt sacerdotes, qui aut res suas ecclesiæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua tamen prædia aut familias ecclesijs suis conquirunt, licebit illis aliquos de familijs eiusdem ecclesiæ manumittere, iuxta rei collatæ modum, quem antiqui canones decreuerunt, ita vt cum peculio & posteritate sua, ingenui sub patrocinio ecclesiæ maneant, vtilitates iniunctas sibi, iuxta quod potuerint, prosequentes.

69 Liberti ecclesiæ, quia nunquam moritur eorum patrona, à patrocinio eiusdem nunquam discedant, nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreuerunt. Ac ne libertas eorum in futura prole non pateat, ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens, sese ab ecclesię patrocinio subtrahat, necesse est, vt tam hi liberti, quàm ab eis progeniti, professionem Episcopo suo faciant, per quam ex familia ecclesiæ libertos effectos se esse fateantur, eiusque patrocinium non relinquant, sed iuxta virtutem suam, obsequium ei vel obedientiam præbeant.

70 Liberti ecclesiæ, qui à patrocinio eius discedentes, quibuslibet personis adhæserunt, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit: quia per inobedientiæ contemptum, ingrati actione tenentur.

71 Liberti, qui à quibuscunque manumissi sunt, & ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione, à cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libertatis eorum, siue in peculio, quod habere noscuntur.

72 Quicunque libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibi in eis obsequium patronus retentet: isti, si sine crimine sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur, quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui verò, retento obsequio, manumissi sunt, pro eo, quòd adhuc * patroni seruitute tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad ecclesiasticum ordinem promouendi, ne, quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis serui.

73 De familijs ecclesiæ, constituere presbyteros & diacones per parochias liceat, quos tamen vitæ rectitudo, & probitas morum commendat, ea tamen ratione, vt antea manumissi, libertatem status sui percipiant, & denuò ad Ecclesiasticos honores succedant. Est enim irreligiosum, obligatos existere seruituti, qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. Quicquid autem talibus aut per libertatem concessum, aut successione extiterit * datum, aut à quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas personas transmittere, sed omnia ad ius eius ecclesiæ, à qua manumissi sunt, post eorum obitum pertineant. His quoque, sicut & cæteris Ecclesiæ libertis, accusandi vel testificandi aduersus Ecclesiam aditus intercluditur: * ad quod si adspirauerint, non solùm libertatis beneficio careant, sed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, sed tempore necessitatis, promeruerunt.

74 Post instituta quædam ecclesiastici ordinis vel decreta, quæ ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum regum & stabilitate gentes Gotthorum, pontificale vltimum sub Deo iudice ferre decretum. Multarum quippe gentium (vt famâ est) tanta extat perfidia animorum, vt fidelem sacramento promissam regibus suis obseruare contemnant, & ore simulent iuramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Iurant enim regibus suis, & fidem, quam pollicentur, prœuaricantur: nec metuunt volumen illud iudicij Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos, qui iurant in no mine Dei mendaciter. Quæ ergò spes talibus populis, contra hostes laborantibus, erit? Quæ

riti eiusdem & peculij coram Concilio Ecclesiæ, cui præminet, per commutationem, subscribentibus Sacerdotibus offerat: vt rata, & iusta inueniatur definitio commutantis. Tunc enim liberam manumissionem, sine patrocinio Ecclesiæ concedere poterit: quia eum, quem libertati tradere disponit, iam iure proprio acquisiuit. Huiusmodi autem liberto aduersus Ecclesiam, cuius iuris extitit, accusandi, vel testificandi denegetur licentia. Quod si præsumpserit, placet vt stante commutatione, in seruitutem propriæ Ecclesiæ reuocetur, cui nocere conatur.

69 Cõsensus totius Concilij definiuit, vt Sacerdotes, qui aut res suas Ecclesiæ relinquunt, aut nihil habentes, aliqua tamen prædia, aut familias Ecclesijs suis conquirunt, licebit illis aliquos de familijs eiusdem Ecclesiæ manumittere, iuxta rei collatæ modum, quem antiqui Canones decreuerunt; ita vt cum peculio & posteritate sua ingenui, sub patrocinio Ecclesiæ maneant, vtilitates iniunctas sibi, iuxta quod potuerint, prosequentes.

70 Liberti Ecclesiæ (quia nunquam moritur eorum patrona) à patrocinio eiusdem nunquam discedant; nec posteritas quidem eorum, sicut priores Canones decreuerunt. Ac ne fortè libertas eorum in futura prole non pateat; ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens, sese ab Ecclesiæ patrocinio subtrahat, necesse est, vt tam ijdem liberti, quàm ab eis progeniti professionem Episcopo suo faciant, per quam se ex familia Ecclesiæ liberos effectos esse fateantur; eiusque patrocinium non relinquant: sed iuxta virtutem suam obsequium ei, vel obedientiam præbeant.

71 Liberti Ecclesię, qui à patrocinio eius discedentes, quibuslibet personis adhæserunt, si admoniti redire contempserint, manumissio eorum irrita sit: quia per inobedientię contemptum actione ingrati tenentur.

72 Liberti qui à quibuscunq; manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati ex stunt, sicut regulæ antiquorum Patrum constituerunt, Sacerdotali defensione à cuiuslibet insolentia protegãtur; siue in statu libertatis eorum, seu in peculio, quod habere noscuntur.

73 Quicunque libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibimet obsequium patronus retentet, isti, si sine crimine sunt, ad Clericatus ordinem liberè suscipiantur; quia directa manumissione absoluti noscuntur: qui verò retento obsequio, manumissi sunt; pro eo quod adhuc à patrono seruitute tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad Ecclesiasticum ordinem promouendi; ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis serui.

74 De familijs Ecclesiæ constituere Presbyteros & Diacones per parochias liceat; quos tamen vitæ rectitudo & probitas morum commendat; ea tamen ratione, vt antea manumissi libertatem status sui percipiant, & denuo ad Ecclesiasticos honores succedant: irreligiosum est enim obligatos existere seruituti, qui sacri ordinis suscipiunt dignitatem. Quidquid autem talibus, aut per libertatem concessum, aut successione extiterit debitum, aut à quolibet quoquo modo collatum, non licebit eis quippiam inde in extraneas personas transmittere; sed omnia ad ius Ecclesiæ, à qua manumissi sunt, oportet post eorum obitum pertinere. His quoque, sicut & cæteris Ecclesiæ libertis, accusandi, vel testificandi aduersus Ecclesiam aditus intercluditur: ad quos si adspirauerint, non solùm libertatis beneficio careant, sed etiam honoris gradu, quem non dignitate naturæ, sed temporis necessitate promeruerunt.

75 Post instituta quædam Ecclesiastici ordinis, vel decreta, quę ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis Sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum Regum, & stabilitate gentis Gothorum, Pontificale vltimum sub Deo iudice ferre decretum. Multarum quippe gentium (vt fama est) tanta extat perfidia animorum, vt fidem sacramento promissam regibus suis, seruare contemnant, & ore simulent iuramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Iurant enim regibus suis, & fidem quam pollicentur, præuaricant; nec metuunt volumen illud iudicij Dei, per quod inducitur maledictio multaque pœnarum comminatio super eos, qui iurant in nomine Dei mendaciter. Quæ igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus erit? Quæ fides vltra cum alijs

c.176.Iuo. p.3.c.237. & p.16.ca. 65.

Legibus etiam Imperatorijs accusandi patronos libertis potestas adimitur.lib. 44. digest. tit.2.l.8. Decre.lib. 3.tit.13.c. 3.Burch.l. 3.cap.177. Iuo. p.3.c. 238.

12.q.2. liberti eccl. Burc.lib.8 c. 185. Iuo. p.3.c. 245.

12.qu.2.liberti eccl. Burch.li.3 c.184.Iuo. p.3.c. 244.

Dist.87.liberti,qui Burch.li.3 c.186.Iuo. p.3.c.246. & p.16.ca. 52.

Distin.54. quicũq; li. Iuo.p.6.c. 126. Burc. l.2.ca.25.

Bernard. Præpositꝰ Papiensꝭ lib.1.tit.12 c.4.

Quinto Concilio Tolet.c.7. decernitur, vt hoc decretũ in omnibus Synodis peractis publica voce pronũcietur.

fides vltrà cum alijs gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hostibus iurata sponsio stabilis permanebit, quando ipsis proprijs regibus iuratam fidem non seruant? Quis enim adeò furiosus est, qui caput suum manu sua propria desecet? Illi (vt notum est) immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosque reges proprias conuertendo vires. Et cùm Dominus dicat, Nolite tangere Christus meos: & Dauid: Quis, inquit, extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? illis nec vitare metus est periurium, nec regibus inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quòd si in bello fides valeat, quanto magis in suis seruanda est? Sacrilegium quippe est, si violetur à gentibus regum suorum promissa fides: quia non solùm in eos fit pacti transgressio, sed & in Deum, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Indè est, quòd multa regna terrarum, cælestis iracundia ita permutauit, vt pro impietate fidei & morum, alterum ab altero solueretur. Vnde & cauere oportet, casum huiusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli. Si enim Deus Angelis in se præuaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cœleste habitaculum perdiderunt, vnde & per Esaiam dicit: Inebriatus est gladius meus in cælo: quanto magis nos nostræ salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem sæuiente DEI gladio pereamus? Quòd si diuinam iracundiam vitare volumus, & seueritatem eius ad clementiam prouocare cupimus, seruemus erga Deum religionis cultum atque timorem, custodiamus erga principes nostros pollicitam fidem atque sponsionem, Non sit in nobis, vt in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdolę mentis perfidia, non periurij nefas, & coniurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones ciuium, nemo meditetur interitus regum: sed, defuncto in pace principe, primates gentis cum sacerdotis successorem regni consilio cõmuni constituant, vt dum veritatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ gentisq; dissidium, per vim atque ambitum moliatur. Quòd si hæc admonitio mentes nostras non corrigit, & ad salutem communem cor nostrum nequaquã perducit, audi sententiam nostram: Quicunque ergò ex nobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisq; Gothorum statu, vel conseruatione regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, aut regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit: anathema sit in conspectu Dei patris & Angelorum, atque ab Ecclesia catholica, quam periurio prophanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ socijs: quia oportet, vt vna pœna teneat obnoxios, quos similis error inuenerit implicatos. Quòd iterum secundò replicamus, dicentes: Quicunque amodò ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis, quolibet tractatu vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gotthorum statu, vel conseruatione regiæ salutis pollicitus est, violauerit, aut regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit: anathema in cõspectu Christi, & Apostolorum eius sit, atque ab Ecclesia catholica, quam periurio prophanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni consorti) Christianorum alienus, & damnatus in futuro iudicio Dei, habeatur cum participibus suis: quia dignum est, vt qui talibus sociantur, ipsi etiam damnationis eorum participatione obnoxij teneantur. Hoc etiam tertiò acclamamus, dicentes: Quæcunque amodo ex nobis vel cunctis Hispaniæ populis, qualibet meditatione vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisque Gotthorum statu, vel incolumitate regiæ potestatis pollicitus est, violauerit, aut regem nece attrectauerit, aut potestate exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, anathema sit in conspectu Spiritus sancti & martyrum Christi, atque ab Ecclesia catholica, quam periurio prophanauerit, extraneus efficiatur, & ab omni communione Christianorum alienus: nec partem habeat iustorum, sed cum diabolo & angelis eius æternis supplicijs

Psal. 104. 1. Reg. 26.

2. Petr. 2.

Esa. 34.

gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ in hostibus iurata sponsio permanebit, quando nec ipsis proprijs regibus iuratam fidem conseruant? Quis enim adeò furiosus est, qui caput suum manu propria desecet? Illud notum est, immemores salutis suæ propria manu seipsos interimunt; in semetipsos, suosque Reges proprias conuertendo vires, & dum Dominus dicit: Nolite tangere Christos meos: & Dauid: Quis (inquit) extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit? Illis nec vitare metus est periurium, nec regibus suis inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quòd si in bello fides valet, quanto magis in suis seruanda est. Sacrilegium quippe est, si violetur à gentibus Regum suorum promissa fides; quia non solum in eos fit pacti transgressio, sed & in Deum quidem, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio. Inde est, quòd multa regna terrarum cœlestis iracundia ita permutauit, vt per impietatem fidei, & morum, alterum ab altero solueretur. Vnde & nos cauere oportet casum huiusmodi gentium; ne similiter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli. Sic enim Deus Angelis in se præuaricantibus nõ pepercit, qui per inobedientiam cœleste habitaculum perdiderunt. Vnde & per Esaiam dicitur: Inebriatus est gladius meus in cælo, quanto magis nos nostrę salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem, eodem sæuientis Dei gladio pereamus. Quòd si diuinam iracundiam vitare volumus, & seueritatem eius ad clementiam prouocare cupimus, seruemus erga Deum religionis cultum cum timore; custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem, atque sponsionem; non sit in nobis, sicut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non periurij nefas, nec coniurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præsumptione regnum arripiat; nullus excitet mutuas seditiones ciuium; nemo meditetur interitus Regum: sed & defuncto in pace Principe, Primates totius gentis cum Sacerdotibus successorem regni Concilio communi constituant; vt dum vnitatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ gentis dissidium per vim, atque ambitum oriatur. Quòd si hæc admonitio mentes nostras non corrigit, & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audite sententiam nostram. Quicunque igitur à nobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione, vel studio sacramẽtum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque Gothorum statu, vel conseruatione regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, anathema sit in conspectu Dei Patris, & angelorum, atque ab Ecclesia Catholica, quam prophanauerit periurio, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ socijs: quia oportet, vt vna pœna teneat obnoxios, quos similis error inuenerit implicatos. Quod iterum secundò replicamus dicentes: Quicunque amodò ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis quolibet tractatu, vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ, gentisque Gothorum statu, vel conseruatione Regiæ salutis pollicitus est, violauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, anathema sit in conspectu Christi, & Apostolorum eius, atque ab Ecclesia Catholica, quam periurio prophanauerit, efficiatur extraneus; & ab omni consortio Christianorum alienus, & damnatus in futuro Dei iudicio habeatur, cum cõparticipibus suis. Quia dignum est, qui talibus sociantur, ipsi etiam damnationis eorum participatione obnoxij teneantur. Hoc etiam tertiò acclamamus, dicentes: Quicunque amodò ex nobis, vel cunctis Hispaniæ populis qualibet meditatione, vel studio sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ salute, gentisque Gothorum statu, vel incolumitate Regiæ potestatis pollicitus est, violauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, anathema sit in conspectu Spiritus sancti, & martyrum Christi, atq; ab Ecclesia Catholica, quam periurio prophanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cõmunione Christianorum alienus; neque partem iustorum habeat, sed cum diabolo, & angelis eius, æternis supplicijs

condem-

condem-

condemnetur, vna cum eis, qui eadem coniuratione nituntur: vt par pœna perditionis constringat, quos in pernicie praua societas copulat. Et ideò si placet omnibus, qui adestis, hanc tertiò reiteratam sententiam vestrę vocis consensu firmate. Ab vniuerso clero vel populo dictum est: Qui contra hanc vestram definitionem presumpserint, anathema maranatha, hoc est, perditio in aduentu Domini sint, & cum Iuda Scarioth partem habeant ipsi & socij eorum, Amen. Quapropter nosipsi & sacerdotes omnes, ecclesiam Christi ac populum admonemus, vt hæc tremenda & toties reiterata sententia, nullum ex nobis præsenti atque æterno condemnet iudicio, sed fidem promissam erga glorioſissimum Dominum nostrum Sisenandum regem custodientes, ac syncera illi deuotione famulantes, non solùm diuinę pietatis in nobis clementiam prouocemus, sed etiam gratiam antefati principis percipere mereamur. Te quoque præsentem regem, ac futuros ætatum sequentium principes humilitate qua debemus deposcimus, vt moderati, & mites erga subiectos existentes, cum iustitia & pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem, qui vos nobis constituit, largitori Christo rependatis, regnantes in humilitate cordis cum studio bonæ actionis. Nec quisquam vestrum solus in causis capitalium rerum sententiam ferat, sed consensu publico cum rectoribus ex iudicio manifesto delinquentium culpa pateſcat, seruata à vobis in offensis mansuetudine, vt non seueritate magis in illis, quàm indulgentia polleatis, vt dum omnia hæc (authore Deo) pio à nobis moderamine conseruantur, & reges in populis, & populi in regibus, & Deus in vtrisque lætetur. Sanè de futuris regibus hanc sententiam promulgamus, vt si quis ex eis, contra reuerentiam legum, superba dominatione & fastu regio, in flagitijs & facinore siue cupiditate, crudelissimam potestatem in populis exercuerit, anathematis sententia à Christo Domino condemnetur, & habeat à Deo separationem atque iudicium, propter quod præsumpserit praua agere, & in perniciem regnum conuertere. De Semithilana verò, qui propria scelera metuens, seipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decreuimus, vt neque eum vel vxorem eius propter mala, quæ commiserunt, neque filios eorum vnitati nostræ vnquam consociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem deiecti sunt, aliquando promoueamus. Quique etiam, sicut fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus auxerant, maneant alieni, præterid, quod pietate pijssimi principis nostri fuerint consecuti. Non aliter & Geillanem, memorati Simithilanæ & sanguine & scelere fratrem, qui nec in germanitatis fide stabilis extitit, nec fidem glorioſissimo domino nostro pollicitam conseruauit: hunc ergò cum coniuge sua, sicut & antefatos, à societate gentis atque consortio nostro placuit separari, nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creuerant, reduces fieri, præter id, quod consecuti fuerint pietate clementissimi principis, cuius gratia bonos donorum præmijs ditat, & malos à beneficentia sua non separat. Gloria autem & honor omnipotenti Deo nostro, in cuius nomine congregati sumus. Post hæc pax & salus & diuturnitas pijssimo & amatori Christi domino nostro Sisenando regi, cuius deuotio nos ad hoc decretum salutiferum conuocauit. Corroboret ergò Christi gratia regnum illius, gentisque Gothorum in fide catholica annis & meritis. Protegat illum vsque ad vltimam senectutem summi Dei gratia, & post præsentis regni gloriam ad æternum regnum transeat, vt sine fine regnet, qui in seculo feliciter imperat, ipso præstante, qui est rex regum & Dominus dominorum, cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen. Definitis itaque his, quæ superiùs comprehensa sunt, annuente religioſissimo Principe, placuit deinde, nulla re impediente, à quolibet nostrum, ea, quæ constituta sunt, temerari, sed cuncta salubri consilio conseruari. Et quia profectibus Ecclesiæ & animæ nostræ conueniunt, etiam propria subscriptione (vt permaneant) roboramus.

Ego Isidorus in Christi nomine Spalensis Ecclesiæ metropolitanus Episcopus, hæc constituens subscripsi. Similiter & alij Episcopi subscripserunt, numero *septuaginta, quo-

condemnetur, vna cum eis, qui eadem coniuratione niuntur: vt par pœna perditionis constringant, quos in perniciem praua societas copulat. Et ideò si placet omnibus, qui adestis, hæc terti ò reiterata sententia, vestræ vocis eam consensu firmate. Ab vniuerso clero, vel populo dictum est: Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserit, anathema, maranatha (hoc est) perditio in aduentum Domini sit, & cum Iuda Ischariot partem habeat: & ipsi & socij eorum: Amen. Quapropter nos ipsi Sacerdotes omnem Ecclesiam Christi, ac populum admonemus, vt tremenda hæc, & totiens iterata sententia nullum ex nobis præsenti, atque æterno condemnet iudicio; sed fidem promissam erga glorioſissimum dominum nostrum Sisenandum regem custodientes, ac sincera illi deuotione famulantes, non solum diuinæ pietatis clementiam in nobis prouocemus, sed etiam gratiam antefati Principis percipere mereamur: Amen. Te quoque præsentem Regem, futurosque sequentium ætatum Principes humilitate qua debemus deposcimus, vt moderati, & mites erga subiectos existentes, cum iustitia & pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem, qui vos constituit largitori Christo respondeatis; regnantes cum humilitate cordis, cum studio bonæ actionis. Ne quisquam vestrum solus in causis capitum, aut rerum sententiam ferat: sed consensu publico, cum rectoribus ex iudicio manifesto delinquentium culpa pateſcat; seruata vobis in offensis mansuetudine, vt non seueritate magis in illis, quàm indulgentia polleatis: vt dum omnia hæc, auctore Deo, pio à vobis moderamine conseruantur, & Reges in populis, & populi in regibus, & Deus in vtrisque lætetur. Sanè de futuris Regibus hanc sententiam promulgamus, vt si quis ex eis contra reuerentiam legum superba dominatione, & fastu regio in flagitijs & facinore, siue cupiditate crudelissimam potestatem in populis exercuerit, anathematis sententia à Christo domino condemnetur, & habeat à Deo separationem, atque iudicium, propter quod præsumpserit praua agere, & in perniciem regnũ conuertere. De Suintilane verò, qui scelera propria metuens, se ipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decreuimus, vt neque eundem, vel vxorem eius, propter mala, quæ commiserunt, neque filios eorum vnitati nostræ vnquam consociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem deiecti sunt, aliquando promoueamus; quique etiam, sicut à fastigio regni habentur extranei, ita & à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus hauserunt, maneant alieni; præter id, quod pietate pijssimi Principis nostri fuerint consequuti. Non aliter & Gelanem memorati Suintilani, & sanguine, & scelere fratrem, qui neque in germanitatis fœdere stabilis extitit, nec fidem glorioſissimo domino nostro pollicitam conseruauit, hunc igitur cum coniuge sua, sicut & antefatos, à societate gentis, atque consortio nostro placuit separari, nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creuerant, reduces fieri; præter id, quod consequuti fuerint pietate clementissimi Principis nostri: cuius gratia, & bonos donorum præmijs ditat, & malos à beneficentia sua non separat. Gloria autem & honor omnipotenti Deo nostro, in cuius nomine congregati sumus. Post hæc salus, & pax, & diuturnitas pijssimo, & amatori Christi domino Sisenando Regi; cuius deuotio nos ad hoc decretum salutiferum conuocauit. Corroberet Christi gloria regnum illius, gentisque Gothorum in fide catholica: annis, & meritis protegat illum, vsque ad vltimam senectutem summa Dei gratia: & post præsentis regni gloriam, ad æternum regnũ transeat; vt sine fine regnet, qui intra seculum feliciter imperat; ipso præstante, qui est Rex regum, & Dominus dominantium, cum Patre, & Spiritu sancto in secula seculorum, Amen. Definitis itaque ijs, quæ superius comprehensa sunt, annuente religioſissimo Principe, placuit deinde, nulla re impediente, à quolibet nostrum, ea, quæ constituta sunt temerari, sed cuncta salubri consilio conseruare: quæ quia profectibus Ecclesiæ, & animę nostræ cõueniunt, etiam propria subscriptione, vt permaneant, roboramus.

Ego Isidorus, in Christi nomine Ecclesiæ Spalensis Episcopus Metropolitanus, hæc statuta subscripsi.

Hæc omnia de formando optimo principe, ferè desumpta ex August. lib. 5. de ciuit. Dei, c. 24. Sed felices eos dicimus (inquit) si iuste imperant; si inter linguas sublimiter honorãtium, & obsequia nimis humiliter salutantiũ non extollũtur, &c. per totum caput, in quo verã regum felicitatem describit.

ta, quorum nomina quibuſdam prætermiſſis, ſubnotantur.

*Salua *Sclaa Narboneñ.metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Stephanus Emeriteñ.metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Iuſtus Toletanus metropolitanus Epiſcopus ſubſcripſi.
Iulianus Bracareñ.metropolitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Audax Tarraconeñ.metropolitanus epiſcopus, ſubſcripſi.
Stephanus Auſoneñ.epiſcopus ſubſcripſi.
Acutulus Elueñ.epiſcopus ſubſcripſi.
Tonantius Palentineñ.epiſcopus ſubſcripſi.
*Biſtargenſ. vel Bigerrenſ. Vigitinus *Bigaſtreñ.epiſcopus ſubſcripſi.
Bonifacius Caurieñ.epiſcopus ſubſcripſi.
Euſebius Baſtitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Ioannes Ilipeñ.epiſcopus ſubſcripſi.
*Dertuſen. *Vrcitanus epiſcopus ſubſcripſi.
*Dertoſeñ.epiſcopus ſubſcripſi.
Cordubenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Dumienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Lamecenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Egitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Aſturicenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Egabrenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Abiritanus epiſcopus ſubſcripſi.
Aſindonenſis epiſcopus ſubſcripſi.
for.*Suffetulenſ. *Lutifa epiſcopus ſubſcripſi.
Caſtulonenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Olyſſipponenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Portugalenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Oretanus epiſcopus ſubſcripſi.
Tudenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Oſcenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Segobienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Italicenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Pacenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Lucenſis epiſcopus ſubſcripſi.
*Biterrēſ. *Veterrenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Gerundenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Accitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Impuritanus epiſcopus ſubſcripſi.
Complutenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Calaguritanus epiſcopus ſubſcripſi.
Siſiſclus Elborenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Deodatus Egabareñ.epiſcopus ſubſcripſi.
Eſebius Valerieñ.epiſcopus ſubſcripſi.
Iacobus Menteſanus epiſcopus ſubſcripſi.
Samuel Irienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Seruus Dei Lacobrigenſis epiſcopus, ſubſcripſi.
Florentius Setabienſis epiſcopus ſubſcripſi.
Abentinus Aſtigitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Deterius Eliberitanus epiſcopus ſubſcripſi.
*Serutuoſus *Eructuoſus Ilerdenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Antonius Segobricenſis epiſcopus ſubſcripſi.
*Muſtaſius *Muſtracius Valentinus epiſcopus ſubſcripſi.
Serpentinus Ilicitanus epiſcopus ſubſcripſi.
Metonius Britoleenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Elpidius Tyraſſoneñ epiſcopus ſubſcripſi.
Braulio Cæſarauguſtanus epiſcopus ſubſcripſi.
Idiſclus Segontieñ.epiſcopus ſubſcripſi.
*Tamiſa. vel valida *Launſus Viſenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Iochila Salamanticeñ.epiſcopus ſubſcrip.
*Oxomiē Egila *Oxouienſis epiſcopus, ſubſcripſi.

Item Vicarij Epiſcoporum.

Fidentij Tuccitani epiſcopi vicarius Centaurus preſbyter, ſubſcripſi.
Ernulphi Conimbrienſis epiſcopi vicarius Renatus archipreſbyter, ſubſcripſi.
Eſebij Barchinoneñ. epiſcopi vicarius Ioannes preſbyter, ſubſcripſi.
Carterij Arcobriceñ.epiſcopi vicarius Domarius archidiaconus, ſubſcripſi.
Solennius Carcaſſonenſis epiſcopi vicarius Stephanus archidiaconus, ſubſcripſi.
Domnellus epiſcopus ſubſcripſi.

Selua, Eccleſiæ Narbonenſis Metropolitanus Epiſcopus, ſubſcripſi.
Stephanus, Eccleſiæ Emeritenſis Metropolitanus epiſcopus, ſubſcripſi.
Iulianus, eccleſiæ Bracarenſis Metropolitanus, ſubſcripſi.
Iuſtus, eccleſiæ Toletan. Metropolitanus epiſcopus, ſubſcr.
Audax, eccleſiæ Tarraconenſis Metropolitanus epiſcopus, ſubſcripſi.
Stephanus, Auſenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Petrus, Veterenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Acutulus, Elenenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Nonnitus, Gerundenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Conantius, Palentinæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Clarentius, Accitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Bigitinus, Bigaſtrenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Siſaldus, Emporitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Bonifacius, Caurienſis epiſcopus eccleſiæ, ſubſcripſi.
Hilarius, Complutenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Euſebius, Baſtitanæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Gabinius, Calagurritanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Ioannes, Ileplenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Siſiſclus, Elborenſis eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.
Marcellus, Vrcitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Deodatus, Egabrienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Ioannes, Dertoſæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Euſebius, Valerienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Leudeficus, Cordubenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Iacobus, Menteſanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Germanus, Monaſterij Dumienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Samuel, Irienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Profuturus, Lamicenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Seruus Dei, Calabrienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Monteſis, Egitanienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Remaſſarius, Nemanenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Concordius, Aſturienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Ranarius, Vrgelitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Eugenius, Egarenſis epiſcopus eccleſiæ, ſubſcripſi.
Florentius, Setabinæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Theodoigius, Abilenſis eccleſiæ epiſc. ſubſcr.
Abentius, Aſtigitanæ eccl. epiſc. ſubſcr.
Pimenius, Aſidoneñ. eccle. epiſc. ſub.
Etherius, Eliberitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcrip.
Anatholius, Luthuenſis eccleſ. epiſcop. ſubſcripſi.
Fructuoſus, Ilerdenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Perſeuerantius, Caſtellonenſis eccle. epiſc. ſubſc.
Muſitacius, Valentinæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Viaricus, Olyſſipponenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Antonius, Segobrienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Anſiulfus, Portugalenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Serpentinus, Illicitanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Suanilla, Oretanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Methopius, Britanienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Anaſtaſius, Tudenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Ilpidius, Tyraſſonæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Ordulphius, Oſcenſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Braulio, Cæſarauguſtanæ eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Anſericus, Segobienſis eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.
Iſdiſclus, Segontienſis eccle. epiſcopus, ſubſcripſi.
Epartius, Italicenſis epiſcopus eccleſiæ, ſubſcripſi.
Lauſus, Vaſenſis eccleſ. epiſc. ſubſcr.
Modarius, Pacenſis eccl. epiſc. ſubſcr.
Hiccila, Salmanticenſis eccleſ. epiſc. ſubſc.
Baſconius, Lucenſis eccleſ. epiſc. ſubſcr.
Egila, Oxomenſis eccleſ. epiſc. ſubſr.
Contaurus, Preſbyter, Vicarius Fidencij Tuccitani epiſcopi, ſubſcripſi.
Renatus Preſbyter, Vicarius Ermulfij epiſcopi Coimbrienſis, ſubſcripſi.
Marcus Preſbyter, Vicarius Dauid Aurienſis epiſcopi, ſubſcripſi.
Ioannes Preſbyter, Vicarius Seueri Barcinonenſis epiſcopi, ſubſcripſi.
Domarius Archidiaconus, Vicarius Carterij Arcauicenſis epiſcopi, ſubſcripſi.

Solennis episcopi Carcassonens. archidiaconus, subscripsi.
Dauid Aurienſis episcopus vicarius Marcus presbyter, subscripsi.
Stephanus Archidiaconus, Vicarius Genesij Magalonensis episcopi, subscripsi.
Donellus Archidiaconus, Vicarius Solemnij Carcasonensis episcopi, subscripsi.

Concilium quartum Toletanum finit.

Notæ in Concilium quartum Toletanum Ioan. Garsiæ.

Synodus quarta] *Quartum Concilium Toletanum Rodericus libr. 2. cap. 19. affirmat sub Iusto Regiæ vrbis Primate fuisse celebratum. Ioannes Magnus libr. 16. capit. 17. perperam sub Eugenio. Est Concilium Nationale: nam Cinthilæ Regi, qui primus ex omnibus Regibus Gothis, pulsis Romanis, totum Hispaniæ regimen obtinuit, successit Sisenandus: qua de causa, vt Imperium obfirmaret, conuocat totius gentis, & omnium prouinciarum Synodum.*

Era DC.LXXI.] *Rodericus aliter: nam affirmat Sisenandum regnare cœpisse Era. 673. & regnasse annos. 5. menses 11. Lucas Tudensis sic habet:* Era. 671. anno Imperij Heraclij. 18. post Chintilanum Regem, Sisenandus regnat annis tribus: iste Synodos Episcoporum egit, patiens fuit regulis catholicis, Orthodoxus extitit, Toleto vitam finiuit; Era DC.LXXIV. *Verùm sequor fidem. CC. M.ſſ. qui omnes constantissimè legunt. tertio anno Sisenandi editum, Era DC.LXXI. quam computationem amplectitur Ioannes Vasæus.*

Confessoris Leocadię] *D. Leocadia fuit Toletana ciuis, ex nobilissimis parentibus orta: virgo profide Christi à Diacono, nominis Christiani immanissimo hoste capta, in carcerem trusa: vbi piè, & sanctè orando, vitam squalore, & fame finuit. Extant in regia vrbe tres Ecclesiæ ei dicatæ: duæ collegiatæ, ferè collapsæ, tertia parochialis. In illa verò, quæ est in suburbio Tago imposita, corpus eius sepulturæ honorificè fuit traditum: cuius rei causa, parua & exilis illa basilica, magnorum fuit Conciliorum altrix, ac mater: altera, quæ est in arce regia, eius carcer fuit: parochialis, nobilium parentum domus, & sanctæ educationis domicilium. Eius venerandum corpus, cùm Sarracen Hispaniam inuasissent, in Belgas delatum, in monasterio S. Gisleni. apud Monsde henao, honorificè cultum. Postea à Ioanna Regina Philippi primi vxore, crus, sanctæ Ecclesiæ Toletanæ in naue aurea, gemmis ornata, deuotionis causa dicata; tandem Philippo. II. Rege clementissimo, Alexandro Farnesio, Prorege apud Belgas, studio, & diligentia Petri Martinez, patris Societatis Iesu, corpus secretò in Hispananiam delatum, honorificè pristinæ ciuitati, & Ecclesiæ solenni pompa restitutum; astantibus Philippo Rege, & Principe, Maria Augusta, & Elisabeth filia natu maiore Philippi, qui vna cum Philippo Principe, & Hispaniæ proceribus corpus humeris impositum, in basilicam maiorem piè, & humiliter intromisit: die. 26. Aprilis, anno Domini. 1587. Quibus omnibus interfui.*

Confessoris] *Martyr, & Confessor, si nominis vim perpendas, & veteris Ecclesiæ vsum, & hodie Ecclesiastica officia, diuersimodè accipiuntur, tamen aliquando in eadem significatione vsurpatas voces reperies. Martyr dicitur, qui pro Christi fide constans in agone occubuit. Hæc communior acceptio eos quoque amplectitur, qui extrema passi, miraculo seruati, vitam diutius protraxerunt; & eos, qui non tantùm ferro, igne, & alijs diris supplicijs necati, spectaculum mundo facti, sed fame, squalore, inedia fœtore, carceribus clusi vltimum spiritum læti Deo reddiderunt: vt Cyprianus est auctor libro de duplici martyrio; si eius est. Confessor dicitur, qui pro Christi fide captus, coram fidei hostibus, publice, & palam fidem professus, tormentis non potuit adigi, vt fidem abnegaret. Hac significatione strictiori à Patribus hæc vox est vsurpata; vt auctor est idem Cyprianus epistola. 6. & 7. lib. 2. Et Hieronymus epistol. 84. Fuerunt q3 hi viri in Dei Ecclesia magno honore semper habiti, vt ex epistolis Cypriani patet, & Concilijs, & de literis Confessorijs, quibus ab Episcopis in peregrinatione magnopere commendabantur. Si verò aliquid tormentorum esset expertus, non tamen in martyrio occubuisset; tunc Martyr, & Confessor dicebatur: quamuis à Tertullitano libro ad Martyres, hi non simpliciter Martyres, sed designati Martyres appellantur. De diuersa harum vocum acceptione, consule epistolas Cypriani. Tamen vsus postea obtinuit, vt omnes, qui sanctè & piè vitam traduxissent, & sancto & probato fine in Domino quieuissent, Confessorum titulo colerẽtur. Hic verò Leocadia vocatur Confessor, quia non ferro, sed carceris squalore, & fœtore, & inedia extremũ diem claudit. C. Aluelden sis addit, & Martyris: similiter Excusi: & in peculiari festo, ei in Ecclesia Toletana dicato, Virgo & Martyr dicitur.*

Cap. 1. Quomodo dicatur Verbum Dei hominem suscepisse.

Suscipiens hominem] *Phrasis est Patrum, quam scholastica Theologia meritò propter hæreses, non suscipit, quin potius hac vtitur: Suscepit humanitatem. Priorem dicendi formulam vsurpat Augustinus libro. 83. quæstionum. quæst. 9. & de fide, & Symbolo. c. 4. & lib. 9. de ciuitate Dei c. 17. Et Ambrosius libro. 5. de fide c. 5. Origenes in Matthæum 13. Hieronymus ad Galatas. Gregor. Nyss. in sermone Natalis Domini. Hilarius libro 9. de Trinit. & Concilium Toletanum 6. Can. 1. & D. Thomas 3. par. quæst. 4. art. 3. ad princ. affirmat, hanc loquutionem non esse tanquam propriam extendendam, sed piè exponendam; vt dicamus hominem susceptum, quia eius natura est assumpta; & quia assumptio terminata est ad hoc, vt filius Dei sit homo. Concilio Tolet. 6. c. 1. dicitur hominem assumpsisse.*

Cap. 2. Ritus psallendi qui & quales esse debeant.

Antiqui Canones] *Vt Concilium Venetum statuit sub Leone I. cap. 15. & Bracarense 1. anno tertio Ariamiri Regis cap. 1. & Epauense sub Gelasio I. cap. 4. & Concilium Gerundense, sub Hormisd. cap. 1. Atq; hæc quidem sunt antiqua Patrum decreta, quibus præscribitur, vt vnus psallendi, & orandi ordo seruetur in Missarum solemnibus, & Vespertinis, & Matutinis officijs. Idem etiam postea statutum est in Concilio Toletano 11. cap. 3. vt is ordo vbiq; seruetur, qui in Metropolitana Ecclesia nosci tur institutus. Demum in Tridentino Concilio Catechismum, Missale, & Breuiarium fieri decretum est; quibus vniuersalis Ecclesia vteretur. Quod à sancto Pontifice Pio V. confectum, magna Christiani populi vnitate obseruatur. Sunt qui affirment curam in hoc Concilio S. Isidoro Hispalensi huius rei traditam (vt potè, qui primas partes in hoc Concilio tenuit) vt Missale, & Breuiarium reformatum ex more Gothico omnibus Ecclesijs vtendum conficeret, quod nunc dicitur Mozarabe; eò quod hanc sacrorum formam postea Christiani inter Arabes in captiuitate miserabili pressi, religiosè seruauerint: ipsi Mixtarabi; officium Ecclesiasticum Mixtarabum appellatum.*

Isidorus auctor Missalis & Breuiarij q̃ dicitur Mozarabe.

Cap. 3. Quoties Concilia celebrãda in anno?

Bis in anno] *Antiquum Apostolorum decretum fuit, vt bis in anno Concilia haberentur, ca. 38. Idem Concilium Nicænum sancit, & Hormisda PP. in epistola ad Episcopos Hispaniæ c. 3. & Zacharias epistola 4. & Aurelianense Concilium 3. c. 1. & 4. cap. 36. Postea decretum fuit, vt semel in anno congregarentur, vt in Concilio Toletano 3. cap. 18. Idem Gregorius Magnus ad Episcopos Siciliæ. Postea iterum idipsum temperatum, vt tertio quoq; anno cogerentur Concilia prouincilia. Sic in Concilio Matisconensi 2. cap. 20. & Lateranensi. 3. sess. 10. & Concilio Tridentino sess. 24. cap. 2. Tempus verò congregationi aptum decernitur autumnale; vt liquet ex 3. Concilio Toletano, ca. 18. vel vernale, vt hic: vel post octauam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi; seu alio aemq; commodiore tempore fiert id concedituꝛ, pro more cuiusq; prouinciæ.*

Cap. 4. Votum decisiuum in Concilio habent soli Episcopi.

Presbyteri à tergo eorum resideant] *Nullus Presbyterorum vocem decisiuam in Concilijs habebat; quidquid Michael Thomasius commentetur; neque latis licet imperiali dignitate præfulgeant: solis enim Episcopis causa fidei est concessa, vt veris iudicibus. De qua re vide Osium lib. 2. aduersus Brentium, de legitimis Ecclesiæ iudicibus. Basilius etiam Imperator in 8. Synodo id attestatur. Et si Regum, & Imperatorum subscriptiones in Concilijs reperiuntur, perpende eas diuersas esse à verbis subscriptionum Episcoporum, neq; reperiri, nisi in causa communi fidei; vt eorum auctoritate, & imperio decreta Patrum aptius custodiantur. Vnde Theodoricus Rex catholicus dicebat, nec aliquid ad se pertinere de Ecclesiasticis negocijs, propter reuerentiam c. Concilia Sacerdotum d. 17.*

Cap. 5. Archidiaconi munus & officium.

Archidiaconus] *Pro officij mei honore, & dignitate, non grauabor apponere aliquid de eius functionis cura. Nõ instituitur Archidiaconꝰ, nisi fuerit Diaconus: vt Vrbanus PP. decreuit in Cõcilio Auerna celebrato, & Calixtus, & Innocentius II. Debet enim is esse, qui prudentia, & merito vitæ clarescat. Est q3 coadiutor Episcopi in ordinatione Clericorum. De hoc Isidorus Hispalensis ad Leudefredum sic inquit.* Archidiaconus imperat Subdiaconis, & Leuitis: ad quem ista pertinent ministeria; ordinatio vestiendi altaris à Leuitis; cura incensi, & sacrificij necessaria solutio; quis Leuitarum ad populum Euangeliũ legat; quis preces dicat, seu respon-

responsaria in Dominicis diebus, aut solennitatibus decantet. Solicitudo quoque parœciarum, & ordinatio, & iurgia ad eius pertinent curam: pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggerat Sacerdoti; ipse inquirat parœcias cum iussione Episcopi, &c. *Quæ habentur d. 25. & adducuntur ab Innocentio III. de officio Archidiaconi c. 7. Officium etiam Archidiaconorum tradit Isidorus lib. 2. de Eccles. officijs c. 8. Subscribunt Archidiaconi in Concilijs voce consultiua, & decisiua: vt patet ex subscriptionibus Concilij 11. Toletani. Gudila Archidiaconus Toletanus, hæc gesta Synodica à nobis definita subscripsi. Rege VVambra Era. 713. & Quirico Archiepiscopo Toletano. Similiter in 13. & 15. subscribit Vbisandus Archidiaconus. Cæperuntque ita subscribere Archidiaconi in Concilijs Toletanis, à Concilio Toletano. 8. & deinceps.*

Cap. 6. Vna an trina mersio in baptismo vsurpanda?

Trinam quidam, quidam simplam mersionem faciunt] *Trina mersio cum inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus sancti in principio Ecclesiæ celebris, & à Patribus in vsu posita, ad fidem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vnitatem, & distinctionem stabiliendam, & populos docendam. Insignis est locus Ambrosij lib. 2. de Sacramentis. cap. 7.* Interrogatus es (*inquit*) Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti: Credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? dixisti: Credo, & mersisti; ideò & Christo es consepultus. Tertiò interrogatus es: Credis in Spiritum sanctum? Credo, & tertiò mersisti: vt multiplicem lapsum superioris ætatis abluеret Trina confessio. *Hæc Ambrosius. Idem comprobat Canon Apostolorum 50. Si quis Episcopus. Tertullianus lib. aduersus Praxeam, capit. 26. Athan. quæst. 125. Augustin. homil. 3. apud Gratianum. d. 4. & Hieronym. aduersus Luciferian. S. Chrysostomus hom. 24. in Ioann. Omnes hi patres in ea sunt sententia, vt trina mersione conferendum sit baptisma. Verùm in Hispania simpla mersione confertur, infundendo aquam supra caput baptizati, ex decreto Grego. Mag. lib. 1. regist. epist. 41. ad Leandrum Hispalensem: & habetur de consec. d. 4. cap. de trina mersione. De hac re vide quid statuat Thomas, 3. par. quæst. 66. art. 8.*

Cap. 7. Antiqua est consuetudo, communicare in Paschate.

Venerabilem diem] *Antiquum Ecclesiæ morem obserua celebrandi hebdomadam sanctam in Quadragesima, & prædicandæ crucis mysterium, & confitendi peccata, eaq; absoluendi, accipiendi denique corpus & sanguinem Christi in die sancto & venerabili Dominicæ resurrectionis. Quem morem etiam nunc Catholica Ecclesia sanctissimè & religiosissimè colit. Indeque statutum est in Concil. Lateranen. cap. 21. vt omnis vtriusque sexus suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.*

Cap. 9. Cerei Paschalis benedictio à quibus vsurpata.

Benedicimus] *In cerei, nouique luminis benedictione Theodo. PP. 73. sub Petro, & D. Ambrosius. D. etiam Augustinus, & Petrus Diaconus Casinenses elaborarunt. Eam autem, quæ nunc Romana Ecclesia vtitur, à D. Gregor. Magno compositam, musicisque tonis ornatam ferunt.*

C. 10. Oratio Dominica in Missa est recitanda.

Quisquis ergo Sacerdotum] *Dominicam orationem in sacrificio Missæ, vel publico, vel priuato esse dicendam Christus docuit, auctore D. Hieronym. libr. 3. aduersus Pelagianos:* Sic docuit (*inquit*) Christus Apostolos suos, vt quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster, qui es cælis. *Gregor. libr. 7. epistol. 63.* Mos fuit (*inquit*) Apostolorum, ad ipsam orationem Dominicam immolationis hostiam consecrare. *Tertullianus idem videtur sentire, lib. de oration. cap. 9. Deinde Ecclesia post consecrationem, & Canonem, Dominicam orationem dici præcepit, vt testatur Ambrosius de Sacrament. cap. 4. August. ser. de verbis Domini 28.*

Cap. 11. Alleluia quamdiu in Ecclesia decantatum fuerit.

Alleluia] *De huius vocis vsu in Ecclesia Romana, & significatione consule, D. Hieron. epist. 7. & 27. & ad Marcellam, epist. 137. & Gregorium in regist. libr. 7. indict. 2. epistol. 63. Augustinus in Psalm. 106. testatur, vti in Ecclesia Alleluia, esse antiquam Ecclesiæ traditionem: & ad Ianuarium epistol. 109. capit. 17. & latis dumtaxat temporibus canitam ab Apostolico seclo, vt in Paschate, idem in epistol. ad Casulanum. Erat Alleluia carmen musicum rusticorum, & cum operi agresti incumberent, Alleluia cantabant: inde in tonis musicis Ecclesiæ vsurpatum. Isidorus lib. Etymol 6. cap. 19.* Alleluia duorum (*inquit*) verborum interpretatio est, hoc est, laus Dei; & est Hebræum. Significat igitur laudare Deum cum iubilo, & lætitia, & cantu: vnde in cælo auditur, vbi omnia cantica sunt læta, & perpetuum Alleluia. *Apocalip. 19. Iustinus Martyr. quæstion. 50. ad Orthodoxos Alleluia collaudare interpretatur. Idem Augustinus. 2. de doctrina Christiana. cap. 10. Et Theodoretus ad Psalm. 146. Hinc illi psalmi, qui ad laudem Dei, & lætitiam animæ ordinantur, Alleluiatici vocantur à D. Augustino psalm. 105. Vnde non aliud significat Alleluia, quam Laus tibi Domine: nam Alleluia est Laus Dei, cum lætitia, & cantico: quare certis diebus canitur, & non omni tempore, vt inquit Augustinus psalm 106. Quòd verò Alleluia non cantetur in Quadragesima, Isidorus est auctor, libr. 1. de Eccles. offic. capit. 13. vbi inquit:* Verùm apud nos, secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies ieiuniorum, vel Quadragesimæ, omni tempore canitur Alleluia. *Idem Gregorius libr. 7. epistol. 63. Augustinus in Enarrationibus, in psalm. 118. fusè hoc argumentum prosequitur.*

C. 12. Canticũ 3. puerorum, post Missam dicendum.

Laudes post Apostolum] *Laudes vocat hymnum trium puerorum, de quo infrà, capit. 14. Berno Abbas facit Gregorium primum auctorem hymni trium puerorum dicendi in fine Missæ. Est q3 hymnus vox Græca, laudes significans: vnde illud, Hymno dicto Matth. 26. quo laudes Deo decantatas post cibum significat. Hodie dicto Euangelio dicitur à Sacerdote, Laus tibi Christe: verùm Laudes more Romano, post Epistolam leguntur.*

C. 13. Hymni antiquitus in Ecclesia decantati.

Beatissimi Doctores] *Hymnos componere, & canere in Ecclesia, antiquis Christianis in more fuit positum: vt testatur Philo Iudæus, libr. de supplicum virtutibus. Eusebius libr. 2. histor. capit. 16. Dionysius Areopagit. de diuinis nominibus. cap. 4. Sacratissimum corpus Beatæ Virginis Mariæ cum hymnis delatum scribit Nicephorus libr. 2. capit. 22. In Concilio Antiocheno, ante annos mille & trecentos, damnatus est Paulus Samosatenus, qui psalmos, & hymnos in honorem Christi decantatos explosit, & etecit. Hoc constat apud Eusebium, libr. 7. cap. 24. Hilarius librum hymnorum composuit, vt auctor est Hieronymus in catalogo. Ambrosius hymnos edidit, vt auctor est Augustinus libr. 1. retract. capit. 21. Et ipse Ambrosius hymnorum suorum meminit in oratione in Auxentium, & S. Bernardus in regula. Extant alij sanctorum hymnorum auctores, vt Synesij, Cyrenæi, Theophanis, Cosmæ Hierosolymitani, & aliorum. Theodosius Iunior princeps religiosissimus, cuius regia non dissimilis erat à monasterio, primo diluculo hymnos alternis recitabat. Socrates. libr. 7. capit. 22. Nicephor. libr. 14. cap. 13. Berno Abbas de officio Missæ. cap. 3. scribit, hymnum Angelorum, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus, à Telesphoro primùm fuisse auctum, & à Symmacho completum, Ecclesiæque cantandum traditum. Nicephor. libr. 11. capit. 16. rationem modumque hymnorum canendorum tradit ex Iosepho. Dionysius Areopagita lib. de diuinis nominibus, cap. 4. part. 2. librum Hierothei sanctissimi hymnorum diuinorum adfert.*

C. 15. Hymnus Gloria Patri & Filio &c. a quo institutus.

In fine Psalmorum] *De versu illo, Gloria Patri & Filio &c. supra diximus. Verùm sunt qui dicant à Flauiano Antiocheno, aduersore Chrysostomo, compositum, vt Nicephor. libr. 9. cap. 24. & 18. cap. 51. & aliter à Catholicis Græcis in fine Psalmorum decantari, aliter ab Arrianis Sozomenus lib. 3. cap. 20. Theodor. lib. 2. cap. 24. Niceph. 9. c. 24. posteà consilio Hieronymi in Ecclesia Latina additum finibus psalmorum à Damaso, ipse refert in epistola ad Damas. Et hic mos Romanus præualuit in Ecclesia, & ita non Gloria & honor, sed gloria Patri dicitur.*

C. 20. Leuitæ qui?

Leuitæ consecrentur] *Leuitas vocat Diaconum, & Subdiaconum. Vide Concil. 2. cap. 1. & Carthagin. 3. cap. 4. & Agathen. cap. 16. & 17. Arelatens. 3. cap. 1. VVormat. ca. 69. & Syricius P P. epistola. 1. capit. 9. & nouissimè Concil. Trident. de ætate Leuitarum statuit.*

C. 22.

In conclaui suo] *Clericos selectos, ad sanctiorem vitam adspirantes, ab Episcopo adsumptos, manere cum eo in clausura, paupertate, & præpositorum obedientia, & ad testimonium vitæ Episcopi, constat ex Concil. Toletan. 2. capit. 1. & ex Augustino in sermone. 22. de communi vita Clericorum, & sermone. 36. ad Presbyteros. Inde ortum habuit Canonicorum ordo, & regula in Ecclesijs cathedralibus, & collegiatis. Possidonius in vita D. Augustini refert, communi mensa in conclaui, cum Presbyteris & Clericis vti solitum Augustinum.*

Canonicorum origo qua?

Omnes in vno conclaui] *Institutionem huius seminarij Clericorum, primùm ortam inuenio in Concil. Toleta. 2. deinde in const. Alexand. 4. & in primo Lateran. cap. 11. demum in exactam formam redegit Concil. Trident. sess. 23. cap. 18.*

C. 24. Origo Seminarij Clericorũ

Libellum officialem] *Sacramentorum manuale nunc appellatur: & in eo etiam decreta Patrum de sacramentorum vsu, & ritibus contineri apparet ex Concil. Magunt. cap. 22. vbi de libro officiorum fit mentio: & duæ regulæ ex eo de Clericis vagis adducuntur: Concilio Toletano octauo vocatur supplementum.*

C. 26. Libellus Officialis quis dicatur?

Orarium & annulum] *Orarij meminit S. Ambrosius in oratione de obitu fratris Satyri. Orarium dicitur stola oraria apud Burc. lib. 6. cap. Presbyter: & in sinistro humero à Leuita gestandum ex decreto Syluestri P P. & in Concilio Romano, ab eodem coacto, cap. 6. & infra in hoc Concilio cap. 40. dicitur, & quòd non debet Leuita illud gestare coloribus, aut auro ornatum. Non erat autem vna eadem que ratio gestandi orarium Diacono, & Subdiacono concessa, vt ex Bracarensi primo patet, cap. 9.* Orarium, *inquit*, habeat Subdiaconus, & Diaconus: sed Diaconus infra tunicam absconsum habeat orarium, Subdiaconus superposito scapulæ vtatur orario. *De eo vide VValdens. lib. de sacramentis, titul. 4. cap. 29. & Hugonem, libr. 2. cap. 10. quartæ partis de sacramentis. Formam ordinandi, & consecrandi Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi tradit Concilium Carthaginense 4. in principio. Concilio Aurel. 1. cap. 21. dicitur:* Monacho orarium in monasterio, vel zonas habere non liceat. *Est apud Gratianum. 27. q. 1. Zonæ vocantur, quæ à Cassiano Rebrachatoria appellantur, libr. 1. de habitu Monachor. cap. 6. Erat verò orarium solummodò his personis concessum, quibus prædicandi munus est delegatum: vnde cap. 40. infra dicitur:* Orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat. *Beda verò in collect. cap. de septem ordinibus, orarium dicit ab oratione appellatum* Benè etiam (*inquit*) orationibus conuenit orarium, conueniens vestimentum officio. *De annulo Episcopi, qui in eius consecratione datur Episcopo, in signum Pontificalis honoris, vel signaculum secretorum, vt refert Isidorus, lib. 1. de Ecclesiast. officijs, cap. 15. multa traduntur in Ritualibus.*

Si Episcopus] *Concilium secundum Ancyran. cap. 23. idem discernit, & eandem pœnam statuit. Agathense cap. 42. prohibet ne si aut sub nomine fictæ religionis, sanctorum sortes, aut scripturarum inspectio; vt inde futura promittantur. Fiebant autem sortes sanctorum de ligno aut pane; vt constat ex Antisiodor. ca. 4. & prim. Aurel. c. 32. In Concil. Lateranens. 3. sub Leone 10. huius pœna est temperata, relictaq; ordinarij arbitrio.*

Presbyteros probabiles] *Burch. probabilis vitæ legit. Nam visitatores Episcoporum debent esse viri graues, morum probitate ornati; qui non stipendio & lucro ducantur, sed potius pro charitate & gloria Christi insudent. Eorum fit mentio Concil. Laodic. cap. 57. Et Concilium Bracarense secundum formam visitationis Episcopi accuratè præscribit. c. 1. & 2. & Concil. Magunt. c. 20. & Concil. Trid. in multis locis, præsertim. sess. 21. c. 8. & 22. c. 8. & sess. 24. c. 3.*

In primo choro] *Diuisam esse Ecclesiam in stationes, & choros, patet ex Concilio Turonens. 2. cap. 3. vbi præcipitur, vt laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter Clericos, tam ad vigilias, quam ad Missas stare penitus non præsumant, sed pars illa, quæ à cancellis versus altare diuiditur, choris tantùm psallentium pateat Clericorum: ad orandum verò, & communicandum, laicus viris & fœminis, sicut mos est, sancta sanctorum pateant.*

Omnes Clerici] *Isidorus lib. 2. de Ecclesiast. officijs,* Omnes, quii in Ecclesiastici ministerij gradibus ordinati sunt, generaliter Clerici nominantur.

Circuli coronam] *Primus tonsuræ modum decreuit Anicetus PP. an epistola decretali ad Episcopos Galliæ:* Comam, *inquit*, Clerici non nutriant, sed desuper caput, in modum sphæræ radant. *Habetur distinctione. 23. c. prohibet. & Concil. Carthag. 4. c. 44. Isidorus lib. de Eccles. offic. 2. c. 4. tonsuram ortum habuisse à Nazaræis, & huius exempli vsum ab Apostolis in Ecclesiam introductũ, auctor est. Quod etiam Concil. Aquisgran. cap. 1 probat. Aduerte, in Gallœcia, laicos vti solitos prolixis comis. D. Hieron. (habetur. 12. q. 1. c. Duo sunt) sic inquit:* Coronam (*loquitur de Clericis*) habent ab institutione Romanæ Ecclesię, in signum regni, quod in Christo expectatur: ratio verò capitis est, temporalium omnium depositio.

Constitutio antiquorum Patrum decreuit] *Lucius PP. apud Grat. d. 81. c. Clericus. Syricius PP. epist. 1. c. 12. Nicæn. Concilii. cap. 3. Eliberit. c. 27. secund. Arelatens. cap. 3. prim. Carthag. cap. 3. & 4. secund. Turon. ca. 10. XI. Tolet. c. 3. & alia multa decreta Patrum.*

Pro sacrilegio legibus publicis] *Sepulchrum dicitur vbi corpus, ossaue hominis condita sunt. l. 1. D. de religios. Habeturque locus Romanis legibus religiosus, quatenus ibi corpus humatum est. Pomponius in l. locum. De religios. & sumptibus funer. Antiqua pœna diruenti sepulchrum erat, centum aureorum mulcta. l. 3. D. de sepulchro violato. Vlpian. in hanc. l. 3. ait.* Si qui armati more latronum sepulchra diruunt, pœna capitis plecti: si sine armis, in pœnam metalli ex Diui Seueri rescripto damnari. *De his vide leges Hispanæ. l. 1. tit. 18. libr. 4. fori legum, & par. 7. tit. 9. l. 12.*

Sanctimoniales sunt] *De viduis Isidorus agit lib. 2. officiorum. De velo viduarum sanctimonialium diuersa tradidere antiqui Patres, pro temporum varietate. Gelasius PP. in epistola ad Episcopos per Lucaniam capit. 15. docuit, viduas non esse velandas: & fusius capit. 23. propter periculum incontinentiæ. Idem in Epaunensi Concilio, sub Gelasio capit. 21. vbi viduæ consecratæ Diaconissæ vocantur. In secunda Synodo Turonica extat decretum de virginum, & viduarum professione, & cœlibatu, ex decreto Innocentij Papæ, ad Victricium Episcopum Rothomagens. Idem statuitur Concilio Triburiensi, sub Arnulpho Imperatore capit. 25. vbi cauetur: Si vidua sponte velamen, quamuis non consecratum sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, sanctimoniæ habitum vlterius habere debere. Alijs decretis cauetur, ne citò velentur viduæ iuuenes, vt in Turonensi Synodo, sub Carolo Magno, capit. 27. & Concilio Magunt. 2. capit. 26. & VVormat. cap. 21. ibi post probationem conceditur velum. Ita etiam decretum inuenio, ex sententia Nicolai PP. & habetur. d. 27 cap. Quod interrogasti. & 27. quæst. 1. cap. Vidua. Inde existimo viduas seculares Hispaniæ etiam nunc prolixum, atque album velum, pro capitis tegumento gestare, quasi professionis viduitatis antiquæ indicium. Professio autem illa viduarum sanctimonialium. 10. Concil. Toletan. cap. 4. in manu Sacerdotis fieri iubetur scriptis, signoque, ac subscriptione notarij: iubenturque viduæ pallio purpureo, vel nigro caput contegere. Idem ferè in Concilio Aurasiaco. cap. 27.*

Plerique, qui ex Iudæis] *Legum VVisegothorum lib. 12. titu. 3. l. 3. de Iudæis, ita cauetur:* Cùm veritas ipsa petere, & pulsare nos doceat, prænonens, quòd regnum cælorum vim patitur, in nullo est dubium, quòd ille indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam procedere ardenti animo non festinat. Proinde si quis Iudæorum, de his scilicet, qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerint, aut filios suos, vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos remiserit, vel se, suosque de baptismo subtraxerit, & vel vnius anni spatium, post legem hanc editam, quispiam illorum sine gratia baptismi transierit, horum omnium transgressor quisquis ille repertus fuerit, & centum flagella decaluatus susciptat, & debita multetur exilij pœna. Res tamen eius ad Principis potestatem pertineant: qualiter si incorrigibilem durior eum custodierit vita, perpetua in eius, cui eas Princeps largiri voluerit, potestate permaneant. *Hac lege primò compulsi Iudæi, vt baptismo obsignarentur, circumcisione reiecta, quam eis exercere rescripto Antonini Pij permissum antea fuerat: vt patet ex libr. Digestorum. XLVIII. titul. ad legem Corneliam de sicarijs. l. circumcidere. Postea eos Rex Cinthila regno suo prorsus eiecit: vt constat ex 6. Concilio Toletan. c. 3. Sicut Heraclius Imperator Hierosolymis: vt constat ex libro iuris Orientalis, ab Enemundo Bonefidio digesto, lib. 1. Quorum exemplum imitati maiorum nostrorum memoria Ferdinandus, & Elisabeth, verè Catholici Reges, ab hac colluuie Hispaniam purgauere. Egica inclementiori lege vsus, eos in regno manere passus est, seruitute oppressos, rebusq; omnibus exutos, Concil. 17. Tolet. cap. 8. Multa alia edicta aduersus Iudæos à Regibus Gothicis edita sunt; verùm frustra: semper enim herba noxia altiùs radices agit.*

Velut in sacrilegum] *Leg. 17. VVisegoth. lib. 12. tit. 3. ita præcipitur de hac re:* Illi tamen, qui hanc eis potestatẽ super Christianos exercere permiserint; si nobilis, qui hoc fecerit persona extiterit, decem libras auri fisco coactus exsoluat: minimæ tamen, vilesque personæ quinq; libras auri fisco persoluendas amittant. Quòd si non habuerint vnde componant, centenis decaluati flagellis subiaceant.

De Suinthilane] *Suinthila præcessit Sisenando, regnauitq; annos 10. Chronicon generale Hispaniæ, & Rodericus: aliter Isidorus.*

C. 56. Velum viduarũ sanctimonialium.

C. 59. Quas leges in Iudæos tulerint VVisegothi.

C. 65.

C. 75. Suinthila regnauit annis 10.

De Inscriptionibus notæ eiusdem Garsiæ.

IN hoc quarto Concilio Tolet. *subscribunt sexaginta duo Episcopi, & septẽ per Procuratores: inter hos omnes vitæ, & doctrinæ merito insigniores fuerunt Isidorus Hispalensis, Hispaniæ doctor, Iustus Toletanus, Stephanus Emeritensis, Nonnitus Gerundensis, Conantius Palentinus. Braulio Cæsaraugustanus.*

Episcoporum numerus.

Ego Isidorus] *Vitam Isidori habes apud Ildefonsum Toletanum in lib. de viris illustribus, his verbis:* Post Leandrum Hispalens. sedis prouinciæ Bæticæ cathedram tenuit, vir decore

simul,

Isidori Hispalensis vita.

simul,& ingenio pollens. Illam tantæ iucunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, vt vbertas admiranda dicendi ex ea in stuporem verteret audientes. Scripsit opera eximia,& non pauca, id est, librum de genere officiorum,librum procœmiorum, librum de ortu, vel obitu prophetarum,librum lamentationum, quem ipse Synonyma vocitauit: libellos duos, ad Florentinam sororem, contra nequitiam Iudæorum,librum de natura rerum, ad Sisebutum Principem,librum differentiarum, librum sententiarum: collegit etiam de diuersis auctoribus, quem ipse nominat, Secretorum expositiones sacramentorum. Quibus in vnum congestis,ipse liber dicitur quæstionum. Scripsit quoque vltimò ad petitionem Braulionis Cæsaraugustani Episcopi librum etymologiarum: quem cum multis annis conaretur perficere,inexpleto opere diem extremum visus est concluisse. Claruit temporibus Reccaredi, Gundemari, Sisebuti, Suinthilanis,& Sisenandi Regum, annis ferè quadraginta,tenens Pontificatus honorem,insignemq; doctrinæ sanctæ gloriam pariter,& decorem : extremum diem clausit quarto Aprilis,anno Domini,635.

Stephanus Emeritensis epiſco.

Stephanus, Ecclesiæ Emeritensis] *Massonæ succeßit Innocentius, cui Renouatus, cui Stephanus ; viri omnes sanctitate perspicui : vt ex Paulo Diacono Ecclesiæ Emeritensis constat.*

Iust⁹ quis?

Iustus] *De hoc Iusto sic Ildefonsus in viris illustrib.* Iustus post Helladium, discipulus eius, illiq; successor est, vir habitudine corporis, ingenijq; meritis decorus,atq; subtilis; ab infantia Monachus,ab Helladio ad virtutem monasticæ institutionis affatim educatus pariter & institutus, in Agalensi monasterio tertius, post illũ rector est factus. Extitit rector annis tribus: tempore Sisenandi obijt: qui Rex post hunc, die nono decimo defunctus abscessit.

Nonnitus quis?

Nonnitus Gerundensis] *Ildefonsus:* Nonnitus post Ioannem in Gerundensi sede Pontifex accessit: vir professione Monachus,simplicitate perspicuus,actibus sanctus;nõ hominum diutina deliberatione, sed Dei per homines celeri diffinitione in Pontificatum adscitus; adhærens instanter obsequijs sepulchri sancti Felicis Martyris. Rexit Ecclesiã Dei,meritorum exemplis amplius, quàm verborũ edictis. Hic & in corpore degens,& in sepulchro quiescens, fertur saluationis operari virtutes: substitit temporibus Suinthilani,& Sisenandi Regum.

Conãtius quis?

Conantius Palentinæ] *De eo ita Ildefonsus* : Conantius post Murilanem Ecclesiæ Palentinæ sedem adeptus est, vir tam pondere mentis, quàm habitudine speciei grauis;communi eloquio facundus,& grauis; officiorum Ecclesiasticorum ordinibus intentus,& prouidus: nam melodias sonis multis nouiter edidit, orationum quoque libellum de omnium decenter scripsit proprietate psalmorum. Vixit in Pontificatu amplius triginta annis; dignus habitus fuit ab vltimo tempore VVitterici per tempora Gundemari, Sisebuti, Suinthilani, Sisenandi,& Cinthilæ.

Braulio quis?

Braulio Cæsaraugust.] *De quo sic Ildefonsus de viris illustr.* Braulio frater Ioannis, in Cæsaraugusta decedentis adeptus est locum; vir sicut germanitate coniunctus, ita non nimium ingenio memoratus ; clarus & iste habitus canonibus, & quibusdam opusculis. Scripsit vitam Emiliani cuiusdam Monachi. Qui & memoriam huius,& virtutem illius sancti viri suo tenore commendat pariter & illustrat. Habuit Sacerdotium fermè viginti annis ; quibus expletis clausit diem vitæ præsentis: durauit in regimine temporibus Sisenandi, Sinthilæ, Tulganis, & Cinthasuindi Regum. *Hæc Ildefonsus.*

CONCILIVM TOLETANVM V.

A.D.636.

XX. EPISCOPORVM, HABITVM ÆRA 674.

ANNO DOMINI CHINTILLANI REGIS PRIMO, TEMPORE Honorij Papæ primi, anno Redemptoris Christi Iesu 636. celebratum. Est prouinciale.

EDITIO I. VVLGATA.

CAPITVLA CONCILII TOLETANI V.

De institutione nouarum litaniarum. 1
De custodia salutis regum, & defensione prolis præsentium principum. 2
De reprobatione personarum, quæ prohibentur adipisci regnum. 3
De his, qui sibi blandiuntur spe regni, rege superstite. 4
De his, qui principes maledicere præsumunt. 5
Vt regum fideles, à successoribus regum, rerum iure non fraudentur proseruitutis mercede. 6
Quòd in celebritate cunctorum Conciliorum, synodus Toletana temporibus Sisenandi habita per probationem vocis claræ ob custodiã sui cunctis debeat innotescere. 7
De indulgentia principum, noxijs reseruata. 8
De fauore principum, concilij acclamatione concesso. 9

APVD vrbem Toletanam diuersis ex prouincijs Hispaniæ sacerdotes Domini, in vnum positi, & collecti in Basilica Sanctæ martyris Leocadiæ cùm consedimus,gratiarum actiones omnipotẽti Deo persoluimus, propter suam magnam misericordiam,cuius nutu in hanc conuenimus concordiam,& glorioſi principis nostri * Chintillani regis initia,ob cuius salutis & felicitatis constantiam,supernam imploramus clementiam,qui in medio nostri cœtus ingressus cũ optimatibus & senioribus palatij sui,supplex se omnium orationib⁹ cõmẽdauit,suosq; fideles ita facere sancta exhortatione coëgit,atq; hanc institutionẽ,quã ex pręcepto eius, & decreto nostro sancimus,diuina inspiratione * permisit.

* Suintillę

* præmisit

EDITIO II. IOAN. GARSIÆ LOAISÆ.

TITVLI.

De constitutione nouarum litaniarum. 1
De custodia salutis Regum, & defensione prolis præsentium Principum. 2
De reprobatione personarum, quæ prohibentur adipisci regnum. 3
De his, qui sibi regnum blandiuntur Rege superstite. 4
De his, qui Principes maledicere præsumunt. 5
Vt Regum fideles à successoribus regni, à rerum iure non fraudentur, proseruitutis mercede. 6
Quòd in celebritate cunctorum Conciliorum Synodus Toletana, tem poribus Sisenandi habita, per pronunciationem vocis claræ, ob custodiam sui cunctis debeat innotescere. 7
De indulgentia Principum noxijs seruata. 8
De fauore Principis Concilij acclamatione concesso. 9

APVD vrbem Toletanã diuersis ex prouincijs Hispaniæ Sacerdotes Domini in vno pacis collegio in basilica sanctæ confessoris Leocadiæ,qui consedimus,gratiarum actiones omnipotenti Domino persoluimus,propter suã magnam misericordiam ; cuius nutu in hanc conuenimus concordiam,& glorioſi principis nostri Cinthilæ Regis initia,ob cuius salutis,& felicitatis constantiam,supernam imploramus clementiã; quòd in medio nostri cœtus ingressus cũ Optimatibus,& Senioribus palatij sui, supplex se omniũ orationibus cõmendauit,suosq; fideles ita facere sancta exhortatione coëgit,atq; institutionẽ, quã ex præcepto eius, & decreto nostro sancimus, diuina inspiratione præmisit:

Anno primo dicitur Cõc. Tol. 6. c. 2.

1 Scilicet, vt in cuncto regno à Deo sibi cõcesso, specialis & propria hæc religiosa omni tempore teneatur obseruantia, vt à die Iduum Decembrium litania triduo vbique annua successione peragatur, & indulgentia delictorũ lachrymis impetretur. Quòd si dies Dominica interceserit, in sequenti hebdomada celebretur, vt quoniam abundante iniquitate efficitur, vt vsquequaque prolata malitia, noua exerceantur facinora, noua quoque hæc ipsa surgat consuetudo, quæ possit ante omnipotentis Dei oculos nostra esse purgatio.

2 Summa autem nobis vigilantia & grandi religionis cura prouidendum est, vt mala, quæ assiduè prohibita perpetrantur, circũspecta disciplina ecclesiastica extirpẽtur. Nõ enim incassum scriptum est: Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Quamobrem quoniam præponderante onere delictorum experientia penè semper ac sæpè fieri discimus, quod magnopere vitare debemus, quodque etiam custodituros nos cum diuinis sacramentis spondemus, sed temeritate violamus: ideoque frequenter est compescẽdum, quod crebrò inuenitur transgressum. Sed ne succedentes præcedentibus, ac deindè sequentes inuideant anterioribꝰ, & cuncta quieta & pacata permaneant, hæc nostri Concilij communiter cõsiderata defertur sententia, vt seruatis, quęcunque in vniuersali & magna synodo prouisa conscriptaque circa principum salutem & vtilitatem sunt hæc quoq; adiecta custodiantur, videlicet, vt omni benignitate, omnique firmitate circa omnem posteritatem principis nostri Chintillani regis teneatur dilectio, & præbeatur rationabile defensionis adminiculum, ne res iustè prouisæ, aut etiam parentum digna prouisione procuratæ, ad iuris proprietatem pertinentes, iniustè fraudentur, nec à quoquam causæ illicitè exquisitæ lædendi eos prebeantur, nec quocunque modo quibuslibet rebus, spreta dilectione, molestẽtur. Hęc enim licentia efficit & principes in subiectis suspectos, & subiectos in bonis principum cupidos. Quocircà, ne & prę-
missa* contemnantur, & vt cupiditas radix omnium malorum auferatur, contestamur omnes præsentes & absentes, vel etiam futuris temporibus consequentes, coram Deo & angelis eius, quòd si quisquam nostræ contestationis temerator extiterit atque contemptor, & quacunq; argumentatione odiosè eos molestare, aut in aliquo fuerit conatus lædere, sit anathema in Christianorum omnium cœtu, atque superno condemnetur iudicio: sit exprobabilis omnibus catholicis, & abominabilis sanctis angelis, in ministerio Dei constitutis: sit in hoc seculo perditus & in futuro cõdemnatus, quia tam rectæ prouisioni noluit præbere consensum.

3 Inexpertus & nouis morbis nouam decet inuenire medelam. Quapropter quoniam inconsideratæ quorundam mentes, & se minimè capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, passim putant, licenterque ad regiæ maiestatis peruenire fastigia: huius rei causa, nostra omnium cum inuocatione diuina profertur sententia, vt si quis talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium præficit, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, sit consortio catholicorũ priuatus, & diuino anathemate condemnatus.

4 Ergò quia & religioni inimicum, & hominibus cõstat esse pernicioſum, futura illicitè cogitare, & casus principum exquirere, ac sibi in posterum prouidere, cùm scriptum sit: Non est vestrum nosse momenta vel tempora, quæ pater posuit in sua potestate: hoc decreto censemus, vt quisquis inuentus fuerit talia perquisisse, & viuente Principe, in alium attendisse pro futura regni spe, aut alios in se propter id attraxisse, à conuentu catholicorum excommunicationis sententia expellatur.

5 Sed & hoc, pro pestilentiosis hominum moribus, salubri deliberatione censemus, ne quis in Principem maledicta congerat. Scriptum est enim à legislatore: Principem populi tui ne maledixeris. Quod si quis fecerit, excommunicatione ecclesiastica plectatur. Nam si maledici regnum Dei non possidebunt, quanto magis talis ab Ecclesia necessariò pellitur, qui diuinæ violator sententiæ inuenitur?

6 Simili prouidentia pro fidelibus regum nostra datur sententia, vt quisquis superstes Principum extiterit, iustè in rebus profligatis, aut largitate Principis acquisitis, nullam

1 Scilicet in cuncto regno à Deo sibi concesso, specialis, & propria hæc religiosa omni tempore teneatur obseruantia, vt à die Iduum Decembrium litaniæ triduo, vsque annua successione peragantur, & indulgentia delictorum lachrymis impetretur. Quòd si dies Dominica interceserit, in sequenti hebdomada celebrentur; vt quoniam abundante iniquitate, & deficiente charitate, eò vsque protelatur malitia, vt noua exerceantur facinora, noua quoq; hæc ipsa surgat consuetudo, quæ possit ante omnipotentis oculos vestra esse purgatio.

2 Summa autem nobis vigilantia, & grandi religionis cura prouidendum est, vt mala, quæ assiduè prohibita perpetrantur, circunspecta disciplina Ecclesiastica extirpentur. Non enim incassum scriptũ est: Pestilenti flagellato stultus sapientior erit. Quamobrem, quoniam præponderante onere delictorum experientia penè semper, ac sæpè fieri discimus, quod magnopere vitare debemus; quodq; etiam custodituros nos, cum diuinis sacramentis spopondimus, temeritate violamus: ideoq; frequenter est compescendum, quod crebrò inuenitur transgressum. Sed ne succedentes præcedentibus, ac deinde sequẽtes inuideant anterioribus, vt cuncta quietè, & pacate permaneant, hæc nostri Concilij communiter considerata defertur sentẽtia, vt seruetis quæcunq; in vniuersali, & magna Synodo prouisa, conscriptaque circa Principum salutem, & vtilitatem sunt. Hæc quoque adiecta custodiantur, videlicet, vt omni benignitate, omniq; firmitate circa omnem posteritatem Principis nostri Cinthilæ Regis teneatur dilectio, & præbeatur rationabile defensionis adminiculum: ne rebus iustè prouisis, aut etiã parentum digna prouisione procuratis, vel iuris proprietate iniustè fraudentur; ne à quoquam causæ illicitæ exquisitæ lædendi eos præbeantur; ne quocunq; modo in quibuslibet rebus, spreta dilectione, molestentur. Hæc enim licentia efficit, & Principes in subiectis suspectos, & subiectos in bonis Principum cupidos. Quocirca, ne hęc promissa timerentur, & vt cupiditas radix omnium malorum auferatur, contestamur omnes præsentes, & absentes, vel etiam futuris temporibus subsequentes, coram Deo, & Angelis eius. Quòd si quisquam nostræ contestationis temerator extiterit, & quacunq; argumentatione odiosè eos molestare, aut in aliquot fuerit conatus lædere, sit anathema in Christianorum omnium cœtu, atque superno condemnetur iudicio; sit exprobabilis omnibus catholicis, & abominabilis sanctis Angelis in ministerio Dei constitutis; sit in hoc seculo perditus, & in futuro damnatus, qui tam rectæ prouisioni noluit præbere consensum.

3 Inexpertis, & nouis morbis nouam decet inuenire medelam. Quapropter, quoniam inconsideratæ quorundam mentes, & se minimè capientes, quos nec origo ornat, nec virtus decorat, passim putant, licenterque ad Regiæ maiestatis peruenire fastigia; huius rei causa nostra omnium, cũ inuocatione diuina, profertur sententia, vt qui talia meditatus fuerit, quem nec electio omnium probat, nec Gothicæ gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, sit à consortio Catholicorum priuatus, & diuino anathemate condemnatus.

4 Ergo, quia & religioni inimicum, & hominibus constat esse superstitiosum, futura illicitè cogitare, & casus Principum exquirere, ac sibi in posterum prouidere; cùm scriptũ sit: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, hoc decreto censemus, vt quisquis inuentus fuerit talia perquisisse, & viuente Principe, in alium attendisse pro futura regni spe, aut alios in se propter id attraxisse, à conuentu Catholicorum excommunicationis sententia repellatur.

5 Sed & hoc pro pestilentiosis hominum moribus, salubri ordinatione censemus, ne quis in Principem maledicta congerat. Scriptum est enim à legislatore: Principem populi tui nõ maledices. Quod si quis fecerit, excommunicatione Ecclesiastica plectatur. Nam si maledici regnum Dei nõ possidebunt, quanto magis talis ab Ecclesia necessario pellitur, qui diuinæ violator sententiæ inuenitur.

6 Simili prouidentia pro fidelibus Regum, nostra datur sententia, vt quisquis superstes Principum extiterit, iustè in rebus profligatis, & largitate Principis acquisitis nullam

Idẽ approbat Conc. Tolet. 6. c. 16.

Synodo Tolet. 4. c. 65.

Vide leg. Vvisegot. l. 2 tit. 1. leg. 8.

Idem infra Cõc. Tol. 6. c. 14.

debeat habere iacturam. Nam si licenter & iniustè perturbentur fidelium mentes, nemo optabit promptum ac fidele præbere obsequium, dum cuncta nutant in incertum, & in futuro discriminis formidant causam, sed saluti & rebus eorum principalis pietas debet præbere suffragia. Exemplis enim cæteri prouocantur ad fidem, cùm fideles non fraudantur mercede.

7 Propter malarum mentium facilitatẽ & memoriæ obliuionem, hoc sacratissima statuit synodus, vt in omni Concilio Episcoporum Hispaniæ, vniuersalis Concilij decretũ, quod propter principum nostrorum est salutem constitutum, peractis omnibus, in synodo publica voce debeat pronunciari, quatenus sæpè replicatum auribus, vel assiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quæ ad præuaricandũ & obliuione & facilitate perducitur.

8 In his omnibus, quæ præmisimus, potestatem indulgẽtiæ in culpis delinquentium principi reseruamus, vt iuxta bonitatis suæ & pietatis moderamen, vbi emendationem prospexerit mentium, veniam tribuat culparum.

9 His verò omnibus finem & robur subscriptione nostra facientes, gloriam & laudem omnipotenti Deo, inquãtum mortalium valetudo sunt, reddimus. Post hæc gratias* excellentissimo & glorioſissimo principi nostro Chintillano regi peragimus, cuius ardor fidei & studium bonæ intentionis, & vnanimitatis concordiam nobis tribuit, & fiduciam charitatis. Donet ei Dominus & de inimicis triumphũ, & de beatitudine gaudium: custodiat cum protectione assidua, muniat bonæ voluntatis suæ circunspectione tutissima, cuius regnum manet in secula seculorum. Ego Eugenius Toletanæ ecclesiæ prouinciæ Carthaginensis metropolitanus episcopus, his communibus decretis annuens, subscripsi. Similiter & alij Episcopi subscripserunt, numero viginti, quorum nomina subnectuntur:

Ego Tonantius sanctæ Ecclesiæ Palentinæ episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Clarentius in Christo ecclesiæ Accitanæ episcopus his omnibus decretis annuens subscripsi.

*Bistargẽ. Ego Vigitinus sanctæ ecclesiæ *Bigastrensis episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

* Bigerrẽ. *Bastitanę Ego Eusebius* Bastianæ S. Ecclesiæ episcopus his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Hilarius gratia Christi sanctæ ecclesiæ Complutẽ. episcopus his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Marcellus Christi misericordia episcopus ecclesiæ Vrcitanæ, his omnibus decretis annuens subscripsi,

Ego Florentius ecclesię Setabiensis episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Braulio episcopus ecclesię Cæsarauguſtanæ, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Vla Ego Hoia permittente Deo ecclesiæ Barcinonẽ. episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

*Mustasius Ego *Mustratius ecclesiæ Valentinæ episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Iacobus Dei miseratione sanctæ Mentesanæ ecclesiæ episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ego Eusebius Dei miseratione ecclesiæ Valerienſis episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Serpentinus in Christi nomine ecclesiæ Illicitanæ episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Suauilla sanctæ ecclesiæ Oretanæ episcopus, his omnib⁹ decretis annuens subscripsi.

Egila ecclesiæ* Oxomien. episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Ansericus gratia Christi ecclesię Segobien. episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Idisclus in Christi nomine ecclesiæ Segontienſis episcobus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Antonius Dei miseratione ecclesiæ Dianen. episcopus, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Asfalbus in Christi nomine presbyter, agens vicem Domini mei Perseuerantij episcopi, his decretis annuens subscr.

Petrus in Christi nomine diaconus, agens vicem Domini Merantuni episcopi, his omnibus decretis annuens subscripsi.

Concilium quintum Toletanum finit.

debeat habere iacturam. Nam si licenter & iniustè fidelium perturbentur mentes, nemo optabit promptum ac fidele præbere obsequium, dum cuncta nutant in incertum, & in futuro, discriminis formidatur causa; sed saluti & rebus eorum Principalis pietas debet præbere suffragia: exemplis enim cæteri prouocantur ad fidem, cum fideles non fraudantur mercede.

7 Propter malarum mẽtium facilitatem & memorię obliuionem hoc sacratissima statuit Synodus, vt in omni Concilio Episcoporum Hispaniæ, vniuersalis Concilij decretũ, quod propter Principum nostrorum est salutem constitutũ, peractis omnibus in Synodo, publica voce debeat pronunciari: quatenus sæpe supplicatum auribus, vel assiduitate iniquorum mens territa corrigatur, quæ ad præuaricandum & obliuione, & facilitate producitur.

8 In his omnibus, quæ præmisimus, potestatem indulgẽtiæ in culpis delinquentium, Principi reseruamus: vt iuxta bonitatis, & pietatis suæ moderamen, vbi emendationem prospexerit mentium, veniam tribuat culparum.

9 His verò omnibus finem & robur subscriptione nostra facientes, gloriam & laudem omnipotenti Domino, in quantum mortalium valetudo finit, reddimus. Post hoc gratias excellentissimo, & glorioso Principi nostro Chintilæ Regi peragimus, cuius ardor fidei, & studium bonæ intẽtionis, & vnanimitatis concordiam nobis tribuit, & fiduciam charitatis. Donet ei Dominus & de inimicis triumphũ, & de beatitudine gaudium; custodiat eum protectione assidua, & muniat bonæ voluntatis suę circunspectione tutissima, cuius regnũ manet in sæcula sæculorum: Amen. Ego Eugenius, Dei miseratione Toletanæ Ecclesiæ prouinciæ Carthaginensis Metropolitanus Episcopus, communibus decretis annuens subscripsi.

Ego Conantius, sanctæ ecclesiæ Palentinæ episcopus, his communibus decretis annuens subscripsi.

Ego Clarentius, ecclesiæ Accitanæ episcopus, his cõmunibus decretis annuens subscripsi.

Ego Bigitinus, ecclesiæ Bigastrensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Eusebius, ecclesiæ Bastitanæ episcopus, similiter subscripsi.

Ego Hilarius, ecclesiæ Complutensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Marcellus, ecclesiæ Vrcitanæ episcopus similiter subscripsi.

Ego Florentinus, ecclesiæ Setabitanæ episcopus, similiter, subscripsi.

Ego Braulio ecclesiæ Cæsarauguſtanæ episcopus, subscripsi.

Ego Ola ecclesiæ Barcinonensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Elpidius ecclesiæ Carcasonensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Musitatius eccles. Valentinæ episco. similiter subsc.

Ego Viaricus ecclesiæ Olysipponensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Iacobus ecclesiæ Mentesanæ episc. similiter subscr.

Ego Eusebius eccles. Valerienſis episc. similiter subscr.

Ego Serpentinus ecclesiæ Illicitanæ episcopus, similiter subscripsi.

Ego Suauila ecclesiæ Oretanæ episcopus, similiter subsc.

Ego Amanungus ecclesiæ Aucensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Egila ecclesiæ Oxomensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Ansericus ecclesiæ Segobiensis episcopus, similiter subscripsi.

Ego Idisclus ecclesiæ Segontienſis, episcopus similiter subscripsi.

Ego Antonius ecclesiæ Dianensis episcopus, similiter sucscripsi.

Asphalius in Christi nomine Presbyter, agens vicem domini mei Perseuerantij, his decretis annuens subscripsi.

Petrus in Christi nomine Decanus, agens vicem domini mei Antonij episcopi, his decretis annuens subscripsi.

IN NOMI-

Eandem phrasim habes. leg. Vvisegor. l. 3. tit. 2. l. 8. ipſa quo que de donatis & profligatis rebus faciendi quod voluerit, libertatem habeat. Concil. 4. Tole. c. 75

IN NOMINE DOMINI FLAuius Cinthila Rex.

QVum boni Principis cura omni nitatur vigilãtia prouidere patriæ, gentisq; suæ commodo, tunc potissimũ non existit infructuosa, si etiam sua industria placatur diuina clementia. Ideoque nostræ mansuetudinis, collectis in vrbem Toletanam, ex prouincijs diuersis, Episcopis, adhortationis extitit instantia, vt tempore congruo, hæc religionis per corũ sententiam institueretur obseruantia, vt à die Iduum Decembriũ, quod eorum decreuit sanctitas, litaniæ per omnes regni nostri prouincias omni debeant celebrari deuotionis cura. Quocirca tã sacratissimæ electioni, & omni desiderio amplectẽdæ regali auctoritate fauẽtes, & quæcunque in eadẽ Synodo definita sunt, confirmantes, decreuimus, vt in triduo conscripto, iuxta quod reuerendissimorum virorũ continet decretũ, ab omni anima Christiana cælorum Domino humilitatis satisfactio depẽdatur: & pro facinoribus, atq; flagitijs, quibus quotidie, grassante diabolo, inretimur, lachrymis, ieiunijsq; digna obsequia repẽdamus. Veruntamen, vt vobis certius præfatorum Patrũ sententia innotescat, eam subter connecti præcipimus. Oraculis aũt nostris sancimus, vt hi, quorum in quibuslibet rebus patriæ nostræ inuigilat cura, id est, tam Optimatum, quàm Comitũ; iudicum etiam, cæterorumq; ordinum, præcipua solicitudo existat, vt his diebus ab omni omninò inquietudine, vel qualibet negotiorum actione omnis conditio, ætas, & sexus debeat vacare: vt otio sancto mancipati, aptiores erga Deum reddi possint, cælestem implorando misericordiam consequi. Ergo vt omnes hoc præcepto nostro præmoneantur, Sacerdotum industriæ delegamus. Datum sub die pridie Kalendas Iulias, anno feliciter primo Regni nostri, Toleto.

De subscriptionibus quinti Concilij Notæ Ioan. Garsiæ.

Omnes hi Episcopi subscribunt in 4. Toletano, præterquam Eugenius Toletanus, qui Iusto; Ola Barcinonensis, qui successit Seuero, & Amanungus Aucensis, qui successit Stephano, & Antonius Dianiensis. Vigitinus (scribe Bigitinus) Mustatius Valentinus, (lege, Musitacius.) Perseuerantius, & Antonius, qui per Vicarios Concilio interfuerunt, erant, alter Castellonensis, alter Segobrensis. Eugenius Toletanus Iusto successit in Sacerdotio Toletano, quod, vt auctor est Ildefonsus in eius vita, ferè vndecim annos rexit, regnantibus Cinthila, Tulgane, Cindasuindo Regibus. Episcopi qui & quales subscripserint?

Notæ in Concil. V. Tolet. Io. Garsiæ.

Era DC. LXXIV.] *Cinthila rex, primo anno regni sui, hoc Cõcilium Tolet. V. coëgit, vt in fine confirmationis dicitur, anno feliciter primo regni nostri. Vnde corruptè legitur, apud Rodericum lib. 2. ca. 19. fuisse electum in regem, Era* DC. LXXIX. Quo tempore celebratũ sit?

Apud vrbem Toletanã diuersis ex prouincijs Hispanię.] *Cõstat fuisse Nationale, præsertim ex subscriptionibus, in quibus subsignat Braulio Cæsaraugustanus, Ola Barcinonensis, Elpidius Carcassonensis, Vicarius Olyssiponensis. Et infra Concilio Toletano 6. c. 18. dicitur: Iam quidem in antecedenti vniuersali Synodo, & Can. 2.* Concilium hoc Nationale est.

Litaniæ triduo vbique.] *De Litanijs supra diximus, esse obseruandas lugubri cultu, ieiunio, & ciborum delectu, Aurel. 1. cap. 29. Magunt. 1. ca. 32. & 33. Bracar. 2. cap. 9.* Cap. 1.

Vniuersali & magna Synodo.] *Sic vbique vocat Concilium Toletanum quartum.* Cap. 2.

CONCILIVM TOLETANVM VI. LII. EPISCOPORVM, ÆRA 676. ANNO SECVNDO CHINTILLANI REGIS, QVI EST CHRISTI DOmini nostri 638. sub Honorio celebratum.

Est nationale.

EDITIO I. VVLGATA.

SEXTI CONCILII TOLETANI CAPITVLA.

De plenitudine fidei catholicæ. 1
De obseruatione litaniarum. 2
De custodia fidei Iudæorum. 3
De damnatione clericorum, per pecuniam ecclesiasticos gradus assequentium. 4
De stipendijs clericorum, ne à iure alienentur ecclesiarum. 5
De viris & fœminis sacris, propositum transgredientibus sacrum. 6
De pœnitentibus transgressoribus. 7
Quod quibusdam pœnitentibus pristina reddantur coniugia. 8
De professionibus & obedientia libertorum ecclesiæ. 9
De progenie libertorum ecclesiæ, ne eis vel pro nutricio eruditionis, ab Ecclesia liceat euagari. 10
Ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur. 11
De confugientibus ad hostes. 12
De honore primatum palatij. 13
De remuneratione collata fidelibus regum. 14
Vt res Ecclesiæ à quibuslibet iustè collatæ, in earum iure firma stabilitate permaneant. 15
De incolumitate, & adhibenda dilectione regiæ proli. 16
De his, qui rege superstite, aut sibi aut alijs affuturum prouident regnum, & de personis, quæ prohibentur ad regnum accedere. 17
De custodia vitæ principum, & defensione præcedentium regum, à sequentibus adhibenda. 18
De gratiarum actionibus in confirmatione Concilij, Deo & principi datis. 19

EDITIO II. IOAN. GARSIÆ.

TITVLI.

De plenitudine fidei catholicæ. 1
De obseruatione litaniarum. 2
De custodia fidei Iudæorum. 3
De damnatione Clericorum, per pecuniam Ecclesiasticos gradus assequentium. 4
De stipendijs Clericorum, ne à iure alienentur Ecclesiarum. 5
De viris, ac fœminis sacris, propositum transgredientibus sacrum. 6
De pœnitentibus transgressoribus. 7
Quòd quibusdam pœnitentibus pristina reddantur coniugia. 8
De professionibus, & obedientia libertorum Ecclesiæ. 9
De progenie libertorum Ecclesiæ, ne eis vel pro nutritione ab Ecclesia liceat euagari. 10
Ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur. 11
De confugientibus ad hostes. 12
De honore Primatum palatij. 13
De remuneratione collata fidelibus Regum. 14
De collatis rebus Ecclesijs; vt in earum iure perdurent. 15
De incolumitate, & adhibenda dilectione Regiæ proli. 16
De his, qui Rege superstite, aut sibi, aut alijs ad futurum prouident regnum, & de personis, quæ prohibentur ad regnum accedere. 17
De custodia vitæ Principum, & defensione præcedentium Regum à sequentibus adhibenda. 18
De gratiarum actionibus, in confirmatione Concilij Deo, & Principi datis. 19



ONVENIENTIBVS nobis Hiſpaniarum, Galliciæque pontificibus ſummis, orthodoxi & glorioſi *Chintillani regis ſalutaribus hortamentis abſque impedimento, in prætorio Toletano, in Eccleſia ſanctæ Leocadiæ martyris ſedibus collatis, ſub die ſexta Idus Ianuarij, anno prædicti principis & triumphatoris in Chriſto æra 686. ſecundo, ſtatuimus ſubter inſerta capitula.

*Suintillę

Capitulum primum.

CVM primum omnipotenti Deo pro corona fratrum ita numeroſa gratiæ nobis fuiſſent peractæ, nihil melius, nihilque ſalubrius omnium inſedit animis, quam more ſynodi vniuerſalis poſt ſolennia perfunctæ orationis, quod mente ruminabamus, lingua manaremus: & quod corde credebamus, ore eructaremus, ſuperna fauente ſententia, quæ ait. Eructauit cor meum verbum bonum: quod, iuxta Prophetam, fecit Dominus abbreuiatum ſuper terram. Quamobrem, ex abundantia noſtri cordis ſit confeſſio vocis, vt fidem, quam omnium mens intrinſecus geſtat, in confeſſione interpres lingua foris effundat. Itaque credimus & profitemur, ſacratiſſimam & omnipotentiſſimam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnum Deum ſolum, non ſolitarium, vnius eſſentiæ, virtutis, Poteſtatis, Maieſtatis, vniuſque naturæ, diſcretam inſeparabiliter perſonis, indiſcretam eſſential ter ſubſtantia Deitatis, creatricem omnium creaturarum, patrem ingenitum, increatum, fontem & origenem totius diuinitatis, filium à patre intemporaliter ante omnem creaturam, ſine initio genitum, non creatum: nam nec pater vnquam ſine filio, nec filius extitit ſine patre: ſed tamen filius DEVS de patre DEO, non pater DEVS de filio DEO: pater filij non DEVS de DEO: ille autem filius patris, & Deus de patre, per omnia coæqualis patri, Deus verus de Deo vero: Spiritum verò ſanctum, neque genitum, neque creatum, ſed de patre filioque procedentem, vtriuſque eſſe ſpiritum: ac per hoc ſubſtantialiter vnum ſunt, qui & vnus ab vtroque procedit. In hac autem Trinitate tanta eſt vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat. Nec minor in ſingulis, quàm in omnibus: nec maior in omnibus, quàm in ſingulis perſonis manet. Ex his igitur tribus diuinitatis perſonis, ſolum filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter & noſtro libero arbitrio contraxeramus, reſoluenda, à ſecreto patris arcanoque prodiſſe, & humanitatem ſine peccato de ſancta ſemper virgine Maria aſſumpſiſſe: vt idem filius Dei patris, eſſet filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus: vt homo perfectus & Deus eſſet vnus Chriſtus, naturis in duabus vna perſona, ne quaternitas Trinitati accederet, ſi in Chriſto geminata perſona eſſet. Ergo à patre & ſpiritu ſancto inſeparabiliter diſcretus perſona, ab homine autem aſſumpto, natura: idem cum eodem homine, vnus extat perſona, cum patre & ſpiritu ſancto, natura: ac (ſicut diximus) ex duabus naturis, & vna perſona, vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in forma diuinitatis æqualis patri, in forma ſerui minor patre. Hæc eſt enim vox eius in Pſalm. De ventre matris meæ Deus meus es tu. Natus itaque à Deo ſine matre, natus à virgine ſine patre, ſolum verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et cum tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis, quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis, ſolus tamen filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id eſt, in eo quod proprium eſt filij, non quod commune Trinitati. Nam ſi vnam nati hominis, Dei alteram confeciſſet perſonam, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet: quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe vnam, non tamen perſonam. Hic ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus miſſus à patre, ſuſcipiens quod non erat, nec amittens quod erat, inuiolabilis de ſuo, mortalis de noſtro, venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, & credentes iuſti-

Pſal. 44. Eſa. 10. Rom. 9.

Pſal. 21.

Ioan. 1.

1. Tim. 1.



ONVENIENTIBVS nobis Hiſpaniarum Galliæque Pontificibus ſummis, Orthodoxi & glorioſi Cinthilani Regis ſalutaribus hortamentis, atque in prætorio Toletano in Eccleſia ſanctæ Leocadiæ virginis debitis ſedibus collocatis, ſub die quinto Idus Ianuarij, anno præfati Principis & triumphatoris in Chriſto ſecundo, Era DC.LXXVI.

In aliis LXVI. luo. p. 6. c. 371. habet Era DC.LXXVJ citatoq; ſeptimo pro ſeptimo.

QVVM primum omnipotenti Domino pro corona fratrum tam numeroſa, gratiæ à nobis fuiſſent peractæ, nihil melius, nihilque ſalubrius omniũ inſedit animis, quàm more Synodi vniuerſalis, poſt ſolennia perfunctæ orationis, quod mente ruminauimus, lingua narraremus; & quod corde credebamus, ore ructaremus, ſupernæ fauẽtes ſententiæ: Eructauit cor meum verbum bonum, quod iuxta Prophetam fecit Dominus abbreuiatum ſuper terram. Quamobrem ex abundantia noſtri cordis ſit confeſſio vocis; vt fidem, quam omnium mens intrinſecus geſtat, in confeſſione interpres lingua foras effundat. Itaque credimus & profitemur, ſacratiſſimam & omnipotentiſſimam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnum Deum ſolum, non ſolitarium; vnius eſſentiæ, virtutis, poteſtatis, vniuſque naturæ; diſcretam inſeparabiliter perſonis; indiſcretam eſſentialiter ſubſtantiam Deitatis, creatricem omnium creaturarum: Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius diuinitatis: Filium à patre intemporaliter, & ante omnem creaturam ſine initio genitum, non creatum: nam nec Pater vnquam ſine Filio, nec Filius extitit ſine Patre: ſed tamen Filius Deus de Patre Deo, non Pater Deus de Filio Deo: Pater Filij, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris, & Deus de Patre per omnia coæqualis Patri: Deus verus de Deo vero: Spiritum verò ſanctum, neque genitum, neque creatum, ſed de Patre Filioque procedentem, vtriuſque eſſe ſpiritum: ac per hoc ſubſtantialiter vnum ſunt, quia & vnus ab vtroque procedit. In hac autem Trinitate tanta eſt vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat: nec minor in ſingulis, quàm in omnibus, nec maior in omnibus, quàm in ſingulis maneat perſonis. Ex his igitur tribus diuinitatis perſonis ſolum filium fatemur ad redemptionem humani generis, propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & noſtro libero arbitrio contraxeramus, reſoluenda à ſecreto Patris, arcanoque prodiſſe, & hominem ſine peccato de ſancta ſemper Virgine Maria aſſumpſiſſe, vt idem Filius Dei Patris, eſſet Filius hominis; Deus perfectus, & homo perfectus, vt homo Deus eſſet vnus Chriſtus naturis in duabus, in perſona vnus, ne quaternitas Trinitati accederet, ſi in Chriſto perſona geminata eſſet. Ergo à Patre & Spiritu ſancto inſeparabiliter diſcretus eſt perſona, ab homine autem aſſumpto, natura. Item cum eodem homine vnus extat perſona, cum Patre, & Spiritu ſancto natura: ac ſicut diximus, ex duabus naturis, & vna perſona vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in forma diuinitatis æqualis Patri, in forma ſerui minor Patre: hinc enim eſt vox eius in pſalmo: De vẽtre matris meæ Deus meus es tu. Natus itaque à Deo ſine matre, natus à Virgine ſine Patre, ſolum Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: & cum tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis (quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis) ſolus tamen accepit hominem in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id quod eſt proprium Filij, non quod commune Trinitatis. Nam ſi naturam hominis, Deiq; alteram confudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet; quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe vnam, non tamen perſonam. Hic igitur Dominus Ieſus Chriſtus miſſus à Patre, ſuſcipiẽs, quod non erat, nec amittens quod erat, inuiolabilis de ſuo, mortalis de noſtro, venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, & credẽtes iuſtificare, faciensque mirabilia, traditus

eſt

delicta noſtra, mortuus eſt propter expiationem noſtram, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, cuius liuore ſanati, cuius morte Deo patri reconciliati, cuius reſurrectione ſumus reſuſcitati. Quem etiam venturum in fine expectamus ſæculorum, & cum reſurrectione omniũ, æquiſſimo ſuo iudicio redditurum iuſtis præmia, & impijs pœnas. Eccleſiam quoque catholicam credimus, ſine macula & ruga, opere & fide, corpus eius eſſe, regnumque habituram cum capite ſuo omnipotente Chriſto Ieſu, poſtquã hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale immortalitatem, vt ſit Deus omnia in omnibus. Hac fide corda purificantur, hac hæreſes extirpantur: in hac omnis Eccleſia collocata iam in regno cæleſti, & deinceps in ſæculo præſenti gloriatur: & non eſt in alia fide ſalus: nec enim nomen aliud eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

2 Religioſiſſimi Principis noſtri deuotionem, & noſtrorum conſacerdotum primo anno regni ſui conſtitutionem, cum magna reuerentia & veneratione ſuſcipientes, quam conſtat iam in omni regno ſuo annua vice celebrari, placuit etiam noſtra aſſenſione firmari. Proinde vniuerſalis authoritate cenſemus concilij, vt hi dies litaniarum, qui in ſynodo præmiſſa ſunt inſtituti, eodem tempore, quo iuſſi ſunt excoli, annuo recurſu omni obſeruatione habeãtur celeberrimi, vt pro illis quibus nũc vſq; ſimul implicati ſumus delictis, ſit noſtra explicatio ante oculos Dei omnipotentis.

3 Inflexibilis Iudæorum perfidia, deflexa tandem videtur pietate & potentia ſuperna. Hinc enim liquet, quòd inſpiramine ſummi DEI excellentiſſimus & Chriſtianiſſimus princeps ardore fidei inflammatus, cùm regni ſui ſacerdotibus præuaricationes, & ſuperſtitiones eorum eradicare elegit funditus: nec ſinit degere in regno ſuo eum, qui non ſit catholicus: ob cuius feruorem fidei, gratias omnipotenti Domino cælorum agimus, eo quòd ei tam illuſtrem creauerit animam, & ſua repleuerit ſapientia: ipſe quoque donet ei & præſentis æui diuturnam vitam, & in futuro gloriam æternam. Illud autem prouida nobis cura, & valdè eſt decernendum vigilanti ſolertia, ne eius fidei calor, & noſter labor, quandoque in poſteris tepefactus liqueſcat. Quocirca conſonam cum eo corde & ore promulgamus Deo placituram ſententiam, ſimul etiam cum ſuorum optimatum illuſtriumque virorum conſenſu & deliberatione ſancimus, vt quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortitus fuerit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem, quàm inter * reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, hanc ſe catholicam nõ permiſſurum eos violare fidem: ſed & nullatenus eorum perfidiæ fauẽs, vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infidelitatis aditum præbeat præuaricationis: ſed quod magnoperè noſtro eſt tempore conquiſitum, debeat illibatum perſeuerare in futurum. Nam incaſſum bonum agitur, ſi non eius prouidetur perſeuerantia. Ergo poſtquam ordine præmiſſo ad gubernacula acceſſerit regni, ſi ipſe temerator huius extiterit promiſſi, ſit anathema maranatha in cõſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, ſimiliſque cum eo damnatione perculſis, quicunque ſacerdotum, vel quilibet Chriſtianorum, eius implicati fuerint errore. Nos etenim ita præſentia decernimus, vt præterita, quæ in vniuerſali ſynodo de Iudæis conſcripta ſunt, confirmemus: quoniam ea, quæ neceſſaria pro eorum ſaluatione ſcribi potuerunt, in eadem eſſe * cautum ſcimus. Quapropter, quæ tunc decreta ſunt, valitura eſſe cenſemus.

4 Sæpè pullulantia prauitatis germina, licet ſæpiſſimè patrum iuſta nouerimus ſeueritate damnata, quia tamen crebris conſpiciuntur denuo vigere radicibus, iuſtitiæ acriore vigore radicitus amputare ſancimus. Proindè quicunque Simonis imitator, ſimoniacæ quoque hæreſis extiterit ſectator, vt Eccleſiaſticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, ſed munerum impenſione cõquirat, & per oblata munera capiat, quibus hunc nec rationis ordo, nec dignitas morum vlla commendat, talis inuentus, ſacrorum ordinum apices penitus adipiſci nullo modo

tes iuſtificare: faciensque mirabilia, traditus eſt propter delicta noſtra, mortuus eſt propter expiationem noſtram, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram; cuius liuore ſanati, cuius morte Deo Patri reconciliati, cuius reſurrectioue ſumus reſuſcitati. Quem etiam venturum in fine expectamus ſæculorum, & cum reſurrectione omnium, æquiſſimo iudicio redditurum iuſtis præmia, & impijs pœnas. Eccleſiam quoque Catholicam credimus ſine macula in opere, & ſine ruga in fide corpus eius eſſe, regnumque habiturum cum capite ſuo omnipotenti Chriſto Ieſu, poſtquam hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale immortalitatem; vt ſit Deus omnia in omnibus. Hac fide corda purificantur, hac hæreſes extirpantur, in hac omnis Eccleſia collocata iam in regno cæleſti, & degens in ſæculo præſenti gloriatur, & non eſt in alia fide ſalus: nec enim nomen aliud eſt ſub cælo datũ hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

2 Religioſiſſimi Principis noſtri deuotionem, & noſtrorum Conſacerdotum primo anno regni ſui conſtitutionem cum magna reuerentia, & veneratione ſuſcipientes, quam iam conſtat in omni regno ſuo annua vice celebrari, placuit etiam noſtra aſſenſione firmari. Proinde vniuerſali auctoritate cenſemus Concilij, vt hi dies Litaniarum, qui in Synodo præmiſſa ſunt inſtituti, eodem in tempore, quo iuſſi ſunt excoli, annuo recurſu, omni obſeruatione habeantur celeberrimi: vt pro illis, quibus nunc vſq; ſimul implicati ſumus delictis, ſit noſtra expiatio ante oculos Dei omnipotentis. De Litanijs Concil. Tol. 5. c. 2. Concil. 4. c. 1.

3 Inflexibilis Iudæorum perfidia deflexa tandem videtur pietate & potentia ſuperna. Hinc enim liquet, quod inſpiramine ſummi DEI, excellentiſſimus & chriſtianiſſimus Princeps ardore fidei inflammatus, cum regni ſui Sacerdotibus, præuaricationes, & ſuperſtitiones eorum eradicare elegit funditus, nec ſinit degere in regno ſuo eum, qui non ſit Catholicus. Ob cuius feruorem fidei, gratias omnipotenti DEO cælorum Regi agimus; eo quod eius tam illuſtrem creauit animam, & ſua repleuerit ſapientia. Donet ei præſentis æui diuturnam vitam, & in futuro gloriam æternam. Illud autem prouida nobis cura, & valde eſt decernendum vigilanti ſolertia, ne eius calor & noſter labor, quandoque in poſteris tepefactus liqueſcat. Quocirca conſonam cum eo, corde & ore promulgamus DEO placituram ſententiam: ſimul cum ſuorum Optimatum, Illuſtriumque virorum conſenſu, ex deliberatione ſancimus, vt quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortierit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem, quam inter reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, hanc ſe Catholicam non permiſſurum eos violare fidem; ſed & nullatenus eorum perfidiæ fauens, vel quolibet neglectu, aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia infidelitatis, aditum præbeat præuaricationis; ſed quod magnopere noſtro eſt tempore conquiſitum, debeat illibatum perſeuerare in futurum. Nam incaſſum bonum agitur, ſi non eius perſeuerantia prouidetur. Ergo poſtquam ordine præmiſſo ad gubernacula acceſſerit regni, ſi ipſe temerator extiterit huius promiſſi, ſit anathema, maranatha in conſpectu ſempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni: ſimul cum eo damnatione perculſi, quicunque Sacerdotum, vel quilibet Chriſtianorum eius implicati fuerint errori. Nos enim ita præſentia decernimus, vt præterita, quæ in vniuerſali Synodo de Iudæis conſcripta ſunt, confirmemus. Quoniam quæcunque neceſſaria pro eorum ſaluatione ſcribi potuerunt, in eadem eſſe cautum ſcimus. Quapropter quæ tunc decreta ſunt, valitura cenſemus. In quarta Tolet.

4 Sæpe pullulantia prauitatum germina, licet ſæpiſſimè Patrum iuſta nouerimus ſeueritate damnata, tamen quia crebris conſpiciuntur denuò vigere radicibus, iuſtitiæ acriori vigore radicitus ea amputare ſancimus. Proinde quicunque Simonis imitator, ſimoniacæ quoque hæreſis extiterit auctor, vt Eccleſiaſticorum gradus non dignitate morum obtineat, ſed munerum impenſione conquirat, & per oblata munera capiat, quibus hunc, nec rationis ordo, nec dignitas morum vlla commendet; talis inuentus ſacrorum ordinum apices penitus adipiſci nullo modo Iuo. p. 3. c. 82.

* reliquas conditionis ſacramento

* Cor. 16.

permittatur: sed & si adeptus fuerit, communione priuatus, cum ordinatoribus suis propriorum bonorum amissione damnetur.

12.q.2. Sæpè fit vt prop.

5 Sæpè fit, vt proprietati originis, obsistat longinquitas temporis. Quapropter prouidentes decernimus, vt si quis clericorum stipendium de rebus Ecclesiæ cuiusquam Episcopi percipit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere: nec per retentionem diuturnam, præiudicium afferat ecclesiæ, & quæcunque iu vsu perceperit, debeat vtiliter laborare: vt nec res diuini iuris, videantur aliqua occasione negligi, & subsidium ab Ecclesia, cui deseruiunt, percipere possint clerici. Quod si quis eorum contempserit facere, ipse se stipendio suo videbitur priuare.

20.q.3. Procliuis autem.

6 Procliuis cursus est ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerit spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ choro, vel fœmina fuerit, aut fuit delegata puellarum monasterio: in vtroque sexu præuaricator, ad propositum inuitus reuerti cogatur, vt vir detondeatur, & puella ad monasterium regrediatur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, sacerdotali sentẽtia ita à Christianorum cœtu habeantur extorres, vt nec locus eis vllus sit communionis. Viduæ quoque, sicut vniuersalis synodus iamdudum statuit, professionis vel habitus sui desertrices, superiori sententia condemnentur.

7 Quamuis priora nunquam siluerint de tanto facinore concilia, ratio tamen deposcit, vt ea, quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur. Et ideo, quoniam tanta existit peruersitas hominum, vt quos sub religioso habitu pœnitentię professio pro venia peccatorum, ad manum sacerdotis deducit vel adduxit, iterum rediuiua malitia ad vitæ pristinæ sordes reuocet. Huius rei causa sancta synodus decernit, vt si qui ingenuorum vtriusque sexus, sub nomine pœnitentis in habitu religioso sunt conuersati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt, aut redierint, ab episcopo ciuitatis, in cuius territorio sunt conuersi, comprehensi, rursus legibus pœnitentiæ in monasterijs subdantur inuiti. Quod si fieri propter alicuius potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut priscorum canonum statuerunt decreta, quousque ad dimissum ordinem reuertantur, excommunicati, & anathemate condemnati habeantur. Similiter & hi, qui post communionem interdictam, cum ipsis communicauerint. Sacerdos autem, ad quem pertinere noscuntur, si eos quolibet munere vel fauore, aut negligentia, admonere noluerit, vt aut reuertentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia reijciat: simili sententia plectatur, quousque emendationis eorum vel damnationis sententia, ab eo promulgetur.

8 Antiqui & sanctissimi est patris sententia Papę Leonis, vt is, qui in ætate adolescentiæ positus, dum mortis formidat casum, peruenerit ad pœnitentiæ remedium, si coniugatus & fortè fuerit incontinens, ne postea adulterij incurrat lapsum, redeat ad pristinum coniugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiæ statum. Quod nos, sicut de viris, ita de fœminis æquo modo censemus, nõ quidem hoc generaliter & * canonicè præceptum, sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum, ea duntaxat ratione, vt si is, qui pœnitentię non est legibus deditus, ante ab hac vita decesserit, quàm ex consensu alter ad continentiam erat, vnde fuerit regressus, superstiti non liceat denuò ad vxoris transire amplexus. Si autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit * benedictionem pœnitens, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur vxoris. Quod de vtroque sexu pari modo à nobis manifestum est, decretũ esse, ita videlicet, vt in his omnibus sacerdotis ordinatio expectetur, vt iuxta quod ætatem aptam prospexerit * pœnitentiæ, absolutionis vel districtionis tribuat legem.

* legitimè

* absolutionem

* cõtinentiæ

permittatur: sed etsi adeptus fuerit, communione priuatus, cum ordinatoribus suis propriorum bonorum amissione damnetur.

12.q.2. Sæpe fit. Iuo. p.6.c.372. De hac re Vvambæ est lex in legib. Vvisegorth. li. 4.tit.3.l.6.

5 Sæpe fit vt proprietati originis obsistat longinquitas temporis. Quapropter prouidentes decernimus, vt quisquis Clericorum, vel aliorum quorumlibet personarum stipendium de rebus Ecclesiæ, cuiuscunque Episcopi percipit largitate, sub precariæ nomine, debeat professionem scribere, vt nec per detentionem diurnam præiudicium afferat Ecclesiæ, & quæcunque in vsum perceperit, debeat vtiliter laborare, vt nec res diuini iuris videatur aliqua occasione negligi, & subsidium ab Ecclesia, cui deseruiunt, percipere possint Clerici. Quod si quis eorum contempserit facere, ipse stipendio suo videbitur priuari.

20.q.3. procliuis. Iuo. p.7.ca. 35. Burch. li. 8. c. 14.

6 Procliuis est cursus ad voluptatem; imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum, vel mulierum habitum semel induerit spontaneè religiosum; aut si vir deditus Ecclesiæ choro, vel fœmina fuerit, ac fuit deligata puellarum monasterio, in vtroque sexu præuaricator ad propositum inuitus reuerti cogatur: vt vir detondeatur, & puella monasterio reintegretur. Si autem quolibet patrocinio desertores permanere voluerint, Sacerdotali sententia ita de Christianorum cœtu habeantur extorres, vt nec locutio cum eis vlla sit communis. Viduæ quoque, sicut vniuersalis iam dudum statuit Synodus, professionis, vel habitus sui desertrices, superiori sententia condemnentur.

Cõc. Tol. 4.c.56.

7 Quamuis priora nunquam siluerint de tanto facinore Concilia, ratio tamen poscit, vt ea quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur. Et ideò quoniam tanta existit peruersitas hominum, vt hi, quos sub religioso habitu, pœnitentiæ professio pro peccatorum venia ad manum Sacerdotis deducit, vel adduxit, iterum rediuiua malitia ad vitæ pristinæ sordet reuocet, huius rei causa sancta Synodus decernit, vt si qui ingenuorum vtriusque sexus, sub nomine pœnitentiæ, in habitu religioso sunt conuersati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id quod reliquerant, redierunt, aut redierint, ab Episcopo ciuitatis, in cuius territorio sunt conuersi, comprehensi rursus legibus pœnitentiæ in monasterijs subdantur inuiti. Quod si facere propter aliquem potestatis vigorem difficile fuerit, tunc sicut priscorum Canonum statuerunt decreta, quousque ad dimissum ordinem reuertantur, excommunicati habeantur, sed & hi qui post excommunicationem, vel interdictum cum ipsis communicauerint. Sacerdos autem ad quem pertinere noscuntur, si eos quolibet munere, vel fauore, aut diligentia admonere noluerit, & aut reuertentes suscipiat, aut contẽnentes de Ecclesia reijciat, simili sententia plectatur, quousque emendationis, vel damnationis eorum ab eo sententia promulgetur.

Id constat ex 3. Tol. c.11. Venet. c.3.1. Turon. c. 8. Epan. c. 23. & Aurel. 1. c.13. 4. Tol. c. 54.

8 Antiqui & sanctissimi est patris sententia Papæ Leonis, vt is, qui in ætate adolescentiæ positus dum mortis formidat casum, peruenerit ad pœnitentiæ remedium; si coniugatus & fortè fuerit incontinens; ne postea adulterij incurrat lapsum, redeat ad pristinum coniugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiæ statum: Quod nos sicut de viris, ita & de fœminis æquo modo censemus non quidem generaliter & legitimè præceptum, sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum; ea duntaxat ratione, vt, si is, qui pœnitentiæ non est legibus deditus, ante ab hac vita decesserit, quàm ex consensu ad continentiam eorum fuerit regressus, superstiti non liceat denuo ad vxorios transire amplexus: sin autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur vxoris. Quod de vtroq; sexu pari modo à nobis manifestũ est, decreuisse: ita videlicet, vt in his omnibus Sacerdotis ordinatio expectetur, vt iuxta quod ætatem aptam prospexerit continentiæ, absolutionis vel districtionis tribuat legem.

31.q.2. Antiqui & sanctiss. in epistola ad Rustic. Narbonc. Episcopũ, quæ est 90.

12. q. 2. Lō ginquitate. Cōcil. Tol. 4. c. 69.

9 Longinquitate sæpè fit temporis, vt non pateat conditio originis. Vnde iam decretum est in anteriori vniuersalis Concilij canone, vt professionem suam liberti ecclesiæ debeant facere, qua profiteantur se & de familijs esse Ecclesiæ, & Ecclesiæ obsequium nunquam relicturos. Vnde his quoque nos adijcimus, vt quoties cursum vitæ sacerdos impleuerit, & de hac vita migrauerit, mox, cum successor eius aduenerit, omnes liberti Ecclesiæ, vel ab eis progeniti, chartulas suas in conspectu omnium debeant ipsi, qui substituitur, pontifici publicare, & professiones suas in conspectu Ecclesiæ renouare, quatenus status sui vigorem & illi obtineant, & obedientia eorum Ecclesia non careat. Si autem aut scripturas libertatis suæ, intra annum ordinationis noui pontificis manifestare contempserint, aut professiones renouare noluerint, vacuæ & inanes chartulæ ipsæ remaneant, & illi, origini suæ redditi, sint perpetuò serui.

10 Etenim decet, vt hi, quorum parentes titulum libertatis de familijs ecclesiæ perceperunt, intra ecclesiam, cui obsequium debet, causa eruditionis enutriantur. Contemptus quippe est patronorum, si ipsis neglectis, alijs ad educandum detur progenies manumissorum. Itaque censemus, vt sine status sui præiudicio, ab episcopo habeantur in doctrinæ obsequio, quatenus & illi debitum reddant famulatum, & nullum patiantur suæ ingenuitatis detrimentum. Eos verò, qui aliter, quàm sententia nostra decreuit, agere tentauerint, inuitos iubemus ab episcopis ad hoc ipsum reduci. Quòd si forte parentes eorum eos pontificibus suis dare contempserint, & alios sibi patronos adoptauerint, ingratorum feriantur lege libertorum.

15. q. Dignum est vti.

11 Dignum est vt vita innocētis, nulla maculetur pernicie accusatorum. Ideò quisquis à quolibet criminatur, non ante accusatus supplicio detur, quàm accusator præsentetur, atque legum & canonum sententia exquiratur. Quòd si indigna ad accusandum persona inuenitur, ad eius accusationem non iudicetur, nisi vbi pro capite regiæ maiestatis causa versatur.

12 Prauarum audacia mentium, sæpè aut malitia cogitationum, aut causa culparum refugium appetit hostium. Vnde quisquis patrator culparum extiterit talium, virtutem petens defendere aduersariorum, & patriæ vel genti suæ detrimēta intulerit rerum, in potestatem regis ac gentis suæ reductus, excommunicatus & retrusus, longinquioris pœnitentiæ legibus subdatur. Quòd si ipse mali sui prius reminiscens, ad Ecclesiam fecerit confugium, intercessu sacerdotum & reuerentia loci, regia in eos pietas referuetur comitante iustitia.

13 Qui primatu dignitatis, atque reuerētiæ vel gratiæ, ob meritum in palatio honorabiles habentur, his à iunionibus modestus honor per omnia deferatur. Quin etiā minores à senioribus & dilectionis amplectantur affectu, & humilitatis imbuantur exemplo.

14 Præmio fraudare fideles, non solum inhumanum, sed etiam existit iniustum. Ideoque cum fidei meritum, tam in rebus diuinis, quàm in humanis, non habeatur ingratum: dignum videtur, vt sacerdotali sententia consulamus fidelibus regis. Proinde vt anno primo serenissimi principis nostri decreuit Concilium sanctum, omnes qui fideles obsequio & syncero seruitio voluntatibus vel iussis paruerint principis, totaque intentione salutis eius custodiam vel vigilantiam habuerint, à regni successoribus nec à dignitate, nec à rebus pristinis causa repellantur iniusta: sed & nunc ita pro vniuscuiusque vtilitate principis moderentur discretione, sicut eos perspexerit necessarios esse patriæ. Et sic illis impertiatur benignitas, vt in cæteris magnæ mōstretur gratiæ potestas, quatenus ita omnia in rebus iustè conquisitis lucrētur, vt posteris relinquendi, vel quibus volūtas eorū decreuerit, conferendi spōtaneo fruantur arbitrio. Cæterū, si infidelis quisquā in capite regio, aut inutilis in rebus commissis præsenti pijssimo Dño nostro Chintillano regi extiterit, in clementia eius maneat potestatis suo nutu cōstituenda huiusmodi moderatio. Nefas est. n. in dubiū deducere ei⁹ potestatē, cui omniū gubernatio supno cōstat delegata iudicio. Quòd si

12. q. 2. Lō ginquitate. Cōcil. Tol. 4. c. 69. & refertur. 12. q. 2. ca. liberti.

9 Longinquitate sæpe fit temporis, vt non pateat conditio originis. Vnde iam decretum est in anteriori vniuersali Concilij Canone, vt professionem suam liberti Ecclesiæ debeant facere, qua profiteantur se, & de familijs Ecclesiæ manumissos, & Ecclesiæ obsequium nunquam relicturos. Vnde his quoque nos adijcimus, vt quotiens cursum vitæ Sacerdos impleuerit, & de hac vita migrauerit, mox cum successor eius aduenerit, omnes liberti Ecclesiæ, vel ab eis progeniti, chartulas suas in conspectu omnium debeant ipsi subsltituto Pontifici publicare, & professiones suas in conspectu Ecclesiæ renouare, quatenus status sui vigorem & illi obtineant, & obedientia eorum Ecclesia non careat. Si autem aut scripturas libertatis suæ intra annum ordinationis noui Pontificis manifestare contempserint, aut professiones suas renouare noluerint, vacuæ & inanes chartulæ ipsæ remaneant, & illi origini suæ redditi, sint perpetuo serui.

10 Etenim decet, vt hi quorum parentes titulum libertatis de familijs Ecclesiæ perceperunt, intra Ecclesiam, cui obsequium debent, causa eruditionis enutriantur. Contemptus quippe est patronorum, si ipsis neglectis, alijs ad educandum detur progenies manumissorum. Itaque censemus, vt sine sui status præiudicio ab Episcopis habeantur in doctrinæ obsequium; quatenus & illi debitum reddant famulatum, & nullum patiantur suæ ingenuitatis detrimentum. Eos verò qui aliter quam sententia nostra decreuit agere tentauerint, inuitos iubemus ab Episcopis ad hoc ipsum reduci. Quod si forte parentes eorum eos pontificibus suis dare contempserint, & alios sibi patronos adoptauerint, ingratorum feriantur lege libertorum.

Burch. li. 16. c. 5.

11 Dignum est, vt vita innocentiū non maculetur pernicie accusantium. Ideò quisquis à quolibet criminatur, nō ante accusatus supplicio dedicetur, quam accusator præsentetur, atque legum, & Canonum sententia exquiratur: vt si indigna ad accusandum persona inuenitur, ad eius accusationem non iudicetur, nisi vbi pro capite Regiæ maiestatis causa versatur.

12 Prauarum audacia mentium, sæpe aut malitia cogitationum, aut causa culparum refugium appetit hostium. Vnde quisquis patrator causarum extiterit talium, virtute se nitens defendere aduersariorum, & patriæ vel genti suæ detrimenta intulerit rerum, in potestate Principis ac gentis reductus, excommunicatus & retrusus longinquioris pœnitentiæ legibus subdatur. Quòd si ipse mali sui prius reminiscens ad Ecclesiam fecerit confugium, intercessu Sacerdotum & reuerentia loci Regia in eo pietas referuetur comitante iustitia.

De dignitatibus Gothorū Palatinis dicemus infra.

13 Qui Primatum dignitate, atque reuerentiæ, vel gratiæ ob meritum, in palatio honorabiles habentur, his à iunioribus modestus honor per omnia deferatur. Qui etiam minores à senioribus & dilectionis amplectantur affectu, & vtilitatis imbuantur exemplo.

14 Præmio fraudare fideles, non solum inhumanum, sed etiam existit iniustum. Ideoque cum fidei meritum tam in rebus diuinis, quàm in humanis non habeatur ingratum, dignum videtur, vt Sacerdotali sententia consulamus fidelibus regis. Proinde, vt anno primo sereniſſimi Principis nostri decreuit Concilium sanctum, omnes qui fideli obsequio & sincero seruitio voluntatibus, vel iussis paruerint Principis, totaque intentione salutis eius custodiam, vel vigilantiam habuerint, à regni successoribus, nec à dignitate, nec à rebus pristinis, causa repellantur iniusta, sed & nunc ita pro vniuscuiusque vtilitate Principis moderentur discretione, sicut eos prospexerit necessarios esse patriæ, & sic illis impartiatur benignitas, vt cæteris maneat gratiæ potestas: quatenus ita omnia in rebus iustè conquisitis lucrentur, vt posteris relinquendi, vel quibus voluntas eorum decreuerit, conferendi spontaneo fruantur arbitrio. Cæterum si infidelis quisquā in capite regio, aut inutilis in rebus commissis præsenti pijssimo domino nostro Cinthilano Regi extiterit, in clementiæ eius manu & potestatis nutu constet huiusmodi moderatio. Nefas est enim in dubiū deducere eius potestatē, cui omniū gubernatio superno cōstat delegata iudicio. Quòd si

Ca. 6. cōc. Tolet. v.

Cōc. Tol. 5. c. 6. Iuo. p. 16. c. 28. Burch. li. 15. c. 27.

post eius discessum quispiam repertus fuerit, eius vitæ fuisse infidelis, quicquid largitate ipsius in rebus habuit conquisitis, careat, confiscandum & fidelibus largiendum.

15 Quia his, qui principibus dignè deseruiunt, atque deferentibus fidele illis obsequium, constat nos optima ministrasse suffragia, dum iustè à principibus acquisita, in eorum iure persistere sancimus indiuulsa: æquum est maximè, vt rebus Ecclesiarum Dei adhibeatur à nobis prouidentia opportuna: adeò, vt quæcunque res Ecclesijs Dei à principibus iustè concessæ sunt, vel fuerint, vel cuiuscunque alterius personæ quolibet titulo, illis non iniustè collatæ sunt, vel extiterint, ita in earum iure persistere firma stabilitate iubemus, vt euelli quocunq; casu vel tempore nullatenus possint. Opportunum est enim, vt sicut fidelia hominum seruitia non existere censuimus ingrata, ita ecclesijs collata, quæ propriè sunt pauperum alimenta, earum in iure pro mercede offerentium maneant inconuulsa.

16 Sicut insolentia malorum regum, odiosa & execrabilis semper existit subiectis: ita bonorum prouida vtilitas, amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis Christianus toleranter videat, regiam sobolem aut posteritatem expoliari rebus, aut priuari dignitatibus? Quod ne fiat, generalis hæc promatur de principis filijs sententia nostra, & de præsentis excellentissimi Chintillani regis posteritate dentur aperta à nobis decreta, vt ea, quæ synodus præterito anno in hac Ecclesia habita, constituit, circa omnem posteritatem eius, vniuersitas regni sui conseruet, hoc est, vt præbeatur filijs eius dilectio benigna & firma, & tribuantur, vbi loci opportunitas exhibuerit, defensionis adminicula iusta, ne de rebus iustè *prosligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate principum, vel alicuius impensis, aut etiam proprietate debitis fraudentur quibuslibet insidijs calliditatis, neque à quoquam lædendi eos præbeantur argumenta machinationis: quia dignum est, vt cuius regimine habemus securitatem, eius posteritati (decreto Concilij) impertiamus quietem. Denique tanta erga nos nostri principis extant beneficia, vt longum sit, singulatim ea promere lingua, Ipse enim, authore Deo, nobis pacem, ipse quasi captiuam reduxit charitatẽ: ipsius ope quieti, ipsius sumus multa largitione ditati: ipse medicamine bonitatis suæ & reis pepercit, & rectos sublimauit. Cui si dignis voluerimus respondere beneficijs, non tantis extamus copijs virtutis, quibus tantæ voto sufficiamus voluntatis.

17 Quamuis in Concilio anteriori, quod anno primo glorioſi principis nostri habitum est, de huiusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterare, quod conuenit custodiri. Itaque regis vita constante, nullus sibi aliquo opere vel deliberatione, cuiuscunque dignitatis laicus, seu gradu episcopi, aut presbyteri, aut diaconi consecratus, cæterisque clericatus officijs deditus, futurum regem prouideat, contra viuentis regis vtilitatem & proculdubio voluntatem: nullo blandimento vel suasione pro eadem spe aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim & valde execrabile Christianis debet haberi, futuris temporibus illicita prospicere, & vitæ suæ ignaros, ventura disponere. Quòd si quisque iam talia iniqua deliberatione cum quocunque est meditatus, hoc sibi nouerit esse sacerdotali moderatione concessum, si venerabiliter poscit, vt hoc sine mora præsentis principis auribus studeat publicare. Si autem *retineat, & deliberationis suæ machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate. Rege verò defuncto, nullus tyrannica præsumptione regnum assumat: nullus sub religionis habitu detonsus, aut turpiter decaluatus, aut seruilem originem trahens, vel extraneę gẽtis homo, nisi genere & moribus dignus, promoueatur ad apicem regni. Temerator autem huius præceptionis sanctissimæ, feriatur perpetuo anathemate.

18 Iam quidem in antecedenti vniuersali synodo, saluti nostrorum principum constat esse consultum: sed libet iterare benè sancita, & digna authoritate munire salubriter ordinata. Ideoque testamur coram Deo & omni

Tolet. 5. cap. 2.

*prouisis

Ca. 4. cõc. Tolc. 5.

*obstinata deliberatione sua.

Tolet. 4. cap. 74.

post eius decessum quispiam repertus fuerit eius vitæ fuisse infidelis, quidquid largitate ipsius in rebus habuit conquisitis, careat; confiscandum & fidelibus largiendum.

15 Quia his, qui Principibus dignè seruiunt, atque deferentibus fidele illis obsequium, constat nos optimum ministrasse suffragium, dum iustè à Principibus adquisita in eorum iure persistere sancimus indiuulsa, æquum est maximè, vt rebus ecclesiarum Dei adhibeatur à nobis prouidentia opportuna: adeò, vt quæcunque rerum ecclesiis DEI à Principibus iustè concessa sunt, vel fuerint, vel cuiuscunque alterius personæ quolibet titulo illis non iniustè collata sunt, vel extiterint, ita in eorum iure persistere firma iubemus, vt euelli quocunque casu, vel tempore nullatenus possint. Opportunum est enim, vt sicut fidelia seruitia hominum non existere censuimus ingrata, ita ecclesijs collata (quæ propriè sunt pauperum alimenta) eorum in iure pro mercede offerentũ maneant inconuulsa.

16 Sicut insolentia malorum Regum odiosa semper & execrabilis extitit subiectis, ita bonorum prouida vtilitas amabilis efficitur populis. Quocirca quis ferat, aut quis toleranter Christianus videat, Regis sobolem, aut posteritatem expoliari rebus, aut priuari dignitatibus? Quod ne fiat, cum generalis hæc promatur de Principis filijs sententia nostra, id est, de præsenti excellentissimi & gloriosissimi principis Cinthilani regis posteritate, dentur aperta à nobis decreta: vt ea, quæ Synodus præterito anno in hac ecclesia habita constituit circa omnem posteritatem eius, vniuersitas regni sui conseruet: id est, vt præbeatur filijs eius dilectio benigna & firma, & tribuantur, vbi loci opportunitas exhibuerit, defensionis adminicula iusta: ne de rebus iustè prosligatis, aut parentum dignitate procuratis, vel largitate Principis, aut alicuius impensis, aut etiam proprietate debitis fraudentur qualibet insidia calliditatis; neue à quoquam lædendi eos præbeantur argumenta machinationis: quia dignum est, vt cuius regimine habemus securitatem, eius posteritati decreto Concilij impertiamus quietem. Denique tanta erga nos nostri Principis extant beneficia, vt longum sit, sigillatim ea promere lingua. Ipse enim, auctore Deo, nobis pacem, ipse quasi captiuam reduxit charitatem, ipsius ope quieti, ipsius sumus largitione ditati, ipse medicamine bonitatis suæ, & reis pepercit, & rectos sublimauit: cui si dignis voluerimus respondere beneficijs, non tantis extamus copijs virtutis, quanto voto sufficimus voluntatis.

17 Quamquam in Concilio anteriori, quod anno primo glorioſissimi Principis nostri habitum est, de huiusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterare quod conuenit custodire. Itaque Regis vita constante, nullus sibi aliquo opere, vel deliberatione, seu cuiuscunque dignitatis Laicus, seu gradus Episcopatus, Presbyterij, aut Diaconij consecratus, cæterisque Clericatus officijs deditus, Regem prouideat contra viuentis Regis vtilitatem, & proculdubio voluntatem: nullo blandimento, vel suasione pro eadem spe, aut alios in se trahat, aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim & valde execrabile à Christianis debet haberi, futuris temporibus illicita prospicere, & vitæ suæ ignaros, ventura disponere. Quod si quisquam iam talia iniqua deliberatione, cum quocunque est meditatus, hoc sibi nouerit esse Sacerdotali moderatione concessum, vt veniabiliter possit hoc sine mora præsentis Principis auribus publicare: si autem obstinata deliberatione, sua machinamenta noluerit dicere, pessimo plectatur anathemate. Rege vero defuncto, nullus tyrannica præsumptione regnum assumat; nullus sub religionis habitu detonsus, aut turpiter decaluatus, aut seruilem originem trahens, vel extraneæ gentis homo, nisi genere Gothus & moribus dignus, prouehatur ad apicem regni. Temerator autem huius præceptionis sanctissimæ feriatur perpetuo anathemate.

18 Iam quidem in antecedenti vniuersali Synodo, pro salute nostrorum Principum constat esse consultum: sed libet iterare bene sancita, & digna auctoritate munire salubriter ordinata. Ideoque contestamur coram Deo, &

Iuo. p. 16. c. 29. Burchar. li. 15. c. 28.

Cóc. Tol. 5. cap. 4. Burch. li. 15. ca. 25. Iuo. p. 16. c. 26.

Cóc. Tol. 5. c. 2. Iuo. p. 16. c. 27. Burch. li. 15. c. 26.

ordine omni

ordine angelorum, coram prophetarum atque Apostolorum, vel omnium martyrum choro, coram omni Ecclesia catholica & Christianorum cœtu, vt nemo intendat in interitum regis, nemo vitam principis attrectet, nemo regni eum gubernaculis priuet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni sibi vsurpet, nemo quolibet machinamento in eius aduersitate sibi coniuratorum manū associet. Quòd si in quippiam horum quisquam nostrorum temerario casu præsumptor extiterit, anathemate diuino perculsus, absque vllo remedij loco habeatur condemnatus æterno iudicio. Is autem, qui eius sedem fuerit assequutus, si vult tanto expiari piaculo, quasi proprij patris eius vlciscatur interitum, in cuius defensionis auxilium, vniuersi regni Gotthorum consentiat fortitudo. Si autem desidiæ causa & minori zelo tam funestum noluerint vindicare scelus, sint omnes ex nostra sententia opprobrium cæteris gentibus.

19 His omnibus ritè dispositis, & diuturna collatione deliberatis, benedictionem, gloriam, & honorem inuisibili omnium authori repēdimus luminum patri, & in his conseruandis eius imploramus opem suffragij, vt constitutionibus nostris robur tribuat seu virtutem, fragilitatemque humanam huic dispositioni reddat efficacem, vt non iudicet præuaricatricem. Nos ergo omnia suprascripta salua authoritate priscorum canonum, subscriptione nostra firmamus, & gratias agimus Christianissimo & gloriosissimo Chintillano principi nostro, cuius studio aduocati, & instantia collecti sumus, cuius volūtas probata, ordinatio extitit religiosa. Donet ei Dominus optimo principi diuturnum in sæculo præsenti triumphum, & in parte iustorum perpetuum regnum, felicibusque annis felix ipse in longa felicitatè fruatur, & diuinæ dexteræ protectione vbique muniatur.

Ego Salua, etsi indignus, ecclesiæ Narbonensis episcopus, his constitutionibus à nobis editis, subscripsi.

*37 Similiter & alij episcopi subscripserunt numero * quinquagintaduo, videlicet:

Ego Iulianus ecclesiæ Bracarensis episcopus, subsc.

Ego Eugenius ecclesiæ Toletanæ episcopus, subscr.
Ego Honoratus ecclesiæ Hispalens. episc. subsc.
Ego Protasius ecclesiæ Placentinæ episc. subsc.
Ego Tonantius eccle. Palentinæ episc. subsc.
Leufredus Cordubensis eccle. episc. subsc.

*Bistargen. vel Bigarren. Ego Vigitinus ecclesiæ, * Bigastrensis episcopus subscripsi.
Ego Acutulus eccle. Elnens. episc. subsc.
Ego Ioannes eccle. Ilipensis episc. subsc.
*Bastitanæ Ego Eusebius * Bastianæ eccles. episc. subsc.

Ego Hilarius Complutens. episc. subsc.
Ego Bonifacius eccles. Carthaginen. episc. subsc.

Iacobus Mentesanæ eccl. episc. subsc.
Ioannes Dertusanæ eccle. episco. subscri.
Dauid Aurienſis ecclesiæ episc. subscr.
Elpidius Tyrassonensis episc. subsc.
Ego Sisisclus ecclesiæ Elborensis episc. subsc.

*Fructuosus *Fructuosus Osdulphus Oscensis ecclesiæ episc. subsc.
* Scrutuosus ecclesiæ Ilerdensis epis. subsc.
Deodatus ecclesiæ Egabrensis episc. subsc.
Profuturus Lamecensis eccle. episc. subscr.
Seruus Dei Arcobricens. eccle. episc. subsc.

Ego Pimenius eccl. Dumiensis episc. subsc.
Anatolius eccle. Lotenens. episc. subsc.
Suauilla ecclesiæ Oretanæ episc. subscr.
Montesis ecclesiæ Egitanæ episc. subscri.
Iochila Salamanticensis episc. subscripsi.
*Argiolus *Agiulphus Portegalensis episcopus, subsc.

Serpentinus ecclesiæ Ilicitanæ episc. subscr.

omni ordine Angelorum, coram Prophetarum, atque Apostolorum vel omnium Martyrum choro; coram omni Ecclesia Catholica, & Christianorum cœtu, vt nemo intendat in interitum Regis; nemo vitam Principis nece attrectet, nemo eum regni gubernaculis priuet, nemo tyrannica præsumptione apicem regni vsurpet, nemo quolibet machinamento, in eius aduersitatem sibi coniuratorum manum associet. Quòd si in quopiam horum quisquam nostrorum temerario ausu præsumptor extiterit, anathemate diuino perculsus, absque vllo remedij loco, habeatur condemnatus æterno iudicio. Is autem, qui eius sedem fuerit assequutus, si vult tanto expiari piaculo, quasi proprij patris eius vlciscatur interitum, in cuius defensionis auxilio vniuersi regni Gothorum consentiat fortitudo. Si autem desidi cura & minori zelo tam funestum noluerint vindicare scelus, sint omnes ex hac nostra sententia, opprobrium cæteris gentibus.

19 His omnibus ritè dispositis, & diuturna collatione deliberatis, benedictionem, gloriam & honorem inuisibili omnium auctori rependimus, luminum Patri, & in his conseruandis eius imploramus opem suffragij; vt constitutionibus nostris, roborem tribuat suæ virtutis, fragilitatemque humanam ita huic dispositioni reddat efficacem, vt non iudicet præuaricatricem. Nos igitur omnia suprascripta salua auctoritate priscorum Canonum, subscriptione nostra firmamus: & gratias agimus Christianissimo & gloriosissimo Cinthilano Principi nostro, cuius studio aduocati, & instantia sumus collecti, cuius volūtas proba, & ordinatio extitit glorioſa. Donet ei Dominus, vt optimo Principi, diuturnum in seculo præsenti triumphum, & in parte iustorum perpetuum regnum; felicibusque annis felix ipse in longa felicitate fruatur, & diuina dexteræ protectione vbique muniatur.

1 Ego Silua etsi indignus ecclesiæ Narbonensis episcopus, his constitutionibus editis subscripsi.

2 Ego Iulianus, ecclesiæ Bracarensis Episcopus, subscripsi.
3 Ego Eugenius, ecclesiæ Toletanæ episc subscripsi.
4 Ego Honoratus, ecclesiæ Hispalensis episc. subscripsi.
5 Ego Protasius, ecclesiæ Valentinæ epsc. subscripsi.
6 Ego Conantius, ecclesiæ Palentinæ episc. subscripsi.
7 Ego Vigicinus, ecclesiæ Bigastrensis episcopus, subscripsi.
8 Ego Laufredus, Cordubensis ecclesiæ episcopus subscripsi.
9 Ego Acutulus, ecclesiæ Elnensis episcopus, subscripsi.
10 Ego Ioannes, ecclesiæ Eleplensis episcopus, subscripsi.
11 Ego Bonifacius, ecclesiæ Caurienſis episcopus, subscripsi.
12 Ego Eusebius, ecclesiæ Bastitanæ episc. subscr.
13 Ego Hilarius, ecclesiæ Complutensis episcopus, subscripsi.
14 Ego Iacobus, ecclesiæ Mentesanæ episc. subscripsi.
15 Ego Ioannes, ecclesiæ Dertosanæ episc. subscripsi.
16 Ego Sisusclus, ecclesiæ Elborensis episc. subsc.
17 Ego Dauid, ecclesiæ Aurienſinæ episc. subscripsi.
18 Ego Elpidius, ecclesiæ Tyrassonensis Episcopus subscripsi.
19 Ego Ordulfus, ecclesiæ Oscensis episc. subscr.
20 Ego Fructuosus, ecclesiæ Ilerdensis episc. subscripsi.
21 Ego Deodatus, ecclesiæ Egabrensis episc. subscripsi.
22 Ego Profuturus, ecclesiæ Lamicensis episc. subsc.
23 Ego Seruusdei, ecclesiæ Calabrienſis episcopus, subscripsi.
24 Ego Pimenius, ecclesiæ Dumiensis episc. subsc.
25 Ego Anatolius, ecclesiæ Lutubensis episc. subscr.
26 Ego Suauila, ecclesiæ Oretanæ episc. subsc.
27 Ego Mentesius, ecclesiæ Egiditanæ episc. subscri.
28 Ego Iouila, ecclesiæ Salmanticensis episc. subscripsi.
29 Ego Visbefus, ecclesiæ Portugalensis episcopus, subscripsi.
30 Ego Serpentinus, ecclesiæ Illicitanæ episc. subsc.

Braulio Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ epiſc. ſubſcripſi.

*Vla Ego *Hoia Barcinonenſis epiſcopus, ſubſc.
Anſericus eccleſiæ Segobienſis epiſc. ſubſc.
Ego Viuaricus eccleſiæ Olyſſiponenſis epiſc. ſubſc.

Guda eccleſiæ Tuccitanæ epiſc. ſubſc.
Anaſtaſius eccleſiæ Tudenſ. epiſc. ſubſc.
Egila eccle. *Oxouienſis epiſc. ſubſcri.
Idiſclus eccleſiæ Segontienſis epiſc. ſubſcr.

Vaſconius eccleſiæ Lucenſis epiſcopus, ſubſcr.

Amamingus eccleſiæ Caurienſ. epiſc. ſubſc.

Epartius Italicenſ. eccleſiæ epiſc. ſubſc.
Renatus eccle. Conimbricenſ. epiſc. ſubſc.

*Dunila *Candidianus *Tulina eccle. Malacitanæ epiſc. ſubſc.
*Oſcandus Aſturicenſ. eccleſiæ epiſc. ſubſc.
Iuſtus Accitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.

Domninus Auxitanæ eccleſiæ epiſc. ſubſc.
Octumarus Irienſis Eccleſiæ epiſc. ſubſc.
*Earnius Viſenſis eccleſiæ epiſc. ſubſc.

Vanna diaconus, qui & Petrus, *eccleſiæ agens vicem Antonij epiſc. ſubſc.
Cunctiſculus agens vicem Orontij epiſcopi eccle. Emeritenſis, ſubſc.
Cetronius preſbyter, agens vicem Gabinij epiſcopi Calaguritanæ eccleſiæ, ſubſcr.
Domarius preſbyter Arcobricenſ. eccleſiæ, agens vicē Carterij epiſc. ſubſcripſi.

*Muſtaſi Piberinus eccleſ. Valentinæ diaconus, agens vicem *Muſtracij epiſc. ſubſcripſi.

31 Ego Braulio, eccleſiæ Cæſarauguſtanæ epiſcopus, ſubſcripſi.
32 Ego Ola, eccleſiæ Barcinonenſis epiſc. ſubſcripſi.
33 Ego Anſericus, eccleſiæ Segobienſis epiſc. ſubſcripſi.
34 Ego Diadicus, eccleſię Olyſipponenſis epiſcopus, ſubſcripſi.
35 Ego Buda, eccleſiæ Tuccitanæ epiſc. ſubſc.
36 Ego Anaſtaſius, eccleſiæ Tudenſis epiſc. ſubſcripſi.
37 Ego Gila, eccleſiæ Oxomenſis epiſc. ſubſcripſi.
38 Ego Idiſclus, eccleſiæ Segontienſis epiſcopus, ſubſcripſi.
39 Ego Auſeonius, eccleſiæ Lucenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.
40 Ego Humanugus, eccleſiæ Caurienſis epiſcopus, ſubſcripſi.
41 Ego Epartius, eccleſiæ Italicenſis epiſcopus, ſubſcripſi.
42 Ego Renatus, eccleſiæ Coimbrenſis epiſcopus ſubſcripſi.
43 Ego Tunila, eccleſiæ Malacitanæ epiſc. ſubſcripſi.
44 Ego Iuſtus, eccleſiæ Accitanæ epiſc. ſubſcripſi.
45 Ego Domninus, eccleſiæ Æſonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
46 Ego Gotumarus, eccleſiæ Irienſis epiſcopus, ſubſc.
47 Ego Farnus, eccleſiæ Viſenſis epiſcopus, ſubſcr.
48 Ego Guntiſcus Preſbyter, agens vicem Orontij Epiſcopi eccleſiæ Emeritenſis, ſubſcripſi.
49 Ego Domarius Preſbyter Arcauicenſis eccleſiæ, agens vicem Carterij epiſcopi, ſubſcripſi.
50 Wamba Diaconus, qui & Petrus, eccleſiæ Segobienſis, agens vicem Antonij epiſcopi, ſubſcripſi.
51 Citionius Preſbyter, agens vicem Guimi Epiſcopi eccleſiæ Calagurritanæ, ſubſcripſi.

52 Seuerinus, ſanctæ Eccleſiæ Valentinæ Diaconus, agēs vicem Muſitacij epiſcopi, ſubſcripſi.

NOTÆ in Concilium ſextum Toletanum Ioan. Garſiæ.

Conc. Nationale. Prætorū quid?

Conuenientibus.] *Eſt Concilium Nationale, ex Hiſpaniæ, & Galliæ Præſulibus coactum.*

In Prætorio Toletano, in Eccleſia ſanctæ Leocadiæ.] *Prætorium villa eſt vrbana, quæ differt à ruſtica, elegantia, & nitore: vnde partem villæ lautius ædificatam, & patri familias habitationi relictam, veteribus Prætorium appellatum, oſtendit, l. 2. D. de ſeruit. ruſt. & Palladius lib. 1. cap. 8. Tertullianus lib. de idololatria. Suetonius in Caio Cæſare Caligula, cap. 57.* In extructionibus (*inquit*) Villarum, & Prætoriorum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod effici poſſe negaretur. *Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum, dolium verſatile Diogenis, eleganter Prætorium nominat. Quapropter hic Prætorium pro ipſa vrbe Toleto ſumitur, in qua eſt baſilica dicata Leocadiæ, Tago fluminī impoſita, Conciliorum altrix & mater, vt diximus in notis ad 4. Concilium Toletanum.*

Cap. 3. Iudæi qua formula fidē profiteantur & iurent?

Iudæorum perfidia.] *De profeſſione Iudæorum, & quomodo vnuſquiſque ad fidem veniens, indiculum profeſſionis ſuæ ſcribere debeat, eſt in libro legum VViſegoth. 12. tit. 3. lib. 14.* Ego ille abrenuncio omnibus ritibus, & obſeruationibus ſectæ. *Ponuntur ibidem & conditiones, quas iurare debent hi, qui ex eis ad fidem conuertuntur, l. 15.* Iuro primum per Deum Patrem omnipotentem, &c. *Ad comprimendam verò perfidiam Iudæorum inueteratam Innocentius IV. & Gregorius IX. & Benedictus XIII. multa decreuerunt, quorum diplomata extant in Archiuis Eccleſiæ Toletanæ.*

Cap. 6. Tonſuræ Clericalis origo & forma quæ?

Vt vir detondeatur.] *Tonſura Eccleſiaſtica vſus ab Apoſtolis fluxit, vt ait Rabanus, de inſtitutis Clericor. cap. 3.* Vt hi, qui diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt, ſancti DEI, crine præciſi innouentur. *Beda etiam libr. 5. de geſtis Anglorum affirmat, quòd B. Petrus in memoriam Dominicæ coronæ, coronam ſimilis tonſuræ geſtabat in capite: & Iſidorus lib. 2. de origine officior. cap. 4.* Tiara, *inquit*, apud veteres conſtituebatur in capite Sacerdotum: hæc ex byſſo confecta rotunda erat, quaſi ſphæra media: & hæc ſignificatur in parte capitis tonſa. *Vnde tonſura Eccleſiaſticis viris ſemper fuit peculiaris, propter honorem, & ſignificationem. Præſertim, qui monaſticam vitam profitebantur, ante omnia tondebantur, vt conſtat ex Concilio Toletano 4. cap. 55.* Non aliter (*inquit*) & hi, qui detonſi à parentibus fuerint, aut ſponte ſua, amiſſis parentibus, ſeipſos religioni deuouerunt, & poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt, vt ijdem à Sacerdote comprehenſi, ad cultum religionis, acta prius pœnitentia, reuocentur. *Idem Canon. 17. huius Concilij:* Nullus ſub religionis habitu detonſus, &c. *Detondebantur etiam, quamuis in ſæculo manerent, qui ſub pœnitentiæ nomine habitum religionis induebant: vt conſtat ex cap. 7. huius Concilij, vbi dicitur:* Et ideo, quoniam tanta exiſtit peruerſitas hominum, vt hi, quos ſub religioſo habitu pœnitentiæ profeſſio, pro peccatorum venia, ad manum Sacerdotis deducit, vel adduxit, iterum rediuiua malitia ad vitæ priſtinæ ſordes reuocet, huius rei cauſa ſancta Synodus decernit, vt ſi qui ingenuorum vtriuſq; ſexus, ſub nomine pœnitentiæ in habitu religioſo ſunt conuerſati, poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentis, &c. *De tonſura monachorum, vide quid dicat Epiphanius, hæreſi. 80. aduerſus Maſſalianos:* Oportet filios (*inquit*) virginis matris Eccleſiæ eſſe reuerendos in tonſura. *Et Hieronymus epiſt. 48. ad Sabinianum: & Beda lib. 5. de geſtis Anglorum: & Caſſiodorus. Erat & decaluatio apud Gothos in vſu. Verùm hæc publicæ, atque perpetuæ infamiæ nota erat: vt patet ex multis Concilijs, præſertim Toletano, & Emeritenſi, cap. 15.* Turpi decaluatione maneat emendatus: *& in legibus VViſegothorum locus eſt inſignis, præter alia multa, lib. 2. tit. 4. l. 6.* Pari ſimul ſententia & falſarij teneantur, atque inſuper, ad aliorum terrorem, centenis flagellis, & turpiter decaluati perenni infamię ſubiacebunt. *Et libro 6. tit. 4. cap. 5.* Ad perennem infamiam deformiter decaluetur. *Quin & caluitij deformitatem adeo inquè Romani tulerunt, vt Suetonius ſcribat, Iulium Cæſarem ideo deficientem capillum reuocare à vertice conſueuiſſe, & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoq; honoribus, non aliud aut recepiſſe, aut*

Decaluatio nota infamiæ perpetuæ.

vſurpaſſe

vsurpasse libentius, quàm ius laureæ coronæ perpetuo gestandæ. Pro maximo etiam probro idem in Gallico triumpho Mœchus caluus est appellatus. Erat enim tonsio, & excaluatio ignominiosa pœna, Christianis viris, & fœminis, pro ludribio à Gentilibus decreta. De qua vide, quæ Cæsar Baronius, vir multiplicis eruditionis, adducit 20. Septembris in Martyrologio sanctorum, explicationemq; Canonis 17. Concilij Gangrensis, ex Sozomeno, lib. 3. cap. 13. quam, vt eruditam, sequor: item quæ supra diuersis in locis hac de re annotaui.

Cap. 7.

Comam nutrientes.] *Loquitur de publica pœnitentia, & solenni, quæ non datur quibusuis peccatoribus, sed illis tantum, qui publicè peccauerint: vnde Concil. 3. Arel. cap. 26. dicitur, vt qui publico crimine conuicti sunt, reipublicæ indicentur, & publicam pœnitentiam agant, secundum Canones. Primo etiam Toletano, Canone 2. sic habetur* : Pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis, publicam pœnitentiam egerit. *Est enim pœnitentia triplex. Prima, pro grauioribus criminibus, quæ publica, & solennis in Ecclesia dicitur. Secunda, temperatior, quæ inter peccatorem & Presbyterum fit, secreta peccati manifestatione, & Sacerdotali correptione. Tertia, quam pro leuissimis, & quotidianis peccatis peccator apud semetipsum facit. Has tres pœnitentias ponit Augustinus lib. de fide, & operibus, versus finem. Huius verò pœnitentiæ solennis conditiones, & modos ex varijs Concil. Canonibus colligere licet: præcipuè vero ex Concilio Agathensi, cap. 15. vbi etiam discrimen inter secretam pœnitentiam, & hanc publicam, in qua deponebant comam, vestimenta mutabant, ciliciumq; induebant, manifestè ostenditur. Habeturq; fusè apud Gratianum. d. 50. cap. In capite Quadragesimæ: & in epist. ad Cyprianum Cleri Romani. Et apud Sozomenum, libro 6. Ecclesiast. histor. cap. 16. describitur habitus, & cõditio pœnitentium Occidentalium Ecclesiarum. Hæc pœnitentia semel duntaxat in Ecclesia concedebatur : & extra periculum, non quouis tempore relaxabatur, sed in cœna Domini, feria quinta septimanæ vltimæ Quadragesimæ, qui pœnitentiam impleuerant, per manus impositionem Sacerdotis reconciliabantur, Eucharistiaq; sumptionem. Sother PP. apud Gratianum, de consecr. dist. 2. cap. In cœna Domini. Innocentius Primus, epistola 1. cap. 7. Cabilonens. Concil. ca. 4. 7. Eratq; hæc publica pœnitentia infamis; Clericis, & Sacerdotibus interdicta. Consule de hac re Gratianum tota distinctione. 50.*

Pœnitẽtia triplex.

Cap. 12. Immunitas Ecclesiarũ cuilibet debita seruari debet.

Sacerdotum, & reuerentia loci.] *Ad immunitatem Ecclesiæ seruandam, duas causas affert: prima est intercessio Sacerdotum: secunda, reuerentia loci. Semper fuit religiosum, ad Ecclesiam confugientes, pro loci cultu, & obseruantia, inde non abstrahi; vt constat ex Codice Iustiniani, & Theodosij, de his qui ad Ecclesiam confugiunt. Quas leges laudat sanctus Gregorius, libr. 11. epist. 54. Sanctus Chrysostomus sermone in Eutropium, Zozimus lib. 8. cap. 7. Socrates lib. 6. cap. 5. Suidas in Eutropio. Nicephor. lib. 13. ca. 4. Gratianus varia decreta Augustini, & Gelasij adfert, aduersus eos, qui ad Ecclesiam confugientes, è templo abstrahunt. Extantq; leges Gothorum de eadem re, lib. 9 fori iudicum, tit. 13.*

Cap. 14.

In clementiæ eius manu.] *Burch. hic aliter paulò; in quo malè pro, potestatis, legitur, posteritatis; & statim, fas, pro nefas: in eodem est, ius potestatis, pro, eius potestatem.*

Cap. 15. Sacrilegiũ grauissimum est peccatum.

Vt euelli quocunque casu, vel tempore nullatenus possint.] *Quantum piaculum sit, res à fidelibus sincera fide Ecclesijs datas, ab eis auferri, ac distrahi, multa hoc tempore extant doctissimorum virorum scripta, quæ breuitatis causa prudẽs omitto: vnum tantum subijciam, quod in Constitutionibus Orientalibus scriptum inueni lib. 1. Nicephorum Phocam donationes monasterijs ac templis relictas prorsus aboleuisse; lege etiam lata, ne Ecclesiæ immobilibus locupletarentur bonis; causatus, Episcopos malè prodigere ea, quæ pauperibus darentur; militibus interim deficientibus. Cuius temerariam hanc, impietatiq; plenam legem, Porphyrogenneta dominus Basilius Iunior alia lege lata, sustulit, quam dignam, quæ hic apponeretur, existimaui:* Imperium nostrum (*inquit*) quod à Deo profectum est, quum & à Monachis, quorum pietas & virtus est testata, & à multis alijs, legem, de Dei Ecclesijs & sanctis domibus, vel potius contrà Dei Ecclesias & sanctas eorum domos à domino Nicephoro, qui imperium inuasit, conditam, præsentium malorum causam fuisse, & radicem, & vniuersalis huius subuersionis & confusionis (vt quæ ad iniuriam & contumeliam, non solum Ecclesiarum, & sanctarum domorum, sed etiam ipsius Dei facta sit) intellexisset, & maximè, quum id re ipsa expertum esset (ex quo enim hæc lex est obseruata, nihil boni penitus in hodiernum vsque diem vitæ nostræ occurrit; sed contra nullum penitus calamitatis genus defuit) statuit per præsentem auream bullam, vt lex prædicta, ab hoc præsenti die cesset; & deinceps infirma, & irrita permaneat; & locum habeant & in vsu sint, quæ de Dei Ecclesijs, & sanctis & religiosis domibus factæ sunt leges. *Ex versione Eimundi Bonafidei.*

Ego Braulio.] *Qui & Braulius dicitur. De eo Rodericus Toletanus libro secundo, capite decimonono, sic inquit*: Huic Synodo Braulio Cæsaraugustanus Episcopus, præ cæteris, illustris effulsit, atque piam doctrinam Christianis mentibus decenter infudit; cuius & opuscula nunc vsque Ecclesia veneratur, &c.

SEVERINI PAP. I.

VITA.

SEVERINVS, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses duos, dies quatuor. Huius temporibus deuastatum est Episcopium Lateranense à Mauritio Chartulario, & Isacio patritio, & Exarcho Italiæ, cum adhuc electus esset Domnus Seuerinus. Sed antequam veniret Isacius Mauritius dolo ductus aduersus Ecclesiam Dei cõsilio inito cum quibusdam peruersis hominibus, incitauerunt exercitũ Romanum, dicentes; quia quid prodest, quod tantæ pecuniæ congregatæ sunt in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, & miles iste nihil exinde subuentus habet, quãdo & rogæ vestræ quas Domnus Imperator vobis per vices mandauit, vbi sunt à sancto viro reconditæ. His auditis exarserunt omnes aduersus Ecclesiam Dei, & venerunt omnes à minimo concitati, omnes armati, qui inuenti sunt in Ciuitate Romana à puero vsque ad senem in * Episcopio suprascripto Lateranensi, & non potuerunt manu militari introire, quia restiterunt eis, qui erant cum sanctissimo Domno Seuerino. Tunc videns hoc Mauritius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus fecit ibi exercitum residere, intra Episcopium Lateranense, & fuerunt ibi tres dies. Post triduum autem introiuit Mauritius cum Iudicibus, qui inuenti sunt cum ipso in consilio, & * sigillaueruut omne vestiariũ Ecclesiæ seu * cymbilia Episcopij, quæ diuersi Christianissimi Imperatores seu Patritij, & consules pro redemptione animarum suarum beato Petro Apostolo reliquerant, vt pauperibus singulis temporibus pro *alimonia erogarentur, seu propter redemptionem captiuorum. Et postmodum misit Mauritius epistolas suas ad Isacium patritiũ Rauennam de hoc, quod actum est, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium Episcopij. Et quia sine aliqua læsione omnem substãtiam sæpe dictam, potuissent deprædari. Cumque hæc verius cognouisset Isacius, venit in ciuitatem Romanã, & misit omnes primatos Ecclesiæ singulos per singulas ciuitates in exilium, vt non fuisset, qui ei resistere debuisset de clero. Et post dies aliquantos ingressus est Isacius Patritius in Episcopium Lateranense, & fuit ibi per dies octo, vsque dum omnes substantiam illam deprædarentur. Eodem tempore direxit exinde ex * parte ex substantia ipsa in ciuitatem regiam ad Heraclium Imperatorem. Postmodum ordinatus est sanctissimus Seuerinus, & reuersus est Isacius Rauennam. Hic renouauit * absidam beati Petri Apostoli ex musiuo quod dirutum erat. Hic dilexit clerum, & omnibus * donam augmentauit. Fuit autẽ sanctus, benignus super omnes homines, amator pauperũ, largus, & mitissimus. Fecit autem Episcopos per diuersa loca numero quatuor. Hic * dimisit omni clero rogam integram. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolũ sub die 4. Nonas Augusti, & cessauit Episcopatus menses quatuor, dies 29.

*Episcopio Lateranense.

*intrãtes sub specie pacis sigil.

* eleemosyna.

*ipsa substãtia partẽ quandã.

*B. apsidẽ

*B. donis, vel bonis.

*B. dimisit

NOTÆ in vitam Seuerini Papæ.

Seuerinus quando pontificatum adeptus?

Seuerinus.] *Post obitum Honorij, Seuerinus natione Romanus consensu totius cleri factus est Pontifex: cõfirmationem electionis tyrannicè fieri solitã, ab Heraclio fortasse nullã impetrauit; ideo quod Echthesin illã siue expositionem fidei, quã sub nomine Heraclij Impera-*

toris,

toris, Sergius Constantinopolitanus Episcopus ad suã de vna volũtate & operatione Christi sententiã stabiliendã promulgauerat, & à Seuerino Pontifice Romano probari expetiuerat, ille non modo nõ instar synodi Alexandrinæ eã probauerit; sed potius diro anathemate percusserit. Secret. 3. Concilij Lateranensis sub Martino. *Tunc euenisse illud, quod de Episcopo Lateranensi spoliato: de primatibus Ecclesiæ, id est, Cardinalibus per Isaciũ Italiæ Exarchum relegatis narrat Anastasius, valde est credibile. Post hæc immaniter in Pontificẽ & Ecclesiam iussu Heraclij cõmissa, vir sanctissimus à ministris Imperatoris grauibus molestijs & afflictionibus exagitatus non diu superstes fuit. Beda li. 2. ca. 19. auctor est, Scotos ad Seuerinum cum legatione quadam litteras misisse, quibus eũ de erroribus in Paschatis celebratione corrigendis admonuerunt: Sed cum ille ante eorum aduentum diem obijsset, vna cũ clero Romano Ioannem electum tantum, nondũ autem confirmatum Papam eas aperuisse, ijsq; de Paschate Catholico more celebrando, & reuiuiscente Pelagiana hæresi diligenter cauenda respondisse. Extat huius Epistolæ fragmentum apud Bedam, quod infra sub Ioanne excudi mandauimus. Post Echtesin publicatam & in synodo confirmatã, moritur Sergius Constantinop. Episcopus anno sedis 30. Surrogatur ei in sede & hæresi Monothelitarum propaganda successor, Pyrrhus Chrysopolitanus Monachus & Presbyter, qui scripta ad Ioannem IV. epistola, teste Agathone, ipsum in hæresin pellicere conatus fuit. Sarracenis potiuntur hoc tempore regno Persarum, dum Heraclius Constantinopoli fidem Catholicam impugnat.*

Sedit menses.] *Baron. anno 639. n. 3. ait Anastasium Seuerino tribuere menses 11. & dies 4. ad prædictum annum Domini, qui cum Indictione 12. coincidit, Seuerinum peruenisse, ex eo, quod Echtesin Heraclij Indictione 12 promulgatam, (vt videre est in Concil. Rom. secret. 3.) ipse damnauerit, & anathemati subiecerit. Eundem non esse prætergressum hunc annum, colligere possumus ex synodo Romana, quam prædicta Acta Synodalia à Ioanne Pontifice & successore Seuerini collectam fuisse testantur.*

Primates Ecclesiæ.] *Intellige Presbyteros & Cardinales Diaconos, qui dignitate & auctoritate reliquos antecellunt.*

ECHTESIS HERACLII IMPERAtoris incipit sic.

Expositio orthodoxæ fidei facta à Deo Conseruãdo nostro Domino Principe Heraclio &c. *Extat infra in Concilio Lateranensi sub Martino Papa. Secret. 3.*

CONCILIABVLVM CONSTANTINOPOLITANVM, QVO PER SERGIVM EPISCOPVM CONSTANT. præcedens Echtesis Heraclij confirmata fuit, Anno Domini 639. sub Pontificatu Seuerini Papæ.

Acta synodalia extant in Concilio Lateranensi sub Martino Papa in tertio Secretario. Incipiunt sic:

Sancta synodus congregata dilectissimorum consacerdotum nostrorum. &c.

NOTÆ.

Conciliabulum.] *Post promulgatam Echtesin Honorij, Sergius Constantinopolitanus Patriarcha synodum indixit, in qua allegata expositio fidei probata, retenta & stabilita fuit. Seuerinus Pontifex vt idem faceret, à Sergio rogatus, impiam & fraudulentam expositionem fidei simul cum Actis synodalibus huius Conciliabuli, vsque ad sanguinem & vitæ internecionem impugnauit, prout diximus supra in Notis ad vitam Seuerini. De hac synodo agens S. Maximus Abbas & Martyr in disputatione cum Pyrrho, hæc ait:* Subit me admiratio quomodo synodum voces, quæ non est habita, vt leges & canones synodici, & iura Ecclesiastica iubent: Non enim epistola Encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque locus, neque dies conueniendi decretus. &c. *De quibus pluribus in disput. Maxim. infra.*

Seuerinus Echtesin Heraclij damnat.

Obitus Seuerini.

Res gestæ sub Seuerino.

Quamdiu sederit?

Hãc Echtesin sub nomine Heraclij promulgauit Sergius: vt patet ex quodam Edicto Heraclij, de quo infra in Notis ad vitã Theodori.

Sergius synodali decreto Echtesin cõfirmat.

IOANNIS IV. PAP. VITA.

IOANNES, natione Dalmata, ex patre Venantio scholastico, sedit annum vnum, menses 9. dies *18. Hic tempo- *B. dies 5.
ribus suis misit per omnẽ Dalmatiã, seu Istriam multas pecunias per sanctissimum, & fidelissimum Martinum Abbatem propter redemptionẽ captiuorũ, qui deprædati erant à gentibus. Eodem tempore fecit ecclesiam beatis martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & alijs multis martyribus. Quorum reliquiæ de Dalmatia, & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in ecclesia suprascripta iuxta fontem Lateranensem iuxta Oratoriũ beati Ioãnis * Euangelistæ, quã *Baptistæ.
ornauit, & diuersa dona obtulit. Fecit, vbi supra, arcus argẽteos duos, qui pens. sing. libr. 15. simul & alia vasa argentea multa. Fecit aũt ordinationes duas per mensem Decẽbrim, Presbyteros 18. Diaconos 5. Episcopos per diuersa loca numero 18. Hic dimisit omni clero rogã integram. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die 4. Idus Octob. Et cessauit episcopatus mensem vnum, dies 13.

NOTÆ in vitam Ioannis IV.

Ioannes.] *Anno Domini 640 surrogatus est Seuerino Pontifici, Ioannes eius nominis IV. constans & imperterritus orthodoxæ fidei propugnator: qui minis Exarcharum nihil cedens, exilijs Cardinalium parum motus,* collecto Episcoporum Cõcilio, *inquit Theophanes,* Monothelitarum hæresim anathematizauit. *Vt Honorium Pontificem prædecessorẽ ab illa calumnia hæreticorũ liberaret & defenderet, qua Pyrrhus alijq; Orientales Episcopi Monothelitæ, illum erroris sui consortẽ & sectariũ fuisse iactitabant; ideo quod in prima sua epistola ad Sergiũ Constant. Episcopũ, de simplici & duplici operatione silentiũ inducenti consensisset: in altera vnã duntaxat voluntatem in Christo professus esset; vt hãc, inquam, calummã beatissimo Pontifici calumniosè obiectam dilueret, summa industria procurauit, vt scriptor ille, qui Honorio Pontifici ab Epistolis fuerat, dictas q; ad Sergium Episcopum litteras scripserat, earundem verum & germanum sensum interpretaretur, & ad Imperatorem transmitteret. Quod cum ille iussu B. Ioãnis Papæ IV. fideliter præstitisset sensumq; legitimum verborũ Honorij protulisset, omnem sinistræ hæreseos suspicionem de Honorio euacuauit. Testis huius veritatis est Maximus in suprædicta disputatione qua cũ Pyrrhus interrogasset:* Quid de Honorio ad respondendum habes, qui apertè antecessori meo (*in epist. 2. ad Sergium*) vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi esse tradidit? *Maximus respondit.* Quis fuit fide & auctoritate dignus epistolæ eius interpres, is qui eam ex persona S. Honorij scripsit adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tũ pietatis dogmatibus illustrauit, an hi qui Constantinopoli ex suo corde loquebantur? *Cumq; Pyrrhus respondisset:* Ille qui hanc scripsit. *Maximus dixit.* Is igitur cum ad Diuũ Constantem Imperatorem rursus ex persona Ioannis Papæ de hac epistola scriberet, dixit: Vnam volũtatem diximus in Dño non diuinitatis eius & humanitatis; sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidã duas voluntates in Christo contrarias dicerent, rescripsimus Christũ non duas voluntates contrarias habuisse, carnis inquã & spiritus; sicut nos habemus post peccatum; sed vnam tantũ, quæ naturaliter humanitatem eius signat. Hoc aũt ita esse, argumentũ euidens est meminisse membrorũ & carnis, quæ quidem in diuinitate nõ licet intelligere. &c. *Cum S. Maximi per Africanas prouincias Romam proficiscentis hortatu, de Monothelitarũ hæresi monitos & instructos Africanos antistites adduxisset, vt Concilijs ibidem celebratis hæresim illã condemnarent, Heraclius Imperator ad tollendã, quã ipse etiã incurrerat hæreseos infamiã, nouo promulgato edicto præfatetur, Echtesim illã suã non esse; sed à Sergio conscriptã suiq; nominis subscriptione firmatã, petitione Sergij duntaxat promulgatã esse. De hoc edicto in Actis S. Maximi subiungitur.* Hoc iussum fecit ad Ioannẽ Papã, qui dãnarat Echtesin in ijs quæ tũ ad Pyrrhũ scripta sunt. *Tempore Ioannis Papæ, Heraclius fortissimis Imperatoribus fortasse præferendus, si non gloriam suam hæresi maculasset, infelici exitu mortuus est, postquam annis triginta & vno imperium tenuisset. Eadem infelicitas ad posteros eiusdem est propagata. Nam qui cum ipso regnauerat multis annis, ipsique successit Constantinus, post obitum patris vix quatuor menses Imperij absoluit.*

Ioannes IV. quando Pontifex factus sit?

Honorius cõtra Monothelitas à Ioanne defenditur.

Heraclius auctorem Echtesis prodit.

Obitus Heraclij.

Heracleonem filium Martinæ Augustæ huic Constãtino surrogatum, Senatus post sex menses ab Imperio depositi, ideo quod Martina Augusta procurante, & Pyrrho Constant. Episcopo adiuuante, Constantinus veneno propinato è vita sublatus esse crederetur. Martinam linguæ abscissione priuatam cum filio nasi mutilatione multatæ, idem Senatus in exilium perpetuum eiecit, filioq; Constantini, quem Theophanes Constantem nominat, imperium contulit.

Sedit annum 1. menses. 9. dies 18.] *Duodecimo Octobris defunctus, anno vno, mensibus nouem, & sex tantum diebus sedisse potuit.*

EPISTOLA IOANNIS PAPAE ET Cleri Romani ad Episcopos & Presbyteros Scotiæ : de Paschate more Catholico celebrando, & reuiuiscente Pelagiana hæresi diligenter cauenda.

Dilectissimis & sanctissimis Thomiano, Columbano Chromano, Dimano, & Bathano Episcopis : Chromano, Hermanmoque, Laustrano, Stellano, & Segiano presbyteris : Sarano, cæterisq; doctoribus seu Abbatibus Scotis : Hilarius Archipresbyter & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, Ioannes diaconus & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius & seruans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Ioannes seruus Dei Consiliarius eiusdem Apostolicæ sedis.

Scripta quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Seuerinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea quæ postulata fuerant, soluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam prouinciæ vestræ contra Orthodoxam fidem, nouam ex veteri hæresim renouare conantes, Pascha nostrum in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quartadecima Luna cum Hebræis celebrare nitentes. Quo epistolæ principio (*subdit Beda*) manifestè declaratur, & nuperrimè temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum gentem, sed quosdam ex eis hac fuisse implicitos. Expositaautem ratione Paschalis obseruantiæ, ita de Pelagianis in eadem epistola subdunt : Et hoc quoque cognouimus, quòd virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuò reuiuiscit: quod omnino hortamur vt à vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet : quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidiè à nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur. Et hortamur, ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen & impium, dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propria voluntate, & non ex gratia Dei ? Et primum quidem blasphemia & stultiloquium est dicere, esse hominem sine peccato : quod omnino non potest, nisi vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus & partus. Nam cæteri homines cum peccato originali nascentes, testimonium præuaricationis Adæ (etiam sine peccato actuali existentes) portare noscuntur, secundum prophetam dicentem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

CONCILIVM ROMANVM SVB IOANNE IV. CELEBRATVM ANNO REDEMPTORIS NOSTRI 640. quo Echtesis Heraclij & Monothelitarum hæresis condemnantur.

Notæ.

Concilium.] *De hoc Romano alijsue in eadem causa Africanis Concilijs, hæc breuiter Theophanes*: Ioannes Romanus Præsul, collecto Episcoporũ Concilio, Monothelitarũ hæresim anathematizauit: similiter & in Africa penes Bizantiũ, Numidiã & Mauritaniam diuersi Episcopi conuenientes, Monothelitas anathemate perculerunt. *Ea quæ de calumnia Monothelitarum contra Honorium sparsa, suprà dicta sunt, hoc fortasse etiam Concilio ventilata fuerunt, Baron. ann. 640.*

Acta Concilij quæ.

THEODORI PAP. VITA.

THEODORVS natione Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, de ciuitate Hierosolyma, sedit annos sex, menses 5. dies *18. Hic fuit amator pauperũ, largus, benignus super oẽs, & multũ misericors. Huius tẽporibus Mauritius Chartularius, ꝑ quẽ multa mala operatus est Isacius Patritius, cũ iã *increbuissent peccata eius, beato Petro Apostolo, *vt eos hæreditaret ignis inextinguibilis, cõsilio ductus suprascriptus Mauritius cũ ipsis, quibus antea deuastauerat Ecclesiã Dei *intartizauit aduersus Isacium Patritiũ, & misit per omnia castra, quæ erant sub Ciuitate Romana per circuitum, & congregauit eos, & constrinxit *se cum ipsis *in sacramentum, vt deinceps nullus ex ipsis debuisset obedire Isacio, neque hominibus eius, *qui affirmabant eum, quia sibi regnũ imponere noluisset. Audiens hæc Isacius Patritius, eo *quod Mauritio omnis exercitus Italiæ sacramenta dedisset, misit Donũ magistrum militũ & *sacellariũ suum ad Ciuitatem Romam cum exercitu. Qui veniens in Ciuitatem Romanam, omnes Iudices, seu exercitus *Romanus, qui prius se cum Mauritio sacramento constrinxerant, timore ducti dimittentes Mauritium Chartularium, *omnes se cũ Dono iunxerunt. Et ingresso eo Romam fugit Mauritius ad beatam Mariam ad Præsepe, quem tollentes de ecclesia miserunt *boiam in collũ eius. Similiter & omnes, qui in consilio cum ipso fuerant, *in boiatos misit Rauennã per manus *Maurini scribonis, & *Thomati Chartularij. Qui dedocentes eos peruenerunt iuxta ciuitatem Rauennatem in locum qui dicitur *Ficuclas duodecimo milliario à ciuitate, & ibi decollauerunt Mauritiam, quia sic in mandatis acceperant à suprascripto Isacio, vt vnius Ciuitatem Rauennatem non ingrederetur. Et postquam decollatus est, leuãtes caput eius, duxerunt Rauennam. Videns autem Isacius caput Mauritij, gauisus est. Et fecit ad exemplũ multorum in circo Rauennate in stipitem poni. Illos autem, qui cum ipso directi fuerant omnes *imboiatos iussit arcta custodia in carcerem mitti, cogitans eos quomodo puniret, sed cum ea agerentur mox Dei iudicio ipsis diebus percussus diuino ictu interijt Isacius, & mortuus est. Ij autem, qui recluſi erant, exeuntes de carcere, reuersi sunt singuli per loca sua. Audiens hoc *Imperator quia defunctus est Isacius, misit Theodorum Patritium Exarchum, cui cognomentũ Calliopa, ad regẽdam omnem Italiam. Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa, qui fuerat Patriarcha Constantinopolitanus in Vrbem Romam ad limina Apostolorum. Qui ingressus libellum obtulit cum sua ſubscriptione Apostolicæ nostræ sedis in præsentia cunctiꝫ cleri & populi, condemnãs in eodẽ libello, omnia quæ à se, vel à Decessoribus suis scripta, vel acta sunt aduersus immaculatam nostram fidem. His itaque ab eo peractis, fecit cũ munera erogare *in populum, & Cathedram ei poni iuxta altare, honorans eum vt sacerdotem Regiæ Ciuitatis. Postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum *repedauit. Tunc sanctissimus Theodorus Papa conuocans vniuersos Sacerdotes & clerum in Ecclesia beati Petri Apostolorum principis, condemnauit eum sub vinculo anathematis iuxta meredem, ac retributionem propriæ transgressionis, canonicam pœnam, siue depositionem *excipiens. Qui prædictus Pyrrhus reuersus est in partes Orientis.

*B 20.

Increbuissent cõtra B. Petrum Apostolũ.

*vt eum.

*Erexit se B. Tyranizante.

B. secum ipsos per.

*Sacramento.

*quia affirmabat cũ sibi regnũ imponere velle.

*B. sacellarium

*B. Romani.

*Omnes se addona verterunt.

*Boiam, id est, vinculum.

*B. boiatos.

*C. Maurini.

*B. Thomasij.

*Ficudas.

*C. portarunt eum.

*B. Boiatos.

*in populo.

*reuersus est.

*C. decernens.

Eodem tempore releuata sunt corpora sanctorum martyrum Primi, & Feliciani, quæ erant in arenario sepulta, via Numentana, & adducta sunt in Vrbem Romam. Quæ & recondita sunt in basilica beati Stephani protho-martyris *, vbi, & dona obtulit, Gabathas aureas tres, tabulas ex argento ante confessionem, arcus argenteos duos. Fecit Ecclesiam beato Valentino, via Flaminia, iuxta pontem Miluium à solo, quam ipse dedicauit, & dona multa obtulit. Fecit oratorium beato * Siluestro intra Episcopium Lateranense, vbi & dona largitus est. Fecit & oratorium B. Euplo martyri foris portam beati Pauli Apostoli, quod etiam ornauit.

*in monte Cælio.

*C.B. Sebastiano

Tunc sanctissimus Theodorus Papa scripsit Paulo Patriarchæ Regiæ ciuitatis tam rogans, quamque regulariter increpans, nec non per Apocrisiarios, vt dictum est, pro hoc maximè destinatos præsentialiter ammonens, & contestans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicæ Ecclesiæ remearet. Ille neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum à suo conamine quoquo modo reuocare. Propter quod ab Apostolica Sede ipse depositionis vitione * percussus est. Hic fecit ordinationem vnam per mensem Decembrem, presbyteros 21. diaconos quatuor, episcopos per diuersa loca numero quadraginta sex. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die 2. Id. Maij. & cessauit episcopatus * dies quinquaginta duos.

*percussus

*C. mensem 1. dies 16.

Notæ in vitam Theodori Papæ.

Theodorus.] *Anno Christi Redemptoris nostri 641. vigesima quinta mensis Nouembris, Theodorus creatus est Pontifex. Huius exordio Pyrrhus Constantinopolitanæ vrbis Episcopus, vt laqueum, quem, conscius veneficij Constantino Imperatori allati, meruerat, subterfugeret, in Africam sponte secessit: Constans Imperator in locum hæretici, Paulum æque Monothelitam surrogauit. Qui cum Orientalem Ecclesiam grauissimè perturbaret, querelis Stephani Dorensis Episcopi, aliorumq; Orientalium hac de re ad sedem apostolicam interpositis, à Theodoro Papa, congregata synodo condemnatus est. Pyrrhus delatus in Africam, inuenit ibi Maximum Abbatem & Martyrem; habitaq; cum eodem disputatione illa famosa, quam infra subiungimus, fidei veritatem & Monothelitarum hæresim & perfidiam cognouit, adeo vt inde Romam profectus, oblato ibidem libello pœnitentiæ, hæresim suam publicè abnegarit, & cum titulo patriarchatus Constantinopolitani à Theodoro receptus fuerit. Quod cum Africanis Ecclesijs immutuisset, habitis ibidem in Africa diuersis Conciliis, synodales miserunt ad Romanum Pontificem, petentes, vt is per suos apocrisarios, easdem ad Paulum Constantinopol. Episcopum transmitteret. Præstitit id Pontifex sanctissimus, suasq; addidit, quibus illum in fide orthodoxa instruxit: aliterq; sentientem excommunicandum esse minatur. Paulus dum hasce Romani Pontificis & Africanorum Conciliorum epistolas accepisset, vniuersam Occidentalem Ecclesiam aduersus se commotam esse cognouit. Qua occasione magna cum fraude Constanti Imperatori hæretico persuasit, vt Edictum (quod Typus appellatur) proponeret, quo significaretur tacendum esse de ea altercatione, quæ de vna seu de duabus voluntatibus in Christo vertebatur; ita futurum pollicebatur Imperatori, vt omnes Christiani orbis Ecclesiæ in vnam eandemq; sententiam vnirentur. Paruit Imperator Episcopo, Typum edidit, eumq; Romano Pontifici insinuauit. Pontifex accepto Typo synodum conuocauit, in qua Patres congregati eundem Typum simul cum Paulo Constantinopolitano Episcopo condemnarunt: dumq; sententiam Concilij Imperatori & Patriarchæ insinuasset, Imperator & Patriarcha (quod malè refertur in vita S. Martini Papæ) in apocrisarios Theodori Papæ Constantinopoli degentes furore exarserunt, altare eorundem in palatio Placidiæ, vbi habitabant, subuerterunt, sacrificare eosdem non permiserunt: & quod peius est, sacerdotum Catholicorum alios in carcerem detruserunt, alios in exilium deportauerunt: alios denique verberibus subiectos, graui cruciatu corporis affecerunt. Hæc ex actis synodalibus Concilij Lateranensis. secret. 1. & S. Maximi vita apud Surium: Theophane & Anastasio Baronius.*

Theodorus quãdo Papa creatus?

Pyrrho fugiẽti surrogatus est Paul⁹.

Pyrrhus per disputationem cum Maximo habitam factus est Catholicus.

Typus ꝑmulgatur quare?

Typus cõdemnatur à Papa.

Sedit annos sex, menses 5. dies 10. &c.] *Theodorus Papa anno Domini 649. qui est nonus Constantij Imperatoris, ex hac vita migrauit pridie Idus Maij. Quare oportet asserere eum annis septem, mensibus quinque & 20. diebus sedem apostolicam administrasse. Baron. an. 649. nu. 1.*

Tempus sedis.

Mauritium Chartularium.] *Hic est ille Mauritius, qui sub pontificatu Seuerini, Lateranensem Ecclesiam expilauit: ideoque iusta Dei vltione in pœnam commissi sacrilegij Ecclesia abstrahebatur, quando ad ipsam pro salute confugiens, auxilium peteret. Baron. ann. 643. nu. 5.*

Mauritij sacrilegi pœnaque?

Boiam.] *id est vinculum.*

Ficuldes.] *est Ecclesia Ficodensis, hodie Cerina nominata. Baron. an. 643. nu. 5.*

Audiens Imperator quod defunctus est Isacius misit Theodorum Patricium Exarchum.] *Platonem hæreticum Exarchum, ante Theodorum Calliopam missum fuisse in Italiam, constat ex epist. 16. Martini Papæ, quæ dicitur eo tempore, quo Pyrrhus Constantinopolitanus Episcopus se Romam contulit, Platonem quendam Exarchum fuisse, suosq; ad Pyrrhum Romæ degentem direxisse. Vide Baron. an. 643.*

Exarchus hoc tẽpore quis fuerit?

Ipsis temporibus venit Pyrrhus ex Africa in vrbem Romam.] *Pyrrhus de iuta coniuratione in necem Constantini Imperatoris cum Martina Augusta diffamatus, fugerat in Africam, vt supra dixi, habitaq; celeberrima disputatione cum Maximo coniuctus sua sponte Romam venit, oblatoq; ibidem libello pœnitentiæ, & abiurata hæresi fidem professus fuit. Præter ea quæ de eventa disputationis hic apud Anastasium & in ipsa disputatione continentur, hæc scribit Theophanes:* Pyrrhus vero cum peruenisset in Africam mutuis cum S. Maximo videtur aspectibus, Abba videlicet religiosissimo in monasticis correctionibus, nec non & diuinorum illic existentium Pontificum præsentatur obtutibus: qui hunc redarguturn & persuatum Romã ad Papam Theodorum direxerunt. Qui orthodoxo libello tradito Papæ, ab eo receptus est. *Hæc Theophanes de prædicta disputatione Pyrrhi cum Maximo habita. His consentanea de eadem scribunt Photius & Martinus pontifex epist. 16. Baron. an. 645. num. 1. 2. & seqq.*

Pyrrhi Constant. res gestæ.

Postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedauit.] *Accidit illud hac occasione. Cum Imperator Pyrrhi conuersionem audisset, misit Platoni Exarcho successorem Olympium hæreticum audacissimum: qui vbi Rauennam se contulit, omne adhibuit studium, vt perficeret quod Imperatori gratum esse sciebat: nimirum, vt Pyrrhum in pristinum errorem reuocaret. Quod vt implere posset, elaborauit vt illum ab vrbe Rauennam adduceret, cumque illud ex animi sententia consecutus esset, qua pollebat auctoritate ipsum aggressus, nunquam destitit, quousque desertorem fidei & assertæ Catholicæ confessionis præuaricatorem effecerit. Hoc est quod Theophanes anno 20. Heraclij Imperat. ait:* Pyrrhus cum Romam ciscessisset, & Rauennam peruenisset, vt canis ad vomitum suum reuersus est. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine conuocata Ecclesiæ ad sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & diuino calice expostulato, ex vitifico sanguine in atramentum stillauit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati facit. *Eandem de Pyrrho historiam integrè recensent summatim secretario 1. Concilij Lateranensis, Martinus Papa his verbis.* Pyrrhus denuo pluribus Episcopis terrore & blandimentis dolosè ab eo deceptis, huiusmodi impietatem actis & subscriptionibus proprijs eorum, qui ab eo decepti siue vim passi sunt, confirmare studuit. Propter quod anteà confusus, festinauit pro hoc ipso huc aduenies, emendare proprium commissum, & libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicæ nostræ sedi, condemnans in eodem libello omnia, quæ à se vel à decessoribus suis scripta vel acta sunt aduersus immaculatam fidem nostram. His itaque ab eo peractis, postea rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedauit, iustam mercedem ac retributionem propriæ trangressionis, canonicam pœnam siue depositionẽ decerpens. *Hæc ex Theophane & Concil. Lateran. secret. 1. sub Martino Papa. Baron. ann. 648. num. 11. & seqq.*

Pyrrhus hæresim relapsus quo occasione id cõgerit?

Qui prædictus Pyrrhus reuersus est in partes Orientis.] *Vbi ingratiam Imperatoris receptus, loco impiæ promissæ mercedis, Constantinopolitanam sedem post obitum Pauli recepit anno Domini 652. & post menses quatuor ex hac vita ad tremendi Iudicis Dei tribunal euocatus fuit, surrogato in locum illius Petro versutissimo Monothelita hæretico.*

Pyrrhus sedi Constant. restituitur.

non extat epistol. Theodori.

EPISTOLA THEODORI ad Paulum Constant. cuius fit mentio in epistola Pauli reddita, ad ipsum Theodorum Pontificem; quæ cum quibusdam alijs Synodalibus ad Theodorum Papam transmissis extant in Actis Synodalibus Concilij Lateranensis sub S. Martino Papa.

DISPVTATIO MAXIMI CVM PYRRHO CONstantinopolitano Episcopo habita in Africa sub Theodoro Papa Anno Domini 645.

QVAESTIO ECCLESIASTICI DOGMAtis, disputata coram Gregorio patricio pijssimo in conuentu, & Consessu sanctissimorum Episcoporum & reliquorum nobilium virorum, à Pyrrho Patriarcha Constantinopolitano, & à Maximo Reuerendissimo monacho, mense Iulio, Indictione III. Pyrrho quidem nouum dogma de vna Christi voluntate à se, & à suo antecessore Sergio prauè introductum, defendente, Maximo autem doctrinam Apostolorum & Patrum à principio nobis traditam.

FRANCISCO TVRRIANO SOCIEtatis IESV Theologo interprete.

PYRRHVS: Qua in re, domine Abba Maxime, ego & is cui successi, tibi nocuimus, qui vbiq; nobis detrahis, & nos omnibus in suspicionem de hæresi venire facis? Quis vnquam te, ne de facie quidē notum, sic honorauit & coluit, vt nos? MAX. Quandoquidem audit Deus, nemo vt verbis tuis vtar, sic me honorauit & coluit vt nos: sed cum vos aspernati sitis nūc dogma Christianorum, existimaui pertimescendum mihi esse, si gratiam vestram veritati anteponerem. PYR. Qua opinione aspernati sumus quod Christiani sentiunt? MAX. Opinione de vna voluntate diuinitatis Christi & humanitatis eius, & non solum opinione, sed etiam proposita eius noua expositione ad perniciem totius corporis sanctæ Ecclesiæ. PYR. Quid igitur, qui vnam Christi voluntatem esse sentit, videtur tibi à Christiana doctrina traduci? MAX. Maximè. Quid. n. magis impiū, quàm dicere, eundē vna & eadem volūtate, ante incarnationem quidem omnia ex nihilo fecisse, cōtinere & procurare ac salubriter dirigere; post incarnationē verò, cibum & potionem appetere, loca locis mutare, & omnia alia facere, quæ omni culpa & reprehensione vacabant; quibus etiam dispensationem liberam ab omni fictione esse demonstrauit? PYR. Est ne vnus Christus, an non? MAX. Vnus sanè. PYR. Si igitur vnus Christus tanquam vnus omnino etiam volebat, quod si tanquam vnus volebat, vna prorsus est & eius voluntas, non duæ. MAX. Dicere quippiam, & non distinguere prius significata in eo quod dicitur, nihil aliud est, quàm omnia confundere, & ea studio relinquere operta, de quibus quæritur: quod est alienum à viro disserendi perito. Dic igitur mihi hoc: Christus cum sit vnus, est ne Deus solùm, an etiam solùm homo, an vtrumque, Deus simul, & homo? PYR. Planè, Deus simul & homo. MAX. Deus igitur natura & homo cum esset Christus, volebat tamquam Deus & idem homo, an vt Christus tantum? ac siquidem principaliter vt Deus, & homo volebat Christus, liquet, quod dupliciter, & nō vno modò, vnus cùm idem esset, volebat. Etenim si nihil aliud est Christus præter naturas suas, ex quibus, & in quibus est, perspicuum est, quod conuenienter naturis suis Christus, id est, vt vnaquæque apta nata erat, vnus existens & idem, & volebat, & operabatur: Siquidem neutra earum voluntatis, aut operationis expers est. Quod si conuenienter naturis suis Christus, id est, vnaquæque apta nata erat, volebat & operabatur; erant autem duæ naturæ eius: duæ igitur voluntates eius naturales, & quę cum ipsis numero totidem sunt, substantiarum operationes. Sicut en im numerus naturarum vnius & eiusdem Christi, si piè intelligatur & dicatur, non diuidit Christum, sed differentiam naturarum etiam in vnione custodiri demonstrat: sic numerus voluntatum & operationum, quæ secundum substantiam in eius naturis insunt (ambabus enim naturis suis, vt dictum est, idem salutem nostram & volebat & operabatur) nō diuisionem inducit, absit; sed earum etiam in vnione custodiam tantum & incolumitatem declarat. PYR. Non potest fieri, quin voluntates secum inferant ipsos volentes. MAX. Hoc quidem absurdum, in vestris etiam literis, non ratione, sed licentia protulistis, nacti Heraclium vestrum ad hoc adiutorem, quia vos eius nefariæ & sceleratæ mixtioni assensi estis, & benedictione* eam confirmastis. Si enim concedatur inferri cum voluntatibus volentes, omnino consectanea reciprocatione cum volentibus inferentur voluntates: reperieturque etiam vobis auctoribus in supereſſentiali, plusquam bona & beata Deitate, vna quidem hypostasis, sicut sensit Sabellius, quia vna est in ea voluntas; tres verò voluntates, quia sunt tres personæ, ac proinde tres naturæ, ex opinione Arij; si quidem secundum definitiones, & regulas Patrum, differentia voluntatum differentiam etiam naturarum secum infert. PYR. Impossibile est, in vna persona duas simul esse non contrarias voluntates. MAX. Si non est possibile, esse simul in vna & eadem persona duas non contrarias voluntates; igitur, opinione tua, possibile est esse, si cōtrariæ sint. si sic est, confessus es hactenus duas esse, & non dissides à numero, sed tantum à pugna: restat igitur vt quæramus causam huius pugnæ effectricem, quam igitur esse hanc ais? voluntatemne naturalem, an peccatum? si naturalem dicis, huius autem auctorem non alium esse scimus, nisi Deum; igitur, vt tua est opinio, Deus est auctor pugnæ. Si peccatum dicas; peccatum autem non fecit; neque Deus incarnatus vllam quampiam pugnam in voluntatibus naturalibus habuit: cùm enim causa non est, planè nec effectus causæ erit. PYR. Naturæ igitur est velle? MAX. Sanè quidem simpliciter velle naturæ est. PYR. Si naturæ est velle, illustriores autem patres dixerunt vnam esse Dei & sanctorum voluntatem; ita fiet vt sanctorum & Dei vna sit natura. MAX. Superius dictum est, eum qui de veritate disserit, debere distinguere quæ vocibus significantur, propter errorem qui ex homonymia proficiscitur, Rursus enim percunctabor te: cùm sancti vnam Dei & sanctorum voluntatem esse dixerunt, dixeruntne hoc intuentes in voluntatem substantialem Dei, & effectricem, an id quod volunt? non enim idem est voluntas volentis, & id, quod vult; sicut nō est idem videntis vis cernendi, & quod cernitur. Illa enim inest ei substantialiter; hoc autem extra est. Quod si ad substantialem respicientes dixerunt, reperirentur non solùm eiusdem naturæ cum Deo sanctos inducere & cū eo effectores, sed etiam sibi ipsis repugnātes: qui dixerunt nō posse diuersas substantias communem habere voluntatem. Sin verò ad id, quod volunt, respexerunt, igitur secundum causam, siue vt quibusdam loqui placet, per abusionem volūtatē appellauerunt Patres eā rem, q̄ quis vult; nihil q; absurdū sequetur ex eo, quod definierūt naturæ esse simpliciter velle. PYR. Si voluntatibus à nobis ipsis, & alij ab alijs dissidemus, qui nunc quidem hoc volumus, nunc verò idem nolumus; naturæ autem est hoc, & rationem eius signat atq; exprimit: non solùm reperiemur natura inter nos dissidere, sed infinities mutare naturam. MAX. Non est idem velle, & aliquo modo velle; sicut non est idem videre, & aliquo modo videre, nam velle, sicut & videre naturę est, & omnib. qui eiusdem naturæ sunt, ineſt: at verò aliquo modo velle, sicut & aliquo modo videre, id est, velle deambulare; & nolle deambulare; videre ad dexteram, vel ad lævam; vel supra, vel infra, vel ad libi-

*for. commendatione.

dinem, vel ad perspicientiam rationum, quæ in rebus insunt, modi sunt vtendi voluntate, & aspectu, & hic modus ineſt vtenti tantum, & ab alijs eum distinguit secundum differentiã communiter dictã. Si autem ipsam naturam habemus hoc testantem, igitur velle comedere & nolle comedere, non tollit illud velle quod naturæ est, sed velle aliquo modo, id est, eorum quæ volumus est ortus, & interitus, nec enim si ponamus quæ à Deo facta sunt, quæ sunt ea quæ ipse voluit, interire, cũ his etiam voluntas, quæ ante ea cogitatur, & est eorum effectrix secundum substantiam, simul interibit. PYR. Si naturalem voluntatem dicis, quod autem naturale est, omnino etiã coactum est, quomodo non est necesse, si naturales in Christo voluntates dicimus, non tollere in eo omnem voluntariũ motum? MAX. Non solum diuina & non creata natura nihil habet naturale coactum, sed neq; natura intelligens & creata. Quod.n. est natura particeps rationis, vim habet naturalem appetitus rationalis, qui ẽt vocatur βούλησις, id est, appetitio animæ intelligẽtis; qua appetitione volentes ratiocinamur, & ratiocinati appetẽtes volumus, & appetẽtes quærimus, & cõsideramꝰ, ac consultamus, & iudicamus, & afficimur, & eligimus, & aggredimur, & vtimur. Cũ igitur (vt diximus) natura nobis insit secundũ rationem appetere, id est, velle, & ratiocinari, consultare, & quærere, ac considerare, velle, & iudicare, ac affici, & eligere, aggredi, & vti: non sunt igitur coacta, quæ natura insunt intelligentibus. Quo modo etiam hoc cõcesso, nõ erit omni absurdo absurdior huiusce modi enunciatio? Etenim si vera est, & omne id qꝺ naturale est, idem omnino coactum est: Deus aũt est natura Deus, natura bonus, natura creator; necessario Deus erit Deus, & bonus & creator, qꝺ quidẽ cogitare, ne dum efferre, extremæ blasphemiæ est. Quis enim est qui necessitatem imponit? cõsidera aũt & sic, si placet, amice, huius enunciationis blasphemiã. Si enim qui voluntatẽ naturalem in Christo dicit, omnem in eo voluntarium motum opinione tua tollit, necesse est, quæ quidem volunt naturaliter, motũ habere nõ voluntariũ: quæ verò naturaliter nõ volunt, voluntariũ. igitur non solum Deus, qui est super omnia, sed omnia quæ vim intelligẽdi & ratiocinandi habent, cũ sint naturali vi volendi prædita, contra voluntatẽ motum habebunt; inanimata aũt, quæ non sunt huiusmodi vi volendi prædita, habebunt volũtarium. Accedit huc, qꝺ B. Cyrillus in tertio capite cõtra reprehensiones Theodoreti liberauit nos negotio superuacaneo: qui clarè pronunciauit, nihil naturale esse in natura intelligente inuitum, & perspicere hoc potest si quis hoc caput in manus sumat. PYR. Quandoquidem oportet ea quæ inuestigatione vera esse patuerunt, grato animo amplecti, valde distinctè demonstratum est, esse in Christo naturales volũtates; fieri aũt potest vt sicut ex duabus naturis vnum aliquid cõpositum dicimus, sic ex duab. voluntatibus naturalib. vnã aliquã compositam dicamus. Vt qui duas voluntates dicunt propter naturalẽ in Christo naturarũ differẽtia, & qui vnã dicunt propter summã vnionem, non amplius propter nudas, seu solas voces inter se pugnent: siquidem nobis non in nominib. ait magnus in Theologia Gregorius, sed in rebus est veritas. MAX. Vides quemadmodum ex eo erratis, qꝺ penitus ignoratis, compositiones eorum esse quæ sunt in hypostasi, non eorum qꝺ in alio spectatur? Atq; hæc quidem est omnium, tum philosophorum gentilium, tum sapientium doctorum ecclesiæ cõmunis sententia. Quòd si voluntatum cõpositionem dicitis, cogemini etiam aliorũ naturalium cõpositionem dicere, si modò vultis consentaneè de vestro dogmate differere. aliorum inquã, id est, creati & non creati, infiniti & finiti, non definiti & definiti, immortalis & mortalis, eius quod corrũpi potest, & eius quod corrumpi non potest; atque ita in absurdas opiniones deferemini. Quo modo autẽ ex voluntatibus cõpositum voluntas appellabitur? non enim quod compositum est, appellari potest: aut certè eo modo ex naturis quod constat, natura appellabitur secundum veteres hæreticos. Præterea voluntate à patre eum separatis cum cõpositam & solam natura voluntate composita signatis. PYR. Nihil igitur habent commune, sicut naturæ, sic & quæ in eis naturâ insunt? MAX. Nihil, nisi solam hypostasim earundem naturarũ. Sicut enim idem erat hypostasis non confusa suarũ naturarum, sic etiam erat vnio non diuisa eorum, quæ erãt ipsi naturalia. PYR. Quid igitur Patres, quorum sermones lex & norma Ecclesiæ sunt, etiam gloriam & contumeliam non dixerũt communem? aliud enim, inquit, est illud ex quo extitit communitas gloriæ, & aliud ex quo communitas contumeliæ. MAX. Hoc sancti Patres dixerunt fieri modo & ratione communicationis mutuæ. Liquet autem communicationem mutuam non esse vnius, sed duorum & inæqualiũm; cum ea quæ naturaliter insunt vtriq; parti Christi, secundum vnionem ineffabilem alterius vicissim fiunt, sine alterius partis in alteram secundũ rationem naturalem mutatione, & cõfusione. Quod si ratione ac modo cõmunicationis mutuæ cõmunem voluntatẽ dicis, non vnam, sed duas voluntates dices. atq; ita illuc sapientia tua recidit, vnde effugere & euadere studuisti. PYR. Quid igitur? nonne nutu Verbi cum ipso copulati caro mouebatur? MAX. Diuidis Christum, cum sic loqueris. nutu enim eius mouebantur Moyses & Dauid, & quicumq; fuerunt apti & idonei ad capiendam diuinã operationẽ, depositis humanis & carnalib. proprietatibꝰ. nos verò qui sanctos patres, sicut in omnib. sic etiã in hoc sequimur, dicimꝰ quod ipse Deus vniuersorum factus homo sine mutatione, nõ solum idem, tanquam Deus, conuenienter diuinitati suæ voluit, sed tanquam idem homo, vt humanitati suæ cõueniebat, item voluit. Si enim quæ facta sunt cum non essent, eius quod est, & non eius quod non est (tuendi) habent insitam vim, huius aũt proprium est, secundum naturam, ea prosequi, quæ tuentur, & ab eis fugere, quæ ad interitum eius spectant: igitur super essentiale Verbum homo factum, habuit vim insitam ad tuendum humanitatem, cuius conatum ad prosequendum & refugiendum volens ostendebat per operationem conatũ quidem prosequendi ostendebat in naturalib. & à reprehensione alienis vsq; eo vtendis, vt infideles Deum eum esse non crederent: conatum verò fugæ ostendit, cum tempore passionis voluntariè se metu mortis contraxit. Quid igitur absoni fecit Ecclesia Dei, si cum humanitate eius, & natura creata, ea etiam quæ ab ipso in creatione eidem humanitati indita sunt, sine quib. natura esse non potest, plene confitetur? PYR. Si naturaliter nobis ineſt timor, & hic est ex ijs quæ reprehenduntur; igitur vt vos sentitis, natura insunt nobis, quæ reprehensionem habent, id est, peccatum. MAX. Rursus te ipse, nõ veritatem ex homonymia, id est, multiplici voce, fallis. Est enim timor ex natura & præter naturam, ex natura quidem timor est vis ipsius naturę ad tuendum se per contractionem, præter naturam verò timor est contractio præter rationem. Timorem igitur præter naturam Dominus, vtpote ex proditione cogitationum profectum, penitus non admisit: timorem verò ex natura, vtpote indicem facultatis insitæ naturæ ad tuendum se, volens propter nos, tanquam bonus, admisit. non enim in Domino, sicut in nobis, ea quæ naturæ insunt, voluntati antecedũt, sed sicut, cum verè esuriebat & sitiebat, nõ esuriebat sicut nos, sed supra nos; voluntate enim esuriebat & sitiebat: sic cum timuit verè, nõ sicut nos, sed supra nos timuit & vt in vniuersum dicam, omne in Christo naturale habebat coniunctum cum ratione sua modum, qui supra naturam est, vt & natura per rationẽ comprobaretur, & dispensatio (verbi Dei) per modum. PYR. Igitur vt hanc subtilem & vulgo difficilem differendi artẽ fugiamus, perfectum Deum & eundem perfectum hominem confitebimur, declinantes reliqua omnia: cum perfecti nomen naturalia in se ipso consignificet. MAX. Si dicere naturas sine proprietate, quæ in vnaquaque ineſt, vel Deum perfectum, vel hominem perfectum Christũ sine notionibus perfectionis, perfectæ pietatis est, vt tu sentis; afficiantur anathemate Synodi, & ante eas Patres; qui non solum naturas, sed etiam vniusciuiusque naturæ proprietatem nobis, vt confiteremur, sanxerunt: & non solum Deum perfectum eundẽ, & hominem perfectũ, sed & perfectionis notiones, id est, eundẽ & vnũ dicentes aspectabilẽ & inaspectabilem, mortalem immortalẽ, potuisse corrũpi & nõ potuisse, tangi & non tangi, creatum, & nõ creatum; & ad eandem normam piæ sententiæ, duas etiam voluntates vnius & eiusdem esse piè tradiderunt; nõ solum per determinatum numerum duarum, sed etiam per pronomen aliam; & per proportionẽ, dicendo diuinam, & humanam. non enim vno modo naturã numeri metimur. PYR. Si non possunt dici hæ voces propter calumniam hæreticorum, satis sint nobis ea sola, quæ à Synodis dicta sunt, & ne dicamus vnã, neq; duas voluntates. MAX. Si ea tantum confiteri oportet quæ à Synodis dicta sunt, nec vnam Dei Verbi naturam incarnatam, quæ totam pietatem

mysterij (incarnationis) complectitur, dicere oportet; quia non est dicta Synodicè, quin immò sic etiam cum naturis, & cum earum proprietatibus cogemini voluntates quoque simul confiteri, si enim quæ naturaliter naturis Christi insunt, earum proprietates esse dicitis, naturaliter autem vtriq́ue naturæ Christi insitum est velle: igitur necesse vobis erit, cum alijs proprietatib. naturalibus, voluntates etiam cum naturis confiteri. Præterea si Synodi propter vocem vnius voluntatis Apolinarium & Arium anathematizauerunt: (quia vterq́ue eorum hac voce ad probandum suam hæresim abutebatur: Apolinarius quidem, vt carnem eiusdem substantiæ cum Verbo ostenderet, Arius verò, vt filium diuersæ substantiæ à patre introduceret) quomodo possumus nos pij esse, si voces hæreticis contrarias non confitemur? Quinta verò Synodus, vt omnia prætermittã, cum decreuit ipsis verbis: Vt amplecteremur omnia scripta sanctorũ Athanasij, & Basilij, & Gregorij & aliorum, cum adiunctione egregiorum doctorum, in quorũ scriptis sunt duæ voluntates; & duas voluntates tradiderunt. PYR. Non videtur tibi aures offendere quæ dicitur naturalis voluntas? MAX. Excepta diuina vita, quot species vitæ in rebus esse dicis? PYR. Dic ipse. MAX. Tres species vitæ sunt. PYR. Quæ iste? MAX. vita plantæ sentiens, intelligẽs. PYR. Sic est. MAX. Quandoquidem vnaquæq; ratione quadam creationis ab alijs distincta est, quæ ratio vniuscuiusque speciei propria est & eam ab alijs distinguens? PYR. Et hoc vt dicas, rogo. MAX. Vitæ quidem plantæ proprius est motus alendi, augendi, & gignendi: vitæ verò sentientis, motus appetitionis: intelligentis aũt, motus liberæ voluntatis. PYR. Valde distinctè & articulatè cuiusq; speciei vitæ proprietatẽ explicasti. MAX. Si ostensa est valde distinctè & articulatè cuiusq; proprietas, rursus quæro: an inest vitæ plantæ secundũ naturam motus alendi, crescendi, & generandi, & vitæ sentiẽti motus appetitionis? PYR. Haud dubiè secundum naturam. MAX. Igitur vitæ intelligenti, vt consentaneum est, secundũ naturam inest motus liberæ potestatis. PYR. Et hoc etiam dabit omnino, qui proprijs principijs cõsentanea tradit. MAX. Si igitur natura inest intelligentibus motus liberæ potestatis; sequitur omne intelligens natura habere vt possit velle, liberam enim potestatem definiuit beatus Diadochus Episcopus Photices, esse voluntatem. Si aũt omne intelligens natura habet vim volendi, factum est aũt Verbum Dei verè caro animata anima, ratiocinante & intelligente; igitur etiam quatenus homo erat, secundum substantiam idem erat facultate volendi præditus. q̃p si sic est, igitur non offendit aures piorũ naturalis volũtas quæ dicitur, sed aures hæreticorũ. PYR. Equidem iam superius persuasum est mihi, voluntates in Christo esse naturales; & de hoc aliam probationem non requiro. non minus enim q̃ quę sunt diuinitus patefacta, ipsam naturam rerum testari docuisti, quòd conuenienter suis naturis idem volebat, approbans quidẽ tanquam Deus, obediens aũt tanquam homo; & quod omninò voluntates naturales naturis conueniebant; voluntas quidem sine principio, naturæ sine principio; voluntas cœpta & orta, naturæ item cœptę & ortæ, quod quę fieri non potest, vt in vnam voluntatem vnquam inter se recidant, quamuis vnius & eiusdem sint, sicut & naturæ: quod principio caret & quod cœptum est, nõ creatum & creatum, quod fecit & q̃p factum est; infinitum & terminatũ; quod deificauit & quod deificatũ est. Qui aũt Constantinopoli adhuc contra voluntates naturales pugnant, aiunt dixisse patres, secundum attributionem habere Christũ volũtatem humanã. MAX. Quandoquidem ipse huiusmodi admirabilis & splendidæ istorũ disciplinæ dux fuisti, per q̃ attributionẽ aiunt? an illam ex substantia, quâ illa quæ naturâ insunt, vnusquisq; cũ habet propter naturam sibi vindicat & attribuit; an illam ex habitudine attributionem, qua amicè quę aliorũ sunt vicissim nobis attribuimus & amplectimur, nihil eorum ipsi aut patiẽtes aut agentes? PYR. Illam videlicet, quæ est ex habitudine. MAX. Igitur priusquam hoc absurdum demõstretur, præstiterit diligentius excutere: sit ne natura homo facultate volendi præditus an non. hoc. n. demonstrato, manifestior erit huius hæresis blasphemia. PYR. Si videtur excutiam⁹ hoc. MA. Naturalia non doceri, nó solum qui naturã ratione pertractarunt, & vulgò antecelluerunt, dixêre, sed etiã consuetudo vulgariũ. Quòd si q̃ naturalia sunt non docentur; vt aũt velimus, nulla doctrina comparatũ est; nullus enim vnquam velle docetur: natura igitur homo volendi facultatẽ habet. Rursus; si natura homo est rationis particeps; quod aũt est natura rationis particeps, natura etiã liberæ potestatis est; libera aũt potestas, vt patres sentiunt, volũtas est: est igitur homo natura volũtate præditus. Præterea si in ratione carentib. ducit quidem natura, ducitur verò in homine, qui libera in potestate secundũ volũtatẽ mouetur: est igitur naturæ hominis insitũ velle. Itẽ. si homo fact⁹ est ad imaginẽ beatę & supersubstãtialis deitatis; est aũt diuina natura liberæ potestatis, homo ergo & ipse, vt verè eius imago, natura est liberę potestatis, si aũt natura liberæ potestatis est; ergo natura cõpos volũtatis. Iam. n. dictũ est, definiuisse patres τὸ αὐτεξούσιον, id est, liberã potestatẽ, volũtatẽ. Deinde; si omnib. hominib. inest velle, & nõ his inest, illis nõ inest, q̃p aũt cõmuniter in omnib⁹ spectatur, natura signat in indiuiduis, quæ sub ipso sunt: ergo homo natura volũtatẽ habet. PYR. Demõstratum est plurib⁹ habere hominem natura volũtatẽ. MAX. Hoc igitur perspicuè demõstrato, age, cõsideremus, vt superius propositũ fuit absurdũ propositionis ipsorum. PYR. Consideremus. MAX. Si homo, vt demonstratũ est naturaliter habet volũtatẽ; vt verò ipsi sentiunt, secũdum attributionẽ in sola habitudine humanam habebat Dñs volũtatem: necesse est ipsos, modò velint principia sua sequi, alia etiã nostra naturalia cũ ipsa illa volũtate naturali secundũ solã attributionẽ dicere. ita fiet vt contẽplationẽ & doctrinã de tota dispensatione fictã esse reperiant. Prętera, si sententia Sergij non eos qui aliquo modo, sed qui simpliciter duas voluntates dixerũt, anathemate affecit; dicũt aũt hi duas voluntates, quãuis falso, propter attributionẽ, igitur qui hanc attributionem defendunt, anathemati contra se patrocinãtur. Rursus, si secundũ propositionẽ q̃ defendunt, voluntates secũ inferunt personas; igitur qui duas voluntates dicunt, quamuis errantes, propter attributionem sicut dictum est, personas itẽ, quas secum duæ voluntates inferunt, secundum hanc propositionem dicturi sunt. & quis feres sectionem vnius in duas personas? PYR. Quid igitur Patres, an non dixerunt nostram esse volũtatem, q̃ in se Christus formauit & expressit? MAX. Sanè quidem nostram. PYR. Igitur non illam, quæ ipsi natura inerat, expressit per humanã, sed q̃ suscepit secũdum attributionem. MAX. Quandoquidem similiter dixerũt, eum suscepisse naturã nostram; igitur opinione ipsorum, reperietur Christus habere etiã ipsam naturã sola attributione. si. n. illud verũ est (de voluntate) & hoc verum erit (de natura:) rursus si hoc falsum, & illud. PYR. Quid igitur, cũ dixerũt eã, quæ nostra erat, in se formasse & expressisse, illam* ipsam, q̃ natura in erat, significauerũt? MAX. Maximè. PYR. Quomodo hoc ais? MAX. Quia idẽ erat tot⁹ Deus cũ humanitate; & idẽ totus homo cũ diuinitate. ipse, vt homo, in se & per se, humanã subiecit Deo & patri, formã nobis optimã, & exemplar ad imitationem se ipsum exhibẽs: vt nos in eũ, tanquã in ducem & principem salutis nostræ, intuentes, *eam quę nostra est, sponte ad Deum accõmodemus, ita vt nihil velimus præterquam quod ipse vult. PYR. Illi nõ prauo proposito neq; malitia quapiam hoc dixerunt; sed quod vellent sic vnionem summam declarare. MAX. Si hoc Seuerianis concedatur, an non iustè & veri similiter deinceps, q̃p ad datam sumptionem pertinet, dicturi sunt, se non malo proposito, neq; malitiosè, vnam naturã dicere, sed quòd velint, sicut & vos, ex vna voluntate, summam vnionem per eam demonstrare? armis enim ipsorum contra ipsos illos, sicut Dauid contra Goliath, vtentur. Ecce quẽadmodũ qui dicũt vnã volũtatem in easdem voces, & sententias cũ illis incidunt. Sed quid hanc vnã voluntatem appellent? æquũ est. n. huius appellationem eos assignare. PYR. Aiũt esse gnomicã voluntatem: (dicamus nos sententialẽ.) MAX. Si sententialis, ergo deriuatur à sententia: & si deriuatur, erit sententia, tanquam prototypum, substantia: PYR. Sententia non est substantia. MAX. Si non est substantia, est qualitas, atq́; ita qualitas erit ex qualitate, q̃p fieri non potest. quid igitur aiunt esse gnomẽ (id est, sententiã?) PYR. Gnome, (id est, sentẽtia) nihil aliud est, q̃ quod eã B. Cyrillus esse definiuit, videlicet modus vitæ. MAX. Modus vitæ, verbi gratia, vitæ ex virtute, aut vitę ex vitio, est ne ex electione an nõ? PYR. Ex electione omnino. MAX. Volentes igitur & cõsultantes eligimus, an nolẽtes, & sine cõsilio? PYR: Procul dubio, volentes & consilium capientes. MAX. Igitur gnome nihil aliud est, q̃ voluntas alicuius modi, q̃ secundũ habitudinẽ adhæret alicui verè bono, aut

*quæ ipsi natura ex al.

*for. quod nostrum est.

existimato bono. PYR. Rectè definitionem patris (Cyrilli) explicasti. MAX. Si rectè facta est explanatio definitionis, primùm quidem non potest dici sententialis voluntas. quomodò. n. pót ex volũtate volũtas ꝓdire & manare? Deinde verò qui sententiam in Christo dicunt, vt de ea quæstio facta demonstrauit, hominem merum eum esse tradunt, consultantem more nostro, ignorantem, & dubitantem, & contraria habentem; si quidem de ijs in quæ cadit dubitatio, & non de eo, in quod non cadit, quispiam consultat. nos enim, quod simpliciter natura bonum est, naturaliter appetimus: id autem, quod aliquo modo bonum est, quærendo & consultando experimur idcirco penes nos esse & gnome, id est, sententia aptè dicitur, quæ est modus vtendi (voluntate) non ratio naturæ. alioqui infinities mutaretur natura. in humanitate autem Christi, quæ non merè more nostro, per se existebat, sed diuinè, Deus enim erat, qui propter nos, & sicut nos, & ex nobis in carne apparuit, non potest dici sententia. ipsum enim esse, id est, ipsum diuinè subsistere, habebat naturaliter cognationem cum virtute, & à vitio alienationem, sicut magnus Ecclesiæ oculus Basilius ait in interpretatione Psalm. 44. In eandem, dicens, sententiam accipies, quod de eo apud Isaiam dictum est; Priusquam cognoscat puer, aut eligat praua, eliget bonum; quoniam priùs quam cognoscat puer bonum vel malum, repugnat malitiæ vt eligat bonum, Illud enim, prius quàm, declarat quòd non sicut nos quærendo & consultando, sed diuinè subsistens per ipsum suum esse habebat ex natura bonum. PYR. Quid igitur, suntne virtutes naturales? MAX. Sanè quidem naturales. PYR. Si naturales, quare non ex æquo omnibus insunt? MAX. Aequè omnibus insunt qui eiusdem naturæ sunt. PYR. Et unde tanta in nobis inæqualitas? MAX. Ex eo quod quæ naturæ sunt, non æqualiter excolimus & elaboramus. Nam si omnes pari studio, ad quod & nati sumus, quæ ex natura sunt operaremur, vna vtiq; in omnibus, vti natura, sic & virtus, conspiceretur, neque plus, neque minus suscipiens. PYR. Si naturalia nobis non ex exercitatione, sed ex creatione proueniunt, virtusque naturalis est, quomodo exercitatione & labore virtutes, alioqui naturales comparamus? MAXIM. Exercitatio, & qui eam sequuntur labores, ad depellendam duntaxat fallaciam, quæ per sensus est animæ admixta, ab ijs, qui studio virtutis tenentur, excogitati sunt, non autem ad inducendas extrinsecus recenter virtutes. insunt enim nobis ex creatione, vt diximus, vnde simulatque perfectè dirimitur fallacia, continuò virtutis, quæ ex natura est, splendorem anima profert. Si enim qui non est imprudens, prudens est, & qui non timidus, vel audax, fortis est: & qui non est impudicus, pudicus est: & qui nõ facit iniuriam, iustus: secundùm autem naturam ratio, prudentia est: & (secundùm naturam) iudicandi facultas iustitia est: & ira item (secundùm naturam) fortitudo; similiter cupiditas (secundum naturam) temperantia; igitur vsu venit, vt ablatis, quæ præter naturam sunt, quæ secundum naturam sunt, vel sola appareant. sicuti rubigine abrasa & extrita, ferri fulgor, & splendor, qui natura inerat, apparet. PYR. Maxima hinc apparet blasphemia eorum, qui in Christo gnomen dicunt. MAX. Oportet, nec hoc sine animaduersione præterire, esse apud scripturam & sanctos Patres varium, ac multiplicis significationis, gnomes nomen, vt ijs notum est, qui accuratè legunt. aliquando enim pro admonitione & consilio, ipsum proferunt. vt cum ait Apostolus: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, γνώμην autem (id est, consilium) do. aliquando verò pro consultatione, vt cum ait Dauid: Super populum tuum malignauerunt γνώμην, id est, consultationem: quod alius interpres explanans, sic dixit: Super populum tuum malignauerunt βελὴν: id est, consilium.) quandoque pro sententia, vt cum ait de quopiam magnus propheta Daniel: Exiuit sententia impudens ex persona regis. alias pro opinione, vel fide, vel sensu, vt cum ait Gregor. cognomento Theologus, in prima oratione de Filio: Quia verò non est res magna reprehendere, facillimum enim est, & omnium, qui volunt; viri autem pij est cordati, dicere quid sentiat. Denique, ne si omnia singulatim percurram, turbam aggregem sermoni, viginti octo significationes in hoc gnomæ nomine apud scripturam, & sanctos Patres obseruaui. Nec enim aliquid commune, aut particulare signat, sed ex ijs, quæ prius dicta sunt, aut ex ijs, quæ sequuntur, sententia eius, qui loquitur, normam & regulam accipit. Quamobrem non potest fieri, vt huiusmodi nomen vni tantum rei significandæ adhibeatur. PYR. Quomodo enim potest quod multipliciter dicitur, vnum aliquid ad significandum sortiri? MAX. Vt igitur turpitudo huius hæresis magis patefiat, aliter etiam enunciationem talem consideremus. PYR. Si placet, consideremus. MAX. Qui vnam voluntatem dicunt, siue voluntatem electionis, siue gnomæ, siue liberæ potestatis; vel si aliter eam vocare eis libet (non enim de hoc contendimus) aut diuinam, aut angelicam, aut humanam hanc dicere cogentur: & in primis, quodcumque horum dixerint, naturalem dicent, siquidem vnumquodque eorum naturam significat: atq; ita, quod visi sunt methodo diuisionis effugere, hoc per methodũ resolutionis probasse conuincuntur. Consequenter verò, si dicent diuinam voluntatem esse, Deum tantũ natura esse Christum agnouerunt; si verò angelicam, neque Deum, neque hominem, sed naturam quãdam angelicam, si autem humanam, hominem tantum, & subiectum alterius potestati ostendent. PYR. Cùm in hæc absurda incidunt, neque gnomicam, neque naturalem voluntatem dicunt, sed aiunt inesse nobis eam habilitate. MAX. Hæc habilitas inest nobis ex natura, an non ex natura? PYR. Ex natura. MAX. Rursus igitur ex arte resolutionis naturalem volũtatem dicent, & nihil eis profuit circuitus iste. & quia habilitas ex disciplina habitum efficit & promptitudinẽ; igitur ex disciplina & profectu habuit Christus, vt isti sentiunt, habitum voluntatis; & promptitudinem: & progressum faciebat, ignorans disciplinas, antequam disceret. Cur igitur aspernantur Nestorium, cuius vocibus & sententiis ardenter adhærent? Quòd autem, cum vnam voluntatem dicunt, illa, quæ Nestorius tenet, defendunt, testatur etiam expositio, quam ipsi defendunt; quę declarat, Nestorium profiteri vnam voluntatem in duabus personis ab ipso fictis. Ad hæc, cum recusent isti fateri esse voluntatem naturalem, dicturi sunt, esse hypostaticam, aut præter naturam: si enim hypostaticam esse dixerint, erit igitur sic quidem filius alia voluntate quàm pater. hypostaticum enim solam hypostasim signat. si præter naturam; occasum, interitumque substantiarum eius docebunt. siquidẽ quę sunt secundum naturã, ab ijs intereunt, quæ sunt præter naturã. Hoc aũt libẽter ipsos interrogarem: Deus vniuersorum & pater, vult quatenus pater, an quatenus Deus? si quatenus pater, alia erit eius voluntas præter volũtatem filij; non enim pater est filius. Si verò quatenus est Deus; Deus autem est filius, Deus item Spiritus sanctus; igitur concedent voluntatem esse naturæ, id est naturalem. Rursus; si secundum Patres, quorum est vnã voluntas, vna etiam substantia est: opinione verò ipsorum, vna est voluntas diuinitatis Christi & humanitatis eius: igitur vnã & eandẽ aiunt esse harum substantiam. Quo modo ergo, qui tam impij sunt, aiunt se Patres sequi? Ac rursus. Si secundum ipsos illos Patres, differentia naturæ vna voluntate non dignoscitur, neq; discernitur; necesse est ipsos vel vnam voluntatem si dicunt, naturalem in Christo differentiam non dicere, vel si dicunt naturalem differentiam, vnã voluntatem non dicere, siquidem se ipsos ad normas & regulas Patrum dirigunt. At rursus, si vt sentiunt iidem magistri & doctores, non est communis voluntas, ambarum scilicet substantiarũ, necesse est ipsos aut dicere, ambas naturas ipsius nõ habere cõmuniter vnam voluntatem; aut si hoc dicũt, planè cũ legib. & decretis Patrũ pugnare. PY. Valde clarè & cõcisè ratio demõstrauit, implicatã esse impietatẽ cũ omni cogitatione aduersariorũ. Sed quid dicemus, siquidẽ hoc etiã auctoritate Patrũ demõstrare conãtur? MA. Si vocare volũt patres eos qui diuidũt & cõfundũt diuinã œconomiã (id est, dispensationẽ) damus eis. oés. n. vnã voluntatẽ opinati sunt, cũ tamẽ maximè inter se impietate discrepẽt, si verò patres Ecclesię vocant, nequaquam eis hoc concedemus: nam vnum tantum ex illustribus, & notis apud omnes producãt, vt & nos in die illa, cum nostra dijudicabuntur, & Christus nos increpauerit, cur vocẽ probauerimus, q̃ totũ mysteriũ incarnationis dissoluit, excusare possimus nos, in omnib. patris opinionẽ reueritos fuisse. PYR. Quid igitur est ꝙ ait Gregorius Theologus: Velle enim illius in nulla re erat Deo contrarium, totum deificatum. nõ est hoc contrariũ duab. volũtatib⁹? MAX. Nequaquã, immo contra, magis hoc, q̃ cætera alia, duas volũtates ostendit. PY. Quomodo hoc ais? MA. sicut inflãmatio inflam-

matum

matũ & inflammãtẽ secum infert; & refrigeratio refrigeratũ & refrigerantẽ, ambulatio ambulantẽ & ambulatũ; aspectus aspicientem & quod aspicitur; intelligentia intelligentẽ & rẽ intellectam; non enim potest habitudo sine habentib. habitudinem intelligi, aut dici: sic consequenter deificans, & deificatũ. Præterea, si voluntatis deificatio est cõtraria duab. voluntibus, sicut isti sentiunt, deificatio etiam naturæ erit contraria duab. naturis. vtrobiq; enim posuit Gregorius idem verbum deificationis. Py. Demõstratũ est, dictũ patris Gregorij magnopere cõuenire cũ duab. volũtatib⁹: sed oportet demõstrare cõcordare cũ hoc alterũ Gregoriũ qui Ecclesiã Nyssenũ clarã & illustrẽ reddidit: producũt. n. eũ ℘ vna volũtate sentientẽ eo ℘ de Dño dixerit: Anima vult, corpus tangitur, vtrisq; fugit passionẽ. aiunt. n. dixisse patrẽ Gregoriũ, velle animã Dñi volũtate diuina diuinitatis, cũ ipsa anima secundũ hypostasim vnitæ. Ma. Igitur eadẽ cõsequentia dixit, corp⁹ diuina tactione tangi eritq; eorũ opinione diuinitas tactilis q̃. n. ipsi de anima Dñi dicũt, cũ alius ad corpus traducit, pari ratione orationis prolatæ in summũ errorẽ eos detrudit. Py. Magna perspicacia, & breuitate blasphemiã huiusmodi interpretationis probasti. Quid verò dicemus de ijs auctoritatib. quas ex magno Athanasio producunt? ex quib. vna est hæc: Mens Dñi nondũ Dñs, sed vel appetitio, vel volũtas, vel energia ad aliquid. Ma. Et hãc quoq; auctoritatẽ cõtra se proferũt. Quã obrem verò ratio in omnib. quæstionibus vtitur argumẽtis ipsorũ ad eos ipsos confutãdos. Nec. n. sic vnquã veritas inops erit, vt ℘ prijs armis indigeat aduersus aduersarios. Si. n. vt hic pater ait; mens Dñi nondũ Dñs, aliud omnino præter Dñm erit mẽs eius; hoc est nõ natura Dñs, siue Deus, mens Dñi est, quia secundũ hypostasim facta esse eius creditur. idq; ex eo perspicitur, ℘ subiũxit: eã esse vel appetitionẽ, vel voluntatẽ, vel energiã ad aliquid; ℘ regula vsus ad hoc verè philosopho philosophorũ Clemẽte in sexto libro Stromatũ, qui θέλησιν, i. appetitionẽ, definiuit esse mentẽ appetentẽ, at verò βούλησιν. i. voluntate, appetitũ rationi consentaneũ, aut appetitionem de re quapiã. energiã verò ad aliquid dixit hic diuinus doctor (Athanasius) quia ad omnia, q̃ ab eo fiebãt, vt Deũ decebat, anima intelligente, & ratiocinante, secundũ hypostasim ipsi vnita vsus est. Py. Reuera quib. argumẽtis videnẽ pietatẽ oppugnare, ijs ipsis nescientes redarguũtur, oportet aũt & aliã auctoritatẽ, q̃ ex eodẽ patre afferũt, examinare, ne vlla eis occasio aduersus veritatẽ relinquatur. Ma. Quæ ista auctoritas? ignoro eã. Py r. In qua ait admirant: ille vir Natus est ex muliere, qui ex prima oratione sibi formã hominis erexit & excitauit in ostensione carnis, sed sine voluntatib. carnalib⁹, & sine humanis cogitationib. in imagine nouitatis; volũtas. n. erat solius diuinitatis. Ma. Se ipsam interpretatã hæc auctoritas; idcirco nullo penitus subsidio ratiocinationis indiget. Py. Quomodo igit venit istis in dubiũ? Ma. Ex multa inscitia. Cui. n. non est perspicuũ, nisi omnino oculis animi captus sit, ℘ nõ de ratione naturali, sed de modo, quo secundũ carnẽ extitit, hæc ille præter (Athanasius) recensuit, cum vellet demonstrare, fuisse incarnationeẽ opus diuinæ, & solius volũtatis complacẽte Deo Patre, ac per se operante filio, ac cooperante S. sancto: nõ aũt opus mot⁹ carnalis & cogitationũ humanarũ. i. ordinis & cõsecutionis nuptialis. nõ. n. rationẽ naturæ nouauit factus homo, qui erat Deus vniuersorũ; qm̃ nec fuisset homo, qui nõ habuisset perfectã & immutabilẽ in omnibus rationẽ naturæ; sed modũ. i. conceptũ è semine, & ortũ ℘ corruptionẽ. Rationes igit naturales vnitorũ non negauerũt diuini Ecclesiæ doctores: quin potius consentientes cũ Euãgelistis, & Apostolis atq; Prophetis, Dñm nostrũ, & Deũ Iesum Christũ ambab. naturis suis salutẽ nostrã voluisse, & operatũ esse dixerũt. Py r. Potes hoc ex literis veteris & noui Testamenti demonstrare. Ma. Maximè. Patres. n. non suapte spõte, & à seipsis excitati, sed ex ipsis literis sacris, ℘ didicerũt hoc nos amanter docuerũt: non. n. erant ipsi qui loquebãtur, sed gratia Spiritus, q̃ copiosè in ipsis versabat. Py. Quandoquidẽ ad imitationẽ diuinæ bonitatis, cũ propositũ tibi esset iuuare, in hos labores inquirendi te cõiecisti, ne pigeat docere nos hoc. Ma. In sanctis Euãgelijs dictũ est de Dño: ℘ & postea die voluit Iesus intrare in Galilæã. perspicuũ est ℘ quatenus nõ aderat illic, voluit intrare: nõ aũt aderat humanitate; diuinitate. n. nusquã abest. igit quatenus homo, & nõ quatenus Deus, voluit intrare, poterat q; quaten⁹ homo velle. Et in alio loco rursus: Volo, inquit, vt vbi ego sum, & ipsi sint. Si Christ⁹ quatenus Deus, est supra vbi, nõ. n. quatenus Deus, est in loco; supra locũ verò nõ põt esse natura creata: igit quatenus homo, vult, vt vbi est, sint etiã ipsi. atq; ita idẽ, quatenus homo, potestate volũtatis prædituserat. Et aliàs: Et cũ veniisset ad locũ, dixit: sitio; & dederũt ei vinũ cũ felle mixtum, & cũ gustasset noluit bibere, qua parte dicitis sit iuisse eũ? si quidẽ diuinitate, erit diuinitas eius passionib. obnoxia, q̃ potionẽ ℘ter naturã expetiuit: si aũt humanitate, igit qua parte sitiuit, illa parte noluit, ℘ naturæ suæ non cõueniebat; & poterat velle quaten⁹ homo. Et alibi inquit. Et ambulabat Iesus in Galilęa, nõ. n. volebat in Iudæa ambulare, quia quærebãt eũ Iudæi, vt occiderẽt. si ambulatio natura erat carnis, & nõ diuinitatis secundũ hypostasim ei vnitæ: igit quatenus homo, ambulãs in Galilæa nolebat ambulare in Iudæa; & idẽ poterat velle, quatenus homo. Rursus in alio loco: Et illinc egressi trãsibant ℘ Galilæã; & nõ volebat vt aliquis sciret. Omnib. certũ est, itionẽ natura esse humanitatis Dñi, vt dictũ est, nõ diuinitatis eius, quod si itio, quatenus homo erat, & nõ quatenus Deus, natura ei inerat: igit etiã quatenus homo, trãsiens cũ discipulis suis, non voluit, vt aliquis sciret, & poterat idem, etiam quatenus homo, velle. Item aliàs: Et surgens inde abijt in fines Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminẽ voluit scire, & non potuit latere. Si Christus, quatenus Deus, erat virtus per se subsistens, quatenus verò homo, infirmitas: Et si. n. inquit diuinus Apostolus crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei; igitur quatenus homo, & non quatenus Deus, ingressus in domũ, nõ voluit, vt aliquis sciret, & nõ potuit latere, habuitq; quatenus homo potestatẽ volendi. Et alibi inquit: Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulãs supra mare, & voluit p̃terire eos. Si quis hoc de eo, quatenus Deus erat, dictũ esse exponat; cogetur is dicere, interceptã esse diuinitatẽ terminis corporeis, supra, inquã, & infra ante & post, dextro, & sinistro, sin verò dicta hæc esse de eo, quatenus, homo erat dixerit; igit poterat idem ipse velle, etiã quatenus homo. Et in alio loco: & accesserunt ad eum discipuli eius dicẽtes: Vbi vis, vt euntes paremus tibi comedere Pascha? Si esus paschæ est eorũ, qui sunt sub lege, fuit aũt Dñs, quatenus homo, nõ quatenus Deus, sub lege: igitur quatenus homo volens comedit pascha; poteratq; velle idem etiã quatenus homo. Et diuinus Apostolus, in epistol. ad Hebr. de eo ait: Fact⁹ obediens vsq; ad mortẽ, mortem autem crucis. Volens igitur obediuit, an non volens? siquidem non volens, tyrannis meritò & non obedientia dicetur: sin verò volens, obediens autem, non quatenus Deus, sed quatenus homo fuit, quatenus enim Deus, nec obediens, vt patres sentiũt, nec inobediens, hęc enim ad secundos pertinent, & eorũ sunt, qui sunt sub manu & potestate alterius, vt ait diuinus Gregorius: igitur quatenus homo etiam poterat velle. Et Beatus Dauid Psalm. 39. Sacrificium, inquit, & oblationem noluisti; corpus autem perfeciti mihi: holocausta, & ℘ peccato non postulasti. tunc dixi: ecce venio. in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatẽ tuã, Deus meus, volui. Quod aũt Pater dicit Deus Christi, quatenus Christus homo est, & non quatenus Deus; sicut & Pater dicitur eius, quatenus Deus & non quatenus homo, nec aduersarios arbitror dubitare. Si igit quatenus homo est & non quatenus Deus, Deus eius est Pater; igitur etiam quatenus homo, & non quatenus Deus, voluit voluntatẽ Patris & suam facere. Voluntas. n. Patris ẽt ipsius est, cũ & ipse substantialiter sit Deus, ℘ si hoc ita est, non solum quatenus Deus & eiusdẽ cũ Patre substantiæ, poterat velle, sed ẽt quatenus homo, & eiusdem nobiscum substantię. Scire aũt oportet, quod hæc verba Psalmi, quæ nunc ℘ posita sunt diuinus Apostolus in epistola ad Hebr. de Dño accepit & interpretatus est. Magnus verò Moyses Deum introducit dicentem in creatione hominis: Faciamus hominem ad imaginẽ nostram & ad similitudinẽ. Si igitur homo est imago diuinæ naturæ, natura aũt diuina liberæ potestatis est: igit & imago, si quidẽ similitudinẽ archetypi seruat, natura est liberæ potestatis. ℘ si ita est; factũ est aũt, ℘ erat natura archetypũ, etiã natura imago; igit idẽ secundũ ambas suas naturas poterat natura velle. Demõstratum enim prius est auctoritate Patrũ, voluntatẽ esse potestatem naturæ liberam. Est autem sciendũ dici liberam potestatem æquiuocè, sicut & naturã: aliter enim accipitur in Deo & aliter in Angelis, aliter in hominibus. In Deo quidem supersubstantialiter, in angelis verò tanquam concurrente ag-

greſſione cum habitu, & omnino interpoſitione temporis nó admittente; in hominibus autem, tamquam habitu prius tempore ipſa aggreſſione cogitato. Si enim Adam volens obediuit, & volens ſpectauit, & cum voluiſſet comedit, igitur voluntas eſt in nobis, quæ primum afficitur. Quod ſi volũtas in nobis primum patitur, hanc autem Verbum, cùm caro factũ eſt, vt iſti ſentiunt, non aſſumpſit, non ergo poſitus ſum ego extra peccatum: quod ſi extra peccatum non ſum poſitus, non ſum conſecutus ſalutem: ſiquidem quod non eſt aſſumptum, non eſt curatum. Deinde ſi opus & fabricatio eius eſt libera poteſtas naturæ, hanc autem poteſtatem Verbũ caro factũ, opinione iſtorum, cum natura ſecundum vnionẽ inexplicabilem non aſſumpſit; aut quia improbauit fabricam ſuã, tanquam non bonam, eã à ſe reiecit, & amandauit: aut quia nobis inuidit curationẽ eius, nos quidẽ perfecta ſalute priuãs, ſe verò ſub paſſione eſſe demonſtrans, aut nõ volendo, aut nõ valendo perfectè ſaluare. Hæc hactenus de eo, quòd verbum Dei incarnatũ, natura, etiã quatenus homo, velle poterat. ꝙ aũt idem etiam, quatenus Deus, natura habeat voluntatẽ, hinc ſciemus; ait enim ipſe Dñs noſter & Deus, ſola veritas, de ſeipſo in Euangelijs ſic: Hieruſalẽ, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis, noluiſtis, nunc autem relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Perſpicuum enim eſt, quod non quatenus homo, hoc dixit, ſiquidem recenter fuerat factus homo, ſed quatenus Deus, qui varios modos ſapientis prouidentiæ ſuæ circa hominem demõſtrauit, quibus voluit naturam ab errore externorum abducere, & ſibi aggregare: ipſa aũt noluit. Rurſus ait: ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat. ſicut, aduerbium eſt comparationis, comparationes autẽ ſunt in his, quæ ſunt eiuſdem ſubſtantiæ. non poteſt igitur dici hoc in Chriſto ſecundum humanitatẽ. Igitur docuit nos Saluator, quod ſicut Pater, Deus exiſtens, voluntate mortuis tribuit vitam, ſic etiam ipſe, quippe cum eiuſdem ſubſtantiæ ſit & eiuſdem voluntatis, quibus vult vitam præbet. Hæc ſunt Euãgeliſtarum, & Apoſtolorum, atque Prophetarum dogmata.

Quæ igitur maior demonſtratio eſſe poteſt, quàm ſint hæc, poſſe eundem natura velle, quatenus Deus eſt & quatenus homo? Pyr. Nihil his apertius ad demonſtrandum naturales eſſe volũtates. Quomodo igitur Vigilius tunc Pontifex Romanus libellũ à Mena epiſcopo huius vrbis regiæ oblatum, qui vnam voluntatẽ continebat, accepit; idque cum eſſet ei oſtẽſus in ſecreto regio Imperatoris, qui tunc erat, & in Senatu? Max. Admiror quomodo Patriarchæ cum ſitis, audetis mẽtiri. Qui tibi anteceſſit in ſuis ad Honorium literis ſcripſit, cõmonefactum quidem fuiſſe de eo libello, non autem oblatũ, nec oſtenſum. ipſe verò in tua ad Ioannem Papam epiſtola dixiſti, oblatum eſſe, & oſtenſum, lectum etiam per Conſtantinum quæſtorem. Vtri igitur credemus? tibi, an ei, cui ſucceſſiſti? vterque enim non poteſt verum dixiſſe. Pyr. Et ſic ſcripſit, qui mihi anteceſſit? Max. Sic ſcriptum eſt. Pyr. Sit ita de Vigilio. Quid de Honorio ad reſpondendum habes, qui apertè anteceſſori meo vnam voluntatem Dñi noſtri Ieſu Chriſti eſſe tradidit? Max. Quis fuerit fide & auctoritate dignus epiſtolæ huius interpres, qui eam ex perſona Honorij ſcripſit, ad huc ſuperſtes, & qui totum Occidentem cum alijs virtutibus, tum dogmatibus fidei Chriſtianæ illuſtrauit; an ij, qui Conſtantinopoli, quę ex corde erant, loquebantur? Pyr. Qui hãc compoſuit. Max. Is igitur ipſe cum ad diuum Conſtantinum Imperatorem ex perſona rurſus ſancti Papæ Ioannis de hac epiſtola ſcriberet, dixit: Vnã voluntatẽ diximus in Dño, nõ diuinitatis eius & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cũ. n. Sergius ſcripſiſſet, quòd quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, diximus, Chriſtum non duas voluntates cõtrarias habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed vnam tantum, quæ naturaliter humanitatem eius ſignabat. Hoc autem ita eſſe, argumentum euidens eſt, meminiſſe membrorum & carnis, quæ quidem de diuinitate illa accipi non permittunt. Deinde occurrit per anticipationem obiectioni: Si quis verò, inquit, dicat: quare de humanitate Chriſti agentes, de diuinitate eius non meminiſtis, reſpondemus: primum quidem, reſponſum fuiſſe ad quæſtionẽ; deinde, vt in omnibus, ſic etiam hic conſuetudinem ſcripturæ nos ſecutos fuiſſe, quæ aliquando ex diuinitate eius differit, vt cum ait Apoſtolus: Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia aliquando ex humanitate, & ſolum, vt cum idem ait: quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Pyr. Simplicius anteceſſor meus accepit hoc, in vocem intentus. Max. Rem ipſam loquor. nihil me tam à tuo anteceſſore abalienauit, quam mutabilitas eius & inconſtantia, id eſt, in alias alio tempore tranſire ſentẽtias, & in nullo ſenſu permanere. aliquando enim eos, qui hãc vnam voluntatem diuinam appellabant, approbans, incarnatum introducebat tantùm Deum eſſe: aliquando verò eis aſſentiens, qui dicebant eſſe conſultatricem voluntatem, hominem ſolum introducebat, more noſtro conſultantem, nihil à Pyrrho & Maximo differentem: quandoq; vero vocans hãc voluntatẽ hypoſtaticã, cùm differentia perſonarũ ſimul inducebat differentiã voluntatũ in perſonis (diuinis) eiuſdem ſubſtantiæ. alias eos amplectens, qui eam voluntatẽ ſuæ poteſtatis dicebant, vnionẽ introducebat ſecundũ habitudinẽ. poteſtas enim & auctoritas & alia huiuſmodi, manifeſtè γνώμης, id eſt, ſententiæ, non naturæ, motus ſunt, aliquando, cum eos, qui voluntatem vocabant electricem & ſententialem, ſibi adiungebat, & dominos ſuos faciebat, nõ ſolum Chriſtum faciebat hominem merum, ſed mutabilem & peccatorem, ſiquidem ſententia oppoſitorũ eſt dijudicatrix, & eorum q̃ ignorantur indagatrix, & in ijs quæ non ſunt manifeſta, conſultatrix, interdum eos ſequens, qui œconomicam voluntatem in Chriſto dicebant, faciebat eum ante œconomiam (id eſt, diſpenſationem) non habuiſſe voluntatem; & ſi quid aliud abſurdum ex hoc ſequitur: & in alias infinitas abſonas opiniones detruſus eſt, qui non eſt nixus in veritate, tanquam in fundamento; quas ſi mandare litteris vellem ſubtiliter, & diligenter, neque futurũ tempus ſatis eſſet. Quid autem neceſſe fuerit proponere chartas, & Eccleſiam Dei ſanctam ſcindere? neque quod omnibus eſt cõmuniſſimum, aſſequi potuit. aut enim, vt vobis cedamus, habent iſtæ (chartæ) dogmata Synodorum, vt vos falsò dixiſtis, & ſic non opus eſt nobis veſtris chartis, qui Synodos & ante & nunc accipimus, & amplectimur; aut non habent dogmata Synodorum, & ſic multo magis eas auerſari & fugere iuſtum eſt. Propoſitio igitur earundem chartarum cũ ex vtraque parte iniuſta ſit, & ſcelerata, ipſarum chartarum conſciſſio propter vtrumque iuſta, & canonica fuit. Pyr. Sophronius, qui paulò antè fuit Patriarcha Hieroſolymitanus, fecit, vt hoc vel præter propoſitum faceremus, cum tempore inopportunè ſermonem de operationib. excitauit. Max. Ego ex omni parte neſcio, quam excuſationem prolaturos vos expectatis, qui eũ qui extra culpam eſt, tam grauiter criminamini. Dic enim mihi per veritatem ipſam oro, cum Sergius ad Theodorum Pharanitanum ſcripſit, miſſo etiam libello, quẽ eſſe dicit Menę, per Sergium Macaronam Epiſcopũ Arſinoës hortans eum, vt quid ſentiret de vana in eo libello operatione, & vna voluntate aperiret, & reſcripſit approbans eas, vbi tũc erat Sophronius? aut cum Theodoſiopoli ad Paulum monoculum, & Seueri ſectatorem ſcripſit, miſſo etiam ad eum libello Menæ, & Theodori Pharanitani, cum ſua approbatione? aut (vbi erat) quando ad Georgium cognomento Arſam Paulianiſtam ſcripſit, rogans, vt mitteret ſibi auctoritates de vna ipſorum operatione, inſeruitque epiſtolæ, facere etiam ſe his (auctoritatib.) vnionem Eccleſiæ cum eis? hanc autem epiſtolam B. Ioannes Papa Alexandrinus manu ab Arſa abſtulit. vnde cum vellet etiam eum ob ipſam deponere, impeditus fuit ab incurſu tunc à Perſis in Ægyptum facto. aut quando ad Cyrum Epiſcopum Phaſidis reſcripſit de vna operatione & duab. ab eo rogatus miſſo ét ad eum libello Menæ, quẽ diximus? Quid igitur? poſtquam Sergius multis modis morbũ ſuum in cõmune ꝓpoſuit, & maximam partem Eccleſiæ corrupit, ac vaſtauit, ſi B. Sophronius admonuit eum humilitate, quæ eius habitum decebat, ad veſtigia eius prouolutus, Chriſti Dei paſſionibus viuificis, q̃ omnẽ ſupplicationẽ contínebant, cõmemoratis, & obteſtans ne vocẽ hæreticorum, ꝓbè olim à ſanctis patribus ſuperiorib. extinctam, renouaret, fuit ne ipſe auctor huius ſcandali? Pyr. Cõpetenter omnia quæ ꝓpoſita ſunt, ſermo habitus hactenus euertit; nihilq; ꝓrſus deeſt in quæſtione de voluntatib. Max. Quandoquidẽ quęſtio de voluntatib. concluſa eſt, vis, vt de operationib. diſſeramus? Pyr. Sicut ignorauerã naturales eſſe voluntates, ſic de operationib. acceperã; & ſi quid, ſiue ſcripto, ſiue ſine ſcri-

pto

pto dixi, ad hoc ꝓpositi spectat. nunc aũt cum certũ sit naturæ esse velle & in eo contentũ per synecdochẽ, naturæ quoq; esse operari, omnia q̃ à me antea de hac re defensa sunt, facta sunt irrita, & superuacaneũ esse arbitror, vllũ deinceps de hoc sermonem habere. MA. Quid igit? quãdoquidẽ Deus, quia p̃cognouit ꝓpositum vestrum, ad agnitionẽ veritatis eius vocauit, nõne oportet, q̃ scripto, aut sine scripto de hoc apud aliquos dicta sunt, ea diligenter examinare, ꝓpter eos, qui incautè, vt ꝓbabile est, in ea inciderũt, aut incidũt, faciles, vt decipiãtur. PY. Si inquisitio hoc propositi habet, necessaria est. curare enim, vt tuti sint simpliciores, imitari est charitatẽ Dei erga hões. MA. Si igit hæc est imitatio charitatis Dei erga homines, incipiam⁹ hic ea de re inquisitionẽ. PY. Incipiam⁹. MA. In libris tuis reperi, docuisse te, vnã esse operationẽ Christi, tãquã totius. Si igit vna est, tãquam totius, operatio; totum aut est eius persona: igit vna hæc operatio personalis erit, & demõstrabitur diuersæ operationis esse, sicut & personæ, à patre, & matre; siquidem neuter eorum est Christus. PYR. Si propter differentiam naturarũ in Christo, duas dicitis operationes, & non propter vnam personã vnã operationẽ; duæ reperientur in homine operationes, propter differentiam substantiæ animæ & corporis ipsius. q̃ si hoc ita est, tres erunt operationes Christi, non duæ. MAX. Quæ vos ad tollenda ea, quæ sunt naturalia, objicitis, hæc ipsa contra naturas ij obijciũt, qui cõtra eas pugnãt, in eo. n. vel solo belli estis, q̃ in omnibus cum illis circumuersamini. Vnde quibus argumentis illos S. Patres redarguerunt, eisdem vos qui eodem morbo laboratis, ipsi redarguimus, quoniã si propter differentiam naturarũ in Christo, duas naturas ipsi nobiscũ dicitis & non propter vnã personã vnam naturã, si quidem duæ reperiẽtur naturæ hominis, ꝓpter differentiã substantialẽ animæ ipsi⁹ & corporis, & hoc cõcesso, tres erũt naturæ Christi, nõ duæ. Sin verò ꝓpter differentiã naturarũ, duas nobiscũ naturas confitentes, non dicitis tres in Christo naturas, quo modo, quia nos, propter differentiã naturarũ, duas operationes dicimus, tres operatiões inferentur? Quæ. n. vos nobiscũ aduersus illos, qui contra naturas disputant, dicitis, hæc etiã nobis de operationib. aduersus vos sufficient. Verũ sic quidem à pari ratione repulsi estis, demonstratumq; est, quæstionẽ vestrã carere omni probabilitate. à maiori verò dicimus, non esse idem secundũ speciẽ hominis vnũ, & secundũ substantiã animæ & corporis vnũ. Vna n. secundũ speciem hominis, significat nullã differentiam esse in omnibus indiuiduis eiusdẽ naturæ. Vnde nõ hoc dicimus sine adiũctione sed adiũgẽtes hominis (cũ dicimus vnũ secundũ speciẽ hominis) vnũ verò secundũ substãtiã animæ & corporis significat ipsam essentiã eorũ, quæ essentia corrũpitur, cũ desinit esse homo. Quòd si nõ est idẽ vnũ secundũ speciem hominis, & vnum secundũ essentiam animæ & corporis, non igitur necesse est nobis, cũ dicimus vnã operationem secundũ speciem, vel hanc operationẽ personalẽ dicere, vel tres operationes, quia operatio spectat ad naturã. PYR. At cũ operationib. vt sentit Nestorius, inferuntur personæ, & necesse est eos qui duas dicunt operationes, illius impura dogmata defendere. MAX. Atqui Nestorius, duas personas cũ dicit, vnam operationem tradit. Si aũt, vt vestra est opinio, cum operationib. inferuntur personæ; etiã cũ personis, vt consequẽs est, inferentur operationes, & coacti eritis vestras regulas secuti, aut propter vnã operationẽ sanctę Deitatis, vnam eius personam dicere, vel propter tres eius personas, tres quoq; operationes, vel dicere, sicut Nestorius, vnionẽ esse ex habitudine. Huius enim est vna operatio vnio, vt ipse Nestorius, & qui sunt societatis eius, in litteris suis docuerũt, & in nobis, quia vna est operatio secundũ speciẽ, multæ aut personæ, necesse erit, vel propter vnam secundũ speciẽ operationem, etiam vnã omniũ personam dicere; vel propter multas personas, multas quoq; operationes. ita fiet, vt frustratum sit, quod Patres dixerunt: quæ sunt eiusdem substantiæ, eiusdẽ etiam operationis esse. Præterea, si cum operatione, opinione ipsorum, infertur persona, multas aut operationes dederunt ex vno & eodem verbo Dei incarnato prodijsse; dabunt etiã inferri personas cum operationibus prodeũtib. si sibi constare decreuerunt; & reperientur infinitæ personæ & operationes eiusdẽ. Et rursus: si infertur persona cum operatione, vt isti sentiunt, etiã sublata operatiõe simul erit omnino sublata persona. quòd si hoc verum est; igitur sublati duab. & vna operatione, simul tollũtur duæ & vna persona. & ita fit, vt quantũ in ipsis est, Christ⁹, qui est, & plusquam est, desinat esse. quo quid potest magis impiũ esse? Si quis verò in vnoquoq; nostrum voluerit hoc tractare vt abundè satisfiat, reperiet, etiam nos vno & eodem tempore ratiocinantes, & deambulantes, vel etiam alia cogitantes, & alia præsentib. differẽtes, quod quidem Moyses fecisse narratur, cũ eodem tempore pro populo Deum precabatur, & cũ populo loquebatur, & eũ ad bonas spes incitabat; neq; tamẽ, quia dupliciter operabatur, conueniẽter naturis suis, duo erat vnus, neq;, quia vnus erat, qui dupliciter operabatur, idcirco motus, qui secundũ substantiam naturis eius inerant, confundebat. Et cũ profertur ore verbũ, similiter videmus notionẽ impositam verbo, & verbũ subiectum notioni, & ipsorũ in se vicissim cõmeationem per totũ. & neq; cum differentia ipsorũ differẽtia personarũ inducitur, neq; cũ summa vnione, cõfusio. Quid dicemus de gladio ignito, nihilominus naturis ignis s. & ferri, & eorũ naturales operationes vstionẽ dico, & sectionẽ seruante, ac simul in eodẽ ipso & per omnia illas operationes ostendente? nec n. vstio soluta est à sectione post vnionẽ, neq; sectio ab vstione: neq; propter duplicem operationẽ naturalẽ duos gladios inducit; neq;, quia vnus gladi⁹ est ignitus, mixtio, aut confusio fit differentiæ naturarum eorũ secundum substantiam. PYR. Nonne vnus est, qui operatur? MAX. Vnus sanè. PYR. Si igitur vnus erat, qui operabatur, & vna item, tanquam vnius, operatio. MAX. Hic vnus Christus (rursus enim, quia ad eadẽ reuertimini, eadẽ quæ superius percunctabor) est ne vnus persona, an natura? PYR. Persona: natura enim duplex est. MAX. Dupliciter igitur, propter duplicem naturam, operabatur idem, an singulariter, propter vnã personam? at si dupliciter operabatur, cum vnus idem esset, non igitur cũ numer. operationum numerus personarum inducitur, si verò singulariter operabatur, propter vnitatẽ personæ, eadẽ in eisdẽ absurda incurret disputatio de hoc. Si n. est operatio hypostatica (id est personalis) cum multitudine etiã personarum differẽtia operationum simul spectabitur. PYR. Non, quia dupliciter operabatur, omnino erant duæ ejus operatiões, sed quia vnus erat, qui operabatur, vna operatio. MA. Hoc etiam alius contra te de naturis dicet; quòd, non, quia naturas eius est δυαδικὴ, id est duplex) iam duæ naturæ sint, & dicantur, sed potius, quia vna erat eius persona, vna item est, & dicitur eius natura. sed vt omnia prætream, quæ de hoc dici poterant: cum vnã operationem dicitis, quanã istam vnã dicere placet? diuinam, an humanã, an neutram? Atqui sanè si diuinam dicitis, Deum merum dicitis Christum: si humanã, nequaquam Deum, sed hominem merum solum facitis: si neutram harũ; neq; Deum, neq; hominem, sed potius Christum traditis non existere. PYR. Cũ dicimus vnã operationẽ diuinitatis Christi, & eius humanitatis, non dicimus, hanc in eo inesse ratione naturæ, sed modo vnionis. MAX. Si, vt vos loquimini, ex vnione accessit ei operatio, ante vnionem igitur vacabat operatione, & per vim fabricatus est mundũ, vt vestra est opinio. Ac rursus: si ex vnione accessit operatio, pater autẽ & Spiritus sanctus non sunt vniti secundum hypostasim cum carne, igitur non sunt operatores: si nõ operatores, ergo neq; fabricatores, vt non dicam, omnino non esse. Præterea: quandoquidem vnio habitudo est, & non res: habitudo igitur, & non res, est operatio Christi. Deinde necesse est vobis, vt creatam aut non creatam esse dicatis; si quidem nulla penitùs intermedia est inter creatam & non creatam. Si creatam dicetis, solam naturam creatam indicabit (operatio creata) si non creatam, solam naturam non creatã signabit, oportet enim omnino naturalia naturis conuenire. At quomodo fieri potest, vt naturæ creata & sine principio, atque infinita, & creatrix, & conseruatrix? vel naturæ non creatæ & principio carentis, operatio sit creata, & cœpta, atq; terminata, & quæ ab alia natura, ne dissolui queat, conseruetur? PYR. Neque eos qui effectũ operum Christi dicunt vnã operationem esse, approbas, & consentis? MA. Alius ex alia actione effectus est, non vnus, sicut in gladio igneo demonstratũ est. etsi n. copulatæ sunt inter se operatio ignis & operatio gladij; videmus tamen effectũ ignis vstionem, & ferri effectum sectionem; quamuis non sint seiunctæ inter se in sectione vsta, aut in vstione secta, sicut ali⁹ est effectus cęli, alius terræ, alius Solis: nõ potest igitur dici vnus effectus, nisi sit vna & sola actio. Quare si intuẽtes in effectũ operũ Christi, vnã operationẽ tradidistis, vel vnam etiã

actionē tradite; vel propter infinitas actiones, infinitas quoq; operationes. Cæterum non est nobis quæstio de operib. nec n. loquimur de ijs, quæ sunt extra Christū; sed de ijs quæ sunt in Christo ipso. i. de ratione naturali substātiarum Christi, an imperfecta ex vnione remanserit, an perfecta; & si imperfecta an fieri possit, vt sit existentia naturæ imperfectæ. si verò non inperfecta remansit, an in ipsa ratione substantiam constituendæ spectatur operatio, an est ex ijs quæ sūt extra. sed quòd non sit operatio naturalis ex ijs, quæ sunt extra, ex eo cōstat, quòd sine operibus potest natura esse, sine operatione autem naturali nō potest esse, neq; cognosci natura. ex ijs enim quæ vnumquodque naturaliter operatur, probatur esse quod est, & non mutatum. Quod verò non respicientes ad opus, vnā operationem, à vobis instar hircocerui fictā, docuistis, sed ad rationem naturalem substantiarum vnitarum, fidem certam facit, quòd capita à Cyro tradita benevolè & libētissimè à vobis suscepta sunt. in quibus vnam (operationem) cùm traderet eadem operatione dixit operatum esse diuina & humana; non solùm cum scriptura & sanctis patribus pugnans, sed cum natura ipsa eorum, quæ facta sunt: nulla enim res, dum in naturalib. suis manet, apta nata est contraria facere. non. n. ignis calefacit & refrigerat; neq; gelu refrigerat & calefacit; neque siccat terra & humectat; neq; humectat aqua & siccat. Si igitur in nulla re hoc cernitur, quo modo non horruistis dicere, verbum incarnatum, & secundū substantiam factum hominem, miracula, & passiones, quæ ratione naturæ inter se differūt, vna operatione consummasse? Pyr. Quid igitur Cyrillus Ecclesiæ lumen contraria piæ sentētiæ, quæ nunc ex quæstione demonstrata est, docuit, cū dixit, Christum scilicet, vnā cognatam operationem per ambas ostendisse? Max. Non pugnat vllo modo hæc auctoritas cū duabus operationib. sed contra potiùs eas defendit: non enim dixit vnā naturalem operationem diuinitatis Christi & humanitatis eius; alioqui non dixisset alibi: Auctoris & operis eandē esse operationem, nunquā aliquis sanæ mentis concesserit, sed potiùs (illud dixit) cū vellet demonstrare, vnam esse diuinitatis sine carne, & cū carne operationem, sicut si quispiam, vnam esse ignis operationem cum materia, & sine materia ostendere volens, diceret ignem cum materia, & sine materia vrere. sic pater Cyrillus non dixit vnam operationem duarum naturarum, sed vnam operationem dixit diuinā, & paternam, quæ essentialiter in Verbo Deo incarnato inerat; qua non solū iussu suo, omnium rerum effectore, miracula incorporaliter faciebat, sicut ipse ait, si quidē etiam post incarnationē habebat eandem operationem communem cū Patre incorporeè operante: sed tactu etiā propriæ carnis hæc ipsa miracula corporaliter ostendebat. Hoc enim significat quod ait, per ambas; vt vita reddita puellæ per verbum. & iussum omnia operantē, vel aspectus cæco restitutus, vel mundatio leprosi, vel benedictio panum, cognationē haberet secundū naturam cū operatione per tactū corporeè consummata, vt demonstraret carnem quoq; esse viuificam, quia eius propriè erat, & non alterius propter summam cum ea vnionē. per vtraq; enim hæc; per iussum, inquam, & tactū, diuina operatio in ipsis rebus apparebat, nequaquam naturalē operationem carnis naturæ nostræ humanæ, & patientē, lædens, sed contra potiùs eā conseruans ad propriam manifestationē. sicut & anima tanquam per instrumentū proprij corporis & per naturalē operationē eius, ea quę sibi propria sunt, & suā operationē naturalā ꝓfert. extensio. n. manus, & tactus, & cōprehensio, & mixtio luti manu facta, ac fractio panis, & deniq; id omne, quod manu, vel alio mēbro, vel parte corporis fiebat, naturalis operatio humanitatis Christi erat, qua tanquā homo ipse natura Deus operator erat, & diuina naturaliter operabatur, vt per vtraq; (diuina scilicet & humana) vtraq; secundū naturā probaret, perfectū Deū, & perfectū hominem, absq; solo peccato, se verè esse ostendens. Non igitur ignorauit pater Cyrillus proprietatē præcipuā vniuscuiusq; naturæ, & eā, quæ alias naturales proprietates cōprehendit; operationē dico creatricē, & viuificatricē ex anima corpori eiꝰ impartitā, quas Verbū incarnatum seruans in seipso, sinceras, & nō cōfusas demonstrauit, operationē creatricē in creanda substantia, & qualitate, ac quātitate, ex quib. & in quib. & quæ rerum essentia est & spectatur. & si. n. philosophi Gentiles in decem rationes res oēs distribuunt, his tamen trib. vniuersum continetur, & concluditur. Substantiā quidē creauit, restituēdis oculis cæci, qui deerat; qualitatē verò, mutata aqua in vinū; at quantitatē, auctis panib. operationem verò viuificatricem ostendit respirādo, loquēdo, videndo, audiendo, tangēdo, olfaciendo, comedēdo, bibendo, manus mouēdo, ambulādo, dormiēdo, & reliqua, quæcūq; in indiuiduis eiusdē naturæ operationē naturalē sine vlla variatiōe demōstrāt. Pyr. Piè & non violenter sententiā Patris non repugnare mōstrasti, sed potiùs per omnia cū duabus operationibus conuenire. Quid præterea dicemus de S. Dion. qui in epist. ad Caium cultorē de Christo dixit, exercuisse nouam quandam operationē theandricā (id est, Deiuirilē) Max. Nouitas ista est ne qualitas, an quantitas? Pyr. Quantitas. Max. Igitur etiā naturam simul secundalē inducet. siquidem ratio operationis suæ substantialis est definitio omnis naturæ. Et nō solū hoc, sed cum ait Apost. Ecce facta sunt omnia noua, nihil aliud dicit, quam: Ecce omnia facta sunt vnum, natura ne, an operatione dicere velitis, vestræ hoc potestatis sit. Si verò nouitas qualitas est, non vnam operationem declarat, sed nouum & arcanum modum demonstrationis operationū naturalium Christi, cōuenienter modo arcano mutuæ circūmeationis naturarū Christi inter se ipsas, & nouā atq; admirabilē, ac naturæ rerū ignotā conuersationē eius secundū humanitatē, ac modū reciprocæ cōmunicationis secundū vnionem inexplicabilem & arcanam. Pyr. Nec Deiuirilis operatio vnam operationē declarat? Max. Minimè. Immo contra vox ipsa quadā circuitione per numeratas naturas earum operationes tradidit. negatis. n. extremis nihil est medium in Christo. Si aūt vnā operationē declarat, aliā operationem præter operationē Patris habebit Christus, vt Deus, alius; inquam, operationis erit filius, quàm pater. siquidem operatio Patris nō est theandrica (id est, Deiuirilis) quæ nimirum naturam deiuirilē signat & constituit, operatio. n. quæ naturalis est, naturā testatur, & character naturalis eius est. Et qui hæc differunt & commentantur, aliud genus esse qualitatis, aliud quātitatis dixerunt. Py. Neq; quantitas, neq; qualitas est nouitas, sed essentia. Max. Miror, quomodo ausus es hoc dicere. quid distinguendo essentiæ opponitur; Py. Quod non est. Ma. Quid verò nouitati? Pyr. Vetustas. Ma. Igitur nō est substātia nouitas, sed qualitas. Quomodo aūt si de vna operatione vocē accipiamus, non hūc diuinarum rerum doctorem hac ratione sibi & reliquis patrib. repugnantem introducimus? Oēs enim cōmuniter planè & dixerunt & docuerūt, quæ sunt eiusdē substantiæ, eiusdē esse operationis, & quæ sunt eiusdem operationis, eiusdē substantiæ esse & quæ substātia differunt, differre etiā operatione, & rursus quæ differunt operatione, substātia quoq; differre. Py. Hoc in theologia dictū est à patribus, non aūt in œconomia. Vnde non fuit mentis veracis ea, quæ in theologia dicta erant ab ipsis, ad œconomiam transferre, & huiusmodi absurdum inducere. Max. Si in theologia tantū dicta sunt ista à patrib. igitur opinione vestra post incarnationem non est coniuncta theologia de Filio cū paterna. quòd si non est coniūcta theologia ipsius, neque connumeratur Filius cum Patre in inuocatione baptismi, & reperietur fides vana, & prædicatio. Et rursus. Si non est cōiuncta theologia de Filio cum Patre, nec erit eiusdem substantiæ: quæ enim ratione differunt, natura etiam omnino different. Ac rursus: Si post incarnationem nō simul de Filio cum Patre prædicatur diuinitas, cui tribuemus illud. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor? item illud: Quæ viderit Patrem facientem, hæc Filius similiter facit? & illud: Et: Si mihi non creditis, operib. meis credite? Et: Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me? Et: Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic Filius, quos vult, viuificat? Hæc enim omnia non solū esse eiusdē substantiæ cum Patre etiam post incarnationē demonstrant, sed etiam eiusdem operationis. Et rursus. Si prouidētia ac procuratio eorū, quæ sunt, operatio Dei est, hæc aūt prouidentia non solū est Patris & Spiritus S. sed & Filij, etiam post incarnationem, est igitur eiusdem operationis cum Patre etiā post incarnationē. Et rursus. Si miracula sunt operatio Dei, ex miraculis aūt cognouimus eiusdē substātiæ esse cū Patre, igitur ex eadē operatione demōstratus est esse eiusdē cū Patre substantiæ: estque Theologia (Filij) iuncta cū Patre etiā post incarnationē. Præterea. Si ineſt in Deo secundum substantiā operatio creatrix, quæ autem secundum substantiam insunt, tolli non possunt: necesse est, vel si non dicunt eiusdē operationis esse cū Patre

post

post incarnationem, neque dicere eiusdem substantiæ esse (vbi enim non est eadem) operatio, quæ est secundum naturam, nec erit vnquã (eadẽ natura) vel si dicunt eiusdẽ substantiæ cũ ipso eum esse, dicere etiã eiusdẽ operationis esse; & iungere Theologiã Filij cum Patre etiam post incarnationem. vbi enim natura, illic & communis secundum naturam operatio omnino erit. PYR. Non dicimus vnam operationem ad tollendum humanã operationẽ, sed quia cũ distinguẽdo opponitur diuinæ operationi, passio hac ratione dicitur. MAX. Hac ratione etiam, qui dicunt vnam naturam, non dicunt ad tollendum humanã naturam, sed quia, cum distinguendo opponitur natura diuinæ, passibilis dicitur hac ratione. PYR. Quid igitur? nõne Patres, vt distinguerent à diuina operatione, passionem appellauerunt motũ humanum? MAX. Absit, nullius enim rei essentia, vt vniuersè dicam, ex collatione, aut comparatione cognoscitur, aut definitur. alioqui reperiẽtur res esse inter se sibi vicissim causæ. Si enim, quia operatio est diuina motus, humanus motus passio est, omnino etiam, quia bona est diuina natura, praua erit humana. & similiter secundum tuã reciprocationẽ oppositionis, quia humanus motus passio dicitur, diuinus motus operatio dicetur; & quia praua est humanus motus, bonus erit diuinus. verùm apage, multæ enim fatuitatis sunt ista. PYR. Quid ergo? an non humanum motum passionem appellauerunt Patres? MAX. Multis modis motũ humanũ appellauerũt, cõuenienter subiectis notionibus. PYR. Quomodo hoc dicis? MAX. Appellauerunt eũ potestatẽ, operationẽ, differentiam, motũ, proprietatẽ, qualitatem, ac passionem, nõ secundũ distinctionem ex oppositione diuini motus, sed tanquã continentẽ & conseruantem, atq; immutabilẽ nominarũt δύναμιν (id est, vim, siue potestatẽ) tãquam designantem, & ostendẽtem in omnib. eiusdem speciei ἀπαραλλαξίαν (id est, inuariationem) vocauerunt energiã (id est, operationẽ) tanquam separantẽ, & distinguentẽ, vocauerunt differentiã, tanquã iudicantem, dixerunt motũ; tãquam constituentẽ, & ipsi soli & non alij inhærentẽ, nuncupauerũt proprietatẽ; tanquam formæ efficientem, vocauerũt qualitatem; tanquã motum factum vocauerunt passionẽ. omnia enim, quę ex Deo, & post Deum sunt, subeunt motũ, vtpote q̃ nõ sunt ipse per se motus, aut ipsa per se potestas. Non igitur sic vocauerũt propter distinctionẽ ex oppositione, vt dictum est, sed propter rationẽ ipsis inditã ex creatione à causa omnium rerũ effectrice. Vnde cum diuino motu motũ humanum proferẽtes, ipsum appellauerunt energiam (id est, operationẽ.) Qui. n. dixit: operatur vtraq; forma cum cõmunione alterius, quid aliud fecit, q̃ quod is, qui dixit: Etenim cũ quadraginta dies ieiunus fuisset, postea esuriuit: concessit enim naturæ, quando voluit, vt quę propria erant, operaretur? aut quàm quod ij qui dixerunt, differentẽ esse eius operationẽ? aut qui duplicem? aut qui aliam & aliam? PYR. Demonstratum etiam profectò est in quæstione de operationib⁹ absurdum esse, vnam operationem in Christo dicere, quomodocumq; dicatur. Sed veniam postulo tum mihi ipsi, tũ ijs, qui antecesserunt. ex ignorantia enim in absurdas has sententias & argumentationes prolapsi sumus: & obsecro, vt inueniatur mod⁹ delendi hanc introductam absonam sententiã, & parcẽdi memoriæ antecessorũ. MAX. Non est alius modus, quã taceri personas, & anathemate affici talia dogmata. PYR. At si hoc fiat, reperientur cum his simul eiecti Sergi⁹ & Synodus me Patriarcha habita. MA. Subit me admiratio, quomodo Synodũ vocas, q̃ nõ est habita, vt leges & canones Synodici & iura Ecclesiastica iubẽt. nec n. epistola encyclica ex cõsensu Patriarcharũ edita est, neq; locus, neq; dies cõueniendi decret⁹. nõ fuit aliquis actor, aut accusator, qui cõuenerũt, epistolas cõmendatitias nõ habuerũt, nec episcopi à Metropolitanis, neq; Metropolitani à Patriarchis, non epistolæ, neq; Vicarij ab alijs Patriarchis missi sunt. Quis igitur particeps rationis Synodũ sustineat appellare, q̃ scandalis & discordia cunctũ Orbem impleuit? PYR. Si non est alius modus præter hunc pluris faciens salutẽ meam, quàm cætera omnia, præsto sum ad faciendum hoc cum omni satisfactione: hoc solùm rogo, vt dignus habear in primis templorum Apostolorum ac potius ipsorum principum Apostolorum adoratione, deinde, vt videam faciem sanctissimi Papæ, eique tradam libellum eorum, quæ absurdè facta sunt. Maximus & Gregorius patricius dixerunt: Quandoquidem tua propositio bona est, & Ecclesiæ vtilis, sic fiat.

In hac ergo celeberrima Vrbe Roma cum adesset nobiscum, promissum præstitit, damnauitque dogmata impiæ expositionis; seque per rectam professionem cum sancta Catholica & Apostolica Ecclesia coniunxit, gratia & cooperatione magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

NOTÆ in Disputationem Maximi cum Pyrrho.

Disputatio Maximi hæc, germana est.

Disputatio.] *Hanc disputationem à Francisco Turriano ex Græco Latinè translatam ex bibliotheca Vaticana primus emisit Baronius. Germanam esse illam eandem, quæ in Africa cum Pyrrho instituta fuit, testimonio Athanasij, Theophanis, actorum Synodalium Concilij Lateranensis, & epistolæ 16. S. Martini, probatum est supra, in Notis ad vitam Theodori, verbis* Ipsis temporibus venit, *&c. Quæ occasione quoue effectu celebrata fuerit, ibidem dixi. Græce cũ varijs lectionibus excusam inuenies apud Baronij annales in fine tomi octaui.*

Maximus quis.

Maximi.] *Maximus patria Constantinopolitanus, antiqua nobilate clar⁹, litteris philosophicis atq; Theologicis egregiè excultus, inuitus ab Heraclio Imperatore in palatium tractus est, vt regijs commentarijs conscribendis operam daret, aliaque iussa Principis magni momenti capesseret. In hac functione magno virtutis exercitio perstitit, donec Monothelitarum hæresi in Regiam aulam surreperet. Tũc saluti suæ metuens ac consulens palatium deseruit, atque monasterium ingressus est, quod in vltiore littore situm Chrysopolis nomine est nuncupatum. Vbi cum aliquamdiu monasticam vitam exercuisset, eiusdem præfecturam inuitus suscepit. Inualescentem Monothelitarum hæresin fugiturus, per Africam proficiscitur Romam: vbique fecit Concilia congregari, quibus hæresis illa condemnaretur. Dum in Africa hæreret, occasione qua supra dixi, contigit Pyrrhum Constantinopolitanum Antistitem isthuc deferri, atque hanc illustrem disputationem auctoritate Episcoporum Africanorum, & Gregorij* PATRICIJ, *qui prouincijs Africæ præsidebat, cum eodem instituit, qua Honorium Papam à calumnia, ipsumq; Pyrrhum ab hæresi Monothelitarum liberauit. His rebus profide catholica præclare ab ipso gestis, Constans Imperator exasperatus, venerandum senem propè octogenarium, Roma Constantinopolim abduci, deductum in iudicium, calumnijs exagitatum, modisq; indignis tractatũ, & constantẽ in fidei Catholicæ professione, vna cũ Maximo Apocrisario & Anastasio discipulo, in Thraciam quæ est in extremis Imperij Romani Oris, eundem anno Christi 650. ablegauit. Post sex annos exilij, misso ad eum Theodoro Episcopo Cæsariense cum duobus patricijs, tentauit eum Imperator in errorem Monothelitarum pertrahere, verum cum ille missos ad se Monothelitas ad fidem Catholicam suscipiendam induxisset, adeoque Imperator spe sua frustratus esset, mandauit eum ab exilio Constantinopolim reduci: cumque ibidem illum tam solito constantiorem esse reperisset, septuagenario maiorem prius virgis cæsum postea cum discipulo eius Anastasio, lingua simul ac dextra mutilauit: qui ambo dum præcisa lingua, quod memorabile est adhuc loquerentur, relegati fuerunt in diuersa exilia, in quibus fidei confessionis ac martyrij gloria condecorati, vterque ad cælum migrauit. Ad Maximi gloriam accedit, quod eius nobilissimi ingenij lucubrationes magna ex parte Deo protegente aduersarijs quantumuis repugnantibus seruatæ sunt: quarum indicem ex CCV. & ex Photio habes in annalibus Baronij anno 657. & in apparatu sacro Possevini, verbo Maximus.*

Maximus relegatur.

Maximus lingua præcisa loquitur.

Pyrrho.] *De Pyrrho vide quæ dixi supra in Notis ad vitam Ioannis & Theodori Papæ.*

TYPVS PAVLI CONSTANTINOPOLITANI SVASV A CONstante Imperatore sexta Indictione, anno Christi 648. promulgatus, quo vnius voluntatis in Christo assertoribus & impugnatoribus silentium indicitur.

Extat in Actis Concilij Lateranensis sub Martino I. Secret. 4. Incipit sic.

COnsuetudinem habentes de omnibus curam agere & intendere quæ respiciunt ad vtilitatem Christianissimæ nostræ Reipub. *&c. prout prædicto loco.*

NOTAE.

Typus.] *Qua occasione hoc edictum Constantis Imperatoris, quod typus nominatur, promulgatum fuerit, dixi supra in Notis ad vitam Theodori Papæ, verbo* Theodorus.

De Typo iudicium Concilii Later. quale?

Quid de eo Lateranensis synodus sub Martino celebrata senserit, prædicto secretario 4. subiungitur his verbis: Sancta synodus dixit: Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur: dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est cohibere dissensiones pro causa fidei: sed non est vtile & bonum, cum malo destruere bonum, id est, cum hæreticis orthodoxorum Patrum verba & dogmata. *Quod si quis obiciat de epistolis Honorij, quibus de hac controuersia silentium indicitur Orientalibus, idem esse sentiendum, quod de Typo Constantis in synodalibus Iudicijs definitum fuit. Respondendum est sub temporis distinctione: Quando enim hæc controuersia cœpit oriri, sanctè & piè mandauit Honorius Papa, de ea taceri, eiusdemq; discussione & agitatione cessari. Nequaquam enim est necesse ab Ecclesia definiri omnes cõtrouersias, quæ curiositate disputantium multorum oriuntur: sed satius est ad sobrietatem sapere, id est ea sectari, quæ ab Ecclesia definita sunt. Quando autem curiosa disputatione indictum silentium aduersarij violassent: & per publicas assertiones publicè affixas, hæresim suam promulgassent, eamque Conciliorum sententijs confirmassent, locus silentio nec esse debuit, neque esse potuit: sed potius damnatis erroribus recta & orthodoxa fides promulganda erat. Vide Baron. anno 648. n. 8.*

An Typus à Theodoro cõdemnatus causæ Honorii aliquid præiudicet.

Quo tempore Typus editus

Sexta Indictione.] *Hoc tempore Typum à Constante promulgatum fuisse, asseritur in Actis S. Maximi apud Surium. Interrogatus enim S. Maximus cur cum sede Constantinopolitana non communicaret, respondit:* quia sanctas quatuor synodos eiecerunt, per nouem Alexandriæ facta capitula, & per Echthesin, id est, expositionem à Sergio in hac vrbe factam, & per Typum deinceps sexta Indictione expositum, & quod ea quæ per Echthesin dogmatizauerant, per Typum repudiarunt, ac seipsos toties destruxerunt. *Hac de tempore promulgati Typi Acta S. Maximi.*

CONCILIVM
NVMIDIÆ, IN AFRICA INDICTIONE quarta sub præsidio Columbi Metropolitani cõtra Monothelitarum hæresin Constantinopoli publicè promulgatam tempore Theodori Papæ celebratum.

Extat Epist. Synod. infra.

CONCILIVM
BYZACENVM EPISCOPORVM XLII. sub præsidio Stephani Primatis eodem tempore eademque de causa celebratum.

CONCILIVM
CARTHAGINENSE EPISCOPORVM lxviij. prædicto tempore ob causam prædictam celebratum.

EPISTOLA SYNODALIS HORUM trium Conciliorum ad Theodorum Papam transmissa.

Extat in Concilio Lateranens. sub Martino: Incipit sic.

MAgnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem. &c. *Prout infra habentur.*

EPISTOLA SYNODALIS Byzaceni Concilij ad Constantem Imperatorem.

Extat ibidem, cuius exordium tale est.

OMnipotens Deus, *&c. vide infra.*

EPISTOLA SYNODALIS CONCILII Carthaginensis ad Paulum Constantinopolitanum, de recta & orthodoxa fide; cui 680. Episcopi subscripserunt.

Extat hac Epistola in Concilio Lateranens. Secret. 2. Initium illius huiusmodi est.

CAput & fundamentum, &c.

CONCILIVM TOLETANVM VII. ANNO V. REGIS CHINDASVINDI, AERA DC. LXXXIIII. TEMPORE THEODORI PAPAE CELEBRATVM. EST NATIONALE.

Editio I.

CAPITVLA CONCILII VII. Toletani.

De refugis atque perfidis clericis siue laicis, 1
De languoris euentu ministrantium clericorum. 2
De exequijs morientis episcopi. 3
De exactione ecclesiarum Galliciæ prouinciæ. 4
De reclusis inhonestis, siue vagis. 5
De conuiciis Episcopis in vrbe regia commorandis. 6

Editio II. Garsiæ.

CONCILIVM SEPTIMVM TOLETANUM *30. Episcoporum. Capitulum primum.

*38.

ANno *sexto Chindasuindi Regis, 5. Kalen. Nouemb. Cum in nomine sanctæ Trinitatis, pro quibusdam disciplinis Ecclesiasticis, tam nostra deuotione, quàm studio sereniss. & amatoris CHRISTI Chindasuindi regis nostri, apud Toletanam vrbem conuentus adesset, competenter vsum est, mutua collatione decernere, quòd solicitè conseruatum, & præsentibus, & futuris commodis nimium (vt confi-

* quinto Anno Domini. 652.

CVm in sanctæ nomine Trinitatis, pro quibusdã disciplinis Ecclesiasticis, tam nostra deuotione, quàm studio sereniss., & amatoris Christi Chindasuindi Regis nostri, apud Toletanam vrbem conuentus adesset, competenter vsum est, mutua collatione decernere, quòd solicitè conseruatum, & præsentibus, & futuris commodis nimium (vt confi-

dimus)

tenter

tenter visum est, mutua collatione decernere, quod solicitè *conseruandum, & præsentibus & futuris commodis, nimium (vt cõfidimus) prodesse constabit: magisq; semper est magnoperè prouidendum, quicquid vel Ecclesiasticis motibus, vel publicæ vtilitati (sinè qua quieti non viuimus) oportunũ esse perpenditur. Nam licet & antè constitutiones canonum extent, quæ ad omnem possint *correptionem sufficere, si quis eas dignetur libenter attendere, tanto tamen luminis claritas amplius emicat, quanto fuerit studiosius sæpissimè cõtrectata. Non parum proficit ad emendationem multorum, si dum ea, quæ constituta sunt, per fraternam collationem ad memoriam reducantur: & illa *etiam adijciantur, quæ aut deesse videntur, aut omninò constituenda competenter existimantur. Quis enim nesciat, quanta sint hactenus per tyrannos & refugas, transferendo se in externas partes, illicitè perpetrata, & quam nefanda eorum superbia iugiter frequentata, quæ & patriæ diminutionem afferrent, & exercitui Gotthorum indesinentem laborem imponerent? Quod si quidem laicorum insania fuisset factum, tolerandum à nobis forsitan aliquoties videretur. Illud tamen est vehementius stupendũ, quia (quod peius est) tantæ religionis proposito in hac interdum præsumptione præcipites efferuntur, vt ad non leuem confusionem nostram pertineat, si res vllatenus inulta remaneat, quam & mundana lege, & ecclesiastica conuenit instanter disciplina corrigere. Ideoque placuit nunc concordi sententia definire, vt quisquis in ordine clericatus à maximo gradu vsque ad minimum constitutus, in alienæ gentis regionem se quacunque occasione transduxerit, vt exindè superbiendo vel *reditum suum, vel quodlibet aliud videatur expetere, siue etiam quo genti Gotthorum, vel patriæ vel regno speciaLiter sub hac occasione possit nocere, vel fieri disposuerit, vel aliquatenus fecerit: sed & qui cum talibus conscius reperitur, eisque vel consilium vel opem administrare cognoscitur, qualiter aut ad gentem alienam fugam appeterent, aut in malis, quæ cœperant, perdurarent, seu quãcunque læsionem genti Gotthorum, vel patriæ, aut principi post fugam inferrent, atq; in eadem prauitate perseuerarent: quisquis hoc fecisse dinoscitur, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu priuetur, vt locum eius, in quo ministrauerat, alter continuo perpetim regendum accipiat. Ipse verò transgressor sub pœnitentia constitutus, si reminiscens mali, quod fecerat, vsque in diem mortis suæ rectissimè pœnituerit, in solo tantum fine communio ei *danda est, ita vt antequam tempus finis eius adueniat, si quisquam sacerdotum, etiam ordinante principe, ei communicare consenserit, particeps criminis illius effectus, anathema fiat in perpetuum, ac simili cum eo, cui communicauerit, sententia condemnetur: quoniam potestati principis nullus sacerdotum in hoc præbere debet assensum, vnde vel periurium videatur incurrere, vel (quod absit) si quicunque Catholicæ fidei præuaricator princeps surrexerit, sacerdos nullatenus fauore principis vel terrore, à rectæ credulitatis lumine ad tenebras cogatur reuerti. Sic enim nec super annexa capitula, vel imperijs principum vel terroribus oportebit vnquam euacuare, quia nouimus, omnes penè Hispaniæ sacerdotes, omnesque seniores vel iudices, ac cæteros homines officij palatini iurasse, atque ita nunc legibus decretum fuisse, vt nullus refuga vel perfidus, qui contra gentem Gotthorum, vel patriam, seu regem agere aut in alterius gentis societatem se transducere reperitur, integritate rerum suarum nullatenus reformetur, nisi forsitan princeps humanitatis aliquid personis talibus impartiri voluerit, qui tamen non amplius quam vigesimam partem rerum ei, qui perfidus extitit, de rebus, vnde rex elegerit, tribuendi potestatem habebit. Sed quia plerosque clericos inconstantis leuitatis, interdum prauitatis præsumptio ita eleuat, vt prætermissa ordinis sui grauitate, ac polliciti sacramenti immemores, constante principe, cui fidem seruare promiserant, in alterius electionem temeraria leuitate consentiant, abrogari decet hanc omninò licentiam, & à nostro consortio penitus extirpari, ita vt si quicunque laicorum quandoque intra fines patriæ Gotthorum superbiens, regni apicem sumere fortasse tentauerit, eique clericorum quilibet adiutorium vel fauorem præstiterit, atque hunc qui superbire videtur, ad eandem regni ambitionem prævalente delicto peruenire contigerit, dimus) prodesse constabit. Magisque semper est magnoperè prouidendum, quidquid vel Ecclesiasticis moribus, vel vtilitati publicæ (sine qua quieti non viuimus) opportunum esse perpenditur. Nam licet tantæ constitutiones Canonum extent, quæ ad omnem possent correctionem sufficere, si quis eas dignetur libenter attendere; tamen, quia luminis claritas tanto amplius emicat, quanto fuerit studiosius sæpissimè cõtrectata, non parum proficit ad emendationem multorum, si dum ea, quæ constituta sunt, per fraternam collationem, ad memoriam reducantur, & illa magis adijciantur, quæ aut deesse videntur, aut omninò constituenda competenter existimantur. Quis enim nesciat, quanta sint hactenus per tyrannos & refugas, transferendo se in extraneas partes, illicitè perpetrata, & quam nefanda eorum superbia iugiter frequentata, quæ & patriæ diminutionem afferrent, & exercituum Gotthorum indesinenter laborem imponerent? Quod quidem laicorum insania factum, tolerandum nobis forsitan aliquotiens videretur: illud tamen vehementius stupendum, quia (quod peius est) tanti ex religionis proposito, in hac interdum præsumptione præcipites efferuntur, vt non ad leuem confusionem nostram pertineat, si res vllatenus inulta remaneat, quam & mundana lege, & Ecclesiastica conuenit instanter disciplina corrigere. Ideoque placuit nunc concordi sententia definire, vt quisquis in ordine clericatus, à maximo gradu, vsque ad minimũ cõstitutus, in alienæ gentis regionem se quacunque occasione transduxerit, aut exinde superbiendo, vel reditum suum, vel quodlibet aliud videatur expetere; siue etiam, quo genti Gothorum, vel patriæ, aut Regi specialiter sub hac occasione posit nocere, vel fieri disposuerit, vel aliquatenus fecerit; sed, & qui cum talib⁹ conscius reperitur, eisque vel consilium, vel opem administrasse cognoscitur, qualiter, aut ad gentem alienam fugam appeterent, aut in malis, quæ cœperant perdurarent, seu quamcunque læsionem genti Gotthorum, vel patriæ, aut Principi post fugam inferrent, atque in ea prauitate perseueraturos dignoscuntur suasisse, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu priuetur, vt locum eius, in quo ministrauerat, alter continuò perpetim regendum accipiat. Ipse verò transgressor sub pœnitentia constitutus, si reminiscens mali, quod fecerit, vsque in diem mortis suæ rectissimè pœnituerit, in solo tantum fine communio ei præstanda est; ita vt antequam tempus finis ei adueniat, si quispiam Sacerdotum, etiam ordinante Principe ei communicare consenserit, particeps criminis illius effectus, anathema fiat in perpetuum, ac simili cum eo, cui communicauerit, sententia condemnetur. Quoniam potestati Principis nullus Sacerdotum in hoc præbere debet assensum, vnde vel periurium videatur incurrere, vel (quod absit) si quicunque catholicæ fidei præuaricator Princeps surrexerit, Sacerdotes ijdem, vel fauore Principis, vel terrore, à rectæ credulitatis lumine ad tenebras cogantur reuerti. Sic enim nec super adnexa capitula, vel imperijs Principum, vel terroribus oportebit vnquam euacuari: quia nouimus omnes penè Hispaniæ Sacerdotes, omnesque seniores, vel iudices, ac cæteros homines officij palatini iurasse, atque ita dudum legibus decretum fuisse, vt nullus refuga, vel perfidus, qui contra gentem Gothorum, vel patriam, seu Regem agere, aut in alterius gentis societatem se transducere reperitur, integritate rerum suarum nullatenus reformetur; nisi forsitan Princeps humanitatis aliquid personis talibus impertire voluerit: qui tamen non amplius quam vigesimam partem rerum, ei, qui perfidus extitit, de rebus, vnde Rex elegerit, tribuendi potestatem habebit. Sed & quia plerosque Clericos tantæ leuitatis, interdum prauitatis præsumptio ita eleuat, vt prætermissa sui ordinis grauitate ac policiti Sacramenti immemores, constante Principe, cui fidem seruare promiserant, in alterius erectione temeraria leuitate consentiunt, abrogari decet hanc omnino licentiam, & à nostro consortio penitus extirpari; ita vt si quicunque laicorum quandoquidem intra fines patriæ Gotthorum superbiens, regni apicem sumere fortasse tentauerit, eique Clericorum quilibet adiutorium, vel fauorem præstiterit, atque hunc, qui superbire videtur ad eandem regni ambitionem prævalente delicto, peruenire contigerit, ex eo quidem die vel tempore eundem Episcoporum, vel cuiuslibet ordinis Clericum excommunicatum manere perpetuum oportebit, quo tali se scelere implicauit. Tamen si improbitate Principis, cui ini-

De hac re in legibus Visigoth lib. 2. tit. 1. l. 7.

ex eo quidem die vel tempore eundem episcopum, vel cuiuslibet ordinis clericum, excommunicatum manere perpetim oportebit, qui tali se sceleri implicauit. Tamen si propter improbitatem principis, cui iniquè consensit, non potuerit instantia sacerdotum à communione suspendi, saltem si superstitem eum post eiusdem regis obitum tempus inuenerit, superiori anathematis correptioni subiaceat: & quicunque illi, præterquam in vltimo vitæ suæ (si tamen eum legitimè pœnitere probauerit) communionis gratiam consenserit impendendam. Nobis interim ratio persuasit, synodali super hoc constitutione decernere, vt quicunque etiam laicorum in prędictis capitulis, hoc est, in aduersitate gentis, aut patriæ, potestatisue regiæ, in externas partes se conferendo, vel talib. opẽ præbendo, noxius fuerit vltra repertus, non solùm (vt dictũ est) omnium rerum suarum proprietate priuetur, sed & perpetua excommunicatione damnetur: & nunquam illi, nisi in vltimo mortis suæ communio tribuatur, excepto, si aliter communionis eius remedium, vel eorum quos supra taxauimus, imploratione sacerdotum apud principem fuerit impetratum. Nam si in derogationem aut contumeliam principis reperiatur aliquis nequiter loqui, aut in necem regis seu eiectionem intendere, vel consensum præbere, nos quidem huiuscemodi excommunicatione dignum censemus: vtrum tamen sit illi quandoque communicãdum, pietati principis decernendum relinquimus, cuius proculdubio potestatis est, subiectorum culpas, misericordiæ iudicijque sententia temperare. Contestamur autem clementissimos principes, & per ineffabile diuini nominis sacramentum obtestantes vnanimiter obsecramus, ne quandocunque absque iusta (vbi necesse fuerit) imploratione sacerdotali, excommunicationis huius sententiam à perfidis clericis, vel laicis ad externas partes se transferentibus, vel consensum præbentibus, quacunque temeritate suspendant. Nam hoc magis vtilitatibus videtur ferre consultum, si constitutionis nostræ forma seruetur. Execrandum anathema fiat, & velut præuaricator Catholicæ fidei semper apud DEVM reus existat, quicunque regum deinceps canonis huius censuram in quocunque crediderit vel permiserit violandam.

7. q. 1. Nihil contra ordinis.

2 Nihil contra ordinis statutum temeritatis ausu præsumatur, neque illa, quæ summa veneratione censentur, vel minimo præsumptionis tractu saluantur, cum hoc tantum fieri iussa sunt, ne interrupta noscantur, vel languoris prouentu robore salutis priuetur natura. Non ergo fragilitati solùm consulitur humanæ, sed etiam sacro honori mysteriorum Dei prouida cauetur solicitudiue. Censuimus ergo conuenire, vt cum à sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet euentus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum epiſcopo vel presbytero alteri, consecrationem exequi officij cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysterijs competit, quam aut incipientis, aut subsequentis, completa benedictione sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Cum enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium diuersitas format, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Quod etiam consultum cuncti ordinis clerici indiuiduum esse sibi non ambigant, sed (vt præmissum est) præcedentibus libenter alij pro complemento succedant. ne tamen, quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem conuertatur, nullus post cibum potumque quamlibet minimum sumptum, Missas facere: nullus absque patentis prouentu molestiæ minister vel sacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

Missa, si cõtigerit presbyterum casu aliquo deficere, ab alio presbytero supleatur vsque ad finem. Rom. 12.

*sanctis statutis cap. 4. Concilij Valentini in Hispania.

3 Ea, quæ competunt* honestati, contingit sæpè quorundam desidia non impleri. Proinde, quia notum est, quæ dignitas in exequijs morientis episcopi ex canonibus conseruetur, traditioni moris antiqui hoc tantum adijcimus, vt si quis sacerdotum secundum statuta Concilij Valentini, ad humanda decedentis episcopi membra venire commonitus, pigra voluntate distulerit, appellantibus clericis obeuntis episcopi, apud synodum siue apud metropolitanum episcopum, tempore anni vnius nec faciẽdi Missam, nec cõmunicandi habeat omninò licentiã. Presbyteri aũt siue cæteri cle-

rici,

que consensit, non potuerit instantia Sacerdotum à communione suspendi, saltem si superstitem eum post eiusdem Regis obitum tempus inuenerit, superiori anathematis correptioni subiaceat, quicunque illi præter in vltimo vitæ suæ (si tamen hũc legitimè pœnitere probauerit) communionis gratiam consenserit impendendam. Nobis interim ratio persuasit, Synodali super hoc constitutione decernere, vt quicunq; etiam laicorum in prædictis capitulis, hoc est, in aduersitate gentis, aut patriæ vel Regiæ potestatis, in externas partes se conferendo, vel talibus opem ferendo noxius fuerit vltra repertus, non solum (vt dictum est) omnium rerum suarũ proprietate priuetur, sed & perpetua excommunicatione damnatus, nunquam illi præter in vltimo vitæ suæ communio tribuatur: excepto, si aliter communionis eius remedium, vel eorum, quos supra taxauimus imploratione Sacerdotum apud Principem fuerit impetratum. Nam si (quod omnino fieri non oportet) in derogationem, aut contumeliam Principis reperiatur aliquis nequiter loqui, aut in necem Regis, seu deiectionem intendere, vel consensum præbere, nos si quidem huiuscemodi excommunicatione dignum censemus. Vtrum tamen sit illi quandoque communicandum, pietati Principis discernendum relinquimus, cuius proculdubio potestatis est subiectorum culpas misericordiæ, iudicijque sententia temperare. Contestamur autem clementissimos Principes, & per ineffabile diuini nominis sacramentum obtestantes, vnanimiter obsecramus, ne quandoquidem absque iusta (vbi necesse fuerit) imploratione Sacerdotali excõmunicationis huius sententiã à perfidis clericis, vel laicis ad externas partes se trãsferentibus, vel consensum præbentibus quacunque temeritate suspendant. Nam quod magis eorum regum vtilitatibus videtur fore consultum, si huius constitutionis nostræ forma ab ipsis Principib. seruetur, & ab omnib. subiectis impleri cogatur. Si quis verò hæc instituta putauerit esse execrãda, anathema fiat: & velut præuaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat quicunque Regum deinceps Canonis huius censuram, in quocunque crediderit, vel permiserit violandam.

Burch. li. 15. c. 24.

2 Nihil contra ordinis statum temeritatis ausu præsumatur, neq; illa quæ summa veneratione censentur, vel minimo præsumptionis actu soluantur, cum ad hoc tantum fieri quaqua iussa sunt, interrupta noscantur, ne languoris prouentu robore salutis natura priuetur. Non ergo solum fragilitati consulitur humanæ, sed etiam honori mysteriorum Dei prouidetur abunde, dum ab offensionis casu procuratur etiam caueri sollicitè. Censemus igitur conuenire, vt cum à Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidat cuiuslibet euentus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri ministerium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri, consecrationem exequi officij cœpti. Non enim aliud ad supplementum sui initiatis ministerijs competit, quam aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt nisi perfectionis ordine compleantur: cum enim simus omnes vnum in Christo, nihil contrarium diuersitas format, vbi efficaciam prosperitatis vnitas fidei repræsentat. Quod etiam consultũ cuncti ordinis Clerici indultum esse sibi non ambigant; sed (vt præmissum est) præcedentibus libenter alij pro complemento succedant. Ne tamen quod naturæ languoris causa cõsulitur, in præsumptionis perniciem conuertatur, nullus post cibi potusue quamlibet minimum sumptum Missas facere, nullus, absque patenti prouentu molestiæ, minister vel Sacerdos cum cœperit, imperfecta officia præsumat omninò relinquere. Si quis hæc tentare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

3 Ea, quæ competunt honestati, contingit sæpe quorundam desidia non impleri. Proinde, quia notum est, quæ dignitas in morientis Episcopi exequijs, ex Canonibus conseruetur, traditioni moris antiqui hoc tantum adijcimus, vt si quis Sacerdotum, secundùm statuta Valentini Concilij, ad humanda decedentis Episcopi membra venire commonitus, pigra voluntate distulerit, appellantibus Clericis obeuntis Episcopi, apud Synodum, siue apud Metropolitanum Episcopum, tempore anni vnius, nec faciendi Missam, nec communicandi habeat omnino licentiam. Presbyteri aũt, siue cle-

rici,

rici, quibus maior honoris locus apud eandem ecclesiam fuerit, cuius sacerdos obierit, si omni solicitudine pro exequijs, aut iam mortui, aut continuò morituri antistitis, ad commonendum episcopum tardi inueniantur, aut per quamcunque molestiam animi id negligere comprobentur, totius anni spatio ad pœnitentiam in monasterijs deputentur.

4 Inter cætera denique, quæ communi consensu nos conferri cõpetenter oportuit, querimonias etiam parochialium presbyterorum Galliciæ prouinciæ solertissimè discernere decuit, quas contra pontificum suorum rapacitates necessitas (vt comperimus) tandem compulit in publicum examen deferri. Hi enim pontifices (vt euidens inquisitio patefecit) indiscreto moderamine, parochianas ecclesias prægrauantes, dum in exactionibus superflui frequenter existunt, penè vsque ad exinanitionem extremæ virtutis, quasdam basilicas perduxisse probantur. Ne ergo fiat decætero, quod constat hactenus inordinatè præsumptum, non amplius quàm duos solidos vnusquisq; episcoporum præfatæ prouinciæ per singulas diœceses suæ basilicas, iuxta synodum Bracarensem, annua illatione sibi expetat inferri, monasteriorum tamen basilicis ab hac solutione pensionis seiunctis. Cùm verò episcopus diœcesim visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec vnquam *quinarium numerum euectionis excedat, aut amplius quàm vna die per vnamquamque basilicam remorandi licentiam habeat. Quicunque verò pontificum eorundem aliter, quàm decernimus, agendum præsumpserit: correptioni proculdubiò canonum subiacebit, qua constitutionum synodalium transgressores priscorum patrum edictis corripiendos oportet.

*quinquagenarium

5 Quosdam paternarum ignaros vel oblitos traditionum, in tantam conspicimus corruisse desidiam, vt eorum execrãdo vsu penè oblita patescant, quæ extiterunt legitimè constituta. Dum enim indocti docere appetunt, quid aliud, quam quia ignorantiæ errore vexentur, ostendunt? Et quia gressu præpostero innitentes, præsumptionem doctrinæ discendi studijs anteponunt: patet, quod non summæ humilitatis gratiam petunt, sed actioni deprauationis inseruiunt. Ex hoc ergò iustæ seueritatis talia decernentes oportuno amputare iudicio, iubemus eos, quos in cellulis proprijs recluſos sanctæ vitæ ambitio tenet: quosque eiusdem sancti propositi & merita iuuant, & probitas ornat, hos & Dei auxilio, & nostro fauore tutos existere: illos verò, quos in tale propositum ignauia impulit, non prudentiæ cognitio deputauit, quosque nulla vitæ dignitas ornat, sed (quod est deterius) & ignorantia fœdat, & morum execratio turpat, decernimus, ab his abijci cellulis atq; locis, in quibus aut feruntur vagi, aut tenẽtur inclusi: atque ab episcopis siue rectoribus monasteriorum, ex quorum congregatione fuerunt vel in quorum vicinitate consistunt, in monasterijs omnimodo deputentur, vt illic sancti ordinis meditantes doctrinam, primùm possint discere, quæ sunt à patribus instituta, vt posteà valeant docere, quæ sunt sancta meditatione percepta: atque tunc demum, si doctrinæ & sancti operis fructu extiterint fœcunditati, ad summa virtutis properent exercitia, sancta intentione imbuti. Deinceps autem, quicunque ad hoc sanctum propositum venire disposuerint, non aliter illis dabitur assequi: nec hoc anteà poterunt adipisci, nisi priùs in monasterijs instituti, & secundùm sanctas monasteriorum regulas pleniùs eruditi, & dignitatem honestæ vitæ, & notitiam potuerint sanctæ promereri doctrinæ. Illos autem, quos tantùm extrema vesania occuparit, vt incertis locis vagi, ac morum deprauationibus inhonesti, nullam prorsus nec stabilitatem sedis, nec honestatem mentis habere extiterint cogniti, quicunque ex sacerdotibus vel ministris, vagantes repererint: aut si fuerint propè, cœnobiorum patribus corrigendos assignent: aut, si difficile est, pro sola honestate vigoris suę potestati erudiendos inclinent.

6 Id etiam placuit, vt pro reuerentia principis ac regiæ sedis honore, vel metropolitani ciuitatis ipsius, & consolatione conuicini Toletanæ vrbis episcopi, qui eiusdem Pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus in eadem vrbe debeant commorari, messiuis tamen ac vindemialibus feriis relaxatis. Nos autem immortali Deo, & glorioso Chindasuĩdo Principi, ob cuius votum in hanc vrbem sancta deuotione conuenimus, gratias vnanimiter offerẽtes,

rici, quibus maior honoris locus apud eãdem Ecclesiam fuerit, cuius Sacerdos obierit, si omni solicitudine pro exequijs, aut iam mortui, aut continuò Antistitis morituri ad cõmonendum Episcopum tardi inueniantur; aut per quamcunque molestiam animi, id negligere comprobentur, totius anni spatio, ad pœnitentiam in monasterijs deputentur.

4 Inter cætera, denique, quæ communi consensu nos conferre competenter oportuit, querimonias etiam parochialiũ Presbyterorum Galliciæ prouinciæ solertissimè decernere decuit, quas contra Pontificum suorum rapacitates, necessitas (vt comperimus) tandem compulit in publicum examen deferre. Hi enim Pontifices (vt euidens inquisitio patefecit) indiscreto moderamine, parochianas Ecclesias prægrauantes, dum in exactionibus superflui frequenter existunt, penè vsque ad exinanitionẽ extremæ virtutis quasdam basilicas perduxisse probantur. Ne ergo fiat de cætero, quod constat hactenus inordinatè præsumptum, non ampliùs, quàm duos solidos vnusquisque Episcoporum præfatæ prouinciæ, per singulas diœcesis suæ basilicas, iuxta Synodum Bracarensem annua illatione sibi expetent conferri; monasteriorum autem basilicis, ab hac solutionis impensione seiunctis. Cum verò Episcopus diœcesem visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec vnquam quinquagenarium numerum euectionis excedat, aut amplius, quam vnam diem per vnam quamque basilicam remorandi licentiam habeat. Quicunque verò Pontificum eorundem aliter quàm decernimus, agendum præsumpserit, correptioni proculdubio Canonum subiacebit, qua constitutionum Synodalium transgressores priscorum Patrum edictis corripiendos oportet.

5 Quosdam Paternarum ignaros, vel oblitos traditionũ, in tantam conspicimus corruisse desidiam, vt eorum execran do vsu penè abolita pateſcant, quæ extiterant legitimè constituta. Dum enim indocti docere appetũt, quid aliud quàm quia ignorantiæ errore vexentur, ostendunt? & quia gressu præpostero innitentes, præsumptionem doctrinæ discendi studijs anteponunt, patet quòd non summa humilitatis petunt, sed actioni deprauationis inseruiunt. Ex hoc igitur iustę seueritatis talia decernentes opportuno amputare iudicio, iubemus eos, quos in cellulis proprijs recluſos sanctæ vitæ ambitio tenet; quosque eiusdem sancti propositi, & merita iuuant, & probitas ornat, quietos Dei auxilio & nostro fauore tutos existere: illos verò quos in tali proposito ignauia impulit, non prudentiæ cognitio deputauit; quosq; nulla vitæ dignitas ornat, sed (quod est deterius) & ignorantia fœdat, & morum execratio turpat, decernimus ab his abijci cellulis, atque locis, in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur incluſi; atque ab Episcopis, siue rectoribus monasteriorum, ex quorum congregatione fuerunt, vel in quorum vicinitate consistunt, in monasterijs omnimodo deputentur; vt illic sancti ordinis meditantes doctrinam, primum possint discere, quæ sunt à Patribus instituta, vt post valeant docere, quæ sunt sancta meditatione percepta. Atque tunc demum, si doctrinæ & sancti operis fructu extiterint fœcundati, ad summa virtutis properent, exercitio sanctæ intentionis imbuti. Deinceps autem, quicunque ad hoc sanctum propositum venire disposuerint, non aliter illis id dabitur adsequi, neque hoc antea poterunt adipisci, nisi prius in Monasterijs constituti, & secundum sanctas monasteriorum regulas pleniùs eruditi, & dignitatem honestæ vitæ, & notitiam potuerunt sanctæ promereri doctrinæ. Illos autem, quos tantum extrema vesania occuparit, vt incertis locis vagi, atque morum deprauationibus inhonesti, vllam prorsus nec stabilitatem sedis, nec honestatem mentis habere extiterint cogniti, quicunque ex Sacerdotibus, vel ministris vagantes repererit; aut, si fas est, in proprijs locis cœnobio suis rectoribus eos reformet; aut, si difficile est, pro sola honestate, vigore suæ potestatis erudiendos inclinet.

6 Id etiam placuit, vt pro reuerentia Principis, ac Regiæ sedis honore, vel Metropolitani ciuitatis ipsius consolatione, conuicini Toletanæ sedis Episcopi, iuxta quod eiusdem Pontificis admonitionem acceperint, singulis per annũ mensibus in eadem vrbe debeant commorari; messiuis tamen, ac vindemialibus ferijs relaxatis. Nos autem immortali Deo, & glorioso Cindasuintho Principi, ob cuius votum in hac vrbe sancta deuotione conuenimus, gratias vnanimiter referentes

Gallicię. sic est in omnibus. CC. M. si quam lectionem reti nui, cũ infra dicatur, hoc decerni ex decreto Concilij Bracar. sub cuius Metropoli erat Gallicia 10 q. 3. Inter cætera Iuo. p. 3. c. 132. Ansel. li. 7. c. 196. Ca 2. Syn. 2. Bracar.

In margine. C. A. erat: vt Episcopus cũ euectionibus ambulet.

optabili anniſu depoſcimus, vt ſanctæ Eccleſiæ catholicæ fidei ſemper ac pacis cumuletur effectus, & memorato Principi cum proſperitate præſentis regni, futuri etiam largiantur præmia gaudij, ipſo præſtante, qui in Trinitate vnus Deus viuit & gloriatur in ſecula ſeculorum.

Horontius in Chriſti nomine ſanctæ Emeritenſis eccleſiæ metropolitanus epiſcopus, hęc cõſtituta definiens ſubſcripſi.

Similiter & alij epiſcopi ſubſcripſerunt, num. 38.

optabili anniſu depoſcimus, vt ſanctæ Eccleſiæ catholicæ fidei ſemper ac pacis cumuletur affectus, & memorato Principi cum poſteritate, prælentis regni, futuri etiam largiantur præmia gaudij; ipſo præſtante, qui in Trinitate vnus Deus viuit, & gloriatur in ſecula ſeculorum, Amen.

SEQVVNTVR SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM,

Ex Ioan. Garsia Recens Adiectæ

1 ORontius, in Chriſti nomine Sanctæ Eccleſiæ Emeritenſis Metropolitanus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiés ſubſcripſi.

2 Ego Antonius, Dei miſericordia ſanctæ Hiſpalenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

3 Eugenius, ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

4 Protaſius, Tarraconenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſc. ſimiliter ſubſcripſi.

5 Hilarius, gratia Chriſti Epiſcopus eccleſiæ Complutenſis, ſimiliter ſubſcripſi.

6 Siſiſclus, ſanctæ eccleſiæ Elborenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

7 Recimirus, ſanctæ eccleſiæ Dumienſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

8 Deodatus, ſanctæ eccleſiæ Egabrienſis Epiſcopus, ſtatuta hæc definiens ſubſcripſi.

9 Epartius Dei miſericordia Epiſcopus eccleſiæ Italicenſis, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

10 Stephanus, Dei miſericordia Aſtigitanæ eccleſiæ Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

11 Egila, in Chriſti nomine Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Oxomenſis, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

12 In Chriſti nomine Anſericus eccleſiæ ſanctæ Segobienſ. Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

13 Vbidericus, eccleſiæ Segontienſis Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

14 Vbinibal, Dei miſeratione eccleſiæ Illicitanæ, qui & Erothanæ Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

15 Ego Mauriſius, in Chriſti nomine Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Abelen. hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

16 Ioannes, Dei gratia ſanctæ eccleſiæ Caurienſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

17 Egeredus, ſanctæ eccleſię Salmanticenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

18 Seruuſdei, ſanctæ eccleſiæ Caliebren. Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

19 Baſconius, etſi indignus Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Lucenſis, hæc ſtatuta definiens, ſubſcripſi.

20 Gotomarius, ſanctæ eccleſiæ Irienſis indignus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

21 Farnus, ſanctæ Viſenſis eccleſiæ etſi indignus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

22 Sona, eccleſiæ Britanenſis etſi indignus Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

23 Gaudeſtens, ſanctæ eccleſiæ Aurienſis Epiſcopus, hęc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

24 Vbitaricus, ſanctæ eccleſię Lamecenſis Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

25 Armenius, ſanctæ eccleſiæ Egitanę Dei gratia Epiſcopus, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

26 Adimirus, ſanctæ eccleſiæ Tudenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

27 Annianus, ſanctæ eccleſiæ Valẽtinæ, ſimiliter ſubſcripſi.

28 Donũdei, ſanctæ eccleſiæ Empuritanæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

29 Ego Valentinianus Archipresbyter, agens vicem domini mei Leudefredi Cordubenſis Eccleſiæ Epiſcopi, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

30 Criſpinus, in Chriſti nomine Abbas, agens vicem domini mei Neufridi Olyſſipponenſis eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

31 Vbiliéſus Presbyter, agens vicem domini mei Pimenij Epiſcopi Aſſidonenſis eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

32 Paulus Presbyter, agens vicem domini mei Canditati Epiſcopi Aſturienſis eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

33 Magnus Presbyter, agens vicem domini mei Marci Epiſc. Caſtellonenſis eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

34 Reparatus Presbyter, agens vicem domini mei Theuderedi Epiſcopi Pacenſis eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

35 Conſtantius Presbyter, agens vicem domini mei Theuderedi Epiſcopi Pacenſis eccleſiæ, hęc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

36 Clemens Decanus, agens vicem domini mei Ioannis Epiſcopi Eliplenſis eccleſiæ, hæc ſtatuta definiens ſubſcripſi.

37 Ambroſius Diaconus, agens vicem domini mei Giberici Epiſcopi Menteſanæ eccleſiæ, ſimiliter ſubſcripſi.

38 Aguila Diaconus, agens vicem domini mei Vigitini Epiſcopi Bigaſtrenſis eccleſiæ, ſimiliter ſubſcripſi.

39 Matacellus Diaconus, agens vicem domini mei Dunilani Epiſcopi Malacitanæ eccleſiæ, ſimiliter ſubſcripſi.

DE SVBSCRIPTIONIBVS, Notæ Io. Garſiæ.

ANſericus Segobienſis ſubſcribit in. 5. & 6. Tolet. Baſconius Lucenſis, in. 4. Tolet. Deodatus Egabrienſis in. 6. Eugenius Toletanus, in ſexto & quinto Tolet. qui ſucceſſit Iuſto, qui in quarto ſubſcribit. Epartius Italicenſis in. 6. Egila Oxomenſis in quarto & quinto. Farnus Viſenſis in ſexto. Botomarius Irienſis in ſexto. Hilarius Complutenſis in ſexto & quinto. Leudefredus Cordubenſis in ſexto. Ioannes Eliplenſis in ſexto. Orontius Emeritenſis in ſexto: qui ſucceſſit Stephano, qui in quarto ſubſcribit. Siſiſclus Elborenſis in ſexto. Seruuſdei in ſexto Calabrienſis. Vigentinus Bigaſtrenſis in ſexto Tolet. Vigicinus. Pimenius Aſidonenſis in quarto Tolet. Eſt alius Pimen. Dumienſis, qui ſubſcribit in ſexto Tolet. Adimirus Tudenſis ſucceſſit Anaſtaſio, qui in ſexto ſubſcribit, Anianus Valentinæ ſucceſſit Protaſio, in ſexto Tolet. Anton. Hiſpalenſis, qui ſucceſſit Honorio, in ſexto. Armenius Egitanæ, qui ſucceſſit Meteſio, in ſexto. Cãditus Aſturicẽſis ſucceſſit Concordio, in quarto Tolet. Donumdei Empuritanæ ſucceſſit Siſaldo, quarto Tolet. Dunilanus Malacitanus ſucceſſit Theodulfo, in ſecundo Hiſpal. Egeredus Salmanticenſis ſucceſſit Ioulæ in ſexto. Bibericus Menteſanæ, qui ſucceſſit Iacobo, in ſexto. Gaudeſtenes Aurienſis, qui ſucceſſit Dauid, in ſexto Tolet. Ioannes Caurienſis, qui ſucceſſit Bonifacio, in ſexto. Mauriſius Abelenſis, qui ſucceſſit Iuſtiniano, in quarto. Marcus Caſtellonenſis, qui ſucceſſit Perſeuerantio; in quinto Tolet. Neufridus Olyſſipponenſis, qui ſucceſſit Didacio, in ſexto Tolet. Protaſius Tarraconenſis, qui ſucceſſit Audaci, in quarto Tolet. Reſimundus Dumienſis, qui ſucceſſit Pimenio Dumienſi, in quarto Tolet. Theuderedus Pacenſis, qui ſucceſſit Modario, in. 4. Tolet. Stephanus Aſtigitana, qui ſucceſſit Abentio, in quarto. Sona Britanenſis, qui ſucceſſit Metopio, in quarto Tolet. Vbidericus Segontienſis, qui ſucceſſit Idiſielo, in. 6. Tolet. Vbinabal Ilicitanæ, qui ſucceſſit Serpentino, in 6. Tolet. Vbitaricus Lamecenſis, qui ſucceſſit Profuturo, in ſexto Tolet.

Notæ in Concilium ſeptimum Toletanum, Ioan. Garſiæ.

Septimum Toletanum.] *Fuit nationale: nam in eo quatuor Metropolitæ ſubſcribunt, Orontius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Eugenius Tolet. Protaſius Tarraconenſis.*

To. 6 vii. eſt Concilium Nationale.

Sub Rege Chindasuindo.] *Sunt qui affirmant, nomen fuisse Chindum vel Cindum, cognomẽ Suindum, & ita scribendum, Chindus Suindus. Eius vxor erat Reciuerga. In codice Gothico M. S. Eugenio Toletano hæc carmina de morte coniugis Chindasuindi, tribuuntur.*

Si dare pro morte gemmas licuisset & aurum,
Nulla mihi poterant Regum dissoluere vitam.
Sed quia sors vna cuncta mortalia quassat,
Nec *præmium redimit Reges, nec fletus egentes,
Hinc ego te coniux, quia vincere fata nequiui,
Funere perfunctam, sanctis commendo tuendam.
Vt cum flamma vorax veniet comburere terras,
Cœtibus ipsorum meritò sociata resurgas.
Et nunc chara mihi iam Reciuerga Valeto:
Quodque paro feretrum Rex Cindus Suinthus, amato.
Restat & dicere summam.
Qua tenuit vitam, simul & connubia nostra.
Fœdera coniugij septem ferè duxit in annis
Vndecies binis æuum cum mensibus octo.

*Præmium.

Officij Palatini.] *Etsi commune id nomen sit omnibus, qui militant in palatio & familia Imperatorum & Regum Gothorum, tamen erat peculiaris ordo militiæ Palatinæ: vt patet ex tit. de Palatinis C. lib. 12. & C. Theodosiano, lib. 6. tit. 30. Minores hi erant Comitibus, atque hi qui dicebantur agentes in rebus: hi mittebantur ad peragenda negocia Principis in prouincijs, & ad exigendum censum; vt constat ex constitutione nouella Theodosij, & Valentini Imperatorum; tit. 43. de Palatinis. Hi milites Palatini, declinante Imperio, prætoriani successere.*

Cap. 2. Missa à ieiuno offerenda.

Minimum sumptum.] *Quod Sacerdos ieiunus sacrificium offerat, decreuit Sother Pontifex Max. vt est, apud Gratian. de consec. dist. 1. ca. Vt illud. & Concilijs Antistiodoren. c. 19. & primo Bracaren. c. 16. & secundo cap. 10, & Salegunst adiensi c. 4. & 3. Carthaginens. c. 29. & in Trull. Synod. c. 29.*

Cap. 3. Pro exequijs quid accipere liceat.

De exequijs morientis Episcopi.] *De hac re decreuit Concil. Rhegin. c. 5. & 6. & Valentinum Hispanæ. c. 2. Arelat. 2. c. 5.* Qui defunctum, *inquit*, Episcopum aduenerit sepelire, præter expensam necessariam nihil pretij pro fatigatione deposcat. *Vnde in C. A. Toletani, pro Valentini. De exequijs mortuorum supra diximus. Nec de Episcopi electione tractatus haberi potest, Episcopi defuncti corpore nondum tradito sepulturæ, cum sit contra Canonicas sanctiones: vt in cap. bonæ memoriæ 36. de electione.*

Cap. 4. Cathedraticũ quid. Cap. 4. Euectiones quæ.

Duos solidos] *Hoc dabatur propter honorem cathedræ Episcopalis, hodieq; el catedratico vocantur, ex Concil. Bracar. 2. c. 2.*

Quinquagenarium numerum euectionis.] *Euectionum frequens mentio est in Imper. constitutionibus. Has Budæus diplomata seu chartulas interpretatur, signo Principis obsignatas, quibus potestas permittitur aliquid euehendi. Cuiacius verò diplomata seu codicillos affirmat, quibus cursu publico vtendi facultas dabatur, quæ & synthemata, & tractorias dici ait. Vnde Cod. de cursu publico, cauetur, vt euectiones ab omnibus petantur. Hoc nomine etiam tributum siue vectigalia significari in Dictionario suo adnotauit Albericus. Hic nihil aliud euectiones illæ denotare videntur, quam pompam illam equorum, iumentorum, seu curuum, quos Episcopi, ecclesias visitantes, in comitatu suo ducebant: quorum numerus, quo maior erat, eo maioribus impensis, pro sustentatione eius, opus erat. Ne verò hac in re Episcopi modum excederent, prouido hic Patrum consilio cauetur. In hac significatione etiam accepit Summarium Decreti, equitaturasq; barbaro vocabulo vocat. Idem in extrau. libr. 3. de censibus & exaction. vbi Pontifex de eadem re ita statuit:* Huiusmodi etiam moderationes & taxationes ad prælatos quoslibet, qui prætextu cuiusuis consuetudinis in monasteriis, siue locis alijs ecclesiasticis gratis recipiantur, ad pabulum charitatis extendimus, & etiam prorogamus: prouiso nihilominus, quod in locis quibuslibet, secundum quòd maior vel minor rerum copia fuerit in eisdem, nec non iuxta maiorem, vel minorem personarum, & euectionum numerum huiusmodi visitantium, expensarum maiorum vel minorũ debita moderatio teneatur; ita tamen quòd maiores expensæ non excedant summam superiùs limitatam. *Sunt qui euectionem non aliud, quam exactionem significare existiment: & hodie in sancto Concilio Trid. sess. 24. c. 3. de auctoritate, modo, & ordine visitandi ecclesias, atque etiam de stipendio, quid obseruandum sit, statuit, & quod visitantes modesto contenti equitatu famulatuq;, studeant quam celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere.*

Quinquagenarium.] *Alias quinarium, verùm malè, vt patet ex Alexand. Pontif. III. constitutionum suarum part. 2. c. 6. & parte. 1. c. 4.* Statuimus, *inquit*, quòd Archiepiscopi parochias visitantes, pro diuersitate prouinciæ morem, & facultatibus Ecclesiarum, quadraginta, vel quinquaginta euectionis numerum non excedant, *&c. Ticinensis etiam Synodus exactionibus Episcoporum, secundùm prouinciæ morem, modum imponit. Concil. 16. Toletan. c. 6. Libet in calce huius Concilij apponere, quæ Rodericus Toletanus, de libris Moralium D. Gregorij scribit, sic enim inquit lib. 2. c. 19.* Et fuit in hoc Concilio (*de septimo agit*) magna turbatio, eo quòd liber Moralium, quem B. Gregor. ad petitionem beati Leandri, composuerat, deperditus negligentia, in Hispaniis non extabat. Vnde & idem Princeps, sacro Concilio approbante, Taionem, Cæsaraugustanum Episcopum (qui Synodo octauæ subscribit) religione & literatura præstantem, & solicitum scripturarum, ad Romanum Pontificem, cum sua petitione, pro libris Moralium nauigio destinauit. *De quare non grauabor ponere, quæ in C. M. s. per antiquo memoriæ mandata inuenio.*

De inuentione lib. 5 Greg Rodericus Toler. Episcopus.

DE VISIONE HABITA TAIONI EPIscopo, in Romana Ecclesia, & de libro Morali in Hispaniam ducto.

De hac inuentione librorum S. Gregor. vide Barõ. sub Martino Papa. A. D. 649. n. 80.

CIndasuindus Gothorum Rex in Toletanam vrbem Synodale decretum triginta Episcoporum, cũ omni Clero mirificè, anno regni sui quinto, indicit celebrandum. Hic Taionem Cæsaraugustanum Episcopum, ordinis literaturæ satis imbutum, & amicum scripturarum Romam ad suam petitionem, pro residuis libris Moralium naualiter porrigit destinatum. Qui dùm à Papa Romense de die in diem differretur in longum, quasi in archiuo Romanæ Ecclesiæ, præ multitudine quæsitum facilè nequaquã reperirent libellum. Dominum pernoctans, & eius misericordiam, ad vestigia beati Petri Apostoli Principis, deposcens, ei scrinium, in quo tegebatur, ab Angelo manet ostensum. Quo mox se Papa, vt præuidit reprehensum, cum nimia veneratione ei adiutorio tribuit, ad conscribendum, & Hispanis eum transmisit ad relegendum: quia hoc solum ex beati Iob libris expositum retentabant, quod per B. Leandrum Hispalensem Episcopum fuerat aduectum, & olim honorifice deportatum. Requisitus vero & coniuratus est Taio Episcopus à Martino primo Papa Romano, quomodo ei tam veridicè fuisset librorum illorum locus ostensus, hoc illi, post nimiam deprecationem, cũ nimia alacritate est fassus, quòd quadam nocte, se ab ostiariis Ecclesiæ beati Petri Apostoli expetijt esse excubium. Atque vbi hoc reperit impetratum, noctis medio, quum se nimijs lamentis, ante B. Petri Apostoli loculum faceret cernuum, luce cælitus emissa, ita ab inenarrabili lumine tota Ecclesia extitit perlustrata, vt nec modicum quidem lucerent Ecclesiæ candelabra, simulque cum ipso lumine vnà cum vocibus psallentium, & lampadibus relamptantium introire sanctorum agmina. Denique vbi horrore nimio extitit territus, oratione ab eis cõpleta, paulatim ex illa sanctorum curia, duo dealbati senes egressum in ea parte, qua Episcopus in oratione degebat, cœperunt dare præpendulum. At vbi eum repererunt penè iam mortuum, dulciter salutatum reduxerunt ad proprium sensum: quumque ab eis interrogaretur, quam ob causam tam grande extaret fatigium, vel quis ab Occidente properans tam longum peteret nauigerium; hoc, & hoc, ab eo, quasi inscij, relatum auscultant operæ pretium. Tum illi multis eloquijs consolato, opportunum, vbi ipsi libri latebãt, ostenderunt loculum. Igitur sancti illi, quæ esset sanctorum illa caterua eos tam claro cum lumine comitantium, responderunt dicentes; Petrum esse, Christi Apostolum, simulq; & Paulum inuicem se manu tenentes, cum omnibus successoribus Ecclesiæ, in illo loco requiescentibus. Porrò vbi & ipsi requisiti fuerunt, qui domini essent, qui cum eo tam mirabile habebant colloquium, vnus ex illis respondit, se esse Gregorium, cuius & ipse desiderabat cernere librum; & ideò aduenire, vt eius adremuneraretur tam vastum fatigium, & auctũ redderet longissimum desiderium. Tunc interrogatus, si tandem in illa sancta multitudine adesset sapiens Augustinus, eo quòd ita libros eius, sicut & ipsius sancti Gregorij semper, ab ipsis cunabulis, amaret legere, satis prouidus, hoc solum mo-

dõ respondisse refertur: Vir ille clarissimus & omnium expectatione gratissimus Augustinus, quem quæris, altior à nobis eum continet locus. Certè vbi ad eorum pedes cœpit prorue-re, vnicus ab oculis eius, ostiarijs, & ipsis territis, simul cum luce euanuit vir ille sanctissimus. Vnde & ab eo die a cunctis, in eadem Apostolorum sede, venerabilis Taio, extitit glorio-sus, qui ante despicabatur, vt ignauus.

Hæc ex vetusto. C. Quæ omnia paulò copiosius Rodericus lib. 2. c. 20. refert. Sunt qui affirment, hunc librum Moralium Gregorij à Taione allatum, in Eccles. a Metropolitana Cæsaraugustæ hodie religio-sè asseruari, magna populi & Cleri veneratione.

CONCILIVM ROMANVM, QVO PAVLVS CONSTANTINOPOLITANVS EPISCOPVS, & Pyrrhus in hæresin Monothelitarum relapsus condemnati sunt, anno Christi Redemptoris 648.

NOTAE.

Occasio Concilii huius quæ

Concilium.] *Cum Paulus Episcopus Constantinopolitanus, à Pontifice per literas paternè admonitus non resipisceret; sed potius reddita Epistola (quæ extat in Cõcilio Lateranensi, secretario 4.) hæresim suam testimonijs scripturarum, Patrum & Conciliorum corro-boraret, adeoq; pius Pontifex de futura conuersione hominis superbi & contumacis parum speraret, necessarium esse putauit, vt Apostoli-ca securi ad arborem admota, arbor periculosa & inutilis succideretur. Quamobrem hanc Synodum indicens mandauit, vt quæ in Africanis Concilijs aduersus nouam hæresin, nouumq; hæreseos patronum statuta ac decisa fuerunt, diligenter inquirantur & cognoscantur.*

Acta Concilij.

Quibus omnibus sedulo peractis, hæresin Monothelitarum cum Typo à Constante promulgato condemnauit: Paulum Episcopum non semel excommunicauit; sede Constantinopolitana per sententiam priuauit. Simili sententia hoc eodem Concilio pronunciata est in Pyrrhũ, qui post abiuratam hæresin, opera Olympij Exarchi ad vomitum re-diit. De quibus vide quæ habet Anastasius in vita Theodori Papæ: quæque ibidem prolixius notaui.

VITA, EPISTOLÆ, ET DECRETA, MARTINI PAP. I.

*B. mens. 3. d 1. MARTINVS, de ciuitate Tudertina, prouincia Tusciæ, sedit annos sex, *mensem vnum, dies viginti sex. Huius temporibus Paulus Constantinopolitanę Vrbis Episcopus inflatus superbiæ spiritu aduersus rectum sanctæ DEI Ecclesiæ dogma, audacter præsumpsit paternis definitionib. contraire; Insuper studuit *ad cooperimentum proprij erroris *quorundam subreptioni, vt & clementissimo principi suaderet typum exponere, *qui catholicum dogma destrue-ret. In quo typo omnes omnino voces sanctorum patrũ cum nefandissimorum hæreticorum *dictionibus eneruauit, scili-cet nec vnam, nec duas voluntates, aut operationes in Chri-sto Domino nostro definiens confiteri. Qua de re huiusmo-di prauitatem suam defendens, quod nunquam nec à prio-ribus hæreticis præsumptum est, ipse *in lite præsumere studuit *in tantum, vt altare sanctæ nostræ Sedis, quod erat in domo Placidiæ sacratum in venerabili oraculo subuertens, diripe-ret. Prohibens ne adorandam, & immaculatam hostiam Apocrisarij nostri ibidem Deo offerre valeãt, nec communio-nis Sacramenta percipiant. Qui videlicet Apocrisarij ex præ-ceptione Apostolicæ auctoritatis *commouerunt eum, vt de tali hæretico intentu recederet. Nec non & cõtestari visi sunt, persecutionibus diuersis cum alijs orthodoxis viris, & vene-rabilibus Sacerdotibus. *insecutus est eos, quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exilium deportans, alios aũt verberibus *committens. Quibus penè omnem mundum con-turbantibus ex diuersis locis querelam contra eos ad Apos-tolicam nostram Sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrã-tur. Coniurantes, vt totius malitiæ, tantæque euersionis per Apostolicam auctoritatem *abscindant commentum: quate-nus minimè *totus corpus catholicæ Ecclesiæ nocibilis eorũ *ecthesis languor disrumpere valeat. Tunc Martinus san-ctissimus, ac beatissimus episcopus misit, & congregauit epi-scopos in Vrbem Romam numero centum & quinque, & fe-cit Synodum secundum *institutum patrum orthodoxorum in Ecclesia Saluatoris iuxta Episcopium Lateranense. Seden-tibus episcopis, & presbyteris, adstantibus diacon. & clero v-niuerso, condemnauerunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum Patriarchas Constantinopolitanos, qui nouitates contra immaculatam fidem præsumpserunt inne-ctere. Quippe quoniam ipsam excludere properantes hære-ticorum dogmatum contra Catholicam Dei Ecclesiam con-fusionem *concinnauerunt, anathematis vitione* perculsi sunt. Quæ Synodus hodie archiuo Ecclesiæ continetur. Et fa-ciens exemplaria per omnes tractus orientis, & occidentis di-rexit, & per manus orthodoxorum fidelium disseminauit. Ip-sis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium Cubi-cularium, & Exarchum ad regendam omnem Italiam, præci-piens, & dicens: Oportet gloriam tuam, vt sicut nobis sugge-sit Paulus Patriarcha, huius à Deo conseruandæ vrbis perage-re. Et si quidem inueneris prouinciam ipsam consentientem in typo à nobis exposito, *tenere omnes, qui ibi sunt, episco-pos & hæreticos *possessorum, atq; habitatorum, & peregri-nos, & in eodem subscribant. Si autem quo modo nobis sug-gessit Platon gloriosus Patritius, & Eupraxius gloriosus, po-tueritis suadere exercitui ibidem constitenti, iubemus teneri Martinum, qui hic erat Apocrisarius in regia Vrbe. Et post-modum oẽs Ecclesias relegere eum *quia factus est à nobis or-thodoxus typus, & omnes episcopi Italiæ in ipso subscribant. Si autem *inueneritis contrarium in tali causa, exercitum ta-citum habetote, donec* obtinueritis prouinciam, & potueri-tis vobis exercitum* aggregare *tamen Romanæ ciuitatis, at-que Rauennatis, vt ea, quæ à nobis præcepta sunt, quantocyus explere *valeatis. Qui prædictus Olympius veniens in ciuita-tem Romanam inuenit sanctam Romanam Ecclesiã coadu-natam cum omnibus episcopis Italiæ, seu sacerdotib. vel cle-ro. Et volens implere ea, quæ ei iussa sunt, amans secum *exer citum virtutis, voluit scisma *sanctæ Ecclesiæ intromittere. Hoc per plurimum tempus actum est. Et non illum omnipo-tens Deus permisit, quæ nitebatur perficere. Videns ergo eà S. Dei Catholica, atque Apostolica Ecclesia superatũ, necesse habuit de sua quasi mala intentione declinare, vt quod non potuit per manum armatam facere, *sub hæretico modo per Missarum solemnia in Ecclesia Dei S. Genitricis, semperque Virginis Mariæ ad præsepe perficeret. Nam dum communio-nem ei porrigeret sanctissimus Papa, voluit eum crudeliter interficere, vt demãdarat suo Spatario. Sed omnipotẽs Deus, qui solitus est seruos suos orthodoxos circũtegere, & ab omni malo eripere, ipse excęcauit Spathariũ Olympij Exarchi, & non est permissus videre Pontificem, quando Exarcho cõ-munionem porrexit, vel *pacem dedit, vt sanguis eius effun-deretur, & catholica Dei Ecclesia hæresi *subiugaretur. Quod postmodũ prædictus armiger diuersis cum iureiurando pro-fessus est. Videns ergo Olympius Exarchus, quia manus Dei circumtegebat Martinum sanctissimũ Papam, necesse habuit se cum Pontifice concordare, & omnia, quæ ei iussa fuerãt, ei-dem sanctissimo viro indicare. Qui facta pace cum S. Dei ec-clesia colligens exercitũ, profectus est Siciliam aduersus gen-tem Saracenorum qui ibidem habitabant. Et peccato facien-te maior interitus in exercitu Romano peruenit, & post hoc ipsdem Exarchus morbo interijt. Deinde directus est ab Im-peratore Theodorus Exarchus, qui cognomento Calliopa dicitur cum Theodoro imperiali Cubiculario, qui & *Pel-lurius dicebatur, cum iussione. Qui tollentes sanctissimum Martinum Papam de Ecclesia Saluatoris, quæ & Constanti-niana appellatur, perduxerunt Constantinopolim, & nec sic eis acquieuit. Deinde directus est prædictus sanctissimus vir in exilium, in locum, qui dicitur *Cersona. Et ibidem, vt Deo placuit, vitam finiuit in pace Christi Confessor. Qui & multa mirabilia operatur vsque in hodiernum diem. Fecit autem ordinationes *duas per mensem Decemb. presbyteros vnde-cim, diaconos quinq;, episcopos per diuersa loca nu. 33. *De-positus die 17. mensis Septemb. & cessauit episcopatus dies 28.

*B. Chersone *Depositio eius celebratur 15. Calen. Octob. 12. Nou.

NOTAE

*at ille insecutus. *C. submittens. *abiicia-deretur. *totum corpus. *executionis. *institutæ

*continuauerunt. *percussi. *facias tenere omnes qui ibidẽ sunt episcopos, & possessores atq; habitatores in eodem sub-scribere *B profes sores *inueneris. *obtinueris. *maiorẽ *cum & Romanæ ciuitatis, quam & Rauennatis. *valeas.

*exercitus virtute C. *in sanctã Ecclesiam

*subreptitio modo.

*C. pacẽ *subiugaretur.

*Pelurius.

*illicitè, *In tantũ verò vesaniæ prorupit, vt altare. *commouerunt eum vt ab huius hæresis intentione recederet. Nec non & contestari eum visi sunt.

Quando Martinus sanctificationem adeptus sit.

Martinus contra calumniam Magd. defenditur.

Genium mouerit ob Martino.

Quamdiu sederit.

Anastasius emendatur.

Obtrectationes omnias Martinus repulit & negatur.

Quas pœnas quasq; afflictiones Martinus Constant. pertulerit.

Eugenius Martino adhuc vivente surrogatur.

NOTAE in vitam Sancti Martini Papæ I.

Martinus.] *Anno Christi 649. die prima mensis Iulij post interregnum vnius mensis & sexdecim dierum, Martinus ex Tuscia oriundus, thronum Apostolicum conscendit. Hunc Nouatianæ hæreseos sectatorem fuisse, calumniantur Nouatores hæretici, ideo quod in Epist. 11. ad Amandum docuerit non esse dandam veniam Presbyteris vel Diaconis post ordinationem suam peccantibus. Sed si Pontificis Epistolam sequestrato omni affectu attentè legissent, vel etiamnum legerent, sine dubio ipsos suæ malitiæ & ignorantiæ puderet. Cū enim Amandus Traiectensis Episcopus, prauos mores Ecclesiasticorum pertæsus, à Romano Pontifice vacationem ab Episcopatu per literas petiuisset; Martinus merito id, quod cum incommodo Ecclesiæ Traiectensis petiuerat, illi negauit, & ad disciplinam Ecclesiasticam ibidem reformandam, eundem admonuit, vt Presbyteros ac Diaconos grauiter peccantes, à gradu suo deponat; & si resipuerint, veniamq; petierint, eos quidem absoluat; sed nunquam suis gradibus ac dignitatibus restituat. Vnde patet, quod Martinus non tam de peccatorum venia; quam de restitutione ad sacra ministeria loquatur. Vide Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. c. 12.*

Hic per S. Landolinum Cameracensis Ecclesiæ Presbyterum & S. Amandum Leodiensem Episcopum, & S. Follianum Hyberniæ Apostolum, impertita ipsis prædicandi facultate multos infideles ad Ecclesiam perduxit.

Cū sedisset annos sex, &c.] *Baronius in appendice to. 11. corrigens id, quod prioribus editionibus de tempore sedis S. Martini senserat, ait, eum annis quinque, mensibus quatuor atque diebus duodecim, Ecclesiæ regimen administrasse.*

Huius temporibus Paulus Constantinopolitanæ vrbis Episcopus....] *Hæc quæ deinceps sequuntur apud Anastasium vere sub Pontificatu Theodori contigisse: adeoq; hoc loco male recenseri supra annotaui.*

Ipsis diebus, &c.] *Quæ hic ab Anastasio enarrantur, contigerunt circa tempora illa, quibus habita in vrbe Lateranensi synodo, Monothelitarum hæresim condemnauerat. Vide Baron. an. 649.*

Deinde directus est ab Imperatore Theodorus, &c.] *Cū Imperator cognouisset, per Olympium apud Sanctum Martinum Papam nihil effectum fuisse, ipsamq; Monothelitarum hæresim, vna cum typo, quem promulgauerat, damnatam esse, efficis in Pontificem tribus calumnijs, quasi fidem à maioribus traditam mutasset: cum Sarracenis conspirasset, atque contra Dei genitricis Mariæ cultum, nescio quid, locutus illegitime Pontificatū occupasset, iussu Heraclij, atq; opera Theodori Calliopæ Exarchi. per vim militare è Basilica Constantiniana Pontifex abductus, abstractusq; è Palatio Lateranensi, & in nauim conjectus asportatus est in Orientem: mandatum est Clericis, ne abductum sequerentur. Capto Pontifici, quantumuis morbo podagrico afflictaretur, inhibitum fuit, ne in terram conscenderet è naui; omneq; humanitatis officium illi negatū est: eo consilio, vt integro anno inter Cycladas detentus, his ærumnis à constantia solita amoueretur. Post exactum annum vnum tandem aduexerunt illum Constantinopolim, vbi post lapsum 93. dierum, quibus omnium alloquio dedignabatur, tandem in iudicium adductus, accusatus, & per falsos ac periuros testes conuictus gladio addicitur, Pontificalibus ornamentis exuitur, vrbis opprobrio exponitur, catenisque oneratus in carcerem retruditur: iamque gloriam martyrij consecutus fuisset, nisi Paulus Constantinopolit. Episcopus morti vicinus obstitisset. Nam cum illi Imperator, postridiè, quam hæc gesta fuerant, retulisset, quæ in sanctissimum Pontificem commissa erant, suo seipsum iudicio condemnans, teste Anastasio in epistola hac de re ad Occidentales scripta, conuersus ad parietem dixit: Hei mihi & hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum est, nunquid, num Domino non est miserabile talia pati Pontificem? Tunc attentius adiurauit Imperatorem sufficere ei in his, quæ passus est, nihilque amplius sustinere. Quod cum B. Papa audisset, agre tulit exspectans per gladium consummare martyrium. Post aliquot dies igitur suos iam ante consolatus, nauigio in Chersonam transuectus est clanculum, vt ibidem in exilio, fame, alijsque corporis calamitatibus consumptus, diem extremum claudere cogeretur.*

Chersonæ constitutus duas postremas scripsit Epistolas, quibus indicat, quas ibi aeris iniurias, quamque corporis inediam sustineat.

De relegato Martino Pontifice Theodorus Exarchus Romæ certior factus, curauit quod mandarat Constans Imperator, vt quantumuis reluctaretur Clerus Romanus, Martino successor designaretur. Ad malus incommodum euitandum, tandem vniuersi Cleri consensu electus est Eugenius ista conditione, vt saltem eo tempore, quo viuebat S. Martinus, vicaria præfectura Ecclesiæ præesset, idque ne inuitis ab Imperatore obtruderetur Romanus Episcopus, qui eiusdem cum ipso hæreseos propugnator esset. Hæc ex epistolis S. Martini Papæ, & Anastas. Bibliothecar. quæ est 16. inter epistolas Martini, Baron. in annalib.

Et ibidē vitam finiuit.] *Anno Christi 654. duodecimo die mensis Nouemb. quando Pontificatum annis quinque, mensibus 4. & 14. diebus administrasset.*

Multa mirabilia operatur vsque in hodiernum diem.] *Refert de eo Audoenus in vita S. Eligij apud Surium 1. Nouembr. quòd adhuc viuens, Constantinopoli cuidam per orationem lumen restituerit. Gregorius II. eius nominis Pontifex in epist. ad Leonem Isauricum Imperatorem hæreticorum, hæc de S. Martino post alia subiūgit. At, B. Martinum esse sanctum testatur ciuitas Chersonensis & Bosphori, in quam relegatus est, & totus Septentrio atque incolæ Septentrionis, qui ad sepulchrum eius confluunt, & morborum curationes experiuntur. Refert Baronius an. 654. num. 6. se à viro quodam maximè pio & fide integro accepisse, quod in hanc vsque diem memoria S. Martini Papæ, à Græcis adhuc frequentetur; quodque populus frequenti cœtu ad sepulchrum eius confluens, gratias curationū accipiat, & alia iusta à petita impetret. Probabile est, quod dum corpus eius Romam translatum fuit, Chersonenses vnam partem ipsius sibi asseruarint.*

Miraculis S. Martin. claruit.

Fecit ordinationes duas per mensem Decembrem.] *Vnam tantum ordinationem mense Decemb. fecisse potuit, quem primo tantum anno pontificatus sui mense Decembri Romæ habuisse, ex ijs, quæ supra dixi, constat. Anno enim secundo Pontificatus sui Roma abductus reliquos annos exegit in exilio, vt patet supra. Baron. prad. ann. num. 2.*

Anastas. emendatur.

Cessauit Episcopatus eius dies 28.] *Non est probabile, quod tā breui temporis spacio, obitus S. Martini Romam perferri potuerit. Vnde quod in alijs Codicibus abest, huic surrepsisse videtur.*

Quamdiu sedes vacauerit.

SEQVVNTVR EPISTOLAE MARTINI PAP. I.

EPISTOLA I. MARTINI PAP. I. incipiens sic:

GRatia vobis & Pax multiplicetur in agnitione & communione Sancti Spiritus &c. *Extat infra in Concil. Lateranens. sub Martini Pap. Secretar seu Consultat. v.*

EPISTOLA II. B. MARTINI PAPAE I. Ad Amandum Traiectensem Episcopum.

Ex cōcilij Lateranē. secretar. v.

DIlectissimo fratri Amando Martinus. Fraternitatis tuæ studio pietatis congestam epistolam suscipientes, animos nostros releuari cognoscimus: *&c. prout habentur inf. in Conc. Lat. Secret. v.*

EPISTOLA III. B. MARTINI PAP. I. Ad Constantem Imperatorem.

Hæc Vndecim sequentes B. Martini Epist. græcè extant in vetusto manuscripto græco codice concilij ab eodem Pont. Romæ in Laterano celebrati cōtra hæresim Monothelitarum. Matt. 1.

DOmino pijssimo & Serenissimo victori, Triumphatori, filio diligenti Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, Constantino Augusto, Martinus Episcopus seruus seruorum Dei, & vniuersa Synodus in hac vrbe Roma congregata. Cælesti sæculorum regi, Christo Deo, qui per carnem vnà cum mente animatam, & ipsi secūdum hypostasim vnitam, in terris apparuit; Magi terrena munera promptè obtulerunt, non magis quæ diuina gloria ipsius digna essent; est enim incōparabilis: quàm quæ prōptam eorum voluntatem declararent, illa enim infinita est, hæc singularem Deo amorem exhibet. Vobis autem, Serenissime, qui in terra per ipsum regnatis, & ad eum properatis, cū multa libertate pretiosa offerimus dona qui omnes per gratiam sacerdotes eius existimus: salutaria nempe sanctorum patrum & synodorum præconia, ad veram ostensionem internæ erga ipsum Dominum ac Deum nostrum caritatis, & erga vos, qui sinceri eius estis ministri. Et quoniā omne datū optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum: tamquam splendidum aurum possidemus, firmam in eum & sinceriss imam confessionem: theologiam verò, thus purum & eximium & optimi odoris: myrrham, conseruatricem bonorum, & contrariorum ex-

Iacob 1.

pultricem doctrinam. Hæc enim ſtabiliter cuſtodita, erunt ditioni veſtræ corona decoris, & diadema gloriæ in manu Domini. Nam regni ornamentũ eſt veritatis cognitio, ſplendida & immarceſcibilis, quæq; inuenitur his qui eã quærunt: quoniam hæc dignos ſe circuit quærens, & ijs ſe oſtendit, qui eam non tentant. Quapropter vobis; optime Imperator, vt Dominum quærentibus in ſimplicitate cordis, & in mentis bonitate de eo ſentire properantibus, ſtuduimus eius annunciare ſalutare hac relationis noſtræ mediocritate. Nobis enim per Amos Prophetam de ſe annunciare præcepit, dicens: Amos 3. Sacerdotes audite, & teſtificamini domui Iſrael, dicit Dominus DEVS omnipotens. Edocemus igitur pium veſtrum ac ſerenum imperium, quod in hac Dei amante & cultrice veſtra, Vrbe Roma, conuenientes nos omnes, qui ad manſuetudinem veſtram confugimus: ex Apoſtolica & ſpirituali vnanimitate & conſenſu, in eadem mente & eadem ſententia, piam orthodoxæ fidei definitionem confirmauimus, & congruenter infirmauimus inconuenientem hæreticorum ſermonem, qui quondam quique nunc propriorum ſenſuum prauitate ſe à veritate ſeparauerunt, qui intra ſeipſos non rectè ratiocinati, dixerunt non habere in humanitatis ſuæ natura voluntatem aut operationem naturalem, ipſum, qui propter nos humanatus eſt, Dominum: ſed ſine voluntate ipſum exiſtere, ac ſine operatione, intangibilem que & inanimem eſſe: & quidem, cum patrum doctrina, teſtem veritatis propriam habentes naturam, ad redarguenda m eam, quæ de hoc ab ijs dogmatizatur, abſurditatem, cum ſubſtantiam ſuam videant ab ipſo Creatore voluntate præditam & operatoriam factam eſſe. Quomodo igitur a ſe fabricatam, & propria incarnatione aſſumptam à naturali voluntate & operatione deminuit? non verè faciens ſubſtantiæ noſtræ in ſe fidem, ſed imaginariè & fallaciter diſpenſationem ſecundum illos perpetrans, qui ob hoc vnam diuinitatis eius atque humanitatis voluntatem & operationem eſſe dogmatizarunt. Quapropter ab omnibus ferè aliarum prouinciarum Deo amabilibus epiſcopis, & ab Apoſtolicis Pontificibus in hac ſeniore Roma conſtitutis, in dilectione admoniti, vt ab eiuſmodi damnabili nouitate abſtinerent, ad correctionem non venerunt, ſed in deterius progreſſi ſunt, diuinam eius voluntatem & operationem in humanam contrahentes: ac veluti aſſerentes, nullam vllo modo eum in vtraque earum, ex quibus & in quibus eſt, naturarum, voluntatem & operationem habere, ſed abſque voluntate natura eſſe, & abſque operatione: quod omnium tum ſanctorum Patrum, tum Oecumenicorum quinque Conciliorum definitiones euertit, quæ per omnia perfectum eundem in diuinitate, & in humanitate perfectum prædicauerunt: tantùm abſque peccato. Nam in peccato naturæ perfectio non conſpicitur, ſed vitium agnoſcitur noſtræ transgreſſionis. Quòd ſi perfectus eſt, eſt videlicet perfectus ſecundum diuinam voluntatem & operationem, quemadmodum & iuxta naturam principij expertem, atque increatam: & ſecundum humanam quoque tum voluntatem tum operationem, vt & ſecundum naturam creatam, & quæ principium habuit. Qui verò in aliquo eum imminuit, manifeſtè euertit perfecti rationem, eam conſpici nullo modo permittens propter eius, quod naturæ conuenit, defectum: quem aduerſarij, Theodorus videlicet, qui Pharan epiſcopus fuit, & Cyrus qui Alexandriæ, Sergius qui Regiæ vrbis, ac eorum ſucceſſores Pyrrhus & Paulus, in prima & ſecunda conſcriptione dogmatum ſuorum non ſolùm poſuerunt, ſed etiam ſtuduerunt, vt ſibi illa per expoſitionem, hæc per formulam confirmaretur, idque contra fidem: nefariè ſubrepentes veſtræ Serenitatis auribus, vt & antea auribus beatæ memoriæ aui manſuetudinis veſtræ: vt culpam ſuam callidè alijs aſpergerent, deque manu Domini hanc ob cauſam duplicia peccata ſua reciperent, iuſtas videlicet pro ijs pœnas, vtpote qui ea peccauerint, ex quibus non exigua perturbatio tamdiu vniuerſam terram vexat; quòd non ſolùm pij populi ſcandalizentur, ſed impij etiam barbari magnum confeſſionis noſtræ myſterium traducant: quia non ſolùm prima ac potiſſima fides ab aduerſariis labefactetur, ſed ea etiam, quam excogitarunt, ſtatim ab ijs euacuetur, poſita noua peſſimæ hæreſeos prauitate: vt de cetero ne illi quidem intelligant, quid ab illis credatur aut exiſtimetur, propter obſtinatam propriarum opinionum euerſionem.

Quocirca omnium ferè piorum ſacerdotum & populorum contra eos clamores Apoſtolica ſedes accipiens, orantium atque obteſtantium, ne vſque in finem Catholicam Eccleſiam ab ipſis in periculum adductam negligamus, ſed exurgamus acriter, & immaculatam Chriſtianam fidem diligenti paternarum & ſynodicarum traditionum obſeruatione conſeruemus: nos omnes ſacerdotali ordine conuocauit, vt à nobis omnia aduerſariorum dogmata tractentur, & canonicè per commentariorum acta iudicentur, de quibus opinionibus ſuis ad ſimpliciores fallendos auſi ſunt dicere, hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis, quique deinceps eorum diſcipuli, & ſucceſſores fuêre, Catholicæ Eccleſiæ diuinitus inſpirati doctores, id eſt, ſanctæ & œcumenicæ quinque ſynodi. Ad veritatis igitur oſtenſionem, & denudationem calumniæ aduerſariorum, abſurdam illorum doctrinam, & piam ſanctorum patrum ſynodorumque prædicationem, aduerſa dilucidè inter ſe comparantes, nec horum ad illa vllam conuenientiam, & cognationem inuenientes, quemadmodum, nec tenebris prorſus ad lucem, hæc vt diximus, definientes ſanciuimus, ſalutaria nempe ſanctorum patrum & ſynodorum decreta: illa vero omnes, vt pijs definitionibus contraria & inimica, vna voce damnauimus, ipſosque etiam hæreticos, prædictos nempe homines, vnà cum ipſorum expoſitione & præfata formula, orta ex ſuggeſtione & prauo eorum dogmate: cumque omnibus, quæ pro ijs acta ſcriptaque ſunt: vt veſtram in omnibus ſine vlla macula felicem conuerſationem tueamur, quæ aduerſariorum ſcriptis grauatur. In quam auſi ſunt religioſis Africæ Epiſcopis dicere, ſcribentes, quòd mente conſilioque regio verè excitati, memoratam piam formulam expoſuiſtis præcipientem de nimia obſeruatione paulum ſine damno remittere. Hæc autem ſcripſerunt ſanctis patribus nullo modo auſcultantes, quòd in ijs, quæ ad DEVM pertinent inque diuinis prædicationibus, id quod parum abeſt, paulumque mutatum eſt, non paruum tamen eſt ducendum. Sed in eo vel maximè veſtræ poteſtati labem, vt dictum eſt, inurere properarunt in eo, quòd illam formulam præter exactam rationem eſſe teſtati ſunt, & ſcripto alijs ſignificarunt. Quorum in his nequitiam & fraudem auerſantes, cum his ipſis & eorum hæreſim canonicè damnauimus, vbique omnibus & ante omnes veſtræ diuinitus ſtabilitæ Serenitati notum facientes per ea quæ ſynodicè à nobis pro orthodoxa fide in præſenti acta ſunt: quòd duas eiuſdem & vnius Chriſti Dei edicunt Theologi naturas ſiue ſubſtantias confiteri, ſecundum hypoſtaſim vnitas inconfuſè & indiuiſè: & duas iuxta naturam voluntates, duaſque iuxta naturam operationes, diuinam & humanã, increatã & creatã coniunctè vnitas, ad veram confirmationẽ, quòd Deus natura perfectus, & homo natura itidẽ perfectus, idem propriè eſt, & vnus Chriſtus ac Filius: quodque omnes ſanctis patribus contra euntes hæretici, quique confuſione, quique diuiſione proprijs dogmatibus deprauati ſunt, impiè vnam in eo voluntatem & vnam operationem ſunt confeſſi, alij quidem vt per inanem ſpeciem, alij verò vt per nudam nominum ſimilitudinem, ſiue per puram ambiguitatem, magnum Incarnationis Chriſti myſterium temerariè reprobarẽt. Vnde nos, ad pietatem veſtram confugientes, vt vtrorumque tum paternorum piorumque decretorum, tum impiorum hominum ac dogmatum differentiam veſtræ poteſtati apertè exhiberemus, hæc à nobis ſynodicè acta vna cum eorum Græca interpretatione miſimus, orantes atque hortantes Serenitatem veſtram, diuinæ Sapientiæ deditam, vt hæc diligenter legere dignetur, pietatiſque legibus memoratos hæreticos vna cum eorum hæreſi condemnet, ac religionis diuinæ rationibus ſolam nobiſcum, qui minimi ſumus, ſanctorum Patrum & ſynodorum orthodoxam confeſſionem ſanciat, ad Catholicæ Eccleſiæ commendationem & laudem, & ad incolumitatem reipub. veſtræ, Chriſtum amantis, ipſique ſeruientis. Solet enim vna cum orthodoxa fide ſtatus reipub. florere, ac veſtræ poteſtati merito hoſtes ſubiugabit Dominus, à veſtra Serenitate rectè creditus, ad vindictam inimicorum creaturam armans. Induet enim lorica iuſtitiæ pietatem veſtram: galeaque muniet, iudicio verò ac ſimulationis experte: & clypeum præbebit, inexpugnabilem religionem: ad ſubijciendum pedibus eius barbaras omnes gentes, quæ

Vnitas paruo momento ſcinditur.

Epheſ. 6.

bella

bella volunt : vtque victorem efficiat, rebus contra vitia pariter & homines feros præclarè gerendis: & religiosorum laborum præmium reddat, æternam cum sanctis, qui à sæculo sunt, fruitionẽ & quietem. Pijssimum Domini imperium superna gratia custodiat, & omnium gentium ceruices ei subdat.

Maximus Episcopus sanctæ Dei Aquileiensis Ecclesiæ, præsenti à nobis factæ relationi subscripsi.

Deusdedit Episcopus Caralitanus, similiter.

Maurus peccator & indignus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Cæsenæ, locum implens Mauri Sancti Episcopi sanctæ Ecclesiæ Rauennę, præsenti relationi à nobis factæ subscripsi.

Deusdedit presbyter, locum implens Mauri Sanctissimi episcopi sanctæ Ecclesiæ Rauennæ, præsenti relationi & à nobis factæ subscripsi.

Et cæteri episcopi Synodi similiter.

EPISTOLA IIII. B. MARTINI PAPÆ I. ad Ecclesiam Carthaginensem.

Probat fidei confessionem, quam miserant; ad eandem tuendam ipsos excitat: acta Concilij Lateran. contra Monothelitas exponit.

Electo Spirituali consensu Catholicæ Carthaginensium Ecclesiæ, & omnibus, qui ei subsunt, Episcopis, Clericis, populisq; Christi amantibus, Martinus seruus seruorum Dei, eius gratia Episcopus Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ.

Omnis quidem virtus, dilecti fratres, bonis viris inter se conciliare solet generosissimum amorem, qui necessitudine religiosæ mentis & conuersationis, indissolubile caritatis vinculum semper inse conseruant. Fidei verò verbum, sicut radix quædam ac fundamentum virtutum, vniuersos vniuersis, atque ipsi, qui super omnes est, Deo, eos qui orthodoxè in eum credunt, spiritualiter contemperat, eosque iuxta regulã fidei, quæ vna voce ab ijs prædicatur, sic vnit, vt omnes ab inuicem magis quàm à seipsis cognosci faciat, per indiuisibilem Spiritus gratiam. Atque hoc nobis apertè actorum liber testatur hoc modo manifestè prædicans : Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna. Act. 4. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & gratia magna erat in omnibus illis. Vnde his ipsis, id est fide ac virtute, vinculum caritatis vos quoque, fratres, habere cognoscentes, & erga nos, & adinuicem atque ad bonorum fontem Dominum nostrum ac Deum Iesum Christum, quæque præterea confessionis coniunctione, vltro citroque quasi transfretando, facilè nobis subministratur, ad declarationẽ piorum, qui in mentibus nostris sunt, sensuum: vos meritò de sincero corde amplectimur, cum maximè, tanquam perennes lucernas, confessionis vestræ characteres nobis expresseritis, siue huic Apostolicæ sedi, per synodales litteras vestras, quos in nobis Spiritus sanctus informauit per Ecclesiæ catholicæ oratorem, gloriosum nempe Augustinum, quibusque cum vos patrisare compereremus, & vniuersum in vobis doctoris decus in vestris pijssimis dogmatibus efferre atque exprimere : necessariò his beati Hieremiæ verbis vos omnes collaudamus: Recordatus sum misericordiæ adolescentiæ tuæ, & dilectionis perfectionis tuæ. Adolescentiam appellans, misericordiæ vigorem, siue fidei radicem: sicuti à S. Paulo dictum est: Credere enim primum oportet accedentem ad Deum, quod est, & quærentibus se retributor: Dilectionis verò perfectionem, impletionem mandatorum. Nã Qui diligit me, inquit Dominus, mandata mea seruabit, & Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. vnde & in virum perfectum & in mensurã ætatis plenitudinis Christi perueniunt ij, qui hæc secundum vos studiosè seruant. Horum igitur & nos cum virtute coniũctorum insigniumque dogmatum memores, non infructuosum effecimus vestrum æmulandum consensum, sed per spiritualem in altari intercessionem Deo tanquam dona offerentes eorum quæ à vobis synodaliter gesta sunt, manifestè exultantes, & intercedentes pro salute vestra, ea Domino obtulimus, in odorem suauitatis, siue ostensionem sinceræ in ipsum confessionis, ac per vtilem eorum recitationem vos præcones veritatis vbiq; omnibus exhibuimus. Odor erit enim vitæ ex vita ijs, qui nostram fidem apertè imitantur. Vt autem huiusmodi nostri sacrificij pretiosum op⁹ vobis quoq; ipsis penit⁹ certum faceremus, ea quæ in præsenti à nobis gesta sunt, continẽtia, sicuti dictum est, vestrorum sermonum splendorem & coruscationem vnà cum nostris encyclijs litteris ad vos misimus per Theodorum & Leontium religiosos monachos sanctæ Lauræ; vt scienter intuẽtes nostra dogmata: nostra enim, secundum in diuisam Spiritus communionem vestra sunt id est Apostolicas & paternas Ecclesiæ catholicæ prædicationes, dicatis & ipsi, in diuina agnitione facti: nequaquam in excessu mentis, verùm semper mentibus vigilantes : Hoc nunc os ex ossibus nostris, & caro de carne nostra, eandem quippe in sensibus verbisque veritatis cognationem per omnia & conspirationem inuenientes. Hæc vera fides vocabitur, Deo quidem ante omnia sæcula prænota; nunc verò propter nos manifestata, nobisque omnibus, qui in ipsum orthodoxè credimus, donata: quod ab ipso, qui verè creditur, Christo accepta, per salubrem prędicationem data est in salutem animarum nostrarum, propter quam non solum patrem & matrem omnino derelinquet pius homo & orthodoxus, sed suam etiam ipsius animam, eique soli adhærebit per integram & inculpatam paternæ doctrinæ vnitatem. Mysterium enim hoc magnum est. Dico autem, ait diuinus Apostolus, in Christo & in Ecclesia. Cognoscite igitur, dilectissimi, vocationem vestram, firmiter hanc custodientes, sicut eam per memoratos sanctos patres, & vniuersales quinq; synodos accepistis: quandoquidem & nos ipsos, vt ante à nobis dictum est, hortati estis, huius fructum offerre Deo, vestrum nobis per ea, quæ synodaliter scripsistis, zelum demonstrantes. Ne simus igitur propriæ confessionis præuaricatores per coactionem vel per fraudem eorum, qui nos, vt verisimile est vel impetunt, vel tentant : ne in die iudicij rationem præuaricationis in sæcula sæculorum reposcamur. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem: quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum : ab eis, qui audierunt, nempe à sanctis Apostolis, ac * deinceps ab eorum discipulis, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & Spiritus sancti distributionibus. enimuero & demonstrationibus tum ex scriptura, tum ex argumentis, ac ijs planè omnibus, quibus veritatis præconium tam multis temporibus patres confirmarunt, quod & nos synodaliter sanximus, ad stabilimentum & commendationem Ecclesiæ Catholicæ, damnationem verò hæreticorum, qui & olim & nunc eam oppugnarunt, eorumque præsertim, qui temporibus nostris exorti sunt : Theodori inquam, qui Pharan fuit episcopus, & Cyri, qui Alexandriæ, & Sergij, qui Constantinopolis, eiusque successorum : quorum alij vsque in finem non pœnituerunt, alij ad hanc diem vsque hæresim pertinaciter defendunt: & idcirco aliquando vnam, aliquando verò nullam prorsus voluntatem & operationem diuinitatis atque humanitatis Domini nostri Iesu Christi, iuxta impios, qui eos præcesserunt, hæreticos confitentur: commutantes orthodoxam patrum fidem, in eas, quas excogitarunt, & contra Catholicam Ecclesiam induxerunt, * expositiones & formulas. Vnde non immunes erunt ab ea, quæ ipsis irrogata à sanctis patribus ac synodis est, horribili cõminatione vel potius à tremendo Dei iudicio. Quid enim in fide orthodoxa inuenerunt iniquitatis? quia elongauerunt à me, dicit Dominus & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt. Hier. 2. Non enim dixerunt sacerdotes eorum, vbi est Dominus: & tenẽtes legẽ nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me, & prophetæ prophetauerunt in Baal, & inutilia secuti sunt. Propterea adhuc iudicio contendam cum eis, ait Dominus : Considerate enim vehementer & videte si factum est huiusmodi; si mutauit gens Deos suos, & certè ipsi non sunt dij. Populus verò meus mutauit gloriam suam : de quo nihil ei proderit. Quocirca obsecramus vos fratres dilectissimi, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate &

Communio Sanctorum egregiè declarata.

Gen. 2.

Constantia in fide catholica.

Vnitas fidei.

*vel, ac eius discipulis.

*vel ecthe ses actypos.

Hier. 2.

Ephes. 4.

mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in caritate solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: vnum corpus & vnus spiritus sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma; non deserentes collectionem vestram, perditio eorum non dormitat. Persuasi autem sumus de vobis dilecti fratres, quod facilius putatis, cælum & terram transire, quam iota vnum aut vnum apicem: quod est diuinitas eius atque humanitas, mystice in figuram crucis formatæ, ijs qui proposita intellectualiter percipiunt extradita nobis à sanctis patribus & synodis fide, quam vos quoque litteris ad nos datis, & synodaliter confessi estis: qua piè prædicastis, ipsum solum potentem Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum duas habere naturas in hypostasi inconfusè & indiuisè vnitas, duasque naturales voluntates, ac duas naturales operationes, increatam & creatam, diuinam & humanam, cohærenter vnitas ad demonstandum eundem & vnum Dominum nostrum ac DEVM, perfectum in diuinitate, & perfectum eundem in humanitate absque solo peccato esse, vt DEO & Patri consubstantialem secundum eius diuinitatem, & perpetuæ Virgini consubstantialem secundum eius humanitatem, & totum eundem in proprijs sempiternè ac sine principio, eundemque totum in nostris, in vltimis temporibus, sine diminutione ac sine phantasia. Nam in hac prædicatione diuina firmiter fundamentum Ecclesiæ integrum stat, inconcussum signaculum habens veræ patrum confessionis. Aduertite igitur diligenter, fratres, ne quis desit gratiæ Dei, quæ per ipsos sanctos nobis tradita est, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, ac per eam inquinentur multi: scientes, quod non ad tractabilem & accensum ignem accessimus, sed ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum & sanguinem aspersionis melius loquentem quàm Abel, & horribiliter ac minaciter redarguentem eos, qui orthodoxæ in ipsum fidei præuaricatores sunt: propter quod remissas manus & saluta genua erigentes, & gressus rectos facientes pedibus nostris ad brauium supernæ vocationis properemus: obliuiscentes quidem hæreticos, qui post sensum suum ambulauerunt: ad patres verò, qui ante nos in orthodoxa fide consummati sunt, nosmetipsos extendentes: qui nobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem; cuius causa offerimus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Talibus enim hostijs promeretur Deus. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia: etenim Deus noster ignis est consumens aduersarios, quem vt lucem inaccessibilem, & splendorem gloriæ, & characterem paternæ substantiæ, digni efficiamini posterius nobiscum videre, id est cum sanctis, qui à seculo fuerunt, per sinceram in ipsum & orthodoxam fidem, sorte secundum promissum vobis distribuentem, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se: cui cum Patre & Spiritu sancto gloria, honor, potestas, adoratio nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen.

Heb 10. 2. Pet. 2.

Heb. 13. Heb. 12.

1. Cor. 2.

EPISTOLA V. B. MARTINI PAPÆ I. ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ.

Constituit eum in Oriente vicarium cum potestate constituendi episcopos, & presbyteros, lapsosque ad fidem redeuntes in pristino dignitatis gradu collocandi. improbat Macedonij & Petri electionem ab hæreticis factam: mittit acta Concilij publicanda.

Ioanni episcopo Philadelphiæ Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius Catholicæ & Apostolicæ Romanorum Ecclesiæ Episcopus.

Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quem de te accepimus, dilecte frater, & ex ijs, quæ ad nos à te scripta sunt, & ab ijs, qui experimentum iam cœperunt spiritualis tuæ secundum Deum conuersationis, Stephano nempe, dilecto coepiscopo nostro, & comitibus eius, monachis mansionis sancti Theodosij. Notum enim fecerunt nobis, studium te de ijs habere, in quibus episcopum esse oportere Apostolicus sermo determinat: Sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem, modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ Ecclesiæ bene præpositum. Hæc igitur audientes, gratiam habemus Deo, cui seruimus à iuuentute nostra, qui confortauit vos cũ omnibus, qui eum diligunt, vt ad mensuram peruenire tis huiusmodi Deo amabilis virtutis: quoniam ijs qui secundum propositum vocati sunt, omnia cooperatur. qui nobis etiam omnia diuinæ eius virtutis, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute: per quæ pretiosæ magnæq; promissiones donatæ sunt, vt per hæc simus diuinę consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Sic igitur procedentem in Domino, & ascensiones ad eum facientẽ de gloria in gloriam, caritatem tuam exhortamur, religiosissime frater, nostram istic vicem implere, id est, in orientis partibus, in omnibus Ecclesiasticis functionibus atque officijs: vt in hoc maximè, sicut oportet, suscites gratiã Dei, quæ in te est per impositionem sacerdotalis dignitatis, & nostræ Apostolicæ vicis. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ ad tollendam omnem hæresim, quæ verbo fidei aduersatur, & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti diuinæ contrarium sit: vt sic prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas, & constituas per omnem ciuitatem earum quę sedit um Hierosolymitanę, tum Antiochenæ subsunt, episcopos & presbyteros, & diaconos: hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apostolica auctoritate, quæ data est nobis à Domino per Petrum sanctissimum, & principem Apostolorum: propter angustias temporis nostri, & pressuram gentium: ne vsque in finem in illis partibus deficiat sacerdotalis decoris eximius ordo: ac ne inde de cætero nostræ religionis magnum & venerandum mysterium ignoretur: Si iam non sit sacerdos, & sacrificium aut spirituale libamen, quod iugitur Deo in odoré suauitatis pro saluti populi offeratur. Nam oportet in hoc maximè tempore pastoribus spiritualibus frequentari ac muniri, quæ vbique sunt Dei Catholicas Ecclesias: quo iuxta ipsius Domini prædictiones, tribulationes propter peccata nostra venerunt, quales non fuerunt ab initio mundi vsque modo, neque fient, cum quibus & magnæ scandalorum tentationes vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Quocirca, ne differas omnimodo, dilecte, implere, iuxta præceptum nostrum, episcopis, & presbyteris, & diaconis, quæ istic sunt Catholicas Ecclesias, qui per popriam eorum conuersationẽ in omnibus bonis testimonium habeant. Oportet enim episcopum, sicut Beatus Paulus dicit, sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: presbyteros sobrios, prudentes, sanos in fide, in dilectione, in patientia. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrũ sectantes. Hæc enim faciens, & teipsum saluabis, & rationabiles Dei greges, in cursum effugientes luporum, huiusmodi sacerdotum diligentia. Dolor enim mihi est magnus, & incessabilis molestia cordi meo, quoadusque per vestrum in Christo studium, hoc opus absolutum videam. quandoquidẽ hoc & prius Apostolica hæc Sedes fieri præcepit per memoratũ Stephanum, dilectum coepiscopum nostrum. Sed hoc salutare propositũ ad effectum venire prohibuerunt, qui talia prohibere dignos seipsos præstiterunt: qui pro arbitratu suo, ea quæ ædificationis sunt, nota ei omnino non fecerunt, nempe præcepta demandatæ vicis Apostolicæ huius cathedræ, quibus iussus est electiones ibi facere eorum, qui ad curam Christianissimi populi deligendi sunt: solummodo autem ei significarunt de depositione, timorem Domini minime cogitantes, neq; in his formidabilẽ eius indignationem. Quoniã igitur, vt nosti, dilecte frater, in ædificationẽ magis quàm in destructionem à Domino potestatem accepimus: studio tibi

1. Tim. 3.

2. Tim. 1.

Sublato sacerdotio religionis ignorantia obrepit

Malis temporibus sa tagendum maximè, vt numerosus vbique sit clerus, qualis hic ponitur.

Matt. 24.

sit

sit, ea quæ ædificationis sunt operari, dato tibi per nos eius discipulos Apostolico præcepto & potestate: & gratia dignos promouere nequaquam dubites, ad incolumitatem & securitatem Ecclesiæ Catholicæ, cum magna dilectione exhortans eos, qui iam depositi sunt, conuerti ad Dominum; potest enim eos rursum in admirabilem lucem suam adducere, qui hæc facit, & immutat, prout vtilius est. quo circa etiam hortatur propheta dicens eis: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur: quæ verò signatur lumine. Et, Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. lauamini, mundi estote, auferte nouitates cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite à commentitijs vestris dogmatibus; discite bene confiteri, quærite orthodoxam fidem, & venite, & recipiam vos, dicit DOMINVS. Quare nimium propter ipsos apotior, donec rursum formetur in ijs per fidem CHRISTVS. Vnde pro ipsis indefinenter diu noctuque cum lachrymis obsecrationem facio, vt ipse, qui propter nos in carne voluntariè passus est, rursum eos virtute proprij & viuifici sanguinis ad seipsum & nos indissolubiliter per sinceram concordiam vniat. Cognoscens igitur, dilecte, huiusmodi nostrum de ipsis mœrorem: ne cesses per misericordiam Dei continenter eos hortari, & propheticam ijs quotidie decantare vocem, quæ dicit: Numquid qui cadit, non resurget; & qui aduersus est, non reuertetur? * Appropinquate mihi, & appropinquabo vobis, dicit Dominus: quia Deus appropinquans ego sum, & non Deus de longe. Prope enim DOMINVS omnibus inuocantibus eum in veritate, quæ à sanctis patribus prædicatur. Et verò ne defatigeris hoc faciens. Scriptum est enim, Bonum facientes ne deficiatis. Optime autem audiens dicentem: Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum; scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Et rursum, Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris: & conuertentur ipsi ad te, & tu non conuerteris ad eos. & dabo te populo huic in murum æneum fortem. Quapropter si virtuti gratiæ mentem obsequentem habebunt, & obedientem aurem, vt persuadeantur, & audiant vocem Domini, vt eum per veram confessionem cognoscant: confirma vnumquemque eorum in proprio ordine, scriptos libellos ipsis dantibus de orthodoxa fide: vt fructum DEO ferant, aliorum conuersionem & meliorationem: atque vt multum fructum afferentes, maiore à Deo honore digni habeantur. Hoc etiam omnino aduertet caritas tua, in ijs qui ab ipsa confirmantur, aut eliguntur, ne quo modo, præter hæresim quæ ab ipsis dato libello euacuatur, alia quædam peccata, notata canone, eorum impediant vel confirmationem vel electionem. Impossibile enim est, eo contegere vel prætermittere, quæ continentem locum defensionis non habent: sed omnino in ijs qui libenter peccant & amant peccare, denegare oportet eam veniam, quæ in huiusmodi lapsibus ex dispensatione datur: ne & ipsi propter canonis contemptum amplius grauentur, & nos in culpa simus, iniustè agendi ijs licentiam permittentes. defensores enim diuinorum canonum & custodes sumus, non prænaricatores. quandoquidem præuaricationibus coniunctæ manifestò retributiones sunt. Cuius rei gratia, hortamur canonem obseruari in ijs, qui, præter mentem ac scientiam seipsos elegerunt vel delecti sunt in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronij. Qui sanè ante ipsius Patriarchiam, vel post decessum in DOMINO, à quibusdam non conuenienter electi sunt, propter angustiam (vt dictum est) temporis, vel quod eius copia non esset, qui iudicio adhibito siue iuxta canones eligere deberet, vel permittere: tales, datis scriptis libellis, confirmari mandamus: nullatenus inde canoni præiudicio facto. Nouit enim canon afflictorum temporum perissitionibus veniam tribuere. in quibus contemptus non præcessit, prænaricationem redarguens: sed angustia magis & penuria, quæ propter necessitatem, & misericordia cogit multam diligentiam prætermittere. Sed hæc de istis. Ius vero qui falsè episcopatus sibi nomen affinxit, Macedonij dico, importunas litterarum minas, siue protestationem, fortiter deputo, vt rabidi canis & temerarij latratum; auscultans ei qui dicit: Nolite timere opprobrium hominum, & contemptu eorum ne vincamini. hunc enim episcopum Catholica Ecclesia nullo modo nouit, non solùm quod is præter canones in externa regione sine consensu, & absque vllo certo decreto, hanc sibi appellationem vsurpauit: sed & quod consentiat hæreticis, qui hæreseos suæ appendicem, eius electionem per contemptum tumultuariè fecerũt: quemadmodum & Petri, qui ab ijs nominatus est & assimulatus episcopus Alexandriæ: vt per plures & ascriptitias personas, hæresim suam munitiorem vtiq; reddant: quam vnà cum ipsis in præsentiarum canonicè hic & synodaliter anathematizauimus, Theodorum videlicet, qui Pharan episcopus fuit, & Cyrum qui Alexandriæ, & Sergium qui Constantinopolis, eiusque successores Pyrrhum & Paulũ, & eos qui similia ipsis senserunt, aut sentiunt, vel sentient, & vsque in finem non pænituerint aut se correxerint: quibuscum & typum, quæ ex suggestione ipsius Pauli nuper facta est, contra integritatem nostræ Christianæ fidei: definientes, vt vbique omnes orthodoxi piè sentiant & confiteantur, sicut tradiderunt nobis præcipui Catholicæ Ecclesiæ Patres & sanctæ vniuersales quinque synodi: id est, duas eiusdem & vnius Domini ac Dei nostri Iesu Christi secundum hypostasim vnitas inconfusè & indiuisè naturas, ex quibus & in quibus cõstat: duasque iuxta naturam operationes, ac duas iuxta naturã voluntates, diuinam & humanam, in vno & eodem connaturaliter vnitas & seruatas. Quæ vt cognoscat tua in Domino spiritualis dilectio, ac per te omnes quæ illic sunt Ecclesiæ catholicæ: hæc ipsa à nobis hic synodaliter gesta, ad constituendam defendendamque Catholicam Ecclesiam, vnà cum encyclijs nostris & synodalibus litteris misimus, per presbyterum & apocrisarium nostrum, Abbatem Theodorum, & monachos sancti Theodosij religiosissimæ mansionis, Ioannem, Stephanum, Leontium, qui huiusmodi nostræ Apostolicæ synodo interfuerunt, & per gratiam Dei ipso visu didicerunt quæ insecuta sunt omnia, & canonicè definita. Quæ ipse firmiter custodiens, denuncia quoque omnibus, qui illic sunt, fidelibus populis, inuiolabiliter tenere, vt propriarum salutem animarum. Quapropter testificor coram Deo & Iesu Christo, & electis Angelis: vt hæc custodiens, amoto omni præiudicio, nihilque placendi causa faciens, sed ex pura conscientia, Euangelium gratiæ tradas omnibus sicut accepisti & à sanctis patribus, & à nobis ipsis, qui synodaliter sanctiones eorum confirmauimus. Ne igitur erubescas testimonium Domini nostri Iesu Christi, sed conforteris gratia ipsius: & quæ audisti à nobis per multos testes, siue demonstrationes ex Scripturis & ex Patribus, ea commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios quoque docendos. Tu collabora Euangelio ex virtute Dei, vt bonus miles: certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam. quandoquidem manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo assumptum est in gloria. Propter quod hæc doce & exhortare, testificans coram Deo, non excitare pugnas verborum absque vtilitate, ad subuersionem fidei. Si quis autem aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est doctrinæ; superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum importunas, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati sunt, reprobi circa fidem: sed vltra non proficient. insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit: id est illorum, qui ante ipsos fuerunt, hæreticorum. quos deuitans, carissime, permane in ijs, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quibus didiceris. nemo sacerdotium tuum contemnat: sed forma sis omnibus in sermone, in conuersatione, in dilectione, in fide, in sanctitate, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per sacerdotalem dignitatem, & functionem nostræ Apostolicæ vicis: vt profectus tuus omnibus manifestus ac testatus sit, & ante omnes ipsi Deo, apud quem susceptorum pro virtute & pietate laborum reposita est dignis laus, & corona iustitiæ, quam reddet tibi iustus iudex, qui perfectè serues eius orthodoxam fidẽ, & mandatum prompto animo impleas, in glorioſa eius ac

tremenda

Isa. 1.

Hier. 8.

* Iacob 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Hier. 23. iuxta lxx.

Iacob. 5.

Hier. 15.

Sap. 3. iuxta lxx.

1. Tim. 3.

1. Tim. 6.

2. Tim. 3.

tremenda apparitione. Ecce verò in auxilium, vt magno studio, ac sine vllo impedimento, caritas tua ministerium impleat, à nostra Apostolica auctoritate tibi commissum: hortati sumus Deo amabiles episcopos, ipsum dico Theodorum Esbuntiorum, & Antonium Bacatorum, adesse in omnibus, ac pro viribus inseruire huiusmodi spirituali voluntati tuæ: quibuscum & Georgium, dilectum presbyterum & archimãdritam, & Petrum Christi amantem, Adraensem nempe, ac omnino eos, qui in illis partibus fidem Dei verumque zelum habent: quorum merces plurima erit apud Deum, cum vobis promptitudinem animi studijque sui præstiterint in omni obedientia, & gratiæ perfectione.

EPISTOLA VI. B. MARTINI PAPÆ I. Ad Theodorum Episcopum Esbuntiorum.

Ostendit eum sua confessione hæreticorum furorem repressisse, & ad obediendum Ioanni Philadelphiæ episcopo, quem constituerat Vicarium hortatur.

THeodoro Episcopo Esbuntiorum Martinus seruus seruorũ Dei, sanctæ eius Catholicæ & Apostolicæ Romanorum Ecclesiæ Episcopus.

Eccl. 4. Est confusio adducens peccatum: & est confusio adducens gloriam & gratiam. Tu igitur, religiosissime frater, confusionem vituperabilem culpans, scripta tua secundum Deum satisfactione, gloriam tibi & gratiam acquisiuisti. gloriam quidem, orthodoxam de ipso Domino ac Deo nostro confessionem: gratiam verò, splendorem tuorum in virtute illustrium studiorum: quibus non solùm nobis innotuisti in pietate perfectus, sed & ipsi vniuersorum Saluatori Christo cũ multa libertate placitus: vt in vobis Apostolicum illud de sanctis dictum impleatur: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, cõualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterũt exterorũ.
Heb. 11. Vicisti enim, religiosissime frater, aduersarij diaboli malum regnum, iustitiam in fidei confirmatione operatus es: cuius gratia adeptus repromissiones Spiritus, hæreticorum ora, tam quam Leonum, obturasti, ac extinxisti eorum impetum hæreseos, quasi flammam ignis aspiratione gratiæ: qua ita confortatus, imbecillitatem sententiæ illorum deuicisti. fortis in bello contra eos susceptо fuisti, eorumque infirma adulterinorum dogmatum castra sufficienter vertisti, ac victor per proprium scriptum productus es ad victoriæ auctorem Saluatorem omnium Christum: qui idcirco sacerdotalem in te dignitatem Apostolica confirmauit auctoritate. Verùm ne cesses laudationes eius in gutture perpetuo habere, eique placitum sacrificium offerre, rationabile obsequium tuum. Sic enim & supernæ gloriæ præsentia dignaberis, & cœlestibus Christi muneribus imbueris. Quæ autem synodaliter à nobis hic gesta sunt, ad confirmationem defensionemque Ecclesiæ Catholicæ, id est paternarum eius ac synodalium definitionum, nuper misimus ei, qui à nobis Vicarius canonicè designatus est, dilecto fratri nostro & episcopo Philadelphensium ciuitatis: cui bene facitis assentientes, & omnes orthodoxos vna vobiscum excitantes ad eorum articulorum implementũ, qui ei piè commissi sunt, ad commendationem Ecclesiæ Catholicæ. Nam pro eo multa vobis in sempiterno regno merces erit.

EPISTOLA VII. B. MARTINI PAPÆ I. ad Antonium Episcopum Bacathorum.

Cum iam respuerit, vt in fide Catholica persistat, & Philadelphiæ Episcopo pareat, eum admonet.

ANtonio Episcopo Bacathorum Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

Decipi quidem & falli commune est propriumque humanæ infirmitatis; at in melius commutari, solius opus est gratiæ; quæ erga eos qui secundum nos in omni sermone & opere digni sunt, perfectè bono Deo conuenit, & sanctum eis optimæ secundum eum conuersationis spiritum firmiter præbet. quod in vobis cum omni satisfactione euenisse, religiosissime frater, vestræ litteræ significarunt, afferentes, per veram de Domino confessionem, bonam vestram bonique odoris fidem: quam in spiritu susципientes, & secundum Deum ea delectati, sacerdotalis dignitatis vnguentum ei retribuimus, ex auctoritate Apostolica signatum: vos semper hortantes, vt in verbo gratiæ permaneatis: vt exemplo alijs esse studeatis, eorum excitetis studium, & vestro zelo ad meliorem mentem omnes conuertatis, qui superinductam nouitatem secuti, in Domino resurgunt: vt illi cum omnibus sanctis rectas faciãt vias suas, gressus rectos facientes pedibus suis, per piam Patrũ doctrinam, & efficacem mandatorum obseruationem. huius enim rei gratia flecto genua mea ad Deum & Patrem, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit: vt det eis secundum diuitias gloriæ suæ, promptè conuersis, confirmari per Spiritum eius in interiori homine: vt rursus in eis habitet Christus per orthodoxam in eum fidem: vsque sit vnum ouile & vnus pastor, is qui super omnes est Deus ac Dominus noster Iesus Christus, medium parietem maceriæ soluens, & colligens eos qui longe sunt & qui prope, per lapidem angularem, in vnam & eandem salutarem confessionem. quem vnà nobiscum ipsi quoque firmiter tenentes, omnino confirmabimini, positi in sorte sanctorum, ad ea bona, quæ sensum & cogitationem omnem excedunt, perfruenda. Quę verò synodaliter à nobis hic gesta sunt ad commendationem defensionemque Ecclesiæ Catholicæ, id est, paternarum & synodalium eius definitionũ ac decretorum, nuper misimus, canonicè designato à nobis Vicario, Ioanni, dilecto fratri nostro, & episcopo Philadelphensium ciuitatis: cui bene facitis consentientes, & omnes orthodoxos vobiscum excitantes, pro adimpletione eorum, qui piè ipsi commissi sunt, articulorum, in laudem Ecclesiæ Catholicæ. Pro eo enim multa vobis merces in regno cælorum est reposita. Iacob. 1.

EPISTOLA VIII. B. MARTINI PAP. I. ad Georgium Archimandritam monasterij S. Theodosij.

Laudat eum ob Apostolicæ Sedis ministrum defensum, & vt Philadelphorum Episcopo obediat.

GEorgio Archimandritæ Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius Catholicæ & Apostol.æ Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

Te spiritu vegeto ac viuido esse, dilectissime, significat virtutis tenor. effers enim huiusmodi spiritualis roboris apertos characteres: in quibus insigne est atque eximium caritatis non fictæ studium, quo ostendisti, te non verbo, neque lingua sed opere & veritate diligere, iuxta mandatum Domini: qui per proprios monachos nobis eum conseruasti, qui à nostra Apostolica cathedra missus est, Deo amabilissimum Stephanum Episcopum ciuitatis Doretensium, pro quo mercedem à Domino habentes, satagite ad certamina pro pietate studiosius vos extendere, & virtutum reginam, sanctissimam nostrã fidem omni bono zelo defendere: vt eos, qui ipsi præter rationem aduersantur, misericorditer conuertas, vel non conuertentes se redarguas: vt integrum Catholicæ Ecclesiæ verbum conseruantes, Christum, rectorem eius ac sponsum habeatis, in thalamo cælestis regni vos gratia reficientem: cum ei, qui vos ad luctam & pugnam delegit, complaciti fueritis in spiritualis certaminis ratione. Quæ hic à nobis synodaliter acta sunt ad commendationem & defensionem Ecclesiæ Catholicæ, id est, paternarum ac synodalium eius definitionum & sanctionum, proximè missus à nobis canonicè delecto Vicario, Ioanni dilecto fratri nostro, & episcopo Philadelphensium Ecclesiæ: cui rectè facitis tum consentientes, tum omnes orthodoxos vobiscum excitantes ad impletionem eorum, qui piè ipsi commissi sunt, articulorum, in laudem Ecclesiæ Catholicæ. Vobis enim pro eo multa merces in regno cælorum retribuetur.

EPISTOLA IX. B. MARTINI PAPÆ I. Ad Pantaleonem.

Absolutum fuisse Dorolitensem episcopum falsò ab eo delatum. peccasse illos, per quos actum est, quominus Sedis Apostolicæ auctoritatem receperit episcopos & presbyteros ordinandi. & quid cum his, qui non canonicè in Patriarchatu Hierosolymitano electi fuerant, agendum.

PAntaleoni Martinus Seruus Seruorum Dei, sanctæ eius Romanæ Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Semper quidem omnis hominum vita, propter condemnationem ortam è transgressione Adam primæui patris, non in alijs omnino esse cognoscitur, quàm in gemitibus & lachrymis; sed nunc præcipuè, propter peccatorum abundantiam, & inflictionem vehementiorum propter ipsa correptionum & pœnarum, quandoquidem errori & amentiæ delicti, castigationis & emendationis medicinam, Dei humanitas adiunxit. Quod caritas tua manifestè cognoscens, non debuit ita se gerere aduersus eum, qui ab Apostolica Sede missus esset, Stephanum Deo amabilem episcopum Doritensium ciuitatis, aut eiusmodi de eo ad nos per propriam relationē transmittere, cum Saluatoris nostri mandatum id non facere iubeat, sed præcipiat inuicem sincerè diligere. Ecce enim illa diligēter expendentes, vana prorsus inuenimus, nec vllis argumentis demonstrata, atque idcirco eum meritò ex Apostolica iustificauimus auctoritate: ijs autem qui contra eum scripserūt, crimen dimisimus, canonis rigorem misericordia temperantes, & ad resipiscentiam ipsis sufficere existimantes, fabulæ reuelationem. Nam aliud talium hominū peccatum ad remissionem sola indiget Saluatoris nostri bonitate. Scriptum est enim: Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Vniuersam enim, quæ istic est, Catholicā Ecclesiam clauserunt: quantum in ipsis est, qui vel fecerunt vel consenserunt, ne memorato episcopo redderentur missa ad eum ab Apostolica Sede præcepta, quibus eius Vicarius constitutus est, ac iussus, propter temporis angustias, id est propter pressuram irruentium in nos gentium, canonicè instituere, ad supplementum ecclesiastici ordinis, episcopos, & presbyteros, & diaconos, quoad potestas nobis defuit ad promouendum Patriarcham Hierosolymorum. Oportebat igitur eos, qui se zelum habere profitentur, hic zeli ardorem exhibere: vt Christianorum augeretur & exaltaretur cornu, incremento siue creatione sacerdotum. Oportuit passionem humanam vinci, propter salutarem Christi Dei passionem. Oportuit humanæ contentionianteferre Catholicæ Ecclesiæ ædificationem, nec violari Apostolicam de eo iussionem. Dicit enim ad Samuel DEVS: Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Ea enim fecerunt, quæ nec hæretici vnquam ausi sunt facere: absconden tes ea quę ad creationem & institutionem pertinebant: ea verò tradentes, quæ ad depositionem. Quam igitur defensionem habebunt, cum iam propter eos non sint ibi episcopi & sacerdotes, qui iugiter altari insistant, & sacrificia atque oblationes pro populo ad salutem animarum offerant? quamuis cognoscant, quòd vltima hora sit, & scādalorum tempus immineat. atque idcirco oportebat pluribus episcopis & presbyteris, & diaconis prouidenter Ecclesias Dei vbique increbrescere: quemadmodum nauim, quæ in pelago tempestate iactatur, pluribus gubernatoribus & nautis. huius enim rei gratia & nos in ædificationem præcipuè, & nō in destructionem à Domino potestatem accepimus, vt populis fluctuantibus humanè ac benignè opitulemur. Vnde ob hanc potestatem mota Apostolica Sedes, nihil prætermittit, quo Catholica istic Ecclesia per memoratum religiosum episcopum, conuenienter sacerdotale decus recuperaret. qui verò id prohibuerunt, sibi de eo imputabunt rationem. cuius causa lugens & contristatus ingredior, dies noctesque bonitatem Dei cum lachrymis obsecrans, ne hæreditatem suam vsque in finem repellat; sed ostium aperiat, quod illi concluserūt: vt rursum istic sacerdotij eius, per supplementum episcoporum, splendor & ornamentum exoriatur: Ecclesiæ oues cura pastorali seruans, & a luporum insidijs vigilanti studio eripiens. De ijs, qui non canonicè istic electi sunt in Patriarchia beatæ mem. Sophronij, eum canonem inuiolabiliter decernimus custodiri, qui à sanctis Apostolis & Patribus nostris constitutus est de ijs qui in alia ciuitate præter sententiam, scientiamque Pontificis, qui ei ciuitati præest, vel eligunt, vel eliguntur, vel consentiunt, vel conuocant. Canones enim ecclesiasticos soluere non possumus, qui defensores & custodes canonum sumus, non transgressores. tametsi vtramque sedem illi violarunt: hanc quidem Apostolicam Sedem, quòd creationum præcepta non dederint, vt ante dictum est: sedem verò sancti Iacobi, quòd Sophronium celare studuerint, vt ceteri liberè, sicuti ipsi volunt, non sicut sanctus Spiritus iubet, electiones sibi arrogarent. tales propterea Ecclesiæ canon castigat: nō enim confusionis ac turbationis Deus est, sed ordinis & pacis. Qui verò ante ipsius patriarchiam, aut post dormitionem memorati Sophronij creati sunt: de ijs scripsimus, propter temporis angustiam, quæ sic creatis defensionis locum præbet: cum inde Ecclesiastico canoni nullo modo præiudicetur: vt, cum libellum sinceræ pœnitentiæ siue orthodoxæ fidei dederint ei, qui nuper à nobis ad id istic delectus est, eos in proprio ordine confirmet, modò hi ex alijs peccatis non prohibeantur cōfirmari, quæ à canone notata sint. Transmissas autem dogmaticas chartas, siue quæ scripta sunt ab aduersarijs damnamus vnà cum ijs qui scripserunt, siquidem in propriæ opinionis peruersitate maneant: vt & omnes hæreticos, cum omnibus impijs eorum scriptis; hortantes eos, qui vbique orthodoxi sunt, vt in patrum doctrina, & ijs quæ synodaliter definita sunt, ac nuper à nobis hic per synodum confirmata ad commendationem defensionemque Ecclesiæ Catholicæ, quæ breui nota omnibus faciemus, ea mittentes; firmiter, inuiolabiliterque permaneant. Nam hæc vos nobiscum piè seruantes, Dominique fidem bono zelo asserentes, res vestras feliciter geretis, ac promissa cœlesti hæreditate tandem dignabimini.

electiones factiosæ cauendæ.

EPISTOLA X. B. MARTINI PAPÆ I. Ad Petrum illustrem virum.

Commendatur eius vitæ integritas, hortaturq; vt vicario suo faueat.

PEtro Illustri Martinus Seruus Seruorum Dei sanctæ eius Catholicæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

Cum in timore Domini, & caritatis dilectione vestram Christi amantem nobilitatem irreprehensibiliter ambulare à multis fide dignis personis didicissemus; meritò ex toto corde ipsum Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum glorificauimus: nihil enim æquè ad eum collaudandum omnes commouere solet, quàm integra vita virtutibus præfulgens: ex quibus in imagine pertranseuns homo, similitudinē conditoris sui exhibet, se ab irrationali separans. quandoquidem hanc nobis transgressio superinduxit, illam verò dilapsam in nobis rursum gratia reformauit, obseruatione mandatorum hominem secundum Deum formans, & eum efficiens sancti Spiritus templum: quod te, sordidarum depositione passionum, sapienter te ipsum constituisti, dilecte, ac meritò ea sola cogitas, quæ sunt Iesu Christi, ad perfectam salutem festinans, quam tibi ardenter desideranti nos quoq; conciliātes hortamur, vt intentiore studio vires tuas conferas DEI amantissimo episcopo Philadelphensium ciuitatis: quoniam eum vice nostra Deo iuuante fungi, canonicè iussimus, vt Catholicas in illis partibus Ecclesias decenter ordinet, in ijs omnibus episcopos, & presbyteros, & diaconos creans, permissa ei à Domino per nos minimos, siue per auctoritatem sancti & principis Apostolorū Petri, spirituali potestate: ne viduati in tam multis temporibus, talique afflictionis pressura, populi in terram squallidam & infrugiferam vertantur: sed vt magis augeantur ac splendescant, instantia diligentiaque sacerdotum, qui vt constituantur, adiuuans vestra Christi amans claritudo per præfatum dilectum nostrum coepiscopum, propriæ matris, nempe Catholicæ viscera reficiet, ad salutem eius filiorum suum Domino studium ipsis operibus exhibens, à quo iustè in illo tribunali audies coram cælestibus Angelis & omni Sanctorum choro: Euge serue bone, super pauca fuisti fidelis, super multa te cōstituam, intra in gaudiū Domini tui. Matth. 25.

EPISTOLA XI. B. MARTINI PAPÆ I. Ad Ecclesiam Hierosolymitanam & Antiochenam.

Nunciat Monothelitarum hæresim in concilio fuisse damnatam, ordinationemq; Macedonij Antiochiæ: & Petri Alexandriæ perperam esse factam: Vt in fide catholica persistant, & Ioanni vicario, cui dicta synodi acta misit, obediant.

Dilectis Fratribus, qui Sanctæ Christi Dei nostri ciuitati, nempe Hierosolymitanæ Sedi sacerdotaliter subsunt, orthodoxis episcopis, presbyteris, diaconis, præfectis monasteriorum, monachis, ascetis, populis Christum diligentibus: similiter & ijs, qui censentur sub Antiochena Sede, Martinus seruus seruorum Dei, & sanctæ eius Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo in Spiritu sancto, qui per virtutes habitat in cordib. Phil. 1. vestris. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Euangelio Christi, vt caritate magis ac magis abundetis in scientia & omni sensu, vt proberis potiora, vt sitis sinceri & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ in gloriam & laudem eius. Scire enim vos volo, fratres, de rebus præsentibus, id est de furibus, qui temporibus nostris insurrexerunt contra orthodoxam fidem, nempe Theodoro, qui fuit episcopus Pharan, & Cyro qui Alexandriæ, & Sergio qui Constantinopolis, & eius successoribus Pyrrho & Paulo: quòd hi per propriam hæresim valde moliti sunt persodere, & thesauros siue dogmata Ecclesiæ Catholicæ expilare. Nos verò, id est, huius Apostolicæ Sedis Pontifices, ad custodiam domus peruigiles iuxta præceptum Domini, non permisimus eos hanc effodere, vel fidei surripere thesaurum: sed ipsos catenis impiæ eorum & adulterinæ doctrinæ constringentes, accurata demonstratione & examinatione eorum, quæ ab ipsis contra integritatem Christianæ fidei scripta sunt, tum ipsos tum ea, quæ impiè docuerunt, igne canonicæ sententiæ veluti mala zizania exurentes, synodaliter condemnauimus, vbique omnibus eorum hæresim publicantes: vt, cum omnes ex ijs, quæ à nobis nuper gesta sunt, eam contrariam & aduersariam paternis ac synodalibus Ecclesiæ Catholicæ definitionibus esse cognouerint; pij & orthodoxi, simili nobis modo, zelo Dei contra prædictos hæreticos moueantur, eosque & ipsorum hæresim damnent, omniaque pro ea ab ijs impiè acta & scripta, vnà cum ipsorum suggestione contra fidem facta, nempe expositione Heraclij Imperatoris, & formula eius qui nunc serenè imperat, atque omnibus, qui similia ipsis senserunt, aut sentiunt, sensurive sunt, & vsque in finem in eiusmodi hæresi permanent, nec pœnitent; sed vnam dementer aut nullam omnino diuinitatis atque humanitatis Christi docent voluntatem & operationem, vt & naturam ex toto. nam ex eadem voluntate atque operatione, eadem inducitur substantia, iuxta sanctorum & orthodoxorum doctrinam patrum. quorum nos disciplinā inuiolabiliter custodientes ac defendentes, eos omnes, qui contraria ipsis sentiunt, damnauimus ac damnamus. atque idcircò prædictos damnauimus viros, vtpote qui ex ijs, quæ docuerunt, declarati sunt aliter, quàm illi, sentire, nec se vsq; adhuc correxerunt, aut corrigi volunt. Quidam enim ipsorum in hæresi vitam finierunt, alij per suā hæresim etiam nunc vitam admodum perturbant: quamuis multis ac multorum religiosorum sacerdotum, in diuersis commorantium locis, non vtique solum nostris, siue huius Catholicæ Sedis Pontificum exhortationibus & obtestationibus admoniti, vt à propria hæresi declinent, & ad Dominū per orthodoxam fidem accurrant: nec voluerunt intelligere vt bene agerent; sed in proposito suo obstinatè perseuerarūt, & noluerunt conuerti ad Dominum. Vnde eos, veluti lapides scandali & petram offensionis è via diiecimus, omnibusque diligentibus Dominum semitam muniuimus sinceræ in ipsum cōfessionis ex sanctorum patrum, & vniuersaliū quinque conciliorum doctrina: vt nobiscum iuxta sanctissimam illorum traditionem teneant ac prædicent duas eiusdem & vnius Christi Dei nostri naturas secundum hypostasim vnitas inconfusè atq; indiuisè: ac duas naturales volūtates, duasque naturales operationes, diuinam & humanam, increatam & creatam, connaturaliter vnitas: ad demonstrationem perfectam, quòd Deus natura perfectus, & homo natura perfectus, absque solo peccato, idem verè existit. Quapropter hortamur dilectionem vestram, vt ita nobiscum semper credatis, ac teneatis, deuitantes omnem hæresim, quæ contra Catholicam Ecclesiam & prius & nunc exorta est, insanosq; hæresum auctores, quorum exemplo, vnà cum vetere & nouū, quique temporibus nostris à vera doctrina aberrauit, Macedonium hæreticum, quem contra canones sibi finxerunt falsum Antiochiæ episcopū prædicti hæretici, quemadmodum & Petrum Alexandriæ, tumultuariè creauerunt. Hos enim sibi consentientes nacti, concurrentesq; in propriæ hæreseos exitium, & similiter ipsis expositionem nouæ doctrinæ formulamq; superinductitiam accipientes: mercedem iniustam huiusmodi eorum impiæ consensionis ac vanitatis, fictam sacerdotij ipsis imposuerunt appellationem: non ab vllo legitimo suffragio aut Ecclesiastica successione ad hoc inducti, sed à praua & hæretica excogitatione: vt per plures & ascriptitias personas, vt quidem putant, constituant inconsistētem suam & damnatam hæresim, Dei verò Catholicam & Apostolicam Ecclesiam vastent, quam nos ædificare properantes in Spiritu sancto, ad maiorem eius stabilitatem conueniēter studuimus in præsenti præcipere, secundum potestatem nobis à Domino in gratia datam per sanctum Petrum Apostolorum principem, Ioanni dilecto fratri nostro, episcopo Philadelphensium ciuitatis, vt locum nostrum in omnibus Ecclesiasticis articulis in partibus Orientis suppleat, & creet in omnibus ciuitatibus, quæ Antiochenæ Sedi, quæque Hierosolymitanæ sacerdotaliter subsint, episcopos, & presbyteros, & diaconos: ne, sicut dicit Prophetа, deficiant à comestione oues, eo quòd non sint boues in præsepibus, id est, fideles & orthodoxi populi, quòd Catholicæ Ecclesiæ episcopos non habeant, qui spiritualem ipsis cibum excolant & præbeant, per aptam rerum conuenientium doctrinam atque institutionē, nuncque maximè, cum omnia nos misera deprehenderunt, & in nouissima tempora concluſi sumus, in quibus multa in nos irruunt scandala, vt percellantur, si fieri potest, etiam electi, iuxta verissimas Domini prædicationes. Quamobrem, dilectissimi, ampliori & diligentiori cura rationabiles oues per sacerdotale officium munire debemus: quoniam aduersarius noster diabolus, sicut leo rugiens circuit quærēs quem deuoret, cui resistite, fortiter in fide permanentes, propter quod succincti lumbos vestros, perfectè sobrij, in gratiā, quæ vobis offertur, sperate, in susceptione nostræ Apostolicæ de hoc obsecrationis & exhortationis: vt, tam quam obedientiæ filij, vnanimiter omnes, sacro diuinoque studio adiutetis propositum Apostolica auctoritate vicarium nostrum, nempe dilectum episcopum Philadelphensium, vt omnimodis perficiatis opus ministerij huius ad salutem animarum vestrarū: non configurati inobedientibus aut contradicentibus veritati per inconsistentem ipsorum hæresim: sed secundum eum, qui vocauit vos, sanctum, & ipsi sancti in omni conuersatione sitis, per obedientiam & gratiam in eodem verbo fidei. Ecce enim ipsi quæ à nobis synodaliter gesta sunt misimus, permittentes, vt ea vobis omnibus manifestet, & nota faciat quæ à nobis ibi confirmata sunt pia præconia sanctionesque præfatorum sanctorum patrum, & probatarum vniuersaliū quinque synodorum; atque vt nobiscum hortetur vos omnes pios atq; orthodoxos, vt quemadmodum ex ipsis accepistis Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum, sic in ipsum credatis, & in ipso ambuletis. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, & salutifera nostra de hoc accipite monita: vt exaltet vos in tempore diuinissimæ ipsius reuelationis, in qua multa erit superq; omnem cogitationem merces ijs qui eius fidem & mandatum vsque in finem impræuaricabiliter seruauerint. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit vos ad æternam ipsius gloriam, proficientes in omnibus bonis: & ascensionem virtutum in ipsum semper facientes, perficiat, stabiliat, confirmet ac fundet in ipsius metu & cognitione veritatis. Ipsi imperium & gloria cum Patre, & sancto S. in sæcula sæculorum, Amen.

Matth. 24.

1. Pet. 5.

1. Pet. 5.

Vicarius Apostolicæ Sedis in Oriēte creat episcopos.

Abac. 3. iuxta LXX

EP IS-

EPISTOLA XII. B. MARTINI PAPÆ I. ad Paulum Thessalonicensem Episcopum.

Cum non modò, vt promiserat, non respuerit, verùm eo auctore Apostolicæ Sedis apocrisarij in hæresim fuerint inducti, anathematizatur & deponitur.

PAulo Episcopo Thessalonicæ Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ Episcopus.

Dominus ac Deus noster Iesus Christus, qui humana ipsius incarnatione inueteratam naturam nostram renouauit, ac proprio liuore plagam transgressionis nostrę sanauit, cùm velit nos non iam de cætero peccare, ne per peccatum deterius quid nobis cõtingat, & tradamur ęterno supplicio, cui traditur qui hic disciplina emendatus non fuerit; dignatus est nimia bonitate pœnis percutientibus quasi quibusdã vallis, animæ nostræ vias & aditus ad peccatum obsepire, ac munire. Idque significat per Oseam Prophetam dicentem: Ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria: & semitas suas nõ inueniet, & sequetur amatores suos, & nõ apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet eos; & dicet; Vadam, & reuertar ad virum meũ priorem: quia benè erat mihi tunc magis quàm nunc. Vnde, ex humanitate immensa, non ea solùm quæ à nobis per scientiam; sed etiam quæ ex ignorantia peccantur, condemnat, quæq; ex obliuione, aut nuda cogitatione, aut cupiditate inutili; ne per ea, quę leuiora esse videntur, malitiæ viam ac semitam facientes, ex contemptu ad maiora peioraque peccata adducamur, nullo iam existẽte metu, qui impetum malitiæ nostræ per supplicium cohibeat. Maiora autem dico, quæ ex scientia per operationẽm peccantur, & ad malũ finem veniunt: per quæ omninò excidimus à Deo, & vltimæ morti adiudicamur, vbi sempiterna quidem pœna est, nulla autem remissionis est venia: Quoniam nõ est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis cõfitebitur tibi? dicit beatus Dauid. Quòd aũt Deus ea, quę ex ignorãtia à nobis in ipsum delinquuntur, punit; ipse testatur dicens: Ille autem seruus, qui cognouit voluntatẽ dñi sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Quòd autem & ea, quæ inuoluntariè aut ex obliuione, præterquàm oportet, perpetrantur, non multa relinquit, ostendit rursum per Moysen: Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel, Anima cùm peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit vt non fierent, quippiam iã fecerit: Si sacerdos qui vnctus est peccauerit, delinquere faciens populũ, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino. Si peccauerit Princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & posteà intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum. & rursum, Anima si præuaricans cæremonias per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccauerit, offeret pro delictõ suo arietem immaculatum de gregibus. Sic quoque ea quæ in corde, id est, in sola cogitatione consistũt, damnat dicens: Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & fiat tibi in peccatum. Et quæ ex intempestiua cupiditate fiunt, percutit, dicens: Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. Quare si hæc, quæ à nobis ex obliuione, aut ignorantia, aut abreptione, aut cogitatione, aut cupiditate cõtra rationem fiunt, omninò nõ pręterit; sed apertè damnat vniuersitatis Deus, vt stimulum peccati nostri deleat, & damnationis nostræ mortem, quæ ex eo oritur, perimat; quali quæso aut quanta dignus est pœna, qui diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & lõganimitatis contemnit? atque idcirco omni studio ac proposito per cognitionẽ peccat, & propriam in ipsum Deum transgressionem scripto nobis ostendit? quod ipse facere ausus es, idque non semel solùm; sed iam iterum per synodales literas tuas, ignorans, vt videtur, quod bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secũdùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui nõ acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum: Episcopi maximè, & sacerdotis, qui aliorum dux esse debet, eosque regere, & in viam pacis per veram in Christum Deum confessionem adducere, non præcipitare in viam perditionis gressus sequentium populorum, per propriam haresim. de quibus & per beatum Hieremiam Dominus dicit: Væ pastoribus qui disperdunt, & dilacerant oues pascuæ meæ. grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de mõte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. omnes q̃ inuenerunt comederunt eos. Pastores enim multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meã, dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. idcirco hæc dicit Dominus ad pastores, qui pascunt populũ meum: Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & nõ visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum. Et quia oblitus es mei, & speraſti in mendacio; & ego reuelabo posteriora tua cõtra faciem tuam, & apparebit igominia tua. Manifestè enim secunda dogmatum tuorum transgressio, etiam primam voluntariam demonstrauit, & ex praua meditatione, siue sensu hæretico cõtra fidem à te factam fuisse, nõ ex inuoluntaria abreptione, aut corde non ficto. Nos igitur oportuit, creditum nobis onus Pontificalis ministerij reputantes, id est, prouidæ animarum curæ atque diligentiæ, nullatenùs morari ac differre, cũ fides à te proderetur: sed rigore canonis præcisè vtentes, ex prima interpellatione scriptum tuũ vnà cum eo, qui scripsisset, damnare: ne rationalibus Domini ouibus mortiferum doctrinæ tuæ porrigens gramen, eos tecum per malã fidem mortificares, priuaresq; æterna secundùm Christum vita: pro quibus ipse animam suam posuit bonus pastor, & propter quas cœlos inclinans, à Patris nõ discedens sinu, venit in terrã, vt perditam recuperans ouem, proprijs humeris ad suum secundùm naturam Patrem humaniter referret, ac per viscera misericordiæ cœlesti gregi connumeraret. Sed per lõganimitatem sustinuimus, nec pœnam infliximus, acceptis misericorditer precibus Pithani episcopi, & Ignatij diaconi, tuorum apochrisariorum, qui maximè asseuerarẽt & affirmarent, eiusmodi literarum inuoluntariam esse abreptionem, nec mentis ac certę sententię opus esse illam ab absurditatem dogmatis tui. Vnde & dicebant, statim ac sine mora à peiori dogmate in meilus mutationem in te fore; si te iuxta illorum postulatum de eo amanter monuissemus, cuius rei causa nos hortati sunt, vt tibi ostẽderemus, nos ea, in quibus lapsus es, notasse. quod vtique per Apocrisarios nostros fecimus, rigorem canonis per caritatem omittẽtes, teque adhortantes, non tamen pręcipientes omninò tanquã subiecto huic Apostolicæ Sedi, vt huc venires, teque canonicè expurgares de his quæ initio creationis tuæ non piè docuisti. Sed, Curauimus, inquit, Babylonem, & non est sanata, quoniam peruenit vsque ad cœlos iudicium eius. Non solùm enim ipse incorrectus manſisti, sed memoratos Apocrisarios nostros decepisti, idque erga eos fecisti, quod astutus serpẽs fecit aduersus Adam, desertorem vnà secum eum constituens, qui à Domino mandatum acceperat: tu enim simili modo, vt serpens, eos induxisti, ac persuasisti vt extenderent manum, ac pro eo, vt capęrent de scripto nostro, ad te in modum formulæ missa, non malum quendam & promiscuum gustum, vt illic, id est de ligno transgressionis, sed puram & sinceram sanctorum Patrum confessionem: hanc enim piè ei scripto inseruimus ad animę tuæ correctionem, tu eam à te repulisti, proq; ea adulterinè subiecisti absurditatis tuæ doctrinam, quo manum adijcerent. quæ omninò tibi non profuerunt: tametsi visus es eos irretire multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxisti eos. at illi, leuitate elati, secuti sunt, nescientes animæ sẽ periculum adire, quod ijs fraudulenter struxeras. Verba enim fraudulentorum mollia, & feriunt intima viscerum. Nec audiuisti dicentem, Qui fodit foueam proximo, incidet in eam, & qui voluit lapidem, in seipsum voluit. lingua enim mẽdax odit veri-

Quã grauia episcoporum, & sacerdotũ peccata sint. Hier. 23. & 50. & 12.

Hier. 13. iuxta 70. Secunda hæreticorum trãsgressio, primæ malitiam ostẽdit.

Luc. 15.

In longanimitatẽ ac misericordiam propẽsior Apostolica Sedes, quam in ſeueritatẽ.

Hier. 51.

Prouer. 7.

Prouer. 26 iuxta 70.

veritatem, os verò incustoditum facit ruinas. Quomodo igitur, cùm hæc perpetratis in ipsos, & in exemplum formulæ perscriptum à nobis & per ipsos ad te missum hortatu, vt dictum est, tuorum Apocrisariorum, cõstituisti ad nos scribere, teipsum decipiens, non nobis obrepens? Idcircò certiores facimus patres, qui vbiq; terrarum sunt, quòd ea quæ visa sunt ad effectum perducẽtes, omni studio exposuimus nostram in Domino fidem. Sed audi quid princeps Apostolorum ad eum dicat, qui veritatem erat frustratus: Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo. Ac simile aliquid fecisti, ei qui per Samuelem prophetam audiuit à Domino, Hęc dicit Dominus exercituum, Recensui quæcunque fecit Amalec Israeli. nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius. Qui cùm non obediſſet, ac si dixisset Samueli, quasi per impudentiam glorians in transgressione sua: Benedictus tu Domino impleui verbum Domini. dixitq; Samuel, Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis? Numquid vult Dominꝰ holocausta & victimas, & nõ potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum. quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare. pro eo ergo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. dixitque Saul ad Samuelem, Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini & verba tua.

Perueſſorum fallaciæ publicandæ.

Act. 5.

1. Reg. 15.

At tu eius quidem transgressionem imitatus es, confessionẽ verò transgressionis non es æmulatus, nec dixisti, Peccaui: cùm mutaueris Domini fidem, & deceperis nostros Apocrisarios. Super quo tibi propitius esse potero? nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali nõ vlciscetur anima mea? Quamobrem hos quidẽ in cinere & sacco & afflictione animæ & corporum, & lachrymis pœnitentiæ, opprobrium ipsis à te illatum expurgare iussimus: quòd non solùm Apostolicam contempserint potestatem, sed etiam sapientem non audierint parabolam, quæ dicit, Quando submiserit inimicus vocem suam, ne credideris ei. quoniam septem nequitię sunt in corde illius. Te verò vnà cum hæreticis tuis literis, id est literis synodalibus, quæ & prius & nunc à te ad nos missæ sunt, sentẽtia anathematis damnauimus, ex eo die qui scriptus à nobis ac definitus est, nempè à die prima præsentis mensis Nouemb. indict. VIII. qua die missas à te lubricas literas accepimus & cõdemnauimus: quo ad ea, quę synodaliter à te gesta sunt, quæq; prius & quę nunc, tu cum omnibus, qui quomodocumq; vel scripto vel sine scripto ijs patrocinantur, aut ea defendunt, nobis consentiendo damnetis & anathematizetis vt hæretica & vana. primùm quidem propter hærentem in ijs absurditatem reprehensibilium duodecim tuorum capitum, quæ tibi scripto nota feci, vt inexcusabilis sis, si emendationem recuses. deinde quòd pium sermonẽ irritum facere in illis ausus es, impiũ verò dogma confirmare: qui hoc sustuleris, quòd per naturam voluntas & operatio salutis nostræ sit in Domino nostro Iesu Christo, secundùm vtramq; earum, ex quibus & in quibus est, naturarum. in quo, propter sublatas eiusmodi pias voces, sine voluntate ac sine operatione, quinimmò sine substantia ac sine existentia in vtraque natura eum esse astruxisti. quod enim est expers omnis substantialis voluntatis atq; operationis, destituitur etiam ab omni substãtiali existentia. Qui præterea sustuleris in præfato tuo secundo synodali, & hoc, Omnia anathematizare quæcunq; anathematizamus: vt per hoc non solùm eos etiam, quos anathematizamus, nempè ipsas impiorum hæreticorum personas, anathematizare recuses (nam si dogmata à te nõ anathematizentur, perspicuum est te ne personas quidem nefariorum hęreticorum anathematizare: siquidẽ hęreseos ipsorũ causa, nõ causa naturæ, eos anathematizamus) sed vt etiã omnem omnium errorem Paganorum, Iudæorũ, Hęreticorum in te confirmes. Si enim omnia omnium horum dogmata condemnamus vt contraria & inimica veritati: tu verò omnia, vna nobiscum voce, non anathematizas quæ anathematizamus: consequens est, te horum omnium errorem confirmasse, qui à nobis siue ab Ecclesia Catholica anathematizatur. Qui igitur ista fecisti aduersus Catholicam fidem, Neglexisti me, dicit Dominus, & oblitus es fœderis mei dicentis, Non transgredieris de omnibus sermonibus, quos ego præcipio tibi hodiè, dextra aut sinistra, vt eas post deos alios, vt colas eos. Et erit si non audieris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia præcepta eius, & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodiè: & venient super te omnes hæ maledictiones, & apprehendent te. Viæ enim tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi. Hæc malitia tua, quia amara est, quoniam attigit vsque ad cor tuum. Quomodo igitur dices, Non sum pollutus, nec ambulaui post superinductitiam nouitatem? Vide vias tuas in errore impressas, & cognosce quid feceris: quoniam si ablueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam, maculatus es in iniquitatibus tuis coram me dicit Dominus: donec conuertens conuertas te sincerè, & eum per piam confessionem diligas in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est enim primum & magnum mandatum, rectè credere in Dominum ac Deum nostrum IESVM Christum, iuxta sanctorum Patrum, & probatorum atque vniuersalium Conciliorum doctrinam. Et nunc meliores fac vias tuas, & dogmata cordis tui emunda ab omni hæretica prauitate: & audi vocem Domini Dei tui, & cessabit Dominus ab omnibus malis quæ dixit in te. Ne igitur ampliùs per ea quæ scribis, aut insciтè struis, vt alij pro te scribant, patrocineris impietati: sed eam potiùs vt hæreticam accusa. Non enim iam homo pœnitens à malitia sua dicit, quid feci? Ecce enim iudicio contendo tecum, dicit Dominus, cùm dicis, Non peccaui, quia contempsisti me vehemẽter, vt duplices faceres vias tuas. Quapropter cognoscens cognosces, quemadmodum diximus, quòd depositus sis ab omni sacerdotali dignitate & ministerio in sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia: quoad sine vlla prætermissione omnia q̃ à nobis hîc synodaliter sancita sunt ac definita, ad cõmendationem & confirmationẽ Catholicę ecclesię, videlicet dictorum sanctorum Patrum, & vniuersalium quinque Synodorum, scripto confirmes, & nobiscum confitearis in vno sanctæ, & consubstantialis, & adorandæ Trinitatis Deo Verbo, qui propter nos incarnatus est, & perfectè humanatus, duas naturas secundùm hypostasim vnitas inconfusè, & indiuisè: & duas naturales voluntates, duasque naturales operationes, diuinam & humanam connaturaliter vnitas, secundùm sanctorum Patrum doctrinam, ad veram confirmationem, quòd Deus natura perfectus, & homo natura perfectus idem existit: vt per omnia propriè similis Deo & Patri, præter quàm quòd Pater ingenitus est: & per omnia propriè similis nobis, solùm absque peccato: & anathematizes omnes hæreticos, quos anathematizamus, id est, quos anathematizat Catholica Dei & Apostolica Ecclesia, cum omnibus hæreticis ipsorum dogmatibus: & eos, qui nunc exorti sunt hæreticos, & qui à nobis synodaliter propter ipsorum hæresim anathematizati sunt: Theodorum dico, qui fuit episcopus Pharan, & Cyrum qui Alexandriæ, & Sergium qui Constantinopolis: eiusque successores Pyrrhum & Paulum, cum omnibus ipsorum hæreticis dogmatibus: & impia expositione, magisq; impia formula eorum quæ ab ipsis nefariè firmata sunt, ad orthodoxæ fidei euersionem: & omnibus simpliciter, qui vanè affirmant, vnam, siue nullam omninò confitentur diuinitatis & humanitatis Christi naturam, aut voluntatem, aut operationem: quos vt hostes & aduersarios suos Catholica Dei & Apostolica Ecclesia iure abijcit, & anathematizat. Ne igitur repudies Domini sermonẽ, in impijs permanens. Pietas enim in Deum, principium est sensus ac sapientiæ. & si quæres eam vt argentum, & sicut thesauros inuestigabis eam; tunc intelliges timorem Domini, & cognitionem Dei inuenies. quoniam Deus dat sapientiam: & à facie eius cognitio & intelligentia: & reseruat salutem rectè agentibus. Quare reuertere ad me, dicit Dominus: & non firmabo vultum meum super te: quoniam misericors ego sum, nec irascar tibi in æternum. Tantùm cognosce iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum impiè egisti, & effudisti vias tuas ad alienos fidei, voci autem meæ non obedisti, dicit Dominus. Nam cognitio rerum tuarum, conciliabit tibi celerem in ijs correctionem: maximè si vnà cum proprio dogmatis errore, corrigas etiam quòd in sacros Canones peccasti. eos enim irritos facere ausus es, qui teipsum per proprias litteras non confessus sis, vt subditum huic

Prou. 26.

Hier. 5.

Matt. 22.

Aposto-

Apostolicæ sedi Vicarium. Qui igitur in vtroque lapsus es, vtrique studeto conuenienter mederi. non enim aliter habebis perfectam à nobis veniam, nisi in vtroque nobis correctionem tuam exhibeas.

EPISTOLA XIII. B. MARTINI PAPÆ I. ad Ecclesiam Thessalonicensem.

De Pauli damnatione, eiusq; hæresi fugienda.

CHristum diligenti clero & populo sanctæ Dei Catholicæ Thessalonicensium Ecclesiæ Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus.

Vniuersitatis opifex Dominꝰ noster IESVS CHRISTVS, cùm initio hominem fecisset, ad tutelam eius vitæ proprium ipsi largitus est mandatum, præcipiens id nullatenùs transgredi: ne solutionis mandati fructum perciperet propriam dissolutionem, id est mortem. quod, cùm accidisset, innotuit: vt omnes timore Dominum timerent, nec ampliùs ad mandati præuaricationem facilè caperentur à diabolo, qui nos primitus decepisset. Vnde humaniter saluti ipse nostræ prospiciens, inimicitias posuit inter nos & eum qui fefellisset, easque voluit perennes esse: quas artificiosè augens, cùm incarnatus homo secundùm nos factus est, clamabat dicens: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. has qui non accipit, inimico vitæ nostræ diabolo omninò fit amicus, inimicitias soluens, quas inter nos & ipsum Dominus posuit: deficiensque à Deo viuente per peccatum morificatur, quo hominum natura in seipsam armata est, & affectionibus corrumpitur. quam naturam pacificare volens ipsius opifex; proprium, vt dictum est, in terram aduenies gladium dedit, qui Euangelicæ secundùm ipsum prædicationis sermo est, omnem impietatem atque iniquitatem cædens semper ac demetens, commendans verò orthodoxam in ipsum cõfessionem in ijs, qui eam firmè custodiunt. Quando igitur, dilecti fratres, nobis, qui per gratiam ipsius sacerdotes sumus, Euangelicæ prædicationis sermo creditus est, vt cum sapientia & fide tueamur eius domum, Catholicam nempè Ecclesiam, integram atque immaculatam ab ijs, qui eam violare ac lædere properant; necessariò vobis notum facimus, iubente maximè hoc nos facere ipso Domino, per Prophetam dicentem: Consolamini, consolamini, consolamini populum meum, dicit Dominus: sacerdotes loquimini ad cor Hierusalem: consolamini eam, quia impleta est humiliatio eius. Nã is, qui pastor eius vocatus est, mutatus est in lupum, eamque humiliare conatus est, per ea quæ impiè in nos dogmatizauit: quippe qui cœlestem panem, qui per carnem in terram ad nos aduenit, non apposuit vobis sincerè ac sine innouatione in cibum & potum ad vitam æternam, per Apostolicam paternamque doctrinam: sed apposuit cibum Aegyptiacum, siue doctrinam hæreticam, quæ inquinare solet non confirmare cor hominis. Studuit enim non solùm initio propositionis sv turbidam inquinamentorum confusionem per litteras su. huic Apostolicæ Sedi imponere, sicuti ab eo missis Apocrisarijs, Pithano episcopo & Ignatio diacono tum corã ostendimus, sed nunc quoque doctrinæ suæ cœnum augere: tametsi, præfatorum virorum hortatu, absurditates eius & errores notos ei fecissemus, ac prætereà misissemus exemplum formulæ doctrinæ veræ ac salutaris, quæ nobis tradita est à sanctis Apostolis, & probatissimis Ecclesiæ Patribus: vt id firmiter intuens, propriam sententiam corrigeret. Ille verò etiam post cognitionem veritatis non audiuit dicentem: Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: Qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos vsque in finem. Quis igitur eum, qui in animam suam peccat, iustificabit? quis glorificabit eum, qui vitam suam exhonorat? Ausus est enim, per summum diuinorum iudiciorum contemptum, missum à nobis exemplum adulterare ac deprauare, ex eoque demere orthodoxam Patrum confessionem, & damnationem quam facimus, id est, quam Catholica Ecclesia iure facit detestandorum hæreticorum: ac venenum propriæ nouitatis inijcere. Quoniam igitur scriptum est, fratres, Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestijs? sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius, in labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam. in oculis suis lachrymatur: & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine: & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas. caput suum mouebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum. Et rursum dicit, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Satagite vos omnes, dilecti, vt filij obedientiæ, & diuinum præceptum adimplentes, quod dicit, Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. &, Recedite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eorum. Deponite omnem ad hominem huiusmodi, id est, ad pessimam eius hæresim, coniunctionem & amorem: mors enim est, separans à Deo eos qui doctrinæ talis viri obsequuntur. Atque idcirco eum canonicè ab omni deposuimus sacerdotali dignitate & ministerio, quo ad propria corrigens ad Apostolicam Catholicæ Ecclesiæ redeat fidem: in qua ipsi per Dei gratiam generati & educati, state semper radicati & fundati: & sicut accepistis à nobis, siue à sanctis Apostolis, & Prophetis, & doctoribus, & vniuersalibus quinque Synodis, quomodo oporteat vos credere, & ambulare, & placere Deo, sicut & credidistis, & ambulastis vsque adhuc, vt abundetis magis in orthodoxa fide, confitentes iuxta ipsorum sanctorum piam traditionem, Dominum nostrum Iesum Christum, Deum verum, & verum hominem eundem, in nullo à diuina sua deficientem natura, & in nullo ab humana natura deficientem absque solo peccato: sed per omnia perfectum ipsum in vtraque naturarum, ex quibus & in quibus constat: tum in diuina, tum in humana, in increata, & in creata sicut natura, ita voluntate & operatione, ad demonstrationem perfectæ eius cum Deo & Patre, & cum matre ac virgine connaturalitatis & consubstantialitatis. Habentes igitur talem spem, multa libertate vtimur, & non sicut aduersarij super inductis lasciuiunt formulis & expositionibus, sed paternis & synodalibus Catholicæ Ecclesiæ muniti præconijs, hæc vbique & omnibus per ea quæ nuper à nobis synodaliter gesta sunt, intimauimus, quæ & vobiscum nunc loquimur, nihil inductitium aut peregrinũ, ac nouum prædicantes, sed quæ audiuistis, & didicistis, & accepistis, & in vobis iugiter radicata sunt. Quæ enim est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriationis? nonne vos coram ipso Domino nostro Iesu Christo, & nunc, & in ipsius aduentu? quandoquidem multa mihi ad vos libertas est, multa gloriatio pro vobis. repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, quam propter dictum hominem sustinuimus. quis enim infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? inquit diuinus Apostolus. Quocircà & vos, carissimi, huiusmodi nostram pro vobis scientes sollicitudinem, & edocti diligenter à diuinitùs inspiratis Scripturis, quòd nulla est participatio iustitiæ cum iniquitate, nec societas luci ad tenebras, nec conuentio Christi ad Belial, nec pars fideli cum infidelibus, neque consensus Orthodoxorum cum hæreticis, omni custodia custodite cor vestrum, nullam participationem habentes nec societatem, nec consensionem, nec connexionem cum huiusmodi homine. ac ne vlla ratione assentiamini eius doctrinæ; sed assiduè permanentes in sanctissima nostra fide, seruite Deo in conscientia pura: Synaxis autem ministerium perficiant vobis qui ibi sunt presbyteri & diaconi, qui diligenter & acceptabiliter rectam Catholicæ Ecclesiæ nobiscum doctrinam suscipiunt, quæ nuper ad vos à nobis scripta est: & abijcientes omnem hæresim ac nouitatem, quæ ab Apostolica prædicatione condemnatur: quousque, vt dictum est, ille sua corrigat, aut alius pro illo canonicè eligatur pastor bonus ac verus, quique animam pro ouibus ponat, imitatione principis pastorum Christi, in loco pascuæ vos collocans, & super aquam refectionis educans. Ipse autem, qui nos vobiscum confirmat in diuinissima eius confessione, quique vnxit nos ac signauit, deditque arrha

Matth. 10.

Esa. 40.

Eccli. 10.

Eccli. 12.

Eccli. 13.

Gen. 19.

Esa. 52.

2. Cor. 11.

2. Cor. 6.

Ioan. 10. Psal. 22.

arrhabonem Spiritus in cordib⁹ nostris, sanctificet vos perfectè, spiritumque vestrum & animam & corpus integra atque irreprehensibilia custodiat, recepturos sæcula sæculorum quæ repromisit diligentibus eum. Amen.

EPISTOLA XIIII. B. MARTINI Papæ I. ad Theodorum.

Quæ in aduentu Calliopæ in Vrbem acta sunt, & de falsitate eorum, quæ sibi obijciebantur.

Hæ sequētes B. Martini epist. extant in vetustiss. Cod. ab Anastasio Bibliothecario è græco in latinum versæ, cū Præfatiōe eiusdem Anastasij ad Martinum Narniensem Episcopū.

MArtinus Theodoro sincera affectione Dilecto fratri. Quoniam agnoui vt potui ea, quæ in scriptis à vobis significata sunt, in paucis verbis exequar. Cùm exirem ab Ecclesia, quæ cognominatur Constantiana, in qua exercitus me cum armis constrinxerat, in præsentia Exarchi ac Theodori cubicularij presbyterī & clerici, clara voce dixerunt, Anathema habeat, quisquis dixerit vel crediderit, quia Martinus vsque ad vnum apicem fidem mutauit, aut mutaturus est. &, Anathema habeant, qui in orthodoxa fide sua vsque ad mortem non permanserint. His auditis Calliopas cœpit rationem reddere, aliam fidem præter quā nos tenemus, non esse, neque aliam se credere; sed hoc propter eos qui audiebant, non propter fidem dicebat. Ea scire te volo dilectissime frater de fide, quam significasti; necnon de falsis calumnijs, quas aduersus veritatem proponūt: quia opitulantibus nobis orationibus vestris, ac omnium fidelium Christianorum, qui vobiscum sunt, & viuens & moriens, salutis nostræ fidem defendam, quemadmodum B. Paulus Apostolus docet, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. De falsis autem accusationibus quas nouiter hæretici faciunt, abijcientes veritatem Christi Dei, qualem omnin ò poterunt hominibus veritatem loqui, qui Dei veritati resistunt? Tibi igitur rationem reddo, dilectissime frater, per eum, qui iudicaturus est mundum istum per ignem, qui & reddet vnicuique secundùm opus suum. Ego aliquando ad Saracenos nec literas misi, nec quem dicunt tomum qualiter credere debeant, aut pecunias vnquàm transmisi: Exceptis dumtaxat quibusdam illic venientibus seruis Dei causa eleemosynæ, quibus & modicum quid præbuimus minimè ad Saracenos trāsmissum. Porrò de Domina nostra gloriosa semper Virgine Maria, quæ Deum & Dominum nostrum Iesum Christum peperit, quam omnes sancti & Catholici patres Dei genitricem appellant, vtpote quæ Deum hominem genuit falsum, contra me, imò contra suas ipsorū animas, iniqui viri testificati sunt. Nam quisquis Beatam super omnem creaturam humanam, absque eo qui genitus est ex ea, venerabilem semper virginem matrem videlicet Domini nostri non honorat, atque adorat; anathema sit & in præsenti sæculo & in futuro: Sed homines occasiones quærentes scandala obijciunt ad scandalizandum multos. Dominus te incolumem custodiat amantissime fili.

EPISTOLA XV. B. MARTINI Papæ I. ad Eliterum.

A Calliopa ex Ecclesia Saluatoris se raptum Constantinopolim missum fuisse.

NOsse voluit beata vestra dilectio, qualiter de Sede sancti Petri Apostoli sicut vnus passer solitarius ab ædificio, raptus fuerim? & miror quia super hoc me inquirere voluisti; cùm prædixerit Dominus noster de nequam temporibus istis, discipulis suis. Quia in diebus illis erit tribulatio qualis non fuit ab origine mundi, vsque nunc: & nisi quia abbreuiati sunt dies illi, non posset sustinere omnis caro; sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hoc in paucis de Antichristo dicitur, nam & sanctus Paulus secundùm datam sibi gratiam spiritus, pronunciauit dies istos Timotheo discipulo suo, dicens: In nouissimis diebus discedent homines à fide & veritate auditum auertent; seipsos amantes, auari. Et crede mihi, desiderantissime fili mi, non videndum tempus aliud, nisi hoc manifestè, in quo sint initia dolorum, quemadmodum Dominus prædixit aduentum Antichristi, & nisi breuiati, dicere necessarium visum est, antequàm in toto mundo prævaleat iudicium, & finem cursus. Hoc mihi expedire arbitratus, quò alijs malè mihi properantibus, exultem potiùs, quàm fleam. Igitur, vt scias qualiter sublatus & ductus sum à Romana Vrbe, nil falsum audies: Accidentium omnia præsciui per multum temporis, quæ meditabantur inimici veritatis, & superato me ipso cum omni clero modò priuatus mansi in Ecclesia Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ cognominatur Constantiana, & stabilita est à beatæ memoriæ Constātino Imperatore, & est iuxta Episcopum. Illic omnes nos seorsum morabamur à die sabbati; quando Calliopas cum Rauennati exercitu & Theodoro cubiculario introiuit in ciuitatem. Misi ergo in obuiam ei quosdam ex clero, quibus susceptis in palatio, æstimauit & me cum eis adesse. Cùm autem quæsisset, & non inuenisset, dixit primis cleri, Quia nos eum voluimus adorare: sed cras, quod est Dominicæ dies, obuij erimus & salutabimus eum, quia hodiè non sufficimus. Porrò Dominico die dictis Missis in prædicta sancta Dei Ecclesia, suspicatus ille turbam multam colligi propter diem, nunciauit hoc, Quia multum fatigati sumus ex itinere, & non possumus occurrere hodie, sed cras omnibus modis occurremus, & adorabimus Sanctitatem vestram. Ego verò ipse grauiter infirmus eram ab Octobrio mense vsque ad prædictum tempus; id est, vsque ad 16. Calend. Iulias. Ergo feria secunda diluculo misit cartularium suum, & quosdam ex obsequio suo dicens, Quia arma præparasti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegisti; & hoc necessarium non est, nec aliquid fieri permittas. Cumque præsens audissem hæc, necessarium magis non habui, qualiter hos certos reddere, quàm mittere illos gyraturos per totum Episcopium, & si arma vel lapidem vidissent, ipsi testimonium perhiberent. cùm autem ijssent & nihil inuenissent; subintuli eis per verba, quòd nunquàm aliter aliquando, sed semper per circumplexionem & fallacem accusationem incederent aduersum nos, cùm & in aductu infamis Olympi vani cuiusdam hominis cum armis me hunc potiùs repellere faterentur, ego itaque ante altare Ecclesiæ lectulum meum habebam, in quo iacebam, & nondum transacta media hora exercitus cum eis veniens in Ecclesia loricati omnes tenentes lanceas & spatas suas, quin & arcus suos paratos vnà cum scutis suis, & facta sunt illic quæ nec dicenda sunt. Quemadmodum namque in hyemali tempore vento valido flante folia ex arboribus concussa cadunt, ita percutiebātur armis candelæ sanctæ Ecclesiæ & remensæ excutiebantur in pauimentum, & audiebatur sonitus, qui in eadem fiebat Ecclesia veluti tonitruus quidam horribilis tam ex collisione armorum, quàm ex multitudine candelabrorum ab eis confractorum, quibus cum fastu introeuntibus iussio à Calliopa porrecta est presbyteris & diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quòd irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica Sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam Vrbem transmitti, subrogato in loco meo Episcopo: quod nec dum aliquando factum est, & spero, quod nec aliquando fiet: quia in absentia Pontificis archidiaconus & archipresbyter, & primicerius locum præsentant Pontificis. Dum ergo mouentur, quæ de fide gesta sunt, iam manifestaui vobis, quòd autem præparati non fuerimus ad repugnandum, melius iudicaui decies mori, quàm vniuscuiusque sanguinem in terram fundi; quod quidem & sine periculo hoc gestū est in paucis, quæ non placuerunt Domino, malis effectis. Eadem itaque hora dedi me ipsum ad exhibendum Imperatori & non resistendum. porrò acclamantibus mihi (vt veritatem dicam) quibusdam ex clero ne facerem hoc, nulli eorum accommodaui aures, ne subitò fierent homicidæ; sed dixi illis, Sinite mecum venire ex clero qui necessarij mihi sunt, Episcopos videlicet, & presbyteros, & diaconos, & absolutè qui mihi videntur. Respondit Calliopas. Quotquot voluerint venire cum bono venient, nos cuiquam necessitatem non facimus. Respondi ego, Clerus in potestate mea est. Exclamantes autem quidam ex sacerdotibus, dicebāt, Cum ipso viuimus & cū ipso morimur.

Matt. 14

2. Tim. 4

Post

Post hæc cœpit dicere per se Calliopas, & qui cum ipso erant, Veni nobiscum ad palatium. nec hoc facere recusaui, sed exiui cum eis in palatium. Eadem secunda feria, & tertia feria venit ad me omnis clerus, & multi erant, qui se parauerant ad nauigandum mecum, qui etiam res suas immiserant in ea, quæ vocabatur nauicula, in quibus onera ex littore in naues maiores, vel ex eis ad littus transportantur. Alij quoque nonnulli præparabantur clerici ac laici, qui festinabantur peruenire ad nos. eadem ergo nocte, quæ illuxcesit in feria quarta, quæ erat 13. Calend. Iulias, circa horam quasi sextam noctis; tulerunt me de palatio, retrusis omnibus, qui mecum erant, in palatio, vsque ad res diuersas, quæ mihi & hic erãt necessaria, & non nisi cum sex pueru lis & vno cancellulo duxerunt nos ex Vrbe. & cùm immisissent nos in vnum eorum, quæ dicebantur leuamenta, circa horam plus minus quartam diei ad portum peruenimus. In ea sanè hora, qua egressi sumus ab vrbe Roma, statim vt erant obseratæ portæ, iterum eas obseruauerunt, & sic remanserunt in ciuitate aliqui, ne venirẽt ad nos in portu donec illic nauigauissemus. Vnde necessitas nobis effecta est, vt omnium eorum res, quæ in leuamento missæ fuerant in dicto portu dimitteremus. & mox eadem die moueremur, & peruenimus Calend. Iunij Messenam, in qua erat nauis, id est carcer, non autem Messenæ tantùm, sed in Terra laboris, & non tantùm in Terra laboris, quæ subdita est magnæ vrbi Romanorum, sed & in pluribus insularum, in quibus nos vel transmississemus, peccata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum: excepto dumtaxat in insula Naxia, quoniam ibi annum fecimus, merui lauari duobus vel tribus balneis, & apud vrbem mansi in hospitio quodam, & ecce 47. dies sunt hodie, ex quo non merui calida nec frigida aqua rigare me, & effluxi, & refrigui totus, quoniam ventris fluor & in naui & in terra vsque ad præsentem horam mihi requiem non dedit, & in ipsa quoque necessitate mea, hora qua consolaturus sum, totus concussatus corpore, ea quæ necessaria sunt percipere ad confortandum naturam non habeo. tædet me sumere, cùm id habeam penitùs in fastidium. Sed credo in virtute Dei, qui omnia conspicit, quia cùm de præsenti vita subductus fuero, exquirentur de his omnibus, qui me persequuntur, vt sublatus sim, vt saltem sic ad pœnitentiam ducti ab iniquitate sua conuertantur. *Subscriptio.* Incolumem te custodiat Christus Deus fili dulcissime.

EPISTOLA XVI. ANASTASII ad Occidentales. De his

Quæ Martinus Romæ, Constantinopoli, & in itinere sit passus.

Epistola cuiusdam Christiani directa his, qui sunt in Occidente seu Romæ & Africa, orthodoxis fratribus. Afflictiones, mœrores & lachrymas, communemque sine cessatione ac mœstissimã vocem, quæ in dolore eximio prolata est cordis, puto autem quia & profertur Domino ab his, qui sunt Romæ, adhuc autem & in omni loco dominationis eius degentibus sanctis famulis Dei, & fidelibus populis, ex quo facta est persecutio aduersus sanctissimũ patrem nostrũ Deo beatissimum, & fidelem sacerdotem principem, & Apostolicum vniuersalem Papam, ac per hoc aduersus Catholicam Ecclesiam; puto autem hactenùs hunc eundem mœrorẽ retineri in vobis, & multam sollicitudinem habere, vos scire quomodo exulatus est, & persecutione pulsus à Roma naui gio vsque Bizantium. hæc in mente habens ego humilis & peccator famulus vester, quædam quidem exterius sollicitudine multa addiscens, plurimorum autem propriè contemplator factus, indignus ministerij beatissimi & pretiosi sacerdotis nostri, iudicaui literis reminisci, & nota facere, claraque constituere vobis benedictis, ac per vos omnibus fidelibus, & zelum habentibus culturæ diuinæ: quatenùs cognoscentes cum cordis mœstitudine mecum sermonem propheticum proferatis: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Et plorabo die & nocte contritiones Catholicæ Ecclesiæ, & omnium Christianorum, immò perditionem. Propterea quæ acta sunt in Beatum & Deo plenum ducem veritatis & prædicatorem, Verumtamen Deo gloria, qui dedit virtutem, & sufficientiam stabilem in tentationibus, quæ superuenerunt ei à contrarijs virtutibus & viris in expugnando & viriliter dimicando pro cultu Dei irrefragabiliter, & spe firma vsque ad mortem ponens animam suã, vtpotè imitatus eum, qui eum constituit athletam, Dominum eius ad informationem pro veritate dimicare; ea equidem, quæ Romæ gesta sunt in beatũ Martinum spiritualem Patrem, sacerdotumque principem, & vos scitis qualibus periculis luctatus est. Videns ergo gladios vibratos & acutos consertos adinuicem tentos à pluribus militibus paratum habentibus inficere enses & priuare vita beatum Episcopum in circuitu altaris adstantibus, & in toto templo Catholicæ Ecclesiæ Romæ, quæ cognominatur Constantiniana; in qua sacerdotio fungens recubabat in foribus & grabato ipse beatus æger, & quomodo contritus animis, & artubus constrictus, impulsus & expulsus, raptus & extractus ex Apostolico throno, in quo Dominus eum constituit inspectorem loco sui Apostolum & prædicatorem orthodoxum veritatis; sed verè iste non fecit animam suam preciosiorem se: sed posuit eam vsq; ad mortem, imitatus, sicut dictum est, Dominum suum dicentem: Bonus pastor animã suam ponit pro ouibus suis, quò saluaret vbique errantem & perditam plebem ab insurgentibus nostris temporibus hæreticis. Traditur ego Romæ de Catholica Ecclesia sancti Ioannis à potẽtibus huius sæculi, his qui hoc erant ministerio digni ministri, atq; custodibus, depositus est ad portum, & coniectus est in lembum, & nauigantibus sicuti scitis, euntibusque cum auiditate in insulam, quæ vocatur Naxon, non concesserunt beato illi Apostolico viro custodes penitùs contingere terram, dolentibus prorsus pedibus eius, cùm ipsi per loca conferrent, & ipsi quiescerent. Hi autem qui per loca erant sacerdotes, & cæteri fideles regionis ipsius dirigebant munera beato illi causa vtilitatis eius, non paruæ multotiens quantitatis, quas quidem directas species & quantitates, custodes bestiales cõtinuò coram eo diripiebant, improperiosa & amara plurima congerentes in eum. Eos autem qui munuscula detulissent, iniurijs & verberibus afficientes dimittebant, dicentes ad eos, Quoniam quicumque diligitis istum, inimici estis Reipublicæ: Numquid nam ei hoc solùm valebat inferre ei dolorem incomparabilem super infirmitate, quæ eum valdè deprimebat? Exinde ergo præmittentes nuncium quendam, custodes qui retinebant eum, nunciauerunt in Bizantium aduentum & actiones eius proferentes aduersus eum pluri ma mala, hæreticum & rebellem Domino, Deique aduersarium proclamantes, & subuertentem vniuersam terrã Romanorum. Cumque tandem peruenissent Bizantium beatus ille 17. die mense Nouembrio in portum iuxta Euphemiam iuxta Archadiam, nõ reliquerunt à mane ministris vsque in horam decimam recubantes in grabato nauis, eratque sicut dictum est, spectaculum omnibus Angelis & hominibus. Accedebant enim varij homines, quos propter ferales mores, lupaces dixerim & subrogati, vt conijcio talia contra S. Papam agebant, qualia Christianis dici non oportet, moran tibus nobis in littore, eram incedẽs dolore plenus & amaritudine, eo quòd viderem talẽ sanctum virum ita deiectum, non solùm autem, sed & talia eloquia à quibusdam Ethnicis prolata contra eum, nihil aliud quærebant, nisi vt auferretur anima eius. Dehinc circa Solis occasum venit quidam scriba nomine Sagoleua cum multis excubitoribus, auferentes de lembo posuerunt in gestatorio, duxeruntque in custodiam excubitorij, quæ cognominatur Prandearia, & fecit eum includi sub multa custodia, præcipiens excubiti custodibus, vt nullus penitùs sciret ciuitatis, quia est in eodem excubitu. Mansit ergo idẽ sanctus Apostolicus clausus & sine participatione penitùs sermonis alicuius 93. dies, in ipsa verò 93. die, quæ est Parasceue, manè tulerunt eum de custodia constituendum in cella sacellarij, iubentes pridie conuenire omnem Senatum, quod & factum est. iusserunt autem eum introducendum, & introduxerunt in portatoria sella. erat enim penitùs æger, præcipuè autem in illis diebus præ nauigatione & afflictione custodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus qui præsidebat sa-

Ioan. 10.

cellarius, cum reliquis principibus à lõgè, iussit eũ surgere à ferculo & astare, agentibus quibusdã ministrorum nõ valere eum stare. turbatus præ ira Sacellarius exclamauit, cùm autẽ & quidã de custodia surgere eum & astare censuræ subnixum hincinde, quod & factũ est, Sacellarius inquit ad eũ, Dic miser, quid tibi mali intulit Imperator: tulit tibi aliqd? oppressit te vi? ille autẽ tacebat. tunc ait ad eum Sacellarius imperatiua voce: Ecce nunc ingredientur accusatores tui, & cõtinu[illegible] um sermone introducti multi accusatores contra eum · [illegible]tem erant mendacij filij, & discipuli eorum, qui Dom[illegible] um Iesum Christum negauerunt, cõtradicebant [illegible]to viro, quẽadmodum præmoniti fuerãt. erant enim voces eorum præmeditatæ, in quibus quidã eorum paulò antè interrogati, vt testimonium perhiberent, tentabãt dicere veritatem, sicut mos est, & continuò turbati, qui prætendebãt certamen, incipiebant validis minis increpare eos, donec suaderent eos proferre quæ erant cõuenientia in mortem Beati & iusti viri. Contemplatus ergo S. Papa Martinus introeuntes testificari, subridens dixit, Isti sunt testes, sicut habet ordo. Erant enim primi ingredientes nomine quidem milites, lupaces autem & bestiales sententia, & quidam eorum, qui erant Olympi, cum quibus erat & Andreas, qui fuerat notarius. erant enim intra accusatores infelices Imerites & Erinus, & reliqui numero quasi 20. priores milites, & reliqui accusatores. iurabant autem ad sancta Euangelia, & testificabantur. Primicerius sanè omnium accusantium erat Dorotheus patricius Siciliæ adiurans dixit, Quoniã quinquaginta capita si haberet, non oporteret eum viuere, eo quòd solus subuertit & perdidit vniuersum Occidẽtem, & deleuit. Et reuerà vnius consilij fuit cum Olympio, & inimicus homicida Imperatoris, & Romanæ vrbanitatis. Videns ergo iustus vir introeuntes eos, & iurantes sine parcitate testificatores, compassus perditioni animarum eorum, ait ad eos qui præsidebant principes: Obsecro vos per Dominum, nolite præparare illos iurare, sed absque iuramento dicant quæcumque volunt, vosque facite quæcunq; vultis. & quid opus est etiam iurando perdere illorum animas? Ingresso equidem vno, & testimonium dicente, quoniam coniurationes fecit cum Olympio, & milites præparauit, vt iurarent; interrogatus Deo pretiosus vir, si hæc ita se haberent: si vultis audire veritatem, dico vobis sequẽtia, & cœpit dicere quando factus est typus & directus Romam ab Imperatore; & hoc tantùm dicente, beato illo aliud non concessum est loqui, sed continuò ante omnes incipiẽs cum clamore Troilus, inquit, Non inferas nobis hic de fide, de duello nunc scrutaris: quoniam & Romani, & nos Christiani sumus, & orthodoxi. & respondit ijsdem vir iustus, Vtinam, veruntamen inuenietis me in illa die tremendi iudicij examinis testem etiã in hoc. deinde intro accusantes testes, ait ad eum Troilus præfectus, Qualis es tu homo? quoniam cernens & audiens talia cõtra Imperatorem nitentem effodiendum Olympium, non prohibuisti eum; sed contra consensisti ei. ad quẽ dixit ipse Apostolicus Papa: Dic Domine Troile, quando sicut scitis etiã vos & nos audiuimus, Georgius à magistratibus, qui erãt ex Monachis, ingressus est huc in vrbem à castris, & talia verba locutus est, fecitq; restales vbi eras autem, & qui sunt tecum, quoniã restitistis, sed contra concionatus est vobis, & quos voluit palatio exulauit & prohibuit, iterumque cum Valentino cum præcepto Imperatoris indutus est purpura, & consedit ei. quò iteratis vos? non eratis hic? cur ergo non prohibuistis eum dicentes, Ne attingas res non opportunas tibi? nónne omnes contra conueniistis ei; quo modo habebam ego tali viro aduersus stare, habenti præcipuè brachium vniuersæ militiæ Italiæ? an potiùs ego illum feci Exarcum? Veruntamen denuò obsecro vos per Dñm, quodcunq; vultis, & definitis fieri in me, citiùs explete: nouit enim Domin[illegible], maxima mihi dona tribuitis, quacunque me clade iugulaueritis. Percontatus eum quidam de ministrãtibus, Sagolebæ videlicet Sacellarius, si sunt foris etiam aliqui, qui debeant testificari. respondit scriba, sunt Domine plurimi alij; deficientes autem hi qui præsidebant sancto & venerabili astante viro in conspectu eorum, & potissimùm cum Spiritu sancto eum confirmante, dixerunt sufficere testes. Erat quippe interpres eorum quę à sancto dicebãtur verborũ Innocẽtius consul filius Thomæ, qui erat ab Africa, & cũ interpretaretur ea, quæ à beato viro dicebantur, non ferebant: videns ignita iacula sancti Spiritus à Deo honorãbili viro contra eos prolata, ait ad Innocentium cum furore, Cur nobis interpretaris quæ dicit, noli dicere quæ dicit. surgens ergo continuò Sacellarius cum plurimis, qui consederant ei, ingressus est nunciare Imperatori quæque ipse voluit. Eduxerunt autem sanctum Apostolicum virum de loco iudicij, magis autem ex aula Caiphæ, in gestatorio sedili sedentem, & statuerunt eum in medio atrij, quod erat ante cellam Sacellarij & Imperialis stabuli, quò cõsueuerãt omnis popul[illegible] cõuenire. & expectare Sacellarij ingressum, circumdederunt eum excubitores, atque omnibus spectaculum formidabile turbis. Post paululum ergo iusserunt eum inferri in solarium expositionis, vt essent ibi quæ hactenùs prospiceret imperator per cancellos triclinij sui ea, quæ futura erant fieri. Erat itaque multitudo populorum vsque ad Opidromium conuenientium illic. statuerunt ergo Reuerendissimum virum in medio solarij dispositionis præsentia totius Senatus subnixum hinc & inde. Facta est ergo constipatio subitò non minima, & exiens ab Imperatore Sacellarius apertis ianuis triclinij, vt videret vniuersum populum. Veniensque ad sanctissimum venerabilem virum Martinum Apostolicum dixit ad eum: Vide quomodo Domin[illegible] te adduxit, & tradidit in manus nostras: tu nitebaris contra Imperatorem, quid tibi spei erat? Ecce dereliquisti Dominum, dereliquit te Dominus, & continuò exclamans Sacellarius, quendam astantium excubitorum cõsortem præcepit sine mora auferre Pſachmon summi & Apostolici, atq; præcipuè pastoris omnium Christianorum, qui orthodoxam sanctorũ Patrum & synodorum confessionem, hoc est fidem confirmauit, & noui erroris exortos auctores, nouos videlicet hæreticos cum impijs dogmatibus eorum canonicè & synodicè anathematizauit. Cùm ergo incidisset Pſachmon beati viri excubitor & corrigiam cõpagiorum eius, statim tradit eum Sacellarius præfecto vrbis dicens: Tolle eum Domine præfecte, & continuò membratim incide illum. Cum his autem omnibus iussit astantibus anathematizare eum: quod & fecerunt. Non responderunt autem huiusmodi voci 20. virorum animæ; sed omnes qui eum videbãt, & sciebant: quia est Dominus in cœlo cõspector eorum, quæ fiebant, demisso vultu cum multa mœstitudine recedebant turbati. Susципientes ergo eum carnifices, exuerunt eum pallio sacerdotalis stolæ, & scindentes alas tunicæ, quæ erat interius, à summo vsq; deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam eius ceruicem, & per omne corpus, trahentes eum vi, non concesserunt ei alicubi residere, & animam refocillare; sed à palatio duxerunt eũ, publicantes & dehonestantes per medium ciuitatis ad prætorium, & gladius coram eo. Erat autem dolor magnus: oppido enim fessus erat & infirmus præ tantis incommodis futuris, relinquere animam à pressura passionum, & tenuitate corporis: attamen gaudens spe confortabatur in Domino, & magis afflictione & vi trahebatur, eò sereno obtutu ductus cum multa constantia animæ iustus cum vno solummodò induméto à summo discisso in duas partes & sine cintorio sequebatur vir tãtus, fide, & gratia Domini cintus. Heu (proh dolor) cerneres virũ Deo plenum tãto opprobrio subiectum, vt interiora eius quodammodò nuda panderentur. multifariè quidem continuò populorum cõ[illegible]pectus, quæ fiebant, gemebant, at veritatẽ dicã, & lachrymabantur: pauci autem ministrorum satanæ gaudebant & subsannabant, & capita trãseuntes, sicut scriptum est, mouebant dicentes, vbi est Dñs eius, & vbi fides eius, & vbi doctrina ipsius? Qui cùm venisset in prætorio dehonestatus, & à carnificibus inculcatus, coniecerunt eum in ima carcerum cum homicidis, & quasi post vnam horam tulerunt eum inde, & transposuerunt in ea, quæ dicitur Diomedis custodia, in prætorio præfecti: tanta autem instãtia & vi trahebãt eum vinculis nexu, vt dilaniarentur crura. poplites eius & sanguis effluēret per ascensum scalæ eiusdem custodiæ: sunt enim scopulosi & asperi valdè ac penitùs in altum porrecti gradus. Erat autem ipse beatus præsentis vitæ proximus, iã in carcere supplicijs anima deficiente ante gladiũ, cùm nõ valeret cõscendere cum se trahẽtibus. Introducentes ergo eum quomodocunq; in custodiã decidentẽ sæpiùs

Matth. 27.

ac

ac surgentem, posuerunt eum in scamno indutum ferro & catenis. tunc enim quando traditus est Caiphæ Pilato, vt crucifigeretur, hoc est præfecto, continuò exuerent eum carnifices. grauiter enim angoribus vexabatur: erat enim intolerabilis hyems. imposuerunt ei grauissima ferri pondera, & nullus aderat ei hominũ eius proprius, excepto vno solummodò clerico adolescente, qui cùm mansisset in custodia, & superstans lamentabatur magistrum sicuti Petrus Dominũ. Erat autem cõiunctus magister custodiæ eidem beato: quoniam sic erat mos, vt futurus pati per gladium coniungeretur magistro custodiæ illa nocte. Erant ergò duæ mulieres, genitrix & nata prænominatæ custodiæ claues tenẽtes, quæque aspicientes importabilem dolorem sancti illius, qui inter tot pœnarum genera angore quatebatur dirissimo, motæ compassionibus quærebant aliquam exhibere misericordiam ei, & contegere eum; sed non audebant propter cõiunctum & custodientem carnificem; putabant enim actutum ventura censura vt trucidaretur. Post quasdam verò horas quidam ex ordine militari vocabant ab imo magistrum vigiliæ carceralis: discedente eo, vna mulierum ergastulorum illorum pietatis viscere ducta accedens amplectensq; bellatorem Christi, & Apostolicum Papam, portansq; reclinauit eum in proprio toro suo, cõtegens vtiliter & inuoluens. mãsit autem vsq; ad vesperam sine voce. Vespere autem facto, misit ad eum Gregorius præfect⁹ Eunuchus ex cubicularijs maiorem domus suæ cum paucis cibarijs, qui refecit eum dicens: In tribulationibus confidimus in dominum, non morieris; in quo magis aggrauatus ille beatus ingemuit. abstulerunt autem ferrea vincula continuò ab eo. Sequenti autẽ die adiens Imperator in Patriarchium visendi gratia Paulum patriarcham (proximus enim erat morti) narrauit ei quæ consummata erant in sanctissimum virum. Ingemiscens verò Paulus cõuersus ad parietem dixit, Hei mihi, & hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum est. percontatus ergò ab Imperatore respondit, Nunquidnam Domine, nõ est miserabile talia pati põtificem? tunc attentius adiurauit Imperatorem sufficere ei in his, quæ passus est, nihilq; amplius sustinere. Vnde audiens beatus ille Apostolicus vir, quòd nõ suscepit quod expectabat; non gratũ habuit tale promissum, sed penitus mœstus effectus est. Festinabat enim explere bonum certamẽ, & abire ad Deum, quem desiderabat. Interea defuncto Paulo, Pyrrho residere nitente, atque quibusdam Ecclesiæ cõtradicentibus, & prohibentibus, libellumq; eius publicantibus in palatio, agentibusq; quoniam à beato Paulo anathematizatus est, Pyrrhus reprobatus est sacerdotio propter libellum, quem fecerat Romę: & multa cõmotione facta, post dies octo defuncto Paulo, dirigitur ab Imper. ad Diomedis custodiam ad magnanimũ Papam Demosthenes rescriptor & collaborator Sacellarij, & Libeltitius cum eo. Intrantes verò dixerunt ad eum, dominator noster eximius Imperator misit nos ad te dicens: Ecce in quanta gloria primus consistens, in qualem ordinem teipsum duxisti: nemo tibi fecit hoc, sed tu ipse tibimetipsi. ipse autem nihil respõdit, nisi solùm hoc: Gloria & gratiarum actio per omnia soli immortali Regi. Dicit ad eum Demosthenes rescriptor: dic nobis ea, quæ de Pyrrho hîc & Romæ subsequenter gesta sunt. pro qua causa abijt Romam, iussus an proprio proposito? respondens S. Papa dixit, proprio proposito. ait Demosthenes, Libellum illum quomodo fecit, compellente aliquo? respondet sanctus vir, Nemine, sed propria propositione. Demosthenes inquit, Veniente Pyrrho Romã, quomodo eũ suscepit sanctus vir Theodorus prædecessor tuus Papa, vti episcopum? respondit æquanimis papa, Vti episcopum. & quomodo nisi qui priusquam veniret Pyrrhus Romam, manifestè scripsit B. Theodorus ad Paulum vtpotè ad eum, qui supplãtationem fecit, & alterius thronum inuasit: deinde eodẽ Pyrrho veniente Romam sponte sua ad vestigia B. Petri, quomodo non haberet eum suscipere & honorare vtpote episcopum? respondens Demosthenes, verè veritas sic se habet. vnde autẽ sumebat ea, quæ ad vsum sui corporis erãt necessaria? dicit beatus manifestè, De patriarchio Romano. ait concertator, Qualis panis dabatur ei? respõdit honorabilis vir: Vos domini mei nescitis Ecclesiam Romanã: dico enim vobis quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad vsum prębẽtur ei, & nullum immunem suis donis S. Petrus repellet, venientium illuc; sed panis mundissimus, & vina diuersa dantur nõ solùm ei, sed hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt, qui venit honorabilis sicut episcopus; quales sumptus habet suscipere? dicit ad eum Demosthenes, Nos didicimus quia Pyrrhus vi fecit libellum Romę, & quia vincula lignea sustinuit, & multa dolenda passus est. respondit ille beatus & dixit: Nihil tale factum est, nam nisi quia formidine aliqui tenentur, non possunt fortè loqui veritatem. Hîc sunt Constantinopoli plurimi, qui tunc erant Romę, & sciũt quæ ibi gesta sunt, ex quibus interim supereſt Plato patricius, qui tunc Exarcus erat, quiq; direxit homines suos tũc ad Pyrrhum Romam. percõtamini eum de his si mentior. Veruntamen quid volumus plurima quęrere? Ecce in manibus vestris retinetis me, & quodcunq; vultis cõsumere, domino indulgente, in vestra est potestate. vtiq; si mẽbratim incidatis carnem meam, sicuti præfecto iussisti, cũ me traderetis, non cõmunico Ecclesiæ Constantinop. Ecce hic sum, examinate me & tentate, & inuenietis experimentum gratia Dei fidelium seruorum eius. Interim Pyrrhus in medio venit, qui toties anathematizatus est & nudatus honore diuino. stupefactus Demosthenes rescriptor, & admirans super hanc vocem æquanimis Papæ audaciã atq; cõstantiam pro Christo velle voluntariè mori, quia ad hoc positus erat calix passionis: similiter & hi, qui cõsequenter erant cũ eis stupentes accepto libellario seriatim cuncta quæ dicta erant à sancto viro cõscribentes, recesserunt. Fecit ergò reuerẽdiss. Papa in eodem Diomedis ergastulo 85. dies, post primas 93. hoc est omnes 178. venit igitur Sagoleba scriba, dicẽs: Quia iussus sum auferre te hinc, & transferre in domum meam, & post duos dies dirigere te quò iusserit mihi Sacellarius. interrogans eum Papa, quò ducendus esset, vel in quem locũ; noluit ei dicere. Rogabat ergò sãctus ille, vt laxaretur in eadem custodia quousq; exularetur, & ad horam auferretur de eadem custodia, & nec hoc cõcessum est ei: sed circa occasum Solis dicit venerabilis papa his qui erant in ergastulo: Accedite fratres, valefaciamus, quia ecce nunc aderit, qui auferet me hinc. & hęc dicẽte eo, biberunt singuli caritatis gratia calicem, & surgens sereno vultu cum multa cõstantia atq; gratiarũ actione, dicit ad vnum cõcurrentium sibi dilectũ, qui erat ibi; Veni dñe frater, da mihi pacẽ. erant porrò præcordia fratris illius, sicuti mihi ipse referebat, in illa hora, qualia vt cõijcio discipuli illius cõtemplantis Dñm in cruce. Cumq; osculũ præberet sanctiss. papæ præ nimia caritatis abundantia copiosissimè inter se lachrymas fuderunt. Omnes verò qui aderant lamentum terribile faciebant. Anxiatus in hoc vir beatus flagitabat omnes, ne hoc faceret sereno vultu dicens: & impositis venerabilibus manibus super verticem eius subridens ait: Bona sunt hæc dñe frater, hæc sunt opportuna, & nõ oportet te flere, sed magis gaudere super me. ad quem ilicò cum contritione cordis respõdit: Dñs nouit, famule Christi lætor in gloria, quia dignat⁹ est Christus dominus noster propter nomẽ suum hæc te omnia pati: sed clamor omniũ perditionem. Sãlutãtes ergò omnes eum recesserunt. Veniens ergò cõtinuò scriba, & auferens eum, intulit in domum suam. dictum est ergò quia in Chersonam exulatur, & post dies aliquot cognouimus quia illuc clanculo nauigio transuectus est sanctiss. Apostolicus vir. Veniens ergò illuc, post dies aliquot scripsit epistolam in Bizantium ad quendam, qui hunc propter Dñm & ob rectam eius fidẽ amabat. Cùm esset in magna tribulatione & exilio, idem sæpè dictus pater noster sanctiss. cõstitutus, postulans aliquarũ specierum subsidia propter multas & frequentes graues ęgrimonias corporales, angustiasq; omnimodis regionis illius, eò quòd nihil ibi inueniretur, præcipuè triticum, quod quidem illic nominabatur: vnde iureiurando scripsit, quia nauicula illò veniente & parum tritici habente ad cõmutationem sãlis vix potuerit emere ex eo vnum modium tritici quatuor solidis, & cũ multis & hoc precibus. diuersas autem angustias scripsit sancta eius anima pati se ibi, non solùm corporalibus angustijs, sed etiam habitantium & dominantium ibi malis oppressus, ita vt penitus cõtritus malè peius moreretur, suasione videlicet nominantiũ à Bizantio. Quamobrẽ quæso vos humilis peccator & famulus vester adeò honorabiles patres, vt quemadmodum ego visa mihi & audita

Lateran. Concilij secret. 1.

1 Tim. 1.

dis Apo lice ho alitas.

diligentissimè declaraui vobis, hoc est, imminētes tentationes beatissimo Papæ propter rectam confessionem in Christo Domino, & propter anathematismum in nouos factum hæreticos: quanquam ex multis per vitam, quę potui dirigere scripsi, ita vt vos zelum habentibus culturæ Dei explicate eadem, & oramini eum imitari, & traditiones sanctorum Patrum retinere secundùm imitationem eius, & non communicare omninò contrariè sentientibus: obsecrātes etiam pro me indigno famulo, qui scripsi, quod cum eo & vobiscum misericordia Christo Domino nostro, Amen.

EPIST. XVII. B. MARTINI PAPAE I.

Ostendit se in summa rerum omnium inopia versari. rogat vt frumentum, & alia necessaria ad victum tuendam, quantocyus mittat.

Hanc scriptā fuisse Constantinopolim ad quendā orthodoxum eius amicū, patet ex ep. Anastasij præcedēte.

INdicamus germanæ caritati vestræ, domine frater, quia postquam egressi sumus ex eo quod Ieron dicitur, Constantinopoli nauigantes sancta quinta feria cœnę Domini pertransiuimus Farum, per diuersa loca transmeantes Idibus Maij, & Cherſonem peruenimus. ergo gerulus harum, qui præsentetur vobis, tradidit epistolam, post triginta dies post nos à partibus Byzantij venit Cherſonem, & gauisi sumus super aduentu ipsius æstimantes, quòd expensæ ab Italia essent nobis missæ in terram hanc, quæ deberent nos eo veniente consolari: & cùm interrogassemus, cognouimus ab eo quòd nihil huc detulerit de Italia; & miratus sum, & glorificaui Dominum etiam in hoc; quoniam sicut scit tribulationes nostras dispensat, maximè cùm fames in hac terra & necessitas talis esset, vt panis in ea tantùm nominetur, nō tamen potiùs videatur; quoniam nisi mittantur nobis ex partibus illis sumptus, vel à partibus Ponti, hîc viuere omninò nequimus. Spiritus enim promptus est, caro autem infirma, vt etiam ipse nosti. neque enim dispensatio quæuis potest in hac terra vllatenus inueniri in solatium saltem modici sumptus. si ergo, vt dictum est, transmissum fuerint illinc frumētum, & vinum, & oleum, & alia quædam, quomodo vt potueris festina mittere nobis: neq; enim huiuscemodi mala, vt reor, ostendi sanctis, qui ibidem sunt, & his qui sunt Ecclesiæ illius, vt vsque adeò mandatum Domini paruipenderent, præsertim cùm Apostolus Philippensib. scripserit, gratias agens eis, quòd & Thessalonicam semel & bis in vsum sibi miserint. vbi & subdit: habeo autem omnia & abundo. Si enim peregrinos illic, id est, Romæ; ita reficit S. Petrus; quid dicemus de nobis, qui proprij serui eius sumus, & saltē ad monumentū ministrauimus ei, & in tali exilio & afflictione consistimus? Cognitionem autem feci ad dilectionem vestram quarundam specierum, quæ comparari debent illic; & horum, quæso te, more solito curam habeto, vt nosti, ad emendum & mittendum nobis propter multas necessitates nostras, & frequentes infirmitates.

Matth. 27.

Philip. 4.

EPIST. XVIII. B. MARTINI PAPAE I.

Quæ & quanta in Cherſona patiatur, cùm neque ab his, qui Romæ sunt, ad victum necessaria ministrentur.

OMNE desiderium habemus semper literis nostris caritatem vestram consolandi & releuandi vos à sollicitudine, quæ vobis de nobis est, vobiscum verò & omnes sanctos & fratres nostros, qui curam nostram propter Deū gerunt. Ecce enim & in præsentiarum scribo vobis quæ coarctant nos, veritatem dico in nomine Domini nostri. Remoti enim ex omni mundana turbatione, & depositi à peccatis nostris, & ecce ipsa vita caruimus: si qui hi, q in hac regione habitant, omnes gentiles existunt, & gentiles mores acceperunt hi, qui hîc habitare noscuntur, nullam caritatem prorsus habentes, quam iugiter hominum natura & inter ipsos quoq; barbaros crebra compassione demonstrat. nouit itaque Dominus nisi ex nauiculis quæ veniunt ex partibus Romaniæ, vt hi qui hîc sunt, nuncupantur: nam nec semel de regione ista vsque ad vnum trimistium frumenti potui comparare, sed nec alterius cuiuscunque generis speciem, nisi, vt prædictum est, ex nauiculis, quæ huc rarò veniunt, vt sale onustæ recedant, sic potuimus emere tres vel quatuor modios numismate: vsq; ad præsentem Septembr. mensem non potuimus emere nisi vno numismate modios quatuor. Miratus sum autem & adhuc miror indescritionē & incompassionem omnium, qui quondam mihi pertinebant, & amicorum ac propinquorum: quia sic funditùs infelicitatis meæ obliti sunt, & nescire volunt (vt inuenio) siue sim super terram, siue non sim. Miratus sum quoq; multò magis eos, qui sunt sanctissimæ Apostoli Petri Ecclesię: quoniā tanta deberent opera de corpore ac membro suo, id est, super dilectionem nostram ad reddendos nos sine sollicitudine, saltem super corporali vsu quotidiano sumptu. Nam etsi aurum ecclesiæ S. Petri non habent, frumento & vino & alijs necessarijs expensæ non carent per gratiam Dei, vt modicæ saltem exhibitionis curam gessissent. qualem putas cōscientiam habemus exhibendi ante tribunal Christi accusantibus omnibus & rationem petentibus reddentibus hominibus, qui ex eodem luto & massa consistunt? quæ formido est, quæ cecidit super homines ad mandata Dei minimè facienda, aut timor, vbi non est timor, an subtractione vsque nos spiritus, an ita inimicus omni plenitudini Ecclesiæ apparuit, & aduersarius illis? veruntamē Deus, qui vult oēs saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, per intercessionem S. Petri stabiliat corda eorum in orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticum, & aduersariam ecclesiæ nostrę personam, & immobiles custodiat, præcipuè Pastorem, qui eius nunc præesse mōstratur, quòd in nullo proprijs decidentes vel declinantes, aut dimittentes eorum quæ in conspectu Domini & sanctorū Angelorum eius in scriptis professi sunt, vsque ad pusillum quippiam vnà cum humilitate mea curonam percipiant iustitiæ orthodoxæ fidei de manu Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi. De humili namq; hoc corpore meo & ipsi Domino cura erit, vt sibi gubernare placet, siue in tribulationibus indesinentibus, siue in modico refrigerio. Dominus enim prope. Et quid sollicitus sum? spero quippe in miserationes eius, quòd me tradat in eum quod iusserit cursum. Omnes propter Dominum salutate, & omnes qui propter amorem eius compassi sunt vinculis. Dominus excelsus potenti manu sua proteget vos ab omni tentatione, & saluet in regnum suum.

2. Tim. 2.

Philip. 4.

CONCILIVM LATERANENSE ROMANVM, IN QVO CENTVM ET QVINQVE EPISCOPI TYPO CONSTANTIS IMP. PROSCRIPTO, MONOthelitarum hæresin, eiusq; promotores, Cyrum, Alexandr. Sergium, Paulum, & Pyrrhum Constantinop. condemnārunt, Anno Domini 642. tempore Martini Papæ I. celebratum.

INCIPIT SECRETARIVS I.

IN NOMINE DOMINI DEI SALVATORIS NOSTRI Iesu Christi, Imperij domini Constantini pijssimi Augusti anno nono, sub die tertio Nonas Octobris, Indictione octaua.

PRAESIDENTE sancto ac beatissimo Martino Papa sanctæ Sedis Apostolicæ vrbis Romæ, propositis sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs in Ecclesia Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus. A.D. 560.

Maximo sanctissimo Aquileiensi episcopo.
Deusdedit sanctissimo Caralitano episcopo.
Mauro Cæsenate episcopo, & Deusdedit presbytero, agentibus locum Mauri sanctissimi episcopi Rauennatis ecclesiæ.
Sergio Tempsanensi episcopo.
Reparato Manturianensi episcopo.
Epiphanio Albanensi episcopo.
Benedicto Aiaceno episcopo.
Iuliano Hostano episcopo.

Papinio

Papinio Vibonensi episcopo.
Maximo Pisaurensi episcopo.
Luciano Leontinensi episcopo.
Viatore Hortonensi episcopo.
Bonito Formiano episcopo.
Maioriano Prænestino episcopo.
Germano Numanensi episcopo.
Laurentio Perusio episcopo.
Caroso Faralitano episcopo.
Martiano Mebiensi episcopo.
Barbato Sutrino episcopo.
Calumnioso Alesino episcopo.
Romano Cebellitano episcopo.
Peregrino Messanensi episcopo.
Crescente Lucrensi episcopo.
Felice Agrigentino episcopo.
Marcellino Clusino episcopo.
Geminiano Volaterrano episcopo.
Mariniano Populonensi episcopo.
Luminoso Tifernistiberinorum episcopo.
Potentino Belliternensi episcopo.
Mauro Tuscanensi episcopo.
Martino Gauinate episcopo.
Adeodato Spoletano episcopo.
Ioanne Pæstano episcopo.
Gaudioso Reatino episcopo,
Laurentio Taurianensi episcopo.
Ioanne *Trapeiano episcopo.
Luminoso Salernitano episcopo.
Sabbatio Buxento episcopo.
Ioanne Tarentino episcopo.
Rufino Sipontino episcopo.
Adeodato Amerino episcopo.
Gaudioso Capuano episcopo.
Bonito Ferentinate episcopo.
Mauro Senogallensi episcopo.
Mauroso Anconitano episcopo.
Bono Ficuclensi episcopo.
Fortunato Auximate episcopo.
*Thomate Lunensi episcopo.
Bonito Ferentospolimartio episcopo.
Maximo Trocalitano episcopo.
Paschale Blandanæ episcopo.
Luminoso Marsorum episcopo.
Glorioso Camerino episcopo.
Detorato Tiburtino episcopo.
Amabile Ostiensi episcopo.
Albino Fortuensi episcopo.
Palumbo Fundano episcopo.
Theodosio Contronensi episcopo.
Scholastico Fanensi episcopo.
Elia Lilybætano episcopo.
Aquilino Assisinati episcopo.
Eusebio Atellano episcopo.
Martino Centumcellensi episcopo.
Lubentino Stabiensi episcopo.
Mauro Senate episcopo.
Læto Lucano episcopo.
Theodoro Rosellano episcopo.
Andrea Hydruntensi episcopo.
Iusto *Tauromenitano episcopo.
Felice Panormitano episcopo.
Laurentio Tudertino episcopo.
Ioanne Carinensi episcopo.
Albino Signensi episcopo.
Augustino Squillacino episcopo.
Ioanne Rhegitano episcopo.
Barbato Cumano episcopo.
Felice Tarracinensi episcopo.
Oportuno Anignano episcopo.
Firmino Blerano episcopo.i
Iobiano * Firmabo episcopo.
Anastio Narniensi episcopo.
Theodoro Tyndaritano episcopo.
Sapientio Numentano episcopo.

*Firmano

Maximo Mesinati episcopo.
Gratioso Nepesino episcopo.
Leontio Neapolitano episcopo.
Paschale Thermitano episcopo.
Oportuno Pisano episcopo.
Donato Marianensi episcopo.
Bonoso Alerino Episcopo.
Peregrino Lyparitano episcopo.
Boethio Cornensi episcopo.
Valentino Turritano episcopo.
Luminoso Bonensi episcopo.
Crescentio Lybiensi episcopo.
Stephano Popiliensi episcopo.
Gallionisto Hadrianensi episcopo.
Ioanne vico Sabinate episcopo.
Potentio Polensi episcopo.
Leontio Fauentinate episcopo.
Donato Saffinate episcopo.
Ioanne Vnnogoritano episcopo.
Stephano Dorensi episcopo.
Ioanne Gabolitano episcopo.
Victoriano *Vralensi episcopo.

Theophylactus primus notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Penetrantem cœlos Iesum in omni verbo & opere, vt condecet, imitando veneranda vestra beatitudo, congregauit ad se sanctos eius sacerdotes, ordinantes testamentũ eius super sacrificium immaculatum in odorem spiritalis suauitatis, propter commentatam nouitatis adinuentionem, quæ vtique incognita eis non est, sicuti nec alij cuiquam, in quo zelus pietatis consistit. Veruntamen vt ab ea subtiliter enarretur in auersionem quidem huiusmodi hæreseos, conseruationem autem orthodoxæ fidei, pro quo videlicet regulari Apostolicaq; authoritate congregauit eos beatitudo vestra: Ideoque, vtpotè in sapientia omnia perficiẽs, dignetur competenter modum enarrare huius Deo placitæ in idipsum cõuocationis, quatenùs gesta synodalia ordinaliter initium consequantur, adaperiens, vt condecet, rationem conuentionis his qui congregati sunt, & præsident sanctissimis sacerdotibus, quibus & prefulget per magnam atq; Apostolicam summitatem, præpositam omnibus sacerdotibus, in vniuerso mundo consistentibus. Habens igitur in se Dominum qui dixit: Aperi os tuum, & ego replebo illud, aperientem labia prudenter, vt adnunciet os vestrum laudem eius, prædictæ rei intentum precipiat enarrare, quoniam, vt scriptum est: Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernaculum possidebit, & docti inuenient satisfactionem: præcipuè sciens cum omni subtilitate, quia hoc est præceptũ Apostolicum, & iudicium Deo Iacob. Paratos namq; semper esse ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de spe, quæ in vobis est, princeps Apostolorum beatus Petrus præcepit. Sed & propheta Ioel admonet, dicens: Canite tuba in Sion, iubilate in monte sancto meo, quia venit dies Domini. Clamate hoc suscitate bellatores arma portantes cum *ea sancti spiritus, in defensionem Catholicæ Ecclesiæ, & destructionem totius iniquitatis. Sic namque per sacram suam interlocutionem confortauit eos amplius, vt & infirmus dicat, Quia fortis ego sum: & mansuetus, Quia bellator sum ad expurgationem eleuatæ superbiæ contra scientiam Dei, & confirmationem diuinarum dogmatum, quibus Catholicæ ecclesiæ patres, sanctæq; & vniuersales quinque Synodi Domini nostri & Dei Iesu Christi fidem firmauerunt: per quem & in quem incipiens & perficiens propositum pro eo spiritale certamen, gloriæ & laudis corona circundabitur, vtpotè pietatis aduocatus & auxiliator verissimus.

Psalm. 49.
Psalm. 80.
Prouer. 1.
1. Petr. 3.
Ioel 2.
Ioel 3.
for.* galea.
Ibidem.

MARTINVS SANCTISSIMVS ET BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, præsidens sancto Concilio, dixit:

EVANGELICVS & omnibus hominibus salutaris sermo, qui secundùm virtutem suæ diuinæ prædicationis orbis terrarum fines complexus est, volens manifestare

ministros

ministros & prædicatores solicitos esse, nos duntaxat, qui Christiani populi pastoris susc ipere meruimus officium, & sacerdotij diuinæ incarnationis summæque dispensationis, per quam nostram adsumens mirificè renouauit naturam, demonstrauit, sicut nôstis, reuerendissimi fratres, pastores vigilantes, & conseruantes custodias noctis: tunc videlicet, quando sine semine conceptus, incorruptè de Virgine processit ipse, qui propter nos incarnatus est Deus, quibus & testatur Euangelista dicens: Et festinantes venerunt, & videntes cognouerunt de verbo, quod dictum est eis. Et omnes qui audierunt mirati sunt de his, quę dicta sunt à pastoribus, quos & gloria Domini è cœlo refulsit, & multitudo militiæ cœlestis laudantium Dominum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cum quibus oportet & nos præcipuè, propter quos hæc eadem scripta sunt, conservantes cum summa vigilantia & solicitudine custodias de ouili nobis commisso, id est, creditis nobis à Domino populis, in huius seculi nocte conuenientes in vnum intellectum, eundemque sensum, sicut dicit B. Paulus Apostolus, ac si in aliquâ spiritualem Bethleem, quæ est Catholica Dei & Apostolica ecclesia, in qua ipse panis vitæ firmiùs collocatur, quatenus cognoscere & intendere in eo sermonem immaculatæ fidei debeamus, quem firmiùs roborantibus nobis per traditas Apostolicas paternasq; promulgationes, ipsa Domini gloria cum militia cœlesti & laudibus enitescat, atque mirentur & in nobis Deum miraculorum, omnes, qui audiunt de pio nostro studio synceram in Domino plenitudinem: quippe quoniam vera confessione in omnibus sanctis Dei ecclesijs erga omnes Christianos, q purè adorant eum cum muneribus, id est, pietatis rectis dogmatibus, audientes eum diuinitus regnantem, falsi nominis quidam sacerdotes conturbati sunt, atque difficultate ducti circa fulgorem luminis, diuinam eius confessionem nouis verborum adinuentionibus, temporibus etiam nostris vel decessorum nostrorum, studuerunt perimere: Vnde & dolosè eum decipiendo adorare fingentes, scripturas de eo & paterna testimonia corrumpentes, falsè exposuisse noscuntur, in hæreticam prauitatem conuertentes ea. Qui autem sunt isti? Oportet namq; eos in aperto fieri manifestos. Quos vos vtique scitis dilectissimi, & apertissimè omnes cognoscent, qui orbem terrarum penè inhabitant. Nec enim in occulto hæc peragere præsumpserunt, nec in loco terræ obscuro, sicut ait beatus Esaias. Vtinam quidem latenter in semetipsos tantummodò hoc malum circumscripsissent, & non publicè atque in ecclesijs ad læsionem multorũ, & euersionem immaculatæ fidei prædicassent in scripto: id est, Cyrus Alexandrinæ ecclesiæ episcopus, & Sergius Constantinopolitanus antistes, necnon & eius successores Pyrrhus & Paulus, * concurrentem sibi vicissim in hoc habentes certamen. Et Cyrus quidem ante hos decem & octo annos, vnam operationem in Christo in eadem Alexandriæ vrbe definiens diuinitatis eius & humanitatis, ad similitudinem Acephalorum hæreticorum, ordinando capitula numero nouem in ambone prædicans, cum anathemate qui sic nôn saperet, impiè promulgauit. Sergius autem per epistolam propriam, ad denominatum Cyrum scriptam, eandem similiter vnam operationem susc ipiens, cum eo irrationabili præsumptione ausus est confirmare, & non solùm hoc, sed etiam post aliquot annos eiusdem Cyri nouæ adinuentionis, hoc est, per nuper duodecimam indictionem elapsam, hæreticã & ipse cõscribens * ectheſin fidei, sub nomine tunc imperantis Heraclij, vnam in eadem Saluatoris nostri, secundùm impium Apollinarem, voluntatem & operationem instituit, ex hoc quod dicit imprudenter, sequi operationem voluntatem. Certum est namque, quòd si sequitur operationem voluntas, per hoc quod sequitur, id est, cum vna voluntate sine dubio & præcedentem confitetur. Dico autem confirmatam ab eo in scripto vnam operationem, in hoc apertissimè sanctorum patrum abnegante consonam doctrinam, intransgressibiliter definientium, quia quorum vna est operatio, horum vna est & natura, & quia concurrit substantiæ voluntas. Ita etenim beatus quidem Basilius contra Eunomium scribens, ait: Quorum operatio vna est, horum essentia vna est. Sed & beatæ memoriæ Amphilochio scribens is ipse, ait: Qui me vidit, & patrem meum vidit. Non figuram neque formam, quia diuina natura ab omni compositione munda est: sed bonum voluntatis, quod concurrens naturæ, simile parque, magis autem hoc ipsum in Patre & Filio videri certum est. Sed & sapientissimus Cyrillus in libro Thesaurorum sic ait: Solent enim quæque habent eandem operationem, easdem esse essentiæ & differentiam naturæ in his esse, impossibile est. In sermone autem ad Hermiam facto, ita hic ipse superfluum esse ait, & inceptum contra voluntatem genitorem, aut voluntariè suspicari patrem existere, sed potiùs naturaliter & substantialiter. Est enim non contra voluntatem, quæque est naturaliter concurrentẽ habens naturę voluntaté, esse quæ est. Quapropter diuinæ quidem substantiæ & naturæ diuinam esse voluntatem & operationem naturaliter censuerunt. humanæ autem naturæ vtique humanam, & ne per vnam voluntatem & operationem, vnam & naturam Deitatis & humanitatis Christi similiter cum errantibus vt confundentibus hæreticis tradere videantur, sed piè per vtramque eiusdem voluntatem & operationem, vtranque nobis eiusdem prædicarent naturam. Si enim vbi vnam naturalem operationem, & naturam vnam esse docent, vtique vbi diuersæ naturæ sunt, diuersas esse essentiales operationes docere noscuntur: quoniam per differentiam naturæ, differentia naturalium operationum introducitur: sicuti & per indissimilitudinem naturæ, indissimile operationis cognoscitur: & propter hoc vnam quidem, id est, diuinam & inconditam naturam atque operationem, sicuti & voluntatem in Patre & Filio & Spiritu sancto, sanctæ & consubstantialis adorandæ Trinitatis prædicârunt. Duas autem competenter naturas & operationes, sicut & voluntates, diuinam dico & humanam, in vno eodemque sanctæ Trinitatis DEI Verbo, propter nos incarnato, in vnitione inconfusam & indiuisam tradidisse monstrantur, id est, increatam, atque creatam, quòniam vtrumque eandem naturaliter esse, impossibile est. Et hoc luculenter beatæ memoriæ Leo, Apostolicæ Sedis præsul in secunda epistola ad Leonem Imperatorem directa, de voluntatibus eiusdem edocuit, dicens: Secundùm quidem formam DEI, ipse & Pater vnum sunt: secundùm autem serui formam, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius, qui misit eum, apertissimè nobis ostendens, secundùm naturas, duas vnius eiusdemque CHRISTI DEI voluntates, per hoc quod dicit voluntatem formæ serui, quæ est humana eius voluntas, & per hoc quod dicit, voluntatem eius, qui misit eum, quæ est secundùm naturam diuina. Sed & beatæ memoriæ Flauiano de operationibus eiusdem Saluatoris nostri in Tomo suo prædictus pater scribens, ait: Operatur enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est: verbo quidem operante, quod Verbi est: carne autem exequente, quod carnis est, & vnum horum coruscat miraculis, aliud autem succumbit iniurijs. Quem columnam orthodoxæ fidei sancta Chalcedonensis Synodus definiuit, hoc est dicere, omnium sanctorum chorus: quoniam quod vna sanctorum patrum Synodus iudicare videtur, tam omnes Synodi, quàm vniuersi omninò confirmare patres noscuntur, vtpotè in vno eodemque verbo fidei vicissim sibi per indissolubilem consonantiam concordantes. Si igitur, quomodò dicit prædictus pater, vtriusque naturæ, ex quibus, & in quibus indiuisè existens cognoscitur, quod proprium est, idem naturaliter & voluntariè operatur, sine dubio vtriusque naturalem habuit idem voluntatem & operationem. Si enim non habuisset, nec vtriusque naturæ operabatur quod proprium est: quia quicquid sine operatione fuerit & voluntate, neque naturaliter operabitur aliquid omninò, nec vult, dum constet, quia per voluntatem velle habet qui vult, & per operationem naturaliter efficaciam operantis, qui operatur: sicuti per visum videre, qui videt, & per auditum essentialiter audire, qui audit. Propterea enim & ipse, qui propter nos incarnatus est, DEVS verbum per diuinam eius & inconditam voluntatem & operationem, suæ diuinitatis & paternæ naturæ quæ sunt propria, volens operabatur naturaliter, id est, miracula. Vnde & hoc testatur, dicens: Quomodò pater suscitat mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat. Et iterum per humanam,

Luc. 2.
Ibidem.
1. Cor. 1.
Hæretici scripta diuina & patrum corrumpunt.
Esai. 45.
Cyrus Alexãdrinus ante 18. annos vnam operationẽ in Christo definiuit.
* id est, expositionẽ
Basilius.
Idem.
Ioan. 14.
Cyrillus.
Leo Papa.
Ioan. 10.
Ioan. 6.
Idem epistola 10.
Ioan. 5.

nam, id est, conditam eiusdem voluntatem & operationē, his ipse quæ sunt propria humanæ naturæ, spontè propter nos sustinebat, id est, salutares passiones: quoniam volens humanè propter nos ipse, qui super naturam est Deus, esuriem, sitim, fastidium, tristitiam atque timorem susceпit, & post hæc omnia mortis experimentum pro nostra salute.

Marc. 7. Et hoc iterum testatur de eo Euangelista, dicens: Et ingressus in domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.

Marc. 9. Et iterum: Exeuntes inde, deambulabant per Galilæam, &

Matth. 1. non volebat, vt aliquis sciret. Atque iterum ait: Alio die volebat exire in Galilæam. Item: Dederunt ei vinum cum felle permixtum, & gustans nolebat bibere. Et compendiosè, quicquid adsumptæ ab eo nostræ naturæ proprium extitit, absque peccato tantummodò: licèt vtriusq; formæ quæ sunt propria, id est, naturæ, secundùm patris doctrinam, cum alterius communione in vnitione indiuisum procedebat. Sic etenim diuina quidem corporaliter operabatur, eo quòd per animatam intellectualiter sanctam eius carnem hæc omnia proferebat: humana autem operabatur diuinè, quippe quoniam potestatiuè humanas passiones pro nostra salute

1 Pet. 2. sine culpa susciperе dignabatur. Nec enim peccatum fecit, quomodò sacrum testatur eloquiū, nec inuentus est dolus in ore eius. Vnde per hāc beatæ memoriæ Leonis Romanæ vrbis præsulis orthodoxam vocem conuicti, & propterea cum omni virtute eandem vocem properantes foris eijcere, magis autem omnes sanctos ac venerabiles patres, sanctumque Chalcedonense Concilium, quoniam ipsius esse nulli venit in dubium, sicut iam relatum est, quicquid ab ea definitiuè confirmari dinoscitur. Cyrus quidem, sicut dictum est, nouem capitulorum exposuit seriem: Sergius autem illicitè præsumens prauam ectheſin, quam præ foribus

Sergius Constantinopolit. Monothelita. ecclesiæ suæ suspendens, diuulgare studuit: & non solùm hoc, sed & per suam sententiam cum quibusdam ab eo subreptitijs modis deceptis episcopis in scripto firmauit, minimè dubitantes, positam iustam condemnationem in veneranda definitione eiusdem sancti Chalcedonensis Concilij, aduersus eos qui nouitatis contra immaculatam fidem præsumunt, innectere, contra quam omne illis certamen & pugna consistit: quippe quoniam ipsam excludere properantes, hæreticorum dogmatum contra Catholicam DEI Ecclesiam per sua conscripta confusionem concinnauerunt.

Et hæc quidem Cyrus & Sergius, successores autem Sergij Pyrrhus & Paulus, ac si quandam malitiæ propaginem in

Pyrrhus Constantinopolit. Hipse Monothelita. eos effusam, per suam stultitiam dilatantes eam: vnus quidem eorum, id est, Pyrrhus, denuò plurimis episcopis terrore & blandimentis ab eo dolosè deceptis, huiusmodi impietatem actis & subscriptionibus proprijs eorum, qui ab eo decepti siue vim passi sunt, confirmare studuit, extollens aduersus scientiam Dei malignam professionem suam.

Propter quod anteà confusus, quia vituperabile est omne malum, vti damnabile, festinauit pro hoc ipso hîc aduenies emendare proprium commissum, & libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicæ nostræ Sedi, condemnans in eodem libello omnia, quæ à se vel decessoribus suis scripta vel acta sunt aduersus immaculatam nostram fidem. His itaque ab eo peractis, posteà rursus more canis ad proprium impietatis vomitum repedauit, iustam mercedem ac retributionem propriæ transgressionis canonicam pœnam siue depositionem decerpens. Paulus autem præcessores suos in his superare contendens, non solùm in scripto per propriam Epistolam, ad hanc directam nostram Sedem, confirmauit & ipse contra se superiùs memoratæ ectheseos irrationabilem hæresim, sed etiam contradicens in scripto aduersus recta sanctæ DEI Ecclesiæ dogmata, audacter præsumpsit paternis definitionibus contraire. Propter quod iusta ab Apostolica Sede & ipse depositionis vltione percussus est. Insuper studuit ad cooperimentum proprij erroris, & in hoc Sergium imitatus, quibusdam subreptionibus vti, & clementissimo principi suadere, typum exponere, qui Catholicum dogma destrueret. In quo typo omnes omninò voces sanctorum patrum cum nefandissimorum hæreticorum dictionibus eneruauit, nec vnam, nec duas voluntates aut operationes in CHRISTO DEO nostro definiens confiteri. Ac per hoc sine voluntate penitùs & operatione CHRISTVM denunciando, id est, absque substantia & natura eum prædicare noscuntur. Quod enim nullam virtutem habet, sicut beatæ memoriæ Dionysius ait, nec est, nec quidquam est, nec aliqua est eius omninò stabilitas. Nec enim aliter natura cognoscitur esse secundùm veram substantiam consistens, nisi per inhærentem sibi naturalem & substantialem virtutem, quæ videlicet & confirmare eam naturaliter adsolet. Qua de re huiusmodi prauitatem suam defendens, quod nunquam nec à prioribus hæreticis præsumptum est, ipse illicitè præsumere studuit. Altare enim sanctæ nostræ sedis, in domo Placidiæ sacratum, in venerabili oraculo subuertens diripuit, prohibens ne adorandam & immaculatam hostiam, id est, sacram celebrationem apocrisarij nostri ibidem Deo offerre valeant, & viuificæ diuinæ communionis sacramenta percipiant. Quos videlicet apocrisarios, qui ex præceptione Apostolicæ auctoritatis commonuerunt eum, vt de tali hæretico intentu recederet, necnon contestari visi sunt, persecutionibus diuersis cum alijs orthodoxis viris & venerabilibus sacerdotibus insecutus est eos: quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exilio deportans. Alios autem verberibus submittens. Et quid me oportet multa differendo sermonem extendere, dum constet omnibus, quæ ab ipso publicè, necnon decessoribus ipsius per tot tempora contra orthodoxos viros atque Catholicam fidem perpetrata sunt: Quibus penè omnibus omnem mundum conturbantibus atque solicitantibus, necessitate compulsi ex diuersis locis querelas contra eos seu accusationes ad Apostolicam nostram sedem plurimi Orthodoxi detulisse monstrantur, & tam in scripto deprecantes & coniurantes, quamque in cominùs positi postulantes, vt totius mali, tantæque euersionis per Apostolicam auctoritatem abscindatur commentum, quatenus minimè totum corpus Catholicæ ecclesiæ nocibilis eorū ectheſios languor disrúpere valeat. Ideoq; in scripto vel sine scripto orthodoxorum preces minimè despicientes Apostolicæ memoriæ nostri decessores non destiterunt prædictis viris diuersis tēporibus consultissimè scribentes, & tam rogantes, quamque regulariter increpantes, necnon per apocrisarios suos, vt dictum est, pro hoc maximè destinatos præsentialiter admonentes & contestantes, quatenus proprium emendarent nouitatis commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicæ Ecclesiæ remearent: & neque rogantes, neque increpantes potuerunt eos à suo conamine quoquo modo reuocare, sed sicut dicit Dominus incorrectis: Cātauimus vobis tibijs, & non saltauerunt: lamentauimus & non planxerunt: Obdu-

Sacrilegū Pauli facinus.

Luc. 7.
Esai. 6.
Matth. 9.

ratum est cor eorum, sicut scriptum est, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis suis, & auribus audiant, & corde intelligant & reuertantur, & sanentur per susceptionem salutiferæ prædicationis. Vnde & ego tam propter irreuocabile eorum cor, & propter animas, quæ per eorum fallacē deceptionem depereūt, necnon propter precationes, sicut dictum est, ad Apostolicam sedem super tali Capitulo in scripto delatas, pertimescens quippe imminentem iram super eos, qui negligenter opus Dei faciunt, necessarium fore præuidi, omnes vos, qui secundùm gratiam eius sacerdotale officium geritis, inuitare, & propter hanc quæstionem in nomine Domini congregare in vnum, quatenus communiter omnes, ipso vtiq; Deo respiciēte & iudicante nos ipsos, sed & nostra omnia, de prędictis viris, siue nouitate in dogmatibus eorum exposita, tractare debeamus. Et maximè præceptum habentes Apostolicum, attendere nosipsos & gregi, in quo nos Spiritussanctus

Act. 20. posuit episcopos, regere Dei Ecclesiam, quam acquisiuit per sanguinem proprium: sed & iterum attendere lupos, attēdere malos operarios, qui peruersa faciunt & loquuntur, vt trahere post se discipulos valeant, ne quando quidem radix amaritudinis sursum germinans, nocere valeat fidem per negligentiam eorum, id est, nostram omnium sacerdotum, q; euellere mala, & meliora plantare sunt ab eo propositi. Ideò * propter vnusquisque sciturus se rationem reddere in æquitate iudicaturo vniuersum mundum, absq; vlla reuerentia,

Hebr. 10. quia sicut scriptū est, si reueritus fuerit, non beneplacet anima mea in ipso, cognita maximè cum omni subtilitate multitudine prauitatis eorum contra immaculatā nostram fidē ab eis prę sumpta, omnibus nobis, q; ad hoc huc venisse & prę sidere dinoscimur, tā per accusantiū eas personas in scripto,

quamque

quamque per conscripta eorum, contra immaculatam fidem ab eis præsumptæ multitudine prauitatis illorum, quid de his vnusquisque cum ope diuina ad gloriam Dei ab ipso inspiratus visum fuerit, prosequatur, præ omnibus in sua cõscientia timorem eius decerpens in hoc, quod loquitur & intelligit de huiusmodi quæstione, in confirmatione & stabilitate Catholicæ Ecclesiæ & orthodoxæ fidei, hoc est, salutis animarum nostrarum, fructu puræ confessionis, quæ est in eundem Dominum Deum nostrum Iesum Christum, omnibus nobis apertissimè existente.

MAVRVS CAESENAE CIVITATIS EPISCOPVS, & Deusdedit Rauennatis presbyter, per vnum ex eis Maurum episcopum Cæsenatem dixerunt:

SVGGERIMVS sancto Apostolatui vestro, quia secundùm vestram prudentissimam interlocutionem omnibus luce clariùs manifesta sunt, nec cuilibet incognitum est orthodoxorum, quæq; per tot tempora illicitè perpetrata sunt aduersus nostram immaculatam fidem, tam à Cyro, Sergio, Pyrrho & Paulo: contra quos iustè pro hoc querimoniæ vestræ Apostolicæ sanctæque sedi à fidelibus & zelum habentibus Dei, oblatæ sunt: Qua de re venerator sancti apostolatus vestri Maurus sanctissimus Episcopus, certius hæc eadem per apocrisarios suos cognoscens, omninò desiderium habuit in sancto Concilio aduenire. Ideoque satagens direxit nos ad sacra vestra vestigia, videlicet vt vicem eiusdem per nosipsos in omnibus, quæ in hoc sancto Concilio regulariter peraguntur, adimplere debeamus, eò quòd necessarijs vtilitatibus occupatus, ad præsens minimè valuit secundùm vestram præceptionem prospectui vestro repræsentari. Ideoque propriam Epistolam pro tali re vnà cum scriptione eius præ manibus habemus, per quam nostras personas in his, quæ aguntur, pro se confirmare dinoscitur, significans & ipsas occupationes pro quibus minimè valuit aduenire. Sed si placet vestræ beatitudini, petimus, vt ante omnia coram hoc sancto Concilio recensеatur, & actibus inseratur.

MARTINVS SANCTISSIMVS ET BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, præsidens sancto Concilio, dixit:

Secundùm postulationem Mauri Cæsenatis Episcopi, & Deusdedit Rauennatis presbyteri, subscripta epistola per eos oblata Mauri reuerendissimi episcopi Rauennatis ecclesiæ, suscipiatur, & huic venerabili Concilio lectione pandatur. Cumque suscepta fuisset à Paschale notario regionario Apostolicæ sedis, in his relecta est.

Epistola Rauennaten. episcopi ad Papã Martinũ, in qua eũ vocat toto orbe Apostolicum, & vniuersalem Põtificem.

DOMINO *sancto & meritis beatissimo, totoq; orbe Apostolico & vniuersali pontifici Martino Papæ, Maurus seruus seruorum Dei Episcopus.* Vnicum omnibus & singulare est Redemptoris Dei & Domini nostri IESV CHRISTI concessum remedium ad animarum nostrarum salutem, vt ea, quæ per Apostolorum prædicationem percepimus & patrum doctrinam, proculdubiò teneamus. Ergo quia apostolatus vestri præceptionibus admonitus, vt pro his, quæ aduersum eorũ doctrinã cõmentata sunt, debeã ad sanctã & Apostolicã Ecclesiam Catholicam, vestramque pręsentiam reperiri, & vnà cum cæteris Episcopis, quę de his patres pręcipiunt, debeant terminari, neque etiam præparatum, dum ab exercitu & plebe huius ciuitatis, vel etiam Pentapolitanorum detinerer, pro incertis gentilium excursionibus, & non se habentibus præsentia excellentissimi Exarchi, ad hanc suggestionis meæ satisfactionem venire compulsus sum. Quod cùm summo mœrore satisfaciens supplicio, vt me non sicut absentem, sed vt præsentem & festinantem suscipere Apostolatus vester dignetur. Nam in his quæ mouentur, & contra patrum orthodoxorum decreta proponuntur, me non aliter sentire, nisi quomodò sancta vestra Apostolica doctrina & orthodoxa tenet Ecclesia, & omnem nouitatem repellens atque respuens, non solùm ecthesin, quæ à Pyrrho Constantinopolitano Episcopo defendebatur, abijcio: quippe, quia vt hæretica de ædibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ est deposita, sed & quæ ad eiusdem defensionem nouiter conscripta sunt, omni modo nec consentio, nec suscipio, sed cum anathemate repello. Sed & duas operationes duasque voluntates profiteor, & Deum & hominem Dominum Iesum Christum per Spiritum sanctum in vtero Virginis conceptum & natum, in duabus naturis verum Deum & hominem, in vna persona vtraque operantem, quæ deitatis & humanitatis sunt, tenere me profiteor, nec aliud, quàm quod sanctas quatuor vniuersales synodos inuenimus prædicasse, & quintam sub piæ memoriæ Iustiniano, suscipere: sed solam fidem à patribus constitutam, per quam verum Deum verumque hominem totum in suis, totum in nostris prædicauerunt, omni constantia profiteri. Ad quod hanc satisfactionis meæ suggestionem per famulos meos Maurum Cæsenatem episcopum, & Deusdedit presbyterum, dirigere non omisi, eosque vice mea, vt quicquid aduersum ecthesios vel alia conscripta ad eius defensionem nouiter commentata descripserint, me sine dubio esse conseruaturum. Et subscriptio: Ora pro me Domine sancte & meritis beatissime, totoque orbe apostolice Papa.

MARTINVS SANCTISSIMVS ET BEATISSIMUS sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, præsidens sancto Concilio, dixit:

RELECTA epistola Mauri reuerendissimi Episcopi Apostolicis dogmatibus conueniens, atque ideò cum recta confirmationis sanctorum patrum confessione, & omnem hæresim condemnationi submittens, si complacet huic sancto Concilio, actis nostris indatur.

Maximus venerabilis episcopus Aquileiensis Ecclesiæ, dixit:

Epistola Mauri sanctissimi Episcopi Rauennatis, secundùm vestram iussionem actis nostris inserta, atque per eius tenorem consonante huic sancto Concilio in his, quæ pro orthodoxa & immaculata fide ab ea peraguntur, suam mentem demonstrante, illud cum fiducia referabo, quia omnis qui differentiam vnius Christi naturalium voluntatum & operationum abnegat, & naturarum eiusdem, ex quibus & in quibus consistit, negat pariter proculdubiò differẽtiam. Nec enim possibile est, ipsum eundemq; Dominum Deum nostrum Iesum Christum conditum & inconditum naturaliter existentem, vtriusque naturæ, ex quibus consistit, in voluntate & operatione minimè naturalem proprietatem in vnitione saluare. Quoniam qui sic sapere non vult, sanctam Chalcedonensem respuit Synodum, omnesque sanctos ac venerabiles patres: quippe quoniam in definitione sua luce clariùs promulgasse dinoscitur, asserens in hoc tantummodò minimè amputari, differẽtiam naturarum Christi post vnitatem, quia vtriusque naturæ indiminutè, absque tantummodò peccato, saluatur naturalis proprietas. Ergo si specialiter propter hoc definitum est minimè amputari differentiaam naturarum, quia proprietas naturalis saluatur, ex quibus consistit naturis: proprietas autem est diuinæ naturæ Christi, diuinitùs eum velle & operari diuina: item proprietas est eiusdem humanæ naturæ, eundem humana velle & operari humana, vt approbetur Deus & homo naturaliter esse, certum quia proprietatem vtriusque naturæ respuit, atque ideò differentiam naturarum post vnitionem recusat, quia differentiàm eiusdem naturalium voluntatum & operationum abnegat: & ex hoc denominatum sanctum Chalcedonense Concilium, & omnes venerabiles Catholicæ Ecclesiæ patres respuunt. Pro qua re oportet, iuxta vestram prudentem commonitionem, magis autem secundùm diuinam præceptionem nos, qui super domum eius, hoc est, Catholicam Ecclesiam Episcopale ministerium * solicitè vigilare, vt ne quid de sacris eius muneribus, id est, Apostolicis de eo promulgationibus paternisque dogmatibus fures occultè irruentes valeant deprædari, dormientes nos ex quadam negligentia atque postpositione obseruationis diuinorum præceptorum reperientes. Vnde, si placet vestrę beatitudini, supplico, quatenus per vnam vel duas, si multùm,

* deest, accepimus, aut aliqd tale.

tùm, vt ne fastidium per hæc, quæ omnibus manifesta sunt, gestis ingerere videamur, querulantium personas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum, conuenienter, quæ de his proponuntur, cognoscamus, necnon per conscripta eorum aduersus fidem exposita, quæ videlicet & sine accusantis persona redarguere eos apertissimè demonstrantur. Propterea enim accusatio extranea superflua esse dinoscitur, quoniam à suis temerarijs conscriptis apertiùs accusantur, quibus omnem mundum conturbasse noscuntur. Ita namq; Luc.19. Dominus ait: Ex ore tuo iudicabo te. &, Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Quia verò multæ Matth.12. personæ accusantium, licèt existant, minimè sunt necessariæ nobis, vbi manifesta est culpa eorum qui accusantur, à sanctis Synodis luculentiùs docemur. Igitur contra vtrosque, id est, Nestorium & Eutychen, & cum eis Dioscorum nefandissimos hæreticos, vnus tantummodò accusator, hoc est, beatæ memoriæ Eusebius Dorylensis ecclesiæ episcopus legitur extitisse. Contra Theodorum autem & Origenem in sancta quinta Synodo accusator quidem nullus, sed tantummodò eorum conscripta ad accusationem ipsorum & reprehensionem suffeciſſe noscuntur. Igitur & in præsenti, opportuna gestorum serie conseruata, per vnam aut duas accusantium personas, si placet, cum omni subtilitate ad accusationes eorum nostram præparemus solicitudinem.

Deusdedit venerabilis Episcopus insulæ Sardiniæ, dixit:

APOSTOLICIS visceribus vestra beatitudo commota, & nos omnes hortata est ad tuitionem Catholicæ & Apostolicæ fidei, quæ temeraria præsumptione ab aduersantibus verbo fidei expugnatur, in vnum conuenire, dum constet vos sanctissimi cum B. Paulo Apostolo eadem 2.Cor.11. compassibiliter dicere: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? satagentes ne aliquis de his, quæ vobis creditæ sunt, rationabilibus ouibus à bestijs capiatur. Vnde & ego supplico, pro defensione paternorum & synodalium dogmatum, ante omnia per suggestiones oblatas sanctæ vestræ Apostolicæ Sedi, necnon accusantium personas, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum, prauitatem eorum nobis manifestari, sed & per conscripta eorum ordinabiliter, contra immaculatam nostram fidem exposita, quatenus per examinationem eorum congrua super his sententia subsequatur.

Vniuersi sanctissimi episcopi dixerunt vnanimiter dogmata continere, & quia venerabilium patrum & Synodorum piam confessionem destruere, qui vnam in Christo Deo voluntatem & operationem prędicare præsumunt, petimus, licèt minimè ignoranda, attamen propter ordinem gestorum referare omnibus nobis per accusationes aliquas ob noxiorum huiusmodi excessum, quatenus opportunè rationabiliterque examinatio subsequatur, maximè pleniùs pertractantes eorum commissum per ea, quæ ab eis contra immaculatam fidem conscripta sunt.

INCIPIT SECRETARIVS II.

IN NOMINE DOMINI DEI SALVATORIS NOstri Iesu Christi, Imperij domini Constantini pijssimi Augusti anno nono, sub die octauo Idus Octobris, Indictione octaua.

PRAESIDENTE sancto ac beatissimo Martino Papa sanctæ Sedis Apostolicæ vrbis Romæ, propositis sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs in Ecclesia Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus.

Maximo sanctissimo Aquileiensi episcopo.
Deusdedit sanctissimo Caralitano episcopo.
Mauro Cæsenate episcopo, & Deusdedit presbytero, agentibus locum Mauri sanctissimi episcopi Rauennatis ecclesiæ.
Sergio Tempsanensi episcopo.
Reparato Manturianensi episcopo.
Epiphanio Albanensi episcopo.
Benedicto Aiaceno episcopo.
Iuliano Hortano episcopo.
Papinio Vibonensi episcopo.
Maximo Pisaurensi episcopo.
Luciano Leontinensi episcopo.
Viatore Hortonensi episcopo.
Bonito Formiano episcopo.
Maioriano Prænestino episcopo.
Germano Numanensi episcopo.
Laurentio Perusino episcopo.
Caroso Faralitano episcopo.
Martino Mebiensi episcopo.
Calumnioso Alesino episcopo.
Barbato Sutrino episcopo.
Peregrino Messanensi episcopo.
Romano Cerellitano episcopo.
Criscete Lucrensi episcopo.
Felice Agrigentino episcopo.
Marcellino Clusino episcopo.
Geminiano Volaterrano episcopo.
Mariano Populonensi episcopo.
Luminoso Tiferniſtiberinorum episcopo.
Potentino Belliternensi episcopo.
Mauro Tuscanensi episcopo.
Adeodato Spoletano episcopo.
Ioanne Pæstano episcopo.
Gaudioso Reatino episcopo,
Laurentio Iaurianensi episcopo.
Ioanne *Trapeiano episcopo.
Luminoso Salernitano episcopo.
Sabbatio Buxento episcopo.
Ioanne Tarentino episcopo.
Rufino Sipontino episcopo.
Adeodato Amerino episcopo.
Gaudioso Capuano episcopo.
Bonito Ferentinate episcopo.
Mauro *Sinogallensi episcopo.
Mauroso Anconitano episcopo.
Bono Ficuclensi episcopo.
Fortunato Auximate episcopo.
Thomate Lunensi episcopo.
Bonito Ferentiſpolimartio episcopo.
Maximo Trocalitano episcopo.
Paschale Blandano episcopo.
Luminoso Marsorum episcopo.
Glorioso Camerino episcopo.
Decorato Tiburtino episcopo.
Amabile Ostiensi episcopo.
Albino Fortuensi episcopo.
Palumbo Fundano episcopo.
Theodosio Cotronensi episcopo.
Scholasticio Fanensi episcopo.
Elia Lilybætano episcopo.
Aquilino Assisinati episcopo.
Eusebio Atellano episcopo.
Martino Centumcellensi episcopo.
Iubentino Stabiensi episcopo.
Mauro Senate episcopo.
Læto Lucano episcopo.
Theodoro Rosellano episcopo.
Andrea Hydruntino episcopo.
Iusto Tauromentano episcopo.
Felice Panormitano episcopo.
Laurentio Tudertino episcopo.
Ioanne Carinensi episcopo.
Albino Signensi episcopo.
Augustino Squillacino episcopo.
Ioanne Rhegitano episcopo.
Barbato Cumano episcopo.
Felice Tarracinensi episcopo.
Oportuno Anignano episcopo.
Firmino Blerano episcopo.
Lobiano Firmano episcopo.
Anastasio Narniensi episcopo.

Theodoro Tyndaritano episcopo.
Sapientio Numentano episcopo.
Maximo Mesinate episcopo.
Gratioso Nepesino episcopo.
Leontio Neapolitano episcopo.
Paschale Thermitano episcopo.
Oportuno Pisano episcopo.
Donato Marianensi episcopo.
Bonoso Alerino Episcopo.
Peregrino Lyparitano episcopo.
Boethio Cornensi episcopo.
Valentino Turritano episcopo.
Luminoso Bonensi episcopo.
Crescentio Lybiensi episcopo.
Stephano Popiliensi episcopo.
Callionisto Hadrianensi episcopo.
Ioanne vico Sabinate episcopo.
Potentino Polensi episcopo.
Leontio Fauentinate episcopo.
Donato Sassinate episcopo.
Ioanne Vnnogoritano episcopo.
Stephano Dorensi episcopo.
Ioanne Gabolitano episcopo.
Victoriano Vzalensi episcopo.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

Psalm.88. BEATVS Dauid ad dominum dicit: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ: Misericordia & veritas præibunt ante faciem tuam. Hanc igitur præparationem per veritatem gestorum ad gloriam eius, & imitationem sacræ Sedis suæ properans opportunè perficere, & sancta Synodus nobiscum consistens venerabilium sacerdotum, vt ex hoc præcipuè in eum glorietur in hoc, quòd intelligit & cognoscit dominum, & facit iudicium & iustitiam in medio terræ: studuit competenter non antea per scripta eorum, qui accusati sunt, causam illorum discutere, donec per querulãtium institutiones respexerit hanc & addiscere valuerit, illud videlicet, quod per sapientiam benè placuit Salomoni, adimplens, quod dicit: Antequam scruteris, non reprehendas: intellige priùs, & tunc increpa: Antequam audieris, non respõdeas. Nempe licèt apertissima est contrariorum reprehensio, veruntamẽ oportet & his, quæ clara sunt, ad eorum examinationem ordinem conseruari ab his, qui secundùm Deũ scrutari deputati sunt: quatenus ita cum oratione cooperantem inueniamus & confessorem Deum, qui dicit: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Offerantur ergò secundùm piè complacitam omnibus nobis consequentiam per eos, quorum interest, siue de nostro venerabili scrinio, dilectissimũ primicerium & notarios querulantium denominatos temeratores cum omni reuerentia secundùm ordinem submonitio.

Hier.9.

Eccl.11.

Matt.18.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Suggero vestræ sacratissimæ beatitudini, quoniam præsentibus adstat venerabilis secreti vestri, Stephanus reuerendissimus episcopus Dorensis, primus Hierosolymitani ecclesiastici Concilij, aditum sibi expetens, in vestra sacratissima synodo: & quidẽ desiderat innotescere quid præcipitis.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

STEPHANVS reuerendissimus episcopus Dorensis, secundùm petitionem suam introeat, & competenter quæ ei videntur edisserat.

Stephanus reuerendissimus episcopus Dorensis coram sancto Concilio adstans, dixit:

Postulo beatitudinem vestram, si placet, præcipere humanitatis meæ libellum suscipi, & coram sanctitate vestra recenseri.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

SECVNDVM supplicationem memorati reuerendissimi Stephani episcopi Dorensis, libellus eius suscipiatur, & lectioni pandatur.

ET ACCIPIENS ANASTASIVS NOTARIVS Regionarius Apostolicæ Sedis, de Græco in Latinam linguam interpretatum, relegit in his:

SANCTAE Apostolicæ Synodo, secundùm gratiam Dei & regularem authoritatem præsidentis in ea Martini ter beatissimi Papæ, congregatæ in hanc antiquam almamq; vrbem Romam, pro confirmatione sacra & defensione paternarum & Synodalium Catholicæ ecclesiæ definitionum vel promulgationũ, Stephanus per misericordiam Dei episcopus, & primus Hierosolymitanę * sacerdotali sede exsistẽs diœceseos, suggero quæ subter adnexa sunt:

* sacerdotalium sedium. 2. Cor.1.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater miserationum, & Deus totius consolationis, qui consolatus est nos per sacratissimum in id ipsum & sacerdotalem conuentum sanctitatis vestræ in omni tribulatione nostra, quæ facta est nobis propter sanctam Catholicam eius Ecclesiam, ab aduersantibus verbo fidei. Hanc etenim beatissime in pace & tranquillitate consistentem veluti fluctus immanes irruentes per suam hæresin turbauerũt, priùs quidem Theodorus Pharanitanę ecclesię quondam episcopus: postmodùm autem Cyrus Alexandrinus antistes, item Sergius Constantinopolitanus, necnon successores eius Pyrrhus & Paulus. Hi namque Apollinaris & Seueri dogmata hæreticorum renouare ausi sunt, per hoc, quòd prædicauerunt vnam voluntatem & operationem diuinitatis & humanitatis Christi dogmatizare, quorum scripta testantur contra omnem præseminatam orbem terrarum, ad deceptionem simplicium: qui studuerunt non solùm exponere audacter & conscribere, sed & diuulgare contra paternas & synodales Ecclesiæ institutiones in aperto nisi sunt, & tam per capitulorũ seriem super ambone cum anathematis vinculo, qui sic non saperet, & secundùm sensum eorum recitatam, quamque per sententias & subscriptiones ac gestorum monimenta. Ac per hoc vniuersam Catholicam Ecclesiam in his conturbantis memoratis viris, iuxta quod beatus Hieremias inquit: Confusi sumus, quia audiuimus improperium: dereliquimus in confusione vultum nostrum, quia introierũt alienigenę in sanctuarium nostrum: & propterea aliquando quidem aquam capiti, & oculis fontes lachrymarum exquirebamus, vbique omnes fideles huiusmodi miseram calamitatem plorantes: aliquando autem pennas columbæ secundùm beatum Dauid, & volemus & annunciemus hæc omnia omnium propositæ, * sed dico autem summę vestræ & principale, ad medicinale consultum emersi vulneris: quippe quoniam hoc potestatiuè olim & ab antiquitùs facere per Apostolicam siue canonicam consueuit authoritatem, dum aperta lucubratione non solùm claues regni cœlorum creditæ sunt ei, atque ipse tantummodò ad aperiendum eas fidelibus quidem dignè, minimè autem euangelio gratiæ credentibus iustâ claudere magnus secũdùm veritatem, & princeps Apostolorum meruit Petrus: sed etiam & pascere primus iussus est oues Catholicæ Ecclesiæ, cùm Dominus dicit: Petre, amas me? Pasce oues meas. Et iterum ipse pręcipuè ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum & immutabilem fidem, conuertere aliquando & confirmare exagitatos consortes suos & spiritales meruit fratres, vtpotè dispensatiuè super omnes ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens & sacerdotalem authoritatem. Quod vtique sciens beatæ memoriæ Sophronius, quondam patriarcha sanctæ Christi DEI nostri ciuitatis, sub cuius diœceseſe fungebar sacerdotale officium, non acquiescens omninò carni, & sanguini, sed sola quæ CHRISTI sunt, iuxta sanctitatem vestram excogitans, studuit meam humilitatem sine mora pro huiusmodi tantummodò capitulo cum sua suggestione ad hanc Apostolicam magnamque dirigere sedem, in scri-

pto at

Theodor* hic prim* auctor hæresis Monothelitarum. In 6. tamẽ Synodo Act.15. dicitur Sergius Constantinop. primus scripsisse de impio hoc dogmate.

Hier.51.

Hier.9.

Psalm.44.* legendum apparet, * sedi dico autem

Authoritas Romanæ sedis. Matth.16.

Ioan.21.

Luc.22.

pto atque sine scripto, per me supplicem vestrum omnium prædictorum virorum adaperiens nouitatem, quam videlicet contra orthodoxam fidem memorati viri exponere ausi sunt. Quippe nam & ipse, dum aduiueret, superiùs dictis temeratoribus in Oriente validissimè contradixit, contestans eos & admonens, vt à propria hæresi quiescerent, & ad rectam patrum fidem remearent, dans in duobus libris sexcenta testimonia patrum, ad euictionem impietatis eorum & veritatis ostensionem. Quos quidem reuocare minimè valuit: commouit autem eos contra se ad insidias & malignam detractionem, sed nullo modo propter hoc reueritus est omninò ille, nec timuit timorem, vbi non est timor, quoniam iustus sicut leo confidit. zelo autem DEI & fiducia repletus, duxit me indignum, & statuit in sancto Calua riæ loco, vbi propter nos ipse qui super nos secundùm naturam DEVS est, Dominus noster IESVS CHRISTVS sponte crucifigi secundùm carnem dignatus est: & ibi alligauit me vinculis indissolubilibus, dicens: Tu dabis rationem ipsi, qui propter nos secundùm carnem in hoc sancto loco sponte crucifixus est DEVS, quando cum gloria in terribili eius aduentu iudicaturus est viuos & mortuos, si distuleris & postposueris fidem eius periclitantem, licèt ego hoc facere corporaliter, vt nôsti, propter emersam ex nostris peccatis incursionem Sarracenorum præpedior. Quantocyùs ergò de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apostolicam sedem, vbi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, peruenias, non semel, non bis, sed multò sæpiùs aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundùm veritatem, quæ in istis partibus mota sunt, & non quiescas instantiùs expetens atque exorans eos, donec ex Apostolica prudentia, quæ in Deo est, ad victoriam iudicium perducere debeant, & nouiter introductorum dogmatum perfectam faciant secundùm canones destructionem, & ne secundùm quod beatus Apostolus ait, sicut cancer pascuam in amplius inueniant, depascentes simpliciorum animas. Igitur in his pertimescens ego atque perterritus, propter impositam mihi terribilem in tremendo & venerabili loco coniurationem, necnon & creditum mihi ex Dei permissu episcopale ministerium considerans, sed & supplicationes omnium penè habitantium Orientalium tractum reuerendissimorum episcoporum & Christianorum populorum, consonanter prædicto beatæ memoriæ Sophronio ad hoc me inuitantium, vtpotè primum Hierosolymitanæ diœceseos peruenire, non dedi, secundùm scripturam, somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, quatenùs adimplere debuissem huiusmodi desiderabilem iussionem: sed absque vlla mora propter hoc ipsum tantummodò huc properaui: à quo tempore tertiò visus sum vestris Apostolicis adesse vestigijs, expetens ac deprecatus, vt quod ille & omnes libenter postulare noscuntur, hoc est, fidei Christianorum periclitanti manum porrigere. Quod addiscentes contrarij, non leuibus me implicuerunt afflictionibus, præceptiones propter me per loca & prouincias dirigentes, quatenus comprehendi, & ferris constrictus ad eos deberem destinari, sicut omnes cognoscunt. Sed Dominus auxiliatus est mihi, & liberauit me ab omnibus persequentibus me, ideoque ad propositum currentem, & ad brauium properantem vestræ Apostolicæ Sedis. Neque despexit Deus preces cum lachrymis oblatas supplicum suorum, sed excitauit non equidem mediocriter præcessores Apostolicosque præsules in commonitione, necnon contestatione prædictorum virorum, licèt nullo modo eos flectere potuerunt. Excitauit autem & nunc, ex Dei voluntate qui præsidet, dominum nostrum Martinum ter beatissimum Papam, quem suis ecclesijs cõdonet sanum & incolumem, longæuum, rectè prædicantem verbum veritatis, incomparabiliter ac mirabiliter zelantem zelum DEI, qui & omnes vos sanctissimos sacerdotes eius ad se congregare pro destructione quidem nouitatis, conseruatione autẽ paternorum Ecclesiæ dogmatum studuit: quos postulans coniuro opus perficere gratiæ, in quo per se Deus vocauit vos, vt, secundùm quod beatus Paulus ait, abijciatis malignum à vobismetipsis. Vos namque postulans, vobis scribens Romanis, præcepit attendere eos, qui seditiones & scandala præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinare ab illis. Quoniam hi Christo Deo nostro non deseruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Pia namque patrum fides, sicut nôstis, beatissimi, per nouitatem nullatenùs patitur maculari: roborari autem in orthodoxis cõsueuit Apostolicisque dogmatibus. Qua de re omnem malitiam abijciens, vnum eundemque Dominum nostrum & Deum Iesum Christum in duabus naturis confitetur, substantialiter vnitis inconfusè & indiuisè, nusquam propter vnitionem amputata differentia naturarum, magis autem conseruata proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam, & in vnam subsistentiam concurrente. Atque ideò naturaliter DEVM perfectum & hominem naturaliter perfectum, absque tantummodò peccato, eundem piè prædicare dinoscitur. Si verò DEVM naturaliter perfectum & hominem naturaliter perfectum eundem esse veraciter prędicat, certum quia imperfectus nullo modo consistit secundùm diuinam & humanam eius eidem substantialem voluntatem & operationem: sed indiminutè iuxta numerum naturarum, naturales habuit voluntates & operationes, quibus diuina & humana volens & operatus, Deus pariter & homo secũdùm veritatem idem existens, naturaliter cognoscebatur. Nam si imperfectus esset, iuxta sensum contrariorum, in diuina & humana eius naturali voluntate & operatione, perfectus, non esset DEVS, neque perfectus idem homo: magis autem nec penitùs DEVS, nec homo existeret, dum constet, quia DEVS naturaliter non est, qui diuinam secundùm naturam voluntatem & operationem non habet: nec iterum homo naturaliter poterit esse, qui minimè habet humanam secundùm naturam voluntatem & operationem. DEVS enim imperfectus non est, nec homo idem imperfectus: quoniam in naturali perfectione vtraque cognoscitur CHRISTI natura, ex quibus & in quibus consistit inconfusè & indiuisè. Et propterea per vtramque eiusdem naturam perfectus erat idem naturaliter. Vnde oportet huiusmodi quidem nouitates abijcere, in perfectione autem naturarum, quæ in CHRISTO DEO in vnitate saluantur, & naturalium eius voluntatum & operationum roborare intrãsgressibiliter patrum Orthodoxam fidem. Ideoque vnius eiusdemque sicuti vnitas duas naturas, ita consequens est & naturales confiteri voluntates & operationes, diuinam & humanam, ad plenam ostensionem vtriusque eius naturæ verę perfectionis, vtpotè in vtraque natura nullam diminutionem habente essentialis & naturalis proprietatis, id est, voluntatis & operationis. Quoniam proprietas naturalis, est sine dubio naturæ naturalis eius voluntas & operatio, ex quibus firmiùs sancti Chalcedonensis Concilij stabilita est definitio, Christi Dei indiminutè conseruans mysterium, quam illi, de quibus ante diximus, destruere attentantes, & aliud malum nuper excogitauerunt. Nam Paulus Constantinopolitanus antistes suasit clementissimo Principi nostro typum exponere fidei, in quo typo sanctorum patrum doctrinas cum nefandissimorum hæreticorum prauitatibus funditùs amputauerunt, nec vnam nec duas debere voluntates aut operationes CHRISTI DEI promulgantes quempiam confiteri: facilè eis licere credentibus, aliquando quidem vnam, aliquando autem nec vnam in eodem prædicare: ac per hoc aut DEVM tantummodò, vtpotè diuinam tantummodò, aut duntaxat hominem purum, vtpotè humanam habentem tantummodò: aut neq; DEVM, neque hominem eundemque asserentes, vtpotè neque diuinam, neque humanam habentem voluntatem & operationem, sed sine voluntate & operatione secundùm eos omninò existentem. Quod vtique sanctorum patrum & prædicti sancti Chalcedonensis Concilij definitio omninò recipere abnegat, quoniam saluari asserit vtriusque naturæ, ex quibus & in quibus CHRISTVS consistit, indiminutè naturalẽ & post vnitionem proprietatem. Igitur prædictam sanctam Synodum, & omnes sanctos patres proijcere volentes, hæc eadem dogmatizare & scribere contra fidem ausi sunt. Sed & hoc doceo sanctitatem vestram, quia temporis attendentes perturbationem, multos in Oriente per ambitionem decepisse noscuntur. Sergius namque quondam Ioppensis Episcopus, post receſſum gentis Persarum, loci seruaturam sedis Hierosolymitanæ

Sophronij scripta cõtra Monothelitas.

Prouer. 18.

Rome fundamenta orthodoxæ doctrinæ.

1. Tim. 2.

Psalm. 131.

2. Cor. 5.

Ioan. 16.

mitanæ arripiens, non quidem per Ecclesiasticam authoritatem, sed secularem potestatem contra Canones ibidem sub sedem Hierosolymitanam pertinentem, aliquos episcopos ordinauit,& cùm ipse minimè fuerat confirmatus, alios ordinare præsumpsit. Hi autem propterea scientes veraciter inanem esse ordinationem eorum, per propria scripta consentientes, applicuerunt affectatæ se nouitati, quæ à Paulo Episcopo Constantinopolitano defenditur, quasi ex hoc sperantes enormiter, quod impossibile est, confirmari. De quibus & anteà Apostolicæ Sedi innotui, id est, beatæ memoriæ decessori vestro Theodoro, iussitque mihi indigno per sacram suam præceptionem, ordinans me loci seruatorem per Apostolica eius scripta, quatenus tam ea, quæque fuissent Ecclesiastica capitula, peragere debuissem, & Canonicè, si nullatenus emendarentur, qui sub denominato prætextu ordinati sunt Episcopi, deponerem eos. Quod & feciſſe me certum est,& præcipuè quoniam in errorem à veritate recedentes sponte delapsi sunt, tantumque illos recepi secundùm iussionem eius, qui libellum pœnitentiæ obtulerunt,& professi sunt in scripto, conseruare indesinenter & amplecti atque prædicare sanctorum patrum & Synodorum doctrinas: quorum libellos nuper deferens obtuli sacratissimæ præsidenti sanctitati vestræ, Martino ter beatissimo Papæ, ab eo quòd aliqui eorum meritò recepti & confirmati sunt, aliqui verò pro tuitione Catholicæ Ecclesiæ condemnati sunt. Ideoque exoro vt minimè despiciatis humilitatis meæ & omnium Orientalium Orthodoxorum sacerdotum & populorum, necnon prædicti domini mei sanctæ memoriæ Sophronij, super tali capitulo instantias assiduasque precationes, vestræ beatitudini per meam humilitatem cum lachrymis oblatas, sed sicut luminaria in vniuerso mundo verbum vitæ retinentes, introductas extinguite tenebras Apollinaris & Seueri nefandissimarum hæreseum per superiùs memoratos viros, temporibus etiam nostris procaciter germinatas, * qualiter funditùs extincta huiusmodi caligine, lucifer nobis resplendeat per vos sanctissimos, & dogmatica definitio omnes vbique lætificans, quam glorioſi Ecclesiæ patres, sanctæque & vniuersales quinque Synodi, per propria pijssima dogmata in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicasse noscuntur. Et subscriptio.

Philip. 2.

* quaten⁹

Stephanus per DEI misericordiam Episcopus Dorensis, & primus sanctæ Synodi sub Hierosolymitana Patriarcha sede consistentis, præsenti libello à me dictato, manu propria subscribens obtuli die sexta Octobris mensis, feria tertia, indictione octaua.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

NON equidem mediocriter omnibus nobis Stephanus reuerendissimus Dorensis episcopus manifestauit per ea, quæ nunc in proprio libello demonstrauit, quanta mala aduersus venerabiles viros & orthodoxa dogmata Theodorus Pharanitanus quondam Episcopus, Cyrus Alexandrinus, & Sergius Constantinopolitanus, eiusque successores Pyrrhus & Paulus concinnare noscuntur, & gloriati sunt audacter, in medio sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ proprium ponentes errorem, iuxta propheticum vaticiniũ dicentes in corde suo, Venite, comprimamus omnes dies festos domini à terra, id est, sacras voces venerabilium patrum, de Saluatore & dõmino nostro relatas, hoc argumentantes, vt sine dubio vnam aũt nec vnam in ipso voluntatem & operationem quisquam debeat prædicare. Quia iam non est propheta, id est, doctor, & nos non cognoscet amplius, adulterantes verbum veritatis. Sed ignorauerunt, quia ab omnibus in hoc cogniti sunt, iusteque interdicti ab Orthodoxis comprobantur: licèt mercedem eis fiduciæ verbi tribulationes compensare noscuntur, iuxta quod dictum est: Cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Nec enim pro tali excessu pœnitentia ducti sunt, quia odio habuerunt in portis corripientem, & sermonem sanctum exprobrauerunt, firmantes sibi verbum malum, vt inuenirent iniquitatem suam ad odium. Propterea his ita nobis per lectionem libelli de prædictis viris cum omni subtilitate recognitis, oportet quatenus actis Ecclesiasticis inseratur, in approbatione accusationis contra eos ab omnibus Orthodoxis oblatæ.

Psalm. 73.

Psalm. 119

Amos 5.

Psalm. 35.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ Sedis, dixit:

Suggero vestræ beatitudini, quoniam præ foribus venerabilis secreti sanctitatis vestræ adstant plurimi reuerendissimi Abbates, presbyteri & monachi Græci tam per annos habitantes in hac Romana ciuitate, necnon in præsenti aduentãtes, id est, Ioannes, Theodorus, Thalassius, Georgius, & cum ipsis alij venerabiles viri, petentes vt conspectui vestro præsententur, & aliqua, quæ eis necessantur, vestræ suggerant sanctitati. Quapropter quæ placent beatitudini vestræ, præcipere dignetur.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

SECVNDVM eorum petitionem, qui nostri Secretarij aditum reuerendissimi Abbates, presbyteri, necnon monachi petierunt, introeant, & secundùm ordinem de quibus & quæ voluerint, fiducialiter doceant. Ioannes Abba presbyter venerabilis Labræ, sancti Sabbæ, constitutæ in eremo, quæ est iuxta Christi Dei nostri sanctam Dei ciuitatem, & Theodorus Abba presbyter venerabilis Labræ in Africana prouincia constituta, Thalassius Abba presbyter venerabilis monasterij Armeniarum in hac Romana ciuitate constituti, qui appellatur Renati, & Georgius Abba presbyter venerabilis monasterij de Cilicia, qui ponitur in aquas Saluias, quod in hac Romana ciuitate habitate dinoscitur, & qui cum eis sunt reuerendissimi Abbates & monachi adstantes coram sancto Concilio, dixerunt:

Supplicamus beatissimam sanctitatem, minimè despicere nostram in scripto admittere postulationem, id est, humilimum libellum: sed si placet, condescensibiliter iubeat à nobis suscipi eum, & lectione vulgari, quippe quoniam de orthodoxa fide in eo quæ necessantur, suggerimus.

Maximus sanctissimus episcopus Aquileiensis Ecclesiæ, dixit:

Secundùm supplicationem præsentium venerabilium Abbatum, presbyterorum, & monachorum, memoratus libellus eorum suscipiatur, & lectioni pandatur. Cumque susceptus fuisset à Theodoro notario regionario Apostolicæ sedis, de Græco in Latino interpretatum relegit in his:

SANCTAE Dei & Apostolicæ synodo, ex Dei voluntate, & gratia atque indiuisa communione sancti spiritus in hac consonanter & vnanimiter congregatæ antiqua alma vrbe Roma, ad confirmationem sacram & erectionem, immaculatæ, necnon piæ Christianorum nostræ fidei, per iussionem sanctam siue præceptionem diuinitùs præsidentis vobis atque omnibus his præminentis sacerdotis sacerdotum, & patris patrum, domini nostri Martini ter beatissimi Papæ, generalitas habitantium in hac prædicta ciuitate Græcorum Abbatum vel monachorum seruorum vestræ sanctitatis docemus, vt subter vera, secũdùm naturam summi Dei & patris sapientiam domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi omni desideranti vitam diuinam, quæ in eo nunc occultatur, postmodùm verò declaratur, atteſtante siue promulgante: Quoniam qui confitebitur me coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, qui in cœlis est: Qui autem negauerit me, & verba mea, negabo eum & ego coram patre meo, qui in cœlis est. & iterum: Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam: qui autem odit animam suam propter me, in vitam æternam seruauit eam: necesse est, ô beatissime, dum mundus dissoluitur, & vita corrumpitur; necnon animæ nostræ, ipsius Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi omnibus modis sanctam præponentes fidem, & priùs quidem cõmuniter, dum Afro-

Papa, Pater Patrii, & ter beatissimus à Græcis Abbatibus appellatur.

Matth. 10.

Ioan. 12.

rum

Rom. Sedes Apostolica, & summa à Græcis hominibus vocatur.

rum habitaremus prouinciam, hanc Apostolicã & summam expetiuimus sedem. Hoc autem consonanter non solùm nos, sed & omnis prouincia & ciuitas, quæ in fide habitatur, id est, sacerdotum populorumque collegia non despicere orthodoxam fidem innouatam, & sanctam Chalcedonensem Synodum apertius proiectam, vel omnes sanctos & glorioſos patres à Sergio, Pyrrho & Paulo, qui in regia vrbe præsedisse noscuntur, necnon & Cyro Alexandrino quondam Episcopo: quique callidè quasi aliquam occasionem & cooperimentum propriæ nouitatis conuocationem impiorum & hæreticorum facientes, perfidiam eorundem hæreticorum contra orthodoxos Ecclesiæ alumnos introduxerunt, ab antiquo celatam aperientes hæresin ipsorum, vtpotè vnam in Christo voluntatem & operationem confiteri promulgantes sanctam Dei Ecclesiam, consonanter Seuero & Apollinari. Nestorio atque Theodoro, qui in confusione & diuisione Christi Dei mysterium corrumpunt, peruersis hæreticis. Et nunc autem præsentes petimus, & interpellamus, ac coniuramus omnes sanctissimos vos patres, id est, Apostolicam & principalem sedem, per sanctam & consubstantialem venerandam Trinitatem, authricem omnium, quæque sunt naturaliter, & vnam sempiternalem deitatem, & omnem cœlestem sanctam angelicam militiam & officium, quæ incessanter in gloria eius per sanctam laudem eidem beatæ deitati offert, necnon sanctos Apostolos, prophetas & martyres vel doctores, siue sanctas & vniuersales quatuor Synodos, quæ in Nicæa, in Constantinopoli, in Epheso prima, & in Chalcedona, atque secunda in Constantinopoli congregata est, sancta quinta Synodus & omnes compendiosè, qui à seculo sunt sanctos, quorum dogmatibus non minùs quàm sanguinibus sancta fides seruata est & stabilita, & in vos sanctissimos deputata est, non despicere Christianorum preces, quas per tanta tempora vndique Deo, similiterque sanctissimis vobis obtulerunt, neque humilium nostrorum præsentium & absentium de hoc capitulo cum lachrymis postulationes: sed canonicè & synodaliter expugnatam à prædictis viris sanctam fidem defendite, & omnibus post Deum eam saluate integram, synceram & sine innouatiõe, pijssimo sicut & anteà, coruscante verbo in omni mundo orthodoxis sacerdotibus ac populis vel monachis: quoniam omnium corda post Deum in vos pendent, summum ecclesiarum scientes vos caput à Christo Deo nostro præpositum, & hos ipsos, id est, Sergium, Pyrrhum & Paulum, & eorum pro impia * inuocatione verba vel dogmata, & omnes, qui cum eis quolibet modo, vel verbo, aut tempore, vel loco secuti sunt vel consenserunt, aut facturos in transgressione paternarum definitionum vel dogmatum anathemati personaliter submittere, neque impersonaliter contra eos sententiam proferre, quia hæc lex Synodalis non est ecclesiæ, vt querela in scripto personaliter proposita, impersonaliter contra nullum proferatur sententia. Cum quibus iustè & Typum, qui nũc contra orthodoxam fidem factus est ex subreptione, non ex studio aut mente pijssimi nostri Imperatoris, sed suasione importuna, & falsiloquio Pauli depositi à prædecessore vestræ sanctitatis Theodoro, sanctissimæ recordationis Papa vestræ Apostolicæ sedis, eidem anathemati submittere: in quo Typo sine operatione & voluntate omninò, id est, sine intellectu & anima immobilem ipsum gloriæ Deum Dominum nostrum Iesum Christum dogmatizauerunt, similiter gentilium idolis inanimates, (de quibus dicit magnus Dauid: Idola gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: pedes habent, & non ambulabunt. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis: quoniam tale est, omne, quod sine operatione & voluntate est) per hoc quod dicitur, nulli licere omninò in Christo vnam aut duas operationes vel voluntates confiteri: quod omnium sanctorum patrum & Synodorum, sed etiam ipsius Christi Dei mysterij perfecta denegatio extitit, si vtique nemo, neque vna de sanctis patribus & Synodis, ipsum Dominum nostrum & Deum Iesum Christum, diuina & humana carentem secundùm naturam prædicauit ac definiuit operatione vel voluntate: sed sicut diuinam & humanam naturam, id est, duas naturas eundem per vnitionem inconfusam & indiuisam, ita & diuinam voluntatem & operationem, atque humanam voluntatem & operationem tam per glorioſa atque diuina eius miracula, quamque per voluntarias & humanas passiones in ipso vno confirmatas Deo verbo incarnato firmiter sanxerunt, ad indiminutam & immaculatam veracium rerum approbationem, ex quibus, & in quibus, & quæ est ipse vnus Dominus & Deus noster, siue eiusdem naturaliter deitatis & humanitatis, vtpote neque vna carente operatione naturali & voluntate: atque confirmare synodaliter pietatem, sicut duas naturas, ita & duas naturales operationes & voluntates vnius eiusdemque Dei verbi incarnati nos venerari piè promulgantes, secundùm prædictorum sanctorum patrum diuinam traditionem, certissimè hoc scientibus vobis sanctissimis, quod si aliter, quàm à nobis pro pietate piè postulata sunt, quicquam omninò integritatẽ fide corrumpens, à vestra terminetur beatitudine, (quod absit, abfuturumque sit: hoc enim omninò incredulum nobis est) liberi sine dubio atque innocentes ab hoc quod fiet existimus. Pro qua re ad perfectam nostræ humilitatis ædificationem & munitionem, rogamus vestram sanctitatem vsque ad vnum apicem cum omni * acribia secundùm Græcam interpretari vocem, quæ nunc à vobis sanctè aguntur ac definiũtur pro causa orthodoxæ fidei, quatenùs eorum scientiam accipientes, cum cognitione nostra sub his offeramus, beatissimis vobis confessionem, permanentes intransgressibiliter in his, quæ orthodoxè definit secundùm sanctorum (vt dictum est) Patrum & Synodorum doctrinam sacram & traditionem gratiæ, quæ in eo est, Domino & Deo nostro synceræ confessionis & fidei.

* id est, diligentia

Ioannes Abba presbyter monasterij Patris nostri S. Sabbæ, postulans manu propria subscripsi.
Thalassius misericordia Dei Abba presbyter sanctæ Dei genitricis, & beati Andreæ, postulans propria manu subscripsi.
Theodorus gratia Dei Abba presbyter monasterij venerandæ Labræ sancti Sabbæ, postulans manu propria subscripsi.
Georgius Abba presbyter similiter.
Theodorus Abba presbyter, similiter.
Theochariſtus misericordia Dei presbyter, similiter.
Theodorus misericordia Dei diaconus, similiter.
Paulus misericordia Dei presbyter, similiter.
Theodorus presbyter, similiter.
Zosimus presbyter, similiter.
Ioannes presbyter, similiter.
Theodorus monachus, similiter.
Polychronius diaconus, similiter.
Constantinus diaconus, similiter.
Petrus diaconus, similiter.
Theodorus diaconus, similiter.
Sergius monachus, similiter.
Thomas diaconus, similiter.
Georgius diaconus, similiter.
Stephanus diaconus, similiter.
Sergius monachus, similiter.
Andreas diaconus, similiter.
Eutychius monachus, similiter.
Cosmas monachus, similiter.
Muconius monachus, similiter.
Abrahamius monachus, similiter.
Ioannes monachus, similiter.
Anastasius monachus, similiter.
Theodorus monachus, similiter.
Theoctistus monachus, similiter.
Leontius diaconus, similiter.
Paulus monachus, similiter.
Petrus monachus, similiter.
Ioannes monachus, similiter.
Maximus monachus, similiter.
Anastasius monachus, similiter.
Leontius monachus, similiter.

Dixit sanctissimus episcopus Caralitanus, dixit:

Relectus libellus venerabilium Abbatum, presbyterorum & monachorum, quomodò præuidistis sanctissimi, apertissimam habet & indubitatam accusationem cõtra Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum, & qui cum eis sentiunt. Hi nanque Saluatoris nostri in pace cõsistentem per prauas eorum doctrinas conturbauerunt omnem Ecclesiam, vnã & nec vnam asserẽtes Christum habere voluntatem & operationem, quasi sub prætextu pietatis fidem adulterantes, atque propheticam interminationẽ à proprijs sensibus excludentes, qua dicit: Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum. Et iterum sapientissimus Salomon ait: Quoniam qui loquitur iniqua, non potest latere, nec prẽteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad dominũ perueniet, ad correptionem iniquitatum illius: Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. Hæc enim si cõplecti voluissent in proprio sensu, ad reprobum sensum minimè laberentur, sed per Dei timorem sermonum suorum præcauentes custodiam, piam sanctorũ patrum definitionẽ sine quadam nouitatis præsumptiõe vtiq; conseruarent: quoniam dicit, Consilium bonum conseruabit te, mens aũt bona custodiet te. Propter quod veraciter reuerẽdissimi abbates, presbyteri & monachi commoti, aduersus nouitatis commentum querelas nobis obtulisse noscuntur, coniurantes nos, vt canonica vltione damnetur. Cõsonantes autem sanctis patribus, per proprium libellum clarè confessi sunt saluari sicut vnius eiusdemq; Christi secundùm substãtiam vnitas naturas, ita secundùm numerum naturarum, naturales eius voluntates & operationes, ex quibus diuina & humana naturaliter idẽ volens atq; operatus, Deus simul & homo veraciter cognoscebatur naturaliter, vtpotè vtriusque naturæ saluans indiminutè naturalem proprietatem & post vnitatem, ex quibus consistit. Ita nanq; sanctorum patrum in Chalcedonensi Concilio conuenientium docere nos definitio demonstratur, sed & omnium sanctorum patrum chorus. Pro qua re zelum pietatis Catholicisq; dogmatibus cõgestum libellum eorum nostris actibus præcipimus sociari, ad conuincendam nouitatem, quæ ab eis in accusatione deposita est.

Habac. 2. Sap. 1.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ Sedis, dixit:

Suggero beatitudini vestræ, quod & ipsam scire sine dubio confidimus, vtpotè omnium retinentem & supportantem cum multa solicitudine, quæ in Deo est, eorum quę necessantur, vigilantem memoriam, quoniam in scrinio sanctæ vestræ Ecclesiæ plurimæ suggestiones supplicum cum omni cautela reconditę sunt, postulantium per diuersa tempora vestram principalem Apostolicamque sedem, propter nouitatem nuper emersam à Cyro & Sergio, vel qui cum eis sentiũt, quatenùs eam deponere, & canonico anathemati eam submittere debeat. Porrò, si placet vestræ beatitudini, aliquas de præfatis suggestionibus intimare gestis synodaliter, quæ ab ea nunc celebrantur, ad ampliorem ostensionẽ fraudulentæ immutationis paternarum institutionum, ab aduersarijs præsumenter expositæ, propter quam etiam diuersi querelas contra eos deposuisse noscuntur, quæ præcipit, edisserat.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

OPORTET pro cautela eorum, quæ apud nos Synodaliter peraguntur, iuxta submonitionem dilectissimi Primicerij nostri, & aliquas de oblatis pro huiusmodi quæstione relationibus, & in nostro scrinio reiacentibus, ad intimandum deduci, & per eos quorum interest, lectione vulgari.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ Sedis, dixit:

Afferens de venerabili scrinio, præ manibus habeo suggestionem Sergij Cyprensis archiepiscopi, directam ab eo per nuper transactam primam Indictionem, id est, ante septem annos, Theodoro beatæ memoriæ decessori vestro:

Epist. synodalẽ fuisse sentit Baron. an. 643. n. 9.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

MEMORATA suggestio Sergij Cyprensis insulæ Episcopi, suscepta lectioni pandatur. Et accipiens Exuperius notarius regionarius Apostolicæ sedis, de græco in Latinum interpretatam, recensuit in his:

Literę Sergij Cypr. episcopi ad Theodorum Papam quẽ vocat patrẽ patrũ, & vniuersalẽ Papã.

SANCTISSIMO & beatissimo à Deo nostro honorabili domino meo, patri patrum, Archiepiscopo & vniuersali Papæ domino Theodoro, Sergius humilis in domino salutem.

Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam sedem constituit, ô sacer vertex, CHRISTVS DEVS noster. Tu es enim, sicut diuinum veraciter pronunciat verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt: tibi & claues cœlorum commisit, atque ligare & soluere protestatiuè, quæ in terra & in cœlis sunt, promulgauit. Tu profanarum hæreseum depositor existis vt princeps & doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, pater, fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, necnon periclitantem: resolue nebulam insipientium lumine tuæ diuinæ scientiæ, ô sanctissime. Abscinde blasphemias & iactantiam vaniloquiorum, & nouiter emergentium hæreticorum doctorum. Mihi etenim minus est orthodoxæ & Apostolicæ vestræ definitioni atque traditioni, quatenus augmentum aliquod suscipiat à nobis fides. Nos autem à DEO inspirati, & sanctorum Apostolorum confabulatores & consacerdotes sapuimus, confitemur atque confessi sumus à pristinis temporibus & ex ipsis cunabulis secundùm sanctum atque beatissimum Papam Leonem, prædicantes omnibus & confitentes: Operatur vtraque natura cum alterius communione. Cum quo beatissimo viro & omnes à DEO inspirati & sancti patres fatentur. Et hæc quidem à nobis humilimis seruis vestris atque discipulis prosecuta sunt: Multiloquium autem & contradictionem aduersariorum non admittimus, quia parati sumus pro orthodoxa fide, auxiliantibus vobis sanctissimis & orantibus, martyrium suscipere. Et si quidem voluerint ea, quæ inane ad consummationem animarum dogmata, hoc est, ad interitum doctrinæ & confessionis sanctorum patrum, & glorioſi atque præcipui Papæ Leonis proposita sunt, in regia vrbe deponere, quorum contraria sapientes non desistimus, sufficit hoc atque DEO pax sanctis ecclesijs intercedit, & omnis diuisio Ecclesiarum de medio absistit, necnon schismata dissoluuntur ad vnitatem denuò restaurata. Si autem noluerint hoc facere, Apostolicos vos patres sequentes, in scripto & sine scripto eos anathematizamus. Non est enim, non est Deo placitum neque iustum, proposita pestilentia hæresium & anathematis blasphemijs, verbis contendere. Honorent igitur rationem, & erubescant Deum, & huiusmodi blasphemias subtrahere festinent, & in quocunque voluerint loco vel tempore, de quibus existimant sapere, mouemus dogmata. Compendiosè autem, ô sanctissime, dicimus: Ea, quæ ad euersionem & depositionem à DEO inspiratorum patrum, & sanctissimi Papæ Leonis, necnon vestræ à DEO sapientiæ conscripta sunt, deponantur. Nam & nos, sicut dictum est, iubentibus vobis dominis nostris, & à Deo inspiratis patribus, percutimus eos anathematibus, & tunc motiones de quæstionibus eorum & certamina faciemus, sperantes in vestram DEO placitam & beatam protectionem, quoniam non reueremur neque formidaturi sumus timore, vbi non est timor, præposito Deo & ortho-

Epist. 10.

doxa

doxa requisitione. Vsque ad hanc igitur diem dispensationem aliquam quærentes, tacuimus eis, arbitrantes ad meliora immutare eos proprias doctrinas. Sic etenim & sanctissimæ memoriæ Thius noster Archadius sapuit, vestram orthodoxam sequens doctrinam, cuius vestigia & nos omni virtute sequi oramus, consonantes orthodoxæ & à Deo inspiratæ doctrinæ vestræ sanctissimæ dominationis atque paternitatis. Vlteriùs autem iam non patimur, seminantibus eis zizania & scandala, vt ita dicamus, in omnem mundum. Hi sunt nostri sancti Concilij intellectus, sed & tomum beatæ memoriæ, & à Deo inspirati admittit & amplectitur Leonis, & sicut ancoram salutiferam orthodoxiæ detinet, & vestris diuinæ scientiæ lætatur dogmatibus, nihil omninò minuës, & cum ea orthodoxa confessione proficisci & ad Dominum, & terribili eius exorat adsistere iudicio. Deus igitur creator omnium, conseruet longæuum sanctissimum dominum nostrum, ad stabilitatem sanctarum eius ecclesiarum & orthodoxæ fidei, vos pastorem bonum, qui pro spiritalibus ouibus tuam animam pones, atq; pastorali baculo lupos rapaces expelles. Omnes, qui digni sunt adsistere sanctissimo & à Deo honorato domino meo, ego & qui mecum sunt, plurimùm in Domino salutamus, & subscriptio: Incolumem me & Domino beneplacitum ora sanctissime pater patrum.

Maurus reuerendissimus Cæsenæ Episcopus, necnon Deusdedit presbyter Rauennatis, locum præsentantes sanctissimi Mauri Episcopi Rauennatis, per vnum eorum, hoc est, Maurum Episcopum Cæsenatem, dixerunt:

CONGRVVM est, secundùm quæ nunc relecta sunt nobis per suggestionem Sergij Cyprienſis insulæ Archadij Episcopi de personis, quæ ab ipso sunt accusatæ, propter eorum introductam nouitatem, vt hoc quod ex persona Domini à beato Hieremia dictum est, & nos competenter dicamus, Obstupuit cœlum super hoc, & tabuit in ampliùs terra: quoniam duo mala fecerunt contrarij: Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas contritas, quæ non valent continere aquas. Cisterna namque contrita, est omne verbum ex quadam hominum adinuentione compositum in alligationem erroris, quæ ab orthodoxis facilè velut aranea dissipatur: non enim de fontibus salutiferis spiritaliter ad acquisitionem * æternæ procedit. Atque ideò competenter nos beatus Paulus Apostolus præmuniens, ait non debere plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, in definitione pietatis perdurâtes. Qui enim hanc præterierunt, non tantùm læsi sunt, decidentes à corroboratione sua, sed & insipientiæ suæ dereliquerunt hominibus memoriam, vt in his in quibus peccauerunt, nec latere potuissent. Gloria enim & contumelia in loquela & in lingua hominis, casus est illius. Ideoque conueniens est, hanc quidem suggestionem ad ostensionem reprehensæ hæresios nostris actibus inseri. Nec enim fas est supplicum Apostolicæ sedis in scripto & sine scripto precationes oblatas displicere, sed vt condecet, cum omni probitate contrarij, & veluti paleati verbi per ventilabrum canonicæ examinationis plenam purgationem in communi cõsistentes efficere de maturis & nutrientibus Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus, quæ confirmant cor hominis pet participationem paternarum institutionum.

THEOPHYLACTVS PRIMICERIVS NOTARIORUM Apostolicæ Sedis, dixit:

Notum facio vestræ beatitudini, quoniam & aliam suggestionem supplicum præ manibus habeo de quæstione, quæ nunc proposita est atque apud vos flagitari dinoscitur, directam à reuerendissimis Episcopis Africani Concilij per nuper transactam quartam Indictionem beatæ memoriæ Theodoro, decessori sanctitatis vestræ. Ideoque dignetur de ea quoque, quæ placent, præcipere.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

MEMORATAM in præsenti suggestionem reuerendissimorum Episcoporum Africanæ prouinciæ, coram sancto nostro Concilio recenseri præcipimus. Et incipiens Theodorus notarius regionarius Apostolicæ sedis, relegit in his:

DOmino beatissimo Apostolico culmine sublimato, sancto Patri patrum, Theodoro Papæ, & summo omnium præsulum Pontifici, Columbus primæ sedis Episcopus Concilij Numidiæ, & Stephanus primæ sedis Episcopus Concilij Byzaceni, & Reparatus Episcopus primæ sedis Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs antedictis Africanæ prouinciæ: Magnum & indeficientem, omnibus Christianis fluenta redundantem, apud Apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuersum largissimè irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decreuére reuerentiam in requirendis DEI rebus, quæ omninò & solicitè debent, maximè verò iusteque ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis vel in longinquo positis ageretur prouincijs, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almę sedis vestrę fuisset deductum, vt huius authoritate, iuxta quæ fuisset pronunciatio firmaretur, indeq; sumerent cæteræ ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diuersas totius mũdi regiones puritatis incorruptę maneant fidei Sacramenta salutis. Quocirca humilimum vestro Apostolico culmini persoluentes obsequium, cum lachrymis suggerimus, quod sine cordis gemitu reticere non valemus, ante hoc temporis spatium exosum apud Constantinopolitanã ciuitatem nouitatis commentum ad nos vsque opinanter fuisse delatum. Et vt hactenus siluissemus, putauimus sereniſſimo examine vestræ Apostolicæ sedis fuisse defectum. Quod vbi pertinaciter cognouimus inualescere, relegentes videlicet libellum Pyrrhi nostri fratris & coepiscopi dudùm eiusdem Constantinopolitanæ ciuitatis, apud vestram venerabilem sedẽ prolati, relationem qualem necessitas exigit fratri Paulo, nunc Constantinopolitanæ ciuitatis ecclesiam occupanti, emisimus, exhortantes cùm nimio fletu iam dictum nouitatis commentum, non quidem suis temporibus adinuentum, à suo videlicet authore confutatum, à se quoque vel ab omni ecclesia, cui præsidet, repellere, & chartas omnes præ foribus ipsius sanctæ ecclesię ad scandalum populorum suspensas proijcere, qualiter fides quæ nunc vsque permansit integra, & Apostolica eruditio illibata seruetur. Certum est enim, quòd tales sermonum nouitates de malo gloriæ amore nascuntur: dum sibi nonnulli volunt acuti, perspicaces & sapientes videri, quærunt quid noui proferant, nescientes, quia Deus noster infirma mundi eligit, vt confundat fortia, & sapientes per mundi stulta confudit. Ad Timotheum quippe doctoris gentium sollicitè legisset sermones, quibus ait, vt nouitates vitet, vocum profanas. ad impietatem nempe ista proficiunt, quæ super spinas & tribulos contulerunt: & Epheſi remanens denunciet quibusdã, nè quis aliter prædicaret. Et vt aliqua de veteribus proferamus, Hieremiæ Prophetæ verba sunt: Horribilia, inquit, facta sunt super terram: Prophetæ iniquitatem prophetant. Multa sunt diuinæ legis documenta, quæ de largo vestri culminis fonte nostris riuulis infundantur. Quia verò in quandam suspectionem nostra. Africana à malignis hominibus apud memoratam regiam ciuitatem recitata est prouincia, antè dictam relationem memorato fratri Paulo Constantinopolitano antistiti transmissam vestræ Deo amabili beatitudini direximus, quam rogamus humiliter per vestræ sacratissimæ sedis responsales transmittere, qualiter prosperè cognoscamus, si memoratus superiùs frater à nefanda se nouitatis adinuentione ad integram reformauerit orthodoxæ fidei prædicationem. Quòd si dissimulauerit, au-

Epistola Africanorum antistitum ad Theodorũ Papam. Laus eximia Romanæ Ecclesiæ, à tribus Cõcilijs Africanis tributa.

Nota.

Hæreses parit amor gloriæ, & philautia. 1.Cor.1. 1.Tim.6. 2.Tim.2.

1.Tim.1. Hier.5.

thoritas almæ sedis vestræ iuxta Patrum sanctiones salubri consilio pertractabit à sano corpore separare vulnus insanum, remotoq; morbi sæuientis flatu, cautiùs, quę sunt syncera, perdurent, & grex purior ab hac mali contagione, spiritali vestri culminis ferramento purgetur. Nouissimè hoc, necessitatis euentu quod accidit, in veritate suggerimus, quia nobis specialiter per vnamquamque prouinciam synodos contrahentibus venerandas, dum ex nostro collegio fratribus electis plenam transmittere nitimur legationem cum nostris relationibus, quędam oborta sunt, quę nostram intentionem rationabiliter prohiberent. Sed huius rei, quā memorauimus, vrgente necessitate, generali Africanæ prouinciæ constituto per legatos diuersorum Conciliorum inito, generalem hanc prosperè vestro culmini demandauimus relationem, postulantes non nobis, sed ipsi quæ euenit, necessitati adscribere. Ora pro nobis domine sancte ac beatissime Patrum pater. Ora pro nobis domine sancte ac beatissime Patrum pater. Ora pro nobis domine sancte ac beatissime Patrum pater.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

RECTA in præsenti suggestio reuerendissimorum Episcoporum prouinciæ Africæ, generalis & catholica esse reperitur, id est, ab vniuerso, quod ibidē consistit, omnipotentis Dei Ecclesiastico sacerdotio, & hoc luculentiùs approbari dinoscitur per validissimam subscriptionem super annexam. Habet namque sicut nostis dilectissimi fratres, in primo loco Columbum reuerendissimum Episcopum Numidiæ, primatem Episcoporum sancti Concilij eius. Deinde sancti Concilij Byzaceni Stephanū reuerendissimum primatem, necnon sancti Concilij Mauritaniæ Reparatum reuerendissimū primatem, omnes consonanter accusantes, & ad condemnationem exurgere deprecantes nostram Apostolicam summamq; sedem contra nouitatis commentum. Qui propter eximium amorem, quem habere videntur, & pijssimo principi per suam suggestionem acclamantes, cōtra nouitatis defensores, id est, Paulum Cōstantinopolitanum Antistitem supplicabiliter suggesserunt: sed etiā & prædicto Paulo pro hoc ipso aliam synodicam destinauerunt Epistolam, quatenùs à defensione huiusmodi prauitatis, quę ad euersionem paternarum & synodalium definitionum ab anteceſſore ipsius Sergio irrationabiliter exposita est, compescere * re debuisset, memorantes etiam nobiscum congratulati pro exposito anteà in scripto libello conuersionis Pyrrhi oblato ab eo, corrigēte tunc proprium errorem, licèt ad eum iterum ex amentia reuersus est. Ergo quoniam per hanc suggestionem eorum, aliarum duarum suggestionum memorari noscuntur, quorum & exemplaria ad Apostolicam nostrā sedem certi sunt direxisse, oportet hanc quidem fidei gestorum inseri, exemplaria verò prædictarum duarum relationum proculdubiò in hoc sancto Concilio præsentari ac relegi, per quas zelum pariter purissimum ac syncerissimum fidei suæ, prædicti reuerendissimi episcopi Africanæ prouinciæ congruè nobis declarasse noscuntur. Sic etenim per lectionem ipsarum gestis nostris virtus validissima inhærebit, ad probatio existens cōtrariorum, qui & diuersarum prouinciarum, id est, ecclesiarum submoniti contestationibus, nullo modo passi sunt excessum proprium emendare.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Secundùm præceptionem vestræ beatitudinis, aliarum quoque duarum suggestionum de venerabili vestro scrinio adferens exemplaria, præ manibus habeo, quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ dixit:

EXEMPLAR synodicæ suggestionis directæ ad serenissimum principem à reuerendissimis episcopis Africanis, imprimis suscipiatur, & coram hoc sancto Cōcilio competenter lectioni pandatur.

Et accipiens Paschalis notarius regionarius Apostolicæ sedis, relegit in his.

DOmino clementissimo terræ mariśq; domino Constantino Augusto, Stephanus primæ sedis Episcopus, vel vniuersi Episcopi Concilij Byzaceni vestræ pietatis vltimi famuli. Omnipotens Deus Ecclesiæ suæ prouidens, præscitos ac prædestinatos in præsidio eius constituit Romani nominis reges, vt quoties turbo dibolicæ factionis quiddam cōtra eam excitare tentauerit, à vestræ clemētiæ rigore valeat comprimi: quatenùs quies eius procurata, vestræ potentię suffragio debeat defensari: quia ei potestatem vestram seruiendo subijcitis, cuius munere & protectione imperatis. Vnde diuinitùs præordinati, eius curam singularem habetis aut primā. Scriptum est igitur de vobis, & de eadē sancta Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa: Erunt reges nutritij tui, pariterque scriptum est: Honor regis iudicium diligit: quia dum diuina rebus humanis pręponitis, & orthodoxam fidem curis secularibus præfertis, quid aliud quàm iudicium rectum Dei cultui immolastis? Pro qua re pietati vestræ cuncti vestræ Africæ Domini sacerdotes coram Domino supplicamus, vt nouellæ præsumptionis scandalum, quod aduersus fidem nostram attentatum est, auferatur, fratremq; nostrum Paulum, Constantinopolitanæ ecclesiæ Episcopum, regali authoritate, vt nobiscum, id est, cum omni generalitate orthodoxè sapere debeat, coarctare dignemini. Fidem namque rectam, à sanctis Patribus nobis traditam, sine adiectione aut imminutione custodire debemus: quia quicquid auctum fuerit aut subtractum, nunquàm probatur fuisse perfectum. Scripsimus enim prædictò fratri & coepiscopo nostro Paulo, per latores præsentium, vt nostra eum vice cum vestræ clementiæ præceptione admoneant, destinantes iniunximus: quos vestræ mansuetudini commendantes, petitionis nostræ vota vt effectui mancipentur, omnes vnanimiter genu mentis flexo deprecamur. Pro qua re expedit, censuræ eius & famæ, vt quod author tantæ præsumptionis correxit, a se vel ab alijs non sinat incorrectum iam iamque scandalum defensari. Iniunximus autem legationi nostræ supplici pietatis vestrę, vt ea quę prędicto fratri nostro scripsimus, ad pias vestræ serenitatis aures deducere non morentur: quatenùs pietas vestra, diuinitatis amore instructa, pro pace Ecclesiarum Dei regale præcipiat largiri præsidiū, vt pace Dei fruentes, quæ omnem superat intellectum, regnum vestrum in pace securum annis innumeris propagetur. Omnipotens Deus noster, cuius potestate cuncta regun tur, benignus ad vestrum respiciat principatum, paganasq; gentes, quæ de sua feritate confidunt, potentiæ suæ dextera pietatis vestræ Christianissimę ditioni subiugare dignetur. Et subscriptio.

Theophanes Constantē nominat Imperatorē illum, qui hic Constantinus: alibi Constantius appellatur.

Esa. 49. Psal. 95.

Stephanus, primæ sedis EPISCOPUS, his pijs precibus nostris subscripsi.

Secundus. gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Tagasensis, his pijs precibus nostris subscripsi.

Datianus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Turreblandis, his pijs precibus subscripsi.

Saturinus, EPISCOPUS sanctæ ECCLESIÆ * Miricianesis, his pijs precibus subscripsi.

Ioannes, gratia Dei EPISCOPUS sanctæ ecclesiæ * Mibiarcesis, his precibus subscripsi.

Ianuarius, gratia Dei EPISCOPUS sanctę ecclesiæ * Gattianesis, vt suprà.

Benerius, humilis misericordia Dei EPISCOPUS sanctę ecclesiæ ciuitatis Turditanæ, vt suprà.

Romulus, humilis misericordia Domini Dei episcopus sanctæ ecclesiæ ciuitatis Ticibus, vt suprà.

Candidus, gratia Dei EPISCOPUS sanctæ ecclesiæ patriæ Dicensis, vt suprà.

Restutus, Dei misericordia EPISCOPUS sanctæ ecclesię, Iubeclidien. vt suprà.

Fortunius, gratia Dei episcopus Cellen. vt suprà.

Criscentinus, gratia Dei episcopus sanctæ ecclesiæ ciuitatis Leptis, vt suprà.

Stepha-

Stephanus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Talaptensis, vt suprà.
Ebasius, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Vico Ateriensi, vt suprà.
Donatus, gratia Dei Episcopus sanctę Ecclesiæ Limmicensis, vt suprà.
Theodorus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ ciuitatis Tamazeni, vt suprà.
Optatus, gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Antentensis, vt suprà.
Constantinus gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Helienſis, vt suprà.
Stephanus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Taraquēsis, vt suprà.
Victorinus, Dei misericordia Episcopus sanctę ecclesię Temunianensis, vt supra.
Paschasius, misericordia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Detorianensis, vt suprà.
Iulianus, misericordia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Ruspensis, vt suprà.
Salustius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Rebianēsis, vt suprà.
Donatus, misericordia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Vniziuerensis, vt suprà.
Theodorus, humilis Episcopus sanctę ecclesię Hirinensis, vt suprà.
Beatus Stephanus Spes in Deo, misericordia Dei Episcopus sanctę ecclesiæ Quæstorianensis, vt suprà.
Mustulus, misericordia Dei Episcopus sanctæ ecclesię* Cebaradefensius, vt suprà.
Beatus Laurentius, Tarasus, humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ ciuitatis Vsilabis, vt suprà.
Stephanus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ ciuitatis Gummasis, vt suprà.
Stephanus Episcopus his precibus nostris subscripsi.
Bonifacius, pietate Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Iustini ac Maximiensis, vt suprà.
Cyriacus, gratia Dei Episcopus, vt suprà.
Ianuarius, misericordia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Banensis, vt suprà.
Felix, gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ ciuitatis* Theniſijs, vt suprà.
Quintus, humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ* Acolitaneus, vt suprà..
Spes, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ* Secrepedulesis, vt suprà.
Nepus, gratia Dei Episcopus, vt suprà.
Felix, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesiæ* Municipijs & Gernisis, vt suprà.
Pentasius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Turrium* Tamulus, vt suprà
Bonifacius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Sasuritanæ, vt suprà.
Numidius, humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ* Sofianæiuncis, vt suprà.
Benadus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Hermianensis, vt suprà.
*Valentimanensis
Rodibaldus, gratia Dei Episcop⁹ sanctæ ecclesiæ* Valentinianensis, vt suprà.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

PER propriam relationem venerabiles Episcopi Africanæ prouinciæ Dauidicum sermonem adimplere nosCuntur, quo dicit: Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non cōfundebar. Non enim confusionē, sed potiùs gloriam inferunt diuinorum dogmatum eloquia principibus, pariterque priuatis hominibus, atque sacerdotibus Catholicæ Ecclesiæ, qui cum fiducia multa Euangelium gratiæ annunciant. Vnde & prædicti reuerendissimi Episcopi suggerētes clemētissimo principi innotescere studuerunt, quoniam honor Principis iudicium diligit verum ac Deo placitum. Quod itaque iudicium mala hortatur nos declinare, bona autem admonet conseruare imperiali lege firmata: per quam legem & Paulum Constantinopolitanum antistitem deprecati sunt serenitatem eius, vt de lapsu proprio eum reuocare dignetur, quatenùs de medio extrusa nouitatis præsumptione, sanctorum Patrum immobilis & sine cuiuslibet adiectione vel diminutione fides ab omnibus firmiter valeat profiteri. Igitur præsente suggestione, quæ ad serenissimum principem directa est ab Africanis Episcopis, actibus nostris inserta, oportet Synodalem Epistolā, ad Paulum Constantinopolitanum antistitem destinatam, per lectionem nobis fieri manifestam.

Et accipiens Exuperius notarius regionarius Apostolicæ sedis, coram omnibus relegit in his.

Epistola Episcoporum Africæ ad Paulum Constantinopolitanū episcopū.

DOmino beatissimo, & honorabili, sancto fratri Paulo Patriarchæ Gulosius, Probus, & cæteri Episcopi sancti Concilij proconsularis, qui subter subscripturi sumus. Caput & fundamentum fidei Catholicæ vel vniuersalis Ecclesiæ noster Deus & Dominus Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto indiuisam habēs naturam Deitatis, suis (sicut nos Euangelium docet) ait discipulis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Matt. 28.
Dum ergo, in nomine, diceret: non, in nominibus, vnitatem inseparabilem, non schisma, fideliter eum colentibus, & in eum syncerè credentibus, demonstrauit. Beati igitur Apostoli præceptum sui magistri, nostri Domini Iesu Christi perficientes, sanam & rectam doctrinam in omni orbe terrarum prædicauerunt, quónam modo sit Deus colendus, & Christus eius filius noster Deus & Dominus, Deus & homo credendus, & coæternus & coæqualis Patri & Filio diuinitate Spiritus sanctus. In hac ergo sine querela vera Dei cultura Catholica sancta Ecclesia manente vnita, inuidia diaboli mors introiuit in cordibus infidelium, qui à via veritatis deuiantes, secundùm suæ errores prauæ conscientiæ à fide, sicut Apostolus loquitur, errauerunt, & inseruerunt se doloribus multis, iuxta vniuscuiusque malum intellectum per hæreses fidei Catholicæ aduersantes: contra quas concilia venerabilium Pontificum per sacras Christianissimorum Principum iussiones congregata tunc esse noscuntur, in quibus de hæreticorum diuersorum versutia, vel astuta aduersus rectam fidem eorum subtili fallacia, sancti & veri Pontifices exquirentes mundam fidei orthodoxæ, & liquidiùs declarata* omnes hæreticos prædamnantes, vnisonam dixêre sententiam, sancientes, quomodò fidelis populi* obtineret solidata, & ineuulsibiliter radicata, Christi Domini Dei nostri, quemadmodum confitemur, personam, eum, qui super hæc auderet quippiam adijcere, aut mutare, vel exinde quiddam adimere, perpetuo anathemate condemnando. Quam piam & sanctam & Deo placitam determinationem omnis suscepit libenter fidelis Ecclesia, & per tot temporum curricula habetur & retinetur à rectè credentibus hæc definitio immaculata, & immutilata firmissimè. Quia verò comperimus, quòd quædam contraria in Constantinopolitana sunt ciuitate contra instituta fidelium & antiquissimorum Patrum & vniuersalium Conciliorum proposita per chartulæ cuiusdam venenosæ dicta, miramur, immò dolemus, cur à vobis hæc sunt permanere permissa, aut non statim conscissa, & recto sacerdotali proposito radicitùs amputata. Nos ergo omnia, quæ aduersus definitiones Patrum vel sanctorum orthodoxorum Conciliorum, Catholicam fidem per Apostolorum doctrinam fundantium, & iam nouiter temporibus Sergij, tunc in tempore Patriarchæ, fuerūt assumpta vel prædicata, vtpotè execranda, damnamus, illa scilicet amplectentes, quæcunque à sanctis patribus terminata sunt, in quibus fides nostra firma & recta permanet inconuulsa, & fauente Christo, inuiolabiliter incorrupta. Nec necessarium nobis est eadem repetere, quæ semel sunt benè posita & decreta, ne ad contentionem prouocati, in periculum incidamus, suscipientes iuxta patrum definitionem anathema, si super eos aliquid dicere vel mutare, vel minuere, quod asit, præsumpsissemus noua quædam, quæ iam intelliguntur peruersa, hæretica, &

Sap. 2.
1. Tim. 6.
*dogmata
*credulitas.

Psal. 118.
Psal. 98.

Deo

Deo aduersantia capitula, cùm in assumentes talia vltio infertur iusta Diuina, nisi pœnitentiæ fletibus ad Christum, in quem delinquunt, conuerterint purissima sua corda. Hoc autem quòd sancta suscepit recta fides & vera, sicut prædicauit & fatetur vniuersalis immaculata Ecclesia, colimus & tenemus, patrem & filium & sanctum spiritum inseparabilem esse Trinitatem, vnum Deum. Vnum autem sanctæ Trinitatis, filium Dei, id est, CHRISTVM Dominum Deum nostrum, carnem veram habere humanam, cum anima rationali & intellectuali, nullatenꝰ deitate amissa aut diminuta, sed eundem nostrum Dominum Iesum Christum, Deum & hominem confitemur, dicentes & diuinam naturam, voluntatem & operationem vt Deum habere perfectum, & quod est hominis, eundem ipsum sine quolibet duntaxat peccati vel concupiscentiæ modo similiter naturam, voluntatem & operationem habere plenissimam, id est, In Deo Domino nostro Iesu Christo duas esse naturas, duas operationes, duasque voluntates naturales, sicut catholica docuit & docet semper Ecclesia. Vt autem etiam exemplis sanctorum Patrum, quæ præmissa sunt, multò ampliùs roborẽtur, eorum exempla huic nostro epistolari eloquio ex multis * parua inseri maturauimus.

* pauca

EX LIBRO SANCTI AMBROSII Mediolanensis Episcopi:

Ambrosius. Philip.2.

Inter alia Apostolus dicit: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Quòd enim quis non habet, rapere conatur. Ergò non quasi rapinam habebat æqualitatem cum Patre, quam in substantia sui tanquàm Deus & Dominus possiebat. Vnde addidit: Formam serui accepit. Contrarium vtique seruus: Aequalis ergò in Dei forma, minor in susceptione carnis & hominis passione. Nam quomodò eadem posset minor esse, æqualisque natura? Quomodò autem, si minor est eidem similiter facit, quæ pater facit? Nam quomodò eadem operatio diuersæ est potestatis? Nunquid sic potest minor, quemadmodum maior operari? aut vna operatio potest esse, vbi diuersa substantia est? Itaque accipe Christum secundùm diuinitatem minorem dici non posse.

ITEM CVIVS SVPRA:

Timet ergò Christus, cùm Petrus non timeat. Christus timet, & Petrus dicit: Animam meam ponam pro te. Ioan. 13. Christus dicit: Anima mea turbatur. Vtrunque verum est, & plenum vtrunque ratione, quòd & ille, qui est inferior, Ioan.12. non timet: & ille qui est superior, gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo, vim mortis ignorat: iste autem quasi Deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit: vt eorum, qui sacramentum incarnationis abiurant, excluderetur impietas. Denique & hæc dixit, & Manichæus non credidit, Valentinus negauit, Marcion phantasma iudicauit. Eousque autem hominem, quem veritate corporis demon- Matth.26. strabat, æquabat affectu, vt diceret: Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.

ITEM EX LIBRO, cuius suprà:

Audi etiam ipsum agere quod vult. Dixit enim: Vt faciam voluntatem tuam Deus meus, volui. & alibi: Volun- Psal.39. tariè sacrificabo tibi, & confitebor. Psal.53.

ITEM EX LIBRO, vt suprà:

Quid est quòd pater velit, & filius nolit? aut filius velit, & pater nolit? Pater, quos vult, viuificat: & filius, quos vult, Ioan.5. viuificat, sicut scriptum est. Dic nunc, quos viuificauerit filius, & pater viuificare noluerit. Cùm autem filius, quos velit, viuificet, & operatio vna sit, vide quòd non solùm filius voluntatem patris, sed etiam pater filij faciat voluntatem. Quid est autem viuificare, nisi per filij passionem? Passio autem Christi, voluntas est Patris. Quos ergò filius viuificat, per patris viuificat voluntatẽ. Vna igitur voluntas. Quæ aũt volũtas patris, nisi vt veniret Iesus in hũc mundũ, & nos mũdaret à vitijs? Audi leprosum dicentem: Si vis, potes me mundare: Respondit Iesus: Volo, & statim sanus effectus est, Videtis, quia filius suæ Matt.8. arbiter est voluntatis, & Christi voluntas eadem, quæ paterna est. Quanquàm cùm dixerit, Omnia quæ pater habet, Ioan.16. mea sunt: sine dubio, quia nihil excipitur, quam pater habet, eandem habet & filius voluntatem. Vna ergo voluntas, vbi vna operatio. In Deo enim voluntatis series, operationis effectus est. Sed alia voluntas hominis, alia Dei. Deniq; vt scias vitam in voluntate esse hominis, quia mortem timemus: Passionem autem Christi in voluntate diuina, vt pateretur pro nobis: cùm Petrus vellet Dominum à passione reuocare, Dominus ait: Non sapis quæ Dei sunt, Matt.16. sed quæ sunt hominum. Suscepit ergò voluntatem meam, suscepit tristitiam meam. confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit: quia vt homo suscepit tristitiam meam, vt homo locutus est: & ideò ait, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Matt.26. Mea est tristitia, quam meo susceptit affectu. Nemo enim moriturus exultat. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergò pro me & in me doluit, quia pro se nihil habuit quòd doleret. Doles igitur Domine IESV, non tua, sed mea vulnera: nõ tuam mortem, sed nostram infirmitatem, sicut ait Propheta, Quia pro nobis dolet. Et nos Domine Esa.53. existimauimus te esse in doloribus, cùm tu non pro te, sed pro me dolores. Et quid mirum si pro omnibus doluit, qui Ioan.11. pro vno fleuit? Quid mirum si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus illachrymat? Verùm & Ibidem. ibi piæ sororis lachrymis commouetur, quia mentem humanam tangebat: & hic alto operatur affectu, vt sicut mors eis mortem abstulit, liuor eius vlcera nostra sanauit, ita etiã mœrorem nostrum mœror eius aboleret. Vt homo ergò dubitat, vt homo turbatur: non turbatur virtus, non turbatur eius diuinitas: sed turbatur anima, turbatur humanæ fragilitatis assumptio. Et ideo quia suscepit animam, suscepit & animæ passiones. Non enim Deus eo quòd Deus erat, Psal.21. aut turbari, aut moueri posset. Denique, Deus Deus, inquit, Matt.27. meus, quare me dereliquisti? Vt homo ergò loquitur, meos circumferens metus, quòd in periculis positi, à Deo deseri nos putamus. Turbatur vt homo, flet vt homo, crucifigitur. Sic enim & Apostolus Paulus dixit, quia Christi carnem Hebr.5. crucifixerunt: & alibi Apostolus Petrꝰ ait: Christo passo secundùm carnẽ. Caro igitur est passa, diuinitas autem mortis 1.Pet.4. libera passione: corpus humanæ naturæ lege concessit. An verò morti diuinitas potest, cùm anima non possit? Nolite, Matt.10. inquit, timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt. Ergò si anima occidi nõ potest, quomodo diuinitas potest?

ITEM EX LIBRO S. AVGVSTINI HIPPOnensis episcopi aduersum Arianos:

Est in homine simile quiddam, quamuis nequaquàm illius Trinitatis, quæ Deus est, excellentiæ comparandum. Ille enim Deus est, iste creatura: habet tamen aliquid distantiæ, vbi qualicunque modo id, quod de illa ineffabili Dei natura dicitur, possit intelligi. Neque enim frustrà non est dictum. Faciam hominem ad imaginem tuam, tanquàm pater filio loqueretur, aut ad imaginem meam: sed dictum est, Ad Gen.1. imaginem nostram, quod ex persona ipsius Trinitatis rectissimè accipitur. Tria itaque ista in hominis animo cogitemus, memoriam, intelligentiam & voluntatem. Ab his tribus fit omne quod facimus: & cùm tria ista benè rectèq; sese habent, bonum & rectum est omne quod facimus: si nec memoriam decipiat obliuio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem. Ad Dei quippe imaginem sic reformamur. Omne igitur opus nostrum ab his tribus fit. Nihil enim agimus, quòd non hæc tria simul agant. Deinde cùm de singulis loquimur, etiam quod ad singula pertinet, ab omnibus agitur. Neque enim sermonem, quem de sola memoria facimus, memoria sola facit, sed intelligentia voluntasque cooperantur eum, quamuis ad solam memoriam pertinentem. Hoc & de duobus cæteris videre facilimum est. Nã quod de se ipsa intelligentia loquitur, sine memoria & voluntate nõ loquitur: sic quicquid de sola se ipsa volũtas dicit aut scribit, sine intelligentia memoriaq; non facit.

ITEM

ITEM EX LIBRO SANCTI AVGVSTINI DE gratia noui Testamenti ad Honoratum:

O homines, nolite desperare vos fieri posse filios Dei: quia & ipse filius Dei, hoc est, verbum Dei, caro factum est, & habitauit in nobis. Redite vicem, & efficimini spiritus, & habitate in illo, qui caro factus est, & habitauit in nobis. Neque enim iam desperandum est, participatione verbi fieri posse homines filios Dei, quandò filius Dei, participatione carnis factus est filius hominis. Nos itaque mutabiles in melius commutandi, participes efficimur Verbi. Verbum autem immutabile, nihil in deterius commutatum, particeps carnis effectum est, rationali anima mediante. Neque enim homo Christus, vt Apollinaristæ hæretici putauerunt, aut non habuit animam, aut non habuit ratione, aut voluntatem, sed more suo scriptura, vt & Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Neque quia scriptum est, Videbit omnis caro salutare Dei, animæ ibi non sunt intelligendæ.

Gulosus, gratia Dei Episcopus S. Puppitanę, huic libello rectæ fidei nostræ subscripsi.

Probus, gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Tatiæ Montanensis, vt suprà.

Marcellus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesiæ Mattianensis, vt suprà.

Pariator, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Hiltensis, vt suprà.

Theodorus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Biltensis, vt suprà.

Mellosus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesiæ Gisipensis, vt suprà.

Constãtinus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Talborensis, vt suprà.

Felix, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Parisiensis, vt suprà.

Paulus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Tabucensis, vt suprà.

Florentius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Egugensis, vt suprà.

Donatus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Ipporizaritensis, vt suprà.

Valerius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Tiburicensis, vt suprà.

Vitalis, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Zarnensis, vt suprà.

Crescis, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Cæsalesis, vt suprà.

Augustalis, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Abitinensis, vt suprà.

Gentilis, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Cubdensis, vt suprà.

Crescens, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Tiburnicensis, vt suprà.

Maximus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Rucumensis, vt suprà.

Victor, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Municipitogiæ, vt suprà.

Ioannes, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Elibiensis, vt suprà.

Bonifacius, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Telensis, vt suprà.

Felix, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesiæ Timidensis, vt suprà.

Fructuosus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Vinensis, vt suprà.

Benenatus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Semitensis, vt suprà.

Cyprianus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Tadduensis, vt suprà.

Bassus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Carpitanę, vt suprà.

Adeodatus, gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Abbiritanæ, vt suprà.

Victor, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Membresitanæ, vt suprà.

Vitalis, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Tizzicensis, vt suprà.

Petrus, gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesiæ Culcitanensis, vt suprà.

Ianuarius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Libertinensis, vt suprà.

Redemptus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Neapolitanæ, vt suprà.

Felix, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Aborensis, vt suprà.

Pariator, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Scilitanæ, vt suprà.

Victor, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Bulnensis, vt suprà.

Dominicus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Absasallensis, vt suprà.

Stephanus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Tuccaborensis, vt suprà.

Bonifacius, gratia Dei Episcop⁹ sanctæ ecclesiæ Pappianensis, vt suprà.

Valentinianus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesiæ Visicensis, vt suprà.

Germanus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Ciumtuturbo, vt suprà.

Fortunius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Ositanæ, vt suprà.

Redemptus, gratia Dei Episcopus Municipij Canapij, vt suprà.

Crescitурus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesiæ Busitanæ, vt suprà.

Reparatus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Meglapolitanæ, vt suprà.

Ianuarius, gratia Dei Episcopus sanctę Ecclesię Mustitanæ, vt suprà.

Maximus, gratia Dei Episcopus sanctæ Ecclesię Suensis, vt suprà.

Iulianus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesię duarum Senepsalitinarum, vt suprà.

Donatianus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Nummulitanæ, vt suprà.

Clarissimus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Tauracinę, vt suprà.

Constantinus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesię Altoburitanæ, vt suprà.

Lucianus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Succubensis, vt suprà.

Crisconius, gratia Dei Episcop⁹ sanctę ecclesię Vculensis, vt suprà.

Candidus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Sicensis, vt suprà.

Donatus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię Hortensis, vt suprà.

Florentius, gratia Dei Episcopus sanctę eccl esię Zentensis, vt supra.

Quobulus, gratia Dei Episcopus sanctę ecclesię *Cæciritanæ, vt suprà.

Felix, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Trisipellis, vt suprà.

Benenatus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Giutrambacarensis, vt suprà.

Stephanus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ *Clipiensis, vt suprà. *Clupien.

Victorinus, gratia Dei Episcopus Auziritanæ, vt suprà.

Mellosus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Bullerensis, vt suprà.

Cyprianus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Villæmagnensis, vt suprà

Nabigius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Tigimensis, vt suprà.

Tripolius, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Vcitanæ, vt suprà.

Benenatus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Naraggaritanæ, vt suprà.

Flauia-

Flauianus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Vticensis, vt suprà.

Benenatus, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Curbitanæ, vt suprà.

Fortis, gratia Dei Episcopus sanctæ ecclesiæ Agensis, vt suprà.

MAXIMVS, SANCTISSIMVS EPISCOPVS Aquileiensis Ecclesiæ, dixit:

Directa synodalis Epistola à venerabilibus Africanis Episcopis Paulo Constantinopolitano antistiti, quæ in præsenti nobis relecta est. luce clariùs eosdem ostendit impijssimum quidem intellectum denominati antistitis condemnantes, atque sanctorum Patrum pium dogma confirmantes, duas naturas, duasque voluntates, & duas operationes vnius eiusdemque Domini Dei nostri Iesu Christi dogmatizante. Et nec hoc transitoriè, aut per aliquam postpositionem, sed vt cernitis, per approbationem sanctorum Patrum, id est, Ambrosij & Augustini glorioſorum Catholicæ Ecclesiæ, eximiorumque Doctorum: per quos aduersarij, de sua malitia minimè recedentes ad meliorem sensum, nullius satisfactionis locum inuenient ab eo, quòd tam paternis testimonijs inuitati, quamque Synodalibus contestationibus in scripto & ex non scripto, ab omnibus admoniti esse noscuntur: sed & ab orthodoxis sacerdotibus præsentialiter admoniti ad correctionem proprij erroris, licèt nullo modo vocem incantantium admittere passi sunt, aures mentis obturanres, vt conpetenter in eos, quod per sapientiam dicitur, impleatur: Vocaui, & renuistis: extendi sermones, & non fuit qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini nõ susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correctioni meæ. Comedent enim fructus viæ suæ, suisque consilijs saturabuntur. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, malorum timore sublato. Profectò & hanc Epistolam, præmemorato Paulo directam à reuerendissimis Africanis Episcopis, oportet gestis inseri ad argumentum eius improbæ instantiæ vel complicum eius, quam videlicet per tot annos contra immaculatam fidem nostram Christianorum exercere noscuntur, vt ex hoc nullam habeant virtutem, quasi sine reprehensione proprium errorem in deceptione simplicium proferentes.

Psal. 57.

Prou. 1.

THEOPHYLACTVS PRIMICERIVS NOTARIORUM Apostolicæ Sedis, dixit:

Suggero beatitudini vestræ, quoniã sicuti & ipsa benè cognoscit, Synodica quoq; præsulis Carthaginensis, qui & superesse dinoscitur, sancti issimi Victoris cũ cautela seruatur in vestro venerabili scrinio saluata, ꝑ quã cõpetẽter ille decessori beatitudinis vestræ Apostolicæ recordationis Theodoro, suæ ordinationis promotionem significauit, in qua & nouam adinuentionem sufficienter & ipse accusans, petijt, quatenùs condemnatio eius à vestra Apostolica authoritate efficiatur. Propterea suggressi, si præcipit, vt cum alijs & huiusmodi Synodica examinetur apud vestram beatitudinem.

Hic in iocũ Fortunati Monothelitæ successit. vide Baron. an. 646. n. 13. & 14.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

NECESSE est, & maximè propter dignitatem sedis eius, immò autem porrectum eius intellectum, Victoris quoque Carthaginensis venerabilis Episcopi Synodicam nobis intimari, ad perfectam cognitionem virtutis eius.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Denominatam Synodicam afferens iuxta vestram iussionem, præ manibus, habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

VICTORIS venerabilis Episcopi Carthaginensis oblata Synodica, huic sanctæ Synodo, vt condecet, relegatur.

Et accipiens Paschasius notarius regionarius Apostolicæ sedis, relegit in his.

Epistola Victoris Carthaginen. episcopi ad Theodorum Papã.

DOmino beatissimo, & honorabili sancto fratri, Theodoro Papæ Victor. Vestræ beatissimæ paternitatis apud Deum acceptabilia opera, & conuersatio glorioſa penè mundo toto sunt manifesta. Prædicationibus igitur Apostolicis & doctrinis dum veræ fidei cultura vniuersa repleta sit terra, per diuinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur orthodoxa CHRISTI Ecclesia, Apostolica institutione fundata, & à fidelibus Patribus firmissimè roborata. Ad quam omnes beatissimi Apostoli, pari honoris & potestatis consortio prædíti, populorum agmina conuertentes, piè & sanctè de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam homines diuinæ prædestinationis gratia præscitos, salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum Apostolorum vestra fraternitas honoranda sequens pleniùs merita, & perfectiùs implens exempla, Ecclesiam Dei morum probitate & actuum sanctitate condecorat, & fide sacra vel Christianis moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit, studijs pontificalibus indesinenter operatur & perficit, seruans legis diuinæ mandata: Quia non legis auditores iusti sunt apud Deum, sicut narrat Apostolus, sed factores legis iustificabuntur. In qua lege diuina vestra sancta & veneranda synceritas, sicut scriptum est, meditatur die ac nocte: quæ meditatio non lectione per figuram literarum tantùm conspecta, sed vberante in vobis Christi gratia, in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita, nullatenùs de vestro corde recedente lege Christi Dei Domini sacrosancta, sicut in Psalmis dicit Propheta: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius: non atramento, sed spiritu Dei viui vestra in arcana conscripta, neque in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, sicut beatissimi Apostoli Pauli ad Corinthios missa nos docet epistola. Quibus præmissis, significamus Deo placitæ fraternitati vestræ, die 17. Kalendarum Augustarum Indictionis quartæ, nostram humilitatem diuina gratia, suo vt præcepit munere præueniente, vt vestris sanctis ac Deo dignis precibus in sancta Carthaginensis ciuitatis ecclesia pontificalis honori accepisse cõsecrationem & stolam. In quo dignitatis fastigio, vt à Deo omnipotente regamur ab altissimo, & à malis actibus liberati, sacerdotale non nomen tantùm, sed Christi Domini Dei nostri protegente auxilio & meritum habeamus, vestris sanctis ac Deo acceptabilibus nos commendantes orationibus poscimus, quatenùs & vestris deprecationibus pro nobis ad Deum effusis muniti, & eruditionibus bonis instructi, digni efficiamur cum omni nobis populo Christiano commisso illæsi protegi velamento diuino. Ad salutationem ergo vestræ sanctæ & honorandæ fraternitatis, vice nostra Mellosum humilem vestrum fratrem, nostrum Episcopum, & Redemptum diaconum, vel Crescíturum notarium sanctæ nostræ sedis, vestros famulos destinauimus, quos postulamus celeriùs nobis à vestra beatitudine persolui, quò possint ad proprias ecclesias ante hyemem Deo propitio remeare. Præ omnibus autem fateor, in ipso nostræ prouectionis exordio cor nostrum nõ leuiter vulneratum fuisse, vt propheticum illud præceptum exoptarem, dicens: Quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lachry-

Rom. 2.

Psal. 1.

Psal. 36.

2. Cor. 3.

Hier. 9.

lacrymarum, & sedens plorabo die ac nocte? Ecce enim Ecclesiæ Dei non leuiter perturbantur, Christianissimorum voces ac gemitus Episcoporum non supportamus, quærentium & clamantium nouitates & concinnationum figmenta, à Paulo venerabili consacerdote nostro, vt dicitur, contra fidem veracissimam approbata, debere repelli. Nos autem temperamentum causis innectentes, expedire putauimus, prædictorum beatissimorum consacerdotum nostrorum licèt iustissimos quæstus, æquanimiter supportare, & ad auditus venerandos fraternitatis vestræ hoc ipsum peruigili cura deducere. Inquiunt enim, quædam vice Epigrammatum, chartarum volumina in sacris ædibus apud regiam ciuitatem nuper esse suspensa, religioni Catholicæ & ipsi veræ fidei ac Patrum traditionibus omninò contraria. Quis enim vecors sacrilega voce audeat prædicare, in Domino nostro Iesu Christo, aut vnam tantummodò voluntatem, aut vnam operationem existere, dum manifestissimis Patrum definitionibus liquidiùs clareat, in Domino nostro Iesu Christo duas naturas, & earum duas voluntates, duasque operationes vel proprietates naturales modis omnibus inueniri? Et possumus multiplicibus Patrum documentis nostræ paruitatis intentionē firmare, nisi vestram sanctissimam fraternitatem in omnibus corde ea retinere firmissimè teneamus. Vt autem ipsius sedis Apostolicæ * decretis per omnia confirmemur, Leonis beatissimi prædecessoris vestri Apostolicæ memoriæ diffinitionē inseri peruidimus, & continet: Agit enim vtraque natura cum alterius communione quod proprium est. Nos itaque Patrum in omnibus decreta sequentes, in Christo Domino nostro duas naturas, earumque duas voluntates, duasque operationes firmissimè prædicamus, Deum verum atque hominem verum absque delictis humanis veraciter confitemur, repudiantes cunctarum hæresum subsannationes, vanitates & insanias mendaces. Vestrum est itaque, frater sanctissime, canonica discretione solitè contrarijs catholicæ fidei obuiare, nec permittere nouiter dici, quod Patrum venerabilium authoritas omninò non censuit, Nos enim humiles corde, quæ recta sunt adiutore Domino sapientes, vno vinculo charitatis vobiscum sumus cōstricti, veram fidem ac religionem catholicam in omnibus fortiter defensantes. Studiosius itaque à Catholicis improbis probè resistere: imminendum est, ne torpore desidiæ oppressi, culpæ taciturnitatis teneamur obnoxij, & quasi fauorem impendentes iudicemur, dum aduersa Catholicæ fidei propulsare negligimus. A beato namque Felice Apostolico vestræ sanctitatis prædecessore dictum est: Negligere quippe, cùm possis, deturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Liquet, doctor sanctissime, venenosa serpentum sine simplicitate astutia, manifesta est dolosa hæreticorum fallacia. Quid est enim naturarum in Christo Domino nostro proprietates auferre, nisi earundem naturarum confusionem inducere? quod Catholicæ Ecclesiæ, id est, statutis quàm maximè Patrum sancti Chalcedonensis Concilij extat contrarium, ex quo ampliùs & fundamentum fidei & perfectio indubitatè consistit. Possemus verò etiam eidem fratri & coepiscopo nostro Paulo beatissimæ regiæ ciuitatis antistiti similia nostris scriptis dirige, nisi malorum cognosceremus falsis locutionibus dictum fuisse, nostram quasi Africanam prouinciam posse aliqua, quæ in vero nō consistūt, mala peragere. Sed & hoc nostræ postulationi subiungimus, vt ea, quæ epistolariter à coepiscopis nostris sancti Cōcilij nostri ad beatissimum Paulum Patriarcham scripta sunt, per vestræ beatitudinis responsarios eidem fratri nostro Paulo dirigere iubeatis.

Epist. 10.

Authoritas Romani Pontificis.

Significat mot⁹ Gregorianos, de quibus Theophanes ann. 5. Constāt. Baron. an. 646.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

PER synodicam Epistolam suam dudùm nobis relectam, Victor venerabilis Carthaginēsis Episcopus tam per feruidissimum zelum suum declarauit, quamque Deo amabilem humilitatem rationabiliter certus est ostendisse. Et zelum quidem per hoc, quòd introductam nouitatem nimis accusare nostræ Apostolicæ sedi dinoscitur, & enarrare in scripto ei acclamationes penè omnium Christianorum, necnon gemitus reuerendissimorum Episcoporum, non leuiter, sicut ille scripsit, perturbatorum propter fictiones & commenta, quæ aduersus veram confirmauit fidem Paulus episcopus Constātinopolitanus. Humilitatem autem, competenter minimè præsumens abrogatum eundem Paulum habere, sed consacerdotem appellans, donec iudiciū de eo nostræ Apostolicæ authoritatis, hoc est, Principis Apostolorum Petri cognoscat: vtpotè quoniam solus atque præ omnibus creditus est atque accipere meruit à Rege regum CHRISTO Deo claues regni cœlorum, ad aperiendum rectè credētibus in eundem Dominum nostrum, & claudendum infidelibus hæreticis. Quod vtique & nos facere postulauit per propria scripta denominatus venerabilis quoque Episcopus Carthaginensis, vt non despiciamus ipsius vel consacerdotum eius contra hæreticos iustas quærimonias: sed quæ Catholicæ fidei atque verissimæ Patrum traditioni omninò contraria existunt, dijudicemus dogmata, pro eo quòd iuxta eius scripta nullus audet, licèt insanus sit, sacrilega voce prædicare, vnam in Christo Deo esse tantummodò voluntatem, aut vnam operationem: Vtpotè luculentiùs omnibus comprobatur per paternas definitiones, quoniam duæ naturæ Christi Dei existunt in vnitione inconfusæ & indiuisæ, & duæ voluntates, duæque operationes & proprietates naturales: & quia plurimis testimonijs catholicę Ecclesia Patrum huiusmodi potest Domino opitulante sermonem ostendere, licèt nobis, id est, Apostolicæ nostræ sedi hoc facere commisit, certus existent firmiùs nos habere, atque eadem sapere & defendere legitimè. Veruntamen studuit & ipse nihilominùs pium firmare intellectum per sacram vocem Leonis, nostræ Apostolicæ Ecclesiæ præsulis, in hoc quod dicit: Operatur enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est. Quibus adijciens ait, Quoniam nos decreta sanctorum Patrum in omnibus sequentes, duas naturas, ex quibus & in quibus consistit, in vnitione indiuisas: & duas voluntates, duasque operationes Christi Dei firmissimè prædicamus, Deum verum atque hominem verum absq; delictis humanis eundem veraciter confitentes, repudiantes cunctarum hæresum subsannationes, vanitates & insanias, mēdacia atq; stultitiam. Nam nos humiles, ait, corde, quæ recta sunt adiutore Domino sapientes, vno vinculo charitatis vobiscum sumus constricti, veramq; fidem ac religionem catholicam in omnibus fortiter defensantes. In his ergo propria dogmata instituens, competenter & nostram expetijt canonicè authoritatem. Propterea & scripsit, Quoniam vestrum est sanctissimi, canonica discretione aduersarijs catholicæ fidei solitè resistere, nihilq; permittere dici nouiter à quopiam, quod sanctorum Patrum traditio minimè definiuit. Et propterea contestans nos de his, quæ sunt plena timoris ac veritatis, in hoc quod scribit studiosius: Itaque oportet Catholicos improbis probè resistere, ne torpore desidiæ oppressi, taciturnitatis teneamur obnoxij, & arguamur licuti aduersa catholicæ fidei propulsare negligentes, vtpotè ad ea malignum quendam saluantes fauorem. Huiusmodi sermonem confirmans per sacram memorationem beatæ memoriæ apostolicæ viri, Fœlicis, qui scribens sapientissimè ait: Negligere quippè, cùm possis, deturbare peruersos, nihil est aliud quàm fouere eorum impietatem. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Ergò quia, vt ait, manifesta est omnibus venenosa serpentum calliditas, id est, hæreticorum fallacia, per amputationem naturalium proprietatum CHRISTI Dei confundens naturas, oportet eā sine dubio destrui, vtpotè contradicentem doctrinæ sanctorum Patrum, & maximè definitioni sancti Chalcedonensis Concilij. His itaque in scripto nobis oblatis pro Catholica Ecclesia, & tam per alios sacerdotes, quamque per antè fatum venerabilem Carthaginensem Episcopum, non nos oportet decæterò negligere & differre, nè, quòd absit, memoratis criminibus submittamur, irrationabiliter postponentes & expectantes eos, qui nolunt ad Dominum conuerti. Expectaui enim, sicut beatus Esaias perhibuit, vt faceret iudicium, fecerunt autem iniquitatem & non iustitiam, sed clamorem

Matth. 16.

Esa. 5.

omnes pios conturbantem: & hoc dum scire debeant, quoniam iudicium Dei est secundùm veritatem in eos, qui talia agunt, hoc est, qui nouitates contra fidem operantur. * licet diuitiæ bonitatis Dei & sustentationis, & patientiæ ignorantes, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducit: Secundùm autem duritiam eorum; & cor impœnitens thesaurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius, iuxta quod nobis beatus Paulus Apostolus protestatur. Oportet ergo præsentem quoque epistolam gestis sociari, ad arguendam contrariorum proteruiam. Igitur vsque ad hoc sufficiunt nobis querimoniæ contra eos, quoniam derelinquet nos tempus, iuxta quod ait Apostolus, si voluerimus omnium penè Orthodoxorum oblatas contra eos producere querelas, maximè dum & hæc nobis sufficiant, id est, ea quæ superiùs recitata sunt, vt eorum hæresim diuulgemus, & ostendamus omnibus sub accusatione eam & reprehensione meritò existentem. In ore etenim, iuxta quod dictum est, duorum vel trium testium stabit omne verbum, vt non dicatur multitudo tantorum sacerdotum & populorum, Abbatum, vel monachorum inscripto & sine scripto contra huiusmodi prauissimam nouitatem ad Apostolicam nostram sedem acclamantium. Sed iam tempus exigit, vt vniuscuiusque personæ accusatæ in medio producantur, atque examinentur canonica conscripta, quatenùs incongruitatem eius & inconsonantiam, quam cum Patrum vel synodorum confessione habere dinoscitur, ordinabiliter intendamus, atque omnibus rationabiliter ostendamus pro tuitione Catholicæ Ecclesiæ, hoc videlicet sequenti celebrantes secretario; vtpotè præsente vsque ad terminum nobis querulantium Domino auxiliante effecto.

Rom. 2. for. * per nuntq; diuitias.

Hebr. 11.

Deut. 17. Matt. 18.

INCIPIT SECRETARIVS III.

IN NOMINE DOMINI DEI SALVATORIS nostri IESV CHRISTI, *Imperij Domini Constantini pijssimi Augusti anno nono, sub die 16. Calen. Nouembris, Indictione Octaua.*

PRAESIDENTE sancto ac beatissimo Martino Papa sanctæ Sedis Apostolicæ vrbis Romæ, propositis sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs in Ecclesia Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus.

Maximo sanctissimo Aquileiensi episcopo.
Deusdedit sanctissimo Caralitano episcopo.
Mauro Cæsennate episcopo, & Deusdedit presbytero, agentibus locum Mauri sanctissimi episcopi Rauennatis ecclesiæ.
Sergio Tempsanensi episcopo.
Romano Cerellitano episcopo.
Reparato Mantuarianensi episcopo.
Crisete Lucrensi episcopo.
Epiphanio Albanensi episcopo.
Felice Agrigentino episcopo.
Benedicto * Alaceno episcopo.
Marcellino Clusino episcopo.
Iuliano Hortano episcopo.
Geminiano Volaterrano episcopo.
Papinio Vibonensi episcopo.
Mariniano Populonensi episcopo.
Maximo Pisaurensi episcopo.
Luminoso Tifernistiberinorum episcopo.
Luciano Leontinensi episcopo.
Potentino Belliternensi episcopo.
Viatore Hortonensi episcopo.
Mauro Tuscanensi episcopo.
Bonito Formiano episcopo.
Martino Gabinate episcopo.
Maioriano Prænestino episcopo.
Adeodato Spoletino episcopo.
Germano Numanensi episcopo.
Ioanne Pæstano episcopo.
Laurentio Perusino episcopo.
Gaudioso Reatino episcopo.
Caroso Faralitano episcopo.
Laurentio Taurianensi episcopo.
Martiano Mebiensi episcopo.
Ioanne Trapeiano episcopo.
Barbato Sutrino episcopo.
Lominoso Salernitano episcopo.
Calumnioso Alesino episcopo.
Sabatio Buxento episcopo.
Peregrino Messanensi episcopo.
Ioanne Tarentino episcopo.
Rufino Sipontino episcopo.
Mauro Senate episcopo.
Adeodato Amerino episcopo.
Læto Lucano episcopo.
Gaudioso Capuano episcopo.
Theodoro Rosellano episcopo.
Bonito Ferentinate episcopo.
Andrea Hydruntensi episcopo.
Mauro Senogallensi episcopo.
Iusto Tauromeritano episcopo.
Mauroso Ancenitano episcopo.
Felice Panormitano episcopo
Bono Ficuclensi episcopo.
Laurentio Tudestino episcopo
Fortunato Auximate episcopo.
Ioanne Carinensi episcopo.
Thomate Lunensi episcopo.
Albino Signensi episcopo.
Bonito Ferentispolimartio episcopo.
Augustino Squillacino episcopo.
Maximo Trocalitano episcopo.
Ioanne Rhegitano episcopo.
Paschale Blandano episcopo.
Barbato Cumano episcopo.
Luminoso Marsorum episcopo.
Felice Terracinensi episcopo.
Glorioso Camerino episcopo.
Oportunio Anagnino episcopo.
Decorato Tiburtino episcopo.
Firmino Blerano episcopo.
Amabile Hortensi episcopo.
Iouiano Firmano episcopo.
Albino Portuensi episcopo.
Anastasio Narniensi episcopo.
Palumbo Fundano episcopo.
Theodoro Tyndaritano episcopo.
Theodosio Cotronensi episcopo.
Sapientio Numentano episcopo.
Scholastico Fanensi episcopo.
Maximo Mesinate episcopo.
Elia Lilybetano episcopo.
Gratioso Nepesino episcopo.
Aquilino Asisinati episcopo.
Leontio Neopolitano episcopo.
Eusebio Atellano episcopo.
Paschale Thermitano episcopo.
Martino Centumcellensi episcopo.
Oportuno Pisano episcopo.
Iubentino Stabiensi episcopo.
Donato Marianensi episcopo.
Bonoso Alerino episcopo.
Ioanne vico Sabinate episcopo.
Peregrino Lyparitano episcopo.
Potentio Polensi episcopo.
Boethio Cornensi episcopo.
Leontio Fauentinate episcopo.
Valentino Turritano episcopo.
Donato Sassinate episcopo.
Luminoso Bonensi episcopo.
Ioanne Vnnogoritano episcopo.
Crisentio Libyensi episcopo.
Stephano Dorensi episcopo.

Stepha-

Stephano Populeiensi episcopo.
Ioanne Gabopolitano episcopo.
Callioniſto Adrianensi episcopo, & Victoriano Vzalensi episcopo.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

Esa.62. PROPTER Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, dicit beatus Esaias, donec egrediatur vt splẽdor iustus meus, & Saluator meus vt lampas accendatur. Profectò catholicæ Ecclesiæ, quę vera consistit Sion, & ciuitas Christi cœlorum regis, per tot annorum spatia expugnata ab aduersantibus verbo fidei, qui neque Deum timent, neque hominem reuerentur: sed incassum perducentibus pias & canonicas de hoc verbo doctrinas, dum & à diuersis tantisque in scripto & sine scripto contestationibus inuitati fuissent corrigere propria, & sepelire hæresim, sicut & per anteriorem cognitionem luculentiùs demonstratum est tam per libellos, quamque per suggestionem reuerendissimorum sacerdotum & venerabilium Abbatum,
Tit.3. Apostolo protestante nobis, vt hominem hæreticum post primam & secundam correptionẽ, euitare debeamus, scientes, quia subuersus est huiusmodi, & delinquit proprio iudicio condemnatus, nullo modo oportet nos deinceps tacere aut quiescere, ne quo modo iniqui iudicemur, odibilem
Psal.72. Deo pacem amplectentes, quoniam scriptum est: Zelaui in peccatoribus pacem peccatorum videns: & dicatur etiam de
Ezech.22. nobis, Sacerdotes mei contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea, inter sanctum & prophanum non habuêre distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt. Sed consurgere cum Deo, & consistere promptè ei, induentes arma spiritus aduersus malignantes contra
1.Ioan.4. fidẽ eius, vt approbemus spiritꝰ sapiẽter, id est, verba illorũ,
Hier.6. si ex Deo sunt. Scriptum est enim in Hieremia: Probatorem dedi te in populo meo robustum, & scies & probabis viam eorum. Multa namque nobis necessaria est vigilantia, & tantum diuinæ sapientiæ discretionis, quæ occulta tenebrarum reuelat, ad requisitionem huiusmodi rei & scrutationem: quoniam latet quodammodò & absconditur, vixq; comprehenditur dolosa existens malitia, pro eo quòd sibi pietatem callidè blandiatur, vt valeat scrutantium mentem latere. Quòd vtique sciens beatus Apostolus, ait: Nam
2.Cor.11. huiusmodi pseudoapostoli, operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos CHRISTI. Sed non mirum, ipse enim satanas transfigurat se velut Angelum lucis: & non mirum, si ministri eius transfigurentur, veluti ministri iustitiæ: quorum finis secundùm opera eorum. Sed & DOMInus in hoc præmuniens nos, ait: Attendite à falsis Prophe-
Matt.7. tis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. Ergo in ipsum ex toto corde referentes ante omnia super tali quæstione deprecationem, & dicentes cum Dauid: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua: lu-
Psal.118. cerna enim pedibus meis: quoniam sicut ait beatus Daniel
Dan.2. Propheta, sapientia & fortitudo eius sunt: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est: quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi, & ostendisti mihi quæ rogaui te: cum ope diuina vniuscuiusque personæ conscripta, qui propter nouitatis commentum accusati sunt, de venerabili nostro scrinio obsecundantibus nobis ordinabiliter offerentibus solertiùs intendamus.

Sergius reuerendissimus episcopus Tempsanensis Ecclesiæ, dixit:

Secundùm vestram apostolicam interlocutionem omnibus nobis cum ope diuina huc præsidentibus paratis ad requisitionem huiusmodi rei, si placet vestræ beatitudini, Theodori quondam Pharanitę Episcopi in primis offerantur nobis conscripta, quoniam, sicut nostis beatissimi, hunc primum esse authorem huiusmodi noùitatis per sua hæretica conscripta, præsens Stephanus reuerendissimus episcopus Dorensis in proprio libello asseruit, quod & omnibus manifestum est. Oportet ergo, si placet, cum * acribia & in hoc ordinem conseruari gestorum.

* id est, diligentia.

Vniuersi sanctissimi Episcopi dixerunt:

Competenter Theodori Pharanitæ quondam EPISCOPI in primo loco expetijt conscripta ad nostram cognitionem deduci Sergius reuerendissimus coepiscopus noster: sic namque & sequentium ordinabiliter exterminabitur requisitio, nulla confusione per quandam præposteritatem gestis inserta.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

IVXTA supplicationẽ huius sancti Cocilij, codex Theodori Pharanitæ quondam episcopi per eos, quorum interest, nihilominùs offeratur.

THEOPHYLACTVS PRIMICERIVS NOTARIORum Apostolicæ Sedis, dixit:

Secundùm iussionẽ beatitudinis vestræ Theodori Pharanitæ episcopi codicem afferens, præ manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

CODEX Theodori quondam Pharanitæ Episcopi suscipiatur, & loca quæ prænotata sunt, in quibus ille de dispensatione Christi magni Dei, & Saluatoris nostri propriam confessionem instituit, lectioni vulgentur.

ET ACCIPIENS THEODORVS NOTARIVS regionarius Apostolicæ sedis, de Græco in Latino interpretatæ, relegit in his:

Theodori Pharanitę hæretici scripta.

THEODORI quondam Episcopi Pharanitæ, de sermone scripto ab eo ad Sergium quondam Episcopum Arsenoitanum Aegyptiaci tractus.

Quicquid igitur scribitur dixisse aut operari Dominum, per sensum & intellectum & sensibilia, & dixit; & operatus est: & hæc ita, vtpotè de toto, atque vnius vna operatio verbi intellectus sensibilis & organici corporis omnia dicenda sunt.

Eiusdem de eodem verbo:

Ergo quia præcipuè per quandam diuinam & prudentissimam dispensationem, somnum & laborem, esuriem & sitim susscepit quando voluit, quam maximè meritò & in his motum & quietem validissimæ & prudentissimæ operationis verbi applicamus, ac per hoc vnã vnius eiusdemq; Christi operationem fatemur.

Eiusdem de eodem verbo:

Sufficienter, vt arbitror, per requisitionem sermo nobis aperuit, quoniam omnia quæ scribuntur de Domino Christo, siue de Deo, seu animæ, siue corporis, siue vtriusque animæ dico & corporis sint, singulariter ac indiuisè agebantur, incipientes quidem & acsi de fonte sapientiæ verbo & bonitatis vel virtutis, mediante intellectuali anima & corpore, procedentes, & propterea vna operatio totius, sicuti de vno eodemque Saluatore nostro hæc omnia existunt atque dicta sunt.

Eiusdem de eodem verbo:

Profectò habemus in his luculenter, quoniam opus Dei est omnia, quanta in Christo audimus & credimus, siue diuinæ naturæ appertinent, siue humanæ, & propterea vna operatio hæc Diuinitatis eius & humanitatis piè nominata sunt.

Eiusdem de eodem verbo:

Vt esset omnis incarnatio ab initio vsque in finem, & quantacunque parua & magna eius, sunt vna secundùm veritatem altissima & diuina operatio.

Eiusdem de eodem sermone, quem fecit in interpretationibus paternorum testimoniorum.

Diuiuina verò voluntas, quod est ipsius Christi, quoniam ipsius voluntas vna est, & hæc diuina.

Eiusdem de eodem sermone:

Per hæc igitur sine quadam difficultate docemur, quoniam omnia, quæ salutiferæ dispensationi sunt, siue diuina seu humana de Saluatore nostrò Christo dicuntur, initium quidem à diuinitate vtpotè permissum & exordium accipiebant, mediante autem intellectuali & rationali anima, ministrabantur à corpore, siue mirificam quandam dixeris virtutem, seu naturalem quendam hominis motum, id est, veluti cibi desiderium, somnum, laborem, & dolorum participationem, tristitiam & afflictionem: quæ passiones secundùm visitationem nominum ex consuetudine nuncupantur: specialiter autem naturalis motionis propria per animatum & sensibile animal existunt. Sed ipsæ, quæ specialiter sunt & dicuntur passiones, vtpotè crux, mortificatio, figuræ, liuor, cicatrices, sputa, colaphi: omnia hæc rectè & meritò vnà vnius eiusdemque Christi operatio nominabitur.

Eiusdem de eodem sermone:

Intelligantur ergo à nobis modis omnibus omnia, quæ sunt humanitatis Christi Saluatoris, diuina & salutifera secundùm veritatem operatio.

Eiusdem de eodem sermone:

Ex his namque omnibus atque similibus benè & maximè iustè vna Dei operatio, cuncta propria humanitatis, credatur atque dicatur.

Eiusdem de eodem sermone:

Quoniam nostra quidem anima non est tantæ virtutis, vt & naturales corporis proprietates à se vel ab eo proijciat, sed neque domina tantùm visa est rationalis anima proprij corporis, vt etiam cohærentis sibi & coniunctæ tumidam molem (quod Græci dicunt oncon) atque defluxionem, vel colorem obtineat, & foris hæc constituat eum aliquando: quæ omnia in dispensatione Saluatoris nostri Iesu CHRISTI & dicta & facta sunt, in diuino & in viuifico corpore exiſtunt. Nam sine tumore, & (vt ita dicatur) incorporaliter sine distinctione processit ex vtero, & sepulcro, & ianuis, & cùm super solum maris deambulat. Matt.14.

Eiusdem de eodem sermone:

Oportet igitur ita sapere & dicere nos omnia, quæ in incarnatione Saluatoris Christi dicuntur esse, vnam scire operationem esse, huius autem opificem & Creatorē Deum verbum: organum verò, humanitatem consistere. Ergo quæque velut de Deo aut humanè de ipso dicuntur, omnia vna operatio est verbi diuinitatis.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

IN Prouerbijs scriptum est: Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus. Qui insipiens est, sustinebit damnum, & cùm rapuerit, aliud apponet. Prou.16. Prou.19. Quod & in Theodorum Pharanitanum quondam Episcopum per eius conscripta, quæ nobis relecta sunt, euenisse cognoscimus: qui impudenter putauit rectam esse suam opinionem, & proprio videlicet errore: non enim per probabilem & paternam doctrinam ab eo prolatam. Quoniam, sicut scriptum est, Via stulti recta in oculis eius: & sunt viæ, quæ videntur homini iustæ, nouissima autem earum deducunt ad mortem. Propterea sicut fœnum ędificiorum, quòd priusquàm ex aliorum euersione euellatur, arescit, sine stirpe atque aridas illis, quibus scripsit, easdē manifestauit, vtpotè non ex alio, sed à semetipso habens impietatis reprehensionem: quia omnimodò Deitatis & humanitatis Christi vnam esse operationem, sicut audistis reuerendissimi fratres definiendo & hanc cōditam, vtpotè creatam confessus est: asserens in scripto, omnia quæ in humanitate Saluatoris Christi dicuntur, oportere vnam operationem scire: opificem autem eius & Creatorem, Deum verbum. Ergo si opifex eius & creator Deus verbum, sicut ipse asserit, existit, vtique secundùm sensum ipsius condita esse dinoscitur. Quoniam omne quicquid per conditionem verbi fit, creatura est sine dubio. Si autem conditam esse operationem Christi ille definit, apertissimè cum Ario & Nestorio impijssimis creaturæ cultor arguitur, eò quòd tantùm conditum cum illis & secundùm illos, non autem & increatum nobiscum eundem confitetur: hoc est, non vt Deum naturaliter & hominem eundem, sed tantùm hominem purum: quoniam secundùm naturam * creatus non est, qui increatam naturaliter non habet in se operationem. Prou.12. Prou.14. & 16. Psal.128. for.*increatus

Ita igitur per suas voces propriam ille professionem inanem & vacuam demonstrauit, vt & in eo impleatur quod dictum est: Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur, quia non habuit scientiam. Prou.5. Hic defecit cum imprudentibus, id est, cum eis, qui in diuisione & pura coniunctione Christi Dei blasphemant mysterium, & non solùm cum his, sed etiam cum eis, qui in phantasmate hoc mysterium imprudenter delirare noscuntur, hoc est, Manete, Apollinare & Seuero nefandissimis hæreticis, per hoc quod asserit in suo conscripto, sicut in præsenti audiuimus, quoniam nostra quidem anima non est tantæ virtutis, vt & naturales corporis proprietates à se vel ab eo proijciat: sed neque domina tantùm visa est rationalis anima proprij corporis, vt etiam cohærentes sibi & coniuncti tumorem atque defluxionem vel colorem obtineat, & foris hæc constituat idem corpus aliquando: quæ omnia in dispensatione Saluatoris nostri CHRISTI & dicta & facta in diuino & viuifico corpore consistunt. Nam sine tumore & (vt ita dicatur) incorporaliter processit sine distinctione ex vtero, & sepulchro, & ianuis, & cùm * ac si super solum maris deambulabat. Matth.14. Apertissimè igitur in his verbis tam ipsum corpus Domini nostri intellectualiter animatum, quamque & naturales eius proprietates omninò amputare dinoscitur, si foris hæc, quæ superiùs dicta sunt, ipsum corpus, vt perhibet, constituit, aut sicut ille scripsit, ex se easdem proiecisse dinoscitur. Nam si absque tumore & incorporaliter ex vtero processit, & super dorsum maris deambulauit, hoc ipsum quòd deambulabat & procedebat, ergo phantasma erat. non enim incarnatus substantialiter Deus: vnde nec miraculum iam cognoscēbatur virginitatis germen, neque magnum erat incarnati Dei Verbi super mare deambulatio. Quod enim incorporaliter & sine quolibet corporeo tumore procedit aut deambulabat, qualem habet miraculorum rationem ad minimè dissoluendam per partum virginitatis integritatem, aut per gressum in profundum aquarum non mergere? quoniam in vtroque nullam mirificam habet rationem, quod est incorporeum, vtpotè naturaliter, & non super naturam efficaciam habens. Nec enim habet naturam, quod est incorporeum & sine tumore, aut virgi-

nitatem

ginitatem soluere, aut in aquis mergere, distantiam nullam habens omninò, id est, longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Ex quo apertissimè sine dubio ostenditur, quoniam absque corpore, id est, sine carne & corpore ex vtero procedere, & super aquas deambulare incarnatum Deum ille prædicauit. Quod enim incorporaliter procedit: speciatim sine corpore est procedere: sicuti & absque semine procedere, sine semine * eum procedere. Si ergo naturaliter animatum Domini corpus, & naturales eius proprietates interimit per phantasiam, (non enim substantialiter hominem eum prædicat factum) qualem differentiam ille cognoscit ex Deo & patre, atque ex virgine & matre eiusdem naturaliter natiuitatis? Quia si ab vtrisque incorporaliter natum fuisse asserit Dominum, certum quia vnam eandemque esse eiusdem scit natiuitatem. Si autem vnam eandemque ex vtrisque scit natiuitatem, necesse est eum aut ex patre, sicut ex virgine incarnatum confiteri Deum Verbum, aut nec ex virgine, sicut nec ex patre incarnatum asserere eum, vtpotè & ab ea incorporaliter secundùm illius sensum genitum, sed ex vtrisque similiter propter eandem æqualemque natiuitatem, aut incarnatum, aut sine carne naturaliter cognoscere procedentem: at per hoc aut & Deum & patrem conditum adscribere, vtpotè de propria natura carnem intellectualiter animatam verbo proprio in vnitione substantialiter commodantem, aut & virginem nullo modo matrem Verbi factam fuisse, vtpotè ex semine eum substantialiter incarnatum enixam, sed veluti de fistula incorporaliter per eam, secundùm Apollinarij impietatem, transisse.

* est

Si ergo, vt dictum est, corpus & corporis interimit naturales proprietates in mysterio Christi Dei per ea, quę dogmatizare præsumpsit, vtpotè sine tumore atque defluxione & colore hoc perhibens esse, & incorporaliter processisse ex vtero Deum Dominam delirans, cuius iam nobis testimonium patris ad arguendam huiusmodi hæresem necessarium est proferre, dum omnibus clara & aperta extitit per scripta, quæ in præsenti nobis relecta sunt, nisi fortassis oporteat nos ad eius vel prauitatem ipsius perfectam destructionem eadem proferre? quoniam destruitur sine dubio per paternas doctrinas, qui eos per sua scripta destruere nititur.

Confutatur Theodorus sententijs Patrum Catholicorum.

Agè ergo nunc hoc compendiosè faciamus per comparationem dogmatum istius, atque Catholicæ Ecclesiæ prædicationem, & ordinabiliter distinguamus. Ita Theodorus Phatanitanus quondam Episcopus dixit: Incorporaliter ex vtero processit Dominus.

Cyrillus.

Cyrillus glorioſus Alexandrinus Episcopus dixit, corporaliter ex Virgine natum fuisse Dominum. In primo enim de duodecim capitulis ab eo cõpositis ad Nestorium, Synodalis eius Epistola sic ait: Quisquis non confitetur Deũ esse veraciter Emanuelem, & propterea Dei genitricem sanctam Virginem, (genuit namque carnaliter carnem factum ex Deo Verbum) anathema sit.

Greg. Nazianz.

Et iterum Theologus Gregorius ad Clidonium scribens, ait: Quisquis veluti de fistula per virginem trãsisse, nõ autem in ea plasmari diuinè pariterque humanè dicit: diuinè quidem, quoniam sine viro: humanè autem, quia ritu parientis genuit, similiter sine Deo est.

Theodorus Pharanitanus quondam Episcopus, dixit corporalem magnitudinem nõ habuisse secundùm carnem Dominum, sed absque mole & incorporaliter eum super mare deambulare.

Dionysius Areopagita.

Dionysius egregius & molem carnalem habere eum secundùm carnem prædicat, & pondus corporeum, & cum mole & pondere corporeo incedere super aquas non infusus pedibus: & hoc in opusculis eius de diuinis nominibus docens, ait: Ignoramus qualiter de virgine is alia lege prẽter naturalem formabatur, & qualiter non infusis pedibus, corporalem molem habentibus & materiale pondus, deambulabat tumidam & instabilem substantiam.

Atque iterum in Epistola eius ad Gaium scripta ait: Et supra hominem operabatur quæ hominis sunt. & hoc ostendit virgo super naturam pariens, & aqua instabile terrenorum & materialium pedum supportans pondus, & non obediens, sed supra naturam virtute sine diffusione consistens.

Theodorus Pharanitanus quondam Episcopus dixit: Quoniam Dominus proprium corpus de cohærentibus ei dem corpori, id est, defluxionem & colorem foris constituit.

Basilius magnus.

Item sanctus Basilius non solùm defluxionem ex lachrymis habuisse corporaliter perhibet Dominum, sed etiam ex nutrimentis solidis & tumidis digestionem & consumptionem, & ex itinere neruorum extensionem, ita in sermone de gratiarum actione docens: Sicut ergo susceptit esuriem Dominus de solido cibo digesto ab eo, & sitim assumpsit, humiditate, quæ in corpore eius erat, consumpta, & fatigatus est musculis & neruis ex itinere distensis, non vtique deitate ex labore fatigata, sed corpore, quæ naturam sequuntur, passiones suscipiente: ita & lachrymas admisit, naturalem passionem carni superinduci permittens.

Theodorus Pharanitanus quondam Episcopus, dixit, absq; naturalibus corporis proprietatibus vt hominem factum fuisse Dominum, & has naturales eius proprietates à se abijcere.

Synodus Chalcedonensis.

Sancta & vniuersalis Chalcedonensis Synodus in sua definitione prædicat, nunquàm sublatam differentiam naturarum propter vnitionem, magis autem saluam indiminutè proprietatem vtriusque naturæ, & in vnam personam atque in vnam subsistentiam concurrentem. His itaque nobis oportunè declaratis, vt dissentiens ille sanctis approbatus, & paternis ac synodalibus definitionib⁹ apertissimè contradicens, ab his rationabiliter condemnatur, eò quòd nullam habet cum eis communionem, apertam autem per proprios sermones alienationem.

Prou. 6.

Benedictus venerabilis episcopus insulæ Corsicæ, dixit: Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ, quibus vestra beatitudo nimis prudenter ac diligenter diuisit inter lucem & tenebras, id est, inter Theorum Pharanitanum quondam Episcopum, doctoresque catholicæ Ecclesiæ: & illum quidem sicut noctem tenebrosam, lumen paternæ veritatis minimè habentem, iustè censuit condemnari: hos autem, competẽter pietatis definitionibus nos lętificantes, ostendens vti diem splendidissimam, honorificè veneratus est, verbis etiam veritatis confirmantes. Scriptum est enim: Ego sum Dominus Deus vester.

Leuit. 19.

Exod. 23.

Non facietis iniquitatem iudicio. Non accipies personam diuitis, neque mireris vultum potentis. Ab omni iniquo verbo recedes. Innocentem & iustum non interficies, & nõ liberabis impium. Ideoque hoc execrabili viro vel dogmate ipsius, & à nobis consonanter damnato propter hæresem ipsius, si placet sanctitati vestræ, iubetote, quatenùs per lectionem Cyri, quondam Alexandrini Episcopi, nouem capitulorum intendamus conscripta: magis autem septimum eorum capitulum, per quę paternam ille doctrinam immutare præsumpsit, & consequenter atque ordinabiliter post eundem epistolam Sergij Constantinopolitani quondam Episcopi, in qua Cyrum pro huiusmodi nouitate suscipere & laudare comperitur.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

IVXTA precationem commemorantis dilectissimi fratris nostri Benedicti Episcopi, Cyri quondam Alexandrini antistitis nouem capitula, cum Epistola Sergij Cõstantinopolitani episcopi, in qua * in his ènim recipere per consonantiam suam ostenditur, hi quibus interest, gestis inserenda deducere procurent.

* aut in quibus eum

Theophylactus Primicerius notariorum sanctæ Apostolicæ sedis, dixit:

Iuxta iussionem sanctitatis atque beatitudinis vestræ, chartulas, quas iussistis insinuari, afferens præ manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

DE nouem capitulis Cyri quondam Episcopi septimũ suscipiatur, & relegatur in præsentia sancti Concilij, & sequenter Epistola Sergij Constantinopolitani quondam antistitis.

ET ACCIPIENS ANASTASIVS NOTARIVS regionarius Apostolicæ sedis, de Græco in linguam interpretatum, relegit in hu:

CYRI ALEXANDRINAE ECCLESIAE QVONdam episcopi excapitulare, quod coram omnibus Acephalis legi præcepit in * Ammone in perscriptione Orthodoxæ fidei, Capitulum septimum:

Capitulũ VII. Cyri Alexãdrini hæretici.

Si quis vnum Dominum nostrum Iesum Christum in duabus dicens videri naturis, non confitetur hunc vnũ esse Trinitas, quæ ante secula à patre natus est Deus verbum, in vltimis autem seculi temporib⁹ eundem incarnatum & genitum de sancta & immaculata domina nostra Dei genitrice, semperque Virgine Maria, sed alium hunc scit & alium, (nó enim vnum eundemq; secundùm sapientissimum Cyrillum in Deitate perfectum & humanitate perfectum eundem) & secundùm hoc tantummodò in duabus naturis existentem, ipsum passibilem & impassibilem secundùm aliud & aliud, vt prædictus sanctæ memoriæ Cyrillus asseruit, patientem quidem humana carne, eò quòd homo est, manentem autem impassibilem, vt Deum in proprijs passionibus carnis, & eundem vnum Christum & vnum filium, operantem Deo decibilia & humana vna Dei & viri operatione, secundùm beatum Dionysium, per contemplationem tantummodò discernes ea, ex quibus vnitas facta est, & hæc intellectualiter considerans inconuertibilia & inconfusa post eorum & naturalem & substantialem vnitatem manentia, & in his indiuisè & inseparabiliter vnum eundemque Christum & filium cognitum ex hoc, quòd ea, quæ ab inuicem inconfusè conuenerunt, per intellectum considerat, veracé eorum contemplationem faciens: (non enim phantasia falsa, & inanibus sensus fictionibus) nullatenùs autem diuidit, vt potè iam interempta in duabus partitione propter ineffabilem & incõfusam & incomprehensibilem vnitatem, dicens secundùm B. Athanasium, Mox caro, mox Dei verbi caro, mox caro animata intellectualis, mox Dei verbi caro animata intellectualis, sed in diuisione pro parte huiusmodi susçipit vocem, anathema sit.

EMEMPLAR EPISTOLAE

scriptæ à Sergio quondam præsule Constantinopolitanæ ecclesiæ ad Cyrum quondam præsulem ecclesiæ Alexandrinæ, in qua laudat eum pro vna operatione, & cõfirmat eam quasi pro vnitate Acephalorum hæreticorum.

Sacras syllabas vestræ à Deo honorandæ sanctitatis susçepimus, per gratiã diuini spiritus, & Deo placitũ studium à Deo coseruandi & sereniſſimi nostri principis, atq; diuina institutiõe, necnõ totius orthodoxæ plena sacratissimæ vestræ beatitudinis annunciãtes facta in Alexandrinam Christi dilectam magnã ciuitatem & in oẽs regiones eius, eorum videlicet, qui prius dicebantur Theodosiani, in Catholicam & Apostolicam atq; orthodoxam ecclesiasticã vnitatem. Pro quibus spiritali & ineffabili gaudio repleti, gratiæ laudes omnipotẽti Deo & saluatori nostro Iesu Christo ex toto corde retulimus, quoniã tandem aliquando cooperatione diuina medio pariete discordiæ abstracto, per quem prius communis omnium inimicus à fratribus fratres separare studuit, coniuncti & conparticipes paruerunt, & facti sunt omnes vnum labium & vna lingua, bonam confessionem & glorificationem vt oportet, gloriosæ atque viuificæ Trinitati celebrantes, & prædicatur ab omnibus consonanter, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Dicta enim ostendentes eis venerabilium & vniuersaliũ sanctarum Synodorum, per gratiã sancti Spiritus conuenientium, & vnã eandemque orthodoxam fidem definientium, id est, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem, atque iterum Constantinopolitanam sub temporibus diuæ memoriæ Iustiniani congregatam sanctam quintã Synodum, atq; omne scandalum de medio per eas, sicut aliquas petras à semita iactantes, apertam & nimis facilem à Deo amabilẽ vnitatem transitum effeciſtis. Pro qua re multa vestræ sacræ perfectioni tam apud Deũ & omnes homines merces & laus reposita est. Asseruistis igitur in capitulis, quę ad ipsos facta sunt, confiteri (bonũ est enim, vt ipsis sacris vocibus vestris vtamur) Patrem & Filium & Spiritum sanctum Trinitatẽ consubstãtialem, vnã deitatem in tribus *subsistãtijs. Ipsum aũt vnum de S. Trinitate Deum verum, qui ante secula ex patre genitus est, descẽdere de cœlis in vltimis diebus, & incarnari ex Spiritu sancto & domina nostra, secũdùm veritatem Dei genitrice semperq; virgine Maria, carnem adsumentem ex ipsa nobis cõsubstantialem, animatã anima rationali & intellectuali, eandemq; ex ipsa conceptione vnire sibi vnitate naturali & subsistantiali: & ita natum ex ipsa, vnũ existentem inconfusum, indiuisum, perfectum in Deitate, perfectumque in humanitate, eundemq; passibilem & impassibilem secundùm aliud & aliud, quomodo beatus Cyrillus asseruit, patientem quidem humaniter carne: quia homo: manentem autem impassibilem eundem, quomodo Deum, in passionibus suæ carnis. Atq; eundem vnum Christum operari Deo decibilia & humana vna operatione, quia omnis diuina & humana operatio ex vno eodemque incarnato Deo Verbo procedebat. Secundùm hunc pium intellectum, & Leo sanctæ memoriæ Romanus Archiepiscopus sapuit & docuit, dicens: Operatur vtraque natura cum alterius communione. Vnde & ex duabus naturis, id est, diuinitate & humanitate vnum Christum venerari conuenienter docuistis, & vnã naturam Dei Verbi incarnatam secundùm beatæ memoriæ confessi estis Cyrillum, vnamq; subsistentiam compositam, quę est ipse Dñs noster Iesus Christus, vnus de sancta & consubstantiali Trinitate. Similiter autem & in duabus naturis eundem confiteri prædicantes, non alium & alium eum esse asseruistis, sed vnum eundemq; secundùm sapientissimum Cyrillum, cõtemplatione tantùm discernentes ea, ex quibus vnitio facta est: & hæc per intellectum considerantes, inconuertibilia & inconfusa post eorum naturalem & consubstantialem vnitatem permanentia, veracem eorum visionem exponentes. Non enim phantasiam falsam & inanibus fictionibus mentis, vtique interempta in duobus diuisione propter ineffabilem & inconfusam atque incircumscriptam vnitatem. Hæc piè & nimium acribiosiùs exponentes, omnes sequentes impiorum hæresum authores anathemati submisistis: cum quibus & omnes contradictores duodecim capitulorum sapientissimi & mirabilis Cyrilli, quos minimè pœnitentes, sed in eodem vsque in finem permanentes errore, similibus execrationibus condemnãstis. Igitur hanc vestram orthodoxam relegentes doctrinam, per quam gloriæ beneplacitum est Domino, tantorum fratrum nostrorum vnitionem dispensare, ipsius benignitatẽ glorificauimus: laudauimus autem & vestram sacratissimam sanctitatem, in tali mirifico & vltra omnem spem intercedere dignatam negotio, tam per gratiam sancti & viuifici, atque electione & doctrina à Deo sapiẽtissimi & veraciter pacifici magni Imperatoris, qui sanctificatum eius cor in manu Dei habet, & ab ipsa secundùm veritatem in omnibus actionibus suis ducitur & gubernatur: quem super omnes solus potens Deus in amplius exaltet, saluet, conseruans eum vt firmamentum sanctarum Dei Ecclesiarum & immaculatæ Christianorum fidei, commodans ei longinquitatem temporum, multitudinem pacis, & omnium hostilium gentium subiugationem, in filios ex filijs regale succedens imperium. Donet autem & tuæ sanctæ & sacræ charitati abundantiùs suam gratiam in labijs, & verbum in apertione oris, per quem & quod fortassis residuum est eorum, qui nobis stultè & ineptè contradicunt, saluetur, vestigia sequentes nuper nobis adunatis dilectissimis filijs nostris, quos videlicet per vos beatissimos spiritalibus brachijs amplectentes, & osculo sancto salutantes, oramus hos omnium bonorum ex Deo percipere iucunditatem. & subscriptio: Saluus in Domino, ora pro nobis reuerendissime frater.

Sergius reuerendissimus Episcopus Tempsanensis, dixit: Quoniam, sicut audistis sanctissimi, Cyrus Alexandriæ

quondam

* cælibus, * subsisten tijs.

Falsum impingit sanctissimo Leoni.

Item Cyrillo.

Aliquid deesse videtur. Proua.

Ephes. 4.

quondam episcopus in proprio capitulo, quod nobis in præsenti relectum est, B. Dionysij Athenien sis episcopi cuiusdam, in veneranda eius epistola insertæ, ad Gaium famulũ Dei transmissę, memoratus est, necesse est vt codex prędicti doctoris afferatur, quatenùs videamus per eandem epistolã, si ita secundùm veritatem cõtinet dictio, quomodò Cyrus in proprio 7. capitulo significauit, & si meritò secundùm scripta, quæ ad eum transmissa sunt, Sergius in hoc eundem Cyrum receperit.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

Dionysij Athenien sis episc.

CODICEM S. Dionysij Episcopi Athenien sis hi, quorũ interest, actis deducant.

Theophylactus Primicerius notariorum S. Apostolicæ sedis, dixit:

Secundùm iussionem vestræ beatitudinis afferens de venerabili bibliotheca sedis vestræ codicem B. Dionysij, præ manibus habeo, quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

CODEX B. Dionysij suscipiatur, & de epistola quæ ibidẽ deposita est, ad Gaium directa, locus ille ordinabiliter, de quo agitur, cuius mentionem fecerit Cyrus in suo capitulo ad approbationem nouitatis eius, coram sancto Concilio relegatur.

Et accipiens Paschalis notarius regionarius Apostolicæ sedis, de Græco in Latinam linguam interpretatum ipsum testimonium, relegit continens ita:

Sententia Dionysij Areopag.

SANCTI Dionysij ex epistola ad Gaium directa ad locum: etiam non secundùm Deum diuina operatus, neq; humana secundùm hominem, sed Deo homine facto, nouam quandam DEIVIRILEM, id est, theandricin, operationem nobis ostendens.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

Hæretici patrũ scriptis abutuntur. 4. Reg. 18.

QVI spiritalem expugnant Hierusalem, id est, Catholicam Ecclesiam, imitantur eos, qui terrenam expugnauerunt Hierusalem, & festinant & ipsi paternis abuti quodammodò doctrinis, sicut Rapsaces patria voce contra Iudæos abusus est, vt difficile nequitia eius potuisset sentiri, sicut & ipsi propriam insidiant. Nec enim in honorem patrum, sed in deceptionem simplicium, sicut ille Iudæorum, hoc callidè peragere nituntur. Veruntamen sicut DNS ait, ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quoniam hi sunt similes sepulchris dealbatis, quę à foris apparent hominibus speciosa, sicut & hæretici quasi paternis veluti doctrinis: intùs verò pleni sunt ossibus mortuorũ, & omni spurcitia, id est, mortalibus & fœtidis dogmatibus. Nec enim simpliciter proferunt sermones, sicut magnus scribens Successo testatur Cyrillus, sed cum dolo atq; versutia. Quod vtique & nos veraciter cognoscentes, debemus omnimò timere opprobrium hominum, neq; eorum exprobrationibus vinci. Quoniam hoc nobis Dominus iubet per Esaiam Prophetam, dicens: Audite me, qui scitis iudicium, populus in quorum corde lex mea est: nolite timere opprobrium hominũ, & blasphemias eorum ne timeatis. Manifestat enim hos & captat per vos reuerendissimos venatores suos prudenter DNS, secundùm quod in Hieremia scriptum est: Et post hęc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum: quia oculi mei super omnes vias eorum. Sunt enim foramina petrarum, ipsæ sanctorum patrum de Christo mysticæ traditiones. Conantur nãque & in his foraminibus dolosè se abscondere hæretici, vt putentur sanctissimi & nõ sceleroſi paruulis. Non enim vobis, qui secundùm Deum perfecti estis apud Deum. Propterea hos vobis DNS, vt cernitis, manifestauit, per hoc testimoniũ B. Dionysij, quod in præsenti relectum est; falsidicos luculentiùs eos ostendens: vt & de his, quod à dño dictum est, impleatur, quo ait: Quando loquitur mendacium, de proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius. Mentita est enim iniquitas sibi, in his vtiq; instabilibus existentibus vt instabilis. Nam B. Dionysio asserente, sicut audistis dilectissimi fratres, nouam quandam deiuirilem operationem inter nos conuersatum, vterq; eorum apertissimè contra patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo 7. cap. nouam immutando, & vnam pro noua asserendo deiuirilem operationẽ quasi dixisse doctorem perhibens. Sergius autem in epistola de huiusmodi quęstione ad Cyrum scripta, tam immutationem nouæ cum illo confirmans, & nõ solùm hoc, sed & doctoris & deiuirilem amputans penitùs vocem, & vnam absolutè in Christo Deo dogmatizans operationem, facientes dolũ quasi nouaculam acutam, atq; minimè considerantes, quod in Psalmo scriptum est: Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit occulta cordis, & cogitationes talium hominum, quoniam vanæ sunt. Vana enim locutus est vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde & corde locuti sunt mala, sed disperdet dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Quid dixerunt: Labia nostra à nobis sunt: quis noster est dns? Nã si hæc in memoria retineret, minimè ad talem iniquitatem prosilirẽt, id est, immutationem & interemptionem paternarum traditionũ & dogmatum. Propterea præmemoratos inuestigantes, non quidem aduocatos, sed apertissimos accusatores, neq; custodes probabiles, sed falsatores euidentissimos veritatis, & in hoc tantummodò se recipientes, necnon amplectentes, atq; sibi rependentes vtrunq; vterq; impietatis mercedem, id est, laudẽ in scripto: consequens est ostendere nos, ex quo illi fructũ huius impietatis sumpserũt, quatenùs per fructum arborem demonstremus. Offeratur igitur & relegatur per hos, quorum interest, *Themestij hęretici codex siue capitula de eodem releuata, quæ in hoc negotio nobis necessantur.

Ioan. 8. Psalm. 26.

Psalm. 51. Psalm. 43. Psalm. 93. Psalm. 11.

Theophylactus Primicerius notariorum sanctæ Apostolicæ sedis, dixit:

Prædicta capitula à vestra beatitudine requisita afferens, præ manibus habeo: quid præcipit sanctitas vestra?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

SVscipiatur oblatus *Themestij hæretici codex, & de eo relegantur nobis capitula, quæ in eo sunt prænotata.

ET ACCIPIENS EXVPERIVS NOTARIVS REgionarius Apostolicæ Sedis, de Græco in Latinam vocem interpretata, relegit in his:

THEMESTII HAERETICI ex epistola ab eo scripta ad Marcellinum presbyterum & Stephanum diaconum de vna operatione:

Quæ enim in omnibus procedit diuinarum ac humanarum operatio Christi, non erat * & alia, sed vna atq; eadem, vtpotè vnius existens eiusdemq;. Et ideò Deiuirilem Areopagita Dionysius nominauit.

* deesse videtur, alia Dionysij Areopag. in ep. ad Gaium.

EIVSDEMQVE de conscriptis ab eodem, aduersus Colluthum hæreticum compositis, in quibus protestatur dicẽs, quia & ipse Seuerus hæreticus vnam Deiuirilem confessus est in Christo operationem, quo ait: Nam quia beatę memoriæ quoque Seuerus similiter de Christo dicens, quòd aliqua quidem diuinè, alia verò humanè idem operatus est, Deiuirilem operationem approbare volebat, sed nõ solummodò Deo decibiliter, faciliùs est videri.

EIVSDEM de eodem verbo: Vna intelligatur Christi, sicut sæpiùs diximus, Deiuirilis operatio, non vna Deo decibilis.

EIVSDEM de eodem sermone: Si enim vna verbi Deiuirilis, sicut sæpè diximus, operatio & scientia, quomodò vna & vna intelligatur secundùm execrabile, sed potiùs duæ, & non vna?

ITEM EIVSDEM de eodem sermone: Si autem ipsa tantummodò Deo decibilis, sed non Deiuirilis, sicut

sæpè diximus: nihil secundùm nos operetur, & habes quod quæres.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

NOTVM fecit * Themestius hæreticus per suos sermones, qui in præsenti nobis sunt relecti, quoniam eius fructus & discipuli sunt Cyrus & Sergius in dogmatibus, & sicut ab eo isti edocti, nouam immutãdo vnam nisi sunt appellare, licèt vehementiores illo in abnegatione veritatis effecti sunt, qui & ipsam Deiuirilem doctoris vocem interimere penitùs præsumpserunt, & vnam absolutè tradere operationem Dei moliti sunt, quod apertissimè per propriam epistolam ad Cyrum scriptam Sergius se fecisse dinoscitur: & nec tantùm per suam dementiam, quantùm Colluthus hæreticus, contra quem scribit * Themestius, intelligere passi sunt. Propterea namque recusauit Colluthus asserere Deiuirilem operationem, eò quòd talis vox duas significat operationes, id est, diuinam & humanam: nec enim vnam tantummodò operationem, secundùm * Themestij deliramentum.) Et ideò memoratus Colluthus tãtùm Deo decibilem, in hoc sibi consentiens, & non Deiuirilem operationem, licet inconueniens erat veritati, asserebat, vtpotè vnam, non enim duas, professus. Veruntamen nõ solùm impium, sed etiam absurdum propriũ sermonem illi ostendũt, hoc est, Sergius & Cyrus, vna eademque Deiuirili operatione, diuina & humana dicentes operatum fuisse dominum: quoniam per Deiuirilem DEOUIRILES similiter asserere conuenit. Non enim diuina & humana secundùm illorum figmenta, videlicet, quomodò & per diuinam diuina, atq; per humanam competenter humana. Si autem DEIUIRILI, DEIUIRILIA conuenit ascribere cuiusdam DEIUIRILIS personæ. Non enim humanato DEO DEIUIRILEM, ac si vnam secundùm sensum eorum existentem, dicunt esse operationem, si vtique omnis operatio ab eo, qui eam naturaliter habet diuinam & humanam, id est, duas in vnitione, propriam appellationem suscipere certa est. Et propterea diuinam dicimus, quæ ex DEO procedit, sicuti & ex homine naturaliter humanam. Vtraque igitur, hoc est, diuina & humana, si non vtranque, id est, diuinam & humanam DEIUIRILEM confitentur, impossibile est dicere operatum fuisse DOMINUM. Nam si non duas operationes hanc DEIUIRILEM significare, sed vnam esse confitentur, necesse est eos aut simplicem, aut compositam, aut naturalem, aut personalem dicere eam, vt ne, pro incerto vocabulo, nullius eam virtutis esse perhibeant. Ergò si quidem simplicem esse dicunt, eandem vt simplicem habebit & pater. Simplicem namque Deus & pater habet propriam operationem, & operabitur, & ipse per DEIUIRILE secundùm illos diuina & humana: & erit propterea DEUS iam & homo naturaliter, hoc est, homo factus DEUS, sed nõ nudus naturaliter & tantùm DEUS. Si autem compositam, extraneum filium à patre adscribunt, siue alienæ substantiæ & operationis, vtpotè non habente patre compositam suam operationem. Si autem naturalem dicunt, consubstantialẽ DEO verbo carnem ostendunt, vtpotè eandem cum eo naturaliter habentem operationem. Si verò consubstantialem, sine dubio alterius substantiæ, & per hoc erit quaternitas secundùm illos sancta Trinitas. Si verò subsistentialem, extraneant iterum à patre filium secundùm operationis modum, vtpotè ab eo differentiam habentem in subsistentialibus proprietatibus. Quòd si per hæc, quę superiùs dicta sunt impediti, vnam esse deiuirilem operationem propter vnitionem asserunt, ergò ante vnitionem duas habentem operationes DEUM verbum introducunt, post autem vnitionem vnam vtrasque efficientem, videlicet pro amputatione alterius, aut confessione vtriusq;. Si ergo in omnibus aduersariorum ratio repræhenditur, certum quoniam non vnam secundùm illos ostendere volens operationem sanctus Dionysius, sed duplicem, duplicis naturæ, compositiuo sermone abusus est, duas vnius eiusdemq; in vnitione operationes ostendens. Et ideò prudentissimè ait: Neq; secundùm DEUM diuina operatus, neq; secundùm hominem humana: summã nobis vnitionem denuncians sicuti naturarum, ita & eiusdem naturalium operationũ: quoniam summæ vnitionis est proprium, per immutationem sublimiter operari vtraque, id est, eundem humanè diuina, & diuinè humana. Nec enim nuda deitate diuina, neq; pura humanitate humana, sed per carnem quidẽ intellectualiter animatam atq; vnitam eidẽ substantialiter, operabatur sublimiter miracula, & iterum per potestatem validissimam viuificarũ eius passionum sponte pro nobis experimẽtum suscipiebat, vt & vnitionem ostendat, & differentiam innotescat. Et vnitionem quidem, per alternam ostensionem, siue conglomerationẽ operationum suarum differentiam autem, ex conseruatione naturalis proprietatis. Hoc enim erat, secundùm quod ait DOCTOR, omnium nouitatum supereminens nouitas. Non enim vt vtrasque, id est, diuinam & humanam, vnam eandemque operationem secundùm illos ostenderet, quia hoc immutatio & penitùs peremptio est, vt aut inconditam naturaliter conditam, aut conditam naturaliter incõditam factam fuisse ostenderet, aut certè conditam & incondi tam eandẽ per confusionẽ: sed vt per aliam alterã inconfusè procedentẽ ostenderet. Sic nanq;, sicut memoratus doctor asseruit, & in his quæ nostræ naturæ sunt, super naturã erat: & in his quæ nostræ substãtiæ sunt, super substantiã, omnia nostra ex nobis suprà nos eminentiùs habens: vtpotè in natura quod est super naturã incircunscriptè ostendẽs, & per hoc quod super naturã est, naturã indiminutè demonstrans. Nã dicere absolutè vnã operationem, qualẽ habet nouitatis super naturã probationẽ? Nullus nanq; numerus nouus est, neq; naturaliter admirabilis: sed illud est mirũ secundùm veritatẽ: omniũ nouitatũ supereminens nouũ, iuxta patris doctrinã, inconditã & conditã naturaliter operationẽ, vni eidemq; incarnato Deo verbo substãtialiter inhærentẽ, in vnitione incõfusam & indiuisã, conglomerãter vicissim eas procedere & cognoscere Deũ esse naturaliter, eundemq; hominẽ naturaliter. Quod & Leo sanctę catholicęq; & Apostolicæ nostrę sedis beatę memoriæ pręsul sapienter intelligẽs, scripsit: operatur enim vtraq; forma cũ alterius cõmunione quod propriũ est. Non enim dixit, quoniã minuit, aut immutauit, aut confundit, vel abnegat hoc quod proprium est, vtraque natura de his, quæ in vno eodemq; Christo substantialiter vnita sunt: sed operatur quidẽ, cum alterius aũt communione, vt & differentiam ostendat per hoc, quòd operatur quod proprium est: & vnitionem significet per hoc, quòd dicit, cum alterius communione. Hoc est enim nouæ Dei virilis operationis proprium, id est, diuinæ & humanæ, secundùm vnitionem cohærenter indiuisam in eodem ipso cognitam. Quas abnegantes & expugnantes Cyrus & Sergius, neque secundùm Deum diuina intelligunt, neque paterna secundùm Catholicos patres interpretantur, sed hæretica dogmata paternis obumbrantes sermonibus, contra Catholica, ecclesiæ introducere studuerunt. Atque ideò vnam secundùm hæreticos Seuerum & * Themestium Deiuirilem existere operationem conscripserunt, quos cum illis propterea condemnantes, agè nunc & memorati Sergij nouæ ectheseos audiamus commentum, quam ectheſin suasit in tempore suo nomini Heraclium quondam Imperatorem titulare, errorem interminationi commixtum contra orthodoxos populos atque dogmata per hunc modum prętendens.

Epist. 10.

Nota versutiã Sergij hæretici.

Deus dedit venerabilis episcopus Caralitanæ ecclesiæ insulæ Sardiniæ, dixit:

Verbum breuiatum & consummatum accipiens à Domino vestra veneranda beatitudo compendiosè pariterque diligenter tam falsiloquiũ & nouitatem, quam operati sunt apertissimè Cyrus & Sergius aduersus sanctos Catholicæ ecclesiæ patres atque dogmata, per ea, quæ prudentissimè in præsenti allocutus est, nobis demõstrauit ostendens eos hæreticorum irretitos confessione per hoc, quod vnam iuxta execrabiles * Themestium & Seuerum Deiuirilem operationem esse denunciant, & non mirificam in hoc atque mirabilem, quoniam in vnitione indiuisa duas vnius eiusdemque Christi Dei naturales operationes inconfusè ostendit, id est, diuinam & humanam, in approbatione verissima Deum eundem esse naturaliter & hominem, quod vtique sicut beatus Dionysius ait, Omnium est nouitatum supereminens nouum. Nec enim vtriusque in-

terem-

teremptionem, sed indiuisam vnitatem per hanc compositam eius vocem memoratus pater edocuit. Veram namque vnitionem ostendere voluit, sed non diminutionem quamlibet naturarum, quę in Christo Deo substantialiter saluantur, aut naturalium eius operationū, quas videlicet per propria scripta, quæ in præsenti relecta sunt, Cyrus & Sergius denegantes, & propterea sanctorum quoq; patrum adulterantes testimonia, meritò à vestra Apostolica pia sententia condemnati sunt, quos & nos consonāter cum ea propterea condemnamus: necnon & Pyrrhum Sergij successorē, quoniam & ipse nihilominus cū Sergio Cyrum recepisse dinoscitur, & studuit ei aduocare in prædenominato septimo capitulo, & hoc cum in scripto testatur contra eum, quoniam immutauit dictionem B. Dionysij, & quoniam iustè reprehensus est pro huiusmodi immutatione à beatæ memoriæ Sophronio: ita nanq; scribit in vnū dogmaticum eius volumē Pyrrhus: Vnum aūt capitulum reprehendit Sophronius reuerendissimus, vtpotè testimonium Dionysij beatæ memoriæ falsantem permutatione vnius vocis, in hoc cōgrua dicens prædictus vir & cauta, in quibus ille asserit: Sed homine facto Deo, nouam quandam Deiuirilem operationē nobis proferens. Vnam enim secundùm veritatem pro noua continebat dominatum volumen: sed non malitiosè (absit) iuxta meū verbū: Sed quoniā non aliter potest noua intelligi, nisi vna, à sanctissimo Cyro huiusmodi vox posita est, quoniam per abnegationē sublimium, vnam B. Doctor confessionem construens, & hanc singulariter exprimens, quid aliud nisi vnā confiteri operationē, eò quod vnus est Christus, per quoddam verbum luculentiùs tradidit? Ecce apertissimè per suos sermones Pyrrhus & falsatā à Cyro dictionem S. Dionysij professus est, & reprehensum propterea meritò eum ostendit, & quoniā benè conuictus est à beatæ memoriæ Sophronio, significauit per hoc quod dicit, congrua, dicens in hoc idem vir & cauta. Veruntamen ipsum, q̄ cautum à patre dictum est, amputans Pyrrhus, & hæreticam nouitatem defendens, vt similia sapiens his, qui loquuntur pacem cum proximo eorum, mala autem in cordibus eorū. Sagitta nanq; penetrans existit lingua eorū, sicut ait B. Hieremias: dolosa verba oris eorum: proximo eius loquitur pacifica, & in semetipsum habet aduersitatem. Et quidem laudauit beatæ memoriæ Sophronium, quoniam reprehendit Cyrum, & ipsius reprehensi mali aduocatus effectus est per hoc quod dicit, quoniam non aliter potest intelligi noua, nisi vna, videlicet eodem modo, sicut approbatum est, Seuero & Themestio insanis hæreticis constrictus: sed etiam per hoc, quod insipiēter scribit, quoniam per abnegationē sublimium, vnam confessionem faciens memoratus Doctor & hanc singulariter exprimens, quid aliud nisi vnam operationem confiteri, eò quòd vnus est Christus, tradidit? ignorās, quia de negatione sublimium nec vnam habet confessionem, nisi tantummodò instabilem phantasiam. Quoniam si denegat, sicuti sublimia quædam, tam diuinam eiusdem & humanam naturam aut operationem, totum perimitur sine dubio secundùm illud dispensationis mysteriū. Non enim existente in Deo verbo, qui propter nos incarnatus est, pro denegatione illorum, diuina natura & humana natura, aut diuina operatione & humana operatione, quid iam remanet in confusione diuinæ dispensationis, nisi tantùm, vt dixi, inanis phantasia Pyrrhi stultæ hæreseos? quam respuentes cum eodem Pyrrho iniquè agente, & sequētem Cyrum & Sergium, hoc est, Seuerum & Themestium hæreticos, regulariter condemnamus in defensione vera paternarum ac synodalium Catholicæ Ecclesiæ definitionum & promulgationum. Scriptum enim in lege Domini: Quoniam non parcet ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum: annuncians annunciabis de eo, & starim interficies. Sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, id est, paternis, robustis, & probabilibus verbis veritatis atque dogmatibus, quia voluit te abstrahere à Domino Deo, & auferes malum de medio tui. His itaque consonanter à nobis in præmemoratos viros propter eorum temerariam hæresim, quæ Seueri & Themestij hæreticorum defendere & renouare dogmata studuit, determinatis, petimus secundùm vestram interfationem, quatenùs memorata ecthesis, quæ in nomine tunc imperantis Heraclij perscripta est ab aduersarijs contra fidem Orthodoxam, ad nostram cognitionem deduci, atq; lectione vulgari præcipiatis.

Psalm. 27.

Hier. 9.

Deut. 13.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

OFFERATVR per eos, quorum interest, gestis *huic sancto Cōcilio ad subtiliorem examinationem ecthesis, ad nomen quondam Heraclij facta. *huius sācti Cōcilij

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Denominatam ecthesim iuxta vestram iussionem afferens, præ manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

ECTHESIS quondam Heraclij Imperatoris susciptiatur.

ET ACCIPIENS ANASTASIVS NOTARIVS Regionarius Apostolicæ Sedis, de Græco in Latinam vocem translatam, relegit in his:

EXPOSITIO orthodoxæ fidei, facta à Deo conseruando & pijssimo nostro domino, magno Principe Heraclio, propter emersam ab aliquibus altercationem pro requisitione operationis, consonans in omnibus sanctis & vniuersalibus quinq; Concilijs, quā cum multa satisfactione & gratia exceperunt Patriarchis sedibus præsules, & gratanter ei consenserunt, vtpotè pacem sanctis Dei ecclesijs inferentem. Credimus in Patrem & Filium & sanctum Spiritum, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem siue naturam & essentiam, virtutemq; & potestatē in tribus subsistentijs siue personis, cognoscentes vniuscuiusque subsistentiæ familiaritatem, vnitatem in Trinitate, & Trinitatē in vnitate: vnitatem quidem secundùm essentiæ siue Deitatis rationem, Trinitatem autem secundùm subsistentias siue personas. Nec enim vnum secundùm essentiam confitentes, à personarum differentia excedimus: neq; autem Trinitatem personarum confitentes, vnam denegamus Deitatē. Vnus Deus Pater, vnus Deus Filius, vnus Deus Spiritussanctus, vnus hæc tria Deus in eadem & immutabili Deitatis ratione. Nam personarum differentia, Deitatis siue essentiæ non infert diuisionem. Vnam igitur confitemur Deitatem, familiaritates inconfusas seruantem, & non in vnam personam tribus nominibus nuncupatam asserentes hæc tria secū dùm *Sabellionem. Neq; autem in tres essentias vnā Deitatem diuidentes, aut extraneantes à patris essentia Filium aut Spiritum sanctum, secundùm insaniam Arij. *Vnum enim est in trib⁹ deitas, vt dicit Magnus Gregorius in Theologia, & tria vnum, in quibus Deitas, siue, vt verissimè dicatur, quę Deitas. Confitemur autem vnum sanctæ Trinitatis vnigenitum filium Dei, Deum verbum, à patre progenitum ante omnia secula, lumen de lumine, splendorem glorię, vultum paternæ substantiæ, per quem omnia facta sunt, in extremis diebus propter nos & propter nostram salutem *descendere de cœlis, dignarique in intacto vtero sanctissimę Dei genitricis & semper Virginis Mariæ habitare, & ex ea conglomerantem sibi carnem in vna substantia animam habētem rationalem atque intellectualem, natum esse ab ea, & semper manētem perfectum Deum, eundemq; fieri perfectum hominem inconfusè atque indiuisè, consubstantialem Deo & patri secundū deitatē, & consubstantialē nobis eundē secūdùm humanitatē, & per omnia similē nobis sine peccato. vnde & duas natiuitates eiusdē vnigeniti Dei verbi cōfitemur: vnā ante secula à patre sine tēpore & incorporaliter, alterā ipsius in extremis diebus, à sancta intactaq; Dei genitrice & sēper virgine Maria, cū animato intellectuali eius corpore. Quapropter S. & nimis laudabilē sēper virginē Mariā, rectè

Ecthesis ab hæreticis sub Heraclij Impe. nomine scripta.

De Trinitate confessio.

De verbi incarnatione.

& vera-

veraciter Dei genitricem prædicamus: non quia DEI verbum initium ab ea accepit vt esset, sed in extremis diebus incarnatus ex ea, immutabiliter homo factus est, & passionem pro nobis spontaneam carne sustinuit. Compositum autem Christum glorificamus, sanctorum patrum sequentes doctrinam. * Pro enim mysterio, quod in Christo est, per compositionem vnitio, & confusionem & diuisionem eijcit, & seruat quidem vtraque natura proprietatem, vnam autem substantiam & vnam personam Dei verbi cum animata intellectualiter eius carne ostendit, neque quaternitate nobis pro S. Trinitate introducta: absit: nec enim quartæ personæ additamentum sancta Trinitas susscepit & incarnato vno ex ea DEI verbo. Neque autem alter erat, qui miracula operabatur sicut Deus, alter autem quàm ipse qui passiones sustinuit: sed vnum eundemque filium confitemur Deum simul & hominem, vnam * subsistantiam, vnam personam, passibilem carne, impassibilem Deitate, perfectum Deitate, & perfectum eundem humanitate, & ipsius miracula & passiones quas sponte sustinuit corpore. Vnde & ex duabus naturis vnum Christum confitemur, vnum filium, vnum dominum, vnam personam, vnam subsistantiam compositam, & vnam naturam Dei verbi incarnatam, corpore animato intellectualiter, sicut Cyrillus magnus sapuit & docuit, & in duabus naturis eundē esse glorificantes: vt in Deitate & humanitate vnum dominum nostrum Iesum Christum verum DEUM cognitum esse confitemur, differentiam per hunc modum solùm significantes naturarum, pro quibus inconfusè ineffabilis vnitas facta est. Nec enim DEITAS transmigrauit in carnem, neque caro in DEITATEM transmutata est, sed in proprietate naturali, & pro vniuscuiusq; subsistentiæ vnitate vtrunque permansit. Vnde vnum scimus filium dominum nostrum Iesum Christum, ex initium non habente patre, & ex intacta matre, eundem ante secula, & in extremis diebus constitutum, impassibilem atque passibilē, visibilem atque inuisibilem, vnius eiusdemque miracula & passiones prædicamus, & omnem diuinam & humanam operationem vni eidemq; incarnato DEO verbo tribuimus, & vnam ei offerimus venerationem spōtè & veraciter propter nos crucifixo carne, & exurgenti ex mortuis, & in cœlos ascendenti, & residenti in dextera Patris, & iterum venienti iudicare viuos & mortuos: nullo modo concedentes alicui ex omnibus vnam vel duas dicere siue docere operationes in diuina domini incarnatione, sed magis sicut sanctę & vniuersales tradiderunt synodi, vnum eundemq; filium vnigenitum dominum nostrum Iesum Christum, verum DEUM confiteri, operari diuina & humana, & omnem DEO congruam & homini operationem ex vno eodemq; incarnato DEO verbo indiuisè & incōfusè procedere, & in vnum eundemq; sortiri, eō quod vnius quidem operationis vox licèt ab aliquibus patribus dicta est, tamen turbat, extraneat quorundam aures, arbitrantium in interitum eandem prolatam esse duarum naturarum, quæ in vna subsistentia vnitæ sunt in Christo DEO nostro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, vtpotè à nemine dictam sanctorum & præcipuorum patrum: sed & sequi in eo, vt duas confiteamur voluntates, cōtrariè ad inuicem venientes, DEO quidem verbo volente saluberrimam passionē explere, incarnationem autem in eo factam obuiam eūtem ipsius voluntati & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium est & extraneū Christianici dogmatis. Si enim insanus Nestorius licèt diuidens diuinam domini nostri humanitatem, & introducēs filios duos, voluntates istorum dicere non ausus est, è contrario autem consonantem voluntatem in eo, formatis duabus personis, confessus est, quomodo possibile est, orthodoxam confitentes fidem, & vnum filium dominum nostrum Iesum Christum, verum DEUM glorificantes, duas & has contrarias voluntates in eo suscipere? Vnde sanctos patres in omnibus & in hoc sequentes, vnam voluntatē domini nostri Iesu Christi verissimi DEI confitemur, vtpotè in nullo tempore animati intellectualiter eius corporis separat, & ex proprio impetu contrario mortui vnito ei DEI verbi in vna subsistantia naturalem eius producere motionem, sed quando & quale & quātam ipse DEUS verbum voluerat: Hæc pietatis dogmata tradiderunt nobis, qui ab initio præsentialiter viderunt, & ministri verbi facti sunt, eorumq; discipuli & successores quiq; sequenter à DEO inspirati, ecclesię doctores, id est, sanctæ & vniuersales quinq; synodi Nicæa, & in hanc regiam ciuitatem, necnon in Ephesum primùm, & in Chalcedonā, & iterum in Constantinopolim in quinto congregati Concilio. Et hæc in omnibus sequentes, & diuina eorum susscipientes dogmata, omnes quos exceperunt, excipimus, & quos eiecerunt, eijcimus, & anathematizamus, præcipuè Nouatū, * Sabellionem, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Origenem, Euagrium, Didymum, Theodorū Mopsuestenum, Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Seuerum, & impia conscripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem & Ephesinam primam synodum & duodecim capitula sancti Cyrilli, & quanta pro Theodoro & Nestorio conscripse runt, & nuncupatam Ibæ epistolam: & hortamur oēs Christianos sic sapere, & sic glorificare, nihil addentes his, nihil subtrahentes, nihil transmutātes secundùm quod scriptūest. Definitiones æternales à Deo inspirati Ecclesiæ sacerdotes ad salutem cunctorum præfixerūt. Et subscriptio principis: Heraclius fidelis in Iesu Christo Deo princeps subnotauit.

* subsistētiam

Impugnatio duarū voluntatū in Christo

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Notum facio vestræ sanctissimæ beatitudini, quod & ipsam sine dubio scire confidimus, quoniam in Apostolico vestro scrinio, & ea quæ pro cōfirmatione memoratę ecthesis confecta sunt à Sergio & Pyrrho, quondam episcopis Constantinopoleos, monumenta ad conuictionem eorum reseruata habere dinoscimur: sed & epistolam Cyri Alexandrinæ ciuitatis quondam antistitis, per quam & ipse huiusmodi ecthesin in scripto cum illis confirmat, atque amplectitur. Nunc autē de his chartis beatitudinem vestrā memorare curauimus, vt quæ placent præcipere, censeatis.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

PORRÒ si maximè propter ea, id est, quæ ab eisdem in defensione denominatæ ecthesis gesta sunt, consistēs nobiscum sancta Synodus in destructione aduersariorum nouitatis congregata est, quomodo non est & nimis operæ pretium ad veram probationē tam paternarum ac synodalium definitionum expulsionis, quamq; hæreticorum dogmatum introductionis, quam præmemorati præsumptores seditiosè consonanter sibi contra Catholicam Ecclesiam operari demoliti sunt, monumenta eorum cum antè fata epistola Cyri Alexandrinæ ciuitatis quondam episcopi nobismet produci, & ad firmiorem cautelam monumentorum nostrorum lectione vulgari? Sic namq; iustā habebunt veraciter ab omnibus orthodoxis condemnationem.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ Sedis, dixit:

Secundùm iussionem sanctissimæ beatitudinis vestræ memoratas chartas afferens præ manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

QVONIAM ea, quæ acta sunt à Sergio & Pyrrho, omnibus nota sunt & indubitanter manifestissima, si placet, propter multitudinem loca tantùm designata, quibus illi nouitatem ausi sunt confirmare, hi quorum interest, relegant.

Et accipiens Theodorus notarius regionarius Apostolicæ sedis, de Græco in Latino interpretatæ, relegit in his:

Ex gestis compositis pro ecthesi à Sergio episcopo Constantinopoleos.

SERGIVS sanctissimus Patriarcha dixit: Præpositum ab Ste

ab Stephano reuerendissimo Syncello nostro à pijssimo & prudentissimo Principe compositum, atque nobis iam cognitum, cum debita reuerentia relegatur edictum, atq; actibus inseratur. Stephanus reuerendissimus presbyter & Syncellus necnon chartophylax relegit: & post lectionem eiusdem, Sergius sanctissimus Patriarcha dixit: Sancta Synodus congregata dilectissimorum consacerdotum nostrorum, & per ea, quæ in præsenti gesta sunt pro ecthesi orthodoxi dogmatis pijssimi & magni nostri Principis, necnõ per lectionem, quæ ante hos proximos dies recitata est, prudentissimi magniq́ue Principis nostri diligentissimam cognoscens & instructam perfectionem, quoniam omnium artifex docuit eum prudentiam, per suam consonantiam faciat manifestũ, si ita exposita ab eo, atque indiminutè, secundùm quod nobis videtur, habentem comprobat, & amplectens confirmat prædicationis confessionem. Sancta Synodus dixit: Relecta nunc magni & sapientissimi Principis ecthesis, secundùm veritatem Apostolicæ consonat prædicationi. Hæc sunt patrum dogmata, hæc sunt præsidia ecclesiæ, hæc orthodoxæ fidei stabilitas, hæc sanctorum quinq; Conciliorum symbola, hæc vnitatem Christi dilecti orbis terrarum stabiliunt populi, hæc simpliciorum infirmitatem confirmant, & perfectos diligentioresq́; tuentur: hæc generalem humanitatis operantur salutem. Sic & nos credimus: hæc & nos confirmamus: his & nos consentimus. & post aliqua sanctissimus ac beatissimus archiepiscopus & vniuersalis Patriarcha Sergius dixit: Perfectè atque dilucidè, nec non compendiosè, ex quibus virtutis dirigitur verbum, à Deo sapientissimi & pijssimi domini ac magni Imperatoris, & hoc donum à Deo percipiens, dogmatizauit eloquẽtia. Et post paululum: Propterea consonantem eius professionem sanctis & vniuersalibus synodis reperientes, & diligentissimè recti dogmatis conglomerantem atq; præcauentem regulam: & post cætera: Ipsius & nos susceptimus & confirmauimus ecthesin: quoniam in omnibus sequitur perfectè & acribiosè doctrinam sanctorum ac probabilium patrum & prædicatorum orthodoxę nostræ fidei. Si quis ergo à præsenti die temeratos prohibitarũ tam ab à Deo conseruando domino & magno Imperatore, atq; huc congregata synodo factus, vnam aut duas præsumpserit dogmatizare aut proferre in Christo Deo nostro operationes, hunc, si quidem episcopus, aut presbyter, vel diaconus, siue de sequentibus fuerit gradibus, ab omni esse suspensum ecclesiastico ministerio vel officio definimus: Si autẽ monachicum habitum habuerit, aut laicus fuerit, hunc de sancta communione viuifici corporis & sanguinis magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi separamus, donec qui hæc confiteri præsumpserunt, ad hoc quod oportet remeantes, ex pura pœnitentia & conuersione sufficientẽ de tali transgressione prò seipsis satisfactionẽ porrexerint. Tunc etenim vnusquisque talis in suum pristinum restaurabitur officium. Et subscriptio: Sergius per misericordiam Dei episcopus Constantinopoleos Romæ, subscripsi. Gloria Christo Deo nostro, Amen, Amen.

ITEM DE EIS QVAE ACTA SVNT A Pyrrho quondam episcopo Constantinopoleos, pro eadem ecthesi.

SANCTISSIMVS ac beatissimus archiepiscopus & vniuersalis patriarcha Pyrrhus dixit: Nunc veraciter Spiritus sancti gratia his, qui nobiscum præsunt, inspirata, omnem extinxit errorem, & pietatis dogmatibus mentes fidelium illustrauit, magno Imperatore & clementissimo, sicut ignis in semetipso hac coruscante, atque omnem partem orbis terrarum illuminante. & post alia: Sicuti magnus Imperator & adinuentor sublimium. Competenter igitur & nos sequenter eiusdem virtutem & constructionem eius dogmaticæ in omnibus admittentes, & à Deo inspiratæ doctrinæ consonantem vtiq; in omnibus Apostolicę traditioni atq; sanctis vniuersalibus quinq; Concilijs, multis nimis atq; præcipuè sublimibus pro tanto zelo, qui in Deo est, coronamus laudibus, & secundùm nostræ virtutis mensuram enixiùs pro pia eius & illuminata anima Domino indesinenter orationes extollimus, quatenùs inconcussum permaneat eius regale imperium, omnes barbaras nationes substernens, & filijs filios cum profunda tranquillitate multis temporibus succedentes, atq; immortalis vitæ gaudia in futuro ei condonari Decernimus itaq; cum gratia in præsenti quidem conuenientes nobiscum sanctissimos episcopos, qui necdum imperialis prædicationis insinuationi subscripsisse probantur in tempore præcedenti, vt proprias subscriptiones post nostram subscriptionem actibus subiungere debeant, necnon & eos, qui in hac regia & à Deo conseruanda vrbe postmodùm coniunxerunt, & minimè subscripserunt per solicitudinem, quorum interest subscribere, præsules. Curauimus autem nihilominùs, Deo donante, & ad eos, qui absentes sunt, apud nos gesta cum encyclia nostra sine dubio destinare epistola, quatenus & eorum vnusquisque per suam similiter subscriptionem. eidem orthodoxæ prædicationi consentiat, & suam per subscriptionem præcedentibus coniungant mentem: vt nobis inturbulentus fons & suauissimus salutiferorum permaneat dogmatum, ex quo haurientes rationales oues Domini solitæ sunt bibere, ex abundantia diuini laticis incrassantes, atque sitis penitùs sine experimento permanentes. Qui hoc facere paratus minimè fuerit, sed permanens in inobedientia, condemnationi separantium se de integritate corporis Christi semetipsum miserrimè submissurus est, & iudicium contra se irrecusabile ex authoritate Apostolicarum sedium sibimet prouocans, donec per subtiliorem intentum semetipsum ad viam salutiferam reuocauerit. & subscriptio.

Pyrrhus misericordia Dei episcopus Constantinopoleos Romæ, subscripsi. Gloria Christo DEO nostro, Amen.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

PER ea indubitanter ac luce clariùs, quæ acta sunt pro ecthesi ab eis, Sergius & Pyrrhus confirmasse eam, & corroborasse in scripto probantur. & tantùm contra sanctorum patrum professionem propriam habentes in deceptione animarum suarum, vtpotè soli hanc ab initio construentes, & hoc quantùm pro ipsa arguũtur certasse, & alios secum instantiùs cõmouentes ab effectu huiusmodi turbulẽti studij, licèt alterius nomine callidè abusi sunt timore contradictionis fidelium, interminationẽ contra eos proponentes. Ideoq́; his nobis certissimè de eis cognitis per lectionẽ, quæ in præsenti recitata est, nunc etiam Cyri respiciamus epistolã, per quam propriam cum eis consonantiã ostendit.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ Sedis, dixit:

Secundùm iussionem beatitudinis vestræ epistolam afferens præ manibus habeo Cyri Alexandrini quondam episcopi: quid præcipitis?

Amabilis reuerendissimus episcopus Ostiensis Ecclesiæ, dixit:

Amabilis est nomẽ propriũ,

Memorata epistola Cyri Alexandrini episcopi relegatur.

Et accipiens Exuperius notarius regionarius Apostolicæ Sedis, de Græco in Latinam linguam interpretatam, relegit continentem ita:

DOMINO *Deo honorabili beatissimo spiritali & consacerdoti Sergio Archiepiscopo & patriarchæ, Cyrus, vltimus de Alexandria.* Paratis nobis relaxare responsa in regia vrbe, coniunxit Eustathius gloriosus magister militum, & detulit mihi venerandos apices præcipuè mei Domino Deo honorabilis beatitudinis, intùs habentes & exemplar competẽter & consultissimè, pariterq́; Deo amabiliter factæ ecthesos venerabilis nostræ fidei à pijssimo & à Deo conseruando domino nostro magnoq́; principe pro pia fide nostra ad Isacium excellentissimũ patricium & Exarchũ Italiæ destinatę, quã debet profiteri cõmunis frater noster Seuerinus sãctiss. Deo iuuãte, q ordinatur in Roma: quã non solũ semel

Epistola Cyri ad Sergium,

& bis, sed & multò sæpiùs diligenter relegisse dinoscor, & lætatus suæ eiusdem lectione, atq; consistentes mecum, congratulans per laudabilem scriptorum expositionem, veluti solis splendorem nitentem, & veram incõuertibilem & inuiolabilem nostram fidem fixius rectèque apertissimè prædicatem, gratiarum hymnos retuli Domino omnium Deo, qui nobis dedit prudẽtissimum gubernatorem, sanctas suas ecclesias rectè regentem, neq; permittentem forte assis ab emergente tempestate quoquo modo nos perturbari, nec iterum purè accedentibus in eam asperrimis saxis quassari: magis autem sine periculo & benignissimè ad tranquillum portum nos deducens, & pro pace fidelissimi populi eorum DEO decibiliter cogitantem. Sed qui eum talem & in spiritualibus constituit Deus, ipse virtutem & fortitudinem cõdonet, & pio eius imperio contra repugnantes inimicos seruilem eius rempublicam, vt tunc cum gratia & canticis exclamemus: Saluauit nos, saluauit, terque saluauit nos pijssimus ter Augustus, hoc est, à tyrannica potestate, & Persarũ ferocitate, necnon Saracenorum temeritate. Quia verò & nos vestræ participati doctrinæ, & hanc sine dubio sequentes, amplectimur & conseruamus, quæ ita piè & Deo amabiliter à sereniss̃ima eius tranquillitate exposita sunt, iam anteà vestra Deo honorabilis sanctitas cognouit, per ea, quæ sæpiùs ad eam à nostra humilitate, licèt rusticiter, attamen orthodoxè transmissa sunt. Omnem, quæ cum vestra Deo & honorabili sanctitate consistit in Christo fraternitas, ego & qui mecũ sunt, multùm salutamus. & subscriptio: Saluus in Domino, ora pro nobis sanctissime Pater.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMUS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

PER relectam in pręsenti nobis epistolam, propriam cõsonantiam Cyrus Alexandrinæ ciuitatis episcopus demonstrauit, quam cum Sergio & Pyrrho in expositione nouitatis eorum habere ostenditur, similiter cum illis in scripto eam confirmans. Ceciderunt autem à sua spe, mentiti cõtra caput proprium. Nec enim susceptа est omninò aut admissa est secundùm vanam eorum spem, magis autem cõdemnata est & anathematizata ab Apostolica authoritate huc transmissa pessimæ & præsumptæ nouitatis eorũ ecthesis. Sed quia hæc quidem illi contra orthodoxam fidem scripserunt, extenditur autem nobis de his rationabilis requisitio, ex paternis testimonijs atq; scripturarum procedens, cũ multa diligentia competenter, si placet Domino iuuante, in alio secretario huiusmodi differamus de illis quæstionẽ, vsque ad hoc præsentem cognitionem determinantes.

INCIPIT SECRETARIVS IV.

IN NOMINE DOMINI DEI SALVATORIS NOSTRI Iesu Christi, Imperij domini Constantini pijssimi Augusti anno nono, sub die xiij. Kal. Nouembris, Indictione octaua.

PRAESIDENTE sancto ac beatissimo Martino Papa sanctæ Sedis Apostolicæ vrbis Romæ, propositis sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs in Ecclesia Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus.

Maximo sanctissimo Aquileiensi episcopo.
Deusdedit sanctissimo Caralitano episcopo.
Mauro Cæsenate episcopo, & Deusdedit presbytero, agentibus locum Mauri sanctissimi episcopi Rauennatis ecclesiæ.
Sergio Tempsanensi episcopo.
Maximo Pisaurensi episcopo.
Reparato Manturianensi episcopo.
Luciano Leontinensi episcopo.
Epiphanio Albanensi episcopo.
Viatore Hortonensi episcopo.
Benedicto Aiaceno episcopo.
Bonito Formiano episcopo.
Iuliano Hortano episcopo.
Maioriano Prænestino episcopo.
Papinio Vibonensi episcopo.
Germano Numanensi episcopo.
Laurentio Perusino episcopo.
Adeodato Amerino episcopo.
Caroso Faralitano episcopo.
Gaudioso Capuano episcopo.
Martiano Mebiensi episcopo.
Bonito Ferentinate episcopo.
Barbato Sutrino episcopo.
Mauro Senogallienſi episcopo.
Calumnioso Alesino episcopo.
Mauroso Anconitano episcopo.
Peregrino Messanensi episcopo.
Bono Ficuclensi episcopo.
Romano Cerellitano episcopo.
Fortunato Auximate episcopo.
Criscete Lucrensi episcopo.
Thomate Lunensi episcopo.
Felice Agrigentino episcopo.
Bonito * Ferentispolimari episcopo.
Marcellino Clusino episcopo.
Maximo Trocalitano episcopo.
Geminiano Volaterrano episcopo.
Paschale Blandano episcopo.
Mariniano Populonienſi episcopo.
Luminoso Marsorum episcopo.
Luminoso Tiferniſtiberinorum episcopo.
Glorioso Camerino episcopo.
Potentino Belliternensi episcopo.
Decorato Tiburtino episcopo.
Mauro Tuscanensi episcopo.
Amabile Ostiensi episcopo.
Martino Gabinate episcopo.
Albino Portuensi episcopo.
Adeodato Spoletano episcopo.
Palumbo Fundano episcopo.
Ioanne Pæstano episcopo.
Theodosio Cotronensi episcopo.
Gaudioso Reatino episcopo.
Scholastico Fanensi episcopo.
Laurentio Taurianensi episcopo.
Elia Lilybætano episcopo.
Ioanne Trapeiano episcopo.
Aquilino Assisinati episcopo.
Luminoso Salernitano episcopo.
Eusebio Atellano episcopo.
Sabbatio Buxento episcopo.
Martino Centumcellensi episcopo.
Ioanne * Tarantino episcopo.
Iubentino Stabiensi episcopo.
Rufino Sipontino episcopo.
Mauro Senate episcopo.
Læto Lucano episcopo.
Leontio Neapolitano episcopo.
Theodoro Rosellano episcopo.
Paschale Thermitano episcopo.
Andrea Hydruntino episcopo.
Oportuno Pisano episcopo.
Iusto Tauromeritano episcopo.
Donato Marianensi episcopo.
Felice Panormitano episcopo.
Bonoso Alerino episcopo.
Laurentio Tuderino episcopo.
Peregrino Lyparitano episcopo.
Ioanne Carinensi episcopo.
Boethio Cornensi episcopo.
Albino Signensi episcopo.
Valentino Turritano episcopo.
Augustino Squillacino episcopo.
Luminoso Bonensi episcopo.
Ioanne Rhegitano episcopo.
Crescentio * Lybiensi episcopo.
Barbato Cumano episcopo.

Stephano Populiensi episcopo.
Felice Terracinensi episcopo.
Callionisto Adrianensi episcopo.
Oportuno Anagnino episcopo.
Ioanne vico Sabinate episcopo.
Firmino Plerano episcopo.
Potentio Polensi episcopo.
Iobiano Firmano episcopo.
Leontio Fabentinate episcopo.
Anastasio Narniensi episcopo.
Donato Sassinate episcopo.
Thedoro Tyndaritano episcopo.
Ioanne Vnnogoritano episcopo.
Sapientio * Numertano episcopo.
Stephano Dorensi episcopo.
Maximo Mesinate episcopo.
Ioanne Gabopolitano episcopo.
Gratioso Nepesino episcopo, & Victoriano Vzalensi episcopo.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

EX his, quæ à nobis relecta sunt in pręterito secretario, monumentorum series à Sergio & Pyrrhò cõfecta, nec non epistola Cyri, quæ videlicet temerosiùs composita sũt ab eis cõtra fidem pro stabilitate nocibilis eorum ectheseos Micheæ propheticam vocem, anima conflictos nos propter consonantiam in huiusmodi errorem & conspirationem factam, congruum est enarrare: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemos in vindemia: non est botrus ad comedendum præcoquas ficus desiderauit anima mea. Perit reuerens de terra, & rectus in hominibus tllis non est. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Omnes congregati sunt in vnum contra Dominum, sanctamque eius & immaculatam fidem. Sed venite, & nos dilectissimi fratres, cum Deo descendamus ad visitationem, id est, inquisitionem sermonum eorum, confundamus per approbationem verissimam ibidem linguas eorum, eleuatas contra scientiam vnigeniti filij Dei, & iniquitatem in altitudinem humanitatis eius loquẽtes. Dirumpamus vincula eorum per gladium spiritalem, quod est verbum Dei, & proijciamus à nobis iugum ipsorum per expurgationem profani sensûs illorum. Tunc etenim & ipse quoq; Dominus irridebit eos & subsanabit, & loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, secundùm B. Hieremiam dicens, Falsò prophetæ isti vaticinantur in nomine meo. Non enim misi eos. & non præcepi eis neque locutus sum ad eos: visionem mendacem, & diuinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetãt vobis Ideò hæc dicit Dominus de Prophetis, qui prophetãt in nomine meo mendacium: Erunt proiecti in vijs Hierusalẽ, & conculcatio omnium piè confitentium me, & non erit qui sepeliat eos. Nemo enim abscondere potest quibusdam subreptionibus commentatus, sicuti nec foliis fici antiquũ trãsgressorem præcepti Adam, eum qui per propriam linguam inuerecundè nudatur. Laqueus enim fortis viro labia eius, & captus proprijs sermonibus, & opera manuum eius: retributio autem labiorum eius dabitur ei impietatis repræhensio. Arguam enim te, inquit, & statuam ante faciẽ tuã. Existimâlti inique, quòd ero tibi similis. Propterea sicut dicit Dominus ad Gedeon, deponamus eos ad aquas verę discretionis, & probemus eos ibi regulari examinatione in idipsũ pronos corruentes, per offensionem praui intellectus eorũ, vt nè sint apud se sapientes, diuini verbi scientiam ignorantes: Quoniam dicentes esse se sapientes, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam Catholicæ ecclesiæ per propriam nouitatem, siue per ea, quę illicitè in eius defensione gesta sunt, hæreticam turbulentiam introducentes, illud competenter apud nos retinentes, quod benè ad Iesum filium Sirach dictum est: vsq; ad mortem certa pro veritate, & semper Dominus Deus pugnabit pro te. Accipere enim personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij. Quomodo autem hoc prudenter efficiemus? Inprimis quidem ex comparatione mutua verborum illorum, quæ nobis relecta sunt. Si enim ipsi propria perimunt, approbantes ea vacua, & omninò veritati extranea, vtique ventos pascent, iuxta quòd in Prouerbijs dictum est: Qui mendacio nititur, hic pascit ventos, & minauit volucres volantes. Derelinquit enim vias suæ vineæ, in axones autem suæ culturæ errant: deambulat verò per siccam eremum, & terram extensam in sitim. Congregat autem manibus sui sterilitatem. Igitur sicut prælectionem audiuimus, dilectissimi fratres, Cyrus quidem in suis capitulis definiuit ità: Si quis non dicit vnum eundemq; Christum operari Deo decibilia & humana per vnam Deiuirilem operationem anathema sit. Sergius autẽ huiusmodi admittens atque confirmans eius cõfessionem, ad eundem scribens, ait: Hanc vestram orthodoxam relegentes doctrinam & diuinam suasionem siue omni orthodoxia repletam vestræ sanctitatis, Domini collaudaui benignitatem: sed & vestrum sanctum sacerdotium beatificaui, quoniam huic rei dignata est intercedere per gratiam sancti atque viuifici spiritus, necnon per electionem & doctrinã à Deo inspirati & pacifici magni Imperatoris. Asseruistis autem (Bonum est enim, vt & ipsis sacris vestris vocibus vtamur) vnum eundemque Christum operari Deo decibilia & humana per vnam operationem, & hæc piè nimisq; subtiliter exposuistis: quoniam in his præcipuorum & vniuersalium sanctorum quinque Conciliorum voces expressisse noscimini. Iterùm autem Phyrrhus in antefato dogmatico eius Tomo aduocationem impendens Cyro, ità scribens ait: Vnam enim, secundùm veritatem, pro noua continebat eiusdem volumen: non quidem malitiosè, iuxta meum sensum, sed vtpotè non aliter posse nouam intelligi, nisi vnam. Ac per hoc iam Pyrrho non aliter nouam nisi vnam intelligente, vetus dierum non vnus existit, sed multi, aut si paruum, vt ità dicatur, duo intelliguntur. Nam si non aliter nisi vnam esse definit nouam, non est autem vetus quod nouum est, vtiquè vetus dierum vt dictum est, non vnus intelligitur, sed potiùs multi, aut si minùs, duo: vt & multos deos infirmè intelligat, & solum Deum, qui est sinè initio naturaliter, in multos deos diuidat: ignorans quoniam non per omnia numerine nequeant ea cognati, sed glorioſi miraculi noui vocabulum habet designationem. Sicut igitur vetere vti antiquitatis est, designatio autem sinè initio. Et hęc quidem Sergius & Pyrrhus pro Cyro scripserunt. In ectheſin autem illorum apertius, quæ nunc dixerunt, euacuantes, & reproba, quæ ab ipsis firma pronunciata sunt, dicentes, falsa autem quæ vera, & pia quæ impia, & minorata indiminuta, & incauta robusta, & extranea omninò sanctorum & vniuersalium quinque Conciliorum, quæ ab eis sunt in scripto testimonio comprobata, & cum anathemate ab ipsis definita contra eos, qui ita habere hæc non profitentur, sequentes proprij anathematis per transgressionem condemnationẽ, de hoc in erroneis eorum dogmatibus ità dicunt, nullo modo concedentes cuiquam ex omnibus vnam aut duas dicere, vel docere operationes in diuina Domini dispensatione. Ideoque sanctos patres per omnia & in hoc sequẽtes, vnam voluntatem Domini nostri Iesu Christi confitemur, addẽtes etiam: Hæc pietatis dogmata tradiderunt nobis, qui ab initio præsentialiter viderunt, & ministri verbi facti sunt, eorumque discipuli & successores, & sequenter à Deo inspirati Ecclesiæ Doctores, id est, sanctæ & vniuersales quinque Synodi beatorum & à Deo inspiratorum patrum, qui in Nicæam, & in hanc regiam ciuitatem, necnon in Ephesum primùm, & in Chalcedonam, & iterùm in Constantinopolim in quinto congregati sunt Concilio. Ergò hanc ectheſin Sergius & Pyrrhus per propria monumenta confirmantes, quatenus multo ampliùs dogmatum suorum vicissim ostendant vbique omnibus destructionem, vt nõstis, hæc allocuti sunt, & Sergius quidem ita: Perfectè atque dilucidè, necnon compendiosè, ex quibus virtutis dirigitur sermo, à Deo inspirati sereniſſimi domini magniſque Principis, & hoc ex Deo donum percipiens dogmatizauit eloquentia, & propterea consonantem eius confessionem sanctis & vniuersalibus Synodis inuestigantes, & perſubtiliter recti dogmatis connectentem ac præmunientem regulam, pariterque & nos suscipimus eius & confirmamus ectheſin, quoniã in omnibus sequitur pleniùs & indiminutè doctrinam sanctorum

Monothelitarũ dicta examinantur.

Prou. 10.

Dan. 7.

Locus mẽdosus.

Nota, vt hæretici partũ scripta pro ipsis facere mentiantur, immò & diuina.

Hæretici propria scripta destruunt.

Mich. 7.
Psal. 13.
Genc. 11.
Psal. 2.
Eph. 6.
Psal. 2.
Hiere. 4.
Gen. 3.
Psal. 49.
Iud. 7.
Rom. 1.
Eccl. 4.
Prouer. 18.

ctorum probabilium patrum. Si quis ergò à præsenti die temerator prohibitarum à fortissimo & à Deo conseruando Domino & magno Imperatore siue congregata huc sancta Synodo factus, vnam aut duas præsumpserit dogmatizare aut proferre in Christo Deo nostro operationes, hunc, si quidem Episcopus, aut presbyter, vel diaconus, siue de sequentibus fuerit gradibus, ab omni suspendimus Ecclesiastico ministerio vel officio. Si autem monachus, aut laicus fuerit, hunc de viuifica communione separamus. Igitur in his, reuerendissimi fratres, si habuissemus dena millia annũciantes nobis, an crederemus aliquando, nisi lectio nobis scripturorum eius satisfeciset, quoniam quę ita sibi contraria atque se perimentes dogmata vel sermones vnius eiusdemque personæ, hoc est Sergij existunt, funditùs cõtra sua * delimenta vel dogmata exardescentis? Hic namque quomodò vnquam nec phreneticus quisquam ex omnibus cõtra sua membra commotus est, per semetipsum propria cõsumens atque interimens per dominantem ei errorem atq; dementiam. Sed hæc quidem Sergius: Pyrrhus autem in his, quæ ab eo sunt instituta, simili corruptione ductus, ità vt ille prædenominatam nouitatis ectheſin in suis monumentis exposuit: Competenter igitur & nos sequentes eius virtutem & expositionem dogmaticam, & à Deo inspiratam eius doctrinam per omnia admittentes, consonantem in omnibus Apostolicæ traditioni atque sanctis vniuersalibus quinque Concilijs, multis eum atque sublimibus pro hoc coronamus laudibus, & decernimus cum gratia eos, qui nobiscum consistunt, sanctissimos episcopos, necdum autem imperialis prædicationis insinuationi in præcedente tempore subscripserunt, proprias submittere post nostram subscriptionem his actibus subnotationes. Quòd si quis hoc facere paratus minimè fuerit, sed permanet in obedientia, iudicio separantium se ab integritate corporis Christi semetipsum submittens, & condemnationem irrecusabilem contra se prouocaturus est. Consonanter autem his & Cyrus æqualem interemptionem per similem errorem & introductam ectheſin confirmans, ita pro ea scribens ad Sergium, ait: Sicut per lectionem audiuimus, quam non semel & bis, sed & multò sæpius diligenter percurrens, & lætatus super eiusdem lectionis virtutem, atque consistens mecum, congratulans per laudabilem expositionem scriptorum veluti solis splendorem nitentem, & veram inconuertibiliter & inuiolabiliter nostram fidem fixiùs rectèque & apertissimè prędicantem, laudes gratiarum retuli Domino omnium Deo, qui nobis dedit prudentissimum gubernatorem. Quia verò & nos de vestra participati doctrina, & hanc sine dubio sequentes amplectimur & conseruamus, quæ ità piè & Deo amabiliter à sereniſſima eius tranquillitate exposita sunt, iam vestra à Deo honorabilis sanctitas cognouit per hæc, quæ sæpius ad eam à nostra humilitate destinata sunt. Adhæc ergò intantùm contraria, & ità ab inuicem vehemẽter corrupta, vt nec alio iã necesse sit in propria destructione, vtpotè hanc illis durius sibi inferentibus per contradictionem alterutram atque obiectionem, quid nos oportet dicere, hoc est, ex persona Catholicæ ecclesiæ, nisi Dauidicum vaticinium exclamare? Absorpti sunt, continuati petræ ipsi vel sermones eorum. Discissi sunt, & non sunt compuncti: tentauerunt me, subsanauerunt me, striderunt in me dentibus suis. Domine, quandò respicies? restitue à nouitate eorum confessionem meam, à dogmatibus eorum vnicam fidem meam. Commoti transferantur sermones eorum, & eijciantur de habitationibus meis: & cognoscant quia hæc manus tua, & tu Domine fecisti eam. Quomodò namque non sunt discissi, licet nullo modo compuncti, qui ab omni se sacerdotali dignitate & officio deposuerunt, & à participatione diuinæ communionis alienauerunt, nec non anathematizauerunt, prohibentes in Christo vnam operationem dicere, & denunciantes vnam in Christo operationem asserere, ac si vtrunque secundùm sensum eorũ, id est, vnam dicere operationem, & nec vnam dicere operationẽ, similiter orthodoxum & probabile, firmumque, pium, indiminutum atque perfectę prædicationis omnium sanctorum patrum, siue vniuersalium quinque Synodorum veraciter existeret? Quod non solum falsum est, sed etiam omninò ac specialiter impossibile, in semetipso habẽs propriæ instabilitatis accusatorem. Duos enim contrarios sermones de eodem verbo veraciter dicere, naturam non habere, scribens Nectario Theologus Gregorius, ait. Competenter igitur ante patrum pro tali re contra eos definitiones, seipsos illi in hoc, quòd sua dogmata transgrediuntur, condemnare noscuntur, superducentes sibi (vt dictum est) per hęc diffinitam ab eis depositionem, & cum anàthematis propositione alienationem totius sacerdotalis officij, Christique Dei nostri immaculatæ communionis: & præcipuè quoniam non solùm impia & hæretica, quæ ab eis gesta sunt, consistunt, sed & incongrua omninò ac specialiter cognoscuntur. Nullus enim introductus est personaliter ab illis accusator aut accusatus, iuxta quod gestorum ordo exigit, per claram intimationem aut institutionem eorum, quæ ab eis exuminata sunt, approbationem faciens: sed ipsi sibi à semetipsis proprio arbitrio omnia facta sunt, accusantes, accusatores, iudices. Et accusatores quidem, vtpotè se reprehendentes per immutationem S. Dionysij vocis: accusantes autem, quomodò criminatores eius, potiùs autem euacuantes vnam operationem: iudices, vtpotè aliam pro alia fidem commentantes. Pro qua re ordo gestorum per inopiam eorum, quæ intimata sunt ab illis, ex suspicione & cõiectura deceptiuè obumbratus est ex hoc, quòd frequentiùs dicunt, quia aliqui, & quoniam aliqui, & quia quidam, & nõ erat vox neque neq; auditio, sicut per vaticinium Elias propheta perhibuit. Omnia enim eis ex non approbatis verbis vel inanibus finctionibus inuerecundè actitata sunt aduersus Catholicam Ecclesiam, pro quibus, vt dictum est, & cõtra se irascendo versi sunt, seipsos condemnantes. Vt autem & à nobis synodaliter fiat contra eos reprehensio per Apostolicam seu regularem, prælatam iustam determinationẽ, in medio nobis ad audientiam glorioſorum patrum decreta ac vniuersalium quinque Conciliorum definitiones offerantur, de quibus illi in scripto dixerunt, hæc veraciter prædicare atque docere, quatenus testimonij mercedem per veritatem gestorum consequi valeant. Scriptum est enim: Abominatio est Domino labia mendacia: & odit Dominus testem fallacem, proferentem mendacia, & seminantem inter fratres scandala atque litigia: quod vtique memorati apertissimè concinauerunt, iudicia & litigia vbique omnibus per proprios sermones destinantes.

for. deliramenta

3. Reg. 18.

Prou. 12.
Prou. 6.

*Benedictus reuerendissimus episcopus * Aiacensis, dixit:*

Propheta Dauid, beatissime, vestram pronuncians gratiam, ait: Quoniam Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa. Cum multa nanque strenuitate & zelo inspirationem à Deo diuini verbi percipientes, in apertione oris vestri notum feciſtis omnibus, quoniam sicut vacca lasciuiens declinauerunt à via veritatis Cyrus & Sergius atque Pyrrhus. Nec enim dederunt, sicut ait Oseæ, cogitationes suas, vt conuertantur ad Deum eorum, quoniam spiritus nouitatis in est eis, & dominum non intellexerunt, eò quod veritas non est in eis, nec misericordia, neque scientia Dei in dogmatibus eorum, sed maledictio, mendacium, & furtum atque deceptio, & contrarietas inconueniens in eorum sermonibus effusa est. Ergò quoniam iudicium est Domini hodiè super eos per vos sacratissimos, si placet, oportet cũ eis ad similem examinationem Paulum, Sergij & Pyrrhi successorem, coaptari: quippe quoniam in vnam eandemque hæresim illorum inuoluitur, & propterea instanter hãc defẽdere nititur, sicuti accusatores eius per sua scripta nobis declarauerunt, immò magis operibus suis seipsum ille manifestauit, verberibus & clausuris atque exilijs orthodoxos viros submittens. Sic nanque communis erit contra hos omnes à præsenti sancto Concilio impietatis deuictio prolata, videlicet per subtiliorem ostensionem & approbationẽ paternarum & Synodalium definitionum vel prædicationum.

Psal. 67.

Oseæ 4.
Oseæ 5.

Omnes sanctissimi Episcopi dixerunt.

SVpplicamus beatitudinem vestram, adijciatur & Paulus similibus suis, iuxta supplicationem coepiscopi nostri

Pſal. 140.
Pſal. 34.

Pſal. 108.

Bene-

Benedicti reuerendissimi, ipse quoque ad examinandum nobis prolatus, quatenus propter similitudinem nouitatis, simili cum ipsis regulariter sententia percellatur. Nam & vehementissimè contra Catholicam ecclesiam demolitus est, vt & in ipso impleatur quod scriptum est: Initium sermonum oris eius stultitia, & vltima oris eius circuitus malignus. Veraciter enim, sicut de eo suggestiones & accusationes pronunciant, & incipiens acriter nouitatem defendere studuit, & perficiens dolosè Typum fieri persuasit. Stillicidium nanque assiduum concauat petram. Ideoque, si præcipitis, epistola ipsius directa prædecessori vestræ beatitudinis Theodoro Papæ, nobismet relegatur: sed & memorati Typi per exemplar eius series, pro tuitione plenissima Catholicæ ecclesię, quoniam & ipsum Typum in euersione paternorum dogmatum fieri sine dubio persuasit: qui derelinquentes Catholicę ecclesiæ paternas Synodalesque definitiones ac sermones, ad seculares Typos callidè properauerunt, pariter quidem tam suam obcelantes perfidiam, quamque alijs inique irrogantes querelas, quatenus duplicem susciplant de manu Domini *peccatum tam pro suo delicto, *seu criminatione contra alios flagitata.

Eccl.10.

*pœnam
*quam

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Catholicæ, atq; apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

COmpetenter Epistolam Pauli ad examinationem deduci per hos, quorum interest, nobiscum consistens sancta Synodus petijt, quoniam simili excessu pariqué errore cum prænominatis irretitus, similem à nobis congruum est per approbationem contra hos omnes increpationem prouenire. Offeratur igitur directa à Paulo præcessori nostro beatæ memoriæ Theodoro dogmatica Epistola, & cum eadem exemplar Typi, quem ille ad destructionem paternorum dogmatum fieri persuasit.

THEOPHYLACTVS PRIMICERIVS NOTARIOrum Apostolicæ Sedis, dixit:

Secundùm iussionem beatitudinis vestræ, epistolam Pauli & exemplar Typi nuper, id est, transacto anno persuasionem eiusdem Pauli expositi, prę manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

EPistola Pauli Episcopi Constantinopoleos inprimis per hos, quorum interest, suscipiatur & relegatur.

Et accipiens Paschalis notarius regionarius Apostolicæ sedis, de Græco in Latinam vocem translatam, relegit continentem ità:

Epist. Pauli Constantinop. ad Theodorum Papā.

SANCTISSIMO ET BEATISSIMO FRAtri & consacerdoti, Domino Theodoro Paulus indignus Episcopus in Domino salutem.

Pſal.132. Eccè quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum: spiritali dico habitaculo, & cõcordia quæ in Deo est, & vnitate fidei, huius delectabilis secundùm veritatem inhabitaculi, quæ videlicet in Aaron magis decorabatur, atque sacerdotalem induentibus dignitatem, sicut vnguentum super caput, principalem intellectum irrigans, & vsque ad ipsam extremam scientiam deducens. In hoc enim habitaculo benedictionem & æternam vitam promisit Dominus. Huius igitur propheticæ vaticinationis meritum amplectentes, præsentem fraternam syllabam exposuimus, nostra propter charitatem minimè quærentes aut quæsituri. Nec enim detrahentibus bonum est detrahere, aut palo secundùm vulgarem fabulam excutere palum. Absit. Non sunt nostra hæc. Auertat diuinitas, non sunt edocti habitus nostri ità vincere, sed in patientia longanimitatis, & spiritu humilitatis: quia sicut minimè per duritiam, propheticè dicamus, purgatur nigella, ità nec pacis saporatus fructus intelligentiæ per asperitatem exprimitur. Propter hoc enim & verborum supportauimus colaphos, vt vel paulatim valeamus eum imitari, qui propter nos se humiliare dignatus est, vt extremæ illius vltionis, per hanc plagam verbera declinemus. Audiamus igitur & consentiamus ecclesiæ oratori, qui per linguam spiritús clara voce exclamat, dicens: Omnia à vobis in charitate fiant. Ergò siue quærimus, siue tantummodò dicimus, & tantummodò audimus, charitas intercedat, ars aliqua existens ad compositionem concordiæ boni & coniunctionem. Oportet enim de Deo quærentibus nobis, sparto rectitudinis mentis nostræ denumerantes templum, pacificè inhabitare in eo propter Dominum, qui per Prophetam locutus est: Quærens quære, & apud me habita. Speculum enim dedit Deus populo suo, & oportet eos, qui à Deo sunt deputati, sacerdotium adipisci, ita in humilitate gressum mentis adinuicem tendere, vt in melius ædificentur hi, qui ad nos respiciunt, quàm, quod dicere piget, per nostram discordiam, semitam pedum eorum concutere. Ad concordiam inclinemus nosipsos, & vnum ad charitatem sapiamus. Humilitatem veneremur, per quam apprehendi solet altitudo spiritus. Si enim & verbo amplius vsque huc taciturnitatem dileximus, hoc quidem benè habere arbitrati sumus, nè scriptis vestris reciprocata respondentibus, iniuriæ fomitem exhortemur, & pusillanimitate dijudicemur ab eo, quia omnia ad charitatem diligere promulgauit. Orauimus verò & tunc ostium circunstantiæ labijs nostris imponi, & verbum insonitum concipere potiùs, quàm verbum inuigile: & tamen hoc mihi donum est à Domino, & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore eius argumentationes. Sed quia tempus est loquendi, & tempus tacendi, aperio verbum, & claudo ostium per taciturnitatem, competenter exorans: DOmine, labia mea aperies, vt respondeam exprobrantibus mihi verbum. Licet enim tacuimus, non semper tacebimus, adaperiente nobis DEO claues verbi. Igitur directis in præsenti à beatitudine fraternitatis vestræ apocrisarijs, qui post multas factas inter nos de ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes, in finem ad hoc peruenerunt, admonentes nos atque adhortantes interpretari vnius Christi veri DEI nostri voluntatis intellectum, atque huiusmodi interpretationem destinari vestræ sacratissimæ veneration. Nos autem acceptam habentes bonæ conscientiæ prædictorum venerabilium virorum admonitionem, cognoscentes autem & quæ principatus Apostolorũ summitas docet, paratos esse ad satisfactionem omni poscenti nos verbum de spe quæ in nobis est, secundùm DEI timorem mansuetudinem ad bonam scientiam temperantes, super tali tantummodo requisitione mentem nostram per has syllabas exponimus, superfluam excitationem & altercationem verborum propter satietatem & præsentis temporis incongruitatem declinantes ac præcauentes, nihil nostrum intelligentes, aut proferentes, vel dicentes, sed quæ audiuimus & cognouimus à sanctis & vniuersalibus magnis Concilijs, & patres nostri enarruerunt nobis: quoniam viæ veritatis, intellectus est sapientum, sicut prouerbiatori Salomoni atque veritati benè placere dinoscitur. Sed quia tempus iam trahit nos promissionis, & ad aperiendam requisitionem prouocat, incipiamus rectæ nostræ fidei formam scripturæ imaginibus enarrare, sicuti tinctitijs aliquibus coloribus paternis testimonijs certiùs decorantes, quæ à nobis dicuntur. Nos igitur, id est, iurisdictio ecclesiæ nostræ & synodus confitemur vnum consubstantialis & authoris vitæ trinitatis filium ac verbum sine initio genitoris DOminum Iesum Christum verum DEum nostrum ex spiritu sancto & immaculata DEI genitrice semperque virgine Maria inconuertibiliter incarnatum, perfectum esse eundem DEitate, & perfectum humanitate vnam personam, vnam substantiam compositam in duabus & post vnitatem prædicantes naturis, differentiam vtrarunque naturarum cognoscentes secundùm eorum proprietatem. Nec enim eorum per partem diuisionem aut in alterutram mutationem, aut commixtionem, siue cõfusionem penitùs intelligimus aut suscipimus, absit: sed in vno Christo saluata vtraque natu-

Pſal.140. Pſal.37. Eccl.3. Pſal.50. Pſal.118. 2.Cor. 16. 1.Pet.3.

ra diuinitatis & humanitatis,& in essentiæ proprio termino secundùm substantiam inenarrabilis summæ vnitatis conuenientia conseruatis & permanentibus. (Mansit enim verbum quod erat,& factum est quod non erat). Propterea & omnem congruam diuinitati & humanitati operationem ab vno eodemque procedentem incarnato Deo verbo dicim⁹,& in vnum eundemq; reduci. Ideoq; & diuisio nō introducitur,& incōfusio saluatur. Resipiscat plebs impiorū hæreticorū, fileant cum Nestorio, Diodoro, & Theodoro Seuerus & Eutyches, Apollinares execrabiles, ex alterutra dissonātia consonantes sibi ad impietatē, alijs confusionē, alijs diuisionē malè induent b⁹, & benè à veritatis regulis denudati. Vnius autem & eiusdem Dei verbi incarnati miracula prædicamus,& passiones cognoscimus, quas secundum carnem propter nos sponte sustinuit. Ideoque & Deus dicitur pati,& filius hominis à cælo descendisse propter summā & indissipabilem secundùm substantiam duarum naturarū vnitatem. Vndè & vnam voluntatem Domini nostri Christi intelligimus, ne contrarietatem aut differentiam voluntatum vni eidemque personæ Domini nostri IESV CHRISTI applicemus, aut ipsum se expugnantem dogmatizamus, aut duos volentes introducamus. Non enim ad conglomerationem omninò aut confusionem duarum naturarum, quæ in eodem videntur vnius voluntatis, hanc producentes vocem, aut ad interemptionem alterius tantùm aliam esse prædicantes: sed hoc per huiusmodi significantes vocem, quoniam caro eius rationabiliter & intellectualiter animata, ex ipsa summa vnitate inenarrabiliter omnibus diuinis ditata, vnientis eam sibi secundùm substantiam diuini verbi, diuinam habebat indiscretam voluntatē, quæ ab ipso semper ducebatur ac mouebatur, vtpote in nullo tempore eadem diuisè, & ex proprio impetu contrariè nutui vniti secundùm substantiam Dei verbi, naturalem eius faciens monitionem, sed quādò, & qualem, & quantam ipse Deus verbum volebat, nè (quod absit) in blasphemia dijudicemur, quod vtique cauendum, & terribile dicendū: væ huiusmodi prauitati, vt per necessitatem naturæ violentiam sustinentem introducamus eius humanitatem, & cōmunicantem Petro dignæ eius increpationi, si vtique per similem recusationem ex verborum significatione passioni eius communicat. Sic & Euangelicam intelligamus lectionem, vbi dicit: Non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sed & in recusatione passionis non diuersam in vnum eundemque Christum,& resultantem introducētes voluntatem, magis autem recusatiuè & non positiuè huiusmodi suscipiamus vocem. Non enim quasi existens hoc verbum dictum est, sed ac si non est: sicuti, Neque peccatū meum, neque iniquitas mea, vt peritissimus in dogmatibus Theologus Gregorius. Sed & omnes doctores, qui passionis verba memorauerunt, ex affectione & relatione nostræ massæ hanc susceperunt: sicut & magnus ecclesiæ Lucifer Athanasius edocuit nos, nostram ostendens pronam in hāc vitam naturam, sine passione nolentem à præsente vita disrumpi,& non vt animatam intellectualiter carnis verbi inpromptam existentem ad totius mundi salutiferam passionem, aut discordantem patri, & inhabitanti verbo. Sed & huius intellectui * acribiosissimū expositorem & interpretatorem suscipiamus, id est, bis acutum pugionem spirtalem Cyrillum, in sacerdotibus secundùm zelotem Phinees, qui validissimo linguæ ictu percussit optimè meretricem, confusionem, diuisionis intellectum & verbum prauitatis, in quarto de anathematibus capitulo, dictis aduersum contradictiones duodecim capitulorum, factas à Theodorito, atq; probatis à sancta vniuersali Chalcedonensi,& quinta Synodo, luculentiùs Euangelicam proferens atque adaperiens vocem. Sed & omnes pietatis doctores & prædicatores huiusmodi vnius voluntatis mente detinentur. Quorum, si opus est requisitione proueniente,& competenter relegimus testimonia: quibus concordes & consonantes facti sunt piæ memoriæ Sergius & Honorius, vnus quidem nouę, alter aūt antiquæ Romæ sūmi sacerdotij sedē decorantes. Igitur de his ità nos habemus, sic intelligimus, sic prædicamus: in his orthodoxiæ manifestatio, in his Ecclesiæ laus, in his salutis nostræ spes. Hæc est spiritui germen nutriferum, hæc patrū salutaris flos, hic est rationabilium ouium viuificus veritatis paradisus. Hæc meditari, in his esse, per hæc illuminari & illuminare oramus: quoniam hoc faciētes, & nos saluamur & audientes, prædicauimus: ad supernam vocationem nostrum est studium, vbi pacis cōpositio, his qui in studio pietatis benè vnica gloriæ intercessor tribuitur corona. Deo manifestati sumus, qui iudicat omnia & comprobat. nō iurgialiter stamus, non ad contradictionem respicimus, nō fauorem inanem amplectimur: sed in verbo Dei præpositæ huiusmodi requisitionis resolutionem feciſſe dinoscimur, confidentes quoniam pacis DOMINVS Deus ad alterutrum nostrorum vnitatem & dilectionem conseruabit in gloria eius benignissimæ maiestatis. Omnem cum vestra beatitudine in Christo existentem fraternitatē tam nos & qui nobiscum sunt, multùm salutamus, & subscriptio: Incolumes in DOMINO, orate pro nobis sanctissime & beatissime pater.

dū est hæreticū esse q̄ scribit.

Hæreticus suum errorē tuetur verbo Dei.

Ioan.6.

Psal.58.

* id est, diligentissimum

Num.25.

Sergius, & Honorius quasi eiusdem sententiæ, p̄feruntur, sed notā-

Deus dedit sanctissimus episcopus Caralitanæ Ecclesiæ, dixit:

PER suam epistolam, quæ in præsenti nobis relecta est, Paulus Constantinopolitanus episcopus, quæ vestra beatitudo huic sancto Concilio prudentissimè allocuta est, luculentiùs confirmauit: sed & accusantium eum ad Apostolicam vestram sedem venerabilium virorum suggestiones firmauit, ostendens, sicut in præsenti audiuimus, quoniam in scripto & sine scripto admonitus est à prædecessoribus vestris Apostolicis viris, & incorrectus atque inobediens permanserit, iuxta contestationes eorum de huiusmodi quæstione prolatas, ex hoc quod dicit & in scripto asserit: Propterea & verborum quodammodò sustinuimus alapas. Nec enim detrahentibus detrahere bonum est, vt nè ad ea, quæ scripta sunt, commoti, iniuriæ certamen efficiamus. Sed quia tempus loquendi,& tempus tacendi, DOMINE, labia mea aperies, vt respondeam exprobrantibus mihi verbum, adaperiente nobis Deo claues sermonis per præsentiam apocrisariorum à vestra fraterna beatitudine destinatorum, qui per multas tantasque de ecclesiastica quæstione nobiscum inconsonantes assertiones, ad postremum ad hoc venerunt, vt eis à nobis interpretetur Christi Dei nostri vnius voluntatis intellectus. Eccè igitur, vt iam fatisumus, per ea quæ scripsit, manifestauit, quoniam canonicè admonitus est tam per Apostolicas præceptiones, quamq; per reuerendissimos apocrisarios summę sedis vestræ, multis (vt ipse perhibuit) assertionibus ad eum factis, prosua causa, id est, nouitate, facie ad faciem commonitionibus ei oblatis. Inobediens autem ad ea ex sua voluntate contra regulas & permansit, quas irrationabiliter iniurias & detractiones, exprobrationes atque alapas arbitratus est, quæ vtique salutiferæ suaueſque inuitationes existunt, tantumque pro eius meliori ratione misericorditer prolatæ sunt. Auersio nanq; mali & hortatio melioris interposita, salutaris sinè dubio existit suscipientibus: minimè reminiscens, quoniam meliora sunt vulnera amici, quàm falsa oscula inimici. Scripsi enim vobis, inquit B. Apostolus, per multas lachrymas, non vt contristemini, sed vt sciatis, quam charitatem habeo abundantius in vobis. Hæc autem si scripsisset in tabulis cordis sui, habuit vtique gratiam inuenire, prouidens sibi coram Deo & hominibus bona, per expulsionē introductę ab eo dogmatū nouitatis. atq; Catholicæ ecclesię piæ prædicationis assumptionem. Sed quoniam ista respuere censuit, propria autem sua mente amplexus est, nullam satisfactionem per suam epistolam habere se demonstrauit, superius dictam ecthesin & ipse cum illis confirmans, tantumque studiosissimè, vt etiam verba, quæ in eadem continentur, suis scriptis insereret, vtpotè & ipsis sermonibus consonantiam eius & confessionem saluare deproperans. His itaque nobis subtiliter cognitis, iam si placet vestræ beatitudini per exemplar Typi, series eius quantocyus nobismet relegatur.

Ecc.5. Psal.50. & 118.

Prou.17.

2.Cor.2.

MAR-

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

OFferatur ad nostram audientiam exemplar Typi, qui nuper compositus est, persuasione Pauli Cõstantinopolitani antistitis, contra orthodoxam fidem.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Exemplar Typi, quod iussit vestra beatitudo produci, offerens præ manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus Episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

MEmoratum exemplar susceptum, coram sancto Cõcilio ad subtiliorem virtutis eius cognitionem, diligenter recenseri præcipimus.

Et accipiens Theodorus notarius regionarius Apostolicæ sedis, de Græco in Latinam vocem interpretatum, recitauit in his:

Typus hæreticus.

COnsuetudinem habentes de omnibus curam agere & intendere, quæ respiciunt ad vtilitatem Christianissimæ nostræ Reipublicæ, & præcipuè quæ feruntur ad immaculatam nostram fidem, per quam nobis omnia prospera fieri credimus, cognouimus in multa perturbatione esse nostrum orthodoxum populũ, vtpote dicentibus quibusdam vnam voluntatem in dispensatione magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, & eundem ipsum operari diuina & humana: Alijs autem dogmatizantibus duas voluntates & duas operationes in eadem dispensatione incarnati verbi: & illis quidem in satisfactione propter vnam personam, esse DOminum nostrum Iesum Christum in duabus naturis inconfusè & indiuisè volentem & operantem diuina & humana. Alijs autem propter cõuenientes naturas indiuisè in ipsa vna persona, & vt saluetur & maneat earũ differentia secũdùm naturas, eundem ipsum vnum Christum naturaliter operari diuina & humana: & ex hoc in multam dissensionem & contentionem nostram Christianissimam Rempublicam produci, vt discordantes inuicem non conuenirẽt, & ex hoc secundùm multos modos eam lædi oportere. Igitur arbitrati sumus, ab omnipotente Deo inspirati, sicut talem accensam discordiæ flammam extinguere, & nõ concedere eam vlterius humanas animas depasci. Quapropter sancimus nobis subiectos, qui consistunt in orthodoxa & immaculata nostra Christianorum fide, qui sunt Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ, non habere licentiam inuicem à præsenti de vna voluntate aut vna operatione, aut duarũ voluntatum aut duarum operationum qualemcunque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam. Hæc autem sancimus, nihil aliquid interficientes penitùs de pijssimis dogmatibus, quæ à sanctis probabilibus patribus de dispensatione incarnati Dei verbi dogmatizati sunt, sed vlterius contentionem, quæ gratia propositæ quæstionis orta est, cessare præuidentes, & tantummodò de eis sequi & sufficienter habere diuinas scripturas, & traditiones sanctorũ quinque vniuersalium Conciliorũ, & simplicibus sinè quæstione sanctorum probabilium patrum vsibus siue vocibus, quorum dogmata, regulæ & leges sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ cõsistunt, nihil eis addentes proprium, neque minuentes, aut per suam intentionem eas interpretãtes, sed priorem habitum vbique custodiri, sicuti antequàm procederet contentio prædictarum quæstionum, quasi nulla de eis exorta contentio, nulli de omnibus vsque ad præsens vnam voluntatem & vnam operationem, aut duas voluntates & duas operationes dogmatizauerũt, sub qualemcunque querelam huius gratia aut accusationem facto, nisi tantummodò qui ex sanctis quinque vniuersalibus concilijs & cæteris orthodoxis probabilibus patribus electi sunt hæretici cum impijs eorum dogmatibus & conscriptis: & vt compendiosè dicamus, quod sancta Catholica & Apostolica Ecclesia non accepit, sed abiecit. Ad perfectam autem vnitatem sanctarum Dei ecclesiarum & communionem cõcordiam, & vt nulla occasio relinquatur eis, qui sine fine volunt contendere, & chartas, quæ positæ fuerunt in narthica sanctissimæ magnæ ecclesiæ huius à Deo conseruandæ regię nostræ vrbis, quæ continent prædictas quæstiones, iussimus leuari. Qui autem ea præsumpserint præuaricari, primùm quidem subiacent iudicio terribilis omnipotentis Dei: deindè autem & non qualemcunque regalem indignationem reuereantur, per quam, si quidem episcopi aut clerici sunt, sui sacerdotij, siue sui cleri modis omnibus excidant: sin autem monachi, segregentur, & alieni sint de suis locis: sin autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudẽtur de eis. Si autem sint priuati, si quidem nobiles consistũt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur: sin autẽ ignobiles consistunt, non solùm in corpore verberentur, sed in exilio perpetuo castigentur: vt omnes timore Dei compressi, & cominata eis digna supplicia reuerentes, immobilem & sine turba pacem sanctarum Dei ecclesiarum custodiant.

Sancta Synodus dixit:

Relectus Typus bonum quidem intentum habere dinoscitur: dissonantem autem virtutem intentui, continet. Bonum est nanque proculdubiò, & omnibus timentibus Deum desiderabile cohibere dissensiones & altercationes pro causa fidei: sed non est vtile & bonum, cum malo destruere bonum, id est, cum hæreticis orthodoxorum patrũ verba & dogmata: quoniam hoc pòtius exurit, non enim mitigat meritò in controuersiarum stantium, nullo videlicet patiente denegare cum impietate hæretica venerabile verbum fidei. Similiter nanque est & inhonestum malum amplecti, & cum eodem bonum indiscretè proijcere, quoniam vtrunque iustitiæ perimit traditionem. Vnde & magnus Abraham in hoc hæsitans, DOmino adpropinquãs, ait: Num perdes iustum cum impio, & erit iustus sicut impius? Nullo modo tu facies secundùm hoc verbum, vt occidas iustum cum impio, & erit iustus sicut impius: non est hoc tuũ, qui iudicas omnem terram: non facies iudicium hoc. Nam si quidem per approbationem scripturæ, hoc est, paternæ doctrinæ, repræhensibile pariter aut laudabile vtrunq; ostenderet, benè vtique fuisset Typus expositus, propter vtriusq; approbatam per spiritales sermones repræhensionem, aut per spiritales patres vtriusque taciturnitatem definiens, aut è contrario pro eorum laudabilitate vtriusque professionẽ. Si autem nihil horum penitùs demonstrauit, sed taciturnitati pariter perhibuit vnam aut duas dicere in Christo Deo operationes & voluntates, sufficit nobis patriarchæ voce sereniss imum principem alloqui, sed & ipsi regi regum fiducialiter eam offerentes cum eo, qui ait: Nullo modo tu facis secundùm hoc verbum, vt interficias iustum cum impio, & erit iustus sicut impius. Declinare autẽ à malo & facere bonum, ipse nobis omnium DOminus præcepit: non enim cũ malo bonum auersari, aut penitùs confirmare, quoniam vtrunq; dum perficitur, lædit. Illud autem tantummodò saluare cõsueuit, dum perficitur, id est, declinare à malo, & cõfiteri bonum. Præcepit nanque nobis per Mosen, dicens: Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanũ, & inter pollutum & mundum. ego DOminus Deus vester. Custodite omnia legitima mea, & non faciatis ex omnibus abominationibus istis: quia omnis homo, qui fecerit ex omnibus abominationibus istis, exterminabitur anima eius de populo suo. Igitur nullo modo oportet contra eos, qui minimè denegat pariter vtrunque, id est, vnam aut duas dicere in Christo Deo operationes & voluntates, sinè discretione indignationem infligere: sed iustè cõtra eos tantummodò hanc proferre, qui non confitentur, quæ probabiles ecclesiæ patres confitentur: hoc est, duas eiusdem atq; vnius sicuti essentias vnitas inconfusè & indiuisè, ita & æquali numero voluntates & operationes, diuinam dico & humanã: maximè eum, qui secundùm Deum suas, vt condecet, properat promulgare sententias. Propterea intentum quidem, vt dictum est, bonum existẽtem Typi laudamus: sed modũ

Locus mẽdosus.

Gen. 18.

Psal. 36.

Leuit. 10.

Leuit. 18.

ò intentu dissonantem aucrtimur: quoniam omnino est inconueniens Catholicæ ecclesiæ regulæ, in qua vtique adversa tantummodò iubetur meritò sepeliri silentio, non enim orthodoxa cum contrarijs confiteri omninò, aut quoquo modo denegare. asserit enim ità, quoniam alienum est Christianorum, cum recta fide impietatem susci pere, & nō discernere recta à malis. Qualis nanque participatio iustitiæ cum iniquitate? aut qualis communio luminis cum tenebris? & qualis consonantia paternæ doctrinæ cum hæretica contentione? Ab omni enim contagione hæretica alienum consistit verbum orthodoxiæ, quod sine dubio intransgressibiliter confiteri in confessione æterna omnibus præcepit dominus, dum dicit: Qui me confitetur coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me & sermones meos, negabo eū & ego coram patre meo, qui in cælis est. Qua de re his à nobis rationabiliter delimatis, vt tantummodò pia sanctorū patrum & Synodorum dogmata & sermones prædicemus atque confiteamur, nihilque cum eis aduersariorum confirmare aut expellere quicquam de his cum aduersis, congruum est illud intentiùs pertractare, quoniam Paulus Cōstantinopolitanus episcopus priùs quidem in scripto confirmans ecthesin, nunc autem suadens Typum fieri, quod in Prouerbijs scriptum est, adimplere studuit: Cor durum grauabitur doloribus, & peccator adijciet peccata super peccata. Non audiens vtiq; protestantem atque dicentem: Non bis alligabis peccatum, quoniam in vno innocens non eris. Et ne dederis os tuum, vt peccare facias linguam tuam, neque dicas coram Angelo. Non est prudentia, nè fortè irascatur Deus sup sermones tuos. Multos enim seduxit existimatio sua, & opinio nequam labefecit mentes illorum. Hæc autem vel quicquam de his, hoc est, quæ nobis persuasionem prudentissimam saluberrimè tradita sunt ab spiritalibus verbis, neque ipse Paulus, neque hi, qui cum eodem sentiunt, Cyrus, Pyrrhus & Sergius cogitauerunt ad refrenationem aut correctionem suorum malorum, pro nihilo habentes cum omni licentia diuina Catholicę Ecclesiæ mysteria deludere. & contra paternas traditiones absque timore incedere, ac si in eorum sit potestate, & esse & non esse nostræ salutis. Euangelium. Propterea enim, sicut audiuimus, & manus nostræ palpauerunt de verbo nouitatis eorum, aliquando quidem vnam operationem: aliquandò autem penitùs nec vnam operationem: iterùm aliquandò vnam voluntatem, aliquandò autem omninò nec vnam voluntatem in Christo Deo in aperto dogmatizantes, vtpotè eum sine operatione naturaliter existentem per vtranque, ex quibus consistit naturis, & sine voluntate, id est, insubstantialem & inessentialem ostendentes, cum quo & patrem atq; spiritum sanctū. Quoniam quod est Christus vt Deus, hoc est vterque naturaliter: & quod plus est grauissimum, & magis eorum falsitatem redarguit, quoniam & vnam habere, & nec vnam habere voluntatem & operationem Dominum nostrum Iesum Christum, in scripto asseruerunt, cum anathemate huiusmodi sensum contra se inundantes, omnium esse dogma & prædicationem perfectam, veram firmam, indiminutam sanctorum patrum & vniuersalium quinque Conciliorum, sicut dictum est, perhibentes, minimè præuidentes, quoniam per alterum aliud perimunt, hoc est, vnam operationem per hoc, quod dicunt. Nec vnam operationem asserere, cùm vnam voluntatem Christi dogmatizare noscantur. Sed hæc omnia per Typum posteriorem amputauerunt, vt nec sciant iam quid credant, aut quid confiteantur, per incessabilem creberrimā suorū dogmatū immutationem, pariterque peremptionem, sicut scriptum est: Adhuc eo loquente, eccè alius nuncius. præteriti sermonis eorum innotescens destructionem, & eiusdem verbi alius sermo alacrior, & alter alterius, & omniū. Omnes quippe similiter à vera, hoc est, Ecclesiastica prædicatione in semetipsos habentes alienationem, perfectamque ruinā, pro qua rè Dominus reprobans eos per Osee, hæc dicit: Væ eis, quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quia præuaricati sunt in me. Miseri erunt, quia peccauerunt in me. Et ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia: & sicut homo trangrediens testamentum, ità ibi me contempserunt. deoque sanctè sancta sequentes, & cum omni cautela ser-

2. Cor. 6.

Matt. 10. Luc. 9.

Eccl. 3.

Eccl. 7. Eccl. 5.

Eccl. 3.

Nota hæreticorū inconstātiam.

Iob 1.

Oseæ 7.

uantes, pariterque defendentes Catholicæ Ecclesiæ orthodoxam fidem nunc ad ordinem, sicut decreuimus, paternis ac Synodalibus verbis siue definitionibus contrariorū fallíloquium deuincamus: vt ne per hoc quod asserunt & scribunt, Hæc pietatis dogmata tradiderunt nobis ab initio facti speculatores & ministri verbi, & sequenter discipuli, & successores eorum, id est, sanctæ & vniuersales quinque Synodi venerabilium patrum: atque per hanc allocutionem simpliciores dolosè * subripientes persuadent malum vti bonum complecti, per patrum & Synodorum suauem nominis appellationem. Hoc etenim facere similiter sibi proprios discipulos ab initio serpens edocuit, per fictos mores & blandos sermones, siue vultu placido à Deo viuo consentientes sibi extranea reuellentes. Quod vtique despicere, non est nobis sine periculo, quibus creditæ sunt à Domino rationales pascere oues, vt lupos expellamꝰ & proijciamus, nè à feris captum quicquam de quibus Catholicæ eius Ecclesiæ per nostram negligentiam inueniatur.

Versuti hæretici pro se Patres facere mētiuntur.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Catholicæ, atq; apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

SEcundùm probabilem postulationem huc congregati sancti Concilij, offerantur imprimis per eos, quorum interest, reuerendissimæ sanctarum quinque vniuersalium Synodorum definitiones, vel venerandæ prædicationes eorum siue decreta.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Secundùm iussionem beatitudinis vestræ, de venerabili vestro scrinio afferens acta sanctorum Conciliorum, præ manibus habeo: quod præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus Episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

DE perlatis codicibus, vniuscuiusque sancti Concilij, piæ orthodoxæ fidei ordinabiliter venerandæ prædicationes atque statuta nobiscum relegantur.

ET ACCIPIENS PASCHALIS NOTARIVS regionarius Apostolicæ sedis, relegit in his:

SYMBOLVM APVD NICAEAM TRE-centorum decem & octo patrum.

Symbolū Nicænū.

Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem creatorem visibilium & inuisibilium, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, natum ex patre, vnigenitum, hoc est, ex substantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non creatū, vnius substantiæ cum patre, quod Græci dicūt homousion: per quem omnia facta sunt, siue quæ in cælo, siue quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cælos, sedet ad dexteram patris: iterum venturus cum gloria iudicare viuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, erat aliquandò quandò non erat, & priusquàm nasceretur non erat, & quia ex non extantibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, aut conuertibilem, aut mutabilem filiū Dei: hos anathematizat Catholica & Apostolica ecclesia.

SYMBOLVM APVD CONSTANTINOPOlim centum quinquaginta patrum:

Symbolū Constantinopolitanum.

Credimus in vnum patrem omnipotentem, visibilium omnium & inuisibilium factorem: & in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum, natū ex patre ante omnia secula, Deum verum de Deo vero, natum, nō factū, con-

consubstantialē patri, per quē oīa facta sunt, siue quę in cęlo, siue quę in terra. Qui propter nos hoēs & salutem nostrā descendit è cælo, & incarnatus est de spiritu sancto & Maria virgine, & humanatus est, & crucifixus est pro nobis sub Pōtio Pilato, & passus est, sepultus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cælos, & sedet ad dexteram patris, iterùm venturus cum gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. & in spiritum sanctum DOMINUM & viuificantē, ex patre procedentem, cum patre & filio coadorandum & conglorificandum: qui locutus est per sanctos prophetas. In vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum, expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi. Amen.

SYMBOLVM APVD EPHESVM DVCENTORUM PATRUM.

1 Si quis non confitetur Deum esse secundùm veritatē Emmanuel, & propter hoc Dei genitricem sanctam Virginem, (genuit enim carnaliter carnē factum verbum, quod est ex Deo) anathema sit.

2 Si quis non confitetur carni secundùm subsistentiam vnitum esse verbum, quod est ex Deo patre, & vnum esse Christum cum sua carne, eundum ipsum videlicet Deum simul & hominem, anathema sit.

3 Si quis in vno Christo diuidit substantias post adunationem, sola iungens eas coniunctione, quæ est secundùm dignitatem, vel authoritatem, vel potentiam, & non magis concursu secundùm naturalem vnitionem, anathema sit.

4 Si quis in personis duabus seu subsistentijs diuidit voces in Euangelicis vel Apostolicis scriptis de Christo à sanctis dictas, aut ab ipso de se, & quasdam quidem vt homini præter Deum verbum specialiter intelligēdo applicat, quasdam verò vt Deo decentes soli verbo, qui est ex DEO patre, ascribit, anathema sit.

5 Si quis audet dicere hominem deiferum esse Christum & non magis DEUM esse secundùm veritatem, & non naturam filium DEI, hoc est, DEUM verbum, qui & factus est caro, & communicauit nobis similiter sanguini & carni, anathema sit.

6 Si quis dicit DEUM aut DOMINUM Christi esse verbū, quod ex DEO patre est, & non magis eundum confitetur simul DEUM & hominem esse, vtpotè facto carne verbo secundùm scripturas, anathema sit.

7 Si quis ait tanquàm hominem purum operationem suscepisse ex DEO verbo Iesum, & vnigeniti gloria circundatum esse, tanquàm alterum præter DEUM verbum hominē existentem anathema sit.

8 Si quis audet dicere, hominem assumptum adorari cum DEO verbo oportere, & cum eo glorificari, & cum eo DEO appellari, vt alterum cum altero. (Nam qui addit, cum, manifestè ostendit alterum cum altero adorari) & non magis vna adoratione honorificat Emanuel, & vnam ei glorificationem refert propter hoc, quòd verbum factum est caro, anathema sit. Ioan. 1.

9 Si quis ait, vnum DOMINUM Iesum Christum glorificatum esse à spiritu, quasi aliena virtute ab illo data vtentē, & ab ipso accepisse, vt posset operari cōtra spiritus immundos, & adimplere in hominibus DEITATIS miracula, & non magis eius spiritum dicit, per quem & operatus est DEITATIS miracula, anathema sit.

10 Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factū esse diuina dicit scriptura. Obtulit autem semetipsum pro nobis in odorem suauitatis DEO & patri. Si quis ergo pontificem & Apostolum nobis factum esse dicit, non ipsum DEŪ Verbum, quandò factum est caro & secundùm nos homo, sed vt alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere: aut si quis dicit, & pro se ipso obtulisse semetipsum oblationem, & non magis pro nobis solis, (nec enim indigeret oblatione, qui nescit peccatum) anathema sit. Hebr. 3. Eph. 5.

11 Si quis non confitetur DOMINI carnem viuificam esse, & propriam ipsius Verbi, quod est ex DEO patre, sed vt alterō quodam præter ipsum, coniuncto ei secundùm dignitatem, siue vt solam diuinam inhabitationem habentę, & non magis viuificam, sicut dixi, quia facta est caro propria Verbi, quod omnia viuificare valet, anathema sit.

12 Si quis non confitetur Dei Verbum passum esse carne, & crucifixum carne, & mortem gustasse carne, factum etiam primogenitum ex mortuis, secundùm quod vita est, & viuificans vt Deus, anathema sit. 1. Cor. 15.

DEFINITIO SANCTAE CHALCEDONENSIS SYNODI.

SVfficeret quidem ad plenam cognitionem pietatis & confirmationem sapiens hoc & salutare diuinæ gratiæ Symbolum. Deo patre enim & filio & sancto spiritu* perfectione docet, & Domini humanationem fideliter accipientibus repræsentat. Sed quoniā hi, qui veritatis reprobare prædicationem conantes, per proprias hæreses nouas voces genuerunt, hi quidem mysterium, quod pro nobis est, DOMINI dispensationis corrumpere præsumētes, & DEI genetricis vocem de virgine Maria dicere renuentes, alij verò confusionem permixtionemque introducentes, & vnam esse naturam carnis & DEITATIS stultè confingentes, & passibilem vnigeniti diuinam naturam per confusionē portentosè dicentes: ob hoc illis omnem machinationem contra veritatem volentes claudere, præsens nunc sancta & magna atque vniuersalis Synodus prædicationem hanc ab initio inconcussam docens, definiuit principaliter trecentorū decem & octo sanctorum patrum fidem manere intemerabilem, & propter illos quidem, qui aduersus spiritum sanctum pugnant, posteriore tempore à patribus apud Constātinopolim 150. congregatis de substantia spiritūs traditam doctrinam corroborat, quam illis omnibus notam fecerūt, non quasi quod aliquid esset minus in præcedentibus inferentes, sed de sancto spiritu intellectū eorum aduersus eos, qui donationem eius respuere tentauerūt, scripturarum testimonijs declarantes. Propter illos verò, qui mysterium dispensationis corrumpere moliuntur, & purum hominem esse, qui ex sancta virgine Maria natus est, impudenter delirantes, epistolas B. Cyrilli Alexandrinæ ecclesiæ præsulis Synodicas ad Nestorium & alios per Orientem congruas existentes susceptt, ad cōuincendas Nestorij vesanias, interpretationem verò eorum, qui salutaris Symboli pio zelo* nōsse desiderant. Quibus etiam epistolam magnæ & senioris vrbis præsulis beatissimi & sanctiss. Archiepiscopi Leonis, quæ scripta est ad sanctæ memoriæ Archiepiscopū Flauianum, ad perimendam Eutychetis malam intelligētiam, vtpotè & magni illius Petri confessioni cōgruentem, & cōmunem quādam columnam nobis aduersum praua dogmata existentem ad confirmationem rectorum dogmatum vtique intellectum coaptauit. His nanque, qui in duos filios dispensationis diuinæ mysterium discrepere nituntur, obsistit: & illos, qui passibilem DEITATEM ausi sunt dicere, à sacro cœtu expellit: & his, qui in duabus naturis Christi temperamentum aut confusionem exquirunt, resistit: & eos, qui cælestem aut alterius alicuius esse substantiæ dicunt, quā ex nobis assumpsit serui formam, vt dementes abigit: & qui duas quidem ante vnitionem naturas DOMINI fabulantur, vnam verò post vnitionem confingunt, condemnat. Sequentes igitur sanctos patres, vnum eundemque confiteri filium & DOMINUM nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in DEITATE, & eundem perfectum in humanitate, Deum verè & hominē verè, eundem ex anima rationabili & corpore, consubstantialem patri secundùm DEITATEM, cōsubstantialem nobis eundem secundùm humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato: ante secula quidem de patre genitum secundùm DEITATEM, in nouissimis diebus eundem propter nos & propter salutem nostram ex Maria virgine Dei genitrice secundùm humanitatem: vnum eundemque Christum filium DOMINUM vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter vnitionem, magisque salua proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atque subsistentiam cōcurrente, non in duas personas partitum atque diuisum, sed vnum & eundem filium vnigenitum DEUM verbum DOMINUM IESVM Christum: sicut ante prophetæ de eo, & ipse nos

* doctrinā perfectam.

* intellectum

Iesus Christus eruditi, & patrum nobis Symbolum tradidit. His igitur cum omni vndique scrupulositate & diligentia nobis dispositis, definiuit sancta & vniuersalis Synodus, alteram fidem nulli licere proferre, vel conscribere, aut cõponere, aut sentire, aut docere aliter. Eos autem, qui ausi sunt componere fidem alteram, aut proferre, aut docere, aut tradere alterum Symbolum volentibus vel ex gentilitate ad agnitionem veritatis, vel ex Iudeis, vel ex hæresi quacunque conuerti: hos, si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse, episcopos ab episcopatu, & clericos à clero: si monachi aut laici fuerint, anathematizari.

DEFINITIO SANCTAE Quintæ Synodi.

1 Si quis non confitetur patris & filij & sancti Spiritus vnam naturam siue essentiam, vnam virtutem & potestatẽ, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem in tribus subsistentijs siue personis adorandam talis anathema sit. Vnus enim Deus & pater, ex quo omnia: & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia: & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia. 1.Cor.8. Rom.11.

2 Si quis non confitetur Dei verbi esse duas natiuitates, vnam quidem ante secula, & sinè tempore ex patre incorporaliter, aliam verò eiusdem in vltimis diebus descendentis de cælo, & incarnati ex sancta gloriosa Dei genitrice, semperque virgine Maria, qui natus est ex ea, talis anathema sit.

3 Si quis dicit alium esse Deum verbum, qui miracula fecit, & alium Christum, qui passus est, vel Deum verbum cũ Christo esse dicit, quandò ex muliere nascebatur, vel in ipso esse vt alterum in altero, & non vnum eundem Dominum nostrum Iesum Christum, Dei verbum incarnatum, & hominem factum, atque eiusdem miracula & passiones, quas sponte passus est carne, talis anathema sit.

4 Si quis dicit secundùm gratiam, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm authoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem vnitionem Dei verbi ad hominem factam esse, aut secundùm bonam voluntatem. quasi quòd placuit Deo verbo homo, quia benè visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit, vt secundùm solam nominis similitudinem, quam Græci hymonymian vocãt, per quam Nestoriani Deum verbum filium & Christum vocantes, & hominem separatim Christum & filium nominantes, & duas personas manifestè dicentes, per solam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, vnam personam & vnum Christum confingunt dicere, sed non confitentur, sicut sancti patres docuerunt, vnitatem Dei verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali secundùm compositionem, id est, secundùm subsistentiam factam, & propterea vnam eius subsistentiam, qui est Dominus noster Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate, talis anathema sit. Cùm enim multis modis vnitas intelligitur, aliqui, qui impietatem Apollinaris & Eutychetis sequuntur, interemptionem eorum quæ conuenerunt colentes, vnitionem secundùm confusionem prædicant. Theodori autem & Nestorij sequaces diuisione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. Sancta verò Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem ejciens, vnitionem Dei verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur, quod est secundùm subsistentiam. Vnitio enim per compositionem in mysterio Christi non solùm inconfusa ea, quæ conuenerunt, conservat, sed nec diuisionem suscipit.

5 Si quis vnam subsistentiam Domini nostri Iesu Christi, ità intelligit, tanquam suscipientem multarum subsistentiarum significationem, & propterea conatur introducere in mysterio Christi duas subsistentias vel personas, & & ab eo introductis duabus personis, vnam personam dicit per dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus & Nestorius insanientes conscripserunt, & calumniatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundùm hunc impijssimum intellectum vsam vnius subsistentiæ vocabulo, sed non confitetur Dei verbum carni secundùm subsistentiam vniri, & propterea vnam eius subsistentiam vel vnam personam, & ita sanctam Chalcedonensem Synodum vnam subsistentiam domini nostri Iesu Christi confiteri, talis anathema sit. Nec enim adiectionem personæ vel subsistentiæ S. Trinitas suscepit, & incarnato vno de eadem Trinitate Deo verbo.

6 Si quis abusiuè, & non verè Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper virginem Mariam, aut per relationem tanquam homine puro nato, sed non Deo verbo ex ea incarnato, sed relata secundùm illos hominis natiuitate in Deum verbum, tanquam cohærens nascenti homini, & criminatur sanctam Chalcedonensem Synodum, tanquam secundùm eundem impium intellectum, à Theodoro commentatum, Dei genitricem virginem asserentem: aut si quis hominis genitricem vocat eam, aut Christi genitricem, vtpotè Christo nõ existente Deo, & non specialiter & secundùm veritatem Dei genitricem eandem confitetur, ab eo quòd ante secula à patre genitus Deus verbum, in vltimis diebus ex ea incarnatus & natus est, atque ità piè sanctam Chalcedonensem synodum Dei genetricem eam confiteri, talis anathema sit.

7 Si quis in duabus naturis dicens, non vt in Deitate & humanitate, vnum dominum nostrum Iesum Christum cognosci confitetur, vt per hoc significet differentiam naturarum, ex quibus inconfusè ineffabilis vnitas facta est, neq; verbo in naturam carnis transfigurato, neque carne ad verbi naturam translata, (manet etenim vtrunque, quod est secundùm naturam, & post factam vnitatem secundùm subsistentiam) sed in diuisione per partem huiusmodi suscipit vocem in mysterio Christi, aut numerum naturarum confitens in vno eodemque domino nostro Iesu Christo, Deo verbo incarnato, & non tantummodò contemplatione differentiam eorum accipit, ex quibus & compositus est, non interemptam propter vnitionẽ, (vnus enim ex vtrisque, & per vnum vtraque) sed propterea numero vtitur, tanquam diuisas & propriæ subsistentiæ consistentes naturas, talis anathema sit.

8 Si quis ex duabus naturis Deitate & humanitate confitens vnitionem fuisse, vel vnam naturam Dei verbi incarnatam dicens, & non sic has voces intelligit, sicut sancti patres docuerunt, quod ex diuina natura & humana vnitione secundùm subsistentiam facta, vnus Christus factus est, sed ex huiusmodi vocibus vnam naturam siue subsistentiã Deitatis & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit. Secundùm subsistentiam enim dicentes carni vnigenitũ verbum vnitum esse, non confusionem quandam adinuicẽ naturarum factam fuisse dicimus, magis autem manente vtraque hoc quod est, vnitum esse carni intelligimus verbũ: pro quo & vnus & Christus, idem Deus est homo, consubstantialis patri secundùm Deitatem, & consubstantialis nobis idem secundùm humanitatem. Similiter enim & eos, qui per partes diuidunt vel incidunt & confundunt dispensationis mysterium, auertitur & anathematizat Catholica Dei ecclesia.

9 Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo verbo, & semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem Deitatis & humanitatis vnam naturam siue essentiam conuenientium portentosè dicens, sic adorat Christum, sed non vna adoratione Deum verbũ incarnatum cum eius carne adorat, iuxta quod sanctæ Dei ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.

10 Si quis non confitetur crucifixum carne Dominum nostrum Iesum Christum, Deum esse verum & Dominum gloriæ, & vnum S. Trinitatis, talis anathema sit.

11 Si quis nõ anathematizat Arrium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestoriũ, Eutychem & Originẽ, cum impijs eorum conscriptis, & omnes alios hæreticos, qui condemnati & anathematizati sunt à sancta Dei Catholica & Apostolica ecclesia, vel prædictis sanctis quatuor Cõcilijs, sed & eos, qui similia cũ prædictis hæreticis sapuerunt aut sapere nosciuntur, & vsq; ad finẽ permanserunt in propria impietate, talis anathema sit.

12 Si quis defendit Theodorum impijssimum Mopsuestenum, qui dixit, alium esse Deum verbum, & alium Chri-

stum

ſtum, ex paſſionibus animæ & concupiſcentijs carnis moleſtatum, & à malis paulatim ſeperantem ſe, & ità ex promotione operum melioratum, & ex vitæ conuerſatione incontaminatum conſtitutum, tanquàm purum hominem baptizari in nomine Domini patris & filij & Spiritus ſancti, & per baptiſmum gratiam ſancti Spiritus accipere, & adoptionem promereri, & ad ſimilitudinem imperialis imaginis in perſona Dei verbi adorari, & poſt reſurrectionem incõuertibilem ſecundùm intellectum & ſine peccato penitùs factum: & iterùm dicente eodem impijſſimo Theodoro, vnitionem Dei verbi ad Chriſtum talem factam fuiſſe, qualem dixit Apoſtolus in marito & vxore. Erunt duo in carne vna: & ſuper alias innumerabiles eius blaſphemias præſumente dicere, quòd poſt reſurrectionem ſufflans Dominus in diſcipulos ſuos, & dicens. Accipite, Spiritum ſanctum, non dedit eis Spiritum ſanctum, ſed tantùm ſchemate inſufflauit. Hic autem & confeſſionem Thomæ, quam dum palparet manum vel latus Domini poſt reſurrectionem, per quam dixit, Dñs meus & Deus meus: aſſeruit non fuiſſe dictam de Chriſto à Thoma: Nec enim eſſe eum Deum dicit, ſed in miraculo reſurrectionis obſtupeſcentem Thomam, glorificare Deum qui ſuſcitauit Chriſtum: quod autem peius eſt, quoniam & interpretatione facta ab eo in geſta Apoſtolorum, quaſi in interpretatione comparãs idem Theodorus Chriſtum Platoni, vel Manichæo, & Epicuro & Marcioni, dicit, Quia ſicut vnuſquiſque illorum inueniens propriam ſectam, diſcipulos ſuos fecit nominari Platonicos, & Manichæos, & Epicureos, & Mercioniſtas: ſimili modo & Chriſto inueniente ſectam, ex ipſa Chriſtianos vocari. Si quis igitur defendit prædictum impijſſimum Theodorum, vel impia eius conſcripta, in quibus tam prædictas & alias innumerabiles blaſphemias euomuit aduerſus magnum Deum & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, & non anathematizat eum vel impia eius conſcripta, & omnes qui ſuſceperunt aut defendunt eum, aut dicentes rectè eum exponere, & eos qui pro ipſo ſcripſerunt, & ſimilia ei ſapuerunt, aut pro eo ſcribunt, vel eius impijs conſcriptis, & eos qui ſimilia ei ſapiunt, aut ſapuerunt aliquando, & vſque ad finem permanſerunt aut permanent in huiuſmodi impietate, talis anathema ſit.

Eph. 5.

Ioan. 20.

* figuratè

Ibidem.

13 Si quis defendit impia conſcripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem expoſita ſunt, & primam Epheſinam ſanctam Synodum, & ſanctum Cyrillum, vel duodecim eius capitula, & ea omnia, quæ ſcripſit pro Theodoro & Neſtorio impijſſimis, vel alijs, qui ſimilia prædictis Theodoro & Neſtorio ſapuerunt, & recipit eos vel impietatem illorum, atque propterea impios vocat Eccleſiæ doctores, qui ſecundùm ſubſiſtentiam vnitionem Dei verbi ad carnem confitentur, & non anathematizat prædicta impijſſima conſcripta, & eos, qui ſimilia his ſapuerunt & ſapiunt, ſed & omnes qui contra rectam fidem ſcripſerunt, aut beatæ memoriæ Cyrillum vel duodecim eius capitula, & in hac impietate defuncti ſunt, talis anathema ſit.

14 Si quis defendit epiſtolam, quam dicitur Ibam ſcripſiſſe ad Marim Perſam, quæ denegat quidem Deum verbũ de S. Dei genitrice ſemperq; virgine Maria incarnatũ, hominem factũ: dicit autem purum hominem ex ea natũ eſſe, quem templum vocat, tanquam alio exiſtente Deo verbo, & alio homine: ſed & ſanctæ memoriæ Cyrillum rectam & Chriſtianorum fidem prædicantem reprehendit vt hæreticum, & ſimilia ſceleſti Apollinaris ſcribentem, atque vituperat Epheſinam ſanctam primam Synodum, tanquam ſine iudicio & requiſitione Neſtorium deponentem: ſed & duodecim capitula beatæ memoriæ Cyrilli impia & aduerſa rectæ fidei nominat prædicta impia epiſtola, & defendit Theodorum, Neſtorium & impia eorum dogmata conſcripta. Si quis igitur prædictam epiſtolam defendit, & non eam anathemati ſubmittit, & eos qui defendunt eam, & dicunt rectam eſſe, aut partem eius, & eos qui ſcripſerunt vel ſcribunt pro ea, ſiue pro impietatibus, quæ in ipſa continentur, & præſumentes eam defendere, aut poſitas in ea impietates ex nomine ſanctorum patrum aut S. Chalcedonen. Synodi, & vſque ad finem in his permanſerunt, talis anathema ſit.

His igitur ità confeſſis, quæ nobis tradita ſunt à ſancta ſcriptura, vel ſanctorum patrum doctrina, vel definitis de vna eademque fide à prædictis ſanctis quatuor Concilijs: facta verò nobis & condemnatione in hæreticos vel impietates illorum, ſed & contra eos, qui defendere præſumpſerunt aut defendunt prædicta tria capitula, aut permanſerunt aut permanẽt in proprio errore: ſi quis conatus fuerit contraria his, quæ à nobis piè terminata ſunt, tradere, aut docere, aut ſcribere, ſi quidem epiſcopus eſt, aut in clero connumeratus, talis vt extranea ſacerdotum & Eccleſiaſticæ diſciplinæ peragens, denudabitur ab epiſcopatu, aut clero: Si autem monachus fuerit aut laicus, anathematizabitur:

Maximus, ſanctiſſimus Epiſcopus Aquileienſis dixit:

Imitatores Dei conuenit, vt licitum eſt, in omni verbo & opere imitari Dominum. Ideoque & illud oportet nos dicere pro ſanctis atque vniuerſalibus quinque Concilijs, quod ipſe de ſeſe perhibuit Dominus: Veniet princeps huius mundi, & in me nihil inueniet. Quoniam venerũt principes huius nouitatis, id eſt, Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus, & in nobis de ſuis inuenerunt nihil: licet propterea calumniari nos irrationabiliter ſtuduerunt, quod facere aſſolent hæretici, ſuam ex hoc cooperire dementiam properantes, quatenùs per mendacium veritatem valeãt obumbrare, & ex hoc patrem mendacij cognoſcunt per eos propria cõtra fidem opera inſtituentem: Quod vtique Euangeliſta B. Ioannes ſignificans in Catholica ſua Epiſtola, ad tuitionem noſtram perhibuit, dicens: Quiſnam eſt mendax, niſi qui negat quia Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt enim Antichriſtus, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus veniet: & nunc Antichriſti multi facti ſunt. Ergò huiuſmodi mẽdacem, id eſt, aduerſantem ſuæ diſpenſationi, redarguens Dñs ait: Quando videritis abominationem deſolationis ſtare in loco ſancto: qui legit, intelligat. Locus autem ſanctus, eſt omne verbum & definitio pia de diſpenſatione eius, à venerabilibus patribus venerabiliter prædicatum. In ipſo igitur cotra eum per nouitatem aduerſarij inſiſtentes, machinantur quodammodò falſare eum & induere, dicentes: Nos ſumus, qui veram ſanctorum patrum ac Synodorum fidem habemus: ſicuti & malignus in deceptionem audientiũ, Ego ſum, aſſerit, Chriſtus: ſed iuxta quod dictum eſt, qui legit, intelligat. Oportet enim legere diuinas ſcripturas ſicut ad deſtructionem Antichriſti, quoniam ipſi denunciant atque redarguunt doloſas eius inſidias: ità & in detectione hæreticorũ ſanctas probabilium patrum vel Synodorum doctrinas. Ipſi namque nobis oſtendunt hæreſes illorum, quas nuper legentes cognouimus, ſicut noſtis ſanctiſſimi, præiudicium, quod factũ eſt ab aduerſantibus fidei violenter contra eas in paradiſo Catholicæ Eccleſiæ illicita præſumptione, in quo Paradiſo piæ confeſſionis per oleum vnctionis ſpiritũs perficitur in omnibus purgatio. Ideoque cum beata & nos ad dominum exclamemus Suſanna cõtra iniquos ſacerdotes in defenſione memoratorum ſanctorum Conciliorum, dicentes: AEterne Deus, occultorum cognitor, qui nõſti omnia antequam fiant: tu nõſti quoniam falsè calumniantur nos Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus. Propterea erexit Deus Spiritum ſanctum viri zelo zelantis pro Domino, cuius venerabile nomen Martinus, quique ſanctè nos conubcauit, & Apoſtolica authoritate præſidet nobis, atque exclamauit voce magna: Mundus ſum ego à dogmate huius nouitatis. Reuertamur igitur omnes ad audientiam, atque illorum examinemus ſermones. Falsè namque hi per eandem nouitatem teſtimonium contra ſanctas Synodus perhibere præſumpſerunt. Sola igitur prouidentia, vt decernitis, diuiſit eos ab inuicem, vniuſcuiuſcunque perſonæ diſtinguens conſcripta, & approbauit eos ex ore illorum, non ſolum propria perimentes, ſed & accuſatores ſanctorum quinque Conciliorum oſtendit, vtpotè nihil, quibus impiè dogmatizare noſcuntur, ab eiſdem ſanctis Synodis promulgatis. Propterea vniuerſa conſonanter ſancta Synodus benedicimus Deum, qui ſaluat ſperantes in ſe: quoniam fecit eis, iuxta quod malignè geſſerunt contra Catholicam eius eccleſiam per manus famuli ſui, hoc eſt, dicere, per datam ſibi à Spiritu ſancto regularem

Ioan. 14.

Hæretici mendaces & calumniatores.

1. Ioan. 2.

Matt. 24.

Matt. 24.

Dan. 13.

gularem authoritatem & potestatem. Atque ideo omnes cum eo in condemnatione illorum decernimus, quoniam sicut verba & definitiones sanctorum quinque Conciliorum testantur, nec vnam voluntatem, neque vnam operationem prædicauerunt, nec iterùm peremptionem duarum Christi Dei voluntatum & duarum operationum, sicut illi calumniari ausi sunt, omnimodò decreuêre: immò magis omnem hæresim sanctæ Synodi condemnare noscũtur, & tam vnam in Christo voluntatem & operationem commentantes, Arium, Eudoxium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, sed & omnia impia eorum conscripta: cum quibus meritò & eos, qui in hoc illis consentiunt, id est, vni voluntati & operationi, sceleroſos hæreticos Theodorum & Nestorium, qui secundùm gratiam & operationem, ac dignitatem, æqualemque honorem, similemque voluntatem, & authoritatem, relationem, virtutem, affectum, complacitum, vnius hominis appellationem, vnitionem Dei verbi ad hominem factam fuisse delirant. Propter hæc enim, id est, pro vnitione consonanter vna operatio & voluntas dogmatizata est ab vtrisque, & tam confundentibus atque diuidentibus magnum dispensationis Dominicæ mysterium: & confundentibus quidem propter stultam secundum sensum eorum vnius naturæ compositæ rationem diuidentibus autem propter ineptam secundùm eos æqualitatem honoris, similisque voluntatis atque authoritatis modum. & ideò vtrique à veritatis prædicatione ceciderunt. Omnibus autem manifestum est & indubitatum, nullo modo sanctas & vniuersales quinque Synodos eorundem hæreticorum dogmata confiteri, quorum conscripta cum impia eorum confessione in scripto anathemati submisisse noscuntur: licèt hæc profiteri eas sinè timore authores ad inuentæ nouitatis calumniati sunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus. Si enim quæ destruxerunt, iterùm ea ædificant sanctæ Synodi transgressores se potiùs diuinorum dogmatum, iuxta quod beatus ait Apostolus, ostendunt. Igitur intransgressibiliter retinentes pias doctrinas, in sua definitione eos, qui vnam in Christo Deo voluntatem & operationem dixerunt, meritò anathemate perculserunt, pro eo quòd sine mente, & sinè anima, & purum ex hoc hominem Dominũ Deum nostrũ in hoc, quòd factus est homo, dogmatizare ausi sunt. Cyrus autem & Sergius, Pyrrhus & Paulus similiter vnam & ipsi per propria scripta in Christo Deo confessi sunt operationem & voluntatem, perindeque & ipsi cum denominatis hæreticis, propter eandem & similem hæresim, à sanctis & vniuersalibus quinque Concilijs anathemati subiunguntur, quique expositores nouæ fidei facti sunt, & propter temerariam transgressionem illorum, quæ ab eisdem synodaliter confirmata sunt, mercedem inuenientes ab eis definitam in transgressores depositionem. Igitur sanctum & vniuersale Chalcedonense Concilium venerabilium patrum definiuit, vt legimus sanctissimi, aliam fidem nulli licere proferre aut conscribere, vel componere, aut sapere, vel docere aliter: qui autem præsumpserit componere aliam fidem, aut pròferre, vel docere, aut tradere aliud Symbolum, volentibus ad cognitionem veritatis siue ex gentilitate, aut ex Iudæis, vel ex hæresi qualibet conuerti: Hos, si quidem episcopi fuerint, aut clerici, alienari quidem episcopos ab episcopatu, clericos à clericatu. Si autem monachi aut laici fuerint, anathematizari. Consequenter autem eis & sanctum quintum Concilium definiuit, ad vltima capitulorum suorum dicens: His itaque à nobis confessis quæ nobis tradita sunt à diuina scriptura sanctorumque patrum doctrina, & definitis prò vna eademque fide à prædecessoribus venerabilibus quatuor Concilijs: si quis præsumpserit contraria his, quæ à nobis piè statuta sunt tradere, aut docere, vel scribere, si quidem episcopus fuerit, aut in clero connumeratus, hic aliena sacerdotibus & ecclesiasticæ disciplinæ peragens, denudabitur ab Episcopatu vel clericatu: si autem monachus vel laicus, anathematizabit: Qua de re Synodalibus sanctorum patrum increpationibus Cyrus & Sergius, Pyrrhus & Paulus per suam hæresim obligati, nõ solùm quia minimè eos iuuit, sed etiam reprobos approbauit, præsumpta ab eisdem calumnia contra veneranda patrum quinque Concilia, simul cum condemnatione hæreseos illorũ, & mendacij in semetipsos prouocantes vltionẽ. Nec enim definitũ est ab eis, quæ illi cõmentati sunt, immò magis anathemati submiserunt, quæq; indoctè cum Ario & Apollinare, Theodoro & Nestorio hæreticis dogmatizare noscuntur, qui noluerũt penitùs intelligere & cõfiteri verbo & mente secundùm definitiones sanctorũ Conciliorũ, perfectũ eundẽ in Deitate & perfectũ eundem in humanitate, Deũ verũ & hominẽ verũ eũdem, ex anima rationali & corpore, consubstantialẽ Patri secundùm Deitatem, & cõsubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato: ante secula quidem ex patre genitum secundùm Deitatem, in vltimis aũt diebus eundem propter nos & propter nostram salutem ex Maria semperq; Virgine Dei genitrice secundùm humanitatem: vnum eundemq; Christum filium Dñm vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, inseparabiliter, indiuisè cognitum, nusquàm naturarũ differẽtia interempta propter vnitionẽ, imò magis saluatã proprietate vtriusq; naturæ & in vnã personã & vnã subsistentiã concurrente. Horũ piorũ dogmatũ nihil specialiter aut veraciter intelligere passi sunt. Vbi nanque, aut quomodò secundùm eorum sensum saluabitur, aut intelligetur quod dictum est, per omnia nobis similem eundem factum absq; peccato, cùm ab eis denegatur & perimitur diuina & humana eiusdem naturalis voluntas & operatio? Quomodò autẽ perfectio eiusdem in vtraq; natura saluabitur? vel quomodo Deum verum & hominem verum? quomodo aũt vtriusque naturæ indiminutè saluatur naturalis proprietas, sicut dictum est, iuxta illorum intellectum, minuitur quicquã de naturalibus eius operationibus & voluntatibus? Impossibile est enim, perfectè haberi aut cõfiteri ab eis, quæ prædicta sunt dum hæc abnegare contendunt per taciturnitatem, sed verè illud dolosè faciunt, quod scribens * Cledonio Theologus Gregorius ait: Quando cõmunibus opinionibus, quas videlicet scriptura ostendit, * arguunt & cõprimuntur, pias quidem voces confitentur, intellectum verò corrumpunt: & non quidem sine anima & irrationabilem, neque sine intellectu, nec imperfectum hominem asserentes, sed animã & rationem & intellectum, ipsam Deitatem introducentes, tanquam ipsa Deitate carni eius tantũmodò cõmixta: non enim & nostris, id est, anima & intellectu: licet quod sine peccato est, super nos esse ostenditur, sed & passionum nostrarum purgatio. sic nanque & perfectus homo apud eos intelligitur, non ille qui tentatus est, atque susceptit omnia nostra sine peccato, sed ille qui sine voluntate naturali & operatione ab eis dogmatizatur propter consonantiam eorum, qua cum Ario & Apollinare, Theodoro etiam & Nestorio tenentur, non vtique veriti ad ea, quæ omnibus manifesta sunt, criminari sanctas & vniuersales Synodos, sed & victi ab eis, incorrecti permanent, verbis quidem pietatem fingentes, sensum autem, vt dictum est, malignantes. Et propterea perfectum quidem in vtraque natura confitentur, absque tantummodò naturali operatione & voluntate vtriusque naturæ, ex quibus consistit. Quoties autẽ & ipsum malignum sensum eorum nudamus, iam & factum simulationis eorum detegentes, ipsos quoque patres apertissimè refutare nituntur. Quia verò inuerecundè hoc faciunt, testatur Cyrus Alexandrinus antistes Sergio Constantinopolitano quondam propter beatissimum Sophronium his verbis scribens: Posita verò dictione in capitulis expositis, quia vnam operationẽ oportet dicere Domini nostri Iesu Christi, contradixit, asserens duas operationes debere profiteri, & testimonia diuersorum sanctorum patrum obtulit. Eccè igitur confessus est Cyrus, quod & Sergio per sua scripta innotuit, quia testimonia ei diuersorum sanctorum patrum obtulit beatæ memoriæ Sophronius, per quos ostendit, quia duas oportet dicere in Christo Deo operationes. Hoc ergò veraciter cognoscentes, & voluntariè iam sanctorum patrum amputantem & refutantes dictiones, imò magis apertiùs ipsos (vt dictum est) sanctos patres proijcientes, ità in propria ectheſi scripserunt, huiusmodi præsumptionẽ & per gestorum monumenta corroborantes. Similiter autẽ & duarum operationum dictionem multos scandalizare, & nulli concedimus ex omnibus duas dicere operationes in diuina Domini dispensatione: in hoc, sicut in omnibus,

Gal. 2.

Greg. Nazianzen.

Hebr. 4.

Nota hæreticorum artes & impudentiam.

Seuero

Seuero hæretico consentientes, siue sequentes eius doctrinam: Quoniam & ille à paternis deuictus testimonijs, ipsos patres & voces eorum pias perimere studuit, Nitaleo scribens ità: Duas dicere naturas in Christo, totius plenum est accusationis, licet à multis patribus dictum sit. Et non mihi iterùm dicas, Quoniam quidam de patribus harum naturarum vocibus vsi sunt. Multò ampliùs hic sermo reprobatus est, licet ipsius Cyrilli voces existunt. Igitur vna eademque hæresi in vtrisq; cognita, hoc est, Seuero & authoribus nouitatis, quomodò nó habuit fructus eius in vtrisque improbus diuulgari, hoc est, sanctorum patrum abnegatio? Nam qui eos denegat, pias eorum doctrinas respuit. Et quidem Seuerus operimentum suæ iniquitatis Nestorium hæreticum proferebat, propter eius personam abijcere dicens dualitatem, quæ in Christo est, & vnam naturam confiteri: sed nouitatis authores neque huiusmodi absurdam & ineptam occasionem proferre poterunt. Nemo etenim hæreticorum dualitatem Christi Dei operationum confessus est, vt nè illis hæreticis consentientes, videant respuere, vtpotè reprehensibilem existétem, in sanam hæresim illorum: sed tantùm sanctorum patrum doctrina hanc dualitatem rectè prædicare dinoscitur. Nam si omnium probabilium patrũ & Synodorum dixerunt esse SS. patrum ectheseos eorum dogmata, quorum vel qualiũ iam esse definiunt peremptionis suæ dogmata, de quibus asserũt, licèt è quibusdam patribus iam dictum sit, veruntamen eò quod extraneant & cõturbant quorundam auditus, nulli ex omnibus concedimus hæc confiteri? Impossibile est enim, firmare pariterque cassare SS. patrum dogmata, secundùm spontaneum errorem contrariorũ. Si autem impossibile est firmare pariterq; cassare dogmata patrum, cassauerũt autem ea, quæ patrum existere prædicauerunt, pro eo quod extraneant & conturbant eos, licèt falsus de hoc sermo eorum probatur, non vtique iam confirmant, sed potiùs euacuant, quæ ab eis comprobata sunt, vt dogmata patrum. Si autem negant, quomodò dicunt hæc esse pietatis dogmata, quæ tradiderunt nobis ab initio speculatores & ministri verbi? Ideoque certum est, & ex his quæ imprudenter ab eis proferũtur, sicut sermo mõstrauit, quia nihil de patribus firmauerunt, neque hæc consistunt ecclesiæ dogmata iuxta eorum finctiones: quoniam nec cuiuslibet probabilis patris omninò testimonium produxerunt in sua ectheſi, sicuti nec in his, quæ pro eius defensione ab eis gesta sunt. nec enim habuerũt, penitùs profectò omnibus sanctis patribus condemnantibus eam, vtpotè extraneam existentem orthodoxæ prædicationis eorum. Tãtùm autem scelesti Nestorij, ad argumentum manifestissimum consonantiæ, qua cum eo tenentur, memorasse noscuntur, designãtes omnibus, quoniam ipse regularis doctor confessionis eorum existit. Et propterea iam, vt dicuut, vnã voluntatem Domini nostri Iesu Christi veri Dei confitentur, pro eo quod execrandus Nestorius æqualem voluntatẽ, id est, vnam voluntatem duarum personarum fictè ab eodem pronunciatis confitetur. Concordantes igitur his, qui in confusione & diuisione errant hæreticis, in omnibus inuestigãtes Cyrum & Sergium. Pyrrhum & Paulum, imprudentiores eos illorum compræbendimus per hoc, quod etiã B. Leonis vocem ausi sunt violare. Nam in epistola positum memorati Apostolicę recordationis viri, scripta sanctę memoriæ Flauiano. Operatur vtraque natura cum alterius cõmunione, quod proprium est, de qua epistola sancta Chalcedonen. Synodus scripsit, in peremptionem Eutychetis dementię huiusmodi dictionem, positam fuisse, vtpotè magni illius Petri fidei consonantem, & communem quandam columnam aduersus praua dogmata existentem, eam competenter ad confirmationem rectorum dogmatum coaptauit. Hanc ergò illius doctoris vocem, imprudenter vnam Domini significare dixerunt operationem, neq; sanctos in hoc reueriti patres, neq; vecordes hæreticos erubescentes: quoniam profectò vtpotè duas vnius eiusdemque Christi operationes definientem in vnitione inconfusa & indiuisa, aliqui defensores eiusdem piè, alij autem impiè accusatores extiterunt, quod nec ipsi authores nouitatis ignorauerunt. Studuerunt autem per hoc tam sanctam Chalcedonensem Synodum respuere, calumniari autẽ & B. Leonem propter (vt dictum est) abundãtem eis pro temeritate impudentiã.

Seueri in Cyrillum blasphemia.

Sed quoniam & æqualem per propria scripta irrogauerunt contra alios quoque patres calumniam, profectò quæ illi impiè sapiunt, dicentes & omnes sanctos patres sapere, oportet præsentem quidem Secretarium in his nobis definiri, id est, quæ per sanctas quinque Synodos sufficienter nobis expressa sunt: in subsequenti autem aliorum quoque sanctorum patrum, sicut nobis deliberatum est, sacratissimos proferre codices, quatenùs per eorum beatam lectionem contra eos falsas accusationes aduersariorum regulariter ac Synodaliter arguamus, videlicet pro stabilitate piæ & salutiferæ prædicationis eorum.

INCIPIT SECRETARIVS V.

IN NOMINE DOMINI DEI SALVATORIS nostri Iesu Christi, Imperij Domini Constantini pijssimi, Augusti anno 9. sub pridiè Kalend. Nouembris, Indict. 8.

PRAESIDENTE sancto ac beatissimo Martino Papa sanctæ sedis Apostolicæ vrbis Romæ, præpositis sacrosanctis & venerabilibus Euangelijs in Ecclesia Domini Dei & Saluatoris nostri IESV CHRISTI, quæ vocatur Constantinia, residentibus etiam viris venerabilibus, pariterque cum eo audientibus. Maximo sanctissimo Aquileiensi episcopo.
Deusdedit sanctiss. Caralitano episcopo.
Mauro Cæsenate episcopo, & Deusdedit presbytero, agentibus locum Mauri sanctissimi episcopi Rauennatis ecclesiæ.
Martino Mebiensi episcopo.
Sergio Tempsanensi episcopo.
Barbato Sutrino episcopo.
Reparato Mantuarianensi episcopo.
Calumnioso Alesino episcopo.
Epiphanio Albanensi episcopo.
Peregrino Messanensi episcopo.
Benedicto Aiaceno episcopo.
Romano Cerellitano episcopo.
Iuliano Hortano episcopo.
Crescete Lucrensi episcopo.
Papinio Vibonensi episcopo.
Felice Agrigentino episcopo.
Maximo Pisaurensi episcopo.
Marcellino Clusino episcopo.
Luciano Leontinensi episcopo.
Geminiano Volaterano episcopo.
Mariano Populonienſi episcopo.
Viatore Hortanensi episcopo.
Bonito Formiano episcopo.
Luminoso Tifernitiberinorum episcopo.
Maioriano Prænestino episcopo.
Potentino Belliternensi episcopo.
Germano Numanensi episcopo.
Mauro Tuscanensi episcopo.
Laurentio Perusino episcopo.
Adeodato Spoletino episcopo.
Caroso Faralitano episcopo.
Ioanne Pestano episcopo.
Gaudioso Reatino episcopo.
Scholastico Fanensi episcopo.
Laurentio Taurianensi episcopo.
Elia Lilybetano episcopo.
Ioanne Trapeiano episcopo.
Aquilino Assisinate episcopo.
Luminoso Salernitano episcopo.
Eusebio Atellano episcopo.
Sabbatio Buxentio episcopo.
Martino Centumcellensi episcopo.
Ioanne * Tarantino episcopo.
Iubentino Stabiensi episcopo.
Rusino Sipontino episcopo.
Mauro Senate episcopo.
Læto Lucano episcopo.
Adeodato Amerino episcopo.
Theodoro Rosellano episcopo.

Gaudioso Capuano episcopo.
Andrea Hydruntino episcopo.
Bonito Ferentinate episcopo.
Iusto Tauromenitano episcopo.
Mauro Senogallienſi episcopo.
Felice Panormitano episcopo.
Mauroso Anconitano episcopo.
Laurentio Tudertino episcopo.
Bono Ficuclenſi episcopo.
Ioanne Carinenſi episcopo.
Fortunato Anximate episcopo.
Albino Signenſi episcopo.
Thomate Lunenſi episcopo.
Augustino Squillacino episcopo.
Bonito Ferentispolimartio episcopo.
Ioanne Rhegitano episcopo.
Maximo Trocalitano episcopo.
Barbato Cumano episcopo.
Paschale Blandano episcopo.
Felice Terracinenſi episcopo.
Luminoso Marsorum episcopo.
Oportuno Anagnino episcopo.
Glorioso Camerino episcopo.
Firmino Blerano episcopo.
Decorato Tiburtino episcopo.
Iobiano Firmano episcopo.
Amabile Hortenſi episcopo.
Anastasio Narnienſi episcopo.
Albino Portuenſi episcopo.
Theodoro Tyndaritano episcopo.
Palumbo Fundano episcopo.
Sapientio Numentano episcopo.
Theodosio Contronenſi episcopo.
Maximo Mesinate episcopo.
Gratioso Nepesino episcopo.
Stephano Popilienſi episcopo.
Leontio Neapolitano episcopo.
Calionisto Adrianenſi episcopo.
Paschale Thermitano episcopo.
Ioanne Vicosabinate episcopo.
Oportuno Pisano episcopo.
Potentino Polenſi episcopo.
Donato Marianenſi episcopo.
Leontio Fauentinate episcopo.
Bonoso Alerino episcopo.
Donato Sassimate episcopo.
Peregrino Lyparitano episcopo.
Ioanne Vnnogoritano episcopo.
Boethio Cornenſi episcopo.
Stephano Dorenſi episcopo.
Valentino Turritano episcopo.
Ioanne Gabopolitano episcopo.
Luminoso Bonenſi episcopo, & Victoriano Vzalenſi epiſ.
Crescentio * Libyenſi episcopo.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISſimus episcopus ſanctæ Dei eccleſiæ Catholicæ, atq; apoſtolicæ vrbis Romæ, dixit:

PROTESTATVR nobis beatus Apostolus, dicens: Si quis certat, non coronatur, nisi legitimè certauerit. & iterum DOMINVS, ait: Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Videlicet certaminibus sacris propositis nobis pro defensione Catholicæ ecclesiæ, magnaque salute ex hoc sperata ab omnium bonorum datore Deo, non deficiant manus nostræ, dilectissimi fratres, per occasionem cuiuslibet desidiæ dissolutæ: sed fortes efficiamur per gratiam DOMINI, atque virtutem potentiæ eius: quoniam perfecit pedes nostros tanquàm ceruorum, & super excelsa firmiùs statuit intellectus summæ eius humanitatis propter nostram salutem, maximè tantam habentes impositam sanctorum testium nubem. Deponentes igitur omne pondus & circumstantem aduersariorum nouitatē, per patientiam curamus, adspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui in proposito nobis propter eum negocio, spiritum suæ veritatis condonet, loquentem in nobis, atque perhibentem magnalia fidei per doctrinam sanctorum patrum, quos aduersarij calumniati sunt in scripto, dicentes illa eos prædicare, quæ ipsi per nouitatem prædicauerunt. Pro qua re sacros codices eorum deduci præcipimus, immò magis veneranda testimonia, quæ à nobis de ipsis codicibus pro testimonio Christi Dei electa sunt: quod vtique, sicut nôstis, auxiliante Deo in anteriore cognitione peragendum promisimus, ad redarguendum hæreticos, in defensione prædictorum sanctorum ac probabilium patrum.

2. Tim. 2.
Matt. 10. & 24.
Psal. 17.
Hebr. 12.

Leontius riuerendiſsimus episcopus Neapolitanæ Eccleſiæ, dixit:

Si placet beatitudini vestræ, ante exhibitionem paternorum testimoniorum de actibus sancti quinti Concilij illa pars nobismet relegatur, vbi Synodaliter promulgauit, omnes sanctorum patrum sermones & dogmata ab omnibus suscipi Christianis & confiteri, & contradicentes his aut negantes, quæ ab eis prædicata sunt, condemnationi submisit: quatenus ex hoc aduersarij veraciter contra semetipsos Synodales superinducentes definitiones. Si quis abnegauerit paternarum traditionum statuta: quam abnegationem irrationabiliter amplexa sunt propter suam temerariā nouitatem.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISſimus Episcopus ſanctæ Dei eccleſiæ Catholicæ atq; Apoſtolicæ vrbis Romæ, dixit:

SEcundùm ea, quæ poscuntur à Leontio dilectissimo fratre nostro, gesta venerandi quinti Concilij nobismet producantur, & pars eius, de qua supeius rationabiliter memorare dinoscitur sanctorum Catholicæ ecclesiæ patrū, ad plenam reprehensionem eorum, qui pias doctrinas refutare nituntur lectioni pandatur.

Theophylactus Primicerius notariorum Apoſtolicæ ſedis, dixit:

Codicem, quem iussistis, venerandi quinti Concilij afferens de venerabili scrinio, præ manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISſimus Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ atq; Apoſtolicæ vrbis Romæ, dixit:

SVscipiatur, & competenter prædictus locus relegatur, id est, sanctorum patrum definitio, per quam promulgant cunctos orthodoxos omnia susscipere & confiteri, quæ ab ipsis piè prædicata sunt.

ET ACCIPIENS ANASTASIVS NOTARIVS regionarius Apoſtolicæ ſedis, relegit, continentem ità:

HIs ità se habentibus, manifestum facimus, quoniam omnia, quæ à prædictis sanctis quatuor Synodis, sicut dictum est, de orthodoxa fide promulgata sunt, & de Ecclesiastica stabilitate terminata, & seruauimus & seruamus. Licèt enim diuersis temporibus contra emersos hæreticos denominata quatuor Concilia facta sunt, vnam eandemque confessionem rectæ fidei conseruauerunt & prædicauerunt. Et propterea omnia, quæ consonant his, quæ ab antefatis quatuor Synodis pro recta fide definita sunt, suscipimus: Omnia autem quæ non consonant his, quæ definita sunt ab eisdem sanctis quatuor Concilijs, aut vno de eis, & in defensionem hæreticorum vel impietatis ipsorum conscripta sunt, vt extranea iudicantes pietatis dogmatibus, condemnamus & anathematizamus. Super his autem in omnibus sequimur sanctos patres doctoresque Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, & Gregorium, Nyssanensem, Ambrosium, Augustinum,

Sententia v. Synodi.

Patres Catholici.

num, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum. Leonem, Proclum, & suscipimus omnia, quæ ab eis pro recta fide & in condemnationem hæreticorum exposita sunt. Suscipimus autem & alios sanctos & orthodoxos patres, qui in sancta Dei ecclesia rectam fidem irreprehensibiliter vsque ad finem prædicauerunt. Hac itaque recta confessione in sancta Dei Catholica & Apostolica ecclesia conseruata ac prædicata, si quis se de eius communione separauerit, contraria sapiens, alienum seipsum rectæ fidei ostendens, & hæreticis connumerans, meritò à sancta Dei ecclesia condemnatur & anathematizatur.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

MAnifestatur nobis ex his, quæ relecta sunt siue definita à S. V. Concilio condemnatum esse & alienum sanctæ Dei ecclesiæ vnumquenque, qui non susceperit verbo & mente omnes sanctas Synodos & venerabiles patres, cunctaque quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium hæresum. Iam ad nostrã cognitionem splendidissima verba eorum, omnique suscipienti salutifera deducantur.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ sedis, dixit:

Secundùm iussionem beatitudinis vestræ, deflorata à nobis sanctorum patrum testimonia deferens, præ manibus gero: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus Episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Catholicæ atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

SVscepta patrum venerabilium testimonia, lectioni pandantur.

ET ACCIPIENS EXVPERIVS NOTARIVS regionarius Apostolicæ sedis, relegit in his:

Ambrosius. Eph. 5. BEATI Ambrosij episcopi Mediolanensis de sermone primo, ad Gratianum Imperatorem directo:

Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Si ergò traditus est à patre, & ipse se tradidit, appâret vnam esse patris & filij voluntatem.

EIVSDEM de sermone secundo ad eum missо:

Li. 2. c. 4. AEqualis ergò in Dei forma, minor autem idem in assumptione carnis, & hominis passione. Quali igitur modò ad eum potest minor esse, & æqualis natura? Quomodò autem si minor est, eadem similiter facit? & quomodò eadem operatio diuersæ substantiæ est? Nunquid ità potest minor, sicut & maior operari? aut potest vna operatio esse, vbi diuersa essentia?

ITEM EIVSDEM de eodem sermone:

Li. 2. c. 3. Cur, inquit, dixerit, Si possibile est: interim voluntatis liberæ Dominum fuisse doceamus. In tantum excessistis impietatis, vt negetis, quòd filius Dei liberæ voluntatis sit.

Ioan. 3. Et certè soletis etiam sancto spiritu derogare, & negare non potestis. Scriptum est enim. Spiritus vbi vult aspirat. Vbi vult, inquit, non vbi iubetur. Ergò si spiritus vbi vult, aspirat, filius quod vult, non agit? Et certè idem Dei filius in Euangelio suo dicit, vbi velit spirandi suppetere spiritui facultatem.

Ioan. 16. Nunquid ergò superiorem fatetur, quia illi licet, quod sibi non licet? Apostolus quoque dicit:

1. Cor. 12. Quia omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Inquit autem, prout vult, hoc est, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Et diuidit spiritus non mediocria, sed quæ Deus consueuit operari, gratiam curationum, & operationem virtutum: Ergò diuidit spiritus pro vult: filius autem Dei non liberat quem vult?

ITEM subtèr:

Quid est tamen quod pater velit, & filius nolit? Pater quos vult viuificat, & filius quos vult viuificat, sicut scriptum est. Dic nunc quos viuificauerit filius, & pater viuificare noluit. Cùm autem filius quos velit viuificet, & operatio vna est. Ibidem. Ioan. 5.

EIVSDEM de eodem sermone:

Quam voluntatem habet pater, eadem habet & filius. Pater quos vult viuificat, & filius quos vult viuificat, sicut scriptum est. Vna ergò voluntas est, vbi vna operatio. In Deo enim voluntatis series, operationis effectus est.

EIVSDEM de sermone tertio ad eundem Gratianum:

Ergò si vnius voluntatis & operationis est cum Pater & Filio Spiritus Sanctus, vnius est essentiæ quoniam per sua opera creator ostenditur.

EIVSDEM de eodem Sermone:

Dum quandò per eandem operationem & Deitatem vnitas verissima, hoc quod maius identitas, sicuti à Græcis ostenditur, dicit. Hoc enim ipsum significat, quoniam habet hoc ipsum Pater & Filius & Spiritus sanctus.

EIVSDEM de eodem Sermone:

Ergò vna voluntas est, vbi vna operatio. In Deo enim voluntatis series, operationis effectus est.

Augustinus. SANCTI AVGVSTINI episcopi Hipponeregiensis ex Interpretatione Euangelij secundum Ioannem in Homilia vicesima secunda:

Faciamus, inquit, voluntatem patris, voluntatem Christi, voluntatem Spiritus sancti, quia Trinitatis huius vna voluntas, vna potestas, vna maiestas est.

Basilius. SANCTI BASILII episcopi Cæsareensis prouinciæ Cappadociæ de Syllogisco contra Eunomium facto ait:

Quorum vna atque eadem operatio, horum & vna essentia.

EIVSDEM de primò sermone contra Eunomium:

Quomodò differentia substantiæ, vbi identitas operationis cognoscitur? Immutatis nanque substantijs, immutatas oportet esse & operationes.

EIVSDEM de eodem sermone:

Quomodò non eiusdem substantiæ spiritus Patris & Filij, qui eiusdem operationis est?

EIVSDEM de eodem sermone:

Quomodò diuersitas essentiæ in Trinitate, vbi identitas operationis reperitur?

EIVSDEM de sermone facto ad Amphilochium de sancto Spiritu:

Quorum autem æqualis est virtus, vtique æqualis & operatio.

EIVSDEM ex interpretatione primi Psalmi:

Quorum autem vna natura est, horum eædem sunt operationes.

Gregorius Nyssenus. SANCTI GREGORII episcopi Nyssanensis ex epist. ad Eusthatium facta de sancta Trinitate:

Siue vnam operationem intelligamus Patris & Filij & Spiritus sancti, in nullo discrepãtem aut immutantem quicquam, necesse est identitati operationis hoc, quod vnitum est, naturæ cognoscere.

EIVSDEM ex eadem Epistola:

Ergò operationis identitas in Patre & Filio & Spiritu sancto luculentiùs ostendit similitudinem naturæ.

EIVSDEM ex eadem epistola:

Operantis ergò naturam per contemplationem operationum intelligere possumus.

EIVSDEM ex eadem Epistola:

Communio autem naturæ luculentiùs demonstrata est per identitatem operationum consistens.

EIVSDEM ex epistola ad Ablauiũ de sancta Trinitate:

Sed Deus quidem pater, Deus autem filius, Deus verò Spiritus sanctus. Vnus autem in eadem prædicatione Deus, est, pro eo quòd neque naturæ neque operationis differentia quælibet videtur in Deitate.

EIVSDEM de Sermone, vbi exponit, Pater noster:

Ergò, si operatio & virtus & vna est, quomodò potest alienatio naturæ intelligi, in quibus nullam secundùm virtutem & operationem differentiam reperimus?

Cyrillus. SANCTI CYRILLI episcopi Alexandrini ex interpretatione facta in Euangelium secundùm Ioannem:

Operabuntur enim similiter, quæque eandem sibi sortita sunt naturam. Quibus autem essentiæ ratio dissimilis, his erit in omnibus operationes ratio dissimilis.

EIVSDEM ex eadem interpretatione:

Est nanque vt arbitror, omnibus clarum & certum, quia incomprehensibilia omninò sunt propria Deitatis creatæ naturæ, & quæque eiusdem sunt Deitatis naturaliter, non erunt aliquandò in alia qualibet creatura secundùm æqualem & similem modum.

EIVSDEM de eodem sermone:

Quòd si potest omninò aliquid iuxta sensum illorum de his, quæ DEITATIS sunt propria, inesse cuiquam, qui non est ex ipsa essentialiter, & ita existat sicuti & ipsa, quid iam impediat, dic mihi, & omnia Deo decibilia accedere, & in his, qui non sunt naturaliter dij? quoniam semel vno sine impedimento accedente, locum habebunt & cætera. & quid euenit omnia confusa sunt nobis, aut non ex hoc quæ sursum sunt, cedunt in imis, & ima ad superiorem locum ascendunt.

EIVSDEM de eodem libro:

Ioan. 10. Perpendat autem iterum amator scientiæ, quoniam dicens Saluator ex operibus suis approbari posse qui naturaliter Deus est, manifestè docet, quia non est possibile indissimiliter cuiquam Deo dignam operationem & virtutem esse, nisi & in hoc naturaliter existat Deus.

EIVSDEM DE THESAVRIS.

Quæ eandem habent operationem, & eisdem naturalibus virtutibus vtuntur, necesse est per omnia eiusdem, esse substantiæ. Nihil enim de his qud creata sunt, ad ea, quæ alterius generis vel substantiæ sunt, easdem habebit indissimiliter virtutes & operationes.

EIVSDEM de eodem libro:

Quoniam ea, quæ eiusdem sunt operationis, & eiusdem essentiæ confitentur.

EIVSDEM de eodem libro:

Si ea, qui eiusdem indissimiliter operationis sunt, & eiusdem essentiæ confitentur: est autem eiusdem operatis cum Patre Filius, omnia quanta facit & ipse, similiter faciens: sine dubio erit & eiusdem essentiæ ab eo quòd & eiusdem operationis.

ET EIVSDEM de eodem libro:

Quæ alterius generis & alterius naturæ sunt, eandem operationem habere nullus sapientum dabit. Nec enim aqua & ignis vnum, aliquid & hoc ipsum operabitur: sed sicut distantem habent essentiæ & æqualitatis rationem, ita & diuersam dabunt operationem.

EIVSDEM de eodem libro:

In quibus enim operatio & virtus indissimiliter vna est, in his necesse est & societatem naturæ saluari.

EIVSDEM de eodem libro:

Solent enim quæ eandem operationem habent, eiusdem esse essentiæ, & in his quod alterius est naturæ, incredulum est.

EIVSDEM de eodem libro:

Si enim humilitatem carnis inspicientes, non creditis, ait, in me, sed vtique operum maiestatis digna & rationabilis extit, vt possit vobis suadere, quoniam Deus sum ex Deo procedens. Qui enim operibus æqualis est patri, quomodò erit sequens eius secundùm naturam? & qui eandem operationem & virtutem similiter illi possidet, quomodò erit secundùm eum alterius naturæ?

EIVSDEM de eodem libro:

Nec enim vnam esse naturalem operationem dabimus Deo & creaturæ, vt neque creaturam in diuinam referamus substantiam, neque quod præcipuum est diuinæ naturæ, ad dignum locum nascentium deponamus.

EIVSDEM de eodem libro:

Qui etenim vnam habet operationem, vnam eandemque, qualiter fuerit, habebit rationem.

EIVSDEM de sermonibus dialogicis vel cogitationibus ad Hermen factis:

Quod eandem naturam habet secundùm operationem & indissimiliter æquale est, non habebit ex parte quicquam de qua creata sunt: sed vbi substantiæ in quibuslibet diuersa ratio extitit, ibi conueniens erit in operationibus dissimilitudinem esse.

SANCTI BASILII episcopi Cæsareæ Cappadociæ de naturalibus voluntatibus ex verbo de sancto Spiritu cap. 8. Basilius.

Qui videt, me, videt & patrem. Non figuram, neque formam. Munda est enim compositionis diuina natura, sed bonum voluntatis, quod concurrens substantiæ, simile & æquale: magis autem hoc ipsum in Patre & Filio videtur. Ioan. 14.

SANCTI GREGORII Theologi de sermone in filio secundo: Vt si tale quod colligitur, Non vt faciam voluntatem meam. Nec enim mea seperata est à tua, sed communem meam & tuam: & quorum sicut vna est DEITAS, ità & voluntas. Greg. Nazianz. Ioan. 5.

SANCTI GREGORII episcopi Nyssanensis de sermone contra Apollinarem facto: Ergò filij & patris voluntates diuisæ sunt? Et quomodò erit communis in vtroque voluntas? Quomodò autem identitas naturæ per differentiam voluntatum innotescatur? Necesse est enim per omnia concurrentem esse naturæ voluntatem. Greg. Nyssenus.

EIVSDEM de eodem sermone:

Si igitur diuersis in patre & filio fructus voluntatis reperitur, necesse est diuersam vtrorunque naturam confiteri.

EIVSDEM contra Eunomium in sermone secundo:

Vnam voluntatem esse Patris & Filij & Spiritûs sancti, naturæ communio protestatur. Ergò si hoc vult Sanctus spiritus quod placet Filio, communio voluntatis apertissimè ostendit vnitatis substantiam.

SANCTI AMPHILOCHII episcopi Iconiensis in eo, quod dictum est: Ex se filium nihil facere posse: Quomodò potest mea & patris operatio discerni, vbi voluntas, & verbum, & scientia, & sapientia, & natura, & DEITAS vna est? Amphilochius.

EIVSDEM de eodem sermone:

Sicut enim pater suscitat mortuos & viuificat, concurrentem habens voluntati virtutem: ità non exequens ministerium suscito mortuos, sed eadem virtute, authoritate, potestate, voluntate. Ioan. 5.

SANCTI CYRILLI Alexandrini ex interpretatione Euangelij secundùm Matthæum lib. 12. Dum autem vna & consubstantialis sancta Trinitas & vna DEITAS in ipsa intelligitur, quomodò non erit eadem voluntas Patris & Filij & sancti spiritûs? Cyrillus.

EIVSDEM ex interpretatione Euangelij secundùm Ioannem lib. 9. Sicut enim consubstantialis est, ita & eiusdem voluntatis suo genitori. Vnius enim substantiæ vna videlicet & voluntas.

EIVSDEM de Sermone facto ad Hermen secundo:

Nos autem rectitudinis rationes sequêter, dicimus quoniam superfluum est & indoctum, absque voluntate & voluntariè genitorem esse suspicari patrem, sed magis naturaliter & substantialiter. Est enim non sine voluntate, quæ est naturaliter concurrentem habens naturæ voluntatem esse quæ est.

De naturalibus Christi Dei nostri voluntatibus.

SANCTI HYPPOLITI martyris de sermone Theologiæ, id est, DEITATIS: Velle habet Deus: non enim non velle: quoniam hoc vertibilis est & eligentis, sed sempiternam voluntatem Dei sequuntur quæ fiunt, cui & facta manent saluata. Hyppolit.

SANCTI AMBROSII de sermone secundo ad Gratianum: Sed alia voluntas hominis, & alia voluntas DEI. DENIQUE vt scias vitam in voluntate hominis esse, quoniam mortem timemus: passionem autem in voluntate diuina, vt pateretur pro nobis: cùm Petrus vellet DOMINUM à passione reuocare, DOMINUS ait: Non sapis quæ DEI sunt, sed quæ sunt hominum. Suscepit ergò voluntatem meam, suscepit tristitiam meam: confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea est voluntas, quam suam dixit, quia vt homo suscepit tristitiam meam, vt homo locutus est, & ideò ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Mea est tristitia, quam meo suscepit affectu. Ambros. Matt. 16. Matt. 26. Luc. 22.

EIVSDEM ex interpretatione Euangelij secundùm Lucam:

cam: Tristis, inquit, est anima mea vsque ad mortem. Non propter mortem tristis est Dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus suscepit, omnia debuit subire corporis, vt esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur. Diuinitas autem commutari per hos nescit affectus.

EIVSDEM de eodem sermone:

Minus enim, inquit, contulerat mihi, nisi meum suscepit affectum. Ergò pro me doluit, qui pro se non habuit quod doleret: & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiã meam, vt mihi suam lætitiam largiretur: & vestigijs nostris descendit vsq; ad mortis ærumnam, vt nos suis vestigijs reuocaret ad vitam.

EIVSDEM de eodem verbo:

Esa.53. Ita enim legimus, inquit, quia peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Doles ergò DOMINE non tua, sed mea vulnera, non tuã mortem, sed nostram infirmitatem: & nos æstimauimus te esse in doloribus, cùm tu non pro te, sed pro me doleres. Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra: non quia tibi illa infirmitas erat ex patre assumpta, sed pro me suscepta.

EIVSDEM de sermone fidei secundo:

Vt homo ergò dubitat, vt homo turbatur: non turbatur vt virtus, non turbatur eius diuinitas, sed turbatur anima, turbatur secundùm humanæ fragilitatis assumptionem: & ideò qui suscepit animam, suscepit & animæ passiones. Non enim secũdùm quod Deus erat, aut turbari aut mori posset. Psal.21. Matt.27. Denique, inquit, Deus Deus meus, quare me derelinquisti? Vt homo ergò loquitur, meos circunferens metus, quòd in periculis positi à Deo deseri nos putamus: vt homo flet, vt homo crucifigitur.

EIVSDEM ex interpretatione Euangelij secundũ Lucã: Luc.22. Et quandò dicit, Non mea, sed tua voluntas fiat, quasi ex homine protulit: tuam, ad voluntatem patris. Voluntas enim hominis ad tempus est, Dei autem æterna. Ergò non alia voluntas patris, vbi vna DEITAS. Augustin.

SANCTI AVGVSTINI ex interpretatione nonagesimi tertij Psalmi:

Matt.26. Christus Deus noster dicit: Pater, si fieri potest, transeat hic Calix: sed tristitiam sic assumpsit, quomodò carnem. Nolite enim putare, quia hoc dicimus, non fuisse tristem DOMINUM. Si enim dixerimus, quia nõ erat tristis, cùm Euangelium dicat, Tristis est anima mea vsque ad mortem: ergò & quandò dicit, Dormiuit Iesus, non dormiuit Iesus: & quandò Euangelium dicit, Manducauit, nõ manducauit Iesus: surrepit vermiculus putredinis, & nihil sanum relinquit, vt dicatur, quia & corpus non erat verum, & carnem veram non habuit. Quicquid ergò de illa scriptum est, fratres, factum est, verum est. Ergò tristis fuit? Tristis prorsus, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodò voluntate suscipiens carnem. Ibidem. Matt.8.

EIVSDEM de sermone quartodecimo Ciuitatis Dei:

Non ex carne tantùm afficitur anima, vt cupiat, metuat lætetur, ægrescat: verũm etiam ex seipsa his potest motibus agitari. Interest autem, qualis sit voluntas hominis: quia si peruersa, & peruersos habebit hos motus: si autem recta est, non solùm inculpabiles, verùm etiam laudabiles erũt. Voluntas quippe in omnibus, immò omnes nihil aliud, quàm volentes sunt. Nam quid est cupiditas & lætitia, nisi voluntas in eorum consensione quæ volumus? & quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in dissensione, ab his quæ nolumus? Sed cùm consentimus eis quæ volumus, cupiditas: cũ autem consentimus fruendo his quæ volumus, lętitia vocatur. Item que cùm dissentimus ab eo, quod * accedere nolumus, talis voluntas metus est: cùm autem dissentimus ab eo, quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est. Et omninò pro varietate rerum, quæ appetuntur atque fugiuntur, sicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ità in hos vel illos affectus mutatur & partitur. Cupiditas Lætitia. Metus. Tristitia.

ITEM qui supra in eodem libro quartodecimo: Li.14. c.9.

Sed cùm rectam rationem sequãtur, inquit, istæ affectiones, quandò vbi oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones secundùm Philosophos audeat dicere? Quamobrem etiam ipse DOMINUS in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omninò peccatum, adhibuit eas, vbi adhibendas iudicauit. Neque enim in quo verus erat hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cùm ergò eius in Euangelio ista referuntur, quòd super duritiam cordis Iudæorum cum ira cõtristatus sit: quòd dixerit, Gaudeo propter vos, vt credatis: quòd Lazarum suscitaturus, etiam lachrymas fuderit: quòd concupierit cũ discipulis suis manducare Pascha: quòd propinquante passione tristis fuerit anima eius, non falsa vtique referuntur. Verùm ille hos motus certæ dispensationis gratia ità, cùm voluit, suscepit animo humano, vt cùm voluit, factus est homo. Marc.3. Ioan. 11. Ibidem. Luc. 22. Matt. 26.

EIVSDEM ex interpretatione centesimi Psalmi: Philip.1.

Optabam, inquit, dissolui, & esse cum Christo. Gaudet quia dissoluitur, vt sit cum Christo: & ipse Christus tristis est, cum quo iste futurum se esse lætatur. Sed quid erat illa vox, nisi sonus infirmitatis nostræ? Multi adhuc infirmi cõtristantur futura morte: sed habeant rectum cor, vitent mortem quantùm possunt, sed si non possunt, dicant quod ipse DOMINUS non propter se, sed propter nos dixit: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Eccè habes voluntatem humanam expressam. Vide iam rectum cor: Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Matt.26.

EIVSDEM libro de gratia noui Testamenti facto ad Honoratum:

O homines, non desperetis vos fieri filios Dei, quia & ipse filius Dei, hoc est, Verbum eius caro factum est, & habitauit in nobis. Reddite ergò vicem: efficiamini spiritus, & habitate in illo qui factus est caro, & habitauit in nobis. Iam enim non est desperanda huiusmodi verbi participatio, vt & homines possint fieri filij Dei, cùm filius Dei participatione carnis filius hominis factus est. Et nos quidem mutabiles ad melius conuersi, efficimur participes verbi: Verbum autem incommutabile extans, ad nihil in peius cõuerti potens, particeps factus est mediante carne rationali. Nec enim Christus homo factus, sicut suspicantur Apollinaristæ hæretici, aut rationalẽ animã nõ habuit, aut sensum, aut voluntatẽ, sed iuxta morem propriũ scripturæ verbum caro factum est, ait, quatenùs & Christi humilitatem ostendat, & neque carnis vocabulum vt indignum efficere videatur, carnem pro homine posuit. Ioan.1.

BEATI LEONIS Romani pontificis, de secundo volumine ad Leonem Imperatorem directo: Leo.

Secundùm quidem formam serui non venit facere voluntatem suam, sed eius qui misit eum. Propriam dixit, quam temporaliter accepit de virgine: voluntatem autem eius, qui misit eum, vtique hanc ostendit, quam sinè tempore habuit cum patre communem. Ioan.6.

SANCTI HIPPOLYTI episcopi & martyris de homilia Dominicæ Paschæ: Totus erat in omnibus & vbique, adimplens verò omnia ad omnes aërios principatus nudus redespoliatus est, & ad paruum clamat transire calicem, vt ostendat verè, quia & homo erat: reminiscẽs autem & propter quod missus est, perficiat dispẽsationem ad quam missus est, & clamat: Pater, non mea voluntas. &, Spiritus quidẽ promptus, caro autem infirma. Hippolyt. Matt. 26. Athanas.

SANCTI ATHANASII de sermone contra Apollinarium facto in Trinitate & incarnatione: Et quando dicit: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, tamen non mea, sed tua voluntas fiat. & iterùm: Spiritus promptus est, caro autem infirma: duas voluntates hic ostendit, tam humanam, quod est carnis, quàm diuinam, quod est DEITATIS. Humana quidem propter infirmitatem carnis recusat passionem, diuina autem eis est promptissima.

EIVSDEM de sermone maiore contra Apollinarem facto pro fide: Contigit Lazarum post ægritudinem mori. Dominicus autẽ homo non infirmatus, neque nolens mortuus est, sed ex se venit ad mortis dispensationem, confortatus à Deo Verbo inhabitante sibi, qui dixit: Nullus à me aufert animam meam: à memetipso eam pono: potestatem habeo ponere eam, & potestatem habeo accipere eam. Diuinitas ergò filij est, quæ ponit & accipit animam hominis, quem indutus est: perfectum enim assumpsit hominem. Ioan. 10.

EIVSDEM de sermone contra Apollinarem facto per

interrogationem & responsionem: Sed neque vacui & inefficaces iam intelligi possunt Dei Verbi diuini intellectus, nec iterùm ineffabili ratione vnitæ ad eum beatæ animæ, si videlicet non intelligere eam & non velle, substantiam eius interimit.

Ioan. 12. EIVSDEM in libro quo dicitur, Nunc anima turbata est, etsi Deus fuisset in carne, & secundùm carnem obedientiam impleuit, & voluntas carnis voluntati diuinitatis subiacuit, sicut & prædixit, Quoniam descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui me misit, patris: suam voluntatem dicens carnis, quoniam & caro ipsius facta est.

Ioan. 6.

EIVSDEM de eodem sermone:

Oportebat autem moueri carnis eius voluntatem, subiacere autem voluntati diuinæ, & sic hominum inobedientiæ soluuntur per hanc gloriosam obedientiam, qua Christus obediuit pro nobis.

Greg. Nazianzen. SANCTI GREGORII Theologi de secundo verbo de filio: Septimum dicatur descendisse è cælo filium, non vt faciat voluntatem suam, sed eius qui misit eum. Si ergò ab eodem, qui descendit, hæc dicta fuissent, dixissemus vtique tanquam ab homine formari hoc verbum: nō illo qui in Saluatore intelligitur: illius enim velle nec contrarium est Deo, deificatum totum.

EIVSDEM de eodem sermone:

Matt. 26. Namque illud sic intelligimus: Pater, si potest fieri, trāseat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed tua voluntas præualeat. Nec enim si possibile erat, aut non hoc illum ignorare oportet, aut pro voluntate voluntatem introducere.

Greg. Nyssenus. SANCTI GREGORII episcopi Nyssanensis de sermone secundo contra Eunomium: Quomodò DOMINUS, qui secundùm Christum homo est, mundum sibi reconcilians, distribuebat animæ corporique beneficium, quod ab ea fiebat hominibus, volens quidem per animam, tangens autem corpore.

EIVSDEM de sermone facto in Pascha: Accedit leprosus, defluxus iam & exterminatus corpore, quomodò fiet in ipso à DOMINO mundatio? Anima vult, corpus tangit: per vtraque fugatur passio. Recessit enim, ait, ab eo continuò lepra.

Matt. 8.

EIVSDEM de eodem sermone:

Ad vtranque igitur hominis portionem competenter DEITATE vnita, per vtraque clara signa erant sublimissimæ DEITATIS & corpore quidem connexam sibi DEITATEM, per tactum sanitatem tribuens, ostendebat: anima autem per illam diuinam voluntatem, virtutem significabat diuinam. Sicut igitur sensus tacti, corporis est proprium, ità & animæ voluntaria motio.

EIVSDEM de eodem sermone:

Mar. 8. for. *eremo idem Iterùm multa millia in *eremum eidem permanentes ieiunos nō vult absoluere, manibus autem confringit panes. Adspicis quomodò per vtraque, id est, animam & corpus, vtrique cohærens diuinitas diuulgatur, & tam operante corpore, quamque impetu voluntatis quæ in anima, perficitur.

EIVSDEM de sermone contra Apollinarem, facto: Huiusmodi autem rationabili anxietate vna erit consolatio mysterij, vera confessio: quoniam formidare quidem in

Matt. 26. passione, humanæ fragilitatis est, iuxta quod DOMINUS ait, spiritum promptum esse dicens, carnem autem infirmam: suscipere autem dispensationem, diuinæ voluntatis atque virtutis est. Quoniam igitur altera humana voluntas, & diuina altera est, loquitur quidem vt homo, quod infirmitati carnis cōgruit, qui nostras passiones susceptit, producit tamen secundam vocem, excelsam & Deo dignam voluntatem confirmari, quam humanam propter salutem hominū volens. Qui enim dixit, Non mea voluntas, humanam præsenti sermone signauit addens autem, tuam, ostendit coniunctionem propriæ diuinitatis ad patrem, cuius diuinitatis nulla est differentia propter societatem naturæ.

Ioannes Chrysost. SANCTI IOANNIS episcopi Constantinopolitati de sermone facto ad eos, qui ad Missas non occurrerunt, & de consubstantiali: Si igitur Patris, & Filij vna voluntas est, quomodò hic dicit, Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis? Nam si in diuinitate quod dictum est, sit, hoc aliqua contradictio erit: si autem de carne, habent rationem quæ dicta sunt, & nulla ex hoc criminatio fiet. Nec enim nolle mori carnem, reprehensio extitit, quoniam hoc naturæ est: ipse autem quæ naturæ sunt omnia, absque peccato & ostendit, & cum multa abundantia, vt etiam hæreticorū obturet ora. Quandò autem dicit, Si potest fieri, tranſeat à me calix iste: &, Non sicut ego volo, sed sicut tu, nihil aliud ostendit, nisi quia carnem verè indutus est timentem mortem. Mortem enim timere, & dubitare, & anxiari, illius est.

Matt. 26.

EIVSDEM ex interpretatione Euangelij secundùm Ioannem:

Nam & ego turbatus nunc non ità dico, vt fugiam. Oportet enim portare quod accidit. Non dico, absolue me de hac hora, sed glorifica nomen tuum: hoc est, subleua me iā in crucem. Multum ostendit quod humanum est, & naturā nolentem mori, sed præsentem vitam desiderantem, ostendens quoniam non erat extra humanas passiones. Sicut enim esurire non est crimen, neque dormire, ità nec præsentem vitam desiderare. Christus autem corpus habuit mundum de peccatis, non enim naturalibus necessitatibus carnes. nam iam corpus non erat.

Ioan. 12.

Theophilus. SANCTI THOPHILI episcopi Alexandriæ, de sermone facto propter mulierem habentem fluxū sanguinis. Licèt enim Saluator noster in cruce dicebat: Eli, Eli, Lamasabacthani, quod interpretatur, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? sed non erat hic significatio, tanquam longè sit à patre, sed quoniam extra mortis tempus quod habet corpus circa vitam inhærens desiderium, hoc Saluator expressit, vt & ità ostendat nō per quendam phantasiam, sed quoniam veraciter nostræ similitudini coniunctus est.

Matt. 27.

EIVSDEM de eodem sermone:

Sicut enim esurire, & sitire, & laborare non erant propria DEITATIS, sed corporalia signa: ità & quod dicitur, Vt quid me dereliquisti? corporalis vocis erat proprium, quod solet nusquam velle coniuncta vita carere. Licèt enim & ipse Saluator dicebat hoc, sed propriè ostēdebat corporis fragilitatem, manens virtus & sapientia Dei. Quia nō alterius cuiusdā hominis, sed eiusdem Saluatoris erat corpus, quod de Maria sibi ædificauit: pro qua re dicebat: Spiritus quidē promptus, caro autem infirma.

Matt. 27.

Matt. 26.

Seuerian. Matt. 26. Ioan. 12. BEATI SEVERIANI episcopi Gabalēsis, in eo quod scripsit: Pater, transfer à me calicem hunc: & iterum: Pater, salua me in hac hora: Sic enim ait: Præueniens DOMINUS, ora hæreticorum oppilauit, vt ostendat, quia hoc passibile corpus indutus est, quod tedet mortem, quod trepidat mortis violentiam, quod tristatur & turbatur: In vitæ termino dicit: Nunc anima mea turbatur, tristis est anima mea vsque ad mortem: non DEITAS mea, impassibilis enim est DIVINITAS, & imperturbabilis, & imperterrita. Spiritus quidem ait DOMINUS promptus, caro autem infirma. Ergò duas voluntates declarat, vnam quidem diuinam, alteram autem humanam.

Ioan. 12. Matt. 26.

ITEM EIVSDEM de Homilia, dicta contra Iudæos, paganos & Apollinaristas: Vidisti enim communicantem passionibus carnis, quæ sine peccato sunt: Adspice eum communicantem passionibus animæ, quæ sine peccato sunt. Passiones animæ, sunt in peccato reputatæ, cogitationes malignæ seu turpiosę. Hæ passiones animæ, respicientis secundùm spontaneam potestatem in peccatum. Sunt autem eius aliæ passiones absque peccato, tristitia, timor, formido. Nemo timidus condemnatus est, nemo propter timorem reprobatus est, nullus propter tristitiam exhonoratus est communes enim hæ passiones naturæ, & sinè crimine, quæ foris peccata sunt. Sic itaque communicauit passionibus animæ, quæ foris peccato consistunt. Audi eum dicentem: Tristis est anima mea vsque ad mortem. & iterùm: Nunc anima mea turbatur. Turba autem, timoris est operatio: vt ostendat per omnia hominis carnem, animam rationalem, & intellectum, & quæque sunt hominis absque peccato habentem, vt saluet perfectè hominem. Nemo enim hominum incolume habens cor in fide, dicit partem hominis assumpsisse Christum. Intende hic subtili-

ter, qui

ter, qui dicis non esse intellectum humanum in Saluatoris carne. Ipse enim dixit, quoniam & tristitiam, & conturbationem pertulit. Aut igitur da intellectum naturalem turbatum & tristatum, aut proijciens eum, & Deum introducens pro intellectu, ipsi vtique connectis passiones. Quid enim dicit? Absque intellectu anima non tristatur, & timet, & cõturbatur: impossibile est.

Cyrillus. SANCTI CYRILLI episcopi Alexandriæ de libro Thesaurorum: Quandò videtur timens mortem, & dicens: Si potest fieri, transeat à me calix iste, considera iterùm, quoniam formidans mortem caro docebatur à Deo verbo induta hoc deinceps minimè pati. Dicebat enim ad patrem: Non sicut ego volò, sed sicut tu. Et non quidem timebat ipse mortem, secundùm quod verbum est & Deus, sed vsque ad finem dispensationem perficere properabat. Hęc enim erat patris voluntas. Habet autem & nolle mori, eò quòd caro mortem recusabat naturaliter.

EIVSDEM ex interpretatione Euangelij secundũ Matthæum lib. 11.

Si enim non feciſſet voluntariam, dum & nimis esset contra voluntatem, passionem, qualis iam intelligatur occasio orandi atque dicendi: Pater, si potest fieri, transeat à
Matt.26. me calix iste?

EIVSDEM de eodem libro.

Adspice verò, quomodò contra volentem extitit passio Saluatoris: sed quia per omnia & omninò pati necesse erat, propter bona, quæ ex passione opera sequebantur, pro nobis eandem voluntariam fecit.

EIVSDEM ex eadem interpretatione libro 12.

Recusat igitur calicem, crucifigentium odiositatem circa Deum vtpotè ex hoc accusans: & supponitur quidem timor passionis in ipso propter humanum, substernitur autem protinus per virtutem & potentiam inhabitantis verbi. Intende enim, quomodò recusatio designat humanam in ipso, diuinitatis autem inflexibile coruscauit statim. Di-
Matt.26. xit enim ad patrem, qui in cælis est: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Deo decibiliter autem ex hoc ait. Nam per hoc quod Deus, est, non est extra voluntates paternas.

EIVSDEM ex interpretatione Euangelij secundùm Ioannem, volum. 4.

O homo, nullatenus scandalizeris, quandò audis dicen-
Ioan.6. tem: DESCENDI è cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, patris. Quod enim dicebamus ab initio, hoc iterùm dicimus super causa definita, & clarum sermonem de hoc fecit Christus, docens, quòd pro omnibus quidem mori spontaneum habet, eò quòd ita volebat diuina natura: præter voluntatem verò, propter passiones Crucis, & quantùm ad carnem pertinet, recusantem passionem.

EIVSDEM de eodem volumine:

Quoniam autem præter voluntatem videtur Saluatori Christo, secundùm quod homo erat, passio crucis, & ex ipsa rerum natura considerare nos oportet.

EIVSDEM de eodem volumine:

Si moritur mors me non moriente, secundùm carnem videlicet, transeat (ait) calix, verùm quia non aliter hoc fiet, ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu. Vides quomodò definiens quidem iterùm, humana natura & in ipso Christo, quantum ad eam pertinet, reperitur: recuperatur autem per vnitum ei verbum ad valitudinem DEO dignam.

EIVSDEM de eodem volumine:

Sed quoniam verè quidem præter voluntatem, pariterque spontanea videtur vnigeniti passio crucis, iam quidem manifestè prædictum est. Assumamus autem denuò subtiliores inuestigationes, legentibus veritatem pandentes.

De naturalibus operationibus.

Hilarius lib. 9. de Trinitate. SANCTI HILARII episcopi Pictauiensis & confessoris de sermone pro fide expositio:

Natus igitur vnigenitus Deus ex virgine homo, & secundùm plenitudinem temporis in semetipso prouecturus in DEUM hominem, hunc per omnia Euangelici sermonis modum tenuit, vt se DEI filium credi doceret, & hominis filium prædicari admoneret, loquutus & gerens homo vniuersa quæ Dei sunt, loquens deindè & gerens Deus vniuersa quæ hominis sunt: ità tamen, vt ipso illo vtriusque generis sermone nũquam nisi cum significatione & hominis locutus & DEI sit.

Ambros. SANCTI AMBROSII de sermone fidei:

1. Cor. 2. Sileant igitur de sermonibus quæstiones, quia regnum DEI, sicut scriptum est, non in persuasione verbi est, sed in ostensione virtutis. Conseruemus distinctionem diuinitatis & carnis: vnus in vtraque loquitur DEI filius, quia in eodem vtraque natura est. & si idem loquitur, non vno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam DEI, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur, quæ sunt diuina: quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia in ea substantia loquebatur.

Leo Pont. epist. 10. SANCTAE RECORDATIONIS Romani præsulis Leonis de sermone, ad sanctæ memoriæ Flauianũ Episcopum Constantinopolitanum facto:

Operatur enim vtraq; forma cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante quod verbi est, carne autem exequente quod carnis est: & vnum quidem eorum corruscat miraculis, aliud autem succumbit iniurijs.

Epist. 97. EIVSDEM de epistola ad Leonem Imperatorem directa: Licèt & ergo in vno domino Iesu Christo, vero DEI atque hominis filio, verbi & carnis vna persona sit, quæ inseparabiliter atque indiuisè communes habeat actiones: intelligendæ tamen sunt ipsorum operum qualitates, & syncerę fidei contemplatione cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas carnis, & ad quæ inclinetur altitudo DEITATIS: quid sit quod caro sinè verbo non agit, & quid sit quod verbum sine carne efficit. Sine verbi enim potentia nec cõciperet virgo, nec pareret: & sine veritate carnis, obuoluta
Luc.1. Luc.2. pannis infantia non iaceret. Sine verbi potentia non adorarent Magi puerum stella indice declaratum, & sine veri-
Matt.2. tate carnis non iuberetur transferri in AEgyptum puer, & ab Herodis persecutione subduci. Sine verbi potentia non diceret vox patris de cęlo missa, Hic est filius meus dilectus,
Matt.3. in quo mihi complacui. & sine veritate carnis non protestaretur Ioannes, Eccè agnus Dei, qui tollit peccata mundi.
Ioan.1. Sine verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & viuificatio mortuorum: sine veritate carnis, nec cibus ieiuno, nec somnus esset necessarius fatigato. Et postremò, sine
Ioan.10. verbi potentia non se DOMINUS æqualem patri confiteretur, & sine veritate carnis non idem diceret patrem se esse
Ioan.14. maiorem: cùm Catholica fides vtrunque suscipiat, vtrunque defendat, quæ secundùm confessionem beati Apostoli
Matt.16. Petri, vnum Christum DEI viui filium, & hominem credit, & verbum.

EIVSDEM de eadem epistola.

Philip. 2. Cùm ergò vnus sit dominus Iesus Christus, & veræ DEITATIS veręque humanitatis in ipso vna prorsus eademq; persona sit, exaltationem tamen, qua illum, sicut Doctor gentium dicit, exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod super omne nomẽ excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. In forma quippe Dei æqualis erat filius patri, & inter genitorem atque vnigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in maiestate diuersitas: nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem serui, per quam impossibilis DEITAS sacramẽtum magnæ pietatis impleuit, humana humilitas est, quæ in gloriam diuinæ potestatis euecta est, in tantam vnitatem ab
Ioan.10. ipso conceptum virginis DEITATE & humanitate conserta, vt
Ioan.6. nec sine homine diuina, nec sine DEO agerentur humana.

Ioan.5. ET post pauca: Nam secundùm potentiã DEITATIS indifferenter omnia quæ habet pater, etiam filius habet: & quæ in forma serui à patre accepit, eadem in forma DEI etiam ipse donauit. Secundùm formam enim DEI, ipse & pater vnum sunt: secundùm formam autem serui, non venit facere voluntatem suam, sed eius, qui misit eum. Et secundùm
Matt.26. formam quidem DEI, sicut habet pater vitam in semetipso, ità & filio vitam dedit habere in semetipso: secundùm autem formam serui, tristis est anima eius vsque ad mortem.

EIVSDEM ex eadem epistola: Licet autem ab illo initio, ex quo in vtero Virginis Verbum caro factum, hoc est,

carnem assumpsit, nulla distinctio est inter vtranque formam, per omnẽ incrementum carnale vnius personæ totius temporis actiones factæ sunt. Veruntamen hæc omnia, quę inseparabiliter facta sunt, per nullam commixtionem confundimus, sed cuius sit formæ per qualitates operationum sentimus.

Dionis. Areopagita. SANCTI DIONYSII Areopagitæ Episcopi Atheniẽsis de sermone diuinorum nominum, capitulo secũdo: Discreta est autem benignissima circa nos Dei operatio per hoc, quòd secundùm nos ex nobis integrè & verè substantialiter plasmari voluit verbum, qui suprà substantiam esse cognoscitur, & operatus est & passus, quanta humanæ eius operationi congruunt præcipua ac probabilia. In his nanq; pater & spiritus nulla ratione communicauit, nisi quis dixerit secundùm benignissimam & misericordem volũtatem, & per omnem sublimissimam & ineffabilem Dei operationem, quam operatus est, similis nobis factus, incommutabilis, eo quòd Deus & Dei verbum.

EIVSDEM de Epistola quarta ad Gaium facta. Est autem nihilominus sublimis substãtiæ plenus, qui semper excellit substantia. Vndè per eius sublimẽ substantiã in substãtiã veraciter veniẽs, super substantiã substantia factus est, & super hominem operabatur humana: & ostendit virgo super substantiam pariens, & aqua instabilis materialium & terrenorum pedum subleuans pondus, & non cedens, sed summa potentia ad in diffusionem consistens.

Iustinus Martyr. SANCTI IVSTINI Philosophi episcopi & martyris de Libro tertio Trinitatis, Capitulo septimodecimo: Sicuti vnus est homo, habet autem diuersas naturas duas, & secundùm aliud quidem cogitat, secundùm aliud autem quod cogitatum est, operatur, anima quidem intellectuali cogitans veluti nauis compaginem, manibus autem quod cogitatum est ad effectum per ducens, ità filius vnus existens & duas habens naturas, per aliam quidem diuina signa operabatur, per aliam autem humilia suscipiebat.

EIVSDEM de eodem capitulo: Sicuti luminis quia lumen est, vnam operationem nullus separauit capabilis eius corporis, verbo autem diuidens significat naturam, cuius est propria operatio: ità in vno filio Dei omnem quidem operationem nullus separauit ab vnius filiationis: *naturæ autem, cuius est proprium quod celebratur, verbo significauit.

EIVSDEM de eodem capitulo: Christus autem non ex Deitate & humanitate factus est, Christus alius existẽs præter duo, sed & Deus & homo vtraque consistit, Deus quidẽ intelligendus per signa operationum, homo autem ostensus per similitudinem passionis naturæ.

EIVSDEM de sermone facto ad Paganos. Est enim verè Dominus, Deus simul & homo: & gloriosa quidem secundùm præcipuam naturam operabatur, humilia verò secundùm inferiorem naturaliter sustinebat.

Athanas. SANCTI ATHANASII episcopi Alexandriæ de sermone contra Arrianos tertio: Hæc anteà necessariò examinauimus, quatenùs si viderimus eum tanquam per organũ proprium corpus diuinitùs aliquid agentem aut loquẽtem, sciamus quoniam Deus existens hæc operatur: si videremus humanè loquentem ac patientem, nõ ignoremus quoniam carnem indutus factus est homo, & ità hæc agit & loquitur. Vnuscuiusque enim opus cognoscentes, & vtraque ex vno actitata intendentes vel intelligentes, rectè credamus, nunquamque errare valeamus.

EIVSDEM de eodem verbo: Ad vltimum enim & propter nos factus est homo, & carnaliter, sicut ait Apostolus, inhabitauit Deitas in carne, simul vt dicatur Deus existens, proprium habuit corpus, & hoc organo vsus, factus est homo. Vndè propria quidem eiusdem illius dicuntur, quoniã in ipso erant, qualia sunt, esurire, sitire, pati, laborare, & similia, quorum caro est capabilis. Ipsius autem verbi propria, qualia sunt, mortuos suscitare, cæcos videre facere, & mulierem fluxum sanguinis habentem curare, quæ videlicet per proprium corpus ipse efficiebat.

EIVSDEM de dogmatica epistola facta ad Antiochenos: Propterea Deus quidem dicitur Verbum, natiuitate autem dicitur homo, quatenùs vtraque sit idem naturaliter & veraciter: Deus quidem sempiternitate Deitatis, & vt creator creaturæ: homo autem per natiuitatem ex muliere, & incrementum ætatis: & Deus quidem per viuificas beneficentias, atque potentiam diuinæ operationis: homo autem per similitudinem compassionum, & nostrarum infirmitatum.

EIVSDEM de sermone Euangelij secundùm Matthæũ, quo ait, Qui dixerit verbum cõtra filium hominis: propterea enim Deus existens, & homo factus, vt Deus quidem suscitauit mortuos, & verbo omnes sanans, vertit, & aquam in vinum: nec enim erant homini huiusmodi opera. Vt autem carnem indutus sitiebat, & laborabat, & passiones sustinebat, nec enim erant hæc propria Deitatis. Matt. 12. Ioan. 2.

EIVSDEM de eodem sermone post pauca: Fiebant autem hæc nõ seperatim, & secundùm qualitatem eorum quæ fiebant, vt ea quidem, quæ corporis sunt, absq; Deitate: quę autem Deitatis, absque corpore ostenderentur: sed coniunctim omnia fiebant, & vnus erat qui perficiebat Dominus.

EIVSDEM de eodem verbo: Hæretici quidem secundùm suam instantiam irati sunt, & alij corporalia saluatoris inspicientes, negauerunt hoc quod in principio erat verbũ. Alij autem ea quæ Deitatis sunt considerantes, ignorauerũt hoc, quòd verbum caro factum est. Sed fidelis & apostolicus vir sciens Domini miserationem, inspiciens quidem signa Deitatis, miratur Dominum qui in carne est. Iterum autem videns & propria corporis obstupescit, considerans in eis diuinitatis operationem. Ioan. 1. Ibidem.

SANCTI BASILII ex epistola, ad Beatum Amphilochium facta: Attamen fideliter consideranti cernendum est, quia multa & à parte hominis Dominus loquitur: Nam, Da mihi bibere vox est corporalem vtilitatem perficiens. Basilius. Ioan. 4.

SANCTI GREGORII episcopi Nyssanensis, de serm. 4. contra Eunomium: Sicut enim non est proprietates carnis in eo quod ab initio est verbum, adspicere: ità denuò neque Deitatis propria in natura humanitatis considerare. Propterea cõmixta de Domino doctrina tam per sublimia & Deo digna, quamque per humilia & humana vtrorumq; nominum vtrique, qui in Saluatore intelliguntur competẽter aptamus: & humana quidem ad hominem, sublimia verò ad Deitatem. Greg. Nyssenus.

EIVSDEM in hoc, vbi dicit, Beati qui esuriunt. Absque cibo enim quadraginta dies manens, post eos esuriuit. Dedit enim quandò voluit naturæ tempus propria operari. Matt. 5. Matt. 4.

EIVSDEM de eodem tertio libro contra Eunomium, volumine decimo: Si enim palpabili & visibili cibo & potui disponebatur, & hominibus vnigenitum atque fratrem, & quanta circa corporalem videntur naturam omnia hæc in Deitate adspiciunt, dicant & de vnigenito Deo & hæc, & quanta voluerint: testentur ei & ambulatoriam operationem, & localem migrationem: quod vtique proprium est eorum, qui in corpore circunscribuntur.

SANCTI AMPHILOCHII episcopi Iconij, in eo qđ dictum est, Pater maior me est: Nec enim absque voluntate causa extitit, sed spontanea est passio. Vado & venio ad vos, Vado & venio: vtraque sicut homo transmigro: sicut Deus autem inseparabiliter vobiscũ sum. Vado homo per mortem, venio autem iterùm per resurrectionem homo. Amphilochius. Ioan. 14.

SANCTI EPIPHANII de Capitulo septuagesimo septimo, facto in euictione Marcionis: Quomodò cõfractio panis perficitur, ô Marcion? per phantasiam, *aut operante carne, põdus habente secundùm veritatem? Resurgens nanque à mortuis, in eodem sancto corpore resurrexit secundũ veritatẽ. Propterea & panem confregit secundùm veritatẽ. Epiphan. *an

SANCTI CYRILLI episcopi Hierosolymitani de homilia dicti in Euangelium, vbi Dominus aquam in vinum conuertit: Studuit per omnia neque innotescere suam Deitatem, neque in toto absconderé studuit: non innotescere, propter eos qui tunc fuerunt: studuit non abscondere, propter eos qui posteà: sed ostendere tam Deitatis suæ, quamq; humanitatis eius claras operationes, vt neque diuina virtus obceletur, neque humana natura minimè credatur. Cyrillus episc. Hierosoly. Ioan. 2.

EIVSDEM eodẽ de verbo: Natus est, miracula fecit, ostẽdit duplicem operationem: Passus quidem vt homo, operatus autem vt Deus: idem ipse non alter & alter, quamuis aliter & aliter.

Ioannes Chrysost.

ITEM SANCTVS IOANNES episcopus Constantinopolitanus in Sermone de vidua, quæ duo minuta obtulit, cuius initium, Simplex quidem ieiunij appellatio, sic ait: Etenim in alijs copulatarum naturarum diuersa est operatio humanitatis & DEITATIS, diuersa fortitudo, & vt apertius dicam, deorsum fatigatur, & sursum continet & elementa: deorsum esurit, & desuper pluuias ministrat: deorsum formidat, & sursum intonat: deorsum iudicio assistit, & desuper seipsum adspicit. Circa misericordiam autem concurrit duplex operatio, quoniam qui desursum de Cherubin intercedit misericordibus, ipse ante gazophylacium sedens, probat misericordes.

Marc. 12. Luc. 22.

ITEM EIVSDEM in Thomam Apostolum: Hæc audiens, mundaui animam à perfidia, exutus sum ambiguam mentem, recepi confidentiam, tetigi corpus gaudens & tremens, expandi cum digitis & animæ oculum, & duas iam operationes cognoui.

Cyrillus Alexand.

SANCTI CYRILLI episcopi Alexandriæ ex interpretatione epistolæ ad Hebræos. Si autem perfectos nos fecit per aquam & spiritum, quomodò non operatus est diuinè pariterque humanè, idem consistens & tanquam in vno, Deus pariter & homo?

EIVSDEM de Thesauris, Capitulo vicesimosecundo: Homo factus est Dei verbum, nõ vt iterùm sicut Deus ante humanationem omnia loquatur & operetur, sed vt sæpiùs propter vtilitatem dispensationis, quæ cum carne est, & sicut homo loquatur aliqua. Hanc ergò habente mysterio virtutem, quomodò non est ineptum scandalizari auditores, cùm aliquid vt homo loquatur? Loquitur enim vt homo: loquitur autem & sicut Deus, habens in vtrisque potestatem.

Euphremius epis. Antioch.

EIVSDEM de Thesauris: Ergò quæ de Deo decenter dicta vel acta sunt, ostẽdunt Saluatorem Christum DEVM: & iterùm quæ secundùm hominem dicta vel peracta sunt, ostendunt veraciter hominẽ, hæc est enim mysterij virtus.

SANCTI EVPHREMII episcopi Antiochiæ ex scriptis, contra Seuerum hæreticum ab eodem factis, capitulo quinquagesimo sexto, Nunc autem incarnatum Deum verbum operatum hanc operationem confitentes, aliqua quidem competenter dicimus ad carnem naturæ facta fuisse, alia verò propter DEITATIS sublimen naturam. Ideoque & hic duæ sunt operationes.

Ioan. epis. Scythopolitanus.

SANCTI IOANNIS episcopi Scythopoleos, de sermone octauo contra Seuerum hæreticum, capitulo tertio: Cernis quia vnius eiusdemque domini nostri Iesu Christi duas videmus operationes, DEITATIS eius & humanitatis, sine partitione atque immutabiler?

Anastas. episc. Antiochen.

SANCTAE ANASTASII episcopi Antiochiæ de satisfactione, expositã per epistola Apostolicæ memoriæ Leonis Papæ: Sicut enim nutriri & crementari non est DEITATIS, ità suscitare mortuos non est humanitatis: vtraque tamen eiusdem deitatem temperantis humanitati, vt condecet, nõ in confusionem, sed in vnitionem. Inconfusè ergò duę quidem sunt operationes, sicuti & essentiæ: vnus autem operator, Deus pariterque & homo idem existens.

SANCTA SYNODVS DIXIT.

Matt. 5.

DOmini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi perficiẽtes cum summa deuotione sancti patres verbum, datam eis lucernam ab eo gratiæ atque scientiæ non vtique sub modio absconderunt infructosæ obscuritatis, sed super candelarum sustulerant salutiferæ doctrinæ, quatenus resplendeat omnibus, qui in domo sunt, id est, populis Catholicæ ecclesię, ne vnquam ostendat pedem ad lapidem hæreticæ perfidiæ quisquam de his, qui confitentur DOMINVM & venerantur. Vos enim estis, sicut dicit DOMINVS, lumen mundi, & sal terræ, quod omnem errorem hæreticum expurgat, & putredinem passionum terreni intellectus per virtutem eorum & veritatem deficcat. Vndè præcipiebat dicens: Luceat lux vestra coram hominibus, quatenus videant bona opera vestra, & recta dogmata, atque glorificẽt patrem vestrum, qui in cælis est. Quæ vtique & nos per lectionem venerabilium sermonum eorum perspicientes, ipsum quidem glorificauimus Patrem luminum, ex quo omne datum bonum & omne donum perfectum mandatum est eis, ad plenitudinem Catholicæ eius & Apostolicæ ecclesiæ: accusatores autem eorum meritò reprobauimus, tanti, luminis obumbrare nitentes veram confessionem per nouitatis commẽtum, pro quo, sicut ait beatus Esaias, Non est pax, dixit Deus meus, impijs. Clamare nè cesses: quia tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera aduersariorum, quanta malignati sunt aduersus sanctos patres & Synodos Catholicæ ecclesiæ. Necesse est enim in omnem terram exire nostrũ super hanc rem sonũ, & in fines orbis terrarum sermonum nostrorum consonam virtutem, videlicet pro cautela orthodoxorũ populorũ, & omnib⁹ manifestum facere, quoniam in scripto & sine scripto sanctos patres calumniati sunt, sicuti & sancta quinque Concilia, Cyrus, Sergius, Pyrrhus & Paulus. Deuicti sunt autem contra suam temeritatem mentiti, qui nunquam per quemlibet modum aut verbo intellexerunt aut prædicauerunt, quæ orthodoxi patres dixisse siue intellexisse noscuntur, & in his testantur verba eorum, quæ super omnem rad um solis nitescunt, sed & veritas prædicationis eorum, vbique omnibus eos publicantes, qui nobis in præsenti relecti sunt, quique tradiderunt nobis in primis quod accepisse noscuntur, vnum eodemque confiteri DOMINVM DEVM nostrum Iesum Christum, ex duabus & induabus existentem naturis, substantialiter vnitis inconfusè & indiuisè, & duas vnius eiusdemque sicuti naturas, ità & naturales veraciter esse voluntates, id est, diuinam & humanam: & duas essentiales operationes, diuinam & humanam: neque transitoriè hæc aut postpositiuè, neque in hoc ipsum specialiter minimè habentes omne studium sermonis eorum, sicut aduersarij garriunt, & in hoc detrahentes propter suam hæresim venerabilibus patribus, dum dicunt nihil de voluntatibus vel operationibus Saluatoris nostri definitiuè eos exposuisse. Eccè etenim non solùm definitiuè, sed & dogmaticè & syllogisticè, ac naturaliter demonstratiuè, & secundùm scripturas agonisticè, & per exempla, & compendiosè per omnem modum & verbum intellectualis eorum & prudentissimæ doctrinæ, vtpotè legitimè & viriliter pro ipso incarnato Deo verbo contradicentibus resistentes, & repugnantes hæreticos, Arrium, Apollinarem & Nestorium, & omnes omninò sequentes impietates illorum: eiusdemque vnius CHRISTI Dei voluntates & operationes professi sunt, & profiteri prædicauerunt, per numerum & nomina hæc proferentes, per pronomina, per alterius intellectum, per eiusdem significationem, per qualitatem, per proprietatem, per virtutem, & compendiosè omne verbum & positionem, per quam potuisset approbari earundem voluntatem & operationum vera fide dictio & constantia: id est, per numerum, ex hoc quòd dicunt in vno eodemque Christo duas voluntates & operationes, & duplicem operationem per nomina, ex hoc quòd dicinam voluntatem & humanam voluntatem, deificantem & deificatum, & iterùm diuinã operationẽ & humanã operationẽ: per pronomina verò ex hoc, quòd dicunt aliã volũtatem esse diuinam & aliã humanam, & aliam atque aliam operationem: per alterius autem intellectum ex hoc, quòd dicunt quoniam quæ alterius generis sunt siue naturæ, similem operationem habere nullus sapiens dabit: per eiusdem autem significationem ex hoc, quòd dicunt, quoniam quæ eiusdem operationis sunt, vtique eiusdem substantię confitentur, & communio voluntatis vnitatem ostẽdit substantiæ. Per qualitatem verò ex hoc, quòd dicunt, sicuti habent diuersam substantiam, & qualitatis rationem, ità & diuersam operationem. Per proprietatem autem ex hoc; quòd dicunt: Si enim tantùm possibile est quicquam de diuinis proprietatibus inesse alicui, qui non est eiusdem substantiæ, & ità potest esse quomodò & ipsa DEITAS, dic mihi quid est quod impediat, vt iam omnia quæ sunt DEITATIS, cedant? Quidnam ex hoc euenit? Confusa sunt omnia nobis, & alta cedent in ima, ima autem ascendent in alta. Per virtutum verò ex hoc, quòd clamant, Quæ eadẽ operatione & eadem naturali virtute vtuntur, eiusdẽ esse substantiæ modis omnibus necesse est, & nulla natura alterius substantiæ vel generis indissimiliter habebit potestates & operationes. Et hæc quidem ipse sanctorum DEVS DOMINVS no-

Esa. 48. & 57. 58.

Psal. 73.

Iac. 1.

iter Iesus Christus multifariè multisque modis per sanctos patres de seipso locutus, illuminauit nobis fidem suam orthodoxam, sic & intransgressibiliter tenere eam, sicuti patres prædicauerunt. Huius autem orthodoxæ fidei extraneos esse & alienos, vtpotè denegantes eam in scripto, memoratos authores nouitatis, & impia eorum conscripta. Propterea & hos, & ea quæ ab eis confecta sunt dogmata reprobrantes secundùm statuta venerabilium patrum siue præcepta, qui hoc facere nobis per omnia præcipiunt, dogmata & sermones sanctorum patrum vno corde & ore vnanimiter ac consonanter omnes firmamus, nihil addentes, nihil subtrahentes de his, quæ ab ipsis tradita sunt nobis, sicque credimus, sicuti patres crediderunt: ità prædicamus, quomodò docuerunt. Quæ sanctæ & vniuersales quinque Synodi tradiderunt, intransgressibiliter retinemus, definitiones eorum seruamus, decreta eorum integrè cõfitemur: ità definimus, quomodò illi per proprios sermones promulgauerunt. Qui easdem sanctas Synodos & venerabiles patres minimè suscipit, condemnatus est: quia omnia ab eis prædicata & definita minimè suscipit specialiter & confitetur, condemnatus est: qui qualemcunque hæreticorum & abominandam vocem comprobat & suscipit, condemnatus est. His igitur ità à nobis piè definitis, consequens est, vt sicuti per sanctos patres discrepantem ab eis sensum contrariorum approbauimus, ita & per hæreticos consonantiam prædictorum temeratorum, quam habent cum illis, Nahum 3. ostendamus. Scriptum est enim: Ecce ego super te, dicit dominus Deus omnipotens, & releuabo posteriora tua in facie tua, & ostendam gentibus opprobrium tuum & regibus ignominiam tuam, & iactabo super te abominationem secundùm immunditiam tuam, & ponam te in exemplum. Et erit: omnis qui te viderit, vociferabitur à te, & dicet: Miserrima hæresis aduersariorum, quis plorabit super eam? Ideoque oportet iterùm detegere opprobria præsumptorum ante faciem illorum, vt omnibus aperiamus, quorum hæreticorum immunditiam in semetipsis per suam nouitatem portante sanctis patribus & venerabilibus quinque Concilijs in deceptione simpliciorum se concordare mentiti sunt. Deducantur igitur nobis in medium codices infidelium hæreticorum, hoc est, eorum testimonia, per hos quorum interest, ad conuincendam hæreseos illorum insaniam.

Theophylactus Primicerius notariorum Apostolicæ Sedis, dixit:

Secundùm sacram præceptionem vestræ beatitudinis, excepta à nobis testimonia de Codicibus hæreticorum afferens, præ manibus habeo: quid præcipitis?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ, atq; Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

PRoducta testimonia hæreticorum suscipiantur, & in approbatione consonantiæ nouitatis præsumptorum, qua contra fidem orthodoxam cum denominatis hæreticis detinentur, lectioni vulgentur.

Et accipiens Theodorus notarius regionarius Apostolicæ sedis, de Græco in Latinam vocem translata, relegit in his:

Lucius episc. Alexand. hær. ITEM testimonia hæreticorum: Lucij Ariani, Episcopi quondam Alexandriæ, de Sermone dicto in Pascha: Vbi igitur necessaria erat anima, vt perfectus homo coadoretur Deo? Propterea veritatem clamat Ioannes. Verbum caro factum est, compositum est carni, non autem & anima, sicut hi qui nunc pro fide negociantes asserunt. sed quidem carni vnitum erat, & vnus factus est cum eo. Nam quomodò vnus Christus, nisi vna persona, vna composita natura, sicuti hominis, qui ex anima & corpore extat, cognoscimus? Si autem & animam habuit, sicuti adulteratores adulteratas nunc ecclesias docent, oppugnant se motus Dei & animæ, quoniam remouet horum vtrunque, & in diuersas operationes ducitur.

Apollinaris hær. APOLLINARIS hæretici contra Theodorum, vbi ait: Organum & quod mouet, vnam solet perficere operationem. Quorum autem vna est operatio, horum vna est essentia. Vna ergò essentia facta est verbi & carnis.

EIVSDEM de sermone scripto ad eos, qui contra diuinam incarnationem verbi certant propter homousion: Et Iudæi corpus crucifigentes, DEum crucifixerunt, & nulla diuisio verbi & carnis in diuinis scripturis reperitur: sed est vna natura, vna subsistentia, vna operatio.

EIVSDEM de sermone diuinæ incarnationis: Vbi ad similitudinem hominis dictum est, & non reminiscuntur, quoniam hæc voluntas propria dicitur non hominis, qui de terra est, sicut ipsi arbitrantur, sed DEi qui è cælo descendit.

ITEM EIVSDEM in sermone, qui superscriptus est in Epiphania incarnationis DEi: Vnus est Christus diuina tantùm voluntate mouebatur, secundùm quod & vnam eius nouimus operationem, in diuersis miraculis & passionibus vnius eius naturæ procedentem Deus enim carnem indutus est, & creditur.

Matt. 26. ITEM subsequitur: Et quod dicitur, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat: non alterius & alterius voluntatis significationem habet, & non sibi inuicem conuenientis, sed vnius & eiusdem, diuinè operantis, dispensatiuè autem mortem recusantis: quia Deus fuit carnem ferens, qui hoc dicebat, nullam habens in voluntate differentiam.

Polemon hæret. POLEMON discipulus Apollinaris, de contradictionibus factus aduersus sententias patrum: Totus enim Deus erat Christus, & perfectione carnis vnitus & factus homo, non vertibilem sensum sibi commiscens, voluntatibus naturaliter in contraria versum, sed ipse sibi tantummodò factus est sensus, inuertibili voluntate diuina omnia operatus est: sed non aliud quidem diuinè, aliud autem deificatum, secundùm Cappadocem Gregorium: nam & vertibilem: quoniam hoc quod potuit deificari, & terra fieri vtique potuisset secundùm primùm Adam.

EIVSDEM de sexta Epistola ad Thimotheum: Qui duas voluntates dicit Christi secundùm eos, qui dudùm & nũc inflantur, aut vnum duos quosdam introducit. Christos, sibi inuicem no solùm natura, sed & odiositate diuisos, aut se sibi oppugnantem docet. Vbi enim dualitas, diuisio est per omnia.

Seuerus hæret. SEVERI hæretici de Prosphonetico sermone facto in Daphne, in martyrio sanctæ Euphemiæ, vbi sic ait: Anathematizamus autem Synodum Chalcedonensem, sed & Tomum Leonis præsulis Romanæ Ecclesiæ, & eos qui dicunt vel dixerunt, in duabns naturis vnum DOminum nostrum Iesum Christum post ineffabilem & incomprehensibilem vnitionem, & sequenter eorum duas operationes aut proprietates.

ITEM EIVSDEM ex epistola ad Eleusium, vbi ait: Anathematizamus ergò eos, qui in duabus naturis definierũt vnum Christum. & singularum naturarum opera propria profitentes.

ITEM EIVSDEM Seueri ad Sergium Grammaticum, vbi ait: Quoniam igitur vnus est operans, vna est eius & operatio, & motio operaria.

ITEM EIVSDEM Seueri aduersus sanctæ memoriæ Ioannem Episcopum Cæsareæ Palæstinæ: Vna enim est operatio, id est motio operaria, sicuti & vox incarnati verbi.

EIVSDEM ex Epistola ad Oecumenium prima: Proprietas autem in operationibus, de qua Leo Romanæ vrbis præsul dixit, Operatur vtraque forma cum alterius communione hoc quod proprium est, nullatenus apud orthodoxos proprietas nominabitur.

ITEM qui supra, in eadem Epistola: Anathematizamus eos, qui post vnitionem duas dicunt naturas, hoc est, duarũ naturarum operationes, aut duas proprietates.

Apollinaris. APOLLINARIS hæretici de sermone incarnationis, Capitulo decimotertio. Dum caro ex alio habeat motionẽ, vtique ab illo, qui mouet & ducit eam, *qualisque fuerit, & non perfectè animal per se consistit: sed vt animal perfectum efficiatur, cõposita in vnitione principali copulata est, & cõposita, cælesti principali similis facta est secundũ passi-

bile

bile eius, & accipiens diuinitatem sibi * familiaram secundùm actiuum: sic nanque vnum animal per mouentem & qui mouetur consistit, & non duo aut ex duabus perfectis seseque mouentibus.

Themestij hæresiarchæ Agnoitarum, hoc est, ignorantium, & de parte Seueri, de 2. Sermone, capitulo 41. dato Theodoræ Imperatrici ab hæresiarcha Theodosianorum.

Themestius hæresiarcha.

Nec enim quia sacratissimus Athanasius duas voluntates dixit CHRISTVM ostendere tempore passionis, iam & duas voluntates ei debemus imponere, & has sibi inuicem impugnantes secundùm has duas intentiones: sed piè intelligamus, vtpotè vnius Emanuelis vnam voluntatem modò humanè, modò diuinè moueri.

EIVSDEM de tertio sermone aduersus Colluthum facto, capitulo 52. vbi satisfacit pro tomo Theodosij.

Vnam dico Emanuelis notitiam & operationem, sicuti & voluntatẽ. Attende igitur: sic inuertibilis vt Deus & omniũ passionũ superiori, humana dignatione motus secundũ voluntatem securat passionẽ. Iterùm autẽ diuina dignatione ad passionem confidit: & per carnem horum vtrunque.

EIVSDEM ex Epistola, dicta ab eo pro Salamitanis:

Vna quidem erat notitia in Christo, sicuti & voluntas & operatio, quoniam vnus erat cognoscens, sicuti volens & operatus.

EIVSDEM de sermone facto ad Charisium Monachũ: Christi nanque, vtpotè vnius, vnam dicimus notitiam & operationem.

EIVSDEM de scripto facto ad Constantinum episcopum Laodicensem:

Vnam esse dicimus ipsius Christi operationem, sicuti & naturam.

Colluthus hæreticus.

COLLVTHI hæretici de satisfactione facta pro tomo Theodosij.

Si vna est Christi voluntas sicut tu dicis, aliquandò quidem decibiliter, aliquandò autem humanè mota, sic vtique & non aliter, & vna vnius notitia est.

Theodor. Mopsuestenus. Matt. 8.

THEODORII IMPII Mopsuesteni de secundò Sermone pro miraculis facto:

Volo, mundare, leproso dicens Saluator, ostendit vnam esse voluntatem, vnam operationem secundùm vnam eandemque potestatem productam non verbo naturæ, sed dignationis, per quam vnitus est Deo verbo, qui per præscientiam ex semine Dauid posteà homo factus est, ex ipso vtero familiaritatem ad eum affectualem habens.

EIVSDEM de sermone Incarnationis.

Secundùm præscientiam verbi ostensus, qui natus est ex virgine sine semine homo, non est * recernitus à verbo, per similitudinem mentis eidem copulatus, per quam dignatione vniuit eum sibi & monstrauit eum secundùm operationem indissimilem sui, authoritatem & potestatem eandem inseparabilem habentem, atque adorationem pari lege non discrepantem.

Nestorius.

EXECRABILIS hæreticici Nestorij libro secundo, quem scripsit * Epiphanius Myeseos:

Inconfusas custodimus naturas, non secundùm substantiam arbitrio tantùm copulatus. Propter quod earum vnam voluntatem, & operationem, & dominationem videmus dignitatis æqualitate ostensas. Deus enim verbum assumens quem prædestinauit hominem, per potestatis rationem ad eum non est secernitus propter præscitum affectum.

EIVSDEM ex eodem libro sermone 4.

Non alius erat Deus verbum, & alius in quo factus est homo: sed vna vtrorumque persona, dignitate & honore adoranda ex omni creatura, nullo modo aut tempore dissensione voluntatis aut tractatu diuisa.

EIVSDEM ex epistola ad Alexandrum Hierapolitanũ emissa:

Duarum naturarum vna est authoritas, vna virtus, vna potentia & vna persona secundùm vnã dignitatem & eundem honorem.

Paul. Nestorianus.

PAVLI DIACONI Persæ Nestoriani de sermone iudicij:

Quoniam substantialiter Dei verbi ad hominem, quem assumpsit, non est vnitio facta, non est vna natura effecta. Si autem vna natura facta non est, vna substantia vnius personæ Christi facta non est. Ergò secundùm dignationem vnitio facta est, voluntate & similitudine mentis detenta, quatenùs & differentia naturarum inconfusa ostendatur, & dignationis mysterium singulari voluntate probetur.

Themestius hæreticus.

THEMESTII hæretici ad eos, qui dicunt, pro eo quòd vna est Deo decibilis operatio omnium habuit scientiam humanitas eius: Vna existente simpliciter operatione in Christo, qualis quando quidem aut erit Deo decibilis, aut humanitatis digna? Nam vnum erat, qui operabatur in omnibus, incarnatum videlicet Dei verbum.

EIVSDEM de satisfactione, ad generalitatem monachorum exposita pro viginti capitulis:

Vnam quidem semper de toto dicimus operationem, tam in diuinis signis, & in his quæ humanè operabantur à Christo.

EIVSDEM de satisfactione facta secundùm querelas nefandissimi: Vna nanque aliter Christi scientia, quoniam & operatio. Nam vnum erat atque idem, qui cognoscebat & operabat siue humana, seu Deo decibiliter.

EIVSDEM ad Marcellum presbyterum & Stephanum diaconum: Et in alia epistola, honorabiles patres, petiuimus vestram sanctitatem minimè molestari contra nos, quoniam diximus vnum Christum eandemq; habere scientiam seu operationem.

EIVSDEM ad eosdem: De hoc quod scribitis sanctissimi sæpiùs, quoniam vnam quidem oportet dicere Christi operationem, minimè autem adijcere, eandemque sæpiùs quidem vobis satisfeciss dinoscor, sed & nunc eadẽ scribo.

Colluthus hæret.

COLLVTHI ex rescriptis contra Themestium pro Theodosio: Huius sensus & beatiss. Papa noster Theodosius, vnam Deo decibilem operationem in Christo asseruit, non ad differentiam eorum, quæ perficiuntur, inspiciens, sed ipsam operariam virtutem innuens Saluatoris.

Iulianus hær. episc.

IVLIANI hæretici quondam Halcarnasensis episcopi, de sermone contra Manichæos:

Si quis post ineffabilem & incircunscriptam vnitionem ausus fuerit dicere duas naturas, aut duas substãtias, aut duas operationes, vtpotè duas personas dicens, & duas subsistentias, anathematizetur.

Theodos. hæret.

THEODOSII hæretici Alexandriæ de Tomo, ab eodem scripto Theodoræ Augustæ.

Reliquum est, vt vna sit operatio ex vtrisq; deifica, quoniam vnius esse & eiusdem dicimus Deo decibilia omnia, atque irreprehensibiles passiones.

ITEM eiusdem: Vnam esse Deo dignam operationem compositi CHRISTI secundùm eius humanitatem, sancti & sapientes patres prædicauerunt.

Teodulus Nestoria.

THEODVLI Nestoriani in secundo libro, quem scripsit de consonantia noui & veteris Testamenti: Vna ergò dignitas Imperatoris & imaginis, vna autem vtriusque operatio, & post paululùm, Euidenter etiam inquit, & honorem regalem ab omnibus assumit, quia iam vna est dignitas imaginis & præstituentis eam. Deo autem vna est in ambobus operatio.

Colluthus

COLLVTHI de satisfactione pro Theodosio hæretico: Facta vna est Christi voluntas, & aliquandò quidem diuinè, aliquando autem humanè mouebatur. Sic enim, & nõ aliter, vna vnius scientia.

Seuerus hæret.

SEVERI hæretici de conscriptis eius ad Ioannem hæreticum, quondam Episcopum Alexandriæ.

Carpit synodum Chalcedonen.

Secundùm adiectionem & innouationem fidem definiuit Chalcedonensis synodus, & diuisit in duos vnum incarnatum & humanatum propter nos DEVM verbum, Saluatorem nostri generis & redemptorem, in duabus naturis eum intelligi dicens, & earum naturarum operationes & proprietates post incircumscriptam ineffabilem vnitionem, & Tomum Leonis Romanæ Ecclesiæ præsulis in expositione propriæ definitionis prædicta synodus amplexa est, columnam eum rectæ fidei appellans.

Colluthus

COLLVTHI de satisfactione pro tomo Theodosij facta.

DE operatione sermo erat, ô astutior oratorum, & in operationes versus es. Vna est Christi operatio, ô prudentissime, & non alia & alia, sed magis eadem.

EIVSDEM de eadem satisfactione: Ità & & non aliter de operatione quoque dicimus. Hæc nanque indubitanter diuina est, vtpotè superans secundùm patres, optimè diuersa autem, quæ ex ea perficiuntur, diuina & humana, iuxta quod sumus edocti.

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISsimus episcopus sanctæ Dei ecclesiæ Catholicæ, at q; apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

EX his qui dudum nobis relecti sunt, hæreticorum sermonibus, quos Cyrus & Sergius, Pyrrhus & Paulus cõsonanter amplexi sunt, & confirmauerunt, apertiùs illa dogmatizantes, quæ in eorum conscriptis legimus, reprehenduntur, licèt, vt dictum est, in deceptione simpliciorum hæc dixerunt esse pietatis dogmata: non vtique pertimescentes blasphemiam, dum dicitur: Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum. Væ qui ponunt tenebras lumen, & lumen tenebras: qui ponunt amarum dulce, & dulce amarum. Væ qui sapientes sunt in oculis suis, & coram semetipsis prudentes. Qui iustificant impium, & iustitiam à iusto auferunt. Propterea sicut comburitur stipula ante faciem ignis, radix ipsorum sicut fauilla exit, & flos eorum sicut puluis ascendet. Nec enim voluerunt legem DOMINI Sabaoth: & misit manum suam super eos, & percussit eos, sicut dicit magnus Esaias. Propter hæc igitur, quæ ab eis præsumpta sunt siue confusa, illud oportet dicere, quod ipse DOMINUS iterùm dicit per Samuelem prophetam: Quoniam subsannastis verbum DOMINI, & subsannauit vos DOMINUS, vt non valeatis esse episcopi Catholicæ Ecclesiæ. In aperto nanque hi verbum fidei DOMINICÆ subsannauerunt, immutantes orthodoxam eius confessionem, quam probabiles Catholicæ ecclesiæ patres, sanctæque quinque synodi consonanter prædicauerunt. Vndè suæ consonantiæ cum hæreticis ostendentes plenam infidiam, properauerunt nó solũ eadẽ dicere, sed & similia cum illis agere. Nec .n. dicere quæ illi dicunt sufficit in approbatione perfecta cõsonantiæ ipsorũ, sed ét cõtradicere quibus illi cõtradicere nituntur, & per eadem, neque per alia verba. Ideoque contentionem, quam habent cum illis contra sanctos ac venerabiles patres, hi per sua studia declarauerunt, in propria ectheſi dicentes. Similiter autem & duarum operationum dictionem multos scãdalizare, vtpotè à nemine dictam sanctorum & præcipuorum Catholicæ ecclesiæ mystagogorum. Sed & consequens erit, vt duos confiteamur volentes, contrariè adinuicem venientes: Deo quidem volente saluberrimam passionem explere, incarnatione autem in eo facta obuiam eunte ipsius voluntati & oppugnante: per hoc afferentes duas contrarias sibi voluntates introduci, quod impium est & extraneum Christiani dogmatis. Si enim insanus Nestorius duas voluntates dicere non præsumpsit, è contrario autem eandem voluntatem in duabus personis, quæ ab eo finguntur, confessus est, quomodò possibile est orthodoxam confitentes fidem duas easdemque contrarias voluntates in eo suscipere? Vndè sanctos patres in omnibus & in hoc sequentes vnam voluntatẽ DOMINI nostri IESV CHRISTI verissimi Dei confitemur. Sed & in propria epistola Paulus Pyrrhi successor similiter ait: Propterea & vnam voluntatem DOMINI nostri IESV CHRISTI intelligimus, nè contrarietatem, aut differentiam voluntatum vni eidemque personæ domini nostri IESV CHRISTI applicemus, aut ipsum se expugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus. Sic etenim Euangelicam intelligamus lectionem, vbi dicitur. Non vt faciam voluntatatem meam, sed eius qui me misit. Sed & in recusatione calicis non diuersam in vnum eundemque Christum & resultantem introducentes voluntatem, magis autem negatiuè & non positiuè hanc suscipiàmus vocem. Non enim quasi eo existente, hoc verbum dictum est, sed ac si non est, vt Peritissimus in dogmatibus Theologus Gregorius ait: nec vtpotè animata intellectualiter carne verbi imprompta existente ad totius mundi salutiferam passionem, aut discordantem à patre, seu inhabitante sibi verbo. Huius autem intellectus acribiosissimum exposítorem & interpretatorem suscipiamus bis acutum spiritalem pugionem Cyrillum in quarto de anathematibus, contra quæ duodecim capitula oppositiuè à Theodoreto conscripta sunt, similiter autem & Pyrrhus consonat his in epistola, directa ab eo Apostolicæ memoriæ Ioanni prædecessori nostro, dicens: Quoniam ego dico, non possunt duæ voluntates in vna persona atque in seipsa subsistere, sed per omnia resistunt sibi & repugnant re ipsa. Quia enim anteà idem admirabilis doctor ait, Illius enim velle non erat contrarium Deo, quippe omne deificatum, vt nè fortassis aliqui suspicentur positiuè fuisse dictum, hic apertiùs hoc ipsum declarauit dicens, ac si ab eo qui assumpsit, huiusmodi verbum fuisset. non enim qui assumptus est. Eccè autem apertiùs, sicut dictum est, non solùm similia sapuerunt, sed & per eadem verba, vel syllogistica stultitia sanctos patres nostros expugnauerunt, æmulationis ambitu, quam contra nos habent, iacula verborum contra Theologos illicitè mittentes, siue contra sanctam Dei Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Hoc autem luculentiùs ostendamus & per comparationem alterutram vtriusque partis, quæ nobis in præsenti relectæ sunt, hoc est, præcessorum hæreticorum & authorum nouitatis, ordinabiliter distinguente ità:

Esa. 5.

1. Reg. 15.

Ioan. 6.

Collatio eorũ quæ ab hæreticis vtrinq; dicta sunt.

Hæretici dixerunt, Qui duas dicit voluntates secundùm eos, qui priùs & nunc inflantur, aut vnum duos quosdam Christos introducit, à semet non solùm naturaliter, sed etiam infestatiuè distantes, aut certè seipsum expugnantem prædicat.

Et quidem authores nouitatis dixerunt: Propterea vnam voluntatem dicimus, vt nè ipsum sibi repugnantem dogmatizemus, aut duos volentes introducamus.

Hæretici dixerunt: Sed non vnum quidem diuinum, aliud autem deificatum secundùm Cappadocem Gregoriũ. Vbi enim dualitas, per omnia & diuisio.

Authores nouitatis dixerunt: Vtpotè minimè posse habentes duas voluntates, in vna persona subsistere sibi, sed per omnia oppugnantes se, atque sibimet resistentes.

Hæretici dixerũt: Nec enim, qui magnus Athanasius voluntates dixit CHRISTVM ostendere tempore passionis, iam & duas voluntates eidem applicemus, & has sibimet repugnantes: sed cognoscamus vtpotè de vno, vnam esse voluntatem Emanuelis.

Authores nouitatis dixerunt: Sed & in recusatione calicis non diuersam atque contrariam introducimus voluntatem. Propterea in omnibus, & in hoc sequentes sanctos patres, vnam voluntatem DOMINI confitemur.

Hæretici dixerunt: Proprietas autem in operationibus, de qua Leo Romanus præsul dixit: Operatur enim vtraque natura cum alterius communione, quod proprium est: non vtique ab orthodoxis in CHRISTO proprietas nominabitur, quia non est in operationibus CHRISTI affixa proprietas. Propterea anathematizamus Chalcedonensem synodum, sed & Tomum Leonis, & eos qui dicunt aut dixerunt, in duabus naturis vnum CHRISTVM post vnitionem, & sequenter eorum operationes & proprietates.

Authores nouitatis dixerunt: Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, vtpotè à nullo de sanctis & probabilibus ecclesiæ mystagogis dictam. Si quis igitur à præsenti despector prohibitarum fuerit effectus, hunc si quidem episcopus, aut presbyter, vel diaconus fuerit, ab omni eum esse sacerdotali ministerio & officio suspensum decernimus. Si autem monachus aut laicus de sancta communione separamus.

Hæretici dixerunt: Propterea & vnam eius scimus operationem in diuersis miraculis & passionibus, vnius eiusdéque naturæ procedentem.

Authores nouitatis dixerunt: Vna operatione vnum eundemque Christum operari Deo decibilia & humana. Per hunc etenim pium intellectum Leo quoque Romanus præsul intellexit & docuit, dicens: Operatur enim vtraque natura cum alterius communione. Ergò in vtriſque eadem & simili hæresi reperta, sed etiam contradictione sanctorum patrum, necesse est & simili eos increpatione percelli: immò magis maiore his atque asperiori: quoniam nec præcedentium se hæreticorum ictibus emendati

sunt,

Mendaces hæretici.

sunt, sed & amplius malum ex maligna mente conceptum concinnare ausi sunt, in deceptione simplicium dicentes: in omnibus sanctos patres, eosdem & in hoc sequi, & hæc esse, sancti Chalcedonẽsis Concilij dogmata, beati quoque Leonis, & omnium omninò sanctorum patrum & Synodorũ: quod vtique anteriores hæretici dicere nullatenus præsumpserunt, sed potius confessi sunt per contradictionem illorum, quia Gregorij quidem Cappadocis est dicere, in Christo diuinam voluntatem & deificatam voluntatem, Athanasij autem duas voluntates, diuinam & humanam, confiteri, & beati Leonis siue Chalcedonensis Concilij duas prædicare proprietates & operationes, sicuti & naturas. Aduocati autem nouitatis & hoc ipsum dicere negauerunt, per falsi tatem superantes præcessores suos hæreticos, quatenus per laudabilem vocem improbam eorum hæresin acceptabilem faciant, dum nimis reprehensibilis extat, & coram omnibus vt instabilis denudata. Quomodò nanque possibile est, sicut aiunt, & sanctos patres sequi, & hæreticorum apertissimè confiteri dictiones? perfectò dum nec vnam probabilium patrum in eorum ecthesi ad fidei dicendam professionem suam voce producere potuerũt: nisi tantummodò scelerosi Nestorij, vecordiæ similitudinem voluntatis concordantem, sibimet produxerunt, dicentes: Quomodò est possibile duos voluntates eos confiteri, Nestorio nullatenùs præsumente hoc prædicare in duabus personis ab eo simulatis? Quapropter similiter in omnibus & in hoc sequentes eum, duas quidem dicere non præsumpserunt, vnam autem cum illo per similitudinem voluntatis confessi sunt voluntatem: & propterea simili cum eo meritò* reatitudine innodati sunt.

Maximus sanctissimus episcopus Aquileiensis, dixit:*

Hiere. 20. Propheticus in eis impletur sine dubio sermo: Confusi sunt nimis, quia non intellexerunt ignominias suas, quia in æternum non obliuiscuntur: maximè eò quòd dicunt ex imperitia, quoniam per dictionem duarum operationum, per omnia duæ voluntates sequuntur, contrariè sibi habentes. Si enim in operationibus nullam esse dixerunt contrarietatem, quomodò à minimè cõtrarijs operationibus voluntates contrarias colligere machinantur? Et iterùm, quomodò operationes dicunt sequi voluntates, naturis autem nullatenus eas sequi confitentur, & propterea operationes quidem voluntarias esse iam denunciant, per vtranque autẽ eiusdem naturam voluntarium Christum minimè confitẽtur, sed sine voluntate secundùm naturam eundem esse denunciant? Veruntamen quomodò dicunt voluntates sequi
an operationes, vtrùmne contra naturam, aut naturaliter? Si quidem contra naturam, peccatorem hominem, non enim incarnatum Deum Christum denunciant esse, vtpotè contra naturam voluntatem suam secũdùm sensum eorum habentem. Si autem naturaliter, vnum eundemque Christum esse compositam asserunt naturam, pro eo, quòd vnam in eum naturalẽ colligunt voluntatem, si vtique naturaliter operationem voluntatem sequi fatentur: ac per hoc aut diuisionem aut confusionem proculdubiò eos confiteri necesse est: & diuisionem quidem, quia contra naturam est: confusionem autem, quia naturaliter sequi operationem voluntarem prædicant. Si autem neque naturaliter, neque contra naturam sequi dicunt operationem voluntatem, sine substantia, sicuta & insensibilem, proprium diuulgant sermonem. Quomodò autem naturalem differentiam voluntatũ vnius eiusdemq; impersonalem retorquent contradictionem eorũ, quæ sibi contraria volunt personæ, per hoc quòd commentantur & dicunt, vtpotè Deo verbo volente salutarem passionem explere, carne autem eius contradicente illius voluntati & resistente? vt ex hoc necesse sit duos contraria volentes introduci. Apertissimè enim per hæc, quæ ab eisdem machinantur, suis laqueis irrititi arguuntur. Per abnegationem enim personarum, quæ sibi contraria volũt, ignorauerunt ipsi confitentes eadem sibi volentes personas. Nam si ex contrarietate voluntatem contraria sibi volentes duas personas introducunt, iam necesse est, eos & per cõsonantiam voluntatem duas eadem sibi volentes introducere personas, quoniam aut consonantem, aut contradicentem verbo vtique carnem dabunt, nisi cum Ario & Apollinare hanc sine anima omninò & immobilem esse denunciant. Sed quoniam vtpotè vno existẽte Christo, qui vult & operatur, vnam eius operationem definiunt & voluntatem, ex hoc quod dicunt, quia volentis est voluntas, & operatio operantis, necesse iam habent, & vtpotè vno existente, qui vult & operatur, sancto spiritu, ipsius subsistentiam, quæ sine initio est atque vnius Deitatis in tribus diuidere voluntatibus, & operationibus, quod omninò nefandum est. Ignorauerunt enim, quoniam licèt volentis est voluntas, & operantis operatio, sed non vtique absolutè volentis, sed naturaliter volentis, nec absolutè operantis, sed naturaliter operantis, & hoc certum est, quia & ipsa appellatione ex natura operantis, atque volentis, vtranque habere dinoscitur voluntatem, & operationem. Sic nanque hominis voluntatem & operationem, humanam dicimus: angelicam autem Angeli, & diuinam Dei. Propterea & vtranque, diuinam dico & humanam, quoniam ipse Deus & homo est, ipsi tribuunt Catholicæ Ecclesiæ patres. Nec enim vlla ex hoc dissensio introducitur, sed vtriusque naturæ eiusdem perfectionem significat: neque dissensionis fomitem confessionem naturarum eius, aut naturalium voluntatum ipsius & operationum, sed tantùm peccatum cognoscimus, de quo penitùs naturaliter alienus & interemptor Dominus extans, & noster dissensionis liber fuit: quem in duos diuidentes contrarij, & ex ipsa re arguuntur, quam in vna voluntate, quæ ab eis, dogmatizatur, in scripto proferunt, dicentes vtpotè in nullo tempore intellectualiter animata eiusdem carne, ex proprio impetu contrariè vnito ei substantialiter Deo verbo, naturalem eius motionem habente, sed quandò, & qualem, & quantum Deus verbum volebat. Hoc enim dicentes, & Nestorij diuisionem superauerunt: quoniam Nestorius non quibusdam secundùm sensum eorum nutibus, sed potiùs per meritum & authoritatem æqualemque honorem assumpti à verbo secundùm eum hominis tam motionem & vnitionem asserebat: cùm vtique & omnes sancti & confessores diuinum nutum & voluntatem in vniuerso tempore secuti sunt, per omnem suam naturalem ac spontaneam motionem, de quibus & dictum est. Omnes voluntates eius inter illos. Quomodò igitur hoc, quod & sanctis pertinet, vt non dicam omni Psal. 15.
creaturæ, quia omnia mihi & iussione Dei naturalem habent motionem temporaliter & cum mensura & specie, quæ ab ipso prudenter vnicuique, nec non aptè definita, quasi vt magnum aliquod & super naturam applicare intellectualiter animato Domini corpori crediderunt, & ex hoc vnum in duos diuidunt Christvm, vtpotè carnem eius dicentes nutu ipsius naturalem suam facere motionem, & non vnum eundemque Christvm quomodò Deum naturaliter & hominem diuinè pariterque humanè motum spontè, diuina & humana absque qualibet dissonantia & diuisione naturaliter celebrantem? Sic etenim, secundùm sanctorum patrum doctrinam, idem atque vnus Dominus Deus noster Iesus Christus pro omnibus quidem mori ex voluntate habuit, eò quòd ità diuina eius natura volebat: & iterùm ex voluntate nõ habuit, propter passiones crucis, & quantùm carni congruebat, mortem recusans. Si igitur non pro contrarietate voluntatum, sed propter virtutem mysticæ confessionis in vno eodemque Christo velle & non velle venerabiles prædicant patres, vtpotè eodem specialiter tam assumptionis seu dispensationis incontaminatæ ostendente rationem, & quidem assumptionis in hoc, quòd vult suæ carnis naturam approbare, id est, hominem seipsum naturaliter factum fuisse, & propterea naturalem carnis pauorem spontè pro nostra salute suscipientem, quatenùs ab eodem nos prouidentissimè liberaret, sicuti & ab omni passione, videlicet vt expertus per omnia ad similitudinem nostram sine peccato: dispen- Heb. 4.
sationis autem in hoc, quòd vult secundùm patris eius & inenarrabile propositum deificare nostram naturam, pro eo quòd passus est carne pro nobis. Qualis ergò vel quæ iam ex vtraque ratione dissensio contra Saluatorem ab antiquis & modernis hæreticis commentata est, euacuare conantibus magnum eius circa nos dispensationis mysterium.

rium? Et propterea non solùm duas eiusdem volantes resutare contendunt, sed & naturales eas esse recusant: quia per dissensionem quidem numerum contradicunt, per necessitatem autem naturales eas dicere machinantur, vtpotè omni naturali sub necessitate ab illis definito. Et si hoc ità est, quomodò non & omnes naturales Saluatoris nostri perimunt proprietates, sed & ipsam naturalem, id est, substantialem naturarum eiusdem vnitionem & naturalem eiusdem benignitatem, sed & fructum eius naturæ? voluntatis proposítum similiter perimunt, vtpotè omnibus naturalibus, secundùm sensum eorum, sub necessitate ab eisdem patribus definitis. Sed & reprobat eos rationabiliter beatus Cyrillus cum illis, qui iam ab eodem sunt sapienter reprobati, satisfaciens eis pro tertio capitulorum suorum, qui propter naturalem vnitionem querulati sunt eum, & non velle ex hoc concinnant, hæc dicens: Quoniam autem ineptus nimis factus est sermo eius, omnino difficile non est volentibus perpensare. Dixit enim, quoniam per omnia & penitùs quæ naturæ sunt, necessitati legis subiacent: & in huius approbatione deduxit asserens, quia contra voluntatem esuriem & sitim susc ipimus, in hoc natura nos compellente, etsi quisquam noluerit. Sed erat viri prudentis & limatum habentis intellectum, super hæc cætera quoque contemplari, quæ videlicet meritò ampliori congruunt rationi. Aut non est verum, quia naturaliter rationalis est homo, ergò contra voluntatem & ex necessitate rationabilis est? Quidnam, dic mihi, & omnium Deus non est naturaliter bonus, vita, lumen, sapientia, virtus? Ergò & ipse contra voluntatem necessitate est, quæ est. Sed vt arbitror ità intelligere velle, extremæ vecordiæ non est incognitum. & iterùm ad Hermen scribens, ait: Est nanque non sine voluntate, quæ est naturaliter concurrentem habens naturæ voluntatem, esse quæ est. Sed & beatus Augustinus in quinto libro contra Iulianum Pelagianum similiter ait: Nunquid Iuliane quandò Angelus aut homo aliquid vult, non natura eorum aliquid vult? Angelus & homo naturæ non sunt? Quis hoc dicturus est, quia non sunt? Si ergò naturæ sunt Angelus & homo, certum est, quia natura vult, quandò Angelus vult, & natura vult, quod homo vult. Et iterùm alibi in eodem libro. Numquidnam Iuliane ab homine voluntas hominis non procedit? Quomodò autem ab homine procedit, si vtique de natura eius non procedit dum quandò & ipse homo natura est? Eccè apertissimè sanctorum patrum veneranda doctrina manifestauit nobis, quoniam velle naturæ est in eis, qui substantialiter vellè à Domino percepisse noscuntur: & propterea voluntates naturales sunt, & omni necessitate carentes. Et quoniam aliter quàm ità sapere, stultum esse definiunt patres, dum maximè illi iam, id est, antiqui & noui hæretici, minimè naturalem esse dicentes voluntatem, quæ ab ipsis confitetur, sed contra naturam eandem dogmatizant, peccatorem, vt dictum est, Dominum & Deum nostrum, ex hoc commentantes, & propterea sanctorum patrum doctrinas aut apertiùs denegantes, aut stultè interpretantes, sinè dubio conuincuntur. Sic etenim & Paulus quidem Constantinopolitanus antistes, in propria epistola sancti Gregorij vocem fraudulenter adulterare studuit, ponens quidem è cælo descendere filium, quod vtique Theologicè, interpretatus doctor, hoc est, in diuina voluntate consubstantialis Trinitatis: callidè autem intellectum huius dictionis diripiens, & vbi dicit, Pater, si potest fieri, transeat calix: Matt. 26. non ità interpretatum à Theologo, ille temerè contra doctrinam eius, alterius vocem connectere studuit in peremptionem humanæ Saluatoris nostri voluntatis, id est, deificatæ secundùm doctoris sententiam. Pyrrhus autem & ipse similiter deificatam voluntatem Theologicè accipiens, cõditam esse voluntatem asseruit sanctæ & consubstantialis Trinitatis, vtpotè secundùm eos deificatam, ac per hoc iam & ipsam naturam, quod omninò impium est, & illorum imperitiæ argumentum, in paternis doctrinis spontè desipientes. Nam Theologus recusationem calicis non Theologicè secundùm illos interpretatus est, sed consonanter omnibus sanctis patribus & ipse in humana Saluatoris voluntate huiusmodi piè dictionem susc epit. Non enim, pro alterius introductione, aut ignorãtiæ causa iuxta commentum hæreticorum. Nec enim si possibile erat aut non ignorare eum conuenit, aut pro voluntate introducere voluntatem, quoniam illius velle nihil erat contrarium Deo, totum deificatum: sed in manifestatione verissimæ eius & perfectæ humanitatis hæc eadem asserebat. Nam & laborauit, & esuriuit, atque sitiuit, & conturbatus est, & lachrymauit lege carnis. Tempore nanque passionis huiusmodi nomina fatetur. non enim inconuertibilem naturam & superiorem ab omni passione, sicut omnibus manifestum est. Ergò nec sibi, nec alijs patribus contradicens denominatus doctor, hic quidem nobis, alibi autem Saluatori recusationem studuit applicare: sed in omnibus sibi sanctisque patribus consonans, contrarietatem quidem euacuauit, deificatam autem prædicauit voluntatem, id est, humanam, sicut & diuinam & inconditam in incarnato Deo Verbo, & perfectè pro nobis humanato, vtpotè per simile similem expurgante, & per omnia sua, sicut ait, omnia sanante, quæ naturæ nostræ sunt naturalia, secundùm veram & misericordem mysterij traditionem: quam auertentes authores nouitatis, ad hæreticas fabulas versi sunt, & à vera per eius expositionem errantes prædicationis doctrina.

Deuſdedit ſanctiſſimus epiſcopus inſulæ Sardiniæ, dixit:

Ad perfectam redargutionem prædictorum hæreticorum, etiàm nouitatis præsumptorum, oportet nos proculdubiò sanctum Cyrillum denuò proferre in prædicto testimonio, id est, satisfactione, quæ pro quarto duodecim capitulorum eiusdem doctoris facta est, cùm maximè interpretatorem & expositorem dicant eum existere pij intellectus in Christo Deo prædicatis dogmatibus. Dicit enim in eadem satisfactione contra querulantes eum, & dissensiones ei, magis autem dispensationis mysterio introducentes, pro eo quòd omnes vni eidemque Deo Verbo incarnato Euangelij voces tribuit hic apertiùs doctor. Sed & arbitratur aliquid prudentiæ & inexpugnabile dicere. Ait enim: Si Deo Verbum est, quid clamat, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste? Primùm quidem discordat à patre, sed & non rectè recusat calicem bibere, cùm & minimè ignoraret, ait, quoniam mundo salus existeret passio ipsius. Ergò non sunt huiusmodi voces. Sed audiet & à nobis, qui talibus profanis ducitur intentionibus: Ergò quia tibi videtur Dei quidem verbi huiusmodi esse voces negare, tantùm autem eas formæ serui aptare putas, ne iterùm in duos filios non diuidis vnum? Et cui de sapientibus hoc non apparet? Dicturus est nanque fortassis quisquam tuas sequens, ô ille, intentiones: Quoniam incredulum & vltra competentem rationem est, formam serui recusare passionem, & dissentientem videri à patre, atque à verbo in eodem habitante. Sciebat enim passionem suam ad salutem fore his, qui sub cælo sunt, & vitæ præparationem his, qui morti subiugati sunt. Pro qua re oportebat eum, ait, videri & trepidatione superiorem, & diuinum nutum sequi properantem. Ideoque non sentis desipiens inaniter, quæ est igitur tanta prauitas cogitationum? Ego dico sine qualibet pigritia, quoniam parua quidem, quantùm ad Dei Verbum pertinet, omnia humana existunt. Quæro autem exinanitionem cuius factam intelligamus, & quis hoc passus est spontè? Si enim, vt ipsi dicunt, serui forma, id est, quod ex semine Dauid factum est, quomodò aut qualiter exinanitus est, si assumptus est à Deo? Si autem hoc, quod in forma & æqualitate Dei existens, verbum seipsum exinanire dicitur, quomodò iterùm aut qualiter exinanitus est, si recusat exinationem? Exinanitio autem Dei verbi, quod vtique nescit pati immutationem, est aut agere & dicere quicquam de humanis propter dispensatiuam conuentionem, quam habuit cum carne. Sed & si factus est homo, mysterij ratio nullo modo in natura ipsius nocebit eũ Manst enim quod erat, & in humanitate exinanitus propter vitã & mundi salutem. Ergò non duabus personis, sed vni Christo & filio & Deo Euangelicas & sanctorũ Apostolorum proponamus voces, & neq; diuinam eius minorantes naturam & gloriam propter humana, neque negantes dispensationem, sed ipsius verbi factam credentes, qui propter nos incar-

Verba Cyrilli cõtra Theodoritum: Matt. 26.

incarnatus est. Ecce igitur apertissimè denominatus doctor hęreticam pestilentiam destruxit, hoc est, temerariam dissensionem voluntatum, quam contra Saluatorem nostrum colligere imperiti contendunt, prophanas intentiones easdem appellãs, & prauitatem malorum intellectuum. Vnde viriliter reprobans eos, & nullatenus penitus aut contra Deitatem, aut contra humanitatem vnigeniti quamlibet dissensionem, vtpotè hæreticam & condemnabilem susçipiens, confirmat prudenter mysterij exinanitionem, per quam ipse, qui in forma & similitudine Dei est verbum consistens, nullatenus recusauit operari & dicere humana propter conuentionem, quam habuit cum carne: pro quo ipsi vni & soli Christo ac filio & Deo Euangelicas sanctorumque Apostolorum de eodem applicat voces, quoniam neque diuinam eius minuit naturam propter humana, neque propter diuina eius dispensationem denegat. Ergo secundantissimus ait Cyrillus: Euacuant illi exinanitionem vnigeniti Dei, & misericordem eius propter nos renuunt dispensationem, qui minimè eidem Saluatori quomodo homini propter nos facto tribuunt voces, Matth.26. per quas dicit, Pater, si potest fieri, transeat à me calix iste, in approbatione perfectæ eius propter nos incarnationis, vtpotè de nostris nihil penitus eodem recusante, omnia autem secundùm veritatem naturaliter comprobante, ea videlicet, quæ in nostra essentia demonstrantur absque tantummodò peccato: sed alio extra saluatorem huiusmodi mysticæ orationis eius applicantes voces, & in interemptione, ipsius dissentientem eum asserunt, vtpotè in eo hanc intelligere nolentes iuxta piam sanctorum Patrum doctrinam. Factus namque est homo Dei verbum, sicut ait denominatus doctor, nõ vt iterum, sicut Deus ante incarnationem agebat omnia, operetur & loquatur, sed multoties propter officium dispensationis cum carne loquatur quoque aliqua sicut homo. Hanc igitur habentes mysterij virtutem, quomodo non est inconueniens scandalizari, audientes fortassis humanè loquente eo? Loquitur enim vt homo, loquitur autem & vt Deus: in vtrisque autem habens potestatem: non enim secundùm hæreticos dissensionem. Et dicebat quidem humanè: Nunc anima Ioan.12. mea turbatur, diuinè autem, Potestatem habeo ponere eam, Ioan.10. & iterum potestatem habeo resumere eam. Potestatem habere ponere, & iterum resumere animam, Dei verbi erat virtutis. Sic igitur quando dicit aliquid diuinum, cùm homo factus est, non scandalizamus, sed consideramus vnitum carni verbum: sic & quando loquitur aliquid vt homo, non scandalizemur, considerantes quia propter nos factus est homo, & congrua humanitati loquitur, quam propter nos susçepit cum omnibus eidem appertinentibus naturaliter. Proprium est autem humanitatis plangere, conturbari, anxiari & recusare mortem, atq; similia his pati. Quia igitur quam maximè quod assolet nõ per omnia voluntatis eius fuit, verumtamen propter salutem omnium & vitam, spontaneam fecit crucis passionem. Si enim non feciſſet spontaneam, dum & nimis contra voluntatem erat pati, qualis iam intelligere occasio vt Matth.26. oraret & diceret, Pater, si possibile est transeat à me calix iste? Intende enim, quomodò contra voluntatem est Saluatoris passio, quoniam per omnia & omnino oportebat eum pati propter bona, quæ ex passione accedere noscuntur? Et ideo spontaneum hoc ipsum fecit propter nostram salutem. Nec Matt.26. enim increparet traditorem, vtpotè super omne malum excedentem, asserens quia melius illi erat prius non nasci. Sed neque dignum esse omnino supplicij arbitraretur aliquando suæ voluntatis ministrum, videlicet si eidem pati spõtaneum esset. Quoniam autem vt culpantem vlciscitur, quomodo non est apertissimum, quia vltra voluntatem sustinet passionem? Sed quia semel factum est ex malitia Iudæorum, & ex calliditate diaboli exortum, propria virtute viam salutis & vitæ manifestauit hominibus. Et hæc quidem memoratus Doctor. Veteres autem & noui hæretici, eiusdem doctoris prudentissimos sermones transgredientes, si quidem aliquid diuinè audierint loquentem Saluatorem aut facientem, quasi non scandalizantur. Si autem naturaliter quicquam humanum audierint, sine dubio scandalizantur, minimè considerantes quia factus est homo, & quę humanitati congruunt, locutus est & perficiebat, quam videlicet propter nos susçepit cum omnibus inhærentibus ei naturaliter. Sed arbitrantur illi sapientiores se ostendere sanctorum Patrum, & dicunt ex proprio errore, quia propter hoc factum est homo Dei verbum, vt iterum quomodò tantum Deus antè incarnationem omnia agat, & loquatur diuinè, & nihil omnino humanum propter vtilitatem dispensationis carnis, tantumque in eorum phantasmate huius dispensationis positum esse mysterium, vtpotè nihil verbo secundum nos loquente aut operante penitus: sed & si quid locutum est, aiunt, nos tantum simpliciter designat, non autem semetipsum essentialiter factum hominem demonstrat, cùm permanet perenniter ac naturaliter Deus. Ergo si propter hoc, quòd dicunt sancti Patres in vtrisque habere Dominum & Deum nostrum potestatem, vt diuinè pariterque humanè operetur & loquatur, in approbatione vtriusque naturæ ex quibus constitit, & quia spontanea & contra voluntatem erat ei passio, dissensiones aduersus eum colligere properant in peremptione naturalium eius voluntatum & operationum, certum quia non solum incarnationis eius denegant mysterium, sed & diuinitatis eius excludunt rationem, iniustum eum per indiscretam increpationem cognoscentes, si vtique, quomodo & pater perhibuit, suarum voluntatum ministrum damnauit. Nec enim intellexerunt, in tenebris suę nouitatis deambulantes, incarnati Dei mysteria: & propterea decepti in eorum dissensionibus corrupti sunt, & in necessitatibus suis absorpti sunt. Has enim dissensiones & necessitates in abnegatione quidem dispensationis, euacuationem autem paternæ doctrinæ insipienter construentes, diligentius ab eisdem patribus per nos successores eorum destructi sunt, vt in eis impleatur, quod à Esa.32. beato Esaia prudenter dictum est: Stultus stulta loquetur, & cor eius vana intelliget, vt perficiat iniqua, & loquatur ad Dominum errorem. Sed quid faciet, ait post hæc, quando omnes illos Dominus Deus in iudicium adduxerit, vt discernat inter eos, de quibus impiè gesserunt in eum?

MARTINVS SANCTISSIMVS AC BEATISSIMVS Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ vrbis Romæ, dixit:

QVONIAM prædictis viris, id est, authoribus nouitatis conceptum est cor inaudiens, & inobediens, iuxta quod scriptum est, Declinauerunt & abierunt, & non dixerunt in cordibus suis, Timeamus Dominum Deum nostrum: annunciare autem salutare eius, id est, verbum incarnationis iubemur fiducialiter, & ideo necesse est nobis hoc facere per tubas spirituales, id est, sanctos venerabiles patres. Audiamus ergo iterum eundem beatum Cyrillum, hæc prudentissimè prædicantem, vt nihil omnino negetur de naturæ nostræ vnitis in eo substantialibus proprietatibus, sed per omnia tentatum spontè propter nostram salutem, absque tantummodò peccato Dominum & Deum nostrum Iesum Christum. Dicit enim, vt audiuimus per lectionem, ita: Quoniam sicut minimè mors destrueretur si non fuisset mortuus, ita in vnaquaque passione carnis intellige. Si enim non formidaret, non vtiquè libera natura à formidine facta fuisset. Si non esset cõtristatus, non liberaretur à tristitia, nec vnquam de his aliquando natura nostra secura fieri potuisset. Et in omnibus, quæ secundum humanam naturam facta sunt, eandem rationem conseruans, inuenies carnis passiones in Christo motas fuisse; nõ vt obtineant sicuti & in nobis, sed vt motæ destruerentur per virtutem inhabitantis carni verbi, in melius transmutata natura. Hanc igitur habente humanitate eius misericordem secundum venerabilium patrum doctrinam materiem, vt per hoc, quod passiones permisit, quę sine vlla macula existunt, in se spontè moueri, has robustius destrueret, & nostram de his liberaret naturam, vtpotè quæ non aliter posset liberari, nisi de his per passionem carnis spontè pro nobis experiretur, certum est, iuxta quod sæpius diximus, quoniam dispensationis denegat verbum, dissensionis illorum argumentatio, cùm minimè confitentur secundum sanctos Patres, quia sicut per mortem mortem destruxit, ita & tristitia nostram tristitiam, & perturbatione atque timore timorem. & compendiosè passionibus voluntarijs omnes passiones nostræ naturæ. Sic etenim non solùm hominem propter homi-

nes ostendebat se veraciter factum, per approbationem passionum nostræ naturæ, vnitam sibi substantialiter naturam demonstrans: sed & tentatori escam ipsas passiones propriæ carnis in deceptione illius spontè proferebat, secundum Theologum Gregorium, qui dixit: Nostras enim tentationes ad prouocationem tentantis pertulit, vt stultum tentatorem ostenderet. Oportebat enim per omnia illum decipi qui decepit, & comprimi per carnem, qui sub spe Deitatis subneruare Adam in transgressione demolitus est, vt condemnatio carnis per carnem solueretur mortificata morte. Quomodò enim per hominem mors introducta est, oportebat compassibiliter per incarnatum Deum, proprium figmentum per viscera misericordiæ non despicientem, vitam nostræ naturæ donari, quæ videlicet nulla morte destruitur, vtpotè nostram inobedientiam per suam obedientiam in se perimentem, quam humanè pro nobis ipse, qui incarnatus
Philip. 2. est, proprio ac naturali genitori, id est, Deo & patri offerens, & obediens ei factus vsque ad mortem, mortem autem crucis, fructum suæ glorioſæ obedientiæ expetebat, ab ipso fieri nostræ naturæ, per semetipsum mediante eo & operante nostram libertatem, id est, calicis transitum. Et propterea
Matth. 26. dicebat cum reuerentia salutari: Pater, si potest fieri, transeat à me calix iste: & exauditus pro sua reuerentia, dum & filius esset, sicut beatus Paulus Apostolus ait, mortis transitum
Hebr. 5. fecit, destruens eam per se & in se per veram eius secundum
Coloss. 1. carnem ac venerandam resurrectionem, primogenitus factus ex mortuis, qui in mortuis liber constitit, vt noster liberator secundum veritatem ostendatur, qui in peccato
Apoc. 1. mortificati sumus. Hæc enim erat voluntas Dei & patris, &
Psal. 87. ipsius vnigeniti Filij, & sancti Spiritus, id est, vnius sine initio & naturaliter Deitatis, quatenus per ipsum filium, qui nobis locutus est corporaliter, & propter nos, paternam vel diuinam eius voluntatem humanè per obedientiam perficientem, calix à nobis, id est, pœna mortis saluatur, destructa mortificatione à vita: pro qua re & omnia assumens & vniens sibi substantialiter, quæ sunt nostræ naturæ, sanauit, id est, carnem, animam, intellectum, operationem, voluntatem, per quas spontè Adam præceptum transgressus est: qui totus deliquit, & totus morte damnatus est, & propterea nihilominus indigentem sanari ab ipso, qui nostram quidem creauit naturam, postmodum autem renouare dignatus est. Si enim dimidium culpasset Adam, iuxta quod Theologus Gregorius ait, dimidius & assumptus est & saluatus. Si autem totus vnitus est, vtiquè totus vnitus est incarnato DEO, atque totus saluatus est. Igitur minimè nobis inuideant pro salute perfecta aduocati dissensionis, neque ossa tantummodò & neruos, effigiem quoque hominis Saluatori adscribant. Nam si absque anima est humanitas eius, hoc & Arriani dicunt, vt in Deitatem passionem reducant, & quomodo ipsa mouente corpus, eadem vtique & passiones sustinente. Si autem animatus est, si quidem sine intellectu, quomodo est homo? quia homo non est animal sine intellectu: atque necesse erit secundùm figmentum quidem hominem eum esse, animam autem equi cuiusdam, aut bouis, siue alterius bruti animalis eum habere. & vtique hoc erit quod Saluator: ac per hoc deceptus sum ego à veritate, cùm alius honoratur, & alius glorificatur. Si autem intellectualis & non sine intellectu est homo, intellectualis autem naturaliter per omnia & voluntarius est, si leant veraciter desipientes & credant, quoniam hoc, quod vnitum est Deo, hoc & saluatum est. Saluata est igitur assumpta ab incarnato DEO verbo cum nostra natura nostræ quoque naturæ humana voluntas & operatio. Propterea & voluntarius atque operarius naturaliter idem extitit in vtraque, ex quibus & in quibus naturis constitit, nostræ salutis. Ideoque Saluatoris orationem minimè in personalem diuisionem partiri præsumant, vtpotè Deo verbo, sicut aiunt, salutarem volente passionem explere, carne autem eius contradicente ipsius voluntati, & dissentiente ab eo, Quoniam hæc hæreticæ vecordiæ sunt genuina, nostræ naturæ perfectionem in Christo Deo minimè admittentis. Ipse enim & vnus Dominus indiuisè, inseparabiliter sine partitione volebat & nolebat, propter rationabiles nobis à sanctis patribus traditas prædicationes, cum quibus & hoc iterum piè nos docere noscuntur. Nam humiles & misericordes atque amatores Dei & quàm maximè benignos, dum hunc secundùm possibilitatem imitari contendimus, per suam orationem nos ipsos perficiebat Dominus. & humiles quidem atque misericordes, per hoc, quod & tentationes orationibus euitamus, parcentes vtiquè persecutoribus: & nostram infirmitatem considerantes, iuxta ipsius Domini præceptum qui ait: Orate, nè intretis in tentationem. & iterum: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Amatores autem Matth. 26.
Dei ex hoc, quòd obedire ei & promptè subijci desideramus, nullatenùs autem resistere voluntatibus eius, in nobis misericorditer prærogatis, dum ei fuerit placitum pati nos ad veram confessionem pietatis, quæ in ipso est. Horum namque factus est nobis exemplum ipse, qui est naturaliter author vitæ Dominus DEVS noster IESVS CHRISTVS, per hoc quòd spontè passus est carne pro nobis: in quem peccantes illi, per propria dogmata redarguuntur, quoniam voEsa. 32.
luntas malorum, sicut beatus Esaias ait, Iniqua consiliabitur, corrumpere sanos sermones fidei verbis iniquis. Pij autem sapienter consiliati sunt, & hoc consilium manet in æternum.

SANCTA SYNODVS dixit:

Licèt authores nouitatis, vt iam nobis ex omnibus approbatum est, vtpotè non solùm sermonibus eorum ab inuicèm confusis, sed & hæreticorum doctrinis per omnia consonantibus eis, necnon paternis ac Synodalibus prædicationibus catholicæ Ecclesiæ ab eis extraneatis, non intellexerunt omEsa. 6.
ninò, sicut per propheticum vaticiniũ dictum est, quoniam obscurati sunt, ne videant oculis suis, & intelligant cordibus suis venerabilium patrum nostrorum sana decreta & definitiones, quas posuerunt in conseruatione orthodoxæ fidei. Sed & nos corde credentes in iustitiam, ore autem confiten-
Rom. 10. tes in salutem, consonanter & absque vlla nouitate, sicut ab eis percepimus, ita intransgressibiliter credimus vnum eundemque filium Dominum nostrum & Deum Iesum Christum, perfectum eundem in Deitate, & eundem perfectum in humanitate, Deum verè, & hominem verè eundem, ex anima rationali & corpore, consubstantialem patri secundùm Deitatem, & consubstantialem nobis eundem secundùm humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato: antè secula quidem de patre genitum secundùm Deitatem, in nouissimis diebus autem eundem propter nostram salutem ex Maria virgine Dei genitrice secundùm humanitatem, vnum eundemq; Christum filium Dominum vnigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter vnitionem, magisque salua indiminutè proprietate vtriusque naturæ, & in vnam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum atque diuisum, sed vnum & eundem filium vnigenitum, Deum verbũ, Dominum Iesum Christum, & duas eiusdem sicuti naturas vnitas inconfusè, indiuisè, ita & duas naturales voluntates diuinam & humanam, & duas naturales operationes diuinam & humanam, in approbatione perfecta & indiminuta, eundem veraciter esse perfectum Deum, & hominem perfectum secundùm veritatem, eundem atque vnum Dominum nostrum & Deum Iesum Christum, vtpotè volentem & operantem diuinè & humanè nostram salutem, sicut superiùs prophetæ de eo, & ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS docuit nos, atque sanctorum patrum tradidit symbolum, & generaliter omnes sanctæ & vniuersales synodi, & omnis probabilium catholicæ Ecclesiæ doctorum chorus. His itaque nobis piè atque orthodoxè, iuxta diuinitùs inspiratam doctrinam eorum, professis, consonanter dicimus omnes.

1 Si quis secundùm sanctos patres non confitetur propriè & veraciter patrem, & filium, & Spiritum sanctum Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, hoc est, vnũ Deum in tribus subsistentijs consubstantialibus & æqualis gloriæ vnam eandemq; trium Deitatem, naturam, substantiam, virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem, inconditam, sine initio incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium & protectricem, condemnatus sit. Canones viginti Concilij Lateranensis sub Martino primo sub anathemate recipiendi.

2 Si quis

2 Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundum veritatem ipsum vnum sanctæ & consubstantialis & venerandę Trinitatis Deum verbum è cœlo descendisse, & incarnatum ex Spiritu sancto & Maria semper Virgine, & hominem factum, crucifixum carne, propter nos sponte passum sepultumq;, & resurrexisse tertia die, & ascendisse in cœlos, atque sedentem in dextera Patris, & venturum iterum cum gloria paterna cum assumpta ab eo atque animata intellectualiter carne eius, iudicare viuos & mortuos, condemnatus sit.

3 Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperq; virginem & immaculatam Mariam, vtpotè ipsum Deum verbum specialiter & veraciter, qui à Deo Patre ante omnia secula natus est, in vltimis seculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, & incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente & post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit.

4 Si quis secundum sanctos Patres non confitetur propriè & secundum veritatem ipsius & vnius Domini nostri & Dei Iesu Christi duas natiuitates, tam ante secula ex Deo & Patre incorporaliter & sempiternaliter, quamque de sancta virgine semper Dei genitrice Maria corporaliter in vltimis seculorum, atque vnum eundemque Dominum nostrum & Deum Iesum Christum consubstantialem Deo & patri secundum Deitatem, & consubstantialem homini & matri secundum humanitatem, atque eundem passibilem carne, & impassibilem Deitate, circumscriptum corpore, incircumscriptum Deitate, eundem inconditum & conditum, terrenum & cœlestem, visibilem & * intelligibilem, capabilem & incapabilem, vt toto homine eodemque & Deo totus homo reformaretur, qui sub peccato cecidit, condemnatus sit.

5 Si quis secundũ sanctos patres non confitetur propriè & secũdum veritatem vnam naturam Dei verbi incarnatam, per hoc quòd incarnata dicitur nostra substantia perfectè in Christo Deo & indiminutè, absque tantummodò peccato, significata, condemnatus sit.

6 Si quis secundum sanctos patres non confitetur propriè & secundum veritatem duabus & in duabus naturis substantialiter vnitis, inconfusè & indiuisè vnum eundemque esse Dominum & Deum Iesum Christum, condemnatus sit.

7 Si quis secundum sanctos patres non confitetur propriè & secundum veritatem substantialem differentiam naturarum inconfusè & indiuisè in eo saluatam, condemnatus sit.

8 Si quis secundum sanctos patres non confitetur, propriè & secundum veritatem naturarum substantialem vnitionem indiuisè & inconfusè in eo cognitam, condemnatus sit.

9 Si quis secundum sanctos patres non confitetur propriè & secundum veritatem naturales proprietates Deitatis eius & humanitatis indiminutè in eo & sine deminoratione saluatas, condemnatus sit.

10 Si quis secundum sanctos patres non confitetur propriè & secundum veritatem duas vnius eiusdemq; Christi Dei nostri voluntates cohærenter vnitas, diuinam & humanam ex hoc, quòd per vtramque eius naturam voluntarius naturaliter idem constitit nostræ salutis, condemnatus sit.

11 Si quis secundum sanctos patres non confitetur propriè & secundum veritatem duas vnius eiusdemque Christi Dei nostri operationes cohęrenter vnitas, diuinam & humanam, ab eo quòd per vtranque eius naturam operator naturaliter idem existit nostræ salutis, condemnatus sit.

12 Si quis secundum sceleroſos hęreticos vnam Christi Dei nostri voluntatem confitetur & vnam operationem, in peremptionem sanctorum patrum confessionis, & abnegationem eiusdem Saluatoris nostri dispensationis, condemnatus sit.

13 Si quis secundũ sceleroſos hæreticos in Christo Deo in vnitate substantialiter saluatis, & à sanctis patribus nostris piè prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationibus, diuinam & humanam, contra doctrinam patrum, & vnam voluntatem atque vnam operationem confitetur, condemnatus sit.

14 Si quis secundum sceleroſos hæreticos cum vna voluntate & vna operatione, quæ ab hæreticis impiè confitetur, & duas volnntates pariterq; & operationes, hoc est, diuinam & humanam, quæ in ipso Christo Deo in vnitate saluantur, & à sanctis patribus orthodoxè in ipso prædicantur, denegat & respuit, condemnatus sit.

15 Si quis secundum sceleroſos hæreticos Deiuirilem operationem, quod Græci dicunt θεανδρικὴν, vnam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur secundum sanctos patres, hoc est, diuinam & humanam, aut ipsam Deiuirilis, quæ posita est, nouam vocabuli dictionem vnius esse designatiuam, sed non vtriusq; mirificę & glorioſæ vnitionis demonstratiuam, condemnatus sit.

16 Si quis secũdum sceleroſos hæreticos in peremptione saluatis in Christo Deo essentialiter in vnitione, & sanctis patribus piè prædicatis duabus voluntatibus & duabus operationib. hoc est, diuina & humana, dissensiones & diuisiones insipienter mysterio dispensationis eius innectit, & propterea Euangelicas & Apostolicas de eodem Saluatore voces non vni eidemque personæ & essentialiter tribuit eidem ipsi Domino & Deo nostro Iesu Christo secundum beatum Cyrillum, vt ostendatur Deus esse & homo idem naturaliter, condemnatus sit.

17 Si quis secundũ sanctos patres non confitetur propriè & secundum veritatem omnia, quæ tradita sunt & prædicata sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindeque à sanctis patribus & venerandis vniuersalibus quinque Concilijs vsque ad vnum apicem verbo & mente, condemnatus sit.

18 Si quis secundum sanctos patres consonanter nobis pariterque fide non respuit & anathematizat anima & ore omnes, quos respuit & anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impijs eorum conscriptis vsque ad vnum apicem sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica, hoc est, sanctæ & vniuersales quinque Synodi, & consonanter omnes probabiles Ecclesiæ patres, id est, Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Polemonem, Eutychem, Dioscorum, Timotheum Ælurum, Seuerum, Theodosium, Colluthum, * Themistium, Paulum Samosatenum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum Persam, Origenem, Didymum, Euagrium, & compendiosè omnes reliquos hæreticos, qui à Catholica Ecclesiæ reprobati atque abiecti sunt, quorum dogmata diabolicę operationis sunt genimina, & ens qui similia cum his vsque ad finem obstinatè sapuerunt aut sapiunt, vel sapere sperantur cum quibus meritò, vtpotè similes eis parique errore præditos, ex quibus dogmatizare noscuntur, proprioque errori vitam suam determinantes, hoc est, Theodorum quondam episcopum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, vel eius successores Pyrrhum & Paulum, in sua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conscripta, & eos qui similia cum illis vsque ad finem obstinatè sapuerunt, aut sapiunt, vel sapere sperantur, hoc est, vnam voluntatem & vnam operationem Deitatis & humanitatis Christi, & super hæc impijssimam Ecthesin, quæ persuasione eiusdem Sergij facta est ab Heraclio quondam Imperatore aduersus orthodoxam fidem, vnam Christi Dei voluntatem, & vnam ex concinnatione definientem operationem venerari, sed & omnia, quæ pro ea impiè ab eis scripta vel acta sunt, & illos qui eam suscipiunt, vel aliquid de his, quæ pro ea scripta vel acta sunt, & cum illis denuo sceleroſum Typum, qui ex suasione prædicti Pauli nuper factus est à sereniſſimo principe Constantino Imperatore contra Catholicam Ecclesiam, vtpotè duas naturales voluntates & operationes, diuinam & humanam, quæ à sanctis patribus in ipso Christo Deo vero & Saluatore nostro piè prædicantur, cum vna voluntate & operatione, quæ ab hæreticis impiè in eo veneratur, pariter denegare & taciturnitate constringi promulgantem, & propterea cum sanctis patribus & sceleroſos hæreticos ab omni reprehensione, & condemnatione iniustè liberari definientem, in amputationem Catholicæ Ecclesiæ definitionum seu regulæ. Si quis igitur, iuxta quod dictum est, consonanter nobis

omnia hæc impijſſima hæreſeos illorum dogmata, & ea qui æ pro illis aut in definitione eorum à quolibet impiè conſcripta ſunt, & denominatos hæreticos, Theodorũ dicimus, Cyrum & Sergium, Pyrrhum & Paulum non reſpuit & anathematizat, vtpotè Catholicæ Eccleſiæ rebelles exiſtentes, aut ſi quis aliquem de his, qui ab illis vel ſimilibus eorum in ſcripto vel ſine ſcripto quocunque modo vel loco aut tempore temerè depoſiti ſunt aut condemnati, vtpotè ſimilia eis minimè credentem, ſed ſanctorum patrum nobiſcum confitentem doctrinam, vti condemnatum habet aut omninò depoſitum, ſed non arbitratur huiuſmodi quicunque fuerit, hoc eſt, ſiue Epiſcopus, aut presbyter, vel diaconus, ſiue alterius cuiuſcunque Eccleſiaſtici ordinis, aut monachus, vel laicus pium & orthodoxum, & Catholicæ Eccleſiæ propugnatorem, atque in ipſo firmiùs conſolidatum, in quo vocatus eſt à Domino ordine, illos autem impios atque deteſtabilia eorum pro hoc iudicia, vel ſententias vacuas & inualidas atque infirmas, magis autem prophanas & execrabiles vel reprobabiles arbitratur, huiuſmodi condemnatus ſit.

19 Si quis ea, quæ ſceleroſi hæretici ſapiunt, indubitanter profeſſus atque intelligens, per inanem proteruiam dicit hæc pietatis eſſe dogmata, quæ tradiderunt ab initio ſpeculatores & miniſtri verbi, hoc eſt dicere, ſanctæ & vniuerſales quinq; ſynodi, calũnians vtiq; ipſos ſanctos patres, & memoratas ſanctas quinque ſynodos in deceptione ſimplicium, vel ſuſceptione ſuæ prophanæ perfidiæ, huiuſmodi condemnatus ſit.

20 Si quis ſecundùm ſceleroſos hæreticos quocunque modo, aut verbo, aut tempore, aut loco terminos remouens illicitè, quos poſuerunt firmiùs ſancti Catholicæ Eccleſiæ patres, id eſt, ſanctæ & vniuerſales quinque ſynodi, nouitates temerè exquirere, & fidei alterius expoſitiones, aut typos, vel leges, aut definitiones, aut libellos, aut epiſtolas, aut conſcripta, aut ſubſcriptiones, aut teſtimonia falſa, aut ſynodos, aut geſta monumentorum, aut ordinationes vacuas & Eccleſiaſticæ regulæ incognitas, aut loci ſeruaturas incongruas & irrationabiles, & compendioſè, ſi quid aliud impijſſimis hæreticis conſuetum eſt agere, per diabolicam operationem tortuosè & callidè agit contra pias orthodoxorum Catholicæ Eccleſiæ, hoc eſt dicere, paternas eius & Synodales prædicationes, ad euerſionem ſyncerißimæ in Dominum Deum noſtrum confeſſionis, & vſque in finem ſine pœnitentia permanet hęc impiè agens, huiuſmodi in ſecula ſeculorum condemnatus ſit, & dicat omnis populus, Fiat fiat.

Pſal. 40. 71. 88. Iudith. 10. 13. 15.

His itaque à nobis piè promulgatis, & cum omni ſubtilitate, ſecundum Dominicam præceptionem, zizania quidem & omnes facientes ſcandala, cum paleato & hæretico intellectu eorum, igni canonicæ ſententiæ ex Apoſtolica auctoritate proijcientes, triticum autem orthodoxæ & Apoſtolicæ fidei noſtræ Chriſtianorum in horreum, id eſt, Catholicam Eccleſiam per ventilabrum paternæ doctrinæ firmiùs congregantes, victrices ei cum propheta Sophonia canimus hymnos: Gaude nimis, ô filia Sion, prædica filia Hieruſalem, lætare & exulta ex toto corde tuo filia Hieruſalem. Abſtulit Dominus à te iniquitates aduerſariorum tuorum, liberauit te de manu inimicorum, Dominus in medio tui, non videbis mala vltrà, omni exploſa nouitate hæretica, & omni cõfirmata in te orthodoxa fide, in poſſeſſione vitæ æternæ. Per ipſum Chriſtum Dominum Saluatorem animarum noſtrarum, cui gloria, honor, veneratio, imperium cum patre & ſancto ſpiritu nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Et ſubſcr.

Matth. 13.

Soph. 3.

Martinus, gratia Dei epiſcopus ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ vrbis Romæ, huic definitioni confirmationis orthodoxæ fidei, & damnationi Sergij Conſtantinopolitani quondam epiſcopi, Cyri Alexandriæ antiſtitis, Theodori item epiſcopi, Pyrrhi atque Pauli item Conſtantinopolitan. epiſcop. cum hæreticis eorum ſcriptis, ſtatuens ſubſcripſi.

Maximus, epiſcopus ſanctę Aquileienſis Eccleſiæ, huic definitioni confirmationis orthodoxę fidei, & damnationi Sergij Conſtantinopolitani quondam Epiſcopi, Cyri Alexandriæ antiſtitis, Theodori item epiſcopi, Pyrrhi atque Pauli item Conſtantinopolitan. epiſco. cum hæreticis eorum ſcriptis, ſtatuens ſubſcripſi.

Deuſdedit epiſcopus ſanctæ Caralitanæ Eccleſiæ, huic definitioni confirmationis orthodoxæ fidei, & damnationi Sergij Conſtãtinopolitani quondam epiſcopi, Cyri Alexandriæ antiſtitis, Theodori item epiſcopi, Pyrrhi atque Pauli item Conſtantinop. epiſc. cum hæreticis eorum ſcriptis, ſtatuens, ſubſc.

Maurus Cæſenatis Eccleſiæ Epiſcopus, & Deuſdedit presbyter, locum agentes Mauri ſanctiſſimi Epiſcopi Rauennatis Eccleſiæ, huic definitioni confirmationis orthodoxæ fidei, & damnationi Sergij Conſtantinopolitani quondam Epiſcopi, Cyri Alexandriæ antiſtitis, Theodori item Epiſcopi, Pyrrhi atque Pauli item Conſtantinopolitan. Epiſcop. cum hæreticis eorum ſcriptis, ſtatuentes ſubſcripſimus.

Sergius Epiſcopus ſanctæ Tempſanenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Reparatus Epiſcopus ſanctæ Mantuarianenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Epiphanius Epiſcopus ſanctæ Albanenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Benedictus Epiſcopus ſanctæ Aiacenſis Eccleſiæ, t ſupra.

Iulianus Epiſcopus ſanctæ * Hortanenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Papinius Epiſcopus ſanctæ Vibonenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Maximus Epiſcopus ſanctæ Piſaurenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Lucianus Epiſcopus ſanctæ Leontinenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Viator Epiſcopus ſanctæ * Hortonenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Bonitus Epiſcopus ſanctæ Formianæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Maiorianus Epiſcopus ſanctæ Prænestinæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Germanus Epiſcopus ſanctæ Numanenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Laurentius Epiſcopus ſanctæ Peruſinæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Caroſius Epiſcopus ſanctæ Faralitanæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Martianus Epiſcopus ſanctæ Mebienſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Barbatus Epiſcopus ſanctæ Sutrinæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Calumnioſus Epiſcopus ſanctæ Aleſinæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Peregrinus Epiſcopus ſanctæ Meſſanenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Romanus Epiſcopus ſanctæ Cerellitanæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Creſcentius Epiſcopus ſanctæ Lucrenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Felix Epiſcopus ſanctæ Agrigentinæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Marcellinus Epiſcopus ſanctæ Cluſinatis Eccleſiæ, vt ſupra.

Geminianus Epiſcopus ſanctæ Volaterranæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Marinianus Epiſcopus ſanctæ Populonienſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Luminoſus Epiſcopus ſanctæ Tiſerniſtiberinorum Eccleſiæ, vt ſupra.

Porentinus Epiſcopus ſanctæ Belliternenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Maurus Epiſcopus ſanctæ Duſcanenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Martinus Epiſcopus ſanctæ Gabinatis Eccleſiæ, vt ſupra.

Adodatus Epiſcopus ſanctæ * Spoletinæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Ioannes Epiſcopus ſanctæ Pæſtanenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Gaudioſus Epiſcopus ſanctæ Reatinæ Eccleſiæ, vt ſupra.

Laurentius Epiſcopus ſanctæ Taurianenſis Eccleſiæ, vt ſupra.

Ioannes Episcopus sanctæ Trapeianæ Ecclesiæ, vt supra.

Luminosus Episcopus sanctæ Salernitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Sabbatius Episcopus sanctæ Buxentis Ecclesiæ, vt supra.

Ioannes Episcopus sanctæ Tarentinæ Ecclesiæ, vt supra.

Rufinus Episcopus sanctæ Sipontinæ Ecclesiæ, vt supra.

Adeodatus Episcopus sanctæ Amarinæ Ecclesiæ, vt supra.

Gaudiosus Episcopus sanctæ Capuanæ Ecclesiæ, vt supra.

Bonitus Episcopus sanctæ Ferentinatis Ecclesiæ, vt supra.

Maurus Episcopus sanctæ Senogallienſis Ecclesiæ, vt supra.

Mauroſus Episcopus sanctæ Anconitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Bonus episcopus sanctæ Ficuclenſis Ecclesiæ, vt supra.

Fortunatus Episcopus sanctæ Auximatis Ecclesiæ, vt supra.

Thomas Episcopus sanctæ Lunenſis Ecclesiæ, vt supra.

Bonitus Episcopus sanctæ Ferentiſpolimartiæ Ecclesiæ, vt supra.

Maximus Episcopus sanctæ Trocalitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Paſchalis Episcopus sanctæ Blandanæ Ecclesiæ, vt supra.

Luminosus Episcopos sanctæ Marſenſis Ecclesiæ, vt supra.

Glorioſus Episcopus sanctæ Camerinæ Ecclesiæ, vt supra.

Decoratus Episcopus sanctæ Tiburtinæ Ecclesiæ, vt supra.

Amabilis Episcopus sanctæ Hortenſis Ecclesiæ, vt supra.

Albinus Episcopus sanctæ Portuenſis Ecclesiæ, vt supra.

Palumbus Episcopus sanctæ Fundanæ Ecclesiæ, vt supra.

Theodoſius Episcopus sanctæ Cotronenſis Ecclesiæ, vt supra.

* Scholaſticus Episcopus sanctæ Fanenſis Ecclesiæ, vt supra.

Elias Episcopus sanctæ Lilibetanæ Ecclesiæ, vt supra.

Aquilinus Episcopus sanctæ Aſſiſinatis Ecclesiæ, vt supra.

Euſebius Episcopus sanctæ Atellanæ Ecclesiæ, vt supra.

Martinus Episcopus sanctę Centumcellenſis Ecclesiæ, vt supra.

Iubentinus Episcopus sanctæ Stabienſis Ecclesiæ, vt supra.

Maurus Episcopus sanctæ Senatis Ecclesiæ, vt supra.

Lætus Episcopus sanctæ Lucanæ Ecclesiæ, vt supra.

Theodorus Episcopus sanctæ Ruſellenſis Ecclesiæ, vt supra.

Andreas Episcopus sanctæ Hydruntenſis Ecclesiæ, vt supra.

Iuſtus Episcopus sanctæ Taurianenſis Ecclesiæ, vt supra.

Felix Episcopus sanctæ Panormitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Laurentius Episcopus sanctæ Tudertinæ Ecclesiæ, vt supra.

Ioannes Episcopus sanctæ Cárinenſis Ecclesiæ, vt supra.

Albinus Episcopus sanctæ Signenſis Ecclesiæ, vt supra.

Auguſtinus Episcopus sanctæ Squillacinæ, Ecclesiæ, vt supra.

Ioannes Episcopus sanctæ Rhegitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Barbatus Episcopus sanctæ Cumanenſis Ecclesiæ, vt supra.

Felix Episcopus sanctæ Terracinenſis Ecclesiæ, vt supra.

Oportunius Episcopus sanctæ Anagninæ Ecclesiæ, vt supra.

Firminus Episcopus sanctæ Bleranæ Ecclesiæ, vt supra.

Iouianus Episcopus sanctæ Firmianæ Ecclesiæ, vt supra.

Anaſtaſius Episcopus sanctæ Narnienſis Ecclesiæ, vt supra.

Theodorus Episcopus sanctæ Tyndaritanæ Ecclesiæ, vt supra.

Sapientius Episcopus sanctæ Numentanæ Ecclesiæ, vt supra.

Maximus Episcopus sanctæ * Meſignatis Ecclesiæ, vt supra.

Gratioſus Episcopus sanctæ Nepeſinæ Ecclesiæ, vt supra.

Leontius Episcopus sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Oportunus Episcopus sanctæ Piſanæ Ecclesiæ, vt supra.

Donatus Episcopus sanctæ Marianenſis Ecclesiæ, vt supra.

Bonoſus Episcopus sanctæ Alerinæ Ecclesiæ, vt supra.

Peregrinus Episcopus sanctæ Lyparitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Boethius Episcopus sanctæ Cornenſis Ecclesiæ, vt supra.

Valentinus Episcopus sanctæ Turritanæ Ecclesiæ, vt supra.

Luminoſus Episcopus sanctæ * Bonenſis Ecclesiæ, vt supra.

Creſcis Episcopus sanctæ * Libienſis Ecclesiæ, vt supra.

Stephanus Episcopus sanctæ * Popilienſis Ecclesiæ, vt supra.

Callioniſtus Episcopus sanctæ Adrianenſis Ecclesiæ, vt supra.

Ioannes Episcopus sanctæ Vicoſabinatis Ecclesiæ, vt supra.

Potentius Episcopus sanctæ * Potenſis Ecclesiæ, vt supia.

Leontius Episcopus sanctæ Fauentinatis Ecclesiæ, vt supra.

Donatus Episcopus sanctæ Saſſinatis Ecclesiæ, vt supra.

Ioannes Episcopus sanctæ Vnnogoritanæ Ecclesiæ, vt supra.

Stephanus Episcopus sanctæ Dorenſis Ecclesiæ, vt supra.

Ioannes Episcopus sanctæ Gabopolitanæ Ecclesiæ, vt supra.

Et Victorianus Episcopus sanctæ Vzalenſis Ecclesiæ, vt supra.

ET QVI POST SYNODVM consentientes subscripserunt:

Ioannes Episcopus sanctæ Mediolanenſis Ecclesiæ, omnibus synodaliter definitis à sanctiſſimis vobis in confirmationem orthodoxæ fidei sanctorum patrum & vniuerſalium quinque Conciliorum, atque depoſitionem omnium hæreticorum, qui ab eis anathematizati ſunt, vel impiæ hæreſeos illorum, atque eorum, qui nunc exorti ſunt in deſtructionem orthodoxæ fidei, hoc eſt, Theodori quondam Episcopi Pharanitani, Cyri Alexandrini, Sergij Conſtantinopolitani, & ſucceſſorum eius Pyrrhi & Pauli, omniumque hæreticorum eorum conſcriptorum, vel impiæ expoſitionis atque ſceleroſi Typi, quæ ab eis confirmata ſunt, conſentiens ſubſcripſi.

Iuſtinus Episcopus sanct. Caralitanæ Ecclesiæ inſulæ Sardiniæ, vt ſupra.

Malliodorus episcopus sanctæ Dortonenſis Ecclesiæ, vt ſupra.

EPISTOLA MARTINI PAPÆ ET SYnodi ad omnes Christi fideles.

MARTINVS *seruus seruorum Dei, atque per gratiam eius Episcopus sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ vrbis Romæ, vna cum sancto Concilio nostro reuerendißimorum sacerdotum, regulariter huc nobiscum venientium in confirmatione pijßimorum Catholicæ Ecclesiæ dogmatum, his qui coæqualem nobis sortiti sunt fidem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi per lauacrum regenerationis, in omni loco dominationis eius, qui peregrinantur in sanctitate & iustitia, spiritualibus fratribus nostris Episcopis, presbyteris, diaconis, abbatibus monasteriorum, monachis, continentibus atque Catholicæ Ecclesiæ vniuersæ, sanctæq; plenitudini:* Gratia vobis & pax multiplicetur in agnitione & communione sancti Spiritus, in hæreditatem incorruptibilem & immarcescibilem, conseruatam ante constitutionem mundi, nunc autem manifestatam in in nobis, qui credimus in Iesu Christo Domino nostro, qui omnia nobis donauit, quæ ad vitam & pietatem respiciunt, per salutarem prædicationem, vt in hoc permanentes semper & instructi per concordiæ synceritatem superædificemus fundamento sanctorum Apostolorum & prophetarum, in ipso summo angulari lapide Christo, qui super omnia Deus existit & saluator nostrarum animarum, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in augmentum eius per architectoniam spiritus in regale sacerdotium & templum sanctum, qualiter in eo proficientes à gloria in gloriam, virtutes annunciemus eius, qui de tenebris nos vocauit in illud admirabile lumen suum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio, omnium autem bonorum perfectio: ex quo illuminati, tenemus in eum confessionem immobilem, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & in agnitionem eius, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis eius, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad machinationem erroris diaboli, qui semper propria festinat operari in filios diffidentiæ. Itaque notum facimus vobis, dilectissimi fratres, quod & vos sine dubio nobiscum cognoscitis, vigilantem & benè zelantem in Deum habentes proprium, quoniam Catholica Dei & Apostolica Ecclesia in quiete & pace consistente, veluti leones rugientes & quærentes quem deuorarent subintroierunt quidam homines, qui olim perscripti sunt in hoc iudicium impietatis sponte procedere, hoc est, Theodorus quondam Episcopus Pharanitanus, Cyrus Alexandriæ, Sergius Constantinopolitanus vel eius successores, Pyrrhus & Paulus, magni Dei, & Saluatoris nostri dispensationem in hæreticam nouitatem retorquentes, & eum qui emit eos, CHRISTVM Dominum denegantes, ex hoc quòd in scripto asserunt minimè eum habere secundùm formam serui, vel secundum quod propter nos factus est homo, voluntatem aut operationem naturalem, sed sine substantia eum siue natura, & non solùm sine anima, & irrationabilem, & insensibilem secundùm eos existere: quia sicut nos glorioſi Ecclesiæ patres docuerunt, quicquid absque voluntate consistit & operatione, * ab omni caret substantiali natura: pro qua re ipsum gloriæ Deum & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM per vtramque, ex quibus consistit naturis atque ad pertinentibus eisdem naturalibus proprietatibus perfectum esse in omnibus, absque tantummodò peccato, prædicarunt. Si ergo perfectum in omnibus, quomodò non & in voluntate & operatione secundùm nostram naturam? Certum est enim, quia proprietas naturalis nostræ substantiæ, consistit essentialis eius operatio & voluntas, qua proprietate amputata, vtique & ipsa natura cum illa perimitur, quia iam cognosci natura nullo modo potest per essentialem designantem eam naturalem proprietatem. Propterea & pari numero vnitis substantialiter ei naturis, eiusdem voluntates & operationes sapere nobis tradiderunt, hoc est, increatam & creatam, diuinam & humanam, cohærenter vnitas, vt testantur verba eorum actibus nostris in approbatione veritatis inserta, & super omnem radium solis nitentia. Igitur eorundem sanctorum patrum, qui hæc nos docuerunt, rectam viam, hoc est, orthodoxam confessionem superius dicti contrarij veritatis respuentes ac derelinquentes, ambulauerunt in viam Balaam de Bosor, hoc est, in perfidia hæreticorum, & in spontaneo eorum errore effusi sunt, atque in contradictione inobedientiæ fuę obdurati sunt, sidera existentes erroris, & nubes sine aqua, necnon arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feroces maris, spumantes proprias confusiones, quibus caligo tenebrarum in æternum conseruata est minimè pœnitentibus, sed huc illucque maculam propriæ hæreseos absque timore iactantibus, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & præposuerunt Catholicæ Ecclesiæ pijs dogmatibus hæreticorum seductiosa conscripta, properantes omnibus modis aut decipere simpliciores, aut persequi eos qui in Domino permanent. * Quid iam & in plures orthodoxos viros operati sunt, corporaliter eos afficientes, quoniam animam captare non valuerunt, in petra orthodoxæ fidei illorum collisi. Ideoque propter prauas eorum adinuentiones, & praviora nouitatis commenta, & in interiora cordis, iuxta beatum Hieremiam, conturbati Catholicæ recordationis anteceſſores nostri pontifices, non destiterunt admonentes eos & contestantes recedere à sua huiusmodi hæresi, & sanam doctrinam amplecti, ne quando irascatur Dominus, & pereant funditus de via iustorum, hoc est, pia sanctorum Patrum confessione. Hoc autem consultissimè non solùm ipsi effeciſſe noscuntur, sed & alij plures diuersas prouincias habitantes reuerendissimi Episcopi, & maius est dicere, generalitates Synodorum per sua scripta non solùm inuitantes emendare propriam hæresim, sed & nos ipsos, id est, Apostolicam nostram sedem coniurantes, & protestantes erigere se secundùm regularem authoritatem, & non vsque ad finem per tot tempora permittere contrariorum nouitatem sanctas Dei Catholicas depasci Ecclesias. Ideoque ex omnibus penè sacerdotibus cum charitate admoniti, non inclinauerunt aurem suam ad audiendam vocem postulantium eos, neque cordis sui ceruicem mitigare voluerunt, vt conuerterentur ad Deum. Sed quod ait Dominus de inobedientibus, hoc & in eis prouenire certum est. Dicit enim per prophetam: Misi ad eos omnes seruos meos prophetas, per diem consurgens diluculo, & mandaui, & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam, sed indurauerunt ceruicem super petram. Quàm vilis es facta, nimis iterans vias tuas? Addere peccata super peccata properauerunt, humanitatem saluatoris atque Deitatem eius blasphemare ac denegare per impijssimum Typum, qui ex maligna instigatione illorum factus est contra immaculatam nostram Christianorum fidem à sereniſſimo principe, definientes in eodem Typo, nec vnam nec duas voluntates aut operationes, hoc est, neque diuinam neque humanam voluntatem & operationem in ipso Saluatore nostro quempiam omnino confiteri. Hæc autem prædicauerunt, vt non solùm in humana eius natura, sed etiam in vtraque, omnino eum sine voluntate & operatione, hoc est, absque natura & essentia esse denuncient, quatenus cum perfidis hæreticis & orthodoxos patres abijciant, & cum scelerosorum virorum vocibus, hoc est, vna voluntate & operatione, pariter denegari faciant orthodoxorum doctrinas, id est, duas eiusdem CHRISTI voluntates & operationes, sicuti & naturas vnitas inconfusè & indiuisè, promulgantes illicitè, etiam sine reprehensione vel condemnatione, consistere in suis confessionibus hæreticos, hoc est, in ipsa, quæ ab eis prædicatur, vna voluntate & operatione, atque eadem sine periculo libertate perfrui eos, qui in dogmatibus reprehenduntur, hæreticos, cum eis, qui in doctrina vsque in finem irreprehensibiliter deluceſcũt, sanctis patribus: quod vtique Catholicæ Ecclesiæ sacratissimas regulas destruere certum est, magis autem totius à Deo inspiratæ doctrinæ sanctam prædicationem, quæ nullatenus noxios excusat, neque liberat de iudicio culpantes cum innoxijs, hoc enim prauum & diuinæ æquitatis est alienum. Quoniam autem & illud cum cæteris contrarij præsumpserunt, in deceptione simplicium & cooperimentum suarum prauitatum, in scripto audacter proferre impijssimæ suæ nouitatis inualida dogmata, dicentes, hæc esse pietatis dogmata, quæ tradiderunt hi, qui ab initio speculatores & ministri verbi facti sunt, & sequenter successores eorum à Deo inspirati Ecclesiæ

1. & 2. Pet. 1.
Epheſ 2.
1. Petr. 2.
Iacob. 1.
Hebr. 10.
Epheſ. 4.
1. Petr. 5.
Iudæ 1.
2. Petr. 2. Iudæ 1.
Rom. 1.
Hier. 4.
Pſal. 2.
Authoritas Sedis Apoſtolicæ.
Hier. 7.
Hier. 5.
Hier. 2.

patres,

patres, sanctæ & vniuersales quinque Synodi: ideo consultissimè pertractantes terribile esse & diuinam prouocans indignationem hæc omnia despicere, quæ oppugnant Catholicam Ecclesiam, vt ne condemnemur, vtpotè imperfectos atque inefficaces habentes intellectus animæ ad discernendum malum & bonum, prompti secundùm gratiam Dei conuenisse dinoscimur in hac Romana Christianissima ciuitate, ad confirmationem quidem pijssimorum Ecclesiæ prædicationum, cõdemnationem autem in pijssimorum nouitatis dogmatum, per similitudinem decessorum nostrorum sanctorum patrum, quinque per synceram concordiam & in idipsum Deo amabilem conuentionem destruxerunt hæresim, & omnes hæreticos superasse noscuntur, eripientes de eorum errore Catholicam Ecclesiam. Quæ enim ex sacra concursione, hoc est, spiritali consonantia sanctorum patrum exequuntur, validiorem habent contra aduersarios & inexpugnabilem virtutem. In ore enim, inquit, duorum vel trium testium stabit omne verbum: & funiculus triplex difficilè rumpitur, & frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: præualebit autem sicuti fundatum imperium. Propterea & nos, vt dictum est, secundùm indiuisam communionem spiritus in idipsum conuenientes, properauimus per gestorum seriem comparationem adinuicem per distinctionem discretam efficere, tam sanctorum patrum & vniuersalium quinque Synodorum sacras promulgationes, & dogmata infidelium hæreticorum tam anteriorum, quamque nunc emergentium contra finem cum impia eorum Ecthesi, necnon impijssimo Typo proferentes, vt omnibus ostendamus relegentibus differentiam luminis & tenebrarum, hoc est, claræ patrum doctrinæ, & temulentiæ hæreticorum vesanię, & quia nulla communia hæreticis existunt cum sanctis patribus, sed quantum distat oriens ab occasu, tantumque distant impij hæretici verbo & mente ab à Deo inspiratis viris. Propterea sanctos quidem patres sententialiter confirmauimus cum omnibus sacris prædicationibus eorum, necnon eis, qui nobiscum syncerè ipsos & easdem suscipiunt. Impios autem hæreticos, cum omnibus prauissimis dogmatibus eorum, & impiam Ecthesin vel impijssimum Typum, & omnes, qui eos vel quicquam de his, quæ exposita sunt in eis, suscipiunt aut defendunt, seu verba pro eis faciunt in scripto anathematizauimus, vt & vos omnes, qui per omnem orbem terrarum inhabitare noscimini pij & orthodoxi, hæc piè à nobis gesta cognoscentes pro tuitione Catholicæ Ecclesiæ, consonanter nobiscum similia exequamini, & omnes quidem sanctos patres confirmetis in scripto, consonantes illis nobisque in orthodoxa fide, anathematizetis autem omnes hæreticos, qui præsumptiuè hanc olim & nunc expugnauerunt, vna cum scelerosa Ecthesi & impijssimo Typo, sed & qui eos aut quiddam de his, quæ ab eis implicitè exposita sunt, susceperint, quatenus fructum piæ confessionis, vestrarum animarum hæreditare valeatis salutem. Propterea enim ea, quæ à nobis pro Catholica Ecclesia synodaliter gesta sunt, omnibus direximus, vt nostri studij perficientes opus, nos quidem ipsos innoxios esse approbemus coram Deo & electis Angelis, ante quos ab eo iudicandi sumus cum eis, qui hæc à nobis susceperint, in terribili eius aduentu: inexcusabiles autem eos, qui non obediunt demonstremus, vtpotè nullam habentes occasionem pro sua perfidia post veritatis ostensionem, Domino dicente: Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Sed & Apostolus iterum perhibet: Consideremus inuicem in prouocatione charitatis & bonorum operum, non deferentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam, sed consolamini, & tanto magis, quanto videremus appropinquantem diem. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccatis: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Scimus enim dicentem: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Propter quod præmuniens nos præcepit, dicens: Et tu fili hominis, loquere ad filios populi tui, & dices ad eos: Terra super quam inductus fuerit gladius, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem, & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem quisquis ille sonitum buccinæ, non se obseruauerit, veneritque gladius & tulerit eum, sanguis illius super caput ipsius erit: quia sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit: sanguis eius in ipso erit. Si autem custodierit, animam suam saluauit. Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus non se custodierit, veneritque gladius & tulerit de eis animam, ille in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requirã. Propter quod testificamur omnibus in hodiernum diem, sicut inquit beatus Paulus quia mundi sumus à sanguine omnium vestrum. Non enim subtraximus nos non annunciare omnibus, quæ tradita est nobis à sanctis patribus & Synodis orthodoxam confessionem per ea, quæ nuper apud nos synodaliter gesta sunt. Attendite itaque vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine, vt non sit qui vos decipiat aut seducat in subtilitate sermonis per philosophiam & inanem fallaciam. Apertissimè enim Spiritus sanctus per Apostolum dicit, Quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi mendaciloquorum, cauteriatam habentium suam conscientiam. Propter quod vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: quæ mentis transgressio operatur in his, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati, eo quòd ciuitatem vreitatis non perceperunt, vt salui fierent. Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscẽtia sua abstractus & illectus. Deinde cõcupiscẽtia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi, doctrinis variis & extraneis circũducti: & licèt nos aut Angelus de cœlo euãgelizauerit vobis, præter quod accepimus tam à sanctis Apostolis & probabilib. patribus & vniuersalibus quinque synodis anathema sit. Igitur sicut prædiximus, & nunc iterum dicimus: Si quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepimus ex ipsis, anathema sit. Modò autem hominibus suademus, an Deo? aut quærimus hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, inquit beatus Paulus, Christi seruus non essem. Sicut ergo accepistis Christum à sanctis prędicatoribus, sic in eum credite bonum depositum vsque in finem custodite per spiritum sanctum, qui habitat in vobis quoniam firmum fundamentum DEI stat, habẽs signaculum hoc: Nouit Dominus qui sunt eius. &, Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Propterea fratres prophanas vocum nouitates euitantes, nullatenus eos qui de terra clamant, & non ex ore Domini loquuntur, suscipiatis aduersus fidem Typos, aut leges, vel definitiones aut expositiones hæreticas agnoscentes, quoniam hæc omnia requisiturus & iudicaturus est ipse gloriæ Dominus, & quia nullus hominum, quorum sicut fœnum dies illorum, pro nobis crucifixus est, neque in nomine cuiusquã eorum baptizati sumus, sed in mortem CHRISTI DEI per lauacrum regenerationis renouati dinoscimur, qui crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato: maximè apertissimè considerantes, quoniam & per se sua dogmata destruunt contrarij. Dicit enim Dominus: Omne regnum in se diuisum, non stabit, & omnis sententia lex aduersum se diuisa, non stabit: & si Typus destruit Ecthesin, sed & Ecthesis destruit Typum, illa quidem dicens vnam habere, hic autem asserens non vnam habere Dominum nostrum voluntatem & operationem: ergò in se diuisum est vtrunque, & quomodo stabit aduersariorum hæresis, magis à semetipsa inualida & inanis existens, quàm à nobis destructa? Ergo nullo modo per transitoriam vmbram, pe-rius autem corruptelam dissolutam, Christi Dei vestram orthodoxam fidem amittatis, mirantes personas quæstus causa: quoniam sicut flos fœni transiet. Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnũ, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: Ita & dies in itineribus suis marcescit, vt ne pro dilectione mundi compatientibus nobis, dicatur etiam de nobis: Dilexerunt gloriã hominum magis, quàm gloriam solius Dei, & subiaceamus æterno iudicio. Horrendũ est, fratres, incidere in manus Dei viuẽtis, qui protestatur, dicẽs: Quicunq; me negauerit, & verba mea coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo,

Deut. 19. Matth. 18. Eccles. 4. Prou. 18.

Hæretici nihil habent commune cũ patribus.

Hebr. 10.

Ezech. 33.

Deut. 32.

Act. 20.

Colos. 2.

1. Tim. 4.

Matth. 16.

2. Thes. 2.

Iacob. 1.

Hebr. 13.

Gal. 1.

Ibidem.

2. Tim. 1.

2. Tim. 2.

Hæretici, sua ipsorũ dogmata euertunt.

Matth. 12.

Ioan. 12.

Matth. 10.

Hebr. 10.

Rom. 1. meo, qui in cœlis est. Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem per illicitam hæresin expugnant aut denegant, quia quod notum est Dei, manifestum factum est in illis. Deus enim illis manifestauit hoc per sanctos Apostolos, & prophetas, & doctores, & vniuersales quinque Synodos quorum dogmata lex Catholicæ Ecclesiæ existunt: & tamen his omnibus propriam nouitatem præposuerunt. Nemo ergo vos seducat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei super filios diffidentiæ. Nolite ergo effici comparticipes dogmatum eorum, neque communicetis infructuosis verbis illorum: magis autem & redarguite: quoniam cœtus præuaricatorum sunt, & extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. Completum est in eis, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Veritatem enim non loquentur, docuerunt autem linguam suam loqui mendacium: vt impiè agerent, laborauerunt, & renuerunt scire me, dicit Dominus. State ergo vos dilectissimi super vias, & videte & interrogate de semitis Domini antiquis, & videte quę est via bona sanctorum patrum, & ambulate in ea, & inuenietis requiem animabus vestris. Sed & si patimini propter Christum, beati eritis: metum autem eorum ne timueritis, neque conturbemini, Dominum autem Deum sanctificate in cordibus vestris, ipso dicente: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere eos: multis passeribus meliores estis vos. Rememoramini ergo fratres eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim vsque ad sanguinem certauimus aduersus peccatum repugnantes. Confidimus autem de vobis, fratres chariſſimi, meliora & viciniora saluti, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neq; principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudines, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, magistro gentium docente, poterit vos separare à charitate Domini nostri Iesu Christi, & quæ in ipso est, recta fide. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est ad colluctationes aduersariorum, quatenus fidem intemeratam vsque in finem conseruantes, repromissionem percipiamus, quam repromisit his, qui legitimè certare deproperant. Adhuc enim modicum quantulum, qui venturus est veniet, & non tardabit. Ecce enim iudex ante ianuam assistit, coronas hilariter promittens his, qui pro eo passionibus submittuntur. Quòd si subtraxerit se quis, non placebit animæ meæ, sed cadet de promissione propter negationem. Nos autem non sumus subtractionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Propter quod assumite arma Dei, vt possitis resistere in die malo aduersus omnem hæreticum virum & dogmata, & induite vos loricam iustitiæ, calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia iacula nequissimi ignita extinguere: & galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei: per omnem orationem & obsecrationem, radicati & fundati, vt idipsum nobiscum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, diuidentes bonum & integrum corpus Ecclesiæ in tortuosas nouitates: sitis autē perfecti & integri in eodem sensu, & in eadem scientia firmati, vt per eam vias nostras dirigentes, in eundem inflexibiliter occurramus, qui à nobis creditur Dominus, ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum pro eorum impia hæresi, à Deo autem electum & honorificatum, magis autem Deum naturaliter existentē, licet propter nos caro factus sit, & vos tanquam lapides viui ædificemini domus spiritualis, in sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias ipsi in odorem suauitatis. Sed & nunc fratres commendamus omnes vos Domino, & verbo gratiæ eius, qui potest perficere & dare hæreditatem in omnibus sanctificatis. Ipse autem Deus pacis & consolationis det vobis idipsum sapere in alterutrum, & in ipso semper, vt in omnibus vnanimes, vno ore & vno corde honorificemus eum in concordia orthodoxæ fidei: qui potens est confirmare nos secundum Euangelium eius, secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, patefacti autem per scripturas sanctas, & patrum orthodoxorum doctrinas, secundum præceptum æterni Dei, ad obediendum fidei in omnibus nobis cogniti. Soli sapienti Deo Domino nostro Iesu Christo, cum patre & Spiritui sancto gloria, honor, imperium, & potestas in secula seculorum, Amen. Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi fratres.

Rom. 16.

EPISTOLA MARTINI PAPÆ primi, ad Amandum Episcopum.

Dilectissimo fratri Amando, Martinus. Fraternitatis tuæ studio pietatis congestam epistolam susciptentes, animos nostros releuari cognoscimus, quippe quoniam huius seculi fluctiuagas atque transitorias despicientem oblectationes, illa quæ perpetua & sublimia dona pro Domini Dei nostri obsequijs tribuuntur, appetere certum est. Ex relatione igitur, iuxta tenorem tuæ fraternitatis Epistolæ, præsentium latoris laborum tuorum certamen cognouimus, ex quibus cœlestis patrię ascensum, humiliatis mentibus atque contritis corporibus, vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Nam cùm sit nulli omnino comparationi coæquandum, quod à creatore nostro pro bonis seruitijs repensatur, dum breui atque paruo temporis spatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipsius sustinemus, consideratione refrigerij nos oportet libenti animo tolerare præsentis vitæ angustias. Sed quantum nobis laborum vestrorum operatio magnam gaudij vbertatem inducit, tantum pro duritia sacerdotum gentis illius conterimur, quòd postpositis salutis suæ suffragijs, atque redemptoris nostri contemnendo seruitia, vitiorum fœderibus ingrauantur, quibus ad præparandam salutem, quandoquidem tanto nos necesse est importunis prædicationibus imminere, quantum nos perfectæ negociationis creditorum nobis talentorum duplicat assignatio, atque Dominicæ vocis ad suscipiendam eius requiem persuadet assertio. Suggestum est namque nobis, eò quòd presbyteri seu diaconi alijque sacerdotalis officij post suas ordinationes in lapsu coinquinantur: & propterea nimio mœrore fraternitatem tuam adstringi, velleq; pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & in silentio atque ocio vitam degere, quàm in his quæ tibi commissa sunt, permanere, dicente Domino: Beatus, qui perseuerauerit vsq; in finem. Vnde namque beata perseuerantia, nisi de virtute patientiæ? quia secundum Apostolicam prædicationem, Omnes qui voluerint in Christo piè viuere, persecutiones patientur.

Ne propter hominum improbitatē dimittat Episcopatum, hortatur. Matth. 10. & 24. 2. Tim. 1.

Ideoque, frater chariſſime, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans quanta pro absolutioue nostri & liberatione creator Dominusque noster pertulerit, quibusue se contumelijs afficiendum tradiderit, vt nos à vinculis potestatis diabolicæ liberaret. Propterea nullatenus in huiusmodi peccato delinquentibus, ad destructionem canonum compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps iam depositus erit, nullumq; gradum sacerdotij poterit adipisci: sed sufficiat ei lamentationibus fletibusque assiduis, quousque aduixerit, in eadem pœnitentia perdurare, vt cōmissum delictum diuina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros ordines promouendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat, quanto magis si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & præuaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est cum manibus lutulentis atq; pollutis mysterium nostræ salutis tractare? sitque huiusmodi semper, iuxta sacrorum canonum statuta, in hac vita depositus, vt ab illo, qui mentis interiora scrutatur, nullumq; de ouibus errare congaudet, dum adspexerit syncera pœnitentiam eius, in terribili iudicio habeat reconciliatum. Ideoque iterum hortamur tuam charitatem exemplo eius, qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis eius seruitijs permanere. Neque nos pigeat temporales cruciatus pro Christi nomine sustinere, sed emolumenta futuræ remunerationis,

1. Distin. Qui semel post. Clerici lapsi, non sunt restituendi in pristinum gradum.

1. Dist. Si post ordinationē.

nis, huius seculi vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Tantum enim à nobis exigitur, quantum possumus famulatus nostri obsequio commodare. Cumque cuncta quæ nobis ad confortandos fraternitatis vestræ animos poterant ministrari, largiente supernæ maiestatis clementia vobis sint procul dubio manifesta, restat vt de alijs, quæ nos per sua scripta consuluit, fraternitati tuæ significemus. Credimus enim ad vos peruenisse, quomodò in conturbatione rectæ fidei & Catholicæ Ecclesiæ conculcatione, ante hos plus minus quindecim annos à Sergio falso Episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium, execranda & abominanda hæresis pullulauit Apollinaristarum & Seuerianorum, Eutychianistarum atque Manichæorum errorem renouantem, quam successor eius Pyrrhus idemque Episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam sedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re sæpius Apostolica sedes persuasionibus, contestationibus atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab huiusmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapsi sunt, remearent: & non solùm hoc facere nullatenus voluerunt, sed & nunc successor eius Paulus temerator fidei Episcopus Constantinopolitanus, alium nequiorem excogitauit in præiudicium Catholicæ fidei conatum, quasi quæ à decessoribus suis hæreticè exposita fuerant, destruens, & Imperialem Typum sacrilego ausu totius plenum perfidiæ, à clementissimo principe nostro fieri persuasit: in quo promulgatum est, vt omnes populi Christiani credere debuissent. Ideoque necesse habuimus, ne pro quadam negligentia & animarũ detrimento, quę nobis cõmissæ sunt, culpę reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & coepiscoporum nostrorum in hac Romana ciuitate cõgregare, in quorum præsentia memoratorum hæreticorũ scelerosa cõscripta examinata atq; denudata sunt, & Apostolico mucrone, patrũq; definitionib. vno ore vnoq; spiritu condemnauimus, vt cognoscentes vniuersi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Vnde præuidimus volumina gestorum synodalium in præsenti vobis dirigere, vna cum Encyclia nostra, ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscũ vt filij lucis extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, vt tam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quamque suæ salutis sacramenta indiscere valeant, atque synodali conuentione omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundùm tenorem Encycliæ à nobis directæ, scripta vna cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide & destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ à nobis statuta sunt, & Sigebertum præcellentissimum filium nostrum regem Francorum pro suæ Christianitatis remedio consultissimè admonere atque precari, dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum dilectissimos episcopos, qui sedis Apostolicæ legatione, diuina concedente propiciatione, fungi debeant, & quæ in nostro Concilio peracta sunt, cum alijs Synodalibus apicibus nostris, ad clementissimum Principem nostrum sine dubio absportare, vt nostrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipisci valeat, & sui regni protectorem inueniat eum, cuius causa flagitari dignoscitur. Hoc namque & per eius Epistolam exhortari eum * cognoscimus. Reliquias verò sanctorum, de quibus præsentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam codices iam exinaniti sunt à nostra bibliotheca, & vnde dare ei nullatenus habuimus. Transcribere autem non potuit, quoniam festinanter de hac ciuitate regredi properauit. His igitur ita prælibatis, quę à nobis per epistolam vobis scripta sunt, effectui mancipari fraternitatem vestram hortamur. Deus te incolumem custodiat,

dilectissime

frater.

(:)

psal. 115.

Sigebertus Francorum rex.

NOTÆ in Concilium Lateranense Romanum.

Concilium.] *Post quam Constans Imperator electionem sanct. Martini more solito confirmasset, ab eoq; in signum gratitudinis exegisset, vt promulgatam à se perfidiam Pontifex suo cõsensu suaq; subscriptione approbaret, non modò impium aliquod petenti Imperatori non consensit; sed potius in contrarium nisus synodum indixit, in qua promulgatam perfidiam condemnauit. Causa igitur primaria huius synodi cogendæ non tam fuit, vt Sergius, Pyrrhus & Paulus iam antea condemnati iterato iudicio damnarentur, quam vt recens credendi formula ab Imperatore suo Edicto (quod Typum, nominauit) proposita, omnino proscriberetur, atque anathemati subijceretur. S. Martinum Pontificem ad hanc synodum conuocandam, à S. Maximo Abbate inductum esse, scribit Theophanes anno 19. Heraclij his verbis:* Cum autem Maximus Romam peruenisset, Papamq; Martinum ad æmulationem accendisset, synodo centum decem Episcoporum collecta, Sergium, Pyrrhum, Cyrum & Paulum anathematizauerunt, &c. *Quod in actis Concilij nulla mentio reperiatur Maximi, mirum videri non debet: cum Abbates etiamsi ad synodum admitterentur, non decidendi & subscribendi; sed tantum cõsulendi facultatem haberent. Hæc sanct. a synodus tantæ est amplitudinis, dignitatis ac maiestatis, vt ad plenam fidei Catholicæ professionem, post quinque vniuersalium synodorum assertionem, huius quoque confessionem vsque ad plenam sexti Oecumenici Concilij promulgationem fideles adijcere solerent. Constat illud ex synodo Anglicana sub Theodoro Archiepiscopo celebrata apud Bedam lib. 5. hist. Anglic. cap. 17. quam infra collocatam inuenies sub Adeodato Papa. Acta synodalia integra extant Græcè & latinè scripta, eò quod non tantùm in archiuo sedis Apostolicæ illa seruata fuerint; sed quia plurima ex prototypo confecta sunt exẽplaria, quæ ab eodẽ Pontifice missa sunt in omnes prouincias Orientis & Occidentis. Id quidem testatur Anastasius in vita Martini, idemq; ab eodem Pontifice asseri videtur in epistola ad Amandum, cum non synodalem tantum epistolam more maiorũ ad eum misit; sed ipsa integra synodalia acta. Continet ipsa synodus quinque secretaria siue consultationes, sessiones vel actiones.*

Causa synodi quæ.

S. Maximus synodũ fieri postulauit.

Auctoritas Concilij quanta.

Harum prima 3. Nonas Octobris celebratâ, præparatis per Primicerium Notariorum ad bellandum animis Episcoporum, S. Martinus Pap. ad synodum orationem habuit, quâ ostendit per hæresim Monotheletarum mysterium Incarnationis euerti: nominatisq; prædictæ hæreseos auctoribus, Cyro, Alexandrino, Sergio, Pyrrho & Paulo Constantinop. Episcopis, auctoritate S. Scripturæ & SS. Patrum, Catholicum dogma confirmauit: quæq; ab aduersarijs adducta erant, doctè & solidè refutauit, eo ipso, quod posita vna voluntate, vna inferatur natura, adeoq; totum Incarnati verbi mysteriũ destruatur. Post hæc lecta est epistola Mauri Episcopi Rauennatis, quam per legatos Episcopi Cæsenatis ad synodum destinauerat. Qua cum ille absentiam suã per incursiones barbaricas excusasset, fideiq; Catholicæ professionem emisisset, Martinus Papa de duabus in Christo voluntatibus & operationibus disertam disputationem adhibuit: quâ absoluta, auditaq; suggestione Deus dedit Episcopi, finis impositus est primo synodi secretario.

Actorum plura exemplaria Græca & Latina.

Primæ Consultationis cõpendiosa relatio.

Secundus secretarius habitus est octauo Idus Octobris, quo dum Martinus Papa de qualitate Iudicij Ecclesiastici paucula præfatus fuisset, oblati sunt duo libelli; alter à Stephano Dorensi Episcopo sedis q; Apostolicæ in Palæstina vicario: alter ab Abbatibus, Presbyteris & Monachis Græciæ; petebatur in vtroq;, vt impij hæretici cum sua hæresi, cumq; abominabili Typo sub Imperatoris nomine promulgato damnarentur. His auditis iussa sunt edi scripta eorum, qui prædecessori Theodoro Papæ aduersus eosdem hæreticos querelarum libellos obtulerant. Primum lectæ sunt Sergij Episcopi cuiusdam in Cypro: deinde epistolæ Africanorum Episcoporum, quas ad Theodorum Papam, Constantem Imperatorem & Paulum Constantinopolitanum transmiserant.

Secundæ Consultationis succincta enarratio.

Tertia Consultatio celebrata fuit 16. Kalend. Nouembres. In hac Martinus Pontifex præmisit, quo studio, quaue vigilantia & cura mandato Dei hæresibus resistere debeatis, qui vniuersæ Ecclesiæ præest. His præuijs, iussu eiusdem Pontificis eduntur scripta Theodori Pharanitæ Episcopi de vna voluntate & operatione. Ad hæc confutanda, SS. Patrum sententiæ in medium allatæ sunt. Deinceps nouem capitula Cyri Alexandr. cum Epistola, quam Sergius Constantinopolitanus ad ipsum scripserat, recitata fuerunt. Et quoniam Cyrus testimonio Sanct. Dionysij suam sententiam confirmabat, iussus est adferri Codex Dionysij, legique eius Epistola ad Caium, in qua Deiuirilem Christi operationem appellat. Interlocutus sanctus

Tertiæ Consultationis cõpendium.

Martinus Papa, detecta hæreticorum fraude, textum Dionysij corruptè citantium; ostẽdit, quod cum Dionysius Areopagita dixisset, nouam Deiuirilem operationem, loco nouam, *illi* vnam *dixerint, eiectâq; voce* Deiuirilis *vnam in Christo operationem duntaxat asseruerint. Iussa sunt etiam legi scripta Themistij hæretici, de vna operatione ex Dionysij Deiuirilis operationis malè acceptâ sententiâ. Quæ cum lecta fuissent, Martinus Papa Dionysium per Deiuirilem operationem non vnam; sed vnius personæ duas; humanam scilicet & diuinam, significare voluisse, pluribus ostendit. Idem per Sophronium Hierosolymitanum Episcopum antea detectum, & in hæreticos obiectum, malè verò à Pyrrho excusatum fuisse, Deusdedit Calaritanus Episcopus interlocutione sua demonstrauit. His peractis iussa est edi Echtesis Sergij Constantinopolitani Episcopi, nomine Heraclij Imperatoris edita & promulgata: addita est lectio Epistolarum, quas pro confirmatione prædictæ Echteseos Sergius ad Cyrum, & cõtra Cyrus ad Sergium reddidit.*

Quartæ Consultationis cõpendium.

Quarta Consultatione Martinus Papa Echtesim Heraclij eiusq; defensores Sergium, Cyrum & Pyrrhum fortissimis rationibus impugnauit, additq; de Paulo, qui Typum edendum proposuit, iudicium peragi. Iussæ igitur sunt literæ ipsius Pauli ad Theodorum Romanum Pontificem recitari; ex quib. refractarius illius animus cognitus fuit. His adiecta est lectio Typi, quem cum sancta Synodus subdolum, inconstantem, mendacem atque in omnibus impium esse reperisset, eundem condemnauit. His prauis germinibus euulsis, iussu sanctissimi Pontificis Nicænum & Constãtinopolitanum symbolum, duodecim anathematismi Concilij Ephesini: definitio fidei Catholicæ facta in Chalcedonensi Concilio; & quatuordecim capita Quintæ Synodi recitata fuerunt. Quibus lectis, nomine totius synodi locutus est Maximus Aquileiensis Episcopus, pluraq; in commendationem Conciliorum, & in detestationem hæreseos eiusque sectariorum inculcauit: quæ verò à sanctis Patrib. pro Catholica veritate scripta fuerunt, in sequentem Consultationem reiecit.

Quintæ Consultationis compendium.

Quinta & vltima Consultatione, quam pridiè Kalend. Nouembris habuerunt, hortatu Martini Papæ, allata sunt volumina sanctorum Patrum, ex quibus Patres Concilij, velut è pharetra sagittas, quibus aduersarij ferirentur, acceperunt. Deinde iussa sunt legi veterum hæreticorum scripta eo fine, vt recentiores hæreticos conuincerẽt, qui se Patres orthodoxos sequi, Concilia tueri, & antiquorum hæreticorum sententias de fide nequaquam sectari ad decipiendum simpliciores mentiebantur. Post fidem orthodoxam de vera Verbi incarnatione stabilitam, ad confutandas aduersariorum assertiones, viginti canones sanciuerunt; quibus singulis ad finem appositæ est condemnatio eorum, qui secus sentirent. Demum verò post hæc secuta est omnium Episcoporum subscriptio, cuit anquam appendix addita postea fuit subscriptio trium aliorum Episcoporum; nempe Ioannis Episcopi Mediolanensis, Iustini Episcopi Calaritani, & Melliodori Dertonensis Episcopi. Absoluta synodo scripta est à S. Martino Romano Pontifice & Concilio epistola synodalis & Encyclica, ad omnes Christi fideles, de rebus pro fide Catholica in hac synodo gestis. Exemplaria synodalium Actorum ad singulos ferè Episcopos trãsmissa fuerunt; vt constat ex ea Epistola, quam Martinus Papa ad Amandum Traiectensem Episcopum reddidit. Hæc de synodo Lateranensi compendiosè excerpta sunt ex Baronij Annalibus anno 649. nu. 1. & seq.

Lateranense.] *De Lateranensi Ecclesia & Palatio, vide quæ notaui supra tom. 1. sub Melchiade.*

Numerus Episcorũ quantus?

Centum quinque Episcopi.] *Tantus est numerus eorum, qui in fine consultationis quintæ subscripsisse reperiuntur. Centum & decem Episcopos interfuisse huic Concilio, scribit Theophanes verbis supra enarratis.*

Tempus Concilij.

Anno Domini 649. &c.] *Constat ex initio Actorum Concilij, vbi dicitur: hæc Synodus celebrata anno nono Constantis, Indictione octaua: quæ tempora cũ anno Redemptoris nostri Iesu Christi 649. & initio pontificatus S. Martini coincidunt.*

CONCILIVM AVRELIANENSE, IN QVO hæreticus quidam transmarinus, à Salino Episcopo damnatus eiectus fuit: Anno Domini 650. sub Martino Pap.

Notæ.

Concilium.] *Refert Audoenus in vita S. Eligij, cap. 34. apud Surium 1. Decemb. quod hæreticus quidam, hoc tempore à partib. transmarinis in Gallias profectus, Augustodunum venerit, ibiq; virus suum spargere cœperit: quodque eâ occasione Aurelianense hoc Concilium celebratum fuerit, in quo homo nequissimus à Salino Episcopo confutatus, damnatus & eiectus est. Hæc ex Audoeni præd. hist. Baron. anno 650. n. 23. &c.*

CONCILIVM TOLETANVM VIII. LII. EPISCOPORVM, XVII. KALENDAS IANVARII ANNO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI 653. celebratum tempore Martini Papæ: æra 691. Est vero Prouinciale.

EDITIO I. VVLGATA.

EDITIO II. IOAN. GARSIÆ.

CAPITVLORVM EIVSDEM Concilij Tituli.

De Catholicæ fidei plenitudine.	1
De incauto iuramento.	2
De his q̃ sacrosanct. ordines munerib. assequũtur, et f autorib. eorũ.	3
De incontinentibus episcopis.	4
De incontinentibus presbyteris, acciaconibus, & fœminis, quæ talibus coniunguntur.	5
De incontinentibus subdiaconibus.	6
De his, qui post assumptæ Ecclesiasticarum dignitatum officia, ad coniugia redeunt.	7
De nõ ordinandis his, qui Psalmor. cantico seu hymnorũ ignari sunt.	8
De his, qui prætextu incõmodæ ægritudinis, Quadragesimæ ieiunium soluunt.	9
De his, qui aut per authoritatem, aut per vim ordinati sunt.	10
De confirmatione vniuersalium decretorum.	11
De Iudæis.	12

ALLOQVVTIO RECESSVINthi Regis ad Synodum.

ANno quinto orthodoxi atq; glorioſi & vera clementiæ dignitate præcipui Receſſuinthi regis, cum omnes nos diuinæ ordinatio voluntatis, eiuſdem Principis ſereniſſimo iuſſu, in Baſilica ſanctorum Apoſtolorum ad ſacrum ſynodi coegiſſet congregari conuentum, dies tandem lætitiæ appetitu diutiſſimo præoptatus & gratus adfuit, & iucundus, tanto noſtri pectoris auidiore voto ſuſceptus, quãto ad remedium ſalutis extiterat anhelantium præcordijs exquiſitus. Cumque ex more vnuſquiſque noſtrorum ordini ſuo ſedes debitas occupaſſet, & euentum rei tranquillæ intentionis expectatio ſuſtineret, adeſt ſereniſſimꝰ princeps, pia religione pleniſſimus, & ſummo laudũ titulo glorioſus, qui ſe noſtro cœtui reddens accliuem, vt hunc omnipotenti Domino precibus commendaremus, adſtans, dulciſluis (vt filius) nos cohortatus eſt verbis, grates deferens Deo virtutum, quod ſuę iuſſionis implentes decretum, in vnũ fuiſſemus adunati Concilium. Sed cùm tam humilem cognouiſſemus eius animi voluntatem, & tam ſublimis gloriæ celſitudinem videremus accliuem, tanta ſumus * inde gloria exultationis ſuccenſi, vt grates illi debitas, & honorem læti redderemus & cernui. Sed quantum extulerat principem humilitatis ordo ſublimis, tantum ad exercitia ſummæ virtutis, inſtruebant exempla ſacratiſſimi Principis, formam noſtrę religionis. Tum, relatis Deo laudibus de vnitatis alternæ prouentu, magna nos cum tranquillitatis gratia alloquutus eſt, dicens: Etſi ſummus author rerum, me diuæ memoriæ Domini & genitoris mei temporibus, in regni ſedem ſubuexit, atq; ipſius gloriæ participem fecit: nunc tamẽ, cum ipſe requiem æternarum adeptus eſt manſionum, ea quę in me totius regiminis transfuſa iura reliquit, ex toto diuina mihi potentia ſubiugauit. Vnde quia regendorum membrorum cauſa, ſalus eſt capitis, & felicitas populorum, non niſi manſuetudo eſt principum: votiuè decreui vobis coram poſitis, & votorum meorum deliberationes ſanctione patula reſerare, & ſtudiorum acta ſyncera exhibitione deferre. At verò quia anhelum pectus ſeſe in promiſſorum compita diffundit, ne * pigritia feſſum retardationis oneribus ſeſe ſubmittat, longam proſequutionem compendio breuitatis adſtrinxi: & quod productionibus loquelarum in cõcione diffundere potui, totum in Tomi huius complicamento prorſus almæ veſtræ ſanctitudini offerre decreui, id magno precatu deliberationis exhortans, vt quæcunque illic tenentur aſcripta, valido attendatis intuitu, ſagaci perſcrutemini ſtudio, & quęcunque extiterint placita Deo, veſtri oris ad nos ſacro referantur oraculo. Accepto deinde oblato nobis Tomo, agente Domino gratias, acclamauimus: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2. Poſt huius exultationis beatæ gaudium, & cœleſtis gloriæ hymnum, eidem ſacro Principi benediximus: referatoque Tomo, hæc inibi contexta reperimus.

IN nomine Domini, Flauius Receſſuinthus, Rex, reuerendiſſimis patribus in hac ſancta Synodo reſidentibus. Sancti Spiritus admirabili dono regulam fidei meæ ſolidam tenens, & inſtructam agnoſcens, atque in honorem eius diadema gloriæ cum cordis humilitate proſternens, illo lætus auditu, quòd omnes reges terræ ſeruiunt & obediunt Deo, en reuerendi patres, excelſiori mihi venerationis honore ſublimes, coram vobis aduenio, in gratiam manſuetudinis meæ, beatitudinis veſtræ ſtudium conuocans, & ad teſtimonium viſionis veſtræ memet coram omnipotẽtis Dei nutibus tremendis acclinans, referens illi corde læto gratias opulentas, quòd vos clementia voluntatis ipſius ex noſtræ iuſſu celſitudinis, ad huius ſanctæ congregationis votiuum dignatus eſt deducere cœtum: confidens, tam mihi, quàm vobis & in præſentium ſerie temporum, & in futurorum longitudine ſeculorum eius adeſſe gratiæ præmium, quoniam veſtra concordia in conueniendo, vnanimem ac religioſum demonſtratis affectum, & diſpoſitionis meæ in regendis populis, quàm pium ſit, poteritis patenter agnoſcere votum. Nunc igitur, quia monens prælocutio, longæ dilectionis non capit exceſſum, quid de ſancta fide nouerim, quam cœlitus illapſam mihi,

ANno quinto Orthodoxi, atq; glorioſi, & vera clementię dignitate perſpicui, Receceſſuinthi Regis, cum nos omnes diuinæ ordinatio voluntatis, eiuſdem Principis ſereniſſimo iuſſu, in baſilica ſanctorũ Apoſtolorum ad ſacrum Synodi coëgiſſet aggregari conuentum, dies tandem lætitię, appetitu diutiſſimè præoptatus, & gratus adfuit, & iocũdus; tanto noſtri pectoris auidiori voto ſuſceptus, quanto ad remedium ſalutis extiterat anhelantiũ pręcordijs exquiſitus. Cumque ex more vnuſquiſq; noſtrum ordini ſuo ſedes debitas occupaſſet, & euentum rei, tranquillę intentionis expectatio ſuſtineret, adeſt ſereniſſimꝰ Princeps pia religione pleniſſimus, & ſummo laudum titulo glorioſus, qui ſeſe noſtro cœtui reddẽs accliuem, vt hunc omnipotenti Domino precibus commendaremus, aſtans, dulciſluis hortatus eſt verbis; grates referẽs Deo virtutum, quod ſuæ iuſſionis implentes decretum, in vnum fuiſſemus adunati Concilium. Sed cum tam piè humilem cognouiſſemus eius ſanctæ animæ voluntatem, & tam ſublimis gloriæ celſitudinem videremus accliuẽ, tanta ſumus in Dei gloriam exultatione ſuccenſi, vt grates illi debitas & honorem læti redderemus, & cernui. Sed quanto extulerat Principem humilitatis ordo ſublimis, tanto ad exercitia ſumma virtutis inſtruebant exempla ſacratiſſimi Principis formam noſtræ religionis. Tum relatis Deo laudibus, de vnitatis alternæ prouẽtu, magna nos cum tranquillitatis gratia adlocutus eſt dicens: Etſi ſummus auctor rerum me diuæ memoriæ Domini, & genitoris mei temporibus in regni ſede ſubuexit, atq; ipſius gloriæ participem fecit, nunc tamen cum ipſe requiem æternarum adeptus eſt mãſionum, ea quæ in me totius regiminis transfuſa iura reliquit, ex toto diuina mihi potentia ſubiugauit. Vnde quia regendorum membrorum cauſa, ſalus eſt capitis, & felicitas populorum, nõ niſi manſuetudo eſt Principum, votiuè decreui vobis coram poſitis, & votorum meorum deliberationem ſanctione patula reſerare, & ſtudiorum acta ſincera exhibitione deferre. At verò quia anhelum pectus ſeſe in promiſſorum complementa diffundit, nec pigredine feſſum retardationis oneribus ſeſe ſubmittit, longam proſequutionem compendio breuitatis adſtrinxi; & quidquid productionibus loquelarum in concione diffundere potui, totum in tomi huius cõplicamento reſperſum calamo veſtræ ſanctitudini offerre decreui; id magno precati deliberationis exhortans, vt quęcunque illic detinentur adſcripta, valido attendatis intuitu, ſagaci perſcrutemini ſtudio ac de his, quæcunque extiterint placita Deo, veſtri oris ad nos ſacro referãtur oraculo. Accepto deinde oblato nobis tomo, agentes Domino gratias acclamauimus: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Poſt huius exultationis beatæ gaudiũ, & cœleſtis gloriæ hymnum, eidem ſacro Principi benediximus, referatoque inuoluto tomo, hæc inibi contexta reperimus.

IN nomine Domini Flauius Receceſſuinthus Rex Reuerendiſſimis Patribus, in hac ſancta Synodo reſidentibus. Sancti Spiritus admirabili dono regulam fidei meæ ſolidam tenens, & inſtructam agnoſcens, atque in honorem eius diadema gloriæ, cum cordis humilitate proſternens, illo lætus auditu, quòd omnes Reges terræ ſeruiunt, & obediunt Deo, en reuerendi Patres, excelſiori mihi venerationis honore ſublimes, coram vobis aduenio, in gratiam manſuetudinis meæ, beatitudinis veſtræ teſtimonium conuocans; & ad teſtimonium viſionis veſtrę memet coram omnipotentis Dei nutibus tremendis adclinans; referens illi corde læto gratias opulentas, quod vos clementia voluntatis ipſius, ex noſtræ celſitudinis iuſſu, ad huius ſanctæ congregationis votiuum dignatus eſt deducere cœtum; confidens tam mihi, quàm vobis, & in præſentium ſerie temporum, & in futurorum longitudine ſeculorum, eius adeſſe gratiæ præmium: quoniam & veſtræ concordiæ in conueniendo vnanimem, ac religioſum demonſtratis affectum, & diſpoſitionis meæ in regendis populis, quàm pium ſit, properatis patenter agnoſcere votum. Nunc igitur quia momenti locutio longæ dictionis non capit exceſſum, quid de ſancta fide nouerim, quàm cœlitus

per ſanctorum Apoſtolorum, ſequentiumque patrum ora cognoui, ſeu quæ de ſecuturis negocijs, pro quibus hunc conuentum veſtræ congregationis coadunari percenſui, intimare decreuerim, in huius Tomi ſerie conſcripta tenete, ac relecta pernoſcite, & cunctis, quæ tenori eius noſtræ amplitudinis poteſtas impreſſit, veſtræ beatitudinis grauitas effectum tam promptè ac miſeranter impendat, quàm noſtræ manſuetudinis ſerenitas hæc vobis implenda commendat.

Exordium itaque allocutionis meæ, ex definitione ſanctæ fidei inchoans, cætera, quæ futuris ſunt proſecutionibus intimanda, velut ſupra ſoliditatem petræ conſtructurus, annectam, vt operis mei ædificium congreſſurus, eo ſequentia validius ponam, quo decentius firmiſſima prætulerim. Primò itaque coram ſe reuerentia veſtra habeat, quod noſſe non ambigit, me orthodoxæ fidei veram, ſanctam & ſynceram regulam de corde puro & conſcientia bona pleniſſimè habere, veraciter ſcire, & firmiſſimè retinere, atq; eam ita cõplecti, venerari, atq; diligere, ſicut eam ſancta Apoſtolica traditio docet, ſicut eam ſancta Synodos Nicęna conſtituit, ſicut Conſtantinopoli ſanctorum Patrum congregatio definiuit, ſicut Epheſini primi cœtus vnitas affirmauit, ſicut Chalcedonenſis Concilij definitio protulit: hanc cum fidelibus ſeruans, ad hanc ſaluandos infideles inuitans, in hanc ſubiectos populos regens, hanc proprijs gentibus tenendam inſinuans, hanc populis alienis annuncians, vt in illa glorificans Deum, & inter mortales me ſummę diuinitatis felicitas aſſequatur, & in terra viuentium hæreditas à me gloriæ capiatur. En reuerendiſſimi patres, quantum ad veritatem fidei ſanctæ pertinuit, ex toto animam meam ſuæ confeſſionis titulos explicuiſſe, honorificentia veſtra penſauit. Iam nunc magnoperè arbitror eſſe mihi opportunum, quæ intendimus, ſocietati eiuſdem veræ fidei ſtudia ſanctæ operationis innectere, ne hanc aut ſine operibus mortuam habeamus, aut ne inhoneſta à plenitudinis ſuæ dignitate perſpicua decidat, dum ſcriptura non ſilente de quibuſdam infertur, qui dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant. Vt ergo hanc fidem, ſupra lapidem illum ſolidatam, quem reprobauerunt quidem ædificantes, idem tamen à Domino factus eſt in caput Anguli, & eſt admirabilis in oculis noſtris: plenius habeamus, eiuſque inſignibus decentius exornemur: attendite, cuius operis fructum, cuiuſque operationis augmentum ſtudijs huius ſanctæ fidei conſociare velimus, & innectere quantocyus peroptemus. Itaque reuolutis retro temporibus, ita vos omnemque populum iuraſſe recolimus, vt cuiuſcunque ordinis, vel honoris perſona, quæ in necem regiam, excidiumque Gotthorum gentis ac patriæ detecta fuiſſet vel cogitaſſe noxia, vel egiſſe, irreuocabilis ſententiæ mulctatus atrocitate, nuſquam mereretur veniæ remedium, vel alicuius temperantiæ perciperet qualecunque ſubſidium. At nunc quia graue oneroſumque cenſetur, dum pietatis actibus graui contradictione hæc ſententia reſultare perpenditur, & ſic funditus damnationis adſtipulatio retinetur, ne pietati, quæ (Apoſtolo præcinente) ad omnia vtilis eſt, quicunq; aditus reſeruetur, veſtris hæc committo fidenti animo ſacris pertractanda iudicijs, ac dirimenda ſententijs. Vnde iam veſtrum erit, inſpirante vobis miſeratione diuina, ita vtriuſque diſcriminis temperare menſuram, ne aut in iuramento conditio teneat reos, aut impietatis vltio habeat inhumanos, ſicque veſtri nos inſtruat forma iudicij, vt ſubiectos populos, nec in prophanationibus habeamus ſubditos, nec impietatis vinculis doleamus contaminat.

Tit. 1.

Pſal. 117. Matth 21. Marc. 12. Luc. 20.

In 7. Toletana Synodo.

1. Tim. 4.

Rex ab Epiſcopis vult doceri.

Poſt huius conuentionis alloquium, ſequentium cauſas negociorum, ſimili quoque ſubiungimus vos intendere attentione. Decernimus, atteſtantes vniuerſitatem veſtram, per ſummæ diuinitatis coæqualem & coæternam & inſeparabilem Trinitatem, atque illius myſterij ſacramentum, quod incarnatum Dei Filium de Spiritu ſancto & Maria Virgine pro ſalute mundi, vera fides in toto orbe denunciat, atque aduentum eiuſdem Ieſu Chriſti Filij Dei Domini noſtri, quo perimendi ſunt impij, & regnum eius, quo glorificandi ſunt ſancti: vt quæcunque negocia, de quarumlibet querelarum auditibus extiterint, patefacta cum iuſtitia & vigore, miſericorditer & cum temperamento miſerationis iuſtiſſimæ, concorditer terminẽtur in legum ſententijs, quæ aut deprauata conſiſtunt,

illapſam mihi per ſanctorum Apoſtolorum, ſequentiumque Patrum ora cognoui, ſeu quæ de ſecuturis negocijs, pro quibus hunc conuentum veſtræ congregationis coadunare percenſui, intimare decreuerim, in huius tomi ſerie conſcripta tenete, ac relecta prænoſcite, & cunctis, quæ tenori eius noſtræ amplitudinis poteſtas impreſſit, veſtræ beatitudinis grauitas effectum tam promptè ac miſeranter impendat, quam noſtræ manſuetudinis ſerenitas, hæc vobis implenda commendat.

Exordium itaque allocutionis meæ, ex definitione ſanctæ fidei inchoans, cætera, quæ futura ſunt, proſequutionibus intimanda, velut ſupra ſoliditatem petræ conſtructurus, annectam: vt operis mei ædificium congreſſurus, eo ſequentia validius ponam, quo decentius firmiſſima prętulerim prima. Itaque coram ſe reuerentia veſtra habeat, quod noſſe non ambigit, me orthodoxæ fidei veram, ſanctam & ſinceram regulam, de corde puro, & conſcientia bona pleniſſimè habere, veraciter ſcire, & fortiſſimè retinere; atque ita eam complecti, venerari, atque diligere, ſicut eam Apoſtolica traditio dedit, ſicut eam ſancta Synodus Nicæna conſtituit, ſicut Conſtantinopoli ſanctorum Patrum congregatio definiuit, ſicut Epheſini primi cœtus vnitas affirmauit, ſicut Chalcedonenſis Concilij definitio protulit: hanc cum fidelibus ſeruans, proprijs gentibus tenendam inſinuans, hanc populis alienis annuncians; vt in illa glorificans Deum, & in tẽpore mortalium me ſummæ diuinitatis felicitas adſequatur; & in terra viuentium hæreditas à me gloriæ capiatur. En reuerẽdiſſimi Patres quantum ad veritatem fidei ſanctę pertinuit, ex toto animam meam ſuæ confeſſionis titulos explicuiſſe honorificentia veſtra penſabit. Iam nũc magnopere arbitror eſſe mihi opportunius, quæ intendimus, ſocietati eiuſdem veræ fidei ſtudia ſanctę operationis innectere; ne hanc, aut ſine operibus mortuam habeamus, aut non plenitudinis ſuæ dignitate perſpicua decidat inhoneſta: dum ſcriptura non ſilente de quibuſdam infertur, qui dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant. Vt ergo hãc fidem ſupra lapidem illum ſolidatam, quem reprobauerunt ædificantes, idem tamen à Domino factus eſt in caput anguli, & eſt admirabilis in oculis noſtris, plenius habeamus, eiuſque inſignibus decentius exornemur, attendite cuius operis fructum, cuiuſq; operationis argumentum ſtudijs huius ſanctæ fidei conſociare velimus, & innectere quantocyus præoptemus. Itaque reuolutis retro temporibus, ita vos, omnemque populum iuraſſe recolimus, vt cuiuſcunque ordinis, vel honoris perſona, quæ in necem Regiam, excidiumq; Gothorum gentis, ac patriæ detecta fuiſſet vel cogitaſſe noxia, vel egiſſe, irreuocabilis ſententiæ multatus atrocitate, nuſquã mereretur veniæ remediũ, vel alicuius temperantiæ perciperet qualecunque ſubſidium. At nunc, quia graue oneroſumq; cenſetur, dum pietatis actibus graui contradictione hæc ſententia reſultaſſe perpenditur, & ſic funditus damnationis adſtipulatio retinetur, ne pietati, quæ Apoſtolo præcinente ad omnia vtilis eſt, quicunq; aditus reſeruetur, veſtris hæc committo fidenti animo ſacris pertractanda iudicijs, ac dirimẽda ſententijs. Vnde iam veſtrum erit, inſpirante vobis miſeratione diuina, ita vtriuſque diſcriminis temperare menſuram, ne aut iuramẽti conditio teneat reos, aut impietatis vltio habeat inhumanos: ſicque veſtri nos inſtruat forma iudicij, vt ſubiectos populos, nec in profanationibus habeamus ſubditos, nec impietatis vinculis doleamus comminutos.

Poſt huius conuentionis alloquium, ſequentium nectens cauſas negociorum, ſimilique ſubiungimus vos intendere attentione, decernimus atteſtantes vniuerſitatem veſtram, per ſummæ diuinitatis coæqualem, coæternam & inſeparabilem Trinitatem, atq; illius myſteria ſacramenti, quo incarnatum Dei Filiũ de Spiritu ſancto, & Maria Virgine pro ſalute mundi vera fides in toto orbe denunciat, atq; aduentum eiuſdem Ieſu Chriſti Filij Dei Domini noſtri, quo perimendi ſunt impij, & regnum eius, quo glorificandi ſunt ſancti, vt quæcunq; negocia de quorumlibet querela veſtris auditibus extiterint patefacta cum iuſtitiæ vigore miſericorditer, & cum temperamẽto miſerationis iuſtiſſimæ, cum noſtra conniuentia terminetis in legum ſententijs, quæ aut deprauata conſiſtunt, aut

sistunt, aut ex superfluo vel indebito coniecta videntur, nostræ serenitatis accommodante consensu: hæc solùm, quæ ad synceram iustitiam, & negociorum sufficientiam cóueniunt, ordinetis: canonum obscura quædam, & in dubium versa, in meridiem lucidæ intelligentiæ reducatis, omniumque negociorum conuentus, ordinumque status, qui in vestram extiterint deuoluti præsentiam, ita maiorum regulis concordantes, iustissimè, pieque ac temperanter constituere studeatis, vt & mihi, qui ad studiorum fructus bonorum anhelo, pars beatorum adueniat: & vos, qui adimplentes voluntatem Dei, me non spernitis imprecantem, regio beatitudinis æternæ susci-
piat, & visio delectationis Dei sibi perenniter inhærere concedat. Vos etiam illustres viros, quos ex officio palatino huic sancto Synodo interesse primatus obtinuit, ac nobilitas spectabilis honorauit, & experientia æquitatis plebium rectores exegit, quos in regimine socios, in aduersitate fidos, & in prosperis amplector strenuos, per quos iustitia leges implet, miseratio *legis impletur, contra iustitiam legum moderatio æquitatis, temperantiam legis extorquet, adiurãs obtestor, per omne illud admirabile, & *solum vnius sacræ fidei sacramẽtum, & per venerabilem omnium sanctorum patrum (per quem obtestor) sanctum conuentum, vt ad cunctæ veritatis ac discretionis iustissimæ formulam, ita animos dirigatis, vt nihil à consensu præsentium patrum, sanctorumq; virorum aliorsum mentis ducentes obtutum, quicquid innocentiæ vicinum, quicquid iustitiæ proximum, quicquid à pietate non alienum, vel soli Deo agnoueritis existere placitum, instanter modestè, & cum omni dignemini intentione complere scientes, quia in eo, quòd hæc mea salubria vota cõpletis, vos amabiles Deo assignatis: & in eo, quòd decretorum nostrorum edicta fauoris exhibitione corroboro, me vobiscũ simul Domino placiturum assigno. In commune iam vobis cunctis, & diuini cultus ministris idoneis, & ex aula regia rectoribus decenter electis, diuini nominis adiuratione constrictis, adijcio consensionis meæ verum purumq; promissum, vt quodcunque iustitiæ aut pietati, salutariq; discretioni vicinum decernere, seu adimplere, cum sancto consensu elegeritis, omnia fauente Deo perficiam, & aduersus omnimodam controuersiarum querelam principali authoritate muniam, ac defendam. Præmissis illis, qui ad domesticos, fidei, regula veritatis pertinuisse probauit, adhuc aliud à beatitudinis vestræ conuentu eiusdem fidei deuotio sancta deposcit, connectente me in sequẽtis traditionis confinio causam, quę nostræ dignitati probatur extranea, quam licèt per me lucrari Christus exhortetur, inimicam sibi tamen esse non ambigit, donec, quod ardẽter optat, obtineat: Iudæorum scilicet vitam, moresq; denuncio, quorum tantummodò noui terram regiminis mei, pollutam esse peste contagij. Nam cùm Deus omnipotens omnes ex hac regione radicitus extirpauerit hæreses, hoc solum sacrilegij dedecus remansisse dinoscitur, quod aut nostræ deuotionis instantia corrigat, aut vltionis suæ vindicta disperdat. Ex ijs enim quosdam traditionis errore vetusta video retinere iura perfidiæ, quosdam verò, sacri baptismatis expiatos ablutione, ita in Apostasiæ denuò relapsos errorem, vt detestabilior inueniatur in eis prolatio blasphemiæ, quàm in illis, quos nondum constat purificatos esse regenerationis sacræ liquore. Pro quo bonæ intentionis agone, & lucro fidei veræ, obsecro reuerentiam beatitudinis vestræ, atque suprà taxato contestor tremendæ coniurationis tenore, vt absque omni fauore, absque omni personarum partis ipsorum acceptione, quicquid ad Domini & redemptoris mei Iesu Christi veram fidem, verumque pertinet honorem, de his iubeatis ardenter & verissimè DEO ac fidei meæ placitam sententiam dare, vt sicut mihi diuina pietas regimen fidelium dedit, cum quibus se à me glorificari cognoscit, ita quoque infidelium assequi tribuat lucrum, in quibus & volũtatis suæ fieri bonum, & in eius conueniisse congaudeam venerabile regnum. Datum sub die 17. Kalend. Ianuar. anno feliciter quinto gloriæ regni nostri. Item subscriptio: In nomine Domini Flauius Receſſuinthus rex, hanc fidei & bonæ voluntatis meæ deliberationem manu mea subscripsi.

Cap. 1. Relecta Tomi pagina, vel finita, cùm glorificassemus Deum de fidei principalis auditu, & de bonæ voluntatis eius affectu, ad peragẽdarum causarum cæterarum negocium statim vertimus animum, simulque sumus exorsi initium.

*leges inflectit

*solius

ex superfluo, vel indebito coniecta videntur, nostræ serenitatis accõmodante consensu, hæc sola quæ ad synceram iustitiam, & negociorum sufficientiam conueniunt, inordinetis; canonum obscura quædam, & in dubium versa in meridiem lucidæ intelligentiæ reducatis; omniumque negociorum cõuentus, ordinumque status, qui in vestram extiterint deuoluti præsentiam, ita maiorum regulis concordantes iustissimè pièac temperãter constituere studeatis, vt & mihi, qui ad studiorum fructus bonorum anhelo, pars beatorum adueniat, & vos, quoniam implentes voluntatem Dei, me non spernitis imprecantem, regio beatitudinis æternæ susci-
piat; & visio delectationis Dei sibi perenniter inhærere concedat. Vos etiam illustres viros, quos ex officio Palatino huic sanctæ Synodo interesse primatus obtinuit, ac nobilitas spectabilis honorauit, & experientia æquitatis plebium rectores exegit, quos in regimine socios, in aduersitate fidos, & in prosperis amplector strenuos, per quos iustitia leges implet, miseratio leges inflectit, & contra iustitiam legum, moderatio æquitatis temperantiam legis extorquet, adiurans obtestor per omne illud admirabile, & solum vnius sacræ fidei sacramentum, quo venerabilem omnium sanctorum Patrum sum obtestatus conuentum, vt ad cunctæ veritatis, ac discretionis iustissimæ formulam ita animos dirigatis, vt nihil à consensu præsentium Patrum, sanctorumque virorum aliorsum mentes ducentes obtutu, quicquid innocentiæ vicinum, quicquid iustitiæ proximum, quicquid à pietate non alienum, vel soli Deo cognoueritis existere placitum, instanter, modestè, & cum omni dignemini intentione complere; scientes quia in eo quod hæc mea salubria vota completis, vos Deo amabiles assignatis; & in eo quod decretorum vestrorum edicta fauoris exhibitione corroboro, me vobiscum simul Deo placiturum adsigno. In commune iam vobis cunctis & ex diuino cultu ministris idoneis, & ex aula Regia rectoribus decẽter electis diuini nominis adiuratione constrictis adijcio consensionis meæ verum purumque promissum: vt quodcunque iustitiæ, aut pietati, salutarique discretioni vicinum decernere, seu adimplere cum nostro consensu elegeritis, omnia fauẽte Deo perficiam, & aduersus omnimodam controuersiarum querelam, principali auctoritate muniam, ac defendam; promissis illis, quæ ad domesticos fidei regula veritatis pertinuisse probauit. Adhuc aliud à beatitudinis vestræ conuentu eiusdem fidei auiditas sancta deposcit, connectente me in sequestrationis confinio causam, quæ à nostro dogmate probatur extranea: quam licet per me lucrari Christus exoptet, inimicam sibi tamẽ esse non ambigit, donec quod ardenter optat, euidenter obtineat. Iudæorum, scilicet vitam, moresq; denuncio, quorum tantummodò noui terram regiminis mei pollutam esse peste contagij. Nam cùm Deus omnipotens omnes ex hac regione radicitus extirpauerit hæreses, hoc solum sacrilegij remansisse dignoscitur, quod aut nostræ deuotionis instantia corrigat, aut vltionis suæ vindicta disperdat. Ex ijs enim quosdam traditionis errore vetustæ, video retinere iura perfidiæ; quosdam verò sacri baptismatis expiatos ablutione, ita in apostasiæ dolo relapsos errorem, vt detestabilior inueniatur in eis profanatio blasphemiæ, quam in illis, quos nondum constat purificatos esse regenerationis sacro liquore. Pro quo bonæ intentionis agone, & lucro fidei veræ, obsecro reuerentiam beatitudinis vestræ, atq; per supra taxatum contestor tremendæ coniurationis tenorem, vt absq; omni fauore, vt absq; omni personarum partis ipsorum acceptione, quidquid ad Domini & Redemptoris mei Iesu Christi veram fidem, verumque pertinet amorem, de his iubeatis ardenter & verissimè Deo, ac fidei mei placitam sententiam dare. Vt sicut mihi diuina pietas regimen fidelium dedit, cum quibus se à me glorificari cognoscit, ita quoq; infidelium assequi tribuat lucrũ, in quibus, & voluntatis suæ fieri bonum, & eius adueniisse congaudeam venerabile regnum. Datum sub die decima septima Kalendarum Ianuariarum, anno feliciter quinto gloriæ regni nostri. In nomine Domini, Flauius Recceſuindus Rex hanc fidei, & bonæ volũtatis meæ deliberationem manu mea subscripsi.

Relecta tomi pagina, vel finita, cùm glorificassemus Deum de fidei principalis auditu; & de bonæ voluntatis eius affectu, ad peragendum causarum cæterarum negocium statim vertimus animum, simulq; sumus exorsi iudicium.

Tunc primę narrationis exortu verę fidei nobis tractatus occurrit, incipientes de illa primitus loqui, vt inde sorditatis auspicemur exordium, vnde sacræ sumpsimus natiuitatis initium, quatenus assertionum sanctarum sorti prę missa sententia, quicquid subsequenter aduenerit de actis negociorum, fortius sustinere valeat seriem decretorum. Vnius ergo sacræ fidei veram professionem, veramque regulam tenere, nos tota virtute animi & profitemur, & acclamamus, cunctisque percipiendam ac retinendam plena deliberatione incessanter prædicamus, sicut à sanctis Apostolis ostensa docetur, sicut à sequentibus patribus orthodoxis disserta probatur, sicut etiam à sanctis illis synodalibus gestis, verè sancteq; confirmata dinoscitur, in quibus Arij vel Eutychetis insanissimus error dulcidè proditur, & radicitus extirpatur, sicut denique in sacris Missarum solennitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus.

CRedimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium conditorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia secula. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo & quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, homo factus, & passus sub Pontio Pilato, ac sepultus, & tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus iudicare in gloria viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credimus & in Spiritum sanctum, viuificatorem, ex patre & filio procedentem, cum patre & filio adorandum & glorificandum. Qui locutus est per prophetas. Et vnam Catholicam atque Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi, Amen. Huius fidei sanctæ regula idcirco nunc tractatus non recepit aperturam, quia & à sacris doctorib. abundè cõstat exposita, & imminentium causarum negocia nos ad alia trahunt peragenda.

2 Secundæ disputationis occursu affuit negocium, tam difficile quàm & graue, in quo de refugis atq; perfidis disputatione commota, vtrumne possit eorundem temperari sententia damnatorum, magno satis conatu est exquisitum. Sed cùm illarum series conditionum, ad quas decursis non longè temporibus, pro eorum penuria hostilitatis vastitas non iurare coegerat, nostris esset auditibus recensita, tantam reperimus obligationis illic inesse censuram, vt macularum suarum nodositas non tantùm videretur prohibitionem dedisse transgressionum, quantum conclusisse viscera pietatum. Aderat enim, quod in vtroque pauor agebat, & ne sancti nominis prophanatio fieret, & ne miserationis operatio interiret, quia ex Dei nominis prophanatione nõ aberat, quod terrebat, & prohibitione pietatis aderat, quod tædebat. Dumque alterno periculorum obiectu sibi prolatę sententiæ compugnarent, periclitabamur ancipites in bifido partium dissidentium calle, quo *direptionis tramite iudicium properaret. Sed cùm gressibus disputationis nostræ esset difficultatis congressio, & de via nos abiecisset properandi, tandem relicto discrimine, cum fragore singultuum & imbribus lachrymarum, ad Deum, qui pietatis fons est, verba simul & corda conuertimus, orantes: Adspira sancte Spiritus, & ducito nos in portum voluntatis tuæ, sedatis fluctib. ignorantiæ nostræ. Ecce enim periculorum syrtes in littore cursus nostri proueniunt, atque hincindè obuiantibus naufragiorum obicibus, quò dispositionis nostræ vela pandamus, attentionis consideratione non cernimus. Sed adspira rursus tu sancte spiritus, & dato nobis, te donante, nosse quod iubeas, ac te iubente, implere posse quod iusseris, vt & perlustrando illumines quod nescimus, & adiuuando perficias quod implere pauemus. *Si iam ergò in te requiescentes, & erroneorum fluctuum pauoribus abiectis, commercia nos iube disponere pacis, inchoemus illa, quæ & in gloriam tuæ omnipotentiæ conferantur, & humanæ saluti, te annuente, donentur. Temporib. non procul excursis, cùm quorundam *refutatorum tumultuosa

*directionis

*Si iam

*refugarũ

1 Tunc primæ narrationis exortu, verę fidei nobis tractatus occurrit: vt incipientes de illa primitus loqui, inde soliditatis auspicemur exordium, vnde sacræ sumpsimus natiuitatis initium. Quatenus assertionum nostrarum sorti præmissa sententia, quidquid subsequenter aduenerit de actis negociorum, fortius subsistere valeat seriem decretorum. Itaq; vnius sacræ fidei veram promissionem, veramq; regulam tenere, nos tota virtute animi, & profitemur, & acclamamus, cunctisq; percipiendam, ac retinendam plena deliberatione incessanter prædicamus & pandimus; sicut à sanctis Apostolis ostenta docetur, sicut à sequentibus patribus orthodoxis disserta probatur, sicut etiam in sanctis illis synodalibus gestis verissimè confirmata dignoscitur; in quibus Arij, Macedonij, Nestorij, vel Eutychetis insanissimus error & dilucidè proditur, & radicitus extirpatur: sicut deniq; in sacris Missarum solennitatibus concordi voce profitemur, ac dicimus:

CRedimus in vnum Deum Patrem omnipotẽtem factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium conditorem: & in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum nõ factum, homousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ: per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est; passus sub Pontio Pilato; sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris: inde venturus in gloria iudicare viuos & mortuos; cuius regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, viuificatorem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum; qui locutus est per Prophetas: in vnam Catholicam, atque Apostolicam ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, vitam futuri seculi, Amen.

Huius sanctę fidei regula idcircò nunc tractatus non recipit aperturam, quia & à sacris Doctoribus abundè constat expositа, & imminentium causarum negotia nos ad alia pertrahunt peragenda.

2 Secundæ disputationis occursu adfuit negotium tam difficile, quàm & graue, in quo de refugis atq; perfidis disputatione commota; vtrum ne posset eorundem temperari sententia damnatorum, magno satis conatu est exquisitum. Sed cum illarum series conditionum, ad quas decursis non longè temporibus pro eorum penuria, hostilitatis vastitas nos iurare coëgerat, nostris esset auditibus recensita, tantam reperimus obligationis illic inesse censuram, vt macularum suarum nodositas non tantum videretur prohibitionem dedisse trãsgressionum, quantum conclusisse viscera pietatum. Aderat enim, quod in vtroque pauor agebat, & ne sancti nominis profanatio fieret, & ne miserationis operatio interiret: quia ex Dei nominis profanatione nõ aberat, quod tenebat, & ex prohibitione pietatis aderat, quod tædebat. Dumque alterno periculorum obiectu se prolatæ sententiæ compugnarent, periclitabamur in bifido partiũ dissidentium calle, quo diremptionis tramite iudiciũ properaret. Sed cum gressibus disputationis nostræ sese difficultatis congressio deuia obiecisset, properandi tandem relicto discrimine, cum fragore singultuum, & imbribus lacrymarum, ad Deum, qui pietatis fons est verba simul & corda conuertimus, orantes. Adspira sancte Spiritus, & ducito nos in portum voluntatis tuæ, sedatis fluctibus ignorantiæ nostræ. Ecce enim periculorum syrtes: in littore cursus nostri peruenimus, atq; huiusmodi obuiantibus naufragiorum obicibus, quò dispositionis nostræ vela pandamus, attentiùs consideratione non cernimus. Sed aspira rursus sancte Spiritus, & dato nobis te donante nosse quod iubeas, ac te iuuante implere posse quod iusseris: vt & perlustrando illumines, quod nescimus, & adiuuando proficias, quod implere pauemus. Si iam ergò in te quiescentes, erroneorum fluctuum pauoribus abdicatis, commercia nos iubes disponere pacis, inchoemus illa, quæ, & in gloriam tuæ omnipotentiæ conferantur, & humanæ saluti, te adnitente donentur. Temporibus non procul excursis, cum quorundam refugarum tumultuosa seditiones frequenter vastationes

Concil. Tolet. 7. cap. 1.

ſeditio frequenter vaſtationes terris inferret, & ſcandala populis cum excidijs irrogaret, adeò vt captiuorum turmas ducerent, & deſolationes eccleſiarum facerent, quæ tali concuſſæ ſunt peſte, vt quilibet conatus nequeat reparare: exactum eſt vi potiùs neceſſitatis exortæ, quàm deliberatione iudicij, vt contra eoſdem, eiſdemque ſimilimos, cum omni ferè populo acerrima iuramenta daremus. Vnde iurâſſe nos per atteſtationem diuini nominis, conditio iuramenti demonſtrat, & ne reſolui queat, ſacræ ſcripturæ authoritas inſtat. Scriptum namque in Exodo eſt: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra. Item in Leuitico: Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui. Ego Dominus. At verò, quia illata preſſurarum acerbitas reſolui poſſit ac debeat, tam vinculorum & lamentorum horror inſinuat, quàm eiuſdem authoritatis Dominicæ præcepta commendant. Etenim iuxta veterem translationem, ita quoſdam per Eſaiam graui exprobatione Dominus increpat, dicens: Væ filijs deſertionis, dicit Dominus: Feciſtis conſilium non per me, & ſponſionem non per ſpiritum meum, adijcere peccatum ſuper peccatum. Item in Hieremia: Iniquitates noſtræ declinauerunt hæc, & peccata noſtra amouerunt bona à nobis, quia inuenti ſunt in populo impij, & loquentes vana, ſtatuerunt ad diſpergendos viros, & comprehenderunt. Vt laqueus venantis plenus volatilibus, ſic domus eorum plenę dolo. Et per Michæam: Væ mihi anima mea, quia perijt reuerens à terra: & qui corrigat, inter homines non eſt. Omnes in ſanguine iudicantur. Vnuſquiſque proximum ſuum tribulat, omnes in malum ſuas manus præparant. Ad beneficentiam certè, quæ diuinis oculis tanto eſt gratior, quanto & inuenitur eſſe præſtantior, ſic nos Eſaias inſtruit, dicens: Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Paulus etiam vas electionis: Pietas ad omnia vtilis eſt. Et Iacobus: Iudicium ſine miſericordia illi fiet, qui non fecerit miſericordiam. Superextollit autem miſericordia iudicium. Ioannes item: Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. Et per ſemetipſam veritas: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos odiunt. Et iterum: Dimittite, & dimittetur vobis. Si autem non dimiſeritis, nec pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Ecce ſunt Dominicæ iuſſionis hinc inde adſtipulata firmiſſima cautione præcepta, ac proinde, quia ſunt diuinioris proſecutione taxata, manebunt per omnia æterna lege præfixa. Quid ergo? Nunquid aut iuramenta iuſtitiæ, aut miſericordiæ pacem ſibi contraire narrabimus, dum ſcriptum ſit: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax ſe complexæ ſunt? Aut quia controuerſiarum lapſus ſeſe in contentionem diffundunt, ideò vnius partis aſſertionem narrabimus non implendam, ne alterius aſſertio partis iacturæ patiatur inſtantiam? Et quia iuramenti cuſtodia vltionem non temperat paueſcendam, idcircò impietatis atrocitas mortem pariet execrandam? Abſit. Etenim, ſi publicis ſacramentorum geſtis (quod Deus auertat) à quibuslibet illicita vel non bona extitiſſet conditio alligata, quæ aut iugulare animam patris, aut agere compelleret ſtuprum ſacratiſſimæ Virginis: nunquid non tolerabilius eſſet, ſtultæ promiſſionis reijcere vota, quàm per inutiliũ promiſſorum cuſtodiam, exhorrendam criminum implere menſuram? Quod ſi ita eſſet, quomodo crederetur vnius obſeruantia iuſſionis eſſe fons pietatis, cùm emitteret tribulos vltionis? Aut quænam illa eſſet ſacræ obſeruatio legis, quæ ſacrilegia committeret prauitatis? Vel cuius menſuræ æquitas videretur, vt ex vnius præcepti cautela, necis exoriretur immanitas truculenta? At nũc non ita contendimus, vt contentionum diuortijs concitatis, noſipſos contentionis certaminibus miſceamus. Eſt vera pax in vtroque quod dicimus, quia ſic ſpiritus ſanctus iter noſtrum ac curſum temperat, vt in nullo deuius nos caſus à diſpoſitione ſecludat. Vnde plena iam voce, pleniori fide, pleniſſimaque intentione prædicimus, atque in tota ſanctæ eccleſiæ vniuerſitate prædicamus, pariter & optamus, nulla prophanatione ſolius & ſummę diuinitatis nomen exiſtere aſſumendum, nullo periurij ſacrilegio indebitè prophanãdum, nullo vſpiam contractu fallaciæ contingendum. Nam ſi atteſtante veritate, propter prophanationem periurij euitandam, prohibetur omninò iurare, cùm dicitur, Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod autem plus his eſt, à malo eſt quomodo impunitum erit, nomen tan-

Exod. 20. Leuit. 19. Eſa. 30. Hiere. 5. Eſa. 58. 1. Tim. 4. Iacob. 2. 1. Ioan. 3. Luc. 6. Matt. 6. Pſal. 84.

22. q. 4. Neceſſe eſt.

22. q. 4. Si public. Iuo. p. 12. c. 9.

Matt. 5. Sit ſermo veſter, Eſt eſt, Non non: quòd autem plus his eſt, à malo eſt: quomodo impunitum erit, nomen tantæ glorię voluntariè prophanaſſe, dum in eo taxata fides dinoſcitur intereſſe? Vel quatenus pacis fœdera inter gentium diſſidia ligabuntur, ſi non iuramenti pacta ſanctiori integritate ſeruentur? Etenim omne quod in pacis fœdere venit, tunc ſolidius ſubſiſtit, cùm iuramenti hoc interpoſitio roborat. Sed & omne quod animos amicorum cõciliat, tũc *fideliùs durat, cùm ea ſacramenti vincula ligant. Omne etiam quod teſtibus adſtipulatur, tunc verius conſtat, cùm id adiectio iurationis affirmat. Quod ſi & teſtis deficiat innocẽtis fidem ſola iuriſiurandi taxatio manifeſtat. Hinc vt mentibus humanis diuina voluntas panderet, quod volebat, ne labens fragilitas pro incerto teneret, quod inuiolatæ veritatis promiſſio exprimebat, per Eſaiam loquitur, dicens: Ego Dominus, & non eſt alius. In memetipſo iuraui. Si ergò tantæ inſtitutionis limite ſunt votiua iuramenta ſeruanda, quis alienus à veritate, hæc adſtruat execrabiliter violanda? Stabunt ergò ſacræ authoritatis viuifica iuſſa, nec vana prophanatione erunt aliquatenus temeranda. Verùm ne iuramenta, quæ data ſunt, videantur in * nos ita penitùs miſerationum concluſiſſe præcordia, vt nullam de pietatis affectu animæ viſcera concipiant indulgẽtiam paritura: ſic ſtabilitis contractibus iuramento ſinum miſericordiæ aperimus, atq; ita cunctis Deo placita deuotione miſereri cenſemus, vt nos nec iuramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat execrandos. Occurrere certè miſerorum ruinis debet ſubſidio vnuſquiſque quo valet, & ex releuatione alienæ vindictæ, à ſe Dei amouere vindictam. Libat enim Domino proſpera, qui ab afflictis pellit aduerſa. Vnde Iob * iuuante paſſionis ſuæ experientia impendens patientibus, paſſionis ſuæ patientiam memorabat, ſuarumque virtutum catalogum texens, inter cætera ſic connectit: Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Et paulò poſt: Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Hinc & Salomon: Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Quibus ſanctæ authoritatis inſtructi decretis, nec ſanctum nomen prophanâſſe nos conſtat, quod nullatenus prophanandum * ius noſtræ prædicationis inſinuat. Et indulgentiæ viſceribus adapertis, licèt oris ſui profeſſione damnati, difficilè mereantur abſolui, iuxta quod ſcriptum eſt: ſanguis tuus ſuper caput tuum, os enim tuũ locutum eſt aduerſum te: iterum, Ex ore tuo condemnaberis, & ex ore tuo iuſtificaberis: tamen pietatis intuitu, & parcendi viam pandimus, & miſericordiam prorogamus. Huius ſanè promiſſionis incautæ crudam cruentamque temperare ſententiam, illa quàm maximè compellimur cauſa, quòd hæc duo mala, licèt ſint omninò cautiſſimè præcauenda, tamen ſi periculi neceſſitas, ex his, vnum tẽperare compulerit, id debemus reſoluere, quod minori nexu noſcitur obligare. Quid autem ex his leuius, quidve ſit grauius * pietatis acumine veſtigemus. Etenim dum periurare compellimur, creatorẽ quidem offendimus, ſed nos tantummodò maculamus. Cùm verò noxia promiſſa complemus, & Dei iuſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & noſipſos crudeliori gladio trucidamus. Illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter iugulamur. Reſtat ergò, vt hac noſtra pergat ſententia, qua miſericordiæ patuerit via. Quæ ita Domino probatur accepta, vt plus eam cupiat, quàm ſacrificia veneranda, dicente ipſo: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Hac indulgentiæ conceſſa licentia, miſerationis ipſius opus in glorioſi principis poteſtate redigimus, vt quia Deus illi miſerendi aditum patefecit, remedia pietatis ipſe quoque non deneget. Quæ ita principali diſcretione moderata perſiſtant, vt & illis ſit aliquatenus miſericordia contributa, & nuſquàm gens aut patria per eoſdem, aut periculum quodcunque perferat, aut iacturam. Hæc miſerationis obtentu temperâſſe ſufficiat. Cæterùm quæcunque iuramenta pro regiæ poteſtatis ſalute, & conſutatione gentis & patriæ, vel hactenus ſunt exacta, vel deinceps extiterint exigenda, omni cuſtodia, omnique vigilantia indiſſolubiliter decernimus obſeruanda, à membrorum truncatione, mortiſque ſententia religione penitùs abſoluta. Sed ne prauarum mentium verſuta nequitia noſmetipſos ad periurij quandoque deuocet culpam, nec à ſanctæ fidei regula hanc aſſerat venire ſententiam; tam diuinæ authoritatis

for. *nobis

*iuuamẽ

Iob 29.

Iob 30.

Pro. 24.

*vox

2. Reg. 1. Matt. 12.

*piæ rationis

Matt. 9.

tæ gloriæ voluntariè profanaſſe; dum in eo taxata fides dignoſcitur interiſſe? vel quatenus pacis fœdera in gentium diſſidia ligabuntur, ſi non iuramenti pacta ſanctiori integritate ſeruentur? Etenim omne, quod in pacis fœdere venit, tunc ſolidius ſubſiſtit, cum iuramenti hoc interpoſitio roborat. Sed, & omne, quod animos amicorum conciliat, tunc fixius durat, cùm eos ſacramenti vincula ligant. Omne etiam, quod teſtis adſtipulat, tunc verius conſtat, cùm id adiectio iurationis affirmat. Quod ſi & teſtis deficiat, innocentis fidem ſola iuriſiurandi taxatio manifeſtat. Hinc &, vt mentibus humanis diuina voluntas panderet quod volebat, ne labens fragilitas pro incerto teneret, quod inuiolatę veritatis promiſſio exprimebat, per Eſaiam loquitur, dicens: Ego Dominus, & non eſt alius; in memetipſum iuraui. Si ergò tantæ inſtitutionis limite ſunt votiua iuramenta ſeruãda, quis alienorum à veritate hæc adſtruat execrabiliter violanda? Stabunt ergò ſacræ auctoritatis viuida iuſſa, nec vana profanatione erunt aliquatenus temeranda. Verùm ne iuramenta, quæ data ſunt, videantur in nos ita penitus miſerationum concluſiſſe præcordia, vt nullam de pietatis affectu animæ viſcera concipiant indulgentiam paritura: ſic ſtabilitis contractibus iuramenti, ſinum miſericordiæ aperimus, atque ita cunctis Deo placita deuotione miſereri cenſemus, vt nos nec iuramenti teneat cautio reos, nec inhumanitas faciat execrandos. Occurrere certè miſerorum ruinis debet ſubſidio vnuſquiſque, quo valet, & releuatione alienæ vindictæ, à ſe Dei remouere vindictam: libat enim Domino proſpera, qui ab afflictis pellit aduerſa. Inde Iob, ante paſſionis experientiam impudens patientibus, quod in paſſionis ſuæ patientia memorabat, ſuarum virtutum catalogum texens inter cætera ſic connectit: Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Et paulò pòſt: Flebam quondam ſuper eum, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Hinc & Salomon: Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſes. Quibus ſanctæ auctoritatis inſtructi decretis, nec ſanctum nomen profanaſſe nos conſtat, quod nullatenus profanandum vox noſtræ prædicationis inſinuat, & indulgentiæ viſceribus adapertis, licet oris ſui profeſſione damnati difficilè mererẽtur abſolui (iuxta quod ſcriptum eſt: Sanguis tuus ſuper caput tuum; os enim tuum locutum eſt aduerſum te. Et iterum: Ex ore tuo iuſtificaberis; & ex ore tuo condemnaberis) tamen pietatis intuitu, & parcendi viam pandimus, qui & miſericordiam prorogamus. Huius ſanè promiſſionis incautè crudam, cruentamque temperare ſententiam illa quã maximè cõpellimur cauſa, quòd hæc duo mala licet ſint omninò cautiſſimè pręcauẽda, tamẽ ſi periculi neceſſitas ex his vnũ temerare compulerit, id debemus reſoluere, quod minori nexu noſcitur obligare. Quid autem ex his leuius, quidve ſit grauius rationis acumine inueſtigemus. Etenim dum periurare compellimur, creatorem quidem offendimus; ſed nos tantummodo maculamus, cùm verò noxia promiſſa complemus, & Dei iuſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipſos crudeliori mortis gladio trucidamus: illic enim duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter iugulamur. Reſtat ergò vt eò noſtra pergat ſententia, quo miſericordiæ patuerit via: quæ ita Domino probatur accepta, vt plus eam cupiat, quàm ſacrificia veneranda, dicente ipſo: Miſericordiam volui, & non ſacrificium. Ac indulgentiæ conceſſa licentia, miſerationis ipſius opus in glorioſi Principis poteſtate redigimus; vt quia Deus illi miſerendi aditum patefecit, remedia pietatis ipſe quoque non deneget: quæ ita principali diſcretione moderata perſiſtunt, vt & illis ſit aliquatenus miſericordia cõtributa, & nuſquam gens, aut partia per eoſdem, aut periculum quodcunq; perferat, aut iacturam, hæc miſerationis obtentu temperaſſe ſufficiat. Cæterùm quæcunque iuramenta pro Regię poteſtatis ſalute, vel contractione gentis, & patriæ vel hactenus ſunt exacta, vel deinceps extiterint exigenda, omni cuſtodia, omnique vigilantia inſolubiliter decernimus obſeruãda, à membrorum truncatione, mortiſque ſententia religione penitus abſoluta. Sed ne prauarum mentium verſuta nequitia noſmet ad periurij quandoque deuocet culpam, nec à ſanctæ fidei regula hanc aſſerat venire ſententiam, tàm diuinæ auctoritatis oracula, quàm præcedentium Patrum aſſerta huic narrationi curauimus innectenda. Etenim incommutabilis idemque

Iuo. p. 12. c. 2 22. q. 1. omne quod.

Diſt. 13. c. duo mala. Iuo. p. 12. c. 16. Burc. l. 12. c. 29. & c. 84.

ritatis oracula, quàm præcedentium patrum asserta huic narrationi curauimus innectenda. Etenim incommutablilis eademque semper existens Dei natura, parcens sua sæpè in sacris literis legitur mutâsse promissa, & pro misericordia temperâsse sententiam. Vnde quamlibet sit impassibilis, atq; immutabilis, eiusdemque Deitatis, licèt sint dicta firmissima, crebrò tamen eius & iuramenta leguntur, & pœnitentia, quæ sacris extant mysterijs adoperta. Iurare namque Dei est, à seipso nullatenus ordinata conuellere: pœnitere verò, eadem ordinata, cùm voluerit, immutare. Sic enim per Hieremiam dicit: Repentè loquar aduersùm gentem, & aduersùm regnũ, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud: Si pœnitentiam egerit gens illa super malo suo, quod locutus sum aduersùs eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et per Ezechielem: Si dixero iusto viro, quòd vita viuat, & * conuersus à iustitia sua, fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo: vita viuet, & non morietur. Si ergò nostra conuersio sic diuinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lachrymæ vel pressuræ, tam crudam non temperent ex miseratione vindictam? Hinc etiam Israëlitico populo sæpè vltio promissa suspenditur, & Niniuitarum perditio, diuinæ sententiæ permutatione sedatur. At verò illustrium laudum titulo præclarus author Ambrosius, in libro de officijs primo, huiusce rei causa sic loquitur: Est etiam contra officium nonnũquàm, soluere promissum, & sacramentum custodire: vt Herodes, qui iurauit, quoniam quicquid petitura esset, daret filiæ Herodiadis: & necem Ioannis præstitit, ne promissum denegaret. Nam de Iephte quid dicam, qui immolauit filiam, quæ sibi victori primùm occurrerat, quo votum impleret, quod spoponderat, vt quicquid sibi primum occurrisset, offerret Deo? Melius fuerat nihil tale promittere, quàm promissum soluere parricidio. Item in libro 3. Purum ergò ac syncerum oportet esse affectum, vt vnusquisque simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctitate possideat, nec fratrem circunscriptione verborum seducat. Nihil promittat inhonestum. At si promiserit, tolerabilius est promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. Sæpè plerique constringunt se iurisiurandi sacramento, & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt, quod spoponderint. Sicut de Herode suprà scripsimus, qui saltatrici præmiũ turpiter promisit, crudeliter soluit. Turpe est, quòd regnum pro saltatione promittitur: crudele, quòd mors prophetæ pro iurisiurandi religione datur. Quanto tolerabilius tale fuisset periurium sacramento? Et post pauca de Iephte disputans: Mirabilis, inquit, necessitas, quæ soluitur parricidio. Melius est non vouere, quàm vouere id, quod sibi is, cui promittitur nolit exolui. Et post paululum: Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Denique ipse Deus, sicut scriptura indicat, frequenter mutat suam sententiam. Vir quoque sanctissimus Augustinus, vestigationis acumine cautus, inueniendi arte præcipuus, asserendi copia profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus, hæc in suis narrat affatibus: Duo sunt ominò genera mẽdaciorum, in quibus magna culpa est, sed tamen non est sine culpa, cùm aut iocamur, aut pro misericordia mentimur. Illud primum in iocando, ideò non est pernicioßissimum, quia non fallit. Nouit enim ille: cui dicitur, ioci causa esse dictum. Secundum autem * minus est ideò, quia retinet nonnullam beneuolentiam. Idem ipse: Non auferat (inquit) veritatis misericordiam, nec misericordia impediat veritatem. Si enim pro veritate, aut quasi rigida veritate, oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Domini, in qua misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Beatus etiam Papa Gregorius, & vitæ meritis honorandus, atque in ethicis assertionibus, penè cunctis meritò præferendus, sic in libris infert moralibus: Quia ergò Beemoth iste tam inexplicabilibus nodis ligat, vt plerunque mens, in dubium adducta, vnde se à culpa soluere nititur, inde in culpa arctiùs adstringatur, rectè dicitur: Nerui testiculorum eius perplexi sunt. Argumenta namque machinationum illius, quo magis laxantur, vt relinquant, eo magis implicantur, vt teneant. Est tamen, quod ad destruendas eius versutias vtiliter fiat. Vt cùm mens inter minora & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper existens Dei summi natura præcellens, sua sæpè in sacris literis legitur mutasse promissa, & pro misericordia temperasse sententiam. Vnde quamlibet sit impassibilis atq; immutabilis, identidem deitate firmissima, crebro tamen eius & iuramenta leguntur, & pœnitentia: quæ sacris extant mysterijs adoperata. Iurare namque Dei, est à seipso nullatenus ordinata conuellere: pœnitere verò eadem ordinata, cùm voluerit, immutare. Sic enim per Hieremiam dicit: Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Et per Ezechielem: Si dixero iusto, quod vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, vita viuet, & non morietur. Si ergò nostra conuersio sic diuinam mutat sententiam, cur miserorum tantæ lachrymæ, vel pressura tam crudam non temperet ex miseratione vindictam. Hinc etiam populo Israëlitico sæpè vltrò promissa suspenditur, & Niniuitarum perditio diuinæ sententiæ permutatione sedatur.

At verò illustri laudum titulo præclarus auctor Ambrosius in libro de officijs primo, huiusce modi rei causa, sic loquitur: Est enim contra officium nonnunquam, promissum soluere, sacramentum custodire. vt Herodes, qui iurauit, quoniam quidquid petitus esset, daret filiæ Herodiadis: & necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret. Nam de Iephthe quid dicam, qui immolauit filiam, quæ sibi victori primum occurrerat, quo votum impleret, quod spoponderat, vt quidquid sibi primum occurrisset, offerret Deo. Melius fuerat nihil tale promittere, quàm promissum soluere parricidio. Item in libro 3. Purum igitur, ac sincerum oportet esse affectum, vt vnusquisq; simplicem sermonem proferat, vas suum in sanctitate possideat, nec fratrem in circunscriptione verborum inducat, nihil promittat inhonestum: at si promiserit, tolerabilius est, promissum non facere, quàm facere, quod turpe sit. Sæpè pleriq; constringunt se iurisiurandi sacramento, & cùm ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt, quod spoponderint; sicut de Herode suprà scripsimus, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter soluit. Turpe est, quod regnum pro saltatione promittitur, crudele, quod mors Prophetæ pro iurisiurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset periurium sacramento? Et post pauca de Iephthe differens, Miserabilis (inquit) necessitas, quæ soluitur parricidio. Melius est non vouere, quàm vouere id quod sibi, is, cui promittitur, nolit exsolui: Et post paululum: Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Denique ipse Dominus, sicut scriptura indicat, frequenter suam mutat sentẽtiam. Vir quoque sanctissimus Augustinus vestigationis acumine cautus, inueniendi arte præcipuus, asserendi copia profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus, hæc in suis narrat affatibus. Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cùm aut iocamur, aut proximis mentimur; illud primum in iocando ideò non est pernicioßissimum, quia non fallit: nouit enim ille cui dicitur ioci causa esse dictum: secundum autem ideò mitius est, quia retinet nonnullam beneuolentiam. Ideò ipse: Non auferat (inquit) veritas misericordiam, non misericordia impediat veritatem. Si enim pro veritate, aut quasi rigida veritate, oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Domini, in qua misericordia & veritas obuiauerunt sibi.

Beatus etiam Gregorius Papa, & libris & meritis honorandus, atq; in ethicis assertionibus penè cunctis meritò præferendus, sic in libris infert Moralibus: Quia ergo Beemoth iste ita inexplicabilibus nodis ligat, vt plerunque mens in dubio adducta, vnde se à culpa soluere nititur, inde culpa arctius adstringatur. rectè dicitur: Nerui testiculorum eius perplexi sunt: argumenta namque machinationum illius, quo magis laxantur, vt relinquant, eo magis implicantur, vt terreant. Est tamen, quod ad destruendas eius versutias vtiliter fiat. Et cùm mens inter minora, & maxima peccata constringitur, si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora sem-

Hier. 18.
Ezec. 33. * confisus in
Matt. 14. Marc. 6.
Iudic. 11.
Ionæ 3.
* mitius
Psal. 84.
Iob 40.
22. q. 4. Incõmutab.
Amb. li. 1. c. 50.
22. q. 4. Vnusquisq; simplic.
22. q. 4. Nõ semper.

ninò nullus sine peccato aditus euadendi patet, minora semper eligantur: quia & qui murorum ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Nostri quoque seculi doctor egregius Ecclesiæ catholicæ nouissimum decus, præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, & quod maius, est in seculorum fine doctissimus, atque cum reuerentia nominandus Isidorus, in libro sententiarum secundo, hæc pro tali narrat negocio: Non est conseruandum sacramentum, quod malè & incautè promittitur, velut si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur : Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quàm permanere in stupri flagitio. Similiter in Synonymis: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti, non facias. Impia est promissio, quę scelere adimpletur. Hæc de sacris paginis, authoribusque præcipuis breuissimè sufficiat prælibâsse. Nam plurima colligere poterit, qui hęc attentiùs legendo quæsierit. Cæterùm, quibus hęc nequaquam sufficiunt, vel hinc sumant cum rubore silentium, quia optat vas electionis anathema esse, à Christo pro fratribus suis, quàm perdurare crudelibus in delictis. Rom. 9.

3 Tertio ratiocinationis alloquio doluimus contra priora monita patrum, vota pernicioſissima posterorum. Nam quanto frequentiùs illi noxia vetuerunt, tanto studiosiùs isti perpetrare vetita non quiescunt. Sicq; per contrarium, quod penitùs occumbere debuit, insultare non desinit : & res, quæ tot excisa decretis arescere potuit, ad vicem Lernæi capitis, (vt ferunt fabulæ) truncata virescit. Denique, quod non sine magno dolore dicendum est, reperiuntur quàmplurimi, negocio muneris perituri, mercari velle gratiam Spiritussancti, dum vile præmium donant, vt pontificalis ordinis sublime columen accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti per pecuniam possideri. Proinde, quia & vsitatum est tantum malum, & Maiorum frequenter extat, mucrone succisum, nos quoque huic vulneri cancerosо ignitum (quod supereſt) adhuc injcimus ferrum, decernentes omninò, vt quicunque deinceps propter accipiendam sacerdotij dignitatem, quodlibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis opprobrio condemnatum, atq; à participatione Christi corporis, & sanguinis alienum, ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis extiterit, qui acculet, ille, qui hunc ordinē munerū fuerat acceptione lucratus, & susceptо honoris gradu priuetur, & in monasterio sub perenni pę- *relegetur nitentia * religetur. Illi verò, qui pro hac causa munerum acceptores extiterint, si clerici fuerint, honoris amissione mulctentur : Si verò laici, anathemate perpetuo condemnentur. Actor. 8. Leuit. 19. & 20. Colos. 3.

4 Quartæ congressionis euentu obuius sese nobis intulit pontificalis culminis lapsus quem antè flere, quàm disponere compulsi ex ordine sumus. Nam dum secundùm carnis assumptæ mysterium, Ecclesiæ suæ fuerit dignatus caput existere Christus, meritò in membris eius intentio Episcoporū officia peragere cernitur oculorum. Ipsi enim de sublimiori celsitudine ordinum regunt, & disponunt subiectas multitudines plebium. Vnde quantò ipsi sequentium fiunt ductores, tantò meritorum lumine debent præfulgere. Quapropter omnes Episcopi inter cætera virtutum ornamenta, nitore carnis debent propensiùs enitere, vt ex hoc, audientes munditiam appetant, ex quo doctores immunditia non deturpat: adeò, vt si deinceps Episcopi detecti fuerint, execrabilibus flagitijs cum quibuslibet fœminis pollui, ac familiari peculiaritate versari, nouerint, se irreuocabili sententia patrum vlcisci, id est, & loci & ordinis dignitate priuari.

5 Quintæ actionis impulsu peruenit ad totius Concilij sacrum auditum, quosdam sacerdotes & ministros, obliuiscentes maiorum ac veterum constitutorum, aut vxorum, aut quarumcunque fœminarum immunda societate, & execrabili contagione turpari, & pessima cordis obstinatione, tam sacris literis, quàm patrum regulis obuiantes, nec leui quidem respiramine contemplantes, quod scriptum est : Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum, dicit Dominus. Et illud Apostolicum, Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, id est, fornicationem & immunditiam; concupiscentiam

per eligantur. Quia & qui murorum vndique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Nostri quoque seculi Doctor egregius Ecclesiæ Catholicæ nouissimum decus præcedentibus ætate postremus, doctrinæ comparatione non infimus, &, quod maius est, in seculorum fine doctissimus, atque cum reuerentia nominandus Isidorus, in libro sententiarum secundo, hæc pro tali narrat negocio : Non est conseruandum sacramentum, quod malè incautè promittitur : velut si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius est enim sacramentum non implere, quàm permanere in stupri flagitio. Similiter in Synonymis: In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum; quod incautè vouisti, non facies: impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Hæc de sacris paginis, auctoribusq; præcipuis breuissimè sufficiat prælibasse. Nam plurima colligere poterit, qui hæc attentiùs legendo quærierit. Cæterùm quibus hæc nequaquam sufficiunt, vel hinc sumant cum rubore silentium : quia optat Vas electionis anathema esse à Christo pro fratribus nostris, quàm perdurare crudelibus in delictis. Isidor. li. 1. sentен. c. 31. de iuramen. sent. 10. & 22. q. 4. non ist hoc. Isidor. li. 2. Vide hic Burc. qui hic mirè variat.

3 Tertiæ ratiocinationis alloquio doluimus, contra priorum monita Patrum, vota pernicioſissima posterum. Nam quanto frequentius illi noxia vetuerunt, tanto studioſius isti perpetrare vetita non quiescunt. Sicque per contrarium, quod penitus occumbere debuit, insultare non desinit : & res quæ tot excisa decretis arescere potuit, ad vicem Lernæi capitis, vt ferunt fabulæ, truncata virescit. Denique, quod sine magno dolore dicendum non est, reperiuntur quamplurimi negocio muneris perituri, mercari velle gratiam Spiritus sancti, dum vile præmium donant, vt Pontificalis ordinis sublime culmen accipiant; obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem: Pecunia tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti per pecuniam possideri. Proinde quia & vsitatum est tale malum, & maiorum frequenter extat mucrone succisum, nos quoque huic vulneri cancroso ignitum, quod supereſt, adhuc injcimus ferrum; decernentes omnimodo, vt quicunque deinceps pro percipienda Sacerdotij dignitate quodlibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore se nouerit anathematis opprobrio condemnatum, atque à perceptione CHRISTI corporis & sanguinis alienum, ex quo illum constat hoc execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis extiterit, qui accu- Decret. Ilit. p. 5. c. 83.

malam & auaritiam? quibus quanto est pertinacior * vis in malis, tanto austerioribus conuenit obuiare decretis. Propter quod flagitijs detectis, specialiter hoc à sancto Concilio definitur, vt omnes Episcopi idipsum in suis quærere solicitè curent. Et cùm hoc verissimè reperire potuerint, omnes placita cautione taliter distringant, vt nunquam vlterius tam abominanda committant. Mulieres verò seu liberæ sint, seu ancillæ, hac illis turpitudine sociatæ, ita omnimodè separentur, aut certè vendantur, vt vlterius ad consocios sui criminis reuertendi omnem habeant aditum denegatum. Illi verò, si omnino coerceri nequiuerint, vsque ad exitum vitæ suę monasterijs deputati, disciplinis monasticis maneant omnino subiecti.

* vsus

6 Sextæ discussionis obiecto, quorundam malè sibi consciorum patuit denotatum elogium. Nam relatum est nobis, quosdam subdiaconos, postquam ad sacri huius ordinis peruenerint gradum, non solùm carnis immunditia sordidari, cùm scriptum sit, Mundamini qui fertis vasa Domini: sed etiam (quod dictu quoque nefas est) nouis vxoribus copulari, asserentes hoc ideo sibi licere, quia benedictionem à pontifice se nesciunt percepisse. Proinde, omni excusationum discisso velamine, id præcipimus obseruari, vt, cum ijdem subdiacones ordinantur, cum vasis ministerij benedictio eis ab episcopo detur, sicut in quibusdam Ecclesijs vetustas tradit antiqua, & sacra dinoscitur consuetudo substare prolata, omni penitus ab illis sorde mulierum ac familiaritate remota. Quòd si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub pœnitentiæ oneribus vsq; ad extremum vitę monasterijs religandi.

Esa. 52.

17 Septimæ assertionis accessu adijt cœtum nostrum tam inuerecunda progressio, quàm ignobilis ac detestanda præsumptio. Quosdam enim, aut euentu necessitatum, aut metu periculorum, adeptos fuisse nouimus, Ecclesiasticarum officia dignitatum. Et quoniam, cùm illis hæc imponerentur, id sibi fieri noluisse testati sunt, idcirco hæc spernere, atque ad pristina pertentant coniugia moresque redire, tam nequiter cœlestia iura soluantes, quam promptè seculi extant illecebris inhiantes. Qua de re nosse nos conuenit, quòd episcopalis eminentiæ diuina authoritas non immeritò sacris omnibus esse summa percensuit, quę cæteris sacerdotibus exercenda prohibuit: scilicet, templorum Dei sacrationem, chrismatis benedictionem, sacrorumq; ordinum institutionem, quæ tam diuinaliter ordinata persistunt, quâ excellentissimè conferuntur: quia & tanto ab eis singulariter impendũtur, quanto eidem summo culmini peragenda seruantur. Quomodò ergo, quòd in se recipit, à se eijcere poterit, cùm hæc à nullo altero conferri, quam à solis pontificibus nouit, à quibus nec ligata solui, nec soluta poterunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum veritas ait: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlo. Nequaquam ergo aliquando poterit prophanari, quod diuina iussione, simulque Apostolicæ traditionis authoritate sacrum noscitur extitisse. Verùm sicut sanctum chrisma collatum, & altaris honor euelli non queũt, ita quoq; sacrũ decus honorũ, quod his compar habetur & socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnimode inconuulsum. Ad extirpandum verò radicitus huius callidè machinationis inutile argumentum, id sibi rationabiliter dari nouerint in obiectu, quòd sacrosancti baptismatis inappreciabile donum est semper, & sæpè non solùm nolentibus, verum etiam (quod maius est) nescientib. impartitur, sed hoc à nullo penitus prophanari permittitur. Quod & si hic opponitur, necdum rationis capacem existere, qui hoc probatur accipere: hinc omnino cognoscant, quia si maiores impunè non deserunt, quod paruuli vel nesciendo, vel nolendo percipiunt, quanto magis non conuenit violari, quod pro mortis aut pœnarum euadenda pernicie, occulta Dei dispensatione dinoscitur obuenisse? Recedant ergo talium desideriorum sine verecundia impudorati fautores, & licet inuiti perceperint quod non merebantur habere: libenter tamen ob cœleste retineant præmium, quod nolendo, propter terrenæ consecuti sunt necessitatis euentum, vt tam inuiti appetant bona diligere, quàm sponte videntur desidentes impugnare. Quòd si quis post hoc perrennis dispositionis edictum, non synceriter

Matt. 16.

lam & auaritiam: quibus quanto est pertinacior vsus in malis, tanto austerioribus conuenit obuiare decretis. Propter quod flagitij dedecus, specialiter hoc à sancto Concilio definitur, vt omnes Episcopi id ipsum in suis quærere solicitè curent; & cum hoc verissimè reperire potuerint, omnes placiti cautione tali distringant, vt nunquam vlteriùs tam abominanda committant. Mulieres verò, seu liberæ sint, seu ancillæ, ac illis turpitudine sociatæ, ita omnibus modis separentur, & monasterio tradantur, vt vlteriùs ad conscios sui criminis reuertendi omnem habeant aditum denegatum. Illi verò si omninò coërceri nequiuerint, vsque ad exitum vitæ suæ, monasterijs deputati, pœnitentiæ disciplinis maneant omninò subiecti.

6 Sextæ discussionis obiectu quorundam malè sibi consciorum patuit denotatum elogium. Nam relatum est nobis, quosdam Subdiaconos, postquam ad sacri huius ordinis peruenerint gradum, non solùm carnis immunditia sordidari; cùm scriptum sit: Mundamini, qui fertis vasa Domini: sed etiam quod dictu quoque nefas est, nouis vxoribus copulari; asserentes hoc ideo sibi licere, quia benedictionem à Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde omni excusationum discisso velamine, id præcipimus obseruari, vt cùm ijdem Subdiacones ordinantur, cum vasis ministerij benedictio eis ab Episcopo detur, (sicut in quibusdam Ecclesijs vetustas tradit antiqua, & sacra dignoscitur consuetudo substare prolata) omni penitùs ab illis sorde mulierũ, ac familiaritate remota. Quod si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub pœnitentiæ oneribus, vsque ad extremum vitæ monasterijs religandi.

7 Septimæ assertionis accessu adijt cœtum nostrum tam inuerecunda progressio, quàm ignobilis, ac detestanda præsumptio. Quosdam enim, aut euẽtu necessitatum, aut metu periculorum adeptos fuisse nouimus Ecclesiasticarum officia dignitatum: & quoniam cum illis hæc imponerentur, id sibi fieri noluisse testantur, idcircò hæc spernere, atque ad pristina pertentant coniugia, moresque redire; tam nequiter cœlestia iura soluentes, quàm promptè secularibus extant illecebris inhiantes. Qua de re nosse nos conuenit, quod Episcopalis eminentiæ culmen non immeritò sacris omnibus esse summa percensuit, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit; scilicet templorum Dei sacrationem chrismæ benedictionem; sacrorumque ordinum institutionem, quæ tam diuinaliter ordinata persistunt, quàm excellentissimè conferuntur: quia & tanto ab eis singulariter impenduntur, quanto eidem summo culmini peragenda seruantur. Quomodo ergò quod in se recipit, à se reijcere poterit, cùm hæc à nullo altero conferri, quam à solis Pontificibus nouit, à quibus nec ligata solui, nec soluta poterunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum Veritas ait: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlo. Nequaquam ergò aliquando poterit profanari, quod diuina iussione, simulque Apostolicæ traditionis auctoritate sacrum noscitur extitisse. Verùm sicut sanctum chrisma collatum, & altaris honor, euelli non queunt, ita quoque sanctorum decus honorum, quod his compar habetur & socium, qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnibus modis inconuulsum. Ad extirpandum verò radicitus huius callidæ machinationis inutile argumentum, id sibi rationabiliter dari nouerint in obiectu, quod sacrosancti Baptismatis inappretiabile donum est semper; & sæpè non solùm nolentibus, verumetiam (quod maius est) nescientibus impertitur: sed hoc à nullo penitùs profanari permittitur. Quòd si & hic opponitur, nec dum rationis capaces existere, qui hoc probantur accipere, hic omnimodò conticescant; quia si maiores impunè non deserunt, quod paruuli, vel nesciendo, vel nolendo percipiunt, quanto magis non conuenit violare, quod pro mortis, aut pœnarum euadenda pernicie, occulta Dei dispensatione dignoscitur obuenisse.

Recedant ergò talium desideriorum impudorati fautores; & licet inuiti perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen ob cœleste retineant præmium, quod nolendo, per terrenæ consecuti sunt necessitatis euentum: vt tamen inuiti appetant bona diligere, quæ sponte videntur, desides impugnare. Quòd si quis post hoc perennis dispositionis

sacris inhæserit cultibus, & abijciens à se gratiam quam accepit, relabitur ad coniugium, moresque seculi attentauerit, vel eum redire ad hoc constiterit: mox omni Ecclesiastici ordinis dignitate priuetur, & vt apostata, à sanctæ Ecclesiæ luminibus, & societate fidelium habeatur prorsus exclusus, monastarij claustris, donec aduixerit, sub pœnitentia retrudendus.

8 Octauæ disceptationis affatu reperimus quosdam diuinis officijs mancipatos, tantæ nescientiæ socordia plenos, vt nec in illis probentur instructi competenter ordinibus, qui quotidianos versantur in vsus. Proinde solicitè constituitur atque decernitur, vt nullius cuiuscunque dignitatis Ecclesiasticæ deinceps percipiant gradum, qui non totum psalterium vel canticorum vsualium & hymnorum, siue baptizandi perfectè nouerint supplementum. Illi sanè, qui iam honorum dignitate funguntur, huiusce tamen ignorantiæ cæcitate vexantur, aut spontè sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut à maioribus ad lectionis exercitia cogantur inuiti.

9 Nonæ intētionis admonitu detecta est ingluuies horrenda voracium, quæ dum freno parsimoniæ non adstringitur, religioni contraire* monstratur. Dicente enim scriptura, Qui spernit minima, paulatim decidit: illi tanta edacitatis improbitate grassantur, vt cœlestia & penè summa contemnere videantur. Etenim cùm Quadragesimæ dies, anni totius decimæ deputentur, quæ & in oblatione ieiunij Domino consecrantur, quibus etiam saluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur, & ex quatuor elementis formatus, propter transgressionem decalogi quaterdecies conuenienter affligitur: illis, qui ausu temerario hæc omnia contemnunt. nec voracitatis ingluuiem frenant, & (quod peius est) paschalia festa illicitorum esuum perceptione prophanant, ex hoc adeò acerrimè interdicitur, vt quisquis absque ineuitabili necessitate atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserint attentare, non solùm reus erit resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non antè prohibita violare præsumant, quam à sacerdote permissum percipiant.

10 Decimæ colluctationis assensu molestis actibus, quos sagax indagatio pietati obuiare detexit, & non tam benè regendi licentia, quam se mansuetudo impugnâsse probauit, satis (vt opinamur) & lege glorioſi principis, & decreto sanctę synodi huius contradictum esse conspeximus. Ita enim sanctus spiritus per vtrasque definitiones mortalium corda proflauit, vt vitali flatu verborum, in posterum omnem exureret malè concupiscentium rabiem animorum. Actum nanq; est definitionibus ipsis, vt quia pietatis diuinæ incomprehensibilis naturæ se conditioni mortaliū in vnitate personæ coniunxit mysterio redemptionis humanæ, nos quoque membra capitis huius & perfidiæ malum & concupiscentiam, quæ radix malorum est, omnium, & auaritiam, quæ inuenitur seruitus idolorum, pari simul igne ac mucrone, totoque artificio radicitùs euellamus ac desecemus. Ab hinc ergò deinceps ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, vt aut in vrbe regia, aut in loco, vbi princeps decesserit, cum pontificum, maiorumque palatij omnimodò eligātur assensu, non forinsecùs cœtu aut conspiratione paucorum, aut rusticarum plebiū seditioso tumultu. Erunt catholicæ fidei assertores, eamque & ab hac, quæ imminet, Iudæorum perfidia, & à cunctarum hæresum iniuria defendentes: erunt actibus, iudicijs, &

*recenſetur. Eccl. 19.

Nota.

1. Tim. 6. Epheſ. 5.

edictum, non sinceriter sacris inhæserit cultibus, & abijciens à se gratiam, quam accepit, relabi ad coniugia, moresque seculi attentauerit, vel eum redire constiterit, mox omni Ecclesiastici ordinis dignitate priuatus, verè, vt apostata à sanctæ Ecclesiæ liminibus, & societate fidelium habeatur prorsus exclusus; monasterij claustris, donec aduixerit, sub pœnitentia retrudendus.

8 Octauæ disceptationis affectu reperimus quosdam diuinis officijs mancipatos tanta nesciente socordia plenos, vt nec in illis probentur instructi competēter ordinibus, qui quotidianos versantur in vsus. Proinde solicitè constituitur, atque decernitur, vt nullus cuiuscunque dignitatis Ecclesiasticæ deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum vsualium, & hymnorum, siue baptizandi perfectè nouerit supplementum. Illi verò, qui iam honorum dignitate funguntur, huius tamen ignorantiæ cæcitate vexantur, aut spontè sumant intentionem necessaria perdiscendi, aut à maioribus ad lectionis exercitia cogantur inuiti. Absurdum siquidem est, eos, qui cæteros simpliciores & laicos habent docere (quibus & disciplinę, & vitæ debent esse veluti quoddam speculum) ad alicuius ordinis, vel dignitatis promoueri statum, qui legem Dei ignorant, nec literarum saltem mediocritate sint insigniti. Nullus igitur ad sacra Dei mysteria tractanda veniat indoctus lotus aliquis, aut ignorantiæ tenebris cæcutiens: sed solus is accedat, quem morum innocentia, & literarum splendor reddunt illustrem. Aliter ordinaturis, & ordinandis imminet in posterum Dei, & eius Ecclesiæ vindicta.

9 Nonæ intētionis admonitu detecta est ingluuies horrenda voracium, quæ dum fræno parsimouiæ non adstringitur, religioni contraire censetur. Nam dicente Scriptura: Qui spernit minima, paulatim decidet in maxima, illi tanto edacitatis improbæ sumptu grassantur, vt cœlestia, & penè summa contemnere videantur. Etenim cùm Quadragesimæ dies anni totius decimæ deputentur, quæ in oblatione ieiunij Domini consecrantur, quibus etiā saluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur; quatuor elementis formatus, propter transgressionem Decalogi quaterdecies conuenienter affligitur, illi ausu temerario hæc omnia contemnentes voracitatis ingluuiem non frænant, & (quod peius est) Paschalia festa illicitorū esuum præceptione profanant. Quibus ex hoc adeò acerrimè interdicitur, vt quisquis absque ineuitabili necessitate, atque fragilitatis euidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit resurrectionis Dominicæ, verumetiam alienus ab eiusdem diei sancta communione. Et hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam: quia sacris diebus abstinētiæ oblitus est disciplinam. Illi verò, quos, aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à Sacerdote permissum accipiant.

Iuo. p. 15. c. 89.

10 Decimæ conlocutionis assensu molestis actibus, quos sagax indagatio pietati obuiare detexit, & non tam benè regendi licentia, quàm se manſuetudo impugnasse probauit, satis (vt opinamur) & lege glorioſi Principis, & decreto sanctæ Synodi huius contradictum esse conspeximus. Ita enim sanctus Spiritus per vtrasque definitiones mortalium corda perflauit, vt vitali flatu verborum in posterum omnem exureret malè concupiscentium rabiem animorum. Actum namque est in definitionibus ipsis, vt quia pietatis diuinæ incomprehensibilis & ignota natura, sese conditioni mortalium in vnione personæ coniunxit mysterio redemptionis humanæ, nos quoque à membris capitis huius, & perfidiæ malum, & concupiscentiam, quæ radix malorum est omnium, & auaritiam, quæ inuenitur seruitus Idolorum, pari simul igne, ac mucrone, totoque artificio radicitus euellamus, ac desecemus. Ab hinc ergò, & deinceps, ita erunt in regni gloriam præficiendi rectores, vt aut in vrbe regia, aut in loco, vbi Princeps decesserit, cum Pontificum, maiorumque palatij omnimodo eligantur assensu; non forinsecus, aut conspiratione paucorum, aut rusticarum plebiū seditioso tumultu. Erunt Catholicæ fidei assertores, eamque, & ab hac, quæ imminet Iudæorum perfidia, & à cunctarum

vita modesti: erunt in prouisionibus rerum parci, plusquàm extenti, vt nulla vi aut factione, scripturarum vel definitionũ qualiumcunque contractus à subditis vel exigant, vel exigendos intendant: erunt in conquisitis *obligationis gratissimæ rebus, non prospectantes proprij iura commodi, sed consulentes patriæ atque genti. De rebus congregatis ab eis, illas tãtummodò sibi vendicent partes, quas dictauerit authoritas principalis. Verùm quæcunque inordinata reliquerint, hæreditabunt successores proprij eorum, & antè regnum iustissimè conquisita, aut filij, aut hæredes capiant iure proximitatis. De affinium successione vel munere, quamuis inordinatè relicta sunt, aut primò tantùm filijs, aut hæredibus sequenter proficiant, vel propinquis, atque ita in eorum cunctis actibus, moribus ac rebus præfatæ legis authoritas erit valitura, vt & perenniter maneat inconuulsa, & non priùs apicem regni quisque percipiat, quam se illa per omnia suppleturum iurisiurandi taxatione definiat. Cui etiam legi vel decreto Episcopalem non solùm in futuro, sed etiam in præsenti reuerentiam apponentes, decernimus, vt quicunque detractor, & non potiùs venerator decreti eiusdem atque legis esse maluerit, siue religiosus ille sit, siue laicus, non solùm Ecclesiastica excommunicatione plectatur, verùm & sui ordinis dignitate priuetur.

*oblationegratissima

11 Vndecimæ occasionis articulo decretorum vniuersalium perenne dedimus firmamentum, scientes, quòd multimoda semper Deus oppositione iudiciorum ærumnas releuat oppressorum. Et sicut malis exigentibus hominum, permittit exerceri pœnas vltionum: ita cùm voluerit, grauedines releuat pressurarum. Hinc & decreta præcedentium patrum, ad contentionis iurgium radicitus euellendum, ritè synodalem fieri censuêre conuentum, vt illic de diuersitate iudiciorum *præteritæ lites habeãt terminum, vbi sanctus spiritus vniuersalem coadunauerit cœtum. Ab hoc ergò spiritu sancto succensi, ne quælibet in posterum aut impunè valeant committi, aut generalia statuta conuelli, plena decernimus vnanimitate connexi, vt quæcunque pro fidei causis, Ecclesiasticisque negocijs, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, aut in futuris etiam decretis vel sint vel fuerint definitiones conscriptæ vniuersali authoritate, nullus deinceps contradicere audeat, nullus euertere præsumat, nullus non implere contendat. Nam si quis ex religione contra hæc inobediens, aut susurrans, aut certè lacerator, aut inuidus, ac non potiùs eorundem fautor extiterit *gratia, & honoris sui & communionis sacræ lugeat amissione mulctatus. Cùm verò aut quælibet sancta synodus agitur, aut pacificè inter pontifices quippiam definitur, si pauciores, per nescientiam vel contentionem fortè dissentiãt, aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis abscedant, aut excommunicationis annuæ sententiam luant.

protẽsæ

gratiosus

12 Duodecimæ quæstionis propositione, quæ est finalis & vltima sacratissimi principis obsecratione pijssima, pro Iudæorum abominabili ac nefanda perfidia, execrãda nostro cœtui perpatuit causa. Quam idcircò in fine sententiarum censuimus esse ponendam, quoniam eandem gentem, delicti sui merito retroductam, per diuinæ sanctionis oracula à capite positam, deflemus nunc esse in cauda. Sed quia Christus, vt pro nobis, ita quoque pro illis mortuus est, iuxta quod ipse ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierant, domûs Israel: necessarium duximus, summam pro eis impẽdere curam, pro quibus suam Christus ponere non dedignatus est animam. Ideoque principali clementia deuotissimè approbante, (quæ ob hoc sui regni apicem à Deo solidari præoptat, si catholicæ fidei pereuntium turmas acquirat, indignum reputãs, orthodoxæ fidei principem sacrilegis imperare, & infidelium societate pollui) nihil aliud pro his ex nostra sententia definitur, quàm vt decreta Concilij Toletani, quòd diuæ memoriæ Sisenandi regis aggregatum est tempore, à nobis ac posteris omnimoda suppleantur intentione. Qui autem ab eiusdem synodi voluerit sententia dissentire, vt verè sacrilegum nouerit se condemnari.

Matt. 15.

Diuinæ Trinitatis inseparabile nomen, sicut inspiratione mirabile nostrorum tractatuum primordia illuminauit, ita consummatione sublimi eundẽ iam perficiendo cõcludat;

hæresum iniuria defendentes: erunt actibus, iudicijs, & vit modesti: erunt in prouisionibus rerum tam parci ampliùs quàm extenti, vt nulla vi, aut factione scripturarum, vel definitionum qualiumcumque, contractus à subditis, vel exigant, vel exigendos intendant: erunt in conquisitis oblationibus gratissimè rebus, non prospectantes proprij iura commodi, sed consulentes patriæ, atque genti. De rebus congregatis ab eis, illas tantùm sibi vendicent partes, quas dictauerit auctoritas Principalis. Verùm quæcunque inordinata reliquerint hæreditabunt gloriam successores. Propria eorum, & antè regnum iustissimè conquisita, aut filij, aut hæredes capiant iure proximitatis. De affinium successione vel munere, quamuis inordinata relicta, aut primo tantum filijs, aut hæredibus sequenter proficiant, vel propinquis. Atque ita in eorum cunctis actibus, moribus, atque rebus præfatæ legis erit auctoritas valitura, vt ea perenniter maneat inconuulsa. Et non priùs apicem regni quisquam perceperit, quàm se illa per omnia suppleturum iurisiurandi taxatione definiat. Cui etiam legi, vel decreto Episcopali, non solùm in futuro, sed etiam in præsenti reuerentiam apponentes, decernimus, vt quicunque detractor, & non potiùs venerator decreti eiusdem, atque legis esse maluerit, siue religiosus ille, siue sit laicus, non solùm Ecclesiastica excommunicatione plectatur, verùm & sui ordinis dignitate priuetur.

11 Vndecimæ occasionis articulo decretorum vniuersalium perenne dedimus firmamentum, scientes, quòd multimoda semper Deus suppositione iudiciorum ærumnam releuet oppressorum: & sicut malis exigentibus hominum permittit exerceri pœnas vltionem, ita cùm voluerit grauedines releuat pressurarum. Hinc & decreta præcedentium Patrum, ad contentionis iurgium radicitus euellendum, ritè Synodalem fieri censuere conuentum; vt illic de diuersitate iudiciorum protensę lites habeant terminum, vbi Spiritus sanctus vniuersalem coadunauerit cœtum. Ab hoc ergò Spiritu sancto succensi; ne quilibet in posterum, aut impunè valeant commoueri, aut generalia statuta conuellere plena decernimus vnanimitate connexi, vt quæcunque pro fidei causis, Ecclesiasticisque negocijs, aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, aut futuris etiam in decretis vel sint, vel fuerint definitiones conscriptæ vniuersali auctoritate, nullus his deinceps contradicere audeat, nullus ea euertere præsumat, nullus non implere contendat. Nam si quis ex religione contra hæc inobediens, aut susurrans, vel certè lacerator, aut inuidus, aut non potius eorundem fautor extiterit gratiosus, & honoris sui, & communionis sanctæ lugeat amissione multatus. Cùm vero quælibet sancta Synodus agitur, aut pacificè inter Pontifices quippiam definitur; si pauciores per nescientiam, vel contentionem fortè dissentiant; aut commoniti plurimorum sententiæ cedant, aut ab eorum cœtu cum dedecore confusionis abscedant, & excommunicationis annuæ sententiam luant.

12 Duodecima, quæ est finalis & vltima sacratissimi Principis obsecratione pijssima, pro Iudæorum abominabili ac nefanda perfidia, execranda nostro cœtui perpatuit causa: quam idcircò in fine sententiarum censuimus esse ponẽdam, quoniam eandem gentem delicti sui merito retroductam, per diuinæ sanctionis oracula à capite positam deflemus in caudam. Sed quia Christus, vt pro nobis, ita quoque pro illis est mortuus, iuxta quod ipse ait: Non sum missus nisi ad oues, quę perierant domus Israël; necessarium duximus summam pro eis impendere curam, pro quibus suam Christus ponere non dedignatus est animam. Ideoque principali clementia deuotissimè præfauentes, quæ ob hoc sui regni apicem à Domino solidari præoptat, si catholicæ fidei pereuntium turmas adquirat (indignum orthodoxæ fidei Principem sacrilegis imperare, fideliumque plebem infidelium societate polluere) nihil aliud pro his ex nostra sententia definitur, quàm vt decreta Concilij Toletani, quod diuæ memoriæ Sisenandi Regis aggregatum est tempore, à nobis, ac posteris omnimoda suppleantur intentione. Quisquis autem ab eiusdem Synodi voluerit sententia dissentire, vt verè sacrilegum se nouerit condemnari.

Concil. Tol. 4. ca. 56. 57. 58. 59. 61. & 62.

13 Diuinæ Trinitatis inseparabile nomen, sicut inspiratione mirabile nostrorum tractatuum primordia lineauit; ita consummatione sublimi eadem iam perficiendo cõcludit:

vt in illo ſit noſtrum explicuiſſe, à quo nobis adfuit inchoâſſe. Damus ergò gloriam & honorem eidem ſanctæ & indiuiſibili Trinitati, quæ nobis & ex ſe dicere contulit, & in ſe dicta compleuit: quæ reformauit in extremitate ſeculorum remedia pietatum, & reſoluit ligamina vinculorum. Sit gratiarum actio, ſalus & benedictio exercituum Domino, ſuper ſereniſſimo Receſuintho principe glorioſo. Gratiarú actio & reuerentiæ plenitudo, à nobis omnibus in commune ipſi clementiſſimo principi, bonorum gratifico largitori, cuius votorum inſtantia benigna Deus attulit complementa: cuius diſpoſitio pijſſima, preſſurarum remouit exitia: cuius temporibus conferat vigere iuſtitiam, & exuberare miſericordiam opulentam: cui poſt præſentis æui tempora, diuturnam cum ſanctis omnibus tribuat in remuneratione coronam. Nos autem omnes hanc decretorum noſtrorum ſeriem ex rectæ fidei, vel pietatis ac iuſtitiæ fonte manãtem, coram Deo & ſanctis Angelis, eius orthodoxis omnibus & nunc & in futuro impenſiſſimè commendamus, obſecrantes enixiùs, vt hac & reuerenter adimpleant, & ab æmulis benignè defendãt. Contemnentibus autem eam diuinæ ſeueritatis vltio pauenda pro ueniat, obſeruantibus autem miſericordia profluens, pax perpetua, & gloria ſempiterna contingat. Huius quoque ſententiæ fortitudine vel vigore, decreti noſtri ſeriem, quam in ſereniſſimi domini noſtri Receſuinthi regis edidimus nomine, pro rebus à diuæ memoriæ patre ſuo quolibet titulo conquiſitis, decernimus omninò conſtare. Legem denique, quam pro coërcenda principum horrenda cupiditate idem clemen tiſſ. edidit princeps, ſimili robore firmamus, atque vt futuris retrò temporibus modis omnibus obſeruetur, pari ſententia definimus. Quæ etiam ne taciturnitate temporum, vel obliuioſa vetuſtate * deſerantur, huic noſtræ conſtitutioni decreuimus vtraque innectenda, & ita cunctorum memoriæ commendanda, vt à cunctis regulis ſuperiùs ordinatis, * nequaquam maneant ſegregata. Cætera quoque decretorum noſtrorum iudicia, quæ ab hac ſancta ſynodo noſcuntur eſſe confecta, ſi quis conuellere forſitan decreuerit, aut temerè implere neglexerit, vel infringere quandoq; voluerit, per iudicium omnipotentis Dei anathema ſit. Soli autem Deo noſtro gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

* depereãt

* nuſquã

¶ Interfuerunt huic ſancto Concilio, qui & ſubſcripſerunt, pontifices numero * LII.

* LV.

Orontius Emeriten. Metropolitanus Epiſcopus.
Antonius Hiſpalen. Metropo. epiſcopus.
Eugenius regiæ vrbis metropol. epiſc.
Potamius Calaguritanus epiſc.
Potamius Bracaren. metropol. epiſc.
Epartius Italicen. epiſc.
Anſericus Segobien. epiſc.
Dunila Malacitanus epiſc.
Toila Gerunden. epiſc.
Stephanus Aſtigitanus epiſc.
* Tagontius Valerien. epiſc.
Donus * Imopyrenæus epiſc.
Vuinibal Ilicitanus epiſc.
Ioannes Caurien. epiſc.
Floridius Segobricen. epiſc.
Egeredus Salamanticen. epiſc.
Marcus Caſtulonen. epiſc.
Georgius Agathen. epiſc.
Vincentius Tuccitanus epiſc.
Sclua Egabren. epiſc.
Vuidericus Segontien. epiſc.
Candidatus Aſturicen. epiſc.
Dalila Compluten. epiſc.
Athanaſius Setabien. epiſc.
Goëricus Auſonen. epiſc.
Abientius Elboren. epiſc.
Filimirus Lamecen. epiſc.
Seruandus Ilipen. epiſc.
Sylueſter Carcaſſonen. epiſc.
Ala Eliberitanus epiſc.
Vadila Viſen. epiſc.
Amamingus Elnen. epiſc.
Afrila Dertoſanus epiſc.

* Oſcãdus

vt in illo ſit noſtrum explicuiſſe, à quo nobis adfuit inchoare. Damus ergò gloriam & honorem eidem ſanctæ atque indiuiſibili Trinitati, quæ nobis ex ſe dicere contulit, & in ſe dicta compleuit; quæ reformauit in extremitate ſeculorum remedia pietatum, & reſoluit ligamina vinculorum. Sit gratiarum actio, ſalus, & benedictio exercituum Domino ſuper ſereniſſimum Receſuinthum, Principem glorioſum. Gratiarum actio, & reuerentiæ plenitudo, à nobis omnibus in commune, ipſi clementiſſimo Principi bonorum gratifico largitori; cuius votorum inſtantia benigna Deus attulit complementa; cuius diſpoſitione pijſſima preſſurarum remouit exitia; cuius temporibus conferat vigere iuſtitiam & exuberare miſericordiam opulentam; cui poſt præſentis æui tempora, diuturnam cum ſanctis omnibus tribuat in remuneratione coronam. Nos autem omnes hanc decretorum ſeriem ex rectæ, vel pietatis ac iuſtitiæ fonte manantem, coram Deo & ſanctis Angelis eius, orthodoxis omnibus, & nunc & in futurum impenſiſſimè commendamus; obſecrantes enixius, vt hanc, & reuerenter adimpleant, & ab æmulis benignè defendãt. Contemnentibus eam diuinę ſeueritatis vltio pauenda proueniat, obſeruantibus autem miſericordia profluens, pax perpetua, & gloria ſempiterna contingat. Huius quoque ſententiæ fortitudine vel valore, decreti noſtri ſeriem, quam in ſereniſſimi domini noſtri Receſuinthi Regis edimus nomine, pro rebus à diuæ memoriæ patre ſuo quolibet titulo conquiſitis, decernimus omninò conſtare. Legem denique, quam pro coërcenda Principum horrenda cupiditate, idem clementiſſimus edidit Princeps ſimili robore firmamus, atque vt in futuris retro temporibus, modis omnibus obſeruetur, pari ſententia definimus. Quæ etiam ne taciturnitate temporum, vel obliuioſa vetuſtate depereant, huic noſtræ conſtitutioni vtraque decernimus innectenda; ita cunctorum memorię commendanda, vt à cunctis regulis ſuperius ordinatis nuſquam maneant ſegregata. Cætera quoque decretorum noſtrorum iudicia, quæ ab hac Synodo noſcuntur eſſe confecta, ſi quis conuellere forſitan decreuerit, aut temerè implere neglexerit, vel infringere quandoque voluerit, per iudicium omnipotentis Dei anathema ſit. Soli autem Deo noſtro gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

¶ Interfuerunt huic ſancto concilio Pontifices numero quinquaginta duo, id eſt:

Orontius, Emeritenſis metropolitanus Epiſcopus.
Antonius, Spalenſis Metropolitanus Epiſcopus.
Eugenius, Regiæ vrbis Metropolitanus Epiſcopus.
Potamius, Bracarenſis Metropolitanus Epiſcopus.
Gabinus Calagurritanus Epiſc.
Epartius Italicenſis Epiſc.
Anſericus Segobienſis Epiſc.
Dunila Malacitanus Epiſcopus.
Talo Gerundenſis Epiſcopus.
Stephanus Aſtigitanus Epiſcopus.
Tagontius Valerienſis Epiſcopus.
Donumdei Impuritanus Epiſc.
Vbinibal Ilicitanus Epiſc.
Ioannes Caurienſis Epiſc.
Floridus Segobrienſis Epiſc.
Marcus Caſtellonenſis Epiſc.
Georgius Agathenſis Epiſc.
Vincentius Tuccitanus Epiſc.
Selua Egitanienſis Epiſc.
Vbidericus Segontinus Epiſc.
Candidatus Aſturicenſis Epiſc.
Dauila Complutenſis Epiſc.
Egeredus Salmanticenſis Epiſc.
Athanaſius Setabitanus Epiſc.
Guericus Auſonenſis Epiſc.
Mauricius Oretanus Epiſc.
Abientius Elborenſis Epiſc.
Filimirus Lamicenſis Epiſc.
Seruandus Eliplenſis Epiſc.
Silueſter Carcaſſonenſis Epiſc.
Ala Eliberitanus Epiſc.
Vnadila Viſenſis Epiſc.
Amanurus Abilenſis Epiſc.

Adeodatus Pacen. Episcopus.
Baucada Agabren. Episcopus.
Felix Valentinen. Episcopus.
Phosphorus Corduben. Episc.
Froila Mentesanus Episcopus.
*Bistargen. vel Bigerren. Giberus *Bigastren. Episcopus.
Maurellus Vrgellen. Episcopus.
Hermenfredus Lucen. Episc.
Ascaricus Palentinus Episc.
Celidonius Caliabren. Episc.
Litorius Ausen. Episc.
Iulianus Accitanus Episcopus.
*Bastitanus. *Somtanus Aurien. Episcopus.
Seruusdei *Bastianus Episcopus.
Sisebertus Conimbricen. Episc.
Taio Cæsaraugustanus Episcopus.
Eusebius Oscen. Episcopus.
Balduigius Arcobricen. Episcopus.
Maurulius Oretanus Episcopus.

Item Abbates.

Fugitiuus Abbas.
Anatolius Abbas.
Eupsychius Abbas.
Hildephonsus Abbas.
Simpronius Abbas.
Eumerius Abbas.
Quiriacus Abbas.
Morarius Abbas.
Ioannes Abbas.
Secundinus Abbas.
Marcellinus archipresbyt. Toletanus.
Siliculus primicerius.

Vicarij Episcoporum.

Osdulgus Abbas Riachimiri Episcopi Ecclesiæ Dumien.

Seruandus archipresbyter Vincentij episcopi Ecclesiæ Gerabricen. vel Agirien.

Godiscalcus presbyter Egilæ episcopi Ecclesiæ Oxouien.

Matterius presbyter Somnani episcopi Britoleen. Ecclesiæ.

Victorinus presbyter Beati episcopi Ecclesiæ Tuden.

Guitericus diaconus Maurelli Dianensis Ecclesiæ episcopi.

Tonantius Diaconus Gauduleni episcopi Ecclesiæ Ilerdensis.

Daniel diaconus Marcelli Vrcitanæ Ecclesiæ episcopi.

Sindigis diaconus Vincibilis episcopi ecclesiæ Irienſis.

Saragellus diaconus Saturnini Ossonoben. Ecclesiæ episcopi.

Viri Illustres officij Palatini.

Odoacer comes cubiculariorum.
Osilo comes cubiculariorum.
Adulphus comes *Sanciarum & dux.
for. *Scandiarum Babilo comes & *procer.

Ataculphus comes.
Ella comes & dux.
Paulus comes notariorum.
Euantius comes Scanciarum.
Rucchila comes patrimoniorum.
Afrila comes Scanciarum.
Venedarius comes Scanciarum & dux.
Fandila comes Scanciarum & dux.
Euredius comes & *procer.
for. *procer. Cumefredus comes sacrariorum.
Froila comes & *procer.

Afrila Dertosanus Episcopus.
Adeodatus Pacensis Episcopus.
Bacanda Egabrensis Episcopus.
Felix Valentinus Episcopus.
Euforus Cordubensis Episcopus.
Froila Mentesanus Episcopus.
Giberius Bigastren. Episcopus.
Maurellus Vrgilitanus Episcopus.
Hermenfredus Lucensis Episco.
Ascarius Palentinus Episcopus.
Celedonius Calabriensis Episc.
Litorius Aucensis Episcopus.
Iulianus Auccitanus Episcopus.
Sona Aurensis Episcopus.
Seruodeus Bastitanus Episcopus.
Sisebertus Coimbrensis Episcopus.
Taio Cæsaraugustanus Episcopus.
Eusebius Oscensis Episcopus.
Balduigius Arcauicensis Episcopus.

Item Abbates.

Fugitiuus Abbas subscrip.
Anatolius Abbas subscripsi.
Eusicius Abbas subscripsi.
Ildefonsus Abbas subscripsi.
Simpronius Abbas subscripsi.
Eumerius Abbas subscripsi.
Quiriacus Abbas subscripsi.
Morarius Abbas.
Ioannes Abbas.
Secundinus Abbas.
Marcellinus Archipresbyt. Toletanus subscripsi.
Silicolus Primicerius subscripsi.

Item Vicarij Episcoporum.

Osdulfus Auianchimari Episcopi Ecclesiæ Dumiensis, subscripsi.
Seruandus, archipresbyter Vincentij Episcopi Ecclesiæ Agarensis, subscripsi.
Godescalcus, presbyter Egilanis episcopi Ecclesiæ Oxomensis, subscripsi.
Matericus, presbyter Sonani episcopi Ecclesiæ Britanicnsis, subscripsi.
Victorinus, presbyter beati episcopi Ecclesiæ Tudensis, subscripsi.
Suttericus, Diaconus Gaudiolani episcopi Ecclesiæ Ilerdensis, subscripsi.
Conantius, diaconus Mareli episcopi Ecclesiæ Dianensis, subscripsi.
Daniel, diaconus Marcelli episcopi Ecclesiæ Vrcitanæ, subscripsi.
Sindigis, diaconus Vincibilis episcopi Ecclesiæ Irienſis, subscripsi.
Sagarellus, diaconus Saturnini episcopi Ecclesiæ Osonobensis, subscripsi.

Item ex viris Illustribus officij Palatini.

Hodoacrus, Comes Cubiculariorum, & Dux.
Osilo, comes cubiculariorum, & dux.
Adulphus, comes Scantiarum, & dux.
Dabilo, comes, & Procer.
Astalaus, comes.
Atanephus, comes, & dux.
Ella, comes, & dux.
Paulus, comes Notariorum.
Tuancius, comes Scantiarum.
Euredus, Comes, & Procer.
Ricilla, comes Patrimoniorum.
Afrila comes Scantiarum.
Vbenedarius, comes Scantiar. & dux.
Fandila, comes Scantiarum, & dux.
Cunefridus, comes Spathariorum.
Frolla, comes, & procer.

DECRETVM VNIVERSALIS CONCILij, editum in nomine Principis.

SOliditatem reddidisse fracturæ, atque fecisse consurgere quod extiterat collisum, & incrementum est vsitatæ mercedis, & plenitudo consummatæ perfectionis. Ponderi etenim collidentis ruinę, si æqualium proximorum curam conuenit obuiare: quanto grauioris erit culpæ, prælatos incuriæ discrimen incurrere, si non quo valent, ex communi onere sibi commissos procurent populos subleuare? Properandũ ergò est inter ruinas collisionum, cateruas eripere collisorum, vt ex hoc iugiter & vltra nec vigorẽ nocendi habeat execranda pressura, & omnis compressus, nouerit sanctæ sanctionis esse sibi collata remedia. Cum decursis ergò temporib. duræ dominationis sese potestas grauis attolleret, & in subiectis populis impiorum dominatus non formaret iura regiminis, sed excidia vltionis: adspeximus subditorum statum non ex ordine vegetari rectoris, sed deijci ex grauedine potestatis. Contraxerunt enim reges elata fastigia in bifronti dissidio motionis, & aut in culpis lex ardua sæuiebat, aut in spolijs fauorem lex voluntaria commodabat. Inde mœstos animos non spes fouebat ex munere, sed tolerantia vexabat in funere. Vnde iam increpationis occursu nõ tantùm nos abire sola ratio cogit, verùm & ipsa commonitio rerum impellit, vt ex omniũ deliberatione animorum concordi illa maneat sententia dicti, quæ & finem ausibus ritè ponat illicitis, & consultum saluandis iure ferat populis. Quosdam namque conspeximus reges, postquàm fuerint regni gloriam assecuti, extenuatis viribus populorum, rei propriæ congerere lucrum, & obliti, quòd reges sint vocati, defensionem in vastationem conuertunt, qui vastationem defensione pellere debuerũt, illud grauiùs innectentes, quòd ea, quæ videntur acquirere, non regni deputant honori vel gloriæ, sed ita malunt in suo iure confundi, vt veluti ex debito decernant, hęc in liberorum posteritatem transmitti. Quamobrem in proprietatis illa conantur redigere sinum, quæ pro solo constat illos imperij percepisse fastigio: & illud in iuris proprij collocant antro, quod publicæ vtilitatis acquisitum esse constat obtentu. Nam nunquid ad illos aut populorum aduentus, aut rerum poterat cõcurrere census, nisi extitissent gloriæ sublimati culminibus? Aut ab æqualibus illi potuerint rerum coaceruatione ditari, nisi per subiectos glorioso apice potuissent attolli? Omnia certè totius plebis mẽbra subiecta, dum ad principale caput releuant attentum debitæ * iussionis obtutum, negociorum ab illo prospectant remedium, cui modò gratum, modò debitum irrogant censum. Regalis proindè orthodoxa sublimitas hæc cuncta sibi deberi conuincit, ex quo se * regem recognoscit, & indè conquisita, non alteri, quàm sibi, iustè defendit. Vnde non personæ, sed potentiæ subdi hæc debere nõ ambigit. Regem terrenum iura faciunt non persona: quia non constat sui mediocritate, sed sublimitatis honore. Quæ ergò honori debentur, honori deseruiant: & quæ reges accumulant, regno relinquant: vt quia eos regni gloria decorat, ipsi quoq; regni gloriam non extenuent, sed exornent. Habeant deincèps iure conditi reges in regendo corda solicita, in operando facta modesta, in decernendo iudicia iusta, in parcẽdo pectora prompta, in conquirendo studia parca, in conseruando vota syncera: & tanto gloriam regni cum felicitate retentent, quanto iura regiminis & mansuetudine conseruauerint, & æquitate direxerint. Promissæ præmium * ditionis, ne non prodisse putetur ex fomite rationis, * reuelare conuenit euidentissima specie operis, vt ex illo nos idoneos assertores habeat probitas veritatis, ex quo sempe semetipsam reseruauerit qualitas actionis. Ecce enim ita ex gentis nostræ mediocribus, maioribusque personis multos hactenus corruisse reperimus & deflemus, vt eorum agnitis ruinis, non aliud possimus, quàm diuinæ iudicia considerare permissionis, quorum domorum spolia & potentiarum diuitias, simul ac prædia ita conspicimus prorsus exinanita, vt nec fisci vsibus commoda, nec palatinis officijs reperiantur in remedium salutare collata. Cuius rei serie ex vtroque concurrente defectu, dum & iudicatos sententia iudiciorum elisit, & in eorum bonis ad ipsorum vicem munificatus, nemo penè nõ tenuisse disciplinam in ordine, sed defectum posuisse pẽsatur in gente, illo maioris salutis

* visionis

* regere cuncta

* dictionis

* reuelare

DECRETVM IN DIE SECVNDA vniuersalis Concilij editum in nomine Principis.

SOliditatem reddidisse fracturæ, atque fecisse consurgere, quod extiterat collisum, & incrementum est vsitatæ mercedis & plenitudo consummatæ perfectionis. Ponderi etenim collidentis ruinæ, si æqualium proximorum curam conuenit obuiare, quanto grandioris culpæ erit Prælatos incuriæ discrimen incurrere, si non quo valent, excommunicationis onere commissos procurent populos subleuare. Properandum ergò est inter ruinas collisionum, cateruas eripere collisorum: vt ex hoc iugiter & vltra, nec vigorem nocendi habeat execranda pressura, & omnis compressus nouerit sanctionis esse sacra sibi collata remedia. Cum decursis ergò temporibus duræ damnationis sese potestas grauis attolleret, & in subiectis populis imperium dominantis non formaret iura regiminis, sed excidia vltionis; aspeximus subditorum statum non ex ordine vegetari rectoris, sed deijci ex grauedine potestatis. Contraxerant enim leges elata fastigia in bifronti dissidio motionis: & aut in culpis lex ardua sæuiebat, aut in spolijs fauorem lex voluntariè commodabat. Inde mœstos animos non spes fouebat ex munere, sed tolerantia vexabat in funere. Inde iam in reparationis occursu, non tantùm nos abire ratio sola cogit, verum & ipsa commotio rerum impellit: vt ex omnium animorum deliberationne concordi illa maneat sententia dicti, quæ & finem ausibus rite ponat illicitis, & consultum saluandis iure ferat populis. Quosdam namque conspeximus Reges, postquam fuerint regni gloriam assequentes, extenuatis viribus populorum, rei propriæ congerere lucrum: & obliti quòd regere sunt vocati, defensionem in vastationem conuertunt, qui vastationem defensione pellere debuerunt. Illud grauius innectentes, quòd ea, quæ videntur acquirere, non regni deputant honori, nec gloriæ, sed ita malunt in suo iure confundi, vt veluti ex debito decernant hæc in librorum posteritatem transmitti. Quam itaque ob rem in proprietatis illa conantur redigere sinum, quæ pro solo constat illos Imperiali percepisse fastigio, aut pro libito, in iuris proprij collocant antro, quod publicæ vtilitatis adquisitum esse constat obtentu. Nam nunquid ad illos, aut populorum aduensus; aut rerum poterat concurrere census, nisi extitissent gloriæ sublimati culminibus? aut ab æqualibus illi potuerant rerum coaceruatione ditari, nisi subiectis glorioso apice potuissent attolli? Omnia tamen certè totius plebis membra subiecta, dum ad principale caput releuant attentum debitæ visionis obtutum, ab illo negociorum prospectant remedium, cui modò gratum, modò debitum irrogant censum. Regalis proinde ordo ex hoc cuncta sibi deberi conuincit, ex quo se regere cuncta cognoscit; & inde conquisita, non alteri, quàm sibi iustè defendit; vnde non personæ, sed potentiæ suæ hæc debere non ambigit. Regem etenim iura faciunt non persona: quia nec constat sui mediocritate, sed sublimitatis honore. Quæ ergò honori debentur honori deseruiant; & quæ reges accumulant, regno relinquant: vt quia eos gloria regni decorat, ipsi quoque gloriam regni non extenuent, sed exornent. Habeant deinceps iure conditi reges in regendo corda solicita, in operando facta modesta, in decernendo iudicia iusta, in parcendo pectora prompta, in conquirendo studia parca, in conseruando vota sincera, vt tanto gloriam regni cum felicitate retentent, quanto iura regiminis mansuetudine conseruauerint, & æquitate direxerint promissæ præmium dilectionis. Ne non prodisse putetur ex fomite rationis, reuelare conuenit euidentissimam speciem operis: vt ex illo nos idoneos assertores habeat probitas veritatis, ex quo se per semetipsam reseruauerit qualitas actionis. Ecce enim ita ex gentis nostræ mediocribus, maioribusque personis, multos hactenus corruisse reperimus, & deflemus, vt eorum agnitis ruinis, non aliud possimus, quàm diuinæ iudicia considerare permissionis. Quorum quidem domorum spolia, & potentiarum diuitias simul, & prædia ita conspicimus prorsus exinanita, vt nec fisci vsibus commoda, nec Palatinis officijs reperiantur in remedium salutare collata. Cuius rei ex vtroque concurrente defectu, dum & adiudicatos sententia iudiciorũ elisit, & in

diſpendio cumulato, quòd tam hæc, quæ à iudicatis vigor iudiciorum abſtraxerat, quam illa, quæ qualiſcunque prouẽtus ordine profligationis* contriuerat, tota proprietatis principum amplitudo in ſinum ſuæ receptionis incluſerat: ſicque ſolo principali ventre ſuppleto, cuncta totius membra gentis vacuata, langueſcerent ex defectu. Vnde euenit, vt nec ſubſidium mediocres, nec dignitatem valeant obtinere maiores: quia dum ſolius poteſtatis vigor maxima occupauit, totius plebis ſtatus nec minima iura defendit. Itaq; cum omni palatino officio, ſimulque cum maiorum, minorumque conuentu, nos omnes tam pontifices, quam etiam ſacerdotes, & vniuerſi ſacris ordinibus famulantes, concordi definitione decernimus & optamus, vt omnis conquiſitionis profligatio, in omnium rerum viuentium, immobilium quoque & moueri valentiũ, corpore vel ſpecie, forma vel genere, quæ à glorioſæ memoriæ Chindaſiuntho rege à die, quo in regnum dinoſcitur conſcendiſſe, reperta quolibet modo extiterit, omnia in ſereniſſimi atque clementiſſimi Domini noſtri Receſuinthi principis perenni tranſeant poteſtate, & perpetuo deputentur in iure non habenda parentali ſucceſſione, ſed poſſidenda regali cõgreſſione, ita vt iuſtè ſibi debita quiſque percipiat, & de reliquis rebus, ad remedia ſubiectorum quęcunque elegerit, principis voluntas exerceat, illis tantummodo exceptis, quæ memoratus diuæ memoriæ Chindaſiunthus princeps, ante regnum, aut ex proprijs, aut ex iuſtiſſimè conquiſitis, viſus eſt habuiſſe. In quibus, cunctis filijs eius vna cum glorioſo domino noſtro Receſuintho rege, maneat diuiſio libera, & poſſeſſio pace pleniſſima. Sed & illæ res, quas prædictus princeps de iuſtis prouentibus filijs ſuis, vel quibuslibet iuſtiſſimè viſus eſt cõtuliſſe, vel reliquiſſe, omnes in eorum iure maneant inconuulſæ, illa huius negocij ſeruata veritate, vt quia grata volũtas domini noſtri Receſuinthi regis reddere decernit vnicuiq; iuſtiſſimè debita, nemo inuaſionis calumniã moneat, aut damna requirat, * præter quæ glorioſæ memoriæ genitorem eius quædam indebitè * habuiſſe conſtiterat.

*congeſſerat

*propter

*abſtuliſſe

Lex edita in eodem Concilio, à Receſuintho principe glorioſo.

IN nomine Domini, Flauius Receſuinthus rex. Eminentiæ celſitudo terrenæ, tunc ſalubriùs ſublimia probatur appetere, cùm ſaluti proximorum pia cernitur compaſſione prodeſſe. Vndè ſolet contingere, vt plus commodi de aliena ſalute conquirat, quàm de propria vtilitate quiſque proficiat. In multis enim, quia multorum ſalus attenditur, maioris lucri ſumma* perficitur. In ſe autem, quia priuati commodi fructus appetitur, non ſatis eſt, ſi vnius beneficij præmium conquiratur. Hinc & illa regendarum tantundem ſalus eſt plebium, quæ non ſuos fines priuata volũtate concludit, ſed quæ vniuerſalitatis limites communi pietatis lege defendit. Quapropter, ne ſalutaris ordo Imperialibus videatur verbis potiùs obtineri, quàm * pactis, de ſublimitatis obentu declinamus ad vota ſupplicum tranquillæ viſionis adſpectum, vt inde ſalutaris compaſſio habeat commodum, vnde plebes adeptæ fuerint ſupplicationis effectum. Cùm ergò præcedentium ſerie temporum immoderatior auiditas principum ſeſe prona diffunderet in ſpolijs populorũ, & augeret eis proprietatis cenſum ærumna flebilis ſubiectorum, tandem, ſupernæ reſpectionis afflatu, nobis eſt diuinitus inſpiratum, vt quia ſubiectis leges reuerentiæ dederamus, principum quoque exceſſibus retinaculum temperantiæ poneremus. Proindè ſyncera manſuetudinis deliberatione tam nobis, quàm cunctis noſtræ gloriæ ſucceſſoribus affuturis, Deo mediante, legem ponimus, decretumque diualis obſeruantiæ promulgamus, vt nullus regum impulſionis ſuæ quibuſcunque motibus aut factionibus, ſcripturas de quibuslibet rebus alteri debitis, ita extorqueat, vel extorquendas inſtituat, quatenus iniuſtè ac violenter indebitarum ſibi quiſque probare poſſit dominium rerum. Quòd ſi alicuius gratiſſima voluntate quip-

*pcipitur.

*factis,

eorum bonis ad ipſorum vicem munificatus nemo ſurrexit penè, non res iſta diſciplinam in ordine, ſed defectum poſuiſſe penſatur in gente: illo maiori ſalutis diſpendio cumulato, quòd tam hæc, quæ de iudicatis vigor iudiciorum abſtraxerat, quàm illa, quæ qualiſcunque prouentus ordine profligationis congeſſerat, tota proprietatis Principum amplitudo in ſinum ſuæ receptionis incluſerat: ſicque ſolo Principali ventre ſuppleto, cuncta totius gentis membra vacuata langueſcerent ex defectu. Vnde eueniet, vt nec ſubſidium mediocres, nec dignitatem valeant obtinere maiores: quia dum ſolius poteſtatis vigor maxima occupauit totius plebis ſtatus, nec minima iure defendit. Adeò cum omni palatino officio, ſimulque cum maiorum, minorumque conuentu, nos omnes tam Pontifices, quàm etiam Sacerdotes, & vniuerſi ſacris ordinibus famulantes, concordi definitione decernimus, & optamus, vt omnis conquiſitionis profligatio, in omnium rerum viuentium, ac non viuentium; immobilium quoque, & moueri valentium corpore, vel ſpecie, forma, vel genere, quæ à glorioſæ memoriæ Cindaſuintho Rege, à die, quo in regnum dignoſcitur conſcendiſſe, repertus quolibet modo extiterit augmentaſſe, omnia in ſereniſſimi, atque clementiſſimi noſtri Receceſuinthi Principis perenni tranſeant poteſtate; & perpetuò deputentur in iure nõ habenda parentali ſucceſſione, ſed poſſidenda regali congreſſione; ita vt iuſtè ſibi debita quiſque percipiat, & de reliquis ad remedia ſubiectorum, quæcunq; elegerit Principis voluntas, exerceat: illis tantummodo exceptis, quæ memoratus diuæ memoriæ Cindaſuinthus Princeps ante regnum, aut ex proprijs, aut ex iuſtiſſimè conquiſitis viſus eſt habuiſſe: in quibus cunctis filijs eius, vna cum glorioſo domino noſtro Receceſuintho Rege maneat & diuiſio libera, & poſſeſſio pace pleniſſima. Sed & illæ res, quas prædict⁹ Princeps de iuſtis prouẽtibus filijs ſuis, vel quibuſlibet iuſtiſſimè viſus eſt contuliſſe, vel reliquiſſe, oẽs in eorũ iure maneant incõuulſæ: illa negocij huius veritate ſeruata, & quia grata voluntas glorioſi domini noſtri Receceſuinthi Regis reddere decernit vnicuique iuſtiſſimè debita, nemo inuaſionis calumniam moueat, aut damna requirat, propter quod glorioſæ memoriæ genitorem eius quædam indebitè abſtuliſſe conſtiterat.

Lex edita in eodem Concilio à Receceſuintho Principe glorioſo.

IN nomine Domini Flauius Receceſuinthus Rex. Eminentiæ celſitudo terrenæ tunc ſalubrius ſublimia probatur appetere, cum ſaluti proximorum pia cernitur compaſſione prodeſſe. Vnde ſolet contingere, vt plus commodi de aliena ſalute conquirat, quàm de propria vtilitate quiſque percipiat. In multis enim, quia multorum ſalus attenditur, maioris lucri ſumma percipitur; in ſe autem, quia priuati commodi fructus appetitur, non ſatis eſt, ſi vnius beneficij præmia conquirantur. Hinc & illa regendarum tantumdem ſalus eſt plebium, quæ non ſuos fines priuata voluntate cõcludit, ſed quæ vniuerſitatis limites communi proſperitatis lege defendit. Quapropter, ne ſalutis ordo imperialibus videatur verbis potius obtineri, quam factis, de ſublimitatis obtentu declinamus ad vota ſupplicum tranquillæ iuſſionis aſpectum: vt inde ſalutaris compaſſio habeat commodum, vnde turmæ plebium adeptæ fuerint ſupplicationis effectum. Cum igitur præcedentium ſerie temporum immoderatior auiditas Principum ſeſe prona diffunderet in ſpolijs populorum, & augeret eis, rei propriæ cenſum ærumna flebilis ſubiectorum; tandem ſupernæ reſpectionis afflatu nobis eſt diuinitus inſpiratum; vt quia ſubiectis leges reuerentiæ dederamus, Principum quoque exceſſus retinaculum temperantiæ poneremus. Proinde ſincera manſuetudinis deliberatione, tam nobis, quàm cunctis noſtræ gloriæ ſucceſſoribus adfuturis, Deo mediante legem ponimus, decretumque diualis obſeruantiæ promulgamus, vt nullus Regum, impulſionis ſuæ quibuſcunque motibus aut factionibus, ſcripturas de quibuslibet rebus alteri debitis, ita extorqueat, vel extorquendas inſtituat, quatenus iniuſtè ac nolenter, debitarum ſibi quiſque priuari poſſit domino rerum. Quod ſi alicuius gratiſſima voluntate, quid-

Habetur in Foro iudicum lib. 2. tit. 1. lege. 6.

piam de rebus à quocunque perceperit, vel pro euidenti præstatione lucratus aliquid fuerit, in eadem scriptura patens voluntatis & præstiti conditio annotetur, per quàm aut impressio principis, aut conferentis fraus euidentissimè detegatur. Et si patuerit, à nolente fuisse scripturam exactã, aut resipiscat improbitas principis, & euacuet quòd malè contraxit, aut certè post eius mortem ad eum, cui exacta est scriptura, vel ad hæredes eius res ipsæ sine cunctatione debeant reuocari. Illæ autem res, quæ remota omni repræhensionis argumentatione, directo modo transierunt in principis potestatem, in eius perenniter iure perdurent: & quicquid ex rebus ipsis idem princeps ordinare voluerit, suæ potestatis arbitrio subiacebit. Verùm, vt omne huius negocium actionis roboret synceritas veritatis, cum quarumcunque rerum scripturæ in principis nomine extiterint factæ, mox testes, qui in eadem scriptura subscriptores accesserunt, ab his, quos elegerit princeps, diligentissimè perquirantur, si non aliquod indicium, aut de impressione principis, aut de fraude scripturam facientis, modo quocunque cognouerint, vt sic aut ritè facta series scripturę permaneat, aut irritè confecta vanescat. Similis quoque sententia de terris, vineis, atque famulis obseruetur, si sine scripturę textu tantummodo coram testibus, quælibet facta fuerit definitio. De rebus autem omnibus à tempore Suuintillani regis, hucusque à principibus acquisitis, aut deinceps, si prouenerit, acquirendis, quæcunque forsitan princeps inordinata siue relinquit, siue reliquerit, * quæ pro regni apice probantur acquisita fuisse, ad successorem tantummodo regni decernimus pertinere, ita habita potestate, vt quicquid ex his elegerit facere, liberum habeat velle. In illis autem rebus, quæ ipsi aut de bonis parentum, aut de quorumcunque prouenerint successionibus proximorum, ita eidem principi, eiusque (si filij defuerint) hæredibus legitimis hæreditatis iure patebunt, sicut cæteris lege vel successione paterna patuisse noscuntur. Quòd si aliquid de rebus quorumcunque parentum & proximorum, nõ solùm successione, sed etiam qualibet collatione, aut quocunque contractu ad ius ipsius peruenisse patuerit, si contingat hæc inordinata relinqui, nõ ad successorem regni, sed ad filios vel hęredes eius, qui conquisiuit specialiter, omnis eadem conquisitio pertinebit. Nam de illis rebus, quas idem princeps ante regnum aut ex proprio, aut ex iustissimo conquisito dinoscitur habuisse, irreuocabili ordine aut faciendi, quod voluerit, * potestas manebit, aut certè filijs eius successio plena patebit. Quòd si filij defuerint, legitimis hæredibus ex his, quæ inordinata reliquerit, hæreditatem adire licebit. Huius sanè legis sententia in solis erit principum negocijs obseruanda, atque ita perpetim valitura, vt non ante quispiam solium regale conscendat, quam iuramenti fœdere hanc legem se in omnibus implere promittat. Quemcunque verò aut per tumultuosas plebes, aut per absconsa dignitatis publicæ machinamenta adeptum esse constiterit regni fastigia, mox idem cum omnibus tam nefariè sibi cõsentientibus, & anathema fiat, & Christianorum communionem amittat, tam diræ percussionis vltione collisus, vt omnis diuini ordinis cultor, qui illi communicare præsumpserit, simili cum ipso damnatione dispereat, & pœna tabescat. Nam si quis legis huius seriem ex officio palatino maleuolè detrahendo lacerare voluerit, aut euacuandam quandoque vel silenter mussitans, vel apertè resultans, proloqui detectus extiterit: cunctis palatinæ dignitatis consortijs & officijs mox nudatus, omnium rerum suarum dimidiam partem amittat, & in deputato sibi loco redactus, à totius palatij maneat societate seclusus. Religiosus etiam, qui se in hanc culpam deuoluerit, simili rerum proprietatis suæ dispendio subiacebit.

*quoniã

*potestatẽ habebit,

Concilij Toletani octaui finis.

piam de rebus à quocunq; perceperit, vel pro euidenti præstatione, lucratus aliquid fuerit, in eadem scriptura patens voluntatis, ac præstiti conditio adnotetur, per quam à nolente fuisse scripturam exactam, aut resipiscat improbitas Principis, & euacuet, quod malè contraxit; aut certè post eius mortem ad eum, cui exacta est scriptura, vel ad hæredes eius res ipsæ, sine cunctatione debeant reuocari. Illæ autem res, quæ secluſa omni compressionis argumentatione directo modo transierunt in Principis potestatem, in eius perenniter iure perdurent: & quidquid ex rebus ipsis idẽ Princeps ordinare voluerit, suæ potestatis arbitrio subiacebit. Verùm vt omne huius negocium actionis roboret sinceritas veritatis: cum quarumcunque rerum scripturæ in Principis nomine extiterint factę, mox testes, qui in eadem scriptura subscriptores accesserint, ab his, quos elegerit Princeps diligentissimè perquirantur, si non aliquod indicium, aut de impressione Principis, aut de fraude scripturam facientis, modo quocunque cognouerint. Ac sic aut ritè facta series scripturæ permaneat, aut irritè confecta vanescat. Similis quoque ordo de terris, vineis, atque familijs obseruetur, si sine scripturæ textu, tantummodo corã testibus quælibet facta fuerit definitio. De rebus autem omnibus à tempore Suinthilani Regis hucusque à Principibus adquisitis, aut deinceps (si prouenerit) adquirendis, quæcunque forsitan Princeps inordinata, siue reliquit, seu reliquerit; quoniam pro regni apice probantur adquisita fuisse, ad successorem tantundem regni decernimus pertinere; ita habita potestate, vt quidquid ex his elegerit facere, liberũ habeat velle. In illis autem rebus, quæ ipsi, aut de bonis parentum, aut de quorumcunque prouenerint successionibus proximorum, ita eidem Principi, eiusque filijs (aut si filij defuerint) hæredibus quoq; legitimis hæreditatis iura patebunt, sicut etiam cæteris lege, vel successione patere noscuntur. Quod si aliquid ex rebus quorumcunq; parentum aut proximorum, non solum successione, sed etiam qualibet collatione, aut quocunque contractu ad ius ipsius peruenisse patuerit; si contingat hæc inordinata relinqui, non ad successorem regni, sed ad filios, vel hæredes eius, qui conquisiuit specialiter omnis eadem conquisitio pertinebit. Nam & de illis rebus, quæ idem Princeps ante regnum, aut ex proprio, aut ex iustissimè conquisito dignoscitur habuisse, irreuocabili ordine, aut faciendi quod voluerit potestatem habebit, aut certè filijs eius successio plena patebit. Quòd si filij defuerint, legitimis hæredibus ex his, quæ inordinata reliquerit, hæreditatem adire licebit. Huius sanè legis sententia in solis erit Principum negocijs obseruanda, atque ita perpetim valitura, vt non ante quispiam solium regale conscendat, quam iuramenti fœdere hanc legem se in omnibus implere promittat. Quæcunque verò, aut per tumultuosas plebes, aut per absconsa dignitati publicæ machinamenta, adeptum esse constiterit regni fastigia, mox idem cum omnibus tam nefariè sibi consentientibus, & anathema fiat, & Christianorum communionem amittat; tam diræ percussionis vltione collisus, vt omnis diuini ordinis cultor, qui illi communicare præsumpserit, simili cum ipso damnatione dispereat, & pœna tabescat. Nam & si quis legis huius seriem ex officio Palatino maleuolè detrahendo lacerare voluerit, aut euacuandam quandoq; vel silenter mussitans, vel apertè resultans, proloqui detectus extiterit, cunctis Palatinæ dignitatis & consortijs, & officijs mox nudatus, omnium rerum suarum dimidiam partem amittat, & in deputato sibi loco redactus, à totius Palatij maneat societate reclusus. Religiosus etiam, qui se in eadem culpa deuoluerit, simili rerum proprietatis suæ dispendio subiacebit.

De subscriptionibus. NOTÆ Ioan. Garsiæ.

Qui quotue Episcopi Concil.

SVbscribunt Episcopi multi, qui in septimo Toletano, sed plures de nouo promoti. Nam cum septimum congregatum fuisset Era 664. Octauum post viginti & septem annos, Era 691. in hoc temporis spatio multi Episcopi (vt est labilis humana cõditio) ex illis, qui septimo interfuerunt, extremum diem obierant, & alij suffecti huic octauo interfuerunt. Qui in septimo & alijs subscribunt, sunt Antonius Hispa-

Tolet. 7. & 8. subscripserint

Hispalensis, Ansericus Segobiensis, in quinto, sexto, & septimo. Candidatus Asturicensis, Dauila Malacitanus, Donum dei Impuritanus, Eugenius Toletanus, in 5. 6. & 7. Epartius Italicensis, in sexto & septimo. Egeridus Salmanticensis, Ioannes Cauriensis, Marcus Castelonensis, Orontius Emeritensis, Stephanus Astigitanus, Sonanus, qui & Sona, Britaniensis, Vbinibal Elicitanus, Vbidericus Segontinus, Gabinus Calagurritanus in quarto. Qui verò alijs suffecti subscribunt denuo, sunt Athanasius Setabitanus, qui successit Orontio, in quinto. Abientius Elborensis, qui successit Sisiclo, in septimo. Afrila Dertosanus, Ioanni, in sexto. Adeodatus Pacensis, Theuderedo, in 7. Asciarius Palentinus, Conantio, in 6. Ariachimarus Dumiensis, Resimundo, in 7. Bacauda Egabrensis, Deodato, in 7. Balduigius Arcauicensis, qui successit Carterio, in 4. Beatus Tudensis, Anastasio, in 6. Celedonius Calabrensis, Seruodei, in septimo. Dauila Complutensis, Hilario, in 7. Euforus Cordubensis, Laufredo, in septimo. Eusebius Oscensis, Ordulfo, in sexto. Floridius Segobiensis, Antonio, in 5. Filimirus Lamicensis, VVitarico, in septimo. Felix Valentinus, Anniano, in 7. Froila Mentesanus, Giberico, in septimo. Guericus Ausonensis, Domino, in 6. Hermenfredus Lucensis, Basconio, in septimo. Iulianus Auscitanus, Iusto, in 6. Latorius Aucensis, Amanungo, in 5. Mauricius Oretanus, Suauila, in 6. Maurellus Vrgelitanus, Ranario in 4. Marelus Dianensis, Antonio, in quinto. Potamius Bracarensis, Iuliano, in 6. Selua Egitanensis, Armenio, in 7. Syluester Carcassonensis, Elpidio, in 5. Seruandus Eliplensis, Ioanni, in septimo. Sona Auriensis, Gaudesteni, in 6. Sesibertus Coimbrensis, Renato, in 6. Saturninus Osonobensis. Taio Cæsaraugustanus, Braulioni, in 6. Tagontius Valeriensis, Maguntio, in Toletano sub Gundemaro. Vincentius Tucitanus, Budæ, in 6. Vnadila Visensis, Farno, in septimo. Vincibilis Iriensis, Gotomario, in septimo.

Bacanda] *Lege Bacauda, ex lapide marmoreo Cabræ reperto cum hac inscriptione.* ARA SANCTA DOMINI CONSECRATA EST BASILICA HÆC S. MARIÆ. II. KALEND. IVNIAS, ERA DC. LXXXVIII. DEDICAVIT HÆC TANDEM D.M.S. BACAVDA EPISCOPVS EGABRENSIS. FVNDAVIT EAM ALTISSIMVS, PER EVLALIAM ET FILIVM EIVS PAVLVM MONACHVM.

Litorius Ausensis] *Hinc coniecturam facio sepulchrum marmoreum Litorij Talabricæ olim repertum, fuisse hominis Gothici Catholici: quod ex temporis ratione etiam suspicari licet. Inscriptio sic habet:* LITORIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANNIS, PLVS MINVS, LXXXV. REQVIEVIT IN PACE DIE VIII. KALEND. IVLIAS, ERA D.XXXXVIII.

Litorius Ausensis Catholicus.

A Ϯ ω

Erat vir proceræ staturæ: nam eius ossa, quæ hodie cernuntur, valde communem hominum longitudinem superant.

Subscribunt post Episcopos, & ante eorum Vicarios, Abbates, Archipresbyteri, & Primicerij, postea verò vltimo loco, viri illustres officij Palatini. Quod etiam in confirmationibus priuilegiorum obseruatum esse à Notarijs regijs comperio, in priuilegijs rotæ Regiæ, hoc ordine: Reges, Reginæ, & Infantes confirmant primò, deinde Archiepiscopus Toletanus, & cæteri primæ sedis: illico Episcopi omnes, postea Magistri militiæ, illico proceres & viri illustres regni, quibus is honos defertur.

Quis ordo in subscriptionibus obseruatus.

Fugitiuus Abbas] *Abbas, vt Isidoro placet lib. 7. Orig. cap. 13. Syrum nomen est, significat Latinè pater: quod Paulus Romanis scribens exposuit dicens: In quo clamamus Abba pater, in vno nomine duobus vsus linguis: dicit enim Abba Syro nomine patrem, & rursus Latinè nominat, id est, patrem.*

Abbas quid significet?

Titulus hic & forma appellationis ex anachoretis primum in Christiana religione cœpit frequentari. Sozomenus libr. 5. cap. 10. & Hieronymus in vita Hilarij tradunt, ab Hilarione anachoreta in saltibus Thebaidis Syriæ, vitam Monachi durissimè agente, plures viri formulam viuendi accepisse, & inde eremi cultum in cœtum monasteriorum translulisse. Similiter D. Antonium in Thebaica regione AEgypti, ex anachoretis monasterium condidisse. Duces verò & præpositos horum cœtuum, nomine patrio, veneratione causa, Abbates dixerunt. Est enim solitudinis potius, quàm honoris appellatio. Idem Græca voce sonat ἀρχιμανδρίτης, *à solitudine ordinis* (Μάνδρα, *solitudinem significant*) *quasi solitarijs præpositus: & sic caput ordinis S. Basilij vocatur.*

Origo nominis Abbatis quæ?

De subscriptionibus Abbatum, & aliorum.

OMnes hi Abbates non erant exempti à potestate Episcopi diœceseos, vt ex Concilio Toletano 4. constat, & Later. 1. sub Gregorio. 1. Hîc subscribunt Abbates decem; inter quos Ildefonsus Abbas Agaliensis monasterij, qui postea fuit Toletanus Antistes vita & morte conspicuus, & inter diuos relatus.

Quot Abbates huic Concilio subscripserint?

Marcellus Archipresbyter] *Archipresbyteri nunc est vsus: cuius duo sunt species, vna vrbicani seu ciuitatensis, altera ruralis. Ciuitatensis est, qui in vrbe constitutus, munus absente Præsule exequitur, & eius loco officium diuinum incipit: benedictiones in Ecclesia dat, & alia, vt in titulo de officio Archipresb. continentur, ex constit. Leonis PP. Ruralis præest solummodò plebi, vt in cap. fi. eod. tit.*

Archipresbyter duplex.

Siliculus, Primicerius] *Huius vocis Primicerij diuersas origines, & functiones animaduerto apud doctos huius temporis viros. Alciatus in annotat. in tres posteriores lib. C. tit. 7. de Primicerio, & Secundicerio, & Notarijs. lib. 12. tom. 2. existimat sic appellatum à cera, cum in ceratis tabulis esset olim scribendi vsus: vnde Primicerius, quasi primus notariorum, & secundicerius, secundus notariorum: quã sententiam sequuntur alij. Brissonius lib. 4. de verb. signifi. arbitratur non esse vocem cõiunctam, sed simplicem; ita vt dicatur quasi primus, & vt interpretatur Suidas,* πρωτικήριον, τὸν πρῶτον τῆς τάξεως, *hoc est, primus in ordine. Vnde quicunque in aliqua functione primum locum obtinet, Primicerius nominatur. Vnde Augustinus Stephanum appellat, Primicerium martyrum, & Primicerium Notariorum, qui erat primus inter Notarios principis, qui & Protoscrinarius. Habes apud Cassiodorum, variar. lib. 6. diuersa Primiceriorum officia. In officijs Ecclesiasticis Primicerius dicitur qui est primus in aliqua dignitate & antesignanus. Sic dicitur Primicerius cantorum, & fabricæ, & ex corpore Decanorum: vnde primus in ordine quolibet cera vel scriptura dicebatur Primicerius. Nam mos erat antiquis ante admirabilem papyri, aut membranæ inuentionem, ad monumẽta adseruanda vti cera, & tabulis ceratis, & pugillaribus, sicut rudis antiquitas palmarum & arborum foliis & plumbeis voluminibus, & priuatis linteis. Vnde ille dicebatur Primicerius, qui primus erat in cera scriptus, id est in capite, & exordio primæ pagellæ: secundicerius qui in secunda, vsque ad imam ceram, vt illud Suetonij in Iulio Cæsare, cap. 83. Iulium Cæsarem. Q. Pedium ex quadrante hæredem instituisse, reliquos in ima cera, id est Q. Pedium, ex quarta parte assis, reliquos in vltima parte tabulæ testamentariæ. Nam testamentum diuidebatur tabulis ipsis ceratis: in prima parte nomen testatoris; in secunda hæredes instituebantur; in extrema & ima reliqui omnes. Hinc illud Horatij serm. lib. 2. satyr. 5.*

Primicerius quis dicatur: quæue eius functiones.

Qui testamentum tradet tibi cunq; legendum,
Abnuere & tabulas à te remouere memento:
Sic tamen, vt limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu: solus, multis ne cohæres,
Veloci percurre oculo.

De quo Alexand. ab Alexand. lib. 1. dierum Genial. cap. 1. & ibi And. Tiraq.

Existimo coniunctam vocem esse non simplicem, dicíq; Primicerium, quasi primum in cera positum. In ecclesia Toletana, albo cera linito, vt facilè posit deleri, stipendia Canonicorum & aliorum ministrorum obelo notantur. Vel Primicerius dicitur primus in Clero: is dicitur Sacellanus maior. Nam Succentor, vel Caput scholæ, qui à Græcis χοροδιδάσκαλος *dicitur, aliud à Primicerio. Adiuuat hanc nostram interpretationem decretum. 10. Concilij Emeritensis, vbi dicitur & legitur:* Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primi clerum. *Siliculus erat Primicerius Toletanus, siue Primiclerus: & erat specialis dignitas, vt Archidiaconus, & Archipresbyter. Et erat Primicerius, vel Primiclerus, Subdiaconibus & Clericis præpositus, eorumque gerebat curam: vt ex eodem Concilio constat cap. 14. vbi agitur de diuidenda pecunia oblata Ecclesiæ, in tres partes: prima Episcopo conceditur: secunda Presbyteris & Diaconibus: de tertia sic dicitur:* Tertia vero Subdiaconibus & Clericis tribuatur; vt à Primiclero, iuxta quod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur.

Quæ Etymologia Primicerij.

Vt autem exactè intelligatur Primicerij officium, apponam epistolam Isidori iunioris, Episcopi Hispalensis, ad Leudefredum Episcopum Cordubensem, quam ex Codice M. f. bibliothecæ Diui Laurentij (Philippi Regis Catholici admirabile opus) per antiquo, dicto Vigilano excerpsi: vbi de officijs Ecclesiasticis, quid censuerit seculum antiquum, clarè cognosces.

EPISTOLA BEATI ISIDORI IVNIORIS, Episcopi Hispalensis ecclesiæ, ad Leudefredum Episcopum Cordubensis ecclesiæ directa.

Epistola Isidori iunioris.

DOMINO *meo Dei seruo, Leudefredo Episcopo, Isidorus.* Perlectis sanctitatis tuæ literis gauisus sum, quòd optatam salutem tuam earum relatu cognoui. De his autẽ, quæ in consequentibus insinuare eloquij tui sermo studuit, gratias ago Deo, quòd solicitudinem officij postulatis impendis, & qualiter ecclesiastica officia ordinentur perquiris. Et licet omnia prudentiæ vestræ sint cognita, tamen quia affectu paterno me consulis, ex parte qua valeo, expediam, & de omnibus Ecclesiæ gradibus quid ad quem pertineat, eloquar.

Ostiarij officium?

Ad Ostiarium namq; pertinent claues Ecclesiæ; vt claudat, & aperiat templum Dei, & omnia quę sunt intus, extraque custodiat: fideles recipiat, excommunicatos, & infideles proijciat.

Officium Acolythi?

Ad Acolythum pertinet præparatio luminariorum in sacrario: ipse cereum portat, ipse suggesta præ Eucharistiæ calice præparat.

Exorcistę.

Ad Exorcistam pertinet, exorcismos memoriter retinere, manum super Energumenos, & Catechumenos exorcizandos imponere.

Psalmistę.

Ad Psalmistam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, psalmum, laudes, sacrificium, respõsoria, & quicquid pertinet ad cantandi peritiam.

Lectores.

Ad Lectorem pertinet, lectiones pronunciare, & ea quæ Prophetæ vaticinauerunt, populus prædicare.

Subdiaconi.

Ad Subdiaconum pertinet, calicem & patenam ad altarium Christi deferre, & Leuitis tradere, eisque administrare: vrceolum quoque, & aquamanilem, & manutergium tenere, & Episcopo, & Presbyteris, & Leuitis pro lauandis ante altarium manibus aquam præbere.

Diaconi.

Ad Diaconum pertinet, assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi; in Baptismo scilicet, in Chrismate; in patena, & calice oblationes inferre, & disponere in altario, cõponere mensam Domini, atque vestire, crucem ferre, prædicare Euangelium, & Apostolum. Nam sicut Lectoribus vetus testamentum, ita Diaconibus nouum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoq; pertinet officium precum, recitatio nominum, ipse præmonet preces ad Dominum, ipse hortatur orare, ipse clamat, & pacem ipse annunciat.

Presbyteri.

Ad Presbyterum pertinet, Sacramentum corporis & sanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere populum.

Episcopi.

Ad Episcopum pertinet basilicarum consecratio, vnctio altaris, confectio chrismatis: ipse prædicta officia & ordines Ecclesiasticos constituit. Ipse sacras virgines benedicit: & dum præsit vnusquisq; in singulis, hic tamen est præordinator in cunctis. Hi sunt ordines & ministeria Clericorũ, quæ tamen auctoritate pontificali in Archidiaconi cura, & Primicerij, ac Thesaurarij solicitudine diuiduntur.

Archidiaconi.

Archidiaconus enim imperat Subdiaconibus, & Leuitis, ad quem ista ministeria pertinent: ordinatio vestiendi altaris à Leuitis, cura incensi, & sacrificij deferendi ad altare, cura Subdiaconorum de subinferendis ad altare in sacrificio necessarijs: solicitudo, quis Leuitarum Apostolum, & Euangelium legat, quis preces dicat, seu respõsorium in Dominicis diebus, aut solennitatum. Solicitudo quoque parochitanorum, & ordinatio & iurgia ad eius pertinent curam. Pro reparandis diœcesanis basilicis, ipse suggerit Sacerdoti; ipse inquirit parochias cum iussione Episcopi, & ornamenta, vel res basilicarum parochitanarum, gesta libertatum Ecclesiasticarum Episcopo idem defert. Collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo defert, & Clericis partes proprias idem distribuit. Ab Archidiacono nunciatur Episcopo excessus Diaconorum: ipse denunciat Sacerdoti in sacrario ieiuniorum dies, atque solennitatum, & ab ipso publicè in Ecclesia prædicatur.

Quando autem Archidiaconus absens est, vicẽ eius Diaconus sequens adimplet.

Primicerij officiũ quod?

Ad Primicerium pertinent Acolythi & Exorcistæ, Psalmistæ, atque Lectores: signum quoque dandi pro officio Clericorum, pro vitæ honestate, & officium meditandi, & peragendi solitudo, lectiones benedictiones, psalmum, Laudes, offertorium, & responsoria, quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoque & modus psallendo in choro pro solennitate, & tempore; ordinatio pro luminarijs deportandis. Si quid etiam necessarium pro reparatione basilicarum, quæ sunt in vrbe, ipse denunciat Sacerdoti: epistolas Episcopi pro diebus ieiuniorum parochianis per ostiarios iste dirigit. Clericos quos delinquere cognoscit, iste distringit. Quos vero emendare non vult, eorum excessus ad agnitionem Episcopi defert. Basilicarios ipse constituit, & matriculas ipse disponit. Quando autem Primicerius absens est, ea quæ prædicta sunt ille exequitur, qui ei aut loco est proximus, aut eruditione in his expediendis intentus.

Thesaurarij munus.

Ad Thesauriarum pertinent Basilicarij, & Ostiarij, ordinatio incensi præparandi, cura Chrismæ conficiendæ, cura baptisterij ordinandi. Præparatio luminariorum in sacrario, præparatio sacrificij de his quæ immolanda sunt. Ad eũ venient de parochijs pro chrisma: & cereos, oblationes altaris ipse accipit à populo, ipse colligit per Ecclesias cereos in festiuitatibus. Ad eum pertinent ornamenta, & vestimenta altaris: quicquid in vsu templi est, sub eius ordinatione existit: ornamenta basilicarum, quæ in vrbe sunt, & non habent Presbyteros, ipse custodit. De candelis autem, & cereolis quotidianis quicquid supereſt in basilicis, Basilicarius per singulos menses huic deportat: ex quibus Thesaurarius dat quartam Basilicario, tres reliquas partes diuidit æqualiter sibi, cum Primicerio, & Presbytero, qui Missam celebrat in eandem basilicam.

Oeconomi officiũ.

Ad Oeconomum pertinet reparatio basilicarum, atque constructio: actiones Ecclesiæ in iudicijs, vel in proferendo, vel in respondendo: tributi quoque acceptio, & rationes eorum quæ inferuntur, cura agrorum, & culturę vinearum, causę possessionum & seruitialium, stipendia Clericorum, viduarum, & deuotarum pauperum, dispensatio vestimenti & victus domesticorum Clericorum, seruitialium quoque, & artificum: quæ omnia cum iussu & arbitrio sui Episcopi ab eo implentur.

Hæc sunt enim, quæ vel à maioribus per officiorum ordines distributa sunt, vel consuetudine Ecclesiarum in vnumquemque seruata. Nec aliquid ex his nostri iudicij deputes, nisi quod aut ratio docuit, aut vetustatis antiquitas sanxit.

Patermonasterij quis constituẽdus?

Patrem autem monasterij vnde innotuistis, illum præferri oportet, quem sancta vita & probitas morum commendat: quique dum subiectus extitit fraus in illo non fuit, huic iustæ gratiæ cumulantor, dicente Domino: *Quia in pauca fuisti fidelis, in multa te constituam.* Qui verò adhuc sub regimine positus improbè vixit, & fratribus fraudem facere non pertimuit, hic Prælatus, licenter ac liberè maiora & deteriora committet, dum se in potestate & libertate aspexerit. De talibus enim dicit Apostolus: *Sed vos iniuriam facitis & fraudatis; & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* 1. Cor. 6. Sed nobis ista sufficiant dicare tibi, quod Deo dignum existimas adimplere. Post hæc autem precari tuam sanctitatem non desino, vt pro me intercessor apud Deum existas: Vt quia meo vitio lapsus sum, per te remissionem consequar peccatorum, Amen. *Hæc Isidorus de Ecclesiasticis officijs.*

De subscriptionibus virorum illustrium officij Palatini.

Qui quot uè Comites Duces & Proceres subscripserint?

HIc subscribunt Comites decem & sex, inter quos, Hodacrus Comes Scãciarum, Osilo Cubiculariorũ, Paulus Notariorum, Ricilla Patrimoniorum, Cunifridus Spathariorum: Duces verò septem: Proceres verò tres.

CVM verò toto hoc opere id potissimũ nobis propositũ fuerit, vt post Concilia ipsa ad Gothicorũ codicũ fidẽ, omni, quo ad eius fieri licuit, studio, examinata, primęq; illi suæ integritati restituta, ritus quoq;, consuetudinesq; anti-

quas,

quas, Gothorum præsertim tempore vsurpatas, quantum in nobis esset, accuratè adnotarem', & ex tenebris, obliuioneque reuocatas nostris hominibus explicaremus, operæpretium nos facturos existimauimus, si commentarium hunc de dignitatibus, ac Palatinis officijs, alijsq;, inferioris ordinis muneribus Gothorum cõtexeremus. Quod videamus rem cognitione non indignam, & plurimum lucis historijs nostris, & subscriptionibus virorum ex officio Palatino, Concilijsque ipsis & legibus allaturam.

DVX.

Dignitas Ducum apud Gothos quæ, qualis & quanta?

INter præcipuas Palatinorum dignitates, Dux apud Gothos semper primum locum obtinuit, vocaturq; à Iustiniano spectabilis dignitas; cuius, vt vis nominis ostendit, id potissimum munus erat, vt in prouincijs, bello ducendo gerendoq; præficeretur. Vnde Germani ex nobilitate Duces, & ex virtute sumebant, ad illosque in illa prouincia summa rerum deferebatur. Is enim fuit Gothorum mos, Paulo Æmilio teste, lib. 1. histor. Franc. in Chereberto, cuique vrbi Magistratum dare, qui Dux appellaretur. Eum autẽ quem Romæ præficiebant, vocabant Præsidem. Hinc Dux Tripolitanæ, & Byzantinæ prouinciæ, & Mauritaniæ, ac Numidiæ, lege final. Cod. de offic. Præfec. Præt. Sic etiam Dux Rœthici apud Vopiscum in Bonoso, & Dux limitis Scythici, Illyriciani, Thracij, & Orientalis apud eundem in Aureliano. Ita & Claudius, sub Vuitterico, Dux Emeritensis; Paulus, sub VVamba, Dux Narbonensis. Patet id ex Cassiodoro libr. 7. in formula Ducatus Rhœtiarum, his verbis. *Ideoq; validum te ingenio, ac viribus audientes, per illam indictionem, Ducatum tibi credimus Rhœtiarum: vt milites & in pace regas, & cum eis fines nostros solenni alacritate circumeas. Quia non paruam rem tibi respicis fuisse commissam, quando tranquillitas regni nostri tua creditur solicitudine custodiri. Ita tamen, vt milites tibi commissi viuant cum Prouincialibus iure ciuili: nec insoleſcat animus, qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet præstare Romanis.* Et lib. 1. Cod. de officijs Præfect. Afric. leg. 2. mandat Iustinianus Ducem in Sardinia ordinari, vt gentes barbaricas ab ea, militibus suis arceret, prouinciamq; ab omni hostium incursu tueretur illesam. Habebat etiam Dux cum belli munijs, ciuilem administrationẽ coniunctam; idque cum ex alijs, tum ex Cassiodoro colligere licet, apud quem lib. 4. variarũ, Theodoricus Rex Ibæ Duci in hunc modum scribit. *Præsenti tibi auctoritate præcipimus, vt possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum præcelsæ recordationis Alarici præcepta, à quibuslibet peruasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui. Quoniam versari nolumus in Ecclesiæ dispendio præsumptiones illicitas, dum nostra deceat tempora sedare confusa. Esto contra talia omnino solicitus: vt qui es bello clarus, ciuilitate quoque reddaris eximius. Sic & arma tua, Deo iuuante, corroboras, si iustitiam mediocribus seruare contendas. Improbis enim potuisse resistere, non præuales excusare; quando omnes tibi libenter cedunt, quem gloriosum in bellorum certamine cognouerunt.* Idem etiam Cassiodorus indicat lib. 1. variarum, vbi Theodoricus Rex Seruato Duci Rhetiarum scribens epist. 11. iubet, vt mancipia, quæ Maniario cuidam, à Breonibus ablata ferebantur, sua auctoritate, sine mora curaret restitui. Et lib. 5. epist. 33. VVilitãcho Duci Theodoricus Rex expresè mandat, vt in adulterum Brandilam, secundum legum præscripta inquirere ne differret. Constat id ipsum ex legum Vvisegothorũ lib. 2. tit. 1. leg. 17. qua cauetur, vt Dux prouinciæ, eos, qui nõ accepta potestate ausi sunt iudicare, acriter per se, vel per alium coërceat. Et lege sequenti iubetur Episcopus qui honore Sacerdotali fretus, admonitionẽ iudicis contemnens, pro persona sua assertorem dare distulerit, confestim à iudice negocij, seu à prouinciæ suæ Duce, vel Comite compulsus, quinquaginta solidorum damnum excipere. Atque hæc de Ducis officio dicta sufficiant. Post quem in dignitatis ordine Comitis proximè honor sequebatur. sic Cicero in Lælio de amicitia, loquens de Scipione ait: Facilè ducem populi R. non comitem diceres.

explicatur l. fi. Cod. de offic. Præfect. Præt.

Comitis officium apud Gothos quod & quale quèque oriatur

COMES, vt Spartianus est auctor in Adriano, inde fluxit; cum enim Adrianus Senatum in aulam suam transtulisset, receptis Senatorum optimatibus in amicorum cohortem, quæ superiorum Imperatorum temporibus constare solebat ex Equestri ordine, non Senatorio, ita domesticum quendam Senatum penes se habere cœpit: qui quoniam is continuatis penè delectaretur peregrinationibus, *Comitatus Cæsaris dici cœptus est; & ipsi amici, Comites*: eorum consilijs, atque ope in bello & pace vsus. Inde Comites largitionum, rerum priuatarum, & cæteri, dicti sunt. Et non solum ij qui personam Principis sequebantur, & officia in aula exercebant Comites dicti sunt; cæterum & alij ita appellati, qui ad administrandas, vel regendas prouincias & respublicas mittebantur, & ad regni limites custodiendos; qui Comites rei militaris dicuntur; qualis fuit Ristanus domesticorum Comes, qui ad Gallos missus fuit, vt refert Gregor. Tur. lib. 2. hist. cap. 10. Vnde Verus Imperator, vt Iulius Capitolinus est auctor in Vero, confecto bello, Regna Regibus, prouincias vero Comitibus suis dedit regendas. Extat in iure titulus de Comitibus, qui prouincias regunt, lib. 11. C. tit. 14. Illud animaduersione dignum, quod antiquitus creabantur Comites annulo tradito cum adamantis gemma: apud Hispanos verò aliter, offa in aquam iecta, inuitatus à Rege comedebat, populo ter acclamante; Eua del Conde. Non absre erit ponere quòd à Cornelio Frontone grammatico dicitur de Comite: *Comes iter facit; Assecla sequitur potentiorem; Sodalis adolescentiæ nomen est; Cliens implorat opem & fidem. Ita Comes tutus; Assecla officiosus; Sodalis amicus; Cliens submissus.* De Comitibus etiam in prima Part. Regis Alfonsi tit. 1. leg. 11. cautum, nomenque deductum video, & à D. Thoma 1. de regimine Principum. Et sicut Ducis in bello, sic Comitis potissimum in pace, ciuiliq; administratione elucebat officiũ (erat enim maior dignitas Ducatus, quã Comitatus, & idcò ex Comitatu fit erectio in Ducatum, pro magno munere, sicuti ex Duce in Regem) quorum tamen neutri ita adstringebatur, quin vtrunq; simul, cum res ferret, per se vel per alios administraret. Prioris apud Cassiodorum li. 7. in formula Comitiæ Gothorum, per singulas prouincias, illustre extat exemplum, adhunc modum. *Cum Deo iuuante sciamus Gothos vobiscum habitare permixtos; ne qua inter consortes, vt assolet, indisciplinatio nasceretur, necessarium duximus illum sublimem virum, bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem destinare. Qui secundum edicta nostra, inter duos Gothos litem debeat amputare. Si quod etiam inter Gothum, & Romanũ, natum fuerit fortasse negocium, adhibito sibi prudente Romano, certamẽ possit æquabili ratione distinguere.* Libro etiã legum Vvisegotorũ, & tit. 2. l. 12. ita cauetur. *Nullus iudex causam audire præsumat, quæ legibus non continetur; sed Comes ciuitatis, vel iudex, aut per se, aut per exequutorem suum, conspectui Principis vtrasq; præsentare partes procuret, quo facilius & res finem accipiat, & potestatis Regiæ discretione tractetur; quatenus exortum negocium legibus inferatur.* Lege etiam 14. lib. & tit. ijsdem, ostenditur, Comitem, per commissoriam, alijs iudicibus, quos sub se habebat, iudicandi suas vices posse concedere. Quorum iudicum tanta erat auctoritas, vt querelantis aduersarium (ea sunt legis verba) admonitione vnius epistolæ vel sigilli, ad iudicium venire posset cõpellere, graueq; mulctas, id facere per negligentiam, aut cõtemptum differentibus, inferre. Liquet id ex leg. 18. lib. & tit. citatis. Si verò iudex in officio suo, per negligẽtiam, aut quòd munere corruptus esset, cessasse deprehẽderetur, à Comite ciuitatis acerbissimè castigabatur. Habes exempla lib. 3. legũ Vvisegothorum tit. 4. l. 17. Quòd si Comitem à ciuitate sua abesse contingebat, relinquebat suo loco PRÆPOSITVM, qui, si quid grauius, quod ad Comitis relationem, iurisdictionemve pertineret, emersisset, id Comiti statim per literas indicabat; vt liquet ex l. 5. tit. 2. libr. 9. legum Vvisegoth. Atq; hic ni fallor est, qui lib. 2. legum Vvisegot. tit. 1. l. 23. VICARIVS COMITIS appellatur; qui absente eo, vice eius fungebatur; à quo, si fortè quis eum suspectum habuisset, licebat apud Principis audientiam, alium iudicem appellare. Atque inter hanc ciuilem administrationem, bellica etiam munia procurabat. Habebat enim Comes, præsertim, qui ciuitati, aut portui, siue alij loco, cui ab hoste periculum timeri posset, præficeretur, sub se milites, quibus ad subita belli semper paratus occurreret, videretq;, ne quid Respub. detrimenti caperet. Quod ex Cassiodoro lib. 6. formula Comitiuæ discès. *Militum* (inquit) *numerus tibi nostris seruit expensis. Redderis inter arma genitus: processio tua, procinctualis ornatus est: exercitu veteris pacato; nec pericula belli subis, & armorum*

Præpositus Comitis.

Vicarius Comitis.

pompa decoraris. Verùm inter hæc, ciuilem cogita disciplinam: non permittas milites esse possessoribus insolentes. Et infra: Pro securitate se omnium cognoscat electum, qui se gloriatur habere armatum. Et formula Comitiuæ Neapolitanæ: Prætoria tria officia replent; militum turba custodit. Sed tot testes pateris, quot te agmina circundare cognoscis. Præterea litora, vsque ad præfinitum locum, data iussione custodis. Et apud eundem lib. 1. Theodoricus Rex Asio Comiti iniungit, vt militem necessarijs armis instruat. Illustris (inquit) sublimitas tua Solonitanus militibus, vt cuique se expediendi facultas obtulerit, pro nostra iussione arma necessaria procurabit. Porrò tantam in rei militaris administratione auctoritatem obtinebat, vt cum in causis ciuilibus ei VICARIVS PRINCIPIS (eum intellige, qui Principis vice fungitur) præferretur; in bellicis negotijs hic eidem anteponeretur. Cod. lib. 1. tit. 38. l. 1. Et hactenus quidem breuiter de Comitis officio in genere egimus. Nam alia multa eidem incubuisse munera, ex nominum, quæ ei adiunguntur, varietate, facilè cognoscitur. Fuit enim Comitis tam generalis appellatio, vt quicunque à Principe insigni alicui officio præficeretur, ab eo ferè Comes nuncuparetur. Idque ex Cassiodoro, Amiano Marcellino, Eutropio, alijsque posterioris æui, atque inclinatæ iam, prostratæque Reip. Romanæ scriptoribus, apertè est cognoscere. Quos omnes, ne prolixus sim, missos faciens, eas duntaxat Comitum species recensebo, quas à Gothis nostris, hoc est, qui in Hispania rerum potiti sunt, vsurpatas inuenio: vbi tamen prius illud adiecero, quod Carolus Magnus decreuit l. 2. Regum Franc. c. 6. de Comitum studio, & diligentia pro vtilitate Ecclesiarum conseruanda; quod vtinam nostris temporibus Galli prospicerent, vt ad meliorem mentem, diabolica fraude decepti redirent. *Vobis (inquit) Comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maximè pertinet, vt reuerentiam & honorem sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer viuatis, & eis adiutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, & vt vos ipsi in ministerijs vestris pacem & iustitiam faciatis, & quæ nostra auctoritas publicè fieri decernit, vt in vestris ministerijs studiosè perficiantur, studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem, vt memores sitis fidei nobis promissæ, & in parte ministerij vestri vobis commissi, in pace scilicet & iustitia facienda, vosmetipsos coram Deo, & coram hominibus tales exhibeatis, vt & nostri veri adiutores, & populi conseruatores iustè dici & vocari possitis; & nulla quælibet causa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuslibet, vel odium, aut timor, vel gratia, ab statu rectitudinis vos deuiare compellat, quin inter proximum, & proximum semper iustè iudicetis. Pupillorum verò & viduarum & cæterorum pauperum adiutores ac defensores, & sanctæ Dei Ecclesiæ, vel seruorum illius honoratores, iuxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoq; qui temeritate, & violentia in furto & latrocinio, siue rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite. Et si aliqua persona, in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea, quæ dicimus facere nou valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat; vt nostra auctoritate adiuti, ministerium vestrum dignè adimplere possitis.* Nunc igitur, vt ad institutum redeamus, primo loco se offert COMES SCANCIARVM: cuius in Concilio Toletano non obscura fit mentio. Subscribunt enim ibi Vvadamirus Comes Scanciarum & Dux: Reccaredus Comes Scanciarum & Dux: Egica Comes Scanciarum & Dux: Sumefredus Comes Scanciarum: Adeliubus Comes Scanciarum: Salamirus Comes Scanciarum. Agnoscitur & Scanciarum Comes in priuilegio quodam Complutensi antiquissimo. Hunc nonnulli poculis, alij vniuersis epulis Regis præfectum fuisse contendunt. Hodie vulgari Hispanorum lingua, Scanciar, est bibere. Apud Adonem Viennensem inuenio solitos institui seu creari Duces per impositionem causiæ, seu pilei aurei Ducalis, vnionibus ornati: Marchiones tradito anulo, in quo est pyropus, seu rubinus, qui quidem est species Carbunculi: Comites ea ratione, qua supra diximus: Vicecomites virgula deaurata: Barones vexillo decurtato, seu labro.

Vicarius Principis.

Comes Scanciarum.

THESAVRORVM COMES is fuit, qui dicta lege vnica, & leg. finali. C. de suscept. lib. 10. Comes ærarij appellatur, Thesauris videlicet Regis præpositus. Concil. 13. Tolet. Isidorus Comes Thesaurorum subscripsit.

Thesaurorũ Comes.

COMES PATRIMONII, qui Regis Patrimonium, possessiones, mensamque procurabat. Vnde & Procuratores à Lampridio dictus in Commodo. Meminit de hoc Cassiodorus lib. 1. variar. & 4. & 6. ad Iulianum Comitem scribente Theodorico. Habes de eo titulum in Codice cum inscriptione de officio Comitis Sacri Patrimonij, cui à Principe facultas concessa fuit, pro subleuandis, non pro premendis priuatorum fortunis, vt habet Cassiodorus libr. 8. Hic ad munus rectius exequendum milites sub se habebat, vt ostendit idem eodem loco. Videtur & Regijs epulis ordinandis curam adhibuisse. Nam & Cassiodorus ibidem sic scribit: *Nam & si epulas nostras solicita ordinatione disponas, non solùm nostro palatio clarus, sed & gentibus necesse est reddaris eximius.* Subscribunt in Concil. 13. Toleta. Vitulus Comes Patrimonij, & Tolet. 18. Vitulus vir illustris, Comes Patrimonij, & Dux. Est etiam in Concil. 13. Tolet. VValdericus COMES CIVITATIS TOLETANÆ. Is etiam vocatur Rector rerum publicarum: vt in Concil. Hispal. 2. dicitur de Sisiclo Rectore rerum publicarum. Et apud Cassiodorum lib. 7. Comitiuæ Romanæ formulæ, & Comitiuæ Rauennatis: formula etiam Comitiuæ diuersarum ciuitatum; & lib. 9. Comes Siracusanæ ciuitatis. Horum Comitum, vt supra monstrauimus, vtque Cass. lib. 7. variarum ostendit, id officium erat, ciues vrbanos æquitate regere, & publicarum ordinationum iussiones constanter adimplere. Rodericus Bibarius, hoc est, Dominus à Mauris honoris causa appellatus, fuit Comes Toletanus. Et in regno Lusitaniæ hodie Comites multi nominantur ex ciuitatibus Regijs, in quibus antiquitus ius exercebant. Quam consuetudinem Galli obseruarunt. A Romanis prouinciæ Comitibus distinctę erant. Vide tit. de Comitibus qui prouincias regunt lib 11. C. tit. 14. Quis verò fuerit Comes vrbis Romæ, & quod eius officium, altioris indaginis est.

Comes ciuitatis Toletanæ.

COMES NOTARIORVM Is erat, qui Notarijs, id est, à Principis secretis tabulis præficiebatur. Quod intelligi videtur ex Cassiodoro lib. 6. in formula Notariorum, his verbis: *Regis consilium solos decet scire grauissimos; imitari debent armaria, quæ continent monumenta chartarum: vt quando ab ipsis aliqua instructio, quæritur, tunc loquantur: Totum autem dissimulare debent quasi nescianr scientes.* Probatur etiam ex lib. C. 12. titul. de Primicerio Notariorum, vbi expresè hoc verbum pro Secretarijs Principis vsurpatur. Non dissimilis dignitas fuit eius quem posterior ætas etiam Cancellarium appellat; idque in Cassiodoro videre est, qui ex persona Regis lib. 11. ita ad Cancellarium scribit. *Consistery nostri decreta fideli integritate custodias: per te præsentandus accedat: per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat: iussa nostra sine studio venalitatis expedias, & alia.* Quamuis hodie in Regnis Hispaniæ & Galliæ dissimilis huius muneris est functio: etiamsi pro scriba vsurpetur in constitutionibus Caroli Magni, & Lotharij. Concil. 13. Toletan. subscribitur à Notario: Exila Comes Notariorum. In notitia prouinciarum aliquoties fit mentio Primicerij Notariorum, qui & Notariorum Decanus, & Protoscribarius. Et in Romana Curia is erat, qui diem datus adijciebat diplomatibus pontificalibus.

Comes Notariorum.

COMES SPATHARIORVM, Custodum corporis Regij præfectus. Hunc & Protospatharium appellatum fuisse existimo. Cuius meminere Constantinus Hermenopolitanus libr. 10. & Zonaras annal. 3. à Spatha, qua voce Apuleius pro gladio maiore ac latiore vtitur: nam minorem breuioremque Semispatam Vegetius in lib. de re militari appellari tellis est. Vtitur hac voce etiam Spartianus in Adriano, & Trebellius Pollio in epistola Claudij ad Brocum, *tecta sunt* (inquit) *fiumina scutis spatlis, & lanceolis. Et legum VVisegoth l. 9. titul. 2. leg. vltim. decernitur, vt Dux, Comes, atque Gardingus, alijque quos secum ducunt in bellum, partim sint Zauis* (extat ea vox etiam in Macrocolo Mauricij eiusdam, qui de *Romana militia Græcè scripsit*) *& loricis muniti; partim scutis, spathis, seraminis, lanceis, sagittisque sint instructi. De Spatha scribit Isidorus lib. Originum 17. cap. 6. dicit à passione, nam παθεῖν pati est, eo quod scindat, & dilaceret: vel ex eo quòd si spatiosa, & ampla latiorque. Spatharionum verò dignitatem maximi honoris fuisse ex eo constat, quod multos Duces ac Comites hanc gessisse inuenimus.* Sic in Concil. 13. Toletano Guilingus Spatharius, & Comes: Trasericus Spatharius, & Comes: Altericus Spatharius, & Comes: Sisimirus Spatharius Comes, & Dux,

Comes Spatharionum.

subscri-

subscribunt. Quoniam vero in Spatharij mentionem incidimus, Iulianum Roderici Regis Spatharium, Ducem Tingitaniæ, non Spartarium fuisse existimo, hoc est, Carthaginensis ciuitatis Comitem, ex eo non fuisse appellatum quòd regio illa, vt ex Plinio atque alijs constat, sparti multitudine abundet. Neque enim dubito quin Spartarius vocis similitudine dicatur, qui Spatharius & Comes dicendus erat. Spatharij definitionem ita Cedrenus extulit σπαθάριος ὁ σωματοφύλαξ ἦν ijsdem nimirum verbis, quibus eius vocis notionem supra explicauimus. Quanquam alij secus de hoc eiusque officio sentiant. Scribunt neoterici Spatha, antiqui sine h. efferebant, scribebantque.

Comes Cubiculi.

COMES CVBICVLI, seu Comes Cubiculariorum est, eorum qui cubiculi Regij curam gerunt, præpositus: hunc Xiphilinus πρόκριτον appellat. Cubiculariorum mentio est, leg. 63. de legat. 3. & leg. 203. D. de verbor. signific. Quanquam ibi pro seruis tantum cæteris conditione potioribus accipiuntur: hîc verò ingenui sunt, & insignem adiunctam dignitatem habent. Quæ dignitas hodieque in Regum aulis durat, Camareros vulgo vocamus. Concil. 13. Tolet. Argemirus Comes Cubiculi subscribit & Atulfus Comes Cubiculariorum. Cubicularius à Grammaticis, vt ex Sosipatro constat, dicitur Custos cubiculi: Cubicularis verò lectus, cubiculo aptus. Isidorus lib. Origin. 15. cap. 3. *Cubiculū quod eo cubemus, ibique dormientes requiescamus: Cubile verò locus cubandi.*

Comes Stabuli.

COMES STABVLI, qui equorum Principis curam gerebat, dicitur etiam Magister equitum. Hic ex Ammonio Monacho lib. 3. capit. 20. videtur esse quem vulgo Conestabilem appellamus: eius hæc sunt verba. *Leudegesilius Regalium præpositus equorum, quem vulgo Conestabilem vocant. Sic & Rheginо Monachus annal. libr. 3. eodem anno (inquit) Burchardum Comitem stabuli sui (quòd corruptè Constabulum appellamus) cum classe misit Corsicam.* In eum omnem belli curam Princeps reijciebat. Eruditiores verò, quique harum rerum inquisitioni plus operæ impenderunt, eum verò hoc nomine censeri putant, qui apud nos Cauallerizo maior appellatur. Vt est, dignitatem hanc maximo olim in pretio fuisse, satis vnus Amianus Marcellinus ostendit, de Valentiniano loquens, qui Valentem stabulo cum tribunatus dignitate præfecit. Hunc superioribus temporibus πρωτοστάτην Græci dixerunt: vt Zonaras clarè lib. annal. 3. asserit his verbis. *Theophilitzes igitur Basilio delectatus (erat enim formosus, procerus, & manu promptus, agilisque, ac promissum capillum, eumque crispum alens) suis equisonibus ipsum præfecit. Quod muneris, qui administrat, communiter protostratora appellamus.* Et Cedrenus: *Michaelisque, qui ante ipsum fuerat, equisonum præfectus primus, quem protostratora nuncupant.* In Concil. 13. Tolet. Gisclamundus Comes stabuli subscribit. Alij verò dicunt Comitem sacri stabuli dici, qui curam palatij habebat, & scholarum, armorum, & domus Regiæ cum administratione & sine administratione. Prouinciarum, vt constat. libr. 1. de Comitibus, & trib. schol. lib. 12. titul. 11. habereque in vna dignitate curam militiæ & domus. Verùm cum Comites sacri stabuli grauioribus erant intenti negocijs, curam stabuli alij demandatam fuisse, atque ita vnam dignitatem in duas diuisam, atque partitam. Apud Castellæ Reges dignitas est insignis, sine administratione tamen, ac titulo tenus. Primus Comes stabuli fuit Alphonsus Marchio Villenæ filius Infantis Aragoniæ Petri; cui successit Petrus Comes Trastamaræ: tempore Regis Henrici tertij. Tertio tradita Roderico Daualos viro insigni, & claro homini; qui à Ioanne secundo Henrici filio proditionis falsò damnatus, bonisque eius in sectionem datis, sequens Henricanas partes, exul Valentiæ diem extremum clausit. Cui successit Aluarus Luna, infelicior, cuius vitæ tristis exitus, infamauit aulæ opulentiam, & Regum intimam consuetudinem.

Comes exercitus.

COMES EXERCITVS, qui lib. 1. C. de officio Vicarij, & leg. Nemo. Cod. de Assessoribus, Comes militum & Comes rei militaris appellatur, vniuersis legionibus, castrisque præficiebatur, habebatque absolutum in milites imperium. Hoc ipsum munus exercebat apud Romanos Tribunus militum; videlicet vt militem dicto audiētem haberet, ad exercitationes deduceret, & in stationes & hyberna mitteret; clandestina cum hostibus colloquia vetaret, nouarum rerū auctores supplicio afficeret, pabulationes, frumentationesque curaret, militi ne arma, stipendia, cibaria, commeatusq; deessent, prouideret; breuiter summæ in exercitu rerum præesset. De hoc consule Cassiodorum lib. 7. formula Comitiuæ Principis militum. Hic apud Gothos alio vocabulo Præpositus hostis, ni fallor, appellatur. Idque colligi ex leg. 6. tit. 2. lib. noni legum Vvisegot. videtur: vbi vtraque appellatio, vni eidemque tribuitur. Verba legis hęc sunt: *Quod si contigerit vt ipse Comes ciuitatis, aut Annonarius, per negligentiam suam non habens, aut forsitan nolens, annonas eorum dare dissimulet, Comiti exercitus sui querelam deponant, quòd annonas eorum dispensatores tradere noluerint: & tunc ille Præpositus hostis hominem ad nos mittere non moretur.* Atque hæc sunt quæ de Comitum varia appellatione, officijsq; à Gothis in Hispania regnantibus vsurpari solitis, in tanta Gothicarum rerum obscuritate, ex Concilijs, legibus, priuilegijs, alijsque veteribus monumentis elicere potui. Vir quidam doctissimus Comitem Sacrarum reliquiarum apud Gothos fuisse existimabat, fortè quia legerat apud Cassiodorum, aut alios Comes Sacrarum. Ego vero & apud Cassiodorum & Iustinianum, Comes sacrarum lego, id est largitionum: cuius præcipuum officium erat, vt Princeps per eum suam liberalitatem, & magnificentiam exerceret; indulgentias daret; & militibus stipendia, & donatiua populo Kalendis Ianuarijs, nomine Principis elargiretur. Et hic vt pote Augustalis habebat sub se iudicem Sacrarum largitionum, & Prouinciarum cæterarum largitionum Comites: vt erat Comes sacrarum largitionum per Illyricum, per Orientem, & Comites etiam Commerciorum per Orientem, Ægyptum, Mysiam demum, & alias Prouincias. Hunc donis præsidere Regalibus Cassiodorus ait lib. 6. varia. cap. 7. *Huius*, inquit, *actus, innocens pietatis officium, illud semper ingerere, vnde se fama Principis possit augere. Nihil per hunc districtum geritur: nihil seuerum, forte censetur; sed tunc obsequitur, quando Principi vota funduntur. Per hunc Princeps supplicum fortunas erigit, Kalendis Ianuarijs dona largitur: monetam hic Regij vultus figura consignat: Iudices Prouinciarum, sub sua potestate coercet. Negociatores subiectos habet: vestis sacræ, curam gerit; salis commercium huic deputatur; denique quicquid in vestibus, quicquid in ære, quicquid in argento, quicquid in gemmis pretiosum est, huius ordinationibus obsecundat.* Hactenus Cassiodorus. Hæc verò loquutio aliquot in locis apud posterioris ævi scriptores occurrit, vt apud Cassiodorum, lib. 5. Cypriano Comiti sacrarum Theodoricus Rex: apud Amianum lib. 15. & alibi Comes priuatarum.

Procer.

PROCER. In Concil. Tolet. 8. subscribit Dabila Comes & Procer, & Euredus, Comes & Procer, & Frolla Comes & Procer. Vnde constat quòd Procer sit nomen dignitatis. Isidorus lib. Etymolog. 9. cap. 4. sic inquit: *Proceres sunt Principes ciuium, vel ciuitatis: quasi procedes, quòd ante omnes honore præcedant. Vnde capita trabium, quæ eminent extra parietes proceres dicuntur, eo quod primò procedant.* Lege Proceres ex Seruio in illud Virgilij Æneidos 10.

Tot lecti Proceres terdenis nauibus ibant.

Proceres etiam Magnates vocantur Concil. Tolet. 11. cap. 5. & Primates Palatij, & generosæ personę. Erat autem sola dignitas sine administratione iurisdictionis.

Gardingus.

Ducis & Comitis dignitati GARDINGVS ordine subiungitur. Erantque hi tres apud Gothos maioris loci personæ, vt patet ex leg. V Visegoth. lib. 9. tit. 2. leg. vlti. vbi ita habes. *Si maioris loci persona fuerit, id est, Dux, Comes, siue etiam Gardingus. Et infra leg. eadē, atq; alibi sæpe, hi tres seu eminentiores connunguntur. Et ideò inquit lex: Id de cætero speciali decreto decernimus, vt quisquis ille est, siue sit Dux, siue Comes, atq; Gardingus.* Gardingi in lib. leg. V Visegoth. non semel fit mentio: verùm ita obscurè, vt quod ipsius munus fuerit liquidè scire nequeamus: illud tantum coniectura consequi licet, cum maioris loci persona dicatur, vnum ex præstantioribus Palatinorū habuisse officijs. Quod etiam ex legum V visegothorum li. 2. tit. 1. leg. 1. nō malè colligitur, vbi cum Sacerdotibus Dei, senioribusque palatij præsentes in ordinatione legum Gardingi fuisse commemorantur.

Maioris præstātiorisq; loci personis (qui nūc Magnates,

Tiuphadus.

nunc Primates palatij appellantur) breuiter, vt res tulit decursis, restat vt ad inferiores deueniamus. Inter quas TIVPHADVS primum sibi ordinem vendicabat, quique ei suberant Millenarij, Quingentenarij, Centenarij, Decani, exercitus etiam compulsores, Annonarij, Defensores, pacis Assertores, Numerarij, Villici, Saiones. Tiuphadum Germanorum lingua quæ Gothicæ multum vicina est, altum significat; Tieph enim rem altam dici contendunt. Quicquid est; illud constat, vnam ex primis post Ducis, Comitis, atque Gardingi dignitatem fuisse, ciuilemque administrationem habuisse, vt patet ex leg. 23. & 26. tit. 1. lib. 2. legum VVisegoth. & lib. 4. tit. 5. leg. 6. Huic in omni criminalium negociorum genere iudicandi licentia concessa erat, præter quàm in his criminibus quæ legum sententiæ apertè condemnant, quibus qui obnoxij reperiebantur, eos non iudicare amplius, sed vt iam à lege præiudicatos, condemnatosque debitis pœnis subijcere cogebantur. Ita enim accipio legem 15. titul. 1. lib. 2. legum VVisegoth. Quæ habet hoc modo. *Cum in cæteris negocijs criminalium causarum Tiuphadis iudicandi licentia concessa fuit, criminosos à legum sententijs iudicare non audeant, sed debitam in eis, vt competit, censuram exerceant.* Hic si quando siue ad bellum, siue aliò auocaretur, vices suas alijs committere poterat. Sequitur enim in dicta lege. *Qui Tiuphadi tales eligant, quibus vicissitudines suas audiendas iniungant, vt ipsis absentibus, illi causas, & temperatè discutiant, & iustè discernant.* Huius in bello proxima auctoritas ad Comitis exercitus dignitatem erat, cum quo simul de rebus arduis consultabat: cuius consilio militi in hostem pugnandi facultas dabatur, & adimebatur; denique cum hoc de summa rerum exercitus deliberabat. Hic si quem de TIVPHADIA sua (sic copiæ militum quibus præerat vocabantur) donis forte corruptus, de expeditione domum redire permiserat, aut domo in expeditionem proficisci non coëgerat, acerbis pœnis multabatur. Vt constat ex l. 1. tit. 2. lib. 9. legum VVisegot. *Si Tiuphadus* (inquit) *ab aliquo de Tiuphadia sua fuerit beneficio corruptus, vt eum ad domum suam redire permitteret, quod acceperat, in nouecuplum reddat Comiti ciuitatis, in cuius est territorio constitutus. Et si ab eo nullam mercedem acceperit, sed sic eum, dum sanus est, domum dimiserit, vel de domo in exercitũ exire non compulerit, reddat solidos XX.*

Millenarij.

MILLENARII erant, qui mille sub milites habebant. Horum meminit lex 26. tit. 2. lib. 2. leg. VVisegoth. Isidorus lib. 9. Etymolog. cap. 3. *Sunt, qui mille præsunt militibus, quos nos Millenarios appellamus.*

Quingenarij.

QVINGENTENARII, qui quingentis militibus præerant. Hi si quem etiam de suis propter munus aliquod, ab hoste domum redire cõsensissent, aut in hostem domo profisciscinõ coëgissent, quod acceperant nouecuplum etiam Comiti ciuitatis, cuius territorio suberant, reddere tenebantur. Si verò nullo accepto munere id fecissent, XV. solidos inter milites suos diuidendos reddebant. Id cautum est leg. prima, tit. 2. lib. 9. leg. VVisegot. Horum etiam meminit lex 26. tit. 1. lib. 2.

Centenarij.

CENTENARII, teste Vegetio lib. 2. cap. 13. dicti sunt, quos antiqui Centuriones vocabant, centum videlicet militibus præfectos. Ab Isidoro id animaduersum est lib. 9. Etymolog. cap. 3. *Centuriones* (inquit) *dicti, eo quòd centum præsunt militibus: sicut Quinquagenarij, qui sunt in capite quinquaginta militum: & Decani ab eo, quod militibus decem præficiuntur.* Hi si centenam (sic ijs temporibus loquebantur) suam deserentes, domum ab hostibus refugissent, capitis plectebantur. Si verò vel ad sacra altaria, vel ad Episcopum confugissent, trecentos solidos exsoluebant Comiti ciuitatis, in cuius erant territorio constituti: neque postea inter Centenarios, sed Decanos tantùm habebantur. Quòd si ipsi ob beneficium fortè acceptum, aliquem de centena sua domum ab exercitu redire, aut domi manere, neque in hostem proficisci passi fuissent, nouecuplum acceptum suo Comiti ciuitatis reddebant. Quod si ob nullum munus acceptum, id permisissent, decem solidos Comiti ciuitatis dabant. Habes hæc omnia fusè in leg. 3. tit. 2. lib. 9. Centenariorum meminit etiam Conc. Arelatense sub Carolo Magno: his verbis: *Ne Comites, vel Vicarij, seu Iudices, vel Centenarij, sub mala occasione, vel ingenio res pauperum emant.*

Decani qui?

DECANI, quos Varro, Suetonius, alijq; probati auctores Decuriones appellant, decem militibus imperabant. Hi si relicta Decania, ab hoste domum recessissent; aut quum sani essent, domo exire in expeditionem detrectassent, X. solidos Comiti ciuitatis dare cogebantur. Quod si aliqua mercede, à superiore suo impetrassent, V. tantũ solidos luebant, vt ostendit lex. 4. eiusdem tituli & libri. Vbi amplius additur. *Quòd si aliquis, qui in Tiuphadia sua fuerat numeratus, sine permissu Tiuphadi sui, vel Quingentenarij, aut Centenarij, vel Decani sui, de hoste ad domum suam refugerit, aut de domo sua in hostẽ proficisci noluerit, in conuentu mercantium publicè centena flagella suscipiat; & reddat solidos decem.*

Exercitus Compulsores.

Et quando quidem in locum de Gothica militia incidimus, erant apud eos, qui dicebantur EXERCITVS COMPVLSORES; nempè qui Gothos in hostem exire compellerent: vt habetur in leg. 2. tit. 2. lib. 9. Hi multis in locis SERVI DOMINICI appellãtur; fortè quod erant serui, qui Regalibus seruitijs mancipabãtur. Quorum tanta erat auctoritas, vt Palatinis officijs honorarentur, & testandi sicut cæteri potestatem haberent. Testatur id lex 4. tit. 4. lib. 2. legum VVisegot. Hi si quid ab ijs, qui in exercitum compellebantur, sine ipsorum voluntate abstulissent, vndecuplum restituere cogebantur, & quinquaginta insuper flagellis multari leg. 2. tit. 2. lib. 9.

Ad exercitus robur conseruãdum in primis pertinet ne annonæ laboret inopia; ob idque prouida Gothorum cura cautum est, vt per singulas ciuitates, atque castella, crearentur, qui militibus eam sine fraude exhiberent; ij nunc ANNONARII, nunc Dispensatores annonæ, nunc Erogatores annonæ in Gothorum legibus dicuntur. Videtur & Comes ciuitatis huius rei curam gessisse, vt patet ex leg. 7. tit. 2. lib. 9. leg. VVisegot. Vbi cauetur, si contingat, vt ipse Comes ciuitatis, aut Annonarius, per negligentiam suam non habens, aut forsitan nolens, annonas dare militibus dissimularet, apud Comitem excercitus conquerantur: qui eos in quantum temporis subtraxerunt consuetas annonas, in quadruplum de proprijs facultatibus restituere cogeret. Consistit autem propriè annona in frumento, oleo, vino, sale, carne. Solebat autem in militia Romana annona militibus pro stipendio per singulos dies distribui expeditionis tempore; veluti buccellatus panis, quem bis coctum vocamus duobus diebus; ac panis alius tertio; vno die vinum, alio acetum; vno die lardum; caro verueccina biduo, ex commeatu publico. Cui annonæ interdum pecuniæ erogatio accedebat, & vestitus, & alia id genus militibus necessaria. Quando annona loco pecuniæ in solutionem militibus dabatur, dicebatur stellatura, quia per tesseras stellatas species alias, pro annona accipiebant: vt adnotauit Vvolphang. Lazius lib. 12. comment. Reipubl. Romanæ cap. vlt. Hæc annona quæ per capita singulis diebus militibus dabatur, panes ciuiles, quandoque annona ciuilis dicitur, & salarium. Qui annonarias species exhibebant, opinatores dicebantur, vt constat ex lege opinatoribus lib. 12. C. titul. 29. Interdum etiam nomine annonæ, vniuersum militare salarium seu præbendum accipitur. Idque Flauij Vopisci abundè declaratur auctoritate, qui in Aureliano, *oleum* (inquit) *sal, lignum nemo exigat; annona sua contentus sit.* Patet etiã ex Vegetio libris de re militari. *Torquis* (inquit) *aureus solidæ virtutis præmium fuit; quem qui meruisset, præter laudem, duplas consequebatur annonas.*

Defensores.

DEFENSORVM etiam meminit lex 26. titul. 1. libr. primo, legum VVisegoth. Horum officium erat in duplici ratione. Alij sunt, qui nomine ciuitatis causas, lites & negocia curant, vt actores, syndici. Alij defensores sunt cum potestate & magistratu, qui locorum defensores dicuntur. De quibus leges VVisegoth. loquuntur; leges etiam Romanæ. lib. 1. & l. defensores ciuitatum 3. C. titul. 53. de def. ciuit. Alij dicuntur prouinciarum defensores quibus latior cura & plures res, & ciuitates defendendæ commissæ sunt, & vt inquit Iustinianus, paterna voce ita dicti, vt eripiant à malis iniuriam patientes. Erat quinquennale hoc munus l. 4. C. de de defens. ciuit. ex nouellis Iustiniani factum est biennale. §. iusiurandum & §. fin. eodem titul. in nouellis. Prædictorum singula declarat pulchrè, lex. 4. titul. 54. Codicis libr. 1. his verbis: *In defensoribus vniuersarum prouinciarum* (aliàs singularum

gularum ciuitatum, vel vt alij, vniuersarum ciuitatum) erit administrationis hæc forma, & tempus quinquennij spatio metiendum: scilicet vt in primis parentis vicem plebi exhibeas, descriptionibus rusticos, vrbanosq; non patiaris affligi: officialium insolentiæ, & iudicum procacitati, salua reuerentia pudoris, occurras: ingrediendi cùm voles ad iudices, liberam habeas facultatem: superexigendi damna, vel spolia plus petentium ab his, quos liberorum loco tueri debes, excludas; nec patiaris quicquam vltra delegationem solitam ab his exigi, quos certum est, remedio non posse reparari. Et Cassiod. li. 7. variarum in formula defensoris cuiuslibet ciuitatis: Nihil venale, nihil improbè facere velis, qui tali nomine nuncuparis. Commercia ciuibus, secundum temporum qualitatem, æquabili moderatione dispone. Definita serua, quæ iusseris: quia non est labor, vendendi summas includere, nisi statuta pretia castissimè custodire. Imples enim re vera boni defensoris officium; si ciues tuos, nec legibus patiaris opprimi, nec caritate consumi. Gratianus etiam, Valentinianus, & Theodosius. CCC. Theodoro defensori, formâ defensionis præscribũt. l. in defensoribus, & l. 4. Cuius verba superius attulimus.

Pacis Assertor.

PACIS ASSERTOR Apud Gothos erat, qui ad faciendam pacem, regali destinabatur auctoritate. Differebat autem Assertor à Iudice, quòd illi omniũ negociorum, actionumque causas terminabant: hi verò non alias, nisi quas illis regia commiserat ordinandi potestas. Hæc ex l. 16. tit. 1. lib. 2. leg. VVisegot.

Numerarij, & Villici.

Duo sequuntur officia, quæ vt vicina frequenter cõiunguntur, NVMERARII nempe, & VILLICI. Isidorus de Numerario, lib. orig. 9. c. 4. sic ait: *Numerarij vocati sunt, qui publicum numum ærarijs inferunt, hoc est, qui pecuniam regiam, ex tributis, & portorijs, & vectigalibus partam, in æraria inferebant.* Extat titulus 50. in C. de Numerarijs, & Actuarijs, qui à Iustiniano Tabularij dicti sunt. Hic etiam annonas, quæ ex villis fisco regio debebantur, procurabat: quod si singulis annis facere neglexisset, duplo de proprijs facultatibus soluere cogebatur. Constat ex Concil. 13. Tolet. in edicto Eruigij Regis ad priuatos, siue fiscales populos, his verbis: *Certè si quis ille Dux, Comes, Tiuphadus, Numerarius, Villicus, aut quicunque curam publicam agens, tributa exacto sibi commisso, annis singulis plenario numero non exegerit, aut exacta apud se retinuerit, & ea statim thesauris publicis inferre neglexerit, duplata tributa ipsa de proprijs rebus suis modis omnibus in publico inferet.* Fuerunt hęc duo officia ex humilioribus apud Gothos. Ac de Villico id tantùm conijcere licet, quod eandem ferè cum Numerario functionem habeat. De numerario autẽ res certa est; cùm eius munus, vt sordidum atq; abiectum, etiam Concil. Tol. 16. in Theudemundo Spathario damnetur. Verba eius, quia clarius id explicant, *apponere nõ pigebit, ex edicto Regio ad Patres: Et quia præcessor noster, diuæ memoriæ dominus VVamba Rex, in ipsis regnandi primordijs Theudemundum Spatharium nostrum, contra generis, vel ordinis sui vsum, Festi quondam incitatione Emeritensis Episcopi, solius tantum regiæ potestatis impulsu, in eándem Emeritensem vrbem Numerariæ officium agere instituit (quod etiã vnius anni excursu contra rationem noscitur peregisse) imò, quia nec valuit imperio gentis obsistere, vestri edicto Concilij ab eodem Theudemundo, suaq; omni posteritate talis actionis officium suspendatis, quo nullo vlterius tempore, tam ipse, quàm omnis eius progenies, vsq; in finem seculi, ob hanc causam videantur aliquatenus molestari.*

Villicus.

DE VILLICO, Sic Isidorus lib. 9. etymol. cap. 4. *Villicus* (inquit) *propriè villæ gubernator est; vnde à villa Villicus nomen accepit. Interdum autem Villicus non gubernationem villæ, sed dispensationem vniuersæ domus, Tullio interpretante significat, quod est vniuersarum possessionum, & villarum dispensator.* Locus Ciceronis ab Isidoro citatus, est Verrina 5. Villicus à Varrone de re rustica lib. 1. cap. 2. dicitur, qui præest pago, & totius rei rusticæ curam habet.

Saio.

SAIONVM Frequens mentio est apud Cassiodorum, & in legum VVisegot. lib. 6. Hi, vt ex varijs locis colligere licet, ijdem erant, qui apud Romanos Apparitores; Regij videlicet, ac Magistratus ministri, qui ad eorum iussa exequenda semper præsto erant. Solebant etiam Cancellarijs Saiones assignari, vt ostendit Cassiodorus lib. 12. in epist. cuius initium est: *Oportet quidem cuncta, &c. Vbi munus eorum scitè describitur, his verbis: Quapropter deuotionem tuam solatijs illius viri clarissimi Cancellarij nostri solenni more deputamus; vt contra nullum alium erigaris, nisi qui legibus parere despexerit. Ad forum trahe, qui iusta non recipit: sub continentia irascere: sub maturitate distringe: timeri te amplius volumus, quàm probari: quia illud maximè vigori tuo reputabitur, si nullius præsumptione peccetur. Cogitetur præ omnibus pecuniæ publicæ fidelis actio. Sit tuum commodum contemptus alienus. Coactus faciat, qui iusta sponte complere neglexerit. Causis tantùm delegatis impende. Si præcepta sequeris, debita non requiris. Caret culpa, qui imperata perfecerit. In exequutore illud est peßimũ, si iudicis relinquat arbitrium. Non indeiacteris quod tibi non potest obuiari. Nec assumere superbiam velis, quia te multorum humilitas pertimescit.* Plura de hoc lege apud eundem Cassiodorum, lib. 2. epist. ad Vlingem Saionem, li. 4. ad Gesilam Saionem, ad Thecutar Saionem, ad Dudam Saionem, ad Veranum Saionem, ad Gudinandum Saionem, ad Auilfum Saionem, ad Gudium Saionem, alijsq; apud eundem locis complurimis. Et legum VVisegothicarum, lib. 2. tit. 1. leg. 17. cauetur, vt si Saio iudici in aliquem contra legum æquitatem insurgentem obsequens, alium consenserit comprehendere, distringere, vel aliquid rerum auferre. C. publicè ictus flagellorum accipiat, & præsumptionem tali emendatione coërceat. Leg. etiam 25. tit. & lib. citat. sic scribitur: *Quòd si ea, quæ iudex ordinare decreuit, Saio callidus implere neglexerit, res, de qua agitur, si vnciam auri, vel infra valere cõstiterit, illi, cuius res debita est, idem Saio de suo auri solidũ reddat. Si certè plus valuerit, per singulas vncias, singulos solidos pro sua tarditate persoluat. Idem verò si super duas vncias, vsque ad libram auri, eadem res valere probatur, decem flagella suscipiat; ac sic crescente auri numero, crescat & pœna flagelli. Iidem verò Saiones, cùm pro causis alicuius vadunt, si minor causa, est & persona, duos caballos tantùm ab eo, cuius causa est, accipiant fatigandos. Si verò maior persona fuerit, & causa, nõ amplius quàm sex caballos, & pro itinere, & pro dignitate debebunt accipere.* Alia de eodem multis capitulis eiusdem libri inuenies.

Seruus fiscalis.

SERVVS FISCALIS, vel Fiscalinus dicitur, eò quod res, & corpus eius fisco regio cedat. Hi in officijs mancipati Regi inseruiebant. De quibus etiam Concil. Tolet. 3. ca. 15. Fiscales serui Ecclesias construxêre ex sua paupertate, & in alijs Concil. De his fit frequens mentio libr. 2. leg. VVisegot. tit. 4. c. 4. Nam illic legislator agens de ijs, quorum testimoniũ admittendum est: *Seruo* (inquit) *penitus non credatur, si super aliquem crimen obiecerit, aut etiam si dominum suum in crimine impetierit. Nam etsi etiam in tormentũ positus exponat quod obiecit, credi tamẽ illi nullo modo oportebit. Exceptis seruis nostris, qui ad hoc regalibus seruitijs mancipantur, vt non immeritò Palatinis officijs liberaliter honorentur; id est, Stabulariorum, Gillonariorum, Argentariorum, Coquorum quoq; Præpositi, vel si qui præter hos superiori ordine, vel gradu præcedunt. Quos tamen omnes & regia potestas iugiter non habet incognitos, & nullis eos constat prauitatibus, aut criminibus implicatos. Quibus vtiq; vera dicendi, vel testificandi licentia, sicut cæteris ingenuis hac lege conceditur.* Itaq; inter officia seruorum fiscalium recensentur Stabularij, Gillonarij, Argentarij, Coqui. Quos omnes antiqua legum Hispaniæ translatio ita explicat: Assi cuemo los que mandan las bestias, los que mandan los rapaces, los que son sobre los que fazen la moneda, è los que son sobre los cozineros. Gillonarij vox Gothica, puerorũ præfecti. Nam, Gielem, illis lasciuire est, quod propriũ est eius ætatis: vnde, Giel, lasciuus. Gielei Comatulus. Posterior ætas præfectum istorum, Alcayde de los donzeles vocauit. Et lib. 10. tit. 2. l. 4. legũ nostrarũ cauetur, vt si quis per tricennij tempus quodcũq; de fisci, aut cuiuspiam rebus tenuisset, aut quocũq; iure possedisset, perenni sibimet iure vindicaret, & retentaret, exceptis mancipijs fiscalibus, in quibus hoc tricẽnale tẽpus nullo modo valebat, neq; vllũ præiudiciũ quo minus in potestate fisci perpetuò manerent, adferebat. Hactenus de officijs Gothorũ, ea breuitate, qua potuimus, & integritate. Lector boni consulat.

NOTÆ in Concilium octauum Toletanum, Ioan. Garsiæ.

Tempus Concilij Tolet. 8.

ERA DC.XCI.] *Vasæus anno vno antè celebratum ait. Quod & breuiarij cuiusdam perantiqui, quod manuscriptum apud se habet, auctoritate confirmat: vbi dicitur Recceswinthus Era DC. LXXXV. regnare cœpisse, quinto verò post anno coactum hoc fuisse Concilium. Apud Rodericum Toletanum libr. 2. cap. 22. numerus Eræ corruptus est. Nomen Regis scribitur Recceswintus, in numo antiquo, vbi legitur,* RECCESVINTVS REX, CORDOBA PATRICIA. *Fuit Princeps, religione,*

& pietate insignis, in omnique virtutis officio illustris. Legebat auidè diuinos libros: quidquid in illis obscurum erat, à doctis viris per humaniter scisci tabatur. Templa piè tapetis ornabat, ob religiosum sanctorum cultum & venerationem.

Cap. 1. Cur symbolũ Nicęnũ & Cõstantinopolitanũ publicè; Apostolicũ occultè & tacitè recitentur in diuino officio?

In sacris Missarum] *Sic est in Missali Mozarabum ad verbum, à D. Isidoro edito: item in 12. Concil. Toletan. cuius officium quotidie in sancta Ecclesia Toletana celebratur solenniter in sacello huic muneri Ecclesiastico Gothico dicato. Symbolum Patrum publicè in Missis in Ecclesia cantatur: nam vt auctor est D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 9. ad sextum, fuit editum fide iam propagata, & manifestata, & reddita pace Ecclesiæ. Symbolum verò Apostolorum, quia persequutione feruente conditum fuit, nondum publicata fide, in Prima, & Completorio occultè dicitur.*

Cap. 2.

Nostri] *Iuramentum illud, quod obseruatum in peiorem vergit exitum. salubri consilio mutandum esse, eleganter docet Sother PP. vt est apud Gratian. 22. q. 4. cap. Si aliquid. & in Concil. Trib. sub Arnulpho Imperator. c. 21. vbi institutũ, quòd sacerdos, loco iuramẽti, interrogetur per sanctã cõsecrationem. D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7.*

Cap. 3. Ordines gratis conferendi.

Contra priora monita Patrum] *Gratis ordines conferendos; ne Spiritui sancto contumelia irrogetur, dum eius donum pretio æstimatur, docuerunt antiqui Patres; Hormisda PP. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Concil. 2. Aurel. cap. 3. & 2. Turon. cap. 28. & 4. Toletan. cap. 18. & 2. Bracarens. cap. 3. Et nouissimè Concil. Trident. sess. 21. cap. 1.* Nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiã sponte oblatũ, Episcopi & ordinũ collatores accipiant.

Cap. 5. De cœlibatu Clericorum.

Maiorum veteribus constitutis] *Teneri Christi Sacerdotes, ad seruandam castitatem, vitæq; puritatem, constat ex perantiquis Patrum decretis. Non enim conuenit appetere debent, vt veteris legis ministri, Christi Sacerdotes: illis enim tunc concedebatur, ne tribus Leui, ex qua sola Sacerdotes creabantur, ex eorum cœlibatu paulatim rueret, & periret: quibus hostias hircorum, atque arietum offerentibus dictum est: Sancti estote, quia & ego sanctus sum; quamobrem, & tempore vicis suæ ab vxoribus seiuncti officio vacabant. Quid de Christi in noua lege Sacerdotibus dicemus? qua mentis & animi puritate offerre debent hostiam puram, sanctam, & immaculatam, panem vitæ, & calicem salutis perpetuæ? qui non ex vna, sed ex quauis tribu, & gente, & familia eligi possunt, vt immortale, & viuificum, tremendumque sacrificium quotidie conficiant, ab omni solicitudine vxoria immunes. Nam vt Paulus ait. 1. ad Cor. 7.* Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. *Vnde ex Apostolis fluxit, vt coniugati non ordinentur: vt constat ex epistolis Syricij PP. cap. 7. & Innocentij PP. 1. epist. 2. c. 9. & Hormisdæ PP. ad Episcopos Hispaniæ. cap. 1. Hinc qui coniugati ordinabantur, à Subdiaconatu deinceps non sinebantur vxoribus misceri. 1. Tolet. c. 1. 5. Carthag. c. 3. Agathen. cap 9. 3. Aurel. c. 2. & alijs multis. Post Sacerdotium adeptum nullus matrimonio iungebatur. Itaque licebat ex coniugato Sacerdotem fieri: ex Sacerdote verò coniugatum minimè. De hac re vide apud Socratem histor. Eccles. lib. 2. c. 8. quæ de Paphnutio referuntur. Et multi ex viris doctis huius seculi doctissimè de hac re aduersus hæreticos scripserunt. Quòd si prisci Sacerdotes, qui per Ephemeridas, & vices ministrabant, dum offerebant, se abstinebant; qui semper & quotidie debet offerre, vt Christi Sacerdos, semper debet abstinere. Quod annotauit Origines hom. 23. super librum Numerorum:* Ille offerre potest (*inquit*) qui indesinenter custodit continentiam, & conseruat semetipsum à peccato: qua die interruperit, & peccauerit, certum est, quòd in illa die non offert sacrificium indesinens Deo. Vereor dicere liquid, quod ex sermonibus Apostolicis intelligi datur, ne forte videar aliquos contristare. Nam si oratio iusti, sicut incensum in conspectu Dei, & eleuatio manuum eius sacrificium vespertinum: dicit autem Apostolis his, qui in coniugijs sunt: Nolite fraudare inuicem, nisi forsan ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum; certum est impediri sacrificium indesinens his, qui coniugalibus necessitatibus inseruiunt. Vnde mihi videtur, quòd illius solius est sacrificium offerre indesinens, qui indesinenti, & perpetuæ se deuouerit castitati. *Hæc Orig.*

Cap. 6. Subdiaconus continens esse debet.

Sextæ discussionis] *Subdiaconos non debere contrahere matrimonium, decretum est à Syluestro PP. in Concilio Action. 1. cap. 8. Et 1. Tolet. cap. 4. Et 2. Tolet. cap. 1.*

Quibusdam Ecclesijs] *Conc. Carthaginen. 4. c. 5.* Cum ordinatur Subdiaconus, quia manus impositionem nõ accipit, patenam de Episcopi manu vacuam accipiat, & calicem vacuum. De manu verò Archidiaconi vrceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. Cap. 6.

Nolentibus] *Baptismum conferri amentibus testatur August. lib. 4. confess. c. 4. AEgrotis, qui respondere nõ possunt, Araus. Conc. 1. c. 13. Paruulis nescientibus, Carthag. 3. c. 34. Gerunden. c. 5. Et Tol. 12. cap. 2. Multaq; alia de hac re decreta extant. August. in epist. 106. ad Paulinum sic habet:* Quod quidem tantũ beneficiũ (*de baptismo loquitur*) non solũ nolentibus, verumetiã reluctantib. datur. Cap. 7. Qui baptismum suscipere possint.

Supplementum] *Quod hic supplementum, Concil. Tolet. 4. ca. 26. libellus officialis appellatur.* Cap. 8.

Quadragesimæ dies] *Principiũ Quadragesimæ nunciabat Episcopus, ante Epiphaniam. De quo sic habes in Conc. Antisiodorensi. c. 2.* Vt omnes Presbyteri, ante Epiphaniã missos suos dirigant, qui eis de principio Quadragesimæ nuncient, & in ipsa Epiphania ad populum indicent. Cap. 9. Quadragesima à quo & quã do indicta.

Decimæ conloquut.] *Rex Hispaniæ tempore Gothorum, ditione sua totam Hispaniam, & Galliam Narbonens. regebat. Fiebat autẽ Rex electione, non sanguinis successione; vt constat ex Conc. Tolet. 5. c. 3. vbi dicitur:* Rex Hispaniarũ nemo fiat, nisi omni electione, & Gothicę gentis nobilitate, ad eum apicem perductus. *Consueuerant etiam Gothorũ reges Romanorum Imperatorũ exemplo, dũ viuerent regni sociũ adsumere, omni electorũ cõsensu: vt Chindasuinthus Rex filiũ Recesuinthum in regni partẽ viuens vocauit. Et VVãba rex diuino iudicio Eruigiũ, dũ viueret successorem sibi elegit. Creabãtur aũt reges Gothorũ à proceribus regni, siue essent ex Sacerdotali ordine, vt Episcopi; siue ex ordine seculari, qui Palatini nobiles vocabantur: vt constat ex Conc. Tole. 12. c. 1. de probatione Eruigij. Et hoc sanè est quod dicitur:* Cum Pontificũ maiorumq; Palatij omnimodo eligantur assensu. *Sic 4. Tol. c. 74.* Nullus apud nos sub præsumptione regnũ arripiat; nullus excitet mutuas seditiones ciuiũ; nemo meditetur interitus Regũ: sed defuncto in pace principe, Primates totius gẽtis, cũ Sacerdotibus successorẽ regni Concilio cõmuni constituat. *Vngebantur etiã reges, vt patet ex Conc. Tolet. 12. c. 1. vbi dicitur Eruigius regnandi potestatem suscepisse per sacrosanctã vnctionem. Quæ quidem vnctio ab Episcopis conferebatur: vt patet ex eodẽ Canone. Qui vero non poterant assumi ad regnum, exponit Concil. Tolet. 16. cap. 17. his verbis:* Rege defuncto, nullus tyrannica præsumptione regnũ assumat. Nullus sub religionis habitu detonsus, aut turpiter decaluatus, aut seruilẽ originẽ trahens, vel extraneæ gẽtis homo; nisi genere & moribus dignus, promoueatur ad apicem regni. *Iurabat, etiam rex ante quam ad regnũ assumeretur, strenuũ se Catholicæ fidei assertorẽ, ac propugnatorem præbiturũ, nullosq; violatores in suo regno permissurũ. Habes id cũ alibi tum. 6. Cõc. Tol. c. 3.* Cap. 10. Regũ Hispaniæ electio qualis

Duodecimę, quæ est] *Est in foro iudicũ lib. 12. tit 2. li. 16. Iudæorum placitum Recesuindo regi exhibitum ann. 6 regni ipsius. 12. Cal. mart. Vnde liquet ipsum, post hoc Synod. decretum procurasse, vt sinceram Iudæi fidẽ retinerent. Placitũ sic habet ex fide M. s. C. antiqui.* Cap. 12.

PLACITVM IVDAEORVM IN nomine Principum factum.

Placitum Iudeorum Recesuindo Regi exhibitũ.

CLementissimo ac sereniss imo domino nostro Recesuindo regi, omnes nos Hebræi Tolet. ciuitatis, atque Hispaniæ, gloriæ vestræ, qui infra subscripturi, vel signa facturi sumus. Bene quidem, ac iuste nos meminimus compulsos fuisse, vt placitum in nomine diuæ memoriæ Cinthilani regis, pro conseruanda fide Catholica conscribere deberemus, sicut & fecimus. Sed quia perfidia nostræ obstinationis, & vetustas parentalis erroris nos ita detinuit, vt nec veraciter in Iesum Christum dominũ crederemus, nec catholicæ fidei sinceriter adhæreremus, idcirco nũc libenter, ac placide spopondimus gloriæ vestræ, tam pro nobis, quã pro vxoribus, & filijs nostris, per hoc placitum nostrum, vt deinceps in nullis obseruationibus in nullis incestiuis vsibus misceamur. Iudæis autem non baptizatis nullo penitus execrando consortio sociemur: non more nostro propinquitatẽ sanguinis, vsq; ad sextũ gradũ incestiua cõmistione vel fornicatione iungamus: nõ coniugia ex genere nostro, aut nos, aut filij nostri, vel nostra posteritas vllatenus sortiamur: sed in vtroq; sexu deinceps Christianis iugali copulatione nectamur. Non circumcisionem carnis operemur:

non

non Pascha, & Sabbata, ceterosque dies festos, iuxta ritum Iudaicæ obseruantiæ celebremus: non escarum discretionem, vel consuetudinem teneamus: non ex omnibus, quæ Iudæorum vsus & abominanda consuetudo, vel conuersatio agit, aliquatenus faciamus; sed sincera fide, grato animo, plena deuotione in Christum filium Dei viui, secũdum quod Euangelica, & Apostolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur, ac veneremur. Omnes etiam vsus sanctæ Christianæ religionis, tam in festis diebus, vel in coniugijs, & escis, quàm in obseruationibus vniuersis veraciter teneamus, & sinceriter amplectamur: nullo reseruato apud nos, aut oppositionis obiectu, aut fallaciæ argumento, per quod aut illa quæ facere denegamus, iterum faciamus; aut hæc quæ facere promittimus, minimè, vel non sinceriter compleamus. De suillis verò carnibus, id obseruare promittimus, vt si eas pro consuetudine minimè percipere poterimus, ea tamen, quæ cum ipsis decocta sunt, absque fastidio & horrore sumamus. Quòd si in his omnibus, quæ supra taxata sunt, in quocunque vel minimo transgressores inuenti fuerimus, aut contra Christianam fidem agere præsumpserimus, aut quæ congrua Catholicæ religionis promisimus, verbis aut factis implere distulerimus, iuramus per eũdem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, qui est vnus in Trinitate, & verus Deus, quia si ex nobis omnibus, vel vnus transgressor inuentus fuerit, aut à nobis ignibus, aut lapidibus perimatur: aut si hunc ad vitam gloriæ vestræ seruauerit pietas, mox, amissa libertate, tam eum, quàm omnem ipsius facultatem, cui elegeritis perenniter seruiẽdam donetis: vel quidquid ex eo, vel ex rebꝰ eius facere iusseritis, non solùm ex regni vestri potentia, sed etiam ex huius placiti nostri sponsione potestatem liberam habeatis. Factum placitum sub die 12. Kalen. Martias, anno feliciter sexto gloriæ vestræ. In Dei nomine Toleto.

VITA S. EVGENII PAPAE I.

*Auentinæ

EVGENIVS, natione Romanus, de regione prima Aduentinense clericus à cunabulis, ex patre Ruffiniano, sedit* annos duos, menses octo, dies viginti quatuor. Fuit enim benignus, mitis, mansuetus, omnibus affabilis, & sanctitate præclarior. Rogam clero solitam tribuit, & indigentibus eleemosynam ministrauit. Vt etiam die transitus sui pauperibus, vel clero, seu familiæ presbyteria in*integrũ erogari præciperet. Huius temporibus Petrus Patriarcha Constantinopolitanus direxit Synodicam epistolam ad Sedem Apostolicam iuxta consuetudinem priorem omnino obscurissimam, & vltra regulam,* non autem declarans operationes, aut voluntates in Domino nostro Iesu Christo. Et accensus populus, vel clerus eo quòd talem Synodicam direxisset, minimè* est suscepta, sed cum maiore strepitu est à sancta Dei Ecclesia proiecta: Vt etiam nec eundem Papam dimitteret populus, vel clerus Missas celebrare in Basilica sanctæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe, nisi promisisset his ipse Pontifex minimè eam aliquando suscipere. Fecit autem episcopos per diuersa loca numero* 21. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die 4. Nonas Iunij. Et cessauit episcopatus mensem 1. dies* 29.

*in integro

*nõ aliter declarans declaratã duas operationes. *C. susceperunt eã.

*B 22.

*C. 23.

Notæ in vitam Eugenij.

Eugenius quando Pontifex factus.

Eugenius] *Post S. Martinum Papam in Chersonesam relegatũ ad instãtiam Theodori Calliopæ Exarchi Clerus Romanus Eugenium sedis Apostolicæ vicarium designauit, ea intentione, qua supra dixi. Quando autem de S. Martini obitu certum nuncium Romam delatum est, nullus alius quæsitus fuit, qui ipsi succederet; sed qui antea vicaria tantùm præfectura fungebatur, tanquam verus & legitimus Pontifex sedere cœpit, anno Domini 654. qui est Constantis 13.*

Quamdiu sederit.

Sedit annos duos, menses octo, dies 24.] *Intellige à tempore Martini in Chersonesam relegati: nam si computentur tempora sedis duntaxat, quibus post obitum Martini Ecclesiæ legitimè tanquã verus pastor præfuit, necesse est affirmare, ipsum non amplius, quam sex menses & 23. dies Romanæ Ecclesiæ præsedisse. Quod autem Anastasius cognouerit, Eugenium tempore Martini adhuc viuentis ei surrogatum fuisse, patebit verbis immediate hic subsequentibus.*

Petrus quando Const. epi scopus fit factus.

Huius temporibus Petrus patriarcha, &c.] *Anno nimirum Christi 653. qui erat Martini Pontificis quintus inchoatus. Nam anno Martini quarto, & 652. Christi, teste Nicephoro in Chron. obijt Pyrrhus Constantinopolit anus, in cuius locum Petrus surrogatus fuit.*

VITA S. VITALIANI PAPAE.

VITALIANVS, natione Signiẽsis, prouincię Campaniæ, de patre Anastasio, sedit annos 14. menses* sex. Hic direxit responsales suos cum Synodica iuxta consuetudinem in regiam vrbem apud pijssimos Principes, significans de ordinatione sua. Et dum suscepti essent renouantes priuilegia Ecclesiæ reuersi sunt, quorum* clementia per eosdem missos direxerat beato Petro Apostolo, & Euangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu *ornatus. Hic regulã Ecclesiasticam, atque vigorem, vt mos erat, omnimodo conseruauit. Huius temporibus venit Cõstantinus Augustus de regia Vrbe per*litoraria in Athenas, & exinde Tarantum, inde Beneuentum, & Neapolim per indict. 6. Postmodum venit Romam, id est quinta die mensis Iulij feria 4. Indict. suprascripta, & occurrit ei obuiam Apostolicus cum clero suo miliario sexto ab Vrbe Roma, & suscepit eum. Et ipsa die ambulauit Imperator ad sanctũ Petrum ad orationem, & donum ibi obtulit. Die Sabbati ad sanctam Mariam, itemque donum obtulit. Dominico die processit ad sanctum Petrum cũ exercitu suo. Omnes cum cereis exierunt obuiam ei, & obtulit super altare illius pallium auro textile, & celebratę sunt Missæ. Iterum Sabbati die venit Imperator ad Lateranas, & *lauit se, & ibidem praxit in Basilica Iulij. Item Dominico die fuit statio ad sanctum Petrum, & post Missas celebratas, vale fecerũt sibi inuicem Imperator & Pontifex, duodecim dies in ciuitate Romana perseuerans. Omnia, quæ erant in ære ad ornatum ciuitatis deposuit, sed & Ecclesiam beatæ Mariæ ad martyres, quę de regulis æreis erat cooperta, discooperuit. Et in regiam vrbẽ cum alijs diuersis quæ deposuerat, direxit. Et postmodum secũda feria egressus de ciuitate Romana, reuersus est Neapolim. Inde terreno itinere perrexit Rhegium, ingressus Siciliam per indict. 7. Et habitauit in ciuitate Syracusana, & talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus prouinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, per diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales à sæculo nunquam fuerant, vt etiam vxores à maritis, vel filios* à patre separarent, & alia multa inaudita perpessi sunt, vt alicui spes vitæ non remaneret, sed & vasa sacrata, vel cymilia sanctarum Dei Ecclesiarum tollentes nihil dimiserunt. Et postmodum 15. die mensis Iulij per 11. indict. prædictus Imperator in balneo occisus est. Et non post multum temporis antedictus sanctissimus vir vitam finiuit. [illegible] cit autem ordinationes quatuor, presbyteros viginti duos, diaconum vnum, episcopos per diuersa loca* nonaginta septem. Qui etiam sepultus est ad beatum Petrum Apostolum sub die sexto Kalend. Februarij, & cessauit episcopatus menses duos, dies 13.

*C. Principum

*C. ornata

*litoraria. C. littoraria

*pallam aurotextilem.

*C. lætus ibidẽ pransus est.

*à parentibus

*B. 18.

Notæ in vitam Vitaliani Papæ.

Vitalianus quando Pontifex factus.

Vitalianus] *Vltima mensis Augusti anno Domini 655. in locum Eugenij successit Vitalianus, patria Signinus. Huius temporibus Orientales Saxones fidem susceperunt. In Anglia de tempore paschatis celebrandi grauissimè disceptatum fuit.*

Tempus sedis eius.

Signiensis] *Sic dictus à Signia ciuitate apud Hernicos, longe ab vrbe trigesimo lapide, via Latinana sita.*

Sedit annos 14. menses sex.] *Menses quinque minus quatuor diebus post annos 13. sedisse, patet ex initio & fine suscepti pontificatus.*

Hic direxit Responsales suos, &c.] *Eadem legatione Vitalianus literas dedit ad Petrum Constant. Episcopum, hortans eum ad fidem catholicã amplexandã: ad quam ille rescribens ait: se ista profi-*

teri, quæ veteres Patres docuerunt; quod vt confirmaret, eorum testimonia, (quanquam non satis fideliter) mutatis verbis annexuit. Id quod à Græcis & latinis simul animaduersum fuit. Decima tertia actione sextæ synodi quando ibidem hæc relegerentur.

Constans oblatis donis simulat se Catholicum.

Per eosdem missos direxit Constans B. Petro Euangelia aurea cum gemmis, &c.] *Imperator callidus hæc dona obtulit Ecclesiæ, vt se Catholicum & cum Romana Ecclesia communione coniunctum esse fingeret: idque propterea, vt sibi conciliaret Romanum populum, totumque Occidentem, quem à se tanquam ab hæretico & persecutore auersum esse sciebat. Ex eo, quod Vitalianus Pontifex munera Ecclesiæ oblata acceptarit, probabile videtur, quod vna cum muneribus Orthodoxæ fidei professionem emiserit: cum alioquin oblationes ab hæreticis factas, Ecclesia recusare consueuerit. Baron. anno 655. num. 2. 3. & 4.*

Huius temporibus Constans venit Romam] *Anno pontificatus Vitaliani 9. Constantis imperij 22. Christi nati 663. vt patet ex Paul. Diacon. lib. 5. c. 6. 7. 11.*

Quapompa Pontifex Constanté Imperatorem Romã venientem exceperit.

Occurrit ei apostolicus cum clero suo] *Imperator, qui post S. Martinum relegatum, germanum fratrem occiderat, secundum rigorem canonum non illa humanitate acceptandus; sed potius ab omnium Ecclesiarum aditu arcendus fuisset, si non cum Imperatore reconciliato & ad vnionem Ecclesiæ reducto, totius Orientalis schismaticæ Ecclesiæ vnionem futuram Pontifex sperasset: quod deinceps verè factum esse, ex ijs patebit, quæ infra de successore eius filio Constantino Pogonato dicemus. Baronius anno 663. numer. 4. & 5.*

Constans quãdo interfectus.

Et postmodum 15. Iulij Indict. 11. in balneo occisus est] *Anno Imperij sui 27. Christi nati 668. Scribunt de eo Theopha. in annalibus & Cedrenus in compendio, quòd anno decimo octauo sui Imperij Theodosium fratrem germanum Diaconum sacrum interfecerit: qui post mortem sæpe frequenter apparens habitu Diaconi poculum sanguine plenum ei porrexerit, & dixerit: Bibe frater. Cuius visionis acerbitate victus abierit in Siciliam. Post occisum Constantem, rebellione quorundam, Mezentius quidam imperium inuadit. Constantinus Pogonatus (ideo sic nominatus, quod Byzantio soluens, tenera adhuc lanugine fuisset, & è Sicilia promissam barbam, vt Zonaras ait, retulisset) Vitaliani Papæ suppetijs fretus expulso tyranno parenti succedit: Qua de causa rogauit eum Pontifex sanctissimus, vt qui auxilio Dei vicisset tyrannos, iam etiam superaret hæreticos Ecclesiam Dei acerrimè infestantes. Detulit Imperator precibus Vitaliani hoc inprimis, vt quoadusque motus belloram ingruentium componerentur, res hæreticorum silentio sopirentur. Vide Baron. an. 668. num. 1. & 2.*

Constantinus fit Imp.

Cur nominetur Pogonatus.

Et non post multum temporis antedictus vir sanctissimus vitam finiuit] *Anno Christi 669. qui est Constantini Pogonati Imperatoris annus 2. In Græcorum sacra Dyptichа relatum, Theodorus Constant. Episcopus Monothelita inscio & multo imperatore expunxit, vt constat ex Epist. Constant. ad Donum Papam.*

Vitaliani obitus.

EPISTOLA I. B. VITALIANI PAPÆ, AD Paulum Archiepiscop. Cretensem.

Arguit eum, quòd Lappæ Episcopum iniustè damnauerit, & ad sedem Apostolicam prouocantem nõ dimiserit, dictum episcopum pristino honori restituens, quæ contra illum acta fuerant, nulla declarat.

Ex manuscrip. Codi.

VITALIANVS, *Episcopus seruus seruorum Dei, Paulo Archiepiscopo Cretensi.* Decimonono die mensis Decembris præsentis, 11. Indictione, Ioannes Episcopus Lappæ vrbis intra basilicam venerabilem beati principis Apostolorum Petri, nobis obtulit petitionem, per quam nos obnixè postulauit, atq; coniurauit per terribilem, inquiens, aduẽtum magni Dei, atque saluatoris nostri Iesu Christi, vt secũdum sacratissimos canones, institutaque sanctorum patrum, eius causæ meritum requireremus, & sententiam promulgaremus. Obtulit illicò & sententiam apud tuam fraternitatem confectam, subscriptamque eius, eorumque episcoporum manibus. Igitur post aliquos dies ad eius preces coacer uari cœtum in hac vrbe Romana Antistitũ fecimus, vt nobiscum considentes & petitio eiusdem episcopi, & acta sacerdotaliter cognoscerentur. Dum ergo esset in hac Romana vrbe congregata eadem synodus episcoporum pro huiusmodi negocio audiendo vel faciendo; statim nobis nunciata sunt eiusdem exemplaria actionis, à tua fraternitate directa, quæ suscipientes atque conferentes inuicem, ita inuenimus contineri in verbis & sensibus, sicut ea, quæ nobis præfatus episcopus obtulerat, subscripta manu episcoporum, & tuæ dilectionis. Quamobrem admirati sumus, quia per suum clericum hanc vobis minimè direxerit. Si enim forsitan tempus hoc prohibuit incongruum, cur absque suo scripto hanc vsque nos minimè direxit: Cumque recensita esset sententia coram nostris fratribus episcopis, visum nobis eisque est, quòd non secundum timorem Dei, neque secundum instituta patrum, sacrosque canones, eiusdem Ioannis antistitis Lappæ est causa cognita & terminata, vel pœnalibus submissa eius persona. Propterea non leuiter contristati sumus, maximè quia & sub custodia missus est idem Ioannes antistes Lappæ diebus aliquot, & exinde adducebatur in secretarium tuæ fraternitatis, vt quod velles, inquit, loqueretur, ac rursus sub custodia ducebatur ad clausuram, sicuti habet confessio defensoris tuæ dilectionis in sententia ab eo facta: insuper & hortabatur, contra canonum iussa, contraque legum instituta existens, vt daret fideiussorem. Deinde oportebat tuam fraternitatem secundum canonum vigorem, tempore, quo se petijt ad nos venire, eum absoluere tuis litteris: quem non solùm noluisti canonicè absoluere ad principis Apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens, quia non competenter quæris. Quæ ergo sancti sanxerunt patres, indecentia sunt? An placentia tibi, decentia sunt? Igitur præfatum Ioannem, antistitem atque inculpabilem reperientes, iuxta textum sententiæ à te nobis directæ, fecimus nobiscum cum episcopis ad Missarum solemnia in Ecclesias Dei præcedere. Itaque statuimus atque firmamus per huius nostræ præceptionis auctoritatem, omnia, quæ à te tuaque synodo contra canonum instituta, contraque legum decreta gesta confectave sunt, vel sententiam promulgatam aduersus eum, inania & vacua esse; sed quicquid claruerit eum damnificatum, eiusdemque ecclesiam à quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conseruans eum absque damno. Denominatum enim Ioannem, vtpote innocentem existentem, cum præsenti nostra præceptione absoluimus hinc, vt sicut ceteri tuæ dilectionis episcopi, & is suæ Ecclesiæ vtilitates cum Dei peragere timore, sacrarumque regularum instituere debeat morem. Oportebat denique, dilectissime frater, oportebat nos similia similibus retribuere. Sed hæc magis per ignorantiam opinamur gesta esse, quàm per calliditatem. Propterea quæ præcipimus tibi secundum Deum, & propter Dominum tuæque synodo, stude illico peragere, ne cogamur non misericorditer, sed secundum virtutem sacratissimorum canonum conuersari. Scriptum namque est: Dominus inquit: Petre, rogaui pro te, vt non deficeret fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Et rursum: Quodcunque ligaueris, Petre, in terra, erit ligatũ & in cælo: & quodcunque solueris in terra, erit solutum & in cælo. Postquam verò nostram præceptionem tua dilectio relegerit, hanc præsenti portitori Ioannis episcopi nimirum reddat pro sui eiusdemque Ecclesiæ munitione. Data die 6. Kalend. Septembris, Indictione 11.

Luc. 22. Matth. 16.

Titi 2.

EPISTOLA II. B. VITALIANI PAPÆ, Ad Vaanum Cubicularium Imp.

Cum Ioannes Lappæ Episcopus contra canones fuerit condemnatus, cupit vt eius opera suæ Ecclesiæ restituatur.

Ex manuscrip. Codi.

VITALIANVS, *Vaano Cubiculario & Imperiali chartulario.* Semper celsitudo vestra pijs hominibus præbuit concursum, semperque irreprehensibiliter viuentibus tribuit libenter opem. Ideoque congruum præuidimus, per præsentia nostra scripta, Ioannem antistitem ecclesiæ Lappensis, sitæ in insula Creta, ei in omnibus commendare: quatenus diuina ope præuia, eiusque suffultus suffragio, valeat ad sanctam celeriter remeare Ecclesiam. Per Septembrem enim mensem præsentem, vndecima Indictione in

hac

hac Romana vrbe ad Apostolorum nostri culminis protectorum limina veniens, obtulit nobis petitionem, per quã suppliciter precatus est nos, vt eius causæ meritum cognoscentes, canonicè terminaremus. Obtulit denique nobis & sententiam, quam promulgauit eius metropolitanus cum suis episcopis aduersus eũdem Ioannem, volens eum ostendere reprehensibilem, per quam eum contra canonum decreta pœnalibus submisit. Cuius exemplar & idem eius metropolitanus nobis direxit. Propterea facientes congregari episcopos in hac vrbe, eius causa est cognita, relecta videlicet petitione eius. Et præfata sententia ab eodem metropolitano eius nobis directa, visum nobis est, nõ secundum sacros canones eandem esse sentẽtiam promulgatam. Ideoque eam inanem atque vacuam statuimus fore, decernentes eundem Ioannem innocentem existere, & absque aliqua culpa eã ab eius metropolita querimur subijsse; quem meritò absoluimus ad suam ecclesiam regredi, scribentes eius sæpius nominato metropolitæ, vt quę per simplicitatem egerit in eius personam contra canonum decreta, esse vacua & inania. Eundẽ itaq; Ioannem (vt dictum est) antistitẽ, vestræ eximiæ caritati per has nostras litteras cõmendantes, hinc absoluimus, ad vestra nimirum ambulaturum vestigia: & vt exinde rursus cum suis scriptis eum absoluere festinet, quæsumus, ad suam Ecclesiam, commendantes eum, quibus præuiderit, vt illæsus debeat esse. Profectò enim vna mecum cunctis diebus vitæ suæ & ipse pro vestræ excellentissimæ caritatis prosperitate ac longæuitate deprecabitur Dominum. Data die 6. Kalend. Februarias, Indictione vndecima.

EPISTOLA III. B. VITALIANI PAPÆ, Ad Paulum Episcopum Cretensem.

Vt Episcopo Lappæ occupatas Ecclesias restituat: diaconum, qui vxorem duxit, & in duabus militat Ecclesijs, corrigat: tum vt à se Eulampium, qui malè audiebat, dimittat.

Ex M. S. Cod.

VITALIANVS, *Paulo Episcopo Cretensi.* Ad cognitionem tuæ dilectionis congruum præuidimus perducere, eo quòd Ioannes episcopus Lappensis ecclesię nobis suggesserit, asserens, quòd eius parochiæ pertinentia monasteria, vnum quod appellabatur Palea, & alterum quod vocatur Arsilli, à tua Ecclesia esse inuasa. Ideoque, si ita est, hortamur tuam carissimam fraternitatem, vt ei secundum terminos sanctorum canonum reddi faciat: quia vnicuique quod iustum est, volumus conseruari, maximè à nostris fratribus. Cognouimus denique, quòd quidam diaconus, nomine Ioannes, postquam consecratus est minister, accepisset vxorem: & non solùm hoc, sed & in duabus ecclesijs militet. Ideoque, si ita est, hoc tua dilectissima fraternitas pro Dei amore corrigat, ne denuo huiusmodi nefas proueneat ad instar malè viuentium. Deinde cognouimus, quòd quendam curialem nomine Eulampium, habeat quasi consiliarium. Non enim, vt nobis suggestum est, eum constat esse bonæ vitæ. Ille enim quotidie, vt fertur, inter fratres zizania seminat, vt de eorum discordia marsupium impleat. Quamobrem, si ita est, hortamur tuam fraternitatem, eum à se projicere, vt eius opinio coram Deo & hominibus floreat. Data vt supra.

EPISTOLA IV. B. VITALIANI PAPÆ, Ad Georgium Episcopum Syracusanum.

Vt Ioanni Episcopo Lappensi faueat.

Ex M. S. Cod.

VITALIANVS, *Georgio Episcopo Syracusano.* Gesta, siue sententiã à tua fraternitate directam dilectissimo filio nostro Gaudentio primicerio, scribente eam, sibi ab antistite Cretensis insulæ transmissam pro causa Episcopi Lappensis Ecclesiæ, suscepimus, scribentes ei quamobrem admirari sumus, cur ipse Cretensis antistes nobis aut per suum clericum hanc minimè direxerit, aut per sua scripta non indicauerit quæ erant necessaria. Præfatus enim Ioannes Lappensis Ecclesiæ, huiusmodi sententiam manu eius metropolitæ, episcoporumq; subscriptam, cum sua nobis obtulit petitione, postulans suæ causæ meritum canonicè requiri. Cuius precibus moti, pro tali re in hac vrbe fecimus congregari synodum, vt cognosceretur huiusmodi negocium. Cumque esset congregata, relecta est nimirum petitio Ioannis præsulis, ac sententia à tua directa fraternitate: qnibus nobis eisque visum est non secundum sacratissimos canones, neque secundum instituta patrum, esse eadem gesta promulgata aduersus prænominatum Lappensis Ecclesiæ episcopum. Idcirco decreuimus, eam per nostræ præceptionis auctoritatem, esse inanem & vacuam, absoluentes eum ad suam Ecclesiam remeare cum nostra præceptione ad eũdem eius metropolitam facta. Ideoque eo illic ad tuam fraternitatem se coniugente, ei ita concurrat, vt cum litteris commendaticijs domini excellentissimi Vaani filij nostri Imperialis cubicularij & chartularij, ad suã Ecclesiam prosperè reuertatur. Viua enim voce pro sua causa subtiliter tuę fraternitati, dum ab ea requisitus fuerit, profectò indicabit, ostendens ei exemplar præcepti nostri, ad Cretensem metropolitam directi. Præterea & Siluinus tibi * intimandum omnia prædicantes, ne modum transgredi litterarum cerneremur. Data vt supra.

* al. intimabit omnia prædicta, ne.

EPISTOLA V. B. VITALIANI PAPÆ, Ad Osuuium Regem Saxoniæ.

Gratulatur gentes sui regni ad fidẽ cõuersas, vtq; Pascha cetera sq; Apostolorum traditiones obseruari, totamq; insulam Deo dicari curet, & reliquias Sanctorum ei mittit.

Ex Beda lib. 3. Hist. Angl. c. 29

DOMINO, *Excellentissimo filio Osuuio Regi Saxonum, Vitalianus Episcopus seruus seruorum Dei.* Desiderabiles litteras excellentiæ vestrę suscepimus, quas relegentes cognouimus eius pijssimam deuotionem, feruentissimumque amorem, quem habet propter beatam vitam. Et quia dextera Domini protegente, ad veram & Apostolicam fidem sit conuersus; sperans, vt sicut in sua gente regnat, ita & cum Christo in futuro conregnare. Benedicta igitur gens, quæ talem sapientissimum & Dei cultorem promeruit habere regem: quia nõ solùm ipse Dei cultor existit; sed etiam omnes subiectos suos meditatur die ac nocte ad fidem Catholicam atque Apostolicam, pro suæ animæ redemptione conuerti. Quis enim audiens hæc suauia non lætetur? Quis non exultet & gaudeat in his pijs operibus? Quia & gens vestra Christo omnipotenti Deo credidit, secundum diuinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Esaia: In die illa radix Ieſſe, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & iterum, Audite insulę, & attendite populi de longe, & post paululum, Parum inquit est, vt mihi sis seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ, & rursum, Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt, & post pusillum: Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, & dicere his, qui vincti sunt, Exite: & his qui in tenebris, Reuelamini. Et rursum: Ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui, & dedi te in lucem gentiũ, & in fœdus populi, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris. Ecce excellentissime fili, quàm luce clarius est, non solùm de vobis, sed etiam de omnibus prophetarum gentibus, quòd sint creditura in Christo omnium cõditore. Quamobrem oportet vestram celsitudinẽ, vtpote membrum existens Christi, in omnibus piã regulam sequi perenniter principis Apostolorum: siue in Pascha celebrando, siue in omnibus quæ tradiderunt sancti Apostoli Petrus & Paulus, qui vt duo luminaria cæli illuminant mundum; sic doctrina eorum corda hominum quotidie illustrat credentium. Et post nonnulla, quibus de celebrando per orbem totum vno vero Pascha loquitur, Hominem denique inquit, docibilem, & in omnibus ornatum antistitem secundum vestrorum scriptorum tenorem minimè valui-

Esa. 11. Esa. 49.

mus nunc reperire pro longinquitate itineris. Profectò enim dum huiusmodi apta repertaque persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, vt ipse & viua voce, & per diuina oracula omnē inimici zizaniam ex omni vestra insula cum diuino nutu eradicet. Munuscula à vestra celsitudine beato Principi Apostolorum directa, pro æterna eius memoria suscepimus, gratiasque ei agimus, ac pro eius incolumitate iugiter Deum deprecamur cum Christi clero. Itaque qui hæc obtulit munera, de hac subtractus est luce, situsque ad limina Apostolorum, pro quo valde sumus contristati, cum hic esset defunctus. Veruntamen gerulis harum nostrarum litterarum vestris missis, & beneficia sanctorum martyrum, hoc est, reliquias beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctorum martyrum Laurentij, Ioannis & Pauli, & Gregorij atque Pancratij, eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profectò omnes contradendas. Nā & coniugi nostræ spirituali filiæ direximus per præfatos gerulos Crucem clauem auream habentem, de sacratissimis vinculis beatorum Apostolorum Petri & Pauli: de cuius pio studio cognoscentes tantum cuncta Sedes Apostolica vna nobiscum lætatur, quantum eius pia opera coram Deo flagrant & vernant. Festinet igitur quęsumus vestra celsitudo, vt optamus, totam insulam suam Deo Christo dicare. Habet enim profectò protectorē humani generis redemptorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui ei cuncta prospera impartiet, vti nouum Christi populum coaceruet, Catholicam ibi & Apostolicam constituens fidem. Scriptū est enim: Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nimirum enim quærit & impetrabit, & ei omnes suæ insulæ, vt optamus, subdentur. Paterno itaque affectu salutantes vestram excellentiam, diuinam iugiter precamur clementiam, quæ vos vestrosq; omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, vt cum Christo in futuro regnetis sæculo. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Matth. 6.

EPISTOLA VI. SVB NOMINE VItaliani Papæ ad Monachos Siculos.

VItalianus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filijs sub patris Benedicti & Placidi dominio in Sicilia constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ad hoc nos superna clementia in orbe terrarum præfecit rectores atque custodes, vt dispersa congregare, & congregata conseruare, & destructa restituere summopere procuremus. Quapropter quia ciuitates, castra, monasteria, possessiones, & villas B. Benedicto in Sicilia subditas Paganorum incursionibus desolatas esse audiuimus, supra modum dolemus, omnipotentique Deo super hoc gratias agimus, qui ideo temporaliter hic flagella irrogat, ne in æternum puniat. Vnde vos, chariſſimi filij, à fletu & mœrore cessare, monemus, & his nostris filijs, quos de Cassinensi congregatione ad monasteria restauranda, & ciuitates, castra, possessiones, & villas recuperandas in Siciliam dirigere studuimus, vt specialibus dominis deseruire curetis; ex parte beati Benedicti & nostra præcipientes, vt in restauratione monasterij & possessionū illos adiuuare studeatis, cœptumque laborem ad effectum perducere summopere procuretis. Nos enim & vos, & ciuitates, castra, possessiones, & villas, quas Tertullus Patricius beato Patri Benedicto in Sicilia dedit, defendere, adiuuare, & manu tenere parati sumus. Omnipotens Deus sua vos gratia benedicat, atque à cūctis aduersis eripiat. Valete.

CONCILIVM TOLETANVM IX. EPISCOPORVM SEXDECIM HABITVM ANNO SEPTIMO RECESSVINTHI REGIS, POST DIEM KALEND. Nouembris Aera 693. quæ coincidit cum Anno Christi 655. & Vitaliani Papæ secund. Est Prouinciale.

EDITIO I. VVLGATA.

CAPITVLA EIVSDEM CONCILII.

Vt de rebus Ecclesiæ nihil episcopi auferant, & qualiter proximi fundatoris, Ecclesiæ solicitudinem gerant. 1
Vt fundatores ecclesiarum, quoadusque vixerint, earum habeant curam, ipsiq; illic ministros eligant seruituros. 2
Si de rebus Eccesiæ propræstatione aliquid dari dicatur, causa præstiti cognoscatur. 3
Quòd de conquisitis rebus, inter Ecclesiam & sacerdotis hæredes, æqualis diuisio fiat. 4
Si episcopus monasterium facit, vel parochianam Ecclesiam ditat, quartam partem de rebus Ecclesiæ conferat. 5
Vt episcopus tertiam partem ecclesiasticarum rerum sibi debitam, cui elegerit, conferat. 6
Ne extra constitutum ordinem morientis sacerdotis hæredes rem eius adire præsumant. 7
Vt inscripturis, quas sacerdotes vel ministri iniustè fecerint, post mortem eorum habeant annorum numerum computatum. 8
Quantum commodum sibi episcopus tollat de Ecclesia, cuius tumulauerit sacerdotem. 9
De damnatione filiorum, qui ex sacerdotibus & ministris geniti probantur. 10
Quòd seruilibus clericis dare debeant episcopi libertatem. 11
Quòd post mortem sacerdotis, in libertate seruis collata, annorum tempus debeat computari. 12
Vt ex libertis Ecclesiæ & personis ingenuis geniti, ab obsequijs Ecclesiæ non recedant. 13
Quòd si liberti Ecclesiæ ad eam reuerti noluerint, omnis eorum reculauiuri applicetur Ecclesiæ. 14

EDITIO II. IOAN. GARSIÆ.

Vt de rebus Ecclesiæ nihil Episcopi auferāt, & qualiter proximi fundatoris Ecclesiarum solicitudinem gerant. 1
Vt fundatores Ecclesiarum, quoadusque vixerint, earum habeāt curam, ipsiq; illic ministros eligant seruituros. 2
Si de rebus Ecclesiæ propræstatione aliquid dari dicatur, causa præstiti cognoscatur. 3
De conquisitis rebus, inter Ecclesiam & Sacerdotis intestati hæredes, quæ diuisio fiat. 4
Si Episcopus monasterium faciat, vel parochiam Ecclesiā ditet, quantam partem de rebus Ecclesiæ conferat. 5
Vt Episcopus tertiam Ecclesiasticarum rerum sibi debitam, cui elegerit, conferat. 6
Ne extra constitutum ordinem, morientis Sacerdotis hæredes rem eius adire præsumant. 7
Vt scripturæ, quas Sacerdotes, vel ministri iniustè fecerint, post mortem eorum habeant annorum numerum computatum. 8
Quantum commodum sibi Episcopus tollat de Ecclesia, cuius tumulauerit Sacerdotem. 9
De damnatione filiorum, qui ex Sacerdotibus, & ministris geniti cōprobantur. 10
Quòd seruilibus Clericis dare debeant Episcopi libertatem. 11
Quòd post mortem Sacerdotis, in libertate seruis collata annorū tempus debeat computari. 12
Vt ex libertis Ecclesiæ, & ex personis ingenuis geniti ab obsequijs Ecclesiæ non recedant. 13
Quòd si liberti Ecclesiæ, ad eam reuerti non velint, omnis eorum reseula iuri applicetur Ecclesiæ. 14

De obsequio & disciplina libertorum Ecclesiæ. 15
Quòd liberto Ecclesiæ, nihil de rebus suis in alienum liceat transferre dominium. 16
Vt baptizati Iudæi, cum episcopis celebrent dies festos. 17

A.D.657.

VM Canonicæ definitionis edicto in Toletanam vrbem pro peragendo Concilio post diem Kalendarum Nouembrium, anno septimo Recesuinthi principis glorioſi, in basilica sanctæ Mariæ semper Virginis, in vnum fuissemus Domino fauente collecti, id communi definitione decreuimus, vt capitula, quæ in priscis canonibus minimè habebantur inserta, pari promulgarentur sententia, & antiquis iungerentur regulis, perenni iugitate mansura, & omni reuerentia conseruanda. Sed quia nequaquam rectè subditos iudicat, qui non seipsum prius iustitiæ censura castigat: aptum nobis & expedibile visum est, antè nostris excessibus imponere modum, & sic errata corrigere subditorum. Tunc namque melius iudiciorum exordia dicuntur, cùm vita iudicum ante disponitur, eo quod potius iudicij forma completur, cùm negotiorum principijs equitas iudicãtium antefertur. Ideo exordium æquitatis inchoari à iudicibus debet, vt perfecta iuris causatio limitem apertius formet.

Capitulum primum.

Omnis itaque rei Ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori. Et ideo nullus sacerdotum vel ministrorum, ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscunque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel iuri suo aut cathedræ propriæ ciuitatis connectat. Deuotio enim vniuscuiusque, sicut gratanter votum contulit Deo, ita definiuit, quòd plenitudo votorum, conseruaretur in loco: in quo, velut si collata tenentur, manet gratia offerentis: ita si frustrantur, imminet pernicies defraudantis. Verùm vt huius rei potior soliditas habeatur, condignis filijs vel nepotibus, honestioribusque propinquis eius, qui construxit vel ditauit Ecclesiam, licitum sit, hanc bonæ intentionis habere solertiam, vt si sacerdotem seu ministrum aliquid ex collatis rebus præuiderint defraudare, aut commonitionis honestæ conuentione compescant, aut episcopo vel iudici corrigenda denuncient: Quòd si talia episcopus agere tentet, metropolitano eius hæc insinuare procurent: Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc *auribus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus, in eisdem rebus non liceat, quasi iuris proprij potestatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, nec violentiam quamcunque præsumere: sed hoc solum in salutarem solicitudinem adhibere, quòd aut in nullam noxam operatio nocens attingat, aut *vt in multam aut aliquam partẽ salutaris merces assumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare voluerit, & male rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam sustinebit.

* auditib*

*vel ut

2 Cùm sæpè sit solitum, etiam illa, quæ nõ debentur, prece supplicationis & vi quodammodo extorqueri doloris: quanto magis & sine obstaculo concedi debent, exquisita simul & ordine iuris, & dolore compassionis? Quia ergo fieri plerunque cognoscitur, vt Ecclesiæ parochiales vel sacra monasteria, ita quorundam Episcoporum vel insolentia, vel incuria horrendam decidant in ruinam, vt grauior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quàm in struendo gaudij extiterat labor: ideo pia compassione decernimus, vt quamdiu earundem fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere solicitam, & solicitudinem ferre præcipuam, atque rectores idoneos in eisdem basilicis ijdem ipsi offerant episcopis ordinandos. Quòd si tales forsitan non inueniantur ab eis, tunc, quos episcopus loci probauerit Deo placitos, sacris cultibus instituat, cum eorum conniuẽtia seruituros. Quòd si, superstitibus eisdẽ fundatoribus,

16. q. 7. Decernimus, vt quamdiu

De obsequio & disciplina libertorum Ecclesiæ. 15
Quòd liberti Ecclesiæ nihil de rebus suis in alienum liceat transferre dominium. 16
Vt baptizati Iudæi cum Episcopis celebrent dies festos. 17

DVM Canonicæ definitionis edicto in Toletana vrbe pro agendo Concilio post diem Calendarum Nouembrium, anno septimo Recceſuinthi Principis glorioſi in basilica sanctæ Mariæ Virginis in vnum fuissemus, Domino fauente, collecti, id communi definitione decreuimus, vt capitula, quæ in priscis Canonibus minimè habeantur inserta, pari promulgarentur sententia, & antiquis iungerentur regulis perenni iugitate mansura, & omni reuerentia conseruanda. Sed quia nequaquam rectè subditos iudicat, qui non seipsum prius iustitiæ censura castigat, aptum nobis, & expedibile visum est ante nostris excessibus imponere modum, & sic errata corrigere subditorum. Tunc namque melius iudiciorum exordia diriguntur, cum vita iudicum ante disponitur: eo quod potius iudicij forma completur, quo negotiorum Principis, æquitas iudicantium antefertur: Adeò exordium æquitatis inchoari à iudicibus debet, vt perfectio iuris causarum limitem aptius formet.

1 Omnis itaque rei Ecclesiasticæ quantitas, sicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori. Et ideo nullus Sacerdotum, vel ministrorum ex rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscunque locis à fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel iuri suo, aut cathedræ propriæ vnitati connectat. Deuotio enim vniuscuiusque, sicut gratanter votum contulit Deo, ita definiuit, quo plenitudo votorum conseruaretur in loco, in quo velut si collata tenentur, manet gratia offerentis; ita si frustrantur imminet pernicies defraudantis. Verùm vt rei huius potior soliditas habeatur condignis filijs, vel nepotibus, honestioribusque propinquis eius, qui construxit, vel ditauit Ecclesiam, licitum sit, hanc bonæ intentionis habere solertiam, vt si Sacerdotem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus præuiderint defraudare, aut commonitionis honestæ conuentione compescant, aut Episcopo, vel iudici corrigenda denuntient. Quòd si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano eius hæc insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auditibus intimare non differant. Ipsis tamen hæredibus in eisdem rebus non liceat quasi iuris proprij potestatem præferre, non rapinam, & fraudem ingerere, non violentiam quamcunque præsumere: sed hoc solum in salutarem solicitudinem adhibere, quod aut in nullam noxam operatio nocens attingat, aut in multam, vel in aliquam partem salutaris merces assumat. Si quis verò deinceps hæc monita temerare voluerit, & malè rapta cum confusione restituet, & excommunicationis annuæ sententiam sustinebit.

2 Cum sæpe sit solitum, etiam illa, quæ non debentur prece supplicationis, & vi quodammodo extorqueri doloris, quanto magis sine obstaculo concedi debent exquisita simul, & ordine iuris, & dolore compassionis? Quia ergo fieri plerunque cognoscitur, vt Ecclesiæ parochiales, vel sacra monasteria ita quorundam Episcoporum, vel insolentia, vel incuria horrendam decidant in ruinam, vt grauior ex hoc oriatur ædificantibus mœror, quàm in cõstruendo gaudij extiterat labor, ideo pia compassione decernimus, vt quamdiu earundem fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curã permittantur habere solicitam, & solicitudinem ferre præcipuam, atque rectores idoneos in ijsdem basilicis, ijdem ipsi offerant Episcopis ordinandos. Quòd si tales forsan non inueniantur ab eis, tunc, quos Episcopus loci probauerit Deo placitos, sacris cultibus instituat, cum eorum conniuentia seruituros. Quod si spretis eisdem fundatoribus,

Burch. li. 3. c. 182. Iuo. p. 3. c. 243.

Dist. 16. c. 7 Filij, vel nepotes.

Idem Cõcilio Tridentino nouissimè decretũ est sess. 14. ca. 12. & 13.

rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare: & ordinationem suam irritam nouerit esse, & ad verecundiam suam, alios in eorum loco, quos ijdem ipsi fundatores condignos elegerint, ordinari.

*instrumento

3 Si Sacerdos vel minister de rebus Ecclesiæ quippiam alicui sub præstationis obtentu concedat, *instrumenti causam præstiti euidenter exponat, vt hoc aut iustè confecta transactio innotescat, aut fraus incompetens, quæ latet, appareat: aliter verò pro huius negotij causa, deinceps scriptura non valeat.

12. q. 4. Sacerdotes vel

4 Sacerdotes, vel quicunque illi sunt, quibus ecclesiasticarum rerum cura commissa est, quæcunque administrationis suæ tempore emerint, si de rebus proprijs vel vile vel carum habuerint, ad Ecclesiæ nomen, cui præsunt, chartarum instrumenta conficere procurent. Non enim conuenit, vt Ecclesia, quem suscepit externum, efficiat in alieno diuitem, & in suo retineat fraudatorem. Hi verò, qui suarum rerum noscuntur habere compendium, ex omni re, quam post ordinationis suæ diem visi sunt acquisisse, siue nulla, siue aliqua sint instrumenta confecta, compensata tam iuris sui, quàm ecclesiasticarum rerum habitudine, si se vtriusque rei quantitas exæquauerit, inter Ecclesiam & decedentis hæredes, æquo iure conquisitio pertinebit. Si autem quælibet pars maiori cumulo sui iuris excreuerit, maiorem portionem etiam in diuisione percipiet. Quicunque verò de prædictis sacerdotibus vel ministris, pro sui vtilitate atque amicitia, vel præstatione, aut quocunque modo, aut per scripturæ seriem aliquid meruerint à quolibet percipere, in rebus ecclesiasticis non poterit numerari: sed quod exinde voluerint facere, in ipsorum voluntatis arbitrio subiacebit. Quòd si hoc post eorum mortem inordinatum fortasse remanserit, Ecclesia hoc sibi, cui præfuit vel minister extiterit, in perpetuum vindicabit.

12. q. 4. Quicunq; de fac.

12. q. 2. Bonæ rei dare.

5 Bonæ rei dare consultum, & præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium. Quisquis itaque episcoporum in parochia sua monasterium construere fortè voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ditare decreuerit: non amplius ibidem quam quinquagesimam partem dare debebit, vt (hac temperamenti æquitate seruata) & cui tribuit, competens subsidium conferat: & cui tollit, damna grauia non infligat. Ad Ecclesiam verò, quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis magnificare voluerit sepulturis, non amplius quam centesimam partem census Ecclesiæ, cui præsidet, ibidem conferre licebit: ea tamen cautela seruata, vt vnam tantummodo, quę placuerit, ex his duabus remunerandam assumat.

12. q. 3. Episcopus si tertiam partem.

6 Cùm præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus parochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur: opportunè tamen duximus decernendum, vt si Episcopus tertiam partem, quam de rebus eisdem sanctione paterna sibi debitam nouit, aut ipsi Ecclesiæ cuius res esse patebit, aut alteri Ecclesię, quam elegit, conferre decreuerit, & licitum maneat, & irreuocabile robur eius sententia ferat.

7 Propinqui morientis Episcopi, nihil de rebus eius, absque metropolitani cognitione, vsurpare præsumant. Quòd si is qui recesserit, metropolitanus fuerit, successoris eius sententiam aut Concilium sustinebunt, ne passim hæreditatis adeundæ danda licentia, de rebus Ecclesiæ aut nō retineatur ratio plena, aut fraus inueniatur illata. Quòd si presbyter aut diaconus fuerit, quos obisse constiterit, nō sine agnitione sui Episcopi rem eius hæredibus adire licebit. Quisquis sanè post hæc transgressor inuentus extiterit, pro his quæ non expectato ordine adierit, inuasionis damno legis sententiæ subiacebit.

16. q. 3. Si sacerdotes.

8 Si sacerdos vel minister, dum gubernacula Ecclesiarum administrare videtur, contra patrum sanctissimas sanctiones, de rebus Ecclesiæ definisse aliquid dignoscitur: non ex die, quo talia scribendo decreuit, sed ex quo talia moriendo definita reliquit, supputationis ordo subsabit. Nunquam enim ad triennium temporis pertinebit, irritè

rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam nouerit esse, & ad verecundiam sui, alios in eorum loco, quos ijdem ipsi fundatores condignos elegerint, ordinari.

3 Si Sacerdos, vel minister de rebus Ecclesiæ suæ, quippiam alicui, sub præstationis obtentu concedat, in serie instrumenti causam præsliti euidenter exponat: vt ex hoc, aut iustè confecta transactio innotescat, aut fraus incompetens, quæ latet, appareat. Aliter vero pro huius negotij causa deinceps scriptura confecta, non valeat.

4 Sacerdotes, vel quique illi sunt, quibus Ecclesiasticarum rerum cura commissa est, quæcunque administrationis suæ tempore emerint, si de rebus proprijs, vel vile, vel carum habuerint, ad Ecclesiæ nomen, cui præsunt, chartarum conficere instrumenta procurent. Non enim conuenit, vt Ecclesia quæ suscepit externum, efficiat in alieno diuitem, & in suo retineat fraudatorem. Hi verò, qui suarum rernm noscuntur habere compendium, ex omni re, quam post ordinationis suæ diem visi sunt conquisisse, siue nulla, siue aliqua sint instrumenta confecta, compensata, tam iuris sui, quàm Ecclesiasticarum rerum ambitione; si se vtriusque rei quantitas exæquauerit, inter Ecclesiam, & decedentis hæredes æquo iure conquisitio pertinebit. Si autem quælibet pars maiori cumulo sui iuris excreuerit, etiam portionem in diuisione percipiet. Quicunque verò de prædictis Sacerdotibus, vel ministris pro sui vtilitate, atque amicitia, vel præstatione, aut quocunque modo, aut per scripturæ seriem, meruerint à quolibet collata percipere, in rebus Ecclesiasticis non poterunt numerare: sed quod exinde voluerint facere, ipsorum voluntatis arbitrio subiacebit. Quod si hoc post eorum mortem inordinatum fortasse remanserit, Ecclesia hoc sibi, cui præfuit, vel minister extitit, in perpetuo vindicabit.

5 Bonæ rei dare consultum, & præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis expectari cernitur præmium. Quisquis itaque Episcoporum in parochia sua monasterium construere fortè voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ditare decreuerit, non amplius ibidem, quàm quinquagesimam partem dare debebit: vt hac temperamenti æquitate seruata, & cui tribuit, competens subsidium conferat, & cui tollit, damna grauia non infligat. Ecclesia verò, quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam pro suis munificare voluerit sepulturis, non amplius, quàm centesimam partem census Ecclesiæ, cui præsidet, ibidem conferre licebit: ea tamen cautela seruata vt tantummodo, quæ placuerit ex his duabus remunerandam assumat.

6 Cum præteritis sanctionibus notissimum habeatur, quæ de rebus parochialium Ecclesiarum pars Episcopo conferatur, opportunè duximus decernendum, vt si Episcopus tertiam, quam de rebus eisdem sanctione Paterna sibi debitam nouit, aut ipsi Ecclesiæ, cuius res esse patescit, aut alteri Ecclesiæ, cui elegerit, conferre decreuerit, & licitum maneat, & inreuocabile robur eius sententia ferat.

7 Propinqui morientis Episcopi nihil de rebus eius, absque Metropolitani cognitione vsurpare præsumant. Quòd si is, qui recesserit, Metropolitanus fuerit, hæredes eius, aut successorem illius, aut Concilium sustinebūt: ne passim hæreditatis adeundæ data licentia, de rebus Ecclesiæ aut non reddatur ratio plena, aut fraus non inueniatur illata. Quòd si Presbyter, aut Diaconus fuerit, quos obisse constiterit, non sine cognitione sui Episcopi, rem eius hæredibus adire licebit. Quisquis sanè post hæc transgressor inuentus extiterit, pro his, quæ non expectato hoc ordine adierit, inuasionis damno legis sententiæ subiacebit.

8 Si Sacerdotes, vel ministri, dum gubernacula Ecclesiarum administrare videantur contra patrum sanctissimas sanctiones de rebus Ecclesiæ definisse aliqua dignoscantur, nō ex die, quo talia scribendo decreuit, sed ex quo talia moriendo definita reliquit, supputationis ordo subsabit. *Nusquam etenim poterit ad tricennium temporis perti-

*De tricennali possessione rebus Ecclesiæ, vide Concilium Chalced. Can.

17. & Tolet. 4. Can. 34. & epistolā Gelas. Pap. ad Episcopos Siciliæ.

hoc iudicantis? quia ſtatus contractuum, initia non ſumpſit ab origine æquitatis.

9 Plerique, dum rapinis inhiant, quod non debent, aut miſerationis opus condignè non implent, aut indebita ipſi miſerationi damna permiſcent. Ideoque ne amplius miſericordiæ opus execrabile labatur in ſcelus, id communi decreto ſancimus, vt cum pontificem mori contigerit, Epiſcopus, qui ad humandum corpus eius aduenerit, deſcriptis theſauris atque ornamentis omnibus, ſi locuples decedentis Eccleſia fuerit, non amplius quam libram auri in rebus, quibus ei placuerit, exceptis ornamentis Eccleſiæ, cum gratia offerentium auferre pertentet. Si verò minor rebus extiterit, dimidiam libram ſibi licenter vſurpet. Nam & hæc vſurpare ipſa, ratio nulla permitteret, niſi eius, qui conuenit, ſacerdotis iniuriæ contemplatione antiquitas hoc *vſurpata ſeruaſſet. Porrò breue deſcriptarum rerum, ſub fideli relatione hic, qui deſcripſit, dirigere Metropolitano curabit. Metropolitanus autem ex eadem morientis Eccleſia, nihil prorſus auferre præſumat, ſed ſolam, quæ ad eum pertinet, curam ſalutarem impendat.

*vſitata

15.q.8.Cũ multæ

10 Cùm multæ ſuper incontinentia ordinis clericorum hactenus emanauerint ſententiæ patrum, & nullatenus ipſorum reformari quiuerit correctio morum, vſque adeò ſententiam iudicantium protraxere commiſſa culparum, vt non tantum ferretur vltio in authores ſcelerum, verum & in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet, ab epiſcopo vſque ad ſubdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando connubio, in honore conſtituti filios procrearint: illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, canonica cenſura damnentur: proles autem tali pollutione nata, non ſolum hæreditatem parentum nunquam accipiet, ſed etiam in ſeruitutem eius Eccleſiæ, de cuius ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perẽni manebunt.

Diſtin. 53. Qui ex familijs

11 Qui ex familijs Eccleſiæ, ſeruituri deuocantur in clerum, ab epiſcopis ſuis libertatis, neceſsè eſt, vt percipiant donum: & ſi honeſtæ vitæ claruerint meritis, tunc demum maioribus fungantur officijs. Quos vero flagitij ſordidauerit incorrigibilis noxa, perpetua ſeruitus conditionis religet in catena.

12 Si ſacerdos libertatem ſeruis eccleſiæ conferre voluerit, non à die confectionis ſcripturæ, tempus annorum computatum tenebit, ſed ex eo, cum eum, qui ſcripturam confecit, verius obijſſe conſtiterit.

13 Exceſſibus libertorum eccleſiæ, plerunque patronam videmus eccleſiam conuexari, & bicipiti coacti ſumus tædio condolere: vno, dum per ſuperbiam reluctantis, author contemnitur libertatis: altero, dum libertas ſuperbientis, in conditionem relabi cogitur ſeruitutis. Ideo cum iam præteritis patrum regulis multæ ſuper hoc diuerſæ cõſtitutionis emanauerint ſanctiones, tamen quoddam ad plenitudinem rei aptum conſpeximus adhuc innectere complementum. Igitur ſicut legum reuerenda ſanctio cenſuit, ita ſeruare totius generis nobilitas debet, vt in nullo aliena commixtio maculet, quod generoſitas propria decorauit. Vnde cũctis eccleſiarum libertis, tam viris quàm fœminis, eorumque propagini, interdicitur iudicio generali, ne deinceps cauſa connubij aut Romanis ingenuis copulentur, aut Gothis. Quòd ſi hoc factum quandoque patuerit, permixtione tali genita proles, nunquam merebitur ius debitæ dignitatis: nec Eccleſiæ vnquam carebit obſequijs, cuius beneficio donum meruiſſe noſcitur libertatis.

14 Si contingat quemcunque de libertis eccleſiæ, eorumque proſapiæ, contra primæuas modernasque patrum regulas, aut Gothis, aut Romanis ingenuis copulari, tam illis, quàm eorum ſtirpi non licebit ab Eccleſiæ patrocinio euagari: ſed aut ad debita obſequia reuerti cogendi ſunt, aut ſi redire noluerint, quæcunque vel parentes eorum, vel ipſi ab Eccleſia ſunt adepti, vel in eius patrocinio viſi ſunt conquiſiſſe, inſiſtente pontifice, in ditionem propriæ reducantur Eccleſiæ.

15 Eccleſiæ liberti, eorumque progenies, eidem Baſilicæ, de qua libertatis gratiam meruerunt, obſequia prom-

nere vita irritè iudicantis: quia ſtatus contractuum initia non aſſumpſit ab origine æquitatis.

9 Plerique dum rapinis inhiant, vt non debent, aut miſerationis opus condignè non implent, aut indebita ipſi miſerationi damna permiſcent. Ideoque ne amplius miſericordiæ opus execrabile dilabatur in ſcelus, id communi decreto ſancimus, vt cum Pontificem mori contigerit, Epiſcopus, qui ad humanandum corpus eius aduenerit, deſcriptis theſauris, atque domorum internis, ſi locuples decedentis Eccleſia fuerit, non amplius, quam* libram auri in rebus, exceptis ornamentis Eccleſiæ, cum gratia offerentum auferre pertentet. Si verò minor rebus extiterit, dimidiam libram ſibi licenter vſurpet: nam & hæc ipſa vſurpare, ratio nulla permitteret; niſi eius, qui conuenit, Sacerdotis iniuriæ contemplatione, antiquitas hoc vſitata ſeruaſſet. Porro breuem deſcriptarum rerum ſub fideli relatione, idem qui deſcripſit, dirigere Metropolitano curabit. Metropolitanus ex eadem morientis Eccleſia nihil prorſus auferre præſumat; ſed ſolum, quę ad eum pertinet, ſaluationis curam impendat.

Extat de hac ipſa re decretum Concilij Vaſenſis c.2. & habetur apud Gratianũ. 12. q.2. Præcipiendũ: * Centum drachmas auri valet, quæ faciũt decem aureos coronatos, ex Budęo.

10 Cùm multæ ſuper incontinentiam ordinis Clericorum vſque hactenus emanauerint ſententiæ Patrum, & nullatenus ipſorum formari quiuerit correctio morum, vſque adeo ſententiam iudicantium protraxere commiſſa culparum, vt non tantum ferretur vltio in auctoribus ſcelerum, verum & in progenie damnatorum. Ideoque quilibet ab Epiſcopo, vſque ad Subdiaconum deinceps, vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ deteſtando connubio in honore conſtituti filios procreauerint; illi quidem ex quibus geniti probabuntur, Canonica cenſura damnentur, proles autem tali nata pollutione, non ſolum parentum hæreditatem nuſquam accipiat, ſed etiam in ſeruitutem eius Eccleſiæ, de cuius Sacerdotis, vel miniſtri ignominia nati ſunt, iure perenni manebunt.

11 Qui ex familijs Eccleſiæ ſeruituri deuocantur, in Clerum ab Epiſcopis ſuis libertatis neceſſe eſt percipiant donum: & ſi honeſtæ vitæ claruerint meritis, tunc demum maioribus fungantur officijs: quos verò flagitij ſordidauerit incorrigibilis noxa, perpetua ſeruitus conditionis releget in catenam.

12 Si Sacerdos libertatem ſeruis Eccleſiæ conferre voluerit, non à die confectionis ſuæ ſcripturæ tempus annorum computatum tenebit, ſed ex quo eum, qui ſcripturam conficit, verius obijſſe conſtiterit.

13 Exceſſibus libertorum Eccleſiæ plerunque patrocinandi videmus Eccleſiam conuexari, & bicipiti coacti ſumus tædio condolere: vno, dum per ſuperbiam reluctantis, auctor contemnitur: altero, dum libertas ſuperbientis in conditionem relabi cogitur ſeruitutis patrum. Adeò cum iam, præteritis regulis multæ ſuper hoc diuerſæ conſtitutionis emanauerint ſanctiones, tamen quoddam ad plenitudinem rei aptum conſpeximus, adhuc innectere complementum. Igitur, ſicut legum reuerenda ſanctio cenſuit, ita ſeruare totius generis nobilitas debet, vt in nullo aliena commixtio maculet, quod per totum generoſitas propria decorauit. Vnde cunctis Eccleſiarum libertis tam viris, quàm fœminis, eorumque propagini interdicitur iudicio generali, ne deinceps cauſa cõiunctionis quibuſlibet copulentur perſonis ingenuis. Quod ſi hoc factũ quandoque patuerit, permixtione tali genita proles nunquam merebitur ius indebitæ dignitatis, nec Eccleſiæ vnquam carebit obſequijs, cuius beneficio donum meruiſſe noſcitur libertatis.

Sic in foro Iud. li. 3. tit. 2. de nuptijs illicitis.

14 Si contingat quemcunque de libertis Eccleſiæ, eorumque proſapiæ contra primæuas, modernasque Patrum regulas quibuſlibet perſonis ingenuis copulari, tam illis, quàm eorum ſtirpi, non licebit ab Eccleſiæ patrocinio euagari, ſed aut ad debita obſequia reuerti cogendi ſunt, aut ſi redire noluerint, quæcunque, vel parentes eorum, vel ipſi ab Eccleſia ſunt adepti, vel in eius patrocinio viſi ſunt conquiſiſſe, inſiſtente Pontifice, in ditionem propriæ reducantur Eccleſiæ.

15 Eccleſiæ liberti, eorumque progenies, eidem baſilicæ, de qua libertatis gratiam meruerunt, obſequia prom-

pta synceraque parabũt: qui sicut hoc in obsequio pro possibilitate sui, quod vtiles ingenui, dabunt: ita quoque in emendatione culparum, quod inutiles ingenui, sustinebunt.

16 Libertis Ecclesiæ, eorumque propagini, ex omnibus quæ de iure Ecclesiæ noscuntur habere, nihil licebit in extraneum dominum transactione quacunque deducere: sed si ex his quælibet vendere fortasse voluerint, sacerdoti eiusdem Ecclesiæ offerant conuenienter emenda, eorumque precia rerum, vt eis placuerit, aut dispensent, aut habeant. Nam & in dominium partis alterius, rei suæ censum nullo modo transire permittimus. Suis autem filijs vel propinquis, eiusdem Ecclesiæ vel seruitio, vel patrocinio subiugatis, quæcunque vendere vel donare voluerint, aditus omnino patebit.

17 Baptizati Iudæi, quocunque loco cætero tempore conuersentur, Festis tamen præcipuis, noui testamenti serie consecratis, ac diebus illis, quos olim sanctione veteris legis sibimet censebant esse solennes, in ciuitatibus publicisque conuentibus cum summis Dei sacerdotibus celebrare præcipimus, vt eorum conuersationem & fidem & pontifex approbet, & veritas seruet. Huius verò temerator edicti, prout ætas permiserit, aut flagris, aut abstinentię subiacebit. Expletis omnibus, quæ ad honestatis regulam in collationem venere fraternam, grates exoluimus immortali Domino soli, cuius dispositione mirabili, ad hunc sanctæ congregationis cœtum meruimus adunari, vt & communis visio prosperitatem nostram ostenderet, & par diffinitio concordiam assignaret, obsecrantes eius misericordiam largam, vt sereniſſimo Domino & amabili Christo Recesuintho principi glorioso, ita præsentis vitæ felicitatem impendat, vt angelicæ beatitudinis gloriam post longæua tempora concedat: atque ita nos eiusdem felicitate lætos semper efficiat, vt in terra viuentium remunerandos attollat. Antiquitatis dehinc ordinem saluberrimè retinentes, postquam ratione festi paschalis fraternitas vestra cognouit, nouerit se anno venturo die Kalendarum Nouembriũ, causa peragendi Concilij in hac vrbe, fauente Domino, cõgregari, vt simili disceptatu, aut quæ prospexerimus cõgrua decernamus, aut solius pacis conuentu lætemur. Consummatum est hoc sanctum Concilium, die octauo Kalendarũ Decembrium, anno feliciter septimo regni sereniſſimi atque clementiſſimi Domini nostri Recesuinthi regis.

Concilij Toletani noni finis.

pta, sinceraque parabunt. Qui sicut hoc in obsequium pro possibilitate sui, quod vtiles ingenui dabant, ita quoque in emendatione culparum, quod inutiles ingenui sustinebunt.

16 Libertis Ecclesiæ, eorumque progeniei ex omnibus rebus, quæ de iure Ecclesiæ noscuntur habere, nihil licebit in extraneum dominium transactione quarumcunque deducere: sed si ex his quælibet vendere fortasse voluerint, Sacerdoti eiusdem Ecclesiæ offerant conuenienter emenda, earumque pretia, vt eis placuerit, aut dispensent, aut habeant. Nam in dominium partis alterius rei suæ censum nullo modo transire permittimus. Suis autem filijs, vel propinquis eidem Ecclesiæ, vel seruitio, vel patrocinio subiugatis quæcunque vendere, vel donare voluerint, aditus omnino patebit. Iuo. p. 16. c. 67.

17 Baptizati Iudæi quocunque loco cætero tempore conuersentur, festis tamen præcipuis noui testamenti serie consecratis, ac diebus illis, qui olim sanctione veteris legis sibimet censebantur esse solennes, in ciuitatibus, publicisque conuentibus cum summis Dei Sacerdotibus celebrare præcipimus, vt eorum conuersationem, ac fidem, & Pontifex approbet, & veritas seruet. Huius verò temerator edicti, prout ætas permiserit, aut flagris, aut abstinentiæ subiacebit. Expletis omnibus, quæ ad honestatis regulam in collationem venere fraternam, grates exoluimus immortali Domino soli, cuius dispositione mirabili ad hunc sanctæ congregationis cœtum meruimus adunari; vt & communis visio prosperitatem nostram ostenderet, & par definitio concordiam assignaret: obsecrantes eius misericordiam largam, vt sereniſſimo domino, & amabili Christo Recceſuintho Principi glorioso ita præsentis vitæ felicitatem impendat, vt Angelicæ beatitudinis gloriam post tempora longæua concedat: atque ita nos eiusdem felicitate lætos semper efficiat, vt in terra viuentium remuneraturus attollat. Antiquitatis dehinc ordinem saluberrimè retinentes, postquam rationem festi Paschalis fraternitas vestra cognouit, nouerit se anno venturo, die Calendarum Nouembrium, causa peragendi Concilij in hac vrbe, fauente Domino, congregari; vt simili disceptatu, aut quæ prospexerimus congrua decernamus, aut solius pacis conuentu lætemur. Consummatumque est hoc sanctum Concilium die quarto Calendarum Decembrium, anno feliciter septimo regni sereniſſimi, atque clementiſſimi domini nostri Recceſuinthi Regis,
Era DC. XCIII.
(?) In foro Iudic. lib. 12. tit. 3. leg. 21. idẽ præcipitur.

SEQVVNTVR SVBSCRIPTIONES CONCILII TOletani IX. ex Ioan. Garsia recenter adiectæ.

INTERFVERVNT HVIC SANCTO Concilio Pontifices numero sexdecim.

1 Eugenius, regiæ vrbis Metropolitanus Episcopus.
2 Taio, Cæsaraugustanus episcopus.
3 Marcus, Castellonensis episcopus.
4 Vbinibal, Elicitanus episcopus.
5 Videricus, Seguntinus episcopus.
6 Mauricius, Oretanus episcopus.
7 Dauila, Complutensis episcopus.
8 Felix, Valentinus episcopus.
9 Balduigius, Arcauicensis episcopus.
10 Maurellus, Vrgelitanus episcopus.
11 Eusicius, Segobrensis episcopus.
12 Athanasius, Setabitanus episcopus.
13 Giberius, Bigastrensis episcopus.
14 Vbaldefredus, Mentesanus episcopus.
15 Magnarius, Accitanus Episcopus.
16 Stephanus, Valerensis Episcopus.

Item Abbates

1 Fugitiuus, Abbas.
2 Ildefonsus, Abbas.
3 Eumerius, Abbas.
4 Morarius, Abbas.
5 Ioannes, Abbas.
6 Item Ioannes, Abbas.
7 Marcellinus, Archipresbyter Toletanus.
8 Silicolus, Primicerius.

Item Vicarij Episcoporum.

1 Daniel, Diaconus Marcelli Episcopi Ecclesiæ Vrcitanæ.

Item ex viris Illustribus officij Palatini.

1 Paulus, Comes Notariorum.
2 Emeterius, Comes Cubiculariorum.
3 Ella, Comes, & Dux.
4 Recilla, Comes Patrimoniorum.

De

Cap. 10. Pœnæ spu rorum quæ?

DE SVBSCRIPTIONIBVS. Notæ. Io. Garsiæ.

Qui quotue Episcopi subscripserint

Subscribunt in nono Concilio Toletano eodem ordine, sicut in octauo, Episcopi, Abbates, Vicarij Episcoporum, & viri illustres ex officio Palatino. Ferè omnes Episcopi qui in nono subscribunt, subscripserant in octauo; vt Athanasius, Sebastianus, Dauila Complutensis, Felix Valentinus, Gibericus Bigastrensis, Marcus Castellonensis: in septimo, & octauo Mauricius Oretanus, Maurellus Vrgelitanus, Marcellus Vrcitanus per procuratorem: sicut in octauo, Taio Cæsaraugustanus, Vbimbal Elicitanus: in septimo, & octauo. VVidericus Seguntinus, Balduinius Arcauicensis. Subscribit etiam Eusebius Segobiensis, qui successit Floridio, in octauo. Magnarius Accitanus, qui successit Iuliano in octauo. Stephanus Valeriensis, qui successit Tagontio, in octauo. VValdefredus Mentesanus, qui successit Frotlæ, in octauo.

Omnes hi Abbates subscribunt in octauo, præterquam Ioannes. Similiter omnes viri illustres ex officio Palatino. De Archipresbytero, & Primicerio supra fusè diximus.

Notæ in Concilium IX. Toletanum.

Cap. 8. Tempus.

Era DC. XCIII.] *Vasæus anno Domini 654. Morales 657.*

Ad tricennium.] *De tricennali possessione in rebus Ecclesiæ, vide Concil. Chalcedonense. cap. 17. & Tolet. 4. cap. 34. & epistolam Gelasij PP. ad Episcopos Siciliæ, ca. 2.*

Proles autem.] *Concilium Lateranense 2. cap. 31. ita de hac re sancit.* Firmiter prohibemus ne Canonicorum filij, maximè spurij, Canonici fiant in sæcularibus Ecclesijs, in quibus instituti sunt patres: & si fuerit contra præsumptum, decernimus non valere. Qui vero (vt dictum est) Canonicare præsumpserit, à suis beneficijs suspendatur. *Idem Alexander III. part. 19. cap. 1. 3. & 4. & sequentibus: & Concil. Tridentin sess. 25. can. 15. Quinimo ad ordines non debent admitti, etiam si probatæ vitæ fuerint, nisi in monasterio vel regulari vita degentes: Alexand. PP. III. p. 19. cap. 2. Concubinæ verò clericorum, seu mulieres illæ quæ contra Ecclesiæ leges clericis cohabitabant, vnde infamiæ nota illis inureretur, ab Episcopis olim venundabantur in seruas, pretium vero pauperibus erogabatur, vt constat ex Concilio 3. Toletano. Can. 5. & Concil. Toletano 4. cap. 42. Concil. Tolet. 8. ca. 5. & alijs multis locis. A Reccaredo verò Rege libr. 3. tit. 4. leg. 18. fori Iudicum sancitur, vt huiusmodi mulieres centenis flagellis verberentur. De illegitimis multa decreuit hoc tempore Sixtus V. sanctissimus Pontifex, ad optimum regimen Ecclesiæ stabiliendum. Apud Gratianum tota quinquagesima sexta distinct. de hac re agitur. Verùm de Sacerdotibus quid tradat Philo Iudæus in decalogo, perpendendum duxi:* In Sacerdote (*inquit*) & hominum genus examinatur, vt sit inculpabile, & competens, partibus sui corporis vsquequaque integrum. *Quod licet loquatur de Sacerdote veteris legis, qui ex decreto Domini debebat esse iustis natalibus ortus, & integer corpore, verùm id etiam seruatur in noua, vbi ad altius & præstantius sumus vocati sacrificium, & cultum.*

(*.*)

CONCILIVM TOLETANVM X.

VIGINTI EPISCOPORVM ANNO OCTAVO RECESSVINTHI REGIS, AERA 694.

celebratum, sub Vitaliano Papa.

Est Prouinciale.

Editio I. Vvlgata.

TITVLI CAPITVLORVM CONcilij Toletani decimi.

De celebritate annunciationis Dominicæ. 1
De his, qui aduersus principem coniurauerunt. 2
De episcopis, qui monasterijs vel ecclesijs consanguineos suos, vel sibi fauentes, præficiunt. 3
De professione & habitu viduarum sanctimonialium. 4
De sanctimonialibus fœminis, quæ propositum abiecerunt. 5
De his, qui in parua ætate coram parentibus religionis habitum tenuerint, vel vsque ad quotum annum liceat parentibus filios tradere religioni. 6

GRATVLATIONEM nobis spiritualem contulit diuina gratia, quando tribuit inter nos & salutaris disciplinæ frequentiam, & conuenire ad pacificorum studia præoptata. Congregatis ergo nobis, & in concordia animi, & in conuentu loci referentes gratias inuisibili DEO, & glorioso rerum domino Recesuintho regi, cuius sanctis-

Editio II. Ioan. Garsiæ.

De celebritate festiuitatis Dominicæ matris. 1
De non violandis religiosorum iuramentis, in salutẽ Regiam datis. 2
De non permittendo laicis imperare religiosis. 3
De professione & veste religiosarum viduarum. 4
De remotis excusationibus viduarum transgressionem religionis sequentium. 5
De his, qui in parua ætate, coram parentibus religionis habitum tenuerint. 6
Vt nullus Christianum Iudæis vendat. 7

IN NOMINE DOMINI HABITA SYnodus X. in Toletana vrbe, die Calendarum Decembrium, Anno octauo gloriosissimi domini, & religiosissimi Recesuinthi Principis, Era DC. XCIV.

GRATVLATIONEM nobis spiritualem diuina contulit gratia, quando tribuit vti nobis & salutaris disciplinæ frequentia, & conuenire ad pacificorum votorum studia præoptata. Congregatis ergo nobis, & in cõcordia animi, & in conuentu loci, referentes gratias inuisibili Deo, & glorioso rerum domino Recesuintho Regi, cuius sacratissimo voto, retenta paternitatis sanctæ traditione,

ſanctiſſimo voto retenta paternitatis ſanctæ traditione, ad ſacrum quiuimus adunari conuentum, has ſubter annexas regulas, cõcordi definitione prolatas, æterna ſtatuimus, manere lege præfixas.

Capitulum primum.

De celebritate feſtiuitatis Dominicæ matris, cum nihil fidei ſynceritas per diuerſitatẽ aduerſum incurrat, & vnitatem Catholicæ regulæ varietas nulla decerpat, eſt tamen, quod niſi temporum vnitate ſeruetur, & diſſidium indiſciſſæ vnitati parturiat, & ſacramentorum vnitate conſtare nõ valeat. Hinc eſt enim, quòd Paſchale feſtũ vno die celebramus & tempore, ne in Iudaicum decidamus errorem. Hinc aduentum ſancti Spiritus, poſt reſurrectionem Domini, niſi expectemus tempore definito dierum & numero, non poſſumus impleri eiuſdem ſpiritus dono: quoniam ſi caret plenitudinis numero, carere poteſt & myſterij ſacramento. Hinc natiuitatis Dominicæ ſacrum, quo euidenter de vtero Virginali Verbum prodijt caro factũ, abſque dubio ſeruat & temporis curſum, & repræſentat ſpeciale diei monimentum. Si ergo natiuitatis & mortis huius incarnati Verbi dies, abſque immutatione ita certus habetur, vt abſque diuerſitate in toto orbe terrarum ab omni Eccleſia concorditer celebretur: cur non feſtiuitas glorioſæ matris eius, eadem obſeruantia vno ſimul vbique die, ſimiliq́ue habeatur honore? Inuenitur etenim in multis Hiſpaniæ partibus, huius ſanctæ Virginis feſtum non vno die per omnes annorũ circulos agi. Quo enim tranſducit homines diuerſitas temporum, dum varietatem celebritatis habere probãtur? Qua de re, quoniam die qua inuenitur Angelus Virgini Verbi conceptum & annunciaſſe verbis, & indidiſſe miraculis, eadem feſtinitas non poteſt celebrari condignè, quod interdum Quadrageſima, vel Paſchale feſtum videatur incumbere, in quibus nihil de ſanctorum ſolennitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautum eſt, conuenit celebrari: cùm etiam & ipſam incarnationem Verbi non cõueniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat idipſum. Verbum poſt mortem carnis, gloria reſurrectonis attolli: ideò ſpeciali conſtitutione ſancitur, vt ante octauum diem, quo natus eſt Dominus, genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus & præclarus. Ex pari enim honore cõſtat, vt ſicut natiuitatem filij ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita feſtiuitatem matris tot dierum ſequatur ſacra ſolennitas. Nam quid feſtum eſt matris, niſi incarnatio Verbi? Cuius feſtum ita debet eſſe ſolenne, ſicut eſt & eiuſdem natiuitas Verbi. Quod tamen nec ſine exemplo decentis moris, qui per diuerſas mundi partes dignoſcitur obſeruari, videtur inſtitui. In multis itaque eccleſijs, à nobis & ſpacio remotis, & terris, hic mos agnoſcitur retineri. Proinde, vt de cætero, quicquid eſt dubium, ſit remotum, ſolennitas Dominicæ matris die decimoquinto Kalendarum Ianuariarũ omnimodo celebretur: & natiuitas filij eius Saluatoris noſtri, die octauo Kalendarum earundem, ſicut mos eſt, ſolẽnis in omnibus habeatur.

2 Frequentium moleſtiarum nocens impulſus, contemni quidem magnitudine decentis poterat grauitatis: ſed quia leuitas labens facilè ad præcipitia vana corda reclinat, benè honeſta ſolicitudo cohibere properat, quod frequentata vſitatio vitare non curat: ideo cum & quorundam paternorum ſanctionibus decretorum, & inſtitutionibus ſit legalibus cautum, ne contra ſalutem principum, gentiſq́ue aut patriæ quiſquam meditari conetur aduerſum: hoc vnum ſpecialiter nunc depromitur obſeruandum, vt ſi quis religioſorum, ab Epiſcopo vſque ad extremum ordinis clericorum ſiue monachorum, generalia iuramenta in ſalutem regiam, gentiſq́ue aut patriæ data, reperiatur violaſſe voluntate prophana, mox propria dignitate priuatus, & loco & honore habeatur excluſus, eo miſerationis obtentu tantummodo reſeruato, vt an locum, an honorem, an vtraque poſſideat, concedendi ius, licentiamq́ue principalis poteſtas obtineat.

3 Reuerentiæ totius auditu percipiatur, quia res adeo dura,

ad ſacrum quiuimus adunari conuentum, has ſubter annexas regulas concordi definitione prolatas æterna ſtatuimus manere lege præfixas.

1 Cum nihil fidei ſinceritas per diuerſitatem aduerſum incurrat, & vnitatem Catholicæ regulæ varietas nulla diſcerpat, eſt tamen, quod niſi temporum vnitate ſeruetur, & diſcidium indiſciſſæ vnitati parturiat, & ſacramentorum vnitate conſtare non valeat. Hinc eſt, quòd Paſchale feſtum, niſi vno die celebremus & tempore, in Iudaicum decidamus errorem. Hinc aduentum ſancti Spiritus poſt Reſurrectionem Dei niſi expectemus tempore definito dierum, ſimul, & numero, non poſſumus impleri eiuſdem Spiritus dono. Quoniam ſi caret plenitudinis numero, carere poteſt & myſterij Sacramento. Hinc natiuitatis Dominicæ ſacrum, quo euidenter de vtero virginali Verbum prodijt caro factum, abſque dubio ſeruat temporis curſum, & repræſentat ſpecialis diei momentum. Si ergo Natiuitatis, & mortis incarnati huius Verbi dies abſque immutatione ita certus habetur, vt abſque diuerſitate in orbe toto terrarum ab omni concorditer Eccleſia celebretur, cur nõ feſtiuitas glorioſæ matris eius eadem obſeruantia, vno ſimul vbique die, ſimiliq́ue habeatur honore? Inuenitur etenim in multis Hiſpaniæ partibus huius ſanctæ Virginis feſtum non vno die per omnes annorum circulos agi. Quoniam tranſducti homines diuerſitate temporum, dum varietatem ſequuntur, vnitatem celebritatis non habere probantur. Qua de re, quoniam die, qua inuenitur Angelus virgini Verbi conceptum & nunciaſſe verbis, & indidiſſe miraculis, eadem feſtiuitas non poteſt celebrari condignè, cum interdum Quadrageſimæ dies, vel Paſchale feſtum videtur incumbere, in quibus nihil de ſanctorum ſolennitatibus, ſicut ex antiquitate regulari cautũ eſt, conuenit celebrari; cum etiam & ipſam incarnationem Verbi non conueniat tunc celebritatibus prædicari, quando conſtat id ipſum Verbum poſt mortem carnis gloria Reſurrectionis attolli, ideò ſpeciali conſtitution e ſancitur, vt ante octauum diem, quo natus eſt Dominus, genitricis quoque eius dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Ex pari enim honore conſtat, vt ſicut Natiuitatem Filij ſequentium dierum inſequitur dignitas, ita feſtiuitatem matris tot dierum ſequatur ſacra ſolennitas. Nam quod feſtum eſt matris niſi incarnacio Verbi? cuius vtique ita debet eſſe ſolenne, ſicut eſt & eiuſdem natiuitas Verbi. Quod tamen nec ſine exemplo decedentis moris, qui per diuerſas mundi partes dignoſcitur obſeruari, videtur inſtitui. In multis namque Eccleſijs à nobis, & ſpacio remotis, & terris, hic mos agnoſcitur retineri. Proindè, vt de cætero quidquid eſt dubium ſit remotum, ſolennitas Dominicæ matris die decimoquinto Kalendarum Ianuariũ omnimodo celebretur, & Natiuitas Filij eius Saluatoris noſtri die octauo Kalendarum earundem, ſicut mos eſt, ſolennis in omnibus habeatur.

2 Frequentium moleſtiarũ nocens impulſus cõtemni quidem magnitudine decentis poterat grauitatis: ſed quia leuitas labens, facilè ad præcipitia vana corda reclinat, benè honeſta ſolicitudo cohibere properat, quod frequentata vſitatio vitare non curat. Ideo cũ & quorundam Paternorum ſanctionibus decretorũ, & inſtitutionibus ſit legalibus cautum, ne contra ſalutem Principũ, gentiſque, aut patriæ, quiſquã meditari conetur aduerſum, hoc vnum ſpecialiter nunc depromitur obſeruandũ, vt ſi quis religioſorũ ab Epiſcopo, vſq; ad extremi ordinis Clericũ, ſiue monachũ generalia iuramenta in ſalutem Regiam, gentiſque, aut patriæ data, reperiatur violaſſe volũtate profana, mox propria dignitate priuatus, & loco & honore habeatur excluſus, & miſerationis obtentu tantummodo reſeruato, vt an locum, an honorem, an vtraque poſſideat, concedendi ius licentiamque principalis poteſtas obtineat. Concil. Tol. 4. c. 3.

* Decre. Iuon. p. 12. c. 88. Ita habetur: Igitur ſi Clerici, aut Monachi inuenti fuerint coniurati, aut per coniurationem calumniam machinantes Epiſcopis, vel Clericis, proprium amittant gradum: ſicque 11. quæſt. 1. Si Clerici.

3 Reuerentiæ totius auditum, quia res adijt dura, non

fruſtra,

dura, nõ frustra cogitur hac duriori extirpari cẽsura. Agnouimus enim, quosdã pontifices præcepti principis Apostolorũ (qui ait, Pascite, qui in vobis est, gregẽ non coactè, sed spontaneè: neq; dominãtes in clero, sed forma facti gregis) ita esse immemores, vt quibusdam monasterijs parochialibusque ecclesijs, aut suæ consanguinitatis personas, aut sui fauoris participes, iniquum sæpe statuant in prælatũ, ita illis prouidentes cõmoda inhonesta, vt aut eisdem deferantur, quæ proprio episcopo dari iustus ordo depoposcerit, aut quæ capere deputati exactoris violẽtia poterit. Proinde decenter omnibus placet, & in præsenti tale rescindere factũ, & non esse decætero faciendum. Nam quisquis pontificum deinceps, aut sanguine propinquis, aut fauore personis quibuscunque sibi deuinctis, talia commendare lucra tentauerit: ad suũ nefandæ præsumptionis excidiũ, & quod iussum fuerit, deuocetur in irritum: & qui ordinauit, annuæ excõmunicationi subiaceat: quæ verò ablata fortasse fuerint, ab eo qui tulit, reddantur in duplum.

1. Pet. 5.

Dist. 89. Decenter omnibus placet.

4 Benè per spiritũ Domini possumus cũ sancto Apostolo dicere, non ignorare nos astutias satanæ, quia impellimur zelo domus Dei & ardore cremari. Videmus enim, ad tanta fraudũ studia conualescentem, excreuisse perniciem, vt & primæua patrum constitutio à quibusdã æstimetur illudi, & noua iudicũ putetur intentio * pelli. Nam inueniũtur nonnullæ viduæ, diuersis excusationibus se adeo contegentes, vt blandiantur sibi, non se patrum plena religionis alligatas institutione teneri. Vnde, antiquis inconcusse permanentibus regulis, hoc adijcitur noue oraculo sanctionis, vt vidua, quæ sanctæ religionis obtinere propositũ voluerit, sacerdoti vel ministro, ad quẽ aut ipsa venerit, aut quem ad se venire contigerit, scriptis professionẽ faciat, à se aut signo, aut subscriptione notatã, continentem se & religionis propositum velle, & hoc perenniter inuiolatè seruare. Tunc accepta à sacerdote vel ministro, apta religionis huius veste, seu lectulo quiescens, siue quocunque in loco cõsistens, incunctanter vtatur. Nec diuersi coloris, aut diuersæ partis eadem sit notabilis vestis, sed religiosa, & non suspecta, quæ careat & varietatibus colorum, & diuersitatibus specierum: adeo vt absque vlla suspicione transgressionis, maneat vsui tantum apta sanctæ religionis, & suo sexui competẽs ad testimonium probitatis. Vt aũt deinceps nil deuocetur in dubium, pallio purpureo vel nigri coloris, caput contegat ab initio susceptæ religionis, vt dũ illic tulerit signum probabilis sanctitatis, vbi nullius falli poterit visio intuentis, nunquam ausus attentet detestandæ præsumptionis.

2. Cor. 2.

* falli.

20. q. 1. vidua, quæ sanctæ religionis.

5 Omnibus fœminis, quæ iam in præteritum religionis veste probantur indutæ fuisse, nihil excusationis valeat in oppositionem quælibet obiectio, quãuis diuersis ac callidis adumbrare se velint fallatiæ argumentis, sed ad sacratissimam sanctionem disciplina sanctior eas teneat religatas atque subnexas. Commoneantur sanè sacerdotis authoritate, vt redeant sponte. Quæ si redire noluerint, impulsi sacerdotis ad religionis * cultum reducantur, & in monasterijs redactæ, excommunicationis condignæ sententia feriantur: Hic idem quoque ordo in illarum condemnatione manebit, quæ quamlibet à sacerdote sanctimoniæ vestem non accepissent, ipsæ tamen aut indutæ sunt, aut illo indui habitu consenserunt, qui religionis esse cultus ab intuentibus crederetur, si coram Ecclesia vel sacerdote, aut etiam competentibus testibus, quandoque indutæ certis indicijs aut testimonijs approbantur: omnes tamen hæ, seu venientes ad primam religionem, seu post transgressum resumentes iteratam conuersionem, sicut præmissum est, & pallio capita contegant, & conscriptam roboratamque professionis faciant scripturam, per quam vlterius non sinantur relabi ad præuaricationis audaciam. Quæ verò ex omnibus his fuerint repertæ animum aut vestem in transgressionem dedisse, excommunicationis sententiam ferant: & rursum mutato habitu, in monasterijs (donec diem vltimum claudant) sub ærumnis arduæ pœnitentiæ maneant religatæ.

* habitum

37. q. 1. Omnes fœminæ venientes

6 De his, qui in parua ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt, quoniam vsque huc dissolutæ operationis effectus, interdum mutare fecit honestum con-

fruſtra cogimur hanc duriori extirpare cenſura. Agnouimus enim quoſdam Pontifices præcepti principis Apoſtolorum, qui ait, Paſcite, qui in vobis eſt, gregem; non coactè, ſed ſpontaneè, nec dominantes in clero, ſed forma facti gregis, ita eſſe ita eſſe immemores, vt quibuſdam monaſterijs, parochialibusque Eccleſijs, aut ſuæ conſanguinitatis perſonas, aut ſui fauoris participes, iniquum ſæpe ſtatuant in Prælatum; ita illis prouidentes commoda inhoneſta, vt eiſdem deferantur, aut quæ proprio Epiſcopo dare iuſtus ordo popoſcerit, aut quæ rapere deputati exactoris violentia potuerit. Proinde decenter omnibus placet, & in præſenti tale reſcindere factum, & non eſſe de cætero faciendum. Nam quiſquis Pontificum deinceps, aut ſanguine propinquis, aut fauore ſibi perſonis quibuſcunque deuinctis talia commodare lucra tentauerit auſu nefandæ præſumptionis, & quod viſum fuerit deuocetur in irritum, & qui ordinarit annuæ excommunicationis ferat excidium.

De viduis ſupra diximus Cõc. Tol. 4. c. 55.

4 Benè per ſpiritum Dei poſſumus cum ſancto Apoſtolo dicere, non ignorare nos aſtutias Sathanæ; quia impellimur Zeli domus Dei ardore cremari. Videmus enim ad tanta fraudium ſtudia conualeſcentẽ excreuiſſe perniciem, vt primæua Patrũ conſtitutio à quibuſdam æſtimetur illudi, & noua iudicũ putetur intentio falli. Nam inueniuntur nonnullæ viduæ diuerſis excuſationibus ſe adeò contegentes, vt blandiantur ſibi, non ſe Patrũ plena religionis alligatas inſtitutione teneri. Vnde antiquis inconcuſsè permanentibus regulis hoc adijcitur nouæ oraculo ſanctionis, vt vidua, quæ ſanctæ religionis obtinere propoſitũ voluerit, Sacerdoti, vel miniſtro, ad quẽ aut ipſa venerit, aut quẽ ad ſe venire contigerit, ſcriptis profeſſionem ſuam faciat, à ſe, aut ſigno aut ſubſcriptione notatam, continentem, ſe & religionis propoſitum velle, & hoc perẽniter inuiolate ſeruare. Ac tunc accepta à Sacerdote, vel miniſtro apta religionis vſui veſte ſeu lectulo, quieſcens, ſiue quocunque loco conſiſtens incunctanter vtatur: nec diuerſi coloris, aut diuerſæ partis eadem ſit notabilis veſtis; niſi religioſa, & non ſuſpecta; quæ careat & varietatibus colorum, & diuerſitatibus partium: adeò vt abſque vlla ſuſpitione trangreſſionis, maneat vſui tantum apta ſanctæ religionis, & vſui ſexus competens, ad teſtimonium probitatis. Vt autem deinceps nihil deuocetur in dubium, pallio purpurei, vel nigri coloris caput contegat, ab initio ſuſceptæ religionis: vt dũ illic intulerit ſignum probabilis ſanctitatis, vbi nullius falli poterit viſio intuentis, nuſquam attententur auſus deteſtandæ præſumptionis.

5 Omnes fœminæ, quæ iam in præteritum religionis veſte fuiſſe probantur indutæ, nihil ad excuſationem valeat oppoſitionum quælibet obiectio, quamuis diuerſis aut callidis adumbrare ſe velint fallaciæ argumentis: ſed ad ſacratiſſimas ſanctiones diſciplina ſanctior teneat eas religatas atque ſubnexas. Commoueantur ſanè Sacerdotis auctoritate, vt ſponte ardeant: quæ ſi redire noluerint, impulſu Sacerdotis ad religionis habitum reducantur, & in monaſterijs reductæ excommunicationis condignæ ſententia feriantur. Hic idem quoque ordo in illarum condemnatione manebit, quæ quamlibet à Sacerdote, vel miniſtro ſanctimoniæ veſtem non accepiſſent, ipſæ tamen, aut indutæ ſunt, aut illo indui habitu conſenſerunt, qui religionis eſſe cultus ab intuentibus crederetur, ſicque coram Eccleſia, vel Sacerdote, aut etiam competentibus teſtibus quandoque indutæ viſæ certis indicijs, aut teſtimonijs approbantur. Omnes hæ tamen, ſeu poſt tranſgreſſum reſumentes iteratam conuerſionem, ſicut præmiſſum eſt, & pallio capita contegant, & conſcriptam, roboratamque profeſſionis faciant ſcripturam, per quam alterius non ſinantur relabi ad præuaricationis audaciam. Quæ verò ex omnibus his fuerint repertæ animum, aut veſtem in tranſgreſſionem dediſſe, & excommunicationis ſententiam ferant, & rurſum mutato habitu, in monaſterijs, donec diem vltimum claudant, ſub ærumnis arduæ pœnitentiæ maneant religatæ.

27. q. 1. Omnes fœminæ: nõ ad verbum.

6 Cum hucuſque diſſolutæ operationis effectus interdum nutare fecit honeſtæ conſtitutionis edictum, dum inconditè reſolui putatur, quod indiſſolubile ſanctionis

Iuo. p. 7. c. 27. Burch. lib. 8. c. 1.

ſtitutio- aucto-

20.q.2.Si in qualibet minori.

ſtitutionis edictum, dum inconditè reſolui putatur, quod indiſſolubili ſanctionis authoritate tenetur: ideò quicquid obuium ex incerto occurrit, euidenter abijci debet, vt de cætero nihil ſuperſit, quod in dubium mutet. Ideoque, ſi in qualibet minori ætate vel religionis tonſuram, vel religioni debitam veſtē in vtroque ſexu filijs, aut vnus, aut ambo parentes dederint, certè aut nolentibus, vel neſciētibus ſeſe ſuſceptam, non mox viſam in filijs abdicauerint: ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſia, palamque in conuentu eoſdē filios talia habere permiſerint: ad ſæcularem reuerti habitū, ipſis filijs quandoque penitus non licebit: ſed conuicti, quòd tonſurā aut religioſam veſtē aliquando habuerint, mox ad religionis cultū habitumq; reuocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione huiuſcemodi obſeruantiæ inſeruire cogātur. Parentibus ſanè filios ſuos religioni contradere, non amplius quam vſque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit eſſe. Poſtea verò, an cum voluntate parentū, an ſuæ deuotionis ſit ſolitarium votum, erit filijs licitum, religionis aſſumere cultum. Quiſquis autem vel abolitione tonſuræ, vel ſæcularis veſtis aſſumptione detectus fuerit attigiſſe tranſgreſſionem, & excommunicationis cenſurā accipiat, & religioni ſemper inhæreat.

Hic Canon VII. non habetur in editione Vulgata.

20.q.2.Si in qualibet.

auctoritate tenetur. Ideò quidquid obuium ex incerto incurrit, euidenter abijci debet: vt de cætero nihil ſuperſit, quod in dubium nutetur. Ideoque ſi in qualibet minori ætate, vel religionis tonſuram, vel religione debitam veſtem, in vtroque ſexu filijs, aut vnus, aut ambo parentes dederint; certè aut nolentibus vel neſcientibus ſe, ſuſceptam non mox viſam in filijs abdicauerint, ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſia, palamque in conuentu eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſæcularem reuerti habitum ipſis filijs quandoque penitus non licebit: ſed conuicti, quod tonſuram, aut religioſam veſtem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque reuocentur, & ſub æterna diſtrictione huiuſcemodi obſeruantiæ inſeruire cogantur. Parentibus ſanè filios ſuos religioni contradere, non amplius quam vſque ad decimum ætatis eorum annum licentia poterit eſſe. Poſtea verò, an eum voluntate parentum, an ſuæ deuotionis ſit ſolitarium votum, erit filijs licitum religionis aſſumere cultum. Quiſquis autem vel abolitione tonſuræ, vel ſæcularis veſtis aſſumptione, detectus fuerit attigiſſe tranſgreſſionem, & excommunicationis cenſuram accipiat, & religioni ſemper inhæreat.

VII. Vt nullus ex Sacerdotibus, Leuitis, vel ex Catholicorum cœtu, audeat mancipia Chriſtiana Iudæis, vel Gentilibus venundare.

Septimæ collationis obiectu immane ſatis, & infandum operationis ſtudium nunc ſanctum noſtrum adijt Concilium; quod plerique ex Sacerdotibus, & Leuitis, qui pro ſacris miniſterijs & pietatis ſtudio, gubernationisque augmento ſanctæ Eccleſiæ deputati ſunt officio, malunt imitari turbam malorum, potius quam ſanctorum Patrum inſiſtere mandatis: vt ipſi etiam qui redimere debuerunt, venditiones facere intendant, quos Chriſti ſanguine præſciunt eſſe redemptos; ita duntaxat, vt eorum dominio, quo ſunt empti, in ritu Iudaiſmo: cōuertantur oppreſſi, & ſit execrabile commercium vbi nitente Deo, iuſſum eſt ſanctum adeſſe conuentum; quia maiorum Canones vetuerunt, vt nullus Iudæorum cōiugia, vel ſeruitia habere præſumat de Chriſtianorū cœtu, ſed ſacræ fidei ſibi cohærētia tam coniugia quā ſeruitia, fauente Deo vnicè adhæreant; dicente Propheta: Qui habitare facit vnanimes in domo. Pſal.67. Nam verè nec aduertunt primū, quid Dñs præceperit per Moyſem dicens: Si quis furatus fuerit hominē, & vendiderit, conuictus, quòd morte moriatur. Et iterū: Si fratrē tuū Hebræum redemeris, ſeruiet tibi ſeptem annis, & liberum abire permittes. Exod.21. Deut.15. ſecundum Septuaginta. Quod ſine dubio ab eis præſcimus impleri. Quid enim deterius, quidve in præceps, dum ipſi, quos nouimus Dei inſectatores, ita malunt ſibi cōceſſa implere præcepta, vt nulla prorſus ratione maneant euitata, quāto magis nos, qui redemptos nos cōgaudemus pretio ſanguinis ſacri, cōuenit cuſtodire omnia præcepta? Quid igitur Sacerdos ille, vel Leuita, ſiue etiā omnis athleta Chriſti ſibi vēdicare velit, dum Dñm, & redemptorē noſtrū Ieſum Chriſtum non vult imitari; ſecundum quod ipſe vaticinantibus Prophetis ait: Vos Sacerdotes, & Leuitæ afferte arcam Dñi Dei Iſraël ad locū, qui paratus eſt: ſit timor Dñi vobiſcum, & cū diligentia cuncta facite: Leuate ſacrificiū, & venite in conſpectū eius, & adorate Dñm in decore ſancto. 2.Paral.19 1.Paral.16 Et alibi: Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo Dñe, vt ponat thymiama in furore, & holocauſta ſup altare tuū. Deut.13. Et illud: Malach.2. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiā, & legē de ore eius exquirūt: quia Angelus Dñi exercituū eſt, lex veritatis in ore eius, & iniquitas nō eſt inuēta in labijs eius: In pace dirigens ambulauit, & multos cōuertit ab iniquitate. Ibidem. In vulgata eſt: In pace & æquitate ambulauit mecū, & multos, &c. Necnon & Dauid: Sacerdotes tui Dñe induantur iuſtitia, & ſancti tui lætentur. Pſal.131. Viduā eius benedicens benedicā, & pauperes eius ſaturabo panibus: Sacerdotes eius induā ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt. Ibid. Quod & ipſe Dominus & Saluator Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: Euntes per vniuerſum mūdum, prædicate Euangelium regni: appropinquauit enim regnum cælorum: dęmonia eijcite, claudos curate, leproſos Matth.10.

munda-

Hic Canon VII. non habetur in editione Vulgata.

mundate, mortuos ſuſcitate. Et iterum, Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem cõſtituet dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibũ in tempore (opportuno.) Beatus ille ſeruus, quem cum venerit dominus eius, inuenerit ſic facientem: Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eũ. Nam & Petro dixit: Simon Petre ſi diligis me, paſce oues meas. Vnde & Apoſtoli in vnum cõmorantes, poſſeſſiones proprias & ſubſtantias vendebant: & non quidem credentiũ animas euertebãt; ſed magis vnicuique, prout opus erat, fidelium diuidebant. Quod & beatus admonet Petrus dicens: Paſcite, qui eſt in vobis gregem Dei, cuſtodientes, non coactè, ſed ſpõtaneè ſecundũ Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: vt cum Princeps paſtorum apparuerit, percipiatis immarceſcibilem gloriæ coronam. Nam & Paulus ita ad Timotheũ ait: Exemplũ eſto fideliũ in verbo, in cõuerſatione, in fide, in charitate, in caſtitate: vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Quia ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, vnũ ſpiritũ in Chriſto potati ſumus, & ſemetipſum pro nobis tradidit, factus pro nobis maledictus, vt in nobis benedictio Abrahæ fieret. Iacobus igitur ita loquitur: religio mũda, & immaculata apud Dñm, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorũ, & immaculatũ ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. Dicat nũc quiſquis ille eſt ſectator interminabilis vertigo teſtatione, quis ex Apoſtolis ſanctis, vel ex omni turba credentiũ, quos aduocauit Dñs, quemquã vendidiſſet aliquatenus hominũ; dum ipſe Dñs in Euangelio dicit: Venit enim filius hominis quærere, & ſaluũ facere, quod perierat. Audi namq; Zachæum Dño dicentem: Ecce dimidium bonorum meorum Dñe do pauperibus, & ſi quid aliquẽ defraudaui, reddo quadruplum. Quorum exempla Apoſtoli, & omnis toga ſanctorum Martyrum, & Confeſſorum impleuerunt, & nobis implenda inſinuauerunt, dicente Apoſtolo Paulo: Imitatores mei eſtote ſicut & ego per omnia Chriſti. Nam qua fronte, qua etiam conſcientia, quiſquis ille eſt prioris illius imitator proditoris, vt poſt huius nefanda commiſſa Dño Deo præſumat offerre libamina, aut perceptionis ſuſcipiat ſacra myſteria, quæ nobis eſt conceſſum in oblatione peccatorum noſtrorum, dum dicit: Non licet mittere eos in corbonam, quoniam pretium ſanguinis eſt. Corbona enim noſtrorum eſt arcana peccatorum, in quo ſanctum ſuſcipimus corpus: & maximè nobis eſt cuſtodiendum de talibus commercijs ne inquinemur mentibus noſtris, & proruamus cum Iuda negociatore, cordibus cæci: ſecundum quod Dominus dicit: Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur in manibus peccatorum: bonum erat illi ſi natus non fuiſſet homo ille. Quod non tantum pro Iuda, ſed pro omnibus ſcilicet, cuius mercimonijs deſeruiunt, & ipſi illi in diem iudicij erunt condemnati, per quem venundati in hæreſem ceciderunt Iudaicè, aut etiam præſenti ſæculo mala ſuſcipient, ſecundum propheticum ſermonem: Ecce furor Domini egrediens, procella ruens in capite impiorum conquieſcet. Et iterum: Propheta namque & Sacerdos polluti ſunt, & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus. Idcirco via eorum erit quaſi lubricum in tenebris. Impellentur enim, & corruent in ea, auferam enim ſuper eos mala, annum viſitationis eorum, ait Dominus. Et per Eſaiam: Dedi populum meum in manu tua, non poſuiſti eis miſericordiam, aggrauaſti iugum tuum valde, deſcende in puluere, ſede tacens, & intra in tenebras, veniet ſuper te malum, & neſcies, & irruet repente calamitas quam non poteris expiare. Et iterum in Euangelio Dominus dicit: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et illud: Cauete ab his qui deuorant domos viduarum ſimulantes longam orationem; hi accipient damnationem maiorem. Et iterum: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipẽdijs veſtris. Quia ſi quis ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ligetur collo eius mola aſinaria, & proijciatur in mare: Vnde & in Actibus Apoſtolorum ita Dominum legimus dixiſſe: Saule, Saule, quid me perſequeris? nunquid in cælum aſcenderat Saulus? vt ibidem perſecutionem eius ſuſtineret Dominus? ſed in ſeruis ſuis habitans hanc prolatus eſt ſententiam, ſicut ipſe

Matth. 24
Ioan. 21. Act. 4.
1. Pet. 5.
1. Tim. 4.
Iacob. 1.
Luc. 19.
Luc. 19.
Philip. 3.
Matth. 27.
Marc. 14.
Ieiem. 30. quamquã paulo aliter. Ierem. 23.
Eſa. 47.
Matth. 7.
Marc. 12.
Luc. 3.
Marc. 9.
Act. 9.

dicit:

Opitulante & miſeratione diuina, & glorioſiſſimi Receſuinthi principis inhærente voluntate religioſa, his teſtibus decentiſſimè allegatis in pace connexis, ex totis præcordiorum viſceribus, damus gloriam & honorem ſoli æterno & immortali Deo, Patri & Filio & Spirituiſancto, cuius dono collatum nobis agnoſcimus, pro eius Eccleſiæ ſtatu & gerere curam, & poſſe ſacri regiminis competentia diſponere iura, à quo petimus & optamus, vt porrecta in longitudine felicium dierum ſacratiſſimi principis vita, eam omni gloriarũ decore perpetim faciat pollere ſalute. Nos quoque attribuat, ſuſceptum Eccleſiæ ſuæ regimen cum æquitate diſponere, ac ſolicitudine gubernare, & in pace tenere, vt poſt huius mundi ſuſpecta pericula, peruenire poſſumus ad cæleſtia regna, Amen.

Eugenius indignus Toletanæ ſedis metropolitanus epiſcopus, hæc noſtrarũ definitionũ ſtatuta ſubſcripſi. Similiter & alij Epiſcopi ſubſcripſerunt numero vigintivnus.

ITEM DECRETVM PRO POtamio Epiſcopo.

ASSVMERE poteramus canoram intantum fraternæ lætitiæ tibiam, quia diuina pietas conuentum noſtrũ ad concordiæ conuocauerat ſtudia, & conuenerat mœſtitiam vitare, quoniã viſitatione diſciplinæ videbamur paternas regulas innouaſſe: ſed grauius ſiſtrum pro cymbalo ſumimus, & funus pro carmine decantamus, gementesq; cum Hieremiæ queſtibus dicimus: Diſſolutum eſt gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctũ chorus noſter. Vnde & væ coram nobis conſpicimus, quoniã cecidiſſe coronam capitis noſtri videmus, dum tam nobile in infimum corruit, quod in tam ſublime ſanctitatis optimũ ſtetit. Ecce etenim, tractantibus nobis in pace Dei de eccleſiaſticis regulis, delatũ eſt conuentui noſtro epiſtolium confuſæ confeſſionis, & abolendæ ſubſcriptionis, quo Potamius Bracarenſis Eccleſiæ epiſcopus, de factis proprijs, ſuisque verbis annotarat & articulis. Quo reſerato, quid obliteranda pagina, & abolenda literarum panderent elementa, fletibus potius, quàm ſermonibus lachrymoſa concio recenſuit. Tunc ſolitariè tantum, ſecretimq; adunatis pontificibus Dei, prædictum Epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus. Quem ſingultibus aggredientes amplius, quã loquelis, reſeratam illi ſuæ deformitatis, & noſtræ confuſionis ſcripturã protulimus. Quam accipiens, ac recurrens, ſciſcitantibus nobis, vtrum ſui operis, & ſuæ annotationis intimatio eſſet: ille ſuũ actum, ſuiq; oris eloquium, ſuorũ quoque digitorũ eſſe robur aſſeruit, quod illic relegendo peruidit. Rurſum diuini nominis conteſtatione hunc adiurãtes, obteſtati ſumus, vt, an de ſe ſpõte mendacium diceret, aut alicuius violentia premeretur, & perterritus talia enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce, luminibusque ploratu madentibus, & fragore

Thren. 5.

dicit: Qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui me ſpernit, eum ſpernit, qui miſit me. Et illud: Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit. Quod etiam dudum per Prophetam dixit: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me: ſine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum. Et in Euangelio: Quid enim prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Ecce paterfamilias plantauit vineam, id eſt, Eccleſiã, & locauit eam agricolis, id eſt, Sacerdotibus. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? malos malè perdet, & vineam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructus temporibus ſuis. Nam dicit ipſe: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit concutere conſeruos ſuos, & ancillas; manducet autem & bibat cum ebrijs, veniet Dominus ſerui illius, in die, qua non ſperat, & hora, qua ignorat, & inutilem ſeruum mittet in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Si quis enim poſt hanc definitionem talia agere tentauerit, nouerit ſe extra Eccleſiam fieri, & præſenti, & futuro iudicio cum Iuda ſimili pœna percelli; dum modo Dominum denuo proditionis pretio malunt ad iracundiam prouocare.

Luc. 10. Matth. 12. Iſai. 29. Matth. 15. Marc. 7. Matth. 16. Matth. 21. Marc. 14. Matth. 14.

Opitulante miſeratione diuina & glorioſiſſimi Receſuinthi Principis inhærente voluntate religioſa, his geſtis decentiſſimè alligatis & in pace cõnexis, ex totis pręcordiorum abditis, damus gloriam & honorem ſoli, æterno, & immortali Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, cuius donum collatum nobis agnoſcimus, pro eius Eccleſiæ ſtatu, & prõptè gerere curam & poſſe ſacri regiminis competentia diſponere iura: à quo petimus & optamus, vt porrecta in longitudine felicium dierum ſacratiſſimi Principis vita, & omni gloriarum decore perpetim pollente ſalute, nobis quoque tribuat ſuſceptum Eccleſiæ ſuæ regimen in æquitate diſponere, in ſolicitudine gubernare, & in pace tenere: vt poſt mundi huius ſuſcepta pericula, peruenire poſſimus ad cæleſtia regna. Amen.

ITEM DECRETVM PRO POtamio Epiſcopo.

ASSVMERE poteramus canoram in tantum fraternæ lætitiæ tibiam, quia diuina pietas conuentum noſtrum ad concordiæ conuocauerat ſtudia, & conuenerat mœſtitiam vitare, quoniam viſitatione diſciplinæ videbamur Paternas regulas innouaſſe. Sed grauius ſiſtrum pro cymbalo ſumimus, & funus pro carmine decantamus, gementesque cum Hieremiæ queſtibus dicimus: Diſſolutum eſt gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter. Vnde & væ coram nobis conſpicimus, quoniam cecidiſſe coronam capitis noſtri videmus, dum tam nobile in infimum corruit, quod in tam ſublime ſanctitatis optimum ſtetit. Ecce etenim tractantibus nobis in pace Dei, de Eccleſiaſticis regulis, delatum eſt conuentui noſtro epiſtolium confuſæ confeſſionis, & abolẽdæ ſubſcriptionis, quod Potamius Bracarenſis eccleſiæ Epiſcopus de factis propris, ſuisque verbis annotarat, & articulis: quo reſerato, quid obliteranda pagina, & abolenda litterarum panderent elementa, fletibus potius quàm ſermonibus lachrymoſa concio recenſuit. Tunc ſolitariè tantum, ſecretimq; adunatis Pontificibus Dei, prædictum Epiſcopum adeſſe coram nobis fecimus. Quem ſingultibus aggredientes amplius quam loquelis, reſeratam illi ſuæ deformitatis, & noſtræ confuſionis ſcripturã protulimus: quam accipiens, ac recurrens, ſciſcitantibus nobis, vtrum ſui operis, & ſuæ annotationis intimatio eſſet; ille ſuum actum, ſuique oris eloquium, ſuorũ quoque digitorum eſſe robur aſſeruit, quod illic relegendo peruidit. Rurſum diuini nominis conteſtatione hunc adiurantes, obteſtati ſumus vt, an de ſe ſponte mendacium diceret, aut alicuius violentia premeretur, & perterritus talia enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce, lumini-

Potamius Bracarẽſis Epiſ. ſucceſſit Iuliano: ſubſcribit in 8. Toletano.

singultuum, cum vnius Dei nominis iuramento clamauit, se & verè eadem mala de confiteri, & ad hæc confitenda, nulla se violentia prægrauari. Vndè etiam fermè per nouem menses spontè deseruisse regimen Ecclesiæ suę, & ergastulo quodam, pro admisso flagitio acturus pœnitentiam, se conclusisse edixit. Tunc per fidelem confessionem eius agnito, quòd tactu fœmineo sorduisset, & declarato, licet hunc paterna antiquitas sacris regulis deijcere ab honore decernat, nos tamen miserationis iura seruantes, non abstulimus nomen honoris, ꝙ ipse sibi sui criminis confessione iam tulerat, sed valida authoritate decreuimus, perpetuæ pœnitentiæ hunc inseruire officijs & ærumnis, prouidentes melius, illum per asperam & dumosam ire pœnitentiæ solicitudinem, vt quandoque peruenire ad refrigerij mansionem, quàm, relictum in voluntatis suæ latitudine, ad pręcipitium deijci æterna damnatione. Tũc venerabilem Fructuosum Ecclesiæ Dumiensis episcopum, communi omnium nostrum electione, constituimus Ecclesiæ Bracarensis gubernacula continere, ita vt omnem Metropolim prouinciæ Galliciæ, cunctosque Episcopos, populosq; conuentus ipsius, omniumque curam animarum Bracarensis Ecclesiæ gubernandam suscipiens, ita componat atque conseruet, vt & Dominum nostrum de rectitudine operis sui glorificet, & nobis de incolumitate Ecclesiæ eius gaudium præstet. Quia verò ad futura prospicere conuenit, ne exoriri possit in statu pacis quædam commotio litis, patrum sententiam, quæ iam dictum Potamium episcopum rectitudine damnat, huic decreto connectere nostra vigilantia procurat.

EX CONCILIO VALENTINO
Galliæ, titulo quarto.

Nec illud (fratres) scribere alienum ab Ecclesiæ vtilitate censuimus, vt sciretis, quicunque sub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterij, vel episcopatus, mortali crimine dixerunt se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submouendos, reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolui potestis, qui in seipsum dixerit, quod dictum in alios, puniretur: quoniam omnis qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida sit.

Multæ quidem & aliæ sententiæ huic poterant innecti decreto, quæ prædictum Potamium Episcopum seueriſſima auctoritate abijcere iubent. Sed ex omnibus hanc conscriptã ponere sententiam maluimus, ne si totius damnationis edicta replicassemus, grauissimæ vltionis authores existere videremur. Factum est decretum sub die Kalẽdarum Decembris, anno feliciter octauo regni glorioſiſ. domini nostri Recesuinthi Regis. Eugenius indignus Toletanę sedis metropolitanus episcopus, hoc iudicij nostri decretum subscripsi. Similiter & alij episcopi subscripserunt, numero decem & septem.

ALIVD DECRETVM.

Diutinis tractationibus inueniri quod iustum est, vt experientia est iudicantium comprobatum, ita & iuxta summi iudicij statuta, plenior inuenitur authoriras. Ideo mẽtis intentione, orisq; simul studia deducentes in cognitionem audiendi negocij, delatum est ad nos in conuentu S. Concilij, ex directo glorioſi domini nostri Recesuinthi regis, per illustrem virum Wambanem, testamentum gloriosæ memoriæ S. Martini ecclesiæ Bracarensis episcopi, qui & Dumiense monasterium visus est construxisse, vt referato eo quid hic memoratus beatissimus vir decreuisset, nostræ cognitioni patesceret. Quo testamento in omnium conuentu relecto comperimus ex ordine, à memorato principe ad nos esse directũ, quoniam idem gloriosæ memoriæ sanctissimus vir ita decreuerat, vt succedentibus per ordinem regibus, ad complementum eius, ipsius testamenti constitutio commendata maneret. Tunc deinde illatum est nobis testamentum Recimiri memoratæ Ecclesiæ Dumiensis episcopi, quod de rebus suis in eadem ecclesia decreuerat, examinatione veridica dirimẽdum. Quo relecto, cognouimus eundem authorem suum illi diuersæ constitutionis edidisse conditiones, inter quas vnam validam conatus est religatione constringere, deputans & illationes tributorũ, & precia frugũ absq; aliqua diminutione, annua vice pauperibus erogari, nihilque esse absque deliberatione

busque ploratu madẽtibus & fragore singultuum, cum vnius Dei nominis iuramento clamauit, se & verè eadem mala de se confiteri, & ad hæc confitenda nulla se violentia prægrauari. Vnde etiam fermè per nouem menses spontè deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam, pro admisso flagitio acturus pœnitentiam, se conclusisse edixit. Tunc per fidelem confessionem eius, agnito, quod tactu fœmineo sorduisset, & declarato; licet hunc Paterna antiquitas sacris regulis deijcere ab honore decernat, nos tamen miserationis iura seruãtes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione iam tulerat; sed valida auctoritate decreuim⁹, perpetuæ pœnitentiæ hunc inseruire officijs, & ærumnis: ꝓuidentes, melius illum per asperam, & dumosam ire pœnitẽtiæ solicitudinem, vt quandoque peruenire ad refrigerij mãsionem, quàm relictum in voluntatis suæ latitudine, ad præcipitium deijci æterna damnatione. Tunc venerabilem Fructuosum Ecclesiæ Dumiensis Episcopum, communi omniũ nostrum electione constituimus Ecclesiæ Bracarensis gubernacula continere: ita vt omnem Metropolim prouinciæ Galloeciæ, cunctosq; Episcopos, populosque conuentus ipsius, omniumque curam animarum Bracarensis Ecclesiæ gubernandam suscipiens, ita componat, atque conseruet, vt & Dominum nostrum de rectitudine operis sui glorificet, & nobis de incolumitate Ecclesiæ eius gaudium præstet. Quia verò ad futura prospicere conuenit, ne exoriri possit in statu pacis quædam commotio litis, Patrum sententiam, quæ iam dictum Potamium Episcopum rectitudine damnat, huic decreto connectere nostra vigilantia procurat.

EX CONCILIO VALENTINO
Galliæ, titulo quarto.

Nec illud, fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ vtilitate censuimus, vt sciretis, quicunque sub ordinatione, vel Diaconatus, vel Presbyterij, vel episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, à supradictis ordinationibus submouendos; reos scilicet, vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neq; enim absolui potest is, qui in se ipsum dixerit, quod dictum in alios puniretur: quoniã omnis, qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida sit.

Multæ quidem, & aliæ, sententiæ huic poterant innecti decreto, quæ prædictum Potamium Episcopum seueriſſima auctoritate abijcere iubent. Sed ex omnibus hanc conscriptam ponere sententiã maluimus: ne si totius damnationis edicta replicassem⁹, grauissimæ vltionis auctores existere videremur. Factum est decretum sub die Calendarum Decembris, anno feliciter octauo regni glorioſiſſimi domini nostri Recceſuinthi regis. Eugenius, indignus Toletanæ sedis Metropolitanus episcopus, hoc iudicij nostri decretum subscripsi. Similiter & alij episcopi subscripserunt, numero. XX.

ALIVD DECRETVM.

Diutinis tractationibus inueniri, quod iustum est, vt experientia est iudicantium cõprobatum, ita & iuxta summi iudicij statuta plenior inuenitur auctoritas. Ideo mentis intentione, orisque simul, studia deducentes in cognitionem audiendi negocij, delatum est ad nos in conuentu sancti Concilij, ex directo glorioſi domini nostri Recceſuinthi Regis, per illustrem Wambanem, testamentum, gloriosæ memoriæ S. Martini Ecclesiæ Bracarensis episcopi, qui & Dumiense monasterium visus est construxisse; vt referato eo quid hic memoratus beatissimus vir decreuisset, nostræ cognitioni patesceret. Quo testamento in omnium conuentu relecto, comperimus ex ordine, à memorato Principe ad nos esse directum: quoniam idem gloriosæ memoriæ sanctissimus vir decreuerat, vt succedentibus per ordinem regibus, ad complementum eius ipsius testamenti constitutio commendata maneret. Tunc deinde illatum est nobis testamentũ Recimiri memoratæ Ecclesiæ Dumiensis episcopi, quod de rebus suis in eadem ecclesia decreuerat examinatione veridica dirimendum. Quo relecto cognouimus eundem auctorem suum illic diuersæ constitutionis edidisse conditiones: inter quas vnam validam conatus est religatione constringere; deputans & illationes, & pretia frugum absque aliqua diminutione annua vice pauperibus erogari, nihilque esse absque

Subscribit in 7. Toletano. n. 7.

tione relictum, quo vsibus Ecclesiæ posset quadam liberalitate seruire. Tunc ex voce partis Dumiensis Ecclesiæ adstrictum est, quod vniuersas species generis & corporis rerum, quæ in eiusdem Ecclesiæ domo intrinsecus ad vsus domesticos ex tempore suæ ordinationis idem Episcopus Recimirus inuenit, & quæ ipse, aut de opera vtriusque sexus artificum familiarum Ecclesiæ potuit habere confecta atque illata, aut quæ sua professione habuisse visus est conquisita, omnia moriens iussisset pauperibus erogari. Quædam verò ita vili precio vendi ordinasse, vt negociatio earum rerum, perditio potius quam mercatio censeretur.* Addidisse quoque quosdam liberos ex eiusdem ecclesiæ familijs, quibus etiam cum alijs ad se pertinentibus, omnibus amplius quàm quinquaginta reperitur vtriusque sexus dedisse mancipia. Quibus damnis ita cognitis, quia & cuncta remedia intrinsecus domus tam indiscretè largita fuerant, ne quid ad integritatem Ecclesiæ reliquum supereſſet, cum nulla imminens causa pauperum necessitatis existeret, quæ hoc tam integrè & perfectè examussim erogari deposceret, atque pro libertis illis nihil secundum canonicam sanctionem datum in commutationem patesceret, sed nec pro mancipijs, & reliquis rebus eisdem libertis collatis; aliquid in repensationem Ecclesiæ relictum notesceret, verum & suam rem ita in nomine pauperum relegasset, ne aliquid remedij ex hoc Ecclesiasticus vsus attingeret: ducti sumus, tam rationis intuitu, quam paternarum sanctionum edicto, ipsius testamenti seriem, etsi non vsquequaque in irritum deuocare, in quoddam tamen rationabili authoritate temperamentum deducere: scilicet, quia tantorum dispendiorum damnis à memorato Recimiro episcopo factis, res Ecclesiasti ca dinoscitur subiacere, omnis res eius, quam in delegatam reliquit pauperum nomini, tandiu Dumiensi ecclesiæ plena deseruiat facultate, donec omne hoc damnum, quod in vtensilibus domus sustinuit, valeat euidentius reparari. Ac tunc, completa restitutione damni, obseruetur (sicut decreta est) series testamenti. Liberti verò, qui ex familijs Ecclesiæ facti sunt & seu res vniuersa, quæ in mancipijs alijsque corporibus, vel illis suis hominibus collata esse dinoscitur, cuncta in discretione venerabilis fratris nostri Fructuosi episcopi disponenda relinquimus: vt quia hæc euidens ordo patrum in irritum deuocat illius temperamentum hæc ad miserationem adducat, qualiter nec regulam paternam modus excedat, & miseratione nem seueritas non extinguat, vt secundum merita seruientiũ, & libertatis præmia, & rerum donaria vel subtrahat vel concedat. Editum sub die Kalendarum Decembris, anno feliciter octauo regni gloriosissimi domini nostri Recesuinthi regis.

*Edidisse.

Eugenius indignus Toletanæ sedis Metropolitanus episcopus.

Similiter & alij episcopi subscripserunt, numero decem & septem.

deliberatione relictum, quo vsibus Ecclesiæ posset quadam liberalitate seruire. Tunc ex voce partis Dumiensis Ecclesiæ adstrictum est, quod vniuersas species generis, & corporis rerum, quæ in eiusdem Ecclesiæ domo intrinsecus ad vsus domesticos ex tempore suæ ordinationis idem Episcopus Recimirus inuenit, & quæ ipse aut de opere vtriusque sexus artificum familiarum Ecclesiæ potuit habere confecta, atque illata, aut quæ sua professione habuisse visus est conquisita, omnia moriens iussisset pauperibus erogari. Quædam verò ita vili pretio vendi ordinasse, vt negociatio earum rerum perditio potius quàm mercatio censeretur. Addidisse quoque quosdam liberos ex eiusdem Ecclesiæ familijs, quibus etiam cum alijs ad se pertinentibus omnibus, amplius quam quinquaginta reperitur vtriusque sexus dedisse mancipia. Quibus damnis ita cognitis; quia & cũcta remedia intrinsecus domus tam indiscretè largita fuerant, nequid ad integritatem Ecclesiæ reliquum supereſſet, cum nulla imminens causa pauperũ necessitatis existeret, quæ hoc tam integrè, & perfectè examussim erogari deposceret, atque pro libertis illis nihil secũdum Canonicam sanctionem datum in commutationem patesceret: sed nec pro mancipijs, & reliquis rebus eisdem libertis collatis, aliquid in repræsentationem Ecclesiæ relictũ notesceret: verùm, & suam rem ita in nomine pauperum relegasset, ne aliquid remedij ex hoc Ecclesiasticus vsus attingeret, ducti sumus, tam rationis intuitu, quàm Paternarum sanctionum edicto, ipsius testamenti seriem, & si non vsquequaque in irritum deuocare, in quoddam tamen, rationabili auctoritate, temperamentum deducere: scilicet, quia tantorum dispendiorum damnis, à memorato Recimiro Episcopo factis, res Ecclesiastica dignoscitur subiacere, omnis res eius, quàm inde legatam reliquit pauperum nomini, tandiu Dumiensi Ecclesiæ plena deseruiat facultate, donec omne hoc damnum quod in vtensilibus domus sustinuit, valeat euidentius reparari, ac tunc completa restitutione damni, obseruetur, sicut decreta est, series testamenti. Liberti verò, qui ex familijs Ecclesiæ facti sunt, & seu res vniuersa, quæ in mancipijs, alijsque corporibus, vel illis suis hominibus collata esse dignoscitur, cuncta in discretione venerabilis fratris nostri Fructuosi episcopi disponenda relinquimus: vt quia hæc euidens ordo Patrum in irritum deuocat, illius temperamentum hæc ad miserationem adducat; qualiter nec regulam Paternam modus excedat, & miserationem seueritas non extinguat: vt secundum merita seruientium, & libertatis præmia, & rerum donaria, vel subtrahat, vel cõcedat. Editum sub die Calendarum Decembris, anno feliciter octauo regni gloriosissimi domini nostri Recceſuinthi Regis.

Eugenius, indignus Metropolitanus Toletanæ sedis episcopus, hoc iudicij nostri decretum subscripsi.

Similiter & alij Episcopi subscripserunt numero viginti.

SVBSCRIPTIONES CONCIL. TOLETAN. 10. ex Ioann. Garsia recenter adiectæ.

INTERFVERVNT HVIC SANCTO CONcilio Pontifices, numero. 20.

EVgenius Regiæ vrbis Metropolitanus Episcopus.	1
Fugitiuus Spalensis Metropolitanus Episcopus.	2
Fructuosus Bracarensis Metropolitanus Episcopus.	3
Marcus Castellonensis Episcopus.	4
Widericus Segontiensis Episcopus.	5
Mauritius Oretanus Episcopus.	6
Ibitaricus Elnensis Episcopus.	7
Dauila Complutensis Episcopus.	8
Egeredus Salmanticensis Episcopus.	9
Quiricus Barcinonensis Episcopus.	10
Cæsarius Olysipponensis Episcopus.	11
Athanasius Setabitanus Episcopus.	12
Balduigius Arcauicensis Episcopus.	13
Eusicius Segobriensis Episcopus.	14
Hermenfredus Lucensis Episcopus.	15
Magnarius Accitanus Episcopus.	16
Ilpidius Asturicensis Episcopus.	17
Sozimus Elborensis Episcopus.	18
Stephanus Valerensis Episcopus.	19
Flauius Portugalensis Episcopus.	20

ITEM VICARII EPISCOPORVM.

ARgefredus, Abbas Egilani episcopi Eccleſiæ Oxomensis.

Martinus Abbas Valdefredi Episcopi Eccleſiæ Mentesanæ.

Egila, Presbyter Giberij Episcopi Eccleſiæ Bigastrensis.

Agricius, Diaconus Vbinibalis Episcopi Eccleſiæ Illicitanæ.

Daniel, Diaconus Marcelli Episcopi Eccleſiæ vritanæ.

DE SVBSCRIPTIONIBVS DECIMI Concilij Toletani. Notæ Ioann. Garsiæ.

SVbscribunt in decimo Concilio Toletano, ferè ijdem Episcopi qui in nono hoc ordine: Athanasius Setabitanus, qui in 8. & 9. Balduigius Arcauicensis, in 8. & 9. Dauila Complutensis in 8. & 9. Eugenius Regiæ vrbis in 7. & 8. Vnde deducitur duodecim annos tenuisse Toletanam sedem, vt testatur Ildefonsus de viris Illustribus: nã in 5. & 6.

Qui quot ue episcopi subscripserint.

alter

alter Eugenius subscribit, cui hic successit. Egeredus Salmanticensis, qui in 7. & 8. Eusicius Segobrien sis, qui in 9. Egilanus Oxomensis, qui & Egila, in 4. & 5. Gibericus Bigastrensis per procuratorem, qui in 8. & 9. Hermenfredus Lucensis, qui in 8. Marcus Castelonensis, qui in 7. 8. & 9. Mauricius Oretanus, qui in 8. & 9. Magnarius Accitan. qui in 9. Marcellus Vrcitanæ per procuratorem, qui in 8. & 9. Stephanus Valerien sis, qui in 9. Vvidericus Segontien sis, qui in 8. & 9. Vvinibal, Illicitanæ per procuratorem, qui in 7. & 8. & 9. Valfredus Mentesanæ per procuratorem qui in 9. Præterea subscribunt Cæsarius Olyssiponensis, qui successit Neufridio, in 7. Fugitiuus Hispalensis, qui successit Antonio, in 8. Fructuosus Bracarensis, qui successit Potamio deposito, in 8. Flauius Portucalensis, qui successit Vsibeso, in 6. Ilitaricus Elnensis, qui successit Acutulio, in 6. Ilpidius Asturicensis, qui successit Candidato, in octauo. Quiricus Barcinonensis, qui successit Oleæ, in octauo. Sozimus Elborensis, qui successit Abientio, in Octauo.

In hoc Concilio, quamuis est nationale, non subscribunt Abbates, neque viri Illustres officij Palatini: fortè eæ subscriptiones desunt in M.ss. Codicibus.

Eugenius.] Interfuit. 8. & 9. Concilijs Toletanis, vir sanctus: sunt qui affirmant, inter diuos relatum fuisse.

Fructuosus quis.

Fructuosus.] Fructuosus ex regio Gothorum sanguine ortus, Ducis filius, Episcopi Palentini Tonantij discipulus, multorum monasteriorum conditor, & Pater, ex Complutensi Abbate, quum monasterium exædificauerat ad Virgidiensem tractum iusti, & Pastoris martyrum nomine, Dumiensis Episcopus creatus; in Potamij deiecti locum subrogatus, Bracarensis Ecclesiæ curam suscepit. Actis huius Concilij post Eugenium Toletanum, & Fugitiuum Hispalensem subscribit. Eius memoria, cum sanctitatis opinione, à populis Bracarensibus, & Compostellanis colitur; festo die dicato, ad sextum decimum Kalen. Maij. Corpus eius in monasterio ab ipso exædificato inter Dumium, & Bracaram sepulturæ mandatum, postea Iacobo Gelmiride primo Compostellæ Archiepiscopo, Compostellam translatum. Vbi magna populi veneratione colitur.

NOTÆ in Concilium decimum Toletanum. Ioan. Garsiæ.

Tempus Concilii.

Era 694.] Ambrosius Morales congregatum ait anno Domini. 658. Vasæus anno Domini. 655. Verùm constat apertè congregatum fuisse, Era 694. Nam vndecimum Toletanum, vt dicitur Can. 1. eiusdem, congregatum fuit post decem & octo labentium annorum excursum à decimo, quod est Era. 713. & benè: nam is est annus quintus Vvambæ regis.

Cap. 1. Quo tempore Pascha celebrandum.

Paschale festum.] Quo die Pascha foret celebrandum olim dubitabatur, & Ecclesijs minoribus maior Ecclesia diem præscribebat: vt statutum inuenio Conc. Carth. 3. c. 1. vbi præcipitur, vt omnes Africanæ prouinciæ Episcopi obseruationem Paschalem, ab Ecclesia Carthaginen. curent accipere. Metropolitanus vero siue Primas ad omnes Episcopos literas dirigebat, de die, quo festum hoc celebrandũ esset. Idque cauetur eodem Concilio cap. 41. 1. Arelat. ca. 1. Bracarens. 2. cap. 9. & Carth. 5. c. 7. vbi clarius dicitur: Placuit, vt dies venerabilis Paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur. Toletano autem Concil. 4. statuitur, vt Metropolitani Sacerdotes, ante tres menses Epiphaniarum, literis se inuicem inquirant; vt communi scientia edocti, diem Resurrectionis Christi Comprouincialibus suis insinuent. Die verò Dominica festum hoc celebrandum decernit Pius PP. I. epist. prima ad vniuersos: & Victor PP. I. epist. 1. non autem cum Iudæis, qui luna decima quarta illud celebrant: vnde illud Ecclesiast. 43. A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione. Vt constituitur Concil. Antioch. cap. 1. in quo etiã citatur Nicænum primum. Vnde hic dicitur, ne in Iudaicum incidamus errorem. Vndecimo Cal. Aprilium mandat illud celebrari Innocentius PP. I. epist. 11. & Vigil. PP. epist. 1. cap. 5. Huius celebritatem sex diebus terminari sancit Concil. Matiscont. 2. c. 2. De hac re etiam vide Isidorum lib. 1. de officijs Ecclesiast. Hoc anno 1582. reformatus est error anni, & Paschatis dies certus statutus est, secundum Canones Concilij Nicæni, per Calendarium Gregorianum, consumptis decem diebus, à quinto vsque ad decimumquintum mensis Octobris, aliisque adhibitis regulis & canonibus, ad certam semper paschatis rationem habendam.

Cap. 1. Festum Pentecostes celebre in Hispania.

Aduentum sancti Spiritus.] Pentecostes festum olim non in tota Hispania solitum fuisse celebrari, constat ex Concil. Eliberitano; vbi vt huiusmodi error corrigatur, ita cauetur. c. 43. Prauam institutionem emendari placuit, iuxta auctoritatem scripturarum vt cuncti diem Pentecostes celebremus. Quod qui non fecerit, quasi nouam hæresim induxisse notetur. Præcipua verò anni festa Concil. Agathense, Can. 22. ponit Pascha, Natalem Domini, Epiphaniam Domini, Ascensionem Domini, Pentecosten, & natalem S. Ioannis Baptistæ. Quibus diebus illis qui in agro oratorium habebant, non licebat in eo, sed in ciuitate sacro Missarum interesse; vt patet ex eodem loco, & D. Isidoro lib. de officijs Ecclesiast.

Cap. 1. Solennitas natalis Domini quæ.

Natiuitatis Dominicæ sacrum.] De festo Natiuitatis est apud Teleſphorum, qui fuit septimus à Petro Pontifex, in epistola ad vniuersos, quo pacto celebrandum, & in nocte illa Missa est solenniter decantanda, cum Angelorum hymno: aliaq; quæ ibi de Natali etiam Domini, & ab Isidoro lib. de offic. Ecclesiast. adnotantur.

Solennitas Annunciationis quãdo in Hispania celebretur.

Sicut ex antiquitate regulari.] Concilium Laodicen. In Quadragesima non celebrentur Martyrum natalitia. c. 53. & habetur 33. quæst. 4. Non oportet. Hæc solennitas Annuntiationis, est hodiè celebris decimoquinto die Calendarum Ianuariarum, in sancta ecclesia Toletana, omnique cultu & splendore veneratur; vocaturque Expectatio partus, & festum Dominæ nostræ de la O. & in tota Hispania colitur vt festiuus dies; præcipuè tamen in Toletana basilica; eo quod eo ipso die sanctiss. Virgo Ildefonso Archiepiscopo oranti ad nocturnas preces, vestem, qua in sacris solennioribus vteretur, astante sanctarum virginum choro, tradidit. Extat nunc lapis is veneratione & pietate celeberrimus, in eodem augusto templo, vt memoria maiorum acceptum, traditum que est, quo stetit Virgo sanctiss. pedesque fixit. Hæc fusius traduntur in officijs Ecclesiasticis ecclesiæ Toletanæ à S. D. N. Gregorio XIII. approbatis.

Cap. 7.

Septimæ collationis obiectu.] Totum hoc caput in excusis desideratur.

Cap. 7.

Maiorum Canones.] 3. Concil. Aurel. ca. 3. Eliberit. cap. 16. 3. Tolet. cap. 14. Aut si iuncti separentur. 2. Aurel. cap. 18. & 3. Aurel. cap. 13.

Cap. 7.

Vel seruitia.] Sic nu'tis Concilijs cautum, vt mancipia non habeant Christiana. 3. Tolet. c. 14. & 4. Tolet. Can. 65. & legibus Visegothorum lib. 12. tit. 3. leg. 12. quæ est Eruigij: Ne Iudæis mancipia seruiant, vel adhæreant Christiana: & leg. 16. ibidem.

Cap. 7. Explicatur. Psal. 67.

Vnanimes in domo.] Psal. 67. vbi vulgata editio habet: Deus qui habitare facit vnius moris in domo. Septuagint a vnius moris μονοτρόπους transferunt. Hieronymus ita: Deus inhabitare facit solitarios, quod μονότροπος vox etiam significat. Sic Basilius, & alij μονότροπον ζῆν solitariam vitam appellant. Addit Hieronymus super hunc psalmum: In Hebræo habetur: Dominus inhabitare facit Monachos in domo. Augustinus ibidem legit: Qui habitare facit vniusmodi; explicat quæ vnanimos vnum sentientes, & vnius moris.

Potamius quis.

De Potamio Episcopo.] Potamius Bracarensis Episcopus, eo quod tactu fœmineo sordu isset, deponitur à sede. Sic enim cautum erat Canone Apostolorum. 25. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur: non tamen communione priuetur: dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum. Habetur dist. 81. c. Presbyter.

CONCILIVM CLYPIACENSE A CLODOVEO GALliarum Rege celebratum anno Christi 662. sub Vitaliano Papa.

NOTAE.

Locus Cõcilii.

Concilium.] De hac Synodo, quæ in Clypiaco, id est, in villa quadam territorij Parisiensis, habita fuit, apud Aimonium lib. 4. cap. 41. hæc leguntur. Anno 16. ex quo sceptra susceperat regalia Clodoueus, Pontifices & totius gentis Principes Clypiacum conuenire iubens, mediusque inter eos solio residens, hoc habuit sermonis exordium: Quãquam, inquiens, Francigenæ ciues, terreni nos cura principatus admonuerit, publicis nos rebus consultores aduocare; tamen prius nobis conuenit ea, quæ Dei & sanctorum eius sunt, disponere, vt postmodum ea, quę nostra sunt, Deo dante, ex sententia cedant. Et post pauca. Nostri itaque deuotio hæc extat animi, vt monasterium patroni nostri Domini Dionysij, in quo ipse cum consortibus testimonij veritatis requiescit humatus, & piæ memoriæ genitoris

Acta Concilii.

nostri;

noſtri, Dñs videlicet Dagobertus ore Dominæ Nantildis ſe ſepeliri mandauerunt, ab omni ſoluamus dominio mortaliũ; quatenꝰ Abba vel fratres eo loco commanẽtes poſſeſſiones à parentib. noſtris, ſiue ab alijs fidelib. Chriſtianis ſibi traditas, abſq; vllius dominationis inquietudine poſſidentes, pro ſalute noſtra ac ſtatu regni noſtri liberius Deũ deprecentur. Huic autem noſtræ ſuggeſtioni conſentit venerabilis Landericus Pariſiacæ vrbis Præſul, in cuius diæceſi cœnobium illud ſitũ eſt, & cui vſque ad præſens tempus ſubiectum fuit. Hanc ergo libertatem ſerui Dei inibi conſtituti dum fuerint adepti, nulliuſq; præter Dei & Sanctorum, noſtrumque, cui etiam tota Francorum natio paret, fuerint perpeſi dominatum, ſciant ſe debito tali genitoribus noſtris & nobis, eiſque qui noſtro (vt ſperamus) per Dei gratinm orientur ex ſemine fore obnoxios: & pro noſtra, eorumque, quos commemorauimus, præſenti ac futura requie non deſinant Deum exorare. Hæc Regem pro concione locutum circumſtantes poſtquã auſcultauerunt intentè, in laudibus eius proclamantes, manſura ei optant gaudia. Huic conuentui interfuere propè omnes Gallicani Epiſcopi, inter quos quidam ſancti extiterunt viri, quos ſancta Eccleſia dignis effert honoribus, eo quod ad eorum ſepulchra varijs vexati ſanarentur infirmitatibus: id eſt, B. Andoenus, S. Rado frater ipſius, & Dominus Eligius, cum B. Sulpitio nec non S. Eucherio. *Hæc de Synodo Clypiacenſi Annonius præd. loco.*

Epiſcopi quot & quales interfuerint.

CONCILIVM CABILONENSE, SVB CLODOVEO Rege tempore Vitaliani Papæ celebratum. Eſt Prouinciale.

CABILONENSIS CONCILII Capitulorum tituli.

Vt omnes vna conſpiratione & conniuente animo ſentiant. 1
Canonum ſtatuta, ab omnibus intemerata ſeruentur. 2
De clericorum cum extraneis mulieribus familiaritate fugienda. 3
Ne duo in ciuitate vna, vno quoque tempore, ordinentur aut habeantur epiſcopi. 4
Seculares commiſſionem ſeu regimen parochiarum non habeant, nec rerum earum. 5
Nullus ante audientiam res quorum libet inuadere aut auferre præſumat. 6
Res defuncti presbyteri aut abbatis, intacta ad tempus permaneant. 7
De pœnitentia peccatorum, quæ eſt medulla animæ. 8
Ne mancipia Chriſtiana alienis vendantur. 9
De electione Epiſcopi poſt alicuius mortem. 10
Ne coram iudicibus publicis Eccleſiaſtici compareant. 11
Ne duo abbates vni monaſterio præficiantur. 12
Vt nullus alterius clericum, illo inuito, retinere præſumat. 13
Ne his, qui curam habent Oratoriorum per villas potentum exiſtentium, vis inferatur, aut impedimentum, quo minus illis intendant. 14
Ne eccleſiaſtici patrocinijs principum vtantur, vbi vitari poteſt. 15
Nullus promoueatur ad ſactos Ordines pecunia, vel præmio: contraueniens, digna pœna puniatur, honore adepto priuatus. 16
Quod eccleſiaſticorum locorum emunitas omninò tueatur & defenſetur.* 17
Die Dominico nulla ruralia opera fiant, ſed dies ille celebris habeatur. 18
Ne turpia, aut obſcœna, vel ludrica cantica in Eccleſiis, vel circa eas cantentur. 19

CABILONENSIS CONCILII Canones.

Capitulum Primum.

Anno Domini 658.

PRiſcis quidem canonibus noſcitur inſtitutum, vt metropolitani cum eorum comprouincialibus, per ſingulos annos debeant in ſynodali coniungi (Deo propiciante) Concilio: ſed nunc tam ex communi omnium voluntate, quam ex euocatione vel ordinatione glorioſi domini Clodouei regis, pro zelo religionis vel orthodoxæ fidei dilectione in Cabilonenſi vrbe in eccleſia S. Vincentij pariter conglobati, ipſius ſancti martyris interceſſionem poſcentes, vt longæuitatem ſupradicti principis ſuo ſuffragio mereremur: inſpiration eq; diuina interueniente, de canonibus ſignificaretur, quod ſi fuiſſet aliquid prætermiſſum, vel per ignorantiam vitiatum, in priſtinum ſtatum (ſicut dudum fuerat à ſanctis patribus ſtatutum) deberet, auxiliante Chriſto, Domino reformari. Ita omnes vna conſpiratione, & conniuente animo definiuimus, vt fidei norma, ſicut in Nicæno Concilio pia eſt profeſſione firmata, vel à ſanctis patribus tradita, atque ab ipſis expoſita, vel in poſtmodum à ſancto etiam Chalcedoneñ. Concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conſeruetur.

2 Canonum verò ſtatuta, ab omnibus intemerata ſeruentur.

3 Licet iam prioribus canonibus fuerit ſtatutum, placuit tamen renouare, vt ſi quis Epiſcopus, presbyter, aut diaconus vel quicunque ex ſacerdotali catalogo, præter perſonas, quæ in ipſis canonibus continentur, cum qualicunque extranea muliere familiaritatem habere præſumpſerit, quæ dedecoris vel adulterij poſſit adferre ſuſpicionem, iuxta ſtatuta canonũ ab ordine regradetur.

4 Vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore nec ordinentur, nec habeantur epiſcopi, ne res Eccleſiæ ſæua diuiſione debeant partiri.

5 Seculares verò, qui necdum ſunt ad clericatum conuerſi, res parochiarum, vel ipſas parochias minimè ad regendum debeant habere commiſſas.

6 Vt nullus ante audientiam, res quorumlibet inuadere aut auferre præſumat: quod qui fecerit, vt necator pauperum habeatur.

7 Vt defuncto presbytero vel abbate, nihil ab Epiſcopo auferatur, vel archidiacono, vel à quocunque de rebus parochiæ, vel xenodochij, vel monaſterij, aliquid debeat* minuere. Quod qui fecerit, iuxta ſtatuta canonum debeat coerceri. *for. minui.

8 De pœnitentia verò peccatorum, quæ eſt medela animæ, vtilem omnibus hominibus eſſe cenſemus: & vt pœnitentibus à ſacerdotibus (facta confeſſione) indicatur pœnitentia, vniuerſitas ſacerdotum noſcitur conſentire.

9 Pietatis eſt maximæ & religionis intuitus, vt captiuitatis vinculum omninò à Chriſticolis redimatur. Vnde ſancta ſynodus noſcitur cenſuiſſe, vt nullus mancipium extra fines vel terminos, qui ad regnum domini Clodouei regis pertinent, penitus debeat venundare, ne (quod abſit) per tale cõmercium aut captiuitatis vinculo, vel (quod peius eſt) Iudaica ſeruitute mancipia Chriſtiana teneantur implicita.

10 Si quis Epiſcopus de quacunq; ciuitate fuerit defunctus, non ab alio, niſi à comprouincialibus, clero, & ciuibus ſuis alteribus habeatur electio: ſin aliter, huiuſmodi ordinatio irrita habeatur.

11 Peruenit ad ſanctam ſynodum, quòd iudices publici, contra veteranam conſuetudinem, per omnes parochias vel monaſteria, quas mos eſt Epiſcopos circuire, ipſi illicita præſumptione videantur diſcurrere: etiam & clericos vel abbates, vt coram eis compareant, inuitos atque diſtrictos ante ſe faciant exhiberi. Quod omnimodis religioni non conuenit, nec canonum per mittit authoritas. Vndè omnes vnanimiter cenſuimus, ſententiantes, vt deinceps iſta debeant emendare. Et ſi præſumptione vel poteſtate, qua pollent, excepta inuitatione abbatis aut archipresbyteri, in ipſa monaſteria vel parochias aliquid fortaſsè præſumpſerint, à communione omniũ ſacerdotum eos conuenit ſequeſtrari.

12 Vt duo abbates in vno monaſterio eſſe non debeant, ne ſub obtentu poteſtatis, ſimultas inter monachos & ſcandalum generetur. Verumtamen ſi quilibet abbas elegerit ſucceſſorem, ipſe qui ſic eligitur, de facultatibus ipſius monaſterij ad regendum nullam habeat poteſtatem.

13 Vt nullus alterius clericum retinere præſumat, ſicut priſcis eſt canonibus inſtitutum, nec ad ſacrum ordinem, ſinè voluntate ſui epiſcopi, penitus promouere.

14 De oratorijs, quæ per villas fiunt, nonnulli ex fratribus & coepiſcopis noſtris reſidentibus nobis in ſancta ſyno-

do querimonias detulerunt, quod oratoria per villas potentũ iam longo constructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipsi quorum villæ sunt, Episcopis contradicant, & iam nec ipsos clericos, qui ad ipsa oratoria deseruiunt, ab Archidiacono coerceri permittant. Quod conuenit emendari, ita vt duntaxat in potestate sit Episcopi, & de ordinatione clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipsa oratoria & officium diuinũ possit impleri, & sacra libamina consecrari. Quod si quis contradixerit, iuxta priscos canones communione priuetur.

15 Vt abbates vel monachi, aut agentes monasteriorum, patrocinio seculari penitus nõ vtantur, nec ad principis præsentiam sinè Episcopi sui permissu ambulare audeant. Quod si fecerint, à suis episcopis excommunicentur.

16 Vt nullus episcopus, neque presbyter, vel abbas seu diaconus, per præmium ad sacrum ordinem penitus accedat. Quod qui fecerit, ipso honore, quẽ præmijs comparare præsumpserit, omninò priuetur.

17 Et quia multa per præsumptionem proueniunt, quæ Deo minus placita, & sacris canonibus videntur esse contraria, quæ à sacerdotibus necesse est coerceri, ita sancta synodus instituit, vt nullus secularium nec in Ecclesia, nec infra atrium ipsius Ecclesiæ, qualecunque scandalum aut simultates penitus excitare præsumat, nec arma trahere, aut quencunque ad vulnerandum vel interficiendum penitus appetere. Quod si quis fortassè præsumpserit, ab episcopo loci illius, vbi factum fuerit, ipse iuxta statuta canonum communione priuetur.

Aurelianen. Cõc. 3. cap. 27.

18 Licet generaliter ab omnibus catholicis & Deum timentibus, diem Dominicum prima sabbati conuenit obseruare, & sicut superius in canonibus est statutum: non aliquid noui condentes, sed vetera renouantes, instituimus, vt in ipso die Dominico ruralia opera, id est, arare, messes metere, * exactus facere, vel quicquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præsumat. Quod qui inuentus fuerit faciens, sub disciplina districtionis omnimodis corrigatur.

19 Multa quidem eueniunt, quæ dum leuiter corriguntur, sæpius maiora consurgunt. Valde enim omnibus noscitur esse indecorum, quod per dedicationes basilicarum, aut festiuitates martyrum, ad ipsa solennia confluẽtes, chorus fœmineus turpia quidem & obscœna cantica decantare videntur, dum aut orare debeant, aut clericos psallentes audire. Vndè conuenit, vt sacerdotes loci, talia à septis basilicarum vel porticib. ipsarum, ac etiam ab ipsis atrijs, vetare debeant & arcere. Et si voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut disciplinæ aculeũ sustinere. Agapiũ verò & Babonem Diuiensis vrbis episcopos, pro eo, quòd ipsos contra statuta canonum in multis conditionibus errasse vel deliquisse cognouimus, ipsos iuxta tenorem canonum ab omni episcopatuum eorum ordine decreuimus regradare.

Episcoporum subscriptiones.

Gandericus Episcopus Lugdunensis, his constitutionibus subscripsi.
Landalenus episcopus ecclesiæ Viennen. his constitutionibus subscripsi.
Audoënus Episcop. Ecclesiæ Rothomagen. subscripsi.
Armentarius Episcopus Ecclesiæ Senonicæ, subscripsi.
Ando Episcopus Ecclesiæ Aurelianen. subscripsi.
Aurelianus Episcopus Ecclesiæ Ventien. subscripsi.
Arricus Episcopus Ecclesiæ Lausanen. subscripsi.
Anilacarius Episcopus Ecclesiæ Sagien. subscripsi.
Bertoaldus Episcopus Lingonien. subscripsi.
Baudomeris Episcopus Ecclesiæ Tarentasien. subscripsi.
Bertosredus Episcopus Ecclesiæ Ambianen. subscripsi.
Betto Episcopus Ecclesiæ Foroiulien. subscripsi.
Clarus Episcopus Ecclesiæ Gratianopolis, subscripsi.
Claudius Episcopus Rhegien. subscripsi.
Chatribonus Episcopus Ecclesiæ Constantinæ, subscripsi.
Donatus Episcopus Ecclesiæ Visontiensis, subscripsi.
Deodatus Episcopus Ecclesiæ Matisconen. subscripsi.
Deocarius Episcopus Ecclesiæ Antipolitanę, subscripsi.
*Etherius Episcop. Ecclesiæ Ebreduneñ. subsc.
Eligius Episcop. Ecclesiæ Nouiomen. subscripsi.
Ferreolus Episcop. Ecclesiæ Augustoduneñ. subsc.
Florentius Episcop. Ecclesiæ Beliceñ. subsc.
Gradus Episcop. Ecclesiæ Cabilonen. subs.
Ingildus Episcopus Ecclesiæ Valentineñ. subsc.
Leusus Episcopus Ecclesiæ Trecassinæ vel Treceñ. subscripsi.
Licerius Episcopus Ecclesiæ Auscíorum, subsc.
Leborius Episcopus Ecclesiæ Maurianeñ. subscripsi.
Launobodis Episcopus Ecclesiæ Lexouieñ. subsc.
Malardus Episcopus Ecclesiæ Carnoteñ. subsc.
Magnus Episcopus Ecclesiæ Atrebateñ. subsc.
Paulus Episcoous Ecclesiæ Genueñ. subsc.
Palladius Episcopus Ecclesiæ Antisiodoreñ. subsc.
Protasius Episcopus Ecclesiæ Sentieñ. subscripsi.
Potentissimus episcopus Ecclesiæ Vapincensis subsc.
Petronius Episcopus Ecclesiæ Vasionensis subsc.
Rauracus Episcopus Ecclesiæ Niuerneñ. subsc.
Ragnericus Episcopus Ecclesiæ Ebroiceñ. subsc.
*Vlfolendus Episcopus Ecclesiæ Bituricen. subscripsi. *Vilfrodus
Betto abbas pro Latino Episcopo Turonicæ Ecclesiæ, subscripsi.
Chaddo archidiaconus pro Salappio Episcop. Ecclesiæ Nanneteñ. subscripsi.
Grimoaldus abbas pro Audoberto Episcopo Ecclesiæ Parisiacen. subscripsi.
Paternus abbas pro Felice episcopo ecclesiæ Lemouicen. subscripsi.
Chanoaldus abbas pro Chadoaldo episcopo ecclesiæ Cenomannicæ, subscripsi.
Bertolphus abbas pro Duriotero episcopo ecclesiæ Rhedonen. subsc.

EPISTOLA CABILONENSIS CONcilij ad Theodosium episcopum.

Domino semper peculiari suo Theodosio, cœtus Episcoporum, qui nuper est in Cabilone vrbe cum Christi gratia adunatus.

Omnibus veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignorasse, quod gloriosus dominus Clodoueus rex in suprascripta vrbe Cabilone 8. Kalend. Nouemb. Synodale præcepit esse Conciliũ, vbi omnibus nobis, qui in basilica Domini Vincentij pariter residentes, vestrum aduentum (dum vos propinquos etiam in ipsa vrbe esse audiuimus) omnimodis præstolati sumus, vt daretis intelligere, pro quare vos in ipso Concilio noluistis adesse, dum multa aduersus vos, & de indecenti vita, & de excessu canonum (quod maximè condolemus) peruulgata narrantur. Nam & scripta, qualiter vos constitit pœnitentiam fuisse professos, vestra manu & comprouincialium vestrorum videmus manibus roborata. Vndè vos credimus iam legisse, nec nos pœnitentiam ignoramus, quod qui publicè pœnitentiam profitetur, episcopalem cathedram nec tenere nec regere potest. Propterea salutantes beatitudinem vestram honorificè, indicamus, vt vsque ad aliam synodum, de Arelatensi sede, vbi vos constat pontificalem cathedram tenuisse, debeatis omnimodis abstinere, & de facultate ipsius Ecclesiæ nihil ad vestram dominationem, donec in audientia ante fratres conueneritis, penitus præsumatis:

NOTÆ IN
CONCILIVM
CABILONENSE SVB CLODOVEO
Rege, tempore Vitaliani Papæ celébratum.

Concilium.] *Præsentia Clodouei Regis, quem anno Domini 664. diem obijsse scribit auctor appendicis ad Greg. Turonensem, non patitur post præd. ann. 664. hanc synodum collocari: vtq; eadem anteponatur Clypiacensi Concilio, non admittit subscriptio Andoberti Parisiensis Ecclesiæ Episcopi. Nam Clypiacensis habita fuit sub Lan-* Quo tempore habitum.

derico Parisiensi episcopo, vt patet ex verbis Aimoinij supra allegatis. His itaque de causis visum est mihi, hanc synodum Cabilonensem ad hæc Vitaliani tempora referendam esse.

COLLATIO ANGLICANA DE PASCHATE CELEBRANDO, ANNO DOMINI DC. LXIV. TEMpore Vitaliani Papæ habita. Extat apud Venerabilem Bedam lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum, cap. 25.

NOTA ergo ibi quæstione de Pascha, vel tonsura, vel alijs rebus ecclesiasticis, dispositum est, vt in monasterio, quod dicitur Strenaeshalch, quod interpretatur sinus fari, cui tunc Hilda abbatissa Deo deuota fœmina præfuit, Synodus fieret, & hæc quæstio terminari deberet. Veneruntque illo reges ambo, pater scilicet & filius, episcopi Colman cum clericis suis de Scotia: Agilbertus cũ Agathone & Vuilfrido presbyteris. Iacobus & Romanus in horum parte erant: Hilda abbatissa cum suis in parte Scotorum, in qua erat etiam venerabilis episcopus Cedda iamdudum ordinatus à Scotis, vt suprà docuimus, qui & interpres in eo Concilio vigilantissimus vtriusque partis extitit. Primusque rex Osuui, præmissa præfatione, quod oporteret eos qui vni Deo seruirent, vnam viuendi regulam tenere, nec discrepare in celebratione sacramentorum cœlestium, qui vnum omnes in cœlis regnum expectarent: inquirendum potius, quæ esset verior traditio, & hanc ab omnibus communiter esse sequendam. Iussit primò dicere episcopum suum Colmanum qui esset ritus, & vnde originem ducens ille quem ipse sequeretur. Tunc Colmanus, Pascha, inquit, hoc quod agere soleo, à maioribus meis accepi, qui me huc episcopum miserunt, quod omnes patres nostri viri Deo dilecti eodẽ modo celebrasse noscuntur. Quod ne cui contemnendum & reprobandum esse videatur, ipsum est quod beatus Euangelista Ioannes, discipulus specialiter Domino dilectus, cum omnibus quibus præerat ecclesijs, celebrasse legitur. Quo hæc & his similia dicente, iussit rex & Agilbertum proferre in medium, morem suæ obseruationis, vnde initium haberet, vel qua hunc auctoritate sequeretur. Respondit, Agilbertus, Loquatur obsecro vice mea discipulus meus Vuilfrid presbyter: quia vnum ambo sapimus cum cæteris qui hic assident ecclesiasticæ traditionis cultoribus, & ille melius ac manifestius ipsa lingua Anglorum, quàm ego per interpretem, potest explanare quæ sentimus. Tunc Vuilfrid iubente rege vt diceret, ita exorsus est: Pascha quod facimus, inquit, vidimus Romæ, vbi beati Apostoli Petri & Paulus vixére, docuêre, passi sunt & sepulti ab omnibus celebrari: hoc in Italia, hoc in Gallia, quas discendi vel orandi studio pertransiuimus, ab omnibus agi conspeximus: hoc Africam, Asiam & Ægyptum, Græciam & omnem orbem quacunque CHRISTI ecclesia diffusa est, per diuersas nationes ac linguas, vno ac non diuerso temporis ordine geri comperimus: præter hos tantum & obstinationis eorum complices, Pictos dico, & Britones, cum quibus de duabus vltimis Oceani insulis, his non totis, contra totum orbem stulto labore pugnant. Cui hæc dicenti respondit Colmanus, Mirum quare stultum appellare velitis laborem nostrum, in quo tanti Apostoli, qui super pectus Domini recumbere dignus fuit, exempla sectamur, cum ipsum sapientissimè vixisse omnis mundus nouerit. At Wilfridus, Absit, inquit, vt Ioannem stultitiæ reprehendamus, cum scita legis Moysaicæ iuxta literam seruaret, iudaizante adhuc in multis ecclesia, nec subitò valentibus Apostolis, omnem legis obseruantiam, quæ à Deo instituta est abdicare. Quomodo simulachra, quæ à dæmonibus inuenta sunt, repudiare omnes qui ad fidem veniunt, necesse est, videlicet ne scandalum facerent eis, qui inter gentes erant Iudæis. Hinc est enim quod Paulus Timotheum circumcidit, quod hostias in templo immolauit, quod cum Aquila & Priscilla caput Corinthi totondit, ad nihil videlicet vtile, nisi ad scandalum vitandum Iudæorum. Hinc quod eidem Paulo Iacobus ait, Vides frater, quot milia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes ij æmulatores sunt legis: nec tamen hodie clarescente per mundum Euangelio necesse est, imò nec licitum fidelibus vel circumcidi, vel hostias Deo victimarum offerre carnalium. Itaque Ioannes secundum legis consuetudinem decimaquarta die mensis primi, ad vesperam incipiebat celebrationem festi Paschalis, nil curans vtrum hæc Sabbato, an alia qualibet feria proueniret. At vero Petrus cùm Romæ prædicaret, memor quia DOMINVS prima Sabbati resurrexit à mortuis, ac mundo spem resurrectionis contulit, ita Pascha faciendum intellexit, vt secundũ consuetudinẽ ac præcepta legis, decimãquartam lunam primi mensis, æque sicut Ioannes Orientem, ad vesperam semper expectaret: & hac exorta, si Dominica dies (quę tunc prima Sabbati vocabatur) erat manè ventura, in ipsa vespera Paschæ Dominicum celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere solemus: sin autem Dominica non proximo mane post lunam decimamquartam, sed sextadecima, aut septimadecima, aut alia qualibet luna vsque ad vicesimam primam esset ventura, expectabat eam, & præcedente Sabbato vespere sacrosancta Paschæ solennia inchoabat: sicque fiebat, vt Dominica Paschæ dies, non nisi à quintadecima luna vsque ad vicesimam primam seruaretur. Neque hæc Euangelica & Apostolica traditio legem soluit, sed potius adimplet, in qua obseruandum Pascha à quartadecima luna primi mensis ad vesperam, vsque ad vicesimam primam lunam eiusdem mensis ad vesperam præceptum est: in quam obseruantiam imitandam, omnes sancti Ioannnis successores in Asia post obitum eius, & omnis per orbem ecclesia conuersa est: & hoc esse verum, Pascha hoc solum fidelibus celebrandum, Nicæno Concilio non statum nouiter, sed confirmatum est, vt Ecclesiastica docet historia. Vnde constat nos Colmane, neque Ioannis (vt autumatis) exempla sectari, neque Petri, cuius traditioni scientes contradicitis: neque legi, neque Euangelio, in obseruatione vestri Paschæ congruere. Ioannes enim ad legis Moysaicæ decreta tempus Paschale custodiens, nil de prima Sabbati curabat: quod vos non facitis, qui non nisi prima Sabbati Pascha celebratis. Petrus à decimaquinta luna vsque ad vicesimam primam diem Paschæ Dominicũ celebrabat: quod vos non facitis, qui à decimaquarta vsque ad vicesimam lunam diem Dominicum Paschæ obseruatis: ita vt tertiadecima luna ad vesperam sæpius Pascha incipiatis, cuius neque lex vllam fecit mentionem, neque auctor ac dator Euangelij DOMINVS in ea, sed in quartadecima luna vel vetus Pascha manducauit ad vesperam, vel noui Testamenti sacramenta in commemorationem suæ passionis ecclesiæ celebranda tradidit. Itemque lunam vicesimam primam, quam lex maxime celebrandam commendauit, à celebratione vestri Paschæ funditus eliminatis: sicque vt dixi in celebratione summæ festiuitatis, neque Ioanni, neque Petro, neque legi, neque Euangelio concordatis. His contra Colmanus: Numquid, ait, Anatholius vir sanctus, & in præfata Historia ecclesiastica multum laudatus, legi vel Euangelio contraria sapuit, qui à quartadecima vsque ad vicesimam Pascha celebrandum scripsit? Nunquid reuerendissimum patrem nostrum Columbam, & successores eius, viros Deo dilectos, qui eodem modo Pascha fecerunt, diuinis paginis contraria sapuisse vel egisse credendum est? cum plurimi fuerint in eis, quorum sanctitati cœlesti signa & virtutum quæ fecerunt miracula, testimonium præbuerunt, quos vt ipse sanctos esse non dubitans, semper eorum vitam, mores & disciplinam sequi non desisto. At Vuilfridus, Constat inquit, Anatholium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum: sed quid vobis cum illo, cum nec eius decreta seruetis? Ille enim in Pascha suo regulam vtique veritatis sequens circulum nouendecim annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum à tota CHRISTI ecclesia custoditum, pro nihilo contemnitis. Ille sic in Paschæ Dominicum decimam quartam lunam computauit, vt hanc eadem ipsa die, more Ægyptiorum decimamquintam lunam ad vesperam esse fateretur. Sic idem vicesimam diem Dominico Paschæ annotauit, vt hanc declinata, eadem die esse vicesimamprimam crederet. Cuius regulam distinctionis vos ig-

Præfatio Regis.

Assertio catholici paschatis

Iudaica diu tolera & vsu frequentata.

noratis

noraſſe probat,quòd aliquotiens Paſcha manifeſtiſſimè ante plenilunium,id' eſt,in tertia decima luna facitis.De patre autem veſtro Columba & ſequacibus eius,quorum ſanctitatem vos imitari,& regulam ac præcepta cœleſtibus ſignis confirmata ſequi perhibetis,poſſum reſpondere: quia multis in iudicio dicentibus Domino , quòd in nomine eius prophetauerint,& dæmonia eiecerint, & virtutes multas fecerint, reſponſurus ſit Dominus,quia nunquam eos nouerit. Sed abſit,vt de patribus veſtris hoc dicam:quia iuſtius multo eſt,de incognitis bonum credere quàm malum. Vnde & illos DEI famulos,ac Deo dilectos eſſe non nego, qui ſimplicitate ruſtica,ſed intentione pia,Deum dilexerunt. Neque illis multum obeſſe Paſchæ talem reor obſeruantiam,quamdiu nullus aduenerat,qui eis inſtituti perfectioris decreta,quę ſequerentur,oſtenderet:quos vtique credo,ſi qui tunc ad eos catholicus calculator aduenirent,ſic eius monita fuiſſe ſecuturos,quomodo ea quæ nouerant ac didicerant Dei mandata, probantur fuiſſe ſecuti.Tu autem & ſocij tui,ſi audita decreta ſedis apoſtolicæ,imò vniuerſalis Eccleſiæ, & hæc literis ſacris confirmata ſequi contemnitis,abſque vlla dubietate peccatis:etſi enim patres tui ſancti fuerunt, nunquid vniuerſali quæ per orbem eſt Chriſti eccleſiæ,horum eſt paucitas vna de angulo extremæ inſulæ præferenda?Etſi ſanctus erat ac potens , virtutib. ille Columba veſter,imò & noſter ſi Chriſti erat,num præferri potuit beatiſſimo Apoſtolorum Principi ? cui Dominus ait, Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam , & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam,& tibi dabo claues regni cœlorum.Hæc perorante Vuilfrido dixit rex, Verene Colmane hæc illi Petro dicta ſunt à Domino qui ait, Vere rex. At ille, Habetis,inquit,vos proferre aliquid tantæ poteſtatis veſtro Columbæ datum. At ille ait,Nihil.Rurſum autem rex:Si vtrique veſtrum,inquit,in hoc ſine vlla controuerſia conſentiunt,quòd hæc principaliter Petro dicta,& ei claues regni cœlorum ſint datæ à Domino,reſponderunt,Etiam,vtrique. At ille ita concluſit,Et ego vobis dico,quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo,ſed in quantum noui vel valeo,huius cupio in omnibus obedire ſtatutis,ne fortè me adueniente ad fores regni cœlorum,non ſit qui reſerat,auerſo illo qui claues tenere probatur.Hæc dicente rege,fauerunt aſſidentes quique ſiue aſtantes maiores vnà cum mediocribus,& abdicata minus perfecta inſtitutione,ad ea quæ meliora cognouerant,ſeſe transferre feſtinabant.

Rex concludit Collationem

Finitoque conflictu , ac ſoluta concione Agilbertus domum redijt.Colman videns ſpretam ſuam doctrinam,ſectáque eſſe deſpectam,aſſumptis his qui ſequi voluerunt, id eſt, qui Paſcha catholicum & tonſuram coronæ (nam & de hoc quæſtio non minima erat) recipere nolebant,in Scotiam regreſſus eſt , tractaturus cum ſuis quid de his facere deberet. Cedo relictis Scottorum veſtigijs ad ſuam ſedem redijt, vtpote agnita obſeruatione catholici Paſchæ. Facta eſt autem hæc quæſtio anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo quarto,qui fuit annus Oſuuini Regis viceſimus ſecundus: epiſcopatus autem Scottorum, quem geſſerunt in prouincia Anglorum,annus triceſimus:ſiquidem Aidan decem & ſeptem annis,Finan decem, Colman tribus epiſcopatus tenuêre. Reuerſo autem in patriam Colmano, ſuſcepit pro illo epiſcopatum Nord Humbrorum famulus CHRISTI Tuda, qui erat apud Scotos auſtrinos eruditus atque ordinatus epiſcopus,habens iuxta morem prouinciæ illius coronam tonſuræ eccleſiaſticæ,& catholicam temporis paſchalis regulam obſeruans : vir quidem bonus ac religioſus, ſed permodico tempore eccleſiam regens. Venerat enim de Scotia tenente adhuc pontificatum Colmano , & diligenter ea quæ ad fidem ac veritatem pertinent , & verbo cunctos docebat & opere.Porrò fratribus qui in Lindisfarnenſi eccleſia Scottis abeuntibus remanere maluerunt, præpoſitus eſt abbatis iure vir reuerendiſſimus ac manſuetiſſimus Eata, qui erat abbas in monaſterio quod vocatur Mailros, quod aiunt Colmanum abeuntem petiſſe & impetraſſe à rege Oſuuin,eo quòd eſſet idem Eata vnus de duodecim pueris Aidani,quos primo epiſcopatus ſui tempore de natione Anglorum erudiendos in Chriſto accepit.Multum namque eundem epiſcopum Colmanum rex pro inſita illi prudentia diligebat. Ipſe eſt Eata, qui non multo pòſt eidem Eccleſiæ Lindisfarnenſis epiſcopus factus eſt. Abiens autem domum Colman aſſumpſit ſecum partem oſſium reuerendiſſimi patris Aidani:partem verò in eccleſia cui præerat,reliquit, & in ſecretario eius condi præcepit.Quantæ autem parſimoniæ,cuiusque continentiæ fuerit,ipſe cum prædeceſſoribus ſuis teſtabatur: etiam locus ille quem regebat, vbi abeuntibus eis,excepta eccleſia pauciſſimæ domus repertæ ſunt:hoc eſt illæ ſolum modo,ſine quibus conuerſatio ciuilis eſſe nullatenus poterat,nil pecuniarum abſque pecoribus habebant. Si quid enim pecuniæ à diuitibus accipiebant,mox pauperibus dabant. Nam neque ad ſuſceptionem potentium ſeculi,vel pecunias colligi,vel domos præuidere neceſſe fuit:qui nunquam ad eccleſiam, niſi orationis tantum, & audiendi verbum DEI cauſa veniebant. Rex ipſe cùm opportunitas exegiſſet,cum quinque tantum aut ſex veniebat & expleta in eccleſia oratione diſcedebat. Quod ſi fortè eos ibi refici contingeret, ſimplici tantum & quotidiano fratrum cibo contenti, nil vltrà quærebant. Tota enim tunc fuit ſolicitudo doctoribus illis DEO ſeruiendi non ſeculo : tota cura cordis excolendi, non ventris. Vnde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus,ita vt vbicunque clericus aliquis, aut monachus aduenirent, gaudenter ab omnibus tanquam DEI famulus exciperetur:& iam ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant,& flexo ceruice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant:verbis quoque horum exhortatorijs diligenter auditum præbebant:ſed & diebus Dominicis ad eccleſiam ſiue ad monaſteria certatim, non reficiendi corporis, ſed erudiendi ſermonis Dei gratia confluebant:& ſi quis ſacerdotum in vicum fortè deueniret mox congregati in vnum vicani verbum vitæ ab illo expetere curabant.Nam neque alia ipſis ſacerdotibus aut clericis vicos adeundi,quàm prædicandi,baptizandi,infirmos viſitandi,& vt breuiter dicam, animas curandi cauſa fuit, qui in tantum erant ab omni auaritiæ peſte caſtigati, vt ne territoria ac poſſeſſiones ad conſtruenda monaſteria,niſi à poteſtatibus ſeculi coacti acciperent. Quæ conſuetudo per omnia aliquanto poſt hæc tempora in eccleſijs Nord Humbrorum ſeruata eſt.Sed de his ſatis dictum.

Clericorũ & monachorum vigens diſciplina in Scotia.

NOTAE.

Collatio.] *Quia in hoc conuentu non omnes Epiſcopi prouinciales conuocati fuerunt , ſed tantum inter ſe contulerunt illi, qui tunc aderant, imitatus S. Auguſtinum huiuſmodi conuentum propria magis voce Collationem, quam Synodum appellandam eſſe ſentio. Tempus habitæ Collat. deſcribitur à Beda ſuprà.*

An Conciliũ fuerit

De Paſchate celebrando.] *Error Scotorum alius erat à Quarta decimanorum: non enim ſentiebant præcisè 14. Luna; ſed die Dominico Paſcha celebrandum eſſe. Diſcrepabant à Catholicis, quod illo die Dominico Paſcha peragerent , qui primus occurrebat à Decima tertia Luna vſque ad vigeſimam: Ex quo illud abſurdum quandoque fiebat, vt ſi Dominica dies incideret in Lunam 14. ipſi cum Iudæis Paſcha celebrarent, quod euitaſſent, ſi vna cum Catholicis illo Dominico die celebraſſent Paſcha, qui primus à 14. Luna ad veſperam vſq; ad 21. Lunam occurrebat. Errarunt hac in re Scoti non ex contumacia, ſed ex inſcitia computus Paſchalis, ideoque hic error ipſis venialis, tunc, cum nemo illos hac in re inſtruxiſſet. Porro cœptus eſt huiuſmodi error anno Domini 566. durauitque vſque ad annum Domini 716. Vide Baron. anno 664. numer. 5.*

Quis fuerit Error Scotorum de Paſchate.

Quo tempore hæc Collatio habita ſit.



CONCILIVM EMERITENSE SVB VITALIANO PAP. EX IOAN. GARSIA LOAISA DESUMPTUM, & huic Concilior. editioni recenter insertum.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET Spiritus sancti. Synodus, quæ gesta est in prouincia Lusitaniæ, apud vrbem Emeritensem, quæ caput eius dignoscitur esse. XII. Episcopis in vnum collectis, die 8. Iduum Nouembris, anno 18. serenissimi & pijssimi Recceſuinthi Regis, Era DCC. IIII.

Epistola de fidei institutione, eiusq; ordine. 1
De vespertini officij seruanda ordine. 2
Quid sit obseruandum tempore, quo Rex in exercitu progreditur, pro Regis gentis, aut patriæ statu, atque salute. 3
Qualiter Metropolitanus suis confinitimis, aut confinitimi Metropolitano suo placitum faciant. 4
Vt Episcopus ad suam personam, ad Cõcilium non Diaconum, sed aut Archipresbyterum, aut Presbyterum dirigat. 5
Qualiter Episcopus admonitione accepta, ad Metropolitanum suum veniat. 6
Qualiter priorum canonum institutæ Concilium fiat. 7
Quid ordinatum maneat de Episcopis, qui inter se de parochijs intentionem habent. 8
Quid Presbyter obseruare debeat, qui Presbyteris iubetur dare sanctum chrisma. 9
Vt omnis Episcopus infra hanc prouinciam constitutus, Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primiclerum in Ecclesia sua habeat. 10
Vt omnis Presbyter, Abbas, vel Diaconus Episcopo suo humilitatẽ teneat, & reuerentiam summam. 11
Vt Episcopus, qui illi placiti fuerint de parochia sua, Presbyteros, atq; Diacones cathedrales sibi faciat. 12
Vt Episcopus, quem viderit de Clericis suis ad bonum profectum tendere, honorandi, & magnificandi de rebus Ecclesiæ licentiam habeat. 13
De pecunia, quæ in Ecclesia Dei offertur, fideliter colligenda, & fideliter diuidenda. 14
Vt Episcopi, atque Presbyteri pro grauibus causis (quod legum damnant sententiæ) sine iudicis examine familiam Ecclesiæ non debeant extirpare. 15
Vt Episcopo non liceat tertiam de parochitanis ecclesijs tollere; sed quæ instituta sunt debeat obseruare. 16
Vt post mortem Episcopi, nulli subiectorum liceat de eo quicquam detrahere. 17
Vt parochitani Presbyteri, iuxta vt posse habuerint, de familia Ecclesiæ suæ Clericos sibi faciant & habeant. 18
Vt Presbyter, qui plures Ecclesias habuerit commissas, pro singulis Dominicis diebus, in singulis sacrificium Deo offerre intendat. 19
Qualiter libertos Episcopi faciant, vel qualiter liberti à patrocinio Ecclesiæ nunquam discedant. 20
Qualiter stabilitum maneat, quod Episcopus in amicis suis, seruis, aut libertis de re Ecclesiæ suæ donare voluerit. 21
Qualiter excommunicari oporteat, qui Canonis non custodierit sententiam. 22
Confirmatio huius Concilij. 23

CONgregatis nobis omnibus prouinciæ Lusitaniæ Episcopis, in nomine Domini, residentibus in Hierusalem ecclesia, quæ in Emeritensi vrbe (quæ caput huius prouinciæ noscitur esse, & sub principali nomine manet dedicata) iuxta ordinem priorum Canonum nostrorum, cum Dei iuuamine cœptum est initium. Primum (vt mos est) debitas laudes persoluimus omnipotenti Deo, cuius munere adunati sumus, & dono: deinde sereniss. atque clementiss. Principi nostro, & domino gratiarum actiones impendimus Regi Recceſuintho; optantes diuinã misericordiam, vt qui ei tribuit regni potestatem, concedat & vitę felicitatem, cum pacis quiete; sicq; eũ de suis hostibus reddat victorem, vt suorum inimicorũ colla ditioni eius subdat, gratia fauente; quatenus & præsentem vitam quietus possideat per tempora longa, & post multa annorum curricula, beatitudinis gaudia obtineat, per secula nunquam finienda. Et quoniam de secularibus sancta illi manet cura, & Ecclesiastica per diuinam gratiam rectè disponit mẽte intenta, sit illi opitulatrix ineffabilis omnipotentis DEI gratia, quæ se quærentibus manet propinqua.

1 Iuxta priorum Patrũ regulam, quæ sanctè nobis est tradita, cuius institutione profectum fidei habet sancta Dei Ecclesia Catholica; quamlibet permultis Concilijs maneat memorata, oportet tamen à nobis non eam esse prætermittendã: hæc enim est prima Cõcilij via; & nisi digne fuerit adstructa, perueniendi ad aliud ratio est incongrua. Nos ergo quia certos fatemur in fide, & perpetim hanc profitemur ore, dignum est in hoc sancto Concilio credulitatem nostram exponere.

Est symbolum Constantinop. in 3. Tole. & alijs Cõciliis positum

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium conditorem: & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum, filiũ Dei vnigenitum, ex Patre natum ante omnia secula: Deum ex Deo: lumen ex lumine: Deum verũ ex Deo vero: natum, non factum: homousion Patri, hoc est eiusdem cum Patre substantiæ: per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto, & Maria Virgine. homo factꝰ: passus sub Pontio Pilato: sepultus: tertia die resurrexit: ascendit in cœlos: sedet ad dexteram Patris: iterum venturus in gloria iudicare viuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum S. Dominum, & viuificatorẽ, ex Patre & Filio procedentem; cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum: qui locutus est per Prophetas. In vnam Catholicam, atq; Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorũ, & vitam futuri seculi. Amen. Hæc est fides nostra, & hæc credulitas sancta; hanc quisquis dignè tenet, iudicij tempore remunerationem condignam accipiet: qui ab ea discesserit, & in hac fide esse noluerit, cum diabolo pœnas æternas luet. Oremus ergo omnipotentem Deum, vt hæc credulitas syncera, diuina nobis conferat beneficia, eiusq́ue pietas sancta, præsenti in seculo cuncta nobis dimittat peccata: & cum venerit iudicare viuos & mortuos, ad dexteram suam nos iustificandos statuat. Si quis non crediderit, aut confessus fuerit, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum esse in Trinitate, anathema sit.

2 Sicut in fide sancta nostra est vnanimitas, ita pro sãcto Dei officio debet esse intentio summa. Oportet igitur, vt sicut in alijs ecclesijs vespertino tempore, post lumen oblatum, priùs dicitur vespertinum, quàm* sonum in diebus festis, ita & à nobis custodiatur in ecclesijs nostris. Si quis hunc ordinem minimè custodierit in sua ecclesia, cunctosque ad se pertinentes non instruxerit, vt bonum huius operis agant; dum tale ad Metropolitani peruenerit aures, & fuerit res cõuicta, excommunicationis se nouerit feriri sententia.

3 Quantum cum Dei iuuamine ratio competit, vt rectitudinis regula ponatur in Ecclesiastico ordine, tantum necessarium est ea excogitare & ordinare, quæ clementissimo domino nostro Recceſuintho Regi, fideliumq́ue suorum genti, aut patriæ debeant prosperitatem afferre. Ob hoc ergo instituit hoc sanctum Concilium, vt quandocunque eum causa ingredi fecerit contra suos hostes, vnusquisque nostrum in Ecclesia sua hunc teneat ordinem; ita vt omnibus diebus, per bonã dispositionem, sacrificium omnipotenti Deo, pro eius suorumq́ue fidelium, atque exercitus sui salute offeratur, & diuinæ virtutis auxilium impetretur: vt salus cunctis à Domino tribuatur; vt victoria illi ab omnipotenti Deo concedatur. Tam diu hic ordo tenendus est, quàm diu cum diuino iuuamine ad suam redeat sedem. Quisquis huius institutionis modum implere distulerit, sciat se à suo Metropolitano esse excommunicatum.

4 Postquã fidei nostræ credulitas est manifesta, illa inseréda curauimus, quæ rectitudinem faciant in Ecclesia sancta. Cœtus ergo nostræ vnanimitatis hoc inserendum esse curauit, vt tempore quo Metropolitanus in Ecclesia Dei fuerit ordinatus Episcopus, placitum in nomine suorum comprouincialium Episcoporũ faciat; vt castè, sobriè, rectèq; viuat. Simili-

ter, &

ter,& quando confinitimi Episcopi in Ecclesijs, quibus præesse poterint,fuerint ordinati,placitum faciant in nomine Episcopi sui Metropolitani, vt castè, rectè, & sobriè viuant. Quod si iuxta Canonicam sententiã,per voluntatem Metropolitani,atq; informationis eius epistolam, per Regiam iussionem,ab alio Metropolitano aliqui fuerint ordinati; tempore quo ad Metropolitanum suum,post suam venerint ordinationem,tale placitum non differant facere. Quod si distulerint,tam diu quisquis ille, excommunicatum esse se nouerit,quàm diu impleat ordinem bonæ institutionis.

5 Iuxta Canonicum ordinem tempore,quo Conciliũ per Metropolitani voluntatem , & Regiam iussionem electum fuerit agere,omnes confinitimos Episcopos in vnum oportet adesse; nec pro tali re quælibet causa opponi debet ad excusationem.Quod si contigerit aliquem de fratribus retineri ab infirmitate,qualiter non possit venire,aut per Regiam iussionem iniunctum acceperit aliquid agere,vt sit,per quod nõ possit Concilio interesse;quicquid tale acciderit,Metropolitano suo fideliter intimet cuncta, per suam epistolam manu sua subscriptam:vt postmodum quæratur,an ne excusationẽ faciat aliquam.Ad suam tamen personam non aliter, nisi aut Archipresbyterum suum diriget,aut si Archipresbytero impossibilitas fuerit, Presbyterum vtilem,cuius dignitas cum prudentia pateat,à tergo Episcoporum inter Presbyteros sedere,& quæque in eo Concilio fuerint acta scire,& subscribere.Iniustum enim hoc accipit cętus noster, vt quisquam Episcoporum Diaconum ad suam personam dirigat. Hic enim quia Presbyteris iunior esse videtur,sedere cum Episcopis in Concilio nulla ratione permittitur. Quemcunque ergo ex Presbyteris dirigere elegerit, instructum per informationẽ dirigat,vt ratio poscit;atque cum eo mandatarium suum,iuxta legis ordinem munitum:vt si à quolibet contra eundem Episcopum in Concilio fuerit suggestum,ab eo,quem dixerit, qui petit,accipiat responsum; & iustitia,quæ fuerit ordinata, nullam postmodum dilationem habeat.

6 Deo credimus esse placitum, quando pro bono opere dignam in Ecclesia sancta imponimus regulam. Ideoque placuit fraternitati nostræ, vt sicut Primatus reuerentiæ à Metropolitano Episcopo iubetur impendi per synodicam regulam;ita & à cõprouincialibus suis seruentur hæc monita. Cõmuni deliberatione censemus,& sententiæ huius ordinẽ seruandum instituimus; vt dum quisquam comprouincialis Episcopus Metropolitani sui admonitionẽ acceperit,pro dieb. festis Natiuitatis Domini , & Paschæ cum eo peragendis, veniendi ad eum nullam faciat excusationem.Quòd si contigerit eum ab ægritudine esse detentum, vel per nimiam intemperantiam aerum, non habere qualiter ad præsentiã eius possit venire,epistolam manu sua subscriptam dirigere debebit, in qua huius rei verissimè causam notescat.Quòd si sanus,qui admonitionem acceperit, fuerit,& venire distulerit, absque excommunicatione dimittendus non erit.

Sic tantũ est c. Tol. 13.c.8.

7 Decretum est de priscis Canonibus,semel in anno fieri Concilium,vbi elegerit Metropolitanus Episcopus,atque in ea sancta regula manet ordinatum, vt comprouinciales Episcopi,dum à suo Metropolitano fuerint admoniti, præsentes esse debeant ad locum temporis debiti:quæ res non extra regiam agitur volũtatem.Sunt nonnulli,qui pro hoc, admonitionem sui Metropolitani,& regiàm iussionem accipiunt, & minimè implent,quæ iubentur:hos priscorum Canonum sententiæ excommunicatos esse iubent, vsque ad tempus superuenturi Concilij:& quamuis excommunicationis damno feriantur,nihil tale in his impenditur, quod debeant metuere. Placuit huic sanctæ Synodo, vt quisquis ille Episcopus ad Cõcilium venire distulerit admonitus, illic excommunicationis agat tempus,vbi cum his, qui præsentes fuerint, elegerit Metropolitanus.Cella vero &res ad eum pertinentes,quousque ille sub pœnitentia fuerit instantia & solicitudine regantur Metropolitani.Q̃ia ideò est hoc electũ, vt discat sub pœnitentia,q̃ implere noluit voluntate recta. Dũ ergo ad suam redierit cellã,rẽ in statu inueniat,quæ Ecclesiæ suæ est debita.

Vide epistolã,Innocentij Tertij, de pœna huius Canonis.

8 Omnibus penè cognitum manet quomodo diuina gratia,quæ cor sereniſſimi,atque clementissimi domini nostri,& Principis Recceſuinthi Regis in manu tenet, & vbi vult illud vertet,suggerente sanctæ memoriæ sanctissimo viro Orontio Episcopo,animum eius ad pietatem mouerit;vt terminos huius prouinciæ Lusitaniæ cũ suis Episcopis, eorumq; parochijs,iuxta priorum Canonum sententias,ad nomen prouinciæ,& Metropolitanam hanc sedem reduceret & restauraret. His ergo,iuxta eandem regulam, decreto Synodico, iudicij formula,& suæ clementiæ confirmatione ad hanc Metropolim reductis;dum miserante Domino, Principis iussu in vnũ ad sanctum conuenissemus Concilium, vnus de his Selua nomine,sanctæ Igeditanæ ecclesiæ Episcopus,interpellauit sanctam Synodum,eo quòd Iustus,Salmanticensis ecclesiæ Episcopus,debitam illi teneret diœcesem : hoc enim etiam adijciens, vt de eo, id vnde ad Galliciæ Metropolim diœcesis suæ fuerat possessum,ille reciperet, quamuis longa post tempora,quæ parochiæ suæ fuerant debita.Sed quia antiquorum Canonum sunt instituta,vt si vna prouincia quisquis Episcopus,de alterius diœcesi partem aliquam per triginta annos possederit,quietus teneat, iustum perspeximus; vt quia nec ille triginta aunos adhuc habet , quo ad huius prouinciæ Metropolim reductus est; & ille quod per longo tempore non possedit, & triginta adhuc non sunt in hoc illi impleti anni;sicut ille ad debitam diœcesem redijt,ita & hic, qui pulsat diœcesim sibi debitam, ordinante Metropolitano cum suis fratribus,per suũ Saionem recipiat:ita tamen vt de præsentia Metropolitani inspectores dirigantur,qui per euidentia signa diœceses ipsas conspiciant;& vnusquisque, quod illi debitum est,accipiat,& habeat. Pacta verò,quæ iuxta Canonicam regulam, inter Episcopos per pacificam deliberationem iustissimè fuerint facta,in omnibus placet esse seruanda. Omnibus verò Episcopis id instituitur esse seruandum, vt parochiam suam benè custodiant,nec à quolibet fratre eam vsurpari permittant. Quibus,si tricennalis numerus per voluntatem, aut negligentiam occurrerit,nullo modo reddenda erit.

De tricennali possessione dictum est supra Cõcil.Hispal. 2.c.2.

Inspectionis viri Cõcil.Hisp. 2.c.22.

9 Conueniens in omnibus nobis hæc manet sentẽtia, quæ dignè custodiatur in nostra prouincia. Placuit vt quisquis ab Episcopo sanctum in potestate,Presbyteris ad distribuẽdum tempore opportuno,acceperit chrisma , nihil ab eis beneficij causa tollere,aut petere præsumat. Similiter & Presbyteri, qui sanctum Dei baptisma infantibus tradunt, nihil pro tali gratia à parentibus eorum auferre præsumant. Quod si quis aliquid offerat per bonam voluntatem,accipiat gratè : nihil tamen(vt diximus)auferatur quacumque occasione. Si quis sententiæ huius ordinem non custodierit, eumque transgredi præsumpserit,tribus mensibus sub pœnitentia excommunicatus manebit.

Concil Bracar. 2. c.4 vbi idipsum ex Patrum decretis ostendimus Concil. Tol. 11 c.8

10 Communi deliberatione sancimus, vt omnes nos Episcopi,infra nostram prouinciam constituti, in cathedralibus nostris ecclesijs,singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum,& Primiclerum habere debeamus.Sanctus quippè est ordo,& à nobis per omnia obseruandus; i deoque placuit huic magnæ Synodo, vt quicunque ad hoc officium peruenerit,humilitatẽ Pontifici suo,& reuerentiam præbeat:ne quolibet modo superbiæ fastũ quilibet ex his incurrat;sed in ordine,quo quisque fuerit constitutus,benignè persistat, & sui dignitatem officij per omnia teneat. Si quis ex his sui gradus ordinem non custodierit,& quæ illi pro tali officio à suo Episcopo imperata fuerint, adimplere distulerit, prout causa patuerit,excommunicationis damno multandum se nouerit.

11 Peruenit ad cœtum huius S. Concilij, Presbyteros, Abbates,& Diaconos Episcopo suo inobedientes esse;atq; id intromissum est, vt dum quilibet ex Presbyteris, aut Abbatib. ecclesiarum suarum à decedentibus Episcopis habeant absolutionem, Episcopo suo dignam obedientiam iustamque reuerentiã non exhibeant, & quibus concessa est per Canonicã sententiam* visitandi sua parochia,his potius infertur iniuria, & mouetur calumnia.Proinde placuit huic sancto Concilio, vt tam à Presbyteris,quàm ab Abbatibus, siue etiam à Diaconibus,Episcopo honor debitus impendatur:vt à nullo contumeliam pati videatur,& quandocunque contigerit,eum,iuxta Canonicam sententiam,visitare suam parochiam; & dignè eum suscipiant, & pròut habuerint,aut ratio permiserit, illi præparent,quæ fuerint necessaria. Id ergo per omnia seruandum instituimus,vt nulli Presbytero,vel Diacono,sine volũtate Episcopi sui,licentia sit seculares peragere causas, aut iniunctiones expedire publicas. Si quis huius ordinem capituli

Ius visitandi Episcopis cõpetit: de quo rediximus supra Cõcil. Tolet. 4.c. 36.

Prou. 21.

tran-

transcendere voluerit, excommunicationis sententia feriendum se nouerit.

12 Si priorum Canonum sententia hunc rectè tenet ordinem, vt Episcopus ab alio Episcopo, si indigentiam habuerit. Cleri cum ad ordinandum petat, & accipiat; cur qui in diœcesi sua habet eos, quos pro Dei officio, & suo iuuamine dignos repererit, ad suam principalé Ecclesiam non perducat & habeat? Pro huius rei causa hoc elegit vnanimitas nostra, vt oēs Episcopos prouinciæ nostræ, si voluerint, de parochianis Presbyteris, atq; Diaconibus, cathedralem sibi in principali Ecclesia facere, maneat per omnia licentia. Hi tamen, qui fuerint traducti, humilitatem dignam Episcopo suo teneant; & eo honore & reuerentia habeantur, & venerentur in cathedrali Ecclesia, sicut hi, quos constat fuisse ordinatos in ea. Et quamuis ab Episcopo suo, stipendij causa, per bonam obediētiam aliquid accipiant, ab Ecclesijs tamē, in quibus priùs consecrati sunt, vel à rebus earum extranei non maneāt; sed Pontificali electione, Presbyteri ipsius ordinatione, Presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione prioris Presbyteri victum, & vestitum rationabiliter illi ministretur, vt non egeat: aut si quæsierit, qui ordinatur, stipendium à suo Presbytero accipiat, quantum dignitas officij eum habere expetat. Clericis vero, vel quos ad seruiendum ei dederit, per discretionis modum, quæ necessaria sunt, ministret. Si quis sententiæ huius ordinem implere distulerit, prout ratio permiserit, excommunicandum se esse nouerit.

13 In Ecclesia Dei sancta congregatio Clericorum sit non modica: & sunt aliqui, quorum intentio non pauca est in sancto Dei officio, atque multi quos segnitudinis fastus minimè perducit ad bonum profectum. Ob hoc ergo sancto huic placuit Concilio, vt quemcunque Episcopus ad bonum profectum viderit crescere, per bonam intentionem venerandi, amandi, & honorandi, atque de rebus Ecclesiæ, quod voluerit, illi largiendi habeat potestatem: hæc enim causa & maioribus maiorem præstat gratiam, & minores excitat, vt ad melius tendant. Quidquid ergo bonis largitur per gratiam, ita in ius habeant, vt & remedium ex hoc sentiant, & rem Deo dicatam ad augmentum perducant. Quòd si id, quod acceperint per suam tepiditatem ad profectum minimè perduxerint, aut detrimentum patuerit; Episcopus habeat licentiam, sine vllo præiudicio, in iure Ecclesiæ reuocare rem propriam.

14 In sancta Dei Ecclesia diebus festis pro consuetudine & mercede, communionis tempore à fidelibus pecuniam nouimus poni: pro hoc placuit sancto Concilio hanc rectitudinis ponere regulam, vt quia omni clero communis labor manet in officio sancto, omnibus iuxta meritum ex hoc rependatur vicissitudo. Statuimus in nostris Ecclesijs, vel ciuitatib. hoc esse seruandum, vt quidquid pecuniæ à fidelibus in Ecclesia fuerit oblatum, fideliter collectum maneat, & conseruatum, & fideliter Episcopo præsentetur; qualiter exinde tres partes fiant æquales, vnam Episcopus habeat: & alteram Presbyteri, & Diacones inibi deseruientes consequantur, & inter se, vt dignitas & ordo poposcerit, diuidant: tertia verò Subdiaconibus & Clericis tribuatur: vt à Primiclero, iuxta quod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur. Similis forma & de parochitanis Presbyteris in Ecclesijs illis à Deo creditis erit seruanda.

15 Si regalis pietas, pro salute ominum suarum legum dignata est ponere decreta, cur religio sancta, per sancti Concilij ordinem non habeat instituta, quæ omninò debent esse cauēda? Ideoque placuit huic sancto Concilio, vt omnis potestas Episcopalis modum suæ ponat iræ; nec pro quolibet excessu, cuilibet ex familia Ecclesiæ, aliquod corporis membrorum sua ordinatione præsumat extirpare, aut auferre. Quod si talis emerserit culpa, aduocato iudice ciuitatis, ad examen eius deducatur quod factum fuisse asseritur. Et quia omnino iustum est, vt Pontifex sæuissimam non impendat vindictam; quidquid coram iudice verius patuerit, per disciplinæ seueritatem, absque turpi decaluatione, maneat emendatum; & ab Episcopo suo, aut donatus fidelibus suis maneat, qui malum aliquid, quod leges grauiter damnant, admisit; aut abiendi eum Episcopus, si voluerit, licentiam habebit. Similiter & quia comperimus aliquos Presbyteros ægritudine accedēte, familiæ Ecclesiæ suæ crimen imponere; dicentes ex ea homines aliquos maleficium sibi fecisse, eosq; sua potestate torquere, & per multam impietatem detrimentare, & hoc emendari placuit per rectitudinem huius sententiæ. Instituentes igitur decernimus, vt si Presbyter talia pati se dixerit, ad aures hoc sui perducat Episcopi; ipse autem datis bonis hominibus ex latere suo, iudicem hoc iubeat quærere; & si sceleris huius causa fuerit inuenta, ad cognitionem Episcopi hoc reducant; & processa ex ore eius sententia, ita malum extirpatum maneat, ne hoc quisquam alius facere præsumat. Si quis sententiæ huius ordinem non obseruauerit, excommunicationis sententia feriendus erit, & à Clero abijciendus.

16 Benè disposuit diuina gratia, quidquid vnaquæque Ecclesia à fidelibus collatum est, habeat. Priscis quippè Canonibus erat decretum, vt Episcopus de parochitanis Ecclesijs tertiam sequeretur, cui sua plenissimè sufficere possunt. Placuit huic sancto Concilio, vt nullus prouinciæ Lusitaniæ Episcopus sententiæ huius terminum excedat, nec à qualibet parochitana Ecclesia tertiam auferre præsumat: sed quidquid exinde consequi potuerat, totum in reparationem ipsarum basilicarum proficiat. Omnes verò supradicti Presbyteri, qui virtutem habuerint, Episcopo suo placitum faciant, vt reparare Ecclesias sibi commissas intendant. Quod si facere distulerint, ab Episcopo suo districti, Ecclesias sibi creditas (vt ratio permittit) dignè reparent. Ecclesiæ tamen, quæ mundiales res nullas habent, solicitudine, intentione, & dispositione Episcopali (vt ratio permiserit) habeant reparationem.

17 Quia per diuinam gratiā in sancta Dei Ecclesia Episcopalis ordinatur potestas, dignum est, vt sicut honore, & bonitate summus habetur in vita, ita post mortem detractio de eo sit nulla. Huius rei causa hanc sententiam protulit, & per omnia iubet esse firmam congregatio nostra. Instituentes igitur decernimus, vt nullus subiectus decedentem detrahat Episcopum, nullus de eo deroget, nec malum quicquam loquatur. Si quis talia deinceps facere præsumpserit; si Presbyter fuerit, tribus mensibus ab Episcopo suo sub pœnitentia religatus maneat; si Diaconus, quinque; si Subdiaconus, aut Clericus, vel quilibet religiosus de maiori gradu (quia constat ex his iam aliquos per bonam actionem esse venerandos) nouem: si minimi fuerint, qui leui corde sint, minimæque adhuc personæ, quinquagenis flagellis iussione feriantur Episcopi: quòd si laicus, quamuis ingenuus, in domo Ecclesiæ tamen nutritus, & ab Ecclesiæ rebus, dignitatis gratia præditus, iuxta quod dignitas eius exegerit, pro tali excessu excommunicationis sententia feriendus erit: si verò de familia Ecclesiæ fuerit quisque (quia & in his discretionis est gradus) si maior fuerit, qui dignitate polleat, sex mensibus ab Episcopo suo excommunicatus maneat: inferior tamen, aut minima persona disciplinam mereatur, iuxta quod Episcopi sui processerit sententia. Dignum est etenim, vt cui in vita honor fuit impensus, post mortem detractionis subtrahatur stimulus.

18 Quidquid vnanimiter dignè disponitur in sancta Dei Ecclesia, necessarium est, vt à parochitanis Presbyteris custoditum maneat. Sunt enim nonnulli, qui Ecclesiarum suarum res ad plenitudinem habent, & solicitudo illis nulla est habēdi Clericos, cum quibus omnipotenti Deo laudum debita persoluant officia. Proinde instituit hæc sancta Synodus, vt oēs parochitani Presbyteri, iuxta vt in rebus sibi à Deo creditis sentiunt habere virtutem, de Ecclesiæ suæ familia Clericos sibi faciant: quos per bonam voluntatem ita nutriant, vt & officium sanctum dignè peragant, & ad seruitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum, & vestitum dispensatione Presbyteri merebuntur, & domino & Presbytero suo, atque vtilitati Ecclesiæ fideles esse debent. Quòd si inutiles apparuerint; vt culpa patuerit, correptione disciplinæ feriantur. Si quis Presbyterorum hanc sententiam minimè custodierit, & non adimpleuerit, ab Episcopo suo corrigatur: vt plenissimè custodiat, quod dignè iubetur. *Vide Cōc. Tol. 16 c. 5*

19 In parochijs multæ sunt Ecclesiæ constitutæ, quæ à fidelib. factæ, aut paucum, aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali ergo decreto Presbytero vni plures extant cōmissæ, vnde cauendum est, ne occurrente paupertate, ordo ibidē non impleatur Missæ. Proinde salubri deliberatione cēsemus vt pro singulis quibusq; Ecclesijs, in quibus Presbyter iussus

Sic decretum Cōc. Tol 9. c. 11

fuerit

fuerit, per ſui Epiſcopi ordinationem, præeſſe, pro ſingulis diebus Dominicis ſacrificium Deo procuret offerre; & eorum nomina, à quibus eas Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his ſanctis Eccleſijs videntur, aut viſi ſunt contuliſſe; ſi viuentes in corpore ſunt, ante altare recitentur tempore Miſſæ; quòd ſi ab hac deceſſerunt, aut diſceſſerint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur ſuo in ordine. Si quis hanc inſtitutionem Presbyter implere neglexerit; dum talis cauſa per quemlibet ad aures ſui Epiſcopi peruenerit, Presbyter ille excommunicationis ſententia feriendus erit.

Vide notas.

20 In priorum Canonum ordine inſtitutum manet, qualiter Epiſcopi de familia Eccleſiæ libertos debeant facere. Multi etenim Sacerdotes, prout illis conceſſit diuina gratia, habent vnde Canoni cum ordinem impleant, & ſic libertos faciant: & ſunt multi, qui nihil habentes, ad hanc gratiam veniunt, & ſic libertos facere præſumũt. Tales. n. libertos regula Canonica eſſe non iubet ſtabilitos. Contingere etenim ſolet, vt poſtquam manumiſſor eorum ab hac diſceſſerit luce, talis occurrat ſucceſſor, qui aut Eccleſiæ familiam minimè quærat, aut per bonam voluntatem, vel negligentiam, hi, à quo nihil Eccleſiæ offerente liberi facti ſunt, longo pro tempore libertos ſe eſſe defendant, atque eas libertates ita abſcondunt, vt pro hoc quærẽti Epiſcopo laborem faciant. Talium ſi ſit voluntas, licentia conceditur nulla: qui non potuerunt; neque à ſeruitio Eccleſiæ vnquam diſcedunt; & pro his rebus in libertate permanere non potuerunt: Sanctorum Canonum non abijcienda ſunt inſtituta; atque his, quæ implenda eſſe oportet, addimus noua. Placuit huic ſanctæ Synodo, vt quiſquis dignè iuxta Canonicam regulam libertus fuerit factus, in libertate maneat, & à patrocinio Eccleſiæ ipſe, aut poſteritas eius nunquam diſcedat. Quiſquis verò non vt ordo Canonicus poſcit, libertus fuerit factus; quamuis prolixitas temporis in ſcripturæ ſuæ textu inueniatur, quia à ſeruitio Eccleſiæ nunquam viſus eſt abſceſſiſſe, & Canonica ſentẽtia reſcindi iubet talem libertatẽ, vt ille & poſteritas eius omnis in ſeruitio maneant ſanctæ Eccleſiæ, cui debiti manent per veram originem. Illos verò per omnia ſtabilitos in libertate eſſe inſtituimus, qui ab his Epiſcopis liberi ſunt, vel fuerint facti, qui de ſuo bona plurima ſanctæ Eccleſiæ, in qua præſidẽt, per ſuæ ſcripturæ textum cognoſcuntur contuliſſe. Et hi quamlibet iubeantur eſſe ſtabiles, nullo modo reſcindendi ſunt à patrocinio ſanctæ Eccleſiæ. Quod ſi contigerit eos, eorumque filios perſonis ingenuis eſſe coniunctos, & quandoque eorum poſteritas patrocinium Eccleſiæ voluerit deſpicere, ex cuius familia per veram originem conſtat eos genitos eſſe; ſi ex his libertis trahunt originem, qui iuxta Canonicam ſentẽtiam iubentur eſſe ſtabiles, & dignitatis ſuę nomen teneant, & Eccleſiæ patrocinium nunquam amittant. Certè ſi ex his inuenti fuerint originem trahere, quos Canonicæ regulæ non iubent libertos eſſe, quamlibet poſt longa tempora, dummodò origine firmata, reducendi tamẽ ſunt ad ſanctæ Eccleſiæ, cui pertinent, iura. Liberti tamen ex familia Eccleſiæ facti, & poſteritas, quæ ex his eſt procreata; ſi libertatẽ ſuam, vel parentum ſuorum inuenti fuerint celaſſe, aut abſcondere, & tempore, & quo ab Epiſcopo fuerint admoniti, eam præſentare diſtulerint; dum eorũ origo (vt iam diximus) fuerit manifeſtata per legalem teſtem ad ſeruitium Eccleſiæ reducantur: & vt Epiſcopo fuerit placitum, ita eos habeat. Hæc forma & in Presbyteris ſeruanda erit, qui cum voluntate Epiſcopi ſui, iuxta Canonicam regulam de familia ſuæ Eccleſiæ liberos facere voluerint.

21 Non putandum eſt cõtra regulam iri Canonicam, quãdo ea inſtituimus, quæ ſeruari oportet de re Eccleſiaſtica. Quamuis etenim Canonicæ ſententiæ ordinem habeant quid Epiſcopus pro re Eccleſię obſeruare debeat, opportunum tamen eſt, vt vbi ab Epiſcopo bonus impenditur profectus, à ſuccedente inſtitutus teneatur modus. Placuit huic ſancto Concilio, vt ſi Epiſcopus, Eccleſiæ ſuæ, in qua præſidet, de rebus ſuis inuentus fuerit plurima contuliſſe, quidquid amicis ſuis, ſeruis, aut libertis, vel quibuslibet perſonis de Eccleſiæ ſuæ reb. compertus fuerit aliquid donaſſe; ſi triplũ, aut multo plus patuerit eſſe, quod cõſcripſit in nomine Eccleſiæ ſuę, firmũ maneat, quod diſtribuit in perſonis, quæ prænotatæ ſunt ſuperiori ordine. Nec licebit ſuccedenti Epiſcopo prioris ſui irrumpere voluntatem. His etiam ſi cauſæ Eccleſiaſticæ fuerint cõmiſſæ, & fideliter proſequentes in rebus Eccleſiæ profectum viſi fuerint facere, laboris ſuis conſequantur mercedẽ ita vt de eo, quidquid adquiſierint (quia conſtat eos non ſine vtilitate Eccleſiæ negocia cõmiſſa peregiſſe) de eo, quidquid cum fide & bona intentione, ad effectum perduxerint, & ad ius Eccleſiæ per eos redactum patuerit; de mobili re decimũ ſuum ſequantur; pro immobili ab Epiſcopo repenſationem dignam accipiant. Et tamen, quæ meruerint ipſi, aut poſteritas eorum, vel quibus largiri voluerint, perenniter poſſideãt. Si quis Epiſcoporum contra huius ſententiæ ordinem agens, irrumpere voluerit, quod prior eius fecit, & vocem amittat, & ſcripturæ, quę facta eſt, pœnam adimpleat: inſuper & à cœtu fraterno excommunicatus maneat; vt exceſſus ſui emendet cauſam.

22 Quia iuuante nos diuina gratia, ea in hoc ſancto Concilio peregimus, quæ ad rectitudinem Eccleſiaſtici ordinis ſunt debita, in aliquibus ſententijs cauendi modum impoſuimus: aliqua tamen, quia ſingulari ordine non manent conſtricta, per huius ſententiæ decretum inſtituimus, quod quiſque Epiſcoporum, vel Presbyterorum, atque in inferiori gradu conſtituti, debeant metuere. Quiſquis huius Canonicæ regulæ inſtituta ſeruare diſtulerit, quamlibet maior eſſe videatur, mediocris verò, aut inferiori gradu conſtitutum ſe eſſe perſpexerit, vt cauſa per miſerit, à Metropolitano Epiſcopo, cũ ſuis confinitimis, qui ſupra notatum ſententiarum ordinem cuſtodierint, is, qui ſeruare diſtulerit, excommunicatum ſe euidentiſſimè nouerit.

23 Poſtquam fidei noſtræ expoſuimus credulitatẽ, & quæ neceſſaria extiterunt (vt potuimus) digeſſimus per ordinem, Creatori noſtro, & Domino, quem credimus Trinum in vnitate, & veneramur vnum in Trinitate, Patri & Filio & Spiritui ſancto debitas perſoluimus laudes: tantæ maieſtatis glorificantes nomen; qui dignatus eſt nobis rectitudinis viam oſtendere. Ac deinde ſereniſſimo, ac piiſſimo, & orthodoxo viro, clementiſſimo domino Recceſuintho Regi gratiæ impendimus opem; cuius vigilantia, & ſecularia regit cum pietate ſumma, & Eccleſiaſtica pleniùs diuinitus ſibi ſapientia conceſſa. Ipſe enim Dominus, cuius Trinitatem veneramur, & confitemur, & Eccleſiæ ſuæ fidei conferat lucra, & Sacerdotibus, miniſtris, atque omni Clero, vt dignè illi ſeruiant, conferat remedia, quæ ipſi ſunt placita Clementiſſimo Principi Recceſuintho Regi felicem vitam, felicioraque, præſenti in ſeculo, & futuro poſt in regno ſempiterna concedat gaudia poſſidenda. Atque id omnibus in ſe credentibus præſtare dignetur; vt dum ſui iudicij manifeſtare voluerit tempus, omnibus tribuat perenne remedium ipſe Dominus, & Redemptor noſter, qui cum Deo Patre, & Spiritu ſancto in Trinitate Deus permanet vnus, cui eſt honor, gloria, virtus, & imperium nunc, & in omnia ſecula ſeculorum.

INTERFVERVNT HVIC SANCTO CONcilio Pontifices numero. 12.

1 PRoficius, Dei miſeratione Luſitanæ prouinciæ ſanctæ Emeritenſis Eccleſiæ, Metropolitanæ ſedis Epiſcopus hæc geſta Synodalia, cum confinitimis meis Epiſcopis, inſtituta, manu mea ſubſcripſi.

2 Ego Selua, Egitanæ ciuitatis Eccleſiæ Epiſcopus, pertinens ad Metropolim Emeritenſem, hæc inſtituta, cum Archiepiſcopo meo Proficio, à nobis definita ſubſcripſi.

3 Adeodatus, in Chriſti nomine ſanctæ Pacenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

4 Aſphalius, in Chriſti nomine ſanctæ Abelenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

5 Theodericus, in Chriſti nomine ſanctæ Olyſipponenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

6 Theodiſclus, Dei miſericordia Epiſcopus ſanctæ Eccleſię Lamecenſis, ſimiliter ſubſcripſi.

7 Iuſtus Dei miſeratione ſanctæ Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

8 Cantaber, Dei gratia Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Coimbrienſis, ſimiliter ſubſcripſi.

9 Donatus, in Chriſti nomine Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Caurienſis, ſimiliter ſubſcripſi.

10 Exarnus Dei miſericordia Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Oxonobenſis, ſimiliter ſubſcripſi.
11 Petrus, Dei miſericordia Elborenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.
12 Aluarius, indignus ſanctæ Caliabrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

DE SVBSCRIPTIONIBVS, NOTAE Ioan. Garſiæ.

SVbſcribunt in hoc Concilio aliqui Epiſcopi, qui in ſuperioribus interfuerunt: vt Adeodatus Pacenſis, qui in 8. Toletan. & Selua Egiditanæ, qui in eodem. 8. Reliqui alijs ſucceſſerunt Epiſcopis: vt Aſphalius Abelenſis, qui ſucceſsit Amanungo, in 8. Toletan. Aluarius Caliabrienſis Celedonio, in 8. Toletano, Cantaber Conimbrenſis ſucceßit Siſeberto, in 8. Donatus Caurienſis Ioanni in 8. Exarnus Oxonobenſis Saturnino, in 8. Iuſtus Salmanticenſis Egeredo, in 10. Tolet. Proficius Emeritenſis Orontio, in 8. Toletan. Petrus Elborenſis Abientio, in 8. Theodoricus Olyſipponenſis Cæſario in 10. Tolet. Theodiſclus Lamecenſis Filimiro, in 8.

Aduertendum etiam Era 704. in Prouincia Luſitaniæ vnà cum Metropolita eſſe duodecim ſedes Epiſcopales, nimirum:

1	*Emeritam.*	7	*Salmanticam.*
2	*Egeditam.*	8	*Conimbriam.*
3	*Pacem.*	9	*Cauriam.*
4	*Abelam.*	10	*Oxonobam.*
5	*Olyſipponem:*	11	*Elboram.*
6	*Lamecum.*	12	*Caliabriam.*

NOTAE in Concilium Emeritenſe, Eiuſdem Ioan. Garſiæ.

Emerita vrbs quæ?

Vrbem Emeritenſem.] *Emerita, Luſitaniæ prouinciæ vrbs nobilis, à Romanis dicta Auguſta Emerita, colonia Romanorum. In numo Auguſti ſic eſt:* CÆSAR AVGVSTVS PONT. MAX. IMP. *Ex altera parte:* AVGVSTA EMERITA COL. *Similiter ex inſcriptione Lapidis, qui eſt Tarracone* IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VII. COS. III. DES. IV. P. P. VIAM A CAPARA AD EMERITAM AVGVST. VSQ. IMPENSA SVA RESTITVIT.

Eſt etiam Regis Receſuinthi numus cum hac inſcriptione. RECCESVINTVS REX, *Ex altera parte:* EMERITA PIVS. *Sunt qui dicant, Apellatum Pium, ob hoc Concilium Emeritæ coactū. De ea Plinius, Strabo, Mela, & cæteri recentiores. Hodie ruinæ docent fuiſſe nobiliſſimam coloniam: nulli Epiſcopo ſubditur, ſed ordini militiæ Diui Iacobi, ſub Priore Legionenſi.*

Concil. Emerit. confirmatur ab Innoc. III.

Anno 18.] *Conuenit cum noſtra chronologia. Nam anno 687. Receſuinthus regnum ſuſcepit: deinde 18. Concilium hoc eſt coactū: qui efficiunt 705. annos. Quoniam multum huius Concilij robur, & auctoritatem confirmat epiſtola Innocent. III. ad Petrum Compoſtellanum Archiepiſcopum; quæ inuenitur in regiſtro Romæ excuſo, lib. 2. eam hic ad verbum exſcribendam curauimus. Braccarenſis Epiſcopus dicebat, Concilium Emeritenſe, neque conſtructionem, neque ſenſum neque Latinitatem habere.*

PETRO COMPOSTELLANO Archiepiſcopo.

Epiſtola Innoc. III. Ioan. 1.

LIcet vnum ſit corpus Eccleſiæ, in quo Chriſtus eſt caput, & vniuerſi fideles ſunt membra, ille tamen, qui à Chriſto petra dictus eſt Petrus, & à Chriſto capite vocatus eſt caput; ipſo teſtante, qui ait: Tu vocaberis Cephas: quod ſecundum vnam interpretationem exponitur caput: quia ſicut plenitudo ſenſuum abundat in capite; ad cætera verò membra pars aliqua plenitudinis deriuatur; ita cæteri vocati ſunt in partem ſolicitudinis, ſolus autem Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis: ad quem velut ad caput maiores Eccleſiæ cauſæ non tam conſtitutione Canonica, quàm inſtitutione diuina meritò referuntur. Inter quas illa non minima reputatur, quæ inter Compoſtellanam, & Braccarenſem Eccleſias, ſuper quatuor Epiſcopatibus, videlicet Conimbrienſi, Lamecenſi, Vilenſi, & Egitanienſi, ex delegatione ſedis Apoſtolicæ longo fuit tempore ſub diuerſis iudicibus ventilata: quã nos auctore Domino, te, frater, Archiepiſcopo Compoſtellan. & venerabili fratre noſtro Martino Braccarenſ. Archiep. pro definitione huius cauſæ, præſentibus exacta diligentia curauimus terminare. Petebas ſiquidem à dicto Braccarenſi Archiepiſcopo quatuor præfatos Epiſcopatus; aſſerens eos ad Compoſtellanam Eccleſiam iure Metropolitico pertinere. Tuam autem intentionem fundare multipliciter nitebaris, per priuilegia, per concilia, per hiſtorias, per diuiſiones, per famam, & per ſententiam. Volens enim Apoſtolica ſedes Compoſtellanam Eccleſiam, pro reuerentia B. Iacobi Apoſtoli, cuius venerandum corpus in ea conditū requieſcit, ſpeciali priuilegio decorare, dignitatem Emeritenſis Metropolis, quæ peccatis exigentibus à longis retro temporibus, vſq; nunc barbarica tenetur feritate captiua, eidem Eccleſiæ cum integritate Luſitaniæ prouinciæ liberali cõceſſione donauit: ſicut priuilegia felicis memoriæ Calixti Papæ prædeceſſoris noſtri, liquidò proteſtantur; tres de ſuffraganeis Epiſcopatibus exprimens nominatim: videlicet Conimbrienſem, Salamantinẽſem, & Abulenſem, qui ſoli tunc in confeſſione Chriſtiani nominis permanebant; cæteros autem generali donatione concludens. Hos autem Epiſcopatus de quibus quæſtio vertebatur, ad Emeritenſem pertinuiſſe Metropolim, per Emeritenſe nitebaris Concilium demonſtrare, in quo XII. Epiſcopi, qui conuenerant, ſe omnes eſſe de Luſitaniæ prouincia profitentur, dicentes in primo capitulo: Conuenientibus nobis omnibus Luſitaniæ prouinciæ Epiſcopis, &c. qui poſt vniuerſa ſtatuta Concilij, omnes cum ſuo Metropolitan. ſubſcribunt, tam ex nomine ſedium, quàm etiam ex nomine perſonarum. Inter quos Conimbrienſis, Egitanienſis, Lamecẽſis expreſſe ſubſcribunt. In octauo quoque capitulo eiuſdẽ Concilij continetur, quòd ſupplicante ſanctæ memoriæ Orontio Epiſcopo, Rex Receſuinthus inductus eſt, vt reduceret, atq; reſtauraret Epiſcopos huius prouinciæ Luſitaniæ, ad ſuæ prouinciæ nomen, atque Concilium: & ſic demum ſecundum Canonicas regulas, decreto Synodico, iudicij formula, & ſuæ Clementiæ confirmatione, ad nomẽ prouinciæ, ſuamq; Metropolim ſunt reducti. Quibus verbis indubitanter exprimi aſſerebas, quod hi quatuor Epiſcopatus, qui vſque tunc fuerãt ſub nomine prouinciæ Gallœciæ, per ſententiam ſunt reducti Synodicam. Quorum vnus, videlicet ex reductis, exprimitur fuiſſe Selua Egitanienſis Epiſcopus, qui eſt vnus de quatuor quos omnes eadem quæſtio apprehendit. Et ad maiorẽ expreſſionem, in ſubſcriptionibus, poſt Metropolitan. Selua primus, cum tali adiectione ſubſcribit: Ego Selua Egitanenſ. Epiſcopus pertinens ad Metropolim Emeriten. vnà cum Archiepiſcopo meo Proficio ſubſcribo. Et quiſque ſequentium dicit ita: Similiter ſubſcribo; intelligens totum cum verbo; id eſt pertinens ad Emeritenſem Metropolim. Iſidorus autem in Chronicis de Gothis, titulo de Sueuis teſtatur, quòd Remiſmundus ad Luſitaniam tranſijt; Conimbriam pace deceptam diripit; Vlyxibona quoque ab eo occupatur. Per quod videtur oſtendi, quòd tam Conimbria, quàm Vlyxibona cõſiſtit in Luſitania. Plinius quoque narrat in libro ſecundo naturalis hiſtoriæ, circa finem, quòd Durius è maximis Hiſpaniæ fluminibus iuxta Numantiam lapſus, dein Luſitanos à Gallœcis diſterminat. Per quod apertè monſtratur, quod cum quatuor Epiſcopatus prædicti ſint vltra Duriũ, non in Gallœcia, ſed in Luſitania ſunt prouincia conſtituti. Diuiſiones etiã multas produxiſti de locis (vt aſſeris) non ſuſpectis aſſumptas, & exhibitas ſub teſtimonijs, & ſigillis authenticis: quæ connumerant hos quatuor Epiſcopatus inter Emeritenſis Eccleſiæ ſuffrageneos, & eoſdem ipſi Metropoli euidenter aſſignant. Per teſtes etiam ab aduerſa parte productos oſtendere voluiſti, quod publica fama teſtatur hos Epiſcopatus ad Emeritã ſpectauiſſe. Felicis quoque memoriæ Cœleſtinus Papa prædeceſſor noſter, cum in minori ordine conſtitutus legationis officio in Hiſpania fungeretur, de hac cauſa cognoſcens, pro Cõpoſtellana Eccleſia contra Bracarenſem ſententiam promulgauit, ſicut per multos teſtes tu ipſe nixus es comprobare. Verũ ex aduerſo dictus Bracarenſis Archiepiſc. rationes huiuſmodi friuolas aſſeuerans, nixus eſt eas multipliciter infirmare; proponens, quod priuilegia donationis per ſuppreſſionẽ veritatis, & falſitatis expreſſionem, à Calixto Papa fuere ſurrepta. Suppreſſum eſt n. verum in illis de duob. prẽcedentib. priuile-

Calixtus ſecundus Burgund. electus, anno D. 1119.

Iſidorus in chronico Gothorũ.

Plinius.

Diuiſiones ſedium.

Fuit Cœleſtin. III. Rom. an. D. 1191.

priuilegijs, quæ felicis recordationis Paschalis Papa, super redintegratione ipsorum Episcopatuum concesserat in perpetuum Ecclesiæ Bracarensi. De possessione quoque, quam eo tempore in præfatis Episcopatibus Ecclesia Bracarensis habebat: quorum alterum per priuilegia, reliquum verò per testes & instrumenta sufficienter ostendere satagebat. Expressum autem erat in illis falsum, in eo, quod Conimbrienſis Episcopatus dicebatur ad Emeritam pertinere; cum idem Bracarēſis multis rationibus astruere niteretur, tam Conimbricam, quam tres alios Episcopatus ad Metropolim respicere Bracarensem. In tantū enim Paschali Papæ, qui priuilegia super redintegratione prædictorum Episcopatuum Ecclesiæ Bracarensi concessit, constitisse videtur, hos Episcopatus ad eandē Bracarensem Ecclesiam pertinere, quod ipse in literis, quas direxit Gunsaluo Conimbriēsi Episcopo, manifestè testatur, quòd constat Conimbriensem Ecclesiam in Bracarensis prouinciæ catalogo contineri. Vnde quia Toletan. Archiepiscopus ad mandatum ipsius, Conimbriensem Episcopum nō restituerat Ecclesiæ Bracarensi, priuauit ipsum legationis officio: vt Bracarensis Archiepiscopus liberius in prouincia sua iustitiam exerceret. Emeritense verò Concilium non esse authenticum multipliciter asserebat: tum quia non inuenitur in aliquo authentico libro, inter alia Concilia contineri: tū quia nec constructionem, nec sensum, nec latinitatem, in plerisq; locis continere probatur; tum etiam, quia contra Canonicas sanctiones, & Apostolicæ sedis primatum, aliquid videtur in eo esse statutum contra Episcopum, qui non venerit ad Concilium; vt videlicet à Metropolitano debeat in cella retrudi. Per vndecimum quoque Toletanum Concilium, quod constat authenticum, nitebatur illud Emeritense Concilium improbare ratione temporis, quod in vtroque reperitur expressum, cum simul vtrumque stare non possit: obijciens contra illud nonnullas alias rationes. Historias autem inductas sanè, ac veraciter intellectas nihil ad propositum valere dicebat: sicut & per quasdam alias historias ostendere nitebatur: cum & iudex Ecclesiasticus ad gentilium præsertim historias nō debeat se conuertere, quando per constitutiones Canonicas, vel scripta Romanorum Pontificum, aut sacras auctoritates doctorum Ecclesiasticum potest negocium terminare. Diuisiones etiā, quas pro se pars tua induxit, inualidas asserebat: tum quia longè plures, & euidentiores diuisiones pro sua sūt parte productæ: tum etiam quòd in eodem quaterno quem contra sæpe dictum Bracarensem Archiepiscopum produxisti, Lucense Concilium est inuentum: in quo Episcopatuum Gallœciæ fuit facta diuisio, per quam Episcopatus de quibus agitur, ad Gallœciam prouinciam pertinere monstrantur. Famā verò dicebat contra se nullatenus esse probatam: sed nec sententiam præfati legati alicuius fuisse momenti, cum in scriptis non inueniatur fuisse redacta, quamuis super tanto dicatur negocio fuisse prolata: vnde nec nomen habere meretur. Nec obstat si fortè dicatur, quòd fuerit amissa: quia qui casum allegat, debet casum probare. Testes autem, qui de ipsa loquuntur sententia, inter se omninò discordant, & in dicto, & in tēpore, & in loco. Præterea cum talis sententia non intelligatur super proprietate fuisse prolata: quia præsumi non debet, vt Apostolicæ sedis legatus tam arduum negocium, & difficile, velut indiscussum subitò definierit: cum etiam pars tua posteà literas Apostolicas impetrarit, quibus districtè præcipiebatur Archiepiscopo Bracarensi, vt hos Episcopatus Compostellano Archiepiscopo restitueret, & facta restitutione, si super hoc agere vellet, ordine posset iudicario experiri, patet quod illa sententia super possessione, duntaxat causa contumaciæ fuit lata, quod ipsi testes magis dicere comprobantur. Vnde cum Bracarensis Ecclesia se posteà iudicio præsentauerit, & causa postmodum fuerit ab Apostolica sede commissa, mora purgata, talis sententia expirauit. His alijsque rationib. intentionem tuæ partis multipliciter elidere nitebatur. Vnde licet auctore non probante, is qui conuenitur, etsi nihil præstiterit, absoluatur, ad ostendendā tamen euidentiùs suæ partis iustitiam, hos Episcopatus ad Bracarensem Metropolim pertinere satagebat ostendere, per priuilegia videlicet, & Cōcilia, confessiones, & diuisiones, præscriptiones, & instrumenta. Si. n. priuilegia priuilegijs cōferantur, sua dicebat priuilegia debere præferri, cū & plura sint nu. 10. videlicet Ro. Pont. inter quæ post tria priuilegia Paschalis secundi, est & priuilegiū Calixti Papæ, qui nominatim hos Episcopatus redintegrauit, & confirmauit Ecclesiæ Bracarensi. Quorum videlicet priuilegiorum septem sunt redintegrationes, & confirmationes, tria verò sequentia, videlicet Eugenij, Adriani, & Alexandri sunt etiam concessiones perpetuæ, per quas totū videtur negocium definiri. In secundo verò Bracar. Concilio, de quo non dubitatur, quin sit authenticum, continetur expressum, quòd Episcopi Galliæciæ cū suis Metropolitanis ad illud Cōcilium conuenerunt, & in eorum numeratione isti quatuor continentur, qui post statuta Concilij cum alijs Coepiscopis, tam ex nomine personarum, quàm ex nomine sedium expresè subscribunt. Vnde liquidò patere dicebat, quòd & Galliæciæ sunt prouinciæ, & ad Metropolim pertinent Bracarensē. Confessus es etiam tu ipse frequenter in iure, quod omnes Episcopi, qui 1. Bracar. Concilio adfuerunt, indubitanter pertinent ad Metropolim Bracar. sed per quoddam capitulum secundi Concilij Bracar. apertè probatur, quòd hi quatuor interfuerunt primo Concilio Bracarensi, cum ad 2. Concilium Bracarense conueniſſe dicantur Episcopi, tam ex Lucensi Synodo, quam etiam Bracarensi: & inter eos, qui ex Bracar. Synodo conueniſſe dicuntur, isti quatuor nominantur. Porrò 2. Bracar. Concilium non præcessit Bracarensis Synodus, nisi prima. Constat ergo, quòd isti quatuor fuerunt in prima Synodo Bracar. Vnde videtur colligi manifestè, quòd isti quatuor, iuxta præmissam confessionem tuam indubitanter pertinent ad Ecclesiā Bracar. Scriptura quoque Lucens. Concilij, quæ continetur in lib. à tua parte producto, indicat hos quatuor Episcopatus, secundum diuisionem quam facis, ad Bracar. Metropolim pertinere: quam etiam diuisionem tres Rom. Pontifices dicuntur in priuilegijs Bracar. Ecclesiæ confirmasse. Pluralitatis quoque ratio, secundum quam dicitur, quia præualet sententia plurimorum, diuisiones suas, quæ lōgè plures sunt numero, præfert diuisionibus partis tuæ. Sed & ratione temporum ei perpetuum silentium imponere nitebatur: cùm à 1. Bracar. Concilio vsque ad Emeriten. Concilium, per spatium. 107. ann. hos quatuor Episcopatus Bracar. Ecclesia deberet possedisse. A tempore quoque Paschalis secundi, qui hos Episcopatus redintegrauit Ecclesiæ Bracar. vsque ad tempora trium iudicum, quibus hæc causa fuit primo cōmissa, prescriptionis tempus constat fuisse completum, per quod Ecclesia Brac. hos episcopatus iuxta suam assertionem inconcusse possedit. Rescripta quoque Paschalis transmissa Tolet. Archiepisc. & Episc. Conimbriēsi, de quibus est superius prælibatum, idipsum (vt asserit) euidenter ostendunt. Porrò tu respondebas, quòd post latam pro te ab Apostolicæ sedis Legato sententiam, iam non tenebaris ad has, aut alias rationes, quæ contra rei iudicatæ auctoritatem inducebantur, aliquid respondere: nisi quòd sine præiudicio tuo, licet ex abundanti satisfacere sustinebas, asserens possessionem Bracar. Ecclesiæ per testes non esse probatam, cùm quidam testium ad probationem inueniantur inutiles: alij verò probentur mendaces. Literæ quoq; Paschalis, quibus eandem possessionem astruere satagebat, contrarium potius astruere videbantur. Sed & priuilegia Paschalis eiusdem, quæ suæ concessionis priuilegiū præcesserunt, in multis reprehensibilia denotabas: primò, secundum formam, & in bulla, & in scriptura: secundò, iuxta continentiam, & in enumeratione sedium, & in falsitate suggestionum. Persona quoq;, quæ illa priuilegia, videlicet secūdum, & tertiū impetrauit, merito suæ prauitatis reddidit illa suspecta. Mauricius scilicet, qui posteà fuit hæresiarcha in Ap. sedem intrusus, qui qualis extiterit, literæ Gelasij PP. missæ ad Viennensem Archiepiscopum apertè depingunt. Præterea contra rei iudicatæ auctoritatem impetrata sunt illa rescripta, sicut probatur per Emeriten. Cōcilium: in quo per decretum Synodicum, & iudicij formulam, secundum Canonicas regulas, illi Episcopi videntur fuisse reducti. Postremò dicti Legati sententia lata est contra ipsa: quibus, si tunc fuerunt exhibita, derogatum est per sententiam: si autem exhibita non fuerunt, occasione instrumentorum nouiter repertorum, auctoritas rei iudicatę non potest vlterius attentari. Tua verò priuilegia multipliciter asserebas omni suspicione carere: quorum veritas constat ex Apostolicæ sedis archiuijs: in cuius regestis fideliter continentur, quæ aduersæ partis priuilegiis comparata, certa debent ratione præferri: quia tua sunt priuilegia donationis certa & absoluta: sua verò sunt priuile-

Paschalis secundus, Tuscus, an. Dom. 1100. tenuit sedē.

Concilium Emeritense.

Canon. 7. Concilii.

Concilium Tolet. 11. coactum est Era. 713. vt ex M. S. cōcilio Emeritense Era. 704

Lucense Concilium: in eo facta est diuisio sedium Galliæciæ.

Eugenius Tertius, Pisanus anno Domini 1145. Adrianus. quartus, Anglus, an. D. 1154 Alexāder tertius Senensis, an. D. 1156 Concilium Brac. 2. habitum Era 610. an. 2. Mironis Regis Sueuorum. Cōc. Brac. 1. habitum Era 599.

Brac. 1. coactum est Era 599 Emeritense, Era 704 Vnde rectè connumerat, excludendo vltimos annos.

Mauricius Gallus Bracarensis episcopus.

gia confirmationis,seu redintegrationis conditionalia tantũ, & respectiua.Nec oportebat in tuis priuilegijs fieri mentionẽ suorum præcedentium:quibus nihil iuris acquirebatur, quod istis posset obsistere;cùm & alias nullius debeant reputari momenti. Nam inter scripturas, quæ parilitatis aliquid habere videntur;scilicet in literis commissorijs inuenitur hoc obseruari.Secundum verò Bracar. Concilium, quod in superficie tantum dicebas tibi posse aliquatenus obuiare,fideliter intellectum asserebas, tibi nequaquam obsistere:cum illa verba, quibus Episcopi Galliciæ dicebantur ad aliud Concilium conuenisse:notarij tantum,seu compilatores extiterint: quæ non habent auctoritatem Concilij;cùm in toto Concil. nihil inueniatur statutum, vel factum omninò, quod ad recognitionem pertineat,vt isti sint de Gallœcia, vel ad Metropolit. Gallœciæ quoquo modo pertineant.Respondebas etiam aliter,quòd quia Rex Gallœciæ, vt ex veteribus constare dicebas historijs,occupauerat de prouincia Lusitanię has quatuor ciuitates,ad eas sui regni nomen extenderat: vt per quandam æquiuocationem totum etiam regnum Gallœciæ diceretur: & ita non secundùm limitationem prouinciæ,sed secundùm occupationẽ regni,dicti sunt illi Episcopi de Gallœcia.Quod inde maximè comprobari dicebas:quia postquam illa regnorum scissura, quæ huic nominationi causam præstiterat, est sublata,reductæ sunt hæ ciuitates ad suæ nomen prouinciæ,vt iam non Gallœciæ,sed Lusitaniæ nominentur : sicut apertè probari dicebas ex sequenti postea Emeritensi Concil.in quo dicuntur ad prouinciæ suæ nomen reducti.Nec ex eo probãtur ad Bracarens.Metropolim pertinere, quia interfuerunt Concilio Bracar.vel etiam subscripserunt:cũ constet Narbonens.per multa tempora venisse ad Concil.Tolet.nec tamen Tolet.Metropolis aliquid iuris habuit in Ecclesia Narbonẽsi,sed mandato Regũ illa fiebant:quod magis violentũ,quam iustum præsumitur extitisse.Prædictam verò confessionem, qua recognouisti in iure omnes Episcopos, qui interfuerunt primo Cõcil.Bracar.indubitanter ad Bracaren.Metropolim pertinere,in nullo tibi posse præiudicare dicebas: quia siue Concilium intelligantur personæ,siue statuta,stare nõ potest quod ad secundum Bracarense Concilium, Episcopi tam de Lucensi,quàm de Bracarensi Concilio conuenissent: sed per illam enormitatem,quæ statuta fuit in suo Lucensi Concilio mandauerat Rex,propter dilationem prouinciæ,vt sex Episcopatuum sui regni Pontifices facerent Concilium apud Lucum,& sex alij apud Bracar.& ideo dicebantur sex ad vnum Concilium,& sex ad aliud pertinere;& de vtroque Concilio apud Bracarã,quasi de vtraque Concilij assignatione venisse. Cuiusmodi significationem nominis approbari dicebas,ex epistola,quam Martinus Bracar. Archiepisc. ex certa scientia dirigit ad Episcopos Lucensis Concilij; non quòd tunc celebraretur ibi id Concilium, cùm idem Martinus legatur illi Concilio adfuisse:sed ad Episcopos, qui tenebantur ex prædicto Regis mandato,temporibus suis illuc ad Conciliũ conuenire.Emeritense verò Concilium authenticum esse multis rationibus astruebas:tum quia cum alijs Concilijs cõtinetur in lib.qui corpus Canonum appellatur,quem Alexander PP. per interlocutionem authenticum approbauit:tum, quia de ipso Concilio sumptum est illud capitulum: Priscis quidem Canonibus,quod continetur in corpore Decretorum.Vnde respondens ad rationes præmissas, quæ contra hoc Conciliũ sunt obiectæ,omnes quasi friuolas ostendere nitebaris.Diuisiones aũt,quę pro Bracarensi Ecclesia sunt productæ,omnes de locis sibi subiectis,&ideo suspectis proponebas assumptas; in quorum armaria,propter hãc causam facilè potuerũt corruptæ submitti. Tuæ verò diuisiones omnes sunt secundùm statum antiquũ,vel de locis non tibi,sed sibi subiectis assumptæ.Vnde ampliùs illis contra se credi debet, vel de remotis prouincijs,apud quas nõ extitit causa corruptionis, vel suspicionis prædicta:quas etiam protulisti sub testimoniis,& sigillis authenticis, quibus & Canones, & veteres scripturas concordare dicebas.Præscriptiones autem,ex quibus etiã aduersus verum dominum competit actio;ne dum,quòd exceptio competat præsidentib.multis rationib.annullabas; asserens, quòd Bracarensis Ecclesia in prædictis Episcopatibus nullam possessionem obtinuit,& ideo nihil in eis omninò præscripsit.Deinde si possessionem aliquam habuisset, sententia quæ super his lata probatur, ex Emeritensi Concilio vim præcedentis præscriptionis penitus vacuasset.Sequentis verò præscriptionis effectum præfati Legati sententia penitus interrupit.Ipse verò Archiepiscopus Bracarensis contra reductionẽ Episcoporum,quæ dicitur in Emeriten.Concilio decreto Synodico,& iudicij formula facta fuisse, multipliciter allegabat.Primò,quia Synodus illa,cuius auctoritate dicitur facta fuisse reductio,nequaquam apparet,nec scitur à quib.vel vbi, vel quando,vel quare fuerit celebrata;vtrũ generalis,an prouincialis extiterit:& vtrum auctoritate Rom. Pont.an alicuius tantum Archiepiscopi fuerit ordinata. Deinde si mentio fiat in aliquo documento de alio,nihil ex secundo probabitur documento,nisi & primum,de quo mentio facta fuerat,proferatur.Præterea cùm secundum Concilium Bracarense præcesserit Emeritense Concilium,& celebrius habeatur ; vt de quo plura sunt assumpta capitula in corpore decretorũ,patet profectò,quòd illud debet isti præferri:nec illi per istud potest in aliquo derogari,sicut cautum habetur in Canone:quia quoties in gestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illud est præferendum,cuius antiquior, & potior extat auctoritas. Rursus non probantur vllatenus isti quatuor Episcopi fuisse reducti,sed de solo Selua Egitanensi Episcopo dicitur, quòd vnus fuerit de reductis : & ipse solus in subscriptione profitetur expressè, se ad Emeritensem Metropolim pertinere:quamuis & ipse Selua Egitanensis Episcopus non intelligatur vnus de reductis ad Emeritanam Metropolim,sed potiùs ad diœcesim propriam,sicut ex eodem capitulo Emeriten.Concil.comprobari dicebat;in quo de illo dicitur,quòd ad debitam diœcesim redijt. Cùm igitur Synodus illa minimè proferatur,cuius iudicio & decreto in Emeritensi Concilio dicuntur reducti,patet quòd illa reductio per Emeriten. Concilium non probatur.Ad hæc respondebas, quòd maior est auctoritas approbati Concilij , quàm vnius solummodo documenti:& ideo dubitari non debet, quin verum sit quod asseritur ab Episcopis in Concilio congregatis:à quibus asseritur illa reductio facta fuisse decreto Synodico, iudicij formula,secundum Canonicas regulas: sicut & dicitur in primo Concilio Bracar. quòd Theoribius Notarius à Papa Leone ad Synodum Galliciæ missus fuit . nec tamen illa Synodus inuenitur:Et in 1. Conc. Tolet. mentio fit de statutis Lusitanorum Episcoporum:& tamẽ non inuenitur Synodus,in qua illa fuerint constituta.Moyses quoque in libro Numeri mentionem facit de libro bellorum Domini,qui tamen nusquam apparet,& tamen creditur ita fuisse,sicut Moyses narrat in illo volumine contineri. Auctoritas autem alicuius Concilij non ex eo solo maior existit,quòd extat antiquior, sed quod potior. Alioquin Bracarense Concil.Lateranensi Concilio præferretur:sed illorum duorum Conciliorum par extat auctoritas:cum Prouinciale fuerit vtrunq;,& ambo dicãtur pariter ab Apostolica sede recepta.Cum autem inter Episcopos Emeritensis Concilij tantum hi quatuor inueniantur inter Episcopos Galliciæ nominati,sicut dicitur in 2.Concil.Bracarensi,patet quod de his quatuor debet intelligi,quòd ad nomen prouinciæ sunt reducti:quia non possunt intelligi fuisse reducti,nisi qui fuerunt abducti.Vnde facta reductione in 3. Concilio Bracaren.quod sequutum est Emeriten.Conciliu, nullum istorum quatuor legitur extitisse. Postquam igitur hæc,& alia fuerunt vtrinque prudenter,ac subtiliter allegata, quorum multa propter prolixitatem superfluam, in hac pagina prætermisimus annotare,partes ad amicabilem compositionem induximus diligenter : quæ tandem per Dei gratiã, nostra solicitudine mediãte,ad hanc compositionis formam libera voluntate venerunt : vt de quatuor prædictis Episcopatibus duo assignarẽtur Compostellanæ Metropoli,& duo relinquerentur Metropoli Bracarensi. Nos autem habito super hoc cum fratribus nostris diligenti tractatu,compositionem ipsam duximus approbandam, intelligentes eam æquitati Canonicæ concordare.Cùm enim Visensis Episcopus cũ Episcopis Galliciæ interfuerit secundo Concilio Bracarensi,& Emeriten.Concilio non adfuerit, in quo plenus suffraganeorum numerus Emeritensis Metropolis legitur affuisse: vnde nec potest vnus de reductis intelligi:cùm etiam inter alios suffraganeos Bracarẽsis Ecclesiæ in suis priuilegijs numeretur,in priuilegijs autem Compostellanæ Ecclesiæ Visensis Episcopus nullatenus habeatur,sæpe dictum Archiepiscopũ Bracarensem, nomine Bracarensis Ecclesiæ, ab impetitione

Narbonẽ. Ecclesiæ non subiectæ Tolet. Metropoli.

10. q. 3.

33.q.2.c. Hocipsũ, ex Isidoro ad Massonem Episcopum.

3. Concil. Bracarense, Era 713

tua no-

tua nomine Compostellanæ Ecclesiæ super eodem Episcopatu duximus absoluendũ; tibi super hoc perpetuum silentiũ imponentes. Lamecensis autem, & Egitanensis Episcopatus, quos ad Emeritensem pertinuisse Metropolim certis didicimus rationibus, & validis argumentis, de consilio fratrum, nostrorũ adiudicauimus Compostellanæ Metropoli; ipsum Bracarensem Archiepiscopum super illis nomine Bracarensis Ecclesiæ condemnantes: Episcopatum autem Conimbrien-sem licet eisdem rationibus cognouerimus ad Emeritẽsem spectauisse: quia tamen Irien-sis Episcopatus auctoritate sedis Apostolicæ subtractus est Ecclesiæ Bracarensi, & sede muta-ta, pro B. Iacobi reuerentia, totus concessus est Compostellæ, in recompensationem ipsi Archiepiscopo, & Ecclesiæ Bracaren-si concessimus perpetuò retinendum. In tantum autẽ illa forma compositionis tibi complacuit, quod pro bono pacis liti cessisti, & petitioni renunciauisti omninò, super duabus Ecclesijs, videlicet sancti Fructuosi, & sancti Victoris, & me-dietate Bracarę cum pertinentijs suis omnibus, de quibus cum alijs fuit facta commissio; refutans quicquid iuris in illis habuisti, vel potuisti habere: renuncians quoque sententiæ, quæ super eis, pro Compostellana Ecclesia contra Bracarensem fuerat promulgata: super qua coram nobis aliquandiu fuerat litigatum. Nulli ergo, &c. definitionis, absolutionis, & cõces-sionis, &c. Datum Lateran.

Cap 2. Tempus vespertini officij.

Vespertino tempore.] *De vespertinis officijs, & lucernario (hoc est enim lumen oblatum) vide notam à nobis positam Concil. To-let. 1. ca. 19. Offerebatur verò lumen his verbis, vt à Basilio traditur lib. de Spiritu sancto. ca. 29.* Laudemus Patrem, & filium, & san-ctum Spiritum. *De Sono & vespertino officio in Breuiario Isidoria-no Mixtarabum agitur. Fiebat vespertinum officium post lumen ob-latum, vt hic dicitur: vnde constat antiquitus vesperas post solis occa-sum ad finem diei decantari solitas. Id innuit Chrysost. hom. 19. ad po-pulum Antioch. & hom. 14. in 1. ad Tim.* Tertiam (inquit) Sextam, Nonam, & vespertinas orationes celebrant (*loquitur de Mona-chis*) & in quatuor partes diem dispartiti, dum singulæ partes implentur, & psalmodijs, & hymnis Deum venerantur. *Hæc Chrysostom. quibus verbis vespertina oratio vltimæ diei parti tribui-tur. Idem Augustinus in psal. 29. ad ea verba: Ad vesperum demora-bitur fletus: affertq; illud Marc. 1.* Vesperè autem facto, cum oc-cidisset sol afferebant ad eum oẽs malè habentes. *Idem Chryso-logus serm. 74. & 75.*

Cap. 2. Sonus quid.

Quàm Sonum.] *Isidorus in regula Monachorum, quam apud me habeo M. s. ca. 6. de officio sic habet:* In vespertinis officijs, pri-mo lucernarium, deinde psalmi duo, responsorius vnus, & laudes, hymnus, atque oratio dicenda est. Post vespertinũ au-tem, congregatis fratribus, oportet vel aliquid meditari, vel de aliquibus diuinæ lectionis quæstionibus disputare, confe-rendo piè & salubriter, tantumque meditando, disputandoq; immorari, quoadusque Completorij tempus possit occurre-re. *Illud quod ab Isidoro vocatur laudes, est Sonus. Id clarè constat ex Breuiario Isidoriano, quod Mozarabum dicitur: vbi in regula de vespertino officio sic dicitur:* Dies siue sit festiualis, siue priuata, semper horæ incipiunt à vespertinis ante diem: & principiũ sit per inuocationem Iesu Christi, oratione Dominica præ-cedente, submissa voce dicendo: Kyrie eleison, Christe elei-son, Kyrie eleison, Pater noster. Et alta voce: In nomine Do-mini nostri Iesu Christi, lumen cum pace, hoc est lumen ob-latum. Respondetur à circunstantibus: Deo gratias. Et Pres-byter dicit, Dominus sit semper vobiscum. Resp. Et cum spi-ritu tuo. Et ordo vesperorum siue sit festum, siue non, sequi-tur per hunc modum. Primò dicitur psalmus, siue vesperti-num, quòd idem est: quo finito, Presbyter dicit, Dominus sit semper vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Statim dicitur Sonus, si sit festum, eò quod dies ferialis caret Sono; nisi in tẽ-pore Resurrectionis, propter solennitatem dicitur. Hæc re-gula. Sonus est, venire exultemus Domino, iubilemus DEO salutari nostro Vers. Præoccupemus faciem Dei in confessio-ne, & in psalmis iubilemus Deo. *Fortè dictus, quia sonora voce decantabatur.*

Cap. 3. In Missa pro regib. est orandũ

Per bonam dispositionem.] *Sic statutum est Conc. Tolet. 16. c. 8. vt Missæ per totam Hispaniam, pro Rege, eiusq; filijs quotidie ce-lebrentur, nisi in die Paschatis Domini. Orare pro Regibus antiquissi-mum Ecclesiæ institutum est, ex illo Paul. 1. ad Tim. ca. 2.* Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, po-stulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. *Inde Ecclesiæ mos est, ab Apostolis acceptus, in sacrificio corporis, & san-guinis Christi pro Regibus indesinenter orare: Id tradit Clemens, lib. 8. constit. c. 12. Hunc morem probat Chrysost. in superiorem locũ Pau-li, & in Liturgia Basilij dicitur: Memento Domine pijssimi & fidelissi-mi Imperatoris. Idem Ambros. lib. 4. de Sacram. c. 4. & Arnobius, li. 4. aduersus gentes. Bonifacius PP. epist. ad Honorium: in Concilio Rhemensi, c. 4. idem.*

Placitum.] *De placito superiùs diximus Concilio Tolet. 11. cap. 10. vbi dicitur,* quod vnusquisque qui ad Ecclesiasticos ordines est accessurus, non ante honoris consecrationem accipiat, quã placiti sui innodatione promittat, se in fide Catholica sincera cordis deuotione custodienda, iustè semper & piè victurum, & in nullis operibus suis, Canonicis regulis contradicturum, debitumque per omnia honorem, atque obsequij reuerẽtiam præeminenti sibi impensurum. *Vide etiam Concil. Toletan. 4. c. 26. & Concil. Trident. sess. 24. c. 12. & sess. 25. c. 2.*

Cap. 4. Placitum quid.

Per Metropolitani voluntatem.] *Metropolitani munus est, ad Concilium Episcopos vocare, per epistolas: de quibus dicitur Cõcil. Tarraconen. c. 6. & 13.* Epistolæ tales per fratres à Metropolita-no sunt dirigendæ, vt non solùm à cathedralibus Ecclesiæ Presbyteris, verum etiam, de diœcesanis ad Concilium tra-hant, & aliquos de filijs Ecclesiæ secularibus secum adducere debeant. *Concil. Mileuit. c. 9. & infra c. 7. & in septima Synodo cap. quoniam. Habetur d. 18. & Concilio Agath. 2. c. 35. Si Episcopus Me-tropolitanus. & c. & in Martini Excerptis, ca. 18.*

Cap. 5. Metropolit. quod munus.

Teneri ab infirmitate.] *Infirmitas, aut regia iussio excusat Epi-scopum, vt Concilio prouinciali non adsit. Tridentina Synodus etiã eos excepit, quibus cum periculo imminenti transfretandum esset. Infirmitate Episcopus excusatur Concil. Laod. c. 40. & habetur dist. 18. c. Non oportet, & Concil. Chal. ca. 19. actionis decimæ quintæ. Con-cilio etiam Tarraconensi cap. 6. excusatur Episcopus graui necessitate implicatus. Propter ætatem etiam excusatur, ex Concil. Carthagi-nens. 5. cap. 10.* Placuit, vt quotiescumque congregandum est Concilium, Episcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, ne-que alia grauiori necessitate impediuntur, competenter oc-currant.

Cap 5. Episcopi infirmi nõ tenentur ad concilium ve-nire.

Diaconum ad suam personam dirigat.] *Eo quod Concilio Nicæno cap. 20. apud Rufinum lib. 10. hist. Eccles. c. 6. scriptum est:* Ne Diaconi Presbyteris præferantur, nec sedeant in confessu Presbyterorum, aut illis præsentibus Eucharistiam diuidant. *Apud Gratianum Can. Peruenit dist. 93. Concil. Arelat. 2. Can. 15.* In secretario Diaconos inter Presbyteros sedere non liceat, vel Corpo Christi, præsente Presbytero tradere nõ præsumãt. *De hac re Thom. 3. p. q. 82. art. 3. Vnde hic cauetur ne Vicarij Episcoporũ esse debeant: quia non possunt in Concilio inter Presbyteros à tergo Episcoporum sedere. In Concilijs tamen Toletanis Diaconi vicem Epi-scoporum gerentes, pro ijs subscribunt: vt quinto Petrus, agens vicẽ Episcopi sui Antonij: in sexto Vvamba Diaconus, & Seuerinus Diacо-nus: in septimo Clemens, Ambrosius, & Aquila Diaconi. Sicq; in alijs alij.*

cap 5. Diaconi non pos-sunt esse vicarij Epi-scoporũ

Pro diebus festis.] *Sic constitutum est Concil. Tolet. 13. c. 8. vt admonente Metropolitano, pro festiuitatib. summis, Paschæ scilicet, Pentecostes, & Natiuitate Domini celebrandis, siue pro causarum ne-gocijs, seu pro Pontificib. consecrandis, vel pro quibuslibet ordinatio-nibus Principis venire non contemnant: excepta ineuitabili necessita-te infirmitatis, quæ testibus possit comprobari.*

cap. 6.

Semel in anno fieri Concilium.] *Concil. Nicæn. cap. 5. ex hi-storia Rufini Presbyteri, vt per singulos annos in quibuscunq; prouin-cijs bis Concilia celebrentur: vnum ante Quadragesimam Paschæ: secundum circa tempus autumni. Postea idem Can. 38. Apostol. Semel quarta septimana Pentecostes: secundo verò 12. die mensis Hyper-beretæi, id est, iuxta Romanos, quarto Idus Octobris. Postea id tem-peratum est, vt semel in anno? demum, vt vnoquoque triennio Con-cilia prouincialia celebrentur, ex constitutione œcumenica Triden-tini Concilij.*

cap. 7. Quoties concilia in anno celebrari debeant.

Viro Orontio Episcopo.] *Orontius fuit Emeritensis Episco-pus: interfuit 6. 7. & 8. Concilijs Toletanis, ab Era. 676. vsque ad 8. Toletanum, actum sub Recesuintho, Era. 691. Ab Innocentio Papa, sanctæ memoriæ Orontius dicitur.*

cap. 8. Orontius quis.

Archipresbyterum.] *De horum officio agitur lib. 1. Decretal. Archipresbyter, & Primicerius Archidiacono subduntur, vt constat de officio Archid. c. 1 Vt Archipresbyteri. Et de offic. Primicerij, ca. 1. Vt Primicerius. Diximus de Archidiacono, & Primicerio suprà. Nã*

ca. 10. Archipres-byteri offi-cium.

licet Archipresbyter ordine sit maior, quàm Archidiaconus, quia tamen inferior est dignitate, Archidiaconus ei præfertur. Gloss. in cap. Deliberatione, de officio Leg. lib. 6. Dominicus, & Alexander in cap. fin. 17. dist.

Cap. 11. Presbyteri sæcularib. se immiscere non debent.

Seculares peragere causas.] *Ne Presbyteri causas seculares inter laicos peragant, cauetur toto titulo decretalium: Ne Clerici, vel Monachi secularibus negocijs se immisceant. Sic etiam in Canone Apostolorum 80.* Dicimus non oportere Episcopum, aut Presbyterum seipsum publicis administrationibus immittere; sed vacare & commodum se exhibere vsibus Ecclesiastic. Animum igitur induito hoc non facere, aut deponitor: nemo enim potest duobus dominis seruire, iuxta præceptum Domini. *Et c. 82. infra dicitur.* Qui retinere voluerit officium Romanum, & functionem Sacerdotalem, deponitor. *Idem decreto 22. Maguntiaci Concilij, sub Carolo Magno. vbi describitur qualis Clericorum vita, forma, actus, & studium esse debeat. Et Concil. Chalced. ca. 3. & 7. interdicitur Clericis suscipere causas secularium negociorum.*

Cap. 14. In Solennitatibus Martyrũ. & Missis defunctorum fiebãt oblationes & communiones.

Diebus festis.] *Solebant fideles in martyrum, vel defunctorũ Missis offerre & communicare. Concil. Bracar. 1. c. 9. & Tol. 4. c. 32. De diuisione autem bonorum Ecclesiasticorum, diximus fusè supra. Sed aduerte consuetudinem Offertorij antiquam, quæ etiam nunc durat in Ecclesia, & inde obtinuit vsus offerendi in Missis, post dictũ Offertorium, quod ante consecrationem fiebat. Conc. Bracar. 2. cap. 2. de oblationibus diuidendis. Archidiaconus collectam pecuniam de communione accipiebat, & Episcopo deferebat, & Clericis partes, proprias eisdem distribuebat. Isidorus epistola ad Leudefredum Episcopum Cordubensem. Et Canone Apost. 3. Fabianus PP. epistol. 3. ad Hilar. constituit, omnibus diebus Dominicis, ab omnibus viris, & mulieribus oblationem tam panis, quàm vini fieri. Idem in Concil. Matisc. Can. 4. Synod. Gangr. c. 7. & 8. Carpophoriam vocat oblationem Ecclesiasticam. Glossarium vocat* ἀναφορὰν *Meminit etiam oblationum Tertullianus in Apologet. c. 39.* Modicam *(inquit)* vnusquisq; stipem menstrua die, vel cum velit, etiam si modò velit, & si modò possit, apponit. *Ex quo loco constat, oblationem populi esse ex sua natura voluntariam, ex D. Thom. 2. 2. qu. 86. art. 1. Tempore Cypriani etiam oblatio erat in vsu, vt constat ex lib. de opere, & eleemosyna. Idem Hieronym. epist. ad Helio. & August. epistol. 187. apud Gratianum. dist. 90. cap. oblationes, & 10. q. 1. Can. Antiquos. In offerendo seruabatur ordo, vt primum mares, deinde fœminæ offerrent, vt constat ex ordine Romano de officio Missæ. Fiebat autem oblatio, post dictum, vel cantatum Offertorium; vnde Offerenda vocabatur.*

Ca. 16. Gratiani decretum emendatur.

Sufficere possunt.] *Gratianus. 10. q. 3. sufficere non possunt, legit: quam lectionem probaui ante excusum Decretum Gregorianũ, ductus testimonio Cõcil. Tol. 16. c. 5. & habetur. 10. q. 3.* Tertiæ quas antiqui Canones de parochijs suis habendas Episcopis censuerunt; si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis dirutæ Ecclesiæ reparentur: si verò eas maluerint cedere, ab earundem Ecclesiarum cultoribus, sub cura & solicitudine sui Pontificis, reparatio eisdem basilicis adhibenda est. Quòd si omnes Ecclesiæ, aut incolumes fuerint, aut quæ dirutæ erant, reparatæ extiterint, secundum antiquorum Canonum instituta, Tertias sibi debitas vnusquisque Episcopus assequi, si voluerit, facultas sibi omnimodò erit. *Et Concil. Bracar. 2. ca. 16.* Placuit vt de rebus Ecclesiasticis tres æquæ fiant portiones; id est, Episcopi vna, alia Clericorum, tertia in recuperatione vel luminarijs Ecclesiæ. *Et Concil. Tolet. 4. ca. 33. & 9. c. 6. Vnde tertia semper Ecclesiarum reparationi cessit: Episcopus vero, cui sua non sufficiebant, eam ad sui sustentationem, & honorem Episcopalis dignitatis exigebat.*

cap. 19. In missa fit commoratio viuorum & defunctorum.

Eorum nomina.] *Quod nomina viuorum & mortuorum citarentur in sacrificio corporis & sanguinis Christi, multis decretis patet. De quare diximus. Tolet. Concil. 11 c. 12. Id constat præsertim ex Innocent. 1. epist. 1. ad Decentium Episcopum & August. epist. 137. & Gelasio. PP. epist. ad Anastasium Augustum & Chrysost. hom. 6. in c. 2. epist. 1. ad Timotheum, & alijs. Fundatoribus Ecclesiarum multa conceduntur Concil. Tolet. 15. c. secundo.*

Libertos debeant facere.] *De libertorum seruitute, manumissione, & alijs, multa traduntur Concil. Toletan. 15. c. 11. & sequentibus, & Concil. Hispal. 2. ca. 8. de Elisæo ex familia Egabrensis Ecclesiæ, & Concil. Hispalens. 1. cap. 2.*

CONCILIVM ROMANVM IN CAVSA LAPPENSIS EPISCOPI ANNO CHRISTI 667. celebratum.

NOTAE.

Concilium.] *Ioannes Lappensis Episcopus in Creta, ab Archiepiscopo suo iniuriam passus, appellauit ad sedem Apostolicam, & ne interpositam appellationem ipse prosequi posset, inuitus detinebatur. Elapsus tandem venit Romam ad Vitalianum Papam, ipsumq; obnixè postulauit, atque coniurauit per terribilem aduentum magni Dei Saluatoris nostri Iesu Christi, vt secundum sacratissimos canones institutaq; Sanctorum Patrum causæ meritum inquireretur, & sententia promulgaretur. Non desperauit iustam petitionem appellantis Vitalianus; verum deferens ipsius appellationi hanc Synodum Episcoporum collegit, in qua eius causa cognosceretur. Post causæ diligentem inquisitionem & discussionem cognitum fuit, ipsum appellantẽ graui iniuria affectum fuisse; ideoque communi suffragio absolutionis sententiam Patres huius Concilij eidem communicarunt. Hæc ex epist. Vitaliani ad Paulum Cretensem supra extante.*

Causa & Acta Concilij describuntur.

ADEODATI PAP. VITA, ET EPISTOLAE.

ADeodatus, natione Romanus, ex monachis, de patre* Iobiniano sedit annos* quatuor, menses duos, dies quinque. Tantę magnitudinis fuit mitissimus, ac benignissimus, vt omnem hominem à maiori vsq; ad minimum libenter susciperet, peregrinis compassionem* exhibuit, vt etiam vnusquisque quod postulauit, sine dubio impetrauit. Sed & rogam omnibus ampliauit. Huius temporibus * Mezzetius qui erat in Sicilia cum exercitu orientali, *intartizauit, & arripuit Regnum. *Et perrexit exercitus Italiæ per partes Istriæ, alij per partes Campaniæ, nec non & alij per partes Sardiniæ, & Africæ. Pari modo venerunt* per Siciliam in ciuitatem Syracusanam, & Deo auxiliante interemptus est, nec dicendus Mezzetius. Et multi ex Iudicibus eius truncati, perducti sunt Constantinopolim, simul & caput eiusdem Intartæ. Postmodum venientes Saraceni in Siciliam, obtinuerunt prædictam ciuitatem, & multam occisionem fecerunt* in populo, qui in castra, seu montana confugerant. Similiter & prædam nimiam fecerunt, & æs quod ibidem à ciuitate Romana delatũ fuerat, secum tollentes, Alexandriam reuersi sunt. Hic Ecclesiam B. Petri, quæ est via Portuensi iuxta campum Meruli, vt decuit, restaurauit, atque dedicauit. Sed & in monasterio sancti Erasmi situm in Cælio monte, in quo* concreuisse visus est prædictus sanctissimus vir, multa noua ædificia augmentauit, sed & * casalia conquisiuit, & in vita sua Abbatem, vel congregationem ibidem instituit. Post cuius transitum tantæ pluuiæ, & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminit esse, vt etiam homines, & pecudes de fulgure interirent. Et nisi per letanias, quæ quotidiè fiebant Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere. In tantum enim creuêre hæc mala, vt ex ipsis pluuijs denuo legumina renascerentur, & ad maturitatem deuenirent, pro quo capti homines mirabantur. Fecit autẽ ordinationem vnã per mensem Decembris, presbyteros 14. diaconos duos, episcopos per diuersa loca* quadraginta sex. Qui etiã sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die 6. Kalendas Iulias, & cessauit episcopatus menses quatuor, dies* quindecim.

*B. Iouiniano.
*. B. 7. m. 2 d 17.
B. in tanta magnit.
*exhiberet.
*impetrare.
*B. Mezentius.
*B. tyrannizauit.
*Tunc.
*in populo vix paucis euadentibus, qui per munitissima castra confugerant, & iuga montium. Auferentes quoque prædam nimiam, & omnem illum ornatum aris, ac diuersarum specierũ, quem Cõstantinus à Romana urbe detulerat, secum asportantes.
*B. connexe.
* & multa ibi prædia conquisiuit.

NOTAE in vitam Adeodati.

Adeodatus.] *Anno 669. nona die mensis Aprilis, in locum S. Vitaliani surrogatus est Adeodatus natione Romanus, gratissimus omnibus. Huius temporibus Constantinopolis per biennium à Sarracenis obsessa, tandem per tutelam Dei genitricis obsidione liberata fuit. Theoph. in annalib.*

*B. 43.
*B. sex. Adeodatus quando Papa factus. Tempus sedis? Clades Siciliæ quando facta.

Sedit annos quatuor, &c.] *Alia eaq; verior lectio Anastasij, teste Baronio, habet annos septem, menses duos, dies decem & septẽ. Huic sententiæ subscribit Sigebertus in Chron. qui totidem annos Adeodato attribuit.*

Postmodum venientes Sarraceni in Siciliam.] *Si epistola quæ sub nomine Vitaliani Papæ ad monachos Siculos data extat, supra verè esset Vitaliani; dicendum foret contra Anastasium, hãc eladem Siciliæ insulæ factã esse potius sub Vitaliano, quã sub Adeodato.*

EPISTOLA ADEODATI AD VNIVERSOS Episcopos Galliæ, de priuilegio quod concessum est Abbati Monasterij Sancti Martini.

Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis in Galliæ partibus commorantibus Adeodatus.....

Aequitatis nos admonet norma, quam apprimè custodire præcipimus, vt canonica sanctorum Patrum consulta, præsertim à beatissimis Apostolicæ sedis Præsulibus, prædecessoribus scilicet nostris, qui auctoritatem successionis & vicé sacratissimi Apostolorum principis Petri per diligentem solertiam nacti sunt, quemadmodum statuta reperimus, intemerata atque illibata custodita cõseruemus. Sed vt sunt quæque à fratribus nostris Ecclesiarum Episcopis pedissequa dũtaxat imitatione consulta & salubriter fuerunt ordinata, vtpote functi Apostolorum principis licèt impares ministerio, conseruanda simili ratione decernimus.

Qua ex re dum Aegiricus religiosus presbyter & Abbas monasterij sancti Martini, in quo venerabile corpus eius est situm, visendas ex desiderio veniens Apostolicas Confessiones & atria, nostris se repræsentaret obtutibus, commendationemque fratris nostri Cutperti Turonicæ Ecclesiæ Præsulis obiuisset: supplici voce precatus est, vt priuilegium Apostolica auctoritate subnixum ob munitionem venerabilis monasterij, quod beatæ recordationis confessor Christi Martinus Turonensis Ecclesiæ Episcopus in Gallicanis partibus ad conuersorum salutem sui sacratissimi corporis consecratione decorauit, cui nunc præesse se perhibens, scriptis ostenderat, ei concedere deberemus.

Parumper aũt ambigimus, idcirco quòd mos atq; traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat, à regimine Episcopatus prouidentiæ religiosa loca secernere. Verũ vbi & prædicti fratris nostri Cutperti Turonen. Ecclesiæ Præsulis monasticam libertatem, hoc est, liberã dispensandi licentiã scripto concessam religiositatem eius exemplaris proferente cõperimus, in cuius volumine & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam constitutorum Antistitum ad id cõsensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus: nullatenus iam exortem rationis, ac canonicæ regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus. Propterea & nos erga quos ijdem fratres nostri reuerendiss. præsentes conferre prouiderũt, simili censura ex auctoritate profecto Apostolorum principis, cui claues ligandi atq; sõluendi Conditor atq; Redemptor omnibus tribuit, identidem confirmare concessimus: vt Apostolica fulti auctoritate per priuilegij seriem grauedines à quolibet Episcoporum sub prætextu discussionis religiosus Abbas vel monachi ibi degentes ne sustineant: neq; rursus sibi disputandi apud eos licentiã vendicantes, dispendia his atque insolentias angariarum imponant: neque per occasionem regularis disciplinæ rimandæ atque seruandæ quaslibet eis intentent iniurias, sed liberam licentiam habere statuimus, salua profectò monachicarum regularum custodia, religioso Abbate (quicumq; pro tempore præerit) præfato venerabili monasterio id procurante, vt erga quos pristinæ recordationis eius articulus continet, & ipse conseruare nitatur, & quicumque sub eius reguntur dispensatione, solerter custodire commoneat, districteq; cõpellat.

Reuerendiss. verò Episcopus, in cuius parœcia est memoratum venerabile monasterium, vel res ac possessiones constiterint, faciendæ tantùm ordinationis ac promotionis sacerdotum atq; leuitarũ, vel conficiendi chrismatis sit tantũ concessa licentia. Dispositionẽ aũt venerabilis loci gerere, & conuersationẽ monachicam exquirere, religioso Abbati, eiusq; Præposito, vel qui probatissimi fuerint in eodem monasterio (q̃ etiã p̃fati Præsules cõsona sententia definierũt) decernim⁹.

Quisquis igitur quolibet tempore (quod nullatenus credimus) huius decretũ priuilegij, quod auctoritate Apost. subnixi consentiendo firmauimus, in totum vel in partẽ temerare tentauerit, hancq; præsumptionis audaciã digna emẽdatione minus correxerit: in perpetuũ percellendũ vel anathematizãdum se nouerit, non solũ tantorum sententia sacerdotum, sed etiã æquissimo condẽnationis aculeo: quoniã violare pertinaciter visus est, quod salubriter seruare debebat. Et ita quoq; huius priuilegij sanctio firma & rata indiminutaque persistat atq; permaneat. Erga quod & præexcellentissimi totius Galliæ Reges (vt scripto comperimus) ad reprimendas laicorum infestationes, edicto præmunire idem venerabile monasteriũ regali pietate dignati sunt. Benè valete, dilectissimi fratres.

CONCILIVM ANGLICANVM ANNO Dom. 672. habitum. NOTAE.

Bedæ de Concilio Anglicano præfatio.

Concilium.] *De hoc Concilio in Anglia celebrato Beda l. 4. c. 5. hist. Eccles. Angl. hæc præfatur.* Eiusdem Regis Ecgfredi anno 3. Theodorus (*Dorouernensis Episcopus sedis Apostolicæ vicarius*) cogit Concilium Episcoporum vna cum eis, qui canonica Patrũ statuta deligerent, & nossent magistris Ecclesiæ plurib. Quibus pariter congregatis diligenter ea quæ vnitati pacis Ecclesiasticæ congruerent, eo quo Pontificem decebant animo cępit obseruanda docere.

CONCILIVM TOLETANVM VNDECIMVM, XIX. EPISCOPORVM, IN QVO SEDIVM EPISCOPALIVM DIVISIO

*Bamba. A. D. 675.

FACTA EST, ANNO QVARTO* VVAMBANI REGIS, VII. IDVS NOVEMB. Anno Redemptoris nostri 675. Tempore Adeodati Papæ. Est Prouinciale.

Innocentius Papa in epistola ad Petrum Compostel. vocat vndecimũ Tol. Cõc. authenticum.

Editio I. Vulgata.

TITVLI CAPITVLORVM EIVSDEM Concilij.

Ne tumultu Concilium agitetur. 1
Nõ debere metropolitanum à confinitimorum institutione cessare. 2
Vt in vna prouincia diuersitas officiorum non teneatur. 3
De discordia sacerdotum. 4
De compescendis excessibus sacerdotum. 5
Non debere sacerdotes, quaslibet in Ecclesiæ familijs truncationes membrorum facere, nec aliquid, quod morte plectendum est, iudicare. 6
Quæ debeat discretio Ecclesiarum esse rectoribus, ne per inconditam disciplinam subeant homicidij notam. 7
Ne quicquam præmij pro diuinis sacramentis accipiatur. 8
Quid custodiri debeat, si per præmium quis episcopus fiat: vel qua sententia feriatur, qui post honorem acceptum, per pecuniam ordinatus fuisse detegitur. 9
Vt omnes Pontifices, rectoresq; ecclesiarum, tempore quo ordinandi sunt, sub cautione promittant, quòd iustissimè viuere debeãt. 10
De elucidatione antiqui canonis, quo præcipitur, vt si quis acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur. 11
Ne in confinio mortis, pœnitens à reconciliatione diutinè suspendatur, & vt oblatio eius, qui pœnitens, nec tamen reconciliatus de hac vita exierit, ab ecclesia receptetur. 12

Editio II. Garsiæ.

INCIPIVNT CAPITVLA CONCILII Toletani Vndecimi.

Ne tumultu Concilium agitetur. 1
Non debere Metropolitanum à cõsinitimorum institutione cessare. 2
Vt in vna prouincia diuersitas officiorum non teneatur. 3
De discordia Sacerdotum. 4
De compescendis excessibus Sacerdotum. 5
Non debere Sacerdotes quaslibet in Ecclesiæ familijs truncationes membrorum facere, nec aliquid quod morte plectendum est, iudicare. 6
Quæ debeat discretio Ecclesiarum Rectoribus esse; ne per inconditam disciplinam subeant homicidij notam. 7
Ne quidquam præmij pro diuinis sacramentis accipiatur. 8
Quid custodiri debeat, ne per præmium Episcopus fiat: vel qua sententia feriatur is, qui post honorem acceptum, per præmium ordinatus fuisse detegitur. 9
Vt omnes Pontifices, rectoresq; Ecclesiarum, tempore, quo ordinandi sunt, sub cautione promittãt, quàm iustissimè viuere debeant. 10
De elucidatione antiqui Canonis, quo præcipitur: Vt si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur. 11
Ne in confinio mortis pœnitens à recõciliatione diutinè suspendatur: & vt oblatio eius, qui pœnitens, nec tamen reconciliatus de hac vita exierit, ab Ecclesia receptetur. 12

De sacerdotibus, qui vexati, cadere videntur. 13
Vt hi, qui Domino canunt atque sacrificant, post se semper habeant adiutoria constituta. 14
De institutione certi temporis, quo Concilium agatur. 15
De relatione gratiarum pro consummatione Concilij. 16

IN nomine S. Trinitatis collectis in vnum Carthaginé. prouinciæ sacerdotibus in Tolet. vrbe, in B. matris Dñi Marię Virginis sede, anno 4. excellentiss. ac religiosi Vuãbani principis, sub die 7. Idus Nouem. res votiua gaudij, & dies nimium optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datum est cõspicere pariter & deflere, quid lachrymarum de præteritis Dño deberemus. Eramus enim hucusq; pro labentis seculi colluuione instabiles: quia annosa series temporum, subtracta luce Conciliorum, nõ tam vitia auxerat, quàm matrem omnium
Hier. 1. errorum ignorantiam ociosis mentib. ingerebat. Cernimus enim, quomodo Babyl. confusionis olla succensa nunc tẽpora auerteret Conciliorum, nunc sacerdotes Dñi de resolutis moribus irretiret: purpuratæ enim meretricis sequebatur incitamenta, quia ecclesiast. conuentus non aderat disciplina, nec erat qui errantium corrigeret partes, cũ sermo diuinus haberetur exosus. *Et quia non erat adunandorum pontificum vlla
Apoc. 17. *extorris. præceptio, crescebat in maius vita deterior. Cum tãdem diuina nos clemẽtia ex alto respiciens, & tempori ætatis nostræ se occursuram præbuit, & saluti, præparans nostris seculis religiosi principis mentem deuotam pariter & instructam. Cuius prouidæ solicitudinis voto & dux Conciliorum renouata resplenduit, & alterna charitas se mutuò in corrigendis, vel instruendis morib. excitauit, dum & aggregandi nobis hortatu principis glorioſi facultas data est, & opportuna corrigẽdis præparata est disciplina, vt qui, decursis longè ante tẽporibus, post decem & octo, scilicet labentium annorum excursum, in vnum meruimus aggregari conuentum, *mereri possimus spiritali gratia *sanitatem. Nec enim numerus iste alienus est à salute. Sic quippe mulier illa in Euangelio, ter senis
*mederi *sanitatũ. annorum excursibus curua, quę figuram, totius humani generis gestabat sub sacramento huius numeri, saluti pristinæ sana redonatur. Nos ergo per tot annos curuo nostri ordinis per-
Luc. 13. sistente statu, in eo, quod nulla nos Conciliorũ definitio iungeret, nullus etiam conuentus eccles. ordinis adun aret, tandẽ diuinæ voluntatis imperio, & religiosi principis iussu, euocati in Tolet. vrbem conuenimus. Qui cum in ecclesia B. Marię Virginis debitis in sedibus locaremur, inter cætera, quæ *sub-
*subter teriùs discreto cap. ordine sunt digesta, non aliundè primum cœpimus habere sermonem, nisi de sanctæ fidei puritate: vt quia initiandis ad B. vitã hominib. hæc prima semper est via salutis, præuia quoq; nostris fieret præceptis. Vnde sacræ instructionis arcana sanctorũ, Nicæni s. Constantinop. Ephesini atq; Chalcedonen. Conciliorum monita amplectentes, per quæ & radicitus hæreticorum falsa conciliabula destruũtur, & fidei catholicæ norma declaratur, hoc cõmuni alternoque animorum iudicio definimus, vt hanc ipsam fidei nostræ regulam verbis simplicib. niteremur alternatim nobis singulariterq; referre, ita vt quicquid per triduũ de huiusmodi quæstionib. vnicuiq; nostrum lectionis memoria ministraret, & prout animis vel memoriæ occurreret, omni sobrietatis cõpendio, simplici notaretur stylo: relatio tamen ipsius sacramenti, pura & euidens, à capit. primum inciperet, & sic ad membra reliqua perueniret; nullas obscuritatis in se lineas habens, nullas etiam inusitatæ loquutionis regulas continens: sed puritas sola esset clara sermonum, quæ posset euidentiam exprimere suã, quo exercitatiores nos ad intelligendum redderet verborum simplex collatio, quã relata condensę lectionis instructio. Quia & reuera tantæ rei mysterium ita sacerdotes Dei cõueniſſet nosse, vt non superficie verborũ efferantur incogniti, sed sensib. sanæ intelligentiæ reperiantur instructi, vt in differẽdo præcipuè huius S. Trinitatis arcano, plus euidentia quam eloquentia eos, efficiat saporatos. Sic enim ex diuini muneris dono est actum, vt iuxta votum definitionis alternę, promissio mõstraretur in opere. Vnde quod primo die præsidentis metropolitani lingua profudit, die tertia omnium nostrum vox sigillatim collatiuè repetijt. Iste est ergò tenor fidei nostræ, qui & à capite copiosè profluxit, & à membris probatus gloriosè emicuit.

Professio fidei. COnfitemur & credimus, sanctam atque ineffabilẽ Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum S. vnum Deũ natu-

turali-

De Sacerdotibus, qui vexati cadere videntur. 13
Vt hi, qui Domino canunt, atque sacrificant, post se semper habeant adiutoria constituta. 14
De institutione certi temporis, quo Concilium agitetur. 15
De relatione gratiarum pro consummatione Concilij. 16

IN nomine S. Trinitatis. Collectis in vnũ Carthaginis prouinciæ Sacerdotibus in Tolet. vrbe, in B. matris Domini Mariæ Virginis sede, anno 4. excellentiss. & religiosi Vvambani Principis, sub die 7. Idus Nouembr. res votiua gaudij, & dies nimium optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datũ est conspicere pariter, & deflere, quid lacrymarum de præteritis Dño deberemus. Eramus enim hucusq; prolabentis seculi colluuione instabiles, quia annosa series temporum, subtracta luce Conciliorũ, non tam vitia auxerat, quam matrem omnium errorũ ignorantiã ociosis mentibus ingerebat. Cernebamus enim, quomodo Babyl. confusionis olla subcensa, nunc tempora Conciliorũ auerteret, nunc Sacerdotes Dñi de resolutis morib. irretiret. Purpuratæ enim meretricis sequebantur inuitamenta, quia Ecclesiast. conuentus non aderat disciplina; nec erat, qui errantium corrigeret partes, cum sermo diuinus haberetur extorris. Et quia non erat adunandorum Pontificum vlla præceptio, crescebat in maius vita deterior. Quũ tandem diuina nos clementia ex alto respiciens, & tẽpori ætatis nostræ se occursurã præbuit, & saluti, præparans nostris seculis religiosi Principis mentẽ, deuotam pariter, & instructam: cuius feruidæ solicitudinis voto, & lux Conciliorũ reuocata resplenduit, & alterna charitas se mutuò in corrigẽdis, vel instruendis morib. excitauit; dũ & aggregandi nobis, hortatu Principis religiosi facultas est data, & opportuna corrigendis præparata est disciplina: vt qui decursis longè ante temporib. post decem & octo scilicet labentiũ annorum excursum, in vnũ meruimus aggregari conuentũ, mederi possemus spirituali gratia sanitatũ. Nec enim numerus iste alienus est à salute: sic quippè mulier illa in Euangelio ter senis annorũ excursibus curua, quæ figurã totius generis humani gestabat, sub sacramento huius numeri saluti pristinæ à Saluatore donatur. Nos igitur per tot annos curui nostri ordinis persistente statu, in eo ꝙ nulla nos Conciliorũ definitio iungeret, nullus etiam cõuentus Eccles. ordinis adunaret, tandẽ diuinæ voluntatis imperio, & religiosi Principis iussu euocati, in Tolet. vrbẽ cõuenimus. Qui cũ in Ecclesia B. Virginis Mariæ debitis in sedib. locaremur, inter cætera, quæ subterius discreto capitulorũ ordine sunt digesta, non aliunde primũ cœpimus habere sermonẽ, quam de sancta fidei puritate: vt quia initiãdis ad beatam vitam hominib. hæc prima est via salutis, præuia quoq; nostris fieret & institutis pariter, & præceptis. Vnde sacro huius instructionis arcano sanctorũ Patrum, Nicæni scilicet, Constantinop. Ephesini, atq; Chalcedonen. Cõciliorum monita amplectentes, per quæ & radicitus hæreticorũ falsa concinnabula destruũtur, & fidei Catholicæ limpor euidens declaratur, hoc communi, alternoq; animorum iudicio definimus, vt hanc ipsam nostræ fidei regulã verbis simplicibus niteremur alternatim nobis singulariterq; referre: ita vt quidquid per triduũ de huiusmodi quæstionib. vnicuiq; nostrorũ lectionis memoria ministrasset: prout animis, vel memoriæ occurrisset, omnis sub breuitatis compendio simplici notaretur stylo: relatio tamen ipsius sacramenti pura, & euidens à cap. primum inciperet, & sic ad mẽbra reliqua perueniret; nullas obscuritatis lineas in se habẽs, nullas etiã inusitatæ loquutionis regulas continens; sed puritas sola esset clara sermonum, quæ posset euidentẽ exprimere sensum: quo exercitatiores nos ad intelligendũ redderet verborũ simplex collatio, quã relata condensæ lectionis instructio. Quia & reuera tantæ fidei mysteriũ ita Sacerdotes Dei conuenit nosse, vt nõ superficie verborum efferantur incogniti, sed sensibus sanæ intelligentię reperiantur instructi: vt in differendo præcipuæ huius S. Trinitatis arcano plus euidentia, quàm eloquentia eos efficiat saporatos: sic enim & diuini muneris dono est actum, vt iuxta votũ definitionis alternę, promissio mõstraretur in opere. Vnde quod primo die præsidentis Metropolitani lingua profudit, die tertia omniũ nostrorum vox singulatim collatiuè repetijt. Iste ergo est tenor fidei nostræ, qui & à cap. copiosè profluxit, & à mẽbris prolatus gloriosè emicuit.

Confitemur, & credimus sanctam ineffabilem Trinitatẽ, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum natura liter

Era DCC XVII. habet chronicon generale. Vasæus, & Morales. anno D. 675.

Hierem. 1. Apoc. 17.

Vide not.

vndecimũ Tolet. coactum est Era 694. cui summæ adde 18 efficies 712. & vnũ annum vltra (nam iunquit post decẽ & octo) efficies 713. Luc. 13.

turaliter esse, vnius substantiæ, vnius naturæ, vnius quoque maiestatis atque virtutis. Et patrem quidem non genitũ, nõ creatũ, sed ingenitum profitemur. Ipse enim à nullo originem ducit, ex quo & filius natiuitatem, & Spiritus sanctus ꝓcessionem accepit. Fons ergo ipse est & origo totius diuinitatis. Ipse quoque pater essentia quidem ineffabilis, substantiæ suæ filium ineffabiliter genuit: nec tamen aliud, quam quod ipse est, genuit, Deus Deum, lux lucem. Ab ipso ergò est omnis paternitas in cœlo & in terra, Filium quoque de substantia Patris sine initio ante secula natum, nec tamen factum esse fatemur: quia nec Pater sine filio, nec filius sine patre aliquandò extitit. Et tamen non vt filius de patre, ita pater de filio: quia non pater à filio, sed filius à patre generationem accepit. Filius ergo DEVS de patre, pater autem DEVS, sed non de filio. Ille autem filius patris, & Deus, de patre: æqualis DEVS per omnia DEO patri, quia nec nasci cœpit aliquando, nec desijt. Hic etiam vnius cum patre substantiæ creditur, propter quod & homousios patri dicitur, hoc est eiusdem cum patre substantiæ. ὁμὸς enim Græcè vnũ, οὐσία verò substantia dicitur: quod vtrumque coniunctum, sonat, vna substantia. Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua substantia sed de patris vtero, id est, de substantia eius, idem filius genitus vel natus esse credendus est. Sempiternus quoq; est & filius, quoniam si pater semper fuit, semper habuit filiũ, cuius pater esset, & ob hoc, filium de patre natum sine initio confitemur. Nec enim eundem filium Dei, pro eo quod de patre sit genitus, defectæ naturæ portiunculam nominamus: sed perfectum patrem, perfectum filium, sinè imminutione, sine defectione genuisse asserimus: quia solius diuinitatis est, inæqualem filium non habere. Hinc etiam filius Dei, natura est filius, non adoptione, quem Deus pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est: quia nec vlla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam præuenit. Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, vnum atque æqualem cum Deo patre & filio credimus esse Deum, vnius substantiæ, vnius quoque esse naturæ; non tamen genitum vel creatum, sed ab vtrisque procedentem, amborum esse spiritũ. Hic etiam Spiritus sanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut, si ingenitum dixerimus, duos patres dicamus: aut si genitum duos filios prædicare monstremur: qui tamen nec patris tantum, nec filij tantum, sed simul patris & filij Spiritus dicitur. Nec enim de patre procedit in filium, nec de filio procedit ad sanctificandam creaturam: sed simul ab vtrisque processisse monstratur, quia charitas siue sanctitas amborum esse agnoscitur. Hic ergo Spiritus sanctus missus ab vtrisque creditur, sed minor patre & filio non habetur, sicut filius propter assumptam carnem, minorem se patre & Spiritu sancto esse testatur. Hæc est sanctæ Trinitas relata narratio, quæ non triplex, sed *Trinitas & dici & credi debet. Nec rectè dici potest, vt in vno DEO sit Trinitas, sed vnus DEVS Trinitas. In relatiuis verò personarum nominibus pater ad filium, filius ad patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur, quæ cum relatiue tres personæ dicantur, vna tamen natura vel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus: sed vnam substantiam, tres autem personas. Quod enim pater est, non ad se, sed ad filium est: & quod filius est, non ad se, sed ad patrem est. Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad patrem & filium relatiuè refertur, in eo quod Spiritus patris & filij prædicatur. Item cum dicimus, DEVS, non ad aliquid dicitur, sicut pater ad filium, vel filius ad patrem, vel Spiritus sanctus ad patrem & filium: sed ad se specialiter DEVS dicitur. Nam si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur. Deus ergo pater, DEVS Filius, DEVS Spiritus sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres dij, sed vnus est DEVS. Item & pater omnipotens, & filius omnipotens, & Spiritus sanctus omnipotens singulariter dicitur: nec tamen tres omnipotentes, sed vnus omnipotens: sicut & vnum lumen, vnumque principium prædicatur. Singulariter ergo vnaquæque persona vnus DEVS confitetur, & creditur vna illis & indiuisa atque æqualis DEitas, maiestas siue potestas. Nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum vnaquæque persona DEVS singulariter dicitur: nec amplius, cum totæ tres personæ vnus DEVS enunciantur. Hæc

Ephes. 3.

Ioan. 14.

raliter esse vnius substantiæ, vnius naturæ, vnius quoque maiestatis, atq; virtutis. Et Patrẽ quidem, non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur: ipse enim à nullo originem ducit, ex quo & Filius natiuitatem, & Spiritus sanctus processionẽ accepit: fons ergo ipse, & origo est totius diuinitatis. Ipse quoq; pater est essentiæ suę, qui de ineffabili substantia filiũ ineffabiliter genuit; Deus Deũ, lux lucem: ab ipso est ergo omnis paternitas in cœlo, & in terra. Filiũ quoq; de substantia Patris sine initio ante secula natum, nec tamen factũ esse fatemur: quia nec Pater sine filio, nec filius aliquando extitit sine Patre: & tamen nõ sicut Filius de Patre, ita Pater de filio; quia non Pater à filio, sed Filius à Patre generationem accepit: Filius ergo Deus de patre, Pater aũt Deus, sed non de filio: Pater quidẽ Filij, non Deus de filio: ille aũt filius patris, & Deus de patre; æqualis tamen per omnia filius Deo patri: quia nec nasci cœpit aliquando, nec desijt. Hic etiam vnius cũ patre substantiæ creditũ; propter quod & homousion patri dicitur, hoc est, eiusdem cũ patre substantiæ creditũ: ὁμὸς enim Græcè vnũ, οὐσία verò substantia dicitur, quod vtrumque coniunctum sonat, vna substantia. Nec enim de nihilo, neq; de aliqua alia substãtia, sed de patris vtero, id est, de substantia eius, idem filius genitus, vel natus esse credendus est. Sempiternus ergo pater, sempiternus & Filius. Quod si semper pater fuit, semper habuit filium, cui pater esset: & ob hoc filium de patre natum sine initio confitemur. Nec enim eundem filium Dei, pro eo quod de patre sit genitus, defectæ naturæ portiunculam nominamus; sed perfectum patrem, perfectum filium, sine diminutione, sine defectione genuisse asserimus: quia solius diuinitatis est inæqualem filium non habere. Hic etiam filius Dei natura est filius non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate, nec necessitate genuisse credendus est: quia nec vlla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam præuenit. Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in Trinitate ꝑsona, vnum, atque æqualem cum Deo patre, & filio credimus esse Deum, vnius substantiæ, vnius quoque esse naturæ: non tamen genitum vel creatum, sed ab vtrisque procedentẽ, amborum esse spiritum. Hic etiam Spiritus sanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur; ne aut si ingenitum dixerimus, duos patres dicamus; aut si genitum, duos filios prædicare monstremur: qui tamen nec patris tantum, nec filij tantum, sed simul patris, & filij Spiritus dicitur. Nec enim de patre procedit in filium, vel de filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab vtrisque processisse monstratur: quia charitas, siue sanctitas amborum agnoscitur. Hic igitur Spiritus sanctus missus ab vtrisque creditur; sed minor à Patre, & filio non habetur: sicut filius propter assumptam carnem minorem se patre, & Spiritu sanctò esse testatur. Hæc est sanctæ Trinitatis relata narratio: quæ non triplex, sed Trinitas, & dici, & credi debet. Nec rectè dici potest, vt in vno Deo sit Trinitas, sed vnus Deus Trinitas. In relatiuis verò personarum nominibus pater ad filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad vtrosque refertur: quæ cum relatiuè tres personæ dicantur, vna tamen natura per substantiam creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædicamus, sed vnam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est: & quod Filius est, non ad se, sed ad patrem est: similiter & Spiritus sanctus, non ad se, sed ad Patrem, & Filium relatiuè refertur; in eo quod Spiritus Patris & filij prædicatur. Item cum dicimus Deus, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad filium, vel filius ad patrem, vel Spiritus sanctus ad patrem, & filium, sed ad se specialiter, dicitur DEVS. Nam & si de singulis personis interrogemur, DEVM necesse est fateamur. DEVS ergo pater, Deus filius, Deus Spiritus sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres dij, sed vnus est Deus. Item & Pater omnipotens, & Filius omnipotens, & Spiritus sanctus omnipotens singulariter dicitur; nec tamen tres omnipotentes, sed vnus omnipotens; sicut & vnum lumen, vnumque principium prædicatur. Singulariter ergo, vt vnaquæque persona plenus Deus & totæ tres personæ, vnus Deus confitetur, & creditur: vna illis, vel indiuisa, atq; æqualis Deitas, maiestas, siue potestas nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus: quia nec minus aliquid habet, cum vnaquæque persona DEVS singulariter dicitur, nec amplius, cum totæ tres personæ vnus Deus enunciatur. Hæc ergo sancta Trinitas, quæ vnus, & verus est Deus, nec recedit

Quod definitum est aduersus Elipandũ in Concil. Francofordiense.

Locus videtur ex Aug. sup. psal. 68. term. 2.

ergo ſancta Trinitas, quæ vnus & verus eſt Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero. In relatione enim perſonarũ numerus cernitur; in diuinitatis verò ſubſtantia, quid numeratum ſit, non comprehenditur. Ergo hoc ſolum numerum inſinuant, quod ad inuicem ſunt; & in hoc numero carent, quod ad ſe ſunt. Nam ita huic ſanctæ Trinitati vnum naturale conuenit nomen, vt in tribus perſonis non poſſit eſſe plurale. Ob hoc ergò credimus illud in ſacris literis dictum: Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Nec quia tres has perſonas eſſe diximus vnũ Deum eundem eſſe Patrem, quem Filium; vel eum eſſe Filium, qui eſt Pater; aut eum, qui Spiritus ſanctus eſt, vel Patrem, vel Filium dicere poterimus. Non enim ipſe eſt Pater, qui Filius; nec ipſe Filius, qui Pater; nec Spiritus ſanctus ipſe, qui eſt vel Pater, vel Filius: cum tamen ipſum ſit Pater, quod Filius; ipſum Filius, quod Pater; ipſum Pater, & Filius, quod Spiritus ſanctus: id eſt, natura vnus Deus. Cum enim dicimus non ipſum eſſe Patrem, quod Filium: ipſum Filium, quod Patrem; ipſum Spiritum ſanctum, quod Patrem & filium ad naturam, qua Deus eſt, vel ſubſtantiam pertinere monſtratur; quia ſubſtantia vnum ſunt: perſonas enim diſtinguimus, non Deitatem ſeparamus. Trinitatem igitur in perſonarum diſtinctione agnoſcimus; vnitatem propter naturam, vel ſubſtantiam profitemur. Tria ergo iſta vnum ſunt; natura ſcilicet, non perſona: nec tamen tres iſtæ perſonæ ſeparabiles æſtimandæ ſunt; cum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia, vel extitiſſe, vel quippiam operaſſe aliquando credatur: inſeparabiles enim inueniuntur, & in eo quod ſunt, & in eo quod faciunt: quia inter generantem Patrem, & generatum Filium, vel procedentem Spiritum ſanctum, nullum fuiſſe credimus temporis interuallum, quo aut genitor genitum aliquando præcederet, aut genitus genitori deeſſet, aut procedens Spiritus Patre, vel Filio poſterior appareret. Ob hoc ergo inſeparabilis, & inconfuſa hæc Trinitas à nobis & prædicatur, & creditur. Tres igitur perſonæ iſtæ dicuntur, iuxta quod maiores definierunt, vt agnoſcantur non vt ſeparentur. Nam ſi attendamus illud, quod ſcriptura ſancta dicit: De ſapientia ſplendor eſt lucis æternæ: ſicut ſplendorem luci videmus inſeparabiliter inhærere, ſic confitemur Filium à Patre ſeparari non poſſe. Tres ergo illas vnius, ac inſeparabilis naturæ perſonas ſicut non confundimus, ita ſeparabiles nullatenus prædicamus. Ita nobis hoc dignata eſt ipſa Trinitas euidenter oſtendere, vt etiam in his nominibus quibus voluit ſigillatim perſonas agnoſci, vnam ſine altera non permittat intelligi: nec enim Pater abſque filio cognoſcitur, nec ſine Patre Filius inuenitur. Relatio quippe ipſa vocabuli perſonalis, perſonas ſeparari vetat: quas etiam dum non ſimul nominat, ſimul inſinuat. Nemo autem audire poteſt vnum quodq; iſtorum nominum, in quo non intelligere cogatur & alterũ. Cum igitur hæc tria ſint vnum, & vnum tria, eſt tamẽ vnicuique perſonæ manens ſua proprietas. Pater enim æternitatem habet ſine natiuitate, Filius æternitatem cum natiuitate, Spiritus verò ſanctus proceſſionem ſine natiuitate. De his tribus perſonis ſolam Filij perſonam, pro liberatione humani generis hominem verum ſine peccato de ſancta, & immaculata Maria Virgine credimus aſſumpſiſſe: de qua nouo ordine, nouaque natiuitate eſt genitus: nouo ordine, quia inuiſibilis diuinitate, viſibilis monſtratur in carne: noua autem natiuitate eſt genitus, quia intacta virginitas & virilem coitum neſciuit, & fœcundata per Spiritum ſanctum carnis materiam miniſtrauit. Qui partus Virginis, nec ratione colligitur, nec exemplo monſtratur: quod ſi ratione colligitur, non poteſt eſſe mirabile; ſi exemplo, non erit ſingulare. Nec tamen Spiritus ſanctus pater eſſe credendus eſt filij; pro eo quod Maria eodem ſancto Spiritu obumbrante concepit: ne duos patres filij videamur aſſerere, quod vtique nefas eſt dici. In quo mirabili conceptu, ædificante ſibi ſapientia domum, Verbũ caro factum eſt, & habitauit in nobis. Nec tamẽ Verbum ipſum ita in carne conuerſum, atque mutatum eſt, vt deſiſteret Deus eſſe, qui homo eſſe voluiſſet; ſed ita Verbum caro factum eſt, vt non tantum ibi ſit Verbum Dei, & hominis caro, ſed etiam rationalis hominis anima; atque hoc totum, & Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. In quo Dei Filio duas credimus eſſe naturas, vnam diuinitatis, alteram humanitatis: quas ita in ſe vna Chriſti perſona vniuit, vt nec diuinitas ab humanitate, nec humanitas à diuinitate poſſit ali-

Pſal. 146.

Sap. 7.

Ioan. 1.

Ex Aug. li. de cognitione vera vitæ. c. 10 tit. 9.

De hac phraſi ſupra diximus.

aliquandò seiungi. Vnde perfectus Deus est, perfectus & homo, in vnitate personæ. Nec tamen, quia duas in filio diximus esse naturas, duas causabimur in eo esse personas, ne Trinitati (quod absit) accedere videatur quaternitas. Deus enim verbum, non accepit personam hominis; sed naturam: & in æternum persona diuinitatis, temporalem accepit substantiam carnis. Item vnius substantiæ credimus esse Deum patrem, & filium & spiritum sanctum: non tamen dicimus, vt huius trinitatis vnitatem Maria virgo genuerit, sed tantum modò filium, qui solus naturam nostram in vnitate personæ suæ assumpsit. Incarnationem quoque huius filij Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen filius formam serui accepit in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id, ꝙ proprium est filij, non quod commune Trinitati, quæ forma illi ad vnitatem personæ coaptata est, id est, vt filius Dei & filius hominis, vnus sit Christus. Item idem Christus in his duabus naturis, tribus extat substantijs: verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est: corporis & animæ, quod ad verum hominem pertinet. Habet ergò in se geminam substantiam, diuinitatis suæ, & humanitatis nostræ. Hic tamen per hoc, quod de Deo patre sinè initio prodijt, natus tantum: (nam neque factus, neque prædestinatus accipitur) per hoc tamen, quòd de Maria virgine natus est, & natus, & factus & prædestinatus esse credendus est. Ambæ tamen in illo generationes, mirabiles: quia & de patre ante secula sinè matre est genitus, & in fine seculorum de matre sinè patre est generatus: qui tamen, secundum quod Deus est, creauit Mariam: secundum quod homo, creatus est ex Maria. Ipse, Pater Mariæ matris, & filius. Item per hoc quod DEVS est, æquelis est Patri; per hoc quod homo, minor est patre. Item & maior, & minor seipso, credendus est. In forma enim Dei, etiam ipse filius seipso maior est, propter humanitatem assumptam, quia diuinitas maior est: in forma autem serui, seipso minor est* idem humanitate, quæ minor diuinitate accipitur. Nam sicut per assumptam carnem non tantùm patre, sed se ipso minor accipitur: ita secundum diuinitatem, qua est æqualis patri, & ipse, & pater, maior est homine, quem sola filij persona assumpsit. Item in eo quod quæritur, vtrùm possit filius sic æqualis, & minor esse spiritusancto, sicut patri nunc æqualis, nunc minor patre creditur esse, respondemus: Secundum formam Dei, æqualis est patri, & spirituisancto: secundum formam serui, minor est & patre & spiritusancto: quia nec spiritussanctus, nec Deus pater, sed sola filij persona susceptit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item hic filius, à Deo patre & spiritusancto inseparabiliter discretus creditur esse, persona: ab homine autem assumpto, natura. Item cum homine, vnus extat persona: cum patre verò & spiritusancto, natura diuinitatis suæ siue substantia. Missus tamen filius, non solùm à patre, sed & à spiritusancto missus esse credendus est, in eo quòd per Prophetam dicit: Et nunc Dominus misit me & spiritus eius. A se ipso quoque missus accipitur, pro eo, quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. Hic enim, qui ante secula vnigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est. Vnigenitus, propter diuinitatis substantiam: primogenitus, propter assumptam carnis naturam: in qua susceptæ hominis forma, iuxta euangelicam veritatem sinè peccato natus, sine peccato mortuus creditur: qui solus pro nobis peccatum factus est, id est, sacrificium pro peccatis nostris: tamen passionem ipsam (salua diuinitate sua) pro delictis nostris sustinuit, mortique adiudicatus & cruci, veram carnis mortem accepit: tertio quoque die, virtute propria suscitatus, à sepulcro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri, confitemur* vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum: nec in aërea, vel qualibet alia carne (vt quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in ista, qua viuimus, consistimus, & mouemur. Peracto huius sanctæ resurrectionis exemplo, idem DOMINVS noster atque saluator paternam ascendendo sedem repetijt, de qua nunquã per diuinitatem discessit. Illic ad dexteram patris sedens, expectatur in fine seculorum iudex omnium viuorum & mortuorum, indè cum sanctis omnibus veniet ad ferendum iudicium, reddere vnicuique mercedis propriæ debitum, prout quisque gessit in corpore positus, siue bonum, siue malum.

Esa. 48.51.

2. Cor. 5.

*id est,

*veram fieri

quando seiungi. Vnde perfectus Deus, perfectus & homo in vnitate personæ vnius, est Christus. Nec tamen quia duas diximus in filio esse naturas, duas causabimus in eo esse personas, ne Trinitati (quod absit) accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam, & in æternam personam diuinitatis, temporalem accepit substantiam carnis. Ita cum vnius substantiæ credamus esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; non tamen dicimus, vt huius Trinitatis vnitatem Maria Virgo genuerit, sed tantum modò Filium, qui solus naturam nostram in vnitate personæ suæ assumpsit. Incarnationem quoque huius Filij Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen filius formam serui accepit in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ in id, quod est proprium filij, non quod commune Trinitati: quæ forma illi ad vnitatem personæ coaptata est (id est) vt filius Dei, & filius hominis vnus sit Christus. Item idem Christus in duabus naturis, tribus extat substantijs; Verbi, quod ad solius Dei essentiam referẽdum est; corporis, & animæ, quòd ad verum hominem pertinet. Habet igitur in se geminam substantiam diuinitatis suæ, & humanitatis nostræ. Hic tamen pro eo, quod de Deo Patre sine initio prodijt, natus tantùm (nam neque factus, neque prædestinatus accipitur) per hoc tamen, quod de Maria Virgine natus est, & natus, & factus, & prædestinatus esse credendus est. Ambæ tamen in illo generationes mirabiles: quia & de Patre sine matre ante secula est genitus, & in fine seculorum de matre sine patre est generatus: qui tamen secundum, quod Deus est, creauit Mariam, secundum quod homo, creatus est à Maria: ipse & pater Matris, & filius. Item & per hoc quod Deus, est æqualis Patri; per hoc quod homo, minor est Patre. Item & maior, & minor se ipso esse credendus est: in forma enim Dei etiam ipse Filius se ipso maior est, propter humanitatem assumptam, qua diuinitas maior est: in forma autem serui se ipso minor est, id est, humanitate, quæ minor diuinitate accipitur. Nam sicut per assumptam carnem non tantum à Patre, sed à se ipso minor accipitur; ita secundum diuinitatem coæqualis est Patri: & ipse & Pater maior est homine, quem sola Filij persona assumpsit. Item in eo quod quæritur, vtrum posset filius sic æqualis, & minor esse Spiritusancto, sicut Patri nunc æqualis, nunc minor Patre creditur esse, respondemus: Secundum formam Dei, æqualis est Patri, & Spirituisancto, secundùm formam serui, minor est, & Patre, & Spiritusancto: quia nec Spiritus sanctus, nec Deus Pater, sed sola Filij persona susceptit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item hic Filius à Deo Patre, & Spiritusancto inseparabiliter discretus creditur esse persona; ab homine autem assumpta natura. Item cum homine vnus extat persona; cum Patre verò, & Spiritu sancto, natura Duinitatis siue substantia. Missus tamen Filius non solum à Patre, sed ab Spiritu sancto missus credendus est; in eo quod ipse per Prophetam dicit: Et nunc Dominus misit me, & Spiritus sanctus. A se ipso quoque missus accipitur; pro eo, quod inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. Hic enim, qui ante secula vnigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est: Vnigenitus propter Deitatis substantiam; primogenitus propter assumptæ carnis naturam: in qua susceptæ hominis forma, iuxta Euangelicam veritatem, sine peccato conceptus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis peccatum est factus, id est, sacrificium pro peccatis nostris. Et tamen passionem ipsam salua diuinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, mortique adiudicatus & cruci veram carnis mortem excepit: tertio quoque die virtute propria sua suscitatus, è sepulchro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur, veram fieri resurrectionẽ carnis omnium mortuorum. Nec in aërea, vel qualibet alia carne (vt quidam delirant) surrecturos nos credimus, sed in ista qua viuimus, consistimus, & mouemur. Peracto huius sanctæ Resurrectionis exemplo idem Dominus noster, atque Saluator Paternam ascendendo sedem repetijt, de qua numquam per Diuinitatem discessit. Illic ad dexteram Patris sedens, expectatur in finem seculorum iudex omnium viuorũ, & mortuorum. Inde cum sanctis omnibus, veniet ad faciendum iudicium, reddere vnicuiq; mercedis propriæ debitum; prout quisque gesserit in corpore positus, siue bonum, siue malum.

Hæresis fuit Eutychis Constantinopolitani episcopi. vid B. Gregor. mag. in c. 9 Iob

Ecclesiam sanè catholicam, precio sui sanguinis cõparatam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam, intra cuius gremium constituti vnum baptismum credimus, & confitemur remissionem omnium peccatorum, sub qua fide & resurrectionem mortuorum veraciter credimus, & futuri seculi gaudia expectamus. Hoc tantum orandum est nobis & petendũ, vt cum peracto finitoque iudicio, tradiderit filius regnum Deo & patri, participes efficiat nos regni sui, vt per hanc fidẽ, qua illi inhæsimus, cum illo sinè fine regnemus. Hæc est confessionis nostræ fides exposita, per quam omnium hæreticorum dogma perimitur, per quam omnium fidelium corda mundantur, per quam & ad Deum gloriosè acceditur, cuius sacrosancto sapore sub triduano ieiunio continua relationũ collatione rorantes, ad ea, quæ subnexa sunt, sequenti die decernenda transiuimus.

Capitulum Primum.

IN loco benedictionis considentes Domini sacerdotes, nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari, nullis etiam vanis fabulis vel risibus agi, & (quod deterius est) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. Si quis enim (vt Apostolus ait) putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicij obstrepentium turba confundit, dicente propheta: Erit cultus iustitiæ, silentium. Debet ergò, quicquid aut * consultationibus considentium agitur, aut à causantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus audientiam turbent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruent. Quicunque ergò in conuentu Concilij hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta aut tumultu, aut contumelijs, vel risibus Concilium conturbauerit: iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur, Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cum omni dedecore de consessione abstractus, à communi cœtu secedat, & trium dierum excõmunicationis sententiam perferat.

Iacob. 1.

Esa. 32. *collationibus.

Prouer. 22.

2 Quantum quis præcelsi culminis obtinet locum, tantũ necesse est præcedat cæteros gratia meritorum, vt in eo quòd præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis, habens semper & in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis, vt iuxta Paulum, potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Nos proindè nostri ordinis gradum, vel susceptι regiminis modum magnoperè cogitare debemus, vt qui officium prædicationis susceρimus, nullis curis à diuina lectione priuemur. Nam quorundam mentes pontificum, ita torporis ocio à lectionis gratia secluduntur, vt quid doctrinæ gregibus subditis exhibeat, non inueniat præco mutus. Insistendum ergo semper erit maioribꝰ, vt quos sub regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant. Sicut metropolitanus in confinitimos, cæterosque ecclesiasticis ordinibus deditos: sic confinitimis, in commisso sibi religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium diuinæ legis eruditionibus imbuatur, ita vt indesinenti solicitudine prælatus quisque subditos quærens, aut ꝓfectum coram lætabundus agnoscat, aut nescientiam sinè arrogantia instruat. Placuit ergò de talibus, iuxta instituta Toletani Concilij, hoc specialiter definire, vt aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut à maioribus ad lectionis exercitia cogantur inuiti.

Tit. 2.

3 De his, qui contra Apostoli voluntatem circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic sancto Concilio, vt metropolitanę sedis authoritate coacti, vniuscuiusq; prouinciæ *ciues, rectoresq; ecclesiarum, vnum eundemq; in psallendo, teneant modum, quem in Metropolitana sede cognouerint institutum, nec aliqua diuersitate cuiuscunq; ordinis vel officij, à metropolitana se patiantur sede disiungi. Sic.n. iustũ est, vt indè vnusquisq; sumat regulas magisterij, vnde honoris consecrationem accepit: vt iuxta Maiorum decreta sedes, quæ vnicuique sacerdotalis mater est dignitatis, sit ecclesiasticæ magistra rationis. Abbatib. sanè, indultis officijs, quæ iuxta voluntatem sui episcopi regulariter illis implenda sunt, cętera officia publica, id est, Vesperas, matutinum, siue Missam, aliter quam in principali ecclesia, celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex

Ephes. 4. *pontifices:

menſibus

Ecclesiam sanè Catholicam pretio sui sanguinis comparatam cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Intra cuius gremium constituti vnum baptisma credimus & confitemur, in remissionem omnium peccatorum. Sub qua fide, & resurrectionem mortuorum, veraciter & credimus, & futuri seculi gaudio expectamus. Hoc tantum orandum nobis est & petendum, vt cum peracto finitoq; iudicio, tradiderit filius regnum Deo Patri, participes nos efficiat regni sui; vt per hanc fidem, qua illi inhæsimus, cum illo sine fine regnemus. Hæc est confessionis nostræ fides exposita, per quam omnium hæreticorum dogma perimitur, fidelium corda mundantur; per quam etiam ad Deum gloriosè acceditur, cuius sacrosanctum saporem, sub triduano dierum ieiunio, continua relationum collatione ructantes, ad ea quæ subnexa sunt, sequenti die discernenda transiuimus.

Capitulum Primum.

IN loco benedictionis considentes Domini Sacerdotes nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari; nullis etiam vanis fabulis, vel risibus agi, & (quod est deterius) obstinatis concertationibus tumultuosas voces effundere. Si quis enim (vt Apostolus ait) putat se religiosum esse, non refrænans linguã suam; sed seducens cor suum, huius vana est religio. Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicij obstrepentium turba cõfundit, dicente Propheta: Erit cultus iustitiæ silentium: Debet ergo quidquid aut contendentium collationibus agitur, aut accusantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus audientiam turbent, nec iudicantium vigorem de tumultu eneruent. Quicunque ergo in conuentu Concilij hæc, quæ promissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumelijs, vel risibus Concilium perturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur: Eijce derisorem & exibit cum eo iurgium, & cum omni confusionis dedecore abstractus à communi cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat.

5. q. 4. In loco. Iuo. p. 4. c. 245. Ansel. in principio.

2 Quantum quis præcelsi culminis obtinet locum, tanto necesse est præcedat cæteros gratia meritorum; vt in eo quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis; habens semper in ore gladium veritatis & in opere efficientiam luminis: vt iuxta Paulum potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Nos proinde nostri ordinis gradum, vel susceρti regiminis modum magnopere cogitare debemus: vt qui officium prædicationis susceρimus, nullis curis à diuina lectione priuemur. Nam quorundam mentes Pontificum ita corporis ocio à lectionis gratia secluduntur, vt quid doctrinæ subditis exhibeat gregibus, non inueniat præco mutus. Insistendum ergo semper erit maioribus, vt quos sub regiminis sui cura tuentur, fame verbi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinitimos, cæterosque Ecclesiasticis ordinibus deditos; sic confinitimis in cõmisso sibi religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium diuinæ legis traditionibus imbuatur: ita vt indesinenti solicitudine prælatus quisque subditos quærens, aut profectum eorum lætabundus agnoscat, aut nescientiam sine arrogantia instruat. Placuit ergo de talibus, iuxta instituta Toletani Concilij hoc specialiter definire, vt aut sponte sumant intentionem necessariam perdiscendi, aut à maioribus ad lectionis exercitia cogantur inuiti.

Octaui c. 8.

3 De his, qui contra Apostoli voluntatem, circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic sancto Concilio, vt metropolitanæ sedis auctoritate coacti vniuscuiusq; prouinciæ Pontifices, rectoresq; Ecclesiarum, vnum, eundemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitana sede cognouerint institutũ; nec aliqua diuersitate cuiusq; ordinis, vel officij à Metropolitana se patiantur sede disiungi. Sic enim iustum est, vt inde vnusquisq; sumat regulas magisterij, vnde honoris consecrationẽ accepit: vt iuxta maiorum decreta, sedes, q̃ vnicuiq; Sacerdotalis mater est dignitatis, sit & Ecclesiasticæ magistra rationis. Abbatibus sanè indultis officijs, q̃ iuxta voluntatem sui episcopi regulariter illis implenda sunt, cætera officia publica, id est, Vesperam, Matutinum, siue Missam aliter quàm in principali ecclesia, celebrare non liceat. Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex

Distin. 12. De his qui. De hac etiam re est in Conc. Tol. 4. c. 2. dictum.

menſi bus

mensibus communione priuatus, apud metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus, quatenus apud illum & præteritæ transgressionis culpam lachrymis diluat, & necessariam officiorum doctrinam studiosè addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solum metropolitanus totius suæ prouinciæ pontifices vel sacerdotes adstringat, sed etiam cæteri episcopi subiectos sibi ecclesiarum rectores, obtemperare his institutionibus cogant.

4 Sicut omnis qui diligit fratrem suum, ex Deo est: ita omnis qui odit proximũ, ex diabolo est. Dilectione enim sola discernitur, quis ex quo genitus approbetur, dicente Ioanne: In hoc manifestati sunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non facit iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. Quoniam hæc est annunciatio, quam ab initio audistis, vt diligamus alterutrum. Et post paululum: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in sẽ manentẽ. Ecce homicida esse probabiliter, declaratur, qui à fraterna societate diuiditur. Nam etsi manus non moueat ad occidendum, pro eo tamen quod immitis est ad ignoscendum, iam à Deo homicida tenetur. Viuit ille, & iste iam interfector esse cõuincitur. Cùm ergo his præceptis B. Apostolus Paulus consona prædicatione concordet, dicens, Non occidat sol super iracũdiam vestram, & nolite locum dare diabolo: relatæ sunt nobis quorundam sacerdotum personæ, in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, vt non solùm illos ab ira occasus solis non reuocet, sed nec annosa quidem transactio temporum, ad bonum charitatis reclinet, quippe in quorum cordibus sol iustitiæ Christus occubuit, vt ad lumen charitatis redire vix possint. Horum ergo & similium discordantium fratrum oblationes, iuxta antiqui canonis definitionem, nullo modo recipiendas esse censuimus. Personis tamen discordantium, id speciali definitione præcipimus, vt antequàm eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam communionis sanctæ percipiat: sed geminato tempore per pœnitentiam compensabunt, quod discordiæ seruierunt. Quod si vnus eorum, alio contemnente, ad satisfactionem charitatis cucurrerit: ex eo tempore, vt pacificus intra ecclesiam receptetur, ex quo ad concordiam festinasse conuincitur, sententia tamen superiori seruata, vt tempus, quod in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ satisfactione persoluat.

1 Ioan. 3.

1. Ioan. 3.

Ephes. 4.

5 Nullis vita præsulum perturbari debet excessibus motionum, quia valde indignum est, vt qui throni Dei vocãtur, leui motione turbentur: & qui debent esse *iter iustitiæ, ipsi efficiantur seminarium litis atque rapinæ. Quomodò ergo huiusmodi, iuxta Apostolum, irreprehensibiles erunt, qui nõ solùm reprehensibilia faciunt, sed mortifera potius & execranda committunt? Relati enim nobis sunt quidam ex sacerdotibus, quod omni grauitate sacerdotalis ordinis prætermissa, audientiam iudicij furore præueniant, & excessu solius inhonestæ motionis, audire refugiunt, pro quibus eos oportuerat æquitatis iudicia sustinere. Dum enim de honoris sui culmine blandiuntur, patientiam habere refugiunt, & qui inconcusse debuerant veritatis conseruare statum, subitò religionis mutant propositum, & præcipiti furore iudicium antecedunt. Sicq; in quo decuerat eos iudicij sustinere conuentũ, peruasione agunt, vnde de præsumptionib. confundãtur. Qui tamen aut damno pariter & excõmunicatione plectendi sunt, aut omissis compositionibus rerum, sola satisfactione pœnitentiæ curabuntur. Illi enim, qui rei propriæ facultate suffulti sunt, aut qui rem suam iam autem in nomine Ecclesiæ, cui præsunt, transfudisse noscuntur: si aut per se, aut per subditos, seu per quoslibet aliena diripiunt, vel præsumptionis seu cædis quippiam agunt, tam in rebus fiscalibus, quam etiam in quorumlibet dominio constitutis: & peruasa vel præsumpta, de rebus proprijs iuxta legem excellentiss. principis sarciant, & pro excessu religioni contrario, quod inhonestè ante iudicium perpetrauerunt, duarum hebdomadarum excommunicatione plectendi sunt. Et qui nihil proprietatis habere videntur, magna discretionis arte medendi sunt, quo nec ausus illicitos ECCLESIARVM facultatibus redimant, nec ipsi penitus extorres à pœna persistant. Nec enim iustum est, vt pro prauis actibus Sacerdotum, ecclesiæ, quibus præminent, sustineant damnum: & pro

*arca

1. Tim. 3.

☞

mensibus communione priuatus, apud Metropolitanum sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus: qualiter apud illum, & præteritæ transgressionis culpam lacrymis diluat, & necessariam officiorum doctrinam studiosè addiscat. Sub ista ergo regula disciplinæ, non solum Metropolitanus totius suæ prouinciæ Pontifices, vel Sacerdotes adstringat, sed etiam cæteri Episcopi subiectos sibi Ecclesiarum rectores his obtemperare institutionibus cogant.

4 Sicut omnis, qui diligit fratrem suum, ex Deo; ita omnis, qui odit proximum, ex diabolo est: dilectione enim sola discernitur, quis ex quo genitus approbetur, dicente Ioanne: In hoc manifesti sunt Filij Dei, & filij diaboli: omnis, qui nõ facit, iustitiam, nõ est de Deo, & qui nõ diligit fratrem suũ. Quoniam hæc est annunciatio, quam audistis ab initio, vt diligamus alterutrum. Et post paululũ: Omnis qui odit fratrem suum homicida est: & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Ecce homicida esse probabiliter declaratur, qui à fraterna societate diuiditur: nã etsi manus non moueat ad occidendum, pro eo tamen quia immitis est ad ignoscendum, iam à Deo homicida tenetur. Viuit ille, & iste iam interfector esse conuincitur. Cum igitur his præceptis beatus Apostolus consona prædicatione concordet dicens: Non occidat sol super iracundiam vestram, & nolite locum dare diabolo; relatæ sunt nobis quorundam Sacerdotum personæ in tantam obstinationis efferbuisse discordiam, vt non solum illos ab ira occasus solis non reuocet, sed nec annosa quidem transactio temporum ad bonum charitatis reclinet: quippe in quorum cordibus ita sol iustitiæ Christus occubuit, vt ad lumen charitatis redire vix possint. Horum igitur, & similium discordantium fratrum oblationes iuxta antiqui Canonis definitionem nullo modo recipiendas esse censemus. De personis tamen discordantium id speciali- Concil. Carthag. 4 cap. 93.
ter definitione præcipimus, vt antequam eos reconciliatio vera innectat, nullus eorum accedere ad altare Domini audeat, vel gratiam cõmunionis sanctæ percipiat: sed geminato tempore per pœnitentiam compensabunt, quod discordiæ seruierunt. Quod si vnus eorum, alio contemnente, ad satisfactionem charitatis cucurrerit; ex eo tempore, vt pacificus intra ecclesiam receptetur, ex quo ad concordiam festinasse conuincitur; sententia tamen superiori seruata, vt tempus, quod quisq; in ira expendit, geminatum in pœnitentiæ satisfactione persoluat.

5 Nullis vita præsulum perturbari debet excessibus motionum: quia valde indignum est, vt qui throni Dei vocãtur, leui motione turbentur: & qui debent esse arca iustitiæ, ipsi efficiantur seminarium litis, atque rapinæ. Quando ergo huiusmodi iuxta Apostolorum irreprehensibiles erunt, qui non solum irreprehensibilia faciunt, sed mortifera potius, & execranda committunt? Relati enim nobis sunt quidam ex Sacerdotibus, quod omni grauitate sacerdotalis ordinis prætermissa, audientiam iudicij furore præueniant, & excessu solius inhonestæ motionis audire, pro quibus eos oportuerat æquitatis iudicia sustinere. Dum enim de honoris sui culmine blãdiuntur, patientiam habere refugiunt: & qui inconcusse debuerant veritatis conseruare statum, subitò religionis mutant propositum, & præcipiti furore iudicium antecedunt: sicque in quo decuerat eos iudicij sustinere conuentum, præuasione agunt, vnde de præsumptionib. confundantur. Qui tamẽ aut damno pariter, & excommunicatione plectendi sunt, aut omissis compositionibus rerum, sola satisfactione pœnitentiæ curabuntur. Illi enim, qui rei propriæ facultate suffulti sunt, aut qui rem suam iam antea in nomine Ecclesiæ, cui præsunt, transtulisse noscũtur, aut per se, aut per subditos, seu per quẽlibet, aliena diripiunt, vel præsumptionis, seu cædis quippiã agũt, tam in rebus fiscalibus, quàm etiam in quorumlibet dominio constitutis, & præuasa, vel præsumpta de rebus proprijs, iuxta leges excellentissimi Principis, sarciant, & pro excessu religioni contrario, quo inhonesti ante iudicium paruerunt, duarum hebdomadarum excommunicatione plectendi sunt. Illi autem qui huiusmodi excessibus seruiunt, & nihil proprietatis habere videntur, magna discretionis arte medendi sunt; quo nec ausus illicitos Ecclesiarum facultatibus redimant, nec ipsi penitus extorres à pœna persistant. Neque enim iustum est, vt pro prauis actibus Sacerdotum, Ecclesiæ quibus præeminẽt, sustineant damnum: vt pro

excessibus talium satisfactio ab ecclesijs exigatur, cum ecclesia cultores suos non ad litem, sed honestatem, informet. De talibus ergo placuit definire, qui nullis habitis rebus proprijs, aut in quocunque peruasores extiterint, aut quibuslibet personis cædes, vel quodcunque præsumptionis intulerint, nulla eos incuruatione status sui seruituti hominum debere addici: sed iuxta quod prę sumptuosus quisquis ille extiterit, ita & pœnitentiæ legibus subiacebit, id est, si in decem solidorum summam præsumptor esse conuincitur, viginti dierum pœnitentiæ satisfactione purgẽ: ita vt siue minoris, siue maioris summæ excessum pe egerit, similiter geminata hoc semper satisfaction pœnitentiæ recompenset. Seruos autem Ecclesiarũ, qui huiusmodi excessus operati esse noscuntur, ad leges seculares audiendas remittimus. Et hęc quidem de generali excessu dicta sufficiant. Cæterum specialitatis ordinem prosequentes, decernimus: Si quis episcoporum magnati cuiusquam vxorem, filiam, neptem, seu quolibet illi gradu altero pertinẽtem, quacunque fraude vel subtilitate, adulterina pollutione fœdauerit, & honoris proprij gradum amittat, & sub exilij relegatione perpetuam excommunicationis sententiam perferat, qui tamen circa finem vitæ, communionis remedio adiuuandus est. Hanc sanè & illi sententiam merebuntur, qui aut volentes homicidium fecerint, aut primatibus palatij, generosisque personis, seu nobilioribus quibuscunque mulieribus, aut puellis aliquid per necem, aut per quancunque irrogatam iniuriam visi fuerint intulisse. Vnde eos, iuxta legum secularium instituta, aut talionem recipere, aut traditionem de his fieri, vel proscriptionem oporteat.

*talium

6 His, à quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare nõ licet. Et ideo magnoperè* talib' excessibus prohibendum est, ne indiscretæ prę sumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria iudicare præsumant, aut truncationes quibuslibet personis aut per se inferant, aut inferẽdas præcipiant. Quòd si quisquam horum immemor præceptorum, aut in Ecclesię suæ familijs, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore priuatus & loco, sub perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo. Cui tamen communio exeũti ex hac vita non neganda est, propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed vt conuertatur & viuat.

Ezech. 18. 33.

7 Cùm iuxta antiquæ institutionis edictum, plus erga corrigendos agere debeat beneuolentia, quam seueritas: plus cohortatio, quàm commotio: plus charitas, quam potestas: relatum est nobis, quòd quidam ex fratribus, plùs liuore odij, quàm correctionis studio subditos insequentes, dum se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subitò afferunt mortem, cùm inauditos à se proijciunt, & illicitis eos iudicijs sub pœnitentia puniunt: Non ergò decæterò peruersis voluntatibus sit liberum, simulare quod fingunt: sed quotiescunque quilibet ex subditis corrigendus est, aut publica debet à sacerdote disciplina curari: aut, si aliter rectoribus placet, duorum vel trium fratrum spiritualium testimonio peculialiter adhibito, & modus criminis agnoscatur, & modꝰ pœnitentiæ irrogetur: ita tamen, vt si exilio vel retrusione dignum eum esse, aut quid aliud iudicium peculiare decreuerit, modus pœnitentiæ, quem coram tribus fratribus sacerdos transgressuri indixerit, speciali debeat eius, qui sententiam ꝓtulit, manus propriæ subscriptione notari. Sicque fiet, vt nec transgressores, sinè testimonio excidia vitæ suæ incurrant: nec rectores, accusatos se de quorumlibet interemptionibus erubescant.

Matt. 10.

8 Quicquid inuisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstu vel quibuslibet præmijs venundari penitus debet, dicente Domino: Quod gratis accepistis, gratis date. Et ideò, quicunque deinceps in Ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis consignandisque fidelibus, aut collatione chrismatis, vel promotionibus graduum, precia quælibet vel præmia, nisi voluntariè oblata, pro huiusmodi ambitione susceperit: equidem si sciente loci episcopo, tale quicquam à subditis perpetratur, idem episcopus duobus mensib. excommunicationi subiaceat, pro eo, quòd & sciens mala cõtexit, & correptionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispiam, eodem nescient, quodcunque pro supradictis capitulis accipiendum esse sibi crediderit, si Presby-

ter

excessibus talium satisfactio ab Ecclesijs exigatur: cum Ecclesia rectores suos nõ ad ad litem, sed ad honestatem informet. De talibus ergo placuit definire, qui nullis habitis rebus proprijs, aut in quocunq; præuasores extiterint, aut quibuslibet personis cædes, vel quodcunq; præsumptionis intulerint, nulla eos incuruatione status sui, seruituti hominum debere addici: sed iuxta quod præsumptuosus, quisquis ille, extiterit, ita & pœnitentiæ legibus subiacebit: id est, vt si in decem solidorum summam præsumptor esse conuincitur, viginti dierum pœnitentiæ satisfactione purgetur: ita vt siue maioris, siue minoris summæ excessum peregerit, similiter geminata hoc semper satisfactione pœnitentiæ recompenset. Seruos tamen Ecclesiarum, qui huiusmodi excessus operasse noscuntur, ad leges seculares audiendos remittimus. Et hæc quidèm de generali excessu dicta sufficiant. Cæterum specialitatis ordinem persequentes, si quis Episcoporum magnati cuiusque vxorem, filiam, neptem, seu quolibet illi gradu altero pertinentem, quacunque fraude, vel subtilitate adulterina pollutione fœdauerit, & honoris proprij gradum amittat, & sub exilij relegatione perpetuam excommunicationis sententiam perferat: qui tamen circa finem vitæ communionis remedio adiuuandus est. Hanc sanè & illi sententiam merebuntur, qui aut volentes homicidium fecerint, aut primatibus palatij, generosisque personis, seu nobilioribus quibusque mulieribus, vel puellis aliquid, aut per cædem, aut per quamcunque irrogatam iniuriam, visi fuerint intulisse, vnde eos iuxta legum secularium instituta, aut talionem recipere, aut traditionem de his fieri, vel proscriptionem oporteat.

Raban. pœniten. c. 30. 23. q. 8. His à quibus luo. p. 5. c 315. Burch lib. 1. c. 30

6 His, à quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet: & ideo magnopere talium excessibus prohibẽdum est; ne indiscretè præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria iudicare præsumãt, aut truncationes quaslibet membrorum quibuslibet personis, aut per se inferant, aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam horum immemor præceptorum, aut Ecclesiæ suæ familijs, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, & concessi ordinis honore priuatus, & loco suo perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo: cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est; propter Domini misericordiam, qui nõ vult peccatoris mortem, sed vt conuertatur, & viuat.

Leo Pon. M. epist. 84.

7 Quum iuxta antiquę institutionis edictum plus erga corrigendos agere debeat beneuolentia, quàm seueritas; plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quam potestas, relatum est nobis, quod quidam ex fratribus, plus liuore odij, quam correctionis studio subditos insequentes; dum se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subito afferunt mortem, cum inauditos à se proijciunt, & occultis eos iudicijs sub pœnitentia puniunt. Non ergo de cætero peruersis voluntatibus sit liberum simulare quod fingunt; sed quotiescunque quilibet ex subditis corrigendus est, aut publica debet à Sacerdote disciplina curari: aut, si aliter rectoribus placet, duorum, vel trium fratrum spiritualium testimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoscatur, & modus pœnitentiæ irrogetur: ita tamen vt si exilio, vel retrusione dignum eum esse qui deliquit, iudicium peculiare decreuerit, modus pœnitentiæ, quam coram tribus fratribus sacerdos transgressori indixerit, speciali debeat eius, qui sententiam protulit, manus propriæ subscriptione notari: sicque fiet, vt nec transgressores sine testimonio excidia vitæ suæ incurant, nec rectores, accusatos se de quorumlibet interemptionibus erubescant.

1. q. 1. Quidquid inuisibilis. luo. p. 5. c. 12 6. & p. 1. c. 73. Gratianus & gl. legũt pro collatione, consolatione. Verum in notis Gregorianis, posterior lectio probatur.

8 Quidquid inuisibilis gratiæ collatione tribuitur, numorum quæstu, vel quibuslibet præmijs venundari penitus non debet, dicente Domino: Quod gratis accepistis, gratis date. Et ideò quicunq; deinceps in Ecclesiastico ordine constitutus, aut pro baptizandis, consignãdisq; fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionib. graduum pretia quælibet, vel præmia, volũtariè oblata pro huiusmodi ambitione susceperit; equidem, si sciente loci Episcopo tale quidquam à subditis perpetratur, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subiaceat; pro eo, quia & sciens mala contexit, & correctionem necessariam non adhibuit. Sin autem suorum quispiam eodem nescient, quodcunque pro supradictis capitulis, accipiendum esse sibi crediderit; si Presby-

ter

ter est,trium mensium excommunicatione plectatur: si diaconus,quatuor:subdiaconus verò, vel clericus his cupiditatibus seruiens,& competenti pœna, & debita excommunicatione plectendus est.

9 Multæ super hoc capitulo patrum sententiæ manauerunt,scilicet ne impreciabilem sancti spiritus gratiam, donis vel muneribus quis existimet comparandam. Sed (quod non sine graui dolore dicendum est) quanto hæc frequenti decretorum est præceptione prohibita, tanto nobis fraudibus cognoscitur iterata,dum hi qui tali precio mercari nituntur gratiam Spiritussancti,aut ordinationis suæ tempora præueniunt munere,aut post acceptum honorem, promissis suis conferunt *apparentibus turpis lucri mercedem. Et ideò, vt horum & similium argumentorum deincèps amputetur occasio,hæc sancta synodus definiuit,vt cùm quisque pontificale culmen antè Domini altare percepturus accesserit, sacramenti exactione adstringatur,quòd pro conferenda sibi consecratione honoris,nulli personæ cuiuslibet præmij collationem vel aliquando dedisset, vel aliquando in futurum dare procuret. Sicque aut mundus ab hoc contagio, prælationis consecrationem accipiat,aut *publicato hoc scelere, manifestè denudatus coram Ecclesia,& ad honorem, quem mercari voluit,non accedat. Illos autem,quos deincèps post prælationem per præmium ordinatos fuisse patuerit,sub definitis pœnitentiæ legibus, vt verè simoniacos ab Ecclesia separandos esse censemus, id est,vt duorum annorum spatio exilio relegati,& digna satisfactione, vel excommunicationis sententia coërciti,honoris gradum,quem præmijs emerant,lachrymis conquirere & reparare intendant. Vnde si digna eos satisfactio pœnitentiæ commendauerit, peracto indictæ pœnitentiæ tempore,non tantùm communioni, sed & loco,& totius ordinis officijs, à quibus separati fuerant, restaurandi sunt.

*per illicitũ vsum implicat' huicscelerι

10 Quamquam omnes, qui sacris mancipantur ordinibus,canonicis regulis teneantur adstricti, expedibile tamen est,vt promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica probat disciplina. Solet enim plùs timeri,quod singulariter pollicetur,quàm quod generali sponsione concluditur. Et ideò placuit huic sancto Concilio,vt vnusquisque,qui ad Ecclesiasticos gradus est accessurus,non antè honoris consecrationẽ accipiat quàm *placita sibi annotatione promittat,vt fidem Catholicam syncera cordis deuotione custodiens,iustè & piè viuere debeat, & vt in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque vt debitum per omnia honorem,atque obsequij reuerentiam præminenti sibi vnusquisque dependat, iuxta illud beati Papæ Leonis edictum:Qui se scit aliquibus esse præpositum.nõ molestè ferat,aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit,etiam ipse dependat. Pœna tamen,iuxta Ecclesiasticæ consuetudinis morem,& placitis talium inferenda,& ab his,qui transgressores fuerint,persoluenda est.

*placiti sui innodatione

11 Cùm nihil in diuino canone debeat esse confusum, nihil dubium,nihil etiam indiscretum, in collatione nostri cœtus relectus est canon Toletani concilij primi,in quo præceptum est,vt si quis acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit,velut sacrilegus propellatur:nec adiecta est ibi discretio voluntatum,cùm & infidelis infideliter hæc talia agat, & fidelis fideliter accipiat,quod naturalis illum necessitas deglutire non sinit. Solet enim humanæ naturæ infirmitas,in ipso mortis exitu prægrauata, tanto siccitatis pondere deprimi,vt nullis ciborum illationibus refici, sed vix tantundem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus,qui,optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum,collatam sibi à sacerdote Eucharistiam reiecerunt: non quod infidelitate hoc agerent, sed quòd præter Dominici calicis haustum traditam sibi nõ possent Eucharistiam deglutire. Non ergò huiusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt,qui talia non infidelitate,sed necessitate fecerunt,præsertim hi,de quibus nihil fidei sinistræ sentitur. Placuit ergò definire,quòd nec fideli officiat, nec infideli inultum existat. Quicunque ergò fidelis, ineuitabili qualibet infirmitate coactus,Eucharistiam perceptã reiecerit,in nullo Ecclesiasticæ damnationi subiaceat. Similiter,nec illos cuiusquam punitionis censura redarguet,qui talia aut tempore infantiæ faciunt,aut in qualibet mentis alienatione positi, quid

ter est,trium mensium excommunicatione plectatur; si Diaconus,quatuor;Subdiaconus verò,vel Clericus his cupiditatibus seruiens,& competenti verbere, & debita excommunicatione plectendus est.

9 Multæ super hoc capitulo Patrum sententiæ manauerunt;scilicet, ne in appreriabilem sancti Spiritus gratiam donis vel muneribus quis existimet comparãdam. Sed(quod non sine graui dolore dicendum est)quanto hæc res frequenti decretorum est præceptione prohibita,tanto nobis fraudibus cognoscitur iterata;dum hi qui tali precio mercari nituntur gratiam Spiritus sancti aut ordinationis, seu tempora præueniũt munere,aut post acceptum honorem promissam suis conferunt apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideò vt horum & similium argumentorum deinceps amputetur occasio,hoc sancta Synodus definiuit: vt cùm quisque Pontificale culmen antè Domini altare percepturus accesserit, sacramenti se taxatione astringat,quòd pro conferenda sibi consecratione honoris, nulli personæ cuiuslibet præmij collationem,vel iam dedisse, vel aliquando ad futurum dare procuret;sicque aut mundus ab hoc contagio,prælationis consecranem accipiat,aut implicitus huic sceleri, manifestè denotatus coram Ecclesia,ad honorem, quem mercari voluit,non accedat. Illos autem quos deinceps post relationem per præmium ordinatos fuisse patuerit, sub definitis pœnitentiæ legibus, vt verè simoniacos ab Ecclesia separandos esse censemus:id est,vt duorum annorum spatio exilio relegati, & digna satisfactionis vel excommunicationis sententia coërciti, honoris gradum,quem præmijs emerant,lacrymis conquirere & reparare intendant. Vnde si digna eos satisfactio pœnitentiæ commendauerit,peracto pœnitentiæ indictæ tempore,non tantum communioni,sed loco,& totius ordinis officijs,à quibus separati fuerunt,restaurandi sunt. Iuo.p.5.c. 127.

10 Quamquam omnes,qui sacris mancipantur ordinibus,canonicis regulis teneantur adstricti,expedibile tamẽ est, vt promissionis suę vota sub cautione spondeãt,quos ad promotionis gradus Ecclesiastica prouehit disciplina: solet enim plus timeri,quod singulariter pollicetur,quàm quod generali innexione concluditur. Et ideò placuit huic sancto Concilio,vt vnusquisq; qui ad Ecclesiasticos gradus est accessurus, non antè honoris consecrationem accipiat, quàm placiti sui innodatione promittat, vt fidem Catholicam sincera cordis deuotione custodiens,iustè,& pie viuere debeat;& vt in nullis operibus suis,canonicis regulis contradicat; atque vt debitum per omnia honorem, atque obsequij reuerentiam præeminenti sibi vnusquisque dependat: iuxta illud B.Papæ Leonis edictum:Qui scit se quibusdam esse præpositum,non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum;sed obedientiam quam exigit,etiam ipse dependat. Pœna tamen iuxta Ecclesiasticæ consuetudinis morem,& placitis talium inferenda, & ab his, qui transgressores fuerint,persoluenda est. Diſt.13. c. Quamquã omnes. Anſel.li. 7.c.88. Epist.84.

11 Cùm nihil in diuino Canone debeat esse confusum, nihil dubium,nihil etiam indiscretum, in collatione nostri cœtus relatus est Canon Toletani Concilij primi,in quo præceptum est,vt si quis acceptam à Sacerdote Eucharistiam non sumpserit,velut sacrilegus propellatur: nec adiecta est ibi discretio voluntatum; cùm & infidelis hæc & talia infideliter agat;& fidelis fidenter accipiat,quod naturalis illum necessitas deglutire non sinat. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in ipso mortis exitu prægrauata,tanto siccitatis pondere deprimi,vt nullis ciborum illationibus refici; sed vix tantumdem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui optatum suis votis sacræ communionis expetentes viaticum,collatam sibi à Sacerdote Eucharistiam reiecerũt;non quòd infidelitate hoc agerẽt, sed quòd præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire. Non ergò huiusmodi à corpore Ecclesiæ separandi sunt,qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt:præsertim hi,de quibus nihil fidei sinistræ sentitur. Placuit ergò definire,quod nec fideli officiat, nec infideli inultum existat. Quicunque ergò fidelis ineuitabili qualibet infirmitate coactus,Eucharistiam perceptam reiecerit,in nullo Ecclesiasticæ damnationi subiaceat. Similiter nec illos cuiusquam punitionis censura redarguet, qui talia tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi,quid fe- Primi cap.14.

fecerint, ignorare videntur. Iam verò, quicunque aut de fidelium, vel infidelium numero, corpus Domini absque inuitabili (vt dictum est) infirmitate proiecerit, si fidelis est, perpetua communione priuetur: si infidelis, & verberibus subdatur, & perpetuo exilio relegetur. Quod si horum quilibet huiusmodi excessus digna pœnitentiæ satisfactione defleuerit, post quinquennium licebit illum communioni pristinæ reformari.

12 Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinè à reconciliationis gratia differẽdus est. Sed si præcincto mortis vrgeatur periculo, pœnitentia per manus impositionem accepta, statim ei reconciliatio adhibenda est, ne prius ab humanis rebus æger abscedat, quàm donum reconciliationis accipiat: sicque superstitibus quodammodò doloris videatur esse perpetui, si præcisum ab Ecclesiæ membris eum, qui vtique reconciliationem non meruerit, raptum à præsenti vita, mors naturæ subduxerit. Vnde iuxta Papæ Leonis edictum, his, qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ ex more reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire. De his autem, qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint, quanquã diuersitas præceptorum de hoc capitulo habeatur: illorum tamen nobis sententia placuit, qui multiplices numero de huiusmodi humanius decreuerunt, vt & memoria talium in Ecclesijs commendetur, & oblatio pro eorum delicto à presbyteris recipiatur.

13 Benè siquidem Maiorum regulis definitum est, vt dæmonijs, alijsque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto consensu rationis adhibito, id communiter definimus, vt nullus de his, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se diuinis ingerant sacramentis: exceptis illis, qui varijs corporum incommoditatibus dediti, in eiusmodi passionibus in terram approbantur elisi. Qui tamen & ipsi tam diu erunt ab officij sui & ordine & loco suspensi, quousq; vnius anni spatio, per discretionem episcopi, inueniantur ab incursu dæmonum alieni.

14 Et illud diuini oraculi* monentis singuli præcauentes, quo scribitur, Væ soli, quia cum ceciderit, nõ habet subleuãtem: summoperè verendum nobis est & cauendum, ne horis illis atque temporibus, quibus Domino psallitur vel sacrificatur, vnicuique diuinis singulariter officijs insistenti, pernicioſa passio vel corporis quælibet valetudo occurrat, quę aut corpus subito subrui faciat, aut mentem alienatione vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus, præcauentes, necessariũ duximus instituere, vt vbi temporis vel loci siue cleri copia suffragatur, habeat quisquis ille canens Deo atque sacrificans, post se vicini solaminis adiutorem: vt si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus.

*momentis singulis. Ecc. 4 ca. 7. q. 1. Illud diuini oraculi.

15 Peractis omnibus, quæ ad correctionem nostri ordinis in hoc Cõcilio promulgata sunt: placuit definire, vt paternis institutionib. obsequentes, omni anno ad peragendam celebritatem Concilij in metropolitana sede, tempore quo princeps vel metropolitani electio definierit, deuotis semper animorum studijs* conferamur, nec quibuslibet requisitis occasionibus absentemur, sed in præparato die, quo indictum fuerit, adunatis in metropolitana sede omnib. prouinciæ pontificibus, Concilium Deo præsule celebretur. Quisquis autem episcoporum, excepta ineuitabili causa vel necessitate, de peragendo Concilio se absentauerit, vnius anni erit excommunicatione plectendus. Quòd si deinceps absque celebratione Concilij anni vnius meta pertransierit, omnes in commune pontifices Carthaginis prouinciæ, superioris censuræ sententia obnoxios retinebit, id est, si nulla sibi impediente principis potestate, vel infirmitate, aut ineuitabili causa, solius propriæ voluntatis libitu, sese ad celebrandum Concilium non collegerint.

*confluamus.

13 Bene quidem maiorum regulis definitum est, vt dæmonijs, alijsque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat: cui præcepto consensu rationis adhibito, id communiter definiuimus, vt nulli de his, qui aut in terram arrepti à dæmonibus illiduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussos se diuinis ingerant Sacramentis: exceptis illis, qui varijs corporum incommoditatibus dediti, sine huiusmodi passionibus in terram approbantur elisi. Qui tamen & ipsi tamdiu erunt officij sui ordine & loco suspensi, quousque vnius anni spatio per discretionem Episcopi inueniantur ab incursu dæmonum alieni.

Conc Eliber 2. c 29 & Pius PP 1. d 33. cõmuniter.

14 Et illud diuini oraculi monentis singuli præcauentes, quo scribitur: Vę soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem: summopere curandum nobis est, & cauendum, ne horis illis, atque temporibus, quibus Domino psallitur, vel sacrificatur, vnicuiq; diuinis singulariter officijs insistenti pernicioſa passio, vel corporis quælibet valetudo occurrat, quæ aut corpus subito subrui faciat, aut mentẽ alienatione, vel terrore confundat. Pro huiusmodi ergo casibus pręcauendis, necessariũ duximus instituere, vt vbi temporis, vel loci, siue Cleri copia suffragatur, habeat semper quisquis ille canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adiutorem: vt si aliquo casu, ille, qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terrã elisus, à tergo semper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus.*

* Intrepidus] *In decreto Gratiani alijs characteribus additur: Sed si hoc sacrificanti frequenter acciderit, tunc omnino ab oblatione prohibeatur, quam additionem nota Gregoriana non probat.*

26. quæ. 6. His qui. Leo ep. 91.

Concil. Carthag. 4 ca. 79 & 26 q. 6. per totam.

15 Peractis omnibus, quæ ad correctionem nostri ordinis in hoc Cõcilio promulgata sunt, placuit definire, vt paternis institutionib. obsequentes, omni anno ad peragendam celebritatem Concilij in Metropolitana sede, tempore quo Principis, vel Metropolitani electio definierit, deuotis semper animorum studijs confluamus: nec quibuslibet requisitis occasionib. absentemur, sed in prefato die, quo indictum fuerit, adunatis in Metropolitana sede omnibus Pontificib. Concilium Deo præsule celebretur. Quisquis autẽ Episcoporum, excepta ineuitabili causa, vel necessitate de peragẽdo se Concilio absentauerit, vnius anni excommunicatione plectendus est. Quod si deinceps absq; celebratione Concilij anni vnius meta transierit, omnes in commune Pontifices Carthaginensis prouinciæ, superioris censuræ sententia obnoxios retinebit: id est, si nulla sibi impediente Principis potestate, solius propriæ voluntatis libito, se ad celebrãdum Concilium non collegerint.

De hac re diximus Concil. Tol. 4 c. 3.

16 His ergo conſtitutionib. noſtris, quas neceſſario decernendas credidimus, finalem manus noſtrę ſubſcriptionem adiecimus, immortali Deo noſtro & Domino gloriam & honorem reddentes, qui nos de conuentu alternæ viſionis lætos effecit, qui os noſtrum in confeſſione laudis ſuæ aperuit, qui etiam decreta huius noſtri Concilij honeſtè compleuit. Poſt hęc religioſo domino & amabili principi noſtro Vvambano regi, gratiarum actiones perſoluimus, cuius etiam ſtudio aggregati ſumus. Qui Eccleſiaſticæ diſciplinę noſtris ſeculis nouus reparator occurrens, omiſſos Conciliorum ordines non ſolum reſtaurare intendit, ſed etiam annuis recurſibus celebrandos inſtituit, vt ad alternum morum correctionem annuo tempore alacriter concurrentes, iuxta prophetæ vaticinium, quod in nobis defractũ eſt, alligetur: & quod abiectum eſt, reducatur. Det ergo eidem principis Dominus, pro huius ſacræ ſolicitudinis voto, & curſum præſentis vitæ in pace trãſire, & poſt diuturna tempora ad ſe in pace, remiſſis iniquitatibus, peruenire: qualiter & hic felicia tempora ducat, & felix cum omnibus, quib. principatur ad Chriſtum ſine confuſione perueniat: vt quia per eum corona noſtri ordinis in melius reſtauratur, coronam futuri regni capiat, ex hoc in regione viuorum regnans cum Chriſto in ſecula ſeculorum, Amen.

Ezech. 34.

Ego Quiricus vrbis regię metropolitanus Epiſcopus, hęc geſta ſynodica à nobis definita, ſubſcripſi.

Similiter & alij Epiſcopi ſubſcripſerunt.

Athanaſius Eccleſiæ Setabien. epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis definita, ſubſcr.

Argimundus Eccleſiæ Oretanæ epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis definita, ſubſc.

Leander Eccleſiæ * Iliceñ. epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſc.

* Biſtargenſ. vel Bigerrenſ.

Ioannes Eccleſiæ * Bigaſtreñ. hæc geſta ſynodica à nobis definita, ſubſcr.

Godiſcalcus Eccleſiæ, Oxouienſis epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſc.

Felix Eccleſiæ Dianeñ. epiſc. geſta ſynodica à nobis def. ſubſcripſi.

Suintericus Eccleſ. Valentinæ epiſc. hæc geſta ſynod. à nobis def. ſubſcr.

Palmaicus Eccleſ. Vrgelleñ. epiſco. hæc geſta ſynod. à nobis def. ſubſcr.

Richila Eccleſ. Accitanæ epiſco. hæc geſta ſynod. à nobis def. ſubſcr.

Rogatus Eccleſ. Bittereñ. epiſco. hæc geſta ſynod. à nobis def. ſubſcr.

* Baſtitanæ

Ætherius Eccleſiæ * Baſtianæ epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſc.

Concordius Eccleſ. Palentineñ. epiſc. hæc geſta ſynod. à nobis def. ſubſc.

Aſciſclus Eccleſ. Compluteñ. epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſc.

Memorius Eccleſ. Segobriceñ. epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſ.

Egila Eccleſ. Segontieñ. epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſ.

* Tagontius

* Gaudentius Eccleſ. Valerieñ. epiſc. hęc geſta ſynodica à nobis def. ſubſ.

Liberatus diaco. agens vicem Domini mei Sinduitti Eccleſ. Segobieñ. epiſcopi, hæc geſta ſynodica à nobis def. conſentiens ſubſc.

Egila diaconus, agens vicem Domini mei Numbuli Eccleſiæ Arcobriceñ. epiſc. hæc geſta ſynod. à nobis def. conſentiens ſubſc.

Iulianus Eccleſiæ monaſterij S. Michaelis abbas, hęc geſta ſynodica à nobis def. conſentiens ſubſ.

Valderedus Eccleſ. monaſterij S. Leocadię abbas, hæc geſta ſynodica à nobis def. conſentiens ſubſc.

Gratinus Eccleſ. monaſterij Sancto. Coſmæ & Damiani abbas, hæc geſta ſynodica à nobis def. conſentiens ſubſcr.

16 His igitur conſtitutionibus noſtris, quæ neceſſario decernenda credimus, finalem manus noſtrę ſubſcriptionem adiecimus; immortali Deo noſtro & Domino gloriam & honorem reddentes, qui nos de conuentu alternę viſionis lætos effecit; qui nos noſtrum in confeſſione laudis ſuæ aperuit; qui etiam decreta huius noſtri Concilij honeſto fine compleuit. Poſt hæc religioſo domino, & amabili Principi noſtro Vvãbano Regi gratiarum actiones perſoluimus; cuius ordinatione collecti, cuius etiam ſtudio aggregati ſumus; qui Eccleſiaſticæ diſciplinæ his noſtris ſeculis nouus reparator occurrẽs, omiſſos Conciliorum ordines non ſolùm reſtaurare intẽdit, ſed etiam annuis recurſibus celebrandos inſtituit, vt ad alternam morum correctionem annuo tempore alacriter cõcurrentes, iuxta Prophetæ vaticinium, quod in nobis defractum eſt alligetur, & quod abiectum eſt reducatur. Det ergo eidem Principi Dominus pro huius ſacræ ſolicitudinis voto, & curſum præſentis vitæ in pace tranſigere, & poſt diutina tempora ad ſe in pace remiſſis iniquitatib. peruenire, qualiter & hic felicia tempora ducat, & felix cum omnibus, quibus principatur, ad Chriſtum ſine cõfuſione perueniat: vt quia per eum corona noſtri ordinis in melius reſtauratur, coronam futuri regni capiat; ex hoc in regione viuorum regnãs, cum Chriſto in ſecula ſeculorum, Amen.

INTERFVERVNT HVIC SANCTO Concilio Pontifices numero decem & ſeptem.

1 Ego Quiricus, vrbis Regiæ Metropolitanus Epiſcopus, hæc geſta Synodalia à nobis definita ſubſcripſi.

2 Athanaſius, Setabitanæ Eccleſię epiſcopus, hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſc.

3 Ego Argemundus, Oretanæ Eccleſiæ epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

4 Ego Ioannes, Bigaſtrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

5 Ego Godiſcalcus, Oxomenſis Eccleſiæ epiſco. ſimiliter ſubſcripſi.

6 Ego Leander, Eccleſ. Illicitanæ, qui & Elotanæ, epſco. ſimiliter ſubſ.

7 Ego Felix, Eccleſ. Dianienſis epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſc.

8 Suinterius, Eccleſ. Valentinæ epiſc. hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſ.

9 Palmatius Eccleſiæ Vrcitanæ epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

10 Ricilla, Eccleſiæ Accitanæ epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.

11 Rogatus, Eccleſiæ Beatienſis epiſc. ſubſcr.

12 Etherius, Eccleſiæ Baſtitanæ Epiſc. ſubſcr.

13 Concordius, Eccleſiæ Palentinæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

14 Aſciſclus, Eccleſiæ Complutenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.

15 Memorius Eccleſiæ Segobrienſis Epiſc. ſubſcripſi.

16 Egica, Eccleſiæ Seguntienſis epiſc. ſubſ.

17 Gaudentius Eccleſiæ Valerienſis Epiſcopus, ſubſcripſi.

Vicarij Epiſcoporum.

18 Libertus Diaconus, agens vicem Domini Dei Sinduiti, Eccleſiæ Segobienſis Epiſcopi, hæc geſta conſentiens ſubſcripſi.

19 Egila Diaconus, agens vicem Domini mei Mumuli, Eccleſiæ Arcauicenſis Epiſcopi, hæc geſta conſentiens ſubſcripſi.

Item Abbates.

1 Iulianus, Eccleſ. monaſterij S. Michaelis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis def. ſubſcr.

2 Valderedus, Eccleſiæ monaſterij S. Leocadiæ Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis edita conſentiens ſubſcr.

3 Gratindus, Eccleſ. monaſterij ſanctor. Coſmæ, & Damiani Abbas, hęc geſta ſynod. à nobis edita conſentiens ſubſ.

Abſalio Eccleſ. monaſterij S. Crucis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis def. conſentiens ſubſcr.

Florentius Eccleſiæ monaſterij S. Eulaliæ Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis defin. conſentiens ſubſcr.

Anila Eccleſ. monaſterij S. Iuliani Agalienſis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis def. conſentiens, ſubſcr.

Gandida Eccleſiæ Mariæ regiæ ſedis Archidiaconus, hæc geſta ſynodica à nobis def. conſentiens, ſubſcr.

4 Abſalio, Eccleſiæ monaſterij ſanctę crucis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis definita conſentiens ſubſcripſi.

5 Florentinus, Eccleſię monaſterij S. Eulaliæ Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis definita conſentiens ſubſcripſi.

6 Auila, Eccleſię monaſterij S. Iuliani Agalienſis Abbas, hæc geſta ſynodica à nobis definita conſentiens ſubſcr.

7 Gudila Eccleſiæ S. Mariæ Regiæ ſedis Archidiaconus, hæc geſta ſynodica à nobis definita ſubſcr.

DE SVBSCRIPTIONIBVS VNDECIMI Concilij Toletani. Notæ Ioan. Garſiæ.

Cur Athanaſius Setabitanus ſecundo loco ſubſcripſerit?

In his omnibus ſubſcriptionibus ſolus Athanaſius, Setabitanæ Eccleſiæ Epiſc. ſubſcribit, qui alijs interfuit Cōcilijs: ut enim, in 8. Era 691. & 9. & 10. ſubſcribit: vnde hic vt antiquior omnibus, poſt Metropolitam Quiricum ſecundo loco confirmat. Cæteri omnes Epiſcopis alijs ſuffecti huic Synodo interfuerunt; vt Argemundus Eccleſiæ Oretanæ, qui ſucceſſit Mauricio, in 10. Aſciſclus Complutēſis Daulæ, in 10. Concordius Palentinæ, Aſcario, in 8. Etherius Baſtitanæ. Seruodei, in 8. Egica Segūtienſis, Vvidérico in 10. Felix Diamienſis, Marcello, in 8. Gaudentius Valerienſis, Stephano, in 10. Godiſcalcus Oxomenſis, Egilano, in 10. Ioannes Bigaſtrenſis, Giberio, in 10. Leander Illicitanæ, Vvimbal, in 10. Memorius Segobrienſis, Etiſicio in 10. Mumulus Arcauicēſis per procuratorem, Balduigio, in 10. Palmatius Vrcitanæ, Marcello, in 10. Quiricus vrbis Regiæ, Eugenio, in 10. Ricilla Accitanæ, Magnario, in 10. Sumterius Valentinæ, qui Felici in 8. Sinduitus per procuratorem Segobienſis, Anſerico. Subſcribit etiam Rogatus Beatienſis. Huius Epiſcopatus mentio in alijs ſubſcriptionibus non habetur. Omnes ferè Epiſcopi ſunt ex Metropoli Toletana: nam in 10. Concilio Toletano omnes ſubſcribunt, præterquam, Palentinæ, Baſtitanæ, Valentinæ, Segobrienſis, qui etiam ad Carthaginenſem prouinciam pertinent.

NOTÆ in Concilium Toletanum XI. Ioan. Garſiæ.

Tempus & acta Concilij. Adeodato Baronius.

In nomine Domini.] *Toletanum Concilium vndecimū, habitum anno 4. Vvambani Regis, ſeptim. Idus Nouemb. eſt prouinciale; coactum ſub Agatho P. M. in quo factam eſſe legitimam ſedium Epiſcopalium diuiſionem omnes Hiſpani hiſtorici tradunt, Rodericus, Chron. generale, Tudenſis, Vaſæus & alij.* Hæc Garſias.

Adde. Bar. ann. 675. n. 4. & 5. fretus autoritate Tudenſis aſſerit, diuiſionem ſedium Epiſcopalium in Hiſpania factam eſſe, non in hoc Concilio cui 18. tantū Epiſcopi interfuerunt; ſed in alio quodā Toletano generali Cōcilio, cui omnes Epiſcopi Hiſpaniæ ſub Rege Vvamba interfuerunt. In re grauiſſima iudicium meum ſuſpendo.

Cum tandem nos.] *Iouerius in collectione Conciliorū amplius habet:* Cum tandem diuina clementia operis manuum ſuarum perditioni condolens, praua in directa reducens, ſuū ſanctum Sabaoth nouis propaginib. ac plantis nouellis fœcundare volens; negligentiæ ſubrogās diligentiam; pro ignorantia, diſciplinam immittens; pro ſocordia, ſolertiam; pro ſchiſmate, vnitatem inducens; pro zizania, veræ pacis vinculum largiens; pro caducis, cœleſtium deſideria infundens: pro turpibus, honeſta ſectariſtimulans, à terrenis & infimis, ad ſublimia erigēs nos; in hac lacrymarum valle potius morientes, quàm viuentes; in hoc vaſto periculorum mari vagantes, ſine remige, ſine clauo, huc illucq; tempeſtatum fluctib. per abrupta colliſos, in cōtinua malorum acie, vbi nos circunſtant mille diſcrimina; vbi verſutiſſimus inſidiatur hoſtis, mille nocendi artibus inſtructus, ex alto cœli domicilio reſpiciens, &c.

Confeſſio fidei.

Confitemur.] *Fidei confeſſio in Concilijs præponitur, ſt atimq; initio fieri ſolēne fuit, velut i totius Chriſtianæ ſtructurę baſis & fundamentum, à quo omnis ædificatio cępta eſſet in templum Dei.*

Et prædeſtinatus eſſe credendus eſt.] *In eo ſenſu, quo dicitur à D. Paulo, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri.*

Cap. 1. Forma Concilij celebrandi.

In loco benedictionis.] *De forma ſeruanda in Concilijs celebrandis, ſtatuunt Concil. Tol. 4. c. 3. & Agathenſ. c. 40. Chalcedonenſe etiam, vt habetur diſt. 18. ca. peruenit ad noſtras. Ordinemq; celebrandi Concilia, principio huius collectionis poſui.*

Cap. 2.

Quantum quis.] *De ſcientia, quam debet habere Epiſcopus, vide Innocen. in c. cum in cunctis, in princip. de electione, & Ioannē Andream, & Hoſt. & Abbat. Verùm Cardinalis Turrecrem. Hiſpanus, & Præpoſitus, & Alexander, parcius loquuntur de ſcientia, & peritia Epiſcopi, in c. omnes pſallentes. 38. diſt. Epiſcopi munus eſſe primū, ac præcipuum, prædicare ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium; habere in ore gladium veritatis, & diuinæ ſcripturæ intelligētia eminere, multis exemplis pariter, ac doctrinis oſtendit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſupremum Eccleſiæ caput, ſummusque Sacerdos, cuius ſacrata membra Epiſcopi ſunt, qui typum ſupremi in veteri lege Epiſcopi Aaronis referūt. Nam ſicut ille os fuit Moyſi, ita Epiſcopus per verbi miniſterium, os eſt Chriſti. Atque hoc eſt, quod Apoſtolis promiſit: Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere aduerſarij veſtri. Et ipſe primum docuit facere, & poſtea docere. Imò duodecimum nondum annum compleuerat, & in medio Doctorum in templo diſputare inuentus, ſolicitæ mœſtæq; matri reſpōdit: Nonne in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et alibi: oportet me operari opera eius, qui miſit me. Et illud: Ego cibū habeo manducare, quem vos neſcitis. Meus cib. eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me Patris. Quæ nam eſſet Patris voluntas docuit, cū Samaritanam prædicatione ad fidem traxit; cum parabolis & cœleſtib. doctrinis populum inſtruxit. Circuibat enim Ieſus omnes ciuitates & caſtella, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans oēm languorem, & omnem infirmitatem. Et cū in ſynagogam Nazareth, vbi erat nutritus, intraſſet, traditus eſt illi liber Eſaiæ prophetæ: &, vt reuoluit, incidit in locum, vbi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me; euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum. Miſit etiam diſcipulos binos prædicare, & dixit illis: Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Et, dicite: Pax huic domui, & appropinquauit in vos regnum Dei. Et poſt mortem corporis, gloria immortalitatis coopertus, dixit Apoſtolis: Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et rurſus: Poſui vos, vt eatis, et fructum adferatis. Et alibi: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & vniuerſa Iudæa, & Samaria, vſq; ad vltimum terræ. Idem etiam Apoſtolorū comprobatur doctrina; qui alijs ita de ſeipſis dixerunt: Non eſt æquum miniſtrare menſis, & relinquere verbum Dei. Et Paulus Væ mihi, inquit, ſi non Euangelizauero. De quo dictum eſt: Vas electionis eſt mihi; vt portet nomē meum. Vnde ipſe de ſe dicebat: Miſit me Dominus non baptizare, ſed euangelizare. Et Epiſcopo Timotheo regulā epiſcopalis muneris ita præſcribit: Oportet, inquit, Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem; no ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, nec turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, cōtinentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem; vt potens ſit exhortari in doctrina ſana; & eos, qui contradicunt, arguere. Et alio loco: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorē. Et paulò poſt. Attende lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Hæc igitur norma eſt, veraq; imago Epiſcopalis curæ, quā Paulus deſignat, & certis coloribus depingit: quam etiam omnes ſancti Patres ſunt ſequuti. Sozomi Pontif. Max. fragmentum apponam.* Qui Eccleſiaſticis, inquit, diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, & temporum approbatione diuinis ſtipendijs non eſt eruditus, nequaquam ad ſummum Eccleſiæ Sacerdotium aſpirare præſumat: & non ſolum in eo ambitio inefficax habeatur, verum etiam ordinatores eius careant eo ordine, quem contra præcepta Patrum crediderunt præſumendum. *Inde eſt quod ſacrarum literarū neceſſario oportet Epiſcopum habere peritiam. Et in ſua ordinatione cum formatur, interrogatus, an vtrumq; ſciat Teſtamentum, publicè fatetur ſe ſcire. Idq; in veteri teſtamento præfiguratū erat. Nam inter cætera ornamenta Pontifex Rationale iudicij ferebat in pectore, in quo inciſum erat. Doctrina, & veritas: quia in Pectore Pontificis manifeſta & cognita omnib. debet eſſe ſapientia veritatis. Hinc etiam vectes, quibus arca à Leuitis in via portabatur, iugiter annulis erant inſerti: vt cum illa eſſet portanda, nulla fieret mora in intromittendis vectibus. Quia Epiſcopi, per quos verbum Dei in Eccleſia publicè in orbem circunfertur, ſacrarum literarum le-*

Quæ & qualis ſcientia requiratur in Epiſcopo?

Exod. 18.

ctioni

ctioni perpetuò debent ſedulã nauare operam; ne tunc quærant diſcere, cũ ex officio alios teneantur docere. Dauid Rex, cui munus regendi populos datum eſt, prius ex gratia Spiritus ſancti donum ſcientiæ percepit, quàm adminiſtrationem regni aſſequeretur. Salomon quoque cum primùm regnum inchoaſſet, non diuitias, non longum vitæ tempus, ſed diuinam ſapientiam à Deo poſtulat, & impetrat, ſine qua nihil eſſe præſtans ad regimen aptum regni intelligebat. Et prius Dominus poſuit verba in ore Prophetæ, quàm cõſtitueret eum ſuper gentes & regna, dicens ad Hieremiam: Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce conſtitui te ſuper gentes & regna. Hinc etiam Malachias: Labia Sacerdotis cuſtodiũt ſcientiam, & legem exquirunt de ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. Quia ſancti, & optimi viri eſt, prius diſcere, poſtea verò prædicationis officio fungi. Salomon ante tacendi tempus expreſſit, loquendi poſtea: quia veritas taciturnitate & ſilentio, meditationeq; animi diſcitur, & comparatur; iam verò concepta paratáq; verbo populis datur, & annũciatur, vt Domini ſermo ait: qui audit, dicat veni: id enim in Apoſtolis formandis obſeruauit; eruditens eos doctrina cœleſtis intelligentia, parabolarum apertione, miraculorum operatione, vitæ cõſuetudine & familiaritate; vt ita edocti prædicationis officio fungi poſſent: poſtea miſit in vniuerſum orbẽ. Vnde poſt corporis ſui admirabilem reſurrectionem, illis diuinæ ſcripturæ abditum recõditumq; ſenſum aperuit: poſtea verò dixit: Euntes in mũdum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Petrus verò Apoſtolorum Princeps, Chriſtiq; Vicarius, cui ouilis Dominici cura demãdata eſt, cum rectoribus, & præpoſitis Eccleſiæ ſcriberet, ait: Parati eſſe debetis, reddere rationem omni poſcenti vos ſatisfactionem, de ea fide, & ſpe, quæ in vobis eſt. Quibus teſtimonijs apertè monſtratur, nõ ſatis eſſe Presbytero bona morum puritas, & vitæ honeſtas, vt muneri Epiſcopali præficiatur, niſi ſcientia doctrinæ cœleſtis polleat. Expendamus poſt Sozimum, Origenis verba hom. 6. ad cap. 8. Leuitici: Si quis vult Pontifex non tã vocabulo eſſe, quàm merito, imitetur Moyſen, imitetur Aaron: quid enim dicitur de eis? quia non diſcedunt de tabernaculo Dñi. Erat ergo Moyſes indeſinenter in tabernaculo Dñi. Quod autem opus eius erat? vt aut à Deo aliquid diſceret, aut ipſe populum doceret. Hæc duo ſunt Pontificis opera, vt aut à Deo diſcat legendo ſcripturas diuinas, & ſæpius meditando, aut populum doceat: ſed illa doceat, quæ ipſe à Deo didicerit; non ex proprio corde, vel ex humano ſenſu; ſed quæ Spiritus ſanctus docet. Hæc Orig. Concil. etiam Tolet. 16. in decr. 12. iudicij, & electione Felicis Epiſcopi in Toletanam ſedem, & Fauſtini in Hiſpalenſem, & alterius Felicis in Bracarenſem, ſic Epiſcopale officium deſignatur: Quatenus vterque eaſdem, quas ſuſcepit Eccleſias, pia prædicatione inſtruant, moribus ſanctis exornent, ac beatæ vitæ exemplis ædificent. At dicet quis Concil. Trident. ſtatutum eſſe, poſſe Epiſcopos per alios, ſi legitimè impediti fuerint, verbum Dei annũciare. Id autem quis negabit? quis inficiabitur? verũ ignorantiæ, & inſcientiæ, & imperitiæ impedimentum, nullius ſanus, neq; in ſacris literis verſatus, vt per alios populum erudiat, dicet eſſe legitimũ, atq; ſufficiens. Quod nec Paulus admittit, cùm ait: Vt potens ſit exhortari in doctrina, & eos qui contradicunt arguere. Potens ſit (inquit) in doctrina, id eſt, in ſacrorum librorum intelligetia, in diuinorum myſteriorum peritia, in quæſtionum ſacrarum enodatione, in Conciliorũ, & Decretorum Eccleſiæ doctrina, & ſapientia, in hæreticorũ calliditatibus, & verſutijs arguendis, ac ſubuertendis. Et 2. ad Timot. eum in Epiſcopali cura inſtruens, ſic ait: Tu verò permane in his, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi; ſciẽs à quo didiceris, & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu: Omnis.n. ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Neq; prætermittendum eſt, Timotheum ab infantia ſacras literas didiciſſe, vt in curam Epiſcopalem incumberet. Sacra Trident. Synod. ſeſſ. 6. ca. 1. in Epiſcopis requirit, vt eorum prior vita, ac omnis ætas, à puerilibus exordijs, vſque ad perfectiores annos per diſciplinæ ſtipendia laudabiliter acta, teſtimonium præbeat. Hæc de Epiſcoporum munere, & doctrina diximus fuſius fortè quàm oportuit.

Cap. 4. Sicut omnis.] *Totum hoc caput à Surio, Iouerio, atque alijs collectoribus, Bonifacio tribuitur: quam benè, lector videris: in M. ſſ. CC. nulli aſſcribitur.*

Cap. 4. Iuxta antiqui Canonis.] *4. Concil. Carthag. ca. 9. Oblationes (inquit) diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylatio recipiantur.*

Cap. 8. Munus pro collatis ordinibus. Voluntariè oblata.] *Sic in Concil. Trident. ſeſſ. 21. ca. 1. de reformatione:* Nihil pro collatione quorumcunq; ordinum, etiam Clericalis tõſurę, nec pro literis dimiſſorijs, aut teſtimonialib. nec pro ſigillo, nec alia quacunq; de cauſa, etiam ſponte oblatum Epiſcopi, & alij ordinum collatores, aut eorũ miniſtri, quouis prætextu accipiant. *Habes idipſum Concil. Tolet. 8. c. 3. Concilio tamen Bracar. 2. permittitur, vt ſi quid ab ijs, qui infantes ad baptiſmum offerunt, ſponte oblatum ſit, accipi poſſit: ſic enim habetur:* Placuit, vt vnuſquiſq; Epiſcopꝰ per Eccleſias ſuas hoc præcipiat, vt hi, qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt; ſi quid voluntariè pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab eis. *In excuſis, & Gratiano legitur:* Non niſi voluntariè oblata. *Concilio Emeritenſi, c. 9.* Quod ſi quis aliquid offerat per bonam voluntatem, accipiatur gratè.

Conſignandis.] *Conſignatio eſt confirmatio; munus ſolius Epiſcopi. Act. 8. Miſerũt ad eos Petrum, & Ioannem, &c. Apoſtoli initiatis baptiſmo manus imponebant, non Presbyteri. Epiſcopi verò Apoſtolis ſucceſſerunt, non Presbyteri; vt ait Auguſt. ad pſal. 44. S. Clemens lib. 3. conſt. Apoſt. cap. 16.* Poſtea Epiſcopus (ait) vngat baptizatos chriſmate. *Idem Clemens epiſt. 4. Et Vrbanus PP. 1. epiſt. ad omnes Chriſtianos, Can. Omnes fideles, de Conſecr. diſt. 5. Melchiades PP. epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ quærit, vtrũ maius eſſet ſacramentum, manus impoſitionis Epiſcoporum, aut baptiſmus. Idem Damaſus PP. epiſt. 4. ad Chorepiſcopos. Leo Magnus epiſt. 88. ad Epiſcopos Germaniæ, & Gall. Euſebius Martyr epiſt. 3. ad Epiſcopos Tuſciæ. Innocen. I. epiſt. ad Decentium, ca. 3.* De conſignandis verò infantib. manifeſtum eſt (inquit) non ab alio quàm Epiſcopo fieri licere. *Tolet. 1. c. 20. Idem in Concil. Hiſpal. Can. 7. S. Thom. 3. p. q. 72. ar. 11.*

Cap. 9. Patrum ſententiæ.] *Neminem pretio ordinandũ decreuit Gelaſius PP. epiſtol. ad Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam, c. 26. & Concil. Chalced. c. 2. habetur q. 1. q. 1. Si quis Epiſcopus. Idem Hormiſda PP. epiſtola ad Epiſcopos, per Hiſpan. c. 2. Symmachus epiſtola ad Cæſarium, ca. 2. & 5.*

Cap. 9. Apparitoribus.] *Erant Apparitores magiſtratuum miniſtri, qui & viatores dicebantur: homines, qui reos in ius ſiſtebant; vnde & ſtatorum nomen illis inditum. Hic accipi videntur pro ijs, qui ordinibus imitiandos Epiſcopo ſiſtebant, & ex eare lucrum captabant.*

Cap. 10. Placiti ſui innodatione.] *Placitum, profeſſio, cõuentio, & pactũ. Sic in legib. Viſegoth. lib. & tit. 4. leg. 10. & lib. 12. de Iudæorum placito. Et apud Caſſianum collation. 9. c. 1. Et apud Iuriſconſultos, ibi ſæpè, ſum præſertim li. 4. Dig. tit. 14. de pactis.*

Cap. 11. Tempore infantiæ faciunt.] *Infantib. poſt baptiſmum Euchariſtiæ ſacramentum dari ſolitum teſtatur Ambr. lib. de his, qui myſterijs initiantur, ca. 7. & 8. & li. 3. de Sacramen. c. 1. Et Concil. Laodicenſ. c. 28. ita habetur:* Oportet baptizatos, poſt baptiſmum, ſacratiſſimum Chriſma percipere, & cœleſtis regni participes fieri. *Idem Tertull. libr. 4. aduerſus Marcionem: & Hieronymus aduerſus Luciferianos: Auguſt. epiſt. 23. & libr. 5. Hypognoſt. In paruulis etiam eadem ſeruabatur inſtitutio; vt conſtat ex ordine Romano, & Alcuino lib. de diuin. offic. ca. de Sabbatho ſancto. Verùm hæc conſuetudo in Eccleſia Latina antiquata eſt: quamuis in Græca, ſint qui dicant, adhuc permanere.*

Cap. 12. Reconciliatio adhibenda eſt; ne prius ab humanis rebus æger abſcedat, quàm donum reconciliationis percipiat.] *Tria ſunt hoc loco conſideranda; pœnitentia, manus impoſitio, & reconciliatio. Accipere pœnitentiam nihil aliud erat, quàm pœnitentiũ ſubdi legibus, per animi contritionem, & oris confeſſionem. Manus impoſitio, erat abſolutio Sacerdotis, poſt peractam peccatorum confeſſionem. Recõciliatio verò, erat Euchariſtiæ ſumptio: ad quam perceptionem in mortis extremo periculo maximè feſtinandum eſt. Id conſtat ex Concil. Carthag. 4. ca. 76. quod de infirmis in phreneſim verſis, ſic decernit:* Accipiat pœnitentiam, & ſi continùò creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur oris eius Euchariſtia. *Idipſum explicatur Conc. Arauſic. 1. c. 3.* Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare: *quod morientis ſufficit reconciliationi, ſecundùm definitiones Patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. In fine vitæ, pabulo corporis & ſanguinis Chriſti Domini noſtri dignè refici, æternæ vitæ augmentum eſt, donumq; cœleſte profecturis ad regnũ æternum conceſſum: vnde viaticum à Latinis, à Græcis verò ἐφόδιον nominatum. Nicæn. Synod. Can. 13. habetur 26. q. 6. c. De his verò. Merito in hoc vno ſacramento poſitum eſt viaticum: eſt enim cibus itinerarius animæ, & corporis, ſicuti manna fuit corporis, in deſerto iter agentibus. Eius vſu & ſumptione virtutes, officiaq; pietatis Chriſtianæ augentur, appetionesq; humanæ, & terreſtres debilitantur, & diſſipantur; præſertim cum & vinculis corporis, tanquam è carcere*

animus eductus, viam pertimescendã alterius seculi calcat. Quo tempore præcipuè iste cibus studiosè & piè adhibendus est: idq; viri sancti maximo studio curarunt. Chrysost. lib. 6. de Sacramentis, commemorat se audisse à sancto viro, qui diuino beneficio ipse viderat, quod, qui ex hac vita migraturi sunt, si purè & sanctè huius sacramenti participes fuerint, ab Angelis eorum animas satellitum more stipantibus, propter huiusmodi sacramẽtum sumptum, hinc recta in cœlum abducuntur: quam sententiam libentiß. mè posui, propter consolationem fidelium, in hac lachrymarum valle degentium. Paulinus etiam in vita Ambrosij narrat, Honoratum Sacerdotem Vercellensis Ecclesiæ retro fuisse diuina voce vocatum, sic: Surge, & festina, quia modò es recessurus: qui veniens obtulit Ambrosio Dominicum corpus: quo accepto, emisit spiritum. Niceph. etiam lib. 13. c. 37. de morte Chrysostomi tradit. fuisse à Petro, & Ioanne Apostolis cœlesti escarefectũ. Vide quid dicat Gregor. hom. 40. & lib. 4. dialog. cap. 15. de S. Romula, & Euseb. lib. 6. hist. Eccles. c. 36. de Serapione. Et hoc est apud Cyprianum lapsis pacem dari, hoc est, ad communionem sanguinis & corporis Domini admitti.

Cap. 12. De his autem, qui.] *Vide de hac re Magistrum sententiarum lib. 4. dist. 20. de his qui in fine pœnitent.*

Cap. 12. Nos sententias placuit sequi.] *Sic in Concil. Epaun. & ex eo apud Gratian. 26. q. 6. c. Si aliquis.* Si quis fuerit mortuus, qui iam sit cõfessus, & testimonium habet bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, sed præoccupauit eum mors in domo, vel in via faciant parentes eius pro eo oblationem ad altare; & dent redemptionem pro captiuis. Idem per totam quæstionem huius causæ.

Cap. 12. Quorum nomina in Missa recitari solita? Memoria talium in Ecclesijs commendetur.] *Veteris Ecclesiæ mos fuit, pro quibus offerebatur, nomina in Missa sacrificio recitari, tam viuorum, quàm defunctorum. Id constat ex Concil. Emeritensi, c. 19.* Proinde salubri deliberatione cẽsemus, vt pro singulis quibusq; Ecclesijs, in quibus Presbyter iussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre: & eorum nomina, à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesijs videntur, aut visi sunt contulisse; si viuentes in corpore sunt, ante altare recitẽtur tempore Missę; quod si ab hac discesserũt, aut discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine. *Erant enim tabulæ duæ, quarum vna viuorum, alteri defunctorum nomina inscribebantur: vt patet ex Innocentio in epist. 1. ad Decentium, & ex Dionys. Areopag. c. 3. Eccles. Hierarch. Concil. Eliberit. c. 29. de energumenis dicitur: vt nomen eorum non recitetur ad altare.* Defunctorum in Missa memoria ab Apostolis est instituta, vt tradit Isidor. lib. 1. de officijs, ca. 18. Sacrificium (inquit) pro defunctorũ fidelium requie offerre, vel orare pro eis; quia per totum hunc orbem custoditur, credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia: quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosynam faceret, vel sacrificium Deo offerret. *Hæc Isidorus. Cyprianus pro mortuis semper offerebat sacrificium: vt in epist. ad Clerum dicit de Celerino Confessore. Et Gregor. lib. 7. regist. epistol. 1, quæ incipit: Vtilis semper. Vltimò apponam fragmentum August. li. 9. Confess. c. 13. Sic enim ait de morte Monicæ matris suæ:* Namq; illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitauit corpus suum sumptuosè cõtegi, aut cõdiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrum: non illa mandauit nobis; sed tantũ memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat. Vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletũ est chirographum, quod erat contrariũ nobis; qua triumphatus est hostis, computans delicta nostra. Et infra: Inspira, Dñe Deus meus, inspira seruis tuis fratrib. meis, filijs tuis, dominis meis, quibus voce, & corde, & literis seruio; vt quotquot hęc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu primum parentum meorum, in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre, in matre Catholica, & ciuium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui, ab exitu, vsq; ad reditum: vt quod à me illa popposcit extremum, vberius ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas. *Hæc August. de matre sua.*

Cap. 13. Maiorum regulis.] *Concil. Eriberit. c. 29. & 1. Arausic. ca. 16. & Pius PP. 1. dist. 33. c. Communiter.*

Cap. 13. Arrepti. Arrepti à dæmonibus.] *Hi Græco nomine dicuntur energumeni, ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν, id est, ab operationibus dæmonum, quas in ipsis præcipuè videmus. Concil. Ancyr. c. 16.* Energumenus est, qui tempestate iactatur, seu spiritu immũdo diuexatur: *Ἐνέργημα enim pro vi, seu efficacia, & vexatione dæmonum accipitur, apud Tertullianum lib. de præscript. aduersus hæreticos. S. Ambrosius serm. 25. dicit, à diabolo energumenum non nisi ieunijs posse purgari. Arreptorum nomen etiam apud Cassianum est collat. 7. c. 12. dicti ita videntur ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν, id est, ab operationib. dæmonum, quas in eos exercent.*

Cap. 14. Qui eius vicem.] *Idem est in Concil. 7. Toletan. Can. 2. Quòd nullus solus Missam dicat, decretum est à Sothere PP. habeturq; de Consecr. dist. 1. c. Hoc quoque, & Concilio Mogunt. cap. 43.*

Cap. 15. Metropolitani electio.] *Sic cauetur Concil. Chalced. c. 29. vt celebretur Synodus bis in anno, eo in loco, quem Episcopus Metropolitanus designauerit. Suprà de hac re diximus.*

Defunctorum commemoratio in Missa ab Apostolis est instituta.

CONCILIVM BRACARENSE TERTIVM, HABITVM ANNO QVARTO VVAMBANI REGIS, TEMPORE ADEODATI PAPÆ. Anno Domini 675. Est Prouinciale.

Editio I. Vvlgata.

TITVLI CAPITVLORVM CONcilij Bracarensis tertij.

Vt repulsis omnibus opinionibus superstitionum, panis tantum & vinum aqua permixtum, in sacrificio offerantur. 1
Ne vasa Domino sacrata, humanis vsibus seruiant. 2
Ne sacerdos sine orario Missam audeat celebrare. 3
Ne sacerdotes, siue quicunque ex clero, sine testimonio cum quibuslibet fœminis habitent. 4
De damnata præsumptione quorundam episcoporum, qui in festiuitatibus martyrũ ad Ecclesiam procedentes, appensis collo reliquijs, ab albatis diaconibus in sellulis vectantur. 5
De honestate honoratorum, & disciplina. 6
Ne promissione munerum, honoris gratia venundetur. 7
Ne auctores Ecclesiæ prius propria quàm Ecclesiastica iura laborare intendant. 8

Editio II. Ioan. Garsiæ.

INCIPIVNT CAPITVLA CONcilij Bracarensis tertij.

De fide. 1
Vt repulsis omnibus opinionibus superstitionum, panis tantum & vinum aqua permixtum in sacrificio offeratur. 2
Ne vasa Domini sacrata, humanis vsibus seruiant. 3
Ne Sacerdos sine orario Missam audeat celebrare. 4
Ne Sacerdotes siue quicunque ex clero, sine testimonio cum quibuslibet fœminis habitent. 5
De damnata præsumptione quorundam Episcoporum, qui in festiuitatibus martyrum ad Ecclesiam procedentes; appensis collo reliquijs, ab albatis Diaconibus in sellulis vectantur. 6
De honesta honoratorum disciplina. 7
Ne repromissione munerum honoris gratia venundetur. 8
Ne Rectores Ecclesiæ plus propria, quàm Ecclesiastica iura laborare intendant. 9

Anno Domini 674.

DEcenter satis per diuinum Spiritum in Bracarensi vrbe collecti, & de his, quæ intra Dei Ecclesiã peruersa actione geruntur, tractaturi conuenimus, vt adiuuante nos illo, qui dicit, Vbicunque duo vel tres collecti fuerint in nomine meo, ibi ero in medio eorum: pari animo, pariq; deuotionis studio exurgentes, malè habitos extirpemus errores. Etenim dum nos in vnum synodalis actio aggregasset, debitis in sedibus collocati, primum de sanctæ fidei sacramento cœpimus habere sermonem, scilicet, ne aut vanitate disputantium, aut nescientia simplicium, erroris quippiam in hoc sacramento fidei teneretur. Vnde cum omnes nos in vera fide, vt speculum perlustraremus illæsos, in eo, quia nullum nostrum schismatici erroris * fatigauerat turbo, sed vera nos, & simplex in hoc sacramento Apostolica ostendit idoneos prædicatio, grates omnipotenti peregimus Deo: quam tamen nostræ fidei regulam, ipsis verbis atq; sententijs commemorando reteximus, quibus eam in conuentu Nicæni Concilij declaratam esse scimus.

Matth 18.

* fuscauerat

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium cõditorem. Et in vnum Dominũ Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, ex patre natũ ante omnia secula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion patri, hoc est, eiusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos, & propter nostrã salutẽ descendit. Et incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Homo factus, passus est sub Põtio Pilato: sepultus, tertia die resurrexit. Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Dei patris, iterum venturus iudjcare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credimus & in Spiritum sanctum, Dominũ, viuificatorem, ex patre & filio procedentem, cum patre & filio adorandum & glorificãdum. Qui locutus est per prophetas. Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum. Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi, Amen.

Post huius sanctæ fidei sacramentum, relatus est in concione omnium nostrum error manifestus, pariter & diuersus, qui tanta debet disciplinæ arte retundi, quanta & peruersitate comprobatur infundi. Quidam enim in sacrificijs Domini relati sunt lac pro vino offerre, Eucharistiam quoque vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam. Et quod peius his omnibus est, quidam sacerdotum in vasis Domini epulas sibi apponunt, & manducare in eis præsumunt. Quidam etiam ex sacerdotibus relati sunt, quòd Ecclesiasticæ consuetudinis ordine prætermisso, Missam sine orarijs audeant dicere, & quòd in solennitatib. martyrum reliquias suo collo imponant, & in sellulis, non ab alijs seportandos, nisi ab albatis diaconibus, credant. Illud quoque, quòd plerique sacerdotum absque testimonio cum fœminis cõmorentur: & quod quidam illorum, honoratos fratres suos verberib. indiscretis subijciant: necnon & illud, quòd quidam Simonis cupiditate arrepti, quos ordinaturi sunt sub cautione dimittant, qualiter, postquam ordinati fuerint, pecuniam ab illis promissam accipiant. Illud quoque quod familiam Ecclesiæ in proprijs laboribus quassant, damnum in rebus Dominicis facientes. Quæ omnia, ne confusè videantur esse prolata, discretis titulorum ordinibus, credimus subnectenda.

Act. 8.

Capitulum primum.

Cum omne crimen atque peccatum, oblatis Deo sacrificijs deleatur, quid decætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur? Audiuimus enim, quosdam schismatica ambitione detẽtos, contra diuinos ordines, & Apostolicas institutiones, lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare, alios quoque intinctam Eucharistiam populis, pro complemento communionis porrigere, quosdam etiam expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerre. Quod quàm sit Euangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, nõ difficilè ab ipso fonte veritatis probatur, à quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cùm enim magister veritatis, verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, nõ illis lac, sed panem tantum & calicem sub hoc sacramento cognoscimus commendata. Ait enim

Euan-

Capitulum primum.

Decenter satis per diuinum Spiritum in Bracarensi vrbe collecti de his quæ intra Dei Ecclesiam peruersa actione geruntur, tractaturi cõuenimus; vt adiuuante nos illo, qui dicit: Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo collecti, ibi ero in medio eorum, pari animo, pariq́ue deuotionis studio exurgentes malè habitos extirpemus errores. Etenim dũ nos in vnũ Synodalis actio aggregasset, debitis in sedibus collocati, primum de sanctæ fidei Sacramento cœpimus habere sermonem: scilicet, ne aut vanitate disputantium, aut nescientia simplicium, erroris quippiam in hoc sacrosancto Sacramento fidei teneretur. Vnde cum omnes nos in vera fide, vt speculum perlustraremus illæsos; in eo, quia nullum nostrorum schismatici erroris fœdauerat turbo; sed vera nos & simplex in hoc Sacramento Apostolica ostendit idoneos prædicatio, grates omnipotenti peregimus Deo. Quam tamen nostræ fidei regulam ipsis verbis, atque sententijs cõmemorando reteximus, quibus eam declaratam esse scimus in conuentu Nicæni Concilij. Et ideo: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium cõditorem: & in vnum Dominũ Iesum Christum Filium Dei vnigenitum; ex Patre natum ante omnia secula; Deum ex Deo, lumen ex lumine; Deum verum ex Deo vero; natum, non factum; homousion Patri (hoc est) eiusdem cum Patre substantiæ: per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra: qui propter nos, & propter nostrã salutem descendit, & incarnatus est de Spiritu sancto, & Maria Virgine homo factus; passus sub Pontio Pilato; sepultus, tertia die resurrexit: ascendit in cœlos; sedet ad dexteram Patris: inde venturus iudicare viuos & mortuos: cuius regni nõ erit finis. Credimus & in Spiritum sanctum, Dominum & viuificatorem, ex Patre & Filio procedentem; cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum; qui locutus est per Prophetas: in vnam Catholicam, atq; Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum baptisma, in remissione peccatorũ: carnis resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi. Amen.

Idem Cõcil. Tol. 8.

Post huius sanctæ fidei sacramentum, relatus est in concione nostrorum omnium, error manifestus pariter & diuersus, qui tanta debet disciplinæ arte retundi, quanta & peruersitate comprobatur admitti. Quidam enim in sacrificijs Domini relati sunt lac pro vino botrum offerre: Eucharistiam quoque vino madidam, pro complemento communionis credunt populis porrigendam: &, quod peius his omnibus est, quidam Sacerdotum in vasis Domini epulas sibi apponunt, & manducare in eis præsumunt. Quidam etiam ex Sacerdotibus relati sunt, quod Ecclesiasticæ consuetudinis ordine prætermisso, Missam sine orarijs audeãt dicere, & quod in solennitatibus Martyrum reliquias suo collo imponant, & in sellulis non ab alijs seportandos, nisi ab albatis Diaconib. credant. Illud quoque quod plerique Sacerdotum absque testimonio cum fœminis commorentur, & quod quidam illorum honoratos fratres suos verberibus indiscretis subijciãt: nec non & illud, quòd quidam simoniæ cupiditate arrepti, quos ordinaturi sunt, sub cautione dimittant; qualiter postquam ordinati fuerint, pecuniam ab ipsis promissam accipiant. Illud quoque quod familiam Ecclesiæ in proprijs laboribus quassant, damnum rebus Dominicis facientes. Quæ omnia ne confusè viderentur esse prolata, discretis titulorũ ordinibus credimus subnectenda.

2 Cum omne crimen, atq; peccatum oblatis Deo sacrificijs deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quãdo in ipsa oblatione sacrificij erratur? Audiuimus enim quosdam schismatica ambitione detẽtos, contra diuinos ordines, & Apostolicas institutiones, lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare: alios quoq; intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere: quosdam etiam nõ expressum vinum in Sacramento Dominici calicis offerre, sed oblatis vuis populos communicare. Quod quàm sit Euangelicæ, atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, nõ difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis cõmendaret discipulis, nõ illis lac, sed panem tantùm, & calicem sub hoc Sacra-

De consec. dist. 2. Cum omne crimẽ.

Id prohibitum est, Canone Apost. 3. ne mel, aut lac offeratur preter ordinationẽ Domini.

Matth.26. Euangelica veritas: Accepit Ieſus panem & calicem, & benedicens, dedit diſcipulis ſuis. Ceſſet ergo lac in ſacrificio offerri, quia manifeſtum & euidens exemplum Euangelicæ veritatis illuxit, quod præter panem & vinum, aliud offerri non ſinit. Illud verò, quòd pro complemento communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis, nec hoc prolatum teſtimonium ex Euangelio recipit, vbi Apoſtolis corpus ſuum & ſanguinem commendauit. Seorſum enim panis, & ſeorſum
Ioan. 13. calicis cómendatio memoratur. Nam intinctum panem alijs Chriſtum præbuiſſe non legimus, excepto illo tantùm diſcipulo, quem intincta buccella magiſtri proditorem oſtenderet, nó quæ ſacramenti huius inſtitutionem monſtraret. Nam quòd de inpreſſo botro, id eſt, de vuarum granis populus communicatur, valde eſt omnino cófuſum. Calix enim Dominicus, iuxta quod quidá doctor ediſſerit, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo quando in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & cóiunctio aquę & vini, ſic miſcetur in calice Domini, vt commixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Ergo quãdo botrus ſolus offertur, in quo vini tantùm efficientia demonſtratur, ſacramentũ noſtræ ſalutis negligitur, quod per aquam ſignificatur. Non enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſonum, niſi vtrunque ſibi miſceatur. Et ideo quia iam ex eo plurima, & multiplex Maiorum manauit ſentẽtia, quorum pietas in Deum religioſa, & ſacramẽtorum horum & efficientias copiosè diſſeruit, & inſtitutiones veriſſimè declarauit, omnis talis error atque præſumptio ceſſare iam decæterò debet, ne peruerſorum inordinata compago, ſtatum veritatis eneruet. Et ideo nulli deinceps licitum ſit, aliud in ſacrificijs diuinis offerre, niſi iuxta antiquorum ſententiam Conciliorum, panem tantum, & calicem vino & aqua permixtum. Decæterò aliter, quàm præceptum eſt, faciens, tam diu à ſacrificando ceſſabit, quàm diu legitima pœnitentiæ ſatisfactione correptus, ad gradus ſui officium redeat, quod amiſit.

*horribile 2 Omni cura, omniq; ſtudio prouidendum eſt, ne hi, qui locum videntur obtinere regiminis, cõtumeliam videantur inferre cœleſtib. ſacramẽtis. Etenim, quod & auditui *terribile, & viſui execrabile iudicatur, relatum eſt nobis, quòd quidam ſacerdotum ſacrilega temeritate pręcipites, vaſa Domini in proprios vſus aſſumant, epulaſq; ſibi in eis comedendas apponant. Quod malum & obſtupentes deflemus, & deflentes obſtupeſcimus, vt illic humana temeritas ſibi epulum pręparet, vbi ſanctum Spiritum cognoſcitur aduocaſſe: & ibi eſum carniũ crapulatus aſſumat, vbi diuina viſus eſt celebraſſe myſteria: & in quibus *tantum ſibi offerri ſacramẽta pro expiatione delictorũ *præcepit, in his expleat voluntatem ludibrij ſui. Et ideo huius decæterò pręſumptionis perſona, quę ſciendo diuina vaſa vel miniſteria, aut in vſus ſuos trãſtulerit, aut comedere in his, vel poculum ſibi ſumendũ elegerit, gradus ſui vel officij periculum ſuſtinebit, ita tamen, vt ſi de ſecularib. fuerit, perpetua excommunicatione damnetur: ſi verò religioſus, ab officio deponatur. Sub hac quoq; damnationis ſententia & illi obnoxij tenebuntur, qui Eccleſiaſtica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam vtenſilia, ſciendo in ſuos vſus tranſtulerint, vel alijs donãda vel vendenda crediderint.

*tantæ rei ſacramentum *percepit

3 Cum antiqua & Eccleſiaſtica nouerimus inſtitutione præfixum, vt omnis ſacerdos, cùm ordinatur, orario vtroque humero ambiatur, ſcilicet, vt qui imperturbatus præcipitur conſiſtere inter proſpera & aduerſa, virtutum ſemper ornamento vtrobiq; circumſeptus appareat: qua ratione tempore ſacrificij non aſſumit, quod ſe in ſacramento accepiſſe non dubitat? Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quiſque percepit in conſecratione honoris, hoc retineat & in oblatione vel perceptione ſuæ ſalutis, ſcilicet vt, cùm ſacerdos ad ſolẽnia Miſſarum accedit, aut per ſe Deo ſacrificium oblaturus, aut ſacramentum corporis & ſanguinis Dñi noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quàm orario vtroq; humero circunſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuę dinoſcitur conſecratus, ita vt de vno eodemq; orario ceruicem pariter & vtrunque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præ-

paret

mento benedixiſſe cognoſcimus: Ait .n. Euangelica veritas: Acceepit Ieſus panem & calicem, & benedicens dedit diſcipulis ſuis. Ceſſet ergo lac in ſacrificando offerri, quia manifeſtum & euidens exemplum Euangelicæ veritatis illuxit, quod præter panem, & vinum aliud offerri non ſinit. Illud verò quod pro complemento communionis intinctam tradunt Euchariſtiam populis, nec hoc prolatum ex Euangelio teſtimonium recipit, vbi Apoſtolis corpus ſuum & ſanguinẽ commendauit: ſeorſum .n. panis, & ſeorſum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem alijs Chriſtum prębuiſſe non legimus, excepto illi tantum diſcipulo, quẽ intincta buccella Magiſtri proditorem oſtenderet; non quæ Sacramenti huius inſtitutionẽ ſignaret. Nam quod de inexpreſſo botro, id eſt, de vuę granis, populus communicatur, valde eſt omnino cõfuſum. Calix enim Dominicus, iuxta quod quidam doctor ediſſerit, vino, & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populũ intelligi; in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo quãdo in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur; credẽtium plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur: quæ copulatio & iunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, vt cõmixtio illa non poſſit ſeparari: nam ſi vinum tãtum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Ergo quãdo botrum ſolum offertur, in quo vini tantum efficientia demonſtratur, ſalutis noſtræ Sacramentum negligitur, quod per aquam ſignificatur: nõ enim poteſt calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrunq; ſibi miſceatur. Et ideo, quia iam ex hoc plurima & multiplex maiorum emanauit ſententia, quorum pietas in Deum religioſa, horum ſacramentorum & efficientias copiosè diſſeruit, & inſtitutiones veriſſimè declarauit, omnis talis error, atque pręſumptio ceſſare iam de cætero debet: ne peruerſorũ ordinata compago, Senatum veritatis eneruet. Et ideo nulli deinceps licitum erit, aliud in ſacrificijs offerre, niſi iuxta antiquorum ſentẽtias conciliorum, panem tantum & calicem vino, & aqua permixtum: de cætero aliter quam præceptum eſt faciens, tam diu à ſacrificando ceſſabit, quã diu legitima pœnitentię ſatisfactione correctus, ad gradus ſui officium redeat, quem amiſit.

Iulius Papa ad Epiſcopos per Aegyptũ tit. de conſecr. d. 2 c. nõ debes.

Omnia hæc ex epiſt Iulij Papę ad epiſcopos Ægypti.

3 Omni cura, omniq; ſtudio prouidendum eſt, ne hi, qui locum videntur regiminis obtinere, cõtumeliam videantur inferre cœleſtibus ſacramentis. Etenim, quod & auditui horribile, & viſui execrabile iudicatur, relatũ eſt nobis, quod quidam Sacerdotũ ſacrilega temeritate præcipites, vaſa Domini in proprios vſus adſumant, epulaſque ſibi in eis comeſũras apponunt. Quod malum & obſtupentes deflemus, & deflentes obſtupeſcimus; vt illic humana temeritas ſibi epulum præparet, vbi ſanctum Spiritum cognoſcitur aduocaſſe: & ibi eſum carniũ crapulatus adſumat, vbi diuina viſus eſt celebraſſe myſteria: & in quib. tantæ rei ſacramentum pro expiatione delictorũ percepit, in his expleat voluntatem ludibrij ſui. Et ideo huius de cætero præſumptionis perſona, quę ſciendo diuina vaſa, vel miniſteria, aut in vſus ſuos tranſtulerit, aut comedere in his, vel poculum ſibi ſumendum elegerit, gradus ſui, vel officij periculum ſuſtinebit: ita tamen vt ſi de ſecularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur, ſi verò religioſus, ab officio deponatur. Sub hac quoq; damnationis ſententia & illi obnoxij tenebuntur, qui Eccleſiaſtica ornamenta, vela, vel quælibet alia indumenta, atq; etiam vtenſilia ſciendo in vſus ſuos tranſtulerint, vel alijs vendenda, vel donanda crediderint.

4 Cum antiqua Eccleſiaſtica nouerimus inſtitutione præfixum, vt omnis Sacerdos, cum ordinatur, orario vtroq; humero ambiatur; ſcilicet, vt qui imperturbatus præcipitur conſiſtere, inter proſpera & aduerſa, virtutum ſemper ornamento vtrobiq; circunſeptus appareat: qua ratione tempore ſacrificij nõ aſſumat, quod ſe in ſacramento accepiſſe non dubitatur? Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quiſque percepit in conſecratione, hoc & retentet in oblatione, vel perceptione ſuæ ſalutis; ſcilicet, vt cùm Sacerdos ad ſolennia Miſſarum accedit, aut pro ſe Deo ſacrificium oblaturus, aut ſacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, non aliter accedat, quàm orario vtroq; humero circũſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus: ita vt de vno eodemq; orario ceruicem pariter & vtrunque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præ-

23. diſt. ca. Eccleſiaſt. inſtit. De orario à nobis ſupra dictum eſt Concil. Tolet 4 cap. 28.

ferat

paret crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiaceat.

4 Quanquam antiqua canonum institutio, de huiusmodi præsumptione absolutas & multiplices disciplinas atq; institutiones ediderit, nos tamen breuitatis causa omnem fornicandi occasionem cupientes auferre, id omnimoda sancimus auctoritate tenendum, vt nullus sacerdotum, siue quisq; ille de clero, absque honesto & competenti testimonio, excepta sola matre, cum quibuslibet fœminis secretè se præsumat adiungere. Et non solùm cum extraneis mulieribus, sed nec cum ipsis etiam sororibus, vel propinquis, ne licentia sororum, vel propinquarum mulierum* quisque solus familiarior habeatur ad perpetrãdum scelus. Huius ergo præceptionis transgressor, sex mensibus se nouerit pœnitentiæ legibus subiacere.

* ille solutus

5 Bona siquidem res est, diuina sacerdotibus contrectare mysteria. Sed cauendum valde est, ne hoc quisque ad vsum prauitatis suæ intorqueat, vnde soli Deo de bona conscientia placere debuerat, Scriptum est enim: Væ his, qui faciunt opus Domini fraudulenter & desidiosè. Vt enim quorundam episcoporum detestanda præsumptio nostro se cœtui intulit dirimendam, agnouimus quosdam de episcopis, quòd in solemnitatibus martyrum ad Ecclesiam progressuri, reliquias collo suo imponant, vt maioris fastus apud homines gloria intumescant, quasi ipsi sint reliquiarum arca, Leuitæ albas induti, in sellulis eos deportent. Quæ detestãda præsumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie simulata vanitas sola prævaleat, si modum suum vniuscuiusq; ordinis reuerẽtia non agnoscat. Et ideo antiqua in hac parte & solennis consuetudo seruabitur, vt in festis quibusque diebus arcam Domini cum reliquijs, nõ episcopi, sed Leuitæ in humeris gestent, quibus & in veteri lege onus idem impositum nouimus esse præceptum. Quòd si & episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse à diaconibus in sellula vehatur, sed potius pedissequa vna cum populis progressione procedente ad cõuenticula sanctarum Ecclesiarum, sanctæ Dei reliquiæ per eundem episcopum portabuntur. Iam verò, qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quàm diu in hoc vitio fuerit, à sacrificando cessabit.

Hier. 28.

1. Par. 15.

6 Cum Beatus Apostolus arguere, obsecrare, vel increpare in omni patientia præcipiat & doctrina, nouimus quosdam ex fratrib. tantis cædibus inhonoratos efferuescere, quãtas poterant latrocinantium promereri personæ. Et ideo, qui gradus iam Ecclesiasticos meruerunt, id est, presbyteri, abbates, & Leuitæ, qui exceptis grauioribus & mortalibus culpis, nullis debent verberibus subiacere: nõ est dignum, vt passim vnusquisq; prælatus honorabilia membra sua, prout voluerit & ei placuerit, verberibus subijciat & dolori: ne, dum incautè subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat, iuxta illud, quod quidam sapiens dixit: Leniter castigatus, reuerentiam exhibet castiganti: asperitatis autem nimiæ increpatio, nec increpationem recipit, nec salutem. Et ideo, si quis aliter, quàm dictũ est, prædictos honorabiles subditos, licentia perceptæ potestatis elatus, malitia tantùm crediderit verberãdos, iuxta modum verberum quæ intulerit, excommunicationis pariter & exilij sententiam sustinebit.

7 Quia non expedit, vt donum Sancti spiritus pecunijs comparetur, quanquam ex hoc antiquorũ canonum disciplinæ & multiplices maneant & diuersæ, tamen quia necesse est, vt frequentius retundatur, quod sine intermissione præsumitur: ideo nouellæ huius institutionis formulam instituentes decernimus, vt quicunq; pro conferendo cuiquam sacerdotij gradu, aut munus quodcunq;, aut promissiones muneris, antequam ordinetur acceperit, vel etiam post quam ordinatus fuerit, in aliquo se pro hoc ipso præsumpserit munerari, siue qui dederit, siue ille qui acceperit, iuxta sentẽtiam Chalcedonensis Concilij, gradus sui periculum sustinebit.

Can. 2.

8 Non decet, rectores Ecclesiæ in suis strenuos, & in Ecclesiasticis rebus esse remissos. Nam quorundam fertur opinio, quòd quidam sacerdotum familias Ecclesiæ in suis laboribus quassent, rei propriæ profectum augentes, Dominicis verò dispendium nutrientes. Vnde quicunque sub hoc neglectu res diuinas laborare distulerit, placito speciali distringendus est, qualiter si de rebus seu augmentis Ecclesiæ,

quæstum

ferat crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiacebit.

5 Quanquam antiqua canonum institutio de huiusmodi præsumptione absolutas & multiplices disciplinas, atque institutiones ediderit, nos tamen breuitatis causa, omnem fornicandi occasionem cupientes auferre, id omnimoda sancimus auctoritate tenendum, vt nullus Sacerdotum, siue quisquis ille de clero, absque honesto & competenti testimonio, excepta sola matre, cum quibuslibet fœminis secretè se præsumat adiũgere; non solùm cum extraneis mulieribus, sed nec cum ipsis etiam sororibus, vel propinquis; ne licentia sororũ, vel propinquarum mulierum, quisquis ille solutus. familiarior habeatur ad perpetrandum scelus. Huius ergò præceptionis transgressor, sex mensibus se nouerit pœnitentiæ legibus subiacere.

6 Bona quidem res est, diuina Sacerdotibus contractare mysteria: sed cauendum valdè est, ne hoc quisque ad vsum prauitatis suæ intorqueat, vnde soli Deo de bono conscientiæ placere debuerat, Scriptum est enim: Væ his qui faciunt opus Domini fraudulenter & desidiosè. Vt enim quorundam Episcoporum detestanda præsumptio nostro se cœtui intulit dirimenda, agnouimus quosdam de Episcopis, quod in solennitatibus martyrum ad Ecclesiam progressuri, reliquias collo suo imponant; & vt maioris fastus apud homines gloria intumescat (quasi ipsi sint reliquiarum arca) Leuitæ albis induti, in sellulis eos deportant. Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet; ne sub sanctitatis specie, simulata vanitas sola prævaleat, si modum suum vniuscuiusque ordinis reuerentia non agnoscat. Et ideò antiqua in hac parte & solennis consuetudo seruabitur, vt in festis quibusq; arcam Dei cum reliquijs, non Episcopi, sed Leuitæ gestent in humeris, quibus & in veteri lege onus id & impositum nouimus, & præceptum. Quòd si etiam Episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse à Diaconibus in sellulis vectabitur, sed potius pedissequa eo, vnà cũ populis progressione procedente, ad conuenticula sanctarum Ecclesiarum sanctæ Dei reliquiæ per eundem Episcopum portabuntur. Iam verò, qui hæc instituta sciendo adimplere distulerit, quamdiu in hoc vitio fuerit, à sacrificando cessabit.

7 Cùm beatus Apostolus arguere, obsecrare, vel increpare in omni patientia præcipiat & doctrina, nouimus quosdam à fratribus tantis cædibus inhonoratos subditos efferuescere, quantas poterant latrocinantium promereri personæ. Et ideò qui gradus iam Ecclesiasticos meruerunt; id est, Presbyteri, Abbates, siue Leuitæ, excepto grauioribus & mortalibus culpis, nullis debeat verberibus subiacere. Non est dignũ, vt passim vnusquisq; prælatus honorabilia membra sua, prout voluerit, & complacuerit, verberibus subijciat, & dolori; ne dum incautè subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat: iuxta illud, quod quidam sapiens dicit: Leuiter castigatus, reuerentiam exhibet castiganti: asperitatis nimiæ increpatio, nec increpationem recipit, nec salutem. Et ideò si quis aliter quàm dictum est, prædictos honorabiles subditos, licentia perceptæ potestatis elatus, malitia tantùm crediderit verberandos, iuxta modum verberum, quem intulerit, excommunicationis pariter, & exilij sententiam sustinebit.

Dist. 25. cũ B. Apost. 2. Tim. 4.

D. ad leg. Aquiliam Præceptoris.

8 Quia non expedit, vt donum sancti Spiritus pecunijs comparetur, quanquam ex hoc antiquorum canonum disciplinæ, & multiplices maneant, & diuersæ, tamen, quia necesse est, vt frequentiùs retundatur, quod sine intermissione præsumitur, ideò nouellæ huius institutionis formam instituẽtes decernimus, vt quicunq; pro conferendo cuiquam sacerdotij gradu, aut munus quodcunque, aut promissionem muneris, antequam ordinetur, acceperit; vel etiam, postquam ordinatus fuerit, in aliquo se pro hoc ipso præsumpserit munerari; siue ille, qui dederit, siue qui acceperit, iuxta sententiam Chalcedonensis concilij, gradus sui periculum sustinebit.

Vide. Brac. c. 3. vbi de hac re scripsimus

Iuo p. 5. ca. 85.

9 Non decet Rectores Ecclesiæ in suis strenuos, & in Ecclesiasticis rebus esse remissos. Nam quorundam fertur opinio, quod quidam Sacerdotũ familias Ecclesiæ in suis proprijs laboribus quassent, rei propriæ profectum augentes; Dominicis verò dispendium nutrientes. Vnde quicunq; sub hoc neglectu res diuinas laborare distulerit, speciali placito distringendus est: qualiter, si de rebus, seu augmentis Ecclesiæ

12. quæ. 4. Quicunq; sub hoc

quæstum

quæſtum laboribus ſuis propriè auxit, & ex hoc Eccleſiaſticis rebus aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem vel perditionem induxit, quicquid in rebus Eccleſiæ minuit, illi reſtituat, ex cuius rebus atq; ſuffragijs ſuos conuictus fuerit ampliaſſe labores. Quòd ſi aliquid pro vtilitatibus Eccleſiæ, aut ſubſtantiæ expendit, aut diſpẽdij vel perditionis quippiam pertulerit, ſi hoc comprobari potuerit, totum illi à rebus Eccleſiæ eiuſdem reformabitur, pro cuius vtilitatibus id expendiſſe probatur. Gratias itaque omnipotenti Deo peragimus: poſt hæc ſit pax, ſalus, & diuturnitas pijſſimo & amatori Chriſti Domino noſtro Vvambano regi, cuius deuotio nos ad hoc decretum ſalutiferum cõuocauit, diuinam poſtulantes clementiam, vt gloria Chriſti regnum eius corroboret vſque ad vltimam ſenectutem, præſtante ipſo, qui cum patre & Spiritu ſancto viuit & gloriatur in Trinitate Deus, in ſecula ſeculorum, Amen.

quæſtum, vel labores rei propriæ auxit, vt ex hoc Eccleſiaſticis rebus, aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem, vel perditionem induxit; quidquid in rebus Eccleſiæ minorationis exhibuit, tantum de rebus proprijs Eccleſię illi reſtituat, ex cuius rebus, atque ſuffragijs ſuos conuictus fuerit ampliaſſe labores. Quòd ſi aliquid pro vtilitatibus Eccleſiæ, aut ſubſtantiæ expendit, aut diſpendij, vel perditionis quippiam pertulerit; ſi hoc comprobare potuerit, totum illi à reb. eiuſdem Eccleſiæ reformabitur, pro cuius vtilitatibus id expendiſſe comprobatur. Gratias itaque peragimus omnipotenti Deo. Poſt hæc, ſit pax, ſalus, & diuturnitas pijſſimo, & amatori Chriſti, domino noſtro Vvambano Regi, cuius deuotio nos ad hoc decretum ſalutiferum cõuocauit: diuinam poſtulantes clemẽtiam, vt gloria Chriſti regnum eius corroboret, vſque ad vltimam ſenectutem: præſtante ipſo, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vnus viuit, & gloriatur in Trinitate Deus, in ſecula ſeculorum. Amen.

Leodigius in Chriſti nomine Epiſcopus, ſubſcripſi.

Iulianus in Chriſti nomine Hiſpalenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.

* Genti-nus * Eroaricus * Britolienſis

* Genetinus in Chriſti nomine Tudenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

* Froaricus, Deo iubente, Portugalenſis Eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Beia in Chriſti nomine * Britinenſis Eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Iſidorus Aſturicenſis Eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

Alarius Auriſinæ Eccleſiæ, epiſc. ſubſcr.

Rectogerus Lucenſis Eccleſiæ epiſc. ſubſcr.

Hildulſus, qui cognominor Felix, Irienſis Eccleſiæ epiſcopus, ſubſcripſi.

INTERFVERVNT HVIC SANCTO Concilio Pontifices, num. VIII.

Leodeciſius, in Chriſti nomine Epiſcopus, cognomento Iulianus, has conſtitutiones, ſecundùm quod nobis cum ſanctis Coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, Deo inſpirante, complacuit, & relegi, & ſubſcripſi. 1

Genetiuus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Tudenſis epiſcopus, ſimiliter. 2

Froaricus, Deo iubente, Portucalenſis Eccleſiæ epiſcopus, ſimiliter. 3

Bela, in Chriſti nomine Britanienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter. 4

Iſidorus, Aſturicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter. 5

* Alarius, Deo iubẽte. Auriſinæ Eccleſ. epiſc. ſimiliter. 6 * Hilarius

Rectogenis, in Chriſti nomine, Lucenſis Eccleſiæ epiſco. ſimiliter. 7

Ildulfus, qui cognominor Felix, Irienſis Eccleſiæ epiſco. ſimiliter. 8

DE SVBSCRIPTIONIBVS. 3. CONcilij Bracarenſ. Notæ Io. Garſiæ.

Quo tempore habitum ſit

Bracarenſe. 2. actum fuit Era. 610. an. 2. Mironis Regis. Tertium verò poſt elapſos centum, & tres annos, Era 713. Verum ex eadem prouincia in alijs Conciliis interfuerunt Epiſcopi: vt Alarius, ſiue Hilarius, Aureſinæ Eccleſiæ, qui ſucceſſit Sonæ, qui in 8. Tolet. ſubſcribit. Bela Britanienſis, vel Britonienſis, vt eſt in Bracarenſ. 2. qui ſucceſſit Seruodei, in 8. Froaricus Portucalenſis, qui Flauio, in 10. Tolet. Genetiuus Tudenſis, qui Beato, in 8. Iſidorus Aſturicenſis, qui Elpidio, in 10. Tolet. Ildulſus Felix Irienſ. qui Vincibili in 8. Tolet. Leodeciſius Iulianus Bracarenſis, qui Fructuoſo, in 10. Tolet. Rectogenis Lucenſis, qui Hermenfredo, in 10. Tol.

EPISCOPATVS METROPOLIS BRACAR.

In 3 & 2. Concilio Bracar.

1. Bracara.	*1. Bracara.*	*Ex Luco.*
2. Aureſina.	*2. Egitania.*	*1. Luco.*
3. Tude.	*3. Conimbrica.*	*2. Aſtorica.*
4. Aſtorica.	*4. Viſeo.*	*3. Auria.*
5. Iria.	*5. Lameco,*	*4. Britonia.*
6. Portucale.	*6. Magneto.*	*5. Tude.*
7. Britania.		*6. Iria.*
8. Luco.		

In Codicibus M. ſſ. ſunt ſubſcriptiones, vt poſuimus: vnde corrupte in alijs ponitur Iulianus Hiſpalenſis. Bela Britanienſis eſt in M. ſſ. Eſt Bela nomen Gothicum, nunc generoſæ familiæ Ayala gentile.

NOTÆ in Concilium Bracarenſe tertium, eiuſdem Ioan. Garſiæ.

Cap. 1.

Concilium Bracarenſe.] *Bracara, hodie Braga; in prouincia Luſitaniæ, caput totius Regni in ſpiritualibus. Dicitur Auguſta Bracarum Plinio, Βράκαρ Ptolemæo. In veteri numero ſic ſcriptum eſt:*

RECCESSVINTVS REX. BRACARA PIVS.

Vocatur Bracara auguſta: inde Bracarauguſtani, vt docet vetus inſcriptio, marmori inſculpta, quam exſcripſit Lipſius in libro inſcriptionum antiquarum.

ISIDI. AVG. SACRVM.
LVCRETIA FIDA. SACERDOS PERP.
ROM. ET AVG.
CONVENTVS BRACARAVG. V. D.

Vino, & aqua.] *De Conſecrat. diſt. 2. Cum omne, & Cyprianus epiſt. 3. libr. 2. exponens illud: Bibite vinum quod miſcui vobis, in tota hac epiſtola id intendit, vt probet: nec calicem cum aqua, ſine vino rectè offerri, neque vinum abſque aqua, iuxta Chriſti traditionem conſecrari. Huius epiſtolæ meminit D. Auguſtinus lib. 4. de doct. Chriſtiana, c. 21. & Concil. Carthag. 3. cap. 24. cui D. Auguſt. interfuit, ſic enim habet:* Vt in ſacramentis corporis, & ſanguinis nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & vinum aqua mixtum. *Et habetur de Conſec. diſt. 2. cap. In Sacramento. Et Innocentius III. errorem eorum correxit, qui dicebant aquam conuerti in phlegma: habetur & libr. 3. Decretal. tit. de celebrat. Miſſ. cap. In quadam noſtra. Idem Alexander PP. & Martyr. V. à beato Petro in epiſtola ad omnes orthodoxos:* Non debet (*inquit*) in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in paſſione ſua profluxiſſe legitur. *Qua de cauſa S. Irenæus calicem vocat temperamentum, lib. 4. cap. 47. & calicem mixtum. Et Iulius PP. in epiſt. ad Epiſcopos Aegypti. Ambroſius libr. 5. de Sacramen. cap. 1. S. Hieronym. in Marcum, cap. 14. Damaſcen. lib. 4. de orthodoxa fide. c. 14. Duas hæreſes euertit Concilium Trullan. Can. 32. alteram Hydroparaſtatarum, qui aqua ſola in ſancti calicis ſacrificio vtebantur (Epiphanius hæreſi. 30. & 42. de Aquarijs, & Auguſt. hæreſi. 44. Ad Quodvultdeum & de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 75.* Non debet (*inquit*) pura aqua inferri, vt quidã ſobrietatis fallunturi imagine; ſed vinum cum aqua mixtum) *alteram Armenorum, qui non niſi vinum purum offerunt. Cuius erroris meminit*

Cap. 1: Aqua vino miſcenda eſt in conſecratione calcis.

Theophylact. ad, cap. 19. Ioannis. Nicephorus libr. 18. cap. 53. Demum Synodus magna Tridentina seſſ. 22. Can. 9. Si quis dixerit aquam non miſcēdam eſſe vino in calice offerendo, eo quòd ſit contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit. *Trullana Synodus, quæ ſub nomine 6. Synodi circunfertur, Can. 57. vetat ad altare mel, & lac offerre. Et Can. Apoſt. 3. Si quis Epiſcopus.*

Cap. 5.

Antiqua Canonum.] *Vt patet libr. 3. Decret. tit. de cohabitatione Clericorum & mulierum. Conc. Conſtantinop. 6. c. 5. & 27. q. 1. Si quis. Benè ait Auguſtinus Pſal. 50. & lib. 50. hom. 21. Mulier longè, libido propè.*

Quarum mulierum cohabitationē Clericus vitare debeat.

Etiam ſororibus.] *Concil. 1. Nican. c. 3. contrarium cauetur, videlicet, vt liceat Epiſcopo, & Presbytero matrē, ſororem, amitam, & eas etiam perſonas habere, quæ ſuſpicionē omnem effugiant. Concilium Carthaginen. 3. c. 17. hanc vlterius indulgentiam extendit; videlicet,* vt cū Clericis ſolæ matres, auiæ, materteræ, amitæ, ſorores, & filię fratrum, aut ſororum, & quæcunque ex familia, domeſtica neceſſitate, etiam antequam ordinarētur, iam cum eis habitabant: vel ſi filij eorum, iam ordinatis parētibus, vxores acceperunt: aut ſeruis non habentib. in domo quas ducant, aliunde ducere neceſſitas fuerit. *Atq; huic Concilio. D. Auguſt. ipſe ſubſcripſit; ſed quod alijs conceſſit, ſibipſi interdixit. Nam fœminarum, & in eis ſororis, & fratris filiæ cōtubernium, & familiaritatem vitauit: quippè qui dicere ſolebat: Et ſi propinquæ mulieres ſuſpectæ nō eſſent, tamen quæ ad eas venirēt, poſſe ſuſpicionem efficere. De pœna, quam incurrūt eæ mulieres, quæ contra interdictum, Clericis cohabitant, habes Concil. Hiſpalenſ. 1. ca. 3. Conc. Matiſconenſ. Can. 2. cauetur, vt nulla mulier in cubiculo Epiſcopi, abſq; duob. Presbyteris, aut certè Diaconis ingredi permittatur. Et Conc. Carthag. 1. ca. 3. ex ſententia Grati Epiſcopi decernitur, vt in vna domo nullus Clericus cum extranea fœmina commoretur. & ca. 4. neque cum viduis, niſi fuerint germanitate coniuncti. Idē Concil. Carthag. 4. can. 102. Idem Lucius PP. XXI. à Petro, in epiſtol. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ:* Clericus ſolus (*inquit*) ad fœminæ tabernaculum non accedat, neq; frequēter properet, ſine maioris natu Sacerdotis iuſſiōe: & ne ſolus Presbyter cum ſola fœmina fabulas miſceat; &, ſi quid agnitum fuerit; & ille deponatur, & illa à liminibus Eccleſiæ arceatur. *Et vt nullus Clericus cum extranea habitet fœmina, niſi ſoror, aut proxima fuerit, habetur, d. 81. c. Clericus ſolus. Gregorius Magnus Ianuario Epiſcopo Caralitano, epiſt. 26. & per totam diſt. 81. idem multis ſanctorum Patrum teſtimonijs decernitur.*

Cap. 6.

Reliquias collo ſuo.] *Reliquias Sanctorum debito honore eſſe venerandas decretum eſt Conc. Nican. 2. Act. 1. in conſeſſ. Catholica act. 3.* Seruator (*inquit*) noſter Chriſtus fontes ſalutares, ſanctorū reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes, vnguentum redolentis ſuauitatis ſcaturientes; &, vt inquit magnus Doctor, cui ab immortalitate nomen eſt: Martyrum oſſa morbos fugant, infirmis medicātur, cæcis viſum impartiunt, lepras mūdant, tentationes & mœrores ſoluunt; atq; id per Chriſtū, qui in ipſis habitat. *Hæc Nicæna Synodus aduerſus Iconoclaſtas. Conc. Trid. ſeſſ 25. ſic dicitur:* Sanctorum quoq; martyrum, & aliorum cum Chriſto viuentium ſancta corpora, quæ viua membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitāda, & glorificanda, à fidelib. venerāda eſſe, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur. *Et alia multa de hac reſcripta ſunt à viris pijs & doctis, aduerſus impiam hæreticorum audaciam, ſanctorum corpora, quæ fuerūt Spiritus ſancti organa, & viua membra, odio & armis oppugnātium. Præſertim probat reliquiarum antiquiſſimum cultum S. Clemens li. 6. Conſt. Apoſt. ca. 29. ex contactu cadaueris Eliſæi Prophetæ, mortuum ſuſcitantis. 4. Reg. 23. Idem Cyril. Hieroſol. catech. 18. Et Ioſephi oſſa iam vitæ functi prophetantia Eccleſ. c. 49. Auguſt. ſerm. 29. de ſanctis ſic inquit:* Si opem ferre poterat vmbra corporis Petri, quanto magis nunc plenitudo virtutis: ſi tunc ſupplicantib. proderat aura quædam pertranſeuntis, quanto magis nunc gratia permanētis. Meritò per omnes Chriſti Eccleſias, auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis obumbratio viſitantis, quanto magis catena vincentis. *Hæc Auguſt. Idem probat Baſil. homil. 40. ad Martyres. Ruſin. li. 1 6. 35. Sozom. li. 3. c. 18. Theod. l. 3. c. 10. Verùm D. Ambr. de cultu reliquiarum, ſic inquit ſerm. 92.* Honoremus B Martyres, principes fidei, interceſſores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quòd ſi dicas mihi: Quid honoras in carne iam reſoluta, atque conſummata, de qua iam Deo nulla cura eſt? & vbi eſt illud, chariſſimi, quod ipſa Veritas loquitur per Prophetam: Pretioſa (inquit) eſt in conſpectu Dñi mors ſanctorum eius. *Et paulò pòſt:* Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices; honoro viuentis memoriam, perennitatem virtutis; honoro per confeſſionē Domini ſacros cineres. *Rurſus:* Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur dæmones, quod afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro? Honoro itaq; corpus, quod Chriſtus honorauit in gladio, quod cū Chriſto regnabit in cœlo. *Vltimo apponam S. Hieronymi fragmentum, ex libello aduerſus Vigilantium Barcinonēſem Presbyterum, vel potius aduerſus dormiētes huius temporis hæreticos ſcriptum.* Ergo ſacrilegi ſumus (*muchitur in Vigilantium*) quando Apoſtolorum baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei trāſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij ſe ſentire præſentiam cōfitentur? Sacrilegus dicendus eſt & nūc Auguſtus Arcadius, qui oſſa B. Samuelis, longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rē viliſſimam, & cineres diſſolutos, in ſerico, & vaſe aureo portauerūt? Stulti omnes Eccleſiarū populi, qui occurrerunt ſanctis reliquijs, & tanta lætitia, quali præſentem, viuentemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Palæſtina vſque Chalcedonem iungerentur populorū examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtū, cuius Samuel, & Leuita, & Propheres fuit. *Hæc Hieronymus. Poſſumus nos, quod ille de Arcadio ſui temporis Imperatore dixit, de Philippo Hiſpaniæ Rege Catholico & piiſſimo dicere, aduerſus hæreticos huius ſeculi. Sacrilegus et nunc dicendus eſt Philippus, qui reliquias B. Eugenij, & Leocadiæ humeris impoſitas, piè & religioſè in Eccleſiam Toletanam, Philippo filio, & alijs Principib. ſociatus, immiſit? & in cœnobio D. Laurentij, ab ipſo mira ſtructura ex ædificato, conquiſitis ex omni Chriſtiano orbe, magno ſtudio, ſanctorū beatas reliquias vaſis auro & gemmis clariſſimis, & fulgentibus, & cælatis, diſtinctis, magno cultu, & religione colit, & veneratur? ita vt Philippus Princeps natu maximus, adoleſcens ſummæ ſpei, ſoleat, detecto capite, genibus flexis, eisq; innixus, pulueres vaſorum abſtergere.*

Intelligit Athanaſium, ἀθανατῶν, mors ἀθανάτων immortalis.

DONI PAP. VITA.

DONVS, natione Romanus, ex patre Mauritio, ſedit annum vnum, menſes quinque, dies decem. Hic atrium B. Petri Apoſtoli ſuperius, * quod eſt ante Eccleſiam in quadriporticum magnis marmorib. ſtrauit, ſed & Eccleſiam Apoſtolorum ſitam via Oſtienſi, vt decuit, reſtaurauit, atque dedicauit. Itemq; Eccleſiam ſanctæ Euphemiæ poſitam via Appia ſimiliter dedicauit. Clerum quoque diuerſis ordinibus & honoribus ampliauit. Hic reperit in Vrbe Roma in monaſterio, quod appellatur Boetianū, Neſtorianitas, monachos Syros, quos per diuerſa monaſteria diuiſit. In quo prædicto monaſterio monachos Romanos inſtituit. Huius temporibus Eccleſia Rauennatum, quæ ſe ab Eccleſia Romana ſegregauerat cauſa autocephaliæ, denuo ſe priſtinæ Sedi Apoſtolicæ ſubiugauit. Cuius Eccleſiæ præſul nomine Reparatus è veſtigio, vt Deo placuit, vitam finiuit. Hic dum eſſet electus per Auguſti menſem, apparuit ſtella à parte orientis à galli cantu vſque mane per menſes tres. Cuius radij cœlum penetrabant. In cuius viſione ſurgentis omnes prouinciæ, & gentes mirabātur, * quæ poſt in ſemetipſam reuerſa diſparuit. * Pro quo capitulo & maximo mors à parte orientis ſubſecuta eſt. Fecit autem ordinationem vnam, presbyteros decem, diacon. 5. epiſcopos per diuerſa loca numero ſex. Qui etiam ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ſub die 3. Idus Aprilis, & ceſſauit epiſcopatus menſes duos, dies 15.

* quod paradiſus dicitur eſt.

* Quidnā eſſe poſſit.

* poſt eam apparitionem maxima mors à parte orientis ſubſecuta eſt.

NOTÆ in vitam Doni Papæ.

Donus.] *Donus, quem alij Domnum: alij Domnionē, alij Conum ſiue Cunonem appellant, ann. 676. ipſis Kal. Nouemb. creatus eſt Pontifex Romanus: quod cum Theodoro Conſtantinop. ſedis Epiſcopo Monothelitæ innotuiſſet, intermiſſis, quas de ſui ordinatione ad eum ſcripſiſſe debebat literis ſynodalib. miſit dūtaxat Epiſtolā hortatoriam, qua petebatur, vt tandem aliquando concordia inter Orientalem & Occident. Eccleſiam ſanciretur. Cōſtat ex epiſt. Conſtant. Imp. quam ipſe ad Donum tranſmiſit. Quid ad eas Pontif. reſcripſerit, ignoratur.*

Donus quando Pontifex creatus ſit?

Monothelitæ Vitalianum è sacris diptychis expungunt.

Hoc tempore Constantinus Imperator bellicis curis solutus, pace cum Sarracenis composita, ad pacem Ecclesiæ restituendam totum animum adiecit: restituerunt Monothelitarum signiferi Theodorus Constantinop. & Macarius Antiochenus Episcopi, qui cum Romanorum Pontificum acerrimi hostes & aduersarij essent, inuito Imperatore, retento solius Honorij nomine, quasi is cum Monothelitis sensérit, Vitaliani, aliorumq; Pontificum Romanorum nomina, (vt videre est act. 8. sextæ Synodi.) è sacris Dyptichis abstulerunt. Quo facto Imperator vehementer exagitatus, Theodorum Episcopatu deposuit, eiq; Georgium quendam surrogauit: atque ad reconciliandam vtramq; Ecclesiã Orientalem & Occidentalem, ad Donum Papam, Sacram, quæ extat initio act. sextæ Synodi ille quidem direxit; sed cum vita functus esset, antequam Romam afferrentur, Agathoni redditæ fuerunt.

Quamdiu sederit?

Sedit annum vnum, menses 5. dies 10.] *Ex epistola Constantini Imperatoris ad Donum scripta colligitur, ipsum ad aliquot menses amplius sedem propagasse: cum reperiatur data pridiè Idus. Augusti. anni 678. Quæ enim ratio patitur, vt post menses quatuor obitus Romani Pontificis Imperatorem adhuc latuerit?*

Apparuit stella.] *De hac stella, vide Bedam libro quarto, cap. 12.*

Finis Tomi Secundi Conciliorum General. & Prouincial. Anno M.DC.VI.

INDEX RERVM ET VERBORVM,

QVÆ HOC SECVNDO CONCILIORVM GE-

NERAL. ET PROVINCIAL. TOMO CONTINENTVR: IN QVO

PRIOR NVMERVS PAGINAM, LITERA A. PRIMAM
B. vero ſecundam columnam denotat.

A.

ABBAS quid ſignificet, & quæ nominis origo, 1141.a. quis eligendus, 1402. b. à quo ordinandus, pagi. 902.b.915.a. monaſterij vnus tantum eſſe debet, 312.b. vnus duobus monaſterijs præeſſe nó poteſt, 307. a. peccans qualiter corripiendus, 313.a

Abbas in monachorũ delictis compeſcendis negligens quo modo puniendus, 955.a. cuius permiſſu teſtamentum facere poſſit, 894.b

Abbates in epiſcoporum poteſtate conſiſtant, pagi. 310.b
contumaces cõtra epiſcopos quomodo coercendi, 477.b. ſine compresbyterorum & Abbatum conſilio non remouendi, 657.a. qualiter vendere poſſint, 312.b

Abbatibus omnibuſque in religionis profeſſione viuentibus, ſine commendatione epiſcoporum, pro petendis beneficijs ad dominos venire non licet, 310.a

Abbatiſſa à quo ordinanda, 886.a

Aborsum procurantes quomodo puniendi ab Eccleſia, 379.

Abraham non nuda fide Deo placuit, ſed opere fidẽ Deo commendante, 320.b

Abſolutio an à ſæculari poteſtate tribui poſſit, 254.b

Acacius Conſtantinopolitanus nomen Felicis è diptychis tollit, 221.b. Calendionem de crimine læſæ maieſtatis accuſat, & epiſcopatu deijcit, 211.a. ambitione incenſus, & quam ob cauſam, 211.a. ſi ſchiſmaticus, ibid. à Felice ad dicendam cauſam coram Apoſtolica ſede citatur, 214.a.a. à Felice I. Papa redarguitur, 215.a.b.252.a. condẽnatur, 229.b.252.a. quando defunctus, 271.a

Acacij Conſtantinopolitani ambitio, ſedis ſuæ prerogatiuam à Ro. Pontifice extorquere conantis, 203.b. obitus, 214.b. epiſtola ad Petrum Fullonẽ. 226.b. flagitia. 250.a. nomẽ è ſacris diptychis expungitur, 375.b

Acci oppidum. 652.b

Accipere pœnitentiam quid. 1201.b

Acclamationes Patrum in Concilio Chalcedonẽſi. 104.a. & paſſim. Acolythi officium. 1142.a

Accuſatores clericorum non facilè recipiendi. pag. 132.

Accuſatores clericorum nec probantes, excommunicandi. 665

Accuſationes nullæ à iudicibus eccleſiaſticis audiendæ, quæ ſæculi legibus impugnantur. 292.b

ad Accuſationem quos leges ſæculi non admittunt, ijs dicendi in cognitione vel accuſandi denegandi eſt licentia. 285.a

Accuſatoribus de inimici domo prodeuntibus non credendum. 292.b.298.b

Acephali hæretici cur ita dicti. 990.b. 991.b. vnam tantum naturam in Chriſto ponunt. 274.a

Acephalorum ſectæ auctor quis. 623. a. principes qui. 416.b. conatus & ſcelera. 426.a. in Syria contra orthodoxos crudelitas. 331.b

Acœmeræ Monachi. 409.b. vide plura, Scythæ.

Acolythi officium. 1142.a

Acta Epheſi. 5.b

Acta ſynodi prouincialis ſecundæ Ciliciæ. 552.b

Acta ſynodorum ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate nulla ſunt. 859.a

Acta ſextæ ſynodi corrupta. 993.a

Acta Concilij Conſtantinopol. œcumenici V. mẽdoſa & mutilata. 606.b

Acta Concilij Conſtantinopolitani. 194.a

Acta Chalcedone. 6.a

Acta Concilij Chalcedonẽſis quæ legitima. 180.b. 252.b

Actorum Chalcedonenſis Concilij omniumque ſeſſionum ſumma. 182.183. & ſeqq.

Actiones contra Eutychetem. 14.a.15.a

Adam poſt peccatum mortuus eſt in anima. 805.b

Adę anima à qualitate viuendi mortua. 829.a

Adeodatus Papa, eiuſque vita & epiſtolæ. 1188

de Adoptione Chriſti hæreſis, & quando damnata. 971.a

Adrumetum vrbs, in qua prouincia ſita. 303.b

Aduentus tempus cur à fidelibus nonnullis continuato ieiunio tranſigatur. 699.b

Aduloualdus Theodolindę filius. 607.a. cur Eccleſiæ Catholicæ communicare renuerit. ibid.

Adulterium an & quomodo matrimonij vinculum ſoluat. 192.b

Adulterium gladio vindicandum, notoria eſt iniuſtitia, & doctrina hæretica. 193.a

Adulteræ pœna, dimiſſio. ibid.

Ædificia ſacra vnde reſtauranda. 246.a

Ægidius Rhemenſis epiſcopus deponitur. 958.b

Ægri à ieiunij obligatione abſolui poſſunt. 896.a

Ægritudo perſonæ, non mutat ſacri myſterij benedictionem. 936.b

Ægyptij Epiſcopi Eutychen anathematizant. pag. 90.a

Ægyptiorum epiſcoporum preces ad Leonem Auguſtum, de turbis Alexandriæ & alibi exortis. 146.a.b. epiſtola ad Anatolium Conſtantinopolitanum. 148.b

Ælienſes reſipiſcunt. 189.b

Æmiliana Gregorij Papæ I. ſoror. 723.b

Ærarium quid. 721.b

Africa in quas partes diuiſa. 303.b. in priſtinam libertatem vindicata. 415.b

Africana Eccleſia an à Romanæ Eccleſiæ vnitate deſciuerit. 397.b. Eccleſia an à Romanæ Eccleſiæ communione ſe præciderit. 397. à ſede Romana ſumpſit exordium. 841.a

Africani martyres. 397.b

Africani Catholici, Romani appellati. ibid.

Africani lapſi à confeſſoribus vitantur. 231.a. quæ pœna eis impoſita. ibid.b

Africanorum epiſcoporum orthodoxorum in defendendis eccleſijs zelus. 303.b

Africanum Concilium ſub Ioanne Papa II. 415.b

Agapetus Papa, eiuſque vita, epiſtolæ & decreta. 415.b. duas naturas in Chriſto defendit. 416.a. quo tempore Pontifex factus. pagi. 416.a. 624.a Conſtantinopolim proficiſcitur, & quam ob cauſam. 416.b. vaſa ſacra pro viatico oppignorat. ibi. mutum & claudum ſanat. ibid.

Agapeto PP. epiſtola quædam falſo adſcripta. 420.b

Agapetus R.E. Diaconus. 388.a. Iuſtinianum admonet quomodo ſe in adminiſtratione imperij gerere debeat. 388.a. Anthymum Conſtantinopolitanum, ſede deponit. 430.a.b. quo tempore obierit. 417.a

Agapius Cordubenſis epiſcopus quis. 718.b

Agatha vrbs quæ. 308.b. 655.b

Agathenſe Concilium ſub Symmacho Papa. pag. 304.a

Agathenſis Concilij auctor & cauſa. 308.b. quis ei præſederit. ibid.

Agericus Virdunenſis epiſcopus. 510.b. à Theodoberto Galliæ rege clementer ſuſcipitur. 510.b

Agnaitæ hæretici. 885.a. Patrum Græcorum & Latinorum conſenſu refutantur. 883.a

Agreſtinus quis. 980.b. fit ſchiſmaticus. ibid. B. Columbani regulam calumniatur. 980.b

Agretius epiſcopus Patrum ſententia à diuini officij celebratione ſuſpenditur. 396.a

Agri ab epiſcopo inutiliter diſtracti repeti poſſunt. 506.a

Agricola epiſcopus Cabilonenſis quis. 517.a

Alamundanus Saracenorum Princeps ab Acephalis rentatur, vt baptiſmum ſuſcipiat eiuſque facetum reſponſum. 274.a. à catholicis baptizatur. ibidem.

Alaricus Hiſpaniæ rex. 371.b. quamdiu Catholicos obſeruauit, regnum pacatum tenuit. 309.a. quãdiu in Gallijs regnarit. 308.b 311.b. à Clodoueo Frãcorũ rege occiditur. 308.b. quo & quoto anno. 311.b

Albinus epiſcopus Andegauenſis. 507.a. miraculo sè expirat. ibid.

Albinus, vir illuſtris, & quæſtio ab ipſo propoſita. 548.a

Alboinus Longobardorum rex Italiam inuadit. 635.b.

Alcimus Auitus Epiſcopus Viennenſis Sigiſmundum Burgundiæ regem ad Catholicam fidem reducit. 314.b

Alciati de Ioannis II. Pontificis epiſtola iudicium. 405

Alepho epiſcopus Nicopolitanus. 369.b. quando mortuus. ibid.

Alexãder Abytes epiſcopus à collegis diſſentit. 610.b. terræmotu abſorbetur. ibid.

Alexandria ſecunda ſedes. 265.a

Alexandrina ſynodus à Cyro Monothelita coacta. 995.b

Alexandrina ſynodus in cauſa Eutychianorum celebrata. 190.a

Alexandrina eccleſia legatos Romam mittit. pag. 271.b

Alexandrina ſeditio ob Dioſcorum pulſum. 189.a

Alexandrinæ eccleſiæ à Romana diſſidium, & eius cauſa. 271.b

Alexandrinus epiſcopus à Pontifice confirmatur. 211.b

Alexandrini epiſcopi totius Ægypti metropolitani. 136

Alexandrini natura ſeditioſi. 145.b

Alexandrini ſeditioſi. in gratiam recipiuntur. pag 189.b

Alexandrini hæretici quærunt ſubripere Apoſtolicam communionem. 272.a.b

Alexandrinorum rabies. 149.b

Aliena inuadens, impunitus exire non debet. pagin. 298.b

Alleluia in quadrageſima non decantandum. 1001. quamdiu in Eccleſia decantatum fuerit. 1014.a. quid ſit. 1014.b

Allocutio Chalcedonenſis Concilij habita apud Martianum Imp. 137.b

Alphonſus Carillo, epiſcopus Toletanus. 973.b

Alphonſus Carthagine Burgenſis epiſcopus. 973.b. eius cum Toletano æmulatio. ibid.

Altare à quo conſecrandum. pagin. 313. b. 645.b. 991.a. 985.a. abſque epiſcopi permiſſu non erigẽdum. 368.b

in Altari quæ offerenda. 674

Altaria benedicenda atque vngenda. 305.a

in Altari vno in vna die duas Miſſas celebrare non licet. 954.b.

Amalaricus Alarici filius Hiſpaniæ rex. pagin. 371.b. occiditur, & quam ob cauſam. pagin. 403.a

Amalaſuntha Athalarici mater. 403. Theodotum Athalarico filio ſurrogat. ibid. ab eodem occiditur. ibid & 416.b

Amandus Traiectenſis epiſcopus. 1047.a. vacationem petit à Pontifice. 1047.a. quid reſponſi tulerit. ibid.

Amantius Eunuchus, & quis. pagin. 472.a. notatur. ibidem.

Amator epiſcopus Auguſtodunenſis. 478.b. Siluerio Papæ exulanti munuſcula mittit. ibid.

Ambitus in Pontificatu adipiſcendo refrenatus. 282.a

Ambitus epiſcopalis honoris turpis & illicitus. 276.a

Ambroſius ad Gratian. Imp. epiſtolas 8. libris reſpondit, 276.b

Amingus dux Francorum Italiam inuadit. 635.a

Anaſtaſia ſenatoria fœmina, tempore perſecutionis

Anaſtaſij inconſtantia fletit. 340.b. eius epiſtola ad Hormiſdam Papam. 344.a

Anaſtaſius Imp. Pharaoni ſimillimus. 314.a. ſynodum Chalcedonenſem oppugnat. 181.a

Acephalorum ſectæ ſignifer, & quando factus. 243.b 274. Pontificia auctoritate abuti conatur. 316.b fulmine percuſſus 269.b probat Chalcedonenſe Concilium 319.b. veteratorie Catholicum ſe ſimulat, & quam ob cauſam 320.a. pacem à Vitaliano petit. 315.a. orthodoxos epiſcopos relegat, & quos. 274.a. Hormiſdæ diritiam ſugillat. 331.a. Clodoueo conſularem dignitatem offert. 311.b. Conciliabulum Sydonianũ indicit. 313.a cur in Codice Iuſtinianeo pietatis titulo decoretur.

tur,388.a.b. à Symmacho excõmunicatur,290.b. legatos ad Hormisdam de pace concilianda mittit, 320. b. de Manichæorum hæresi suspectus, 274.b. Pontificem precatur,vt concilium congregari velit,315.a. seditione agitatur,233.b. eius memoria damnatur, 314.a. contra legatos Apostolicæ sedis insolentiæ,313.a. vox tyrannica,ibid. Fidei confessio, 319. b. gesta & obitus, 314.a

Anastasius Antiochenus relegatur, pagin.676.a. 732.b

Anastasius bibliothecarius erroris redarguitur, 475.a.379.a.475.b.636.a.396.

Anastasius bibliothecarius emendatur, pagin. 1047.a.b

Anastasius II. Papa eiusque vita,epistolæ & decreta,260.a. quando creatus sit, ibidem. an Acacium damnatum in sedem reuocare voluerit, ibidem. integer in fide Catholica decessit, ibid. an cum Acephalis communicarit, pagin. 260.a

Anastasius Papa quando defunctus. 269.b

Anathema quid, 551.b.585.a

Anathematismi Cyrilli, 570.b

Anathematismi aduersus Origenis errores, pagin. 488.b

Anatolius Constantinopolitanus Romam legatos mittit, 248.b

Anatolij Constantinopolitani ad Leonem Imp. epistola, 152.a

Anatolij Cõstantinopolitani ad Eutychianos Cõcilij Chalcedonensis decreta subsannantes oratio, 181.a

Andegauum ciuitas quæ, 191.a

Andegauense Concilium sub Leone Papa I. 190.b

Andegauensis Concilij causa & finis, 191.a

Andreas Græcus impostor detectus, 961.a

S. Andreæ basilica Romæ, 204.a

Angeli non sunt ex Dei substantia, 641

Angelorum lapsus vnde, 259.a

Anglorum ad fidem Christi conuersio, 840.a

Anglicanum Concilium, 1189.b

Animæ vnde oriantur inter doctos disceptatum, 855.a.an præexistant, 483.a. ex Dei substantia nõ sunt, 641

Animæ sanctorum mortuorum pro viuis apud Deũ intercedunt, 424.b

Annulus episcoporum quid significet, 1015.a

Annunciationis festum quando in Hispania celebretur, 1175.b

Antheon episcopus Arsinoes, eiusque ad P. Fullonem epistola, 227.a

Antichristus an tempore Phocę Imp.manifestatus, 963.a

Anthimus Cõstãtinopolitanus fit episcopus, 624.a ciuilem affectat principatum,425.a. duas naturas in Christo impugnat,416.b. ad synodũ vocatus venire renuit,434.&seqq.ad Agapeto Papa cõdẽnatur,416.b.quibus artibus episcopatum Constãtinopolitanum adeptus, 421.b

Anthimi causa in Constantinopolitana synodo vẽtilata, 471.a

Antiochia prius Theopolis dicta, 444.a

Antiochia tertia sedes, 265.a

Antiochena seditio ab Eutychianis cõcitata, 210.b

Antiochenus episcopus aliquando Cõstantinopoli electus,& cur, 211.a

Antiocheni ciues orthodoxi cædunt pseudomonachos,Flauiani persecutores,313.a.libellum ad Iustinum Imp.mittunt,& quare, 375.a

Antiochenorum clericorum ad Ioannem Patriarcham supplicatio, 450.b

Antiocheni & Hierosolymitani Patriarcharũ conuentiones, 105.a

Antisiodorum vrbs quæ, 955.b

Antisiodorense Concilium, 953.b

Apama ciuitas qualis, 314.b

Apameensium clericorum libellus de Petri Episcopi sceleribus, 461.a

Aphthardocitæ hæretici qui, 635.b

Apocalypsis liber approbatus, 1001

Apocryphi libri qui,266.b.in Ecclesia non legendi, 675

Apocryphæ scripturæ ex decreto Gelasij Papæ,quę, 264.265

Apocrisarij plures ad Pontificatum assumpti,&cur, 962.b

Apollinaris hæreticus,1110.b. eius hæreses, pagin 611.b

Apollinaristæ an & quomodo ab Eutychianis differant, 140.b

Apostoli quomodo dicantur habere primitias Spiritus sancti, 260.b

Apostolorum diuisio quare facta, 966.a

Apostolorum sanctuaria, 353.a

Apostolicus thronus, 4.b

Apostolica sedes caput omnium ecclesiarum, pag. 935.b

ad Apostolicam sedem maiores causæ deferendæ. 491.b

Apostolica sedes in misericordiam prohior quam in seueritatem,1055.b. fundamentum orthodoxæ doctrinæ,1069.a. non potest errare,242.b.solida Petri confessione stabilita est,298.a.aliarum ecclesiarum capitula ordinationesque confirmat,933.b. hæreticorum damnatorumque vitat vestigia, 234.a. nunquam hæresi contaminata, 626.b. superior est omnibus quæ paternis canonibus sunt præfixa,244.b.de omnibus iudicat secundum canones & per Christum tributam auctoritatem,238.a. sanctiones ecclesiarum sequitur,inuiolatas conseruando,430.b. in vniuersali Ecclesia à Domino sibi assignatum tenet principatum,270.a. non super regnum & imperium, sed super Christum regem regum & dominum dominantium innititur, 221. b. Domino delegante,totius ecclesiæ retinet principatum,267.b. semper immaculatam seruat religionem, pagin. 323.b

Apostolica doctrina perstat in successoribus sedis Apostolicæ, 205.b

Apostolicæ sedis doctrina in omnibus tuto sequenda,393.a. hospitalitas, 1061.a

Apostolicæ sedis vicarius in Oriẽte episcopos creare solitus, 1054.b

Apostolicæ sedis auctoritas in Concilio Bracarensi relecta, 642

Apostolicæ sedis monitis parendum, 270.b

Apostolicæ sedis sententiam omnes episcopi subire tenentur, 202.b.857.b

Apostolicæ sedis decreta temerare nefas, 201.b

Apostolicæ sedis sententia in fide sequenda, 337.b. 416.b

Apostolicæ sedis legati quam honorifice ab Oriẽtalibus accepti, 340.b

Apostolicæ sedis auctoritas, 1

Apostolicæ sedis cura pro patrum regulis excubat, 333.b

ob Apostolicæ sedis inobedientiam episcopus à celebratione Missarum suspenditur, 808.a

Apostolicæ sedi parendum ex diuino instituto & Patrum traditione, 236.a

Apostolicæ sedes tres,& quæ, 830.a.b

Apostolicæ sedes cur etiam aliæ quædam nominatæ, 646.a.b

Apparitores qui, 1201.b

Aqua vino miscenda in consecratione calicis, pag. 1206.b

Aqua benedicta fana aspergenda, 910.a

Aqua lampadibus infusa,miraculosè instar olei ardet, 667.a

Aquileia incensa, 953.a

Aquileiense Concilium contra V. Synodum coactum, 610.b

Aquileiensis Patriarcha quando dici cœptus,pagin. 705.a

Aquilinus è milite episcopus Ebroicensis, eiusque laus, 311.b

Arausicanum Concilium II. 391.a

Arausicanum Concilium II. quando celebratum, 393.a

Arca Noë figura est Ecclesiæ, 901.a

Arcabrica ciuitas, 652.a

Archidiaconi munus & officium, 1013.1142.a

Archimandritę monachi à Marciano Imp.increpati,143.b

Archimandritarum catholicorum contra Eutychem ad Martianum Imp.petitio, 92.b

Archimandritarum aliquot Eutychianorũ epistola ad Marcianum,91.b

Archipresbyter duplex, 1141.b

Archipresbyter qualiter emere possit, pagin. 312.b

Archipresbyteri officium, 1187.b

Arelatense Concilium III. 385.a

Arelatensis episcopus Vicarius est Rom. Pontificis in Gallia, 800.b

Arelatensis episcopus,eiusque iurisdictio quam latè pateat, 281.b

Arenarij qui, 117.a

Ariamirus rex Sueuorum,an Concilium Bracarense indixerit, 645,a

Arianus episcopus ad S. Remigij vmbram obmutescit, 369.a

Arianismus in Concilio Toletano III.damnatur. 709.710

Aristides presbyter Thessalonicensis Romam euocatur,& quare. 350.a

Armeniæ secundæ fides, 169.a

Armeniomen error non esse aquam vino in Eucharistia miscendam, 1206.b

Arnulphus rex Romanum agrum vastat, pagin. 751.a

Arrepti vel arreptitij qui. 1202.b

Artemius Tarraconensis episcopus,956.a. Concilio Cæsaraugustano præsidet, ibid.

Aruerni qui, 510.a

Aruernense Concilium sub Vigilio, 508.b

Arrugitana Africæ prouinciæ quæ, 303.b

Asclepias Tralliarum episcopus,eiusque ad P. Fullonem epistola, 228.b

Asclepiadis Trallensis anathematismi Quintiano ascripti, 225.b

Asiani episcopi & clerici Iustino Imp.preces pro ecclesiarum vnione offerunt, 363.b

Asidonia oppidum, 654.b

Astici oppidum, 654.b

Asturica oppidum 653.a

Athalaricus Theodorico regi surrogatur, 388. a. causam dat schismati,396.a.simoniam prohibet, 403.a

Athalarici regis epistola ad Ioannem Papã, 406.a

Athanaricus Gothorum in Hispania rex, 967.b. Hispaniam Arianismo inficit, ibi.

Athanasius magnus ecclesiæ doctor, 497.a

Athanasius contra Arianos, 47.b

Athanasius accusatus quanta humilitate se gesserit, 293.a

Athanasij presbyteri Alexandrini libellus ad Leonem Papam & Concilium Chalcedonense.pagin. 70 b

Atticus Episcopus Constantinopolitanus, 49.a

Attila flagellum Dei Italiam vastat,191.a. Leonis Papæ Romani occursu & precibus ab vrbis euersione abstinet, 191.a

Auaritia vitiorum mater, 300.b

Auaritia sacerdotibus fugienda, 903.b

Auca oppidum, 655.a

Auela oppidum, 654.a

Auguria obseruantes ab ecclesiæ communione pellendi, 311.a

Augustulus Imperator occidentis vltimus, pagin. 215.a

Augustodunensis ecclesia post Lugdunensem proxima, 868.a

Auieni duo Consules,iunior & senior, 286.a

Auitus Viennensis episcopus,386.b. eius ad Hormisdam PP.epistola, 324.a

Aulonitana ciuitas, 340.b

Aunacharius Antisiodorensis episcopus, 955.b. synodum celebrat, ibid.

Aurelia vrbs quæ, 311.b

Aurelianẽse Cõcilii I. sub Symmacho Papa,309.a qua occasione & cuius hortatu congregatum, 311.a.II. sub initio Siluerij Papæ, 477.a. III. sub Vigilio,504. b.IV. sub Vigilio, 511.a.V. sub Vigilio, 514.a

Aurelianus episcopus Arelatensis,500. Vigilij Papæ per Galliam Vicarius constituitur, ibid.

Aurelius Adrumetinus episcopus Chalcedonensi Concilio interfuit, 181.b

Aurelius Carthaginensis episcopus contra Romanam sedem insurgit, 397.a

Auria oppidum, 653.b

Auxonius Arelatensis episcopus, 490. b. Vicarius sedis Apostolicæ in Gallia constituitur, 491.a

Auxanius episcopus ambitiosus per obreptionem diœcesis suæ dilatationem à Pontifice impetrat, 197.b

S. Auxentij elogium de Concilio Chalcedonensi, 181.a

B.

BAdda Reccaredi Gothorum regis vxor, filia Arturi Britanniæ regis, 707

Bæsa oppidum, 652.b

Baptismus quãdo ministrari solit9,372.374.a.701.b

Baptisma in Paschate & Pentecoste conferendum, 245.a

Baptismus peccati originalis ablutio est, 855.a. statim conferri potest ei qui gignitur,947.a. quibus verbis conferendus, 482,a

Baptismi necessitas & fructus,240.b. septem dona, 978.b.trina mersio quid significet, 736.a

Baptismum qui suscipere possint, 1148.b

in Baptismo peccata omnino dimittuntur, 900. b. vna an trina mersio vsurpanda, 1014.a

Baptisteriũ asylum eo olim confugientibus, 147.b

Baptizandorum vestis qualis esse debeat, 785.b

à Baptizãdis vel cõsignãdis pretia nõ exigẽda,244.a

Baptizati extra ecclesiam ad ecclesiasticam militiam non admittendi, 222.b

Barcinona oppidum, 655.b

Barcinonis insigne, 645.a

Barcinonense Concilium, 960.a

Barcinonenses Canones, 508.a

Barnabæ corpus miraculosè inuentum, 214.b

Barsumas archimãdrita Ephesũ missus.& quare, 6.b

Barsumæ impetita atque impia dicta, 12.a

Basilius Magnus in columbæ imagine Eucharistiã asseruauit, 451.a

Basilius S. R. E. presbyter, Leonis Papæ ad Concilium Chalcedonense legatus, 181.b

Basilius præfectus prætorio Odoacris Vicarius electioni Roman. Pontificis sæcularem potestatem conatur ingerere, pagin. 204.a 214.a. leges

leges quasdam in præiudicium sedis Apostolicæ tulit. 290.b
Basilius Porphyrogenneta Imp. eiusque de immunitate ecclesiarum lex. 1027.a
Basiliscus tyrannus imperiū inuadit. 208.a. Chalcedonense Concilium oppugnat. 181.a. scriptis sedis Apostolicæ vehementer infractus est, & à plurimis reuocatus excessibus. 250.a
Basina Chilperici Francorum regis filia, virginitatem professa, è clausiro erumpit. 957.a. seditionē contra monasterium mouet, ibid. excommunicatur, ibid. veniam petit. 958.b
Bassianus episcopus Ephesinus, eiusque pro causa sua litteræ. 116.b
Basti oppidum. 652.b
Beatici ciuitas. 652.b
Belisarius belli dux à Iustiniano constituitur. 416.b. Neapolim obsidet. 416. b. Romam Gothis extorquet. 475. b. contra Persis bellum gerit. 396. b. gentiles ad fidem Christianam conuertit. ibid. à Siluerio PP. reprehensus, & quare. 475. b. an Siluerio donationem fecerit. 480. a. sacrilegium committit. pag. 475. b. pœnas dat. ibidem. in quas miserias inciderit. 635.a. affectatæ tyrannidis suspicionem incurrit. 479.b. Constātinopolim reuocatur. ibidem. misere punitus. 479.b
Benedictio per manus impositionem sacerdotibus ordinandis confertur. 334
S. Benedictus quando floruerit. 231. b. eius prophetia. 479.b. 480.b
Benedictus I. Papa, eiusque vita, epistolæ & decreta. 676.a
Beneficia etiam in aliena ecclesia Papa conferre potest. 747.a
Beneficiorum Ecclesiasticorum quæ origo. pagin. 276.a
Bernardus Monachus Benedictinus fit Toletanus episcopus. 971.b. eius vita & res gestæ. ibid.
Berytensis synodus habita in causa Ibæ Edessēni episcopi, relecta Chalcedone. 109.a
Bigami non ordinandi. 190.b. 191.b. 201.b. 304.b. 385.b
Bigastrum ciuitas. 653.a
Bitenis vrbs. 655.b
Blandus presbyter, Hormisdæ ad Orientales legatus. 338.b
Bona ecclesiastica non alienanda. 276.a. 289.b. 306. b. 420.b. 1163. 952. 289.b. 305.b. 306.b. 420.b. 638. a. 952. qualiter & in quos vsus ab episcopis dispēsanda. 246.b
Bona ecclesiæ, vel propria episcoporum, per quascunque iniustas causas alienata, redintegranda sunt. 298.b. à quibus & quomodo dispensanda. 671. ad episcoporum administrationem pertinent. 715.a. quomodo ab episcopis haberi debeant. 305.a
Bona ecclesiæ subtrahens qualiter puniendus. pagi. 515.a
Bona triginta annis ab ecclesijs possessa, ab eis nō auferenda. 246.b
Bona ecclesiastica diuturnitate temporis in ius proprietatis vocari non possunt. 313.a
Bona ecclesiastica per potestatem regiam, contempto Pontifice, inuadens, quomodo coercendus. 512 b
Bonorum ecclesiasticorum quadripartita diuisio. 371.b
Bonorum ecclesiasticorum inuasores quibus pœnis coercendi. 301.a.b. vt manifesti hæretici, anathematizandi. 303.a. qui sub eo nomine intelligantur. 303.a
Bonifacius I. Papa, eiusque vita, epistolæ & decreta 396.a. Ecclesiam S. Michaelis in summitate Circi dicat. 396 b. successorem sibi eligere tentat, 398 b. conatum suum ipse reprobat. ibid.
Bonifacius II. Papa eiusque vita. 962.a
Bonifacius IV. Papa eiusque vita. 963.a
Bonifacius V. Papa, eiusque vita & epistolæ. pagin. 978.b
Bonifacius S. R. E. presbyter, ad Chalcedonēnse Concilium Papæ legatus. 181.b
Bonosus Græcis qui nobis Benedictus. 676.a
Bonosiaci hæretici. 507.a
Bracara vrbs quæ & qualis. 666.a. 1206.a. prima sedes Gallæciæ. 647.a. Primatus nomine & à quibus decorata. 967.b
Bracarēsis Metropolitani Episcopatus, qui & quot. 1206.a
Bracarensis episcopus contra primatum Toletani exceptione vtitur. 973.b
Bracarense Concilium II. post obitum Ioannis III. Papæ. 663
Bracarense Concilium III. sub Adeodato. 1202. quando habitum. 1206 a
Bracarensis ecclesia primatus Hispaniæ sibi nomen arrogat, & vnde. 666.b
Brandeum, ad sanctorum reliquias. 779.a
Braulio Cæsarauguſtanus episcopus quis. 1016.b
Brennacense Concilium: 700.a
Breuiarium causæ Nestorianorum & Eutychianorum. 610.b
Britonia oppidum. 653.b
Brittablum, oppidum quod & quale, 402.b
Bucellinus dux Francorum Italiam inuadit, 636.a
Burgensium episcoporum cum Toletanis altercationes, 975.b
Burgundiones Galliam occupant, 311.b
Byzacena Africę prouincia quæ, 303.b
Byzacenum Concilium Africæ, anno 504. celebratum, 303.b. quam ob causam indictum, 303.b. quid in eo decretum, ibid.
Byzacenum Concilium Africæ sub Vigilio, 508.b.
Byzacenum Concilium sub Gregorio I. 961.b

C.

CAbades Persarum rex multos è Manichæis interficit, 376.b
Cabilonense Concilium I. 697.b
Cabilonense Concilium sub Vitaliano. pagin. 1176.a
Cabra oppidum, 654.b
Cæcilianus Carthaginensis episcopus, 549.a. solus ex Afris Nicenæ synodo interfuit, ibid.
Cæcina Basilius, vide Basilius.
Cælestini Papæ Romani ad Nestorium epistola, 567.a
Cæremoniarum & sacrorum intra prouinciam vna debet esse consuetudo, 192.a
Cæsarius Arelatensis quis, 393.a.b. præses est Concilij Agathensis, 308.a. libellum de gratia & libero arbitrio conscripsit, 393.a. ab Alarico relegatur, 308.b
Cæsarauguſta oppidum, 655.a
Cæsarauguſtanum Concilium, 956.a
Calamitatum causæ veræ quæ, 256.a.b
Calendion episcopus Antiochenus cui substitutus & quando, 211.a
Calabria oppidum, 654.b
Caliabriensis episcopus Concilijs Toletanis subscribit, 647.a
Callagurris ciuitas, 655.a
Calliopas quæ contra Martinum Papam egerit. 1058. 1059
Caluinus falso docet Mennam Constantinopolitano Concilio præfediſſe, 607.a
Caluini mendacium de Chalcedonensi Concilio, 180.b
Campanarum vsus à quo inuentus, 962.a
Canon librorum veteris ac noui Testamenti, 266.b
Canon 10. Concilij Chalcedonensis quomodo intelligēdus, 188.a. Concilij Chalcedonēsis aduersus Simoniacos explicatus, 193. b. xxxvii. Cōcilij Chalcedonensis surreptitius, 188.a. Apostolorū 84. spurius, & quare, 266.b
Canon de primatu Constantinopolitanæ sedis quando constitutus, & quomodo impugnatus, 185.a
Canones Conciliorum seruandi, 127. 202. b. 244.a. 244.b. 1176.a
Canones viginti Concilij Lateranensis sub Martino I. sub anathemate recipiendi, 1116.b
Canonum rigor pro temporum necessitate relaxatur, 243.b
contra Canones nihil præsumendum, 197.a
Canones soluere est in religionem committere, 318.a
Canones qui non custodiunt, à Rom. Ecclesia non agnoscuntur, 767.a
Canonica partitio, 372.a
Canonicorum origo quæ, 1014.b
Canticum canticorum à Theodoro Mopsuesteno exagitatur, 535.536
Cantica turpia vel ludicra in Ecclesijs non vsurpanda, 1177.a
Capitula tria in Concilio Constantinopolitano à Iustiniano proposita, 609.a. quę illa fuerint, ibid.
Capreolus Augustini successor, 397.a
Carcassona oppidum, 655.b
Carpentoracte vrbs quæ & qualis, 395.a
Carpentoractense Concilium, ibid.
Carpetania quæ regio, 717.b
Cartagena ciuitas, 652.b
Caro non est opificium malorum angelorum, pag. 641
Carnis esum quinā hæretici detestati fuerint, 481.a 641. 645.b
Carnium esus non est execrabilis, 674
Caro Christi non fuit ante Mariam, 225.a
Caro Christi humanæ consubstantialis absque peccato, 225.b
Carthago vrbs, 652.b. in qua Africæ prouincia sita, 303.b
Carthaginensis ecclesia Rom. reconciliatur, 396.b
Cassiodori ad Ioannem Papam epistola, 406.b
Castitas sacerdoti quam necessaria, 212.b
Castulo oppidum, 653.a. 656.a
Catechumenus quis, 645.b. 666.b
Catechumeni dicto Euangelio templo eiecti, pagi. 384.b
Catechumenorum alij competentes, alij audiētes, 308.b
Catenæ S. Petri, 733.b
Catenarum S. Pauli miracula, 779.a
Cathedraticum quid, 1045.a
Catholica, vox, quæ complectatur, 721.a
Catholica fides quæ, 242.b
Catholicæ fidei euidentissimum signum quod, pag. 416.b
in Catholica fide perseuerandum, 329.b
Catholica Ecclesia verè quæ, 721.a
Catholica ecclesia sequenda, 143.b. ab omnibus hęresibus semper immunis, 266.b
Catholicus in certamine de fide per ignem incolumis euadit, 274.a
Catholici verè habendi qui cum Rom. ecclesia cōmunicant, 189.a
Catholicum est quod à Pontifice Rom. fuerit pronunciatum, 353.b
Cauca vel Caca oppidum quod, 402.b
Causæ difficiles quæ ab episcopis decidi nō possunt ad sedem Apostolicam referendæ, 789.b. 800.a
Causæ priuatorum in concilijs qualiter discuti debeant, 68.a
Cazlona oppidum, 653.a
Celer Iustini Imp. aulicus, 340.a. eius ad Hormisdā epistola, 358.a
Centenarij apud Gothos qui, 1146.a
Centuriatores Magdeburgenses Martinum I. Papam falso carpunt, 1047.a
Centuriatorum Magdeburgensium de S. Gregorio Papa I. fabula, quoad cælibatum, 724.a
Centuriatorum Magdeburgensium mendacium, 931.a
Centuriatorum de Antichristo, tempore Phocæ ingresso, ineptiæ, 963.a
Centuriatores Magdeburgenses Honorium Papā hæreseos insimulant falso, 992.b
Cerbonius episcopus in exilium à Lōgobardis pulsus, 676.a
Ceret Paschalis benedictio à quibus vsurpata, pag. 1014.a
Cerei antiquitus quoque prioribus consecrari soliti, 896.a
Chalcedon vrbs quę & qualis, 180.a
Chalcedo metropolitanę ecclesiæ dignitate ornata. 104.b
Chalcedonense Concilium, eiusque actio prima, fol. 1. quo tempore habitum, 185.b. approbatum, 249.b. legitimum & approbatum, 684.a. œcumenicum fuit, 180. a. à Leone Pontifice indictum, 179.b. auctoritae sedis Apostolicæ coactum, 249.a.
Chalcedonensis Concilij Actio decimasexta, 133.a
Chalcedonense Concilium an in fide & moribus aberrarit, 181.a
Chalcedonensis Concilij inscriptio emendata, 185.b
Chalcedonensis Concilij cognitio secunda, 63.b. cognitio tertia, 65.b. quarta Actio, 86.b. Actio quinta, 93.a. Actio sexta, 98.a. Actio septima, 105. a. Actio octaua, 106.a. nona, 107.a, decima, 108.a. Actio vndecima, 116.a. duodecima, 119.a. decimatertia, 120.a. Actio decimaquarta, 121.b. Actio decimaquinta, 127. Canones, ibid. & seqq.
Chalcedonensis Concilij Acta vera & legitima quę, 180.a. ab Impp. Valētiniano & Marciano edicto confirmantur, 84.b
Chalcedonensis Concilij decretum de primatu Constantinopolitanæ sedis, & alijs quibusdā inualidum, quia R. Pōtificis legatis insciis factum, nec à Papa approbatum, 181.b
Chalcedonensis Concilij exemplar vnde desumptum, 142.b
Chalcedonensis Concilij auctoritas, 757.b. diffinitio, 95.a
Chalcedonensis synodi definitio, 1097.b. epistola ad Valentinianum & Martianum Imperat. 83.a
Chalcedonense Concilium circa Apostolicam fidem nihil innouauit, 142.a
Chalcedonensis Concilij Patres subscribunt epistolæ Leonis Papæ, 87.b
Chalcedonensis Concilij Relatio ad PP. Romanū Leonem, 139.b
Chalcedonenses Patres à Papa Romano expetunt confirmationem Decretiuam, 140.a
Chalcedonensis synodus, & quid in ea actum, 618.a. à quo & quem in finem indicta, 519.a
Chalcedonensis synodus ad sanguinem vindicāda, 181.a
Chalcedonens. Fides amplectenda. 779.b
Chalcedonensi Concilio quot episcopi interfuerint, 181.b
Chalcedonensi Concilio Pontifex Romanus præsedit, & per quos, 180.a

Chalactericus Carautensis episcopus, eiusque virtutes, 639.b
Charibertus rex Emerium Santonensem episcopũ sedi restituit, 646.a
Charibertus incestu pollutus, 661.a
Chariberti sacrilegium, 661.b
Charisij fidei professio catholica, 49.b
Charitas Dei donum, 392.b
Charitatis vis, 122.b
Charitatis effectus qui & quam varij, 868.b
Charitatis laus, 872.b
Charitatis laudes, 949.b
Childebertus Francorum rex Apostolicę sedi venerationem exhibet, 582.a
Childebertus per legatus reliquias à Papa poscit, 630.a
Chilpericus filium Merouecum armis persequitur, & quam ob causam, 696.a
Chindus vel Cindus rex Hispaniæ, 1045.a
Chori in Ecclesia qui, 1015.a
Chorepiscopi quorum typum gerant in Ecclesia, 636.b
Chrisma quando & à quo conficiendum, 674
Chrisma à quo & per quos petendum, 401.a.b
Chrisma quando petendum, & quomodo transmittendum, 954.b
Chrisma gratis dandum, 657.a
Chrisma quo Franciæ reges inunguntur, cælitus à columba allatum, 273.b
Chrismatis ampulla Rhemos cælitus à columba allata, 311.b. materia quæ, 665.b
Chrismatis consecrandi quis minister, 645.b
Christus verus Deus & homo, 551.a
Christus vnus, 17.18.614.b. non est purus homo natus, 593.a. quomodo Dei inuisibilis sit imago, 596.b. secundum Deitatem patriæ, qualis, secundum humanam naturam minor, 403.b. pro omnibus mortuus est, & omnes vult saluos esse, 387.a ad inferos descendens quid egerit, 823.a. voluntarie in mundum hũc venit, 628.a. antequam nasceretur fuit, 641. in duabus perfectis naturis vnus idemque, 601.a. an secundum diuinitatem passibilis, 216.a. verus Deus & verus homo, 280.b. 281.a. veram carnem assumpsit, 319.a. verus Deus, 55.b. 407.a.b. quomodo similis patri, 1056.b. non vt purus homo in cruce pependit, 598.b. an & qualem animam habuerit, 225.b. fecit miracula per Mosen, 539.b
Christi duæ natiuitates, 1117.a
Christi naturales voluntates, 1104.b. & seqq. operationes, 1107.a
in Christo an vna tantum vel duæ voluntates vel operationes, 1031. & seqq.
in Christo duæ naturæ Deus & homo, 988
Christiani in quo & per quem vincant diabolum, 260.a
Christianis gentilium superstitiones fugiendæ, 675
Chrysostomus Theodorum Mopsuestenum ab hæresi conuertere studet, 608.a
Cibaria in lapides conuersa, 962.a
Ciliciæ secundę synodus prouincialis eiusque Acta. 552.b
Cindasuindus vide Chindus.
Cingulum honoris quid, 991.a
Cinthilas primus totius Hispaniæ regimen obtinuit, 1013.a. Concilium V. Toletanum cõuocat, 1019.b
Cisterna contrita quæ, 1073.a
Ciuitas nigra, quæ, 308.b
Cixila præsul Toletanus, eiusque laus, 970.b
Claudius Vesontiensis episcopus, 314.b
Clauis S. Petri miraculum, 825.a. 803.b. 842.a
Clauis à S. Petri corpore per Gregorium I. trãsmissa, 733. b. cum ramentis catenæ ad Africanos missa, 957.a
Clemens successor proximus D. Petri, 636.b
Clementius primas Byzacenus, 961.b. grauium criminum apud Papam accusatur, ibid.
Clephis Longobardorum rex, quamdiu in Italia regnarit, 636.a
Clerus numerosus ad ecclesiarum necessitates procurandus, 1053.a
Clericus publicum iudicium non interpellare debet. 312.b. factum ecclesiæ faciens, quomodo habendus, 304.b 305.b. fornicationis conuictus qualiter puniendus, 510.a. periurij cõuictus quomodo puniendus, 505.b. hæreticos suspectus quomodo purgare se debeat, 673. ad sæcularem iudidem confugiens quomodo puniendus, 305.a. illicitis horis ambulare non debet, & quæ horæ illicitæ, 313.a
ad Clerum qui promoueri non debeant, 244.a
Clerici comam nutrire non debent, 305.b. à quo petere debeant Canonum statuta, 512.a. vagi & inobedientes quomodo puniendi, 384.a. desertores, aut importuni quomodo puniendi, 673. lapsi non sunt restituendi in pristinum gradum, pagin. 1122.b
Clerici cum extraneis fœminis habitare non debẽt, 305.a. 213.a. 380. 1132. 953
Clerici à potestate sæcularium iure exempti, 191.a. 696.a. causas suas coram suo episcopo agere debent, 129 die Sabbati omnes in vnum conuenire debent, 370. ab omni sanguine, etiam hostili abstinere debent, 379. ad coniugalem torum redeuntes, submouendi, 305.a. à curis & negotijs sæcularibus abstinere debent, 104.b. fornicatores quomodo puniendi, 672. excommunicatis ministrare non debent, 673. olim singulis mensibus ab Ecclesia per episcopum stipem accipere soliti, 276.a. diuagationes vitent. 192.a
Clerici qui capitale crimen commiserunt, qualiter puniendi, 307.a
Clericis, quibus nihil ab episcopo commissum, Cõstantinopoli diu manere interdictum, 132
Clericis ab episcopali iudicio ad sæculare non licet resilire, 190.b
Clericum alienum defendens, communione priuandus, 385.b
Clerici alieni vel transfugæ non recipiendi, 104.b 506.b. contumaces & ad officium tardi quomodo coercendi, 304 b. 506.b. in prochotrophiis, monasterijs & martyrijs episcopo obedire debent, 129. à laicis iudicibus comprehendi nõ possunt, 911.a. coniugati ab vxoribus abstinere debent, 955.a. aduersus principem coniurantes qua pœna afficiendi, 1168. à conuiuijs & saltationibus abstinere debent, 192.a. ab omni publica indictione & labore immunes, 1006. ad sæcularem militiam transeuntes ab ecclesijs remouẽdi, 190.b. sine epistolis Antistitis sui non recipiendi, 307.a. post clericatum contrahentes qualiter contrahendi, 945 b. non debent prædia aliena conducere, aut curis sæcularibus se immiscere, 128. coram sæculari iudice causas ne agant, pagi. 698.a
Clericorum numerus moderandus, 953.a
Clericus contra Ecclesiam aliquid præsumens, ejiciendus, 722.b
Clerici coniugati deponendi, 510.a
Clericus inconsulto episcopo ad iudicem sæculare pergere non debet, 306.a
Clericis canes ad venandum, aut accipitres habere non licet, 307.a
Clericis non liceat, de ciuitate in ciuitatem trãsmigrare, 128
Clerici qui conuinci non poterunt, quomodo purgare se debeant, 308.a
Clericorum stipendia iuxta meritum distribuenda, 306.a
Clericus falsi testimonij conuictus, capitalis criminis reus, 313.a
Clerici à negociatione & turpibus lucris abstinere debent, 245.a. diebus solennibus ab Ecclesia absentes, qualiter puniendi, 307.b. ad dimissas vxores redeuntes, honore priuandi, 698.b. 714.a
Clericorum vestitus qualis esse debeat, 698.a
Clericus scurrilis & ioculator ab officio retrahendus, 307.b. ad laicam reuolutus vitam, vel militiæ nomen dans, excommunicatur, 213.a
Clerici vestimentis purpureis ne vtantur, 722.a
Clerico sine episcopi sui epistola proficisci non licet, 306.a
Clerici à coniugibus proprijs quoque abstinere debent, 505.a
Clerici clericos ad sæcularia iudicia non prouocet, 714.a
Clericis nihil illiciti aduersus episcopos præsumẽdum, 122.b
Clerici nuptialia vitent conuiuia, 306.b
Clericorum ordinationes illicitæ quæ, 312.a
Clericis rebaptizatis vsque ad finem vitæ agenda est pœnitentia, 222.a
ad Clericatum qui promouendi, 1003
Clerici non possunt duas administrare ecclesias, 130
Cletus an chorepiscopus tantum, aut verus fuerit Pontifex, 637.b
Clodoueus quando Galliarum regnum adeptus, 311.b. quamdiu tenuerit, ibid. Gotildem vxorem ducit, 311.b. qua occasione ad fidem Christianam conuersus, ibid. à S. Remigio baptizatur, & fit catholicus, 273.b. consularem dignitatem ab Anastasio Imp. oblatam, recusat, 311.b. miraculosè sanatur à S. Seuerino Aganensi, 311.b. Hormisdam Papam aurea corona donat, 311.b. 314.a. quibus armis Alaricum deuicerit, 311.a.b. quando obierit, 478.b. eius ad synodum Agathensem epistola, 309.b. in Remigium Rhemensem episcopum liberalitas, 311.b. pietas & in ecclesias liberalitas, 312.a
Clotharius Galliæ monarcha miraculosè sanatus, 635.a. libertati iniurioſi episcopi resipiscit, 508.a. incestuosis nuptias contrahit, 639.b. eius factum crudele, 646.a. successores qui, 660.b
Clothosinda Clotharij filia Alboini vxor, 635.b
Clypiacum quis locus, 1175.b
Clypiacense Concilium, ibid.
Codex Iustinianeus quando & à quo compilatus, 388.a
Cœlestia corpora an animata, 486.b
Cœlibatus Clericorum vnde probetur, 1148 a. antiquitus præceptus, 212.b. inepta fabula à Nouatoribus hæreticis infamatus, 724.a
Colibre oppidum, 655.b
Collatio pro Symbolo, pagi. 721.b. cur ita dicta, ibidem.
Columbæ imagines super diuina lauacra & altaria appensæ, 451.a
B. Columbanus, eiusque regula, 980.b. calumnijs impetitur, ibid. Pictos ad fidem conuertit, 635.b
Colluthus hæreticus, 1111.a
Comitis officium apud Gothos quod & quale, quæque eius origo, 1143.b
Comes cubiculi, 1145.a. Scanciarum, 1144.a. Stabuli, 1145.a. Notariorum, 1144.b. Thesaurorum, 1144.a. Patrimonij, 1144.a. sacri patrimonij quis, 957.a. Spathariorum, 1144.b. exercitus, 1145.a
Commonitorium Hormisdæ legatis ad Imp. Anastasium datum. 317.a
Communio quotuplex, 382.b. quibus nominibus appellata, 382.b. à triplici, loco tripliciter nominata, 645.b
Communio Sanctorum egregie declarata, 1049.b
Communionis ecclesiasticæ locus, 382.b
ad Communionem qui admittendi, qui non, pagin. 233.a.b
Complutum oppidum, 652
Compostella cur & quando Exemptæ nomen sibi vindicarit, 970.b
Compostellani episcopi exceptio contra Toletani primatum, 974.a
Compulsores exercitus, 1146.b
Compunctionis genera duo, 824
Conantius Palentię episcopus quis, 1016.b
Concilium non tumultuosè agitandum, 1194.b
Concilia an possint errare & in quibus, 993.a
Concilium non congregandum nisi causa à Pontifice cognita, 315.b. factum contra hæreses qui respuunt, hæreses prohibere nolunt, 168.a
Concilium prouinciale non potest dispensare in ijs quæ contra canones præsumpta sunt, 196.a
Concilij habendi formula, 999
Concilij Acta nisi à Pontifice confirmentur, nulla sunt, 254.a
Concilia bis in anno per singulas prouincias celebranda, 131. 773.b. 334.b. 1187.b. 1013.b
Concilia sine graui causa an congreganda, 174.b
Concilia non placent hæreticis, ibid.
Concilia primaria quæ, 265.a
Concilia & Patres non suscipiens damnatus est. 1110
Concilia vniuersalia quando congreganda, 206.b. à quibus approbari debeant, 249.a
Concilia quatuor approbata tanquam quatuor Euangelia veneranda, 732.b. 779.b 802.b
Concilia approbata tempore Leonis Imperatoris quæ, 152.b
Conciliorum decreta non sunt retractanda, 247.b. 318.b. 175.a. ab omnibus seruanda, 334.b. 713.a
in Concilijs tractanda ea quæ sedes Apostolica tractanda præscribit, 252.b
Concilium Africanum sub Ioanne Papa II. pag. 415.b
Concilium Agathense tempore Symmachi Papæ, 304.a. Antisiodorense, 953.b. Arausicanũ II. 391.a. Aruernense sub Vigilio, 508.b. Arelatense III. prouinciale, 385.a. Aurelianense I. tempore Symmachi Papæ, 309.a. Aurelianense II. sub initio Siluerij Papæ, 477.a. Aurelianense III. sub Vigilio, 504 b. Aurelianense IV. sub Vigilio, 511.a. Aurelianense V. sub Vigilio, 514.a. Bracarense sub Ioanne Papa III. 640. Bracarense II. post obitum Ioannis III. Papæ, 665. Brennacense, 700.a. Byzacenum Africæ, 303.b. sub Vigilio, 508 b. Cabilonense I. 697.b. Cæsaraugustanum, 956 a. Carpentoractense prouinciale, 395.a. Chalcedonense œcumenicum, f. 1. Constantinopolitanum sub Leone, prouinciale, 193.b. Constantinopolitanum sub Felice Papa, in causa P. Fullonis, 226.a. Constãtinopolitanũ ex parte reprobatum, sub Hormisda, 374.b. Constantinopolitanum post obitum Agapeti, tempore interregni, 422.a. Constantinopolitanum vniuersale approbatum quintum, 517.a. Epaunense, 312.a. Gerundense sub Hormisda, 372. Hierosolymitanum post obitum Agapeti, 472.a. Hierosolymitanum sub Vigilio, 610.b. Hispalense I. 952. Ilerdense, 379. Lucense, 646.b. Lugdunense I. sub Ioanne III. Papa, 661.b. Lugdunense II. sub Pelag. II. 700.b. Matisconense I. 698.a. Matisconense II sub Pelagio II. 701.a. Matisconense III. sub Bonifacio V. 980.a. Narbonense sub Reccaredo rege, 722.a Parisiense II. sub Pelagio I. 654.a. Parisiense III. tempore Ioannis III. Papæ, 638.a. Parisiense V. sub

ſub Pelagio II. 696.a. Pictauienſe, 957.a. Rhemenſe ſub Hormiſda Papa, 369.a. Romanum ſub Hormiſda, 375.b. 48. epiſcoporum ſub Hilario Papa, 201.a. ſub Pelagio II. 722.a
Concilium Romanum I. ſub Gregorio I. 954.a. II. ſub Gregorio I. 958. b. III. ſub Gregorio I. 960.a. IV. ſub Greg I. 961.a
Concilium Romanum I. ſub Bonifacio II. 398.b. ſecundum, ibid.
Concilium Roma. I. ſub Gelaſio, quo libri ſacri & authentici ab apocryphis ſunt diſcreti, 264.b. II. ſub Gelaſio, 266.b
Concilium Rom. II. ſub Felice Papa, 229.a
Concilium Romanum II. ſub Ioan. Papa I. 409. a. III. de lapſis Africanæ eccleſiæ recipiendis, 230.b
Concilium Toletanum II. 399. III. ſub Pelagio II. IV. 996. eius capitula, ibid. & ſeqq. V. ſub Honorio I. 1016. VI. ſub Honorio I. 1019. VIII. ſub Martino Papa I. 1124. IX. ſub Vitaliano, 1162. X. ſub Vitaliano, 1167
Concilium Turonenſe I. 212.b. II. 656.b. ſub Hormiſda Papa, 369
Concilium Tyrium, 375.a
Concilium Vaſenſe, 394.a
Concilium Valentinum Galliæ II. ſub Pelagio II. 705.b
Concilium Valentinum Hiſpaniæ, 382
Concilium Veneticum, 191.b
Concordia fidei ex Spiritu ſancto eſt, 178.b
Concordia eccleſiæ quam decora & neceſſaria, pag. 279.a
Confeſſio ſacramentalis an olim ſublata, 204.a
Confeſſor an idem qui Martyr. 1013
Confirmatio ſacramenti manuum impoſitio dicta, 636.b. quis eius miniſter, ibid. & 774.a. quando adminiſtranda, 701.b. quis, 774.a
Conimbrica oppidum, 653.a
Coniugium qui damnarint, 641
Coniugia damnantes anathema, ibi.
Coniugium infirmitate non ſoluitur, 477.b
Coniugij verus finis quis, 715.a
Coniugia religionis cauſa non diſſoluuntur, pagin. 900.a
Coniugati an quatenus ad ſacros ordines admiſſi, 308.b
Conſcientiæ vis, 886.b
Conſecratio eccleſiæ quid, 667.a
ad Conſecrationem eccleſiæ quæ neceſſaria, 667.a
Conſeſſus in concilijs forma, 181.b. 203.a
Conſeſſus epiſcoporum in cõcilijs vbi fieri ſolitus, 180.a
Conſignatio quid, 1201.b
Conſiliariorum munus quale, 788.a
Conſors vitæ quando dimittendus, 191.a
Conſtantius Imp. relegato Liberio Felicem II. ſurrogat, 377.a
Conſtantini Imp. laus, 907.a
Conſtantinopolis Romæ æmula, 137.a
Conſtantinopolitana eccleſia cum ſede Romani reconciliatur, 242.a
Conſtantinopolitanus epiſcopus inter ſedes per canones nullum nomen accepit, 237.b
Conſtantinopolitanę ſedis primatus poſt Romanũ à Leone Papa improbatus, 180.b
Conſtantinopolitani epiſcopi nomen cur aliquando Alexandrino & Antiocheno præpoſitũ, 732.b
Conſtantinop. Concilium poſt obitum Agapeti à quibus & qua occaſione celebratum, 470.a. Acta eius, ibid. & ſeqq.
Conſtantinopolitana ſynodus V. à quibus Pontificibus approbata, 607.b
Conſtantinopolitanum Concilium ſub Hormiſda PP. 374.b
Conſtantinopolitanæ ſynodi contra Anthymum ſententia, 438.a
Conſtantinopolitani Acacio anathema dicunt, & cum pace Paſcha celebrant, 341.a
Conſtantinopolitani Concilij œcumenici V. contra Theodorum, & alios ſententia, 584.a
Conſtantinopolitanæ eccleſiæ priuilegia, 133.a
Conſtantinopolitanæ ſynodi relatio de electione Epiphanij epiſcopi, 356.a
Conſtantinopolitanum Conciliũ Anno 459. prouinciale, 193.b
Conſtantinopolitana Eccleſia hæreticorum ferax, 825.b
Conſtantinopolitana ſedes an Romanæ æquata, 188.a
Conſtantinopolit. concilium Oecumenicum V. a quo indictum, 606.a
Conſtantinopolitana eccleſia Romanæ ſedi ſubiecta eſt, 857.b
Conſtantinopo. concilij ad Eutychen epiſtola, 23.b
Conſtantinopolitana ſedes Romanæ æmula, 229.b
Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ſchiſma, 211.a
Conſtantinopolitani concilij I. canones Roma. eccleſia non accipit, 828.b
Conſtantinopolitanum concilium poſt obitum Agapeti, 422.a
Conſtantinopolitanæ ſynodi ſymbolum, 64.b
Conſtantinopolitanus epiſcopus an titulo Oecumenici vſus, 471.b
Conſtantinopolitani epiſcopi orthodoxi quinam ab hæreticis Impp. electi, 455.a
Conſtantinopolitana ſynodus ſub Vigilio, pagi. 514.a
Conſtantinopolit. concilium œcumenicum approbatum Quintum, 517. 607.a
Conſtantinopolitanæ ſynodi contra Seuerũ & Petrum Apameenſem ſententia, 466.b
Conſtantinopolitana ſynodus I. à quo & quem in finem indicta, 519.a
Conſtantinopolitanum conciliabulum à Sergio conuocatum, 1028.b
Conſtantinopolitanum concilium ſub Felice Papa, in cauſa P. Fullonis, 226.a
Conſtantinopolitana eccleſia nec inter Metropolitanarum iura cenſetur, 250.b
Conſtantinopolitanæ eccleſiæ cauſæ Romam ductæ, 807
Conſtantinopolitana eccleſia Neſtorij contagione infecta, 278.b
Conſtantinopolitana ſynodus ſub Hormiſda Papa, 375.b
Conſtantinopolitana ſynodus in cauſa Gregorij Antiocheni, 700.a
Conſtantinopoli iubentur clerici quibus nihil negocij, non diu commorari, 132
Conſtantinopolitanus quas cauſas iudicare poſſit, 188.a
Conſtantinopolitana ſynodus ſub Gregorio I. 959.b
Conſtantinopolis in terræmotu quomodo ſeruata, 226.b
Conſtantinopol. concilium V. qua auctoritate cœperit eſſe Oecumenicum, quod initio illegitimè congregatum fuerat, 607.a
Conſtantinopolitani concilij cauſa & Acta, 194.a
Conſtãtinopolitanus epiſcopus initio ſui epiſcopatus legatos Romam mittebat, 360.a
Conſtans I mperator hæreticus, 1030.a. oblatis donis catholicũ ſe ſimulat, 1150.a. qua pompa à Põtifice exceptus, ibi. parricida, ibi. cur Pogonatus dictus, ibi. S. Maximum crudeliter tractat, 1039.b
Conſtitutum quid, 195.a
Conſtitutiones Imperatorum de fide quo auctore conditæ, 417.b. nullarum virium ſunt, niſi ab epiſcopis ſubſcribantur, 499.b
Conſubſtantialis vox recepta, 410.b. 411.a
Conſuetudini prauus aditus intercludendus, 871.b
Conſules noui aurum & argentum in vulgus ſpargere ſoliti, 610.a
Contentiones in eccleſijs cauendæ, 270.b
contentioſi alieni ab eccleſia, 201.a
continentia clericis ſtrictè ſeruanda, 509.b
contumacia in Rom. Pontificem grauiſſimum crimen, 82.a
contumelia Deo facta dum vindicatur, conſulitur imperio, 210.a
Cõtumelioſus Galliæ epiſcopus, 408.b. ſede deponitur, ibid. ad Rom. ſedem appellat, 420.b. 421.a
conuenticula vitanda, 943
conuiuia quæ clericis permiſſa, 674
conuiuia iuſta & iniuſta quæ, 753.a.b
Corduba oppidum, 654.b
Cordubenſes martyres, eorumque hiſtoria, 971.a
Coria oppidum, 654.a
Corona aurea Rom. Pontifici, & à quo donata, 314.a
Corpus Domini in eccleſia conſeruari ſolitum, 661.a
corpus Chriſti in ſingulis portionibus ſinguli totũ accipiunt, 201.a
corpore vitiati ad clerum non promouendi, pagi. 245.a
corpora poſt reſurrectionem qualia futura ſint, pag. 262.b. an orbiculata futura, 487.a
Corporali ad nihil aliud quam corpus Domini vtẽdum, 509.a
correctio nunquam ſera eſt, 295.b
correctionis fraternæ ordo, 891.b
Corruptricolæ qui, 623.a. 635.b
Coſmas epiſcopus Mopſueſtenus, 514.a
Coſroes Perſarum rex Romanum Imperium inuadit, 479.b. Hieroſolymas expugnat, 978.a. crucẽ Domini noſtri veneratur, ibid.a. à filio occiditur, 992.a
creatio vniuerſi vt ſit facta, 483.b
Creſconius Tridentinus epiſcopus Cõſtantinopolim ablegatus, 269.a
criminoſi in clerum non promouendi, 245.b
Crotildis Clodouei regis vxor. ſanctitate inſignis, 311.b. precibus ſuis exercitum fugat, 510.b
Crux Domini noſtri à quo inuenta, 979.a. ad Eulogium tranſmiſſa, 933.a. in Perſidem translata, 978.a. reſtituitur & exaltatur, 992.a. Conſtantinopolim translatum. ibid.
Crux ſacra ab hæreticis ſacrilege tractata, pag. 457.b
crucis ſignum frequenter vſurpandum, 981.a
Cuiacius Ioannis II. Pontificis epiſtolas pro ſuis agnoſcit, 405.b
culpa quæ remitti poſſit, 237.b
Cyrillus tanquam Vicarius ſedis Apoſtolicæ æqualiter S. Leoni honoratus, 452.a. rectæ & immaculatæ fidei aduocatus, 68.b. ab Iba accuſatur, & quo nomine, 575.a
Cyrilli doctrina de fide orthodoxa, 493.a.b
Cyrilli ad Neſtorium epiſtola, 564.b
Cyrilli epiſtola ad Neſtorium, 15.a.b
Cyrilli & Neſtorij diſputatio, 55.b
Cyrilli epiſtola ad Ioannem Antiochenum, pag. 17.a
Cyrilli Anathematiſmi, 570.b
Cyrilli epiſtola ſynodica ad Domnum, 122.b
Cyrilli epiſtolæ quædam, 543
Cyrola Arianus falſi miraculi ſimulator confuſus, 214.b
Cyrus oppidum quod, 5.b
Cyrus Alexandrinus Monothelitarum hæreſeos propugnator, 992.b. 1064.a. ſynodum conuocat, 995.b

D.

Dæmoniacis ſacra miniſteria tractare non licet, 245.b
Dalmaticarum vſus quibus conceſſus, pagi. 868.b
Damnati an aliquando ſaluandi, 487.a
Daniel Stylita, vitæ ſanctitate & miraculis clarus, 195.a
Daraticæ populi qui, 743.b
Dardania epiſcopos à Rõ. Pontifice flagitat, 325.a
Dardaniæ epiſcopi ad communionem eccleſiæ redeunt, 336.b
Dardaniæ epiſcopis Eutychianorum à Gelaſio interdicta communio, 236.b
Dardaniæ epiſcoporum reſcriptum ad Gelaſium Papam, 235.b
Decani apud Gothas qui, 1146.a.b
Decaluatio apud Gothas nota infamiæ perpetua, 1026.b
Decimæ eccleſijs dandæ, 954
Decius Iunior, & quando conſulatum geſſerit, 393.a
Decreta Conciliorum ab omnibus ſeruanda, 315.a. 328.a
Dedicationes eccleſiarum quomodo celebrandæ, 389.390
pro Defunctis orandi mos antiquus, 182.b
Defenſores apud Gothos qui dicti, 1146.b
Demetrius Cæſarienſis epiſcopus ad Ioannem Papam legatus, 409.b
Denia oppidum, 652.b
Dertoſa oppidum, 655.a
Deitas paſſionis expers, 228.a
Deitatis tres perſonæ, non vna, 641
Deſcenſus Chriſti ad inferos qualis, 822.b
Deſideratus Virdunenſis epiſcopus, eiuſque liberalitas, 511.a
Detractores quibus ſimiles, 886.b. quas vtilitates nobis afferunt, 899.b. quomodo ab eccleſia coercendi, 308.a
Deuota peccans qualiter recipienda, 672
Deus vnus tantum non tres, 218.b. Deus in propria ſubſtantia non poteſt pati, 219.a
Deus vnus, & quomodo, 627.a.b
Deus cordium ſcrutator, 270.a
Deus cur peccatum fieri permiſerit, 693.a
Deus Verbum cur humanam carnem ſuſceperit, 260.a
Deum pati carne, an idem quod Chriſtum pati carne, 225.a
Deus dedit Papa ciuſque vita, 978.a. oſculo ſanat leproſum, ibid.
Diabolus prius angelus bonus fuit, 641. cur peccarit, 259.b. nullam condidit creaturam, 641. ſua vi tempeſtates excitare non poteſt, ibid. monachũ qui furtum fecerat vexat, 898.b. in quo & quibus armis à Chriſtianis poſſit vinci, 260.a
Diaboli in humanum genus inuidia vnde orta, pag. 259.b
Diaconi qua ætate ordinandi, 305.b. 385.a
Diaconus Rom. Eccleſiæ in nulla alia poteſt militare, 786.b
Diaconi officium, 1142.a
Diacono præſente presbytero ſedere non permiſſum, 309.b
Diacono præſente presbytero ſedere non licet, 673
Diaconi quæ facere non poſſint, 244.b. nõ poſſunt eſſe Vicarij Epiſcoporum, 1187.b. coniugati non ordinandi, niſi caſtitatem profeſſi fuerint, pag. 385.b
Diaconorum arrogantia olim, & vnde, 191.b

Diaconissa quæ & qualiter ordinanda, pagin. 130
Diaconissæ ad matrimonia reuolutæ, communione pellendæ, 477.b
Dianio oppidum, 652.b
Dij qui in sacris litteris appellentur, 191.a
S. Dionysius à B. Petro in Galliam missus, & Primas constitutus, 966.a
Dionysius Exiguus, eiusque cyclus paschalis, pag. 388.a
Dioscorus diaconus Romanus ab Hormisda Imperatori commendatur, 348.a
Dioscorus contra Bonifacium II. Pontifex eligitur, 396.a
Dioscorus Alexandrinus Cyrillo successit, 68.b. describitur, 181.a. excommunicando Rom. Pontificem inauditum scelus tentat, 182.a. ob id maximè dānatur, 73.b. ob quę in Concilio Chalcedonensi accusatus, 5.a.à Rom. Pontificis legātis denunciatus, quod Concilium œcumenicum sine Rom. Pontificis licentia congregasset, eiq; præsedisset, 182.a. inuidiam factorū in synodo Ephesina in alios deriuat, 7.b. Ephesinæ synodo interesse iubetur, 6.b. anathematizat seipsum, & quomodo, 46.a. damnatur, 618.b. in exilium pellitur, 619.b. quare potissimum damnatus, 94.a. periurij notatus, 73.b. ad Concilium Chalcedonense secundo euocatur, 67.b. contumaciter Roman. Pontificis auctoritatem, cum suo malo, spreuit, 83. tertio ad Concilium Chalcedonense euocatur, 72.a. Alexandriæ religiosè cultus, pagi. 189.a
Dioscori Alexandrini scelera & flagitia, 141. 142. malitia & peruersitas, 10. 11. 12. & seqq. 69. 70. 71. pertinacia, 73.a. responsio hæretica contra catholicam fidem, 21.a. dogma, 22.a
Diptychum quid, 118.a. 149.b
Discere prius quis debet antequam doceat, pagin. 334.a
Discordia mater confusionis, 286.b. sacerdotibus vitanda, 1195
Dispensatio bonorum ecclesiæ quomodo facienda, 205.a
Disputationes populares de religione Edicto prohibitæ, 104.a
Diuinatio clericis prohibita, 311.a
Diuinitas non fuit Christo pro anima, pagin. 225.b
Diuinitatis mysterium explicatur, 367.a
Diuisio sedium in Hispania quando facta, pagin. 1200.a
Diuortium siue grauiori causa facientes qua pœna afficiendi, 305.b. quas ob causas liceat facere, pag. 193.a
Doctores ecclesiæ approbati qui, 526.a
Dogmata religionis secundum doctrinas Patrum exponenda, 100.b. semel stabilita non sunt in dubium reuocanda, 207.a
Dominicus dies colendus, & quomodo, 308.b. 309.a 701.a.b
Dominico die non ieiunandum, 674
Dominico die opus non licet facere, pagin. 954.b. 1176.b. 506.b. 722.a.b
Dominico die nullæ causæ iudicandæ, pagin. 370. 953.a
Dominicæ annunciationis celebritas, 1168
Dominica oratio quotidie dicenda, 1001. in Missa recitanda, 1014. in Missa dicitur à solo sacerdote, 857.b
Dominicale quid, 956.a
Dominus vobiscum, sacerdotalis salutatio, pagin. 645.a
Domitianus Catalaunensis episcopus quis, pagi. 660.b
Domnus Antiochenus episcopus, 618.a. cōtra Cyrillum scribit, ibid.
Domno Antiocheno sumptus in alimoniam decreti, 105.b
Donadeus Africanæ ecclesiæ episcopus ad Roma. Pontificem appellat, 961.b. absoluitur, ibid.
Donatistarum hæresis repullulat, 780.a
Donatio legitima facta Ecclesiæ quæ, pagin. 859.b. 913.b
Donati qui, & vnde id nomen, 722.a
Donus Papa, eiusque vita, 1207.b. mutatis nominibus appellatur, ibid.
Dorotheus Thessalonicensis episcopus turbas excitat, & quare, 329 b. Romam euocatur, & quare, 350.a. Heracleam perducitur, 355.a. ad Hormisdam PP. scribit, & obiecta crimina refellit, 362. a Romam ab eodem euocatur, ibid. b. eius malitia, pagin. 350. b. epistola ad Hormisdam Papam, 315.b
Dos ecclesiæ, & quid ea, 667.a
Dos iuxta possibilitatem danda, 386.b
Ducum apud Gothos dignitas quæ, qualis & quāta, 1143.a
Dumio monasterium, 653.b
Dumiense monasterium vbi situm, 647.a
Durandi error, 778.a
Dyticum quid, 471.b
Dyus archimandrita sanctitate celebris, 471.b

E.

EBrietas clericis vitanda, 306.b. quam turpis sit, 192.a. vitiorum omnium fomes, pagi. 212.b
Ecclesia vna est Apostolicis vbique firmata doctrinis, 319.a. nunquam deficit, 205.b. vera vbi sit, 684.a. Catholica quibus notis præcipuè ab hæreticorum conuenticulis discernatur, 721.a. Noë arcæ similis est, 901.a. quos non potest corrigere tolerat, 901.b
Ecclesiæ stabilitas, 217.a
Ecclesiæ splendor maximus, 829.b
Ecclesiam Christi qui contristat, pingues hostias litat diabolo, 296.a
ad Ecclesiam qui confugerunt, quomodo tractandi, 310.a
ab Ecclesia nullus sine remedio aut spe veniæ repellendus, 314.a
Ecclesia vltra tres menses pastore carere non debet, 831. a. præiudicium non patitur ex alienatione bonorum per clericos, 512.b
Ecclesia quando iterum consecranda, pagin. 481.b. si de dedicatione eius non constat dedicāda, 949.b
Ecclesiæ res ab angarijs immunes, 890.a
Ecclesiæ immunitates à Iustiniano concessæ, 388.a
Ecclesiæ ab episcopis data, ab hæredibus auferri nō debent, 512.a
ad Ecclesiam confugientes monendi, vt exeant, quo iustitia seruetur, 884.a
Ecclesiæ sine auctoritate R. Pontificis non dedicādæ, 246.a
Ecclesiæ omnes in qualibet mundi parte positæ, ad communionem sedis Apostolicæ reuocandæ, 347.b
Ecclesiarum fundatores earum curam gerere debēt, 1163
Ecclesiarum immunitas quibus de causis seruanda, 1027.a
ab Ecclesijs nemo vi abstrahendus, 702.a.b
in Ecclesiasticis rebus regia voluntas sacerdotibus est postponenda, 223.a
Ecclesiastica potestas à Deo, 277.a
contra Ecclesiasticas regulas principes nihil concedere debent, 631.a
Ecclesiastica negocia ab ecclesiasticis personis tractanda, 324.b
Ecclesiastica prædia vel bona alienata cum fructibus cuilibet ecclesiasticæ personæ repetere licet, 289.b. 290.a
Ecclesiæ res, vide bona ecclesiastica.
Ecija oppidum, 653.a
Echthesis Heraclij Imperatoris, 1028.a. à Seuerino I. Papa damnatur, ibid. ab hæreticis sub Heraclij Imperatoris nomine scripta, 1087.b
Edictum Concilij Chalcedonensis contra Dioscorum, 83.a
Eduinus rex Nordunibrorum in Anglia baptizatur 992.a
Egara oppidum, 655.b
Egarense Concilium, vide Tarraconense.
Egenis quales epistolæ dari olim pro viatico solitę, 130
Egitania oppidum, 653.b
Elbora oppidum, 654.a. 959.b
Electio Pontificis Romani ad quos, secundum canones, spectet, 290.b
Electio sacerdotum magno metu disponenda, pag. 820.a
Electio fauoribus fieri non debet, 759.b
Electio quæ præsulis Apostolicæ sedis subscriptione non firmatur, inualida est, 289.a
Eleemosynæ, earumque effectus, 826.a
Eleemosynæ vnde & quomodo faciendæ, pag. 246.a. 867.a
Eleutherius Antisiodorensis episcopus, 478.a. 517.a
Eleutherius Exarchus sit tyrannus, 978.b
Elias Hierosolymitanus episcopus ab Acephalis relegatur, 274.a
Eliberi oppidum, 654.b
Elipa oppidum, ibid.
Elipandus præsul Toletanus hæreticus, 971.a
Elotona oppidum, 653.a
Emerius Santonensis episcopus deponitur, pagin. 646.a.
reponitur à Chariberto, ibid. pœnitentiam agit. 646.b.
Emerita Augusta ciuitas, 654.a. 1184.a
Emeritense Concilium sub Vitaliano, 1180.a
Empurias oppidum, 655.b
Energumeni qui, & vnde dicti, 1202.b. à sacerdotio remouendi, 385.b
Ennodius quis & qualis, 297.b. opē S. Victoris à morbo sanatur, 297.b. Hormisdæ ad Anastasium legatus, 317.a. eius libellus pro defensione Symmachi Papæ, 290.b. inter Pontificia Decreta refertur, 300.a. Synodali auctoritate confirmatur, 298.a
Enoticon Zenonis impium, 214.a
Epagra oppidum, 655.b
Epauna, vide Apauna.
Epaunense Concilium, 312.a
Ephesina synodus I. in qua Nestorius damnatus, 612.b
Ephesi Acta, 5.6
Ephesinæ synodi I. Acta quædā, 46.a. 55.b. ab hæreticis corrupta, 852.a
Ephesinæ synodi Codices, 829.a
Ephesina synodus II. & quid in ea actum, pagin. 617 b. prædatoria, 162.b. 253.b. violenta, pagin. 605.b
Ephesini Concilij causa, 6.b
Ephesinæ synodo qui contradixerint, pagin. 828.b
Ephræm Antiochenus episcopus quando factus, 388.a
S. Epiphanius episcopus Ticinensis, 215.a
Epiphanius Ioanni Constantinopolitano episcopo succedit, 356.a. Vicarius sedis Apostolicæ in recipiendis lapsis designatus, pagi. 449.b. catholicam fidem profitetur, pag. 360.b. hæreticis resistit, pag. 409 b. dona Hormisdæ Papæ mittit, 362 a
Epiphanij episcopi Tyri ad synodum Constantinopolitanam epistola, 456.b
Epiri veteris synodus, eiusque ad Hormisdam epistola, 322.b. 369.b
Epiri noui synodus, 341. a. episcopi in ea dolo vsi, ibid.
Episcopus qualiter ordinandus, 312.a. quomodo ordinandus, 511.b pauperum est dispensator, pagin. 917.b
Episcopus non est qui à minori numero quam tribus episcopis consecratur, 637.a. non nisi à metropolitano consecrandus, 196.a. singulis annis parœciam suam obire tenetur, 953.b. successorem sibi constituere non potest, ibid.
Episcopus nemo inuitus ordinandus, pagin. 515.a
Episcopus tutelam datiuam clerico imponens, an faciat contra statutum Concilij Africani, pag. 188.a
Episcopus ordinationem pecuniæ causa facere non debet, 127
Episcopus pro iudicijs munera non accipiat, 371
Episcopus Cardinalis, 938.a
Episcopus à metropolitano ad synodū vocatus, nec veniens, excommunicandus, 370
Episcopus Apostolicæ sedi inobediens à Missarum celebratione suspendendus, 808.a
Episcopus esse non potest qui ab hæreticis est electus, 890. b. iniustè subditos damnans puniendus, 913.a. psalmos nosse debet, 882.b. ex monasterijs nihil auferre debet, 841.a. contemptor, vel seditiosus quomodo coercendus, 670. ecclesiæ proximæ die Dominico deesse non debet, 311. a. Romam citatus ab Imperatore ne veniat non impediendus, 808
Episcopus viduarum & pupillorum defensor esse debet, pagin. 702.b. successorem sibi eligere non potest, 201.b. debet ambulare per diœcesim suam, & clericos visitare, 664. pro chrismate nihil accipiat, 665. nec pro constitutione basilicæ, ibid. non nisi in conuentu Episcoporum deponendus, 757.a. intestatus si obierit, quid clericis faciendum, 371. non potest alienare quomodocunque ecclesiæ bona, 952. quibus de rebus testamentū facere possit, 853.b. munera non accipiat, pag. 796.b
Episcopi officium, 1142.a
ad Episcopi consecrationem Episcoporum & quot, præsentia necessaria, 946.b
Episcopi munus describitur, 868.a
Episcopi testamentum quatenus valeat, pagin. 313.a
Episcopi defuncti propinqui de rebº eius nihil vsurpare debent, sine metropolitani conscientia, pag. 383.a
Episcopo non obediens, exilio multandus, pagin. 920.b
Episcopo omnium negotiorum ecclesiasticorum æqua dispensatio permittitur, 372.b
Episcopo defuncto quæ & qualiter exequiæ celebrandæ, 383.a
Episcopo non licet manibus suis aliquem cædere, 307.b
Episcopo exiguum aliquid, sine clericorum conniuentia si necesse sit, distrahere licet, pag. 306.b
Episcopo defuncto, nemo res ecclesiæ inuadat, 383.a

Episcopum extra causam fidei populus accusare nō debet, 298.a.300.a
in Episcopo quæ & qualis scientia requirat, 1200.b
Episcopi quales esse debeant, 1015.a. cura Constantino Dij dicti, 191.a. morum sanctitati studere debent, 1132. in Concil. quodnā habeant votū, 1013.b
Episcopi complures Romam quotannis conuenire soliti, & quam ob causam, 196.b
Episcopi terrena curare non debent, 819.a. propria relicta ecclesia ad alia se non transferent, 245.b. qualiter vendere possint, 312.b. 313.a. restituendi antequam corā alijs causam dicere cogantur, 300. a. à metropolitanis ordinandi, 121.a.b. rebus exspoliati aut deiecti non prius in iudicium vocandi quam in integrum restituti, 298.a
Episcopi innocentes, aut alios minimis de causis excommunicantes à vicinis episcopis monendi, 304 b. non sint venatores, nec accipitres habeāt, 312.b
Episcopi esse non possunt nō canonic. electi, 119.a.b
Episcopi quot interfuerint Chalcedo. Concil. 90.b
Episcopi à Merropolit. vocati cōuenire debent, 800 b. sine auctoritate eiusdem recedere nō debēt, ibi. à quo absoluendi, 254.b. qua ætate consecrandi. 305.b. prouinciali iudicio depositi, ad Rom. Pontificem appellandi ius habent, 294.b. quomodo res Ecclesiæ tractare debeant, 1163
Episcopi & clerici contra præcepta Papæ Apostolici venire non possunt, 4.b. à subditis reprehendi aut criminari non debent, 949.b. ex tempore ordinationis suæ locum in Concilio obtinent, 868. b. ab hostibus expulsi suscipiendi & alendi, 738.a
Episcopi omnes Apostolicæ sede subiecti, 857.b. summo in honore habendi, 679.b. non a quolibet temere accusandi, ibidem
Episcopi dispensationes habere debent, 133
Episcopi quatenus curis exterioribus vacare debeant, 732.a
Episcopi quomodo ordinandi, 638.b. à quibus, 669
Episcopi ab vna ad aliam ecclesiam transire non debent, nisi vtilitate ecclesiæ exigente, 678.b
Episcopi soli sunt Confirmationis sacramenti ministri, 636.b.638.b
Episcopi ad Concilia venire debent, 477.a. residere debent, 807.b. quibus causis excusentur ne ad Cōcilium veniant, 1187.b. quinam ad alias ecclesias transire possint, 695.a. sceleribus obnoxij deponendi, 991.a
Episcoporum est inspicere quomodo Iudices segerant cum populis, 715.a
Episcoporum auctoritas, 701.a
Episcoporum ordinationes non diu differendæ, 132
Episcoporum res non dubitantur esse ecclesię, 301.b
Episcoporum causæ ad Rom. Pontific. deferendæ, 195.b
Episcoporum contemptus quam periculosus, 123.a
Episcoporum electio regibus interdicta, 639.b
Episcoporū est de Fidei negocijs cognoscere, 564.a
Episcoporum causæ vbi & a quib. decidendæ, 661.b
Episcopis licet cum consilio cleri de thesauro ecclesiæ, familiæ succurrere, 510.a
Episcopis ab alijs relicta aut legata, inter ecclesiæ facultates deputantur, 305.a
Episcopatus precio non comparandus, 515.a
Episcopatus propter hominum improbitatem non dimittendus, 1122.b
Episcopatum ambitio se concupiscentes varijs incō modis afficiunt ecclesiam, 869.a
Episcopatuū in Hispan. diuisio & nomina, 647.648
Episcopatuum transmutatio cur prohibita, 188.a
Episcopalis dignitatis præeminentiæ, 1113.a
Episcopalis domus qualis esse debet, 702.b
Episcopalis ministerij fructus non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponitur animarum, 197.b
Epistola cur ante Euangelium legatur, 384.b
Error infirmitati humanæ proprius, 1052.a
in Errore quamdiu quis manet, nullatenus absoluitur, 253.a
Errores vnde redarguendi, 484.a
Errorum causa quæ, 4.a
Errorum causa nouitatis studium, 137.b
Eruli vel Heruli Ariani Romam insederunt, & quos vicos, 204.a
Esse in scriptura aliquid per anticipationem dicitur quod futurum est, 262.a
Euangelium post epistolam legendum, 383.a
Euangelium in Missa quando decantandum, 1002
Euangelium S. Matthæi miraculose inuentum, 214.b
Euangelistarum concordia, 501.b
Euantius episcopus Viennensis, 699.a
Euantius Archidiaconus Toletanus, 970.a
Eucharistia quam salutare sit sacramentum, 1201.b. 1202.a. quibus temporibus á laicis sumenda, 305 b. quare sub vtraque specie à Gelasio celebrari iussa, 232.a. asseruari solita, 661.a. mortuis non præbenda, 954.b. infantibus baptizatis olim data, 1201.b
Eucharistiam male custodientis aut amittentis pœna quæ, 386.a
in Eucharistia nullus liquor præter vinum offerendus, 954.b
Eucherij duo, & qui & quales, 394.a
Eudocia Theodosij Imp. relicta vidua ab Eutychianis seducta, 189.b
Eudoxius Ephesina synodo damnatus S. Gregorio incognitus, 828.b
Euectiones quæ, 1045.a
Eugenius I. Papa, eiusque vita, 1149.a. quando Pontifex factus, ibid. cui successerit, 1047.a
Eugenius Carthaginensis episcopus restitit Honorico regi Vandalorum, 251.a. 397.a.b. Romanam ecclesiam caput omnium ecclesiarum profitetur, 397.a.b
S. Eugenius à B. Petro in Hispaniam missus, & Primas constitutus, 966.a.b. Toletanam sedem elegit, 966.b
Eulalius Carthaginensis episcopus, 397.a. an Bonifacio II. Papæ pro communione recuperanda libellum obtulerit, 397.a. quis, & quantis virtutib. ornatus, 290.b
Eulogiæ ab hæreticis non accipiendæ, 675
Eunomius Nicomediensis episcopus, eiusque libellus supplex, 120.b
Euphemia se & virum Pontificis orationibus commendat, 357.b. eius religio & laus, 338.b
Euphemia virgo & martyr, apud Chalcedonenses, 180.a
Euphemius episcopus Constantinopolitanus, eiusque gesta, 214.b. obstat auctoritati sedis Apostolicæ, 243.b. conatur orientales episcopos à coniunctione sedis Apostolicæ auellere, 252.a. communionem à Pontifice frustra extorquere conatur, 234.b
Euphemij Constantinopolitani causa commissa est legato. 238.a
Euphemius Toletanus episcopus, quis & quotus, 720.b
Euphrasius schismaticus, eiusque scelera, 629.a
Euphronius Turonensis episcopus, 639.b. Concilio Parisiensi III. interfuit, ibid.
Eusebij Dorylei ad Flauianum Constantinopolitanum epistola, 14.a. contra Dioscorum oratio, 66. a. libellus supplex contra Dioscorum Alexandrinum, & Flauiani occisores, 5.a
Eustasius B. Columbani successor, 980.b. frustra ad defectionem solicitatur, ibidem. fortiter resistit, ibid.
Eustathius Beryti episcopus, pessimus Cyrilli verborum interpres, 20.a
Eustathiani carnium esum detestantur, 645.b
Eustorgius iunior episcopus pro bonis ecclesiæ Mediolanensis Theodoricum regem interpellat, 303 a. quid impetrarit, ibidem
S. Euthymius verbis & miraculis Concilium Chalcedonense confirmat, 181.a
Eutyches hæresiarcha describitur, 182.a. quis, 616.b. ad dicendam causam euocatus, 23.a. & seqq. Apollinarista est, 11.b. sententiæ suæ astipulatorem laudat Cyrillum, 11.b. Rom. Pontificis legatos vt suspectos reijcit, 14.a. etiam à sectatoribus damnatus, 323.a. ad Roman. Pontificem prouocat, 182.a
Eutychetis confessionis libellus, 11.a
Eutychis damnatio ab Impp. confirmata, 86.a
Eutychis hæresis, eiusque fautores, 5.a
Eutychis error detectus, 29.a
Eutychetis error cum Manichæa malitia congruit, 279.a
Eutychis cum Synodi legatis disputatiuncula, 26.b. 27.a
Eutychiani Synodum Sidone congregant, 313.a. turbas Antiochiæ concitant, 210.b. cur etiam Manichæi appellati, 471.b
Eutychianorum vis & crudelitas, 7.b.8.a.331.b
Eutychianorum communio à Gelasio interdicta, 236.b.331.b
Eutychianistarum pœnæ quæ, 141.a
Eutychianæ hæresis coryphæi qui, 323.a
Eutychius episcopus Constantinopolit. 606.b. Iustino Imperium prædicit, 635.b. Concilij Constantinopolitani V. præses, 607.a. præsidentiam non sibi sed Rom. Pontifici deberi profitetur, ib. Origenismi suspectus, 606.b. eius epistola ad Vigilium Papam, 520.b
Ἐξάρχων, vox quid proprie significet, 188.a
Excommunicatio ecclesiæ vera ligat excommunicatos, 900
Excommunicatio vltimum & lamentabile remedium, 74.a.b
Excommunicationis necessitas atque vtilitas, 83.b
Excommunicationis sententiæ in Acacium Constantinop. formula, 229.b
in Excommunicatione mortui non possunt absolui, 237.a
Excommunicatus à mortuo episcopo relictus an & à quo absolui possit, 313.b
Excommunicatus ab episcopo ad communionem non recipiendus, nisi ab eodem absolutus. 662.a
Excommunicati ab omni communione repellendi, 676. ab alijs non recipiendi, 638.b
Excommunicati an & quomodo appellari possint Fratres, 234.b
Excubiæ funerales quomodo agendæ, 386.a
quo Exequijs quid accipere liceat, 1045.a
Exorcismus in baptismo, 665.b
Exorcistæ officium, 1142.a
Exuperius Tolosanus episcopus, 661. vasa sacra pauperibus erogat, ibid.

F.

FActa pro faciendis in scriptura per anticipationem, 262.a
Falsum testimonium capitale est crimen, 308.a
Familia fisci quæ dicta, 721.b
Faustus Reginensis episcopus, 358. b. libro edito scandala mouet, ibidem. eius ad Lucidum epistola, 388.b. Pelagianizat, 393.a. eius libellus de gratia & libero arbitrio, 386.b. anathematismi, ibid. à Romana ecclesia damnatus, 359.a
Faustus episcopus Apollonidis, eiusque ad P. Fullonem epistola, 227.b
Februarius Ilerdensis, episcopus, 381.a
Felix Papa Atauus Gregorij Magni, 214.b
Felix Papa quamdiu Pontificatui præsederit, 214.b
Felix I. Papa Zenoni pro Alexandrina ecclesia supplicat, 216.b. refellit fallos prætextus Zenonis, 218.a. monet Zenonem Imp. de Petro Fullone & Acacio Constantinopolitano, 224.a
Felix III. Papa, eiusque vita, epistolæ & decreta, 214.a. Acacium Constantinopolita. multis de rebus redarguit, 215.a.b. excommunicat, 221.a
Felix IV. Papa, eiusque vita, epistolæ & decreta, 388. a. à quo & quando Pontifex designatus, ib. quamdiu sederit, 388.b
Felicis Papæ VIII. de incarnatione Christi sententia, 48.a
Felix Bituricensis episcopus, 661.a. Eucharistiam in turri aurea asseruauit, ibid.
Feminæ sacris altaribus non ministrent, 246.a
Feria sexta ante Pascha qua passio D. N. celebratur, per ieiunium transigenda, 1001
Festa præcipua quæ, 1187.b
Festa paganorum in Christianismum sensim commutanda, 910.b
Festi dies saltationibus & cantiunculis non profanandi, 716.a
Festiuitates quæ quibus clericis & vbi peragendæ, 509.b
Festus senator Romanus Constantinopolim ablegatus, & quā ob causam, 269.a. dat causam schismati Laurentiano, 269.a
Fides qua in Deum credimus an sit naturalis, 391.b
Fides Christiana canonicis libris, Synodalibus præceptis, & Patrum regularibus constitutis innititur, 359.b
Fides vera quæ cum Apostolica sede & patrum traditione concordat, 20.b
Fidei vnitas, 1049.b
Fidei integritas in quo consistat, 800.a
Fidei Catholicæ Orientalium Confessio 280.b
Fidei nuda oppositio sufficit contra omnia iacula iurgiorum, 296.a
Fidei formula à Gelasio præscripta, 235.a
Fidei fundamentum Sanctorum Patrum traditione firmum permanet, 455.a
de Fide Christiana publice turbis adunatis non disputandum, 84.b
Fidelis est non qui in semichristum, sed qui integrū credit, 276.b
Fidelium in hac vita status, 460.b
Filius Dei quomodo passus, 219.a
Filioque, particula symbolo Constantinopolitano apud Latinos addita, 187.a
Firminus episcopus Vincensis, 517.b
Fiscus quid, 721.b. vnde dictus, ibid.
Fisci familia quæ, 721.b
Fiscalinus vel seruus Fiscalis apud Gothos quis, 117.b
Flauianus Antiochenus episcopus ab Acephalis relegatur, 274.a. quare, 313.a
Flauianus & Eusebius iniuste damnati, 64.a
Flauiani Constantinopolitani fides probatur & quare, 20.b
Flauiani damnatio iniusta, 7.b. post mortem rescissa, 85.b.86.a
Flauiani Constantin. mors, 617.b
Flauius Reccaredus, vide Reccaredus
Flauius Rothom. episc. quando fede tenuerit, 508.a
Flauius vel Flauianus hæreticus Constantinopolit. sede potitur, 214.b. moritur, ibid.
Florentius episcopus Epidaurienſis iniuste depositus, 757.a

Follianus Hiberniæ Apostolus, 1047.a
Formata epist. quomodo fiat, 142.b. & eius vsus, 188. b. 189. a. 991. a. honestioribus tribui solitæ, 130.
Fornicatio animæ quid, 255.a
Fortunatus episcopus Hormisdę ad Anastasiũ Imp. legatus, 317.a
Franci Italiã & Romã vrbẽ sibi vindicant, 636.a. Gallias occupant, & quando, 311.b. vide plura Gallia.
Franciscus Fõseca Compostellanus episcopus, cum Toletano contendit, 277.a
Franciscum Ximenius Toletanus Antistes, 977.a
Franciscus Hotomannus refellitur, 405.b
Fratres an etiam excommunicati appellati, 234.b
Fratriæ quid, 966.a
Fraudes peruersorum publicandæ, 1055.a
Fredegundis regina iniuste diffamatur, 700.a
Fronto Ducæus presbyter societatis Iesu, 191.a.b
Frontoniani hæretici, 883.b
Fructuosus Bracarens. episc. quis & qualis, 1175.a
Frumentum olim Lybiæ ad conficiendam Eucharistiam dari solitum, 69.b
Fulgentius archidiaconus Romanus, & quid in Synodo Romana suggesserit, 282.a
Funera quibus ritibus ducenda, 386.a
Furtum dæmonis vexatione punitum, 898.b

G.

GAlla Placidia Valentiniani mater, 186.a
Galatæ Simoniaci, 193.b
Galliæ regnũ primitiæ quando Deo oblatæ,
Gallia bello vexata & qua occasione, 639.a. (311.b
Galliæ clades sub Chilperico, 677.b
Galliæ regnum in quatuor partes diuisum, 660.b
Gallœciæ sedes episcopales quæ, 647.a. 666.a
Gallicani presbyteri Pelagio clam fauent, 393.a
Gallus Auernensis episc. 478.a, quis & qualis, 510.b
Gangrensis Conc. Can. de oblationib. fructuũ, 301.a
Gardingus apud Gothos dignitatis nomen, 1145.b
Garsias Loaisa præsul Hispal. eiusq; modestia, 977.a
Gaudentius Aufinensis episcopus ob ordinationes illicite factas, quomodo punitus, 204.b
S. Gedast⁹ Clod. catechizat, & in fide instituit, 311.b
Gelasius I. Pap. eiusq; vita, epistolæ, & decreta, 231.b quando Pontificatum adeptus, ibi. an omnẽ potestatem ecclesiasticam super laicos sustulerit, 255.a quare eucharistiã sub vtraq; specie celebrari præceperit, 232.a Odoacri illicita petenti resistit, 251.a an sit auctor libri de duab. naturis, 232.a. neminẽ ad cõmunionem vult admittere qui Acacij nomẽ non damnauerit, 233.a
Gelasius episcopus Cæsarensis, 232.b
Gelasius Cyzicenus, 232.b
Gensericus rex Africæ imperat, 203.b
Gennadius episcopus Constantinopolitanus, 194.a non est auctor libri de duabus naturis, 232.b
Genouefa à Clod. regis patre etiã ethnico culta, 311.b
Germanus Capuanus episc. 269.b 375.b
Germanus episcopus Paschasium intercessione & precibus è thermis liberat, 273.b
Germanus Episc. Parisiensis, & qualis, 639.b quãdo episcopatũ tenuerit, 634.b. contactũ ęgrotũ sanat,
Gerunda ciuitas quæ & qualis, 373. (635.a
Gerundense Concilium, 372
Gildardus Rothomag. episc. sanctitate insignis, 311. b. 508.a. an eod. die & anno cũ Medardo obierit, ib.
Gilimer rex Afric. Aria. cathol. in exiliũ pellit, 397.b
Girona oppidum, 655.b
Gothi Gallias occupant, 311.b. quando è Gallia exacti, 311. quando Hispania potiti, 967.b. Neapolim occupant, 475.a
Gothi Ariani ad fidem Catholi. perducuntur, 706. 723.a. iura ecclesiarum inuadunt, 388.a
Gothi Ariani loca omnia sacra circa Romam illæsa relinquunt, 475.b
Gothicum bellum, eiusq; causa & origo, 403.a
Gradus ecclesiastici ex merito nõ ex præmijs conferendi, 917.b
Græci de concordia vel reconciliatione cum Rom. ecclesia veteratorie se iactant, 324.a.b
Græci Dialogos Gregorij Papę corrumpunt, 724.b
Græcorum fraus in corrumpendis Conciliorum Actis, 471.b. 472.a
Gramalla murice tincta Barcino. insigne, 645.a
Granatensis. episc. Bracar. prælatus, & quib. 977.b
Granus quid, 645.a.
Gratia Dei quid conferat homini ad salutem, 391.b in homine quantum potuerit, 259.b. an conferatur secundum hominum merita, 241.a
Gratia pro reconciliatione, 308.b
Gratianus erroris reprehenditur, 271.b
Grat⁹ Comes Iustini ad Hormisd. Pont. legat⁹. 335.b
Gregorius I. Papa ex Præfecto vrbis fit Monachus, 723.b. contra schismaticos scribit, 724.a. ad Pontificatum eligitur, ibid. quæ in Pontificatu gesserit, ibid. censuram seuere exercuit, ibid. an decretum de cœlibatu clericorum reuocauerit, ibi. eius vita epistolæ, & decreta, 723.b. progenies, ibi. mores & doctrina ibid. genus, 214.b. apocrisarij Pontificij munere apud Imp. perfungitur, 692.b. multis cum reliquijs Romam redit, ibid. stylum contra schismaticos exercet, ibi. quando ad Pontificatum euectus, 678.a. Cyriaco Constantinop. cõmunionis impertit litteras, 725.a. Anglorũ gentẽ conuertere studet, ibi. principibus malè gubernantibus interminatur, 741.a. Vniuersalem se dici recusat, 840.b. cur. 795.b. nihil Græce scripsit, 910.a. de cœlibatu decretũ an reuocuerit, 931.a à Fredegunde regina tentatur, 697.a
S. Gregorij lapsus, Moroueo excucullato communicantis, 698.a
S. Greg. I. Pap. scripta & libri, & q quib. legẽdi. 915.b
Greg. Antioch. a calũnia accusatorũ absoluit, 700.a
Gregor. Lingonens. episc. qs & quãdo obierit, 510.b
Gregorius Nazianzenus an Theodorum Mopsuestenũ laudarit, 546.b. eius ad eũdẽ epist. ib. & seqq.
Gregorius Neocæsareensis Thaumaturgus, 173.b
Gregorij Nysseni epistola, 552.b. 545.b
Gregorius Theologus an ad Theodorum Mopsuestenum litteras scripserit, 498.b
Gregorius Turonensis episcopus, 700.a. calumnia petitur, ibi. iubetur custodiri, ibi. liberatur, ibidem
Guadix oppidum, 652.b
Gubernationis Ecclesiasticæ typus, 801.a
Gundabundus rex Vuandal. pacẽ eccles. donat, 231.a
Gundemarus rex quis, 964.b. eius decretum, ibidem
Gundobaldus rex Burgundiæ, 311.b. Clodoueo affinitate iungitur, 311.b
Guntherãnus rex Concil. conuocat, & quare, 704.b

H.

HAdrianus Thebanus episcopus iniuste condemnatus, 756.a.b. à Gregorio I. Papa absoluitur, 724.b
Hęrede inuito pię volũt. intẽtio expleri debet, 877.a
Hæreseos suspecti fidem publice profiteri debent, & hæreses detestari, 910.a
Hæresis auctore damnato, damnantur etiam sectatores, 246.b. 248.a
Hæresin quæ pareant, 1073.b
Hęresin abiurates se synod. amplecti profiteri debẽt,
Hæreses initio statim excidendæ, 604.b. (908.b
Hæreses non obseruant veram fidem, 556.b
Hæresum fons philautia, 169.b
Hæresibus in principio obstandum, 178.b
Hæreses impatientius inuestigare est melius quam dissimulando augere perniciem, 239.a
Hæretica prauitate imbutus animus insanabilẽ habet passionem, 550.b
Hæreticæ pertinaciæ exemplum, 73.a
Hęretici auctores nouitatis, 1112.b. mendaces, 1113.a dum se per disputationem & Concilia mẽtiuntur veritatem inquirere, mẽdacia desiderant semina-re, 151.a. sua scripta diuinis cõmentis adstruere conãtur, 163.a. Christiano nomine indigni, 151. Ro. Pontificem excommunicantes à gẽtilibus irrisi, 190.a. omni cõmunione arcendi, 86.b. 329.a. 330. b. 354.b. 323 a. 469.b. synodos culpant, 174.b. obstinati seuere tractandi, 152.a. 782.b. ab ecclesia abscindendi, ne fideles inficiant, 843.b. scripta diuina & Patrum deprauant, 164.a. Patrum traditiones negligunt, 585.a. praue citant scripta Patrũ, 585.b Patres pro se facere mentiuntur, 1096.b. libros suos in varias linguas trãsferri curant, 615.a
Hæretici mortui an excõmunicandi, 498.a. 548.a propria scripta destruunt, 1091.b. 1121.b. versuti sunt, 563.b, impunitate multiplicãtur, 445.a. sunt calumniatores, 1099.b. nihil habent commune cum Patribus, 1121.a. vocibus orthodoxorũ vtuntur, rectũ autem sensum ad impietatẽ suam transferũt, 497.a. 1085.a. quamuis quędã recta dicant, non tamen de impia condẽnatione liberãt, 564.a
Hæreticorum secũda transgressio primæ malitiam ostendit, 1055.b
Hæreticorum sermones instabiles, 543.b
Hæreticorum linguæ Portæ inferorum, 586.b
Hæreticorum mors qualis, 498.a
Hæreticorũ blasphemiæ ne audiendæ quidẽ, 584.b
Hæreticorum templa execranda, 314.a
Hæreticorum à fide deflectentium licentia iniuria est manifesta, 146.b
Hæreticorum scelera, sacrificij oblatio intercepta, chrismatis sanctificatio deficiens, &c. 151.b. impudentia audentium apostolicam fidem ad Concilia prouocare, 151.b
Hæreticorum contentiones quid spectent, 167.a
Hæreticorũ de morte Anastas. Pap. calũnia. 269.a.b
Hæreticor. pœnæ quæ, ex Impp. cõstitutionib. 140.b
Hæreticorum audacia & impudentia, 147.b. 150.a
Hæreticorum cõsuetudo in peruersitate hærere, nec timore concuti, 92.b
Hæreticorum fraus, hæreticos libros Patribus adscribentium, 143.a
Hæreticorum scripta cõburenda, 86.b. 141.a. 469.b
Hæreticorum fraus in sectanda hæresi, cuius auctorem damnant, 323.a
Hæreticorum est euertere monasteria, 149.a
Hæreticorũ sacrilegia in Crucẽ Domini facta, 457.b
Hæreticorũ cõmunia clericis vitanda, 213.a. (141.a
Hæreticorũ causę à sede Apostolic. iudicantur, 817.b
Hæreticorũ rituum similitudo vitanda, 736.a. 469.b
Hæreticorum libros describentibus quæ pœna à Iustiniano constituta, 469.b
Hæreticorum nostri temporis in loca sacra contumeliæ & ferocia, 475.b
Hæreticorum improbitas & ferocia, 444.a
Hæreticorum conuenticula non ferenda, 144.b
Hæreticorum pugnis ecclesia instruitur, 832.b
Hæreticorum eulogiæ non recipiendæ, 675
Hæreticorum artes, 1100.b
Hæreticorum impudens calumnia, 586.a
Hæreticorũ audacia quantũ indulgẽtia alat, 426.a.b
Hæreticorum defensores quoq; anathematizantur, 586.a
Hæreticorũ de confessi. sacramentali calum. 204.a
Hæreticorum connubia cathol. fugiẽda, 130. 307.b
Hæreticis non dicendum, Salue, 467.a
Hæretico non patet aditus ad munera ecclesiastica, nisi præcedat satisfactio, 211.b
Hæreticis naturaliter infixum, vt pugnent cõtra eos qui ipsos redarguunt, 457.b
Hæreticos imperito Zelo insequentes ipsi hæreses nonnunquam faciunt, 901.a
ab Hæreticis electus episc. esse non potest, 890.b
cum Hæreticis non est disputandum, 237.b
Hæsitantes qui appellati, 606.a. 607.b
Halleluia quando decantandum, 857.a
Hebdomadarij pœnitentiarij qui, 204.a
Hector episcopus Carthaginensis quis, 968.a
Helena Constantini mater Christi crucem inuenit, 339.a. Romanos ad fidem accendit, 907.a
Helias episcopus Hormisdæ legatus, 349. 350
Heracleæ Concilij indictum, & à quo, & cur, 315.a
Heraclius Cosroem vincit & fugat, 992. Crucẽ sanctam Hierosolymis Constantinopolim transfert, ibid. à Persis pacem petit, 978.b. quando & quomodo mortuus, 1028.b. eius successor, ibid.
Heracleo paucorũ mensiũ Imperat. deponit, 1029.a
Hermenegildus ad Catholicã fidẽ conuersus, 723.a à patre interfectus, martyrij coronam accipit, ibi.
Hermes Narbonensis episc. intrusus, 158.a.b
Hierosolyma à Persis vastata, 978.a
Hierosolymitana synodus, 375.a
Hierosolymitanum Concilium sub Vigilio, 610.b
Hierosolymita. Concil. post obitum Agapeti, 472.a
Hierosolymitanæ ecclesiæ pomœria, 105.a
Hilarius Arelatensis episcopus, 393.a
Hilarius Gabalitanus episc. sanctitate celebris, 510.b
Hilarus, S. R. E. diaconus, & magni Leonis PP. legatus, 185.b. vota in periculo Ioanni Euangelistæ nuncupans liberatur, 185.b ædiculam eidẽ Romæ erexit, ibid. & 317.a
Hilarus Papa, eiusq; vita, epistolæ & decreta, 194.a Mamertum episcopum Viennensem acerbe exagitauit, & qua occasione, 197.b
Hilari Papæ decreta, 201.a
Hildericus Vuandalorum rex in Africa Catholicos sacerdotes restituit, 314.b
Hipporegius ciuitas, & vbi sita, 303.b
Hispalis vrbs, 654.b. 953.a. Primatus nomine, & à quibus decreta, 967.b
Hispalensi Metropolitano quæ sedes subiectæ, 953.a
Hispalense Concilium I. 952
Hispalense Concilium sub Bonifacio Pap. V. 981.a
Hispania in quinque prouincias distributa, 967.b. à Mauris occupata, 970.a. quando à Saracenis occupata, 967.a
Hispaniæ prouinc. quæ quib. populis subiectæ, 967.b
Hispaniæ Episcopalium sedium diuisio, 647.b
Hispaniæ regum electio qualis, 1148.b
Hispaniæ conuentus quot, 382.b
Hispani Episcopi quantum colant Rom. Pont. 195.a
Historicorum schismaticorum ignorantia, 834.a
Homo cur creatus, 484.a. nihil boni potest sine Deo, 392.a
Hominis vera origo quæ, 483.b
Homicida voluntarius & inuoluntarius quomodo puniendus, 675.306.a
Homicidæ à communione ecclesiastica sunt mouendi, 191.b. 306.a
Homicidis quæ pœnitentia imponenda, 313.b 26.b
Homousion vbi inueniatur, 276.a
Honor non est præmio accipiendus, 365.b
Honor ministri, cultus est domini.
Honoratus Vercellensis sacerdos, 1202.a. diuinitus vocatur, ad porrigendam Eucharistiam, 1202.a
Honorius Papa I. eiusque vita & epistolæ, 991.b. quando factus Papa, 992.a. an monothelita fuerit, ibid.b
Honorius I. quotus à B. Petro Pontifex, 666.a
Hormisda Papa eiusque vita, epistol. & Decreta, 313. a. quando Pontifex factus, 314.a. legationem ad Iustinum Imp. & Constantinop. episc. mittit, 314. a. legat. mittit ad reconciliandam ecclesiam Orientalem, 337.b. & seqq. libellum Confessionis catholicæ ad Orientales mittit, cui subscribendo Rom.

Ro. Eccle. Cathol. cõmunionẽ consequi possent, 329.b legatos ad Anastasiũ Imp. mittit, & quem in finẽ, 316.b. vicariam sedis Apost. Epiphan. Constant. in recipiendis lapsis demandat, 449.b. à Clodoueo aurea corona donatur, 311.b. 478.b. quo sensu & qua de causa quędam in Eutychianorum, Nestorianorum & Origenistarum controuersijs decreuerit, 409.b. ab Imp. Anastasij legatis tẽtatur, 320.a. Orientales ad communionẽ recipit, 314.b. Zenonis nomen ex albo Catholicorum Imperatorum expungi iubet, & cur, 232.a. ab Anastasio Imp. Heracleam ad Concilium euocatur, 316.b quot annos sederit, 314.a
Hormisdæ Pap. in procuranda eccles. vnitate, & tollẽdo Orientalium schismate sollicitudo. 344. 345 346. & passim per omnes epistolas.
Hormisdæ Papæ ad Orientales in communione sedis Apostolicæ permanentes epistola, 448.b
Hospitalitas Christianis exercenda, 509.b. 702.b
Hospitalium cura ad quos spectet, 777.a
Humilitatis laus & fructus, 200.a
Hunnericus Vãdalorum rex Arianus persequitur ecclesiam, 214.a eius exitus, 214.b
Hydroparastatæ hæretici, 1206.b
Hymnus quid significet, 1014.b
Hymnus, Glor. Patri & Fil. &c. à quo institut. 1014.b
Hymni in ecclesijs decantandi, 1002. 1014.b
Hymnologia trisagia deprauata, 226.b
Hypatius Ephesin. episc. ad Ioan. Pap. legatus. 409.b

I.

IAcinthus Card. in Hispan. legat. & quando, 973.a
S. Iacobus Apost. in Hispa. venit, 974.b. in Iudæã reuersus, mortuus & naui impositus, Cõpostellam in Hispania iterum appellit, ibidem
Iacobus Syrus vir sanctus & miraculis clarus, 273.b
Ianus quis fuerit, 660.a
Ianuarij Kalendæ Christianis an colendæ, 660.a
Ibas quis & qualis, 608.b. an & quando Cyrillo contradixerit, 564.a. depositus, 107. restitui postulat, ib. quomodo ex hæretica & impia epistola pro catholico agnitus, 609.a. quomodo a Patribus Cõcil. Chalcedonensis absolutus, 181.b. 184.b
Ibæ epistolæ ad Marim Persam Interpretatio, 561.a
an a Patribus Concilij Chalcedonen. approbata, 181.b condemnatur, 576.b. 608.b. confertur ad Synodum Chalcedonensem, 575.a
Ibæ epistolæ fragmentum contra Cyrillum, 113.a
Ibæ crimina quæ obiecta, 110. 111
Iconoclastarum secta eiusq; auctor, 214.b
Idolothyta fugienda, & sub qua pœna, 477.b
Ieiunia quando & quomodo celebranda, 658.a
Ieiuniũ certũ clericis in Cõc. Matisc. indictũ, 698.a
Ieiuniũ quadraginta dierum ante baptismum, 838.b
Ieiunio ægri absolui possunt, 896.a
Ignis probatio à cathol. cõtra Ari. n. vsurpata, 274.a
Ignorantia turpis in sacerdote, 1004
Ildefonsus Toletanus Archiepiscopus, 1175.b vestẽ sacram a B. Virgine accipit, ibidem
Illerda oppidum, 655.a
Ilerdense Concilium, 379
Ilergitum vrbs Hispaniæ quæ & qualis, 340.a
Illicis oppidum, 653.a
Illiterati ad clerum non admittendi, 245.a. 722.b
Illyricum à Pontifice Romano episc. expetit, 325.a
Imago sauciata sanguinem mittit, 274.a
Imagines in Ecclesia quid profint, 688.b
Imagines quo colendæ sint modo, 892.a
Imagines an & quomodo adorandæ, 725.a
Imagines non sunt adorandæ, sed per eos quid sit adorandum discimus, 892.a
Imaginum vsus laudabilis, 855.a
Immunitas Ecclesiæ, 388.a. iure fundata, 191.a
Immunitas ecclesiasticorum locorum defendenda, 1178.b
Imperator qualis esse debeat, 500.a
Imperator non est iudex controuersiarum in Concilio, sed tantum ordinator, 180.b
Imperator quoq; Dei iudicio subiectus, 277.a
Imperator ecclesiæ patronus, 169.b. frustra cõtra B. Petri nititur potestatem, 277.a. ab episcop. doceri quid in negocio religionis statuẽdũ sit, 146.b. episcopum citatum ne Romam veniat, impedire non potest. 808.a. causis sacerdotum se immiscere non
Imperatoris munus in Conc. 100.a. (debet, 776.a.b
Imperatoris vera laus quæ, 207.b
Imperatoris nomen in occidentali Imperio quando obliteratum, 203.b
Imperatoris & aliorum regum discrimen, 888.a
Imperatoris rogatu Pontifex indicit Concil. 179.b
Imperat. Rom. electio Pontifi. significari solita, 335.a
Imperatori potestas à Deo data, & cur, 770.a
Imperatori non licet sanctas regulas dirũpere, 30.b
Imperatori non licet quidquam contra diuina mandata & regulas Apostolicas præsumere, 302.a
Imperatorem accusatorem esse non conuenit, 277.a
Imperatorem quid præcipue deceat, 166.a
Imperatores apud Pontifices recens electos fidei professionem edere soliti, 417.a
Imperatores cur nõnunquã Concil. interfuerit, 4.b
Imperatorum est curare vt decreta à SS. Patribus & Pontifice perficiantur, 469.a
Imperatorum potestas ad Ecclesiæ præsidium, 151.b
Imperij firmitas vnde dependeat, 7.a
Imperij fundamenta validissima quæ, 335.b
Impœnitens mortuus in excommunicatione, post mortem non potest absolui, 247.a
Incarcerati Dominicis diebus ab ecclesiæ præpositis visitandi, 515.b
Incarnationis mysterium declaratur, 16.a.b. 18. 19
Incarnationis mysterium ex Patribus declaratur, 47 b. & seqq. 138.a. 144.a. 160.b. 363.b. 367.a. 407.a.b 408. 420.a. 484.a. 492. 493. 562.b. 569.a. 564.b. 571.b. 572.a.b. 586.b. 633.a.b. 988. 999. 1087.b. 1117.a
Incensum Deo pro defunctorum animis offerri solitum, 182.b
Incestus damnabilis, 703.a
Incestuosi qui, & quæ eorum pœna, 307.a. 313.b
Incestus pœna quæ, 513.a
Incestuosi à liminibus ecclesiæ arcendi, 380.a. 400. 950.a
Incestuosæ cõiunctiones quæ, 505.b. 659.a.b. 509.a
Incorruptibilium hæresis, & quæ, 635.b
Indiculus Hormisdæ ad Imp. Anastasium legatis datus, 317.a
Infantes an baptizandi, 240.b. cur insufflentur & cathechizentur, 240.b
Infans vnius diei an baptizandus, 372
Infantib. baptizatis olim Euchar. data, 1201.b. 832.a
Infideles prædicationis dulcedine magis quam minis & terroribus ad fidẽ conuertendi, 734.b. 832.a
Ingenuus Episcopus Ebredunensis, 197.b. 203.a
Iniuriosus Turon. episc. 478.a. eius constant. 508.a
Intercessio Sanctissimæ Virginis, 360.b. 362.a. vide plura Sanctorum.
Inuidia cum morte euanescit, 85.b
Ioannes Papa I. eiusq; vita, epistolæ & decreta, 376. a. quando Papa factus, 376.b. epistolam ex carcere scribit, 379.a. legationem ad Constantinopolitanos subit, 376.b. cæco luminis vsum restituit, ibi. quid in Oriente effecerit, ibi. incarceratur, 377.a.
Ioannes II. Pap. eiusq; vita, epistolæ & decreta, 402. b. quando pontificatum adeptus, 403.a
Ioannis II. Papæ epistolæ an germanæ, 405.b
Ioannes III. Pap. eiusq; vitæ, epistol. & decreta, 635.a
Ioannes III. Pap. quamdiu sederit, 636.a
Ioannes IV. Pap. eiusq; vita, 1028.b. Honorium cõtra Monothelitas defendit, 1028.b
Ioannes Alexandrinus episcopus Orthodoxus, 211.b. à Zenone amouetur episcopatu, 223.b. quo prætextu, 212.a
Ioannes Antiochenus Nestorio fauet, 612.b. Cyrillo reconciliatur, 614.a. Nestorium damnat, ibid. eius epistolæ, 455.b
Ioannes Cæsaraugustanus episcopus, 381.a
Ioannes Chalcedonensis episcopus à Constantinopolitano damnatus, ad sedem Apostolicam appellat, 958.b. absoluitur, ibid.
Ioannes Const. episcopus Anastasij persecutionem fugit, 471.b. Vniuersalem episcopum se nominat, 700.a. à Pelagio PP. reprehenditur, 692. 693. reconciliationẽ ab Hormisda PP. petit, 335.b. 336.a catholicam fidem profitetur, & hæreticos maximè Acacium detestatur, 341.b. obit, 356.a
Ioan. episc. Rauen. à Simplico Pap. reprehẽsus, 204.b
Ioan. Thessal. episc. catholicus occisus, 351.a
Ioannes episcopus Nicopolitanus, eiusq; epistola super relatio, 321.b. cõmunionem sedis Apost. expetit, 369.b
Ioannes episcopus Tarraconensis, 373.a
Ioan. Tolet. episc. vita & miraculis clarus, 971.a
Ioannes Ruizius episc. Lucensis, 647.a
Ioannes Lappensis episcopus, 1188.b. eius causa synodaliter ventilata, 1188.b
Ioannes Paltensium Pontifex in exilium relegatus, 313.a. reuocatur, ibidem
Ioan. Cõtreras Tolet. episc. primatus defensor, 975.a
Ioannes Tauera Card. Toletanus episcopus, eiusq; cum Garsia Loaisa vrbana contentio, 977.a
Ioannes Cerezuela Toletanus Episcopus, quid pro primatu Tolet. egerit, 975.b
Ioannes Biclarensis scriptor recens inuentus, 723.b
Ioannes Tilius episcopus Meldensis, 191.a
Ioannes Cochlæus eiusq; laus, 359.b. error de Hormisdæ quadam epistola, ibidem
Ioan. Maxentius scriptor mẽdax & hæreticus, 359.b
Ira caura esse debet, 887.b
Irenæus episcopus ab Hilaro P. episcopatu Barcinonensi decedere iubetur, 196.b
Irenęi scripta Greg. I. temp. non inueniebant, 904.a
Iria oppidum, 653.b
Irregulares qui, 245.a
Ischyronis diaconi ad Leonem PP. & Concilium Chalcedonense libellus, 68.a
Isidorus Hispalensis auctor Missalis & Breuiarij quod dicitur Mozarabe, 1013.b. eius vita, 1016.a
Istriæ episcopi quidam à fide deuiantes, à Pelagio II. Pap. admonentur, 683.a.b
Isychius Viennensis episc. 517. an ad tempora Zenonis Imper. superuixerit, ibidem
Italia Herulis subiecta, 214.b. Ostrogothis, 215.a. magna ex parte Ro. Pont. cessit, & qua occasio. 636.a
Iudæi quãta & quam ob causam perpessi, 173.a. quo pacto ad fidem perducendi, 783.b. non vi baptizãdi, sed ad fidem amplectendam mouendi, 738.b qua formula fidem profiteantur & iurent, 1026.a qui conuerti cupiunt, qualiter suscipiendi, 306.a. Hispania exacti, & à quib. 1015.b
Iudæorum conuiuia vitanda. 192.a. 306.b
Iudęis Christiana mancipia habere non licet, 869.b
Iudæis à die cœnæ Domini vsque in secundam Sabbati inter Christianos procedere nõ licet, 507.a.b
Iudex sæcularis clericum constringere aut discutere non potest, 512.b. clericum ad se confugiẽtem recipiens, à communione pellendus, 305.a. clerico iniuriã inferens, quomodo puniendus, 955.a. clericum non iudicare potest, nisi in criminali causa, 698.a
Iudices ab episcopis obseruandi, 715.a
Iudicij futuri signa cur à Deo ostendantur, 907.b
de Iudicatis non est amplius disputandum, 84.b
Iulianus Martyr, 661.b. sacrilegũ punit mortuus, ib.
Iulianus Coensis episcopus, Græce doctissimus, cur in Chalcedonensi Concilio Græca lingua non vsus, 186.b. res Ecclesiæ R in Oriente agere solitus, Leonis ad Concil. Chalcedon. legatus, 181.b
Iulianus Carpentoractensis episcopus, 396.a
Iulianus Halicarnassensis hæreticus, 1111.b
Iulij Papæ 7. de Incarnatione Christi doctrina 48
Iuliana Anitia femina primaria, eiusque ad Hormisdam PP. epist. 344.a. eius ad Hormisdã epist. 358.a
Iustiniana metropolitanæ sedis prærogatiua ornatur, & à quo, 479.b
Iustinianæ eccl. episco. sedis Apostol. vicarius, 784.a
Iustinianus ad Imperium prouehitur, 388.a. Imp. immunitatem Ecclesię concedit, 388.a. hæreseos suspectus libello fidem apud Pontificem profitetur, 421.a.b. tempora nota Cõsulari signari prohibet, & cur, 610.a. an de reuocando Anthimo cogitarit, 480.a. Francici cognomẽtũ assumit, vnde bellũ, 510.b. domesticorũ Iustini Comes, & postea succ.
Iustinianus ab episc. vult doceri, 520.b (cessor, 340.a
basilicam SS. Apost olorum constituit, 353.a. reliquias S. Laurentij à Pontifice petit, 353.a. dissidiũ inter Orientalem & Occidentalem ecclesiã tollere nititur, 415.b. bellum Gothicum auspicatur, 416.b. Concilũ Constantinopolim reuocat, 606.a. cur nullos ex Occidente episcopos accersierit, 606.a. quadragesimæ ieiunium vna hebdomada auxit, 513.b. contra auctoritatem episcoporum de fide nihil edixit, 405.b. cur edicto Nestorium, Eutychetem, eorumq; sectarios condemnarit, 906.a
fidem apud Pontificem profitetur, 418.a. 489.a. summum eius erga sedem Apostolicam studium laudatur, 419.a. in hęresin Incorruptibiliũ lapsus, 635.q. orthodoxos persequitur, 635.b. an resipuerit, ibid. an fuerit analphabetus, 635.b. Iustino Imperatori adiumẽto est in pace eccl. reddẽda, 346.a
Iustiniani ad Hormisdam epistol. 357.a. 365.a.b
Iustiniani scripta quæ reijciantur, 635.b. edictum fidei confessionem continens, 492.a. ad Constantinopolitanum Concilium epist. 604.a.b. erga sedem Apostolicam obseruantia, 417.a. contra Anthimum, Seuerum, Petrum & Zoarem constitutio, 469.a. ad Ioannem 2. Papã epistolæ an germanæ, 405.b. literæ ad synodũ Constantinopol. 518. b. 519.a. chartophylaciũ in cędio absumptũ, 874.a
Iustiniani Edictum à Pap. & Conc. approbat, 499.b
Iustiniani Imp. res gestæ, 416.a
Iustinus ex armẽtario & Subulco Imper. factus, 314. a. 471.b. sui electionẽ Pontifici significat, 335.a. à Pontifice petit, vt ad pacẽ Orientali ecclesiæ conciliãdam, legatos Constãtinopolim mittat, 335.b magnus catholicorũ patronus, 374.b. catholicos exulantes restituit, 375.a. à Theodosio refellitur, quo ad Pap. Anastas. cũ Acacianis cõmunicationẽ, 271.a. Arianos è templo expellit, 376.b. Pont. reuerenter suscipit & adorat, 376.a. Gratũ ad Ponti. mittit, & quã ob causam, 363.a. precib. S. Mariæ Virg. sanitati restituitur, 678.a. obit, ibid. moritur, 388.a
Iustini in vnione ecclesiarũ procurandã studiũ, 364. &
Iustini Imp. res gestæ, 676.a. (seqq. epist. 357.b
Iustinus Iustiniani è sorore nepos & successor, 635.b eius virtutes & vitia, ibid. imperij exordium, ibid.
Iuuenalis episc. Hierosolymitan. ab Eutychianis ejectus, 189.b. eius admonach. Palæsti. epist. 145.a
Iustus Roffensis Episcopus Adelualdum regem Angliæ ad fidem conuertit, 979.a
Iustus Vrgelitanæ eccles. episcopus, 402.b. in Cantica commentatus, 371.a

K.

KYrieeleison in omnibus ecclesijs vt dicatur quando institutum, 394.b

L.

LÆua dignior dextra, & cur, 181.b

Laicus

Laicus in episcopum nõ ritum ordinãdus, 385.833.b 867.a.847.b.391.a
Laici ordinari qui possint, 244.a
Laici ad episcopatum non eligendi, 800.b
Laici Pontificem eligere non possunt, 288.b.289.a
Laica communio quid, 382.b
Lamego oppidum, 653.b
Lampades in ecclesia immisso diuinitus lumine accensæ, 667.a
S. Landolinus Cameracensis ecclesiæ presbyter gẽtiles ad fidem Christi perducit, 1047.a
Lapsis pœnitentia concedenda, 864.b.313.b
S. Lupus Suessionensis episcopus, 311.b
Lateran. Cõc. Roman. tepore Martini Pap. I. 1062.b
Lateranensis Concilij Rom. sub Martino I. causa, & Acta, 1123.b
Latina lingua cur Pontificis Romani ad Græcos legati vsi, 186.b
Latini codices Conciliorum veriores Græcis, 805 b
Laudes quid, 1014.b
Laudes propriæ fugiendæ. 873.b
S. Laurentij reliquiæ, 353.a. quæruntur & transferũtur, 678.a. multis cum miraculis, 779.b
Laurentij Mediolanensis laus, 275.b
Laurentianum schisma, 269.a. vnde actum, 272.b
Lauro Constantinensis Episcopus inter sanctos relatus. 517.b
Lazarus rex Catholicus factus, 314.a
Leander Hispalensis Episcopus quis, 968.b. eius Homilia in laudem Ecclesiæ ob conuersionem gentium, 718. 719.
Lector an vxorem, & quatenus ducere possit, 673.
Lectoris officium, 1142.a
Legio vrbs, & vnde nomen habeat, 656.a
Leo Episcopus vniuersalis dictus, 60. b. 69. a. 887. b 141. b vniuersalis Patriarc. vbi nominatus, 187. a Augustis Concilium indici petentibus quid respõderit, 179. b. omnes ad rectam fidem excitauit, 453. a Chalcedonense Concilium indixit, 179. Hilarium Arelatensem acerbe exagitauit, & quam ob causam, 197. b. Theodoreto Cyri Episcopatum restituit, 6. a. reprobat quæ vltra mandata in concilio Chalcedonensi gesta sunt, 250. b Attilæ occurrit, & quem ad finem, 280. b. ad Leonem Imperatorem epistola, 151. a
Leonis Papæ fides vna cum Nicæna Synodo, 87. b
Leonis PP. Rom. legati primum locum in concilio Chalcedonensi obtinent, 73. a. b
Leonis PP. epistolæ à successoribus approbatæ, 323. b
Leonis Papæ epist. columna orthodoxæ fidei, 441. a
Leonis I. Papæ ad Flauianum epistola, 65. a. 571. a
Leonis Papæ epistola cur in Conciliabulo Ephesino & à quo suppressa, 9. b. 83. a
Leo Imperator fidei orthodoxæ consulit, 190. a. decreta contra hæreticos confirmat, ibid. Leonem Pontificẽ ad concilii indicẽdum hortatur, 194. a sacerdotũ sentẽtias de Chalc. Cõc. exquirit, 519. b
Leonis Imp. erga Catholicam veritatẽ studiũ, 205. b
Leoni Imp. ex Verina coniuge proles miraculo impetrata, 195. a
Leonis Imp. in defendẽda religione vigilãtia, 164. a
Leocadia femina sancta, & martyr, 1013. a. corpus eius ad Belgas deportatũ, ib. reportatũ, & à quo, ibi.
Leontius Burdigalensis episc. 639. b. quis, 646. b. Emerium Santonensem sede priuat, 646. a. ab Imp. missus legatis Rom. sedis occurrit, 340. b
Leontius episcopus Foroiulienſis, 197. b
Leõtius episcopus Tolosanus magni nominis, 311. b
Leõtius monach. 352. a. Romã profiscitur, & quare, ib.
Leprosis non permittendum vt vagentur, 700 b
Leouigildius Arianꝰ rex Catholicos episcopos sede deijcit, 720. b. eius crudelitas, 723. a. mors, ibid.
Leudastes Præfectus Turonensis, 700. a. iniquè ecclesias tractat, ibid. præfectura deponitur, ibi. Gregorium Turonensem calumniatur, ibid.
Leuitæ qui, 1014. b
Liberatus Diaconus quis, 626. a
Liberius quadrinominis, 394. a
Liberi ex alterutro fideli coniugi nati, quomodo dicantur sancti, 261. b
Liberum arbitriũ infirmatũ quomodo repareť, 392. a
Liberũ arbitriũ post lapsum an plane extinctũ, 387. a
Liberi arbitrij doctrina à Cõc. Arausic. tradita, 391. a
Libero arbitrio Patres quidam olim r[illegible]mium tribue
Libra auri quantum valeat, 1165 (unt, 393. b
Libri veteris & noui Testamẽti canonici qui, 264. b
Libri in Ecclesia qui legendi, 645. a
Libri S. Gregorij miraculose inuenti, 1045. b
Libri improbati quomodo legendi 359. b. vide, plura Hæreticorum.
Libellus officialis quis dicatur, 1014. b
Licinius Comes Thessalonicã missus & quare, 350. b
Lignidum ciuitas Græciæ, 341. a
Ligurini poëtę carmina à nouatorib. deprauata, 405. b
Linus non Chorepisc. sed verus fuit Põtifex, 637. b
Litaniæ quid, 373. a. à quo institutæ, ibi. à quo primũ institutæ, 200. b. quãdo celebrãdæ, 311. b. 335. b. 372
Litaniæ tempus cineris & cilicij, 767. b
cum Litania dona ferri ad Ecclesiam solita, 898. a
Litania septiformis, 922. a (389. a. b
Loca diuino cultui sacrata, & quomodo habenda,
Loca sacra Pontificum priuilegijs muniuntur, 924. b. in secularia non mutanda, 132
Longinus Narsetis successor, 636. a
Lõgobardi quo tẽpore primũ Italiam ingressi, 635. b ecclesiã persequũť, 676. a. an à Narset. in Italiã euo-
Lucas Tud. scriptor recens inuẽtus, 723. b (cati, 636. a
Lucense Concilium, 646. b. quando habitũ, 647. a
Lucense Concil. II. post obitũ Ioã. III. Papæ, 667. b
Lucẽsis Ecclesia quãdo facta metropolitana, 666. a
Lucentius sedis Apost. in Conc. Chalcedo. vicarius, 4. b. 181. b. eius cõtra quędã decreta, præstatio, 137. b
Luciani episc. Byzens. ad Leonẽ Imp. epistola, 153. a
Lucidus magni nominis presbyt. 386. b. in hæresim
Lucidi plena Confessio. 387. b. (labitur, ibi.
Lucretius Bracarensis episcopus, 644. a
Ludouicus Galliæ rex, vide Clodoueus.
Lugdunum Galliæ vrbs describitur, 662. b
Lugdunense Concilium I. sub Ioanne III. Papa, 661
Lugdunense Concilium II. sub Pelagio II. 700. b
Lugo oppidum, 653. b
Luminarium vsus in ecclesia antiquus, 667. a
Lupercalia quando & ad quid instituta, eorumque turpitudo, 255. a. b
Lupicina Iustini Imp. cõiux, Euphẽ. post dicta, 339. a
Lusitaniæ duodecim sunt sedes cathedrales, 1184. a
Lutetia, vide Parisiensis.
Lutuua oppidum, 655. b
Lybia cur tritico extero indigeat, 69. b

M.

MAcarius II. Hierosol. episcopus, 479. b. hæreseos suspicionem incurrit, ibidem
Macarius Alexãdrinus curialis, raptor, 71. b
Macedonius Constantinopol. ab Acephalis relega-
Mafortes quid, 957. b. (tur, 274. a
Magalona ciuitas, 655. b
Magdeburgenses Centuriatores falso redarguentes Gelasiũ, redarguũť, 180. a. vide plura, Cẽturiatores.
Magicis studentes, excommunicandi, 307. b
Mahometes nefariæ sectæ & imperij conditor, quis
Malaca ciuitas, 654. b. (& qualis, 978. b
Maledictio eis qui in Patres peccãt, imminet, 497. b
Malefici ab episcopo puniuntur, 941. a
Mamertus episc. Viennens. quis fuerit, & cur à Papa reprehensus, 200. b. an litanias instituerit, 373. b. ab Hilaro Papa reprehensus, & cur, 199. a. b
Manichæi quo signo à Catholicis discreti, 232. a. à sumptione calicis abstinebant, & cur, ibid.
Manus impositio quid, 1201. b
Manus impositio ordinãdis sacerdotib. benedictio-
Marcelli hæresis, 137. b. (nem confert, 334
Maiestatis titulus perantiquus est Hispã. regib. 965. a
S. Marcus Alexandriã à B. Petro missus, 816. a. Alexandrinæ eccl. fundamentũ iecit, 271. b
Maria virgo cur dicatur Deipara, 16. b. 93. b. vere Dei genitrix, 408. a. quomodo mater & ancilla dicatur. 908. a. Ildefonso Toletano Archiepiscopo oranti vestrem sacram tradidit, 1175. b
Mariæ Virginis intercessiones, 360. b
Maria & Martha mystice quid præfigurent, 726. b
Martianus qua occasione ad imperiũ euectus, 179. b edicto prohibet ne noui Consules aurũ in vulgus spargerent, 610. a. an Conc. Chalcedon. præsiderit, 180. a. eius epist. ad Alexãdrinos. 143. erga Catholicã veritatẽ studiũ, 205. b. oratio ad Patres Cõcil. Chalcedon. 4. a. Latina, 100. a. Græca, ibi. a. b
Edictũ contra popularis disputationes, 104. a. Sacra contra hæreticos. 140. b. successor quis, 145. b
Martinus I. Pap. eiusq; vita, epistolę & Decreta, 1046 a. quãdo Pontificatũ adeptus, 1047. a. falso à Magdeburgensib. Centuriatorib. carpitur. ibi. miraculis claret, ibid. b. quas pœnas Constantinopoli pertulerit, 1047. a
Martinus episc. Dumiẽs. postea Bracaren. 647. a. 666 a. quis, 644. a. eius scripta, 644. b. Orietales canones collectos ad Concilii Lucense mittit, 668. a
S. Martini receptio eiusq; festiuitas, 213. b
S. Martini reliquiæ ægrotum sanant, 635. a
S. Martini vigiliæ prohibitæ. 954. b
Martinopolis vrbs quæ, 213. b
Martina Augusta, punitur & quare, 1029 a
Martas oppidum, 654 b
Martyr & Confessor an idem, 1013
Martyr aliquis præcisa lingua loquutus, 214. a
Martyres sunt etiã qui à schismaticis necãtur. 274. b
Martyrum natalitia quando celebranda, 674
Martyrum passiones in ecclesijs legi solitæ, 645. a
Martyrũ reliquię quã honorifice olim cõditæ, 645. b
Martyriũ p templo in honorẽ martyris extructo. 24. a
Martyrologium Romanum quæ contineat, 840. a
Massilienses hæretici, 391. a
Massona episcopus Emeritensis, quis, 720. a
Matiscona quæ & qualis ciuitas, 699. b
Matiscon ense Concilium I. 698. a
Matiscon ense Concilium II. sub Pelagio II. 701. a
Matiscon ense Concilii III. sub Bonifacio V. 980. b
Matrimonium qualis contractus, 193. a
Matrimonij vinculũ nõ soluitur per adulteriũ, 192. b ad Matrimoniũ quomodo parentum consensus requiratur. 639. b
Matrimonia quoto affinitatis gradu prohibita, 946.
Mauri quãdo Hispaniã occuparint. 970. a. (a. 955. a
Mauritius Imperium adipiscitur, 678. a. occiditur, 725. a. b. vox eius extrema, ibid.
Mauritius chartularius sacrilegꝰ, eiusq; pœna, 1030. b
Mauritania triplex, 303. b
S. Maximus quis, 1039. b. relegatur, ibid. præcisa lingua loquitur, ib. Pyrrhum ad catholicam fidẽ reducit, 1030. a. eius cum Pyrrho Disputatio, 1031. a
Maximus Antiochiæ episc. eiusq; liberalitas, 105. b
Maximus Taurinensis episc. Mediolanen. cur in Cõcil. Roma. primũ post Põtificẽ locũ tenuerit, 203. a
Maximianus Constantinopolit. episc. ordinat, 613. b
Mechir mensis apud Ægyptios quis, 15. a
Medardus quando defunctus, 508. a
Mediolanẽ. eccl. reditꝰ olim in Sicil. cõsistebãt, 890 b
Melaricus Rhodonẽsis episc. sanctitate insignis, 311. b
Mellitus episcopus Londinensis Anglus Romam venit, & cur, 963. b
Mennas Constantinopolitanæ sedis sit episc. 416. b. excõmunicatur, 503. a. b. veniam petit, 504. a. an præsederit Concilio Cõstantinopolitano V. 607. a. fidem profitetur, 592. a
Mennæ sententia contra Anthimum, 438. b. contra Petrum, Seuerũ & Zoaram, 467. a
Mennæ excomium, 430. b
ad Mẽsas sacerdotũ lectio scripturarũ adhibẽda, 714. a
Mẽstruata mulier an ab ecclesia & cõmunione prohi
Mentesa oppidum, 652. b (benda. 947. b
Mesoris mensis quis, 8. a
Metensis synodus, 958. b
Metropolitanus finitimas instruere debet, 1194
Metropolit. duodecim sub se debet habere epis. 941. b
Metropolitani quod munus, 1187. b
à Metropolitani sententia ad Rom. Pontificẽ iuxta canones prouocare licet, 188. a
Metropolitani est, puinciales ad Cõc. vocare, 477. a
Metropoli. primat' ab omnib. episc. agnoscẽdus, 670
cum Metropolitano controuersiam habens, corã solo Romano Pontifice conuenire eũ potest, 188. a
Metropolitani quomodo ordinandi, 477. b. 505. a
Metropolitani duo in vna prouincia esse nõ possunt,
Metropolitanorum dignitas, 136. a. (130
Millenarij apud Gothos qui. 1146. a
Militia quibus prohibita, 86. b
Miraculum fictũ à Deo miraculose vindicatũ, 214. b
Miracula ad reliquias sanctorũ, 778. b. 890. a
Miracula S. Martini Papæ, 1047. b
Miracula quę in trãslatione S. Laur. reliquatũ cõtige
Miracula duo obsidionis Romanę, 475. b. (rũt, 678. a
de Miraculis non est gloriandum, 906. a
Misenus episc. Cumanus, 216. b. libello errorem suum fatetur, & absoluitur, 267. a. b. 268. b
Missa à ieiuno offerenda, 1045. a
Missa fidelib. integre audiẽda, 306. b. 311. a. 702. a. 954. b
Missa, si contigerit presbyterum casu aliquo deficere, ab alio ad finem vsq; supplenda, 1042
Missæ super mortuorũ monumenta nõ tenendæ, 675
Missæ sacrificium defenditur, 187. a
Missæ sacrificium incruentum, 173. a
Missæ sacrificium incruentũ, & terribile, eiusq; antiquitas, 69. b. 569 b
Missa pro mortuis post cibum non celebranda, 665
in Missa pro regibus est orandum, 1187. a
in Missa quorum nomina recitari solita, 1202. a
Missæ pro viuis & defunctis celebrãdæ, 667. a. 1188. a
in Missa quid offerendum, 1203
Missæ quando celebrandæ, 665. b
Missæ in consecratis tantum locis, nisi magna compulerit necessitas, celebrandæ, 488 b
Missarũ solemnia eodẽ tenore semper habẽda, 481. b
inter Missarum solẽnia episc. solitus nominari, 781. a
Missarũ cõsuetudo cur aliquãtũ certis in locis diuer
Modius canonicus, quid, 957. a. (sa, 945. b
Monachus nubere non potest, 131
Monachus è monasterio fugere volens à dæmone vexatur, 898. b
Monachus cõuersus, si pellici vel vxori postea fuerit sociatus, ab ecclesiast. gradus officijs arcẽdus, 311. a
Monachi habitus quid significet, 915. a. b
Monachi nomẽ recẽs, sed res & professio antiqua, 721. b
Monachi desertores vel apostatæ quã grauiter pec-
Monachi Episcopis subiecti, 104. b. (cent, 734. a. b
Monachi quales esse, quæq; exercere debeant, 128
Monachi grauius tentantur, & anteactæ vitæ peccata ipsis in memoriam recurrunt, 853. b
Monachi Abbatibus obedire debent & contumaces quomodo plectendi, 310. b
Monachi ad clerũ promouẽdi quales esse debeãt, 244. a
Monachi christi virginib. familiares esse nõ debent, (984
Monachis non vagandum, 306. a. 955. a
Monachis ad nuptias ambulare non licet,
Monach. quãdo & quomodo ieiunia celebrãda, 658. a
Monachorum sub Eutyche ad conc. Ephesinũ secũ-
Monachorũ vera exercitia quę, 104. b. (dũ epist. 45. a
Monachis nec vagari nec vxorẽ ducere licitũ, 658. a

Monasterium nullum ædificandum præter voluntatem Episcopi, 104.b.128.305.b
Monasteria in visitatione non prægrauanda, 837.b
Monasteria puellarū quib.ingredi ,p missum,698.a.
Monasteria mulieribus non adeunda,658.a. (314.a
Monasteria ab hæreticis euersa, 149.a
Monasteria quando consecranda, 834.a
Monast.puellarū,peul a monachis cōstituēda,306.a
Monasteriorū bona quibusvis alienare aut minuere
Monasticæ vitæ encomia,639.b. (prohibita,960.b
Moniales qua ætate velandæ, 305.b
Moniales extra monasteria non vagentur, 773.b
Monialium vestis sacra,qualis, 786.b
Monialium violatores sacrilegi, 386.a
Monialiū Romę Gregor I.tēpore viuētiū numerus,
Moniales violantium pœna,213.a. (825.a
Monitoris personam nemo recte accipit, nisi qui conuersatione amorē innocētiæ demōstrat,296.b
Monothelitarum hæresis, 992.b
Monothelitæ Vitalianū PP. è diptychis expūguntur, 1208.anathemate perculsi,1029.b.Acta Concilij Constantinopolitani V.corrumpunt, 606.b
contra Monothelitas Disputatio S.Maximi, 1031.a
Montanus præsul Toletan⁹ quis,402.b.964.b.968.b
eius epistolæ, 401.& seqq.
Mopsuestia ciuitas vbi sita, 514.a
Mopsuestena synodus sub Vigilio, 514.a
Mopsuestenæ synodi Acta, 553.b.ad Vigilium PP. litteræ. 557.a
Moralium libr.S.Grego. miraculose inuēti, 1045.b
Morbus à ieiunio excusat, 929.b
Morbis magnis fortibus opus est remedijs, 83.a
Merouius Chilperici filius patrē offendit & ad arma prouocat,696.a.capitur,& presbyter ordinat,ibi. fugit,& cōmunionem à S. Greg. extorquet,ibid.
Mors vitæ præferenda potius quā Patrum constituta soluenda, 278b
Morte puniēdus qui illicita docere præsumserit,86.b
Mortui lugendi,& quomodo, 386.a
Mortuorum corpore intra basilicas non sepelienda, 643.an & quatenus in templis sepelire liceat,645. b.pallijs sacratis non obuoluenda, 509.a
Mortuo.cōmemoratio in Missa a quo institut.1202.a
Mortuis obloqui graue est, 461.a
Mozrabe Missale & Breuiariū,&qs eius auctor,1013.b
Moysis virtus & mors, 906.a
Mulierum consortia clericis vitanda,953.514.b.657 b.739.a.305.a.698.a (1207.a
Mulieres quæ sacerdotibus cohabitare possint,850.a
Mulieres in adulterio cum clericis deprehensæ quaeliter puniendæ, 513.a
Munditia carnis in coniugatis requiritur ad Eucharistiam percipiendam, 948.a
Munus non est, nisi quod velis accipere, 294.a
Munus pro collatis Ordinibus sponte oblatum accipi potest, 1201.a.b
Munzolus Theodeberti ad Iustinianum legatus, 510.b.miraculose a calculi morbo sanatur, ibid.
Mysteria non temere contrectāda aut gestāda, 1205

N.

NArbo ciuitas quæ & qualis, 723.a.655.b
Narbonense Conc.sub Reccaredo rege,722.a
Narbonēs ecc.an subiecta Toletanæ,1186.a
Narbonēs.episc.cōtra Tolet.primatū exceptio,974.b
Narcissus Hierosol.episc.eiusq; miraculum, 667.a
Narses Romā,&quorū auxilijs,recuperat.480.b.an Longobardos in Italiam euocarit,636.a.qualem vitæ exitum habuerit, 636.a.962.a
Natalis Domini omnibus celebrandus, 700.b
Natalis Domini solennitas quæ, 1175.b
Natalis Petri & Pauli App.solenniter olim à fidelib.
Nat.dies Pōt.Ro.qs dicat,196.b (celebratus,196.b
Naturæ duę in Christo non sunt duo filij aut duo Christi, 145.a
Naturę in Christo nō cōfundēdæ,985.nō diuellędę.
Naturas in Christo confundēs,anathe.225.a.(614.b
Naturarū duarū in Christo vnio quæ & qualis,281.a
Nazarij & Romani martyrum reliquiæ, 278.a
Nazianzus ciuitas quæ, 498.b
Neapolis à Gothis occupata, 475.a
Nebridius quis, 371.a
Nectarius Constantinopolitanus episcopus, an sacramentalem confessionem sustulerit, 204.a
Negociatio omnis clericis prohibita, 370
Nemasus oppidum, 655.b
Neophyti qui dicantur,799.b.867.b.quando ad Ordines admittendi. 672
Nestorius quis, eiusq; ordinatio,612.a.hæreses.ib.à quo depranuatus,542.b.550.a.an Chalcedon.Cōcil.interfuerit,181.b.Imperalib.legib.dānat⁹,544
Nestorij doctrina anathematizata, 586.b
Nestorij circa personam Christi errores, 575.a.b
Nestorij ad Cyrillum epistola, 565.b
Nestorij dogmata ex ipsius codice, 52.a
Nestoriani Hormisd.Pōt.auctoritate abusi, 409.b
Nestorianæ hæreseos quis primus auctor, 611.a
Nestoriana scripta prohibita, 85.b
Nicęa metropol.eccl.priuileg.donata,&à quo,121.a
Nicæna synod.à quo & quē in finem indicta, 519.a
Nicæna synod.primatū Ro.Pontif.stabiliuit,230.a
Nicænæ synodi fides, 47.a
Nicæni Concilij auctoritas, 87.b.157.b
Nicæni symboli auctoritas irrefragabilis,à pag.148. & seqq.passim per totum.
Niceni symboli formula à quo inuenta, 186.b
Nicæni Concilij canones custodiendi, 201.b
Nicetius Treuirensis episcopus quis &qualis,510.511 a.Theodebertum ad frugem conuertit, ibidem
Nicopolitana ecclesia à Thessalonicēsi episc.turbata Pontificē Rom. interpellat, 329.b.330.a.331.a
Nicostratus Hormisdę ad Cōstantino.legatus,348.b
Nitigesias Lucens.Episcop.metropolitan. 667.668
Nonnitus Gerundensis Episcopus quis, 1016.b
Noua veteribus minimè præferenda, 275.a
Nouatorum hæreticorū de Apostolica sede per hæresin contaminata calumnia, 626.a.b
Nouatorū hæreticorū calūnia contra Vigiliū.607.b
Nouitas non est introducenda in ecclesiam, 352.a
Nouitatis studium hæresum mater, 137.b
Numantia oppidum, 654.b
Numerarij qui, 957.a.1147.a
Numidia Africæ prouincia, 303.b
Numidiæ Concilium in causa Donadei & Paulini Regensi.episc. iussu Gregorij I. celebratum.961.b
Numidiæ Conciliabulum, 957.a
Nuptiæ secundæ sæcularibus permissæ, sed ad clerū accedere prohibent, 245.b
Nuptias quibus temporib.celebrare non liceat,381.a
Nuptias occultas celebrare non licet, 368.b

O.

OBlatio eius qui pœnitens nō tamē reconciliatus obijt,ab ecclesia recipienda, 1148
Oblationes,p defunctis antiquissimę,187.a
Oblationes ecclesiarū retinentes, excommunicandi,304.b.384.a.506.b fideliter colligendæ, & diuidendæ,1182.a.quando fieri solitæ,1188.a. quomodo distribuendæ,310.b.in crimine interfectorum an & quatenus recipiendæ.477.b. pro quib. non recipiendæ,643.in quem finem datæ,301.a. absq; consensu episc.non præsumendæ, ibidem
Oblationes eorū qui violentas sibi manus intulerūt
Oblationū diuisio,645.b. (non recipiendæ,954.b
Odū retinētes,nec ad pacē reuertētes,quomodo ha
Obreptio cōtra Can.nulli⁹ valoris,197.a(bēdi,306.a
Occidentale Imperium deficit,&in quo,214.b.215.a
Occidentalis ecclesia diro schismate diuisa,& quę eius causa, 678.a
Odoacer occidentale imperiū inuadit,203.b.Italiæ imperio potitur,214.b. legationem ad Zenonem mittit,206.b.occisus, 215.a
Odoacris regis leges duę,de sum.Pont.electione,& bonorum ecclesiasticorum distractione, 290.b
Oeconomi officium, 1142.b
Oecumenici tit.an Constant.patriarch.vsus, 471.b
Oecumenica Concilia quando cogenda, 206.b
Officia diuina quo ordine celebranda, 313.b
Officiorū diuinorū diuersitas in vna prouincia non
Olybrius quo anno Cōsul fuerit,379.b(tenēda,1194
Olysibona ciuitas, 654.a
Opera ad fidem necessaria, 822.b
Optatus Mileuitanus qua ratione Catholicum se
Orarium quid, 1015.a. (probarit,189.a
Orationes post antiphonas dicendæ, 306.a
Oratorij quęstus priuati causa factū, nō cōsecrādū,
Oratoria sine Missis publicis cōsecrāda,876.b. (665
Ordo in ministerijs & officijs diuinis celebrādis ne-
Ordines sacri quādo conferēdi,245.a(cessarius,999
ad Ordines nemo indiscussus admittendus, 672
Ordines gradus gratis conferendi, 667.a.1148.a
ad Ordines,superiores qui non admittendi, 201.b
Ordinatio quo in loco facienda, 129
Ordinatio ob pecuniam non facienda, 127
Ordinationes quomodo fieri debeant, 784.a
Ordinationes illicitæ quæ, 312.a
Ordinationes illicitæ,irritæ, 213.a
Ordinantis illegitimè pœna quæ, 991.a
Ordinari,nemo sine titulo debet, 188.a
Ordinati non reordinandi, 751.b
Orestes Augustulum filiū Imperio præficit infausto
Oretum ciuitas,652.a. (exitu,214.b
Orientales Imperatores quibusvis barbaris aduersus Romanos truculentiores, 636.a
Oriētalis eccl.ingens calamitas &deformitas,280.b
Oriētales ecclesiæ Symmacho Pap.supplicant,279. b.Chalcedon.synodū amplectūtur,854.a. cōmunionē ecclesiæ Rom.expetunt,374.b.reconciliationem à Pontifice petunt,335.b. ad communionem Occidentalis ecclesiæ recepti, 314.a
Oriēt.episc.ab Apost.sedis vicar.creari soliti,1054.b
Orient.episc.fere oēs Chalc.Cōc.approbarūt,181.a
Orientalium fidei Catholica confessio, 280.b
Orientaliū Can.collecto,S.Marti.epis Braca.668.a
Orientalium orthodoxorum episcoporum libellus contra Anthimum & hæreticos, 428.b
Oriētalib.quę capitula ab Hormisd.PP.præscripta,
Origenes auctor hæresis Arij,482.b.609.b. (318.a
Origenes quæ sunt paganorū intulit in Eccles.482.b
Origenes cuius opera damnatus, 499.a
Origenis dementia redarguitur, 483.a
Origenis insaniæ ac blasphe. 482.b.488.b.604.a.b
Origenis error de præexistentia animarum, 483.a
Origenistæ Hormisdæ Pont.auctoritate abusi,409. b.in oriente inualescunt,403.a. negabant Christum vnum de Trinitate fuisse, 409.b
Orontius quis, 1187.b
Orthodoxi de vnitate sed.Apost.minimè separātur,
Osca oppidum,655.a (317.b
Oscense Concilium, 959.b
Ostiarij officium, 1142.a
Othonis Frising.chron.à Nouator.corrupta,405.b
Ouetensis vrbs Metropolit.dignitate augetur,970.b
Oxoma oppidum, 652.a

P.

PAlatini qui, 1045.a
Palæstina pseudomonachorū seditionibus exagitatur, 189.b
Palestinę episcopi synodi V.statuta recipiunt & confirmant, 610.b
Pallentia oppidum, 652.a
Pallium quid significet,875.a.cui & quando concedendum, 833.b.in litanijs non deferendum,784.b gratis dandum, 801.b
Pallij vsus quis, 784.a.979.a
Pallij vsus à Ro.tātum Pontifice conceditur,799.a
Pallij vsus quando permissus, 801.a
Pallij vsus Aureliano Arelat.à Pon.concessus,500.b
Palmaria,porticus basilicæ S.Petri, Romæ, 290.a
Palmaris synod.Rom.284.a & curita appella.290.a
Palmatia senatoria femina,eiusq; in religione constantia,340.b
Pampelona oppidum,655.a.
Pamphilus Abydarū episc.eiusq; ad P.Fullonē epist.
Pannoniā occupat,ibid.occiditur,636.a. (228.a
Pansophia Orini,famosa meretrix, 69.b
Pantheon Romæ diuino cultui, & à quo consecradum, 963.a
Papa Ro.caput Ecclesiæ, 295.a
Papa vnus super ecclesiam totius Mundi.624.b.cunctarum ecclesiarum curam gerit,852.b. legatione fungitur pro Christo,270.a.nunquam minorum sententiæ episcoporum subiacuit iudicio,292.a.iudicio Dei subditus est,non hominū, 285.b. Pater Patrū &ter beatissimus à Græcis appellat,1070.b quęstiones curiosas potest quandoq; supprimere, quadoq; doctiorū iudicio discutiēdas relinquere, 992.b.iure aliorū retractat sētētias,881.b.antecessorū statuta debet seruare,859.a. ex male narratis male potest iudicare in causis facti,197.b. phibere debet ne hęreticorū libri legāt,817.b.nō scribit ad Patriarchas nisi prius ab illis synodicā acceperit, ib.dispensat contra canonem Nicæni concilij,vt pax seruetur,210.a.in gratiam Imperatoris,ibid.b an successorem sibi eligere possit,396.b. res ecclesiæ permutandi licentiam concedit,937.a.in aliena ecclesia cōfert quoq; beneficia,747.a. an in ijs quoq; quæ sunt fidei errare possit, 778.a. non est Antichristus,983.a.quomodo eligendus, 282.b.
Papæ iudicium Deus suo reseruauit arbitrio, 295.a
Papæ mandatis obediendum, 4.b
Papæ nomen in ecclesia recitandum, 394.b
Papę arbitrium est collectio synodalis, 293.b
Papæ legatis primus locus in concilijs datus, 4.b
Papæ auctoritas in alios episcopos, 775.a
Papæ vniuersi ouilis cura iniuncta, 205.b
Parisiensis vrbis descriptio, 634.b
Parisiense concilium I.sub Pelagio I. 634.a
Parisiense concilium III.tępore Ioan.Pap.III. 638.a
Parisiense concilium IV.sub Benedicto I. 677.b
Parisiēse concil. V.sub Pelagij Pontificatu,696.a
Parochiæ non mutandæ, 670
Parochiæ in suo statu inconcussæ seruandæ, 131
Pascha vbi & quando celebrādum,511.b.665.b.1175. a.355.a.b
Pascha omnibus celebrandum, 700.b
de Paschate celebrando Collatio Anglicana, 1178
in Paschate communicare antiqua est consuetudo, 1014.a
Paschasinus Libæi in Sicilia episcopus,Leonis Papæ ad Concilium Chalcedonense legatus, 181.b eius epistola de condemnatione Dioscori Alexandrini, 141.b
Paschasius S.Romanæ ecclesiæ Diaconus,Laurentiano schismati fauet & post obitum pœnas luit, 273.b
Passio Christi in carne facta, 226.b
Passio Domini populo prædicāda,& quando, 1000
Pastor optimus quis censendus, 901.b
Pastoris est,non ouis,lupi insidias præuidere,285.a
Pastorum actus non sunt oris gladio feriendi,quanquam rite reprehendi æstimentur, 298.a
Pastorum perutilem oportere esse custodiam, 326.b
Pastorum officia, 328.a
Pastoralis cura quæ & qualis, 730.a
Pastoralis cura libenti animo suscipienda,818.b.difficilis est, 819.a
Pastoralis curæ onus, 726.b

Paternus Abricenſis epiſcopus. 478.a
Paternus Barcinonenſis epiſcopus. 381.a
Patriarchæ ab hæreticis qui dicti. 705.a
Patriarchæ nomen in Italia diu nemini niſi S.Pontifici datum. 705.a
Patrum doctrina magni facienda. 15.a.278.b.543.b.
Patrum nomina quorũ opera ab eccleſia olim ſunt approbata. 265.a
Patrum ſtatuta qui cuſtodit, amicum religionis ſe oſtendit. 281.b
Patribus reclamans anathematizandus. 1118.a
Patribus obedire pia lex eſt. 75.b.225.b
Patricius Iuſtini Imperatoris aulicus. 340.a
Paulinus Eboracenſis epiſcopus Anglos Boreales ad fidem conuertit. 979.a
Paulinus Aquileiẽſis ſchiſmaticus. 692.b. eccleſiam perturbat. 629.b
Paulinus ab Hormiſda ad Imperatorem miſſus, & quem in finem. 344.b
B. Paulus ad aquas Saluias capite truncatur. 940.a
vide plura, *Petrus*.
Paulus Antiochiæ epiſcop. ordinatur. 352.a. de quibuſdam accuſatus epiſcopatu ſe abdicat. 368.a
Paulus Conſtant. hæreſeos damnatur. 1046.a. eius ſacrilegum facinus. 1065.b
Paulus Tabennenſium monachorum Abbas fit Alexandrinus Epiſcopus. 625.a
Pauli Apamearum epiſcopi ad Iuſtinianũ epiſt. 441.a
Paulus Samoſatenus primus Neſtorianæ hæreſeos auctor. 611.a.1111.a
Pauli Diaconi error. 993.b
Pauperes ſui vnicuiq; ciuitati alendi. 657.a
Pauperum defenſio quomodo fieri debeat. 883.a
Pauna, oppidum quale. 314.b
Pax præcipuum Dei donum. 172.b
Pax Chriſtiana quæ. 242.b
Pax eccleſiarum, Imperij ſecuritas. 172.b
Pax totius bonitatis initium, & quanto ſtudio Chriſtianis amplectenda. 315.b
Pax vobis Põtificalis & Epiſcopalis ſalutatio. 645.a
Pacis Aſſertores apud Gothos qui. 1147.a
Pacificæ epiſtolæ quæ. 188.a
Peccatum originale quale. 391. eius vis & medela. 855.a. vnde. 240.a. an in infantibus. 240.b
Peccati nemo hominum expers. 257.a.b. cur, etiam poſt reparationem generis humani. 257.b
Peccati mortalis grauitas. 1055.a
Peccato mortali polluti ab ordinib. ſubmouẽdi. 1173
Peccato cur Deus aditum dederit. 601.b
Peccata omnia an & quomodo remiſſibilia. 253.a.b
Peccatum in S. ſanctum quomodo intelligendum remiſſibile. 253.a
Peccata in baptiſmo omnino dimittuntur. 900.b
Peccata epiſcoporũ & ſacerdotũ quã grauia. 1055.a
Pecunia homines excæcat. 355.b
Pelagius S.R.E. Diaconus. 499.a. Originem damnari curat, ibidem
Pelagius diaconus Vigilij occiſi ſuſpectus. 480.b. ſe purgat, ibidem
Pelagius I. Papa, eiuſq; vita, epiſtolæ & decreta, 626.b. Quintum Concilium approbat, ibi. eius Epitaphium. 627.a. Conſtantinopolitanam ſynodum caſſat. 607.a.859.a
Pelagij Papæ Fidei Catholicæ profeſſio. 632.a 633
Pelagius II. Papa, eiuſque vita, epiſtolæ & decreta, 677.b. quo tempore Pontificatum adeptus. 678.a
Iſtriæ epiſcopos monet ne ab vnitate Apoſtolicæ ſedis diſcedant, 682.a.b. quamdiu ſederit, 678.a
Pelagij II. liber aduerſus ſchiſmaticos. 678.a
Pelagius hæreticus in Epheſina ſynodo dãnat⁹. 805.b infamia notatus. 393.a
Pelagij impietates ſiue errores. 386.b.391.b
Pelagianæ hæreſis tria capita. 240.a
Pelagianam hæreſin quinam damnauerint, 238.b
Pentecoſtes feſtum in Hiſpania celebre. 117⁰.a
Peregrina communio quid. 382.b
Peregrinis in alia ciuitate miniſtrare non licet, ſine epiſcopi litteris. 130
Periſteria femina, eiuſque liberalitas in eccleſias & pauperes. 69.b
Perpetuus VI. Turonẽſis epiſcopus quis. 213.b.699. certa ieiunia inſtituit. ibidem
Perſæ Armeniam, Cappadociã, &c. inuadunt, 963.a
Perſequutio non timenda. 826.b
Peruaſio & Peruadere quid. 191.b
Petronella monialis conuerſa, corrupta. 773.a
S. Petrus Apoſt. vertex omniũ paſtoraliũ ſedi. 227.a os Apoſtolorum. 410.a
Petrus Apoſtolorum princeps. 279.b.427.a.441.b. vertex Apoſtolorũ, 226.b. eccleſiæ fortitudo. 315.a. cæleſtis regni ianitor. 419.b. cur Cephas dictus. 482.a. nunc in ſucceſſoribus ſuis ſedet. 830.a. per Papam Romanum loquitur. 65.a. eccleſiæ fundamentũ, & petra fidei, & cæleſtis regni ianitor. 180.b. ligandi & ſoluendi accepit poteſtatem. 224.a
Petrus & Paulus eodem die Romæ necati. 265.a
S. Petrus Apoſt. S. Marcẽ Alexandriã mittit. 816.a
Petrus & reliqui Apoſtoli verba Pauli cum gratia ſuſceperunt. 156.b
Petri primatus. 419.b.794.b
B. Petri nomen oderunt, qui ad ſedem ipſius confugientes, inſequuntur. 331.a
petri nomẽ cur in epiſt. formatis vſurpatũ. 188.b.189.a
B. Petri protectio in vrbe Roma defendenda. 838.b
S. Petri & Pauli Apoſtolorum memoria à ſchiſmaticis orientalibus aliquamdiu neglecta. 269.a
B. Petri tres ſedes auctoritate præcipuæ. 830.a
B. Petri fides in æternum quaſſari vel mutari non poteſt. 682.a
B. Petro Apoſtolorũ Principi cura omnium eccleſiarum Dominica voce tradita. 790.a
B. Petro omnes creaturæ ſunt traditæ, 863.b
B. Petro cura paſcendorum ouium commiſſa. 358.a
B. Petro conceſſum vt cæteris præmineret, 482.a
in Petro Chriſtus eccleſię fortitudinẽ cõſtituit. 315.a
Petrus Alexandrinus martyr, 47.b
Petrus Altinenſis epiſcopus viſitatorem agit, & quomodo, 274.a. condemnatur, 284.a
Petrus Apamecen. epiſc. 461.a. ſcelera ei⁹, ibi. & ſeqq.
Petrus Chryſologus quando è vita migrarit, 185.b
Petrus Fullo Acœmetarũ monachus, hæreticus, 203 ſeditionis Antiochenæ Eutychianorũ anteſignanus, 210.b. Theopaſchitarũ hæreſim promulgat, 211.a. Triſagiæ deprecationẽ corrupit, 218.b. plurimarum hæreſeon formas in vna oſtendit, 225.b. damnatus, 223.b eius hæreſes, 218.219 220.223.b
Petrus Hieroſol. epiſcop. quando defunctus, 479.b
Petrus Mogus Acephalorũ princeps, 416.b. Alexãdrinæ ſedis inuaſor, 203.b.208.209.620.a. eius ſcelera, 444.& ſeqq. obitus & ſucceſſor, 249.b
Petrus Ferrici Cardinalis Chalcedonenſis Concilij exemplar vnde nactus, 142.b
Petrus Mendoza Toletanus epiſcopus, 977.a
Petrus Marcellinus Felix Liberius, 394.a
Petrus Pulcher prælul Toletanus, & quis, 970.b
Phantaſiaſtæ qui, 623.a
Phocas Imperator eligitur, 725.b. Narſetem occidi iubet, 962.a. an Rom eccleſiæ primatũ cõtulerit, 962.b. ab Heraclio obtruncatur, 963.a
Phœniciæ metropolis quæ, 184.b
Photini hæreſis, 137.b
Phratriæ pro conſpirationibus, 131
Pictauienſe Concilium, 957.a
Picti in Britannia ad fidem Chriſti perducũtur, 635.a
Pictor diuina vltione punitus, 195.a
Placitum quid, 1187.b
Planeta pro caſula, 1004
Platonis de anima humana, eiuſq; ſupplicijs deliria, 1030.b. (604.b
Plato hæreticus, Exarchus Italiæ,
Pœna cui & quamdiu infligenda, 253.a
Pœna corrigendi quos iuſſionum reuerentia emendare non poteſt, 85.a
Pœna damnatorum æterna, 487.b
Pœnæ prætentis effecta varia, 895.b
Pœnitentię ſacramentum eiuſque ritus, 204.a
Pœnitentia quotuplex, 1027.a
Pœnitentia non differenda, 320.a
Pœnitentia medela animæ, 1176.b
Pœnitentia quomodo & quib. ritib. imponẽda, 305.a
Pœnitentia quæ in hæreſim lapſis imponenda, 512.a
Pœnitentia iuuenibus temere non credenda, 506.b
Pœnitentiæ imponendæ ſecundũ Canones, 714.a
Pœnitentiæ locus omnibus patere debet, 191.a
poſt Pœnitentiã nõ eſt voluptatib. indulgẽdũ, 900.b
Pœnitens à reconciliatione in confinio mortis non diu ſuſpendendus, 1198
Pœnitens in clericum non ordinandus, 306.b.312.b 368.b 385.b.672.
Pœnitentes ab alijs quam epiſcopis aut presbyteris non ſuſcipiendi, 222.b
Poleman hæreticus, 1110.b
Pollutio nocturna quando celebrationem & communionem impediat, 948.b
Pontifex vicarius S. Petri Apoſtoli, 358.a
Pontificis dignitas maior quam Imperatoris, 277.a
Põtificis noui creatio ad oẽs eccleſias nũciata, 198.a
Pontifices ſymbolum exponunt, non condunt, 62.b
Põtifices recẽs electi à Principib. ſalutari ſoliti, 278.a
Pontifices quanto præſtent regibus, 242.a
Põtificum lingua inter Deũ & hoẽs interpres, 296.a
Pontificum inſidiatores vel calumniatores quibus pœnis afficiendi, 298.b
Põtificalis libri auctor qs, 232.a. ei⁹ error, ib. & 215.a
Portucale oppidum, 653.a
Poſſeſſor Affrican⁹ epiſc. 358.b. eius Relatio ad Hormiſdã Papam, ibid pro fide Catholica exul. 329.a
Potamius Bracarenſis qs, 1175.b. cui ſucceſſerit, 1172
Poteſtatibus humanis quatenus parendum, 277.a
Prædeſtinatio quatenus & quæ afferẽda, 386.b.387.a
Prædeſtinatorum hæreſis, 386.b
Prædia eccleſiaſtica qui petierit, aut acceperit, anathemate feriendus, 289.b
Præfationes inter Miſſarum ſolemnia decantandæ, 694.b.695.a
Prægnans mulier an poſſit baptizari, 674.947.a
Prælati repræhenſores ſuos humiliter audire debent, 900.a
Præpoſitus Comitis quis, 1143.b
Præpoſitorũ culpa ſubiectorũ culpã aggrauat. 820.b
Præſcientia Dei hominem non compellit ad mortem, 387
Præſcriptio ſæcularis eccleſiaſt. bonis opponi non poteſt, 311.a
Prætextatus Rothomagẽſis epiſcopus, 517.b.639.b inter martyres relatus, ibid. accuſatur, 696.b.697.a. in exilium agitur, 696.b
Prætextatus epiſcopus Aptenſis, quis, 513.b.514.a
Prætorium quid, 1026.a
Pragmaticus epiſcopus Auguſtodunenſis, 314.b
Presbyteri officium, 1142.a
Presbyter altare erigere non debet, 306.b
Presbyter benedictionem populo pœnitenti dare non præſumat, 306.b
Presbyteri intra quas cancellas ſui muneris manere debeant, 244.b
Presbyteri ſæcularib. immiſcere ſe nõ debent, 1188.a
Presbyteri qua ætate ordinandi, 305.b.672
Presbytero inter epiſtolas cantare vel ſaltare non licet, 955.a
Presbyteri an Chriſmare quoq; poſſint, 778.a
Presbyteris an vnquã vel vſpiam vxores habere licitum fuerit, 193.a
Presbyteris prędicandi poteſtas ſuis plebibus in omnibus parochis concedenda. 394.a
Presbytero corã epiſcopo non licet Chriſmare, 674
Presbyteris à diaconis humiliter deferendum, 190.b
Presbyteris ſedentibus diaconi adſtare debent, 191.b
Primat⁹ Rom. pont. 73.a. 188.a.230.a.244.b.243.a. 248. per torum, 288.a.482.a.694.b. an à phoca collatus, 962.b
Primas diœceſeos, Can. 9. Concil. Chalcedonenſi, quis dicatur, 188.a
Primatis & archiepiſcopi diſcrimen, 966.b
Primates in quibus vrbibus collocandi, 966.b
Primicerius quis dicatur, & quę eius fũctiões, 1141.b
Primicerij officium, 1142.b
principes catholici nouiter electos põtifices ſalutare ſoliti, 278.a
Principum in ſubditos cura qualis, 777.a
Priſcianus Grammaticus quo tẽpore vixerit, 377.a
Priſcillianiſtarum hæreſis, 402.b
Priſcillianiſtarum hęreſis ab eſu carnis abſtinentiũ, damnata, 481.a
Priſcilliani hæreſis vbi damnata, 645.a
Priſcus Lugduneñ. epiſc. cur Patriarcha dictus, 705.a
Priuilegia eccleſiarum non ſunt cõfundenda, 197.b ſua cuiq; eccleſiæ conſeruanda, 281.b
Priuilegia Apoſtolicæ ſedis auctoritate firmata, inuiolata ſunt, 870.b. ab vno pontifice confirmata nihil egent firmitatis, 870.b
Priuilegia à ſede Apoſtolica conceduntur, 924.a
Procer apud Gothas quæ dignitas, 1145.b
Proceſſiones antiquitus vſurpatæ, 200.b
S. Proclus eiuſque ſcripta quædam, 542
Procli Conſtantinopolitani epiſcopi ad Ioannem Antiochenum epiſtola, 562.a. epiſtola ſynodica ad Domnum Antiochenum, 122.b
Procopij error, 475.b
Proſper Aurelianẽſis Antiſtes ſanctitate celebris. 395
Proterius Alexandriæ epiſcopus ordinatur, 619.b. interficitur, 620.a. Concilium conuocat Alexandriam, in cauſſa Eutychianorũ, 190.b. immaniſſime trucidatus, 145.b.147.b.149.b.149.b
Prouidentiæ diuinæ contra hæreſes exemplũ, 186.b
Prouidẽtiæ de ſede Apoſtolica inſigne exẽplũ, 480.a
Pſallendi ordo quis ſeruandus, 638.a.1013.b
Pſalmi poëtici in eccleſia non vſurpandi, 675
Pſalmos ignorans, nõ eſt ordinandus epiſcop. 798.a
Pſalmiſtæ officium, 1142.a
Pſalmiſtis & lectorib. vxores alibi ducere permiſſum, 130
Ptochion quid, 117.a
Pulcheria Auguſta Chalcedon. Cõc. interfuit, 181.b Deo virginitatem vouit, 179.b. ab Eutychianis ſollicitatur, 189.b. eius epiſtola ad Baſſam præfectam aſceterij Ælienſis, 189.b. ad archimandritas & monachos palæſtinæ, 144.b. encomium, 84.a
Pulio ſubdiaconus S.R.E. ad Epiri veteris epiſcopos. 675
Pupilli ab epiſc. defendẽdi, 702.b. (pos legatus, 375.b
Purpuræ vſus clericis prohibitus, 722.a
Pyrrhus Chryſopolitanus Monachus ſedẽ Cõſtantinopolitanam adipiſcitur, 1028.a. eius cũ Ioanne 4. diſputatio, 1028.b. fit Monothelita, 1065. iterũ catholicus, 1030. in Africam fugit, 1030.b. in hæreſin relabitur, ibid. eius ſucceſſor quis, 1030
Pythagoras q; principũ omniũ rerũ poſuerit, 604.b

Q.

Quadrageſima à quo & quando indicta, 1148.b
Quadrageſi. ab omnib. æqualiter tenẽda, 511.b
Quadrageſimę ieiuniũ à Ioãnano vna hebdomada auctum, 513.b
Quadrageſima tota ieiunium non ſoluendum, 674 1134.a
in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt, 358.b
in Quadrageſima nuptiæ non celebrandæ, 674

Quin-

Quingentenarii apud Gothos qui, 1146 a.
Quintæ synodi Definitio 1098.a.
Quintianus episcopus Asculanus, 223. b. eius ad Petrum Fullonem epistola 214.b.ab Alarico relegatur, 308 b
Quintianus Ruthenensis episcopus, sanctitate insignis, 311 b
Quintiani anathematismi, 225.a

R.

Rabbula vir sanctus eiusque ad Cyrillum epistola, 544. a. Theodorum Mopsuestenum damnat. 608.b
Rachel & Lia cuius rei typus 726.b
Radegundis regina monasticum institutum amplectitur 639.b
Raptores viduarum vel virginum à communione pellendi 276.a.1333
Raptores sacratum virginum qualiter puniendi, 506.a.
Rauenna à Belisario occupata, 480.a
Rauennatis ecclesiæ priuilegia 768.a
Rebaptizati ab Arianis quomodo habendi, 481.b ad ecclesiasticam militiam non admittendi, 222 b. quamdiu pœnitere debeant, 380
Rebaptizatis qualiter ad Catholicam ecclesiam pateat regressus, 222.e
Reccaredus rex Gothorum in Hispania qualis 723. a.Arianismum abiurat,706. Concilium Toleti conuocat, ibid.
Recceſuinthus quando regnare cœperit, 1125. a. 1147.b.eius ad Concilium Toletanum allocutio 1125.
Reconciliatio quid, 1021 b
Redditus ecclesiæ quomodo diuidendi, 246.a
Regeneratio eiusque necessitas, 240.b
Reges à sacerdotibus discere debent,514.b.commẽdant filios suos B.Petro,924.b. sacerdotum monita audire debent, 907.b
Regum legati apud Pontificem, pagin. 924. colum.a
Regibus synodos conuocare non licet sine Roman. Pontificis consensu, 288.a
pro Regibus orare antiquissimum est Ecclesiæ institutum 1187 a
Regiones vrbis Romæ quot, 204.a
Regnum qui adipisci non possint 1017
Regnum terrestre cœlesti famulari debet, 770.colum.a
Regnum,corona Pontificia, & à quo donata, 314. colum.a
Regula pastoralis Liber in Græcum sermonẽ transfatus,798.a.915.b.786.a
Reipublicæ vera fundamenta quæ, 345.a
Rei sunt non solum qui faciunt, sed & qui facientibus consentiunt, 242.a.b
Reum se confitetur qui ad legitimum vocatus iudicium adesse contemnit, 248 b
Religio catholica nulla nouitate potest superari, 242.a
Religionis defensio quam salutaris. 102
de Religione quibus disputandum, 85.a
Religiosæ personæ apud solum Episcopum conuenendæ, 804.b
Reliquiæ martyrum antiquitus cultæ 278. a. 739.b. 963.b.1207.a
Reliquiæ ad Eulogium transmissæ,933.a.vbi ponendæ,& quomodo habendæ, 315.b
Reliquiæ SS.Petri & Pauli multis miraculis insignes,778.b.& S.Laurentij, ibid.
Reliquiarum miracula, 890.a
Reliquiarum in sanandis morbis virtus, 510.b
Reliquias Sanctorum nude tangere sacrilegium est 779.a
Reliquijs sanctorum loca superstitiosa purgantur, & in honorem Dei dedicantur, 759.a
ex Reliquijs sanctorum intercessione iuuamur,874 colum.a
Remigius Galliarum Apostolus,273.b.à Clodoueo multis munenbus afficitur, 311. b. Clodoueum baptizat,311. b. Clodoueum monet vt religioni prospiciat,& quo euentu, 311. a. quando obierit, 511.a.
Remigij testamentum,& nationes Clodouei regis continens, 312.a
Remigio vicaria sedis Apostolicę in Gallia præfectura ab Homisda Papa delegata 314.b
Reparatus Carthaginensis ecclesiæ episcopus, 415.

b.martyr præcisa lingua loquutus, 214.a
Resurrectio mortuorum qualis futura sit, 263.colum.a
Rhemense Concilium sub Hormisda, 369.a
Riculphus Turonensis presbyter Gregorii Turonensis calumniator. 700 a
Rixas & contentiones amantes qualiter coercendi, 308.a
Roga quid, 978.a
Rogationes à quo institutæ,200.b. vide plura Litaniæ.
Rodericus Gothorum in HispaniaRex luxu diffluens.970.a.fugatur ac deletur. ibid.
Rudericus Toletanus episcopus, 973. de primatu contendit, ibid.
Roma fons sanctarum reliquiarum,353.a à B.Petro defensa, 838.b
Roma sine Pontificis benedictione recedendum non est, 809.a
Roma à Totila capta, 480. b. à Belisario expulsis Gothis recuperata,475.b.quamdiu ab Herulis & Gothis fuerit occupata, 475.b
Romanum Concilium sub Hilaro Papa,201.a quã ob causam celebratum, 202.b
Romanum Concilium sub Felice III. contra Acacium & Petrum Fullonem, 223
Romanum Concilium sub Pelagio II. 722.a
Romanum Concilium sub Hormisda, 375.b.
Romanum Concilium I. sub Gregorio I. 954. colum.a
Romanum Concilium I. quo sub Gelasio authentici libri ab apocryphis sunt discreti.264.b.causa cur indictum 266.a.b
Romanum Concilium II.sub Gelasio. 266 b
Romanum Concilium II. sub Gregorio I. 958. b
Romanum Concilium II.sub Ioan. Papa II. 409. a.qua occasione habitum, ibid.
Romanum Concilium II.sub Felice Papa,229. colum a
Romanum Concilium III.sub Felice III. 230.b
Romanum Concilium III. sub Gregorio I.960.b. IV.961 a
Romanum Concilium sub Bonifacio IV. 963.b
Romanum Concilium sub Ioanne IV. 1029 a
Romanum Imperium dire affligitur & laceratur, 578.b
Romanus episcopus vniuersalis dictus, 68 b 69.a. B.Petri Vicarius,238.a.291.b. 279. caput est omnium,332.a.vniuersi orbis terræ Patriarcha, 331.b cœlo tantum debet innocentiam, 295.a. curam sustinet omnium ecclesiarum, 208.a.b
Rom.Pontifex reliquis præsidet ecclesiis,406.a potissimi sacerdotis administrat officia 300.b.arbiter est testamentorum,673.a.vltimum iudicium semper retinet,188.a. prouidet necessaria in aliis ecclesiis,negligentibus episcopis 829 a. præsidet Synodis,521.a à nemine excommunicari potest, 94. a. reges ecclesię priuilegia violantes compescere potest, 664 a
Rom.Pontifex impenetrabilis in omni errore propugnator, 137 b
Rom.Pontifex ab Imper. ad Concilium an euocari possit, 318 b
Rom.Pontifex quod ratum habet in Concilio,validum iudicatur, 1.5. a. Princeps est Christianæ diœceseos, 188. a. vniuersæ ecclesiæ primas, & Concilio maior,187 a.verè caput episcoporum, 154.b cum sedis priuilegiis peccandi licentiam non accepit, 252 a
Rom.Pontificis est synodos confirmare. 248.a
Rom Pontificis auctoritas,567.b.in ecclesijs disponendis, 197.a
Rom. Pontificis diffinitio ab omnibus pro Catholica fide recipienda, 353.b
Romani Pontificis auctoritatem deprimentes,scriptores deprauant, 405.b
Rom.Pontificis est quidquid nociuum est auctoritate Apostolica corrigere & emendare, 396.b
Rom. Pontificis est electum Imp. consecrare & confirmare, 335.a
Rom.Pontificis cura in alijs ecclesijs disponendis, 923. b
Rom. Pontificis est indicere Concilia œcumenica, 179 b
Rom Pontificis primatus vniuersalis Concilij confessione firmatus 73.a
Rom.Pontificis primatus à Concilio Chalcedonẽsi quoque agnoscitur, 139.b
Rom.Pontifici etiam à regibus parendum, 242.a
Rom. Pontificigrex vniuersalis ecclesiæ commissus 324.a.247.b
Roman. Pontifices ad corpus Beati Petri sedent, 854.b
Rom.Pontifices rectæ fidei custodes. 315.b
Rom.Pontificum nomine etiam in ritualibus Græcorum libris alijs episcopis præponi solita. 472. colum.a
Rom.Pontificum Decretales,& Conciliorum Decreta seruanda, 713.a
contra Rom.Pontificum doctrinam disputare nefas est, 206.a
à Rom. Pontificibus statuta non dissoluenda, 837. colum.a
Romana Ecclesia caput omniũ ecclesiarum 4.b.136 a.397.b quasob causas ceteris omnibus prælata 288. a. quibus notis à D.Aug.pro Catholica agnita, 721.a. totius orbis specula intenta, nouas consuetudines omnibus mittit. 763. b. prima est sedes,non habens maculam neque rugam. 265.a vnde & à quo primatum acceperit,188.a. à rectis dogmatibus nunquam deuiauit 363.b.synodum male gestam reprobat, & bene gestam confirmat,249.a.mater & magistra omnium ecclesiarum,482. a. iura vniuersalia omnibus transmittit,768.b.an ab Imp.Iustiniano sedes Apostolica dicta, 405.b
à Rom.ecclesia recedere non debemus, 781.b
à Rom.ecclesia non agnoscuntur qui canones non custodiunt, 767.a
Romanæ Ecclesiæ dignitas & primatus, 830.b
Rom ecclesiæ insigne encomium,1072.b patrimonium in Gallijs, 942. a. patrimonium in Sicilia, 846.a.priuilegia non minuenda. 489.b
Rom.ecclesiæ firmitas & robur. 682.a
Romanæ ecclesiæ eleemosynis captiui per Liguriã redimuntur, 274.b
Romanæ ecclesiæ inter medias calamitates maiestas.204 a.vide plura Apostolica.
Rom.sedes caput est omnium ecclesiarum, 693.b. Apostolica & summa etiam à Græcis vocatur, 1071.a.à nemine iudicatur, 237.damnat & absoluit,siue præcesserit synodus quæ male iudicauerit,siue non,249.a.non iure humano sed diuino primatum obtinet, 180 a
Romanę sedis primatus,243.a.316.a.auctoritas singularis in ecclesia,284 b.1068.b.439.a.firmitas & robur 480. a. potentia & vis quanta,504.a.sanctitas immaculata, & ea vnde, 292 a
Romanæ sedis iudicium nullus episcopus vitare potest, 248.a
Romanæ sedis prærogatiua vnde dependeat, 252. colum b
Romanæ sedis tantum est dispensare in ijs quæ cõtra canones præsumpta sunt, 196.a
Romanæ sedis legati in Conciliis primum locum sibi vindicant, 617.b
à Romana sede non datur appellatio, 237.a
à Rom. sede qui segregant se, extra Ecclesiã sunt, 684.a.
Romana synodus I.sub Symmacho à quo conuocata, 384 a
Romana synodus II. sub Symmacho & quid in ea actum, 284.a
Romana Synodus III.sub Symmacho, 284. b. an actio tantum sit alterius, 286.a
Romana synodus IV. sub Pymmacho Papa, tempore Theodorici regis, 298.a
Romana synodus V. & qua occasione celebrata, 300.a
Romana synodus VI.sub Symmacho Papa, 300.b. 303.a
Romana synodus sub Cœlestino, 568.b
Ruricius episcopus quis & qualis, 510.b
Rusticada ciuitas insignis,& vbi sita, 303.b
Rusticana Seuerini Boetij vxor, 377.a
Rusticus Romanæ ecclesiæ Cardinalis Diaconus, 375.a

S.

Sabbato omnes clerici in vnum conuenire debent, 370.
Sabbatis quadragesimæ omnibus ieiunandũ, 305.a
Sabina illustris fœmina,eiusque laus, 308.a.b
Sabinianus Papa eiusque vita,961.b.cui successerit & quomodo, ibidem. quamdiu sederit, ibidem.

Saccella pro pecuniarum capsulis, pagin. 792. colum.a.
Sacellarius, vel Saccellarius, & quale id officium, 791.b
Sacerdotes qui & quales eligendi, 334. a.397. a.sint irreprehensibiles,1003 honorandi,789.a.colum. 841
Sacerdos mediator Dei & hominum, 173.a
Sacerdotes sine orario Missam ne celebrent, pag. 1204. plus animabus quam auro studeant, 809. a.vxorati sacrificare non debent, 212. b. nec radere comam,nec nutrire iubendi,819. a. pro ipsis regibus reddituri sunt rationem, pag. 242. colum.a
Sacerdotum dignitas regia maior, & cur, 242. colum a.excessus compescendi,1195. voluntas quibus in rebus regiæ præferenda, 223.a
Sacerdotibus omnibus parendum, 242.a
Sacerdotibus mulierum conuersatio prohibita,739. colum.b
Sacerdotium non hæreditarium sed diuinum est munus, 201.b
Sacerdotio sublato religionis ignorantia obrepit, 1050. b
Sacramenta etiam à malis collata, efficacia sunt, 270.b
in Sacramentorum administratione an liceat sponte aliquid oblatum accipere, 665 b
in Sacrarium ingredi mulieribus non licet, 673.
Sacrificiorum vsus cur à populo Israelitico retentus 910.b
Sacrilegi quomodo puniendi, 945 b
Sacrilegorum grauissimum peccatum, 1027.a
Sacrilegium pœnæ diuinitus immissæ, 661.b
Sæculares regimen parochiarum aut rerum earum non habeant, 1176.b
Sæcularia iudicia clericis vtanda, 129
Sagæ perquirendæ,& è parochia eijciendæ, 308.a
Saiones apud Gothos qui, 1147.a
Salonius Ebredunensis episcopus deponitur 662.b.à Rom.Pontifice sedi restituitur, ibidem
Salmantica oppidum, 654.a
Salus non in verbis sed fide & moribus sita est, 176. colum.a
Salustius Apostolicæ sedis vicarius per Bæticam & Lusitaniam, 334.b
Samson minoris Britanniæ episcopus sanctissimus, 640.b.
Samuelis prophetæ in munere administrando integritas, 293.a
Sanagius Epagrensis episcopus quis, 656.a
Sancti ante redemptionis tempora, an in paradiso fuerint, 387.b
Sanctorũ intercessiones, 316. a.355.a. 329. b,874. colum.a
Sanctorum cultus in ecclesia frequentatus, 963. colum.b
Sanctorum festiuitates profanis saltationibus & canticis non agendæ, 716.a
Sanctus,Sanctus, Sanctus, trisagium vt vocant, à quo institutum, 186
Sanctificati qui dicantur, 261.b.262.a
Sanctimoniales, vide Moniales & Virgines.
Sanctuarium altaris quid, 645.b.739.b
ad Sanctuarium altaris laici in communione non admissi, 643
Sanctuaria Apostolorum per orbem terrarum dispersa, 353.a
Sanctonense Concilium sub Ioanne III.Papa,pag. 646. a.
Sapaudus vel Sabaudus, Arelatensis episcopus,629. b.à Pelagio Papa pallio donatur,& vicarius constituitur, ibid.
Saphoracus Parisiensis episcopus depositus, 634. col.b.
Sapientia amplectenda, eiusque encomium, 390. a.b.
Saraceni Siciliam vastant. 1188. b. quando Hispaniam occuparint 967.a.quando ex ea profligati, ibidem.Persarum regno potiuntur, 1028.a
Sauinianus Parensis episcopus, eiusque actio in Concilio Chalcedonensi ventilata. 121.b
Saxones Orientales quando fidem susceperint, 1149.b
Scampina ciuitas, & quam honorificè Apostolicæ sedis legati in ea susceperi, 340.b
Scandala quæ & quando sint despicienda, 899.b
Schisma occidentalis ecclesiæ sub Pelagio II. 678. colum. a
Schisma inter Orientales & Occidentales eiusque causa, 411.b.
Schisma inter Romanam & Africanam ecclesiam, 397.a.
Schisma tempore Bonifacii II. 396.a
Schisma contra Vigilium Papam, 501.b
schisma Alexandrinæ ecclesiæ, & vnde ortũ, 271.b
schismatum & hæreseon caussiæ, 100.b
schismatici ab vnitate ecclesia recedentes, diabolo litant, 296.a
schismatici à conuersatione fidelium excludendi, 426.a
schismatici in Symmachum Papam quam iniqui & crudeles, 293.a
schismatici Laurẽtiani à Theodorico Ariano rege visitatorem petunt & impetrant,274 a.297.
schismatici coercendi, 628.b.629.a
Schismaticorum contra Symmachum Papam violentia & furor. 286.a
à Schismaticis necati martyrij corona digni, pagin. 764. 76.
Scripta ea sola recipienda quæ Patribus consona, 586.a
Scriptura sacra quid, 796.a
S.Scripturæ intellectus multiplex, 771.a
S. Scriptura ad errores redarguendos efficax, 484. colum.a
Scoti legatos ad Pontificem mittunt, & quibus de causis, 1028.a
Scotorum error de Paschate celebrando, pag.1179. colum.b
Scotorum monachorum & clericorum vigens disciplina, 1179.b
Scythæ monachi quales.359.a. Romam veniunt, & cur,354.a.tumultus excitant,352. a.errorem agnoscere nolentes, vibe Roma expelluntur, 359. colum.a
Seditiosi in clericos non ordinandi, 307.b
Segobrica,oppidum, 655.a
Segontia oppidum 652.a
Segouia oppidum, 652.a
Segouia, oppidum Hispaniæ, eiusque descriptio, 402.b
Seminarij clericorum origo, 1014.b
Semipelagiani hæretici, 391.a
Sententiæ damnatoriæ in Dioscorum Alexandrinum à Patribus Concilij Chalcedonensis latæ, 73.74.75
Septimanas tenere debent clerici, 370
Septimium,Constantinopolis suburbium 24.a
Sepulchrum quid 1015 a
Sepultura fidelium cur honorifice habeatur, 385.a. modus sepulturæ diuersus, ibidem.
Serenus Massilienses episcopus imagines confringit,725.a. à Gregorio I. Papa reprehenditur, ibidem.&1065.a
Sergius Constantinopolitanus monothelita hæreticus, 992.b.1065.a
Sergius Constantin. Echtesin Heraelij promulgat, 1028.a
Sergii hæretici versutia, 1086.b
Serui absque dominorum consensu non ordinãdi. 245.a
Seruitus est ex legibus humanis, 240.a
Serabis oppidum, 652. b
Seuerianus Gauallensis quis. 885.b
Seuerianus Athanasij Imp. ad Hormisdam & Romanos legatus, 320.a.& seq.
Seueriani hæretici,& collatio cum eis habita, pag. 409.b
Seuerinus I.Papa,eiusque vita,1027.b.quando Pontificatum adeptus,ibid. quamdiu sederit, pagin. 1028.a
Seuerinus Boetius quis,& cur occisus, 377.a
S.Seuerinus Agauensis monasterii abbas,311.b. miraculose sanat Clodoueum Galliæ regem, ibidem.
S.Seuerinus,eiusque vaticinium, 203.b
S.Seuerinus Odoacri Italiæ regnum prædicit, pag. 214.b
Seuerus Antiochenus multas iniurias orthodoxis infert, 331.b
Seuerus Acephalorum sectæ auctor, 623.a
Seuerus monachus acephalorum sectæ Flauiano Constantinop. surrogatur. 274.a
Seuerus Aquileiensis schismaticus Romam citatur,454.a.venire recusans,ab hostibes pellitur,i bidem.
Seuerus monachus Acephalorum dux, Alamundarum Saracenorum Principem tentat vt baptismum à suis accipiat, & quomodo ab eo delusus 274.a
Seuerus hæresiarcha magia infamis,
Seuerus hæresiarcha,eiusque flagitia, 444.a
Seuerus hæresiarcha vitus suum propagat, 476. colum a.b
Seuerus hæreticus, 429.a
Seuerus hæreticus, 1119.b
Seuerus monachus Eutychianus, eiusque insolentia & crudelitas, 352.b
Seueri vita & flagitia, 331.b
Seueri in Cyrillum blasphemia, 451. a
Sextilianus Africanæ ecclesiæ in synodo Constantinopolitana legatus 610 a ostendit aliquem post obitum quoque damnari posse, 1101.a
Sicilia à Saracenis quando vastata, ibidem.
Sicilia Romano Imperio à Iustiniano vindicata, 1188.b
Siculi Episcopi semel in triennio Romam conuenire soliti, 416.b
Sidonia pseudosynodus,& à quo indicta, 823 b
Sigebertus Francorum rex, 313.a
Sigismundus Burgundiæ rex ab Ariana perfidia ad Catholicam religionem conuertitur, 1123.a
Silingui populi qui, 314. colum.b
Siliqua quid, 967.b.
Siluanus episcopus Caligaritanus,apud Rom. Pontificem accusatus,& cur, 957.a
Siluerius Papa, eiusque vita, epistolæ & decreta, 195.b
Siluerius Papa per vim, & à quo intrusus. 474 a.
Siluerius Papa per vim, & à quo intrusus. 475. a.à clero approbatur, ibid.
Siluerius PP.quando obierit, 478.a
Simplicius Papa,eius vita,epistolæ,& decreta,203. a.quando Pontifex factus, ibid b
Simplicius Papa Antiocheni episcopi electionem confirmat 211.a
Simplicius PP an sine consensu regis Italiæ Pontificem eligi voluerit 290.b
Simplicius PP. Zenoni Imp. concilium vniuersale exigenti contradicit, 203.b
Simplicii studium & vigilantia pro exteris ecclesiis, 204.b.
Simonia detestanda. 901.b
Simonia fugienda, 905.a
Simonia turpis ac prohibita. 193.b
Simonia quam turpis & pernicios a, 869.a.b
Simonia prohibita, 477.b
Simonia prohibita, 960.a
Simonia prohibita, 1196
Simonia prohibita, 1132
Simonia prohibita, 866.b
Simonia prohibita. 334.a
Simoniæ turpitudo, 801.b
Simoniæ turpitudo & pœna, 128
Simoniaca hæresis pestilentissima, 799.a
Simoniaci deponuntur, 245.b
Sisebutus rex Hispaniæ quando & quamdiu regnarit, 977.b
Sisebutis rex, 990.a
Sisenandus Hispaniæ rex, 998. coram sacerdotibus in Concilio se prosternit, ibid.
Sixti martyris reliquiæ transmissæ, 947.a
Socrates historicus,Nouatianus,204.a .exponitur, ibidem.
Solennitates maiores in ciuitatibus celebrandæ, 305 b
Smaragdus Italiæ Exarchus schismaticos exagitat, & tollit, 692.b
Somniorum phantasmata non sunt peccata,pagin. 258 b
Sanus quid. 1187.a
Sophia Iustini vxor relicta Tiberio Imp. insidiatur, 678.a. in ordinem redigitur, ibid.
Sophronius Hierosolymitanus Monothelitis se opponit 992.b
Sophronii Christiani ad Leonem Papam & Concilium Chalcedonense libellus, 71 a
Sophoron.Hieroso.quid ad Sergium scripserit.994 a,996.b
Sophronij scripta contra Monothelitas, 1069.a
Sortilegia prohibita, 192 b.954.b.1015.a
Sortilegi ab ecclesiæ communione separandi, 306. col.b

Sozome-

Sozomenus historiæ ecclesiasticæ auctor,& qualis 204 a
Sozomeni historiam non recipit Romana Ecclesia, 828.b.
Spalis oppidum,654 b.vide plura Hispalis.
Spectacula clericis vitanda. 674.
Sponsus & sponsa à sacerdote benedicendi,384.a.ca nocte in virginitate manere debent, ibid.
Stafilius Gerundensis episcopus, 381.a
Stationes in Ecclesia quæ, 1015.a
Statuta Patrum,nisi necessitas vrgeat,omnino seruanda, 244.a.949.a
Statuta priorum à sequentibus non conuenit violari. 274.b.275.a
à Statutis Patrum nullatenus recedendum, 323.colum b
Stephanus Emeritensis Episcopus, 1016.a
Stephanus Comes legatis Apostolicæ sedis occurrit, 341.a
Stephanus Antiochenus occisus, 210.b.211.a
Stephanus Ephesi episcopus à Dioscoro Alexandrino violentia oppressus, 7.b
Stephanus iunior in Antiochenum episcopum electus Constantinopoli,& cur, 211.a
Stephana Pterouola mulier impudica, 462.a
Subdiaconis olim coniugia non prohibita, quando continentia imperata, 721.b. ibidem.
Subdiaconus secundam ducens vxorem, inter Ostiarios habendus, 673.
Subdiaconi officium, 1142.a
Subdiaconi spoliati incedunt in lineis, 857.a
Subdiaconi à coniugio abstinere debent, 780. a. & 1133
in Subscriptionibus Conciliorum quis ordo seruatus, 1141.a
Subuentana prouincia Africæ quæ, 303.b
Successio Rom. Pontificum præcipua nota Ecclesiæ, 721.a
Sudarium S. Pauli, 779.a
Sueui in Hispania ad orthodoxam fidem conuersi, 707.
Sueuorum regum series, sub quibus Bracarensia Concilia habita,646. a. quando eorum regnum deletum. ibid.
Suggestiones quæ dicantur, 965 a
Suinthila rex Hispaniæ, 1015.b
Superbia super omne peccatum, 259.a
Superbia saluti semper affert periculum, 336.b
Superbia semper sibi, non alijs facit ruinam,pagin. 271.a
Superstitio est fornicatio animæ 255.a
Superstitiosæ omnes obseruationes Christianis fugiendæ, 675
Syagrius Eduensis Episcopus sanctitate eximius, 699.b
Syluanus episcopus Caligaritanus,deque eius ordinatione querelæ, 203 a
S.Syluester Cabilonensis episcopus,314.b. an interfuerit Concilio Epaunensi, ibidem.
Syluia S. Gregorij mater inter sanctos relata, pag. 723.b.
Symbolum quid , & cur Fidei formulæ ita dictæ, 721.b
Symbolum ante octo dies Paschæ prædicandum, 305.a
Symbolum Ephesinum, 1097.a
Symbolum Constantinopolitanæ synodi, 64.b.
Symbolum Constantinopolitanum, 721.a.1096.b
Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum cur publice,Apostolicum tacite recitentur in diuino officio, 1148.a
Symbolum Nicænum. 574.a
Symbolum Nicænum.720.b.à quo præcipuè compositum. ibid.
Symboli Nicæni expositio 64.b
Symboli falsati exemplar, quod neophytas aut ex hæresi conuersos doceri & profiteri oportebat. 50.a
Symmachus Papa,eiusque vita, epistolæ & Decreta, 272 b. quando & quamdiu Pontifex fuerit, 274 a lapidibus impetitus,quo se receperit , 290. a.in Pontificatu à Theodorico rege Ariano confirmatur. 283. b. ab obiecto crimine absoluitur, 284.a ab Anastasio Imp.falso Manichæorum hæresis arguitur, 274.b.
Symmachi PP.epistola apologetica aduersus libellum Anastasij Imperatoris famosum 276.b
Symmachi Pontificatus à pluribus episcopis cõfirmatus, 290 a
Symmachi epistolæ, 274.b. & seqq.
Symmachi liberalitas in pauperes, captiuos, & in sacris ædibus exstruendis munificentia, 274.b
Symmacho Papæ quæ crimina ab aduersarij obiecta, 274.b
Symmachus quis, 377.a
Symmachi caput Theodorico regi terrorem incutit 388.a
Synodus cur haberi debeat, 867.b
Synodus episcoporum est,non clericorum, 7.b
Synodus œcumenica non nisi cum auctoritate Roman.Pontificis conuocanda, 186.a
Synodus mala,bona synodo debet submoueri,249. col.b.
Synodus bona alia synodo retractari nõ debet,249. col.b
Synodus Constantinopolitana sub Vigilio, 574.a
Synodum sine authoritate sedis Apostolicæ indicere non licet, 4.b
Synodo iniuriam facit qui de semel iudicatis audet disputare, 84 b
à Synodo quædam sanciri melius est quam ab Imperatore, 104.b
Synodi Ephesinæ & Chalcedonensis codices falsati, 805.b
Synodales epistolæ quæ, 854.a
Synodicis epistolis omnes hæreses damnabantur, 819.b
Synoditæ qui, 606.a

T.

TAio Cæsaraugustanus episcopus, eiusque visio, 1045.b
Tarraco ciuitas quæ 371.a.655.a
Tarraco Primatus nomine, & à quibus decorata, 967.b.
Tarraconense Concilium sub Bonifacio IV. 977.b
Tarraconense Concilium sub Hormisda, 369
Tarraconensis episcopi contra Toletani primatum exceptio, 974.b.
Tarraconenses episcopi Hilarum Papam per literas rogant vt Irenæum confirmet, 201.a
Tarraconenses episcopi ad Romanum Pontificem scribunt, 195.b
Tarsilla soror Gregorij Magni,eiusque visio 214 b. 723.b
Tarazona oppidum, 655 a
Templa quomodo habenda, 389 a.b
Templa hæreticorum quanta execratione habēda, 314.a
Templa idolorum non destruenda , sed ipsa idola, 910.a.
Templi aditus nemini vel gentili vel hæretico prohibendus; 384.a
Tentationes ad quid conducant, 260.b
Terræmotus Constantinopoli, 186 b.228 b.219.a
Testamentum Abbas an condere possit, 894. colum.b
Testamenta clericorum rata sunt 661.b
Testes falsi qualiter ab Ecclesia puniendi, 306.a
Testes in controuersijs ecclesiasticis quot requirantur, 382.a
Tetricus Lingonensis episcopus, eiusque elogium, 517 b
Thalassius episcopus Cæsareæ à Dioscoro Alexandrino vi oppressus, 8 a
Thalassius Andegauensis Episcopus, 191.a
Thecla protomartyr precibus & intercessione Zenoni imperium restituit, 208.a
Themistius hæresiarcha, 1111.a
Theobaldus rex Gothorum vires dispersas restaurat, 479 b
Theodebertus Galliæ rex, in ecclesiam munificus. 510.a.Italiam bis inuadit, 510. b. Theodorico Francorum regi succedit, 396.
Theodeberti vita & res gestæ, 510.a.b
Theodegiselus Theodati filius, 475.b
Theodoretus quis & qualis fuerit,609.a.Concilio interesse prohibitus,5 b.absoluitur 784.b.Nestorium damnans,à Rom. Pontificis legatis sedi restituitur. 106.b.107.a
Theodoricus Gothorum rex quis & qualis, eiusq; gesta, 232.a. paret decretis sexti Concilj Romani sub Symmacho Papa, 303.a
Theodoricus rex Arianus cur ab episcopis catholicis pijssimus & sanctissimus nominetur, 288. a. Hispaniam sapienter regit, 371. b. pacem petit, 238.a. an synodum Romæ conuocarit, 284.a. 286.b.bellum Clodoueo mouet, 371.b. Ioanni I. Papæ Felicem IV.substituit,377.a.Symmachum & Boethium interficit,376.a. Romæ Catholicos persequitur,377.a.Symmacho Pontificatum cõfirmat.283.b.Catholicis petentibus Concilium annuit,atque præsentia sua cohonestat, 274. a. quamuis impius & Arianus,de ecclesia tamen optime meritus,297,b.temere ius nominandi sedis Apostolicæ episcopũ sibi vsurpat, 388. a.obit, ibidem.
Theodorici regis insigne dictum de statutis synodalibus, 285.a
Theodoricus rex Ostrogothorum Italia potitur.215 a.potestate in dando visitatore abusus, 284.b
Theodoricus rex obit,& quomodo, 377.a
Theodorici regis in iura ecclesiastica benevolentia, 303.a
Theodoritus Lignidensis episcopus , legatos Apostolicæ sedis reuerenter excipit, & obedientiam præstat, 341.a. Theodorum Mopsuestenum defendit, 545.b.eius ad Hormisdam epistola, pag. 344. b
Theodoriti imago in currum imposita, & in Cyrestanam ciuitatem introducta, 582.a
Theodorus Papa,eiusque vita,1019 a. quando Pontifex creatus, 1030.a
Theodorus Calliopas Exarchus Italiæ, 1030.b
Theodorus Cæsarensis episcopus, 480.b
Theodorus Cæsareensis episcopus excommunicatur,503.a. eius impudentia,504.a. quare,pagin. 499.a
Theodorus Tribunus, notarius & Referendarius Iustiniani Imperatoris, 471.a
Theodorus Diaconus Constantinopolim ad Imp. Iustinianum mittitur.& quam ob causam, 415.b
Theodori diaconi ad Leonem Papam & Chalcedonense Concilium libellus, 68.b.
Theodorus Pharanitanus episcopus primus Monothelitarum hæresis auctor, 1068.b. eius scripta, 1081.
Theodorus Mopsuestenus quis & qualis, 608.a
Theodorus Mopsuestenus anathematizatur, 496. 497.mortuus est in impietate, 498.a
Theodori blasphemiæ 557. b. 593. & seqq. 688. & seqq.
Theodori Mopsuesteni blasphemiæ & errores, 557. b.& seqq.
Theodori Mopsuesteni scripta excutiuntur, 527.b. blasphemiæ, 528.& seqq.
Theodori Lectoris error, 283.b.284.a
Theodora Augusta Iustiniani coniux,hæreticorum patrona, 416.b.Belisarium ad scelus inducit, 475 b.Vigilium ad Pontificatum promouet, 479. a. misere interit, 479.b
Theodosius Imp.sententiam fert pro Eutyche contra Flauianum,38.a.imperitia ecclesiast.canonis dat quod non habet,7.b. quis ei successerit 179.b
Theodosius Alexandrinus fit episcopus,416.a.623.b in exilium missus,& quare. 475.a
Theodosius monachus Eutychianus, e usque flagitia, 144.a
Theodosius Antisiodorensis episcopus sanctitate commendatus, 371.b
Theodosius Cœnobiarcha, acerrimus decretorum Concilij Chalcedonensis oppugnator, pag.181. colum.a
Theodosius fraude Eutychis & Chrysaphij deceptus. 5.a.b
Theodosiani monachi Palæstinæ qui, 189.b
Theudolinda Longobardorum Regina 607.a
Theodotus quis & qualis. 403. a. Iustiniano regni cessionem infert 416.b
Theodulus Nestorianus 1111.b
Theodomirus rex Hispaniæ ad fidem Christianam conuersus, 644.b an vtrumque Bracarense Concilium conuocarit, 666. b. ab Arianismo ad fidē Catholicam conuertitur, & qua occasione, 635. colum.a
Theodulfus Malacitanus Antistes, eiusque querimoniæ, 981.a.
Theolinda Longobardorum regina à Gregor. PP. I in fide instruitur, 724 b.
Theopaschitæ hæretici Latine Deipassionatij pag. 217 b
Theopaschitarum error
Theopaschitarum hæresis, 211.b.223.b
Theophanius episcopus quis, 50.b
Theophilus Alexandrinus Ibæ accusator, pagin. 108.b

Theophili Alexandrini de mysterio incarnationis doctrina, 48.a
Theopolis ciuitas quæ, 444.a
Theopompus Anastasij Imp. ad Hormisdam legatus, 320.a. 121.a
Theoribius, vide Thuribius.
Thermæ Agrippinæ, & ad eas monasterium à quo erectum, 678.a
Thesaurarij munus. 1142.b
Thessalonicensis episcopus Acacianis adhæret, 235 col.b
Thessalonicensis ecclesia Apostolicæ sedi reconciliatur. 342 b
Thessalonicensium crimina, 355.b
Theudis rex cui successerit, 403. a. eius in Catholicos benignitas, ibid.
Thomas episcopus Hormisdæ ad Constantinopolitanos legatus, 348 b. 349.a
Thraces in communione Romanæ ecclesiæ permaneut, 325.a
Thuribius monachus quis, 402.b
Tiberius Imp. Iustini successor, 678, a. eius pietas & munificentia, ibid. mors, ibid.
Timotheus Constantinopolitanus episcopus hæreticus, 327.b
Timotheus Alexandriæ episcopus catholicus 208. b. sedi restitutus, 210. a. quādo obierit, 211 b. Eutychianorum timore delinquit, 210. a. veniam à Pontifice flagitat, ibidem.
Timotheus Aelurus Alexandrinus pseudoepiscopus eiusque scelera, 145. b. ab exilio reuocatur, 203. b. hæresin Constantinopoli propagare studet, 206. a in Alexandrinum episcopatum intruditur, 619. b. veneno hausto interit, 820. a. morte sibi conscisit, 208.a
Timothei Æluri impia facinora, 147. a. 149. a. 205. a
Tiuphadus dignitatis apud Scotos nomen, 1146.a
Toletum vrbs Hispaniæ, 652. a. quamdiu fuerit in Maurorum potestate, 971.b
Toleti Concilia quæ & quando celebrata, 968.a
Toletanorum præsulum ordo & nomina, 970. 971. &c.
Toletanum templum à quo primum ædificatum, 967. b
Toletanum Concilium sub Reccaredo, 959. a
Toletanum Concilium II. 399. quando congregatum 402.a
Toletanum Concilium III. sub Pelagio II. 706
Toletanum Concilium IV. 996. à quo conuocatū, 1013.
Toletanum Concilium V. sub Honorio I. 1016. est nationale. 1019. b
Toletanum Concilium VI. sub Honorio I. 1019
Toletanum Concilium VII. sub Theodoro Papa, 1040. nationale, 1044. b
Toletanum Concilium VIII. sub Martino I. Papa, 1124.
Toletanum Concilium IX. sub Vitaliano, 1162
Toletanum Concilium X. sub Vitaliano, 1167
Toletanum Concilium sub Adeodato, 1189, quādo habitum, 1200
Toletano Concilio III. quinam subscripserint, 719. 720.
Toletanæ ecclesiæ dignitas, 969. b. defloreſcit, 970. 2
Toletanæ ecclesiæ primatus origo quę, 966. a. vnde probetur 968.a
Toletanæ ecclesiæ episcopi qui & quot, 966. b. eorum dignitas, 967.a
Toletana synodus sub Bonifacio IV. 963.b
Tonsuræ clericorum origo, 1015a. 1026.a
Tormenta reorum non debent modum excedere, 888.a
Totila Baduilla ante dictus, 479.a. à Gothis rex eligitur, ibid. & b.
Totila à Narsete funditur atque interimitur, 480. col.b. Romam occupat, & destruere conatur, 480 b. à consilio desistit ibid.
Traditio patrum, eiusque auctoritas, 169.a
Traditio ecclesiæ in omnibus sequenda, 552.b
Traditiones Patrum ab hæreticis negliguntur, pag. 585.a
contra Traditiones non insurgendum, 243.a.b
Traianus an à Gregorio Papa I. ab inferno liberatus 525.b
Trasamundus rex, & quibus ciuitatibus imperarit, 303.b. episcopos Africanos in Sardiniam deportat, 274. b. cur Eugenio Carthaginensi episcopo nullum subrogari voluerit, 303.b
Trasamundi regis impium edictum. 303.b
Transsubstantiatio an ab auctore libelli de duabus naturis negetur, 232.b
Tribonianus codicis Iustinianei compilator, 314.b. homo ethnicus & auarus, 388 a
Trinitas sine Christi persona credi aut adorari non potest, 361.a
Trinitas mansit, etiam incarnato quod vnum ex Trinitate est, verbo Dei 272.a
Trinitas non est propter nos crucifixa, 220.a
Trinitatis mysterium explicatur, 1087.b. 1191. 1192. 633 a. 366 a. 495.a. 676.b.
Trinitatis vna est essentia 229.a
Trinitatis personas confundens, anathema, 229.a
Trinitatis doctrina, quod fundamentum habeat, 138.a
Tricalis vrbs quæ 784 b
Tripolitana Africæ prouincia quæ, 303.b
Tricennalis possessio in ecclesia 1167,a
Trishagium quando & à quo institutum, 186. b. 219 b
Trishagium cur in Concilio Chalcedonensi decantatum, 186.b
in Trisagio non addendum: Qui crucifixus est propter nos 226.b
Troius episcopus Scampinensis, honorificè Apostolicæ sedis legatos accipit, 340.b
Truentum quæ vibs, 216.b
Tucci oppidum, 654.b
Tude oppidum 653.b
Tunica S. Ioannis, 757.b
Turones qui, & eorum vibs, 213.b
Turonense Concilium, 212.b
Turonense Concilium II. sub Ioanne III. Papa, 656.b
Tusciæ episcopi à Pelagio Papa ob schisma reprehensi, 631.b
Typus, Edictum à Constante Imp. promulgatum, 1039. b. quid de eo Lateranensis synodus senserit, 992 b. 1040. a. an Honorij Papæ causæ aliquid præiudicet, ibid. damnatur, 1030.a.
Tyranni ad deprimenda populi peccata à Deo constituuntur, 930.a
Tyrium Concilium, 375.a
Tyrij Concilii sub Hormisda celebrati epistola synodica, 456.b

V.

VAlentia vrbs Hispaniæ quæ, 384.b. 652.a
Valentiæ tres, 384.b
Valentinum Hispaniæ Concilium, 382
Valentinum Concilium Galliæ II. sub Pelagio II. 705.b. quid in eo actum 706.a.b
Valentini impius error de carne Christi, 225.a
Valentini episcopi ad Leonem Imper. epistola, pag. 153.b
Valentinianus Eudoxiæ coniux ad Theodosium Imp. scribit, & cur, 186.a
Valentiniani Imperatoris sanctio contra ecclesiasticam immunitatem, indigna 191.a
Valeria oppidum, 832
Vasa sacra ecclesiæ ad prophanos vsus non adhibenda, 509.a. 1203.a
Vasense Concilium tertium quo tempore habitū, 395.a
Vasensium Conciliorum Canones confusi 395.a
Vdalricus quis & quando mortuus, 724.a.b. an episcopus Augustanus fuerit, ibidem. commentitia eius epistola de infantium capitibus inpiscina repertis. ibidem.
Vectica ciuitas. 653.b
Velum viduarum sanctimonialium quid, 1015 b
Vela in Ecclesiis antiquitus suspensa, 898.a
Venantius presbyter Hormisdæ ad Imp. Anastasiū legatus, 319.a
Venantius Fortunatus, eiusque opuscula aliquot, 478,a
Venetia duplex, 192.b
Venetæ reipublicæ encomium, 994,a
Veneti Adriatici vnde originem suam traxerint, 192. b.
Veneticum Concilium 191. b. quando habitum, 192.b.
Verbum quomodo incarnatum, 47.b. & seqq.
Verbum Dei hominem suscepisse minus rectè dicitur, 1013
Verbum carni vnitum secundum subsistentiam, 56.col.a
Veritas vna tantum est, 426. a. quibus mediis asserenda, 483.b
Veritatem tacere idem est error qui falsis assistere, 364.a.
Vespertinæ preces, earumque ordo, 1180.b. 1187.a
Vestes monachales, 844. presbyterarum fœminarū, ibid.
Vicarius Principis quis, 1144.a
Vicarius Comitis quis 1143.b
Victor Primas Africæ Byzacenæ, 303 b
Victor diaconus catholicam fidem profitetur 354.b
Victor Tricassinorum episcopus, ab inimicis inuaditur, 662 b
Victor Pseudomonachis Eutychianis resistit 409. a
Nestorianismi insimulatur ibidem.
Victorius episcopus Cenomanorum ecclesiæ, & quis fuerit, 213.b
Viduæ an velandæ 245.a
Viduæ continentiam professæ nubere non possunt, 276.a
Viduæ defendendæ, 702.b
Viduæ castitatis propositum non seruantes peccant 245.b
Viduæ clericorum nubentes quomodo puniendæ, 672
Viduarum sanctimonialium habitus & professio, 1169.
Viennensis Antistes quæ oppida sibi vindicet, 281.b
Vigiliæ quæ prohibitæ, 956.a. earum vsus quam frequens, ibidem
Vigilius Papa, eiusque vita, epistolæ & decreta, 478 b. statim ac sanctam sedem ascendit, hæresim quam probare promiserat, damnat, ibidem. diaconus à Bonifacio II. successor eligitur, pagin. 398. colum b. antecessoribus suis inhæret, 489. a. anathema in hæreticos pronunciat, ibid. Rusticum & Sebastianum Diaconos excommunicat, 578. b. an cum Monothelitis senserit, 606. b. an & quomodo Concilium Cōstantinopolitanum approbarit, 607. a. b. quid cum Imp. Iustiniano egerit, 592. b. fidem Catholicam illibatam seruauit, 490. a. honorifice ac prærogatiuæ sedis Apostolicæ conuenienter ad synodum Constantinopolitanam inuitatur, 609. b. à Iustiniano persecutionem patitur, & cur, 607. b. nauiculā Petri in magnum discrimen adducit, 480. b. quando ab exilio redierit, 607. b. cur tria cap. à Iustin. proposita aliquādo defenderit, aliquādo impugnarit, 608. a. 478. a. an Chalcedonense Concilium impugnarit, 502. a. cōtrouersiæ decisionē ad vniuersalis Concilii consensum differt, 499. b. cur, ibid. Constantinopoli Theodorum Cęsareensem excommunicat, 504. a. ab impio quodam percutitur, ibidem. Concilium Constantinopoli indicit, 606. a
Vigilij Papæ constitutum de tribus Capitulis, 591. b. 606. b. ad Valentinianum Scythiæ episcopum epistola, 580. b. ad Aurelianum Arelatensem, 581. colum. b
Vigilii adhuc pseudopapæ quodnam facinus grauissimum, 626 a.
Vigilio Papæ quæ obijciuntur, & quomodo diluūtur, 480.a
Villici apud Gothos qui, 1147.a
Vinum creatura diaboli, secundum Manichæos, 232.a
Virdunēses episcopi sui liberalitate subleuati, 511.a
Viri non congregandi cum fœminis, præsertim virginibus sacris, 241.b
Virgines Deo sacræ nubere non possunt, 131. 276. a. nubentes qua pœna afficiendæ, 698. b. monasteriis exeuntes excommunicatæ sunt donec redierint, 700. b. quando velandæ. 245. a. 276. a
Virgines sacras qui duxerint quando ad communionem recipiendi, 245. b
Virginibus virorum consortia fugienda, 991. b
Virtus summa est, gloriam carnis vincere, 390. a
Viseo oppidum Lusitaniæ, 653. b
Visitatores ecclesiarum vnde habere debeant subsidium, 774. b.
Visigothorum contra Iudæos leges, 1015. b.
Vita hominis nauiganti similis, 816. a
Vitæ contemplatiuæ & actiuæ typus, 716. b 216. b.
Vitalis episcopus Truentinus,
Vitalis & Misenus legati Romanæ sedis Constantinopoli à Zenone impiè tractantur, 229. a
Vitalis diaconus Hormisdæ ad Imper. Anastasium legatus, 317. a
Vitalis & Misenus cum schismaticis communicant.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

cant,229. a excommunicantur, ibidem. b
Vitalianus Papa,eiusque vita,1149.b. mors, 1150.a
Vitalianus Scytha magister equitum, aduersus Anastasium Imp exsurgit, 315.a.325.b
Vitia quid præcipuè foueat, 327.a
Vitisa Gothorum in Hispania rex,luxuria diffluès, 970.a
Vittiges Gothorum rex eligitur, 475. a. Rauennam proficiscitur,474.a. Amalasunthæ filiam in vxorem rapit,ibidem. Romam oppugnat, ibidem. à Belisario vincitur, 479.b.
Vltionis remissio bona & vtilis, 879.a
Vltrogothum Childeberti vxor, 515.b
Vnio Naturarum in Christo qualis.26.27.1117.a.605 a.441,a.b.985.986.586 b.387.a.16.a.b.20.21.421. b.605.b
de Vnione hypostatica duarum naturarum in Christo diffinitio Chalcedonensis Concilij, 97
Vnitas ecclesiæ procuranda, 327.b
Vnitas ecclesiæ quibus modis custodiri possit & debeat, 317.a
Vnitas patuo momento scinditur. 1048.b
Vnius ecclesiæ duo episcopi esse nõ possunt 197.a.b
Vniuersalis nomen quid significet, 795.b
Vniuersalis sacerdotum concordia Pontifici curæ esse debet, 198.a
Vniuersalis eccleſiæ episcopus quis, 80.b.693.a.b
Vniuersalis episcopi nomen an Leo primus vsurpauerit, 187.a
Vnguenta corporibus martyrum offerri solita 854.b
Vota reddenda, 740.a.477.b
Vranius Emisenus Episcopus,sub quo caput S. Ioannis inuentum, 79.a
Vrbanus præsul Toletanus, 970.a
Vrbani Pontificis diploma Toletano Antistiti concessum, 971.a
Vrgella oppidum, 655.b
Vrgonis insula quæ 739.b
Vsura quid,& quomodo committatur, 308.a
Vsura clericis prohibita, 506.b
Vulnera ferro abscindenda sunt, quæ fomenta nõ sentiunt, 302.a
Vxor quas ob caussas dimitti possit, 193.a
Vxores clericorum relictæ, nubere alteri non possunt, 317.b
Vandalica persecutio. 214.a

X.

Xenaias iconoclastarum auctor, 214.b
Xè Xenodochijs nihil etiam ex pijs causis auferendum, 925.a.
Xylacereus loci nomen,& qualis, 91.a

Z.

Zachariæ Rhetoris error, Nestorium hæresiarcham Cõcilio Chalcedonensi interfuisse, 18.b
Zeno Imp. orientalis Eutychianus, catholicorum hostis,203. b. quando & quo mortis genere interierit, 232. a. Pontificis iussu ex Imperatorum catalogo expunctus,ibidem.à Simplicio Papa in communionem ecclesiæ recipitur, 203.b à Simplicio Papa per epistolam variis de rebus admonetur,209.b. de Antiochenis seditiosis & homicidis sumit supplicium, 210.b. cur in Codice Iustinianeo pietatis titulo decoretur,388.b. ad Imperium &ecclesiam redit,208.a.inhumaniter tractat legatos sedis Apostolicæ, 219.a
zenonis Imper edictum enoticon sacrilegum, 214. a. memoria damnatur, 314. a
Zeno Hispalensis episcopus ecclesiarum Hispanicarum Pontificis nomine vicarius, 204.b
Zeugitana Africæ prouincia, 303.b
Zoaras Acephalorum princeps in iudicium vocatur, 426.b 426.b
Zoilus Alexandrinus episcopus, 504.a. sede pellitur,& à quo quare, ibidem.

Finis Indicis Rerum & Verborum.

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRÆ, FVSIVS ALIQVANto explicatorum.

Ex Vet. Testamento.

Esai.6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* 219.a
Esai.9. *Filius dictus est nobis* 985.a
Esai.12. *Haurite aquam cum lætitia ex fonte salutis,* 363.b
Esai.65. *Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui his qui me non interrogabant,* 391.b.
Hier.2. *Dereliquere me fontem aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas contritas,* 1073.a
Dan.11. *Et eleuabitur & magnificabitur contra omnem Deum,&c. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur,* 963.a
Psal.2. *Hodie genuite,* 225.a
Psal.21. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea,* 986.
Psal.41. *Foderunt manus meas & pedes,* 597.a
Psal.86. *Et homo est,& quis agnoscet eum,* 170.a
Cant.6. *Vna est columba mea, vna est perfecta mea,* 242.b.
Eccl.29. *Vita hominis panis & aqua,* 156.b.
Eccl.40. *Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium,* 241.a

Ex No. Testamento.

Matth. 4. *Accedentes Angeli, ministrabant ei,* 598.a
Matt.6. *Vade post me Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt,* 594.a
Matt.10. *Gratis accepistis, gratis date,* 193.b
Matth. 12. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei,* 253.a
Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram,* 341.b
Matth.19. *Qui dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur,* 192 b.193.a
Marc.6. *Non possidentes æs, neque aurum, neque argentum in Zonis vestris,* 193.b
Mar.9. *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos,* 731.a
Luc.1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei,* 221.a
Ioan.1. *Tu es filius Dei, tu es rex Israel,* 599.a
Ioan.10. *Qui non intrat per ostium in ouile ouiũ, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui autem per ostium intrat, pastor est ouiũ,* 852.a
Ioan.12. *Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum* 823.a.
Ioan. 16. *De meo accipiet, & nunciabit vobis,* 570.a
Ioan.20. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum Deum meum, & Deum vestrũ,* 595.b
Ioan.20. *Dominus meus, & Deus meus,* 596.a
Act.10. *Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus S. Sancto,* 598.b.
Rom.6. *Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ,* 241.a
Roman. 8. *Nos ipsi, primitias spiritus habentes,* 260.b
Rom.8. *Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei,* 260.b
Rom.11. *Alioquin si ex operibus gratia, iam nõ est gratia,* 241.a
1. Corinth. 7. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem,* 261.a
1. Corinth. 10. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, &c.* 1000.a
1.Cor.12. *Omnes nos in vnum corpus baptizati sumus in Christo,* 264.a.
1.Cor.15. *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptionem, &c.* 262.b
2.Cor.15. *Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum,* 600.a
Gal.5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem &c.* 260.b
Gal.6. *In Christo enim Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura* 260.a
Ephes.4. *Donec occurramus omnes in vnum virum perfectum,* 263.b.264.a
Ephes.5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia,* 257.b
1.Tim.4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, &c.* 481.a.b
1. Tim. 5. *Nemini cito manus imposueris, nec communicaueris peccatis alienis,* 391.a
Heb.5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis offerens, &c.* 603.b
Heb.13. *Iesus Christus heri & hodie, ipse est in sæcula,* 225.
1.Ioan.4. *Quia qui natus est ex Deo, non peccat,* 260.a

FINIS.


2.352

Concha de Oro
1.
Concha de Oro
1.